Zacuti

Tom - 1

1667

A XXI 2ac
56342/D
Vol. I

ZACVTI
LVSITANI
OPERA OMNIA,
In Duos Tomos Diuiſa.


ZACVTVS LVSITANVS DOCTOR
MEDICVS ÆTATIS SVÆ LXVI Anno 1642
En ZACVTVM, luſitanæ fulgidum ſidus plagæ,
Principem chori medentûm, ſæculi miraculum.
CAR. SPONIVS DM.
Audran fecit

ZACVTI
LVSITANI,
Medici, & Philoſophi præſtantiſſimi,
OPERVM TOMVS PRIMVS;
IN QVO
DE MEDICORVM
PRINCIPVM HISTORIA,
LIBRI SEX:

Vbi Medicinales omnes Hiſtoriæ, de morbis internis, quæ paſſim apud Principes Medicos occurrunt, concinno ordine diſponuntur, Paraphraſi, & Commentariis illuſtrantur: necnon Quæſtionibus, Dubiis, & Obſeruationibus exquiſitiſſimis exornantur.

EDITIO POSTREMA A MENDIS PVRGATISSIMA.



LVGDVNI,
Sumptibus IOANNIS-ANTONII HVGVETAN,
& GVILLIELMI BARBIER.
M. DC. LXVII.
CVM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISSIMI.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

IMPERATORI
IMPERATORVM,
REGI REGVM,
DOMINO DOMINANTIVM,
ÆTERNO VERITATIS PATRONO;
Sacroſancto Archiatro, & Iudici æquiſſimo.

ZACVTVS LVSITANVS MEDICORVM MINIMVS.

CONSVEVERVNT qui Imperatoribus, Regibus, Magnatibus lucubrationes ſuas nuncupant,in eo potiſſimùm verſari, vt eorum Genealogiam, laudes, facinora,eleganti ſcribendi ſtylo proſequentes, pleniſſimis (vt aiunt) tibiis iactent, prædicent, ad ſidera euehant, & extollant. Ego verò ab his recenſendis ſuperſedens,ad ſecuriſſimum ſapientiæ tuæ portum confugio, cuius laudes canant Archangeli, cuius Majeſtatem tremant poteſtates, & omnis Prophetarum laudet exercitus.Nam quis humano ore id poſſe fieri arbitrabitur, licèt illi centum linguæ, oráque centum, ferrea vox? nullus ſanè, niſi inſanæ mentis compos. Conceſſiſti ergo Miſericordioſiſſime Domine, his in omnes MEDICORVM PRINCIPVM HISTORIAS Commentariis,coronidem imponi: Sed quâ ſtudij ſedulitate, quibus vigiliis

 factum

factum ſit hoc indefeſſi laboris Opus, in mediis occupationum fluctibus natum, illuſtratúmque. Tu qui renes, ac corda perſcrutaris, probè noſti. Et quanquam difficilis hic noſtrarum lucubrationum exitus, in Phyſica, & Medica ſcientia, à promulgatione veritatis, retrahere hominem meticuloſum, & inconſtantis animi poſſet: me tamen, cùm continuò foueas, certóque promittas, inſtituti noſtri ſcopum, veritatem ſcilicet à te ortam, mendacij tenebris non offuſcandam, futurum polliceris, vt non multos poſt annos, vel peritiſſimi acceptam referant; & Iuniorum Placita increpata, æqui, boníque conſulant. Quò factum eſt, vt noſtri labores dulciſſimi, ex amariſſimis reddantur: Et maximè, ſi te, ſupremum veritatis tribunal, vnicum habeam propugnaculum, & defenſorem. Accipe igitur, quas tibi libentiſſimè ſtudiorum noſtrorum debitas offerimus primitias, & humillimum ſeruum tuum (quem ab ineunte ætate, parentibus orbatum pauperem, egenum, humano prorſus deſtitutum auxilio, tua diuina tutela protectum, Pietate, & Clementia adiutum, altum ad Medicinæ culmen, & optatum ſcientiæ gradum fœliciter perduxiſti, à Zoilorum calumniantium iniquâ linguâ, virulentis morſibus, ac liuidâ proteruiâ, tuêre, tege, defende.

LVDOVICO IVSTO,
HVIVS NOMINIS XIII.
GALLIARVM ET NAVARRÆ REGI,
Chriſtiani Orbis moderatori Inuictiſſimo, ſemper Auguſto.

CVM Principes vniuerſi Orbis contemplor, CHRISTIANISSIME SIMVL, AC POTENTISSIME LVDOVICE, quorum patrocinio hanc rudem opellam commendarem, nullam, excepto te Monarcha tanto, inueni, quo auſpice, & patrono publicum indipiſcatur hic liber, quem iam maturum, ſubactum exercitatione multa, ſparſum veluti fruge bona veterum lectionum, & illuſtrium quæſtionum floribus decoratum tibi libenter offero, ſecurus quid tentet inuidia, quid moliatur calumnia: nam Herculeo tuo clypeo permunitus, virulentorum hominum morſus rabidos coërcebo. Cùm enim amorem tuum, erga ſtudioſos litterarum cultores beneuolentiam, quam vel extremum Orbis finem habitantes, pleniſſimis, vt aiunt, tibiis iactant, prædicant, & buccinantur, attenta mentis acie conſidero; clariora iudico opera tua, quæ nulla humana lingua vix luſtrari queunt, aut ferrea doctorum hominum, atque adamantina ſignari voce poſſunt. Sed quid plura conſector, ac colligo, quando tu ſolus diuino afflatus Spiritu, Galliarum populoſiſſimas prouincias, tot illarum ſinus, tot promontoria, tot littora, tot inſulas, tot portus, tot maritimas, eáſque bellicoſiſſimas oras, tot oppida, tot vrbes, tot inſtructiſſimas arces, tot munitiſſima caſtella, tot fortiſſima præſidia, incredibili dexteræ tuæ fortitudine in vnam communiſſimam concordiam redegiſti, quæ antea armis, inteſtiníſque bellis exardentia, erant æquata ſolo, & flammis prorſus exuſta? Quid commemorem Rupellenſes indomitos, quorum ſuperbiam, & diram rabiem, pacis, armorúmque arbiter, ſola maieſtate proſternens, ſolo nomine, ſolo virtutis miraculo infrænaſti, & vno veluti pugillo concluſiſti? Tu totius veluti mundi ſequeſter, & Ianitor; Galliam, cui tanquam Sol aureus præſides, multis antea calamitatibus obſitam, grauibus hoſtium ærumnis oppreſſam recreaſti, & in ampliſsimum ſecuritatis, ſeu tranquillitatis portum ex anguſto vitæ diſcrimine nunc reuocas. Quo ergo nomine hi ſyncerioris Medicinæ floſculi prodibunt fortunatiores? aut quem huius libri fautorem comparabo ſublimiorem? nam, vt omittam tui ſermonis ſuauitatem, clementiam, manſuetudinem, morum comitatem, Imperatoriam, & indicibilem gratiam, qua ſplendes, ita hæc cum maieſtate, maieſtas cum dignitate, gloria, & auctoritate certant, vt te omnes certatim nuncupent, clament, velint, & communi voto totius Orbis Guber-

natorem

natorem ſibi cunctæ Nationes expoſtulent : non enim laboribus, non induſtriæ, non diligentiæ, non ſolertiæ pro gloria comparanda pepercisti vnquam, nihil inconſultè tentaſti, nil niſi cum laude peregiſti. Ob hæc remotiſsimi Reges, illuſtres Magnates tua geſtiunt adorare veſtigia, tuíſque ſe genibus aduoluere feſtinant, immò Orbis vniuerſus tua ſplendidiſsima facinora hæreditario iure acquiſita admiratur. Quòd ſi hæc præexcelſa animi, & corporis inſignia retexere velim, nunquam præ multitudine, & affluentia illorum finis futurus eſſet orationi meæ. Denique cùm hoc tempore tota fremat Germania bello, ferueat vehementiùs Anglia, æſtuet Hiſpania, armis accendatur Italia; nec Polonia, aut Scotia, Braſilienſes, India Orientalis, Occidentalis, Perſia, Armenia, & tota Græcia, aut Abiſſinorum vaſtiſſimum regnum pace fruantur, & nobis circumcirca hoſtis immineat; tamen in Galliam tuam, nullis veluti finibus coërcitam, diuerſorum multitudine numeroſa refertiſſimam, ſingulari prudentia, maturo conſilio, pietate, æquitate, Iuſtitia, non tam armorum, quàm beneuolentiæ vinculis, quæ ſunt verè Principum fortiſſima tela, conſeruas, quod nec alij bellicoſiſſimi Reges ante te aſſequi vnquam potuerunt. O verè ſtrenuum, & Heroïcum Principem! ô præclariſſimum ſapientiæ æternâ memoriâ celebrandæ nullo vnquam tempore intermoriturum ſpecimen! ô felices, atque beatos populos, quibus talem Regem, Moderatorem ſcientiſſimum, atque Iuſtiſsimum habere contingit! Ergo triumphantiſsime Rex, Chriſtianæ molis Atlas conſtantiſsime, ZACVTVM LVSITANVM, huius libri auctorem, mille calamitatum fluctibus agitatum, ad Regios tuos pedes deuolutum, tuáſque munificentiſsimas, & liberaliſsimas manus exoſculantem, foue, tuêre, & à naſutulis cenſoribus, ne nomen eius ſuggillationis contagio polluatur, defende, & in clientelam tuam admitte. Hoc ſi feceris, pulchriora fortè, & maiora, quæ iam prelo gemunt, te fautore, lucis vſurâ fruentur. Æternum totius Orbis Conditorem, qui te tantis virtutum condecorauit titulis, ſuppliciter, obnixè, & indeſinenter, omníque votorum nuncupatione precor, vt te Inclytum Principem in longiſsimos annos, Gallis tuis, nobis, toti Orbi, immò & poſteris ſemper feliciſsimum, inuictiſſimum, triumphatorem conſeruet, & augeat.

Manus tuas Regias exoſculor, Auguſtiſſimæ Maieſtati tuæ addictus, humillimus ſeruus,

ZACVTVS LVSITANVS M. D.

ZACVTI

ZACVTI LVSITANI,

AD BENIGNVM LECTOREM,

Omnis Literaturæ cultiſſimum, artíſque Phœbææ præſtantiſſimum alumnum,

TOTIVS OPERIS PRÆFATIO.

INTER multas, præſtantiſſimáſque Artes à Deo Optimo hominibus datas, nulla eſt quæ vel originem illuſtriorem, antiquiorémve habeat, quàm Medicina. Nam eam à cœlo ortam, elapsámque, & nobis ab Altiſſimo commendatam, omnes antiquiſſimæ hiſtoriæ, tam Diuinæ, quàm humanæ, & Poëtæ, vetuſtiſſimi omnium ſcriptores, memoriæ prodiderunt.

Hanc eſſe Medicinæ originem, ſiue Hebræos, Arabes, Ægyptióſve ſequamur, nulli non eſt manifeſtum. Illi enim Adam primum humani generis Parentem, Diuino eam numine accepiſſe ferunt, vt elegantiſſimè ſcribit Platonicorum Princeps Marſilius Ficinus *lib.* 4. *ſuarum epiſtolarum.* Reliqui primos Medicinæ inuentores Deos aſſignarunt, Cœlóque dicarunt: Quare ipſa à Deorum oraculis multifariam petita eſt, auctore Plinio *lib.* 29. *natur. hiſtor.* adeò vt veteres omnes vix crederent, Medicinam ab humanis potuiſſe ingeniis inueniri, cùm ipſa, vt refert Quintilianus Auus *declamat.* 268. res ſit ſacra, donúmque Dei appellari mereatur.

Deinde, quis ſecum penſitet, quàm multiplex ſit in humanis corporibus diuerſitas: Quanta ex ætatibus, cœlo, ſexu, regionibúſque varietas: Quàm infinita in tot millibus herbarum diſcrimina: Quàm innumerabilia morborum genera, quæ ſupra 300. nominatim fuiſſe prodita refert Plinius *lib.* 26. *cap.* 1. Quot ſint venenorum mille pericula. Quot inſidiæ, quibus mortales quati ſolent: quibus omnibus ars Medica variis ſanè munita auxiliis, promptiſſimè opem fert, & mirabiliter opitulatur.

Denique quis cogitet quanta ſit in corporum cœleſtium obſeruatione

varietas, quam niſi cognoueris, ſæpenumerò venenum erit, quod in remedium datur: Ne interim commemorem ſæpè fallaces morborum notas, ſiue colorem habitûs ſpectes, ſiue lotij ſigna rimeris, ſiue pulſus harmoniam obſerues, vt non immeritò Hippocrat. *in limine Aphoriſmorum* pronunciauerit Iudicium difficile: velut hoc agentibus malis, vt hoſtem Medicum fallant, & imponant: tantus vndiquè ſeſe offundit difficultatum tenebricoſus labyrinthus, vt arduum planè ſit, omnes, vel oratione proſequi, vel mente complecti laborioſum videatur.

Hæc omnia ingenio aſſequi, induſtriâ peruincere, eſſet profectò fibras terræ, & abſcondita eius viſcera penetrare; Adeò innumerabilia ſunt, quæ Medicina, artium omnium nobiliſſima, hominem ſolùm contemplans, inquirit, & rimatur, vt nihil ſit ſub pedibus eius, vel ſupra eum in toto orbe, quod ipſa ſagaciſſimè, vel ipſo digito non oſtendat, patefaciat, ac vndiquè exploratum reddat. Herbarum enim, fruticum, ſuffruticum, arbuſtorum, arborum, plantarum, foliorum naturam exactiſſimè perpendit. Animalium arcana ſubtiliſſimè inſequitur. Omnium denique quæ hominum vitæ conferre poſſunt, (quæ propemodum ſunt infinita) aut illi nocere queunt, perſcrutatur.

Ad hæc, nullum ita ſæuum extat malorum genus, nullum ita peſtilens, nullum ita contagioſum, cui non ſint à Medicis ſaluberrima excogitata auxilia, ſic enim deambulare claudos, balbutientes loqui, & inſanos, ſtultóſve reſipiſcere videmus: Quæ res par miraculo (ſi miraculum non ſit) Diuinitati ſolùm adſcribenda videtur. Ita Deus Optim. Maxim. humani generis miſertus homines naturâ perductos, Medicorum arte, cura, ac diligentia tuetur.

Deus nobis vitam dedit, Medici ipſam proſperam, & incolumem ſeruant, & iam iam labaſcentem retinent, ac multò efficiunt diuturniorem.

Ea eſt huius excellentiſſimæ Artis dignitas, præſtantia, ac neceſſitas, vt ad vitam mortuos (quod ſolius Dei proprium eſt) reuocet, ac reſtituat: Quod perſæpè Æſculapium, ac Podalirium, ſummos Medicos, feciſſe experientiâ compertum eſt.

Empedocles etiam Philoſophus, & Medicus celeberrimus maximam ex eo gloriam conſecutus eſt, quòd mulierem defunctam, viuam dimiſerit, vt teſtis eſt Heraclides Ponticus, *in eo libro, cui titulus eſt, De deperdita reſpiratione.*

Aſclepiades etiam inter Medicos magni nominis, hominem exanimatum, elatum, comploratúmque, è rogo in domum viuum reduxiſſe traditur à Plinio *lib.* 3. *cap.* 37. & *lib.* 26. *cap.* 3. *Quot cenſes*, inquit ille, *homines ante diem ſepultos fuiſſe, priuſquam Medicorum ſolertia, morborum vires, & remediorum naturas deprehenderit. Quot hodie mortalium millia viuunt, qui ne nati quidem eſſent, niſi eadem ars tot naſcendi diſcriminibus, remedia, & obſtetricandi rationem, exactámque viam reperiſſet?* Adeò, vt pariens ſimul, & naſcens, ſtatim in ipſo vitæ limine Medicorum opem miſerabili voce implorent; & qui nondum vitam acceperunt, dum per eam prohibentur abortus, dum mulieri ſeminis retinendi, & elaborandi vis confertur, dum pariendi facultas datur. Ea eſt Medicinæ vis, & in curandis, præſeruandiſque humani corporis malis efficacia, ac poteſtas.

Hanc etiam tota commendat antiquitas, & eam primam omnium reperit

perit neceſſitas : Si quæris ſcientiam : auctores illuſtrant. Si quid auctoritatis addit honos : non alia tam paſſim , ac tamdiu honores diuinos meruit. Si magni fiunt , quæ ſummis viris probantur : hæc ſummos Reges , hæc Primates non ſolùm delectauit , verùm etiam illuſtrauit. Si difficilia quæ ſunt , ea ſunt & pulchra : nihil hac operoſius , quæ tot diſciplinis , tantarum rerum peruestigatione , vſuque conſtat. Si dignitate rem æſtimamus , quid excellentius quàm ad Dei benignitatem proximè accedere ? Si poteſtate : quid potentius , aut efficacius , quàm totum hominem certo exitio periturum , ſibi poſſe reſtituere ? Si neceſſitate : quid æquè neceſſarium , atque id ſine quo nec viuere , nec naſci licet ? Si virtute : quid honeſtius , quàm ſeruare genus humanum ? Si vtilitate : illius vſu neque maior eſt , neque latiùs patet. Si compendio , aut hæc imprimis frugifera ſit oportet , aut ingratiſſimi mortales. De cuius origine , antiquitate , neceſſitate , honore , difficultate , dignitate , poteſtate , vtilitate , lege , quæ eloquentiſſimè , ex omnium auctorum ſententia ſcripſit Petrus Andreas Canonherius , *in ſuis politicis* , *& medicis ad lib. ſeptem Aphor. commentariis* , *in præfat. in cap.* 1. *à num.* 1. *vſque ad num.* 83. & non ſiluit Lipſius elegantiſſimus *in orat. vtrùm Iuriſperitia , an Medicina plus boni homi- nibus attulerit.*

In hac ergo celeberrima Arte , celeberrimi , & famigeratiſſimi Medici extitere. Inter quos fuit ille primus , Diuinus ſanè , ac Venerandus ſenex Hippocrates Coüs , fulgentiſſimum Medicinæ lumen veriùs nuncupandus. De cuius laudibus ſat plura veteres , & iuniores ferè omnes , cuius genealogiam , viuendi genus , librorum æſtimationem & numerum , graphicè , ſolertérque deſcripſerunt Ludouicus Lemoſius Luſitanus eruditiſſimus , *in tract. De iudicio operum Magni Hippocr.* & nuper Mercurialis *eodem titulo.*

Poſt Hippocr. non defuere Viri , ingenio ; acutie , & medendi ſcientia clari , qui ipſius doctrinam eleganter illuſtrarunt ; de quorum cœtu fuere Diocles , Archigenes , Aſclepiades , Apollonius , Ruffus , Polobius , Moſchio , Cleopatra , Muſa , Thucydides , Sabinus , Dioſcorides Anazarbæus , Lycus , Pelops , Mantias , Herodotus , Democrates , Herophilus , Antyllus , Celſus , Crito , Philotimus , Praxagoras , Soranus , Comnus , Attalio , Capito , & alij , de quibus Galenus memorabilem , honeſtámque ſemper fecit commemorationem. Quorum volumina repoſita in templo , Romæ incendio conflagrarunt , quando Pacis delubrum totum , & ingentes Palatij Bibliothecæ exuſtæ fuerunt , vt Gal. *lib.* 1. *per gener. cap.* 1. *& lib. de lib. prop. cap.* 2. *&* 11. latiſſimè retulit.

Sed hos omnes longo interuallo ſuperauit Galenus fortiſſimus Medicorum Anteſignanus ; qui ſexcentis poſt ipſos annis , ita vniuerſam Medicinam veterem , Hippocratica breuitate obſcuram , & demonſtrationum firmamentis orbam , mira ingenij ſolertia , ardua ſcribendi libertate , ingenuo , ac venuſto in capita certa ordine diſpoſuit , atque digeſſit ; & adeò purè , eleganter , copiosè , & doctè omnia propoſuit , rationibus ſtabiliuit , eadem expoliuit , locupletauit , atque perfecit , vt eum , artem hanc primò inſtituiſſe , ac genuiſſe ſit dicendum.

Duobus hiſce Medicinæ luminibus acceſſere Principes Græci , veræ , ſaniorífque medicæ peritiæ profeſſores , fideliſſimi , exercitatiſſimi , ac ſcientiſſimi.

 Inde

Inde linguarum, diſciplinarúmque liberalium, denſa per Græciam ac Latium oborta caligine, ad Arabes deuoluta ſunt ſtudia: quibus excolendis Arabum maximus Auicenna, & poſt hunc, cæteri Mauritanicæ familiæ proceres doctiſſimi, qui Hipp. Galeníque veſtigiis inhærentes, obſcuriora quædam pleniùs, clariúſque prodere, & pro virili ſua parte ſcientiam hanc ſinguli amplificare ſtuduerunt.

Sed cùm homines non ſolùm ſibi, ſed & aliis nati eſſe videantur. Poſt hos non defuere viri præſtantis ingenij, acutiſſimi, ac peritiſſimi, qui ſuperiorum doctrinam explanare, rationibus fulcire, argumentis munire conatiſunt, & aliqua proprio Marte adaugere, & nouare, cùm ſumma ſui nominis & famæ celebritate auſi ſunt.

Sícque primi illius Parentis obſcuras Aphoriſticas dictiones, tanquam ex Delphico tripode, prædicentis, ac prædiuinantis explicarunt Philotheus, Oribaſius, Dinus Florent. Vgo Senenſis, Iacobus Forliu. Thadæus, Marinellus. Sequuti ſunt Hieremias Triuerus, Fuchſius, Barochius, Cardanus, Hollerius, ſubtilis Argenterius, Capiuacius, Chriſtophorus à Vega, Valleſius, Braſauolus, Mercurialis, Guilielmus Plantius, Anutius Foëſius, Benedictus Buſthemantinus, Butinus, Rodericus à Fonſeca, Ambroſius Nunius, & nuper Ioannes Heurnius practicis breuibus obſeruationibus egregiè; & poſt omnes nuperrimè Petrus Andreas Canonherius Antuerpienſis, omnes ſeptem particulas, moralibus, politicis, medicis, & theologicis commentariis eleganṫiſſimè.

Libros Epidemion ſubtiliſſimè expoſuere Valleſius,& Muſa Braſauolus: lib. ſecundum Iacobus Eſteue Valentinus: ſextum Fuchſius & hiſtorias epidemicas, variæ lectionis vir Mercurialis.

Coacas Prænotiones Hollerius, Deſiderius Iacotius, & ſubtiliſſimus Duretus.

Libros muliebrium morborum feliciſſimè Mauricius Cordæus explanauit. In eiſdem morbis inſudarunt Gynæciorum auctores, quos primò Gaſparus Bauhinus in quatuor tomos; deinde Iſraël Spachius in vnum volumen collegit; hos ſequuti ſunt ſolertiſſimus Rodericus à Caſtro, Petrus Foreſtus, Akakia, Marinellus, Maſſaria, Sennertus, Varandæus, Ioannes Heurnius, Hucherus, & Nicolaus Fontanus, & vltimò Raphaël Moxius Gerundenſis, qui nuper fœminarum morbos acutos curandos per venæ ſectionem, graphicè delineauit: fecit etiam Ranchinus.

Libros de rat. vict. in morbis acutis Braſauolus, Brachelius, Valleſius, Mercurialis, & Ioannes Heurnius doctiſſimè explanarunt.

Libros 22. Hipp. Theodorus Zuvingerus tabulis ſuis eruditiſſimis poliuit, & exornauit.

Omnia opera Hipp. Anutius Foëſius ſuccinctis ſcholiis illuſtrauit, & Hippocraticon lexicon conſtruxit admirandum.

Lib. de inſomniis clariſſimus Iul. Cæſar Scaliger explanauit.

Libros Prognoſticôn Vgo, Iacobus Forliuius, Benedictus Victorius, Henricus Cuelhar, Brauus Petraſitanus, Mercurialis, Antonius Muſa, Chriſtophorus à Vega, & Ioannes Heurnius ſuccinctè, eleganter, & doctè.

Lib. de nat. humana Iacobus Segarra, & Heurnius. Prorrhetica Mercurialis, Iacob. Scutellarius, & Sebaſtianus Paparella.

Lib.

Lib. de capitis vulneribus Vidus Vidius Florent. & acutiſſimus Fallopius, fecit etiam Blaſius Hollerius.

Lib. de octimeſtri partu, & de Medicamentis purgantibus Chriſt. à Vega, & Allemantius Heduus. Lib. de flatibus Valleriola. Lib. de loc. in hom. Lazarus à Sotto. Lib. de alimento Valleſius. Lib. de art. & lege Rodericus à Fonſeca., & Heurnius. Lib. de carnibus, Præceptionum, de veteri Medicina, Elegantiam, & iuſiurandum, idem Heurnius Paraphraſtica verſione, & breuibus commentariis appoſitiſſimè illuſtrauit.

Tenebricoſa Galeni monumenta non defuerunt,qui ſtrenuam nauantes operam eruditiſſimè fuerint interpretati. Artem Medicinalem Thomas Rodericus à Veiga, Medicus & Philoſophus inſignis, Argenterius, Vgo, Iacobus Montanus Ακακια, & Sarmoneta.

Libros de loc. affect. idem Thomas à Veiga, Valleſius, Ioannes Agricola Ammonius, Iulius Alexandrinus, & nuper Petrus Garcia Carrerius intricatiſſimas diſputationes in omnes hos libros ſubtiliſsimè enucleauit.

Lib. de dif. feb. Vega, & Veiga, Gibaltus, Ioannes Brauus Petrafitanus, & elegantiſsimus Trincauellius.

Lib. de temp. Gaſpar Lopius Canarius, & eruditiſſimè Segarra, & Valleſius.

Lib. de curandi rat. per ſanguinis miſſionem Fuchſius, Ferdinandus Mena, & Hieronymus Nunius Ramires Olyſſip. doctiſſimè emedullarunt.

Lib. de ſymp. cauſis, & diff. explicuere fœliciter Fuchſius, & ingenioſiſſimus Valleriola, & Segarra.

Lib. 7. de Methodo medendi Fabius Paccius doctiſſimè. Libros ſolùm 12. elegantiſſimè Ludouicus Lemoſius. In quibus enarrandis inſudarunt Iulius Alexandrinus, & Ammonius. Hos omnes è Latina lingua in Hiſpanicam tranſtulit fideliter Hieronymus Grillus Syracuſanus.

Lib. de ſimpl. Med. facult. Valleſius expoſuit. Lib. quos, quibus, & quando curare conueniat ingenuè Mena enucleauit.

Libros de placitis Hip. & Plat. Alexandrinus. Lib. de natural. facult. Ludouic. Lemoſius, & acutiſſimus Ioubertus.

Lib. de conſtit. art. med. Valleriola. Lib. de inæquali intemper. Proſper Calanus, & Ioannes Agricola Ammonius.

Lib. de compoſit. medic. ſec. loc. Ianus Cornarius, & Vazæus fœliciter explicarunt. Lib. de Anatomicis adminiſtrat. inſignis Anatomicus Andreas Veſalius explanauit.

Aurelij Cornelij Celſi præclariſſima opera, Scholiis, & Paraphraſi illuſtrarunt Brachelius, & Balduinus Ronſſeus doctiſſimè: fecit etiam Petrus Pauuius eruditiſſimè.

In Theophraſti monumenta de hiſtoria, & cauſis plantarum ſcripſit diligentiſſimè Iulius Cæſar Scaliger: fecit etiam Turnebus.

Dioſcoridem, totius ſanè naturæ interpretem mirabilem, explanarunt Marcellus Virgilius, Cornarius, Mathiolus, Andreas à Lacuna, Amatus Luſitanus, Ruellius, Brunfelſius, Ioannes Rodericus Albicaſtrenſis, & Hermolaus.

Paulum Æginetam Scholiis, & annotationibus ornarunt Ioannes Guinterius Andernacus, Ianus Cornarius, Iacobus Goupylus, & Iacobus Dalecampius.

In Auicennæ Arabum Principis ſcripta ab Andrea de Alpago Bellunenſe,& Gerardo Cremonenſe, ex Arabica lingua in Latinam tranſlata, extat illud indefeſſum & laborioſum Gentilis Fulginatis, & Iacobi de Partibus opus, ſubtilium dubiorum, difficilium quæſtionum copia, ac neceſſaria, vtiliſſimáque doctrina refertum. In Cantica ſcripſit Auerrhoës. Ipſius poſtea mentem explicarunt Iacobus de Forliuio, Dinus Florent. Vgo, Antonius Maria Betta; Et poſt hos ornatè, ſuccinctè, & breuiter Paulus Mongius, & Ioannes Coſtæus doctiſſimè. His addas Petrum Garciam Carrero, & Antonium Poncium à Cruce Hiſpanos, qui Fen. Primam, Lib. primi, & fen. 14. de feb. ſubtiliſſimis diſputationibus illuſtrarunt.

Raſium, Arabicæ Scholæ ſtrenuum ducem, interpretati ſunt Matthæus Peritus, Ioannes Tornamira, Guainerius, Harculanus, Leonardus Iacchinus, & Veſalius elegantiſſimè.

Meſuëm in componendis pharmacis vigilantiſſimum, enuclearunt Saladinus, Platearius, Chriſtophorus de Honeſtis, Mundinus, Siluius, Andreas Marinus, elegantiſſimus Manardus, Coſtæus, & Paulus Mongius doctiſſimè.

Iſahac Iſraëlitam Petrus Hiſpanus copioſiſſimis Scholiis illuſtrauit:fecit etiam Albanus Hyllus, Britannus diligenter.

In Plinium, & Solinum luculentiſſimas appoſuit exercitationes Claudius Salmaſius, qui velut alter Varro Galenium, Dalechampium, & Pintianum Plinij interpretes longo interuallo ſuperauit, ſcientiarum Phœnix appellandus.

Sed cùm Medici Iuniores, ſcribendi, diſputandi, & augendi, hanc artem ſtudio, ſcriptis ſuis certatim inter ſe debaccharentur, in varias diſperſi ſunt ſectas. Quidam enim quæſtiones Medicas, contradictiones, Controuerſias, aut differentias ampliùs æſtimarunt: de quorum numero ſunt Conciliator, Tarraga, Ioubertus, Cardanus, Ioannes Baptiſta Syluaticus, Franciſcus Valleſius, Iulius Cæſar Claudinus, Turinus, & Petrus Vaëzius. Paradoxa celebrarunt Fuchſius, & Ioubertus.

Centurias Curationum, exemplis raras, & varietate doctrinæ refertas, primus omnium adinuenit Antonius Beniuenius, ſequuti ſunt eum Amatus Luſitanus, Frambeſarius, Hieronymus Montanus, Antonius Mizaldus, Reinerus Solenander, Alexander Trajanus, Coiterus, Rulandus Friſinus, & Alzarius à Cruce Vicentinus.

Epiſtolarem ſcribendi ſtylum, iucundum & grauem amarunt Manardus, eruditus Langius, Victor Trincauel. Nicol. Maſſa, Baptiſta Theodoſ. Leonicenus, Saporta, Dalechampius, Ioubertus Ronſſæus, Saluſtius Maluianus, Cæſar Claudinus, Donatus Santorus, Mundella, Thomas Eraſtus, Crato, & Horatius Augenius doctiſſimus.

Obſeruationes inſtruxerunt Abraham è Porta leonis, Cornelius Gemma, Rembertus Dodonæus, Eraſtus, Crato, Laurentius Scholtzius, Aloyſius Bellocatus, Iacobus Othæus, Carolus Piſo, Valleriola, & vltimò Petrus Foreſtus Belga, latiſſimè.

Conſilia fecerunt Hugo Senenſis, Matthæus Gradius, Montagnana, Ioannes Crato, Solenander, Trincauellius, & Fernelius Neotericorum facilè princeps, Gulielmus Ballonius, Guarinonius, & Matthias Cornax acutiſſimè.

Conſultationes celebrarunt Iul. Cæſar, Claudinus, Mercurialis, Ludouicus Mercatus

Mercatus, Rodericus à Fonſeca, Lælius àFonte, & Zoroaſter Tinellus.

De varia rei Medicæ lectione diſputarunt Garcia Lopius, Lupeus, Cardanus, & graphicè Mercurialis. Ideam Medicinæ veterum nuper deſcripſit Beuerouicius elegantiſſimè.

In enarrationibus explicandis plurimus honos debetur Alphonſo Lupeo Cureleano, & ingenioſiſſimo Valleriolæ.

Locorum communium epitomen fecit idem. De locis manifeſtè pugnantibus egerunt Peletarius, Valleſius, Lacuna, & Nicolaus Rorarius ingenuè, qui omnium Medicorum Principum loca inter ſe pugnantia retulit, & ad vnguem explicuit.

De morbis puerorum peculiarem fecerunt tractatum Sebaſtianus Auſtrius, Leonellus Fauentinus, Ludouicus Mercatus; & Mercurialis de iiſdem diſputauit eloquentiſſimè.

De febre ſtigmatica, purpurea, pulicari, pediculari, lenticulari, & maligna Fracaſtorius Medicus, & Poëta Veronenſis celeberrimus; Lupeus, Gerardus Columba, Cornarius, Fabius, Paulinus, Thomas Iordanus, Paræus, Andreas Gallus, Aloyſius Toreus, Mercurialis, Petrus Salius, Petrus Paul. Pereda, Michaël Ioan. Paſchalius, Angelucius, Petrus Vaëzius, Vvierus, Simon Simonius, Fumanellus, Lud. Mercatus, & poſt omnes Ioan. Colle de morbis malign. appoſitiſſimè diſſeruit, cum Iacobo Cahagneſio prop. tract. de febrib.

De morbo gallico extat volumen plurimis auctoribus inſignitum, qui huius atrocis mali naturam, & veram curationem deſcripſerunt. Licèt in hoc explicando argumento maximus ſit concedendus honos Nicolao Maſſæ, Andreæ Matthiolo, Leoniceno; & poſt hos Mercuriali, Mercato, Capiuacio, Ludouico Iſlæ Guarinonio, Petro Toreo, qui de eo ex profeſſo agitarunt.

De metallis Fallopius, Georgius Agricola, præter Dioſcoridis interpretes, qui foſſilium naturam diligentiſſimè exararunt: quorum naturam, & cauſas nuperrimè at exactiſſimè, ex Medicorum arcanis, exarauit Bernardus Cæſius, libris quatuor de mineralibus, elegantiſſimis.

De thermis, earumque apparatu eſt volumen duodecim auctoribus illuſtratum. De Balneis Ioan. Michaël Sauonarol. Mercurial. Ludou. Mercat. & Ioan. Bauhin. doctiſsimè diſputarunt.

De decoratione & fucis, Mercurialis, & Foreſtus.

De venenis Sanctes de Arduynis, Greuinius, Geberus, Conciliator, Gordonius, Gilbertus Anglicus, Rabbi Moſes de Ægypto, Ioannes Gadeſden, Ponzettus, Nicolus, Dioſcor. interpretes, Euſtachius Rudius, Paræus, Cardanus, Antonius Carthaginenſis. Fallop. Valleriol. Angelus Sala Vicentinus, Mercurialis, Foreſtus, & Schenckius eruditiſsimè controuertêre.

De Indiæ vtriuſque aromatibus primus omnium Garzias ab Horto pertractauit. Eum ſequuti ſunt Chriſtophor. à Coſta, & Monardus, cuius opera ex Hiſpanica lingua in Latinam fideliſsimè tranſtulit Carol. Cluſius, & ſuccinctis, vtilibúſque Scholiis adornauit; de eiſdem egit etiam Vvekerus, & Ioannes Fregoſus in lib. de Aromatibus Indicis explicuit.

De re cibaria Antonius Gazius, Ioannes Bruyerinus, & clariſsimus Ludouicus Nonnius eleganter.

De viſus organo argutiſsimè egit Montalto, & Fortunatus Plempius ſubtiliſsimè. De riſu acutiſsimè Ioubertus. De octimeſtri partu Federic. Bonauen-

 tura.

tura. De diſcurſu Medico Ioan. Bapt. Perſona. De arte gymnaſtica Mercurial. & Marſilius Cagnatus. De different. animal. Eduardus Vvottonus. De occultis natur. miracul. Leuin. Lemnius. De abdit. rer. cauſ. Fernel. De præfixo vitæ termino eruditiſſimè Ioannes Beuerouicius cum ſociis. De occultis rerum propriet. Ant. Ludou. Olyſ. De loc. Medic. ſelectis Iul. Guaſtau. De remed. ad Tyron. Aguilera. De perfecto Medic. Geor. Henricus. De Medico politico, Roderic. à Caſtro. De meteor. Microcoſmi, Stephanus Roder. Caſtrenſ. ingenuè diſputauit, doctè, ſolidè.

De morbo nouo ſcorbutico Langius, Balduinus Ronſſeus, & Foreſt. De noua lue Morauiæ Iordanus, & Crato. De Plica Polaca Hercules Saxonia latiſſimè.

De iis quæ phyſicè ſcripta ſunt in libris ſacris, primus omnium diſceptauit Valleſius, eum ſequuti ſunt Franciſcus Ruès, Leuin. Lemn. & omnium poſtremus Ioan. Camara Buſthemantinus, qui de reptilibus, verè animantibus Scripturæ ſacræ appoſitiſſimè diſſeruit.

De Aquatilibus Bellonius, Gillius, Oppianus, Hippolytus Saluianus, & Rondeletius. De quibus etiam, ſicut de auibus, reptilibus, & quadrupedibus extant rara illa Conradi Geſneri Tigurini, & Vlyſſis Aldroandi opera, miris ſanè encomiis celebranda.

Quæſtiones medico-legales agitauit omnium nouiſſimus Paulus Zacchias, Romanorum decus politè, ornatè, & doctè. De plantarum hiſtoria, præter citatos Dioſcorid. Interpretes, ſcripſerunt Ioan. Ruellius, Fuchſius, Lonicerus, Cluſius, Pena, Lobellius, Rembert. Dodonæus, Ioan. Bauhin, & Ioan. Henric. Cherlerus eruditiſſimè.

De humani corporis fabrica Mundinus, Carpus, Thom. de Zerbis, Syluius, Fallop. Veſalius Iacob. Guillemæus, Archangelus Picolhomineus, Varolius, Arantius, Felix Platerus, Carolus Stephanus, Seuerinus Pinéus, Andreas Laurentius, Realdus Columbus, Gaſpar Bauhinus, Petrus Pauuius, Ioannes Vazæus, Valuerda Hiſpanus, Alphonſus Gueuara, Andernacus, Volcherus, Coïter, & poſt omnes Caſſerius Placent. de quinque ſenſuum anatome, diligentiſſimè conſcripſerunt, & poſt omnes Ioann. Riolanus filius, eloquentiſſimè.

De internis medendis humani corporis malis, extant innumeri, inter quos hi ſunt præcipui : Alexander Maſſaria, Mercurialis, Hollerius, Ludouicus Mercatus, Donatus ab Altomari, Heurnius, Rondeletius, Victor Trincauellius, Montaltus, Petrus Salius, Euſtachius Rudius, Vidus Vidius Florent. Gordonius, Valeſcus Tarentinus, Benedictus Victorius, Rembertus Dodonæus, & alij, quorum numerum, longum eſſet recenſere.

In Chirurgica Medicinæ parte poſt Hippoc. & Gal. extant fortiſſimi duces. In prima acie inueni neruoſiſſimos huius artis milites, qui pluribus bellicis inſtrumentis, gladiolis, nouacula, lanceolis, ſerra, cultellis, & omni chirurgico ornatu inſtructi, & muniti, me ab ſcribendi munere eliminabant, ac repellebant: De quorum numero ſunt Albucaſis, Guido Cauliacenſis, quem Ioannes Falco, & Ioubertus. Monſpelienſis, ſcholiis vtiliſſimis adornarunt. Hos ſequuti ſunt Ioannes Vigonius, Vidus Vidius Florentinus, Carpus, Berengarius Lanfrancus, Theodoricus, Brunus, Argelata, Ieſu Haly, Nicolus, Dinus, Franciſcus Arcæus, & Aluarus Nonnius eius interpres, Fallopius, Paræus cum ſociis, Tagaultius, Euſtachius Rudius, Andreas Alcaçar, Ioannes Brauus Chamicus, Andreas à Cruce, Gaſpar Tagliacotius, Petrus Foreſtus.

Sequuti

Sequuti ſunt Hiſpani, qui longè omnium optimè ſimul, & copioſiſſimè ſcripſerunt idiomate ſuo, Ioannes Fragoſus, Ioannes, Caluus, Anton. à Cruce, Franciſcus Dias, Petrus Toreus, Dionyſius Daca, Hidalgus de Aguero, Hieronymus Grillus, ſi quis horum vtilia, & erudita opera in Latinum ſermonem conuertat. Adde Hildanum clariſſimum, qui in ſuis centuriis chirurgicis, rara, & vtilia exempla proponit.

Et ſi iterùm ad ſcribendum animum conuertebam, Artem totam à pluribus diligentiſſimè exaratam videbam, de quorum albo ſunt omniſcius Cardanus, Nicol. Nicolus Florent. Fernelius Ambianus. Vidus Vidius, Vveckerus, Riolanus, Chriſtophor. à Vega, Ludou. Mercatus, Ioannes Gorræus Amafortius, Georgius Bertinus Campanus, qui inceptum opus non infeliciter compleuere. Omitto Andr. à Lacuna & Alphonſ. Lupeum Cureleanum; ille enim Galenum fecit abbreuiatum: Hic omnia huius authoris opera ſuccinctè, dilucidéque ſcholiis illuſtrauit; quem Iulius Alexandrinus ſequutus eſt. Adde Iacob. Fontanum, Barth. Perdulcem, Danielem Sennertum, qui in ſuis operibus vniuerſam Medicinam deſcripſerunt. Sileo quamplurimos qui de variis argumentis varia opera euulgarunt, quos legat qui velit apud verſatiſſiuum Lindanum, Medicum Amſtelodamenſem eximium, qui poſt Schenckium, duobus libris, *de ſcriptis Medicis*, nuperrimè, eos ſtilo grandiloquo propoſuit: nam nos compendium fecimus auctorum, non tractatum.

Viſis, his & voce, & animo, & viribus ad ſcribendum defeci? Et perpenſis omnibus, quæ in tanta ſcribentium varietate, & argumentorum medicinalium veluti exhauſto fonte, ab aliis argutiſſimè dicta ſunt, parùm abſuit, quin obſtupeſcerem: Sed id, in tardum meum ingenium reiiciebam, quod vt aliud naturale agens, vltra metas actiuitatis ſuæ agere non poteſt.

Cùm ergo duo ſint, (humaniſſime Lector,) quæ hominum animos ex toto deprauare ſolent, otium videlicet, & veritatis remiſſus amor, doctiſſimi & ſubtiliſſimi ingenij tui, (qualiſcunque ſis, qui hæc attento animo perlegeris) ſubire periculum non dubitaui, cùm pro veritatis tutela pugna ſit habenda. Pro hac enim (docente Ariſt. 1. *Ethic.* 3.) quemque ſua decreta tollere æquum eſt: Sic aduerſus Hippocratem ſæpe Galenus: Contra Platonem Ariſtoteles: Aduerſus Medicos Gnidos Hipp. pro veritate decertarunt. Sic Gal. *lib. 6. epid. ſect. 2. com.* 25. non in Hipp. ſolùm ſcriptis, ſed in aliis omnibus antiquorum libris obſeruat, vt non temerè, quæ quiſque ipſorum dixerit, approbet, ſed experientia, & ratione, verúmne, an falſum ſit, quod ſcripſerunt, examinet. At qui ſe vnius auctoris doctrinæ veluti ſeruos aut libertinos addixerunt, ſimul atque ab eo ſcriptum inuenerunt, inconſideratè, ac temerè credunt. Nam veritas eſt potentiſſima, inexpugnabilis, ac triumphantiſſima res totius mundi: quod 3. *Eſdræ* comprobatur. Nam, vt hoc loco ait Zorobabel: Forte eſt vinum, Fortior eſt Rex, Fortiores ſunt mulieres, ſed ſupra omnia vincit Veritas: omnis enim terra inuocat veritatem, Cœlum ipſam benedicit: hæc valet, vincit, & viuit in æternum.

Quare excuſſo otij, & negligentiæ ſomno, (plura enim mala docuit otioſitas, *Eccleſiaſt.* 33.) quâ nihil eſt deterius, teſte Cicerone, 4. *Rhet.* 2. ne de vitio illo deſidiæ arguerer, in palæſtram literariam, licèt tantorum virorum eximiis operibus perterritus, deſcendere non recuſo, ne in legem incidam Athenienſium, ignauos homines & languore marceſcentes, in forum protrahentium, & vt flagitioſos ſupplicio plectentium, vt refert Guilielmus Leporinus Heduenſis, *lib.* 4. *art. memor. cap.* 10. Deſidia enim, vt Menander affirmat,

affirmat, abſumit ingenium, vt rubigo ferrum: quoniam cùm ſit animis periculoſa, atque miſerabilis, mentem corrumpit, & cùm ſit nouerca eruditionis, omnia lædit atque profligat. Exercitatione namque roborari ſolet ingenium, virtus ſtudiorum augetur, memoria conſeruatur, & pigri, oſcitanteſque animi fiunt vegetiores; Nam *ignauia*, teſte Celſo *lib.* 1. *cap.* 1. *corpus hebetat, labor firmat*.

Quæ omnia mecum tacitè perpendens, & à iuuentute, alta mente reuoluens, in animum induxi meum, me non poſſe meliùs hominum ſaluti (quâ nihil mihi fuit vnquam optabilius) conſulere, quàm ſi depoſito timore, affectantibus Medicinam, viam quandam non iniucundam, minimè ſalebroſam, à meis anteceſſoribus intactam demonſtrarem, in qua velut in lucidiſſimo ſpeculo, *Principum Medicorum Theoriam & Praxim per Hiſtorias methodicè concinnatam* à nemine viſam, ab omnibus deſideratam planam facerem, vt in ea omnes ſeriatim morbos, à capitis vertice vſque ad imum calcanei poſſint Medici intueri; & ſic docti, luce meridiana, hoc eſt, horum Principum facundiſſima doctrina ſuffulti, & illuſtrati, manu velut ducti, morborum impetum coërcere, & ægros ab Orci faucibus liberare queant: Nam in his hiſtoriis, eorúmque interpretatione inuenies vniuerſam penè Medicinam explicatam, & per ſuas partes methodicè diſtinctam.

Quare illud mihi feliciter menti occurriſſe reperi, & non negligendum duxi, ſi ſuper *Principum Medicinales Hiſtorias* inſudando, curioſè animum ad ſcribendum appuliſſem. Et ſic ad horum Auctorum hiſtoriales campos excolendos me conuerti: In quibus exornandis ſi fortè defecerim, ſat ſit, me omnium in hoc argumento primum aliis viam aperuiſſe, vt in eo deinceps feliciùs inſudent.

Et licèt in Auctorum mente explicanda, ſæpe iunioribus obſtrepuiſſe potiùs, quàm modulatè ceciniſſe videar; ab Hippocr. tamen, Galeni, Auicen. Principúmque placitis nunquam diſcedens, horum præcepta confirmare, & conſentanea veritati, contra illorum mentem, loqui non dubitaui. Sunt enim in hoc opere plurima noua dogmata, quæ in hiſtoriarum explanatione (commentarij inſtar) attexo, quæ quàm vtilia ſint, & vſui, Auctorúmque lectioni accommoda, & per ſe veriſſima, nullus probatæ doctrinæ vir, ingenuúſque artifex ibit inficias. Noli ergo mirari, me temerè, & inconſultè tantum facinus aggredi: cùm nihil claſſicorum Auctorum carpſerim, quod indiſſolubilibus, (nî fallor) rationibus, validiſſimíſque machinis non oppugnem.

Scio non defuturos æmulos, & obtrectatores, qui hoc noſtrum ſcribendi genus renuant, improbent & auerſentur, redarguendi miſerabili morbo laborantes. Sed fuge iſtarum muſcarum, & cantharidum mores: Sicut enim in læta ſata hæ, & illæ in ſuauiſſima conuolant vnguenta; Sic multi, ingenium, geniúmque naturalem ad ſcribendum non habentes, aliorum laboribus detrahere non deſiſtunt: maiorem honorem, & gloriam ex aliorum dedecore aucupari ſibi perſuadentes. Non ceſſat paſci maleuolentia in viuis.

Abeant ergo ſpinoſi Medici, nec mihi vitio vertant, inſolentiæque inſimulent, quòd nouus homo, vix intra proprios Lares notus, doctiſſimos ſcriptis laceſſiuerim, qui auctoritatem ſibi iam pluribus annorum ſæculis præſcripſerunt. Ego, (vt vno verbo reſpondeam) cùm ex ignauia, & nimia in Neotericos obſeruantia factum eſſe cognoſcam, cur hactenus non ſolùm nihil

alti,

alti, in dies magis ac magis à noſtratibus ſit adiectum, ſed ipſorum commentaria, ſine delectu, velut oracula ſuſcepta ſint, horum deprauatas opiniones, (in veritatis gratiam) ad viuum reſecare, & penitus delere decreui, & maximè cùm ex eorum reprehenſione, damnum aut iactura non ſequatur, ſed pretium, & dignitas.

Tu verò benigne ac candide Lector, iſtorum nebulonum vitilitigatorúmque oblatrantium furioſos impetus coërce, linguam eorum mordacem, & ad maledicendum promptiſſimam refræna: ne glorientur in malitia, ne tota die cor eorum iniuſtitiam cogitet. Quia lingua eorum ſicut nouacula acuta facit dolum, & diligit malitiam ſupra æquitatem; & amat magis loqui iniquitatem, quàm benignitatem, & præcipitanter alios inquinat, vt Pſalmographi verbis vtar *Pſalmo* 51.

Quantum enim laboris ſubeat, hoc indefeſſi laboris Opus, ex Principum hiſtoriis 388. conſtructum in ſuum locum vertere, vtili, & Laconico ordine diſponere: Galeni Hiſtorias 200. Aliorum verò Principum 188. dilucidè interpretari: Claſſicorum controuerſias dirimere (quibuſcum certamen in eo, inter cuius ſuauiſſimos flores plura ſenticoſa deliteſcentia inueniuntur:) docta Barbarorum dicta, luce orationis exornare, expoſitorum errores detegere, nodos difficultatum ſoluere, experietur qui periculum facere tentet: ſi fecerit, non dubito, quòd æquior futurus ſit iudex ſtudiis noſtris: Nam prouincia ardua eſt, & difficilis, quam ad vmbilicum perducere ſuperni mihi fuit, & arbitrij, & auxilij, in qua varietas & vbertas quæſtionum, à doctis & probis viris, ſpero vt candidè probentur.

Nec mireris lucubrationes has ex Barbarorum etiam lectione coagmentatas. Nam hi licèt barbare (ob malè traducentium culpam) Medicinam literi mandauerint, plura tamen ſcitu digna, & vtilia poſteris tradidêre. Ipſorum verb ſic fideliter poſui, ne ſenſuum corruptorem, aut deprauatorem me appellares: Sciens morbos non eloquentiâ, ſed auxiliis curari, teſte Celſo: *Æger enim præſidium quærit, non ornatum.* Horum hiſtorias cum Græcis, & Latinis con inxi, vt vnanimis conſtaret Medicina. Omnium Auctorum productas aliqua hiſtorias in compendium redegi, ne legentibus tædioſa oratio eſſet, neceſſari amen proponens, ſuperflua euitans. Quòd ſi ſub vna hiſtoria, alias videris co rehenſas, id me feciſſe exiſtimes, quia eæ de eodem argumento agunt, in eu em ſcopum diriguntur, ac eandem curandi methodum expoſtulant. Si ta en in aliquam hiſtoriam fortè incidas Principum, à nobis non exaratam, m vel chirurgicam eſſe, vel parui momenti, vel ad aliquam ex præenarratis ducendam, vel ex aliorum mente Principes loquutos fuiſſe intelligas velim. am & ego in his colligendis hiſtoriis, conferendis, tranſcribendis, per mult annos magna alacritate inſudaui.

Vniuerſum opus in ſex libros diuiſi.

Primus de capitis affectibus agit.

Secundus de vitalibus, & naturalibus organis diſputat.

Tertius de partium genitalium, & inferiorum morbis p actat.

Quartus de febribus ratiocinatur.

Quintus de venenis, & antidotis ſermonem inſtituit.

Sextus de iis quæ certam ſibi ſedem non determinat erba facit.

In

In quæſtionibus explicandis, in cauſis, & differentiis morborum exponendis, in Auctorum mente explananda eum ordinem ſeruo, vt in iis, quæ ab aliis rectè dicta ſunt, nullum tempus inutiliter conſumam: In iis quæ mediocriter agitata inuenio, ea mei tenuis ingenij limâ, lucidiora reddita ad vmbilicum perduco. Plurima etiam quæ ab Auctoribus nullo modo dicta ſunt,(ſunt enim multa) ea puriori ſcribendi ſtylo omnium nouiſſimus controuerto. Ne mireris,*dat ſiquidem meliora dies, nec omnia poſſumus omnes*. Nam, vt bonus dicebat Guido Cauliacenſis, *ſumus pueri in collo gigantis*.

Accipe igitur Principum Medicorum palantes quidem, & longè diſperſas hiſtorias miro ordine coactas, diſpoſitas, & explicitas. Quod opus à nullo meæ profeſſionis homine (abſit à verbo ſuperbia) nec inceptum, ne dicam abſolutum, nec prior, nec noſtra ætas vnquam vidit. Quod ſi tibi placere annuis, *In Chirurgicas omnes Medicorum Principum Hiſtorias*, quæ ſunt pluſquam 300. accurata tibi pollicemur commentaria, vno tantum præmiſſo Opere, quod de *Iuniorum Medicorum in Theoria, & Praxi erroribus* diſputabit, plurima lectione, vtili & vario argumento illuſtratum. Hæc erant, Lector optime, quæ tibi in veſtibulo huius ædificij noſtri diſſerenda habui.

OPERIS

OPERIS AVCTORES.

EXPLICANDVM primò qui ſint huius operis auctores?Quæ vtilitas? Autor primus fuit *Galenus* , natione Græcus, Niconis illius Geometræ atque Aſtronomi filius. Apud Pergamum Aſiæ ciuitatem ortus,pius, gratus. Medicus ſua tempeſtate clarus, apud poſteros multò clarior. Floruit Athenis, & Romæ Antonino Pio temperante.Vixit annis 77.aut,vt alij referunt,90. Et Cùm ad videndam Hieroſolymæ magnificentiam, & ſumptuoſiſſimum templi apparatum contemplandum accederet, licèt ſpecioſiſſimo, & robuſtiſſimo eſſet corporis habitu, mari mortuus eſt,febre quadam inſidioſiſſima,quæ adeò in humores,& viſcera graſſata eſt, vt nullum non medicamentorum adhibitum genus contempſerit.

Is Medicus fuit ſummus, & cùm adhuc iuuenis eſſet,ad Athenas mittitur,ibíque ſub Thalio præceptore,Medicinæ ita operam vehementiſſimam dedit,vt non ſolùm medicarum,ſed omnium præterea rerum humanarum, viſibilium, ſempiternarum, occultarum,terreſtrium,cumulatiſſimam ſcientiam fuerit aſſecutus, & quod perpaucis contingit;præter Germanum ſermonem,Italicum,Græcum, Arabem,Syrum,& denique Ægiptium eſt amplexus.

Qua de cauſa factum eſt, vt ex libris, quos de re medica hactenus noſtra probauit ætas,nullus ſit,quem omnes crebriùs aut maiori cùm voluptate verſent, quàm Galeni monumenta. Nec immeritò: Nam ſummus auctor,incredibili rerum omnium ſcientia affluens,& abundans,totam artem medicam compleuit, non perfunctoriè, ſed firmiſſimis rationibus,eleganti ſtylo, ſcientia exactiſſima, ingenio raro, iudicio admirando, præexcellenti rerum vſu,ſtupenda rerum omnium cognitione præditus. Singulari pollens virtute,conſtantia,pietate, & aliis mirabilibus dotibus inſignitus.

Verum enimverò,ſi Galeni ingenium, ſi iudicij acrimoniam,ſi doctrinæ & prudentiæ magnitudinem, ſi rerum omnium peramandam veritatem, ſi ex reconditis etiam fontibus habitam ſubtilitatem,ſi docendi ſuauitatem, ſi incognitarum rerum demonſtrationem,ſi ardentiſſimam diligentiam,ſi fidelem memoriam, ſi naturam ad Medicinæ ſtudia procliuem,)qua repugnante,irrita ſunt omnia) ſi laborum inenarrabilem patientiam ſpectes,nullibi proculdubio niſi in recondita illa,ac penè diuina *de vſu partium* tractatione euidentiùs apparet ; & maximè cùm adhuc balbutiens eſſet Medecina, in qua non modò alios, verum ſeipſum etiam ſuperauit. Immò ſi argumenta ſimilis momenti,*de pulſum diff.præſag.vtil.reſpirationis*, ad vnguem contempleris, in his, accutiſſimi ingenij abſtruſam eruditionem reperies.Sed quis has,& alias mirabiles dotes,altiori gradu in hoc auctore ſitas,narrando,aut ſaltem minimam earum partem perſtringendo, non deficiet? etſi Demoſtheni, aut Ciceroni hoc munus deferretur,quanquam alterum Græci eloquij, alterum Latini principem dicant.

Nec refert quòd aliqui,gloriæ Gal.parum ſtudioſi eò dementiæ deueniant,vt dicant, eum in expoſitione Hipp.Grammaticum egiſſe,& Latinæ linguæ prorſus ignarum,philoſophiæ arcana non penetraſſe:hos enim rabie quadam percitos,ac miſerabili inuidiæ vitio occæcatos,& malis auibus initiatos,in ſua ignorantia ſepultos hallucinari,& putaui,& puto, quorum plurimi, quum pedem in Medicina vix promouerint, à Galeníque facundiſſima doctrina penitus ieiuni ſint, in conſultationibus, in medicis ſermonibus aduersùs eum blaterare non erubeſcunt: cùm is in eliciendis ſummi Dictatoris reconditis ſenſibus mirabile ingenium,conſummatum iudicium, incomparabilem perſpicuitatem, cum curandi mira dexteritate coniunctam ſemper oſtenderit : ſed vt ipſe dicebat, *6.epid.4.19. Illiteratorum, flagitioſorúmque hominum latratus euitari non poteſt.*

Eiuſdem laudes decantant, qui primum in Medica facultate locum tenent. Alexander enim Trallianus,eum nonniſi cum epitheto,& cognomine Diuiniſſimum appellat.Oribaſius *lib.*1. *collect.in præfat.*refert Galenum Medicinam,via,ratione,& diſtinctione pertractaſſet ita eleganter:vt cæteros omnes antecelluerit, cùm principia, & ſententias Hipp.fuerit imitatus. Haly Abbas *lib.* 1.*theor.& Rabi Moſſes* 25.*part.Aph.* dicunt Galenum in Medicina plus ſciuiſſe,quàm alium cuius famam audiuerint, aut ſcripta legerint. Auerroës *lib.*5.*collect.* philoſophandi ſcientia,atque ingenij facundia clarum,ipſum vocat. Arnald.*in lib.de diuerſ.intent.Medicor.*eum nuncupat virum grauis ponderis, recti iudicij,& exquiſitæ perſcrutationis prout exigit neceſſitas.

Et ne putes hoc à Medicis ſolùm eſſe aſſertum, cùm non deſint ex alienis Auctoribus grauiſſimi viri,quibus veritatem hanc lubet planam facere: ipſe enim,omnes ſuperiores Medicos (Hipp.ſemper excipio)& ingenij acumine,& præſtanti doctrina ſuperauit.Nam Iuſtinianus *in proœm.ff.* parentem omnis virtutis cognominauit. Euſebius Cæſarienſis *lib.*5.*hiſt.Eccleſ.cap.vlt.* Angelus *conſil.*9. in verbo ſanctiſſima Regina. Antonius Cocceius *lib.* 4. *Æneid* 7. Hermanus Skedel Nurembergenſis, *in ſuis temporum hiſt.* Diogenes Laërtius,Gergius Valla,Placentinus,& alij,eum miris laudibus afferunt.Quid plura? nonne cunctis Medicis Doctoribus extitit glorioſior? homo alioquin minimè ſuperbus,aut popularis gloriæ amator.In cuius laudibus proferendis non eſt cur ampliùs immoremur,cùm de eo ſat plura dixerint veteres,& iuniores ferè omnes. Videndi Cælius Rhodiginus *lib.*30.*lect.Antiq.cap.*12. Andreas Tiraquellus *lib.*1. *de nobilit.& iure primog. cap.*31. *num.* 69. Fumanellus *lib. de vita & moribus Gal.* Symphorianus Campegius *tract.de genealogia Gal.* De cuius vita Ioannes Gæmuſæus,Andreas à Lacuna, & Mercurialis latiſſimè pertractarunt.

Cornelius Celſus, (Licèt multo tempore Galenum præceſſerit) ſecundo loco ob id venit numerandus, quoniam non ita amplè Hipp. doctinam explanauit: Hic enim Latinus Hippocrates meritò nominandus, ob ſingularem doctrinam, & accuratam ſcribendi facundiam, Princeps Medicinæ, hoc eſt præcipuus, ſeu primarius dictus eſt. Is ergo Conſularis fuit ex Quiritium ordine vir, vixit ſub Imperatore Tiberio, vel fortè ſub Tiberio natus, vſque ad Traiani Imperium vitam produxit: Prout Genebrardus *lib.*2.*chronicôn*,Rabbi Abraham *in hiſt.Cabalæ,& lib.de temp. ætatis,cap.*5. aſſignarunt. Fuit ergo Celſus, Medicus ſui temporis illuſtrior, medicamque artem octo libris comprehendit,ita graphicè, eleganter, ornatè,& breuiter, vt nihil ad eius perfectionem deeſſe poſſit:Et non ſolùm hoc volumen huius argumenti eloquentiſſimum ſcripſit.Sed etiam præcepta Rhetorices, rei quoque militaris, & ruſticæ plurima reliquit: dignus vel ipſo propoſito,vt eum ſciuiſſe omnia illa credamus, vt memoriæ prodidit Quint.*lib.vlt.Inſt. Orat. cap. vlt.* Sed & hunc,Columella teſtis locupletiſſimus *lib.*9.*cap.*6.dicit, non ſolùm agricolationis, ſed vniuerſæ naturæ prudentem virum:eum citat Plinius *lib.*21.*cap.*30. & Gal. *lib.*9.*ſec. loc.cap.*5.

Demum nullus eſt,quiCelſum,elegantiſſimum,& neruoſiſſimum auctorem eſſe non fateatur. Nam pomœria Romanæ eloquentiæ profert ingenuè,& Medicinam, ſuauiſſimo ore, cunctis cultioribus ingeniis commendat. Mirum dictu quàm preſsè, vbi licèt, illo progreditur! quàm luculenter cauſas morborum enarrat! Certè rem planè admirandam præſtitit, vt cùm muta hæc ars nata ſit, miniméque eloquentiæ capax: Is tamen tanto ſplendore eam condecorauit,vt non aliunde,quàm ab hoc vberrimo fonte,totius exactæ medicinæ rationem mutueris Nam in hoc fulget verborum preſſa proprietas,ſẽtentiarum conciſa ſubtilitas elucet,micat ſermonis veneranda antiquitas, adeò vt eum fuiſſe artificioſiſſimum iure meritò dicere poſſimus, qui felici penicillo,Hipp. mentem explicuit ad vnguem;quem rectè ipſius interpretem nuncupare fas erat. Is denique fuit qui ſuo ornatiſſimo ſtylo,maiorum placita ita commendauit,& Romanorum cœtus ita in admirationem euexit, vt Medicinam ſexcentis annis exploſam denuò ex animo reciperent.Nam præter eloquentiam, quam duobus libris oſtenderat, adeò in omnibus aliis artificiosè Medicinæ præcepta tradit, vt maxima neceſſitate illos coegerit,Medicinæ partem practicam amplecti.De cuius laudibus videndus Vidus Vidius *lib.*1.*Inſt.c.*7.

Scribonius

Scribonius Largus ſequutus eſt Celſum: & omnia quæ à præcipuis Medicis ante eum dicta ſunt,ad partem curatricem pertinentia, in vnum volumen redegit, & rediuiuas antiquorum curationes, eáſque edacis temporis iniuriis deletas, poſteritatis memoriæ commendauit. Fuit Medicus eximius, ab omnibúſque ita celebratus, vt Tiberij Cæſaris fuerit primarius,vt ipſe ſibi teſtis eſt fideliſſimus,*com.* 163. Eum Gal.non probat modò,& eius præſidia ſummè amplectitur,ſed ſuo nomine eum appellans,plurima ex eius libro, in vſus medicos commutat, vt conſtat ex *lib.7.de comp.med.ſec.loc.* nam ad ſtomachi dolorem,& inflationem,varia ex eius mente auxilia parare docet. Artem ergo medicam ſcientiam ſanè ſanandi, non nocendi,quum iſte celeberrimus Auctor tadiderit, meritò ab omnibus illius Princeps dicendus eſt.

Paulus Æginetа ita Galeni documenta obſeruauit, vt ab eo,nec latum,vt aiunt, diſceſſerit vnguem. Is fuit omnium primus,qui Medicinam in compendium redegit,ídq; tam ſcitè concinnauit,vt quæ in latiſſimo Galeni campo diffusè ſunt ſcripta, ea in hoc auctore artificiosè contexta, & miro quodam ordine lucubrata liceat inuenire, adeóque fidè,&verè,tenebroſa Galeni loca fuit interpretatus,vt eum huius auctoris ſimiam, hoc eſt,religioſiſſimum Galenicæ doctrinæ imitatorem appellare fas ſit.

Aëtius Abidenus, hos ſummæ eruditionis viros amplexus eſt. Quem alij dicunt Amidenum Antiochenum,qui Conſtantini Magni temporibus,Medicorum priorum dicta libris ſexdecim coniunxit. Quos ipſe in tetrabiblos diſtinxiſſe videtur,id eſt quaterniones;quorum quilibet,quatuor ſermones continet, quos libros alij vocant. Hunc autem Cappadocem appellat Paul. *lib.cap.*1.*in princ.*niſi illic Aretæum pro Aëtio ſcribere liceat, prout in emendatiſſimis Pauli codicibus animaduertitur. Si ergo reconditam doctrinam quæris,eam ex veterum peritiſſimis depromptam,& veluti in epilogum redactam, Aëtium lege: vt qui totum Galenum contractum, omnes antiquorum ſpeciales normas, raras tam per pharmaca,quàm per Chirurgiam animaduerſiones,ad pleraſque ægritudines ſummè neceſſarias,ſolerticura,ac vigilantia,explicatiſſimas exhibuerit:rectéque à plurimis Medicinæ promptuarium dici ſolet.

Oribaſius his annumerandus venit, Iuliani Imperatoris Archiater, qui Libros 70. ad eundem eorumque Epitomen *in lib.*9.ad Euſtathium filium emiſit,fecit etiam lib.vnum Euporiſtôn,& *libros* 3.*de virtut.ſimpl.*& *morb.curat.& alterum de loc. affect.curat.* ad Eunapium. Huius quoque nomine circunferuntur commentarij in Aph.Hipp. Quo autem in honore fuerit habitus conſtat ex Suida, & Eunapio *lib. Sophiſt.* nam Quæſtor Conſtantinopolitanus fuit creatus:ipſum tamen inuidia ſuccedentium Imperatorum, bonis ſuis ſpoliatum, in exilium ad barbaros fuiſſe demandatum,in quo,animo virili,ac philoſophico permanſit;tantáque apud eos gratia,& auctoritate fuit,vt Deorum loco haberetur. Et cùm diu hoc viuendi genere perſeueraſſet; placatis tandem Principibus rediit,& bona recuperauit. De eo extat Epigramma, *in lib.*4.*Epigram.* Græcorum,quod è Græco in Latinum tranſlatum, hoc modo ſonat.

Iuliani Regis, Medicus Celeberrimus hic eſt
— *Diuus Oribaſius, dignus honore coli.*
Prouidus inſtar apis,Veterum monimenta pererrans,
Ex variis vnum nobile ſcripſit opus.

Cælius Aurelianus ſequitur, ab aliis dictus Soranus Latinus. Cuius licèt ſolùm libros de acutis,& Chronicis ægritudinibus conſcriptos habeamus; ſunt tamen alij plurimi ad ipſo compoſiti, ſi fides ipſi auctori eſt habenda *in lib.* 2. *Cronión, cap.* 4. *in fin.* Scripſiſſe autem libros reſponſorum medicinalium,patet *ex ipſo lib.*1.*eiuſdem oper. cap.*1. *& lib.*2. *cap.* 4. Feciſſe etiam libros mulieb. paſſionum conſtat ex *lib.*3. *eiuſdem; cap.* 4. Compoſuiſſe libros ſpecialium adiutoriorum,& epiſtolarum Græcarum ad Prætextatum, ipſe refert *lib.* 2. *eiuſdem, cap.*1. Fuit ergo Cælius Aurelianus Siccenſis, vir nulli Græcorum ſecundus, immò celeberrimus, & in recitandis fidè antiquorum ſententiis admirandus.

Trallianus hos famigeratiſſimes Medicos ſequutus, raros, & admirabiles in hac

arte progreſſus fecit. Quare eius in ſcribendo exactum iudicium, fidem, diligentiam, artificium,& ordinem librorum ſuorum ſatis admirantur Medici;cùm vniuerſam Medicinã, paruo ſatis volumine accuratè tradiderit.Licèt enim hic auctor in multis à Galeni doctrina (quam multoties capere videtur) diſcedere iudicetur; tamen ſi intimiùs explicetur cum Gal.maximè concordat,quicquid plurimi,(falsò tamen)contra ſentiant. Dicitur Iatroſophiſta,ab aliis Sophiſta,& aliquando Iatros ſimpliciter nuncupatur.Qua de cauſa Iacobus de partibus , & Simon Genuenſis, clariſſimi eius interpretes,ita eum appellant: vel quòd iatros idem ſit ac Medicus,excellentiæ nomine vocatus; vel quòd hoc cognomentum internotionis gratia ſit adiectum , quoniam multi tunc Alexandri dicerentur:Si ætatem qua hic floruit inquiras,Oribaſio, Aëtióque poſteriorem fuiſſe conſtat;nam eorum nominatim ſæpe mentionem facit:Paulo autem priorem fuiſſe arbitror, quòd hic,illius vt optimi ſcriptoris meminerit.Atque ita Trallianus veluti medius inter illos non multo poſt Iuliani Imperatoris tempora vixiſſe perhibetur. Hic ergo auctor, vt excellentior euaderet, in patria ſua,Tralle ciuitate Lydiæ celeberrima, licèt liberalibus ſtudiis,&humanioribus literis affluente,non eſſe commorandum in animum ſuum induxit,ſed omnes Græciæ partes peragrandas ſibi propoſuit:& poſt longas peregrinationes ad ſcribendum ſe contulit,& experimenta , quæ longo vſu & periclitatione ex morbis collegerat, in 12.commentarios reduxit:in quibus quo interuallo alios ſuperauerit,omnibus notum eſſe reor.De cuius laudibus ſat multa Ioannes Guinterius Andernacus, & Ioannes Molinæus in eius vita, adamuſſim exararunt.

Aretæus imitatus Trallianum,librum non inelegantem de acutis, & chronicis ægritudinibus cõſcripſit:& licèt varij viri nomine Cappadocis fuerint inſigniti,tamẽ noſter auctor Cappadox fuit. Inſuper alij, aliis de argumentis ſcripſerunt,vt fuit Aretæus Sabinus, qui Hippocr.commodiſſimè fuit interpretatus. Noſter citatur à Paul.*lib*.4.*cap*.1. Licèt in nonnullis codicibus Aëtius ſcribatur(ſed prauè)pro Aretæo:Neque enim Aëtius Cappadox fuit,ſed Antiochenus:& Aretæum ſimpliciter citat Aëtius *tetrab*.2.*ſerm*.4.*c*.46. & *ter*,3.*ſerm*.3.*cap*.1. Is ergo Auctor probria Minerua artem medicam ſtabilire conatus eſt,appoſitè,& doctè,ita vt nihil ad eius perfectionem deeſſe poſſit.

Actuarius Zachariæ filius,Græcorum poſtremus,non tamen poſtremæ notæ fuit;nam totum quod habemus de cauſis, iudiciis,& præſag. vrinanarum,illi,omnium,in hoc negotio elegantiſſimo auctori verè debemus,in quo condendo opere,nitet Latinorum verborum pura indagatio:ſubtile iudicium,ac ſententiarum ſummum momentum perſpicuè elucent:Librum etiam de actionibus,& affectibus ſpiritus animalis luculentiſſimum conſtruxit.

Græcorum mentem,non defuere viri ſapientia illuſtres, doctrina percelebres, ſententiarum pondere diſerti &graues,qui dilucidè,& ſatis diſtinctè explanauerint. De quorum gremio fuit Arabum maximus *Auicenna*.Hic enim totam artem medicam,in vnum volumen ſempiternæ memoriæ commendandum congeſſit : Cuius auctoris doctrina, quo in pretio ſit habenda,non eſt cur ampliùs demonſtremus: cùm eius vitam, candidiſſimos mores,eximiam doctrinam, viuendi rationem doctiſſimus Nicolaus Maſſa,ſicut & eius præceptores,patriam,negotia,legem, Andreas Bellunenſis, nuper Henricus Vacca de Alfaro Hiſpanus *tract.de origine, & patria Auic.* eruditiſſimè deſcripſerint.

Raſis.Auicennæ veſtigia ſequutus , fuit ſpeculatione clarus,opere promptus,experientia probatus.Vocatur Albubater,aut,vt alij,ſcribunt,Abubater,filius Zachariæ,filij Azahi, aut,vt alij volunt,Erraſi,aut,vt alij putant,Raſis. Is eſt, quem Medicorum cœtus Raſim vocare conſueuit. Huius habemus 12.libros.Elhaui,aut,vt alij dicunt Helchaui,aut ſine aſpiratione Achaui,ſiue Elkaui,id eſt,vt interpretantur,totũ continentis;quare eos libros Continẽtis vocant Opus quidem ingens, ſed neceſſarium,etſi ſit ineleganter admodum verſum.Scripſit præterea decem libros ad Almanſoré,& alios plurimos qui periere.Vir ſanè hic eſt,longæuæ memoriæ commendandus,vt ait Auer.*lib*.4.*cap*.40. Nam Græcorum,& Medicorum celebrium mentem aperuit, & eorũ doctrinam intimiùs explicuit.

Auenzoar Glorioſus cum his venit numerandus, qui ſumma cum ſui nominis gloria, & artis honore , per tot annorum curricula honorificentiſſimè Medicinam exercuit.

Quem

Quem mirabilem Auerrhoës appellat *loco nuper cit.* Cui, ex huius auctoris ſententia, debet in hac ſcientia concedi corona: quoniam *vixit* 135. *annis. & in hac arte in* 40.*an-no operari incepit, & in bono obiit ſtatu, & in habitu ſcientiæ vidit, quanta videre, & cognoſ-cere potuit.* Eius ergo libri auidè legendi ſunt: nam admirando præditus ingenio, lon-gæuóque fultus experimento, plurima arti adiecit,quæ ante eum nec viſa prorſus ſunt, nec cogitata quidem.

Alzabarauius his poſtponendus non eſt, nam inter Mauritanicæ Familiæ Profeſſores, primas obtinere creditur. Partem enim Medicinæ practicam diligenter explicuit, eám-que non empirico modo, ſed acuto & ingenuo, in vaſto vno volumine edocuit, & mi-ra quadam ingenij felicitate in lucem euulgauit.

Albucaſis in Chirurgica ſcientia admirandus, ſuperioribus, & ingenij acumine, & mentis perſpicuitate non fuit inferior. Nam prætcrquam quòd in materia prorſus in-culta, lib. 3. Chirurgicos, ſtylo graui ſynceróque conſcriptos mirò & ſuccinctò ordine diſpoſitos, in lucem dedit, in quibus alios, & vel ſeipſum ſuperauit, dignus vt hac de cauſa ſummo honore colatur; in Medica facultate plurima addidit, in abſtruſis tene-bris abſcondita & latentia.

Auerrhoës pluſquàm commentator, ſeu malleus Medicorum veriùs appellandus, di-ctus Arabicè *Abenraſt*: vir acutiſſimus,& ſubtiliſſimus,& Philoſophandi ſcientia clarus, adeò vt priſcorum Philoſophorum, & Medicorum dicta,exactò èxamine, non ſolùm ad Ariſtophanis, ſed Cleanthis lucernam penſata explicuerit. Conſtat hoc apertè ex vaſto illo, quòd ſuper omnia Ariſtot. opera conſcripſit, volumine ingenioſiſsimo, & laborioſiſsimo, ſed ob temporis tunc incuriam ineleganter admodùm traducto. Scri-pſit opus Colliget, (Latinè ſonat vniuerſale) in ſeptem diſtinctum libros; in quibus ſummam eruditionem, rarum ingenium, reconditámque doctrinam palam fecit. Di-gnus certè, vt cum priſcis illis comparetur.

Haly Abbas poſtremo loco reponendus, licèt poſtremum nomen inter Mauritanæ Familiæ proceres haud mereatur,quum libros Theoricæ, & Practicæ Medicinæ, ſtylo ſuauiſsimo, Laconico quidem, & non vulgari conſcriptos dederit in lucem, & plures alias delineauerit ægritudines,ab aliis nec viſas,nec ſomniatas quidem. Quare inter Prin-cipes Medicos ab omnibus habitus,eorum numerum non immeritò claudit.

Deſcripſi ſingulos vniuerſi huius Operis auctores, primos ſanè artis noſtræ Parentes, ſcientiſsimos, & medendi peritia dexterrimos, vſu atque multifaria eruditione refertiſ-ſimos: Quorum Hiſtoriæ,& exempla, veritate ipſa (ſi ita loqui licet) veriora, vtpote à viris bonis, & veritatis amatoribus prolata, auro, gemmis, & Regum theſauris ampliùs præferenda, æſtimandáque ſunt.

Omiſi Magnum Hippocratem, noſtræ artis Legiſlatorem, cùm is Diuinus Auctor, non Princeps,ſed Princeps Principum Medicorum meritò nuncupari debeat:& maximè cum ante me omnes illius hiſtorias,plures ſuprà citati Auctores eleganter fuerint inter-pretati;quare illorum gloriæ haud inuidus,ab hoc labore ſuperſedere ſatius duxi.

Silui Magnum illum Dioſcoridem Anazarbæum, totius naturæ interpretem mirabi-lem,Nicolaum Myrepſum,Marcellum Empiricum,Rufum,Meſuëm,Serapionem,Ishach, inter præcipuos Medicinæ Principes, & primarios duces numerandos: quippe qui hi-ſtorias non conſcripſerunt, quæ noſtris poſſint inſeri commentariis. Aliorum ergo exemplis ſi quis adhæſerit, eáque attenta mente fuerit contemplatus,& illorum rectiſſi-ma curandi methodo fultus, ſanctam Medicinæ ſcientiam exercuerit,non minimam fa-mam,& honorem merebitur apud eos,qui Hipp.aut Gal.filios ſe eſſe gloriantur.

Fructuoſa eſt Hiſtoriæ vtilitas in medica facultate, & nonniſi pluris facienda: nam non ſolùm cùm ſit varia delectat,& reddit Medicum in antiquorum monumentis verſa-tiſſimum,ſed cùm ſit certa,prodeſt,& docet quo pacto Gal.ſplendidiſſimum Medicinæ iubar,& Artis Proceres in ſuis medicationibus ſe geſſerint,vt horum firmiſsima nos in-ſtructi doctrina,non à turbidis & cœnoſis iuniorum riuulis,ſed à limpidis & perennibus fontibus aquam ſcaturientem haurientes,quid agendum ſit non ignoremus. Scis enim

quantum interſit inter vniuerſalem methodum,& particulare vocatum experimentum. Licet enim plerique varium ſcribendi ſtylum refugiant, hiſtoriam tamen nemo non amplectitur, nulli non libenter audiunt, vt Daniel Heinſius,Belgicus Varro,efficaciſſimis rationibus *Oratione* 10.*de hiſtoriæ præſtantia & dignitate*, eloquenter comprobauit. Quare ſuus,iſque ſupremus honos Hiſtoricis defuit nunquam, vt de Flauio Ioſepho, Antipatro Hieropolitano,Clitarcho,Quinto Curtio,refert Rauizius Textor *in præfat.ad ſuam Officinam*,quos,Romanos Imperatores,ob hiſtoriæ dignitatem,tantopere honoraſſe,illiſque ſtatuam erexiſſe,à veterum peritiſſimis ſæpius eſt proditum:vt Beroaldus refert eloquenter *in Oratione* per eum habita in enarratione Titi Liuij.

Maxima ergo eſt hiſtoriæ vtilitas,& eò magis in Medicina,dum eorum vitam legimus,qui culpa ſua,præpoſteróque viuendi ordine in aliquod diſcrimen inciderunt.Sic enim aliena fruimur inſania,& pedem ab aliis reuocamus,in quibus alij naufragium fecere.Nonne ſuaue eſt alieno infortunio ſibi præcauere?Scribit enim Auenz. *lib.*1. *theiz. tr.*16.*c.*6. ſe ſuas,& aliorum hiſtorias enarraſſe,vt eſſent exemplum in omnibus aliis ſimilibus.Hoc conſilio ductus Gal.in ſeipſo aliquas ægritudines ſubortas,per hiſtorias patefacere non erubeſcit. Non enim poſſumus effugere pericula, niſi præterita nobis ſint nota,& quaſi per manus ſcripta poſteris relinquantur.Quoniam non ſolùm neceſſe eſt artem Medicam cognitam habere,ſed etiam exercitatione,atque obſeruatione eam firmare oportet,vt elegantiſſimè retulit Gal.3.*meth.*7.*& lib.*1.*eiuſd.cap.*4.& alibi ſæpè. Lege quæ de Hiſtoriæ dignitate ſcripſerunt luculenter,Marcus Antonius Muretus *in Salluſtium*. Politian.*in præf.in Sueton.*Adam Kellerius *lib.*1.*cap.*8.*de Offic.iur politic.*Polybius *lib.* 1.*Hiſtoriar.*Natalis Comes *lib.*1.*hiſt.*& Ioan.Antonius Viperanus *cap.*3.*de ſcribenda hiſtoria* eruditiſſimè.Deinde præferenda eſt Hiſtoria ædibus,ſtatuis,coloſſis,trophæis, arcubus: nam non vertitur,non immutatur,non incenditur,non frangitur,non exeditur,non innouatur,Legitur omnibus,cum voluptate omnia aperit,enarrat res incognitas,mira præſtat exempla, nec habet quicquam hominis vita pretioſius, quia quæ abſunt longiſſimè,in oculis eſſe videntur, vt refert Antonius Campanus *lib.*1.*epiſt.*5.

Demum docet nos Medica Hiſtoria,quomodo ſe debeat gerere Medicus cum Medicis prouectioris ætatis, eruditis, indoctis,moroſis, ceruicoſis: cum Magnatibus,diuitibus, pauperibus,cum delicatulis,miniſtris & adſtantibus:denique cum omni hominum ſorte. Quæ omnia maturum in Medicó prudente iudicium, exactam ſcientiam, & longum vſum præſupponunt.

Protuli de materia hac vtiliſſima,non quæ hiſtoriæ dignitas,ac vtilitas,excellentiáve exigebant,ſed quæ ingenij mei in medium proferre tenuitas ſiuit. Patere tamen ex ipſis opinor,in omnibus actionibus,cunctis conſiliis,ac medicis conſultationibus,plurimum vtilitatis hiſtoriarum exemplum afferre: Rectéque à Cicerone affirmari, Hiſtoriam teſtem eſſe temporum,lucem veritatis,magiſtram vitæ, vitam memoriæ, ideóque bene ſtudiis ſuis eos conſulere, qui cum aliarum artium, atque diſciplinarum cognitione, etiamhanc coniungere minimè dubitant. Huius enim ope narratio curationum geſtarum cum laude,aut infelici euentu,abditorum morborum cauſa,&exitus,cum temporum & locorum ordine, ac deſcriptione, tanquam viua quædam pictura, ante oculos proponuntur. De quo argumento Melchior Iunius Vvittebergenſis *lib.* 1. *de oration.de hiſt.dignitate*,& Henricus Cornelius Agrippa *lib.de vanit.ſcient.*5. eximie diſputarunt & non ſiluit eruditiſſimus Mercurial. *in præfat ad epidemicas hiſtorias* Hippocratis, cum Cornelio Gualthero *in præfat. ad Hiſt. Hegeſippi.*

Quare Principes Medici in ſuis libris ſcriptas reliquerunt hiſtorias. Hos imitati ſunt Rabbi Moſes de Ægypto, in omni ſcientiarum genere admirandus, qui in *particula* 24.*De miraculis in medicinalibus libris repertis*,exempla rara à ſe obſeruata ad vnguem retulit. Idem etiam negotium agitarunt Latino-barbari. Valeſcus Tarentinus, Gulielmus Placentinus, Nicol. Flor. Marcus Gattinaria,& Harculanus, qui exempla illuſtria, ſtylo tamen horrido conſcripta, & in denſiſſimis eorundem commentariis deliteſcentia ad nos tranſmiſerunt. Quorum energiam ſapiunt Matthæus Gradius, Guainerius,

Gentilis

Gentilis Fulg. & Iacobus vterque. His acceſſere noſtræ ætatis Medici doctiſſimi, & exercitatiſſimi, Symphorianus Campegius, & Ioan. Baptiſt. Syluaticus, qui ſuperioribus annis, hiſtorias ex Galeni ſolùm monumentis, paucas tamen, & citra ordinem congeſſere.

Poſt hos non defuere viri percelebres, & eruditi, qui Medicam ſupellectilem locupletare enixè ſtuduerunt. Omnium in hoc argumento primus extat Beniuenius: Sequuti ſunt Amatus Luſitanus, Paræus, Alex. Benedict. Rembert. Dodon. Fernel Vvier. Langius, Veſalius, Cornel. Gemma, Scaliger, Valleriol. Holler. Iacotius, Solenander, Alexander, Traianus, Trincauel. Columbus, Pet. Poterius, Cardanus, Euſtachius Rudius, Mercurial. Saxonia, Thomas à Veiga, Braſauolus, Valleſius, Rondelet. Heurnius, Matthias Cornax, Laurentius Scholtzius, Menzelius, & Oſvvaldus Gabelchouerus, qui omnes ſparſim, & aliud negotium agentes, miras raráſque hiſtorias deſcripſerunt. Omnium poſtremus Marcellus Donatus de Hiſtoria medica mirabili ſcripſit ſuccinctè, eleganter, & doctè. Sequuti ſunt Martinus Rulandus, Friſinus, & Petrus Foreſtus Belga. Ille enim hiſtorias Empyricas, arcanis Chymicis abſolutas in lucem dedit: Hic obſeruationum medicarũ longam ſatis, & laborioſam farraginem conſtruxit. Et vt nouiſſimè, ſic eloquentiſſimè omnium, Ioannes Schenckius à Graffemberg, ſtupendæ lectionis vir, ex omnium ferè Neotericorum ſcriptis, & ex ſuo etiam ingenuo Marte, peregrinas memorabiléſque hiſtorias euulgauit in lucem.

Sed nullus ſuperiorum Auctorum, vt optimè nôſti, noſtrum attigit inſtitutum, nec Hiſtoriales Medicorum omnium Principum, amœniſſimos, & frugiferos campos excoluit, vtilibus commentariis ornauit, paraphraſi poliuit, dubiis & ſeriis diſputationibus illuſtrauit, & peculiaribus obſeruationibus locupletauit.

ZACVTVS LVSITANVS,
BENEVOLO LECTORI. Salutem

PLVRES ſunt percelebres Viri, qui noſtro æuo in Europa tota, in inclytis Academiis, & nobiliſſimis Ciuitatibus, Medicinam honorificè profitentur, & maxima cum ſui nominis gloria praxin exercent, qui argumentum de Medicorum Principum Hiſtoria, *tanquam Reipubl. Medicæ ſummè neceſſarium, vtile, ac ſaluti mortalium frugiferum valde, datis ad me literis eruditiſſimis palàm conteſtantur, imò vehementer laudant, & indefeſſum laborem meum, in Hiſtoriis ordine compendioſo proponendis, illuſtrandis, & interpretandis, pleniſſimis (vt aiunt) tibiis iactant, prædicant, & buccinantur quarum paucas è multis electas, laconicè proponere viſum fuit ad maiorum huius Operis commendationem.*

EPISTOLÆ CLARORVM VIRORVM

Daniel Beckerus Boruſſus, Academiæ Regiomontanæ Primarius Profeſſor, Zacuto Luſitano, S.

MAgne Medicorum Princeps, Doctiſſime ZACVTE, Fautor honorande. O! me felicem tanto patrono, tanto amico! Vix ego narrare poſſum, quo gaudio, quâ vtilitate, quo applauſu, tota hæc Academia Regiomontana, imò omnis Pruſſia, & aliæ regiones Poloniæ & Moſcouiæ confines, in quibus Hippocratica ars in pretio eſt, Hiſtorias tuas tot dubiis exornatas, & praxin illam mirabilem venerentur. Profeſſores eas colunt, & verſant, Practici in ore promptas habent. Demum in ſubſelliis ZACVTVS honoratur, qui tantopere dimicauit pro doctrina Galeni. Sed quid honoribus & laudibus te macero, cùm ſis honoratiſſimus, & laudatiſſimus? Dabam Regiomonti, 28. Octob. 1628.

D. Benedictus à Caſtro Hamburgenſis, Roderici à Caſtro, Medici inſignis Filius, D. Zacuto acutiſſimo, S.

DElectet hominum oculos opulenta tellus, animantium copia frequentata, ſyluarum viriditate veſtita, fontium perennitate, altitudine montium, camporum æquore, ac nemorum opacitate variata. Me, celebre tuum Opus, *De Medicorum Principum Hiſtoria*, (ſolertiſſime ZACVTE) tanta voluptate affecit, vt ſi his doctis commentariis (quæ potiùs deuoraui, quàm legi) rerum varietate, lectione multa, acutarum, nouarúmque diſputationum copia refertis, quod ſuum eſt tribuerem, eſſem ab ipſa eloquentia, ſcientiáque mutuaturus facundiam. Attamen ſolùm debitum meum admiratione perſoluam, ne parum ſufficiens deficiat lingua. Sat ſit mihi intelligere, quod à te, omnium in hoc argumento primo, altiori ſcribendi ſtylo, ſuaui dictionis contextu, miro diſpoſitionis artificio ventilatum legi. Quo factum eſt, vt in eorum album adamantinis literis te potiùs ſculpſerim, quàm ſcripſerim, qui cum ſelectiſſimis diſciplinis, veritatem ſine fuco, & fallaciis emedullatam ſibi coniunxere, quod vt rarum hoc noſtro infœlici ſæculo eſt, ita ampliùs æſtimari debet. Magna laus, & grata hominibus, vnum hominem elaborare in ea ſcientia, quæ ſit multis profutura.

Non

Non enim qui hiante ore, patulíſque auribus populi ſemper laudes excipiunt,eaſdémque inanes affectant,non qui pecorum more,ac belluarum inſtar,vitam ſilentio miſerè tranſigentes,vilia,ſordida, & abiecta perſequuntur;ſed qui proprij ingenij monumenta immortali poſteritatis memoriæ conſecrant, quorum præclara æterni nominis gloria, raris virtutum dotibus,variáque rerum experientia parta,magnam vniuerſi orbis partem implet, nobis anſam præbent, vt illos debitis, miríſque laudum encomiis ad cœlum vſque extollamus Priſci illi Romani vt immarceſſibilem nanciſcerentur fomæ amaranthum, magna & incredibilia facinora perpetrantes, nihil honeſtius, nihil egregio viro dignius eſſe ſibi perſuaſere,quàm de vniuerſo hominum genere benè mereri.Quis quæſo doctrina abſoluta, eruditione exquiſita, ſcientia multifaria, fortunæ aleam te præſtantiùs ſuperauit? qui dum me conſulis, me doces, vt à te edoctus, haud ſuperbus approbem quod diſſeris.O fœlix ætas! quæ tam ingenioſum virum nobis genuit,atque creauit, qualem te ex Luſitanis aruis exiſſe merito gloriamur. Quid enim in hac parte excogitari, aut deſiderari poteſt, quod ab hoc tuo vberrimo opere, tanquam à perenniſſimo optimarum diſciplinarum fonte,nequeat hauriri?Nam in explicanda auctorum mente es acutus,& grauis, ſolers in arguendo,multiplici rerum vſu,atque experimento inſignis, in abditarum controuerſiarum explanatione facilis, venuſtus, & elegans: ſic denique vetuſtis nouitatem, nouis auctoritatem tribuis, vt ex ore tuo veterum dicta, tanquam è domeſtico penuario deprompta liceat audire,& in nouis antiquorum diſciplina reluceat. Obeliſco,(ſi fas eſt tanto,támque bellè elaborato operi iudicium meum interponere) perfodiendum nihil: Aſteriſco decorandum totum inueni.Gratulor tibi, & ſæculo noſtro.Gratulor mihi,quod tuarum lucubrationum me feceris participem, in quibus,& argumenti nouitas, & inuentionis ſubtilitas, & variarum rerum cognitio facilè elucent.Perge igitur alacri animo, & reliquos ſimilis argumenti libros, quos ſumma cum voluptate obuiis vlnis excipient docti,prelo committendos cura,vt ſic feliciter medentium omnium deſiderio expleto,medicinæ decora è faucibus tenebrarum erepta ad nos longo poſtliminio redeant. Adderem plura nî vererer, quòd fucoſæ orationis ſuſpicio fidem candidæ rectiſſimæque noſtræ amicitiæ detraheret.Vale medicæ ſcholæ ſplendor,& gloria & me, vt ſoles, ama. Hamburg. 15.Ianuarij, anno 1629.

Viro Præſtantiſſimo D.D.Zacuto Luſito, Medicorum noſtro æuo. celeberrimo, eminentiſſimo.

VIr maxime, vidi, & ſumma cum voluptate perlegi opus à te concinnatum MEDICVM, THEORIPRACTICVM HISTORIALE, in quo admirabundus cerno, non vnius ætatis,aut vitæ humanæ,à te exantlatum laborem,ſed ſæculi.Certare video diligentiam cum materiæ fertilitate,iudicium cum difficultatum ambiguitate.Certè veluti triumphali in curru te celſiſſimo loco eminentem intueor,trahentem longum medicarum difficultatum captiuum agmen,acutiſſimi iudicij tui acie domitum, quod Medicinæ dictator Hippocrates *lib.1.Aphor.1.*in medicina difficillimum eſſe pronuntiat.Non autem vt magnus ille Macedoniæ Rex Gordium nodum, cuius lora contorta,& in ſemetipſa implicata diſſoluere non poterat,gladio diſcindebat;ita vt præcipiti iudicio rumpis intricatas & vincula celantes quæſtiones:ſed rationis manu leniter ſingulos nexus, aliis inexplicabiles, extricatas, totáſque tandem difficultates diſſolutas, nudas, & expanſas proponis. Sed quid ego paruo & opaco verborum fumo tanti operis ſplendorem offuſco? rem ipſam genuino colore exprimam. vt olim Roma ſub Conſulum imperio triumphans, delicias orbi terrarum vndique corraſas continebat, ibíque Ægyptius doctrinæ ſuæ myſteria in obeliſcis legebat: GræcusPhidiæ,& Appellis miracula ſpectabat:Gallus,Hiſpanus, & extremus Britannus, trophæa de gente ſua in Capitulo repoſita, ſinguli admirabundi contemplabantur: ita, excellentiſſime ZACVTE, quæ longo ſæculorum tractu olim in Medica praxi cimelia Græci cum Ægyptiis cauta prudentia obſeruarunt: Arabes ſingulari ſolertia collegerunt: Latialis linguæ cultores ærumnabili diligentia notarunt, omnia in tuo hoc medicinæ ſacrario egregia induſtria ſimul con-

geſta

geſta, eximia ſolertia enucleata,& diſcuſſa, hodie maximo cum oblectamento cerni-mus,ſumma cum vtilitate præſens æuum leget,& conſequentium ſæculorum omnium candidi Medicinæ cultores grato animo amplectentur.Quare Vir eximie,tot à te longa die medicas opes accumulatas iam tandem in publicum profunde,vt animus alumno-rum Æſculapij hoc nectare irroratus, veluti cardiaco præſtantiſſimo à faſtidioſa lipo-thymia recreetur,quam tot auctorum diſperſa nauſeabunda varietas, longa& tædioſa indagatione inferre conſueuit. Vnus tu repertus es hoc æuo, quo Medicorum nomine tenus,vberrimus,ſed viliſſimus exiſtit prouentus: parciſſimus autem eorum qui dicta fa-ctis in praxi æquent.Vnicus,inquam,inuentus es,qui in vita priuata,publico generis hu-mani bono propriam vtilitatem poſtpoſueris: & non fallendo,ac per cuniculos alios ſubruendo,aurúmque corradendo loculos tuos explere ſtuduiſti:ſed incredibili virtute, & alacritate, ad gloriam virtutis via graſſatus es: trophæa tua Theorico-practica, pro face Galeni aliorúmque Principum Medicorum,hiſtoriis inferens,eandémque omnibus ſæculis,omni æuo, & in qualibet mundi plaga,artis Machaoniæ veritatem exiſtere,per hiſtorias, & dogmaticas illuſtrationes probans. Quippe inde vſque à vetuſto æuo or-ſus Galeni Hiſtoriis Practicæ Medicinæ ſcientiæ veritatem ſtabiliuiſti:quibus imitato-rum Galeni hiſtorias adiunxiſti,nimirum magni illius Arabis Rhaſis,qui per annos cen-tum praxim medicam exercuit,& centum ac viginti annos vita expleuit,quem Arnal-dus de Villanoua dicit, theoria fuiſſe clarum, praxi promptum,& experientia proba-tum,adeò vt tuo merito,Vir maxime, hodie vnum in theſaurum congeſtas cernamus, Medicinæ(quæ Regina ſanitatis exiſtit)opes, & cimelia vniuerſa,quæ tot præclarorum virorum, inde à Galeno, ad noſtram vſque ætatem, indefeſſo labore & ſtudio coacer-uata fuere. Quare perge maiore impetu in glorioſiſſimo tuo inſtituto,& ſimili conatu CHIRVRGICAS Principum omnium HISTORIAS publicæ vtilitati largire: ac quod iam à te ſatis nectare,& ambroſia ſaturatum eſt opus, DE NEOTERICORVM MEDICORVM IN THEORIA AC PRAXI ERRORIBVS, in glorioſæ famæ ſtadium emitte. Precor Deum omnipotentem, vt tibi ingenij vigorem,animum ad laborem ſubeundum alacrem, & ſanitatem diuturnam concedere velit,quò laudabile hoc ſtudium cum publica morta-lium vtilitate,& lucro tuo priuato decurrere queas. Vale, Leydæ in Academia, anno 1629. Maij 5.

OTHO HEVRNIVS,
Ioannis Fil. Medicinæ, Anatomiæ, & Chirurgiæ Profeſſor.

Rodericus à Caſtro,Medicus Hamburgenſis, Zacuto Luſitano, S.

CLariſſime, ac ſapientiſſime Vir, Literis tuis copia, aut eruditione non ſatisfaciam; nam ætas grauis, continua ſtudia, & maximi labores,ita animi vigorem debilita-runt, vt iam nec amicis ſatisfacere,nec ea præſtare poſſim,quæ maximè vellem. Omiſ-ſis igitur laudibus,quas pro tua in me beneuolentia,nec vllo tamen meo merito, mihi tribuis, pro commentariis quos in libros de vniuerſa mulierum medicina conſcripſi-mus,Exemplar de Medico politico, ad te potiſſimum Medicum traſmitto. Fuit ſene-ctutis luſus,in quo quæ inter ſeria ſtudia occurrerunt,quæue longa dies mihi monſtra-uerat,poſteritati communicare decreui.Immortales verò tibi præſto gratias,pro primo de Medicorum Principum Hiſtoria libro;in quo alios quinque de eodem argumento polliceris.O! quàm ſuauis,elegans,& Reipubl.medicæ vtilis eſt!Profeſſoribus iucundus, Praxin exercentibus neceſſarius! Dubia ſunt electa, quæſtiones nouæ,arduæ, difficiles, explanatio Hiſtoriæ certa. Demum ſi codices, & teſtimonia vetera Galeni,incurſu bar-barorum, vel omnia pereant, pro cunctis vnum te habeat Medicorum natio, ſecura quaſi nihil amiſerit,quem libentiſſimè legat, imitetur, & colat.Me ergo tui ſtudioſiſſi-mum ſolita beneuolentia proſequi non deſiſtas. Hamburgi, 16.Iul. 1629.

Paulus Zacchias, Medicus Romanus, Zacuto Luſitano S.

DOleo literas tuas, datas tertio Idus Nouemb. anni præteriti, tam ſerò ad manus meas perueniſſe, nempe decimo Calendas Maias anni præſentis: nam facilè timere poſſem, ne me aut negligentiæ, quod abeſt; aut minimæ indoctos viros obſeruantiæ, quod nollem, inſimulare valeas. Sed iam tuæ Epiſtolæ reſponſum dandum. Cum eâ recepi librum de medicorum Principum Hiſtoria primum, quem Stephanus Rodericus Caſtrenſis, mei amantiſſimus, mihi dono miſit. Hic ergo prior liber tantum deſiderium videndi alia opera ſua, & in me & in omnibus doctiſſimis Medicis huius nobiliſſimæ Curiæ excitauit, vt inde multam tibi eueniſſe gloriam, ob tuam admirabilem doctrinam, illi mecum vnanimiter ſibi perſuadent. Cura ergo, ac totos neruos intende vt quoſcunque publici iuris facis, huc omnino perueniant libri; erunt enim auſpiciis bonis apud omnes acceptiſſimi. Vale Vir Excellentiſſ. & medicinam, vt facis, illuſtrare perge. Romæ a.d. Calend. Maias 1630.

Balthazar Azeredo, Conimbricenſis Academiæ Primarius Profeſſor emeritus, Zacuto Luſitano S.

POſt diſceſſum tuum ab hac vrbe, Muſæum meum relictum eſt vacuum eruditione & doctrina: nam illud præſentia tua ornabas, & me, etſi militem veteranum, profitendíque munere iam defeſſum, ad dubia ardua diſſoluenda inſtigabas. Quæ omnia abſentia tua languent omninò, immò (vt veriùs loquar) penè ſunt emortua. Vidi te iuuenem in conſultationibus, & concluſionibus publicis de re medica diſertè diſſerentem. Nunc tuarum Hiſtoriarum, quas ad me humaniſſimè miſiſti, dulcedine delinitus, facundiam admiror, ſtylum laudo, quæſtionum rararum numerum, floſculis illuſtratum & radiantem diurna verſo manu, legóque nocturna. His enixè inſiſte, vt te fautore Medicina in dies magis ac magis niteat, & efflореſcat. Vale medicinæ Phœnix. Olyſipone, 10. Oct. 1634.

Doctori Zacuto Luſitano, Medicorum ocello, Doctor Gladiola Granatenſis, in Inclyta Academia Seguntina, olim primarius Medicinæ Profeſſor.

MIſit ad me ex Antuerpia, illuſtriſſimus Digus Antonius à Sylua, Portalegrenſis Comitis filius, mei, ſi quis alter, amantiſſimus, epiſtolam tuam ad me ſcriptam. Eam cùm legerem, dici non poteſt quantoperè ſim delectatus; nam ita & verbis, & ſententiis, & concinnitate erat abſoluta, vt planè appareret Muſis eam dictantibus fuiſſe exceptam. Cogita igitur quàm mihi nunc placeam, quámque ipſe me mirer, qui in ea ſum arte, Medicorum corphæo, ſummis encomiis, nulli tamen meis meritis perlaudatus. Hanc comitabatur liber *De Medicorum Principum Hiſtoria* primus, quem tua rara diſciplina, acutiſſimáque doctrina conſtructum, mihi quaſi recoquendum, & opimioribus (vt ais) opibus cumulandum emiſiſti. At non eſt, SOLERTISSIME ZACVTE, quòd calculos doctorum viritim expetas, quum fama magnus ſis, ſcriptis certè maior. Eum cùm legi, & reuiſi, in eam opinionem adductus ſum, vt exiſtimem eum te fore, qui non ſolùm Medicis omnibus, verùm etiam eruditis artis profeſſoribus emolumentum, tibi verò gloriam immortalem ſis allaturus. Non me adulandi ſtudium fallit, à quo tamquam inteſtino morbo ſemper abhorrui. Nihil truncum, nihil mutilum inueni, immò ſubactum lectione multa, ſparsúmque illuſtribus ſententiis; quin ſtylo ſuaui, grandiloquo, vtiliſſimo decoratum: in quo opere, vix poſſum iudicare, an ſubtilitas & acuties ingenij, quæſtionum nouitatem antecellat, in quibus explicandis primus omnium, poſt tot medicinæ fortiſſimos duces, qui ſuperiori, & noſtro ſæculo vixerunt, ſtrenuam induſtriam imponis. Quamobrem, ſi librum ſecundum huius inſtituti, quem elaboratum, & maturum acríque tua minerua illuſtratum ſeruare affirmas, & alios ſucceſſiuè in

lucem

lucem proferas,Medicorum chorus vniverſus,iamdiu mœſtus ſed tandem lætus,tibi,viro incomparabili,ſummo Medicinæ Antiſtiti;& ſynceræ methodi vndicia cerrimo,cōgratulabitur valdè. Ego à longo tempore artis huius, alioqui præſtantiſſimæ ruinam augurabar,ob ignorantiam eorum qui eam exercent:Nec irritum fuit augurium:video enim hoc noſtro calamitoſo ſæculo,eam Vromantum præſtigiis,Strophis Sycophantarum,verſutiis nebulonum,omnium vnà frementium, (miſerabile dictu) immò garrulorum & mendacium ſenum, iuuenúmque loquacium ſuperba caterua comitatam, qui dente leonino, linguáque virulenta doctos lacerant, & quod peius eſt, ſe eſſe Galeni filios,inflatis buccis iactant,& Principum, magnatúmque eſſe Medicos vulgaribus falsò imponunt, & iactabundi gloriantur. Hos omnes impoſtores ſcriptis tuis eruditiſſimis, velut Herculea claua domas & infrænas. Doctorum verò virorum luxuriantem in Principes Medicos redarguendi licentiam firmiſſimis machinis debellas. Quare nunc conuerſus eſt Medicinæ mortalis ille prior vultus, immortalem, & nunquam periturum decorem.Conuerſa Medicinæ nox in diem conuerſus Medicorum mœror,in gaudium. Gaudete ergo artis Phœbææ dulciſſimi alumni,quibus iam pro nocte,Sol geminus oritur:quia non flammis tantùm, ſed radiis geminatis,flammæ medici chori hodie maniſeſtè coruſcant. Ob hæc dignus es,vt medica Schola te in ſummo pretio retineat, amplexetur,obſeruet:non enim in hoc opere ſolùm ſubtilia, & ardua proponis,ſed in alio eximio cui de *Praxi Medica admiranda* titulum dediſti, in quo exempla rara, mira, nouis,&non antea cognitis præſidiis confirmata,humanóque generi vtiliſſima conſcribis, quæ omnia lemniſco ornari merentur.Ne ergo cenſoriam reprehenſionem,me iudice, pertimeſcas vllam: nam clauum rectum tenentibus, & Hippocratica via incedentibus theoninus dens obſtaculo eſſe non poteſt. Nunc deſinant hiſtriculi iuuenes,faſtidioſi,& inſulſi ſenes, quibus putet ſæpè vnguentiplena Alabaſtrus, quorum ſemper in obelo mens, & feſcennium virus, tua acuta concepta ſidere immitiùs conuellere: nam rectè ſentientibus nòn eſt partus hic omnino hypenemios. Vale medici nominis ſplendor:& me celebris famæ tuæ vocaliſſimum præconem,licèt inconcinnum futurum, àmare ex animo perge. Adderem plura, nî obſtaret incurabilis morbus quo premor, ætas ſanè decrepita,ob quam neſcio quomodo non vacillat mens,calamus torpet.Ex auguſta Granatenſi ciuitate,anno 1655. die verò Februar. 15.

D. Doctori Zacuto Luſitano,Medico ſummo,Ioan. Antonius Sigiſmundus Cracoulenſis Academiæ Rector & Medicinæ primarius Profeſſor.

MIraberis, INGENIOSISIME ZACVTE, cur tuæ,tam affabrè, tam doctè conſcriptæ epiſtolæ ſeriùs reſponderim; at diſtantia locorum in cauſa fuit, ob quam licèt tanto interuallo diſiunctiſſimus,animo tamen,& litterarum amore ſumus valde coniuncti:nam à pueritia humanos viros,doctos,& omnigena variáque lectione ornatos mirificè ſum amplexus, quoniam aut inſulſus, aut ſtupidus eſſem, ſi ſcriptorum tuorum, quæ à peritiſſimis viris pleno ore laudátur,facunda doctrina non delectáret,quandoquidē Poloni noſtri,Germani,Itali,cum quibus eſt mihi frequens per literas conflictus,te, tanquam fulgorem ſæculi noſtri,& optimarum diſciplinarum magnum,grauémque magiſtrum cuncti obſtupeſcunt, imò te tanto medicinæ Doctore læta eſt tua Luſitania tota. Cum epiſtola librum tuum *De Medicorum Principum Hiſtoria* ſecundum,attulit Luſitanus quidam nomine Ioſephus Valleſcus, qui ex Veneta ciuitate Cracouiam luſtrandi cauſa huc appulit, cùm antea in ampliſſima vrbe triennio, munere Agentis Regis Hiſpaniarum honorificè functus eſſet. Perlecto libro, imò iterum atque iterum reuiſo inueni commentaria,&quæſtiones omni cultu, labore,ſtudióque refertiſſimas,ſelectas ſententias cothurnata verba,quæ omnia phraſim illam dicendi acutam redolent,quàm in libro primo eiuſdem inſtituti,& in aureo florilegio rararum obſeruationum (quæ omnia ſuperioribus annis magna cum tui nominis gloria, & mortaliū commodo in lucē emiſiſti) non rudioribus modò, verùm etiam prouectioribus,& eruditiſſimis in argumento nouo

aperuiſti,quæ vt ſeria,vtilia,& abſtruſa,lemniſco ſunt ornanda, cùm ipſa ſint digniſſima cedro.Quod verò addis te tertium habere ſub prelo eiuſdem argumenti librum,in quo de vteri,genitalium,& inferiorum partium morbis diſceptas, gaudeo, & tibi gratulor, ob tanta,quibus rempublicam medicam illuſtras,beneficia;quibus omnium voto Hippocratica tribus fœcundatur : in quorum librorum limine, vt hæc præfigatur, obnixè oro, vt ſciant docti, me illos ex corde venerari. De cætero, ſi me diligis, quem ob præclaras tuas animi, & corporis dotes,imò celebrem, & nunquam perituram nominis famam, ſummè colo, & obſeruo, cætera opera citiſſimè in lucem emittes : nam Hiſtoriæ ZACVTI adeò reipublicæ medicæ plauſibiles ſunt , & vtiles , & cum vtili miſcent perdulce, vt illi harum lectione deliniti veluti inebrientur. Quare, te noſtro æuo eſſe Medicorum præcipuum , horum Schola vnanimiter iurat : quoniam in tuis eruditiſſimis ſcriptis ſolùm lis eſt pro Principum , imò veritatis tutela. Gratias denique tibi vberes ago,& habeo pro honorifica illa mei nominis mentione,quam peramanter nimis epiſtolæ inſeruiſti.Quæ enim mihi potior laus,& verior,contingere poteſt,quàm laudari à laudatiſſimo noſtri temporis, eruditiſſimóque ? Sed tamen hoc ita interpretor, vnam mihi laudem hanc,eſſe laudem omnium maximam,quòd abs te etiam falsò merui laudari. Neque culpam in me reiicias, ſi inpoſterum tibi rarenter ſcribam:nam terrarum interuallum,publicum docendi munus, & priuatarum occupationum aceruus, quibus iugiter diſtineor, animum meum ita diſtrahunt, vt nec ſcribendi tempus concedant, præſertim in hac vrbe,ex qua ad tuam vnicus eſt per Venetias tabellarius.Te officioſus ſaluto. Vale. Ex Cracouia, aula inuictiſſimi Regis Poloniæ,idib. Aprilis, anno 1636.

Ludouicus Nonnius , Medicus Antuerpienſis , Zacuto Luſitano, S.

MOrbus grauiſſimus aliquot menſibus me exercet , ob quam cauſam hactenus tibi non reſcripſi. Cùm hodie conualeſcens meam conueni Bibliothecam,in qua cùm pauliſper amicos,hoc eſt,libros reuiderem,ecce ingreſſi ſunt aliqui Viri docti,qui in hac ſplendida vrbe medicinam exercent feliciſſimè, inter quos erat Venerandus,longóque ſenio confectus, D.Doctor Pax,Vir clariſſimus,& Archiducis Auſtriaci digniſſimus Archiater:Et cùm inter nos de Medicis noſtri ſæculi incidiſſet ſermo,Tu in cœtu peritiſſimorum,ex illorum voto,principatum obtinuiſti:cuius ingenium & doctrinam hic Clariſſimus Medicus valde miratur,& laudat;addens ſe ad Medicos primarios Regis Hiſpaniæ opera tua miſiſſe, inter quos eſſet *Antonius Ponce à Sancta Crux*, Vir doctiſſimus, vt eius ſcripta teſtantur. Hiſtoriæ enim tuæ cunctis Medicis admirationi fuére. Quapropter ſeriò te rogo,vt Spartam hanc exornare ſtrenuè pergas egregiis tuis laboribus. Viuent illi , mihi crede ,

Dum domus Æneæ,Capitoli immobile ſaxum
Acolet,imperiúmque pater Romanus habebit.

Vale Præſtantiſſime ZACVTE,& Nonnium tuum amare perge.Antuerpiæ 16.Feb.1637.

Zacuto Luſitano,Medico celeberrimo,artis medicæ Atlanti fortiſſimo, Principum Medicorum hiſtorias affabrè explananti.

Doctor Vega,Medicus Hamburgenſis.

OPera tua,clariſſime ZACVTE , inceſſanter lego : nam quæ à te ſcribuntur , tuum ſapiunt ſalem , & te referunt. Cùm enim tuum polychreſtum , & polydædalum Iatrologicum opus euoluo, videor mihi, in ampliſſimo , & venerabili Mineruæ templo reperiri. Quot enim in eo polymyxæ lucernæ,intuentium oculos illuminantes,& ſimulacra illuſtrantes,tot in hoc aureo ſpectamine clariſſima documenta ad vſum humani generis,ex inexhauſto diuinæ ſapientiæ fonte deprompta luſtro.Preſſus aër latiſſimè ſeipſum diffundit ; ignis vi magna cluſus,quà data porta ruit; proruit & aqua ruptis aggeribus: ſic mihi natura taciturniſſimo, & aliàs laudum parciſſimo euenit,vt vix contineri poſ-

ſim, quin grandi, & inſolita admiratione inſtigatus,& quaſi poëtico furore percitus, in Rempublicam medicam carmina moduler:

Miratus? mirare magis: ZACVTVS acutus
Paucis in chartis dogmata rara refert.
Magna illi ingenij vis eſt, ſapientia mira,
Æternum medica nomen in arte feret.

Exploret quis Iatrophilus ſui ingenij vires,atque accenſa face,ſingula in hac ampliuaga variarum,abſtruſarum,& vtilium quæſtionum ſylloge; & controuerſiarum ſylua inſpiciat,& omnia ſæpe trutinata,penſitatáque examinet, reuocétque ad lancem, nil vtique offendet Philoſopho indignum,nihil obeliſco perfodiendum,imò aſteriſco decorandum totum inueniet: Deinde facundia mira diſſertas, dubia inuia explanas, in argumento hiſtoriarum nouiſſimo, nouiſſima, & à nullo hactenus conſcripta graphicè proponis. Omitto ſententiarum pondus,verborum, &auctoritatum delectum, dicendi ornatum, & lenocinia,quibus palatium Iatrohiſtoricum tuum paſſim condecoraſti,& veluti ad facundiſſimum, & beneolens paratum, ſiue (vt potius dicam) ad Ambroſiam menſam medicophyſicam, opiparo,& ſumptuoſo apparatu Apollineæ artis alumnos recreas, & refocillas,imò in verba auctorum indiſcretè non iurans;non ignorans quantum diſtent æra lupinis à chimæricis Neotericorum placitis declinas;illorum reprobas opiniones pro Principum Medicorum,ceu Magiſtrorum noſtrorum tutela extirpans,veritatem è mediis tenebris,velut aurum à pallida plumbagine ſecreuiſti,& exarenaſti. Quamobrem mihi quidem,& vniuerſæ Reipublicæ literariæ,quin & tibi Medicorum Luſitanorum ſplẽdori, & Iuniorum decori,& ornamento,non ſemel gratulor,ob inſigne beneficium,& emolumentum, quod non rudioribus modò,ſed eruditiſſimis Medicis, & acutiſſimis etiam Philoſophis attuliſti,vt propterea cum bene meritis de arte medica,qui præclaro ornamento illam auxerunt, & exornarunt, nunquam obliterandis characteribus ſignari, & poſteritati commendari, tuum nomen mereatur. Munus librorum tuorum ingenti me voluptate affecit, nam etſi à ſyncerioris medicinæ ſtudiis iampridem feriatus ſim, gaudeo tamen à doctiſſimis, & omnium calculo celebratiſſimis viris mihi aliquando occaſionem præſtari ad ſtudia redeundi,quæ me in adoleſcentia maximè recrearunt.Inueni in iis non modò quæ ad medicinæ cognitionem plurimùm conferunt,ſed Philoſophorum ſententias doctè,atque eleganter abs te explicatas, & in veriorem lucem eductas, quàm in claſſicorum libris perleguntur.Quæ res non mediocrem mihi ſpem affert,fore vt aliquando medicina vniuerſa, quæ iam pridem apud Chymicos, chymica exiſtit, Zacuti acutiſſimi opera, Hippocratica & Galenica ſit facta, imò ouans, & triumphans efflorecat, & reuiuiſcat. Cùm enim Zacutina opera, die noctéque perluſtro, attentè penſito,perlego ad vnguem,non ex illis ſolùm,ſed ex ipſa tua ratione ſcribendi,falſum illud reperio,quod iactauit Lucretius de ſenibus:

Claudicat ingenium,delirat linguáque,ménſque

Imò contrà veriſſimum illud alterum,boni poëtæ veteris:

Quod periti ſumus in vita,atque vſu callemus magis

Te in iuuentute ſtrenuum medicinæ militem agnoui,in curatiua methodo gratioſum, dexterrimum,fœliciſſimum: nunc ad ſidera vectum recognoſco, inter eruditiſſimos,& peritiſſimos noſtræ artis duces,& coryphæos, primipilum, cuius elaborata opera cum applauſu ſunt accepta in tuo Belgio,in Europa,imò in orbe toto. Cura ergo vt valeas, vt vnà tecum,ſanitatis columna, valeamus ſemper. Vale ergo lectiſſime, & amiciſsime ZACVTE,cui fœliciſsimos exitus & opto,& ſpero. Hamburgi,anno 1637.menſis Martij die 17.

Franciſcus

Franciſcus Mondragon Salmanticenſis, Cathedram Medicinæ veſpertinam Vicegerens, Zacuto Luſitano S.

IN inclyta SalmanticenſiAcademia,toto orbe celeberrima,per multos annos moratus, legi auctores Medicos perdoctos, qui ſcriptis ſuis erudititiſſimis artem noſtram certatim locupletare ſtuduerunt. Sed qui de argumento tam vtili diſſereret, inueni neminem. Nam dum fœcundos,facundos, & tempeſtiuos inceſſabilis, imò inſatiabilis ſtudij tui fœtus placidiſſimo guſtu exploro, in iis Hiſtoriarum tuarum melleficum deliciosúmque libamen palato arridet, animum refocillat, cuius Elyſio veluti oblectamento, abſque dubio perfuſus, fabuloſum illum Ambroſiæ videor experiri ſaporem, ſed non fabuloſam colligo doctrinam. Eſt enim tibi in forma dicendi, elegans & cothurnata methodus; in eleganti methodo ſententioſa doctrina, & in ſententiis, quibus quaſi floſculis ratiocinia inſpergis, mira ſanè grauitas. Vale Phœbææ facultatis micantiſſime radi, & me tuis dilectiſſimis frequenter ſaluta. Salmanticæ, 13. Maij, 1637.

Antonius Remington Londinenſis, Regis Angliæ Archiater, Zacuto Luſitano S.

DOmine Zacvte colendiſſime Medicorum decus. Accepi, Vir clariſſime, hebdomada ſuperiore, cera filóque integris,literas tuas eleganti ſtylo conſcriptas.Agnoui in ipſo limine humanitatem ſingularem, perfractíſque ſine mora repagulis, ipſa penetralia ſubire iuuit,vbi merum mel,meras delicias,omnia vrbanitatis ac doctrinæ plena inueni. Vix mihi tempero, quin me felicem & beatum nimis prædicem, cui tantus Apollo venit, Muſarum & gratiarum ſtipatus comitatu,Zacvtvs ſcilicet,mihi iam multò pridem,totíque Reipublicæ literariæ,ob doctrinam,qua pollet,ſummam notiſſimus, & clariſſimus, humanitate quoque eximia innoteſcere dignatur. Librum primum, & ſecundum de Medicorum Principum Hiſtoria, atque tres alios de Praxi admiranda conſcriptos,hic in manibus habemus,& in pretio,vti merentur,maximo. Quatuor quos polliceris alios,Viri docti vnà mecum expectant,cupiúntque vehementer, vt illos Bibliopolis noſtris committas, ne Anglia tanti ingenij monumentis diutiùs carere poſſit.Interim Vale,Vir multiiugæ lectionis, ſcientiæ omnigenæ. Atque ſi quâ in re mea opera tibi grata eſſe poſſit,impera confidenter.Londini è Muſæo,pridie Non.Iulij 1637.

Ioannes Antonides Vander-linden, Academiæ Franeckeranæ Profeſſor, Zacuto Luſitano S.

HEſterno fortè die in diuini illius Medicinæ parentis Hippocratis, (quem non ſine grauiſſimis cauſſis, ſuſpicit mundus, antiquitas venerata eſt, & noſtrum ſæculum admirari ſatis nequit) ſuauiſſimo, omníſque doctrinæ floſculis conſitiſſimo horto, animum paſcens,Sphyngem offendo progreſſum negantem, ni quæſtioni ſuæ reſpondeatur.Retrocedo,mentem intento ænigmatis ſolutioni:ea hæret.Adeo fidiſſimos,tutiſſimóſque Interpretes,Galenum,Hollerium,Iacotium,Duretum:ſatisfacit nemo: Doleo. Mox occurrit inexhauſtus reconditæ eruditionis tuæ theſaurus: Eum adire ſtatuo. Auocat prohibétque negotioſiſſimum tuum ſemper otium, quod rumpere non licere arbitror. Contrà ſuadet,vrget,iubet ſingularis tua in omnes humanitas, cuius mihi conſtare documenta noui, à qua & hoc impetraturum me mihi polliceor, vt per otium voto ſatisfiat, de quo non dubito,imò ſpero:Tu enim in his arduis antinomiis diſſoluendis, noúſque difficultatibus extricandis in tuis elegantiſſimis Hiſtoriis locupletiſsimum ſpecimen præbuiſti.O! quàm comptæ ſunt,facundæ,politæ,neruoſæ, ſucculentæ, & vtiles! Sed de his aliàs,accedo ad negotium,&c.Amſtelodami,12.Iulij 1637.

Emanuël Pichardus, Scholæ Valentinæ Profeſſor Odinarius. Zacuto Luſitano, S.

LÆtare ſumme Medicinæ Antiſtes. Ego enim ætati noſtræ gratulor valde; habemus enim præſenti ſæculo, quod admirari poſſimus, ne ſemper veterum ingenia ſuſpiciamus. Quoniam in tuis Hiſtoriis es terſus, politus, & grauis,& eximia doctrina inſtructus,quam non ex cœnoſis riuulis,ſed ex limpidiſſimis Apollinis fontibus,mira induſtria exhauſiſti. Ego certè in media nocte Solem, in medio Sole Lunam, in timidio ægroto lætitiam, in furenti inſano quietem, nodúmque in ſcirpo faciliùs inueniendum arbitror, quàm minimum in tuis ſcriptis deliquium, lynceis oculis prorſus inuiſibile. Vale Medicinæ fortiſſime Dux. Valentiæ, 20. Auguſti. Anno 1937.

Renatus Moreau, Sholæ Pariſienſis Profeſſor Regius, & Chriſtianiſſimi Regis Conſiliarius, Zacuto Luſitano, S.

HIſtoriæ tuæ, Solertiſſime ZACVTE, adeò aures meas impleuerunt, vt in earum lectione meum omne ſtudium, atque otium per hos continuos dies collocauerim, in quibus præter elegantiam, concinnitatémque Hippocratici ſermonis, ſententiarum, ac quæſtionum nouiſſimarum varietatem, illud in primis non ſolùm præcipua laude, ſed etiam ſingulari admiratione digniſſimum conſpicatus ſum,quod dubiis ſubtilibus, & obſeruationibus miris abundat; vt in hoc argumento exornando, inſignes Medicinæ Profeſſores tibi ceſſiſſe videantur. De Praxi admiranda,quid? In ea ſeruata vbique veræ Hiſtoriæ maieſtate nihil eſt,quod ad candorem,aut ſublimitatem, aut ad Operis vtilitatem,abs te deſiderari poſſe videatur.Quamobrem ex tuis fœturis futurum ominamur, vt magnos, atque vberes fructus,nec minorem voluptatem,ſint cunctis Medinæ Profeſſoribus,praxímque exercentibus,ſuccifiuis temporibus allaturæ. Datum Lutetiæ Pariſiorum, 4. Nouembr.1637.

Zacuto Luſitano, Medicorum Primipilo, Doctor Andreas Antius, Medicus Galenicus, Sereniſſimi Ducis Brigantini Archiater.

CVm illuſtres noſtri æui Medicos contemplor,(Vir laboribus præclariſſime) Reipublicæ Medicæ cerno coruſcantia ſidera,inclytæ noſtræ artis Myſtas,anteſignanos animo verſo, inter eos te primatum obtinere peritiſſimi omnes vnanimiter iurant, qui puram illam,& ineffabilem medendi methodum, ex Hippocratis,& Galeni ore, imò ex tua doctrina ſuauiſſima, de limpidiſſimis Principum fontibus hauſta combibere ſolent. Quid vltra?Scripta tua diſertiſſima venerantur, colunt,obſeruant. Nam immortalis, & nunquam peritura tui nominis fama,ingenium tuum,& Galenicæ doctrinæ ſtudium eximium,induſtria,eloquentia,ſtyli facundia,ita Medicam Scholam rapiunt in admirationem,vt te in ſupereminenti loco conſtituant illorum,qui operibus ſuis admirandis,certatim artem noſtram condecorare ſtuduerunt.Quid enim gratius,vtilius,iucundius Medicis,quàm in his hiſtoriis ampliſſimis,tecum Polyhiſtore ſolertiſſimo verſari?O! quàm ſuauiter reprobas opiniones inſectaris:quàm acriter priſcorum partes tueris,acrimoniæ miram miſcens dulcedinem,dulcedini acrimoniam,quod in ſuauiſſimis ſaporibus natura ſolet:& quoties acrimonia tua contra Iuniores fortius aceſcit,toties aceti maluatici inſtar, dulcius quàm dulce redolet. Sol matutinus congregat nebula: meredianus ipſas diſgregat Virtus adoleſcens inuidiam concitat,adulta ſedat.Liuorem domat tandem,qui omnem priùs vicit opinionem.Inuidiam quaſi omnem in admirationem conuertiſti Quare laudant nunc multi palam,qui hactenus inuidebant.Sed quamuis laudent,penè nullus de ZACVTO mentitur;vident enim te tam feliciter ſingula profitentem,& poſt Hipocratem,

&

& Galenum te politum recognoſcunt, magnúmque artis magiſtrum. Tua ergo præſtantiſſima doctrina commotus, perſonam tuam in me deligo, meam in te amo, laudo te in arte, artem in te probo, in natura te veneror, naturam in te miror, tuam eruditionem ſuſcipio, amplector, amo. Vale, ergo ſuauiſſime ZACVTE, & ea perge, qua inſtituiſti via, vt editis eloquentiſſimis lucubrationibus tuis, & tibi gloriam ſempiternam paries, & omnibus mortalibus ægris vitam, ſalutémque concilies. Ex villa amœna, oppido Luſitaniæ celebri, aula illuſtri Excellentiſſimi noſtri Principis Brigantini, ann. 1638. die verò 15. Febr.

Clariſſimo, atque Excellentiſsimo viro, D. Zacuto Luſitano, Medicinæ Doctori celeberrimo, Ioannes Iſaacus Pontanus, Medicus, in illuſtri Gelrorum gymnaſio Profeſſor, Sereniſs. Regis Daniæ, & Ducatus Gel. Hiſtoriographus.

CLariſſime, atque Excellentiſſime ZACVTE, reddidit mihi litteras tuas ampliſſimus noſter Conſul, Erneſtus Brinchius, quas ego ſemel atque iterum, ſerióque ſum exoſculatus, amoris, atque affectus erga nos tui pleniſſimus, vt omittam laudes, quibus ea qualiacumque noſtra, quæ in publicum literarum bonum emoliti, conatíque ſumus, nimiùm ſanè extollis, magníque facis. Sed ego amoris illius, qui cæcutire vulgò dicitur, etiam in vero, atque oculato ſubinde amore, imaginem quandam agnoſcens, me pede meo metior. Interea vbi ad opuſcula tua reſpicio, quæ non vna, ſed varia multiplicíaque, Medicorum filiis communia eſſe iampridem voluiſti, me ſummoperè cepit, atque affecit, quod inter alia Conſul idem ornatiſſimus mihi inſpiciendum tradidit, *De Praxi Medica admiranda.* Illud etenim dum voluo, reuoluóque plenum exemplis, vt vtiliſſimis, ita oppidò mirandis, memorandíſque, in mentem mihi venit, ac opere in illo tuo reuiuiſcere, mihi viſus Præceptor olim meus, quem Baſileæ ſum veneratus, ſectatúſque, præſtantiſſimus Felix Platerus, in his haud proletariè verſatus. Sed ille ſuis in obſeruatis quod agere inſtituerat, peregiſſe hîc tu, ac ſummam (vt ita dicam) manum addidiſſe videri poteris, vt iure nunc ſæculo, tibíque gratulemur, qui hæc tam præclara latere vlterius noluiſti. Quod autem litteræ ipſæ tuæ quas dixi à Conſule mihi redditas, certiores nos faciant libri, quem modò ſub manibus, ſeu prelo potiùs habes, ſuper Medicorum Principum Hiſtoriam, ordine quintum, de venenis (vt addis) diſſertantem, eum eximium, & nihil à prioribus recedentem, ſed omnia ſumma, & poſt Hieronymum Mercurialem, & alios, quæ in eo argumento deſideramus, allaturum, nóſque in intima eius rei penetralia deducturum plurimáque egregia docturum cunctos, nullus ambigo. Maximè cùm me in admirationem adegerint acutiſſima opera tua, quæ ita admirabilia ſunt, & nouiſſimis quæſtionibus, arduíſque inuentis referta, vt immortalis, & nunquam peritura fama tua, in omnium doctiſſimorum virorum pectoribus viuat, omnium linguis celebretur. Quare præſtantiſſime ZACVTE ignoſce, haud ignarus etiam caprarum pilos ad altare olim delatos, pro gratis, acceptíſque habitos. Dabam Harderuici Gelrorum, 16. Iunij 1638.

Franciſcus Vallaſques Matricenſis, Domus Regiæ Medicus ordinarius Zacuto Luſitano, S.

LIbrum tuum *de Praxi medica admiranda* ad noſtros Bibliopolas, ex Lugduno Gallorum allatum, ſimul cum Hiſtoriis Principum emi auidè, cunctanter legi, vidi, relegi, in quo argumento nec Medicorum veterum, aut recentiorum inſudauit quiſquam. In arduis quæſtionibus explicandis excellis cæteros, vt horum Coryphæus & Anteſignanus ſis appellandus. Vale Vir eruditiſſime. Matritò, 13. Nouemb. 1638.

Doctori Zacuto Luſitano, noſtro æuo Medicorum coryphæo, Doctor Moranus, Philoſophus, & Medicus Luſitanus, apud Aquenſes Gallos praxim feliciſſimè exercens.

CVm amicitia, quod nemo dubitat, ſolertiſſime ZACVTE, ab amore, vim, noménque accipiat, nihil enim aliud eſt amicitia, quàm mutuus amor ſtabili quadam, id eſt, honeſta conſuetudine confirmatus, conſentaneum eſt vt qualis eſt ipſe amor à quo amicitia ducitur, & dicitur, talis quoque ſit amicitia. Qualem igitur noſtram fore ZACVTE dicemus? Certè cùm non aliunde, quàm ab amore Hippocratico, & Galenico cœperit, haud aliter vnquam, quàm Hippocraticam, & Galenicam appellare fas erit. Siquidem cùm tu omnium nouiſſimus, in exponendis commentariis in Medicorum Principum Hiſtorias præclariſſimas nuper eſſes occupatiſſimus, & in hoc argumento ſtrenuè inſudans, plura ingenij tui acutiſſimi monumenta in Medicorum manus euulgares, ſic interim te amare incepi, vt quam Galenus in Hippocratem veri amoris ideam fingit, ipſi iam in nobis effinxiſſe atque perfeciſſe videri poſſimus. Ergo ne dubites vlteriùs ZACVTE de amicitia noſtra, quæ trabalibus clauis infixa eſt in pectore noſtro. Amo inſuper te ex corde toto, & tanquam centrum animæ meæ, colo, veneror, & obſeruo, Sed dices tu, cur ita? quia nihil in operibus tuis ſcribis non bonum, nihil perpendis non ſubtile, nihil examinas Medicis non iucundum, non delectabile, non vtile. Hæc omnia ſunt in cauſa, vt ſcripta tua ſitienter deſiderem. Illud eſt, quod in illis cum doctrina tua facunda, fœcunda ſententiarum grauitas, quæſtionúmque abſtruſarum dignitas perſpiciantur, vt ſi attentè conſiderentur, omnia ſcientiæ medicæ reconditæ plena videantur; quæ ita ſucculenta, & benè fermentata lectione ſunt referta, vt omnes in te ſuum recognoſcant Apollinem. Dic mihi, quis eloquitur te elegantiùs? quis probat acutiùs? quis mulcet dulciùs? quis reſpondet argutiùs? quis obiicit ſubtiliùs? quis interpretatur fœliciùs? quis explicat faciliùs? Quapropter nullus dubitat te eſſe præcipuum, vel acumine diſſerendi, vel explanandi auctores tantos facultate: Delphico enim oraculo videris inſtinctus. Hinc factum eſt, (quod omnes qui hucconueniunt, vt aiunt, tibiis iactant, & buccinantur) vt plures tam longis terrarum, maríſque tractibus, paſcendorum oculorum, auriúmque, & animorum gratia, Amſtelodamum, emporium totius orbis celeberrimum, veniant, omnis voluptatis obliti te adeant, te intueantur, in te perinde atque in amœniſſimo bonarum artium, præſertímque medicæ ſcientiæ diuerſorio conquieſcant. Sed hæc per ſe notiſſima poſt terga mittamus. Reliquum eſt, vt ad gratias redeam, ne ampliùs hoc ſcribendi genere vtaris. Si enim gratias quas agis, tuæ non ſunt, nihil omnino nobis tribuis; ſi ſcito ſuperioribus rationibus, tecum iampridem te mihi omnia tua tradidiſſe. Vale ergo Medici chori fulgentiſſimum iubar: Rogo, vt te ipſum ames: quòd ſi feceris, me quoque amabis; ita enim vulgaris noſter amor exigit. Raptim Aquis. Anno 1639.

Antonius Gueuara, Medicus Hiſpalenſis. Zacuto Luſitano, S.

CVm ex virtutis admiratione, quaſi bilance apprehenſas diuerſorum hominum conditiones contemplor: cùm collationem inter clariſſima hoc noſtro ſæculo coruſcantia ſidera tentare propono: cùm eorundem ingenij, dignitatis gradum adumbrare ſtatuo, Nonne par, aut maius quid molior, ac ſi Anthéum, intra vlnas opprimerem? Columnas in Oceano figerem; Vel aurea Heſperidum mala raperem? Ex iis occurris tu primus, audacis naturæ miraculum, cuius illuſtriores animi dotes, ſapientiæ, virtutis, & candoris monumentis expreſſæ, promptiſſimè ſacram Medicinam affectantibus, ſuauiſſimam, ſaniſſimam, & reconditam doctrinam inſtillant, Quare CELEBERRIME ZACVTE, omnem mihi dubitandi anſam deponis: nam tibi publicatis Hiſtoriis, excelſum & præminentem, in ſublimi immortalitatis fano, diu locum iam comparaſti, non popu-

pulari

pulari trutina, ſed Medica ſtatera honorificè adiudicatum. Vale ergo chori Medici fulgentiſſimum iubar, & me ama. Hiſpali, 10. Martij 1639.

Fortunatus Plempius, Louanienſis Scholæ Profeſſor
Zacuto Luſitano, S.

CVm præterito menſe, Bruxellas, aulam Sereniſſimi Principis Auſtriaci conuenirem, humaniſsimum D. Doctorem Pax inuiſi, obtuliſque tuum quintum, & ſextum de Medicorum Principum hiſtoria librum, quem non ſemel exoſculatus eſt, addens hæc honorifica verba: O! operoſiſsime ZACVTE, Medice Conſummatiſsime! Ego verò etſi non eſſet neceſſe, currenti calcaria addere, in tuas laudes cecidi pronus, omneſque qui etiam aderant Medici famigerati, eas iactant, & ſummè extollunt: nam Hiſtoriæ tuæ lemniſco ornari merentur, quum ipſæ ſint digniſſimæ cedro. Louanij, 11. Iul. 1639.

Michaël Rupertus Beſler, Medicus Noribergenſis,
Zacuto Luſitano, S.

QVamuis variæ me à ſcribendo deterrerent cauſæ, chori Medici Anteſignane Excellentiſſime, amica tamen in libris iam per aliquot annos egregiis in lucem editis affabilitas, quæ quaſi magnetiſmo Medicinæ Cultores nolentes volentes allicit, atque inuitat, omnis generis obſtacula remouet. Hinc factum eſt vt te toto corde redamem, tua ſcripta inceſſanter legam. Omnes Praxim hiſtoriarum ſub libri ſexti calcem promiſſam, auidè anhelantes expectant, ex qua Excell. V. immortalem ſibi nominis famam conciliabit. Quid demum de cæteris indefeſſo labore, ac induſtria ſingulari iam in lucem emiſſis Hiſtoriis dicam? In earum enim lectione cor meum quaſi præ gaudio exultat, & non immeritò: gazophylacium enim in iis eruditionis tuæ præſtantis adinueni. Altiſſimus de cælo, infinita ſuæ diuinitatis clementia & miſericordia, Excell. V. conatibus deinde egregiis in ipſius laudem, & Reipubl. Medicæ vtilitatem inſignem vergentibus, adſit, ſenilémque ætatem ad Neſtoreos perducat annos. Vale ad votum, lumen, & decus Medicorum. Dabam in Imperiali Ciuitate Noribergenſi. Die 15. Iul. 1636.

Ioannes Beueroſius, Archiater, & Sentaor Dordrechtanus
Zacuto Luſitano, S.

QVi tot nominibus tibi obſtrictus ſum, Vir celeberrime, quod officij mei eſt & boni debitoris, ſoluere incipio. Mitto tibi vltimam partem epiſtolicæ quæſtionis, de vitæ termino. Tu vt diu viuas, illuſtrandæ noſtræ arti, Deum rogo, ſimúlque moneo, vt ſeptimum librum, cui Praxis Hiſtoriarum titulum dediſti, citò in lucem emittas. Nam cæteri adeò animum Medicorum recrearunt, vt nulla alia ſcripta tam laudabiliter verſentur in eorum manibus quàm tua, in quibus miſcuiſti vtile dulci. Dordrechti, 11. Calend. Octobr. 1639.

Ad celeberrimum præſtantiſſimúmque Dominum

D. ZACVTVM LVSITANVM, MEDICVM EXPERTISSIMVM,

Fautorem & Amicum ſuum ſummè honorandum.

IN laudes ZACVTE, tuas mea Muſa vocatur.
Applauſum meritis addere prompta tuis
Hactenus huic vni ſtudio qui totus inhæres,
Te duce, quò ſtabili ſtet Medicina loco.
Non modò felici pellis medicamine morbos,
A præſente manu cùm petit æger opem:
Sed quoque maiorem quæ cura meretur honorem,
Diuitis ingenij promis, & edis opes.
Non velut hoc æuo multos temerarius ardor.
Vrget, vt artis opus prodeat ante diem.
Quæ nondùm didicere, docent; & ab arte remoti
Splendida parturiunt ſtultitiámque terunt.
At bene ZACVTVS ſtudio vigilante tot annis.
Hauſta libris, vſu docta ſubacta docet.
Hinc hominum manibus tot ſcripta probata teruntur,
Compoſiti mira ſedulitate libri.
Non ſecus ac variis pomis & floribus hortus
Lumina, lectorem, ſic tua ſcripta tenent.
Et velut hortorum, ſpectanti, copia præbet
Quod legat, aut iſthæc, aut magis illa probet:
Sic ZACVTE iuuas lectorem quemlibet, & dum
Quod legit, aduertit, non niſi lecta legit.
Et licet immenſum volitet tua fama per orbem,
Nititur vlteriùs mens generoſa tamen.
Tum demum ſtatuens requiem, finemque labori,
Cùm ſibi, quod promat, nihil ſupereſſe videt.
Hoc animo præſens profers in luminis auras,
Egregium ſtudij dexterioris opus,
Multiplices formas, quas hepate, corde, liene,
Exhibet, & quidquid ſuſtinet intus homo,
Digerit iſte liber. Rerum ſtupet ipſa creatrix,
Et cupit eſſe ſuum, quod videt artis opus.
Perge rogo, factis ornans præſtantibus artem,
Et cupidas adeant fac tua ſcripta manus.
Sic noua Conſiliis, noua ſic tibi gloria libris
Creſcet, & alta tuum nomen ad aſtra feret.

Exiguum magnæ obſeruantiæ, & ſingularis affectus teſtimonium
L.M.Q. ſcribebat Iohannes Chriſtenius IC.
Amſtelod. 22. Ianuarij 1636.

Ad clariſſimum Virum D. Dominum Zacutum Luſitanum, Medicinæ Doctorem expertiſſimum.

QVi volet intuitu raros cognoſcere in vno
Morborum caſus, quos mille volumina tales.
Vix dederint, multo quamuis perlecta labore;
ZACVTI legat hiſtorias, qui quid quid in arte
Pæoniâ inuenias vſquam, quo faucibus orci
Erepti innumeri, largo offert omnia cornu.
Thaumata quinetiam, ſiue admiranda reſoluat,
Non alibi dabitur tot mentem vbi dogmata paſcant

Rumoldus Rombout, Reipub. Syluéducenſis Medicus.

D. Doctori Zacuto Luſitano, Medicinæ Phœnici Doctor Roſales, Hamburgenſis, Medicus, Philoſophus, & Mathematicus.

Clio in auctoris gloriam, carmina hæc æternitati deuouet.

EXponam dubium, ô Muſæ, quo quæritur, vtrum
Doctus, & expertus, doctrina, atque arte valebit.
Res aperire nouas: vtrùm experientia doctum,
Et mens artificem faciat; rerúmque profunda
Myſteria ex his, & naturæ arcana, duobus.
Fontibus exirent quondam, quæque alma vocantur
Principia in Sophia, contra quæ haud vlla ciere
Argumenta datur: nomen quod robora dictis.
Confirmant, cuncti concordi pace ſequuntur.
Aſt ergo qua nunquam iuraui in docta magiſtri
Verba, negatiuam potiùs defendere partem
Verius eſſe reor: medicinam condere ſacram
Nec Sophiam potuit quamuis prædiuite mente
Humanum ingenium, multa experientia rerum.
Sed cuncta à Domino reuelata, & tradita primo
Adamo, ac priſcis genitoribus, vnde docendo
Vnuſquiſque ſuum natum, peruenit ad illos.
Qui primùm ſcriptis medicinam tradere viſi,
Sic omne antiquum: nihil ætas inuenit vlla;
Atque nihil ſub Sole nouum, hoc res ordine cæpit.
Principio Omnipotens hominem ſine crimine fecit,
Perfectum in ſcibili, & rerum penetralia doctum:
Poſtquam autem pomo labem contraxit acerbam,
Subiacet, heu! morbi cauſæ, & langoribus atris.
Aſt Deus humanam ſortem miſeratus iniquam,
Donum inſigne homini infundit, tradítque medendi
Arte minſterium, quo cum producere vitam
Contra cauſarum morborumque agmina poſſit.
Hæc docet Adamus natos, natique nepotes
Ore tenus. Sophiámque omnem, voluentibus annis,
Hac ſerie ad primos certum eſt veniſſe parentes,
Sic Chaldæa ſapit, ſic quondam Ægyptia tellus,
Floruit imperio doctrinæ, ac denique puram
Agnoſcunt Perſæ Magiam; & ſapientia Græcis
Sat doctis ſteterat: nam cuncti à flumine doctas.
Hauſerunt vndas, primiſque docentibus illos
Antiquis patribus, quibus, ipſa ſcientia nata eſt.
Hoc fuit antiquum natale, & origo ſciendi,
Hinc medicina fluit, dicta ars, quæ antiqua reſarcit
Non noua quæ condit, cùm nil ſub Sole nouetur,
Inuenit, medicina, nouum nullum, omnia quondam
Tradiderant priſci, ſed deus conſumpſerat æui

Fortaſſis

Fortaſſis multa, atque ideò medicina labaſcit,
Et Sophia in peius: nam tempore perdita rerum
Cognitio eſt, longéque ſumus (quod cernis) ab ipſa,
Quam quondam Hippocrates ſciuit, tenuitque Ha-
lenus,
Sed quæ firma ſatis fuit hæc ſententia menti,
Vnus, qui medicam ſcribendo reſtituit rem,
ZACVTVS *dubium fecit; namque ecce nitorem*
Doctus, & expertus medicinæ reddit ouantem:
Mille uenta nouat, nouitérque en perfecit artem;
In ...óque ſuo naturæ arcana receſſa,
Illuſtrare valet: quæ hucuſque obſcuras latebant,
Sic nudat, quod penè oculis ea cernere poſſis:
Ergo viri menti conceſſa ſcientia rerum,
Quin alibi adueniat. Dubium ſed ſoluitur omne
Si dicas propria ZACVTOS *eſte ſcientes*
Natura, an mirum ſi tali è ſtirpe creatus
ZACVTVS *tanta exponat, doceatque viciſſim.*
Plura referre poteſt; nam plura è ſemine tanto
Spiritus intus habet, doctaque è mente manebunt.
Queis medicina noua auxiliis diteſcere poſſit.

Clio, ſuauiſſimo plectro ſic iterum cecinit, in Zacuti laudes prorumpens.

DIcite Iò Pæan, & Iò bis dicite Pæan,
Victa à Zacuto *morbida cauſa iacet.*
In morborum aciem doctiſſima mouerat arma,
Curat præceptis, hiſque triumphat ouans.
Ergo Pierides Zacutum *extollite cælo,*
Phœbææ Sophiæ *tollite, & artis herum:*
Illum immortali, ne atro feriatur ab æuo,
Carmine, & aſtrifero concelebrate choro.
Viuat in æternum, Sophiæ nam maximus Atlas,
Zacutus, *medici ſuſtinet aſtra poli.*

D. Doctori Zacuto Luſitano, Medico percelebri, & viro non minùs illuſtri, quàm docto.

QVem nemo prudens viuere ſentit.
Non ille vixit. Si neque publicis,
Nec vtilis ſuiſque rebus,
An bene dicitur, ille viuit?
Num qui latebris gaudet in abditis,
Vitam hucce credant ducere poſteri?
Eſt vera vita quam coronat
Myſtica fronde virente Laurus.
Si docta virtus, neſcia funeris,
Ignara mortis, ſidera vertice
Fulgente tangit; ſolui ad aſtra,
Fértque viros metuente penna:
Erit Zacutus *nominis inclyti*
Quantúſque ſplendor, quantaque gloria?
In principum commenta ſcripſit
Hiſtorias, medicamque praxin.
Qui gnarus artis, magna volumina,
Et pulchra præſtat, dignus honoribus
Eſt: namque ſummos, & moleſtos
Gloria conſequitur labores.
Ergo beato lumine fulgidus
Splendet Zacutus, *vir ſapiens, bonus.*
Hunc Iſte admiratur algens,
Hunc Italus, calidúſque Hallus;
Seu perſpicacis mentis acumina,
Seu gratiam, & ſtyli leporem:
Omnibus eſt adamandus auctor.

In gratitudinis, & obſeruantiæ pignus, ſcribebat, Doctor CORNELIVS LOVIVS. M.

Carmen Hiſpano Idiomate conſcriptum, in laudem
D. ZACVTI LVSITANI
Luſitanorum Medicorum gloriæ celebris.

HIppocrates deſpues que deſta amarga.
Iſragil vida conoſcio los danos,
Con ſutil pluma en ſus poſtreros annos,
Dixo la vida es breue, el arte, es larga.
Diuino aliuio ala peZada carga,
Del mal que augmentan medicos enganos,
Procura quien con medios tam eſtranos,
Abreuia el arte que la vida alarga.
Iſi dolor terribile ja la tiene,
Con ancia mortal de ſauZiado,
Quien para ſocorelle ſera parte?
Zacuto *in fine à vos ſolo conuiene,*
Pues au eis que Hippocras mas alcançado.
Como es larga la vida, I breue el arte.

Amicus amico,

IN LAVDEM
D. ZACVTI LVSITANI,
Medicinæ Atlantis fortiſſimi.

ZACVTVS *doctor cæleſti nomine dignus,*
Qui Medicorum nunc dicitur eſſe decus.
Inter Luſiadas clara de ſtirpe creatus,
Qui ſibi congeſſit tot medicæ artis opes.
Ipſe ZACVTVS *enim muſarum dulcis alumnus,*
Splendet, & in tenebris lucet, vt ipſa dies.
Exploſit docto affirmantes reproba libro,
Quare eius cingant florida ſerta caput.
Res Medica en vernat, maioraque robora ſumit,
Vtpotè mire opera iam recreata tua:
Ne dubita: Liber *hic, totus quem ſuſpicit orbis,*
Viuet in æternum, Liber *ab interitu.*

Antonius Correa Luſitanus, Superordinarius in Curia Romana Aduocatus, olim in celeberrima Bononienſi Academia Iuris Cæſarei Profeſſor.

In Zoïlum inuidúmque obtrectatorem,

INuide, cur acuis dentes, & rodere tentas.
Quidquid Apollineo, Mome, fauore nitet?
Cuius id inſtinctu molire, an ſuaſit Erinnys.
Aut alia ex furiis, quæ te agitare ſolet?
Deſine, Mome, tuis ſupereſt nil dentibus: hic eſt
Immunis vitio, prorſus amomus hic eſt.

Hippocratem

Hippocratem potius; clarúmque Machaona carpas,
Quàm tu ZACVTVM *ſtrinxeris Archiatrum.*
Eius namque labor non conſumetur ab æuo,
Te inuito viuet, viuet & artis honos.

Amoris ergo poſuit Nicolaus
Fontanus *Med.*

Aliud Iacobi Gomeſij à Coſta, D. à Coſtæ Medici Rothomagenſis clariſſimi, filij, in laudem Auctoris epigramma.

FAcunda eloquij dum fundis flumina, gentes
Aurea pellectis mentibus vnda rapit.
Dum Medicos dignis præſtantes laudibus ornas,
Ad famam duro marmore non opus eſt.
Nam tua ſcripta Viros altis ſublimius aſtris,
per mare, per terras non peritura ferunt.
Quicquid agas, ceu dum Galeni abſtruſa reſoluis.
Nomine ZACVTVS, *Tu mihi acutus eris.*

Aliud Hieronimi Ferdinandi Luſitani, Iuris Cæſarei Doctoris peritiſſimi.

QVas gremio celauit opes natura latenti,
Has tibi diſpenſat littera diues opes.
Phyſica ſenſa patent fœlici prædita partu:
Quæ tenebris latitant dogmata, Lector habes.
Ingenium viuax, rerum facundia mira,
Vinxit Apollineos docta Minerua Viros.
En iterum terris, mira medicaminis arte.
Corpora reſtituens languida, Phœbus adeſt.
Ardua ſoluuntur veterum argumenta virorum,
Hæc tibi ſi comes eſt ſarcina, diues eris.

Dauid de Haro, Philoſophiæ in celeberrima Leidenſi Academia Studioſus, in Operis Laudem.

TAntæ molis opus, quod tentas docte ZACVTE,
Miratur Pallas, Pieridúmque chorus,
Quid tibi carmen ego, quid verſus ſcribere coner?
Vix Maro, vix Naſo carmina digna canant.
Quid celebrare iuuat, quod laudat propria virtus,
Quod nemo doctus rodere dente poteſt?
Hiſtorias veteri medicorum promis ab æuo,
Primus ne pereant nomina tanta caues.
Huc igitur geminos, huc flectas Lector ocellos,
Mentis enim fructus carpere falce potes.
Vos igitur Muſas, & numina celſa Mineruæ,
Cultori veſtro præmia ferte, precor.

In principes Principum Medicorum Hiſtorias, elegantiſſimè concinnatas, & luculentiſſimis Scholiis illuſtratas, à perilluſtri & excellentiſſimo viro, Zacuto Luſitano, medico celeberrrimo.

Ω Σ' εἶδεν Ἱστορίας Μῶμος μεγάλοιο ΖΑΚΟΥΤΟΥ,
Καὶ σχόλια σκολιοῖς ὄμμασιν Ἱστοριῶν.
Σφάλματα μωμεύειν διζήμενος, εἴ τιν' ἐφεύροι,
Οὐδὲν μωμεύειν ἐνθάδε, Μῶμος ἔφη.

Ὅσα γὰρ ἰητῆρες ὁμοῦ νέοι, ἠδὲ παλαιοὶ
Καλλ' ἐδιδάξαντο, καλλίον ἔργον ἔχει.
Καὶ πάλιν ὅσ' ἥμαρτον ὁμοῦ νέοι, ἠδὲ παλαιοὶ
Πάντα μάλ' ἤλεγξεν σφάλματ' ἐπισταμένως.
Ταῦτα μὲν οἰμώξας, ὅτ' ἀμωμήτοιο δέδορκε
Πρώτας ΖΑΚΟΥΤΟΥ Ἱστοριῶν σελίδας.
Ἐμφερέας δ' ἄλλας ἐπὴν λεύσσῃ, οὐκ ἔτι βίβλοις
Λεύσσομεν ἀλλὰ βροχῷ Μῶμον ἀναψάμενον.

Ἐσχεδίασε

IOH. BEVEROVICIVS, Senator ac Medicus Dordrechtanus.

Idem Latinè.

VIdiſti Hiſtorias, vt magni, Mome, ZACVTI
Luſtraſti obliquis luminibúſque Notas
Errorem quærens perſtringere, ſi quis ineſſet;
Dicebas: Nihil hîc carpere Momus habet.
Nam quæcunque vnquam Medici veteréſque nouique
Monſtrarunt nobis, hic meliora dedit.
Quidquid peccarunt Medici veteréſque nouique,
Detexit nobis, cunctáque plana dedit.
Atque hæc cum lacrymis, vbi docti, Mome, Zacuti,
Vidiſti tantùm principium Hiſtoriæ:
Integram quòd ſi conſpexeris; haud mihi libri,
Sed laqueus, dices, ecce paratus adeſt.

IAC. ROVVERIVS I. C. vertebat.

Carmen Hiſpano ſermone conſcriptum in laudem Zacuti Luſitani, Medici & Philoſophi præclari.

ENfermo el hombre del primo peccado.
Exprimenta ſu mal, muriendo muere,
Alia piedad, que ſu flagueza infiere,
El bien le ofrece de ſu antiguo eſtado.
Mirando ariba alcanſa el miſmo grado,
Que y a perdiara, el alma quando quiere,
Y el cuerpo, perque el dan' e ſe modere,
Mira en plantas ſecreto reſeruado.
Eſtas virtudes dos enti contemplo.
Sabio ZACVTO, *al nombre merecidas,*
Con que adquieres deſde cy premio infinito.
El camino enſenando de dos vidas,
La eterna con diuino y ſanto exemplo,
La humana, con la lengua, y con lo eſcrito;
Y pues en lo finito
Con tu ſaber lo radical dilatas,
Son alſumo obrador tus obras gratas.

In obſeruantiæ, & amoris gratiam ſcribebat amiciſſimus, & perdoctus IOANNES PINTVS DELGADO.

In laudem perilluſtris, & excellentiſſimi viri D. D. Zacuti Luſitani, Philoſophi, & Medici doctiſſimi.

NOn ego Caſtaliis immerſi fontibus ora,
Nec mihi Parnaſſus ſomnia læta dedit,
Ludicra res, tantum verbis tenus eſſe poëtam;
Seria, rimari quidquid in orbe latet:

Ludicra

Ludicra res, muti iurare in verba magiſtri;
Seria, naturæ facta ſtupenda ſequi.
Omnibus vna ſat eſt genitrix fœcunda fluentis
Ordinis, & rerum, quas capit ipſa ſinu.
Omnia naturam qui dixerit,& tamen vnam,
Mente reuelata rem faciémque tenet.
Nam vi multiplici;variis induta figuris,
Vnica producit, quæ vagus orbis habet.
Mirum ſæpe ſcholas vario certaſſe tumultu,
Si ſe vnam cunctis ſcit variare modis?
Hinc plures quoque in orbe Deos finxere poëtæ,
Nam res vna omnes, ſpiritus vnus alit:
Sed variis formis cunctos prorumpit in actus,
Scenarúmque ſtrophis ſufficit vna Dea.
Hancce Deam ingenio, ZACVTE *ſequutus acuto*
Eiuſdem latebras detegis arte noua.
Quod ſapit Hippocrates, quicquid Galenus ab ipſo,
Hæc duce per libros digeris arte tuos:
Sic & Apollineæ ſtabilis fundamina gentis,
Et mortis docta tempora voce trahis.
Sic Medicis puras fundis de fontibus vndas
Qui de naturæ fonte bibêre prius
Tu ſectatorum veſtigia cuncta ſequutus
Ne quis ab occulta falleret arte ſapor;
Præſenti memoras inſtructus imagine vocum
Quicquid Apollineus ſcripſit in arte chorus.
Sic pergas ſoboles Epidauri numine digna,
Te ſic ita colet,non minùs atque Tagus.

Amiciſſimus Belga, Poëta Laureatus, amico ſuo Zacuto Luſitano, Medico incomparabili.

Doctor Gallindus,Medicus Hiſpalenſis,in laudem Zacuti Luſitani, Medicorum Primarij

Dulce ſapit grauida quod pendet in arbore, pomum:
Et mel fructus apis,nonniſi dulce ſapit.
Vna (quis ignorat?) pectus dulcedine complet:
Plurima lac purum dulciter ora rigat.
Quilibet exoptat dulci gaudere ſapore,
Quilibet & dulci membra fouere mero.
Dulcia non mihi ſunt hæc:quod ZACVTVS *adornat,*
Hiſtoriæ Medicæ *dulce volumen amo.*
Hoc mihi dulce ſapit, nam longè dulcius exit
Pomo,melle, vua, lacte, ſapore, mero.

In laudem,& æternam famam Zacuti Luſitani Andreas Rodericus Caldeira Medicus apud Luſitanos,Setobricæ praxin exercens.

Cymbala dulce ſonant digito percuſſa volanti:
Teſtudo dulces reddit & icta ſonos:
Fiſtula dulciloquas fundit per iugera voces:
Et ſpargit placidum chorda canora melos:
Ipſe tubæ clangor dulcis ſe ad ſidera tollit,
Et vocat ad nutus Martia caſtra ſuos.
ZACVTI *dictus meritò iam Muſica cedant,*
Cymbala,teſtudo,fiſtula,chorda,tubæ.

Camillus Richardus Vltraiectinus, in laudem acutiſſimi Zacuti, medicas Principum Hiſtorias ſcientiſſimè interpretantis,

Mors Zacuti cernens venerandā dira ſenectam,
Tantum orbis ſternam, dixit iniqua, decus.
Aſt Deus omnipotens cælo ſic fatus ab alto,
Quid certas demens? Quò te agit iſte furor?
Cur fera tela paras,arcum,falcémque recuruam,
Crudelis?tamen hæc non metuenda viro.
Nam licèt æterna claudantur lumina nocte,
Et triſtes rumpant ſtamina pulla Deæ:
His tamen Hiſtoriis, Medici quas corde recondunt,
Viuet,nec vitæ terminus vllus erit.

DOCTORIS IACOB. ROSALIS, Hamburgenſis, Medici Hebræi, Poculum Poëticum in ZACVTINAS Laudes.

Accipe, mi ZACVTE, *tui tibi poculum Poëtæ*
quo tibi in æternum Clio ſat grata propinat,
te vocat Sacræ Ambroſiæ,labráque fige grata,
Nec timeas illo pocula ſæua necis,
nā cùm ſis ſupero numine conditus,
Integer vitæ, ſophiæq; plenus
hoc donaris optimo
munera tantæ
præmia mētis.
Hic eſt ille Magiſter,
qui nihil inuidens ſibi,
ô Cliò, ſed cuncta docens
illuſtrat omnes ingenij focos,
quare iam dapibus menſa Poëticis
à Pelopis nato libera, mortis iners
ſternitur tanto domino, nectare ſempiterno
veſcatur, noſtróque caput madefacta liquore,
membra ferat, ſiquidem æternis æterna meretur,
ZACVTVS *meritis, Elyſeis ruribus imperet*
vate me; Nam Magna queunt, Hæc quoque habere
vates. Aſt cùm efficacem condidit ſcientiam
ZACVTVS, *& ſcriptis fulgeat aureis,*
laurea donetur Apollinari,
exempla fert, profundo
pectore, ſæpè diſcas,
mentéque ſerua,
condéque praxi,
His firmantur artes,
Beatus ergo qui vſibus firmus ſuis
exercet populos, vſque quiritibus.
huius iuſſa viri, & cura ſalutis olympi;
Túncque ad æthereos latices,nectareóſque olympi
Accedat conuiua, bibat, nec vina nocebunt,
Nam ſunt ingenij, & ZACVTVM *tollat ad aſtra*

ZACVTI

ZACVTI LVSITANI, MEDICI AC PHILOSOPHI PRÆSTANTISSIMI VITA, AC ELOGIVM,

AVTHORE

D. LVDOVICO LEMOSIO, OLYSIPPONENSI, AVLÆ REGIÆ MEDICO ORDINRRIO.

CVM in tota Aſclepiadarum natione ſit nemo paulò ſaltem humanior, qui ZACVTVM LVSITANVM, Operis huius auctorem, Virum publico rei Medicæ bono vnicè natum, non habeat in votis propriùs cognoſcere: eam ob rem tam inclyti capitis proſopographiam, rudi penicillo, velut in tabella adumbratam proponere, Diuæque Mnemoſynes tholis palàm appendere, operæpretium duxi.

ZACVTVS LVSITANVS apud Olyſipponenſes huiuſce lucis vſuram capeſſiuit,ex perantiquo,nobiliſſimóque ZACVTORVM ſtemmate: quo fit vt ſi quid loci natalis claritudo;ſi quid gentilitiæ familiæ ſplendor, ad germanam mortalium commendationem faciant, habeat meritò noſter Heros,quo plurimùm gloriari liceat. Enimuerò quis ignorat, Olyſipponem, Occiduarum ciuitatum reginam incedere, cum immani mercium opúmque vi polleat mirabili πολυανθρωπίᾳ ſcateat, Luſitanici Imperij majeſtatem vnà ſuſtentet ac tueatur, terra maríque tot præclara, & olim geſſerit, & adhuc quotidie gerat? Familia autem vnde noſter oriundus, quàm multos omni virtutum, omni eruditionis cultu præſtantiſſimos Viros protulerit, operoſiſſimum foret percenſere. Vt reliquos omnes, Laconiſmi ſtudio, prætereain, conſcius eſt vniuerſus literatorum orbis, quantam nominis famam Zacutus quondam Mathematicus (qui Noſtrum agnoſcit trinepotem) ſibimet pepererit, ob ſingularem Matheſeôs, ac inprimis Aſtricæ ſcientiæ peritiam, cæteráſque ſtupendi planè ingenij dotes, propter quas non tantùm patriæ toti charus apprimè fuit, non tantùm incredibilem variorum Dynaſtarum, Principúmque, virorum fauorem, ac beneuolentiam prolixè meruit experiri, ſed etiam ſummum gratiæ locum obtinuit ipſummet apud Regem, glorioſiſſimum ſcilicet illum, omníque laude majorem Emanuëlem, cuius florebat temporibus.

ZACVTVM ergo noſtrum, prædicto ſermone digniſſimum, ac minimè degenerem trinepotem,in Vitæ proſcenium feliciter induxit,Annus ſuperioris ſæculi L X X V. Cúmque in ipſo certiſſimi egregiæ cuiuſdam indolis igniculi, à prima ſtatim ætatula explendeſcere obſeruarentur, non temerè ſagaciſſimi Parentes,de ſuauiſſimo hoc alumno maturè bonis imbuendo literis,cepere conſilium. Sic viſum, ſic factum. Idoneo Præceptori commiſſus, tam feruidè Camœnarum ſacris operatus eſt,tam bellè quæ docebantur cunque arripuit, tam altè támque fideliter animo infixit, pauculis vt pòſt annis,à Grammaticorum,& Rhetorum ſubſelliis,ad Philoſophiæ ac Medicinæ ſtudia plenis velis ſe conuertere neceſſum habuerit: cuius rei gratia,tum illuſtre Lycéum Salmanticenſe,tum inclytam Conimbricenſem Academiam accedens breui temporis ſpatio tantoperè profecit, vt ipſa omnium penè vota,nedum expectationem multis præuerteret paraſangis: ita vt vndeuiceſimo ætatis anno,Seguntiæ (quæ celeberrima eſt apud Hiſpanos Academia) ad Doctoratus apicem, magno ampliſſimorum eius loci profeſſorum applauſu promoueri potuerit.

Porrò impetrato perhonorificæ huius laureæ Apollinaris brabéo,recordatus quantum quiſque patriæ dulciſſimæ,quantum ſuis debeat conciuibus,Olyſipponem reuerti conſtituit: vbi aduentans gratulatoriis omnium vocibus exceptus fuit, non immeritò augurantium illuceſcens nouitium iſtud ſidus,Luſitaniæ cælum mirificè recreaturum, ſaluberrimáque ἐπιῤῥοῇ largiter beaturum eſſe. Neque profectò ſuus augurio defuit euentus: ita namque ſe geſſit Zacutus,totos triginta per annos,quibus Iatricam praxin ibidem exercuit, vt omnes in magnam ſui admirationem pertraxerit, laudantibus aliis ſingularem polydædali ſermonis facundiam;aliis inſignitam iudicij perſpicaciam; his inexhauſtas omnigenæ ſcientiæ gazas; illis indefeſſam tot auctorum lectitationem. Iam alius morum candorem commendare, temperantiam alius; hic diligentiam, ille modeſtiam: ita vt ſincera,

cera, & expreſſa conſummati medendi artificis idéa, nuſquam alibi quærenda videretur: vtpote cùm ſuos inter Symmiſtas,omni licèt ex parte præſtantiſſimos,haud aliter ac ipſa Luna reliquum inter ſtellarum vulgus,plurimùm emineret;& ſiue diſputandum, ſiue conſilium ineundum, ſiue medendum,ſiue ſcriptis agendum,palmam omnibus facilè præriperet.

Sed ô! nimis veram Stoici magiſtri ſententiam,vbi cremento locus non eſt,vicinum eſſe occaſum pronunciantis:cùm enim ad Zacuti felicitatem,nihil ampliùs adiici poſſe videretur,ecce tibi repentinum Fortunæ reflantis turbinem,quo velut in momento,cuncta viri optimi præſidia dilapſa ac diſturbata fuére, ipſéque ex ſublimi illo felicitatis culmine, quò ſua illum merita ſubuexerant,in præceps ruere coactus eſt. Atroci namque Principis edicto, qui tunc Luſitaniam ditione premebat,Hebræorum quotquot aderant ſtirpes,incolatu Regni fuerunt interdictæ,quæcunque tandem vel προφάσεις,vel cauſſæ,durum iſtud conſilium ſuggeſſerint,in quas hoc tempore penitiùs inquirere mihi nullus aſſumo.Quicquid ſit,afflauit etiam Zacutum cõmunis iſta vis maior:At ipſe cùm parendum ſibi eſſe probè intelligeret,proindéque à patriæ conſpectu procul emigrandum,ingens cordolium ex genuina ϛοργῆ profectum non potuit non perſentire;quod ipſum tamen illicò inuicta animi cõſtantia repreſſit,omiſsáque omni quiritatione ad μεμψιμοιρίᾳ, rerum humanarum vanitatem,imò οὐδένειαν attentè ſecum reputans,diuino ſe ſuáque cuncta permiſit arbitrio.Profectò ita eſt,Virtutis magnitudinem,mentíſque bonitatem nihil æquè patefacit,ac ingruentes calamitates, planè ſicut luminis & colorum præſtantiam, vmbræ iuxtà poſitæ luculentiorem reddere ſolent. In crepero itaque iſto caſu, Amſtelodamum ſeſe obtulit, quò deſtinauit curſum inflectere, ſi fortè inibi ſenectæ ſuæ nidum conſtituere, & ſedem quietam nanciſci poſſet. Fauére votis propitia fata,propoſitum iter fortunauere, & extorrem ſuo cum Antiſtite,Medicinæ genium,Belgarum finibus incolumem ſiſtere voluerunt.Eò delatus Clariſſimus Zacutus,vbi pauliſper à præteritis ærumnis reſpirare datum fuit,& ſolatia non pœnitenda ex humaniſſimæ gentis erga nuperum aduenam officiis recepit, mirum dictu quanta alacritate deſuetum iamdiu ſeueriorum Muſarum commercium repetierit,priſtinóſque ſuos latrici fundi augendi ac locupletandi conatus inſtaurauerit. Ita factum, vt media etiam in negotiorum tam publicorum quàm priuatorum turba,qua mirè diſtinebatur vexabatúrque aſſiduè quibus accedebant ætatis iam prouectioris incommoda, tot immenſæ molis Opera parturierit: quibus deſcribendis, nedum excogitandis digerendíſque, vix ſcio an quiſquam alius par eſſe poſſit,cui non ſuppetat, vnà cum liberrimo ſeceſſu otium benignius, adſitque vegeta oppidò corporis viriditas.

Poſſemus hoc loco gemmeos de praxi medica admiranda,quos dudum euulgauit,libellos commemorare,poſſemus,quæ de Praxi Hiſtoriarum ſub prelo gemunt, dum hæc ſcribimus,volumina. Poſſemus item libros de Chirurgorum Principum hiſtoriâ nominare:necnon de Regimine Principum:de Iuniorum Medicorum erroribus:de Medica doctrina ſelecta:Hippocratis & Galeni epitomen & plures huiuſmodi feraciſſimi ingenij fœturas, partim inchoatas, partim affectas, aut etiam perfectas, quas ex ſecretiore ſapientiæ penu paulatim depromptas, publico impertire parabat. Verùm vnam duntaxat,omnium inſtar,attingere libet:de Medicorum ſcilicet Principum hiſtoria lucubrationem,vt intrepidè ac ſtenuè ſuſceptam,ita ex animi ſententia ad vmbilicum ab auctore perductam:quæ cùm circa argumentum verſetur omnibus ſuperioris æui Machaonibus illibatum)quanquam vſus cuiuſdam eximij,ac propè dixerim diuini) filo nihilominus eo contexta viſitur vniuerſa, nil, vt elegantius, neruoſius eruditiúſve hoc in genere queat exoptari.Sicubi namque primiceriorum Medicorum ſenſa obſcuriora vidit, ea commodæ paraphraſis aut commendarij beneficio,tanquam accenſâ face clariſſimâ continuò colluſtrauit, & cæterorum ſiue Interpretum,ſiue Commentatorum errores comiter indicauit.Obuias apud iſtos Medicinæ auctores primarios antinomias amicè compoſuit. Grauiſſimas quæſtiones pro re nata occurrentes,perſpicuè ſolidéque ſuis momentis librauit,ac enodauit. Multifarias iniurias Pergameno Præceptori, à Claſſicorum plurimis, ex mera cauillandi libidine,aut rerum nouandarum ſtudio, illatas acriter (prout flagitabat pietas,ac veritatis cura) vindicauit;ipsóſque iaculis ſuis omnibus,quibus præcipuè ſi ſi proteruiùs exultabant, tam facilè exarmauit, quàm pyrum vulpes comeſt: ídque ſemper vnâ Principũ doctrina munitus,quam ægidis inſtar ἑκατόν πρυλέων ἀραρυίας, quocunque obuertẽs, irritos planéque brutos efficere ſolebat aduerſariorum omnium impetus. Nullam denique artificij medici partem,hoc in opere paſſus eſt inornatam ac neglectam iacere,quinimò in ſingulas aliquam ſymbolam effatu dignam,ad nitorem ipſis conciliandum, ſtudium,ſtudioſiſſimè contulit.

Quanta verò ſit vtilitas,aut potiùs neceſſitas Hiſtoriarum,& obſeruationum medicarum, nulli non coniicere procliue eſt,qui modò in mentem reuocauerit,cuiuſmodi natalitia medendi ratio iã olim fuerit ſortita:ſiue cum pleriſque dicendum ſit)quod tamen ſatis credibile non puto)ipſam ex votiuis tabellis in Α᾽σκληπιείῳ proſtantibus,ab Hippocrate fuiſſe elicitã,nihil aliud ſanè;quàm medicas complectentibus hiſtorias:ſiue (quod malim) afferamus,pluribus ante Hippocratem natum retrò ſæculis, experientiarum auſpiciis(quæ ipſæ dubio procul medicæ erant hiſtoriæ) fuiſſe conſtitutam. Vt iam non dicam,quantum vtilitatis ac voluptatis,illi qui in puluere practico verſantur ex rarioribus hiſce Vetuſtatis cimeliis percipere valeant;quæ propterea cunctis actuoſæ Medicinæ procis de meliore nota volumus eſſe commendata:cùm ne quidem maiorum gentiũ Aſclepiadas quoſque hoc æuo ſuperſtites,in his aſſiduè verſandis pigeat incumbere;quod tam priuatim per literas familiares,(quarum promulſidem author in lucem emitti iuſſit)quàm publicitùs,varios per li-

bros editos profeſſi ſunt, dum Zacuti Luſitani Hiſtoriarum ac Obſeruationum perhonorificam faciunt commemorationem: nominatim verò perilluſtres qui ſequuntur ſcriptores. Paulus Zacchias Medicus Romanus *lib.5.q.medico-legal.titul. de monſtris.* Ioannes Gerardus Voſſius *lib.2.de Idololatriæ orig. & augment. cap.3.* Daniel Beckerus Regiomontanus *libello de cultriuoro Pruſſiaco.* Ioannes Beuerouicius Belga *lib.de calculo.* Ioannes Loſſelius *tract.de podagra.* Nicolaus Fontanus Amſtelodamenſis *in Florilegio ſuo & lib. reſponſ. & curat.medicin.* Iacobus Primiroſius *lib. 2.de vulgi in medic. error.* Anton. Vander Linden *in præfat ad lib.de ſcriptis medic.* Benedictus à Caſtro Hamburgenſis *in ſuo flagello calumniant.* Doctor Roſales Medicus Hamburgenſis *in Panegyrico poëtico ad lib. de Vitæ termino, Manaſſeh Ben Iſraël* Petrus Montoia Granatenſis Hiſpanus *lib. 2.de la laudibus vini.* Daniel Sennertus Profeſſor Vvittebergenſis. *lib.6. pract. medic.* Lazarus Riuerius Regius Profeſſor Monſpelienſis *in ſua praxi medica, paſſim.* & alij non pauci, quorum meas in manus haud dum peruenere exemplaria.

Dum autem maximus hic Medicorum Coryphæus, ad nouas ſubinde promerendas anhelaret adoreas poſthumáque illa de vita, quam nominis fama perennis conſtituit, plus æquo ſollicitus, ſeſe nullus reſpiceret, (ingenuum ferè omnium animarum exemplo) iiſque ſtudiorum indulgere pergeret laboribus, qui vel adamantinæ etiam compaginis corpus, nedum fragilitatis penè vitreæ conquaſſare potuiſſent, maximo tandem ſtudioſorum omnium diſpendio, nec minore ipſorum dolore, proprid. feſti ὑπαπαντῆς Chriſtianæ, Liliani qui nunc voluitur, anni cIↃ. IↃc. XLII. diem eheu! clauſit vltimam, terríſque fuit ereptus, ſi tamen ereptus cenſeri debeat, qui tantum ſui deſiderium apud haud ingratos ἰατρῶν παῖδας ſuperſtites relinquit & qui præclaris ſuis in monumentis, tanquam in auguſtiore Mauſolæo recubans, non modò adhuc conſpicitur, ſed etiam æternùm conſpici, ſuſpicíque poterit: imò (veriùs, vt loquar) in quibus maior πανεπιστήμονος herois pars, à longæui temporis ſecura genuino, Libitinam expertura eſt nullam:

Dum tellus homines, dum feret aſtra polus

ELENCHVS

ELENCHVS AVCTORVM QVIBVS TOTVM HOC OPVS CORROBORATVR.

SCRIPTVRA SACRA

Primi Medicinæ parentes.

ACtuarius.
Æſchrion.
Æſculapius.
Aëtius.
Alcmæus Crotoniata.
Alexandrinus.
Antyllus.
Apollonius.
Appulleïus.
Archigenes.
Aretæus Cappadox.
Ariſtoteles.
Athenæus.
Cælius Aurelianus.
Caliſtus.
Cleopatra.
Conſtantinus Africanus.
Cornelius Celſus.
Demetrius.
Democritus.
Diocles.
Diogenes Apolloniata.
Dioſcorides Anazarbæus.
Eraſiſtratus.
Eudemus.
Euelpi ſtus.
Galenus.
Gorgias Heraclides.
Herodotus.
Herophilus.
Hieron.
Hippocrates.
Lucius.
Lycus.
Machaon.
Marcellus Empiricus.
Meges.
Merinus.
Moſchio.
Muſa.
Nicolaus Myrepſus.
Nicander.
Oribaſius.
Paulus Ægineta.
Pelops.
Philagrius.
Philaretus.
Philotheus.
Philothimus.
Philoxenus.
Podalirius.
Polybius.
Poſidonius.
Poſſidonius.
Praxagoras.
Priſcianus.
Quintus.
Ruffus.
Sabinus.
Scribonius Largus.
Soſtratus.
Theophilus.
Theophraſtus.
Theotropus.
Thucydides.
Trallianus.
Trotula.
Tryphon.

Hebræorum Coryphæi.

ABraham Eben-ezra.
Abraham Ezra.
Ælianus Montalto.
Biniamin Muſſaphia.
Dauid de Pomis.
Dauid Propheta.
Elizeus Propheta.
Hieremias Propheta.
Iacobus Mantinus.
Iacob Patriarcha.
Iob Propheta.
Ioſephus.
Ioſippus.
Iſaias Propheta.
Leo Hebræus.
Moſes Propheta.
Philo.
Rabenna Salomon Ephraïm.
Rabbi Abraham.
Rabbi Agueda.
Rabbi Dauid Kimhi.
Rabbi Ishaac Abrabanelius.
Rabbi Ishat Arias.
Rabbi Manaſſeh Ben Iſraël.
Rabbi Moſes de Ægypto.
Rabbi Raſis.
Rabbi Salomon.
Salomon Rex.
Saül Rex.

Arabum maximi.

ABderamen.
Abenragel.
Abhenguefit.
Abinbitar Auenzoar.
Abocali.
Albitizar.
Albucaſis.
Albumazar.
Algazar.
Almanſor.
Alzaharauius.
Auencladis.
Auenzoar.
Auerroës.
Auicebron.
Auicenna.
Haly Abbas.
Haly-Rhodoam.
Heben Meſues.
Ieſu Haly.
Raſis.
Saladinus.
Serapio.
Theomneſtus.
Tiphaſi.

Superioris ſæculi Medici eruditi.

ANtonius Gazius.
Antonius de Gradis.
Arnaldus Villanouanus.
Aquilanus Aſtarius.
Barſiſius.
Bayrus.
Bertrucius.
Brunus Longoburgenſis. Carpus.
Chyrandus.
Falco.
Dinus Florentinus.
Dionyſius Fontanonus.
Gabriël de Tarraga.
Gabriël de Zerbis.
Garbius.
Gatinaria.
Gentilis Fulginas.
Gerardus Cremonenſis.
Gerardus de Solo.
Gilbertus Anglicus.
Gordonius.
Guainerius.
Guido Cauliacus.
Gulielmus Placentinus.
Gulielmus de Saliceto.
Gulielmus Varigana.
Harculanus.
Hortus Sanitatis.
Hugo Senenſis.
Iacobus de Foroliuio.
Iacobus de Manliis.
Iacobus de Partibus.
Ioannes Damaſcenus.
Ioannes de Sancto amando.
Ioannitius.
Lanfrancus Mediolanenſis.
Leonardus de Bertapalia.
Lumen Apothecariorum.
Luminare Maius.
Luminare Minus.
Macer.
Magninus.
Manipulus Medicinarum.
Marianus Sanctus.
Marſilius de Sancta Sophia.
Dominic. Maſſaria.
Matthæus de Gradi.
Montagnana.

Mundinus.
Nicolaus Nicol.Flor.
Pandectarius.
Petrus de Abano.
Petrus de Argelata.
Petrus de Tuſignano.
Platearius.
Ponzettus.
Præpoſitus.
Proprietarius.
Richardus.
Rogerius.
Rolandus Capellutus
Santes de Arduynis.
Sarmoneta.
Sauanarola.
Simon Geruenſis.
Siluaticus.
Thadæus Flor.
Theodoricus Ceruienſis.
Theomneſtus.
Theophilus.
Theſaurus Aromatariorum.
Thomas de Zerbis.
Tornamira.
Turiſanus.
Valeſcus Tarentinus.
Vigonius.

Iuniores elegantes, & docti.

A

ABraham è porta leonis.
Acakia.
Accorombonus.
Achilinus.
Acron.
Adrianus Toll.
Anulius.
Agathinus.
Agricola.
Aicholtzius.
Albericus Londinenſis.
Albertinus.
Salomon Albertus.
Alboſius.
Alcazar.
Aldinus.
Aldroandus.
Andr. Alemanus.
Iac. Alemanus.
Franciſc. Alexander.
Alexius.
Almenar.
Alpagus.
Alphonſus à Carranca.
Alpinus.
Donat. Ant. ab Altomari,
Alzarius à Cruce.
Amasfortius.
Guinter Andernach.
Chriſt. Andreas.
Andreas à Lacuna.
Andromachus.
Franc. Antonius.
Antonius ab Aquilera.
Angelucius
Anglicus.
Antonides Van Linder.
Arantius.
Arcæus.
Areteus Sabinus.
Argenterius.
Arſenius.
Artemidorus.
Aſellius Cremonenſis Medicus.
Aubertus.
Aubrius.
Augenius.
Auguſtini Medici.
Aurifaber.
Auſtraſius.
Auſtrius.

B

BAcchalenus.
Bacchio.
Bacchius.
Baccho.
Baccius.
Balamius.
Balbianus.
Baldinius.
Balduinus.
Baldus.
Ballonius.
Barcinonenſes Medici.
Baricellus.
Barochius.
Bartholinus.
Baſilius.
Bricius Bauderonus.
Ioan. Bauderonus.
Gaſpard. Bauhinus.
Ioan. Bauhinus.
Beckerus.
Beliſarius.
Bellichocus.
Bellocatus.
Bellonius.
Benedictus Veronenſis.
Alexander Benedictus.
Hieron. Benedictus.
Benedictus Vict. Fauentinus.
Beniuenius.
Berengarius.
Bertinus.
Bertholdus.
Betera.
Beuerouicius.
Bieſius.
Bimbiollus.
Bocangelinus.
Bodæus.
Boëtius.
Bokellius.
Bonaciolus.
Bonauentura.
Iac. de Bondis Aggregator dictus, Latino Barbarus.
Bononienſes Medici.
Bonuinius.
Bornettus.
Boſcus.
Botallus.
Botera.
Bottonus.
Bouſſuetus.
Anton. Muſa Braſauol.
Brauerus de Braueriis.
Brauus Petrafir.
Brinder.
Briſſotus.
Brucetius.
Bruellius.
Bruggauius.
Brunfelſius.
Brunus.
Bruſchius.
Bruyerinus.
Bucoldiamus.
Budæus.
Burgundus.
Buridanus.
Buſtamente.
Buſtus.
Butinus.

C

CAballus.
Cabrolius.
Cæſalpinus.
Calcagninus.
Cahagneſius.
Calanus.
Caluus.
Camara Buſthem.
Camenicenus.
Camerarius.
Campanella.
Campegius.
Campolongus.
Capitaurus.
Capiuaccius.
Caprilius.
Caranta.
Cararius.
Cardanus.
Carmona.
Carolus Stephanus.
Garcia Carrerius.
Carrictherus.
Carthaginenſis.
Caſſalenus.
Caſſanus.
Caſſerius.
Caſſius.
Caſtellanus.
Cecius.
Ceckius.
Chalmeteus.
Charterius.
Cherlerus.
Chiochus.
Chriſtophorus à Coſta.
Chriſtophorus de Honeſtis.
Chriſtophorus à Vega.
Claudinus.
Clementius Clementinus.
Cluſius.
Cobeus.
Codronchius.
Coïterus.
Collado.
Collardus.
Colle.
Collinutius.
Collutius.
Colonienſes Medici.
Columba.
Columbus.
Petr. Conarcchinus.
Thom. Conarcchinus
Confortus.
Conradinus.
Conſtantinus Cæſar.
Conſtantinus.
Contarenus.
Cornarius.
Cornax.
Cordæus.
Cordus.

Corteſius

Corteſius.
Coſtæus.
Coudembergius.
Crato.
Creſcentius.
Crollius.
Crucerius.
Cruceus.
Cuelhar.
Cuneus.
Curio.
Curtulio.
Curtius.

D

DAca.
Dalechamp.
Damaſcenus.
Daniel Daniels.
Dardanus.
Decretus.
Democrates.
Dempſerus.
Deſſenius.
Dias Valent.
Diomedes.
Diophanes.
Dodonæus.
Donatellus.
Donatus.
Dornæus.
Dortonianus.
Doruereïlius.
Douynetus.
Duncanus.
Dunus.
Duretus.
Dryander.

E

EPhæſtius.
Epiphanius.
Eraſtus.
Erneſtus Bruggrauius
Eſteue.
Eueratius.
Euonymus.
Euſtachius.
Evvichius.

F

Bacch. FAbricius.
Guill. Fabricius Hildanus.
Hieron. Fabricius.
Fæſius.
Fallopius.
Fauorinus.
Felicianus.
Ferdinandus.
Fernelius.
Ferrandus Senior.
Ferrarius.
Ferrerius.
Ferreus.
Fienus.
Fuera.
Fincellius.
Fleckius.
Florentini Medici.
Follinus.
Fonſeca.
Fontanus.
Foreſtus.
Fracaſtorius.
Fracaſtus.
Fragoſus.
Frambeſarius.
Francus.
Fraſcatus.
Freitagius.
Frideuallis.
Fridericus Vvendembergius.
Freitzſchius.
Fuchſius:
Fuillius.
Fumanellus.
Vitalis de Furno Medic. Latino-Barbarus.

G

GAbelchouerus.
Gabucinus.
Gadaldinus.
Gadeſdenus.
Galeatius Latino-Barbarus.
Gallego de la Serna.
Gallus.
Garetus.
Gargantus.
Garioponcus.
Garnerus.
Gaudanus.
Geberus.
Gegarra.
Gemma Geminus.
Gentilis de Florentia.
Gerardus Burgenſis.
Gerſon.
Geſnerus.
Geufræus.
Ghinus.
Gibaltus.
Gucaferius.
Georg. Gomez.
Gorræus.
Goupilus.
Gourmelenus.
Gratarolus.
Gratiolus.
Greuinus.
Gryllus.
Guardineus.
Guarinonius.
Guaſtauinius.
Guauaſſetius.
Guauinetus.
Gueuara.
Guillemæus.
Guillelmus Lauremburgius.

H

HAgius.
Harueus.
Haterius.
Hebenſtreon.
Helidæus Paduanus.
Heluetius.
Hennemannus.
Henricus à Bra.
Henricus ab Heer.
Herbonenſis.
Herlitius.
Heſſus.
Heurnius.
Hildebrandus.
Hildeſtheim.
Hoë.
Hofouannus.
Hollerius.
Hopmannus.
Horatianus.
Hornius.
Horſtius.
Hubnerus.
Hucherus.
Humerus.
Hunerus.
Hydalgo de Agueto.
Hyllus.

I

IAcchæus.
Iacchinus.
Iacotius.
Iaſon Pratenſis.
Iauarra.
Iebizius.
India Veronenſis.
Ingreſſia.
Inſulanus.
Ioannes à Bello forti.
Ioannes de Mediolano Latino-Barbarus.
Ioëlius.
Ionſtanus.
Iordanus.
Ioſephus de Aromatariis.
Ioſſenius.
Ioſſius.
Ioſterius de Ioſteriis.
Ioubertus.
Ionſtonius.
Iozzius.
Ishac Hollandus.
Iulius Alexandrinus.
Iuuenis.

K

KEntmanus.
Kinalochus.
Kinckius.
Kleinfedius.
Knoblochius.
Krantzius.
Kunradus Cunradus.

L

LAlemantius.
Lamandus.
Landus.
Lauelleus.
Lauellius.
Launæus.
Laurentianus.
Laureus.
Lazarus a Sotto.
Lebon.
Lemnius.
de Lamoniere.
Leo.
Leonellus Fauentinus.
Leonicenus.
Leonicus.
Leonus.
Leſchius.
Libauius.
Licetus.

Liddolius.
Liebautius.
Limanus.
Linacer.
Lobellius.
Lobera.
Lomnius.
Londinenſes Medici.
Lonicerus.
Loſolius.
Lopius.
Lucius.
Luiſinus.
Lupeus.
Lupus.
Lydiatus.
Lygeus.

M

Macbellus.
Magirus.
Magiſter.
Magius.
Maglioratus.
Magnardus.
Magnatus.
Manardus.
Ianochius de Maneclis.
Mannus.
Mantias.
Mantinus.
Maranta.
Marcellus Virg.
Mardobæus.
Marinellus.
Marinus.
Martius.
Anton. Maſſa.
Nicol. Maſſa.
Maſſaria.
Maſſinius.
Mathiolus.
Mathiſius.
Meichſnerus.
Melchiodus.
Mena.
Menxelius.
Menzelius.
Mercenarius.
Mercatus.
Mercurialis.
Merindolus.
Michinus.
Minadous.
Minderetus.
Miſaldus.
Molinæus.
Mollerus.
Monachi.
Monardus.
Monauius.
Mongius.
Montanus.
Monteſianus.
Montius.
Morales.
Renat. Morellus.
Morellus.
Mouſcot.
Moufetus.
Moxius.
Mullerus.
Mundella.
Mundinus.
Murgelius.
Mutonus.
Mylius.
Mynſicht.
Mythobius.

N

Naſſius.
Neander.
Neemias.
Nicander.
Nicandri interpres.
Nicolaus Alexandrinus.
Niddanus.
Nola.
Nonnius.
Nouocampius.

O

Occo.
Oddus de Oddis.
Oddus.
Opianus.
Optatus.
Othæus.
Ouiedo.

P

Paccius.
Palmarius.
Panca.
Pandectarius.
Paparella.
Paracelſus.
Paræus.
Pariſanus.
Parrius.
Paſcaſius.
Paſchal.
Paternus.
Paulinus
Pecetus.
Franc.Pedemontanus
Peletarius.
Pennottus.
Pepagomerus.
Perdulcis.
Pereda.
Perlinus.
Pernumia.
Perrellus.
Perſona.
Petræus.
Petroneus.
Petrus Hiſpanus.
Peucerus.
Phauorinus.
Pharmacopœa Amſtelod.
Philadelphus.
Philaretus.
Philippus de Lignamine.
Philoſtratus.
Philotheus.
Picolhominæus.
Pichotus.
Pictorius.
Pigræus.
Pilleterius.
Pincierus.
Pineus.
Pinnus.
Pintor.
Piſo.
Piſonellus.
Placottomus.
Plancius.
Planerius.
Platerus.
Plempius.
Plierus.
Pleucerus.
Pœna.
Pollux.
Polydorus Virgilius.
Poncius à Cruce.
Pons.
Pontanus.
Porcelle.
Porta.
Portus.
Poſthius.
Praxagoras.
Primoroſius.
Proprietarius.
Proſper Aquitanicus.
Protoſpatarius.
Pronankerius.
Ptolomæus Medicus.
Puluerius.
Puteanus.

Q

Quintilius.
Quercetanus.

R

Ranchinus.
Ramnuſius.
Rantzouius.
Raſarius.
Rauvvolphius.
Reiſius.
Remellinus.
Reſcrius.
Renodæus.
Renſnerus.
Rhenanus.
Rhodius.
Richardus.
Riffius.
Rimateurs.
Rinius.
Riolanus pater.
Riolanus filius.
Riplæus.
Robertus de Fluctibus.
Robertus Vallenſis.
Roboretus.
Rochæus.
Roganus.
Rogerius.
Romani Medici.
Rondeletius.
Ronſſeius.
Rorarius.
Roſellus.
Rota.
Rouſſellus.
Rouſſetus.
Rouilius.
Rubandus.
Rubeus.
Ruellius.
Rueus.
Rulandus pater.
Rulandus filius.
Rumſius.
Rungius.

S

SAcchetus.
Salius.
Saluianus.
Sanctorus Sanctorius.
Sanctorus.
Saporta.
Santorellus.
Santor.
Sauzedo.
Saxonia.
Scacchus.
Scaliger.
Scanarolius.
Schenckius.
Schillerus.
Scholtzius.
Schroterus.
Saluus Sclanus.
Scottus.
Scribonius.
Scropha.
Scutellarius.
Sebaſtianus Roth.
Sebiſius.
Segarra.
Seidelius.
Sennertus.
Sepulueda.
Serenus.
Seuerus.
Sextus Empiricus.
Siccus.
Sillanus de nigris.
Siluaticus.
Siluius.
Simon Simonius.
Henricus Smetius.
Ioann. Smetius.
Solenander.
Spachius.
Sperlinger.
Sphærerius.
Sphronius.
Spigelius.
Sporichius.
Starkius.
Stelliola.
Stephanus.
Stephanus Athenienienſis.
Strutius.
Storterus.
Stupanus.
Summerus.
Suterius.
Syluanius.

T

TAgaultius.
Tagliacotius.
Talpa.
Tamaïo.
Tanchius.
Tectander.
Terillus.
Thareus.
Theodoſius.
Theotropus.
Theſaurus.
Thomaius.
Thucydidis Scholiaſtes.
Tileſius.
Tinellus.
Toletus.
Tomitanus.
Toreus.
Torella.
Torres.
Toxaris.
Tragus.
Traianus.
Tranconius.
Traſſelmanus.
Trauus.
Trincauellius.
Tucca.
Turinus.
Turnerus.
Turneſius.

V

HEnr.Vacca de Alfaro.
Valduſius.
Valentinus.
Valla.
Valleriola.
Valleſius.
Valletius.
Valuerdius.
Varandæus.
Variolus.
Vaſquius.
Vaſſæus.
Vazæus.
Veles.
Veleſcus.
Venuſtus.
Vergeſacus.
Veſalius.
Victor de bona gentibus.
Vidus Vidius Senior.
Vidus Vidius Iunior.
Villarinus.
Vinarius.
Viſcherus.
Vlmus.
Veſtadius.
Vntzerus.
Volcherus Coiter.
VVarneſidus.
VVeckerus.
VVerchelius.
VVillichius.
VVierus.
VVinſthemius.
VVirt.
VVolphius.
VVottonus.

Z

ZAcchias.
Zechius.
Zenardus.
Zilletus.
Zinckius.
Zonellus.
Zuingerus.

Luſitani periti.

ALuarus Nonnius.
Ambroſius Nonius.
Amatus.
Andreas Antonius.
Antonius Ludou. Olyſſip.
Antonius à Cruce Olyſſip.
Benedictus à Caſtro.
Brudus.
Conimbricenſis Curſus.
Didacus Lopius.
Didacus Moranus.
Emmanuël de Morais.
Emmanuël Nunnius Olyſſip.
Emmanuël Gomez Antuerp.
Ferdinandus Roder. Cardozus.
Ferdinandus Solà.
Franciſcus Aluarez.
Franciſcus Lopius.
Gaſpar Lopius Canarius.
Garzias ab Horto.
Garzias Lopius.
Gorgius Gomes.
Georgius è Saà.
Georgius Henricus.
Gondiçaluus Rodericus Cabreïra.
Hieronymus Nunius Ramires.
Hieronymus Oſorius.
Hieronymus Touar.
Ioannes Rodericus Albicaſt.
Ioannes Brau. Chamicus.
Ioannes Barrus Hiſtoric.
Ioannes Fonſeca.
Iſidorus Barrerius.
Ludouicus Iſla.
Ludouicus Lemoſius.
Maffeus.
Martinus Henr.
Nonnius à Coſta.
Petrus à Fonſeca.
Petrus Lopius.
Petrus de Peramato.
Petrus Vaëzius.
Petrus Vaſcus Caſtellus.
Raphaël Vahëſius.
Rodericus à Caſtro.
Rodericus à Fonſeca.
Roſales.
Stephanus Roderic. Caſtrenſis.
Thomas à Veiga.
Thomas Aluares.
Thomas à Valle.
Valla.
Valuerda Olyſſip.

Diuerſarum facultatum atque linguarum Auctores varij.

A

ABbas Viſpergienſis.
Abulenſis.
Aceus.
Achillinus.
Adonis Viennenſis.
Ægidius.
Ægidius Romanus.
Ælianus.
Æmilianus.
Æneas Siluius.
Æſchines.
Agellius.
Corn. Agrippa.
Albericus.
Alciatus.
Alcmæus.
Alexand. Alenſis.
Alexander ab Alexandro.

Alexander Aphrodiſæus.
Alphonſus à Cruce.
Alphonſus Rex.
Aluaradus.
Amantius.
Ammianus Marcellinus.
Ioan. Amſteldius.
Anacharſis.
Anacreon.
Andreas Florenſis.
Ioan. Andreas.
Angelus Politianus.
Angelus de Geruaſiis.
Anicius Seuerus.
Antigenes.
Antipater Heropolitanus.
Antiphanes.
Antipus Comicus.
Antonius Nebriſſenſis.
Anulus.
Apollinaris.
Apollodorus Athenienſis.
Apuleius.
Ariſtæus Athenienſis.
Ariſtoxenus.
Aratus.
Ariſtænetus.
Ariſtobulus.
Ariſtophanes.
Ariſtoteles.
Arrianus.
Athenæus.
Auctor lib. Sapientiæ.
Auenus.
Auienus.
Aulus Gellius.
Auſonius.
Azpilcueta Nauarr.

B

Baldus.
Baldus Angelus Abbatius.
Bannus.
Barbarus.
Odoad Barboſa.
Baretus.
Barlæus.
Baronius.
Barotius.
Bartholus.
Baſilius.
Baſſianus Landus.
Becmanus.
Bellantius.
Bembus.
Benedictus Veronenſis.
Beroaldus.
Theod. Beza.
Bion.
Biſciola.
Blondus.
Bodinus.
Boëmius.
Boëthicus.
Boëtius.
S. Bonauentura.
Bonfinius.
Brodæus.
Brucardus.
M. Brutus Orator.
Buccaferreus.
Bucius.
Budæus.
Buterus Beneſſe.
Buxtorfius.

C

Caballus.
M. Cæcilius.
Cælius Rhodiginus.
Cæſar Creuonius.
Cæſarius.
Cæſius.
Caietanus.
Calephinus.
Callictes.
Callimahus.
Calliſthenes.
Campanus.
Per. Andr. Canonherius.
Capreolus.
Caracalla Imper.
Carpentarius.
Caſaubonus.
Caſſanæus.
Caſſanus.
Caſſiodorus.
Catanæus.
Cato.
Cato Paruus.
Catullus.
Cauſſinus.
Cedrenus.
Cenſorinus.
Chalcidius.
Chilo.
Chinenſis Hiſtoria.
Chryſippus.
Petr. Cieza Leo.
Cicero.
Ciruelus.
Clauius.
Cleans.
Alex. Clemens.
Clemens Alexandrinus.
Cleobulus.
Clitarchus.
Clinias.
Coccius.
Codretus.
Columnella.
Commandinus.
Commanus.
Conradius.
Conſtantinus Imperator.
Rob. Conſtantinus.
Copernicus.
Leon. Coquæus.
Cornelius Seuerus.
Cornelius Tacitus.
Corteſius.
Petr. Crinitus.
Criſermus.
Ioan. Criſpianus.
Criſpinus.
Cromerus.
Crucius.
Cyrus.

D

Marc. Damaſcenus.
Decianus.
Democritus.
Demoſthenes.
Didimus.
Dinomachus.
Diodorus Siculus.
Diogenes Apolloniata.
Diogenes Laërtius.
Dionyſius Areopagita.
Dionyſius Carthuſianus.
Diophanes.
Diotimus.
Diſarius.
Ludouic. Dorleans.
Theod. Douza.
Dubrauius.
Durandus.

E

Egnatius.
Empedocles.
Ennius.
Epaminondas.
Epicharmus.
Epictetus.
Epicurus.
Epiphanius.
Eraſmus Roterod.
Eratoſthenes.
Eriximachus.
Euagrius.
Euclides.
Eunapius.
Euripides.
Euplius.
Euſebius Cæſarienſ.
Euſebius.
Euſtachius Homeri interp.

F

Fabricius.
Farinacius.
Fauorinus.
Ferrarienſis.
Ferrerius.
Feſtus Pompeius.
Marcil. Ficinus.
Lactant. Firmianus.
Firmicus.
Flaccius Marc. Ant. Flaminius.
Florus.
Franciſcus de Veru-Lamio.
Fromundus.
Fulgoſius.

G

Gabriel.
Galenius
Galindus.
Gambara.
Theod. Gaza.
Genebrardus.
Geraldus.
Germanus Valenſ.
Gomez.
Gorgias Leontinus.
Gothus.
Ioan. Grammaticus.
Gratius Poëta antiquus.
Gregorianus Granerus.
Gregorius Toloſanus.
Gregorius Turonenſis.
Grotius.
Guaginus.
Gualterus.
Guillandus.

H

Haruæus.
Hegeſippus.

Heinſius

Heinſius.
Heliodorus.
Hennemannus.
Henricus Gandauenſis.
Heraclides Ponticus.
Heraclitus.
Hermolaus Barbarus.
Herodotus.
Ant. da Herrera.
Heſiodus.
Heritreus.
Herophilus.
Heynſius.
Hieraclites.
Hierocles.
Homerus.
Horatius Flaccus.
Horus.
Hyginus.

I

Iambilicus.
Iandunus.
Ioannes de Laërt.
Ioſephus Caſtillienſis.
Iouius.
Iphicrates.
Iſidorus.
Iſocrates.
Iulianus Imper.
Iulius Cæſar.
Iulius Clarus.
Iulius Pollux.
Iuſtinianus Imper.
Iuſtinus Hiſt.
Iuuenalis.

K

Keckermannus,
Kellerius.
Keplerus,
Kritzſchius.

L

Læſſeus.
Lambinus.
Ioſeph. Langus,
Laërtius Poëta.
Laërtius.
Lentulus.
Ioan. Leo.
Petr. Leo.
Leporinus.
Lucippus.
Iuſt. Lipſius.
Liranus.
Lucanus.
Lacianus.
Lucillus.
Lucius.
Lucretius.
Ludouicus Romanus.
Luithprandus.
Conr. Lycoſten.
Lycurgus.

M

Æm. Macer.
Macrobius.
Magaſtenes.
Maiolus.
Ioann. Maior.
Malleus Maleficarum.
Manilius.
Mannus.
Mantuanus.
Marcellinus.
Marinellus.
Marſilius.
Martialis.
Maſcardus.
Maturus.
Maximus Tyrius.
Mechonius.
Mich. Medina.
Meierus.
Melchior Iunior.
Meleager.
Menander.
Mercenius Merula.
Meſſia.
Minutius Felix.
Minutius Felix.
Mithridates Rex.
Modius Nouantius.
Moretus.
Muretus.
Muſœus.
Munſterus.

N

Natalis comes.
Naudæus.
Neemeſius Poëta.
Neemeſius Phil.
Nemeſius.
Nicephorus Caliſtus.
Nicephorus Phil.
Nicephorus Hiſt.
Nicocles.
Nicomus.
Nicoſtratus.
Niphas.
Nunneſius.
Nymphes.

O

Ochamus.
Olaus magnus.
Olympiodorus.
Origenes.
Ortelius.
Oſorius.
Ouidius.
Ferd. de Ovviedo.

P

Palladius.
Pallas Poëta.
Papinianus.
Parmenides.
Lud.Rod.Patricius.
Paulus Æmilius.
Paulus Venetus.
Pauſanias.
Ben.Pererius.
Perſij vetus interp.
Pesſius.
Petrarcha.
Petrus Toroſanus
Petrus Hiſpalenſis.
Philarchus.
Philemo.
Philippus Cominens.
Philœbus.
Philomenus iunior.
Philoponus.
Phocycles.
Phocyclides.
Pictorius.
Picus Mirandul.
Pierius Valer.
Pindarus.
Pintianus.
Pintus.
Pittalus.
Platina.
Platonicus.
Plato.
Plautus.
Plinius.
Plinius Secundus.
Plotinus.
Plutarchus.
Policletus.
Poliænus.
Polybius.
Polydorus Ripa.
Pomponius Lætus.
Pomponius Mela.
Pomponius.
Iac.Pontanus.
Iouianus Pontanus.
Proponatius.
Porphyrius.
Porta.
Poſediſpus.
Praxagoras.
Proclus.
Procopius.
Prodicus.
Propertius.
Ptolomæus Rex.
Pyrrho.
Pythagoras.

Q

Qvintilianus.
Quintilius Auus.
Quintus Ænnius.
Quintus Curtius.

R

Raderus.
Ramires del Prado.
Raymundus Iulius.
Raymundus Lullus.
Richardus.
Riſus.
Riuettus.
Ann. Robertus.
Roſa.
Iac.Fr. Rota.
Rugius.

S

Sabellicus.
Salmatius.
Samius.
Th. Sanctius.
Saxonia.
Saxo.
Scaliger.
Scharondas.
Schrekenfuchſius.
Schuitzerus.

Anna

Anna Maria à Schurma.
Scotus
Secundus.
Seneca.
Seruius Tullius.
Seruius Virg. interp.
Seuerus Sulpitius.
Corn. Seuerus.
Sigiſmundus.
Silius Italicus.
Iac. Simancha.
Simoneta.
Simon Portias.
Simplicius.
Herm. Skedel.
Ioan. Smetius.
Soncinas.
Sotio.
Socrates.
Solinus. Sophocles.
Soranus Epheſius.
Sphærus.
Statius.
Stobæus.
Strabo.
Stromatæus.
Stumſius
Suarez.
Suetonius.
Suidas.
Surius.
Syluius.
Syneſius.

T

Tatius.
Terentius.
Tertullianus.
Rau. Textor.
Thales Mileſius.
Themiſtius.
Theocritus.
Theodoretus.
Theognides
Theophraſtus.
Theopompus.
Theuetus.
Thomas Maurus.
Tuanus.
Locrenus Thymæus.
Tibullus.
Tiberius Imper.
Timplerus.
Tiraquellus.
Titinnius.
Titus Liuius.
Fran. Toletus.
Tomitanus.
Torquemada.
Tzetzes.
Tritemius.
Turnebus.
Turpilius.
Tyanæus.

V

Vacius.
Valerius Flaccus.
Valerius Maximus
Geor. Valla.
Varro.
Vegetius.
Maff. Vigius.
Veronenſis Gabriel
Villanus.
Viperanus.
Virgilius.
Vitruuius.
Lud. Viues
Vlpianus
Volaterranus.
Voſſius.
Iulian. Vvanderus.
Vviteberg.
Vvolphius.

X

Xanthus.
Xenophon.
Ximenus.

Z

Zabarella.
Zaleucus
Zeno.
Zimara.
Zonaras.
Zoroaſter.
Zuerius.

LEMMATA

LEMMATA HISTORIARVM HVIVS OPERIS.

HISTORIÆ LIBRI I.

De Capitis affectibus.

PROOEMIVM. pag. 1.

HIST. PRIMA. ALOPECIA, ſola purgatione ſanata. Gal. *lib.1. de compoſ.med. ſec.loc.cap.2.* pag. 2.

2 Alopecia, topicis medicamentis curata. Raſius *lib. de mirabilibus curis.* 3

3 Ruſticus achoribus ſcatens, Locali auxilio perſanatus. Galen.*lib.1. de compoſ.medic.ſec.loc.c.8.in princ.* 4

4 Tinea hirudine ſuper partem affectam impoſita, curata. Raſius *lib. 36.contin.tr.3.cap.2.* 5

5 Quinquagenarius dolore capitis vehementi oppreſſus, ſanguinis miſſionis ope, liberatur. Galen. 12. *lib.meth.cap.* 1. 8

6 Dolor capitis in febriente, ex vini odore adauctus. Galen.*lib. 6.epid. ſect.4. com.9.* 9

7 Hemicrania experimento muliebri ſanata. Paul. *lib. 3.cap.5. rubric.2.* 11

8 Synciput, medicamentorum quæ capiti imponuntur, applicationi aptiſſimum. Gal.*lib.13.meth.c.22.* 14

9 Phrenitis, ſanguinis miſſione vſque ad animi deliquium, curata. Raſius, *lib. 3. ſuor. aphoriſm.* ibid.

10 Phrenitis, ſecta ingenioſè in fronte vena, & aliis auxiliis perſanata. Trallian.*lib.1. cap.13.de cura phreniticorum.* 21

11 Phrenitici nonnulli de iis quæ oculis offeruntur, rectè quantum ad ſenſitiuam notitiam iudicant, cogitando verò à naturali iudicio aberrant. Galen.*lib.4. de loc.cap.1.& lib. de dif.ſympt.cap.3.* 23

12 In phreniticis aliquando eſt errans imaginationis motus, illæſa cogitatione. Galenus.*lib.4.de loc. affect. cap.cit.* ibid.

13 Vigilia ſuperflua, nenupharino naribus appoſito, & lactucarum eſu perſanata. Raſius *lib.3. ſuor.aphoriſmor. in fin.* ibid.

14 Somnus amiſſus lactucarum eſu reſtitutus. Gal.*lib.2. de alimentor.facult.cap.40.* 24

15 Galenus noctambulus. Galen. *lib.2. du motu muſculor. cap.4.* 28

16 Lethargus, Caſtorei potu curatus. Trallian. *lib.1.c.14.* ibid.

17 Lethargus balneo curatur. Trallian.*lib.1.c.14.in fin.* 29

18 Epilepſia ex tibia originem ducens. Gal.*lib.3. de loc. affect. cap.7.prop.initium.* 30

19 Miræ epilepſiæ ſpecies aphrodiſiaſticæ, quarum paroxyſmi ſeminis profluuio ſoluuntur. Aliæ variis, horrificiſque imaginibus, & anxietatibus ægros torquentes. Alzaharauius *tr.1.ſect.2.c.34.* 31

20 Ex pede ſuſcitata epilepſia, cauſtico medicamento in parte affecta impoſito, curatur. Trallianus *lib.1. cap.15.tit. de curation. eorum qui ex ſthomachi affectu, comitiali morbo corripiuntur.* ibid.

21 Ex ore ventriculi ſuſcitata epilepſia, eo roborato, ſanata. Gal.*lib.5.de loc.affect. cap.5.* 35

22 Pæonia collo ſuſpenſa ab epilepſia liberat. Galenus, *libr.6. ſimpl. titul. de pæonia* 38

23 Epilepticus ſanguinis humani potu ſanatus. Cornelius Celſus, *lib.3.c.27. de commitial. morbi curatione* 40.

24 Epilepſia, ebore aſſumpto, curatus. Scribonius Largus *lib.de compoſ. medic. compoſit.16.* 41

25 Epilepticus aſſumpto medicamento melanagogo, præſeruatus. Raſius *in lib. de mirabilib.curis* 42

26 Frequens epilepſia ex ſanguinis copia ſuborta, venæ ſectione curata. Raſius *in lib.de mirabilibus auſcultationibus.* 45

27 Fœmina epilepſia prehenſa confectione anacardina, & aliis auxiliis curatur. Raſius *in lib. de mirabilib. auſcult.* ibid.

28 Puer epilepticus, variis remediorum generibus præſeruatur. Galenus *in lib.conſilij, de puer.epilept. à cap.1. vſque ad 9.* 49

29 Mel ſcilliticum ad epilepſiæ præſeruationem vtiliſſimum, Galenus *in conſilio de puero epileptico à c. 9. vſque ad finem cap.* 10. 56

30 Epilepſiam quartana ſanat Galenus *lib.1. epidemior. ſect, 3. com.4.* 57

31 Epilepſia rutæ odore curatur. Trallian. *lib.1.cap.15.* 58

32 Epilepſia grauidarum, poſt partum ceſſare ſolet. Paul *lib.3.cap.13.in initio.* ibid.

33 Apoplexia à ſanguine orta cucurbitula ſupra collum, impoſita curata. Raſius *lib. 3. aphoriſm. in med.* 63

34 Apoplectici pro mortuis habiti interdum reuiuiſcunt. Quare intra tres dies non ſunt ſepeliendi. Auicenna *fen.1.lib.3.tract.5.cap.12.* 64

35 Seruus mœrore affectus, & tabeſcens, Galeni induſtria liberatur. Galenus *lib. de præcognit. ad Poſthum. cap.6.* 66

36 Melancholia ex potu vitioſæ aquæ contracta, cardiacis aſſumptis, & tandem ingenio miro curata. Auenzoar *lib.1.Theizir, tract.9.cap.9.* 67

37 Melancholicæ mulieris hiſtoria mira. Trallian, *lib.1. cap.vlt.* 74

38 Melancholia antiqua radice bryoniæ curata. Raſius *lib.1.contin. tr.18.cap.2.* 76

39 Melancholia ex ſuppreſſis hæmorrhoïdibus orta, annua vacuatione curata. Galenus *lib.6.aph.47. & lib 3.de humorib. com.26.* 77

40 Ex amore admirabilis inſania inducta, caſúque cognita. Galenus *lib. de præcognit. ad Poſthum.cap.6.* 79

41 Catalepticus hæmorrhagia copioſa ſanatur. Aëtius. *tetrab.2.ſermon.2.cap. 4.* 80

42 Catalepſis ex nimio ſtudio ſubortæ hiſtoria. Galenus *lib.1.prorrhetic. ſect.2.com.56.* 81

43 Memoria amiſſa ex inedia, labore, ac vigilis, humectantibus præſidiis reſtituta. Galenus *lib. 3. de loc. affect.cap.5.prop.initium* 85

44 Ex

44 Ex peſte ſæua,memoria amiſſa, Galenus *lib. de diff. ſympt. cap.3.in fin.* & *lib. 2. de cauſ. ſympt. cap.vlt.* ibid.
45 Paralyſis ex colico dolore contracta. Haly Abbas *l.9. Theoric.cap.8.* & Paulus *lib.3.c.18.& 43. ait:de reſolutione ex colico dolore contracta.* 83
46 Paralyſis,frigidis medicamentis perſanata.Trall.*lib.1. cap.16.rubric.6.* ibid.
47 Paralyſis ex vehementi frigore contracta,calida vnctione perſanata. Auenzoar *lib.1. Theizir, tr. 10. cap.7.* 84
48 Ex vehiculo decidens quidam dorſi initium afflixit, vnde duobus digitis, & medietate medij, ſenſum illæſo motu amiſit, qui medicamentis digitis fruſtra impoſitis, tandem iiſdem dorſo alliſo applicitis conualuit. Galenus *lib.3.de loc.affect. c.10.* 85.
49 Mortificatio à frigore orta, Galenus,*lib.3.de vſu part. cap.5.* 86
50 Conuulſio canina,cataputia ſanatur. Raſius *lib.1. continent. tract.11.cap.2.* 87
51 Conuulſio, gelidæ perfuſione ſanata. Auicen *fen.2.3. tract.1.cap.7.in med.* ibid.
52 Conuulſio ex æruginoſo humore, in ore ventriculi ſito,pronata,vomitu concitato,curata. Gal. *lib.12. met.cap.vlt.prope fin.& lib. 5. aph.com.1.* 89
53 Sæua ophthalmia, copioſa venæ ſectione ſanata. Raſius *lib. de mirabilibus curis.* 90
54 OEconomus ab inflammatione oculorum,ac cæcitatis periculo,ſanguinis miſſionis beneficio liberatus. Contra Eraſiſtratæos. Galenus *lib.de curand. rat.per ſang.miſ. cap.17.* ibid.
55 Oculorum inflammatio,ſola purgatione ſanata,Galenus *lib. 13.meth. cap.11.* 94
56 Lipitudo, balnei vſu curata Galen. *lib.6.aph. com.31.* 95
57 Adoleſcens,potu meraciori vſus, à lipitudine liberatur. Galenus *lib.6.aph.com.31.* 97
58 Oculi denſitas mulſæ beneficio curata, Trallianus. *lib. 2. cap.* 98
59 Aurium inflammatio cum acuto dolore, oleo ex vitellis ouorum in aurem iniecto perſanatur. Auenzoar.*lib.1. Theizir. tract.4. cap.1.* ibid.
60 Aurium dolor à frigiditate ortus calidis auxiliis perſanatur. Raſius *lib. 3. continent. tract. 2. cap. 2.* 100
61 Aurium dolore laborans, iniecto in aurem opio, vocem, & ſenſum amiſit. Trallianus *lib. 3. ... 2.* ibid.
62 Laborantium puerorum fiſtula,ad parotidem ſubſequuta,emplaſtro ex argenti ſpuma,& aliis auxiliis perſanata. Galenus,*lib.1.de compoſ. medicament.ſec. gener. cap.7.*
63 Solutio febris ardentis ad parotidem criticam ſuppuratam, ſed deinceps recidiuante morbo mors ſubſequuta. Raſius *in lib. de mirabilib. curis* 104
64 Criticæ hæmorrhagiæ præſenſio.Galenus *lib. de præcognit. ad Poſth. cap.13.* 112
65 Odoranti ſenſus è diuturna tum grauedine, tum diſtillatione læſus, & reſtitutus. Galenus *lib. de inſtrument. odorat. cap. 4.* 116
66 Dolore dentium quidam correptus, niuis in ore detentæ vſu perſanatur. Aëtius *tetrab.2.ſerm.4. c.27.* 117
67 Dentes ſentiunt. Galenus *lib.5. de compoſit.medic.ſec. loc. cap.8.* 119
68 Dentium dolor,applicitis remediis calidis & ſequuta mandibularum inflammatione ſanatur.Raſius *lib.5. cont. in tract. 2, cap.2.* ibid.
69 Linguæ, morbi vitio, portentoſæ magnitudinis curatio. Galenus *lib. 14. meth. cap. 8.* 120
70 Lapis in lingua pronatus ſermonis vſum intercipiens. Auenzoar *lib. 2. Theizir, tract. 2. cap. 2.* 122
71 Lingua abſciſſa ſine valetudinis noxa. Galenus *lib.de dif.morb. cap.8.* 123
72 Ex ſcarificatione malè adminiſtrata linguæ paralyſis ſequuta. Auic. *6.3.tract.1.cap.11.* ibid.
73 Menti glabrities Gallica,Galeno, Hippocr.priſciſque aliis maximè nota.Galenus *lib.3.epid.ſect.3.com.25.* 124
74 Angina,leonicis, & cephalica ſectis,& dato forti medicamento eodem die: tamen ægrum intra paucas horas enecauit: Trallian. *lib. 4. cap. 1. tit. de ſanguinis miſſione.* 132.
75 Angina ſæua, cephalicis ſectis & forti eodem die cathartica propinato, curatur. Trallianus *lib.4. cap.1 tit. de ſanguinis miſ.* 133.
76 Angina periculoſa, iugularibus ſectis perſanata.Trallian. *lib.4.cap. 1.* 134
77 Angina ex ſuppreſſis menſibus orta, tali ſectione perſanata. Trallian. *lib.4. cap.1. tit. de ſang. miſ.* ibid.
78 Detegitur error Medici,acria,& cauſtica in oris affectibus imponentis. Galenus *lib.6.de compoſ. medic. ſec. loc.cap.1.* 139
79 Diacaryon, celeberrimum ad affectus oris auxilium. Gal. *lib.6.de compoſ.medicam.ſec.loc.cap.1.rubr.2.tit. de ſtomatic. ex nucib.* ibid.
80 Puer trimus ab angina oppreſſus, venæ ſectionis ope,à morte liberatur. Auerroës *lib.7. collect.cap.3* 141
81 Humani ſtercoris aduerſus anginam facultas admiranda. Galenus *lib. 1.de ſimpl. medicam.facult.tit.de ſtercore humano.*
82 Celebre ad anginam auxilium.Gal. *lib. 10.ſimp.tit.de ſtercore canino.* 144
83 Faucium inflammationis expulſu dignotio & curatio, contra Theſſalicos. Gal. *lib. de præcognit. ad. Poſt.cap.12.* 147
84 Struma, anguis eſu ſanata. Cornel. Celſus *lib. 5. cap. 28. rubric. 6. tit. de ſtrum. & eius curat.* 148

HISTORIÆ LIBRI II.

HIST. PRIMA. GVlæ abſceſſus curatio. Galenus *lib.5.de loc. affect.cap.5.* pag. 160
2 Vlceris in aſpera arteria poſt peſtem relicti, commodis auxiliis, curatio. Galenus *lib. 5. meth. cap.12.* 162
3 Vlceris in trachea arteria, ſanatio. Galenus *lib. 5. meth. cap.12.* 163
4 Os in dorſo adnatum,purgatione celebrata eximitur. Auenzoar *lib.2. Theizir,tract.6.c.5. de ingroſſatione oſſis præter naturam.* 169
5 Sanguinis ſputum ab ſpiritalibus partibus ortum,lapidis hæmatitis vſu perſanatum. Trallianus *lib. 7. cap.1. rubric.17.in med.* 172
6 Sanguinis ſputum ex frigida diſtillatione ortum, candenti ferro in capite appoſito, curatur. Trallianus *lib. 7. ſui operis cap. 1. rubric. nuper citata.* 173
7 Curatio mulieris, quæ ex ſalſa diſtillatione ſanguinem expuerat. Galenus *lib. 5. meth. cap. 13.* 174
8 Adoleſcens refrigeratis vitalibus organis tuſſim contraxit quam ſanguinis ad heminam dimidiam ſpuitio conſequuta, & curata. Galenus *lib.5. meth. cap. 13.in fin.* 179
9 Sanguinis ſputum exauſta hirudine contractum. Galenus *lib. 4. de loc. affect. cap.6.in fin.* 182
10 Spleneticus,ſanguinis nigri vomitu,ſanatur. 183
11 Sanguinis vomitus, herbæ hæmagogæ lethalis vi excitatus. Galenus *lib.de purgant. medicamentor. facult. cap.4.* 184
12 Antipater ex obſtructione leuium arteriarum, pulmonis,

monis, emortuus. Galenus *lib.4. de loc.affect.c.vlt.* 187

13 Seruus Barbarus cohibita ſponte reſpiratione, mortem ſibi intulit. Gal. *lib.2. de motu muſculor.cap.6.* 192

14 Aphonia, ad ſtrumarum inciſionem ſequuta. Gal.1. *de loc. cap.6. in med.* 194

15 Vocis læſio ex recurrentium neruorum infrigidatione, ſuborta. Galenus 1.*de loc. affect. cap.6. in med.* 196

16 Ex caſu quidam dorſi initium terræ allidens, aphonus factus, crurum reſolutionem incurrit, qui dorſo applicitis auxiliis conualuit. Gal. 1. *de loc. cap.6.* 200

17 Axiliarum fœtor in Medico præſertim execrandus. Galenus, *lib.6. epid.ſect.4. com.9.* 201

18 Pleuritidis notha tumore extrinſecùs excitato, & ſuppurato, inciſione curatur. Auenzoar *lib.1. Theizir. tractatu 16. capite quarto de apoſtemate lateris.* 202

19 Pluritis ſæuiſſima cum febre valida, intra quartum diem interficiens, Rhaſis *lib.10.continent. tr.2.c.2.* 203

20 Sæua pleuritis, cum maxima debilitate, lethalis, Rhaſis *in continent.lib.de mirabilibus curis quas expertus fuit.* 213

21 Pleuriticus in declinatione poſitus, lentium eſu emortuus. Gal. *lib.1.de rat.vict. in morb. acut. comment.* 27. 218

22 Pleuritis mitiſſima, citra venæ ſectionem perſanata. Galenus *lib. 6. epidem. ſection. 3. comment. vltim.* 219

23 Inflammatio mediaſtini, copioſa venæ ſectione curata. Auenzoar *lib.1. Theizir. tractatu 16. cap.6.* 223

24 Quidam ex periculoſa ſepti tranſuerſi inflammatione, tutus euaſit. Galenus *lib. 4. de loc. affect. cap.5.* 216

25 Empyematis hiſtoria mira. Auicenna 10. 3. *tract. 4. cap.: 5.& 5. de loc.c.2.* 228

26 Pulmonis vomica aliquando per vrinam purgatur. Galenus 6. *de loc.cap.4. in fin.* 229

27 Suppuratio citra febrim poſſibilis. Aëtius *tetrab.* 2. *ſerm.4. cap.65. de pectore ſuppuratis.* 301

28 Mulier cancrum in mammilla habens, annua purgatione leuata. Galenus *lib. 6. aphoriſmor.* 47. & *lib. quos, quibus & quando cap.4.*& *lib.2.ad Glauc. c.10.* 232

29 Vlcus cancroſum, elleboro aſſumpto curatur. Oribaſius *libro ſeptimo collectan. cap. vltim. prope finem.* 233

30 Pilus ebibitus mammarum facit inflammationes. Alzaharauius *tract.14.c.2. practicæ.* 234

31 Reprobum lac infantes vlceribus conſpurcat. Galenus *lib.3.de aliment. facult.cap.15.* 235

32 Phthiſis, panis benè fermentati cum oleo, & ſaccharo roſaceo, vſu perſanata, Auenzoar *lib.1.Theizir. tract.11.cap.2. poſt. med.* 237

33 Phthiſica, ſolias ſacchari roſacei vſu, omnino perſanata. Auic.10. 3. *tract.5. cap.vlt.& cap.18. iuxta finem.* 239

34 Quidam vlcere pulmonis laborans, lacte, & pane ſimilæ victitans, conualuit. Rhaſis *lib.9. continent. cap.2.* 242

35 Quidam à phthiſi lactis vſu præſeruatus. Trallianus *lib.7.cap.1. in fine.* ibid.

36 Exemplum eorum qui tabe conſumpti interierunt. Galenus *de loc. affect. cap. vlt.* & *lib. 3. epid. ſect.1. comment.4. in initio,* & *6. epidem.ſect.3. comment.36.* 244

37 Calculus tuſſi proiectus. Paulus *lib.3. cap.31.* Trallianus *lib.5.cap.4.* 248

38 Duplex cor. Galenus *lib.7.de anatomic. adminiſtr. c.11.* 250

39 Quidam palpitatione cordis quotannis vexatus venæ ſectionis vi, præſeruatus. Galenus *li.5.de loc.affect. cap.2.* 251

40 Cordis palpitatio calidis medicamentis curata. Rhaſis *lib.de mirabilibus curis.* ibid.

41 In pericardio Simiæ, & Galli tumores ſcirrhodes viſi, qui analogiâ quadam etiam ad homines tranſferri poſſunt. Galenus *lib. 5. de loc. affect. cap. 2.* 255

42 Arteria vulnerata, & medicamentis conglutinata. Galenus *lib.5. meth. c.7.* 258

43 Arteriotomia plurimis morbis proficua, Galenus *li.de curand.rat.per ſang.miſ.c.vlt.* 260

44 Pulſus intermittentis, ſed naturalis cognitio. Galenus *lib.de præcognit. ad Poſthum.*14. 262

45 Syncope ex nimia euacuatione ſuborta, alimentis vires recreantibus curata. Rhaſis *lib.3.ſuor. Aphoriſmorum.* 264

46 Syncope ex longa mora in balneo contracta, Galenus *lib.2.Aph.com.41.* 266

47 Syncope ex vteri affectu ſuborta. Galenus *lib.2. Aph. com.41.* ibid.

48 Syncope ex diutina ante balneum inedia, concitata. Galenus *lib.2.Aph.41.* 268

49 Quidam ob vitalis facultatis atoniam & cordis palpitationem, ſyncope cardiaca correptus, ſubitò emortuus. Galenus *lib.2. Aph.41.* 299

50 Adoleſcens ob ſyncopem ſudans, à Medico in balneum ductus, protinus emoritur. Galenus *lib. 1 prog. com.3.* ibid.

51 Ex euacuatione vſque ad animi deliquium quidam interiere. Gal.*lib.9.meth.c.10.*& *lib.de curand. rat. per ſan. miſ. cap.12.* 270

52 Manus ex pondere inflammata, altero pondere in altera manu geſtato, perſanatur. Oribaſius *lib.8.collectaneor.cap. 19.* 264

53 Ventriculi debilitas, ob pituitæ copiam, vomitu ex radicula parato, curatur. Paulus *lib.1.c.41.* 275

54 Ex ventriculi debilitate, & gulæ refrigeratione mors ſubſequuta. Galen. *lib.7. meth. c.8.* 276

55 Ventriculi debilitas, ex calida ſiccaque intemperie ſuborta frigidis medicamentis perſanatur. Galen. *lib.7.meth.cap.8.* 280

56 Ventriculi imbecillitas ex inæquali intemperie quomodo ſit curanda, Contra Empiricorum amentiam, Galenus *lib.7. meth. c.4.* 281

57 Ventriculi laborantis ab inuaſione febris dignotio eiuſque curatio. Gal. *lib.de præcognit.ad. Poſt.c.11* 284

58 Ventriculi languor, vini Abſinthites potu curatus Galenus *lib. de theriac.ad Piſon.cap.2.* 285

59 Ventriculi debilitas ex abſciſione omenti ſuborta, quomodo curetur. Galenus *lib.4.de vſu part.cap.9.* 286

60 Dolor ventriculi ex bile, & melancholia ortum ducens, congruis auxiliis curatur. Rhaſius *lib.11. continent. tract.1. cap.2.* 288

61 Dolor ſtomachi diuturnus ex frigore originem ducens, vini generoſi potu curatus. Rhaſius *in lib. de mirabilibus curis.* 289

62 Dolor ventriculi ob pituitæ copiam, medicamentis ipſam incidentibus curatus. Idem ab acribus ſuccis ſubortus, iiſdem aſſumptis exacerbatus. Gal. *lib.1.de alimentor. facult cap.1.* 290

63 Quidam ex ſuppurata ventriculi inflammatione conualuit. Rhaſius *lib.12. continent.tr.3.c.2.* 291

64 Tumor in ventriculo natus mali punici magnitudine ægrum cum ſæuiſſimis ſymptomatibus interficiens. Auenzoar *lib.1. Theizir. tract. 15. cap. 4.* 292

65 Verruca ventriculi cum virium debilitate, & diuturna ſanguinis profuſione ægrum ad obitum perducens. Auenzoar *lib.1. Theizir. tract.11.c.3.* 293

66 Ventriculus vulturis ad debilem coctionem iuuandam, ſtrenuum auxilium. Oribaſius *lib.14. collect. cap.37.* 495

67 Mina cydoniorum ad deiectam appetentiam mirabilis.Galenus *lib.2.de alimentor.facult.c.23.* 302

68 Fames canina ob lumbricum 12. cubitorum concitata, Hieræ beneficio ſanata. Alexander Trallianus *lib.7.ſuæ medicinæ c.4.* 303

69 Fames canina, copioſo vini generoſi potu curata. Gal. *lib.2.aph.com.21.* 306

70 Caſus pituitoſi quotidie vomentis bilem. Galen. *lib. artamedicinal.c.74.*& *lib.2.acut. com.29.* 309

71 Saturitas poſt tranſactam famem, nocentiſſima. Auicenna 3.1.*doct.2.c.7.in princip.* 310

72 Siti enectorum hiſtoriæ. Galenus 1.*de cauſ.ſympt.c.7.* ibid.

73 Sitis orta ex phlegmate ſalſo,ſalſis cibis curata. Rhaſis *lib.11.cont.tract.1.cap.* 315

74 Meri potus ſitim auget,non placat.Galen.*lib.4. acut.1.* 317

75 Singultus ex caliditate ortus,frigidis curatus. Trallianus *lib.7.cap.13.* ibid.

76 Alui fluxus ex debilitate vnius brachij ſubortus,auxilio corroborante perſanatur. Auerrhoës *lib.4.collig. cap.245.* 318

77 Alui fluxus cerebralis, ſinapiſmo in capite adhibito, curatur. Rhaſis *lib.3.ſuorum Aphoriſmorum.* 319

78 Deiectio nigra ab aſſante calore ortum ducens, non ſemper peſſima. Actuarius *lib.de cauſ. vrinar. c.*10. Galenus *lib. de atrabile cap.* 3. & *lib.4. Aphor.* 21. 321

79 Alui fluxum Galeni prædicentis hiſtoria. Galen. *lib.3. de diff.pulſ.cap.3.* 323

80 Adſtringentia in prima menſa ſumpta aluum ſiſtunt, in vltima aluum prouocant.Galen.*li.2. de alimentor. facult. cap.22.* 324

81 Celer à mordicatione excretio inferiorum inteſtinorum in diſpoſitionem ſignificat. Galenus *lib.1. de loc. affectis cap.4.* 327

82 Alui fluxus, nec alia vacuatio in febribus tentanda, priuſquam ventriculi læſionem, ac debilitatem auferamus.Galenus *lib.1.ad Glaucon.cap.13.in principio.* 328

83 Cæliaca,commoda purgatione curata.Aëtius *tetrab.* 2. *ſerm.1.c.37.* 330

84 Dyſenteria ab intetmiſſa vacuatione aut ab aſperitate annuli deuorati concitata. Galen.3. *de cauſ. ſympt. cap.2.*& 4. *de articulis com.40.*& 3.*de facult.nat.4.* Aëtius *tetrab.3.ſerm.1. cap.46.* 331

85 Dyſenteria ex ſordido vlcere concitata, clyſtere ex cauſticis parato perſanatur. Rhaſis 13. *continent. tract.3.cap.2.* Galenus *lib.4.de vſu part. c.17.in fine* 333

86 Quidam cæpæ eſu,& muria per clyſterem iniecta,plurimos à dyſenteria liberauit,alios interfecit.Galen. *lib.12.meth.cap.1.* 334

87 Quidam dolorem animoſè ferentes, nullis applicitis lenientibus auxiliis viriliter emortui. Gal. *lib.* 12. *meth.c.1.* 335

88 Dyſenteria cum tabe,balneis, & refrigerantibus auxiliis, curata. Trallianus *lib.8.c.9.* ibid.

89 Colicus dolor peſtilens,ac contagioſus, frigidis curatus. Paulus *lib.3.cap.43.* 336

90 Colicus dolor ex vitioſis humoribus, curatur.Galen. 12. *meth.cap.7.* 343

91 Colicus dolor à mordacibus ſuccis pronatus, Hiera aſſumpta curatur.Galenus 1. *de loc.affect. c.4. prope fin.* 344

92 Colico dolore quidam ſæpè tentatus, accepto ſcammonio, vehementiſſimè ab eodem dolore poſteà vexatus, adſtringentibus auxiliis, theriaca & aliis præſidiis curatur.Galen.12. *meth. c.7.in fin.* 346

83 Colicus dolor à bile pronatus, frigida potione curatur. Gal.12. *meth.cap.7.in fin.* 351

94 Colici doloris ſpecies rara,ex vitrea pituita ſuborta, perforantis doloris ſenſum inferens: & quomodo Galenus pro eo dignoſcendo fuerit deceptus. Galenus 2. *de loc. affect.c.3.* ibid.

95 Ruſticus colico dolore correptus,allij eſu ſanatur.Galenus 12. *meth.c. vlt.* 355

96 Stercus lupinum ad colici doloris præſeruationem,& curationem vtiliſſimum. Gal.*lib.10.de ſimpl.medic. facult. tit. ſtercus lupinum.* 356

97 Colicus dolor clyſteri,ex oleo, prius ruta, & aphronitro decocto, parato, curatur. Scribonius Largus *lib. de compoſit. medicamentor. compoſition.* 118. 357

98 Dolor iliacus à gelidæ potione ſubortus calidis medicamentis,curatur.Auenzoar.*lib.2. Theizir. tr.1.c.2.* 358

99 Auriculæ muris ſuccus,aduerſus aſcarides, celebre auxilium. Oribaſius *lib.1. Synopſeos cap.19* 360

100 A lumbricis quidam exeſi, & conuulſi interierunt. Paulus *lib.4.c.33.* 361

101 Medicus Siculus pleuritide ſe affectum falsò credens, iecoris vitio laborare à Galeno conuictus eſt.Gal. *lib.5. de loc. affect.c.7.* 362

102 Theagenes Cynicus inflammatione hepatis laborans ab Attalo Medico relaxantibus medicamentis interfectus.Galen.14.*meth.c.15.* 363

103 Topica in iecoris vitiis imponenda, roborantia eſſe oportet. Gal. 11. *cap.meth.c.16.* 366

104 Hepatis inflammatio pro colico dolore habita, copioſa phlebotomia, & refrigerantibus exhibitis curata.Rhaſis *lib.de mirabilibus curis in medicinalibus libris repertis.* 367

105 Hepatis ſcirrhus exquiſitus, lethalis. Galenus 2. *ad Glauc. cap.5.* 371

106 Debilitatis hepatis,ex tenui & alba vrina,præcognitio. Gal.*lib.1. prorrhetic.ſect.2.com.17.* 372

107 Hepatis dolor,vnguento ex oleo nucum,& de vitellis ouorum facto perſanatur. Auenzoar *li.1. Theizir. tract.13. c.14.* 374

108 Abſceſſus muſculorum hypochondrij cognitio. Galenus. 5. *de loc.affect.c.7.* 875

109 Murmur hypochondriorum,ſero lactis miteſcit. Galenus *lib.5. aphoriſm.com.64.* 376

110 Dextri hypochondrij dolor, cùm paruitatem quandam iecoris,tum meatuum anguſtiam oſtendit.Galenus *lib. artamedicin.c.70.* 377

111 Spleneticus, vrina ſua epota ſanatus. Auicenna *lib.2. tract.2. cap.725.de vrina.* 378

112 Lienis ſcirrhus, purgatione, & aliis auxiliis curatur. Trallianus *lib.8.cap.13. in initio.* 379

113 Morbus regius citra naturalium viſcerum affectum, ſæpè generatur.Galenus *lib.5.de loc. affect. cap.vlt.* 381

114 Vrina paſſea auriginoſi morbi eſt indicium. Actuarius *lib.de præuidentiis vrinarum c.8.* 385

115 Morbus regius ſola purgatione ſæpè ſanatur. Galen. 1. *de facult.naturalib. c.13.prope finem,*& *lib.de purgant. medic. facult. cap.* 5. 387

116 Hydrops ex conſueta menſtrua, vel hæmorrhoïdali vacuatione ſuppreſſa,vel nimium excurrente, ſæpè ſubortus. Galenus *lib. de ven.ſect.aduerſus Eraſiſtratum cap. 6. in fine,* & 6. *epid. ſect.1. comm.29.* 392

117 Hydrops victu attenuante, & aliis auxiliis curatus. Rhaſius 1.*cont.tract.19.c.* 394

118 Hydrops,venæ ſectione ſæpè curatur.Galenus *lib.de ven.ſect.aduerſus. Eraſiſtratum cap.5* 397

119 Hydrops ex frigidæ potu ſubortus,medicamento diacurcuma dicto,perſanatur. Rhaſius *lib.1.cont.tr.19. cap.1.* 399

120 Hydrops,laureolæ vi perſanatur.Rhaſis *lib.1. continent. tract.19.cap.1.* 400

121 Ex Orthopnæa, hydrops. Aëtius *tetrab.3. ſer.2.c.20.* 401

122 Hydrops, frigidis auxiliis ſæpè curatur. Auicenna 14.3. *tract.4.c.13. iuxta finem.* 404

123 Hydropica pluribus auxiliis non leuata, expulſa per vuluam copioſa aqua, conualuit. Rhaſis *lib.de mirabil. curis in med.* 405

124 Hydro

124 Hydropis ſpecies rara,à Græcis, aliiſque omnium ætatum Medicis,Aretæo excepto, incognita. Aretæus *lib. 2. de ſignis, & cauſis diuturnor. morbor. cap.1.* 406
125 Hydropicus ſibi indulgens, vrina ſua epota interiit, Celſus *lib.3.cap.1.* 407
126 Lumborum dolor cum febri nocturna à melancholico humore ſuppreſſo pronata excreta vrina nigra ceſſauit. Rhaſius *in lib.de mirabilibus curis.* ibid.
127 Renum dolor,cum vrina nigra, à frigiditate ſubortus,calidis curatus. Actuarius *lib.1. de cauſis vrinar. cap.13.* 410
128 Renum calculus,Balſami ope,excretus.Auenzoar *li.2. Theizir.tract.2.c.7.* 411
129 Ad lapidem renum,paſſerculus Trogloditicus,remedium laudatiſſimum.Aëtius *tetrab.3.ſer.3.c.11.*Tralianus, *lib.9. cap.3.* 414
130 Vlceris veſicæ dolor,opiatis lenitus.Rhaſius.*23.continent.tract.3.c.1.* ibid.
131 Dolor ex vlcere veſicæ exortus, ouis crudis recentibus mitigatus. Trallianus *lib.9.c.5.* 416
132 Vrinæ nigræ interdum mortiferæ, aliquando ſalubriter,& criticè excretæ. Actuarius *lib.1. de iudiciis vrinar. cap.20.* Galenus *lib.3. epid. ſect.3. comm.* 73. ibid.
133 Vrina alba, in delirantibus lethalis. Galenus *lib.4. aph.com.72.* 417
134 Pilorum in vrina generationis deſcriptio,cauſa,curatio. Galenus *lib.4. aph.76.* 418
135 Trichiaſis renum, qua cum vrina pili excernuntur, Actuarius *lib.3.de cauſ. vrinar.c.21.* 419
136 Vrina oleoſa,interdum criſis ratione excernitur. Galenus *lib.3. epid.ſect.3. com.74.* 420
137 Diabetes,ratus affectus, bis à Galeno viſus. ibid.
138 Diabetes refrigerantibus ſupra dorſum adhibitis mitigatur.Rhaſius *lib.23.continent tract.1.c.3.* 422
139 Mictus ſanguinis à nimia meri potione ſubortus, phlebotomia curatus. Rhaſius *in li. de mirabilibus curis.* 423
140 Anioſam vrinam expellens quidam mundificantibus, & abſtergentibus curatur. Rhaſis *in lib.de mirabilibus curis.* 424
141 Veræ carunculæ per vrinam excretæ nunquàm à Galeno viſæ. Galenus. *lib.4.aph. com.76.* 425
142 Vrinæ incontinentia,enematis, & aliis adſtringentibus auxiliis curata.Rhaſius *li.13.continent. tr.2.c.1.* 427
143 Vrinæ incontinentia ex luxatione externa vertebrarum,ſuborta. Galenus *lib. 6. de loc. affectis cap.* 4. ibid.
144 Vrinæ difficultas ex ſiccitate glandularum veſicæ adiacentium natæ humectantibus internis, & externis perſanata. Galenus 14. *de vſu part. cap.* 11. 428
145 Vrinæ ſuppreſſio ex grumo, eo extracto æger vrinam mixit. Galenus *lib. 6. de loc. affect. cap.* 4. 431
146 Ex torpido veſicæ ſenſu,vrinæ ſuppreſſio contingit, Galenus *lib.7.de loc.affect.c.4.* 432
147 Vrinæ, & alui excrementa quibuſdam inuitè fluebant. Galenus *lib.4.de loc.affect.c.5.* 433
148 Ex concreto pure,aut lapide, vrina ſupprimitur.Galenus *lib.6.de loc.affect.c.4.* ibid.
149 Vrinæ retentionis, ex perinæi inflammatione ſubortæ curatio. Galenus *lib.1. de loc. affect. cap.1.* 434
150 Vrinæ ſuppreſſio ex veſicæ inflammatione ortum ducens, curata inflammatione ceſſauit.Galen. *li.6. de loc. affect.c.4.* ibid.
151 Vrinæ ſuppreſſio ex lapide in virgæ extremitate impacto glandis inciſione curatur. Galenus *in li. de ven.dignos,& medib.c.3.*Aëtius. *tetrab.3. ſerm. cap.4.* 436

HISTORIÆ LIBRI III.

De vteri, genitalium, & inferiorum partium affectibus.

PRÆFATIO. 439
HIST. PRIMA. FOEmina extenuatiſſima, diuturna menſtrui ſuppreſſione laborans, copioſiſſima ſanguinis miſſione curata.Galenus *li.6.epid.ſect.3.com.29.* 440
2 Fœmina retentione menſtrui laborans,neglecta phlebotomia,ob Eraſiſtratæorum incuriam, difficultate ſpirandi oborta, interiit. Galenus *li.de ven. ſect. aduerſ.Eraſiſtrateos, cap.1.* 445
3 Fœmina ex retento menſtruo febricitans,ſpreta phlebotomia, hemorrhagia ſanatur.Gal. *li. de ven. ſect. aduerſ.Eraſiſtrateos c.1.* 447
4 Fœminæ aqua frigidiſſima ex niue hauſtâ, menſtrui retentione laborantes, vena ſecta tutò curantur, Gal.*lib.de ven.ſect.aduerſ.Eraſiſtr.c.3. in med.* 449
5 Fœmina, menſtruis violenter adſtringentium vi retentis, in grauiſſima damnâ & mortem incurrit. Actuarius *lib.de praeuidentiis vrinarum.c.12.* 454
6 Vterus extra prolapſus, putrefactus, & citra periculum totus ferè abſciſſus. Rhaſius *li. de mirabilibus curis.*
7 Mulier ſine vtero diu viuere poteſt. Auenzoar. *lib.2. Theizir.tract.5.c.4.* Paul.*li.6.cap.88.*& *lib.3.cap.72.* Aëtius *tetrab.ſerm.4.c.76.* 465
8 Caro in orificio vteri quandoque adnaſcitur,vt virile pudendum mentiatur. Albucaſis *li.2.c.71.* 466
9 Vteri ſtrangulatio & alia ſymptomata ſæuiſſima in fœminis & viris, ex Veneris abſtinentia ſequuntur,Galenus *li.6.de loc.affect.c.5. in med.*& *lib. 2. de ſerm. c.1.* 468
10 Ad corroſionem matrici mors ſubſequuta, Auenzoar *lib.2.Theizir.tract.5.c.3.* 478
11 A deſperato vteri profluuio, mulier Galeni opera liberatur. Galenus *lib.de pracognit.ad Poſthumum,c.7.* 479
12 Fœmina intenta imaginatione formoſum puerum depictum intuita in concubitu non patri,ſed picto ſimilem peperit.Gal.*l.de theriac.ad Piſon. c.14.* 486
13 Fœmina vtero gerens,ſanguine miſſo ex vena non ſemper abortit. Gal.*li.3.epid.ſect.2. com.8.* 488
14 Grauida per errorem cathartico expurgata citra fœtus, vel matris incommodum feliciter peperit. Auenzoar *li.2. Theizir.tract.3.c.1.* 499
15 Mola ſanguinea prouocantibus menſtrua expellitur. Aëtius *tetrab.4.ſerm.4.c.80.* 507
16 Sterilitas præ calore eueniens, frigidorum vſu perſanatur. Auenzoar. *lib.1.Theizir.tr.3.c.1.* 508
17 Fœtus mortuus, & putridus aliquandiu geſtatus, & putreſcente vtero, circa vmbilicum tumorem excitans,ex quo ſponte, vel arte ſuppurato putridus fœtus cum oſſibus eſt exemptus,& conſolidato vlcere,mulier abſque ſterilitatis noxa conualuit. Albucaſis *lib.2.c.76.* 512
18 In coitu non ſemen, ſed ventris crepitus aliquando excernitur. Aëtius *tetrab.3. ferm.3.c. vlt.* 515
19 In coitu ſemine deſtituti ob gonorrhæam in ſomno, Aëtius *tetrab.3. ſerm.3.c.vlt.* 518
20 Coitus aſſiduus, camphoræ vſu minuitur. Rhaſius *li.24. continent.tract.3.c.1.* 521
21 Colis palpitatio carminantibus auxiliis curata.Galen. *lib.6.de loc. affect. c. vlt.* 525
22 Priapiſmo laborantes,vena ſecta, & frigidis impoſitis lumbis,perſanantur.Gal.*li.6.de loc. affect. c.vltim.* & *lib.14.meth. c.7.* 526
23 Ex priapiſmo ſenex quidam, veretrum, cornu inſtar, intenſum aliquot menſibus ſuſtinuit, nihil proficientibus medicamentis. Cælius Aurelianus *lib. 3. acut.*

acut.paſſion. cap. 18.

24 Gonorrhæa nocturna Balneo perſanata. Raſius *lib.*24. *continent. tract.*3. *cap.*1. Galenus, *lib.* 6. *de ſanit. tuend. cap.*15. 530

25 Fœmina herpete in malleolo laborans topicis auxiliis exacerbata,purgatione tandem adhibita conualeſcit. Galenus *lib.*14. *meth.cap.*17.

26 Teſticulorum inflammatio vomitu curata. Rhaſius *lib.*24. *continent. tract.*3.*cap.*1. 536

27 Sphincteris reſolutio curatur, ob quam alui excrementa inuite fluebant.Aëtius *tetrab.*2.*ſerm.*1. *c.*36. 544

28 Iſchiadicus dolor tempeſtiuo enematum acrium vſu, & ſinapiſmo excitato,perſanatur. Rhaſis *lib.de mirabilib. curis.* 548

29 Vſtio Iſchiadicis ſalutaris. Aëtius *tetrab.*3. *ſerm.*4.*c.*3. 560

30 Anchæ dolor,clyſteri ex muria parato,curatur.Rhaſis *in lib.de mirabilib. curis.* 562

31 Coxendicis dolor,colocynthidis vſu curatur. Rhaſius *lib.de mirabilib. curis.* 564

32 Coxendicis dolor à ſanguine ortus, vena ſecta,curatur.Galenus *lib.de curand.rat.per ſang.miſ. cap.*18.*in fin.*Rhaſius 26.*continent. tract.*1.*cap.*2. 569

33 Genu tumor antiquus,emplaſtro ex ſtercore caprino parato curatur. Aëtius. *tetrab.* 1. *ſerm.* 2. *cap.* 94. 570

34 Genuum dolor antiquus, acuto enemate, & prouocantibus vrinam perſanatur. Rhaſis *lib.* 24. *contin. tract.*1.*cap.*2. 572

35 Genu rigor, ex frigore natus, cauſtico medicamento curatur. Galenus *lib.*3 *de compoſ. medicam. ſec. gener.c.*3. *poſt princip.* 576

36 Dolore articulorum laborantes quidam, oſſium humanorum puluere aſſumpto curantur. Gal. *lib.*11. *ſimpl. tit.de oſſibus.* 578

37 Articulorum tophi, caſeo acri in cruris ſuilli ſalſi decocto macerato,diſcuſſi. Galenus. *lib.*10. *ſimpl. c.*9. *de Caſeo.*

38 Antidotum, ad curandum, & præſeruandum à tophis præſtantiſſimum. Trallian. *lib.*11.*cap.*1. 582

39 Quidam gracili corpore præditus, calidiſſimis medicamentis ab Empiricis ſiccatus,& in vehementiſſimos dolores, & tophos incidens, Galeni induſtria liberatur. Galenus *lib.*6.*de ſanit.tuend.c.*11. 583

40 Podagricus mediocriter incedens, Medici imperitia, medicamento applicito, in totum ſine motu remanſit. Galen. *lib.*1.*ſimpl.*27. 584

41 Arthriticus, hermodactylorum ope, curatur, Paulus *lib.*7.*cap.*78.*rubric.*2. ibid.

42 Femoris tumor durus, ex eryſipelate malè curato obortus, emollientibus, & reſoluentibus, curatus Gal. *lib.*2. *ad cap.*4. 585

43 Pedum œdema, ſalis fomento, curatum. Trallianus *lib.*11. *cap.*1. 587

44 Podagricus, frigido balneo leuatus. Aëtius *tetrab.*3. *ſerm.*4.*c.*28.*tit. de his qui ob bilis influxum laborant.* 589

45 Podagricus, opiatis applicitis curatur. Aëtius *tetrab. ſerm.*4.*cap.*28.*eodem titulo.* ibid.

46 Aſininum lac ad Arthritidis præſeruationem vtiliſſimum.Celſus *lib.*4.*cap.*24. 590

47 Quidam abſtinentia vini & veneris, in perpetuum à cruciatu arthritico præſeruati.Celſus *loc. nuper citato.*

48 Podagrici, annuis vacuationibus, & attenuante victu præſeruati,Rhaſius *lib.*26. *continent. tract.*1. *cap.*2. Galenus *lib.de curand. rat. per ſang. miſ. cap.* 7.& *lib.*6. *aph.*47.& *lib. de attenuanti. vict. rat. cap.* 1. 592

HISTORIÆ LIBRI IV.

De febrium eſſentia, differentiis, cauſis, ſignis prognoſt. & curatione.

PROOEMIVM. 597

HIST. PRIMA. Diaria febris ex ebrietate orta, aquæ frigidæ potu ſanata.Corn.Celſus *in præfat. ad libros ſuos de re medica circa finem.* 598

2 Diariæ ex meatuum conſtipatione curatio,& hiſtoria illuſtris,contra Diatritarios,Galenus *lib.*8.*meth.c.*2. *in med.*& *lib.de cauſis procatarcticis c.*1. 601

3 Premigenes Mitylæneus à balneo abſtinens, febricitabat.Gal.*lib.*5.*de ſanit.tuend.cap.*11.*in med.* 605

4 In calidis naturis exercitij intermiſſio,febrem accendit. Gal.*lib.*5.*de ſanit.tuend. cap.*11. 610

5 Diariæ febris, ex motu,& exercitio ſubortæ; balnei ope curatio.Gal.*lib.de cauſ. procatarct. c.*1.*poſt. init.* 615

6 Caſus febrietis ex copioſa cœna.Gal.*l.*8. *meth.c.*6. 618

7 Galenus ex laſſitudine in diariam febrim incurrit. Gal.*lib.*5. *de ſanit. tuend. cap.*1. 624

8 Synochus imputris, ſola ſanguinis miſſione vſque ad animi deliquiũ perſanatur.Gal.*lib.*1.*meth.cap.*4. 627

9 Synochus putris venæ ſectione vſque ad animi deliquium curatur. Gal. *lib.*9.*meth.cap.*4. 635

10 Cauſus in corpore calido ſicco aſſumpto cibo in acceſſione,contra Diatritariorum errorem,à Galeno curatur. Gal.*lib.*10.*meth.cap.*3. & *lib.de cauſ. procatarct.cap.*1.*in initio.* 659

11 Febris ardens,gelidæ potu ſanatur.Gal.*lib.*10. *meth.c.*5. Rhaſius *lib.*3. *continent.tract.*1.*c.*2. 663

12 Febris ardens,purgatione ſanata,Trall.*lib.*12.*c.*3. 667

13 Galenus, acutam, putridamque febrem ex fugacium fructuum vſu expertus,vena ſecta curatur. Gal. *lib. de ſuccor.bonit.& vitio,c.*2.*in fin.*& *lib. de tremor. rigor.& palpit. cap.*7.*in fin.* 670

14 Valida febris,materia noxia ad artus tranſmiſſa, ſanatur. Auerrhoës *lib.*7.*collig.cap.*31. 672

15 Febris ardens vigente bruma,citra coctionẽ,& viribus infirmis,lethalis.Aëtius *tetrab.*2.*ſerm.*1.*c.*78. 674

16 Cauſo correptus,expulſo humore ad partes extremas, ſanatur, facta tamen deinceps phlebotomia intẽpeſtiua,emoritur.Rhaſius *in lib de mirabil. curat.* 684

17 Febris ardens ex humore turgenti originem ducens phlebotomiæ ope curatur.Rhaſius *in lib.de mirabil. curis.* ibid.

18 Puer mero epoto acutè febricitans,ſuborto delirio,& vigiliis interiit.Gal.*lib.*2.*de loc. affect. c. vlt.* 687

19 Quidam ob copioſum vini potũ, alij ob ſalſorũ eſum, æſtum,exercitium,iram,vigilias,in cauſũ inciderunt Gal.*lib.*4.*de ratione victus in morbis acutis com.*4. 691

20 Quibus artibus Cyrillum Boëthi filium, clam cibum ſumere deprehenderit Galenus in febre,Gal. *lib.de præcognit.ad Poſth.c.*7. ibid.

21 Recidiuæ febris præcognitio,& illius per ſudorẽ diſceſſus,hiſtoria,Gal.*lib.de præcog.ad Poſth.c.*10. 692

22 Rigor ſine febri à craſſis eduliis ſubortus, medicamentorum calefacientium ope ſublatus.Gal. *lib.de tremore palpit.conuulſ.* & *rigore, c.*7. 693

23 Febris exacerbatio,balneis naturalibus curata. Oribaſ. *l.*10.*collectaneor.c.*5 .*de aquis ſponte naſcentibus.* 699

24 Febris ardentis acceſſio ſucco peponum curata. Trallianus. *lib.*12.*cap.*6. 701

25 Annua tertiaria ſola præcautoria purgatione, ſanata, Gal. *lib.*1. *aphor.*47. ibid.

26 Exemplum illuſtre ſerui exquiſita tertiana laborantis, frigido & humido victu contra aliorum opinionem perſanati, Trallianus *lib.*12.*c.*6. 704

27 Febris tertianæ memorabile exemplum.Gal. *lib.*1. *ad Glaucon. cap.*8. 707

28 Hiſto

28 Hiſtoria adoleſcentis triplici tertiana laborantis. Galenus *lib.2. de criſibus, cap.9.* 712

29 Exquiſitæ ſemitertianæ hiſtoria celebris. Galen. *lib.2. de criſib. cap.9.* 714

30 Semitertiana maligna, & diuturna, ptiſſana, & aliis commodis auxiliis ſanata. Rhaſis *in lib. de mirabilib. curis, quas ipſe expertus eſt.* 717

31 A quotidiana, calidæ & ſiccæ temperaturæ ſunt immunes. Galenus *lib.1. ad Glauc. cap.7.* 718

32 Quartana, purgatione curata. Trallianus *lib.12. cap.8. tit. de vomitu.* 722

33 Quartanam theriaca ſanat. Galenus *lib. de Theriaca ad Piſonem.* 724

34 Admirandum Galeni circa duplicem quartanam præſagium. Galen. *lib.2. de praecognit. ad Poſthum. cap.2.* 728

35 Quo pacto Galenus, Eudemi curatione ſuſcepta, prædixerit quo die è tribus quartanis liberaretur. Galen. *lib. de praecognit. ad Poſthum. cap.4.* & *lib.1. ad Glauc. cap.11.* 729

36 Quartana ex liene ſuborta, ferè lethalis. Galenus *lib. epid. ſect.3. com.4.* 731

37 Quintana febris ſæpe animaduerſa. Auicenna 1.4. *tract.2. cap.68.* 732

38 Febris lypiria gelidæ potu ſanata. Aëtius *tetrab.* 2. *ſerm.1. c.89. de lypiria, hoc eſt, de ignis ſacri circa viſcera affectione.* ibid.

39 Quidam febri ſyncopali laborans, nimia frictione, & tenuiſſima victus ratione vſus, reſolutus interiit. Trallianus *lib.12. cap.3. titulo de iis, qui ſyncope periclitantur.* 734

40 Ex inflammationibus internis diuturnis, febris hectica generatur. Galenus *lib.1. de diff. febr. cap.9. in fine.* 736

41 Hectica febris ex balneis naturalibus intempeſtiuè applicitis, concitata. Galenus *lib.1. ad Glauc. cap.9.* 738

42 Extenuatio tabifica ex intempeſtiuo theriacæ vſu adaucta, mortem inducens. Galenus *lib.1. de theriaca ad Piſonem, cap.17.* 740

43 Hecticæ febris cum putrida complicatio poſſibilis. Galenus *lib.10. meth. cap.5. in med.* & *lib.1. feb. cap.10.* 741

44 Quidam maraſmo laborans, lacte, balneo, & aliis humectantibus auxiliis, Galeni ope reſtitutus. Galen. *lib.7. meth. cap.6.* 743

45 Hectica ſenectutis iuuenis laborans, medicinæ auxilio, vitam in longum tempus produxit, Galen. *lib. 10. meth. cap.10. prope finem.* 748

46 Peſtis horribilis. Galenus *lib. 3. de vſu part. cap. 3.* 753

47 Galenus peſte ſæua affectus, cæterique omnes illius exemplo, cruribus ſcarificatis, ab ipſa euaſerunt. Galenus *lib. de cucurbitul. & ſcarification. & c. cap.20.* 756

48 Iuuenis phlegmone peſtifero correptus, phlebotomiæ, purgationis, & antidotorum ope liberatur. Auenzoar *lib.3. Theizir, tract.3. cap.1.* 759

49 Theriacæ ad peſtis tum præſeruationem, tum curationem vis mirabilis. Galen. *lib. de theriac. ad Piſonem cap.16.* 763

50 Armeniacæ terræ ad peſtem vis mirabilis. Galen. *lib.9. ſimpl. tit. de terra Samia.* 775

51 Febris maligna, ſignis maleficentiſſimis comitata, ſexto die interficiens. Actuarius *lib.1. de praeuidentiis vrinarum, cap.14.* 778

52 Auenzoar correptus variolis, aſſumpto melle, & exacerbato morbo, naturæ tamen beneficio à morte euaſit. Auenzoar *lib.2. Theizir, tract.7. cap.3.* 780

53 Variolis correpti licet in initio videantur melius habere, in declinatione tamen ſæpiſſimè pereunt. Rhaſius *lib.30. cont. tract.13. cap.1.* 780

54 Variolarum ſymptomatibus oppreſſus quidam in declinatione leui aſſumpta purgatione curatur. Rhaſius *lib. de mirabilib. curis prope finem.* 786

HISTORIÆ LIBRI V.

De venenis, morbis venenoſis, & antidotis.

PROOEMIVM. pag.787

HIST. PRIMA. Vipera ictus, ſi partem commorſam abſciderit aut ligauerit, ſanus euadet. Galenus *lib.5. de loc. affect. cap.8.* 788

2 Stercus caprinum ad viperæ morſum, auxilium celeberrimum. Aëtius *tetrab.1. ſerm.2. c.94. de ſtercore caprino.* 792

3 Serpentum quorundam pernicioſiſſimum venenum. Galenus *lib. de theriaca ad Piſon. c.5.* 796

4 Ab ſcorpione ictus, frigidum exudans, debitis auxiliis difficulter tamen curatur, Galenus *lib.3. de loc. affect. cap.7.* 800

5 Qui tetigerit Baſiliſcum emoritur. Auicenna 6.4. *tract.3. cap. 22. de morſu Baſiliſci.* 804

6 Puer ab aſpide ictus, aceto ſuperbibito liberatur. Cornelius Celſus *lib.3. cap. de Aſpidis ictu.* 807

7 Aſpidum venenum celeriter interficit, quod illuſtri Cleopatræ Reginæ exemplo comprobatur. Galenus *lib. de theriac. ad Piſon. c.8.* 810

8 Ictus ſcorpenæ marinæ virulentus, eiúſque curatio. Alzaharauius *tract.30. ſect.2. cap.21.* 823

9 Cantharidum noxia vis, ex quarum aſſumptione, plures emortui. Galenus *lib.4. de rat. vict. in morb. acut. com.122.* 835

10 Ictus ab apibus, cinere ſuperpoſito curatus. Alzaharauius *lib.29. pract. ſect.2. cap.29.* 836

11 Ex Coturnicum eſu, conuulſio frequenter generatur. Galenus *lib.6. epid. ſect.5. com.35.* 838

12 Sartricis clamydem ſciſſam rabidis morſibus lambentis, & rabidæ factæ, ſtupendum, & memorabile exemplum. Cælius Aurel. *l.3. de acut. morb. c.9.* 840

13 Aquæ timor, inſeparabile eſt rabioſorum ſymptoma. Rhaſis *lib.20. continent. cap.2.* 842

14 In vrina rabientium, corpuſcula catulis ſimilia conſpiciuntur. Alzaharauius *tract. 30. pract. ſect. 2. cap.30.* 844

15 Philoſophus rabiens, generoſè citra timorem bibens, ſeruatus eſt. Aëtius *tetrab.2. ſerm.2. cap.24.* ibid.

16 Ex hydrophobia, alij moriuntur, alij euadunt. Galenus *lib.1. prorrhetic. ſect.2. com.17.* & *lib. de ſectis ad eos qui introducuntur, cap.15.* 845

17 Præter canem alia animalia in rabiem aguntur. Auenzoar. *lib.9. Theizir, tract.9. cap.16.* 846

18 Auxilium ad rabiem præſtantiſſimum, cuius vſu nemo mortuus eſt. Aëtius *tetrab.2. ſerm. 2. c. 24.* Galenus *lib. 11. de ſimplic. medicament. facult. tit. de cancris vſtis.* 847

19 Theriaca tam foris vlceribus illita quàm intus aſſumpta, rabioſos valentiſſimè curat. Galenus *lib. de theriac. ad Piſon. cap.19.* 848

20 Humor aliquando in corpore progignitur, veneno rabientium canum ſimillimus. Galenus *lib.1. prorrhet. ſect.2. com.17.* ibid.

21 Mellis venenati eſu quidam emortui. Galenus *lib. 10. de ſimpl. medicament. facult. rubrica 1. aduerſus Xenocratem.* 864

22 Lolij malefica vis. Galenus *lib.1. de aliment. facultatib. cap. vlt.* 871

23 Syncops, & alia grauiſſima ſymptomata ex eſu fungorum ſuborta, eorúmque curatio, Aëtius *tetrab.1. ſerm.2. cap.98.* 772

24 Venena nutrire queunt, quod anus Athenienſis, & puellæ nutritæ veneno hiſtoriis comprobatur. Galenus *lib.3. de ſimpl. medicament. facult. cap.18.* Auicenna 6.4. *tract.1. cap.2.* 873

25 Dacorum, & Dalmatarum elleboro tela venenantium ſagacitas. Galenus *lib. de theriac. ad Piſon. cap.10* 874

26 Mithridates Rex aſſuetus aſſumere Antidotum Mithridaticam, à veneno vel violentiſſimo interfici non potuit, quo hauſto plures interiere. Galenus. *lib. de theriac. ad Piſon. cap. 16. in fin.* ibid.

27 Aduerſus venenum lacertæ, theriaca eſt admirabile auxilium. Auenzoar *lib. 2. Theizir, tract. 7. cap. 10.* 875

28 Opium extra appoſitum interficit. Auicenna 16. 3. *tract. 1. cap. 4.* 898

29 Morbus Regius ex viperæ morſu, aut alio veneno contractus, Belzaartis medicamentis curatus. Galenus *lib. 5. de loc. affect. cap. 7.* Auenzoar *lib. 1. Theizir, tract. 13. cap. 16.* ibid.

30 Dyſenteria venenoſa, ſmaragdo ſupra ventrem impoſita, curatur. Auenzoar *lib. 1. Theizir, tract. 2. cap. 5.* 901

31 Plurima experientia ad theriacæ compoſitionem eſt neceſſaria, quod egregio exemplo comprobatur. Galenus *lib. 1. de antidot. cap. 7. & 8.* 902

32 Saliua humana aduerſus mortiferos animalium ictus, præſentaneum eſt auxilium. Galenus *lib. 10. ſimpl. cap. 16. de ſaliua.* ibid.

VLT. Venenum à Medico nullo modo propinandum, vel indicandum, quod illuſtri exemplo comprobatur. Auenzoar *lib. 1. Theizir. tract. 2. cap. 5.* Galenus *lib. de cauſ. procatarctic. cap. vlt. in med.* 903

HISTORIÆ LIBRI VI.

HIST. PRIMA. Ab elephantiaſi, quidam fortuitò, alij ob viperarum, & remediorum vim, arte curati. Galenus *lib. 11. ſimpl. cap. 1.* & *lib. 6. aph. com. 47.* 907

2 Ab elephantiaſi, muſto viperino largiſſimè ſumpto quidam mirabiliter conualuit. Aretæus *lib. 2. de ſignis & cauſis diuturn. morb. cap. vlt.* 912

3 Morbus nouus, caro ex naturalibus partibus prolapſa. Cornelius Celſus *in præfat. poſt med.* 919

4 Sceleri doctrina, Medico eſt valde neceſſaria. Galenus *lib. 1. de anatomicis adminiſtrationib. cap. 2.* 921

5 Flatus furioſi hiſtoria mira. Albucaſis *lib. 2. cap. 93.* 946

6 Ex nimio tritici cocti eſu ſæua ſymptomata ſequuntur. Galenus *lib 1. de alim. facult. cap. 7.* 947

7 Corporis obeſitas, victu extenuante, frictione, exercitio, & aliis auxiliis perſanatur. Galenus 14. *meth. cap. 15.* & *lib. 6. de ſanit. tuend. cap. 8.* Rhaſius *lib. 14. contin. tract. 3. cap. 2. de cura ingroſſationis.* 948

8 Mannæ, ſeu mellis aërei hiſtoria elegans. Galenus *lib. 3. de aliment. facult. cap. 39.* 949

9 Vita in æternum propagari non poteſt. Galenus *lib. de Marcore, cap. 2.* 952

10 Hominis irati correctio. Galenus *lib. de dignoſcendis curandiſque animi morbis, cap. 4.* 953

11 Medicamenti clam aſſumpti præcognitio. Galenus *lib. 1. de præſagiis ex pulſibus cap. 1. in fin.* ibid.

12 Extremè refrigeratus, vini potu ſanatus. Galenus *lib. 3. de ſimpl. medicament. facult. cap. 20.* 954

13 Vinum ſeni cuidam ægrotanti in gratiam exhibitum. Galenus *lib. 3. de rat. vict. in morbis acutis cap. 20.* 955

14 Caro ſuilla humanæ carni ſimillima. Galenus *lib. 10. de ſimpl. medicam. facult. cit. de ſanguine ſuillo.* 957

15 Lutum Ægyptiacum plurimis morbis vtiliſſimum. Aëtius *tetrab. 1. ſerm. 2. cap. 3.* ibid.

16 Mel quibuſdam noxium, aliis ſalutare alimentum. Galenus *lib. 1. de alimentor. facult. cap. 1. poſt med.* 958

17 Quidam lac perpetuò eſitans longæuam vitam produxit, alius hunc imitatus perpetuò grauabatur. Galenus *lib. 5. de ſanit. tuend. cap. 7.* 961

18 Quidam morbo calido correptus, frigidæ inaſſuetus compellentibus Medicis, epota ipſa interiit. Galenus *lib. de conſuetudine cap. 1. in med.* 963

19 Septimus dies omnium criticorum maximus. Galenus *lib. 2. de dieb. decretor. cap. 7.* 967

INDEX

INDEX QVÆSTIONVM LIBRI PRIMI.

QVÆST. PRIMA. QVòd pilularum vſus à Græcis, & non ab Arabibus ſit inuentus. Contra Mercurialem doctiſſimum. pag. 3

2 Quòd in morborum curatione, remediorum immutatio ſit ex vſu. 4

3 Quòd hirudines non ſolùm ſanguinem cutaneum trahant, ſed ex profundis corporis partibus peccantem humorem educant, vt voluit Auic. Contra Menam, Mercurialem, Augen. & communem Medicorum ſententiam. 5

4 Quòd antiqui venis hæmorrhoïdalibus hirudines impoſuerint. Contra communem Medic. ſententiam. 7

5 Quòd vini odor, nec cerebro, nec neruis nocere poſſit, vt voluit Horatius Flaccus. 9

6 Quòd aqua pluuialis ad conſeruandam ſanitatem cæteroſque medicamentoſos vſus ſit puriſſima fontana præſtantior. Contra communem Medicorum ſententiam. 12

7 Quòd ad ſyncopen vſque ſanguis ſit aliquando emittendus, vt voluit Auic. Contra Ludouicum Lemoſium doctiſſimum. 15

8 Quòd odor nutriat. Contra Ariſtotelem. 17

9 Quòd ſpiritus vera nutritione, aëre, aut odoribus nutriantur, vt cum Gal. voluit Auic. Contra Gentilem Medicum acutiſſimum. 18

10 Quòd odor ſpiritus ſolùm, & non ſolida membra nutrire poſſit. Contra Manard. & Ioannem Brauum Petraſit. doctiſſimos. ibid.

11 Quòd in omni phrenitide vena ſit ſecanda. Contra Gentilem, Harculanum, & Euſtachium Medicos doctiſſimos. 22

12 Quòd præter humoris copiam mala qualitas epilepſiæ cauſa non ſit ſtatuenda. Contra Fernel. & alios Medicos doctiſſimos. 30

13 Quòd ſmaragdus optimum ſit contra epilepſiam, venenoſóſque morbos auxilium. Contra Mundellam, & Ioannem Gallego de la Serna Medicos præſtantiſſimos. 38

14 Quòd ſanguis humanus ad curandos morbos ſit ex vſu. Contra Ioannem Rodericum eruditiſſimum. 41

15 Quòd Hip. Galenique ſententia eadem ſit cùm Auic. opinione quòd medicamenta purgantia ſimilitudine ſubſtantiæ humores attrahant. Contra communem Medicorum ſententiam. 42

16 Quòd theriaca epilepſia correptos iuuet, & ſanos ab ea præſeruare poſſit. Contra Paſchalium. 47

17 Quòd recens theriaca ſtupefaciat. Contra Gentilem acutiſſimum. 48

18 Quòd ſuilla caro calida ſit & humida. Contra Iſhac, & Petrum Hiſpanum eius fidiſſimum interpretem. 54

19 Quòd ſaxatiles piſces ægrotantibus concedi poſsint. Contra Rouſſeum, & Conciliatorem doctiſsimos. 55

20 Quòd quintana febris non ſit peſsima omnium. Contra Vegam, & Brauum Petraſit. Medicos eximios. 57

21 Quòd in grauidis è talo ſit ſanguis aliquando emittendus. Contra communem Medicorum ſententiam. 59

22 Quòd primus omnium Hipp. ſanguinis miſſionem in grauidis exercuerit. Contra communem malè hactenus de eo conceptam Medicorum opinionem. 61

23 Quòd febris pro morborum curatione ſit aliquando excitanda. Contra Fuchſ. Mercat. & Ambroſium Nunnium Medicos præſtantiſſimos. 66

24 Quòd aurum cardiacum ſit. Contra Manard. & pro leuanda melancholia inter alimenta ſit decoquendum. Contra Muſam, Picum Mirandul. Cardan. Plater. & Brauu. Petraſit. eruditiſsimos. 68

25 Quòd lapis Belzaar calidus ſit, & humidus: & aduerſus melancholiam, putridas, venenatáſque febres ſit tutiſsimum alexipharmacum, vt voluere Arabes. Contra Lupeum, Augenium, & Saxoniam Medicos probatiſsimos. 71

26 Quòd in affuſione gelidæ protetani curatione Hip. & Paul. ſint concordes. Contra Cardanum, Coſtæum, & Lupeum Medicos doctiſsimos. 88

27 Quòd ſaluatellæ ſectio in affectibus oculorum, iecoris & lienis ſit exercenda. Contra Menam, Siluaticum, Augenium, & Columbum. Et quare tantopere proſit. Contra Valleſium, & Veigam Medicos inſignes. 96

28 Quòd vitellus oui ad caliditatem declinet. Contra Mathiol. Acakiam, & Amatum Medicos probatiſſimos. 99

29 Quòd opium incorrectum poſsit aliquando in potum exhiberi. Contra communem Medicorum ſententiam. 101

30 Quòd ſanguinis miſsio ex Auic. mente cholericorum ebullitionem facere poſsit. Contra Fernel. Iacchin. & alios doctiſsimos Medicos. 108

31 Quòd purgatio ex Gal. mente in febribus ſit celebranda. Contra Thomam à Veiga Medicum inſignem. 109

32 Quòd expurgantia in phrenitidis medela ſint ex vſu. Contra Gentilem, & Matthæum Peritum Medicos eximios. 111

33 Quòd ſanguinis è naribus fluxus morbos indicare poſſit: & quare hic rubidus ſemper appareat. Contra Fernel. Medicum inſignem. 114

34 Quòd ad criſim per ſanguinis fluxum neceſſaria ſit concoctio. 115

35 Quòd morbus Gallicus vetuſtiſsimum ſit morbi genus. Contra Manardum, Peredam, & communem ferè Medicorum ſententiam. 125

36 Quòd morbus Gallicus ab immodico Veneris vſu oriri poſsit. Contra communem Medicorum ſententiam. 126

37 Quòd ante ſudorifica auxilia calor natiuus ſit attemperandus. 127

38 Quòd bubo Gallicus non ſolùm in inguinibus, ſed retrò aures, aut ſub alis apparere poſsit. Contra communem Medicorum ſententiam. 128

39 Quòd in initio bubonis Gallici, non ſolùm è talo contra Fallopium, & Dacam, ſed è brachio ſit emittendus ſanguis. Contra communem Medicorum

corum

corum ſententiam. ibid.
40 Quòd vnguenta Mercurialia pro morbi Gallici curatione ſint admittenda. Contra Fernel. Montan. Paracelſ. Ferrer. Brachel. Langium,& alios doctiſſimos. 129
41 Quòd Hydrargirium in potum ſit aſſumendum, contra Mundellam,& Lacunam,Medicos doctiſſimos. 130
42 Quòd vnguenta Mercurialia recenter confecta ſint applicanda. Contra communem Medicorum ſententiam. 131
43 Quòd morbus Gallicus ſit contagioſus, ad diſtans. Contra Mercurialem, & communem Medicorum ſententiam. ibid.
44 Quòd in initio anginæ valida expurgantia ſint ex vſu. Contra Holler. Mercurial. & Maſſariam Medicos præſtantiſſimos. 133
45 Quòd in ſuppreſſis menſtruis ſemper è talo ſit hauriendus ſanguis. Contra Sanctorum, Riolanum, Bottonum,Montuum,Vaëzium, Altimarum, Mercat.& alios Medicos præſtantiſſimos. 135
45 Quòd in ſæua angina, aliiſque inflammationibus internis, è ſuppreſſis menſibus ortis, è cubito aliquando ſit ſanguis emittendus. 137
47 Quòd ſecundùm Galeni doctrinam in pueris ante 14. annum ſanguinis miſſio ſit celebranda. Contra communem Medicorum ſententiam. 141
48 Quòd Galenus veram malignitatem à iunioribus depictam cognouerit. Contra ipſorum communem opinionem. 146
49 Quòd ſtrumæ ſint contagioſæ. 148
50 Quòd putredo ſit de eſſentia contagij. Contra Valleriolam doctiſſimum. 150
51 Quòd detur diaria febris putrida,peſtilens, ac contagioſa. Contra Conciliatorem, Peredam, & Brau. Petrafitan. Medicos doctiſſimos. 151
52 Quòd in peſte, pulſus, & vrina videantur eſſe ſecundùm naturam cum ægri morte, & quæ ſit huius euentus cauſa. Contra Auic. interpretes, Gentil. Nicol. Amat. Mercurial. Altimarum, & alios Medicos præſtantiſſimos. 153
53 Quòd verba non naturali vi, ſed ſummi Omnipotentis potentia, aut accita Dæmonumque ope, ſtrumas,aut alios morbos ſanare poſſint. 156

INDEX QVÆSTIONVM *Libri II.*

QVÆST. PRIMA. Quòd febris non à calore ſolùm præter naturam, ſed aliquando ab vnione caloris innati, ſecundùm Galeni doctrinam oriatur. Contra communem Medicorum ſententiam. pagin. 161
2 Quòd Hippocrates, & Galenus, cæteríque Græci,variolas, & morbillos agnouerint. Contra Gomezium Pererium, Valleriolam, Fonſecam, & alios Medicos doctiſſimos. 165
3 Quòd Græci,priſcique Medici,puncticularem febrim venenatam agnouerint. Contra Toreum, Colle, Peredam,Carmonam, Septalium, Zeroaſtrum Tinellum,Mercurialem,& alios Medicos probatiſſimos. 166
4 Quòd Arabum dogma de exanthematum cauſa,vt verum ſit admittendum. Contra Fernelium, Hollerium, Ioubertum, Mercurialem,& alios Medicos præſtantiſſimos. 167
5 Quòd oſſa, non ſanguine melancholico, ſed immediatè nutriantur medulla.Contra Iacobum de Partibus, Spigelium, & Petrum Hiſpanum Ishaac fidiſſimum interpretem. 170
6 Quòd in imponendo medicamento cauſtico in ſyncipite pro curanda diſtilllatione, Galenus, Trallianus,& Aëtius ſint concordes. Contra communem Medicorum ſententiam. 177
7 Quòd balneum cruentæ ſpuitioni ſit ex vſu. Contra Fabium Pacium eruditiſſimum. 179
8 Quòd in vulneribus thoracis primo ſtatim die ſit ſanguis emittendus. Contra Alphonſum Ferreum, & Hidalgum Hiſpanum, Chirurgos famigeratiſſimos. 180
9 Quòd detur medicamentum electiuè ſanguinem euacuans. Contra Ioannem Baptiſtam Syluaticum, Medicum eruditiſſimum. 184
10 Quòd in temperata conſtitutione, maior copia bilis generetur,quàm melancholiæ. Contra Gentilem, Fernelium,Brauum,Riolanum, Poncium, Medicos eximios. 186
11 Quòd Galenus in explicandis differentiis, cauſis & eſſentia collecticæ inæqualitatis cæteros antecellat. 188
12 Quòd contraria contrariis curentur. Contra Valleſium acutiſſimum. 197
13 Quòd putredo ſit immediata cauſa fœtoris. 202
14 Quòd pleuritis aſcendens ſit deterior deſcendente. Contra Vaſcum Caſtellum Luſitanum, Medicum doctiſſimum. 204
15 Quòd febris pleuritidis exquiſitæ aliquando ſit diaria, interdum nulla. Contra communem Medicorum ſententiam. 205
16 Quòd ex ſanguine corrupto ſumatur indicatio ad ſanguinem mittendum.Contra Fernelium, & Augenium. 207
17 Quòd in pleuritide à parte affecta ſit emittendus ſanguis. Contra plurium Iuniorum decreta. 208
18 Quòd vigente coctione, tam in pleuritide, quàm in febribus, poſſit ſanguis tutiſſimè mitti.Contra Fernelium, & Augenium, Medicos eruditiſſimos 211
19 Quòd pleuritis ſiniſtra ſit acutior, deterior, & periculoſior dextra.Contra Valleſium,Peredam. Mercurialem, Maſſariam, & alios Medicos præſtantiſſimos. 214
20 Quòd lypiria Arabum valdè diſtet à lypiria Græcorum. Contra Iacobum, Vgonem, Mercatum, Coſtæum, Fonſecam, Medicos percelebres. 216
21 Quòd lentes in bilioſa pleuritide concedi poſſint, vt voluit Auicenna. Contra Matthæum Gradium,Coſtæum,Fuchſium,Amatum, & communem Medicorum ſententiam. 218
22 Quòd pleuritis aliquando impediat venæ ſectionem, vt voluit Hippocrates. Contra Fuchſium, Nicolaum Rorarium, Medicos eximios. 219
23 Quòd in initio deſcendentis pleuritidis veræ, non ratione cauſæ coniunctæ,ſed antecedentis, ſit purgatio celebranda. Contra Valleſium, Augenium, Mercurialem,Heurnium, & Duretum, Medicos celeberrimos. 220
24 Quòd inflammatio ſit de eſſentia phrenitidis. Contra Iacchinum, Valleſium,Pererium, Carrerium,Medicos doctiſſimos. 224
25 Quòd ex inflammatione ſepti tranſuerſi delirium oriatur perpetuum. Contra Carrerium, & Valleſium, Medicos acutiſſimos. 227
26 Quòd pus in cauitate thoracis contentum per vrinam, & aluum commodè expurgari poſſit. Contra Fernelium,Matthiolum, & Matthæum Herbonenſem, Medicos clariſſimos. 229
27 Quòd cancer vlceratus non ſit affectus contagioſus ad diſtans.Contra Cardanum doctiſſimum. 232
28 Quòd in curatione tabidorum non errauerit Galenus, & cum Tralliano ſit conformis. Contra peritiſſimum Luſitanum, & communem Medicorum ſententiam. 247
29 Quòd efficiens calculi cauſa, frigiditas eſſe non poſſit. Contra Valleſium, Cardanum, Mercurialem

lem, & Coſtæum,Medicos ſcientiſſimos. 249
30 Quòd cor,vera,& legitima palpitatione laboretCon-tra Euſtachium Rudium,& Petrum Vaëzium Lu-ſitanum,Medicos celeberrimos. 252
31 Quòd vera cordis palpitatio à flatuoſo,frigido,craſſo-que ſpiritu,vt voluit Galenus, & non à calida in-temperie ortum ducat. Contra communem Medi-corum ſententiam. 254
32 Quòd arteriotomia vſque ad animi deliquium poſſit celebrari , vt voluit Aëtius. Contra communem Medicorum ſententiam. 261
33 Quòd vterus propria ſubſtantia ad ſuperas partes aſ-cendere poſſit. Contra Ferneliuim, Euſtachium, Laurentium, & Augenium, Medicos præſtantiſſi-mos. 268
34 Quòd ſyncope,propria cordis affectio,non ex immi-nutione ſpirituum, ſed ex eorum repentina aggre-gatione in corde , tanquam à cauſa perpetua, & immediata oriatur.Contra plurium Iuniorum opi-niones. 270
35 Quòd aqua minimè nutrire poſſit , contra Rondele-tium,Cardan. Marcen. Augen. Guaſtauin. Conci-liator. Rorar. Bacchium , & Mercat. doctiſſimos. 278
36 Quòd ex decidentia mucronatæ cartilaginis,homines non ſolùm debilitatem ventriculi,& alios morbos pati,ſed contabeſcere poſſint.Contra Laurentium, Columb.Sanctorum Sanctorium,& com.Medicor. ſententiam. 286
37 Quòd calor naturalis,non ſit elementarius, ſed cæle-ſtis,æthereus, atque diuinus.Contra Peramat. Ar-genter. Scaliger. Conimbricenſes , Poncium , & communem Medicor. & Philoſoph. ſententiam. 297
38 Quòd non detur ignis ad Lunæ concauum. Contra Peramatum.Mercat.Conimbricenſes, Scaliger.Ma-girum,& communem Medicor.& Philoſoph. ſen-tentiam. 300
39 Quòd dulcia tam ad præſeruationem, quàm ad cura-tionem lumbricorum reproba ſint.Contra Gabu-cinum doctiſſimum. 305
40 Quòd Galenus,vinum Creticum,Maluaticum,& Moſ-chatelinum agnouerit.Contra Vegam , & Merca-tum,Medicos doctiſſimos. 307
41 Quòd ebrietas nulli curando morbo ſit ex vſu. Con-tra Philonem Hebræum,Platonicorum facilè prin-cipem. 313
42 Quòd pituita ſalſa fieri poſſit permixta cum dulci pi-tuita,ex vſta bile.Contra Gentilem , Amatum , & Manardum, Medicos doctiſſimos. 316
43 Quòd plenius in melancholica,quàm pituitoſa pleni-tudine ſit emittendus ſanguis 322
44 Quòd alimenta tenuia debeant præcedere craſſa.Con-tra Conciliatorem & Gentilem,Medicos acutiſſi-mos. 325
45 Quòd in alui fluxu ſanguinis miſſio ſit ex vſu, vt vo-luit Galenus.Contra Peredam,& communem Me-dicor. ſententiam. 327
46 Quòd lac in diarrhæa,aut dyſenteria bilioſa, præſen-te remiſſa febri,ſalubre ſit.Contra Amatum,Medi-cum præſtantiſſimum. 333
47 Quòd colicus dolor,peſtilens,ac contagioſus,ſit mor-bus nouus. 336
48 Quòd ad præcautionem,curationémve peſtis, venena ſupra cor geſtare non conueniat. Contra Baptiſt. Theodoſ.Mercat.Fallop.Paræum Merindolum, & com. Medicor. ſententiam. 339
49 Quòd cadauera peſte enecta , valde ſint contagioſa. Contra Fracaſtorium , & Rondeletium eruditiſſi-mos. 340
50 Quòd in morbis , victus ratio procedat attenuando. Contra Gentilem,Iacobum,Vgon.Dinum,Bracke-lium doctiſſimos. 348
51 Quòd Hip. & Gal. colicum dolorem à nephritico re-ctè diſtinxerint. Contra Valleſium , Gentilem , & Matthæum, Medicos celeberrimos. 351
52 Quòd plures ab affecto hepate , quàm à cerebro oriantur ægritudines. Contra Fernel.acutiſſimum. 369
53 Quòd vrina præſtantius ſignum ſit , quàm pulſus. Contra Mercatum doctiſſimum. 373
54 Quòd auriginoſus morbus citra iecoris vitium,in om-ni iudicatorio die eueniens,ſalubris ſit.Contra Pli-nium. 382
55 Quòd medicamenta purgantia, certos , & determina-tos humores attrahant.Contra Eraſiſtratum, Ariſt. & Cardanum. 388
56 Quòd medicamenta purgantia integros humores quantitate peccantes euacuant, natura verò putri-dos excernat.Contra communem Medicor.ſenten-tiam. 390
57 Quòd in omni hydropis ſpecie interdum ſanguis emitti poſſit.Contra communem Medicor,ſenten-tiam. 397
58 Quòd in hydrope pulmonis,thoracis, ſectio ſit cele-branda.Contra Petrum Salium,& Mercat.doctiſſi-mos. 402
59 Quòd in lumborum morbis venæ ſectio ex talo ex-terno ſit celebranda. 407
60 Quòd vrina nigra à frigiditate oriri poſſit , vt voluit Galenus.Contra Mercurialem, & Brauum Petraſi-tanum doctiſſimos. 410
61 Quòd mulier ſit calidior viro,vt voluit Hippocrates. Contra Macrob.Parmenidem,Laurentium,Vegam, Peramatum , & alios Neotericos præſtantiſſimos, 429
62 Quòd vrinæ retentio actio ſit animalis,excretio verò naturalis. Contra Andream Laurentium,Medicum celeberrimum. 436

INDEX QVÆSTIONVM Libri III.

QVÆST. PRIMA. Vtrum antiqua menſtrui ſuppreſſio ſit cu-rabilis,vt voluit Hippocrates. 441
2 Vtrum diuturna menſium ſuppreſſio,ſit recenti peri-culoſior, vt putauit Hippocrates. 442
3 Vtrum extenuatis ſit vena ſecanda , vt monuit Gale-nus. 443
4 Vtrum in ſanguinis miſſione iterata , prima vice ſit ſanguis copioſiùs hauriendus. 444
5 Vtrum pleuritis, orta ex menſtruo retento, ſit mitis, an periculoſus affectus. 446
6 Vtrum ſanguinis è naribus profluuium, menſtruæ re-tentioni ſuperueniens, vtile ſit , vt fatetur Hippo-crates. 447
7 Vtrum in ſuppreſſione menſtruorum primò medica-mentum purgans exhibendum,vt rentur Iuniores. 451
8 Vtrum ad prouocanda menſtrua vnguentum de cha-lybe poſſit eſſe ex vſu. 453
9 Vtrum pus rubrum,liuidum vel nigrum aliquando ad bonum iudicet. 456
10 Vtrum confecto pure illico abſceſſus aperiendus 457
11 Vtrum ante perfectam ſuppurationem,abſceſſus aper-tio molienda. 458
12 Vtrùm abſceſſus in neruoſis partibus,cauterio,an ſcal-pello aperiendi, vt prædixit Celſus. 459
13 Vtrum in morbo diuturno alui fluxus vtilis ſit. 460
14 Vtrum alleuatio prope mortem interdum Medicos deludat, vt docuit Galenus. ibid.
15 Vtrùm Galenus ſymptomata ex ſuppreſſis menſibus ortâ rectè deſcripſerit. 461
16 Vtrùm fœminæ in viros verti poſſint, vt contra Plin. Laurentius.Mercatus & Pinæus aſſeuerant. 467
17 Vtrum vteri ſtrangulatus ſymptomata oriantur ab vna radice, vt voluit Fracaſtorius. 471

18 Vtrum fœminæ ſemen fœcundum generent, vt contra Ariſtotelem aſſeruit Galenus. 475
19 Vtrum vteri vlcera ſint inſanabilia. 478
20 Vtrum virtus, an morbus victum indicet. 481
21 Vtrum in muliebri profluuio vterus lædatur,velvniuerſum corpus,& an hoc affectu grauidæ tententur. 484
22 Vtrum in grauidis aliquando è talo mittendus ſit ſanguis, vt contra meam ſententiam acriter contendunt Plemplius, Fontanus, & Bruſchius, Medici eximij. 488
Quòd vtero gerentibus venæ ſectio ex talo non ſit ex vſu Plemplij ad Zacutum Epiſtola. ibid.
Zacuti reſponſio. 491
Alia Nicolai Fontani Medici, Ioannis Filij, Zacuto Medico incomparabili. 493
Zacuti reſponſio. 494
23 Vtrum venæ ſectio in grauidis,ſit periculoſior in vltimis menſibus, quam in primis, aut mediis, vt prædixit Hippocrates. ibid.
24 Vtrum venæ ſectio in grauidis ſit periculoſior in mediis menſibus, quàm in primis, vt contra Hippocratem Fernelius voluit. 495
25 Vtrum trimeſtris fœtus iniuriis magis reſiſtat, & citius ſeruetur, vt voluit Galenus. 496
26 Vtrum venæ ſectio in grauidis nullo præſente morbo,ſolùm ad præcautionem abortus, ſit celebranda,vt monent Iuniores. Contra Donatum, Antonium ab Altomari,Medicum Galenicum peritiſſimum. ibid.
27 Vtrum venæ ſectio in grauidis ſit periculoſior purgatione. 498
28 Vtrum detur aliquod certum,& infallibile conceptionis ſignum,vt Fernelius,Ioëlius,Varandæus,& alij Claſſici arbitrantur. 499
29 Vtrum purgatio vtero gerenti commoda vt contra Galenum, Salius, Marcatus, & alij confirmant. 501
30 Vtrum in pica,ſimilia,an diſſimilia edulia appetantur, vt contra Auicennam Valleſius probat. 506
31 Vtrum faſcinatio ſterilitatem inducat, vt firmant Theologi, Iuriſconſulti, Medici, & Philoſophi. 509
32 Vtrum ſint plures cauſæ in viris impedientes coitum, & generationem 517
33 Vtrum inter cauſas voluptatis in coitu præcipua ſit, repentinus reditus ad naturalem ſtatum,vt contra Galenum firmauit Turiſanus. 519
34 Vtrùm camphora frigida ſit,an calida, vt contra Auicennam Mathiolus ſenſit. 523
35 Vtrùm flatuum generatio oriatur à debilitate caloris innati, vt opinatur Galenus. 525
36 Vtrum ſpiritus turbidus ſit admittendus, vt voluit Hippocrates. 528
37 Vtrum ſani debeant obſeruare varium ordinem in aſſumendo cibo;vt opinantur Græci. 532
38 Vtrum vomitus,ſalubris ſit, & an ſit motus naturalis animalis,ac præter naturam,vt docuit Valleſ. 538
39 Vtrum ſecundum Galeni doctrinam, in morbis ſit conſtituenda cauſa continens, vt contra eum, Curtius, Leonicenus,Fuchſius, & alij confirmant. 541
40 Vtrum muſculus,præcipuum ſit, & immediatum motus voluntarij inſtrumentum, vt contra Galenum ſtatuit Auerrhoës. 546
41 Vtrum dolor, ſit ſenſatio triſtis, an ſenſibile, vt contra Galenum tenet Conciliator. 549
42 Vtrum dolor,& voluptas in motione conſiſtant, vt contra Ariſtotelem acriter contendit Galenus, 552
43 Vtrum intemperies ſola,citra ſolutionem continui,ſit immediata cauſa doloris, vt contra Galenum aſſerunt Auerrhoës,& Cardanus. 555
44 Vtrum ab omni qualitatum intemperie dolor concitari poſſit. 559
45 Vtrum vna ſit Arthritidis cauſa, coniuncta, & efficiens, vt contra Galenum Fernelius aſſeuerat. 561
46 Vtrum morbi improportionati ſint periculoſiores proportionatis, vt prædixit Hippocrates. 565
47 Vtrum commoda ægri habitatio ad morborum curationem ſit neceſſaria. 572
48 Vtrum frigus alicui functioni ſit ex vſu, vt contra Recentiores firmat Conciliator. 577
49 Vtrum rationi citra experimentum magis, quam experimento citra rationem ſit fidendum, vt hactenus Medici ſunt opinati. 579
50 Vtrum in celebranda phlebotomia in eryſipelate poſito inter dans cutes,errauerit Auicenna, vt tenet Valleriola. 586
51 Vtrum in imponendis topicis in eryſipelate frigidis, & ſiccis,Auicenna fuerit deceptus, vt retur Valleriola. 687
52 Vtrum in veris initio,an fine, vacuatio præcautoria celebranda,vt prædixere Hippocrates,& Galenus. 594

INDEX QVÆSTIONVM *Libri IV.*

QVÆST. PRIMA. Vtrum poſſit dari febris abſque calore,vt contra Galenum arbitratur Fernelius. 600
2 Vtrum ad febris eſſentiam neceſſaria ſit caloris naturalis intenſio,vt contra Galenum, Gentilis, Vega, & Vgo aſſeuerant. 604
3 Vtrum caloris intenſio ad febrem requiſita, ad aliquod ex quatuor temperamentis ſit referenda. 606
4 Vtrum febrilis calor ſit idem cum naturali, vt contra Galenum, Gentilis aſſeuerat. 611
5 Vtrum febris ſit intemperantia ſimplex calida, an compoſita ex calore, & ſiccitate, vt contra Galenum voluit Altimarus. 616
6 Vtrum Galenus Ephemeræ ſigna rectè deſcripſerit, vt contra eum exiſtimant Herculanus,Vega, Brauus,Mercatus, Iacobus Foroliuienſis, & alij Medici doctiſſimi. 620
7 Vtrum poſſit ab aliquo principali corporis membro præterquam à corde, febrilis caliditas proficiſci,vt contra Medicinæ proceres Ioannes Brauus contendit. 624
8 Vtrum ad integram febris eſſentiam requiratur immodica caliditas in toto, an ſufficiat in corde. 626
9 Vtrum aucto,aut minuto vſu aliquis ſeruetur ordo in pulſuum differentiis comparandis, & amittendis, vt contra Galenum,plurimi Barbarorum cum Fernelio opinantur. 631
10 Vtrum putredo ab Ariſtotele,& Galeno,rectè definiatur,vt contra eos,Argenterius,Thomas à Vega, & alij peritiſſimi opinantur. 641
11 Vtrùm putredo præter varias cauſas perpetuò à prohibita tranſpiratione oriatur,vt contra Galenum aſſeuerant Gentilis,Dinus,Vgo,Harculanus, Lemoſius,Valleſius,Thomas à Vega,& alij Medici ſcientiſſimi. 644
12 Vtrum Galenus,& Auicenna, ſigna febrium putridarum rectè proponant. 649
13 Vtrum ex ſanguine putreſcente generetur febris ſanguinea, diſtincta à pituitoſa, binoſa, & melancholica, vt contra Galenum, Turiſanus, Conciliator, Fernelius, Valleſius, Veiga, & alij opinantur. 652
14 Vtrum tempora morborum,penes eſſentiam,ſymptomata,& coctionem perpetuò ſimul concurrant. 655
15 Vtrum in conſtituendo temperamento magis parato ad febres, Galenus, & Auicenna ſint concordes, vt

vt perperam plures Auicennæ interpretes arbitrantur. 662
16 Vtrum in biliofis febribus, aquæ potus,ſenſim, aut affatim ſit concedendus. 664
17 Vtrum plura dentur vera atractionum genera, à facultate, vacuo,calore, dolore, & ſiccitate, vt contra Galenum rentur Puteanus, & Valleſius, & contra me grauiter decertant Francaſianus, Gallindus & Lopius Medici præclari. 667
18 Vtrum nomen criſis, iudicium ſignificet, an ſeparationem humoris,& excretionem, vt contra Galenum Langius opinatur. 673
19 Vtrum coctio rectè à Philoſopho finiatur, vt contra eum voluere Argenterius,& Manardus;& an ſit dicenda alteratio ſecundùm qualitates,an ſecundùm ſubſtantiam. 675
20 Vtrum omnia per coctionem fiant craſſiora, calidiora,ſuauiora, & dulciora, vt contra Ariſtotelem Conciliator, Gentilis, & Garbius opinantur, 679
21 Vtrum humor noxius medicamentis calidis attenuantibus,vt voluere Græci, an frigidis incraſſantibus ſit præparandus, & concoquendus,vt Arabes confirmant. 681
22 Vtrum humores turgeant, & ante coctionem expurgandi ſint, vt contra Hipp. & Galenum afferunt Mercatus, Toreus, & Cardanus, Medici eruditiſſimi. 685
23 Vtrum vinorum plures ſint differentiæ. 689
24 Vtrum in rigore moueatur humor per partes internas vel externas, & an hic à flatibus, vel humoribus ortum ducat, vt contra Galenum Fernelius, & Thomas, à Veiga aſſeuerant. 694
25 Vtrum in putridis febribus balneum poſſit eſſe ex vſu. 699
26 Vtrum in tertiana exquiſita ante tres acceſſiones vena ſit ſecanda,vt contra mentem Galeni,& Auicennæ opinantur Fernelius, Vidus Vidius,Hollerius, Paſchaſius, Euſtachius, Brauus,& alij Medici præſtantiſſimi. 702
27 Vtrum ſeni,& iuueni æqualiter febricitantibus, ſeni minùs frigida remedia offerenda, vt voluit Auerrhoës. 705
28 Vtrum tertiana exquiſita ſit morbus ſalubris, & acutus, vt retur Altimarus. 706
29 Vtrum neceſſarium ſit Medico breuitatem,& longitudinem morbi præcognoſcere, vt docent Galenus, & Auicenna. 708
30 Vtrum tertiana notha ſit longior quotidiana, vt contra Galeni,& Auic.mentem, Vega, Brauus, Gentilis, & alij arbitrantur. 713
31 Vtrum febres continuæ rectè ab intermittentibus, à Galeno, & Auicenna diſtinguantur. 715
32 Vtrum cauſa circuituum in febribus intermittentibus, & aliis morbis,referenda ſit ad motum Lunæ,planetarum, occultam proprietatem, actionem naturæ,an ad multiplicatam humoris congeſtionem,vt contra Galenum arbitrantur Conciliator,Gentilis, Garbius,Fernelius,Veiga,Valleriola, & alij Medici præſtantiſſimi. 718
33 Vtrum in quartanæ acceſſione ſit aliquando purgatio celebranda, vt voluit Hippocrates. 722
34 Vtrum Minera febrium intermittentium perpetuò ſit conſtituenda in prima corporis regione,vt contra Galenum opinantur Fernelius, Mercatus, Thomas à Veiga, an in habitu corporis, vt docuit Galenus, an aliquando in aliis partibus poſſit reperiri. 724
35 Vtrum in febre ſyncopali humoroſa, ſanguis miſſio, & frictiones ſint ex vſu, vt contra Galenum firmauit Trallianus. 735
36 Vtrum calor febris hecticæ ſit independens à cauſa conſeruante, vt contra Galenum, Pererius, & Lemoſius opinantur, & an ea in ſpecies tres ſit diuidenda, vt contra eum firmat Argenterius. 737
37 Vtrum incaleſcentia à cibo, ſit febris hecticæ proprium,& inſeparabile ſignum, vt contra Galenum contendit Mercatus, 739
38 Vtrum hectica in principio nulla alia febre præcedente inuadere poſſit. 742
39 Vtrum balneum tepidum, vel frigidum pro curanda febre hectica ſit ex vſu,vt contra Galenum Barbari, & alij aſſeuerant. 746
40 Vtrum quatuor humiditates ſecundæ abſumptæ, medicæ artis ope reparari poſſint. 749
41 Vtrum ſolidæ partes reſiccatæ humectari poſſint 751
42 Vtrum ſit aliquis morbus crudelior peſte. 754
43 Vtrum in peſte, ex partibus inferioribus ſit aliquando emittendus ſanguis, vt contra Galenum opinantur Fracaſtorius, Fernel. Paræus, alius, Cardanus, Palmarius, & plurimi Medici eruditiſsimi. 756
44 Vtrum in peſte, in initio purgatio celebranda,vt contra Galenum tuentur Crato, Valleriola, Paræus, Foreſtus, Maſſaria, Salius, Pereda, & alij Medici præſtantiſsimi. 760
45 Vtrum theriaca fermentata diuerſam naturam habeat ab actione ſimplicium quibus conſtat. 766
46 Vtrum aër ſit frigidus, aut calidus, an tam in actiuis, quàm paſsiuis temperatus, vt contra Galenum aſſerunt Stoïci, Peripatetici, Mercatus, Conimbricenſes, Brauus, Carrerius, Peramatus, Carmona, & alij Neoterici celeberrimi. 768
47 Vtrum ſolus aër,an cætera elementa peſtem generent, vt contra Hippocratem,& Galenum Septalius, & Valleriola affirmarunt. 771
48 Vtrum vniuerſalia morbi tempora variis ſignis diſtinguantur, vt contra Galenum contendit Argenterius. 782
49 Vtrum in declinatione vniuerſali variolarum poſſit æger mori, vt voluit Auicenna. 784

INDEX QVÆSTIONVM Libri V.

QVÆST. PRIMA. Vtrum definitio veneni,à Galeno,& Auicenna tradita ſit optima. pag.79
2 Vtrum venenorum diuiſio à Dioſcoride tradita, ſit perfecta. 794
3 Vtrum homo inter cætera animalia, venenorum & morborum inſidiis magis ſit obnoxius. 797
4 Vtrum facultas vitalis, & animalis qualitate diffundantur per neruos; an cum ſubſtantia ſpiritus vt contra Arabes perperam contendunt Valleſius, & Argenterius. 801
5 Vtrum motu ſeruato poſſit aboleri ſenſus, & è contra, vt voluit Galenus 803
6 Vtrum reperiatur Baſiliſcus in rerum natura, contra Mathiolum,Hermolaum Barbarum, & Cardanum doctiſſimos. 805
7 Vtrum acetum, virulentis animalium morſibus, aliiſque venenoſis morbis reluctetur. 808
8 Vtrum cor,omnium facultatum ſit principium, contra Ariſtotelem, Peripateticos, & Cæſarem Cremonium Philoſophos eximios. 811
9 Vtrum vis à cerebro, & corde influens, ſit animæ potentia, temperamentum, aut modus ad operandum. 814
10 Vtrum venæ à iecore, an à corde oriantur, contra Conciliatorem, & Veſalium doctiſſimos. 815
11 Vtrum cor ſit fons innati caloris,& vitæ principium 816
12 Vtrum mors ſit paſſio cordis. 817
13 Vtrùm ad quamuis cordis intemperiem, vel ad ſolam frigidam ſiccam mors ſequatur. 819
14 Vtrum ſiniſter cordis ventriculus ſit præſtantior dextro contra Ariſtotelem. 820

15 Vtrum cor, vita ſuperſtite, abſceſſus patiatur validas intemperies, & morbos omnes vt Galenus contra Ariſtotelem confirmat. 821

16 Vtrum præter cauſas à Galeno numeratas, ſint aliæ ob quas videndi ſenſus amittatur, vt falſo contra eum ſibi perſuaſit Gentilis. 824

17 Vtrum ex qualibet oculorum peruerſione, læſio in viſu contingat, & cur viſile duplex appareat. Contra Conciliatorem, Gentilem Iacobum; & alios Auicennæ interpretes doctiſſimos. 825

18 Vtrum ad oculorum cuſtodiam palpebræ inferiores cum maiori commoditate immobiles ſint creatæ, vt voluit Galenus. Contra Fortunatum Plempium, Louanienſis Academiæ Profeſſorem inclytum. 829

19 Vtrum viſio quæ fit per imagines, & viſa, ſit illuſoria an certa, & vera, & an intra oculum contenta per propriam ſpeciem videri poſſint. Contra Thomam Garbium Medicum acutiſſimum. 831

20 Vtrum viſus organum præſtantius, & vtilius ſit organo auditus. 833

21 Vtrum Hæmodia ſit propria dentium paſſio. 836

22 Vtrum præter hominem ſolæ coturnices epilepſia tententur. Contra Plinium. 839

23 Vtrum Rabies ſit morbus contactu, & ad diſtans contagioſus. Contra Conciliatorem, Petrum Salium, Fracaſtorium, & Amatum Medicos doctiſſimos 841

24 Vtrum aquæ timor ab intenſa ſiccitate, deprauata imaginatione, aut antipathia occulta oriatur. Contra Mathiolum, Salium, & Brauum Petraſitanum Medicos eximios. 842

25 Vtrum vrina ſit mixtum de nouo genitum habens diſtinctam formam ab humore ebibito, an alteratus potus. 849

26 Vtrum vrina ſubruſa, ſubflaua, vel citrina omnium ſit optima, vt voluit Galenus. 851

27 Vtrum triplex ſit vrinarum turbidarum differentia, vt prædixit Galenus. Contra Brachelium. 852

28 Vtrum inter tenues vrinas primum locum ſibi vendicet aquoſa, & alba, & malum portendat. Contra Valleſium. 855

29 Vtrùm vrina rubra, viridis, liuida, nigra à calore ſemper ortum ducant. 857

30 Vtrum materia ſedimenti in ſanis ſit portio chyli inconfecta, & diuerſa à materia ſedimenti ægrorum. Contra Turiſanum, Fernelium, Caſſanum, Cardanum, Santorellum, & alios Medicos doctiſſimos, 859

31 Vtrum ſedimenti albedo oriatur à calore naturali an præter naturam. Contra Turiſanum, & Cardanum Medicos eximios. 862

32 Vtrum morbi venenati ad aliquod ex triplici morborum ſimplicium genere, in temperamento, conformatione, & ſoluta vnitate, an ad morbos formæ, & materiæ ſint reducendi. Contra Fernelium, Argenterium, Riolanum, Conciliatorem, Sennertum, & Ioannem Sperlingium, Medicos præſtantiſſimos. 864

33 Vtrum Galenus pulſum rectè definiuerit. Contra Argenterium, Ioubertum, Thomam à Veiga, & Lupeum, Medicos eximios. 876

34 Vtrum pulſus ſit motus naturalis, an animalis, vel immediatè ab anima, aut potentia aliqua emanet. Contra Ariſtotelem, Turiſanum, Cardanum, Medicos doctiſſimos. 878

35 Vtrum facultas vitalis pulſifica, ſit pars animæ ſentientis, vel vegetantis, vel ex vtraque compoſita. Contra Mercatum, Conciliatorem, Fernelium, Valleſium, Euſtachium, Sanctorellum, & alios Medicos præſtantiſſimos. 882

36 Vtrum motus, & quietes pulſus, & reſpirationis ſibi proportione reſpondeant, & num in illis diſtentio præcedat. Contra Fracaſtorium, & Santorellum, Garbium, Veſalium, Gentilem, & Thomam Campanellam, Medicos eruditiſſimos. 884

37 Vtrum dilatato corde, dilatentur arteriæ, & conſtricto conſtringantur, & prodeant hæ actiones à facultate. Contra Gentilem, Conciliatorem, Garbium, Turiſanum, Iacobum Foroliuienſem, & Valleſium, Medicos illuſtriſſimos. 886

38 Vtrum omnes partes pulſus à Medico cognoſci poſſint. 887

39 Vtrum decem pulſuum differentiæ ſint aſſignandæ, vt Galenus, & Auicenna aſſeuerant. Contra Fernelium, & Valeſium, doctiſſimos. 888

40 Vtrum nona differentia pulſus, æqualis, & inæqualis ſit admittenda. 891

41 Vtrum præter cauſas generantes pulſus, aliæ alterantes ſint aſſignandæ. Contra Menam, & Valleſium, Medicos excellentiſſimos. 893

42 Vtrum ceruus, os ex eius corde, & aliæ partes habeant natiuam proprietatem aduerſus venenum. Contra Veſalium, anatomicum inſignem. 899

Vltima. Vtrum Toxicum, & venenum ad conuertentiam dicantur. Contra Cæſalpinum, Medicum præſtantiſſimum. 903

INDEX QVÆSTIONVM Libri V I.

QVÆST. PRIMA. Vtrum fortuna ſit conſtituenda in rebus, & conferat aliquid in curandis morbis, vt ſapientes veteres opinantur. 910

2 Vtrum vitæ humanæ conſeruatio ampliùs ſit collocanda in vigilia, quàm ſomno. Contra Ariſtotelem, & Plinium. 912

3 Vtrum ſomnus ab alimenti vapore, an ab anima agente oriatur. Contra Ariſtotelem. 914

4 Vtrum refrigeratio primi ſenſorij, ſit perpetua ſomni cauſa, vt voluit Galenus. 916

5 Vtrum ſomnus inter res non naturales reponendus. 917

6 Vtrum morbus Gallicus ſit appellandus Syphilis, vt ſenſuit Fracaſtorius. 920

7 Vtrum Anatomica ſcientia ad Medicum, vel Chirurgum ſpectet. 945

8 Vtrum breuitatis, & diuturnitatis hominum vitæ variæ ſint aſſignandæ cauſæ, vt Philophi, Medici, & Aſtronomi ſunt opinati. 961

9 Vtrum conſuetudo ſit adſcititium temperamentum, an habitus. Contra Peramatum, Valleſium, Chriſtophorum à Vega, Mercatum, Medicos præſtantiſſimos. 965

10 Vtrum dies ſeptimus ſit præſtantior decimoquarto, & vigeſimus ſit dignior vigeſimoprimo. Contra Conciliatorem. 976

11 Vtrum Galenus cauſam dierum criticorum ex ſua, vel aliorum ſententia ad aſtra reduxerit. Contra Picum Mirandulam, Cardanum, Fracaſtorium, Manardum, Amatum, Carthagenam, & communem Medicorum ſententiam. 979

INDEX DVBIORVM LIBRI PRIMI.

DVB. PRIM. NVM maximus ſit hirudinum ad morbos leuandos vſus. pag. 5
2 Num ſenibus ſit detrahendus ſanguis. 9
3 Num aqua per plumbeos canales deriuata, dyſenteriam facere poſſit. Contra Fallopium. 13
4 Num nutritio per pororum contactum poſſit celebrari. Contra Caſmannum. 19
5 Num infuſa per clyſteres nutrire poſſint. Contra Mundellam, & Caſmannum Philoſophum eximium. 20
6 Num ſomnus ſit ligamentum ſenſus. 25
7 Num ſomnus ſit ligamentum motus. 26
8 Num ſomnus opus ſit naturæ, an affectio. 27
9 Num balneum prouratione lethargi ſit ex vſu. 29
10 Num occiput vrendum. 35
11 Num bilioſus humor epilepſiæ cauſa ſit. Contra Lupeum eruditiſſimum. 36
12 Num Aloës vis ventrem tranſcendat. 37
13 Num Aloë ſuccotrina omnium ſit optima. Contra Iuberam doctiſſimum. ibid.
14 Num theriaca noſtris temporibus perfectè parari poſſit. 46
15 Num in Epilepſia capiti oxyrrhodina apponenda. 51
16 Num pepo bonis cibis ſit annumerandus, vt voluere Arabes. 53
17 Num detur Apoplexia periodica, vt voluit Auic. 63
18 Num detur Apoplexia à ſanguine orta. ibid.
19 Num repellentia in Apoplexia ſint ex vſu. 64
20 Num Apoplexia fortis curari poſſit. Contra Brachelium, & Cardanum Medicos præſtantiſſimos. 65
21 Num Appiana poma ſint noſtra Camuſia. 68
22 Num vacuatio per epicraſin ſit vtilis. 76
23 Num vere præcautoria vacuatio ſit celebranda. 78
24 Num Automno fiat pulſus vehementiſſimus, vt voluit Gal. Contra Valleſium, Coſtæum, & Mercatum Medicos eximios. ibid.
25 Num paralyſis ex colico dolore fieri poſſit. 83
26 Num intemperies calida ſicca poſſit eſſe immediata cauſa paralyſis. Contra Mercurialem. ibid.
27 Num certis ſignis pars præ frigore emortua à paralytica diſtinguatur. Contra Dionyſium Dacam, & Crucium, Chirurgos famigeratiſſimos. 85
28 Num humor veneno ſimilis in corpore innaſcatur. 89
29 Num in affectibus oculorum humeraria ſemper ſecienda, & num viſum debilitet. 91
30 Num purgatio lippienti commoda. 94
31 Num tentatiua curatio admittenda. Contra Mercurialem. 96
32 Num vrgente neceſſitate ſtupefacientia intra oculum imponenda. ibid.
33 Num medicamenta actu frigida oculis imponenda. Contra Matthæum, & Paræum Medicos eximios. 97
34 Num incorrecto opio extrà appoſito ſit vtendum. 101
35 Num opium frigidum ſit. Contra Mathiolum. 102
36 Num Narcotica tutiùs in cauſa calida, quàm in frigida propinentur. Contra Amatum, & Ludouic. Lemoſium Medicos eruditiſſimos. 103
37 Num ſolutio febris per parotidas ſit fida, & ſecura. 104
38 Num parotidum curatio debeat fieri per reſoluentia, repellentia, aut ſuppurantia. 106
39 Num recidiua ſit peior ſua radice. 107
40 Num ſurditas febribus ſuperueniens ferè ſemper ad bonum iudicet. ibid.
41 Num deſperatis ſit adhibenda manus. Contra Augenium. 111
42 Num ſit aliquis niuis in Medicina vſus. 118
43 Num topica ante totius vacuationem applicanda. 121
44 Num lapides, & arenæ in qualibet noſtri corporis parte gigni poſſint. 122
45 Num in omni angina vena ſit ſecanda. Contra Gentilem, & Coſtæum Medicos eruditiſſimos. 132
46 Num in angina vſque ad animi deliquium, ſanguis ſit emittendus. ibid.
47 Num iugularium venarium ſectio ſit celebranda. Contra Vaſcum Caſtellum eruditiſſimum. 134
48 Num in antiqua menſium ſuppreſſione è talo ſit vena ſecanda. Contra Fonſecam eruditiſſimum. 136
49 Num in initio Anginæ gargariſmata actu frigida aſſumenda. 139
50 Num vtile ſit in Medicina, Medicos, proprios errores confiteri. 140
51 Num chalybs præparatus ad curandos morbos ſit ex vſu. Contra Chriſtoph. à Vega, & Ludouic. Lemoſium Medicos doctiſsimos. 145
52 Num ad Theriacæ, aliorúmque medicamentorum compoſitionem cauda viperæ ſit ſemper amputanda. Contra Lacunam, Valleſium, & Pelletarium, Medicos eximios. 149
53 Num ſanguis arterialis putreſieri poſsit. Contra Crucium Olyſip. doctiſsimum. 152
54 Num febris maligna, aut peſtilens intermittens eſſe poſsit. Contra Mercatum. 153
55 Num vitrea pituita putrere poſſit. 155
56 Num putredo ſit cauſa caloris. ibid.

DVBIA LIBRI II.

DVBIVM PRIMVM. NVm mala punica cruentæ ſpuitioni ſint ex vſu. pag. 172
2 Num in cruento ſputo ſit auriendus ſanguis. 176
3 Num refrigeratis ſit vena ſecanda. 181
4 Num Hippocrates pulſuum notitiam habuerit. 188
6 Num curatio obſtructionis leuium arteriarum à tuberculo facta ſit difficilis. 191
6 Num ira repentè interimat. 193
7 Num ira conſiſtat in feruore ſanguinis in corde, Contrà Fracaſtor. Medicum celeberrimum ibid.
8 Num ira ſit quædam furoris ſpecies. ibid.
9 Num oleum, neruorum vulneribus applicandum. 196
10 Num curatio fiat per contraria æqualia. 198
11 Num ſputum in pleuritide, coctionis, & cruditatis ſignum ſit. 206
12 Num pleuritidis cognitio, ſit ſcientifica, an coniecturalis. 214
13 Num oculus dexter ſiniſtro ſit obtuſior. Contra Amatum, & Fortunatum Plempium. doctiſſimos. 216

14 Num poſſint internæ partes,extimis calentibus, fri-geſieri. 217
15 Num ſputum cruentum pleuritidis mitiſſimæ ſignum ſit, contra Ronſſeum eruditiſſimum. 220
16 Num detur morbus inſenſilis. 225
17 Num aqua hordei, vel ptiſſana in pleuritide propi-nanda. ibid.
18 Num morbus pilaris à pilo hauſto originem ducat. Contra Plinium, Cardanum, Veigam, & Manar-dum Medicos excellentiſſimos. 234
19 Num licitum ſit nutricem menſtruatam eligere.Con-tra Chriſtoph. à Vega Medicum doctiſſimum. 236
20 Num nutrix pro infantium curatione expurganda, Contra Brauum Petraſitanum, Donatum Sancto-rium, Medicos doctiſſimos. ibid.
21 Num panis azimus ſit melior fermentato, vt voluit Celſus. Contra Bruyerinum,& Siluaticum, Medi-cos eximios. 238
22 Num phthiſis aliquando curabilis. 239
23 Num ſaccharum frigidum ſit. 240
24 Num phthiſi, febribúſque curandis Saccharum roſa-ceum ſit ex vſu. Contra Septalium Medicum præ-ſtantiſſimum. 241
25 Num lac animalis nigri ſit ſuauius,& vtilius. Contra Amatum doctiſſimum. 243
26 Num tabes pericardij ſit periculoſus, & veluti incu-rabilis affectus. 255
27 Num ſimias in partibus inteſtinis hominis ſimillimas, & non humana corpora ſecuerit Galenus.Contra Veſalium Anatomicum inſignem. 256
28 Num imminentes morbi præcauendi. 258
29 Num ad ſiſtendum ſanguinem arterialem, præter obturantia, aliaque præſidia, arteriarum ſutura ſit ex vſu. 259
30 Num arteriotomia celebranda.Contra Hollerium do-ctiſſimum. 260
31 Num ſudoris abſterſio prouocet ſudorem. Contra Lemoſium, & Cardozum, Medicos eruditiſſimos. 263
32 Num pulli columbini bonis cibis ſint annumerandi. 265
33 Num vterus odoribus delectetur. 267
34 Num frigidæ potus ad ſatietatem ante coctionem concedendus. 277
35 Num intemperantiæ calidæ,& frigidæ,citiùs, & faci-liùs humidis,& ſiccis curentur. 282
36 Num frigidis ventriculi doloribus, meri potus ſalu-bris ſit. 289
37 Num pulſus ſerrinus perceptilis. 294
38 Num coctio putredini contraria. 295
39 Num alimentum ſuo an ventriculi calore coquatur. Contra Valleſium. ibid.
Num ſanitas hominis ſani communicetur corpori ægro. Contra Ariſt. & Montanum. 301
An canina fames à vermibus aliquando ortum ducat. 303
Quod dulcia, tam ad præſeruationem quàm ad cura-tionem Lumbricorum reproba ſint. Contra Gabu-cinum doctiſſimum. 305
Num ſolus ventriculus, an membra etiam fameſcant. 306
40 Num vas cholidocum ad ventriculi fundum implan-tetur.Contra Argenterium,Medicum acutiſſimum. 309
41 Num ſitis immediata cauſa, ſit ſiccitas in ore ventri-culi percepta. Contra Thomam à Veiga,Medicum inſignem. 311
42 Num vipera calida ſit. Contra Mercurialem doctiſſi-mum. 312
43 Num vinum viperinum ſit venenoſum. ibid.
44 Num ſingultus, ſit pulmonis paſſio.Contra Lupeum, Medicum eximium. 317
45 Num ſomnus vacuationes omnes cohibeat. 320
36 Num prohibitum effluuium, ſeu vicinia rei calidæ ſit cauſa caloris. 321
47 Num futuri alui fluxus apud Hip.aliquod ſit ſignum. 324
48 Num varietas ciborum pro ſanitatis tutela, vtilis ſit. 326
49 Num in alui fluxu,expurgantia torrefacta ſint ex vſu. Contra Amatum, Hollerium, Rondelet. & Scla-num, eruditiſsimos. 330
50 Num in conclamata dyſenteria,cauſtica per ſedem in-fundenda.Contra Rondelet.doctiſſimum. 332
51 Num balneum in dyſenteria aliquando poſſit eſſe ex vſu. 335
52 Num poſſit dari peſtis citra perniciem. 338
53 Num veneno enecta, aut nutrita eſui eſſe poſſint. Contra Langium, & Pareum doctiſſimos. 341
54 Num in inflammationibus peſtilentibus internis è cubito mittendus ſit ſanguis. Contra Marnardum doctiſsimum. 343
55 Num in colico dolore purgatio celebranda. Contra Maſſariam, & Septalium doctiſsimos. 344
56 Num per frequentem ciborum adiectionem poſsit fieri curatio per epicraſin. 345
57 Num pituita vitrea in corpore gigni poſsit. 355
58 Num intempeſtiuus frigidæ potus nocere poſsit 359
59 Num in phlegmone hepatis aliquando è talo ferien-da vena. 368
60 Num hepatis ſcirrhus ab eius inflammatione oriri poſsit. Contra Fernel. doctiſsimum. 372
61 Num ſerum lactis hypochondriis murmurantibus ſit ex vſu. 276
62 Num vrinæ potus morborum curationi poſsit eſſe ex vſu. 378
63 Num lien aliquando vrendus. 380
64 Num vitioſus oculi color, morbus ſit, an ſymptoma. Contra Fernel. Argenter. & alios neotericos præ-ſtantiſsimos. 384
65 Num mœror, febrem, tabem, & mortem concita-re poſsit. 385
66 Num ſolemnium vacuationum ſuppreſſio, vel vacua-tio nimia hydropem & alia vitia concitare queat. 392
67 Num Cantharides hydropi ſint ex vſu, & num toto corpore ſint venenoſæ. Contra Lacunam,Amatum, Fuchſium, Langium, & Mercurialem doctiſsimos. 395
68 Num ex cauſa calida per ſe hydrops oriri poſsit. Contra Cardanum, Marcel. Iacchinum doctiſsi-mos. 404
69 Num venæ ſectio ex talo plus debilitet, quàm baſili-ca, vt voluit Auicenna. Contra Lazarum à Soto Medicum doctiſsimum. 409
70 Num ſolus homo inter cætera animalia calculo labo-ret. 412
71 Num pueri veſicæ calculis,ſenes,renum lapillis magis ſint obnoxij. 413
72 Num vrina nigra aliquando ad bonum iudicet. 416
73 Num in Diabete intenſior concitetur ſitis, quàm in hydrope aut cauſo. 422
74 Num mitia expurgantia in curatione diabetis ſint ex vſu. 423
75 Num furfuraceum contentum ſit deterius ſquammo-ſo. 426

ELENCHVS

ELENCHVS.

OBSERVATIONVM
LIBRI PRIMI

OBSERVAT. PRIMA. ALOPECIA, ſucco Nicotianæ curata. pag. 3
2 Tinea, aqua ſublimati curata. 4
3 Puſtulæ in facie inueteratæ, hirudinibus in ipſa impoſitis, ſanantur. 5
4 Temporum immanis dolor, hirudinum ſuctu ſæpe curatur. 6
5 Phrenitis ex puerperio retento, hirudinibus internæ vteri parti applicitis, curatur. ibid.
6 Vt venarum ſedis orificia ad hirudinum impoſitionem meliùs emineant, optimum præſidium. ib.
7 Hirudo per anum caſu ingrediens, auxilio quodam ſemimortua extracta. 7
8 Hirudo incuria Chirurgi per naſum ingrediens, hominem interfecit. ibid.
9 Septuagenarius phlebotomatus fluente actu ſanguine, emoritur. 9
10 Ab odore vini Apoplexia ſequuta. 10
11 Phrenitis confirmata, cucurbitula in ſyncipite ſcarificata curatur. 15
Septimeſtris ſeptem diebus, emplaſtris nutrientibus alta, vitam produxit. 20
12 Prenitis ſæua, artificioſa vacuatione curata. 22
13 Vigilia importuna, narcoticis curata. 24
14 Noctambulus balneo curatus. 28
15 Epilepſia à pollice excitata, cauſtico pollici laboranti impoſito, ſanatur. 32
16 Exitiales cerebri affectus, cauterio ad bregma indito, curantur. 33
17 Iuuenis quidam Luſitanus vlceribus in facie diu miſerrimè concuſſus, fontanella in crure aperta, & aliis auxiliis tempeſtiuè adhibitis curatur. ibid.
18 Fontanellis in inguine ſponte apertis, quidam à ſæuo morbo gallico euaſit immunis. 34
19 A frequenti abortu, fontanella celebrata, fæminæ liberantur. 35
20 Diarrhæa venenoſa, ſmaragdo aſſumpta curatur. 40
21 Eboris ad plurimos vſus vis mirabilis. 42
22 Quidam epilepſia ſæuiſſima frequenter concuſſus, ſecta ex interuallis ſaphena, ab ea præſeruatur. 45
23 Epileptici ſyrupo Nicotianæ curati. 57
24 Decimana febris poſſibilis. ibid.
25 Fæmina ſeptimeſtris, repetita ſæpius ex talo phlebotomia, feliciter peperit. 59
26 Grauidæ epilepſia ab vtero correptæ, ſecta in brachio vena periere, è contra è talo ſecta reuiuiſcunt. 60
27 Nonimeſtris, epilepſia, melacholiaque correpta, hirudinibus ſedi applicitis curatur. ibid.
28 Pſeudohydrops vteri in grauida pronatus, profunda ſcarificatione, curatur. ibid.
29 Grauidæ bubonem peſtiferum in inguine habentes, ſecta vena in talo tutò curantur. ibid.
30 Grauidæ in omni geſtationis menſe copioſè phlebotomatæ, feliciter pepererunt. 62
31 Apoplexia ritè fluentibus menſtruis, repetita cephalicæ ſectione curatur. 64
Deſperata apoplexia, cucurbicula bis in occipite ſcarificata, curatur, ibid.
32 Apoplecticus pro mortuo habitus, poſt duorum dierum ſpatium, reuixit. 63
33 Diutinus mœror, auri potabilis vſu curatur. 70
34 Melancholia profunda, lapide belzaartico, vario modo exhibito, curatur. 71
35 Lapis belzaarticus in maiori quantitate aſſumptus, potentius venenum extinguit. ibid.
36 Lithiaſis, lapidis belzaartici vſu curatur. 72
37 Cachunde ad flatus melancholicos medicamentum præſtantiſſimum. 73
38 Melancholicus ſe algidum perpetuò exiſtimans, miro ingenio curatur. 75
39 Melancholicus artificio curatus. ibid.
40 Iuuenis ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus melancholia laborans, his venis apertis ſcalpello, illicò citata hæmorrhagia emoritur. 78
41 Opthalmia ſæua, copioſiſſima venæ ſectione curata. 91
42 Ophthalmia diuturna, dextræ ſaluatellæ ſectione, curata. 94
43 Immanis inguinum dolor, ſaluatellæ ſectione curatur. ibid.
44 Quidam auris dolore laborans, impoſito intra aurem opio, emortuus. 101
45 Vmbilici dolor ſæuiſſimus cum valida febri, opio epoto curatus. 103
46 Dentium dolor ſæuiſſimus niue circumpoſita ablatus. 118
47 Linguæ portentoſus tumor, hirudinum ſuctu curatus. 121
48 Ingens linguæ tumor ipſa ſcarificata, ſanatur. ibid.
49 Lapis ſupra mucronem linguæ enatus. 122
50 Panus Gallicus ſub alis & retro aures pronatus. 128
51 Ex Mercurij vſu, mors ſubſequuta. 129
52 Mercurius in potum aſſumptus Gallicatis præſtantiſſimum auxilium. 130
53 Sæuus morbus Gallicus, vnguento Mercuriali antiquo non ſuccumbens, recenter facto curatur. 131
54 Angina canina, cucurbitulâ ſub mento ſcarificata, curatur. 132
55 Angina acutiſſima, iugularibus venis ſectis, curatur. 134
56 Morboſæ fæminæ ob menſtruum retentum, ſecta vena in cubito ſubito pereunt, ſecta in talo, conualeſcunt.

57 Suffocante

57 *Suffocante angina poſt partum oppreſſa fœmina ſuperis venis ſciſsis, & ſcarificata in occipite cucurbitula, reuixit.* 139

58 *Stercus humanum, celebre aduerſus venena alexipharmacum.* 144

Obſeruationes Libri II.

Observa. Prima. *Grauidæ variolis etiam corripiuntur.* pag. 168

2 *Hæmorrhagia mira.* 183

3 *Quidam ira percitus violentas manus ſibi intulit.* 194

4 *Lateris dolore correptus vena ſecta illicò occubuit.* 203

5 *Pleuritis fraudulenta intra duos dies interficiens.* 214

6 *Pleuritica adſtringentium vſu emortua,* 219

7 *Phthiſis Ebeni decocto curatur.* 239

8 *Globus cryſtalliformis tuſſi proiectus.* 249

9 *Palpitatio ſæua, hyrudinibus ſupra cor affixis, curatur.* 251

10 *Importunus ventriculi dolor, vini abſinthites potu, curatur.* 285

11 *Tænia admiranda,* 303

12 *Vermis admirandus, abſinthij ope interfectus.* 305

13 *Ad ſingultum ex calore ſubortum, eximium auxilium.* 318

14 *Diarrhæa biliofa, ſola ſaluatellæ ſectione, curata.* 328

15 *Dolori nephritico, fonticulus in crure vtiliſſimus.* 354

16 *Ad deſperatum voluulum, optimum enema.* 358

17 *Epilepſia ex vermibus orta theriaca curata.* 361

18 *Dolor Hippochondriorum, ſæpè lethalis.* 377

19 *Ex mirachiali affectu Symptomata ſequuta, Ebeno curata.* ibid.

20 *Icterus à veneno, non ſemper flauus.* 388

21 *Pro hydrope curando fontanellæ mirabiles.* 401

22 *Ambuena medicamentum exoticum, hydropi valde ſalutare.* ibid.

23 *Hydropica, foramine in pollice dextri pedis aperto, excretâ copioſâ aquâ, conualuit.* 405

24 *Aſcite laborans, perforato naturæ vi vmbilico, integrè curatur.* 406

25 *Hydrops mirabilis.* ibid.

26 *Cruenta deiectio, critica.* 424

27 *Veſicæ vlcus mirabile lacte curatum.* 425

Obſeruat. Lib. V. *Lapis Belzaar ex cantho oculorum cerui extractus contra venena efficax antidotum.* 901

Spicilegium Anatomicum, in quo partes omnes corporis humani breuiter & compendioſè ac dilucidè deſcribuntur. 921

PRIVILEGE DV ROY.

LOVYS PAR LA GRACE DE DIEV ROY DE FRANCE ET DE NAVARRE, A nos amez & feaux Conſeillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maiſtres des Requeſtes Ordinaires de noſtre Hoſtel, Baillifs, Senechaux, Preuoſts, leurs Lieutenans, & à tous autres de nos Iuſticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Nos bien amez Iean Antoine Hvgvetan, & Marc Antoine Ravavd Marchands Libraires de noſtre ville de Lyon, Nous ont fait remonſtrer qu'ayans cy-deuant Imprimé auec nos lettres de Priuilege vn Liure intitulé Zacvti Lvsitani Opera, ledit Priuilege expirant dans peu de Mois, & craignans que quelqu'autre ne le faſſe imprimer, lequel leur feroit de tres-grand preiudice, Il nous ont tres-humblement ſupplié leur accorder continuation de leur dit Priuilege. A ces cauſes deſirant fauorablement traiƈter leſdits expoſans, Nous leur auons permis & permettons par ces preſentes de faire r'imprimer toutes les ſuſdites Oeuures en tel Volume, caractere, & marge que bon leur ſemblera pendant le terme de dix ans à commencer du iour qu'elles ſeront acheuées d'imprimer defendant à tous Libraires, Imprimeurs, & autres perſonnes de quelque qualité & condition qu'ils ſoient d'imprimer ou faire imprimer, vendre n'y diſtribuer deſdites Oeuures que l'edition deſdits expoſans ſous quelque pretexte & maniere que ce ſoit, n'y meſme les Abregez que l'on en pourroit faire, ou traduction en autre langue ſans le gré & conſentement deſdits expoſans à peyne de confiſcation des Exemplaires contrefaiƈts, ſix mille liures d'amende & de tous depens, dommages & intereſts, à la charge d'en mettre deux Exemplaires dans noſtre Bibliotheque, & vn en celle de noſtre treſcher & feal le Sieur Molé Cheualier, Garde des ſceaux de France auant que de les expoſer en Vente comme auſſi de faire Regiſtrer ces preſentes és Regiſtres des Maiſtres & Gardes de la communauté des Libraires de noſtre bonne ville de Paris à peyne de nullité d'icelles, Si Vovs Mandons & à chacun de vous endroit ſoy Enioignons que du contenu en ces preſentes, Vous faſſiez & ſouffriez & laiſſiez iouïr leſdits expoſans & autres ayans d'eux cauſe pleinement & paiſiblement, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit fait n'y donné aucun trouble & empeſchement, au contraire Voulons auſſi qu'en mettant au commencement où à la fin deſdites Oeuures vn bref extraiƈt des preſentes Foy ſoit adiouſtée comme au preſent Original, Mandons en outre au premier Huiſſier où ſergent ſur ce requis de faire pour l'execution des preſentes tous exploiƈts neceſſaires, ſans demander autre permiſſion, car tel eſt noſtre plaiſir, Donné à Paris le vingtquatriéme iour d'Aouſt l'an de grace mil ſix cens cinquante cinq; Et de noſtre Regne le treziefme, Par le Roy en ſon Conſeil.

MASCLARY.

Regiſtré ſur le Liure de la Communauté le vingtſixieſme Aouſt 1655. Conformement à l'Arreſt, du Parlement du neufuieſme Aouſt 1653. Signé Ballard Sindic.

Acheué d'Imprimer le deuxieſme Octobre 1667

DE

DE MEDICORVM PRINCIPVM HISTORIA.

LIBER PRIMVS,

De capitis affectibus.

PRÆLVDIVM.

ANIMALIVM omnium princeps homo, (miraculum magnum) licèt in ſe, ob præclara tam animi, quàm corporis inſignia nobiliſſimus ac diuiniſſimus ſit, tum ex mirabili eius dignitate ac ſtructura, tum ex temperie, quàm (præ cæteris animantibus) exactiſſimam, ſymmetrámque obtinuit: tamen cùm à diſcordi quatuor primarum qualitatũ concordia, ab elementorum ab inuicem inter ſe pugnantiũ diſcordia, tanquam à principio interno; à rebus naturalibus,contra naturam, & non naturalibus, velùt à cauſa vrgentiſſima, & vehementiſſima oppugnetur, cùm ſit mixtorum vltimum,ſubit maiorem varietatem compoſitionis,quàm cætera omnia, ita vt cum eodem ad ſenſum temperamento,varias, & affectiones,& paſſiones experiatur.

Eas ergo à capite potiſſimùm auſpicari libuit. Eſt enim caput rationis domicilium, facultatis animalis, ac cerebri receptaculum, quod velùt galea ipſum tegit, & ab externis iniuriis defendit. Et cùm ſit caminus vniuerſi corporis, & cucurbitulæ inſtar, trahat continuò, ſorbeátque partium inferiorum expirationes, cùm ſit in altiſſima ſede, tanquam in ſuprema arce locatum, non poteſt non crebris vaporum,& fuliginum hauſtibus repleri, & inebriari; licèt per plures cauernas, os, nares, aures, excrementa ſua ab infernis partibus aſcendentia à ſe depellat.

Quare fit, & vt mutua dimicatione, & pugna cerebrum afficiatur, & ex eo in ſubiectas partes ſeſe exonerante, emanet innumerabilium morborum aceruus: Et quòd caput ſit omnium ægritudinum radix, atque origo. Ex qua ſcaturigine, ſæui, periculoſi,& lethales dimanant affectus, quos recenſere eſſet valdè laborioſum.

Ad hæc, Cerebrum in capite receptum,membrum eſt diuiniſſimum, & quod figuram dat vniuerſo corpori: nam ex capitis magnitudine reliquorum oſſium naturam putat pendere Hipp. Pars ergo eſt præſtantiſſima, in qua principes animæ facultates reſident, diuiniores, ac excellentiores, rationatrix, motrix,ſentiens, rectríxque facultas in ea ſitæ ſunt.

Siue ergo eius præſtantiam ex ſitu, ſiue ex operationum dignitate, ſiue ex functionum robore rimeris: ab hac parte, has medicinales Principum Medicorum hiſtorias ordiri commodiſſimum fuit. Eſt enim cerebrum corde nobilius, præſtantius, ac excellentius; nam memoriæ, iudicij, & cogitationis eſt vberrima officina. Sed & cerebro omnia famulantur, eiúſque gratiâ totum corpus conſtructum eſt. Eſt ergo nobilitate cæteris præcipuis partibus præferendum. Cuius affectiones, ad vitales partes vſque, in hoc primo libro, fauente Altiſſimo, delineabimus.

HISTORIA I. GALENI, DE ALOPECIA.

Alopecia, ſola purgatione, ſanata.

*ADOLESCENS quiſpiam bonæ habitudinis, & exercitiis aſſuetus, hanc affectionem in capite habebat. Erat autem ſatis familiaris mihi, vt victus rationem etiam ipſius, qua iam per tres, aut quatuor menſes vſus erat, probè noſſem: explebat enim ſe quotidie fermè fungis. Hunc itaque ſola hiera ex Colocynthide purgaui, bis in quinque diebus: in prima ſanè purgatione, quatuor ex ea drachmis, in ſecunda, quinque exhibitis. Priuſquam verò ad has purgationes deuenirem, catapotia ex Aloë vndecim ei præbui, * ciceribus ferè magnitudinem parem habentia. Habent enim catapotia hæc: Colocynthidis partem vnam; Aloës, & Scammoniæ, vtriuſque partes duas. His ego partem vnam ſucci Abſinthij miſceo; ante verò etiam Maſtichen Chiam, & Bdellium adieci: hoc enim modo Quintus vtebatur. Verùm propter quid ea reiecerim poſteà, alio ſermone explicabitur, quem in compoſitionis purgantium pharmacorum libros reſeruo. Cùm itaque poſt has tres purgationes, homini pituitam è capite deducere per apophlegmatiſmos vellem, atque deinde pharmacum quoddam ad affectam partem adhibere, contigit ipſum derepentè in profectionem quandam ablegari; in qua cùm boni ſucci cibis, de quibus à me audiuerat, vteretur, poſt dies fortè viginti rediit, ab affectione circa capillos penitùs curatus, &c. Galenus* lib. 1. de compoſ. Med. ſecund. loc. cap. 2.

PARAPHRASIS IN PRIMAM Hiſtoriam Galeni.

DE Alopecia eſt in hac hiſtoria ſermo. Eſt autem ſic vocata, quòd vulpi, quæ Græcè dicitur ἀλώπηξ, frequenter accidat. Eius autem cauſa, auctore Auic. 7. 4. *tract. 1. cap. 5.* eſt materia mala, radicum pilorum originibus adhærens, eáſque corrodens. Humorem autem, qualis ſit, ex colore cutis facilè agnoſces: aliquibus enim albidior apparet, aliis nigrior aut pallidior. In hoc autem ægro, vberiorem adfuiſſe pituitæ copiam victus præcedens manifeſtè indicauit; Nam diu vſus eſt fungis, qui craſſum, tenacem, frigidúmque ſuccum gignunt, ex Gal. 2. *de alim. facult. cap. 69.* qui non concoctus, tum ob craſſitiem, *lib. de bon. & vit. ſuc. c. 7.* tum ob deleteriam, & perniciosam vim, ex Dioſcorid. *lib. 6. cap. 23. & aliis,* ab officinis coctionis tanquam oneroſus ad caput expellitur, radicéſque pilorum corrumpit, & alopeciam facit. Hic cùm alienus ſit à ſanguinis naturâ, vacuandus eſt, ne deinceps maius negotium faceſſat. Quod opus commendat ſummoperè Gal. Medico curaturo; nam citra vniuerſalis auxilij rationem fruſtrà topica imponuntur auxilia.

Qua de cauſa purgauit ægrum Colocynthide, medicamento ſanè violento, & forti, quantitate drachmarum quatuor exhibito, quoniam humores erant craſſi, tenaces, & lenti, naturâ ſuâ ad purgationem inepti, & in parte ſiti, à viis ductuum valdè remota, qui vt educantur, valentiori egent medicamento, & in maiori quantitate aſſumpto.

Et licèt in initio morbi, in prima vice deberet propinari in maiori quantitate, quàm in ſecunda, tum quoniam vires erant fortiores, humorumque copia liberalis: tamen vt tutiùs incederet, minorem in prima vice, medicamenti alioquin effrænis, quantitatem exhibuit: ex quo felici euentu factus audacior, quantitatem illius auxit in ſecunda.

Purgauit autem bis in quinque diebus, quoniam multi, viſcoſique ſucci ſimul vacuari nequeunt, & ſi ſubitò educere tentes, robur partis præſtantis nimiùm exſolues, & maximè cùm à crudorum humorum ſarcina, debilis & onerata natura, ſimultaneam vacuationem ferre non poſſit; quare ij paulatim ſunt coquendi, & paulatim vacuandi.

Concoxit autem, & præparauit (licèt expreſsè de medicamentis non loquatur) exhibitis catapotiis ex Aloë, Maſtiche, Bdellio, Abſinthio, & aliis: hæc enim calida cum ſint, & tenuium partium, craſſos humores incidunt, attenuant, ſecant, & coquunt, vt probat Aëtius *tetrab. 1. ſerm. 3. cap. 115. Vtebatur autem ſingulis diebus, ex hac antidoto* (loquebatur de hiera Ruffi ex Colocynthide,) *fabæ magnitudine, non purgationis gratiâ; magnoperè enim confert ad purgationes, & flatus diſcutit, &c.* Dedit autem non concoctoria, ſed expurgantia, vt aluus quadantenùs moueretur, & humores fortè redundantes in primis viis ſubducerentur, vt ſic leuata natura, & detracta copia, corpus fieret fluidum.

Neque mireris Gal. ad domandam Scammoniæ & Colocynthidis malitiam, correctoria non miſcuiſſe, reiecisséque Maſtichen, quam Quintus iniiciendam affirmabat. Nam Bdellium, & Maſtiche ſuo lentore, & craſſitie, acrimoniam horum medicamentorum obtundunt nimis; hac de cauſa miſcuit Aloëm, quod medicamentum, prærogatiuam quandam habere ſuper omnia medicamenta Gal. cæterique Græci, & Arabes confirmant: Nam pleraque omnia ventriculum labefactant: ſola Aloë eum roborat, & non ſolùm effrænium medicamentorum vires corrigit, atque emendat, ſed ab horum iniuriis ipſum, cæteráque viſcera tuetur, ac defendit; neque illorum facultatem purgatricem debilitat, ſed adauget. Quare veteres, præſertimque Arabes cum medicamentis validis pilulas componentibus Aloëm miſcere conſueuerunt.

Compoſitionem ergo à Gal. allatam, optimè eſſe confectam iudicabis. Nam licet pituitoſus humor, cauſa mali, eſſet educendus, & Aloë, & Scam. bilem primò expurgent: tamen, quoniam erat bonæ habitudinis, qui curabatur, iuuenis, & in quo ratione ætatis & temperamenti, bilis ferè ſemper copia ineſt, exhibuit cholagoga, quæ etiam ſecundariò pituitam expurgant, cum iis etiam miſcens Colocynth. & alia, quæ craſſos humores vacuare nata ſunt.

Poſt quæ, ad apophlegmatiſmos accedere conabatur, hoc eſt, ad ea, quæ pituitam è capite per os euacuant, teſte Paul. *lib. 5. cap. 1.* quæ ex medicamentis parantur calidiſſimis, veluti Nigella, Pyrethro, & aliis cum cera permixtis, quibus vtendum capite inclinato, ex Gal. 2. *ſec. loc. cap. 2.* vt ſic maſticatione, deducta in palatum pituita meliùs expurgari poſſit. Sed cùm per frequentem vacuationem hic humor eſſet exhauſtus, factum eſt, vt æger citra topicum auxilium fuerit curatus.

Quantùm interſit, Medicos in ciuitate populoſiſſima curatricem ſcientiam exercere, vt in pluribus ægris varios caſus, & admirabiles poſſint intueri, palam facit Gal. *lib. 1. de articul. com. 22. Gloriatur enim eo loco, quòd non ſolùm in vrbe Roma, terræ habitatæ compendio, medicam artem exercuerit, ſed etiam quòd omnia, quæ abſtruſa*

accidebant

accidebant in proximis vrbibus, ab amicis explorata habuerit: Quare ne mireris, inquit ipſe, *ſi plures hactenus inuenerim caſus quàm Hipp. Nam vrbes, quarum ipſe meminit, vbi diutius egit, non plures incolunt, quàm Romæ vicum vnum.* Sic ego in nobiliſſimis Europæ ciuitatibus, Phœbæam artem exercens, in facienda medicina occupatiſſimus, plura morborum, & curationum exempla notaui, quæ cùm ſcitu digna ſint, nec infrugifera, & pro noſtrarum virium captu abſoluta, ea huic operi alternatim inſerere non dubitaui.

Obſeruatio I.

Alopecia ſucco Nicotianæ curata.

ILluſtriſſimus quidam Luſitanus, cuius nomen decoris cauſa, conſultò reticere licet, toto corpore & capite depilis factus, cùm corruptis humoribus ſcateret, neque ſudorificis ex ſmilace aſpera (erat enim Gallicæ luis ſuſpicio) iuuaretur: vnguento tamen vtens mercuriali, nulla ſequuta per os, aut aliam regionem vacuatione, opem vix ſenſit vllam. Tandem ſucco Nicotianæ (vulgò vocant Tabaco) toto corpore vnctus, pili geniti ſunt, priſtinumque nitorem recuperarunt. Miror autem quod aromatum diligentiſſimi ſcriptores, de huius vi ex profeſſo diſſerentes, vt Monardus, Chriſtoph. à Coſta, Fragoſus, Cluſius, de hac facultate non meminerint, quam ego aduerſus Alopeciam ſæpe feliciſſimè ſum expertus: Et plurimis experimentis firmauit Ioannes Meander Bremanus *lib. de Tabacologia, ferè per totum.*

QVÆSTIO I.

Quod pilularum vſus à Græcis & non ab Arabibus ſit inuentus. Contra Mercurial. doctiſſ.

COMMENTARIVM.

Vlceribus ferè magnitudinem parem habentia.] Explicata Galenica ſerie, nodos ſolùm, & ſpinas rimari decreui, præſertim in vita breui, arteque longa. Nam interpretis officium ſolùm circa orationes obſcuras verſatur: auctore Gal. *lib. 1. epid. ſect. 2. com. 56. & lib. 3. aph. in præfat.* Taxat enim Gal. *lib. 1. epid. ſect. 3. com. 5. in fin.* ſui temporis Medicos, quòd verum artis vſum negligentes, in interpretando Hippoc. nullius frugis ſapientiam commentarentur: Nam obſcura ſunt quæ illuſtrant prorſus Medicum. Sophiſta verò, dum de vocibus, & ſignificatis contendit, ſuum, & diſcipulorum tempus conſumit. Quoniam logicæ quæſtiones prætereundæ ſunt, ex Gal. *lib. 1. de loc. cap. 4.* quum in iis, quæ ad artis vſum conferunt, diu immorandum eſſe, & prætermittenda quæcunque ſophiſticè ſunt tradita Gal. proclamet ſæpè, in *lib. 6. epid. ſect. 5. com. 14.* nam hæc nihil ad meliùs ſanandum conferunt: vt diſertè probat Gal. *lib. 1. prorrhet. ſect. 1. com. 33.* In quibus ſeriis controuerſiis explicandis, vt veritas, in Democriti puteo latitans, & à iunioribus, tot contradictionum labyrinthis obſcurata, velut alter Sol, purior euadat, neceſſe eſt contra hos acriter diſceptare. Et primò ſic pro textus expoſitione.

Quòd pilularum vſus à Græcis, & non ab Arabibus ſit inuentus, contra Mercurialem. Is enim *lib. 1. de cap. affect. cap. 3.* ei ſe adſtrinxit opinioni, vt crederet, pilularum vſum à Græcis minimè fuiſſe cognitum. Sed opinionem eius redarguunt plurima, paſſim in Gal. & Medicorum libris conſcripta. Nam Græci pilulas vocauere coccia, vt ait Arnaldus *in Meſuem, tract. de pilul.* Quid enim euidentiùs dici poteſt, quàm quod à Gal. profertur hoc loco, nempe medicamenta ſolida ad expurgandum, facta fuiſſe ciceris magnitudine: quod etiam facit *lib. 7. ſec. loc. cap. 2. tit. de arteriacis ab Aſclep. conſcriptis*, dum ea erui magnitudinem in ſomnum euntibus concedit, & *tit. de confectionibus ad tuſſim*, ea ſimili forma exhibet, & *lib. 8. eiuſd. cap. 8.* ea præbet nucis ponticæ magnitudine: & *lib. 10. eiuſd. tit. de Nephrit. compoſ.* tria catapotia exhibet ciceris magnitudine. Inſuper *lib. 14. Meth. 8.* pro linguæ tumefactæ medela pilulas (ſic enim loquitur) veſperi ſumendas conſulit. Paul. *lib. 7. cap. 5.* Catapotia conficit in modum ciceris, quorum vndecim vnica vice præbet. Demum Tral. *lib. 2. cap. 4.* ſolida medicamenta in globulos efformare docet, quod etiam facit Celſus, *lib. 5. cap. 25.*

Pilulæ ergo, quæ à Græcis granula, coccia, catapotia, globuli dicuntur, ab illis cognitæ ſunt, & maximè cùm dicat Scribonius Largus, *comp. 87.* & Marcellus Empiricus, quòd catapotium, medicamentum eſt, quod non diluitur, ſed in globulos efformatum, integrum deuoratur, vt eleganter probat Trincauel. *lib. 1. de compoſ. medic. cap. 17. de pilul.* Quæ medicamenta in hac forma in varios vſus antiquitas conſtruebat, de quo argumento videndus Ant. Muſa Braſauol. *in examine catapotiorum, in fin. præfat.* Lege Quintum Serenum *cap. 55.* qui pilulas, glomeramina vocat.

Dilue præterea glomeramina, quæ gerit intus
Clauſa Aries, inter geminæ coxendicis vmbram.

HISTORIA II. RASII.
De Alopecia.

Alopecia, topicis medicamentis, curata.

VIr quidam diues, & de genere Ducum, incepit pati alopeciam in capite, & ceciderunt de capillis in quantitate duorum digitorum: & venit ad me, & præcepi quod fricaretur locus cum panno aſpero, vſque quò eſſet rubificatus, deinde fricaui ipſum cum cæpis, & fecit ſibi hanc curam pluries reiterari, donec ampullatus eſſet locus, & mandaui ipſum lenire cum adipe gallinæ ad mitigandum feruorem, & ceſſauit, & ſpatio vnius menſis orti ſunt pili, &c. Raſius in lib. de mirabilibus curis.

PARAPHRASIS.

QValia debeant eſſe medicamenta ad generandos pilos aptiſſima, docent latè Gal. *lib. 2. ſec. loc. cap. 2.* & Aëtius *tetrab. 2. ſerm. 2. cap. 55.* Nam diſcutiant neceſſe eſt, partes profundas penetrent, ſanguinem optimum pilorum generationi accommodum ad cutem attrahant, vt doctè explicat Mercurial. *lib. 1. de morb. cutan. cap. 4.* in quem vſum rubificantia ſunt inuenta, vt firmat Gal. *lib. 1. ſec. loc. cap. 2.* hæc enim medicamenta, partem cui applicantur rubram faciunt, tumentemque: ita enim acria ſunt, vt ſuo calore ab internis, ad externas ſedes, quidquid reconditum eſt, traducant, tranſponantque, vt *lib. 6. ſimpl. cap. de Zingib.* affirmat Gal. de quorum numero ſunt Elenium, iberis, ſinapis, & cœparum genus omne. Quoniam tamen ſæpiſſimè contingit, vt ad caput, ratione caloris, & doloris, confluant excrementa, ne inflammatio concitari poſſit, dolorem lenire neceſſe eſt, iis quæ tum acrium humorum prouentum cohibent lentore ſuo, tum illorum caliditatem, mulcebri qualitate, & anodyna obtundunt: quam facultatem habere adipem gallinæ inter cæteros tradit Paul. *lib. 7. tit. de adipe.*

Medicamenta ergo ad gignendos pilos accommoda, ea lege imponenda ſunt, vt cum eis vrſinus adeps miſceatur ſemper: quod auxilium huic affectui eſſe nulli ſecundum, cum Galeno firmat Amatus *4. cent. 4.* Nam à proprietate iuuat, vt ex veterum & iuniorum mente doctè probat Conradus Geſnerus, *lib. 1. de quadrup. tit. de Vrſo, litera G.* Cuius loco, leonis, pardalis, & hyænæ adeps ſubſtitui poteſt.

Pro parandis tamen vnguentis hæc ſunt præcipua: Apes viuæ, vel mortuæ vſtæ, capil. veneris, Abrotan. Abſinth. ſemen apij, cortices nucum, pinearum, auellan. amygdal. caſtanear. ſtercus muris, & capræ, ſpuma nitri, capita muſcarum vſta, folia hederæ, radix arundinis, lauendulæ, & lapathi acuti, Euphorb. Pyrethrum, Zingib. roſmarinus, ex quibus cum pilis Vrſi vſtis, axungia,

axungia vrſina, oleo maſtich. vel lentiſcino, ladano, & melle, poſſunt in hunc vſum varia parari vnguenta. Vide Gal. *lib.* 14. *Meth. cap.* 18. Et varia remedia quære apud Gondiçaluum Rodericum Cabreira, in *ſuo libello de Chirurgia, Luſitano idiomate conſcripto.*

HISTORIA III. GALENI.
De tinea.

Ruſticus achoribus ſcatens, Locali auxilio perſanatus.

*Porrò cùm aliquando ruri degenti mibi pharmacum ex charta ad manum non eſſet, conſpecta in ægri domo,inutili aliàs charta, faculam poſtulaui, exuſtaque charta, ac aceto diluta, locum affectum illeui, hominemque poſtridie ad me venire iuſſi: ſciebam enim quod cùm duræ carnis eſſet, pharmacum ferre poſſet. Qui vbi veniſſet, parùm aberat quin curatus eſſet: quare * ad aliud pharmacum non tranſiui, ſed eodem vti iuſſum, poſtera die perfectè ſanitati reſtitutum ab achoribus conſpexi, &c. Hæc Gal.* lib. 1. de compoſ. med. ſec.loc. cap.8. in princ.

PARAPHRASIS.

Quæ medicorum vulgus, à continuo ſaniei fluxu,manantia capitis vlcera vocat,ea Græci, Achoras, & iuniores barbari,quoniam veſtium tineis ſimillima ſunt,tineam appellare conſueuerunt, & Paul. *lib.* 3. *cap.* 3. vlcera eſſe dicit, tenuiſſimis foraminibus cutem perforantia, ex quibus glutinoſa ſanies effluere ſolet. Originem verò præſentis mali, ad nitroſam, ſalſamque pituitam refert Ægineta. Et Gulielmus Placentinus *lib.* 3. *cap.* 8. hunc morbum cum vdis puſtulis euenire ſibi perſuaſit. Et Raſius ex ſanguinis copia, vnà cum cutis humiditate accidere tenet. *lib. de puer. ægritud.* Conſtat autem apud omnes,iſtiuſmodi vitium ex humoribus prauis,ſalſis,nitroſis,acutis, exedentibus ortum ducere, & non ſolùm in capite, facie, ſed & vniuerſo corpore contingere, vt refert Theodor. Priſcian. *lib.* 1. *ad Timoth.* De tineæ ſpeciebus, ſignis, & prognoſi conſule Arabes,& poſt hos Mercurial. *lib.* 1. *de morb. cutan. cap.* 9. & 10. Ludou. Mercat. *lib. de puer. morb. cap.* 21.

In quorum vlcerum curatione præter vniuerſalia auxilia, cùm ipſa contumacia ad ſanandum exiſtunt, emplaſtrum ex charta combuſta apponere vtiliſſimum iudicauit Gal. Cùm enim ruſticus eſſet,qui curabatur homo, & duræ carnis,acrius poterat tolerare medicamentum:quo impoſito,factum eſt,vt ſiccato vlcere,ad alia auxilia deuenire non cogeretur. Plurimum autem laudaſſe Gal. inter cætera hoc medicamentum,ex ipſo conſtat manifeſtè *lib.* 5. *ſec. gen. cap.* 14. *tit. arida cicatricem inducentia, &c.* quo loco ex Lucij, Theotropi, Ptolemæi,Moſchioniſque ſententia, vtitur ad nomas diachartu (ſic enim hoc medicamentum à Græcis appellatur) & vlcera ſordida repurganda; eſſeque hoc huic vſui validiſſimum aſſeuerat 9. *ſec. loc. cap.* 8. & *lib.* 8. *ſimpl. tit. de papyro.* Quo ſæpiſſimè vſum fuiſſe tradit *lib.* 5. *meth. cap.* 15. cum felici euentu, idque percelebri hiſtoria confirmat, cùm ſit ad vlcera exſiccanda præſtantiſſimum. Cuius medicamenti compoſitionem, licèt æris ſquamma, ſulphur viuum,auripigmentum,plumbum crematum,ingrediantur,ex Paul. ſententia *lib.* 7. *cap.* 13. *in princip.* hoc valentiſſimam habere exſiccădi vim exiſtima, ſi vnà charta combuſta miſceatur his: Quo in diuturnis malis, corpore ſæpius iam purgato, vti fas eſt. At verò in noſtro ægro,quoniam vitium ſolùm erat in parte externa,citra internarum partium læſionem,ſolùm ſufficiens fuit ex charta combuſta cum aceto,pro miti affectu emplaſtrum adhibere; quamuis enim cùm roſaceo præparet Paul. Acetum nimis ſuperfluam exſiccat humiditatem, & humoris acuti impetum refrænat,penetrat, & impensè fluxionem arcet.

Alium etiam affert Plinius modum, quo id veteres faciebant,*lib.* 13. *nat. Hiſt. cap.* 11. & 12. Erat autem papyrus genus quoddam iunci, quod habet ſtrenuam deſiccandi vim; nos iuncum Indicum vocamus, quo cùm careamus,

A papyrum craſſam, vſtam, & aceto maceratam,loco illius poſſumus ſubſtituere,qua deficiente,chartam noſtram eligere oportet: quæ cùm ex pannis lineis contuſis & maceratis fiat,exſiccare poteſt. Nos eaſdem vires non obtinere chartam noſtram cum antiqua affirmamus, ſed ferè ſimiles habere putamus: Vt ſic ſatisfaciamus Mathiol. & Lacunæ,qui *lib.* 3. *in Dioſcorid. cap.* 95. ex noſtra charta non poſſe fieri id celebratiſſimum auxilium,quo ad exſiccanda vlcera antiquitas vtebatur, ſibi perſuadent. Sed immeritò. Nam ſi panni linei apud Gal. 1. *ſec. loc. cap.* 2. exſiccant, cur papyrus noſtra ex eiſdem confecta non exſiccabit?

Obſeruatio II.

Tinea, aqua ſublimati curata.

B Contumaciſſimus morbus tinea eſt,quâ quùm ſeptem annorum ſpatio iuuenis laboraret, & varia vniuerſalia, topicaque ex elleboro, ſulphure viuo, auripigmento, calce viua,alumine,mercurio,& aliis violentis conflata experiretur incaſſum, aqua calida quantum ferre poterat, in qua priùs ſublimatum infundebatur, ſingulis diebus bis, toto capite lotus (priùs tamen bellè purgato corpore) ſanitatem obtinuit. erat enim quantitas ſublimati ℥.ij. ad ℔. ij. aquæ. Hoc enim medicamentum pro hoc Herculeo debellando morbo præ cæteris eſt præſtantiſſimum. Experieris & miraberis effectum. Et non ceſſes lauare caput, quouſque vlcera omninò mundentur, & rubeſcant.

QVÆSTIO II.

C *Quòd in morborum curatione, remediorum immutatio ſit ex vſu.*

COMMENTARIVM.

Ad aliud pharmacum non tranſiui, &c.] Dubitant Medici,num in morborum curatione,remediorum immutatio ſit ex vſu, & pro parte negat. Hipp. in ſui ſubſidium afferre ſolent,*lib.* 2. *aph.* 52. dicentem,non eſſe tranſeundum ad aliud auxilium, licèt id ſecundum rationem non eueniat. Quoniam reperiuntur morbi, qui præ ſui contumacia auxiliis medicis non ſuccumbunt, quales ſunt ex craſſis humoribus orti, in quibus (ait Galen. 2. *ſec. loc. cap.* 1.) rationabiliter ſecundum indicationem præſidiis vtimur, etiam ſi nullum à principio commodum ſequatur;
D Nam,vt doctè ibi Gal. aduertit,ſicuti aqua ſæpè cadens, durum lapidem longo tempore excauat: ſic morbi pertinaces,ex diuturna auxiliorum applicatione iuuari ſolent; in quibus,qui recta ratione inuenerit quod conducit,non diſcedat ab illo,quod primò faciĕdum exiſtimauit. Ex quo conſtat plurimùm eſſe vituperandos, qui permanente eadem morbi diſpoſitione,aſſiduè præſidia immutant, quos ſummoperè carpit Gal. *lib.* 5. *de dieb. decret. cap.* 11. cùm *nihil ſit quod plus ſanitatem impediat, quàm remediorum crebra mutatio*, auctore Seneca *lib.* 1. *epiſt.* 2. *Non enim venit vulnus ad cicatricem*, inquit ipſe, *in quo crebra medicamina tentantur.*

Contrà facit Gal. *lib.* 5. *de ſanit. cap.* 9. docens enim auxilia, quibus ad ciendam aluum ſenes vti debent, monet vt iis variè vti poſſimus: nam aſſuefacta natura, eorum vim contemnit; quoniam,vt inquit Auic. 4. 1. *cap.* 1. ab aſſuetis
E non fit paſſio,& *vnicuique corpori,imò omni membro, in vna hora, & non in altera, ineſt proprietas ab vna medicina pati, & non ab alia.* Quod etiam confirmat Paul. *lib.* 3. *cap.* 78. *At in quibus obſcura morbi eſt origo, hæc ſemel experiri abundè fuerit, modò ad conſimilia tranſeundum eſt, modò ad contraria: Neque tamen eis diutiùs immorari licet, ſi nullum ex iis ſolatium perceperit: Hæc quotidie in artis operibus fieri videmus, vt idem medicamentum vni articulo profuerit, alteri in eodem ægrotante, ſimiliter inflammato, non modò non opituletur eodem tempore, ſed aliquando (quod maximè eſt mirum) offenderit, &c.* Quod repetit Haly 8. *pract. cap. vlt. iuxta fin. cùm diutiùs vno curaueris medicamine, nec prodeſt, ad contrarium tranſi; quoniam huius fortaſſe natura,*

ra, non conuenit huiuſmodi naturæ paſſionis, &c. Sunt enim plurimæ proprietates occultæ, quæ exprimi nequeunt, ob quas accidit, vt plus hoc membrum hoc auxilio, quàm alio adiuuetur.

Licet ergo immutare auxilia, dummodò in eis eadem virtus remaneat. Quare Auer. *lib.* 7. *cap.* 2. ſic aſſerit *Concedo quod Medicus de vna medicina ad aliam tranſire poteſt, & debet; quoniam ſi ſola vna vteretur medicina, poſſibile eſſet, quod natura in habitum conuerteretur*, &c. Quo pacto Auic. 22. 3. *tract.* 2. *cap.* 7. permutationem conſulit medicinarum *Et ſcias, vt permutatio fiat cum medicinis: quandoque enim eſt medicina conferens vni membro, & non aliis, & quandoque confert in vna hora, deinde poſt illud nocet, & mouet dolorem, &c.* Nam in vno membro proprietas eſt, vt ab vno auxilio iuuetur, & non ab alio. Quare permutatio remediorum optima eſt, dummodò ſint eadem in virtute. Et hoc eſt quod docuit Hip. *lib. de loc. in hom. num.* 50. vt *medicamento vno non conferente, ad aliud tranſeundum ſit.* De quo argumento inter omnes lege acutiſſimum Gentilem *in com. nuper citati loc.* Auic. & Antonium Mariam Bettum *in com. cap.* 3. Auic. *fen.* 4. *lib.* 1.

HISTORIA IV. RASII,
De tinea.

Tinea, hirudine ſuper partem affectam, impoſita, curata.

E*Terat in capite, & facie cuiuſdam tinea rufa, ſupra quam * ſuſpendi feci ſanguiſugam, & ſanata fuit penitus, &c.* *Raſius* lib. 36. cont. tract. cap. 2.

PARAPHRASIS.

INter ſex tineæ differentias, poſitas ab Haly 8. *theor.* 5. quædam eſt, in qua eminet quidpiam ſimile papillis vberum mulierum cum rubore, & emanat cruor rufus. Pro cuius curatione plurima ſolent machinari auxilia, quæ præterquam quòd humorem fouentem euacuant, impactum etiam ex ipſamet parte exhauriunt. Cùm ergo morbus ab auctore deſcriptus, ab hoc humore ortum duceret, nullum hirudine in affecta parte impoſita, præſtantius poterat excogitari auxilium.

Quo ferè pro topico vtebatur antiquitas, nam poſt celebrata præſidia vniuerſalia, ad hoc, tanquam ad ſacram anchoram, veteres neceſſitate quadam coacti, accedebant, Sic in omni arthritico dolore, ſiue manus, coxam, artúſque infeſtet, fidiſſimo experimento confirmatum eſt, hirudines ſuper affectam partem imponere, vt auctor eſt Cælius Aurel. *lib.* 5. *tard. paſ. cap.* 15. Hirudines etiam adhibendæ, quas Græci bdellas appellant, &c. Et Theodoricus *lib.* 4. *cap.* 5. *de gutta.* Douynettus 4. *apolog.* 3. poſteà confirmarunt.

Priſcorum doctiſſimi apud Aretæum *lib.* 2. *acut.* 6. plus commendant hirudines, quàm ſcarificationes, quoniam ab ipſa ægra parte peccantem humorem altiùs educunt: & *lib.* 3. *cap.* 3. in anginæ curatione, vbi ab ægro formidatur cuſpis ferri, ſanguiſugam apponere imperat. Oribaſ. 7. *collect. cap.* 21. pluribus noſtri corporis partibus eas adhibet Paul. *lib.* 2. *cap.* 44. in dolore capitis in febribus, eas occipiti affigere iubet. Et *lib.* 3. *cap.* 77. ſuper coxam eas applicare ſuadet, quando malum cucurbitulis inciſa cute leuari non poteſt.

Deinde vſu diuturno compertum eſt, præſentaneum auxilium eſſe, ſub lingua eas affigere in canina, & ſuffocante angina, & in ipſa lingua ipſas apponere, quando intumeſcit nimis, & periculum ſuffocationis perſentiſcit æger, vt humor in ipſa imbibitus, harum ſuctu poſſit exhauriri

Sic eas, ſumma cum vtilitate in ipſo ſplenis loco imponit Aëtius *tetr.* 3. *ſerm.* 2. *cap.* 11. Sic in abſceſſibus, cutis fœditatibus, malignis tumoribus, vulneribus, morſibus virulentis ſæpiſſimè cum felici euentu imponuntur. Sic in exitialibus capitis affectibus in venis naſi, frontis, temporum, retrò aures; eis vtimur frequenter, vt ſic humor in intimis cerebri ſedibus deliteſcens extrahatur. Quapropter ſummè admiror Mercurialem, virum alioquin in veterum ſcriptis valdè verſatum, qui in *com. hiſt.* 2. *Epidemicæ*, huius auxilij vſum, à Principibus Medicinæ fuiſſe ignoratum confirmat, quoniam id inutile prorſus, & periculoſum exiſtit. Si enim morſus, & foramen attendantur, quod facit animalculum iſtud, vſque adeò anguſtum eſt, vt ſolùm tenuior ſanguis exire poſſit, relicto craſſiori, qui totius mali fomes exiſtit. Sed vir iſte grauiter deceptus eſt: Nam præterquam quòd, vt vidiſti, in morbis à craſſo humore ſubortis, eis in parte affecta impoſitis antiquitas vtebatur; foramen ab eis factum, ita eſt amplum, vt per id ſordes emanet craſſiſſima, & copioſa ſæpè fiat ſanguinis vacuatio, quæ vt ſiſtatur, plurima exigit adſtringentia auxilia,

Obſeruatio III.

Puſtulæ in facie inueteratæ, hirudinibus in ipſa impoſitis, ſanantur.

IVuenis quidam, puſtulis vlceroſis in facie diu, importunéque vexatus, multiplicia expertus fuit auxilia, in quorum numero ſunt, præter vacuantia, balnea, fontanellæ in brachiis, & crure dextro apertæ, vnguenta mercurialia parti ipſi, & toti corpori adminiſtrata, (erat enim Gallicæ virulentiæ ſuſpicio) ſerum caprinum multiplici vacuantiũ bilem retorridam (à qua vitium ortũ ducebat) ſylua confectum. Sed cùm habitualis adeſſet in facie calida intemperies, ob quam, vel optimum alimentum, calor partis in reprobum humorem conuertebat: neque refrigerantia, & ſiccantia medicamenta poſſent eſſe ex vſu; quater, applicitis 40. hirudinibus in facie, & extracto craſſo, multo, & fœdo ſanguine, ita leuatum eſt malum, vt paucis póſt diebus, puſtulis euaneſcentibus, nunquam recrudeſceret.

QVÆSTIO III.

Quòd hirudines non ſolùm ſanguinem cutaneum attrahant, ſed ex profundis corporis partibus peccantem humorem educant. Contra Menam, Mercurial. & Augenium, & communem Medicorum ſententiam.

COMMENTARIVM.

S*Vſpendi feci ſanguiſugam.* Explicanda modò celebris quæſtio eſt, num hirudines ſanguinem cutaneum ſolùm attahant, vt voluit Gal. An ex profundo corporis peccantem humorem educant, vt firmat Auic. Et pro vtraque parte paria videntur eſſe argumenta. Gal. enim *lib. de hirudinib. cap.* 1. ſic ait: *Illud quoque compertum habere debes, hirudines ipſas ſanguinem illum extrahere qui carnibus adiunctus eſt, non qui in imo corpore continetur, &c.* Idem etiam legimus dixiſſe Antyllum apud Oribaſ. 7. *coll.* 21. *in fin.* Contrà Auic. 4. 1. *cap.* 22. dum ſic ait: *Extractio præterea ſanguinis à ſanguiſugis facta, profundior eſt extractione quæ fit cum ventoſis, &c.* Quod priùs inſinuauit Aret. *lib.* 2. *acut. cap.* 6. ſic enim inquit: *Nonnullis autem hirudines, quàm ſcarificationes magis placent; nam eius beſtiolæ morſus altiùs penetrat, &c.* Quare ſi hirudines ex profundiori loco ſanguinem euacuant, quàm cucurbitulæ, non ſolùm ſanguinem cutaneum extrahunt.

Placet vtilem quæſtionem examinare ad vnguem, primò ſeorſim, deinde ex collatione ponderare vires, & efficaciam vtriuſque, híſque tam repugnantibus locis veram conciliationem apponere.

DVBIVM I.

Num maximus ſit hirudinum ad morbos leuandos vſus.

HIrudinum, & cucurbitularum vſum in affectibus plurimis, eſſe ſaluberrimum auxilium, noſtro, & anti-

quorum æuo confirmatū eſt. De illis dicebat Plin. *lib*. 32. *c*.10. *Eadem ratio quæ cucurbitularum medicarum, ad corpora leuanda ſanguine, ſpiramenta laxanda, iudicatur.* Quod Gal. *cit. loco* confitetur: Nam vtrumque auxilium præcipuè medetur cutis vitiis, ex Auic. 4. 1. *cap*. 22. *Ventoſæ autem magis mundificant*, &c. & *cap*. 22. *Appoſitio præterea ſanguiſugarum confert ægritudinibus ſubcutaneis*, &c. Quod verò in opere agat profundiùs: altiùs modò inquirendum eſt.

Licèt Antiquitas ferè vſa ſit hirudinibus in cutaneis affectibus: Fœcunda tamen manus Domini, quæ nec effœta eſt, nec abbreuiata, multa alia in poſterum effuſura, alios vſus commodiores, & vniuerſaliores, ex perenni liberalitate edocuit. Nam non ſolùm plurimi in cutaneis affectibus pro particulari auxilio adminiſtrant, ſed pro vniuerſali, admodùmque præſentaneo vti ſolent: nam poſt duo illa, tertio, quartóve loco, ordine ſuccedunt & poteſtate.

Electæ ergo hirudines, rectè præparatæ, exhauſtæ, inanitæ, pleno corpori, grandiori venæ, partique molli applicitæ, vt inquit Fernel. 2. *Meth*. 19. qualis communis, vel baſilica ſub flexura cubiti, quæ cum caua, ampláque vena maximam communionem habet; ſeu turgentibus ani venulis, multo & craſſiori ſanguine refertis, vel ſimilibus locis applicentur, ibique triſido vulnere inflicto, cuti tenaciùs adhæreant, ſugunt auidiſſimè, & vniuerſi corporis plenitudinem, præſertim melancholicam, à diſtantiſſimis corporis partibus deponunt, vt eſt apud Plin. *loco cit*. Sanguinem enim quaſi ſiphonibus exhauriunt.

Sic ſuris affixæ reuellunt à capite, & à corde in palpitatione, quod frequenti experimento confirmat Ludou. Mercat. *lib*. 1. *Indicat. cap*. 4. Idem moliuntur in pueris dyſenteria laborantibus, brachiis affixæ; in quorum periculoſiſſimis morbis, ſedi appoſitæ mirificè iuuant, ſanguinem ſeroſum, (quo pueri ſcatent) exhaurientes, vt disertè probant Cardanus *lib*. 2. *contradict. tract*. 2. *cont*. 16. & Ludouic. Mercat. *tom*. 1. *lib*. 1. *quæſt*. 169. Inſuper in morbis oculorum, poſt aures, vel naſi venulis affixæ ſummoperè iuuant.

Obſeruatio IV.

Temporum immanis dolor, hirudinum ſuctu ſæpe curatur.

IN temporibus arterias ſecandas eſſe conſuluere priſci, licèt ob vaſa inſignia per tempora excurrentia, tum vulnera earum partium lethalia ſint, tum arteriotomia valdè periculoſa. Cúmque ad hanc partem ſuapte natura (ob multas cauſas) debiliſſimam, ab infernis partibus, præſertímque ab vtero, craſſi, fæculentíque ſanguinis copia irruat, intolerabilis dolor, vnà cum frequenti temporum palpitatione, ſæpe concitatur, vt multorum præſidiorum, vel etiam narcoticorum efficaciam contemnat. Tamen fidiſſimo experimento à me compertum eſt, in ipſis temporibus 10. aut 12. hirudines circulariter imponere; ſic enim extracto ſanguine craſſo, & multo, ægri à ſæuo cruciatu leuantur, & eſt ſecurius arteriotomiâ auxilium.

Ob quem vſum cordi palpitanti plures apponere, ſalubre ſemper iudicaui. Hæmorrhoidum verò & varicum tumores, & omnium quæ ſub cute ſunt infectionum labes diſcutiunt. Sic ſedi appoſitæ, non ſolùm ad leuandam naturam, & iuuandam coctionem, ſed ad corporis tranſpirationem moliendam, factis vniuerſalibus auxiliis, in omnibus venoſi generis morbis, quando vires languent, & reſiduum humoris, ab igneo calore aduſti deponere conamur, mirabilem opem præſtant. Tunc enim non ſolùm fit à diſtantiſſimis partibus huius fœdi humoris reuulſio, vnáque vacuatio; ſed incitatur ſic natura, vt ad extremas, minúſque præcipuas corporis partes illum expellere poſſit. Quare in febribus à craſſis humoribus originem ducentibus, vt quartana, feliciſſima vtilitate eas imponere, ratio, vſúſque demonſtrant; cùm eadem præſtent commoda, quæ ad ſpontinum fluxum hæ-

A morrhoidalem ſubſequi veteres protulerunt, vt patet ex Hip. 6. *aph*. 11. & 21. & 4. *eiuſd. com*. 25. & *lib*. 6. *epid. ſect*. 2. *com*. 14. & *ſect*. 5. *com*. 25. & *ſect*. 6. *com*. 8. Aëtio, *tetrab*. 2. *ſerm*. 1. *cap*. 29. Quam ob cauſam in peſtiferis, malignîſque febribus, præcipuéque in pulicari, miro ſunt auxilio, vt non minus latè, quàm ſcitè docent Petrus Salius *lib. de feb. peſtil. cap*. 21. *ad fin*. & Ioannes Colle *lib*. 6. *de morb. malig. cap*. 7.

Quare in melancholicis affectibus admirabiles pariunt vtilitates, vt maniâ, melancholiâ, vt proprio experimento obſeruauit Amatus 2. *cent*. 64. Probat elegãter Santorel. *lib*. 19. *Antepraxis cap*. 13. Qua de cauſa in retentis menſtruis, eas hæmorrhoidalibus venis affigere non eſt abs re; nam inter anum, & vterum mutuus adeſt conſenſus ob viciniam, ex Hip. 5. *aph*. 58. & ob vaſorum communionem, à
B ramo enim hypogaſtrico, riuuli venarum ad vterum, & rectum inteſtinum perueniunt, vt notat Laurent. *lib*. 7. *de re anatomic. qu*. 11. & magis ſi à partu, aut abortu inuaſerit morbus, periculoſáque ſymptomata excitauerit; Cùm enim rectum inteſtinum ſuperiaceat vtero, & vacuatio à partu melancholica ſit, ſi vires non conſtant, tutiſſimum eſt, his partibus eas adhibere, vt venenati vapores ex ſuppreſſis lochiis eleuati, cor, cæteráque præcipua viſcera inficientes, ad infernas, minúſque momentaneas deturbentur corporis partes. Quicquid, (falsò tamen) contrà ſentiat Albertinus Bottonus *lib*. 1. *de morb. mulieb. cap*. 35. & ita ſæpiſſimè miſeras fœminas, atroces morbi ex ſuppreſſo puerperio ſuborti affligunt, vt noua excogitare præſidia, neceſſitate compulſi Medici co-
C guntur.

Obſeruatio V.

Phrenitis ex puerperio retento, hirudinibus internæ vteri parti applicitis, curatur.

FOeminam à partu, ex menſtruo retento orta febris inuaſit, quæ nec tali ſectionibus, tibiarum, coxarúmque ſcarificationibus, aut apertis hirudinum vſu mariſcis, aut aliis auxiliis miteſcens, in phrenitidem abiit. Et cùm totius curationis cardo in prouocanda ſuppreſſa vacuatione verſaretur, & omnia reuellentia iam eſſent celebrata auxilia, nec aliud reſtaret exequendum, niſi, ob vrgens ex inflammatione periculum, ex ſupernis partibus ſanguinem
D extrahere, cùm affectus videretur iam eſſe factus communis. Priùs ad originem mali, & occaſionis principium deuenire conſultiùs iudicaui; ſícque quatuor hirudines, internæ parti vteri, filo appenſas, apponere iubeo, ex quarum ſuctu ſequuta larga vacuatione, reſipiſcere ægra cœpit, & ſedato delirio, meliùs habuit.

Demum nullum eſt tam ſæuum morbi genus, quod huius auxilij vi non miteſcat, atque ſuccumbat, maximè ſi ani venis internis hirudines affigantur. Nam vel hæ venæ à caua originem ducunt, vt inter omnes ex Anatomicorum mente latè probat Altimarus *lib. de medend. hum. corp. malis, cap*. 76. vel è ramo ſplenico venæ portæ, per meſaræum, circa colon, & inteſtinum rectum extenſæ, in anúmque terminatæ progrediuntur, vt docent Veſalius *lib*. 3. *fab. corp. cap*. 5. And. Laurent. *lib*. 4. *de re anat. cap*. 4.
E Realdus Columb: *lib*. 6. *anat*. Scholiograph. *ad cap*. 55. *lib*. 1. *Holler. de morb. inter*. Atque adeò è profundo corporis peccantem humorem educunt. Si verò ſæpe citiſſimam vtilitatem non attulerunt, in cauſa fuit, quòd ani venis internis non adaptantur. Quod opus vt exequi poſſimus, præter lotionem ſedis, cum aqua calida celebratam, neceſſe eſt priùs ſequens præſidium exercere.

Obſeruatio. VI.

Vt venarum ſedis orificia ad hirudinum impoſitionem meliùs emineant, optimum præſidium.

AVriſaber ditiſſimus cùm hæmorrhoidum dolore ex interuallis immaniter vexaretur, ceſſaréq; ſemper ad humoris nigri expulſioné: Ecce huius conſuetæ vacuatio-
nis

nis defectu, in melancholiam incidit. Pro quâ leuanda, varia tentata ſunt auxilia, quæ diminutam, aut retardatam illam vacuationem ſupplerent, vel prouocarent; inter quæ numerare oportet, quæ ex his venis ſanguinem exhaurirent, & primo loco hirudinum impoſitionem, quæ cùm ter incaſſum iam eſſent applicitæ, propterea quòd ab externis ani venulis animalcula ſugerent. Superueniens ego priùs bene penſata re, iterum eas affigere conſulo, ademota tamen priùs cucurbitula, quæ totum anum comprehenderet; tanti fuit momenti hæc inuentio, vt venarum orificiis, quæ intùs latebant, eminentibus, largum ſequeretur ſanguinis effluuium: & ſic ratione peccantis humoris vacuati, æger in poſterum pancraticè vixit.

QVÆSTIO IV.

Quòd antiqui venis hæmorrhoidalibus hirudines impoſuerint. Contra communem Med. ſententiam.

NEque fidas Medicorum dictis, qui hoc auxilium, noſtra ætate ſolùm fuiſſe adinuentum vnanimes contendunt, neque hæmorrhoidalibus venis, priſcos illos impoſuiſſe hirudines, pugnaciter aſſeuerant. Sed vt videant, qua in caligine verſentur, audiant Actuariũ, inter Græcos non poſtremæ notæ virum *lib.* 3. *Meth. cap.* 3. dum ſic ait. *Quippe in omnibus morbis applicantur, in quauis parte corporis, facie, renibus, interdum in recto inteſtino, cùm iam pridem ora venarum fuerint occæcata, atque eapropter negocium facesſunt*, &c. Idem firmat apertiùs *lib.* 4. *cap.* 6. *iuxta fin.* hoc modo. *Quod ſi obfirmata fluxio, neque reuulſionibus cedit, neque epithematis lenitur, metúſque eſt, ne temporis ſpatio in abſceſſum abeat, hominémque in aliud genus morbi deducat, hirudines cæcis hæmorrhoidibus admouendæ: vbi enim ierit ſanguis, æger meliùs deget, &c.* Gal. deinde, aut quiſpiam huius libri antiquus Auctor *lib. de Dynamid. cap.* 173. ſic ait: *& puluis radicis taxi id facit, & ſanguiſugæ proſunt ano appoſitæ, &c.* Et Plinius forſan omnium primus, huius animalis in extrahendo ſanguine ab his venis vſum explicuit *loco cit.* nam eundem vſum eas præſtare ad extrahendum ſanguinem, quàm cucurbitulas, tradit; illas tamen id vitij habere teſtatur, quòd relinquant remedij deſiderium ſingulo anno in eiſdem partibus. Quæ res certè dicta fuit ab ipſo de hæmorrhoidibus. Ex quibus conſtare arbitror, quantoperè aberrent omnes, qui hoc præſidium ani venis applicitum, recentiorum inuentum eſſe ſibi perſuadent. Sed quoniam in huius auxilij adminiſtratione, incommodum ſequi pluries conſueuit, quod terrorem maximum incutere poteſt, ad id euitandum, ſequens exemplum audire ne graueris.

Obſeruatio VII.

Hirudo per anum caſu ingrediens, auxilio quodam ſemimortua extracta.

NObiliſſimus quidam ex quartana diu malè habens, cùm verno tempore, Medicorum conſilio, atri humoris vacuationem pararet, & hac de cauſa, ano hirudines ſibi apponendas curaret: Ecce Chirurgi digitos hirudo ſubterfugiens, & per rectum inteſtinum ingrediens, altiùs penetrauit. Conuocati Medici, obſtupuere omnes, præſertim cùm apud auctores, nullum huius exempli haberent ſcriptum veſtigium. Accedens ego nihil mali exſpectandum fore prædixi. Sícque ſtercus bouinum ſiccum modicè calidum, irroratum priùs cimicum puluere, (vel loco huius caſtorium eſt optimum) ano admouere impero, cuius fumo, & clyſtere ex ſolius cæpæ ſucco confecto, ipſa ſemimortua cùm fæcibus eſt eiecta.

* * *

Obſeruatio VIII.

Hirudo incuria Chirurgi per naſum caſu ingrediens, hominem interfecit.

VIdimus nos etiam aliquando hirudinem, (quam anteriori narium parti, Chirurgus adaptare volebat) quæ per naſum ingrediens, miniſtri incuria, ad cerebrum penetrans, biduo hominem interfecit, cùm nullo poſſet remediorum genere, nec extrahi, nec necari.

Sed quoniam in terris frigidis, ferè riuuli, lacúſque, in quibus hæc animalcula viuunt, gelu obducuntur, idcircò vnum proferam auxilium; quo ipſæ hirudines poſtquam ſanguine plenæ extrahuntur, cruorem expuere poſſint. Eas ergo turgidas, cinere combuſtorũ lignorum obuolue. Miraberis. Illicò enim cinis ſanguinem exugit. Et ipſas exiles, tenuéſque in vaſe iterum ad medicos vſus ſerua. Et hoc toties facies, quoties ipſis vti opus fuerit.

Reſtat explicandus cucurbitularum vſus. Sed quoniam ex his aliæ integræ, aliæ inciſa cute adminiſtrantur; ex quarum diſtinctione, maximam lucem cùm ſuſcipiat præſens difficultas, idcircò de inciſionibus pauca quædam ſunt annotanda.

Propoſitio prima. Vbi virtus, ætas, timiditas, aliúdve obſtaculum, vel nullo modo mitti ſanguinem, vel reiterari ex vena non patiuntur, magno auxilio ſuccedunt cucurbitulæ; nam hoc, vt minùs vehemens, ita magis tutum præſidium eſt, & quolibet tempore, vel etiam acceſſionis commodius, vt *lib.* 2. *cap.* 11. Cornelius firmat.

Propoſit. 2. Scarificatio citrà validam totius corporis commotionem, etiam à toto vacuare poteſt, præſertim in adultis, & in pueris, in quibus vno crure laborantibus, alterum ſcarificamus. Quam cruris ſcarificationem, in albis & craſſis fœminis, in menſium ſuppreſſione, phlebotomiæ ex poplite, vel ſaphena Gal. præfert *lib. de curand. rat. per ſang. miſſ. cap.* 11. & Auic. 4. 1. *cap.* 20. *poſt med.* In omnibus verò laudabiliter menſes, hæmorrhoidáſque ſuppreſſas prouocat, remoratas accelerat. Sic in pleuritide, vel hepatis inflammatione, poſt ceſſatam fluxionem; & depoſita plenitudine, ingentem dolorem diſcutimus, cum Gal. 13. *Meth. cap.* 19. Auic. 10. 3. *tract.* 5. *cap.* 2. Aëtio, *tetrab.* 2. *ſerm.* 4. *cap.* 68. Paul *lib.* 6. *cap.* 33. Tral. *lib.* 6. *cap.* 1. Raſio *lib.* 9. *ad Alm. cap.* 117. & priùs dixit Gal. 11. *Meth.* 17. Sic in tumoribus duris ex ſcarificatione aperiente, medicinis viam patefacimus, quæ antea paruum, aut nullum præſidium attulerunt.

Propoſit. 3. Scarificatio triplex eſt, ex Gal. 2. *ad Glauc. lib.* 7. alia leuis, & tenuis in ſuperficie, quæ debile auxilium affert, in tenui ſanguine, & pueris vtilis, ſolúmque euacuat ab ea parte, vbi vlcuſcula facta ſunt. Secunda longa, & profunda, quæ plurimum ſanguinis exhaurit, & aliquando ferè vſque ad animi deliquium euacuat, quâ Gal. ſibi ipſi, crure ſcarificato, duas fermè libras ſanguinis extraxit, vt de eo refert Oribaſius *lib.* 7. *collect. cap.* 20. & eam miris laudibus effert Ioannes Carmona, *lib. de peſt. & puncticulis cap.* 1. Cùm enim vehemens peſtilentia Aſiam prehenderet, ſéque morbus attigiſſet, facto hoc auxilio vitauit periculum, ſicuti & plerique alij, qui illud fecere, euaſere: erant enim plenitudinis ſigna. Ex qua obſeruatione, vt refert Lud. Mercat. *tract. de feb. maligna*, noſtri, magni faciunt crurum ſcarificationes in peſtilenti, pulicarive febri. Nam à partibus præcipuis, corde, & cerebro, noxios, venenatoſque humores in crura reuellere poſſunt. Tertia ſcarificatio eſt inter leuem, & profundam media, omnia moderata faciens, quam, vt tutiorem Gal. præfert, niſi vbi ad profundam accedere neceſſitas cogat, hæcque vtpote vicaria venæ ſectionis, ex Gal. 2. *aph.* 17. in medendi vſum frequentiùs venit recipienda.

Propoſit. 4. Humidæ cucurbitulæ ſiccis ſunt fortiores, tum ex maiori tractu ratione vacui, tum ex maiori calore flammæ fundente, & iuuante tractionem; quicquid (perperam tamen) arbitretur Conciliator *diff.* 195. Nam cucurbitulæ ſiccæ in humorum attractione, debile auxilium præſtant. Sic Gal. 3. *de loc.* 4. Scarificatas, validiores ſiccis definit. Et Celſus *lib.* 2. *cap.* 11. inquit, *Cucurbitula, ſi*

conciſa cute adminiſtratur,ſanguinem extrahit,ſi integra,ſpi-ritum. Ea apud Auic.4.1. *cap.* 21. ſcarificatæ vbique for-tiores aſſeruntur.

Hæ ergo cum mediocribus ſcarificationibus factæ, præſtans auxilium efficiunt, cum profundis verò admo-dùm efficax. Nec defuere viri vſu, experientiáque in-ſignes,vt ſunt Vallerio. 4. *enarrat.*6. Amat.6.*cent.*35. qui in deponenda plenitudine vniuerſali, nulla præcedente phlebotomia admiſerunt, laudarúntque ſcarificatas cu-curbitulas: Quod vt in grandi plenitudine,aut paulò ſup-pari phlebotomiæ neceſſitate, temerarium arbitror; ſic in particulari plenitudine,vel morbo,vel ætate,vel ſimilibus aliquando laudauerim, quod modò non controuerto: hæ verò potentiùs operantur,& multò quàm hirudines effi-caciùs. Si verò cum leuibus fiant ſcarificationibus, (quas probabile eſt admiſiſſe Auic. & frequentiùs commen-daſſe, potiſſimùm in regione calidiori, vbi poroſiora cor-pora, humorum etiam tenuium exhalationi erant prom-ptiſſima) debile auxilium præſtant. Quare extractio quæ-fit cum ſanguiſugis, profundior eſt extractione, quæ fit cum ventoſis leui ſcarificatione applicitis.

Et hæc eſt potior, & ſubtilior expoſitio, quàm inter-pretum *ibi*, Gentilis ſcilicet, Dini, Hugonis, Iacobi de Forliuio, & *de Partib.* Nam conſiderant duos terminos, & duo loca, vel illum cui applicantur immediatè, vel eum à quo vacuant mediatè. Si primum, dicuntur hiru-dines profundiùs agere, quoniam cucurbitulæ ſolam epi-dermidem, cutiſve florem, faciémque attingunt: at hi-rudines roſtrum altiùs figunt ſub cute, & intra carnem, & ſic intellexit de euacuatione hirudinum Auic. Si verò conſideretur locus, vel terminus à quo euacuant,qui me-diatus eſt,& longinquior, tunc quoniam cucurbitulæ ex profundiori loco ſanguinem trahunt, dicuntur profun-diùs agere: quem modum non tetigit Auic. Sed hæc ſo-lutio indiſtincta eſt, & multis ambagibus plena, qua in-tricatus Ferdinandus Mena *in com. cit. cap. de hirudinibus* Gal.(quem ſequutus poſteà fuit Mercurialis *in comm.hiſt.*2. *epid*) Auicennæ ſententiam falſiſſimam eſſe, apertis, in-flatiſque buccis effutire non erubeſcit, cuius conſilio edo-cta Medicorum ſchola, hunc contextum mendoſum eſſe pronunciat,& tanto auctore indignum.

Tu autem ſolue ſecundò antinomiam, & fortaſſe me-liùs, ſi dicas, extractionem factam cum ſanguiſugis,ſi ve-nis hæmorrhoidalibus applicentur, profundiorem eſſe extractione, quæ fit cum ventoſis: his autem venis con-ſueuiſſe veteres,ad leuandam plenitudinem hirudines ap-ponere, ex ſuperioribus conſtat manifeſtè.

Sunt qui contextum Auic. latiſſimè exponant,ſed non ad mentem ipſius, quod ipſi putant effeciſſe. De quorum numero ſunt Horatius Augenius *lib.*10.*de ſang.miſ.cap.*8. & ab eo edoctus Antonius ab Aguilera*lib.* 3. *de varia curand.rat. cap.*8. Dicunt enim quòd Gal. pro topico ap-plicabat cuti in qualibet parte, & ſic intellexit ſolùm va-cuare ſanguinem qui carnibus adiacet. Auicen. verò eis vtentem in vniuerſaliores vſus, pronuntiaſſe profundiùs agere Sed hæc ſolutio præterquam quòd quæſtionem Auic. non ſoluit, comparatione facta de euacuatione hi-rudinum, ad euacuationem ex cucurbitula; eſt etiam ad libitum prolata: neque enim oſtendit ex antiquis aucto-ribus vllum, qui in vniuerſaliores vſus, vt ipſe inquit,hi-rudines imponendas conſuluerit. Tu verò noſtram con-ciliationem amplectere,quâ nixus,tutiſſimè,vt vidiſti,hos inter ſe longè diſſidentes auctores, in veram amicitiam reducere poteris, & Auic. auctorem tantum, à Iuniorum calumniis liberare, quibus ita eum laceſſunt ac premunt, vt ob hæc, & alia ab ipſis perperam intellecta,illius doctrinam ficulneam eſſe, & nullius vſus, petulanter aſſeuerent.

A

HISTORIA V. GALENI, *De dolore capitis*,

Qninquagenarius dolore capitis vehe-menti oppreſſus, ſanguinis miſſionis ope, liberatur.

Medicus quidam * *quinquagenarius, cùm iam ſeptimam noctem ægrotaret,nec viribus admodum valentibus eſſet, dolore illi capitis vehementi, in dextro potiſſimùm tempore oborto, non expectans dum amicorum quiſpiam ad ſe veniret, ſibi ipſi noctevenam incidit. Itaque dolor illi protinus conquie-*B *uit: caterùm longo tempore, tum decolor,tum viribus imbecil-lis, tum exilis manſit, alique corpus eius deſiit, (atrophian Græci vocant) ſic vt vix priſtinum habitum receperit, &c. Gal.* lib. 12. Meth. cap. 1.

PARAPHRASIS.

Relictis his,quæ diffusè à pleriſque tum veterum,tum iuniorum peritiſſimis, de dolore,eiuſque cauſis dicta ſunt, de quo argumento, fusè, at graphicè *lib.* 3. *in com-Hiſtor.* 28. ad hiſtoriæ explicationem accedo. Quæ, cùm memoranda ſit, & præ oculis in conſultationibus ſemper habenda, docet nos quantùm oporteat eſſe ſolicitos in curatione ſenum; & quibus erroribus,& periculis ſe ex-ponant, qui in hac ætate illicò ſanguinem imperant emittendum.Quo pacto ſummoperè laudo illos, qui ple-C nitudinis maiori parte depoſita, ad cacochymiæ reſiduum accedunt, vera Gal. præcepta obſeruantes.

Huic ergo, ſanguinem ſibiipſi mittenti, cùm debilis eſſet,ne mireris plurima damna ex phlebotomia eueniſſe, quòd pro doloris vehementis medela, priùs alia auxilia, cucurbitulas,medicaméta purgantia, & plura reuellentia, & vacuantia præſidia non fuerit expertus. Licètenim ſe-datus eſſet dolor, attractis videlicet & vacuatis, ſangui-nis miſſionis vi, qui in caput irrepſerant humoribus; ta-men ex hoc auxilio intempeſtiuo,non contemnenda nota eſt ſequuta: Quam, & alia plurima incommoda ab eo oriri poſſe, elegantiſſimè ſequenti oratione proſequitur Gal.9.*Meth.* 10. dum ſic inquit. *Quinetiam aliqui in mor-bos inciderunt longos, poſtquam immodica inanitione reſolu-ta naturalis vis fuit. Aliis,cùm immodica vacuationis noxam*
D *ſarcire non potuiſſent,in omne reliquum vita tempus,totius cor-poris temperamentum redditū eſt frigidius. Ex qua refrigera-tione, facile ex quauis occaſione laſi, aliꝗ decolorati, ac malo corporis habitu vixerunt: aliꝗ ex eo ipſo in morbos deciderunt exitiales,aquam intercutem,& orthopnœam, & iecinoris, ac ventriculi imbecillitatem; & apoplexiam, & deliria, &c.* Quamobrem ab his vacuationibus, niſi ſumma neceſſi-tas vrgeat,in curandis morbis ſenum, abſtinere oportet; quod enim affectus remedium eſt, id cum virtutis cu-ſtodia pugnat.

In quem ſenſum intelligendus eſt Auic. 4. 1. *cap.* 20. quòd *ſanguinis miſſio facit febrem,& putrefactionem,*reſol-uendo ſanguinem, & ſpiritum, quibus corpus ad ſui ali-tionem, & operationes obeundas opus habet. Qua de
E cauſa *multa phlebotomia* apud Auic. 1. 3. *tract.* 5. *cap.* 12. *Apoplexiam parit,*& maximè in debilibus ſenibus, in qui-bus Gal. *lib.* 1. *ad Glauc. vlt.* primò parti imponit auxi-lium, deinde ſedato dolore humorem reuellit frictioni-bus, ligaturis, enemate, & aliis attrahentibus auxiliis.

Cùm ergo dolor ſenem hunc fatigans citra febrem eſ-ſet,& corpus opprimeret ſuapte natura frigidum,& à fla-tu, frigidóque ſucco eſſet ſubortus, venæ ſectione curan-dus non erat; nam vacuato ſanguine, in quo calor no-ſter perſeuerantiam habet,& exhauſto ſpiritu, quo facul-tates munia ſua obeunt, decolor remanſit, exilis, & vix incedere potuit, & coctionis officinis calore exhauſtis, & impensè ſic debilitatis, corpus ali deſiit. Sanguis enim eſt nectar viuificum, quo partium omnium viuacitas recrea-tur, & ad vitæ, ac animalitatis conſeruationem, diuturni-tatémque

tatémque maximè neceſſarium, vt inter omnes ſubtiliſſi- A
mè firmat Duretus *in Coacas. cap.13.in com.text.* 4. Quoniam ſanguinis miſſio, ſaluberrimum alioquin auxilium, plurimùm nocet, ſi intempeſtiuè adminiſtretur. Qua de cauſa dicebat Raſius *lib.* 6. *ſuorum Aph. in fin.* eos qui in iuuentute multoties phlebotomantur, paralyſim incurrere. Nam *ex frequenti phlebotomia, fiunt complexionis malitia, hydropiſis, feſtina ſenectus, tremor, Apoplexia,* & alia damna, vt ipſe refert 4. *ad Almanſ.* 14. Explicat eruditè Fernel. 2. *Meth.cap.* 16. Lege ſi placet Ludouic. Lemoſium, & Iulium Alexandrinum *in com. huius loci*, qui eloquenter de intempeſtiuæ venæ ſectionis noxa diſputarunt.

DVBIVM II.

Num ſenibus ſit detrahendus ſanguis.

COMMENTARIVM.

QVinquagenarius.] Grauiſſimus auctor Celſus, & Hippocraticæ doctrinæ interpres *lib.2.cap.* 10. ſcriptum reliquit, *robuſtum ſenem poſſe tutò phlebotomari.* Quam ſententiam intelligendam eſſe de ſene non decrepito affirmat Raſius *lib.7.ad Almanſ.cap.*21. edoctus à Gal. *in lib. de curand. rat. per ſang. miſ.* 13. Quo loco in ſenibus cum pulſu magno (robuſtarum virium ſignum minimè fallax) venam ſecandam præcipit. Nam in hac ætate ſunt multi, qui plurimum ſanguinem congerunt, viréſque vegetas habent. Quare ſi affectus & vires adſint, ille ſi vrgeat, hæ ſi permittant, venæ ſectionem moliri oportet. B

Licèt enim ſenes frigidi ſicci ſint, debiles, & ob ſanguinis, & ſpirituum penuriam, venæ ſectionis noxam vehementer perſentiſcant; ob quam cauſam Gal. 4. *acut.* 19. & *lib.de curand.rat.per ſang.miſ. cap.* 5. in ipſis tantoperè venæ ſectionem reformidat: tamen de copioſa vacuatione venit intelligendus. Nam 1. *ad Glauc.* 14. hanc ſeniores ſine noxa non tolerant. Hoſce igitur, vbi affectiones vacuationem hortantur, neque ſemel, neque copioſé vacuare oportet. Ob quam cauſam Auic. 4. 1. *cap.* 20. præcipit cauendum eſſe à phlebotomia in ætate ſenum, niſi in figura confiſi fuerimus muſculorum, & venarum amplitudine, & earum repletione. Quo pacto, niſi ineuitabilis neceſſitas nos ad hoc perducat, in hac ætate non eſt exſequenda ſanguinis miſſio, monéte ſic Paulo *lib.6.c.*40. & cum eo conſentiunt Aëtius *tetrab.* 1. *ſerm.* 3. *cap.* 11. Oribaſ. 7. *collect. cap.* 4. Auer. 7. *colliget. cap.* 13. Vrgente ergo morbo, parcè tamen, & cautè in iis ſanguis detrahendus eſt, ex quo auxilio ſæpe non contemnenda vtilitas eſt ſequuta. Hos ergo ſenes quinquagenarios, medios inter ſubſiſtentes, & decrepitos ex Gal. 3. *Aph.* 20. & 1. *Aph.* 13. ſumma cum præmeditatione phlebotomare audebis. De quo argumento inter omnes lege Valleriol. *lib.6.obſeruat.vltim.*

Obſeruatio IX.

Septuagenarius phlebotomatus, fluente actu ſanguine emoritur.

EXorta inter duos Medicos lite; Iunior ſenem ſeptuagenarium, cephalalgia laborantem, phlebotomia curandum eſſe, alta voce clamabat, pulſui magno, & inflatis venis animum adhibens. Senior pulſum flatu plenum, & ſic fallacem eſſe prædicabat. At adſtantes iunioris eloquentia forſitan ducti, conſentiunt: aperta vena, iuniore pulſum tangente, cùm aliquantulum ſanguinis emanaret, in ipſo venæ ſectionis actu, æger ipſe, animo deficiens emoritur. At Medicus fuſtibus veluti, & ſtimulis agitatus, è domo pudibundus citò diſceſſit.

HISTORIA VIGALENI,

De dolore capitis.

Dolor capitis in febriente, ex vini odore adauctus.

QVinto ſanè ciui noſtro, Romæ medicinam exercenti id contigit. *A prandio diuitem quendam, ac præpotentem hominem, vini odorem vehementer ſpirans inuiſit. Æger itaque cum capitis dolore magnam febrim habens, atque ideò vini odorem exeuntem ægrè ferens, Quintum vt longiùs aliquantò recederet, rogauit; quoniam vinum immoderatiùs redolens ipſum* contriſtaret: & hæc quidem ægrotus modeſtè dicere videbatur. At Quintus ipſi ſtolidiùs reſpondens, odorem vt æquo animo ferret, præcepit; nam & ſe quoque ægrotum, ex febri malè olentem ſuſtinere dicebat. Multum autem intereſſe, febrimne quis an vinum redoleret, &c. Gal.* lib. 6. Epid. ſect. 4. com. 9.

PARAPHRASIS.

FAceta eſt Hiſtoria hæc. Quantum autem decens, ac decorum ſit Medico, probos mores habere, beneuolè cum ægroto ſe gerere, ſuauiter ſpirare, neque tetrùm odorem ex ſe emittere, docet latè Gal. *loco cit.* & Hip. priùs pronuntiauit *lib.de Medico, & de decenti ornatu.* Explicant Heurnius *in cit.Hip.contextu.* Rodericus è Caſtro *lib.*3. *de Medico politico, cap.*4. Roderic. à Fonſeca *in com. Hipp.* C *in lib. de lege* ferè per totum, Georgius Henricus *lib. de perfecto Medico, cap.* 7. Petrus Andreas Canonherius in *prolegomen. ad lib.*7. *aph. qui omnes veri Medici, ingenui, & politici dotes graphicè delineant.*

QVÆSTIO V.

Quòd vini odor nec cerebro, nec neruis nocere poſſit, vt voluit Horatius Flaccus.

COMMENTARIVM.

COntriſtaret.] Hoc eſt, dolorem capitis, ipſi ægroto, eiuſdem partis dolore laboranti inferret. Quæritvr hac de cauſa, Num odor vini, dolorem capitis facere, ce- D rebro, neruiſque nocere poſſit. Famigeratiſſimus Poëta Horatius Flaccus *Satyra* 4. *lib.*2. partem tenet affirmatiuam, dum ſic ait.

> *Maſſica ſi cœlo ſuppones vina ſereno,*
> *Nocturna, ſi quid craſſi eſt, tenuabitur aura,*
> *Et decedet odor neruis inimicus.*

Tanti viri ſententiam non deſunt plurima quæ confirment. Nam ſi vinum cerebro, & neruis eſt inimicum. 3. *de temp.*2. *Et lib.*6. *aph.* 28. inter cauſas podagricæ affectionis, vini numerat potum, potiſſimùm meracioris, cur eius odor, nocuus cerebro & neruis, dolorem capitis facere non poterit? Quæ omnia atque alia animo voluens Auic. 22. 3. *tract.* 2. *cap.*7. vſque adeò illud formidat in affectibus articulorum, vt vinum conſulat dimittendum, quouſque æger ſanetur ſanatione vltima, & veniant ſu- E per eum quatuor tempora. Quare conſtat neruis nocere vinum. Et 2. 3. *tract.* 1. *cap.* 4. *de cura paralyſis* ſic ait: *Et ſcias quod aqua melior eſt quam vinum; vinum enim materias penetrare facit, & plurimum quidem ipſius quandoque aceſcit in corporibus eorum, & fit acetum: acetum verò eſt ex rebus quæ neruis ſunt nocibiliores, &c.* Addit rationem Gal. *lib.* 5. *aph. com.* 8. quia facilè neruos replet vinum, vtpote calidum temperamento, tale ſiquidem natura promptè penetrat, feruentéſque, ſi qui adſunt in corpore, ſecum defert humores, vt ait Gal. 3. *acut.* 31. & magis ſi ſit odoriferum; cùm enim hoc ſit aliis calidius, fortius, ac robuſtius, *lib.* 3. *acut.* 30. ſic cæteris plus caput tentat, neruóſque ferit, *lib.de attenuant. vict.rat.* 12.

Cur ergo ſi vinum, & præſertim odoriferum tantoperè nocet

nocet cerebro & neruis, vini etiam odor non nocebit? Maximè cùm odores caput grauent, apud Hip. 5. *aph.* 28. licèt ſint boni, & aromatici, vt Coſti, Caſiæ, Ambræ, qui feriendo cerebrum & neruos, illorum firmitudinem diſſoluunt, vt fatetur Auic. *in lib. de erroribus qui accidunt in regimine Sanit. tract.* 1. *cap.* 5. *de eo qui læſus eſt ex odoribus bonis.*

Vltimò, frequenti experimento comprobatur eorum, qui in cellam vinariam ingreſſi, vini odore percepto, ebrij fiunt, & ſtupidi; & eò maximè, cùm odor nimiam ſpirituum copiam gignat, ex qua dolor (ſicut ex ingenti plethora) oriri conſueuit. Quare vini odor percellendo cerebrum & neruos, dolorem capitis excitabit, ipſiſqne vehementer nocere poterit.

Obſeruatio X.

Ab odore vini Apoplexia ſequuta.

AVlicus quidam, è regia ſtirpe oriundus, cùm in villam voluptatis cauſa concederet, in cellam vinariam fortè ingreſſus, ita ab odore vini perculſus eſt, vt in terram ſideratus, ac ſi fulmine eſſet ictus, cadens, intra tres horas exanimis, apoplexiáque correptus, ſtertens, vitam cum morte commutarit.

Licèt autem apud plurimos, quos legerim, auctores, nullum huius quæſtionis, nec veſtigium inuenire potuerim, eam ego omnium primus in hunc modum dirimendam puto. Sit *prima concluſio.* Odor vini nec cerebro, nec neruis nocere poteſt. Patet: Nam odor bonus corroborat, ſicut grauis ſubuertit, ex Gal. *lib.* 8. *ſec. loc. cap.* 3. Inſuper cerebrum vigorat, ex Auic. *loco nuper cit.* cùm ait: *Omnis odor bonus, per hoc quod eſt bonus, & odoriferus, confortat cerebrum, &c.* Si ergo odor vini optimi, ſuauis eſt, vt experientia patet, & Cælius Rhodiginus *lib.* 28. *antiq. lect. cap.* 35. de odoris vini præſtantia agens, latè confirmat, cur neruis erit inimicus, & cerebro? quin potiùs ſpiritui in cerebri ventriculis contento erit familiaris, provt de ſuaui, & grato odore profert Gal. *lib.* 4. Simpl. *cap.* 22.

II. Odor nutrit, non vt eſt obiectum adæquatum ſenſus odoratus, ſed provt ex ſubſtantia & accidente eſt aggregatum, ſicque ſpiritus inſtaurat & refocillat, vt ait Hipp. *in lib. de alim. num.* 10. & firmat Gal. *in lib.* 2. *aph.* 11. Et inter ſuaues odores, cerebrum recreantes, ſpiritus nutrientes, neruos corroborantes, potentias velociter demulcentes, cum voluptate ſenſum afficiente numerat Valleſius *in cit. lib. Hipp. de alim.* vini odorem, quem plus cæteris odoribus, nempe mellis, panis recenter è furno extracti, carnium aſſarum, in roborandis cerebro, & neruis excellere probat Platonicorum Princeps Marſilius Ficinus *lib.* 2. *de ſtudioſ. ſanit. tuend. cap.* 18. *de nutrimento ſpiritus, & conſeruatione vitæ per odores.* Cóſule eruditiſſimum Alphonſum Lupeum *libello de vini commoditatibus*, qui odorem vini omnium morborum eſſe potiſſimum medicamentum aſſeuerat.

III. Odorem vini ſuauem, ex eo poſſumus dicere corroborare cerebrum & neruos, quoniam plurimùm in peſte obtinet momenti: Siquidem hæc roborata, cerebrum nempe, nerui & partes aliæ principes, aëris corrupti, ac putris contagia à ſe arcent. Qua de cauſa ignibus odoratis, conflatis ex olentibus coronis, vnguentiſque pinguiſſimis, & odoriferis, aëris putredinem abſumi, atque aboleri inuenit Hipp. vt Gal. de eo refert *lib. de theriac. ad Piſ. cap.* 16. Sic nonnulli iuniorum peritiſſimi, de quorum numero eſt Manardus *lib.* 5. *epiſt.* 3. pilam parant ad huiuſmodi effectum foraminulentam, in qua ſpongia vino Cretico, aqua roſacea, & aceto ſit imbuta, vt ſic ſuauis vini odor ambienti permixtus, ac deinde per narium inſpirationem in cerebrum delatus ſenſum moueat, animalem facultatem recreet, neruoſum genus roboret, putredinem arceat, & putris aëris qualitatem venenoſam ac corruptricem, mirum in modum corrigat & emendet. Ex quo fit, (Manardus ait) vt ad præſeruationem peſtilentis luis plurimùm proſit, faciem & os, vino odorifero abluere; nam hoc non paruum robur corpori præbet ad reſiſtendum. Quamobrem ad citiſſimam ſpiritus generationem, Marcilius Ficinus *lib.* 3. *de vita cælitus comparanda, cap.* 24. *in fin.* conſulit vini odorem frequentiùs haurire, partim os colluentes, partim lauantes manus, partim naribus & temporibus id admouentes. Ea eſt in roborando partes principes, odoris vini præſtantia ac excellentia. Ita Toxaris Medicus, teſte Luciano, Athenienſes à peſte liberauit, ſolo vſus vini odore. Arrianus, & Simplicius in prædicamento Qualitatis, referunt natam eſſe peſtem, quæ præter oleum, & vinum, quibus omnes ſanabantur, cætera præſidia reſpuebat.

Secunda concluſio. Odor vini, vt calefacit & humectat, nec neruis, nec cerebro nocere poteſt. Nam licèt aliarum rerum odores, quà odores, non noceant: tamen quatenus eleuantur è materia pingui, oleoſa, & craſſa, ſuo vapore implent caput, cùm famoſam, & valdè ſenſui perceptibilem effundant euaporationem, & caliditate inflammando, pituitam liquent, & ſic cerebri & neruorum robur diſſoluant, & capitis pariant grauitatem, vt de aromatum ſuffitu Hipp. firmat *loco. cit aph.* & Gal. *in com.* & Auic. *loco cit.* confirmant: Nam quæcunque ſatis calefaciunt, omnia capitis faciunt grauitatem, vtpote calido ſuapte natura ſuperiora petente; calida autem eſt ſufficienter omnium aromatum natura, vt coſti, amomi, cinnamomi, ambari, moſchi, zibetti, ſtyracis, xyloaloës, caryophylli, laſerpitij. Alia enim frigiditate denſando, cerebrum lædunt & neruos, vt camphora. Quæ doctrina eſt Auic. *loc. cit.* Atque hæc omnia pinguiſſima ſunt, & in craſſa ſubſtantia conſtituta. At verò odor vini imperceptibilis eſt, & veluti immaterialis, & humiditate ſua, ac modica caliditate, cerebri & neruorum tonum conſeruat.

Neque multùm operoſum eſt, contrariæ factionis argumenta demoliri. Et in primis quoad maiorem machinam, Horatium nempe, ſic dupliciter reſpondeo: vel enim per Maſſica vina, intelligit Maſſica, vel Maſſiliéſia. Si primum: licèt vina illa ſint generoſa, vtpotè extracta ab vuis montis Maſſici, qui in Campania eſt optimi vini ferax, vt refert Plin. *lib.* 14. *cap.* 6. *Certant Maſſica æquè ex monte Gaurano, &c.* Et Horat. *lib.* 1. *carmin.*

Eſt qui nec veteris pocula Maſſici Spernit.

Et Virgil. lib. 7. Æneidos.

Vertunt felicia Baccho Maſſica.

Et Silius lib. 7.

Maſſica viniferis addebat nomina glebis.

Tamen cùm hæc vina eſſent poſita ſub cœlo ſereno, hoc eſt ſub dio, (quod explicat per verbum *nocturna*) non dubito, quòd eorum odor neruis nocere poſſit, accepta nempe à radiis lunáribus qualitate humida, ac neruos feriente: quare ſub eius lumine dormire, malum; nam pallor, & capitis grauitas ſubſequuntur, vt doctè ait Gal. 2. *de dieb. decret. cap.* 2. Ob quam cauſam Plutarch. *decad.* 3. *probl. ſympoſ.* 10. ait quòd *Lunæ radij, dum dormientes feriunt, ſtupidos, & ſenſibus obtorpentes reddunt*, vt docet Macrob. 7, *Saturnal. vlt.* & ſic conuulſiones ex decubitu ſub dio contractas, ſe vidiſſe refert Iacchin. *in lib.* 9. *Raſij cap.* 13.

Si verò intelligit vina Maſſilienſia, eorum odor, cerebro ac neruis erit inimicus. Sunt enim hæc vina fumo inueterata, & cocta, quæ inſaluberrima ſunt, apud Plin. *lib.* 23. *cap.* 1. *prope fin.* & Galen. *lib.* 1. *de antidot. cap.* 5. Licèt enim firmiora ſint, & diutius ſeruentur incorrupta, capitis tamen faciunt grauitatem; cùm ea ex fumo qualitatem prauam acquirant, & ſic ſuo odore caliginem inducere, & cerebro, neruíſque nocere poſſint. Conſueuiſſè autem veteres ad inducendam vinis vetuſtatem, vina fumo exponere, vt ſic blando & continuo calore, fumus aqueas vini partes abſumeret, præter Galeni ſententiam *loco cit.* exhibentis de patre ſuo ſic faciente teſtimonium. Horatius 3. *carmin. ode* 8. ſic confirmat.

Hic dies anno redeunte feſtus.
Corticem aſtrictum pice dimouebit
Amphoræ fumum bibere inſtitutæ
Conſule Tullo.

Et Martialis lib. 3.

Vel cocta fumis vina Maſſilianis:

Et lib. 10.

Improba Maſſiliæ quicquid fumaria cogunt:
Accipit ætatem quiſquis ab igne cadus.

Et lib. 13.

Cum tua centenos expugnet ſportula ciues,
Fumea Maſſiliæ ponere vina potes.

Et lib. 14.

Maſſiliæ fumos miſcere niualibus vndis,
Parce puer, pluris ne tibi conſtet aqua.

Et quamuis vinum caput repleat, odor eius id efficere non poteſt: Nam vinum corpulentiorem habet ſubſtantiam, qua grauare caput natum eſt, vt ait Gal. 5. *Aph. com.* 5. Subſtantiæ igitur copiâ, vinum neruis affert conuulſionem, &c. nec vinum tantoperè nocet neruis, vt auctores rentur, neque ita in articulorum doloribus interdicendum, vt probant Reinerus Solenander *ſect.* 4. *conſ.* 24. Petrus Monauius *in epiſt. med.* 210. Qui verò cellam vinariam ſubitò ingrediuntur, & ex vini odore veluti ſtupent, vertiginoſi fiunt, & cerebri letales experiuntur morbos; hoc, vel ad diſſuetudinem reiiciendum puto: vel quòd aër, à copioſa & continua vini exhalatione craſſior factus, inſpiratus, veluti tenebroſus & denſus, potentiis caliginem inducat, & ſpiritibus opacitatem conciliet, canales obſtruat, & fumoſo vapore ſtrangulet, ac demùm pungat neruos, cerebrúmque percellat. Et licèt ſine intermiſſione, frequentérque, vinum ſuaue ad alendos ſpiritus odoremur, cùm exhalatio in ſpiritus vertatur reficiendos, horum copia, nec cerebro, nec neruis nocere poteſt. Sanguis enim auctus ſupra modum, plethoram facit, & morbos creat. Spirituum copia aucta minimè nocet, cùm ij citiſſimè ob tenuitatem, & aſſiduam facilemque in operibus reſolutionem euaneſcant, & exhalent. vt eleganter probant Thom. à Vega *lib.* 4. *de loc. affect. in com. cap.* 1. *verb. Cùm igitur.* Carrerius *cap.* 1. *diſp.* 26. *ad libros de loc. affect.* quicquid contrà ſenſerit Matthæus Gradius *lib.* 9. *ad Alm. cap. de imbecillitate viſus*, cenſens ſolam lucidorum ſpirituum nimiam quantitatem, citra aliud vitium, viſui nonnunquam officere: cuius dogmatis falſitatem coarguit Petrus Vaëzius *cap.* 10. *ſui med. commentarij*. Cur autem reliquarum rerum odores, licèt boni, lædant, *in* 2. *concluſione* explicauimus. Vini ergo odor, non in detrimentum, ſed in excellentiſſimas hominum commoditates eſt comparatus, vt Ianus Cornarius eleganter probat *lib. de re vinitoria.* Quare baculo nodoſo indiget, qui ſenſus negare contendit: nam odore vini cerebrum firmiſſimum euadit, & animales potentiæ, imò vitales, & naturales ſtrenuè firmantur, vt perdoctus aſſeuerat Valleſius *lib. de ſacra philoſoph. cap.* 27.

HISTORIA VII. PAVLI, De Hemicrania.

Hemicrania, experimento muliebri ſanata.

Mulier quædam in hemicranicis, hoc etiam quod ſequitur epithemate vſa, mirandum in modum inclaruit. Radicem cucumeris ſylueſtris viridem minutim conciſam, abſinthiumque cum hydrelæo incoquebat, dum intabeſcerent: ac hydrelæo calente mediocriter partem affectam irrorabat: radicem verò & abſinthium, in puluerem contrita oblinebat. Atque hoc ſolo medicamine hemicranicos, (id eſt, altera capitis parte dolentes) & cum febre, & ſine ipſa curabat, &c. Paulus* lib. 3. c. 5. Rubr. 2.

PARAPHRASIS.

Plurimas extitiſſe fœminas Medicas, Gal. Principum que placitis, & aliorum teſtimonio eſt comprobatum. Ille enim *lib.* 4. *ſec. loc. cap.* 7. Reginæ Cleopatræ Medicæ meminit. Quæ etiam citatur ab Aëtio *tetrab.* 2. *ſerm.* 4. *c.* 6. quam etiam non ſemel citat Gal. *lib.* 1. *ſect. loc. cap.* 1. & referunt Paul. *lib.* 3. *cap.* 2. & Aëtius *tetrab.* 2. *ſerm.* 2. *cap.* 56. Auic. *lib.* 5. *ſum.* 2. *tract.* 2. deſcribit collyrium à muliere compoſitum: & Aëtius *cap.* 68 *loci nuper cit.* tradit mulie-

A rem quandam, achoras certo medicamento perſanaſſe; Aſpaſiam ſæpiſſimè citat ipſe, & præſertim *tetrab.* 4. *ſer.* 2. *cap.* 3. Scribonius Largus *lib. de compoſ. Medic. cap.* 12. & 122. Romæ honeſtam Matronam, aliquot ægrotantes medicamento quodam, à morbo comitiali liberaſſe refert Theodor. Priſcianus *lib.* 3. & 5. *gynæcior. in præfat.* Victoriam mulierem Medicam fuiſſe refert. Elephantis quoque Medica fuit, vt teſtatur Plin. *lib.* 28. *cap.* 7. & ab ea dicitur emplaſtrum Elephantium deſcriptum à Celſo *lib.* 5. *c.* 19. Artemiſia Mauſoli Regis Cariæ vxor Medica fuit, vt firmat Plin. *lib.* 5. *cap.* 7. à qua, artemiſia herba cognominata eſt, & inuenta. Circe etiam, teſtante Diodoro Siculo *lib.* 5. *Bibliot.* ad omnis generis venenorum curam, plurium herbarum varias, mirabileſque vires adinuenit, vnde Circea herba dicta eſt.

B Quæ omnia, & alia animo voluens Hipp. *lib. de ſeptim. part. num.* 2. fidem mulieribus præbendam eſſe conſuluit, & præſertim illis, quæ iudicio præditæ ſunt. Quare Apponenſis *in additionibus ad lib. Meſue. cap. de indigeſtione ſtomachi*, ait, ſe vidiſſe plurimos morbos deploratiſſimos à fœminis Medicis perſanatos.

Quo factum eſt, inquit Hyginus *fabular. cap.* 274. vt apud Athenienſes fuerit ſancitum, vt ingenuæ fœminæ artem medicam addiſcerent. Qua de cauſa à Legiſlatoribus Medicina fœminis non eſt interdicta, quoniam plurimæ hanc artem non infeliciter exercuerunt, vt apertè colligitur ex Iuſtiniano *lib. vlt. ne autem verſicul. ſin autem notarius ſit. cap. de com. ſerm. man.* vt expendit Albertus Roſa *in ſuo indice fœcundo, in verſ. Medica poteſt eſſe mulier.* Et eſt etiam text. *in l. vlt. poſt princip. ibi. & Medicis vtriuſque ſexus. C. com. de legatis.*

C Non eſt ergo negandum, mulieres artem medicam ſapienter coluiſſe, quæ, vt ait Plato *in lib.* 3. *de repu.* ſicuti viri, ad Medicinæ artem aptæ ſunt, & ad alias diſciplinas capeſſendas idoneæ; in quibus non ſolùm claruiſſe, ſed viros antecelluiſſe, Suidas apud Volaterranum refert, eaſque citat Rauiſius Textor *in officina, titulo, de mulieribus doctis.* Et noſtro ſæculo viuit hodiè, & floret in noſtro Belgio, Vltraiecti, nobiliſſima virgo, appellata, *Anna Maria à Schurman*, ingenua, polita, & ſolers, quæ ita raris prædita eſt omnium ſcientiarum dotibus, vt duodecim linguas calleat apprimè, & nuper ſplendidiſſimum ſui ingenij præbuit ſpecimen, *in tract. de fatali vitæ termino, ad Ioannem Beuerouicium, Medicum ſcientiſſimum.*

Quare ne miremur fœminam hanc à Paulo in hac hiſtoria relatam, hoc ſalubri medicamento hemicraniam

D perſanaſſe, quod ex radice cucumeris aſinini, & Abſinthio conſtat, in hydrelæo, quouſque contabeſcant, concoctis, quo deinceps partem fouere oportet, puluere abſinthij deſuper inſperſo. Cùm enim hæc paſſio ſæpiſſimè à frigore ortum ducat, ex Gal. 3. *de loc. cap.* 9. & *lib.* 2. *ſec. loc. cap.* 3. & Auic. 1. 3. *tract.* 3. *cap.* 37. & hæc medicamenta calida ſint, craſſos ſuccos attenuare, flatus diſcutere, & partem roborare, nata ſunt. Nam radix cucumeris aſinini abſtergit, reſoluit, & exſiccat, ex Dioſcorid. *lib.* 4. *cap.* 155. & Gal. 8. *ſimpl. cap.* 96. cuius vires pro hemicranicis doloribus perſanandis, ſiue ex ſucco caputpurgium fiat, ſiue fronti imponatur linimentum, decantat Auic. *lib.* 2. *tract.* 2. *c.* 180. Quas facultates habere Abſinthium firmat Dioſcorid. *lib* 3. *cap.* 24. cum Gal. 6. *ſimp.* 69. & Auic. *lib.* 2. *tract.* 2.

E *cap.* 2. Quod auxilium, ſi priùs vniuerſalia celebrentur, eſt excellentius, cæterorumque præſtantiſſimum.

Hydrelæum autem conſtat ex duabus partibus aquæ, & tribus olei, vt notat Gal. 2. *de Antid. cap.* 6. & *lib. de Dynamid. tit. de Hydrelæo.* Quo calente partem affectam irrorabat, vt actuali calore promptè vires medicamentorum in altum penetrarent. Oleum autem aquæ admiſcuit, vt illius ratione, vis medicamentoſa diutiùs hæreret, quo titulo ad humectandam inſtrumentorum ſiccitatem vtitur dulcis aquæ lauacro, in quo olei copia ſit iniecta, *lib.* 3. *ſim. cap.* 25. Cùm enim aqua quæ foris circumfunditur facilè defluat, & quæ in poros ingreſſa corporis, nullam habens anſam promptam, effluat, in hoc ſanè ipſum vtiliter miſcetur oleum: Maximeque iuuat, ſi ex vtroque quis diù fricetur.

Et

Et licèt in febriculoſis hoc etiam vteretur auxilio, id ob cauſam doloris, quę ferè frigida & craſſa eſt, & febrem, quæ diariarum modo hemicraniam comitatur, factum fuiſſe intelligas. Quamuis autem febris eſſet intenſa, eo vti fas erat, ad maius periculum euitandum, quod ex doloris acutie contingere ſolet. Nam *melior eſt noxa* à medicamento illata, *quàm mors*, quæ ex immani dolore plerunque contingere ſolet, ex Gal. 12. *Meth. cap.* 1.

QVÆSTIO VI.

Quòd aqua pluuialis ad conſeruandam ſanitatem, cæteroſque medicamentoſos vſus, ſit puriſſima, fontanâ præſtantior, contra communem Medic. ſententiam.

COMMENTARIVM.

Hydrelæo.] Dubium eſſe ſolet, apud eos qui Gal. ſcripta indefeſsè perluſtrarunt: Quæ aqua ad hydrelæi, cæterorumque medicamentorum compoſitionem, aut ſalutis conſeruationem aliis ſit præſtantior. Pluuialiſne, an fontana. Et pro vtraque parte valida ſunt momenta rationum: Nam quidam fontanam, alij imbrium aquam laudare conſueuerunt.

Illam extollit Hipp. *in lib. de loc. aër. & aq. num.* 14. *Optimæ verò ſunt quæ ex ſublimibus locis, ac terreis collibus fluunt: hæ enim dulces ſunt, & albæ, & vinum modicum ferre poſſunt, & hyeme calidæ fiunt, æſtate verò frigidæ; tales enim fuerint ex profundiſſimis fontibus. Maximè verò laudare eas oportet, quarum fluxiones ad Solis exortus erumpunt, & præſertim ad æſtiuos, &c.* Subſcribit Gal. 10. *Meth.* 11. vbi in frigore, & tepore mediam conſtituit, tantamque facultatem ei tribuit, vt iis qui minimè exercentur, ſumma æſtate eam propinare non vereatur, *lib. de bonit. & vit. ſuccor. cap.* 11. & *lib.* 1. *de ſanit. cap.* 11. plurimùm verò ſit copia fontanæ recentis, cui nulla aliundè vitioſa qualitas ſit communicata. Firmat Auic. 1. 1. *doct.* 2. *cap.* 16. *aquæ verò quæ ſunt omnibus meliores ſunt aquæ fontium, &c.* quam ſententiam veterum doctiſſimi confirmarunt. Hæc enim aqua nullam vel guſtu, vel odore qualitatem repræſentat, ſed protinùs bibenti ſuauis eſt, grata, pura, lucida, ſyncera, leuis, epota hypochondria faciliùs penetrat, & facilè ad frigidum, & calidum alteratur, in hoc enim aquæ præſtantiam conſiſtere tradit Hipp. *lib.* 5. *aph.* 26. & Gal. *in com.* latiſſimè confirmat: & præſertim ſi hæc è fonte emanet, qui in ſublimibus, & terreis locis per loca pura, non cœnoſa ſcaturit. Hanc enim eſſe optimi fontis notam, tenent cum Hipp. *loc. cit.* Aëtius *tetrab.* 1. *ſerm.* 3. *cap.* 165. Paul. *lib.* 1. *cap.* 50. Gal. *de bonit. aq. cap.* 21. Ex quibus conſtat, ad ſanitatis cuſtodiam, nullam aliam fontanâ eſſe præſtantiorem. Conſule Coſtæum *in com. cap.* 16. Auic. 2. 1. *doct.* 2.

Aquarum autem omnium, ad compoſitionem medicamentorum, imò ad ſalutis conſeruationem, pluuialem eſſe præſtantiſſimam, acerrimè contendi poteſt. Hæc enim dulciſſima eſt, tenuiſſima, & leuiſſima, auct. Hipp. *lib. de loc. aër. & aq. num.* 4. & *lib.* 6. *epid. ſect.* 4. *text.* 19. quo loco aquam ab æthere excretam ſummè laudat, quoniam minùs eſt putredini obnoxia. Qua de cauſa Gal. *loco cit.* oculariis medicamentis ipſam permiſcet, ex eaque *lib.* 7. *loc. cap.* 1. parat diacodion, vt minùs putredini obnoxium ſit pharmacum: & Gal. *lib.* 4. *de ſanit.* 6. præparat mulſam cum aqua pluuia. Sequuntur Auic. *loc. cit. Ex aquis verò laudabilibus ſunt aquæ pluuiæ, & præcipuè illæ quæ in æſtate eueniunt, & ex nubibus cum quibus accidunt tonitrua, &c.* Auer. *in* 1. *part. cantic. in com. text.* 131. *melior ex aquis pluuialibus munda, &c.* Qua de cauſa Auic. 10. 3. *tract.* 5. *cap.* 5. & Paul. *lib.* 3. *cap.* 32. phthiſicis potandam ſuadent: hæc enim aqua ob maiorem tenuitatem, cæteras penetrando antecellit, facilè ab hypochondriis ſecedit, & omne leguminum genus in hac citiùs, quàm in alia excoquitur.

Plinius eam ad omnes vſus ſaluberrimam commendat, *lib.* 31. *cap.* 3. Adeoque probatiſſimam indicat Columel. *lib.* 1. *de re ruſt. cap.* 5. vt venenati liquoris abluere perniciem aſſeueret manifeſtè. Cùm enim tenuiſſima ſit, me- A dicamentorum vires facilè in ſe imbibit. Eſſe autem leuiſſimam præter Celſi auctoritatem *lib.* 2. *cap.* 17. Paul. *lib.* 1. *cap.* 50. Oribaſ. *lib.* 4. *cap.* 41. confirmat Vitruuius *lib.* 8. *cap.* 9. dum pluuiam laudat his verbis. *Quæ ex imbribus aqua colligitur, ſalubriores habet virtutes, eò quòd eligitur ex omnibus fontibus, leuiſſimis, ſubtilibúſque raritatibus; deinde per aëris excretionem percolata, tempeſtatibus liqueſcendo, peruenit ad terram, &c.* Nam Sol de aquis omnibus tenuiorem, & ſuauiorem portionem reſolutam in vapores attollit ſurſum, vt Riolan. *lib. de diæt. ſanor.* exactè explicuit. Nam leuiſſimæ in omni genere tutiores ſunt, & ſeriùs putreſcunt; ſunt enim minùs humidæ, & magis concoctæ à cœleſti calore, vt *lib.* 2. *de ſubtil. in fin.* Cardan. dicebat.

Quapropter hoc affirmandum eſt contra communem B Medicorum ſententiam, qui exceptâ fontanâ, nullam aliam medicamentorum compoſitioni, imò ſanis & ægris vtiliorem eſſe ſibi perſuadent, cùm pluuiæ vſus aſſiduus maximè ſalubris ſit cenſendus, dummodò hæc temporaria ſit, ac cum tonitru excreta, vt inter omnes aduertunt Viduſuidius *lib.* 6. *de curat. memb. tit. de rat. vict. cap.* 4. *de aqua*, Valleſ. *in com. text.* 19. *ſect.* 4. *lib.* 6. *epid. & lib.* 3. *de rat. vict. in com.* 40. Mathiol. *libr.* 5. *in Dioſcorid. cap.* 14.

II. Omnium pluuialis appellatur optima ad ſtirpes alendas: Nam tenuitate ſua viſcera terræ penetrando, abſconditas plantarum radices intimiùs humectat, & adſtrictione ſua terram ab externis, ventorum, pruinæ, grandinis, & nebularum iniuriis defendit, vt Ioubert. C *decad.* 1. *paradox.* 5. Bruyer. *lib.* 6. *de re cibar. cap.* 9. Ant. Gazius *cap.* 257. ſcitè annotarunt, & non ſiluit elegantiſſimus Ludouicus Nonnius Medicus Antuerpienſis, *lib.* 4. *Diætetici, cap.* 2.

III. Ad medicamentorum compoſitionem aqua pluuia cæteras antecellit. Tum quòd omnium tardiſſimè putreſcat, ex Gal. *ſup.* & Celſ. *infrà*, quorum mentem dilucidè explicarunt Lupeus 2. *enchirid.* 2. & Brachel *in com. text.* 26. *lib.* 5. *aph.* tum quòd vires medicamentorum citiſſimè ad omnes partes tenuitate ſua deferre poſſit, & ampliùs adſtringens cùm ſit, ex Paul. *lib.* 7. *c.* 16. vires eorum maximè conſeruet. Neque adſtrictio modica penetrationi obeſſe poterit, ex Gal. 3. *ſimpl. cap.* 16. nam exigua eſt, & huic operi ſummoperè prodeſt. Cætera de aquæ pluuiæ vtilitate lege apud Augen. *tom.* 1. *epiſt. lib.* 1. *epiſt.* 1. de D ptiſſanæ præparatione elegantiſſimè diſputantem.

Sed in eam non poſſunt plurimi non infimæ notæ viri abire ſententiam, vt ſentiant aquam pluuiam ad medicamentorum compoſitionem eſſe cæteris excellentiorem, cùm odorem malum pluuialis aqua habeat, & citiſſimè putreſcat. Sic enim ait Hipp. *libr. de aër. & aq. numer.* 18. *Quapropter etiam ex omnibus aquis hæ citiſſimè putreſcunt: & odorem malum pluuialis aqua habet, eò quòd ex plurimis congregata eſt, ac permixta, vt citiſſimè putreſcat, &c.* Subſcribit Gal. *lib. de bonit. aq.* Plurium enim ſubſtantiarum commixtio ad putredinem maximè parat, præſertim ſi hæ ſuapte naturâ ſint putredini obnoxiæ. Illud ſanè in deuorantibus ſimul nimis varia edulia palàm conſpicitur, quibus fæcalia recrementa multò ampliùs putrent. Paratiſſima itidem, obnoxiáque corruptioni illa ſunt, quæ ob tenuitatem ſubſtantiæ promptiſſimè ab am- E biente alterantur. Qua fortè ductus ratione Auic. *cap.* 16. 2. 1. pluuiam, non quia facta eſt ex pluribus, & diuerſis humiditatibus, ſed quia tenuiſſima eſt, facilè putreſcere, aſſeuerat.

Dic cum Paul. *lib.* 1. *cap.* 50. Auic. *loc. nup. cit. in fin. aquæ pluuiæ citò aduenit putredo, cùm ſit aqua melior, &c.* Pluuiam deterrimam non eſſe, quòd putredini ſit maximè opportuna; Nam mutationis facilitas virtuti potiùs, quàm vitio attribuenda eſt. Ea enim aqua quæ optimas notas habet, licèt promptè alteretur, ea cenſebitur ſaluberrima. Tenuiſſima enim cùm ſit, citò refrigeratur & calet, quam eſſe bene alterabilem inficiabatur nemo. Sicut enim cibi virtus in hoc conſiſtit, quòd facilè in ventriculo alteretur, ſic etiam & aquæ, ſiquidem facilè tranſmutari volumus, quidquid concoqui rectè ab inſtrumentis,

quibus

quibus eſt coctionis munus demandatum, deſideramus; vt *lib.5.aph.26.* Gal. edocuit.

Quo pacto ergo tanti auctores inter ſe è diametro repugnantes ſecum conſentient, dum quidam pluuiam tardè, alij citiſſimè putreſcere aſſeuerant? Solue primò ad mentem Hipp. *in lib.6.epid.* dum ſic inquit. *Aquarum arte carentium, quæ ab Æthere excreta eſt, aut cum tonitru opportuna: Procelloſa verò mala, &c.* Qua diſtinctione à plurimis praue hactenus intellecta, qui pluuiam, ad medicamentorum compoſitionem, & ſanitatis vſum, non eſſe præferendam puriſſimæ fontanæ ſibi obnixè perſuaſerunt, totam dubitationem euaneſcere putamus. Procelloſa enim aqua, & nimboſa citiſſimè putreſcit, & odorem prauum habet. Temporaria verò cum tonitru ab æthere æſtatis tempore excreta, omnium tardiſſimè putreſcit. Noſtram poſitionem probat Celſ. *lib.2.cap.30.* quæ tardè putreſcit, ideoque pluuia potiſſimum, &c. Licèt (perperam tamen) Balduinus Ronſſeus *in com.* citra neceſſitatem mutare contextum auſus ſit, per pluuiam, putealem intelligens: rem ita ſe habere fortè ratus, propterea quòd videat puteales aquas diutiſſimè conſeruari, tardéque fœtere.

Sed grauiter deceptus eſt. Apertum enim eſt profiteri Celſum, ex pluuia inter coquendum minùs acquiri putredinoſam, & alienam qualitatem pharmaco, cùm hæc tenuior, purior, cæteriſque ſit ſimplicior. Annuit Gal. *lib.7. ſecund. loc.2. Verùm in aqua pluuia quidam capitum cocturam fecerunt, ne videlicet ipſa ad alienam putredinoſam qualitatem tranſmutetur, &c.* Ideò enim putealis aqua diu incorrupta ſeruatur, quia friditas terræ profundiſſimæ à calore extraneo putrefaciente tuetur eam. Idque magis æſtate, quàm hyeme, quoniam tunc temporis terræ frigidiora longè ſunt viſcera. Sed age, hauri aquam illam, & exteriùs repone: Planè ſic perpendes, aquam putealem citò putrere, eſt enim immunda, & craſſa, & non ita, vt oportet, ventilata.

Solue ſecundò: Aqua pluuialis cruda omnium citiſſimè putreſcit? Cocta verò, & colata putredini minimè eſt obnoxia. Hæc enim coctione purior euadit, & cùm ſit à fæcibus munda & repurgata, externo ambientis calori reſiſtit valde. Quæ ſolutio menti Hipp. plurimum eſt conformis. Subdit enim ille *loc.cit.de aëre. Atque hæ quidem aquæ optimæ ſunt ſecundùm hanc rationem, verùm opus habent, vt coquantur, & tranſcolentur; ſin minùs odorem prauum habent, & raucedines, & grauedines inde accidere par eſt, &c.* Et Gal. *lib.6. epid. coctione eam ad meliorem ſtatum tranſmutat*, & ſic ait: *In quibus omnibus melius fuerit, quemadmodum legumina multa præelixantes idonea eſui præparamus, & olera, & fructus, & animalium partes: eadem ratione & aquam priùs elixatione ad meliorem naturam permutantes ita propinare, &c.* Cauſam verò ob quam ſit decoquenda, infrà explicuit, dicens, crudas aquas bibentes hoc eſſe obſeruaturos, vt limoſam, lutulentam aquam decoctione præparét, ſic enim putor, quem ex putredine plerunque contraxerunt, omniſque terrea pars facilè ſubſidet, quæ cum tota aqua, priuſquam incaluiſſet, erat permixta, vnáque cum ipſa epota haud contemnendam cladem infert.

Inſtabis, & meritò ſanè, aquam minimè coqui poſſe, quum coctio mixti ſit, & non element. Reſponde, aquam minimè concoqui poſſe, elixari tamen, idque per metaphoram dici poteſt; nam nihil habet ſicci, quod cum humido poſſit commiſceri; & humidi plurimum poſſidet, ita vt à calore, quem aut exiguum, aut nullum habet, coërceri queat. Et hæc eſt cauſa quare aqua ex humidis ſolùm non craſſeſcit. Quo pacto eorum ſuccorum, qui in humano corpore congeſti, aquæ ſunt in modo ſubſtantiæ omnino ſimiles, vt incoctiles expurgandi ſunt protinus, cuiuſmodi ſunt hydropicorum aqua, aliique tenues, crudi, & aquoſi humores. Qua de cauſa Gal. *lib.quos, quib. & quand.* aquoſos humores inter initia illicò expurgat; cùm ij nulla expectata coctione, quam recipere non poſſunt, ſint vacuandi.

Aqua verò pluuia, licèt pura videatur ad ſenſum, decoquenda eſt; nam limpida abſolutè, & pura nõ eſt, quoniam ex pluribus commixta eſt humiditatibus, prout Hipp. & Gal. *cit. loc.* docuere: dicitur autem pura, fontanæ, aut alterius cœnoſæ collatione facta, ex quo patet coctionem mixti eſſe, & non elementi. Quare vnum potiſſimum elicimus; perperam carpi Auic. *2.1.doct.2.cap.16.* Raſium *3. ad Almãſ.4.* & alios probatæ fidei auctores, à I. ubert *1.decad.paradox.5.* Ludou. Mercat. *lib.indicat.2.* Ferdinand. Roder. Gardozo, *cap.4.de ſex reb. non nat. quæſt.3.* qui aquam pluuiam etſi limpidiſſimam, immò & fontanam, & reliquas aquas, ad vſum ſanitatis, & alios medicamentoſos vſus non eſſe decoquendas, contra hos proceres pugnaciter contendunt, futilibus innixi rationibus.

Aqua ergo pluuialis ad omnes vſus eſt vel puriſſima fontana præſtantior. Si verò hanc ſæpè auctores commendarunt, reſpectu nimboſæ, fluuiatilis, aut alterius, id pronunciaſſe aſſerendum eſt. Nam pluuialis, à Sole, qui puriores aquæ portiones ſurſum attrahit, elaborata, iucundiórque reddita, coctionem iuuat, vrinam mouet, iecur & renes moderatè refrigerat, pectus dilatat; excretiones prouocat: vt inter omnes notauit Balthazar Piſanellus *lib.de eſcul.& potulent.facult.tit.de aq.nat.& effectu.*

DVBIVM III.

Num aqua per plumbeos canales deriuata, dyſenteriam facere poſſit, contra Fallopium.

AT licèt hæc vera ſint, & tantorum virorum probata teſtimoniis, vnus reſtat eximendus ſcrupulus, ne aqua pluuia noxam aut corpori, aut medicamentis cum quibus decoquitur, inferre poſſit, vt ſcilicet per canales plumbeos in ciſternam non excurrat. Fictiles tubos vt ſalubriores laudamus. Quapropter Septentrionalium regionum incolas vehementer admiror, qui ob fontium, & fluuiorum penuriam, aqua pluuia vtuntur, nonniſi in ciſternam per canales plumbeos deriuata. Hos coarguit Gal. *lib. 7. ſec. loc. cap. 2.* dum ſic inquit. *Satis eſt & ipſam mundam eſſe, & omnis mixturæ exortem, ob quam rem, ea quæ per plumbeos canales deriuatur, fugienda erit: limus enim ex plumbo in ea continetur, vnde & qui aquæ huiuſmodi fæcem combibunt, dyſenterici euadunt, &c.* Subſcribit Aëtius *tetrab. 3. ſerm. 1. cap. 45.* qui in dyſenteria pluuiam concedit, quæ non ſit ex domibus plumbo intectis delapſa, nam huius potus hunc affectum præcipuè gignit. Sequitur Auic. *2.1.doct.2.c.16.* dum ſic ait: *Et ex illis illæ ſunt deteriores, quibus ex plumbo viæ factæ fuerunt, quoniam ex eius virtute aliquid aſſumunt, & frequenter ad dyſenteriam ducunt.* Quæ autem ſit huius euentus cauſa, nunc audi.

Eruditiſſimus Fallopius *tract.de metal.cap.22. in fin.* ſic philoſophatur. Plumbum frigidum eſt & humidum ex Gal. *lib.6.ſimpl.cap. 50.* & Dioſcorid. *lib. 5. cap. 41.* & ſic reddit aquam his qualitatibus affectam, quæ frigida cùm ſit, humores incraſſat, obſtructiones gignit, qua de cauſa excrementa retenta acria redduntur, & exulcerant. Sed non aduertit vir doctiſſimus, quòd hoc pacto alimenta omnia frigida & humida dyſenteriam facerent, quod non eſt dicendum.

Sed certior huius cauſa euentus metallorum naturæ eſt tribuenda, quæ ita comparata eſt, vt plurimum in ſe habeat igneæ ſubſtantiæ, auctore Gal. *lib 9.* Simpl. *cap. 26.* explicat luculenter Alb. Magn. *lib. 3.de metal.tract.2.c.4.* hócque euenire ex ſulphuris, & argenti viui permixtione certum eſt, ſunt enim hæc metallorum omnium communia principia: ita vt quò metallum eſt purius, vt aurum, & argentum, minùs de his principiis participet, impurum verò, vt ferrum, plumbum, magis. Quo fit vt hac de cauſa, docente Plin. *lib.34.cap. 17.* aqua per plumbum excurrens reddatur ignea, acris, & exulcerans, & dyſenteriam facilè gignat. Qua ratione plumbea lamina ſcrophulas, ganglium, tumoréſque duros diſſipat, & reſoluit, ſi fides eſt habenda Paul. *lib. 7. tit. de plumb.* Auic. *lib. 2. tract.2.cap.12.* Auer. *lib.5. collect. cap. 43.* Vide pulchra de hoc argumento apud Iacob. Forol. *in com.cap. 16.* Auic. 2. 1. *Doc.2.&* Mercurial. *2. va iar.9.*

Aliam excogitauit Vitruuius rationem *lib. 9. cap. 11.* Nam aqua per plumbum ducta ex eo videtur vitioſa, quòd

ex ceruſa fit & naſcitur. Ceruſa enim plumbo creatur attrito, quæ corporibus nocet humanis, auctore Palladio *lib.9. rei ruſtic. tract.*11. Qua de cauſa diarrhœæ, & dyſenteriæ frequentes eueniunt, vt probat Riolan.*lib.2.ſuæ medic. cap.9.* Denique ſi plumbi limatura pota, aut ſcobs, ſimilia inuehit pericula, quæ ex argenti ſpuma, lithargyro, & ceruſa accidere ſolent, vt concors eſt auctorum ſententia, & referunt Paul. *lib.5.cap.63.*Auic.*6.4.tract.*1. *cap.*3. Cur aqua per plumbum decurrens, noxia non erit, & ſaluti humanæ valde infeſta? Maximè quia plumbum eſt metallum inimicum vitæ proprietate ſua, & ſic Saturno aſſimilatur, quum ſeptem metalla ſeptem planetis comparent Aſtrologi, plumbum eſt Saturninum, & melancholicum, ob colorem nigrum. Vide Galeotum Mart. *lib. de promiſcua diſcip. cap.*14. Quare vt receptui canam, aqua pluuia ad omnes vſus omnium eſt ſaluberrima, & præſtantiſſima, dummodò per plumbeos canales in ciſternam non excurrat. Sin minùs, linguam & pariſthmia aſpredine exulcerat, ſiccam tuſſim, & ſingultum mouet, & ex ventriculo nauſeabundo pernicioſum halitum eructat; caligine oculos ſuffundit, corpus vacillare cogit, Vltimò, Quis plumbum lethalia ſymptomata parere negabit? cuius ſolo viroſo vapore, dum funditur, artifices plumbarios pallere, artus & ſanguinem exuri teſtatur Plin. *lib.34. cap.*17. dum (inquit) plumbum coquitur, munienda ſunt ſpiritus foramina, alioquin plumbi è fornacibus noxius halitus, & peſtilens ſentitur. Quapropter ſiphones, aut fiſtulæ & plumbeæ ad aquæ ductus meritò ſunt reprobandæ, ſed eligendi tubi à figulo diligenter vitriati, ne aquarum limus illis hærere poſſit. Lege Langium *lib.1.epiſt.*44.

HISTORIA VIII. GALENI,
De dolore capitis.

Synciput, medicamentorum quæ capiti imponuntur, applicationi aptiſſimum.

*SEd quoniam etiam ſuturæ, & in his præcipuè coronaria, non ſolùm medicamenti impoſiti qualitates, ſed etiam ſubſtantiam, ſi tenuis eſt, facilè intrò tranſmittit: meritò multa circa cerebrum vitia ab extrinſecùs applicatorũ remediorum facultate iuuantur. Ipſe enim in me ipſo expertus memini, cùm infunderetur roſaceũ frigidũ, citiſſimè, clariſſiméque ſenſiſſe me in ſyncipitis loco, eius intrò penetrationem, &c. Gal.*lib.13.meth.c.22.

PARAPHRASIS.

CErebrum cùm membrum ſit humidiſſimum, friabile, molle, laxum, medulloſum, & in altiſſima parte locatum, velut operculum quoddam ebullienti vaſi ſuperpoſitum, tectum domus calidæ appellatur, Auctore Magiſtro *9.de vſu part.2.* Qua ratione, multa incrementorum indiget expurgatione, cùm continuò ex inferioribus partibus (cucurbitulæ ritu) attrahat, exhauriatque vapores. His enim ne obrueretur, prouida natura fabricauit ſuturas, quarum via liberè fuliginum copiam expurgare poſſet.

Suturarum, pro varia capitis figura, varius quoque eſt numerus. In figura ergo naturali tres veræ ſuturæ reperiuntur: prima anterior eſt, & coronalis dicitur, quòd ea capitis parte coronæ geſtari ſoleant. Hæc à temporibus vtrinque in ſummum verticem, per tranſuerſum, viam capeſſit. Præter plurimas ſuturarum vtilitates, illa eſt à Gal. *hoc loco* deſcripta, vt ſcilicet medicamentorum externorum vis altiùs penetret. Cùm enim ante cerebrum ſit craſſa membrana, quæ corio externo aſſimilatur, & poſt hanc cranium: ſi capiti auxilia adhiberentur, minimè prodeſſe poterunt, cùm per hæc dura corpora medicamentorum vires impartiri facultatem minimè queant. Quare topica ſuturarum regioni imponantur, oportet.

In parte ergo anteriori (ſyncipùt vocatur) ſuturæ ſunt laxiſſimæ, & liquidò in iunioribus moueri eo loco apparent, & cranium eſt ibi tenuiſſimum, & rariſſimum; quamobrem appoſitis inibi externis medicamentis, illicò pa-
A tiens eorũ qualitatem perſentiſcit; quo factum eſt, vt cùm medicamenti cuiuſpiam vim vehementer deſcenderẽ eſt in animo, hoc maximè loco imponere oporteat; quod ita eſſe, quotidianum ſuadet experimentum: Nam in puerulis anterior eorum pars, membranea potiùs, cereaque eſt, cùm ſit humidiſſima; nec priùs bregma, quo tegitur, in os mutari poteſt, quàm cerebrum hac parte ſiccius euaſerit, quoniam in hac parte ſuturæ omnium rariſſimæ ſunt, & debiliſſimæ. Caput enim hac in parte, ob venarũ, & arteriarum copiam plurima indiguit vaporatione, quare ob hanc cauſam ſynciput topicorũ, quibus ad cerebri affectiones quotidie vtimur, applicationi, eſt inter omnes capitis partes aptiſſimum. Explicat eleganter Gal.2.*lib.ſec.loc.c.*1.*Rubr.3.*

Sed cuius ægritudinis cauſa oleum roſaceum frigidum impoſuerit, ex ipſius doctrina ſatis non conſtat, fortè non B expreſſit, quoniam leuiſſimus fuit, quo corripiebatur, affectus. Sed quomodo duram, membranoſamque cranij ſubſtantiam, oleum roſaceum actu frigidum potuerit penetrare, ita vt illius frigiditas mox ſentiretur, meritò percontaberis. Maximè cùm illud adſtringat, & occluſis meatibus in altum penetrare non poſſit.

Aduertas tamen oleum roſaceum in duplici eſſe differentia; nam aliud ab alba, immaturaque olea expreſſum, omphacinum, crudum, incompletumque vocatum à Plin. *lib.12.cap.27.*cæteris præſtat, apud Dioſcorid.*lib.1.cap.31.* refrigerat enim, & adſtringit, quæ qualitas tam congener illi eſt, & cognata, vt per eam ſolùm, quale oleum ſit, ſe cognouiſſe fateatur Gal.6. *ſimpl. tit. de oleo, & 3. de ſanit. tuend.6.*Nam vt, *eodem lib.ſimpl.*Gal.ait, quantùm hoc oleũ habet adſtrictionis, tantùm habet frigiditatis; quapropter C inflammationes arcet, humorum impetum refrænat, omnis generis fluxiones ſiſtit, ventriculum roborat, gingiuas contrahit, dentes firmat, ſudorem cohibet. Hoc, quò vetuſtius, ac pinguius, eò ad medicamẽta vtilius. Ex eo *lib.1. ſimpl.6. & 10. meth.9.* ſuum refrigerans parabat vnguentum, in adurentibus febribus, dorſo, iecorique apponendum, cuius compoſitionem ex Meſuë petere potes.

Aliud completum, ſeu maturum nuncupatur, ex oliuis, roſiſque maturis ſic dictum; hoc roborat, reſoluit, lenit, dolorẽ ſedat: Et licèt olei quantũ voluerimus iubeat Meſuë accipere, tamen Palladius *lib.6.rei ruſtic.tit.*15.purgatarum roſarum vncias ſingulas, ſingulis olei libris cõmittit: quidam tamen vnguentarij roſas aliquantulùm ſiccare priùs conſueuerunt, vt odorem in vnguento, ſynceriorem, efficacioremque relinquant, moniti (vt reor) ſententia Theo- D phraſti ſic conſulentis, *lib.6.de cauſ.plantar.c.*23. At Paul. *lib.7. tit.de roſacei confectione*, id ex roſis exungulatis conficit. Et enim vnguis in roſa, teſte Dioſcorid. *lib.& cap.cit.* candida ipſius pars, pedi roſæ magis vnita.

Gal.autem de incompleto loquentem intellige, quod licèt modicè frigidum ſit, tamen eius partes aëreæ, à ſtypticis intrò propulſæ intimiùs penetrant: ſcis enim leuem ſtypticitatem in tenui ſubſtantia, iuuare ad penetrationem, vt de eodem roſaceo *cit.ſimpl.* protulit Gal. Num autem aliquando poſteriori parti capitis, frigida topica poſſint applicari, contra Holler. *cap.de dol.cap.* Theodorus Collado inſurgit *cap.10.de,errorib.* Holler. leuiſſimis nixus rationibus, quas diſſoluere facile eſt ex dictis, illi, qui huius auctoris rationes ad amuſſim penſitauerit.

E
HISTORIA IX. RASII,
De Phrenitide.

Phrenitis, ſanguinis miſſione vſque ad animi deliquium, curata.

*CAſus accidit Errifidem Regi: Scilicet iuxta cerebrũ apoſtema, & cognoſcebat me. Extraxi ei ſanguinis libras tres, vſque quò ſyncopiſauit ſyncope timoroſa, & poſtmodum cogitare cœpi, & inunxi corpus eius ex Algalia, & * ex ea poſui ad nares. Et libram vnam vini odoriferi temperaui cum æquali pondere ex iure pullorum gallinarum, & columbarum, in quo moſchum poſueram, & hoc in os eius miſi ſucceſſiuè, & à ſyncope fuit liberatus. Raſius* lib.3. in ſuis Aphoriſmis.

PARAPHRA

PARAPHRASIS.

ORiri iuxta cerebrum apoſtema,aut vt rectiùs loquar, meninges inflammari, notius eſt,quàm vt explicari queat, immò Gal.4.*de cauſ.pulſ. cap.*14. affirmat, phrenitidem potiùs à tenui meninge incipere. Hæc enim membrana, ab aliis, pia mater, vel meninx vocata, mollis eſt, multis venis, arteriiſque circumdata, licèt hunc affectum à dura matre aliquando ortum ducere non ſit negandum, quæ cùm capacior ſit, & ignobilior, facilè fluxionem ſuſceptat.Sed in hac re nihil certi ſtatui poteſt,quoniàm partes duræ non ita frequenter inflammantur: exemplo ſint oſſa, & ligamenta. Sicque fortunatum eſt, vnam potiùs, quàm aliam meningem inflammari. Illud certiſſimum, quòd phrenitis quæ ducit originem à tenui meninge,multò acerbior & periculoſior ſit, quàm quæ à dura ſuboritur; tum quia illa acutiori ſenſu prædita eſt, tum quia cum cerebro maiorem conſenſum habet,& cognationem: Nam tenuis nullum patitur affectum, quin cerebrum patiatur,& è contra. Hæc enim non ſolùm circumuoluit cerebrum, ſed in illius ſubſtantiam ſeſe infinuat, vt 8.*de vſu part.*8. docuit Gal. At verò dura, quoniam à cerebro eſt ſeparata, ſola affici poteſt, auctore Magiſtro, 4. *de præſag. ex pulſib. cap.* 9. citiſſimè tamen ſuum affectum cerebro communicat, illi enim aliquibus propaginibus coniunguntur, vt 8.*de vſu part.*9. Gal. docuit.

Inflammari has membranas, & phrenitidem concitari, quæ nihil eſt aliud, niſi inflammatio cerebri,aut membranarum eius, auctore Gal. 2.*de cauſ. ſympt. vlt.* eſt veriſſimum: Quas, etſi ob ſoliditatem, & duritiem earum humor non ita penetret; à bilioſo tamen, tenuique humore inflammantur, vt de pleura dicebat Gal. 6.*aph.*33. iiſdem autem ſignis inflammatas membranas agnoſces, quibus adeſſe phrenitidem iudicamus,quæ cùm acciderit,vt phrenitis curanda eſt, teſte Paul. *lib.*3.*cap.*6.

Confeſtim ergo ſecanda vena, 13.*meth.*21. & alia exequenda auxilia, quæ ab auctoribus vnanimiter proficua eſſe cenſentur. Licèt autem affectus hic in principe parte eſſet ſubortus, cuius vis, cùm præ cæteris ſit infirma, tam copioſa vacuatione non erat ita infirmanda, cùm *ſatius ſit virtutem non exſoluere,quàm ſanguinem vacuare redundantem, vt* 2.*acut.*10.*in fin.monuit* Galenus, tamen,quia inflammatio fuit ex feruenti ſanguine concitata, & *non poteſt vehementi morbo, niſi vehemens auxilium ſuccurrere*, ſic docente Celſo 2.*cap.*11. & *quæ celeriter exſequi debent, celeriter peragere oportet*,ex Hipp.*lib.*1.*acut.text.*8. idcircò, vt ſimultanea fieret humoris calidiſſimi vacuatio, quæ fluxurum, fluentem, & fluxum humorem vacuaret, tam acertuatam vacuationem celebrare, morbi exitialis coëgit neceſſitas. Neque putes erraſſe auctorem, vſque ad ſyncopen ſanguinem emittentem: nam præterquam quòd extremum & nimium auxilium, extremo & acutiſſimo morbo eſt conſentaneum,vt millies Hipp.præ lixit,de ſyncope repabili (Barbarorum more loquor) quæ cum animi deliquio coincidit, eſt intelligendus. Sed quoniam expoſitor pro ſcopo habet,ſingulas dictiones proſequi,auctore Gal. *lib.*1.*acut.*8. idcircò de galia & cæteris odoramenti generibus aliqua prælibabimus. Illam enim naribus appoſuit, vt odoris ſuauitate vires collapſæ refici, & ſpiritus exhauſti reparari poſſent. Eſt enim galia, ſordes quædam odoratiſſima,quæ è genitalibus locis feræ cuiuſdam eruitur,quā peregrino vocabulo Zibettum appellamus. Animal eſt,feli qui in veteribus ædificiorum ruinis oberrat,non abſimile: Sordes hæc præcipuè purgari ſolet, cùm pars hæc ea ſcatet vligine, quæ recenter ab animali euulſa,tetrum inſuauemque ſpirat odorem: cæterùm vaſe vitreo recepta, & diu inſolata, miram ſibi odoris conciliat ſuauitatem.

De illa, quæ calidum & ſiccum in 2. exceſſu ſortitur temperamentum,loquitur Auic.*lib.*2.*cap.*326.cui mirabiles tribuit qualitates. Nam præterquam quòd medicamẽtum, ſi quod alterum eſt cardiacum,eas quas Moſchus & Ambarum præſtant facultates,excellentiori ſuauitatis, & virtutis medicamentoſæ gradu elargitur, quas ad plenum deſcribunt Setap. *de ſimpl.cap.*54. Mathiol. *lib.*1.*in Dioſcorid.in com. c.*20. Ruell. *lib.*1.*de nat. ſtirp. c.*27. Bernard. *Lib. I.* Deſſenius *lib.* 7. *de compoſ. med. in fin.* & latiſſimè Conrad. Geſner.*lib.*1.*quadrup. tit de fele Zibetti.* Explicat eruditiſſimè Vlyſſes Aldroandus *tom.*4. *de quadrup. c. de Zibetto.*

Obſeruatio XI.

Phrenitis confirmata, cucurbitula in ſyncipite ſcarificata, curatur.

CVm inflammatio meninges cerebri occupat, eo modo quo phrenitis curanda eſt. Fœmina quædam, febri acuta laborans, neglecta phlebotomia (ob incuriam Medicorum) ex vigiliis,& dolore capitis,attracto ſanguine ad partes ſuperas,in ſæuam incidit phrenitidem, adeò vt iam captaret muſcas,& ad pedes lecticuli iacens, continuò delirans,in horas moritura ſperaretur.Huic opem ferens,cucurbitulas dorſo, occipitique ſcarificatas apponendas impero. Ex fronte,naſique venulis ſanguinem exhaurio, & alia reuellentia auxilia procuro. Sed cùm debilis eſſet,nec ad ferendam cephalicæ ſectionem, aut purgantium medicamentorum vſum, vires eſſent ſatis, & nullus videretur eſſe remedij locus,in caſu conclamato, ad cucurbitulam in ſyncipite ſcarificatam acceſſi, ex qua cùm ſanguis copioſè emanaret,contra Medicorum vota ad mentem rediit.

QVÆSTIO VII.

Quòd ad ſyncopen vſque ſanguis ſit aliquando emittendus, vt voluit Auic. contra Ludouicum Lemoſium doctiſſimum.

COMMENTARIVM.

Syncope timoroſa.] Quod ad Syncopen, aut animi deliquium ſit emittendus ſanguis, hoc loco diſputandum eſt. Licèt enim plures ante me hoc argumentum ſatis acutè agitarint,pulchra tamen multa,ex tenebricoſa Gal. doctrina deprompta prætermittunt,quæ ſeueriori lima indigere videntur. Auer.*lib.*7.*collig.*8.*contra Hipp.* ſic inſurgit: Hanc vacuationem vt erroneam accuſans., & damnans, quòd in ea plus boni putat decedere, quàm mali. Hoc ex ipſo animi defectu colligit: conſueuit enim natura noxij humoris expulſionem lætiſſimè tolerare, & vtilis ac innoxij vacuationem ægerrimæ ferre. Deinde naturæ rectè operantis exemplo, ſimiles vacuationes nunquam promouentis, nititur redarguere. Nam debilitata ſic natura, humores à putredine defendere haud poterit in poſterum. Quare in bona criſi, vſque ad animi deliquium non euacuat, ſed in mala, in qua omnia præcipitantur.

Vacuandum eſſe ſanguinem vſque ad animi deliquium in febribus ardentiſſimis, vehementiſſimis doloribus, & maximis inflammationibus, docuere cum Hipp.1.*aph.*23. & Galeno paſſim, priſci, & iuniores Medici. Reddit cauſam Gal, 9. *meth.*4. *& lib.de curand. rat. per ſang. miſſ.*12. *&* 4.*de ſanit.tuend.cap.*4. Quoniam ex hac copioſa vacuatione non ſolùm feruentis ſanguinis plenitudo deponitur, ſed refrigeratur totius corporis habitus, corpus ad naturalem ducitur temperiem, & leuata natura, recreataque eo, quo velut ſarcina premebatur, copiam peccantis humoris per vomitum, aluum, & ſudorem expellere tentat, & ſic doloris, febris, aut inflammationis vehementia remittitur.

Neque obſtat Auer. argumentum; nam ſupponit falſum,ex vtilis humoris vacuatione ſolùm,animi deliquium oriri poſſe exiſtimans, quum contrarium firmet experimentum: *ſuppurati enim, aut aquam intercutem patientes, ſi vrantur, aut ſecentur, & pus, aut aqua vniuerſim effluxerint, moriuntur*, iuxta Senis edictum 5.*aph.*27. *in his enim ſubitò, & repentè vacuare, malum; cùm euestigiò deficiat anima, vireſque concidant; nec poſteà debilitas ita facile remedium habeat.* Deinde ars,cùm ducatur ratione, multa ſolet efficere,quæ natura non efficit. Et in bona criſi etiam, ob inutilis humoris vacuationem ſubitam, vnà cum vtili, perterrita natura, & calore ex improuisò confluente ad cor,

oritur animi deliquium. Et licèt hæc repentina vacuatio plurimùm debilitet, & calore diminuto videatur deinceps maiorem putrefactionem poſſe induci; ſi tamen cum conditionibus ſeruandis celebretur, ſitque corpus validum,& robuſtum, vireſque conſtent, tantùm abeſt vt debilitet, quin potiùs dempta copia, natura recreata peccantem humorem aggrediatur. Et licèt *nimiæ vacuationi annexus ſit ſemper caſus virtutis*, adhuc tamen caloris natiui ea portio remanebit,quæ vitam conſeruet, & ab imminenti periculo, putredinéque defendat: quare lipothymia correpti facilè vires recuperant.

Sed Ludouicum Lemoſium fortioribus machinis inſurgentem audiamus. Is enim *in com.cap.4.lib.9.meth.Gal.* huius auctoris, immò Hipp. doctrinam *in diſp.6.* temnit, & damnat, putatque annotandum Gal. nulloque modo imitandum. Et primò ſic. Si hæc vacuatio ex eo iuuat,quoniam corpus in contrarium ſtatum deducit, & ſequuta refrigeratione febris illicò extinguitur, cur hoc etiam non faciet partita vacuatio,nimiam plenitudinem exhauriens, & ex accidenti corpus refrigerans? Et ſic Gal. 4. *de ſanit.* 10. *partitè in hac ſectione euacuat.* Secundò, Omnis nimia vacuatio eſt periculoſa, ex Hipp.*lib.1.aph.3.& 2.eiuſd.5 2.* ergo non eſt exercenda, quum ex vniuerſali præſcripto 12.*meth.1. teminus ſit ægrotantibus, quem non tranſibit, qui ex arte generosè morbo oppugnat, vt tutò medicetur: vbi verò vltra pergitur, crudelis hominis officium facit, qui ſimul cum morbo, vitam quoque hominis aufert.* Quo auxilio periiſſe plures narrat. Gal. *lib.9. met.* 10. & *lib. de curand. rat. per ſang.miſſ.*12. Tertiò. Si hæc vacuatio eſt neceſſaria in febribus, in putridis eſt exequenda, ex Gal.*9.meth.*4. Sed in his vires languent(diminuto enim calore interno vires fatiſcunt, & putredo inducitur) & ſanguis in alios humores abiit per putredinem: ergo ij non hoc auxilio,ſed purgatione ſunt educendi. Quartò Gal. experimentum nititur redarguere, ſudores, aluique deiectionem poſt celebratam hanc vacuationem fortuitò ſibi euenire perſuadens, nec enim iuuenis alter ſeruus citatus à Gal. *cit. nup. loc.* ſudore, & alui profluuio eſt liberatus. Ergo non ſunt hæc imitanda, cùm ſint recta ab errore: hoc enim modo, vini potu pleuritides,& melongenarum eſu quartanæ ſoluuntur. Quintò, Contemnit iſtam vacuationem, quoniam ex ea natura non leuatur,immò oppreſſa, ſui muneris oblita manens, ad reliqua opera perficienda incapax, & inſufficiens reddita occumbit. Sextò,Principum auctoritate ſuam videtur munire ſententiam. Celſus enim *lib.2. cap.*10. affirmat, ſemper finem faciendum eſſe antequàm anima deficiat.

Contra docuere omnes, qui facundiſſimam illam, germanamque medendi methodum,ex limpidiſſimis Gal. fontibus exhauſtam combibere ſolent. Is enim ſummus auctor in hac artificioſa vacuatione ingenuus fuit, & elegans,hocque pacto grauiter erraſſe Lemoſium, tanti viri iudicium contemnentem, leuiculis rationibus impulſum, dubitat nemo. Ad primam dic. Non eſſe eandem partitæ, & ſimultaneæ venæ ſectionis vtilitatem: licèt enim vtraque calidam ſubſtantiam extrahendo corpus refrigeret, ſubitò tamen & repentè facta plures affert vtilitates, quæ in partita venæ ſectione deficiunt: Mutuo enim illo & reciproco motu à partibus extimis ad cor, & rurſus à corde ad extimas, ventilatione hac non ſolùm refrigeratur corporis habitus, ſed cor, viſceraque interna tranſpirant, ac recreantur, & vacuata copia, qua velut ſarcina grauabantur, ad ſuperflui expulſionem inſurgunt, & peccantem ſuccum per varias corporis regiones emittunt. Neque arguas ex hoc confluxu humorum ad cor, ipſum calefieri; nam ij ibi non immorantur, ſed celeriter ad partes exteriores regurgitant, quo motu internæ roboratæ humorem noxium à ſe depellunt per ſudorem, vomitum, & alui fluxum. Ad inſtantiam tamen (de qua noſtri temporis illuſtriores Medicinæ proceres, ne verbum quidem protulerunt, licèt hoc argumentum agitauerint ingenuè) eſt textus eximius *lib.4.de ſanit.cit.*quo loco,tenſiuam,& phlegmonoſam laſſitudinem venæ ſectione vſque ad animi deliquium perſanans,iteratè detrahit, ac primùm ita mittere expedit, vt animi defectum homo non adeat; ſecundò verò ne defectus quidem ipſe eſt formidandus. Quippe, qui priori detractione reſolutus eſt, ſecundam ſuſtinere haud poterit. Vides vt Galenus in euacuatione vſque ad animi deliquium, partitè ſanguinem emittat, & ſecunda vice liberaliùs? quum contrarium eſſet exequendum, nam in initio vires ſunt fortiores, & copia maior. Sed ſi hoc modo Galenum explicaueris, tutus incedes; bis enim ſanguinem emiſit, quoniam laſſitudini phlegmonoſæ medebatur, in qua plurima ſanguinis quantitas in carnes, & corporis molem delata eſt,nec aderat multa copia vacuanda in venis, quare prima detractio parcior fuit: altera verò copioſior, vt per eam reſiduum plenitudinis vacuetur vaſorum, & quòd poſt primam detractonem ex carnibus in vaſa migrauit, cuius ratione copioſa detractio eſt neceſſaria.

Ad 2.Hipp. non vetat vacuationes ad extremum factas, ſed ſolùm eas periculoſas eſſe pronunciat: ab eis ergo abſtinere debemus,niſi magna neceſſitas incumbat; qua exiſtente, ſatius eſt aliquid cum periculo tentare, quàm ſuffocato ob copiam ingentis plethoræ calore, ſpe adempta ægrum certò perire. Sic intelligendus eſt Hipp. dicens, & *vbi ad animi defectionem expedit ducere, faciendum*, hoc eſt, vbi neceſſitas vrgeat, non dubitandum de hac vacuatione, quæ licèt parcæ reſpectu videatur nimia, ex ſe tamen immodica non eſt,quum ſummæ repletioni è directo repugnet: Et licèt debilitet (nos vires robuſtas ſupponimus) minori damno maior vtilitas eſt compenſanda, nam melior eſt noxa, quàm mors, ex Galeno 12.*meth.1. iuxta fin.*

Ad 3. in putridis febribus ad animi deliqnim eſſe mittendum ſanguinem,cum Gal. affimant omnes,qui *in lib.9. meth.cit.* in ſeruo eam exercendam ſuaſit: alioqui timor eſt, ne præ ſanguinis copia vaſa rumpantur, natiuus calor ſuffocetur, aut in aliquam partem principem decumbant ij, qui per corpus vagantur humores. In his ergo ad animi deliquium vſque ſanguis mittendus eſt,cum virium robore magno: quæ licèt non ita vigeant, ac in imputri Synocho ob dictas cauſas, tamen eæ poſſunt eſſe valentes, quum ſanguis ſolùm ſit putris, nec in alios humores conuerſus, neque putredo facta, qua tantùm incipiente vires validas poſſe reperiri Gal. inibi inculcat.

Ad 4. ad libitum Gal. reprobat experimentum,alui profluuium aliis,ſudorem plurimis, vomitum quibuſdam, ex hac vacuatione oriri pronuntiantis: Nam *indicium Medici docti magni faciendum eſt*,cùm ſit dignum conſideratione ex Gal.*lib.1.epid.ſect.3.com.*1. à quo ſumitur probabile argumentum ad omnia,ex Valleſ.*ibi,& lib.5.epid.*87.& 7. *eiuſd.*26. quis ergo Gal. experimentum in curando temnere audebit, quum diuturna ſit ægrorum meditatione confirmatum?

Non ergo fortuitò hæ vacuationes, facta hac venæ ſectione ſubſequuntur, ſed leuata natura, tenuiorem ſanguinis portionem, per vomitum, & ſudorem; craſſiorem verò per vrinam,& ſeceſſum euacuante, & expellente, hæc accidere cum Gal. omnes vnanimiter docuere.

Celſi verò locus nos cautos reddit in hac generoſa vacuatione exequenda, vt ſcilicet ad eam, non niſi vrgente magna neceſſitate accedamus: Nobis enim virium ſtatum non ita exactè contemplantibus, multoties pro animi deliquio mors obrepit; vel ſi de debili corpore ipſum intelligas, non errabis: lege pro Celſi explanatione,Balduinum Ronſſeum *in com.* varias ad hunc locum expoſitiones afferentem; & Petrum de Peramato *lib.de vacuand.rat.cap.* 25. *eleganter.*

Maior tamen lis eſt,& controuerſia pro vno conciliando Auic. licet enim omnis Medicorum Shola ad animi vſque defectum ſanguinem emittendum præcipiat, ille ſolùm ad ſyncopen vſque imperat extrahendum. Sic enim ait 1.4.*tr.2.cap.46. Et non ceſſes phlebotomare, quovſque æger appropinquet ſyncopæ, aut cadat in ſyncopen.* Scio quàm multa in huius textus expoſitione antiqui machinentur interpretes, Gentil. Dinus, Hugo, Iacobus vterque. Dic ergo per ſyncopen,animi deliquium intellexiſſe. Patet hoc euidenter: nam Arabes, qui magiſtrum ſuum Auicennam amplectuntur, ad ſyncopen vſque ſanguinem emittentes,

in

in ſui confirmationem afferunt Gal. qui ſolùm de animi deliquio loquutus eſt. Quoniam verò lipothymia, ſyncopes quædam differentia eſt, barbari vnam pro alia confundunt, vt inter omnes notauit Ambroſius Nunnius *in com. text.41.lib.2.aph.in Paraphraſi ad com.Gal.* Neque ſibi contradicit iſte Auctor, 1.4.*tract.2.cap.7..poſt med.* cùm dicit: *Et non euacuetur plurimum ſimul, vt cadat virtus; & conſilium meum in phlebotomia eſt, vt dimittatur quantùm poſſibile eſt: quòd ſi non eſt poſſibile, tunc multiplicatio numeri melior eſt multiplicatione quantitatis, &c.* Nam *melius eſt infrà ſubſiſtere, quàm exquiſitiſſimè vacuare*, ex ipſo 4.1.*cap.3.* Sequitur Raſius 3. *Contin. ſect.4. cap.2.* Verùm hæc minimè nos ab hac vacuatione deterrent; ſed ſolùm cautos reddunt in hoc præſtantiſſimo præſidio celebrando, quum virium ſtatum non niſi coniectura quadam artificioſa, & veritati proxima metiri poſſimus. Vel ſi Auic. de reuulſione intelligas, vera dices; nam quantò maiorem in numerum particulares auxeris reuulſiones, tantò efficaciorem efficies, ex Gal. *lib. de curand. rat. per ſang. miſ.*12. Alter verò locus de alui fluxu explanandus eſt; in hoc enim prouocando, infrà ſubſiſtere optimum eſt conſilium, ex Gal. *loco nuper cit. Quod* enim *ſemel deuoratum eſt medicamentum, quominùs omne deuoratum ſit, fieri non poteſt, neque poſſibile eſt, vbi pluſquàm conueniat iam purgetur homo, partem oblati auferre.* Num autem purgatio vſque ad animi deliquium ſit facienda, diſputant Brachel. *in com.*23. *lib.*1.*aph.* & Horat. Augenius *tom.* 2. *ſuor. oper. lib.*8. *epiſtol.* 50. *doctiſſimè*, cuius dubij ſolutionem quære *lib.*4. *in com.hiſt.*9.

QVÆSTIO VIII.

Quòd odor nutriat, contra Ariſtotelem.

ANdreas Cæſalpinus inter omnes, & meritò contendit, *lib.*1. *de medic. facult. c.*14. ad recreandas vires, optimum eſſe, odorifera non ſolùm carpo, temporibus, plantis pedum, & teſticulis; ſed vniuerſo corpori, vt fecit auctor noſter, ſapponere, vt ſic continuo arteriarum motu deferatur ad cor vapor, ſpiritui ſignēdo materia aptiſſima, qua exhauſta hæc tenuiſſima, leuiſſimaque ſubſtantia, & omnium maximè reſolubilis, citiſſimè reparetur. Nutriri ſpiritus odoribus dilucidè comprobat Hip. *in lib. de alim. n.*6. in hunc modum; *Qui celeri adiectione opus habent, iis humidum nutrimentum ad reparandas vires aptiſſimum eſt: qui autem adhuc celeriori per odoratum nutriri debent.* Quam ſententiam citat, & probat fidiſſimus eius interpres *lib.*2.*aph. com.*11. Hoc ita eſſe ſatis oſtendit illa paſſio, ſyncope nuncupata, qua correpti odoribus promptiſſimè reficiuntur, & reuiuiſcunt. Hinc fit, vt eſurientes atque fumelicos, nutrientes odores ſummoperè delectent (his enim ſpiritus animales, & vitales inſtaurantur :) atque hoc magis facere poſſint, dum ſunt naribus propinquiores, tunc enim magis reſeruant naturam rei à qua deciduntur, quàm quum per longius ſpatium vagantes, multo aëri commixti, in multas partes diſſipantur.

Ariſtot *lib. de ſenſ. & iis quæ ſentiuntur, cap.*5. odorem non nutrire confirmauit. Primò ſic. Alimentum oportet compoſitum eſſe, velut & ipſum quod alitur; ſed odor eſt qualitas ſimplex; igitur nutrire non poteſt. Secundò. Aqua immixta non nutrit, quoniam ſimplex, fluida, tenuis, nullam corpulentiam habens; nutrimentum autem corpulentum eſſe oportet, quemadmodum & id quod nutritur; ergo minùs aër nutrire poterit, qui aqua tenuior eſt, & adhuc multò minus odor, qui merum accidens, ac qualitas habetur. Tertiò. Ex alimento neceſſe eſt ſeparari ſuperfluum, ex odore nullum tale ſecerni apparet. Quartò. Omnibus animalibus locus eſt receptiuus cibi, qualis ventriculus exiſtit, in quo concoquitur.

Sed aduertere debes, Platonem *in dialogo de natur.* exiſtimaſſe, odorem fumum eſſe, aut caliginem, à cuius mente non eſt alienus Gal.4. *ſimpl.*12. quo loco odorabilium vaporoſam eſſe ſubſtantiam, diffuſa ratione contendit: quod placitum plurimi, & Medici, & Philoſophi efficaciſſimis rationibus comprobarunt. Sed excuſari poteſt Ariſt. Nam *loco cit.* odorem non ſumpſit pro effluxu vaporoſo, ſed pro ſimplici qualitate odorabili, quæ cùm ſit accidens, nutrire non poteſt; quum nutritio corporeis perficiatur rebus, ſitque vacuati repletio; at vacuatum corporeum erat; ergo quod implet & nutrit, corporeum ſit neceſſe eſt. Rurſus omnia nutriuntur ex iis, quibus fiunt, teſte Philoſ.2. *de gen.& corrup. text.*50. ſed corpora noſtra non conſtant ex odoribus, hoc eſt ex ſimplicibus illis odorabilibus qualitatibus: non ergo ex iis nutriri poterunt. Hipp. autem, & Gal. qui per odorem, non ſolam illam ſimplicem qualitatem, olfaciendi ſenſorium alterantem, ſed fumidam vaporationem intelligunt, ab ea refici, & inſtaurari corpora pronunciant. Hoc modo ſumptus odor, corporeum quid eſt, non qualitas ſolùm; hæc enim corpora non nutrit, ſed vaporoſa ſubſtantia, quam Medici communi, ac recepto vocabulo odorem vocant. Hæc enim fumalis vaporatio, effluxus quidam corporeus eſt, qui verè ſpiritus, tam animales, quàm vitales nutrit & reficit.

Licèt autem Philoſophus excuſari hoc modo à calumnia poſſit, tamen ex multis ipſius locis cùm conſtet diuerſam cum Galeno habere ſententiam, non video quo pacto quiſpiam cum hoc auctore eum poſſit conciliare. Nam 13.*probl.lib.prob.*15. odoris naturam, vaporem quendam, & delationem eſſe ſcriptū reliquit. Et *lib.de ſenſ.& ſenſil. cap.*2. odorem per fumoſam euaporationem definit: Vnde Auer. *in paraph. eiuſd. lib. cap.*5. non alia ratione probat odorabilium naturam fumoſam eſſe, niſi quòd multa non habentia odorem igni approximata illum recuperant. Quæ ſanè cuncta manifeſtè oſtendunt, ex Ariſt. mente, odorem corporeum eſſe defluxum, & vaporoſam quampiam ſubſtantiam, quæ à re odorabili deducitur. Sed argumenta Philoſophi eò tendunt, vt probent, animalia odorem ſentire, non quidem per vaporoſam diffuſionem, ſed per intentionalem qualitatem, per aërem ab ipſo corpore odorato multiplicatam, non ſecus quàm rei viſibilis ſpeciem. Num verò hoc verum ſit, an odores per vaporoſæ ſubſtantiæ defluxum ad organum odoratus deferantur, an ſemper ad certam vſque diſtantiam cum fumali vaporatione diſſeminentur, qui deinceps per ſolam ſpeciem ad longius ſpatium procedunt, acriter inter ſe debacchantur Philoſophi, & Medici, nec adhuc capit diſcordia finem *De quo argumento legendi* Coſtæus, & Mongius *in fen.*3. Auic. *tract.*1.*com. cap.*1. qui Plotini, Heracliti, Ariſt. Plat. Hipp. Gal. Auer. Auic. & aliorum illuſtrium Philiſophorum proferentes ſententias, eam videntur amplecti, quæ affirmat ex obiecto odorabili corpuſcula quædam odorata exire ambienti permixta, quæ per narium inſpirationem in cerebrum delata ſenſum mouent. Sic Ludouic. Mercat. *tom.*1. *part.*5. *claſ.*6. *q.*158. *num.*5. Mercurial. *lib. de decorat. cap.*29. Ioan. Brau. Petraſitan. *lib.de odor. & ſapor. diff. cap.*12. Otto Caſmannus *part.*2. *pſycholog. cap.* 24. *quæſt.* 2. Montanus, *in fen.* 2. & plures alij, Ariſt. argumenta exactè diſſoluunt.

Præterea ſi fœtor ſpiritus labefactat, atque proſternit, ex omnium ſententia, cur odor eos non inſtaurabit, atque augebit? vt eorum confirmant exempla, qui ad coctarum carnium vaporem, ad recentis & calidi panis exhalationem, diu vitam conſeruarunt, vt auctor eſt Conciliator *in com.* 12. *part.*2. *probl. Ariſt.* & *dif.* 155. quod mirum videri non debet, quum aër ſolum per ſe, idipſum efficere queat, ex Gal.12.*meth.cap.*3. dicente, *animalis ſpiritus, cerebrum veluti originem eſſe, illúmque partim ex inſpirādo, partim ex eo quod reticularis plexus ſuppeditat, irrigari, atque ali,* & ſubdit: *Spiritus non æquè euidentem demonſtrationem haberi : ſed tamen in corde, & arteriis eum contineri, cogitare alienum à ratione non eſſe, eundémque nutritum ex inſpirando, &c.* Ex quo cōſtat, aëre ſpiritus nutriri, & odoribus: quos licèt Ariſt. *lib.*1. *probl.*49. nullam corpulentiam gerere affirmet, de illa quæ ſenſibus perceptibilis eſt, illum eſſe intelligendum omnes aſſeuerant. Spiritus ergo odoribus nutriuntur, provt latè explicant Horat. Augen. *tom.*1.*epiſt.lib.*3. *epiſt.*2. Conimbricenſes *in lib.*1. *de generat. cap.*5. *q.*7.*art.*1. Boëmius *lib.*2. *de morib. gent. c.*8. Arſenius *in aphor.* Saluus Sclanus *lib.*2.*aph.*11. Ambr.

Nunnius *ad cit.loc.aph.& alij*,qui odores non omnium eſſe ſimplices aſſeuerant. Lege Sebaſtianum Naſſium,*tractatu ſpiritibus*.

QVÆSTIO IX.

Quòd ſpiritus vera nutritione, aëre, aut odoribus nutriantur, vt cum Galeno voluit Auicenna, contra Gentilem Medicum acutiſſimum.

AN tamen ſpiritus vera nutritione odoribus nutriantur, altiori indiget ſpeculatione. Aërem ſpirituum neceſſarium eſſe pabulum, paſſim Gal. confitetur, tum *lib.7.de vſu part.8.& lib.8.eiuſd.cap.1.tum 12.meth. cap.5. & 5.ſimpl. cap. 9. lib. aduerſ. Lycum cap. 7.* Sed longè accommodatius, vberiúſque alimentum ſpirituum eſt odor. Auicen. 16. 3. *tract.1. cap.1.* propria, veráque nutritione ſpiritus aëre non nutriri ſibi perſuaſit, eo ſolùm munitus argumento, quoniam res ſimplices, vt aër, & aqua verè nutrire non poſſunt; nam ſicuti aqua membra ſolida non alit, ſed vehiculum tantùm eſt nutrimenti, quo ea nutriuntur: ita & inſpiratum hunc aërem non nutrire quidem ſpiritus, ſed veluti vehiculum præſtare ſeſe illi ſpiritui, quo demùm vitales aluntur. De aqua, quòd ſolidam corporis ſubſtantiam non nutriat, cum Gal. fatentur omnes; aër verò minimè nutrire poteſt ſpiritus, quum ſubſtantiæ ſint compoſitæ. Sed licèt diſpar ſit exemplum Auic. de attracto ſpiritu, ac de ingeſta aqua, quum hæc à ſolida corporum ſubſtantia plurimùm differat, & inſpiratus aër cum ſpiritu, quoad modum ſubſtantiæ, maximam conuenientiam habeat, & nihil prohibeat quóminùs hic, illo inſpirato nutriatur, tamen placet Auicennam cum Galen. concordem reddere, ita vt exiſtimet, inſpiratum aërem non ſtatim nutrire, ſed poſtquam cum internis cæteris ſpiritibus commiſtus fuerit.

Gentilis fidiſſimus Auic. interpres vltrò, citròque diſcurſans, tenui, imbecillíque argumento fidem mancipauit, quo munitus à Galenica ſententia abſcedit, 11. 3. *tract. 2. cap. 3.* dum ſic ait: *Cuiuſcunque determinatæ forma introductio præſupponit ſibi determinatam materiam: ſi igitur verè aluntur ſpiritus ſanguine, non nutrientur aëre, cuius longè diuerſiſſima eſt materia* Hoc itaque argumento ratus eſt Gentilis, ſe ſatis Gal. ſententiam euertiſſe, cuius mens hæc eſſe videtur: vnica forma ſubſtantialis vnam tantùm informat materiam primam; alioqui daretur compoſitum ex forma vnica ſubſtantiali, & pluribus materiis primis: At forma ſpiritus verè introducitur in materiam, quæ antea fuit ſanguis, quia verè nutritur ſpiritus ex ſanguine: igitur non poteſt ſimul informare materiam, quæ antea fuit aëris, proindéque non nutrietur ex aëre. Quod ſi in vtramque materiam, forma ſpiritus introducitur, aſſignatur ergo compoſitum ex forma vnica ſubſtantiali, & variis materiis primis: Materia enim prima, ex primis philoſophiæ rudimentis, ingenerabilis eſt, & incorruptibilis.

Sed huic rationi, inter alias ab ipſo poſitas (vt ipſe refert) firmiſſimæ, facilè reſpondebis hoc modo. Vna determinata forma vnicam duntaxat informat materiam totalem, ſed illam nonnunquam conflari ex pluribus materiis primis, apud philoſophos in confeſſo eſt, vt quando ex materia carnis, panis, aut lactucæ in ventriculo vnica conflatur materia prima totalis cremoroſæ ſubſtantiæ, haud corruptis aliis materiis primis. Sic ſanè & vnica prima materia in plures interdum abit, vt quando ex cadauere fiunt quatuor elementa. Nutriuntur itaque vera nutritione ſpiritus aëre, ſed vberiùs vaporoſa odoris ſubſtantia, quæ per aërem inſpirata, præparata in plexibus, & ſuperioribus ventriculis, excocta in tertio, & perfecta ac magis elaborata in poſteriore, propinquiſſima fit animalis ſpiritus materia, qui tandem in neruos, & deinde in totum cerebri corpus diffunditur. Quidquid nullum dari animalem ſpiritum tenaciter contendat Iacob. Aubert. *exercit. 7. contra Fernel. & contra* Gal. Argenterius *lib. de*

A *ſomn. & vigil. cap.8. verſ. med. & in com. cap.9. art. medic. Gal.* exploſi iam ab omnibus, & præſertim ab Andræa Laurent. *lib.10. de re anatomic. quæſt.8.* cuius materiam ſatis diffusè aſſignat Gal. in pluribus locis, quos referunt Altimarus *quæſt.de ſpirit.natural.* Ludou. Mercat. *lib. vnic. diſp.2.* Reliquas verò Gentilis rationes, vt quæ minùs valoris habent, vide doctè ſolutas ab Ottone Caſmanno *part.2. pſycholog.cap.2. quæſt.5.* & Marcel. *lib.4. de medic. hiſt. mirab. cap.12. in med.*

QVÆSTIO X.

Quòd odor ſpiritus ſolùm, & non ſolida membra nutrire poſſit, contra Manardum, & Ioan. Brauum Petraſitanum doctiſſimos.

B *EX ea poſui ad nares,*] Spiritus odoribus nutriri, ex dictis *ſuprà* manifeſtè patet. Hos, non ſolùm illos, ſed ſolidas noſtri corporis partes alere poſſe, contendit Manardus doctiſſimus *lib.18. epiſt. 6.* quem poſtea ſecutus eſt Ioannes Brauus Petraſitanus *in ſuo de ſapor. & odor. different. non ineleganti libello, cap. 14.* qui præfatam ſententiam pluribus ſtabilire conatus eſt. Verè ergo ſolida noſtri corporis membra odoribus nutriri, coqui & piſtores abundè declarant, qui ex oblonorum odoribus aſſiduè ſaginantur, & reficiuntur: quæ cauſa eſt, cur eſurientes, atque famelicos, nutrientes odores ſummoperè delectent. Hoc ita eſſe, exemplo demonſtrauit Democritus, qui ſeptuageſimum annum agens, vt refert Hipparchus, panis odore triduo vitam protraxit. Quod nemo mirabitur, qui apud Plin. *in lib. 7.cap.2.* legerit, *ad extremos fines Indiæ, ab Oriente circa fontem Gangis, Aſtomorum gentem ſine ore, corpore toto hirtam, veſtiri frondium lanugine, halitu tantùm viuentem, & odore quem naribus attrahunt, nullum illis cibum, nullúmque potum: tantùm radicum, florúmque varios odores, & ſyluæſtrium malorum, quæ ſecum portant largiori itinere, ne deſit olfactus, grauiore paulò odore haud difficulter exanimari, &c.* Rurſus, Si ſolida membra ex odore ſolùm refocillarentur, & non verè nutrirentur, non poſſet odor vino, aut humido alimento in nutriendo comparari, quorum vi, partes ſolidæ non ſolùm refocillantur, ſed verè nutriuntur, & implentur. Demum: Si cibi in ventriculo nuper ingeſti pars in vapores fuſa per cæcos meatus, & alios ſenſui inconſpicuos ductus, quoquouersùm in omne corpus delata, partes ſolidas verè nutrit: cur odor, qui halituoſa quædam, ſubſtantia exiſtit, eaſdem non reficiet? & maximè cùm hæc, ſit corporeum quid, & non merè ſpiritale & ſimplex; ex odore ergo verè ali ſolida verum eſt. Non eguit tamen odor ad ſui coctionem promptuario aliquo, qualis ventriculus eſt, quo ſolida alimenta opus habuerunt: ſed ſatis illi fuere pulmones, & anteriores cerebri ventriculi, & meatus aliqui ſenſibus non conſpicui, quibus tota exterior cutis plena eſt, in quibus vaporoſa odoris ſubſtantia ob ſui tenuitatem facilè, expeditè, & ſine multo negotio alteratur, & in aliti ſubſtantiam tranſmutatur: in qua concoctione, & alteratione ſeparari ſuperfluum eſt neceſſe: verùm hoc inuiſibile eſt, quemadmodum & ipſa fumida vaporatio.

Huius dogmatis falſitatem coarguit Ariſt. *in lib.de ſenſ. & ſenſ.per plura capita*, quoniam ſolidarum partium alimentum, ſolidum debet eſſe, conſtans & craſſum, humido primigenio, viſcido & lento quàm ſimile, ex Gal. *7.meth.6.* Qua ratione Philoſoph. *12. ſect. problem.12. & 13.* dicebat, triticum eſſe cibum proprium, & familiarem omnibus hominibus, non alia ratione, quàm quia ſuccum viſcidum, lentum, craſſum, qui anima ipſius eſt, habet, cuius merito in partes ſolidas cõuertitur. At odor vaporoſa quædã ſubſtantia eſt, imperceptibilis veluti, tenuiſſima, & quæ membris affigi nullo modo poteſt. Deinde. Si verum eſt, in vera partium ſolidarum nutritione, vſque ad certum terminũ vitalis periodi, animalia ſecundũm trinam dimenſionem augeri; cur ſpiritus has partes nutrient, ſi hoc nõ poteſt fieri, niſi ab alimento, quantitate, mole, duritie, & reliquis qualitatibus naturæ partiũ conuenientibus præditoʒ

Denique

Denique aqua non nutrit ſolida, quia corpus ſimplex, fluidum, tenue nullam corpulentiam gerens: ergo odor aqua ſimplicior, non nutriet.

Manardi verò, & aliorum rationes ſic dilues. Democritum, & alios per aliquot dies & annos vitam ſine alimeto produxiſſe, certa res eſt, firmantque Plin. *libr.* 11. *cap.* 54. Athenæus *lib.* 2. *Dipnoſoph.* Albert. Magn. *lib.* 7. *de animalib.* Diogen. Laërt. *de vit. Philoſoph.* Carol. Cluſ. ex Garciæ ab Horto ſententia, *lib. aromat. cap.* 3. Matth. de Grad. *part.* 2. *prax. cap.* 12. Franciſc. Petrarch. *lib.* 4. *de mirabilib. tract.* 1. *cap.* 22. Beniu. *cap.* 118. & alij citati à Schenckio, *lib.* 3. *Obſeruat. tit. de aſitis*, quod etiam teſtantur rariſſimæ allatæ Hiſtoriæ à Ioanne Matth. Heſſo *in enodat. quæſt. medic.* 46. Henrico Smetio, *lib.* 10. *Miſcell. medic.* Quercetan. *ſect.* 2. *diæt. polyhiſt. cap.* 4. Lang. *lib.* 2. *epiſt.* 27. Ioubert. *decad.* 2. *paradox.* 2. Gregorio Horſtio *lib.* 7. *de med. hiſtor. mirab. cap.* 1. & Fortunio Liceto *peculiari libro de iis, qui ſine alimento viuunt.* Sed hos ſolis odoribus vitam prorogaſſe non eſt dicendum. Democrito autem, & aliis eiuſmodi accidit inedia, quia illis humor erat pituitoſus, multus, & craſſus, qui à debili ſenum calore diu, importunéque excoctus, & elaboratus, verſus in ſanguinem nutrit. Sic ſenes facilè ieiunium ferunt, ex Hip. *lib.* 1. *aph.* 13. quòd illis calor minor, & languidior inſit, collectamque pituitoſorum copiam habeant, corpuſque hebes, pigrum, & ad quoſvis motus, & exercitia ineptiſſimum ſit. Hinc fit vt naturæ frigidæ humidæ, ſenum temperamento ſimiles, parùm appetant, & facilè paucis, vel nullis alimentis vitam tranſigant, vt animalia exanguia, & alia, quibus ob caloris paucitatem frigus eſt infeſtiſſimum; hæc enim tota hyeme latitant, & in locis tepidioribus ſubterraneis vitam ſine alimento tranſigunt, auctore Plin. *lib.* 8. *cap.* 25. Etſi nobis liceat ab animalibus ad plantas rem deducere, ſunt ad manum quamplurima huius generis experimenta. Cæpæ enim, & allium poſt multos menſes à terra ſeparata, ſine vllo terræ alimento germinant, non modò nutriuntur, quia humorem multum craſſumque habent, qui marcori, & ſiccitati plurimùm reſiſtit.

Coqui autem & piſtores ex odoribus ſaginantur, & famelici reficiuntur, quoniam in illis multi, purique ſpiritus gignuntur, quorum copiam qui habent, obeſi fiunt & ouantes; in his ex morbo exhauſti ſpiritus citiſſimè reparantur ex odoribus, & ſic vires fiunt vegetiores, & noſtri corporis partes munera ſua promptiſſimè exequuntur. Quod verò à Plin. de Aſtomorum gente refertur, fabuloſum eſt, quidquid annuat Marſ. Ficinus *lib.* 2. *de triplici vita*, 18. dum ſic ait: *Ferunt in calidis quibuſdam regionibus, & odore plurimo paſſim fragrantibus, multos gracili corpore, & imbecillo ſtomacho, quaſi ſolis odoribus veſci, fortè quoniam ipſa natura loci, tum herbarum, & frugum atque pomorum ſuccos fermè totos redigit in odores, tum corporum humanorum humores illic reſoluit in ſpiritum. Quod ſi eſt, quid vetat vaporibus tantùm ali, quum ſimile ſimili nutriatur, &c.* Qui tantus auctor Plinij ſolùm retulit ſententiam, quum incredibile ſit pomorum ſuccos totos redigi in odores, & incredibilius corporum humanorum humores in ſpiritum reſolui durante vita.

Comparat autem Galenus vinum cum odoribus in nutriendi celeritate, ambo enim celerrimè nutriunt, hi, ſpiritus; illud ſolida membra. Pars autem tenuior alimenti alit corpus, quia craſſior eſt, & lentorem habet quo affigi poſſit: odor autem cùm ſufficientem corpulentiam non habeat, partium nutricationi aptiſſimam, licèt vires corporis, vitæ ſpiritus conſeruet, calorem congenitum foueat, naturalium functionum organa adaugeat, ſolidas tamen noſtri corporis partes nec minimùm alere poteſt. Vt videas quàm bono fundamento nixa fuerit Conciliat. ſententia *diff.* 55. contra quem ſpicula iecerat Manardus, quámve malo huius auctoris munita, ac fulta. Imò miraci ſubit Philoſophum, & Medicum doctiſſimum tam tenui, imbecillique argumento munitum, dicta Gal. ita præcipitaſſe, contra quem ſcripſit Muſa *in com.* 2. *aph.* 11. & poſtea Brachel. *ad cit. loc.* Augen. *tom.* 1. *epiſt. lib.* 3. *epiſt.* 2. elegantiſſimè diſſeruere.

DVBIVM IV.

Num nutritio per pororum contactum poſſit celebrari, contra Caſmannum Philoſophum eximium.

V*Ini odoriferi.*] Dubitari poteſt, & meritò ſanè, cur expertiſſimus Raſius in præſentis acutiſſimi huius ſymptomatis anguſtiis, omnia præſidia, ad citiſſimam ſpirituum reſolutionem reparandam, & ad alimoniam celerrimam ſolidis partibus præbendam non tentauerit; quum nullus tunc videretur eſſe remedio locus, niſi ocyſſimè vires collapſæ oblato victu refocillarentur. Sicque vbi æger vel nullo modo, vel paruum cibũ deglutire poteſt, vt in ſuffocante angina, vteri ſuffocatione, faſtidio ſummo, frequenti vomitu, mentis læſione, ſyncope, aut quouis animi defectu ſæpiſſimè contingit, conſultiſſimum ſemper viſum fuit emplaſtra vmbilico, aut ſtomacho apponere, quando ægrotantes nec alimentum attrahere ob multas cauſas, nec retinere queunt, & ſic præceps timetur virium lapſus; vt ſæpè in grauidarum curatione, vel præſeruatione ab abortu experimur. Hæc enim medicamenta his partibus admota, præterquam quod fœtum retinent, ſtomachum firmant, ac ſpiritus, parteſque ſolidas verè nutriunt, ac roborant: hanc nutritionem, peritiores Medici per pororum contactum celebrari affirmant.

Hunc nutricationis modum primus omnium adinuenit Hipp. *lib. de aliment. num.* 5. vbi extrinſecùs poſitum alimentum ab extima ſuperficie ad intima peruenire poſſe aſſeuerat, cuius mentem doctiſſimè explicat Valleſ. *in com.* Neque enim negandum eſt aliquem ſuccum tam tenuem, & multi habitus eſſe poſſe, vt coctione ventriculi non prægreſſa, verè partes carnoſas nutrire poſſit, & maximè ſi ſit facilis coctionis, & promptè penetret. Quo pacto ſummoperè eorum approbo conſilium, qui vrgente neceſſitate, ad leuandas vires, ad hoc auxilij genus accedere conſueuerunt. Quòd enim obſtat quominùs alimentum ſtomacho, aut vmbilico appoſitum, ibique ob partium circumſtantium calorem, & membrorum tractricem vim, ad interiores ſedes raptum, & elaboratum nutrire poſſit? Cùm enim ex Hipp. *lib. de natura puer.* fœtus non per os, ſed per vmbilicum attrahat alimentum, & comprimens labra ex vtero matris ſugat, præſtat vmbilico potiùs, quàm vtero apponere, nam in hac parte neruoſa difficiliùs penetrat alimenti vis.

Sicque his partibus emplaſtra nutrientia adaptare abs re non eſt, quorum ſyluam audire ne graueris. Primum locum ſibi vendicat offa vino odorifero, roſacea, nardino vnguento, aut ſpicato irrorata. Succus carnium per diſtillationem, aut expreſſionem exactus. Gallinæ, aut animalis alterius ſuauiſſimi caro modicè aſſa, & puluer. roſ. ſantal. coral. diamarg. aromát. roſ. diatrhod. margarit. præparat. Maſtich. lapid. Belzaart. lign. aloës, eboris, aut vnicornu raſura aſperſa. Vitella ouorum recentiſſima vnà cum ſanguine colũbino recenter extracto, & aqua naphæ, aut meliſſ. commixta. In hunc vſum ſanguine humano, vel ſuillo calente fouere has partes, maximum & ſtrenuum eſt auxilium, vt inter omnes notat Platonicorum Princeps Marſil. Ficin. *lib.* 2. *de ſtudioſ. ſanit. tuend.* 11. Summoperè etiam proſunt poma redolentia cum aq. cinnamom. conſeru. citonior. au pyror. pulu. ambr. moſch. odorat. zibet. calam. aromatic. Abſinth. permixta. Caro vaccina ſemiaſſa, ſucciſque Abſinth. citonior. roſ. & puluere ſpicæ, vinoque Cretico irrorata mirificé prodeſt; nam ob ſiccitatem firmat, ac retinet, ob odorem nutrit. Animalia item viua, vt columbæ, capones, gallinæ, per dorſum ſciſſa, & calida partibus his admota vehementer commendantur

Obſeruatio XI.

Septimeſtris, ſeptem diebus, emplaſtris nutrientibus alta vitam produxit.

SEptimeſtrem vidi, quæ igni correpta, ſeptem diebus ſine vllo cibo aſſumpto, nutrientibus emplaſtris vmbilico aſſiduè admotis, ad octauum diem, ſæuitiem morbi ſubterfugiens, vitam produxit, & euaſit.

Inſurgit contra hæc Otto Caſmannus *lib. 2. Pſychol. cap. 12. quæſt. vlt.* abſonam Medicorum ſententiam deridens, quum vanum putet aſſumi ex iis aliquid per poros, quod poſteà ingreſſum venas, & arterias nutritioni aptetur; nam hæ potiùs ex naturæ ſuæ conſtitutione, ad motum cordis, & aliarum partium ex ſe foras propellunt, quæ continent, quàm forinſecùs aliquid impoſitum ad ſe proliciant. Emplaſtrorum verò natura ea non eſt, vt ſua ſponte in corporis penetralia progrediantur ſine aliquo attrahente.

His perſuaſus à communi, omnibúſque confirmata ſententia diſcedere non erubeſcit, quæ ſoluere valde operoſum non eſt. Succus ex impoſitis emplaſtris tenuiſſimus, ob circumiacentium partium calorem, pororum amplitudinem, & naturæ indigentiam, per venam vmbilicalem (de his autem quæ ventriculo apponuntur, minor eſt hæſitatio) ad portæ ramos attrahitur, ab his in ventriculum, vbi in ſubſtantiam cremori ſimilem tranſmutatur, mox per meſenterij venas ad hepar delatus in ſanguinem vertitur, qui deinceps & matri, & fœtui optimam præſtat alimoniam, qui ex illius puriſſimo ſanguine nutritur, auctore Gal. 1. *de cauſ. ſympt.* 7. & 3. *epid. ſect.* 3. *com.* 73. tantùm enim abeſt vt motus arteriarum penetrationem impediat, vt hac de cauſa apertis ampliùs poris, actualíque emplaſtrorum, & partis calore, meliùs, promptiúſque intrò in abditas ſedes ſeſe inſinuet. Neque obſtat (hoc enim obiici poteſt) quòd in vena matris vmbilicali, vbi apponitur alimentum, coctio fieri non poſſit, quum venæ non ſanguificent, albæ enim ſunt, ſanguis autem ruber. Nam licèt demus in vena vmbilicali, ab ipſius calore, & vi à iecore demandata, tenuem hanc ſubſtantiam attractam percoqui, & in ſanguinem conuerti, non errabimus, nam venæ ſanguificant ex Gal. 4. *de vſu part.* 12. & 17. nec rubedo eſt neceſſaria ad alendum, nam interdum ſanguis albet prout ipſa caro, & ab illo, qui à iecore dimanat, deinde rubefit, vt latè probat Fernel. 6. *phyſ.* 2.

DVBIVM V.

Num infuſa per clyſteres nutrire poſſint, contra Mundellam, & Caſmannum.

CVr Raſius pro reparanda huius ægri debilitate, viribúſque exhauſtis recuperandis, clyſterium nutrientium non meminerit, quæret quiſpiam, & meritò ſanè: cùm infuſa per clyſteres nutrire poſſint; quod auxilium, vbi æger parùm, vel nihil aſſumit, ad conſeruandas vires eſt præſtantiſſimum. Huius præſidij primus auctor fuit Cornel. *lib.* 3. *cap.* 18. Confirmarunt deinde Oribaſ. *lib.* 8. *cap.* 24. & 34. de clyſteribus qui vim habent alendi eos, qui alioqui non nutriuntur, Aëtius *tetrab.* 3. *ſerm.* 1. *cap.* 1. quorum ſententiam iuniorum peritiſſimi amplectuntur. Cardan. *lib.* 2. *contrad. tract.* 6. *contrad.* 6. Valleſ. *lib.* 8. *cont. cap.* 3. Ludou. Mercat. 1. *ind.* 3. & alij docti ab Auenzo. *lib.* 1. *theiz. tract.* 10. *cap.* 18. qui inter Arabes nutrientium clyſterium vſum miris encomiis celebrauit. Hoc autem eſſe verum, duplici ratione factum puta; & quòd partes tenuiores eorum quæ per ſedem infunduntur, trahantur à ventriculo neceſſitatis tempore; nam ventriculus famelicus crudos, & planè incoctos ſuccos, & quoſlibet iniectos liquores, imò fæces ipſas ſæpè prolectat, quo loco portio infuſorum ad ventriculi fundum attracta in chylum vertitur: & quòd venæ meſaraicæ ramificantur ad inteſtina, rectum, colon, ileon, monoculum, auct. Gal. 6.

A *de anatom. adminiſt.* 6. & firmat Veſſal. *lib.* 6. *de fabric. cap.* 5. Sed vbi ſunt eiuſmodi venæ, ibi eſt attractio iecoris ex inteſtinis. Igitur nutrimentum exiſtens in inteſtinis nutriet.

Prætereà. Non ſolum alimentum à ventriculo demandatum concoquunt inteſtina, ſed etiam chylum conficere poſſunt, nam inteſtinorum, & ventriculi eadem eſt ſubſtantia, ſiue temperiem, ſiue colorem, ſiue tunicarum contextum ſpectemus, vt 4. *de vſ part.* 17. latiſſimè retulit Gal. Cur ergo ſi coctio quæ fit in ventriculo, agi poteſt in inteſtinis, infuſa per clyſteres concoquere, & in verum chylum tranſmutare non poterunt inteſtina: & cùm chylificent, cur ſuccum infuſum tenuiſſimum, tum ſuo, tum viſcerum circumſtantium calore, non coquent, & concoctum per vaſa diſtribuent; & maximè ſi is ſit concoctu B facillimus, vt vinum, ouorum vitellis, contuſum, carnium electarum liquor ſtillatitius, ptiſſanæ cremor, &c.

Neque Mundellæ rationibus fidem adhibeas, *in epiſt. lib. epiſt.* 10. quem videtur fuiſſe ſequutus Otto Caſmannus *loco ſup. cit.* qui iniecta per clyſteres nutrire non poſſe aſſeuerant: & quòd ex Gal. doctrina, 4. *de vſ. part.* 1. & 1. *de facult. natural.* 10. cibariis vt nutrire poſſint, vnicus ſit ingreſſus per os, & quòd, monente Magiſtro 3. *de temp.* 2. vinum, & quodlibet alimentum nutrire non poſſit, niſi tres illas celebratiſſimas coctiones pertranſeat. Et quòd clyſteres neque ad ieiunum, neque ad ventriculum ſubire poſſunt, immò ſi admodum nitaris, fortaſſe tantùm tenuia attingunt, vt affirmat Gal. 13. *Meth.* 16. & 5. *eiuſd.* 11. & 4. *aph.* 12.

Sed hæc facilem habent explicationem. Nam fatemur vnicum eſſe ingreſſum per os, ſi de viis communiſſimis, C & à natura conſtitutis loquendum ſit, non autem de arte paratis: Neque negamus, aliturum alimentum tres coctiones ſubire oportere, ſed nomine primæ intelligendam eſſe eam quæ fit in inteſtinis, arbitramur. Fatemur quoque corpore naturaliter ſe habente, nihil trahi poſſe ab inteſtinis: Cæterùm tempore indigentiæ, vi coacta, ab ipſis ad ventriculum, portiones tenuiſſimas rapi non negamus: Nam multa violento motu ab illis ad ventriculum aſcendunt; in voluulo enim clyſmatis, & ſtercoris nonnunquam portio per os reiicitur, vt 3. *de cauſ. ſympt.* 2. & 3. *epid. ſect.* 2. *com.* 6. Gal. confirmat. Cur ergo Raſius his, in præcipiti virium lapſu non fuerit vſus, nulla alia poteſt addi excuſatio, niſi quia æger alimenti aliquid capiens, in horas meliùs ſe habere videbatur.

Moſchum.] Portentoſum naturæ miraculum videre eſt, D nempe animal quoddam Indicum, pretioſiſſimum odoris genus ex vmbilici vomica quotannis expromens (cùm in reliquis animalibus erumpentes abſceſſus, non niſi quidpiam olidum, ac fœtens eructent) quod communi vocabulo *moſchus* appellatur. De quo licèt antiquiores Græci non meminerint, vt Theoph. Dioſcorid. Plin. & Gal. iuniores tamen, vt Aëtius *tetrab.* 4. *ſer.* 4. *cap.* 12. eius vires non ignorarunt. Nam hic auctor ex eo præparat compoſitiones, quas moſchatas vocat. Paul. autem (quicquid Ruel. hunc auctorem de eo egiſſe aſſeueret) nullibi de moſcho odorato verba fecit, licèt de muſco herba, & muſco marino, eum pertractaſſe *in libr.* 7. non eam inficias.

Arabes de eius præſtantia ac facultate, plurima memoriæ conſignarunt. Auic. enim *lib.* 2. *cap.* 460. & Serap. E 181. ſic inquiunt. *Moſchus omnis in vmbilico cuiuſdam animalis gignitur, quod capræ ſimile eſt, vnico aromatum cornu, prægrandi corpore, agile valde, & acuti ſenſus; quam capram incolæ, gazelam vocant: hoc in venerem impetuosè ruens, vmbilicum habet tumidum, & vomicam congeſto inibi ſanguine craſſiore, & concreto refertam, quo tempore à potu, & paſtu ferè abſtinet, in terramque continuò deuoluitur, qua deuolutatione vmbilicum, tetro fœculentóque ſanguine plenum, & turgidum exprimit: Emiſſáque ſanies, & humo fuſa colluuies, candentique Sole reſiccata, poſt aliquod tempus magnam ſibi odoris adſciſcit ſuauitatem, & ita latè fundit odorem, vt eius momentum confeſtim domos impleat, huncque diutiſſimè ſeruant quæcunque eo fuerint imbuta.* Quare moſchus multò venundatur pretio, dignus quo Principes, Regéſque

exornentur

exornentur; nam in pretioſa venit odoramenta, & ſic quotidianis veſtium ſuffimentis eſt dicatus. Cæterùm indigenæ, qui locum, vbi huiuſmodi feræ habitant, ſatis agnoſcunt, ſaxa facilè deprehendunt, quibus diffuſa ſanies cohæſit, quam in vitreis vaſis recondentes, in aliarum caprarum folliculis reſeruant, & ad nos adſportant, vt eleganter retulit Scal. *exercit.* 21. *in Cardan.*

Calidum & ſiccum eſſe moſchum in 2. exceſſu, cit. auctores aſſeuerant, qui admirandas illi tribuunt facultates. Summè enim roborat cor, ſpiritus odore nutrit ac refocillat; quare ſyncopæ, & trementi cordi mirificè opitulatur, ac cordiacas leuat affectiones, vt proprio experimento hic Raſius oſtendit. Cerebrum munit, ſenſus omnes viuificat, mirum in modum exhilarat, hepar frigidum ſanat, ventriculum firmat, & demùm omnibus frigidis humidis vitiis, tam epotus, quàm illitus remedio eſt, adeò vt nullus ſit morbus contumax, ac rebellis, qui huius medicamenti auxilio non miteſcat. Tanta eſt illius vis, poteſtas ac efficacia.

Qua de cauſa edoctus Meſuë compoſitiones celebres, moſchatas ob id appellatas, quòd maiorem, præ cæteris medicamentis moſchi quantitatem recipiant, compoſuit, quas palpitanti cordi, ſubtriſtibus, melancholicis, hominum conſortium fugientibus, omnibus frigidis neruorum, & aliarum partium ægritudinibus, plurimùm prodeſſe fatetur. Quamobrem Medici eum cum vnguentis, emplaſtriſve roborantibus permiſcere conſueuere. Denique ita eſt excellens medicamentum hoc, vt Auic. 6. 4. *tract.* 1. *cap.* 1. *& lib. de virib. cord. tract.* 2. *cap. de moſcho*, id eſſe inter theriacalia pharmaca præſtantiſſimum aſſeueret. Quo pacto ſemper mihi arriſit eorum vſus, qui paſtillos & globulos ex odoriferis, alexipharmaciſque medicamentis, vnà cum moſcho conſtructos, ad contagioſos, venenatóſque morbos arcendos odorare ſolent. Cætera de moſchi viribus, vide apud Geſnerum *lib.* 1. *de quadrupedib. tit. de moſchi capreolo*, & Balth. Fabric. *in orat. de excremento ſeu ſtercore moſcho*, qui de eo luculentiſſimè diſputarunt.

Moſcho viribus ſimile eſt ambarum, (ſuauiſſimum odoris genus) de cuius generatione auctores varia prodiderunt; ſicut de eius præſtantia, & vſu ſat multa congeſſere Math. Syluatic. Platear. Serap. Garzias ab horto, Chriſtoph. à Coſta, Mathiol. Carol. Cluſ. Manard. Monard. & latè Auic. *lib.* 2. *cap.* 62. Quod medicamentum eaſdem, quas moſchus præbet, ex ſe promere vtilitates, ſuprà citati vnanimiter affirmant. Qui omnes de ambaro citrino (Officinæ ſuccinum vocant) peculiarem etiam fecere commemorationem: hoc enim mulieres decoris cauſâ geſtare ſolent; quædam monilium vice, aliæ in orbiculos, & verticilla effingunt, & collo, brachiiſque certo modo ferunt: quod infantibus alligatum, amuleti ratione, contra epilepſiam, veneficia, faſcinationem opitulari, iidem memoriæ commendarunt. Hoc paleas, veſtium floccos, fimbrias, & alias quamplurimas quiſquilias ad ſe allicit; háſque vires præſtare totius ſubſtantiæ ſimilitudine, & proprietate norunt, qui occultas virtutes, in rerum natura eſſe adſtruendas ſibi perſuadent: à quibus, naturales concordias & amicitias proficiſci, initóque fœdere celebrari iure optimo arbitrantur.

HISTOR. X. TRALLIANI, De Phrenitide.

Phrenitis, ſecta ingenioſè in fronte vena, & aliis auxiliis perſanata.

*EGo autem magna adeò phrenitide correptũ curaui, & niſi multi fortéſque famuli eũ continuiſſent, & vinculis vndequaque conſtrinxiſſent, neutiquam ne * in fronte quidem venã ſecare potuiſſem: adeò ferociter agitabatur, omniáque faciebat, quæ inſanientes ſolent: atque ſi gladium habuiſſet, non paucos qui aderãt iugulaſſet. Quia verò ſanguinem detrahere bis moleſtum eſt viſum, ideò tantum initio vacuauimus, quantum ei* A *ſatis erat futurum, etiamſi ſecunda vice iterum emiſiſſemus. At hic quidem celeriter curatus eſt, alia quoque ratione, ac curà conuenienter adhibita. Alexander Trallianus* lib. 1. cap. 13. de curat. phreneticorum.

PARAPHRASIS.

VOcat hic auctor phrenitidem magnam, quæ vel ex magna cerebri, aut meningum inflammatione originem ducit; vel eſt facta, firmata, atque conſtructa, in qua oculi apparent ſqualidi, & rubentes, inuoluntariiſque lacrymis perfuſi, & eorum venulæ plenæ videntur, ob compreſſionem ab inflammatione inductam, lucem ægri abhorrent, ſanguis è naribus diſtillat, arida febri torquentur, lingua eſt aſpera, alui excrementa alba, vrinæ, B & alui ſuppreſſio contingunt, manuum tremor, & geſticulatio apparent, mœſti ſunt ægroti; & vix ad quæſita reſpondent, nihil ſentientes, quoniam iis mens ægrotat. De delirij gradibus vide Ludouic. Mercat. *tom.* 1. *q.* 180. *num.* 30.

Quibus ſignis ſi affectum firmatum eſſe cognoueris, cùm vrgeat acutie ſua, nec præbeat inducias, cunctandum non eſt ab affecta parte ſanguinem detrahere, etiamſi totum corpus vacuatum non ſit, ob certum ex procraſtinatione periculum. Et licèt methodicè in affectibus inflammatoriis priùs fluxio, & cauſa fluxionis ſit amolienda, de cura tamen coacta, illegitima, & extraordinaria, (ſic Fernel. loquitur *lib.* 1. *meth.* 6.) & in qua ab affectu incipienda curatio eſt, ab ipſamet patiente particula ſanguinem illicò exhaurire præſtat. Sic in ſuffocante angina, ex cephalica, leonicis. In Apoplexia, & quouis alio C acutiſſimo cerebri affectu, ex naſi, frontis, & occipitis venis. In phrenitide ex his, & præſertim ex frontis vena, tantoperè ab auctoribus, & maximè Auic. 4. 1. *cap.* 20. laudata, licet vacuationem celebrare, de cuius vtilitate lege Nicol. Piſon. *lib.* 1. *de curand. morb. cap.* 10. *in med.*

Taxat ſumma cum ratione acutiſſimus Valleſius, ſui temporis Medicos, tum *lib.* 2. *epid. ſect.* 6. *com.* 29. tum *lib.* 4. *com.* 43. Quòd nunquam ad affectæ partis auxilium deueniunt, niſi poſtquam totum corpus exquiſitiſſimè eſt exhauſtum: vulgares enim noſtri temporis Medici, in affecta parte auxilia imponere formidantes, ea nonniſi moribundis conſulunt applicanda.

Meritò ergo Trallianus in morbo periculoſo, & in quo ob ægri feroces motus, phlebotomia ex cubito celebrari non poterat, ad ſectionem venæ frontis illicò acceſſit. D Quo caſu Paul. *lib.* 3. *cap.* 6. Raſius *lib.* 3. *ad Almanſ.* 3. ante ſectionem aliarum venarum, ex frontis, aut naſi venis ſanguinem euacuant. Vel quando phrenitis ad alios morbos eſt ſequuta; cùm enim iam ſit vacuatum corpus, periculum nouæ fluxionis imminere non poteſt. Quo autem tempore vacuatione vniuerſali non præcedente, ſectio venæ frontis debeat adminiſtrari, explicat eleganter Gentilis 3. 1. *tract.* 3. *cap.* 3. *dub.* 2. cùm hæc ex cerebro euacuans, capitis grauitates, & omnes ex plenitudine morbos leuet, ex Gal. *libr. de curand. rat. per ſang. miſ. cap.* 19.

Sed cùm facto hoc præſidio, ex toto æger ſanitatem non recuperaret, alia via curatus conualuit. Quæ autem fuerit hæc via, auctor non explicat. Per eam autem, ſi purgationem intellexeris, non errabis. Quod præſidium tam Græci quàm Arabes vnanimiter confirmant. Et licèt E Paul. & Aëtius ſolius phlebotomiæ faciant mentionem, id forſan fecerunt, quoniam expurgantium vſum timuerunt; quæ ſuapte natura, in calidiſſimo humore plus inflammare, & nocere, quàm prodeſſe nata ſunt, ex Gal. 2. *acut.* 12. *& lib.* 6. *epid. ſect.* 6. *com.* 5. Quamuis autem hæc vera ſint, & Medicum cautum reddant, ne paſſim, ſed maximo cum conſilio purgationem in phrenitide conſulat aſſumendam: tamen mitiſſimis catharticis, humor non ſolùm fluens, fluxuruſve, ſed impactus educendus eſt, quoniam, monente Magiſtro *lib.* 1. *aph.* 24. *Non propter febrim purgamus ægrum, ſed propter humores facientes febrim. Quare multo maiorem oportet ex noxiorum humorum vacuatione fieri vtilitatem, quàm ſit quod ex purgantibus medicinis ſequitur*

detrimentum;

detrimentum;erit autem vtilitas maior,ſi humor abſque noxa, & moleſtia vacuetur, &c. De quo argumento infrà *in com.hiſt.6*;.latiùs peragemus.

Obſeruatio XII.

Phrenitis ſæua, artificioſâ vacuatione curata.

DVx ſtrenuus cùm phrenitide magna laboraret, & ob ferociſſimos, validóſque corporis motus, ex ſiccitate neruorum contractos, illi nulla reuellentia poſſent adminiſtrari auxilia,quidam ex adſtantibus ſuaui cantu eum demulcens, pennam ad radicem multùm fiſſam, (noſtro conſilio) & in ſtellæ effigiem paratam intra nares improuiſo intromiſit, ac fortiter circumduxit : quo facto,tanta ſequuta eſt ex nare dextra ſanguinis vacuatio, (erat enim iuuenis quadratus,& ſanguine turgens) vt copioſiſſimam æquaret phlebotomiam ; qua copia eiecta , natura à ſarcina leuata, reſiduum per ſudorem, aluíque fluxum excreuit , & æger paulisper ad ſe rediens , conualeſcere cœpit.

QVÆSTIO XI.

Quòd in omni phrenitide vena ſit ſecanda, contra Gentilem, Harculanum, & Euſtachium Medicos doctiſſimos.

COMMENTARIVM.

I*N fronte quidem venam ſecare.*] Maxima lis eſt, & controuerſia de ſecanda vena in phrenitide. Nam in hac, ſummoperè digladiantur auctores omnes,ita vt varias ſectas condant,& nouas leges. Sed pro affirmat. parte , extat auctoritas Galeni,qui 13. *meth.cap.*21. in omni phrenitide venam eſſe ſecandam confirmat ; cuius ſententiam amplectuntur Aëtius *tetrab.*2.*ſerm.*2.*cap.* 2. Paul. *lib.* 3. *cap.*6. Celſ.*lib.*3.*cap.*18.Cælius *lib.*1.*acut.cap.*10. Nec deſunt ex Arabum familia doctiſſimi,qui eandem argumentis muniant,& defendant, quorum aſſerta magni facienda ſunt , vt quæ antiquorum dicta exactè explanent. Primus eſt mirabilis Auenzoar *lib.*1.*theizir,tract.*3.*cap.*6.Sequuntur Raſius *lib.*9.*ad Almanſ.*3.Serap.*lib.*2.*breuiarij.*20.Haly 5.*pract.*15.Auic.3.1.*tract.*3.*cap.*3. ex quibus ſolùm Auic. & Serap.verba adducere placuit , vt videant quo in errore verſentur, qui contrariam partem defendere conati ſunt. Ille ſic ait : *Communis quidem cura ſpecierum eius , eſt phlebotomia ex cephalica, extractio ſanguinis conueniens, imò multa valde,& ſit feſtinatio ad illam immediatè , &c.* Hic ſic loquitur : *Oportet ergo , vt in omnibus in quibus euenit hæc ægritudo, extrahatur ſanguis cum velocitate, ſi virtus eſt ſana, & non eſt illic prohibens quod prohibeat , quod eſt, quia iuuamentum huius eſt plus, quàm reliquorum iuuamentorum, & magis feſtinum, quàm omne quod in ea adminiſtratur , &c.*

Hanc ſententiam defendunt Matthæus Gradius *lib.* 9. *ad Alm.cap.*4.Mercurial.*lib.*1.*praxis,cap.*15.Capiuac.*lib.*1. *de morb.intern.cap.*9.Maſſaria *lib.praxis, cap.*11. Ludouic. Mercat.*lib.*1.*eiuſd.cap.*11.Foreſt.*lib.*10.*obſeruat.*5.Iacchin. *lib.*9,*ad Alm.*7.Nicolaus Piſo *tract.de feb. cap.* 8.Holler. *lib.*1.*de morb.intern.*16.Horat.Augen.*lib.*4.*de ſang.miſ. c.*7. Sauanarol.*tract.*6.*cap.*5.Bacchanel.*lib.*2.*de conſenſ.medicor. cap.*5.Gordon.*part.*2.*de paſſionib.cap.*22. Valleſcus Tarentinus *lib.*1.*empiric.*5.Camillus Thomaius *lib.*4.*meth.*Montaltus *tract.*3.*de cerebri morbis,cap.*15.Chriſtophor.à Vega 3.*art.med,cap.*6.

Nec deſunt his auctoribus rationes.Hip.enim in quacunque maxima inflammatione , vel etiam vſque ad animi deliquium euacuat ; 1. *aph.* 23. Quare ſi in ea , quæ à frigido humore originem ducit,13.*meth.*21. Gal. venæ ſectionem admittit : cur hæc in inflammatione à calidiſſimo humore ſuborta ſecuriſſimè non adminiſtrabitur ? & maximè cùm ipſe *lib.*4.*meth.*6.& *lib.*4.*acut.* 19. eam conſulat exequendam, præſeruationis gratia , in ictu , caſu, dolore , & quouis vel leuiſſimo affectu. Quare admittenda eſt in phrenitide phlebotomia, prout experientia confirmat, cui fidendum magis, quàm rationi , ex Gal. *lib.*1.*de facult.natural.*13. & *lib.*4.*ſimpl.*18.etiamſi inflãmatio ab humore vel merè bilioſo ſit pronata, & ſi poſſibile ſit,in totum à natura ſanguinis ſeparato,ſi conſtent vires. Hæc enim refrigerat : quoniam in bilioſa maior eſt neceſſitas refrigerij , calidum , & efferueſcentem humorem , vel ſanguinem conuertendum in bilem euacuat. Fluentem reuellit, qui in partem principem decumbere debet. Licèt enim euulſio aliis auxiliis perfici poſſit, nullo promptiùs, aut efficaciùs venæ ſectione celebratur. Eam ergò illicò , & ſine cunctatione impera exercendam , ne fortè nobis contingat, quod accidit illi Medico,citato à Guainerio *tract.*3.*de ægritud.cap.*6.qui in robuſto ægrotante, cerebri inflammatione occupato , venæ ſectionem diſtulit , donec combuſtio Lunæ tranſacta eſſet : propter quod , inquit ipſe, phreneſi confirmata , ita vehementer ſymptomata aucta ſunt, vt bonus homo vitam cum morte commutauerit.

Qua ergo ratione Meſuë doctiſſimus *tract.de ægritudinib.cereb,tit. de phreneſi*, Gentil. *ſupr.Auic. loc. cit. dub.*2. Harcul. 9. *ad Alm.* 3. Leonus Lunenſis *lib.*2.*art.med.*1. Barth.Euſtach.*lib.*1.*praxis,cap.*2. in purè bilioſa nõ mittunt ſanguinem, ignoro prorſus ; eò maximè cum phrenitis ſit morbus acutus, in quo ſanguinem extrahendum eſſe, oraculo quodam prædixit Hipp.4. *acut.* 19. Et licèt illi reclament , in omnibus acutis cum ſanguinis præſentia,Hipp.eſſe intelligendum: eorum expoſitionem omninò redarguit Rabbi Moſes 12. *part. aph.* 19. cùm ſic ait. *Si ægritudo fuerit fortis,& difficilis,& virtus ægri fortis; quicumque exercuit artem medicinæ , & laborauit circa ipſam, non debet extractionem ſanguinis prohibere,nec ab ea ceſſare, etiamſi repletionis ſigna non oſtendant, ſed tantummodò ægritudinis fortitudinem, & difficultatem ſui videre.*

Et ne putes Meſuëm in bilioſa , à ſanguinis miſſione abſtinuiſſe , quamuis minùs mittat in hac , quàm in ea cui ſanguinis copia adiungitur. Nam loco venæ ſectionis , hæmorrhoidum apertionem procurat ; qua vacuatione prouocata , in initio initiante , quando adeſt maior neceſſitas reuulſionis , à capite reuellit , ſequutus forſan Actuarium *lib.*4.*meth.*2.& Haly *loco cit.* qui hac de cauſa, primò è ſaphena ſanguinem emittunt, quorum mentem explicat Nicol. *ſerm.*3.*tract.*2.*ſum.*4.*cap.*2.

Inſuper illorum rationes expendere opus eſt,qui à Galenica ſententia diſcedere non erubeſcunt, cholericorum ebullitionem pertimeſcentes ; ex qua putant bilis excandeſcentiam, euacuato ſanguine, qui eſt frænum bilis, ſequuturam , cùm hoc à ratione alienum ſit: nam omnes pariter in venis exiſtentes humores venæ ſectionis beneficio vacuantur ; præſertim cùm multa bilis portio extrahatur, aut ſanguis bilioſus in bilem ſtatim conuertendus; cùm hic humor, tenuitate ſua promptiùs ſecta vena educatur. Si verum eſt Gal. edictum 3.*de facult.*15. ſucceſſione ad id quod vacuatur, priùs trahi quod leuius eſt.Hócque pacto exire ſanguinem aperto foramine omnes norunt.

Denique ſola bilis flaua ſeparata à ſanguine)hoc enim ipſi affirmant) non fluit ad cerebrum , ſed cum ſanguine permixta & confuſa ; dicitur tamen ſyncera,non ſynceritate vera, ſed apparente, quoniam minimùm alterius humoris admittit,ex Gal.*lib.de dif.morb.*12.& 2.*prog.com.*38. Explicat eleganter Auenzoar. *lib.*1.*theizir,tract.*3.*cap.*5. per hæc verba. *Et ſcias quòd non generatur apoſtema in hoc panniculo , nec in alio loco, ex vno ſimplici humore , cui etiam alius humor non ſit adiunctus,ſed denominatio ſit à maiori:v.g. quando dicimus quod eſt ex cholera,non intelligas quod eſt ex cholera pura , ſed cum aliis humoribus mixta ; ſed eam choleram nominamus, quia aliis humoribus prævalet in quantitate, virtute,& natura, &c.*

Neque quòd in eryſipelate non mittat ſanguinem Gal.14.*meth.*3.& 2.*ad Glauc.*2. ex eo in phrenitide , hoc eſt cerebri eryſipelate, condemnandum hoc auxilium eſt. Nam inibi Gal. de eryſipelate agit externo , nos de interno, & magis periculoſo. Sic in pleuritide,quæ à bile ferè originem ducit,6.*aph.*31.& *lib.de conſtit. art. med.*15. copioſè ſanguinem educit : quo auxilio celebrato , felicior

multò

multò deinceps ſubſequitur curatio. Quare ſi in pleuritide, quæ non eſt ita ſæua inflammatio, priſci, & recentiores omnes, vt Briſſotus, Turinus, Curtius, Cæſar Optatus, Georgius Gomes, & alij, quos refert Renatus Morellus Medicus conſummatiſſimus, *in appendice Briſſoti*, ſanguinem vnanimiter emittunt, cur in phrenitide eam illicò non exequemur?

HISTORIA XI. GALENI. De Phrenitide.

Phrenitici nonnulli de iis quæ oculis offeruntur, rectè quantùm ad ſenſitiuam notitiam iudicant, cogitando verò à naturali iudicio aberrant.

CVm Roma quidam domi cum lanifici puero contineretur, ſurgens à cubili venit ad feneſtram, per quam & ipſe videri, & prætereuntes videre potuit. Itaque ex vitreis vaſis ſingula oſtendens, interrogauit, imperarentne vt ea proiiceret: illi verò ridentes, plaudenteſque vt ea proiiceret, rogabant: tum ipſe deinceps omnia arripiens proiecit. At illi magnis acclamationibus riſerunt. Poſtea iuberéntne puerum quoque proiici cùm eos interrogaſſet, atque id illi iuſſiſſent, illicò ipſum deiecit, quem ab alto cadentem videntes, ſuppreſſo ſtatim riſu accurrerunt, & confractum iam puerum ſuſtulerunt. Galenus lib. 4. de loc. cap. 1. & lib. de diff. ſympt. cap. 3.

HISTOR. XII. GALENI, De Phrenitide.

In phreniticis aliquando eſt errans imaginationis motus, illæſa cogitatione.

COntrariam affectionem non ſolùm in aliis, verùm in me ipſo, cùm adoleſcens adhuc eſſem, expertus ſum: cum enim per æſtatem ardenti febre laborantem, & feſtucas atro colore ex cubili eminere, & floccos ſimiliter in veſtibus eſſe putabam, quos auferre tentans, nihilque ſub digitis eductum inueniens, accuratiùs, vehementiúſque id efficere conatus ſum, audiens itaque duos ex amicis, qui tum aderant, dicentes: Videſne hunc iam, & floccos euellere, & feſtucas colligere? ſtatim intellexi, quod dicebant me feciſſe. Cùm verò ſic animo conſtarem, vt rationalis in me facultas non vacillaret: rectè inquam, dicitis: proinde ne phrenitis me eripiat, auxilio eſtote. Illi autem cùm idoneis rogitationibus caput fouerent, tota die, ſequentique nocte, grauibus inſomniis turbatus ſum, vt interim & clamare, & exilire viderer. Verùm poſtero die mitigata erant omnia accidentia. Galenus lib. 4. de loc. affect. cap. nuper citato.

PARAPHRASIS.

POtentias rectrices poſſe lædi ſingulas per ſe ſeorſim, aliis non læſis, Galenus his Hiſtoriis latè confirmat. Et in alia quadam de Theophilo Medico ægrotante, *lib. de dif. ſympt. cap. 3. in fin.* & in alia, de quodam per tredecim dies delirante, 2. *de motu muſcul. cap. 6.* in quibus exemplis, ſalua cogitatione, imaginationem lædi poſſe confirmat, ex triplici facultatum rectricum læſione, triplicem ſpeciem phrenitidis diſtinguens. Quidquid Petrus Fonſeca *lib. 5. Metaphyſ. cap. 24. quæſt. 7. ſect. 4.* ex hac diſtinctione facultatum, non poſſe colligi has phrenitidis ſpecies affirmet, cuius ſententiam ſequitur Ludou. Mercat. *lib. 1. praxis, cap. 11.* quorum argumenta ad plenum ſoluunt citandi auctores.

Ratum ergo ſit & firmum Galeni dogma, has potentias ſedibus, lociſque diſtinguentis. Pro varietate itaque affectæ primariæ potentiæ, triplex accidere delirium vſu compertum eſt. Interdum enim imaginatio, ſeu ſenſus communis afficitur, ſuperſtitibus ratione, & memoria. Affecti hoc modo ſenſilia falſa imaginantur, nempe videre, audire, vel aliis ſenſibus percipere, quæ non ſunt: quandoque autem ſola ratio afficitur? & nonnunquam ſola memoria. Quam veritatem his exemplis Gal. illuſtrat.

Auicenna (eximius ſanè Philoſophus) 3. 1. *cap. 2.* huius rei cauſam inquirens, has potentias ſedibus quadantenùs diſiungi aſſeuerat: atque ita fieri poſſe, vt vna afficiatur cæteris illæſis. Suum placitum experimento facili confirmat: vulnerata enim, aut aliter affecta cerebri anteriore parte, ſenſus communis potiſſimùm affici ſolet: media verò, ratio: poſtica affecta, memoria aboleri, aut imminui ſolet. Quare imaginationem in anteriori præſertim collocat cerebri ventriculo, in medio cogitatiuam, in poſtremo memoriam, quam ſententiam firmat Aëtius *tetrab. 2. ſerm. 2. cap. 2*

Non diffitemur in cæteris etiam partibus fieri principes actiones: præcipuè tamen in ventriculis oboriri, experientia, ratione, atque auctoritate muniti aſſerunt recentiorum peritiſſimi, qui has facultates, ſede, atque loco inter ſe differre acerrimè contendunt. De quorum numero ſunt Argent. *in com. cap. 47. art. med. Gal. num. mobilitas quoque, &c.* Valleſ. 2. *contr.* 22. Ioannes Lupus *lib. 4. ad tyron. dialog.* 15. Peramatus *lib. de anim. facult. cap.* 13. Licèt non deſint Fernel. 5. *Phyſiolog.* 14. & *lib. 6. cap.* 15. Lupeus *lib. 1. enchirid. fol.* 50. Altimarus *in quæſt. de princip. facult.* Montalt. *tract. 1. de cereb. Phyſiol. cap.* 13. Otto Calmannus *part. 1. de Pſycholog. com. c. 21. q. 3.* qui contrariam ſententiam ex priſcorum mente defendere conati ſunt, quorum argumenta diluunt Petr. Vaëzius *in comp. c. 22. med.* & Marc. Don. *lib. 2. de hiſt. med. mirab. c. 2. prope fin.* De quo argumento pulchra lege *lib. 7. praxis Hiſtoriarum, cap. 4. de phrenitide.*

Ex quibus conſtare arbitror, cur eſſe poſſit, vt has operationes diuiſim lædi contingat, vel etiam aliquando plures, vel omnes; cùm videlicet vna ſedes afficitur, aut duæ, aut ommes patiuntur. Poſſe autem imaginandi, & cogitandi facultatem, vtraſque ſimul lædi, exemplo oſtendit Valleriol. *ad cap. 3. lib. de ſympt. cauſ. Gal.* dum puellam virginem, ex metu & mœrore, in hoc ægritudinis genus prolapſam, à ſe curatam oſtendit.

Sed quæres, quare Gal. non fecerit mentionem delirij, ſeu erroris in memoria, quaſi ea ſola lædi non poſſit, quin aliæ lædantur? cuius contrarium quotidiano experimento conſpicimus: Nam ægri poſtulata matula meiere obliuiſcuntur, & reſpirare præ obliuione plerumque deſinunt; cuius læſionis memoriæ fecit mentionem Auic. 1. 3. *tract. 4. cap.* 12. dum inquit. *Et fortaſſe erit ex caliditate & ſiccitate, & erit cum ea permixtio rationis, &c.* Cùm ſit proprium caloris confundere ſpecies, & agitare. Dic, benè poſſe reperiri deprauationem in memoria. Quòd ſi Gal. illius non recordatur, in cauſa fuit quoniam ſub læſionibus aliarum partium comprehendi poteſt. Nam ratiocinatrice læſa, ſimul & memoriam lædi affirmat Gal. 3. *de loc. cap.* 5. idque ob ventriculorum, in quibus facultates iſtæ ſedem habent, læſionem euenire puto; quoniam Gal. 8. *de vſu part.* 11. ab vno ex his ventriculis ad alium, meatum quendam oſtendit, per quem ſpiritus animalis in anteriori confectus, ad poſteriorem permeat. Pro cuius dubij exacta ſolutione, lege Turiſan. 2. *Tech. Gal. ad com.* 76. Mercat. *lib. 1. de morb. intern.* 11. *in med.*

HISTORIA XIII. RASII, De Vigilia.

Vigilia ſuperflua, nenupharino naribus appoſito, & lactucarum eſu, perſanata.

CVm eſſem ſolicitus plurimum circa Medicinam, me oportebat vigilare, & tandiu feci, donec omnino ſomno carui; & vſus fui rebus diuerſis, quæ nihil profecerunt, & non inueni melius, quàm apponere naribus oleum nenupharinum, & lactucas comedere, quibus vſus fui omni tempore iuuentutis meæ. Raſius lib. 3. ſuor. aphor. in fin.

PARA

PARAPHRASIS.

EX nimia & diuturna meditatione,exhauſtis ſpiritibus depauperari cerebrum,& debilitari,ita vt ſomnus poſſit amitti, omnibus compertum eſſe reor. Diuturna enim mentis intentio, aſſiduum ſtudium, & intenſæ cogitationes, collecto ,ad intus calore, ſpiritus exagitant; ex quorum motu irrequieto, ipſi ob mobilitatem, impenſè reſoluuntur: quo dato,nec actiones internæ rectè perfici poſſunt, nec animal frui poteſt iis vtilitatibus, quas præſtare ſomnum, fatentur omnes: Quippe cerebrum hac de cauſa vehementer exſiccatur, cùm ex animalium ſpirituū regeneratione continua,robur ſibi cōciliet (quod opus vigiliæ tempore commodè fieri nequit) & humido magna ex parte abſumpto, cerebri natura frigida, ſiccaque euadit, vnde vigilia; quoniam ſomnus accidit, quum cerebrum vtilium humorum copia irrigatur: at vigilia ex caliditate, & ſiccitate partis ſentientis contingit, ex Gal. *2.prorrhet.*29.

Et licèt vigilia, cùm modica eſt, vtilis ſit, cùm excrementa halituoſa, & vacuationes omnes ferè excitet, ac promoueat, æquabiliter ſanguinem, & ſpiritum per totum corpus diſtribuat: quando tamen immodica eſt, ſpiritus ſubſtantiam digerit, & abſumit, ſanguinem adurit, & corrumpit, ex Hipp. *6. epid. ſect.* 1. *text.6.* haud ſecùs quàm dolor, quoniam priuatur homo attemperatione commoda, citra quam humores acriores efficiuntur, ac biliofiores, caput incaleſcit & reficcatur, corpus inflammatur, & denique concitatis febribus acutis, ſæpe mentis perturbatio, delirium, phrenitis, & conuulſio contingunt, vt ſcitè pronunciat Hipp.*7.aph.*18.& tandem exſolutis viribus, imminuto calore, & reſoluto humido, læditur facultas alteratrix, & debilitato calore, & auctis cruditatibus,morbi frigidi accidere ſolent: nam *fortis vigilia*, dicebat Hipp.*2.acut.vlt.potus, ciboſque, tum crudos, tum incoctos reddit*: & tandem diſſipato humido mors contingit. De quo argumento Fernel. 1. *path.* 17. pulchra edocuit, & Mercurialis *in com. cit. loc. Hipp. propoſuit non indigna ſcitu.*

Quapropter neceſſarium fuit, omni vi, ſomnum amiſſum, in quo vitæ noſtræ duratio conſiſtit, recuperare; cùm hic, teſte Auic.1.*3.tract.4.cap.*1. plurimas ſecum afferat vtilitates: eius enim opera quieſcunt ab opere facultates,animalis ſpiritus reparatur, coctiones fiunt perfectiores, & collecto ad interiores partes calore, viſcera omnia roborantur, ac reuiuiſcunt.

Sed cùm cauſa communis ſomni, apud probatos auctores, ſit retroceſſus caloris, & ſpiritus, & impedita diſtributio horum ad ſenſoria, & partes externas, fit vt ferè, quæ ſua frigida vaporatione cerebrum humectant, copia halituum vias replent, ſubſtantiam caloris incraſſant, pigramque ad motum efficiunt, & tandem motum ac impetum ſedant ac demulcent, & nimiam ſiccitatem inductam domant ac compeſcunt, ea ſomnum concitare poſſint. Huius cenſus ſunt balneum,lotiones refrigerantes, decocta, epithemata, embrochæ, & irrigationes, linimenta, emplaſtra, odoramenta, pulueres, ſuffumigia, conſeruæ, tabellæ, electuaria, & denique opiata, & narcotica. Quorum omnium ſyluam paſſim inuenies apud auctores. Vide Langium *2.epiſt.*45. Mercat. *tom.2. quæſt.*165.*num.*19. & *quæſt.*210. *num.*9.

Quibus forſan cùm vteretur auctor (vacuantibus neglectis, quoniam adiectione potiùs opus erat, non vacuatione) nullumque commodum perſentiret, ad nenupharis oleum aceſſit cum vtilitate maxima,quod, quouis modo vtaris, cùm prædictas dotes obtineat, mirabilem in conciliando ſomno opem præſtat, ex Dioſcorid.*lib.*3.*cap.* 132. & Gal. *lib.*8. *ſimpl.* Raſio *in Antidotario*, *Meſuè,eod tit.* cuius compoſitionem deſcribit inter omnes Pharmacopœa Pariſienſis, *tract. de oleis, tit.de Nenuphari no.* Sicque volis,fronti,internæ narium parti applicitum,cerebri biliofas leuat affectiones.In quem vſum crudæ, coctæque lactucæ celebrantur à Gal.*2.de alim. fac.*4. ita vt ſi in magna copia aſſumantur, grauem ſomnum inducant. *3.de loc.* 5. & *2. de loc.*5.& 6. Cur autem hoc ita eueniat, explicat

A ipſe *2. de temp.2. in med.*dum calido quodammodo victo, grauatoque humoris copià, Papauer, Mandragoram, & lactucam, & frigidiori, humidiorique temperie præditā, ſomnifera eſſe pronunciat: quam facultatem, oleum lactucæ,aquam eius,decoctum, & conſeruam habere nullus it inficias. Cætera de vigiliæ curatione vide apud Gal. *lib.* 1.*ad Glauc.*14. Paul.*lib.*1.*cap.*8.*& lib.2. cap.*42. Auic.1.3. *tract.*4.*cap.*6. Ioan. Heurnium *lib.de morb.cap.*16.

Obſeruatio XIII.

Vigilia importuna, narcoticis curata.

IVriſperitiæ Doctor inſignis, diutino cùm literarum ſtudio corpus maceraret, quatuor menſes inconniuis oculis egit. Ita vt amens iam, & fatuus ab omnibus, qui eum
B conueniebant, putaretur. Cúmque nullis præſidiis ad ſomnum perduci poſſet, tandem Philonio Perſico bis exhibito, drachmæ quantitate cum vino maluatico, ad ſomnum rediit.

HISTOR. XIV. GALENI, De Vigilia.

Somnus amiſſus, lactucarum eſu reſtitutus.

QVidam enim meorum ſodalium, conſpicatus olus id iam olim quidem mihi eſſe conſuetum, nunc verò difficilem
C *habere manducationem, auctor mihi fuit, vt ipſum coquerem: ætate verò iuuenili cùm mihi ventriculus bili aſſiduè infeſtaretur, lactuca, quò ipſum refrigerarem, vtebar: cùm verò ad ætatem declinantem perueni, hoc olus fuit mihi aduerſus vigilias remedio. Tunc enim contra ac in iuuentute * ſomnum mihi dedita opera conciliabam. Itaque lactuca veſperi commanſa, vnicum mihi inſomniæ erat alexipharmacum. Galenus* lib. 2. de alim.facult.cap.40.

PARAPHRASIS.

DE lactuca eſt in hoc loco ſermo, de cuius vi plerique ſcribentium peculiarem fecerunt commemorationem; quæ licèt ab antiquis olus innoxium nuncupetur:
D ipſum tamen, neque multum ſanguinem generare, neque optimi ſucci eſſe, inter omnes contendit Valleriol. *lib.2.enarrat.*9. quamuis inter reliqua ſui generis primum locum obtinere dicatur. Lactuca ergo, etſi humidum frigidumque ſit olus, multa tamen ſecum commoda affert, quæ deſcribunt Dioſcorid. *lib.2.cap.*129. Auic.*lib.2.tr.2. cap.*448. Raſius *lib.3. ad Alm. cap.* 18. Nam vrinam prouocat, ſtomachi morſus à bile exortos mitigat, capitis dolorem leuat, lac fœminis auget, ſanguinem creat quantitate & calore moderatum, cataplaſmatis modo impoſita calidis inflammationibus eſt ex vſu, ex Gal. *2. alim.* 43. & ſomnum conciliat.

Ob quam cauſam eius thyrſi ſaccharo conditi tantoperè febrientibus opitulantur, earum præſertim quæ candidiores, & conglobatæ viſuntur: nam in varios medicamentoſos vſus venire ſolent; ſitim enim compeſcunt, ar-
E dorem febrilem leniunt, veſicæ, renumque calori præcipuè auxiliantur: cuius ſemen, præter hæc,ſanguinis vndequaque manantis profluuium compeſcit, & libidinoſi æſtus incendium mirificè coërcet, atque infrænat iuuenibus, ventriculo æſtuanti vnicum eſt auxilium, quoniam calidiſſimi humoris impetum mitigat atque retundit.

Sed ſi hæc vera ſunt, quo pacto legimus apud Auic. *loco nup.cit.* lactucam ablutam, inflammationem parere? quod à veritate alienum videtur, nam per ablutionem partes ſubtiliores, & nitroſæ euaneſcunt. Quo pacto niſi per verbum *inflammationem*, [inflationem] intelligas, ignoro num poſſit Bellunenſis traſlatio admitti, vt

legitur

legitur in caſtigatis,& correctis Auic.codicibus. Sic ergo illotas laudat Dioſcorid. *loc.cit.*quoniam optima quædam facultas ſuperficiei inhærens,lotione abſtergitur,qua ſublata, lactuca flatulentam naturam ſibi adſciſcit. Cætera verò de vigiliæ curatione Laconicè propoſuit Nicolaus Piſo *lib. de curandis febrib. cap. vlt.*

COMMENTARIVM.

SOmnum] Licèt Ariſt.libr.de ſomno,& vigilia pulcherrimum,arduis Philoſophiæ labyrinthis,& occultis naturæ arcanis inuolutum dederit in lucem,quem fidiſſimus eius interpres Auer. & alij expoſitores ſubtiliſſimè emedullarũt. Et licèt idem argumentum agitarint,qui in explanando Auic.*in cap.*1 2.2.1 .*doct.*2.primas tenent.Et ante me Thom.à Veiga *in com. cap.*84. *lib.art.med.* Argent. *prop.tract. de ſomn.& vigil.* Ludouic Mercat. *tom.*1. *lib.*2. *claſ.*2.*q.*165 .*art.*3. Carrerius *diſp.*7 .*ad liberos de loc.affect.* Gal.Valleſius *lib.*4.*controu.*13. ingenuè, & doctè intricatiſſimas de hac re quæſtiones enuclearint, tamen quum plurima inexplicata reliquerint,quæ Philoſopho è regione pugnant, ea incudi reddere operæpretium duxi.

Et primò, quid ſit ſomnus. Nullum dari animal quod perpetuò vigilet,cum Ariſt.contendunt omnes;quicquid Mœcenatem, referente Plin. *lib.*7. *cap.* 51. triennio ſine ſomno permanſiſſe Seneca etiam ſcribat *in lib.de prouidētia*,& nobilem matronam 35. annorum ſpatio, ſanam, & citra noxam,inſomnemque fuiſſe affirmet Montuus *lib.*1. Anaſc.*cap.*27.& Fernel. *lib.*5 .*patholog.*2.quendam mente captum, menſes 14.inſomnes duxiſſe aſſeueret,& Nizolium illum Ciceronianum decennio ſomnum non vidiſſe narret Heurnius *lib.de morb.cap.*16. Sed hæc rara ſunt, & naturæ limites excedunt. Illud verum , animalia alternatim, & vigilare & dormire. Omnis enim potentia quæ actum habet determinatum , quando excedit modum in operando,fatiſcit & laſſatur;& niſi quieſcat, aut ab opere ceſſet, diſſoluitur,ac tandem corrumpitur. Neceſſe eſt ergo, vt ſenſus, cùm ſit potentia huiuſmodi, quieſcat : hæc autem quies ſenſuum in ſuis actionibus ſomnus eſt, quo reciprocè cum vigilia egent animalia, vt in ſuo eſſe naturali perſiſtant, ac conſeruentur. Sic apud H.p.2. *prog.*11. legimus, vt *ſanus homo interdiu vigilet , dormiat noctu.* Vt Henricus Cuelhar, Conimbricenſis Academiæ olim primarius profeſſor inſignis explicat inter omnes , & poſt eum non ſiluere Chriſtoph.à Vega,& Ioan. Brauus *in ſuis com.ad hunc locum.* Quare ſomnus, & vigilia,vtrumque ſi modum exceſſerit,malum.2.*aph.*3.quoniam plurima damna ex horum immoderantia,& plerumque mors ſubſequi ſolent.Sed hæc quæ ob vigiliam accidit,diſſolutis viribus, & diſſipato natiuo calore , tardior eſt quàm quæ ob immodicum ſomnum,retentis excrementis, & ſuffocato natiuo calore contingit.

DVBIVM VI.

Num ſomnus ſit ligamentum ſenſus.

SOmnus ab Ariſt. *loc.cit.* eſt ligamentum, aut immobilitas, copula, aut nodus primi ſenſorij. Quæ definitio reiicitur ab ipſo *lib.*6. *topic.cap.*3. quum enim affectus definitur , debet poni in eius definitione ſuſceptiuum illius; at verò ſuſceptiuum ſomni non eſt primum ſenſorium: nam hoc,ſiue ſit cerebrum,ſiue cor,non eſt quod dormit, ſed totum animal. Quare *in eodem loco iuxta fin.* dicit eſſe antiperiſtaſim, ſeu retractionem caloris ad interiora, propter humiditatem deſcendentem ex cerebro ad cor , & firmat Auerroës 2.*collig.cap.*21.

Auic.1.3. *tract.*4. *cap.*1. ſic definit : Somnus eſt reditus animalis ſpiritus ab organis motus & ſenſus,præterquam ab inſtrumentis, quæ vitæ neceſſaria ſunt, qualia ſunt inſtrumenta reſpirationis.Cùm enim reſpiratio vitæ ſit neceſſaria , non ſolùm in ſomno , ſed in apoplexia excitatur natura, & aſſiduè cum virtute animali tranſmittit ſpiritum, vt 2.*aph.*42. docuit Gal.

Si tamen in rigore dialectico, & ſecundùm leges optimæ definitionis loquendum ſit,Ariſt.& Auer. præſertim definitio eſt imperfecta , licèt ad explicandam naturam ſomni, Medicis & Philoſophis vtilis ſit valdè.Patet apertè. Nam natura ſomni , & formale illius non conſiſtit in motu,ſed potiùs in quiete, ideóque per reditum ſpiritus, aut retractionem caloris,cùm ſint motus, non rectè definiri,certum eſt.Ampliùs,in vltima parte ſomni dormiunt animalia;at tunc non retrahuntur ſpiritus & calor , ſed qui erat retractus, incipit iam expandi , & excitatur animal à ſomno.

Rectè tamen ſomnum definies , ſi dicas eſſe ligamentum , & quietem natam ex impotentia primi ſenſorij. Quare Gal.1. *de ſympt.cauſ.cap.*8. Somnum eſſe quietem facultatis animalis non integram, ſed velut remiſſionem vigoris actionum ſenſuum pronunciauit : nam in dormientibus ſenſus obſcurè & exiliter agunt,& percipiunt ingentia ſenſibilia, & hæc eſt cauſa quare vocantes audiunt, tangentes ſentiunt , & adſportato lumine excitantur,vt 2.*de motu muſcul.cap.*4. notauit Gal. Deinde natura ſomni non conſiſtit in impotentia primi ſenſorij,naſcitur tamen ex illa; nam vigilia, quæ eſt actus ſenſuum , tunc accidit,quando ſoluitur ſenſus communis , qui externorum ſenſuum fons eſt & origo ; quo ſoluto hi etiam ſoluuntur , & ſunt in actu , & animal vigilat. Tunc verò ſoluitur ſenſus communis , quando primum ſenſorium, videlicet cerebrum bene affectum eſt. Igitur quum ſomnus,& vigilia priuatiuè opponantur,ſicuti hæc ex potentia primi ſenſorij,hoc eſt ex optima illius diſpoſitione,& aptitudine ad agendum oritur , ſic ſomnus ex impotentia primi ſenſorij originem ducit.

Sed plura ſunt quæ contrà obiici poſſunt. Quorum primum eſt,quare ſomnus non inſit plantis:nam ſi neceſſitas ſomni ea eſt, vt potentiæ fatigatæ ,& diſſolutæ quieſcant,quum plantæ potentias habeant finitas,deficiant ab opere neceſſe eſt.Solue primò. Somnum non ineſſe plantis , ſed ſolis animalibus , quoniam eſt ligamentum ſenſuum,ſenſu autem carent plantæ : nam ſi hunc haberent, potirentur dolore,delectarentur, & haberent motum localem,& ex conſequenti appetitum. Si verò in ſuis operationibus defatigantur, hic defectus , non ſomnus , ſed corruptio,& mors in illis dicitur.Solue ſecundò. Animalia, & plantæ in potentiis naturalibus conueniunt , quia forma ſenſitiua virtute vegetatiuam, & omnes huius potentias continet, ſunt tamen perfectiores in animalibus, quàm in plantis:Nam ſicuti forma ſenſitiua eſt perfectior vegetatiua, ſic plures, & perfectiores habet operationes, & perfectiorem ſubſtantiam deſiderat; ſic corpus animalis eſt magis mixtum , & magis eleuatum ab elementis, calidius,& rarius,& ad ſuas operationes inſtrumento calidiori,tenuiori,& perfectiori vtitur.Et hæc eſt cauſa quare animalium ſubſtantia ampliùs reſoluitur , quàm ſubſtantia plantarum , nam in animalibus quod diſſoluitur, reparatur à cibo & potu; quare reciproco tranſpirationis, & reſpirationis motu indigent,tum vt recrementa fuliginoſa ob exceſſum caloris coaceruata expurgentur,tum vt calor innatus temperetur, & ſpiritus vitalis in corde generetur.Plantæ autem quum alimento craſſo, copioſo, & ſibi idoneo à terra ſuppeditato conſeruentur, vt 4. *de vſu part.*7.& 1.*de ſympt.cauſ.*7.*in princ.* non ita in opere defatigantur , cùm ſint terræ affixæ.

Secunda dubitatio.Si potentiæ vitalis, & naturalis, abſumptis ſpiritibus vitali,& naturali,& reſoluto calore natiuo fatigantur & diſſoluuntur, cur ſomnus non erit etiã communis potentiis naturalibus? Nec refert ſi ſoluas dicendo, potentias animales non eſſe ſemper in actu ſecundo, nam ſpiritu animali tenuiſſimo , veluti inſtrumento vtũtur,ob cuius facilem reſolutionẽ promptiſſimè diſſoluuntur,& ab opere ceſſant:Contrà tamẽ naturales potentiæ ſpiritu craſſiori vtuntur,& minùs diſſolubili,& idcircò poſſunt eſſe ſemper in actu ſecundo.Quoniã licèt ſpiritus naturalis ſit craſſior animali, eſt tamen ſuapte natura tenuiſſimus , & ad reſolutionẽ paratiſſimus, cùm ſit corpus quoddam calidum, leuiſſimæ ſubſtãtiæ, ex aëre,& ſubtiliſſima,magíſque elaborata ac ſyncera ſanguinis, & ſeminis parte progenitum , vt 5. *ſimpl. cap.*9. *aduerſ. Lycum,*

*cap.7.3.de pot.nat.*14.6.*de vſu part.*17.11. *meth.cap.*3. 12. A
*eiuſd.*5.14.*de vſ.part.*9.*&* 10.& alibi paſſim:explicant Fernel. *lib.4.phyſiolog.ferè per totum,*Altimarus *tract.de ſpiritibus.* quibus in locis, ſpiritum vitalem celerrimè diſſolui, aſſeuerant. Neque effugies dubium, ſi aſſeras, potentias animales ideò laſſari, quoniam operantur cum labore & reſiſtentia,quum inſtrumenta animalia ſint moleſta facultati motrici,& operentur cum delectatione & dolore, impetúmque & conatum aſſumant ad agendum;indigent ergo quiete vt recreentur: è contrà potent æ naturales;nam accretio, & nutritio, quæ ſunt earum operationes, non fiunt cum labore. Licèt enim hæc ſolutio acuta ſit, dubitationem tamen minimè ſoluit.Nam corpus cordis,& arteriarum graue eſt facultati vitali; nunquam tamen facultas vitalis laſſitudinem patitur, aut ab opere ceſſat. Præterea quando alimentum ad partes ſuperiores diſtribuitur, quum ſit graue, attrahitur & expellitur cum labore. B
Denique facultas animalis in reſpirando laſſitudinem patitur nunquam, licèt inſtrumenta reſpirationis grauia ſint facultati animali, quoniam vrgente neceſſitate aſſiduè natura facultatem, & ſpiritum tranſmittit, & ea quæ in reſpiratione, & pulſu reperitur quies, ex ea non accidit cauſa,quòd facultas animalis laſſetur in opere, ſed quoniã ob motuum contrarietatem neceſſariò quies intercedit.

Dicerem potiùs, ſomnum in animalibus,pro omnibus potentiis eſſe neceſſarium, illius tamen neceſſitatem ab operationibus animalibus incipere; nam ſi hæ non eſſent, potentiæ naturales non indigerent ſomno: illæ enim non ſolùm ſpiritus animales abſumunt, ſed & vitales, & ſubſtantiam caloris innati reſoluunt; quoniam diſtrahunt,& à partibus inferioribus calorem auertunt: quoniam ani- C
males potentiæ, quando in agendo excedunt modum,nec reparant quod diſſolutum eſt,defatigantur,quare otio, & quiete,vt reficiantur, indigent. Contrarium potentiis accidit naturalibus; ideò ſomnus illis magis neceſſarius eſt. Et licèt animalia per potentias & actiones naturales, reparent id quod diſſoluitur:quum tamen ſemper quod reparatur deterius ſit,& ſiccius;& ex mutua actione,& reactione,calor naturalis imminuto ſanguine & ſpiritu, tandem fatiſcens,peruenit ad tempus, in quo potentiæ naturales deficiant in agendo, & quieſcant; tamen hæc quies non ſomnus,ſed mors, aut corruptio debet appellari.

DVBIVM VII.

Num ſomnus ſit ligamentum motus. D

Conſequenter dubitandum. Num ſomnus ſit ligamentum motus.Nam ſi facultas animalis,eſt motiua, & ſenſitiua, quare potiùs ſomnus eſt ligamentum ſenſus, & non motus?Ex aduerſo repugnat experimentum. Nã in dormientibus operatur potentia motiua, quoniam animalia reſpirant,homines loquuntur dum dormiunt, in lecto à latere in latus ſe mouent,exſurgunt,ambulant,& non ſolùm figuram mediam ſeruant,ſed extremam, quæ indiget actione tonica, quæ validiſſima facultatis motiuæ actio eſt,auctore Magiſtro *lib.2.de mot.muſcul. c.4.* Quare ſi per eoſdem neruos ab ſpinali medulla ſubortos, facultas motiua,& ſenſitiua communicatur, & pro motu, maiori influxu opus eſt,quàm pro ſenſu, (ille enim agendo perficitur,ſenſus verò patiendo)vt 1.*de cauſ.ſympt.*5.*in fin.* & 1. E
*de loc.cap.*6.Gal.edocuit;ſit vt ſomnus, ſicut eſt ſenſus, ſic motus ligamentum ſit.Imò videtur quòd ſicut non ligatur motus,ſic nec ſenſus:Nam dormientes,colores,ſapores,& reliquas qualitates ſenſibiles ſe percipere ſomniant. Si ergò ſenſus communis,externorum ſenſuum origo & radix, horum formas ſenſibiles percipiens & diſcernens, ſoluitur,quid mirum ſi cæteri ſoluantur? Somnus ergo non eſt ligamentum ſenſus.

Ita anceps hoc dubium eſt,vt Galeni ope egere videatur. Aduerte tamen potentiam ſenſitiuam à motiua differre: Quoniam hæc agit imperata ab appetitu, & actio illius libera eſt:E contrà ſenſitiua:Nam præſente obiecto,virtute, & organo rectè diſpoſitis, illius actio impediri minimè poteſt,agentium naturalium inſtar, quæ quando impedita non ſunt,ſtatim in ſuos actus exeunt,ſuámque naturaliter eliciunt operationem.Senſitiua autem à potentiis internis impeditur ſæpè. Sic qui ecſtaſi,(quæ alienatio eſt imaginationis ab omnibus rebus, cum detentione, in alicuius rei conſiderationem,)& vehementi imaginationi ſunt intenti, poſita ante oculos non vident. Sic delirantes cauſas dolorificas non ſentiunt, auctore Hipp.2.*aph.* 6. anima enim tunc variis phantaſiis occupata, & diſtracta, externorum ſenſuũ alterationes non aduertit, vt 1. *de diff.reſpir.c.*12. Gal.edocuit. Appetitus,vt Ariſt.ait 3.*de anim.*10.mouetur ab imaginatiua, & ratione: quia hæ potentiæ quum cognoſcant obiectum appetitus, & illud ſub ratione iucũdi, vel iniucundi appetitui proponãt, ipſum ad proſequutionem mouent,vel ad fugam:& quoniam accidit ſæpe,vt in dormiẽtibus, ligato ſenſu communi,imaginatio ſoluatur, ſit vt hæc, quum non reprimatur à ratione, validiſſimè moueat; quare tunc motus ſoluitur,& non ſenſus.

Nec argumentum propoſitum quicquam concludit. Licèt enim viis non omninò obſtructis, ſpiritum animalem cum facultate ex cerebro, organis motus & ſenſus communicari per eaſdem vias cõcedamus,tamen ſenſum tunc ligari conſtanter fatemur.Nam verum eſt animalem ſpiritum multò maiorem diſpoſitionem pro ſenſu requirere,quàm pro motu:(licèt minor ſpirituum quãtitas pro illo ſit neceſſaria, quàm pro motu:) nam cùm potentia ſit cognoſcitiua,perfectiorem puritatem,& temperiem expetat: quare licèt in dormientibus,expeditis viis,in initio, & medio ſomni, animali ſpiritus communicetur ad motum,quum ſit impurus,fumoſus,calidiórq; quàm par ſit, & minimè elaboratus,non eſt idoneus pro ſenſu. Res patet exemplo.Sicuti enim flamma multitudine,& congerie lignorum obruta & ſuffocata,in principio craſſa eſt & nebuloſa,accenſis tamen lignis minimè fuliginoſa ſplendet, & fulget. Sic animalis ſpiritus,ob copiam vaporationis à partibus infernis,& ipſius retentionem in cerebro,redditur caliginoſus,craſſus, & impurus,qui tunc etſi communicetur,ineptus eſt ſenſui,quouſque attemperatus, lucidus magis fiat,ac magis purus.Ex huis deduces rationem, quare phrenitici, & maniaci ob caliditatem irritantem, ſiccantem,& roborantem partes, vehementer mouentur, quum obtusè ſentiant: quod non ob imaginationis diſtractionem, ſed ob ſpiritus animalis naturam, qui calidior & impurior eſt quàm ſenſui conueniat, euenire, dubitat nemo.

Deinde. Somnus naturalis ſemper ſit,quibus cerebrum opprimitur, obſtruitur,& ſanguinis,alimentique vaporatione repletur.Sicque accidit vt pro euaporationis diuerſitate, potentias internas magis aut minùs ligari cõtingat. Si multa eſt, & craſſa, vt accidit poſt copioſum cibum, & vini potum, omnes ligantur,& non apparent inſomnia;ſi è contra contingat,à ligato ſenſu communi,potentia imaginatiua aliquo modo ſoluitur; quo tempore phantaſmata diſtorta,& inordinata repræſentantur,inſomnia terribilia apparent. Quando tamen vaporatio modica eſt, & magis extenuata, ſolet omninò ſolui imaginatiua cum cogitatiua. & memoria, velut in fine ſomni contingit.Si tamen exigua eſt,& tenuis, nõ ſolùm ſoluitur imaginatiua, ſed & ſenſus communis,ad cuius ſolutionem cæteri quoque ſenſus ſoluuntur; & tunc ſomnus non eſt integra quies potentiæ ſenſitiuæ, agit enim tunc ſenſus exiliter, & obſcurè. Et quia potentia ſenſitiua, quæ tunc communicatur organis ſenſuum,exigua eſt: torpet in actionibus, & neque à paruo, aut mediocri excitatur ſenſibili, ſed à magno; tunc exit in operationem,& excitatur animal; & hæc eſt cauſa, quare ex magno clamore, ſtrepitu, aut lumine intromiſſo dormientes excitentur; quum enim viæ non ſint omninò obſtructæ, communiceturque ſpiritus cum virtute, homines à magno ſenſibili excitantur. Ex qua doctrina conſtat inſomnia etiam ad ſenſum communem pertinere, quia interdum dormientes inſomnia patiuntur circa formas ſenſibiles; verùm quoniam ſenſus communis non omnino ſoluitur, ideò decipitur in illis. Definitur ergo rectè ſomnus,quòd ſit ligamentum ſenſus. Ex quibus ad argumenta, ſolutio patet.

DVBIVM

DVBIVM VIII.

Num ſomnus opus ſit naturæ, an affectio.

ILlud etiam explanationem deſiderat, num ſomnus ſit naturæ opus, an affectio. In hoc enim dubio explanando Gal.*lib.de inſtrum.odorat.cap.*5. maximam difficultatem inuenit. An ſcilicet ſomnus ſit actio animæ, quæ mediante aliqua potentia perficitur, an affectio, ex vaporatione, compatiente cerebro. Pauci dubium enucleatè explicarunt. Nos in vnam veritatem intenti, rem ipſam nullius auctoris verbis adſtricti, aptiùs, explicatiúſque quàm breuiſſimè proponemus.

Ariſt. *lib. de ſomno & vigil.* ſomnum in impotentia, & immobilitate conſtituens, affectionem potiùs, quàm actionem animæ eſſe inſinuat, & Gal. quum dicit eſſe quietem, B huic opinioni fauere videtur; ſatius enim erat animali ſenſus perpetuò agere: ſed quum hoc citra ipſorum ingentem noxam, & corruptionem fieri non poſſet, ideò opus fuit, vt ipſi ab opere ceſſarent. Auic.2.1.*doct.*3.*cap.*3. *poſt med.* de octauo genere ſignorum verba faciens, ſomnum non eſſe ex ſumma operationum naturalium, quæ directè, & primaria ratione à natura intenduntur, aſſeuerat. Sicuti enim ſenectus, & mors opera naturæ non dicuntur, & ideò naturales operationes non cenſentur, ſic accidit ſomno.

Auer *loc.cit.* ſomnum opus eſſe naturæ, & effici ab anima, mediante potentia regitiua, latè confirmat. Quum enim ſomni cauſa finalis, ſalus animantis conſtituatur, ſit ratum, vt ſomnus opus ſit primaria ratione à natura inſtitutum, vtile cùm ſit animali, & neceſſarium.

C Sed hoc modo ſoluenda eſt antinomia hæc. Somnus & affectio, & opus naturæ meritò dici poteſt; quia affectio nihil aliud ex Gal.2.*de motu muſcul.cap.*9.*in princ.* importat, niſi priuationem, & ab opere vacationem. Sic Gal.*loc. nup. cit.* expirationem vocat affectum, quoniam quando decidit thorax, & redit ad priſtinam ſedem, otiatur veluti, & ab opere ceſſat. Eodem modo, quando in ſuis actionibus feriantur ſenſus & quieſcunt, fit ſomnus, & dicitur affectus. Quoniam tamen hæc caloris & ſpiritus retractio, actio eſt à natura præcipuè intenta, & ab anima, mediante aliqua potentia, quam Auer. regitiuam appellat, efficitur, ideò ſomnus opus eſt naturale, in commodum an malis inſtitutum.

D Sed meritò inſurges contra Auer. hic enim auctor hanc regitiuam potentiam, non eſſe naturalem, ſed ſenſitiuam (alioquin plantis eſſet communis) aſſeuerat, eamque ſenſui communi attribuit, à reliquiſque potentiis ſenſitiuis diſtinguit: quoniam hæ ab opere ceſſare ſolent, neque ſemper ſunt in actu ſecundo; hæ verò facultas regitiua modò ſpiritum tranſmittendo, modò colligendo, ſemper eſt in actu ſecundo, in animantiſque vtilitatem continuò vigilat. Sed hoc videtur falſum, quoniam virtus hæc prouida non minùs cerebro, quàm cordi videtur attribuenda. Hoc enim in animi affectibus, imò & ipſum cerebrum, huius regitiuæ ope, calorem, ſpiritum vitalem, & animalem retrahunt, & expandunt; ſed hæc opera anima, mediante facultate expultrice, & attractrice, exſequitur. Non eſt ergo citra neceſſitatem pro ſomno, & vigilia, hæc potentia regitiua conſtituenda.

E *Dedita opera mihi conciliabam.*] Ex valdè conferentibus conſeruationi ſenum eſſe ſomnum, firmat cum Gal.5. *de ſanit.cap.*3. Auic.3.1. *doct.*3.*cap.*1. nam aridum ſenum corpus humectat, regeneratione ſanguinis & ſpiritus, vires fouet, recreat & refocillat, ærumnas quibus hæc ætas ſcatet, mitigat: quum malorum obliuionem inducat, coctiones iuuet, calorem exacuat, hilaritatem conciliet, & demùm corpus impinguet; quare ab omnibus *vita ſenum* ſolet appellari. Ne ergo mireris Gal. *hîc*, lactucam veſperi ad ſomnum prouocandum eſam, multo fuiſſe ex vſu. Quia vigilia in hac ætate plura, eaque irreparabilia damna acceſſit; quoniam ſiccitate inducta, hac de cauſa, humidoque vel depopulato, vel expreſſo, innatum conterit calorem, & citiſſimè eos ad mortem deducit. Quomodo autem alimenta frigida in ſomnum animalia dedu-

A cant, *ſuprà* explicuimus. Nunc de cauſis ſomni diſputandum eſt.

Mirum eſt inſignem doctrina virum Argenterium, in artiſque operibus tamdiu exercitatum, contra Ariſt. Galenique ſententiam ad rauim vſque debacchantem, inanis gloriæ ſtimulo percitum, tantoperè hallucinari: quum in horum auctorum doctrina, plana, expeditáque ſint omnia; cuius auctoris reprobas opiniones eneruare ſi aggrediar, in libellum accreſcet oratio. Quare rem totam clariùs in hanc anguſtam contrahemus ſummam, ex probatæ fidei auctoribus ſomni cauſas prælibantes. Scripſerat Gal.2. *aph.*1.& *lib.*3.*de cauſ.pulſ.*9. cum Hip.6.*epid.ſect.*4.*text.*13. caloris motum ad intra, & ad extra, vigiliæ, & ſomni cauſam eſſe conſtituendam: & 3.*de cauſ.pulſ.*10. ſomnum tunc fieri, quando calor natiuus fatigatus, natiua humiditate egens intrò colligitur. Et 2.*prorrhet.* 29. quando cerebrum vtilium humorum copia irrigatur; & vigiliam ob caliditatem, & ſiccitatem partis ſentientis fieri aſſeuerat: quod repetit *lib.*1.*de cauſ.ſymp.*8. Ariſt.*lib.de ſomn. & vigilia*, prætermittens formalem, & efficientem cauſam, ſolùm finalem, & materialem proponit: finalis, inquit, eſt animalis ſalus; & materialis, eſt euaporatio alimenti. Auer. *ſuper Ariſt.* quinque eſſe cauſas ſomni pronunciauit. Prima eſt vehemens cogitatio, animalem ſpiritum diſtrahens à ſenſuum organis. Secunda, Neceſſitas coquendi alimentum; nam quum anima habeat plures potentias, & operationes: & vnum inſtrumentum, naturalem calorem; hoc ad coctionem retracto, ſenſus eo deſtituti quieſcere ſolent, & torpent. Tertia, Vaporatio alimenti cerebrum humectans, replens, neruorum vias obſtruens. Quarta, Spirituum in quantitate imminutio, & remiſſio in qualitate; ergo vt hi reparentur, natura duce, retrahitur calor, & obrepit ſomnus. Quinta, Quoniam ſpiritus animalis eſt caliginoſus, craſſus, & motionibus ineptus, ac expanſioni: quum verò extenuatus eſt, & purior redditus, euolat extrà, & animal vigilat.

Sed acriùs re ipſa inſpecta, cauſas ſomni ſic colligas velim. In ſomno omne cauſarum genus reperitur. Materialis adeſt, quæ non eſt materia ex qua ſomnus componitur, quia accidens eſt, & accidentia ſunt formæ ſimplices, quæ non habent materiam ex qua componantur, ſed ſolùm ſubiectiuam, vt docet Ariſtot.8. *metaph.*8.*in fin.* poſito exemplo in eclipſi, & ſomno; in illo eſt Luna, quæ patitur defectum luminis: in hoc, eſt primum ſenſorium. Cauſam ſomnus etiam formalem habet; nam etſi priuationis nulla ſit forma, quia illa potiùs eſt defectus, & abſentia formæ: non enim eſt ens poſitiuum & reale, ſed rationis, non poteſt habere cauſam formalem, quæ conſtituat eſſentiam ipſius. Tamen Ariſt.8.*metap.cit.* docet, quòd ſicuti in his quæ per defectum, & priuationem fiunt, reperitur materia ſubiectiua. ſic debet poni ſpecies, & ratio, quæ eſt illius definitio; quæ tunc conſpicua apparet, quando ſimul in finitione cauſa efficiens numeratur. Nam ſi dicamus, *ſomnus eſt ligamentum ſenſus ob vaporationem alimenti*, in ſomno cauſam formalem conſtituimus apertè. Nam forma, ſpecies, ratio, & definitio dicitur; priuatio enim ſic definita, ſuam rationem habet, & cauſam formalem: nec habet definitionem eſſentialem, nec deſcriptiuam, ſed cauſalem, quæ per cauſas extrinſecas tradi ſolet. Rectè igitur dicebat Ariſtot. *loc.cit.* definitiones priuationis & defectus, nunquam eſſe conſpicuas, niſi cauſa addatur efficiens. Hæc autem eſt anima, quæ mediis ſuis potentiis colligit, & retrahit ſpiritum & calorem ad principia ſua. Euaporatio alimenti, cauſa eſt coadiuuans. Finalis cauſa ſomni, ſalus eſt animalis; nam potentiæ in opere diſſolutæ, & fatigatæ, indigent quiete, & otio. Et licèt Ariſtot.8. *metaphyſ.cit.* in iis quæ propter defectum fiunt, non eſſe conſtituendum finem aſſeuerèt, quoniam is ſolùm in agentibus reperitur: priuationes autem cùm non ſint entia realia, agere non poſſunt, neque finem habere: tamen cùm ex Auic. conſtet, 1.3.*tract.*4. *cap.*1. triplicem eſſe ſomni vtilitatem: nam quieſcunt ab opere ſenſus, ne ampliùs reſoluantur, ſpiritus animalis abſumptus reparatur, & collecto calore ad viſcera iuuantur coctiones, fit vt in ſomno reperiri operationem naturæ

ſit dicendum, ad quam ſenſuum conſequitur quies. Quare licèt ſomnus primaria ratione à natura non intendatur, & directè; indirectè tamen, & ſecundariò propter conditionem materiæ, vt animalia diu conſeruari poſſint, ab ipſa prouocatur.

Ad hæc. Cauſa communis ſomni,eſt retroceſſus caloris & ſpiritus, & impedita expanſio ad extra. Nam, non poteſt eſſe obiectorum defectus, quoniam in homum præſentia ſomnus corripit. Non poteſt eſſe vitium potentiæ, aut organi, quia homines indiſpoſiti dormiunt. Nec obſtructio meatuum eſt cauſa ſomni, quippe titillatio pedum, & ſuauis cantus ſomnum efficiunt: quæ omnia cerebri, neruorumque canales minimè obſtruere poſſe, omnes norunt. Calor enim & ſpiritus cùm ſubſtantiæ ſint mobiles, intrò, & extrà; ſubitò & celeriter moueri poſſunt. Inſuper. Plura ſunt quæ diuerſimodè ſomnum hac de cauſa prouocant. Labores, vigiliæ, venæ ſectio, veneris vſus, vacuationes aliæ ſomnum accerſunt: quoniam reſoluta natura, abſumptis ſpiritibus, retrahitur vt reparetur. Alia ſubſtantiam ſpiritus incraſſant, refrigerant, pigram ad motum reddunt, expandique prohibent, vt lotiones extremorum, opiata. Alia repellendo calorem ad partes internas, vt aëris ambientis frigiditas. Quædam cerebri meatus conſtipando, & ſpiritus expanſionem impediendo ad ſenſuum organa. Sic alia quum ab ambitu corporis,ſanguinem & ſpiritum attrahunt,ſomnum conciliant, vt internæ inflammationes. Alia, quoniam animum demulcent, eumque cum ſanguine & ſpiritu, à ſenſationibus externis auertunt, vt Muſica, frictio lenis,currentis aquæ ſtrepitus, & tenebræ: in his enim ob defectum obiectorum, potentiæ ad ſuos actus non excitantur. Adde ex Ariſtot. 1. *probl.* 1. & 7. cogitationem, & lectionem circa difficilia; quum enim homo hæc non aſſequitur, contriſtatur, & ob triſtitiam, reuocato calore obdormiſcit. Hæc omnia tanquam coadiuuantia ad ſomnum parant.

De differentiis ſomni. Alius eſt longus, profundus, aut grauis; alius breuis, leuis, & tenuis. Quæ differentiæ ex vaporationis varietate dimanare ſolent: ſæpe hæc eſt copioſa, & craſſa; aut pauca, & tenuis. Grauis & profundus dicitur, quando homo difficulter excitatur. 2. *aph.* 3. Alius eſt naturalis, cauſas naturales habens, & modum ſeruat in longitudine, & profunditate. Alius præternaturalis, illi contrarius, cauſas habens violentas. Alius non naturalis, inter prædictos medius. Is habet cauſas naturales, immodicas tamen, qualis accidit ebriis.

De effectibus ſomni. Auic. 2. 1. *cap. cit.* præter alias, binas propoſitiones proponit vſui medico vtiles valde: Primam, qua aſſerit, ſomnum omnes operationes fortes efficere: explicant Thom. à Veiga, & Ludou. Mercat. *loc. cit. eleganter.* Secundam, ſomnum omnes vacuationes retinere, excepto ſudore quem magis prouocat, latiſſimè *in ſecundo tomo in com. hiſt.* 77. de fluxu cerebrali agentes, diluci- dabimus. De minuti, diuturnique ſomni noxis, ſat plura dixere auctores: ſicut de ſupetflui, & immodici incommodis; locoque ad ſomnum aptiſſimo, plurima lectu digna exararunt. Lege Ferdinand. Roderic. Cardoſ. *cap.* 6. *de ſex reb. non natural. q.* 3. Clariſſimum Montan. *part.* 2. *de rebus non naturalib. tit. de ſomno*: & Cardan. *in com.* 1. 2. & 3. *ſent. lib.* 2. *aph. Hip.* Tu verò cætera, quæ in hoc de ſomno deſunt, lege *lib.* 6. *in com. hiſt.* 2.

HISTORIA XV. GALENI, De Noctambulis.

Galenus noctambulus.

Sic ſeruant alij figuram in dormiendo, vt ſedentes ſæpè quidam dormiuerint, & nonnulli deambulantes: & hoc equidem audiens antea, non credebam. Cùm autem fuit opus aliquando per totam noctem iter facere, experientia rem ipſam edoctus, coactus ſum credere; fermè enim ſtadium integrum dormiendo, & ſomnia videndo peregi: nec priùs exci- A *tatus ſum, quàm in lapidem impegerim. Et id eſt profectò quod non permittit dormientibus iter facere longum, quia non poſſunt exactè lauem viam nanciſci, &c. Galenus* 2. de motu muſculor. cap. 4.

PARAPHRASIS.

Nimam corpori imperare, hócque illi imperanti obtemperare, non ſolùm ex animi præſtantia, ſed ex iis quæ ſenſu apparent, euidenter conſtat. Videmus enim vigilantium opera, interdum dormientes obire, illos quidem ætate florentes, viuidíſque ſpiritibus præditos, (nam ſenes extincto penè calore natiuo, tale quid- piam moliri nequeunt) qui ob ipſorum tenuitatem & ſubtilitatem, neruorum ac muſculorum robur, ad ſimiles actiones impelluntur ac incitantur: quibus ſi fortem addas imaginationem earum paſſionum quibus ſunt irretiti, hi tunc omnia intrepidè audent, nec quicquam timent: vis enim diſcernendi ſenſus communis, vaporum caligine conſopita iacet. Quoniam autem fortis hæc imaginatiua vis plerumque in melancholicis adeſt, idcircò ij ad hanc paſſionem ſunt procliuiores: nam omnia noctambulorum opera imaginationi eſſe adſcribenda, firmat Ionſtonus *claſ.* 10. *Thaumat. cap.* 7. *art.* 2.

Miſerabilis eſt affectio hæc, & plurimis periculis, calamitatibúſque obnoxia; nam hac prehenſi, dormiendo poſſunt ad præcipitia deduci, vel ad aliqua peragenda concitari, ex quibus mors, aut aliquod imminens periculum ſubſequantur.

C Pro cuius morbi curatione, duo à Medico ſunt peragenda. Primum. Nimiam ſpirituum corrigere tenuitatem, ipſos incraſſando, inſpiſſando alimentis, quæ ſimiles vires obtineant. Secundum. Imaginationis tenacitati, ac robori occurrere; cerebrum ex cuius intemperie ſicca dependet, humectando, conuenienti victus ratione, embrochis, lotionibus, & ſimilibus vnguentis. At temperamento deinceps opus eſt, facto iis alimentis, quæ benignos humores, non aduſtos retorridóſque gignant. Hoc opus complent aquæ dulcis lauacra, ſomnifera fercula, lenia illa quidem, & quæ blandè facultatem ſenſitiuam, ac motiuam demulceant, ac ſopiant, ſpiritus craſſent, & ſomnum profundiorem allicere queant. Si ad amuſſim inueſtigare velis cauſas, & differentias eorum, qui dormientes ambulant, vigilantiúmque opera exequuntur, certáſque huius affectus præſeruatrices normas ſcire cupis: lege

D Lang. 2. *epiſt.* 44. Salium *lib. de affect. partic. c.* 18. Iacobum Horſtium *proprio libel. de noctambulis*, inter alios de hac re eruditè diſputantes.

Obſeruatio XIV.

Noctambulus, balneo curatus.

Iuuenis bilioſus, & gracilis, inter dormiendum, repentè è lecto ſurgebat, arma capiens, foréſque aperiens, furioſus veluti, & multa obmurmurans, in plateam exibat, & ſolus rixabatur; hoſtes impetuosè cõfodere imaginatus, donec in ſolum irruens, parùm abfuit quin contorto gladio, vulnere ſibi in pectore inflicto, vitam adimeret. Expergefactus, timoréque perculſus, ne eodem modo noctu obambulás, maiora pericula experiretur, me ad ſui vocat curationem. Cui præter incraſſantem victum, & retorridi

E humoris vacuationem, balneum maximo fuit auxilio.

HIST. XVI. TRALLIANI, De Lethargo.

Lethargus, caſtorei potu curatus.

AT ſit affectus inueteraſcit: capillos adimito, vngitoque tum caput iis, quæ exaſperare, ac vellere cutem poſſunt, vnà cum caſtoreo, datoque ipſis potui caſtoreum præ omnibus: idque faciendum eſt præſertim hora vna ante acceſſionem: etenim extenuat, & corpus quod perfrixit, &

propè

propè eſt vt emoriatur, recalfacit, fouétque. Ego ſanè noui multos lethargo victos, hoc ſolo remedio mortem euaſiſſe, &c. *Trallianus* lib. 1. cap. 14.

PARAPHRASIS.

CVrat hîc Trallian. Lethargum, affectum phrenitidi ſecundùm ſpeciem contrarium. Sicut enim in phrenitide facultates conſopire oportet, ſic in lethargo excitare opus eſt. Quod opus, licèt aliis præſidiis perfici poſſit, nullo tamen citiùs, ſecuriùs, ac peculiari quadam virtute, quàm caſtoreo, multiplici forma exhibito præſtare poſſumus; Magna enim eſt huius medicamenti pro frigidis morbis leuandis vis, atque poteſtas, ab auctoribus ſummoperè celebrata. Nam Archigenes, referente Galeno *lib.* 11. *ſimpl.* de eius vſu integrum librum conſcripſit.

Quòd ſi guſtui, odoríque aduertas animum, licet aduerſiſſimam corpori humano videatur habere facultatem, tamen experimento comprobatum eſt, morbis pernicioſiſſimis auxilio eſſe: quoniam ad lethargum, cæteróſque ſoporoſos affectus præcipuam habet prærogatiuam. Cùm enim incidendi, extenuandíque vim habeat, caliditate, & ſiccitate ſua, neruorum morbos, ex craſſa frigidáque materia ſubortos mirificè curat, flatus diſcutit, tormina ſanat, ſingultui prodeſt, frigidis & humidis cerebri vitiis præſidio eſt, menſes prouocat, ſecundinas pellit, & in ſumma venenis aduerſatur, & vt hoc loco inquit Tral. corpus totum quod perfrixit, & propè eſt vt emoriatur, recalfacit, fouétque: cuius laudes vnanimes decantant auctores, de quorum numero ſunt Plin. *lib.* 32. *cap.* 3. Ariſt. 8. *de hiſt. anim.* 5. *de fibro.* Dioſcorid. *lib.* 2. *cap.* 23. Paul. *lib.* 7. *tit de caſtor.* Aëtius *tetr.* 1. *ſerm.* 2. *cap.* 177. Celſ. *lib.* 3. *cap.* 20. Aret. *lib.* 1. *acut.* 2. Gal. *cit. ſimpl. eodem tit.* Rondelet. *lib. de Amphibiis, cap. vlt.* Mathiol. & Lacun. *ſupra cit. Dioſcorid. loc.* Muſa *in examine teſticulorũ caſtoris.* Bernard. Deſſen. 8. *de comp. med. tit. de ol. caſt.* Conrad. Geſner. *lib.* 4 *de Hiſt. anim. tit. de caſt.* & *lib.* 1. *eod. tit. lit. G.* Brauus Petraſitan. *lib.* 3. *de curandi rat. per medic. purg. exhibitionem, cap.* 18. Fallop. Tagautius, & Maſſaria, *prop. tract. de medic. ſimplicib.*

Demum concoctoriam habet facultatem induratarum affectionum, ex Gal. 3. *ſec. loc. cap.* 1. *tit de iis quæ Apollon. ad auris dolores ſcripſit*: quod iterum repetit *lib.* 4. *eiuſd. cap.* 1. & *lib. de theriac. ad Piſ. cap.* 9. Cuius medicamenti varium aſſumendi modum, præter Dioſcorid. exactè docet Auic. *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 125.

Et vt in ſumma dicam, tanta eſt calefaciendi præditum facultate hoc medicamen. ex Gal. 3. *ſec. loc. cap.* 1. & *lib.* 8. *eiuſd.* 3. vt opij vim refringere poſſit, cuius malitiam retundit, atque infrænat. In potum ergo aſſumptum, calefaciendo, & vacuando ſoluere aluum aptum eſt, vt *lib. de ven. ſect. aduerſ. Eraſiſtratæos,* 3. *cap.* Gal. affirmat. Quo factum eſt, vt Diacaſtorium (compoſitio à Caſtoreo dicta) mirabiles ex ſe promat facultates, quibus eaſdem ægritudines diſcutere valet: cuius compoſitionis deſcriptionem referunt Nicol. Præpoſ. Luminare maius, Theſaurus aromatariorum, Vveckerus, Valer. Cord. Iacobus de Manliis, & priùs dixit Actuarius *in ſuo Antïdotario.* Cui ſimiles vires ad neruorum affectus habere caſtorei oleum, Gal. paſſim, & alij ſuprà citati auctores confirmarunt.

Obiicies, medicamentum hoc eximiè calidum, & extenuans, non rectè in affectu cui febris coniungitur, fuiſſe exhibitum. Sed cum Gal. *cit. ſimpl.* hoc medicamentum porrigere non dubitauerit, quoniam teſte Paul. *lib. cit.* Lethargicorum febris tepida eſt, ideò Tral. ſententia venit confirmanda. Sic in hydrope, quartana, & aliis frigidis vitiis, quæ cum mediocri febri affligunt, calida medicamenta maioris vtilitatis cauſa exhibemus.

Cætera, quæ de expergefactione lethargicorum enarrat auctor, iubétque adimere pilos, cutem exaſperare, fricare, ac vellere, explicuit priùs Gal. 13. *meth. c.* 21. Cur autem, ante medicamenti potum, venæ ſectionem Gal. tantoperè *loco cit.* commendatam, exequendam non conſuluerit. Dic: quoniam in tanta ſuccorum crudorum copia, vires fortè non aderant, ſed corpus propè erat, vt ſuccumberet. Tunc enim fugienda venæ ſectio eſt: ſed alia reuellentia auxilia, per cucurbitulas, vincula, ligaturas, & purgantis medicamenti adminiſtrationem ſunt imperanda. Reliqua præſidia pro curatione lethargi, ex variis auctoribus congeſta, lege apud Nicol. Piſon. 1. *lib. de curand. morb. cap.* 11.

HIST. XVII. TRALLIANI, De lethargico.

Lethargus balneo curatur.

EGo certè noui, me quoſdam Lethargo laborantes, neque ſuſpicere præ multo ſopore potentes, neque hoc ipſum quòd lauarentur percipientes, poſtquam à ſeptem diebus in balneum duxiſſem, magis ab eo excitatos inueniſſe, vt reſpicere, loqui, nonnulloſque adſtantium agnoſcere potuerint. Quare ſi vires robuſtæ appareant, in balneo lauandum eſt: ſin imbecilliores, vt æger laſſitudinem, aut calorem balnei ferre nequeat, domi lauato, vaſe quodam aqua calida repleto, in quo æger collocetur, ita vt ſedeat capite aquam excedente. Alexander Trallianus lib. 1. cap. 14. in fin.

PARAPHRASIS.

DVBIVM IX.

Num balneum pro curatione Lethargi ſit ex vſu.

DE balneo pro lethargicis curandis, eſt in hoc loco ſermo; Num ſcilicet huic affectui poſſit eſſe ex vſu. Sed qui fieri poteſt, vt hoc morbo correptos, debiles, & præ inexpugnabili dormiendi neceſſitate, ad motum ineptos, in balneum ducat, aut domi lauandos perſuadeat? Nonne maius incommodum ex lotione ſequetur, quàm ex craſſorum humorum attenuatione, & ægri expergefactione commodum? Neque aſſeras vires adeſſe robuſtas, nam præterquam quòd omnis æger debilis eſt, ex Gal. *lib.* 1. *criſ. cap.* 11. balneum pituitoſam cerebri inflammationem, à qua lethargus, incrudat, & humorem crudum & craſſum reſolutioni contumacem reddit: Balnei enim aqua, licèt calida ſit actu, potentia tamen refrigerat, teſte Gal. *lib.* 1. *ad Glauc.* 9. & *lib.* 6. *epid. ſect.* 3. *com.* 36. & humorem tenacem impingit, ex Gal. *lib.* 1. *de vſu part. cap.* 13. & *lib.* 1. *de temp.* 2. Ad hæc Balneum, ſomnum profundum facit, 4. *de ſanit. tuen.* 4. *in fin.* Argumento eſt, quòd ad conciliandum ſomnum, partium inferiorum lauacra maximè conducunt, ſubſtantiam enim caloris refrigerant, inertem ad motum reddunt; & ſic eleuato vapore ad cerebrum, impeditur ſpiritus diſtributio ad ſenſoria, & partes externas, & ſomno corripitur æger. Cur ergo, ſi lethargicorum ſalus in expergefactione conſiſtit, vt 13. *meth.* 21. Gal. confirmat, balneum ſuapte natura ſomniferum, ad impediendum ſomnum conſuluit?

Approbandum tamen eſt hoc præſidium, quod huic morbo eſſe præſentaneum, præter Tral. Auic. 13. *tract.* 4. *cap.* 5. Aret. *lib.* 1. *acut.* 3. *in fin.* Paul. *lib.* 3. *c.* 9. Aëtius *tetr.* 2. *ſerm.* 2. *cap.* 3. *cæterique confirmant.* Nam cùm concoctio incœperit, nihil obſtat lauare ipſos, præſertim cùm ſanguinis miſſio, purgatio, & mediocris cerebri vacuatio præceſſerint: Balneum enim timeri debet, cùm excrementorum copia ſubeſt: Sed quoniam rariſſimè contingit, annotante ſic Iacobo *de partib. in ſupra cit. Auic. context.* vt hæc ex capite, & corpore ſufficienter vacuari poſſit, tum ob obliuionem, & ſomnum profundũ; tum quia ob has cauſas, & renitentiam morbi, humor in cerebri latebris cõcluſus commodè educi non poteſt, fit vt virtus ægri cõſopita medicamentũ ad actum deducere non poſſit. Quamobrẽ balneũ in initio morbi rarò adminiſtrari ſolet, vt inter omnes notat Mercur. *lib.* 1 *prax. cap.* 17. *in fin.* ſuccos enim crudos liquat & extenuat, qui fuſi frigidos periculoſoſque affectus parere nati ſunt. Si tamen fiat declinante morbo, calore tranſpirante, maiori parte humoris peccantis diſcuſſa, tunc viribus alacrioribus factis, coctoque ampliùs humore,

optimum pro huius morbi curatione præſidium præſtat; nam coquit, reſoluit, lentum humorem digerit in halitum: & detracta maiore fuliginum parte, ſomnum arcet, neque debilitat, cùm vires iam, vincente natura, ſint robuſtiores factæ.

Quòd ſi Tral. ſententiam de balneo actu, & potentia calido, hoc eſt, ex diſcutientibus medicamentis parato, explices hac via, argumentorum vim facilè effugies, cùm hæc ſolutio, auctorum menti ſit valdè conformis. Nam Celſ. *lib.* 3. *cap.* 20. in hæc verba prorumpit. *Medendi autem cauſa caput radendum, deinde poſtea fouendum eſt aqua, in qua laurus, aut ruta decocta ſit, &c.* Quod apertiùs deinde expoſuit Haly *lib.* 1. *pract.* 15. dum ſic ait. *Et cùm ſigna maturitatis apparuerint, ægro balneum induc, & ſuper eius corpus aquam inſtilla calidam, quæ minimè fortis ſit caloris, ſed & in concha, cuius in aquis chamomillam, melilotum, maioranámque decoxeris, ſedere facias, eiuſmodique aqua caput eius inſtillabis, manifeſtiſſimè proderit, &c.* Quod auxilium præter cæteros, iuniorum peritiſſimi confirmant, de quorum numero ſunt Holler. & eius Scholiaſt. *lib.* 1. *de morb. intern.* 8. Rondelet. *in method. cap.* 19. Euſtach. *lib.* 1. *de capit. vitiis, cap.* 1. Ioubert. *lib. de cereb. affect. cap. de Letharg.* qui omnes, ex Antiquorum mente, pro hoc affectu leuando, eſſe mirabile auxilium, aſſeuerant. De cuius morbi eſſentia, ſignis, & curatione, & aliis dubiis, pro huius affectus energia enucleanda, poſt citatos, lege Ludou. Mercat. *lib.* 1. *de morb. internis,* 12. Maſſariam *cap. de Lathargo,* & Iacchinũ, Matthæum Gradium, Guainerium & Harculanum *in lib. Raſium ad Almanſ. cap.* 8. Montaltum *lib. de c. affectib. tract.* 12. *cap.* 3. Eraſtum *part.* 4. *diſputat. contra Paracelſ.* Montan. *conſ.* 50. Valleriol. 3. *obſ.* 7. Cardanum *libel. de malo medend. vſu cap.* 46. Beniuen. *cap.* 97. *de abdit.* & Rembertum *in annot. ad prædictum caput.* Et nos pulchra proponemus *lib.* 7. *Praxis Hiſtor. cap.* 5.

HIST. XVIII. GALENI, De Epilepſia.

Epilepſia ex tibia originem ducens.

Atque hoc genus primùm vidi in puero, qui 13. ætatis annum agebat: quum equidem adoleſcens etiamdum, cum optimis eius tempeſtatis Medicis conueniſſem, ad ipſius curationem: audiui igitur tum narrante puero diſpoſitionem ipſam ex tibia initium capere: mox illinc recta aſcendere per femur, & ſuperpoſita illi ilia, ac per latera ad ceruicem, donec ad caput perueniret, quod cùm primùm tangeret, ipſum haudquaquam ſibi conſtare. Interrogantibus autem Medicis, quale eſſet id quod ferebatur ad caput, nihil habuit puer quod reſponderet.

Alius deinde adoleſcens compos mentis (quippe ſatis poterat ſentire quod fiebat, & alteri enarrare) dicebat veluti frigidam quandam auram eſſe, id quod aſcendebat. Galenus* lib. 3. de locis affect. cap. 7. prop. initium.

QVÆSTIO. XII.

Quòd præter humoris copiam, mala qualitas, epilepſiæ cauſa non ſit ſtatuenda, contra Fernel. Thomam à Veiga, Montaltum, & alios Medicos doctiſſimos.

COMMENTARIVM.

F*Rigidam auram.* [A Medicis quæri ſolet, num nuda qualitas epilepſiam poſſit concitare. Valleſius negat in huius loci commento, ea ductus ratione, quoniam hæc vim obſtruendi non habet. Contra eſt Gal. *hic*: nam ſi hæc cerebro communicetur, ipſum vellicet, pungat, & concutiat, non negandum eſt, hoc ad expellendam noxam ſenſatam inſurgere, & concidentibus ventriculorum ipſius parietibus obſtructionem fieri, & epilepſiam concitari. Sic à venenato, & corrupto ſpurciſſimæ cuiuſuis ſubſtan-
A tiæ vapore dimanat, & à quacunque alia re cerebro infenſa, è qua aura quædam, fomes mali à qualibet parte eleuata aſcendit, epilepſiam effectura.

Num autem hæc nuda aura ferè ab humore eleuata, neceſſariò ſit venenata, & ſemper epilepſiæ cauſa ſit, dubitant interpretes. Fernel. vir apprimè doctus, & elegans, *lib.* 5. *pathol.* 4. & *lib.* 2. *de abdit. cap.* 15. præter humoris copiam, venenatam qualitatem, & cerebri ſubſtantiæ grauiter infenſam, omnis epilepſiæ perpetuam cauſam agnoſcit. Plurimíſque rationibus ita inducitur opinari. Nam ſi eſſet omnis ex craſſis humoribus orta, perpetuò apoplexiam antecederet, & poſt acceſſionẽ illi ſuccederet vocata paralyſis, quod non obſeruamus. Deinde. Si cerebri ventriculi craſſo humore obſtruerentur, & tranſitus animalis ſpiritus ad cæteras partes impediretur, ceſſaret mo-
B tus, aut ſaltem minor fieret, cuius contrarium experimur. Ad hæc. Si craſſus humor epilepſiæ cauſa eſt, cur tot auxiliis affectus hic non ſuccumbit? Aut quæ mali huius ſcaturigo eſt hæc, ex qua toto vitæ curriculo dimanat, & in meatus cerebri inſilit hic humor? quod fidiſſimo firmat experimento: Nam ſæpè cerebri abſceſſum, interdum corruptam meningis portionem caluæ adhærentem, mali huius fuiſſe cauſam, ipſe in diſſectis corporibus adinuenit. Additque plurimos ſe vidiſſe, qui ſine ventriculorum cerebri obſtructione, hoc morbo interiêre, qui à corrupto vapore ortum duxit, in cerebrum proſiliente, & citra obſtructionis noxam, epilepſiam concitante.

Quocirca præter humoris copiam, venenata, & cerebri ſubſtantiæ grauiter moleſta, atque inimica qualitas, epilepſiæ cauſa ſtatuenda eſt, quæ quoties excogitatur ac prorumpit in cerebrum, ea quidem feriente, hoc autem con-
C tra pugnante, quaſi colluctatione quadam ac dimicatione, epilepſia fit. Quam opinionem inter antiquos ſequutus eſt Auer. 3. *collig. vlt.* & poſt eum amplexi ſunt Valeſcus Tarentinus *in ſuo Philonio, cap. de epilepſ.* Gerard. Cremonenſ. *prop. cap. Rondelet. cap.* 3. *de epilepſia,* Iacchin. *in* 9. *ad Alm. in com. cap.* 14. Thomas à Veiga 3. *de loc. in com. cap.* 7. Marcel. Donat. *lib.* 2. *de hiſt. med. mirabil.* 4. Montaltus *tract.* 17. *de cereb. morb. cap.* 4. & 6.

Sed ob hæc non eſt deſerenda ſententia Gal. quam ipſe 3. *de loc. cit.* 2. *de cauſ. ſympt. vlt.* 6. *epid. ſect.* 1. *com.* 1. & millies promulgauit. Fatemur ergo à craſſo ſucco epilepſiam concitari; neque negamus à qualitate occulta, & immateriali cauſa quandoque oriri poſſe, prout hìc affirmat Gal. Sed in omni epilepſia, hanc cauſam, eámque venenatam eſſe conſtituendam, falſum eſſe contendimus. In
D omni ergo epilepſia cauſa immediata effectiua, obſtructio eſt ventriculorum cerebri, circa quam nulla alia cauſa hunc affectum excitare poteſt; in ea verò quæ à qualitate fit immateriali, hæc etiam reperitur, modo ſuperiùs explicato.

Fernelij verò argumenta non eſt multò operoſum refellere. Conſtat enim apoplexiam tam repentè concitari, vt neceſſariò fatendum ſit, totam ſimul obſtructionem fieri, quare epileptica ſymptomata illam præcedere non poſſunt. Ad ſecundum dic, quòd licèt eadem materia in vtroque affectu redundet, eundémque locum, & ventriculos afficiat, diuerſa tamen ratione hoc contingit: nam in apoplexia confeſtim, & integrè fit obſtructio, quare cerebrum non poteſt ſeipſum contrahere, & materiam obſtruentem à ſe depellere; & ſic illam ad ſpinalem medullam, aut alterum latus deponit, & oritur paralyſis. At
E verò in epilepſia, obſtructio eſt longè minor, neque integra adeò vt cerebrum poſſit citra obſtruentem humorem contrahi, illumque per amplas narium, & palati vias expurgare. Quo poſito, cùm minùs impedita via, ſpiritus poſſit ad membra deferri, nulla cogit neceſſitas, epilepſiam in paralyſim finiri, quæ eſt conſtans Gal. doctrina *lib.* 3. *de loc. cap.* 7. & 2. *aph.* 45. Si autem hic auctor 4. *acut.* 27. & Auic. 1. 3. *tract.* 5. *cap.* 8. *in fin.* aliquando ad epilepſiam, paralyſim fuiſſe ſequutam aſſeuerat, de magna, & finitima apoplexiæ intelligendi ſunt.

Quòd autem hic affectus auxiliis medicis non ſuccumbat, ex hoc, in eo venenatam qualitatem ſemper adeſſe, aſſerendum non eſt, nam id in humoris craſſitiem,

&

& pertinaciam reduci poteſt. Alioquin Scirrhus,affectus ſanè curationi obnixè renitẽs, diceretur venenoſus;quod eſt abſurdum. Quid,quæſo,quartana,articulorum doloribus,aſthmate,orthophnœa,hemicrania,bocio,nata,teſtudine,talpa, & aliis duris & dolore carentibus tumoribus ad ſanandum rebellius,& contumacius? in quibus, nulla, præter humoris craſſitiem,venenoſitas adeſt. Neque nego, ex corrupta meningum portione, aura frigida, mala qualitate frequenter epilepſiam oriri, ſed in omni, ſemper eſſe conſtituendam,contra Fernel.& alios huius opinionis ſequaces,qui à flatu,prauáque qualitate perpetuò excitari,contendunt,pedibus manibúſque renuo:quorum argumenta ex dictis ſunt refutanda, & ſoluit diligentiſſimè Carrerius *cap.10.ad libros de loc. affect. diſp.17.* Lege Gentilem *in com.cap.8.* Auic.1.3.*tract.5.*

HIST. XIX. ALZAHARAVII, De Epilepſia.

Miræ Epilepſiæ ſpecies aphrodiſiaſticæ, quarum paroxyſmi, ſeminis profluuio ſoluuntur. Aliæ variis, horrificíſque imaginibus, & anxietatibus ægros torquentes.

Vidam ſunt quibus videtur,quaſi mulier eos quærens ad coitum,& feſtinanter furiunt ad eam, & agunt cum ea, & poſt emiſſionem ſeminis, ceſſat eorum paroxyſmus, & ſurgunt; & ego quidem iam vidi cui hoc accidit. Aliqui verò ſentiunt grauitatem capitis,& iactationem ante ſui aduentum, & vocant alios vt ipſos teneant,donec ceſſet eius paroxyſmus: & ego iam vidi quendam puerum meum patientẽ hanc ægritudinem,qui dixit mihi,quòd videbatur mulier nigra accedens ad eum, habens ſupra ipſam corium, quod dicitur parua, & quando accedebat ad eum,mox cadebat. Et ſtudui ego erga ſui curationem,& ceſſauit illud phantaſma ab eo, & alleuiata eſt ægritudo,&c. Alzabaranius* lib.pract.tract.1.ſec.2.cap.34.

PARAPRHASIS.

Bipartita eſt Hiſtoria hæc. Prima deſcribit morbum mirum, & à nullo,quem viderim,delineatum, quem ex ſeminis corrupti, in venenum abeuntis, & cerebrum deleteria qualitate lancinantis copia originem habuiſſe veriſimile eſt: quoniam hoc correpti vitio, indeſinenter ad coitum incitantur,provt de vidua illa refert Gal.*lib.6. de loc. cap.5.* Quæ cùm eſſet ſemine turgida, craſſo, & multo, vterique opprimeretur ſtrangulatu, factis ab obſtetrice frictionibus, & titillationibus intra vterum, expulſo eo humore conualuit. Semen autem retentum in naturam veneno finitimam abire, pluribus exemplis examplificat Gal. *loc.cit.* & nos *infrà, in hoc libro*, ex eius mente latiùs exarabimus *in com. hiſt.52.* & latè *lib.2. in com.hiſt.47.* & *lib.3.in com.hiſtor.9.*

A teſtibus autem oriri poſſe Epilepſiam ſuadet ratio, ob maximum cum cerebro conſenſum. Sic enim inquit Dominicus Leonus Lunenſis *lib.art. Medic.14.à teſtibus, & vaſis ſpermaticis,quando in iis ſperma corrumpitur, infrigidatúrque, & ſibi induit naturam veneni, eius vapor aſcendens cerebrum lædit,& Epilepſiam inducit.* Firmat eius placitum Iacchinus 9. *ad Alm.14.* & ex aliorum mente probat Marcellus Donatus *lib.4.de Med. Hiſt. Mirab.11.* & nos hac de cauſa in fœminis, ab vtero, ferina ſæuáque pluries vidimus pathemata,quæ non niſi excreto ſemine ſunt mitigata.In viris etiam oriri hæc,& alia ſimilia ſymptomata,& nonnihil hyſtericis ſimile, teſtis eſt Thomas à Veiga *lib.6. de loc.in com. cap.5. verbo. mulieribus.* Nam licèt rarò hæc accidant,quoniam vitia ſimilia improportionalia ſunt calido,virilique ſemini,& in fœminis maior adeſt ſpurcities humoris, frequéńſque corruptio, ex maiori caloris natiui debilitate contracta; tamen in iis pro-

A gigni aliquando, non eſt dubitandum. Nihil ergo mirum ſi vacuato corrupto ſemine, metuenda hæc ſymptomata ceſſent.

In ſecunda Hiſtoria,à verbo [*Aliqui verò ſentiunt*] deſcribit ſigna,quæ Epilepſiam præcedere ſolent: quæ latè citat Paul. *lib. 3.cap.13.* ea ſunt;Obliuio eorum quæ præceſſerunt,inordinatus linguæ motus,capitis dolor, pallor faciei,turbulentæ inſomniorum imagines, capitis rotatio, tenebræ oculorum:ſed cùm hic morbus eſſet ab humore melancholico excitatus, & vapores à partibus inferioribus eleuati, & ob nimium calorem adurentem, & ſucci tetri copiam, nigri & caliginoſi redditi, ſpiritus animales obſcurarent,factum eſt,vt imaginatiua potentia læta,terribilia inſomnia contingerent. Similis profectò fuit hic affectus illi, quem veteres Incubum appellare conſueue-
B runt: cuius notas deſcribunt Paul. *lib.3. cap.15.* Auicen. 1.3. *tract.5.cap.5.* qui, vt Fernel. inquit 5. *Patholog.4.* è craſſiori pituita, aut melancholia circa præcordia inhærente,& ſuo vapore craſſo, & tetro, fauces, diaphragma, pulmones, cerebrum, ſenſúſque omnes viſis triſtibus offundente originem ducit,vt latè Chriſtoph. à Vega *lib.3. art. Med. ſect.1. cap.13.* Altimar. *lib.1. praxis 16.* Ludou. Mercat. *lib.1. de morb. intern.10.* aſſeruere. Cuius morbi exactam hiſtoriam,& eſſentiam depingunt graphicè Manardus *lib.3. epiſt.3.*& Iaſon *de morb.cerebri. cap.26.* quod malum licèt plurimis præſidiis cedat, purgatione tamen, quæ craſſum & melancholicum ſuccum vacuet, commodiſſimè curatur,vt referunt Douynetus *lib.3.apolog.cap.2.* & Scholiograph. *ad cap.13. l.b.1. Holler. de morb. intern.* quam vacuationem ab Alzaharauio hic fuiſſe celebratam
C non dubito, quum hæc ad hoc vitium curandum ſit potentiſſima. In quo, vel alio affectu huic affini, procraſtinanda præſidia non eſſe,quoniam ex eo Apoplexia,vertigo, paralyſis, & alij acutiſſimi cerebri affectus ſuboriri conſueuêre, citati confirmant auctores. De quo affectu lege pulchra apud Mercurial. *lib.1.de cereb.affect.cap.22.*

HISTOR. XX. TRALLIANI, De Epilepſia,

Ex pede ſuſcitata Epilepſia, cauſtico medicamento in parte affecta impoſito curatur.

D

*Go ſanè vidi quendam lectorem in hunc morbum incidiſſe, qui cùm ei eventurus erat,auras quaſdam frigidas à ſuperiori pedis parte ad cerebrum aſcendentes percipere ſe dicebat: Cùm igitur hunc catapotiis, pituitam & melancholicum humorem vacuantibus antea purgaſſem, impoſui parti affectæ etiam quæ exulcerare illam, extenuare, & calefacere poſſunt, vt hinc ipſa & ſudauerit, & humida quædam non pauca * ex eadem manifeſtò emanauerint. Atque hoc vbi nos feciſſemus, Adoleſcens ſanus euaſit. Erat autem auxilium quod ei impoſitum erat, ſanauerátque, lepidium herba. Trallianus* lib.1. cap.15. titulo, de curatione eorum qui ex ſtomachi affectu,comitiali morbo corripiuntur.

PARAPHRASIS.

E Imilem Hiſtoriam narrat Gal. *lib.3. de loc.affect.nuper cit.* de puero,cuius morbus comitialis à tibia originem ducebat.Pro cuius curatione, Medici qui ad curationem conuenerant,eò aſpirabant,ſi priùs vacuato corpore, medicamen ex thapſia, aut ſinapi parti adhiberent, quo auxilio celebrato,acceſſionem reuerti prohibuerunt,quam antea quotidie puerum infeſtare conſueuiſſet.

Et vt omnia intimiùs perſcrutemur,Quid obſtat,quominus ſpiritalis aliqua,vel fluida ſubſtantia, per cótinuas partes,ab aliqua parte eleuata, & neruoſam aliquam partem occupans,vſque ad nerrorum principium,vim ſuam tranſmittat,& epilepſiam concitet,compreſſis fortiter cerebri ventriculis, & ad expellendam noxam ſenſatam

vehementer incitatis? Similé narrat ſe vidiſſe epilepſiam Eraſtus *in Anatom.libror.ſupra Montant.* & Montan. ipſe *conſil.*48. Iacchin.9. *ad Almanſ.cap. de Epilep.* Scholiaſt. Holler.*lib.*1.*de morb. intern. in com.cap.*13. Cardan.*lib.de cauſ.ſig. part.cap.*1. Trincauel. *lib. de rat. curand. particul. corp. affect. cap.6.* Imò è Brachio excitatam vidit Haly Rhodoham,*com.ad lib.*3.*techn. Gal. text.*91. è labro ſuperiore pronatam curauit Douynetus *cauſtico ipſi labro admoto*, *lib.*3. *Apolog.cap.*2. è digito eóque minimo ſiniſtræ manus,dextro brachio,ab articulo humeri ſubortam obſeruarunt Fauentinus *cap.*11.*de morb.medend.*& Scholiaſtes Holler.*in com.cap.*16.*lib.*1.*de morb intern.*è mamma vidit Marcel.Donat.*lib.*2.*de Hiſtor. mirabil.cap.*4. è ſummo vertice profectam expertus eſt Fernel.5. *Pathol.c.*3. è corde idem Marcel. Donat. *eodem cap.* Ab vteri vitio euenire enarrant Beniuen. *cap.*97.*de abdit.* & Dodonæus *in annot. ad cap. prædict.* qui omnes, excitatis vlceribus, eſcharoticorum ope, in parte affecta conualuere.

Obſeruatio. XV.

Epilepſia à pollice excitata, cauſtico pollici laboranti impoſito, ſanatur.

Vidi caſum mirabilem. Quidam pollicis ſiniſtræ manus tremorem diu habebat: Quo ceſſante, (aura venenata è pollice ad cerebrum aſcendente) illicò Epilepſia corripiebatur,cúmque ſæpius hoc vitium eum opprimeret, & pro eo propulſando, plura machinarentur Medici incaſſum, tandem cauterio actuali,(ad priſcorum morem) pollici laboranti appoſito curatus eſt. Nam ex vlcere ſanioſus ichor copioſè emanauit.

Cúmque ex pedis ſuperiori parte humor cum vapore aſcenderet Epilepſiam facturus,oportuit primò expurgare eis,quæ à partibus inferioribus noxium humorem vacuare nata ſunt,de quorum genere catapotia eſſe cenſentur,ſua enim craſſitie detenta in ſtomacho,à remotiſſimis etiam partibus ſuperfluum ſuccum eradicant. Sed cùm expurgantia multoties non ſint ſatis, quoniam pars affecta,hectica veluti,diuturna & habituali intemperie laborat, quam curare & corrigere arduum eſt & laborioſum, idcircò ad peccantis venenati humoris continuò regeniti expulſionem accedere neceſſitas cogit; impoſitis in parte affecta medicamentis, quæ ipſam exulcerent, ſuóque calore attractionem moliantur, vt ſic ad originem fluxionis auocato humore,qui in dies magis ac magis aſſiduè procreatur,& ichore ab vlcere emanante, vacuetur ille, qui in caput ſuopte impetu inſilire conſueuit.

Sed cùm multa ſit, & varia horum veſicantium medicamentorum ſylua, ab auctoribus, qui de cauteriis diſputarunt, paſſim exarata: In noſtro exemplo, Lepidium herba ſatis fuit,quæ, vt notat Dioſcorid. *lib.*2.*cap.*180. à Latinis naſturtium ſylueſtre nuncupatur, éſtque ita acre & exulcerans, vt præ nimio feruore & caliditate, potentiſſima polleat ad partes externas attrahendi facultate. Quare arthriticis impoſitum, præſentaneum auxilium præſtat,apud Paul.*lib.*3.*cap.*77.& Gal.10.*ſect. loc. cap.*2. eo pro iſchiadicis, loco ſinapiſmi, aut Thapſiæ vſus eſt. Quam eſſe huius pertinacis mali veram medendi normam, cùm è parte quapiam vitium excitatur & inualeſcit,nullus ignorat,& firmat Sauonarol.*tract.*6.*de ægritud. capit. cap.* 20. *in fin.* qui ſe vidiſſe, & curaſſe ruſticum gloriatur, qui ex cauſa particulari, in brachium circa finem muſculi verſus manum, incidit in Epilepſiam, & adhibitis cantharidibus,& forti ligatura,à paroxyſmorum ſæuitie liberatus eſt.

COMMENTARIVM.

Ex *eadem manifeſtò emanauerint.*] De medicamentorum vlcera facientium, (ex quibus fontanellæ, fonticuli, ſetonéſve parantur) vtilitate, eſt in hoc loco paulìſper diſceptandum: cùm conſtet ex hoc exemplo, cauſtico potentiali,in parte affecta impoſito,fuiſſe hunc Herculeum,dirum ſanè, & immedicabilem morbum ſuperatum. Hoc enim efficaciſſimo præſidio, Medici à plurimis exitioſiſſimis morbis ægros vendicare conſueuerunt.*Cùm enim antiqua partium debilitas adeſt,fruſtrà pharmaca, aut alia remediorum genera tentantur*, vt rectè notat Hollerius *conſil.*1. *quoniam tunc ferro, & igne pugnandum eſt, ex Senis edicto*, *lib.*8.*aph.*6. quamobrem ad expurganda, quæ ex partium imbecillitate quotidie gignuntur excrementa, ſumma cum vtilitate fonticulos, per quos putris & noxius humor vacuaretur,priſca ſagacitas adinuenit, iuniorum creberrimo experimento confirmata.

Enimuerò cùm non poſſimus medicamentorum purgantium ope peccantem humorem à nobilibus partibus, ad ignobiles & minùs præcipuas detrudere, cùm illa debilitent, & inueterent, vt Auic. more loquar, 3.1.*doct.*2.*cap.*2. quoniam cum inutili,vtilis humoris portio vacuatur,ex Gal.6.*aph. com.*27. fit ratum, vt continua expurgatione per fonticulos celebrata vtendum ſit,nam *fontanella ſupplet vicem purgationis & phlebotomiæ*, vt doctiſſimè Guido aſſeuerat *tract. de cauter.doct.*1.*cap.*6. Taxat enim Galenus ſui temporis Medicos, *lib.*1. *de humorib. ſect.*1. *com.*12. *in med.* quòd ſolùm de vacuando humore eſſent ſolliciti, nulla de particulis roborandis habita conſideratione. Sic enim ait: *Quo pacto cernere eſt commune Medicorum erratum, quod in pluribus affectibus plerumque committitur, nam quod ſuperuacaneum eſt, euacuant illi quidem, ſed tamen ne ei quod vacuatum ſit,quid per ſimile gignantur, nullo modo ſibi curandum proponunt, &c.*

Neque hoc,ab alio, niſi ab vberrimo illo, ac perenni Medicinæ fonte, Hipp.dimanauit auxilium,vt inter omnes eruditiſſimè probat Amatus *lib.*5.*cent.*7. Ille enim in *lib.*2.*de morb.num.*15. poſt diætam multam, & varia medicamenta applicita,à capite varios morbos curaturus,ad cauterium, tanquam ad ſacram anchoram confugit, vbi cruſtas octo vſtione (cauterium actuale modò vocant) fieri iubet, duas circa aures, duas in occipitio, hinc atque hinc ad ceruicis vertebras,duas in naſo,& alias ad oculorum magnos angulos. Et in *lib.de intern.affect.num.*3. varias vſtiones adhibet ad acetabulum coxæ,ad ſcapulam,ad nates,ad medium femur,ad genu, ad malleolum. Demum *lib.de morb.& de internis affectionibus*, plura habet ægritudinum genera, cauterio curanda, quàm lineas: in quibus citandis lentè ſpatiatur Amat. *loc. cit.*

Hippocratem ſequitur Galenus hic,& in *lib.*13.*meth.*6. *in fin.* quo loco,pro dolore curando ex medicamentorum noxa concitato, cauterio vſus eſt. Et *lib.*5. *meth. cap.*13. Thapſiam capiti imponit pro diuertendo humore in pectus delapſuro. Denique cùm hoc negotium totum, ex veterum monumentis ſit hauſtum, vt Hercul. Saxonia *in ſuo illo eleganti de phœnigmis libro,ſect.*1.*in præf.*confirmat, nõ eſt cur fidem adhibeas Cardano,*qui in tract.de ſpirand. diff.*hoc auxilium illis fuiſſe ignotum aſſerere auſus eſt.

Nam caput eſt in ſuprema noſtri corporis parte locatum, velut tectum domus calidæ, ex Gal.9. *de vſu part. cap.*1.& cucurbitulæ inſtar attrahit ex inferioribus partibus humores,quos,ſicut & alimentum ſibi demandatum, præ imbecillitate concoquere,& diſcutere,neque per canales amplos,os,nares,& aures à ſe depellere poteſt;quare excrementa oneroſa ad partes ſubiectas detrudit, nempè oculos,fauces,naſum,dentes,tẽpora,maxillas,pariſthmia, laryngẽ,aſperam arteriam,& alias citatas à Gal.2.*feb.*11. & 5.*de ſanit. tuend.*9. & ſæpiſſimè in pulmonem: Explicat elegantiſſimè Fernel.5.*path.*4. Demùm nulla eſt pars inferior,in quam cerebrum ſuperfluos humores non protrudat; nec aliqua, & maximè neruoſa, cum qua ipſum maximam non habeat ſympathiam,ita vt affectionem digiti pedis illicò perſentiat, ſic monente Magiſtro *lib.*1. *progn. com.*80. Quæ omnia, & alia acutiſſima vitia repullulant,ſi noxius humor in ipſo, tanquam in centro remaneat,& inhæreat,ex quo Apoplexia,epilepſia, carus,vertigo,& alij exitiales dimanant capitis affectus.

Quapropter ſumma cum ratione veteres, in his morbis curandis & præſeruandis,ad cauteria accedunt.Quorum vtilitatem eximiam miris celebrant laudibus, & encomiis, Guid. *loco cit.* Vigo *lib.*2. *tract.*1. *cap.*19. Auic. 4.1.*cap.*29. Raſius 9. *ad Alm.*9. Albucaſis *prop. lib. de*

iuuamento

ſquamento cauter Brunus in *Chirurgia magna, lib.2. cap.18. rubr.* 2. Lanfranc. *tract.3. doct.* 3. *cap.* 18. Argelata *lib.* 6. *tract.* 4. *de cauter.* quorum mentem intimiùs explicarunt Capiuac. *prop.lib.Terillus de veſicantibus.* Michaël Guauaſſetius *lib. de natur.cauter.cap.* 5. Fallop.*eodem tit.* Ludouic. Mercat.*lib.1.indicat.16.* eleganter. Qui omnes admiranda cum ægrotantium vtilitate, in his affectibus præceps periculum minantibus, ad hoc diuinum propè præſidium, tanquam ad certum ſalutis aſylum confugiunt, & firmat Petrus Pichottus *lib.de rheumatiſmo,fol.*73. Valcus Caſtellus *tract.1.cap.8.diſ.3.de thorac.affect.*

Obſeruatio XVI.

Exitiales cerebri affectus, cauterio ad bregma indito, curantur.

VIr quidam vertigine tenebricoſa adeò feraciter vexabatur, vt ferè continuò in gyrum cerebrum ageretur. Cúmque illi plura eſſent factitata auxilia, & de apoplexia futura adeſſet timor, nullo alio præſidio (præter celebratas in variis partibus fontanellas, & ſetonem ad nucham inditum) quàm cauterio bregmati impoſito potuit pertanari. Quo ſolo, innumeros cerebri mortiferis morbis correptos, præter Medicorum votum, ad ſanitatem, vlceribus diu fluidis permanentibus, perduxi.

In morbo comitiali mirificam opem præſtat, auctore Cetio *lib.3.cap.23.* dum ſic inquit: *Quod ad medicum verò pertinet, vltimum eſt iuxta talum ex vtroque crure paulùm ſanguinis emittere, occipitium incidere, & cucurbitulas admouere, ferro candente in occipitio quoque, & infra, quà ſumma vertebra cum capite committitur, adurere duobus locis, vt per ea perniciofus humor euadat, &c.* & *lib.4. cap.2. & 22.* pro curandis morbis qui a capite oriuntur, candentibus ferramentis, vbi dolor eſt, vlcera excitat. Epilepſiam autem, & maximè in pueris ac infantibus, fontanellis, & ſetonibus mirabiliter curari, tenent Iacchin.9.*ad Almanſ.*14. Rondelet.*cap.*36.*meth.* Montan.*conſ.*50. Baptiſt.Theodoſ.*epiſt.* 45. Montuus *lib.*1. *anaſceu.* 16. Piſo *lib.*1. *de curand.morb. cap.*9. Eraſt.*part.4.diſp.contra Paracelſ.* de quo argumento lege Mercurial. *lib.*2. *variar.*2. de antiquo pueros vrendi more aduerſus puerilem morbum.

In reſolutione, cæteriſque conuulſoriis affectibus ſummopere iuuat. Extat textus eximius apud Aëtium.*tetrab.*2. *ſerm.*2. *cap.*28. Sic enim ait. *Ego etiam cruſtas inurere non dubitauerim, per ignem, aut per medicamentum: vnam quidem circa occipitis cauitatem, quo loco ſpinalis medulla initium habet: duas autem ab vtraque ipſius parte: tres aut quatuor in vertice, vnam ex iis in medio capitis, tres circum ipſum. Vlceribus enim diutiùs fluidis permanentibus, non deſpero perfectam reſtitutionem, &c.* Sententiam amplificat Mercur. *lib.1. prax. cap.*10. ad cæteros conuulſorios, frigidoſque cerebri affectus, in quibus plurimum auxilium præbere, citati auctores aſſeuerant; præcipuè ſi ex humoris in cerebro ſiti, & ex qualibet occaſione ad inferas partes delapſi, ruinam imminentem cauterio anteuertere neceſſitas cogit, vt hoc celebrato, humor noxius à partibus nobilibus ad minùs præſtantes auerti poſſit.

Sic in oculorum affectibus variis (quorum ſyluam deſcribit Manardus *lib.7. epiſt.2.*) in narium, linguæ, gingiuarum, palati, oris morbis inueteratis præſentaneum auxilium exhibent. Sic in ſpiritalium partium ægritudinibus, ſua vi perniciem minantibus, laudabiliter aperiuntur fonticuli, vt in raucedine, catarrho, tuſſi, tabe ob diſtillationem à capite ſuborta, de qua Hipp.*lib.2. de morb. num.*54. & Gal.4.*de loc.*8. Quando ſputum multum, liquidum, durumque vt grando, per tuſſim excernitur. In phthiſi ad producendam vitam, ne amplius vlcus ſordeſcat, fontanellas brachiis affigere, optimum eſt conſilium, quod probant Capiuac.*in praxi,cap.de phthiſi.* Fracaſt.*lib.* 3. *de curat. morb. contag. cap.*8. Mercurial.*lib.2.prax.*7. & exemplo confirmat Helidæus Paduanus *conſil.7.lib.3. conſ. & epiſt.per Laur. Scholtzium publicatarum.* Sic aſthmati, & cuilibet difficultati reſpirationis multùm prodeſſe Paul. docet, *lib.5. cap.2.* dum pro ſuſpirioſis curandis, candentibus ferramentis cauteria adhibet iuxta occiput.

In oris ventriculi vitiis cum cerebro maximum conſenſum habentis, commodiſſimè in vtroque crure aperiuntur fontanellæ: hoc enim præſtanti beneficio auertitur noxius vapor, epilepſiam, vertiginem, & alia grauiora damna effecturus.

In lienis morbis fidiſſimo experimento compertum eſt, vehementer opitulari in læuo crure affixas; plurimos enim imminentes morbos ab hoc membro pronatos præcauere ſolent: de quorum genere cenſentur eſſe cordis tremor, hypochondrij ſiniſtri palpitatio, futurum delirium prænuncians, apud Hipp. *in prognoſt.* à craſſiori flatu, melancholicoque humore pronata. Melancholia Hypochondriaca, cum inſolita mœſtitia & metu, immò delirio coniuncta, vt tenent Aëtius,*tetrab.2.ſerm.2.cap.*9. Fernel. 5.*pathol.*2. Iacchin.9.*ad Alm.*15. & *Haly.* Quare ſi huius tetri humoris copiam, ad inferiores partes quominùs in cerebrum irruat, auertere velis, fontanellam in altero crure aperiendam conſule. Et ſi hoc præſidio affectio non miteſcat, tunc ad fonticulum ſetonem, aut vſtionem ſupra ſplenis regionem confugere oportet, vt monet inter omnes Ludou. Mercat. *lib.1. de morb.intern. cap.17.in fin,& lib.2.de morb.mulier.cap.4.*

In hepatis calidis morbis, ab eius nimia calida intemperie ſubortis, nempe cutis fœditatibus, quorum nomina ex profeſſo deſcribit Manardus *lib.7.epiſt.cit.*& eorum curationem graphicè appoſuit Mercurial.*in duobus de hoc argumento libris*,eas in variis partibus efficere à ratione alienum non eſt,præſertim quando aliis auxiliis non ſuccumbunt hi pertinaces morbi. Et vt horum cutem depaſcentium curationem affabrè delineatam introſpicias, ſequens exemplum iam exaudi.

Obſeruatio XVII.

Iuuenis quidam Luſitanus puſtulis vlceroſis in facie miſerrimè concuſſus, fontanella in crure aperta & aliis auxiliis tempeſtiuè adhibitis, facillimè curatur.

IVuenis Luſitanus, pulcher facie, & decorus aſpectu, hyberno tempore, calore ad interiores ſedes retracto, annorum quinque ſpatio puſtulas vlceroſas, totam faciem deturpantes patiebatur, à quibus ichor emanabat flauus, ita acris & mordax, vt ob nimiam caliditatem, carnem exederet. Verno tempore pancraticè viuebat, patentibus cùm poris tranſpiraret corpus. Incidit in hoc vitium, ex aſſiduo piperis vſu, quo in puluerem redacto veſcebatur, qua de cauſa impensè iecur incaluit. Et cùm timor eſſet, ne in Elephantiaſim commigraret affectus, ipſéque tantæ turpitudinis moleſtia afflictus, ſubtriſtis vitam ducere, me conſulit. Auxilia actitata inquirens, ea fuiſſe inueni phlebotomiam ex iecoraria ſæpius repetitam, vacuationem per purgantia medicamenta, & refrigerantia apozemata celebratam, ſerum lactis caprini ſimplex, & neſcio quæ localia exſiccantia in facie applicita vnguenta. Quibus, vt & balneo cùm non leuaretur, immò recrudeſceret affectus, Medicus tandem, tanquam cum incurabili morbo laborioſè luctatus, ab eo receſſit. Ego autem quum à iecore nimium excalefacto, & retorrido, velut à prima origine promanare hunc morbum intelligerem, & habitualem intemperiem calidam deprehenderem, ob quam hepar, vel ex puriſſimo alimento, calidum, bilioſum, exaſſatumque humorem generabat, in auxiliis vehementioribus, & alio modo paratis infiſto. & quæ non ſolùm aduſtum ſuccum vacuare, ſed vna roborare viſcus nata eſſent. Qua de cauſa ſero lactis caprini, priùs tamen medicato, alternis diebus, vel rab. myrobal. ſenæ fol. epith. polypod. pulpa caſſ. ſyrup. fumar. maioris, cichor. Nicolai, & endiu. Gentil. pluribus diebus vſus ſum. Poſt quæ iterum in balneum miſimus, & duabus horis à balneo, ſyrupum ex pullo gallinaceo, priùs refrigerantibus medicamentis ſaginato, & decocto confectum offerebamus,

mus. Hirudines bis ſunt ano applicitæ, quarum ſuctu, ſanguinem æger ſuper vas aqua calida plenum ſedens emiſit grumoſum, fœculentum, & nigrum. Verùm cùm malum iis celebratis ferociùs inſoleſceret, vt humor neceſſariò ex partium diuturna debilitate gignendus ad imas deferretur corporis partes, & ſpiraret iecur, ſuáque excrementa ad ignobiles partes detruderet, fontanellam in dextro crure aperiendam curaui, ex qua cùm impura ſordes manaret, in totum exſiccatis vlceribus obeſior factus, priſtinum nitorem recuperauit, neque vnquam ipſe malum ampliùs perſenſit. Hæc fuit huius Lernæi morbi, qui iuuenem miſerè diu, importunéque cruciauerat, Herculea claua.

Lege Mercurial. *lib. de decorat. cap.* 13. *de maculis faciei.* Sic enim inquit: *Præter hæc, ſi in vllo caſu vſus cauteriorum vtilis eſt, proculdubio in hoc, vt viderim ſolis cauteriis cruribus affixis, rubedines faciei penitus eſſe deletas, &c.* Hac ratione in cancro, doloſis vlceribus, manantibus fiſtulis, ſcabie fœda, virulenta Elephantiaſi ſaluberrimum cenſetur auxilium, fontanellas aperire: in quo affectu, ob cauſam humoris nimiùm aduſti, in crure eas affigere oportet, ex ſententia Albucacis, *lib.* 1. *cap.* 49. Vgon. *conſil.* 100. Nicoli, *ſerm.* 7. *ſum.* 1. *tract.* 5. *cap.* 40. Valleriol. 6. *enarrat.* 5. Si verò Paul. *lib.* 4. *cap.* 1. & Gordon. *lib.* 1. *cap. de lepra*, cruſtas, ſeu cauterium in capite exequi imperarunt, de incipiente ſunt intelligendi; in hac enim caput, & facies potiùs læduntur, ſicut in inueterata totum compatitur corpus, vt iidem auctores aduertunt.

Sic in morbo Gallico eas aperire vtiliſſimum puto. Nam ſi huius peruicacis morbi reliquias conterere non potueris, fonticulum aperire ſummoperè præſtat, per quem partes internæ ſpirent, & putridus noxiúſque vapor exhalet, irreparabile damnum toti corpori allaturus, niſi hoc generoſo auxilio ſuccurras. Sicque dum iecur exæſtuat, in crure adaperta fontanella præſidio eſt; dum caput compatitur, in brachio affixa plurimum emolumétum afferre ſolet. Licèt enim morbi huius curatio in iecoris, & venoſi generis correctione conſiſtat, & inutile ſit hoc præſidium in eo exercere, cùm frequentiſſimo experimento conſtet, plurimos vlceribus pluribus fœdatos, è quibus fœda manabat illuuies, nullam ex hoc opem ſenſiſſe, vt inter omnes notat Ludouic. Mercat. *lib.* 1. *indicat. vlt.* attamen cùm hoc malum inueteratur, aut aliquam regionem, aut partem prolixa fluxione fœdat & inquinat, in eo iſtud exercere, ſummum eſt præſidium, vt idem Mercatus inquit, *lib.* 1. *de morb. Gallic. cap. vlt. in fin. & lib.* 2. *eiuſdem, cap.* 1. *in princ.* & Alcaçar, *lib.* 5. *de morb. Gall.* 23. Capiuac. *lib. de lue Vener.* 6. docuere.

Obſeruatio XVIII.

Fontanellis in inguine ſponte apertis, quidam à ſæuo morbo Gallico euaſit immunis.

Nota infrequens exemplum. Dux Hiſpanus, ſæuis doloſiſque miſerabiliter quaſſus vlceribus, quæ totum corporis ambitum conſpurcabant, ſæpiùs vnctus hydrargyro, & ſudorificis auxiliis immaniter cruciatus, ex iis vllum vix ſenſit commodum. Apertis tamen ſponte in vtroque inguine fontanellis, per quas, veluti per emunctoria, putores illi, corruptique humores paulatim vacuari cœperunt, omninò à tantis malis immunis euaſit.

Sic in ſuppreſſis hæmorrhoidibus, quæ diu fuerunt apertæ, & alterius noui morbi periculum minantur, iuxta *Senis legem*, 6. *aph.* 12. aut in cæcis, ex quibus ob retentum fæculentum ſanguiné, dolor ingens, inflammatio, & alia miſeranda vitia ſuboriri ſolent, commodiſſimè fiunt in vtroque crure in parte domeſtica ob rectitudinem fontanellæ: quod de antiquis fiſtulis, vlceribus manantibus, albis vteri purgamentis ſuppreſſis intelligendum eſt, hac enim per fonticulos vacuatione, veterem illam ſupplere oportet. Hoc conſilium opere ipſo obſeruauit Amat. 4. *cent.* 56. illud confirmant Alcaçar, *lib.* 5. *de morb. Gallic.* 22. Ludouic. Mercat. *lib.* 3. *de morb. intern. cap. vlt. in fin.* Hoc pacto in nimis, ac diu fluentibus hæmorrhoidibus hoc

A præſidium exercere, extra rationem non eſt. Nam ſi ex ſanguinis vbertate ac copia, vel ex ipſo plus ſatis ſeroſo, tenui, fluxili, & aquoſo hic affectus concitetur, & neque ſiſtentibus auxiliis, venæque ſectione in brachio celebrata, reuulſionis cauſa leuetur hoc malum, quam in hoc caſu eſſe præſtantiſſimam, ex veterum dictis contra quendam Medicum contendit *in ſua Apologia* Didacus Moran. eruditiſſimè, tunc fontanellæ in cruribus apertæ deriuationis gratia ſummoperè proſunt.

In articulorum doloribus etiam ſuam vtilitatem præbent, nam præterquam quòd partes cauterio roborantur, cùm quicquid muccoſum eſt, vſtione abſumatur, etiam articuli laxi igne fiunt robuſtiores: quare 6. *Aph. text.* 60. *Hipp.* in diuturno coxendicis dolore, crure tabeſcente, cauterio prohibuit claudicationem. De quo argumento

B elegantiſſimè Ludou. Mercat. *lib.* 1. *indicat. vlt.* diſputauit: & *lib.* 4. *de morb. intern. vlt.*

In vteri vitiis efficaciſſimum cenſetur auxilium, in crure, in parte domeſtica fontes aperire: cùm enim ad vterum, tanquam ad totius corporis cloacam, natura ſuperflua recrementa detrudat, ob vteri imbecillitatem imbi citiſſimè in deteriorem labem abeunt, & ſic corrupta, dira pernicie partes ſuperas concutere ſolent: vt notat Roderic. à Caſtro eruditiſſimus *lib.* 2. *de morb. mulier. cap.* 2. eloquenter.

Vteri omnium muliebrium morborum cauſæ ſunt, dicebat Hipp. *in lib. de loc. in hom. num.* 59. Mirabilis enim eſt vteri cum omnibus partibus ſympathia, cùm nulla ſit pars, cum qua non habeat conſenſum. Conſentit cum cerebro per neruos, tum per membranas ſpinalis medul-

C læ, hinc occipitis, & ſyncipitis dolor contingit: de quo Gal. 6. *Epid. ſect.* 1. *com.* 2. agit eximiè. Hinc virginum, & viduarum melancholia, de qua Hipp. *in lib. de virg. morb.* Explicat Ludouic. Mercat. *lib.* 2. *de virg. & viduar. affect. cap.* 4. Hinc variæ cerebri ægritudines, miræ epilepſiæ, & innumera delitamenta oriuntur, prout *lib.* 2. *de praxi medica admiranda*, pluribus allatis raris exemplis propoſuimus.

Conſentit cum corde, tum per arterias ſpermaticas, tum hypogaſtricas: hinc cordis dolor, ſyncope, lipothymia, palpitatio, anxietas, exſolutio, reſpirationis & pulſus priuatio, ſublato vſu à venenata aura ab vtero aſcendente, quæ innatum ignem impensè exſoluit. Cùm mammis euidentem ſeruat ſocietatem: hinc tubercula, durities, carcinomata dira ſuboriuntur. Hunc humorum ab vtero ad mammas refluxum, & ab vtero ad mammas, explicat. Gal.

D ex Hipp. ſententia, 14. *de vſu part.* 4. & 8. & examplificant Andreas Laurent. *lib.* 7. *quæſt. anatomic.* 11. Ludouic. Duretus *in Coac. in appendic. de vulnerib. ad com. text.* 44. diſertiſſimè.

Cum hepate ſuam etiam habet proprietatem, qua de cauſa vterus malè affectus, icterum, cachexiam, hydropémque accerſit. In quo affectu, ab hac cauſa, vel ab intemperamento hepatis frigido, pronato, optimum eſt excitare cauteria in cruribus; nam natura hoc malo vexata, hoc vtitur auxilio apertis vlceribus in tibiis, vt notant Rogerius *tract.* 1. *cap.* 45. & Theodoric. *lib.* 3. *cap.* 45. *de iuuamentis cauterior. in fin. & firmant* Celſ. *lib.* 3. *cap.* 21. Aëtius *tetrab.* 3. *ſerm.* 2. *cap.* 30.

Vterus etiam conſentit ventriculo, & renibus. Sympathiam renum cum vtero, grauidarum & virginum, dum

E menſtrua patiuntur, ſymptomata, dolores ac tormina lumborum ſatis indicant. Veſicæ, & recti inteſtini conſenſum, maximè inter has partes communio oſtendit; nam inflammato vtero, ex Hipp. 5. *aph.* 58. teneſmus, & vrinæ ſtillicidium excitantur. Denique nulla eſt pars, cum qua vterus admirandum conſenſum non exerceat.

Si ergo vterus morboſus eſt, totique corpori tot tantáque mala impertiat, & alia non proſint auxilia, quoniam habitualis in eo adeſt intemperies, ex qua ſpurci humores generantur, ex ſanguine menſtruo, & retento ſemine eleuati, fontanellas in cruribus cur non aperiemus, per quas tetri, virulentique vapores, ex fœdiſſimis his ſubſtantiis elati, ratione venarum, cruribus & vtero communium ſpirent, & vacuentur?

Calamo

Calamo non poſſum comprehendere numerum earum, quæ diuerſiſſimis omnium partium morbis,ab vtero,tanquam à prima origine concitatis correptæ, non niſi hoc facili auxilio conualuere: & præſertim virgines, & viduę, in quibus ex lege naturæ in vtero plurima redundant excrementa, quibus cum virorum cohabitatio,tantoperè ab Hipp.commendata *lib.de virg.morb.num.vlt.* licita non eſſet, fontanellæ mirabili fuerunt præſidio.

Obſeruatio XIX.

A frequenti abortu, fontanellâ celebratâ, fœminæ præſeruantur.

Nſuper feliciſſimo experimento adinueni, frequentem abortum ex vitioſis humoribus ad vterum à toto demandatis, ſuaque praua facultate, aut copia, fœtum enecantibus, hoc ſolo præſentaneo auxilio impediri. Fœminæ plures, pluries hac ipſa de cauſa frequenter abortiebant; ex iis quædam fœtum ſeptimeſtrem, quadrimeſtremve, lacerum tamen, & omni putrilagine infectum ſæpiùs enixæ,non niſi hoc præſidio,tam in brachiis,quàm cruribus, ſemper tamen ad originem fluxionis celebrato, à tantis malis leuari potuerunt: quo facto debito & conſtituto tempore fœtus ſanos, labeque nulla fœdatos in lucem edidere.

In peſtiferis, malignifque febribus, vlcera & cauteria in variis noſtri corporis partibus excitare commendant plures. Hoc enim auxilio deleteria qualitas, & venenoſa, cor fatigans auocatur ad externas, minúſque præcipuas corporis partes, à quibus non ita promptè aura venefica in cor inſilit, viſceraque interiora conſpurcare poteſt labe dira. Quod exſequendum eſſe monent in omni maligno affectu, qui ſui malitia innatum calorem extinguit; quare fidiſſimo experimento compertum eſt, vlcera in toto corpore excitare, quorum beneficio putridus, & tabidus ichor exhalet, vt ſcitè docent Terillus *lib. de veſicantib.* Octauianus Robertus *prop. lib.* Salius, Mercurial. Saxonia, & alij. Hæ enim vſtiones (cucurbitulæ, aut frictionum validarum inſtar) venenum ad extra potentiſſimè eliciunt.

Fiunt etiam fontanellæ iuxta principium ſpinalis medullæ, quod auxilium Latini, ſetones appellare conſueuerunt, quod exercendum eſt, quando in partibus anterioribus humor peccans negotium faceſſit, vt in ſuffuſione, nubeculis, nerui optici obſtructione, & in omnibus oculorum diuturnis affectibus, vt notarunt Guido, *tract.7. doct.1.cap.3. de cauteriis.* Aëtius *tetrab.2. ſerm.3. cap.48.in fin.* Mercurial.*tom.3.conſult.67.*& poſt omnes Guilhelmus Fabricius Hildanus *Cent.1.obſeruat.Chirurg.40.& 41.*Nam ſicut *poſteriore capitis parte dolente, ſecta vena in fronte iuuat*, ex Hipp.*54. aph.68.* Sic etiam anteriore malè aff. ctâ, occipitis ſcarificatio eſt ſalutaris, ex Gal.*2.ſect.loc.2.& 13. meth.19.* & Auic.*4.1.cap.29.* quare in ea parte auxilia vacuantia adhibere, ſalubre eſt.

DVBIVM X.

Num occiput vrendum.

Va ratione vbi morbus perſeuerat, nil eſt vtilius quàm cutem occipitis,vbi caput cum prima ceruicis vertebra coniungitur, cauſtico, aut candenti ferramento inurere, ſeu traiicere, & poſtmodum cicere, ſeu viridi cera perforatum,ſericeóque funiculo traiectum locum diu apertum conſeruare; vt ſic promptè humor is emanet, qui in capite alioquin imbecilli aſſiduè colligitur, & in oculos,naſum, aures, os, & inferiores partes delapſus, ingibi poſthac exitiales morbos gignere conſueuit.

Neque obſtat Gal.locus *lib.2.ſec.loc.2.* cùm ſic ait: *Neque enim facilè exuritur ea pars, quæ à Græcis inion appellatur, aut occipitium,* &c. Ex quibus patet non eſſe vrendum occiput. Accedit, non licere per nucham, & cerebellum humores noxios purgare,quum vſtio hæc,neruis, & ſpinali medullæ plurimùm obſit; quod timuit Auic. *loc. cit.* dum ait: *Cauterizator præterea ſibi cauere debet, ne fortitudo cauterizationis ipſius ad neruos perueniat, neque ad chordas, neque ad ligamenta, &c.*

Cùm tamen Aëtium *cit. loc.* cæteróſque videam affirmantes in inio fontanellas apertas, ſalubre pro leuandis morbis præſtare auxilium, à probata medendi norma diſcedere non poſſum. Neque Gal.verba, etſi intricabilia nos deterrent: non enim ex iis colligitur, cauterium inibi eſſe prohibendum; ſolùm ergo voluit oſtendere, hanc partem non eſſe ita aptam vſtioni, hoc eſt caliditati ambientis. Inſuper vſtionem vocari ab eo caliditatem ambientis, patet *ex lib.1. de diff. feb.4. ibi: Veluti ſtatim vſtio ſiue ipſa ſolis operatio.* Et *lib.8. meth.* 4. caliditatem emendans picrocholorum, eam vocat vſtionem. Deinde cur non erit poſſibile naturæ, vt craſſam, immò tenacem ſordem, viſcoſumque humorem per ſpinam dorſi expellat, ſi per cor, iecur, & cerebrum, immò per oſſis meditullium ſine vlla noxa ſuccum excrementitium extrudit, vt monuit Gal. *lib.7. aph.54.* & cur nocebit cerebro, ſi in parte ſolùm, cauterium ſuam efficit operationem, quod diſertiſſimis verbis notat Albucaſis *lib.cit.cap.1.*dum inquit.*Et ſcitote quidem filij, quod ex ſecreto curationis per cauterium cum igne, & bonitate ipſius ſuper medicinam comburentem, eſt, quia ignis eſt ſimplex, & eius actio non peruenit ad membrum, quod cauterizatur, & non nocet membro alij coniuncto cum eo, niſi ſuperfluat*, &c. Quare conſtat perito artifice operante, nullum ſubſequi poſſe incommodum.

Ea tamen ſeruata lege hoc conſule auxilium exequendum, quando morbus non eſt ita firmatus, nec radices egit, vt nullus ſit remedio locus; cùm iam habitualis ſit. Qua ratione *tabeſcentes ſtatim vrere*, ſuadet Hipp. *lib. 6. Epid.ſect.7. text.11.* Nam, vt ſcitè notat Gal.*in com. Si adhibere remedium non feſtines, priuſquàm robur deficiat, & vires proſternantur,omnis fruſtra deinceps ſuſcipietur labor. Quo tempore nihil aliud fit,quàm quod quæ tempeſtiuè ſuſcepta contuliſſent,ſuſcepta ſeriùs infamantur auxilia.* Vt explicat Valleſ. *in com.* Tu verò lege quæ de ſetonum vi admirabili ſcribit Paſchal.*lib.1.de curand.morb.14.* Quem ſequitur Petrus Vaezius *in compend.cap.10.*& non ſiluit Thomas Fienus *prop. tract.de Cauteriis*, quem Hermannus Follinus Medicus perdoctus in compendium redegit.

HISTORIA XXI. GALENI.

De Epilepſia.

Ex ore ventriculi ſuſcitata Epilepſia, eo roborato ſanata.

*Gitur Grammaticus quidam iuuenis quotieſnimis vehementer doceret, aut cogitaret, aut * inediam ſuſtineret, aut iraſceretur,comitiali morbo corripiebatur. Perpendi quidem in hoc; ventriculi (vtpote quod facilè ſentiret) affectum eſſe,ac deinde per conſenſum totum cerebrum,& corpus vniuerſum conuulſione concuti: Iuſſi igitur ei probam coctionem accuratè procurare,ac tertia,vel quarta hora,panem optimè præparatũ exhibere,atque hunc quidem ſolum, ſi non ſitiret; ſi verò ſiti cruciaretur,ex vino diluto, & quidem albo,atque modicè adſtringente: nam huiuſmodi vinum, vt ventriculum robuſtum efficit, ita haudquaquam tentat caput, id quod facere ſolent ea, quæ vehementes vires obtinent. Quũ igitur hac victus ratione vtens; non vt ante afficeretur,exactam iam notitiam me habere arbitratus ſum eorum,quæ priùs ſola coniectura conſequebar. Itaque quolibet anno bis,aut etiam ter,medicamẽtum amarum ex Aloë ei exhibui * totum enim ventrem à ſuperfluitatibus purgat, & ad proprias actiones roborat: atque ita vir ille plus quàm viginti annis,quibus poſtea ſuperſtes permanſit,integra,inculpatâque valetudine vitam exegit,&c.*Gal.lib.5.de loc.affect.c.5

PARAPHRASIS.

Anc hiſtoriam iterum recenſet Gal. *lib. de ven. ſect. aduerſ. Eraſiſtrateos, cap. 9.* Qua ſubiungit alios ſe vidiſſe

vidiſſe epilepſia, ob oris ventriculi vitium correptos,quũ aut non probè concoxiſsẽt,aut vini,& quidem meracioris plurimuùm potaſſent: aut vbi Veneri immodicè operam dediſſent: quin etiam per febres, quoſdam ſe conſpexiſſe refert derepente conuulſione prehenſos, nullo quod eam præſagiret, prægreſſo indicio, qui bilioſo ſuperueniente vomitu, protinùs ab omni noxa liberati ſunt.

Propter ſtomachi vitium,præſertim languoribus,& in ediis cruciatos incidere homines in epilepſiam, maximus huius partis cum cerebro conſenſus manifeſtè demonſtrat. Nam hoc ventriculo,& hic cerebro ſuas affectiones tranſmittit; idque propter neruorum à cerebro ad os ventriculi deſcendentium magnitudinem, per quos etiam ſenſus huic particulæ, quàm vlli reliquarum partium corporis acutior eſt: vt belliſſimè *lib.3. de loc. cap.5.* explicat Gal. Quare ore vẽtriculi malè affecto deſipientia,& conuulſio oriuntur,5. *Aph.*1.Immò epilepſia & melancholia,ex Gal. 5.*de loc.cap.*5. Duobus enim magnis neruis à cerebro deſcendentibus os ventriculi præditum eſt,ex Gal.3.*prog.*30. Nam in ipſum inſeritur effatu digna coniugatio, 6. *Aph. com.*50.qua ratione maximè neruoſum exiſtit 2.*de articul. com.*20.& ſenſile,3.*prorrh.cum.*38.& 2.*lib.acut.com.*11. De cuius partis cum cerebro connexione ſumma, vide Langium *lib.*1. *Epiſt.*22. doctè diſputantem.

Inanito ergo,ac famelico ventriculo,& veluti areſcente & exſiccato, ortam fuiſſe in hoc ægro epilepſiam, non poteſt alia ratione probari,niſi quia in ventriculo ſqualido humor acris tum gignitur,tum ad ipſum,ob exactum ſenſum confluit illicò: quod 2.ad Glauc. *cap.*1. aduertit Gal. ſub his verbis. *Quidam, etiamſi pauxillus quidam humor in ventre, & præſertim circa os ipſius congregetur,ſtatim capite dolent, ob id,ſi diutiùs famem tolerent, offenduntur, augetur enim in ipſis inediam patientibus,huiuſmodi humorum malitia, &c.* Iuuenile enim corpus,vtpote calidum & ſiccum,difficulter inediam fert, quoniam deficiẽte humido nutrimentali,glıſcit & bileſcit,& maximè quum ſcribendi,legendi, docendique frequentia corpus excalefaciat, nimiſque exſiccet,vt Gal.3.*de ſanit.tuend.*11. Premigenis Peripateticæ diſciplinæ Profeſſoris exemplo edocuit.Non ergo mirandum,ſi ob meditationes aſſiduas & inediam,bilis ad os ventriculi moueri poſſit,illudque vehementer lædere, irritare & pungere.Ex quo motu,facta vaporatione per canales amplos,quorum ratione cum cerebro commũnicat, hoc trahitur in conſenſum, ſtimulatum & concuſſum, quod vt nocentiſſimum à ſe expellat, fortiter comprimitur, & cerebri ventriculi in ſe arctè adſtringuntur,& Epilepſia fit. Quam adſtrictionem, conniuentiam,ſeu obſtructionem appelles,nihil refert; dummodo conſtet,obſtructa & impedita via,prohiberi aliquantulùm tranſitum ſpirituum animalium, & epilepſiam concitari. Non intelligas autem totam cauitatem ventriculorum obſtrui, quod in Apoplexia contingit; alioquin enim, totali ſpirituum tranſitu denegato, nullus fieret animalis motus, nec breuiſſimo temporis ſpatio acceſſio ſolui poſſet.

A ventriculo autem Epilepſiam pronatam ob cerebri conſenſum cognoſces, quòd poſt epilepticam acceſſionem, parua aut nulla adſit obliuio, nec mentis obtuſio,capitiſque grauitas vehementiùs infeſtent; aderunt depranata concoctio, vomitus, nauſea, & ructus. Præcedunt cogitationes, inedia, & ventriculi mordicatio frequens.

Cùm ergo ex cogitatione, & docendi aſſiduitate, bilis ad os ventriculi confluxeret,neceſſum fuit,tum eam expurgare iam genitam, tum efficere ne iterum ad ipſum confluerer.Hoc opus duplici præſidio perficitur,& roboratione ventriculi,& excrementi vacuatione. Quod nullo alio meliùs, quàm medicamento amaro ex Aloë præſtari poteſt. Vigorat autem id viſcera interna,vt conſtans eſt Medicorum ſententia.Quidquid Iulius Cæſar Scaliger, *exercitat.*160.*diſt.*3.ex Meſuæ præſcripto,ſe per annos ampliùs quadraginta compertum habere contrarium, falsò aſſeueret,cùm plures ab empiricis, pharmacariis, & Galeniſtis, in pericula & morbos, Aloës vſu coniectos exemiſſe è pernicie manifeſta glorietur.Sed ſi Auic,14.3.*tract.*4.*cap.*13. lædere hepar affirmet cum Meſuë,calidum,vel ſiccum ieeur ſupra modum intellige cum Manardo *in com.cit.cap.* Meſuë;nam calidam,& ſiccam intemperaturam exaſperare affirmat Gal.8.*ſec.loc.c.*2. Optimum ergo fuit, bilem ad os ventriculi motam, illumque vellicantem, & mordentem,& hac de cauſa cerebro in conſenſum ducto,Epilepſia concitata, extra corpus educere medicamento ſuaui, ac leni,& ventriculo robur conciliãte,hoc enim ad excrementorum ſarcinam extrudendam eſt eximium, *vt meth. cap.*11.& 8.*ſec.loc.cap.*2. *admonuit Galenus.*

Panem obtulit optimè præparatum,non oua,aut aliquid aliud, ne fortè in bilioſo ventriculo corrumperetur. In pauca quantitate, vt meliùs amplexus ab ſtomacho feliciùs coqueretur,Hora tertia,aut quarta exhibuit,quę cum noſtri temporis decima nona coincidit, vt colligitur ex Gal.5. *de valet. tuend. c.*4. Ne igitur æger noſter vſque ad horam decimam nonam ieiunus perſeueraret, & ob id Epilepſia corriperetur, hora quarta diei cibum offerebat. B Cùm autem ſitis in bilioſis naturis valdè moleſta,ſit cauſa,vt moueatur iterum bilis ad ventriculum,& epilepſiam excitet,vinum ſuperbibendum conſuluit: non vinoſum, caput tentans,ſed album,& minimè ſitim inducens, quod manifeſtam non obtinet caliditatem ex Gal. *de ſanit.tuend.* 5.3.*acut.*20.& *alibi ſæpè.*Non ſimpliciter dilutum,cùm hoc ventriculi firmitudinem labefactet, ex Gal. 2.*acut.*28. ſed cum adiectione adſtringens, quod ventriculum firmat, & vaporum ad caput ruentiũ impetum refrænat. At dilutum, nam hoc ampliùs ſitim extinguit, apud Gal. *lib.*1. *ſimpl. c.*31. vino ſcilicet aquam ad diſtributionem promouente. Quare Hipp.*lib.de ſalub.vict.rat.num.* 30.ſitientes iubet arcere à laboribus,& vinum aquoſum bibere.Amari autem medicamenti vſum à Gal.ſingulis annis imperatum fuiſſe iudicabis, vt ventrem ab excrementis repurgaret, ipſumque firmaret,maximè cùm ſtudioſus eſſet,cuius ſortis hominibus & ſuperflui humoris copia ineſt,& ventriculi infirmitas neceſſariò adeſt, vt inter omnes probat Marſilius Ficinus,*lib.*1.*de ſtudioſ.ſanit.tuend.ferè per totum.*

DVBIVM XI.

Num bilioſus humor Epilepſiæ cauſa ſit, contra Lupeum Cureleanum, Medicum eruditiſſimum.

COMMENTARIVM.

INediam ſuſtinere.] Num bilioſus, aut acris humor epilepſiæ cauſa ſit, dubitant iuniores. Nam qui fieri poteſt, vt bilis in pauca quantitate in corpore redundans, & vim obſtruendi non habens, cerebri temperiei improportionalis valdè, ventriculos cerebri exſiccans,ita vt difficulter comprimi poſſint, epilepſiæ poſſit eſſe cauſa? Accedit Gal.*doctrina* 3.*aphor.*29. Hipp. mentem valde admirantis, vt qui inter iuuentutis morbos numeret epilepſiam. Quibus nixus Lupeus Cureleanus *lib.*3.*enchirid.cap. prop.de epilepſia*, hanc à bilioſo humore oriri non poſſe aſſeuerauit.

Sed Grammatici huius hiſtoria aliter nos coëgit opinari.Et id expreſsè docet Gal.aliorum referens exempla,qui in febribus epilepſia oppreſſi,bilioſo ſolùm vomitu ab ipſa ſunt liberati. Præterea hic affectus oritur ab ira, vaporum acrimonia, nimia cogitatione, inedia, quæ humores exacuit, à prauis vaporibus,à ventriculo, aut vtero eleuatis. Inſuper ſolutio epilepticæ acceſſionis repentina humorem paucum, eundemque tenuem, & bilioſum eſſe arguit.Demùm.Res multæ ac variæ epilepſiam efficiunt,vapor,humor acris & mordax, exhalatio putrida,ſanies fœtida,halitus graueolens,fames,vigiliæ,quæ omnes mordicando & vellicando cerebrum,eam concitant, vt Rondel. *lib.*1.*de curand.morb.cap.*36. *edocuit.*

Licèt enim cum Gal.vnanimiter concedant omnes epilepſiam à craſſo, viſcoſo, & ferè ſemper frigido humore procreari, cerebri ventriculos obſtruente,ita vt interceptis viis,ſpiritui ad neruos non pateat aditus, à bilioſo tamen, & acri euenire, extra rationem non eſt. Firmant Auic.1.3.*tract.*5. *cap.*8. Auerr. *lib.*3. *collig. cap.*4. Et licèt bilis in parua copia redundet, & cerebri temperamento ſit improportionalis, exſiccet, & ventriculos ineptos compreſſioni

compreſſioni reddat, hoc infrequentiam denotat; non impoſſibilitatem; quod explicuit Auic. per verbum [*& eſt parum valdè*] ac ſi diceret. Epilepſiæ cauſa poteſt eſſe bilis, ſed hæc eſt rara, quoniam hic humor in parua copia abundat. Hoc modo intelligendus eſt Gal. 4. *de cauſ. pulſ.* 12. dicens, à bile non fieri pulmoniam, hoc eſt, non ita frequenter, quoniam in molli, laxoque pulmone conſiſtere non poteſt, ſed illicò defluit ob tenuitatem, vt Auic. 10. 3. *tract.* 4. *cap.* 10. ſignificat hoc modo. *Et peripneumonia quidem fit ab omni humore, verùm plurimùm eius fit à phlegmate, quoniam in membro raro, rarò continetur humor ſubtilis, &c.* Explicat ingenuè Coſtæus *in com.* & quamuis bilis calida ſit, & ſicca, deobſtruat potiùs, quàm obſtruat, tamen cùm mordax ſit & acris, vellicando epilepſiam parit, modo ſuperiùs explicato. Si tamen cum Fernel. 5. *patholog. cap.* 3. aſſeras, ſæpe in corpore in ea quantitate poſſe redundare flauam bilem, vt copia obſtruat, & neruos vellicando contrahat, ac cogat, non errabis. Galenus autem 3. *aphor. cit.* Hippocr. admiratur, quòd inter iuuentutis morbos, epilepſiam recenſeat, cuius potiùs cauſa, explicante Galeno *in com.* ad errorem victus reduci debet. Licèt in illis, ab hoc humore oriri, *in cit. ſent. com.* explanet Cardanus.

DVBIVM XII.

Num Aloës vis ventrem traſcendat.

T*Otum enim ventrem.*] Si doctrinam Gal. intimiùs perſcrutemur, eum ſolùm aloën in affectibus materialibus ventriculi, exhibuiſſe ſemper inuenimus, *vt* 7. *meth.* 11. *&* 8. *ſ. c. loc. cap.* 2. & alibi, & ſi admodum nitaris, eamque ampliore pondere propines, ex vicinis iecoris locis, humores noxios vacuare aſſeuerat. Subſcribit Actuarius *lib.* 5. *de compoſ. med.* 8. *in princip.* dum ait. *Aloë igitur non totum corpus inanit, ſed inſidentem ſtomacho, ventri, & interaneis bilem citra noxam, cum hærentibus ibidem recrementis per aluum exigit, &c.* Quod fulcit Aëtius *tetr.* 1. *ſerm.* 3. *cap.* 24. Contrà *lib. de theriac. ad Piſon. cap.* 4. totum corpus purgare contendit. Sequitur Auicen. *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 66. quo loco excrementa in capite contenta vacuare confirmat.

Vidit iſtam antinomiam Doctiſſimus Mathiol. *libr.* 1. *epiſt.* 1. *in init.* Quam inſolutam reliquit Iulius Alexandrinus *in eod. lib. epiſt.* 4. eo ſolùm nixus argumento, quòd *lib. de theriac. ad Piſon.* nothum ſibi perſuaſerit. Sed à veritatis ſemita recta longè abeſt vir hic eximius. Nam Paul. *lib.* 7. *in tit. Satyrion trifolium,* plurimas recenſet compoſitiones, quæ *in lib. de theriac.* Gal. expreſsè habentur, & nos alibi latiùs comprobabimus.

Solue primò. Aloë per ſe ſola ſumpta primam regionem euacuat: ex accidenti tamen, & conſequutione ad id quod vacuatur, vniuerſum corpus expurgat. Dic ſecundò, & fortaſſe meliùs. In mediocri quantitate aſſumptam, ſtomachum, in maxima verò propinatam, totum expurgare: Sic Paul. *lib.* 7. *tit. de iis, quæ bilem vacuant,* inquit, *ipſam copiosè deuoratam vniuerſum vacuare.* Quod priùs dixit Dioſcorid. *lib.* 3. *cap.* 21. Dum eam bino cochleario exhibitam ſtomachum, & trium drachmarum pondere, perfectam purgationem efficere pronunciat. Quare Meſuë vix pertranſire hepar, niſi quantitate exuberet, memoriæ commendauit, *tract. de ſimpl. cap. de Aloë.* Pro cuius loci explicatione lege Manardum *in com. huius loci,* qui nullo alio modo poſſe ſolui antinomiam hanc ſibi perſuaſit.

Roborat.] Inter varias, celeberrimaque medicamenta, quæ conſeruandæ ſalutis cauſa, natura rerum omnium parens produxit, nullum eſt adeò excellens, vti Aloë, adeò vt propria experientia edocti veteres, & iuniores ferè omnes, affirmare non vereantur, Aloë frequenter vtentes in magnos morbos non incidere. Quare apud eos magnis celebratur laudibus & encomiis, quæ ex profeſſo retulere Dioſcorid. *lib.* 3. *cap.* 22. Plin. *lib.* 4. *cap.* 27. Gal. *loc. cit. ſup. & vbique paſſim.* Paul. *lib.* 7. *c.* 5. Auinc. *lib.* 2. *cap.* 66. Serap. *tract. de ſimpl. cap.* 101. Meſuë *eod. tract. cap.* 1. Dioſcorid. *interpretes.* Nicol. Bieſius Gandauenſis *lib. theoremat. tit. de Aloe.* Tagautius *lib.* 2. *ſimp. cap.* 1. Ioannes Brau. Petraſit. *Lib. I.* *lib.* 3. *de purg. rat. cap.* 7. Fallop. & alij. Nam non ſolùm partes roborat, & ad proprias actiones obeundas munit, & defendit, verùm etiam, flauam bilem, & pituitam expurgat, caput, ſtomachum, iecur, ſenſuumque inſtrumenta mundificat, & vterum à muccoſis, ſuperfluiſque humoribus purgat.

Licèt autem hoc medicamentum ſit in ſecundo genere calidum, auctore Gal. 3. *ſimpl. cap.* 14. partes præſtanti vi ſua vigorat. Nam potenter adſtringit, ſinus enim glutinat, & vlcera ſanat; pro quo complendo opere mirabile præſtat auxilium, ita vt eius ope fracta vaſa ſolidari poſſint: 5. *meth. cap.* 4. quo loco, ſe nullum aliud ad hemorrhagias membranarum cerebri, medicamentum inueniſſe aſſerit melius, quàm id quod ex aloë parari ſolet. Demùm ad enecandos lumbricos præſentaneum eſt antidotum, ex quo varia ſolent machinari auxilia, illis interficiendis aptiſſima: de quibus inter omnes lege Gabucinum, *lib. prop. de lumbric. cap.* 21. *&* 22.

Eligitur optima Aloë, *Dioſcorid.* teſtimonio, ſinceras pinguis, nitida, tranſparens, arenularum & calculorum expers, iecinoris modo coacta, facilè liqueſcens: odore grauis, vt myrrha: ſapore, primò guſtu dulcis, & poſteà intenſiſſimæ amaritudinis: pondere leuis, ſubſtantia friabilis.

DVBIVM XIII.

Num Aloë ſuccotrina omnium ſit optima. Contra Iuberam doctiſſimum.

SEd quæ optima ſit cenſenda, adhuc ſub iudice lis eſt, pro qua dirimenda, Arabum ſchola, cui maior fides adhiberi ſolet, triplicem aloës differentiam conſtituens, caballinam, hepaticam, & ſuccotrinam, hanc excellentiorem cæteris affirmat; quam ſententiam omnes poſteà ſunt amplexi, qui de Aromatum, & medicamentorum, quæ ab Indiis adſportantur, natura ſcripſerunt. Vno excepto Iubera Medico, & ſeplaſiario doctiſſimo, qui *in lib. ſimpl. Hiſpano idiomate conſcripto, cap.* 43. & hepaticam cum ſuccotrina confundit (duas ſolùm aloës ſpecies aſſignans) & illam hac multo exceſſu præſtantiorem eſſe ſibi perſuaſit. Quorum primum impugnandum non eſt, cùm apud citatos conſtet eſſe apertè falſum. Monet enim Gal. *lib.* 2. *de vſu part.* 3. vt, *in arduis, & diſcordantibus ſententiis interpretandis, rationabilius exiſtimemus, vnum potiùs deerraſſe, quàm omnes alios.*

Secundum autem eſſe à probata auctorum mente alienum, ſequentes probant rationes. Ea Aloë optima eſt, quæ rufum habet colorem, ex Dioſcorid. *lib.* 3. *cap.* 21. ibi. *Eligi debet rufi coloris, &c.* Et ex Meſuë *loc. cit. vt ſit coloris citrini, &c.* Sed Aloë hepatica non rufum, ſed rubrum habet colorem, ob idque hepatica dicitur, ex Plateario *lib. de ſimpl. medic. cap.* 1. ibi. *Hepaticum colori hepatis ipſius aſſimilatur, habet autem colorem ipſius hepatis ſubnigrum, &c.* Ergo hepatica Aloë non eſt optima iudicanda.

Deinde Aëtius *tetrab.* 1. *ſerm. cap.* 196. *tit. de Aloë,* eam eligit valde ſplendentem, cui ſubſcribit Auic. *lib.* 2. *cap.* 66. Qui Aloën habere colorem aquæ croci aſſeuerant: Aloën tamen hepaticam non habere colorem tranſparentem, probat Serap. *loc. cit.* vbi eam eligit cum colore ad rubrum declinante, qui color quo interuallo diſtet à colore aquæ croci, & valdè tranſparente, nullus ignorat.

Aloë ergo ſuccotrina præ cæteris eſt eligenda. Quod ita eſſe firmat Garzias ab orto, *colloq.* 1. *de aromatib.* Chriſtoph. à Coſta *eodem tit. cap.* 25. ex ſua, & Medicorum Perſarum ſententia. Ioannes Fragoſus *eodem tit. diſcurſ.* 5. *manipul. medicinar. tract. de ſimpl. lit. A.* Mathæus Siluaticus *lib.* 1. *de ſimpl. cap.* 31. & alij ſuprà cit.

Iubera autem horum auctoritates temnit, & damnat quòd Dioſcorid. *loc. cit.* Aloën laudet ad hepatis imaginem vergentem, dum ſic ait: *Duo ſucci genera, quoddam arenoſum, quod ſedimentum puriſſimæ eſſe cenſetur, alterum ad iecoris imaginem vergit, &c.* Et Aëtius laudet eam hepatis colore, quorum ſententiæ accedit Oribaſ. *lib.* 11. *collect. tit.* D de

de Aloë. Sed hi auctores non laudant aloën ad iecoris formam vergentem, quòd eius debeat habere colorem, ſed quò I fit iecoris forma coacta,& ad eius colorem aliquantulum declinet. Rurſus hepatica non ex eo eſt optima iudicanda, quòd Nicolaus *in compoſ. pilul. ſine quib.* & Haly 10.*pract.cap.de pilul.ſtomachic.* A loë hepatica vtantur:nam hanc pro ſuccotrina ſubſtituunt, quæ quia rariſſimè inuenitur, idcirco frequenter hepatica vtuntur auctores.

HISTOR. XXII. GALENI, De Epilepſia.

Pæonia collo ſuſpenſa ab Epilepſia liberat.

EQuidem vidi puellum quandoque octo totis menſibus morbo comitiali liberum,ex quo hanc radicem geſtauit : At poſteà fortè fortuna , quum quod à collo ſuſpenſum erat, deci- diſſet, protinus denuò conuulſione correptum, rurſuſque ſuſpenſo in locum illius alio , inculpatè poſteà egiſſe. Porrò viſum eſt mihi ſatius eſſe rurſum id collo detrahere , certioris experientia gratia : id cùm feciſſem, ac puer iterum eſſet conuulſus, magnam recentis radicis partem ex collo eius ſuſpendimus, ac deinceps prorſus ſanus effectus eſt puer , nec poſteà conuulſus eſt, &c. Galenus* lib.6.ſimpl.tit.de pæonia. B

PARAPHRASIS.

HAnc Hiſtoriam citant,& confirmant Aëtius *tetrab.*1. *ſerm.*1.*tit.de pæonia*, Auic.*lib.*2.*tract.*2.*cap.*50.Fernel. *lib.*2.*de abdit.cap.*17. Leuinus *lib.*8.*de occult.cap.*3. Hieronym. Tragus *lib.*1. *Hiſtor. ſtirp. cap.* 200. Montuus *lib.*1. *cap.* 8. *helofeos febrium.* Camerarius *in horto.* Pæonia ergo tantæ facultatis fuit apud veteres, vt ex illa pararent antidotum aliis omnibus pro hoc propulſando morbo pretioſius,vt de antidoto pæonia refert Aëtius *tetrab.*4. *ſerm.*1. *cap.*102. Nam preterquam quod miram obtinet in reſiccando facultatem , quà, partibus quibuſdam à radice defluentibus,ac deinde per inſpirationem attractis,cerebrum à ſuperfluis mundat humiditatibus,vt *hoc cap.*Gal.affirmare videtur,etiam ab occulta qualitate hunc leoninum, ac timendum morbum perſanare opinatur Gattinaria *cap.de cura epilepſiæ.* Alioquin plura alia auxilia ſicciora, & calidiora id efficerent, quod non experimur : vt 2.*de abdit.*17. *in fin.* eleganter Fernel.*notat.* C

Dari autem in rebus occultas,quas vocant,proprietates Gal.paſſim , & iuniorum clariſſimi confirmant. Sic ſuccinum paleas, quiſquiliaſque omnes , & leuiſſima quæque rapit,ocymi tamen ſurculos,& alia oleo imbuta à ſe abigit. Magnes ferrum trahit,& medicamenta humores : bezoartica venenis aduerſantur.Quæ omnia ſubſtantiarum ſimilitudini, imparibuſque elementorum miſcellis ſunt referenda,quæ hos cæcos effectus,ſeu naturales concordias, & inimicitias , initio veluti quodam fœdere pariunt : de quo argumento acutiſſimè diſputarunt Fracaſtor.*lib.prop. de conſenſu & diſſenſu rerum*,Ruel.*lib.*1.*de nat.ſtirp. cap.*22. Scaliger.*exercit.*344.*in Cardan.diſt.*2.*& ſequentibus.* D

Sed quî fieri poteſt , vt huius radicis , pro hoc morbo domando , tam excellens vis , & apud veteres tantoperè celebrata, noſtra tempeſtate fuerit amiſſa ? cuius mirabiles dotes miris euehunt præconiis Dioſcorid. *lib.*3.*cap.* 140. Raſius *vlt.cont. tract.*1. *cap.* 545. *& lib.*9.*ad Almanſ. prop. cap.* Ruel.*lib.*3. *de nat. ſtirp. cap.*70. Iuſtus Mollerus *in ſuo faſciculo remedior. tit.de epilepſ.* & ex ea rara parant medicamenta,huic vſui valdè proficua,multiplicique lege confecta, recitata à Valleriol.3.*obſeruat.*7. Holler. 1.*de morb. intern. cap.* 15. Michaël Ioanne Paſchal. *lib.* 1. *de curand. morb.cap.*8. E

Certè nos indigni ſumus hoc munere,vt notat Mercurial.*lib.*2.*de affect.cap.*26. Infinitos enim vidi, hoc morbo miſerrimè correptos,quos Pæonia,nec collo ſuſpenſa,nec deuorata, nec aliis medicamentis permixta iuuare potuit.

Neque ob hæc mendacij arguendus eſt Gal. qui tantam vim illi in tam difficili morbo attribuit. Non enim nos ea vtimur legitimo tempore , & certa ſiderum obſeruatione collecta ; colligi namque debet die,ac hora ſolaribus,Sole Leonem occupante : Non ergo eſt mirum ſi ſupradicto affectui ex voto non reſpondeat,vt notat Manabenus *libel. de Alce,cap.*7.& maximè cùm Mathiol.*cit.loc.in Dioſcorid.* huius radicis effectum à multis obſeruatum commemoret. Multis ergo de cauſis cùm poſſit accidere, aliquem à medicamento quopiam non ſanari , propterea medicamenti facultas ſtatim in dubium non eſt reuocanda , præſertim cùm hic contumax , ac rebellis morbus aliorum medicamentorum ſalubrium ferè ſemper vim temnat, & reſpuat. Pœonia ergo tam mas, quàm fœmina, tum tenellis, tum adultis,varia forma exhibita plurimùm pro curatione , & præſeruatione huius morbi prodeſt,vt ex auctorum mente dilucidè patet : & rectè animaduertit Franciſcus Hildesheim *lib.de morb.intern. tit.de Epilepſia.*

QVÆSTIO XIII.

Quòd ſmaragdus optimum ſit contra epilepſiam. venenoſoſque morbos auxilium , contra Mundellam , & Ioan. Gallego de la Serna , Medicos præſtantiſſimos.

COMMENTARIVM.

HAnc *radicem.*] Ex plurimis, iiſque præſtantiſſimis auxiliis , quæ Medicorum ſolertia pro epilepſia debellanda parare ſolet,quæ paſſim referunt auctores, vnum eſt celebratiſſimum , firmiſſimoque experimento confirmatum,quod ex ſmaragdo deſumi ſolet. Tanta enim, & tam eximia pro hoc domando morbo eſt huius lapidis vis , vt pæoniæ facultatem longo interuallo antecellat , & ſic ab auctoribus miris celebratur laudibus ac præconiis. Quapropter ego de eius excellentia diſputare ſatius duxi, cùm videam quoſdam Medicos hanc veritatem tenaciter , immeritò temen , impugnaſſe. Mirum enim eſt quod multi volunt,& ferè apud magnates receptiſſimum eſt, ſmaragdum collo geſtatam ab imminenti epilepſia præcauere, eamque iam factam curare. Hoc inter omnes confirmant Ariſt. & Albert. Magnus , qui hunc pretioſiſſimum lapidem collo adalligatum impedire, & quandoque penitùs curare epilepſiam aſſeuerant. Sequuntur Garzias ab Horto *lib. aromat.colloq.*44. Ioan.Fragoſus *lib. aromat. diſcurſ.*1. Franciſc.Ruëus *lib.*1.*de gēmis,cap.*4.Cardan.*lib.*7.*de ſubtil.* edocti à Serapione,*cap.*384. qui tantam, ac tam eminentem virtutem ei attribuit , vt ipſam epileptici collo ligatam,miro quodam modo ab hoc morbo liberare affirmet : Quare ſmaragdorum theriaca , facta præſertim ſecundùm manipulum medicinarum,non ſolùm neruos roborat,craſſum,lentumque ſuccum huius mali cauſam diſcutit,& attenuat,ſed malam qualitatem huic morbo inſidentem domat,& refrænat.Hæc ergo in omni ætate ſecuriſſimè concedi poteſt,& maximè in pueris, in quibus eximias vires oſtendit.Contradicat licèt Lupeus in ſuis animaduerſionibus,futili nixus argumento,quòd hic lapis,frigidus & ſiccus cùm ſit , minimè proderit in epilepticis conuulſionibus propulſandis : & maximè in tenello infantis ventriculo,vbi maximum negotium faceſſit. Sed hic auctor belzaarticam ſmaragdi facultatem non reſpexit, quâ Herculeum hunc morbum coërcere nata eſt.

Maioris verò negotij eſt Mundellæ,viri alioquin doctiſſimi refringere opinionem , qui multis machinis probare intendit , ſmaragdi vſum omninò eſſe vanum, & prorſùs nullum , iudicatque ſuperſtitioſum Arabum ſententias , à quibus hoc auxilium emananit,conſulere.Quare in prima epiſtola,ſeu potiùs libello (ſic enim diffusè loquitur) totis viribus pugnat,pro venenatis,maligniſq; febribus, epilepſia,aliiſque capitis affectibus abominandum eſſe auxiliū. Quo forſan ductus voto Ioan.Gallego de la Serna,vir doctus,vt eius teſtantur opera,& Regis Hiſpaniarū Archiater,*tract.de morb.pueror.tit.de Epilepſia*, ſibi perſuaſit Theriacam ſmaragdorum pro hoc morbo domando , reprobā

eſſe. Sed quia hic eiſdem ferè vtitur argumentis, hæc ad amuſſim ſoluenda ſunt.Et primò ſic.

Smaragdus frigida & ſicca cùm ſit, febrilem calorem, qui humidis, & non ſiccis curatur, conſeruat, & non extinguit; & cùm ſit duræ ſubſtantiæ, atque terreſtris, obſtructionis cauſa eſt, non remedium.

2. Smaragdo exhibita, ea non euenient commoda, quæ, terra Lemnia deuorata ſequi dicit Gal.9.*ſimpl.cap.*7. Nam peſte affecti hauſto medicamento, omne prorſus venenum vomuerunt, neque poſtea vllum eis contigit ſymptoma, qualem leporem marinum, aut cantharides aſſumentes ſequi conſueuit. Qua de cauſa neque antiqui Arabum, aut Græci periti, in curatione putridarum febrium, hunc lapidem propinant.

3. Smaragdus à Gal.inter eos lapides non numeratur, qui cotis aut mortarij attritu in ſuccum ſoluuntur; ſed cùm duram habeat ſubſtantiam & craſſam, accuratè læuigari non poteſt, vt ſuam corpori largiatur facultatem. Et ſi ſine contritione opitulari poteſt, cur, inquit, frangitur, aut teritur, ſi ſua viriditate, au grata pulcritudine cuſtodita, aut cordi appoſita, aut collo pro amuleto appenſa, aut deuorata ſuam vim largiri poteſt? Et ſi teritur, non videt, quo pacto ad cor deferri poſſit farina illa ab ægrotis aſſumpta, etiam tenuiſſimè trita, quum craſſis conſtet partibus, & per corpus diſtribui nequeat.

4. Putat ſolùm ea triſtitiam abigere, quæ ſuapte natura corpus alere nata ſunt, bonumque ſanguinem generant, ſpiritus inſtaurant, ac viuificant.

5. Cur ſi cæca quadam vi operatur, exteriori corporis parti non admouetur? Sed quid opitulabitur tantis malis ſmaragdus, ſi à plurimis ſeplaſiariis vitrum pro ſmaragdo vendi ſolet?

6. Pulueres ſmaragdi flocci facit, quum mortario piſtilloque plumbeis, vel ex ære conflatis conterantur, quæ quantam perniciem afferant, ignorat nemo.

7. Huius auxilij auctores condemnat, quoniam nullam de hora, forma, & quantitate aſſumendi faciunt mentionem, ſed in hoc confuſi, euariant, & perplexi ſunt. Deinde ſi in iure aliquo, liquoréve ſumatur, notabilis illius portio, oris, fauciumque parietibus adhæret: quare optatam valetudinem ſubſequi ſperandum non eſt. Et ſi admirandam ſanandi vim ineſſe putant ſmaragdo, cur alia tentant auxilia, maluntque ægros aliis præſidiis excarnificare, quando hoc ſolo ipſos conualeſcere ſperant.

Vltimò. Non ceſſat accuſare Gal. virum omnium rerum acerrimum indagatorem, & qui pro variis agnoſcendis ſimplicibus multas orbis partes peragrauit, ſmaragdi ſubſtantiam, quum paſſim haberetur, ignoraſſe. Neque ſimiliter priores, aut iuniores Græcos, ne verbum quidem de mirabili huius lapidis proprietate ſcripſiſſe. Quod ſi Arabum maximi pollere contra venenum affirmarunt, hanc contra febres præſentaneum eſſe auxilium dicere ſunt veriti: cuius etiam fuit opinionis Fracaſtor *lib.* 3. *de contag.cap.*6. *de feb.cum lenticul.in med.*

Sed hæc figmenta ſunt, & meræ nugæ. Nam præter rationem improbat antidotum, quod ad epilepſiæ, cæterorumque morborum præſeruationem Auctores tantoperè celebrarunt. Nam lapides pretioſos, vt Sapphirum, Carbunculum, Hyacinthum, Rubinum, gemmas omnes, & Smaragdum pollere contra venenum, hancque præcipuam contra epilepſiam habere prærogatiuam firmant Lacun, *lib.*5.*in Dioſcorid.cap.*124. Scaliger. *exercit.*33. *in Cardani diſtinct.*2. Caſtro *lib.*4. *de meteor. Microcoſm. cap.*4. edocti ab Auic.*lib.de virib.cord.prop.cap.*5. haſque vires cæca quadam, & latenti vi demonſtrare nouit ille, qui facundiſſimam Gal. doctrinam fuerit perſcrutatus. Quare Smaragdus habet vim, & occultam quandam proprietatem iuuandi cerebrum, & partes neruoſas, quà etiam flaccido, debilique cordi, & aliis præcipuis partibus iam iam labaſcentibus mirificam opem præſtat, ſiue collo appenſa, aut integra voretur, in annulo geſtetur, aut ore ſugatur, vel tenuiſſimè trita aſſumpta, vel denique exterioribus partibus admota. His enim omnibus modis medicamenta ab occulta qualitate operantia poſſe virtutem ſuam largiri, non ignorarunt antiqui.

Hoc tam multis auctorum teſtimoniis fit manifeſtum. Nam Dorallus è collo patientis ſupra ſtomachum appenſus dolorem lenit, ex Auicen. *lib.*2. *canon. cap.* 123. Sapphirus auctore Dioſcor.*lib.*5.*cap.*114. & Gal. 5 *ſimpl.cap.* 27. ictos à Scorpione iuuat. Stercus lupinum collo geſtatum miro quodam modo colicos ſanat, ex Galen. 9. *ſimpl. cap.* 21. lapides reperti in ventre pullorum patuorum hirundinis, corio vituli ligati, antequam terram tangant, collo appenſi epilepſiam perſanant, teſte Dioſcorid. *lib.*2. *cap.*49. Electrum paleas, & quiſquilias omnes ad ſe trahit. Magnes ferrum, & concatenata acus è longinquo. Medicamenta humores. Vipera quàm plurimis linis, & maximè marinæ purpuræ ſuffocata, eâque ægrotorum collo ſuſpenſa mirificè prodeſt tum pariſthmiis, tum omnibus iis quæ in collo expullulant inflammationibus, ex Gal. 6. *ſimpl. cap.* 96. Si ergo hæc vera ſunt, quod infortunium noſtræ Smaragdo contingit, vt inter alexipharmaca recenſeri non poſſit? quam virtutem illi attribuit auctor *lib.de incantation. cap.*2.

Quare rerum occultæ proprietates minimè negandæ ſunt. Nam 11.*ſimpl.*30. ad has recurrit, Pelopem accuſans, quia cauſam redderet, cur cancri commortis à cane rabido medeantur. Nam ipſe eodem loco ſe ſcripturum pollicetur, de iis quæ ab innata & occulta qualitate operantur. Quid plura? nonne herbæ cuiuſdam ſuccus apud vrbem *Poſto* vocatam, artubus, vel cuilibet parti illitus merum ſanguinem ſudoribus eliciebat? prout refert Monardus *lib.aromat.cap.de hordeol.in med.* Nonne Dæmones fugantur radice quadam nata in oppido, cui *Marcherus* nomen eſt, altiſſimo vertice ſupereminens, quæ appellatur *Baaras*, quæ (*vt* 7. *de bello Iudaico, cap.*2). Ioſephus refert) circa veſperam velut iubar fulgurans, flammæque colore ſimilis apparet, euellere eam cupientibus reluctatur atque refugit, nec priùs ſiſtitur, euellentémque ſequatur, quàm ſi quis vrinam mulierbrem, meſtruumve ſanguinem ſuper eam fuderit. Quin & tunc, ſi quis eam tetigerit, certa mors eſt.

Deſcribit Ioan. Barrus Luſitanus Hiſtoricus inſignis, *decad.*2.*lib.*6.*cap.*2.*hiſt. Oriental.fol.*82. & retulit Ioannes Buretus Beneſſe *in ſua relat.vniuerſal.part.*1. *volumin.*2.*de Inſula, lib.*1. Hiſtoriam, quam Maffæus eleganti ſtylo latinitate donauit, cuiuſdam Ducis, qui in bello, licet plurimis eſſet confoſſus vulneribus, nunquam per ea nec ſanguinis guttam emittere potuit, quouſque detractum eſt monile, quod geſtabat in brachio ex auro fabricatum, in quo intus incluſum erat os animalis cuiuſdam vocati *Cabal*, nati in regno *Iehua*, cuius oſſis, dum tangeret carnem, tanta erat vis in retinendo ſanguine, vt ipſum per vulnera exire non permitteret. Quod brachiale Prorex Indiæ ad Luſitaniæ Regem miſerat in naui, quæ naufragio miſerè fuit ſubmerſa, magnum profectò ſympathię cum noſtro ſanguine argumentum, quas vires hoc os non niſi ab occulta proprietate exercere, ita eſt notum, vt probari non debeat.

Quid dubitandum? nonne paruiſſimus piſciculus, *Remora* dictus (naturæ portentum omnem fidem excedens) nauem plenis velis currentem remoratur, ex Ariſt. *lib.*2. *de Hiſtor.animal.*14. Nonne torpedo tam longè piſcatoris manum ſtupefacit? Nonne apud Gal.*lib.de purg.medicam. facult.cap.*4. Herba illa, infauſta auctoris ſorte adinuenta ex iecore ſuillo è longinquo riuulum ſanguinis proprietate quadam natiua ſuxit? Quidquid Ioannes Baptiſt. Siluaticus hanc hiſtoriam (quam Peramatus, Conciliat. Muſa, Marcell.Donat.Valleſ.& plures alij veram eſſe affirmant) fabuloſam, falſam, non credendam, tanto auctore indignam, operi inſertam, à Galeni libris expungendam, inflatis buccis effutire non erubeſcat: Cuius argumenta, vt inania, & prorſus nulla, in com.*Hiſt.* 1.*li.*1.*Hiſtor.* latiùs ex probatorum auctorum mente refutabimus. Interim conſtet Smaragdum, & lapides pretioſos ab occulta quadam proprietate prodeſſe. De qua lege eruditiſſimum Fernel.*lib.*2.*de abdit.cap.*17. Cardan.*lib.*2.*contrad.tract.*1.*contrad.*2.*&* 1.*de venen.*25. Marcel.Donat.*lib.*6.*de hiſt. Medic. mirab.*3.

Nunc Mundell. rationes ſingulatim expendendæ. Dic ad prim. Licèt Smaragdus frigidæ, & ſiccæ ſit ſubſtantiæ,

non proinde calorem febrilem conſeruabit, ſed extinguet: his enim qualitatibus putredo, malignitas, atque contagium arcentur, humidis verò inſoleſcunt, & exaſperantur. Craſſam verò huius lapidis ſubſtantiam non curo: nam occulta qualitate plus iuuat, quàm ſubſtantia ſua nocere poſſit: illa autem Smaragdum pollere contra venenum probat Nicol. *lib.de peſt. cap.42.* Sicut enim duritie, & ſoliditate Adamas, alacritate Carbunculus, Sapphirus ſplendore, varietate Opalus, nitore Chryſolitus, diuerſitate Achates antecellunt, ſic pulchritudine ſua Smaragdus eſt præſtantiſſima, & hominis ſalubritati confert eximiè, & perſpicuitate ſua ſpiritus ſubſtantiam recreat, vnà cum humidi concocti abundantia. Subſcripſit Auer. *5.collig. cap. de Smaragdo*, vbi ipſam contra omne venenum pollere affirmat.

Ad 2. dic. Smaragdo aſſumpta ea ſequi commoda, quæ ad potum Lemniæ terræ ſubſequi priſci affirmarunt. Extat non inelegans hiſtoria apud Auenzoar. *lib.2. theizir. tract.1. cap.5.* qua confirmat ſe ex eſu herbæ venenoſæ paſſum dyſenteriam, appoſitáque ſupra ventrem Smaragdo, & detenta in ore abſque trituratione, ex improuiſo fuiſſe liberatum, & ſuprà *in eod. cap. & in præfat. ſui operis*, in cura fluxus venenoſi, non niſi ad hoc auxilium, tanquam ad ſacram anchoram accedit. Quod eſſe præſtantiſſimum firmarunt Guainer. *prop. cap. de fluxu venenoſo.* Anton.Carthaginienſ. *lib.1.de febrib.peſtil. tract.13. rubr.2.* Lang. *lib.2. epiſt. 49.* Maximè ſi in modica, ſex, vel nouem granorum quantitate, vt inquit Auenzoar *loco cit.* propinetur. *Quoniam ſi à principio ſcieris morbum eſſe ex veneno, citiſſimè tunc dare debes infirmo ex optima Smaragdo pondus nouem granorum hordei, ex Smaragdo trita, & cribellata ſubtiliter,cum aqua calida, ieiuno ſtomacho, & videbis in operatione huius, & in effectu rem mirabilem, &c.*

Ad 3. dic. Smaragdum, & alios pretioſos lapides accuratè læuigari, & in pollinem tenuiſſimum verti poſſe, quorum puluerem, citiſſimè ob ſubſtantiæ ſubtilitatem cordi trementi, flaccidoque promptiùs opitulari poſſe, non imus inficias, quàm ſi integra pro amuleto ſuſpendantur. Licèt hoc modo etiam mirabiliter prodeſſe poſſe, Zoar, ſuprà retulerit his verbis. *Et confert Apoplexiæ ſi collo ſuſpendatur, & ſi teneatur in ore, dentes confortat, & ſtomachum, &c.* Neque ab hac via te recedere cogat,quòd videas plurimos, & non infimæ notæ viros, Occidentales Smaragdos, vt corroſiuam, & perniciosſam naturam habentes condemnaſſe, de quorum numero ſunt Lacuna *lib. 5.in Dioſcorid.cap.114.* Garzias ab Horto,*colloq.44.de aromat.Indiæ*, Fragoſus *diſcurſu 1.eod.tit.* Horum enim opinio fabulis eſt plena, ac meris nugis: Nam ſeplaſiarij pro pa-randis antidotis ferè cum vtilitate ſumma Occidentalibus vtuntur.

Ad 4. Negandum eſt ſolùm ea triſtitiam abigere, quæ corpus ſanguine & ſpiritu reficiunt, quum plura id etiam efficere poſſint, provt Auic. *lib. de virib. cord.* manifeſtè edocuit; cuius generis cenſentur eſſe gemmæ omnes, lapides pretioſi, & alij, quos latente vi, humanæ naturæ conferre auctores celebrarunt.

Ad 5. Ab occulta qualitate hunc lapidem prodeſſe contra venenum, præter citatos auctores locupletiſſimi teſtes confirmarunt, de quorum numero ſunt Rabbi Moſes de Ægypto *22.partic. aph.30.* Fallop. *lib.2. de tumorib. præter natur.27. de bubone peſtifero*, qui ſuo, & Medicorum Venetorum conſilio, Smaragdum contra peſtem plurimùm pollere arbitratur. Et Marſil. Ficin. *in ſua epidem. antidoto*, tantam, tàmque cardiacam vim in hoc lapide ſitam eſſe refert, vt tyris eius aſpectu ſtatim lumina cadant: de quo argumento ſat multa congeſſit Vinarius, qui tam mirabilem Smaragdo virtutem concedit, vt ipſius puluerem iniectum ſuper bubonem peſtiferum, omne venenum arcere ſibi perſuadeat, quod etiam confirmant Lacuna *in præfat.in lib.6. in Dioſcorid.* Patres *cenſur.3. in Meſuem, tit.de Smaragdo.* Ridiculum autem eſt vſum Smaragdi ſaluberrimum condemnare, quòd vitrum pro ea vendatur: nam calumnia hæc ipſius excellentiam non obſcurat,nos enim de adulterata non loquimur.

Ad 6. Rectè arguit, plurima ſubſequi poſſe incommoda, ſi lapides pretioſi piſtillo, mortarioque plumbeis conterantur: nam ex iis pernicioſam virtutem acquirere non eſt dubitandum, provt notat Mathiol. *lib.5. in Dioſcorid. cap. 114.* Ex impuro enim metallo medicamenta acquirunt acrimoniam; qua de cauſa aqua per plumbeos canales deriuata dyſenteriam facere poteſt, ex Gal. *lib.7.ſec. loc.cap.2.* Nam metalla plurimùm participant de ſulphure, & argento viuo. Parentur ergo mortaria, piſtillaque ex auro puriſſimo, vel argento; fiatque curioſa trituratio, lenis, ſine motu & agitatione; hæc enim virtutem medicamenti non exſoluit.

Ad 7. inani fundamento nixus, Antiquorum dicta condemnat, quòd de quantitate propinanda huius lapidis nihil mentione dignum fuerint commentati: Nam,vt ſuprà vidiſti, Arabes in hoc negotio ſunt conformes, qui pondere granorum nouem, aut ſex aſſumendam conſulunt. Qua quantitate epota, quum ſit aliquo liquore cardiaco diſſoluta, oris, fauciumve parietibus adhærere non poteſt. Neque hoc auxilium repudiandum eſt, quòd Galen. Græcique eius vſum ignorauerint, quum plurima Arabes inuenerint, partim ab ipſis ignorata, partim prætermiſſa, quæ vt notiſſima prætereo.

Ex quibus illud colligas oportet, in febribus venenoſis, & peſtiferis hunc lapidem ſecuriſſimè adminiſtrari, præſertim ſi diarrhœa adſit, qua præſente huius auxilij vſus tutiſſimus eſt, vt hiſtoria quadam probat Ioan.Mich. Paſchal. *meth.curand.lib.1.cap.36.* Quod ſi in putridis exhibeas, non errabis: nam roborata natura antidoti vſu, putridum,noxiúmque humorem citiſſimè expellet. Quàm mirabilis ſit eius virtus, explicat ex ſententia Marbodæi Doctiſſimus Renodæus *lib.2. Inſtit. Pharmacent. ſect.2. cap.1.* his carminibus.

Omne virens ſuperat forma viridante Smaragdus,
Collo ſuſpenſus dirum fugat hemitritæum,
Et ſanare poteſt ipſa ratione caducos,
Fertur laſciuos etiam compeſcerere motus.

Obſeruatio XX.

Diarrhæa venenoſa,Smaragdo aſſumptâ curatur.

NObilis quidam Luſitanus in fluxum incidit ventris diutinum, quo miſerabiliter cruciatus, in tabem quum eſſet pronus (erat enim gracilis & excarnis) Medicorum opem implorat,narratque ſe ab Amaſia,pyra tria oblata deuoraſſe, quibus aſſumptis illicò alui profluuium cum diris torminibus fuiſſe expertum. Plurima ex abſtergentium primò, deinde adſtringentium ſylua medicamina parantur. Per ſedem infuſa, & per os exhibita, quæ cum aliis veneni vim infringentibus auxiliis eſſent commixta. Sed in caſſum omnia tentantur, nam ſuborta febricula, vires abſumebantur magis. Tandem cùm de veneno ſuſpicio eſſet, propinantur cardiaca, & Alexipharmaca. At malum ſolùm Smaragdo tenuiſſimè trita,& conſerua Cydoniorum obuoluta conquieuit, quam alternis diebus ieiuno ventriculo aſſumebat, ſuperbibita aqua, in qua priùs tragacanthum coquebatur. Smaragdi quantitas erat pondus 12. granorum, quam cùm quinquies deuoraſſet, à fluxu immunis euaſit.

HISTORIA XXIII. CELSI. De Epilepſia.

Epilepticus, ſanguinis humani potu ſanatus.

QVidam iugulati gladiatoris calido ſanguine epoto, tali morbo ſeſe liberarunt, apud quos miſerum auxilium, tolerabile miſerius malum fecit, &c. Cornel.Celſus, lib.3. cap. 23. de comitial. morb. curat.

QVÆSTIO

QVÆSTIO. XIV.

Quod ſanguis humanus ad curandos morbos ſit ex vſu. Contra Ioan. Rodericum eruditiſſimum.

PARAPHRASIS.

HAnc Hiſtoriam repetit Aretæus *lib.* 1. *de curat. morb. diuturn. cap.* 4. Licètenim auxilia ex humano ſanguine parata, ficulnea eſſe, & nullius vſus plurimi iudicauerint cum Gal. *lib.* 10. *ſimpl. tit. de ſanguine*, qui nunquam eo vſus eſt, immò vana eius experimenta cenſens, timuit ne curioſus, aut ſtolidus videretur, ſi tantis, tàmque probatis auxiliis non fidens, ſanguinem animalium plus poſſe præſtare opinaretur. Quare ſi quis hęc experiri velit, certò ſciat, damnaturum ſe non modò eos qui talia ſcripſerunt, ſed ſe deluſum facto periculo inueniet, & præſtigiatoris opinionem incurret, vt ait Aët. *ex ipſius doctrina tetrab.* 1. *ſerm.* 2. *c.* 85. Neque, vt verum fatear, ipſe Gal. *lib.* 2. *de antidot.* neque Paul. *li.* 7. nec Myrepſus *tract. de antidot. antidot.* 439. electuarium ex ſanguinibus deſcribentes, humanum ſanguinem iniiciendum curarunt, & Barbari, à quibus auxiliorum multiplicium ſylua emanauit, ne verbum quidē de humani ſanguinis vſu retulerunt. Neque Dioſcorid. *lib.* 2. *c.* 72. animalium ſanguini tantas attribuens vires, de humani ſanguinis vſu vllam fecit commemorationem.

Attamen cùm multa reperiantur auxilia, quæ poſt veterum memoriam, humani ingenij ſagacitas adinuenit, quibus, Ars noſtra clarior in dies magis ac magis fit, & ampliùs effloreſcit, placet pro expoſitione hiſtoriæ, aliqua de ſanguinis humani vſu ex probatis auctoribus prælibare. Nam quid obſtat ſanguinem bibi, deferri ad venas, ibique alere, & in perfectiſſimam ſubſtantiam cōuerti? Sicut enim lac ſi ab vbere ſugatur, & cum ſacchari, aut mellis momento, ne concreſcat, aſſumptū, nutrire apprimè, & ad extremam maciem redactos impinguare poteſt: ſic ſanguis, ſi ex ſiſſa modicè vena exhauriatur, aut recenter eductus aſſumatur, macie, aut ſenio iam confectos reficere poteſt.

Cur hectica febrili, aut ſenili exeſi, omnique auxilio deſtituti, ſanguinem adoleſcentis non ſugent more hirudinum auidiſſime? valentis inquam adoleſcentis, ſani, læti, temperati, non rufi, (huius enim ſanguinem, venenum eſſe auctores paſſim tradiderunt) cui ſanguis ſit optimus, ſed fortè nimiùs: non bilioſus, nam calefacit: & ſi ad intemperiem declinet, ad pituitoſam vergat latius eſt, vt affirmat Rondelet. *lib. de ponderib. & menſur. cap.* 21. quoniam præ lentore promptiùs affigitur partibus, & citiùs extenuatos inſtaurat, & refocillat. Lege de ſanguinis humani vſu pro reficiendis ſenibus, Marſilium Ficinum *lib.* 2. *de ſtudioſ. ſanit. tuend. cap.* 11.

Denique tanta eſt ſanguinis humani efficacia pro ſanandis morbis, vt ex ipſo oleum ad plurimos vſus diſtillare cogantur Medici, ex quo ad ignem appoſito, liquor quidam ſuauiſſimus emanat, contra comitialem, alióſque exitiales morbos mirabilis; prout aſſerit Ioannes Guinterius Andernacus *tract. de oleis, tit. de ol. ex ſang. hum.* Vide quæ de aquæ ex ſanguine humano deſtillatæ dignitate, ac excellentia dixit Guainerius ex Montagnanæ ſententia, *c. de hectica*: nam contra Elephantiaſim, & Epilepſiam miram præſtat opem; quam in alendis, reſtituendíſque corporibus plurimùm prodeſſe confirmat Hieronym. Rubeus *in pharmacop. tit. de aquis ab occulta qualitate operantibus*, & priùs Arnald. Villanou. *in lib. de diſtillat.* elegantiſſimè diſſeruit: Denique ſanguinem gladiatorum mederi amori & epilepſiæ, firmat Plin. *lib.* 28. *cap.* 1.

Quid plura? nonne hæc vera ſunt, & tantorum virorum firmata teſtimoniis? Cur ergo Ioannis Roderici opinioni ſtandum eſt, qui *lib.* 2. *in campos Hiſtoriales Dioſcorid. philologia* 19. illorum auctoritatem contemnit, futili ſolùm nixus argumento, quòd Gal. ſanguinis humani vſum nunquam fuerit expertus? Nam hoc modo hydrargyri vſum mirabilem, & ad plurimos arcendos, curandóſque morbos ab omnibus ſummoperè commendatū damnabimus, quòd Gal. eius nec intùs aſſumpti: nec extrà appoſiti, vllam fecerit experientiam, vt apertè docet *lib.* 9. *Lib. I.*

A *ſimp. tit. de hydrargyro.* Sic Antimonium aduerſùs exitiales ægritudines efficaciſſimum in vacuando, cōdemnabimus; quòd veteres de illius præſtantia mira, nec verbum vllum protulerint. Sic plurimorum medicamentorum quæ ab Indiis adſportantur, vires eximias vituperabimus, quòd de eis nihil mentione dignum ſcripſerit priſca vetuſtas. Sed de his ſatis, ad alia gradum faciamus.

HIST. XXIV. SCRIB. LARGI, De Epilepſia.

Epilepſia, ebore aſſumpto, curatur.

B *SCio Romæ quandam honeſtam matronam aliquos morbo comitiali liberaſſe hoc medicamento: Eboreæ ſcobis hemina, mellis Attici pondo libra hæc in vnum miſcentur, vtere, &c. Scribonius Largus,* libro de compoſ. medicament. compoſitione 16.

PARAPHRASIS.

FOEminas plurimas apud veteres Medicinam liberaliter exercuiſſe, ſuprà in explicatione Hiſtoriæ 7. latiùs demonſtrauimus. Nunc ad Ebur, nobile ſanè, & proficuum medicamentum, & pro variis propulſandis morbis celeberrimum, immò ad comitialem morbum refrænandum, eiúſque immaniſſima ſymptomata coërcenda præſtantiſſimum, noſtra conuertatur oratio, cuius medica-C menti ab auctore deſcripti compoſitio, ex ebore, & melle conſtat. Hoc conſtat vnanimiter apud auctores, pro frigidis morbis cerebri ſummo præſidio eſſe; nam flatus diſcutit, humiditatem arcet, craſſos, viſcoſos, tenacéſque humores coquit, attenuat, incidit, & pituitoſum humorem, in accommodum vertit alimentum, de cuius præſtantia, electione, & vſu ſat plura dixere veteres.

Eboreæ ſcobis, hoc eſt materiæ minutiſſimæ, quæ ex mutuo ſerræ, vel alterius inſtrumenti ferrei attritu decidit, (Latini vocant elimatam ſcobem, auctore Plin. *lib.* 11 *cap.* 37.) Heminam iubet aſſumendam, hoc eſt, vncias nouem cùm ſit eadem cum cotyla, apud Manard. 12. *epiſt.* 1. & cotyla nouem contineat vncias, ex Gal. 6. *ſec. gener. c.* 8. Quæ eboris, vt ita dicam, farina craſſior (hanc enim & colore, & craſſitie repræſentat) cum libra mellis com-D mixta optimum electuarium parat. Ex quo terna cochlearia aſſumenda ſunt in die per duos menſes continuos. Cætera quæ in eodem loco miſcet, nempe ſanguinem teſtudinis maſculæ, ſi puer fuerit, è contra fœminæ, ſi puella laboret, & ſanguinem palumbi maſculi, clauo Cyprij æris acuto iugulati, vtpote ſuperſtitioſa, & extra Medicinæ profeſſionem, vt ipſe inquit, cadentia conſultò omittimus.

De eboris vtilitate, ac pro curandis morbis vi mira, veterum & iuniorum plurimi multa literis conſignarunt. Illud enim mirificè adſtringit, roborat, viſceráque flaccida confirmat, ventriculum debilem tuetur, cordis prodeſt affectionibus, cardiaca vi præditum eſt eximia, qua melancholiam abigit diuturnam, lætitiam procurat, ſplendidos reddit ſpiritus. Fœminas fœcundat, ad concipien-dum aptiſſimas reddit, ſemen vniendo; ſpiritus viuificos E cogit, & reſolutioni ineptos facit. Alba ſiſtit vteri purgamenta, pro vermibus necandis optimum ſi quod alterum eſt auxilium, cùm mirum in modum venenis, venenoſíque morbis reſiſtat: quare in præſtantiſſima venit antidot. Diuturnis opitulatur obſtructionibus, menſes mouet, & demum cerebrum, lienémque corroborat, pro cuius morbis debellandis vnicum eſt propugnaculum. Neque fidas Lacunæ dictis *lib.* 2. *in Dioſcorid. com. cap.* 50. ipſum foſſile, & minerale reperiri pronunciantis, cum hoc merum ſit figmentum; nam omnes, qui de eius hiſtoria & vi latiſſimè ſcripſerunt, quos longum eſſet recenſere, hoc tanquam falſum ſilentio prætermittunt. Accepit, vt reor, Lacun. à Cluſio, *ad cap.* 14. *lib.* 1. Garziæ ab Horto, *lit.* 2.

Obſeruatio XXI.

Eboris ad plurimos morbos vis mirabis.

INter præſtantiſſima præſidia,quæ ad viſcera roboranda ab auctoribus quotidie,paſſimque proponi ſolent,nullum adeò ebore eſt excellentius; licèt eius vſum, vt rem paruo pretio æſtimatam, & contemptibilem parui pendant Medici.Fidiſſimo mihi experimento compertum eſt, eius vtilitatem ad flaccidum, reſolutumque ventriculum firmandum, cardiacam, mirachialem, cæteraſque obſtructiones eſſe maximam: quam mirabilem, tentatis omnibus aliis auxiliis,in deploratis morbis,ſemper inueni.Eius tenuiſſimam ſcobem, aut ramenta ſubtiliſſima, in polline redacta,cum ſaccharo, in pari quantitate permixta, in tabellas formata,diluculo vnam, quātitate drachmæ aſſume, deſuper merum generoſum pota,aut naphæ, meliſſæve diſtillatam aquam. Si febris, aut calida adſit partium intemperies,roſacea ſatis eſto: experiaris,& miraberis effectum.

HISTORIA XXV. RASII, De Epilepſia.

Epilepticus, aſſumpto melanagogo medicamento, præſeruatus.

*QVidam Epilepticus conſuluit nos, ſed cùm eſſet macilentus, cogitauimus quòd morbus non eſſet ex abundantia phlegmatis, ſed ex melancholia, & fecimus ſibi vomitum prouocari, & dedimus poſteà medicinam * purgantem melancholiam, & per tres menſes præſeruatus eſt à caſu, &c. Raſius,* in lib. de mirabilibus auſcultationibus, quas expertus eſt.

PARAPHRASIS.

E Craſſo ſucco, eoque vel pituitoſo, vel melancholico oriri epilepſiam, auctor eſt Gal. 3.*de loc.affect. cap.*7. quod cæteri deinceps confirmarunt.Ab hoc tamen craſſo, terrenoque humore hunc morbum pronatum,curatu eſſe difficiliorem nullus dubitauit: tum quoniam humor iſte pertinax eſt,& rebellis,maximè quum per minùs actiuam qualitatem emendetur,qualis eſt humiditas,quæ in agendo iners eſſe ſolet: tum quoniam lapſus ob ſiccitatem, eſt cerebri temperamento improportionalis valde.

Cur ergo, ſi hic affectus à melancholico humore ortum duxit, per inferiora purgando, iuxta Senis ſententiam latam *lib.*4.*aph.*9.Vomitum vt ſalutarem conſuluit? quem in quartana prouocandum imperat *lib.*1. *ad Glauc. cap.*11. præſertim cùm iſte humor grauis, ſuo pondere ad imas vergat corporis partes, per quarum ductus communes,& amplos promptiùs expurgatur.Reſpondet Argent. *in com.cit. Aph.*vomitum non imperari melancholicis, huius humoris habita ratione, ſed ad pituitam expurgandam, quæ in his ſæpè in ventriculo ob multas rationes gigni conſueuit, cerebri, & aliarum partium diros effectus paritura; velut in quartana,in qua ob humoris motum in acceſſionibus quarto quoque die ad ventriculum confluit, quæ niſi vomitu expurgetur, grauiora damna efficere apta eſt. Quibus autem notis humor melancholicus cognoſcatur, explicat inter omnes Alzarius à Cruce *lib.*3.*de epilepſ.lect.*25. Quæ autem ſint medicamenta melancholiam expurgantia, paſſim reperies apud Auctores, & præſertim apud Mercat. *lib.*1. *de morb. intern. cap.* 17. Nicol.Piſon. *lib.*1.*de cognoſcend.& curand.morb.cap.*23.

QVÆSTIO XV.

Quòd Hipp.Galenique ſententia eadem ſit cum Auic. opinione, quòd medicamenta purgantia ſimilitudine ſubſtantiæ humores attrahant. Contra communem Medicorum ſententiam.

A

COMMENTARIVM.

PVrgantem melancholiam.]Num dentur medicaméta melancholiam, alioſque humores à proprietate vacuantia, quæſtio eſt diſſenſionis, litigiique pleniſſima. Inter omnes audiamus primò Auic.Philoſophum grauiſſimum: Is enim, licèt Gal.ſe eſſe fidiſſimū interpretem profiteatur paſſim,in hoc dogmate ab ipſo diſſentit, carpitque ipſum 4.1.*cap.*4. aſſerentem, purgantia humores attrahere à ſimilitudine ſubſtantiæ, eo ſolùm fretus argumento, quoniam ſi attractio fieret cum conuenientia, & ſimilitudine, maius ferrum atraheret minus, & maius aurum attraheret minus, cùm iſta ſint valdè ſimilia inter ſe. Quo pacto autem hic auctor cum Gal. conſentiat, difficile eſt enucleare: hoc enim quæſitum, & olim, & nunc, multorum
B diu malè torſit ingenia, nec adhuc capit diſcordia finem, tunc acceptura cùm Ioue miſſus ab alto interpres diuum tulerit reſponſa, aut ſuperiori Dei nomine afflata Sybilla panderit,adeò anceps,intricabiléque dubium eſt: nec dubita, nam vera fides. Conabor tamen, etſi non definire, quod impoſſibile, ſaltem proximè collimando, ſubodorari veritatem: illud vnum veritus, ne inſatiabilis late vagandi ardor plus ingerere compellat,quàm conficere poſſe videamur.

Purgans medicamentum humorem communi quodam tractu prolicere,conſecutione ad id quod vacuatum eſt,ne vacuū quicquam ſubſiſtat; & omnes promiſcuè,hirudinis, aut cucurbitæ vice attrahere, primò tenuiorem, deinde
C craſſiſſimum, cum Eraſiſtrato cenſuerunt multi, ex ploſi à Gal.*de medic. purg. facult. cap.*2. & *lib.*2.*de element.vlt.* & *alibi.*

Rurſus. Purgans medicamentum in humorem priùs conuerti, conuerſum expelli, imprudentis Aſclepiadis puerile dogma conuellit Galenus *lib. de ther. ad Piſon. cap.*3.

Cordatiſſimus Meſuë è temperamentorum Labyrintho cœleſtes implorat opes: Nam vt Gal.*lib.de theriac.ad Piſ. cit.* Deus enim eſt ille, ſicut in hominibus natura, provt ſentit Homerus, qui ſimilia ſimilibus adducendo, diuinas eo pacto ſuas vires oſtendit.

Nuper Puteanus ingenioſiſſimus integro opere Gal.deludens, medicamenta inquit, calore, vel offenſione quàm naturæ inferunt,vel quia ſubſtantiam habent à noſtro calore minimè coctilem, purgationes obire, Ariſt. ſequutus
D *lib.*1.*probl.*42. quorum argumenta latè refutabimus *lib.*4. *in com.hiſt.*12,modò habenas calamo præſtare oportet, ne in libellum tractatus accreſcat.

Ante omnes admirandus Senex *lib.*1.*de nat.hum.tex.*31. probat, ſimilitudines rerum in ſubſtantia, & medicamentorum tractiones, & alimentorum nutritiones efficere, ſtirpium, & ſeminum exemplo; nam ſicuti quædam attrahunt dulcia, alia inſipidum, amarum, aut ſalſuginoſum, vtpote ſibi ſimile, ſic medicamenta ſibi familiarem humorem educunt. Sequitur Gal.3.*ſimpl.*24.25.& *lib.de purg. medic.facult.ferè per totum,* & 3.*de facult.natur.*7.8.& *alibi ſæpè.*

Ad eandem deducit particulares rerum amicitias (ſympathias vocant:) ad contrarietatem verò in ſubſtantia, antipathiam, & deleteria venena. Hanc ſimilitudiem vocat ſubſtantiarum temperamentum, ſæpe qualitatem, vel
E proprietatem, certum, vel occultum temperamentum, virium ſubiectum, naturam, animam, calorem natiuum: quæ nominum varietas doctiſſimos ſolet decipere, exiſtimantes diuerſa illis ſignificari.

Hæc ſimilitudo non eſt ſita in mixtione primarum qualitatum elementorum, à qua quidpiam vel calidum, vel frigidum dicitur: non in modo ſubſtantiæ, à quo quidpiam tenuis, vel craſſæ ſubſtantiæ; rarioris, vel denſæ dicitur, quam multi vitium vocant materiæ, ſæpiùs materiæ copiam, vel paucitatem, puritatem, aut ſorditiem; in quibus non ſunt recipiendi qui hoc putant, quia iſtæ ſecundæ ſunt qualitates, primarumque variam mixtionem ſignificant. Conſiſtit ergo dicta ſimilitudo in modo mixtionis quatuor elementorum, ex quorum varia mixtione, imparique menſura, rerum conſurgunt innumetæ

innumeræ proprietates,ex Gal.4.*ſimpl.*24. Quæ verò ſit, & quomodo adaptentur elementa ad iſtam mixtionem, vix exponi poteſt,rectiùs mente concipi.

Secantur ſecundùm minimas portiones elementorum ſubſtantiæ;illæ minimæ portiones, & fragmenta miſcentur,vniuntúrque in compoſitum. Illa mixtio eſt varia, & in variis compoſitis;ideò variæ inſurgunt; & innumeræ proprietates, quod aliquibus exemplis euadet manifeſtius. Sicuti enim ex eiſdem literis, quæ nominum ſunt elementa, variè aptatis, variæ voces exurgunt, ſcilicet Roma vrbs, Maro poëta, Arom Pontifex, Amor, Mora; &c. Et ſicuti ex diuerſis metallis,ære,ſtanno, argento, auro,ſimul liquatis in impari menſura, diuerſa à prioribus; & totidem quoties liquabuntur. Sic ex iiſdem elementis variè concurrentibus, vnitis, & mixtis, variæ manant proprietates, & innumeræ ſimilitudines & diſſimilitudines rerum inſurgunt.

Ex his Plinij admiratio *lib.7.cap.1.*cùm in facie, vultúque noſtro decem ſint, aut paulo plura membra, nullas duas in tot millibus hominum indiſcretas effigies exiſtere.Hinc illa Toranij verſuti mangonis deluſio qui Marco Antonio iam triumuiro,eximiæ formæ pueros,tantæque vnitatis, vt tanquam geminos ſexcentis ſeſtertiis venderet,cùm tamen in Aſia genitum vnum, alterum trans Alpes, ſermo detegeret fraudem, & Antonio de magnitudine pretij conquerenti, Reſpondit Toranius, ob id ſe tanti vendidiſſe, quoniam non eſſet mira ſimilitudo in illis eodem vtero genitis: diuerſarum quidem gentium natales tam concordi figura reperiri, ſupra omnem eſſe taxationem.

Illud ergo temperamentum quod ex elementorum ſubſtantiis in minimas partes diuiſis, agentibus inuicem reſultat, temperamentum ſubſtantiarum dicitur. Refert autem ſcire,quòd & qualitatum, & ſubſtantiarum manét virtutes, quarum illæ primum conſtituunt temperamentum, iſtæ,ſecundum ſubſtantiarum,cui Gal.attribuit actiones alimentorum, medicamentorum tractiones, ſympathias rerum mutuas:Contrarietati mixtionis,antipathias, deleteria venena, morbos à tota ſubſtantia, quos Fernel. & Argent.ad quartum morborum genus deducunt.

Et ne in refutandis auctorum opinionibus de cauſa attractionis medicamentorum ſimus multiloqui, breuibus ſic rem perſtringamus. Qui formam,eiúſque ſimilitudinem cum humore attractionis cauſam concedunt, coguntur aſſerere vnum ſimplex medicamentum, vnum tantùm humorem attrahere,vi & proprietate formæ,alios verò ſi educat, naturæ fieri irritamento. Quis enim validiſſimo ſtibij grano non ſic cenſuit?priores etiam ad ſenſum Galeni etiam ſimpliciſſimo medicamento,contrarias per ſe operationes,ſeu diuerſas tribuunt, quoniam medicamentum ex mixtionis modo cum multis humoribus ſimilitudinem poteſt habere: Si namque ſimilitudo proportio eſt, atque relatio, poſſibile eſſe cenſent, in re vna plures reperiri proprietates; ſic in vocibus vna vox cum aliis conſonantiam habet, ſcilicet bellum, cœlum, duellum,telum, ſacellum. Tam anceps hoc argumentum eſt, vt ex eo mirari ſubeat artis incertitudinem, nullo veterum idem cenſente, nec iuniorum ad amuſſim exarante. Inter Muſarum aues celeberrimas,& tot luſcinias ſuauiter modulantes, iudicium proferre Phaëtontææ temeritatis plenum exiſtit,aſſueto præſertim in triuiis ſtridenti miſerum diſperdere carmen.

Nam nec adhuc Vario videor,nec dicere Cinna
Digna; ſed argutos inter ſtrepere anſer olores.

Proponam tamen quædam per ſe nota, ſolida rerum fundamenta,ex quibus Galeno, Auicennæ, vſuíque medico probabiliorem poſſimus deducere concluſionem.

Recipiunt omnes actiones à forma fieri, tanquam à primo, præcipuóque agente; ab eadem cum particularibus proprietatibus particulares etiam actiones fieri, & omnes actiones inſtrumento operari,quod temperamentum vocant. Hoc inſtrumentum in medicinis à proprietate operantibus,calor eſt medicamenti in pleriſque, humores fundens,meatus aperiens,motũ accelerans, omnibus noſtri corporis partibus magnũ præſtans auxiliũ, &

A emolumentum. Secundum inſtrumentum, natiuus noſter calor eſt, calida in actum ſuſcitans, frigida comminuens, vtrorumque tenuiores partes in vapores ſolutas ad purgandum humorem deducens: Qua ratione partis natura irritata, ad expulſionem humoris peccantis promouetur, relictis in ventriculo craſſioribus; idcircò frigida medicamenta ſegniùs operantur.

Illud tamen non omnes recipiunt, vtrùm illa proprietas attractiua,ſimilitudini tantùm mixtionis ſit tribuenda; an formæ ſimilitudinis,vel influxui cœleſti,illi ſimilitudini mixtionis, vel formæ demandato: Concedunt tamen omnes; attrahentia; ſimilia attrahere; non tamen omnia ſimilia proprietatem habere attrahendi. Quibus præhabitis; noſtram mentem aliquibus propoſitionibus reddemus firmiorem.

B Sit prima propoſitio. Quæſita ſimilitudo temperamento primarum qualitatum tribui non poteſt. Quia Cnicus calidus ſiccus trahit pituitam frigidam humidam; nec ſecundis qualitatibus,quia Agaricus,& Colocynthis,tenuis ſubſtantiæ cùm ſint; educerent craſſiorem pituitam; neque ſolidum,adſtringentique rhabarbarum,tenuem bilem & odora Aloë,fœtentem bilem.Ergo vel in forma, vel in mixtione ſecunda elementorum ponenda eſt.

Secunda propoſitio. Certis mixtionibus naturalibus; quæ Dei opera ſunt & naturæ, certæ & ſpecificæ formæ ab initio datæ ſunt; Creatoris beneficio omnia ſuauiter diſponentis. Sic illi mixtioni equi forma, illi piſcis data eſt, omnibus in poſterum ſe propagantibus ex ſemine ea benedictione imbuto.

Tertia propoſitio. Sicut certis mixtionibus datæ certæ formæ ſpecificæ, ſic illis datæ ſunt certæ, & ſpecificæ C proprietates, ſcilicet alimentorum; in quæ ſine doctore feruntur: ſic illi herba victus eſt; huic os, illi caro, huic palea, huic elleborus, illis cicuta, aliis vipera, ſcorpius; ſtercus, ſanguis.

Quarta propoſitio. Sicut certis mixtionibus certæ formæ, certæ alimentorum proprietates, ſic datæ ſunt certæ amicitiæ(ſympathiam vocant)inter ferrum,& magnetem; electrum,& paleas,inter arbores, animalia, piſces,aues,& hæc inter mixta ex elementis, & etiam inter non mixta. Ex iis Gallus orientem ſolem, Heliotropius herba illum vertentem, Mirus flos illum occidentem reſpiciunt. Magnes Arctici poli ſtellas rimatur. Quæ tanta iſta rerum amicitia, quæue etiam mixtio elementalis in cœlo, vel ſole,vt iſtis mixtionibus inferioribus ſimiletur: Certas verò inimicitias rerum certis mixtionibus demandari, certius D eſt quàm vt exemplis egeat. Poſuit Deus inimicitiam inter viperam,& mulierem, & ſemen eius.Sic omnis vipera omni homini, omnis hominis ieiuni ſaliua omni viperæ venenum. Gallum miluus, leporem canis odit. Demum ſunt alia innumera, inter quæ mutuus adeſt diſſenſus, quorum innumera ferè exempla propoſuit clariſſimus Ruellius *lib.1.de nat.ſtirp.cap.22.*

Quinta propoſitio. Sicut datæ certæ alimentorum proprietates;certæ amicitiæ ſpecificis mixtionibus; ſic certæ proprietates venenorum illis è diametro oppoſitæ mixtionibus aliis tribuuntur,quæ deleteria ſunt venena: inter metalla Arſenici ſpecies, Aconiti inter herbas, Lepus marinus inter piſces,Vipera,Aſpis,Baſiliſcus,Scorpius inter animalia, & pleraque alia.

Sexta propoſitio.Par eſt, veriſimile, & rationi conſen- E taneum, dari rebus aliis in ſubſidium hominis proprietates certas, certis mixtionibus congruas, quas in medicamentis proprietates attractrices vocamus. Sic apud Plinium, *Terra nobis malorum genuit remedium.*Proprietates hæ ex ſummi Omnipotentis facultate ſuprema multis herbis,& aliis rebus datæ ſunt, vt ſimiles humores è corpore trahant, quibus poteſtatem dedit trahendi illos,& ſimilitudinem ad attractionem conſtituit, non identitatem. In obſequium itaque, & poteſtatem hominis, medicinas creauit ſimiles humores è corpore proprietate attrahentes,& vt attrahere natæ ſint,non trahi: Sic dedit vim trahendi humores ex vi mixtionis ſimiles medicamento,non eoſdem ſpecie.Sic præbuit vim magneti trahendi ferrum, non alterum magnetem. Illam proprietatem medicamentis

mentis dedit, aliis in potentia, vt ſuſcitamentum è corpore adepta in actum deducerentur, aliis in actu dedit. Sic herbæ illi apud Thraces Bithyniam incolentes inuentæ, poteſtas trahendi ſanguinem data eſt, quam tanquam venenum mortiferum Gal. refert, & noſtri cognoſcunt, ſed occultant. Sic ſuccino data poteſtas trahendi paleas, & quiſquilias omnes. Sic ſucco cydoniorum data actu poteſtas eſt, vt iuxta poſitum venenum ex ſucco Ellebori albi confectum perimat, ſeu debilitet, quod aliis pluribus contingere poteſt.

Septima propoſitio. Similis proprietas, poteſtáſque iuuandi, & perdendi mixtis huius mundi, aliis etiam extra mundum inferiorem data eſt, in quibus nulla inuenitur ſimilis, vel diſſimilis mixtio, vt ex ſola ſimilitudine, vel mixtionis, vel formæ, rerum amicitia, vel inimicitia deduci poſſit: Quæ quæſo ſimilitudo, vel mixtionis, vel formæ, data eſt inter magnetem, & polum Arcticum; Gallum, & Solem; Heliotropium, & alia?

Approbant omnes ex certis ſiderum coniunctionibus, in cœli certis partibus mutuò concurrentibus mira euenire, & bellá, & mutationes ingentes, & miſerandas peſtes; quos aſpectus Auic. vocat cœli formas, dicens, *ſunt formæ ex formis cœli, &c.* quarum euentus ignoratur, quod ab Hipp. videtur accepiſſe *lib. 1. de natur. human. text. 7.* Quæ horrenda calamitas interdum toti penè orbi communis, aliquando climati, interdum prouinciæ obſeruata eſt, vt experientia firmat Amat. 7. *centur.* 27. & vltra hæc, rariſſimis, & exitialibus ſymptomatibus comitata, circumſcripta tamen diebus, & termino quem non præterit, interficit autem ſudore, ſternutamento, grauedine, vt Ioannes Bochelius, Salius, Mercurial. Laurent. Scholtzius *lib. 2. conſil. & epiſt. Craton.* confirmant. Sunt & alia mathematicis obſeruationibus ab orbe condito obſeruata, & ſiderum inimico concurſu, vel aſpectu oborta, ex quibus aëri venenata qualitas communicata, etiam citra corruptionem, aeríſque putredinem, per reſpirationem, tranſpirationémue, corpus humanum, & multorum etiam viuentium ſubingreſſa. natiuam mixtionem diſſoluit, naturalem calorem extinguit, & tandem perimit.

Octaua propoſitio. Sic expertum eſt certis mixtionibus non ſpecificis ſolùm, ſed indiuiduis, proprietates aliquas indiuiduas vni indiuiduo demandari, aliis in eadem ſpecie denegatas, & illas quidem à cœlo demandatas, ex particulari influxu, ſemini in vtero, vel embryoni cùm motum ſuſceperit, vel primò naſcenti communicatas, & mira, ſeu monſtroſa illa quidem, vel iuuandi, vel perdendi, vel mirabilia operandi, quæ ſunt Mathematicorum obſeruationibus diu explorata, de quibus dicebat Auic. *Et complexionibus inſunt res extra rationem,* & hoc quidem obſeruandum eſt, & oportet vt experimentum rationem vincat; *Cuiuſque* enim, quod dicebat Gal. 3. *meth. cap.* 7. *proprietas ineffabilis eſt, nec exacta ſcientia comprehenſibilis.* In quem ſenſum multi recipiunt illud ex Auic. *in proœm. Quod ſuperadditum eſt, incomprehenſibile eſt,* de quibus proprietatibus indiuidualibus plura exempla dicta ſunt. Ex dictis tamen propoſitionibus præſentem deduco aſſertionem.

Purgantia medicamenta ab electione, à creatione ipſa receperunt proprietates generoſas trahendi humores ſibi ſimiles, ſiue per ſeceſſum, vomitum, vel quamuis aliam corporis regionem humores vacuare nata ſunt, in hominis obſequium, ſalutémque, vt excedentibus humoribus proprium inueniretur auxilium. Hanc ſimilitudinem penès mixtionem ſubſtantiarum attendendam potiùs, quàm circa formam, mihi videtur: Sic enim Medico artifici ſenſuali agnitio commodior eſt, quod aliquando etiam dixit Auic. dicens, *Medici ſermo eſt manifeſtior, Philoſophi vero quum magis attenditur, veracior, &c.* Et eſſe eam vim, & poteſtatem datam ad attrahendum ſimilem humorem, non ad alia medicamanta eadem in ſpecie, ſicut magneti data vis eſt trahendi ferrum, non alium magnetem, Gal. eſt ſententia, qui de facultatibus, proprietatibus, & functionibus agens ad vſus medicos trahendorum medicamentorum, actiones mixtioni tribuit, non formæ; licet prima ſit in eis obeundis forma, & proprietas: quæ omnia

A acutiſſimè, tanquam inſignis Philoſophus, & nouit, & docuit, & indicauit, ſed non audet definire, dicens nihil tractationis medicæ intereſſe, ſitne functionis opifex temperamentum, an ſuperior forma animæ temperamento imperans; cùm verò ea forma ſeruari non poſſit præſens, nec reſtitui abſens, ſed ſolùm temperamentum, fruſtrà quæritur ab artifice.

Ex quibus miror doctiſſimum Fernelium 2. *meth.* 4. ex ſua propria doctrina, calumniam Gal. prætexentem, quaſi formarum actiones non nouerit, putantem ſe quidpiam noui reperiſſe, & quod à Gal. acceperit, gloriatur quaſi non acceperit; cùm tamen eius auſpiciis educatus tam inſigniter in arte promouerit. Foret, credo, illuſtrius gratam ſoluere nutricationis mercedem, & fateri per quem profecerit, & mutuum reddere, cùm præſertim ſors fiat ex vſura, quàm in furto deprehendi.

B Cùm facultas ducendi humores medicamento data ſit, aliis per vomitum, vt elleboro albo, dicente Plin. *lib.* 25. *cap.* 5. aliis per inferiorem ventrem, vt nigro; aliis vtraque parte, vt Stibio; (licèt ob ſecundas cauſas, grauitatis, & leuitatis, & particulares ſumentium naturas, & conditiones aliquando fruſtretur) aliis per vrinam, vt Cantharidi, aliis per os, vt Mercurio: hîc tantùm de natura ducentium per aluum agitur. Et licèt in quatuor claſſes ea diuidat Gal. in purgautia leniendo, vt pruna; lubricum faciendo, vt mucilago pſyllij; adſtringendo, vt Rhabarb. & Myrobal. & attrahendo: præſens quæſtio de medicinis vi, & proprietate attrahentibus, venit intelligenda.

Medicamentum ergo commodè exhibitum excedentem ſibi familiarem humorem educit. Si fortè autem contingat tam exiguam medicamenti portionem exhiberi, vt C ab humoris copia obruatur, ea omnino facultate purgandi fruſtrabitur, & in alienam vertetur naturam, ex Gal. 3. *ſimpl.* 24. In corpore namque valido, & media exhauſto, benigni medicamenti exigua portio in corporis naturam faceſſit. Maligni verò portio vel exigua, opere fruſtrata in putredinem veneno ſimillimam ſecedit: mediocris autem in humorem vacuandum, qui è ſuperuacaneorum eſt genere, alendo corpori minime idoneus: Seu quia prius in chylum, gignendo tamen humori proportionalem, vertitur, vel potiùs in humorem ipſum immediatè: humores enim naturales ex cibis naturæ opera generantur; præter naturam verò non tantùm ex cibis, ſed etiam ex medicamentis, ac aliis rebus, quæ medicamenta non ſunt: Sic è cimolia, teſta, extinctis carbonibus, in malacia peſſimi humores generantur, calore præter naturam ad D id agente: Seu quòd parua medicamenti quantitas à multitudine excedentis humoris obruatur, ſicuti gutta aquæ vberiori vino infuſa ex impari menſura in vinum conuertitur, ex Ariſt. *lib.* 1. *de generat. & corrupt. vlt.* Quomodo aquæ vſus in acutis reprobus eſt. 3. *acut.* 40. quoniam in biliofis, & picrocholis bilem facit, auctore Gal. 3. *de fract.* 49. Mediocris verò medicamenti portio opere fruſtrata, ab humoréque euicta, mediatè, vel immediatè in humorem vertitur, quod Gal. edocuit; maligni verò in putredinem veneno finitimam.

Hæc eſt doctrina Hipp. & Gal. multorum opinionibus aduerſa, variíſque argumentis obnoxia, quę latè, & argutè proponunt, & ſoluunt Antonius Ludou. Olyſſipon. *lib.* 2. *de occult. propriet. à c.* 11. *vſque ad* 15. Fallop. *lib.* 1. *de ſimpl. med. purg. cap.* 1. Ludouic. Lemoſius *lib.* 7. *meth.* Gal. *in com. cap.* 11. *diſp.* 5. Chriſtoph. à Vega *lib.* 2. *art. med. tit. de medic.* E *purg.* Cardan. *lib.* 2. *contradict. tract.* 1. *cont.* 3. Mena *in com. cap.* 1. *Gal. lib. quos, quib. &c.* Coſtæus *in com. cap.* 44. *lib.* 1. & *in com. canon.* 1. *Meſuë*, Valleriol. eloquentiſſimè *in com. cap.* 21. *Gal. lib. de conſt. art. medic.* Hi ergo omnes Gal. laudant, Auic. temnunt, & damnant, nunquam tamen ipſum cum Gal. componere potuerunt.

Dicam tamen libenter quid in re tanta cenſuerim dicendum. Similia nempe, alia habere totalem ſimilitudinem, quam propriùs identitatem vocamus; alia partialem, quæ veriſimilitudo debet appellari. Priora nequaquam ſe poſſunt trahere, quomodo ferrum non attrahit ferrum. Hoc enim excuſſum iam à Gal. eſt, 3. *ſimpl.* 25. cùm inquit, *Pituitoſum autem eſſe oportet quod attrahitur, non pituitam,*

etenim

etenim ſimilitudinem ineſſe ſubſtantiis diximus, non identitatem, &c. Nec obſtat quòd apud Conciliat. *diſ.61.* ferrum à contactu Magnetis, aliud ferrum trahat, quoniam illud non virtute & proprietate ferri, ſed magnetis virtute ferro communicata accidere certum eſt. Cur autem Plin. 36. *nat. hiſt. cap.16.* dicat Æthiopicum magnetem, alium magnetem attrahere, & Cato *de re ruſtic. cap.160.* ſcribat, arundinis medietatem, aliam trahere, & plura alia, conſultò explicanda prætermittimus; nam ſi omnium vellem cumulos aduoluere rerum, noſtra in immenſum progredietur oratio, & nos *cit. lib.4.* ad vnguem referemus. Vide Ioann. Brauu. Petrafitan. *lib.1. de purg. rat. cap.11. & 12.* pro horum mente explicanda diligenter: & Ferdinand. Roderic. Cardoſum *lib. de ſex. reb. non natur. q.11.* Veriſimilia ſe poſſunt trahere, de quibus intelligendus Gal. quem ſequitur Auic. tantùm abeſt vt ei contradicat, quin potiùs eius approbet ſententiam. Solùm enim monet, quòd quamuis Gal. videatur ſentire, quòd medicamenta trahant ſimilitudine, non intelligamus de totali. Patet, quoniam exemplo de ferro vtitur. Et eſt potior expoſitio, quàm interpretum ibi, Iacobi, Dini, Antonij, Mariæ Bettæ, & Conciliat. *diff.141.* qui huc, illúcque Euripi modo agitati, varios fingunt ſoluendi modos, & meras tricas. At nos ex facundiſſima Gal. penu epilogum fecimus, non tractatum. Et tantos auctores inter ſe diſcordes in veram reduximus amicitiam, quorum dicta hoſtiliter non ſunt redarguenda, & quauis de cauſa reſpuenda, ſed amicè interpretanda, auctore Magiſtro 2. *de cauſ. ſympt.5.* ſemper enim inſudandum, vt Medicinæ Principum inter ſeſe repugnantia dogmata, non futilibus ac inanibus ſubterfugiis, miſerorum refugiis veriùs nominandis, ſed congruis, probabilibus, ac apparentibus rationibus & fundamentis ad veram concordiam reducantur, ſicut aliàs ad iuris antinomiam omninò euitandam, *iura iuribus concordare oportere* obſeruatiſſimum eſt apud Legum Profeſſores, eiuſdem iuris axioma.

HISTOR. XXVI. RASII, De Epilepſia.

Frequens epilepſia ex ſanguinis copia ſuborta, venæ ſectione curatur.

Natiph conſuluit me de morbo caduco, & ego totaliter poſui intentionem meam in eius morbo, & inueni ambas partes guideg repletas, & facies eius erat vehementis rubedinis, & inflationis, & oculi rubei, & corpus eius repletum, & carnoſum; & præcepi cuidam Medico Occidentali, quòd phlebotomaret ipſum de ſaphena, & Medicus phlebotomauit eum de baſilica, & extraxit multum ſanguinem, & illo anno non fuit paſſus epilepſiam, &c. Raſius in lib. de mirabil. auſcult. quas expertus eſt.

PARAPHRASIS.

Svboriri aliquando à ſanguine epilepſiam nouum non eſt, quum id teſtetur Gal. *lib.4. acut.27.* quo loco, conuulſionem, vertigines, aphoniam, capitis grauitatem, & epilepſiam, à ſanguinis copia grauante, ſpiritus infrigidante, obruente, & cerebri ventriculos ſuo lentore, & multitudine obſtruente proficiſci confirmat, & repetit 3. *aph.20.* adſtipulatur Auic. *1.3. tract.5. c.8.* dum ait. *Et hæc quidem materia, aut eſt ſanguis dominans, aut plurimus, &c.* Explicant eleganter Salius *de curat. morb. part. cap.3.* Ludouic. Mercat. *lib.1. prax. cap.16. in fin.* Ab hoc autem humore ſubortam Epilepſiam, ſignis ab Auctore poſitis venaberis manifeſtè, quæ ſi adſint, ſanguinem mittere ne cuncteris, ex eius præſcripto 9. *ad Alm. cap. de Epilepſia;* Quòd ſi acceſſio epileptica acutiſſima ſit, vel ſymptomatum frequentia præceps exitium minetur, è cubito poſt acceſſionem ſanguis mittatur, ſic monente Paul. *libr.3. cap.13.* Quem ſequuntur Valleriol. 3. *obſeruat.7.* Vega *lib.3. art. Med. cap.12. ſect.1.* Michaël Ioan. Paſchal. & eius

A Scholiaſt. Pereda *lib.1. de curand. morb. cap.8.* & alij ferè omnes, qui ad acceſſionem leuandam, quum à plurimo ſanguine venas intercipiente, & occludente, præſertim in ventriculis cerebri infixo, duxerit ortum, ab externa aut humeraria ſanguinem emittendum conſulunt.

Secus faciendum eſt, iuxta Gal. *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap.19.* & Celſ. *lib.3. cap.23.* præceptum, in præſeruatione, quod conſilium Raſius hic obſeruat. Sic enim ad maximè diſtantes partes, à præcipuis viſceribus diuerſio fit, & lenta craſſáque ſanguinis copia ad infernas ſuo impetu ruit corporis partes; quapropter in inſanientibus hæmorrhoïdes ſi ſuperueniant, bonum. 6. *aph.21.* His conuictus Bartholomæus Montagnana *conſil. 126. in initio,* ſuadet, vt in præſeruatione affectuum ſupra iugulum, inferiores venæ ſecentur, quod Auic. monet 4. 1. *cap. 20.*

B dum has venas ſecandas iubet in ægritudinibus factis ex materiis ad caput declinantibus. Et licèt in noſtro ægro alter Medicus, ſanguinis miſſionem ex baſilica exercuerit, ſignorum ſyndromen in genere venoſo ſanguinis copiam atteſtantium conſiderans, non ob id reprobanda eſt ſectio tali, qua facta citiùs & ſecuriùs à cerebro, vaſíſque internis reuellimus, & vacuamus. Quare ſi plures in præſeruatione è cubito ſanguinem emittunt, de quorum numero ſunt Ioan. B. p. iſt. Theodoſ. *epiſt.6.* Benedict. Victor *empiric. cap.2.* ne mireris: Nam diuerſam hi originem, focúmque reſpiciunt, à quo ſanguis ebullire poteſt, Epilepſiam ſuo motu, copiáque effecturus, præſertim cùm *qualibet vena ſecta totum corpus exhauriatur,* ſic docente Magiſtro *lib.2. acut. com.11.*

C

Obſeruatio XXII.

Quidam epilepſia ſæuiſſima frequenter concuſſus, ſecta ex interuallis ſaphæna, ab ea præſeruatur.

Vir quidam carnoſus, & rubicundus, tanta violentia Epilepticis conuulſionibus miſerè, vel ſepties multoties in die torquebatur, vt timor eſſet, ne ex acceſſionum repetitione in apoplexiam incideret. Huic cùm omnia in ipſa acceſſione, & extra eam, reuellentia eſſent facta auxilia, & pituitoſus humor, qui mali cauſa putabatur, crebris vacuationibus eſſet expurgatus, præſens acceſſione oppreſſo ſæuiſſima, opem fero ex vtraque cephalica ſanguinem demens. Ceſſante verò malo, vt tranſpiraret corpus, ſanguinem, ex nimis ſanguifico hepate genitum, ſecta ſaphæna ſingulis menſibus minuendum

D impero. Et ſic mutato regimine, in poſterum omninò ſanus euaſit.

HIST. XXVII. RASII, De Epilepſia.

Fœmina Epilepſia prehenſa, confectione Anacardina, & aliis auxiliis curatur.

Mulieri accidit paralyſis, & poſteà epilepſia, & ſigna, diſpoſitionis eius erant certa, ſimplicia, & manifeſta. Purgaui phlegma cum medicinis violentis, & præcepi ipſam aſſiduare theriacam, & ſpeciarius in mei abſentia exhibuit ſibi

E *anacardinam, & fuit liberata mirabili liberatione, &c. Raſius,* in lib. de mirabilibus auſcultationibus.

PARAPRHASIS.

Ex pituitoſo humore in diuerſis cerebri partibus congeſto, diuerſos morbos oriri Gal. ſæpiùs inculcat: nam ſi in origine neruorum fuerit imbibitus, accidit paralyſis; & ſi in ventriculis cerebri ſit impactus, ſequitur epilepſia. Quum morbus caducus acceſſionum vehementia ſit manifeſtus, eiúſque cauſa certiſſimè cognoſcatur, quòd ſit pituita craſſa, viſcida & mucoſa, hanc eradicare difficile & arduum exiſtit; hoc enim opus non niſi violenter, & fortiter attrahentibus medicamentis perfici poteſt, præſertim

præſertim cum humor ſit tenaciter infixus, & in parte diſtante ſitus, à viis ductuum valdè remota: Nam *humor calidus, qualis eſt flaua bilis, facilè vacuatur; pituita verò, ac potiſſimùm ea, quæ craſſior, glutinoſiorque eſt, itemque nigra bilis difficillimè*, auctore Gal.14.*meth.*17.

Hoc facto, & toto vacuato, neceſſe fuit cerebrum roborare, flatus reſoluere, ne forte debile ipſum, & diuturna intemperie affectum, iterum craſſos humores generando, imminenti epilepſiæ præberet occaſionem. Pro quo complendo opere Theriaca eſt mirabilis, ſed loco eius data eſt confectio Anacardina, pro roborando cerebro præſtantiſſima. Nam, auctore Meſuë, partes neruoſas mirandum in modum roborat, cuius frigidis & humidis vitiis ſummoperè opitulatur, quum flatus diſcutiat, craſſos tenuet humores, & ſanguinem ab horum ſpurcitie mundet, & repurget: qua de cauſa ſpiritus animales purificat, acuit intellectum, ſenſus viuificat, & memoriam iamiam labaſcentem efficit tenaciorem. Et ſi alia à Nicolao compoſita vtaris in hoc affectu, quæ ad firmandum partes neruoſas, vnáque vacuandos noxios ſuccos prodeſt eximiè, ex arte facies: nam pituitam, ob componentium vim, clementer purgat, & vnà robur maximum corpori indit.

Si hæc deficiat, mel anacardinum ex vſu ſit, quod ex Albucaſis, Alzarauij ſententia, eiſdem affectionibus mirabiliter auxiliatur. Hoc modo id conficies. Anacardos ſeptem diebus in aceto macerabis priùs contritos, coques, donec tertia pars abſumatur, ac refrigerare ſinito, quod ſupernatat oleoſum, mel eſt anacardinum. De Anacardorum vi, & facultate lege Serap. Actuar. Paul. Mathiol. & eos qui de aromatum Indicorum hiſtoria ſcripſerunt, inter quos Chriſtoph. à Coſta palmam præripuit, *lib.de Indiæ aromatib.cap.*30.

COMMENTARIVM.

ASſiduare theriacam.] Theriaca (donum Dei) ad frigidos cerebri affectus, partes neruoſas roborandas, ad veneni, ferarúmque noxiarum morſus tum præcautionem, tum curationem, mirabilem habet vim, & poteſtatem; Nam igni purifici inſtar, inquit Gal.*lib.de theriac. ad Piſ.*16. lentos, viſcoſóſque coquit ſuccos, & exitialibus venenis eximiè aduerſatur. Quare inueteratis confert capitis doloribus, vertigini, aurium grauitati, comitialibus, attonitis, apoplecticíſue, reſolutis, oculorum hebetudini, voci amiſſæ, aſtmaticis, ſuſpirioſis, diuturnæ tuſſi, hæmoptoicis, ægrè excreantibus, ventriculi debilitati, ac inflationi mirè auxiliatur, durum lienem emollit, calculos renum comminuit. Vrinæ difficultati, & veſicæ exulcerationibus medetur. Menſtrua mouet, fœtum mortuum expellit, articulorum morbis remedio eſt. Triſtes exhilarat, melancholicis & rabioſis vnicè ſuccurrit, & in peſtifera lue vnicum eſt alexipharmacum. Hanc enim hydram, ſeu truculentam belluam ſola ipſa Theriaca coërcet, ac infrenat, ſiue ea vtaris intùs aſſumpta, & priùs cardiacis admixta; ſiue abſceſſibus peſtiferis eam imponas; ſiue epithematis modo ſiniſtro cordis ventriculo approximes, quocunque enim modo eam experiaris, citiſſimam conſpicies vtilitatem. Miror ſolùm antiquos ſcriptores, Cornelium, Archigenem, Dioclem, & alios grauiſſimos viros, de huius facultate nec verbum quidem protuliſſe, excepto Galeno, Medicinæ parente, viro ſanè pietate, miráque in genus humanum beneuolentia affecto, qui tantùm, támque pretioſiſſimum præſidium ſubticere non eſt paſſus, de cuius vi eximia ſat plura veteres, & iuniores literarum monumentis tradidere. Explanant Auic.*lib.*4.*ſum.*1.*tract.*1.*cap.*1. & fidiſſimi eius interpretes Gentilis, & Iacobus vterque. Mercurialis *lib.*1.*de venen.& morb. venenoſis*, *cap.*20. Medici Romani, & Bononienſes *in pharmacop. tit. de Theriaca*, Phormacopœa Amſtelodamenſis *tract.de opiatis, tit. de Theriaca.* Cardan. *lib.*2.*de venen.cap.*10. Conſtant.7.*viatic.cap.de morſu viper.* Alb.Mag. *lib.*22.*de animalib.tract.*2. Gilbert. Anglic.7.*compend. cap.de morſu viper.* Santes de Ardoinis *lib.*6.*de venen. cap.*1. Haly *lib.de regal.diſp.cap.*4. Chyrandus in chyranida *lib.*2.*cap.*1. Raſ.8. *ad Alm.cap.de morſ. vip.* & eleganter propoſuit Nicolaus Fontanus Medicus percelebris *lib. inſtit.pharmaceuticar.ſect.*8.*cap.*3.

Tanta denique eſt aduerſus veneni, & præſertim viperini vim, huius antidoti præſtantiſſimi efficacia, vt hoc ſolo epoto plurimos ab hoc animali ictos periuiſſe glorientur Gal. *lib.*3. *de loc. cap.*8. Paræus *lib.*20. *cap.*14. vt referunt Greuinius *lib.*1.*de venen.cap.*10. Firmani Bellon. *lib.*2.*obſ.ſingul.cap.*54. & Bodin.*lib.*3.*theat. natur.pag.*316. Ioan. Camar. Buſthemant. *in lib.de reptil. Sac. Script. tit.de viper.& eius veneno.* Geſner.*lib.*5.*de rept.cap.de viper.lit.G.* Vlii. Aldrouand. *lib.*5. *de ſerpent.cap.*17.18.*&* 20. Cuius Alexipharmaci exactam compoſitionem pete ex Barthol. Maranta, qui in eius præparatione ſtrenuè operam nauauit.

DVBIVM XIV.

Num theriaca noſtris temporibus rectè parari poſſit.

HÆc tamen intelligas velim, dummodò theriaca ſit veterum more parata, & ex ſelectiſſimis medicamentis compoſita. Hæc enim eſt cauſa, ob quam noſtro ſæculo eaſdem non præſtet facultates, quas de eius vi veterum peritiſſimi prodidere. Res patet exemplo: Nam ſi theriacam, quam Seuero Imperatori confecerat Gal. imbecilliorem perſenſit, illa pro ſalute Marci Antonij conſtructa, quòd cinnamomi pars ab illa arbore eſſet deprompta, quæ Traiani, ac Adriani tempore in arca quadam ſeruabatur; quoniam temporis diuturnitate vis cinnamomi euanuerat: fit manifeſtum multò imbecilliorem noſtro æuo fore conſtruendam, quum multa deficiant, quæ non niſi in Imperatorum, Regúmque theſauris reperiri poſſunt. Solum namque illis conficiebat Romæ Gal. (quaſi aliis non poſſet) qui vel Imperatorum amici, vel diuites eſſent: iis namque facile erat vel ab aliis petere, vel verum emere cinnamomum, vt *lib.*1. *de antid.*4. Gal. oſtendit. Nam ſi medicamenta omnia theriacæ compoſitionem ingredientia præſtantiſſima non ſint, illa multò deterior euadet, cùm vnius medicamenti improbitas reliqua omnia ſæpè corrumpat, ſic monente Magiſtro *lib. de theriac. ad Piſ. cap.* 12.

Ex dictis euidenter patet, theriacam noſtris temporibus conſtructam, plurimis carere dotibus, aut ſaltem debilioribus conſtare, cùm deficiant multa, eáque nobiliſſima medicamenta: quorum loco ſi alia ſubſtituantur, cùm ſimilia non ſint, imò in ſecundis, & tertiis qualitatibus diuerſa, iiſdem facultatibus, ac virtutibus carebunt.

Videtur enim impoſſibile inueniri medicamentum quod alteri omnino ſimile ſit. Si enim difficile eſt valdè reperire in ſpecie humana indiuiduum habens temperiem, in qua alteri aſſocietur, vt voluit Auic.2.1.*doct.*3. *cap.*1. cùm ſpeciei humanæ vnica, ac eadem ſit forma, cur dabitur in ſimplicibus, quæ diuerſis conſtant formis, quorum magna eſt diſſimilitudo, & varietas? Prætermitto modum ſubſtantiæ, & temperamenti proprietatem ex impari elementorum miſcella emanantem ex Gal. 4. *ſimpl.*15. naturam denique in illis inuentam, à ſuperna, & pleniſſima influentia deductam iuxta materiæ præparationem, & mixtionis modum, ex Auic. *lib.de virib.cord. tract.*1.*&* 2.1.*doct.*2.*ſum.*2.*cap.*25. quorum ratione, ipſa theriaca fortiores, ac potentiores effectus producere poteſt, quàm ſimplicia ex quibus componitur, vt inſinuat Gal.*lib.de theriac.ad Piſon. cap.*16. Quam doctrinam amplificat Auic. *lib.*5. *cantic.tract.*1. *cap.*1. & in vniuerſum de omnibus compoſitis medicinis intelligendam arbitratur *lib.de virib.cord. tract.*2.*cap.*4.

Quare cùm medicamina ſimplicia theriacam adornantia, alia ſint incognita, quædam factitia, reproba alia, vix credere poſſum perfectam hoc tempore poſſe parari. Ea ſunt, Balſamum verum, Myrrha, Rheon, Amomum, Cinnamomum, Caſia, Scordium, Nardus indica, Malobathrum, Lemnia, Cardamomum, Dictamnum, Petroſelinum, radix pentaphylli, thlaſpi, atque in hedychroo

magmate,

magmate, quod *Alindaracaron* Arabes vocant, aſpalathon, calamus odoratus, xylobalſamum, Maron.

Tot igitur exiſtentibus pharmacis, vel penitùs ignotis, vel valdè dubiis, neſcio quomodo parari rectè theriaca poſſit: quod ita eſſe, vocatis in examen dictis medicamentis, cũfirmat Manard. doctiſſimus *lib. 6. epiſt. 3.* & poſt eum non ſiluere Bapt. Theodoſ. *epiſt. 12.* Bernard. Deſſenius, *lib. 6. de compoſ. medic. titul. de trochiſc. de thyro.*

QVÆSTIO XVI.

Quòd theriaca epilepſiâ correptos iuuet, & ſanos ab ea præſeruare poßit, contra Paſchalium.

PОrrò hæc vt decet parata, epilepticos ſanat, ita vt qui eius vſum aſſiduè frequentauerit, ab epilepſia tutus euadat: Quod auxilium auctor hic aſſiduè propinandum conſulebat. Quare ſpeculatione dignum eſt quærere: Num ſicut theriaca epilepſiâ correptos iuuat, ſic ſanos ab ea præſeruare poſſit. Michaël Ioan. Paſchal. *lib. 1. de curand. morb. cap. 8.* ſic ait. *Theriaca magna veneno affectos curat, & ſanos veneno afficit, &c.* Poterat tamen hic auctor opinionem ſtabilire ſuam, Auerrois dictis, qui ei ſe addixit opinioni, vt crederet, theriacam magnam, ſanos à veneno, cæteriſque morbis non poſſe præſeruare, imò illis eſſe præſentaneum venenum confirmauit. Sic enim ait *lib. 5. collect. cap. 23. Et iſtæ medicinæ bezcardicæ non curant, niſi recipiantur, cùm eſt in corpore diſpoſitio venenoſa facta à veneno, & tunc dant corpori vnam virtutem, quæ eſt contraria virtuti veneni, & ſic curatur venenum quaſi per accidens: Propterea quando comedit illas homo ſanus, ſunt ſicut venenum, exceptis granis citri, & ſimilibus illis, &c.* & Infrà ſic ait. *Et cauſa quare bezoar occidit ſanum, non eſt niſi quia non habet prodeſſe, niſi quando in corpore eſt diſpoſitio venenoſa; & alia eſt iuuatrix quando in corpore eſt diſpoſitio venenoſa, &c.* Et quo patet, peſte, venenoque affectis, theriacam ſalubre eſſe auxilium, ſanis verò incommodum deteſtandum. Quod de aliis belzaarticis ſimiliter pronuntiandum exiſtimat: non ſecus ac medicamenta purgantia, quæ ægros iuuant, ſanos lædunt, auctore Hipp. 2. *aph.* 36 *& 4. eiuſd. 16.*

Multis autem ita inducitur opinari; tum quoniam theriacam, ex ſimplicibus quibus componitur, prorſus venenatam putat; tum quoniam ratione extremæ contrarietatis venenum corrumpit, ſicut & cætera belzaartica. Cúmque extrema non ſolùm ſibi mutuò, ſed medio pariter aduerſentur, medium autem ſit corpus ſanum, illi omnino aduerſabitur theriaca, eritque ſanitatis deſtructiua, & omnia perinde medicamenta quæ medentur veneno, (ſunt enim multò efficaciora) nec diuerſæ ſtatuuntur cauſæ, quæ ſanitatem cuſtodiunt, & efficiunt, hoc eſt conſeruatrices, & curatrices, ſalubres nuncupatæ. *in c. 84. art. medic.* niſi quia ſanum corpus in mediocritate conſtituunt; vnde cùm pariter diſtet ab exceſſu morbi, & medicamenti ſeruari nequit per ea, quibus cùm ægrotat, curatur. Sic ratiocinatur Philoſophorum acutiſſimus Auerroës.

At præter rationem improbat antidotum, quod ſummis laudibus celebrarunt cæteri auctores in ſubſidium peſtis, & venenoſorum morborum, imò ad affectuum frigidorum præcautionem tantoperè commendarunt: dummodò tamen, vt ſuprà diximus, probata ſit theriaca, & more veterum parata. Tutos enim reddere aſſumentes, & in peſtifero aëris ſtatu à tanto malo præſeruare, tenet latiſſimè Gal. *lib. de theriac. ad Piſon. cap. 6. ex Andromacho*, ibi:

Neu te dira lues, neu lædat noxius aër,
Hanc cape.

Et *lib. 1. de antid. cap. 1.* ſic ait. *Quòd ſi quis ſingulis diebus, quemadmodum tempeſtate noſtra Aurelius Antonius Imperator, vel ſicut olim Mithridates ſolebat, antidotum accipiat, nullis noxiis potionibus lædetur, id quod ipſi Mithridati contigiſſe ferunt, qui cùm potiùs veneno mori, quàm in poteſtatem Romanorum venire decreuiſſet, nihil inuenit quo ſe necare poſſet, &c.* Nam corpus eius, aſſiduo Mithridaticæ confectionis vſu ita erat munitum, vt à venenis non læderetur, quum haberet in ſe vim eorum corruptricem. Firmat Gal. *lib. de theriac. ad Piſon. cap. 16.* licèt Plinius *lib. 25. cap. 2.* ad vſum potiùs venenorum, quàm antidotorum referat: conſonat illud Martialis.

Profecit poto Mithridates ſæpe veneno,
Toxica ne poſſent ſæua nocere ſibi.

Poſſe autem quempiam aſſueſieri veneno, eóque nutriri, teſtes ſunt Auic. 6. 4. *tract. 1. cap. 2.* & Ruffus citatus ab Auic. *ib.* qui puellam nutritam fuiſſe napello ſunt arbitrati, cuius concubitu homines veneno inficiebantur, & animalia eius ſaliuam deguſtantia interficiebantur. Quam hiſtoriam eſſe veram firmat Gentil. *in com.* Approbarunt poſteà Conciliat. *tract. de venen.* Lang. *lib. 1. epiſt. 69.* Ariſt. *lib. de regim. Princip.* vt refert Auer. *in proœm. lib. 3 phyſic.* Ille enim Alexandrum Regem hortatus eſt, vt ab huius puellæ concubitu abſtineret, licèt omni puellari veneris decore, ac venuſtate prædita eſſet, quam Rex Indorum, vt illius contagione inficeretur, Alexandro dono miſerat. Hoc ita eſſe firmat Ioan. Iuuenis *in epiſtol. ad Brachelemium.* Mortales autem educatione fieri veneficos, probant Mizaldus *cent. 1. memorabil. aph. 59.* Cardan. *lib. 2. contrad. tract. 2. contrad. 7.* Scalig. *exercit. 175. ad ſubtil. Cardani* Cluſius *ad cap. 25. lib. 1. Garzia. de aromat. hiſt.* Qua tamen ratione venena digerantur, alant, & non noceant, ſcitè docet Theoph. *lib. 9. de cauſ. plantar. cap. 18.* & nos *in com. hiſt. 26. lib. 5. huius operis* diligenter explicabimus. Interim lege Mercurial. *lib. 1. de venen. cap. 9.*

Verum enimuerò, vt ad inſtitutum accedamus, Gal. *lib. de Theriac. ad Piſon.* theriacam pro præſeruatione peſtilentis luis miris laudibus effert. Sequuntur Auic. *lib. 4. ſupra cit.* dum ſic ait. *Et illi qui vtitur in hora ſanitatis, non nocent venena, & non impetunt in eo nocumenta, & fit ſecurus ab ægritudinibus peſtilentiæ, &c.* Et *lib. de virib. cord. tract. 2. cap. 4.* ſic inquit. *Homo autem temperatæ cõplexionis, quando vtitur altero ipſorum, tempore temperato, aut frigido, & in quantitate etiam moderata, non frequenter, tunc cum eis ambobus maius fit iuuamentum in confortatione cordis, & conſeruat ſanitatem in ipſo, atque ſecurũ efficit à malignitate putrefactionum, & à prauis humorum motibus, atque læſionibus obuiis venenorum, cunctáſque virtutes eius conſeruat, & vitæ lõgitudinem præſtat ei, &c.* Raſius 21. *part. aph.* 51 dum dicit: *& qui non occupatus erat morbo, & theriacam ſumpſit, à morbo præſeruatus eſt, &c.* Horum mentem dilucidat Aëtius *tetr. 4. ſerm. 1. cap. 96.* Vix enim ad peſtiferæ luis, frigidorúmque cerebri morborum aliud præſtantius, magíſque idoneum præſidium ipſa inueniri poteſt.

Experimento ſuffragatur ratio. Nam ſi cor roborat, & ex iis quibus componitur, reſultat vna alexiteria facultas, ſeu virtus, quæ à proprietate agit contra venenum, cur peſtifero, & cuius veneno, imò facultate ſua cerebrum eximiè vigorando, frigidis morbis non reſiſtet? Eadem ſiquidem vi & impediuntur contraria induci, & ſupprimuntur inducta. Quare hoc pretioſiſſimum antidotum, non ab Andromachi mente, Galeni Marte ingenuo, Principum Medicorum aſſiduo experimento: ſed à ſupremo obiectorum omnium opifice, bonorum omnium datore, originẽ duxiſſe verè affirmandum eſt, qui humani generis miſertus, maximo honoris culmine, & fulcro in hominum mentem, tam ſacrum, tam præſtans, tam excellens alexipharmacum introduxit, vt in iis, & ſimilibus operibus, eius maieſtas, benignitas, & philanthropia à nobis palpari, illuſtrari, & veritatis, ſapientiæ, miraculique elogio concelebrari queat.

Supereſt vt Auer. argumenta diſſoluamus. Negamus enim theriacam poſt fermentationem venenoſam eſſe, aut nociuam, ſaltem ratione theriacalis potentiæ, qua venenis reſiſtit: Vel quoniam venena ex quibus componitur, priùs corriguntur, quàm illius compoſitionem ingrediantur, vt conſtat de carne viperina, *lib. 1. de antid. 1.* Vel quoniam cum aliis permixta vim amittit veneni. Reprimuntur enim lædentium noxæ aliorum coniunctione, & vel ſupereſt proficua vis, vel de nouo comparatur, prout illa theriacæ, quæ permixtionem adepta, ab ſpecifica forma diſſimilis, & contraria euadit veneno: corpori autem proficua, vtilis, & ſimillima.

Neque

Neq̃ue obſtat, quòd multi ex Auic.*6.4.tract.3.cap.33.* probare contendunt, theriacam fermentatam venenoſam eſſe ſicque ratione veneni corpus lædere, & perimere; ſic enim ait, *Nocumentum autem inſtrumenti veneni non eſt malum, quoniam natura eſt quæ vtitur inſtrumentis, &c.* Nam ſi Auic. verba intimiùs perpendantur, id minimè probant: cùm hic auctor de non fermentata fuerit loquutus, quam poſt fermentationem exuere perniciem, ex ſerie contextus patet euidenter.

Ad 2. Licèt theriaca, & cætera alexiteria quæ liberant à veneno, cõtrarietatis, & diſſimilitudinis ratione, hoc eſt potentiæ cuiuſdam veneni corruptiuæ agant in ipſum venenum, & corpus: Alexipharmaca autem media inter illa dicantur, non per participationem, ſed per abnegationem, nempe quia neutri omnino diſſimilia, aut ſimilia. 5. *ſimpl.* 18. Ideò neque abſolutè corrumpunt vt venenum, neque abſolutè conſeruant vt cibus, quemadmodum in multis experimur. Verumtamen eſt magis diſſimilia eſſe, & contraria veneno, quàm corpori ſimilia: & quanquam veneno analoga, non tamen venenum. Quare corpus quidem ſanum immutabit, alterabitve theriaca, maximè ſi puerile ſit: quoniam ipſius magnitudo puerorum corpus facilè diſſoluit, & complantatum ſpiritum celeriter extinguit; non aliter atque lucernæ flammam pluſquam conueniat infuſum oleum, vt percelebri Hiſtoria Gal. confirmat. *lib. de theriac. ad Piſon. cap.* 17. cuiuſdam pueri, qui ab aſſiduo theriacæ vſu in maciem, tabem, mortémque incurrit. Quo pacto in hac ætate, ſumma cum præmeditatione propinandum eſt hoc medicamentum, & nonniſi cùm morbi ſæuities id poſtulauerit manifeſtè, epilepticæque conuulſiones vehementer vrgeant. De qua re lege Amat. 2. *cent.* 43. Anton. Carthaginienſ. *lib. de faſcinat. tract.* 2. *cap.* 9. Bapt. Siluatic. *cont.* 91.

Demum. Noxius erit Alexipharmacorum vſus præſertim immodicus: Hæc enim Gal. 5. *ſimpl.* 18. ea moderatione iubet aſſumenda, vt nec præ exiguitate vincantur, nec præ copia lædant. Ex quibus ad Auer. argumenta ſolutio patet, quæ puriori reſpondendi ſtylo ſunt ſoluta, licèt ardua ſint, quàm à Gentil. *in com. cit. cap.* Auic. *in tract. de theriacis.* Antonio Carthag. *tract. de peſte, cap.* 2. Mercurial. *lib.* 1. *de morb. venen. cap.* 20. qui hoc negotium ex profeſſo diſputarunt.

Obiiciet quiſpiam Gal. facundiſſima doctrina munitus, theriacam epilepticis minimè poſſe eſſe vtilem, ſi incraſſat, arctat, impingit, & craſſum, tenacémque humorem, qui eſt epilepſiæ cauſa, ſiſtit, & indurat. Eſt textus eximius apud ipſum *lib.* 5. *meth. cap.* 13. quo loco ad ſiſtendum ſanguinis fluxum, ſe theriaca vſum fuiſſe in curatione illius ſplendidæ Romanæ aſſeuerat. Quoniam hoc medicamentum fluxiones tum ſiccat, tum leuiter incraſſat. Explicat ingenuè Fabius Paccius *in com.* Idem docet Gal. 12. *meth. cap.* 7. Paul. *lib.* 3. *cap.* 40. Aëtius *tetr.* 2. *ſerm.* 4. *cap.* 6. Auic. 16. 3. *tract.* 2. *cap. vlt.* dum dicit. *Et ſcias quòd theriaca eſt valdè conferens omni ventris fluxui laborioſo & laxanti, & deiicienti virtutem, &c.* Idem ſentit 4. 1. *cap.* 30. *in med.* quod Meſuë non ſiluit *in canonib. vniuerſal.* ſic enim ait: *Compingere enim, & ſtupefacere, eſt vltimum ad id quod inniti debes, & propriè tunc, quando omnino iam non contulerunt, ſuprà dicta: & res eſt poſita ſicut in deſperatione, tunc quoque narcotica præſumendum eſt, & medicamentis fortibus vtendum, ſicut eſt theriaca, &c.* Et quibus patet theriacam medicamentum eſſe ſtupefaciens, fluxiones ſiſtens ac incraſſans.

Galenus *lib.* 3. *meth. cap.* 13. ſoluit dubitationem hoc modo, dum theriacam recentem, circiter quatuor menſes antè confectam, ſomnum inducere affirmat, quoniam in hac ætate adhuc præualentem habet papaueris ſuccum, cuius ratione dictas operationes efficere eſt apta. De hac intelligendus eſt ipſe *lib. de theriac. ad Piſon. cap.* 2. dum exhibito medicamento aluum ſubducente, ſi qui aſſumpſit non purgatur data theriaca, iudicat hanc eſſe optimam, quoniam purgationem prohibuit illius, qui purgantem medicinam ſumpſit, quæ theriacæ probatio nunquam eum fefellit. Ex quo intelligitur erraſſe eos, qui in peſte ipſam purgantibus commiſcent, quum ea pharmaci vim exſoluat, ac purgationem inhibeat. Qua ratione Antoninus Imperator, vt refert *lib.* 1. *de antidot. cap.* 2. quotidie theriacam aſſumens, ſuccum papaueris eximi iuſſit, quoniam profundiſſimo ſomno corripiebatur; poſtea verò quum plurimam noctis partem inſomnem duceret, coactus eſt denuò ipſam accipere, quæ ſuccum papaueris haberet aliquo modo inueteratum. Nam opium, auctore Dioſcorid. *lib.* 4. *c.* 55. *erui magnitudine aſſumptam, ſomnum potenter allicit, ita vt lethargicos efficiendo interimat.* Recens ergo theriaca ſtupefacit, opij vi, fermentata tamen & antiqua, quæ pro epilepſiæ, frigidorúmque morborum medela, & præſeruatione exhiberi debet, vigiliam mouet, attenuat, penetrat, & incîdit: in hac enim opij virtus iam eſt vehementer deuicta, ac refracta.

QVÆSTIO XVII.

Quòd recens theriaca ſtupefaciat, contra Gentilem acutiſſimum.

QVomodo tamen recens theriaca ſtupefaciat, ſi maior copia calidorum in ipſius compoſitionem ingreditur, quæ potiùs vigiliam, quàm ſomnum facere eſt apta, pauci explicarunt. Ea ſunt pyrethrum, piper longum, album, nigrum, cardamomum, balſamum, zingiber, coſtum, caryophyllum, ſagapenum, caſtoreum, baccæ lauri, chamædrys, Galbanum, opopanacum, ſemen dauci, & alia quæ licèt calida ſint, non tamen ita intenſum gradum caloris participant. Omnia ergo hæc quum qualitate ſint opio multo exceſſu calidiora, & in maiori quantitate theriacæ compoſitionem ingrediantur, cur vnum non adiuuat aliud, ſi calores ſunt eiuſdem ſpeciei, & ſimile additum ſimili facit ipſum furere? vt ſi vinum acutè febrienti exhibeas, maximè intendetur febris, intenſa autem tanta calidorum vi, iam tunc opij vis remiſſior multò erit, quum ſit in minori quantitate. Quare ſi actio phyſica ab exceſſu proficiſcitur agentis, vt paſſim Philoſophus firmat, & qualitati, cùm ab hac actio procedat, tribuitur, ſi alia in actione multò ſunt opio efficaciora, cur ab horum exceſſu & vehementia, actio non procedet?

Maiorem negare huius argumentationis propoſitionem, nihil eſt aliud quàm in philoſophia ſuam fateri inſcitiam, ac philoſophorum dictis maximè repugnare. Minorem non concedam, cùm Opium, auctore Gal. *lib. de theriac. ad Piſon. Cap.* 10. ita in actione vehemens ſit, támque qualitate deleterium, vt ſi abſque aliis medicinis propinetur, interficiat; quod nullum ex illis ſimplicibus, quæ prædictam ingrediuntur compoſitionem poterit efficere, nullum enim ex iis veneni naturam ſortitur. Nam opium intra corpus aſſumptum, ſine eo quod à corpore immutetur, illud immutat, & corrumpit, vt 3. *de temper.* 4. & Auic. 2. 1. *doct.* 2. *cap.* 15. manifeſtè pronunciant. Quare opium reliquis medicamentis adhuc non deuictis in agendi vehementia præcellit: maximè cùm opij vehementia non ſit ſuperata ab illis. Adde opij formam vehementiſſimæ eſſe actiuitatis, & qualitatem ab opio directam validiſſimam, cuius ſubſtantia eſt denſa, vnita, & difficilè reſolubilis. Mirari ergo deſinas, ſi tam parua opij quantitas, cæterorum ſimplicium reſpectu, hæc euincere poſſit: nã exhibita drachma vna philonij, ſomnus, ſopor, & indolentia ſequuntur: vnde ſenſui fidem exhibere debemus, vt monet Gal. *lib. de cauſ. procat. cap. vlt.* & 2. *de mot. muſcul.* 7. *lib. de rigor.* 18. Fernel. *lib.* 1. *de abdit.* 10.

Inſuper, ſi aliquod ex iis cum opio in paritate actiuitatis poſſet decertare, eſſet caſtoreum, aut piper, quæ non ſolùm ſuperioritatis imperium non reportare, imò potiùs inferiora, ac imbecilliora remanere, cùm nutrimenta ac medicamenta ſimul exiſtant, conſtat ex Gal. 3. *de tem.* 4. dum ſic ait. *Quod ſi caſtoreum quoque ſpatio concoquitur, erit id quoque ſimul nutrimentum, & medicamentum calidum; ad eundum modum ſinapi, & piper, &c.* Rurſus 8. *de comp. med. ſec. loc. cap.* 4. ſic ait. *Quò verò vehementem opij frigiditatem compoſitor corrigeret, caſtoreum*

ipſi

ipſi adiecit oppoſitum fermè in facultate , eadem ratione & piper admixtum eſt, à quibus in actione iuuatur, &c. vt conſtat ex ipſo *lib.9.eiuſd.oper.cap.2.* Dum ſic loquitur. *Quò verò citiùs diſtribuerentur , & affectorum corporum profundum penetrarent, calfacientia admiſcuit, pyrethrum, euphorbium, & piper. &c.* Vides quanta ſit opij poteſtas apud Gal. vt exiſtimet in hac, cæteríſque compoſitionibus, in quas opium ingreditur, non tolli eius efficaciam à reliquis medicamentis, ſed corrigi. Et hæc de qualitatum vehementia ſint ſatis, quibus acquieſcere quiſpiam debet , cùm ex ſyncera, & præclara Gal. doctrina ſint non paruo labore deprompta.

Quamuis deindè multa , maiori in quantitate calida medicamenta præcellant, cùm ab illa actio non procedat, ipſa in præſentia opij vires exercere nō poterunt. Obtrudes. Quare vnum medicamentum calidum non adiuuat aliud, cùm ſimile additum ſimili faciat ipſum furere ? Dic. Similia in gradu, & agendi vehementia inter ſe agere non poſſe, quoniam actio proficiſcitur à proportionē maioris inæqualitatis, quæ inter perfecta ſimilia reperiri non poteſt, auctore Philoſopho *lib.1.de generat. & corrupt.cap.7.* Qua ratione calidum in materia denſiori non agit in calidum ſimile in materia rariori : Nec duo corpora calida in quarto gradu ſeſe inuicem intendere poſſunt.

Hoc ſuppoſito. Cùm illa medicamenta ſimplicia quæ theriacæ ingrediuntur compoſitionem , alia ſint quarto gradu ſimilia, alia tertio: nec calida quarto, ſimilia quarto ad maiorem perfectionem poterunt perducere, cùm in illa vtpotè ſimilia agere non poſſint , quæ nec à tertio gradu calidis intendentur. Quúmque nihil poſſit agere vltra ſuam perfectionem, nec poſſit reduci ad actum, niſi ab eo quod actu tale eſt, docente Philoſopho *3.phyſ.2. & 1. de gen.3.* fit manifeſtum, ſi huiuſmodi ſimplicia calida ſe non poſſunt intendere , actionem magis intenſam producere non poſſe. Quare licèt multa ſint , nihilominus ſolum quartum gradum caloris producere poterunt.

Ad illud tandem quod obiiciebatur , ſimile additum ſimili facere ipſum furere. Dic. Similitudinem poſſe conſiderari aut in ſpecie, & non in gradu, aut in ſpecie, & gradu. Secundò. Huiuſmodi actionis furorem , hoc eſt maiorem actiuitatem intelligi poſſe , vel ſecundùm maiorem effectus intenſionem , vel ſecundùm maiorem actiuitatem. Si namque agens ſimile ſit in ſpecie, & non in gradu, ita vt plures ſortiatur gradus, quam illud cui additur, certum eſt iſtud in actione furere, hoc eſt intenſiorē producere effectum. Si verò ſit ſimile in ſpecie , & in gradu, non faciet furere illud cui additur ſecundùm maiorem effectus intenſionem : faciet tamen ſecundùm maiorem actionis celeritatem; præſertim ſi materiæ adſit diſpoſitio. Quo pacto intelligendus eſt Gal. 8. *de compoſ. med. ſect. loc.3.* dum aſſerit in calfacientium, & refrigerantium oppoſitione , vtrorumque oſtendere quantitatem prædominantem, pharmaci actionē. Qua de cauſa carbones acriùs & celeriùs vrunt, quàm flamma; & glacies plus refrigerat quàm aqua ſoluta. Vnde ſi detur corpus luminoſum, quod ſeruata eadem extenſione, per diuinam potentiam, duplo maiorem denſitatem , & congeminationem luminis acquireret ; nihilominùs non produceret lumen intenſius, quàm anteà producebat, cùm denſitas ſubiecti non ſit potens intenſiuam qualitatis virtutem adaugere. Sic ſi detur luminoſum , & addatur illi alterum , non intendetur lumen ; ſi quidem eadem multitudo graduum poſita in diuerſis ſubiectis, nō poteſt magis intenſam producere qualitatem, quàm ſi in vno , eodémque ſubiecto coaleſceret. De quo argumento Valleſius *lib.9.cont.9.acutè diſceptauit.*

Eadem denique ratione licèt multa , eáque calida ſimplicia, in theriacæ compoſitionem ingrediantur, nihilominùs tamen intenſior non producetur caliditas, quàm illa qua talia medicamenta prædita ſunt , quæ cùm non ſit æqualis, immò inferior opij frigiditate, non eſt mirum ſi huiuſce præualeat actio: cuius ratione *theriaca recens ſomnum mouet, fluxiones ſiſtit, & leuiter craſſat.* Et hæc ſint ſatis de hac ardua controuerſia , cùm de ea peritiſſimi noſtri temporis. Medici ne verbum quidem protulerint. Vno excepto Gentili, Auic. nunquam ſatis laudato interprete, *in*

A *com.fen.1.lib.5.tract.1. dub.2. prop.fin.* & *in extrauagantib. quæſt.43.* qui licèt latè dubium agitauerit, argumentorum tamen difficultati, dilucidè ſatisfacere non potuit.

HISTORIA. XXVIII. GALENI, *De Epilepſia.*

Puer Epilepticus variis auxiliis præſeruatur.

EGo te Cæciliane, exiſtimabam , ad ægritudinem filij tui noſtris admonitionibus haudquaquam indigere, licèt vnum tātùm audiuerim, puerum tuum epilepſiæ acceſſionibus infeſtari: Conabor tamen, quantū fieri poteſt, manifeſtiſſimè enarrare, quanā vtens puer diæta non parùm iuuetur, & ab accidentibus B *quotidie ipſum inopinatè inuadentibus minimè lædatur. Namque puerum neceſſe eſt * interdū occurrere magnis frigoribus, immenſis caloribus, ventis validis, balneis malis, cibariis caput tentantibus, rotarum obuolutionibus, coruſcationibus, tonitruis, vigiliis, cruditatibus, triſtitiæ, iracundiæ, laſſitudini , & aliis huiuſcemodi rebus, à quibus corpus vehementer moueri ſolet.*

*Accedente vere puerum purgandum affirmo * mediocri purgatione. Manè mediocri deambulatione vtatur. Nam ſumma curationis in his duobus cōſiſtit, in vſu videlicet à me tibi dati pharmaci, * & in exercitij modo. Sit autē ſcopus in exercendo, quò calefaciat : ad quantitatē quidem, vt puerum non fatiget, calefaciat corpus, nec corporis habitum colliquet. In qualitate, vt omnes partes, caput præſertim, & ventriculus roborentur.*

*Poſt hæc ad prandium eat, & priùs quidpiam ventrem molliens aſſumat, vel olus, vel ſalſamentum, vel ptiſſanam, vel oliuas, cum tertia parte panis: reliquas verò duas * in cœnæ tem-* C *pus ſeponat cum valētioribus obſoniis. * Ex oleribus igitur, nec à lactucis, nec à malua, nec ab atriplice, nec à blito prorsùs illum prohiberi iubeo , non tamen idem ſemper capiat volo, verùm aliàs aliud moderatè. Ex eodem eſt genere beta, braſſica: Porrum quin, & apium, & ſmyrnium deguſtare conferet. Et de horariis fructibus quicunque non ſunt penitùs crudi, aut ſuapte natura difficulter concoquuntur: ij nāque & ſuas ipſorū ſuperfluitates, & aliorum etiam eſculentorum retinere conſueuerunt.*

*Ergo & mora , & quæ præcocia nominantur, & ficus, & ſi qui ſunt eiuſmodi notæ, ſine moleſtia deſcendunt, & cucurbitæ: Itémque * pepones cucumerini, maturæ etiam vuæ, mala verò, & pyra raro , & in parua quantitate deguſtet : quin etiam & ficus , & dactylos moderatè. Caueat ab iis eſculentis, quæ pituitam generant : Quare in cibariis, craſſos, frigidos, viſcoſóſque humores generantibus non eſſe immorandum cenſeo, vt* D *atriplex, blitum, & malua, quæ ſanè vt deguſtet non prohibeo, aſſiduum autem eorum vſum vehementer damno. Ex hoc genere ſunt cucurbita , cucumeres , poma, pyra , & quæ humorem craſſum, pituitoſúmque gignunt : vt fungi; ab iis enim omninò abſtinere conſulo, ſicut à rapis , radicibus : exceptis iis , quæ acrimoniam quandam, & caliditatem in ſe habent, vt dauci, raphani. Et alia quæ acria ſunt , & incîdunt , dummodò non ſint mali ſucci, capútque non repleant; vt vinum, ſinapi, cæpa, ſmyrnium , nam licèt lentos ſuccos incîdant , tentant tamen caput ob caliditatem.*

Obſonium ex capparibus cum oxymelite parare poteſt, quod eſt veluti huius morbi medicamentum , præcipuè ſi ſit acetum ſcilla condîtum, quod, ſi quod alterum, ſummoperè laudo.

Igitur poſt cibum, vbi paululum temporis intermiſerit, priùs quàm ad ſtudia diſciplinarum accedat, leuiter deambulet cenſeo : & *ante cœnam hoc faciat : & carnes ex omnium auium* E *genere præter paluſtres aſſumat. Ab omnium autem quadrupedum eſu præcipuè abſtineat. Cogente tamen neceſſitate, * domeſticis ſuis extremitatibus , & ſtomacho vtatur , ſylueſtris verò carnibus benè vti poteſt : hædorum carnes deguſtet , & nonnunquam leporum , vel conditas anetho , porro , ſale , oleo vel aſſas.*

*Ex marino genere cruſtacea incommoda , cartilaginea nocua, oſtrea, & ſquammis carentia peſſima. * Ex piſcibus ſaxatiles, & pelagici, optimi ſunt.*

De leguminibus præcipua eſt ptiſſana, hāc ſequitur lēs, alica, piſum , alia omnia mala, & quæcunque difficilis ſunt coctionis, craſsúmque ſuccum aceruare conſueuerunt, vt oua indurata,

caſeus,& ...qua,&c.Gal. in hiſtoria,ſiue conſilio de puero e...ptico,à cap.1.vſque ad cap.9.

PARAPHRASIS.

PLacuit hanc Hiſtoriam, ſiue conſilium de puero epileptico in duas partes diuidere. In prima victus quotidiani rationem abundè enarrat,& alia circa res non naturales præcepta obſeruanda præcipit. Illud præfari primò oportet,huius hiſtoriæ dignitatem eſſe maximam, & præſtantiam multam;Nam hoc conſilium germanum eſt, & ab officina Galenica depromptum : hoc autem ita eſſe, præter Auic. teſtimonium 1.3. *tract.*5. *cap.*11. omnia ex hoc libro in ſuos canones documenta mutuantis,vt teſtatur Coſtæus *in com.* ſuadent plures, eæque euidentiſſimæ rationes ; Nam loquendi modus genuinam Gal. doctrinam ſapit manifeſtè, cui dicendi ſtylus , ſententiarum pondus, veritas dictionum,& vtilitas maximè conſentiũt, ex quibus librum alicuius grauis auctoris , certis veluti coniecturis venari docet Gal. *lib.*7. *Aph. com.*64. Phraſis etiam,à Galeni methodo tradita in aliis libris minimè diſtat,quũ accuratè ſalubria conſilia,pro huius, ſicut & reliquorum morborũ præſeruatione proponat.Quapropter Hiſtoria hæc ſententiarũ plena eſt pondere , compoſitionis venuſtate,& elegantia preclara.Quidquid(falsò tamẽ) Ioannes Baptiſta Syluaticus *in com. Hiſt.*10.*Gal.in fin.*aliquorum locorũ cõtrarietate perterritus, aliter contendat.

Tu verò in huius non abeas ſententiam , quòd videas in hoc libro plurima , quæ contradictionem maximam, ingentémque ſcrupulum ingerere videntur. Graue enim eſt, &, vt ita dicam, piaculo plenum, imò ab omni priſcorum doctrina abhorret, maluam epilepticis , pro præſeruatione propinaſſe in hoc documento , dum ſic ait. *Ex oleribus igitur minimè eum prohiberi iubeo à malua,&c.*Cum ab ipſa , vtpotè craſſos ſuccos gignente abſtineat infrà, *in verbo : Vnde etiam aliis, quæ viſcoſos, frigidos, aut craſſos humores generant , haudquaquam eſſe immorandum cenſeo, huiuſmodi autem ſunt blitum , malua , &c.* & maximè cùm maluæ lentor inſit ex Gal.2. *de alim. facult. cap.*42. cuius vi lentum ſuccum gignere nata eſt.

Secundò.Si epilepſia à craſſo humore ortum ducit,cur concedit pepones, & lactucas , quæ frigidum humidum præbent alimentum ? 2. *alim.*4. *&* 40.

Tertiò.Cur vinum in hoc affectu prohibet,vtpotè caput tentans, & vltra modum æſtum inducens, quum caput roboret , coquat humores , & crudorum humorum generationem impediat ? Firmat Gal. *lib.* 5. *Aph. com.*5. dum inquit. *Subſtantiæ igitur copia vinum neruis conuulſionem conciliat,ſua verò qualitate neruos calfaciendo & exſiccando,rurſus eam affectionem ſanat,quam effecerat,&c.*Quare vinum in frigidis neruorum affectionibus poteſt eſſe ex vſu:Nam exſiccat,coquit,emollit,diſcutit,ex Gal.2. *de fract.*72. omnes humores bonos reddit , 7. *Aph.com.* 56. virtutem animalem refocillat, ex Auic.3.1. *doct.*2.*cap.*8. dum ſic ait : *Virtutes alleuiat animales, & requieſcere facit, &c.* Et omnibus cerebri frigidis ægritudinibus remedio eſt.Ex Gal.7.*meth.*6. Audi ipſum *in lib.*8.*ſect.loc.cap.*7.*optimè enim in ipſis faciunt,quoniam cum hoc quòd intemperiem curant,etiam alere poſſunt ; & ob id etiam vinum conuenientiſſimum eſt,modò non febricitent,aut ſit eryſipelas,aut abſceſſus,aut calida intemperatura ægrotantibus;nam & nutrit, & concoquit,& roborat,& putrefactioni reſiſtit:etſi intemperies facta ſit ex frigiditate,vel humiditate;etiam citra moleſtiam, & ſecurè perſanat, &c.* Deinde ſi vinum negat , quoniam ob æſtum caput tentat , cur non porrigit aquoſum , ab aquæ qualitatibus,colore & ſubſtantia non diſſimile?nam hoc caput non ferit ex Aëtio.*tetrab.*1.*ſerm.*2.*cap.vlt.* immò tantum abeſt,vt calorem inducat,vt refrigeret,3.*acut. com.*2.*&* 6. *&* 12.*meth.*4.16. *nec enim inuenies ex alborum genere calidum vllum, &c.*

Quartò. Cur ab oliuis epilepſia prehenſos non arcet, ſi craſſum , & melancholicum præbent alimentum , 3. *de loc.*7. & difficulter coquuntur , ex Auic. *lib.*2. *tract.*2. *cap.*531.

Quintò. Quare lentes concedit , ſi eas illicò reprobat,quòd craſſos generent humores,& nigros,3.*de loc.*1. & alibi paſſim ? Nónne vereberis in frigido morbo , frigidum exhibere edulium , quale eſt lens ? apud Hipp.6. *epid.ſect.*5.*text.*32.

Sextò. Si in hoc morbo purgationem vt ſalubrem inſtituit, cur ſanguinis miſſionem ſummoperè neceſſariam prætermiſit?quam,poſt eum cæteri, vt præſentaneum auxilium approbarunt , edocti ab eo , *in lib. de curand. rat. per ſang.miſ.cap.*19. comitiali morbo obnoxios,ſectis venis in cruribus perſanante.

Vltimò. Cur ad inuadentem acceſſionem oxyrrhodinis eſſe pugnandum non edocuit , quum iis applicitis roboretur caput,& influxus humorum impediatur:vt conſulit Raſius 9.*ad Alm.*8. nam repellendus à capite humor eſt, quiſquis is fuerit.Sic in lethargo frigido planè affectu,13. *meth.*21.horum vſum approbat.Inſerta ergo ſunt plurima huic Hiſtoriæ,quædam falſa,alia adulterina,& vt ad libitum prolata, quæ tanto auctore videntur indigna.

Ne tamen videantur , qui contrariam tuentur ſententiam , etſi argumentis minimè ſtabilitam, de nobis victoriam reportaſſe, rationes ſingulæ obiectæ (has enim tantùm , vt reor, obtrudere poſſunt) ordine ſunt diluendæ. Nam maluæ vſum nõ prohibet moderatum,ſed aſſiduum Gal.vehementer condemnat,quam aſſumendam conſulit, vt medicamentum ſuapte natura aluum emolliens. Quod eſſe pro hoc , & aliis præcauendis morbis neceſſarium auxilium vnanimiter priſci docuere : Plurima enim mala quæ in animalis perniciem generantur, propinat ventris ſuppreſſio.Ex hac ſequuntur capitis grauitas,vertigo,ſtomachi ſubuerſio, lancinatio, vomitus, nauſea, proſtratus appetitus, oris ſiccitas & amaritudo , ructus iniucundi ac viroſi,ſpiritus graueolens,ſomni ſuſpenſi,inflationes,tormina,voluuli,& demùm plenitudines,articulares morbi, omniáque mala oriri poſſunt. Neque maluæ ſua deeſt caliditas, *vt cit. de alim. lib.* retulit Gal.

Ad ſecundam facilior eſt reſponſio. Nam ſi lactucas, & alia frigida alimenta epilepticis dixeris conceſſiſſe Gal. quando hic morbus à calido humore , bile nempè , & ſanguine originem ducit, vera propones , à quibus ſuccis oriri poſſe *ſuprà* demonſtrauimus. Quam poſitionem dilucidè approbat Auic. *loco cit. cap.* 11. quo loco lactucam , & coriandrum ſuapte natura ſtuporem inducens, ex Dioſcorid. *lib.*3. *cap.*67. ſummoperè vetat , niſi quum comitialis morbus à cauſa calida habuerit ortum.§.*Et ex iis quidem conceditur lactuca , ego verò non plurimùm eam laudo ; & conceditur eis coriandrum, quia prohibet vaporem, ego verò vitupero eis ipſum , & eius multiplicationem, niſi in ſanguinea, & cholerica, &c.*

Tertiam verò facillimè dilues,ſi dicas:Ex eo vinum interdicere, quoniam partibus neruoſis eſt inimiciſſimum, ex Gal.3. *de temp.*2. qua de cauſa, inter ea, quæ Podagricam concitant affectionem , connumeratur à Gal.6. *aph.* 28. Auic.2.3.*cap.*4. Quo loco aquam vino meliorem eſſe conteſtatus eſt, & præſertim in principio, vbi magis poteſt officere,quàm iuuare.Si tamen in capitis affectibus id facit in manifeſta declinatione , & corpore ſæpè iam, & exquiſitè repurgato:Quam ſententiam firmat. Auic.22.3. *tract.*2.*cap.*7. qui adeò formidat vinum in cerebri affectibus,vt id omittendum cenſeat,quovſque ſanetur æger ſanatione integra,& veniant ſuper eum quatuor tempora:& præſertim pueris, quorum neruos emollit,5.*aph.*5. & ſemicrudos humores ad caput defert, ex Auic.3 1. *doct.*2. *cap.*7. Quo nomine aquoſum , quum promptè penetret, condemnandum:in impuro enim corpore aceſcit,ex Auic. 2.3.*cap.*4. Denique vinum vt alimentum , copioſè ſumptum nocere poteſt , vt medicamentum modicè exhibitum confert.ex Auic.*loco nup.cit.*§.*& vinum antiquum parùm valdè confert ægritudinibus neruorum omnibus,&c.*

Ad quartam. Plurima à Medicis in ægrorum gratiam conceduntur,quæ licèt in optimorum alimentorũ genere non reponantur,quum tamen grata ſint,ſuauia,& ab ipſis valdè expetita , in parua quantitate offerri poſſunt , iuxta Senis legem 2.*aph.*38.cibus enim cũ voluptate,& iucunditate aſſumptus,vt ait Gal.*in com.*ſi non ſit multùm deterior,tantum abeſt,vt maneat peior,vt quandoque melior

reddatur,

reddatur,amplectitur enim meliùs à natura,& ſic coquitur faciliùs: vt explicant inter omnes Brudus *lib.3.de reg.febr. cap.23.*Ludouic Mercat.*lib.1.indicat.cap.1.in fin.* Quo fit, vt oliuæ,etſi præſtent alimentum paucum, & melancholicum,capútque tentent,ex Dioſcorid.*lib.1.c.* 117. tamen ſi parcè, & voluptatis gratia aſſumantur, & in poſtrema menſa,plus iuuent,quàm noceant;ſuperiorem enim ventriculi partem ſtipticitate ſua cùm roborent, vaporum ad caput exhalationẽ impediunt. Vide de ſuauis alimenti,licèt reprobi,vtilitate Gal.*5.de ſanit.3.& 6.epid.ſect.4.com.*8 & Ambroſium Nonnium *in comm.cit.ſent. Hipp.l.2. Aph.*

Quinta non temerè,& citra meditationem venit interpretanda. Videtur enim Hipp.lentes frigidiſſimas conſtituiſſe,cùm Gal.renuat *in com.*affirmãs,ipſas,calidas habere partes, quarum vi attenuare, & aluum ſubducere poſſunt:ex ipſo *3.ſimpl.4.& l.8.eiuſd.cap.53.*Non erunt ergo frigidiſſimæ, provt quiſpiam inſeruit, qui haud rectè de lẽtium viribus opinatus eſt: Libérque non eſt legitimus, ſed magno Hipp.adſcriptus,cuius ſententiã ſugillat Gal.*in com.*& vel à Theſſalo eius filio compoſitus, ex Gal.*lib. de diff.reſp.3.& 6. epid.in proœm.& eodem lib.ſect.1.com.2.& ſect.2.com.*44.Niſi cum Valleſ.*in com.* dicas,ipſas frigidiſſimas eſſe, quoniam pauci ſunt nutrimenti; paucúmque ſanguinem generant: calidum autem eſt, quod ſanguinẽ, & calorem adauget. Exhibet autem eas infrequenter, & benè decoctas; ſic enim paratæ, omnem flatulentiam deponunt. Vel earum primum ius in prima menſa acceptum propinat,quod naturã ad excretionẽ proritare ſolet,quod opus ad morbos cerebri arcendos ſummoperè præſtat.

Ad ſextam. Sanguinem non emiſit, nam hoc auxilium vires debilitat, & puerorum facultates ad ferendum tantum remedium collapſas eneruat,& labefactat:& maximè cùm à pituita, & crudis ſuccis oriatur hoc malum,in quorum præſentia vires adeſſe non poſſunt. Si tamen cum iis ſanguis permixtus abundaret, ſanguinem exhauriret, vt *cit.locis* ipſe conſuluit: cuius mentem ſunt imitati Paul. Oribaſ.& Auic. qui in hoc morbo, ſi adſint plenitudinis ſigna, ſanguinem fundendum eſſe imperarunt, vt *ſuprà in com.Hiſtor.26.*diſſeruimus.

DVBIVM XV.

Num in Epilepſia capiti oxyrrhodina apponenda.

DE Septima dubitatione maior poteſt eſſe lis,& controuerſia:Cui priſci occaſionem dederunt,quoniam nullam oxyrrhodinorum pro hoc leuãdo affectu fecerunt mentionẽ,excepto Raſio,*qui lib.9. ad Alm.* 8. imponenda conſulit,dummodò à ſanguine originẽ ducat. Hæc eſt cauſa,quare Gal.hîc, recentioréſque omnes hoc auxilium in hoc morbo curando,ſicco pede pertranſeunt,quia à frigido humore ferè originem ducit, quem repellẽtia amplius impingunt & arctant; & media compreſſione ad cerebri ventriculos protrudũt, & obſtructionem augent. Hæc ergo ſolùm proſunt,quum à calido humore,vapore mordaci, aut venenata qualitate proficiſcitur:quorum vi,acris humor temperatur,roboratur cerebrũ,& ſic facilè noxios ſuccos à ſe depellit. Hoc tamen intelligas velim de epilepſia quæ per conſenſum fit; nam quandò cerebrum,primaria affectione laborat; in certum damnum ruet auxilium. Hæc enim capiti admouentur ad impediendum humorem ad cerebrum influentem;in dicto autem caſu nullus humor ab aliis partibus tranſmittitur, cùm in illa ſit à qua dependet affectus. Diſpar autem eſt ratio in lethargo, in quo ſolum adeſt impedimentum, quòd humor poſſit incrudari;in epilepſia verò præter hoc damnum,alia ſuboriũtur incommoda.quibus maximè affectus ingraueſcit; quatenus compreſſo humore in circunferentia exiſtente, & ad ventriculos pulſo,obſtructio fit maior,& inopinatæ Apoplexiæ periculum imminet.

COMMENTARIVM.

INterdum occurrere.] Repetit Auic.*loco cit.* nam frigus nimium, cerebrum impensè debilitat, penitiſſimè irA ruens animales ſpiritus extinguit, & humorem craſſum reſolutioni contumacem reddit. Calor autem æſtuans,& feruidus ambientis, tum extrahit innatum ad extra, reſoluítque, tum ſpiritum animalem; natura ſua tenuiſſimum rarefacit, & minuit, & lentum ſuccum intempeſtiuè attenuat; & liquat; quo titulo damnantur balnea mala, hoc eſt nimis frigida, vt ferrea, aut calida, vt ſulphurea. Inſuper vetat quæ caput tentant, vt allia, cæpæ,nutrimenta calidiſſimis aromatis condita, lac, ſinapi, porrum; ex cuius aſſiduo vſu concitatam, & eius abſtinentia ſublatam vidit epilepſiam Douynetus *lib.5.apolog. cap. 2.*

Demùm,vitanda præcipit quæcunque ſubitò alterare poſſunt. Ob terrorem enim pueros epilepſia facile corripi refert Chriſtoph.à Vega *lib.3.art.med. c.* 12. Quapropter
B laudandus Plato *lib.2. de republic.* monens ne matres figmentis, & fabellis filios terreant: ex qua cauſa puellam factam fuiſſe epilepticam narrat Mercurial.*lib.2.de morb. puer. cap.3.*Refert enim Matthæus Gradius *lib.9.ad Alm. cap. de phrenitid.* Filium ſuum epilepſia fuiſſe correptum ex inopinato tubarum clangore, & pòſt intrà decem horas occubuiſſe. Ne ergo pueri repentino pauore terreantur, ſic enim ſenſuum inſtrumenta ſubito impulſu conquaſſantur, quod ſolet efficere incondita hominis vociferatio, animantis mugitus,ceu grauis cœli tonantis fragor, *vt cap. 24. de morb.cereb. Iaſon.* edocuit. Quod malum triſtitiæ ſubitò obortæ accerſere ſolent, vt Montan. *conſil.*50.& Luſit.2.*cent. curat.*9. ſcripſerunt. Sic vigiliæ, immodicè reſoluendo innatum cerebri calorem,& cruditates gignendo, ita inſitum cuiuſque partis ignem dimi-
C nuunt, vt ſuccis frigidis,hac ipſa de cauſa,mirum in modum auctis,ampliùs deinceps ſæuiat morbus, & de nouo ferociùs exacerbetur. Sic etiam ira,aliíque animi affectus, commotis ſpiritibus, & agitatis humoribus; & ſic ſurſum plurimo vaporum prouentu commeante,epilepſiam concitant. Quæ animi pathemata, non ſolùm morbos, ſed & mortem improuiſam facere poſſe apud omnes eſt manifeſtum: vt explicat inter omnes Petrus de Peramato, *lib. de anim. facult. in med.*

Mediocri purgatione.] In morbis materialibus partium principum,paulatim vacuationem eſſe exercẽdam,ne harum robur confeſtim diſſoluatur,oſtendit Gal.*lib.7. meth. cap.vlt.*eleganter. In pueris autẽ mediocriter,nõ copiosè, hoc auxilium eſſe exercendum,præter Gal.*hoc loco* auctoritatem, plurimæ ſuadent rationes, tum quia inſitam ha-
D bent peculiarem ex tranſpiratione contractam vacuationem,qua aſſiduè reſoluuntur, tum quia debiliſſimam habent facultatem animalem,ob cuius imbecillitatem illicò fatiſcunt:iis ergo purgantia niſi magna neceſſitate vrgente exhibenda non ſunt; quibus ſi vti liceat, ea in minori quantitate quàm affectus, & cacochymia deſiderant,ſunt offerenda. Quibus autem medicamentis pituitoſus humor expurgetur, paſſim inuenies apud auctores.

Accedente vere.] Verno tempore, quoniam tunc humores moueri contingit, eſſe celebrandam præſeruationem morborum, qui licèt non ſint geniti, ob morboſam tamen cauſam in corpore latentem imminent, ambigit nemo. Nam præſtantius eſt, futurum morbum præcauere, quàm factum curare, ſicut meliùs eſt nauis gubernatori, antequam in tempeſtatem incidat, iter abſol-
E uere, quàm fluctuatum, periclitatúmque euadere, vt *lib. introduct. cap.8.& lib.de curand.rat.per ſang.miſ.cap.9.*docuit Gal. ſic apud Iuriſperitos, ſatius eſſe ante tempus occurrere, quàm poſt vulneratam cauſam remedium quærere, eſt vulgatiſſimum axioma. Quare *Si quiſpiam ſanus, paratus ad morbum, vacuatione non præſeruetur,ægrotabit.6.aph.com.46.*

Præcautoria ergo vacuatio ineunte vere eſt exercenda; præſertim quum melãcholici,crudíque ſucci copia abundat, à qua chronici morbi oriri conſueuerunt,cùm enim hic humor in hyeme aceruatus,ſit veluti cõcretus,aduentante vere fundi, liquaríque ſolet; morbóſque inducere: Nî bilioſũ humorem excipias,qui cùm in hyeme nõ generetur,ſed in fine veris, aut æſtatis principio, hoc tempore educendus eſt. In morbo autem à ſanguine orto, & in

principio veris,& in fine facienda eſt; Nam ſæpe ſanguis genitus in hyeme eſt craſſus, vere autem aduentante agitatur; interdum etiam ob veris temperiem in corpore accreſcit,& præ calore ebulliens,morbos inducit : quare in fine veris, ſanguis eſt detrahendus, de quo argumento plura leges *lib.3. in com.hiſt.vlt.*

Et in exercitij modo.] Exercitationem non ſolùm eſſe vtilem pro conſeruatione ſanitatis, ſed neceſſariam, diuino illo oraculo oſtendit Hipp. *6.epid.ſect.4. text.22.* dum ſalutis humanæ baſim,& fundamentum in laborum,exercitiíque tolerantia conſtituit. & *lib.1.de diæta, num.1.* ſic ait : *Homo edens ſanus eſſe non poteſt niſi laboret.* Sic Ariſt. *lib.1.probl.46.* ſalutare eſſe retulit, & ſanitati conſeruandæ accommodum valdè imminuere cibum, & augere laborem. Sic Plato *in Phædro*, & Celſ. *lib.1.cap.1.* otio,& ignauia marceſcere corpora, labore firmari,& fieri vegetiora affirmarunt,quod priùs prædixerat Hipp. *lib.de offic. med. text.28.& lib.3. de articul.22.* firmauit Gal.*lib.de cib. bon.& mal. ſucc.2. & 6. epid. ſect.5.com.10.* Hic ergo auctor *lib.1.de ſanit.tuend.8.*contra *Aſclepiadem, & Eraſiſtr.* acriter contendit, exercitationem pro conſeruanda ſanitate eſſe vtilem,& neceſſariam,quorum pueriles rationes ſoluit,& refert inter omnes Ludouic,Mercat.*tom.1.lib.2. claſ.2.quæſt.166.num.23.*

Cùm enim exercitium ſit motus vehemens, voluntarius, immutans reſpirationem, & ex multiplici coctione varia recrementa fuliginoſa,vaporoſa, & craſſa relinquantur, quæ ob diſſimilitudinem, nec aſſimilari,nec à facultate expultrice partium, cui hoc munus eſt demandatum,expelli potuerunt,ideò fuit opus exercitio,vt compleretur actio naturæ; illud enim motu valido calorem adauget, dilatat vias, excrementa reſoluit, & reſerando meatus liberat ab infarctu, excrementa detrudit, ex Gal. 2.*de ſanit.2.* & Auic. 3. 1. *doct. 2. cap. 1.* Quæ omnia, à ſola præſtari poſſunt exercitatione. Nam nec balnea, nec fomenta ſufficiunt, quum hæc ſolùm ex cute, & non ex ſolidis, & carnoſis partibus euacuent. Et medicamenta purgantia, etſi omnes ſuperfluitates vacuare poſſint,horum tamen copia ſingulis diebus collecta, minor eſt,quàm vt requirat expurgantis opem. Adde quòd hæc licèt mitia ſint,nocent & imbecillitant,ſi aſſiduè ſumantur, & vtilem benignámque partium humiditatem abſumendo, ad interitum deducunt: Quare valdè indigentibus,& ex longis interuallis, ſunt ex vſu *6.aph. 27.* quum corpus in prauam conſuetudinem ducant : natura enim redditur ignaua & pigra,& oblita muneris ſui non excernit, quouſque medicamento excitetur. Magna eſt ergo exercitij dignitas, & ad actiones naturæ obeundas valdè neceſſaria : argumento eſt, quòd villici alimento vtentes peſſimo,illius ope vitam inculpatam pertranſigant,quum nobiles multi, victu alti probiſſimo, ægerrimam ducant. Quòd membra inexercitata inualida fiant, gracileſcant, & extenuentur; exercitata verò roborentur, & creſcant : quo exemplo ars edocta, pro impinguandis corporibus tabidis, picationibus, & frictionibus ſumma cum vtilitate vſa eſt, vt Medicinæ proceres confirmant. Quòd homines carcere detenti, pallidi breui, & facie cachectica euadant : & demùm animalia,piſces,aues,quæ exercentur ſint meliora; otioſa reproba, inſalubria, inſipida, apud Auer. *6. collig.2.*

Ex quo conſtat homines conſueta exercitia relinquentes,omni morborum generi eſſe obnoxios,ex Gal.*lib.1.de diff.feb.2.*Nam *exercitatio ſpecies eſt vacuationis vniuerſalis*, *2.aph.com.17.& 4.aph.com.2.* ideò dimiſſio exercitij conſueti corpora replet prauis humoribus.Cùm enim vtilitas exercitationis ſit excitare, & augere calorem, cuius vi & incremento homines acquirunt meliorem diſtributionem alimenti, perfectiorem coctionem, & præſtantiorem nutritionem adipiſcuntur,vt monet Gal.2.*de ſanit. cap.2.* fit vt hoc relicto,torpeſcentéque hac de cauſa calore, refrigerato totius corporis habitu, omnes partium coctiones reddãtur deteriores,& ſic tractu temporis,extincto veluti inſito cuiuſuis partis calore, & ob recrementorum copiam ſuffocato, ex defectu alimenti marceant, & contabeſcant.In quem ſenſum dicebat Auic. 3.1. *doct.2. cap.1.*

A *in fin. Dimittens exercitium incidit in hecticam*, per quam non intelligit febrem,quam hecticã vocamus, ſed potiùs hecticam ſenectutis,quæ eſt tabes ſine febri,iuxta ipſum, 1. 4. *tract.4.cap.9.* Et Gal.*lib.1.de diff.feb.cap.11. & 12.* febres, atque alios morbos ex intermiſſa exercitatione concitari ſcribit : & 3. *de cauſ. ſympt. 2. 5. de loc.affect.7.* & *in lib. de articul. com.4.* hac de cauſa dyſenterias ſuboriri affirmat.

Gal.2. *de ſanit.2.in fin.* docet exercitationes hoc modo eſſe adhibendas. Antequam homines incipiant exerceri, debent priùs leuibus motionibus moueri,deinde ſunt fricandi, & vngendi, vt partibus fluxibilibus redditis, in valida exercitatione,ſine noxa contrahi poſſint,& diſtendi;ſícque hac præparatione facta, debiliter & cunctanter incipiant exerceri, paulatímque ad ſummum execitationis B perueniant:ceſſent non ſubitò,ſed remiſſa exercitationis vehementia,leuiter breui tempore moueantur,abſterſóque ſudore balneum ingrediantur, à quo, ſedata agitatione ad cibum accedant; aliter enim,ſi ſtatim exhibeatur cibus, quum diſtracto calore ad partes extimas, ipſe nec retineri, nec coqui poſſit, noxas inemendabiles facit, ex Gal.*3.acut.55.*Noſtris tamen temporibus, in quibus balnea, frictiones, vnctiones, & miniſtri deficiunt, ſatis eſt. ante validas exercitationes,priùs leuibus motionibus moueri,deinde mutata tunica, & abſterſo ſudore, debito interpoſito tempore quieſcere,& edere.

Portò. Exercitatio, vt ſanitati vtilis ſit, plures requirit conditiones,ſine quibus non ſolùm non confert, ſed nocere poteſt : ex quibus præcipua eſt,menſura & determinata quantitas exercitij, quæ cùm coniecturalis ſit, diffi- C culter,præſertim primis diebus cognoſcitur,vt 1.*de ſanit. tuend.7.in med.*Gal.edocuit.Certam tamen exercitij quantitatem definiunt plura, quæ latè repetunt Hipp. *lib.3.de diæt. num.5.* Gal.1. *de ſanit. 2. & lib.de conſuetud.4.* Paul. *lib.1.cap.16.& 17.* Aëtius *tetrab. 1. ſerm. 3. cap. 2. & 3.* Auic. 3.1.*doct.2. cap.2.* ea ſunt corporis rubor, color floridus, venarum intumeſcentia, ſudor cum vapore calido apparens, concinnitas, æqualitas, & iucunditas motus actionum. Quãdo exercitatio hos terminos non attingit, imperfecta eſt; nam perfectè calorem non auget, neque integrè expurgat excrementa, ſed humidum natiuum,calorem,viréſque diſſoluit.Immodica his ſignis agnoſcitur, non ceſſat rubor, cutis contrahitur,non apparet ordo,iucunditas, æqualitáſque in actionibus,ſed è cõtra moleſtia, laſſitudo, & mutatio in quantitate, & qualitate ſudoris D conſpicitur, ita vt ex multo paruus, ex calido frigidus erumpat: & hæc exercitatio ſolida membra colliquat.

Exercitationis differentiæ plures ſunt,nam quædam eſt multa,alia parua; quædam eſt velox, alia tarda; quædam eſt fortis, alia debilis; quædam eſt vehemens,& alia remiſſa. Rurſus exercitatio aut eſt continua,aut interrupta: illa aut eſt æqualis, aut inæqualis; inordinata, aut ordinata. Deinde, aut tota eſt motus, aut ex motu, & quiete compoſita,quas omnes differentias Galen.2.*de ſanit.cap.8.* cum ſequentib. Auicenna *loco cit.* exemplis explicant, & illuſtrant. Quæ omnes cuilibet ſano corpori non ſunt aptæ; ſunt enim nonnulli, qui ab eis vehementer læduntur : quare quiſquam exercitationem ſibi iucundam eligere debet, vt *lib. de ſalub. diæt.text.26.* ſcitè docet Hipp.

Qua tamen diei hora debeat celebrari exercitiũ Hipp. E non explicuit: ſolùm docuit labores debere præcedere cibos *lib.6.epid.ſect.6.text.4* Gal.2.*de ſanit.2.*tempus exercitationi accommodum præſcribit, quando cibus externus duplici coctione fuerit immutatus, in ventriculo, iecore & venis,quod ex colore, & ſubſtantia vrinæ venari docet.Nam ſi fuerit tenuis & alba, nondũ vtraque coctio peracta eſt;ſignum,quòd flaua bilis nõdum eſt genita,cuius vi tingitur vrina:& quando rufa,aut flaua eſt,iam cõſtat ſecundam coctionem fuiſſe peractam:at verò quando pallida eſt,nuper factam eſſe coctioné in iecore ſignificat. In rufæ,aut flauæ bilis præſentia exercitatio non cõuenit. nam bilem flauam accerſit. At verò quum vrina eſt tenuis & alba,inutile eſt exercitium,nam cibi crudi intempeſtiuè à partibus rapti,cruditates pariunt,obſtructionem

& putredinem gignunt. Solùm ergo corpora exerceri A poſſunt,quando vrina pallida eſt.

Veteres quoniam ſemel ſingulis diebus cibum accipie-bant,in æſtate horam matutinam,vt aptiorem, & tempe-ratiorem eligebant;vere,& autumno meridianam ob ean-dem cauſam; in hyeme veſpertinam, antequam Sol occi-deret : Nam ob breuitatem diei, reliquas horas in publi-cis negotiis,diſputationibus,ſtudiiſque abſumebant. No-ſtris temporibus quum conſuetudine antiqua ſancitum ſit,bis comedere in die, tempus exercitio opportunum eſt matutinum ; corpora enim ex ſomno, & coctione ſunt validiora : excrementa tamen alui, veſicæ,& cerebri per nares,os, & aures priùs deponere oportet; hæc enim de-tenta,commota,& extenuata,ventriculo,cerebro,& cordi nocere ſolent.

Hoc ſolùm obſerues, vt in corporibus debilibus, loco B exercitij frictiones conſulas : Nam frictio incidit , atte-nuat, craſſos ſuccos diſcutit, habitum corporis roborat, vegetiores coctiones procurat,dummodò inter mollem & duram modum ferueat; quoniam multa, & dura corporis molem deprimit;modica verò,& mollis implet,calorém-que naturalem ſuſcitat,& refocillat,vt docent Paul.*lib.*1. *cap.*18.Celſ.*lib.*2.*cap.*14.Auic.3.1. *doct.*2.*cap.*4. Quarum vim , & differentias breuiſſimè complexus eſt Hipp. *lib. de offic.medic.ſect.*3.*text.*25.& fusè explicat Gal.2.*de ſanit.* 3.4.5.6.*&* *lib.*5.*eiuſd.cap.*3.*&* *lib.*6.*cap.*2.

Quæres , cur ludum paruæ pilæ à veteribus inter om-nes exercitationes tantoperè commendatum,& pueris fa-miliarem,pro pueri epileptici præſeruatione prætermiſit? nam præterquam quòd eius apparatus facilis eſt,delecta-tionem pueris affert,& commoda multa ; cùm enim in eo C omnes corporis partes æqualiter moueantur,calorem vi-uificat, & auget, ex quo caloris incremento omnes natu-rales functiones feliciùs perficiuntur; ſucci craſſi , huius morbi cauſa,attenuantur,coquuntur,repurgantur,vt Gal. *lib. de lud.paru. pil.ferè per totum* , & Oribas.6. *collect.*31. manifeſtè edocent Dic : Prehenſis hoc malo ludum hunc valdè eſſe incommodum;in eo enim adſunt ſaltus,curſus, brachiorum agitatio,celerior erectio,atque depreſſio cor-poris, ceruicis firmitas, oculorum intentus aſpectus , ex quibus motibus, caput, oculi, & animalis ſpiritus in gy-rum,vertiginis in modum,aguntur, vnde epilepſiæ timor ſubitus imminere ſolet,quum cerebrum veluti rotetur,& humores irrequieto motu circumagantur.Si de aliis exer-citationum generibus plura videre cupis, lege quæ Mer-curialis elegantiſſimus *in lib. de arte gymnaſtica, ſeu exer-citatoria*, ex priſcorum mente conſcripſit.

In cœna tempus ſe ponat.] Ex diametro pugnat locus D Auic.1.3. *tract.*5.*cap.*21. de cura epilepſiæ : *Et ille cuius conſuetudo nõ tolerat,vt ſemel reficiatur,diuidat cibum ſuum, qui ſit minor ſaturitate ſuâ in tres partes, & ſumat duas ter-tias in prandio,& tertiam eius in cœna,poſt exercitium ſubti-le,&c.*Quam ſententiam ſequitur Actuar. *lib.*2.*de act. & affect. ſpirit. cap.*10. Sed conciliari poſſunt : nam vterque ſui temporis conſuetudinem reſpexit. Gal. enim cœnam copioſiorem conſuluit,ſomno & quiete alimentum perfe-ctiùs coquendum ſperans , & maximè quòd eo tempore cœna, nona hora eſſet conſtituta, ita vt tres à cibo horæ ſupereſſent,quibus crudi halitus per vigilias diſcuti que-unt, quominùs caput tentent. Auicennæ verò, & noſtro tempore,quum ad multam noctem cœna differatur, tan-tum temporis inter ſomnum,& cibum non intercedit.

Ex oleribus igitur.]Demum vitanda conſulit,quæ craſ-ſos ſuccos, lentos, & mucilaginoſos gignere nata ſunt, E capútque tentant ; de quorum genere cenſentur eſſe ab ipſo relata alimenta,præcipuè tamen legumina, quæ me-lancholica eſſe,& flatulenta,ratio dictat; Cùm enim folia plantarum,quæ primo vere ex nuper madente terra ger-minant,aquea ſint;flores anni progreſſu,aqua iam caloris vi diſſipata,aëreiſpoſtremò verò fructus : Legumina me-lancholica,& terrena ſunt : ex materia enim per æſtatem exuſta,ac arefacta terra prodierunt.

Olera 4. *collig.*41. Apud Auer. à tota ſubſtantia ad me-lancholiam parant, ſed videtur potiùs legendum ad cru-dos,aquoſóſque humores : ſola braſſica melancholica eſt, (cui adde Cynaram,& Melongenam)ob copiam terræ; & flatulenta,ob debilem coctionem,quæ flatus multiplicat, ſicut perfecta diſſipat : quo titulo reprobantur fructus, abundant enim humido aqueo , & magis præcoces , ob breuem moram ſub coquente ſole : incolumiores ſunt autumnales,ob contrariam cauſam,vt ficus,& vuæ.

DVBIVM XVI.

Num Pepo bonis cibis ſit annumerandus, vt voluere Arabes.

P*Epones.*] Cur pepones concedit in epilepſia quòd al-uum emolliant ? Si craſſum gignunt ſuccum , & ad epilepſiam generandam quàm aptiſſimum, quum frigidi ſint, aquei, & mali cibi, quorum ſuccus æſtuantibus ſo-lùm, & biliofis, in parua tamen quantitate concedendus: vitioſum enim pariunt humorem,& corruptioni paratiſ-ſimum. Si tamen de ſanguinea epilepſia intelligas, Gal. à calumnia defendes. Nam aliàs pepones ſubuertunt ſto-machum,& choleræ morbos efficere conſueuerunt. Ma-thiol.vir apprimè doctus,facilè ab hac dubitatione ſe ex-tricaret , quippe qui *in apologia in Amatum , cenſura* 11: nimio fortè furore in eum ſæuiens, & excandeſcens, pe-pones,biliofos morbos generare affirmat,& id quidem,vt Simeon Sethi aſſerit , ſua dulcedine. Ex cuius ſententia conſtat , eorum ſuccum in bilem conuerti in ventriculo, quæ ad epilepſiam propulſandam,alióſque frigidos mor-bos debellandos confert eximiè.Sed Mathiolum, ſicut & Medicos Romanos multò anteà coarguerat Tral. *lib.* 12. *cap.*6. dum ſic ait. *Offendi autem ego pleróſque Romæ Medi-cos,qui nec nomen quidem peponum, tanquam bilem procrean-tium proferre audebant:quum itaque ego cuidam aliquando,& ſitienti vehementer,& æſtu flagranti, defatigatóque iniunxiſ-ſem,vt peponem aſſumeret,quidam præſens Medicus exclama-uit,homo cur ægrum magis vis occidere? annon didiciſti, quòd pepo bilem producit?* Lege Gal.lib.de alimentis,*vbi dicit ma-nifeſtò peponem comeſtum cholericos efficere. Laboraui igitur non parum,vt illis perſuaderem qui intellectu aſſequi poterant, Gal.non dicere hic pepones bilem creare,ſed choleram efficere: Choleram autem voco ſtomachi ſubuerſionem, cum vomitu, & perturbatione ventris* , *&c.* Ex quibus euidenter conſtat, quàm à Gal.mente,& varietate Mathiolus diſtet.

Per pepones autem intelligimus Angurias,cum Lacu-na *in com.cap.*124.*lib.*2.*in Dioſcorid.* quas fuiſſe à Gal. vo-catas pepones,plurimis ex Gal.doctrina deſumptis argu-mentis comprobare conatus eſt. Quidquid Pet. Vaezius eruditiſſimus *in com. medic. Lacunæ* reprobet ſententiam, quòd pepones ſub cucumerum genere contineantur; an-guriæ autem minimè, quum magnis melopeponibus ſint ſimiles.Nam quum Gal.ſub cucumerum genere contineri ſcribit,ſemper cognominauit pepones cucumerinos.Ne-que fidem adhibeas Mathiol. qui *loc.cit.in Dioſcorid.*cum Fuchſio angurias veteribus fuiſſe ignotas tenaciter con-tendit ; quum hic Botanicæ artis Profeſſor eximius, ita in hoc negotio ſtatuendo dubius ancépſve appareat , vt quid Gal. per pepones intellexerit , ingenuè ſe ignoraſſe fateatur.

Sunt ergo Pepones à Latinis Anguriæ,à Luſitanis *Ba-lancias*, ab Hiſpanis *Sandias* , à Flandris *Meloen-VVoter*, ſeu alio nomine *Ronde platachtige Pompoenen* dictæ, Me-lones aquei,magni,ventricoſi,lucidi, colore virides , læ-ues,quorum ſuccum cum interiori medulla,& præſertim adiecto ſaccharo,Hiſpani & præſertim Manritani,æſtatis tempore pro leuanda ſiti,& refrigerãdo bilioſo ſtomacho ad ſatietatem vſque deuorare ſolent. Quod quàm ſit à ra-tione alienum,nõ tantùm ſanitatis tempore,quàm vrgen-te febri,affirmabit qui ſequentes legerit rationes,non niſi ex Gal. facundiſſima penu depromptas. Num ſuccus hu-ius fructus aquoſus eſt,minimè coctu,nec lentus,vt par-tibus adhærere,aut nutrire queat:Quo fit vt relictus à re-gimine naturæ,táquam nutritioni partium valde ineptus, putreſcat,& morbos committat inemendabiles.Quoniam Pepones,ex Gal.*doctrin.*2.*de alim. facult.* 4. *&* *lib. de ven. ſect.aduerſ. Eraſiſt. cap.* 8. copioſam habent humiditatem,

qua innatant in ventriculo, cuius orificium aquoſa ſua ſubſtantia relaxant, lædunt, & imbecillitant; ſicque nauſeam, vomitum, & ſæuiſſimam concitant choleram. Quapropter ſanis reprobum alimentum, minimè conſtans, immò maximè fluidum præbere ſolent, & ad gignendas febres quàm aptiſſimum: ægris verò noxium, & mortiferum, & à venenorum natura non diſſimilem, vt *lib. de bonit. & vit. ſuccor. cap.* 8. Gal. confirmat: ſequuntur Paul. *lib.* 1. *cap.* 80. Aëtius *tetrab.* 1. *ſerm.* 1. *tit. de Pepone.* Cuius ſuccus licèt æſtatis tempore non noceat, cùm ob maiorem tranſpirationem noxius vapor exhalet; hyberno tamen tempore, calore ad interiora redacto, impeditáque ventilatione adeò putret, & corrumpitur, vt febres malignas accendat, quod de cucumeribus Gal. pronunciat *lib.* 2. *alim. cap.* 6.

Si verò plurimi febricitantibus ex bile, ſinceríſque tertianis Peponem concedunt, quòd bilioſum ventrem refrigeret, furentem bilem refrænet, & impetuoſos eius motus coërceat, & ſic eius aquam propriam eſſe omnibus febribus, quæ ſunt in vltima caliditate, aſſeuerant; de quorum numero præcipui ſunt Arabicæ familiæ ſectatores, vt Auic. 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 43. Serap. *lib. de ſimpl. cap.* 244. *Auer.* 7. *collig.* 12. Hi, vel de eo aſſumpto in paruiſſima quantitate; vel ſitis demulcendæ cauſa; vel ad præcauendam futuram ſiccitatem in ardentibus febribus frequentiſſimam, cuius lapſus ferè immedicabilis eſt; vel voluptatis gratia exhibito, ſunt intelligendi: quare in retorridis febribus ſyrupum ex ſucco eius cum ſaccharo concinnare ſoleo, qui præterquam quòd mirè ſitim leuat, ardorem compeſcit, ſomnum conciliat, & aridum corpus humectat, per vrinam, & aluum bilioſum humorem clementer euacuat; eóque loco ſyrupi de lactis ſero frequentiſſimè vtor.

Non negamus tamen in vrentibus febribus eius ramenta linguam ſcabram, & ſiccam demulcere: cuius vlcera, aphthas, puſtulas ab igneo calore concitatas abſterſione emendat, & ſalſugine ſua, palatum, & pariſthmia ab omni ſorditie mundificat; eiúſque ſuccum obſitam pædore cutem illuſtrare, ex quo cum farina ſubacto, ſmegma fit ad nitorem in facie conciliandum, ad delendos alphos præſtantiſſimum. De quo fructu plura lege apud Alzarium à Cruce Vicentinum 2. *cent. tit. de Peponib.*

Domeſtici quidem ſuis.] A quadrupedum eſu epilepticos arcendos conſulit: Nam ob exercitij paucitatem praui ſunt ſucci; veluti ouina, caprina, hircina, bubula, quoniam difficulter coquuntur & diſtribuuntur, & ſic ad ſucci probitatem omnium ſunt ineptiſſimæ carnes, craſſum enim ſuccum, & melancholicum generare conſueuerunt. Leporinam euitet, huic enim Ariſt. 2. *de partib. animal.* 5. magnam vim tribuit in augenda melancholia. Neque obſtat quòd ſanguine pollet tenuiſſimo probiſſimóque: nam perpetuò non conſentiunt cum ſanguine membra; ſic vaccinæ ius pinguiſſimum ſuauiſſimúmque, caro arida. Sic lac vaccinum butyro abundat contra carnis naturam. De quo argumento lege Manard. 13. *epiſt.* 4. Si verò *lib. de attenuante vict. & alibi*, ad diuturnos elegit affectus, frigidos & humidos intelligas, vt idem notauit Manard. 16. *epiſt. vlt.* Silueſtria conueniunt, quum enim magis exerceantur, ſunt ſicciora, & bilioſiora.

QVÆSTIO XVIII.

Quòd ſuilla caro, calida ſit & humida, contra Iſahac, & Petrum Hiſpanum, eius fidiſſimum interpretem.

Miror autem epileptico puero Gal. concedere domeſticum ſuem, cuius carnis alimentum frigidum, mucoſum, tenax, & humidum eſſe retulit ipſe *lib.* 3. *alim. cap.* 2. *&* 7. *meth. cap.* 6. Nam ſiue loquamur de porcello, aut veteri ſue, vtrumque præſtare nutrimentum peſſimum, & lentum patet manifeſtè: Ille enim cùm valdè pinguis ſit, humidiſſimam carnem habet, auct. Gal. 4. *acut.* 103. & *lib.* 3. *de alim. facult.* 1. Hic quoniam veteris victimæ ætatem habet, exiguè nutrit.

A Accedit auctoritas Iſahac, qui adeò frigidam facit ſuillam, vt nullam frigidiorem conſtituat, *in lib. diæt. vniuerſal. lect.* 34. *cap.* 31. §. *Concordant antiqui in hoc, quòd nulla animalia ambulantia, & corporis humani nutritiua, porcinis ſunt frigidiora, &c.* & *cap. de carne.* §. *Caro porcina cæteris omnibus animalibus eſt frigidior, &c.* Cuius ſententiam Petrus Hiſpanus fidiſſimus eius interpres *in* 4. *part. diæt. partic. cap. de carne porcina*, libenter amplectitur, ſequentibúſque rationibus munit ac defendit. Nam ſues ſunt pingues, & hoc denotat multam humiditatem. Et eorum caro craſſa cùm ſit, morbos frigidos gignit, ex Gal. 3. *alim. cit. &* 2. *aph.* 18. Fauet Gal. *lib. de atra bile, cap.* 6. §. *ſicuti contra, omnia temperaturam quàm illa frigidiorem nacta*, vt ſues, &c.

Deinde eius ſententia corroborari poteſt hoc modo. Sus animal eſt excrementoſum, amicum luto, & locis B vliginoſis, in quibus ſe volutat, & oblectat, & ſic frigidam carnem incoctilem, & coctioni contumacem habens; idcircò grandini, tuberculis, ſcrophulis, variiſque tumorum, & puſtularum generibus eſt obnoxium, teſtes ſunt Plutarch. 4. *ſympoſ. probl.* 5. Ariſt. 8. *de natural. auſcult. c.* 21. Plin. *lib.* 8. *cap.* 51. Antonius Gazius *de natur. carn. porcin. cap.* 83. Bruyer. 13. *de re cibaria: cap.* 1. Et hæc eſt cauſa communiter aſſignata, quare (vltra quàm quòd immundi ſint) Hebræis Deuteronomij 14. Suillæ carnis vſus fuerit interdictus. Si ergo ſues frigidi ſunt, & pluribus frigidis morbis obnoxij, cur alteri ſanitatem præſtare poterunt? Immò eorum caro raucedines, ſtrumas, grandines, & alui profluuia concitat.

Aduertas tamen oportet, à Gal. ſuillam carnem dici optimam. Sícque exquiſita febre tertiana affectis præter teſticulos, & alas gallorum, porcorum pedes, & cerebra, ac C porcellorum carnes in iure albo liquefactas præbet *lib.* 1. *ad Glauc. cap.* 9. *&* 7. *meth.* 6. conualeſcentium vires ſuillæ eſu reficere ſtudet. vnde Celſ. *lib.* 3. *cap.* 18. ſuillam, leuiſſimam eſſe affirmat; de quo argumento pulchra ſcripſit Mercurial. 3. *variar.* 8. Si autem Gal. hoc loco ſues epilepticis concedit, non de lactente porcello loquutus eſt, cuius eſum, ob viſcidos, excrementitios, crudóſque carnis humores ipſe *cit. de aliment. facult. lib.* tantoperè improbat. Quòd ſi de ſue, condito ſale, & deinde cocto anetho, & porro, ipſum loquentem intelligas, pronunciabis vera: Nam hoc modo hæc caro ſalſamento, croco, & pipere præparata minùs nocere ſolet; vt Gal. hoc loco aduertit, & Chriſtoph. à Vega explicuit. *lib.* 2. *art. med. ſect.* 3. *cap.* 9. Vltimò, Gal. vocat optimam ſuillam carnem, non porcinam: nam ſuem à porco differre probat auctor non vulD garis Athen. *lib.* 9. *dipnoſophiſtar. cap.* 5.

Num autem hæc caro ſit frigida, vt voluit Iſahac, an lida, nec veterum, nec iuniorum peritiſſimi ſatis explicarunt, Calidam eſſe Gal. 10. *ſimpl. tit. de ſanguine ſuillo*, inſinuare videtur, dum ſuillam magnam cum humana carne affinitatem habere, appoſita Hiſtoria oſtendit, illorum qui hanc pro ſuilla vendiderunt, quam edentes, ab hac, odore, ſapore, aut colore diſcernere non potuerunt. Quare ſi caro ſuilla humanæ ſimillima eſt, vtraque pariter calida & humida erit. Deinde Gal. *lib.* 4. *acut.* 103. temperatam facit. §. *in moderatis verò tum caliditate, tum frigiditate, cuiuſmodi ſuillæ carnes ſunt, &c.* Et *in lib.* 5. *meth. cap.* 12. §. *quadrupedum verò laudabilior eſt porcina, in caliditate, & humiditate temperata, &c.* Eius ſententiam ſequitur Auic. *lib.* 2. *canon. cap.* 610. § *Sanguis porci, & ſanguis hominis ſunt ſimiE les in omni re, ſicut & carnes amborum ſunt ſimiles in omni re, &c.* Cùm ergo ſanguis humanus ſit calidus & humidus, ſuillum ſanguinem, ſicut & ſuis carnem, eandem qualitatem habere, non eſt dubitandum. Et quoniam in caliditate, & humiditate parùm recedit à temperamento, idcircò temperata dicitur ab antiquis. Hanc ſententiam probant Auer. 5. *collig.* 32. Halyab. 5. *theor.* 21. & Rabbi Moſes 24. *part. aph.* 46.

Hoc ita arguunt multa. Primò, quòd ſuilla caro, auct. Hipp. *in lib. de vict. acut. ſect.* 4. *particul.* 102. omnium ſit optima, & alimentum optimum, & ad probos, optimóſque gignendos humores aptiſſimum præſtet, ex Gal. *lib.* 3. *alim. cit. & lib. de bonit. & vit. ſuccor.* 4. *&* c. 12. §. *ex animalibus, quorum natura ad bonos humores gignendos aptiſſima,*

ſues

ſues iam mediocris ætatis habentur, &c. Et *infrà §.ex pedeſtribus animalibus ſuilla caro probatiſſimus cibus, &c.* Et Haly *loc.cit.§.Suis cibus plurimus, & ſanguis ab ea generatus multus & melior ſanguine omnium carnium; eſt namque corpori magis conueniens, & homini conferentior, &c.* Secundò. Sus animal eſt fœcundum, ex Plin. *lib.8. cap.*51. & Varron. *lib.2.c.*4. *Fœcundiora calidiora ſunt,* vt probat Theop.1.*de cauſ.plantar.*27. qui ex ſue numeroſiores partus oriri affirmat. Tertiò. Sus animal eſt audax, fortis pugnæ, & audaciæ magnæ auctore Ariſt.1.*de Hiſtor. animal.*1. & *lib.6. eiuſd.*18. Hoc autem manifeſtum caliditatis eſt indicium, ex Auer.5. *collig.*30.*§.quia animalia audacia ſunt calida, & puſillanima ſunt frigida, &c.* Quartò. Quoniam ſues ferè pilos habent nigros, pilorum autem nigredinem caliditatis eſſe notam probat Gal. *in art. medic.*52.*&* 2 *de temper.*5. Quare Gal. 6.*epid.ſect.*2. *com.*44. nigriora animalia calidiora eſſe aſſeruit, quod etiam docuerunt Aët. *tetr.*1.*ſerm.*2. *cap.*88. Auic. *lib.*2. *tract.*2. *cap.*145. Raſius, *vlt.cont.ſect.*2. *c.*172. Theoph. 3. *de cauſ. plantar.*27. Quintò. Accedit Ariſt. auctoritas 10.*probl.*23. vbi quærens rationem, cur ſues pilos non amittant, præter alias cauſas proponit & hanc, quòd ſint calidiſſima animalia.

Contrariæ verò rationes commodiſſimam habent explicationem. Nam pinguedo frigiditatem non arguit, ſed humiditatem; quo nomine animalia pinguia cenſet reprobanda, vt ſues, 4.*acut.*103. Neque Gal. *cit.loc.de atra bile,* abſolutè porcinam frigidam dicit, ſed facta collatione ad animalia calida & ſicca, de quibus ſuprà loquebatur, qualia eſſe commemorat, quæ dentes pectinatim inſerunt. Si autem ſuilla morbos gignit, id ex accidenti euenire puta, cæterorum eduliorum more, quæ ſi rectè non coquantur, id efficiunt. Non ergo eſt ſuilla caro frigida, vt Iſahac, & eius interpres arbitrantur.

QVÆSTIO XIX.

Quòd piſces ſaxatiles ægrotantibus poſſint concedi. Contra Ronſſeum, & Conciliatorem doctiſſimos.

E*X piſcibus ſaxatiles.*] Non prætereunda eſt hoc loco inter Gal.Hipp.Celſ.& Arabes, circa ſaxatilium præſtantiam celebris contradictio, quæ hactenus ſcribentes excruciat, atque fatigat. Cur, ſi piſces ſaxatiles optimi ſunt ſucci, ſanguinem laudabilem, & temperatum gignunt, Celſus, vberrimus Hippocraticæ doctrinæ interpres, inter mali ſucci cibaria eos, connumerat *lib.2. cap.*21.§. *Piſces quoque ſaxatiles, &c.* Cur Arabes, hos piſces, prauos humores creare, & corruptioni paratiſſimos aſſeuerant, ſi alibi horum vires eximias celebrarunt? Quare ſi ſaxatiles reprobum præſtant alimentum, cur à Gal.epilepticis hoc loco conceduntur? Horum omnium exactam ſolutionem ad Principum mentem ſic accipe.

Piſces omnes frigidiores ex eo colligit Gal 6. *de vſu part.*9. quòd eorum cor magna non egeat refrigeratione, & quòd ſanguinem nullum, aut certè pauciſſimum habeant. Hos item humidos valdè eſſe, illud manifeſtè oſtendit: nam vitam in aqua degunt perpetuam, & præſertim ſaxatiles, quos vt humidiores febricitantibus concedit, 8.*meth.*2. & *lib.*1.*ad Glauc.*9. tertiana correptis commendat: & in *cap.*11. quartanariis exhibet, quoniam ſunt molli carne præditi, nihílque tenax habentes. Quo pacto in continua febre 4.*de ſanit.*8. & in cancro 2. *ad Glauc. cap.*12. eos propinare non veretur. Adeò enim hos præfert, vt carnibus anteponat, quum boni ſucci ſint, & non glutinoſi, 4.*de ſanit.cit.* & minimè noxium ſuccum generent. *lib.2.ſec. loc.cap.*7. Nutrimentum enim ab eis genitum. conſiſtentia eſt leuius eo quòd ex pedeſtribus deſumitur, adeò vt non affluenter nutriat, & celeriter diſcutiatur, auctore Magiſtro, 3.*alim.*26. Hi enim ſunt in ſymmetria quadam conſtituti, quamobrem omnes perpetuò ſunt inculpati, ex *cit.alim.*29. quum neque tenues, neque craſſi ſint, neque loca, neque alimenta mutent. Sunt autem pelagici, littorales, gobij, murænæ, bugloſſa, aſelli, & ſimpliciter piſces omnes, qui neque inſuaue, neque A mali odoris, neque glutinoſum quidquam guſtu repræſentant, ij inculpatum cibum præſtant. *lib.de bonit.& vit. ſuc.cap.*5. Ob quam cauſam in catarrho, & ſputo ſanguinis, vtiles ſunt, 5.*meth.*13. Quoniam quod ex iis paratur, non modò ad coquendum eſt facile, ſed etiam corporibus iucundum, & ſaluberrimum ex Gal. 3.*alim.*28. culpa enim omni carent, quicunque verſantur in mari dulcis aquæ experte, cuiuſmodi ſunt pelagij, & ſaxatiles, qui reliquos & ſucci probitate, & ſuauitate antecellunt. Eos igitur ſumpſiſſe perpetuò tutiſſimum erit, vt ait Gal. *lib.de bonit. & vit.ſuccor.*9.*& lib.de attenuant.diæt.*8.

Nam ſi piſcium electionem, & præſtantiam ponderemus, ij cæteris ſunt longo exceſſu præferendi. Cùm enim ab auctoribus laudentur, qui in pura aqua degunt, arenoſa, aut petroſa currente, qui velociter mouentur, medij in- B ter magnos & paruos, colore albi, carne molles, guſtu ſuaues, nec multa pinguedine reſperſi, vt Auic. *lib.2.tract.*2. *cap.*553. ſcitè edocuit, Saxatiles, omnes has habere conditiones, *ſuprà cit.loc.* Gal. oſtendit. Quare ſanguinem generant temperatiorem, ex Auic. *cit.loc.§. Quoniam illi, &c.* & ad bonos humores gignendos ſunt laudabiles, ex Oribas. *lib.3. collect.*15. Vnde Auic.1. 3.*tract.*4.*cap.*20. pro melancholico affectu demulcendo eos miris laudibus effert: ij enim ſelectiori, meliorique gaudentes pabulo, & minùs noxiis alimentis veſcentes, præſtantiores, & ſalubriores habentur: muſco enim aliiſque herbis aluntur, & hac de cauſa, proxima ſaxis domicilia parant, & in illis ſalubriora, purioráque paſcua carpentes conſeneſcunt.

Neque mireris quòd piſces nutriantur herbis, contra C Philoſophi dogma 8.*de hiſt.animal.*2. aſſerentis eos aqua nutriri & viuere; quam opinionem vallare nixus eſt Rondelet. *lib.*1. *de piſcib.cap.*12. & poſteà confirmauit Ioan. Lupus *ad tyron. lib.1. de re medic. dialog* 4. *ad fin.* Immò aquam nutrire carnoſum genus ſibi perſuaſere Cardan. *ad lib. Hipp. de aëre, & aq.* & Augen.2. *epiſt.lib.*2. *epiſt.*3. contra Gal.mentẽ 4.*aph.*13.*&* 3.*acut.*17.*&* 4.*de vſu par.*5. Tral. *lib.6. cap.de pleurit. tit.de vict.* Auer.7. *collig.*2. Haly 5.*theoric.*29. Iſahac *l.diætar.part.tit.de aq.* Auic.2.1.*doct.*2. *cap.*16. Nam aqua friabilis eſt, fluida, nihil habet lenti, quo affigi, aut adhærere membris poſſit, vt 10. *ſimpl.tit. de ſudore* Gal. edocuit. Nutritioni autem ſummè eſſe neceſſariam affixionem, probat Gal. 2. *alim.*64. & latè *lib.*1.*de nat.fac.*11. Quare aqua non nutrit, vt multis rationibus planum faciemus *lib.2.in com.hiſt.*54.

D Si autem piſces aqua nutriri aſſeuerat Ariſt. ita intelligendus eſt, ac ſi non ſola alantur, quoniam eos nutriri aliis piſcibus, eſca, luto, arena, carne, cœno, vermibus, herbis, radicibus, ſtercore, terræ excrementis, ibi Philoſophus inculcat. Quare alij piſces quum non habeãt hæc ſalubria paſcua, non ita præferuntur; ſaxatiles verò optimi ſunt, & ſubtilis carnis, quod ita eſſe docuerunt Iſahac *lib.diæt. vniuerſ. cap.*59. Auer. *lib.5. col.*31. Serap. *tract.*1. *cap.*22. Raſius 9.*ad Alm.*13. Haly 5.*theor.*25. Paul. *lib.*1. *cap.*50. Aët. *tetrab.*1. *ſer.*2. *cap.*131. Firmarunt recentiores, de quorum numero ſunt Hyppolit. Saluian. & Bouſſuetus *in lib.ſuis de piſc.* Rondel.*lib.*1.*de piſcib. marin.cap.*6. Ludou. Lemoſ.*in com. cap.*2. *lib.*8. *meth. Gal.* Aloyſ. Toreus *lib.de feb punct. fol.*127. Vega 2.*art. med. ſect.*3. *cap.*11. Anton. Merind.*exerc.*8. & Conrad.Geſner.*t.*3.*lib.de piſcib.ſaxatil.*

E Sed ſi hæc vera ſunt, & ex ſummi dictatoris, & Arabum promptuario decerpta, cur Auic. *lib.*2. *cit.* Raſ.3. *ad Alm.* 16. Auer.6. *collig.*18. hos difficilis coctionis eſſe, ventriculo moleſtiam inferre, ſitim gignere, prauos humores generare, celeriter corrumpi aſſeuerant? Quos à ſuperiorum auctorum mente, immò à ſua doctrina diſtare, nullus eſt vel mediocriter in arte verſatus, qui non agnoſcat, Piſcis ergo ſaxatilis ſi cum aliis probi alimenti cibis conferatur, mali ſucci dicendus eſt; ſi tamen cum cæteris piſcibus comparetur, optimum alimentum generat. Sic lactucam profert Gal.2.*alim.*40. ſuccum omnium olerum præſtantiſſimum præbere, cùm tamen ipſa humorem non omninò laudabilem gignat. Vel ſi Celſum & Arabes, Saxatiles inter praui ſucci cibaria numerantes, intelligas de ſaxatilibus ſine ſquammis, qui craſſi ſunt, & viſcoſi, ſcitè

diſſoluis. Ex quo patet erraſſe Ronſſeum *in com.* *Celſ. loc.cit.* qui pro ſaxatilibus legit ſtagnantes, quos ſummè deteſtatur Celſus *infra* §. *mali ſucci ſunt piſces quos ſtagna ferunt,&c.* Qui de cauſa ſaxatiles epilepticis concedi poſſunt, quum ſanguinem laudabilem generent, & inculpatū. Dic ſecundò. Epilepticis Gal. conceſſiſſe ſaxatiles cónditos aliis cibariis,quæ attenuare craſſum ſuccum queunt. Sic eos concedit in pleurit.*lib.*1.*acut.com.*27. §.*quòd ſi æger aquam mulſam pti ſſanámque faſtidiuerit, piſces ſaxatiles ſunt maximè idonei,ex qua,& porro, & anetho, & ſale,& modico oleo parati,&c.* Hoc enim modo parati ſaxatiles abſtergunt,& incidunt:Pro cuius loci maiori explicatione, lege eruditiſſimum Nicol.Rorar.*in contradict.*111.*Gal.*

Neque fidem adhibeas Conciliatori *diff.* 60. ſaxatiles non omninò in febribus approbanti, quò i hi ſint frigidi, difficilis coctionis, aquoſi; nam præterquam quòd modo ſuperiùs explicato hæ rationes ſint ſoluendæ: Gal. febrientibus concedit, quoniam humectant, refrigerant,ab ægris gratiam ineunt, & ſuauitatem. Quorum argumentorum ſolutionem vide explicatam apud Cardan.*lib.*2.*contrad.tr.*5.*cont.*24. Si verò de ſaxatiliū nomine,natura,condiendi modo, alimento, præſtantia plura ſcire cupis, lege Oppian.*l.*1.*de piſcib.*Paul.Iouium *lib.*20.*de piſcib.*Roman. Athenæum *lib.*7.*dipnoſoph.*12. Mercat. *tom.*1.*q.*164.*n.*49. Amat.2.*in Dioſcorid.*21. Vlyſ.Aldrouand.*lib.*1.*aquatil.*22. Iulium Alexaňd.20. *lib. ſalub.*2. Garziam Lopium *lib.de variarei medic. lect.*22. Rauiſ.Text. *lib.*1. *ſuæ officin. tit.de piſcib.diuerſ.*Lang. *lib.*1.*epiſt.*60.& Clariſſimum Ludouic. Nonnium *lib.*3.*de piſcibus ferè per totum.*

Deſinant ergo poſthàc medici, locorum quorundam repugnantia perterriti, in Gal.ſummum Medicinæ Magiſtrum,& veritatis conſtantiſſimum aſſertorem,ſpicula, teláque directiſſima iaculari, neque ei falſi notam inurant; ex grandi hac cum Hercule pugna, maiorem ſibi ineſſe gloriam arbitrantes,quum in eius fœcundiſſima doctrina, planā ſint omnia, vt cæcus ſit qui veritatem hanc luce clariorem non agnoſcat.

HISTOR. XXIX. GALENI, De Epilepſia.

Mel ſcilliticum, ad epilepſiæ præſeruatio-nem, præſtantiſſimum.

Medicamento autem ex ſcilla, purgatione præmiſſa, ſingulis diebus ſecurè filius tuus vtatur,priuſquàm ad palæſtram accedat. Nam ſi magna valdè fuerit ægritudo, & occalluerit, ſperandum ſanè eſt in quadraginta dierum ſpatio, hoc medicamento illam perfectè ceſſaturam: quoniam iam innumeros pueros nulla ellebori opera ſic curaui; Verùm poſt purgationem, priuſquàm hoc vtatur pharmaco, ſemel, aut bis abſinthium ſumere poteſt. Verùm quoniam plerique ſcillæ ſuccum non rectè conficiunt, huic ego ſermoni adiungam, quonam modo illam efficere ſim ſolitus.Vas quodpiam accipio à quo extractum fuerit mel, in quod ſcillam coniicio, manibus priùs illam in exiguas diſcerpens particulas, poſteà benè apto operculo illud obturans,extrinſecùs pelle circundans, & per quadraginta dies caniculares Soli exponatur: quo tempore exacto, reperire ſoleo ſuccum ex ſcilla expreſſum, quem colligens, quàm optimo melle concinno. Huius ſingulis diebus cochlearis pleni menſuram præbeo, pueris quidem minoris, adultis verò maioris. Cæterùm qui iſtud ipſum ex aceto faciunt, pharmaticum quidem validum admodum conficiunt, verùm neruis non innoxium, &c. Galenus in Hiſtoria de puero epileptico, à cap.9. vſque ad finem 10. cap.

PARAPRHASIS.

Diſſerit priùs de oxymelite Gal. quo pueros penitùs liberaſſe aſſeuerat. Nam humores craſſos, & viſcidos tenuat, & incidit hoc medicamen ob ſcillam, lendos & crudos coquit, mellis vi.Sed in hoc opere perficiendo

A & hoc morbo efficaciſſimo domando,excellentem,ac admirandam melli ſcillitico tribuit poteſtatem. Nam ſcilla apud Dioſcorid. Gal. cæteroſque primates Medicos vim exurentem, acrem, ac feruentem habet; cuius facultatis opere impensè calefacit,ſtomachicis,ſuſpirioſis,epilepticiſque ſummo remedio eſt. At cùm in agendo validiſſima ſit,mirúmque in modum ſubtiliet,incidat, ſanguinémque attrahat ad exteriora, vt ait Auic. *lib.* 1.*tract.* 2. *cap.*596. hoc medicamentum aſſumendum non eſt, antequam corpus exquiſitiſſimè vacuetur, ne fortè humores craſſi illius vi intempeſtiuè fuſi,& agitati,ad aliquam partem principem decumbentes,acutiſſimos,& exitiales pariant affectus,primariis morbis lōgè grauiores.Quare purgato corpore,tum ad partium robur conſeruandū,tum ad lentorum humorū incifionem, ſemel aut bis, abſinthium

B aſſumendum conſulit, priuſquam ad meltis ſcillini vſum quiſpiam accedat,tanta eſt ſcillæ vis ac fortitudo:de cuius vſu multiplici Dioſcorid.*lib.*2.*cap.* 164. & 165. Gal. 3. *de medic. facil. parabil.* 205. & 206. Gal.8. *ſimpl.* Paul.*lib.*7. Aner.5. *collig. cap.*42. latè diſſeruerunt. Si autem ex aceto fuerit pharmacum compoſitum, potentiſſimum eſt ad dictos vſus, ſed neruoſis partibus incommodum.Nam acetum ſuapte natura neruos offendit, (hi enim exlangues ſunt,& frigidi; quum enim refrigeret,& ſit tenuium partium,in neruorum mergitur profundum, atque in omnes ita penetrat partes, vt minimum quidem ex eis illæſum maneat, vt eleganter docet Gal.3. *acut.com.*39. quo fit vt partes facilè ab aceto refrigeratæ ſi neruoſæ, fibroſæve ſunt, purgamenta expellere nequeant, ſicque hæc retenta dolorem afferunt,& fluxionem de nouo accerſunt.Quare prudentiſſimè dicebat Hipp.3.*acut.text.* *sup.cit.*quòd ace-

C tum,vterum,vtpote neruoſum,dolore afficit,menſtrua retinet: quæ ſupreſſa, in cor,cerebrum, aliáſque præcipuas partes feruntur & grauiſſima, & pernicioſiſſima mala inducunt,vt doctè *in com.*Valleſ.& Mercurial.docuerunt.

Caue tamen ne incautè infantibus,aut pueris vſque ad quintum annum, hoc medicamentum propines; illorum enim ætas inualida,non fert huius auxilij valentem vim, quo, infantem,& canem, recens natos ſubitò mori vidit Michaël Ioan. Paſcal. *lib.*1. *de curand. morb. cap.*7. *in fin.* Quare tutiùs eſt ab hoc anno vſque ad 14. dimidium cochlearij exhibere, hoc eſt drachmæ dimidium: Nam cochlearis capacitas minor eſt quàm integræ drachmæ, vt ex Dioſcorid. priſcorúmque ſententia probauit Manard. doctiſſimus *lib.*11. *epiſt.*1.

Nec mireris Gal.epilepticos perſanaſſe,quum pueri eſ-

D ſent,qui mutatione ætatis curationem accipiunt, ex Hip. 5.*aph.*7.& 6.*epid.ſect.*1.*text.*4.Priſci enim vnanimiter docuere omes, hunc morbum curationi aliàs contumacem, & rebellem, in puerulis progrediente ætate ſanari. In adultis ſæpe curatum fuiſſe perfectè teſtantur, Eraſt. *part.*4.*diſp. contra Paracelſ.* Douynet.*lib.*3.*apoleg.cap.*12. Quid plura? Iacchinus *in lib.*9.*Raſis*, *cap.*14.*in fin.* plurimos ligni Indi potione,victúque extenuāte, & exiccante à ſe curatos gloriatur. Immò plures iam ſuprà citati auctores, ſetonibus ad nuchan inditis, & excitatis in diuerſis corporis partibus,fontanellis,multos epilepſia prehenſós,vel etiam ſenes ſanaſſe apertè confitentur.Neſcio ergo quod infortunium acciderit Gordonio viro grauiſſimo, qui *cap. de epilepſia* aſſeuerat toto vitæ ſuæ curriculo nunquam ſe vidiſſe epilepſiam perſanatam, etſi plura auxilia fuerit exlequutus. Licèt autem in adultioribus, &

E poſt mutationem ætatis, ſit difficilis curationis, quoniam morbus, qui tempore quo facultates erant robuſtæ, ex toto eradicari non potuit, oſtendit morbum à vehementiſſima cauſa excitari, quæ ſicut apta fuit præter naturam quodammodo morbum inducere, ita quoque potens eſt morbum ipſum fouere, & conſeruare;& maximè cùm progrediente ætate plurima humiditas congenita ſit exhauſta; & ex defectu caloris natiui humorum craſſorum copia ingrauefcat, quam,hac ipſa de cauſa, natura nec diſcutere, nec vacuare poteſt: tamen hos congruis auxiliis, ſanitatem perfectam fuiſſe adeptos, citati referunt auctores.

Obſeruatio

Obſeruatio XXIII.

Epileptici ſyrupo Nicotianæ curati.

MIrabilia ſunt quæ de nicotianæ vtilitate referunt auctores, præſertim Monardus & Cluſius: Sed mirabilius eſt quod de ipſius efficacia pro hoc debellando morbo expertus ſum. Plures grandes natu vidi, quibus plurima auxilia, nec cauteria in capitis ambitu aperta, diúque ſeruata opitulari potuerúnt, immò, malo in peius ingraueſcente, vitam cum morte commutaſſent, acceſſionibus ſæuiſſimis epilepticis prehenſi, niſi hoc excellens, aut vt meliùs loquar, antidotum præſtantiſſimum, tantùm malum extinxiſſet. Fuit autem ſerapium ex melle, & ſucco foliorum nicotianæ paratum, quo, lambitiui modo, bellè priùs purgato corpore, tribus horis poſt cœnam, quadraginta dierum ſpatio, quantitate vnciarum trium vſi ſunt, & nullus vnquam paſſus eſt recidiuam.

HISTORIA XXX. GALENI. De Epilepſia.

Epilepſiam * quartana ſanat.

A*Tque ita nouimus morbos comitiales fuiſſe à quartana diu infeſtante diſcuſſos, &c. Galenus* lib. 1. epidim. ſect. 3. com. 4.

PARAPHRASIS.

FRequentiſſimus morbus epilepſia eſt, contumax, & qui vix auxiliis medicis ſuccumbit. Pro cuius curatione fruſtrà Medici ſæpè plurima machinantur auxilia. Contingit tamen hunc morbum, alioqui importuniſſimum à quartana curari. Extat Senis edictum *6. epid. ſect. 6. text. 7. & lib. 5. aph. text. 70. A quartanis capti non admodum à conuulſionibus capiuntur; ſi verò priùs capiantur, & quartana ſuperueniat, liberantur.* Vberrimus interpres hæc verba proponit *in com. Morbi comitialis cauſa, frigidus craſſúſque humor eſt in cerebri ſinibus collectus, neruorúmque originem, ac præcipuè dorſi medullæ primum principium occupans. Huic igitur humori, & aliæ quidem febres proſunt, ſed maximè diuturnæ, & ex iis omnibus quartana potiſſimùm: itemque ea ipſa quartana, quæ longiſſima ſit, & cum rigore inuadat. Cùm verò horum humorum duplex ſit ſanatio, excretio ſcilicet, & coctio, ambas habet quartana: excretionem quidem ex rigore, (hæc enim ſola agitatio ſufficiens eſt craſſum excernere humorem) coctionem verò caloris febrilis ratione, qui rigorem conſequitur. Nam febrilis caliditas attenuat, diſcutit, temperaturam frigidam humidam ad calidius ſicciúſque redigit.* Has autem dotes in curanda conuulſione vniuerſali, quæ epilepſia eſt, & prærogatiuas, inter cæteras diuturnas Febres obtinet quartana, tum quod diu infeſtat, & ſit longiſſima, & humor iſte terreſtris & craſſus, vt extenuetur, & concalfiat, reqirit validum agens & importunum: tum quòd quartana ex natiua ſorte, hunc melancholicum frigidúmque humorem expurgat. Natura autem duobus malis oppreſſa, epilepſia & quartana, duobus intermediis diebus roborata, & facta vegetior, contra cauſam morbificam inſurgit. Quare omnibus frigidis & humidis affectibus ſuperueniens quartana, remedio eſt, & maximè epilepſiæ, qui diuturnorum omnium eſt maximus, teſtantibus ſic Valleſio, & Fuchſio *in com. cit. ſent. epid.* quo fit, vt vtile aliquando ſit morbum morbo depellere.

QVÆSTIO XX.

Quòd quintana febris non ſit peſſima omnium contra Vegam, & Brauum Petraſitanum, doctiſſimos.

COMMENTARIVM.

Q*Vartana ſanat.*] De quartana, vt dixi, nulla poteſt eſſe dubitatio. Cur tamen Quintana febris epilepſiam, alioſque cerebri frigidos affectus non curet, quum rigore, febrili calore, lentos ſuccos concoquere poſſit, meritò quiſpiam dubitare poteſt. Et maximè, quoniam pluribus diebus intermediis natura in quintano circuitu recreatur. Quo pacto quintana omnium febrium ſecuriſſima videtur cenſenda, & frigidis morbis ſuperueniens, ampliùs quartana æſtimanda. Contra eſt Hipp. edictum, *qui lib. 1. epid. ſect. 3. text. 9.* contrariam ſententiam vt veriſſimam pronuncians, ſic inquit. *Quintana omnium febrium eſt peſſima; etenim ante tabem, & tabidis ſuperueniens perimit.*

Sed hæc ſententia plurimas patitur obiectiones. Nam ſi hoc loco *com. 4.* affirmat Galenus quartanam febrem ſecuriſſimam eſſe quoniam intermediis diebus natura ab acceſſione liberata & expedita, munia ſua obire poteſt: cur hac etiam ratione quintana ſecurior non erit? Rurſus ſi Galenus *in com.* ait, eandem eſſe rationem ſecuritatis in quartana, quàm in ſeptimana, & nonana; quid ampliùs habet, vt omnium peſſima iudicetur? Demùm hanc doctrinam Galenus non exponit *in com.* Sed, vt Gentil. ait *in com. cap. 64.* Auic. 1. 4. *tract. 2.* eam ſicco pede pertranſit. Denique nulla ratio cogit, quintanam conſtituere omnium febrium peſſimam, quum inter quartanam & ſeptimanam, tanquam inter ipſius extrema conſtituatur, quæ febres, ſalubres & minimé lethales exiſtunt. Ad hæc, cur quintana erit peſſima omnium, ſi omnis intermittens, non eſt periculoſa? 4. *aphor.* 43. Quod autem Hipp. ante tabem, & tabidis ſuperuenientem perimere aſſeuerat, id non quintanæ, ſed corpori tabefacto, ac ſummè languido eſt referendum, quod ephemera febrjs, nedum quintana ſuperueniens perimit.

Auget ſuſpicionem incerti auctoris Galenus *lib. 3. epid. ſect. 3. com. 64. §. Memoria itaque repetamus etiam, quod cùm & primo libro, & ſecundo morborum vulgarium, tum multos ſeparatim ægros adduxerit, tum integras ſit tempeſtates proſequutus, nunquam quintanam, nec ſeptimanam ſcripſit, vel etiam febrim multorum dierum: nec verò in tertio libro vulgarium morborum; neque anteà, neque poſthac ad finem vſque. Vnde mihi in mentem venit, illa, quæ primo libro vulgarium morborum tradita ſunt, inſerta ab aliquo ſuſpicari vbi alias eſſe plurium dierum, quàm ſit quartana ſtatuit, &c.* Repetit *lib. 2. de diff. reſpirat. cap. 8. Sicuti nec* in tertio epid. *nec* in prgnoſt. *nec* in aphoriſm. *vnquam harum febrium meminerit, &c.*

Sed cùm Gal. 1. *epid. ſect. 3. com. 2. & lib. 1. feb. 5.* & Auic. *loc. cit.* febrium circuitum viderint vltra quartanum, præfatam Hipp. doctrinam amplecti cogor. Nam ex eodem humore, pauciore tamen & craſſiore, quo generatur quartana, quintanam fieri teſtatur Auic. *loc. cio.* Quid? nonne quintanum circuitum vidit Gentil. *in com. loc. cit.* Auic. & Ioan. Harculan. *eodem loc.* Octonanam expertus eſt Valleſ. 5. *controu.* 25. Amat. 7. *centur.* 75. Salius *cap. 12. annotat. ad Altomar. pract.* Nonanam viderunt Cornel. Gem. *lib. 1. coſmocrit. cap. 1.* Thomas à Veiga *ad com. cap. 4. lib. 2. de diff. feb.* Gal. Hebdomadariam febrim vidit Hector Gibaltus *in com. cap. 7. lib. 1.* Gal. *de diff. febr.*

Obſeruatio XXIV.

Decimana febris poſſibilis.

SExagenarius duobus annis decimanam expertus, vacuata ſæpiùs viſcida pituita, & vaſis deobſtructis (aliquantiſper enim illi intumuerat venter) aſſiduo aperientium vſu conualuit.

A decimo quinto in 15. diem, inuadentem febrem ſe vidiſſe teſtatur Gentil. *loc. cit.* in Bernardino de Peruſſio. Menſtruam febrim vidit. Idem *loco cit.* Scribit Anton. Beniu. *lib. de abdit. cap.* 84. Ioannem Architectum ſingulis annis ſtato die, hoc eſt quo natus fuerat, febri corripi ſolitum, quæ ex putreſcente bile genita, ſuum circuitum ſeruans, 14. non tranſgrediebatur diem, donec ſenio confectus, & ab eadem, ex more implicitus febri, natali ſuo die, vi morbi proſtratus occubuit. Antipatrum ſimiliter poëtam ſingulo anno, in die ſuo natali, febri correptum, ſenio confectum, eodem die à febre fuiſſe extinctum, Plin. *lib. 7. hiſt.*

*hiſt.nat.*51. & Valer.Max. *lib.*1. *memorab.vlt.* conteſtantur. Concedendus ergo eſt circulus vltra quartanum, qui ob materiæ paucitatem, & maiorem craſſitiem conſuetos terminos tranſgreditur. De quibus circuitibus (exceptis Arabibus) vtpote raris, & incognitis, auctores peculiare caput non conſtituerunt; quoniam harum febrium cura appropinquat curæ quartanæ phlegmaticæ, vt 1.4.*tract.*2. *cap.*69. docuit Auic. De quo argumento lege Coſtæum *in com. cap.*68. *Auic.loc. nuper cit.*

Quapropter ſi hæc vera ſunt, & probatorum auctorum fulta teſtimoniis, cur quartanum circuitum negabimus, aut Hipp. ſententiam operi inſertam eſſe ab aliquo dicemus? quod de correctiſſimis codicibus conqueritur Gal. *in lib.acut. de nat.hum. de humorib. & alibi paſſim.* Hanc tamen ſententiam, vt germanam, & Hipp. dignam, qui nihil ſcriptis mandauit temerè, Vallefius approbat *in com.* & exemplis illuſtrat Anton. Maria Venuſt. *in conſil.pro Ioan. Heluetio Foreſt.* 3.*lib.obſ.*43.

Non ergo adulterina prædicta Hipp. ſententia, prout falsò ſibi perſuadent Chriſt.à Vega, & Ioan.Brau.Petrafit. *in com. cap.*4. Gal.*lib.*2. *de diff.febr.* Quintana enim ex ſe ſalubris eſt, immò ſalubrior quartana, vt Gentil. affirmat, ob rationes dictas, quoniam minùs affligit naturam. Aliqua tamen quintana eſt vna ſpecies febrium deterior, & illa quintana eſt illa quæ vel præcedit hecticam, vel ad illam producit. Hanc ſolutionem primus omnium propoſuit Auic. *loc. cit.* qui Hippocraticam meliùs ſubodoratus eſt veritatem, §. & dixit Hipp. quòd *Quintana eſt deterior febrium, quoniam fit ante phthiſim, & poſt ipſam*, & dicit Gal. *in ea ſicut ſcitis. Et ego opinor huic ſermoni modum quendam, & eſt, vt per phthiſim intelligatur hectica; & ſit ſermo eius: Quintana ſubiectum propoſitionis indefinitæ non ſignificantis communitatem: ergo eſt quaſi dicat, quod quintana eſt vna ſpecies deterior febrium, quoniam ipſa eſt ante hecticam, & poſt eam, &c.*

Ex cuius dictis totam litem euaneſcere putamus, quem ſoluendi modum Gentil. & Iacob *de partib.* approbant *in com.* Vel ſi mauis (ſub explicato ſenſu) ſub nomine quintanæ intelligere omnes febres à pituitoſo, tenacique ſucco ſubortas, aſſeres rectè: ſolet namque Hipp. ſub vno exemplo cætera comprehendere, ex Gal. *lib.*1.*acut.*33.

Solue ſecundò. Quintana licèt in ſe ſalubris ſit, cæterarum tamen febrium intermittentium ipſam antecedentium facta collatione, nempè tertianæ, quotidianæ, & quartanæ eſt peſſima, quoniam difficiliùs eradicatur, quum fiat ab humore magis aduſto, vt probant Sauonarol.*cap.*15. *de feb.rubric.*8. Petrus Mercat.*tract.*9.*de febrib. cap.*3. edocti ab Haly *lib.*3. *pract.* 19. Sed percontaberis, & meritò, cur hic ſermo non poſſit etiam verificari de ſextana, ſeptana, octana, & nonana? illa eſt ratio, quòd quintana his faciliùs repetat per circuitum, & frequentiùs naturam fatiget. Quintana ergo eſt etiam ſaluberrima, & à magnis morbis, epilepſia, & aliis frigidis affectibus liberare poteſt, ſi cum phthiſi, aut hectica febri non complicetur. De hac tamen ambigua quæſtione liberum ſit cuique quod velit opinari, monente ſic Gal. *lib.*1.*prorrhet.ſect.*2.*com.*36.

HISTOR. XXXI. TRALLIANI, De Epilepſia.

Epilepſia rutæ odore curatur.

HOc in Thuſcia à ruſtico quodam accepi, qui dicebat aliquem caſu morbo liberatum fuiſſe. Rutam enim ſyluaticam, quam rure habebat, contundebat: & vbi conſeruus eius lunaticus concidebat, ipſe rutæ odore plenus, aggreſſus, nares ægri continebat: vnde ille excitatus, non ampliùs comitiali morbo laborabat. Expertus autem erat hoc etiam in alio, & morbo eum liberauerat. Atque ego ſæpiùs ita hunc affectum curaui. Mirabile igitur, & maximum medicamentum eſt, &c. *Trallian.*lib.cap.15.

PARAPHRASIS.

EPilepſiam lunaticum morbum, puerilem ecſtaſim ab Ariſt.30.*prob.*31.*ab* Hipp. 6.*epid.ſect.*1.*text.*5. fulgorem. Ab Auic. Arabibuſque puerilem morbum, matrem puerorum, morbum ſacrum, caducum, Herculeum, comitialem, ſonticum nuncupari traditum eſt ab omnibus, præſertim tamen à Mathæo *lib.* 9.*ad Alm.* 8. Mercurial. *lib.*2. *de morb.puer. cap.*3. qui horum omnium etymologiam explicarunt.

Cùm ergo conuulſio epileptica inuaſerit, neceſſe eſt ſenſus excitare, torporem diſcutere, craſſos lentoſque humores extenuare, ſecare, flatus reſoluere: quæ omnia à rutæ odore efficaciſſimè præſtantur; cuius laudes proprio experimento extollit Iaſon, *cap.* 23. *de morb. cereb.* quam non modò ad profligandum paroxyſmum, ſed ad morbum radicitùs euellendum prodeſſe, tenet Valleriol. 3.*obſ.*7. ſiue eius odorem æger inſpiret, ſiue ſuccum deglutiat, vel per ſe, vel cum melle ſcillitico permixtum. Demùm omnibus propemodum vitiis ruta remedio eſt, vt auctor eſt Paul.*lib.*7.*cap.de ruta.*

Sed quî fieri poteſt, vt rutæ graueolens odor epilepticam ſanet conuulſionem, ſi fœtida cerebrum concutiunt, labefactant, & epilepſiam concitant, quum cerebro maximè ſint aduerſa, ex Gal. 8.*ſecund.loc. cap.*3. nam fœtor eſt vapor quidam ex putreſcentibus corporibus ſubleuatus, aërem inficiens, & odorandi ſenſum contriſtans. Et Plat. *in Timæo*, fœtorem, moleſtam ſenſationem ex putredine vt plurimùm ortam, & naturalem eius ſymmetriam inimico quodam, contrarioque ingreſſu euertentem protulit. Quo nomine lapidis gagatis ſuffitus epilepſiam illicò accerſit, apud Plin.*lib.*3.*c.*18. Dioſcorid.*lib.*5.*c.*103. Aëtium *tetr.*2. *ſerm.*2.*cap.*14. Cæl. Aurel.*lib.*1.*tardar.*4. Aret.*lib.*1.*de cauſ. & ſign.diuturn.c.*5. Auic.*lib.*2.*tract.*2.*cap.*322. Qui omnes huius lapidis ſuffitum, ob fœtorem plurimos proſternere, & in epilepſiam præcipites dare aſſeuerant: quod ſimiliter de bdellio, bitumine, cornu ceruini vſti ſuffitu, & aliis graueolentibus eſt dicendum. Solue, hoc modo. Nam licèt fœtida ſpiritus labefactent, atque proſternant, quum putrida ſint, ab extraneo calore corrupta, & cerebro inimica, ex Gal. 1.*prog.vlt.& lib.*2.*eiuſd.operis*, 22. *& lib.*1.*de criſ.*11. *& lib.de diff.ſympt.*4. Sicque homines in ſonticum morbum præcipitent; tamen quà calida, & tenuium partium, epilepſiam factam curant ratione dicta; inſtar vini, quod etſi replendo neruos, eoſque emolliendo conuulſionis ſit cauſa, rurſus qualitate ſanat eam quam fecit diſpoſitionem, neruos calefaciendo atque exſiccando, vt disertè monuit Gal. 5.*Aph. com.*5. Sic fœtida, quà cerebro inimica epilepſiam concitant, factam tamen ſua caliditate perſanant.

Ad hæc ruta præter peculiares, ac manifeſtas dotes, aduersùs venena, præſentaneũ eſt antidotum. Narrant enim Plin.*lib.*8.*cap.*21. & Ariſt.*lib.*9.*de hiſtor.animal.cap.*6. muſtellam contra Baſiliſcum, alioſque venenoſiſſimos ſerpentes pugnaturam, rutæ eſu munitam atque armatam, intrepidè cum eis pugnam inire; & niſi ipſa, demortuo ſerpente confeſtim ſe ſubducat, paſtuque rutæ rurſus reficiatur, ex aëris fœdati contagione ſuffocatur. Tanta eſt huius herbæ aduersùs venenum excellentia, repetit Auic. *lib.*2. *tract.*2. *cap.*578. Et Gal. 2.*de alim.facult.*28. *& lib.de cibis bon. & mal.ſuc. cap.*8. rutam ad peſtiferam luem potentiſſimam eſſe aſſeuerat, ſi quis cum caricis, & nucibus permixtam edat, nam ab aëris inquinamentis ſuperſtes euadet.

HISTOR. XXXII. PAVLI, De Epilepſia grauidarum.

Epilepſia grauidarum, poſt partum euaneſcere ſolet.

*INſuper viſus eſt morbus comitialis quandoque prouenire etiã ab vtero in quadam muliere, quo tempore eſſet grauida, * à partu autem ceſſauit, &c.* *Paulus* lib.3.cap.13.in init.

PARAPHRASIS.

CОncitari epilepſiam ab vtero probant ex antiquorum mente Duretus, & Deſiderius Iacotius *ad aph.* 24.*ſect.*2.*lib.*4.*Coacar.* Ludou.Mercat.*lib.*2.*de vteri morb. cap.*5. Quid enim obſtat, quominùs aura quædam venenoſa ab vtero, ex menſtruo, aut ſemine retentis eleuata, cerebróque infenſa, vel in propria ſubſtantia, vel alteratis per continuum partibus, ipſi communicetur, epilepſiam paratura? concidentibus ventriculorum parietibus, dum ferientem, noxiamque auram à ſe depellere conatur natura. Rursùs quod inconueniens eſt eleuari ab vtero ſanguinem ad cerebrum, (cum quo maximè conſentit) & fieri obſtructionem ventriculorum eius, & epilepſiam concitari? quam poſſe oriri ex ſanguine, ſuprà ex veterum & iuniorum mente, affatim *in com.hiſt.*26. probauimus.

Hac de cauſa epilepſiam ab vtero in grauidis ſuboriri (quoniam tunc putria excrementa coërceri ſolent) teſtis eſt Fernel.*li.*5.*de part.morb.& ſympt.c.*3.Idem dicendum de vteri ſæuiſſima ſuffocatione, quam grauidas (licèt rarò) poſſe pati, & non niſi à vaporibus prauis ab vtero aſcendentibus concitatam, tenet inter omnes Mercurial. *lib.*4. *de morb.mulier.c.*22.*rubric.*3.*iuxta fin.*Cognoſces autē hæc mala in grauidis ab vtero oriri, ex ructu, ſtrepitu circa ventrem, lumborum tumore, & dolore circa renes, & coxas, ex diminuta menſium vacuatione. In plurimis, quæ licèt vtero gerant, eam habent, præſertim in primis menſibus, ſatis copioſam, ex adiunctis aliis vterinis ſymptomatis, & maximè, ſi epilepſia infeſtabat anteà ab vtero, antequam conciperent. Ex mœſtitia, taciturnitate, & timore, ortis ab hoc ſpurco, fœculentoque ſanguine in vtero retento. In hac conuulſione, nulla, aut quàm pauciſſima ſpuma per os erumpit. Demùm fœminæ ſic affectæ, etiáſi reliquis ſenſibus orbentur, frequenter tamē auditum ſuperſtitē habent.

QVÆSTIO. XXI.

Quòd in grauidis aliquando è talo ſit emittendus ſanguis. Contra communem Medicorum ſententiam.

COMMENTARIVM.

A *Partu autem ceſſauit.*] Quando epilepſia accidit in grauidis, auctores, qui de hoc argumento ſcripſerunt, leuibus auxiliis ſolùm contenti partum expectant, poſt ipſum tot mala ceſſatura, vacuato ſanguine menſali, ſperantes; vt hic Paul. infinuat: & Auic. firmat 1.3. *tract.*5.*cap.*8.*prop fin.* Et *ſimiliter*, inquit, *aduenit mulieri prægnanti epilepſia in impregnatione: quumque deponit, & euacuat materiam illam menſtrualem, remouetur illud, &c.* Et ſic Iacchin. *in lib.*9. *ad Alm.*14. ſe vidiſſe refert grauidas epilepſia prehenſas, quas poſt partum ſanatas fuiſſe commemorat. Et Deſider. Iacot. *ad cit. loc. Coac.* in grauidis ſopores, deliria, conuulſiones, epilepſiam ſuſcitari affirmat, quæ vitia facilè conquieſcere, diſcuſſo eo vapore per ſternutamenta, aut edito partu aſſeuerat. Et Ludouic. Mercat. *lib.*2. *de vter. morb. cap.* 5. *de varietate epilepſiæ ex vtero.* Roderic. à Caſtro *lib.*2. *de vniuerſ. mulier. medicin. eod. tit. cap.*2. qui de morbis grauidarum egere eximiè, nil aliud in hoc ancipiti caſu conſulunt exſequendum, niſi roborantia vtero, & naribus ſuffumigia apponere.

Hoc intelligendum eſt ſi leuis ſit epilepſia, & breui duret, qua detentæ fœminæ, fœtum vſque ad maturitatem geſtarunt, vt ait, Horat. Augen. *lib.*5.*epiſt. cap.*6. Si verò vehemens ſit, & propinqua Apoplexiæ, & conuulſionum vehementia, & diuturnitate ægram diuexet, timórque ſit ne ex his cauſis fœtus ſuffocari poſſit, ex quo abortus, & alia plurima matri damna contingunt, quid faciendum ſit, non explicāt viri peritiſſimi, licèt arduum ſit, & variis intricationibus plenum. Nam opitulandum eſſe vehemētibus auxiliis, morbi ſæuities indicat manifeſtè. Si tamē auxilia è ſuperioribus partibus celebres, malum ab vtero eſt: ſi ab inferiori regione facienda imperes, cōuocato humore ad vterum, timor eſt ne fœtum præcipites, ſuffoces, & abortum procures. Quid ergo faciendū in agone tanto? quo miſerrimæ, diro hoc morbo oppreſſæ ob Medicorū ignauiam, nullis factis præſidiis, partum expectantium, vitam ſæpè cum morte commutarunt. Et magis ſi ſint vicinæ partui, in quibus vltimis menſibus, maior adeſt copia ſanguinis impuri, qui ſi non exhauriatur, in cerebri ſedes expirans epilepſiam committit, & in vtero coërcitus fœtum ſuffocat. Dicam tamen libenter quæ ſentio, fidiſſimo experimento fretus, & ea auctorum lectione confirmata.

Conuenerunt vnanimiter Medici, nunquam in grauidis inferiores venas eſſe ſecandas, propter certum abortus periculum, quum fœtum & vnà matrem perire ſit neceſſe. Ego verò cùm contrarium veriſſimum eſſe exiſtimem, aſſeuero eos, qui vrgente neceſſitate in epilepſia grauidarum, (in vltimis menſibus) ab vtero orta, ſanguinem non
B eſſe è talo mittendum ſibi perſuadent, euidenti rationi, & doctorū virorum ſuffragiis aduerſari. Si enim fœmina ſit in 7.8.9.ve menſe conſtituta, & acutiſſima epilepſia, truculétiſſima vteri ſtrangulatione corripiatur, quæ vitia ab vtero, tanquàm à primæua origine ſcateant, & oriantur, quis ſuperiores venas tundere audebit, quum nullum iuuamentum è brachij venis ſectis conſequi poſſumus? nam ad occaſionem neceſſe eſt deuenire, & occaſionis initium, vt perbellè *lib. de venæ ſect. aduerſ. Eraſiſtratum, cap.*5. & *lib.de rigor.cap.*8. Gal. notauit, doctus ab Hipp. *lib.*2.*epid. ſec.*5. *in fin.* cuius ſententiam Iacobus Eſteue, & Valles. *ſuis doctiſſimis commentariis* illuſtrarunt.

Quare ſatius eſt fœminas, tot tantiſque malis obſitas, ſciſſis venis tali, à mortis faucibus liberare, quàm ſpe adempta, vnà fœtum, & matrem perire: Neque in hoc loco celebrata phlebotomia ex ſe aborſiua eſt, quod enim
C poterat timeri, infantis eſt emiſſio, quæ quum naturalis ſit, partus, & non abortus cenſeri debet, quoniā fœmina in menſibus à natura diſtinatis, 7. 8. & 9. eſt cōſtituta. Et tantum abeſt, vt ſequi poſſit abortus, vt potiùs dempta plenitudine, qua fœtus non indiget, hic vegetior fiat ac robuſtior. Maximè ſi fœmina ſit optimo corporis habitu prædita, iuuenis, neque diſſlabilis, ſed denſa carne conſtās, venas latas habeat, plurimo laudabilique ſanguine refertas: In hoc enim caſu, in vltimis menſibus, vrgente neceſſitate, feriendas eſſe venas inferiores, felici experimento docet Othæus *lib. de obſeruat prop.* Quòd ſi vires inualidas eſſe conieceris, quales in albidioribus fœminis conſpiciuntur, vtiliùs, & ſecuriùs ſcarificationes in cruribus fient, ex Gal. *lib.de curand.rat. per ſang.miſ.*11. quas plenitudinem minuere tenet Gal. 2.*ad Glauc.*7. & 4.*de ſanit.*4.
D & 2.*aph. com.*17. ea tamen ſeruata lege, vt non tantum educatur, quantum affectus, & plenitudo deſiderāt, quum mulieri prægnanti poſt curationem viribus opus ſit, non ſolùm ad ſe, ſed etiam ad partum ſuſtinendum, vt ſcitè docet Celſ. *lib.*2.*cap.*10. *in init.*

Inſuper obſeruatum eſt prauas quaſdam fœminas, vt celarent vteri geſtationem, bis, ter, & pluries ſanguinis miſſionem citra aborſum, immò noxam, ex talo procuraſſe: & maximè quum ſint multæ, quæ ſanguinis fluxum per varias corporis regiones, immò per ipſum vterum, cum vtilitate magna vſque ad partum patiuntur.

Obſeruatio XXV.

E ***Septimeſtris fœmina, repetita ſæpius ex talo phlebotomia fœliciter peperit.***

MAla quædam fœmina, iuuenis, bilioſa & gracilis, quum ſeptimi menſis fœtum in vtero gereret, ob metum abſentis mariti, abortum procurat, plurima auxilia parat, aſſumit purgantia valida, applicat vtero fortiſſima vnguenta, peſſaria violenta, & fœtum necantia. Demum omni prorſus deſtituta auxilio, exactiſſima inedia, incaſſum tamen, corpus macerat: tandem quaſi deſperata, viribus licèt inualidis, ad ſaphænæ phlebotomiā tredecies ex interuallis celebratam, & hirudines in ſede ter applicitas ſe conuertit: ſed nunquam voti ſui compos euadere potuit, immò geminos in nono menſe obeſos, & ouantes

(mirum

(mirum dictu) edidit in lucem. Ac Chirurgorum teſtimoniis apud Magiſtratum accuſata, meritas, truncato capite, adulterij pœnas luit.

Deinde ſi H.pp.4. *aph.*1. turgente materia grauidis cathartica propinanda iubet; cur nos non imperabimus, poſtulante periculoſo affectu, venæ ſectionem ex talo? quod auxilium, quo interuallo diſtet à purgatione, conſtat; nam illud tutius eſt: at medicamenta mouent, violenter educunt, & agitant humores, naturam perturbant, & conuocata ad vterum fluxione fœtum precipitant.

Quo pacto in hoc caſu, in robuſtarum virium præſentia, intrepidè ſanguis è talo mitti poteſt, provt Iacobus Tamaio Hiſpalenſis, *tract.prop.de epilepſia grauidarũ ſectione tali perſananda*, obiter tamen exarauit, & poſtquàm hæc ſcripſimus, vidimus appunxiſſe Raphaëlem Moxium Gerundenſem, eruditiſſimum *lib.3.de morb. mulier. acutis, curãdis per venæ ſectionem, c.*50. Quod auxilium ea cõditione exequendum puto, vt ſi primæ phlebotomiæ non ceſſauerit malum, alia & alia, pro virium tenore iteretur, æſtimata tamen ſemper natura locorum & regionum. Nam Hiſpani ob ſoli, cælique clementiam, & alimentorum maximè nutrientem vim, liberales ferunt vacuationes. Sicut è contra regiones impensè calidas incolentes, aut ſummè frigidas, citiſſimè ab euacuationibus exſoluuntur; in his enim ob frigus penitiſſimè irruens, & copiam ſanguinis crudi & aquoſi, calor innatus illicò, vel parca venæ ſectione fatiſcit: in illis, ob biliosi humoris exceſſum, & amplitudinem pororum, inſito innato ad externas partes extracto, confeſtim viriũ ſequitur diſſolutio. Quare prudentiſſimè aduertit Celſus *in præf.l.*1.*rei med.differre pro natura locorum genera medicinæ, & aliud opus eſſe Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Gallia.* Rurſus phlebotomia in 8.menſe, cum maiori fiat præmeditatione, quoniã hic menſis ex omnium Medicorum decreto, omniũ eſt infeliciſſimus, & ad ferẽdas vacuationes maximè ineptus, & idcircò in eo partus ſunt minùs vitales, vt ait Hipp.*lib.de octim.part.num.*1.

Obſeruatio XXVI.

Grauidæ epilepſia ab vtero correptæ, ſecta in brachio vena periere: è contra è talo ſecta reuiuiſcunt.

EGo veritatem referre non grauabor. Fœminæ plures in vltimo grauidationis menſe conſtitutæ, epilepſia ſæuiſſima ab vtero ſunt correptæ, optimo erãt prȩditæ corporis habitu, aderat febris non ignaua, ex efferueſcente ſanguine, in vtero retento excitata. ex decreto Medicorum ſanguis è gibbero extrahitur. Binæ, reuocato ad ſuperas partes ſanguine, ſubitò apoplexia periere. Reliquæ ingraueſcente in peius epilepſia, ſæuitie acceſſionũ ſunt extinctæ. Plures aliæ, epilepſia acutiſſima prehẽſæ, ſecta iterũ atque iterũ in talo vena, citra aborſum feliciter pepererunt.

Nec deſunt rationibus auctoritates, quibus veritatem hanc lubet planam facere. Matthæus Gradius *in conſil.*77. pro vteri pruritu ſanando in hæc verba prorumpit. *Ob cauſam coniunctã, niſi foret prægnans: valeret ſingulariter phlebotomia ſaphænarum, quoniam per eam, dicta cauſa partim vacuaretur, ſed quoniam ea eſt prouocatiua, eam non laudarem niſi in tempore proximo partui, quoniam tunc talis phlebotomia iuuaret, &c.* Vides vt peritus auctor, vel etiam in miti morbo, ſectionem tali in poſtremis menſibus imperet faciendam. Sequitur Magninus *lib.*2.*de regimin. prægnant. Ampliùs euitare debes phlebotomiam, & ſpecialiter de ſaphænis, niſi in caſu magnæ neceſſitatis, &c.* Firmat. Rondelet. *cap.de epilepſia grauidarum*, in quibus, pro curanda acceſſione epileptica, applicat cucurbitulas in inguinibus.

Obſeruatio XXVII.

Nonimeſtris epilepſia correpta hirudinibus ſedi applicitis curatur.

FOEmina grauida nonimeſtris, carnoſa & iuuenis, ex conſueta hæmorrhoidali vacuatione diu ſuppreſſa in grauiſſimam incidit epilepſiam, qua ceſſante, melancholicum patiebatur delirium. Hæc, præter acria enemata, & partium inferiorum diuerſiones, & ſectas in vtroque talo venas, non niſi hirudinibus ſedi ter applicitis conualuit, & feliciſſimè peperit.

Obſeruatio XXVIII.

Pſeudohydrops vteri in grauida pronatus, profunda ſcarificatione curatur.

VIdi quinquies exemplum mirabile in grauidis octimeſtribus, & nonimeſtribus; hæ omnes crura quum tumida, & aquoſo humore plena haberent, & œdematoſa: labia vteri, ſimili inflatione, ab ipſo crudo aquoſóque ſanguine pronata, in tam grandem molem increuere, & ex vtraque parte ſpongiæ modo ita prominebãt, vt vteri hydropem repræſentarent. Conſulti Medici, & ad diuertendum, ſanguinem è brachio mittendum imperant, adſtantes renuunt, me vocant. Qui, ne pars præ copia mucoſi humoris obruta ſuffocetur, ſcapello ſcarificandam totam profundè prædixi; deſuper emplaſtro ex præſeruantibus farinis poſito: quo facto, tanta humoris aquoſi copia vacuata eſt, vt intra vnius horæ ſpatium, tota detumeſceret pars, & in ſuum ſtatum naturalem rediret, & citra abortum (hunc enim alij ex ſcarificatione certò præſagierant) ita leuatæ ſunt, vt fœtum vſque ad maturum tempus reſeruarint. Lege Aëtium *tetr.*4.*ſerm.*4.*cap.*110. de hernia aquoſa mulierum. Fragoſum *gloſſ.de apoſt.q.*56.

Ne ergo in faciendis vacuationibus inferioribus, pro grauidarum curatione, dum morbus grauis & periculoſus infeſtat eas, ſis meticuloſus, nam harum ſectio ſæpè magnum leuamen afferre ſolet.

Quid plura? Nónne in vtero gerentibus, bubone peſtifero in inguine correptis, è talo mittendus eſt ſanguis? Quoniam malitia & venenoſitate, matrem & fœtum interimere poteſt, provt Sauzedo Hiſpanus, & Antonius Poncius à cruce Valleſoletanus, Petrus Vaëzius *tract. de peſt.* memoriæ commendarunt. Sic enim detracta humoris deleterij copia, & euocatis ad partes ignobiles peſtiferis vaporibus, fœtus alacrior redditus reuiuiſcit, & ſuo tempore editur in lucem.

Obſeruatio XXIX.

Grauidæ bubonem peſtiferum in inguine habentes ſecta vena in talo curantur.

IN vaſta illa peſtilentia, quæ anno 1600. maxima cum mortalium clade, totam Europam, præſertimque Hiſpaniam afflixit, Innumeræ grauidæ in primis, mediis, aut vltimis menſibus, bubonibus in inguine, genu, tibia, ſeu aliqua inferiore parte adnatis laborarunt. Quæ omnes, ob imminens ex veneno periculum, celebrata ſæpiùs tali ſectione, ſummam vtilitatem ſentientes, leuatæ ſunt.

Cur ergo ſi hæc vera ſunt, & ex veterum monumentis exhauſta, in acutiſſimis ab vtero morbis, venam in talo ſcíndere dubitabimus? Nonne ob dictas cauſas grauidis bubone Gallico correptis è ſaphæna mittendus eſt ſanguis? Nam huius ſectionis beneficio, atrocis huius morbi venenum ad imas, minúſque præcipuas auocatur corporis partes. Hunc autem morbum eſſe à tota ſubſtantia talem Fernel. firmat *lib. de lue vener.* 13. & 2. *de abdit.* 14. Quod præſidium in hoc caſu eſſe valdè proficuum, ſæpiſſimè ſum citra aborſus periculum expertus. Quidquid auctores de morbo Gallico, ſimûlque de grauidarum morbis eruditè diſputantes, de hoc generoſo auxilio in talo celebrando nec verbum quidem protulerint. Quibus & aliis nouiſſimis, Ars noſtra in dies magis ac magis, doctorum ſuffragiis, & aſſiduis laboribus aucta effloreſcit, & decoratur. Lege, ſi placet, Gynæciorum auctores, quos Iſraël Spachius in vnum volumen congeſſit, immò Rodericũ à caſtro virum doctiſſimum, & qui in curandis fœminarum morbis ſtrenuè nauauit operã, & in nullo inuenies inſtitutum. Non ignoro plures illuſtres Medicos hanc methodũ

reprobaſſe

reprobaſſe obnixè, quorum epiſtolas, & argumenta ad vnguem ſoluta inuenies, *lib. 3. in com. hiſt.* 10. nam in hunc commodiorem locum, in quo de morbis agimus mulierum, hæc explicanda diſtulimus.

QVÆSTIO XXII.

Quòd primus omnium Hipp. ſanguinis miſſionem in grauidis exercuerit. Contra communem malè hactenùs de eo conceptam Medicorum opinionem.

SEed obtrudes fortaſſe, & meritò ſanè, piaculum eſſe in grauidis in cubito, nedum in talo, ſanguinem exhaurire, quum Hipp. & Galen. primi ſanè Medicinæ parentes id auxilium renuerint ſemper. Eia age, tu quiſquis es, cui ignea vis in pectore flagrat, expende Hipp. mentem hac breui philura explanatam, atque adeò veritatem ipſam, nondum ab excellentiſſimis iunioribus in re tam ſeria ſatis promulgatam. *Res ſanè ardua eſt*, ait Plin. *in præfat. ad Veſpaſianum, vetuſtis nouitatem dare, nouis auctoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus verò naturam, & naturæ ſuæ omnia.* Quoniam verò *erubeſcimus cùm ſine lege loquimur*, vt ait Iuſtinian. *in authentic. de trient. & ſemiſſib. collat. 3. §. Conſideremus*, & maiorem fidem accipiunt quæ comprobantur, ex Gal. *lib. 6. epid.* 2. 25. idcircò allatis in medium Hipp. teſtimoniis hoc confirmare intendo. Nam quæ noſtro labore, & induſtria parauimus noua, nunquam dubitauimus, omnium ſtudioſorum vſui fieri in propatulo. Sic ergo me dicentem audias rogo. Diuinum Hippoc. in grauidis nunquam ſanguinis miſſionem exercendam imperaſſe, firmiter iurant recentiores, moti illo oraculo lato ab ipſo 5. *aph.* 31. mulierem vtero gerentem ſanguine miſſo abortire predicente. Fidiſſimus interpres cauſam reddit *in com. quoniam ſubtrahitur alimentum fœtui, quo exhauſto perit fœtus*, & ſequitur abortus. Secundò. Si Gal. 5. *aph.* 55. docet non poſſe Medicos in grauidis validum axilium excercere; imò nec exquiſitam victus rationem præſcribere, conſtabit planè eum non admittere venæ ſectionem, cùm ſit vnum ex vacuantibus auxiliis. Tertiò. Si quæcunque vacuatio eſt cauſa abortus, vt alui fluxus vel etiam ſpontaneus, vt 5. *aph.* 34. dicebat Hippocr. multò magis ſanguinis miſſio, cuius vi alimentum fœtui detrahitur. Quartò. Si inedia eſt cauſa abortus, ex Galeno 1. *epid. ſect. 3. com. penult.* quoniam in grauidis acuto morbo correptis, exactam victus rationem præſcribere difficillimum eſt: nam ſi eas parcè nutrias, perditur fœtus, ſi huius habita ratione liberaliùs cibes, in diſcrimen ipſam matrem adducis. Si ergo tenui victu exhibito, fœtus denegato pabulo perit & corrumpitur, cùr promptiùs celebrata phlebotomia abortus non ſequetur?

Quibus rationibus conuicti Medici, & tanto Hipp. edicto perterriti, certa quadam lege ratum firmumque præceptum ſanxerunt. Hipp. primum Medicinæ Magiſtrum, grauidis nunquam ſanguinis miſſionem exercuiſſe. Sed hi facundiſſimam Hipp. doctrinam non aduertunt. Eſt locus eximius apud ipſum *lib. 2. epid. ſect. 2. in med.* qui ſic ſe habet. *Sanata eſt veratri potione Lycia: poſtremùm ſplen magnus, & dolores, & febris, & ad humerum dolores. Et vena quæ in ſplene eſt, in cubito ſecabatur: & ſaliebat quidem ſæpè: aliquando verò etiam non eſt ſecta, ſed vnà cum ſudore ſanguis penetrauit, aut ſua ſponte. Ex quo autem prodibat, ſplen ex dextra parte intendebatur, ſpiritus intus duplicabatur, non tamen magnus: mente mouebatur, contegebatur, flatus inerat, non prodibat infernè quicquam, neque mingebat, Mortua eſt ante partum, &c.* Vides quomodo in vtero gerente, lienis inflammatione laborante, aliquoties venam in cubito ſecuit Hipp.

Neque dicas ex venæ ſectione mortuam fuiſſe ægram nam factis auxiliis neceſſariis, ægri occumbunt, neque enim Medicus omnes quos præ manibus habet, ſanos poteſt facere, ex Hipp. *lib. 1. prog.* 3. Sed ſufficit facere id quod ratio, & experientia ſuadent, ex Gal. *6. epid. ſect. 8. com. vlt.* hoc pacto tempore Galeni, vt ipſe refert *3. epid. ſect. 2. com.* 8. iam Medicis mos erat ſecare venas in grauidis, quas non omnes abortum feciſſe ait. §. *Iam etiam propter ſanguinis miſſionem quædam abortierunt, &c.* edocti Celſi, tanti auctoris conſilio: & ſi abortus contingeret, hunc, ex vi morbi accidere, & ex ſæuitie febrilis caloris oriri, exiſtimare rationabilius eſt: nam *febris fœtum occidit*, ex Gal. *lib. 5. aph.* 30. Hoc modo ante partum mortua eſt Lycia, licèt ab Hipp. tempeſtiuè ſecta eſſet vena, & ſanguis calidiſſimus exhauſtus, vt Valleſ. vir ſanè cyclicè doctus, & qui in interpretandis lib. omnibus epidemion inter cæteros palmam præripuit, confirmat *in com.*

Miror tamen erudititiſſimum, in *cit. loc. epid.* interpretem Petrum Iacobum Eſteue Valentinum, hunc locum non animaduertiſſe, cum aliis qui hoc argumentum ex profeſſo agitarunt. Et licèt hic liber ſecundus epid. Theſſali filij Hippocratis magni eſſe dicatur à Gal. 2. *de diff. reſpir.* 8. & *lib. 3. eiuſd. oper. cap.* 1. ſuſpicante aliqua eſſe ab ipſo adiecta, quæ puriorem illam Hipp. limam non redolerent, vt notant Ludou. Lemoſius, & Mercurial. *in tract. de indicio operum magni Hipp.* Tamen parùm refert patérne, an filius huius libri auctor ſit, vt ſcitè docet Fuchſ. *in præfat. ad l. 6. epidem.* Nam Theſſalus vir fuit in arte præclarus, & qui in nullo ſuo libro vllum omninò Hipp. placitum labefactare viſus eſt, vt de eo *in proœm. com. 1. in lib. Hipp. de natur. human.* retulit Gal.

Nónne idem Hipp. ſanguinem in grauidis è malleolis imperat emittendum, *in lib. 1. de morb. mulier. num.* 100. ad accelerandum partum? §. *Si verò prægnans multo tempore cohibeatur, & parere non poſſit, ſed diebus pluribus ex partus doloribus laboret: ſit autem iuuenis, in vigore, & multo ſanguine referta: ſecare oportet venas in malleolis, ſanguinem detrahere, virium reſpectu habito, &c.* Et quamuis hunc librum Mercur. *lib. 4. de morb. mulier. cap.* 22. & Ioan. Bapt. Montan. *lib. de intern. affect. in init.* ceu nothum explodant: Grauiſſimus tamen vir, Mauric. Cordæus *in ſuis ad hunc librum doctiſſimis commentariis*, vt partum Hipp. dignum illuſtrat, & ceu germanum, ac natiuum amplectitur, ſtylum, ac doctrinam Hippocraticam haud dubiè redolentem. Firmat Ludou. Mercat. *l. 4. de nutric. & puerper. affect. cap.* 3. quo loco hanc ſententiam miris celebrat encomiis, tanquam ad facilitandum partum ſummoperè proficuam, ac neceſſariam.

Quo factum eſt, vt Cornel. Celſ. nulli Principum ſecundus *lib. 2. cap.* 10. ipſius mentem interpretetur, hoc modo. *Nam licèt in grauidis videretur periculoſum, non tantùm ad fœtum, quantùm ad partum ſuſtinendum, ſanguinem emittere; Tamen cùm noſtra ars conceptionem ſolam non videat, ſed vires æſtimet, non dubitandum in grauidis, conſtantibus viribus, ſanguinem exhaurire. Quoniam vſus oſtendit non eſſe perpetuum, grauidam phlebotomia curatam abortum eſſe facturam.* Vt ita pateat Medicos facundiſſima doctrina Hipp. inſtructos, tempore Celſi, imò, vt vidiſti, Galeni æuo conſueuiſſe, in vtero gerentibus hoc generoſum auxilium exercere.

Hipp. Celſique ſententiam ſequuti poſtea ſunt non incelebres viri Auic. 4. 1. *cap.* 20. Raſius *lib. 4. ad Almanſ.* 27. Haly Abbas *lib. 1. pract.* 19. Qui vrgente neceſſitate in illis ſanguinem mittere non recuſant. Ob quorum ſalubre conſilium iam omnibus ventum eſt in vſum ſecare venas in grauidis, ſi morbi acuti & periculoſi neceſſitas adſit, vt referũt Iacchin. *lib. de acut. morbor. curat.* Muſa, & Fuchſius *in com. ſent. 31. lib. 5. aph.* Fernel. *lib. 2. meth.* 12. Salius *c. 22. de affect. partic.* Ludou. Mercat. *lib. 3. de grauid. morb. vlt.* Valleſ. 7. *controu.* 7. Augenius *tom. 1. lib. 5. epiſt. 1. cap.* 11. Chriſtoph. à Vega *lib. 2. de art. med. ſect. 5. cap. 2. in med.* Roderic. à Caſtro *lib. 2. de vniuerſ. mulier. medic. part. 2. cap.* 23. Raphaël Moxius *lib. 2. de morb. mulieb. curandis per ven. ſect. cap.* 7. & plures alij id confirmant & nuper explicuit Santorellus doctiſſimus *lib. 19. antepraxis, cap. 10. & 11.*

Neque deſunt plura quæ eiuſdem Hipp. mentem illuſtrent. Nam ſi Hipp. turgente materia cathartica grauidis propinanda iubet, cur non imperabit venæ ſectioné? Hoc autem auxilium longo interuallo diſtare à purgatione, nulli eſt non manifeſtum; quum tutius ſit, & medicamenta accendant febrem caliditate ſua, vehementi motu humores expurgent, in maiorem putredinem eos coniectent,

naturam à coctione deturbent, criſim præuertant, ægri vires debilitent, quæ poſteà decretorio perficiendo minimè ſufficiunt. Periclitatur denique ægra aſſumptis medicinis violentis, quarum efficaciam ac actionem deinceps coërcere non poſſumus. Et quod maiorem timorem accerſit, humores deorſum impellendo fœtum præcipitant. venæ autem ſectio reuellit ab vtero, & detracta copia fœtum retinet.

Inſuper ſi naturæ legibus ars medica eſt conſentanea, arbitror naturam,quid agendum ſit,nos docere:Obſeruatum enim eſt grauidas plenitudinis morbo vexatas, euacuatione facta ab ipſa natura per fluxum ſanguinis è naribus,hæmorrhoidibus, ore,atque ab ipſo vtero per multos dies, citra diſcrimen fœtus fuiſſe liberatas. Quod experti ſunt Iodocus Lommius *ſect.1. de curand. febrib.conti-nent.* Reiner.Solenand. *ſect.5.conſ.15.* Braſauol.5. *aph.60.* Ioubert. *lib.2.de facult. natural.in com.cap.3.* Columb.12. *anatom.* & alij exercitatiſſimi viri non ſiluere, qui pluri-mas fœminas, toto geſtationis tempore,purgationes habuiſſe menſtruas, citra abortus periculum confirmant, Hoc enim vel ipſe Hipp. nos monuit. 5. *lib. aph. text.60.* vtero gerentes ſingulis menſibus ab vtero expurgari poſſe aſſeuerans. Quare ſi abortum non facit vteri expurgatio ab vtero, cur faciet venæ ſectio, quæ nimium & redundantem ſanguinem exhaurit?

Obſeruatio XXX.

Grauidæ in omni geſtationis menſe copioſè phlebotomatæ feliciter pepererunt.

Millies me curaſſe recordor plurimas in variis geſtationis menſibus conſtitutas,acutiſſimis morbis detentas, quæ quum valentes eſſent, & largam, ſuppreſſo menſtruo, ſanguinis copiam aceruare conſueuerant, non niſi larga, copioſa, & iterata phlebotomia à tantis malis euaſere immunes, & deinceps ſuo tempore feliciter pepererunt.

Sed quid Hippocrati reſpondebimus, dicenti mulierem abortire miſſo ſanguine? Chriſtoph. à Vega *loc. cit.* quem alij ſuprà citati amplectuntur, à tanto dubio ſe extricaſſe putat,ſequutus Iacobum *in expoſitione cit.ſent. Hip.* dum grauidam copioſè ſecta vena abortire pronunciat: ſecus ſi parcè dematur abortum non accidere ſibi perſuaſit. Quam copioſam ſanguinis vacuationem cùm veteres ſemper fuerint exſequuti, nō eſt mirum ſi vtero gerentes abortire miſſo ſanguine aſſeuerent. Sed hi immeritò accuſant Gal.& multipliciter peccant. Primò. Quoniam ex illorum mente nec parcè Hipp. ſanguinem in grauidis emiſit vnquam. Secundò. Quia ſicut Græci audaciſſimi fuere in ſanguine mittendo,ita etiam moderati & iuſti,vt *ſuprà* probauimus. Quo pacto demiror Mercurialem doctiſſimum, qui ſe hac ſolutione, priſcorum dicta conciliaſſe putat,*in lib.5.aph.com.29.*& *in Hiſtor. Piſan.13.* Sicut enim illi ad libras ſanguinem extrahebant vegente morbo,ſic ad cotylam,& dimidium eius exhauriebant,vt conſtat *ex cap.13.lib.de curand. rat.per ſang.miſ.* Cotyla autem ex Vegæ ſententia *loco nuper cit.* continet vncias ſeptem. Vt videas Gal.aliquando tres vncias, & huius dimidium ſanguinis emittendas imperaſſe.

Quapropter dicendum eſt, grauidationem prohibere ratione ſui venæ ſectionem, non tanquam vnum ex præcipuis ſcopis,qui eam dehortantur:ſed eſſe ex iis qui indicant detractionis quantitatem, hoc eſt minùs detrahendum eſſe, quàm affectus,& plenitudo deſiderant, ob indicationem quæ ab vteri geſtatione deſumitur; nam hæc habenda eſt loco ſymptomatis vires diſſoluentis,quoniam *fœtura eſt ſpecies vacuationis*, ex Gal.*lib.de ven.ſect. aduerſ. Eraſiſtratum, c.5.* Maximè,cùm inter ſcopos venæ ſectionis ſolùm virium robur,morbi magnitudinē.& florentem ætatem connumeret Hipp.4.*acut.19.* Qui cùm in grauidis poſſint reperiri ex antiquorum mente, in his venæ ſectio celebrari debet. Ergo vtero gerens ſanguine miſſo pro multitudinis ratione,ferè abortit,vt *cit.loc* Hipp.probat.

Solue ſecundò. Grauida ſanguine miſſo ex vena inter-

A na frequentiùs abortit.Quoniam ſecta hac promptiùs defraudatur fœtus ſuo paſtu,quum à partibus internis,truncoque corporis peccantem humorem, effuſa multa ſpirituum copia, educat, ex Gal.2.*acut.11.* Quod non contingit, ſi media, aut externa ſecentur; hæ enim mjnus debilitant,& veluti furtim, & inſenſibiliter ſanguinem exhauriunt, vt eleganter Aëtius monet *tetrab.3.ſerm.1. cap.45.* Non negauerim, quod ſidiſſimo experimento experiuntur docti, in ſumma plenitudine, vrgenteque inflammatione interna baſilicam eſſe tundendam, ex Amat.1.*cent.* 37. Mercat. *lib.3. de mulier.morb. cap.22.* Meliùs enim eſt parciſſimè ex hac vena ſanguinem exhaurire ob ingens periculum,quàm copioſiori facta ex aliis venis phlebotomia, nihil aut vix leuare ægrum, cauſa morbi non ita, vt oportet, depoſita: Quum interna maximum cum vaſis B maximis habeat conſilium, ex Gal. *lib. de curand. rat. per ſang.miſſ.16.*& *4.de ſanit.cap.4.*

Solue tertiò. Vtero gerens facta phlebotomia intempeſtiuè in talo abortit: vt *in com. cit. loc. Hipp.* Heurnius ſcitè edocuit, & probat Mercurial.*ad com.hiſt.13. epidem.* Hæ enim venæ inferiores magis vterum perreptant, & ſic ſanguinem ex propinquioribus, & vicinioribus vtero partibus educunt.Quare promptiùs exhauſtis cotyledonibus, & laxatis vinculis, ob ſanguinis penuriam cadit fœtus. Maximè quoniam humoribus deorſum conuerſis, fœtus perturbatur, ex Gal.*lib de ven.ſect. aduerſ. Eraſiſtratum,cap.11.*

Solue quartò. Vtero gerens ſanguine miſſo non ſemper abortit. *Si quis enim*, auctore Gal. *6.aph. 58. rem aliquam, quam aphoriſmus enunciat, euenire viderit, non perpetuam Hipp. veritatem eſſe exiſtimet, intelligatque commune* C *eſſe aphoriſticæ ſententiæ, vt perpetuitatem quandam dicendi figura indicet, quamuis res ipſa non ſemper eodem modo eueniant, ſed rarò,aliquando tamen aliter accidant.* Nam in Medicina frequentia pro perpetuis habentur; cùm *ex iis quæ ſemel, aut bis homo videt,non debeat pronunciata medica cenſere*, ex Gal. *lib.2. de fœtus format.2.* Sic intelligendum exiſtimo Hip.5.*aph.31.*grauidam capi ab acuto morbo, lethale eſſe pronunciantem, hoc eſt magna ex parte, quum lethale ſit periculoſum, & quod non tanquam ex neceſſitate ac ſemper, ſed tanquam admodum crebrò mortem afferat, ex Gal.*lib.5.aph.2.* Ab vteri ergo geſtatione magna ſumitur indicatio ad prohibendam venæ ſectionem. Si ergo in illis coacta neceſſitate ſecetur vena, magna ex parte non ſequitur abortus.

Sed contrariæ factionis argumenta oportet demoliri. D Ad primum dic, Gal.5.*aph.31.* non denegare in vtero gerentibus venæ ſectionem, ſed ſolùm aduertere illam eſſe vnam ex cauſis abortus: quod nos concedimus, affirmantes ex ea non ſemper ſequi abortum, quod innuit Hipp. cùm addit, & *magis ſi fœtus ſit maior.* ſolùm ergo reddit cautos Medicos, ne in grauidis tantùm ſanguinis emittamus,quantum affectus & plenitudo deſiderant,quum fœturæ ſit aliquid condonandum. Ex quibus colligi videtur, corruptum eſſe Auer.locum, 7.*collig.4.§.Dicit Hipp. mulier prægnans non debet phlebotomari, niſi quando embryonis virtus fuerit fortis, à 4. vſque ad ſeptimum, &c.* Hoc enim de purgatione *lib.4.aph.* docuit Hipp.

Ad ſecundum, dicendum eſt. Gal. ibi velle ſolùm, non poſſe Medicos in grauidis exquiſita vacuatione vti pro redundantiæ ratione, & id intelligere, cùm ait, non poſſe E Medicos validum aliquod auxilium mulieri grauidæ adhibere: non verò in totum venæ ſectionem denegat, quod patet apertè: *Infrà* enim ait, *grauidas exquiſitam victus rationem non ferre*,per quam omnimodam inediam intelligit, nam mediocrem poſſunt tolerare.

Ad tertium,dic. Ex quacumque larga vacuatione ſequi in grauidis abortus periculum,quam nos non admittimus; non tamen ex parca, præſertim ſi ſanguis abundet, & vires conſtent, quemadmodum non ſequitur ex inedia, niſi ſit diuturna, nec ex alui fluxu, niſi ſit immodicus. Nam grauidæ citra periculum abortus hunc ſæpiſſimè patiuntur, cuius vi vitioſi expurgantur humores: licèt enim ex euacuatione quæ fit cum medicamentis purgantibus, demus ſequi abortum, non ideò ex venæ ſectione æquè timendus

timendus eſt. Et quamuis fateamur in grauidis venam ſecari cum abortus periculo,non tamen prætermittenda eſt; ſed ad maius damnum euitandũ celebranda. Plurima enim auxilia licèt periculoſa priſci ſummoperè commendant,vt ſanguinis miſſionem vſque ad animi deliquium.Balneum frigidum in hectico debili, cui ob corporis gracilitatem ſummoperè aduerſatur; id tamen 10.*meth.*10.miris laudat encomiis, conſilium Thucydidis ſequutus,qui in ancipiti caſu maluit aliquid agentes periclitari, quàm ægros ſpe adempta certò perire: quum ſatius ſit potentibus præſidiis pugnare, quàm nihil agere, quoniam *melior eſt noxa, quàm mors.* 12. *meth.*3. Sic cum febre valida, præſente inflammatione interna, cathartica violenta concedit, 1.*aph.* 24.*&* 2.*acut.*11.Licèt ea renuat.4.*acut.*22.Hoc modo concedit gelidæ potum citra humoris coctionem adſtante inflammatione interna,ad præcauendam futuram ſiccitatem & imminentis hecticæ timorem, *lib.*10.*meth.cap.*6. Quoniam ſatius duxit ſpernere vnam indicationem propter aliam vrgentiorem.

Num autem venæ ſectio in grauidis ſit periculoſior in vltimis menſibus,quàm in primis, & mediis; vel periculoſior ſit in mediis, quàm in primis. Et num in vtero gerentibus ad præcauendum abortum phlebotomia ſalubris ſit,contra Altimarum, & num trimeſtris fœtus (vt *lib.*1. *epid.ſect.*3. *com.*30. voluit Gal.) cæteris,citiùs ſeruetur, & magis vacuationibus reſiſtat, contra Manardum, Augenium,& Mercatum *in lib.*3.*com.hiſt.*13. latiſſimè diſputabimus.Interim hæc ſint ſatis de tam ſeria controuerſia.

HISTOR. XXXIII. RASIS, De Apoplexia.

Apoplexia à ſanguine orta, cucurbitula ſupra collum impoſita, curata.

A*Poplexia accidit Regi Hemec,filio Haly,& in principio Medici eius * dimiſerunt eum ſicut erat; & nullus ex eis aliud præcepit fieri,niſi inungi corpus cum rebus odoriferis, & ſuffumigari,quod ſufficiens ei non credidi, ſed feci ventoſam eius collo apponere, & velociter ab illa ægritudine exiuit: & eſt res, in qua confidentia eſſe debet; & in naſum eius oleum nenupharinum proieci,&c. Raſis* lib. 3.aphoriſm.in med.

COMMENTARIVM.

PLurima ſunt quæ in huius hiſtoriæ explicatione veniunt enucleanda. Primò. Cur hunc affectum vocat apoplexiam, ſi tandiu durauit? num ſi fortis eſt, citiſſimè interficit; ſi debilis, ferè in paralyſim finitur, 2.*aphor.* 42. Hunc tamen morbum fuiſſe chronicum conſtat, ex verbo [*& dimiſerunt eum ſicut erat.*] Secundò. Si humor fecit hunc morbum, cur cucurbitulam collo impoſuit,ſiccam, ſi hæc ſpiritum extrahit? apud Celſum *lib.*2. *cap.*11. Tertiò. Si conciſa ſalpello cutis fuit, cur in frigido morbo,& à cauſa frigida pronato ſanguinem exhauſit? Quartò. Si neceſſaria erat ſanguinis extractio, cur apertâ ampliori venâ eam non exercuit? vt ſic, per canales magnos, & non riuulos, extracto ſanguine, citiſſimum æger leuamen ſentire poſſit. Quintò. Si opus eſt in ſoporoſis affectibus, torpentem facultatem excitare, ex Galen. 13. *meth.*21. cur in naſum ægri, oleum nenupharinum proiecit, ſuaptè naturâ ſomnum concilians, ex Auic. *lib.*2. *tract.*2.*cap.*515. §.*facit ſomnum, &c.* Hæc ſunt quæ explanationem deſiderant.

DVBIVM XVII.

Num detur Apoplexia periodica, vt voluit Auicenna.

DIc ad primum. Non negandum eſt hunc morbum fuiſſe chronicum, & periodicum? Nam Regij Medici tempus habuerunt vngendi corpus rebus odoriferis,

A vt ſpiritus, in quibus noſtræ vitæ duratio conſiſtit, refocillarent, & nutrirent; & parandi ſuffumigia, quæ ex medicamentis fœtidis fuiſſe confecta, vèluti aſſa fœtida, caſtoreo, galbano, vt facultas conſopita excitaretur, nulli puto non manifeſtum. Hic ergo affectus non fuit apoplexia, ſed huic ſimilis; in quo æger ſine motu & ſenſu remanſit; nullum habens, penes variam reſpirationis immutationem ſignum, latum à Gal. 2.*aph.*42. & alibi ſæpè. De hoc intelligendus eſt Auic.1.3. *tract.*5.*cap.*12.*in fin.*§. *præparatio verò apoplexiæ periodicæ, &c.* Hoc enim loco per apoplexiam periodicam,intelligit paroxyſmos ſimiles apoplexiæ, qui intermittentium febrium inſtar ſuas faciunt acceſſiones; de quibus Paul. *lib.* 3. *cap.*9. & inter omnes elegantiſſimè Aëtius *tetrab.*2. *ſerm.*2. *cap.*3. & Auic. 1.3. *tract.*4.*cap.*2. *&* 3. Hoc modo explicabis Galen. *lib. de curand.rat.per ſang.miſſ.cap.*7.dum enim inibi morbos venæ ſectione anteuertit, hoc auxilio nulllum eſſe præſtantius aſſeuerat, pro præſeruandis iis; qui in apoplexiam

B promptè incurrunt. Et 6.*aphor. com.*47. apoplexiam facit diuturnam affectionem. Verum ergo ſit non dari apoplexiam periodicam: hæc enim, vel mortem, vt Paulus ait *lib.*3.*cap.*18. minatur præcipitem, vel ſi remedia iuuent, vt plurimùm cum partis cuiuſdam corporis reſolutione diſcedit, vt 4.*de loc.*2.*&* 4.*acut.*27. & Theodor. Priſcian. *cap.*7.*lib.*2.*ad Timoth.* cæterique præcipui Medici monuere. Cætera de Paraplexia ſeu camatoſa febri, vide apud Carol.Piſon. *obſ.*16. *&* 20.

DVBIVM XVIII.

Num detur Apoplexia à ſanguine orta.

C AD 2. & 3. Licèt ſimpliciter aſſerat auctor ſe cucurbitulam impoſuiſſe, eum humidam applicuiſſe eſt certiſſimum: nam vt Celſ. *loco cit.* dicebat, *Vbi materia quæ intus eſt, lædit, ſcarificata; vbi inflatio, integra eſt vtendum.* Apertum autem eſt non à flatu, ſed ab humore multo, & craſſo æquabiliter ventriculos cerebri obſtruente, hunc concitari affectum. Mirari autem deſinas, in eo,ſanguinis miſſione vſum fuiſſe,quoniam à ſanguine erat: à quo humore fieri etiam aliquando, tum veterum, tum iuniorum peritiſſimi confirmarunt: de quorum numero ſunt Petrus Salius,*lib.de affect.particul.cap.*2. Iacchin.*in lib.*9.*ad Alm. cap.*9. Plater.*lib.de obſeruat.prop.* Ludouic.Mercat. *lib.*1.*de morb.intern.cap.*13. Petrus Vaëzius,*in com.medic.cap.*4.*contra Fernel. & Lupeium.* Petrus Garcia Carrero *diſput.*8. *ad lib.de loc.affect.cap.*3.Hi enim omnes ex priſcorum mente, non eſſe negandam apoplexiam à ſanguine ortam demon-

D ſtrant. Fit ergo quum à ſanguine multo pituitoſo, vel calidiſſimo aſcendente per iugulares, apoplecticas, aut quaſvis alias venas, cerebrum comprimitur, & penitùs obſtruitur, ſpiritus animalis ferè extinguitur, ſenſuque priuatur animal, & motu.Quis enim dubitat cerebri ventriculos,ſecundùm partem poſticam & anticam, à ſanguinis craſſi copia poſſe repleri? prout inflammatoriis affectionibus, aut tumoribus præter naturam non rarò contingit: De quo argumento Iacobus Berengarius diſputauit *in Iſagog. anatom. de venis:* & extat non inelegans Hiſtoria apud Fernel. *lib.*2. *de abdit.*15. de quodam ex apoplexia mortuo,cui anteriores oculi venæ per contuſionem diſruptæ ſunt, è quibus ſanguinis cochlearia duo in cerebri baſim defluentia; & concreta, arterias retiformes, & choroidem plexum obſtruxerunt.Vide Michaël.Ioan.Paſ-

E chal. & eius ſcholiaſtem Peredam, Maſſariam, Mercurial. & alios, qui pulchra de hac re *in lib.de morb. intern.* ſunt commentati.

Ab hoc humore oriri etiam apoplecticas paſſiones,affectus nempè valdè conſimiles apoplexiæ; non ibo infitias. Hæ autem ſunt, vt *in com.text.*82. *lib.*7. *epid.* explicat doctiſſimè Valleſius,vertigo magna, aphonia, ignorantia omnium rerum, ſtupor mentis obliuio,& delirium, quæ omnia vel ſingula ſeorſim,quum à ſanguine fiunt, eo extracto mirificè leuantur & conquieſcunt; ex multis verò exemplis hoc ſit præcipuum.

Obſeruatio XXXI.

Apoplexia, ritè fluentibus menſtruis, cephalicæ ſectione curatur.

NObilis quædam fœmina, iuuencula, in omnium rerum obliuionem, deinde in veram apoplexiam cum menſtrui effluuio incidit: cui quum plurima tam in ſuperioribus, quàm inferioribus partibus eſſent celebrata auxilia, per ligaturas, acres clyſteres, ſcarificatas cucurbitas dorſo applicitas, neglecta indicatione, quæ à menſtruo actu fluente deſumitur; ob vrgens ex procraſtinatione periculum, cùm viribus eſſet valentibus, factis frictionibus crurum, & cucurbitulis femoribus appoſitis, octo horarum ſpatio, quater è cephalica copiosè ſanguinem mitto: à quo præſidio loqui cœpit, & conualuit.

Ad 4. Verum eſt illud Hipp. oraculum *lib.4.acut.text.*23. quo monet, vt homine repentè obmuteſcente ſanguinem illicò extrahamus, cuius auxilij vi, & poteſtate interceptiones vaſorum, ſeu oppletiones à ſanguinis copia pronatæ, virtutem grauantes, & innatum calorem ſuffocantes, & extinguentes, promptè ſanantur: quo caſu, ſi interceptis venis cerebri, malum oriatur, & apoplexia vel imminet, vel facta ſit, externa, aut cephalica eſt ſecanda. Vt Raphaël Moxius rectè aduertit, *lib.1.de morb.mulieb. c.*34. velociſſimè enim, & plurimùm caput, quod princeps pars vocatur à Gal. 8. *de vſu part.6.* quia principes exercentur in eo facultates, vacuat, & ab humoris ſarcina leuat. Si verò ob vitium inſtrumentorum reſpirationis, vt in vulneribus thoracis, & neruorum recurrentium læſione, vel oppletis vaſis maioribus, interceptio accidat, interna vena ſecta citiſſimè ſuccurrit; de quo interceptionis modo Gal. *cit.loc.* acutè Hippocratem explicuit. Et interpretatur Valleſ. *in com.* Quòd ſi ab vtero, à praua ex fæculento ſanguine aura, eoque craſſo & multo eleuetur, & corrupto ſanguine, nequeuntibuſque ſpiritibus naturales pertranſire meatus, aphonia fiat, tunc in talo vena ſecta commodiſſimè opitulatur, vt Brachel. notat *in com.* Ne ergo cum Moxio *ſuprà cit.* pro vena interna, legas apud Hipp. indiſtinctè externam, quum interceptiones venarum varij ſint modi, qui ex partibus affectis deſumuntur.

Et quamuis ſanguinis miſſio in aphonia, affectuque alio apoplexiæ ſimili ſit præſtantiſſima, ob quam cauſam, eius ſolùm Hipp. meminit; qua conſtat Androphanem paſſione apoplectica correptum, fuiſſe leuatum, apud Hipp. *lib.7. epid.num.*43. tamen ſi vires debiles ſint, & ex præcedente morbo (vt in ſoporoſis affectibus accidit frequenter) virium aliquale diſpendium adſit, vel firmata fluxio aliis auxiliis non ſuccumbat, & neceſſe ſit peccantem humorem ex propinquiſſimo loco exhaurire, tunc iuxta ſententiam Raſij hîc feliciſſimo experimento, cucurbitula ſcarificata in collo, hoc eſt, colli parte poſtica, ſeu occipite à mortis faucibus liberare ſolet, præſertim ſi profundis ſcarificationibus celebretur: Nam hoc auxilium particularem plenitudinem demere poteſt. Quare in acutiſſimis cerebri affectibus id ſummoperè laudauit antiquitas, vt conſtat ex Gal. 13. *met.*19.2. *ſec.loc.c.*1. *&* 5. *aph.*58. De cuius vtilitate mira, ſat plura dixere, Conciliat. *pro complemento Meſuë, cap.de apoplex.* Iaſon. *lib.de curand.morb.cereb.cap.*17.

Obſeruatio.

Deſperata Apoplexia, cucurbitula bis in occipite ſcarificata curatur.

HÆc dum ſcriberem, ad curandum iuuenem apoplexia correptum vocor, qui velut ſideratus ex improuiſo cadens in terram, virium omnium animalium penè iactura facta, reſoluto pulſu, exanimis, in horas moriturus ſperabatur. Huic ad ferenda vehementiora auxilia incapaci, cucurbitulam profundè ſcarificatam, poſt enema acre, occipiti imponi iubeo. Quo auxilio, poſt duas horas æqualitatem ſeruauit reſpiratio. Sed quoniam innatus calor à copia humoris obrutus languebat valdè, iterum in eadem parte admota cum ſcarificatione cucurbita tanto fuit ad-

A iumento, vt illicò loqui cœperit, & tandem purgatione exhibita omninò à morbo immunis euaſerit.

DVBIVM XIX.

Num repellentia in Apoplexia ſint ex vſu

AD 5. Nulli dubium eſt quandoque copioſum adeò, calidúmque ſanguinem contineri in cerebri venis, vt præ nimia ipſarum turgentia, & repletione, cerebri ventres coarctentur, quòd nullus ſit ſpiritibus, ad ſenſoria & motus inſtrumenta liber aditus. Quapropter ex hoc copioſiori ſanguine, minimè putrido, retento, atque excalfacto, & acriori reddito, diſpoſitionemque inflammationi ſimilem committente, oriri apoplexiam, dilucidè 2. *aph.*42.
B Gal. admonuit. Si ergo ex phlegmonoſo tenuis meningis affectu ea concitetur, repellentia erunt ex vſu; non ſtricta, quidem, & quæ propriè talia dicuntur: nam adſtrictione ſua impingunt humorem, excernique prohibent; ſed quæ impropriè & largo modo vocantur reprimentia, quæ frigiditate ſua, ſanguinis acrimoniam attemperare, & humiditate eum ab aſſante colore præ mora concretum, laxare poſſunt: ſic enim craſſiuſculus ſanguis in parte firmatus promptiùs vacuationibus cedit. Rectè ergo nenupharinum oleum, hac de cauſa, in naſum ægri proiecit, vt eleuato vapore per narium foramina, facultas medicamenti intra cranium penetraret in odorum ſenſoriorum, quod in anterioribus cerebri ventriculis contineri, *infrà in com. hiſt.*65. ex Gal. mente comprobabimus. Quod tamen auxilium conſulo faciendum in iis, qui aliquam, licèt inæqualem, & inordinatam ſeruant reſpirationem. In acutiſſima
C verò, in qua & ipſa impeditur reſpiratio, nullo modo exſequendum puto, quum citra morbi leuamen adminiſtretur; ſi verum eſt quod dixit Ariſt. 2. *de anim.*9. *& lib.de ſenſ.& ſenſibil.cap.*5. animalia reſpiratione vtentia citra reſpirationem olfacere non poſſe, hominemque tantùm inſpirando odorem ſentire. Ex his conciliabis auctores, quorum quidam in hoc affectu reprimentia concedunt, alij negant. Hi enim de apoplexia orta ex craſſo tenacique ſucco, illi de ea à calido ſanguine, & multo originem ducente, ſunt intelligendi, quæ licèt non ita frequenter eueniat, dari tamen poſſe ſuprà conceſſimus. Quibus autem ſignis à vera cerebri inflammatione diſtinguatur, citati auctores luculenter explicarunt.

D

HIST. XXXIV. AVICENNÆ, De Apoplexia.

Apoplectici pro mortuis habiti interdum reuiuiſcunt. Quare intra tres dies non ſunt ſepeliendi.

ALiquando autem accidit, vt homo apoplexiam incurrat, & non ſit differentia inter ipſum, & mortuum, & non apparet in ipſo aliquid anhelitus, deinde reuiuiſcit & ſanatur. Et nos plurimos eorum vidimus, quorum diſpoſitio hæc erat. Et in iſtis quidem anhelitus non apparet, & ipſorum pulſus inte-
E *grè cadit, & videtur quòd calor innatus in eis non vehementer indiget euentatione, & expulſione vaporis fumoſi à ſe anhelitu magno, propter id quod accidit ei ex frigore, & propter hoc volunt, vt tardetur ſepultura ambigui ex mortuis, donec perpendatur eius diſpoſitio, & neque ſit minùs ſeptuaginta duabus horis, &c. Auicenna* fen.1.lib.3.tract.5. cap.12.

PARAPHRASIS.

IN apoplecticis remanere reſpirationem, omniū muſculorum actione ceſſante (eſt enim priuatio ſenſus, & motus) dubitant plurimi, quum illa ſine opere muſculorum thoracis fieri non poſſit. Reſpondet Gal. 2. *aph.*42. dicens, reſpirationem ad vitam tam neceſſariam excitare neruorum vim ad huiuſmodi edendam operationem: nam *viuentem non reſpirare, & reſpirantem non viuere eſt impoſſibile,* vt

ſt 4. *de loc.7. & 6.eiuſd.oper.5*. Gal. confirmat. Sed quum Apoplexia acutiſſima ſit, in qua nulla adeſt reſpiratio, viuántque ægri ſine pulſu vllo, & exiguus calor ad cor, tanquam ad arcem conuolans, ibique obrutus, & à crudorum humorum copia ſuffocatus, & veluti extinctus, ſola tranſpiratione alatur, & conſeruetur (nulla vel inſenſibili ſuperſtite reſpiratione) quod accidit quando nimia cerebri, & ventriculorum obſtructio adeſt, ita vt non poſſit animalis ſpiritus permeare; fit, vt mortui, & ſuffocati appareant ægrotantes. Quicquid obnixè, falsò tamen, contrà ſentiat Mercurial. *lib.1. prax.1 9.*

Ex qua ſæuiſſima ægritudine aliqui, licèt rarò, euadere ſolent: ij præſertim qui cerebrum debile, & facultatem motricem imbecillem, cùm corde frigido habent: Nam & minore egent reſpiratione, & puſillus calor in corde coërcitus, aëre per tranſpirationem attracto, refrigeratur, & nutritur; & morbus, ob cerebri, & facultatum motricum imbelles vires, à minùs vehemente cauſa progenitus, promptiùs diſcutitur, quàm in iis, qui robuſtas animales potentias, cum cordis æſtu, ac incendio fortiuntur. Citiùs enim pereunt, quum calor nimius cordis, pauxillo refrigerio ſufficienter non vẽtilatus marceſcat, & extinguatur.

Quare cùm inter apoplecticum, & mortuum nulla ſit differentia, & plures pro mortuis habiti, ad foueamque delati, vitam, & ſanitatem recuperarint, vt Leuin. Lemn. *lib.2. cap.3. de occultis*. Amat. 4. *cent.* 23. Michaël. Ioan. Paſch. *lib.1. cap.1 3. de curand. morb.* Carp. *in tract. ſuo aureo de fract. cran.* appoſitis exemplis confirmant; ſaluberrimum eſt Auic. conſilium, vt hi non ſepeliantur, quouſque ſpatium 72. horarum pertranſeat, aud ad minus 48. vt raſis *lib.1. contin. tract.1. cap.4.* animaduertit.

Cauſam autem cur hunc terminum liceat obſeruare, varij variè aſſignarunt. Conciliat. *diff.* 182. hoc eſſe exſequendum affirmat; quoniam trino dierum ſpatio omnes corporis humores mouentur, quo tranſacto, aut mortis, aut vitæ certum ſignum apparet. Nam natura ſui muneris oblita, & veluti conſopita, ex commixtione illa, & tandem vltimo conatu, vi caloris natiui exſuſcitati atque accenſi, illius ſcilicet qui in corde, quaſi ſuffocatus præerat in foco, craſſos, lentos, viſcidóſque humores, cerebri ventriculos penitùs obturantes, attenuat, incidit, digerit, & in halitum reſoluit; vel; (quod frequentiùs contingit) in alterum latus, oborta paralyſi, tranſmittit. Lege Nicol. Piſon. *lib.1. de morb. cognoſc. & curandis cap.16.*

Hæc omnia in vltimo vitæ ſtadio calorem innatum præſtare poſſe, quum nimium exagitatus, & commotus ſuas vires exerit adeò notum eſt, vt probari opus non ſit. Nam hic, vehemente impetu in vniuerſum corpus actus, ſubindéque in partes affectas proſiliens, quidquid in illis ſenſum, motúmque voluntarium impediebat, diſcutit, abſumítque; vt quem non operoſa medentium manus, non accurata Medicorum diligentia; nec vlla medicamentorum genera curare potuerunt, ſolus calor naturalis exagitatus potuerit perſanare. Naturas enim morborum eſſe medicatrices, cum H ppoconclamant omnes: vt patet *ex 6. epid. ſect.2. text.2.* Gal. *1. aph.14. & 15.4. aph.37.5. aph.32.* Neque enim alıud natura noſtra eſt, quàm natiuus hic calor, omnium auctor atque effector;

Huius ergo poteſtate, apoplectici, qui in horas morituri videbantur; natura vires ſuas ad noxij expulſionem vniente, ſanantur, & reuiuiſcũnt. Mirabiles ſunt effectus, quos vitio natiui caloris præſtare ſolet. Sic plures diu claudos, reſolutos, & contractos, ita, timore, vel incendij metu percitos, repentè ſanos factos fuiſſe, eleganti exemplo refert Valleriol. *lib.2. obſeruat.4.* quorum euentuum cauſa ſtatuenda eſt, aggreſſus naturæ ad expellendum humorem noxium. Sic in apoplecticis, ob conatum vniti caloris, ſi aliquis humorum ebullit & feruet, ex cuius agitatione natura concitata, ad vicendam cauſam morbificam inſurgit, fieri poteſt, vt vel diſcuſſo, vel expulſo humore ſanentur. Quare ante tres dies, in quibus omnium humorum commotio contingit, non ſunt ſepeliẽdi. Quod præceptum non in his ſolùm; ſed in omnibus repentinis affectibus, vteri nempè ſtrangulatu, ſyncope cardiaca, carotis, catalepticis, epilepticis, & aliis eſt obſeruandum. Lege Gregor. Horſt. *lib.7. apud Marcel. Hiſt. med. mirabil.9. de ſuffocatis adhuc viuentibus.*

Obſeruatio XXXII.

Apoplecticus pro mortuo habitus, poſt duorum dierum ſpatium reuixit.

Ego mirum quid in quodam piſcatore vidiſſe, teſtari bona fide poſſum. Qui quum 20. horis apoplecticus iaceret, toto corpore frigidus, lineo panno ad ſepulturam inuolutus, & conſutus, in terra iacuiſſet, dum veſpillones, pro more, cadauer terræ mandaturi, ad ſepeliendum deferrent, raucum & ignotum clamorem audientes, feretrum ab humeris in terram deponunt, pannum circa os madidum, & ſpuma plenum conſpiciũt, corpus detegunt. Ecce me, & duos ſocios Medicos, fortè ad conſultationem tranſeuntes magna acclamatione vocarunt, vt de vita hominis iudicium proferremus; acceſſimus, eius priùs in metacarpio arteriarum motiones explorantes, eas vigere deprehendimus. Sicque adhibitis reuulſoriis auxiliis per cucurbitulas ſiccas, acria enemata, paulatim ad ſe redire cœpit, & poſt paucos dies ſanus euaſit.

Contrarium accidiſſe legimus in vita Scoti, qui ſimiliter viuus ſepultus, habita rei cognitione, à ſepultura extractus, ſanguinis copia obrutus, ſuffocato natiuo calore; negatóque cordis refrigerio, & cohibita reſpiratione miſerè occubuit. Lege prodigioſam hiſtoriam apud Paræum *lib.13. cap.46.* de vtero ſtrangulata, quæ pro mortua habita, & in tabula anatomica ſecta, ad ſecundam nouaculæ impreſſionem repentè cum infamia Medici ſumma ad ſe rediit.

DVBIVM XX.

Num Apoplexia fortis curari poſſit. Contra Brachel & Cardanum, Medicos præſtantiſſimos.

COMMENTARIVM.

Reuiuiſcit.] Aut arte, aut natura. Illa celebratis omnibus auxiliis, quæ in acceſſione apoplectica acutiſſima auctores exſequenda ſuadent. A natura, aut vnito calore natiuo ad expellendam noxam ſenſatam, vt diximus *ſuprà*; aut ſuperueniente febre. Videtur ergo, quòd apoplexia fortis curari poſſit, cõtra Senis edictum *lib.2. aph.42.* Nam ipſe ſic prædixit *lib.6. aph.51. Quicumque ſani dolore capitis repentè capiuntur, & ſtatim muti fiunt, & ſtertunt, in ſeptem diebus pereunt, niſi febris apprehenderit.* Firmat Gal. *in com. Nam febris ſuperueniẽs ſoluit diſpoſitionẽ, calefacit, extenuat, atque reſoluit ſpiritũ flatuoſum, & pituitoſos abſumit humores.*

Hieremias Brachelius, & Cardanus *in com.* vt vitarent calumniam iſtam, Hippocratiſque loca diſſentientia conciliarent, ſententiam hanc non de apoplexia, ſed de ſopore intelligendam eſſe aſſeuerarũt: hoc placitum plurimis rationibus confirmant. Prima. Apoplexia non producitur vſque ad ſeptimum, ſed intra quartum interficit, aut ceſſat. Secunda. Apoplexia eſt morbus acutus ſine febri, 2. *aph.19.* & alibi paſſim. Et quando ſuperuenit febris, ea ſolùm materiam flatuoſam, & vaporoſam, non craſſam, & viſcidam diſcutere poteſt. Tertia. Quoniam apoplexia repentè ſanos non inuadit; accidit enim iis qui comeſſationibus, & crapulæ ſunt deditı, & ſuccis crudis ſcatent, qui ſani non ſunt. Quarta. Apoplexiam non antecedit capitis dolor; ſed ſenſuum obtuſio, aut ſtupor; nam illius cauſa plus offendit quantitate, quàm qualitate. Quinta. Quòd nullus apoplecticus videtur à febri liberari, quinimò quum maxima difficultate ſpirandi laborent, celeriùs febri correpti intereunt. His conuicti, Gal. interpretationem mirantur valdè, qui Hip. de attonito morbo dicentem intelligit.

Sed magis ego horum mentem vehementer admiror, qui futilibus rationibus irretiti, à ſummi Gal. iudicio ſic deuiare coguntur, cuius doctrinam in varios ſenſus diſtorquent: Quum ipſe expreſsè contrarium protulerit, dum ait *in com. Videtur autem nunc fortis apoplexiæ indicium appoſuiſſe, quod ſtertere dixit, &c.*

Tu verò ſolue difficultatem cum Gal.*6.aph.*58.commune ſcilicet eſſe omnibus ſententiis aphoriſticis, ex figura dictionis ſemper perpetuum ſignificare, licèt ad veritatem ſententiæ non requiratur, quod res eodem ſemper modo eueniant: nam veritates Hippocraticæ caſus raros non excludunt, qui ſi eueniant, non tollunt aphoriſticam doctrinam, nec problematum medicorum firmitudinem labefactant. Solùm ergo id verum eſt, quod frequenter, & magna ex parte accidere ſolet, ex Gal. 4.*aph.*44. & 2.*aph.*43. *Non* enim *ex his quæ ſemel, aut bis homo videt, debet pronunciata medica conficere*, vt *lib.2.de fœt.format.* 2. dictauit Gal. Sic apoplexia fortis magna ex parte non recipit curationem, quum aliquando, rarò tamen curari poſſit, vt *ſuprà* oſtendimus.

Neque obſtant ſuprà citata in contrarium adducta fundamenta. Quoniam apoplecticus cor frigidum habens, & maximè ſi debilis ſit, vſque ad ſeptimum produci poteſt. Ad ſecundum dic: quòd licèt hic affectus ex humore craſſo, ac frigido accidat ſine febri; ex corruptione tamen ſanguinis, & aliorum humorum, aut ob medicamenta calida, intùs & extrà applicita ſuperuenire ſolet; quæ ſi ſit acuta & vehemens, craſſam flatuoſamque ſubſtantiam diſcutere poteſt. Tertium verò, & quartum dirimes, ſi dicas, apoplexiam ſanos repentè inuadere, non ſolùm quum ex plenitudine, ſed cùm ex ebrietate ortum ducit. Tunc enim cerebro vaporibus vini repleto, diſtento, ac intemperato accidit dolor, qui apoplexiam præcedere ſolet. Quintum explica hoc modo. Quamuis enim ſuperueniens febris apoplexiam videatur concitare, adaucto reſpirationis vſu, deteriorem; extenuando tamen humorem craſſum, & ſic diſcuſſa copia, ſublatáque ventriculorum cerebri obſtructione plus iuuat: hæc enim erat cauſa læſionis reſpirationis, influxu facultatis, & ſpiritus animalis impedito, quare minor noxa maiori vtilitate compenſatur.

QVÆSTIO XXIII.

Quòd febris pro morborum curatione ſit aliquando excitanda. Contra Fuchſium, Mercat. & Ambr. Nunnium, Medicos præſtantiſſimos.

ET *ſanatur.*] aut à natura, ſuperueniente febri, aut febri ſuſcitata ob artis vſum. Euidens ſané argumentum à natura rectè operante deductum: nam ſi apoplecticus ſanatur ſuperueniente febri, cur illa excitata medicamentorum ope, non reuiuiſcet? illud manifeſtiſſimo oraculo docuit Hipp.*6.aph.*51. firmat Gal. *lib.*14.*meth. cap.*15. vbi præter alia auxilia ad obeſum corpus perſanandum numerat febrim, à medicamentis, aut à nimio exercitio excitatam; quam ad extenuandum corpus non alienam eſſe, ſi medicus rectè omnia faciat, inibi inculcat. Edoctus ab Hipp.2.*Coac.cap.*12.*text.*11. ſic referente Dureto, qui ſuperuenientem febrem acutam conuulſioni, hanc ſanare dicere non erubuit. Firmat *lib.*2. *aph.* 26. & 5.*aph.*70. explicante ſic, Gal. *in com.* & *lib.6.epid.ſect.6.com.*8. Quo loco loquutum fuiſſe Hipp. de omnibus frigidis, & humidis morbis aſſeuerat, nec immeritò: nam omnes indicationes curatrices ſolo febris acceſſu complentur: hæc enim calefacit frigida, ſiccat humida, flatulentam materiam diſcutit, tenuat craſſos ſuccos, lentos ſeparat, viſcidos fundit, & abſumit, vt *cit.epid.com.*7. aſſerit Gal. Medicamentis ergo exhibitis febrem excitare ſalubre eſt conſilium, quando acuti morbi frigidi ſæuities vrget; ex qua calefactione ſi oriatur febris, poterit deſperato morbo mederi: nam, vt inquit Celſ.*lib.*3.*cap.*9. *Quos ratio non iuuat, temeritas ſanat, quum circumſpecti hominis ſit, quandoque febres accendere.* Hoc enim Plato innuit *in Timæo*, dicens, *ſubortæ febres curant tenſiones.* Quare Gal.*lib.*1. *prorrhet. ſect.*2.*com.* 50. in omnibus neruoſi generis affectibus, qui à pituitoſis humoribus oriuntur, febrem ſuperuenientem adiumento eſſe maximo confirmat: & 6.*aph.*40. frigidos dolores à flatu ſubortos, febri accedente ſanari aſſeuerat. A quorum mente alienus non eſt Paul. *lib.*3.*cap.*20. Sequitur Auic.2.3.*cap.*7. & 1.3.*tract.*5.*cap.*12. qui apoplexiam interficere aſſeuerat, niſi accidat febris: nam ea ſubortà eſt ſpes, vt cum ea ſoluantur ſuperfluitates. Eius ſententiam amplectuntur Meſuë *cap.de ſpaſmo.* Raſius 9.*ad Alm.* 7. Eorum mentem explicant Harculan. & Iacchin. *ibid.* Sequuntur Matheus *conſil.vlt.* Valleſ.8.*controu.*10. Brachel. *in com.*26. *ſent.lib.*2.*aph.* & *lib.*4.*com.*57. Iacotius, & Hol. *lib.*7.*Coac.ſect.*2.*in com.text.*4. Chriſtoph. à Vega *lib.*3.*art. med.ſect.*1.*cap.*21.

Fuchſius, & Ambroſius Nunius *in com.cit.ſent.*26.*lib.*2. *aph.* & Ludouic.Mercat.*lib.*1.*de morb.internis, cap.*15. ſuperiorem doctrinam temnunt, & damnant. Primò. Quoniam licèt morbus morbo aliquando curetur, ex Gal.*lib.6.epid. ſect.*6. *com.*8. morbus tamen ſuperueniens non ita debet eſſe magnus, & periculoſus, nec ita lædere actiones, aut immutare corpus, vt febris: quæ ſi ſit diaria, & mitis, ſuccos craſſos nec attenuare, nec diſſoluere poterit, ita promptè, vt acuties morbi multoties efflagitat. Quare Hipp. *cit. lib.* 1. *prorrhet.* ſubitaneas apoplexias ſolutas poſt febrem ſuperuenientem pernicioſas eſſe aſſeuerat, vt Numenij filio euenit. Et quum in noſtra poteſtate non ſit ſolùm diariam excitare, quin putridam, & acutam in corpore præſertim plethorico ſuſcitemus, tutiſſimum eſt ab eius prouocatione abſtinere; & eo maximè quum non ſint facienda mala, vt inde eueniant bona. Accedit quòd medicamenta attenuantia multò potentiùs abſument craſſam pituitam, & cathartica ipſam vacuabunt, quàm febris: quum magis irritent facultatem onere preſſam ad expellendum. Demùm plurimum periculum hæc curatio ſecum importat: nam hac celebrata, febrilis intemperantia alteri additur, quæ ſummoperè vires proſternit: qua ductus ratione Galenus *lib. de curand. rat. per ſang. miſſ. cap.*10. in præſentia crudorum ſuccorum omninò arcet ægros à phlebotomia, ſi ſuperuenerit febri, quum hæc proportionatum naturæ calorem, quo lenti humores coqui debent, euertat ampliùs. Quare vnicus natiuus calor, iſque à febrili labefactatus, complicatos affectus regulare non poteſt, neque Medicus conuenientem victus rationem vtrique præſcribere.

At hi Galeni mentem non ſatis ſunt aſſequuti, quorum argumenta non eſt multò operoſum refringere. Licèt enim in noſtra poteſtate non ſit, ſolùm diariam excitare, quod timuit Sauonarola *tract.*6.*c.de paralyſi*; tamen ſi putrida, & acuta accendatur, nocere non poterit, ſed ſubito, & periculoſo malo, auxilio erit. Hanc poſitionem firmat Ioan.Coſtæus cum Mongio *in com. cit. cap. Auic.* qui cum Alexandro Aphrodiſ. *in com. problem.*131.*lib.*2.*Ariſt.* intelligendum eſſe Hippocratem de febri acuta, & vehemente aſſeuerant. Neque intemperantia hæc ſuperaddita debilitare poterit, quum frigidi morbi præexiſtentis intemperiem corrigat, atque emendet. Si autem Numenij filius ab Hippocr. citatus, ſuperueniente febre occubuit, id non ex addita febri, ſed ex lethali apoplexia accidiſſe exiſtima. Neque medicamenta calida, ea celeritate, qua febris, craſſos ſuccos attenuant, au tenuatos extra corpus pellere nata ſunt: Nam febris, incenſis ſpiritibus, aut humoribus per vniuerſum corpus vagantibus, ſuccorum lentorum copiam æquabiliter incîdit, extenuat, & expulſioni paratam reddit. Ex quibus vide quàm malo fundamento innixa ſit horum ſententia, quàm verò noſtra ſolido, ac bono fulta. Lege pro maiori explicatione Vidum Vidium *lib.*2.*de curat.membrat.cap* 16. Sennertum *tract.*1. *de capit. affectib.tit.de Apoplexia.* Iaſon.*c.*17.*de curand.morb.cerebri.*

HISTOR. XXXV. GALENI.
De Melancholia.

Seruus mœrore affectus, & tabeſcens, Galeni induſtria liberatur.

AD hunc modum, & alterius cuiuſpiam diuitis ſeruus Atrienſis, mihi cognitus eſt ſimili morbo laborare. Nam cùm mœſtitiâ afficeretur ex eo, quia rationem pecuniarum

rum quas adminiſtrauerat, redditurus eſſet, ſummaque non parùm deeſſe ſciret, præ mœrore vigilabat, animúmque deſpondens tabeſcebat. Priùs itaque illius domino, ſeruum nullo corporis morbo laborare aſſerui; deinde vt animum animaduerteret, monui Atrienſem propterea timere, quia rationem eorum quæ adminiſtrarat, expoſtulaturus eſſet, triſtitiáque idcircò ipſum angi, ſcientem haud parùm deeſſe. Vt igitur me benè coniectaſſe dominus reſpondit, maioris notitiæ gratia conſului, vt Atrienſi diceret, ſe id tantùm argenti quod haberet repetiiſſe, ne commiſſa alteri ſeruo, quem nondum expertus eſſet, domeſtica gubernatione, hic inexpectata morte periret: Nam ab eo poſtea rationes expoſcere non oportere. Vt autem hæc ei expoſui, credens ſe adminiſtrationis ſuæ rationes non redditurum, atque idcircò triſtitiam animo deponens, priſtinum corporis habitum tertio die recepit, &c. Galenus lib. de præcognit. ad Poſthum. cap. 6.

PARAPHRASIS.

ANimi mœrorem diutinum, vniuerſo calore confertim ad vitæ penetralia confugiente, ibique vnito, conculcato, ac penè extincto, externarũ partium refrigerationem, vultus pallorem, atrophiã, ac ſæpè mortem parere, teſtis locupletiſſimus eſt Valer. Maxim. *lib. 9. tract. 42.* de morte non vulgari. Firmant Plin. *lib. 7. cap. 32. & 57.* Aul. Gell. *noct. artic. lib. 3. cap. 15.* Valleriol. *lib. 5. de morb. & ſympt. cap. 5. in med.* Quum enim ob vehementem imaginationem ab officiis coctionis calor ad cerebrum diſtrahatur, & ob vigilias corpus non nutriatur, ſanguine, nutritionis & ſãguificationis organa deſerente, fit vt corpus tabeſcere incipiat, probo cùm partes priuentur alimento, vt ſic ali deſinant, loquentibus nobis ſub latiſſimo tabis ſignificato, quo Celſ. *lib. 3. cap. 22.* atrophiam tabem vocat, quando videlicet corpus non nutritur, & naturaliter aliquibus ſemper decedentibus, nullis verò in eorum locum ſubeuntibus, macies oritur. Quum verò ſeruus iſte ob animi mœſtitiam nimis vigilans, non nutritus in dies magis ac magis extenuatus contabeſceret, mirari non debemus, illum depoſita triſtitia, recuperato ſomno, & meliori facta nutritione, redintegratis viribus, tridui ſpatio ad priſtinum ſanitatis ſtatum rediiſſe.

Ex præfata hiſtoria, ſimúlque altera amantis mulieris (quam infrà comõdiori loco deſcribemus) mira induſtria à Gal. præcognita coniicies, quàm glorioſum, & honorificum ſit Medico, occulta, & in ægrorum intimo pectore latentia, & abſcondita rimari, agnoſcere, & patefacere; nam cum vtilitate maxima citiùs, faciliùs, & iucundiùs ſanitatem ægri adipiſcuntur, quos in peius ruere eſt neceſſe, ſi ab eis cauſa morbi præ pudore, aut timore celata à Medicis non cognoſcatur. Summè ergo oportet laudare Galenum, acerrimi iudicij virum, qui præſente corporis cõſiderata ſanitate, animi morbum collegit, & natiua prudentia vſus, talis triſtitiæ cauſã deprehendit, Docens hoc exemplo quàm neceſſariũ ſit, pro curandis abditis & occultis morbis, omnia inquirere & percontari, illorúmque exactam notitiam, rationémque retinere: Sunt enim plurima, quæ ægri præ verecundia patefacere recuſant, pro quibus inquirendis Medicum ſagacem, & natura prudentem, arte & induſtria inſudare oportet.

HIST. XXXVI. AVENSOAR, De Melancholia.

Melancholia ex potu vitioſæ aquæ contracta, cardiacis aſſumptis, & tandem ingenio miro, curata.

*ETiam recordor, cùm eſſem cum patre meo ſtudens corã ipſo in Medicina. Vocatus fui ad Fratrem de Bentamin, Dominum Sibiliæ, & inueni eum quòd iam cogitauerat quòd mors ipsũ detinuerat, & nõ poterat loqui, nec ſe mouere motu locali. Sed pulſus eius minimè manifeſtauit priuationẽ motus ipſius, immò complexionem calidam ex humore calido exiſtente in ſtomacho demonſtrabat. Cui propinaui ad bibendum aquam roſaceam * cum ſucco pomorum, & aquam menthæ, cum modicâ quantitate * pulueris ſantalorum, & maſtichis, & inde leuatus eſt aliquantulùm ab ægritudine. Tamen illa imaginatio phantaſtica non receſſit, & ego non poteram cogitare quid hoc eſſet. Et continuaui ſtare cum eo, die ac nocte; & cognoui quòd ægritudo ipſius aliquando augmentabatur, & aliquando alleuiabatur, quare autumaui quod hoc eſſe non poterat niſi à re extrinſeca, & quærens eam poſſe, cum non poteram inuenire. Sed quadam die quærens bibere, porrexerunt mihi potum in vaſe ipſo, cum quo frater Bentamin bibere conſueuerat, & percepi in aqua illa extraneum ſaporem, quare ipſam non modicùm abhorrui. & dicta aqua erat aromatizata cum modico odore horribili: quare non ceſſaui fortiter exclamare, dicens, quomodo poterit iſte dominus liberari, cùm quotidie eum potetis toxico? Vnde quidam ex miniſtris ſuis mihi cœpit fortiter ſupplicare, vt tacere deberem, & non abſtinui propter hoc, eò quòd ſi tacuiſſem, maxima fuiſſet perditio. Quare ſcitum fuit, quòd in aquam, cum qua ipſum potabant; ponebant carnem putridam fortiter exſiccatam, & tritam, & ligatam in petia; & quandò aqua illa putrida morabatur in ſtomacho, aſcendebant ab ipſâ vapores mali ad cerebrum, & perturbabant intellectum; & Medici omnes illius regionis laborabant circa curationem illius, & non potuerunt illum curare, donec frater eius elongauit eum à Sibilia: & pro certo remota fuerunt ab eo illa accidentiá mala, quoniam illud faciebant ſub ſpe auferendi pecuniam ipſius, &c. Auenzoar* lib. 1. Threïzir, tract. 9. cap. 9.

PARAPRHASIS.

A Vaporibus prauis in ventriculo multiplicatis aſcendentibus ad cerebrum, ægros in grauiſſima pericula deprauatas imaginationes, & innumeras delirij ſortes incidere, probat Aëtius *tetrab. 2. ſerm. 2. cap. 9.* & poſito exemplo in hypochondriaca melancholia firmant Gal. *3. de loc. c. 7.* Fernel. *5. patholog. 2.* Iacchinus *in lib. 9.* Raſius *ad Almanſ. 15.* Ludouic. Mercat. *lib. de morbo intern. 17.* Carrerus *cap. 7. ad libros de loc. affect. diſp. 6.* Quare atro, caliginoſóque humore ab his partibus eleuato, metum ſuccreſcere, & alia melancholica deliramenta oriri, aſſerit Gal. *2. de cauſ. ſympt. 7.* & annuunt poſt eum cæteri. Quidquid Auer. *3. collig. 40.* ex atro melancholiæ colore, aut vaporum aſcendentium nigredine non poſſe hæc fieri, contra Gal. aſſeueret. Cuius argumenta inter alios Laconicè ſoluunt Valleſ. *5. controuerſ. 14.* Montaltus *de cereb. affectib. tract. 4. cap. 7.* Andreas Laurent. *lib. 1. de Melanch. c. 5.* Chriſtoph. à Vega *lib. 3. art. Medic. ſect. 1. cap. 14.* Nam tetro vapore, nigro, & tenebroſo, opacum ſpiritum, cauſam euerſionis ſanitatis, progigni, nulli eſt non manifeſtum. Ex qua origine, vt *2. de cauſ. ſympt. vlt. & 3. de loc. 7.* ait Gal. in cerebro ipſo obtenebrantur facultates, & ſpiritus ſuapte natura lucidi, atro melancholiæ, & vaporum aſcendentium colore opaci redduntur. Quo fit, vt anima triſtetur, & pertimeſcat; ex concepta ſemel mali præſentis, aut futuri opinione; & mille deliramenta contingant, vt in noſtro ægro fit manifeſtum, qui ſe iam à morte opprimi, arbitrabatur.

Sic Burgundus, teſte Interprete Holler. *lib. 1. de morb. intern. cap. de melanch.* multis Medicis adſtantibus moriturum ſe affirmabat, & ipſos precabatur, ne ampliùs animæ impedimento eſſent, quominus è purgatorio euolaret ad Deum; aliquando imitabatur moribundum, quaſi efflaret animam, monebat vt ſpectarent expiratum; poſteà ſummo timore, & deſperatione corripiebatur. Alij nolunt loqui, nec ſe mouere volunt, quum non ex debilitate, ſed ex læſa imaginatione, & delirio hoc ſignum contingat: nam pulſus, robur & animalium facultatum firmitudinem ſignificabat, quum maior, celerior, & crebrior eſſet, qui pulſus à temperamento calido proficiſcuntur, vt Gal. *2. de cauſ. pulſ. cap. 3.* ſcitè aduertit. Illa ergo omnia accidentia ſuprà relata, de metu imminentis mortis, præterquam quòd ab humore illo calido exiſtente in ſtomacho, & aduſto, & ſuperas partes ſuo fæculento vapore, inficiente originem ducebant, increſcebant & fouebantur ab alia cauſa, nempè

ab odore carnis putridæ, cum qua decocta clàm malefici homines aquam potandam exhibebant.

Tanta enim eſt fœtidi odoris noxa, vt inſpiratus, ſpiritus omnes labefactet, quum putridus ſit adſcititius, & præter naturam: quare vires comminuit, triſtitiam inducit, febres excitat peſtilentes, aliaſque, & præſertim putridas generat, recidiuas facit, ventriculum ſubuertit, nutritionem vitiat: hócque non ſolùm præſtat inſpiratus, verùm etiam arteriarum motu per cutem intùs attractus. Nam affirmari ſe audiuiſſe, ſcribit Syluius *in com. in lib. prior. de dif. feb. c. 6.* robuſtum quendam, dum à parua ſphæra exercita calens, in periſterotrophio, quod in ſummis ædibus habebat, obdormiiſſet, tractis à calido corpore, corde, & arteriis etiam calidioribus, largo aëre putri, non multò pòſt elephanticum euaſiſſe. Sic qui in ſtabulis animalium (præſertim moto fimo) verſantur, in febres prauas, aliáque morborum genera promptè dilabuntur ac recidunt. Ex quo colligitur quàm noxium ſit, & periculoſum aërem fœtidum, per inſpirationem, aut tranſpirationem, quæ per totam agitur cutem, attrahere. Quomodo autem fœtor arcendus ſit, & bonus odor conciliandus, explicat Mercurialis ingenuè. *lib. de decorat. cap. 29. probl. 3.*

Quoniam fœtor nemini frugiferus eſt: Cui enim ex cadaueribus detentis, aut putreſcentibus corporibus, aut ex barathris, ſpecubus, ſentinis, latrinis, graueolentiam, peſtilentémve auram inſpirare conducet? Quocirca Gal. *lib. 1. de ſanit. tuend. cap. 11.* Optimum aërem in pulmones attrahere, omnibus iuxtà ſalubre eſſe ſcriptum reliquit; taléḿque fore, ſi nec ſtagni, nec paludis halitu ſit perturbatus, nec ex profundo ſpecu peſtilentem auram ſpirante infectus: nec qui ex cloacis, quæ magnam aliquam vrbem, aut numeroſum exercitum purgant, vitium contraxit: nec qui ex animalium, olerum, aut leguminum putredine, aut fimo coinquinatur; nec qui propter ſtagnum, aut flumen vicinum nebuloſus eſt: nec qui editis vndique montibus in cauo loco incluſus, nullum recipit perflatum: ſuffocans enim putriſque eſt, ſimilis ei qui in domibus quibuſdam eſt incluſus, in quibus ob putredinem, & difflatus defectum omninò noxius eſt. Cur ergo, ſi clarè colligitur periculoſum eſſe, in corpus per inſpirationem, aut tranſpirationem, fœtentes vapores attrahere; ab aqua illa horribili, putridóque odore infecta, poſſe ſpiritus inquinari, & mentem perturbari, ibimus inficias? immò ab hac cauſa morbum hunc habuiſſe ortum non fatebimur? Ex quo exemplo docemur, quantum oporteat Medicum omnia, quæ ægro offeruntur, ſpeculari, & de iis ſuum iudicium proferre.

Meritò ergo ad prohibendos vapores cerebrum impetentes, humorem ſiccũ demulcendum, ſuccum calidum in ſtomacho ſitum refrænandum, aquam roſaceam exhibuit, vnà cum ſantalis, maſtiche, & aqua menthæ: Nam frigida hæc medicamenta; roſacea nempè, & ſantalum vtrumque, robur; & citrinũs alacritatem, lætitiamque in hoc affectu ſummoperè neceſſariam, conciliant, purificant ſpiritus, temperant, roborant, & quum cardiaca ſint medicamenta, ex Auicen. *lib. de virib. cord. tract. 2. cap. prop.* ſymptomata melancholica valdè mitigant & leniunt. Maſtiche autem & mentha, licèt prædictos effectus non obtineant, flatus tamen in melancholicis redundantes diſcutiunt.

Et maximè ſi cum ſucco pomorum fuerint priùs permixta. Nam omne pomum, (Matianum vocat Auicen. *lib. de virib. tract. 2. lit. M.*) ſummè lætificat, roborat cum ſuauitate ſua, ſpiritum nutrit, & contemperat. Et cùm auctore Dioſcorid. *lib. 1. c. 126.* ſit ſtupticum, ſigillat os ventriculi, clauditque ita, ne vapores ab ſtomacho ad ſuperiores partes exhalent. Et maximè ſi ſtillatitia roſarum aqua, pomi ſuccus ſit permixtus. Nam illa quum refrigeret, aduſti humoris efficaciam retundit, ſpiritus recreat, & omni exſolutionis generi mirè ſuccurrit. Quæ licèt multis modis, vi nempè ignis, & plurimis ac diuerſis inſtrumentis parari poſſit, ſuauior tamen, ac præſtantior habetur, vt Mathiol. inquit in Dioſcorid. *cap. de roſa,* quæ per balneum calentis aquæ vitreis organis elicitur: quæ enim plumbeis, aut aliis metallicis inſtrumentis, lignorum, vel carbonum igne extrahitur, fumidum virus, nidorémque reddit: Qua de

A cauſa, aquæ hoc modo diſtillatæ amaræ fiunt, fumidæ, ac nidoroſæ, moleſtiam, & noxam pectori, ventriculo, iecinori, viſceribuſque omnibus inferunt.

Adde etiam, aquas diſtillatas non ſeruare vim plantarum ſuarum, vt eleganter diſputant Montanus *2. conſult. 133.* & Brau. *lib. 2. de ſimpl. med. delect. 14.* Quippe dulces, amaræ redduntur, quum partes tenues calore ignis diſſoluantur, terreæ, vi ignis extenuentur. Meliùs ergo eſt vti decoctionibus, aut infuſione, in quibus vis herbarum manet, vt Græci præſtantiſſimi fecere. Si tamen aqua vitreis organis per balneum calentis aquæ fuerit diſtillata, plurimos vſus conferre poteſt, adeò vt diſtillatarum aquarum vſus, in affectibus quibuſdam, decoctis nõn parùm anteferri debeat. Siquidem Roſacea hoc modo extracta, in ardentibus febribus, & æſtiuis feruoribus ſitim valenter reB ſtinguere, & potantis guſtum oblectare poteſt, præſertim ſi cum aliquo iulapio permixta ebibatur. Idem præſtat in malignis, peſtiferiſvè febribus, cor enim, & præcipua viſcera roborat, oculorum inflammationes arcet, capitis dolorem demulcet, hepatis, & cordis æſtum, incendiúmque attemperat; quos vſus, nec herbarum ſucci, nec decocta præbere poſſunt; aut ſi præſtant, non ita aptè, commodéque id faciunt.

DVBIVM XXI.

Num Appiana Poma ſint noſtra Camuſia.

COMMENTARIVM.

Cum ſucco pomorum.] Altioris doctrinæ gratia, indagandum eſt quæ ſint hæc poma; quæ hic auctor ad melancholiam arcendam commendat. Hæc alia non eſſe, niſi C Camuſia vocata à Barbaris, à noſtris odora, ſeu Appiana, vt cum Muſa loquar, *tract. de ſyrupis, tit. de ſyrup. de pomis,* in animum induco meum: Nam hæc ex horum auctorum decreto cardiaca ſunt, & præſtantiorem cæteris pomis ſuccum gignunt, ex Ludou. Mercat. *tom. 1. lib. 2. qu. 164. n. 71.* & Chriſtoph. à Vega *lib. 2. art. med. ſect. 3. cap. 5. tit. de fruct. arbor.* & odore ſuauiſſimo cor recreant, & refocillant, ex Lacun. *lib. 1. in Dioſcorid. cap. 131.* & Amato *eod. loc.* Quare vitalem virtutem firmant, & humorem melancholicum contemperant, vt docet Rembert. Dodon. *lib. 3. de re herbar. Pempt. 6. cap. 1.* Eſſe autem hæc poma odorifera, conſtat: Si enim eorum cortices ignitis prunis iniicias, odorem ex ſe moſchatulum fundunt. Inſuper atrident guſtui, & cum palato maximam ineunt gratiam. Miror tamen ego, nemiD nem tot ſæculis extitiſſe, qui de huiuſmodi Camuſiis meminerit. Nec dicas Melimela Dioſcorid. *cap. 132. lib. 1.* & Horat. *ſatyra vlt.* eadem eſſe cum noſtris; quoniam illa ſunt æſtuoſa, calida, & dulcia, vt mel; noſtra autem ſunt temperata in calore, & modicè dulcia. Appiana ergo dicta à Plin. *lib. 15. c. 14.* ab Appio inuentore ſic vocata; noſtra ſunt Camuſia; quare ab Italis *mellapia,* quaſi mala Appia appellantur; Nam Appianis malis Plinij, odor eſt cotoneorum, & color rubeus, quæ proprietates noſtris Camuſiis inſunt. Si tamen de huius fructus facultate plura videre concupiſcis lege Aloyſium Toreum Placentinum *tract. de febre puncticulari, fol. 64.* & Hermolaum Barbarum *lib. 1. corollar. in Dioſcorid. cap. 169. de malis.*

QVÆSTIO. XXVI.

E *Quòd aurum cardiacum ſit. Contra Manard. & pro leuanda melancholia inter alimenta ſit decoquendum. contra Muſam, Picum Mirandulam, Platerum, & Brauum doctiſſimos.*

Pulueris ſantalorum] Inter plurima cardiaca, quæ ex profeſſo Auic. refert *in lib. de virib. cord.* Santala numerari, ita notum eſt vt probatione alia non indigeat; de quorum vi eximia pro leuanda melancholia, ſat plura dixere veteres, & iuniores ferè omnes, qui de aromatum facultate eruditiſſimè conſcripſerunt; quorum loco illud eſt celeberrimum, Aurum nempè, quod pro demulcenda melancholia ab auctoribus miris encomiis celebratur. Quare hanc

hanc controuerſiam reddere modò incudi conſultiſſimum iudicaui; video enim Medicos hoc tantum auxilium obnixè reprobaſſe.

Enimuerò ſi probatæ fidei auctoribus ſit habenda fides, Aurum aduerſùs melancholiam, ſummum, & præſtantiſſimum eſſe præſidium, aſſeremus: Cùm enim temperatum ſit, ex Auic. *lib.2.tract.2.cap.*78. cor innata vi tuetur, natiui caloris ſymmetriam conſeruat, viſcera roborat, ſplendidos generat ſpiritus & perſpicuos, quorum penuria qui laborant, triſtes, cogitabundi, & melancholici eſſe conſueuerunt: ſanguinem purificat, corpus à ſuperfluo humore repurgat, cor tremulum firmat, vires reficit, iuuat palpitantes, & omnes qui atris, & caliginoſis humoribus ſcatent, aut melancholicis morbis ſæpiſſimè corripiuntur, & aduerſùs cardiacam paſſionem mirificum eſt auxilium: provt Auic. *lib.de virib.card.cap.prop.de auro,* Serap. *tract. de ſimp.cap.*425. Plateariu *lib.de ſimpl.medic.cap.*3. memoriæ prodiderunt: & firmat eloquenter Geberus antiquiſſimus auctor, *lib.1.de Alchymia, cap.*30.*&* 31.

Horum ſententiam ſequuntur Mathiol. *lib.*4. *epiſt.* 9. *& lib.*5 *.in Dioſcorid.in com.cap.*70. Quercetanus *in ſuo alexicaco.* Leuin.Lemn. *lib.*3. *de occultis,* 6. Ficinus *lib.*2. *de ſtudioſ.ſanit.tuend. cap.*9.*& libel. de peſt. cap.*10. Libauius *in ſua Alchymia.* Vaſcus Caſtellus *tract.* 4. *de affectibus thoracis, cap.*8. *difficult.*5. Qui de auri potabilis mirabili efficacia doctè conſcripſerunt.

Inſuper in venenatis morbis contagioſis, & malignis celebre eſt auxilium; nam præterquam quòd putria vlcera, tetrique odoris, tactu ſuo emendat, tamen proprietate quadam cor defendit, ſic aſſerentibus Syluio *lib.*1. *meth. cap.de metallis.* Scalig.*exercit.*272. Hieronym.Rub. *lib.de diſtil.ſect.*11.*cap.*10. Borneto *in ſuo Iatrochymico.* Lang. *lib.*2.*epiſt.*49. Philip. Vlſtadio *in ſuo cælo Philoſoph.*

Hos effectus ipſius limaturam præſtare, prodiderunt citati auctores: Quare auri quàm tenuiſſimam ſcobem, hoc eſt ſubtiliſſima ramenta, quæ ex limatura decidunt, vel auri puriſſimi folia, aduerſùs Hydrargyrum epota plurimùm pollere, citati auctores vnanimiter confirmant. Quo pacto eorum approbo conſilium, qui poſt vnguenta mercurialia ad refrænandam malitiam Mercurij in corpore latentis, aurum exhibent in potum, quod Fallop. firmat eleganter *lib.2.de foſſil.6.cap.*37. Et Capiuacius *lib. de lue vener.cap.*11. poſt vnguenta ex argento viuo adminiſtrata, vtitur vnguentis neruos roborantibus, in quæ ingreditur aurum, Mercurij antidotum. Et nos proprio exemplo firmauimus *lib.2.de praxi medica admiranda, obſ.*136. Ex quibus patet quàm malo fundamento nixa ſit Mundellæ opinio *lib.1.epiſt.*1. Monard.*in dialogo de ferro, in fin.* exiſtimantium aurum ſolùm ad decorem eſſe neceſſarium: quæ opinio quàm futili ſit ſtabilita ratione, docent Sebaſtianus Paparella *lib.2.de calid.innat.*32. Patres in Meſuëm *cenſ.*3. Licèt enim precioſa res ſit aurum, & ad mulierum, hominúmque cultum magno luxu expetatur, ad medicamentorum tamen compoſitionem ſummoperè præſtat: Nam Meſuë *tract.de elect.tit.de elect.de gẽmis, & Alcherm.* Immò Manipul. Medicinar. Confect. Hyacinth. cum multis auri foliis parare docent, quod non feciſſent, ſi aurum cardiacam, belzaarticámque virtutem non obtineret.

Demùm pro præſeruando corpore à corruptione, vita producenda, roborando corde, aurũ ipſum alimentis immixtum decoquere, non eſt abs re; immò pro leuandis, extirpandiſque morbis melãcholicis vnicum eſt ſubſidium. Sed plurimi argumentis quibuſdam conuicti coguntur aliter opinari. Primò quoniam aurum, metallum cùm ſit, coctionem non admittit, neque dum coquitur liquori vim aliquam è tam denſa ſubſtantia impartiri poteſt, monente ſic Philoſopho *lib.1.probl.*42.§.*æs verò, & argẽtũ, & cætera generis eiuſdem, concoqui quidẽ à calore animalium nõ poſſunt, ſed reſolui à vẽtribus nequeunt, &c.* Auget ſuſpicionẽ, quòd dicat Aët.*tetrab.1.ſerm.3.cap.*165. aquam auri malam eſſe, quum omne metallum igneam habeat ſubſtantiam, ex Gal.*lib.9.ſimpl.*26. & maximè aurum, ſublimati plurimùm in ſe continens: nam ſine huius ope liquari non poteſt; ſicut nec etiam ab argento in vaſe auri fuſorio ſeparari, ſine aquæ argentariorum adminiculo, quæ quot damna efficiat, non eſt opus demonſtrare. Hæc ſunt quibus conuicti plures, ab auctorum recepta ſententia diſcedere coguntur. De quorum numero ſunt Mundel. & Monard. *loc. cit.* Muſa *tract.de examine metal.tit.de auro.* Cardan. *lib.1.de malo medend.vſu, cap.*58. Platerus *paradox.*91. Brau. Petrafit. *lib.1.de ſimpl.medic.delect.*11. Franciſc. Picus Mirandul. *lib.*1. *de auro cap.*4. Merinus Mercenius *cap.* 2. *in Geneſ. verſ.*12. *art.* 5. qui ad rauim vſque contendunt medicamenta ex auro parata ficulnea eſſe, & nullius vſus.

Sed ceſſent infamare tam nobile metallum, quod priſci & iuniores, in ſubſidium venenorum & melancholiæ, tantis laudum præconiis celebrarunt. Dioſcorid. enim metallorum explorator ſedulus, *in lib.5.cap.*70. aduerſùs venena auxiliari putat; in cuius enarratione tam multa de auri viribus referunt Lacuna, & Amatus. Siue ergo Græci antidotorum ex auro, ſiue Mauritani (vt Fuchſius inquit) ſint auctores, huic metallo lætificandi, roborandi, & veneno reſiſtendi plurima vis ineſt, vt ex multorum mente probat Ioannes Ionſtonus ingenioſiſſimus, *claſſe* 4. *thaumatographiæ, cap.*26. *de auro.*

Deſinant calumniari præſidium quod multis fuit ſaluti. Ita enim aurum naturæ noſtræ amiciſſimum eſt, vireſque roborat, vt cutem (quam aperire non niſi coactis neceſſitate monuit Gal.3.*de fract.*43.) perforandam ſolùm eſſe in ſuppuratis exanthematis, aureo aliquo penicillo conſulat Ludou. Mercat. *lib.*7. *de feb.peſtil.cap.*3. edoctus ab Auic. 4.1.*cap.*29.*& lib.2.cap.cit.* & Albucaſi *lib.*1. *de Cauter.c.*1. *in fin.* qui cauterium ex auro factum omnium eſſe probatiſſimum aſſeuerant, quòd vlcus exortum citiùs conſaneſcat. Licèt enim metalla propriè non coquantur, vim tamen cardiacam liquoribus in quibus coquuntur communicare, non eſt denegandum.

Quid plura? nonne Auic. 16.3.*tract.*1. auro aquam chalybeare prodeſſe ſolutioni ventris affirmauit? quem ſequitur Platear. *in com.* Nicol. *in aurea confectione,* qui aquam ex auro decoctam probatiſſimam eſſe aſſeuerat. Quo pacto eorum approbo conſilium: quod tanti fecere Mercat. *tract.de feb.malign.* & Theod. Angeluc. *lib.3.de feb.malign. cap.*5. Petrus Vaezius *tract.de epidemia peſtilent.cap.*6. qui in peſtiferis, maleficentiſſimiſque febribus aquam auro candente chalybeare iubent: redditur enim hoc modo aqua guſtui gratior, & affectibus curandis multo vtilior. Nonne communis Medicorum vſus chalybem, ſeu ferrum ignitum, multoties in aquam, ſeu decoctum appropriatum morbo infundere, & extinguere conſulit, ad adſtringendum, aperiendum, & deobſtruendum? prout docuere Gal.9.*ſec.loc.c.2.rubr.*8. Aëtius *tetrab.3. ſerm.2.c.*13. Sic enim euadit aqua calidior, attenuans, & incîdens, quoniam aquæ communicat ferrum ſuam vim, vt ait Auic. *lib.2.tract.2.cap.*251. Cur ergo ſi ferrum, & aurum ipſum, denſiſſima metalla, ſuam facultatem aquæ impartiuntur, hoc aquæ vel alimentis cum quibus decoquitur, cardiacam virtutem ſuàm tribuere poſſe negabimus? quod ita eſſe præclara hiſtoria firmant Schnitzerius *epiſt.*5. & Zacharias à Puteo, *in claui medica ſpagyrica, & chirurgica*; qui pectore, & ventriculo gallinarum inuentos fuiſſe aureos nummos penè abſumptos aſſeuerant. Ergo à robuſto ventriculi calore aurum coqui poteſt, & vim ſuam cardiacam largiri.

Rurſus. Cur Bernardum Deſſenium accuſabimus, *lib.1. in com. elect.de gemmis Meſuë.* Conſtantin. *lib. de gradibus medic.* Ficinum *loc.cit.* Nicol. *in ſuo antidotario,* Auream cõfectionem, ab auro eius compoſitionem ingrediente ſic appellatam, deſcribentes, quæ ad caput, cæteraque viſcera roboranda confert eximiè? aut alios, vt Mathiol. Andernac. qui in ſimiles vſus, id candens iuſculis, aliiſve ſuccis, vel diſtillatis intingunt? Vel in puluerem redactum, vel in oleum conuertunt, & ſic in potum exhibent? de cuius excellentia, ac vi admiranda referunt Hieronymus Rubeus, Quercetanus, Andernac. *ex Paracelſo,* Geſnerus, qui auri potabilis, auxilij penè diuini, varias afferunt deſcriptiones. Cur, inquam, hos damnabimus, qui Principum, Magnatum, diuitúmque ſalutem, aureis medicamẽtis conſeruant? quam hæc cor exhilarent, & mortem retardent, vt ſcitè Benedict. Perer. *lib.1.de magia, q.*13. docuit *in fin.*

Neque

Neque te môueat, quod afferat Gal. metalla igneam habere ſubſtantiam; ſi aurum excipias, quod cùm purum ſit, à metallorum principiis, ſulphure nempè, & argento viuo eſt maximè defæcatum. Quòd verò in vaſe ad ignem fundatur, iniectis ſublimato, & aqua argentariorum, malitiam eius non arguit, nam pauxillum ſublimati, & aqua, ignis vi ſenſim abeunt in vapores. Aqua verò auri, hoc eſt, illa quæ decurrit per mineras auri, mala, vt Aëtius ait; per illas enim ſcaturiens aqua, aliquam ex plumbo, aut ferro, quæ in aurifodinis ſæpè oriuntur, vim prauam ſibi adſciſcit.

Obſeruatio XXXIII.

Diutinus mœror, auri potabilis vſu, curatur.

BAro quidam Illuſtris melancholicis imaginationibus diu vexatus, pluribus auxiliis adhibitis conualeſcere haud potuit. Melanagoga ex multiplici medicamentorum ſylua parati ſunt exhibita; iiſdem ſerum lactis caprini medicatum, apozemata, balnea, hirudines ſæpiùs ano applicitas, cardiaca medicamenta, fontanellas cruribus adiungit; quibus nec tantillum leuatus, ad auri potabilis vſum ſe conuertit. Auri enim ſcobem porphyrite priùs optimè læuigatam; aut liquidum & potabile, velut oleum, ipſum alternis diebus vino maluatico permixtum ieiuno ſtomacho aſſumebat. Liquidi ſex guttæ, pulueris ſcrupuli dimidium ſatis erant: quo auxilio quum per menſem vteretur, omnino à tantis malis euaſit immunis. Tanta eſt auri vis, & efficacia, & pro curandis grauiſſimis morbis mira poteſtas. De cuius facultate eximia plura dixere Ioan. Daniel Mylius *in ſua Anatomia auri, part. 2. de medic. aureis, & part. 4. de auri potabil. vſu.* Abraham è porta Leonis *in ſuis dialog. de auro,* & nuper Stephan. Roderic. Caſtrenſis *lib. 4. de Meteor. Microcoſm. cap. 3. de antidotis ex auro eruditè diſſeruit.*

Ne tamen de hoc argumento quidquam intactum relinquamus, placet curioſitatis gratia, de quinta eſſentia auri ab Alexandro Quintilio, natione Italo, nunc Matriti apud Hiſpanos habitante, compoſita, verba facere, qui eam in hominum animos introduxit opinionem, vt crederent, ſe pulueres ex auro purgatiuos efficere, qui variis morborum generibus poſſent eſſe ex vſu. Et vt iuum experimentum teſtimoniis plurium illuſtrium virorum, immò & Protomedicorum voto confirmaret, libellum compoſuit Anno 1600. Hiſpano idiomate conſcriptum, cui *De quinta auri eſſentia* titulum dedit, in quo de illius vi & efficacia mirabili in purgando ſolùm egit, puluerum præparationis ſecretum ſibi ipſi reſeruans. His ergo pulueribus ſex granorum pondere aſſumptis, omnes tam acutas, quàm chronicas ægritudines curaſſe, vacuatione excitata per vomitum, & aluum gloriatur. Exhibet pulueres non in ſubſtantia ipſa, ſed infuſos per noctem in iure auis, vino, liquore aliquo, aut vitello oui. Matutino tempore præbet infuſionem, quantitate vnciarum duarum exhibitam. Et tanta eſt huius medicamenti efficacia, vt iidem pulueres qui ſemel infuſi ſunt, poſſint bis, & ter iterum ad ſimiles vſus infundi, quibus nunquam æger vacuatione fruſtratur. Propinari poſſunt in quolibet ſexu, ætate, temperamento, regione, & tempore, delicatulis fœminis, ſenibus debilibus, pueris, vterum gerentibus, faſtidioſis, & nauſeabundis, qui vel ob debiles vires, aut pharmacorum tædium, medicamenta nec poſſunt, nec volunt aſſumere, tutiſſimè exhibentur, vt proprio experimento ſæpiſſimè ſum expertus. At tanti fuit æſtimata, & apud Hiſpanos celebrata inuentio hæc, vt in vniuerſam ferè Europam, immò in vtramque Indiam certatim libræ multæ ſingulis annis deferantur; eo tamen ordine, vt ſex granorum quantitas ſingula, papyro ſit vnica obuoluta, & ipſius Quintilij ſignaculo diligenter obſignata.

Porrò ſi res hæc non populari trutina, ſed aurificis ſtatera ſit examinanda, profectò pulueres hos, nec aurum, nec quintam eiuſdem auri eſſentiam eſſe reperiemus. Licèt enim laudandus ſit auctor (quempiam enim honore ſuo defraudare impium eſt, & ab ingenuo viro alienum) qui

A ſubtili Minerua, & arte Chymica valdè peritus, tam ſuauè, miniméque moleſtum medicamentum expurgans euulgauit in lucem, quod per vtramque regionem, tam bilioſos & tenues, quam craſſos & tenaces humores promiſcuè expurgat, tamen aurum vim purgatricem obtinere, nec veterum, nec recentiorum confirmauit quiſquam.

Quod ſi Plin. *lib. 33. cap. 1. in fin.* aurum vmbilico illitum expurgatricem vim habere dicenti, fides eſt adhibenda, de mitiſſima loquutus eſt, vt ipſe refert illis verbis: *Aluum leniter ſoluit, &c.* Rurſus. Si aurum purgandi vim non obtinet, aut ſi Plinij voto ſtandum, ea eſt leuis, & exigua, cur horum puluerum infuſio tam potenter purgabit; non ſolùm prima vice exhibita, ſed iidem pulueres iam infuſi, ſi bis, aut ter deinceps infundantur, eaſdem præſtabunt operationes? Quis ergo has auri vi tribuendas eſſe affirmabit? nullus quidem, niſi rudis mentis compos. Secundò. Au-

B rum in tam parua quantitate corpus non expurgat, hoc enim effrænium, & violentorum medicamentorum eſt indicium. Tertiò. Si hi pulueres eſſent ex auro confecti, maiori pretio eſſent vendendi. Conſtat autem auctorem ſingulam papyrum ſex grana reportantem, paruo pretio vendere ſolitum. Quartò. Ex officina eius ſingulis menſibus, 20. 30. & plures horum puluerum libræ in varias orbis oras tranſportantur. Deus bone! Vnde tanta auri quantitas?

Quare hanc quintam eſſentiam ſtybium eſſe præparatum, ſuperioribus nixus rationibus teneo firmiter; hoc enim medicamentum, ſi rectè calcinetur, & præparetur, vt facit Quintilius, mirabiles vires præbere poſſe, affirmauere iuniores, & maximè Theoph. Paracelſ. qui primus omnium in eius præparatione inſudauit. Sanè deiecto-

C riam viam præſtantiſſimam ſortiri, ſimúlque per vtrumque ventrem corpus ab omnibus recrementis expurgare, non ſecus ac reliqua omnia metalla ab omnibus ſordibus mundificat, iidem literarum monumentis conſignarunt: cuius etiam oleum, quod ratione rubedinis vocatur ſanguis ſtybij, vlcera cancroſa, maligna, ſerpentia vnicè abſtergit, & repurgat, cuius conficiendi modum docuit Fallop. *tract. de metal. cap. 29.*

Deinde. Stybium præparatum in affectibus melancholicis & peſtilentibus, propè diuinam vim obtinere, fidiſſimo experimento compertum eſt. Vteri vitiis, arquato, Gallico, comitialíque morbis mirabiliter opitulatur, & aliis omnibus, qui à craſſiori bile; tenacíque pituita originem ducunt. Cæterùm in præparatione eius diligenter aduertere oportet, vt illud ſit certa quadam lege, & exquiſita ratione præparatum; etenim ſtybium calcinatum, Chymi-

D ſtarum more, ſæpè propinaui pluribus, qui nihil egeſſerunt. Sed cùm horum puluerum baſis, & fundamentum chryſocolla ſit (boracem officinæ dicunt) & hæc violentam habeat vomitoriam purgandi facultatem, ex Dioſcorid. *lib. 5. c. 64.* tam exigua portio, eáque mira induſtria priùs exuſta, & cum ſtybio ad ignem exactè permixta, additur à Quintilio, vt eius valida vis facilè miteſcat, & ſuauiter, clementérque deinceps aluum expurget.

Inſuper. Cum hi pulueres ſint antimonij, & hoc medicamentum ſecundùm Mathioli cenſuram, & præparationem, quam ſequimur *lib. 5. cap. 59.* ſit ad eradicandos morbos contumaces præſtantiſſimum, ſit vt pluris æſtimandi ſint. De cuius medicamenti vi eximia, præter Quercetan.

E Rubeum, Ripleum, Iſach Hollandum, & alios, lege Geber. *lib. 1. part. 4. de magna perfect.* Maſſar. *lib. 9. de medic. purg. c. 30.* Chymicas verò formulas ſelectiores Baſilius Valentin. Medicus Chymicus exactiſſimè promulgauit.

Abeant ergo Greuin. *lib. 2. de venen.* Lupeus Curelean. *in animaduerſ. in init.* Mercurial. 3. *conſ. 6.* qui contra experimentum, ſtybij vſum vehementer condemnant; cuius rationes ex dictis facilè ſolui poſſunt. Abeat & Quintilius ipſe cum commento ſuo, qui hos pulueres callidè, vt ampliùs æſtimentur, aureos perſuadere conatur: quum tamen nihil aliud verè ſint, quàm ſtybium ipſum exactè, & vt decet, præparatum. Sed hæc tetigiſſe libuit, pro illis qui hanc auream ſupellectilem curioſis oculis perſpexerint. Interim de viribus & efficacia Antimonij, lege Ramnuſium *tom. 1. nauigat. part. 9. Africæ pag. 95.* Ludouicum

uicum Launæum *lib. prop. de facultate, & admirabili vi Antinomij.*

QVÆSTIO XXV.

Quòd lapis Belzaar, calidus ſit, & humidus, & aduerſus melancholiam, putridas, venenataſque febres tutiſſimum alexipharmacum, vt voluere Arabes. Contra Lupeum, Augenium, & Saxoniam, Medicos præſtantiſſimos.

SEquitur lapis Belzaar, vnicum pro domando humore melancholico ſubſidiũ, de cuius vi in manifeſtis qualitatibus tantiſper modò diſſerendum eſt, cùm in huius dubij explicatione ieiuna ſit recentiorum lectio, qui de huius lapidis vi excellenti ex profeſſo diſputarunt, de quorum numero ſunt Garzias ab Horto *Colloquio 45. de rebus Indicis* Chriſtoph. à Coſta, *cap. 21. eiuſdem tract.* Amat. *lib. 2. in Dioſcorid. in com. cap. 39. & 3. centur. 74.* Monard. *lib. de virtute lapid. Belzaar.* Ioan. Fragoſus *tract. de reb. indic. in lit. P. diſcurſu 3.* Thom. Iordan. *tract. de peſt.*

Mirum eſt omnes Medicos, fidiſſimo experimento fretos, vnanimiter ſtatuere (hoc enim illius maiorem arguit excellentiam) hunc lapidem eſſe vniuerſale venenorum antidotum, ac cæteris alexipharmacis pretioſius alexiterium. Vt ex omnium Medicorum Indorum voto refert Acoſta *loc. cit.* & Mathiol. firmat *in com. cap. 72. Dioſcorid. lib. 5.* qui id longè magis præſtare aduerſus deleteria venena; quàm cætera non modò ſimplicia huiuſce facultatis medicamenta, ſed etiam theriacam ipſam, & alia quæuis antidota, luculenter explicuit. Non enim ſolùm in extirpanda venenoſa qualitate, malignis, peſtiferiſque febribus debellandis ſummè confert: verùm etiam ſanitatis tempore aſſumptus collapſas vires reparat, iuuentutem reſarcit, vitam diuturniorem reddit, ſenes repueraſcere facit, naturalem calorem vigorat, excrementorum promouet expulſionem, præcipua corporis viſcera, maximè cor, vitæ domicilium, ab omnibus noxis, ac incommodis tutatur, ac defendit. Inſuper ſpiritus reficit, humorum malitiam refrænat, appetentiam ſuſcitat, animi mœrorem demulcet, cordis affectibus remedio eſt.

Quid plura? Eſtne aliquod præſtantius, ſublimius, aut ad ſalutem mortalium conſeruandam, vitæque duratio- nem propagandã, aut refrænanda omnis generis venena, ab Auctore naturæ conditum excellentius medicamen? quod non ſolùm in acutis putridiſque febribus, ad roborandam naturam; in peſtiferis, & maleficis, ad deleteriæ qualitatis ſæuitiem domandam: ſed in diuturnis, & præſertim melancholicis, ad tetri nebuloſique humoris malitiam retundendam, præſentaneum ſalutiferúmque cenſetur præſidium. *Bel* enim Arabica, & Perſica lingua idem eſt ac Dominus, *Zaar* venenum ſignificat: ita vt lapis Belzaar, dicatur lapis Dominus venenorum; horum enim lethalem vim mira quadam proprietate coërcet ac frænat; vt eruditè aſſerunt Nicol. *ſerm. 4. tract. 4. cap. 9. in fin.* Conciliator *tract. de venen.*

Quare in melancholia, ad mulcenda ſæua ipſius ſymptomata, ex vino aut liquore cardiaco aſſumptum hunc lapidem, ſtrenuiſſimum eſſe præſidium, vſus oſtendit. Nam omnes morbi ex melãcholico humore prognati, vt cutanei affectus, malignam quandam induunt naturam: Quo fit vt omnibus atræ bilis ſpeciebus, ſecundùm totam ſubſtantiam, non ſecundùm vnam aut alteram qualitatem, opitulari poſſit. Subinde ad ferinam illam atram bilem omnibus longè deteriorem, quæ ex aſſata flaua bile progignitur, ſummoperè etiam prodeſſe, ab illis comper- tum eſt. Tantò enim hæc bilis atra perniciofior eſt ea, quæ ex atro humore ſuperaſſato fit, quantò nimirum flaua bilis efficacior ſucco melancholico, vt Gal. *lib. de atra bile, c. 3.* diſſertauit. Omnem autem humorem ſuperaſſatũ malignum eſſe conſtat, ex Gal. *l. 6. aph. 56. & 1. epid. ſect. 2. com. 26.* puſtulas nigras malignas vocat. *Et 3. epid. ſect. 3. com. 26.* tumores in melancholicis ortos, malignos appellat: immò & carbunculũ eo loco malignũ dicit, *Et 1. prorrhet. ſect. 3. com. 14.* ſanguinem in atram bilem commigrantem nominat malignum: quod etiam facit *4. feb. 9.*

Obſeruatio XXXIV.

Melancholia profunda, lapide belzaartico, vario modo exhibito, curatur.

QVædam fœmina cùm ex retento menſtruo in tremorem cordis, ſummam triſtitiam, metum, taciturnitatem, ac demum inexplicabilem melancholiam incideret; vix omnibus auxiliis, quæ a Medicis præſcribi ſolent, celebratis opem ſenſit vllam: quæ ſolo belzaartici lapidis vſu, omninò ſana eſt facta. Aquam ipſius fruſtulis coctam potet, ipſum interdiu diutiſſimè in ore detentum fortiter exſugat impero. Annulum auro incruſtatum paro, in quo lapis erat incluſus, ita vt carnem tangeret, in proximo minimo læuæ manus digito geſtatum. Sacculum ex eius puluere cum aliis cardiacis ſupra cor geſtandum conſtruo: Tabellas ex eo cum electiſſimo ſaccharo, aliiſque puluеribus immixto conficio: ex quibus vnam ieiuno ventriculo, alteram tribus horis poſt cœnam deuorabat, ſtillatitia ſcorzoneræ aqua ſuperbibitá. Quibus omnibus, cùm quadraginta dierum ſpatio vſa eſſet, & à mœſtitia conualuit, & menſtrua recto ordine fluxerunt.

Nam lapis hic ſcirrhoſas affectiones comminuit; qua de cauſa in febre alba, & virginum obſtructionibus aperiendis confert eximiè, ex Ludou. Mercat *lib. 2. de virg. & viduar. melanch. cap. 6. in fin.* Inſuper aduerſus canis rabidi, aliorúmque virulentorum animalium ictus, ad vulnera venenatis telis inflicta, ad venenoſa apoſtemata, emplaſtri modo applicitum, valdè conducere iidem auctores conteſtantur; quod fidiſſimo deinde experimento compertum eſt, & contrarietatis ratione omne peſtilens fugat inquinamentum, ex Marſil. Ficino *in ſua epidem. antidot. c. 24.* & à veneno præſeruare omnes cõfirmant, vt refert Claudius Richard. *in append. ad lib. de Peſt. Thom. Iordan.* Omnes lapidem triturandum imperant tenuiſſimè. Sed cùm motu, & trituratione virtus exhalet, & euaneſcat, ſatius exiſtimo cultello ex auro aut argento parato, vel ex puriſſimo chalybe conſtructo ipſum radere, quàm vel per leuem triturationem, ipſius virtutem reſoluere.

De quantitate variant Doctores. Nam Auenzoar *lib. 1. Theiſir, tract. 13. cap. 6.* narrans Hiſtoriam Acir filij Haly laborantis icteritia ex veneno, quem huius lapidis beneficio ſe curaſſe gloriatur, tria grana hordei exhibet. Serapio doſim inſtituit 12. granorũ. Garzias ab Horto Indiæ Magnates, ad robur vitale conſeruandum, 10. grana in ſtillatitio roſarum liquore, aſſumere, & nonnullos ad triginta vſque, nimia ſanè quantitate, deuorare affirmat nec ſine periculo liberalius ſumi dicit, cùm ex eius in maiori quantitate vſu, quendam mortuum fuiſſe idem enarret auctor. Licèt enim nullam noxiam qualitatẽ contineat hic lapis, tutius tamen exiſtimo præceptum Gal. dicentis *5. ſimpl. 18.* alixeteria ea moderatione eſſe aſſumenda, vt nec præ nimia copia corpus ob'ædant, neque præ exiguitate à deleteriis vincantur. Quare ferè in diuturnis, & aliis non ita acutis, & periculoſis morbis, ſeptem, aut octo grana exhibere ſalubrius eſt, vt notat Lazarus à Sotto *in ſuis animaduerſ. fol. 27.* & Steph. Roderic. Caſtrenſ. *lib. 4. de Meteora Microcoſmi, cap. 4.* ſcitè edocuit. Si verò ſua acutie, malitiáque vrgeat affectus, multò maiorem quantitatem porrigere non dubitamus, ſi verũ eſt auxilia debere contendere cum morbo in magnitudine, & contrarietate. Quamuis enim maiores noſtri maximè fuerint in eius quantitate nimia propinanda timidiores, hoc ad infrequentem vſum, & ad mag num pretium quo æſtimabatur, referendum puta.

Obſeruatio XXXV.

Lapis belzaar in maiori quantitate aſſumptus, potentiùs venenum extinguit.

LEonora, fœmina calidiſſimi temperamenti, in febrem incidit maleficentiſſimam, deterrimis ſignis concomitatam,

tatam, adeò vt angore ſummo tribus diebus continuis per os viuos 62. eiiceret lumbricos. Ex contagio clientes omnes eodem correpti ſunt morbo. Omnibus ea adminiſtrata ſunt auxilia, quæ & inutilem vacuarent humorum copiam, vnáque maleficam qualitatem retunderent. At illi, quibus Belzaar in parua doſi eſt exhibitus, omnes interiere: Domina autem maximam aſſumens quantitatem, interdum vnico hauſtu drachmam, felici euentu reuixit; & non ſolùm hæc, ſed alij plures hac curati via euaſerunt: nam vehementi veneno vehemens antidotum ſuccurrit.

De temperamento in qualitatibus manifeſtis, priores non fuerunt ſolliciti, ſcientes hunc lapidem ſolùm qualitate occulta ſuas exercere operationes. Sed cùm multum interſit, ſcire num operantia è tota ſubſtantia calida ſint, aut frigida, quum teſte Gal. 5. *ſimpl.* 17. alexiteria calidiora potentiùs agant, quoniam auxiliarium ſibi adiunxere calorem, idcircò ego omnium nouiſſimus ad hoc argumentum explicandum deſcendo. Et primò quòd ſit frigidus.

Belzaar eſt lapis ex omnium auctorum decreto. Lapis eſt corpus terreum, craſſum. ex Gal. *lib.* 4. *ſimpl.* 19. duriſſimum, quòd ab humido irrigatum non emollitur, ex Gal. *lib.* 9. *ſimpl. tit. de lapidibus*. ac proinde frigidum ſiccum ex Gal *lib. 9. meth.* 17. §. *lapidum ſubſtantia conſtans, ſtabiliſque propter ſiccitatem, & frigus, &c.* Ergò lapis Belzaar frigidus eſt & ſiccus.

Secundò. Lapis Belzaar gignitur intra ventriculum cuiuſdam animalis, vt de eius ortu Auctores affirmant. Sed lapides in renibus, & aliis corporis partibus reperti, ſunt frigidi, ſicci, ex frigido, lento, mucilaginoſóque humore procreati: Ergo.

Tertiò. Ex ſecundis qualitatibus pariter, & ex tertiis, nullæ ſunt quæ medicamentorum temperamenta ita nobis oſtendant, & primas qualitates denotent, vt ſapores ipſi, quoniam magis petunt ſenſus noſtros cùm materia. Sed lapis Belzaar habet ſaporem inſipidum, teſte Serapione *loc. cit.* & hic ſapor aquoſus eſt, & ſubfrigidus, 2. *aliment.* 68. & Auic. 1. *part. canticor. text.* 31. §. *Purè inſipidum, frigidum eſt, & humidum, &c.* Ergo lapis Belzaar frigidus eſt, vt ſunt Hyacinthus, Sapphirus, Smaragdus, Rubinus, Carbunculus, Sarda, Granatus, quos frigidos eſſe auctores conteſtantur.

Quartò. Quæ ſuperfluum vomitum curant, & alui profluuium adſtringunt, ſunt frigida ſicca. Sed lapis Belzaar cohibet vomitum, & retinet ventrem. Ergo frigidus eſt & ſiccus. Maior patet ratione, & experimento. Minorem probat Garzias ab Horto *Colloq.* 17. *de Coſto*, vbi contra cholericam paſſionem, ſtrenuum eſſe auxilium aſſeruit. Sequitur Ludou. Mercat *tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 2. *de feb. malig.* qui aduerſus nimium alui fluxum in hac febre euenientem, approbat alexipharmaca, inter quæ primo loco hunc lapidem connumerat.

Sed his relictis, veram ſententiam proponamus, quam defendit Ioan. Serap. *tract. de ſimpl. c. cit.* §. Et *eſt lapis mollis tactu, multæ humiditatis, & caliditas eius eſt ſine ſuperfluitate.* Cuius ſententiam refert Nicol. *lec. cit.* & probat Franciſc. Francus *lib. de peſt. & morb. contagioſ. cap. de lapid. Belzaar.* & licèt temperatum faciat in actiuis, Serapionis ſententiam ſummoperè laudat, quum modicè calidum, temperatum dici poſſit, & è contra. Vt Gal. 6. *ſimpl. cap. de atriplice, &* 2. *alim.* 42. doctè admonuit.

Nec deſunt pro hac confirmanda ſententia rationes: quarum prima eſt. Lapis Belzaar prouocat ſudorem, ex Serap. *loc. cit.* §. *Liberat namque à morte, & expellit venenum per ſudorem, &c.* Sed prouocantia ſudorem ſunt acria, & tenuis eſſentiæ. 4. *ſimpl.* 19. *in initio.* Ergo lapis Belzaar calidus eſt. Nec dicas, refrænata mala qualitate, & natura robuſtiore facta ex eius vſu, ſudorem prouocari, deſtructis, & euocatis ad cutem contagionis ſeminariis, vnde ſudor emanat. Nam præterquam quod hac de cauſa non ſolùm hanc, ſed aliam vacuationem, pro humoris natura contingere eſt aſſerendum, etiam per ſe, & caliditate ſua hunc lapidem vacuationes promouere non ibo inficias.

Secundò. Deobſtruentia, quà talia, ſunt calida, ex Gal. 6. *ſimpl. cap. de cicere, &* 8. *ſimpl. cap. de praſſio.* Sed lapis Belzaar deobſtruit, ex Mercat. *lib.* 2. *de morb. mulier.* 6. & 2. *de* A *morb. pueror.* 7. Roderic. à Caſt. *lib.* 2. *de morb. mul.* 5. Ergò calidus eſt. At calidior cenſendus eſt alius lapis, quem vnicè venenis reſiſtere tradit Garzias ab Horto *loc. cit.* hic enim reperitur in felle hiſtricis, eſt rotundus, guſtu amaro, tangenti læuis, colorem habet dilutioris purpuræ, vt Gallicus ſapo. Excellentiori modo veneno aduerſatur, & ſuprà dictis affectibus, præſertim malignis ſummoperè auxiliatur; quod ita eſſe, præter citatos firmant Petrus Vaëzius *lib. de epidem. peſtil. c.* 6. Caſtro *lib.* 4. *de meteor. Microcoſm. cap.* 4. Vocant Malacenſes, vbi inuenitur, *lapidem de porco ſpino.* Aqua ſolùm, aut liquidum in quo infunditur, propinari debet, quod breuiſſimo temporis ſpatio amarum reddit. Caueas tamen ne cum intenſa febri propines: nam impensè calefacit, inflammat, ſitim prouocat, etiamſi cardiacis frigidis permiſceatur. B Prouocat ſudorem, & mirandum in modum deobſtruit ob amarorem.

Tertiò. Expurgantia renes, lapidémque comminuentia ſunt calida, ex Gal. 6. *ſimpl. cap. de bdellio,* ſed lapis Belzaar renum, veſicæque calculos comminuit, ex Lacuna *lib.* 5. *in Dioſcorid. cap.* 72. Ergo calidus eſt, & vt res illuſtrior fiat exemplo, ſequentem obſeruationem audire ne pœniteat.

Obſeruatio XXXVI.

Lithiaſis, lapidis Belzaartici vſu curatur.

QVidam in vrinæ ſuppreſſionem ſæpiſſimè incidebat, à craſſiuſculis arenis, ſabuloſáque materia ſuborta, C quæ in viis vrinæ ita tenaciter hærebant, vt medicamentis vllis abſtergi minimè poſſent: at cùm variis huic operi idoneis medicamentis vacuantibus, & diureticis curatus eſſet, aucto tamen quotidie malo immaniter vexabatur; ſed lapide Belzaartico, duorum menſium ſpatio, octo granorum pondere deuorato cum iure auis, à tanto malo conualeſcere cœpit. Hoc ergo auxilium inter præſtantiſſima, & efficaciſſima præſidia huic vſui Medici celebrent eſt neceſſe.

Partis contrariæ argumenta ſic dilues. Ad primum reſpondet Fallop. *tract. de metal. cap.* 7. aſſerens, multum differre lapides communes, ab iis qui concoctione intra animalia facti ſunt, in quibus ſuccus concoquitur, & partes terreæ attenuantur, & nimia humiditas abſumitur; velut apparet in gemmeis lapidibus, & lapide Belzaar, D qui ſplendent hac de cauſa. Deinde non omnes lapides ſunt frigidi; nam lapis hæmatites calefacit, & extenuat, apud Dioſcorid. *lib.* 5. *cap.* 101. Lapis pyrites calefacit, & valenter abſtergit, ex ipſo *eod. lib. cap.* 100. Alumen calidum eſt, eodem auctore *lib.* 5. *cap.* 82. Chryſocolla calida eſt & ſicca in quarto gradu, ex Platear. *lib. de ſimpl. medic. cap.* 6. & Serap. *cap.* 423.

Ad ſecundum dic. plurimùm diuerſos eſſe lapides, in humano corpore præter naturam in variis partibus repertos, ab iis qui ſecundùm naturam in animalibus fiunt; vt in capitibus cochlearum, bufonum, in ventriculo pullorum hirundinaceorum. Sic etiam in gallinaceorum pullorum ventriculis gignuntur lapides quidam vireſcentes, qui calidi ſunt. Quid plura? Etiam in oſtreis generantur vniones (appellant margaritas) quæ temperatæ ſunt, ex Serapione *cap.* 397. Quare negandum non eſt, lapides in E pluribus corporis partibus progenitos, calidos eſſe.

Ad tertium reſpondet Gal. 3. *ſimpl.* 3. ex ſapore nos non poſſe exactè vires medicamentorum agnoſcere. §. *Interim verò & illos caſtigabimus, qui ex conſiſtentia, colore, odore, ſapore, grauitate, leuitatéque, cuiuſvis medicamenti facultatem inuenire autumant, &c.* Et repetit etiam 4. *ſimpl.* 4. Nam opium amarum, ex Dioſcorid. *lib.* 4. *cap.* 6. ita acre eſt, vt paululum in ore detentum linguam exulceret; quod frigidum eſſe, *in* 4. *gradu* teſtatur Auic. *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 526. Sapor enim inſipidus, quà eſt inſipidus, aquoſus & frigidus eſt; ſed fit ſæpe in mixtione, vt multæ materiæ frigidæ adiuncta ſit alia materia calida, & nitroſa, in qua non modica caliditas adeſt. Hoc modo radix vocata Mechoaca eſt inſipida, quum ſit tertio ordine

calida

calida ; vt de ea Chriſtoph. à Coſta, & Monardus ſcribunt.

Ad Quartum dic. Lapidem Belzaar vomitum coërcere, & alui fluxum, quoniam cicurat venenum, & roborat naturam, vt proprio experimento Garzias ab Horto *cit. loc.* confirmat. Adde diarrhœæ, & cholericæ affectioni opitulari, quando ex venenato humore ortum ducunt, cuius malam qualitatem domat, ac refrænat. Sic Auer. vir acerrimi iudicij, *lib. 5. collig. cap. 23.* manifeſtiſſimis verbis aſſeruit, medicamentum belzaarticum, expellere & extirpare venenum, non quia agat in ipſum, ſed quoniam clam furtímque, in corpus humanum agens, ipſum fouet, & roborat in tantùm, vt veneno fugando, & expellendo ſufficere poſſit. Sed de temperamento ſatis.

Hac de cauſa in ſanis ad morborum præcautionem ſaluberrimum cenſetur auxilium, quoniam vires refocillat, & ab imminenti malo ipſas defendit. Quidquid contra ſentiat Horat. Augen. *tom. 1. lib. 9. epiſt. 1.* Nam ſi in ſanis ad præcautionem mirificè prodeſt, cur in putridis febribus ad morborum curationem non conducet, & in malignis febribus ſecuriſſimè non adminiſtrabitur? Abeat cum ſuo commento Lupeus *lib. de morb. puſtulato*, lapidis huius vires eximias ad libitum temnens & damnans, cuius ſocius in hac opinione fuit Hercul. Saxonia *l. 10. de plica Polonica, c. 59.* eo ſolum ductus argumento, quòd hic lapis, cùm eſſet probatus, & verus, & propriis manibus extractus ab animalis ventre, à Medicis qui eo vſi ſunt, nullum ægrotis attulit iuuamentum. Hac ratione condemnabit Theriacam, aliáque pretioſiſſima antidota, quibus aſſumptis perire ægros ſæpiſſimè contingit. Nam venenum antidoto eſt vehementius. Quam enim medicinã, inquit Gal. 3. *de præſag. ex pulſib.* 3. inuenies quando putredo, aut venenum cor occuparunt? Quæ autem de excellentiis tantæ antidoti Laconicè perſtrinximus, ſunt intelligenda, dummodo probatus ſit & verus lapis. Nam hoc tempore ex Orientali India ea prouenit quantitas, vt maiori ex parte legitimi non exiſtant. Quibus autem notis veri à falſis dignoſcantur, citati latè retulere auctores. Tu verò ſi latiùs de huius lapidis admirandis facultatibus plura ſcire aues, lege librum clariſſimi Bauhini, qui *de lapide Belzaartico* inſcribitur.

Poſt duo hæc inſignia alexipharmaca, pro leuandis melancholicis præſtantiſſima, tertio loco *Margaritæ* ſuccedunt, ordine & poteſtate, quas, eaſdem ad ſimiles mitigando affectus, vires obtinere, ſuprà citati auctores memoriæ commendarunt, præſertim Arabes, qui his mirabilem vim cardiacam aduerſus melancholiæ ſymptomata vnanimiter tribuunt. Quarum magiſteria apud multos reperies, præcipuè apud Quercetanum, qui modum ingenioſum ſeparandi margaritas à ſuo diſſoluente propoſuit. De harum virtute eximia pro roborando corde, & mulcenda melancholia, lege Ludou. Septalium *lib. de margaritis.*

His annumerandum venit *Vnicornu*, licèt multa fabuloſa ab auctoribus de eo paſſim proferantur. Audiui enim quoſdam qui vnicornu pro curandis melancholicis ſymptomatis, & refrænanda cuiuſuis veneni potentia, aliis Belzaarticis medicamentis anteponendum eſſe crediderunt. Sed quum vſus illius adhuc ſit incognitus, quum verum vnicornu in domibus magnatum vix reperiatur, vt refert Geſner. *lib. 1. de quadruped. cap. de Vnicornu.* & paſſim pro eo boum, aut equorum oſſa vendantur, in eorum opinionem deſcendere non poſſum. Nam licèt Monoceros multò quidem antea innotuerat, non tamen vſus illius ad Medicos vſus peruenerat. Plinium enim expreſsè de hoc animali loqui ſcimus *lib. 11. cap. 37.* qui auctor annis ferè 150. Galenum præceſſiſſe perhibetur, quantum ſcilicet inter Titum Veſpaſianum, Plinij coæuum, & Antoninum Pium, cuius circiter è vita diſceſſum Galenus primò Romam venit.

Sunt qui Indicum aſinum eſſe velint, quòd Philoſtrat. *lib. 8. de Apollonij vita*, omnia, quæ de Monocerote Plinij auctoritate vulgus credit, retulerit de Indico. Sic enim inquit: *Aſinos ſilueſtres in vicinis paludibus multos capi dicunt: eſſe autem huiuſmodi feris in fronte cornu, quo taurorum more generoſiſſimè pugnant, & conficere Indos ex illis cornibus pocula; & ſic aſſerunt nullis morbis eo die affici, qui ex huiuſmodi poculis biberint; nec ſi vulnerati fuerint, dolere; & ex igne etiam incolumes egredi; nec vllis affici venenis, quacumque nocendi gratia in potu dantur: idcirco Regum eſſe eadem pocula, quibus tantùm & feræ venatio permittitur, &c.* Iſidorus etiam *cap. 12.* refert, tantæ ſcilicet animal eſſe fortitudinis, vt nulla venantium diligentia capi poſſit. Alij Ælianum illud laudaſſe putant. Hic enim Auctor aſſerit, in India quoſdam eſſe equos, qui vnicum cornu in fronte gerunt, affirmátque eſſe relatum, vim habere contra venenum.

Sed quum præter hos equos, ſint etiam boues in Æthiopia vnicornes, quos Ludouicus Rodericus patritius non multo ante noſtram ætatem vidiſſe gloriatur, viuos Sultano ex Æthiopia muneris gratia emiſſos, qui circa templum Mechæ ſeptis erant incluſi: explicare debuiſſent qui tanti hoc cornu faciunt, ex quo animali id eſſet deſumendum. O! vtinam explicuiſſent, ne in re tanta tota periclitaretur Medicina, & maximè quum in hoc ſibi non conſtent, qui modo ſolum aſinum Indicum eſſe vnicornem, modo in Æthiopia eſſe boues vnicornes ſcribunt. Qua ambiguitate intricati plures, plus alia viliora præferunt antidota, quàm rem pretioſiſſimam, theſauris Regum anteponendam, quæ vix in Principum domibus reperitur. Si tamen legitimum habeatur, (quod puto ferè impoſſibile) non dubito mirabiles ex ſe contra melancholiam, & quoduis venenum præſtare vtilitates. Quod enim à circulatoribus paſſim circumfertur, nullius momenti eſt, nec commoditatem vllam parere poteſt. Loco huius cornu ſalubrius conſulo præbere cornu ceruinum, de cuius viribus tam multa dixere Paul. *lib. 7. tit. de cornu ceruin.* Auic. *lib. 2. tract. 2. cap. 281.* Serap. *cap. 468.* Plin. *lib. 8. cap. 22.* Gal. *lib. 11. tit. de corn. ceruin.*

Vltimò. Ad melancholiam, eiúſque ſymptomata ferina mitiganda, os de corde cerui, ſaluberrimum eſſe auxilium affirmant vnanimiter Recentiores, & ſic ex eo celebres parant confectiones, pro melancholicis, venenatíſque morbis valdè ſalutares, quorum ſententiam ego quoque libenter amplector. Nam hoc os inueniri in corde cerui, fabuloſum non eſt, ſi fidem Ariſtot. adhibemus *l. 2. de hiſt. animal. cap. 4.* firmat Gal. 6. *de vſu part. 9.* Ne ergo approbes Veſalium *lib. 1. de fabric. 20.* Braſauol. *in examin. ſimpl.* Rondelet. *in aurea Alexand.* qui hæc oſſa in corde reperiri negant. Quorum hac in re ignorantiam, & circa anatomen imperitiam coarguerat multo antè Gal. *lib. 7. de Anatomic. adminiſt. cap. 10.* diſcipulos ſuos monens, vt hoc ſecretum non patefacerent illis, qui adeò ſunt improbi, vt ignorantiam ſuam non incuſent, ſed veritatem negent, ac eos qui ſua induſtria adinuenerint, irrideant. Et 6. *de vſu par. 19.* in grandioribus animalibus venarum, & arteriarum radices oſſuoſas eſſe affirmat. Vis eius eſt mira. Cor tremulum firmat: mœrori & timori remedio eſt; veneno reſiſtit: in peſtilenti conſtitutione maximo eſt ex vſu, vel cum alexiteriis aſſumptum, vel epithematum modo cordi applicitum. De quo latè Geſnerus *lib. 1. de quadrupedib. cap. de ceruo, littera G.*

Sed vt medicamentis cardiacis, & pro propulſanda melancholia celeberrimis vltimam manum imponam, non præteribo deſcriptionem cuiuſdam, quod pro diſcutiendis flatibus melancholicis, roborando ventriculo, & vigorando natiuo calore eſt primarium, cuius virtus hoc exemplo fiet manifeſta.

Obſeruatio XXXVII.

Cachunde, ad flatus melancholicos, medicamentum præſtantiſſimum.

ILluſtriſſimus Marchio de Ferreira, è Luſitanorum Regum ſtirpe oriundus, frigido cùm eſſet vẽtriculo præditus ex improſpera coctione, quotidie per vomitum, aquæ naphæ calidiſſimæ hauſtu, duas ferè libras muccoſæ, lentæ albæque pituitæ, & deinceps humoris tetri, nigri, & fœtidi proiiciebat. Poſteà de tremore cordis, metu, triſtitia, anxietudine, ructu importuno, inappetentia, ventriculi nauſea,

ſingultu, flatibúſque melancholicis, & inferioris ventris rugitu querebatur. Eum melancholia hypochondriaca correptum diceres. A ſuis cubiculariis Medicis plura celebrata fuerunt auxilia. Vacuationes repetitæ, fomenta, ex oleis, decoctionibus, vnguentiſque parata. Culcitra ex lana purpurea, & pulueribus cardiacis compoſita. Clyſteres inditi qui viſcidam pituitam, vnáque humorem melancholicum vacuarent. Apertæ ſunt per hirudines mariſcæ. Sæpiùs exhibitum Balſamum verum cum aquâ floris cinnamomi permixtum. Aſſumpſit omnis generis cardiaca. Imperatum balneum: à quo ſulphurea balnea fuit expertus. Fontanellæ in cruribus apertæ. Sudorifica ex Ebeno viginti dierum ſpatio illi ſunt imperata, & per interualla decocto radicis chynarum pro quotidiano potu vſus eſt. Sed omnia incaſſum ſunt celebrata. Quatuor Medici per literas ſumus conſulti. Quidam rectè priùs vacuato corpore, totam ſalutis ſpem in aſſiduo radicis mechoacanæ vſu ſitam eſſet dicebat, qua & flatus diſſolui, & craſſos tenacéſque humores vacuandos ſperabat. Alius vini Abſinthitis vſum conſuluit. Alter, aquæ aluminoſæ potum per interualla aſſumendum præſtantiſſimum eſſe aſſeruit. Ego cùm calorem natiuum flaccidum, & ex longo morbo, quo antea fuerat oppreſſus, debilitatum, ex cuius imbecillitate nimia ſimúlque hepatis caliditate, omnium ſymptomatum varietas oriebatur, inſpicerem, in roborando innato calore, diſcutiendíſque flatibus melancholicis inſiſto, ſícque ad generoſum auxilium deſcendo, quod ab Indis, & Chynenſibus *Cachunde*, hoc eſt roborans, appellatur. Non pertranſierat menſis poſt aſſumptam antidotum, quando omnium malorum dira ſæuities conquieuit.

Sed quoniam de hoc Indico medicamento, nec aromatum diligentiſſimi ſcriptores, nec peritiſſimi iuniores quicquam memoriæ commendarunt, eius compoſitionem ſummo labore comparatam, & à Medicis, qui Proregum Orientalis Indiæ, aliorúmque Principum per plures annos curam geſſere, receptam, hoc loco palam facere operæ pretium duxi, quæ eſt huiuſmodi.

℞. *Terræ Cimoliæ, aut alterius luti optimi,* ℔.ij. *Ambari lib.*1. *Moſchi, & Galliæ an.* ʒiij. *Ligni Aloës optimi* (Luſitani *calambucum* vocant) ʒx. *Margaritar. præparat.* ʒiij. *rubin. ſmaragdi. granator. Hyacinthor. præparat. an.* ʒiiij. *Santalor. rubeor.* ℔.iiij. *Santalor. citrinor.* ʒiij. *Maſthic. calam. aromat. galang. cinnamon. Aloës lotæ cum ſucco roſ. Rhab. elect. myrobalanor. Indor. chebul. belleric. abſinth. coral. rubri, boli armen. an.* ʒij. *folior. auri.* ʒj. *lapidis Belzaär.* ʒxx. *ſerici vſti* ʒviij. *Eboris vſti* ℔.iij.ß. Pulueriſanda pulueriſentur tenuiſſimè, irroratáque cum balſami, vini odoriferi, & aq. flor. cinnamon. guttulis, exſiccentur ad vmbram: & deinceps excipiantur cum ſacchari puriſſimi, & albiſſimi ſufficiente quantitate, & cum gummi tragacanthi, & Arabici mucilagine, omnia malaxentur, quouſque fiat lutum tenaciſſimum, viſcidiſſimum, & valdè rubrum.

Ex hoc (ſicut ex porcellanis fieri ſolet) variæ figuræ conſtruuntur, quas Mercatores in varias mundi plagas, præcipuè verò Olyſipponem, emporium totius orbis celeberrimum, conuehere ſolent. Hac antidoto vtuntur Principes Indiæ, & Chynenſes Magnates in hunc modum. Fruſtulum paruiſſimum lentis magnitudine in ore interdiu retinere ſolent. Liquor emanat dulciſſimus, odoriferus, & ſenſim, ac ſine ſenſu, vt è ſaccharo candido, per fauces in ſtomachum ſtillat, adeò ſuauis, ac fragrans, vt eius iucundum odorem vel adſtantes etiam perſentiſcant. Medicamentum certè dignum, quod Reges, Illuſtréſque omnes ad natiui caloris ſymmetriam conſeruandam perpetuò in ore geſtent.

Nam corpus à corruptione præſeruat & tuetur, ne à peſtifero aëre oblædatur, Melancholiæ, & flatibus diſcutiendis confert eximiè, & affectibus melancholicis mirabiliter ſuccurrit. Cor tremulum firmat. Cardiacæ, morbo attonito, & epilepſiæ medetur. Spiritus animales, vitaléſque recreat, facultates omnes roborat, ventriculum vigorat. Venenis omnibus auxiliatur. Cerebrum firmat, & aduerſus oris fœtorem vnicum eſt ſubſidium. Demum ad Venerem incitat, & genitalem vim robuſtiorem efficit; quapropter vtrique ſexui in India eſt vſitatiſſimum. Denique eſt medicamentum Regium; nam vitam producit, mortémque retardat: & ſic multo venundatur pretio. Vtere eo, & miraberis effectum.

Sileo quàm plurima auxilia, quæ aduerſus melancholiam ab omnibus proponuntur. Sat fuit, de iis quæ celebriora apud auctores ſunt, & magis controuerſa, paucula quædam prælibare. Nam melancholiæ conferunt Meliſſa, flores cordiales, Ozymum fluuiale, lingua bouis, ſcorzonera, de qua mirabilia refert Monardus *proprio libel. de ſcorzoneræ vi eximia.* Argentum, roſa, ſericum, ſantala, aloë, agaricum, epithymum, corallum, ebur, coriandrum, camphora, crocus, doronicum, charabe, lapis Armenus, myrobalani, lignum aloës, Lilium, lapis Lazuli, Malum granatum, Moſchus, Ambra, Gallia, Mentha, Zedoaria. Compoſita ſunt Theriaca, Mithridatium, confectio hyacinthor. Alchermes, electuarium lætificans, quod ſub Galeni nomine circumfertur, electuarium de gemmis, lætificans Raſis, Diambra, diamargariton frigidum, diamoſchum, electuarium Regium Meſuës, & ſiquæ aliæ ab auctoribus confectiones cordiales pro propulſanda melancholia deſcribuntur, quorum catalogum legat, qui velit apud Mercat. *lib.*1. *de morb. internis, cap.*17.

HIST. XXXVII. TRALLIANI, De Melancholia.

Melancholiæ mulieris Hiſtoria mira.

Ego mulierem vidi quæ ex imaginatione vexabatur, vt medium manus ſuæ digitum conſtringeret, tanquam in ipſo totum geſtaret orbem. Plorabat autem illa quoque, verita nequando digitum ſuum inflecteret, & totus orbis corrueret, omnia ſtatim interirent, &c. Trallianus lib. 1. cap. vlt.

PARAPHRASIS.

Prodigioſæ ſunt hiſtoriæ, quæ de melancholicis, ab auctoribus circumferuntur. Narrat Gal. *lib.*3. *de loc.*7 quendam fuiſſe, qui teſtam ſe factum putauit, atque idcircò obuiantibus cedebat, ne collideretur. Alter gallos cantare audiens, vt hi alarum ante cantum, ſic ille brachiorum applauſu latera quatiens, animantium ſonum imitatus eſt. Fuit alter, timens ne Athlas, qui mundum ſuſtinere dicitur, grauatus ſub tanto onere, ipſum à ſe excuteret, atque ipſe cum illo collideretur. Aëtius *tetrab.*2. *ſerm.*2. *cap.*9. refert, Philodotum Medicum quendam, qui ſibi caput amputatum eſſe putabat, curaſſe impoſito repentè capiti ipſius plumbeo pileo Trall. hoc loco narrat, eundem Medicum curaſſe mulierem hoc pacto: quum putaret illa ſerpentem ſe deuoraſſe, vomitum medicamento citauit, atque in id quod reiectum fuit, paruam beſtiam per omnia imaginationi illius ſimilem impoſuit: qua viſa ſanata eſt mulier. Aretæus *lib.*1. *de cauſ. & ſign. diutur. morb. cap.*6. firmat, Carpentarium quendam in loco, vbi cum aliis operatoribus verſabatur, mente conſtare; vbi verò inſtrumenta deponebat, & in forum deſcendebat, illicò ſuſpirare, & poſteà è ſeruorum, fabricæ, locíque illius conſpectu abeuntem penitùs in inſaniam, & furorem rapi ſolitum; quòd ſi ad eundem locum celeriter recurriſſet, iterum ad ſe rediſſe. Et licèt Aretæus dicat hoc accidiſſe ex ſympathia loci, & mentis Carpentarij, quod non reprobamus: quum tamen melancholicorum infinitæ ſint imaginationes, mirum non eſt, vt ſicut melancholicus hunc cibum vitat, deuorato alio, ſic in vno loco conquieſcat ampliùs, quàm in alio. Hic ergo ob deprauatam imaginationem inſaniebat, quum extra locum illum morari contingeret; quare egrediens furentis actiones edebat.

Alter quidam opinatus eſt ex vitro ſibi conflatas clunes, ſic vt omnia ſua negotia, atque actiones ſtando perficeret, metuens ne ſi in ſedile ſe inclinaret, nates confringeret, ac vitri fragmenta hinc inde diſſilirent, vt tradit Leuin. Lemn. *lib.*2. *cap.*6. *de complex.* Refert vnius hiſtoriam Auenzoar *lib.*1. *Theiz. tract.*9. *cap.*9. Qui quum probus eſſet, armis minabatur ſeruos, vt farinam in puteum iniice-

iniicerent,& pedibus malaxarent,& facerent placentulas: qui ligatus, deinde curatus eſt. Miræ ſunt melancholicorum hiſtoriæ, quas latiſſimè referunt Schenckius *lib. 3. obſeruat. tit. de melancholia*, & Marcell. Donat. *lib. 2. de med. Hiſtor. mirab. c. 1.* Quidam enim metuunt, triſtantur, odio habent homines, illachrymant, lugent, rident, deſerta loca appetunt, teſte Theodor. Priſc. *lib. 2. cap. 5.* Sic alij varias fingunt figuras,& imaginationis varios componunt modos. Quidam inferni pœnas ſe luere putant, & ſe condemnatos eſſe conclamant: Alij phreniticis ſimiles ſunt, torpent alij, mortem ſibi inferunt, horrent, loqui putant cum Angelis, fingunt ſe eſſe Reges,& Imperatores, paupertatem metuunt ditiſſimi cùm ſint, murmurant, cantillant, cum Dæmone loqui putant: Denique quiſpiam id exſequitur munus, quod dum ſanus erat, exercebat. Nam qui amoris lenociniis erat irretitus, perditè amat; alius ſe numine afflatum exiſtimat; quidā futura prædicit,& alieno ſermone loquitur; alius de acquirēdis nummis cogitat perpetuò; & alij mille monſtra fingunt, & meras nugas, quæ ad corporis diſpoſitionem, & ſtudium quo quiſpiam anteà maximè delectabatur, ſunt referendæ. Demum morbus hic omniuarius eſt, & non facilè enumerabilis. De quo ſi facetas hiſtorias audire vis, lege præter cæteros Marcum Gattinariam, Vallesc. Tarent. Aggregat. *in cap. de melancholia.* Ioan. Gerſon. *lib. de paſſionib. anim.* Conciliat. *dif. 179.* Hieronym. Magium *lib. 4. Miſcellan. c. 12.* Gentil. *in extrauag. quæſt. 55.* Andream Laurent. *lib. 1. de melanch. c. 7.* Thomam Fienum *prop. lib. de vir. imaginat.* Quomodo autē hi poſſint alieno ſermone loqui,& futura prædicere, ex veterum,& recentiorum mente Carrerius *ad c. 7. lib. 1. de loc. affect.* Gal. *diſp. 7.* diſputat eloquentiſſimè.

Obſeruatio XXXVIII.

Melancholicus ſe algidum perpetuò exiſtimans, miro ingenio curatus.

QVidam in vanam incidit imaginationem, vt ſe frigere perpetuò arbitraretur, ſicque ardente Sirio, ad ignem continuò accedens, calefieri non poſſe prædicabat, niſi toto corpore vteretur. Quumque clam furtímque ter in ignem ſe proiiceret; tandem vinctus catenis, ſedens ſemper iuxta ignem, hac miſerabili imaginatione detentus, diem, noctémque inſomnis ducebat. Pro cuius curatione (quum irrita eſſent amicorum,& Medicorum conſilia) hoc ſum machinatus auxilium. Eum à capite vſque ad pedes ſummos pelle lanigera cooperio, quæ aqua vitæ priùs benè madueſcebat, eúmque ſic veſtitum, totū comburo. Accenſa flamma, ipſe per dimidiæ horæ ſpatium conflagrans,& exardeſcens, ſaltu, tripudiis lætabatur, vt illicò ſe ſanum, & nimis calidum eſſe exclamaret; sicque depoſita hac imaginatione intra paucos dies ſanus euaſit.

Obſeruatio XXXIX.

Melancholicus artificio curatus.

NObilis quidam Luſitanus, iuuenis, gracilis, hirſutus, niger, cogitabundus,& triſtis, ſponte, nullóque præcedente affectu, in eam incidit melancholicam imaginationem, vt peccata ſua nunquam à Deo eſſe remittenda continuò exclamaret: cámque in hoc agone mœſtus, & macilentus octo menſium ſpatio perſeueraret; nullúmque ex muliercularū auxiliis, quæ ipſum ligatum,& peſſimarū fœminarum præſtigiis, incantamentiſque irretitū prædicabant, acciperet iuuamentum, Medicos conuocat, eóſque obnixè precatur, vt tantis malis excogitarent auxilia quorum beneficio peccata à Deo ſoluenda fore ſperabat; in hoc enim ſalutis ſuæ cardinem ſitum eſſe altà voce adſtantibus, interdiu noctúque inculcat. Sin minùs, cùm dæmone, quem quotidie alloquebatur, vitam æternam in mediis inferni pœnis tranſacturum ſe affirmat. Conſulti Medici de huius morbi cauſa, auxiliiſque diſputantes, in eam vnanimes conuenerunt ſententiam, vt ſæpiùs melanagogis purgato corpore, hirudinibus ano appoſitis, balnea, (aſſixis priùs in cruribus fontanellis) adhiberent,& alia expe-

Lib. I.

rirentur auxilia; quæ ad inſomniam, maciem, triſtitiam, factitari ſolent; nec contemplere cōfabulationes, ſalubria amicorum conſilia, ludos,& alia quæ animum eius, variis imaginationibus diſtractum, poſſent demulcere. At nos, viſis his prudenter, incaſſum tamen celebratis, alio artificioſo præſidio vſi ſumus. Nec irritum fuit conſilium. Nam cubiculo rectè clauibus occluſo, intempeſta nocte, in tecto, detractis priùs tegulis, Angelus artificialis apparuit, dextera gladium, læua accenſam facem oſtentans, qui ſic eum ter ſuo nomine vocat; (retrò enim homo erat exili voce ſermonem pronuncians) quo audito, illicò ille è lectulo ſurgit; Angelum facie decorum, aſpectu pulchrū, ſimplici alba veſte ornatum circumſpiciens; humi proſtratus adorat, illius ſermoni vehementer intentus. Qui ſcelera & peccata omnia, quæque in vita ſua perpetrauerat, Omnipotentis miſericordia eſſe remiſſa illi denunciat. Et ſic extincta face nil ampliùs locutus receſſit. Ille lætabundus oſtium tumultuosè ferit. Adſunt affines, hiſtoriam narrat. Antelucano tempore vocantur Medici, quos hilari excipit vultu. Gratulantur illi, iuſtum eum appellantes. Edere incipit, dormit,& ſani hominis munia exſequutus, nullum ampliùs malum perſenſit. Melancholici ergo, ſi arte curari non poſſunt, induſtria, & fallaciis opus eſt; quibus ſanari experientia confirmat.

COMMENTARIVM.

IMaginatione vexabatur.] In melancholia lædi ſolùm imaginationem ex doctrina Gal. *lib. 2. de cauſ. ſympt. 7.* Aëtij *tetrab. 2. ſerm. 2. cap. 9.* Paul. *lib. 1. cap. 12.* & aliorum probat Altimarus *lib. de curand. hum. corp. mal. cap. 7.* Sed cur ſolùm lædatur, pauci explicarūnt. Reſpondent quidam, humores melancholicos ſuapte natura omnibus noſtri corporis partibus infenſos, facilè in anteriorem cerebri partem, in qua imaginationem vigere aſſerunt auctores, decumbere, quòd hæc, cæteris aliis cerebri partibus ſit ignobilior,& debilior. ex Gal. 3. *de loc. 5. §. Spiritus animalis in cerebri ventriculis, maximéque in poſteriori continetur, quamuis non contemnendus ſit medius, proinde quaſi non ſit nobiliſſimus, multis enim rationibus adducimur vt hunc amplectamur, duos verò anteriores deſeramus, &c.* Et *lib. 7. de placit. cap. 7. §. Poſtremi quidem vulnus maximè animal lædit, ſecundo loco medij, minima ex anterioribus vtriſque noxa contrahitur, &c.*

Non placet ſolutio. Nec enim partium cerebri nobilitas ex ventriculorum pendet nobilitate. Hi enim non attendunt ad proprias,& peculiares harum partium conſtitutiones, facultates, vſus, & vtilitatem, quarum ratione illæ nobiles, aut ignobiles extitere: Quomodo namque fieri poteſt, vt cerebrum, facultatis animalis principium, ex Gal. 7. *meth. vlt.* & *2. ad Glauc. 2.* facultatúmque rectricum ſedes, quarum ratione reliquis nobilius exiſtit, à ventriculis ſuam nobilitatem,& præſtantiam deſumat? quorum vſus, vtilitas, actio quàm diuerſa ſit à cerebri actionibus, quámque inferior, ambigit nemo, quibus, ipſi cerebro famulantur. Anteriores namque duo ventriculi inſpirationem, expirationem, efflationémque efficiunt; conficiúntque ac præparant ipſi cerebro ſpiritum animalem, docente Gal. 8. *de vſu part. cap. 10.* Quare nec anterior nobilior erit media, nec hæc poſteriore: Si enim hoc eſſet verum, prædicti ventriculi de principatu partium poſſent meritò decertare.

Deinde. Dici non poteſt prædictam partem imbecilliorem exti‹t›iſſe. Nam vel illa imbecillitas eſt naturalis, à primordiis generationis ex intentione naturæ acquiſita, vel aliqua occaſione contracta. Illud à natura, quæ fruſtrà non ſolet operari, fieri nō potuit, quia ſic reliquæ cerebri partes in illam ſuas deponerent ſuperfluitates, quum vnaquæque naturale habeat robur, quo id quod ſuperfluum eſt, tranſmittit: quo fit, vt ſi aliqua particula, à natura imbecillior fuerit reddita, in hanc omnes ſuperfluitates confluere ſit neceſſe, ſic Magiſtro docente, 3. *de facultat. nat. 13.* Ex quo perpetua dabitur imaginationi hallucinandi occaſio, fruſtráque natura, tot excretioni ſuperfluitatum cerebri organa machinaretur; decliues videlicet cerebri meatus,

tum per palatum in os,tum per corpus narium cónſpicuis orificiis,quibus ſenſibilia,ac craſſa eructat excrementa,ex Gal.9.*de vſu part.*1. Alterum etiam ductum,ex fundo videlicet medij cerebri:Alterum à meatu qui cerebrum cerebello connectit; peluim denique ac infundibulum, hos ductus excipientia:fruſtrà demùm loca illa,quæ retrò aures ſunt,cerebri emunctoria,expurgationi cerebri dicata, ex Hipp.6.*aph.*10. fabricaſſet.

Non debuit ergo ſagaciſſima natura partem anteriorem cerebri debiliorem efficere,ne vehementi humorum fluxu, non ſolùm ab aliis , ſed à toto corpore tentaretur, præcipuè quum caput ſit veluti tectum domus calidæ, omnibus corporis partibus ſuperpoſitum,ex Gal.9.*de vſu part. cit.* Si tamen hæc debilitas ex aliqua occaſione ſit contracta,quod etiam aliis partibus commune eſt, vt patet in memoria deperdita,& catalepſi,tunc concedi poteſt, humores nocuos magis hanc partem affecturos , ipſius meatus,poroſitates,ventriculos occupando,vt doctè inſinuat Gal.4. *de loc.*2.§. *Quòd ſi anterior pars cerebri fuerit affecta,ſupremum ipſius ventrem ei conſentire neceſſe eſt,atque cogitandi actiones vitiari* , &c. Ex hoc non colligas , reliquum cerebri corpus in melancholia non affici intemperie,quum humor anteriorem illius partem obſidens,alteratione per continuum facta , reliquum afficere valeat. Vltimò.Si Auic.*doctrina* 1.3. *tract.*4.*cap.*18. ſtandum eſt, docentis melancholiam oriri poſſe ex malitia complexionis frigidæ,& ſiccæ ſine materia,permutante ſubſtantiam cerebri, & complexionem ſpiritus luminoſi ad tenebras, nihil faciet prædicta imbecillitas , ad hoc vt magis anterior cerebri pars, quàm reliqua afficiatur , quum non ſit materia quæ confluere poſſit.

Dic tu. Anteriorem cerebri partem, in qua reſidet imaginatio,reliquis eſſe capaciorem,ex Gal.8.*de vſu part.*11. & 12.Quoniam materiales magis ſubſtantias recipit,hoc eſt,ſpiritum craſſiorem continet,vt notat Andr.Laurent. *lib.*10.*hiſt.Anatom.c.*10.qui ſimilitudine humoris melancholici magis deturpatus, conſequenter imaginationem, cui famulatur,lædit,& inquinat.

Sed ſi ex mente Gal. in melancholia læditur imaginatio, cur dicit Auicen. *loc.cit.* melancholiam eſſe mutationem æſtimationum & cogitationum?dubium eſt grauiſſimum, à quo te extricabis ſi dicas,hoc ita pronunciari ab Auic. propter maximam varietatem ſententiarum,de numero, officio, ac nominibus ſenſuum internorum , ita vt multoties vna potentia pro alia accipiatur;quo pacto fecit Gal.qui cùm *lib.de dif.ſympt.cap.*3.tres conſtituerit internas facultates,imaginationem videlicet,rationem, & memoriam,4.*de loc.cit.*pro imaginatione,cogitationem accepit,vt ex verbis ſuprà relatis conſtat, quam in parte anteriori conſtituit,in quã imaginationem conſiſtere, liquet manifeſtè. Si verò plura de vi , & efficacia imaginationis ſcire affectas , Lege Matthæum Villan. *lib.*5.*hiſt.cap.*52. Gaudentium Merulam *lib.*4.*memorab.*18. Themiſt. *lib.*3. *de anim.*68.Algazar *cit.à Gentil.in com.cap.*14.21.3.*doct.*1. Plutarch.5.*de plac. Philoſ.*12. Albert.Magn.*lib.*9. *de nat. anim.*7. Ioann.Camaram Buſthemant.*lib.*2. *de reptil.bibl. cap.*4. Alexand. Alenſ.2.*part. quæſt.*89. *memb.*4. Iuuenal. *Satyr.*6.Abulenſ.*in cap.*30.*Geneſ.* Bartol.& Bald. *in l.Gallus, ff.de liber.& poſthum.* Henric.Gandauenſ. *in ſuis quodlibet.* Thadæum Flor. *in com. ad Iſagog. Ioannit.* Maffeum Vegium *lib.*2.*de educat. lib.*9. Iacob. Forliu.3. *art. med. quæſt.*11.& alios, qui de imaginatricis facultatibus mirabilia exempla proponunt , & nos aliqua memorabilia proponemus *lib.*3.*in com.hiſt.*12.

HISTOR. XXXVIII. RASII, De Melancholia.

Melancholia antiqua,Radice Bryoniæ, curata.

*QVidam Medicus narrauit mihi , quod quædam mulier conſanguinea ſua , paſſa eſt fortem permixtionem antiquam cum dolore magno , & fuit curata à multis Medicis, & non potuit liberari. Demùm ſumpſit * per aliquot dies de radice vitis albæ, & conualuit, &c. Raſis* lib.1. cont. tract. 18. cap.2.

PARAPHRASIS.

PEr permixtionem , intelligendam eſſe permixtionem rationis,quam delirium Medici vocant,teſtis eſt locupletiſſimus Auic.1.3.*tract.*4.*cap.*8.9.11.& 12.à quo hunc modum loquendi accepit hic auctor : definitúrque à Gal. *lib.*2.*de cauſ.ſympt.vlt.* & *lib.de dif.ſympt.*3.*ad fin.*quòd ſit error, ſeu motus deprauatus principum facultatum. Delirium aut eſt cum febri , vel citra ipſam , de hoc præſens hiſtoria venit intelligenda : quod ſi cum febri eueniat, acutiſſimus eſt affectus,(phrenitim vocant)ex Gal.1.*Epid. ſect.*3.*com.*1.& *lib* 3.*eiuſd.ſect.*3.*com.*75.& Auic.1.3. *tract.* 3.*cap.*2. *ad fin.* Cùm autem triplex ſit delirium ſine febri, melancholicum, lycanthropicum, & maniacum , de hoc exponendum eſſe auctorem , patet, tum quoniam habuit forte,dolore cum magno,deliriũ, quæ omnia ab humore melancholico,aut flaua bile præaſſatis originem ducunt,ſi fides eſt adhibenda Gal.2.*de cauſ.ſympt cit.*& 3.*de loc.*7.& 6.*Aph.*53.& 56.Quod deliramenti genus ferox quidem, & ferinum,ab aliis furor,ſeu inſania dictum,periculoſum eſt,& valdè exitiale,vtpote iurgiis,clamoribus,iracundia, rixa,horrido aſpectu,fortiori corporis impetu,vehementiori mentis perturbatione laborantes exercens.

Sepiſſimè diu,& importunè laceſſit hoc vitium,& nullis præſidiis ſuccumbens ſine intermiſſione affligit,& vigiliis,atque faſtidio,ſeu potiùs alimenti odio,corpus macerat, cruciat, & contabefacit. Antequam ergo hoc irreparabile damnum , proſtratis iam viribus , contingere poſſit,humorem peccantem expurgare oportet. Sed cùm hæc ægra à pluribus Medicis, & omni medicamentorum genere curata,ſanitatem obtinere non poſſet, ad fortiora deuenire coëgit neceſſitas, in quorum albo vitem albam (Bryoniã vocant officinæ) eſſe numerandam cenſent cum Dioſcorid.eius interpretes *lib.*4.*c.*182.Calida enim quum ſit in tertio gradu, generoſiſſima pollet purgandi vi, qua non modò pituitoſos , ſed aquoſos humores vacuare poteſt:ſiue radicis ſuccum,aut eius decoctum propines.Qua de cauſa hydropicis, comitialibus, vertiginoſis , melancholicis,& aliis affectibus à craſſo,terreſtríque ſucco ſubortis,miro eſt auxilio : de cuius viribus & facultate plura literis conſignauit Iacobus Theodorus Taberiſæmontanus,*prop. cap. de Bryonia.*

DVBIVM XXII.

Num vacuatio per epicraſin ſit vtilis.

COMMENTARIVM.

P*Er aliquot dies.*]De vacuatione paulatina nobis eſt hoc loco pauliſper agendum,de qua extat latiſſima Gal.doctrina.Nam 12.*meth.*7.in homine,præſertim debili,& dolore iamdiu vexato non auſus eſt , niſi parcè, & ex interuallis vacuationẽ exercere; quoniã ſi in virium debilium præſentia, ſubitò & confeſtim eam moliamur , in maius periculũ ægrum ducemus:Oportet ergo moderatè expurgare,& pauculo interpoſito tempore vires reficere,ſic docente Gal.*lib.*9.*meth.c.*10.Quæ vacuatio cõſtat, paulatina vacuatione inutilis,& paulatina refectione eius quod vtile eſt,& ſecundùm naturam;præcipuúmque locum habet, quando cum virium imbecillitate humorũ corruptio cõiungitur:quoniã,quod alienum à natura eſt, vel venæ ſectione,vel purgatione auferendũ eſt:Verùm non tolerant imbecilles vires,quia,quod affectus remedium eſt,id cum virtutis cuſtodia pugnat:& quum indicationes ſibi inuicẽ aduerſentur,ne incurabilis affectus relinquatur,debet hæc curatio,licèt ægrè,& longo temporis ſpatio,celebrari.

Hanc curationem inſtituendam eſſe docet Auicen.4.1. *cap.*20.*propè princ.*§. *Et cùm alicuius malus ſanguis fuerit paucus , aut declinauerit ad membrum aliquod , quod eius declinatio vehementer impedit, & fuerit neceſſarium, vt ipſe minuatur,*

minuatur, ex eius ſanguine parum erit aſſumendum, & cibo bono erit alendus, deinde erit minuendus iterum poſt dies, propterea vt malus ſanguis ab eo extrahatur, & bonus reſtauretur, &c. Et infrà, quum ait. *Cùm autem phlebotomiæ neceſſaria fuerit cum debilitate virtutis, cauſa febris, aut aliorum humorum, partire phlebotomiam ſicut prædiximus, &c.* Quo pacto quum vires ſunt inualidæ, & non poſſunt auxiliorum vim, aut aliam ſubitò factam vacuationem tolerare, tunc paulatim vitioſum oportet vacuare, & paulatim inuicem, quod ſalubre eſt pro eo reponere. Similem curationem inſtituit Gal. *lib.5.meth.cap.14.* in acri ad pulmonem diſtillatione, dum ſic ait. *Cæterùm de mittendo ſanguine ſcire illud licet, quicunque parùm habere ſanguinis videbuntur, iis ad quemlibet ſuccum probiorem, ſicut prædixi, reductis, detrahere ſanguinem poteris, tunc rurſus reficere, demùmque ſi res ſuadet, ſanguinem mittere, præſertim, quibus veluti limus quidam vitioſus, & craſſus totus eſt ſanguis, & qui validi ſunt, multique ſanguinis, ſtatim iis à principio ſanguis eſt detrahendus.*

Hunc curandi modum inſinuauit etiam Hipp. *lib.3. de morb.num.17.* §. *Quum autem vacuatus fuerit, & corpore debilis, infernam aluum tertio quoque die deorſum commoueto, quo & corpus potens ſit, & ſuperna regiones humoris exortes, &c.* & *lib.2.aph.36.* dicens. *Qui ſanitate corporis fruuntur, medicamenta purgatoria aſſumentes diſſoluuntur, & qui prauo vtuntur cibo, &c.* Hi enim quum vitioſis, & corruptis humoribus ſcateant, viribus non conſtant, & ſic copioſè vacuari non debent, ſed indigent paulatina vacuatione, & paulatina refectione. Quæ doctrina etiam locum habet, vt docet Gal. *in com.* in iis, in quibus prauorum humorum datur abundantia, non ex prauo victu, ſed ob prauam viſcerum diſpoſitionem contracta, vt docet Gal. 4. *de ſanit. tuend. cap.4.* Hoc modo in patientibus morbum Gallicum, in quibus tota ſanguinis maſſa eſt inquinata, ipſaque labe fœdata, copioſas non poſſumus exercere vacuationes, quoniam in tanta humorum copia vires haudquaquam poſſunt eſſe valentes. Simili modo curandi ſunt ij, qui ob habitualem partium intemperiem, prauos ſuccos aceruare conſueuerunt, de quorum numero ſunt ſcabioſi, pruriginoſi, vlcera, puſtulas, & alios cutaneos affectus patientes: qui omnes per epicraſin ſunt curandi, nam vacuationibus copioſè factis diſſoluuntur. De quo argumento lege Ludou. Mercat. *lib.1. indicat.8.*

Exercenda etiam hæc curatio eſt, quando humores ſunt craſſi, lenti, & viſcidi, qui, quum nec validiſſimis medicamentis ſemel extrahi poſſint, paulatim ſunt coquendi, incidendi, & extenuandi, & paulatim vacuandi. Sic enim viribus præcauemus, quæ diutiùs cum morbo ſunt pugnaturæ. Quare parùm, & ſæpè vacuare debemus. Sic Auic. 1.4.*tr.2.cap.55. de cura phlegmaticæ periodicæ*, hanc curationem exercendam monet, cùm inquit, *Ego verò non diligo niſi expectationem digeſtionis, & lenificationem cum iis, quæ diximus priùs, immò oportet vt vacuetur ex ea aliquid, & expectetur in reliqua vſque quò digeratur, & fiat illud cum facilitate paulatim abſque ſuperfluitate, &c.* Quod accepit à Trall. *lib.12.c.de quotidiana.* In his ergo morbis pituitoſis, & melancholicis curatio eſt inſtituenda per medicamentum forte, debile, vt ait Auic. 1.4.*tract.2.cap.7.* forte, quoniam humor pertinax, & craſſus non cedit medicamento benigno ex natura: *debile*, quia in parua quantitate humor eſt expurgandus. Sic celebranda eſt hæc curatio in capitis, pulmonis, & thoracis affectibus, in articulorum morbis, in inueteratis obſtructionibus, & in aliis diuturnis vitiis, quoniam tutò, & citra facultatum diſpendium, quod in penitioribus abditum eſt, ac infarctum, facilè exhauritur. Sic in debilibus, conualeſcentibus, in iis in quibus recidiuam, aut animi deliquium veremur, cumulata, vniuerſimque facta vacuatione vti non licet, ſed paulatim, & partitè vacuationes moliri oportet.

Habet etiam locum curatio iſta in materialibus partium principum morbis, quoniam quum membra principalia ſint principia alicuius virtutis, cuius actio toti neceſſaria eſt, confeſtim, & ſubitò non eſt vacuandus humor, ne harum partium robur diſſolui poſſit. Solet etiam hæc curatio adminiſtrari, quando medicamenta purgantia per

A interualla adhibentur, & diebus intermediis vires reficiuntur, vel quando diebus continuis exhibentur, ita vt modicè aluum deiiciant: Rectè ergo Raſim hic feciſſe arbitraberis, ſi exhibita per aliquot dies radice vitis albæ, melancholiam perſanauerit, ſequutus Dioſcorid. *lib.4. cap.182.cit.de vit.alb.* qui ad curandam vertiginem, epilepſiam, & vteri ſtrangulatum, optimum ait eſſe auxilium, per totum annum, ſingulis diebus puluerem radicis bryoniæ aſſumere. De qua curatione, vide elegantiſſimum Mathiol. *lib.3.epiſt.19.*

Percontaberis, & meritò ſanè, cur expertiſſimus Raſis, in hoc morbo propinet medicamentum tantoperè calidum & ſiccum, & violenter potentiſſiméque expurgans, ac validam naturæ vim inferens, ſi humor melancholicus exuſtus, acris, & mordax, humidis, & non ſiccis curari, & vacuari debet, ex Gal. 3.*de loc.7.* Dic, quòd, quando affectus leuibus auxiliis non ſuccumbit, fortibus eſt debellandus; nam tunc à leuibus inchoare præſidiis eſt inutile: licèt
B enim ſiccitate ſua humorem melancholicum exaſperare poſſit, hæc noxa, vacuato prauo humore facilè redimitur, vt ſcitè *lib.1.aph.24.* protulit Gal. Sic in hunc vſum varia ex elleboro, turpeto, ſtybio, & aliis fortiſſimis medicamentis, ad hunc pertinacem humorem vacuandum auxilia, multiplici lege confecta parari ſolent, quæ ſi propinare verearis ob dictam cauſam, in deteriùs ruet effectus: Maior ergo vtilitas minore noxa eſt compenſanda, quum *nihil ſit quod tam magnificè proſit, quod aliqua ex parte non noceat*, vt doctè monebat Magiſter *lib.11.meth.cap.11.*

HISTOR. XXXIX. GALENI, De Melancholia.

C Melancholia ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus orta, annua vacuatione curata.

*VElut quidam ſingulis annis incidit in melancholiam niſi purgetur: & eſt res mira, quomodo morbo iam inchoante, ſtatim homo præſentit primam eius generationem: & me aduocato, purgatis humoribus atris, ceſſet protinùs melancholia: huic homini ex purgatione duo hæc optima eueniunt; quòd & ſuperfluitates expelluntur, & quòd ex acritudine eorum, quæ excernuntur, parumper aperitur os venæ, quam hæmorrhoidâ vocant, per quam excernitur pars aliqua ſanguinis vitioſi conſueti vacuari: quo retento ſuperuenit melancholia. Purgo igitur ipſum * non ſolùm vere, * ſed etiam autumno; nam ſi ex contemptu purgationẽ aliquando omiſerit, & morbum non antici-*
D *pauerit, ſymptoma morbi perſentit, &c. Galenus* lib.6.aph.47.

Cùm eſſem Romæ primùm, vir quidam erat præclarus ac fortunatus L. Martius, qui quotannis incidere in melancholiam conſueuerat: Erat porrò admirabile videre dementiam ſimul, & inſcitiam ac temeritatem illorum Medicorum, quibus eo tempore cuncti principem locum tribuebant: Alij enim pituitoſos, alij bilioſos humores euacuabant. At Lucius cùm nihil proficeret, nec meliuſculus eſſe inciperet; ac de me eſſet ad ipſum perlatum, ſtatim me aduocandum cenſuit, vt ego quoque & de origine, & de curatione morbi diſſererem. Ego verò acceſſi, & ex ſolo colore feci de noxio humore coniecturam, ipſumque eſſe melancholicum cognoui. Itaque eum ipſum euacuaui, & ſtatim Lucius eſt melancholia liberatus. Hoc prætereà illi conſilium dedi, vt ſingulis annis verno tempore, ac, ſi opus etiam fuiſſet, autumno idem faceret, &c. Galenus lib.3.de humo-
E rib.com.26.

PARAPHRASIS.

DE ea parte, quæ à prouidendo, à Græcis prophylacticè dicta eſt, agit hoc loco Gal. quæ abſentium morborum cauſam tantùm reſpicit: cuius quanta ſit dignitas, præſtantia, ac neceſſitas, nulli puto non manifeſtum. Huius enim fine mortales vitã producũt, & inculpata valetudine diù fruũtur. Maximè quum à primo ortu, ob multas cauſas ineuitabiles ita deterior efficiatur ſalus, plurimis ægritudinum miſeriis, ærumniſque obnoxia, vt abſumpta laudabili

materia, parum ſuperſit, quo calor foueri poſſit. Huius enim artis beneficio,noxas ex ſex non naturalium rerum ordine indebito contractas deuiare, & præſentem tueri ſanitatem nobis eſt conceſſum.

Proponit ergo hominem,qui ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus, ſanguine fæcali retento ad ſuperas partes regurgitante, aut vapore ſuo tetro eas inquinante,ſingulis annis incidebat in melancholiam.Nam vacuatio quæ fit per mariſcas repetens per circuitus,non ſolùm à melancholicis morbis,ſed ab omnibus aliis præſeruat:per has enim venas educendo ſanguini melancholico deſtinatas, huius humoris ſarcina expurgari ſolet, ex Hipp.6.*Epid. ſect.* 3. *text.* 37. Contrà tamen quando ceſſat, aut ſupprimitur ſponte, aut præſidiis adhibitis, corpora ad pernicioſos morbos diſponit,ex Hipp.*cit.Epid.text.*88.*& l.6.Aph.*12. & alibi paſſim.Et ſi deinde recurrat, morbos ex ſuppreſſione earum ſubortos ſoluere ſolet, ex Hipp. 6. *Aph.* 11. *&* 21. Quare pro curanda melancholia hanc vacuationem ſummoperè commendat, cuius vi, & vſu fæculentus atérque ſanguis ſolet expurgari, ex Gal. 4. *aph.* 25. Nam, vt dicebat Hipp.6.*Epid.ſect.*4. *text.* 40. *Decubitus, & vacuationes quæ morbos futuros fieri probibent, eoſdem factos tollunt.* Cùm ergo corpus ſanguine eſſet onuſtũ melancholico,nigro, & craſſo, ſenſim paulatímque progenito; & genus venoſum, partéſque ſuperiores illius copia turgerent,præſtantius fuit hunc purgatione,quàm ſaphænæ ſectione, huic retentæ vacuationi valdè proficuæ, ex Gal.*lib.de curand.rat.per ſang. miſ.* 19. vacuare, quoniam quum valdè craſſus ſit, & in motu, commodiùs vacuatione facta per aluum eximitur medicamentis celebrata, melancholicum humorem vacuantibus. Poſſe autem hæc certos humores vacuare certum eſt. Lege quæ dicenda ſunt *lib.2.in com.Hiſtor.*115.Et maximè quum conuocatis acribus humoribus ad aluum,venæ hæ tumeant, ex quibus ſanguinis limoſi quantitas effluere poteſt, quæ licèt ſit mole parua, ratione tamen talis humoris vacuati,plurimum emolumentum præſtare poteſt.

Si tamen fortè contingat, vt natura hoc auxilio leuata non ſit, tutiſſimum eſt his venis hirudines, bis térve apponere; Nam præter quàm quòd Melancholici humoris ſarcina deponitur, aſſueſit natura, vt craſſum ſanguinem ad has ignobiles, minúſque præcipuas partes emittere poſſit. Caue tamen ne mariſcarum ora ſcalpello aperias, nam fiſtula remanet incurabilis, irreparabilíſque ſequitur ſanguinis fluxus, (quidquid Franciſcus Friſſimellica aliter contendat apud Baptiſt.Theodoſ. *epiſt.* 27:) & alia non contemnenda pericula ſubſequuntur. Hoc facto auxilio, nempè apertis his venis cum phlebotomo, mortuũ fuiſſe D. Dominum Ioannem Auſtriacum, Principem Potentiſſimum, Caroli Quinti Imperatoris filium, refert Dionyſius Daca Hiſpanus *in ſuo lib.3.de apoſtemat. c.*188. Qui ad cæcarum hæmorrhoidum dolorem dirum demulcendum, ſcalpro ſciſſis his venis, largo ſequuto ſanguinis fluxu,in manibus Medicorum Infortunatè occubuit.

Obſeruatio XI.

Iuuenis ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus melancholia laborans, his venis apertis ſcalpello, illicò citata hæmorrhagia emoritur

Robuſtus quidam iuuenis, melancholia ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus orta laborans, plurima expertus fuerat auxilia,ex quibus vix leuamen ſenſerat; Medicorũ conſilio hirudines ter ani venis applicandas curat, ſed incaſſum. Chirurgi tamen conſilio, (vt ſanguis craſſus purgaretur promptiùs)has venas aperit lanceola. Sed quo euentu audi. Vix ſectione facta tantum ſanguinis emananit effluuium,vt nullis vnquam auxiliis,nec cauterio ſiſti poſſet, ſed ſanguine nimiùm fluente, viribúſque exhauſtis, exanimis æger occubuerit.

DVBIVM XXIII.

Num vere præcautoria vacuatio celebranda.

COMMENTARIVM.

NOn *ſolùm vere.*] Præcautoriam vacuationem verno tempore celebrandam,ſuadet hîc, *& lib.de curan.rat. per ſang. miſ. cap.*7. hanc ſententiam experimento fulcit, exemplis roborat, & ratione defendit.Nam veris temperiem arguunt multa,auctore Magiſtro 3.*de cauſ.pulſ.cap.*6. Status veris mediocris, calor moderatus, quo facultates fiunt vegetiores,& inſtrumenta optimè valent:tunc enim corpora frigore non algent, nec calore langueſcunt, aut reſoluuntur.Pulſus tunc ſunt maximi,& vehementiſſimi, partes noſtri corporis in mediocritate conſtitutæ conſeruantur,roborantur, ac perficiuntur, auctore Gal. 3.*aph.*9. Quare hoc tempore ſanguis omnium humorum mitiſſimus,familiariſſimúſque increſcit,& abundat,ex Hip.*lib.*1. *de nat.hum.*33. hoc ita eſſe, frequens ſanguinis è naribus profluuium manifeſtè demonſtrat; qua de cauſa morbi vernales, & ſaluberrimi ſunt, & inter omnes mitiſſimi, ex Gal.3. *aph.*20. quoniam in eo nulla excedit qualitas, *lib.*1.*de temp.*4.Maxima adeſt inter noctes,diéſque æqualitas;nam Sol non accedit ſicut in æſtate, cuius acceſſus eſt cauſa caloris; nec recedit ſicut in hyeme, cuius receſſus, frigoris ſolet eſſe cauſa.

Neque obſtat quòd inter vernales morbos plurimi acutiſſimi numerentur; quoniam id, ver ex natura ſua non habet,cùm tempus ſit ſaluberrimum, ſed ex accidenti. Si enim corpus ſanum inuenit,inculpatis humoribus præditum,id in priſtino ſtatu conſeruat;ſi tamen corpus vitioſis humoribus eſt onuſtum, tunc præ calore commouens, & liquefaciens, grauiſſimorum ſæpè morborum eſt cauſa; in modum exercitationis, quæ licèt ex natura ſua ſaluberrima ſit, ſi tamen intempeſtiuè fiat, corpore malis ſuccis repleto, quàm plurimis morbis præbet occaſionem. Sic intelligendus eſt obſcurus Hipp.contextus, 6.*epid.ſect.*7. *text.*19.ver tabidis eſſe noxium pronunciantis: Nam hæc ſententia,de prima veris parte eſt interpretanda,quæ tum ob inæqualitatem ab hyeme contractam; tum ob lentum calorem humores ex frigore præcedente, velut in ſtabulis concretos fundentem, tabidis valdè eſt aduerſa, quoniam pectoris humores liquefacit, & extenuat, vt firmat Haly 5.*theoric. cap.*4.

DVBIVM XXIV.

Num autumno fiat pulſus vehementiſſimus, vt voluit Galenus. Contra Valleſium, Coſtæum, & Mercatum, Medicos eximios.

S*Ed etiam autumno.*]Miror Gal. pluribus in locis,autumnum, tanquam tempus præcautoriis vacuationibus aptiſſimum, laudantem, quum eius malitiam vbique ipſe patefaciat. Nam eius inæqualitatem oſtendunt plurima. In eo enim modò calor,modò frigus vigent,à quibus contrariis motibus, extra expanſo, & intùs reuocato calore, naturam ſummè imbecillitari fatetur Gal.3. *aph.*4.*&* 2.*de cauſ.pulſ.*14.quibus locis inæqualitatem valdè eſſe naturæ noſtræ aduerſam, & contrariam pronunciat. Inſuper hoc tempore maxima fit in actiuis qualitatibus mutatio, vnde grauiſſimi morbi oriri ſolent. Sanguis quo facultates recreâtur & gaudent,imminuitur,cùm ſit tempus vitæ principiis,ſua frigida ſicca qualitate, omninò aduerſum & repugnans, de cuius malitia ſat plura congeſſere Celſus *l.*2. *cap.*1.&Thomas à Veiga *lib.*1.*feb.com.cap.*4.qui ad omnes lethales morbos, immò ad peſtem, tempus eſſe paratiſſimum cæterorum diligentiſſimè comprobarunt, quia eſt tempus intemperatum, & illius intemperamentum varium, 1.*de temp.cap.*4.& Auic.1.1.*doct.*2.*cap.*3. vnde in illo eueniunt morbi periculoſi, inconſtantes, mali moris, & difficilis eradicationis, ex Hipp.2.*epid.ſect.*1.*parum poſt principium,* & Balduinus Ronſſeus *in cit.Cornel.c.*explicat,

&

& confirmat. Dic. Autumnale tempus præcautioni morborum non eſſe abſolutè accommodatum : quoniam ſi morbus non vrget, ad commodius vernum tempus differenda curatio eſt. Si verò Gal. huic operi vt idoneum admiſit, cauſa fuit, quòd in eo non ſit frigus intenſum, nec calor tantus vrgeat, vt operationes lædere poſſit.

Sed ſi autumnus, tempus eſt inæquale, & inſaluberrimum. Ex Hipp. & Gal. *3.aph.9. & alibi ſæpè*, & ſequitur æſtatem, ob quam vires ſunt debiles, & inſtrumentum inobediens, cur *3.de cauſ.pulſ.cap.5*. Gal. affirmat, medio autumno pulſus eſſe maximos, & vehementiſſimos, quemadmodum medio vere? cuius auctoris ſententiam multiplicibus telis oppugnant plurimi, commoti iis quæ de autumni malitia *ſuprà retulimus*. Auer. enim *lib.4.collig.20. §. Et qui opinantur, quòd pulſus autumni eſt ſimilis pulſui veris, in fortitudine, frequentia, aut temperie, penitùs errant, propterea quia in illo tempore virtutes ſunt diminutæ propter paucum calorem ſpirituum : imò iſto tempore eſt quaſi ſimilis ſenum virtuti, quia iſtud tempus tempori ſenectutis aſſimilatur, &c.* Et Valleſius *3.contr.14. & lib.de pulſib. cap.19.* Gal. hominem ſané acutiſſimum, & in pulſuum doctrina admirandum cauillari, & conuitiis accuſare, ac laceſſere non deſiſtit. Sed immeritò, nam eius rationes contra Galenum facillimè ſolui poſſunt : nam eæ ſolùm probant pulſum autumni non eſſe ita vehementem, ſicut pulſus veris; neque enim Galenus fecit collationem ad reliqua tempora, ſed ſimpliciter loquitur. Ioannes Coſtæus, & Paul. Mongius, doctiſſimi Auic. interpretes, *in com.cap.9. fen.2.1.doct.3.* loca proponunt. Sed ad tantam antinomiam, ſuam adiicere expoſitionem veriti, eam intactam hoc pacto reliquerunt.

Lud. Mercat. *lib.2.de cauſ.pulſ.tract.3.c.19.* affirmat, Gal. non fuiſſe loquutum abſolutè, ſed comparatione ad reliquas partes autumni. In quo ipſe etiam venit reprehendendus : nam quo magis autumnus accedit ad hyemem, magis participat de hyeme, ac proinde maius robur erit in fine, quàm in principio. Scio quid (fruſtrà tamen) ratiocinentur Gentilis, & Iacobus de Forliuio *ſuprà cit.cap. Auic.* Dicerem ego, ſolùm velle Gal. in celeritate, & crebritate eſſe autumno moderatos pulſus, non verò in vehementia; clariſſimum quippe erat, hoc eſſe apertè falſum : hoc enim tempus non eſt ita calidum, aut frigidum. ſicut cætera, & ex pugnantia temperamentorum fit moderatus pulſus, ex Gal. *3.de præſ.ex pulſ.cap.4.* Si verò hoc modo Gal. interpretari non placeat, quo pacto ſecum conſentiat, & ab aliis defendi poſſit, qui eius ſenſum peruertunt, & impugnant, haud facilè intueor : ſi enim antiquorum dicta amicè non receperimus, damnabimus, ex ipſo, *2.de cauſ.ſympt.5.* Conſule pro huius dubij ſolutione Ferdinandum Menam. *lib. de pulſib. ad tyrones, cap.12.* Cuius, ſicut & Valleſij, rationes exploſimus *lib.5.in com. Hiſtor.27. quæſt.41.*

HISTORIA. XL. GALENI, De Melancholia ex amore.

Ex amore admirabilis inſania inducta, caſuque cognita.

Vocatus vt inuiſerem fœminam noctu vigilantem, & ex vna iacendi figura in aliam crebrò ſe transferentem. Vt ipſam ſine febri reperi, percontatus ſum quæcumque ſigillatim illi contigiſſe poterant, ob quæ vigilias euenire ſcimus : illa autem vix, & interdum nihil reſpondebat, proinde atque fruſtrà ſe interrogari ſignificaret : demùm auerſa, ſtragulis adductis, ſe totam operuit, & quodam paruo velo ſupra caput adducto, morem eorum qui dormire volunt, cubare cœpit. Id videns diſceſſi, duorum alterum mecum ipſe colligens, vel atræ bilis vitio mulierem animi deiectionem pati, vel rei quam fateri nollet, mœſtitiâ laborare : quamobrem poſtero die cuncta diligentiùs obſeruare propoſui; cùm itaque acceſſiſſem, ex ancilla quæ ipſi aſſiſtebat comperi, fieri non poſſe, vt tunc ægram dominam inuiſerem : abij igitur, & deinde rediens, vt idem denuò comperi, tertiò reuerſus ſum, & ſolus cum ancilla variis de rebus colloquutus, apertè mœſtitia quadam laborare dominam, cognoui : quam caſu poſteà reperi, opinor quomodo Eraſiſtrato quoque obtigit. Nam quum priùs noſcerem, nulla corporis parte mulierem afflictari, verùm animi moleſtia tantùm quapiam perturbari, contigit, vt quo tempore fœminam inuiſerem, iſtud ipſum quod eſſe ſuſpicabar, mihi confirmaretur : Nam quidam tum è theatro quum veniſſet, & narraſſet ſe Pyladem ſaltantem conſpexiſſe, ſtatim mulieris vultus, & faciei color immutatus eſt; quod cum viderem, brachio manum ſtatim admoui, ſubitóque pulſum variis modis agitatum inueni, id quod animi perturbati indicium eſt : talem enim pulſum, & qui de aliqua re certant, habere ſolent. Quocirca ſequenti die cuipiam ex his qui me ſequebantur præcepi, vt cùm ad mulierem veniſſem, me parum poſt ſubſequeretur, nunciarétque Morphum eo die ſaltaſſe, quod cùm feciſſet, nullam in pulſu mutationem obſeruaui: Sequenti die quum iuſſiſſem, vt idem annunciaret Hiſtrionem, qui ex tribus reliquus erat, ſaltaſſe, ſimiliter pulſus non ſe mutauit. Quarto die quum ad multam noctem de induſtria expectaſſem, vbi renunciatum eſſet Pyladem ſaltaſſe, diligenter annotaui pulſum variis modis ſubſultaſſe. Atque ita mulierem Pyladis amore captam deprehendi, &c. Galen. in lib. de præcognit. ad Poſthum. cap.6. *Aretæus* lib.1. de cauſ. & ſignis diuturnor. morbor. cap.5.

PARAPHRASIS.

SAgaciſſimo ingenio, mirabilique prudentia eſt deſcripta hiſtoria hæc. Qua, miro artificio fœminam hanc amore captam inueniſſe narrat, eamque, vt vidiſti, feſtiuiſſimè delineat. Si de amore, mirabili in hominum animis affectu, quidquam ſcribere tentarem, priùs animus deficiet, quàm eius faſcinum, & illaqueationes varias ad viuum depingere poſſim. Præſertim quum eius multiplicia blandimenta, irritamenta inaudita, amoris vulgaris in inſanum conuerſionem, ſigna, præſagia, & curationem inter tantos graphicè explicauerint Plot. *Æneid.3. lib.5. cap.4. de amore.* Plato *in conuiuio de amore, & in Phædro*, & eius nunquam ſatis laudatus interpres Ficinus *in com. ad conuiuium.* Lucret. Medicus, & Poëta celeberrimus *lib.4. de natur. rer.* Virgil. *lib. 4. Æneid.* faſcinatæ Didonis ab amore modum explicans Ouid. elegantiſſ. *lib. 1. de art. amand.* Repetunt Auic. *lib.3.tract.4.cap.23.* Haly *9.theoric. cap.3.* Alzaharauius *lib. pract.ſect. 2. cap. 17.* Paul. *lib. 3. cap.17.* Nicolus *ſerm.3. tract.11.ſum.5.cap.9.* Leonus Luneuſ. *lib.2.ſect.1.cap.11.* Langius *lib.1.epiſt.24.* Foreſt. *lib. 10. obſeruat. 29. & 30.* & Carrerius *cap.4. ad libros Gal. de loc.affect.diſp.14.* ſatis ingenuè explicuit.

Ex quibus tibi clariſſimè fiet manifeſtum, quæ ſæuiſſimi huius pathematis ſigna ſint, quis pulſus, quem amatorium vulgò appellant, ex Gal. *1.prog.8.* Huius amantis mulieris verba faciens, eum inæqualem, & inordinatum eſſe aſſeuerat, quoniam ſecundùm diuerſimodos, varioſque affectus, quos amor inducit in conſpectu rei amatæ, aut facta illius commemoratione, virtus, nullo ſeruato ordine, ſolet defatigari, aut perturbari. Diſces etiam quis ſit amantium in vultu, & facie color : nam qui amore initiante opprimuntur, colorem ad rubrum mutatum habere, ex eo facilè colligere poſſumus; quòd dictæ mulieris pulſus tales effectos eſſe, ille dixerit, quales in certantibus contingunt : hi verò ob excandeſcentiam, quæ neceſſariò certamen ſequitur, erubeſcunt manifeſtè, ebullientibus præ motu & calore, ad partes externas, ſanguine & ſpiritu. Si verò amor hic diutiùs infeſtat, ac torquet, cùm ſit res plena timoris, & ægri melancholica triſtitia contabeſcant, ac diſſoluantur, nulli dubium eſt, quin reuocato intrò calore, palleat omnis amans; quum color hic, amanti, vigiliis, nimio ſtudio; curis, anxietudinéque confecto, & veluti exſangui ſit familiaris. Notes tamen per tranſennam Gal. hic vultus, & faciei colorem immutatum fuiſſe aſſerentem, licèt nulla inter faciem, & vultum videatur adeſſe differentia. Nam ſumitur interim facies, pro ſola ea parte capitis, quæ ſub tota fronte eſt, auribus, oculis, naſo, & ore, ad mentum vſque circumſcripta, à ſuperciliis incipiens, auctore Gal. *lib.introduct. cap.10.* Vultus verò ſumitur ab Hipp. *lib.1. prog.5.*

pro tota anteriori capitis parte, comprehendens etiam frontem, ſupercilia, & tempora: quæ omnia in hac muliere, audito Pyladis nomine, colorem mutaſſe, Gal. animaduertit.

Sed quoniam ex huius occulti amoris cognitione, maxima ſequitur vtilitas, citiùs enim, faciliùs, & iucundiùs ægrotantes ſanitatem conſequuntur, quos morbi cauſa à Medicis non rectè cognita, & ab eis præ timore, pudore, aut verecundia, celata, ac ſimulata, peiorem in dies conditionem acquirere, prorſus eſt neceſſe; idcircò quomodo Eraſiſtratus veterum Medicorum nobiliſſimus (ita enim eum appellat Macrobius *lib.vlt.Saturnal.*15.) ex cuius ſolertia edoctus Gal. fœminam hanc amore laborare cognouit, deprehenderit morbum Antiochi, ex amore Stratonices nouercæ prodeuntem, operæ pretium erit explicare. Quam hiſtoriam vtpote iucundiorem miro, nouóque modo adinuentam in hunc locum ſubtexere ſtatui, licèt eam graphicè, & luculenter depingant Plutarch. *in Demetrio*, & Valer. Maxim. *lib.5. cap.7.* Appianus *in Syrio*, Lucianus *in lib.de Syria Dea*, & meminit Gal. *Prog.com.7.&* 10. *lib.cit.*

Igitur cùm Antiochus ipſius nouercæ, quam Seleucus pater ei ſuperinduxerat, infando amore corriperetur, non immemor quàm improbis facibus arderet, impium pectoris vulnus pia diſſimulatione contegebat: At inualeſcente magis, magiſque amore, diuerſi affectus iiſdem viſceribus, ac medullis incluſi, videlicet ſumma cupiditas, ac maxima verecundia, ad vltimam tabem corpus eius redegerunt, vt iam eſſet moribundo ſimilis. At verò Eraſiſtratus ſolus inter pleroſque Medicos, quos Seleucus pater magnis propoſitis præmiis ad curandum filium conuocauerat, percipere potuit, hanc animi amore ardentis, non malè affecti corporis, ægritudinem eſſe: nam cùm iuxta adoleſcentem grauiter laborantem ſederet, & curioſiùs illius vultum, & totius corporis geſtum obſeruaret; tandem cognouit ad introitum Stratonices, tantam repentè perturbationem Antiochum occupare, vt defectum vocis, ruborem vultus, ſubſultum oculorum, ſudores acutos, motum incredibilem venæ, cunctáque alia, quæ à Sappho de amatoribus referuntur, intueri in adoleſcente liceret: Statimque poſt hæc, dum videlicet Stratonice diſcederet, deficiente pedetentim ſenſu, ingens pallor toto corpore diffundebatur, fiebatque anhelitus liberior; ex quibus deprehendit nullius amore, quàm Stratonices captum eſſe Antiochum. Cui morbo vt mederetur, hac arte vſum ferunt: vt Seleuco patri diceret, illum nouo morbo implicitum, videlicet nimio amoris incendio, quo niſi expleretur ſanari non poſſe, at eius quidem mulieris amore correptum, quam conſequi minimè poſſet. Stupefactus Seleucus: Cur, inquit, ſi huius ægritudinis amor cauſa eſt, languenti filio opitulari non poſſumus? ingenium nobis, an facultates deſunt? quænam, quæſo, tanta cupiditas, aut qualis amor adoleſcentem corripuit, qui omnes nobis rationes deliberandi excludat? At verò Eraſiſtratus, meam, inquit, vxorem ardet adoleſcens, tunc Rex multis eum lacrymis, & precibus, miriſque pollicitationibus rogat Eraſiſtratum, vt illam in coniugium daret filio, cui tantum regnum deberetur: cui reſpondens Eraſiſtratus, hoc facilè tu pater nobis enarras, verùm fortè aliter ſentias, ſi Stratonicen tuam amaret Antiochus. O vtinam, aut Dij, aut homines facultatem darent, vt hunc amorem permutare meo arbitrio poſſem! Deos enim teſtor, quòd ſi ea quæ chariſſima ſunt, in vnum conferantur, omnia libenter adiicerem pro tuenda vnius Antiochi vita. Hæc vehementi affectu multiſque lachrymis dicente Seleuco, Eraſiſtratus non ampliùs cunctandum ratus, prehenſa dextera, nihil eſſe dixit, cur Eraſiſtrato ampliùs indigeret: Non enim coniugem ſuam, ſed Stratonicen, filium deperire, & quemadmodum id deprehendiſſet, declarauit: qua re cognita Seleucus chariſſimam ſibi coniugem filio cedere non dubitauit, quòd in amorem incidiſſet, fortunæ acceptum referens: quòd vſque ad mortem diſſimulaſſet, ipſius pudori imputans.

Ex quo exemplo conſtat, quàm dirum ſit hoc amoris pathema: ex quo, quoſdam in furorem adactos, alios ve-

A rò ſibi ipſis manum conſciuiſſe pluries obſeruatum eſt. Narrat Matthias Cornax *lib.1.conſult.Med.cap.3.* adoleſcentem, adamatæ ſuæ aſſidentem, venâ ſecundùm tempora ſua ſponte diſruptâ, feruidiſſimi ſimul, ac copioſi ſanguinis profluuium, paſſum. Quod rarum amoris ſignum ex ebulliente ſanguine, & feruido ſpiritu concitatum, ſuis oculis conſpexiſſe refert idem Auctor. Quo loco aliam amoris vi puellam occubuiſſe commemorat, & firmat Petrus Crinitus *lib.3.de honeſt.diſcipin.cap.9.*& binarum fœminarum recordatur Amat.*cent.3.curat.56.& cent.5.curat.*84. quæ ex amore vitam cum morte commutarunt. Quod Antonius Bonfinius *lib.3. Vngaricar. rerum, decad.3.* memorabili duorum amantium exemplo illuſtrauit. Si verò plura exempla legere cupis, eorum qui ſibi amoris cauſa manus intulerunt, adi Iou.Pontan.*lib.de fortit.1.cap.29.*
B & Stobæum *ſerm.62.*

Huius atrociſſimi, & miſerabilis morbi illicò aggredienda curatio eſt, quem cùm terribilia ſymptomata comitentur, nempe curæ, inſomniæ, ærumnæ, error, terror, fuga, ineptia, ſtultitia, temeritas, inconſtantia, immodeſtia, petulantia, cupiditas, maleuolentia, & virium debilitas ſumma; exhauſtis enim his corpus exſangue pallet, oculi intra ſupercilia conduntur, cibum ſtomachus faſtidit, pulmo longo ſuſpirio ex imo pectore ingemiſcit, mens vacillat, cor languet, & tandem corpus contabeſcens vitali ſpiritu orbatur. Quare protinùs amori eſt reluctandum: Nam, vt Ouidius dicebat, *lib.1.de remed.amor.* & *lib. epiſt.16.* mora dat vires, quum parua recens flamma, pauxilla aqua illicò extingui poſſit.

Huius clandeſtini, Herculeique morbi pharmaca varij
C varia aſſignant: Alij otium, vt veneris fomitem diſſuadent, & nouis amoribus, aut honeſtis aliò traducere curis præcipiunt, quod Lucret. *lib.4.in fin.* ſuadet, dum ait:

Sed fugitare decet ſimulacra, & pabula amoris,
Abſterrere ſibi, atque aliò conuertere mentem.

Raſius *lib.diuiſionum*, remedia amoris, vt naturæ aduerſa non probat. Quod verò plus optandum eſt, vt ſi fieri poſſit, amore inſanus, eius, quam exarſerat, coniunctione curetur. Extat celebris Hiſtoria Aretæi *lib.1.de cauſ. & ſign. morb.diuturn.cap.5.* quam idcircò inexplicatâ reliqui, quoniam ſuperioribus ſimilis eſt. Sic enim ait. *Fama eſt quempiam inſanabiliter ſe habentem, cùm puellam deperiret, Medicis nihil proficientibus, ab amore fuiſſe ſanatum: Ego verò ſuſpicor eum ab initio in puellam exarſiſſe, inde triſtem & languenti animo, quòd ea non potiretur euaſiſſe, ſuiſque popularibus melancholicum viſum eſſe: At iſte vbi puellæ amatæ ſe*
D *coniunxit, mœſtitia receſſit, & animi languor diſcuſſus eſt, & mens ab amore medico prorſus ſanata eſt.*

Si tamen fieri non poſſit, vt amore ineſcatus deſiderio aliquando fruatur, tunc apto congruentique auxilio eſt medicandus, cuius medelam luculenter delineatam, & graphicè deſcriptam legat qui velit, apud doctiſſimum Valeriol.*lib.2.obſeruat.7.* qui de hoc argumento inter omnes eloquentiſſimè diſputauit. Quæ autem inſani amoris ſint ſigna, quanta eius vis in rebus quæ ad vitandum remedia parata, explicant vbertim, luculenter, & ingenioſè, ex alienis omniſcius Biſciola, *tom.2.horar.ſucceſſiuar. lib.3.cap.1.* Tiraquellus *de legibus connub.lib.15.num.36.& lege 1.gloſſ. 2.part.2.n.1.* Leo Hebræus *dialog.3.de amore in princ.* Ariſtanetus *lib.2.de amore, epiſt.2.* Anacreon, Muſæus *in Lean-*
E *dro*, Theocritus, qui de Amore inſano eleganter conſcripſerunt. Ex noſtris clariſſimus Paulus Zacchias; Medicinæ Phœnix, *lib.2.quæſt. medicolegal.tit.1.quæſt.10.*

HISTORIA XLI. AETII, De catalepſi.

Catalepticus hæmorrhagia copioſa ſanatur.

QVandoque etiam ob ſanguinis multitudinem confertim caput occupantis, & ipſum ſuperimplentis, fit hac affectio:

fectio: quemadmodum vidimus in adoleſcente quodam multo ſanguine referto, qui cùm triduum exegiſſet, neque claudens palpebras, neque ad vehementes vocis rationes tranſmouens oculos, neque reſpondens, quarta die ſanguinis eruptione larga per nares facta, ab omnibus moleſtiis confeſtim liberatus eſt, &c. Aëtius tetrab. 2. ſerm. 2. cap. 4.

PARAPHRASIS.

CAtalepſis affectus eſt, in quo vniuerſum corpus cogitur, & ſtipatur, ſenſúque ac motu priuatur, reſeratíſque oculis, & inconuenientibus, in eadem æger permanet figura, qua fuit correptus. Cuius varia ſunt apud Medicos Galeno antiquiores nomina, vt notauit Cælius *lib. 2. cap.* 10. dicens. *Vicina, atque ſimilis Lethargiæ paſſio eſt, quam Græci catalepſin appellant, nos apprehenſionem, vel oppreſsionem vocamus*, & Diocles *lib. ſententiar.* aphoniam appellat. Praxagor. *lib. peregrin. paſſion.* catochum vocauit. Veteres hanc paſſionem non ignorarunt, ſed facilè, ſicuti etiam nunc plurimi, Lethargiam eſſe cenſuerunt. Alij hos ſequuti, pauci quidem Aſclepiadis ſectatores hanc paſſionem à Lethargo ſepararunt.

Rurſus ſynonyma videntur eſſe catochus, & catalepſis, quum iiſdem nominibus eadem affectio ſignificetur, quicquid contrà, falsò tamen opinentur Amat. 2. *cent.* 15. & Langius 1. *epiſtol.* 25. exploſi iam à Gal. *lib. de pulſib. ad tyr.* 8. & 4. *de cauſ. pulſ.* 16. & 3. *de loc.* 4. & 4. *eiuſd.* 3. & Paul. *lib. 3. cap.* 10. Quod ſi aliquando Gal. vocem catochi ad alios affectus videtur accommodare, id propterea fit, quòd veteres Medici huiuſmodi vocis proprietatẽ non ita exactè ſeruarunt, vt notat Montalt. *tract.* 14. *de cereb. affect. c.* 1.

Cuius morbi cauſa, licèt à Fernel. 5. *patholog.* 2. ſtatuatur pituita cum bili flaua permixta, quum in cerebro ſimul immoderatiùs exuperant, tamen hoc dogma potiùs irridendum, quàm confutandum eſſe, docet paſſim Gal. Nomine enim, & cauſis confundit catalepſim cum vigilante ſopore, quem ex bile & pituita naſci Galen. aſſeuerat, ſicut catalepſim ex frigida, & ſicca cerebri intemperie. 2. *aph.* 3. Quæ vel ſimplex eſt, ab externis potiſſimùm cauſis contracta, vel ex fæce ſanguinis (ſuccum melancholicum vocant) ortum ducit, vt inter omnes notat Alexand. Maſſar. *lib. 1. de morb. intern.* 15. Hócque modo intelligo Aëtium, qui iuuenem hoc morbo detentum ſanguinis è naribus eruptione larga liberatum fuiſſe refert. Quo pacto vel de illegitima catalepſi eſt intelligendus, vt probant Altimarus *lib. de cur. hum. corp. mal. cap.* 4. Ludou. Mercat. *lib. 1. de morb. intern. cap.* 12. Mercurial. *lib. 1. de capit. affect. cap.* 8. vel dicendum, Aëtium eam habuiſſe ſententiam, vt fiat quandoque catalepſis à ſanguine, ſed magis ab humore melancholico.

Et quamuis ſanguis ſit calidus & humidus, & tenſionem efficere non poſſit: tamen replendo ſua copia, & ſubitò caput occupando, hanc affectionem efficere valet. Sicut & alios committere affectus ſoporoſos, tenet Gal. 3. *de temp.* 5. firmántque Iacotius *com. ad aph. 7. lib. 2. Coac.* Hip. & Scholiogr. *ad cap. 9. lib. 1. de morb. intern.* qui catochum à ſanguine craſſo concretóque, maiores venas, à poſteriore capite ad ſynciput recta decurrentes, occupante oriri, per anatomen deprehendiſſe gloriantur. Licèt à flatu, (rarò tamen) prout notat Eraſt. *part. 4. diſputat. aduerſ. Paracelſ.* à vermibus, ex Benedict. *lib. 1. de curand. morb.* 26. & à pituita multo cum ſanguine permixta concitari queat, vt inter omnes narrat Dodonæus *obſeruat. medic. cap.* 4. Si de huius morbi cauſa contradictiones ſerias ſcire affectas, vide Petrum Garciam Carrerium *diſput.* 12. *ad lib. Gal. de loc. affect. cap.* 4.

HISTOR. XLII. GALENI, De Catalepſi.

Catalepſis ex nimio ſtudio ſubortæ, hiſtoria.

QVidam etiam ex noſtris condiſcipulis, cùm aſſiduo diſciplinarum ſtudio ſe fatigaret, malo hoc correptus eſt. Iacebat enim velut lignum prorſus inflexus, rigidúſque, atque extenſus, videbatúrque oculis apertis nos ita intueri, vt ne conniueret quidem, nihil tamen loquebatur. Is quoque tempore eodem, quæ loqueremur audiſſe ſe dixit, quanquam non euidenter, claréque. Nonnulla item & memoria tenens referebat, præſentéſque omnes ſeſe conſpexiſſe dixit, ita vt quorundam actiones recordatus exponeret, ſed neque loqui potuiſſe, neque membrum vllum mouere, &c. Galenus lib. 1. Prorrhet. ſect. 2. com. 56.

PARAPHRASIS.

STudioſos, & literatos plurimis tentari ægritudinibus res eſt manifeſta, probátque Platonicorum Princeps Marſil. Ficinus *lib. 1. de ſtudioſ. ſanit. tuend. cap. 1. &* 7. Nam ſtudia aſſidua, diſſipatis ſpiritibus, & exſoluto calore innato, partes omnes, præſertim naturales, in quarum robore perfectæ nutricationis ſymmetria conſiſtit, proſternunt, & labefactant: quare ventriculi calore diminuto, & hepatis calore adaucto, & exſiccato, ſi accedat cerebri, ab ſtudio, & vigiliis debilitati ad recipiendum promptitudo, non ſolùm hic, ſed innumeri repullulant huius partis diri, exitialéſque affectus. Galeni ergo condiſcipulus, ob ſtudij labores multos, cerebro ob agitationem mentis vehementer exſiccato, humiditate primigenia magna ex parte conſumpta, debilitatis coctionis officinis, quum natura in contemplatione, cerebro, cordíque prorſus intenta, ſtomachum hepárque deſtituat, ſanguine denſato, redditóque ſic craſſo & nigro, ſubtilibus clarioribúſque ſanguinis partibus penè abſumptis, facto ſpiritu atro, frigido & melancholico, & aceruatis ob has cauſas, pluribus terreſtribus excrementis, in morbum incidit rarum, & periculoſum, quem catochum, ſeu catalepſim vulgus Medicorum vocare conſueuit. Multa humoris crudi, & melancholici ad cerebrum imbecille tranſmiſſa portione, atque eius poſteriorem partem præcipuè occupante, ex Gal. 4. *de loc. cap.* 2.

Deinde communicata neruis ibi exiſtentibus læſione, totius corporis rigiditas euenit, maximè quũ hæc poſterior cerebri pars (cerebellum dictum) inter reliquas cerebri partes denſiſſima ſit, & duriſſima, duabus membranis circumſepta, faciliùs poſſit exſiccari: neruorúmque principio vnà læſo, vniuerſum illicò corpus rigeſcit, & gelatur, & in eo ſtatu permanet, in quo fuit correptum, auctore Paul. 3. *cap.* 10. Quem graphicè depingit Fernel. 5. *Pathol.* 2. dum ſic ait. *Vnus dum literis, & chartis ſedulò inuigilat, repentè catalepſi perculſus, ita quidem obriguit, vt ſedens, calamúmque digitis premens, oculis in libros defixis, putaretur in eorum ſtudia incumbere, donec vocatus, & impulſus, deprehenſus eſt omni ſenſu, motuque carere.* Amat. 2. *centur.* 14. Iacot. *com. ad aph. 7. lib. 2. Coac. Hipp.* Ioan. Vvierus *lib. 5. de præſtig. dæmon. cap.* 35. Salius *ad cap. 4. pract. Altom.* Adamus Lonicer. *in explicat. morbor. cap. de congelat.* Hol. *lib. 5. Coac. Hip. ad aph.* 13. varias, & horribiles hoc morbo correptorum formas proponunt.

Riguit ergo huius ægri corpus totum tanquam gelu, quoniam facultas motrix læſa erat, quum morbi huius eſſentia in hoc cõſiſtat, quòd ſit ſymptoma in genere noxæ functionum principum facultatum, vt firmat Gal. *lib. de dif. ſympt. cap.* 3. & ſit velut paralyſis quædam, ſeu reſolutio imaginatricis facultatis; nam ſi catochi cauſa potentior ſit, tota aufertur imaginationis actio; ſi imbecillior, perturbatur illa tantùm, Licèt reliquæ quodammodò facultates animæ vitientur, illæſa reſpiratione, vt in Caro, auctore Gal. 4. *de loc. cit.*

Sed inquiſitione dignum eſt, cur hic audiret, præteritorum recordaretur, præſentes conſpiceret, & quorundam actiones recordatus exponeret, ſi cataleptici ex Gal. Paul. & Aët. ſententia, altiſſimo, & inexpugnabili ſunt detenti ſopore, voce ac ſenſu priuantur, & inaudientes minimè reſpondent, neque alio ſenſorio quicquam agunt: quin ob frigidum & ſiccum humorem, poſticam cerebri partem irrigantem, memoriam abolitam habent, cuius functiones in poſteriore cerebri ventre fiunt, ex Gal. *lib. 4. de loc. cit.* Dic. Hoc vitium ex Gal. *lib. 1. de ſympt. cauſ.* 7. non

ſemper

ſemper cerebro affecto per eſſentiam contingere,ſed aliquando per conſenſum ab aliqua corporis parte, vtpote ventriculo, concitari,communicata noxa cerebro mediis neruis. Hoc aliquando remitti, aliquando intendi res eſt aperta; quod fit vt tempore intermedio,noxa non ita cerebro communicata, ſed magna ex parte ceſſante, ſenſitiuæ, & animales potentiæ leue nocumentum reciperent, & ſic omnia, quæ agerentur, audierit, & viderit; eáque ſoluto morbo recitarit. De cuius affectus curatione videndi Dodon.*obſeruat.medic.cap*.4.& *in annot.ad c*.46.*Beniuenij*.Euſtach.Rud.*lib*,1.*prax*.8.Foreſt.*l*.10.*obſeruat*.42. Rondelet.*lib.de curand.morb*.20.Ioan.Hieronym. Puluerinus *art.med. cap*. 9. & ex veterum mente ſelecta præſidia exarauit Vidus Vidius *lib*.2.*de curat.memb.cap*.17.

HISTORIA. XLIII. GALENI,
De memoria amiſſa.

Memoria amiſſa ex inedia, labore, ac vigiliis, humectantibus præſidiis reſtituta.

*EQuidem noui quendam,qui ob laborem in ſtudiis atque vigilias,memoriam penè amiſerat,læſa etiam ratione.Item Agricolam,qui ob labores, quos vites colendo ſubierat,ac tenuem victum, eodem modo affectus eſt. Atque ij, certum eſt, quod exſiccantibus,calorificiſque omninò lædebantur:madefacientia verò,quæ calefaciendi vim habent,haud mediocri ipſis erant præſidio,&c.Galen.*lib. 3. de loc. affect.cap. 5. prope initium.

PARAPHRASIS.

POſſe lædi memoriam, læſa vel illæſa ratione, illis dubium non eſt, qui potentias rectrices ſedibus eſſe diſtinctas neceſſariò ſtatuunt. Quidquid ex hoc argumento non concludi,facultates principes, varias in cerebro ſedes obtinere, contrarij arbitrentur, ſed quòd vna ſit alterâ vegetior, vel imbecillior, & irruenti cauſæ magis aut minùs reſiſtere poſſit. Vtcunque tamen ſit, (quod à peritiſſimis iuniorum citatis *in com. hiſt*. 12.*ſup. cit*. ad nauſeam vſque eſt controuerſum) apud omnes conſtat memoriam tunc amiſſam dici, quum quiſpiam omnium eorum, quæ priùs nouerat fuerit oblitus, ipſa verò affectio, eſt ſymptoma in genere noxæ functionum animalium principum, in qua memorandi facultas omninò abolita eſt; hæc enim ſtoliditati,ac rationis amiſſioni ſimilia parit ſymptomata, quòd virtutes rectrices non habeant copiam ſpecierum, quibus actus ſibi commiſſos exſequi poſſint; quia nullæ aſſeruantur in memoria, & ob id non iudicant, quia adhuc præſentia obiecta non agnoſcunt, vel debiliter de eis iudicant: quo fit, vt ſtolidi videantur, & infantibus ſimiles, non autem delira loquentes.

Oriri autem hoc vitium præcipuè à frigida intemperie, præſens hiſtoria manifeſtè demonſtrat. Huic nonnunquam humidam,aliquando ſiccam aſſociari, ex curatione hîc à Gal. propoſita ſatis liquet. Licèt enim in vinitore,ex magnis laboribus, atque exercitiis memoriam fuiſſe amiſſam referat: Et Hipp.*lib*. 7.*epid. text*. 82. Androphalum ex bilioſa admodum affectione, ignorantia permultos annos fuiſſe correptum aſſeueret, non ob id amiſſæ memoriæ iacturam ab intemperantia calida oriri aſſerendum eſt: Nam ingentes animi, corporiſque labores, indefeſſa ſtudia, aſſiduæ vigiliæ, quibus calefaciendi vis ineſt nimia,hoc per accidens efficiunt,conſumptis,& diſſipatis ſpiritibus,qui huic operi erãt ex vſu,& reſoluto humido primigenio, natiuum calidum refrigeratur, ac marceſcit. Addiderim memoriæ abolitionem non niſi à cauſa in operando efficaci oriri poſſe, qualis eſt caliditas, aut frigiditas; Illa quum nullam actionem tollat, aut minuat, quin potiùs deprauet; hæc actiones primò minuat, tandem adaucta aboleat; ab hac recordatricis potentiæ omnimodam abolitionem ſemper fieri, dicendum eſt. Nam calor adauctus idolorum perturbationem parit: immodicum verò frigus, nulli functioni proficuum, eorum extinctionem, & interitum: id quod animalia quæ præ frigore latitare coguntur, haud obſcurè declarant; perinde enim ac ſi mortua eſſent,hyeme ob frigoris vim manent. Neque ob hæc opineris ineptè calida in propoſita hiſtoria reprobaſſe Gal. Nam ea non repudiat,niſi quando cum medicamentis ſiccis ſunt permixta, quoniam tenui nimis victu maceratum corpus, & vigiliis, laboribus, ſtudiiſque exhauſtum, ampliùs reſoluunt, exſiccant, adaucta ariditate ſunt in cauſa, quominùs idola facilem faciant impreſſionem.

Curatio, optimo roborantéque victu, calido & humido perficitur, quo exhibito, recreatiſque viribus, vegetior alacriórque anima redditur, & facultates munia ſua obire queunt. Cibi ſint ſucculenti & euchymi, qui facilè nullóque negotio á calore ſuperentur: vinum ſit rubrum, maturum, dilutum: exercitia ſint moderata: prolixè dormiant, molliter cubent, æſtuaria vitent, tepentis aquæ balneis vtantur,iurulenta aſſumant,& quæ calidum & humidum ſanguinem gignendi vim habent: quorum ſyluam ex profeſſo citat Leuin Lemn.2.*de complexionib*.4. *in fin*. Demùm purgantia vitanda ſunt, & ea exhibenda cenſeo, quæ hecticis corporibus, exhauſtis & reſolutis proficua eſſe omnes norunt. Cætera pete ex Capiuac. *lib*.1.*prax*.13. Euſtach.*lib*.1.*de curan.morb.cap* 6. Vido Tidio *lib*.2.*de curand.membrat.cap*.11. & aliis qui hoc argumentum latè diſputarunt.

HIST. XLIV. GALENI,
De deperdita memoria.

Ex peſte ſæua, memoria amiſſa.

VIdimus enim quoſdam,qui & literas, & artem omninò fuerant obliti,immò nec propria nomina meminerant:cuiuſmodi aliquid Athenis in peſte accidiſſe memorat Thucydides: quoſdam enim ex iis qui euaſerant, & ſeipſos, & ſuos ignorauiſſe,&c. Galenus lib.de diff. ſympt.cap. 3. in fin. & lib.2. de cauſ.ſympt.cap.vlt.

PARAPHRASIS.

AB ægritudine ſæua non fieri euaſionem abſque contractione membri,rectiſſimè ab Auic.proditum eſt 1.4.*tract*.2. *cap*. 2. Per morbum autem ſæuum, interpretes legunt febrem acutam interficientem,vt in correctiſſimis Coſtæi, & Mongij codicibus animaduerti ſolet, quæ peſtis eſt, morbus ſanè pernicioſus, & plures quos corripit,interimens: de cuius vi dira, & efficacia,*lib*.2.*in com.Hiſt*.89.& *lib*.4. latiùs agemus: quam probat Gal.3. *epid. ſect*. 3.*com*.23. 24. & 25.vbi ſtatum peſtiferum deſcribens, ait,multis excidiſſe oſſa, neruos, & pedes, ob nimiam humoris putrefactionem ad eas partes delapſi; quare ægros claudos, & mancos extitiſſe refert: & 3.*de vſu part*. 5. in vehementi quadam peſtilentia, multis pedes abſciſſos fuiſſe, & claudos, incedere ſine baculo non potuiſſe, aſſeuerat. Et Auenzoar *lib*. 3.*theizir. tract*. 3. *cap*. 3. plurimis peſte correptis remanſiſſe colli diſlocationes affirmat. Quid plura? nonne vlcera à peſte derelicta ita praua, maleficáque ſunt,vt partes non tantùm humoris affluxu erodant,ſed mala, deleteriáque qualitate ipſas lancinent,& labefactent; quo fit, vt neque ſerpigo cohiberi, præterquàm membri abſciſſione poſſit? Quare genitalibus exſectis, oculis excauatis, pedibus, manibúſque truncatis, vitam plures Thucydidis tempore redimebant, vt eruditiſſimè explicat Fabius Paulinus *in com. fol*.252.& Thom.Iordan.*tract*.2.*de peſt.Phænom*.diſertiſſimè expoſuit. Mirum enim eſſet recenſere mirabilia, quæ frequenter in hac truculenta lue euenire comperimus, quæ omnia in compendium redegit Schenckius variæ lectionis vir *lib*.6.*obſeruat.medic.tit.de peſte*.

Si

Si ergo hæc ita ſe habent, quid mirum, ſi ex peſtiferis humoribus in cerebrum delapſis, ſuaque copia, ipſum inter partes præcipuas debiliſſimum ſuffocantibus, & venenoſa qualitate ſpiritus animales tenuiſſimos (quibus anima tanquam inſtrumento ad opera vtitur) extinguentibus, memoria deperdatur; omniumque rectricum facultatum, exteriorumque ſenſuum ruina contingere poſſit? Vnde imaginatricis potentiæ affectiones miras, deliramenta varia, cæcitatem, ſurditatem & alia damna, in malignis peſtiferiſque febribus non rarò oriri conſpicimus.

Nam præterquam quòd ex morbo quouis, diſſipato calore innato, exhauſtis viribus; & ſic potentiis debilitatis, & corpore frigidiore reddito, memoria lædi poteſt, vt probat Aëtius *tetrab.2.ſerm.2.cap.23.* & illuſtrat exemplis Beniuen.*cap.47.de abdit.* ex peſte vt à promptiſſima cauſa, extinctis ſpiritibus, hoc accidere eſt certiſſimum, quod Lucret. ex Thucydid. *lib.2.Hiſt.* confirmat, *in calce lib.6.*

Atque etiam quoſdam cepêre obliuia rerum
Cunctarum, neque ſe poſſent cognoſcere vt ipſi.

Quæ omnia optima victus ratione, roboratis viribus, & quandoque adhibitis præſidiis ceſſare ſolent, vt appoſito exemplo confirmat Chriſtoph. à Vega *lib.3.de art.medend. cap.10.*

HIST. XLV. HALYABBATIS, De Paralyſi.

Paralyſis ex colico dolore contracta

V*Idi nonnullos colicam patientes grauem, & difficilis nocumenti, quorum vtrumque euulſum eſt genu, quorumdam autem, & genu vnum, & ancha, &c. Halyabbas* lib.9. theoric.cap.9. *Paulus* lib.3.cap.18.& 43. tit.de reſolutione ob colicum dolorem contracta.

DVBIVM XXV.

Num paralyſis ex colico dolore fieri poſſit?

PARAPHRASIS.

FIeri paralyſim ex colico dolore teſtis eſt Paul. *loc. cit.* dum ſic ait. *Noſtra ætate colicus quidam dolor incruduit; ex quo præſertim ſuperſtites futuros, conſummata artuum motus priuatio comitabatur, tactus ſenſu, vt videbatur incolumi ſeruato; ceu critica quadam ex alto oborta tranſmutatione; vnde motus pleriſque ſpatio temporis ſponte rediit, &c.* Neque mirum eſt quòd humor exiſtens circa inteſtina ad ſuperas partes detruſus à natura, vel penetret originem neruorum, vel cerebrum occupet, & maximè ſpinalis medullæ partem inferiorem, à qua nerui crurum, & pedum oriuntur, vel ad artus expulſus, eorum reſolutionem committat, vt notat Puluerin. *lib.artis Med.cap.55.* Quis enim negare poterit, humorem noxium ab vna in aliam partem à natura poſſe tranſmitti, quum omnia omnibus conſentiant? Vtrumque enim variis auctorum teſtimoniis confirmatum inuenio. Narrat Gentil. *in com. lib.3. fen.16. tract.3. cap.6.dub.9.* ſe vidiſſe paralyſim ex duro, & effatu digno lienis tumore ſubortam, ad cuius exortum tumor ipſe euanuit, corpore toto, fœda, nigraque ſcabie conſpurcato, & huius melancholici humoris vacuatione, à paralyſi, & ſcabie liberatum ægrum. Scribit Holler. *lib.1. de morb.in Schol.cap.41.* Sacerdotem quendam ex aſſiduo colico dolore in paralyſim incidiſſe, ceſſanteque dolore remanſiſſe paralyſim annis aliquot. Affirmat Nicolus *ſerm.5. tract.8.cap.40.* ſe vidiſſe tranſitum à colica in paralyſim in Ioanne Lorino, qui colica correptus, & phlebotomatus per quendam, incurrit in paralyſim, & mortuus eſt. Quod ipſe etiam refert *ſerm.3.tract.3.cap.6.de paralyſi.* Viderunt etiam Trincauel. *lib.3. de rat.cur. part. hum.corp.affect.c.1.* Coiterus *in lib.obſeru.Chirur.& Anat.* Eraſt. *part.4. diſput. contra Paracelſ.* Iordan. *pag.51. de lue Moraniæ.* Andernac. *in com.Paul.lib.3.cap.18.* Qui ex magno, diuturnoque colico cruciatu; artuum reſolutionem ſe vidiſſe conteſtantur, quidquid lentam pituitam illuc migrare non poſſe, aſſerat Ludouicus Mercatus *lib. 1. de morb. intern. cap. 14.* Sed quàm falſum ſit hoc dogma, oſtendi ex Paulo poteſt *loco nuper citato*; ex colico dolore, criſi quadam, paralyſim oriri confirmante. Quo pacto autem colicus dolor in paralyſim, & è contra hic affectus in illum tranſmutetur, explicat ingenuè Andreas Laurent. *lib.4. anatomic. quæſt. cap. 20. quæſt. 8.* & notat Coſtæus *in Auic. 2. 1. tract.1.cap.2.*

Curabitur is affectus tam vniuerſali; quàm particulari vacuatione, facta iis quæ craſſos, lentoſque humores educere ſint nata, & tum diſcutere, roborareque partem affectam queant; in quem vſum ampla ab omnibus paſſim deſcribitur ſylua fomentorum, Vnguent. balneorum, lauacrorum, ſudationum, & aliorum nobilium medicamentorum: quorum materiam peculiarem ſi legere concupiſcis, eam exaratam diligentiſſimè inuenies apud Hoſmannum *lib.3.conſil.Cratonis, & aliorum per Laurent.Scholtzium publicatorum pag.116.à conſil.71.vſque 71.* Monauium *lib. 2. epiſtol. pag.315. ad Ioannem Vveidnerum ex ſententia Cratonis.* Valleriol. *lib.1.obſeru.3.* Theod.Collad. *lib.de pract.errorib.cap.79.error.3.*

HISTOR. XLVI. TRALLIANI, De Paralyſi.

Paralyſis, frigidis medicamentis perſanata.

N*Oui ſanè ego quendam, reſolutionem ex mœrore, multâ ſollicitudine, & inedia expertum: deinde ſumpta hiera adeò læſum, vt totus ipſe immobilis fieret, & propemodum interiret: niſi in contrarium mutatus fuiſſet; & humectantibus omnibus, tum potionibus, tum cibis, & aliis quæ temperatum ipſum reddidiſſent, vſus fuiſſet: maximè verò balneis compluribus, vnctione ex hydrelæo, mutatione aëris temperati, & omni hilaritate. Etenim triſtis erat, ad iram procliuis, à medicamento nimirum excitatus, & qui flauam bilem collegiſſet. Hac ſanè ratione, ſi qualitas fuerit, præſertim intemperies calida, vitari debent cibi acriores: adhuc autem magis, quæ medicantem vim, purgantemque obtinent. Nam præter id quod nihil inueniant, quod ex corpore euacuent, magis adhuc aliam intemperiem regenerant, &c. Trallianus,* lib.1.cap.16. rubric.6.

DVBIVM XXVI.

Num intemperies calida ſicca poſſit eſſe immediata cauſa paralyſis. Contra Mercurialem.

PARAPHRASIS.

RArum paralyſis exemplum Trallianus deſcribit, qui affectus licèt frequenter à frigida & hnmida, vel cum frigidorum humorum, ac craſſorum copia, dimanet cerebri intemperie, alteram cerebri partem, aut particularem neruum occupante, vt concors eſt omnium Medicorum ſententia; à calida tamen & ſicca humores nimium exaſſante, & torrefaciente oriri quandoque, cum Trall. grauiſſimi auctores confirmant; ſic enim obturata via à craſſo præ calore humore, impeditur tranſitus ſpiritus animalis ad neruos, vnde paralyſis.

Sed clarioris doctrinæ gratia, dubitandum num intemperies calida ſicca per ſe poſſit eſſe immediata cauſa paralyſis. Dico per ſe, quoniam nihil vetat, quominùs pars præ calore, & ſiccitate imbecillis, & defraudata natiuo calore, probè non concoquat, & generetur mucoſus humor, qui paralyſis eſt immediata cauſa. Deinde, quid obſtat, quominùs calor pituitoſum humorem attenuando, & diſſoluendo eum multiplicet, ita vt neruos obſtruat, & paralyſim committat, aut nimiùm aſſando, ipſos indu-

tet

ret,& incraſſet,vt obſtruere poſſint?prout ex Tral.oſten- A dit. Hol. *libr.*1.*de morb.intern.cap.*10. *in ſchol.*

Negantem partem ſequitur Auic.2. 3. *cap.*2. dum ſic ait. *Et videtur quidem, quod calidum non prohibet impreſſio- nem ſenſus in eis,dum non conſequitur ſinem ; quemadmodum vides in habentibus extenuationem, & hecticus ; in ipſis enim cum caliditate eorum non deſtruitur motus ipſorum,& ſenſus ipſorum, & ſiccum propinquum eſt etiam iudicio ipſius , &c.* Cuius opinionis fuit etiam Raſius *lib.*1. *contin. tract.* 2. *cap.*1. Ex quibus colliges paralyſim,quæ eſt priuatio ſen- ſus & motus , ab intemperie hac fieri non poſſe : & ma- ximè quum laxitas (ſymptoma paralyſis) ab ea excitari non poſſit,ſed contractio laxitati contraria,à calida ſiccá- que intemperie pronata.

Vidit iſtam controuerſiam doctiſſimus Marcellus Do- nat. *lib.*2. *de Med.hiſt. mirabil.cap.*5. qui oppoſitam ſen- B tentiam , pro huius hiſtoriæ confirmatione indicat pro- babiliorem. Licèt enim Tral. ab hac intemperie, humo- res valdè torrefaciente & aſſante, fieri paralyſim confir- met,vnde inferri poteſt, quòd humores , & non intem- peries,ſint cauſa paralyſis ; tamen à ſimplici intemperie fieri poſſe in fine hiſtoriæ aſſeuerat mamifeſtè, dicens vi- tanda eſſe medicamenta, quæ medicantem vim , purgan- témque obtinent ; nam præterquam quòd nihil inue- niant in corpore vacuandum , ipſam intemperiem adau- gent. Ex quo ſubit mirari doctiſſimum Mercurialem, qui *lib.*1. *Prax.cap.*20. Trall. intelligit, quaſi ſolùm exaſ- ſati humores paralyſim committant,quod ex ſuprà dictis conſtat eſſe apertè falſum. Et eius opinionem præter Trall. dicta , redarguit Auenzo. *lib.*1. *tract.*10. *Theizir. cap.*3.§. *Sed nos dicimus , quod poſſibile eſt priuationem ſen- C ſus & motus fieri in corpore temperato,& etiam in illo cui ca- liditas modum excedit , &c.* Nam ſi paralyſis fit denſato neruo ; & ſic impedita virtutis communicatione , cur à ſiccitate condenſante fieri non poterit ? & Gal.6. *de ſan. tu.*11. ab exſiccantibus medicamentis in gracili corpore adhibitis , factam fuiſſe leuem ſenſus & motus priuatio- nem ſcribit.

Standum ergo eſt Trall.dictis, & argumenta contraria ſoluenda. Nam in hecticis , & aliis non reperitur ſicci- tas ita intenſa , vt fiat paralyſis , quemadmodum nec fit conuulſio. Auic. verò à frigida & humida intemperie paralyſim oriri pronuncians, ſecundùm plurimum intel- ligendus eſt, ita vt ab hac frequentiùs , à calida & ſicca rariùs , aliquando tamen fieri poſſe concedat. Neque la- xitas , hoc eſt membri elongatio , eſt ſymptoma neceſſa- D rium in paralyſi , ſed neceſſe eſt cauitatem obſtrui , in qua ſecundùm naturam detinentur ſpiritus. A calida ergo, & ſicca intemperie (licèt rarò , vt notat Rondelet. *cap.* 23. *de curand. morb.*) oriri poſſe paralyſim non imus inficias.

Quæ quum acciderit , calida tum medicamenta , tum alimenta ſunt vitanda; nam calorem adaugent, & ſiccita- tem acuunt. Præcipiendáque ſunt balnea ex oleo & aqua parata,ex Gal.2.*de antidot.*7. in habitu ſquallenti,& ſicco ſummoperè vtilia , ex Gal.3. *de ſanit. tuend. cap.*4. & ele- ganter 2.*ſimpl.*25. *Quoniam dulcium aquarum lauacra, hu- miditate ſua inſtrumentorum corrigunt ſiccitatem , & calidi- tate modica,tenuem acrémque ex partium debilitate ſubortum humorem digerunt : At ſi corporibus inhærere poſſet aqua, nec facilè deflueret , ipſa quidem per ſe ſufficeret ; atqui quum ea E quæ foris circumfunditur,facilè deſluat,atque in poros ingreſſa corporis,nullomodo adhæreat,idcircò miſcetur oleum,maximé- que iuuat , ſi quis ex vtroque diutiùs fricetur.* Demum in- ſtituenda curatio eſt humidis , quorum amplam ſyluam plerique proponunt, curationem conuulſionis ex inani- tione deſcribentes. Lege Rod. à Fonſ. *libr.*1. *conſ.*17. *de paral.*

HIST. XLVII. AVENZOAR. De Paralyſi.

Paralyſis ex vehementi frigore contracta, calida vnctione perſanata.

*ET mihi iam accidit,id quod dicam tibi,ſcilicet quòd eundo præcepto Regis cum frigore vehementi,& forti pluuia,& vento,qui quidè ventus mihi adueniebat à parte ſiniſtra, pede meo ex illa parte exiſtente diſcooperto,durante illa tempeſtate ſic per totum diem, cecidit mihi calceus de pede , & non potui ipſum intus reducere, ex eo quòd non poteram mouere coxam; quare alius mihi poſuit ipſum in pede;& iterum cecidit,& rei- teratus fuit mihi;& tertiò iterum cecidit, & mihi ab alio im- poſitus fuit:eò quòd minimè coxam,& crus mouere poteram,& tunc cognoui quòd à pede,crure, & coxa priuatus erat ſenſus, & cùm veni ad patrem meum,non potui ire,ſed ductus fui ab aliis. Quare vnctus fui coxa, & ſpondylibus inferioribus cum oleo illo,quod apportaueram cauſa illius infirmi propter quem veneram,qui quidem erat paralyticus,& in quo priuatio erat ſenſus,& motus,& in illo oleo erat Balſamum,& feci mihi ae- rem rectificari cum forti igne,& magno,& adueniente die fui liberatus,&c. Auenzoar.*lib.1. Theizir tract.10.cap.7.

PARAPHRASIS.

NVllus eſt morbus, de cuius eſſentia, cauſis, & ſignis auctores celebriores faciant commemorationem, quàm paralyſis. Apud quos conſtat præ frigore vehe- menti auferri ſenſum, & motum,(paralyſim vocat Gal.3. *de loc. affect.*10.& 1. *de cauſ.ſimp.*5. *in fin.*) quum ſcilicet ab intemperamento frigido partes noſtri corporis , dum neruus aliquis caliginoſo aliquo ſpiritu imbuitur, benefi- cio animalis potentiæ deſtituuntur , priuatione cuius , à cerebro tanquam à primo principio mediis neruis, ac per ſpinalem medullam, tanquam per ſemitas , ad ſenſus , & motus inſtrumenta delegatæ, particulares nerui,ab ſpina- li medulla orti reſoluuntur , & veluti mortificantur. In hoc autem ægro crus,coxam, & pedem fuiſſe reſoluta ex hiſtoria facilè conſtat. Signum profectò certum in ver- tebris (veteres ſpondylos appellant) lumborum , & iuxta inguina factam fuiſſe affectionem. Cùm enim medullæ extra caluariam prodeuntis mira ſit in neruis propagandis fœcunditas, & triginta eorum paria obſeruent peritiores Anatomici, ſeptem ceruicis , duodecim dorſi , quinque lumborum,ſex oſſis ſacri,vt inter omnes Columb.*lib.*1.*de re anatomic.à cap.*15.*vſque ad* 18.explicat ingenuè,ſit vt à vertebris lumborum,& oſſis ſacri, per totum pedem, co- xam & crus,nerui quatuor inſignes diſſeminentur,qui ex tribus infernis paribus lumborum, & quatuor ſuperiori- bus oſſis ſacri naſcuntur, qui ſi refrigerati fuerint valdè, reſoluuntur. Nam ſi pars ob frigoris exceſſum mortifi- catur, extincto calido innato à frigiditate ſumma, & om- ninò pereunte vt à contrario,2.*de loc.*2.cur nó reſoluetur? aut quia in ipſis neruis viget mali cauſa, aut quia frigido humore inundantes refrigerantur impensè,& ſpiritu in- fluente deſtituuntur ; quum laxiores ſint, & molliores, ad motum, illuſtrationémque recipiendam valdè inepti.

Refert Gal.*lib.de cauſ.morb* 9.moderatam frigiditatem, ſtuporem inducere, immodicam verò,motum, & ſenſum auferre,per hæc verba. *Nam ſtupor ob refrigerationem fit, vt planè videre eſt in his , qui in hyeme per frigora proficiſ- cuntur,atque in refrigerantibus quoque medicamentis; Nam ſi extrinſecus immodicè adhibeantur , particula ipſa ſtupida euadit,quæ deinde ſenſum omninò amittit:Si verò vehementiſ- ſimè refrigeretur,idque non ſolùm à medicamento,ſed etiam à circumfuſo nobis aëre:equidem noui quoſdam adeò refrigeratis pedibus , vt primum quidem ſenſus perirent , ſequentibus verò diebus emortui pedes putreſcerent,&c.*Quod celebri quadam Hiſtoria lata 3.*de vſu part.*5.inferiùs explicanda confirmat: Gal.& 2.*de ſanit.tuend.*5.*&* 7.ab ingenti frigore homines pigros reddi ad motum, & ignauos aſſeuerat.

Cognita

Cognita ergo huius mali cauſa, à frigido intemperamẽto ortum ducentis, vnctionem calidam ſibi parauit auctor, quæ tanto morbo reſiſtere poſſet, motus forſã Gal. edicto, 2. de ſanit. tuend. 13. in med. aſſerentis, ad vitia ex frigore vehemente ſuborta, vnctionem ſaluberrimum eſſe præſidiũ, præſertim ſi fuerit ex calidis medicamentis, Euphorbio videlicet, & Adarce parata. Sicque vnctus oleo illo quod apportauerat cauſa illius ægri reſoluti, ad quem curãdum fuerat vocatus, ſanus euaſit. Oleum autem illud, vt cuilibet coniecturanti facilè apparebit, nullum aliud poterat eſſe, niſi vulpinum, laurinũ de caſtoreo, aut his ſimile aliud: aut in quo aliqua maduerint priùs medicamenta, vt ſaluia, ruta, betonica, ſtœchas, roſmarinus, permixto etiam Balſamo, quod medicamentum ad neruorum frigidos affectus eſt accommodum valdè; de cuius vi mira latiùs diſputabimus, quum rerum hiſtoriam 128. *lib. 2.* fuerimus interpretati. Interim de eius efficacia, præter Græcos, & Arabes lege Iuſtinum Hiſtoric. *lib. 36.* Pet. Leopert. 2. *Hiſt. Peruan. c. 35.* Strab *lib. 16. Geograph.* Sebaſtian. Munſter. *in deſcript. Iericho. & l. 6. c. prop. & lib. 1. cap. 31.* Pauſaniam *in Bœoticis.* Fallop. *lib. 1. in Dioſcor. c. 19.* Ruel. *lib. 1. de nat. ſtirp. cap. 35.* Proſper. Alpin. *in ſuis dialog. de Balſam.* Scaliger. *exercit. 1 n Cardan.* 157. Mathio. *lib. 1. in Dioſcor. cap.* 18. Laurentium Ananiam *tract. 3. fabric. mund.*

Neque mireris hunc auctorem in morbo magno, topico auxilio, citra totius vacuationem, fuiſſe vſum; nam quãdo affectus à cauſa externa ortum ducit, & ſolùm pauciſſimus in parte affecta impactus eſt humor, tunc à locali præſidio incipienda curatio eſt, & medicamentis calidis roborantibus, frigidámque intemperiem corrigentibus pugnare oportet, quæ calorem natiuum debilitatum fo- ueant & reſtaurent, & quod poſitiuo frigore concretũ eſt colliquent: quod verò priuatiuo rigidum, & immobile factũ, corrigant, attracto ſpiritu, calore, & humore; hoc enim humiditatẽ reficimus, quã poſitiuũ frigus expreſſit.

Neque item mireris Auenzoarem paralyticum, tam citò ſanitatem recuperaſſe: licèt enim paralyſis productus ſit morbus, vt ex Celſi mẽte *lib. 3. c. 27.* cæteri confirmant, hoc de illa reſolutione intelligendum eſt, quæ fit cerebro, aut ſpinali medulla affectis; & de antiqua, in qua pars læſa habitum cõtraxit, & debilitatem ſummam, non de recenti, quæ ob frigidum, vi cauſæ externæ, intemperamentum ſimplex, cum pauciſſimæ materiæ affluxu eſt ſuborta.

HISTORIA. XLIII. GALENI, De Paralyſi.

Ex vehiculo decidens quidam dorſi initium afflixit, vnde duobus digitis, & medietate medij, ſenſum illæſo motu amiſit, qui medicamentis digitis fruſtrà impoſitis, tandem iiſdem dorſo alliſo applicitis conualuit.

Ane Pauſanias Syus Sophiſta, quum Romam aliquandò veniſſet, ſecundùm duos minores ſiniſtræ manus digitos, atque medij partem dimidiam, ſenſum in primis quidem difficilè habebat: poſtea malè curantibus Medicis ſenſum omnino amiſit. Quibus equidem cognitis, omnia quæ præceſſerunt, inueſtigaui, atque ipſum quum per viam duceretur, vehiculo excidiſſe, atque in dorſi initio læſum, mox partẽ læſam breui quidẽ curatã, ſed auctũ in digitis ſenſus vitium audiui. Igitur remedia quæ illi digitis adaptauerant, læſæ parti adhibere iuſſi: atque ſic vir ille celeriter ſanitati reſtitutus eſt, &c. Gal. lib. 3. de loc. affect. cap. 10. & 4. de loc. affect. cap. 4. & 51

PARAPHRASIS.

Plures de hoc argumento *in hoc capite* Gal. Hiſtorias enarrat, & eius nimirũ, qui reliquis omnibus partibus

A reſolutis, nullam faciei partium actionem amiſit, cui, ſeruata etiam reſpiratione, vrinæ & alui excrementa inuitè fluebant: & illiſi, cui propter caſum, partes omnes inferiores, demptis naribus, erant reſolutæ: & alterius (huius meminit Gal. 4. *de loc. 4.*) qui ſub multa pluuia, & vento impetuoſo ambulans, madefacto pallio, circa ceruicem, vehementi frigore eſt affectus, cui Empirici medicamenta, quæ ceruici admouêri debebant, capiti magno errore applicarunt: In illis enim primariò affectam fuiſſe illã ſpinalis medullæ partẽ, quæ paulò inferior eſt proceſſu neruorum ad ſeptum tranſuerſum tendentium, Gal. ſtabiliuit: In hoc ex primis ſpinæ vertebris quatuor, neruos ad caput aſcendentes, à quibus pellis ipſum ambiens ſenſum accipit, eſſe affectos determinauit, qua ſanata, capitis quoque pellis ſanata eſt, quæ nulla primaria affectione laborabat. Medici verò neque huiuſmodi neruos, neque eos

B qui per ſingulas cutis partes diſperſi ſunt, cognoſcentes, cũ in promptu eis eſſet minimæ particulæ iuxta nerui initiũ adhibere remedia, partes illæſas multo negotio moleſtant. Inſuper meminit alterius ægri Gal. 4. *de loc. 5.* qui ex vehemẽti pulmonia, brachiorũ & manuũ torporẽ paſſus, celeriter ſanatus eſt, adhibito medicamẽto ei loco, vnde nerui prodeunt, iuxta primũ ac ſecundũ intercoſtale ſpatiũ.

Quæ omnes Hiſtoriæ ſub hoc exemplo Syri Sophiſtæ propoſito, & comprehẽdi, & explicari poſſunt. Ex quibus conſtat manifeſtè, quantoperè ad morborum medelam iuuet intellecta conſenſus ſpecies: Cùm enim ex caſu facta fuiſſet in dorſi initio inflammatio, concurrentibus ob dolorem, & partis debilitatem ſanguine & ſpiritu, ſicque facta obſtructione, & impedimento ſequuto tranſitus ſpirituum ad ſentientes partes, facta eſt in hoc ægro, de quo

C in præſentia ſermo, in ſenſu læſio, illæſo motu; quoniam diuerſi nerui, ſenſifici, aut motorij ſunt affecti; & ſic muſculorum neruis læſis perire motum; & læſis iis, qui ad cutem perueniunt, tangendi ſenſũ corrũpi eſt neceſſe, ſicut nonnunquam ſimul & motũ, & ſenſum aboleri contingit. Quæ omnia docuit Magiſter *lib. 1. de loc. c. 6. & 12. & l. 1. de cauſ. ſympt. c. 5.* & poſt eum ex facundiſſima eius doctrina elegantiſſimè explanarunt Valleſ. *lib. 5. cõtr. c. 10.* Mar. cel. Donat. *lib. 2. de Medi. hiſt. mirabil. c. 5.* Mercat. Iacchin. Maſſar. Piſo. & Altimar. *prop. c. de reſolutione*: De quo argumento pulchra congeſſit Andreas Laurent. *lib. 4. de Hiſtor. anatomic. quæſt. 11.* Vnum ſolùm conſtet, exquiſitã reſolutionem appellari, quum partes, tum ſenſus, tũ motũs vim amiſerint; non veram autem, nec exquiſitam dici, quum aut ſolus motus, aut ſenſus deperditur, ſi fides ad-

D hibenda Paul. *lib. 3. cap. 18.* Alexandro *lib. 1. cap. 16.* Aëtio, & aliis. Vtcunque ſit, vtilitas mirabilis eſt ſequuta, quòd digiti manus adhibitis ſpinæ medicamentis, eſſent tractati; illi inquam ſpinæ parti, quæ affectæ particulæ maximè conſentiebat, & à qua originem ducebat, erat autem hæc in primo exortu nerui poſt ſeptimam vertebram prodeuntis collocata.

Sed cur dixerit partem læſam breui quidem curatam, ſed auctum fuiſſe in digitis ſenſus vitium, ſi ab ſpinæ læſione digitorum affectus oriebatur? cur nempè parte læſa curata, ille adhuc remanſit, & poſteà curatus eſt? Dic duplicem fuiſſe ſpinæ læſionem, in ſitu vnam, quòd eſſet vertebra aliqua loco dimota; in neruis alteram, quòd eſ-

E ſent contuſi, & inflammati. Quare vertebrarum læſio citò curata eſt, quum facile ſit dimotas, & luxatas vertebras ſtatim initio in ſuum locum reponere: neruorum autem læſionem, digitorum affectus præcipuã cauſam, remanſiſſe, & ſcirrhi naturam recepiſſe, quæ deinceps auxiliis adhibitis curata eſt. Quæ autem fuerint hæc, explicat *6. meth. 3.* dum neruos contuſos ſine cutis vlcere, oleo calente, cui facultas inſit euacuandi, eſſe ſæpè madefaciendos inculcat: nam quum neruus frigidus ſit, calidis gaudet, & fouẽdus eſt, & maximè ſi ſit refrigeratus: nam tunc cataplaſmata parat ex oxymelite, farina fabar. erui, pice liquida, & iride Illyrica conflata. Eſt igitur valdè obſeruanda Hiſtoria hæc, cuius curationem à Galeno propoſitam, vt ingenuam, & tanto viro maximè dignam, inter omnes poſteà laudarunt Aëtius *tetrab. 2. ſerm. 2. c. 32.* Halyab. *5. pract. 26.* Amat. *2. cen. 19.* Foreſt. *10. obſeru. 90. & 91.*

HIST. XLIX. GALENI, De Mortificatione.

Mortificatio à frigore orta.

*Vidi autem & alios quoſdam , quorum digiti * mortificati à niue exciderant , &c. Galenus* lib. 3. de vſu part. cap. 5.

PARAPHRASIS.

AB ingenti frigore auferri ſenſum & motum *ſuprà* latè oſtendimus. Cuiuſlibet partis , immò totius corporis ab eadem cauſa ſequi mortificationem , & interitum Gal. pluribus locis confitetur , tum *lib. de cauſ. morb.9.de inæqual.intemp.7.de cauſ. procat.* 1. & 2. & *lib. de diff. morb. cap.5.§.In extremis quandoque partibus vſque adeò potens diſpoſitio contingit, vt ipſæ emortuæ decidant, nec minùs vniuerſum aliquando patitur corpus , ſicuti iter agentibus in valido frigore accidit : Nam plerique ex his in ipſa via commoriuntur : plerique verò antequàm domum perueniant ,ad hoſpitium algidi , ac ſemianimes deferuntur , &c.* Frigus enim ſi ſit excellens, innatum ignem contrarietate quadam extinguit , & corrumpit , quoniam aër frigidus inſpiratione , tranſpirationéque attractus,in viſcera penitiſſimè irruens , ac ſeſe inſinuans , ea mortificat. Licèt interna membra , præſertímque cor validiſſima vigeant facltate,eáque ita intenſa, vt, aſſerente Gal. *lib. de inæqual. intemp. 5. ſi in ſiniſtrum cordis ſinum , viuente animali , digitum immittas ,vehementiſſimum ſenties calorem.* Si ergo hæ valentiſſimæ partes extremo frigori ſuccumbunt, ac pereunt, quid mirum ſi digiti pedum,partes frigidæ,calore deſtitutæ,& exangues,putreſcant ab eo, minuto natiuo calore , & ad patibiles qualitates regendas inepto, & expreſſo humido,in cuius duratione calor noſter perſeuerantiam obtinet, victóque innato calido,pereant,& emoriantur.Spiritu influenti,& inſito denſato, ac immobili facto , in cuius actione mutua vitæ perfectio conſiſtit. Quid plura?nonne noxam faciliùs perſentiſcent partes remotæ à fonte caloris?& humor in illis ſemel infixus,ob facultatem earum debilem,& nerueam naturam haud ita citò poterit ſuperari?qua de cauſa dicebat Ariſt. *2.probl.26.*pedes minimè ſudare,ob impotentiã abſumendi humores,& Hipp.cũ Gal.*2.prog.3.*citiùs inter reliquas partes intumeſcere affirmãt.Inſtabis,cur,ſi hæc vera ſunt, priùs reſoluta crura,quàm brachia conſaneſcunt,vt experientia demonſtrat,qua præſente litigãtium rationes ceſſant,firmántque eam Holler.*lib.1.de morb.intern.cap.*10.& Rondel.*lib.de curand.morb.c.*28.qui ex eo putant euenire, quia pedum nerui ſicciorem,& robuſtiorem obtinent naturam , & ſic ob robur citiùs in his partibus malum ceſſare cõtingit.Sed quum ob multorum oſſium, neruorum, & aliarum partium ſiccarum , durarúmque complexum, humor impactus in eis difficulter elidi poſſit, horũ rationi acquieſcere nõ poſſum.Dic.Manuum neruos ob maiorem calorem,ex cordis,& aliorũ viſcerum vicinia contractum,ampliores eſſe,& patentioribus meatibus præditos; propinquiores ad recipiendum , quo fit vt maiorem humoris quantitatem imbibentes difficiliùs hac de cauſa ſanentur, quàm pedes, qui ob contrarias cauſas faciliùs ſanitati reſtituuntur.

DVBIVM XXVII.

Num certis ſignis pars præ frigore emortua,à paralyſi diſtinguatur. Contra Dionyſium Dacam, & Crucium Chirurgos Hiſpanos doctiſſimos.

MOrtificati.] Quo pacto membrum præ frigore emortuum à paralytico diſtinguatur , explicatu difficile eſt. In vtroque enim vitio membrum ſtupidum eſt,non habens ſenſum,neque motum. Oriri mortificationem à nimia caliditate,vt in inflammatoriis affectioni-
A bus paſſim contingit, firmant cum Gal.*2. ad Glauc.* 9. & alibi , Guido *tract. 2. doct. 1. de apoſtemat. cap. 2.* Vigo *lib. 2. tract. 1. de apoſtemat. cap.* 16. quando videlicet à nimia humoris copia in affectam partem decumbente, naturalis calor ingenti humoris mole ſuffocatur , & extinguitur,veluti ignis à plurima lignorum cõgerie obrutus perit,& emoritur.Hæc,ſi confirmata ſit,in qua mẽbrum non eſt viuum,neque vllo modo ſentit,ac mouetur, neque eſt præparatum,vt ſenſum,& motum recipere poſſit,quoniam in eo vis non remanſit vitalis,ſed illicò debet putrefieri, & corrumpi (ſphacelum dicunt)vt Paul. notauit *lib.4.cap.*19. à paralyſi diſtinguitur.Nam membrum hac correptum,licèt non habeat ſenſum, neque motum, viuum tamen eſt, vt perbellè docuit Auic 1.1.*doct.6.c.*4. §.*Ideoque licèt virtutes animales alicuius membri deſtruãtur, viuum tamen membrum adhuc exiſtit,&c.*Si verò mortificatio integra non eſt (Græcis Gangræna vocatur) ſenſum obtinet, & in hoc à paralyſi diſtinguitur,in ea autem re-
B periri ſenſum patet ex Auic.3.4.*tract.* 1. *cap.* 15. qui tradens differentiam inter ſphacelum,& Gangrænam , huic tribuit ſenſum, illi denegat , quod priùs notauit Aëtius *tetrab.3.ſerm. 2.cap.56.*

Inſuper vtraque mortificatio à paralyſi , ex colore diſtinguitur , nam quæ mortificatur pars neceſſariò liuida, aut nigra manet,ex Gal.2.*ad Glauc.cit.*§.*Quod ita affectum eſt,denigratur,&c.*Et Guidon.*loco.cit.*§. *Nigrũ ergo efficitur membrum,molle,& putridum cum fætore cadauerali,&c.*Gal, *lib.7.aph.com.* 50.§. *Tale enim quid carnoſis artibus accidit, quas Gangrænam pati dicimus,quum ob magnitudinem inflammationis. inſenſibilitatem, nigritiem , ac denique morticinum quẽdam colorem intulit,&c.*à quo deſumpſit Auic.*loc.cit.*§. *Cùm vides membri colorem alterari,&c.*

Quibus non obſtat celeberrima illa Vigonis Hiſtoria
C lata *loc.cit.*qua confirmari poteſt in mortificatione à cauſa calida nullo modo colorem alterari. Refert enim *ſe vidiſſe mulierem, Saluaginam de Grimaldis nominatam,cui poſt ægritudinem chronicam in extremitatibus tibiarum accidit mortificatio , nulla præcedente liuiditate , aut nigredine loci,* Nam iſthæc rara ſunt , & tanquam raró contingentia ab vſu medico explodenda ; nam & Hipp. id quod crebrò oculis vſurpauit,(nihili faciens id quod rarò euenit) pronunciat,vt 2.*de dieb.decret.cap.vlt.*fatetur Gal.ſolùm ergo frequentia,vt perpetua amplectenda,ex Gal.*lib.4.aph.*44. & *lib.6.com.*58.

Quo tamen ſigno pars præ frigore emortua , à paralytica diſtinguatur , & num in illa color immutetur, diſſentiunt auctores. Dionyſius Daca Hiſpanus Chirurgus famigeratiſſimus, *lib.2. de apoſtemat. cap.*34. de eſtiomeno, quem ſequitur Antonius à Cruce Olyſipponenſis,*tract.2.*
D *Chirurg.cap.*4.ei ſe addixit opinioni , vt credat in mortificatione à frigore orta,non eſſe eſſentiale vt color immutetur.Placitum ſuum ex Nicol.confirmat,qui *ſerm.7.tract.3.ſum.2.cap.*20.arbitratur in eſtiomeno nullo modo colorem alterari.Sed non placet opinio;nam ſi pars eſt emortua,extingui illicò colorẽ ad abſentiam ſpiritus, & calidi innati eſt neceſſe,quoniã pars nigreſcit,quia emoritur,ex Gal.*lib.2.prog.*29.vnde Albucaſis *proprio cap.de eſtiomeno,* in parte mortificata illicò extingui colorem contendit;& *lib.de diff.ſympt.c. 6.* in gangrænis colores immutari confirmat : per quas non ſolùm eas quæ à magnitudine inflammationis oriuntur,ſed à frigore nimio , innatũ calorem extinguente,enatas intelligere cuilibet eſt manifeſtũ.

Deinde ex calore inter ſe diſtinguuntur;nam facultatis
E vitalis in parte paralytica inſidentis,mitis,ſenſatúſque calor,ſignum eſt certiſſimum ; quæ verò in emortuo membro ad tactum ſentitur, vel nulla eſt,vel acris & mordax. Neque obſtat,quòd experiamur membra frigida viuentia quæ non ſunt mortificata ; nam iſta frigiditas ſtatim ceſſat,in parte verò emortua diuturna eſt,& eſſentialis.

Mortificationem autem à frigore natam ſic curabis. Primò namque videbis, num pars ad priſtinum ſtatum medicamentis reduci poſſit : quod opus tentabis , calidis vnguentis,lauacris, emplaſtris, & aliis quæ tum frigidam partis intemperiem corrigere,tum innatum calorem roborare queant.Si tamen omninò membrum eſt mortuũ,

vt

ſit punctum, vel ſectum, vel aduſtum non ſentiat, ſtatim recidere oportet. Num autem inciſio per partem corrrup-tam, an per ſanam debeat celebrari, *in noſtro de Chirurgorum Principum Hiſtoria libro*, quem poſt medicinales Principum Hiſtorias in lucem edere properamus, Deo duce latiùs explicabimus, quo loco controuertemus, quàm malo fundamento nitantur, qui cum Celſo *lib. 7. cap. vlt.* inciſionem eſſe exſequendã ex ſana parte pugnaciter contendunt, quum Gal. *loc. cit. ad Glauc.* aliique Chirurgiæ proceres manifeſtè confirment, per eam partem hoc opus eſſe exercendum, quà vicinam attingit, vt Hipp. *text. 36. lib. 4. de articul.* expreſsè confirmat.

At inſtabis, & meritò ſanè, cur, ſi pars emortua grauiter non afficit, illicò eam Galen. cæterique præcidendam conſulunt? Illud affirmat Galenus *lib. 4. de articul. com. 37.* §. *Vbi enim pars aliqua ex toto emortua ſit, non ampliùs grauiter afficit, quæ vicina ſunt. Hanc ſi præcidas, cauens ne dum manus curatio adhibetur, animæ defectio ſequatur; malum aliud non afferes vllum, &c.* Non deſunt qui hoc modo explicent contextum: coniungunt enim antecedentem Hipp. dictionem cum propoſita; nam *in textu præcedenti 36.* ſic ait Hipp. *Nam vbi qui ſecatur, dolet, quum nondum quà ſecatur, emortuum corpus fuerit, maximum periculum eſt, ne ſub dolore anima deficiat: Eiuſmodi autem animæ defectio plurimos repentè iam ſuſtulit, &c.* Et in hoc *text. 37.* addit, *accipiendas eſſe eiuſmodi ſanationes, quum magis terreant, dum accipiuntur, quàm dum adhibentur, &c.* tunc prorumpit Gal. in dubium explicandum, vt nos ſecuros, audaceſque reddat, dicens, vbi pars aliqua ex toto emortua ſit, ſi præcidatur, non ampliùs grauiter afficit. Minimè quadrat ſolutio. Neque enim Gal. adiecit verbum (ſi præcidatur) textus enim non ſunt inuertendi citra neceſſitatem. Dic tu, & fortaſſe meliùs, partem emortuam, ſemper vicinam grauiter afficere, quoniam putredine, & fœda illuuie ipſam inquinat, & ſerpendo illicò extinguit, eiuſque calorem depopulatur; ſed non ita grauiter, neque eo modo quo afficiebat, quum erat inflammata, aut gangræna affecta: tunc enim affligebat dolore nimio, calore, anxietudine, & aliis quæ ex profeſſo *com. 17.* præcedenti citat Gal. ipſe. Cùm verò emortua eſt eò quòd eſt inſenſibilis, non ampliùs grauiter afficit. Lege Hidalgum de Haguero *lib. 1. contra Fragoſum, cap. 7.*

HISTORIA L. RASII.
De oris tortura.

Conuulſio canina, cataputia ſanatur.

Dico quòd quidam paſſus fuit torturam, & vſus eſt dictâ medicina, pars torturæ ceſſauit, ſed illud parum quod remanſit, fuit ſibi inueteratum, &c. Medicina autem fuit quantitas vnius grani piperis de ſuperiori cortice cataputiæ maioris, intromiſſa in naſale patientis trita, quolibet die ſemel per tres dies liberat, &c. Raſis lib. 1. continent. tract. 11. cap. 2.

PARAPHRASIS.

Fieri in noſtris corporibus eam affectionem, quam Græci conuulſionem caninam, Medicorum vulgus, oris torturam appellat; oririque ab eiſdem cauſis, & iiſdem curari auxiliis, quibus reſolutio, ambigit nullus, qui Galeni ſenſa intimiùs fuerit perſcrutatus. Quod vitium ſedulam opem expoſtulat, ſi enim negligatur; fortaſſe deſperanda eſt curatio eius. Quibus autem præſidiis aggredienda curatio ſit, & cui parti, ſanæ, an læſæ ſint applicanda remedia, plures plurimùm diſceptarunt. Vnum apud omnes vnanimi conſenſu comprobatur, calorifica pro eius medela ſemper fuiſſe ex vſu, quæ craſſos ſuccos attenuare, roborare cerebrum, & meatus aperire queant, per quos animalis facultas ad mandibulares muſculos perueniat.

Inter plurima tamen ab auctoribus ſummoperè commendata, numerantur, quæ à capite per nares, fluxiones

A mouere nata ſunt, & per emunctoria, cerebrum ab humoris copia expurgare valent; hæc autem ſunt oculi, nares, aures, & palatum. Per quas partes æquè tutò exinanire cerebrum non poſſumus: nam oculi, ſenſus tactus plurimùm participant, & ſi per has vias vacuationes moliri tentemus, in viſu aliquod vitium excitabimus. Pari quoque modo per aures: nam per hos canales anguſtos detrahere humorem citra aliquod euidens periculum non licet. Per palatum ob viarum commoditatem ſecuriùs expurgatur cerebrum, & eo maximè, quod in nares medicamenta indita, non tantùm vi ſua, ſed copia, cerebrum agitent, commoueant & laceſſant.

Quare in capitis affectibus, ad vrgens periculum euitandum, eis vti licet, præſertim ſi illi ſint à frigido, craſſoque humore pronati: errhina autem debent conſtare ex calidis medicamentis, irritantibus, aperientibus, tenaces B ſuccos fundentibus, & ex iis quæ à tota ſubſtantia, mucoſam, lentamque pituitam attrahere poſſunt: hæc enim ſua acutie irritant, vellicant, ſeſeque in cerebri membranas inſerunt ita tenaciter, vt ſternutamento moto, natura ſtimulata, ſponte ſua deinceps ſuperfluos humores impetu propellat. Ea ſunt elleborum, caſtoreum, piper album, elaterium, nitrum, & zingiber, quæ non niſi purgato corpore ſunt concedenda; quam purgationem, vt par erat exercuiſſe Raſim hîc non ibo inficias, ſed eam, vt rem notiſſimam ſiluit: quæ enim ſunt manifeſta, prætereunda, ex Gal. *4. acut. 12. & lib. 6. epid. ſect. 2. com. 30.* Nam quæ omnibus Medicis, & vel idiotis patent, Hip. prætermiſit obſcura ſolùm, & quæ optimos artifices ſæpè latere ſolent, euulgauit in lucem, vt de eo retulit Gal. *lib. 2. de diffic. reſpir. cap. 7. in med.*

Errhinis addere eſt cataputiam, fortiſſimum ſanè medi-C camentum, quod non ſolùm tritum, naribus impoſitum, vi ſua acri, validè ſternutamenta mouens, cerebrum à viſcido humore repurgat; ſed intus aſſumptum, vomitu, & ſeceſſu valenter pituitam, ſeroſoſque humores educit. Eſt autem cataputia maior apud Dioſc. *lib. 4. cap. 158.* arbor quædam paruæ ficus altitudine, folio platani, maiori, læuiori, ac nigriore, caudicibus conſtans in morem arundinis cauis, cortex eius exuctus, ricinum animal repræſentat, vnde arbor, ricinus ab huius animalis ſimilitudine nomen accepit. Hæc varias ex ſe promit vtilitates, ſi Gal. adhibemus fidem, *7. de ſimp. Medic. fac. tit. de ricino.* Meſuë *tract. de ſimpl. eod. tit.* Plin. *lib. 15. cap. 7. & lib. 16. cap. 22. & lib. 23. cap. 4.* Rembert. Dodonæo *lib. 2. de natur. ſtirp. pempt. 3. cap. 11.* Monard. *part. 1. Aromat. eod. tit.* Sed quum malum hoc præ ſui ſæuitie, & capitis habituali debilitate D continuò ad affectam partes noxios humores expellente, ex toto non ſuccumberet, idcircò aliquid de tortura inueteratum remanſit. Quod ſi contingat, in vſu eſt partem roborantibus medicamentis tractare, vt ſunt olea, vnguenta, lauacra: cerebrum firmare iis, quæ vel extra adhibita eius frigidam intemperiẽ, à qua malũ magis ac magis fouetur, tollere queant; vel intus aſſumpta craſſos humores educant, & vnà vigorẽ cerebro concilient. Ea ſunt pituitã vacuantia, roborantia, vt ſalu. Roſmarin. ruta, ſtœchas, chamædrys, chamæpitys, nux Myriſtic. zingib. acor. coſtum, cinnamom. & ſi quæ plura alia. Hoc opus complent balnea ſulphurea, ſudorifica auxilia ex Ebeno, Smilac. aſper. Chinaque parata. Theriaca, Mithridatica antidotus, & alia innumera. Et ſi his affectio omninò non conquieuerit, in altero brachio fontanellam aperiẽdam cura, vt humor ſua-E pte vi, ex debilitate cerebri neceſſariò gignendus, ad minùs momentaneas detrudatur corporis partes.

HIST. LI. AVICENNÆ,
De Conuulſione.

Conuulſio, gelidæ perfuſione, ſanata.

Ex his autem, quæ iuuant habentem ſpaſmum communem, qui nominatur tetanus, & tenſio, factus à materia frigida, eſt vt ſubitò in aqua demergatur frigida, ſecundum

quod dixit Hipp. nam corporis exteriora inſpiſſantur, & innatus calor in interioribus clauditur, quare confortatur, & reſoluitur materia: Non eſt tamen omne corpus tolerans hoc, à timore tutum, ſed corpus iuuenile, carnoſum, quod vlcera non habet, & in æſtate. Plures enim per hoc iam euaſerunt, &c. Auicenna fen.2.3.tract.1.cap.7.in med.

QVÆSTIO XXVI.

Quod in affuſione gelidæ pro tetani curatione, Hipp. & Paul. ſint concordes. Contra Cardan. Coſtæum, & Lupeum, Medicos doctiſſimos.

COMMENTARIVM.

TEtanum frigidæ affuſione curari, teſtis eſt Hippoc. 5. *aph.* 21. dum ſic ait. *Eſt autem vbi in tetano ſine vlceratione, iuuene bene carnoſo, æſtate media, frigidæ aquæ multa perfuſio calorem reuocat, calor autem hæc ſoluit.* Repetit *lib.* 3. *de morb. num.* 14. Explicat & amplectitur Gal. *in com. quem* æmulatus eſt Auic. Quum enim iuuenes plurimo, eóque intenſo polleant natiuo calore, hic ob frigidæ aquæ perfuſionem reuocatus, & occluſis poris cutiſque meatibus, intrò veluti coërcitus & vnitus, conuulſionem ſanat, craſſos frigidoſque humores abſumendo, à quibus ferè conuulſio ex repletione oriri conſueuit, vt millies Gal. oſtendit. Sed hoc negotium tentandum eſt, adhibitis priùs illis, quas Gal. & Auic. afferunt conitionibus; vt ſcilicet ſit corpus iuuenile, carnoſum, conuulſio ſit ſine vlcere, & curatio æſtiuo anni tempore, ac regione calida celebretur. Quas conditiones Gal. cæterique Medicinæ Principes, & iuniores ferè omnes amplectuntur, & explanant, qui aphoriſmorum ambages ad amuſſim ſunt interpretati, & duobus exemplis confirmat Iaſon, *cap.* 21. *de morb. cereb.* & Io. Liebaut. *in Schol. ad aph. Hipp.* inter omnes eruditè explicauit.

Neſcio tamen quo fato, aut qua malè fauente fortuna ferè ſemper euenire animaduertamus, præſtantiſſimos viros quò magis excellunt, quantóque cæteris viris ſatisfaciunt, tantò importuniùs à multis laceſſiri calumniis, iniuriis concuti ac premi. Qua de cauſa ſummo noſtræ artis Anteſignano, & Coryphæo Hipp. nunquam ſine honoris & laudis commendatione nominando dolendum cenſeo, cùm ipſe quoque eruditiſſimus in luſtranda ac perficienda Medicina, poſt tot conſumptos labores, hominum inclementiam euadere non potuerit. At ex plurimis, quæ in eum iaciunt, ſpiculis, hoc eſt fortiſſimum, ex Pauli auctoritate deſumptum; qui auctor licèt Hipp. Galenique doctrinam in omnibus tueatur, & defendat, in hoc dogmate aduersùs hos eximios viros, Hipp. præſertim, perfricta fronte debellare non erubeſcit: quum *lib.* 3. *cap.* 20. *tit. de curat. tetanor.* in hæc verba prorumpit. *Frigidæ affuſionem (quemadmodum ait Hipp.) cùm maximè temeraria ſit, & ob id à poſteris prætermiſſa, & vituperata, & nos damnamus deuitamuſque, &c.* Hæc eſt tenebricoſa Pauli ſententia, quam plurimi ante nos doctiſſimi proponentes inexplicatam reliquerunt, de quorum numero fuere omniſcius Cardanus *in com. cit. aph. Hipp.* acutiſſimus Coſtæus, *ad cit. cap. Auic.* Lupeus ingenioſiſſimus *in ſuis animaduerſionibus medicis, tit. de iis auctoribus qui ab Hippoc. tempore vſque ad noſtrum æuum Gal. contradixere.* Mercatus *lib. de morb. intern.* 15. qui citra rationem nititur tantum auxilium contra Hipp. mentem peruertere.

Sed quum Principes inter ſe oporteat eſſe concordes, vt vnanimis ſcientia conſtet, neceſſéque ſit, vt illorum dogmata inter ſe conſentiant, ex Iuſtinian. *Inſtit. de teſtam.* §. *Sed cùm paulatim, ibi in vnam conſonantiam, &c.* Rudi meo Marte hanc ſic componere litem ſatius duxi. Maximè quũ Cælius Aurelian. Paulo antiquior, Hipp. ſententiam reprobare viſus ſit. In corpore ergo carnoſo (quadratum vocat Celſus *lib.* 2. *cap.* 1. *in init.*) aliiſque ſupra citatis conditionibus prædito, diſtentioneque neruorum occupato, tutiſſima eſt curatio hæc; Si verò Paul. eam vituperare videtur, id ex aliorum potiùs ſententia factum puta, vt patet ex verbo [*ob id à poſteris prætermiſſa.*] Secundò. Dic, Hipp. loquutum de diſtentione ex repletione orta, quum

A gelidæ multa perfuſio ex accidenti ſoluit. Paul. autem de ea, quæ ab Arabibus non proportionata ad materiam appellatur; quam dari Gal. 3. *de loc.* 7. & 5. *aph.* 1. & 12. *meth. vlt.* aſſeuerat, cui gelidæ perfuſio eſt inutilis. Quum enim ex venenata qualitate, alteratis per continuum partibus, ad neruorum principium delata originem ducat. Si infuſio frigidæ adminiſtretur, partem denſando, & veluti ſolidando, venenum repellit ad interiora, quod eſt nociuum valde, quoniam non eſt aliquid magis iuuatiuum, quàm medicamen quod trahit venenum ad exteriora, & prohibet ipſum penetrare ad interiora, & partem dilatat, vt Auic. verbis vtar, 6. 4. *tract.* 3. *cap.* 1. & *tract.* 4. *cap.* 9. *de cura morſus animalium venenoſorum.* Cur ergo, ſi pro hoc complendo opere, vtimur cucurbitulis, frictionibus, ſuctione, cauterio, & aliis calidis auxiliis, vt venenoſa qua- B litas altis in corpore fixa radicibus ad extra poſſit euocari, vtemur gelidæ affuſione, contrarium opus huic intentioni faciente? Solue tertiò. Curationem hanc tetani, frigidæ perfuſione celebratam, quoad Hipp. ſummè eſſe proficuam, maximiſque præconiis commendandam: ſed quoad nos videri temerariam, reprobam, & nullius vſus. Ille enim exacto iudicio, vſu, exercitationeque clarus, tempus accommodatum præſidiis inueniebat; nos verò ab eius vera methodo, ingeniique ſagacitate longè diſcedentes, tempus aptiſſimum remediis minimè reperire poſſumus. Quo factum eſt, vt plurima auxilia, nulla vnquam obliuione delenda, quæ tantoperè laudauit priſca vetuſtas, vſu, experimentoque fidiſſimo comprobata, ab vſu medico penitus receſſerint, habeantùrque contéptui, & ob ignorantiam eorum qui ea exercent, deſpiciantur ab omnibus, quæ tempore Hipp. & Gal. adminiſtrata, quàm plurimis C fuere ſaluti. Ea ſunt ſanguinis miſſio vſque ad animi deliquium, & frigidæ potus ad ſatietatem vſque, quibus, vt decet, & commodo tempore celebratis, febres magni feruoris, & incendij, penitus iugulaſſe, ipſi appoſitis exemplis conteſtantur ſæpè. Et Hipp. *lib.* 5. *epid. num.* 2. virum in Oeniadis tabeſcentem, & conſumptum, ab aliis pharmacis non adiutum, ſecta vena in vtraque manu, vſquedum exſanguis redderetur (mirum dictu) à morbo liberaſſe gloriatur. Quotus enim quiſque Medicus non abſtinuiſſet à venæ ſectione nimia & copioſa, ob virium imbecillitatem ſummam, carnium extenuationem, ob penuriam alimenti, & reliqua ſymptomata? neque tamen temerè id huic ægroto, ſed prudenter factum eſſe putes, vt doctè ingenuus Valleſius explicat *in com.* Nec inſtes antiquo tempore fuiſſe homines fortiores, quum hoc manifeſtè con- D ſtet eſſe apertè falſum, vt eleganter probat Chriſt. à Vega *lib.* 2. *art. medic. in præfatione, poſt med.* Sic hodierno tempore criſes peruertuntur, quoniam Medici quoties accedunt ad ægros, toties peccant, quod Medicis ſui temporis obiicit Gal. 3. *de dieb. decret. c.* 9. Gal. verò ſæculo omnes morbi criſi ferè ſoluebantur. Quoniam ipſe motum naturæ, certis veluti legibus operantis, expectabat vt plurimis appoſitis Hiſtoriis *in lib. de præcognit. ad Poſthum.* ipſe confirmat. Vt eſt illa iuuenis febri correpti, hæmorrhagia ſanati, & illa de triplici quartana, & altera Imperatoris attritione ventriculi laborantis: Quos omnes ægros, præpoſtera Medicorum auxilia cruciarunt. Omitto alia fortiſſima præſidia, quorum nos nec nomen memoriter tenemus, tantum abeſt, vt eis vtamur, aut exſequenda permittamus: quoniam eorum exactam notitiam non habemus, quin E ægri naturam & vires, morbi ſtatum, & acutiem ignorantes, eorum occaſionem, quæ præceps eſt, ex Hipp. 1. *aph.* 1. prætermittimus. Aquæ ergo affuſio pro tetani curatione, quoad Hipp. & Gal. eſt ſaluberrima. Quoad nos, valdè reproba & noxia, immò temeraria cenſenda. Porrò de hac quæſtione ambigua, & incerta ſatis, vtpote ardua, liberum ſit cuique quod velit opinari, monente ſic Magiſtro, *lib.* 1. *prorrhet. ſect.* 2. *com.* 36. Quum nulla lex ſit tranſcribentibus poſita, ex Gal. 7. *aph.* 65.

HISTORIA LII. GALENI, *De Conuulſione.*

Conuulſio ex æruginoſo humore, in ore ventriculi ſito, pronata, vomitu concitato curata.

*VEluti dudum illi contigit, qui paulò poſt æruginoſum humorem euomuit. Satius verò ſit non æruginoſum ipſum dicere, ſed exactam planè æruginem: talis namque erat, qualis ærugo pulcherrima. Verùm huic adoleſcenti cum conuulſione, & ſyncope, etiam guttæ quædam frigidæ, & pulſus in ſummo gradu parui erant. Ex quibus cùm coniicerem in ore ventriculi, quē publicè ſtomachum vocant, mordentem aliquem contineri humorem, dedi illi aquam tepidam bibere: poſt quam protinùs tale quid euomuit, quale ſi ipſe facere velles, * floridiſſimam æruginem aquæ miſceres, &c. Galen.*lib. 12. meth. cap. vlt. prop. fin.

PARAPHRASIS.

HAnc Hiſtoriam repetit Gal. *lib. 5. aph.* 1. addit ſolùm, iuuenem hunc febri fuiſſe correptum, & vomitu ex aqua tepida concitato ſtatim conualuiſſe vacuata cauſa. Ab humoribus acribus, mordacibus, præſertim quum in ore ventriculi ſunt impacti, plura damna, crebras, vehementeſque conuulſiones ſuboriri, pluribus locis manifeſtiſſimè confirmat Gal. dum enim nerui in hac parte exiſtentes multi, ab humore hoc calidiſſimo affliguntur & moleſtantur, alij omnes corporis nerui trahuntur in conſenſum, ſicque totius corporis conuulſio ſequitur, & miri oriuntur ab hac parte, & immedicabiles affectus. Quoniam os ventriculi cum omnibus præcipuis noſtri corporis partibus ſummũ obtinet conſenſum, vt *lib.* 1. *de ſympt. cauſ.* 7. *&* 2. *acut.* 47. 3. *de loc. cap.* 7. ait Gal. Sic ab hac origine cardiogmon, ſyncopen, pulſus paruitatem omnimodam, angorem; cordis ſaltum, extremorum frigiditatem, & mortem repentinam, humore hoc, veneni ritu, cor, aliaque præcipua viſcera occupante, frequentiſſimè conſpicimus. Non enim hic dirus humor ſolùm ſua vi erodente has partes pungit, lancinat, & laceſſit, ſed deleteria qualitate cæteras partes vellicat, & proſternit, cùm ſit ita à natura alienus; vt in venenorum numero eum reponat Auic. 1. *doct.* 4. *cap.* 1. *prop. fin.* §. *Hæc autem ſpecies quæ dicitur Zinaria, omnibus choleræ ſpeciebus calidior exiſtit, & peior, & magis pernicioſa, & dicitur quod eſt de ſubſtantia venenorum, &c.* Æmulatus Gal. 3. *epid. ſect.* 2. *com.* 1. *& lib.* 1. *eiuſd. oper. ſect.* 2. *com.* 54. qui hunc humorem veneno eſſe perſimilem pronunciat manifeſtè: de cuius malitia inter plures diſputarunt Vega *lib.* 2. *prog.* 36. & Ludouic. Lemoſ. *in com. cap.* 9. *lib.* 2. *de naturalib. facult. Galen.* Ludouicus Mercat. *tom.* 1. *lib.* 1. *part. q.* 85. *in fin.*

Hunc ergo humorem vomitu citiſſimè vacuare oportet, ne ab eius acrimonia, & mala qualitate, partibus præcipuis concuſſis, retracto, ac quaſi victo innato calore, tanquam à promptiſſimo veneno, cum extremorum frigiditate, ſudore frigido, anxietate, ac aliis ſæuis ſymptomatis æger reſoluatur. Cùm autem leuia vomitoria ſint, ptiſanæ cremor, mulſa, ſyrupus acetoſus ſimplex, & alia, aquam tepidam potiùs elegit: hæc enim ob præcipitem occaſionem, paratu tum eſt facillima, & tanquam temperatiſſima, humoris huius effrænis, & acuti efficaciam retundit. Quare eius balneo acres, & erodentes humores ad oculum defluentes contemperat, 6. *aph.* 1. & calidos vapores, intemperiem capitis fouentes ipſius lauacro demulcet, 6. *de ſanit.* 9. Dedit autem tepidam, quoniam tepida relaxando ventriculum, eius firmitudinem diſſoluunt, & vomitum concitant; auctore Gal. *lib.* 8. *meth.* 5. ſequitur Auic. 1. 4. *tract.* 1. *cap.* 26. & nè fortè à frigiditate aquæ humor iſte noxius in ventriculi tunicis retentus, præ mora læderet magis: quo euomito febris ex efferueſcente bile, & conatu naturę concitata, & conuulſio ceſſarunt. De cuius cauſa, generibus, & differentia à reſolutione, plurimi ſcribentium ſuas fecere quæſtiones. Lege Mercurial. *lib.* 1. *Praxis, cap.* 25.

Lib. I.

DVBIVM XXVIII.

Num humor veneno ſimilis in corpore innaſcatur.

COMMENTARIVM.

F*Loridiſſimam æruginem.*] An humor veneno ſimilis naſcatur in corpore, dubitant iuniores: Nos dubium commaticè explicabimus. Sunt qui negent; quoniam dum calore corpus regitur, humor benignus in corpore gignitur, corpus innoxiè aliturus. Nec calor innatus deleterium humorem in corpore innaſci permittit, cùm ſit auctor vitæ, corpus tueatur, & ab iniuriis defendat. Neque à præternaturali fieri eſt affirmandum; nam nihil agit vltra ſuam actiuitatem, vis autem veneni maior eſt, quàm potentia præternaturalis caloris.

Sed contra eſt Gal. auctoritas. Is enim pluribus in locis venenoſum humorem adnaſci in corpore aſſeuerat. *lib.* enim 5. *de loc. affect. cap.* 7. Sententiam Pelopis confirmans, dicit poſſibile eſſe, vt in parte quadam genitus ſit quiſpiam veneficus humor, & adeò deleterius, vt pernicioſarum ferarum inſtar corpus immutet, & alteratis per continuum partibus, aut ſpiritali quapiam ſubſtantia tranſmiſſa, non accedente cauſa extranea, partes principes veneni promptiſſimi modo oppugnet, & labefactet: hoc apertiſſimis exemplis confirmat, in iis qui aura frigida à tibia vſque ad cerebrum aſcendente, epilepſia correpti ſunt, quod apertè ſignificauit Auic. *loco cit.* Inſuper id conſtat in hyſtericis fœminis ſæpiſſimè, quæ ex retentis ſanguine & ſemine, in grauiſſima, eáque lethalia incidunt ſymptomata, auctore Magiſtro 6. *de loc. cap.* 5. ex ſemetipſis accepto ſuæ originis impetu; & adeò menſtruum, & ſemen in malignam degenerant naturam, vt ſimilia ex ſe prodant ægri ſigna, & accidentia, iis quæ ex epoto præſentaneo veneno oriri ſolent. Quo factum eſt, vt plurimi, ſanorum munia obeuntes, repentè veluti ſiderati concidant, & emoriantur, quoniam veneno ſimilis in corpore genitus humor, ſua vi dira, cor ex improuiſo premit, & extinguit. Sic ab origine plures emanant exitiales morbi, qui nullis deinceps auxiliis compeſci poſſunt. Sic mortuus eſt Phreneticus 3. *lib. epid. ſect.* 3. *com.* 75. quoniam humor vitioſus in corpore coaceruatus erat veneno lethali adſimilis; in corporibus vicinis aliquid paulatim agens, quæ quando vitio iam aliquo pacto opportuna erant, humorque ipſe euaſerat maligniſſimus, lethale repentè apparuit ſymptoma, notante ſic Magiſtro *in com.*

Humorem ergo veneno finitimum oriri in corpore, non eſt dubitandum, qui paulatim tractu temporis principalium partium aliquam immutet, & deinde occupet vniuerſum corpus; vnde mors ſubita, aut ſæuiſſima damna contingunt. Patet in multis præter cætera euidenter; *ad ſanguinis enim grumefacti præſentiam, pulſus fit paruus, frequens, & æger cum anxietate reſoluitur*, monente Gal. 6. *de loc.* 4. *& lib. de bonit. & vit. ſuccor. cap.* 4. ex lactis coagulati in ſtomacho noxa, venefica apparent ſymptomata & terroris plena, ex Dioſcorid. *lib.* 6. *cap.* 26. & aliis. Cur ergo ſi ex probiſſimis alimentis, qualitas repullulat deleteria, non magis euadet ex corruptis excrementis? quod ipſe *lib.* 1. *prorrhet. ſect.* 2. *com.* 17. confirmat §. *Non eſt igitur abſurdum, vt talis in corpore paulatim progenitus ſit humor, qualis eſt rabientium canum, & medicamentorum tractu temporis longiore corrumpentium, &c.* Et *lib. de ſuc. bonit. & vit. cap.* 2. dementem vocat, qui neſcit quàm malum ſit humores corporis ad venenoſam qualitatem conuerti. Eius doctrinam firmat Auic. 1. 3. *tract.* 5. *cap.* 8. §. *Et fit cauſa illius, retentio ſanguinis, aut humoris in tranſitu, cui iam accidit oppilatio, & abſcinditur ab eo calor innatus & emoritur in ipſo, & putrefit, & conuertitur ad malam qualitatem, & procedit ex eo ſecundum reuolutionem, vel per iodicationem materia vaporoſa, aut qualitas venenoſa, aut fit caſus ſuper ipſum quorundam venenorum, & imprimit in neruis, ſicut imprimit punctura ſcorpionis, &c.* quod priùs notauit Aëtius *tetrab.* 2. *ſerm.* 2. *cap.* 13.

Quid plura? nonne bilis æruginea, de qua tot mala Gal. prædicat. *lib.* 1. *prorrhet.* 10. veneni naturam ſapit? maximè

ſi in ore ventriculi ſit infixa: tunc enim ſua erodente vi, A vniuerſum corpus conuellere, & in conſenſum ducere nata eſt. Calor autem innatus hæc fieri non permittit, quando robuſtus eſt: nam tunc ſua vehementia, robore, ac temperantia humores regit, & ab omni labis putredinisve vitio defendit: ſed quum debilis eſt, & ad patibiles gubernandas qualitates ineptus, & ſic ad propria munera obeunda inſufficiens. Quo pacto putreſcunt à regimine naturæ derelicti humores, & in malignam abeunt naturam, venenique perniciosiſſimi ritu corpus ad interitum deducunt. De quo argumento ſi plura legere cupis, adi Gent. *in com. nup.cit.cap. Auicen.* Thom. à Veiga 3. *de loc.in com. cap.7. verbo, In corpore.* Mercurial. *lib. de morb. venen.*14. Cardan. *lib.*1. *de venen. cap.*6. Carrerium *diſput.* 66.*ad libros Gal.de loc.affect.* Petr.de Peramat. *lib.de plenit. cap.*8. qui de hoc dubio eloquenter diſputarunt. B

HISTORIA LIII. RASII. De Ophthalmia.

Sæua ophthalmia, copioſa venæ ſectione curatur.

Cvidam accidit ophthalmia, mandaui ipſum phlebotomare de cephalica, & noluit obedire; & ſequenti die dolor augmentatus eſt ita, quòd nunquam vidi tam difficilem ophthalmiam, & periculoſam, & dubitaui ne ſcinderentur tunica oculorum, & egrederetur aliquid de ipſorum ſubſtantia: & nihil quaſi remanſit de corneæ, quòd non eſſet coopertum, niſi in C *quantitate vnius lentis propter ſubleuationem apoſtematis coniunctiuæ: & cùm incœpit grauari à morbo, rediit ad me: & ego feci ipſum phlebotomari bis, & extraxi duabus vicibus quantitatem trium rotulorum ſanguinis, & plus, & abſterſi oculos ſuos à lippitudine, & puluerizaui deſuper puluerem album, & dormiuit eo die, & ceſſauit dolor, & in ſequenti die liberatus eſt omninò, &c. Raſis* lib.de mirabilibus curis.

PARAPHRASIS.

Magna fuit inflammatio hæc, de qua dubitauit auctor ne præ copia, diſtenta vaſa rumperentur. Narrat enim grauiſſimus auctor Celſ. *lib.6. cap.6. ſect.*8. quòd tam ingens inflammatio aliquando oculos exercet, vt ipſos à ſua ſede propellat. Pro qua curanda, ſanguinis copioſa extractio fuit è directo laborantis oculi celebrata: D de cuius, in hoc affectu, vtilitate *infrà* latiùs agemus. Extraxit autem ita liberaliter, vt bis, trium rotulorum quantitatem ſanguinis exhauriret. Eſt autem Rotulus apud Raſim *lib.2.contin.cap.2.* & Serap.3.*breuiarij,cap.*15.idem, ac libra. Nam ille 5. *contin.* 2. facit medicamentorum coctionem in rotulo vno. Et Serap. *cap.* 26. *eiuſd.* ait quòd coquantur in libra. Et Raſis, 12. *contin. cap.* 1. Staphidis agriæ aſſignat quantitatem rotuli, ad parandum quoddam emplaſtrum coxendicis morbo proficuum. Et Auic.22.3. *tract.2. cap.*10. *in fin.* idem emplaſtrum deſcribens, ponit libram, vt rectè notat Dominic. Maſſaria Vicentin. *lib.2. de ponderib.& menſur.* Qua vacuata copia ad ſedandum dolorem acceſſit; huius enim quandoque tanta eſt immanitas, vt vires proſternat, qua de cauſa ei ſoli inſiſtere cogitur Medicus. In quem vſum, puluis albus (ab Arabibus E *ſief* album, à noſtris collyrium album, nuncupatur) intra oculum fuit immiſſus, cuius deſcriptionem affert ipſe *lib.9.ad Almanſ.cap.*15. Videtur autem quòd in hoc caſu cum Opio eſſet imponendus, nam maxima erat doloris ſedandi neceſſitas.

HISTORIA. LIV. GALENI, De Ophthalmia.

OEconomus ab inflammatione oculorum, ac cæcitatis periculo, ſanguinis miſſionis beneficio liberatus, contra Eraſiſtratæos.

*Itaque ego rogatus à diuite quopiam, vt rerum ſuarum œconomum inuiſerem, cui cæcitatis periculum imminebat, magno dolore diebus iam viginti vexatum, quem medicus ſectæ Eraſiſtrateæ curabat, anxiè ſemper venæ ſectionem refugiens: Vbi ergo laborante inſpecto, eum iuuenem multi ſanguinis cognouiſſem: ac oculos quidem nondum vlceratos habere, cæterùm phlegmonen maximam, fluxionémque, tum in ambabus palpebris denſitatem, atque in altera quaſdam etiam aſperitates, à quibus oborta caligine, ægrotus magis magiſque dolebat, ac phlegmone, fluxionéque exacerbabatur. His inquam, conſpectis, cognitáque omni ratione curationis, qua Medicus ille vſus fuerat, prima protinùs detractione * tres ſanguinis libras exhauſi, deinde hora nona aliam: à quibus mirificè re fectus, inunctus eſt poſtero die mollium collyriorum quopiam, cui admixtum erat quod vinum habet, illitu ſub palpebris facto, ſpecilli cuſpide in ſummo medicamen impoſitum ferente. Id primùm quidem manè faciebam, deinde ad horam tertiam poſteà ad nonam, poſt quas inunctiones, ſub occaſum Solis in balneum ductus eſt. Poſtero die palpebris extrà verſis, inunctus eſt maiori copia collyrij illius quod vinum recipit, molli illi collyrio admixta, dein ad veſperam lotus eſt. Poſtridie manè oculos aperuit, qui ante biduum, illos ne aperire quidem præ fluxione atque dolore potuerat. Quæ res incantationi ſimilis viſa eſt. Porrò ex palpebris reſtabant extergendæ laboranti, tum denſitates illæ, tum aſperitates: cæterùm id fieri non poterat citra medicamentum mordax. atqui ferre illud neutiquam potuiſſet, niſi priùs vacuatus foret, &c. Galen.* lib.de cur.rat.per ſang. miſ.cap.17.

PARAPHRASIS.

Memoranda eſt Hiſtoria hæc, & ſæpiſſimè in conſultationibus præ oculis habẽda, in cuius enarratione ſummperè gloriatur Gal. oſtendens contra pſeudomedicos, Eraſiſtrati ſectatores, quàm neceſſaria ſit ad leuandos oculorum morbos venę ſectio. Quare ne ſis timidus, in his morbis ſanguinem aperta venae mittere. Imitator Gal. qui veritatem medicam docuit ad vnguem, ſine fuco & fallaciis expoſitam. Fidem adhibe ipſi, qui in Vrbe Roma, hominum multitudine refertiſſima, longo nixus experimento, ductus ratione multa, vſu dexterrimus, ac feliciſſimus, ſcientiam noſtram exercuit.

Hic ergo ſummus Auctor, quum iuuenem conſpiceret oculorum dolorifica inflammatione, à plurima ſanguinis copia, ſuborta vexatum, oculos nondum vlceratos habentem, cui fluxio valida, palpebrarum aſperitas, oculorum caligo adiungebantur: quæ omnia, à ſanguinis ſarcina nimia, in vniuerſo corpore exiſtente, vel in aliqua oculorum parte ſita, euenire nôrunt omnes, copiòſa vacuatioe vſus eſt, vt enim rectè Senex aduertit 1.*aph.*23. & 2.*eiuſd.* 22. & alibi ſæpè, nimiæ repletioni, ſimilis vacuatio conuenit, & maximè ſi illa ſit ex maxima inflammatione concitata. Hoc enim præſidio affecti oculi, in ſuperiori corporis parte poſiti, & à venis maioribus, in quibus vberior ſanguinis copia exiſtit, valdè diſtantes, ſubitò exinaniuntur: quod ſi iteretur (vt hîc feciſſe Gal. conſtat) ſecuriſſimam præſtabit reuulſionem: *quantò enim maiorem in numerum particulares auxeris detractiones, tantò efficaciorem effeceris,* vt *lib. de curand.rat.per ſang.miſſ.cap.*12.*in fin.* notauit Gal.

Duo tamen hîc notanter aduerte. Primum Galen. horam in qua auxilium hoc exercuit, adnotaſſe, exemplo hoc demonſtrans, quàm ridiculum ſit, quod quidam factitant, à ſecunda diei hora, vſque ad quintam, aut ſextam ſolùm ſangui

ſanguinem mittentes, vt *cit. mox loco* retulit Gal. *quum in quauis diei, noctiſque hora hoc auxilium poſſit exerceri,modò reſpiciat in febrientibus particularium paroxyſmorum declinationem : in quibus autem ob oculorum lippitudinem, aut aliud ſimile, citra febrem,hoc opus eſt auxilio,non declinatio-nem omninò, cùm omninò febris non adſit, ſed magnitudinem aut doloris, aut phlegmones,aut totius affectus, in quo ſecta opus eſt vena,inſpicere oportet*,vt *cit.lib.cap.*21. Gal.edocet. Nota ſecundum. Non eſſe mirum, ipſum poſt 20. dies venam aperiendam[imperaſſe. *Nam quocunque die mittendi ſanguinis ſcopos inueneris,in eo auxilium hoc adhibeto,etiamſi vel vigeſimus is ab initio extiterit*, monente ſic Magiſtro, *lib.cit. cap.* 20. & *lib.9.meth.5.§. verùm illa nullo non tempore,modo vires ſuſtineant,&c.* vt fusè probabimus contra Fernelium *lib.2.in com.hiſt.*19.Nam, *non ratione temporis, ſed ratione viriũ, ipſe ſanguinẽ conſulit emittendũ, lib.de opt. ſect.*38.Quo pacto in Anaxione octauo die venam ſecuit Hipp.3.*epid.ſect.*3.*text.*19.vt eleganter Valleſ.& Mercur. explicant *in com*. Si verò Celſ.*lib.*2.*cap.*10.nunquam poſt quartum, ſanguinem vtiliter mitti poſſe aſſeuerat, quoniam,vt Auic.ait 4. 1. *cap.* 20. *quum poſtponitur in principio, eius non eſt ampliùs intentio.* Dic. Nunquam ita vtiliter poſt quartum emitti, tum quia copioſior in initio fit vacuatio ob vires magis liberales, tum quoniam poſt quartum iam ſanguis per putredinem abiit in bilem, aut melancholiam, & ſic hoc tempore non ea adeſt intentio euacuandi ita copiosè. Si tamen vrgeat malum, licet ſit poſt 40.dies, vt Auic.*cit.nup.cap.*inquit, præſtat venæ ſectionem celebrare; qua cogente neceſſitate ita aceruatè ſanguinem emiſit,in prima ſanguinis detractione copioſiùs,ob vires vegetiores,& ingentem plethoram; quibus præſentibus liberaliùs eſt educendus ſanguis.

Obſeruatio XLI.

Ophthalmia ſana, copioſiſſima venæ ſectione, curata.

Monachum vidi gracilem & excarnem,ætatis 45.annorum,& in victu,vt cæteri ſolent in communitatibus,ſobrium & abſtemium, qui ſingulis menſibus oculorum inflammatione adeò ſæua cruciabatur,ingenti dolore oppreſſus,vt non expectato Medici aut Chirurgi aduentu,ſibi ipſi venam in eodem die,humerariam, aut nigram abſcinderet, & impoſito vulneri digito, iterũ atque iterum fluere ſineret,quouſque dolor,rubedo, tumórque euaneſcerent: & ita immanis dolor hominem exercebat aliquando, ex feruentis prurientiſque ſanguinis copia in has partes delapſi, concitata, vt multoties(res mira)24. horarum ſpatio 10. faceret phlebotomias, in animíque deliquium ſæpè incideret.Is licèt plurima præſeruationis cauſa fuerit expertus auxilia, aperuerit fontanellas, balnea admiſerit, purgantia clementer aſſumpſerit ſæpiùs, & hæmorrhoidales venas hirudinibus exhauſerit frequentiùs: tamen ſe nullo alio præſidio, quàm hac copioſa, iteratáque vacuatione iuuari confeſſus eſt.Nec mireris, nam,vt dicebat Philoſophus Cordubenſis, *Monſtra accidunt in arte,quemadmodum in natura.*

Cæterùm hanc copioſam vacuationem præſertim exercendam intellige, quum oculi non ſunt vlcerati: nam ſi vlcus adeſſet, ſedata inflammatione, æger à Gal. propoſitus non euaſiſſet;cùm vlceris ſanatio exſiccantibus perfici debeat, quæ inflammationem augere nata ſunt, & palpebrarum denſitatem, hoc eſt craſſitiem ac duritiem, ab humore ſicco ac condenſante pronatam, ſimúlque aſperitatem ipſarum,à ſanguinolento humore profectam, ex Gal. *introduct.* 15. irritare valent. Ex quibus omnibus certior factus, ad hoc generoſum præſidium acceſſit, & magis,oborta caligine, eáque non à frigidioribus ſuccis, aut craſſioribus originem ducente,à quibus vertigo,epilepſia,aut apoplexia oriuntur ferè,vt *lib.introd.*13.notauit Gal. ſed ab vberrima ſanguinis copia in vniuerſo corpore, aut in aliqua oculorum parte reperta, à qua multus, craſſiuſculúſque eleuatur vapor, meatus obſerans,& caliginem efficiens,Gal. *lib.* 1. *prog.* 28. & ſic caligo oculorum inter ſigna hæmorrhagiæ ab ipſo reponitur; *lib.* 3.

A *criſ.cap.*10.& 3.*prog.*33. Hic ergo penſatis, tam iis quæ à Medico Eraſiſtratæo, qui ante Gal. curationi præfuerat, quique venæ ſectionis loco,aliqua topica,inflammationi proficua inſtituerat; tum conſiderato iuuenis temperamento,calido humido, plurimæ ſanguinis copiæ gignendæ aptiſſimo, ocyſſimè ſanguinem mittere non recuſauit.

Qua facta vacuatione, ſimúlque collyrio molli impoſito, vnà cum illo quod vinum habet, ſanatus eſt. Dicitur autem molle collyrium, ſiue humidum, medicamentum oblongum, rotundum,ex liquoribus, ſuccis, ſeminibus, fructibus, & metallicis compoſitum, quo ad fiſtulas in quauis corporis parte exiſtentes, ad narium affectus antiquitas vtebatur, ſi Galen. fidem adhibemus 2. *de compoſ. medic.ſect.gen.cap.* 19. Celſ. *lib.* 5. *cap.* 8. Oribaſ. 10. *collect.*23. Quod medicamentum ſoliditatem, ac firmitatem habet, quo diuerſimodè vtebantur Medici, vel in eadem forma,vocabántque collyrium ſiccum; aut eius portione in puluerem redacta,vel eo in puluerem contrito,ſed humore aliquo adiecto, dicebántque humidum, ſiue molle collyrium.De cuius multiplici differentia ſat plura Gal. *in lib.de compoſ. med. ſect. loc. & per gener.* Nam quædam refrigerant,humectant,excalfaciunt, exſiccant, obſtupefaciunt, fluxiones reprimunt, & ſiſtunt.At in hoc caſu veriſimile eſt vſum fuiſſe Gal. collyrio, quod inflammationem extinguere, fluxos humores abſumere, fluentes reprimere aptum erat. Huius fecit ipſe peculiarem commemorationem,*lib.* 4. *de comp.medic. ſec. loc. cap.* 7. quod recipit ſpodium, Tragacanthum, Amylum, Ceruſam, & Opium torrefactum. Vt autem palpebrarum aſperitati conſuleret, collyrij quod vinum continet, portionem illi

C alteri immiſcuit: nec vini caliditatem eſt veritus, quum iam maiori ex parte ſedata inflammatio eſſet,& illud aliis refrigerantibus permiſceret. Quare neceſſum fuit addere collyrium ex vino,quod humorem impactum reſolueret, corpore præſertim, venæ ſectionis beneficio,vacuato. De cuius collyrij multiplici differentia, plura Gal. Paul. & Aetius conſcripſerunt. Ea tamen medicamenta ſingulis ſex horis oculis applicuit, vt ſic aſſiduè adhibita proficere poſſent, alioquin minimè iuuarent, quum ob perpetuum eorum motum, & decliuem ſitum adhærere nequeant.

Sedatis ergo inflammatione & dolore, ac fluxione repreſſa, ad palpebrarum detergendas denſitates, & aſperitates acceſſit: quod opus cùm ſine mordaci medicamento fieri non poſſit,& ex acrimonia, dolor,noua fluxio, &

D alia damna contingant, neceſſe fuit priùs vacuationem celebrare dato pharmaco,quod humorem illum reſiduum in oculis contentum, & in toto abundantem, aduſtum, mordacémque vacuare poſſet. Tunc enim localia iuuant, aliàs non expurgato corpore reprobantur ab ipſo, 13. *Meth.*22.& 4.*de compoſ.med. cit.*maximè ſi non abluantur, & in magna quantitate applicentur. De quorum multiplici differentia, vide inter omnes Trincauel. *lib.* 4. *de compoſ.medic.*11. ex antiquorum doctrina, & de varia collyriorum forma ex profeſſo, doctéque diſputantem Lege Saluum Sclanum *in com.Gal.*

DVBIVM XXIX.

E *Num in affectibus oculorum humeraria ferienda, & num viſum debilitet.*

COMMENTARIVM.

TRes ſanguinis libras exhauſi.] In affectibus ſupra iugulum humerariam eſſe tundendam, præter experimentum Raſij ſuprà in proxima Hiſtoria,ſumma vtilitate ſanguinem ab ea extrahentis, docuit Gal. *in lib.de curand. rat. per ſang.miſ.*16.& 17.in quo loco,quando ſuperiores pectore partes laborant, eam, è directo laborantis partis, eſſe feriendam manifeſtè confirmat: ſepeùt 2. *acut.* 19. & 4. *de ſanit. tuend. cap.* 10. Adeóque ab hac vena celebratum iſtud auxilium citiſſimam opem attulit ſemper,vt harum partium vehementiſſimos affectus intra vnius horæ ſpatium perſanauerit,vt refert Aetius,*tetrab.*2.*ſerm.*3. *cap.*8.

*cap.*8.& Trallian.*lib.*2.*cap.* 1. confirmat. Attamen noſtri temporis Medici in affectibus partium ſupra iugulum,ad huius venæ ſectionem accedere non ſolent,niſi vel quando neceſſitas vrget, vel totum corpus exquiſitiſſimè vacuatum eſt : Si enim hæc, priuſquam baſilica , aut communis ſecetur ,timent, ne ſecta ſtatim cephalica, affectio forſan denuò inualeſcat; & quod plus eſt, viſum & caput debilitari,aut ſaltem periculum ſectionis arteriæ,aut punctura nerui pertimeſcunt.

Sed tutius eſt in affectibus partium ſupra iugulum , à ſectione venæ communis incipere , quando affectus ortum habet ex defluxione adiuncta plenitudini : Nam etſi humeraria maiorem habeat conſenſum cum capite & ceruice, & minorem vena communis ; quoniam tamen ordo curationis exigit,vt ante partis affectæ curationem, ſubueniamus fluxioni , cuius cauſa eſt totius plenitudo , præſtat prius ſecta communi,aut baſilica,hanc deponere, quàm partem affectam inanire ſecta cephalica. Nam in affectu ex fluxione ſuborto,priùs fluxio ipſa,& fluxionis cauſa amolienda eſt,quàm pars affecta vacuetur.Et licèt partes ſupra iugulum,ſecta cephalica, non ſolùm poſſint exinaniri, ſed totum corpus,ſi larga vacuatio fiat, ex Gal. 2.*acut.*10.quoniam tamen hæ copioſæ vacuationes,vires deiiciunt , nec citra virium diſpendium tolerari poſſunt, parcè tamen ex dicta vena non deponunt plenitudinem ex totius corporis mole , ſecurius eſt à ſectione communis , aut baſilicæ , incipere : quam doctrinam obſeruant Auic.1.3.*tract.* 1.*cap.*29.& Meſuè *cap.de vertig.*Secus autem eſt faciendum, quando plenitudo eſt ſolùm in partibus ſupra iugulum , aut affectus vrget acutie ſua , & præ ſui vehementia , & periculo auxilij celeritatem exoptat. Velut in hoc exemplo à Raſio propoſito accidere obſeruamus : nam *quæ celeritatem deſiderant , celeriter peragere oportet*, ex Hipp.1.*acut.*8.celer autem,& tuta curatio fit,ſi à parte laborante , & è propinquiori loco vacuatio celebretur, quâ cauſa morbi elidi poſſit. Quod exſequendum conſulo in ſuffocante angina , acutiſſima apoplexia , aut alio cerebri affectu periculoſiſſimo,ex inflammatione cerebri concitato.

Neque opinio vulgi timentis ex cephalicæ ſectione, viſum,capútque lædi,eſt contemnenda : Nam licèt ſecurior ſit, ſi ſpectetur periculum ſectionis arteriæ,aut puncturæ nerui,hoc enim frequentiùs cõtingit, quum ſecantur baſilica,aut communis,ex Auic.4. 1. *cap.*20.& Raſio 13.*contin. cap.* 6. ſummoperè lædit intempeſtiuè ſecta. Nam cerebro , & oculis inſigne quandoque attulit detrimentum:quod in aliarum venarum ſectione euenire non conſpicimus.Cuius rei ea eſt ratio.Quum enim phlebotomia omnes noſtri corporis facultates imbecillitet, quæ inter has penuriã ſanguinis extracti ampliùs perſentiſcit, cerebrum eſt,vtpote molle,friabile, exangue, & maximè quum ſpirituum animalium ope indigeat , quibus vt inſtrumento vtitur, ob quorum tenuitatem , & citiſſimam reſolutionem , ipſum illicò qualibet vacuatione facta fatiſcit , & labaſcit. In hunc ſenſum intelligendus eſt Gal. 2. *Aph.* 29. dicens , *morbo conſiſtente abſtinendum eſſe à vacuatione , tum propter alia , tum quia vis animalis magna ex parte eo tempore eſt debilitata,licèt duæ aliæ,vitalis,& naturalis,maximè fortes perſiſtant.* Quare prudenter Hipp.6.*epid.ſect.* 6. 18. ad tolerantiam fluxus ſanguinis è naribus , firmum caput requirit. Explicat eleganter Valleſ. *in com.* Maxima ergo præmeditatione , cephalica eſt ferienda , nam pluries fuimus experti , ex huius intempeſtiua ſectione , ægros obcæcatos extitiſſe , præſertim debiles , in quibus ſanguinis copia non ita redundat; alioquin hæc ſectio viſum non debilitat , & hebetat , ſed viuaciorem reddit, ſic docente Gal. *lib.de curand. rat. per ſang. miſ. cap.* 7. De quo argumento videndus Ioan. Bacchanel. *lib.* 1. *de conſenſ. medic.tract.de vacuat. per venæ ſect. in reſponſ. ad* 5. *dub.* & Leonard. Botal. *lib. de curand. rat. per venæ ſect. cap.* 19.

* * *

QVÆSTIO XXVII.

Quòd ſaluatellæ ſectio in affectibus oculorum,Iecoris; & lienis ſit exercenda.Contra Menam, Siluatic. Augen.& Columb.& quare tantoperè proſit. Contra Valles. & Veigam,Med.inſignes.

H*Ora nona aliam.*] Oculorum dolores , & inflammationes à calidiuſculo humore ferè ſemper eſſe ſubortas , ſuadet experimentum. Illorum vitia difficilè conſaneſcere , tum quoniam in ſuprema corporis parte ſiti ſunt , & inferiorum viſcerum fuligines abſorbent , tum quia è cerebro debili in ipſos aſſiduè emanat excrementorum prouentus, ita certa res eſt vt probatione non indigeat. Neceſſarium eſſe auxilium pro dolore mitigando, quod fluxionem arceat, reuellat,& vacuet, hepárque, vnde damni frequens ſcaturigo eſt,refrigeret, & contemperet , nullus ibit inficias , qui hanc hiſtoriam ad vnguem fuerit perſcrutatus.Sed quum tam multa ſint,quæ in hunc vſum ab auctoribus commendantur , nullum mihi fidiſſimo experimento , & aliis compertum eſt præſtantius, quàm è vena , eáque ſaluatella ſanguinem emittere. Sic Chriſtoph. à Vega *lib.* 3. *art.medic.ſect.*8.*cap.* 3. Holler. *lib.*1.*de morb.intern. cap.* 35. Ludouic. Mercat. *lib.* 4. *de morb.intern. cap.* 2. *in initio.* magna cum laborantium vtilitate in hepatis inflammatione,vel dolore,ſanguinem ex hac vena detrahere conſulunt in morbi principio : licèt ob vrgens ex procraſtinatione periculum,in hoc tempore celebratam, inutilem iudicet Duretus *in annotat. Holl.* & meritò ſanè , hæc enim vena longiùs abeſt à fonte caloris , & veluti per riuulos ſanguinem exhaurit. Sed illi intelligendi ſunt, ſi non tanta adſit plenitudo , & ſi vires ad maiorem ex ampliori vena ferendam vacuationem non ita conſtent.Sed quoniam in hoc auxilio exſequendo Medicæ Scholæ Profeſſores eximij inter ſe non ſunt ita conformes de eius vſu,vtilitate maxima,& cur tantoperè iuuet , ex Veterum , & Iuniorum decretis contra horum mentem aliqua proferre oportet.

Secantur in ſumma manu inter digitum minimum & annularem , venæ quædam paruæ quæ ſaluatellæ appellantur,quoniam ægri ab aliis auxiliis non adiuti,ſanguine ab his venis extracto ab ægritudine ſaluantur ; quarum quæ in manu ſiniſtra ſecatur,dicitur ſplenetica;quæ verò in manu dextra dicitur iecoraria, quoniam in morbis iecoris,& lienis conferunt cum vtilitate maxima.

Feriendas eſſe has venas affirmauere Galenus , poſteriores Græci,Arabes,& Iuniores ferè omnes.Galen.enim ex ſua,& aliorum ſententia,harum ſectionem eſſe vtilem manifeſtè pronũciat, *lib.de curand.rat.per ſang.miſ.cap.*16. §.*Sic affecto liene haud æquè iuuerit circa annularem digitum ſiniſtræ manus inciſa vena , atque ſi internam cubiti ſecueris, multùm enim iuuat afflictum lienem ſanguinis ex ſiniſtro brachio detractio, &c.* & *cap.*14.*antecedenti* , ita ait.*Sicut nec ſi quis ſumma in manu , aut pede venam ſecet , quemadmodum putant qui lienem curari aiunt , à vena quæ ad ſecundum digitum eſt ſectione , &c.* Repetit 8. *de anatomic. adminiſt. cap.* 5.

Sequuntur Paul. *lib.* 3.*cap.*49. *de curat lien.inflammat.* & *in eod.lib.cap.*50. *de curat. morb.regij.* & *lib.* 6. *cap.* 40. Quibus locis non ſolùm in manu ſiniſtra,ſed dextra,inter minimum & annularem , has venas ſecat. Trall. firmat *lib.*8.*cap.*12.dicens , *omnem ab iſtis venis ſanguinis miſſionem iuuare.* Subſcribunt Aëtius *tetrab.* 1.*ſerm.*3. *cap.* 12. Oribaſ. 7. *collect.*5.*& lib.*1.*ſynopſ.cap.* 10. Actuar. *lib.* 7. *meth.*1.Raſis 9. *ad Almanſ.cap.*70.Halyabbas *lib.*7.*pract.* 40.Serap.*tract.*6.*cap.*15. Albuc. *part.* 2. *Chirurg. cap. de vtilitat.phlebotom.* Rabbi Moſes de Ægypto *particul.* 12. *ſuor. aphor.* Auic.4.1. *cap.* 20.*prop.fin.* docens *dextri lateris ſectionem in extrema manu,doloribus hepatis conferre, & in ſiniſtra factam doloribus ſplenis opitulari.*& 22.3.*tract.*2. *cap.*24. conferens venam quæ eſt in pede , inter digitum minimum & annularem,cum vena iſchiatica,docet illius venæ ſectionem eſſe vtiliorem,quàm ſit ſectio iſchiaticæ; ſicut ſaluatella magis iuuatiua eſt quàm baſilica , in ſplenis,

ſplenis ; & hepatis ægritudinibus. Huius ſententiam approbant , qui in ipſo interpretando primas tenent. Gentilis enim harum venarum ſectionem vt incantamentum prodeſſe , eſséque expertorum iuuamentorum *ibi* inculcat.

Quo factum eſt , vt in productis venoſi generis morbis, febre ardenti, tertiana, & erraticis , harum venarum ſectio plurimùm proſit. In oculorum morbis , qui à partium interiorum ſqualore,& viſcerum calida intemperie ferè dimanant & fouentur, proficuum ſit auxilium, quo, ventilato iecore , plurimos quibus cæcitatis periculum imminebat , ad ſanitatem reſtitutos felici experimento conſpexi. Sic in grauidarum vomitu,à bilioſo acríque humore pronato , ſectio huius venæ non leue ſubſidium præſtat ; nam iecori, affectionis origini , plurimùm confert, ex Mercat. *lib.3.de morb. mulier. cap.12. in fin.* Sic in obſtructione hepatis, cutaneis , & melancholicis affectibus, ſordidis vlceribus,cutis fœditatibus;& præſertim in malignis febribus,& peſtiferis,præmiſſa tamen copioſiori ex aliis venis phlebotomia , non contemnendam attulit vtilitatem, vt latè docent Ludouic. Mercat.*lib.1. Indicat. cap.4.num.*100.Lupeus *2.enchirid.cap.6.*Ioan.Colle *lib.6. de morb.malig.cap.5*. Demum ex Lupei ſentent. in annot. in omnia opera Gal. *in com.89.lib.4.de rat.vict.* in aſcite, & tympanite,quando ex hepatis æſtu, & inflammatione oritur hoc malum , ex his venis , ad remittendum iecoris feruorem,ſanguinis detractio vtilis eſt : firmat Petrus de Peramat. *lib.de vacuand. rat. cap.29*. Hæc enim ſectio celebratis priùs vniuerſalibus vacuationibus ſummè iuuat; quæ , vt ipſe refert , non ſiniſtrè ſuccedere ſolet. Quod etiam confirmat Arnald. *in com. cap.103. regiminis Salernitani.*Sequitur Amatus 7.*centur* 49.Cardan. *lib.art.paru. fol.*113. Montuus *lib.4. haloſ.feb. c.9.* & poſt hos Hieronymus Nunius Ramires *in com. cap.16.Gal.de curand.rat. per ſang. miſ.* eruditè explicuit.

Hanc doctrinam oppugnant , viri in palæſtra literaria alioquin peritiſſimi,Ferdinand.Mena *in com.cap.4.Gal.de curand.rat.per ſang.miſ.*Sequuntur Horat. Augen.*lib.9.de ſang.miſ.cap.6 & 8.epiſtol. epiſt.vlt.*Ioan. Baptiſt. Siluatic. *controuerſ.*43.Qui pluribus opinionem ſuam ſtabilire nixi ſunt.Primò.Quòd hæ venæ rami ſint venæ cephalicæ,licèt augeantur ex ramo venæ baſilicæ,qui ramus per partem interiorem fertur decliuis , & in carpo reuertitur ad partem externam,iuxta digitum minimum & annularem, vbi plerunque coit cum ramo venæ cephalicæ, vt notant Verſal. *lib.3.de fabric.cap.5*. Valuerda *lib.6.anatomiæ, c.8.* Quare aſſerunt in affectibus iecoris, & lienis,parùm,vel nihil harum venarum ſectionem prodeſſe poſſe,aut certè non eſſe ſecandas in manu, ſed in carpo , vbi ramum cephalicæ non admittunt. Secundò.Quòd nullibi de eis venis mentionem faciat Gal. aut ſi facit , dubius ancépſve apparet,ídque ex aliena mente pronunciat & nõ æquam, ac ſectionem baſilicæ vtilitatem afferre docet. Tertiò Quòd ex iis venis nihil effluat mentione dignum, quum paruæ ſint exiles,& à viſceribus longè diſtantes : Et cùm maximè ſpectetur in ſecandis venis rectitudo à veteribus tantoperè celebrata,ſecta vena latiori,& ex qua plus ſanguinis effluit, maiorem ſeruari rectitudinem aſſeuerant. Qua de cauſa tenues ramuſculi per plures anfractus delati,non ſunt quærendi. Quapropter ſatius putant baſilicam tundere,quàm eas venas,quarum ſectionem plurimis obfuiſſe ipſi aſſeuerant.His fortè conuictus Columbus 6. *lib.6.anatom.in med.*erraſſe Arabes affirmat,qui ſaluatellæ venas in affectibus lienis auxiliari putant.

Sed hæc virorum eruditiſſimorũ opinio , futilis procul dubio eſt , & ficulnea , vt cuilibet veritatem expendenti cõſtabit facilè.Licèt enim baſilica,& illius ramus maiorẽ habeant cum hepate per vaſorum communionẽ conſenſum,tamen maiorẽ cum eo habent ſaluatellæ ſympathiã; & cognationẽ,vt *infrà* ex Paul. doctrina latiùs explicabimus : quamuis enim videatur Gal.harum ſectionem non magni feciſſe , eam tamen nunquam reprobaſſe inueniemus.Locus autem Gal.citatus ex *c.16.lib.de ſang.miſ.* non videtur legendus negatiuè:ſed affirmatiuè,& ſic particula illa[*haud*]tollenda eſt, vt in margine emendatorum codicum rectè animaduertitur.Quòd ſi particulã hanc auferre diſpliceat, Dic.Gal.ibi velle ſectionem ſaluatellarum non æquè iuuare ac ſectionem baſilicæ, factam in initio morborum.Quo tẽpore huius ſectio vtilior eſt,quod nos concedimus. Et cùm hæ venæ exiles ſint, videantúrque non poſſe multum ſanguinis euacuare:verum quidem id eſt,ſi ad Gal.morem attendamus;priores enim Græci ſecare venas extremarum partiũ in balneo ignorarunt:quod argumentũ *in lib.3.huius operis,Hiſtor.1*. agitabimus,qui vſus apud Mauritanos frequentiſſimus, vt conſtat ex Auic.4. 1.*c.*20. Raſio *tract.7.ad Alm.c.21.prop.fin.* & noſtro æuo eſt celebratiſſimus.Hæ enim cùm pro more in balneo ſecantur,copioſiſſimum ſanguinẽ effundunt, & ſi ſanguinẽ exire permittas,priùs vita deficiet,quàm ſine ligatura ſiſti poſſit. Si autem harum ſectionem plurimis obfuiſſe aſſeuerant , ex hoc capite auxilium condemnandum non eſt, videndum enim num experientia ſit bona. Nam verum illud erit,ſi hæc ſectio intempeſtiuè,& non præcedẽtibus priùs vniuerſalibus auxiliis fuerit celebrata. Quare,vt receptui canam , hæc vena non eſt ramus cephalicæ, vt 3. *de fabric. cit.* Veſal. ait, ſed baſilicæ,vt 1.1. *doct.5.* docuit Auic. *cap.de ea vena quæ diſtribuitur per manum.*

Nam hæc ſectio eſt exercenda , quando iam remota fuerit plenitudo,in fine morbi ; quoniam exiguo humori intùs manenti,exigua vacuatio ad partem valdè diſtantem ſummoperè prodeſt.Ex hac enim ſectione facultas viſceris excitatur ad expellendum,ventilatur iecur, & internæ partes refrigerantur , quare hæc ſectio citra virium diſpendium morbum leuat , ea enim ſecta non ita eneruantur vires.Celebranda etiam eſt,quando venæ aliæ natura ſua ſunt occultæ. Vel quia viriũ aliqualis infirmitas adeſt: vel ex præcedentibus ſciſſionibus cubitus ad vlteriorem ferendam vacuationem eſt ineptus : tunc enim tempeſtiuo tempore celebrata maximum emolumentum afferre ſolet.Et vel ipſe Mena,veritate ipſa,qua nihil eſt fortius, coactus,*lib.de medend. febrib.cap.27.de curat. tertian.* hanc ſectionem maximè prodeſſe exiſtimat,quum non quidem vacuare conamur, ſed feruentes in corpore humores, in partibus noſtri corporis profundioribus; & prope membra principalia ſitos ad extremas corporis partes deriuare contendimus,ſequutus forſan doctrinam Sorani Ephei. *in introduct. cap.1.*

Qua tamen de cauſa tantam hæ venæ ſecũ afferant vtilitatem,deinceps explicandũ eſt. Inſignis Thomas à Veiga *lib.art.med.in com.c.95.* idcircò has venas ſecare,in iecoris & lienis vitiis,ex Paul.& Trallian.dictis,quàm alias ſcindere,magis eſſe proficuũ aſſeuerat, quia ſeruata rectitudine,extremus diſtãtiſſimúſque locus magis ad euacuationes vtilis eſt:è longinquo enim reuulſio ſecurior multò eſt, atque præſtantior. Non placet ſolutio. Nam tunc eſſet exercenda in morbi initio , tunc enim maior fluxio irruit,& ſic adeſt maior reuulſionis neceſſitas.Quare quũ experimento omnium ratum ſit , huius venæ ſectionem non niſi in proceſſu morbi eſſe celebrandam , & maiori humoris parte vacuata, huic opinioni ſtandum non eſt.

Reſponderi poſſet,quæſiti cauſam eſſe,quòd huius venæ ſectionis beneficio tenuis ſanguis extrahatur , quo fit vt multi ſpiritus non effundantur,quod in aliarum venarum ſciſſione non contingit. Non ſatisfacit reſponſio. Nam ad vacuationem tenuis , vel craſſi ſanguinis , & ad diſſolutionem paucorum ſpirituum , non ita confert tenuitas venæ,quàm tenuitas,vel amplitudo ſciſſuræ.Quare facilius erit ex vena cubiti interna tenuem ſanguinem educere,& paucos ſpiritus reſoluere facta breui & anguſta ſciſſione ; ſicut etiam facile erit lato foramine aperto, iniecta in balneum manu,ex ſaluatella craſſum ſanguinem exhaurire.

Doctiſſimus Valleſius *lib.7.cont.5.& 2.epid.ſect.2.in com. ſent.19.* in eam abiit ſententiam vt dicat , huius rei cauſam eſſe,quoniam manus dextra eſt emunctorium iecoris, & ſiniſtra lienis. Excrementa enim ab intimis partibus ſuapte natura cõfluunt in hæc loca.Hac ratione ſqualido qui ſunt præditi hepate,in volis manuum cruſtoſam ſcabiem, & ſciſſuras patiuntur. Et quia quæ ducere oportet, quò maximè natura vergit,per loca conferentia ducenda

ſunt;

ſunt,ex Hipp.doctrina *lib.1. aph.1.* ideò hepate laborante dextram ſaluatellam tundere licèt, & liene malè affecto, ſiniſtram ferire oportet. Sic enim facillimè auocatur ad has partes humor,qui ſuapte natura ad eas confluere ſolebat,quod in proceſſu morbi,iam deonerata natura,felici euentu contingere, autumat ipſe.

Sed hæc opinio reproba eſt ob cauſas multas. Prima. Quoniam ſolùm partes principes emunctoria habent, ex quarum numero lien non eſt. Secunda.Emunctorium eſt pars ignobilis,manus autem eſt pars nobilis,& à Gal. *lib. 1.de vſ.part.4.*organum organorum nuncupatur. Tertia. Emunctoria debent eſſe propinqua membris quorum excrementa emungunt,qua ratione emunctorium cerebri eſt retrò aures,cordis ad axillas,iecoris ad inguina.Manus autem à quacunque parte principe valdè diſtat. Quarta. Emunctoria debent habere compoſitionem recipiendis fluxionibus idoneam, quare ſubſtantia conſtant laxa, & adenoſa:manus autem diſſimilem ab his naturam habent. Vltima. Emunctorium vtile eſt ad recipiendum humorem,& non ad ipſum vacuandum,qua ratione in illis non ſecantur venæ, rectè tamen cucurbitulæ applicantur, & medicamenta calida attrahentia imponuntur.Manus autẽ in harum venarum ſectione euacuationi inſeruiunt, ſed non ita tractioni humorum,vel recrementorum inſeruire poſſunt. Fortunatum autem eſt,quòd iecur,& lien in manus excrementa ſua deponant; nam quum hæ partes incendio nimio exæſtuant, potiùs in os, labia, & nares ea tranſmittunt, auctore Auic. 1. *cantic.text.*479. qui in terțiana febri,in qua ob igneum calorem accenſa bilis, inter omnes humores calidiſſima ebullit,& feruet, puſtulas in naribus , & labiis cum vtilitate ſumma euenire aſſeruit, cuius mentem ſubtiliter interpretatur Auer. *in com.*

Standum ergo Paul.dictis *in lib.3.cap.*49.Hic enim auctor videns inſufficientem eſſe allatam à ſe rationem maioris vtilitatis huius venæ,deſumptam ex præſtantiori reuulſione,quæ per eam ob maiorem diſtantiam perficitur, addit id contingere propter maiorem, quam habet, cum hepate naturalem cognationem. Nec mireris huc nos confugiſſe ; nam multi in noſtri corporis partibus reperiuntur conſenſus , quorum cauſa non ſatis patet ; qualis eſt labij inferioris ad diaphragma : nam illo attacto , aut titillatis blandè plantis pedum,ridemus,quod ad tenuitatem cutis referri non poteſt,quia cutis plantarum pedum non eſt tenuis. Sic cauterium in aurium extremitatibus, vel retrò ipſas factum,Iſchiadicis plurimùm prodeſſe ſolet , quum ab vna parte ad aliam magnus non videatur adeſſe conſenſus, vt notat Lupeus *ad cap.*13. *Gal. lib. de curand. rat.per ſang.miſ.* Conſenſus deprehenditur , quoniam quum viſcera illa malè habent , ſtatim manus afficiuntur,dextra quidem,malè habente iecore,ſiniſtra,malè affecto liene. Quare ex ſtructura manus , diſpoſitionem hepatis conatur arguere Auic.4.3. *tract.2.cap.*3.& 30.& 2.1.*doct.*3.*ſum.*1.*tract.*1.*cap.*20.& Raſius 17.*cont.c.*1.& 2. Non eſt ergo denegandum, ſaluatellarum ſectionem , ob plurimum cum hepate,& liene conſenſum, & naturalem ſympathiam , in omnibus morbis à iecoris caliditate, vel lienis intemperie calida ſubortis, ſummè prodeſſe poſſe. Sicque in oculorum affectibus mirabilem præſtare opem, & vtilitatem maximam , quam citati auctores tantis laudum encomiis celebrarunt.

Obſeruatio XLII.

Ophthalmia diuturna , dextræ ſaluatellæ ſectione curata.

OPhthalmia,plurium menſium ſpatio,laborauerat iuuenis,qui omnium auxiliorum vim fuerat expertus: poſt quæ ad cauterium in nucha acceſſit; à quo vix leuatus, arterias in temporibus ter ſecare coactus eſt, ſed incaſſum.Nam ex temporum interuallis,calidiſſima ſuborta de nouo fluxione,doloris ſæuitie opprimebatur immaniter,adeò vt oculus è propria ſede exilire videretur.Dolor vniuerſalium, & particularium præſidiorũ vires contempſerat.Secta deinde fuit vena frontis,hirudines tempori-

A bus bis applicitæ,apertæ mariſcæ,adminiſtratũ balneum, & parti dolenti diuerſimoda lauacra,& anodyna impoſita, propinata pharmaca. Quibus cùm quieſceret malum,de nouo deinceps ferociùs exacerbabatur. Quæſita fuit ſcaturigo mali. Eam in hepate ſquallido ſitam eſſe inuenimus. Quámque hæc pars, nec epithematum infrigidantium ope, nec aliis auxiliis roborari poſſet, quin calidum, acrem,bilioſúmque humorem gigneret,ad oculóſque tranſmitteret , dextram ſaluatellam tundere præſtantiſſimum conſilium iudicauimus:qua bis ſecta, humore ad lõginquã auocato ventilatóque hepate,æger ipſe nunquã ampliùs doloré perſenſit.

Quid de diarrhœa,dyſenteriáve referam,quum ab hac cauſa originem ducunt?in quibus affectibus leuandis eximiam opem præbet : aliíſve cutaneis pertinacibus affe-

B ctibus, vteri pruritu, labiorum ſciſſuris, vnguium ſcabritie,rubedine faciei, prauis vlceribus , gutta roſacea, igne ſacro, dolore hepatis , pilorum decidentia , ſudore ſuperfluo,ardore vrinæ,aſſiduo abortu,frequenti ſingultu,tuſſi ſicca, & aliis, quæ à iecoris excandeſcentia , phlogosive interna originem ducunt. Quibus leuandis harum venarum ſectio tantoperè iuuat.

Obſeruatio XLIII.

Immanis inguinum dolor ſaluatellæ ſectione curatus.

STudioſus quidam Belga cùm aſſiduis vigiliis, ſedulá-que librorum lectione corpus maceraret,eſſétque ca-

C lidiſſimi temperamenti, in febrem incidit ardentiſſimam: qua curata , ita de inguinis dextri dolore immaniter queſtus eſt,vt nullis vnquam auxiliis leuari poſſet. Applicita anodyna , imperati refrigerantes clyſteres , qui aduſtum calidúmque humorem ab hepate confluentem mitigare, & leniter vacuare poſſent. Venæ tam ſuperiores,quàm inferiores ſectæ ſunt.Impoſitæ in ano, & parte affecta hirudines. Tandem in balneum ex modicè diſcutientibus paratum ingreſſus,nihil adiumenti perſenſit, ſed dolore aucto duobus diebus inconniuis oculis ob doloris ſæuitiem perſeuerans , veluti amens de ſalute ſua deſperabat. De narcoticis in potum aſſumendis conſilium fuit inter curantes celebratum.Sed ſecta fuit primò ſaluatella dextra, poſt cuius ſectionem ita incantamenti modo à dolore leuatus eſt , vt iecinore epithematis roborato, poſt paucos

D dies omninò ſanus euaſerit. Mira ergo eſt in productis hepatis , & venoſi generis morbis ſaluatellarum vtilitas, aſſiduo experimento comprobata.

HISTORIA LV. GALENI, De Ophthalmia.

Oculorum inflammatio , ſola purgatione ſanata.

NOn enim ratio ſolùm , verùm etiam vſus ipſe indicat, aliam alij parti vacuationem congruere : Siquidem ex iis , quibus oculi tentari phlegmone cœperant , nonnullos ſola

E *purgatione per aluum , vno die ſanatos vidiſti , &c. Gal.*13. meth. cap.11.

DVBIVM XXX.

Num purgatio lippienti commoda.

PARAPHRASIS.

IN hoc capite eleganti, & verè aureo, longa & diſerta oratione confirmat Gal. quàm longiſſimè à parte tentata fluxione,hoc eſt à parte,quæ fluxione tentari inceperit,redundantem humoré reuellendum,idque in omnibus noſtri corporis particulis manifeſtè demonſtrat. Nam in quibus oculi incipiunt phlegmone tentari,ad contrariã,& valdè longinquam regionem, humoré attrahere cõuenit,

iuxta Senis edictum 6. *aph.*17. Quo, lippiéntem corripi alui profluuio optimum iudicauit, quoniam humorum abundantia ſimul vacuatur,& ad inferiora retrahitur. Meritò ergo Hipp. Galenus imitatus, incipientem oculorum inflammationem purgatione perſanat, deſumpto exemplo ab iis quæ vtiliter,& ſponte à natura fiunt,vacuationibus. Firmat Celſ.*lib.6.cap.6. tit.de mydriaſi oculorum*, quo loco cæcitatem ſine vlla manifeſta cauſa euenientem, repentina alui profuſione fuiſſe ſanatam ſcribit. Quare neceſſum eſt medicamentis moliri deiectiones,quæ omnem noxiam materiam in inferiora depellant. Quam methodum obſeruant Paul.*lib.3.cap.*22.& cæteri Græci,Arabéſque confirmant,qui in inflammatione oculorũ, hoc eſt phlegmone coniunctiua, ex Gal.4.*de compoſ.med.ſec.loc.*2. à Latinis lippitudine dicta, vacuationem per aluum, vt ſalubrem commendant,ad ſiſtendam fluxionem,retracta ad inferiores partes humorum copia; cuius ope, vel inflammatio ceſſat, vel remiſſo eius incremento, impeditur, ne in magnitudinem effatu dignam commigret affectus.

Sed plurima ſunt quæ explanationem deſiderant. Primùm. Cur expertiſſimus Galen.in hoc caſu non admiſerit venæ ſectionem, inflammatis oculis valdè vtilem, ex ipſo *ſuprà in ipſa hiſtoria*, & alibi paſſim. Secundò. Si ad inferiores partes exoptat vt vacuetur humorum momentum, cur è talo ad impediendam omnimodam inflammationem, ſanguinem non emittit? Nam ſi in interna, & maximè periculoſa pleuræ inflammatione,è talo Arabum familia emittit, edocta à ſuo Magiſtro Auicen. 1o. 3.*tract.* 5.*cap.*1. Cur in externa, & non ita acuta ſecuriſſimè non adminiſtrabitur? Tertiò. Si impactus humor inflammationem committens, cùm ſit extra venas, iterum ad eas remigrare non poteſt, vt per ſeceſſum vacuetur, cur tam breuiter inflammatio ad humoris vacuationem ceſſare potuit?

Dic ad primum. Non eſſe ſemper neceſſariam in hoc affectu venæ ſectionem, niſi ſolùm quum redundauerit ſanguis:aut cum aliis humoribus fuerit exactè permixtus, ex Galen.4. *de ſanit.*4. Quum autem ſunt à ſanguinis natura valdè alieni humores, bilioſi, tenues, erodentes, & acres, tunc purgatione ij ſunt expellendi. Neque enim admodum difficile eſt cacochymiam à plethora diſtinguere. Neque omnis lippitudo venæ ſectione ob hanc rationem curari poteſt: quem modum explicat Galen. *in com. aph.* 31. *in fin. lib.* 6. *aph.* Auicen. autem ratio in hoc exemplo locum non habet, nam nos cum Galen. venæ ſectionem non eſſe neceſſariam ſupponimus, quam purgatio ſupplet.

Ad vlt.dic. Galen.13.*meth.9.* & *lib.art. Medic.*95.& 4. *de ſanit. vltim. in fin.* admittere, humores qui ſunt extra venas in corporis habitu, poſſe iterum ad venas remigrare. Res patet exemplis.Hipp.5.*aph.*65.& 2.*prog.*68.reprobat tumores repentè euaneſcentes. Galen.3. *de facult. nat.*13.*in medio.* adducit locum Hipp.*lib.de alim.* comprobantem, humores ab extimis ad interiores ſedes remeare poſſe, aut quoniam impelluntur à parte compreſſa, vt in variolis: & morbillis euenire quotidie experimur, quæ ob ambientis frigiditatem, cute denſata, & repreſſo humore ad partes internas retrocedunt. Aut quia attrahuntur à partibus internis indigentibus,ſic in vulneribus,aut vlceribus tumores euaneſcere pernicioſum; Cor enim moleſtia quadam, & angore vexatum, opes ſuas, ſanguinem nempè & ſpiritum, ex vniuerſo corporis habitu, & conſequutione, noxios humores ad intimas partes recondit. Hoc pacto humor, vel tenaciſſimè in partibus exterioribus impactus, à quo talpa, nata, aliíque Gallicani tumores oriri ſolent, validiſſimi expurgantis vi,vt ſtybij, aut pulueris Ioannis Vigonis aſſumpti efficacia,aut applicito Mercuriali vnguento euaneſcunt; quoniam horum tuberculorum cauſa, ad interiores partes,à medicamenti violentia attracta, ſputo, vomitu, & ſeceſſu vacuatur. Quòd autem cauſa coniuncta actu committens inflammationem, vel etiam extra vaſa poſita poſſit purgatione vacuari, teſtis eſt Auicen.1o. 3.*tract.*5.*cap.*2.§. *Et ſi dolor declinat ad partem hypochondriorum, tunc neceſſaria eſt ſolutio ſola,aut cum phlebotomia,ſecundum quod neceſſarium facit illud, quod teſtificatur; & illud ideò, quoniam phlebotomia ſola ex baſilica,non trahit de hoc loco aliquid,de quo ſit curandum; &c.* Vides quomodo purgationis beneficio, meliùs humor extra vaſa poſitus ad venas poſſit deduci, quàm venæ ſectionis ope: de quo argumento in 2.*lib.in com.hiſt.* 22.Deo dante affatim diſputabimus, quum pleuritidis hiſtorias fuerimus interpretati.Interim lege Thom.à Veiga, *in com.cap.*95.*art. Medic.Galen.in initio*, de hoc argumento graphicè diſputantem.

Vnum ſolùm conſtet, purgationem non ſolùm humorem fluentem,aut paratum fluere,ſed contentum in venis partis affectæ, ibique impactum, & extrauaſatum poſſe euacuare: Quo expulſo, natura partis potentior reddita, reſiduum concoquit, & reſoluit, & magis ſi inflammatio ſit recens, & humor non ita impactus. Si verò phlegmone diuturna ſit, & humor craſſiuſculus valdè ſit imbibitus,quum non ſit aptus, vt remeare poſſit ad venas, tunc per eandem partem vacuari debet.Quibus autem auxiliis id fieri poſſit, in ſuis præceptis ad oculorum dolores ſaluberrimis, eleganti carmine deſcriptis, Quintus Serenus Sammonicus explicuit diligenter, & poſt eum inter omnes eruditè explanarunt Mercatus *lib.2.de morb. inter.miſ. cap.6.* Valleriol. *lib.1.obſ.5.& lib.6.obſ.2.*

HISTORIA LVI. GALENI, De Ophthalmia.

Lippitudo, Balnei vſu curata.

*AC primùm quidem Adoleſcentem * balneaui,cui Medicus non abſque ratione ab initio venam ſecuerat,& deinceps curauerat medicinis, quas experientia cognouerat, quum inflammatio ſola obſideret oculos. Dolebat autem vehementiſſimè per quoſdam inſultus, in quibus aiebat ſe ſentire acutos humores, qui vniuerſim fluebant ad oculos, quibus excretis, licèt vehementia doloris ſedaretur; non tamen dolor omninò ceſſabat. Et hoc illi, per totam quintam accidit diem, maius ſemper habens incrementum. Cùm igitur dolorem non poſſet tolerare, me, & quendam alterum ex ocularibus Medicis aduocauit, tunc in vrbe Roma probatiſſimum. Illi itaque videbatur, vtendum eſſe collyrio quodam ex iis quæ emplaſtica, id eſt, meatus obducentia nominant, & anodyna, cuiuſmodi ſunt, quæ ex ceruſa lota, & papaueris ſucco componuntur: Nam ſic maximè ſperabat poſſe reprimi per emplaſtica id quod influebat, & ſimul ſenſum per ſtupefacientia torpeſcere. Ego verò ab initio * ſuſpecta habui talia medicamenta; neque enim vehementes reprimunt fluxiones, ſed excerni prohibent: atque ideò ſi humores fluentes acres extiterint, corneam erodi contingit: ſi verò multi, extendi, ac vehementer irritari, ac ſi rumperetur: ex quibus niſi medicamentum fuerit magnoperè ſtupefaciens, vt ex eo oculi maximam inflammationem non ſentiant neceſſarium eſt vim viſoriam adeò lædi, vt ceſſante inflammatione, vel debiliter, vel nihil omninò videant; ſimul autem quandam præduram affectionem, & quæ difficulter ſanari poſſit, in oculorum tunicis relinqui. Cùm igitur iſta nouiſſem, atque animaduerterem humorem influentem non paucum, valdéque acrem, & calidum, primùm fomento vtendum cenſui, experientiæ gratia, tanquàm ex ea certiùs cogniturus, qualiſnam foret affectio. Solet enim in his fomentum parumper quidem dolorem lenire, ſed alteram fluxionem aduocare: qua enim ratione poteſt id quod in oculis continetur diſcutere, eadem ratione alteram quoque ex vicinis locis attrahere valet. Verùm quamprimùm * aquam calidam, & ſpongiam afferri iuſſi, æger ipſe dixit ſe expertum eſſe ſæpiùs tota die id remedium, ac primùm dolorem imminuere, ſed paulo poſt maiorem adducere. Quæ ego cum audiuiſſem Medicum ocularem dimiſi, promittens me abſque frigido medicamento ægrum dolore liberaturum. Cùm autem ſolo balneo vſus eſſem, ita dolorem ſedaui, vt tota nocte dormiret æger, nec ſemel aliquem eorum qui iuxta dormiebant, aduocaret. Atque hinc in reliquis, in quibus per ſigna cognoui influere quidem humores acres ad oculos, non tamen corpus eſſe*

plenum

plenum , balnei vſu dolorem ſedaui, &c. Galenus lib.6.aph. com.31.

PARAPHRASIS.

IN oculorum dolentium medela, procraſtinandam non eſſe venæ ſectionem, docet Gal.latiſſime *in l.de curand. rat. per ſang. miſ. cap.*17. Nam balneum, citra hoc auxilium,nõ tolerat plethorica diſpoſitio,ex Gal. *lib.7.aph.*46. Si enim hæc adſit, priùs inter lauandum diſrumpentur oculorum tunicæ. Quo pacto quum propter multitudinem dolor eſſet concitatus, non abſque ratione alius Medicus venam ſecandam conſuluit, maximè cùm dolor immanis ægrum excruciaret, quo caſu non eſſe differendum auxilium,partis affectæ præſtantia manifeſtè demonſtrat. Nam oculus pars eſt noſtri corporis pretioſiſſima, quæ lucis vſu mortem à vita diſtinguit, diuiniſſima,ætherea,vt cum Platone loquar. Gal. organum lucidum appellat,nunc ſolarem animalis particulam,& meritò ſanè;nam maxima vis eſt oculorum, cui etiam omnes aliorum ſenſuum functiones tribuuntur; omnes enim externi, interníque affectus indicantur oculis, ex Hipp. 6. *epid.ſect.*4. *text.* 28. Explicat Valleſius *in com.* & luculenter Cælius Rhodigin. *lib.*3. *lect. antiq.*28.*& lib.*14. *cap.*19. quoniam oculi duo ſunt microcoſmi lumina, fulgentia ſidera, quæ dignitate, & vſu ipſi Soli non cedunt: de quorum excellentia, & ſtructura mirabili, Gal. *lib.* 10. *de vſu part.* Andreas Laurent. *lib.* 9. *de hiſt. anatom. cap.* 3. *& lib.de viſu, cap.* 3. Montalt. *lib. optic. cap.* 3. Philo Iudæus *lib. de ſpecialib. leg.* Curſ. Conimb. *ſec.* 1. *prob. de anim.* 13. Plempius *lib.* 1. *de Ophthalmographia*, & alij diligenter diſputarunt.

Quapropter pulchrè dictum eſt ab Oribaſ. *lib.* 4. *ad Eunap.* Cùm inflammatio, & dolor oculos obſident, ſi Medicus adſit, fac vt ipſe medeatur: ſi non adſit, fac tu ea quæ poſſis, quouſque Medicus accedat, ne quid deterius contingat. Vnum tamen aduertas ex Gal. *hîc*, quòd licèt digerentia medicamenta in corpore pleno inflammatis oculis applicita nocua ſint,quoniam implere potiùs,quàm vacuare poſſunt, 13.*meth.vlt.& in art.med.*95.Tamen cúm per quoſdam inſultus vehementer dolor increſceret, huius ſolius habita ratione balneum imperauit; nam hoc acrem fluxionem demulcet, & contemperat, modicè impactum humorem digerit, attenuat, rarefacit, & æquabiliter vertit in halitum, calorem partis innatum mirificè roborat ac refocillat, vires præ doloris acutie maceratas fouet ac reſtaurat, & dolorem lenit, vt veteres, & poſt eos, omnes vnanimiter confirmant. Neque fidem adhibeas Lupeo Auicennam, & Gentil. 3.3.*tract.*1.*dub.*21.carpenti, quòd balneum non in bilioſa ſolùm lippitudine, ſed in facta à materia craſſiori approbarint, quum ij nihil ampliùs faciant, quàm Galeno ſubſcribere, tum *hîc*, tum 7. *Aph.*46. nam balnei vſus craſſum ſanguinem tenuat, fundit, & eundem liquatum reuellit ad extra. Firmat Celſ. *lib.6.cap.6.rubric.*7. in pituitoſa ophthalmia id commendans, licèt magis conducibile ſit in bilioſa. Habes Galen. ſententiam euidentiſſimam contra Lupeum in Hiſtoria ſequenti, qui in craſſi, melancholicíqae ſanguinis præſentia, oculorum venas diſtendente, & inflammante, balneum ſummoperè approbat. In omni ergo lippitudine balneum eſt ſaluberrimum.

DVBIVM XXXI.

Num tentatiua curatio admittenda.

COMMENTARIVM.

B*Alneaui.*] De tentatiua curatione agit hoc loco Gal. Cùm enim inter eum, & alium Medicum, circa localium impoſitionem eſſet diſſenſio, illius conſilio balneum (fomentum, lauacrum, ſeu particulare balneum ...tellige) tentandi gratia fuit applicitum. Auxilium ſanè ...torium, & diagnoſticum. Nam ſi adhibito fomento, ... augetur, ſignum maximum, quòd in corpore lateat

A humorum redundantia, inſigni vacuatione curanda; ſi tamen contra contingit, fomenti vſus eſt accommodus valdè. De qua re vide pulchra apud Gal.2.*acut.com.* 1. & Antonium Muſam *in com.*

Neque dicas Gal. vel deerraſſe, vel dubitaſſe, num in corpore adeſſet plenitudo.Nam ſi certus erat de ea,cur illicò ſanguinem non emiſit?nam *lateris, vel cuiuſuis partis dolorem ſiue is per exordia fiat, ſiue poſtea, tentare calidis fomentis primùm diſſoluere, non abs re exiſtit*, vt *cit.nup.lib. acut.*docuit Hipp.Multò rectiùs(mea quidẽ ſententia) ingenioſus quiſque carpere Mercurialem poterat, alioqui doctum,qui *in com. huius loci, verbo, lateris autem dolorem,* miratur,quomodo Hipp.oculatiſſimus omnium Medicorum velit curare lateris dolorem, hoc eſt pleuritidem, morbum ſcientificis ſignis cognitum, 12.*meth.*7.tentatiuo B modo, & incerto. At Hipp.non obſeruat morbi naturam, ſed quantitatem plenitudinis explorat:maximè in inflammatione qualibet, quantò magis in pleuritide, cuius dignotio omnis coniecturalis eſt,& non ſcientifica,nec certa,cõpertáque; præſertim vbi in corporis imo ſita ſit, quæ dolore afficitur particula:tunc enim ab iis inchoare oportet,quæ magis auxilio eſſe tibi videbuntur:vt Gal.2.*acut. com.*2. *in fin.* affirmat. Num autem pleuritidis agnitio ſit certa, an coniecturalis, *in lib.* 2. latiùs explicabimus, *in com.hiſt.*20.

Inſuper tentatiuam curationem eſſe celebrandam in plurimis morbis, doctiſſimè inter omnes Trallia.edocuit, *lib.*2.*cap.*3. & Gal.eam denuò confirmat, quando morbus indiget vacuatione,vires autem eam non patiuntur, vt in melancholia ſæpiſſimè accidit; pro cuius morbi medela, maxima debet eſſe de ſanguine mittendo prouidentia, C quoniam corpus humectationem requirit.Si tamen ſuſpicio ſit,quòd in vniuerſi corporis venis, ſanguinis melancholici adſit abundantia, tunc tentatiuè ſanguinem exhauriendum imperat 3. *de loc. cap.*7. eúmque ita iubet emitti, vt ſi inciſa vena prauus,nigérque ſanguis extrahatur,exire permittatur; ſi verò purus, ſupprimatur: quod conſilium probant Haly 5.*pract.*23. Raſius 9.*ad Almanſ.* 13.Manard.9.*epiſtol.*2.Si verò Auic.1.3.*tract.*4.*cap.*20.*de cura melanchol.*aliter ſentire viſus eſt,hunc cum Gal. concilia,ex Coſtæo *in com.cit.loc.Auic.num.*4.

Similem curationem exequendam imperat in quartana *lib.*1.*ad Glauc.*11.qua correpti,calore ſanguinis indigent, quo in poſterum craſſus, fæculentúſque humor, huius mali cauſa,coqui poſſit; & maximè, quum in morbo diuturno timor ſit, ne extracto ſanguine vires deficiant. D Quare in his morbis à craſſo humore ſubortis, ſanguinis miſſio nihil mediocre facit: ſi quidem ſi conuenit, neceſſariáve eſt, iuuat iuuamento maximo; ſi verò neceſſaria non eſt, tunc eis eſt nociua valdè, vt 1.4.*tract.*2.*cap.*64. monuit Auic.in quantum debilitat, & in quantum educit contrarium melancholiæ.Quapropter ſi in hoc morbo,& in aliis, in quibus terreſtres, craſſi & lenti abundant humores,ſanguinis benignitate coërcendi,hic autem paucus eſt,venæ ſectio non fiat,niſi cum præmeditatione ſumma, tentatiuéque celebretur; nam deiectis viribus,citra morbi leuamen æger poſteà remedium non habet.De quo argumento vide Alphonſ.Barochium *in com.cit.aph.*

DVBIVM XXXII.

E *Num vrgente neceſſitate ſtupefacientia intra oculum imponenda.*

S*Vſpecta habui talia medicamenta.*] Stupefacientium collyriorum vſum in oculorum morbis cautè eſſe adminiſtrandum Gal.auctor eſt in multis locis.Nam ſi inteſtinis dolentibus eorum vſum tantoperè formidat, 12.*meth.*8. quoniam ab eorum aſſumptione noxæ fiunt inemendabiles, & mors contingit ſæpè, vt ex Veterum, & Iuniorum mente,plurimis allatis in medium hiſtoriis firmat Marcel. Donat. *lib.*4. *de medic. hiſt. mirabil. cap.*18. quoniam licèt ad tempus minùs dolentes ægri reddantur, affectus fit maior deinceps,& immanior; nam & inteſtinorum tunicæ frigiditate medicamenti denſiores euadunt, minuſque

tranſmittendo

tranſmittendo flatui aptiores,& ipſe humor tum craſſior, tum ineptior euadit: Cur nos ex Galen.mente intra oculum ſtupefacientia imponemus? Nam præterquàm quòd hæc pars ad vitam maximè eſt neceſſaria, non eſt patentibus cauitatibus prædita, per quas excrementa expellere poſſit; quo fit vt ſuſpecta ſint;& periculi plena; vis enim viſoria horũ vi,& frigiditate ſummè hebetatur, ſpiritúſque infrigidati, velut immobiles fiunt, operibúſque inepti & incõmodi, & cerebrũ hoc modo cõpatitur valdè. Quare prudenter ob hæc Auic.4.1.*cap*.30. ſatius duxit ea per os aſſumere, quàm oculo imponere. Quæ in omni partium vehementiſſimo dolore ſolùm, vel in intenſa vigilia; violenta ferináque tuſſi, in potum eſſe exhibenda aſſeuerat ipſe, *lib.9.de comp.med.ſec.loc.cap*.4. Rurſus. Si ab opio extrà appoſito plurima damna, & mors accidit frequenter. vt infrà *in hoc lib.in com.Hiſt*.61. latiùs comprobamus; cur intra oculum ſtupefacientia imponentur?

Sed licèt hæc vera ſint, præſtat in deſperato caſu anceps auxilium experiri, quàm nullum; quum melior ſit, & magis optanda noxa ex ſtupefacientibus illata, quàm mors, ex Gal.*lib*.12.*meth.cap*.1.

Hic ergo auctor extrema neceſſitate coactus, ſtupefacientium vſum intra oculos concedit, 12.*meth.cap.vlt*. per hæc verba. *Iam verò collyria, quæ ex opio fiunt, vehementiſſimos oculorum dolores remittere omnes nôrunt: vtendúmque (vt prædiximus) his eſt, quum maxima neceſſitas vrget, illud minimè ignorantibus, particulas ipſas nonnihil lædendas, imbecillioréſque in reliquam vitam ex refrigeratione futuras; cæterùm ſalutis hominis in præſens, ipſam futuram poſteà noxam poſt habentibus. Siquidem non paucos eorum, qui his ſunt vſi, eò infirmitatis veniſſe, vt alij ferè nihil viderent, alij propemodum ſurdi forent, id omnibus iam notum eſt. Itaque nos, ſiquando cogimur his vti, poſtmodum in ſanitatis tempore particulas ipſas excalfacimus, nempè auribus oleum id, quod ſolum caſtoriũ habet infundentes: oculis vero collyria, quæ tantùm excalfaciant: ad quod ſcilicet munus maximè id probamus quod ex Cinnamomo conficitur, &c*. Qua eleganti oratione dubium abſoluit. Cuius mentem explanat Paul.*lib*.3, *cap*. 22.§. *Si magna doloris neceſſitas eſt, etiam opij pauxillum adiicitur; vbi dolor abeſt, ſtupefacientia vitari debent, &c*. Firmat Auic.3.3. *tract*.1.*c*.9.*prop.fin*.§. *Et quandoque doloris vehementia facit neceſſariam ſtupefacientium adhibitionem, ſicut ſucci pomorum mandragoræ, & lactucæ, & papaueris, & aliquid ex ſumach; & prætermittantur illa, quantum eſt tibi poſſibile: quòd ſi aliquid eorum adminiſtras propter neceſſitatem, adminiſtra ipſum ſecundùm cautelam, &c*. Reprobant ergo ſupra citati auctores, citra neceſſitatem ſtupefacientium vſum: quum tamen hæc adeſt, cautè, & cum modo admittunt. Quam diſtinctionem Iuniorum doctiſſimi confirmant, de quorum numero ſunt Euſtach. *lib*.1.*prax.cap*.20. Holler.*lib*.1.*de morb.intern,cap*.19. Mercurial. *lib*.1.*prax.c*.38. Iacchin.*in com.cap*.16.*lib.9.ad Almanſ*.& eruditiſſimè ante omnes Matthæus *ad cit.cap. Raſis, lib.9. ad Almanſ*. patefecit.

DVBIVM XXXIII.

Num medicamenta actu frigida oculis imponenda. Contra Matthaeum, & Pareum, Medicos eximios.

A*Quam calidam.*] Cur aqam calidam exoptat, ſi medicamenta oculis imponenda, actu frigida debent admoueri, ſicuti in auribus calida? vt ait Meſuë *cap*. 1. *de curis ægritudinum aurium*. §. *Poſt hanc autem non prætermittimus, quòd medicamenta quæ diſtillantur in oculos, ſemper actualiter frigida immittenda ſunt; quæ autem in aurem, tepida, aut calida ſunt apponenda, &c*. Patet manifeſtè. Nam à frigidis oculi non læduntur ob pinguedinem multam, & conuerſationem cum aëre externo: at calida applicita mouent fluxionem in membro molliſſimo; & maximè cùm apud Ariſt. 31. *part. problem*. 23. oculi in ſanitate nunquam rigeant, quoniam opimi ſunt, & adipe copioſo circumfuſi; accedit ſpirituum animalium copia, & perpetuus eorum motus. Præterea ſpiritus viſorius ab oculo propter reritatem facilè exhalat; quare frigida conferunt retinendo ſpiritum: & eò ampliùs quum medicamenta actuali calore non indigeant ad penetrationem: ſunt enim oculi nudati. Ex quo patet grauiter deceptos fuiſſe Matth.*lib.9.ad Almanſ.in com.c*.15.& Paræum *lib*.9. *cap*. 24. medicamenta oculis apponenda ſemper debere eſſe calida, affirmantes. Si tamen Gal.10. *ſimpl.tit. de ſero lactis*, lac ab vbere recens oculis imponit, cum Aëtio *tetrab.2.ſerm.3.cap*.7.& hic Gal.aquam tepidam: ſedandi doloris cauſa id efficiunt. Ipſe enim totam dirimit controuerſiam *lib.4.de comp.med.ſec.loc.cap*.2.de Ophthalmia; ibi enim lac ab vbere recenter extractum oculo adhibet, nonniſi in vehementi dolore, aut ab inflammationis magnitudine; vel influentium humorum acrimonia concitato.

HIST. LVII. GALENI, De Ophthalmia.

Adoleſcens, potu meraciori vſus, à lippitudine liberatur.

A*Doleſcens item alius fuit, qui quòd vicinus vrbi non erat, oculorum inflammationem pluribus iam diebus ruri paſſus fuerat. Hunc, quia in eodem ſtatu perſeuerabat, in vrbem profectum intuitus habere oculos ſquallidos quidem, ſed valdè tumidas, ac plenas ſanguine eas, quæ in ipſis venas erant, iuſſi vt cum ſe lauaſſet, potu vteretur meraciori, & ita ſe ſomno traderet, quod & factum eſt. Somnus enim profundus eum inuaſit, & manè ſine dolore ſurrexit, &c. Galenus* lib. 6. aph. com, 31.

PARAPHRASIS.

LIcèt Gal.non ſolùm in Hip.ſcriptis, ſed in aliis omnibus antiquorum libris obſeruet, vt non temerè, quæ quiſque ipſorum dixerit, approbet, ſed experientia & ratione, verúmne an falſum ſit, quod ſcripſerunt, examinet; Nam qui ſe vnius auctoris doctrinæ veluti ſeruos, aut libertinos addixerunt, ſimulátque ab eo ſcriptum aliquod inuenerunt, inconſideratè ac temerè credunt, vt ipſe refert 6.*epid.ſect.2.com*.25. quum incredibile ſit, quod probatione caret, 6.*epid.ſect.4.com*.19. quæ enim comprobantur, maiorem fidem accipiunt; ex ipſo, *lib.1.epid.ſect.1. in præfat*. Tamen hic auctor ita Hippocraticæ doctrinæ fuit addictus, vt rationem aliquam inuenire cogatur, qua quis ſibi perſuadere poſſit, dictionem Hipp. maximè eſſe veram: in cuius rei confirmationem, præſentem hiſtoriam adduxit, cuius fides, ratione, experimentóque ſtabilitur; aliàs in his quæ euidenter repugnant, in multis ab ipſo arguitur cuius doctrinam ſugillat aliquando, vt doctè aduertit Valleriol. 5.*enarrat*.2. Licèt plurima loca, quæ hic auctor ex Gal.ſerie contra Hipp.recenſet, commodam interpretationem patiantur, prout aduersùs hunc auctorem *in noſtro libro, De Iuniorum Medicorum, in theoria & praxi, erroribus*, latiùs, Deo auſpice demonſtrabimus.

Mirum enim eſt, & difficilè exiſtimare, merum aliquando in oculorum doloribus poſſe eſſe ex vſu, quum hoc à veritate alienum eſſe appareat; nam noxium eſt, & inflammatis oculis maximè infeſtum: caput enim tentat, oculos vaporibus implet, capitis grauitatem, palpitationémque venarum mouet, ex Gal. 2. *acut*. 34. ſitim vehementem excitat, 6.*epid.ſect.4.com*.23. & ſuo nimio feruore, innatum calorem exacuit, temporúmque facit pulſationem, *lib.4.de dif.pulſ.cap*.1. demum inflammationem ab acri, ſquallidóque ſanguine concitatam irritat, & exacerbat; & alia damna parit, quæ ab eius potu, in capitis, oculorúmque morbis calidis oriri auctores prodiderunt, & Auic.non ſiluit, 22.3.*tract*.2.*cap*.7. promptè enim ſemicrudos humores ad caput, oculóſque defert, vt Gal. 5.*aph.com*.5. latè oſtendit.

Si tamen conditiones, quas Galen. ſuppoſuit. *in com*

animaduertas, rectum fuiſſe Hipp. conſilium iudicabis. Quarum prima eſt, vt non adſit corporis plethorica diſpoſitio. Corpus ſit exquiſitè vacuatum:Feruor magna ex parte ſit extinctus;quæ omnia in declinatione contingũt. Tunc enim exhibendum eſſe merum, non ibo inficias cum Aëtio; qui *tetrab.2.ſerm.2.cap.22.* hoc argumentum lucidiùs explanauit. Hoc enim tempore mero aſſumpto, ſanguis craſſus in oculorum venis impactus, diſtendens, & excitans dolorem, attenuatur, reſoluitur, & ſpiraculis apertis, euaneſcentibúſque obſtructionibus, dolor conquieſcit. Inſuper vinum concoquit, exſiccat, emollit, & diſcutit,ex Gal.*2.de fract.72.* & ſua qualitate, humorem abſumendo, & exſiccando, ſanat eam affectionem, quam effecerat,ex Gal.*5.aph.5.* Denique ſomnum conciliat,*3.1. doct.2.cap.8.*& ſic calore adaucto,& viribus recreatis,natura noxium humorem,inflammationis cauſam vertit in halitus. Quare rectiſſimè à Gal. imperatum, vt poſt balneum,meri que potionem, æger capeſſeret ſomnum. Frigida autem ſi in hoc caſu exhibeas, nocent, nam incrudant, humorem ſuapte natura craſſiuſculum ai ctant, impactúmque reddunt, obſtructiones impingunt, dolorem augent. Ex quibus facillimè poſſunt ſo.ui obiecta.

Sed cur vtatur meraco, ſi magis exſiccat, quàm dilutum,& vigilias parit,ex Gal.*ſupra*, explicat Collæus *3.3. tract.1. in Schol. cap. 9. Auic.* dum meracum copioſiùs hauſtum, vigilias parere, moderatè verò ſumptum,dicta ratione prodeſſe affirmat. Quid autem ſit vinum meracum, vel dilutum, explicat Gal.*lib.5. de valet.tuend. vlt.* dum ad differentiam diluti,merum vocat: illud autem dicitur,cuius calor,& robur, multæ aquæ permixtione retunditur.Quare id pueris concedit Hip. *lib. de ſalub.diæt. text.5* 2.quum ſit infirmum,debile,& ventrem ſuperiorem humidiorem reddat,2. *acut.34.* De quo argumento, ſat plura dixere Alphonſ. Lupeus Cureleanus, & Valleſ. *in com.*Merum ergo huic contrarium,inter alia medicamenta oculis accommoda, præſuppoſitis conditionibus, eſt connumerandum. Vide Gentil. *in com. nup. cit. loc. Auic.* Holler.*in com.cap.4.Gal.lib.4. de compoſ.med.ſec.loc.* Ioan. Bacchanel.*lib.2.de conſenſ. medic.cap.de ophthalmia.*

HIST. LVIII. TRALLIANI, De oculi denſitate.

Oculi denſitas, mulſæ beneficio, curata.

EGo ſanè quendam denſitate oculi laborantem, mulſa curaui, quum nullum ex iis quæ mitigant, doloremque leniunt, ſopire cruciatum poſſet, ſed etiam maiorem, quàm anteà fuerit, excitaret, &c. Trallian. lib.2. cap.4.

PARAPHRASIS.

INgentibus,variiſque ægritudinibus patent oculi noſtri (inquit Celſ.*lib.6.cap.6.in init.*)qui cùm magnam partem ad vitæ ſimul & vſum, & dulcedinem conferant, ſumma cura tuendi ſunt:quorum permagnum eſſe in noſtro corpore vſum,10.*de vſu part.6.*Gal. edocuit. Omnia enim ad illos attinentia admirabilem quandam præ ſe ferunt prouidentiam: quare magni momenti eſſe illis euenientes morbos, negari haud poteſt. Vix enim reperies membrum, quod tot morborum genera patiatur, & in quorum agnitione plus Medici hallucinentur, quum ſit inter inſtrumentalia membra quàm minimum. De quorum numero Bernard. Gordon. *partic.1.cap. de hebetudin. viſus.*Ioan. Manard.*7.epiſt.3.*Ludou.Mercat.*lib.1.de morb. intern.cap.20.*ex profeſſo diſputarunt.

Ex plurimis ergo affectibus,quibus obnoxij ſunt oculi,quidam eſt,qui denſitas oculorum nũcupatur,craſſiori, denſioréque facta tunica cornea; impedita namque naturali perſpicuitate, ac trãſparentia, ſubiectus ipſi cæruleus color non ampliùs tranſlucet,& tenebroſa viſio fit; cuius cauſa putat laborans ſe per nebulam, per vaporem,caliginem,aut fumum omnia intueri:quod vitium vel ex ophthalmia,Epiphoráue renaſcitur;vel ex proprio ſit humore craſſo,concreto,ac lento; vel ex nebuloſo ſpiritu, ac difficulter reſolubili originem ducit, qui inter membranam corneam,& vueam tenaciter eſt impactus:de quo morbo Aëtius,Paul.Celſ. & Arabes ferè omnes proprium caput deſcripſerunt.

Pro quo affectu curando, plurima ab illis præter vniuerſalia,topica etiam ſolent adminiſtrari præſidia. Illis autem priùs, vt par erat, vſum fuiſſe Trallianum non ibo inficias, ſi verum eſt axioma medicum, primò curandum eſſe totum, deinde partem. Inter ea tamen quæ pituitam craſſam in quacumque oculorum parte innaſcentem ſuauiter,ac ſine dolore abſtergunt,neque iterum ſinunt eam procreari,mulſa eſt; quoniam excrementa intùs impacta, ea proiecta manere intùs nequeunt: mirificè enim ea repurgat,& abſtergit,minimè adſtringens, denſans,exaſperans,torporem,aut frigiditatem inducens, non acris, aut mordax, imò meatus aperit, flatus diſſipat,humorem reſoluit, ac dolore liberat. Ea vtendum non ſolùm, vt ſpecillo vius eam inſtilles: ſed melius eſt ſi vitreo anguſti oris vaſe,mulſa repleto id efficias. Vtere meraca & craſſa, ita vt exiguum obſcurúmque dulcedinis ſenſum ex ſe præbeat. Loco eius mel, rhodomel, aut ſyrupus roſaceus ſubſtitui poſſunt. De mulſæ viribus, eius differentiis, parandi modo,(at plura Hipp. cum Gal.*3. acut. à text.9. vſque ad 23.*Paul. *lib.1.cap.96.* Dioſcorid.*lib.5. cap 8.* Auic. *lib.5.ſum.1.tract.6.tit.de aq. mellis*, diſputarunt. De cuius ad frigidos neruorum,& aliarum partium, pectoris,ventriculique morbos populſandos, efficacia, Lege Bernard Deſſenium *tract. de ſyrupis, tit. de melicrato*, qui huius eximias dotes, Laconicè exarauit.

HIST. LIX. AVENZOAR. De inflammatione auris.

Aurium inflammatio cum acuto dolore, oleo ex vitellis ouorum in aurem iniecto, perſanatur.

ET iam recordor, quòd miſit pro me Haly,vt ad eum Cordubam irem,cauſa, vnius apoſtematis, quod ei in aure acciderat,& inueni eum cum dolore fortiſſimo, & tremore appetente mortem,vel quòd ab aliquo occideretur, propter dictum dolorem; & hoc erat quia ipſum apoſtema erat in radice neruì venientis à cerebro ad ſenſum auditus, & iam ſpaſmari incipiebat:& tunc impleui ſtatim aurem ex oleo vitellorum ouorum tepido; & cùm permanſiſſet ſic per magnam horam, incœpit dolor mitigari: & cùm pertranſiſſent tres horæ, tota ſanies inde emanauit: & poſtea incepi abluere aurem cum aqua mellis; facta deinde decoctione corticum ſubtilium glandium, & cauda equina;& poſteà præcepi ablutionem fieri cum aqua decoctionis limatura ferri colata, & ipſam ablutionem faciebam cum penna caudæ gallinæ, & voluendo eam circum vice vna poſt aliam,donec totum euacuabatur, & optimè mundificabatur, & ſic conſumpta ſanie fuit curatus perfectè, &c. Auenzoar* lib.1. Theizir. tract.4. cap.1.

PARAPHRASIS.

AVrium dolorem acutum, & maximè cum febri continua,ac vehementi, periculoſum eſſe, memoranda quadam ſententia edocuit Hipp. *lib.3.prog.1 3.* præſertim cùm auditorius meatus internus inflammatione fuerit affectus;periculum enim delirij,mortiſque imminet,nam ob ſæuos aurium dolores,plurimi,perducto in conſenſum cerebro,conuelluntur, delirant,& moriuntur ſubitò, antequàm humor vel diſcutiatur,vel ſuppuret Quoniam,vt inquit Auic.4.3.*cap.6. Peruerſior dolorum auris eſt ille, qui ex apoſtemate calido,profundo, inflammatiuo, & illud eſt cum febri inſeparabili, & propriè cum perducit ad permixtionem intellectus, &c.* Quæ omnia Celſ.*lib.6.cap.7.* Gal.3.*de compoſ.med.per loc.cap.1.* Paul.*lib.3.cap.23.* Tral. *lib.3. cap.1.* doctiſſimè explanat.

Adfuiſſe

Adfuiſſe inflammationem auris internam in hoc ægro; ex contextus ſerie dilucidè patet; non abfuiſſe febrem, ab illa ferè inſeparabilem, cuipiam erit manifeſtum, qui partis huius præſtantiam, magnum cum cerebro neruíque conſenſum habentis, exactè agnoſcit, in qua acer tenuiſſimúſque ſanguis, ab internarum meningum, vel aliarum partium venis eò irruens, tandem computreſcit: præſertim dum pus conficitur; extenta ſimul, ac concalfacta particula, ex naturæ conatu, vnionéque natiui caloris ad coquendum, ex humoris impacti feruore, & ebullitione, & ex nouo ob hanc cauſam, ad partem debilem humoris confluxu: ex his enim omnibus cauſis febrem, ſuppuratis particulis euenire, omnes norunt, & magis ſi ſint internæ, cordique proximæ, aut alicui parti principi vicinæ; altera-tione enim per continuum facta, & fuligine putrida cordi communicata, hoc præternaturaliter concalfaciunt, febrémque inducunt, cuius vt frequentiſſimæ in hoc morbo non meminit.

Dum ergo humor in parte affecta impactus, membranas ſua acrimonia pungit, copia diſtendit, mordaci qualitate ferit; neruos vellicat & lancinat, tracto in conſenſum cerebro, ſæpe fit conuulſio, meatu auditorio phlegmone obſeſſo, qui breuiſſimo interuallo cerebro ſociatur, qua in parte fuiſſe excitatam inflammationem, ex vehementiſſimo ægri dolore patere poteſt. Ab hac enim parte profundiori, & intimiori, humor calidus, mordax, & mobilis per patentes aditus conuolat in cerebrum, ipſum in ſui conſenſum citiſſimè ducens, plurima deinde damna parturus. Neruum enim auditorium à quinta coniugatione exoriri, Anatomici fatentur omnes, qui ſonorum omniū imagines, ad ſenſum communem, tanquam iudicem, & cenſorem vehit. Cōtra Philoſophum *lib. 1. de hiſt. animal.* 11. aditum à cerebro in neruum auditorium denegantem Dequo argumento Andreas Laurent. *lib. 11. de ſenſ. organ. cap. 13.* Iulius Caſſerius Placentin. *lib. de quinque ſenſuum anatomia, cap. 5. de ſenſ. auditus* Coiterus *lib. de inſtrum. audit.* ex Fallop. Veſal. & Euſtach. ſententia, *cap.* 17. eruditè diſputarunt. Maxima ergo eſt huius partis cum cerebro ſympathia. Nam exterior, aut nunquam vehementer dolet, aut quamuis doleat, non indè imminet mortis periculum. 3. *prog.* 14. Hæc enim pars præcipua non eſt, neque parti cuipiam primati continua.

Cúmque dolor immanis vires diſſolueret. illi occurrere tanquam ſymptomati grauiſſimo ſatius iudicauit, quum vehemens eſſet (æger enim ſe ab aliquo interfici arbitrabatur) & diuturnus, qui non ſolùm animi deliquium, ſed ſyncopen inducit, vt docent Gal. 12. *meth. cap.* 1. & Auic. 2, 1. *doct.* 2. *ſum.* 2. *cap.* 22. Non quòd dolor formaliter id efficiat, ſed quoniam quum ſit triſtis quædam ſenſatio, naturali partium ſubſtantiæ, & diſpoſitioni valdè contraria, ad ſui expulſionem, cùm ſit res noxia & moleſta, facultatem expultricem excitat; ex cuius irritatione non ſolùm in parte dolente, ſed in reliquis ob condolentiam, fit agitatio multa; ex qua inordinata commotione, ſanguis & ſpiritus concalfacti, attenuantur, & promptiùs reſoluuntur. Et hæc eſt cauſa potiſſima, quare Auic. *loc. nup. cit.* affirmat, in principio dolorem partes concalfacere, quia nimiùm ſpiritus exagitat & mouet; in fine verò refrigerare, quoniam diſſipatis ſpiritibus, & viribus exhauſtis corpus frigeſcit. Deinde dolor diſtrahit naturam à coctione, & ſanguinem auertit à fonte caloris; quo dato, nec ſpiritus commodè generantur, nec facultates perturbatæ omnia exercere poſſunt, & ſic fatiſcunt vires. Quapropter Auic. rectiſſimè dixit, 4. 1. *cap.* 1. *in fin.* vt dolorem coniunctum cum aliqua ægritudine, (acerbus ſi ſit, & intenſus) priùs curemus, quoniam vocat ad ſe curationem, & gerit vicem cauſæ ſine qua alter affectus curari non poteſt. Quando verò eſt mediocris, nec ita perturbat naturā, nec fluxiones mouere poteſt, tunc ſoli morbo opitulari licet, quo remoto, ſymptoma aufertur vt Gal. præcipit, 11. *meth.* 12. & 12. *eiuſd. cap.* 1. Hoc modo intellige Auic. 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7. *ad fin.* §. *Et quando dolor capitis coniungitur cum febre, dignior eſt curatio febris, & non doloris, &c.*

Meritò ergò oleum ex vitellis ouorum in aurem immiſit, inter cætera anodyna præſtantiſſimum, nam calidum

A eſt in primo ordine, tenuem, maximè iucundam, & mulcebrem habens ſubſtantiam, qua modicè calefacit, penetrat, rarefacit; digerit; concoquit, partem æquabiliter demulcet, & dolorem lenit, quæ omnia in anodynis medicamentis, quæ reuerà talia dicuntur à Gal. 5. *ſimpl.* 18. reperiri debent. Tepidum iniecit, ne fortè partem neruoſam, & ſuaptè natura frigidam, exactiſſimóque ſenſu prædıtam, cuius pathemata vehementia eſſe ſolent, læderet. Quo pacto, licet æger tanquam deſperatus eſſet, morbúſque veluti conclamatus, narcotica cenſuit omittenda, vt valdè nocua, & repudiata ab Auic. 4. 3. *cap.* 8. quouſque timeatur ſyncope, maximè quoniam aderant ſigna ſuppurationem præſagientia; nam tunc timor erat, ne his impoſitis, impeſè adſtrictus humor perfectam deinceps non admitteret ſuppurationem. Qua etiam de cauſa ipſe Auctor à

B calumnia liberandus eſt, ſi phlebotomiam, aliáque reuellentia auxilia in hoc præcipiti caſu neceſſaria celebranda non imperauerit, ne fortè congelaretur materia, quæ erat habitura collectionem, iuxta præceptum Auic. 1 o. 3. *tract.* 5. *cap.* 2. præſertim quum ſoli mitigando dolori eſſet intentus, nixus Hipp. oraculo *lib. 6. epid. ſect.* 5. *text.* 13. *dolori auris, lana oleo calente inuoluta*, blandiſſimè auxiliantis.

Satius tamen hoc priùs experiri auxilium iudicauit. Licèt non negandum ſit, hoc non conferente, & vrgente violento dolore, ipſum, ea quæ leuiter ſenſum ſtupefaciunt, experturum: prout Gal. *lib.* 3. *de compoſ. med. per loc. cap.* 1. Paul. *lib.* 3. *cap.* 23. Alexand. *lib.* 3. *cap.* 1. aſſeuerant: nam non mediocre periculum eſt, ne cerebrum neruo per quem facultas audiendi erogatur vicinum, conſortij lege afficiat. Magna autem ineſt, in ſedando dolore, vitel-

C lo oui efficacia, quæ in mitigandis neruorum doloribus eſt præcipua, qua eſſe præditum oleum ab ipſo extractum, firmant Auer. 5. *collig.* 48. Auic. 1. 5. *tract.* 1 o. *tit. de ol. ex vitel. ouor* Meſue *eod. tit.* Serap. tract. 7. c. 25. Monachi *in Meſuēm*, Franciſcus Veles, Gratian. Bauderonus, Londinenſes *eod. tit.* Cuius laudes eximias, & parandi modum deſcribferunt Montagnan. *antid. cap.* 6. Petrus Coudebergus. *in Cordum, tit. de ol. ex vitel. ouor.* Berturcius *tract.* 8. *cap.* 4. Valer. Cord. & Conrad. Geſner. *lib.* 3. *de amb. tit. de Gallin. part.* 2. *de vi ol. ouor.* latiſſimè.

Quo factum eſt. vt hoc præſidio recreata natura, & ſopito dolore, viribus redintegratis alacrior facta, ſubiectum humorem coqueret, & in pus verteret. Tunc enim facto emiſſario ſaniem abluere oportet. Hiſque celebratis ad ſicca, agglutinantiáque medicamenta deſcendere neceſſe

D eſt: (quod opus complere ab auctore narrata medicamenta, & maximè ferrum, fatentur omnes cum Auic. *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 251.) Summè autem ſiccantia medicamenta purulentis auribus eſſe adhibenda, allata celebri hiſtoria contra Theſſalicos acriter contendit Gal. *lib.* 5. *meth. c.* 20.

QVÆSTIO XXVIII.

Quòd vitellus oui ad caliditatem declinet, contra Mathiol. Acakiam, & Amatum, Medicos præſtantiſſimos.

COMMENTARIVM.

Vitellorum ouorum.] Offert ſeſe hoc loco non inelegans de vitelli oui temperamento diſceptatio. De hac

E enim auctores raptim differentes inuenio. Frigidum eſſe ex Gal. probari poteſt *lib.* 11. *ſimpl.* 27. qui poſtquam album ad mitigandos dolores eſſe optimum aſſeruit, licèt frigidum ſit, huic aſſimilem eſſe vitellum manifeſtè edocuit, §. *& ipſe vitellus adſimilis eſt natura, &c.* Et *lib.* 1. *ad Glauc. cap.* 9. *tertiana exquiſita correptis ipſum concedit.* Et 12. *meth. cap.* 6. in febri ſyncopali orta ex crudis ſuccis eum exhibere non dubitauit. Et *lib.* 2. *de comp. med. ſec. loc. cap.* 5. Idem confirmat Auic. 1. 3. *tract.* 2. *cap.* 24. §. *Et pone cibum eorū qui infrigidet, & humectet, aut qui eſt ei ſubtilis, ſicut eſt vitellus oui, &c.* Et 1. 4. *tract.* 2. *c.* 39. *de tertiana exquiſita.* §. *Et vitellis ouorum, &c.* Et in *tract.* 3. *cap.* 7. *de cibatione habentium hecticam.* §. *Aut vitello oui ſorbilis, &c.* Idem ſentit Tral. *lib.* 10. *cap.* 1. *tit. Curatio colici doloris ex calidis humoribus.*

His fortè conuicti Mathiol.*libr.4.epiſt.in epiſtol.Maranthæ.dicata.* Acak *in com.cap.9.lib.1.ad Glauc.*Amat.*lib.2.in Dioſcorid.in com.cap.*44.& *lib.6.centur.* 100. vitellum oui, frigidum & humidum eſſe ſibi perſuadent. Sed immeritò. Eos enim redarguit Auic.*ſententia lata lib.2.tract.2.cap.*527.*de ouis.*§.*Sunt ad æqualitatem tendentia,ſed eorum albumen ad frigiditatem,& vitellus ad caliditatem, & ambo ſunt humida,&c.* Sequitur Iſahac *lib. diatar. vniuer. cap.*54.*de ouis.* §.*Vitella ſunt calori viciniora,&c.*

Hoc ita eſſe plures demonſtrant rationes. Prima. Vitellus oui citiſſimè in ſanguinem conuertitur,ex Auic.2.1.*doct.2.cap.*15.§. *Quemadmodum ipſorum nutrientium alia ſunt, quorum natura eſt vicinior ſubſtantiæ ſanguinis. vt ſunt vitelli ouorum,&c.* Promptiſſima enim conuerſio in ſanguinem,caliditatis notam demonſtrat,&c.

II. Vitellus oui pinguis eſt, hinc in illo elementum aëreum dominari, & caliditatem vigere negari haud poteſt,& Gal.3.*de temp.*5. apertè oſtendit. Hac ratione pinguedinem calidam iudicat Gal. 4.*de vſu part.* 9. quia promptè in flammam conuertitur. Legendus Gal.2.*ſimpl.*20. Explanant Valleſius 1.*cont.*10. Carrerius *diſput.*3.*in cap.4.de loc.affect* Laurentius *lib.6.de anatom.quæſt.*5.

III. Vitellus oui ſuppurat,& hoc non ſolùm lentore ſuo,& viſcoſitate poros conſtringendo facit,quod ſuppurantium proprium eſt,5.*ſimpl.*8.ſed quoniam caliditate,& humiditate calorem partis adauget & fouet, iuuátque innatum calidum ad coquendum,quas dotes ſuppurantibus tribuit Gal.tum *loco nup. cit.* tum *lib.de remed. parat.facil. cap.de parotid.* & 4.*meth.cap.*5.

IV. Vitellus oui anodinum medicamentum eſt, ex Gal.11.*ſimpl.*27. & quum ſit tenuium partium, calefacit euacuat,digerit,rarefacit, extenuat, coquit, & æquabile reddit,quidquid in partibus aut dolore vexatis,aut humorum acrium, lentorum & craſſorum ineſt; aut multorum tenuibus ſpiramentis infarctorum; aut etiam vaporoſi, craſſi, aut admodum frigidi ſpiritus exitum commodum non habentis, inhæſit atque incluſum eſt: itaque nihil adſtrictionis habeat eſt neceſſe. Verè ergo ad hanc anodynorum claſſem, quæ ſua temperie, & moderato calore tollere dolorem nata ſunt, eſt redigendus. Cæterùm horum medicamentorum facultas, eſt eorum quæ primo ordine excalfaciunt,ex Gal.5.*ſimpl.*18.

Neque Gal. *lib.*11.*ſimpl. cit.* abſimilis eſſe naturæ pronunciauit in manifeſtis qualitatibus,ſed in mitigando dolore,vitellum oui candido adſimilem eſſe ſtatuit,vt legenti patebit: miſcetur enim vitellus ceratis morſus expertibus,vt Aëtius,*tetrab.*1.*ſerm.2.cap.*131.Paul.*lib.7.tit.de ono.* Serap. *cap.* 419. Mathæus Syluatic. & alij prodiderunt. Vel ſi vitellum ſimilem eſſe naturæ humanæ proferas, non renuam, quum omnium celerrimè partes ſolidas nutriat, ſanuinem generet in omnibus qualitatibus moderatum,& naturæ humanæ vires exhauſtas reficiat.

Tertiana verò correptis Galen. & Auic. ipſum, tanquam alimentum humectans concedunt, vt probant Cõciliat.*diff.*101.& Garzias Lopius *lib.de varia rei medicæ lectione,cap.*20.edocti ab Auic.*cit.loc.cap.*39.§.*& ſcias quòd intentio in eo quo cibantur,aut eſt humectatio,ſicut datur eis in fine de extremitatibus althaingi, & de teſticulis gallorum, & cerebellis hædorũ quidus non eſt nauſea,& vitellis ouorum,&c.* In ſyncopali verò propinat Gal. alendarum virium cauſa. Hecticis Auic.& Raſius exhibent 4.*aph. lib. tit. de ouis.*§. *humectant,& hecticis conferunt, &c.* Hi enim auctores ad ſiccitatis lapſum reſpiciunt, qui immedicabilis eſt.

Deinde ſi frigidum vitellum conſtituunt, id reſpectu teſtæ, aut albuminis intelligendum eſt, quæ ipſo, multo exceſſu ſunt frigidora. Auic. verò ſimpliciter eſſe frigidum aſſeuerat, quoniam in caliditate non multùm excedit; quod enim remiſſum obtinet calorem, frigidum dici poteſt, & è contrà. Sic ſoluit Gal.6,*ſimpl. cap.*67. vbi id quod parùm frigidum eſt, calidum vocat. §. *Atriplex humida & frigida temperie eſt,humida quidem ſecundi ordinis, frigida verò primi,quam vtique tepidam caliditatem eſſe poſuimus,&c.* Interim vide quid Laconicè proferat Coſtæus, ex Auer. Ariſt. & Alexand.mente,*in com.cap.*527.*Auic. in lib.2.tract.2.de vitelli oui temperamento.* Hi enim auctores

A ſuperioribus pugnant manifeſtè, dum luteum oui frigidum; candidum,calidum conſtituunt. Sed quam falſo nitantur fundamento, alibi contra Plin. *lib.* 10. *natural. hiſt.*53.Ariſtot.3.*de generat. animal.*1. & Auer. *eodem loco.* Alexand.*lib.2.probl.*84.pro Hip.*lib.de natur.puer.* ex luteo pullum produci,& ex albo alimentum concedi exiſtimanmante, latiſſimè *in lib.de iunior.erroril.* patefaciemus.

HISTORIA LX. RASII, De dolore auris.

Aurium dolor à frigiditate ortus, calidis auxiliis perſanatur.

B *Dico quòd paſſus eſt quidam ventum borealem valdè frigidum in capite,& auribus,& conqueſtus eſt de aure,& ingrediendo balneum, & calefaciendo aurem exteriùs, poſteà impoſito in eam guttatim oleo radicum, mitigata fuit paſſio eius,&c. Raſius.* lib.3.continent,tract.2.cap.2.

PARAPHRASIS.

Avres vtpote cartilaginoſas,& frigidas,à frigido facilè lædi, teſtis eſt Gal.3.*ſect. loc.cap.*1. & maximè à vento Borea,ſuaptè natura frigido,ex Gal.*lib.1.de temp.*2.*in med.* Siue ergo à nuda intemperie concitaretur dolor, ſeu compreſſione à frigore facta humores ex capite exprimerentur in aures, balneum profuit priùs, vt decet, purgatis corpore, & capite) ex calidis, & roborantibus medicamentis confectum,nempe ex lauro,abſinth.puleg.
C menth.ſamſuc porro, origan.aliis, additis oleis huic vſui accommodis, amygdal. amar. dulc.rutac. adipe vulpino, quem mille laudibus auctores commendant. Sicque hoc particulari balneo, circa & intus aurem celebrato, mitigata fuit affectio; quæ ſi ſola ſit, & non inueniat in corpore morboſum apparatum, permanentem morbum facere non poteſt.

Ad auris dolorem frigidum Gal.*cit.loco,*plurima auxilia connumerat Rabbi Moſes 22.*particul.aph.text.*52. oleum de ſemine cannabis proprietate quadam prodeſſe refert, Quorum auxiliorum ſyluam multiplicem paſſim inuenies apud auctores. Inter ea tamen quæ extrinſecùs induntur in aures, ad ſurditatem, tinnitum, & dolorem à frigiditate contractum, efficaciſſimum eſſe vaporem ca-
D lentis amurcæ per meatum auditorium recipere, ſibi perſuaſit Lupeus *lib.ſuo de art.curat.cap.de ſurditate.* Scribon. Larg. *compoſ.* 39. picis florem laudat, quo, felici experimento, in ſeipſo hoc dolore vexato eſſe vſum, appoſita Hiſtoria confirmat, quæ à ſuperiori minimum diſtat, idcircò eam inexplicatam relinquimus.

HISTOR. LXI. TRALLIANI, De aurium dolore.

Auris dolore laborans, iniecto in aurem Opio, vocem & ſenſum amiſit.

E *Ego enim noui quendam * ſolo vſum opio, & vocem & ſenſum ægro ademiſſe, vt ne opobalſamo quidem, aut aliis quibuſdam calidis iniectis homo ampliùs reſtitui potuerit: quocircà ſi etiam quis ob multum dolorem, opio, aut alio quodam torporis faciundi vim habente vti coactus fuerit, ſemel ipſum, aut iterum offerre conuenit: poſtea verò caſtoreum cum oleo tepido iniicere, & extrinſecùs lanam oleo calido, aut nardino, quod adipem anſerinum habeat, imbutam, omni ex parte circumdare, ſi torporem ex frigidis contractum curare moliaris, &c. Trallianus* lib.3. cap. 2.

***

DVBIVM

DVBIVM XXXIV.

Num incorrecto opio extrà appoſitionem ſit vtendum.

PARAPHRASIS.

QVòd damna afferat opij incorrecti vſus, quum id coacti neceſſitate parti cuipiam dolore afflictæ imponimus; docet hic Trallian. Et Gal. adeò timidus eſt in eius vſu,vt *lib.2.ſec.loc.cap.1.tit. de capitis dolore ex plaga,* in hæc verba prorumpat. *Raró cogimur pharmacis ex opio vti,quum videlicet præ doloris vehementia homo de vita periclitatur: Sic ex opio collyria multis detrimento fuere,adeò vt debilem oculum reddiderint, & viſus hebetudinem, auditus etiam grauitatem induxerint,&c.* Et *lib.3. eiuſd. oper.cap.1. tit.de auricularibus compoſit.*Sic ait. *Ego verò quemadmodum dixi, in vnaquaque affectione proprio vtor medicamento,ſemperque papaueris ſuccum fugio, neque niſi vrgente neceſſitate ad eius vſum peruenio,&c.lib.etiam* 8. *eiuſdem,c.3.opio iubet admiſceri calefacientia, vt ipſum reddat innocentius, quum corpora viuentium mortificationi ſimile quidpiam perpetiantur,ab omnium ex opio,& hyoſcyamo, & mandragora compoſitorum medicamentorum vſu.*Ideóque Medicis mos eſt,illis admiſcere piper, caſtorium, & crocum.

Denique adeò vſus opij ſuper affectas particulas eſt timendus, vt non niſi ſumma cum præmeditatione eo vtendum ſit, quum ex eius impoſitione innumera damna eueniſſe confirment auctores. Refert Marcus Gattinar. *cap. de cura ſoda cholericæ*, ſe vidiſſe mulierem nobilem, quæ cùm ſtetiſſet plures dies ſine ſomno,impoſito ſuppoſitorio opiato,ſupremo ſomno correpta eſt. Narrat Nicol. *ſerm.2. cap.11.* ſe vidiſſe puerum, cui ſuppoſitum fuit opium propter tenaſmonem, qui extinctus fuit illicò ab ipſo impoſito. Antonius Maria Betta *in ſuis com. in 4. fen. lib.1. Auic.* ſcribit fœminam quandam per multos dies vigilantem, aſſumpto opio; adeò profundè obdormiiſſe, vt non niſi plurimis auxiliis leuari potuerit, & tandem ſtupidam, & amentem remanſiſſe tradit. Idem affirmat Auic.16.3.*tract.1. cap.4.§. Vidimus qui ſuppoſuit ſibi collyrium, & mortuus eſt, &c.*

Narrat quoque idem Nicol. *ſerm.2.ſum.2. tract.2.c.15.* ſe vidiſſe puerum cui immiſſum fuit enema cum opio, doloris ſedandi cauſa, & mortuum fuiſſe. Scriptum reliquit Alexand Benedict.*lib.3.cap.6.ſuæ praxis*, Patauij accidiſſe, quòd Iuſtinianus in dentis cruciatu conuellere iuſſit molarem vnum, & quum dolor ingens perſeueraret; ſuadentibus nonnullis, opio ſæpiùs in cauum indito, ſupremo ſomno correptus fuit. Literis mandauit Cardan. *lib. de ſubtilit.*18. equitem quendam victorem, depoſita galea vt reſpiraret, ab inimicis copioſo intùs illito opio extinctum fuiſſe.

Obſeruatio XLIV.

Quidam auris dolore laborans, impoſito intrà aurem opio, emortuus.

HIſpanus quidam, auris vehementiſſimo oppreſſus dolore, plurimos dies inſomnis egit, in quibus vniuerſalia, & topica omnis generis auxilia ſunt celebrata, ſed incaſſum: quo cruciatu miſerabiliter afflictus, pſeudomedicorum opem implorat; hi vt ſunt ignari,& audaces, medicamenta ex opio ad prouocandum ſomnum, ſedandúmque dolorem intra aurem imponenda conſulnere: quo iniecto, poſt horam paulò quieuit; illicò tamen ingenti tremore concuſſus, ſtupidus veluti & amens remanſit,& præcedente vertigine,potentiis omnibus deinde extinctis,veluti ſideratus perpetuò obdormiuit.

Semper ergo cum opio miſcere debemus, quæ illius efficaciam retundant,vt piper,pyrethrum, & caſtorium, quod Gal. & Tral. hoc loco ſummoperè commendant Medico curaturo; nam hæc craſſitie ſua in ventriculo morantur, ſicque actionem opij retundunt: quæ magis probo, quàm ſupra ingeſtum vinum, quod tenuitate ſua

A opij vires promptè ad cor defert,vt eleganti hiſtoria probat Leuinus Lemnius *lib.2.de occult.cap.51.*

QVÆSTIO XXIX.

Quòd opium incorrectum poſſit aliquando in potum exhiberi. Contra communem Medicorum ſententiam.

COMMENTARIVM.

SOlo vſum opio.] De damno ex opio extrà appoſito ſatis multa. De noxis ex eo intùs ſine correctione aſſumpto, ſic fatur Gal.6. *epid. ſect.6. com.5. Quinetiam ad hæc modus alius indolentiæ effector eſt,ſcilicet qui ſenſum hebetat,ac ſtupefacit;in quo prudentia non vulgaris eſt,ſtupefa-*
B *ctorio medicamento alia permiſcere, neque opio ſolo vti, &c.* Et maximè quum medicamentum ſit exitiale, auctore Gal.*lib.de theriac. ad Piſon. cap.10.§. Papaueris ſuccum per ſe ebibitum, qui lethalem neſciat, eſt nemo, &c.* Nam valdè refrigerat, & vſque ad ſtuporem, & mortem perducens interimit,vt ait Gal.7.*ſimpl.tit.de papauer.*Eſſe autem venenum ſubſtantia tale,iudicat Gal.*lib.4.ſimpl.c.18.§. Multa verò, ipſo ſtatim odore aliena ſunt; pleraque pugnantiam cum homine indicant, veluti & hæc ipſa quæ nunc dicta ſunt, & cicutæ,& papaueris,& mandragoræ,& hyoſcyami ſuccus, &c.*Et *lib.2.eiuſd.cap.12.§. Vt autem ſucci papaueris, atque aliorum huiuſmodi multorum, quæ nobis, & viribus, & ſubſtantia corpus perimere nata ſunt,&c.*Si ergo eſt venenum, cur ſine præparatione,& correctione,per os exhibendum?
C *Si raró cogimur pharmacis ex opio vti,quum videlicet præ doloris vehementia homo de vita periclitatur,*vt 2.*ſec.loc.c.1. tit.de capit.dolore ex plaga,*& 8.*eiuſd* 2.Gal.affirmat; quoniam interiores partes ex eorum vſu nimis læduntur: quantò magis opij ſolius incorrecti vſus timendus eſt? Quam ſententiam Medicinæ proceres amplectuntur, & iuniores omnes confirmant.

At contraria ſententia licèt omnibus Medicis, Galen. tamen doctrinam oſcitanter ſcrutantibus, abſurda videatur, ea tamen amplectenda eſt ob cauſas multas. Nam vrgente neceſſitate opium per ſe ſolum ſine correctione propinari per os poſſe, Dioſcorid. *lib.4. ſui operis,cap.60.* ſic confirmat. §. *Opium refrigerat, inſpiſſat, ſiccátque ſumptum erui magnitudine, dolorem finit, ſomnum allicit, conco-quit,tuſſi,atque cœliacorum valetudini auxiliatur,&c.*Sequitur Gal.*lib.2.acut.com.12.§. Vt autem ſucci papaueris, man-*
D *dragoræ, & hyoſcyami, atque aliorum huiuſmodi multorum, quæ nobis & viribus, & ſubſtantia aduerſa, corpus perimere nata ſunt, portionem exiguam aſſumentes, magnam percipimus commoditatem, &c.* Et *lib.3.ſec.loc. cap.1.tit. auriculares compoſitiones Andromachi. §. Ego verò quemadmodum dixi, in vnaquaque affectione proprio pharmaco vtor,ſemperque papaueris ſuccum fugio, nec niſi vrgente neceſſitate ad eius vſum peruenio, &c.* Quorum ſententiam Arabes amplectuntur. Auic.*lib.2.tract.2.cap.526.§. Et potiùs ipſius ſit quantitas lenticula magna,&c.*Serap.*cap.374.de opio.*Raſius *lib.23.contin. tract.3. cap.1.* ad vlcus veſicæ dolorificum, cum ſemine hyoſcyami & lactuc. exhibuit in potu etiam opij,cerat.1.quæ quantitas,vt notat Apuleus *lib. de menſuris*, idem eſt ac ſemiobolus. Obolus autem eſt pondus
E medij; ſcrupuli,auctore Saladino *lib.3.de ponderib.& menſ.* ex quibus conſtat Raſ. ſex grana in potu felici euentu propinaſſe.

Deinde ſi videmus quotidiano vſu ſemine papaueris veſcentes plurimos ad ſaturitatē vſque immixto placentis, qui,vt *cit.loc.in Dioſcor.*Mathiol.notat,nec diuturniore ſomno corripiuntur, nec veternoſi fiunt; ex quo Medici edocti,intrepidè ſeminis papaueris cremorem,hordei decocto expreſſum in ardentibus febribus, ad extinguendā ſitim, ſomnúmque conciliandū ægris exhibere non verè-tùr,cur nos cogente neceſſitate opium incorrectū in potū non exhibebimus in parua doſi?quod cordatè affirmat Gentil. ex mente Raſij 1.3. *tract.3. cap.3. dub.14.* dicens: *inuentū eſſe in theriaca Cæſaris,quòd opiū per ſe datū in potu, habenti virtutē ſolutam,hoc eſt debilem ex vigiliis auxiliatur,*

& liberat,quoniam inducit ſomnum,& facit redire virtutem, &c. Quare in ardentibus febribus opium per ſe ſolum exhibere ſalubrius multò iudico,quàm alias opiatas compoſitiones , in quibus calidiſſima medicamenta ingrediuntur,quæ feruorem febris acuere , & exaſperare poſſunt. Hæc autem ſtupefacientia licèt meritò à Gal. 12. *meth.1.7.ſec.loc.3.& 9.eiuſd.4.*& alibi paſſim,in cauſa calida tutò poſſint adminiſtrari ; vel cùm æger ex tenui diſtillatione,vigiliis, & vehementi tuſſi vrgetur, vel phrenitide , ex Gal. *lib. de theriac. ad Piſ.*10.& 15. quoniam non ſolùm,vt ſenſui torporem inducentia ſalutaria ſunt, ſed etiam vt humorum tenuitatem cogentia , atque incraſſantia, & vehementem calorem refrigerantia, vt *c.8. lib.nup.cit.meth.* docuit Galen. Tamen in billioſis febribus opio ſolo vti tutius mihi ſemper viſum eſt. Quod *cit.loc.* Gentil. admonuit, in his febribus Philonis antidotum ob calidorum mixturam pertimeſcens: quum enim ex nimia caloris præternaturalis actione vis opij euaneſcat, neceſſarium eſt , vt medicamentorum calidorum intenſa caliditas, febrem exacuat, atque accendat. Securius ergo erit in acutis febribus opio incorrecto vti.

DVBIVM XXXV.

Num Opium ſit frigidum. Contra Matthiolum.

ADdiderim Opium non eſſe ita frigidiſſimum medicamentum, vt ibidem notat Matthiol.*in com.cit.cap. Dioſcor.* Nam non modò guſtu amarum, ſed & acre percipitur, adeò vt paululum in lingua detentum, os , palatum,ipſámque exulceret:quare haud dubiè putandum eſt, calidiſſimas illi ineſſe qualitates. Nec poſſum non mirari Paulum *lib.7.tit.de pauper.* Auicen *lib.2.cap.cit.* & omnes ferè de opio ſcribentes , qui ipſum in quarto gradu frigidum eſſe vnanimiter aſſeuerant ; quod & Gal.8.*ſec.loc.3.* & Auic.4.1.*cap.3.*& *lib.2.cap.cit.*confirmant,id omnibus ſtupefacientibus fortius eſſe exiſtimantes ; qua de cauſa mortificare corpora , & ad immedicabilem frigiditatem deducere affirmant , ſupremam ac excellentem frigiditatem illi concedentes. Sed quum opium amariſſimum ſit, vt fatentur omnes , & amara omnia, & exulcerantia calida ſint, vt pote à caloris exceſſu pronata, vt 4.*ſimpl.*17. 21. & alibi docuit Gal. cur opium erit frigidum , & non calidum ?

Vidit iſtam intricatiſſimam antinomiam Mathiol. *ad cit.lib.4.Dioſcorid.* qui ſuperiori victus argumento , calidum eſſe opium confirmat. Luſtrarunt eam ingenioſiſſimus Coſtæus , & ſubtilis Mongius *in com. cit. loc. lib.2. tract.2. Auic.* Sed dubij difficultate perterriti,Auer. ſolùm de hac re ſententiam legendam monent. Hic ergo auctor *lib.5. collig. cap.* 27. ſaporem amarum non perpetuò oriri ex caliditate,ſed ex frigiditate pronunciat,& poſito exemplo in opio id confirmat: quem deinde ſequutus fuit Valleriol.*lib.5.enarrat.*4.Sed quàm falſum hoc ſit, nemo non videt.Nam Gal. *lib.5.ſimpl.*26.amara, meatus repurgare, abſtergere , extenuare , incidere humorum craſſitiem affirmat. Inſuper ab infractu expediunt , extrà verò admota , ſordida vlcera repurgant, lichenas , impetigines, alphos,lentigines,& cætera quæ cutem inficiunt,delent, vt ait Auic.*l.2.tract.1.cap.3.*& Gal.4.*ſimpl.*18.19.prouocant menſtrua,conferunt excreationi ſaniei è pectore, & pulmone , phlegma craſſum , & induratum abſtergunt; quæ operationes quàm contrariæ ſint affectibus ortis ex frigiditate,patet,nam frigidum impingit,obturat,retinet, incraſſat , & cohibet.

Occurrit Valleſ.*lib.9.controu.cap.5.*dicens, nihil impedire rem aliquam poſſe exiſtere excellenter frigidam,quæ tamen nonnullas calidas ſortiatur partes , quarum occaſione amara fiat;vt cicuta,quæ frigidiſſima cùm ſit,amaritudinem non exiguam obtinet : eſt enim amarum quatenus amarum , calidum , licèt alia ratione poſſit eſſe valdè frigidum. Non ſatisfacit reſponſio. Nam hoc intelligendum non eſt de iis quæ ſummè ſunt amara , ſed de aliis, quæ cum aliquali amaritudine,aliis etiam ſaporibus conſtant; nam cichorium , roſa , aliáque quàm plura inueniuntur , quæ cum amaritudine frigiditatem obtinent exuperatiorem ; hæc enim, velut dulcia, & acria , quum ſint,mixta aliis ſaporibus refrigerantibus,actionem ſuam exercere non poſſunt, ab illis enim vincuntur, & obumbrantur. Hoc manifeſtè voluit Gal. *lib.4.ſimpl.cap.7.* in hunc modum ſcribens. *Corpus omne adſtringens ab aliis (quod ſenſu animaduerti poſſet) qualitatibus ſyncerum,perpetuò comperi experiendo frigidum : quinetiam nonnulla ex iis, quæ qualitatibus mixta erant, nempè quæ modicè dulcia, aut amara,aut acria, apertè quoque refrigerantia reperi,ſcilicet cùm in eis adſtringendi refrigerandíque facultates ita vincerent, vt alias obſcurarent, &c.*

Dic ergo , & fortaſſe meliùs , Opium medicamentum licèt frigidiſſimum,habere tamen amaritudinem in parte externa,& ſuperficiali, ratione cuius vlcerat,& calefacit, maximè quoniam amaritudo excellens cùm ſit qualitas, poterit vbicunque fuerit , eluceſcere , etiamſi pluribus contrariæ qualitatis partibus ſit admixta : Nam ſi in heminæ aquam , aloës momentum iniicias , totam ipſam amaram reddes. Sic vomitus pituitoſus amarus percipitur,ob exiguam bilis portionem illi permixtam.Sic pſyllium in internis partibus non mediocrem habet caliditatem, & in externis , & ſuperficiariis valenter infrigidat, ex Auic.*lib.2.tract.1.cap.1.* & Meſuë *tract.de ſimpl.medic. tit.de pſyl.* Sic plurima alia ob varias , quæ illis inſunt, contrarias qualitates in diuerſis partibus ſitas,contrariis, & valdè inter ſe diſtantibus pollent facultatibus.Sic lentes in ſuperficie nitroſam habent , calidam, & expurgantem vim, quum medulla frigida ſit, & ſicca. Sic braſſica, ſquamna æris , Rhabarb. laxante , & adſtringente conſtant facultate. Sic lacti triplex ineſt ſubſtantia , triplex temperamentum , & triplex actio, ex Gal.3.*alim.*15. & ſæpè alibi;præter quas tres temperies particulares,vnam demum habet, cuius gratia lactis naturam ſeruat : id in rebus accidit quæ miſcentur omnibus. Sic de Opio dicendum, id cum ingenti amatore poſſe eſſe ſummè frigidum. De quo argumento vide doctiſſimum Mercurial. *lib.2. de venen. cap.7. de opio.*

Sed ad penſum redeuntes dicimus , quod non debeamus ita vereri opij vſum,quum quotidiano auctorum experimento compertum ſit, plurimos magnam opij quantitatem ſine noxa deuoraſſe , prout ſcribunt Garzias ab Horto *in lib.de hiſtor.aromat.à Carolo Cluſ.latinitate donato*,Geufræus *lib.hiſt.cit.*Monard.*part.2.tract. de iis quæ ab India adſportantur.* Ludouic. Duret. *in Schol. cap.5. lib.2. Heller.de morb.intern.* Hi enim ſcribunt ſe vidiſſe multos, qui opium 20. gr. quantitate , vſque ad 40. gr. hord. & interdum drachmę & ſemunciæ quantitate(mirum dictu) ſine vllo damno,aut læſione deuoraſſe : quod etiam affirmant Bellonius *lib.3.obſeruat.*15. Ioan.Fragoſus *tract. de ſimpl.tit.de bangue.* Chriſtoph. à Coſta,*eod.tit.cap.vlt.* Et Heurnius *lib.3.cap.20. meth.ad praxim*, vidit ſeruos, qui ingentem Meconij copiam deuorabant,quod Indis,Turcis, & Mauritanis frequenti eſt in vſu. Hi enim (indi vocant amphyoniſtas)opium frequentant,quia huius cauſa, flatibus abundantes craſſis & frigidis,tentigine detenti,& ſatyriaſi commoti ad libidinem incitantur , & in actu venereo,flatu craſſo ex opio turgentes,diu perſeuerant , vt doctè notat Thomas à Veiga *in com. cap.40. lib.art.med. Gal. in init.*

Et licèt hi auctores ad conſuetudinem referant , & opium iſtud ſit minùs frigidum,vtpotè in eminentioribus locis pronatum , & ex papaueris albi ſucco confectum, vt refert Scalig.*exercit.*154. & 175. quod vt ſatiuum eſt, ſic cæteris papaueris ſpeciebus minùs refrigerat, (ex quo Franciſc.Alexand.*in ſuo Apolline, rad.1.cap. de papau.* ait: Neapoli fieri pulmentaria , quibus ad ſatietatem vſque plures veſcuntur) & minùs ſtupefacit, Tamen intenſam habet refrigerandi , & ſtupefaciendi facultatem. Opio ergo,vel è papaueris nigri ſucco extracto, (hoc enim verum opium nuncupamus,ex Auic.*lib.2.cap.526.*) in exigua quantitate tutò vti poſſumus. Quod ego feliciſſimo euentu in pluribus ſum expertus, qui vigiliis, doloribúſque cum intenſa febri oppreſſi , ſolius incorrecti opij vſu immunes euaſere. Obiicies cum Gal. *lib.6. epid.ſect.6.*

com.5.

*com.*5.*in med.*§.*Stuporem verò, ſiue torporem papaueris ſuccus, & alterci ſemen efficiunt. Hæc ſi ſola per pauca exhibeantur, dolorem ſedare non poterunt: quod ſi tantum ex iſtis detur, quantum acceptum ſedare dolorem poſſit, inſigni noxa membrum dolens afficietur. Igitur ne ipſum magnoperè offendatur, neque ſenſus obtorpeat, aliorum medicaminum permiſtio à Philone excogitata eſt, &c.* Ergo opium incorrectum neque in parua, aut magna quantitate exhibendum. Dic. Opium in valdè exigua quantitate aſſumptum, dolorem ſedare non poſſe ita ex improuiſo, ac in multa quantitate oblatum, & hoc eſt quod vult infinuare Gal. At melius eſt dolorem cum tutiori auxilio aliquantiſper ſedare, vt leuata deinceps natura reſiduum debellare poſſit, quàm multa opij ingeſta copia ægrum citò perire, qua aſſumpta plurimos fuiſſe interemptos narrat Plin. *lib.*20.*cap.*18. Medicaminibus autem opiatis & ſtupefacientibus licèt ſecurè vti poſſimus, ſecuriùs tamen multò ægris ardentiſſima febri opppreſſis ob dictam cauſam, opium incorrectum in parua quantitate exhibitum opitulabitur, in qua licèt ſit aſſumptum vehementiſſimè operabitur: nam huius facultas eſt valentiſſimæ actiuitatis, & qualitas ab eo directa potentiſſima eſt; & diu in agendo perſiſtit. Habet enim opium ſubſtantiam denſam, vnitam, & difficulter reſolubilem. Quare ne mireris, ſi tam parua opij quantitas, in Theriaca, Philonio, & aliis, cæterorum ſimplicium reſpectu, quæ calidiſſima ſunt, ea vincere poſſit. Nam exhibita drachma vna Philonij, ſomnus, ſopor, & indolentia ſequuntur, & hæc accidere ob valentem opij vim expreſsè monuit Gal. *lib.*5.*meth.*15. & ſic ſenſui fidem adhibere debemus, vt docet Gal. *lib. de cauſ. procatarct. cap. vlt.* 2. *de motu muſcul.* 7. *lib. de rigor.* 18. Fernel. *lib.*1. *de abdit.*10

Obſeruatio XLV.

Vmbilici dolor ſæuiſſimus cum valida febri, opio epoto, curatur.

FOEmina bilioſa, & fortis, in fœdum, Gallicum incidit vteri profluuium, quo quum eſſet afflicta, ad putridi humoris exſiccationem, mulierum conſilio, imprudens, aqua aluminoſa, muliebres partes, inguinaque multoties abluit. Poſt lotionem, reſtricta fluxione, in tam dirum incurrit vmbilici dolorem, vt plures noctes inſomnis ducens, in horas moritura ſperaretur. Illicò ſectæ ſaphænæ, hirudines ano impoſitæ, cucurbitulæ ſcarificatæ ſæpiùs femoribus applicitæ, in cruribus veſicantia admota, clyſteres omnis generis imperati, vnguenta, fotus emplaſtra varia adhibita, Supra vmbilicum hirudines, vſtiones, & ſcarificationes admotæ, purgatio diuerſis medicamentis celebrata; tandem in ſemicupium ex medicamentis anodynis conſtructum ingreſſa, aſſumptoque ter per interualla Philonio, nullo modo leuata eſt. Demùm quum in agone eſſet, & dolor ferociùs inualeſceret, opium incorrectum quantitate 12. gr. hord. in iure pulli potandum offero: aſſumpto eo in veternum mox incidit, & vnius diei ſpatio obdormiſcens, expergefacta ſine dolore ſalua remanſit.

Quare licèt negotium hoc ſit plenum ambiguitatis, & controuerſiæ: nos huic firmiter adhæremus ſententiæ, vt dicamus, opium incorrectum quandoque vtiliter poſſe eſſe ex vſu. Neque nos terrent contrariæ factionis argumenta. Neque quòd Gal. in opio ſolo exhibendo ſemper ferè fuerit meticuloſus, quare calidiſſimis medicamentis illud immiſcuit. Sed Galeni verba ſunt diligenter perpendenda. Nam ipſe non dicit, opium toto genere, tota ſubſtantia, & totis viribus eſſe naturæ noſtræ contrarium, quod eſt de ratione veneni à tota ſubſtantia talis. Neque nos negamus, venenum eſſe, ſi in multa quantitate aſſumatur, qua corpus perimere natum eſt, vt ſcribit Gal. 5. *ſimpl.* 19.§. *Veluti papaueris ſuccus, & myrrha, & ſtyrax, & crocus. Siquidem hæc ſi largiùs bibantur, quædam dementant, quædam mortem inferunt, &c.* Nam, vt ipſe 3. *ſimpl.*18. & paſſim edocuit, eorum quę frigore interimunt, nullum genere lethale eſt, ſed quantitate ſolùm. Quo fit vt in ardentibus febribus, vrgente ſymptomate, cuius cauſa, noxa, & mors time-

A ri poſſunt, tutò opium incorrectum poſſit exhiberi: nam præterquàm quòd febris, aut bilioſi, acris, erodentiſve humoris efficaciam retundit, dolores, ſymptomataque ſummoperè demulcet, quibus lenitis, ægri leuati reuiuiſcunt, & conualeſcunt.

DVBIVM XXXVI.

Num Narcotica tutiùs in cauſa calida, quàm in frigida ſint aſſumenda. Contra Amatum, & Lemoſium, Medicos doctiſſimos.

SEd quoniam in hunc de opio, ſtupefacientibuſque locum incidimus, non ſilenda eſt magna contradictio, quæ ex Gal. doctrina depromi ſolet. Is enim *in lib.*12.*meth.* B *cap.*8. de narcoticis verba faciens, illa, in cauſa calida ſecuriùs, in frigida non ita tutò poſſe propinari affirmat. §. *Næ quum mordens humor affligit, aduerſiſſima ſunt quæ extenuant & calefaciunt; poſtulat namque huius generis affectus, ſi modò curandus eſt, vt ea quæ contriſtant, vacuentur: ſi id omninò fieri nequeat, vt per epicraſim ſanetur: ſin id quoque fieri non poſſit, vt quæ torporem inferant, medicamenta exhibeantur. Quæ quanquam ſunt reliquorum communia, minus tamen hos affectus, quàm alios lædunt: quippe tenuis conſiſtentiæ, & calidarum virium, plurimi talium humorum ſunt. Quæ autem ex papaueris ſucco, & alterco, & eo modo frigidis compoſita medicamenta ſunt, ſimul omninò & refrigerant, & ſiccant: qua ratione non ſolùm, vt ſenſui torporem inducentia ſalutaria ſunt, ſed etiam vt humorum tenuitatem cogentia, atque craſſantia, prætereà vehementem calorem refrigerantia. Vbi verò craſſi,* C *glutinoſique humores exuperant, aliàs niſſima ſunt quæ torporem inducunt: cauenduſque magnoperè in eiuſmodi affectibus eorum vſus eſt, &c.* Hanc Gal. ſententiam omnes deinceps plenis, vt aiunt, vlnis amplectuntur. Solùm tamè ſibi Gal. ex directo repugnat, *cit.*12.*meth.cap.*1. qui narcotica, in frigida cauſa, cum maiori fiducia, & audacia, & ſecuriùs exhibenda eſſe, quàm in cauſa calida aſſeuerat. Dum ſic ait: *Et talium quidem medicamentorum vſus, eorum qui aduerſus ſymptoma pugnant, eſt proprius, potiſſimum vbi ex frigida cauſa dolor fuerit concitatus; obſunt enim talia plurimùm toti affectui & curationi contumacem eum reddunt.*

Amat. Luſit. 4. *centur. Schol.* 94. multis vltrò citróque rationibus ductis, concludit, tutiùs in frigida, quàm calida cauſa narcotica eſſe propinanda. Cuius opinionem ex aduerſo redarguit Gal. 12. *meth.*8.*cit.* Ludouic. Lemoſius *in comibiuus* 8.*cap.Gal.* loca pugnantia proponit, eáque con- D ciliare intendit hoc modo. Galen. ſcilicet ſoli ſymptomati opitulari, videlicet dolori, non cauſæ morbi; quia inibi ſolùm curat demulcere ſymptoma relicto affectu, quando virium robur non adeſt; & hoc potiſſimum locum habet in eo dolore qui à cauſa frigida concitatur, quoniam tunc non ſolùm contemnitur affectus, ſed augetur: in affectu calido aliter ſe res habet. Quorum opinio falſo nititur fundamento. Nam contradictio verſatur in eo; quòd in vno loco Galen. narcotica in cauſa calida ſecuriùs propinanda cenſeat, quàm in frigida; in alio loco tutiùs in hac, quàm in calida exhibenda aſſeueret. Quę quàm manifeſtè inter ſe pugnent, ille ſolus non videbit, qui in vertice, non autem in fronte oculos habuerit. Nam aduertere debebant, auxilium narcoticum cauſæ morbi ſemper obeſſe; E tuncque auxilium non vocari, quia quantum minuit dolorem, tantùm auget cauſam; & vt dicebat Gal. ad tempus leuantur ægri, proſuſque indolentes redduntur, quoniam ſtupefacientia ſua frigiditate meatuum ſpiracula, per quæ ſentiendi vis diſtribuitur, denſant, & occludunt: deinceps tamen aucta cauſa in peius ægri ruunt. Ergo narcoticorū vſus ſecurior eſt, & magis proprius, vbi ex calida cauſa dolor fuerit concitatus, & non frigida, vt in contrario textu Gal. apertè demonſtrat.

Si tamen veteres ſcripturæ intimiùs perſpiciantur, quas obſeruandas monet Gal. 6. *epid. ſect.* 3. *com.* 31. licèt difficiliùs explicentur, ego Galenica verba hoc modo adaptarem, quæ cum codice Græco veteri ampliùs conſentiunt, faciuntque hunc ſenſum. *Et talium quidem medicamentorum vſus, eorum qui aduerſus ſymptoma pugnant, eſt proprius,*

vbi ex frigida cauſa dolor fuerit concitatus : obſunt enim talia potiſſimum toti affectui, & eum curationi contumacem reddunt, Ex quibus, vt vides, nulla ſupereſſe poteſt difficultas.

HISTORIA LXII. GALENI, De Parotidibus.

Laborantium puerorum fiſtula ad parotidem ſubſequuta, emplaſtro ex argenti ſpuma, & aliis auxiliis perſanata.

*NAm quum quis in febre ex parotide ſuppurata * iudicatus fuiſſet, parua relicta eſt fiſtula, quam poſt ſex menſes à principio in agro mihi oſtenderunt : erat enim puer filius agricolæ, annos natus circiter quindecim. Huic cùm ex emplaſtro illo, quanta tunc mihi copia aderat, imponendum dediſſem, ipſe in vrbem reuerſus ſum, ac pluribus negotiis medicis occupatus, oblitus ſum eius, qui pharmacum acceperat : ſed poſt duos certè menſes in vrbem venit incolumis, quum ego euenturum non admodum ſperaſſem, immittentibus enim nobis ſuillum pilum per fiſtulam, ad articuli commiſſuram vſque procedere videbatur. Non multos poſt dies quum alius puer fortè fortuna eiuſdem cum priore ætatis, eodemque morbo laborans, mihi eſſet oſtenſus, emplaſtrum hoc impoſui, quo ille pariter ſanitati reſtitutus eſt. Ab eo tempore plurimos eodem vitio laborantes, huius medicamenti virtute liberaui, tum pueros, tum adoleſcentes, tum mulieres, &c. Hæc Galenus* lib 1. de compoſ. medic. ſec. gener. cap. 7.

PARAPHRASIS.

EX tribus parotidum differentiis narratis à Gal. *lib.* 3. *ſec. loc. cap.* 2. quandam eſſe doloroſam, ex copioſo materiæ affluxu conſtantem, fatentur omnes ; qua hunc ægrum laboraſſe, ſatis eſt manifeſtum ; quoniam ſubſequuta eſt fiſtula, quæ non niſi ex inflammatione doloroſa, ex acri, erodentéque humore conflata oriri conſueuit. Morbus ergo fuit fiſtula poſt aures, ex parotide ſuppurata pronata, cuius multas conſtituunt ſpecies Aëtius *tetrab.* 4. *ſerm.* 2. *cap.* 55. Gal. 2. *ad Glauc.* 8. Actuar. 4. *meth. vlt.* Paul. *lib.* 4. *cap.* 49. Celſ. *lib.* 5. *cap.* 28. Quorum mentem explicat eruditè Hieronymus Fabricius ab Aqua pendente *lib.* 3. *de vlcerib. cap.* 11. quarum prima eſt fiſtula calloſa, ex denſa, dura, ſolida, ſicca, indolentéque materia conſtans, cui plurima pituitæ reſiccatæ, & humoris melancholici aduſti copia eſt adiuncta, quæ omnia calli naturam conſtituunt, ex Gal. *lib. art. medic.* 91. & *lib.* 1. *de fractur.* 41. Patet hoc eſſe verum : nam Gal. exſiccantibus, carnem gignentibus, agglutinantibúſque medicamentis vſus eſt, quæ omnia callorum generationi maximè ſunt aduerſa. Si enim cum callo fuerit fiſtula, calli remotio primo loco requiritur, quod opus abſtergentibus, attenuantibus, erodentibus, vel etiam ferro, & igne perficitur. Ex quo apertè conſtat, fiſtulam, de qua hîc Gal. callum durum non habuiſſe, & eo ampliùs, quòd puer breui temporis ſpatio fuerit ſanatus.

Morbus hic contumax, & rebellis eſt, & qui præ ſui ſæuitie auxiliis medicis non ſuccumbit, de quo ſanitatem haud polliceri voluit Gal. quoniam immiſſo in fiſtulam ſuillo pilo (non ferreo, aut argenteo, ne dolorem excitaret) vt intimiùs fiſtulæ obliquitatem indagaret, ad articuli commiſſuram vſque accedere videbatur, oſſiſque corroſionem timens, de ſalute ægri erat incertus ; præſertim quoniam in ea parte apertio maior exerceri non poterat, ſi os fuiſſet labefactatum : & ſine hac, ferro, aut cauſticis medicamentis, nos non poſſe perfectam curationem exercere omnibus compertum eſſe reor, qui, quo pacto oſſa corrupta ſint tractanda, non ignorant.

Emplaſtrum autem parauit mediocriter exſiccans, deſcriptum in *cap. hoc.* Si tamen olei & aceti duplo maior ſit portio, quàm argenti ſpumæ, exſiccabit valdè : & adhuc valentiùs, ſi vetus ſit oleum, & duplum, aut triplum vtriuſque fuerit menſura, illóque bituminis inſtar nigro, & ſplendido effecto, maximam vim exſiccantém ſuſcipere; Gal. *inibi* inculcat. Acetum acerrimum ſit oportet, ex ſolo vino confectum, ſine aqua, quæ illius acrimoniam, & efficaciam refringere poſſit, quod teſte Gal. *lib.* 1. *ſimpl.* 17. magnam habet exſiccantem vim ad tertium ordinem vſque. Et licèt omnium refrigerantium tenuiſſimum ſit, 10. *meth.* 9. adſtringit tamen *lib.* 1. *ſimpl.* 18. 19. & 10. & exſiccat, quia repellendo, ſubiectum humorem euacuat, *libro cit. ſimpl.* 24.

Oleum ſit ex oliuis maturis expreſſum, 2. *ſec. gener.* 2. ſalitum, vetuſtiſſimum : hoc enim & calidius eſt, & magis exſiccat. Et vt facultatem adaugeret exſiccantem, argenti miſcuit ſpumam, quæ, ſi fidem præſtamus Dioſcorid. *lib.* 5. *cap.* 62. & Galen. *lib.* 1. *ſec. gener.* 5. adſtringit, emollit, explet cauat, excreſcentias reprimit, refrigerat, occludit, ad cicatricem ducit, & citra manifeſtam qualitatem exſiccat. Hac ratione vlcera diffiicilia ſanat, fiſtulas, vulneráque cruenta glutinat. 9. *ſimpl. tit. de argent. ſpum.* Hoc ergo generoſo medicamento, in his, cum Galenò vtere, & effectum miraberis. Cuius laudes celebrant omnes qui poſt illum primas tenuere.

DVBIVM XXXVII.

Num ſolutio febris per parotidas ſit fida, & ſecura.

COMMENTARIVM.

I*Vdicatus eſſet.*] Num febris per parotidas ſolui poſſit, & num hæc ſolutio ſit fida, & ſecura, meritò dubitari poteſt. Venerandus Senex *lib.* 1. *epid. ſect.* 1. *text.* 10. In quadam tempeſtate multis eueniſſe affirmat poſt febrem tubercula iuxta alterutram aurem, ſed citra incommodum omnibus extincta fuiſſe aſſeuerat. Et Gal. *in com.* Hippoc. rationem confirmans, dicit, parotidas in febre fieri, quando humores craſſi, crudi, multi, ob febris vehementiam caput infeſtant, quos in adenibus aurium deponit natura : & 4. *aph.* 74. breuem admodum ſolutionem fieri pronuntiat, immò breuiorem quàm per vrinas, ſi parotides, aut abſceſſus iuxta aures in febribus fiant, critico modo euenientes, quoniam à magnis morbis liberare ſolent, provt Paul. *lib.* 3. *cap.* 28. Trall. *lib.* 3. *cap.* 7. confirmant, cùm Auic. 1. 3. *tract.* 4. *cap.* 8. & 4. 3. *tract.* 1. *cap.* 24. qui lethargo, cæteriſque cerebri affectibus correptos, vt plurimùm liberari traſmiſſa materia retrò aures, non ſemel inculcat.

Verùm hæc ſolutio firma non eſt, neque ſecura, neque certam ſalutem promittit : grauis enim affectio eſt, quæ febribus laborioſis ſuperueniens, viribus iam debilibus, validum virtutis robur exoptat, ſi ad ſalutem debet finiri affectus : & licèt hi abſceſſus criſis ratione eueniant, non ſunt minùs lethales, quàm febris ipſa cui ſuperueniunt : nam ſæpiſſimè apparent, & non accreſcunt, ſed retrocedunt, quod eſt timoris & periculi plenum, vt 6. *epid. ſect.* 4. *text.* 1. monuit Hipp. hoc enim ſi accidat, monente Gal. *in com.* recidiuam expectare oportet. Rurſus. Si augeantur, remanet tamen ita intenſa febris ſicut antea, & æger tanta virium imbecillitate laborat, vt magnum aliquod auxilium tolerare, vel humorem ſuapte natura malignum, & cerebrum inficientem regulare, & ad ſuppurationem deducere nequeat. Accedit etiam quòd multoties eueniunt morbo exiſtente crudo, ob quam cauſam ægrum ſæpiſſimè mori contingit. Sic parotidibus ſuppuratis mors ſubſequuta Cratiſtonactæ qui apud Heraclium decumbebat, & pictoris ancillæ *lib.* 1. *epid. ſect.* 2. *text.* 84. Licèt enim humor intra venas ſit concoctus, parotis non æquabiliter matureſcit, quod 6. *epid. ſect.* 1. *text.* 13. condemnat Hipp. Nam tubercula non æquabiliter ſuppurantia, aliis ſtatim ſuppurantibus ſunt diuturniora, & difficiliùs curantur; aliis enim auxiliis ſuppurantes partes egent, aliis non ſuppurantes. Adde quòd non infrequenter abeunt in ſcirrhum, in vlcera praua & fiſtulas, provt noſtro ægrotanti contigit : aliquando neque ſubſiſtunt, neque ſuppurant, quum eueniant in inconſtanti, & non abſoluto iudicio, vt 1. *epid. ſect.* 3. *tect.* 27. Clazomenio accidit. Quare hanc morbi ſolutionem neque veram, neque ſecuram, immò pericu

periculoſum, & plurimis ſymptomatis comitatam eſſe iudicabis.

HISTOR. LXIII. RASII, De Parotidibus.

Solutio febris ardentis ob parotidem criticam ſuppuratam, ſed deinceps recidiuante morbo, mors ſubſequuta.

*EMurgai paratus erat ad ſirſem, & priuſquam fuiſſem vocatus ad eum, incidit in ſirſem; & fuit liberatus ab ea, quia materia fluxit ad aurem, & ortum fuit apoſtema in radice auris, & * ductum eſt ad ſaniem, & vltimò curaui eum, & ceſſauit: & remanſit aliquod reſiduum mali humoris primi morbi, quia non fuerat mundificatus forti mundificatione, niſi ſolùm per deriuationem factam ad aurem. Et hic comedit poſt hunc morbum capita, & laborauit multum, & * incidit in febrem continuam, nauſeam, murmurationem, & ventris ſtipticitatem, & ſumpſit aquam fructuum, & lenia, & eiecit ea per os: & acceſſi ad eum die tertia, & inueni quod ſuperuenerat ei vehemens ſoda, & fugiebat aſpectum lucis, & habebat rubedinem in oculis, * & patiebatur ſurditatem, & plurimum lachrymabatur, & tunc phlebotomaui eum, * non extraxi multum ſanguinem, & intentionis meæ erat ſequenti die * laxare eius ventrem, ſed eodem die leuatus eſt maiori ex parte eius quod patiebatur, & tunc apparere cœperunt ſigna ſirſem, & ideò nolui exhibere ei medicinam violentam, ſed * exhibui ei medullam caſiæ fiſtulæ, & non aſſellauit. Et deinceps eſt deterioratus, & morbus factus fuit fortificatus, & eius vrina tendebat ad croceitatem, & facies erat inflata, & intentionis meæ fuit educere ſanguinem de naribus, * & abſtinui occaſione vulgarium, & non fuit mihi viſum aliud tunc ſibi adminiſtrare niſi aquam hordei, ſperans laxare eius ventrem, & bibita nihil profuit, ſed morbus augmentatus eſt, & incœperunt ſigna mala apparere, vnus oculus diminutus eſt, & lingua vehementer denigrata, & ingroſſata eſt, & mortuus eſt eo die, &c. Hæc Raſius* in lib. de mirabilibus curis.

PARAPHRASIS.

IN laborioſis, maligníſque febribus, ab acribus mordacibúſque ſuccis circa vaſa maximi ebullientibus, & vapore ſuo cerebrum lancinantibus fieri dolorem capitis, & vigiliam, doctrina eſt ab antiquorũ peritiſſimis ſæpiùs promulgata, quam paſſim Hipp. *in Coacis* propoſuit. Qui ergo hæc ſigna in febribus fortibus habuerit, paratus eſt incidere in ſirſem calidum, hoc eſt (vt barbarorum more loquar) in cerebri, ac membranarum eius inflammationem internam, vt ex Auic. conſtat, 1. 3. *tract.* 3. *c.* 1. Nam ſirſem eſt nomen perſicum, *ſir* enim eſt caput, & *ſen* eſt apoſtema. Ab his enim vehementibus ſymptomatis diu perſeuerantibus, cerebrum, reſolutis ſpiritibus animalibus, quum flacceſcat & debilitetur, ob calorem & dolorem, (cucurbitulæ inſtar) ex inferis partibus, in quibus præeſt morboſus apparatus, humores ad ſe attrahit, vel hi in caput viribus iam exhauſtum, & ab humorum acrimonia concuſſum, & imbecille irruunt, & fit phrenitis. Compatiente autem cerebro, ac humorum copia onerato, fit vt frequenter natura, tranſmiſſa quantitate humoris, in glandulas retrò aures conſtitutas, tanquam in propria emunctoria, excrementa ſua detrudat. Illæ enim quum ſint ſatis inſignes & craſſæ, quibuſdam cerebri ſuperfluitatibus ſuſcipiendis deſeruiunt; propterea cerebri emunctoria appellantur. Nam ſunt raræ, & laxæ, ſuperuacuóſque humores, ſpongiæ inſtar abſorbent, ebibúntque, vt *lib. de Glandul. n.* 1. & 2. Hipp. monuit, & *lib.* 9. *de Glandul.* Columb. confirmat, fulcitque demonſtratione eleganti Laurent. *lib.* 5. *de hiſt. anatomic. cap.* 3.

Quo factum eſt, vt hic ab hac ſæua ægritudine euaſerit, quoniam materia fluxit ad aurem, quippe caput ex propria natura validum erat, ac firmum. In quibus enim aceruati ſunt multi ſucci, craſſi & crudi, qui propter vehementiam acrimoniamque, & febrilis caloris abundantiam, ſurſum ad caput feruntur, eos in aurium glandes deponit natura, & à grauiſſimis morbis ſeſe exonerat, vt *lib.* 1. *epid. ſect.* 1. *com.* 10. retulit Gal. qui concocti ac in pus verſi, & facto vel ab arte, vel à natura emiſſario, magnum ægris præbere ſolent ſolatium, cauſa morbi extra propulſa, præſertim quum à principio vniuerſalia auxilia eſſent celebrata.

Graue enim, & periculo plenum exiſtit, ſi primis diebus præſidia prætermittantur. Vbi enim morbus vrget, ſuíque vehementia periculum minatur, à leuibus inchoare præſidiis eſt inutile, *lib.* 1. *aph.* 6. & 5. *meth.* 15. Sunt autem magna auxililia, venæ ſectio, & purgatio 2. *aph.* 29. Poſtpoſita namque initio morbi phlebotomia nequit corpus difflari, ſicque grauata natura futuris malis deinceps repugnare non poteſt. Quo dato deleteria qualitas per vniuerſam ſanguineam maſſam diſperſa, cordi, & ſolidis partibus adhæret; vnde difficillimum eſt, aut ferè impoſſibile deinceps morbo ferociter ſæuienti reſiſtere, quoniam tranſacta fuit occaſio, quæ præceps eſſe ſolet. 1. *aph.* 1. *quum enim poſtponitur à principio, non eſt ampliùs intentio*, vt 4. 1. *cap.* 20. docuit Auic.

Sed quæres. Si parotides ferè ex multo conſtant ſucco crudo, & craſſo, cur apud Hipp. *lib. nuper cit. epid.* & Gal. *ibi*, parotidum natura in quadam tempeſtate laxa fuit, ex aëreo, & frigido humore conſtans, quæ phlegmonem citra dolorem omnibus euaneſcentem, minimè inflammationis participem creauit? Dic. Ex triplici parotidum genere, lato à Gal. *lib.* 3. *ſec. loc.* 2. grauiſſimo vno, valdè doloroſo, & cum copioſo materiæ affluxu; leuiſſimo alio, hoc eſt, cum pauca, eáque benigna materia, & abſque dolore conſtante; tertio ab his æqualiter diſtante: *in Epidemiis* de ſecundo genere loquutum fuiſſe Gal. conſtat. Nam in his parotidibus, aëreus adeſt humor, hoc eſt, ſubtilis, ſolutu facilis non contumax, neque rebellis, qui licèt ſuapte natura craſſiuſculus ſit, aliarum parotidum collatione eſt ſpirituoſior; eas namque ex bilioſiori ſanguine, & tenuiori oriri interdum, teſtis eſt Alexand. *lib.* 3. *cap.* 13.

Sed quum ſolùm excretione emiſſa ad aurium glandulas morbus finiretur, & reſiduum humoris relicti in corpore vacuatum non eſſet, neque hoc ab omni vitio humorum eſſet perfectè mundificatum, immò reliquiæ intus manerent coaceruatæ, ægerque debitum non obſeruaret regimen, ſed reprobo vteretur alimento, euenit, vt grauiùs recidiuaret: nam, vt meritò dicebat Hipp. 7. *aph.* 65. *alimentũ, vt ſano robur, ſic febrienti morbus.* Notum autem eſt in doctrina Gal. 1. *de dieb. decretor. cap.* 1. & Auic. 1. 4. *tract.* 3. *cap. vlt.* recidiuam, hoc eſt, lapſum in eundem morbum, ſimilem præexiſtenti iam ſanato, deteriorem eſſe ſua radice. Nam licèt in noſtro ægro à cauſa externa, hoc eſt, ex praua victus ratione duceret ortum, quæ omnia non ita fixam, & radicatam in corpore ſedem habent: Tamen ſemper eſt peior recidiua ſua radice, immò ſæuior, & periculoſior, quoniam virtus debilis ex præcedente morbo, denuò reuertenti ſuccumbet noua læſione labefactata; & magis ſi prior morbus fuerit malignus, & lethalis; tunc enim virtus ampliùs deiecta, victa proſternitur, & maximè ſi recidiua diu perſeueret, & ab humore firmo & ſtabili originem ducat.

Quæ omnia quum hîc concurrerent, & malum ex toto non fuiſſet eradicatum; ſed adeſſet ſemper veſtigium prioris morbi, veriſimile eſt recidiuam hanc, vnum fuiſſe morbum cum ſua radice. Ex apparatu ergo morboſo, ex copia humoris in genere venoſo relicti, ſuborto, accedente cauſa externa, ob reprobum victum recidiuauit, inciditque in febrem continuam ex bilioſo humore putrido concitatam, qui ad ventriculum corriuatus ſubuerſione quadam, & irritatione cogebat ad vomitum; factóque feruore maiori, & incendio aucto, debilitato iam valdè calore innato, & occupato ab extraneo, murmur aderat ob copiam flatuum in ventre, & aluina excrementa ob aduſtionem, & exſiccationem expelli non poterant; ebullientéque magis ac magis humore, & ſuperas partes quatiente, ſoda ingens ægrum inuaſit, ex vaporibus acribus, capútque intemperantibus concitata.

Sic

Sic debilitato capite à feriente aura, lachrymæ inuoluntariæ manabant, maximum facultatis retentricis cerebri languorem ſignificantes, & extremum periculum portendentes, iuxta Senis oraculum, *l.4.aph.5 2.& 6.epid.ſect. 1.text.21.& lib.1.prog.10.& l.2.Coacar.36.* Explicant eleganter Deſiderius Iacotius, Holler. & Ludouic. Duretus *in com.* Aderat oculorum rubedo, ob humorum calidorum ad cerebrum inflammandum raptum; & quoniam ob inflammationem, facta compreſſione, ſanguis ab intimis cerebri ſedibus ad oculos exprimitur, lucem etiam effugiebat, nequeunte natura propter imbecillitatem ferre ſplédorem. Sicut etiam non rectè audiebat, ob humoris ad cerebrum, meatúmque auditorium, confluxum.

In cuius morbi medela, ad diuertendum humorem, vacuandúmque per aluum, exhibuit aquam decoctionis fructuum, nempè prunorum, Sebeſten, Tamarindorum, & aliorum, quæ præterquam quòd humoris acrimoniam temperarent, lubricum ventrem efficerent. Sed quum æger nauſeabundus medicamentum euomeret, neceſſe fuit ad complendas eaſdem indicationes, ſanguinem aperta vena emittere: ne fortè hoc præſidio omiſſo, efferueſcente ſanguine, & maiore labe conſpurcato, vehementior fieret ad cerebrum iam imbecille euaporatio, & excitato feruore copia humorum in ſuperas partes conuolante, inflammatio cerebri denuò ferociùs inualeſceret.

Cúmque celebrata phlebotomia non poſſet impediri quominus humor in partem rueret affectam, ducere aluum neceſſarium fore putauit, quod auxilium huic vſui eſt præſtantiſſimum, ſi medicamentis ſuauibus, clementibus, & non violentis fuerit adminiſtratum, quæ reuellant, vacuent, humoris mordacitatem retundant, & infrænent: alioquin ſi fortia propinentur, ob calidiſſimorum viſcerum, hepatis & renum feruorem, ob agitationem ab iſtis medicamentis excitatam, excandeſcit bilis, humor natura calidiſſimus, & irritatur magis, & ſic æger non purgatur: aut ſi purgitur, bilis furens, feruidáque, calore ſemel concepto, in cerebrum conuolat, & febris fit intenſior, & inflammatio exacerbatur, ductóque ſic ad imbecillitatem corpore, æger poſteà remedium non habet, vt *lib.acut.cit.* retulit Hipp.

Exhibuit ergo ſiliquæ Ægyptiæ liquorem interaneum qui ex Actuarij, Arabum, Iuniorúmque ſententia retorridam bilem clementer educit, & humoris birioſi impetum coërcet, vt patet ex Actuario *lib. de compoſ. medicamentor.* Auic.*lib.2.cap.193.*Raſ.*9.ad Almanſ.cap.15.*Haly *2.pract. cap.38.*Auer.*5.collect.35.* Serap.*lib.de ſimpl.tract.1.cap.12.* Ruellio *lib.1.cap.24.* Humores enim ſurſum elatos, deorſum versùs purgatione retrahere oportet, ſic monente Magiſtro, *6.epid. ſect.2. com.9.in fin.* Sed cùm debile eſſet medicamentum, & ad humorem in cerebro contentum vacuandū, & à partibus remotis à viis ductuum attrahendum inſufficiens, commota bile, & non vacuata, æger in peius ruere viſus eſt: Morbum factum ſæuiorem demonſtrabant ſymptomata. Vrina crocea, ex iecore nimis excalfacto, & humoris biliosi ſynceri calidiſſimi copia originem ducens. Inflata facies ex flatu, genito ex debilitate innati caloris ab extraneo depopulati, ac reſoluti. Firmato autem iam in cerebro morbo, ad peculiare volebat accedere præſidium, vt morbi cauſa coniuncta elideretur, quod opus vena ſecta in lepore naſi, hoc eſt, ipſius extrema parte perficitur, cuius vi humor bilioſus in cerebro impactus promptiſſimè inducitur. In quem vſum Gal.*2.ſec.loc. cap. 2.* in dolore capitis eam feriendam iubet, & Auic. *4.1.cap.20.in fin.* Eius ſectionem in rubore, & pruritu faciei commendat Raſius *7.ad Almanſ.21.* vbi qua parte ſecanda ſit, expreſſit: nam hæc vena manifeſta non eſt. Secatur autem, cùm locus qui palpatur inter duas cartilagines digito preſſas, & ſeparatas, lanceola punctim vulneratur ob profunditatem. Sed quoniam fortaſsè æger debilis erat & cuilibet vacuationi annexus eſt caſus virtutis, timens hac de cauſa, ne ſanguine, vel ex his venis effuſo, æger viribus deficeret, ab eo recedere ſatius iudicauit, ne ſi fortè mors cõtingeret curãtis errori adſcribi poſſet. Quare eius loco ptiſſanam exhibuit, cuius beneficio, aluum prouocandam, ſimúlque temperandum humorem ſperabat.

A Deinceps ſymptomata apparuere periculoſa, & timoris plena, nempè vehemens linguæ nigredo, ab aſſante calore ſuborta, quod ſignum in ardentibus eſt peſſimum, iuxta Gal.ſententiam *lib.1.criſ.12. in prog.* & alibi paſſim. Oculi diminutio, ob huius organi retractionem contracta; vel quoniam partes internæ, affectionem mortificationi ſimilem patientes, proximæ erant extinctioni, & ſic viſorio ſpiritu, qui ampliationis oculi ſolet eſſe cauſa, ex toto veluti reſoluto, oculi minutio facta eſt, ſicque vitio in maius malum mutato, natiuo, calore extincto, mortuus eſt.

Nec deterrere nos hæc exempla debent, quominus ita affectis manum admoueamus, ſed excitare potiùs, vt ingenium exacuamus, quò optata conſequamur: Siquidem tunc noſtro officio functi ſumus, cùm omnia effecimus, quæ ratio nobis ſuppeditat, & longus vſus, peritiáque commonſtrant, vt non minùs ſcite, quàm doctè docuit Gal.*lib.6.epid.ſect.8.com.vlt.* nec enim poteſt Medicus om-

B nes ægros, quos curandos ſuſcipit, ſanos facere, auctore Hipp.*lib.1.prog.3. Solus Deus languores ſanat*, vt in præfat. ſua Meſuè dicebat. Quare Rex & Propheta Dauid *Pſalm.* 103. Dei ſpiritu afflatus, ita cecinit: *Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate; auertente autem te faciem, turbabuntur*, & Pſal.102. *Ipſe ſanat omnes infirmitates tuas, & redimit de interitu vitam tuam.* Quò alludit illud Salomonis, Sapient.16. *Neque herbam, neque malagma ſanare, ſed Domini ſermonem, qui ſanat omnia; tu,* (inquit idem) *es Domine, qui vitæ, & mortis habes poteſtatem, & deducis ad portas mortis, & reducis.*

DVBIVM XXXVIII.

Num parotidum curatio debeat fieri per reſoluentia, C *repellentia, aut ſuppurantia.*

COMMENTARIVM.

DVctum eſt ad ſaniem.] In parotidum curatione, adiuuandum eſſe motum naturæ, & pharmaca attractoria adhibenda, vt humor infixus ex profundo ad cutem attrahatur, latiſſimè docuit Gal.*lib.3.ſec.loc.c.2.* Quapropter euitanda repellentia ſunt, cùm ij abſceſſus iuxta membrũ princeps, criſiſque ratione contingant: nam ſi aliter fecerimus, vehemens dolor ægrotos infeſtat, oriuntur vigiliæ, febres intenduntur, ac labuntur vires; vt *tetrab. 2. ſerm.2.cap.89.* docuit Aëtius. Solis ergo mitigatoriis pugnandum eſt, quæ non ſolùm moderatam habeant caliditatem, verùm humorem coquere nata ſint.

D Sed quid reſpondebimus Celſo, *lib.6.cap.16.* reprimentia in iſto caſu apponenti? Illum, hæc cum diſcutientium copia permixta admiſiſſe, non nego. Vel ſi Celſum intelligas de parotidibus, quæ à manifeſta cauſa ortum ducunt, tutus incedes, quod ex ipſius contextu patet apertè, ex verbo [*cum ſine morbo intumuit.*] Ita intelligendus eſt Gal.*3.ſec.loc.cit.* dum in parotidibus aquam frigidam, & oxyeratum imponit. Hos ergo auctores ſi hoc modo non interpreteris, eos à manifeſta contradictione tueri haud poteris.

Humorem itaque lenientibus ad ſuppurationem ducere oportet, quum enim ferè craſſus ſit, & impactus, reſoluentibus auxiliis minimè cedit: in cuius humoris præſentia ſuppuratio magis optanda, auctore Hipp.*lib.6.epid. ſect.3.text.11.* quoniam eſt ſine recidiua; ipſa enim eſt con-

E coctio, iudicatio ſimul, & abſceſſus: *vlceri enim pus generãti nihil mali contingere poteſt*, ſi Gal. fides eſt adhibéda, *5.aph. com.22.* In vlcere enim pus apparere, magnum eſt ad ſecuritatem indicium, quoniam ſuppuratio minus eſt reuerſiua, quàm reſolutio. Huius enim vi, tenuis pars humoris diſcutitur, reliqua prorſus manente indurata. Et licèt reſolutio ſit præſtantior, quoniam robuſtioré præſupponit natiuum calorem, qui ſubiectum humorem vertere potuit in halitum, & cum minori moleſtia, læſionéque perficitur: eſt tamen curatio eius ope celebrata fallax, niſi humorem tenuem, flatuoſum, benignum, aëreúmque excipias, qui inſenſili reſolutione euaneſcit, quas moderatas, & beni-

gnas parotidas, plurimis in quadam tempeſtate eueniſſe affirmat Hippocrates *lib.* 1. *epid.cit.* quas citra febrem, in-commodum, ſuppurationémve extinctas fuiſſe *ibidem* inculcat.

DVBIVM XXXIX.

Num recidiua ſit peior radice.

Incidit in febrem continuam.] Dubitari poteſt, num recidiua ſit peior ſua radice. Negatiua pars ex eo videtur eſſe vera, quoniam cauſa primaria, & vniuerſalis plus imprimit, quàm ſecundaria, & particularis. 2.*Phyſ.*3.& quoniam in primo morbo materia iam erat vacuata, aliter enim morbus non quieſceret; vnde recidiua cùm minorem arguat cauſam, eſt lenior priori: & maximè quum ob aſſuetudinem prioris morbi, æger faciliùs ferat morbum, minúſque ab illo lædatur.

Pars tamen affirmatiua habetur apud Gal. 3. *criſ.* 2. *in princ.* §. *Quicunque enim morbi aliter quieuerint, maligniùs recurrunt, &c.* Et *lib.* 1. *de dieb.decretor.cap.* 1. dum dicit, recidiuam timendam eſſe in morbis, qui citra excretiones, vel inſignes abſceſſus finiuntur: vbi verbum illud [*timere,*] maius aliquod periculum habere recidiuam, quàm morbum anteà præexiſtententem, importat. Quod etiam diſertè fatetur Auic. 2.4. *tract.* 1. *cap.vlt.*§. *Recidiuatio eſt deterior radice, & conſilium quidem eſt vt in ea non fiat feſtinatio ad curandum, donec manifeſtus ſit modus ægritudinis, nam ſecundùm plurimum eſt ſæua, hoc eſt, terribilium, & periculoſorum ſymptomatum, & de morte ſuſpecta,* vt doctè interpretatur Iacobus *in com.* & ratio eſt, nam virtus ægri iam debilis ex priori morbo, nouo adueniente velut proſtrata ſuccumbat eſt neceſſe.

Hæc pars plurimis eget limitationibus. Quarum prima eſt. Recidiua vera (quæ reditus eſt ſimilis morbo præexiſtenti iam curato) ſeu falſa (lapſus in alium morbum diſſimilem) ſiue cauſam habeat materiam intra corpus relictam, 2.*aph.*12. ſiue ex errore aliunde commiſſo oriatur, tantò deterior eſt ſua radice, quantò hæc in ſe malignior fuit, & magis exitialis: virtus enim tam debilis, & deiecta remanſit, vt nouum morbi acceſſum ſuperare non poſſit. Recidiua autem, cuius radix etſi periculoſa eſt, ab ea tamen plures euadunt, ſi debitum regimen obſeruent, ſimile periculum importat, quàm ſua radix, & paulo ampliùs, quoniam ſuperuenit illi, cuius virtus anteà fuerat prædebilitata. Denique recidiua quæ affert ſecum ægritudines prolixas, cachexiam, hydropem, febrem hecticam, ex ſe tuta non eſt.

II. Limitatio. Stante paritate in ſæuitie ſymptomatum, recidiua quæ propinquior eſt ſuæ radici multo periculoſior, & deterior eſt, quoniam accidit virtute exiſtente debiliori, morbus namque debili virtute exiſtente periculoſior eſt, quàm forti, firmante Auic. 2.4. *tract.*1. *cap.*95. *de iudiciis recidiuationis.* Explicant eleganter Vallel. 10. *controuerſ.* 3. Ludouic. Mercat. *tom.* 1. *claſ.* 4. *quæſt.* 202. *part.*2.*art.*9.*num.*8.

III. Recidiua diu perſeuerans deterior eſt ſua radice, ab humore enim dependet magis fixo, ſæuo, maligno, & qui in præexiſtente morbo ob inobedientiam, & rebellionem à natura inuictus, recidiuante morbo, debilibus iam exiſtentibus viribus, plurimùm calori coquenti faceſſit negotium.

IV. Data æqualitate ſymptomatum, recidiua ex indebito regimine orta, timenda potiùs, quàm ea quæ ob aliquam cauſam latentem fieri conſueuit. Hæc enim materiam intús magis radicatam, firmam, ac ſtabilem obtinet. Illa è contra. Hæc tamen ferè intelligas velim. Nam multoties contingit, recidiuam eſſe minùs ſæuam ſua radice. Nam ſæpè poſt fortes & periculoſas febres, contingunt aliæ vnius diei, que ſponte ſua facilè conquieſcunt, quum ſint ex infauſta coctione ſubortæ. Accedit, quòd ſæpe materia eſt valdè minor, quàm radicis, & magis edomita, & error aliunde commiſſus non eſt ita inſignis.

Cognoſcitur autem recidiua futura, ſi morbus ſine vacuatione notabili ceſſauit. Si criſis fuit imperfecta, aut in die non critico ſeruata, ſi virtus ægri debilis perſeueret; ſi nauſea adſit; languidus appetitus, diminuta concoctio; corruptio ciborum, inflatio hypochondriorum, abolitus ſomnus, vehemens ſitis, tumor faciei, palpebrarum, & aliarum corporis partium; ſi æger ex accepto alimento non recuperet vires; ſi prauo colore ſit affectus, vt hic alia omittam quæ reperit Auic. 2. 4. *tract.* 1. *cap.*96. cuius mentem Gentilis intimiùs expoluit.

Ad argumenta autem facilis eſt reſponſio. Nam cauſa vniuerſalis plus imprimit, quàm particularis, id eſt, vniuerſaliùs, non verò intenſiùs. Nam ſol, v.g. quamuis vniuerſaliùs agat in generatione hominis, ac leonis, non tamen intenſiùs ac homo, & leo. Et licèt neceſſarium ſit concedere, materiam præexiſtentis morbi anteà fuiſſe vacuatam, ſaltem ſecundùm maiorem ſui partem, portio tamen illa humoris relicta fouetur; & conſeruatur ab ingeſto cibo. Quare virtute debili exiſtente, maius ex recidiua periculum impendet. Aſſuetudo autem ferendi morbum, recidiuam minùs periculoſam faceret, niſi virtutis obſtaret debilitas, quæ ſymptomatum immanitatem ferre non poteſt.

DVBIVM XL.

Num ſurditas febribus ſuperueniens ferè ſemper ad bonum iudicet.

Et patiebatur ſurditatem.] Cōmaticè dubium quoddam perſtringere licet. Num in febribus malignis, & ardentibus, ſurditas ſuperueniens ferè ſemper ad bonum iudicet. Contra facit Hipp. *lib.*1 *prorrhet.text.*32. ſurditatem in acutis febribus euenientem reprobans vehementer. Firmat in Coacis, cùm dicit, *In febre acuta aures obſurdeſcere furioſum eſt:* & infrà. *Valdè ſurdi, in accipiendo tremuli, lingua reſoluti, torpidi, malum.* Patet hoc euidenter. Nam ſurditas cerebrum eſſe affectum ſignificat: ex Gal. *lib.* 1. *prorrhetic.com.*31. §. *Surditas autem vnum eſt ſignum eorum, quæ cerebrum affectum indicant, &c.* Idcircò bonum, & fidum eſſe non poteſt, cùm ſit maxime ſuſpectum, ex Gal. 3. *de compoſ.med.ſec.loc.cap.* 1. maximè cùm ad auris inflammationem ſæpiùs ſequatur, auctore Auic. 4. 3. *tract.* 1. *c.* 3. Inſuper ſurditate mortuus eſt Hermocrates apud Hipp. 3. *epid.ſect.* 1. *text.* 5. etiam Philiſcus obiit, *eodem lib.ſect.* 2. *text.* 1. Demùm cur ad bonum iudicabit ſurditas, ſi abſceſſus iuxta aures, delirij, aut maioris mali eſt occaſio, aſſerente Hipp. *in Coacis.* §. *Ex cæcitate leniter abſceſſus iuxta aurem fiunt:* & infrà. *Accedente ægritudine ſurditas, & vrina ſubrubicunda, ſubſidentiam non habens, &c.*

Contra tenet commune, & multis abhinc ſæculis quaſi per manus latum experimentum, quo frequentiſſimè obſeruamus ſurdaſtros, acuta & lethali febre laborantes, vbi in declinatione morbi, craſſi & copioſi vapores, vnà cum humorum lentorum copia, à cerebro in auditorios meatus; facultatis ſenſitricis receptionem impedientes, propelluntur, ſaluos ſuperſtitéſque euaſiſſe: quare in malignis, doloſiſque febribus, ſurditatem, ferè ſalutis eſſe prænunciam affirmamus, cum Hipp. *lib.*2. *epid.ſect.*3. *text.*3. Sic enim de puncticulari febre verba faciens, inquit: *Nulla autem mulier mortua eſt, cui hæc accidiſſent, auditu erant graui, & comatoſæ, &c.* Sic vixit Herophilus, *lib.* 1. *epid ſect.* 3. *text.*20. Sic Epicratis vxor, *eodem lib. & ſect.text.*22. Sic Abderæ virgo igni correpta, *lib.* 3. *epid.ſect.*3. *text.*80. Sic Abderæ Hierophytus cauſone prehenſus, *lib.*3. *epid.ſect.*3. *text.*80. circa 100. diem ſuperueniente ſurditate integrè eſt iudicatus. Quoniam ſurditas in declinatione eueniens, eſt ſignum bonum, vt inter omnes notauit Ludouicus Mercat. *lib.*7. *de feb.peſtil.& maligna, cap.*2. elegante, & doctò, *titulo de ſignis prognoſticis,* & maximè ſi præcedant delirium, aut ſopor; ſignificat enim naturam deuincere morbum, quoniam humores noxios ab intimis cerebri ſedibus, ad vicinas, minúſque præcipuas detrudit corporis partes; & ſic caput à vitioſis humoribus criſi quadam repurgat, & mundificat.

Hanc litem poſt Hipp. diremit Auic. *loco ſuprà cit.* dum ſic ait. *Nocumentum præterea auditus quandoque accidit ſecundum*

cundùm ſemitam criſium, & ſecundum ſemitam permutationis materiæ in fine ægritudinum acutarum, &c. Idem affirmat 2.4.*tract*.1.*cap*.14. de ſignis criſis, quæ fit cum permutatione materiæ ad ſuperiora. §. *Significant illud grauitas capitis, & ſenſuum, & propriè auditus, ita vt quandoque perducat ad ſurditatem, &c.*

Surditas ergo in febribus, quum criſis quædam ſit, in initio morbi apparere non debet, ſignorum decretoriorum ritu, quæ ſtatim adeſſe non debent, quoniam ſunt *indicatoria, non indicantia, quæ aut lethalia ſunt, aut difficilis indicationis*, apud Hipp.*lib*.2.*epid.ſect*.2. *Nihil enim in initio ad bonum vacuari poteſt: nam ſiquid tunc excernitur, non fit naturæ indicantis ratione, ſed ſunt omnia caſus præter naturam earum quæ ſunt in corpore diſpoſitionum: prius enim oportet præire conctionem, ſubſequi diſcretionem, & vacuationem, vt bona fiat criſis, atque iudicium*, ita monente Magiſtro *lib*.4.*aph*.22. Nam in principio nunquam fit criſis niſi pernicioſa, imbecillitatem retentricis ob humorum copiam oſtendens, & humorum malitiam expultricem irritantium ſignificans, ex Gal.1.*aph*.12.3.*criſ*.5. Auic.2.4.*tract*.1.*cap*.2.

Sic mortui ſunt Hermocrates, atque Philiſcus, & alij qui extincta iam, & emortua audiendi facultate obiere; quam ſurditatis cauſam mortiferam iudicat Hip.*lib*.1.*prorrhetic.text*.31. Nam in turbulentis febribus, in quibus, vt vt rectè notat Mercurial.*ad hunc locum*, ægri vehementer turbantur, exiliunt, clamant, & quaſi furiis agitantur, & in quibus virtus iam extinguitur cerebri, ſurdi penitus fiunt, ob ſenſificæ facultatis omnimodam iacturam, & obeũt, de his loquitur Hipp.4.*aph*.49. *Si ægro debili exiſtente ſurditas adſit, proximam eſſe mortem oſtendit*. Hac de cauſa ſurditatem euenientem in febribus reprobauere auctores. Sicut quãdo in initio morbi, vel ab aurium inflammatione contingit. Neque ex eo erit ſemper reprobanda, quoniam cerebrum affectum eſſe demonſtrat: Nam hoc modo hæmorrhagiam in febribus tantoperè laudatam, ſternutamentum, & alias, per os, palatum, & nares vacuationes condemnabimus, quarum vi ſuperflui, & excrementitij in capite humores impacti à natura, vtiliter expelluntu.

QVÆSTIO XXX.

Quòd ſanguinis miſſio ex Auicennæ mente cholericorum ebullitionem facere poſſit. Contra Fernel. Iacchin. & alios Medicos doctiſſimos.

E*T non extraxi multum ſanguinem.*] In bilioſis ardentibúſque febribus non eſſe plurimam ſanguinis quantitatem, per venam ſectam extrahendam, ne cholericorum ebullitio ſequi poſſit, hoc exemplo Raſius edocuit, quod ita faciendum eſſe ob multas cauſas, auctores priſci vnanimiter affirmarunt. Auic.enim 4.1.*cap*.20. ſummoperè cauendum eſſe præcipit à venæ ſectione in febribus magni incendij, & feruoris, ne ſcilicet ægri extracto ſanguine ad cholericorum ebullitionem duci poſſint. Per quas febres intelligere exquiſitè bilioſas nullus dubitauit. Nam bilis cùm humor ſit calidiſſimus, & ſicciſſimus omnium qui in noſtro corpore continentur, ex Gal.10.*ſimpl.cap*.12. & 1. *ad Glauc.cap*.9. cùm immodicè calet, calorem concitat inſuauem, & acrem, ſicque feruet, furit, ebullit. In qua ſanè efferueſcentia venæ ſectionem ſummoperè arcet, dicens. 4.1.*cap*.20. *Vrina ſubtili, & ignea*, hoc eſt, valdè bilioſa, *exiſtente, cauendum eſſe à phlebotomia*. Nam ſi fiat, timetur victoria bilis, & illius efferueſcentia, quia extracto ſanguine, qui eſt bilioſi humoris frænum, & qui ſua benignitate ſuccorum acrimoniam temperat, bilis gliſcit & excandeſcit. Quam rationem aſſignat 1.4.*tract*.2.*cap*.7. per hæc verba: *Quod ſi fuerit fortis virtus, & fuerit illud quod vincit ſanguis, tunc phlebotomia eſt magis conueniens, & propriè quum vrina eſt rubea, & groſſa. non citrina, ignea, ex qua timetur victoria bilis, & acuitas eius, &c.*

Hanc Auic. ſententiam acriter reprehendunt Fernel. *lib*.2.*meth.cap*.3. Iacchin.*prop.libel.de errorib. Auic.* eamque falſiſſimam, & inconſiderantiæ pleniſſimam appellant, multiſque argumentis victi coguntur aliter opinari, quibus ego alia non contemnenda in legentium gratiam, & vtilitatem adiungam, quæ contra Auic. facere videntur.

Primò. Secta vena exeunt omnes humores, in ea proportione qua in venis erant: Neque enim ſerum priùs quàm bilis; neque hæc priùs quàm pituita, vel melancholia; neque inutilis, & deprauatus humor ante quàm integer, & familiaris elabitur. Secundò. Febris ardens ſoluitur hæmorrhagia, ex Hipp.4.*acut*.10. Ineptè ergo in illa prohibet Auic. venæ ſectionem, ſi Medicus naturam rectè operantem imitari tenetur. Tertiò. In omnibus febribus putridis & acutis, concedunt Hipp. & Gal. venæ ſectionem. Ergo ſine ratione Auic. eam in illis denegat: quam ſummoperè probant illi, 4.*acut*.19. & 11.*meth*.15. Quartò in ardentiſſimis febribus non ſolùm mittit ſanguinem Gal. ſed vſque ad animi deliquiũ. 1.*aph*.23. & alibi paſſim. In bilioſis ergo hæc vacuatio eſt exercenda, quia nullæ iſtis ſunt ardentiores. Nec obſtat ſi dicas, per febres ardentiſſimas non intelligere bilioſas, ſed tantùm ſanguineas: Nam Gal. in iis ſanguinem mittit, vt totius corporis habitus refrigeretur, & prohibeatur decubitus in partem principé, ex Gal.*lib.de cur. rat.per ſang. miſ*.12. quæ pericula cùm magis vigeant in bilioſis, quia in eis maior neceſſitas refrigerij, & maior adeſt timor decubitus in partem principem, ob bilis caliditatem & tenuitatem, videntur hæ potiùs, quàm ſanguineæ, ſub ardentium nomine intelligendæ. Patet. Nam 4.*aph*.59. Solam continentem bilioſam, ob intenſiſſimam caliditatem, ardentem vocat, non ſanguineam. Ergo multò magis illa, quàm hæc, ardentis nomine eſt intelligenda. Quintò. Sanguinis miſſio ſemper eſt remedium valdè refrigerans, quamuis ex accidenti tale ſit, quatenus ſubſtantiam calidam è corpore educit, ſanguinem videlicet, cum qua etiam humor bilioſus exactè cum ſangine permixtus, & reliqui etiam extrahuntur. Ex quibus mirari ſubit Auicennam, tantoperè venæ ſectionem cauentem in febribus, in quibus vtilis, & neceſſaria eſt refrigeratio.

Sed neceſſe eſt, vt priùs Auic. ſententiam, mentémque intimiùs perpendamus, quam Gal. doctrinæ eſſe maximè conformem inueniemus. Hic enim *lib*.6.*epid.ſect*.3.*text.vlt.* ſic inquit: *Impedimentum in cruenta ſpuentibus, tempus anni, phlegmone lateris, bilis, &c.* in cuius *com.* Gal. per impedimentum, intelligit prohibitionem venæ ſectionis. Bilis ergo redundantia in affectu etiam ſanguinis miſſionem expoſtulante, venam ſecari prohibet. Galen.etiam *lib*.4.*de ſanit*.4. ſic inquit, quòd *quando humores recedunt à natura ſanguinis parùm, audacter ſanguis mittendus eſt: ſi verò magis diſtent, conſideratiùs agendum: ſi verò valdè diſtent, nullus omninò ſanguis mittendus eſt*. In febribus ergo bilioſis, in quibus ſuperat bilis, à natura ſanguinis longè aliena, meritò cauet Auic. venæ ſectionem. Præthereà idem Gal.9.*meth.cap*.5. recenſens indicationes, quæ venæ ſectionem dehortantur, abſtinet à venæ ſectione, in quibus os ventris amara bile redundat: iis verò ſimiles ſunt, qui febribus bilioſis laborant, in quibus rectè ſanguinis miſſionem vetat Auic. Deinde 2.*ad Glauc.* in eryſipelate, & herpete exquiſitis, interdicit venæ ſectionem, & ventrem tantummodo expurgare conſulit. Idem facit in tertiana exquiſita *lib*.1.*ad Glauc.cap*.9. licèt ſit morbus acutus. 1.*acut*.3. & 3.*aph*.19. & ardentem febrem, eam appellet, 8.*de placit*.6. & *lib.de rigor.cap*.7. Id exequendum imperat in omni alio affectu, qui eſt germen bilioſæ fluxionis, vt patet ex Paul. *lib*.2.*cap*.2. & Aëtio *tetrab*.2.*ſerm*.1.*cap*.8. hoc faciendum monet in omni alio affectu, in quo bilis plurimùm à natura ſanguinis recedit, vt videlicet, ſi ſit nimis mordax, calida, aut tenuis; quæ talis maximè fit, quum omnia adſunt bilem coaceruantia: natura ſcilicet calida & ſicca, anni tempus, æſtas, regio, & conſuetudo, quæ bili gignendæ ſunt accommoda valdè.

In his enim virium robur non adeſt, nam *abundè calidum ſiccumque corpus cum febricitat, oportet viribus eſſe valentibus*, ex Gal. *lib*.10.*meth.cap*.5. & iis maximè ob eandem cauſam inedia nocet, quia deficienti humido nutrimentali, exſiccata ampliùs excandeſcunt, & ſic febris non ceſſat ante cibationem. Ita etiam in ſanguine per venæ ſectionem extracto, plus exſiccantur & inflammantur, qua ebullitione facta humores gliſcunt, & efferueſcunt: quod fortè fuit in cauſa, vt 1.*ad Glauc*.14. dicat Gal. in locis ſupra

modum

modum calidis verendam eſſe ſanguinis miſſionem, ita vt ſi regio, & temporis ſtatus conſentiant, omni ſit à venæ ſectione abſtinendum. Quod etiam docet 11.*meth.*14. præſertim ſi ſanguis ſit in pauca quantitate, bilis verò plurimùm abundet: tunc enim humores licèt vena ſecta promiſcuè effluant, & ſub eadem proportione reliqui maneant, ſequitur euidens noxa citra manifeſtam vtilitatem, quoniam multa ſanguinis quantitas, pauca autem bilis educitur, & diſſoluitur virtus, quæ humorem bilioſum regere debet, qui derelictus à regimine naturæ deinceps efferueſcit, & putret. Ex quo patet intempeſtiuam ſanguinis miſſionem cholericorum ebullitionem facere poſſe.

Auicennæ autem ſententia intelligenda eſt, quando humor bilioſus vel in prima corporis regione, vel in ambitu, ſeu habitu corporis cõſiſtit: Venę enim ſanguinis miſſionis beneficio exinanitæ loco ſanguinis extracti rapiunt ex prima corporis regione, vel ex habitu corporis humorem bilioſum, cuius mixtione maſſa ſanguinea conſpurcatur, acriórque fit. Quo pacto venæ ſectio non refrigerat, ſed calefacit, cuius loco competit purgatio, vel ſaltē venæ ſectionem debet antecedere. Sic fieri febres ardentes, venis æſtiuo tempore exſiccatis, & acres humiditates ad ſe trahētibus, monet cum Hip. Gal.4.*acut.*1. & tertianas ex bile in genere carnoſo congeſta ortũ ducere fatetur, *lib.*1.*epid. ſect.*2.*com.*20. Tunc enim, cùm cacochymia in habitu corporis conſiſtat, venæ præ calore inanitæ & exſiccatæ ampliùs vena ſecta inaniuntur, & acribus attractis ichoribus effrænis fit calor, efferueſcit bilis, & febris fit vehemētior, timórque eſt ne in partem principem bilis furens, tenuis, & calida irrequieto motu decumbat; ex cuius etiam agitatione, delirium, cardialgia, ſyncope, & nauſea concitentur.

Neque enim, ſi mens Galen. attentè introſpiciatur, alio modo hi auctores inter ſe poſſunt conciliari. Nam in omnibus febribus, in qubus bilis ſyncera redundat, potiùs Gal. expurgat, quàm minuit. Sicque in exquiſita tertiana, in qua bilis per membra ſentientia defertur, 2.*feb.*3.*&* 2.*criſ.* 3. hoc auxilium celebrandum nont imperat. Bilem autem hanc ſimplicem eſſe, natura eius manifeſtat. Quòd ſi pura non ſit, ſed alterum humorem participet, tertiana ab eo excitata non ampliùs exquiſita erit: ſed tantum impuritatis, quantum cum humore alio mixtionis obtinebit, quam ſimplicem bilem, aut ſi mauis vocare bilioſum humorem, è venis in habitum corporis propulſum, præſtat purgatione potiùs quàm venæ ſectione extrahere: ſic enim facillimè bilioſus humor educitur, ad cuius abſentiam refrigerari corpus eſt neceſſe.

Hoc præcipuè intelligendum eſt, ſi ſit tertiana exquiſitiſſima, in qua omnia adſunt bilis exuperantis ſigna: tunc enim nullo modo ſanguis mittendus eſt, iuxta præceptum Paul. & Aëtij *loc.cit.* Trallian.*lib.*2.*cap.*6. Haly 3.*pract.*12. Iſahac.3.*pact.*31. Auer.7.*collig.*11. Raſij 17. *contin. cap.*3. Serapion.*tract.* 3.*cap.*13. Qui omnes veram Gal. ſequentes doctrinam, ſic faciendum ſuadent, qui licèt *lib.*1.*ad Glauc.* in aliis intermittentibus ſanguinem mittere imperauerit, in exquiſita tamen tertiana de hoc auxilio nec verbum quidem attuliſſe viſus eſt, cenſens cauſam huius febris coniunctam, nempè excedentem bilem, vomitu, ſudore, antecedentem verò alui ſeceſſu vacuandam, vt probat Auguſtinus Vaſquez *quæſt.*7.

Hácque de cauſa in febribus bilioſis tantoperè Auic. reformidat venę ſectionem, cùm ſint vehementis calefactionis, & inflammationis: ſicque in cura cauſi ait, *& non phlebotomentur, fortaſſe enim inflammabit eos.* Inſuper Auic. in totum in his febribus venæ ſectionem non reformidat, ſed cautos reddit nos, ne ſine maxima conſideratione, ne intempeſtiuè, ne quantum plenitudo commonet, ſanguinem emittamus; quum aliquid virium reſolutioni, quæ in his bilioſis, calidis, & ſiccis corporibus, maxima eſſe ſolet, ſit condonandum.

Immeritò ergo, & petulanter nimis Auic. à Fernel. & Iacchino reprehenditur, quorum argumentis ex ſequentibus pleniſſimè ſatisfiet. Dic ad primũ. Naturam in febribus ardentibus ſæpè cum vtilitate maxima moliri vacuationem per ſanguinis è naribus profluuium, quum ſcilicet febris ex ſanguine ortum ducit. At verò in ardentibus è bile ſyncerà ſubortis, ſoluere aluum præſentaneum præſidium eſt, præſertim cùm in prima corporis regione, aut ambitu corporis cacochymia conſiſtit.

Ad ſecundum. Quod licèt vena ſecta omnes ſimul effluant humores, & deinceps remaneant ſub eadem proportione: quando tamen ſanguis paucus eſt, biliſque multa, cùm ſemper maior quantitas illius, quàm huius extrahatur, in prima præſertim, & tertia corporis regione abundantis, ſit vt hac de cauſa, virtute debilitata, & agitata commotáque bile, ſequatur illius efferueſcentia.

Ad tertium dic. Per febres ardentes intellexiſſe Gal. febres ſanguineas præcipuè, & bilioſas, ſi cum ſanguinis præſentia bilis redundet. Illæ namque ob feruorem & copiam, ſunt ardentiſſimæ, & plurimam caliditatem habere dicuntur, ex Gal.2.*feb.cap.*9.*poſt med.* In qua febre ſubitam & aceruatam exoptat vacuationem.9.*meth.*4.1.*aph.*23.*lib. de curand.rat.per ſang.miſ.cap.*2. Ad primam inſtantiam ſic reſponde, quòd licet in febribus bilioſis, in quibus prohibetur ſanguinis miſſio, neceſſaria ſit refrigeratio, & decubitus in aliquam partem principem timeri poſſit, non pręſtari hanc refrigerationem per ſanguinis miſſionem, nec humoris decubitum impediri: tunc enim bilis feruor auxiliis refrigerantibus, & humectantibus compeſcendus, accommodata, lenique purgatione miteſcit. Ad ſecundam inſtantiam dic: febrem ſanguineam poſſe dici ardentiſſimam, ſumpto videlicet nomine adiectiuè, id eſt, feruens, vel multi feruoris, & ſic Gal.2.*criſ.*6. eam de genere deurētium appellat. Poteſt ergo dici ardens adiectiuè, quod Gręcè dicitur *cauſodes.* non tamen ſubſtãtiuè, quod nominatur *cauſos.* Gal. autem per ardentiſſimas, intelligit febres valídas, & multi feruoris, in quibus ſanguinis copia adeſt, ſiue ſanguineæ ſunt, ſiue bilioſæ, in quibus, quum ſint acutæ, & putridæ, præſente ſanguinis copia, ſanguinem Gal. emittit.

Ad vltimum reſponde. Non ſemper ſanguine extracto corpus refrigerari, ſed in bilioſis febribus ſæpè inflammari, & calefieri, quum exhauſtæ venę bilioſis repleantur humoribus: præſertim ſi corpus ſit calidum ſiccum, facilè reſolubile, & omnia adſint quæ gignendę bili ſunt accommoda. In his ergo celebrata *phlebotomia, multoties facit febrem, & multoties facit putrefactionem,* apud Auic.4.1.*c.*20. In febribus ergo bilioſis, venæ ſectio, extracto ſanguine, qui ſua benignitate, ac temperie humoris bilioſi acrimoniam retundebat, cholericorum ebullitionem facere poteſt. Sed hæc Laconicè dicta ſufficiant de argumento, in quo ita perplexè auctores, indiſtinctéque ſunt ſpatiati. De quorum numero ſunt Gentil. Iacob. de partib. Dinus, Vgo, & Thadæus, *in com.loci Auic.cit.in init.* Amat. 1.*cent.ſchol.* 91. Valler.2.*enarrat.*7. Petrus de Peramato *lib. de vacuand. rat.* 17. Augenius *lib.*4. *de ſang. miſ.* 12. & alij præſtantes viri non ſiluere.

QVÆSTIO XXXI.

Quòd purgatio, ex Galeni mente, in febribus ſit celebranda. Contra Th. à Veiga Medicum inſignem.

LAxare eius ventrem.] Conimbricēſis Academiæ decus Thomas à Veiga *in com.c.*89. *lib.artis medic.* illius fuit opinionis, vt crederet Gal. diſcurrentem per omnium vacuationum differentias vniuerſales, & particulares, intactã omiſiſſe frequentem, celebrem, multique vſus purgationem in febribus celebrandam: Nam in methodo cùm polliceretur tradere integram, & particularem febrium omnium curationem, ad minimáque auxilia deſcenderit, de purgatione nec ſemel meminit, ſolúmque eligit medicamenta, quæ ſine calore vacuare nata ſunt, recenſétque mulſam, ptiſanam, & clyſterem. Nec *in lib.ad Glauc.* continuarum curationem proponens, purgationis fecit mentionem, nec in aphoriſmis, niſi materia turgeat. Quo pacto autem cõiectanti liberum ſit arbitrari, ſcriptam eſſe à Gal. omiſſam tamen librarij vitio. Eius placitum in legentium gratiam ſequentibus rationibus probare conabimur.

Primò. Medicamenta purgantia ſuapte natura calida ſunt, & febrem accendunt, ex Gal.4.*acut.*7. quare non

paruum periculum eſt eis vti in morbis acutis, quum febris refrigerantibus egeat, 1.*aph.*24. *&* 2.*acut.*11. illorum adminiſtrationem, præſente validiſſima febre, ſummoperè vetat; quoniam facta à medicamentis agitatio magnas in morbis offenſas parit, quæ non ita facilè, vt in iis qui non febricitant, emendantur, vt ſcitè notat Hipp. *lib. de medic. purg. n.*4. §. *Carnes enim ipſorum, & ventres cùm calidi ſint, medicamentum aſſumunt, & nihil depurgantur, & febris maior fit, & color euertitur, & morbi regij ſpeciem præ ſe ferunt: commota enim bile, & non vacuata, non ſorbere vult æger, neque bibere, ſed omnia abominatur, & plerumque perit. Si verò detinet medicamentum ante meridiem, nihil purgatur; à meridie verò nihil purgatur, & perit: at ſi hac die ſuperſtes maneat, & vna cum purgatione dimittat febris, ſanus fit. Quo pacto in febribus ardentibus medicamenta purgatoria dare non oportet, donec remiſerit febris, &c.* Hæc Hipp. ex Cornarij, Mercur. Vegæ, & Heurnij verſione. Idem docet 1.*aph.*24.

Secundò Hipp. 4.*aph.*5. Sub cane, & ante canem difficiles iudicat purgationes, ob continentis æſtum. Ergo ob vehementiam febris multò difficiliores erunt in æſtuante corpore. Nam exuſta ex ardore febris natura, illarum calorem ferre non poterit, quin potiùs furentibus humoribus, & ebullientibus, & ſic debiliori facto innato calore, ad reſidui expulſionem minimè ſufficiet. Sic Auic. 4. 1. *c.*3. & Gal. 1. *ad Glauc.* 14. in ingenti febris calore purgantia renuunt; quoniam coniunctio duorum calorum intolerabilis, vires labefactat, & oppugnat.

Tertiò. Purgantium omnium natura, corporum quæ purgantur naturis contraria eſt, ac aduerſa, ex Gal. 2.*acut.* 12. & alibi paſſim.

Quartò. Purgantia coctionem humorum perturbant, hæc enim coctione perficitur. Quare *ſi ventrem moueris*, ait Hip. 4.*acut.*44. *vrina non maturabitur, febriſque tum citra ſudorem, tum indicationem, in longum protrahetur tempus.*

Quintò. Vel purgantibus vtendum eſt in initio morbi, aut in augmento, ſtatu, vel fine. Non in principio, cruda enim paſſio non cedit, obſequitúrve, monente Hip. 4.*acut.* 22. quo tempore adhibita expurgantia colliquant carnē, & ſanguinem: maximè cùm in initio nihil ad bonum vacuari ſit poſſibile. 4. *aph.* 22. Non in augmento; nam in hoc non adeſt perfecta coctio. 1.*criſ.*17. Nec in ſtatu, in quo ſi purgas, naturam à coctione perturbas; coctio enim perfecta fit in ſtatu. 3.*criſ.*5. tunc enim melius eſt quietem habere. 2.*aph.*29. Non in declinatione, nam in hac nullus æger emoritur. 3.*criſ.*5. & natura quæ auxiliis leuata potuit concoquere, poterit expellere. 11.*meth.*15. In omni ergo tempore reprobanda purgatio eſt, ob calidiſſimorum viſcerum, hepatis, & renum feruorem, ob calorem ex motu humorum contractum, ob deleteriam qualitatem expurgantium, quâ præcipua membra inficiuntur, vt *lib.*12. *cap.*3. protulit Trall.

Vltimò facit, quòd natura raró febres ventris deiectione perſanat: hæ enim ſudoribus, vomitibus, vrinis, hæmorrhagia, & abſceſſibus indicantur. 3.*criſ.*3. In febribus ergo expurgantia ſecundùm Gal. mentem, & veram methodum reproba ſunt, & nullius vſus. Veigæ ſententiam ſequuti ſunt Ludouic. Lemoſius *in com. cap.*9. *lib.*11. Gal. *de method. medend. diſp.*4. Fuchſius *lib.*1. *aph. com.*24. Iacchinus *lib. de acut. morb. curat. fol.*595. ex Donzellini verſione. O peſſimum ſæculum! O miſeram hominum conditionem! quando cogimur in his etiam, in quibus de ſalute hominum agitur, quaſi mancipia obmutire, vel ad paucorum aliquot libidinem loqui: Vidiſti namque hos, balantum more, Veigam, virum alioqui inſignem, contra Senis, & Gal. edictum, ſequutos, quos grauiter erraſſe quilibet vel mediocriter in arte verſatus animaduertet, qui plurimùm ſemper fuerit deteſtatus eos, qui Galenum falſitatis accuſare non erubeſcunt. Quare liceat ſic nobis contra hos Medicinæ proceres debacchari, & Galeni, priſcorúmque partes defendere ac tueri.

Nam præterquam quod Raſis hoc loco huic detento febri ardente, medicamenta purgantia propinat, quod præceptum tota barbarorum Schola amplectitur, Gal. in febri, & intermittentibus, expurgantibus ſæpiſſimè vſus eſt. Nam 1.*aph.*22. *Coſta medicinari iubet*, hoc eſt, vti medicamento purgante, ex Gal. 4.*aph.*1. Ibi enim agit de febribus continuis, in quibus præſertim indicationes fiunt. Et Gal. 1.*aph.*21. inter loca vacuationibus accommodata, primum locum defert deiectioni per inteſtina: & meritò ſanè; humores enim innata grauitate deſcendunt ad inteſtina, præcipuè cùm ad hæc à porta, plures, latioréſque meſaraïcæ venæ ſint, & natura has vias excrementorum ſuſceptioni pararit, vt ait Meſuë *in canonib. vniuerſ. intent.*1. *cap.*2. & refert perdoctè Auer. 6.*collig. cap.*11. Vnde Fernel. *in meth. general. cap.*8. inter criſes febrium, primum locum illi concedit, quæ per alui deiectionem celebratur.

Inſuper Gal. 11. *meth.*10. continentium curationem ex profeſſo proponens, §. *Vbi autem ea quæ obſtruunt, &c.* humorem peccantem per aluum vacuare tentat: & in *cap.*8. antecedente, §. *Deiectiones verò, vomitus, & ſudores moliemur, &c.* idem auxilium imperat exſequendum. Nec eſt audiendus Lemoſius, qui has deiectiones per clyſteres fieri poſſe contendit; nam quæ ſunt in venis, nec extra venas, non poſſunt ita commodè per enemata vacuari, quum electiuè vacuantia huic operi ſolùm ſint deſtinata.

Deinde nihil eſt à Gal. tantoperè celebratum, quàm humores qualitate peccantes purgatione eſſe vacuandos: peccare autem qualitate in continuis, & intermittentibus febribus, nullus ignorat.

Adde Gal. *lib.*1. *ad Glauc. cap.*9. Abſinthium in tertiana exquiſita propinare, vt bilis vacuetur. Patet, quia ſigna coctionis exoptat: hoc enim medicamentum bilem vacuare, certa res eſt illi qui luſtrauerit Dioſcorid. *lib.*3. *cap.*24. Gal. 6.*ſimp.*69. *&* 6.*de ſanit.*10. *&* 8.*ſec. loc.*3. Auic. *lib.*2. *tract.*2. *cap.*2. Paul. *lib.*2. *cap.*20. Aëtium *tetrab.*2. *ſerm.*1. *cap.*80. qui in tertiana notha molliter ventrem ſubducentia exhibenda eſſe, ſibi perſuaſit: & in quartana purgat iis, quæ vacuandi humores atros poteſtatem habent.

Et ſi eadem eſt ratio præcautionis, & curationis, Gal. tertianam tempore æſtiuo futuram, purgatione circa veris initium adhibita præcauit *lib.*6. *aph. com.*4. mitibus, clementibúſque medicamentis aſſumptis, quæ ipſi notiſſima fuere, vt ſunt ſerum, mercurialis, pruna, epithymium, polypodium, manna, ab ipſo vocata mel aëreum. 3.*alim.*39. Agaricum 6.*ſec. loc. cap.*10. & Rhabarbarum à Paulo cognitū vt conſtat *lib.*1. *cap.*43. *&* *lib.*7. *cap.*11. Caſiæ fiſtularis interaneus liquor, cuius deſcriptionem exactiſſimè tradit Actuar. *lib. de compoſ. med. ab init. tit. de potionib. medicament. aduersùs affectus qui febres comitantur.* Vt videas priſcos illos, medicamenta ſuauiſſima, & benigniſſima in vſu habuiſſe, quæ pro curandis febribus, cæteriſque morbis ſunt vtilia, & non ſolùm fortia & venenata, vt vulgus Medicorum opinatū eſt, de quorum numero ſunt Veratrum, turbith, colocynthis, ſcammonium, & huius generis multa.

Rurſus non negandum eſt Galenum fuiſſe Hippocratis vigilantiſſimum ſectatorem, quem, vt totius Medicinæ parentem ſummè laudat, & admiratur *lib.*1. *meth.*2. *lib.*1. *de elem.*6. & alibi paſſim. Hipp. autem *lib.*2. *de morb. num.*8. ſic ait. *Si teriana febris tenuerit, ſiquidem non omiſſis tribus inuaſionibus quarta corripiat, pharmacum deorſum purgans bibendum dato, &c.* Idem refert *lib. de affect. n.*25. Si ergo is auctor in febribus purgationem imperat, cur Gal. eam non exercuiſſe aſſeremus? Rurſus in tertiana purgat, cur in ardente febri, quę ab illa, humore faciente non differt 4.*aph. com.*59. non purgabit?

Demùm Gal. expreſsè in *lib. quos, quib. & quand. in fin.* in febre non intensè acuta, Elleborum, & hieram propinat. §. *Cùm ergo febris vehemens non ſit, ægrique naturam noueris, medicamentum dabis, elleborum nigrum, aut aliud quid ſimile, quorum eſt diacolocynthidos appellata confectio, quam nunc vſitato nomine hieram, hoc eſt, ſacram appellant, &c.*

Vidiſti quòd in febribus continuis, & intermittentibus, purgatio ſecundùm Gal. mentem ſit exſequenda. Neque enim omnia pharmaca, quibus antiquitas vtebatur, vt iam prędictis argumentis pateat reſponſio, ſunt calida, febrémque accendunt, quidquid inter omnes aliter ſentiat Peramatus *lib. de vacuand. rat. c.*5. quem arguit Gal. 3.*ſimpl.*24. plurimis pharmacis vim venenoſam denegans. Nam plurima ibi numerat medicamenta, quæ præterquam quòd nullam vim corpori inferunt, etiam alimentum homini præbent.

præbent. Et licèt medicamentum apud antiquos non quodlibet,ſed validum deſignet, notante Philotheo *lib.4. eph.com.1.* tamen id ſi in minori quantitate exhibeatur,& contemperatum eis quæ illius malitiam retundant,nocere non poterit. Sic Hip.*2.acut.11.& 12.* fortia medicamenta etiam in pleuritide, affectu ſanè calidiſſimo,permixta cum odoriferis exhibebat ſuperbibita ptiſana,quæ medicamẽti efficaciam infrænat. Et licèt omnia calida eſſent, eis vti conuenit ad maius periculum euitandum. Hinc litem dirremit Gal.*lib.1.aph.24.§. Non igitur ob igneam febris caliditatem, purgationem exhibemus, (hanc enim ſcimus ſui ratione nocituram) ſed propter humores illam efficientes: Quare maiorem oportet ex noxiorum humorum vacuatione fieri vtilitatem, quàm id quod neceſſariò conſequitur ex purgantibus medicinis nocumentum: erit autem vtilitas maior, ſi humor abſque noxa, & moleſtia vacuetur, &c.* Ex hoc loco duo colligo. Primum, Gal.in febribus ægros expurgaſſe. Secundum, id feciſſe ad maius periculum euitandum.

Falſum item eſt, medicamenta humorum coctionem perturbare: quoniam expulſo noxio humore,natura veluti deonerata,eo quo velut ſarcina,premebatur, meliùs deinceps coquit. A ratione autem alienum eſt,coctionem fieri quiete meliùs quàm motu: nam fruſtrà Gal.exercitationem laudaret,quòd coctionem maximè iuuet.Quies quidem prodeſt,vbi calor multus eſt:at verò vbi paucus,iſque ab extraneo obrutus,motus ventilando,melioris coctionis eſt cauſa:quare ſi ſanguis craſſus eſt,humoréſque multi,ij extenuari mouerique deſiderant. Sic laudat mille in locis Gal.ad horum ſubtiliationem,frictionem, animi & corporis motum,& balnea.Sic vbi febrilis eſt calor,purgatio adhibenda eſt, & motus qui fit per purgationem,plurimùm confert,quia fit cum vacuatione putridi humoris. Atqui ſi verentur illi turbare coctionem,ob motum quem in purgatione fieri contendunt, cur purgationem exercent in materia turgente,vt toties monuit Gal.quæ cùm ex ſe mobilis ſit,ex purgationis motu ampliùs furibunda euadit?

Quo verò tempore purgatio in febribus ſit exequenda, (hoc enim alterum argumentum poſtulabat) iam dicam, vera Gal.doctrina munitus.Purgat Gal.in initio,antequam humores firmẽtur in parte.*4.acut.76.vel dolor partis augeatur,vel febris caliditas increſcat,vel ad aliquam partem principem decumbant ij,qui per corpus vagantur humores.* Purgat in augmento,& in ſtatu,quando materia eſt vrgens,ſæua, maligna,nam tunc euacuatur ſolùm pars humoris iam cocti. Nec dubites, quia in augmento ſit criſis bona,licèt incompleta: qua de cauſa *4.acut.44.* purgatio ſolùm prohibetur præſente ſumma cruditate: & in *text.43.* conceditur purgatio,vrina nebuloſa,& craſſa exiſtente,quę morbi augmentum notat. Neque obſtat quòd Gal. *1.aph. 22.* ad purgationem expectat vltimam partem ſtatus: nam loquitur de morbis ſaluberrimis: in periculoſis tamen iuuat. Purgat in fine ſtatus, quum humores ad maturitatem peruenerint,edoctus ab Hip.*lib.de med.purg.n.4. §.Quicumque à febribus fortibus corripiuntur,iis medicamẽta purgatoria dare non oportet,donec remiſerit febris:ſin minùs,ſaltè intra quatuordecim dies id non facito,&c.* Scis autem 14.diem eſſe terminum acutorum.*2.aph.23.* Quare ſi febris vehemens non fuerit, ad medicamẽnti purgantis potum te conferes. *2. acut.11.* & hoc contingit in fine ſtatus,cùm iam febris incipit remitti. Habet enim ſtatus tres partes, & in fine,qui coincidit cum principio declinationis, ex Gal.*lib.de morb. temp.5.* reſiduum humoris ſuauiſſimè expurgare oportet.

Quod verò addunt, rarò febres acutas deiectione ſanari, falſum eſt; & contra Gal.mentem aſſertum,qui omnes febres ſolui alui fluxu *3.lib.criſ.* aſſeuerat.Quare ſecundùm Gal.præcepta, in febribus celebranda purgatio eſt.

QVÆSTIO XXXII.

Quòd expurgantia in phrenitidis medela ſint ex vſu. Contra Gentilem, & Matthæum peritum, Medicos eximios.

EXhibui ei medullam caſiæ fiſtularis,&c.*] Maxima lis eſt, & controuerſia apud ſcriptores, num in bilioſa phrenitide purgantia ſint exhibenda. Alij conſulunt lenientia ſolùm,ex cathartici vehementia bilis agitationem timentes valdè: alij ea reprobat, licètenim hæc quadantenus ſubducant, humorem tamen bilioſum à toto ad cerebrum confluentem minimè reuellunt, quoniam eorum vis corporis molem vix pertingit. Alij adeò ſubductiua pharmaca pertimeſcunt ſcammonium recipientia, vt aſſerant haud eſſe porrigenda,niſi duntaxat, quibus conſuetudo eſt non ſolui à lenientibus. Hanc opinionem habet Gentilis *1.3. tract.3.c.3.dub.26.* Sequitur Matthæus *lib.9.ad Almãſ.cap. prop.* Accedit quòd Galen.*13.meth.21.* agens de curatione phrenitid. purgationem præterm.ſit,medicamenta calida, quibus ipſe ferè vtebatur *2.acut.11.& 6.epid.ſect.6.com.6.* renuens omninò,quæ in inflammationibus internis,ardẽtibúſque febribus,à calidiſſimo humore concitatis, tantoperè reformidat.*1.aph.24.* Nam ſi hæc aſſumantur,intenditur febris,vires reſoluuntur,& morbus ſuperior euad.t, & ideò in acutis morbis, omiſſa purgatione, venæ ſectio,vt tutior & mitior conſulitur ab ipſo,*cit.nup.de vict.rat.libro.*

Quare cordatè Arabes toto tempore principij in phrenitide imperant purgationem medicamentis benignis,aut clementer,electiuéque purgantibus celebratam, quæ non ſolùm humorem intra venas contentum minuant, ſed & fluentem, & fluxurum reuellant: nam ſicuti venæ ſectio reuellit,ſic etiam purgatio,vt *4.1.cap.25.* retulit Auic. Humor autem ille qui eſt extra vaſa impactus,actu inflammationem committens,vtpote crudus,& purgationi ineptus, in initio educi non debet; ſed poſt peractam coctionem; quem ſi citra hanc vuacuare tentes, quum hæc medicamento debeat fieri valido,vt ſic humor renitens, & longè à viis ductuum ſemotus expurgetur,noxam committes inemendabilem: fortè enim & in maiori quantitate ob hanc cauſam exhibitum pharmacum agitat, mouet, & febrem accendit,vt eleganter cecinit Hipp. *4.acut.22.*

Reuulſiua ergo purgatio in initio inflammationis cerebri debet celebrari: nam dempta maiore parte humoris, qui actu in venis conſiſtens inflammationem fouet, pars phlegmone obleſſa difflatur, & leuata ſarcina partis corruptio impenditur. In hunc enim vſum partem externam inflammatam ſcarificamus, vt ſic corruptionem,aut mortificationem ventilatione euitemus, ex magnitudine inflammationis,aut eius malignitate neceſſariò ſequuturam. Expurgantia ſint mitiſſima, quæ audacter ſunt propinanda, nam & ardentibus offerebat.*4.aph.2.& 2.acut.11.* Hip. violenta & calida, maiorem exſpectans noxio vacuato humore vtilitatem, quàm ſit quod ex calore ſequitur detrimentum. Illa ſunt electuarium de pſyllio, ſucco roſarum, præſtantiſſimum roſatum Meſuæ, in quibus ſcammonij acrimonia nimium eſt edomita, quæ Gentilis citra rationem condemnat. Sed & Rhab.calorem veretur Matthæus, quaſi in cauſode accommodatum medicamentum non ſit. Quare *vel ſtatim ab initio, priuſquam humores firmentur in parte, medicandum, vel poſtquam concocti ſint, & ad maturitatem peruenerint*, vt perdoctè ex Hipp. notauit Gal.*lib.4.acut.76.* perinde ac ſi annueret Gal. in principio phrenetidis & cuiuſvis inflammationis internæ, indicatione ſumpta ab abundantia affluentium humorum, purgatione reuellendum eſſe; quum verò humores firmati & impacti ſunt, tunc vacuationem eradicatiua purgatione eſſe adminiſtrandam.

DVBIVM XLI.

Num deſperatis ſit adhibenda manus. Contra Augenium.

E*T abſtinui occaſione vulgarium.*] Medicum debere eſſe animoſum, generoſum, ſæuientibuſque malis minimè perterreri, *in lib.de dieb.decretor.* paſſim confirmat Gal. vt videas quod ſæpè ruſtico timore curantium, plurimi è vita diſcedant,prætermiſſis inſignibus auxiliis, quæ alioquin ſi exequerentur, maximè eſſent profutura, à quorum adminiſtratione Medici ob vulgi calumniam ſuperſedens. Aggredienda ergo curatio eſt in conclamatis morbis,ij licèt acutie ſua,efficacia & malefica vi,lethales ſint prorſus,

ac penè diri,vulgique fama contemnenda. Nam *quibus ſalutis via eſt vnica, eáque dubia, neceſſum arbitror his aduerſis periculis obuiam ire* : quoniam *quantò ſatius eſt aliquod nonnulla fiducia, vel cum periculo facere,quàm ſpe adempta certò perire, tantò profectò ſatius eſt potentibus præſidiis pugnare, quàm nihil agere*,vt 10.*meth.c.*10.monuit Gal.quum *melius ſit anceps remedium experiri,quàm nullum*,monente ſic Celſo *lib.*2.*c.*10. *Cùm multi citra ſpem mirabiliter ſanentur*, ex Auic.4.4.*tract.*2.*c.*10.*& ſæpè accidant monſtra in arte,quemadmodum in natura*, iuxta Auer.dictum,7.*collig. cap.*31.

Non ergo leuia auxilia in gratiam amicorum ſolùm ſunt applicanda, ne infamemus præſidia quæ multis fuere ſaluti,vt ait Gal.11.*meth.*19. Neque *morituri ſolis præſagiis ſunt relinquendi*,vt videtur inſinuare Gal.1.*aph.*8.*&* 2.*aph.* 29. edoctus ab Hipp.*lib. de art.num.*4. ſic pronunciante : *Medicinam eſſe,morbos ab ægris in totum tollere,& morborum vehementes impetus obtundere , & eorum qui à morbis victi ſunt curationem non aggredi,cùm id in confeſſo ſit, quòd Medicina tales ſanare non poteſt , &c.* Nam vt *loc. cit.* monuit Auic. *multoties egreditur pars hepatis , & aliquid de ſiphac, quod eſt ſupra ventrem, & zirbum, & matrix tota,& non accidit inde mors*,vt *lib.*6.*cap.*88. Paul.confirmat.

Quare decorum eſt Medico,relicta vulgi calumnia , & fama tantoperè à Galen.neglecta, 7.*meth.*1. præfato priùs mortis periculo,deſperatis auxiliares adhibere manus. Sic enim *Medicus præſagiens culpa vacabit*, ex Hipp.1.*prog.*4. quod dilucida oratione edocuit Celſ.*lib.*5.*cap.*26.*tit.*1.dum ſic ait. *Eſt enim prudentis hominis , primùm eum qui ſeruari non poteſt non attingere , nec ſubire ſpeciem eius , vt occiſi, quem ſors ipſius peremit. Deinde vbi grauis metus, ſine certa tamen deſperatione eſt, indicare neceſſariis periclitantis in difficili ſpem eſſe , ne ſi victa ars malo fuerit , vel ignoraſſe , vel fefelliſſe videatur, &c.* Quod conſilium tranſtulit Auic. *loc. cit.* Deplorati ergo ſolis præſagiis non ſunt relinquendi, quoniam,vt ait Celſ.*lib.*2.*cap.*6.*interdum deſerti à Medicis conualeſcunt.* Et *plures ſanantur , de quibus Medicus deſperat*, ex Celſ. *ibid.* quidquid contra ratiocinetur Augenius *tom.*1. *epiſtol. lib.*8. *epiſt.* 1. cuius rationes ex dictis facilè ſolui poſſunt.

HISTORIA LXIV. GALENI,
De Hæmorrhagia.

Criticæ Hæmorragiæ præſenſio.

*QVintum morbi diem iuuenis quidam agebat : ac licèt idoneum tempus ſanguini detrahendo prateriiſſe videretur, quia tamen nec anni tempus , nec ægrotantis ætas , nec virtutis imbecillitas, nec denique victus, qui morbum anteceſſerat,aduerſabatur, ſed vno conſenſu ſanguinis miſſionem ſignificabant, Medici * venam incidere decreuerunt, idque tempeſtiuum fore cæteri arbitrabantur. Ego verò diligenter omnia contemplatus, quæcumque ab Hip.tradita ſunt ſigna,illorum quibus fluxurus eſt ſanguis , bene quidem eos in opinionem mittendi ſanguinis veniſſe dixi, * verùm naturam id quod ſe grauaret expellere feſtinantem,breui admodum etiamſi nihil ipſi egerint,idem vltrò facturam. Dum Medicis hæc admiranda videntur, æger è lecto ſe ſuſtulit,tanquam proſiliturus,interrogatuſque cur exilire voluiſſet,cùm nihil adeſſet, ob quod id facere debuiſſet,rubri coloris ſerpentem per laquearia repentem à ſe viſum expauiſſe, reſpondit,ne ſi aliquo modo aberraſſet,ſupra ſe ferretur,atque idcirco ſe è lectulo aufugere velle : reliquis nihil hoc ad ſanguinis fluxum conferre viſum eſt : mihi verò cùm alia ſigna perpendenti , tum ruborem qui priùs in dextra naſi parte ad malam vſque obſcurus viſus fuerat , auctum valdè intuenti , ſanguinis paulò poſt è dextra nare fluxuri manifeſtum id attulit indiciũ; atque ideò cuidam ex ægrotantis familiaribus ſubmiſſa voce præcepi,vt vas aptum ſanguini excipiendo ſub veſte promptum haberet ; atque ita ad Medicos conuerſus,alta voce dixi,ſi paparumper expectaueritis, * ſanguinem è dextra nare fluentem videbitis,riſerunt illi,quòd antedictis,è dextra nare adieciſſem: At, inquam, vtrumque eueniat oportet,aut alteratrum me decipiat , nam & quòd ſanguis fluxurus ſit, & quòd è dextra nare venturus , arte medica præſciri poteſt. His dictis , eum, qui vas ſub veſte occultum habebat, inter obſeruandum admonui, mentem adhiberet , quid ægrotus ageret : vt cùm ſanguinem erumpentem videret , accurrens vas ſupponeret. Vix hæc dixeram, cùm ecce digitum è naſo ſanguinolentum iuuenis extraxit ; tum familiaris accurrens vas ſubiecit : quod dum fieret, magno, vt ſcis , oborto clamore Medici quidem omnes delapſi ſunt. Ego verò tibi mearum rerum ſtudioſo quo pacto id præſciuiſſem , idque ex Hipp. præſtantiſſimi Aſclepiadæ ſcriptis, & monumentis expoſui ; atque inſuper illud etiam addidi , vehementem ſanguinis fluxum expectandum , eò quòd & naturæ impetus vehemens,* & morbus adhuc crudus eſſet. Conſueuiſſe verò hiſce de cauſis immoderatas exinanitiones fieri. Atque ideò cùm parũper adhuc morari vtilius eſſe laborãti cognoſcerem, puerum qui me ſequebatur ad accipiendam magnam cucurbitulam miſi , idque reliquis inſciis facere iuſſi. Celeriter itaque cùm multum ſanguinis in vaſe collectum vidiſſem, altero vaſe poſtulato , ſanguinem qui fluxerat accepi, quem vt comperi librarum quatuor, & dimidiæ pondus æquare, ægrum capite in ſcapulas demiſſo collocaui , ac naribus frigidam poſcam attraheret præcepi , fronti ſpongiam aqua mulſa madententem impoſui, brachia & crura vinculis obſtrinxi : quæ cùm minùs conferre viderentur, poſtremò cucurbitulam in extremis præcordiorum ad dextrum latus adegi , ſtatimque ſanguinis fluxum cohibui , &c. Galen.* lib.de præcognit. ad Poſthum. cap.13.

PARAPHRASIS.

HAc memoranda hiſtoria, quam in *lib.de cauſ.procat. cap.*1. *initio*, iterum Galen. retulit, Medicorum ſatis frequentem detegit errorem, qui contra Hipp. præcepta, nulla iudicantis diei præmeditatione facta , auxilia ſæpiſſimè exercent cum ægri damno. Quo fit non raro, vt natura ob remediorum præpoſterum vſum facta debilior, morbi cauſam per varias regiones elidere nequeat. Cur igitur tot erroribus admiſſis iudicium eueniet vnquam, aut bona criſis ? *Si quis enim introgreſſus ad ægrum , ſuccingens ſe , vel cataplaſma non impoſuerit , vel perfuderit , vel clyſteres indiderit , vel venam ſecuerit , vel cucurbitulas adiunxerit, vel confricuerit, vel nutriuerit, aut eiuſmodi aliquid factitauerit, nihil eſſe ab ipſo geſtum artificioſè arbitrantur : hi enim quoties accedunt ad ægros, toties peccant*, vt *lib.*1.*de dieb.decretor.cap.*11. protulit Gal.

Ex horum numero fuiſſe hos in præſenti hiſtoria numeratos , qui ſigna critica non obſeruantes, ſanguinem mittere tentarunt in critico die , res eſt manifeſta , quos ſummoperè obiurgat Gal. diligenter omnia contemplatus, quæcumque ab Hipp.tradita ſunt ſigna illorum , quibus è naribus fluxurus eſt ſanguis , monens naturam ipſam tunc vltrò facturam,quam illi celebrare inſtituerant, vacuationem , ſequutáque hæmorrhagia ægrum à morbo immunem euaſurum. Huius imminentis vacuationis ſigna, ſunt lata ab Hipp.*lib.*3.*prog.*33. Explicita plenè à Magiſtro 3.*criſ.vlt.* Auic.2.4.*tract.*1.*cap.*5. Chriſtoph. à Vega, & Henric.à Cuelhar , doctiſſimè *in com.* Suntque in quatuor claſſes diſtincta. Primum eſt , ſi caput pulſante, diſtendentéque dolore vexetur , ab acribus, calidis vaporibus , & humoribus eleuatis ſuborto. Secundum. Si hebetudo oculorum infeſtet ægrum , id eſt , obtuſio viſus, quoniam multus, & totus ſimul elatus ad ſuperiora ſpiritus meatus obſerat. Tertium. Oculi ſplendor , quia ſanguis, humor ſplendidus eſt. Quartum. Si ilia diſtenta ſint abſque dolore, tunc enim cùm hepatis, aut lienis adſit inflammatio, ex qua ſanguinis ebullitio, euaporatio,& feruor oriuntur , ipſo ad caput aſcendente , & meatus, per quos viſoria facultas defertur, obſerante, ſuprà citata ſigna oriri teſtantur auctores.

Quare factum eſt, vt in ægro è lecto aſſurgente,& rubri coloris ſerpentẽ conſpiciente,in dextra naſi parte rubore conſpecto,inſtare hæmorrhagiam prædiceret. Alij vident fila rubra, lucentia, ſplendentia , qui ſplendores ob flauitiem,& ſplendorem ſanguinis ad caput, oculoſque è vaſis magnis elati contingunt. His ergo exactè conſideratis, & perpẽſis aliis ſignis,inſtantẽ hęmorrhagiã ſignificantibus,

ſine

ſine dubio hanc vacuationem euenturam pronunciauit. A Alia autem ſigna quæ ipſe reticuit, primus omnium edocuit Hip.*lib.1.epid.ſect.2.text.52.& 55*.Súntque reſpirandi difficultas, ex tranſitu ſanguinis per thoracem concitata,inuoluntarius lachrymarum fluxus, maxillarum rubor, narium pruritus, & maximè ſi corpore exiſtente ſano ſanguis per nares erumpere conſueuerit. Hanc criſim paſſus eſt Meton, *lib.1. epid.ſect.3. tex.14.* Hac iudicata eſt Virgo Lariſſæ, *3.epid.ſect.3. text.83.*

Si ergo hæc vera ſunt,& ex Hipp.fœcundiſſimo promptuario decerpta, hæmorrhagiámque futuram pollicentur, vtpote à calidiſſimo ſanguine ad ſuperas partes aſcendente ſuborta; cur illi ad conſilium vocati Medicaſtri non ſolùm non aduertebant, ſed ridentes & illudentes, ex arte Hipp.hæc prædici non poſſe contra Gal. votum contendebant?Commune pſeudomedicorum aſylum, B vt ex aliorum dedecore ſuam velint augere ſupellectilem, doctóſque,& in operibus artis valdè exercitatos conuiciis laceſſere non ceſſent, naturam ab opere ſuis præpoſteris auxiliis perturbantes.

Hæc eſt cauſa quare noſtris temporibus non ita frequenter criſes contingant, quemadmodum tempore Hipp. & Gal. Quoniam plurima peccata ab iſtis Medicis admirandis ſæpiſſimè committuntur, qui medicamentis purgantibus temerè,& intempeſtiuè exhibitis,cibis etiam nimiis,& aliis rebus non naturalibus, peſſimè, nec vt decet, adminiſtratis, criſes impediunt, artis corruptores veriùs appellandi. Præſtaret igitur aliquando ſolam relinquere naturam, quàm imprudenter eam adiuuare, ne dicam impedire, ac perturbare.

At contra hos intrepido, conſtantique animo Gal.pugnare eſt auſus,cuius præſagiũ veriſſimum, euentus poſtea confirmauit.Quuum enim æger digitum è naſo ſanguinolentum extraxiſſet, ij pudore ac verecundia ſuffuſi, magno clamore oborto,ſtimulis veluti agitati,è domo diſceſſere,poſtquam cum ægritudine laborioſè luctati ſunt. C

Sed cur vehementem ſanguinis fluxum expectauit; quoniam ſanguinis impetus vehemens erat; & morbus crudus, inquiſitione dignum videtur? Dicerem ego, impetum naturæ ad expellendum ſanguinem, vehementem, ipſius robur oſtendere manifeſtè, ex quo (adſtantibus aliis ſignis ingentem repletionem indicantibus) Gal.ſanguinis exituri quantitatem nimiam venari potuit. Adiectam verò cruditatem,ſanguinei fluxus futuram vehementiam,ob id Galeno indicaſſe dixerim,quia acrior,& calidior tunc eſſet ſanguis, non coctus, aut edomitus, naturam ipſam ad excretionem ſtimulans, maximè cùm impetus incepiſſet vehemens,& ſanguinis eſſet in corpore copia multa.

Sanguinis igitur quatuor libras cum dimidia effluxiſſe cùm obſeruaſſet,& æger fortè ex nimia vacuatione debilis eſſet,à leuioribus incipere voluit priùs,non à venę ſectione,in hoc caſu valdè proficua,ad ſupprimendum fluxum, & aliis auxiliis anteponenda, ex *lib.de curandi rat.per ſang. miſ.11.* nec à cucurbitula præcordiis affixa, ſperans aliis ſanguinem non vacuantibus fluxum cohibere poſſe.Quare adoleſcentem capite in ſcapulas demiſſo collocauit, vt faciliùs eâ nare,à qua ſanguis effluebat, frigidam poſcam attraheret. Cùm enim hæc, aceto & aqua ſimul mixtis conſtet, ex Aët. *tetrab.1. ſerm.1. cap.1.* Illud cùm adſtringat, *lib.1.ſimpl.18.* ad ſanguinis fluxiones optimum eſt: aqua verò, quia frigida, repellit, & eo magis ſi ambo actu ſint frigida. E

Spongiam autem aqua mulſa madentẽ fronti appóſuit, vt adſtringenti ſpongiæ facultati, & aquæ refrigerationi vias pararet faciles; medicamenta enim adſtringentia ſibi-ipſis vias præcludunt. Brachia, & crura vinculis ligauit, vt ſic dolore excitato, retractio ad diſtantiſſimas partes, eáſque contrarias fieret validiſſima. Quibus omnibus maturo conſilio celebratis, minimè tamen proficientibus, cucurbitulam præcordiis ad dextrum latus affixit,auxilium pro hoc complendo vſu,ab Hipp.*6.epid.ſect.2.text.9.*ſummoperè commendatum. Sic enim ad originem fluxionis, quæ ferè hepar eſſe cenſetur, retractio fit,ex Gal.*13.meth. 19.& 5.meth.cap.4.& lib.1.ad Glauc.vlt.*quo præſidio exequuto ſanguinis fluxus illicò cohibitus eſt.

COMMENTARIVM.

V*Enam incidere decreuerunt.*] *Si quis miſer in Methodici tanquam in alterius belluæ manus incidat, procul dubio morietur, ex conſequutione dogmatis ab eo interfectus,quoniam vt à lecta non recedat, inueſtigare cauſas omninò recuſat. At bene fortunatus ille,qui ad rationalem Medicum acceſſerit;neque enim tam malis ſymptomatis facilè capietur, neque ob artem rationalis Medici mortem incurret*, vt *lib. de theriac. ad Piſon. cap.4.* Gal. affirmat. *Medicus ergo inſcius ægrotanti altera fera, qui ita remedia ægris præſcribit, ac illi qui aleam iaciunt, quorum inutilia præcepta magnum ægrotis afferre ſolent detrimentum*, ex Gal. *lib.1.epid.ſect.3.text.50.Morbus enim horum negligentia, maior ſæpè efficitur*, vt inquit Hipp. *lib. de art.num.1.* Hos *lib.de veter.medicin. num.2.* nauium rectoribus comparat, ſic dicens. *Quare plerique Medici, idem quod mali gubernatores faciunt. Etenim illi cùm intranquillitate gubernantes delinquunt, non fiunt manifeſti: cum verò deprehendit ipſos magnus ventus, palàm iam conſpicui fiunt omnibus hominibus, quòd ignorantia,& culpa erroris ſuæ nauem perdiderint. Sic ſanè plurimi Medici dum curant homines nihil graue patientes, in quos ſi quis etiam maximè delinquat, nihil graue faciet, (ſunt autem plures tales morbi, & multo ſæpiùs quàm graues hominibus accidunt,)in talibus verò delinquentes, non fiunt manifeſti idiotis hominibus. Vbi verò obtigerit magnus, & fortis, tunc ipſorum delicta omnibus conſpicua ſunt, &c.*

Ex quo conſtat, quantoperè profit, ad curationem optimos, & expertos Medicos conuocare, & quo in periculo verſentur hi, qui hos idiotas, pſeudomedicos, aut potiùs ſycophantas de ſui ſalute conſulere audent, quum iſti audaciam habeant, & temeritatem vſu ipſo confirmatam, & *omnes eodem calcent calopodio*, vt *9.meth. cap.16.& 11.meth.15.* monuit Gal. Exibentur ergo hi inſcij Medicaſtri,ſtupidi,& malè feriati nebulones,qui nudis verborum formulis inſtructi, & Medici titulo luxuriantes, & inſoleſcentes,ſibi licere putant impunè homines occidere:qui licèt à limine vix Medicinæ initia ſalutauerint,incurabiles morbos ex facilè curabilibus reddere conſueuerunt, vt *6. aph.45.* retulit Gal.

Explodantur à conſiliis hi garruli planè, & omninò fatui ſenes, immò deliri, inſulſi, iactabundi & glorioſi; ſicut & loquaces iuuenes, impoſtores, ægyrtæ, cacozeli, ſolœcones; qui donum ſummi Dei ſalutare, nugis, incantamentis, ſuperſtitionibus, & cauillationibus conſpurcant. Sed hoc quis pio, æquoque feret animo? vt D quiſpiam ruſtico ingenio,immò obtuſa mente,hebetique minerua,ad arandum magis, quàm ad curandum apta pollens,falcem ſuam in ſegetem alienam, hoc eſt, in præclariſſimæ Medicinæ amœniſſimos campos, iucundiſſima vireta, ſplendidiſſima prata immitat,& vilis pecuniæ victus cupidine,ambiguis reſponſis, Apollinis Delphici oraculo longè obſcurioribus, de ægritudinis natura, ægri ſalute, ac interitu diuinare, & præter ingenui viri officium nugari non erubeſcat.Sic enim infeſtus humani generis hoſtis,vt corpus,animámque vnà perderet,pro veris cælitùs datis morborum remediis, per quæ Deus, Sacroſanctus Archiater, glorificaretur, nefarias,per hos impoſtores,incantationes adinuenit.

O execranda Magiſtratum auaritia, quid enim hos ardeliones,tantam ſibi poteſtatem medendi arrogantes,ciues veſtros pharmacis,& infauſtis auxiliis perdere permittitis? & tot,per ciuitates nobiliſſimas,oppida,fora,agros,incantatrices,& pythoniſſas medicam artem,ad cuius finem nec ipſe Hip.peruenit,exercere conceditis?Quare Plin.*lib.29. c.1.* auream de hac re protulit ſententiam,ſic dicens. *Nulla eſt lex, quæ puniat capitalem inſcitiam Medicorum; nullum exemplum vindictæ: diſcunt periculis noſtris,& experimenta per mortes agunt, Medicóque,tantùm hominem occidiſſe ſumma impunitas eſt, quando in hac artium ſola eueniat, vt vnicuique Medicum ſe profitenti ſtatim credatur.* Idcircò tot quotidie adſunt deluſores, in populis, foris, tabernis, plateis, tot arioli, vatidici, ſalutatores, quoniam *nulla pœna*, vt inquit Hipp.in ſua lege,*num.1.*)*vt Reipublicis ſtatuta eſt, præterquam ignominiæ: Verum hac*

non afficit,nec contingit eos;qui ex compoſito perſonam Medici induerunt; ſimillimi enim ſunt hi perſonis quæ in tragœdiis introducuntur; quemadmodum enim illi figuram, habitum, & perſonam eorum quos referunt, habent,illi ipſi autem verè non ſunt: ſic Medici, fama quidem, & nomine multi, re verò, & opere valdè pauci. Refert & alia eleganter infrà, *num.* 3. §. *Imperitia verò malus theſaurus eſt.*

Hinc eſt quòd cùm Medicina,omnium artium præſtantiſſima ſit,eò iam deuenerit,vt omnium viliſſima cenſeatur, tum ob ignorantiam eorum qui eam exercent, tum etiam,ob vulgi ruditatem,quòd tales pro Medicis iudicet, & habeat. O vtinam Principes, & ſenatores, qui ciuium ſuorum ſunt amantiſſimi,& non niſi ad ſalutem reipublicæ ſunt procliues, & auidi,hos ſalutis humanæ acerrimos hoſtes ſuppliciis afficerent! ſic enim effrænis eorum trucidandi humana corpora retunderetur licentia, neque ita doloſè,& fraudulenter in hominum vitam,vt Parcæ,manus iniicerent, & docti Medici, qui nocte diéque, obægrorum ſalutem,veterum monumenta aſſiduè,& ſine vlla intermiſſione verſant, & ſui, ſuorúmque obliti certatim inter ſe diſputare ſolent,& Hipp.Gal.ſummorúmque Medicorum doctrinam amant,colunt & amplectuntur, non cogerentur ſortem iniquiſſimam ſortiri.

Puniantur ergo hi cauillatores,qui miſeram ſolùm,rudémque plebeculam impoſturis,fallaciis,& mendaciis fallere intendunt. Sed quorſum in horum moribus depingendis ſum multiloquus?Quum Gal.*lib.de præcog.ad Poſth. ferè per totum,& lib.*1.*meth.* multa pronunciet. Quorum ſtupiditatem nec Apollo cum Muſis ſanabit vnquam. Nec Europa deteriorem experitur peſtilentiam,nec ſenſit ipſa Cranon. De quibus illud, Gennadio Medico à Pallade inculcatum, feſtiuum carmen optimè dici poteſt.

Iudicium melius fuerit ſubiiſſe latronis,
Gennadij medicas quàm petiiſſe manus.
Ille etenim cædes ſanctè execratur, & odit.
Hic pretium capit, & ducit ad Elyſios.

Verùm naturam.] Medicum naturæ operum gnarum eſſe, pluribus in locis firmauit Hipp. Cùm enim naturæ ſint morborum medicatrices,ex ipſo 6.*epid.ſect.*5.*text.*1.Et harum ope concoctiones fiant,noxij humores expellantur, & curentur morbi; & Medicus huius naturæ ſit miniſter: oportet vt ſummo ſtudio huius actiones conuenientes ſcrutetur,vt ſuo tempore eas adiuuare,& ſua opera probè adminiſtrare queat; qui ſi aliter ſe gerat, & intempeſtiuis auxiliis criſim morbi ignorans, ipſam perturbet,vt 1. *de dieb. decret.*1. & hîc contra Medicos Romanos, ad huius iuuenis curationem vocatos,acriter inſurgit Gal.iudicium in ſeptimo,ad quem paratum erat,fieri non poterit,tot interea erroribus admiſſis.

Si enim huius naturæ, quam Hipp. & Ariſt. vegetatiuam animam in plantis,& potentiam vegetatiuam in homine vocarunt,veſtigia, ordinem,& vias, exacto iudicio, ex pulſu,vrina,actionibus principibus,& non principibus fueris contemplatus,rarum erit quod in præſagiẽdo erres, & ex conſequenti nihil eorum, quæ in Aphoriſmis conſcribuntur,falſum eſſe inuenies. At *naturalem oportet, eſſe Medicum,& natura prudentem*,vt Gal.retulit *lib.*8.*meth.*9. *in med. &* 2.*acut.* 36. *& in omnibus valdè exercitatum* 2.*de dieb.decretor. cap.*2.Nam *Medicus debet habere naturam*,ex Hip.*lib.de lege,num.*2.hoc eſt,naturalem quandam potentiam,habilitatem, genium,ac propenſionem in artem medicam, vt *in comm.huius loci*, Rodericus à Fonſeca notauit egregiè.Nam *quod ex libris acquiritur multum eſt,quod verò ſuperadditum eſt, infinitum, & incomprehenſibile eſt*,vt dicebat Auic.1.1. *cap.*1.

Si ergo Medicus proprio genio,natiuáque ratiocinatione ductus,perſuaſum ſibi habeat naturam prorſus ſufficere, & ſumma quadam prouidentia corpori noſtro proſpicere,& propriis motibus ordinatis vti, intelligeret ipſam criſium auctorem eſſe,& omninò ad eas celebrandas ſummo conatu, totis viribus, vnito calore, quo veluti inſtrumento vtitur,& refectis ſpiritibus ſe accingere,quouſque cauſam morbificam è corpore excernat. Propterea dicit Hipp.6.*epid.*5.*in princ.Natura omninò ſufficit*,hoc eſt,natura,præcipua,maximáque eſt morborum medicatrix,dũ ſeparata parte vtilis ab inutili, hanc variis vacuationibus pro humoris vergentia foras propellit, ſícque morborum criſes à natura fieri docet Gal.2. *de vſu part.*17. & 2. *aph.* 13.§. *Criſis fit natura ſeparante à bonis mala, & ad excernendum properante, &c.*

Quapropter diſertiſſimè Hipp. monet *lib.de alim.nu.*8. *Naturas omnium nullo doctore vti*, quem locum Valleſius acutiſſimè explanauit; & primò Gal.6. *de loc.*6. exemplo hœdi lactentis appoſitiſſimè explicuit. *Et lib.*1.*de natur. facult.*13. idem repetens, in hunc modum ſcribit. *Atque Hipp. omnium quos nouimus, Medicorum, Philoſophorûmque primus,vt qui primus naturæ opera nôrit, hanc ſemper tum admiratur, tum prædicat, quam & iuſtam nominat, & ſolam animalibus ad omnia ſufficere aſſeuerat, ipſámque per ſe ſine doctore, quæ opus ſunt agere, & non ſolùm iuſtam, ſed iuſtiſſimam appellauit*, *lib.*1.*de fract.*1, propterea quòd de omnibus noſtri corporis partibus prouidentiam habeat,& vnicuique alimentum præbeat,ſecundùm vniuſcuiuſque naturam. De quo argumento ſat plura congeſſere Gal.5. *de vſu part.*4.& Auic.*lib.*2. *tract.*1.*cap.*4.

Ad hæc. Natura, inquit Ariſt.2. *de generat.animal.*4. eſt paterfamilias prudens;ita enim diſpenſat in cura rei familiaris,vt cibus optimus detur liberis,deterior ſeruis,viliſſimus animalibus: ſic natura alimentum præſtantius partibus præcipuis, & nobilioribus, peius mediocribus, peſſimum aliis tribuit. Eſt inſuper natura opulenta, ac diues, vt 15.*de vſu part.*5.teſtatur Gal.& ſic plures habet vias,ac modos, quorum ope, ac beneficio,varios vſus operatur,ac opera mirabilia præſtat, & exequitur.

Hæc enim cùm potens, docta, prudens, diues, iuſta, & ſemper ſui ſimilis in actionibus ſit, quid mirũ ſi hanc, criſium eſſe auctorem pronunciemus? quæ cùm genere vna ſit, ſpecie verò multiplex, nulla alia niſi expultrix eſſe poteſt;ſic ſtatuit Gal.2.*de natur.hum.*21.dum ſic inquit *Facultas igitur quæ aliena expellit,ea eſt,quæ indicationes in morbis facit: id facere quod conſueuit,quum ipſa vel à Medico,vel ab iis quæ in corpore continentur, irritatur, &c.* & *lib.*7. *aph. com.*21.ſic ait.*Oſtenſum quidem eſt in commentariis de potentiis naturalibus,quòd eſt quædam in ipſis vis aliena excernens, quæ & ſudores criticos, id eſt, indicatorios facit, & profluuia ſanguinis,& alui inferioris deiectiones,& quæcumque alia huiuſcemodi. Secundùm hanc igitur vim nonnunquam vehementiùs natura operans, magnum, & violentum arteriarum efficit motum, appetens illa quæ moleſtant expellere, atque ita profluuium ſanguinis facit, &c.* quod repetit 4.*aph.*22. & 3.*de criſ.*13.& *lib.*3.*de dieb.decret.*8.Hæc ergo vis expultrix eſt, quæ primò,& per ſe iudicationes in morbis facit, ſecundariò verò copia humorum,acceſſio, & morbus ipſe:quæ iudicationes ſecundùm maius,vel minus naturæ robur,diuerſimodè contingere ſolent.

Quare ne mireris Galenum virum in facienda medicina dexterrimum,naturę motum ex certis ſignis ſedulò explorantem,futuram hæmorrhagiam præſagiiſſe,quod non ex diuinandi ſcientia,vt alij proteruè augurabantur,ſed ex ipſiſſimis medicæ facultatis abſtruſis arcanis,& reconditis labyrinthis accidiſſe, euentus poſteà confirmauit.

QVÆSTIO XXXIIJ.

Quòd ſanguinis è naribus fluxus morbos iudicare poſſit: & quare hic rubidus ſemper appareat. Contra Fernel. Medicum inſignem.

S*Anguinis fluxum expectaueritis.*] Nullum eſt priſcorum tam firmum inuentum,quod reproba Claſſicorum nõ impugnet opinio:inter quos Fernel.acutiſſimi alioquin ingenij vir, & poſt Hip.Gal.Auic. primarióſque Medicinæ Duces nulli ſecũdus, horum præclaros conatus obſcurare intendens,plurima in ipſos,in multis directiſſima tela,acutiſſimáque ſpicula coniecit,ex quibus illud euulgauit *lib.*1. *de ven.ſect.c.*1.*Nullum ſcilicet ſanguinis è naribus profluuiũ, licèt criticum,ſalubre eſſe; quoniam licèt deliria.vigilias,capitis dolorem, & reliqua ſymptomata demulceat, vix tamen propriam morbi eſſentiam,atque radicem euellit,niſi immoderatior*

ſucced at

ſuccedat profuſio, ſumma virium diſſolutione, quæ tamen nuſquam videtur optanda. Vitioſus enim ſanguis per nares poſtremus elabitur, nec niſi quum vtilioris magna vis erit effuſa. In his igitur febribus tametſi nares multo ſtillent ſanguine, vena tamen cubiti ſecanda; quandoquidem deprehenſus eſt è naribus, tum colore, tum ſubſtantia laudabilis, quum impurus ex cubito, ſordidúſque detrahitur. Hæc Fernel. Cuius opinionis falſitatem plures ante me reprobauere, quam eſſe vſui frequenti, & auctorum decretis maximè aduerſam nullus ignorat, & eam omninò ſubuertunt Chriſtoph. à Vega, & Brau. Petraſit. *in com. ſent.* 32. & vt temerariam, ſalutique humanæ infeſtam, damnat Augenius, *tom.* 2. *epiſtol. lib.* 2. *epiſtol.* 9. Nam monente Gal. *lib.* 4. *acut. com.* 10. *In acutis febribus, quod ex ſanguine feruet, ad caput fertur. Cùm igitur reſciſſis ruptiſque venis, natura idipſum vnà cum aceruatis vaporibus effuderit, cæteris promptiùs dominatur, & imperat, ſoluitúrque morbus* Repetit 3. *criſ. vlt.* & alibi paſſim. Sequitur Auic. 1. 4. *tract.* 1. *cap.* 73. quam ſententiam cuncti vnanimiter poſteà confirmant.

Videant ergo omnes, quot habeat ars noſtra difficultates, ſi vna ratione malè intellecta, auctor iſte grauiſſimus à præfata Hipp. mente, perfricta fronte recedere non erubeſcit. Ignorauit enim eruditiſſimus Fernel. cauſam, ob quam ferè in omnibus morbis, licèt totus ſanguis per venam ſectam, & cucurbitulas extractus, vitioſus, putridúſque ſit, ſolùs è naribus profluens rubidus emanet; ob quam cauſam debilitari vires, laudabili ſanguine eiecto, affirmat ipſe.

Sanguinem rubidum è naribus emanare ſenſus iudicat, firmátque aſſiduum experimentum; his enim poſitis litigantium rationes ceſſant, ex Gal. *lib. de rigor.* 18. Et licèt Gal. *lib.* 1. *epid. ſect.* 3. *com.* 18. in morbo exitiali rarò viſam fuiſſe ſtillam rubri ſanguinis, ſed atri ſemper aſſeueret, cum Auic. 2. 4. *tract.* 1. *cap.* 74. hoc non de largo ſanguinis profluuio, ſed de ſtilla intelligendum puta. In qua vacuatione ſanguis cùm lentè per vaſa ad nares excurrat, per moram ob caloris abundantiam toſtus & aſſatus colorem mutat, liuet, & nigreſcit.

Enimuerò non intelligo per putredinem, motum & propenſionem ad putrendum; nam certum eſt ſanguinem ita ſumptum, adhuc putridum non eſſe; ac proinde mirum ſi in illius miſſione putridus, & non mirum ſi naribus effluens, purus, ac rubidus appareat: in quo cùm non detur mutatio ſecundùm formam, ſed ſolùm ſecundùm alteratiuas qualitates, calorem videlicet, immutatus apparere poterit, quum ſuum adhuc obtineat colorem. Scis namque ſanguinem dum putreſcit, ſuam obtinere formam, in alióſque humores non degenerare. Sed intelligo terminum putredinis, corruptionem, quando ſanguis in aliorum humorum formas degenerârit, ſuámque amiſerit, (tunc namque illius pars tranſit in bilem, craſſa verò in melancholiam, 2. *feb.* 9.) quo tempore ſi per nares exeat ſanguis, licèt putridus ſit, colorémque mutauerit, apparet ſemper rubidus, ſiue in amplo, anguſto, faſtigiato, aut lato vaſe excipiatur: ſiue, (vt ferè ſit) ſuper ſolum decidat.

Cur verò hoc ita accidat, explicatu difficile eſt. Reſponderi poteſt huius euentus cauſam eſſe, quoniam ſanguis è naribus eiectus tenuis eſt, & exit veluti colatus, & per anguſtiſſimos anfractus defertur, craſſiori parte intùs manente, terreſtri, & magis fæcali, quæ ſurſum eleuari nequit. Non placet ſolutio, nam ſi morbus ſoluitur ad ſolutionem cauſæ, & putridæ febres à craſſo, multo, & lento humore originem ducentes hæmorrhagia ſoluuntur, ex Gal. *loc. cit. ſuprà*, terrenum ſuccum huius vacuationis vi etiam educi, negandum non eſt.

Quare me in hoc argumento primum pauliſper exaudi. In peluiculis cum ſanguis emittitur, fit manifeſta partium eius ſeparatio: nam quicquid lutoſum, fæculentum, fibroſúmve eſt, ſubſidet; innatat quod ſummè leue, putrefactum, bilioſum, aut ichoroſum eſt; in medio reſidet pituitoſum; & iuxta ſummum, ſanguineum; hócque fieri ratione diuerſarum partium ſanguinis, & caloris poſt venam ſectam perſeuerantis beneficio, certum eſt. Nam calor cùm non ſit ab influenti ſpiritu gubernatus, qua

A calor, diuerſas partes ſeparat & diſiungit, licèt qua naturalis in venis vniat. Sanguis ergo qui effluit è naribus, putridus licèt ſit, & maximè corruptus vtpote manifeſtè putridam febrem ſoluens, laudabilis & rubidus apparet, quia guttatim exit, & in vaſis ferè non colligitur, & ita eius calor paulatim ab ambiente licèt calidiſſimo (minùs enim calet quàm ſanguis, ex Gal. 8. *de vſu part.* 2.) refrigeratur, & obtunditur, vt eius vi, ac ope partes diuerſæ ſegregari non poſſint, quare ſanguis è naribus emanans ita concretus, ac confuſus rubedinem ſeruat: è contrà accidit in eo qui ex phlebotomia extrahitur, qui cùm celeriter, & maiori impetu prorumpat, non ita refrigeratur, & ſic in vaſe reſeruatus, & vnitus, diu colorem conſeruat, cuius vi partes diſſimiles ſeparari poſſunt. Argumento eſt ſanguis extra peluim, aut in vaſe lato collectus, hic

B enim cùm expanſus ſit, promptiúſque ab aëre alteretur, rubidus etiam perſeuerat magis, quàm ſit in pelui ipſa, aut vaſe faſtigiato receptus. Quæ cauſa cùm latuerit Fernel. ingenium, idcircò in medicinæ proceres debacchari pro more ſuo non erubeſcit.

QVÆSTIO XXXIV.

Quòd ad criſim per ſanguinis fluxum, neceſſaria ſit concoctio.

E*T morbus adhuc crudus eſſet.*] Dubitari poteſt, num ad criſim per ſanguinis fluxum neceſſaria ſit concoctio, vt bona ſit criſis, atque iudicium. Gal. enim huic dubitationi anſam dedit: nam de hac vacuatione ſæpè cùm lo-

C quatur, concoctionem, ad illam non præſuppoſuit. Fauet dubitationi ſimilitudo quam ars, & natura inter ſe habent. Sicuti enim ars redundantem ſanguinem citra coctionem vacuare conatur: ſic natura per ſanguinis fluxum è naribus, aut quamlibet regionem, materiam peccantem extra corpus ſine coctione vtiliter elicere tentabit; & maximè cùm *ſanguis non ſit de genere eius, in quo expectatur digeſtio*, apud Auic. 1. 4. *tract.* 2. *c.* 7.

Ad ſanguinis fluxum, exquiſitam coctionem eſſe neceſſariam, ad hoc vt iudicatorius ſit, penitúſque malum finiat, Gal. explicuit. Tradidit enim *lib.* 3. *criſ.* normas quaſdam vniuerſales, futuram bonam criſim ſignificantes, eáſque tam ad alui fluxum, ſudorem, vomitum, ſputum, quàm hæmorrhagiam, & quamlibet aliam vacua-

D tionem adaptauit: & particulariùs ad minima quæque deſcendens, fluxum ſanguinis è naribus approbat, ſi cocto morbo ſuperuenerit, 4. *acut. com.* 10. quod etiam aduertit 2. *de humorib. com.* 14. dum inquit: *Sudores, vomitus, & ſanguinis profluuia, ſi in principio appareant, non poſſunt morbum ſoluere, non ob aliud, niſi quia iudicantia in melius non ſtatim apparent: & opus eſt concoctionem præcedere, &c.* Deinde ſi hæmorrhagia febres ardentes ſoluuntur, cur ad hanc vacuationem coctio neceſſaria non erit, & cæteræ aliæ conditiones, quas ad criſim exoptat Gal. paſſim? Nam ſi citra illam hæc contingat, reproba eſt, illiſque ſignis adſcribi debet, quæ decretoria ſunt non decernentia, quæ partim lethalia ſunt, partim difficilis iudicationis; quæ quàm peſſima ſint, docuere Hipp. *lib.* 1. *epid. ſect.* 1. 2. & 3. & *lib.* 1. *prorrhet. ſect.* 3. *text.* 48. & 56. & Gal. 4. *aph.* 22. &

E alibi ſæpè.

Neque multùm operoſum eſt, oppoſita argumenta diſſoluere. Neque incuriæ, aut erroris accuſandi ſunt priſci, neque omnes Medici, qui illorum facundiſſimam doctrinam amant, & amplectuntur, quòd in morbi initio, abſque vlla præcedente concoctione, ſanguinem imperant emittendum; nam hoc exequendum iubent, quando ſanguis feruidus eſt, benéque coctus, ſola multitudine abundans, ebulliens, & venas diſtendens, cuius efferueſcentem copiam ocyſſimè vacuare conantur.

Quando tamen qualitate peccat, ita vt ſit calidus, vel frigidus valdè, craſſus, nimis tenuis, & ſeroſus, attemperandus eſt, & attenuandus. Sic à parca ſanguinis miſſione curationem in febre ſanguinea auſpicatur mox à principio, quando videlicet ſanguis cum aliis ſimul humoribus peccat, qui cum eo permixti non ſunt. Copioſiùs tamen

extrahere iubet notis coctionis euidenter apparentibus, quidquid Fernel. 2. *meth.* 13. Iulius Cæſar Claudinus *lib. reſponſ. medicinal.* 2. & Proſper Calanus *lib. de melanchol. flatuoſa*, acriter accuſent Auic. & eius interpretes, cuius rationes ſunt ſuo loco perſoluendæ.

Quare ſanguis qui craſſus eſt, attenuari deſiderat, priuſquàm venæ ſectione exhauriatur, auctore Auic. 4. 1. *cap.* 20. & 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 45. neceſſéque eſt priùs, vt æger balneetur, fricetur, exerceatur, vt lentus ſanguis liquari, fundíque poſſit. Sic docet faciendum Gal. *lib. de curãd. rat. per ſang. miſ.* 12. quo loco ſanguinem craſſum, & crudum, extenuat, & coquit hyſſopo, origano, nepita, pulegio, & aliis, & tandem ipſum minuit: & 4. *acut. com.* 28. edoctus ab Hipp. concretum ſanguinem, difficultérque effluentem fomentis præparat: & 6. *epid. ſect.* 5. *com.* 29. idem lotionibus opus exercet: & pluribus in locis quos graphicè proponunt Ferdinand. Mena, Hieronymus Nunius Ramires *in com. cit. cap. Gal. lib. de curand. rat. per ſang. miſ.* Ioan. Brau. Petrafitanus *lib.* 2. *de purg. rat. cap.* 10. Sanguis ergo cùm purus, & integer eſt, & alicuius mixturæ expers, non eſt de genere in quo expectatur digeſtio, vt retulit Auic. Verùm interdum adeſt cacochymia, & vitium in ſanguine, & ipſe crudus eſt, quia maior copia pituitæ in eo eſt, quàm par ſit: hic coquendus eſt, non vt ſanguis eſt, ſed quatenus ingens crudi, pituitosíque humoris portio in eo adeſt, quæ ſanguinem vitioſum reddit; de quo priſcos loquutos fuiſſe exiſtimo, qui ſanguinis eruptiones non poſſe penitùs morborum abſoluere, niſi præcedente coctione, aſſeuerant. Neque ratio à ſimilitudine ſumptá multùm vrget, quum plurima non fiant à natura, quæ artis ope cum animantis ope perficiuntur. Videmus enim Hippocratem plurimos enarraſſe *in Epid.* qui turbata aluo, & aberrante natura in initio morbi obiere, vtilibus potiùs (irritata ob ſæuitiem morbi, natura) propulſis humoribus. At Hipp. ipſe inchoantibus morbis, medicamenta humores noxios attrahentia propinare iubet, vt à maiori noxa corpus præſeruet, morbúmque infeſtantem curet.

HIST. LXV. GALENI,
De Olfactus læſione.

Odorandi ſenſus à diuturna tum grauedine tum diſtillatione læſus, & reſtitutus.

CVm hæc igitur olim nobiſcum cogitaremus, fortè contigit, vt quidam, cui odorandi ſenſus, à diuturna tum grauedine, tum diſtillatione læſus eſſet, ad nigellam remedij cauſa confugeret. Quam, vt ratio medicamenti poſtulat, cùm contudiſſet diligenter, & in puluerem liquaſſet, veterique oleo immiſcuiſſet, iterum eandem cum eo humore minutiſſimè triuit, mox aquam ore excepit, & ſupino capite non minimam medicamenti partem ſibi naribus inſtillatam adducto ſpiritu vehementiùs attraxit; eodémque modo triduum medicamento vtens, magnum ex eo iuuenis ille adiumentum cepit. Quarto autem die cùm eodem medicamento ſic vſus eſſet, vt ſpiritum violentiùs quàm anteà attraheret, grauem in intimo capite morſum percepit, qui tamen cùm ſenſim leniretur, poſtera die prorsùs ſedatus eſt. Qui euentus mihi argumento fuit, nigellæ paulùm vſque ad cerebri ventriculos eſſe attractum, quod aut membranæ, quæ ſecundarum modo, quibus inuoluuntur fœtus, intertexta eſt, aut fortaſſe ipſi cerebro inhærens, dolorem intulit. Atque hoc idem illius rei conſenſu approbatum apparet, quòd vaporis quodammodò ſimile proprium odoratus inſtrumentum eſſe oportet. Ex quibus rebus ego commotus, aliis quibuſdam, aliíſque aliàs, multiſque deinceps famulis eodem medicamento in nares inſtillato, eos ſpiritum vehementer trahere iuſſi: quorum alij nullum, alij leuem, alij grauem morſum altè in capite ſenſerunt, &c. Galenus, de inſtrument. odorat. cap. 4.

PARAPHRASIS.

HIſtoriam hanc adducit Galen. vt probet odorandi ſenſum in anterioribus cerebri ventriculis fieri, hócque triplici probat argumento, quod etiam facit 8. *de vſu part. cap.* 6. *&* 7. *de placit. cap.* 5. 8. *de loc. affect. vlt.* & 4. *ſimpl.* 22. Licèt enim odoratus inſtrumentum eſſe proceſſus illos mammillares appellatos, iuxta cerebri ventriculos locatos (hos enim primus omnium inuenit Auic. 5. 3. *tract.* 1. *cap.* 4. quamuis 2. *cont.* 24. perperàm tamen contradicat Valleſius) non concedat: ſufficit quod intra caluariam fieri odorandi ſenſum pluribus aſſeueret. Cùm enim *citatis locis* elegantem faciat demonſtrationem ex ſingularium partium naſi enumeratione, nec oſſa, cartilagines, membranam, aut neruum per membranam expanſum, verum odoratus organum eſſe, concludit, ergo ſunt proceſſus mammillares, quum nullæ partes ibi aliæ contineantur; vt colligas Gal. licèt de his proceſſibus non meminerit, in hac parte fieri, ac collocari olfactum cum eo exiſtimaſſe.

Enimuerò plures licèt de hoc argumento ad rauim vſque diſceptauerint, de quorum numero ſunt Andreas Laurentius, *lib.* 11. *de re anatomic. cap.* 12. Fernel. *lib. phyſiolog.* 9. Veſal. *lib.* 1. *fabric. cap.* 6. *&* 12. & *lib.* 4. *cap.* 3. Conciliat. *dif.* 45. Realdus Columb. *lib.* 8. *cap.* 2. Iulius Caſſer. Placentin. *lib.* 3. *de organo odorat. cap.* 15. *&* 16. Bauhin. *lib.* 3. *theat. anatomic. cap.* 19. Emanuël Nunius Olyſipon. *in lib. de inſtrum. tact. in med.* Gaſpar Tagliacotius *lib.* 1. *de Curtorum chirurgia, cap.* 6. Otho Caſmannus *part.* 2. *pſycholog. cap.* 24. *qu.* 24. Conſtant. Varolius *in epiſtol. ad Mercurial.* Liceat tamen mihi ſuccinctè inter tam varias Philoſophorum, & Medicorum ſententias, meam proferre in medium, & antiquorum mentem dilucidè, Laconicéque explanare. Primò, quod ſit olfaciendi organum. Quæ illius natura. Ac vbi ſecundum Philoſophi, & Galeni aſſerta collocetur inſtrumentum ſenſus, id eſt, per quod ſentiens facultas propria ſenſibilia dignoſcit. At cùm inſpirantes tantùm olfaciamus, inueſtigandum eſt, qua parte earum, per quas ſpiritus permeat, odores dignoſcamus. Hanc verò non eſſe palati tunicam, certum eſt; quandoquidem obſtructis naribus, aut digito ſic compreſſis vt claudantur, ſpiritu ore adducto, nullus odoris ſenſus mouetur. Eandem ob cauſam, nec faucium, nec aſperæ arteriæ tunicæ hoc munus conceſſum eſt. Plurimi Philoſophorum opinantur, Ariſt. putaſſe vim odorum ſenſitricem naribus ineſſe. Sed hi citra rationem interpretantur. Nam *lib.* 2. *de anim. cap.* 9. & *lib. de ſenſ. & ſenſibil. cap.* 5. apertè docet, animalia reſpiratione vtentia, citra reſpirationem olfacere non poſſe, hominémque inſpirando tantùm odorem ſentire, non expirando, quod certè neceſſarium non foret, ſi ſenſus odorum in naribus exponeretur. Maximè quum aſſerat Gal. *lib. de inſtrum. odorat. cap.* 5. Ariſt. locum ſenſorij odoratus, & eiuſdem ſenſorij foraminum non manifeſtaſſe.

Hoc ſenſorium non eſſe in naribus locatum, tum partis ipſius conſtitutione, tum propriis actionis accidentibus Gal. probat euidenter hoc modo: quia ſi naribus exponeretur, id certè eſſet aut in illarum oſſibus, aut in tunica oſſa ipſa obducente; nec pars tertia in naribus relinquitur, cui illud adſcribi poſſit (nam cartilago in eodem cum oſſe cenſu collocatur:) ſed neutri illorum attributum eſt; quoniam oſſi non modò non odorandi, ſed nec tangendi quidem ſenſus datus eſt. Non eſſe autem in naris tunica odorum ſenſum poſitum patet; quum eadem ſit cum illa, quæ linguam, palatum, & reliquas oris partes veſtit: Quare ſi illa odoratus exiſteret inſtrumentum, neceſſe eſſet, omnes eodem ſenſu odoris eſſe præditas, eundémque affectum cunctas participare, cuius contrarium experimur.

Si verò rem à propriis actionis accidentibus inueſtigare velimus, nullum odoris ſenſum, niſi ſpiritu naribus attracto moueri videbimus: reliquo autem tempore odoris ſenſu caremus, etiamſi nares vapore odorifero repletæ ſint. Ex quibus perſpicuum eſt, inſtrumentum odoratus intra cranium eſſe locatum, provt ſuperioribus locis

confirmat Gal. Inſuper ſenſorium oportet eſſe ſenſibili ſimile: at ſenſibile eſt vaporoſum. Vaporoſum igitur olfactus ſenſorium eſſe neceſſe eſt: tale autem ſunt ventriculi anteriores, non tunica narium, quæ frigida, ſicca, ac terrea eſt, & à vaporis natura longè diuerſa. Denique hic iuuenis, qui odorandi ſenſum à diuturna grauedine læſum habebat, à nigella in puluerem redacta, veterique oleo mixta, & per nares vehementiùs adducto ſpiritu attracta, adiutus eſt; quæ hiſtoria argumento eſt, odoris ſenſum in anterioribus cerebri ventriculis collocari. Nam ſi non tam intimè, ſed in narium tunica exiſteret, leuis ſpiritus adductio ſufficeret, nec vehementi opus eſſet attractione.

Sed in qua parte ſenſus odorum collocetur, adhuc quærendum eſt. Auc. *cit. loc.* Veſalius, cæterique periti Anatomici, inſtrumentum odoratus eſſe duo additamenta mammillaria in anteriore cerebro locata aſſeuerant. Sunt autem proceſſus iſti mammillares, auctoribus Gal. *lib. de inſtrum. odorat. cap.* 2. & Aëtio *tetrab.* 2. *ſerm.* 2. *c.* 96. germina duo oblonga, & caua, principium quidem ex anterioribus ventriculis habentia, progredientia autem ad illam caluariæ partem, vnde naſus initium habet. Súntque iſta vera odoratus inſtrumenta: nam omnia quæ ad illius naturam requiruntur, obtinent. Conſiſtunt ſiquidem intra cranium; quare fit, vt citra reſpirationem olfacere non poſſimus. Sunt eſſentiæ vaporoſæ, & cum odoribus ſimilitudinem habent. Sentiunt exactiùs, quam cerebrum; nam licèt de cerebri ſubſtantia ſint, neruеam tamen ſpeciem præ ſe ferunt.

Prætereà ſunt ante cerebri ventriculos poſiti; maximum ſanè indicium, naturam in ipſis ſenſum odorum conſtituiſſe, tanquam exploratoribus halituum cerebrum ſubeuntium, qui futuri ſunt animalium ſpirituum materia. Et licèt odor ſicci ſit, teſte Philoſopho *lib.* 2. *de anim.* 9. *in fin.* & nimis humidum ſenſorium, ægrè, difficultérque odores percipiat; & proceſſus mammillares, cùm de cerebri ſubſtantia ſint, humiditatem non exiguam præ ſe ferant: (eſt enim cerebrum humidiſſimum, teſte Ariſt. 1. *de hiſt. anim.* 16. & 5. *de gen. anim.* 3. & 2. *de part. anim.* 14.) idcircò remiſsè olfacit homo, & ob ſuperfluam humiditatem, non niſi extremas odorum differentias percipere poteſt.

Munitur inſtrumentum odoratus à noxis extrinſecùs occurrentibus, oſſe cribroſo, & dura meninge, hac in parte pluribus foraminibus traiecta. *Oportebat enim*, inquit Gal. 8. *de vſu part. cap.* 6. *huius ſenſus proprium ſenſibile cerebri portionem alterare: oportebat etiam ei operimentum quoddam eiuſmodi eſſe circumiectum, quod tum conſeruare ipſum poſſet, tum tranſitum vaporum ipſorum ſenſibilium non impediret.* Cur verò os cribroſum prædicta foramina recta non habeat, vt cribra, ſed in eo quemadmodum in ſpongia, meatus ſibiipſis è directo non reſpondeant, nec recti ſint omnes, cauſam attulit Gal. 8. *de vſu part. cap.* 6. *in fin.* dicens. *At quoniam operimentum eius oportebat eſſe foraminulentum ſimul, & rarum, vt ad cerebrum quidem aërem reſpirationis cauſa celeriter deduceret, vaporem autem, digno-tionis odorum: tum autem vacuaret repentè ac ſemel, ſiquando neceſſitas inciderit, excrementorum copiam, magna autè ipſius operimenti facilitas ad patiendum, conſtructionè ipſius neceſſariò ſequebatur; magna prætereà viſceris principaliſſimi, cerebri ſcilicet offenſio: Natura os variè pertuſum velut ſpongiã ipſi appoſuit, ſimul ne aliud corpus durum quoddam extrinſecùs incidat, ſimul ne viribus integris aër frigidus inſpiranti-bus nobis rectà in cerebri ventriculos ſeſe inſinuet. Non enim ſemper eramus inſpiraturi aërem moderatè frigidum, ſed non-nunquam vel frigidiſſimum, qui ſi rectà in cerebrum incideret, ipſum profectò immodicè refrigeraret, omnémque vitam in periculum adduceret, &c.* hæc Galenus.

Ariſtot. *lib.* 2. *de anim. cit.* & *lib. de ſenſ. & ſenſoriis, cap.* 5. probat inſtrumentum odoratus foramina quædam ad ipſum pertinentia habere, quæ non ſemper aperta ſunt, ſed operculis quibuſdam membranæ ſimilibus, tenuibúſque teguntur, quæ ab impetu attracti aëris referantur, vt ad eam partem, in qua vis odoris poſita eſt, proprium eius ſenſibile perueniat. Hanc opinionem duplici

A medio condemnat Gal. *lib. de inſtrum. odorat. cap.* 5. Nam ſi talia eſſent opercula, aëris exterioris impulſu reſerarentur: ſed non ita fit; quoniam etſi aër vehementi impulſu ad nares mittatur, niſi inſpiratus nullũ prorſus odoris ſenſũ mouebit. Rurſus dici non debet, talia velamina noſtra voluntate moueri: nam ſi ita eſſet, quoties vellemus ea reſerare, etiam nullo ſpiritu adducto aperiremus, & claudaremus. Quod non ita accidere experientia docet. De quo argumento lege Ludou. Mercat. *tom.* 1. *lib.* 1. *part.* 5. *claſ.* 6. *q.* 158. Coſtæum *in com. cap.* 1. Auic. 5. 3. *tract.* 1. Curſ. Conimb. *in lib.* 2. *Ariſtot. de anim. cap.* 9. *quæſt.* 4. Thom. de Garb. *in ſum. quæſt.* 69. Albert. Magn. 2. *part. in ſum. de homine*, Algazellum, & Philoponum *in lib. cit. Ariſt. de anim* & Hieronymũ Cardan. *lib.* 2. *contradict. tract.* 6. *contradict.* 10. graphicè diſſerentes.

Odoratus inſtrumentum lædi vt plurimùm à frigida &
B humida intemperie certum eſt, à qua craſſi viſcoſique humores oriuntur, ex quibus grauedo, diſtillatio, & odoratus offenſio, obturatis meatibus, ob detenta excrementa, ſequi ſolent. Quibus autem indiciis olfaciendi læſio dignoſcatur, plures explicarunt. Curabitur autem factis priùs vniuerſalibus vacuationibus; poſt quas, ad ea quæ per nares craſſum humorem expellunt, deuenire oportet: hæc enim hunc mucum attrahendo, ſunt in cauſa, vt morbus ſanetur omninò. Inter hæc (errhina dicuntur) numerantur primò maiorana, ſaluia, reſmarinum, carpeſium, elleborus albus, & niger, caſtorium, & nigella, de qua Gal. *hic*, quæ cùm tertio ordine excalfaciat, ex Gal. 7. *ſimpl. cap. prop. de melanthio*, aſſiduè olfacta, morbos ex diſtillatione ſubortos ſanat, caput à ſuperfluis humoribus repurgat, ſenſus viuificat, mucum per nares expellit, & facultatem cerebri irritando, facit, vt ipſa inſurgens con-
C tra morbum, lentos humores grauantes detrudere poſſit per nares. De qua peculiari vacuatione, vide inter omnes Mercatum *lib.* 2. *indicat.* 1. eloquenter diſputantem.

HIST. LXVI. AETII.

De dentium dolore.

Quidam dolore dentium correptus, niuis in ore detentæ vſu, perſanatur.

Ego autem aliquando cuidam huiuſmodi temperamenti exiſtenti, & in hanc affectionem delapſo, oleum roſaceum, &
D *myrteum in ore detinendum exhibui, & ſanè vri ſibi videbatur hic homo, tanquam à face accenderetur: niuem itaque cum melle roſaceo miſcui, & moderatè tepefeci, quò frigoris vehementia frangeretur: & ore detinendam exhibui, & à dolore liberaui, &c. Aëtius* tetrab. 2. ſerm. 4. cap. 27.

COMMENTARIVM.

Dentes fluxionibus, & dolori ſunt parati valdè, habent enim venulas, & arteriolas, ſicque ob attritionem neceſſariam indiguerunt alimẽto copioſo, & affiduo: hoc enim facit ipſos ſuſcipiendis excrementis opportunos; iidem enim viis recipiunt redundantes ſuccos, quibus & nutriuntur. Itaque ob hæc ſolent dolere dentes, non tamen ſemper dolent ab eadem cauſa; ſed
E nunc ab intemperie calida dolor incipiens conuocat fluxionem, à qua deinde fouetur, & augetur. Atqui fluxio ipſa, ſiue dolorem antecedat, ſiue ſequatur, ſæpè calida eſt, & acris, & dolor ab ea concitatus nonnunquam incipit à gingiuis, & coafficit dentes; nonnunquam à dentibus, & refunditur in gingiuas. Et tumor gingiuarum aliquando creſcit cum ipſo dolore, aliquando tumeſcentibus gingiuis dolor ſedatur, quòd fluxio conuertatur ad externa.

Inſuper dolere dentes, vel ob ſubſtratum neruum, vel ob inflammatas gingiuas latiſſimè probant Thomas à Veiga, 2. *de loc. in com. cap.* 1. *verbo. quenquam.* Coſtæus *in com. cap.* 1. Auic. *fen.* 7. 3. *tract.* 1. Felix Platerus *quæſt.* 50. *path="">tholog.* A cauſa calida dentes dolorem pati, ex multis ſignis

ſignis venari licet,nempè ex intenſo dolore, ſubrubra fa-cie, temperamento calido, florente ætate, tempore anni, regione, aëris ſtatu,& anteacta vita.

Enimuerò pro dolendi cauſa aliis, aut aliis medicamentis opus eſt. Horum triplex genus eſſe cenſeo. Quædam enim adſtringentia ſunt,ad arcendas fluxiones,& firmandos dentes: quædam reſoluētia ad abſumendā fluxionem flatus: quædam ſtupefacientia ad tollendum dolorem cum ſenſu. Quo pacto neceſſarium eſt, ſopiendi doloris cauſa, dentibus nimis frigorifera adhibere; maximè ſi à prægreſſis auxiliis non iuuetur æger. Quare quum ob nimium partis calorem, applicitis,oleo myrtino,& roſaceo increſceret ardor, & dolor (promptè enim hæc ob pinguedinem inflammantur:) ad frigida deuenire coëgit neceſſitas. At cùm hæc,quædam ſint quæ torporem inducunt,& non niſi ſummo vrgente dolore ipſis dentibus applicanda, meritò ad niuis vſum deuenit, relictis pluribus quæ ſimilem effectum præſtare nata ſunt : de quorum numero ſunt hyoſcyamus, ſolani ſuccus, capita papaueris, altercum,& ipſum Philonis antidotum denti circumlitum,auctore Paul *lib.3.cap.26.* firmant Tral. *lib.3.cap.13.* & Celſus *lib.6.cap.9.* Quo factum eſt, vt cùm dentis dolor maximis tormentis annumeretur,plurima excogitāda ſint auxilia, quæ affectum tantiſper leuare queant, inter quæ,niuis, aut aquæ niualis vſus in ore detentæ ſummoperè prodeſt, mixtis etiam iis quæ huius medicamenti efficaciam retundere poſſunt, vt ſunt vinum, acetum, rhodomel, aqua vitæ, quum commune ſit omnibus quæ pro dentibus parantur,indigere aliquo quod in altum deducat, alioqui nihil præſtiterit neruorum radicibus, quæ intra ipſa oſſicula ſunt,apponere.Nam Au c. *tract.2.lib.2. cap.524.* Aquam niuis ſedare dolorem dentium calidum aſſeuerat,& 7.3. *tract.1. cap.* 8.de medicinis ſtupefactiuis ſic ait : *& quandoque dantur in potu etiam narcotica, ſicut Philonium, quoniam ſanat eum qui de dente ſuo conqueritur, & accipit ex ipſo in ore ſuo,& dormit,& maturatur ægritudo eius, & quieſcit dolor eius, & ex eorum ſumma quæ ſtupefaciunt abſque nocumento,eſt aqua infrigidata cum niue in vltimo;& ponitur in ore acceptio poſt acceptionem,donec ſtupefiat dens : quare quieſcit dolor omninò, &c.* Tanta eſt niuis in calidis affectibus,tam intùs,quàm extra applicitæ poteſtas, vt ad retundendam veneni inflammantis malitiam, ſola niuali aqua conſulat vtendum Auic. *6.4.tract.1.cap.4.*

Obſeruatio XLVI.

Dentium dolor ſæuiſſimus,niue circumpoſita ablatus.

Miles ſtrenuus quum à multis annis dentium dolore, ex diſtillatione ſuborto per interualla quateretur, ita vno die, æſtatis tempore,liquatis ſuccis crudis,in tribus molaribus ſuperioribus dextri lateris immani dolore eſt concuſſus, vt velut amens vociferans è domo exire vellet, rabie quadam,& furore percitus doloris. Huic reuellentia primò omnia facta ſunt præſidia, mox anodyna, ſoporifera, immò ipſum opium dentium cauo applicitum. Sed incaſſum omnia tentata, nam vehementiùs ægrum dolor vexabat. Demùm niue, qua aquam bibendam refrigerabat, fortuitò in ore detenta conquieſcere cœpit, eáque iterum, atque iterum accepta à dolore intra horam euaſit immunis, & plures alij qui hoc præſidium ſunt experti,doloris ſæuitiem effugêre.

DVBIVM XLII.

Num ſit aliquis niuis in Medicina vſus.

COMMENTARIVM.

De niuis vſu pauliſper agendum eſt,de cuius genera-tione varia pronunciant Philoſophi. Medici aquam eâ refrigerare ſolerter docuere. Licèt enim apud Gal. 6. *epid.ſect.4.com.*10.Mercurial. *lib.1.variar.* 8. Ludou. Mercat. *lib.1.indicat.*2.Ludouic.Lemoſ. *lib.9.meth. Gal. cap.5. diſput.* 8. diuerſi ſint refrigerandi modi : nam alij in pu-

A teum aquam demergunt ; alij in ſubterraneis ſpecubus recondunt; alij ina'tis domuum locis pernoctare ſinunt: tamen niuem vaſculo circumponere ſalubre eſt præceptum,& ab antiquorum peritiſſimis promulgatum.Nam præterquam quòd tempore Gal.ob Romanum luxum frequens fuit vſus, & Neroni Romanorum Principi valdè acceptus, auctore Plin. *lib. 31. cap. 3.* Hunc etiam mirum in modum commendat Gal. *6. epid. cit.* firmat Auic. 2. 1. *tract.2.cap.19.§.erit melius,vt cum ea infrigidetur aqua exterius, prohibendo ipſam à permixtione eius, &c.* Sic enim aqua frigidior redditur, & ſitim ampliùs compeſcit,quo fit,vt frigida potio, ob oris ventris corrugationem,appetitum ad cibum excitet, calorem naturalem robuſtiorem efficiat,actiones omnes roboret, ciborum aſſationem impediat, præcipua viſcera temperet, per totum corpus ci-
B tiſſimè permeans illud humectet, humorem illum aſſidua vaporatione tranſpirantem, ac deciduentem reſtauret, minori potus quātitate ſitim extinguat.Demùm frigido potu membra noſtri corporis diutiùs in opere perſiſtunt, & eius vſu facultates ad functiones ſuas vegetiùs obeundas excitantur,roborantur, perficiuntur : quas vires fortiri aquam niue refrigeratam, quum ſuauior ſit, & bibentibus gratiſſima,Sacra pagina docet *lib.Prouerb. cap.* 25.in hunc modum. *Sicut frigus niuis in die meſſis*, (hoc eſt, æſtate) *ita legatus fidelis, ei qui miſit eum, animam eius requieſcere facit, &c.* Et *paulo infrà.*[§. *Aqua frigida animæ ſitienti, &c.* Per animum verò ipſa reſpiratio intelligitur, ſine qua vita in corpore durare non poteſt, vt inſignis Valleſius notauit ad hunc locum. Porrò. Tanta fuit conſuetudo apud Galenum aquam niue vaſculo circumpoſita
C refrigerandi,vt non ſolùm illam,ſed alimenta,& medicamenta hoc modo eſſe refrigeranda conſuluerit, vt 2. *ſec. loc.cap.1.& 7.meth.cap.4.*& *lib.de ſuccor.bonit.& vit.*13.& alibi ſæpè ipſe affirmat.Quare aqua niue refrigerata non modò vtilis, immò ad ſalutem conſeruandam ſalubris eſt cenſenda. De quo argumento plura referunt Plutarch. *3. ſympoſ.2.& 3.de placit.4.*& *lib.4.eiuſd.cap.* 4. Nicol. Monardus *tract.de niue*,eleganter Nicol. Maſſinius *lib. de gelidæ potus abuſu*, Cardoſus *cap.* 4. *de ſex reb.non naturalib. quæſt.*3. Cætera verò damna quæ de niuis vſu Hipp. Galen.reliquíque haud poſtremæ notæ circumferunt auctores, de aqua intempeſtiuè à niue refrigerata, & aſſumpta ieiuno ventriculo,hyberno tempore,à debil bus, inexercitatis, obſtructis, ægrotis, praua corporis intemperie præditis, inaſſuetis,Veneri deditis, vel de niuis vſu, ſeu niuali aqua veniunt intelligenda, vt Aul. Gellius *lib.* 19.
D *noct. Atticar.cap.*5.ſcitè confirmat:& non ſiluit Gal. *cit. c. lib.de bonit.& vit.ſuccor.§.Nam tametſi ipſa ſtatim nix, noxa ſenſibilt non videatur inuenum corporibus officere,increſcēte tamen, temporis proceſſu occulto, paulatim noxa, vigente nempè ætate,articuli his,neruique,ac viſcera morbis corripiuntur, vix aut nunquam ſanandis, &c.* Explicant eloquenter Lang. *lib.1. epiſtol.* 31. Balthazar Piſanellus Bononienſis *lib.de eſculētor.& potulentor.facult.cap.vlt.ab Arnoldo Freitagio Embricenſi latinitate donato.* Lege Macrob. 7. *Saturnal.12.quæſt.*13.de vario niuis vſu,& vtilitate,Thymon. *in com.c.11.lib.1.meteor.quæſt.*16.Iſaac *lib.2.diætar.partio.tit. de niue.* Plin. *lib.17.cap.*2.Curſ. Conimbric. *in com. lib. meteor.tract.7.à cap.5.vſque ad* 8.Ferdinand.Solam Hiſpalenſem *tract.prop.de niuis vſu.*

Vnus ſolùm de niuis facultate reſtat eximendus ſcru-
E pulus,ob contrarias ſententias,quas ſuprà citati auctores hactenus conciliare non intendunt.Quæ nempè ſit cauſa, cur ſi nix infrigidat, apud Hipp. vrantur pedes à circumfuſa niue, *lib.de veter.medic.num.*29. & Galen. *libr.* 9. *ſimpl.cap.1.§.Nix viſa eſt quandoque pedes diutiùs per eam ambulantium aduſſiſſe,&c.* Et cur vrantur à niue ſegetes,ſi niues fœcundant agros,apud Plin. *loc.cit.* Theophraſt. *lib.* 3. *de cauſ. plantar.* 28. Huius quæſiti veritas oſtenditur. Nam redacto ad intùs calore, præ frigore niuis plantas circumdantis, hæ emoriuntur, & vruntur. Sic cadens pruina ad ſtirpium germina,exurit ea : vapor enim plantæ acetuatus, nec diſſolutus, præ niuis ſiccitate & denſitate externa, producit calorem intenſum vrentem plantam, videlicet parte ignea in vapore contenta intensè

calente,

calente, vt deurat. Idem efficit vapor mitis in pernione contenus. Idem leuis vapor in aceruo tritici, aut milij vrens fermentum non ventilatum. Inſuper ſegetes depopulato, ac expreſſo à ſiccitate niuis humido, vel ob nimium ipſius frigus calorem plantæ enecantis, & extinguentis, vel algidiſſimo niuis humore relaxatæ plantarum radices marceſcunt, & moriuntur, auctore Lemnio *lib.* 4. *de occultis, cap.* 4. Sic nix facit ſitim, apud Raſium *lib.* 21. *contin.tract.* 5. *cap.* 179. quoniam detinet vapores in anterioribus partibus, & vrit, quia coadunat caliditatem, apud Auic. *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 524.

Contrarium, & omninò aduerſum effectum niuis legimus apud Plin. *loc.cit.* his verbis. *Verùm quod liquorem ſenſim præbent purum, prætereà leuiſſimùmque, quando nix aquarum cæleſtium ſpuma eſt, &c.* Sequitur Theoph. *loc.cit.* hoc modo. *Iuuat etiam nix, quando terram fermentet, & rarefaciat, & pabulum præbeat, & calore concluſo radices augeſcere, corroborarique faciat, &c.* Et *lib.* 2. *de cauſ.plantar.c.* 1. *multitudo niuis magnoperè prodeſt, vt paulatim colliqueſcens ſubeat ſolum, nec vniuerſus humor influxu corruens vnito dilabatur, ita & terra fermentari optimè poteſt calore circum obcluſo, atque coërcito, &c.* Et non hoc modò hoc accidit, vt rectè notat Scalig. *exercit.* 54. ob calorem hyeme repercuſſum, nam ſic ab aëre frigido obſidente, atque intùs calorem cohibente hoc eueniret, ſed à pingui niuis humore terram fermentante, vt firmat Seneca *lib.* 4. *natural. quæſt.* 3. *&* 13.

Hoc autem verum eſſe probat Plin. *lib.* 11. *natural. hiſt.* 35. qui ab humore vermes in niue generari confirmat, ſic enim ait. *Quippe cùm & in niue candidi reperiantur, & vetuſtiore vermiculi, in media quidem altitudine rutili, (nam & ipſa nix vetuſtate rubeſcit) hirti pilis, grãdiores, torpentéſque.* Quod accepit ab Ariſt. 5. *de hiſt. animal.* 9. *verſ. fin.* Sed hæc oriri non poſſunt, niſi multus humor adſit in niue. Sicuti enim in paludibus, locíſque cœnoſis, vel alicubi ex putreſcente materia colubri, pulices, vermes, rubetæ, mures, & quæ plurima terræ monſtra gerunt, paſſim oriuntur: nihil mirum ſi concurrentibus in niue conſimilibus cauſis vermium ortus contingat. Quòd autem multo humore vermes in niue orti ſcateant, probat Cælius Rhodig *lib.* 18. *lect. antiq. lect.* 29. qui in iis multum humorem à niue acceptum contineri potulentum, gentibus illis, vbi oriuntur, gratiſſimum aſſeuerat. Licèt contra ſentiat Mercurial. 3. *variar. lect.* 14. exploſus iam à Marcello Donat. *lib.* 4. *de hiſt. mirabil. cap.* 26. *in med.* cuius argumenta inibi ſoluit ingenuè. Nam in generatione niuis tenuiſſima aëris portio, & non aqueus humor exprimitur, quod Gellius, & Macrob. *loc.cit.* cõfirmant. §. *Cauſaque ibi adſcripta eſt huiuſcemodi, quoniam cum aqua frigore aëris duratur, ac coit, neceſſum eſt fieri vaporationem, & quandam quaſi auram tenuiſſimam exprimi ex ea, & emanare: id autem in ea leuiſſimum eſt quod euaporatur, manet autem quod eſt grauius, & ſordidius, & inſalubrius, atque id impulſu aëris verberatũ in modũ, colorémque ſpumæ candidæ oritur, &c.* Nix ergo etſi temperamento ſit frigidiſſima, in ea reperitur calidum naturale, quod in humido conſeruatur, cùm ex vapore fiat, ab aqua, & aëre eleuato; quare habet nix caloré reſpectu aëris, & humiditatem reſpectu vtriuſque. Quotieſcunque itaque à calore externo ambientis, natiuus hic calor niuis extrahitur, nix ipſa ob frigiditatem propriam, hoc eſt, defectum caloris innati, & ob dominanté calorem extraneũ facilè patietur, & putrebit (*Omnia enim putreſcunt, excepto igne*, ex Ariſt. 4. *meteor.* 1. at niuem non dices ignem.) Neque obſtat Ariſt. dictũ *hoc in loco*, in frigoribus res minùs putreſcere, quàm caliditatibus aſſeuerantis: hic enim non de frigiditate, aut caliditate rei putreſcibilis, ſed de calore, & frigore ambientis venit intelligendus. Minimè ergo impoſſibile eſt, vermes in niue generari, non verò è terra emanantes in illam ſeſe inuoluere, vt ineptè cenſet Mercurialis: Nam nix eorum eſt proprius locus; nam ſi á niue amoueantur, torpent, difficulter mouentur, & emoriuntur, vt *lib.* 2. *generat. animal.* 2. retulit Ariſt. Quare copioſa nix redacto ad intùs plantæ calore deurit. Pauca verò & in aquam ſoluta, ob humidum pingue fermentat, & terram fœcundat.

HISTORIA LXVII. GALENI, De dentium dolore.

Dentes ſentiunt.

ETenim cùm ego aliquando dolerem, diligentẽ ſuper meipſo animaduerſionem habui, vtpote qui iam audieram de hac dubitatione, percepíque manifeſtè nõ dolentem modo, ſed etiam pulſantem dentem, quemadmodũ carnoſæ partes inflammatione vexatæ conſueuerunt. Quare mirum mihi videbatur, quòd & hæc affectio, quam phlegmonen, ſiue inflammationem appellamus, in dente oriri poſſet; qui lapideam, & duram ſubſtantiam habet. Atqui cùm etiam alio tempore dente dolerem, manifeſtè ſenſi, non ipſius dentis ſed gingiuarum dolorẽ eum eſſe, inflammatis videlicet ipſis, vt etiam citra coarctationem dolerent. Quin & ob vicinitatem dentium naturâ durorum, aucto dolore ob coarctationem. Quapropter vtriuſque doloris ſenſum expertus, alium quidem in gingiuæ, alium in ipſius dentis ſubſtantia eſſe clarè ſcio, & id aſſerentibus teſtimonium præbeo, quod ipſi aliquando dentes dolent, &c. Galenus lib. 5. de compoſit. medic. ſec. locos, cap. 8.

PARAPHRASIS.

SEntire dentes hac hiſtoria confirmat Gal. Sed an hoc accidat ratione membranæ internam, & cauam partem veſtientis; aut nerui cauſa ad dentem delati, orti à tertia coniugatione, qui ſpiritum animalem in totum illius corpus, & cum eo ſenſum diffundit; an ipſi dentes, corpora duriſſima, & craſſiſſima, per ſe, & citra alterius interuentum, ſicut ingenito calore viuunt, ſic per eundem calorem ſentire poſſint, diffusè admodum, & eruditè ante me agitarunt Iacobus Segarra, Valleſ. Liebautius, Veiga, & Vega, Capiuaccius, Argenterius, Conciliator, citati à Petro Garzia, *cap* 2. *diſput.* 33. *ad libros de loc. affect. Gal.* qui agens de ore, & partibus eius, de hoc negocio ex profeſſo diſputauit. Vtrùm autem totum dentis corpus ſentiat, an pars, explicat eleganter Laurentius *lib.* 2. *de re anatomic. cap.* 20. *quæſt.* 12. Sentiunt ergo dentes, & animalis ſpiritus radiis meliùs illuſtrantur, quàm cætera oſſa, quia & molles neruos in ſuas cauitates admittunt, & membranam tenuiſſimam, vt Realdus Columb, *lib.* 1. *de oſſibus, cap.* 10. & Ioan. Valuerda *lib.* 1. *cap.* 7. ſubtiliter expoſuere. De quo argumento ingenioſiſſimus Coſtæus, *in com. cap.* 1. *Auic. in fen.* 7. 8. *tract.* 1. appoſitiſſimè plura literis conſignauit. Et nos *lib.* 5. *in com. Hiſt.* 10. pulchra deſcripſimus: & *lib.* 7. *Praxis Hiſtoriarum, cap. vlt. de dolore dentium*, addemus aliqua non indigna ſcitu.

HIST. LXVIII. RASII, De dolore dentium.

Dentium dolor, applicitis remediis calidis, & ſequuta mandibularum inflammatione ſanatur.

DIco quòd quidam paſſus eſt dolorem vehementem dentiũ, & curatus eſt, calefaciens, & epithemans mãdibulas eius frequenter rebus calidis, donec rubeæ fuerunt; oleum calefactũ ſupra dentem dolentem inſtillaui multoties, dando illi ad mordendum panem calidum egredientem ſtatim ex fornace, & inde apoſtematizatæ ſunt mandibulæ, & ſtatim mitigatus fuit dolor, &c. Raſis lib. 5. continent. tract. 2. cap. 2.

PARAPHRASIS.

INter varios dentium morbos, corroſionem nempè, commotionem, attritionem, denigrationem, perforationem, rupturam, vermiculationem, coloris alterationem, ſtridorem, ſtuporem, vacillationem, & alios numeratos

ratos ab Auic.*loc.cit.*Vigon.*lib.5.de morbo Gallico,cap.vlt.* Manard.*lib.7.epiſtol.* 3. dolorem inter maxima tormenta eſſe annumerandum,tenet Celſ.*lib.6.cap.9.* qui ex humorum defluxu à capite ferè originem ducit. Quum autem humor affligens eſſet lentus,mucoſus,& frigidus, oportuit calida, ſedandi doloris cauſa ſuper dentem imponere, eáque anodyna,quæ non modò mitigare dolorem,ſed intemperiem frigidam corrigere, ſuáque tepida caliditate impactũ reſoluere queunt:de quorũ numero ſunt oleum, & panis calidus recenter è furno extractus; ex quorum appoſitione,conuocata fluxione ad mandibulas,& ab ipſa dentium ſubſtantia, pulſo vi naturæ ad ipſas humore, & ſequuto tumore, ſedatus eſt dolor,nimirum, vt in aliis omnibus articulorum doloribus ſolet accidere: Qui enim ſine tumore cœperunt, ſuperueniente tumore, & inflammatione ſolent quieſcere,quòd fluxio conuertatur ad externa. Mandibularum autem inflammatio ſi perſe-B uerauerit, bono victu,aptis localibus, repetitis vacuationibus, miſſione ſanguinis, expurgatione accommodata, curanda eſt. Nec curatio deſpicienda, præſertim in impuris corporibus,& maximè ſi iterum ingruit dolor: nam Metrodori filio ex dentis dolore,ſphacelus genæ, & gingiuarum hyperſarcoſis, mediocriter ſuppuratus eſt, exciderunt dentes molares,& ipſa maxilla,auctore Hip. *lib.5. epidem.prope fi n.*

HISTORIA LIX. GALENI, De lingua tumore.

Linguæ, morbi vitio, portentoſæ magnitudinis, curatio.

SAnè linguam ita tumefactam cuidam vidimus, vt ore hominis contineri non poſſet. Huic nec vena vnquam inciſa fuerat, & ſexagenarius iam erat, horáque diei ferè decima erat, cùm ad eum primùm acceſſi, & vidi. Ac viſus mihi eſt, vſitatis mihi pilulis, quæ ex aloë,ſcammonia,& colocinthide conſtant, veſperi datis purgandus. Ipſi tamen particulæ affectæ ſuaſi refrigerãtium aliquid imponere,ſaltem in initio. Poſt enim, inquam,applicabimus,prout ſuadebit euentus. Verùm id vni Medicorum non placebat,ac propterea pilulas quidem ſũpſit,de locali tamen remedio deliberatio in diem poſterum eſt dilata,quo tempore etiam efficacius aliquid præſtiturum,quidquid probatum fuiſſet,ſperabatur,& purgato ſcilicet toto corpore,& humoribus ad inferna reuulſis. Cæterùm euidentiſſimũ per quietem inſomnium,noſtrum homini conſilium approbauit, ac materiam ipſam medicamenti definiuit, lactucæ ſucco colluì iubens,quo ille ſolo vſus,prorſus eſt ſanatus, &c. Galenus lib. 14.meth.cap.8.

PARAPHRASIS.

LInguam, ſicut reliquas noſtri corporis partes tumefieri poſſe,auctorum teſtimoniis comprobatur. Omne enim quod nutritur, & augmentatur, ſicut ob defectum nutrimenti marceſcit, & extenuatur,ſic ob illius copiam ſolet repleri,& præternaturaliter intumeſcere,ac proinde omne tumorum genus pati: quæ ratio deſumitur ex Auic.1.3.*tract.3.cap.1.in initio.* §. *Dicimus quòd omne quod nutritur, extenditur,& augmentatur cum nutrimento,& ſimiliter eſt poſſibile quòd extendatur,& augmentetur cum ſuperfluitate,& illud eſt apoſtema,&c.* Deinde ad generationem tumoris requirit Gal. venas,& arterias,*in lib.de inæqual.intemp.* 3. quas linguam habere ex anatome conſtat: habet enim duas à iugulari externa exortas, quas Medicorum vulgus raninas appellat; eas, totidem arteriæ à carotidibus prodeuntes comitantur,& tandem muſculi ſeſe offerunt decem,quorum opera,ſurſum, deorſum, antrorſum, & in latera mouetur. Rectè autem noſti, quàm hæc ad tumoris generationem ſint neceſſaria,ex Gal,*loc.cit.* Inſuper linguæ ineſt caro mollis,rara,laxa, glandulosa, inani ſubſtantia ſpongiam referens,& ſic ad ſuſcipiendos humores quàm aptiſſima,vt notat Gal.*6.epid.ſect.5. com.14.*

A explicante Valleſ.*in com.*Lingua ergo omne tumoris genus pati poteſt,ex Auic.*6.3.tract.1.cap.14.*

Hunc autem ægrum non fuiſſe paſſum inflammationem,conſtat ex Auic.*loc.cit.*Halyab.*9. theor.16.* Valleſco Tarentino *lib.2.cap.67.*Foreſt.14.*obſ.24.*nec enim habuit febrim ab oris inflammationibus inſeparabilem,dolorem, pulſationem,calorem,ruborem, & alia quæ perpetuò linguæ inflammationes,vel exiguas conſequi ſolent, vt priſci, iunioréſque vnanimiter confirmant, edocti à Gal. *lib.2.ad Glauc.cap.1.*nec ætas calidis fluxionibus erat obnoxia. Fuit ergo morbus in numero adaucto, à craſſis, viſcidiſque humoribus in linguæ meatibus impactis,ſubortus,quem nec mollis tumor,neque durus,inflammatio, aut renitentia,ingénſve dolor præter immodicam magnitudinem comitabantur,prout ſe vidiſſe teſtatur Gal. *lib.de dif.morb.cap.9.*

B Sed dubitari poteſt,cur oculatiſſimus Gal.pro hoc leuando affectu ſanguinem non emiſerit,vt à parte reuellere t,vnáque impactum humorem celerrimè vacuaret,monentibus Auic.*6.4.tract.3.cap.15.*Serap. *tract. 2. cap. 14.* Raſio *7.contin. tract.1.cap.2.*Facilis eſt reſponſio. Nam licèt id verum ſit, tamen in hac ætate timoroſum eſt ſanguinem emittere,vt *1.ad Glauc.14.*Gal.conſuluit. Inedia, frictiones ſolùm coquunt, abſumúntque lentos ſuccos, ſed non, vt opus eſt,euacuant. Clyſteres licèt acuti ſint, & potenter reuellant,non tamen celeriter à parte longinqua,& à viis ductuum ſemota euacuant. De cucurbitulis humidis(nam ſiccæ ſpiritum ſolum extrahunt)maior poterat eſſe dubitatio, nam maximum leuamen in hoc affectu afferre ſolent,vt proprio experimento Ioan.Marquardus edocuit *lib.praxis, cap. de magnitudine linguæ.* At hæ, humores glutinoſos, in linguæ poroſitatibus pertinaci-C ter hærentes non exhauriunt; quæ eſt cauſa ob quam poſt ſexageſimum annum earum impediat impoſitionem Auic.4.1. *cap.* 20. quoniam ob debilitatem caloris innati,in hac ætate alij redundant humores, aliis auxiliis extrahendi,vt inter omnes *in com.huius loci* notauit Iulius Alexandrin.

In ſene ergo inciſioni venæ non aſſueto ſoluere aluum ſatius iudicauit; huius enim auxilij vi tenaces ſucci à viis ductuum valdè remoti vacuantur, & eò ampliùs, quoniã peccans humor à ſanguinis natura erat valdè alienus; quo caſu phlebotomia celebranda non eſt. 4. *de ſanit.* 4. Deinde ſi inflammatis oculis ſola vacuatio per aluum ſufficit,ex Gal.13.*meth.*11.& 6.*aph.*17. quoniam ea humorum exuperantia vacuatur: cur in tumefacta lingua, cu-D ius tunica communis eſt ventriculo, in quo medicamentum ad actum deducitur, ſecuriſſimè non adminiſtrabitur? Exhibuit autem medicamentum pilulari forma,hæc enim per moram in ſtomacho diutiùs detenta, vehementiùs, importunéque à capite, partibúſque remotis peccantem materiam exhaurit. Elegit autem ſcammon. aloëm,& colocynt.quoniam hæc,cùm valida ſint,à diſtãtibus locis potentiſſimè omnes humores expurgant, vt *lib. 5. meth. 6.& lib.1. ſecund. loc.cap.5.* Galen. memoriæ commendauit.

Expurgans autem medicamentum,paſto, & non ieiuno ventriculo exhibuit, contra commune præceptum latum ab Auic. 4. 1. *cap.5.* quoniam vrgebat neceſſitas. Nam ſi quidpiam ſit quod impellat, & ad purgandum corpus vehementer cogat, quacunque hora ſumi pharmacũ poteſt.Impediunt in electa hora,(de qua intelligen-E dus Auic.)adminiſtrari medicamẽtum,plura. Quando acceſſiones manè,ac interdiu infeſtant,noctu intermittunt, ac remittuntur,vt in duplicibus tertianis euenire quotidie ſolet; quo caſu noctis initio bibi medicamentum debet,& poteſt:quod præceptum in aliis morbis exſequendum eſt,qui ſui vehementia mortis periculum minantur, & ſæuitie, acutiéque ſua ex improuiſo interficere nati ſunt. Hunc curationis modum imitatur Tral.*lib. 4. cap.1.* qui in ſuffocante angina manè venam aperuit, & deinde linguæ venas ſubiectas ſecuit, veſpere verò ex cremore ptiſſanæ lachrymam ſcammonij exhibuit, ac his laqueũ ex inflammatione ſuborτum vix diſſoluere potuit.

Adſtringens tamen, & refrigerans in hoc affectu imponendum

imponendum eſſe, partis affectæ ſitus manifeſtè demonſtrat; quum enim rarior ſit, ac mollior ſuperficies tunicæ oris, non paulo quàm eſt cutis, quæ totum corpus ambit, fit, vt quæcunque adſtringendi natura prædita ſunt, efficaciorem vim habeant influxum humorum citiùs repellendi, cùm cogant, ac denſent partem corporis cui adhibētur, & vnà partes laxiores roborandi vim habeant, prout latiſſimè docuit Gal. *6. ſimpl.* 1. Quare lactucæ ſuccus cùm refrigeret, mollem linguæ carnem roborare modica adſtrictione poteſt. Huius medicamenti materiam per inſomnium fuiſſe acceptam refert. An verò inſomnia liceat obſeruare, inter omnes agitant Leuin. 2. *de occult.* 31. Peucerus *lib. de diuinat. ex inſomn. in fin.* Benedict. Pererius *lib.* 2. *de obſeruat. ſomnior. quæſt. prim.* & 7. Plurimos enim per inſomnium ſanitatem recuperaſſe narrat Fulgoſius *cap.* 5. & 6. Sed quoniam medicamentum locale, maximè in initio, nō vacuata cauſa ſuſpectum eſt, idcircò eius impoſitionem in ſequentem diem diſtulerunt. Cætera de magnitudine linguæ, eiuſque curatione, vide apud Auic. 6. 3. *tract.* 1. *cap.* 10. Guidon *tract.* 6. *doct.* 2. *part.* 4. *cap.* 2. *de exceſſu magnitudin. linguæ.* De reliquis verò linguæ affectibus, inter omnes lege Manard. 7. *epiſtol.* 2. Petrum Garziam Carrerium *cap.* 1. *ad libros Gal. de loc. affect. diſput.* 32.

Obſeruatio XLVII.

Linguæ portentoſus tumor, hirudinum ſuctu curatur.

CVratio mira. Illuſtri cuipiam Gallo pòſtquam poculis more patrio cum pluribus decertaſſet, ex nimio meri potu adeò lingua in portentoſam magnitudinem aucta eſt, vt vix deglutire, aut reſpirare poſſet, & ſic toto corpore liuidus, nigricantéque facie, ac tumida, velut ſtrangulatus, cùm in horas moriturus ſperaretur, & plura vacuantia, reuellentiáque non iuuarent auxilia, impero, vt quatuor magnæ hirudines linguæ (quam exertam habebat) affigantur. Sed quo euentu audi: ita enim adhærentes ſuxerunt, vt breuiſſimo tempore, copioſa ſanguinis vacuatione ſequuta, ipſam exilem, tenuémque relinquerent, & ſic æger à periculo ſummo euaſit immunis.

Obſeruatio XLVIII.

Ingens linguæ tumor, ipſa ſcarificata, ſanatur.

DEcem annorum puero ex catarrhoſa fluxione, adeò lingua in ingētem magnitudinem accreuit, vt ipſius ore contineri non poſſet, cui cùm reuellentia per venam ſectam, collo, dorſoque impoſitas ſcarificatas cucurbitas, & acres clyſteres eſſent acta auxilia, & linguæ tumor mollis, laxúſque eſſet, ſcarificare linguam profundè, ſalubrius mihi viſum eſt præſidium; quo celebrato, linguáque ſalita aqua abluta (ne glutinarētur ſciſſuræ) tanta aquoſi humoris vacuatio facta eſt, vt illicò ſanitatē æger recuperauerit.

Hoc exemplum notauit priùs Ioachim Camerarius *lib. obſ. ſuarum*: narrat enim quendam tumente lingua ſuffocatum, ipſam ſibi acuto cultello decuſſatim incidiſſe, multóque ſanguine effluente fuiſſe perſanatum. Adeò enim ingens eſt malum linguæ tumor, cum difficili reſpiratione, & ſtertore coniunctus, vt citò auxiliari oporteat: in quem vſum, ſi ſuffocationis periculū immineat, & materia collectim in linguam prorumpat, ſub mento ſcarificationes profundas exercent Medicorum peritiſſimi, vt Paulus, Cornelius, Trallian. in locis dictis.

DVBIVM XLIII.

Num topica ante totius vacuationem applicanda.

COMMENTARIVM.

ET *purgato iam toto corpore.*] Offert ſeſe in hoc loco vtilis diſceptatio. Num Topica ante totius vacuationem ſint ex vſu? & pro vtraque parte paria ſunt momenta rationum, ex puriſſimo Gal. fonte deprompta. Nā ſi localia frigida ſunt, intrò humores impellūt, quos plenū corpus non admittit. Si calida, fluxionē accerſunt; quæ enim calefaciunt, ſuapte natura hoc habent, vt, quod in iis cōtinetur partibus, digerant, ſic & id quod redundat, ex propinquis trahant; vnde dolores maiores, fluxione noua increſcere par eſt, vt elegantiſſima oratione Gal. explicuit *in artic. medic. c.* 95. explanante Planerio *in com.* Repetit. 12. *meth.* 3. §. *Sanè dictum à me etiam in ſuperioribus eſt, qui cataplaſmatis, & perfuſionibus aſſiduè præcordia vexant, ipſos in eiuſmodi affectibus phlegmonas accerſere. Minimè igitur eis eſt vtendū, priuſquā ſuperuacanea magna ex parte partim vacuata ſint, partim concocta, &c.* Confirmat. Auic. 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 55. §. *Et non oportet vt fiat inunctio cum vnguentis reſolutiuis, nec embrochatio fiat cum embrochis ſubtiliatiuis, quū ægritudo eſt in principio, & humor eſt in corpore ambulans; ipſa enim mollificant viſcera ſua calefactione humida, &c.*

Pro altera parte eſt textus optimus apud Gal. 1. *ad Glauc.* 14. qui ante vacuationē ventriculo applicat auxilia. *Quicunque enim,* (ait ipſe,) *ventriculi affectiones curare tentarunt, antequàm os ventriculi corroborarent, in grauiora pericula ægros duxerunt.* & *lib.* 1. *de diff. feb. cap.* 4. inungit iecur, & ventriculum in iis, qui cruditate laborant, ne in febrem incidant. & *lib.* 4. *acut. com.* 28. ex mente Hipp. in corpore pleno priùs adhibet fomenta, vt concretus ſanguis liquatus promptiùs effluat ex ſecta vena. Idem conſulit exequendum ante vniuerſalia præſidia; lotionibus, & irrigationibus calidis, 6. *epid. ſect.* 5. *com.* 29. & *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap.* 12. & 7. *aph.* 46. Et *lib.* 1. *ſec. loc.* 8. in alopecia ante totius vacuationem localia applicat: quod priùs dixerat 4. *acut.* 44; ibi enim inter initia febris, tenuibus vrinis exiſtentibus, corpus vngendum præcipit. Et Auic. 4. 1. *cap.* 1. cùm ad vniuerſum locum trahit humorem, dolorem priùs ſedat. Et Trall. *lib.* 1. *cap.* 1. Medicorum errorem detegit, qui vniuerſalibus vacuationibus corpori negotium faceſſunt, quæ & vacuant vtilē humorum copiam, & vires debilitant, & dum turbant, fluxionem concitant citra affectæ partis leuamen. Demùm licet multoties præponere particularem vacuationem vniuerſali, vt ſcite Meſuē docet *cap.* 1. *de cura ſodæ*: Aut quia materia non multùm in quantitate exuperat, quare ſufficit à parte emunctoriorum illius membri abduci, in quo eſt ægritudo. Aut quia membrum dans non eſt forte in dando, nec membrum recipiens aptum in recipiendo. Aut quia membrum non recipit à membris communitatem eius. Aut quia corpus, & alia membra non ſunt poſita ſub dominio materiei facientis ægritudinem in illo membro.

Singula tamen veniunt expendenda. Gal. enim in omnibus ſuæ doctrinæ locis, dum prohibet in affecta parte localium vſum, de omnibus loquutum fuiſſe non intelligas, ſed de iis quæ nimis calefaciunt, relaxant, & fluxionem ad membra proritant; hæc enim, quoniam ex toto corpore humores ad viſcera euocant, admoueri non debent, antequàm coctionis ſigna ſe oſtendant, & maior redundantium humorum pars fuerit vacuata. Nam *calfacere præcordia,* (inquit ipſe 11. *meth. cap.* 15. *in init.*) *cataplaſmatis, aut perfuſionibus non eſt perpetuò tutum, ſed in iis tantùm ægris, quibus in toto corpore nullum erat ſuperfluum: cæteris omnibus extrema eſt pernicies.*

Cæterùm quæ adſtringendi, & roborandi vim participant, & lenire dolorem nata ſunt, cuius cauſa fluxiones cōcitantur, & temperato prædita ſunt calore, & coctioni ſuffragari queunt, in initio imponenda eſſe non negat. Meritò ergò citati auctores, ante totius vacuationem, ad maius periculum euitandum, topicis vtendum conſulunt; nam ſi non adſit aliquid, quod curationem præuertere poſſit, nempè ingēs dolor, partis affectæ debilitas, quorum cauſa de nouo fluxiones commouentur, ea ante vniuerſalia auxilia imponenda non ſunt.

Explicat luculenter Valleſ. *lib.* 6. *epid. in com. ſent.* 6. *ſect.* 2.

HIST. LXX. AVENZOAR, De Lapide in Lingua pronato.

Lapis in Lingua pronatus ſermonis vſum intercipiens.

*ET ego vidi * lapidem generatum ſub lingua cuiuſdam viri prohibentem ei loquutionem, & eo remoto lapide, habuit vir loquelam,&c. Auenzoar* lib.2. theizir.tract.2.cap.2.

PARAPHRASIS.

NVlla eſt pars quæ prôptiùs vapores,ac fluxiones, ex capite,pulmone,atque adeò ex toto interno corpore ſuſcipiat, quàm lingua, mollis cùm ſit,rara,laxa,& ſpongiæ inſtar, in qua excrementa craſſa ad inuicem inter ſe durata tandem concreſcunt in lapidem,quem, non ſolùm in ipſamet lingua,ſed circa ipſam, & ſub ipſa generari,fidiſſimi auctores memoriæ prodiderunt. Extat Senis ſententia *lib.2.epid.ſect.3.text.19.* circa linguam, exiguos lapillos hac de cauſa oriri affirmantis,licèt *in com.huius loci,* non veros lapides, ſed tumores quoſdam lapideos, hoc eſt,duros, & tophaceos, congeſtis excrementis proprij alimenti ipſius linguæ, in ipſa renaſci affirmet Valleſius, cuius opinionem, præter Iacobi Eſteue *hunc locum* erudit iſſimè interpretantis ſententiam, redarguit plurium, haud poſtremæ claſſis virorum auctoritas.

Gntilis enim,referente Nicol.*ſerm.4.tract.1.cap.6.* ſub lingua lapidem ad quantitatem fabæ generatum ſe vidiſſe affirmat. Subſcribunt Iacobus Foroliuienſis *lib.4. aph.com.79.* Montuus *lib.4.cap.1.* Kentmannus *libel. de calcul.n.3.* Gemma *lib.1. Coſmocrit.cap.6.* Ioubert. *decad. 2.paradox.3.* Foreſt.*lib.14.obſ.26.*

Obſeruatio XLIX.

Lapis ſupra mucronem linguæ enatus.

NObilis quidam catarrhoſis fluxionibus valdè obnoxius,cùm in parte linguæ externa iuxta mucronem, tumore inſigni,& dolorifico quateretur immaniter,aphonus quaſi factus,Chirurgum vocat,hic lauacra lenientia, & emollientia conſuluit, factâque inciſione, lapillus ſeſe prodidit citra ſperatum pùs,duriſſimus, læuis,ad magnitudinem nucis auellanæ,quo,volſella vi ſumma,extracto, tumor euanuit,& vulnere integrè ſanato,æger perfectam conſequutus eſt ſanitatem.

DVBIVM XLIV.

Nam Lapides, & arenæ in qualibet noſtri corporis parte gigni poſſint.

COMMENTARIVM.

L*Apidem generatum ſub lingua.*] Non in lingua ſolùm, ſed in qualibet alia noſtri corporis parte, lapides, & arenulas,gigni poſſe,poſt priſcorum memoriam,locupletiſſimi teſtes confirmant. In capite natos calculos vidit Holler.*in ſchol.cap.45.lib.1.de morb. intern.* Cornel. Gem. *lib. Coſmocr.c.6.* Ludou.Morales *l.3.de propriet.lapid.pretioſ.* Scalig. *exercit.* 108. *in Cardan.* In pulmonib. lapidoſum corpus genitum fuiſſe,refert Gal.*lib.4.de loc.cap.vlt.* obſeruarunt poſteà Fernel. *lib.5.pathol.10.* Scalig. *exercit,* 108.*num.* 3. Beniuen. *de abdit.* 24. Rembert. Dodonæus *exempl. medic. cap.* 23. Veros calculos per tuſſim fuiſſe eiectos referunt Trallian. *lib.5.cap.3.* Aret.*lib.1. chronion, cap.12.* Trincauel.*lib.10.de affect.part.cap.6.* In corde enatos vidit Abrahamus Murgelius *lib. ſuarum obſer.* duros, nigricantes, rotundos pondo drachmarum aliquot: & Holl.*lib.1.de morb.cap.27.*

In ventriculo generari,teſtis eſt Gentilis,referente Nicolo *ſerm.5.tract.4.cap.53.* Quo in loco oriri lapidem Belzaar,in capris ſylueſtribus affirmat Garzias ab Horto, & plures alij qui de eius generatione ſcripſerunt: & refert Hol *3.Coac.ſect.2.aph.52.* In hepatis tunica repertos lapillos,ſe vidiſſe teſtantur Beniu. *cap.3. de abdit.* Cælius Rhodig.*li.4.antiq.lect.17.* In folliculo fellis vidit Duret. *ſchol.45.in Hol.*& Beniu.*cap.54.* In liene candidum,& durum inuenit Veſal.*lib.5.fabric.9.* In inteſtino colo gigni tradidit Auic.*16.3.tract.3.cap.3.* In inteſtinis reperiri firmant Fernel.*6.pathol.9.* Matthæus *2.part.in 9.ad Almanſ. cap.11.* Muſa *lib.4.aph.79.* Duretus *ſchol.52.in Hol.* Guainer. *tract.de calculoſa paſſione, cap.1.* & quod plus eſt,ab inteſtinis ſequutum fuiſſe fluxum lapidoſum,teſtâtur Sauonarol. *tract.6.cap.16.rubric.20.* Harcul. 9. *ad Almanſ.tract.3.cap.3.* In duodeno plures nucis moſchatæ magnitudine,plumbeo colore vidit Ioan.Frideric.Trafelmannus *lib.ſuar. obſer.*

In vtero gigni auctor eſt Aët. *tetrab.4.ſerm.4.cap.98.* Marſil. de ſancta Sophia *in ſuis ad Auic. com.* Thom. à Veiga *lib.1.de loc.in com. cap.5.* VVierus *lib.3.cap.11.* Georgius Garnerus *lib.obſer.* Salius *ad cap.113.Altimari.* Nicol.*ſerm.5.tract.9.cap.12.* Et primus omnium notauit Hipp.*5.epid.text.24.* firmat Valeſ.*in com.* In paraſtatis inueniſſe refert Marcel. Donat.*lib.4.de medic. hiſt. mirabil. cap.30.* Denique ex materia ſeminali in caſtis viris,& mulieribus conglomerari poſſe lapides, aſſeruit Ioan.de Tornamir. *in 9.ad Alm.cap.73.*

Neque nos id contingere poſſe inficiamur: cùm enim materia lapidum in corpore noſtro ſit mucus, ſeu humor viſcoſus,& lentus,& craſſus,vt paſſim Gal,edocuit,ſi adſit torridus calor,quis dubitat in quouis loco, vbi hæc repeariantur,gigni poſſe? Sic in podagricis tophi,gypſeique lapilli inueniuntur.Quin & in abſceſſibus arenas,lapillóſque generari teſtatur Marcel. *loco.cit.* qui à femoris notabili tumore diſſecto extractum fuiſſe lapidem album, oui gallinacei magnitudini proximum aſſeuerat.

Quid plura? nonne in venis, & arteriis generantur lapides? prout notant Gemma, *vbi ſuprà.* Fernel *5.pathol. vlt.* In vena porta oriri auctor eſt Columb. *lib.15. de iis quæ raro in anatome fiunt.* In venis hepatis, in parte caua progigni affirmant Iacobus Camenicenus, & Mathiol *lib.5.epiſt.2.*

Demùm in omnibus venis oriri arenulas, docet Iacob, de part.*in com.cap.17.* *Auic.18.3.tract.3.* Matthæus Gradius ex Gal. ſententia *lib.4.aph.com.7.* arenas ex vſtione ſanguinis in venis, & in hepate gigni confirmat 9. *ad Alm.14.* Quam ſententiam apud Gal. mihi nunquam videre licuit. Sic enim ait Matthæus. *Quoniam in vrinis emittitur interdum materia arenoſa ſubtilis,cũ vrinæ ſubſtantia multùm permixta,& non eſt reſidens,immò ſæpè adhærens ſuperficiei vrinæ, & de hac non poſſumus prognoſticare ſupra futurum lapidem, quoniam eius materia magis pendet ex aduſtione humorũ in toto,quam ex aduſtione materiæ in determinatis membris, vt renibus,& veſica: & hæ arenulæ ſæpè contingunt in multis cholericis,etiam in pueritia,vt contigit in me Ioan, Matthæo. Etiam apparent in declinatione febrium, & poſt longas febres, & diſtinguuntur etiam tales arenæ, ab eis quæ ſignificant ſuper lapidem, quoniam ſi fricentur, digitis comprimendo facilè diſſoluuntur,&c.*

Hæc eſt docta, longaque huius viri ſententia, ex qua cauſam, & differentiam arenularum in venis ortarum, ab eis quæ in renibus, & veſica generantur colligere licet. Nam vt ait Ludou.Mercat. *lib.4. de morb. intern. cap.10.* arenæ quæ generantur in venis ſubtiliores ſunt, raróque aut nunquam ſubſident,ſed cum vrina innatant ſedimento immerſæ.In renibus verò,aut veſica ſubortæ ſubſident. Cuius rei cauſam vterque auctor non expreſſit,ſed ea eſt. Nam in determinatis locis mucoſus humor retentus, in anguſtiori loco per moràm ab aſſante calore diutiùs torretur, & ab humiditate ſpoliatus, in grauiores vertitur arenas, quæ ſubſident; in vaſis verò è contra, ab vno enim loco ad alium cùm remeet humor,non ita aduri poteſt,& exſiccari. Quare vaſorum arenæ non abſumpta ex toto humiditate innatant.

Denique arenas generari in venis propinquis matrici,&

arenas

arenas nigras ex retentione ſanguinis menſtrui, & hæmorrhoïdalis in leproſis per viam aduſtionis, teſtatur vidiſſe Tornamir. 9. *ad Almanſ. 75*. firmat Carrerius *diſp. 62. ad libros de loc. affect. cap. 3. §. 14.* & Scholiograph. *ad c. 48. lib. 1. Hol. de morb. internis.*

HISTOR. LXXI. GALENI, *De amputatione linguæ.*

Lingua abſciſſa ſine valetudinis noxa.

NVper verò quidam in magna neruorum diſtentione, quæ totum corpus oppreſſerat, linguæ partem anteriorem mordicùs abſcidit, qui demùm ex ſpaſmo ſanitati reſtitutus, minùs facilè ſermonem potuit explicare, &c. Galenus lib. de dif. morb. cap. 8.

PARAPHRASIS.

IN vniuerſali conuulſione, totum corpus opprimente, notabili dentium fragore, linguam dilacerari, & ſæpè portionem eius abſcindi non eſt denegandum. Nam ſi horribiles adſunt interdum ſpaſmi, in quibus ſumma violentia maxilæ conuelluntur, ita vt immiſſum ori cochlear, ne reſpiratio intercipiatur, in fruſtula illicò ægri comminuant, quantò magis molliſſimam linguam, prout in coniuge ſua, conuulſione ſæuiſſima vexata, expertum fuiſſe Schenckium *lib. obſ. de ſpaſmo* legimus. Accedit etiam quod cùm in forti neruorum diſtentione, lingua conuulſiuo & vario motu moueatur, fit vt carnea eius ſubſtantia ſtridore dentium ingenti poſſit comminui, & atteri.

Hac ergo hiſtoria Galen. nos commonefacere videtur, vt ſi fortè conuulſione vehementi quis corripiatur, (vt in epilepſia quotidie contingit) intra dentes durum aliquod corpus, vt lignum, aut fruſtulum argenteum immittamus, ad futurum periculum euitandum; quorum primum eſt, ne ſcilicet intercepta reſpiratione æger ſuffocatus pereat, aut lacerata lingua, vlcera deinceps ſuccreſcant, doloſa & maligna: néve ipſa dentium attritu abſcindi poſſit.

De primo damno euitando plurimùm ſolliciti eſſe debemus, in atrociſſimis enim conuulſionibus, quum videlicet oculi diſtortione omninò inuertuntur; os, naſus, labia in latera mirabili & irrequieto motu torquentur, & muſculoſæ omnes partes palpitantes tremunt, clauiculatis dentibus ægri reſpirationem commodè ad ventilandum cor inſpirato aëre attrahere hac de cauſa nequeunt: quare puſillus ille calor ad cor, velut ad arcem confluens, ſufficienter difflari nequit, ſed fuliginum copia obrutus, denegato refrigerij vſu perit, & extinguitur.

De ſecundo. Quotidiano experimento compertum eſt, hac de cauſa vlcera oriri ferè immedicabilia: quum enim hæc pars continuò madeſcat, ſaliualiſque humiditas vlterùm curationi ſit maximè aduerſa, & ob dolorem, à capite, ventriculóque multa ſuggeratur humoris copia, fit vt vlcera ampliùs ſordeſcant, & in caoëthicam naturam ſæpè degenerent, quæ ad ſui curationem multum deinde negotium faceſſunt.

De tertio. Curandum omni ingenio eſt, ne lingua amputari poſſit; nam hæc ad ſermonem, vocémque articulatam ſummoperè confert, ex Gal. 4. *de loc. 6. Siquidem*, inquit ipſe, *vox vocalium inſtrumentorum munus eſt, ſermo verò eorum quæ ſermoni deputata ſunt, inter quæ lingua principatum obtinet: Cui non parùm conferunt & nares, & labra, & dentes. Sic etiam vocis inſtrumenta ſunt guttur, & muſculi ipſum mouentes, atque nerui, qui à cerebro ipſis vim deferunt, &c.*

Demum, licèt citra valetudinis noxam lingua præcidi poſſit, cùm hæc in numero naturalium membrorum non reponatur, ſine quorum ope & præſidio, partes functiones ſuas obire non poſſunt, quod in equis, & hominibus fit manifeſtum, in quibus citra ſanitatis diſpendium ſæpè prima linguæ præciditur pars: tamen ſi hoc accidat, in multa damna incurrere animal eſt neceſſe. Eſt enim nobiliſſimus, ac penè diuinus linguæ vſus, & ad vocem promendam, & articulandam organum neceſſarium; quare à vteribus voluntatis nuncia dicta eſt: nam puſillum quidē eſt membrum, ſed magna iactat, animi enim omnes conceptus exprimit. Prōpterea multis cuſtodiis, dentibus, labiis, fræno, naturæ Auctor eam muniuit atque firmauit, & ob hoc mirabile loquendi miniſterium, organum dialecticum nuncupatur. Inſuper ſaporum differentias omnes agnoſcit, eiúſque beneficiò & motu eſculenta traduntur in gulam, vt ait Gal. 16. *de vſu part.* 3. & firmat Ariſt. 1. *de Hiſtor. anim.* 15. *&* 2. *de part. animal.* 17. Cæterùm leuia poſſunt iſta cenſeri, ſi conſideret quis humanæ linguæ incomparabile prorſus donum, in quo bonitas Dei infinita inæſtimabili munificentia, nos vt legitimos filios, eſt amplexata: nam vix explicari poteſt, quantam in humanis rebus lingua habuit excellentiam. Huius ſiquidem facultate poſt mentem, quæ nos ex æquo ferè cum Cælitibus conſtituit, conſtat præcipuè illa Regina rerum eloquentia. Illius ope cohortamur, perſuademus, perterritos timore abducimus, iram reſtinguimus: hæc nos iuris, legúmque ſocietate deuinxit. Denique vſu linguæ poſſunt mortales omnia conſequi, percipere, impertiri, addiſcere, patefacere commoditate multa.

Sed cùm deperdita, & abſciſſa lingua non reparetur, quoniam pars omnis à corpore viuente, à quo vitam, ſpiritum, ſanguinémque ducebat, diſtracta, & reuulſa, vitam ſtatim amittit, & à priuatione ad habitum non fit regreſſus, & maximè in parte, quæ licèt laxa, carnea, & ſpongioſa ſit, neruis tamen, muſculis, membranis, venis, & arteriis conſtat; quæ cùm partes ſpermaticæ ſint, vix reparari poſſunt. Tamen ſiſſa in longum, latum, atque tranſuerſum, quomodo ſuo corpori adhuc viuenti adhærere poſſit, & ſit reſtauranda, facillimóque negotio ſutura reſtituenda, explicat Ambroſ. Paræus *lib. 2. cap. 27.* diligentiſſimè.

HIST. LXXII. AVICENNÆ, *De Linguæ paralyſi.*

Ex ſcarificatione malè adminiſtratâ, linguæ paralyſis ſequuta.

QVidam homo iam ventoſatus fuit, & percuſſus eſt cum ſcalpello villus nerui in ſubſtantia panniculi coninncti cum lingua, quare mollificata eſt lingua, &c. Auicenna, 6. 3. tract. 1. cap. 11.

PARAPHRASIS.

LInguæ reſolutio ſymptoma eſt motricis facultatis, quam oriri poſſe (cæterarum partium reſolutarum modo) vel ab humorum copioſa inhibitione, vel ob obſtructionem neruorum ad eam venientium, à multitudine, lentore, ac viſciditate humorum ſpirituum tranſitum prohibente ſubortam, dubitat nemo. Hoc tamen malum in hiſtoria citatum ab hac cauſa non duxiſſe ortum, ex relatione ſatis conſtare arbitror. Omnes has reſolutionis cauſas notauit Auic. *loco nupèr cit. cap. 6. de mollificatione linguæ, §. Et quandoquè eſt propter cauſam primam in cerebro, aut quandoque eſt propter cauſam primam in neruo mouente eam, aut ramo veniente ab ipſo ad eam, &c.*

Huius enim villus cùm fuerit percuſſus ob malè adminiſtratam ſcarificationem, profundéque celebratam, & ſic inciſus, in ſubſtantia panniculi, (Barbari panniculum carnoſum vocant, nos membranam quandam craſſiſſimam, cuti & pinguedini ſubiectam, vniuerſum corpus à capite ad pedes tegentem dicimus) qui eſt coniunctus cū panniculo linguæ, qui cū nerueus & mēbranoſus ſit, ſi præcidatur ex toto, illuſtratio ob continui ſeparationem euaneſcit, intercepto videlicet medio per quod vis motrix defertur ad linguā, vnde eius reſolutio accidere ſolet. Sūt enim villi (alio nomine fibræ, lineæ, filamenta, ſtriæ, ſegmēta dicūtur)

partes ſimilares, frigidæ, ſiccæ, genitæ ex ſemine, albæ, ſolidæ, oblongæ, exilium filamentorum inſtar, ad motum deſtinatæ, quarum ope voluntarius motus perficitur.

Non te lateat, linguæ motum & ſenſum apud omnes Anatomicæ artis magiſtros, à neruis è ſeptima coniugatione prodeuntibus fieri, quihanc ferè ab occipitio, & ſpinali medulla exortam, in linguæ muſculos efferri, ipſamque mouere pronunciant, vt Fallop. *in ſuis obſeru.* Laurent. *lib.4. de hiſt. anatom. cap.*17. ingenuè annotarunt. Addunt alij prodire è cerebro, particulatim à cerebello, poſtica capitis parte, velut à radice, caudice, & trunco, per ſpinam dorſi (quam ſpinalem medullam, ſeu cerebellum oblongum nuncupamus) & per latera vertebrarum, neruorum myriades, & in numerum copioſiſſimum diſſeminari. At tringinta neruorum paria præcipuè ab ipſis obſeruantur. Septem ceruicis, 12. dorſi, quinque lumborum, ſex oſſis ſacri. Sicut enim in cauda equina pili ferè omnes à ſuperiori parte exorti, alij in ſupremam caudæ partem, alij in medium deſinunt, alij ad extremam vſque feruntur: ita prorſus neruorum omnium ſpinalis medullæ propagines, ab eodem puncto enatæ, aliæ in cerebrum, aliæ in thoracem, aliæ in lumbos deſinunt. Septimum tamen par ferè ab occipitio, & ſpinali medulla exortum in linguæ muſculos efferri, & ipſam mouere, certa res eſt.

Hoc par in lumbis ſitum cum ſcalpello diuiſum eſſet, paralyſim dicta cauſa attulit immedicabilem; nam *quæ à nerui diuiſione oritur reſolutio, inſanabilis eſt*, teſte Paul. *lib.3. cap.*18. nam, vt ait Raſius *lib.9. ad Almanſ. cap.7. hæc nunquam ſanabitur.* ſignum enim eſt manifeſtum, nuchæ, & neruis qui ad linguam mittuntur, inciſionem, aut contritionem accidiſſe, vt inter omnes notauit Halyabbas *lib.5. pract. cap.26. de eneruationis medela.* Cuius rei hæc eſt cauſa. Nam licèt non deeſſet medium per quod illuſtratio fiat, eámque neruus poſſit continere adhuc, ſanitate reſtituta neruus poſt vulnus cicatrice dura, & maxima obductus, & obſtructus, facultatem influentem recipere commodè non poteſt: quare ſequitur paralyſis à Cælio Aurel. *lib.2. chronion, cap.*1. ex conductione, vocata. Ab aliis cauſis linguæ reſolutæ curationem, lege apud Celſ. *lib.4. cap.*2. Rondelet. *cap. prop. de paralyſi linguæ.* Chriſt. à Vega *lib.3. de art. medend. cap.*20. Ludouic. Mercat. *lib.1. de morb. intern. cap.*14.

HISTOR. LXXIII. GALENI, De Morbo Gallico.

Menti, & capitis glabrities Gallica, Galeno, Hippocrati, priſcíſque aliis maximè nota.

*Humorum putredo, cuius eſt commune munus, vt illas partes in quas impingat, corrumpat, * terribiliorem in capitis partibus ſpeciem præbuit, propterea quòd licèt vel paulum de natura hic deflectant, maior fiat ſuggillatio, quàm cæteris partibus multùm à natura diuertentibus. Nam à femore, vel brachio, vel tibia, vel cubito ſi cutis receſſerit, minorem præbet mali ſpeciem: at ſi capitis vnà cum cute crines defluxerint, atque adeò menti cum illis vitij ſit facies magna, periculum verò minus, quàm ſi is pudenda affectus teneat, aut guttur, aut thoracem, aut aliam principem partem. Neque tamen quæ caput ita tentabant, formidabilia magis erant, quàm peiora: verùm etiam quæ cuilibet aliarum partium decidebant. Peiora enim erant, in quibus in profundum ſeceſſit humor, ignem ſacrum efficiens, cùm in viſcera ſe, & in principes partes conferens, præter alia ſymptomata, * febres etiam acutas generabat. Quibuſdam tamen, quibus* in ſuperficie erat eiuſcemodi putredo, partes etiam citra febres marceſcebant: quorum quidam hac de re præcipuè incolumes euaſerunt, vitioſis humoribus ſimul cum ipſis partibus, quas ij putrefecerant, emiſſis, &c. Gal.* lib.3. epidem. ſect.3. com.25.

PARAPHRASIS.

TOtum hoc eſt de morbo Gallico memorabile exemplum. Quo Galenus Hip. hunc morbum exactè depingentis hiſtoriam exponit. Morbus ſanè Hurculeus, leoninus, inſuperabilis, *Miſerabile ſcortatorum flagellum* veriùs nominandus, endemicus, hoc eſt, collactaneus, regionalis, patrius, publicus, vernaculus à Latinis dictus, qui quouis tempore, in aliqua regione abundat, & inualeſcit. Ne ergo mireris in epidemica conſtitutione inualuiſſe: Monardus enim *in tract. de medicam. quæ ex Indiis adſportantur, tit. de ſmilace aſpera*, affirmat hunc morbum, patrium, & familiarem eſſe Indis, veluti ſunt variolæ apud nos: quod confirmat Rondelet. *tract. prop. in princip.* qui hac de cauſa vocari variolam magnam, ſeu Indicam edocuit. Subſcribunt Hernandus de Ouuiedo *in generali Indiarum hiſtoria, cap.*17. & Ferdinandus Corteſius *in 3. Indiar. relatione*, qui hanc luem ab occiduis fuiſſe adſportatam, illis regionibus antiquiſſimam ſcripſerunt.

Eſt ergo morbus Gallicus, morbus endemialis, puſtulis primùm partes obſcœnas, deinde reliquum corpus cum magno plerumque dolore, atque ipſam plerumque faciem occupantibus, ex varia humorum corruptione genitis, propter nimiam aëris in calore, atque humiditate præſertim intemperiem. Hoc placitum defendit Leonicenus *in lib. de morb. Gallic.* Contrà inſurgit Manard. *lib.7. epiſt.*2. nihil huic morbo cum aëris vel humore, vel qualitate alia eſſe commune aſſeuerans, præter contagium. Falſum quidem hoc eſt, nihil enim obſtat quominùs ex immutatione aëris præternaturali, valida ac diuturna morbus popularis poſſit originem ducere, & deinceps per contagium diſſeminari. Obſeruatum enim eſt innumeros ſine vlla contagione per ſe infectionem illam fuiſſe perpeſſos, vt notat Fracaſt. *lib.2. de contag.*12. *in med.*

Quæ autem his Gallicatis acciderunt, hæc ſunt. Abſceſſus qui in ſuppurationem deueniebant, carnium, neruorum, & oſſium elapſus magni, totius capitis, & menti glabrities, pudendi, gutturis, aut alterius partis principis vlcus malignum, brachij, aut totius cubiti effluxus, femoris, tibiæ, pedíſque totius denudatio: erant hæc horrenda magis quam mala, quæ in febribus, & ſine febre euenerunt. Horum ſingulatim eſt reddenda ratio. Fiebant abſceſſus, & fluxio collecta in vomica, non erat bono puri ſimilis, quale ex bono ſanguine in parte conculcato, & concocto fieri conſueuit, ſed ſanies ex putreſcentibus, & in pus reſolutis particulis; & ſic carnium, neruorum, & oſſium elapſus magni: ex qua fluxione glabrities etiam totius capitis, & menti facta eſt, putreſcentibus radicibus pilorum; & oſſium denudationes exeſa cute & ſubiecta carne, à vitioſo ſucco, à quo vlcera aliarum partium contingerunt. Externa verò mala, quæ exteriores partes opprimebant, horribilia magis erant quàm periculoſa. Peiora autem erant, & maiorem perniciem importabant, quando internas partes, quæ ſuapte natura præſtantes ſunt, affligebant: neque mirum; nihil enim periculoſius eſſe poteſt, quàm confluere intrò excrementa: omnia enim membra præcipua periclitantur; nam calor præternaturalis illicò accenditur in iis, & feruentibus humoribus timor eſt, ne in aliquam partem decumbant ij, qui per corpus oberrant, & veluti furenti motu mouentur humores. At ſi in habitu corporis oriatur computreſcentia, quum partes hæ remotæ ſint à fonte caloris, non ita febrem concitant initiante morbo, ſed veteraſcente, vlceribúſque factis ſordidioribus, à quibus vapor exhalat partes internas diu inficiens tabe dira. Hoc tempore externæ partes ſolidæ, humido quotidiana reſolutione ob febrim lentam & tabidam abſumpto, citra febrim marceſcebant, & extenuabantur. Ij autem præcipuè ſeruabantur, quibus vitioſi humores ad extrà eruperunt. Victoriam enim naturæ hoc opus ſignificat, redundantes humores à nobilioribus partibus ad externas minúſque præcipuas expellentis.

***

QVÆSTIO XXXV.

Quòd morbus Gallicus, vetuſtiſſimum ſit morbi genus. Contra Manardum, Peredam, & communem ferè Medicorum ſententiam.

COMMENTARIVM.

TErribiliorem.] Diuinum Hippocratem, morbum Gallicum cognouiſſe ex hoc loco manifeſtè colligi poteſt; nam in multis ægris vidit carnium, neruorum, & oſſium lapſus, denudationes, pudendorum exulcerationes, capitis & menti glabritiem cum marcore, & citra febrem. Cui ergo Medicorum narraretur alicui facta fuiſſe vlcera ſordida, cum genitalium vlceribus, faucium corroſione, ac poſtremò nudata excidiſſe oſſa, citra febrim, qui citra dubium non diceret morbum eſſe Gallicum cognominatum? Fuerunt verò in hac tempeſtate plurimi tales, ob quos, & multos alios affectus, qui in hoc, & aliis Hipp. operibus narrantur, conuincor aſſerere, nihil in hoc morbo eſſe nouum, quod priſca illa ſæcula non viderint; & maximè cum hoc loco affirmet Hipp. hæc mala fuiſſe formidabiliora, quàm deteriora; quæ omnia huic morbo apprimè conueniunt. Quotidie enim Medici tractant plures, qui citra febrim, cum oſſium corruptione, denudatione, faucium vlceribus doloſis, palato, gingiuíſque corroſis, virulentis talpis, vlcerato pudendo, purulento ſcroto, gurgulione vlceribus fœdato & penè exeſo, per multos annos vitam producunt.

Inſuper, *in eodem lib. 3. epid. ſect. 3. text. 4. & lib. 5. epid. in init.* vidit vlcera capitis depaſcentia. Et *lib. 2. de morb. num. 2.* vidit capitis ſuturam excauatam. Et *lib. 7. eiuſdem*, vidit oſſium cariem, ſeu teredinem, quæ eſt pertuſio oſſis ex corruptione, ex Galen. *lib. finit. medic.* Et *loco nup. cit.* cognouit cerebrum corroſum. Curauit maligniſſima carcinomata, & vlcera doloſa valdè, *lib. 7. epid. 98.* oris vlcera maligna, *lib. 3. eiuſd. ſect. 3. com. 25.* inibique ſymptomata alia dira recenſet, & timoris plena, quæ in nullo alio frequentiùs, quàm in hoc morbo accidere ſolent, quod præter experimentum Campegus firmat *lib. 2. praxis, cap. 12.* adducens Gulielmum Salicètum, Gordonium, & Valeſcum Tarentinum, qui olim iam nonnullos ab impuris, ſordidiſque fœminis vitia contraxiſſe conteſtantur. De quo argumento vide Rembert. *in com. ad cap. 1. Beniu. de abdit.* Fab. Paulin. *in com. lib. de Peſte. Thucydid. fol. 39. & 426. vlt. editionis.*

Galenum autem morbum Gallicum cognouiſſe non dubitamus. Nam vidit, & curauit vlcera cacoëthica, doloſa, inueterata, diuturna, depaſcentia, difficilia ad curandum, quorum curationem plerique non abſoluerunt, ſed tanquam ab inſanabilibus deſtiterunt, *in lib. 4. meth. 5. & lib. 1. ſec. gener. cap. 23.* Sic cognouit oſſis cariem difficulter curabilem *in lib. 3. meth. cap. 1.* Quibus rationibus conuictus Nicolaus Machellus Mutinenſis, *in lib. de morb. Gal. in init.* vetuſtiſſimum fuiſſe hunc morbum aſſeuerat, quam poſitionem diſertè defendunt Andreas Alcacar. *lib. de morb. Gal. cap. 1.* & eruditiſſimus Valleſ. *in com. prim. ſent. lib. 4. epid.*

Omitto Auic. *lib. 2. canon. tract. 2. cap. 532.* Plin. *lib. 26. cap. 1.* qui de hoc morbo peculiariter ſcripſerunt, quem antiquum fuiſſe, & priſcis illis maximè cognitum firmat Ioan. Vigonius *lib. de morb. Gallic. cap. 1.* Quo etiam laboraſſe Cæſarem Auguſtum refert Sueton. Tranquil. *in vitis Imperat.*

Hugo Senenſis ſaluti cuiuſdam iuuenis per ſcripturam conſulens in *conſil.* 100. huius morbi naturam exactè delineauit: paſſus enim eſt puſtulas, tumores duros, vlcera capitis, diuerſorúmque membrorum dolores, noctu magis quàm interdiu affligẽtes. Quare factum eſt, vt hunc morbum antiquum valdè, & apud priſcos maximè notum, per aliquot annorum curricula latitantem, ac ferè extinctum, nunc de nouo repullulantem, recentem & nouum eſſe affirmauerint, variámque ortus ipſius originem indagantes, in ea inueſtiganda mille monſtra finxerint, ac mille nugas.

Percontaberis, & meritò ſanè, quibus auxiliis priſci illi eruditiſſimi hunc morbum perſanandum conſuluerint; neque enim aut Græcos, aut Arabes inuenio, qui huic morbo auxilia parent: à quibus certè aliqua ſcripta ſunt, partim à Græcis prętermiſſa, partim ab ipſis cum artis gloria adinuenta, & qui de ſcabie mala, huic morbo valdè affine ſcribentes, plurima præſidia poſteritati commendarunt. At remediis aliis vtebantur, huic lui extirpandæ quã aptiſſimis, euacuantibus, ſudorificis, exſiccatoriis, quibus tantum malum debellare contendebant; & vel noſtris alexipharmacis hanc hydram eſſe reſecandam conſulebant. Extat elegans Hiſtoria apud Fracaſt, *lib. 2. de contag. cap. 12. in med.* de quodam tonſore, qui cùm haberet libellum experimentorum antiquum ſatis, inter quæ vnum ſcriptum erat ad ſcabiem craſſam, quæ cum doloribus iuncturarum accidit. Is ergo cum primùm recentiſſimus eſſet morbus, medicaminis memor conſulit Medicos, num in noua illa contagione, quam per ſcabiem craſſam ſignificari exiſtimabat, vti eo medicamento deberet. Medici autem inſpecto medicamine acriter prohibuere, quòd ex argento viuo conſtaret, & ſulphure. Felix niſi Medicos illos conſuluiſſet, incredibili quæſtu diues euaſurus. Paruit autem, nec auſus eſt medicamen experiri, quod demùm expertus, atque optimum cognoſcens valdè indoluit, quòd ſerò illo vſus eſſet. Aliis ergo ætatibus viſum fuiſſe, & cognitum hunc morbum, & noſtro ſuperiorique ſæculo repullulaſſe eſt affirmandum.

Narrat Lacuna *lib. 5. in Dioſcorid. cap. 124.* homines hoc morbo prehenſos, antequam pretioſa ex Ebeno, ſmilace aſpera, & Chyna, antidota Medici inuenirẽt, æſtate media, vigentiſſimo Solis calori ſeſe exponentes, & arena calidiſſima totum corpus, diu, & importunè macerantes, ab hac fœda lue immunes euaſiſſe; nam iuncturarum doloribus, duris tumoribus, talpis, & aliis vlceribus conſpurcati, ſuperfluum humorem hoc arenæ balneo aſſumentes, tantis malis oppreſſi, horum ſæuitiem effugere, quod eſſe pro frigidis morbis ſaluberrimum auxilium firmant Herodotus apud Oribas, *lib. 10. collect. cap. 8.* Sauonarol. *tract. de balneis* Ludouic. Mercat. *lib. 1. indicat. 13.* Immò Vigo *in tract. de morb. Gallic.* vnguentis ſolùm vtitur ex hydrargyrio paratis, quoniam cætera pro hoc domando malo antidota, noſtro æuo notiſſima, non cognouerat.

Sic profecto Græcorũ peritiſſimi, ſuis pro curando hoc vitio vſi ſunt alexipharmacis, cùm clariſſimũ ſit primos illos medicinæ parẽtes nihil intactum reliquiſſe, nec ignoraſſe, quod ad auxiliorum vſum, artiſque perfectionem vel minimum facere poſſit. Quòd ſi aliter opinemur, plura nẽpè Arabes arti addidiſſe à Græcis prætermiſſa, id in ſumptuoſiſſimas bibliothecas Græcas templorũ Romanorum incendiis concrematas, reiiciendum puta. Nam ſi omnia Hipp. Gal. Dioclis, Antil. Archig. Aſclepiadis, Herodot. aliorúmque principũ Medicorũ nunc extarent opera, non dubito quin plura aromata cognoſceremus, quàm illa ex Indiis modo ad nos adſportata, quæ nobis licèt noua ſint, antiquis vetuſta, & illis maximè nota fuiſſe nõ negabimus.

Sed fortioribus machinis contra traditam doctrinam inſurgentem Petrum Paul. Peredam doctiſſimum audiamus. Is enim in *Schol. cap. 2. lib. 1. Michael. Ioan. Paſchal.* Valleſij, latámque poſitionem temnit, & damnat: Miratur enim non animaduertiſſe in morbo tam populari, rem aliquam nouam veteribus incognitã, quam poterat ex contagione, cauſis, & curatione colligere. Ex cõtagione, quoniam antiquorum vlcera alios non inficiebant; è contrà quæ nunc apparent contagioſa ſunt, ex quibus defluuiũ capillorum ſequi ſolet. Ex cauſa, quoniam apud priſcos pilorum decidentia duas tantùm habuit cauſas, raritatem cutis, & nutrimenti defectum; at defluuium Gallicum vnam tantùm habet veteribus ignotam, nempè vitiũ excrementi. Ampliùs, dolores priſcis noti nocte non exacerbabantur; è contra noſtri noctu vehementiùs inualeſcunt. Ex curatione; nam omnia in hoc morbo contingentia vitia apud antiquos vacuatione vniuerſali ceſſabant; apud nos, non niſi alexipharmacis leniuntur ac miteſcunt.

Verùm hæc facilem habent explicationẽ. Nam vlcera Gallicana apud antiquos deſcripta, alios etiã inficiebãt, vt conſtat ex Hipp. *loc. cit.* qui plurimos ægros hac labe fuiſſe

infectos in ea tempeſtate affeuerat. Num autem conta- gium ab vno in alium eſſet factum contactu,fomite,an ad diſtans, (his enim modis poſſe hunc morbum inficere nó ibo inficias) ex textus ſerie deduci non poteſt. Deinde, falsò aſſerit, effluuium pilorum ſolùm duas nominatas habere cauſas, quum tertiam, nempè vitium excrementi etiam addat Auic. 7. 4. *tract.* 1. *cap.*5. dum materiam malam, manentem in cute, in originibus radicum pilorum, hóſque corrodentem,eſſe huius mali cauſam aſſeuerat. In antiquo ergo,& nunc in Gallico defluuio etiam adeſt vitium excrementi. Denique fortuitum eſt, Gallicos dolores noctu etiam increbeſcere, (licet huiuſmodi ſignum mirabile ſit, & peculiare in hoc morbo ex Manard. 2. *epiſt.*1.) quoniam & reliqui dolores, recurrente ad intùs calore etiam noctu exacerbantur. Quibus autem auxiliis morbum hunc curauerint antiqui,ſuprà explicuimus.

Supereſt ſolùm Manardi rationibus ſatisfacere, qui 7. *epiſt.*2. acerrimè in Leonicenum inuehitur,exiſtimantem hunc morbum à veteribus fuiſſe deſcriptum.Primò quòd morbi ab Hipp.numerati ſint carbunculi, ventris perturbatio, profundi ſomni, lienteriæ, diarrhœa, dyſenteriæ, teneſmi,febres tertianæ, quartanæ, nocturnæ, continuæ, longæ, erraticæ, quum hi morbi raró in Gallico ſint viſi. Addit deinde narratos ægros ab Hipp. quoſdam citò, aliòs ſerò interiiſſe, cùm Gallicum patientes,mortem potiùs optent, quàm oppetant. Demùm. Febris vehementiſſima in deſcriptis ab Hipp. ægris, rariſſimè in morbo Gallico viſa, arguit manifeſtè, hunc morbum nouiſſimè fuiſſe ſubortum.

Sed ridicula ſunt hæc. Nam frequenter illos ſuperiùs citatos morbos cum Gallico poſſe complicari,præter diutinum experimentum, firmant Ioan. Vigonius *tract. de morb. Gallic.* & poſt eum Ludou. Mercat. *lib.* 2. *de morb. Gallic. cap.* 1. qui omne morborum, tam acutorum,quàm chronicorum genus cum Gallico poſſe implicari elegantiſſimè docuere.Ex quibus quidam citò,tardiſſimè alij pro morbi ſæuientis natura occubuere. Plures etiam vehementiſſimis febribus, & internis inflammationibus hac ſolùm de cauſa contractis, & aliis acutiſſimis affectibus ab hac radice, tanquam à prima origine ſcaturientibus, vitam cum morte commutarunt,

QVÆSTIO XXXVI.

Quòd morbus Gallicus ab immodico Veneris vſu oriri poſſit. Contra communem Medicorum ſententiam.

VLtimò. Illud etiam facit pro noſtra ſententia firmiſſimum argumentum, quòd morbus Gallicus ab immodico Veneris vſu oriatur, quo abuſu etiam priſcos fuiſſe tentatos,Venerique nimium indulſiſſe,adeò eſt notum,vt fidiſſimis auctorum teſtimoniis probari nihil opus ſit.Quare primum,qui hoc morbo ægrotare incœpit,ſine contagio vllo, ab hac origine vitium contraxiſſe ipſe affirmo. Narrat Theuetus *com.* 1. *Coſmograph. lib.* 3. *cap.* 2. Morbum quendam ab incolis Brozail cognominatum, partes genitales potiſſimùm infeſtantem, quem euenire ex immodico coïtu affirmat,& decoctis multis,& præſertim herbæ Achenaca ab Indis Medicis curari refert.

Doctiſſimus Valleſius *in ſuis eruditiſſimis ad lib. epid. com.* tum *lib.* 3. *ſect.* 3. *com.*22.*in fin.* tum *lib.* 4.*eiuſd.in com. ſent.*103. inter omnes, in ea eſt firmiſſimus ſententia, vt dicat, ſolum Veneris immoderatum vſum, citra vllam contagionem,gignere illud vitium, quod morbum Gallicum vulgò appellant, qui,tantus vir licèt hac placitum, quod ego quoque libenter amplector, non ſtabiliuerit, id ego rationibus roborabo.

Ab immoderato Veneris vſu multa poſſe, eáque non contemnenda oriri incommoda, auctores famigeratiſſimi memoriæ commendarunt. Ex eius namque vſu hominis robur debilius redditur, adeò vt hac ſola de cauſa cerebrum exhauſtum fuiſſe narrent Albert. Magn. *l.* 22. *de anima lib.* Arnald.*in ſpecul. introdu. c.*83.& *lib.de regimin. ſanit. part.*2. *cap.* 6. Inſuper coctiones non integrè concoquantur,

A tingunt, alij pallidi fiunt, neque exactè vident, neque vt oportet, audiunt, neque alios ſenſus integros poſſident; quin & obliuioſi, & tremuli exiſtunt,& articulis maximè dolent, & alij ex ipſis renum, & alij veſicæ morbos incurrunt; quibuſdam etiam oris grauεolentia, & dentium dolores,& gingiuarum inflammationes oriuntur, & adeò mala hac de cauſa augentur, & increſcunt,vt plurimi ſanguinem reiecerint, partim ob ſpiritus violentam compreſſionem, ac intentionem, partim ob venarum, & arteriarum,quæ ex pulmone ad articulos deferuntur,communionem. Ad hæc,corpus frigidius, ſicciúſque redditur, ex Gal. 2.*de ſanit.tuend.*16.vires valdè deficiunt,& labuntur, Gal. 3. *epid.* 3.*com.*89:

Hócque accidere certum eſt,non ſolùm quoniam corpus motu, & labore agitatur & incaleſcit, ſed quia alimenti puriſſima parte orbatur, vt Hipp. ait *lib. de genit. num.*3. conficitur enim ſemen ex magis defæcata, ac elaborata ſanguinis parte.Quare illud rectè dictum ab Auic.

B 3.*de anim. cap.*3. quadrageſies plus diſſoluere ſemen vacuatum ſanguine. Et non ſolùm debilitat ob excretionem ſeminis, ſed propter annexam voluptatem, quæ prout maior vel minor eſt, magis vel minùs imbecillitate ſolet; à quibus cauſis neruoſorum corporum robur, firmitudinémque diſſolui,teſtis eſt locupletiſſimus Aëtius *tetrab.* 3. *ſerm.*4.*cap.*20. quare attonitos reddit,apud Macrob. *lib.*1. *Saturnal.*21. ob id paſſim damnoſam Venerem Poëtæ canunt Horat. 1.*epiſt.*14. & *lib.*2. *epiſt.*1. & *de Ponto* Ouidius *eleg poſtrema*: idcircò verè dixit Clemens Alexand. *lib.*2. *pæd.* 1. quòd Venus nimia hominem ſpoliat vſu rationis,quia ſpiritus reſoluit,potentias labefactat, officinas coctionis profternit, demùm omnia membra eneruat, vt maximus Philoſophorum Plato aſſerit *in Cratylo.*

Denique ab immoderata Venere exceſſus ferè com-

C mittuntur inemendabiles; trahitur enim à ſuperioribus partibus neceſſariò non ſolùm ſanguis, ſed materia etiam ſanguini ſimilior,tertiam coctionem iam adepta,& parùm diſtans à membri forma. Ob quam cauſam dicebat Ariſt. *lib. de longit. & breuit. vitæ*, animalia multo etia coïtu citiſſimè ſeneſcere: quod poſt eum affirmauere Auic. 20. 3.*tract.*2. *cap.*11 Iacob.Berengarius Carpenſis *in tract. de coïtu.* Repetit. Ariſtot. 4.*probl.*26. cuius mentem Auguſt. Niphus, & Nicol. Leonic. eleganter explicarunt. Nam coïtus nimius omnes virtutes proſternit,& labefactat. In congreſſu enim venereo plurimùm ſubſtantiæ ſpiritus euacuatur, propter delectationem, adeò vt diſſolutis, & exhauſtis viribus, nonnullos in nimia voluptate affectos interiiſſe, lata oratione proferat Galen. *lib* 1. *de ſemin. cap.*16.*in med.* §. *Hæ quidem venæ, &c.* quod etiam confir-

D mant Plin. *lib.*7.*cap.*53. Valer. Maxim. *lib.*9.*cap.*12.Ioan. Iouian.Pontan. *ib.de obedient. cap.*10. Alexand. Bened. 14. *lib. de curand. morb.cap.*22. Fulgoſ. *lib.* 9. *cap.*12. Ex qua cauſa accidit, vt ſalaciores laxentur, breuioriſque ſint vitæ, paſſerum inſtar, quibus vita breuiſſima eſt. Accedit etiam alia cauſa: nam qui nimiùm Veneri indulgent,ſentientes ſeſe debilitari, vinum appetunt, & plurima eſculenta ingurgitant.Requirit autem libido,ſi quid aliud,alimenti exuberantiam, eóque potiſſimum valentis materiæ vtile eſt, ex Paul. *lib.*1. *cap.*35. Quo fit, vt Venere calorem naturalem minuente, & vino præternaturalem augente, auctis cruditatibus, innumerabilium morborum copia repullulet. Hinc febres ardentes, deliria, & mors. Habemus exemplum celeberrimum apud Hip. *lib.*3. *epid. ſect.*3.*text.*81.& 87. Nicodemi; & Adoleſcentis in Me-

E libœa, qui ex potu,& Venere multa ægrotarunt, & adoleſcens mortuus eſt.

Demùm, ſi omnes morbos immodica Venus accerſere poteſt, cur non Gallicum? Refert Hiſtoria Plantarum Generalis, *lib.*18. *de plantis Indicis*, ex immodico coïtu, Indos in pudendis, circúmque geniales partes, vlcera maligna ſæpiſſimè pati,quæ decoctis abſtergentibus & exſiccantibus curari à Medicis, ſin minùs in cacoëthicam naturam citiſſimè degenerare ſoleant. Nam ex nimio concubitu computreſcit cum ſemine proprium ſolidarum partium temperamentum, hinc illa penitiſſimè latens cacochymia, ratò niſi vehementiſſimæ exſudationi ſuccumbens.

bens. Hinc tabes dorſalis, qua correpti recentes ſponſi, & Veneri dediti, ſine febre marceſcunt, & emoriuntur, ex Hipp. *lib. 2. de morb. num. 56.* Hinc ex debilitate caloris natiui ex nimia Venere ſuborta, putrefacto ſemine, maleficentiſſimæ oriuntur computreſcentiæ, & corruptis partium roribus iecur vitiatur, ex cuius læſione exuſti, putrefactique humores gignuntur, qui ſi in neruoſas incidant partes, dolores faciunt intolerabiles; ſi in inguina, bubones; ſi in pudendum, exulcerationes; ſi in caput, pilorum defluuium: ſi in os, vuæ, palatique doloſa vlcera contingunt. Denique in nullam partem humor malignus decumbit, qui morbos non committat inſuperabiles.

Neque refert, quòd plurimi immodico vtentes coïtu, in hunc morbum non incidant, nam cauſa ſine patiétis aptitudine agere non poteſt, vt eleganti oratione proſequitur Gal. *lib. 1. de dif. feb. 4.* Alij enim frigidi & ſicci ſunt, alij viribus ſunt valentibus, sicque noxas hac ipſa de cauſa contractas facilè ferunt, neque morboſum habent in corpore latentem apparatum. Plurimos ergo ex aſſiduo, nimióque Veneris vſu, in morbum Gallicum incidere, citra vllam contagionem non nego.

QVÆSTIO XXXVII.

Quòd ante ſudorifica auxilia calor natiuus ſit attemperandus.

Febres acutas generabat.] Licèt non contemnendi auctores, quos Iordanus Ziiletus in duo volumina collegit, & poſt illos alij etiam eminentiſſimi Medicinæ profeſſores de morbi Gallici cauſis, ſignis, & curatione eloquentiſſimè diſputarint, de quorum numero ſunt Lucas Ghinus, Capiuacius, Maſſaria, Ludouic. Mercat. Mercurial. Foreſtus, & plures alij: licitum tamen ſit mihi inter hos Medicinæ proceres iudicium meum interponere, præſertim in iis, quæ ab illis omiſſa ſunt, vel non ita diligenter pettractata.

In morbo Gallico oriri omnis generis febres, eáſque tam acutas, quàm diuturnas, pro humoris præexiſtentis in corpore diuerſa natura, & maximè ſi ætas, aut calida ſicca & æſtuoſa temperies præſint, nulli eſt non manifeſtum. Si ergo hæc affectio virulenta corpori ſuccreſcit calidiori, ſicco, hirſuto, calidis, & exuſtis humoribus pleno, ſupra modum ſiticuloſo, æſtuoſis febribus obnoxio, ſi reſoluentia, & guaiacina præſidia, & alia calida medicamenta exhibuetis, impensè nocebis. Quò fit vt ex commodiſſimis huic malo auxiliis, non parum lædantur qui ſic affecti ſunt. Quare cautè, & maxima cum præmeditatione eis eſt vtendum; & ad hæc, non niſi attemperato natiuo, & mitigato feruore, accedere oportet.

Num autem hæc curatio, ex Hipp. Galenique refertiſſima penu ſit hauſta, nunc inueſtigandum. Eſt enim hoc conſilium tutiſſimo experimento munitum; & in praxi ſummoperè obſeruandum. Hipp. enim *lib. de med. purg. prope fin.* ad medicamentorum, quæ ſuapte natura calida ſunt, exhibitionem, febrilis caloris remiſſionem exoptat, aut ab arte, aut à natura, explicante ſic Chriſtoph. à Vega *in com. Si enim, antequam febris ſæuities miteſcat, calida auxilia propines*, inquit ille, *carnes ægrorum, & ventres, cùm calidi ſint, medicamentum aſſumunt, & nihil depurgantur, & febris maior fit, & color euertitur, & in arquati morbi ſpeciem tranſit; commota enim bile, & non purgata, non ſorbere vult æger, neque bibere, ſed omnia abominatur, & plerumque perit, &c.* Hæc ad noſtrum inſtitutum optimè faciunt. Quoniam ſi in hoc morbo, præſente valida febre, ſudorifica, aut aliud calidiſſimum medicamentum, ex quo ferè vnguenta cum Mercurio parata, aut ſuffumigia fieri ſolent, exhibeas, in maximum diſcrimen ægrum adducis, ni priùs calorem extraneum, aut innatum, refrigerantibus, aliiſque roborantibus auxiliis contemperes. Totum enim corpus, accenſo natiuo calore, calidorum vi, puſtulis, eſſeréque conſpurcatur, fœda ſcatet ſcabie, ſitis intenditur, vlcera ſordeſcunt, faſtidium ſuperuenit, exacerbantur dolores, vigiliæ infeſtant: & licèt de purgantibus loquatur Hipp. de cæteris etiam auxiliis intelligen-

A dus eſt: ſolet enim ipſe vno exemplo cætera comprehendere, ex Gal. *3. acut. com. 42.*

Rurſus ſi Gal. *lib. quos, quib. & quando, &c. cap. 10.* non niſi in remiſſis febribus, elleborum, & cætera medicamenta calida propinare auſus eſt; firmat *2. acut. 11. & 1. aph. 24.* & alibi paſſim: quantò magis nos in exhibendis medicamentis in præſentia febris Gallicæ erimus meticuloſi?

Quid ampliùs? Nónne famigeratiſſimus Auic. pro curanda mala ſcabie, quæ morbo Gallico valdè conſimilis eſt, ante hydrargyrij vnctiones, vtitur refrigerantibus, & roborantibus, ne iecur ſuapte natura feruens & igneum, valida Mercurij vi & commotione, labatur & flacceſcat, aut maiori concepta acrimonia incaleſcens, grauiora damna committere poſſit. Audi Auic. *7. 4. tract. 3. cap. 7.* hæc

B verba proferentem. *Et bonum quidem eſt, vt bibat infuſum in aqua endiuiæ, & cum ea ſit parum aquæ fœniculi, ſi non fuerit ab aqua fœniculi aliquid prohibens, &c.*

Cùm ergo ſudorifica auxilia omnia calida ſint, ex Gal. mente. *lib. de medic. facilè probabilib. cap. 82.* Paul. *lib. 1. cap. 82.* Aëtio *tetrab. 1. ſerm. 3. cap. 157.* & maximè hæc quibus ad extirpandum morbum Gallicum, vulgus Medicorum vti conſueuit, vt ſunt Ebenum, ſmilax aſpera, Chynarum radix, ſaſafras, (Indicum lignum morbo huic valdè proficuum) hydrargyrium, Arſenicum, ſandaraca, præcipitatum, Cinabrium, Auripigmentum, & alia validiſſima medicamenta ex quibus ſuffumigia parari ſolent: tutiſſimum eſt ante horum adminiſtrationem, ſi corpus ſqualidum ſit & exardeſcat, propinare quæ caloris natiui ſymmetriam procurent, ſimúlque febris exuperantiam retundant. Qui modus curandi, præterquam quòd in

C hoc diuturno morbo ſit per epicraſin factus, & hac de cauſa citra virium diſpédium morbum leuet, ſecuriſſimus etiam eſt, quoniam ardore internarum partium ſedato, ægri meliùs ſudant, & feliciùs ſuccedit curatio. Lege de hoc argum. Ludou. Mercat. *lib. 2. cap. 2. de morb. Gall.* Chriſtoph. Guarinon *conſult. 29.* & nos plura rata in hanc rem addito exemplo propoſuimus *lib. 1. de praxi medica admiranda, obſ. 134.*

Sic ad humectandum corpus, ardorémque leuandum, conſultiſſimum mihi viſum fuit, priùs balnea adhibere, ſerum lactis caprini, ſimilibus medicamentis præparatum, vel ex eo, cum ſucco fumariæ ſyrupum factum, (*ſyrupum de ſero lactis vocamus*) ægris porrigere, qui, vt refert Ludouic. Iſla *in tract. de morb. Gallic.* pro hoc complendo vſu mirificam obtinet vim. Tunc etiam ex vſu

D ſunt, quæ citra hoc quòd alant, mali etiam antidota eſſe poſſunt, vt ſic meliùs à natura amplexata vires ſuas demonſtrent, vnáque refrigerent, & humectent. Sic in iis qui Gallica macie contabeſcunt, rationabile ſemper mihi viſum fuit, has renutritorias exhibere potiones, vt hecticus calor compeſci, & malum ſenſim, clámque deuinci poſſit. Sit ſero lactis, ptiſſanæ, aut refrigeranti decocto alexipharmaca admiſcere conuenit, vt ſic potio vtraſque vires obtineat. Sic antidota huic morbo ſalutaria refrigerantibus aquis decoquere oportet, vt ferina huius morbi natura, calórque immodicus refrænari poſſint. Quamobrem pultes è farina triticea, vel hordeacea, cum ligni indi, Chynæ, aut ſmilacis aſperæ farina, adiecto horum medicamentorum decocto, parare opus eſt; vel ex his, panem, vel nauticum, vel dulciarium conſtruere eſt neceſſe, farina priùs aqua decoctionis vel Chynæ, vel ſmi-

E lacis aſperæ, benè ſubacta. Nec diſplicet carnes in decoctis prædictis elixare, & aues iiſdem farinis cum iiſdem decoctis permixtis ſaginare, ex quarum eſu ægri maximam vtilitatem recipere ſolent; vis enim eorum medicamentorum intùs ſpirat, ac in carnem ipſam ſeſe inſinuat, quæ alimentoſa medicamenta præterquam quòd nutriunt, huius mali antidota eſſe poſſunt, & feruorem, ebullitionémque à ſudorificis, aliiſque auxiliis validis ferè contrahendam, præcauere nata ſunt. Conſule Hieremiam Capitaurum *lib. 1. de lue Venera, cap. 5.*

QVÆSTIO XXXVIII.

Quòd Bubo Gallicus non ſolùm in inguinibus, ſed retrò aures, aut ſub alis apparere poſſit. Contra communem Medicorum ſententiam.

IN *ſuperficie erat huiuſmodi putredo.*] Plurima ſunt quæ in huius morbi primordiis euenire ſolent ſymptomata, quæ formidabilia ſunt magis, quàm peſſima, quoniam in externa parte fermè contingũt,ea ſunt puſtulæ,vlcera, ſcabies,pruritus,quæ in capite, fronte,vultu,& toto corpore apparentia erumpunt & extuberant, rotundo ſchemate ſicca: quæ ſi negligantur,ſerpunt in ambitum,& in vlcus ſordidum ac virulentum degenerant. Menti, & capitis glabrities, quum virus in tenui vapore conſiſtit, qui in corporis ſumma ad illorum radices effunditur.Rubræ in vniuerſa cute apparent maculæ,& multoties flauæ, quæ à tenuiſſimo ſanguine, eóque virulento ortum ducunt. De quibus omnibus latiſſimè, & ad nauſeam vſque diſputarunt auctores.

Præter hæc in emũctoriis,in inguinibus præſertim, iecore,& naturalibus membris infectis,bubones, à Græcis phymata,à Latinis verò pani nuncupati,apparere ſolent; qui licèt ab omni humore gigni poſſint,potiſſimùm tamẽ ab atra bile,& pituita oriri conſueuerunt.Nũ tamen hi in quouis emunctorio apparere poſſint, nullus Medicorum hactenus agitauit.Præſtat ergo iucũdam rem ſpeculari ad vnguem.Communi conſenſu à Medicis ſancitum eſt,bubones Gallicos ex obſcœno concubitu ſubortos,ſolùm in inguine oriri:cuius contrarium conſtat eſſe apertè verũ. Nam ſi hi oriuntur expulſa noxia materia ad glandulosas partes,ex robore potentis naturæ,ex Gal.1 3.*meth. cap. 5. ad init.*quoniam valentius eſt arteriarum, venarum, neruorum,& muſculorum robur;imbecillius autem, ac fortè prorsùs nullum corporum quæ glandularum ſunt naturæ;quare ob hãc cauſam humores à nobilioribus membris expulſos promptiſſimè recipiunt:ſit vt bubones Gallici,& retrò aures,& ſub alis frequenter contingant,ſi verum eſt illuſtrium Medicorum dogma(vt certè eſt)exiſtimantium, interdum cerebrum,aliquando cor,& non ſolùm iecur,in hoc morbo partes primariò eſſe affectas.

Deinde,quid obſtat in alio emunctorio præter inguina, has inflammatorias oriri diſpoſitiones, ſi hæ partes non ita ſint ſuſcipiendis excrementis aptæ,& aliæ ſint molliores,rariores,& ad recipienda ſuperflua magis ſpongioſæ, & accommodatæ?

Ad hæc,Quod inconueniens eſt, tantam venenati humoris copiam in corpore quandoque adeſſe, vt in aliis etiam glãdulosis carnibus,quæ in alis,& retrò aures ſunt, humor exuberans regurgitet, & non tantùm in ipſamet glandulæ carne,& in ipſius corpore,glãdula ipſa in nimiã magnitudinem excreſcente, aut prope carnem glandulæ, aut intra pelliculam veſtientem ipſam,bubones oriantur?

Obſeruatio L.

Panus Gallicus ſub alis,& retrò aures prognatus.

VIdi plures,qui ex concubitu fœdo,in inguine, & ſub alis ſimul, ex copia multa, bubones Gallicos paſſi ſunt; alios curaui qui retrò alas eoſdem ſunt experti. Ij ſanitatem conſequuti non ſunt, priuſquam alexipharmaca experirentur auxilia.

Quid dubitandum? Si enim Vigo *lib. de morb. Gallic. cap.* 2. & Anton. Muſa *in prognoſticis de hoc morbo*, omne inflammationum genus in variis noſtri corporis partibus natum, cum hoc morbo complicari poſſe aſſeuerant: & ophthalmiam Gallicam concedit *cit. loc.* Vigo. Et Fallop. *tract. de morb. Gallic.* aurium tinnitum (affecti cerebri ſignum certiſſimum) præcipuum eſſe dicit huius morbi indicium,& Rondeletius dolorem oſſis ſterni primò in hoc morbo adeſſe profert: cur in ſuperioribus etiam partibus,ſicut & reliqua capitis vlcera,bubones non ſuccreſcent,hac ipſa de cauſa contracti?Si tamen cæteri auctores

A de iis, ſicut de eo qui in inguine oritur, peculiarem non fecerunt commemorationem, ea eſt cauſa, quoniam frequenter in his partibus repullulare ſolent.

QVÆSTIO XXXIX.

Quòd in initio bubonis Gallici non ſolùm è talo,contra Fallopium & Dacam: ſed è brachio mittendus ſit ſanguis. Contra communem Medicorum ſententiam.

SEd licèt in bubonis Venerei curatione, auctores inter ſe in omnibus ſint maximè concordes, quòd humor huius inflammationis auctor ad extrà euocandus ſit,ne retentus in corpore, partes internas inquinet, & labefactet

B labe dira,quod opus variis præſidiis exſequendum conſulunt: attamen ij in vniuerſalibus auxiliis adminiſtrandis, Euripi modo,huc,illúcq; agitati in varias abiere ſententias.

Solúmque de venæ ſectione totã ſtat lis & controuerſia, (nam ab expugnante medicamento, humorum fluxus retrahitur) quam faciendam eſſe,nullus qui inflammationis huius cauſam,eſſe influxum humoris aſſeuerat, dubitabit,maximè cùm adeſt plenitudo, vires conſentiunt, & morboſus in corpore præeſt apparatus. Licèt contrà ſentiant Fallopius,*lib. de morb. Gal. cap.* 1 9. Hieronym. Fabricius ab aqua pendente, *lib. de tumor. præter natur. cap.* 16. Dionyſ.Daca *lib.* 3. *de apoſtem. cap.* 197. qui nullo modo, initiante bubone, ſed poſtquàm apertus eſt, aperiendam eſſe venam imperarunt, quoniam motum naturæ impedire ſolet. Quod dogma quàm falſum ſit,videant omnes, qui apparentibus exanthematis, ſcabie, aliiſque cutaneis

C abſceſſibus, hoc auxilium, ad iuuandum naturæ motum, vnanimiter celebrandum docuerunt.Tantùm enim abeſt, vt facta phlebotomia ad interiores ſedes retrahatur humor in corpore pleno, vt potiùs detracta copia, ipſe redundans ad extimas, minúſque præcipuas corporis partes naturæ potentis factæ auxilio emittatur: quod argumentum, (poſito exemplo in variolis, & morbillis) quoniam aſſiduis Claſſicorum decretis,ex Gal. doctrina hauſtis, firmiſſimis rationibus, & validiſſimo, fidiſſimóque experimento eſt agitatum, in eo explicando tempus conterere non oportet. Quare ſubit vehemẽter mirari,quod illi eruditiſſimi viri, huic videantur accedere ſententiæ, ſola ratione dicta ſuffulti,quæ,vt vides,ficulnea eſt, ac penè nulla. At ij potiùs de venæ ſectione in brachio celebrata ſunt intelligendi, nam quæ è talo moliri conſueuit, plurimum

D adiumẽtum afferre ſolet. Sic enim iuuatur motus naturæ, quæ à copia redundantis humoris leuata, longè faciliùs trudit poſteà reſiduum ad externa: veneficus humor ad longinquas,& ignobiles defertur corporis partes,vbi nec cor, nec alia viſcera præcipua conſpurcare poteſt: & demùm humor omnis qui in parte affecta continetur,venæ ſectionis beneficio exhauritur;quam vacuationem in hoc morbo, ex hoc loco celebratam multi faciendam conſulunt Fernel.2.*meth.*7.Ludou.Mercat.*lib.*1.*indicat.*4.Valleſ. *lib.*4. *epid. in com. ſent.*7. Anton. Chalmeteus Vergeſacus *lib.*1. *enchir.cap.*5 0. *de bubone venereo.*

Hac tamen ſeruata lege venæ ſectionem exſequaris, vt ſolius bubonis habito reſpectu, ſemper è talo ſanguinem emittas: Secùs autem faciendum conſulo, quando alius complicatur affectus, qui ex propinquiore loco euacua-

E tionem efflagitat. Si enim ex inguinum tumoribus febris putrida concitetur, quam concedit Hipp. 4. *aph.*5 5. eáque continua ſit, ac mali moris, nimiùm videlicet excalfacta, ac putrefacta maſſa ſanguinea, ac in malignam qualitatem degenerante, ex qua inflammatio aliqua interna oriatur, tunc exiſtente bubone in inguine,è gibbero mittendus eſt ſanguis. Nam ſi auxilia debent contendere cum morbo, in magnitudine, & celeritate, ea vena eligenda eſt, quæ ex propinquiori loco peccantem humorem educat, in acutis enim tardare malum) priuſquàm robur partis diſſoluatur, vel febris caliditas increſcat, vel aucto feruore & incendio in vaſis magnis, & cordi propinquis,ad aliquam partem principem decumbant ij, qui per corpus vagantur humores.

Neque

Neque timendus eſt maligni humoris ad ſuperas partes recurſus, quoniam præſente plenitudine, deonerata natura ad inferiores partes noxium humorem detrudit. Sit ergo conſtans ſententia; & à me fidiſſimo experimento confirmata,è talo ſemper eſſe mittendum ſanguinem,ſolius bubonis habita conſideratione:eo tamen præſente,ſi adſit aliquis ſuperiorum partium affectus,ſui acutie celeritatem auxilij exoptans, è cubito eſſe hauriendum ſanguinem. Quam poſitionem acriter defendit inter omnes, Petrus Toreus *tract.de morb. Gallic.cap.*18.

QVÆSTIO XL.

Quòd vnguenta Mercurialia pro morbi Gallici curatione ſint admittenda. Contra Fernel. Montan. Paracelſ. Ferrer. Brachelium, Langium, & alios doctiſſimos.

SEd maioris negotij eſt ſpeculari: Num vnguenta ex mercurio parata pro huius morbi curatione ſint ex vſu. Video enim plurimos, & non infimæ notæ Medicos, qui fortiſſimis nixi rationibus ea infamare non deſiſtunt. Primò. Quòd Mercurius, ex Dioſc. mente *lib.*5. *cap.*69.ſit venenum à tota ſubſtantia tale: firmant Galen. 5.*ſimpl.*18.*&* 6.*epid.ſect.*6.*com.*5.Plin.*lib.*33.*cap.*6. Quare membra interficit tabe dira, ſanguinem congelat, auctore Nicol. Maſſà *lib.* 4. *de morb. Neapolit. cap.*1. calorem ſpiritúmque extinguit, corpus reddit debile, & ad expurgationem maximè ineptum, auctore Hierem. Brachel. *lib.*2.*aph. com.*17. Adde, ſæpè hunc morbum terminari à natura per puſtulas, vlcera & tumores; quare ſatius putant peccantem humorem ſudoribus, & balneis ad cutem reuocare, quum ad eum locum ducendi ſint humores, ad quem natura eos expellere inclinat. Deinde per ſcreatum ea vacuantur ſolùm, quæ in capite redundant, quum neceſſe ſit in hoc morbo, à trunco corporis, vniuerſáque corporis mole peccantem humorem educere. Vnguentorum verò mercurialium, extremis membris admotorum tanta eſt, & tam pertinax vis atque malignitas, vt qui ſemel iis curati ſunt, ſi in eundem morbum recidant, nullam aliam curationem admittant. Has hydrargyri noxas immedicabiles eleganti oratione proſequuntur Fernel. *lib.*2.*de abdit.rer.cauſ.*14. Manard. 14. *epiſt.* 4. Fallop. *lib. de morb. Gallic. cap.*76. Ferrerius *lib. de pudendagra.* Lang. *lib.*1. *epiſtol.*43. Theophraſt. Paracelſ. *lib.*8. *cap.*1. Mundel. *in annotat. contra Muſam, tit. de hydrarg.*

Inſuper ex eius vſu multa ſequuntur non contemnenda incommoda quæ difficilem poſteà habent correctionem. Quum enim mercurius frigidiſſimus ſit, iecur, & partes principes omnes inquinat, qua de cauſa totius corporis fœdus ſequitur color, fiunt cachexia, & hydrops; & cùm cerebrum nimiùm imbecillitet vapor eius, paralyſim, conuulſionem, ſtuporem, & ſpaſmum inducit, ſenſus omnes; & maximè auditum corrumpit, vt proprio experimento confirmat Montan. *lib.*1. *conſult.*62. dentes vacillant, oſſa putreſcunt, cerebri, neruorum, ac hepatis vires vitiantur, viæ & canales obſtruuntur, per quos animalis ſpiritus ad membra defertur; grauitatem inſuper ſtomachi, validáſque torſiones infert, inteſtina vulnerat, & rumpit, vrinam impedit, corpus reddit tumidum, plumbeóque colori perquàm ſimile, artus contremiſcunt. Hoc ita eſſe fabri argentarij confirmant, qui argentum deaurantes, ex eius vapore ita inualidi fiunt, vt poſteà toto corpore trementes, manibus, pedibúſque vacillent, & in paralyſim incurrant.

Denique non poteſt approbari medicamentum, quod ducit humores à parte ignobili ad nobilem, à iuncturis videlicet ad pulmonem; ex quo ſpiritalium partium repentini accidunt morbi, ſubita pulmonis ſuffocatio contingit, & mors: & quod frequentius accidit, tabes eſt, vt proprio experimento firmat Cardanus *lib.*5. *de ſubtil. ad fin.* Alia etiam de cauſa reprobant, quoniam eo aſſumpto eadem verenda ſymptomata oriuntur, quæ ex potu argenteæ ſpumæ ſubſequuntur, quæ quàm periculoſa ſint

A Dioſcorid. *loc.cit.* confirmat: quapropter Serap.*cap.*385. affirmat mercurium eſſe interficientem velociter.

Obſeruatio LI.

Ex Mercurij vſu, mors ſubſequuta.

EGo, vt verum fatear, plures ex huius vſu perire vidi; hoc enim quum curarentur auxilio, ex concurſu humoris maligni ad fauces, os; pariſtmia, & pulmonem, angina ſæuiſſima, oris; gulæ, vuæ, linguæ malignis & doloſis vlceribus; orthopnœa acutiſſima, pulmoniáque correpti, ſuffocati ſunt; & alij, qui hac de cauſa ex raptu humoris ad caput, epilepſia, & apoplexia correpti interierunt.

B At nos qui ſolidam ſcientiam affectamus, has futiles, & apparentes ratiunculas, cum rei veritate, frequentíque ægrorum experimento nequaquã conſentientes, & Medico inutiles, bona lectorũ venia, tanquã nullius pretij reiicimus. Licèt enim ſupradicta ab eius vſu Medicũ auertere videantur, correcto tamen (extinctum vocant) vtendum eſt. Cùm enim hic morbus radices agit, & ſudorificis aliíſque auxiliis non ſuccumbit, tunc eius vis pro hoc domãdo malo eſt maxima. Hoc eſſe verũ probat Ioan. Vigonius *lib.de morb. Gallic.cap.*2. & plures alij confirmant, qui de hoc morbo accuratè ſcripſerunt, quos numerare tædiosũ eſſet, & indecorum. Legat qui velit Zilletum, qui omnes de morb. Gallic. ſcriptores in vnum volumen congeſſit.

Auic. Arabicæque familiæ præcipui anteſignani, dum vlceribus malis curandis ſedulam operam impendunt, eo C vtendum eſſe imperarunt. Sícque ille *lib.*2.*cap.*47. vlceribus prauis plurimùm conferre affirmat. *Et* 7.4.*tract.*3.*c.*7. ad ſcabiem malam vtitur vnguentis, in quæ ingreditur Argentum viuum extinctum. Ob ſimilitudinem ergo, quam ſcabies habet cum morbo Gallico, puſtulis, & vlceribus totum corpus vexante, vnguenta ex Mercurio parare Medici conſueuerunt, vt inter omnes notant Andreas Alcacar *lib.*1.*de morb.Gallic.*12. Ioan. Paſchal. *lib.*1. *meth.medend.cap.*2. Arnald. Villanou. *lib.*2.*breuiarij, c.*43. & Mercurial. *lib.*2.*de morb. cutaneis, cap.*4.*in fin.*

Sic enim præparatus Mercurius, & correctus, licèt deleteriam qualitatem morbo Gallico inſidentem non comminuat, tubercula tamen diſſoluit, humorum craſſitiem & tenacitatem incidit; horúmque copiam per ſputum frequentiùs, etiam per ſudorem; & aliquando per aluum D educit. Hydrargyrum itaque non ſolùm humorum incendium, atque ebullitionem refrænat, ſiccitatem attemperat, & malignitatem obtundit, ſed etiam ſquallida ſiccáque viſcera ita humectat atque refrigerat, vt eius vſu roboratum iecur, ſanguinem non bilioſum, aut acrem gignere poſſit. Quo fit vt cutaneos omnes affectus, ſcabiem, lichenas, lepram, & alia huiuſcemodi vitia radicitùs euellat, ſi quis eo prudenter vtatur, & vt decet, adminiſtrato.

Mercurium autem non eſſe venenum à tota ſubſtantia tale, ex eo probari poteſt, quoniam nec in magna quantitate aſſumptus interimit, provt aſſerunt Alcacar, *loc. cit.* Botallus *lib.de lue vener.*17. Paræus *lic.*20.*de venen.cap.*28. Sãbarolitan. *com.ad Auic.de cura caſus & offenſion.pag.*189. In cuius confirmationem extat Hiſtoria apud VVierum *lib.*4.*cap.*6. de quodam mendico, qui vt eleemoſynam è E populo eliceret vberiorem, matutino tempore magnam hydrargyrij copiam, priùs obice altiùs podici indito deglutiebat, quod ſuo pondere ex ventriculo per pylorum in inteſtina ferebatur, vbi ob peſſulum oſtio poſitum præciſa erat exitus via. Quare cùm vehementer id humidum ſit, & tenuium partium, ac cognata mobilitate inquietiſſimũ; valida ventris perturbatione, iactura inæquali, perpetua inquietudine, inſultu violento, ſaltu feroci, tragœdum iacentem ante fores templi diuexabat, quem ad latus vtrinque claudebant eius coniunx, & ſcortum: quæ proſilienti renixæ ferramentis appoſitis eum coërcendũ mentiebantur. Stipe autem collecta, inquietum Dæmonem, (hunc enim geſtare ſimulabat) captiuum quidem mercurium, ſemotis arbitris, extracto peſſulo, largo ſequuto alui profluuio citra vllam noxam liberabat. Qua doloſi machina-

menti

menti ſuſpicione commotus magiſtratus in vincula con- A iecit, artémque confeſſus eſt,qua ventrem, vt pro nutu ſuo exundaret,coincideret, & eleuaretur,continuo vorti-ce coëgiſſet. Qui tandem Germanica punitione decimo poſt editum ſpectaculum die, rotæ eſt impoſitus, & eo-dem ſtrangulatus. Hoc venefica apud Auſonium ſatis confirmauit, cuius hiſtoriam lecto poëmate ipſe depin-xit in hunc modum.

Toxica Zelotypo dedit vxor mœcha marito,
Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum.
Miſcuit argenti lethalia pondera viui,
Cogeret vt celerem vis geminata necem.
Diuidat hæc ſi quis,faciunt diſcreta venenum,
Antidotum ſumet qui ſociata bibet.
Ergo inter ſeſe dum noxia pocula certant,
Ceſſit lethalis noxa ſalutiferæ.
Protinus & vacuos alui petiere receſſus, B
Lubrica deiectis, qua via nota cibis.
Quàm pia cura Deum! prodeſt crudelior vxor,
Et cùm fata volunt, bina venena iuuant.

Neque Gal. mercurium eſſe venenum pronunciauit vn-quam: & in *loc. cit.* ex aliorum loquitur ſententia. Pater, nam *lib.9.ſimpl.tit.de Hydrarg.*nullam de eo habere ſe no-titiam aſſerit, an extrà applicitum, aut intùs aſſumptum interimat. Et ſi 4.*lib. ſimpl.*18. ipſum cauſticam habere vim, vt ferrum ignitum manifeſtè pronunciat, locus iſte corruptus eſt, vt eruditiſſimè Fallopius animaduertit *lib. de metal.c.*37.vel ſi admodum nitaris,de factitio hunc lo-cum intelligas oportet, cum Rorario doctiſſimo *lib. con-tradict.Gal.*20.*contrad.*quum hoc ex minio ſit conflatum, haud ſecus ac ſory,atque arſenicum, quæ nos per eroſio-nem interimunt: *in lib.verò 9. de naturali mercurio* Gal. ſi C intelligas, ipſum cum ſeipſo conciliabis.

Dioſcorides verò,Plin.& Arabes de epoto loquuntur, nos de extrà admoto, correcto, & admixto aliis medica-mentis cardiacis, quæ noſtri corporis vires tueri queant, ſimúlque hydrargyrij malitiã refringant,prout VVandal. Hic de Brachenau, *tract.de mentag.cap.*16.*in princip.* ma-nifeſtè aſſeruit. Vanum deinde eſt & commentitiũ, quòd ſanguinem cogat,quum partes habeat ſubtiles & aëreas, quarum vi tum in perpetuo eſt motu,tum craſſos humo-res ſecat & extenuat. Neque quòd virtutem debilitet, ex hoc reprobandum, quum hoc etiam omnibus medica-mentis commune ſit;nam cuilibet vacuationi annexus eſt caſus virtutis,cùm ex noxiorũ humorum vacuatione vti-litas ſit maior,quàm id quod ſequitur ex purgantibus me-dicinis detrimentum,vt ſcitè docuit Gal. *lib.*1.*aph.*4. D

Immò verũ non eſt quod obiiciunt, ex illata debilitate reddi corpus ineptum ad expurgationem: nã natura anti-doti vſu roborata,manénſque ſupra reſiduũ, faciliùs pec-cantem humorem euincit,& expellit.Et licèt firmum ſit, & in medica facultate verũ axioma, Medicum rectè ope-rantem naturam imitari debere; hoc auxilium licèt craſ-ſiorem humoris portionem per os emittat, tenuiorem etiam partem per ſudorem expellere, confirmant omnes. Falſum item eſt pati iecur,neruos, & cerebrum debili-tari: nam hæ partes ita firmantur, vt expulſis per omnes vias humoribus noxiis in poſterum maneant robuſtiores. Quare ſi correctum applicetur,& aliis alexiteriis medica-mentis permixtum, ea non ſequentur incommoda, quæ Montanus ſubſequi confirmat:& ſi accidant, ex accidenti ea euenire puta, ratione ſcilicet humoris euacuati, qui E cùm corruptus ſit,& maximè putridus, fœdaque labe in-quinatus, partes per quas fluit exedit, vlcerat, atque cor-rumpit.Et licèt fiat tranſitus per membrum princeps,non ex eo reprobanda vacuatio eſt;ibi enim non immorantur, ſed per ſputũ illicò expelluntur huiuſcemodi excreméta.

Si verò tempeſtiuè exhibeatur,& corpore,vt decet,va-cuato,neque apoplexia,capitíſve affectibus, aut ſuperio-rum partium vlceribus tentabitur æger. Denique à ratio-ne alienum eſt, afferere hoc auxilio ſemel vſos, & recidi-uantes, omnem curationem reſpuere, quum contrarium quotidiano experimento conſtet eſſe apertè verum.Nam illi ſi in eundem morbum incidant, Mercurio iterum at-que iterum applicito conualeſcunt.

QVÆSTIO XLI.

Quòd Hydrargyrium in potum ſit aſſumendum. Contra Mundellam, & Lacunam Medicos doctiſſimos.

NVm autem hydrargyrium in potum, Gallicatis, aut pueris correptis epilepſia, aut alio ſæuo morbo ſit exhibendum,inter ſe debacchantur Iuniores.Mundella enim & Lacuna obnixè negantem partem defendere auſi ſunt, tanquam rationi maximè conformem. Ille enim *in annotat.contra Muſam,tit.de hydrarg.*Hìc *in lib.*5. *in Dioſ-cor.c.*69.acriter in Medicos inuehuntur,qui ægros,& præ-ſertim infantes ſimili auxilio excarnificant. Sed cùm Se-niores,præſtantéſque Medicos eo vſos fuiſſe ſciam,illorũ opinionem ſummoperè reprobo. Nam Paul. *lib.* 7. *tit. de hydrarg.*plurimos,ipſum concrematum,& in cinerem re-dactum,commixtúmque aliis ſpeciebus, colicis, & ileoſis exhibuiſſe refert:firmat Auic. *lib.*2.*c.*47. Sequuntur Ioan. de Vigo,*lib.*2.*tract.*2. *cap.*20.*& lib.*5.*de addit.c.*1. Paræus *lib.*20.*c.*28. qui ex Mariani Sancti, & multorum conſilio ſuadet,vt in colico dolore,ſi perſeueret obſtructio,adeò vt fæces per os redundent,(iliacum dolorem vocant)in hoc conclamato caſu haurire cum ſola aqua imperent argenti viui libras tres:pondere enim hydrargyrij explicatur du-plicatum, ac vinctum inteſtinum, detruduntur ac depri-muntur fæces, & necantur vermes, qui huic morbo cau-ſam etiam præbere ſolent.Vide Iordan.*tract.*3.*c.*9.*de peſte.* Hoc modo Heurnius *de capitis affectibus,cap.*33.aquam ad vermes enecandos ſummè laudat, in quam argenti viui infuſa fuerit portio,ſi ab ægro colata bibatur: immò ob-ſtetrices vbi grauidæ in partu diu laborant, vltimo reme-dio argentum viuum ſcrupuli exhibent pondere.

Ampliùs Vigo *lib.*8.*antidot.cap.*13.id in peſte propinat; nam,teſte Plin. *lib.*38. *cap.*6. & Auic. *loc.cit.* præter alias dotes proritat aluũ,& tenaces humores vomitu,& ſeceſſu repurgat.Maximam ergo Medicinæ opem præſtat mercu-rius, cum ſit ad contumaces rebelléſque morbos vnicum leuamen, de cuius viribus ſat plura Arabicæ ſectæ ſecta-tores,& peritiſſimi iuniores diſceptarunt Mathiol.*lib.*5.*in Dioſcorid.cap.*69.Horat.Augen. *tom.*1. *epiſt.lib.*11.*epiſt.*1. Muſa *in examine ſimpl. tract. de mineralib. tit. de argent. viuo.* Vidus Vidius *de curat.generat.cap.*2. Fallop. *tract. de metal. cap. cit.* Hi enim omnes pueris hydrarg. in potum exhibere non pertimeſcunt, cùm ſæuiſſima epilepſia cor-ripiuntur,aut ab illa præcauere conantur. Mathiol. *lib.de curand.morb.Gallic.*ex puluere Ioan.Vigonis (hîc enim ex argentariorum aqua forti, & Mercurio conſtat) pilulas conficit, quibus ſe plurimos hoc morbo vexatos perſa-naſſe refert:tametſi Ioan. Paſchal. & eius Scholiaſtes Pe-reda hoc medicamentum damnandum eſſe aſſeuerent, quorum opinionem Paul. Auic.& alij proceres Medicinæ palàm refutant, qui mercurio per os aſſumpto vtendum eſſe cenſent,quum vomitu, & alui deiectione præſertim, tenacem pituitam, atrámque bilem citra incommodum educat, vt proprio experimento docent VVierus *lib.* 4. *cap.*6. Agricola *lib.*8. *foſſil.*

Obſeruatio LII.

Mercurius in potum aſſumptus, Gallicatis præſentaneum auxilium.

NVllus eſt morbus,in quo ob ſui rebellionem, & lon-gitudinem, Medici diuerſa magis auxilia parent, quàm in Gallico,qui cùm conclamatus eſt, præſidiis me-dicis vix ſuccumbit. Fidiſſimo experimento compertum habeo,robuſtos milites,aut alios quoſuis viribus conſtan-tes, qui nec via regia, vnguentis mercurialibus, aut ſuffi-tibus leuari potuerunt, buccella aſſumpta ex præcipitati granis quinque, rhodoſaccharo, & cardiacis pulueribus conflata, ſanitatem recuperaſſe. Nam mercurius hunc Herculeum morbum coërcet vehementer.

Huic enim ſoli præſidio hic morbus cedit contumaciſſi-mùs,quòd robuſtam,præualentem,& efficaciſſimã habeat facultatem

facultatem craſſum humorem incidendi,& veluti violen-tia quadam eundem ſedandi, & ſeparandi à partibus ſolidis,à venis,& reliquis corporis cauitatibus,& per inteſtina pellendi.Et licèt eſſet venenum,quod non cócedimus, venenoſis tamen medetur,& aliis morbis opitulatur, qui veneni ſapiunt naturam,in quibus ipſum venenũ non eſt, vt in corporibus ſanorum.Cuius aquam arte chymica extractam,mirabile eſſe pro Gallicatis auxilium,firmat Ioan. Baptiſt. Porta *lib.5.de metallor.tranſmut.cap.5.* & non ſiluit Georgius Dardanus,*lib.1.de curat.morb.Gallici,cap.4.*

QVÆSTIO XLII.

Quòd vnguenta mercurialia recenter confecta ſint applicanda. Contra commúnem Med. ſententiam.

ILlud conſequenter perſcrutandum: Num vnguenta mercurialia, recenter confecta, an poſt perfectam fermentationem ſint applicanda. Nicolaus Maſſa *lib.4.cap.2.* Alcacar *lib.de morb. Gallic.cap.19.* in ea ſunt opinione, vt putent, non eſſe vtendum his vnguentis,niſi cùm duo aut tres menſes fuerint tranſacti, quoniam ſi peracta fermentatione, mala argenti viui qualitas meliùs corrigitur, & emendatur, quorum votum communis medentium comprobauit vſus. Quum enim pinguedine ſuilla,temperiem ſymmetriam habente,ex Gal.7.*ſec.gener.c.1.* effrænis mercurij vis debeat temperari,& neceſſe ſit, vt frigida calidis miſceantur,& porcini adipis alexiteria facultas hydrargyrio communicetur, quam habere fatetur Auic.*lib.2.tract.2.cap.722.§.Adeps porcina confert puncturæ animalium venenoſorum, &c.* & ipſius aptitudo ad motum compeſcatur, & oporteat vt per moram, ipſe mercurius in minutiſſimas partes ſecetur, à medicamentis calidis permixtis, vt ſic diſſectus in penitiſſimas partes promptiſſimè penetret, ſit vt perfecta fermentatio ſit expectanda, quæ in tam paruo tempore parari non poteſt.

Sed hæc opinio à recta medendi norma, vt verum fateor, videtur aliena, cùm contraria ratione, experimentó-que ſit ſtabilita.Nam ſi præterquam quòd multoties ſaliua humana præparetur mercurius, oleoſa ac pingui adipis ſubſtantia inſuper corrigatur, ac fermentetur, ineptum redditur ad penetrationem,& ſic calidorum medicamentorum,cum quibus ſemper miſcetur,mutua actione,partes aëreæ & ſubtiles quibus conſtat, reſoluuntur, quibus diſſipatis,nec ita craſſum humorem ſecare,nec ad longinquas corporis partes peruadere, nec per aliam regionem peccantem ſuccum vacuare poteſt. Habere autem argentum viuum ſummam partium tenuitatem, & mobilitatem, quam ex ſulphurea,& aërea materia participat,illi eſt manifeſtum, qui non ignorat, omnia metalla habere igneam naturam, ex Galen.9.*ſimpl.* cuius ratione aperiunt, deobſtruunt, penetrant, incidunt,attenuant, & dilatant.

Obſeruatio LIII.

Sæuus morbus Gallicus, vnguento mercuriali antiquo non ſuccumbens, recenter facto curatur.

INuiſebamus plures Medici fœminam ætatis 25. annorum,quadratam,& robuſtam,quæ ex ferina lue Gallica, ſudorificis auxiliis ſanari non potuit. Tandem palato corroſo, gingiuis vlceratis, articulorum doloribus diu malè habens,Medicorum opem implorat.Mercuriali vnguento vſa eſt per 24.dies continuos,(non mireris, nam 37.dierum ſpatio vnguenta applicuit Maſſa *lib. 4.de morb. Gallic. cap.20.*) bellè priùs purgato corpore. Sed in caſſum, nam nulla ſequuta vacuatione, vrgentéque animi deliquio, ab vnguento curantium conſilio abſtinuit. Sed cùm dolores iterum ingraueſcerent, de ſuffumigiis conſultum fuit. At vincentibus Medicis reiteratæ vnctiones ſunt: verùm recentes illæ quidem, & pridie confectæ. Sed quo euentu, audi. Vix tertiam acceperat vnctionem, quando tanta humoris copia per ſudorem, & ſputum fuit euacuata, vt ſymptomatis remiſſis, abſterſis vlceribus, ſedato dolore, ægra ſanitatem integram recuperauerit.

At nos non in rectè præparatum corpus, aſſidua hydrargyrij aut vacuantium ope maceratum, ſed in vnctiones recenter confectas, tam mirabilis operis effectum reiicimus. Nam præparatio quæ fit cum ſaliua humana eſt ſufficiens; hanc enim, hydrargyrij vim maleficam retundere, & contra omne venenum antidotum eſſe præſentaneum,docuere Plin.*lib.28.c.4.* Lemnius *2.de natur. mirac. 44.* Lacuna *lib.6.in Dioſcor.in præfat.*Quare cùm hoc modo præparatus mercurius valenter penetret,& minùs præponderet, ad æſtiuum ſolem, & humana ſaliua ſæpiùs in mortario agitatus, ad longinquas corporis partes penetrare, & per eaſdem, à ſulphurea vi, aëreóque calore dilatatas, humorem craſſum & tenacem vacuare poteſt.

QVÆSTIO XLIII.

Quòd morbus Gallicus ſit contagioſus ad diſtans. Contra Mercurialem, & commumnem Medicorum ſententiam.

OBerrabat.] Supereſt ſolùm diſcutienda de contagio huius morbi pulcherrima diſceptatio. Num ſcilicet ſit contagioſus ad diſtans. Conueniunt vnanimiter Medici, hunc morbum eſſe contactu, & fomite contagioſum; de contagio verò ad diſtans, nec verbum quidem protulerunt. Excellentiſſimus Mecurialis nulli Claſſicorum ſecundus, & in cuiuſlibet morbi problematis explicandis acerrimus indagator, *lib.de morb.Gallic. cap.2. edit. Venetæ*, inter omnes, quos viderim, dubium proponens, ſic ſoluit, dicens, idcircò morbum hunc non eſſe contagioſum ad diſtans, quoniam quum illius ſubiectum, ſint ſpiritus naturales, hi cùm craſſiores ſint, per aërem contagium in corpus inficiendum deferre non poſſunt. Non placet ſolutio, quoniam licèt concedamus ſpiritus naturales eſſe huius morbi ſubiectum, tamen illi ſunt ſuapte natura tenuiſſimi & leuiſſimi, quum ſpiritus ſit corpus calidum, tenuiſſimæ a leuiſſimæ ſubſtantiæ, ex aëre, & tenuiſſima, leuiſſima ac ſynceriſſima ſanguinis, ſeu ſemi-nis parte generatum, auctore Galeno, *5.ſimpl.9. 3.de fa-cult.14.6.de vſu part.17.11.meth.13.12.meth.15.14.de vſu part.9.* & *10.lib.aduerſ.Lyc. cap.3.* exponit eleganter Fernelius *4.phſiolog. vltim.* Deinde ſi hoc verum eſſet, nullus cutaneus affectus eſſet contagioſus ad diſtans, cùm horum ſubiectum ſit iecur, quod ſpirituum naturalium interuentu ſuas exercet operationes. Nam hi ſuapte natura cùm tenuiſſimi ſint, per aërem contagium deferre poſſunt. Eſſe autem lepram vlceratam (affectum ſanè inter cutaneos valdè ferinum) contagioſam ad diſtans, probat Auicenna, *3.4.tract.3.cap.1.* qui recenſens varias cauſas lepræ, hanc ex contagione aëris putrefacti à vicinia leproſorum oriri affirmat, quod primò ſcripſit Auenzoar. *lib.2. tract.7. cap.12.* Vnde hi à conſortio cæterorum hominum ſegregandi, nam hic morbus contagioſus eſt non minùs,quàm ipſiſſima peſtis, vt doctè refert Paulus *lib.4. cap.1. in fin. §. Quoniam verò affectus hic, non minùs ac peſtilentia contagioſus eſt, quàm longiſſimè ab vrbibus remoti ægri, in locis mediterraneis, frigidis, & vbi ſit hominum, ſi fieri poſſit, infrequentia, habitabunt: inde verò ad confinia migrabunt, tum ipſorum cauſa, tum illorum potiùs, qui vt veroſimile eſt, ipſis infrequentiùs incident, quippe & aëre fruentur commodiore, & alios hac lue non inficient, &c.* Probant eruditiſſimè Valler.*6.enar.5.* Marc.Don.*lib.1.de hiſt. mirab.4.*

Quare ſi ab vlcerata lepra,putrefacto quoque virulento catarrho, ophthalmia lippientium oculorum, emanat vapor putridus vicinum corpus infecturus,cur Ophthalmia Gallica (hanc concedit Vigo *lib. de morb. Gallic. cap. 2.*) non erit contagioſa ad diſtans, quum omnes habeat inficiendi conditiones?Cur vapor fœtidiſſimus & virulentus, ab vlcere Gallico, ſordido & cacoethico eleuatus, ſito in tonſillis,vua,palato,& aliis reſpirationis viis,vic num corpus,citra fomitem,aut contactum,promptiſſimè non inficiet ad diſtans? quum ſit putridus, lentus, venenatus, & eleuatus ab his partibus,è quibus magis integra,minúſque

immutata

immutata efflat aura, aliud corpus infectura: quas conditiones ad contagium eſſe requiſitas, ex Ariſt. 7. *probl.* 7. oſtendit Fracaſtor. *lib.2.de contag.vlt.*

Quo factum eſt, vt conuerſatio cum Gallicatis non ſit tuta, neque tutum ſit vlcera in his partibus habentes, excuntes à ſudoribus mundare, & abſtergere. Sæpè enim vidi fœminas Gallicatorum curationi aſſiſtentes, hac ſolùm de cauſa in ſæuiſſimam hanc luem incidiſſe, quæ non niſi exhibitis antidotis ſanitatem recuperarunt. Sed hæc commaticè perſtringere placuit in his ferijs explicandis controuerſiis, in quarum explanatione Iuniores doctiſſimi non ita indefeſsè inſudarunt. Cætera verò quæ de curatione huius morbi ab auctoribus fusè dicta ſunt, ea omnia in compendium redacta inuenies, *lib.7. praxis Hiſtoriarum, cap.1.*

HIST. LXXIV. TRALLIANI, De Angina.

Angina, leonicis & cephalica ſectis, & dato forti medicamento eodem die: tamen ægrum intra paucas horas enecauit.

*EGo ſanè noui me, cùm vſus valdè vrgeret, venam manè aperuiſſe: diluculo venas linguæ ſubiectas ſecuiſſe: & veſperi ex cremore ptiſſanæ lachrymam ſcammoniæ exhibuiſſe, atque ita laqueum ex inflammatione ſubortum vix potui diſſoluere, &c. Trallian.*lib.4. cap.1.tit.de ſang. miſſione.

PARAPHRASIS.

IN morbo acuto, & præceps periculum minante, non eſſe procraſtinanda auxilia, hoc exemplo Trall. confirmat. *Quando* enim *ſemel ægro moriendum eſt, à leuibus inchoare præſidiis eſt inutile,* vt *lib.5.met.15.* retulit Gal.cùm *vehementi morbo non poſſit, niſi vehemens auxilium ſuccurrere, auctore* Celſ. *lib.2. cap.11.* Tanta enim eſt huius morbi acuties, vt vel auxiliis illicò, & vt decet adminiſtratis, ægri ſtrangulati è vita decedant: viſi enim ſunt plurimi, qui intra decem horas ſuffocati perierunt, vt propriis exemplis notarunt Muſa *ad lib.4.de rat.vict.& lib.5.aph.com.10.* Fernel.5. *patholog.9.* Amat.7.*centur.90.* Scholiograph. *ad cap.23.Holler.de morb.intern.* Meritò ergo Trall.feciſſe arbitraberis, ſi ſectis brachiorum venis, extemplò ob vrgens periculum, venarum ſub lingua ſectionem imperauit, quæ eſt doctrina Hipp. *lib.4.acut.30.* Conſultóque factum hoc eſſe in vrgenti morbo puta, licèt omnimoda non eſſet ex ſuperioribus facta vacuatio. Nam humor ſolùm impactus negotium faceſſit. Quare illicò leonicæ ſecandæ, aliáque celebranda auxilia, quæ fixam materiam vacuare nata ſunt.

Neque expectes, quod multi ſcioli putant, vt totum corpus exquiſitiſſimè vacuatum ſit, priuſquàm ad affectæ partis auxilium deuenias: hoc enim conſilium tanti fuit ſemper momenti, vt Valleſ.doctiſſimus exclamet toto cœlo errare, qui non niſi corpore exquiſitiſſimè vacuato ad localem auxilium deueniunt. Sicque ſummoperè laudat Hipp. *in lib.4. epid.com.43. & lib.2.ſect.6.prop.fin.* qui ad auris & coxæ dolorem, cucurbitula ad aurem, & ſupra coxam, nullo alio priùs exequuto auxilio, vſus eſt. Si enim procraſtinetur ex affecto loco vacuatio, in manifeſtum diſcrimen æger deducitur. Inſuper deduces grauiter erraſſe Lupeum 3. *enchirid. cap. de angina,* ex eo Trall.loco ſententiam taxantem, quòd leonicas ſecuerit contra Gal.normam latam 2.*ad Glauc.2.* qui has non eſſe ſecandas, niſi quando paſſio eſt diuturna, & corpus vacuatum, aſſeuerat. At Gal.de regulari curatione intelligendus eſt, non de coacta, qua præſente, eodem die, & medicamentum purgans, & venæ ſectio commodè, & ſecundùm artis legem, adminiſtrari poſſunt, vt probat Petrus Vaſcus Caſtellus *tract. 1. de angin. cap.8. difficult.1.*

Obſeruatio. LIV.

Angina canina, cucurbitula ſub mento ſcarificata, curatur.

ACutiſſima affectio eſt angina, qua cùm fœmina quædam, nullo apparente tumore, grauiter corriperetur, clauiculatos dentes habens, & magna cum violentia reſpirans, ita vt in horas ſtrangulari videretur; & neque venarum ſub lingua, cephalicæ ſectio repetita, in occipite ſcarificatæ cucurbitulæ, acria clyſteria illi opem ferre poſſent. Tandem eodem die quo omnia acta ſunt, ſub mento profundè ſcarificata cucurbitula conualuit, & eiecta per ſputum pituita craſſa, & multa, altero die pancraticè habuit.

DVBIVM XLV.

Num in omni angina vena ſit ſecanda.

COMMENTARIVM.

VEnam manè aperuiſſem.] Explicanda ſeſe offert celebris controuerſia: Num in omni angina vena ſit ſecanda. Auic.enim 9 3.*tract.1.c.11.* in quadam ſpecie anginæ, orta ex pituita à cerebro deſcendente ſupra amygdalas, & ad partes faucium, & colatorij, euitandam docet venæ ſectionem ante declinationem, quoniam (vt ipſe inquit) plus de pituita influit, & hominem ſuffocat. Et licèt Gentilis, & Ioan. Coſtæus *ad hunc locum,* Auicennam explanare conentur, aſſerentes, ipſum intelligendum eſſe, quum non ex ſanguine calido, aut tenui humore ortum ducit, vel cùm virtus inualida eſt, vel pituitoſi, craſſique ſanguinis copia redundat; quo caſu vena non eſt ſecanda, niſi poſtquàm ægritudo principium, ſtatúmque præterierit, & humor experitur coctionem; tamen non eſt bona ſolutio hæc. Nam in hac acuta inflammatione, licèt ſit ſuborta ab alio humore alieno à natura ſanguinis, ſanguinem mittendum eſſe illicò, monuit Hip.*lib.4.acut.30.* quam vacuationem, virtute non ita conſtante, partiendam eſſe docuere priſci, quæ in hoc morbo magis eſt optanda. Coctio autem in ſanguine expectanda, quando morbus venoſum genus affligit, non tamen in acuta inflammatione, quæ celerem expoſtulat vacuationem. Nam vt ſcitè docuit Haly.6.*pract.c.12.* in hoc morbo illicò ad cephalicæ ſectionem accedere oportet, licèt is à quacunque cauſa fuerit ſubortus; quoniam auctores inceperunt ab euacuatione, non expectantes digeſtionem, vt affirmat Nicol.*ſerm.4.tract.1.c.2.de cura apoſtemat. guttur.* Quam ſententiam amplectuntur Valleriol.2.*obſ.14.* Dionyſius Daca, *lib.3.de apoſtemat.c.120.* Maſſaria & Iacchin.*prop. cap.de angina.* Si tamen in pituitoſa, aut biliosa angina, eam Meſue, & Raſius, Gattinariáque non exercent, quòd hi humores ſeligenti pharmaco ſint educendi, de multa, & iterata venæ ſectione ſunt intelligendi.

In omni ergo angina mox eſt detrahendus ſanguis, quum ſit inflammatio vrgens, cui ni ſuccurras, ſubitum ſuffocationis periculum imminet, neque morbi expectanda declinatio eſt. Auic.autem ſententia ſuſpecta eſt, & verè mendoſa: ſic notante inter omnes Nicolo.*ſerm.4.tract.1.cap.7.* quem ſequitur Ludou.Mercat.*lib.2.de morb.intern. cap.2.* Sic enim ait Auic. *Et decollationis quidem eſt ſpecies quædam exiſtens ſupra galſamach. Quum ergo ſit phlebotomia ante declinationem ægritudinis, deſcendit ad locum præfocatum, &c.* Vnde litera textus eſt corrupta, & ſic legendum [*ante decollationem*] hoc eſt in initio initiante, antequàm ſigna ſuffocationis ex maiori influxu humoris fiant manifeſta.

DVBIVM XLVI.

Num in Angina vſque ad animi deliquium ſit ſanguis emittendus.

NVm verò ad animi vſque deliquium ſit ſanguis emittendus, dubitant auctores. Nam Paul.*lib.3.cap.27.* & Aëtius

Aëtius *tetrab.2. ſerm.4. cap.47.* repetitam conſulunt venæ ſectionem: quod præceptum obſeruandum ſummoperè monet Tral.*lib.4.cap.1*. Nam ſi aliter feceris,ob animi defectum, perfacilè ex faucibus concurrentibus humoribus ad pulmonem, ineuitabile ſuffocationis periculum ſæpè contingit. Contra Auic.*loc. ſup. cit.* cùm inquit. *Si autem debilitari natura non incipit, tunc oportet, vt ſine ceſſatione extrahatur ſanguis, quouſque appareat ſyncope in forti, &c.* Quæ doctrina licèt ſibiipſi contraria ſit, qui eo loco à decem ad decem horas ſanguinem mittendum eſſe conſuluit. Ea tamen, ſi rectè interpreretur, vera eſt,quam Gentil. & Paul. Mongius cum Coſteo defendunt *in com.*Nam in forti virtute vſque ad animi deliquium;in debili parcè & iteratò ſanguis eſt educendus. Sed quomodo ſit euitandum,ne hac ſimultanea vacuatione humor ad pulmonem delabi poſſit,non explicant viri doctiſſimi. Nititur ergo Auic.(vt ad tantum dubium pateat ſolutio) viribus præſentibus cauſam coniunctam, & antecedentem hac ſubita vacuatione extrahere. Quare cùm tota materia confeſtim educatur, metus non eſt, ne ad pulmonem fluxio decumbat. Poſſe autem cauſam inflammationis coniunctam, venæ ſectionis beneficio educi,probat eleganter Gal.*lib.2.acut. com. 10.* dum in pleuritide copiosè ſanguinem fundit, ita vt pro rubro, liuidus & conculcatus in phlegmone ſanguis, & ob nimium partis calorem aduſtus extrahatur. Quapropter in angina, acutiſſimus cum ſit morbus,ſi vires conſtent,nec debilitari incipiunt,vt Auic.inquit,audacter, & vſque ad animi deliquium eſt vena ſecanda. Alij verò auctores,qui parcam ſectionem exercendam aſſeuerant, immò & Auic. ipſe, intelligendi ſunt, quum vires non ita ad largam ferendam vacuationem ſufficere poſſunt. De qua re lege Iulium Guaſtauinium *lib.de loc.medic. ſelect.cap.14.* de hoc argumento doctè diſputantem.

HIST. LXXV. TRALLIANI, De Angina.

Angina ſæua, cephalicis ſectis, & forti eodem die cathartico propinato, curatur.

IAm alium quemdam noui, me, poſtquam duorum brachiorum venas ſecuiſſem, repurgaſſe, ſequenti die non expectato. Erat autem purgatio, liquor Titymali ſtatim ex herba expreſſus, humidus adhuc, & nondum exſiccatus: habebat autem trium ſiliquarum pondus. Hæc facere oportet in quibus vires robuſtæ ſunt, æger ætate viget, & affectus vehementer dominatur, vt nullas admittat inducias, &c. Trallianus lib.4,cap.1: tit.de ſang.miſſione.

QVÆSTIO XLIV.

Quòd in initio anginæ valida expurgantia ſint ex vſu. Contra Mercurial. & Maſſariam Medicos præſtantiſſimos.

PARAPHRASIS.

IN acutiſſimo morbo, illicò auxilia eſſe exſequenda,affectus ſæuities manifeſtè oſtendit, & Tral. *hic* exemplo confirmat. Et licèt Paul.*lib.3.c.27.*in hoc morbo præcipiti, vtpotè deplorato,ſeu curationem non recipiente,manum non eſſe adhibendam ſuadeat: tamen vbi certa deſperatio non eſt,melius eſt anceps remedium experiri, quàm nullum. Quare antiquiores Medici, facta priùs pro vrgentiæ ratione phlebotomia,hoc auxilium vehementer comprobarunt; De quorum numero ſunt Gal.4.*acut.30.lib.introduct.13.*Celſ.*lib.4.cap.4.*Aët.*tetrab.2.ſerm.4.cap.47.*Auic. *9.3.cap.10.* Sequuntur Valleriol. *2.obſ.10.* Euſtach.*lib.1. cap.42.* Ludouic. Mercat. *lib.2.de morb.intern.2.* Capiuac. *lib.1.praxis, cap.vlt.* Ioubert. *tract.de affect.internis thorac. cap.1.in med.* Ioan.Heurnius *in com.lib.4. Hipp..de rat.vict. text.20.num.5.* Quem librum, ſicut & alia plurima ipſius opera, Otho Heurnius, eiuſdem auctoris filius,in Academia Leydenſi Medicinæ profeſſor meritiſſimus, & omni diſciplinarum ſelectiſſimarum genere inſignitus,pio in paternos cineres affectu in lucem dedit.

Plurimis tamen hoc auxilium videtur ſuſpectum,ac valdè noxium. Nam qui fieri poteſt, vt humor qui eſt morbi cauſa, purgatione in initio adhibita extrahi, & eradicari poſſit, ſi crudus tunc eſt humor,& ſic purgantibus minimè cedit, obſequitúrve? Quapropter *qui humorem inflammata parte contentum, ſtatim morborum inter initia, medicamento ſoluere conantur, ij non ſolum ab inflammata parte nihil adimunt,verùm quoque, & quæ morbo reſiſtentia, & ſana ſunt, abſumunt, colliquántve*, vt oraculo prædixit Hip.*lib.4. acut. 22.* Non ſunt ergo in initio anginæ valida expurgantia ex vſu,quum coacta ſolùm ſint medicanda,niſi de turgentia ſit ſermo,quam ab angina longè abeſſe puto,cùm eius cauſa,humor ſit quietus,vtpotè fixus in parte,& irrequieto motu minimè agitatus.Ergo vbi acutus morbus fuerit, cuiuſmodi eſt angina,verùm etiam cum febre vehementiſſima, multò magis vitanda eſt purgantis medicamenti adminiſtratio, atque per ſectionem venæ vacuandum magis: nam maius,& ſecurius purgatione eſt auxilium. Inſuper valida medicamenta febrim accendunt caliditate ſua, corpus inflammant, mouent humores, & paratiores reddunt, vt liquati & attenuati promptiùs euaporent in partes ſuperñas, quæ omnia & inflammationem augent, & magnas in acutis morbis pariunt offenſas.

His fortè conuicti Mercurial. *lib.2.prax.cap.8.* Holler. *lib.1. de morb.intern.cap.23.* Maſſaria *lib.1.praxis, cap.vlt.* Tral.dictum refutant: nam ſuſpectum arbitrantur in morbo calidiſſimo, medicamento tam effræni, & efficaci corpus expurgare. Sed citra rationem antiquorum dictis repugnant, qui feliciſſimo euentu eius vſum approbant, & amplectuntur. Quare ſtandum Trall. decreto,in anginæ fortiſſimæ initio, validiſſimum medicamentum propinantis, quòd licèt commoueat, alteret, perturbet, calefaciat, & noceat, non ob id in conclamato caſu improbandum; nam *melior eſt noxa, quàm mors*, ex Gal. *12.meth.vlt.* & *minus damnum maiori vtilitate eſt compenſandum.* ex Galen. *1. aph.24.* præſertim ſi fluxio ſit pituitoſa, febríſque ignaua: dari autem anginam vel cum febre remiſſa, vel ſine vlla febri, Gal.eſt auctor *lib.introduct.13.*

Ad purgandum autem corpus,compellit vrgens neceſſitas; quoniam ſi ſanguinis miſſio,cæteráque auxilia non conferunt ex tempore facta, quid peragendum ſupereſt, niſi partem affectam per aluum, vnáque totum, dato cathartico exonerare: nam tardare reprobum eſt, quoniam vehemens eſt ad partem inflammatam humoris confluxus, ex quo læſa reſpiratione,ſtrangulatio ſæpiſſimè contingit. Quapropter rectiſſimè pronunciauit Gal.*lib.6.ſec.loc.cap.3.* in anginæ initio medicamenta eſſe exhibenda,quæ præterquàm vniuerſum corpus vacuent,transferántque ad infrà humorum momentum, ab affecta parte vacuare nata ſint; hæc electiuè vacuantia dicuntur. Et licèt humor ſit crudus, quia vrget morbus, citra coctionem vacuandus eſt. Quo pacto acceleranda purgatio,poſt quam,ptiſſana protinùs ſuperbibatur: ſic enim poſt effrænis medicamenti potum priſci eam ſorbendam propinabant,auctore Gal.2. *acut.12.*hæc enim tum qualitatem medicamenti permutare,tum contemperare valet. Cuius generis eſſe tithymalum, Dioſcorid. & reliqui affirmarunt, qui bilem pituitámque hoc medicamentum potentiſſimè vacuare aſſeuerant, præſertim ſi in magna quantitate offeratur,vt citiùs, & maiore vi, fixum impactúmque humorem eradicare poſſit. Ne ergo mireris Tral. ſi in agone tanto, tantam tithymali quantitatem deuorandam præceperit, ponderè nempè trium ſiliquarum: cùm aſſumeretur idcircò,citiſſimam ex tempore attulit vacuato humore vtilitatem. Nam ſiliqua eſt pondus quatuor granorum hordei,ſi Paulo fidem adhibemus, *lib.7.cap.26.de ponderib.& menſuris*: & Saladino *lib.3.eiuſdem in init.*

HIST. LXXVI. TRALLIAN.
De Angina.

Angina periculoſa, iugularibus venis ſectis, perſanata.

NOui etiam iugulares venas à me ſectas eſſe, cùm linguæ ſubiectas non inuenirem, ac plurimùm adiuuiſſe, &c. *Tral.* lib.4.cap.1.

DVBIVM XLVII.

Num iugularium venarum ſectio ſit celebranda. Contra Vaſcum Caſtellum eruditiſsimum.

COMMENTARIVM.

IVgulares venas à Celſo *lib.5.cap.*1.phagitidas dictas, ab aliis apoplecticas, penſiles, ſpermaticas, ſomniferas, iuueniles, organicas, atque carotidas nuncupatas, in ſuffocante angina eſſe ſecandas, antiquorum peritiſſimi docuerunt. Galen. enim *in lib.de anatom.viuor. tit de anatome venarum manus*, in principio fortis anginæ ſecandas eſſe ſibi perſuaſit: firmant Raſis, 9.*ad Alm.*5. Auic.4.1.*cap.*20. At hoc data vrgentiſſima neceſſitate exſequendum eſt auxilium, quum ſtrangulationis periculum imminet. Tantus enim ex his venis euenire ſolet fluxus ſanguinis, vt vix ſiſti poſſit. Quare Albuc. *lib.*2. *cap.* 43. Laryngotomiam minimè eſſe periculoſam ancillæ teſtimonio oſtendit, modò venis parcatur iugularibus, in quarum ſectione adeò cauti, & timoroſi Medici fuerunt, vt vix reperias vllum, qui ad earum ſectionem niſi ſumma neceſſitate impulſus accedat.

Cur autem ex harum ſectione irreparabilis ſequatur ſanguinis fluxus, ea eſt cauſa, quòd hæ venæ, auctore Gal. *lib.2.de natur.hum.6.* maximæ ſint, & non ita poſſint conglutinari labia à ſe inuicem diſtantia, & ſic harum venarum vulnera difficilem coitionem admittunt. Quapropter Auic. 4.1. *cap.*10. omnes venas iubet plebotomare tranſuerſè, exceptis his, quarum ſectio ſecundùm rectitudinem fieri debet, ſic enim meliùs conſolidantur. Nam aliàs, vt aduertunt Dinus, & Antonius Maria Bettus *in com.* non coëunt; quoniam ob motum colli coitionem impedientis, difficulter conſolidantur: & ſic largus ſequitur, qui vix compeſci poteſt, ſanguinis fluxus, & maximè cùm vulnus aptè ligari non poſſit; & ſi ligatur, ſuffocationis periculum extempore imminet. Hæc ſunt quæ harum venarum ſectionem impediunt. Addit Petr. Vaſcus Caſtell. *tract.*1. *de affect.thor.cap.7.de angin.difficult.9.* plura alia, quæ huius auxilij vſum omninò renuere videntur. Primò. Quoniam Hipp. de hoc præſidio nec verbum quidem protulerti. Et quòd non inueniatur Chirurgus qui has venas ob ignorantiam ſcindere auſit, & maximè quum non celebretur niſi in caſu deſperato, in quo nihil Medico moliri decet, cùm æger ſolis præſagiis ſit relinquendus.

Verùm futilia ſunt hæc, & planè nulla, cùm ſecandi has venas timorem arguant ſolùm quo ducti veteres non niſi neceſſitate extrema coacti, ad earum ſectionem accedebant, quòd difficulter coire poſſe arbitrarentur. Quare in grauiſſimis ægritudinibus earum ſciſſionem ſummoperè approbarunt: de quorum numero ſunt Auic. 4.1.*cap.*20. *& 9.3.tract.1.cap.*11. in lepra, acuta angina, anhelitus coanguſtatione, vocis raucedine, pulmonia, dyſpnœa, ægritudinibus ſplenis, & laterum; grauiſſima apolexia; huius vtilitatem vehementer commendant: explanant doctè Gentil.*in com.* & Iacob.Carp.*in Iſagoge anatomic.*

Hæ ergo venæ ſi ſecentur anguſta plaga, neque multùm altè penetrante, & deſuper medicamentum, fluxum ſanguinis reprimens imponatur, tutò ſecari poſſunt, vt ſcitè aduertit Rondelet. *in meth. curand.morb. in obſ.ad caput, de apoplexia.* Medicamentum autem quod debet imponi, conſtare debet ex pilis leporis, aloë, thure, & albumine oui, quo Gal.5.*meth.4. verſùs med.*in venarum iugularium A vulneribus ad ſiſtendum, citra vinculum, ſangunis fluxum vtebatur. Quo tanto præſidio fretus Rondeletius, ſecuriſſimè in grauiſſimis, ſumméque vrgentibus malis ſecabat has venas. Quem vtpotè in artis operibus exercitatiſſimum, primum omnium docuiſſe modum ſecandi eas, refert Ioubert.*in Iſagoge therapentica, cap.*3. cúm laus primò ſit adſcribenda Gal. *loc. ſup. cit.* Hoc autem auxilium ſupra venam ſectam eſſe imponendum, firmant Iacchin. 9. *ad Alm.cap.9.* Holler.*lib.1.de morb.internis, cap.7.in ſchol.*

Licèt autem Hipp. huius auxilij auctor non ſit, ſufficit quòd antiquiores Græci, Arabes, & iuniores ferè omnes id confirment. Nam id experti ſunt Paul.*lib.6.cap.*33. Antyllus Aſclepiad. & alij citati à Iouberto, *loc. cit.* Alzaharau.*lib.pract.tract.11.cap.9.*Haly.3.*pract.*38.Raſis, 3.*continent.*7. Auenzoar, *lib.1.tract.10. cap.*14. & alij quos affert B Marcel.Donat.*lib.3.de hiſtor.mirabil.c.6.* & non ſiluit eruditiſſimus Guaſtauinius *lib.de loc. medic. ſelect.cap.*16. Neque ad hanc ſectionem exercendam peritiſſimi deſunt Chirurgi. Nam vulnera iugularium curaſſe gloriantur Paræus *lib.9.cap.*29. & Gulielm.Plant, *lib.2, chirurg.*7.

Obſeruatio LV.

Hiſpanus quidam ſuffocante angina oppreſſus, iugularibus venis ſectis, curatur.

HIſpanus quidam cùm canina angina in horas ſtrangulari videretur, & omnia vniuerſalia, & localia per venam ſectam, ſcarificatas in collo cucurbitulas, acria clyſteria, eſſent celebrata auxilia, & ipſe nigricante facie veC lut emortuus iaceret: peritiſſimi Medici, iugulares ſecandas imperarunt. Adfuit Chirurgus ſecandi arte dexterrimus. Illas, ſanguine ad caput ruente, vaporibúſque multis impletas, turgentes, & conſpicuas reſecuit: irreparabili ſequuto ſanguinis fluxu, ægróque lapſo in omnimodam virium iacturam, ſpes ſalutis abeſt, nullúſque videtur remedio locus, quum de eo, ob violentum ſanguinis fluxum, iam deſperarent omnes. Neque pro hoc ſiſtendo inuentũ fuit quod opitularetur auxilium. Vocatus emplaſtrum Galenicum ſuperimpono, collóque commodè ligato, ægrum iamiam exhauſtum refocillo, qui poſt horas reſpirare, & loqui cœpit aperto ore, & immunis ab angina deinceps ſaniſſimè vixit, nec mireris. *Nam quando ſalutis vnica eſt via hæc, licèt cum periculo, tentanda: cùm ſatius ſit ægrum periclitari, quàm ſpe adempta certò perire.*

D Et ego in nimia aliarum partium hæmorrhagia hoc vſus emplaſtro, fidiſſimo experimento ſanguinis fluxum compeſcui; eo tamen ſeruato, vt leporis pili ſicci quàm minùtiſſimè triturati, aliis ſupradictis commixti applicentur, aliàs reſtringendi virtute carent omninò, cùm corpulentia ſua in partes penitiſſimè ſeſe non inſinuent.

Harum ſectionem in ſuffocante angina ſemel, non ſemel in apoplexia feliciſſimè tentaſſe Ioubertum, patet ex ipſo, *in tract. de affect. thorac.cap.1. in med.* Vanum autem eſt, & à pietate alienum deploratos non attingere, vt latiùs *in com.hiſt.63. ſuprà* explicuimus. Meritò ergo feciſſe Tral. iudicabis, qui non inuentis leonicis, ad iugularium ſectionem acceſſit: quarum ſciſſio ſiue externæ ſint, ſiue internæ, per latera ceruicis, & oris diſperſæ, vt notat Veſal. 2.*fabric.7.*& Andreas Laurent. *lib.4.de re anatom.c.6.* non E contemnendam vtilitatem in acutiſſimis morbis afferre ſolet. Ex quibus patet, quàm malo fundamento, quámve exiguis viribus Caſtelli huius robur fuerit munitum.

HIST. LXXVII. TRALLIANI,
De Angina.

Angina ex ſuppreſſis menſibus orta, ſectione tali, perſanata.

IN muliere autem venas ad talum aperui, cùm ipſam menſibus non purgari cognoſcerem, atque illinc potiùs ei morbi occaſionem obuenire. Ac duplex ægrotanti commodum ex eo

ſubſequ

*ſubſequutum eſt, nempè conſuetarum vacuationum prouocatio, & affectus liberatio, &c. Tral.*lib.4. cap.1.tit. de ſang.miſ.

PARAPHRASIS.

GAl. naturalium arcanorum acerrimus indagator, & medicæ ſcholæ fulgentiſſimum iubar, *lib.de ven.ſect. aduerſ. Eraſiſtr.cap.*5. cauſam menſtrui aſſignat, dum mulieres cunctas ſingulo menſe ſanguinem ſuperfluum forás effundere affirmat: quoniam muliebre genus, vtpotè ſedentarium, vt quod domi ageret, neque vehementibus laboribus exerceretur, aut ſub claro ſole viueret; ac ob vtraque hæc multitudinem humorum coaceruaret, quam præ caloris inopia non abſumit, ipſam vacuationē plenitudinis, tanquam remedium naturale ſortitum eſt, cuius vi, ac ope ſanguis excrementitius paulatim, & in dies mittitur ad vteri venas, in quibus collectus, & in eam molem excreſcens, vt à natura ſuſtineri non poſſit, eum natura irritata forás propellit. Et ideò potiùs menſtrua purgatio, quàm vacuatio vocatur, à Gal.*lib.de atra bile*, 8.*in init.* Quam cauſam generationis menſtruorum, Medici hactenus vnanimi conſenſu amplexi ſunt. Quidquid Democritus, & Parmenides exiſtiment, idcircò mulieres pati menſtruam purgationem, quòd ſint calidæ, & gignant ſanguinem acrem & feruidum, qui cùm nimiùm excreſcit, ſua acrimonia irritat, & ſtimulat naturam ad ſui expulſionem. Quam opinionem vtpotè falſiſſimam abundè reprobarunt Ariſt.4.*de generat.anim.*1. Macrob.7.*Saturnal.*7. eleganter Mercurial. *lib.*4.*de morb. mulier.cap.*1. & poſt hos annotarunt Ludouic.Mercat.*tom.*1.*quæſt.*53. & *tom.*3. *lib.* 4.*de morb.mulier.c.*1. Chriſtoph.à Vega *lib.*3.*prog.com.*10. *in init.* Andreas Laurent.*lib.*8.*de re anat.quæſt.*2. Peramatus *lib.de temper.cap.*13. Roderic.à Caſtro, *part.*1. *de vniuerſ. mulier. medic.lib.*2. *cap.*13. Clariſſimum cùm ſit fœminas viris eſſe frigidiores, vt probat Gal.2. *de temp.*2.3.*de cauſ. pulſ.*1.14.*de vſu part.*6.6. *de loc.cap.*5.5. *aph.com.*38. & 2. *de ſem.c.*5. edoctus ab Hipp.5.*aph.*48.6.*epid.ſect.*2.*text.*44. 45.*&* 46.& *ſect.*4.*text.*27. & *lib.*1.*de diæt.*§. *Cæterùm fœmellæ ab aqua magis.* Decepit forſan Democritum, & alios tantos viros Hipp.auctoritas, *in lib.*1.*de morb.mulier. n.*3. §.*Habet enim mulier ſanguinem calidiorem, & propterea calidior eſt quàm vir, &c.* Pro cuius loci expoſitione plurima contra Iuniorum diſcrepantes opiniones, fauente Deo, *lib.*2.*in comment. Hiſtor.*144. latiùs exarabimus. Interim lege Mauric.Cordæum *in lib.*1.*de morb.mulier.comment.*1. *ſect.*4.*ad fin.*& Mercat. *quæſt.cit.*

Is ergo ſanguis peſſimus ſuapte natura cùm ſit, venenatus, inutilis, impurus, & fæculentus, de cuius malitia tot mala prædicant Plin. *lib.*2. *cap.*15. & *lib.*28. *cap.*7. ſi retineatur, fœminæ corripiuntur ſæuiſſimis morbis, viſcera afficiuntur, & conſpurcantur labe dira: ab hoc enim ſanguine ſuppreſſo eleuantur auræ, quæ ob vteri conſenſum cum præcipuis partibus, totum corpus ſua virulentia labefactant, & inquinant. Adeò vitioſus eſt menſtruus ſanguis, vt de eo referant ingentia mala Columel. *lib.*11. *rei ruſt.cap.*11. Solinus *in Polybiſtore*, *c.*4. Ælian. *lib.de hiſtor. animal.*8. Rabbi Moſes *lib.*3.*dubitat.cap.*48. Ioan. Baptiſt. Siluatic.*controuerſ.*91. Lacuna *lib.*6.*cap.*25.*in Dioſcor.* Fernel.*lib.*7. *Phyſiolog. cap.*7. Renuant licèt Mercurial. Peramat. Otto Caſmannus *part.*2. *Pſycholog.cap.*8. *diſputat.*9. & alij, qui rationi, & experimento repugnantes, menſtrui perniciem, & malignitatem omninò denegant: hoc enim modo non controuerto, excuſſum iam ab aliis, præſertim ab eruditiſſimo Stephan. Roderic. Caſtrenſe *lib.*4. *de meteor.microcoſmi, cap.*6. qui horum argumenta confutauit ad vnguem. Legat qui velit Ludou. Bonaciol. *Ennead.mulieb.cap.*2.

Sanguis enim hic impurus ſuppreſſus, dira, & plena timoris ſymptomata parit, lata à Gal. *lib.de ven. ſect. aduerſ. Eraſiſtrat.cap.cit.*& 6.*de loc.*5. hæc ſunt, epilepſia, paralyſis, tabes, alui fluxus, vteri ſtrangulatio, melancholia, hydrops, cauſus, internæ inflammationes, vrinæ difficultas, nauſea, cibi faſtidium, lumborum dolor, corporis grauitas, & alia innumera mala, quæ priùs prædixit Hipp. *lib.de morb.mulier.in Coacis prænot.* & 5.*aph.*57. Ariſt. firmat 2.*de generat.anim.*4. Explicant Marcel. Donat.*lib.*4.*de hiſt.mirabil.cap.*19. & citati auctores *in locis dictis.*

Rurſus. Cùm hic ſanguis retentus non infernas ſolùm partes, ſed ſuperiores infeſtet, prauis ex vtero ad has concurrentibus vaporibus, qui è vitioſo ſanguine eleuantur, & præſertim ad caput, cum quo maximum habet conſenſum, ex Gal.6. *epid.ſect.*1.*com.*2. fit vt huius partis exitiales, & funeſti hac de cauſa morbi contingant, vt docuit Hip. *lib.de virg.morb.num.*2.*&* 3. Nam quum vteri partes hoc ſanguine fuerint repletæ, horror cum febre ingruit, ab acuta quidem inflammatione inſania, à putredine clamor, præ ſanguinis caliginoſitate timor, ac formido, præ ſanguinis copia comprimente cor, ſtrangulatio, præ ſanguinis malitia, anxietas, & mœror fœminas prehendunt.

Demùm nulla eſt pars, quam menſtrua purgatio retenta lædere non poſſit copia ſua, verùm partes reſpirationi inſeruientes promptiſſimè hac de cauſa vitiari, fidiſſimo experimento compertum eſt: nec diſſuadet ratio, nam vehementiſſima illa, ac velociſſima thoracis dilatione, & compreſſione, copioſiùs trahitur retentus ſanguis ad thoracem ipſum, ex quo ob viciniam in vicinas regurgitat. Vnde angina frequenter oriri ſolet, graue admodum malum, ſumméque periculoſum. Quod cùm acciderit, omni ingenio conandum eſt, per vterum, infernámque ſaltem regionem naturam euocare ſanguine miſſo ex talo, ex ſuris, ex femoribus. Id faciendum docet Hipp. oraculo illo lato *lib.de virg.morb.* mala recitata ſæua curaturus, dum inquit: *Cæterùm curatio vt hinc liberentur, eſt ſanguinis detractio, ſi nihil fuerit quod impediat, &c.* à qua autem parte ſit hauriendus ſanguis, nunc fusè diſputabimus.

QVÆSTIO XLV.

Quòd in ſuppreſſis menſtruis ſemper è talo ſit hauriendus ſanguis. Contra Sanctorium, Riolanum, Bottonum, Montuum, Vaëzium, Altimarum, Mercat. & alios Medicos præſtantiſſimos.

COMMENTARIVM.

V*Enas ad talum aperui.*] Vetuſtiſſima quæſtio eſt, & ab omnibus ſatis, ſupérque agitata: Num in ſuppreſſis menſibus cum ſumma totius plenitudine, è talo ſit emittendus ſanguis. Sed quia Medicorum ſcinditur incertum ſtudia in contraria vulgus, qui Euripi modo agitati inter ſeſe debacchantes digladiantur, nec adhuc capit diſcordia finem, illorum diſſonas opiniones, pro Gal. Aëtiique defenſione commaticè perſtringám, maximè quoniam in hoc argumento plura adhuc ſuperſunt explicanda.

Qui in ſuppreſſis menſibus è cubito venam ſecat, is in Medicina ſuam fatetur inſcitiam, & Galen. ſummíque dictatoris edictis maximè repugnat. Nam ſi horum ſynceram doctrinam amplecti velimus, nullus qui intimiùs Galen. ſenſa perluſtrauerit, ex inferioribus partibus celebrandam eſſe hæſitabit. Miſerrimæ namque fœminæ ſi menſes ex toto ſupprimantur, aut diminutè procedant, infinita propemodum mala patiuntur, quæ *ſuprà* ex mente Hipp. retulimus, & latè tradidit Gal.6. *de loc. cap.*5. & alibi.

Quid ergo agendum in agone tanto? aut quomodò eas tantis malis obſitas liberabimus? Diuinus Hip. cuius dictio eſt tanquam à Dei voce prolata, auctore Gal. *lib.*1. *de vſu part. cap.*9. *in princ. lib.*5.*aph.*31. in retentis menſtruis cum totius plenitudine, ſanguinis vomitum concitante, menſtrui per vterum eruptionem ſummoperè laudat: in qua ſententia, vt auctor eſt Galen. *in com.* non ſolùm vacuationes per vterum eſſe approbandas docet, ſed conſulit, vt menſtruis retentis, praua periculoſáque ſymptomata minantibus, eas moliamur vacuationes, quas natura certis legibus vtens celebrare intendit, ſi verum eſt, Medicum naturæ operantis rectè imitatorem eſſe.

Hanc medendi normam obſeruauit *lib.2.epid.ſect.4.in fin.* dum Stymargi famulam poſt partum cum ſumma totius plenitudine grauiter laborantem, vena ſecta in malleolo leuauit, quem Gal. *lib.aduerſ.Eraſiſt.cit.* & *lib.de rigore,c.8.* ſummis laudibus effert.

Quare hoc præceptum multi faciens Gal. exemplis approbat, ratione fulcit, experimento fidiſſimo defendit, *in lib.ferè toto de ven.ſect.aduerſ.Eraſiſtrateos,* & *lib.de cur. rat.per ſang.miſ.cap.*11.18. quibus locis plenitudines omnes ex ſuppreſſis menſibus ortas, ſectis venis in cruribus vacuare contendit. Nam ſectæ in cubito, purgationes menſtruas auferunt, ſanguinem ad ſuperiores partes auertentes: in infernis verò partibus ſciſſæ non ſolùm vacuant, ſed etiam menſes prouocant.

DVBIVM XLVIII.

Num in antiqua menſium ſuppreßione è talo ſit vena ſecanda. Contra Fonſecam eruditißimum.

OBiicies, & meritò ſanè, Gal. contrà ſentientem *in lib.6.epid.ſect.3.com.29.* qui ſplendidam illam fœminam Romanam, iam octo menſibus purgationis menſtruæ ſuppreſſione laborantem, vena ſecta in cubito perſanauit, ex qua exiuit ſanguis, liquidæ pici, & colore, & craſſitudine ſimilis. Maximum certè indicium ex gibbero venæ ſectionem fuiſſe celebratam, quòd ad libras ſanguinem extraxerit; nam quantitas ſanguinis cum aqua confuſi, & permixti, non ita exactè poteſt diiudicari, vt certò pronunciet Gal. primo die ſanguinis ſeſquilibram, rurſum poſtridie libram, tertio verò non multò plus ſe libra extraxiſſe. Quare congruentius eſt aſſerere in hoc loco, Gal. in antiqua ſuppreſſione è cubito mittendum ſanguinem imperaſſe. Nam ſi in talo venam ſeces, conuocato ſanguine ad partes infernas, & vterum, obſtructiones facies primo affectu grauiores, vt notat Roderic. à Fonſeca, *tom.1.conſult.6.* in diuturna menſtrui retentione, è cubito hac ſolùm ratione ſanguinem exhauriens.

Obiectionem facilè ſic dilues. Licèt ex contextus ſerie deduci non poſſit, ex quo loco ſanguinem Gal. extraxerit, quoniam ipſe locum non aſſignat: rationabile videtur exiſtimare, ex talo fuiſſe celebratam, quum is auctor in hoc loco ſecandam eſſe, ſibi perſuaſit ſemper. Et licèt in antiqua ſuppreſſione non ita de menſtrui prouidentia debeamus eſſe ſolliciti: tamen cùm curatio auſpicanda ſit ab eo auxilio, quod morbum, & eius cauſam reſpiciat, commodius ſemper mihi viſum fuit (niſi quid vrgeat, aut ſuperioris partis affectio poſtulauerit citiorem vacuationem) è talo ſanguinem demere. Si autem Gal. locum non aſſignat, quod etiam exemplum, & modum curationis affert Beniuen. *de abdit. cap.44.* venæ ſectionis locum prætermittens, id facit, quoniam clariſſimum erat in eius doctrina, è talo ſemper eſſe ſanguinem vacuandum. Et Lud. Lemoſius *in com.cap.3. lib.5.meth.Gal.* hanc hiſtoriam citans, hoc confirmat: & probat Mercat. *lib.1.de morb.mulier.16.* & omnes alij qui ab infernis partibus ſanguinem mittentes in menſtrua ſuppreſſione, Gal. hoc loco in ſui ſubſidium adducunt.

Deinde. Verum non eſt, immò à Gal. doctrina maximè alienum, affirmare hunc auctorem venas extremarum partium in balneo ſecuiſſe. Nec ego apud illum id vnquam ſcriptum reperi. Solùm conſtat ipſum *lib.1. de curand.rat.per ſang.miſ.*14. dixiſſe, ex vena manus ſummæ ſecta nihil effluere mentione dignum, cuius contrarium eueniret, ſi in balneo ſecaretur hæc vena: tunc enim ſanguis, ligatura dolorifica, frictione, balneo, calore ſuo ſanguinem fundente, & liquante attractus, ita vacuaretur, vt priùs vita deficeret, quàm ſiſti poſſet. Iudicauit autẽ ipſum pondere, prout ipſe affirmat *in lib.de præcognit.ad Poſthum.* 13. iuuenis illius hiſtoriam recenſens, qui criſi vehemente à febri liberatus eſt, eiecto ſanguine per nares, cuius quantitas librarum quatuor & dimidiæ pondus æquauit. Ad ſtateram ergo Gal. ſanguinem ponderabat. Hoc modo iudicium ferendum eſſe de quantitate ſanguinis, confirmat Muſa *lib.2.aph.41.* & *lib.5.com.23.* dum Dianam Eſtenſem 18.℔. ſanguinis æqua lance ponderatas, è naribus eieciſſe affirmat. Refert Amat. *2.centur.vlt.* & Marcel. Donat. *lib.de variol.& morbil.cap.23.* ℔.20. ſanguinis, vnica die & duabus noctibus, per nares effluxiſſe, vaſe collectas, & lance libratas vidiſſe teſtatur. Non me latet Iuniores Græcos, Oribaſ. nempè, extremarum partium venas in balneo calido ſecuiſſe, *in lib.7. collect. cap.9.§. Si à manu detrahere ſanguinem velis, priùs perfundenda eſt aqua calida, atque ita cum conſtrictione relaxanda. In malleolis verò conſtrictio ſupra genu in femore fiat: ſanguiſque, ſi fieri poteſt, in balneo detrahatur, &c.* Neque timeas attracto ſanguine ad vterum huius partis geminari poſſe obſtructionem; nam ſi attrahitur, venæ ſectionis ope, per grandiſſimas, quibus vterus eſt præditus, venas, ex Gal. *6.epid.ſect.1.com.2.* citiſſimè foras expellitur. Quare inferna facta ſectione, & plethoræ obſtructionis cauſæ, & obſtructioni, tum & ſcopo naturæ intendentis colluuiem illam per vterum deponere, occurrimus, moniti Gal. conſilio, *lib.11.ſimpl. cap.de caſtorio*, qui obſtructionem ex retento menſtruo perſanans, priùs obortam plenitudinem ſecta vena in talo partim minuit, & partim reliquum aſſumptis vacuat medicamentis, caſtorio, pulegio, & calamintha.

Horum veſtigia ſequuti ſunt Principes omnes, & Mauritanicæ familiæ proceres ſcientiſſimi, cum Auic. 21. *3.tract.4.cap.25.* qui in retentione menſtruorum primò ad ſaphænæ, deinde ad alterius cruris ſectionem accedere iubent, confirmant interpretes *in com.* Sic faciendum eſt in omnibus affectibus, qui à retentis menſibus oriuntur, (niſi plurimùm vrgeant, aut præceps ſua acutie periculum minentur) in quibus poplitis vena ſecta ſanguinem ad vterum trahit, menſes remoratos prouocat, naturam ſui muneris oblitam excitat ad expulſionem, & vbertim minuit plenitudinem, provt venuſtè Hipp. & Gal. *loc.cit.* confirmant.

Dyſenteriam excipiunt plurimi, quùm à ſuppreſſis menſibus originem ducit: cùm timor ſit ne, conuocato ad inferas partes ſanguinis impetu, fluxio ad inteſtina ampliùs corruet; quare ſalubrius iudicant è cubito ſanguinem mittere: ex hac enim parte ſecta vena, præſtantior fit reuulſio, & citiùs demitur plenitudo, & non ita prouocatur fluxus. At ſecuriùs multò iudico in talo incidere venã, & maximè cùm huius aſſertionis ſtrenuum habeamus ducem Gal. qui ex ſuppreſſis menſibus ortam dyſenteriã, ſicut & plura vitia ab eadem cauſa pronata, & cum retento menſtruo implicata, ipſa vacuatione menſtrua ſuperueniente ceſſare, aut miteſcere aſſeuerat; *lib. de venæ ſect. aduerſ.Eraſiſtrat.cap.5.* Sin autem vacuata copia non adminiculetur natura, feriendas eſſe tali venas in omni affectu à menſtruo ſanguine retento originem ducente, conſtantiſſimè affirmat *lib.de curand.rat.per ſang.miſ.c.19.* per hæc verba. *At in iis quibus repreſſi ſunt menſes, ſemper in cruribus, &c.* Quaſi diceret, in omni plethora præſente, & affectu ab hac cauſa ſuborto, inferiores venas eſſe tundendas ſemper. Si igitur in cruribus ſemper, non excludit dyſenteriam ab hoc trunco ſubortam. In hac ex talo mittendum eſſe ſanguinem approbat Merc. *lib.3.de morb.intern. cap.12.* Neque in hoc exemplo ſectio tali eſt alui fluxus prouocatiua, quin potiùs à caua vena generéque venoſo, ſanguiné bilioſum & acré, huius mali cauſam cùm exhauriat, facit vt ad inteſtina, natura recreata, ebullientem humorem, vlcúſque exaſperanté deinceps non tranſmittat.

Vides vt in affectibus è retentis menſibus ortis, in talo feriendam eſſe venam vnanimiter concedant Principes, & omnes qui puriorem illam medendi normam Galenicam amant, colunt & amplexantur. Inter reliquos extant fortiſſimi milites magno armorum ſtrepitu acriter Gal. partes tutantes. Hi ſunt præcipui, Mercurial. *lib.4.de morb. mulier.c.1.tit.de curat.defect. menſtruor.in princip.* Maſſaria *lib. prælect. de morb.muliebr.cap.2.* Ioann. Baptiſt. Syluat. *contr.26.* Ferdin. Mena *in com. cap.19. lib. Gal. de curand. rat. per ſang. miſ.* Fern. *lib.2. meth.7.* Iul. Cæſar Claudin. *lib.1.reſponſ. medicinal.18.* Iulius Guaſtauinius *lib. de loc. ſelectis, cap.22.* Fuchſius *5.aph.33. & in Gal. de ſang. miſ.* Lud. Lemoſius *in lib.5.meth.c.3.* Mõtuus *l.4.anaſceu.c.31.*

&

& Roder.à Caſtro *lib.1.de morb.mulier.in Schol. c.5.* qui in curandis fœminarum morbis cæteros antecelluit.

Verùm pro vno conciliando Aëtio, hi aduersùs alios acerrime digladiantur: è contra cæteri Galenicam doctrinam temnunt,& damnant,& in varios ſenſus illius mentem detorquent. Alij tantorum auctorum repugnantibus ſententiis deterriti palinodiam cantant,de quorũ numero Mercur.eſt,qui cùm *lib.4.de mor.mulier.cit.* Galen.ſententiam firmam eſſe conſtantiſſimè aſſeueraſſet,*in com*,tamen 14.*epidemicæ hiſtoriæ in fin.* primò ſecat baſilicam, deinde ad ſectionem ſaphænæ accedit.

Certum tamen ſit Aëtium *tetrab.* 4. *ſerm.*4. *cap.*57. in ſuppreſſis menſibus cum plenitudine,primò ſecare baſilicam,deinde ſaphænæ ſectionem exercendam imperare:timet enim,ne ſi ſanguis ex tali vena priùs dematur,humores præcipiti lapſu in vterum ruant, & obſtruentes ampliùs,faciant affectiones primario affectu grauiores. Alias pro Aëtij defenſione rationes paſſim videbis apud auctores,qui illius ſententiam anxiè tueri,mordicúſque ſtabilire conantur, quas latè citat, & refellit Raphaël Moxius *lib.4. de curand.rat. per ven.ſect.morb.mulieb. acutos.cap.*18. Huius opinionis fautores ſunt, Lupeus *lib.3.enchirid.cap. prop.de menſ.retent.* Matthæus Gradius *in* 9. *ad Alm. cap. prop.*Mercatus *lib.1.de mul.affect.cap.*9. Amat.1.*centur.*15. Petrus Vaëzius *in lib. Comment.medic.cap.*20.Sylu.*tract.de menſib.mulier.*Altymarus *lib.de med.hum.corp.mal.cap.*107. Albert.Botton. *lib.1.de morb. mulier.cap.*31.Donat.Santorus *lib.4.epiſt.*13.Riolan.*lib.de partic.meth. ſect.*4.*c.*1. Sed ij omnes falſo nituntur fundamento, cùm è directo Gal. doctrinæ aduerſentur,qui prætermiſſa ſectione è brachio, primò è malleolo ſanguinem exhauriendũ ſuadet ſemper.

Inſtant Aëtiani doctores, & qui ad rauim vſque huius auctoris edictum,velut latum ab ipſo Hipp. tuentur. Sícque eum cum Gal. conciliare conantur. Nam ille auctor plenitudinem ſummam, & vniuerſalem reſpexit ſolùm: Gal.verò particularem vteri conſiderauit.Sed erroris plena eſt conciliatio hæc,quam multò antè carpſerat Garzias Lopius *lib. de varia rei medicæ lect. cap.* 17. quoniam Gal. laudat Hip.quòd Stymargi famulam, tremore correptam cum plenitudine ſumma, ex retento menſtruo tali vena ſecta perſanauerit,quem non niſi ab ingenti plethora ortum fuiſſe,firmat Gal. *lib.de tremor.cap.*8.

Alij hanc pacem componere tentant, dicentes multò melius eſſe baſilicam priùs tundere, quoniam copioſiſſimæ illæ vacuationes, quibus Gal. vtebatur, iam non ſunt in vſu,per quas, ſectis venis crurum,aceruatè,& copiosè, poſſit non ſolùm vteri, ſed etiam totius corporis plenitudo ſummoueri.Sic ſolount Lupeus,& Petrus Vaëzius *loco cit.* Dupliciter peccat conciliatio. Primò. Quoniam ſicut copioſiſſimæ vacuationes apud priſcos erant conſuetæ,ſic etiam parcæ;nam Gal.*lib.de curand.rat.per ſang.miſ.cap.*13. ad dimidium vſque cotylæ extrahit: cotyla autem, vt *ſuprà* diximus,nouem vncias continet. Noſtro autem æuo adhuc celebrari copioſas illas vacuationes,dubitat nemo. Nam in præcipiti morbo, cum virium robore magno, quis copioſam vacuationem retardare audebit, ſi auxilia debent contendere cum morbis in magnitudine, & celeritate? Et noſtro æuo homines reperiuntur ſatis firmi & robuſti,qui ſimiles vacuationes ferre poſſunt, immò ſunt antiquis, viribus æquales, vt probat Chriſtoph. à Vega *in præfat.lib.2. de art.medic.* quidquid contra ſentiat Dalechamp. *lib.2.de peſt.in principio.*

Neque admittenda eſt illorum interpretatio; qui Aëtium intelligunt,de venæ ſectione facta in menſtruo ſuppreſſo cum alterius morbi complicatione: Tunc enim non mittitur ratione menſtrui à brachio ſanguis,ſed alterius morbi impliciti reſpectu.

Theodorus Collado *c.*73.*in errores Holler.*ſic putat hos inter ſe conciliaſſe. Quando ſuppreſſio eſt cauſa plenitudinis,è talo:contrà è gibbero,cùm ſuppreſſionis eſt plenitudo cauſa, imperat ſanguinem emittendum. Refellitur: nam in vtroque caſu vtiliùs ſemper è talo demitur ſanguis,quum hac ſectione,& ſanguis in vtero impactus, & in partibus ſuperioribus abundans educi poſſit. Renuat licèt Albert.Botton. *lib.de morb.mulier.cap.*29.

Obſeruatio LVI.

Morboſæ fœminæ ob menſtruum retentum,ſecta vena in cubito, ſubitò pereunt: ſecta in talo, conualeſcunt.

Vidi quater fœminas, vomitu ſanguinis ex ſuppreſſo menſtruo ortum ducente cum plenitudine totius, vehementer oppreſſas, facta ſectione in cubito,hac ſolùm de cauſa,illicò occubuiſſe.Memini verò alias,eodem morbo,& aliis correptas,facta ſciſſione in brachio,grauiſſimis ſymptomatis vexatas, quæ ex improuiſo ſecta ſaphæna, aut ſcarificatis cruribus, pro virium terrore,à tantis malis immunes euaſere. Nec dubites, nam vera fides. Tanti periculi eſt, ſanguinem ad inſueta loca contra naturæ ordinem violento motu attrahere!

Quoniam autem Medicinæ Principes in omnibus oportet eſſe vnanimes. Aëtium ex mente Ruffi loquutum aſſeuera, Secundò. Si illum de præſeruatione interpreteris,non errabis: ſicque intelligo Paul. *lib.*3. *cap.*61. cùm ait. *Cùm igitur propter aliquod interaneorum vitium primarium, purgatio circumciditur, & ſtrangulatur, ex vſu maximo fuerit, id quod primò afficitur curare, deinde vteri habere rationem, &c.* Ac ſi dixiſſet: Fœminæ, quæ ex retento menſtruo grauiſſima ſymptomata patiuntur, ſi ab eis eas præſeruare velis, partes à quibus malum hoc oritur perſanabis, vt ſic ritè menſtrua fluant. Et ſi ſit pro hoc debellando vitio neceſſaria phlebotomia, tunc eam oportet celebrare è cubito, vt iecur, v. g. nimis excandeſcens & ſqualidum, ſanguinem exaſſans & incraſſans, dempto è propinquiori parte ſanguine, miteſcat ac temperetur, poſt quam, vterum roborare opus eſt, vt expellere poſſit, quod alienum & excrementitium à ſuperioribus partibus natura extrudere conſueuit. Vt videas ineptè hunc locum ab Amato in ſui ſubſidium citari, cùm Paul. nec verbum quidem de ſanguinis miſſione protulerit. Sed hæc obiter dicta ſint.

QVÆSTIO XLVI.

Quòd in ſæua angina, aliiſque inflammationibus internis, è ſuppreſſis menſibus ortis, è cubito aliquando ſit ſanguis emittendus.

A*Ffectus liberatio.*] Inter celeberrima præſidia quæ tuendæ ſalutis gratia hominum ſagacitas adinuenit, nullum eſt præſtantius; & quod illis maiorem vſum, ac fructum præbeat, quàm phlebotomia. Quippe quæ vrgentium, & acutorum morborum, præſentium, aut imminentium promptum, ſalubre, ac accommodatum eſt auxilium: plenitudinem enim ad mediocritatem reducit; dolores ex tenſione ſedat, corpus graui pondere, ſarcináque quodammodo oppreſſum erigit, alacriúſque ad omnis generis obeundas functiones reddit. Eadémmet inſitum calorem liberaliùs ventilans, reſeránſque arctiores vias, & corporis ſpiracula deobſtruens, morbos arcet, & ſi fortè hi morbi per incuriam inciderint, venæ ſectio immodicam plenitudinem ſubtrahens efficit, vt natura onere victa & ſuperata, detracta copia qua obruebatur, immunis victrixque euadat, & hoc modo expedita, & leuata reliquis humorum vitiis,veluti dominatrix,imperare poſſit, & concoquat quod concoqui eſt habile, & excernat id quod poteſt excerni, & prorsùs eſt inutile,& nunquam poſthàc futurum eſt idoneum.

Huius præſidij neceſſitatem oſtendunt plurima, ex ſolertia ac ſagacitate naturæ deprompta. Adeſt imprimis fœmina, animal menſtruatum, in qua appoſitè canales quoſdam conſtruxit ita ſecundùm naturã reſeratos, vt typicè per eoſdem, maximo cum artificio, placidè ac tutò ſanguinis ſarcinam deponat illa: quo mediante opere, & ſalubre ſeruat corpus,& ſæpè à grauiſſimis morbis preſeruat.Porrò & in vtroq; ſexu,etiã preſente valetudine,idem præſtat natura, dum apertis narium, aut hæmorrhoïdum tubis, per eoſdem inutilem ſanguinem eliminat,maximo

cum hominum commodo. Tandem adeſt portẽtoſum hac de re naturæ exemplum. Tradit Plinius obelum Hippopotamum (animal Niliacum) naturam docuiſſe,ſanguinem ſauciato acutiſſimis iuncis corpore ſibi fundere, humorum copiam vtiliter deponere, ac plagam limo lutóque obducere: monſtrans quanti ſit momenti,ſanguinem aperto vaſe exhaurire,dum corpus nimio ſanguinis onere opprimitur, & obruitur.

Quapropter Diuinus Galen.ſolerter huius auxilij vim, & efficaciam in abigendis morbis, maturóque conſilio deliberans,& expendens, contra Theſſali ſectatores ſtrenuè ſe ſemper oppoſuit: oſtendens manifeſtiſſimis exemplis,ipſum eſſe omnium optimum,præſentaneum,& multiplici rerum vſu fœcundiſſimum, quum ſit cæteris præſidiis opportunius, citius, ac penè tutius. Eſt enim ſanguis,quod oleum in lucerna,quod cibus in menſa,quibus ſi debitè, ſi prudenter quis vtatur, lumen, vitámque præſtant, & ſpirituum exhauſtorum inopiam reſarciunt: ſin perperam, tenebras inducunt,& ſuffocato, præ nimia copia,calore natiuo mortem afferunt. Ad præcauenda ergo tanta mala à multitudine ſanguinis nimiâ ſuborta, tam præſtans auxilium ſagaciſſima inuenit natura, à primis ſæculis vſque ad noſtra tẽpora, à clariſſimis viris, Græcis præſertim, Arabibus,noſtris continuata ſerie approbatũ.

Cùm ergo Tral. hîc anginam, affectum ſanè grauiſſimum,perſanare conaretur,nonniſi ad hoc auxilium deuenire coactus eſt, ſciens nimirum ſolo hoc inflammationes internas eſſe debellandas. Cúmque ſanguis menſtruus recurreret ad partes ſuperas, muſculóſque gutturis aut faucium, phlegmone afficeret, neceſſum fuit ipſum ad originem, & originis principium, vterum nempè, attrahere.

Acutiſſimus Ioubert *tract.de affectib.thorac.prop.cap. de angina*, quem ſequitur Pereda,*in com.cap.24.lib.1. de morb. curand.in Paſchal.* dubitat, quomodo tantus auctor venas tali aperuerit, quum in morbis acutis & ſubitam perniciem minantibus, harum venarum ſectioni nunquam ſit fidendum, relictis brachiorum venis; quibus ſectis, tum plenitudinis cauſa promptiſſimè demitur,tum ab inflammata parte promptiùs noxius humor educitur. Sed immeritò huius auctoris ſuggillant ſententiam, quam cæteri medicinæ Duces approbant, & confirmant.Hipp.enim 5.*aph.*57. menſtruis ſuppreſſis, ab vtero morbos contingere affirmat, quæ ex mente Gal.citauimus *ſuprà*: recurrente nimirum ad ſuperas, & quaſlibet alias partes, ſanguine. Quare ſi ſanguis ad ſuam originem ducendus eſt, & ſuppreſſæ vacuationis reuocatio,eſt illius medela, quis dubitabit in angina,eáque non multùm vrgente (qualem depingit Tral.*hîc*) in talo venam eſſe ſecandam,Rurſùs in vomitu ſanguinis, affectu ſanè periculoſo, ex Hipp. *lib.*4. *aph.*25.& *lib.*7.*ſent.*37. ſanguinis eruptionem per vterum laudat ipſe 5.*aph.*31. quoniam, monente Gal. *in com.* fit ſanguinis ad inferiores partes retractio, atque euacuatio: cur in angina ab hac parte ſecuriſſimè non adminiſtrabitur? Quapropter Auic, 9. 3.*tract.*1. *cap.*11. *in init.* in hæc verba prorumpit. *Et quandoque oportet, vt attendatur in re phlebotomiæ res alia,& eſt, quoniam quandoque eſt cauſa dominij apoſtematis in præfocatione, retentio ſanguinis conſueti, ſicut ſanguinis hæmorrhoidarũ. Et in huiuſmodi quidem opportet, vt ſit phlebotomia in latere trahente materiam ad partem, à qua cadit retentio,ſicut neceſſaria eſt hîc phlebotomia ſaphænæ, & ventoſæ crurium. Quum enim egreditur ſanguis pluries,tunc quandoque ſedantur accidentia ſtatim.Et quandoque neceſſaria eſt iteratio in mane,&c.*O ſententia digniſſima cedro! quàm inter omnes Gentilis, & Iacobus de partibùs, Arabicæ ſectæ aſſeclæ ingenui,vbertim, graphicéque explanãt.Nam licèt hic affectus ſit particularis,& particularem exoptet vacuationem, & ex propinquiori loco celebratam: tamen ſi ille permanentiam adhuc non habeat, & plures habeat partes fientes quàm factas, tunc ex infernis mitti ſanguis tutiſſimè poteſt, ſic enim & à parte mandante fluxionem retrahimus, & naturæ motum vnà iuuamus. Vide Vegam 3.*art.medic.ſect.*5.*cap.*8. Ludouic. Mercat. 2.*de morb.internis,cap* 2.

Sin autem angina firmata ſit, & plures partes habeat

A factas, vrgeátque, & vitæ periculum minetur, obſeruata tunc morbi ſæui natura, licèt vitium à ſuppreſſis menſtruis oriatur, & vel actu fluentibus menſtruis,fas eſt venas tundere ſuperiores. Hoc videtur inſinuare Auic. *loco nuper citato.*§.2.*Et quandoque oportet vt attendatur,&c.*Vbi explanans Gentil.verbum[*quandoque*]ſic ait. Dixit quandoque,*quia poſſibile eſt materiam quæ aſcendit,iam impreſſiſſe: ex hoc ergo canone habes,de qua vena debes phlebotomare, quia ſi aliud membrum eſt in cauſa, euacua ad id, & ab illo ſi eſt poſſibile: & ideò ſi hepar hunc ſanguinem aggregaret,phlebotoma de vena hepatica: ſi totum corpus videretur plenum ſanguine,euacua de vena communi, & ſi expedit incipiamus à ſaphena. Si repletio eſt appropriata partibus capitis,de cephalica,&c.* Ex qua ſerie conſtat,in acutiſſima angina, etſi menſes ritè procedant, quum ab ipſis minima, aut nulla conferentia expectetur, è brachio mittendum eſſe ſanguinem: Affectus namque vrgentiſſimus, ob euidens, &

B citiſſimum mortis periculum, omnem ad ſe trahit curationem. Quare cogimur in hac hypotheſi,quamprimùm, à crebrò venas cubitorum externas ſcindere, vt quam breuiſſimè ſanguinem & reuellamus, & euacuemus à loco phlegmone obſeſſo, licèt ritè menſtrua procedant.

Hanc doctrinam firmant Mercurial. *in com.hiſtor.epidemic.*21.Ludou.Mercat.*lib.*4.*de nutric. & puerp.affect.c.*11. Roderic.à Caſtro *lib.*4.*de morb. mulier. cap.*16. Ioan. Raphaël Moxius *lib.*1.*de cur. morb. mulieb. acut. per ven. ſect. cap.*36. Ea tamen ſeruata lege hoc faciendum impera, vt alternatim fiat ex brachio,& crure phlebotomia. Sic enim & vtero mandanti, & parti inflammatæ opem præſtamus: euocatis etiam eo tempore menſibus, per frictiones, ligaturas, cucurbitulas infernis partibus adhibitas, quibus irruentis ſanguinis impetus citiùs trahatur deor-

C ſum. Addiderim, cephalicæ ſectionem in hoc affectu ad leuandam inflammationem valdè commodam eſſe,nec ita ſurſum euocare poſſe menſtrua quàm baſilicam, quæ maiorem communionem habet cum partibus inferis; ex illa enim furtim veluti, & inſenſibiliter ſanguis extrahitur, auctore Aëtio *tetrab.*3.*ſerm.*1.*cap.*45. Quid plura? nónne eruditiſſimus Valleriol. 5. *obſ.* 10. in pleuritide poſt partum ſæua, poſt tertium diem, ritè fluentibus menſtruis, ſanguinem è baſilica, relvctantibus omnibus feliciſſimè miſit? Nónne Fernel. 2.*meth*,8. poſt partum,rectè procedente purgatione menſtrua, è brachio ob ſolum febris ardorem è gibbere ſanguinem exhauſit? quod conſilium in acutiſſima angina commendant Mercat. ſummoperè Medico curaturo, tum *loc. cit.* tum *lib. quæſt.quæſt.vlt.* & Amat. 1. *cent.*34. quum maior vtilitas minori noxa ſit re-

D dimenda. Quæ doctrina de acutiſſimis morbis venæ ſectionem expoſtulantibus venit intelligenda, vt in ſuffocante angina, ſæuiſſima phrenitide, graui apoplexia, truculenta epilepſia, ſæua pleuritide, periculoſa peripneumonia quotidie experimur. Lege Ludouic.Mercat.de argumento hoc,*lib.*1.*de morb.mulier.cap.*16.& *lib.vnico quæſt. quæſt.*5. luculenter diſputantem.

Sed hoc loco veniunt iure merito increpandi ignari quidam Medici, qui in ſuppreſſo menſtruó poſt partum, ob ruſticum timorem,vel fortè vulgi calumnis perterriti, ſaphænarum ſemper ſectiones illicò imperant celebrandas,quum phrenitis ſæua,funeſta angina,pleuritis acutiſſima,aliique ſuperiorum partium diri affectus in parte ſiti particulari fœminas opprimunt,qui neglecta indicatione menſtrui, particularem vacuationem citiſſimam expoſtu-

E lant. Hi autem tali ſectionem iterantes, cubiti verò frontis,naſi, & aliarum partium ſciſſionem paruifacientes, in irreparabilia damna, immò mortem, miſerè ſanè decepti, eas coniectant,&ad has ſecandas nonaccedunt,niſi poſtquàm totum corpus exquiſitiſſimè vacuatum eſt: quo tempore quum inflammatio partium præſtantium confirmata ſit, & nullus videatur eſſe remedio locus, velut in moribundis præſidia exercent,quo tempore nihil aliud fit,quàm quòd quæ tempeſtiuè celebrata contuliſſent, ſuſcepta ſeriùs infamantur auxilia.

***

Obſeruatio

Obſeruatio LVII.

Suffocante angina poſt partum oppreſſa fœmina, ſuperis venis ſciſſis, & ſcarificata in occipite cucubiturla, reuixit.

ILluſtris quædam fœmina, poſt dies tres à partu, (ritè fluentibus lochiis) nullo apparente tumore externo, tantum pondus in imo gutturis perſenſit, vt vix reſpirare poſſet, ſed febri acutiſſima correpta, in horas ſtrangulari videretur. Huic opem ferens, neglecta indicatione menſtrui, cephalicam vtriuſque lateris ſcindere iubeo, & poſt duas horas leonicas. At cùm his vix leuaretur, cucurbitula tandem bis in occipitio ſcarificata reuixit.

HISTOR. LXXVIII. GALENI, De Angina.

Detegitur error Medici, acria, & cauſtica in oris affectibus imponentis.

INeſt autem & aliud quiddam particulis oris, atque id duplex, quod non adeſt ipſi cuti. Inſuauitatē enim medicamentorum, quæ adhibentur, ſentiunt, & duos meatus ſubiacentes habent, per quos in ventrem, & pulmonem defluere quidpiam ex ſtomaticis medicamentis poteſt, quale eſt & quod per atramentum ſutorium conſtat. Et ſanè Medicus, neque imprudens, neque inexpertus facultatis pharmacorum, vbi hoc miſcuerit pharmaco ori deſtinato, multò quidem fortius ipſum reddiderit, verùm vehementer lædens, ſiquidem ad gulam, aut aſperæ arteriæ extremum, quidpiam fortè fuerit præterlapſum, &c. Galenus lib. 6. de compoſ. med. ſec. loc. cap. 1.

PARAPHRASIS.

ADmirari item licet Medicorum ſtupiditatem, qui ita temerè auxilia conſulunt ægrotis, *ac ij qui aleam iaciunt, quorum affert offenſio magnum ægrotis incommodum*, vt per iocum dicebat Gal. *lib. 1. epid. ſect. 2. com. 5* o. Quis namque ſanæ mentis compos, atramentum ſutorium cum medicamentis ſtomaticis miſcere audebit? quū inſigniter calefaciat, & medicamenti cauſtici vim habeat, vt Medici Florentini docent, *tit. de chalcanto*, edocti à Dioſcorid. *lib. 5. cap. 13.* illud eſſe acre, mordax, & corrodens medicamentum aſſeuerante. Inſuper ſtomatica medicamenta, cum ſuauitate quadam non debent eſſe adſtringentia multum; nam hoc modo meatus nimiùm comprimunt, súntque in cauſa, vt humor ad interiores labatur ſedes, partéſque ſpiritales labefactet. Si autem valdè calida ſunt, impensè nocent; nam liquant humorem intempeſtiuè, fluxionem accerſunt, eámque acriorem reddunt. Quibus qualitatibus cùm polleat vitriolum (vehementer enim calefacit & adſtringit) plurima damna efficere natum eſt. Niſi adſit vlcus doloſum in vua, & praua malignáque qualitate tonſillas infeſtet, de quo Aëtius *tetrab. 2. ſerm. 4. cap. 46.* ſitque cum inflammatione complicatum, quod citiſſimè in gangrænam abit, & ocyſſimè ſtrangulat, mortémque minatur, tunc enim cauſtica, immò ignis ſunt ex vſu. De cuius vlceris curatione, legat qui velit Ludouic. Mercat. *conſult. 14.* Trincauel. *lib. 4. de comp. medic. cap. 16.*

In ſimplici ergo inflammatione, citra vlceris reſpectū, medicamenta ſtomatica modicè debere eſſe ſtypica, & frigida, & quæ citra vehementem adſtrictionem repellere poſſint, concors eſt Medicorum ſententia, vt notant Gentil. *in com. Auic. 9. 3. tract. 1. cap. 11. dub. 3.* & Matthæus *in com. cap. 48. lib. 9. ad Almanſ.* qui ſatis longam de hac re quæſtionem agitarunt. Num autem in initio anginæ, aut oris inflammatione, gargariſmata actu an potentia frigida ſint aſſumenda, apud Hip. & Galen. ſcriptum non reperio. Dicendum tamen actu, & potentia frigida eſſe debere, ſic enim partes laxas roborant, vnáque repercutiunt. Neque timeas horum vi humoris ad interiores ſedes retroceſſum;

A nam hæc ea non debent pollere frigiditate, vt adſtrictione, ſiccitatéque ſua humorem intrò propellant. Hunc curationis modum exercent inter omnes Bartholomæus Montagnan. *conſ. 91. & 92.* eum poſteà approbarunt Sylaius, Mercurial. & Ioan. Puluerin. *prop. cap. de angin.*

Neque obſtat, quòd *lib. 4. acut. 30.* Hip. calida exhibeat, & attractoria gargariſmata. Neque quòd eo loci mulſam propinet, non frigidam. A quo deſumpſit Aëtius *terrab. 2. ſerm. 4. cap. 45.* in tonſillarum inflammationibus tepidis vtens. Nam, vt ille de conſummata, & facta loquitur inflammatione, ſic hic, vel ad ſedandum dolorem, vel in ſtatu, aut declinatione tepidis vſus eſt; his enim aſſumptis, excrementa, quæ ferè in hoc morbo aſſiduè in declinatione, ab inflammatione reſudare ſolent, abſterguntur, & à facultate meliùs expelli poſſunt.

B

HISTOR. LXXIX. GALENI, De vuæ inflammatione.

Diacaryon, celeberrimum ad affectus oris auxilium.

EGo autem quando primùm ex Alexandria in patriam meam redij, agrum pertranſiui, & inueni quendam hortulanum, ab vua, tõſillis, & glandibus ferè ſuffocatum. Vtebatur autem collutione aqua mulſæ, roſis in ipſa decoctis. Cùm igitur vidiſſem fructum nucum in vigore eſſe, iuſſi detractum ab eis externum corticem, quo & tinctores videram vtentes, ſtatim in mortario contundi, & ſuccum eius per linteum colari, nondum*
C *ſciens quomodo iuxta craſſitiem aut tenuitatem haberet: quum verò reperiſſem aquoſum, & compage tenuem, gargarizare eo iuſſi ipſum hortulanum. Poſtquam verò valdè tenuis apparebat, percoxi: & mel commenſuratè, velut in eo quod ex moris fit, fieri ſciebam, admiſcui: atque vbi iam ad compagem mellis redactum eſſet, hortulano vtendum reliqui. Porrò cùm viderem celerrimam vtilitatem ipſi inde oboriri, præſtabile ratus ſum in multis experiri, atque ex hoc ſufficiente experimento accepto de facultate eius pharmaci, ſemper ipſo vtor, vt noſtris, &c. Galenus* lib. 6. de compoſ. medic. ſec. loc. cap. 1. rubric. 2. tit. de ſtomatico medicament. ex nucibus.

PARAPHRASIS.

GArgariſmata in initio anginæ, aut cuiuſcumque inflammationis oris eſſe ex vſu, omnis Medicorū cœtus vnanimiter confirmat: ex nulla tamen materia præ-
D ſtantiùs, quàm ex ſucco viridium nucum parari poſſe, plures poſt Galen. approbarunt, de quorum numero ſunt Paul. *lib. 7. c. 14.* Raſius *3. contin. vlt.* Halyab. *10. pract. c. 20. tit. de rob.* Serap. *tract. 7. cap 23.* nec immeritò, cùm hoc medicamentum ſtypticitate ſua, laxas, molléſque gutturis partes roboret, & influentem humorem ſuauiter repellat, vehementer partibus adhærens; argumento eſt, quòd huius ſucci tinctura è veſtibus difficulter eluitur. Fit verò hoc medicamentum, quum ſuccus corticis viridium nucum exprimitur, ita vt ad quintam partem ſucci, mellis vna adiiciatur, & coctione facta ad dimidias, ſeruatur totum: diacaryon ſimplex à Paulo appelatur.

Hoc enim eſt præſtantius, & vtilius cæteris: quoniam
E in variis inflammationis temporibus, eo cum aliis admixto vti poſſumus. Nam in initio cum ſtypticis, in augmento cum diſcutientibus, in ſtatu cum ſolis reſoluentibus permiſcendum eſt. Quo pacto Medici docti, rob ex ſucco viridium nucum parare ſolent: Latini dianucum, Græci diacaryon vocare conſueuerunt. Quod licèt parem videatur habere cum alio medicamento dicto diamoron, facultatem, eſt tamen potentius ad oris affectiones propulſandas: Nam vt ait Gal. *7. ſimpl. tit. de caryo,* hoc eſt, nuce, plurima in nucis putamine recenti, pariter & ſicco adſtrictio reperitur; quo pacto ex eius expreſſo, & colato ſucco medicamentum efficitur huic vſui, ſi quod alterum, efficaciſſimum: De cuius vi & potentia, Lege Valerium Cord. Lumen Apothecarior.

& Bernard. Deſſenium, qui de eius efficacia plurima literis conſignarunt.

DVBIVM L.

Num vtile ſit in medicina, Medicos proprios errores confiteri.

COMMENTARIVM.

NOndum ſciens.] Mirum eſt Gal. Medicorum coryphæum ita apertè confiteri ſe neſcire, quam conſiſtentiam pharmacum hoc poſt coctionem debeat acquirere. Sed ne te ampliùs ſuſpenſum teneam, lege quomodo ipſe *lib.2.de loc. cap.5.* in ſuo proprio morbo ſit deceptus, ſummus alioqui Medicus, & in curandis humani corporis malis multiplici vſu dexterrimus. Magnum certè Medicorum ſolatium, vt qui videant ipſum in proprio malo ita deluſum: putabat enim lapidem in altero vreterum eſſe impactum, adeò vt illi videretur doloris ipſius ſpecies perforanti ſimilis. At vacuato humore, doloréque ſedato manifeſtè conſtabat, neque lapidem fuiſſe cauſam, neque vreteres, aut renes fuiſſe affectos, ſed aliquod inteſtinorum, & fortè magis craſſorum paſſum fuiſſe. Sed quomodo poſſit à calumnia Galenus liberari, dicam *lib.2.in com.hiſt.94.*

Nec mirum doctiſſimos viros, experientiáque inſignes quandoque deerraſſe, ex ipſo Galen. *lib.1.ad Glauc.cap.1.* *& lib.de præcognit.ad Poſthum.c.14.* præſertim in vita breui, & arte longa, & ad cuius finem nec ipſe Hip. peruenit, ex ipſo *in epiſtol. num.31.* in qua *ſupra captum hominis eſſe nunquam errare, ſolius verò artificis quàm minimum* ingenuè prædixit ipſe *lib.3.prog.41.* quoniam *aliquando, licèt raro, Medicus optimus deerrat, 2.cap.29.* Neque piget tantum auctorem hæc libentiſſimè confiteri, maximè in re quæ ſemel intellecta, multam diiudicandi, & curandi morbos, omnibus præbet vtilitatem, ne quis decipiatur eadem ratione, qua quis antè deceptus eſt; hoc enim facere, magni viri, pij, ingenuique eſſe putatur. Quare multis in locis ſe ignorare & neſcire libenter fatetur Gal. & ſe fuiſſe deceptum dicere non erubeſcit.

In pulſu enim dicroto, verbis Archigenis, qui geminis mallei ad incudem ictibus ipſum aſſimilat, deceptũ fuiſſe memorat, *lib.2.de præſag.ex pulſ.cap.8.* Et *7.meth.8.* originé & cauſam mortis, ex calida ſiccáque ventriculi intemperie pronatæ, ſe cum præceptoribus non intellexiſſe aſſeuerat. Et *lib.6.de loc.cap.3.* longitudinis pilorum in vrina cauſam ſe ignoraſſe conteſtatur. Neque calloſos lapides ſe vidiſſe ex ano eiectos affirmat, *lib.6.de loc.c.2.* Et *lib.9.ſimpl.tit. de hydrargirio*, nullum de eo periculum feciſſe refert, an intùs aſſumptum, an extrà applicitum interimat. Et *lib.5.ſimpl.8. & 6.epid.ſect.5.com.5.* de animæ ſubſtantia nunquam auſum fuiſſe palam confeſſa oratione promulgare manifeſtè pronuntiat. Et *lib.9.ſimpl.cap.8.* ſe ignoraſſe ait, num lapis hæmatites, tacto vulnere vnde ſanguis emanat, curſum eius reprimat. Et *2.aliment.30.* ſe neſcire ait, num piſtacia ventrem roborent, aut lædant. Et *lib.7.de placit.4. & 1.de loc.7.* ſe ignoraſſe profert, influátne è cerebro in reliquos neruos cum facultate ſpiritus. Et *lib.6.aph.44.* ſe ignorare ſenſum illius aphoriſmi dicit apertè. Denique ſe neſcire alta voce proclamat, *lib.quòd anim.mor.c.3.* per hæc verba. *Cur refrigeratum nimis, aut calore æſtuans corpus, penitùs ab anima relinquatur, longa indagatione fatigatus nõdum reperi. Quemadmodũ neque cur flaua bile in cerebro nimia contracta, deſipimus; atra verò, melancholia vexamur: neque cur pituita, & omninò refrigerãtia lethargi cauſæ ſint, vnde & memoriæ, & intelligentiæ iacturam facimus: necnon & cur ſtultitiam ipſam cicuta potui data efficiat, &c.* & ſuprà ſic ait: *Horum profectò dubiorum nullum, quamuis magnoperè longo tẽpore inueſtigauerim, neque vel cogitatione veriſimili enodare, ac deprehẽdere potui.* Vltimò, bis ſe erraſſe in curatione vxoris Boëthi, vnà cum curantibus Medicis, ipſam balneo ex arena nimiùm exſiccantibus, apertiſſimè fatetur *lib.de præcog.ad Poſth.8.* §. *In aliud quoque erroris genus, qui pleriſq; in morbis occurrit, tum nos etiam incidere collegi, &c.* & *7. aph.40.* linguam repentè factam immobilem, aut alterius partis ſtuporem

A ſubitum, melancholiam ſignificare, provt Hipp. in contextu aſſeuerat, non intelligere ſe ingenuè confitetur. Vides quot ſe ignoraſſe proferat Gal.

Nonne Hipp. artis medicæ ſplendor & gloria, in multis errauit, & de iis à Gal. arguitur, in locis pluribus citatis à Valleriol. multifariæ lectionis viro, *lib.5.enarrat.2.* A futuris nempè, *in lib.5.epid.text.27.* Et *in lib.2.epiſt.ſec.4.in init.* venas ſub pectore emergentes in abdomen quò tendant, nondum nouiſſe refert. Et *lib.de oſſium nat.num.17.* venas per corpus diffuſas ab vna germinantes, à qua oriantur, & vbi deſinant ſe neſcire ait; circulo enim facto principium non inueniri. Et *lib.6. epid. ſect.8. text.41. & 42.* in duabus fœminis tentaſſe menſium profluuium, & nihil contuliſſe. Et in *text.62.68.69. & 86.* curantem ſe colicum dolorem cum calidis, iis non iuuantibus, ad frigida cum

B vtilitate tranſiiſſe pronuntiat.

Ex quibus non te latet, Hipp. aliquando ignoraſſe, & fuiſſe deceptum, quem omnis Medicorum chorus tanquam numen quoddam colit, obſeruat, & veneratur; cuius edicta veluti è Delphico tripode prædiuinante, ac prædicente prolata, ceu ab ipſamet natura loquente aſſerta, multi facit Galen. & amplectitur *lib. 1. de ſem 9. & lib. an anim. ſit, quod in vter. cont. cap. 2. & lib. 1. meth. 1. & lib. 2. eiuſd. 6. & 7. lib. cap. 2. & lib. 9. eiuſd. 8. & lib. 1. de elem. 16. & 1. de facult. 13. & lib. de theriac. ad Piſon. 28.* quibus locis diuinum, ac ſummum philoſophum prædicat, extollit, & reueretur. Quem nec fallere, nec falli poſſe, Macrobius firmat, *lib.1. in ſom. Scip. cap. 2.*

At in hoc ſummus vir, Hip. laudandus eſt; nam in bo-

C num vertit Quintil. *lib.3. inſt. orator.8.* ſic ſcribens. *Hip. clarus arte Medicinæ videtur honeſtiſſimè feciſſe, quòd quoſdam errores ſuos, ne poſteri errarent, confeſſus eſt, &c.* Cuius laudes cecinit eleganter Celſ. *lib.8.cap.4.* in hunc modum: *A futuris ſe eſſe deceptum Hipp. memoriæ commendauit, more ſcilicet magnorum virorum, & fiduciam magnarum rerum habentium. Nam leuia ingenia quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt. Magno ingenio, multáque nihilominus habituro, conuenit etiam ſimplex erroris confeſſio, præcipuè verò in eo miniſterio, quod vtilitatis cauſa poſteris traditur.*

Hunc morem poſteà ſecuti ſunt viri ingenio præſtantes, experimentóque inſignes. Auenzoar enim Arabicæ ſectæ anteſignanus, in *lib.1.Theiz.tract.15.cap.13.* ſe cauſam cuiuſdam ægritudinis non potuiſſe cognoſcere, ma-

D nifeſtè pronunciat. Et *lib.2.tract.5.cap.3.* in errorem cecidiſſe affirmat, dum corroſionem matricis ſanare intenderet. Et *tract.3.cap.1.* ſe erraſſe in curatione propriæ vxoris expreſsè aſſeuerat cui, cùm eſſet grauida, medicamentum exhibuit adeò violentum, vt nullus poſſet æſtimare, quòd aliqua prægnans, ex eius vel modica quantitate aſſumpta, poſſet fœtum ſuſtinere: quod cùm ipſa reciperet abſque ſui, & fœtus læſione, & declarata fuiſſet imprægnatio eius, valdè illum pœnituiſſe de errore quem fecerat, libenter fatetur, &c. Et *lib.1.eiuſd.tract.15.cap.3.* ſe non benè potuiſſe percipere cauſam cuiuſdam ægritudinis manifeſtè aſſeruit. Idem facit Arethæus, *lib.4. Chronion, cap.1.* cauſam verſicularum aquoſarum in hydrope ortarũ ignoraſſe affirmat. Alzaharau *lib.31. pract. ſect.1.cap. 15* hæmorrhagiæ ex quacunque cauſa, vel parte corporis obortæ, originem ſe neſcire tradit. Auic. 6. 4. *tract.4. in*

E *cap.22.* an harmene ſit Baſiliſcus ſe ignorare fatetur. Nonne hi omnes, homines ſunt, & poſſunt errare? hoc enim Gal. obtrudit Archigeni, Medico ſummo *lib.2.ſec.loc.cap.1:* *Difficile eſt,* inquit ipſe, *vt qui homo eſt, in multis non peccet; quædam videlicet penitùs ignorando, quædam verò malè iudicando, & quædam negligentiùs ſcriptis tradendo.* Quoniam *ſolius Dei eſt nec fallere, nec falli: hominum contra, falli ſæpè, & fallere.* De quo argumento vide, ſi placet Tiraquel. *lib. de nobilit. cap. 31. num.500. & 502.* eruditiſſimè diſſerentem.

***

HIST. LXXX. AVERROIS, De Angina.

Puer Trimus ab angina oppreſſus, venæ ſectionis ope, à morte liberatur.

ET *dixit Abomoron Auenzoar. Ego minui vnum meum filium trium annorum angina correptum,& euaſit à morte, &c. Auerroës* lib.7.collect. cap.3.

QVÆSTIO XLVII.

Quòd ſecundùm Galeni doctrinam in pueris ante 14. *annum, ſanguinis miſſio ſit celebranda. Contra communem Medicorum ſententiam.*

COMMENTARIVM.

QVæſtio eſt litigij, diſſenſioniſque pleniſſima, nùm in pueris ante 14.annum, & infantibus ſecundùm Galeni mentem ſit venæ ſectio exercenda. Auenzoar innuit hoc loco, aut ſaltem ex eius mente Auerroes, qui poſtquam hîc Galenum in pueris nunquam venam ſecuiſſe aſſeuerauit, vſque ad duas annorum ſeptimanas, etſi natura ægritudinis hoc requirat manifeſtè: tamen filium ſuum in ætate trium annorum conſtitutum vena ſecta curauit. Licèt enim locum hunc in toto Theizir nunquam inuenire potuerim, quod etiam ante me notarunt Amat.1.*cent.*10. & Augen.*lib.*1.*de ſang.miſ.c.*10. fides tamen eſt adhibenda Auerroi, tanto viro, qui huius auctoris ſententiam, hiſtoriámque fideliter enarrat.

At ego mecum cogitare cœpi, ſimúlque antiquas ſcripturas reuoluere, quas ampliùs æſtimandas eſſe monet Gal.*lib.6. epid.ſect.3. com.*31. an quæ mihi, ſi non erudito, ſaltem eruditionis auido ſitiétiſſimóque, pleniſſima, veriſſimáque videbatur ſententia, iiſdem verbis retineri poſſet, quibus, in codicibus his qui communiter circumferuntur, ſcripta legitur: Sed multa fuit opus inquiſitione, ad inueſtigandum quo morbo laborauerit hic puer. Neque enim credere fas eſt, ipſum contra Gal.opinionem (vt ipſe inquit) ſanguinem citra manifeſtiſſimam neceſſitatem emiſiſſe. Quare mihi codices Arabicos legenti, interpretis Arabici ope, qui hanc linguam callebat apprimè, & qui eos ex vetuſtiſſima bibliotheca attulerat manuſcriptos, contigit vt puerum hunc angina fuiſſe correptum exiſtimauerim; ſic enim ſonat verbum Arabicum [*Chelt*] quod idem eſt ac gutturis inflammatio. Quo factum eſt, vt hoc modo tota nobis fuerit ſublata hæſitationis anſa.

Summa ergo ratione in puero angina oppreſſo, celebrandam eſſe phlebotomiam ſibi perſuaſit: Gal.ſententiam æmulatus qui *in lib.de curand.rat.per ſang.miſ.*12. iubet, vt non annorum numero, ſed vni virium robori attendamus; ſunt enim plurimi, qui poſt 14.annum ob proſtratum virium robur venę ſectionem non admittunt: ſicut ſunt plures, qui ante hoc tempus ita viribus pollent, vt hoc auxilium ferant libentiſſimè, quos graphicè depingit Auic. 4.1.*cap.*20.§.*Cauere debes à minutione in ætate, quæ eſt minor* 14.*annorum, quãto plus poteris, niſi in figura confiſus fueris, & in ſoliditate muſculorum, venarum amplitudine, & earum repletione, ac oculorum rubedine; hos namque ex adoleſcentibus phlebotomare audebis, &c.* In cuius loci com. plura retulerunt Dinus, *quæſt.*36. & Leonard.Botal.*l.de curand.rat.per ſang. miſ.cap.*2.

Noſtra ætate ante 14.annum ſanguinem eſſe in pueris emittendum vrgente morbo, res eſt apud omnes manifeſta, ratione, vsúque frequentiſſimo comprobata. Morbi enim puerorum ab efferueſcente ſanguine ſuborti, venæ ſectione, & non purgatione lauãtur: nam *plethora venæ ſectione curatur, humorum autem vitium purgatione remouetur*; vt millies Magiſter edocuit. Galenum Medicorum phœnicem, & præceptorum medicinalem ſedulum exploratorem, nunquam ante hanc ætatem ſanguinem extraxiſſe, vnanimis Medicorum ſchola conſtantiſſimè iurat. Ego verò cùm multorum calumnias non metuam, in iis præſertim in quibus de vita hominum agitur, vulgatam, omnibúſque vſque ad noſtra ſæcula perſuaſiſſimam opinionem, omnium primus veritate ipſa coactus, interturbare cogor; quum abſurdum putem exiſtimare; Galenum Medicum eximium, & venæ ſectionis amantiſſimum, hoc auxilium in pueris tantoperè recuſaſſe. Hic enim vbique, & præſertim *in lib. de ven. ſect.* contra Eraſiſtrat. eiúſque ſequaces hæmophobos; ceu quoſdam venæ ſectionis hoſtes ſtrenuè ſe ſemper oppoſuit, pluribus allatis in medium hiſtoriis illorum, qui ob incuriam & ignauiam Medicorum ſpreta phlebotomia, vitam cum morte commutarunt.

Parcè ergo & moderatè, ſecundùm Gal.doctrinam, ante B 14.annum pueros eſſe phlebotomandos, variis morborum generibus detentos, ex ipſius, immò Hipp. mente ſic confirmo. Hipp. 4.*acut.*25. ætatem, quantitatem auxilij definire, non remedij genus, oſtendit per hæc verba. *Sanguinémque auferre oportet. inſpecta ſecundùm habitum, ætatémque, pluris, minoriſque ratione, &c.* quem ſequutus Gal. *in com.* ætatem ad corporis habitum referre melius eſſe cenſuit, quàm ad virtutem. Cùm ergo habitus ſit de ſcopis ſanguinis quantitatem metientibus, ex Gal. *lib.de cur. rat.per ſang.miſ.*13. euidenter conſtat, ætatem non ſanguinem ipſum emittendum, ſed tantam, vel tantam ſanguinis extrahendam quantitatem moderari. Quo pacto, monente ipſo, neque ætas, neque aliud quidpiam quod ſuſpectum virium robur reddit, debet omninò ſanguinis miſſionem explodere.

Inſuper Gal. *lib.de cur.rat.per ſang.miſ.cap. nuper cit.* in C pueris non tantum ſanguinis extrahit, quantum exigit diſpoſitio, quum aliquid ſit innatæ illorum difflationi condonandum. Si enim inquit: *proindè minus detrahimus quàm plenitudo commonet, quoad ætates quidem attinet in pueris, & in iis quibus mollis, teneráque caro eſt, quales Galli, &c.* Pro cuius textus expoſitione, lege Valleſ.7.*cont.*2. Cardan.*lib.*2. *contrad.tract.*3.*contr.*16.& 17. Iacch.*in met.med.feb.cap.*18. *in med.* Ioan.Brau.Petraſit.*lib.*2.*de purg.rat.cap.6.poſt med.*

Rurſus 9.*meth.cap.vlt.* poſtquam dixit ob carnem facilè tranſpirabilem in pueris, ante 14. annum non eſſe venam ſecandam, ſubiunxit: *Itaque etiã huius cauſa, iis qui ſanguinis egent detractione, aut prorſus venam non ſecabimus, aut parùm detrahimus.*

Deinde *lib.*1.*ad Glauc.*14. in valdè craſſis, & macilentis parcè eſſe ſanguinem emittendum monens, ſic ait. *His &* D *ætas annumeranda venit, veluti accidens quoddam, quod prohibendi aceruatam, & integram vacuationem vim habet, neque enim pueri, neque ſeniores hanc ſine noxa tolerant, &c.* Ergo parcam ſine noxa tolerabunt. Vide Chryſtoph.à Vega, 2. *art.medic.ſect.*5.*cap.*2. Ludouic.Mercat. *tom.*1.*lib.*1.*claſ.*3. *art.*1.*quæſt.*69.

His accedit eximia, celebratiſſimáque Galen. ſententia, *in lib.de ſectis, ad eos qui introducuntur, c.*5. qua pueris tantillis ſanguinem eſſe mittendum ſibi perſuaſit. Sic enim inquit. *Nam ſi validior potentia ſit, ætáſque in conſiſtendi vigore, ver tempus anni, locique natura temperata, non tibi errare continget, ſi vena ſciſſa tantum ſanguinis mittas, quantum cauſa iubet emitti. Sin imbecilla virtus eſt, ætáſque aut pueri natu admodum paruuli, aut ſenis in ſenium longè prouecti; regióque aut frigore algeat, qualis Scythia eſt, aut ca-* E *lore exæſtuet, qualis eſt quam Æthyopes incolunt; anníque tempus vel vehementer frigidum ſit, vel incaleſcat, nemo eſt qui venam incidere audeat, &c.* Ex quo loco euidenter conſtat, ſolùm natu admodum paruulos à venæ ſectione eſſe excludendos, cæteros à morbis ſæuis, huius auxilij ope, liberandos.

Sed quæres, & meritò ſanè, qui dicantur admodum paruuli. Dic cum Peramato *lib.de vacuand.rat.cap.*8.*in fin.* Eſſe, qui tres menſes ab ortu non exegerunt: quicquid perperam Iacob.Mãtinus aliter ſentiat, *in com. cap.*21.4.1. *Auic.* Paruulus autem, vt notat Ambroſ. Calepin.*in lit.P. nomine paruus*, eſt minimus, & admodum paruulus, eſt valdè minimus. De quo argumento doctam fecit diſputationem Gaſp. Bartol. *lib.*4. *diſp. c.*6. qua forſan ſententia

Gal.

Gal. permotus Raſius *lib. de peſte, cap.* 4. poſt quintum men- A ſem poſſe cucurbitulas imponi, & ſanguinem emitti, manifeſtè teſtatus eſt, quem citat Merc. *lib.* 2. *de morb. puer. c.* 1. Vides, vt Gal. non ſolùm in pueris ante 14. annum, ſed in infantibus ſanguinem emittat?

Neque timeo Recentiorum doctrinam, qui contra præfatam doctrinam acerrimè inſurgunt, dum dicunt, Gal. & iuniores Græcos, parcè pueros phlebotomantes, intelligendos eſſe de pueris poſt 14. annum, quum pueritia vſque ad 18. annum extendatur. At hos manifeſtè redarguit Gal. auctoritas 11. *meth.* 14. ſic dicentis: *at ſi in puerum incidas, qui* 14. *annum non attingit, &c.* vt ita pateat pueros vocaſſe, qui ad 14. annum non acceſſerunt. Lege Balduin. Ronſſeum, *in com. cap.* 10. *lib.* 2. *Celſ.*

Cæterùm rectè Gal. mentē non interpretantur, nec intimiùs aſſequuntur Fern. 2. *meth.* 10. Valleriola 5. *enar.* 3. & 5. B *obſ.* 4. Horat. Augen. *lib.* 1. *de ſang. miſ.* 7. dicentes Gal. abſolutè non impedire venæ ſectionem, ſed ſolùm intelligendum de plena & copioſa, quæ veteribus fuit conſueta, & familiaris. Nam ipſe ſicut faciebat aceruatas vacuationes, ſic parciſſimas & moderatas, quoniam dimidium cotylæ interdum extrahebat. Eſt autem cotyla quædam menſura continens vncias nouem, auctore Lacuna *libel. de ponderib. & menſuris*: contra hos lege Petrum de Peramato, *lib. de vacuand. rat. cap. cit.*

Sed quoniam in hunc incidimus locum, notare & mirari liceat Medicorum Septentrionalium oſcitantiam, qui alioquin doctiſſimi, vſu experientiáque dexterrimi, in mittendo ſanguine in pueris ante 14. annum adeò ſunt timidi, vt ſpreta omninò phlebotomia, ægrorum plures acuto morbo correpti pereant miſerè, cùm ſanguinis miſſio tempeſtiuè, parcéque facta, maximam vtilitatem illis afferre C conſueuerit, vt ex veterum, & iuniorum mente ſuprà comprobauimus. Hamburgenſes enim Medici ſancita veluti lege cauent, ne phlebotomatores ante nonum ætatis annum ſanguinem aperta vena effundant. Porrò, quid (precor) abſurdius, aut à communi Medicorum cœtu magis alienum, quàm miſerum corpuſculum, ſæua interna inflammatione, aut alio acutiſſimo morbo afflictum, tam generoſo ac diuino auxilio deſtituere, præſertim ſi ægrotantis natura ſanguinea ſit, & ingens adſit plethora? Quo pacto ergo tutiſſimè pueros ab orci faucibus liberare poſſimus, niſi vena parcè ſecta auxiliemur, ignoro prorſus, vt inter omnes aduertunt Augenius *lib.* 1. *de ven. ſect. c.* 7. Ludou. Lemoſius *lib.* 4. *method.* Gal. *in com. cap.* 6. Ferdinand. Mena *in com. c.* 6. Gal. *lib. de curand. rat. per ſang. miſſ.*

Quid mirum? Quando teſtis oculatus cum eiſdem Me- D dicis in Galeni doctrina verſatiſſimis, pro ægrorum ſalute in variis morbis conſilium iniens, ſæpiſſimè animaduerterim, quòd ipſi vel præſente ingente plethora, febre maxima à feruentiſſimo ſanguine concitata, ſæuiente vehementiſſima inflammatione interna, etiam in cuiuſuis ætatis maioribus id ipſum obſeruent: vt ſcilicet ſanguinem non emittant, quin cogente iam neceſſitate vnam tantùm, aut ad ſummum duas, exerceant phlebotomias, præceptum hoc quaſi inuiolabile non tranſgredientes: quinimò etiamſi ætas ſit florens, quadratum corpus, vires adſint valentes, complexio ſanguinea, anni tempus educendo ſanguini commodiſſimum, morbus vrgeat vehemens ex calidiſſimo ſanguine ſubortus, timentes plura, eáque irreparabilia ex venæ ſectione pericula.

Et maximè ſi variolis, & morbillis pueri, aut grandiores E natu ſint correpti, in quorum morborum curatione, in ſanguine mittendo ita ſunt timidi, vt vix reperias Medicum, qui ſanguinem aperta vena emittere auſit, humorum retroceſſum ab extimis partibus ad intimas ſedes ſubſequutum verentes; cùm tantùm abſit vt hoc facta phlebotomia ſequi poſſit, vt deonerata natura meliùs exanthemata extra erumpant, feruore ſanguinis ſedato, & leuata ſarcinâ natura poſteà concoquat humorem, & in pus optimum conuertat. Hanc veram methodum docuere Auic. & iuniores docti, & Medici Itali qui in ſanguine mittendo adhuc erant timidiuſculi, nunc in variolis & aliis exanthematis venæ ſectionis vtilitatem, vſu ipſo edocti feliciſſimo euentu experiuntur.

Quo factum eſt, vt plures medicamentorum expurgantium vi, tempore cruditatis in medio febris feruore excarnificatos (in cuius præſentia ex Galeni mente paſſim, illicò ſæpiùs ſanguinem oportet emittere) neglecta phlebotomia infauſtè ac miſerè periiſſe viderim, quos natura ſarcinâ onerata, copiâ ſanguinis obruta, ac grandi plethora ſuffocata à tanta pernicie ſubleuare non potuit, licèt per os, naréſque ſanguinem expelleret, docens nimirum magiſtra ſagaciſſima Medicos, quanti ſit momenti in ſimilibus perniciofis morbis, debito tempore aperta vena ſanguinem detrahere.

Præſertim cùm conſtet, dictis Borealibus regionibus homines adeſſe robuſtiſſimos, rubicundos, ſanguineos, quippe qui victu vtantur validiſſimo, carnibus veſcantur obeſis, ac valdè nutrientibus, ſaturentur deinde lacte, & butyro, quorum ope & cauſa, hecticos, tabefactos, & emaciatos refici nullus ignorat; quæ quantum nutriant, impinguent, & ſanguinem optimum generando craſſefaciant, eſt manifeſtum. Rurſus potu vtuntur nimis calefaciente, & inflammante, vino ſcilicet Hiſpano, nouo præſertim. Aquam vitæ, cinnamomi, & aniſi frequenter ebibere ſolent: Ceruiſiæ fortiſſimæ pocula affatim ac certatim continuò exhauriunt, quæ cùm conſtet lupulo, glycyrrhiza, abſinthio & lauro, impéṡè viſcera calefacit, vires reficit, valdè nutrit & inſtaurat, ſi experimento fides adhibenda, & Amato *l.* 2. *in Dioſcorid. cap.* 134. Et licèt Dioſcorid. *loc. cit. cap. de Zytho*, Gal. *lib.* 6. *ſimpl.* Auic. *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 279. Paul. *lib.* 7. Brud. *lib.* 2. *de regim. febric. ad Anglos, cap.* 12. Lacun. *in cit. cap.* Dioſcorid. & Vega *lib.* 2. *art. med. ſect.* 3. *cap.* 2. *in fin.* ceruiſiam inflatiuam eſſe aſſeuerent, de ea intelligendi ſunt, quæ cum hordeo ſolo, & lupulo parari ſolet. Illa autem quæ calidis aromatibus conditur, calefacit atque inflammat, & ſanguinis facit ebullitionem: & ſic vigente bruma tum ex naturæ lege, tum illa de cauſa, longè calidiora ſunt viſcera ob potus inflammantis vſum: quo tempore ſi morbi contingant, ad venæſectionem accedere oportet; quo auxilio interiora promptiùs leuantur, & tranſpirant. Quamuis autem ſæuiente hyeme ſanguis ſit craſſiuſculus, aduentante tamen vere ſolet agitari & fundi, qui ſi concepto feruore febres concitet: (has enim malè morigeratas, ardente Sirio, cum ægrotantium clade ſumma, ſæpè in his regionibus conſpicimus.) quid dubitandum de venæ ſectione, qua & humorum agitatione compeſci, è ſoco mineráque putredinis exhauſto ſanguine ſæpiùs, fidiſſimo experimento in hoc terræ tractu, in omni ſexu, ætate & tempore, ſumma cum vtilitate, felicíque euentu adinueni ſemper. Hæc enim ventilat, vacuat, peccantes humores promiſcuè & ſine delectu promptiſſimè elicit. Purgatio autem exagitat, perturbat, mouet crudum incoctúmque humorem, inflammatum locum exacerbat, ex Gal. 2. *acut.* 11. & 1. *aph.* 24. 2. *eiuſd.* 29. & 2. *acut.* 24. & 4. *eiuſd.* 11.

Neque huic veræ & firmiſſimæ doctrinæ obſtat Galen. contextus *lib.* 1. *ad Glauc.* 14. & Auic. 4. 1. *cap.* 20. qui in regionibus nimis frigidis à venæ ſectione arcere videntur; quoniam in frigidis abūdat ſanguis aquoſus, aliíque crudi exuperant humores, purgatione, & non venæ ſectione extrahendi. Nam hi auctores non vetant phlebotomiam ſed cautos nos reddunt, ne in aquoſi ſanguinis præſentia, tantum ſanguinis quantum plenitudo commonet, emittamus, cùm aliquid ſit condonandum & tempori, & regioni, vt *cit. ad Glauc.* Gal. admonuit: maximè cùm hæc coincidēt detractionis quantitatem, non ipſam ſanguinis detractionem, vt perbellè *lib. de curand. rat. per ſang. miſſ. cap.* 9. Magiſter edocuit. Secùs autem erit planè obſeruandum, quando totum corpus nimia ſanguinis efferueſcentis ſaburra oppletur, & ſuffocatur, tunc enim ocyſſimè, & ſubitò ſanguis mittendus eſt, iuxta ſuprà adducta.

Ex quibus conſtat in frigidis rationibus parcè, non ita tmen timidiuſculè, diuinitùs datum phlebotomiæ remedium in acutis morbis omninò exercendum, permittentibus viribus, poſtulante affectu. Hæc tamen obiter non prætereunda duxi: nunc ad inſtitutum redeamus.

Quæ fuerit cauſa, cur Gal. ante 14. annum ſanguinem emitiat parciſſimè, explicat ipſe 11. *meth.* 14. dum pueros

nec

nec venæ ſectione, nec vacuantibus præſidiis egere ſcribit: cùm enim calidi ſint & humidi, mollem & teneram habeant ſubſtantiã, & facilè tranſpirabilem, quod ex arte moliendum erat, id ex curati corporis natura præſtatur: idem repetit 4.*meth*.6.4.*acut*.19.*lib.de curand.rat.per ſang.miſ.* 12. & alibi paſſim. Tanta enim eſt in pueris difflatio inſenſilis, ex rara pororũ contextura contracta, vt 2.*prorrhet*.29.*&* 3 *prog. com.* 1. dicat Galen. pueros à plurimis morbis liberari, licèt nulla præcedat copioſa critica vacuatio, aut adſit inſignis abſceſſus, per ſomnum humore inſenſibiliter vacuato, ac reſoluto.*lib*.1.*acut*.45. aſſerit, in ætate puerili propter copioſum effluuium, virtutem celerrimè diſſolui.

Hæc ergo eſt cauſa, quare tantoperè cauet in hac ætate phlebotomiam, & vt ad eam non accedamus monet, niſi maxima cogente neceſſitate, vt Paul.*lib.6.cap*.40.§. *Porrò in ætatibus vſque ad* 14. *annum ſanguis mitti non debet, niſi neceſſitas quædam ineuitabilis huc nos compellat, &c.* Quare Gal.4.*acut*.19.*&* 4.*meth*.6.*&* 13.*eiuſd. cap*.21. cautos nos reddit, ne in eorum curatione tantũ ſanguinis emittamus, quantum plenitudo deſiderat, quum aliquid ſit condonandum innatæ difflationi, quæ eſt ſpecies vacuationis. Cùm enim in hac ætate ob copioſum effluuium virtus diſſoluatur celerrimè, & ex morbo acuto, ex ſymptomatibus, tenui victu, febrili calore, vires reſolutæ, non poſſint, exhauſto ſanguine & ſpiritu, vſque ad morbi vigorem ſufficere, fit manifeſtum, quòd pueri hac de cauſa parcè ſint phlebotomandi; at non tantùm ſanguinis extrahendum, quantùm morbus & cauſa morbi exigere videantur.

Gal.ſententiã firmiter ſequuntur Aëtius *tetrab*. 1.*ſerm*.3.*cap*11.Oribaſ.7.*collect.cap.4.in init.* Suffragatur Actuar. *lib.3.meth.cap*.8.adſtipulatur Raſius *lib.7.ad Almanſ.c*.21. & cæteri Arabicæ factionis proceres id confirmant, qui neceſſitate coacti, pueros acuto morbo oppreſſos ante 1. annum, firmos, & robuſtos, carnoſos, euſarcos, boni habitus, ſanguine plenos, curandos eſſe intrepidè per venæ ſectionem conſtantiſſimè aſſeuerant, ſequuti Celſ. *lib*. 2. *cap*.10.qui hos tutò vena ſecta tractandos eſſe docuit: pro cuius loci expoſitione pulchra lege apud doctiſſimum Nicol.Rorar.*in contradict.Celſ*.11.*contradict*. Hi enim, ni vena ſciſſa ſuccurras, ab acutiſſimis morbis ſanguine per nares effuſo liberãtur, vt firmat Hip. 6.*epid.ſect*.1.*text*.20. vt videas Medicum in pueris ſanguinem emittentem, naturam rectè operantem imitari.

Inhumanum ergo eſt, vt prædiximus, & piaculo plenum, immò temerarium iudico, pueros ante 14. annum, morbo grauiſſimò prehenſos, hoc generoſo auxilio deſtituere, quum ad tantam vacuandam plenitudinem, ex multo ſanguine ſubortam, innata ipſorum difflatio non ſufficiat: quo caſu audacter ſanguis mittendus eſt aperta vena; ſi auxilia debent contendere cũ morbis in magnitudine, & celeritate; effluuium autem illorum innatum, lentè & moroſè vacuare natum eſt. *Quæ autem celeritatem deſiderant, celeriter peragere oportet*, monente Hipp.*lib*. 1.*acut*.8. Neque ita timeas in lactentibus, dummodò carnoſi ſint, ſanguinei, & denſo habitu præditi, venæ ſectionem, & ex ea futuram reſolutionem: & ſi fortè timetur, præſtantius eſt per venæ ſectionem, ſanguine parciſſimè extracto, à morbo interficiente infantem liberare, quàm plenitudine intùs manente ſuffocari: Nam nullus Medicus adeò iam inexpertus eſt, inquit eruditiſſimus Valleſius, 4. *meth*. 2. *fol*.344. vt ignoret, infantibus etiam vtiliſſimè venã ſecari. Licèt autem ſcarificationibus, & apertis mariſcis ſanguis poſſit cum minori diſpendio exhauriri, quum qualibet vena ſecta totum corpus poſſit vacuari, 2.*acut*, 11. tamen non ita æquè, ac ſimiliter, & vt morbi, aut inflammationis internæ dira conditio expoſtulant. Quidquid renuat in lactentibus omninò venæ ſectionem Ludou. Mercat. *lib.2.de puer.morb.& curat.cap*.15.*& vlt.*cuius rationes ex dictis ſoluuntur manifeſtè.

Clamet ad rauim vſque Fonſeca *lib.de febribus quas Iacchin.omiſit, cap de curat.variol.fol*.253.petulanter & inconſideratè Medicorum apud Luſitanos, & Hiſpanos audaciam taxans, ipſos ſanguinis ſitibundos & auidos, ceu humani generis hoſtes appellans, qui puerulis quatuor, aut ſex menſium venã in brachio ſecant. Sed hic grauiter deceptus, præcipitanter alios reprehendit, ignorans prorſus *differre pro natura locorũ genera medicinæ, & aliud eſſe Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Gallia. Quod ſi morbos eadem cauſa facerent, remedia quoque vbique eadem eſſe debuiſſent*; vt eloquenter Cornel.docet *in præfat. in med.* At morbi in Luſitania ferè à ſanguinis copia oriuntur, quam alimẽta vbertim nutrientia, ob ſoli cælique temperiem gignere ſolent; quare ægri nonniſi ſecta vena iuuantur, quam ſæpiùs Medici longa experientia nixi ferire iubent cum vtilitate ſumma. Qua de cauſa in India Orientali, & Occidentali, Braſilienſi tractu, totóque regno Valentiæ largiſſimè in omni ſexu phlebotomaim Medici exercent: quibus locis ſi in ſanguine mittendo Eraſiſtrati more ſis timidus, in grauiora damna ægros coniicies.

Ea tamen ſeruata lege hoc exſequendum, vt in calidioribus, & frigidioribus regionibus minor ſanguinis quantitas extrahatur, in his enim virium robur illicò fatiſcit, & diſſoluitur ob multas cauſas: in temperatis liberaliùs agendum. Qua maiorum noſtrorum ductus methodo, infra tres, aut duos annos, immò vnum, & vel in ſeptimo, ſextóve menſe, innumeros (vera loquor) euaſiſſe vidi à ſæuis morbis, qui per tibiarum ſcarificationem, aut hirudinum vi apertis mariſcis in peius ruebant, & nonniſi aperta vena conualuere; quoniam non ex riuulis, ſed ab ipſo fonte, truncóve corporis, & minera mali fiſſo, vaſe exhauſtus eſt ſanguis.

Vidiſti quomodo Gal.ante 14.annum in pueris ſanguinem emiſerit. Quidquid elegantiſſimi iuniores, in eius doctrina ſatis verſati renuant omninò. Sed ij abeant in Zephyros. Hæc eſt illa Galenica veritas, quam feliciſſimum experimentum ſummis laudibus ornat. Hanc nullum prorsùs lenocinium, nulla aſſentatio, aut vlla vnquam inuidia, Neotericorúmve inferior auctoritas poterit conuellere, rumpantur licèt ilia Codro. Nec mihi vitio verti poterit, quòd in defenſionum veritatis huius totis viribus pugnem, vt poſt me alij feliciùs laborent: nam pertæſus, in commodum ægrotantium, cùm veritate hac nil habeã antiquius, manum meo tenui calamo admouere decreui, quæ didici à ſummo Magiſtro experientia pandens. Non ignorans ſtultum eſſe docere velle præſtantiores, ſed ego omnium minimus non doceo noua, quinimò ante tot ſæcula à Gal. exarata; cuius vera dogmata quanti ſint facienda, illius rectè nôrunt dulces alumni.

HISTOR. LXXXI. GALENI, De Angina.

Stercoris humani aduerſus anginam facultas admiranda.

CÆterùm humani ſtercoris hoc habeo experimentũ. Aſſiduè quidã à phlegmonis ad guttur exiſtentibus vexabatur, adeò vehementer, vt ſuffocationis periculũ ſubiret: & ſanè ob hoc periculũ ſanguinẽ mittere cogebatur. In hunc cum fortè quis incidiſſet, pollicitus eſt ſe præbiturũ medicamenti experimentum, & ſe vocari, ſi quando rurſus aliqua in parte gutturis emicuiſſet phlegmone, ante ſanguinis miſſionẽ, præcepit. Itaque vocatus, medicamento illito ſtatim hominem curauit. Vt autem iterum profecit, non in ipſo tantùm, ſed & in aliis qui ſimiliter erãt affecti: rogabat is qui aſſiduè ſuffocari periclitabatur, data mercede, vt ſeſe medicamentum illud doceret. Porrò vbi conuentum eſſet de pretio, is qui vendebat: Hoc medicamentum, inquit, per antipathiam quandam, vtilitatem obtinet, vt qui curatur, neſciat vnde conficiatur. Iuſſit itaque alium daret, qui pro ipſo diſceret, qui ſibi fideliſſimus eſſe videretur, quique iureiurando reciperet, ſeſe nulli eius facturum copiam, priuſquàm ipſe qui dediſſet, foret defunctus. Itaque à morte eius qui indicarat, non tantùm ille ſuũ hominẽ, ſed & alios ſanabat, & mihi ne petenti quidẽ, medicamenti exemplum, volens ac lubens obtulit. Erat autem ſtercus pueri ſiccum cum melle Attico ad læuorem tritũ. Victitabat autẽ puer, cuius ſtercus accepturus erat, lupinis, illis

videlicet

videlicet qui ex more edi ſolent,cõ pane benè coćto in clibano, modicum ſalem, & fermentum habente. Præbebat autem bibendum vinum vetus: atque hæc omnia in mediocri quantitate, vt perfectè ea puer poſſet concoquere. Itaque cùm primo die, eo victu eſſet vſus, poſtero tamen die nondum ſtercus capiebat, ſed in eodem quoque die rurſum eodem alebat victu, ac tertio demùm ſumebat, ac poſteà arefacto vtebatur, ſimiliter vt ſtercore canino,&c.Galenus lib.10.de ſimplic.medic.facult. tit. de ſtercore humano.

PARAPHRASIS.

STercus humanum calidum eſſe,attrahens, digerens, exſiccãs, apud priſcos Medicos ſæpiùs fuit promulgatum,ita vt nullum infrigidet,aut humectet, teſte Auicen. *tract.2.lib.2,c. 613.* Sicque extrinſecùs ſtercora impoſita & illita,duritiem diſcutiunt,ſiccant,calefaciunt,panos & ſtrumas reſoluunt,flatus eleuant,& impactum humorem digerunt in halitus,magis aut minùs,pro animalis temperamento, vt Paul. Affirmat *lib.7.tit.de ſtercore.* Humanum ergo ad anginam, tonſillarúmque inflammationes eſſe valdè proficuum, nõ ex antipathia, vt ille qui dedit medicamentum,quò ipſum exaggeraret, falsò prædicabat, tenent Dioſcorid.*lib.2.de mater.medic.cap.73.* Galen. *lib. de facil.parabil.cap.de ſtrangulat.* Aët. Tral. & cæteri qui de angina peculiare caput conſcripſerunt.

Nam præterquam quòd ob putrefactionem maximam, ex Gal.5.*ſimp.*17.valida polleat attrahendi vi,etiam nimia ſiccitate illitum inflammationes,& tumores perſanat,maximè ſi ſit cum melle permixtum,atque eo magis ſi veſceretur puer lupinis,pane benè fermentato,admixto ſale,in clibano cocto,ſuperbibito mero,quæ omnia ſtercus magis acre, excalfaciens,& ſiccans reddunt. Quo fit vt potẽtius ſtercus reddatur, & ad diſcutiendas oris,aut gutturis inflammationes aptiſſimũ: non omnes tamen,ſed quæ ex pituitoſa fluxione originem ducunt,quales ex pluuiarum multitudine,aut humidioribus naturis,quibus catarrhi copia per palatum deorſum ad guttur deſcendit, euenire ſcribit Gal.6.*aph.com.2.& lib.3.eiuſd.com.*16.In cæteris ex calido ſiccóque humore pronatis, ſi hoc,aut aliud acre medicamentum imponas, lædes manifeſtè. Neque medicamenti cuiuſpiam, calidi præſertim & attrahentis vſus,in angina, citra totius prouiſionem, eſt tutus; quæ cæterorum localium ritu, facta priùs venæ ſectione, aut purgatione(vt par eſt hîc fuiſſe Galenum)adminiſtrabis: quod ſummoperè commendat Gal. Medico anginam curaturo,*in lib.de cur.rat.per ſang.miſ.*19.& 4.*acut. com.* 30. & alibi ſæpè.

Cæterùm fit ex humano ſtercore,inquit eruditiſſimus Matthiol.*lib.2. in com. cap.* 73. *Dioſcorid.* vitreis organis aqua, præſertímque ex eo quod rufus homo excreuerit, quæ cuniculoſis, exedentibus, ſinuoſis, & contumacibus vlceribus mirificam opem præſtat: delet & oculorum argemata, ac nubeculas: quin etiam carcinomata ſanat extra adhibita: intùs aſſumpta comitiales iuuat; lapidem in renibus,aut veſica comminuit; aqua intercute laborantibus prodeſt; rabioſorum morſibus ſtrenuè auxiliatur, & à venenoſis animalibus ictis mirabiliter ſuccurrit. Porrò oleum quod poſt eius ſtillatitiam aquam ab organo emanare ſolet, eadem vitia valentiùs ſanat,curat cancrum,& fiſtulam mortificat,auctore Euonymo *in theſauro ſuo.* Cætera de ſtercoris humani vi, ac facultate mira, vide apud Plin. *lib.8.cap.27.& lib.28.cap.4.*

Obſeruatio LVIII.

Stercus humanum celebre aduerſus venena alexipharmacum.

ADuersùs certum,& determinatum cuiuſque animalis venenum, prouida natura certum & appropriatum fabricauit antidotum. Nobiliſſimus quidam Occidentalis plagæ Dux ſtrenuus, quum eſſet naturæ arcanorum acerrimus indagator, mihi lubenter oſtendit innumera antidota,quæ nullus aromatum Indicorum ſcriptor hactenus agnouerat,contra venenorum efficaciam admiranda,Præter quæ vnius alexipharmaci vires ſolùm mirabatur,cuius vi ab animali venenoſo ictos omnes, ſuperſtites euaſiſſe bona fide commemorabat.In Prouincia Occidentali *Squilaque* vocata propè ciuitatem appellatam *Burgos*,adeſt animal quoddam paruum, ſicut lacerta,in agris frequentiſſimum,nomine dictum *Guarit*, quod ictu ſuo, æſtate præſertim,adeò venenoſum eſt, vt illicò poſt morſum,dira & terroris plena concitet ſymptomata; quorum ſæuitie occubuere plures, eorum more qui ex præſentaneo veneno perire ſolent. Nec auxilio erant belzaartica epota, neque ſupra morſum locum ligaturæ arctiſſimæ,in ipſa parte affecta attrahẽtia antidota,cauterium, aut membri abſciſſio præſidio eſſe poterant,ſed omnes nec tantillum adiuti,angore,animi deliquio,cum partis ictæ liuore,& virium omnimoda iactura ſubitò interibant. Inuentum,ſummi Omnipotentis beneficio, alexipharmacum præſtantiſſimum & eſt, vt quis poſt venenoſum ictum animalis,illicò ſtercus,vel ſuum, vel alienum recenter eiectum, adhuc calidum,aquáque cardiaca,vel communi admixtum ebibat:& iam inuenti ſunt laboratores multi qui ardente Sirio,cùm aqua non eſſet inuenta, ſtercus, mortis certæ metu perculſi, auidiſſimè comederunt. Ex improuiſo enim omnibus cietur vomitus,& copiosè rumpitur aluus. Nec mireris,nam ſtercus humanum venenatis prodeſt, vt ſuprà ex Mathioli, & aliorum mente retulimus.

Perhibent namque Barbariæ venatores,Pantheras carnibus aconiti veneno, quod Pardalianches ob id vocant, delibutis ineſcare:quibus deguſtatis, niſi hominis oletum ederint,repentè ſtrãgulari,quod illis eſt efficax alexipharmacum, vt tradit Cicer. *lib.2.de nat.Deorum.* Tu verò de ſtercoris humani efficacia,& viribus pro curandis morbis, & domando veneno, lege *lib.2.in com.hiſt.96.&* 111.

HISTOR. LXXXII. GALENI, De Angina.

Celebre ad Anginam auxilium.

CÆterùm memini me admirandam canini ſtercoris expertum facultatem, quo vti aſſiduè conſueuit præceptorum noſtrorum quidam, ſola oſſa cani edenda exhibens duobus continuis diebus, ex quibus durum, candidum, ac minimè fœtens ſtercus proueniebat. Hoc igitur acceptum deſiccabat, vt cùm poſteà vſus eſſet facilè ad læuorem poſſet redigi. Vtebatur eo ad anginam,ad dyſenteriam, & ſummè inueterata vlcera. Ad anginam quidem iis admiſcens, quæ alioqui huic affectui congruebant. Ad dyſenteriam,lacti immiſcens,cui decocto calculos ignitos inijci antè poſuimus:at,vt ego poſteà ob parabilitatem ad ferrum confugi,id candens lacti probè decocto iniiciens. Cæterùm Medicus ille ſtercus caninum,aridum,tritũ, lacti in quo extincti erant calculi marini clam inijciebat, & id ſolùm generoſiſſimos quoſque diſcipulos docebat. In his ergo duobus certè expertus ſum ſtercus caninum, ceu medicamentũ mirabile,ſicut & in vlceribus*extremè malignis,&c.Gal,*10. ſimpl.tit.de ſtercore canino.

PARAPHRASIS.

STercus caninum plurimam in curatione anginæ(pituitoſam intellige,nam bilioſa acrium medicamentorum impoſitione exaſperatur valdè) habere facultatem, præter veterum ſententiam oſtendit Auic.*lib.2.cap.cit.de ſtercore.* Nam pituitoſos humores coquit, & diſcutit, ſuperfluámque exſiccat humiditatem, neque vllam inſuauitatem exhibet vtenti, auctore Magiſtro 6.*ſec.loc.cap.2. rubric.* 3. nullum enim hoc eſt præſtantius pharmacum, neque in angina,neque in magna tonſillarum inflammatione, aut iis quibus ex glandularum affectionibus ſuffocationis periculum imminet. Accipe ergo ſtercus caninũ album, reſicca, tritúmque modicè cribra, & in promptu habe. Cùm adfuerit occaſio, melle dilue, eóque partem

affectam

affectam illinc. Quod ſi hoc loco id repudiat, fortè ob horrorem id facit, dum non multum vrget affectus, quo cogente, illud experiri, & alia horribiliora, pro vna hominis vita ſalubre iudicauit.

Narrat Foreſt. 15. *obſ.10. de vlceribus malignis tonſillarum*, ſe mulierem, Sopiam nomine, ſtercore canino, & cinere centaurij minoris, cum melle ad craſſitudinem permixto, & illito ſupra ſerpentia vlcera tonſillarum antiqua, ex acri ſalsáque fluxione ſuborta, perſanaſſe, quæ nullis vnquam auxiliis leuari potuerat. Nam ſtercus caninum impensè exſiccat, mel autem abſtergit, quæ pro vlcerum curatione ſummoperè expetuntur. Qua ratione curari eius vi inteſtinorum vlcera, res eſt manifeſta, maximè ſi lacti miſceatur chalybeato, quod ſummè exſiccare, & veteres & iuniores docuerunt. Quoniam lac ſic apparatum, ad adſtringendum, & ſuccorum acrimoniam temperandam eſt ſalutare; quæ præſidia in bilioſa dyſenteria, vt neceſſaria probat, & laudat Gal. 3. *de alim. facult. cap.* 14. dummodo chalybectur, ita vt pleraque ſeroſi in eo humoris abſumpta pars fuerit. At nos, inquit Gal. 10. *ſimpl.* 8. iniectis ferreis in ipſum cylindris candentibus, eandem, aut etiam meliorem facultatem effecimus; nam ferrum adſtringentis quoque facultatis eſt particeps, &c. Probat Aëtius *tetrab.1. ſerm.2.c.95*. Amatus *Luſit.2. centur.44.* in omni bilioſa dyſenteria id interdicens; approbans in ea ſolùm quæ non à bilioſis ſuccis, ſed ab aliis acribus non bilioſis ortum ducit: contra quem ſtrenuè certauit Petrus Vaëzius *in com. medico, cap. 20. in med.*

Stercus caninum fiſtula gutturi inſufflatum anginam perſanare, firmant Mathiol. *lib. in Dioſcorid. cap.73.* Vidus Vidius *lib.8. de curat. membrat. cap.5. in fin.* Michaël Ioan. Paſchal. *lib.1. de curand. morb. cap.24.* & alij edocti à Paul. *lib.3. cap.27.* Aët. *tetrab.2. ſerm.4. cap.47.* Auicen. 9.3. c.11. De cuius facultate lege Dioſcorid. *lib.2. cap.12.* Plin. *lib.30. cap.8.* Conrad. Geſner. *lib.1. de quadruped. cap. de cane in genere, liter.6.*

DVBIVM LI.

Num chalybs præparatus ad curandos morbos ſit ex vſu. Contra Chriſtoph. à Vega, & Ludou. Lemoſium Medicos doctiſſimos.

COMMENTARIVS.

AD *ferrum confugi.*] Mira eſt ferri facultas, & in domandis morbis admiranda poteſtas, de cuius generatione ſat plura ex veterum mente congeſſit doctiſſimus Fallop. *lib. de foſſilib. & metal. c.25.* quod medicamentum plures præſtare vtilitates propter vatium ipſius temperamentum, *ibi* Fallop. & poſt eum Roderic. à Caſtro Hamburgenſis *lib.2. de vniuerſ. mulier. medicin. in ſchol. c.5.* Ludouic. Mercat. 2. *indicat.7. & lib.2. de morb. mulier. cap.6. &* 18. Monardus *in tract. de ferro*, ſcitè annotarunt. Quare cùm ſit metallum, igneam habet naturam, ratione ſulphuris, & argenti viui, quæ ſunt metallorum principia communia, ex Gal. 9. *ſimp. c.26.* & probat Albert. Magn. *lib.3. de metal. tract.2. cap.4.* Quò ergo metallum eſt purius, vt aurum, & argentum, minùs de ignea ſubſtantia participat. Impura verò metalla, vt ferrum & plumbum, magis, vt Plin. *lib.34. cap.17.* oſtendit. Quo pacto aqua, quæ decurrit per canales plumbeos, mala eſt; nam hac ratione redditur ignea, acris, & exulcerans. Vide pulchra de hoc argumento, apud Iacob. de Forliu *in com. c.16.* Auic. *doct.2.2.1.* Addiderim ex Vitruuio *lib.9. cap.11.* hanc aquam eſſe vitioſam, quoniam in his mineris plumbi, plurima ceruſæ copia naſcitur, quæ quantum noceat, docet eruditè Pallad. *lib.9. rei ruſtic. tract.11.* Accedit quòd ex Dioſcorid. mente, *lib.6. cap.22.* ceruſa epota, dentibus ac gingiuis, quas ſuo colore inficit, impacta, linguam ac pariſthmia aſperdine exulcerat. Vnde aqua, quę per mineras plumbeas decurrit, eſt peſſima, quoniam ad diarrhœam, & dyſenteriam ſæpiſſimè parat, ex Gal. *lib.7. ſec. loc. cap.2.*

Quo factum eſt, vt ferrum magnam habeat penetrandi vim. Nam aperit, incidit, deobſtruit, attenuat, ab infarctu liberat, menſes prouocat, ſcirrhum vteri, hepatis, & lienis abſumit; vnde in harum partium, ſicut in omenti, meſenterij, & venarum obſtructionibus referendis mirum eſt auxilium: vt ſuprà citati auctores confirmarunt, qui ad febres, quas vocant albas, ex Lang. *lib.1. epiſt.21.* ex menſtrui retentione, viſcerúmque obſtructione ſubortas extirpandas, ad hoc auxilium, tanquam ad ſacram anchoram confugere ſolent. Sic in veneſi generis morbis, aut aliis, quibus craſſus, lutulentúſque humor occaſionem præbuit, ferrum præparatum, aut aquam ferratam exhibere non verentur: nam ſic auferuntur obſtructiones, & roborantur viſcera, cùm ferrum deobſtruat, & adſtringat, ex Auicen. *lib.2. tract.2. cap.21.* §. *Vinum, & aqua in quibus extinguitur ferrum, conferunt duritiei ſplenis.* Et primò hoc adſtruxerant. Ga. *lib. de theriac. ad Piſon.6. & in lib. ſec. loc.* paſſim. Aëtius *tetrab. 3. ſerm.3. cap.11.* Paul. *lib.7. tit. de ferro.* Raſius, Auer. Alzahar. & alij Medicinæ Duces, citati à Nicol. Monard. *in tract. de ferro, Hiſpano idiomate conſcripto*: quem poſteà elegantiſſimus Carolus Cluſius ab Hiſpanico ſermone in Latinum graphicè tranſtulit. Firmant Fallop. *lib. de tum. præt. natur. cap.2. de ſcirrho*, Mathiol. & Lacun. *in com. cap.50. lib.5. Dioſcorid.* & plures alij, qui ad viſcerum obſtructiones diuturnas, ſolùm ad hoc, tanquam ad præſtantiſſimum auxilium accedunt. Sicque ex ferro præparato varia parant præſidia, vt pulueres, opiatas, tabellas, ſyrupos, tam ſimplices quàm compoſitos, ex herbis, radicibus, & aliis medicamentis reſerantibus factos, trochiſcos, & alias ex eo pro morbi neceſſitate, & ſumentis natura formas conficiunt, quas fusè citatas, ſicut & modum aſſumendi chalybem, legat qui velit apud Ludouic. Mercat. Claudin. *lib. de ingreſſu Medici ad infirmos, ſect.4. tit. de chalybeatis medicamentis*, & Roderic. à Caſtro *loco cit.* qui de hoc argumento eruditè diſputarunt.

Duo tamen aduertas rogo. Primùm, Grauiter deceptos fuiſſe Chriſtoph. à Vega 3. *art. med. ſect.8. cap.7. de ſcirrho lienis*, quem ſequitur Ludouic. Lemoſius *lib.4. meth.* Gal. *in com. cap.7.* qui chalybeata medicamenta damnant. Sed hi futili ratione ducuntur ſola, quòd nullum integrè ſanatum viderint ex iis qui ſtomoma acceperunt, ſed in grauiores deinceps incidiſſe morbos. At præter rationem improbant auxilium, quod in plurium grauiſſimorum morborum obſequium, feliciſſimo, diuturnóque experimento nixi confirmant plures. Monet autem Gal. 2. *de vſu part. cap.3.* vt *quando plures conſentiunt, vnúſque diſſentit, rationabilius exiſtimemus, vnum potiùs ignorare, quàm omnes alios.* Licèt enim *veritas non numero, ſed ſapientia ſit iudicanda*, ex Galen. *lib.1. de dignoſc. pulſib. cap.1.* tamen ſi pro pluribus ratio dictat, experimentúmque ſuadet, pro his ſtare victoriam ambigit nemo. Quòd ſi huius auxilij vi plurimi morbi radicitùs non extirpantur, & ſæpè accidit, vt in peius recidiuent, id ad fœminarum natiuam ſortem, in quibus hoc præſidium ferè adminiſtratur, referendum puta. Cùm enim hæ iuuenculæ ſint, maturæ viro, innuptæ, ſemine turgentes, & ſuapte natura ad Venerem procliues, fit vt retento ſemine, putrefacto, & in malignam naturam commigrante, hac de cauſa totum corpus ob vteri conſenſum fœdetur labe dira, & aliis ſymptomatibus prematur lethalibus, quæ 6. *de loc.* 5. diffusè recitat Gal. Deinde cùm ob multas variáſque cauſas, morbos protendi, atque in longum tempus protrahi contingat, inter cæteras illa mihi, in his qui chalybem aſſumunt, viſa eſt præcipua, quòd citra perfectam craſſorum humorum, à quibus hi oriuntur morbi, præparationem, & vacuationem iteratam, ad tantum auxilium faſtidibundæ iam, & remediorum pertæſæ accedant, in quibus non ſolùm non prodeſt, ſed obſtructionibus auctis, morbus inſolentior fit, & exaſperatur. Cæteris omnibus ſidiſſimo experimento eſt ſalutare valdè.

Secundò aduerte. Lapſos fuiſſe auctores pœnè omnes, qui ad ſyrupi ex chalybe compoſitionem, ſcoriam ferri aſſumere iubent. Aut è contra, titulum proponunt ſyrupi ex ſcoria ferri, & ad eius compoſitionem iubent extingui in

in decoctione, vel aqua aperiente chalybem; cùm ferrum, & chalybs longè differant: cùm hoc metallum purum ſit, & magis elaboratum, ferrum autem impurum, ac minùs defæcatum, quidquid Ludouic. Lemoſius *loco citat.* contrà ſentiat, Marcelli forſan Virgilij, & Braſauoli opinionem ſequens, cuius dogmatis falſitatem coarguit non obſcuris rationibus Mathiol. *lib.5. in Dioſcorid. cap. cit.*

Galenus ergo fluxus dyſentericos, lacte in quo ferrei orbiculi ſint extincti, perſanat; & maxime cùm hoc medicamentum adſtringat, & exſiccet, ex omnium auctorum decreto: ſícque ſummoperè prodeſt (Dioſcorid. ſententia) mollificationi ani, inuoluntario fluxui vrinæ opitulatur, menſtruis immodicè fluentibus mirè ſuccurrit, ex aceto illitum ignis ſacri, & papularum eruptionem compeſcit, profluentes hæmorrhoides valenter reſiſtit, gingiuas flaccidas firmat, & caducis dentibus opem fert. Adeò denique eſt excellens in exſiccando medicamen, vt ſi feruore & coctione præparetur vehementer aluum comprimat. Quod ſanè dogma euidenti argumēto probari poteſt, quòd Chymicæ artis profeſſores, vt ex ferro adſtringendis fluxibus idoneum medicamentum parent, quod crocum Martis vocant, illud igne ſæpiùs adhibito, ab omni ſulphureo recremento, & Mercurio repurgent. Quare acribus & igneis partibus, vi ignis abſumptis, ferrum impensè exſiccat, & adſtringit. Quo fit vt cùm aquam fluxibus ſiſtendis, ex chalybe extincto parare ſtudemus, prima aqua abiicienda ſit, vt quæ vim aperientem non minimam ſortiatur, reliqua autem ſeruetur oportet, huic vſui aptiſſima valdè.

Enimverò quum ferrum duplicem ſortiatur facultatem, aperientem nimirum, & adſtrictoriam, ex diuerſa eius natura ſubortam, nihil mirum ſi diuerſos ex ſe promat effectus, velut in bráſſica, lentibus, rhabarb. aloë, & aliis huius generis experimur. Ne ergo mireris, ſi lac, abſumpta caloris ignei vi, parte ſeroſa, huius etiam medicamenti beneficio magis adſtringat, fluxus compeſcat, & incraſſet. Cætera de ferri temperamento, vario præparandi modo, vtendi forma, apud citatos legere ne pœniteat, qui fusè, doctéque de hoc argumento diſputarunt.

QVÆSTIO XLVIII.

Quòd Galenus veram malignitatem à iunioribus depictam agnouerit. Contra communem. Medic. opinionem.

E*Xtremè malignis, &c.*] Digladiari ſolent Medici inter Neotericos peritiſſimi, & ex hoc loco, & aliis, inter ſe hoſtiliter contendunt & decertant, Galenum, ſummum Medicinæ Magiſtrum, nunquam malignitatem, quam ipſi in ſuis ſcriptis depingunt, agnouiſſe, nec docuiſſe quid eſſet morbus malignus. Sícque eum, vt inconſtantem accuſare non ceſſant, qui nihil firmum ac conſtans de hac tam ſeria quæſtione ſtabiliuerit, quæ ita ardua eſt, vt mirum in modum ipſorum torqueat ingenia. Sed hos ſpiritu Galenico deſtitutos eſſe arbitror, qui in re tanti momenti ita miſerè ſunt allucinati. Carpunt autem eum immeritò, hic ambitionis ſtimulo, ille cauillandi gratia, pauci veritatis ſtudio. Sed quemadmodum fluctus in ſcopulum impingentes quanto violentiùs ſeſe inferūt, tanto miſeriùs diſſipantur, ita inanes ſunt, & ridiculi eorum conatus, qui alieni nominis, maximè verò Præceptorum ruinâ, gradum ſibi parant ad gloriam. Cauſa autem quâ commoti, ita in eum debacchari ac ſæuire auſi ſunt, eúmque inſcitiæ arguere non ſunt veriti, ea eſt, quoniam plura facit maligna; quæ ſi rectè expendantur, eum omnes morbos feciſſe malignos iure optimo dicere poſſimus. Sic tamen pro Gal. tutela fari incipiamus.

Morbus malignus latè ſumptus, apud Gal. *lib.1. prorrhet. ſect.1. com.14.* eſt ille, *qui cùm periculum minetur, ſpem tamen ſalutis non adimit.* Sed cùm plurimi, iíque venoſi generis morbi acuti ſint, vt cauſos, phrenitis, pulmonia, pleuritis, lethargus, & alij ab Hipp. relati *lib.1. acut.8.* & periculum minentur, ſpémque ſalutis non adimant, & maligni non ſint, eum lato modo ſumpſiſſe malignitatem aſſerendum eſt, ſi Galenum conciliare velis, eiúſque tam repugnantia loca inter ſe, vt oportet, conſentientia facere tentes. Nam hoc loco doloſa vlcera facit extremè maligna, & ſputum è pulmone eiectum, malignum vocat, 7. *aph.15.* & *6.aph.56.* humorem melancholicum ſupra modum exuſtum. Sic maligna vocat eryſipelata, ad quæ putredo aut ſuppuratio ſubſequuntur, *in eod. lib. com.20.* Sic humorem acrem in inteſtinis retentum, malignum dicit, *lib.7. de vſ. part.10.* Sic puſtulas nigras vocat malignas, *lib.1. epid. ſect.2. com.26.* Sic carbunculum citra peſtilentem ſtatum, malignum appellat, *in lib.3. epid. ſect.3. com.26. & 14. meth. cap.12.* Sic dicit 4. *meth.4.* vlcera ea maligna, quæcúmque difficulter conſaneſcunt, ſiue ob prauorum humorum confluxum, ſiue ob malè diſpoſitam, affectámque patientis loci conditionem: repetit *lib.4. per gener. cap.1.* Sic vulnera, aut vlcera circumglabra, maligna ſunt apud ipſum, *6. aph.4* & *6. epid. ſect.7. com.23. Et lib.1. eiuſd. ſect.1. com.11.* vocat vapores malignos, qui è ventre in caput pertinaciter exhalant. Sic vlcera cum putrilagine, vocat maligna, *2. ad Glauc.2.* quo titulo pudendorum vlcera inſignit, 10. *ſimpl. tit. de ſero lactis.* Sic tremores in melancholicis euenientes, malignos dicit, *lib.1. prorrhet. ſect.1. com.14.* Quo pacto diſtillationes ab acribus humoribus ortas, faucium dolorem inferentes, malignas vocat, *lib.1. epid. ſect.1. com.28.* & tuſſes ab ſpirabilium partium vlcere concitatas, malignas nominat: repetit *ſect.3. eiuſd. com.18.* Sic ab eo pus erodens, malignum dicitur, 7. *de vſu part. cap.1.* Sic excrementa acria vocat maligna, *lib.1. epid. ſect.1. com.15.* Sic febres quæ ex ingenti phlegmone partis præſtantis originem ducunt, ſunt malignæ apud ipſum, *1. prorrhet. ſect.2. text.21.* & Galen. *2. criſ. cap.7.* Quare febres ex maximis inflammationibus ſepti, ventriculi, iecoris, pulmonis, cordis, & cerebri concitatas, malignas appellat, *3. epid. ſect.1. in præfat.* Hoc modo febrem vocat malignam, quando ſanguis in atram bilem commigrat, 2. *feb.9.* Sic febres tertio quoque die, tertianarum more, ingraueſcentes, malignæ ſunt ab ipſo nominatæ, *lib.1. epid. ſect.2. com.11.* Hoc pacto pulmoniam ex pleuritide concitatam vocat malignam, 7. *aph.11.* Hoc eſt latiſſimum, improprium, illegitimúmque, apud Gal. doctrinam, malignitatis ſignificatum, quod cùm in his locis tam amplè, latè, & manifeſtè palam fecerit, anſam Medicis non minimam præbuit, vt in varias ſectas diuiſi, huc illúcque agitati, ac diſperſi, de malignitatis ſignificato ac eſſentia, noua dogmata condere non dubitauerint. Sed quomodo Gal. ſit de hac re intelligendus, iam exaudi.

Cacoëthes, id eſt, malignus morbus, ex Galen. *lib.2 per gen. cap.1. & lib.1. prorrhet. ſect.1. com.14.* interdum ſumitur pro lethali, *lib.1. criſ. cap.5.* interdum cum lethali confunditur, vt *lib. de bon. & vit. ſuc. cap.1. & 3. prog.2.* Rurſus malignus morbus eſt lethalis magna parte; nam lethale apud Galen. 5. *aph.2.* ſumitur pro morbo, qui admodum crebrò, non tamen ex neceſſitate mortem affert. Eſt ergo morbus malignus preſsè ſumptus, vehemens, lethalis in hoc ſenſu, & periculoſus.

Legitimè autem verè, propriè, & ſtrictè ſumitur malignitas, quando morbus ſæuit intensè, manifeſtè, atrociter, & ita incipit qualitas, ſubſtantia, & quantitas ſpirituum, humorum, & continentium labefactari, incipiunt vires diſſolui, grauiúſque ac preſſiùs angi, & difficiliùs remediis obſiſtere, vt parùm reſiſtat corpus, & ſecundùm vniuerſum corporis habitum, faciem, pulſum, vrinam, reſpirationem, excrementa, actiones principes, & non principes inuadat, & tandem velox periculum, ac maximum, frequentem, citiorémque interitum demonſtret. Hic ergo eſt verè malignus morbus, qui præter ſpirituum, humorum, aut ſolidorum vitium, deleteriam ac malam qualitatem ſecum ſemper importat, ſed non ita ſæuam ac intenſam, vt peſtis, quæ ferè omnes, hac maleficentiſſima qualitate interimit, 1. *criſ.9. & 3. epid. ſect.3. com.20.* vnde endemij, epidemici, ſporadicique

dicique euadunt, qui morbi praui & mali moris, à Gal. *in lib. de criſib. & de dieb. decretor.* & paſſim appellantur.

Cuius maligni morbi licèt nullum adſit ſignum pathognomonicum, extant tamen aliqua, quæ ſimul copulata malam qualitatem adeſſe palàm oſtendunt, quæ allatis in medium Galeni locis manifeſtiora euadent. *Malignus morbus,* (inquit ipſe *lib. finit. medicar.*) *magnus, grauiſque eſt poteſtate, ſpecie verò imbecillis, nec certa tempora habet iudicationis.* Veræ malignitatis ſigna ſunt, quando videtur febris, quoad tactum & pulſum moderata; cum hoc tamen internæ vſtionis notæ apparent, ita vt ægri interiùs magno flagrent incendio, vt notat Gal. *6. epid. ſect. 1. com. 29.* & ita profundas partes ignis ſæpè vrit, vt cute refrigerata, vt neque valdè ſubtilium veſtimentorum, neque linteolorum velamenta, neque aliud quidpiam præter nuditatem, ægri ferre poſſint. Sic Crito in Thaſo apud Hipp. & Galen. 1. *epid. ſect. 3. com. 26.* cum febri tenui mortuus eſt, puſtulis nigris ad talum erumpentibus, quæ veram malignitatem præ ſe ferebant, vt videas quomodo in hoc ægro viſa fuerit parua, puſillàque febris, latente tamen intùs malignitate, & veneno interno. Et licèt morbus videretur ad ſenſum debilis, fuit tamen poteſtate magnus & grauis.

Sic debiles, & paruæ febres quandóque valdè malignæ ſunt, ex Gal. 3. *criſ. cap. 4.* Vnde cùm ex febris debilitate non poſſit niſi benignitas febris oriri, conſtat aliquam malam adeſſe intùs qualitatem, cuius ratione maligna febris conſurgit. Quare malignam febrem tunc in Gal. doctrina dicemus, quando ſæuiora adſunt ſymptomata, quàm mitiores febris oſtendit.

Sic cum pulſu bono, bonáque vrina moriebantur ægri, referente Gal. 3. *de præſag. ex pulſ. c. 3. & 4.* Sic vrinæ coctæ malæ in rubris epanthiſmatis, hoc eſt, purpurea, & pulicari febri, ex Hipp. 1. *prorrhet. ſect. 2. text. 24.* quaſi diceret, quòd cauſa huius morbi non tam ſit putreſcentia illa frequens, quam concoctio domat, quàm quædam corruptionis malignioris ſpecies per quam in venenoſam naturam magis labitur. Vnde rectè Fernel. 4. *pathol. 13.* febrim malignam definit, quæ non modò calore, ſed venenata qualitate cor fatigat. Et Valleſius 4. *met. 2.* præter communem putreſcentiam, venenoſam in his adeſſe qualitatem oſtendit. Sequuntur Aloyſius Toreus *lib. de natur. feb. malig. ad fin.* Vidus Vidius *lib. 6. de curat. generat. c. 7.* Lud. Mercat. *lib. 7. de febrib. c. 2. de febri maligna,* elegãter Lupeus *de morb. puſtulato, in init.* Amat. 3. *centur. Sch. 74.* Fracaſtor. *lib. 2. de contagion. cap. 1. & 3.* Donat. Santorus *lib. 1. epiſtol.* Roderic. à Fonſec. *tract. de febrib. quas Iacch. omiſit, tit. de feb. peſtil.* Et Argenter. *lib. de diff. morb. cap. 16.* morbum malignum eſſe definit, qui ſeueriora infert ſymptomata, quàm pro ratione propriæ eſſentiæ affectus conueniat, quod latè probat Valleſius *cit. meth. loc. & 6. epid. ſect. 2. com. 28.*

Ex quibus conſtat deerraſſe iuniores, putantes Galenum nec per ſomnium malignitatem, quam ipſi in ſuis libris depingunt, agnouiſſe, quoniam oppoſita ſententia, vt vidiſti, ex Gal. ſcriptis ſatis apparet, eámque ampliùs probat ipſe *lib. 9. ſimpl. tit. de terra Samia,* vbi ait febres peſtilentes non eſſe calore vehementes: & ex 2. *aph. com. 13.* quo loco, ſigna critica vera eſſe ſemper pronunciat, niſi peſtilens conſtitutio ſit. Adeò ſunt incerta, fallaciáque malignitatis ſigna, vt cum ſignis ſalutis, fidis & ſalubribus ægros ſæpè mori contingat. Quare quum ex paruitate febris, non poſſit colligi periculum & malignitas, ex ſuperuenientibus ſymptomatis non correſpondentibus febris paruitati, eſt colligenda. Quæ autem ſint ſuperuenientia ſymptomata, (malus mos, ſeu modus à Gal. vocatur, *lib. 1. & 2. criſ. cit.*) & quibus ſignis cognoſci poſſint, & diſtingui morbus malignus à magno, *in citato loco de criſibus,* exactiſſimè Galenus explicuit.

Ex omnibus autem conuincitur, quid ſit apud Gal. doctrinam, morbus latè, aut ſtrictè malignus, & maligniſſimus, ſeu extremè malignus: quibus nominibus Galenus vſus eſt ſemper, cùm de malignitate ſermonem inſtituit. At inſtabis parum referre, nos ſcire, an malignitatem co-

Lib. I.

A gnouerit Galenus. Nam pulſum, eiúſque harmoniam ſcrutatum, quum tamẽ Hip. eum non cognouerit, ex Gal. *lib. 3. de criſ. vlt. & lib. de præcognit. ad Poſthum. cap. 12. & 3. epid. ſect. 3. com. 80.* Sed vt fateamur verum, falſum eſt affirmare Hip. pulſum non agnouiſſe, vt tam multis allatis teſtimoniis Gal. palam facit Ludouic. Lemoſius *lib. 3. de prædicend. rat. cap. 7.* & ampliùs, quoniam de reſpiratione pulſui ſimillima latiſſimè egit. Inſuper, plurimùm oportet ſpeculari, an Gal. malignitatem exactè calluerit, eámque in ſuis libris deſcripſerit: tunc enim malignos morbos rectè curabimus; quum anteſignanum noſtrum, cognoſcentem malignitatem, háncque exactè curantem fuerimus imitati.

B

HISTOR. LXXXIII. GALENI, De faucium inflammatione.

Faucium inflammationis ex pulſu dignotio, & curatio. Contra Theſſalicos.

Ediderat Commodus à lucta; cùm ecce priuſquàm cœnaret, hora octaua febris eum vehemens adorta eſt. Vt pulſum verò attigi, membrum quodpiam inflammari viſum eſt: quod ſimulatque Pitholaus audiuit, mirari ſe dixit, quomodò faucium inflammatio pueri pulſum immutare poſſet. Atque ità Commodi os aperiens inſpicere me iubebat. Cùm igitur fauces aſperas quidem, & rubras admodum eſſe, parùm tamen intumuiſſe vidiſſem, quis illi os colluiſſet, poſtulaui, medicamentos plusquam puero conueniret, adſtringente. Reſpondente autem C *Pitholao, ſe eum fuiſſe, qui pueri fauces abluendas cenſuiſſet, medicamento quod ex melle, & Rhu obſoniorum compoſitum fuerat: id vt omitteret, iuſſi, & aquam mulſam, in quâ roſæ ferbuiſſent, admouere præcepi, eáque ſolâ vſque ad tertiam diem vteretur. Manè ſequenti quum inflammatio prorſus ſubſediſſet, & pœnè ſine febri puer eſſet, in balneas cubiculo vicinas vt duceretur, & aqua alueo contenta perfunderetur, corpore nimirum toto obruto, excepto capite quod ſolummodo mergeretur; iubeo, quibus peractis, & largè prandio exhibito, non expectato octauæ horæ exceſſu: quo tempore, ob febrem prioris diei, eadem hora ſuccenſam, videbatur illa ſuſpecta. Immò vt veſpere rurſus lauaretur, ac cœnaret; tanquam ſanus ſuo more, mando, &c.* Galenus lib. de præcognit. ad Poſt. cap. 12.

D

PARAPHRASIS.

Ores Medicorum Romæ degentium adamuſſim depingit Gal. *hoc in lib.* quorum omnimodam ignorantiam, cum ſuperbia coniunctam (indelebile vitium vocatur à Gal. 13. *meth. 15. in fin.*) cõuellere multò operoſum fuit: Nam hac miſerabili ægritudine, Deo & hominibus odibili, apud Eccleſiaſt. *cap. 10.* occæcati, Hip. doctrinam ſummo cum iudicio prolatam, qua munitus Gal. vera morborum præſagia palàm faciebat, deridebant. Quid plura? nónne horum nebulonum pertinaciſſimum inconſtantiſſima turba, atque ipſo Protheo, ac Chamæleonte mutabilior, & quorum concilium in curando, Gordio nodo magis eſt implicitum, inflatis buccis Hipp. (quem omnis Philoſophorum cœtus, tanquam numen E colit, & veneratur) ignarum appellauit? *lib. 1. de articul. ſect. 1. text. 3. Et à vulgò malè audiui, vnus enim habitus ſum ignarus, cæteriique omnes periti, &c.* Cuncta ergo Gal. vult ſcripta hominibus, quos ſcientia non inflat, ſed elationem demit, non inſolentibus, ceruicoſis. Medicinæ, probatæque fidei auctores præuertentibus, ſed humilibus, quibus multa bona in medica arte contingunt, vt *epiſt. 88.* Senec. memoriæ commendauit.

Luctam, vt pote vehementiſſimam exercitationem, (ſanguine, & ſpiritu irrequieto motu agitatis) febrem poſſe inducere, probat Galen. 3. *de dif. pulſ. 5. & 6. epid. ſect. 1. com. 6.* cuius vi valida liquatis humoribus, & ad fauces affatim concurrentibus, inflammationem in eis accendi

& febrem concitari res eſt manifeſta,& vſque adeò quandoque lædit lucta, vt ſuffocationis periculum afferat, monente ſic Magiſtro *in lib.4.de rat.vict.com.*23.Quapropter Hipp.*lib.*1.*epid.ſect.*1.*com.*11. Tubercula ſecundùm aures accidiſſe adoleſcentibus, iuuenibus, adultis, atque præter cæteros luctatoribus, prudenter in quadam tempeſtate eueniſſe narrat; in iis enim palæſtritis, & exercitatorio in ludo verſatis,ob vitæ inſtitutum,humores in ſublimiores corporis partes decumbunt, vt ibidem ſcitè Gal.notat, *in com.* De quo exercitij genere,mira protulit Mercurialis *in ſuo de arte gymnaſtica libro elegantiſſimo.* Quo commodum ſe exercuiſſe ex textu conſtat apertè. Nam Romani ad corporis robur conciliandum, & ſanitatem conſeruandam, eo frequenter vtebantur, auctore Gal. *lib.*2.*de ſanit. cap.*9. Licèt enim vehementer febricitantem inueniſſet, cùm tamen hæc febris ex procatarctica cauſa duxerit ortum, à quo diariam frequenter, raró putridam progigni ipſe paſſim affirmat, pulſu diligenter obſeruato, de aliqua partium ſupernarum inflammatione fuit ſuſpicatus,quam adeſſe ſtatim prædixit.

Hoc autem ex pulſus duritie fuiſſe præſagitum, nullus qui intimiùs Galeni ſenſa perluſtrauerit,it inficias, ſi vera ſunt quæ ipſe *lib.4.de cauſ.pulſ.7.& lib.de pulſib. ad tyron. cap.* 11. conſcripſit, duros pulſus, inflammationum omnium eſſe communes,confirmans.Cùm enim pars inflammata ex affluxu humoris repleta, neceſſarióque diſtenta induretur, & ob intemperiem calidam ſiccitas introducatur,& hæc exſiccãdo induret, dubitandum non eſt hac de cauſa pulſum durum, & ſecundùm diuerſas partes arteriæ inæqualem, in præſenti inflammatione reperiri. Tantò enim maior durities iunenitur, quantò maior adfuerit inflammatio, hæc ergo citra dubium pulſum indurat. Ni excipias mollium, & laxarum partium inflammationes, in quibus, maximè ſi pituitoſa fluxio irruat, pulſus viſitur mollis, qualem lethargicorum, & peripneumonicorum depingit Galen. *lib.4.cauſ. pulſ.*12. *&* 13. de quo argumento plura ſatis doctè ſcripſere Valleſius *lib.* 3. *controuerſ.* 16. Ludouic. Mercat. *lib.* 2. *de cauſ. pulſ. tract.* 3. *cap.*25.

Cognita ergo inflammatione, & inſpecta rubedine, & aſperitate faucium, (per has intellige internum oris locum, vbi ſimul gulæ, & gutturis partes extremæ conueniunt) à medicamento nimis ipſas corrugante, exaſperante, humorúmque fluxionem nimis repellente, & adſtringente, nempè Rhu obſoniorum concitata, ad acres ſordes detegendas acceſſit.Hoc autem impensè adſtringere,præter experimentum coriariorum,illo ad inſpiſſandas pelles vtentium,firmat Dioſcorid. *lib.*1. *cap.*24. Maximè cùm à Rhu, humores in parte inflammata eſſent impacti, ſuaptè natura facili vt aſperior fieret. Cui damno nullum præſtantius eſt mulsâ auxilium,præſertim ſi in ea ferueant roſæ:ſic enim viſcoſius redditur,& magis ſpiſſum medicamentum;& ſic faucium parietibus diutiùs adhæret,& roſæ vi, leni adſtrictione humorum acrium impetum repellit,& calorem extraneum partis mulcebri frigiditate contemperat, roborat, & mellis ratione quadantenus abſtergit,quæ omnia in faucium inflammatione recenti eſſe neceſſaria, vt tuta curatio fiat,teſtis eſt Gal.*ſuprà*,& Auic.9. 3. *tract.*1. *cap.*12. latè confirmat.

Quibus ſanè auxiliis exſequutis, neque aliquo magno celebrato,quoniam leuis erat inflammatio,& à cauſa prægreſſa recentíque concitata,ægrum ad ſanitatem perduxit, neglecta illa victitandi forma,à Theſſalo,eiúſque diſcipulis celebrata, ægros triduana inedia cruciantibus, quàm reprobam eſſe,& nullius vſus ipſe perbellè oſtendit,*lib.*8. *meth.*2.*&* 10.*eiuſd.cap.*3. Nam *malum febriculoſum inimicũ fami*, ex Hip. 6. *epid.ſect.*3.*text.*31. quum calidis & ſiccis corporibus aduerſiſſima res, inedia ſit,ex Galen. 10. *meth.* 5. Deficiente enim hnmido nutrimentali magis excandeſcunt; & ſic febris non ceſſat ante cibationem, qua non exhibita, ægrum in hecticam incidere facilè,eſt neceſſe. Puer verò;cùm eſſet ſine febri, ſubſediſsétque prorsùs inflammatio, eum ad balneas cubiculo vicinas miſit. Hæ enim in febrium declinatione ad reliquias humoris abluendas ſunt vtiliſſimæ. Vicinas laudauit, ne ſi fortè ad longinquas duceretur, ab aëre lædi poſſet: Aquam alueo contentam elegit, quoniam calidior cùm ſit, humoris reſiduum promptiùs diſcutere poteſt. Eſt enim alueus balnei ea pars quæ lauacrum dicitur, calidam aquam continens. Hac de cauſa totum corpus in ea obrui voluit,non tamen caput,ne caloris vi liquatis ſuccis,fluxio ad debiles fauces recurreret, idque tantùm attemperamenti cauſa mergi voluit. Balneo enim caput fouere, huius calidum temperamentum emendat; ſic enim calidi vapores, qui in capite ſunt, euocantur à dextra, & acrium humorum mordacitas obtunditur, & temperatur, auctore Galen. 6. *de ſanit. tuend. cap.* 9. Quibus factis, commodus, contra Diatritariorum barbariem, & præpoſteram medendi normam, à morbo, Galeni ope, non citra artis gloriam euaſit.

HISTOR. LXXXIV. CELSI, De Strumis.

Struma, anguis eſu ſanata.

QVæ cùm Medici doceant, quorundam ruſticorum experimento cognitum, quem ſtruma malè habet, eum, ſi anguem edit, liberari, &c. Cornel. Celſus* lib.5. cap.28.rubr. 6. tit. de ſtruma, & eius curatione.

PARAPHRASIS.

PLurima ſunt,quæ de hoc leonino,rebelli & inſuperabili morbo,eius varia nomenclatura,cauſa,ſignis, prognoſi & curatione, referunt tum priſcorum, tum claſſicorum peritiſſimi Profeſſores. Galen.14.*meth.*11.*&* 2. *ad Glauc.vlt.* Paul. *lib.4.c.*33. Aëtius *tetrab.*1.*ſerm.*2.*cap.*95. Albucaſ.*lib.*2.*cap.*42. Haly.9.*pract.cap.*11. Auic.3.4.*tr.*2. *cap.*9. Guido *tract.*2.*doct.*4. Vigo *lib.*2.*cap.*7. Argelat.*lib.*1. *tract.*2.*cap.*4. Paræus *lib.*2.*cap.*22. Tagautius *lib.*1.*cap.*13. Fallop. *tract. de tumorib. præt. nat. cap.* 18. Euſtach. *lib.*5. *de tumorib. pituitoſ. cap.* 17. Dionyſ. Daca *lib.* 2. *de apoſtemat. cap.* 67. Hieronym. Fabric. ab Aqua pendente, *lib.*1.*de tumorib. cap.*21. Nicol. *ſerm.*7. *tract.*5.*ſum,*1.*c.*37. Foreſt.*lib.*3.*obſ.Chirurg.*10. Andreas Laurent. *lib.de ſtrum. ſanatione admiranda*, & alij quamplurimi, qui latè hoc argumentum docuere.

Omnes hi, huius peruicacis morbi cauſam ſtatuunt humorem pituitoſum, mulcilaginoſum, lentum, tenacem, & viſcoſum, cui multa melancholici portio eſt permixta. Pro cuius curatione infinita propemodum auxilia parant; ex quorum genere ſunt vacuantia medicamenta, fomenta, emplaſtra, & tandem ad ferrum, & caſtica deuenire neceſſitas cogit. Inter illud eſt etiam ſaluberrimum auxilium à Celſo hoc loco enumeratum, nempè anguium eſus, per angues intellige ſerpentes, Ariſtot. *lib.*8. *de hiſt. anim. cap.*17. viperas vocat. Quibus huic vitio nullum præſtantius auxilium inueniri poteſt. Nam viperarum eſus increſcentes ſtrumas reprimit, ex Dioſcorid. *lib.* 2.*cap.*16. Siue enim carnes earum coctas edas, ius potes, aut eo ſtrumoſam partem laues, aut vinum aſſumas in quo ipſæ fuerint extinctæ, vel Martios panes, aut paſtas regales, adiectis pulli aut caponis pectore, ſaccharo, amygdalis, aut zingibere permixtis edendas præbeas, vltimum & efficaciſſimum pro ſtrumis, aliiſque cutaneis affectibus experieris auxilium, provt Fallop. *de tumoribus præter naturam, cap* 9. affirmat.

† Inſuper viperino oleo cruſtæ, & tubercula mirum in modum delentur,& emolliuntur;& præſertim ſi ſeuo hircino,vel pinguedine vrſi admiſceatur, quod pro ſcrophulis curandis vtiliſſimũ eſt auxiliũ,quod parabis hoc modo. ℞.*Olei oliuar.*℔.x.*& duas viperas integras diſſectas in oleum impone, & ad ſolem in diebus canicularibus relinque, donec ſubrufum acquirat calorem.*Sic vinum viperinum pro ſtru-

moſis

moſis præſtans eſt præſidium, & pro Gallicatis eſſe vnicum antidotum narrat Lodouic Mercat. *lib. 2. de morb. Gallic.* 8. quo Gallica vlcera facillimè conſaneſcunt. Fit autem, ſi vinum, vel muſtum, vipera priùs lota, adiecto ſale bullierit, ex quo vino, manè, prandio, & cœna ſufficiés quantitas aſſumi poteſt. Qua viperarum carne, Antonium Muſam, Cæſaris Auguſti Medicum, vlcera inſanabilia perſanaſſe, refert Plin. *lib. 30. nat. hiſt. cap.* 13.

Extant celebres hiſtoriæ, apud Galenum *lib.* 11. *ſimpl. cap.* 1. & Aretæum *lib.* 2. *de cauſ. & ſign. diuturn. morbor. cap. vlt.* elephanticorum, qui tanto malo oppreſſi, odoratu iam graues, ac aſpectu fœdi, ebibito vino, in quod fortuitò vipera erat emortua, ab hoc miſerando morbo mirabiliter ſanitati reſtituti ſunt: quam poſteà curationem ipſe Galen. imitatus, & alij poſt eum Medici exercitatiſſimi experti, veriſſimam eſſe inuenerunt. De quorum numero ſunt, Paul. *lib.* 4. *cap.* 1. Aëtius *tetrab.* 4. *ſerm.* 1. *cap.* 123. Cęlius *lib. 4. paſſion. tardar. cap.* 10. quam diutinum experimentum comprobauit. Gilbertum enim Medicum Romanum, plures elephantia laborantes perſanaſſe refert Vidus Vidius *part. 2. de curat. membrat. ſect. 2. lib. 5. cap.* 8. Et Porphyrius *lib. 4. de abſtinent. ab animalib.* ſcribit, ſeruum quendam Crateri Medicum, dum laboraret lepra immaniſſima, ita vt carnes ab oſſibus abſcederent, potato vino in quo extincta erat vipera, ſtatim conualuiſſe. Num autem vipera ſit elephanticorum optimum nutrimentum, & cæteris venenum; & cur noſtro tempore non tantam ex earũ carnibus vario modo apparatis percipiamus vtilitatem: (de quo Thom. Eraſt. *part. 4. diſp. contra Paracelſ.* Maſſaria & Palmar. *lib. de morb. contagioſ. c. de elephantiaſi*, conqueruntur) *in lib. 6. huius operis, hiſt. 1. & 2.* fusè monſtrbimus.

Ad hæc vipera habet vim calefaciendi, exſiccandi, & quod plus eſt, prauam humoris qualitatem corrigit, atque emendat. Et natiua quadam proprietate cutem mundificat, humorémque ad partes externas detrudit: argumento eſt, quòd ex eius eſu nimius ſudor, & pediculorum copia oriri ſolent, vt retulit Aëtius *tetrab.* 3. *ſerm.* 4. *cap.* 47. firmat Gattinaria *cap. de debilitate viſus*, qui dum Gallo cuidam hoc morbo laboranti, carnem viperinam edendam imperaret, ipséque ob ſalutis auiditatem, in maxima copia comederet, in ſæuiſſima & maxima ſymptomata lapſus, robore virtutis expultricis, detruſis per totam cutem bubonibus, & ſuppuratis, ad ſanitatem reductus eſt. Sicut enim ſerpentes ſingulis quibuſque annis pellem exuere, & renouare ſolent, quam ſenectam anguium vocant, ita vſus viperarum facit, vt excarnentur, & mundificentur corpora.

Denique anguium eſum omnibus podagricis, arthriticis, anheloſis, & elephantiæ plurimum commoditatis afferre, firmat Aëtius *loc. cit.* ita vt, qui facie graui, fœdus aſpectu, tuberoſo vultu, humi morientis inſtar proſtratus iacebat, muſti viperini vſu, crines enutriuerit, carnem inſtaurauerit, vetus corium. ceu ſenectam ſerpentum exuerit, & tanquàm alter homo, veluti ex cera creatus, ad vitæ munia fuerit reuocatus, *vt cit. loc.* Aretæus confirmat. Magna ergo eſt viperarum pro curandis diuturnis morbis efficacia, & vna omnium medicamentorũ, quæ ex viperis parari ſolent, mira poteſtas. Ea ſunt Theriaca magna Andromachi, Paſtilli Theriaci, ſales viperini, & ſi quæ alia. Quo factum eſt, vt plures, & non infimæ notæ Medici, gallinas carne viperarum pro ſananda elephantia nutriendas imperent: (exhorreſcit enim ægrotus viperis in cibum vti) quomodo autem ſint præparandæ viperæ ad gallinarum cibum, pro ſtrumarum, ſeu elephantis curatione, lege Cardan. *in conſil. pro patiente leprã.* Gordon. *tract. de lepra.* Zachariam Puteũ. *eod. tract.* Sebaſtian. Aquilanum *tract. de morb. Gallic. cap. 1. in fin.* Ioſephum Quercetan. *in ſua Pharmacopœa reſtituta*, qui hanc rem diligentiſſimè ſunt perſcrutati.

Quo autem tempore viperæ capi debeant, quo pacto lauandæ, præparandæ, & quæ eligendæ, explicat Galen. *lib. de Theriac. ad Piſon. ferè per totum*, à quo omnes deinde deſumpſerunt.

Lib. I.

DVBIVM LII.

Num ad Theriacæ, cæterorúmque medicamentorum compoſitionem, cauda viperæ ſit ſemper amputanda. Contra Lacunam, Valleſium, & Peletarium, Medicos eximios.

SEd ad anguium præparationem, primò Gal. in omnibus ſuæ doctrinæ locis, exoptat capitis, & caudæ abſciſſionem, quoniam hæ partes ſunt venenoſiores, *in lib.* tamen 11. *ſimpl. tit. de vipera*, à ratione alienum eſſe ſibi perſuaſit, abſcindere caudam. Sic enim habet. *Porrò quoniam ex more, qùum artiſcos theriacos, quos vocant, præparamus, non tantùm caput, ſed caudam eorum abijcimus ſubijt mihi frequenter in mentem, rationabilius fortaſsè fore, adimere & caput, ob venenum quod ore continent: verùm à ratione alienum eſſe, adimere & caudam, &c.* Hæc eſt obſcura, & tenebricoſa Gal. oratio, quam doctiſſimi viri, vt manifeſtè pugnantem, ante me explicare non potuerunt. De quorum numero fuere Lacũna *lib. de loc. manifeſtè pugnantibus*, *contradict.* 11. fecit etiam Pèletarius *eod. l. b.* & Valleſius *in lib. eiuſd. tit. contrad.* 20. qui licèt Lacunæ contradictiones omnes poſſe ſolui affirmet, in hac Galenum lapſum fuiſſe, miniméque poſſe ſecum conciliari aſſeuerat.

Sed miror eruditiſſimos viros non animaduertiſſe, *inibi* Galenum non loquutum fuiſſe affirmatiuè, ſed potiùs dubitanter: quod patet ex verbis, [*ſubijt mihi frequenter in mentem*] quæ dubitantis potiùs, quàm affirmantis ſunt indicia. Solùm ergo *lib.* 11. *ſimpl.* quæſtionem proponit: inquit enim, quòd fortè rationi videatur conſentaneum magis caudam omittere; non tamen auſus eſt affirmare, quum contrarium longo vſu conſtet eſſe apertè verum, & rectè euenire videamus, quum viperinas carnes ad Theriacæ compoſitionem præparamus, intelligens rationem ſenſibus non debere eſſe contrariam, vt ei fides adhibeatur, vt conſtat ex Ariſt. 3. *de gener.* 10. *& lib.* 1. *Metaphyſ.* 1. à quo deſumpſit 4. *ſimpl.* 18. *&* 6. *aph.* 31. timens fortaſſe Platonis lege damnari, *lib. 5. de Republ. & 9. de legib.* Quibus in locis eos puniri iubet, qui veterum probatas leges euertunt. Adde quòd etiamſi ob rationem, Galeno ibi non videatur conſentaneum abiicere caudam, videtur tamen propter eas cauſas, quas tradit *lib. 1. de antidot.* 8. *& lib. de Theriac.* 9. Ex qua ſolutione, huius loci manifeſtè pugnantis explanatio fit dilucida, & Galen. ab illorum calumnia vendicatur.

QVÆSTIO XLIX.

Quòd ſtrumæ ſint contagioſæ.

COMMENTARIVM.

S*Truma malè habet.*] Explicanda ſeſe offert modò difficilis, & ardua diſceptatio, num ſcilicet ſtrumæ ſint contagioſæ. Nam quum de ſtrumis ſuperiores auctores nihil intactum reliquerint, de contagio earum nec verbum quidem protulerunt. Sicut nec ij qui de hoc negotio exactiſſimè diſputarunt. De quorum numero ſunt, Fracaſt. Medicus, & Poëta celeberrimus, Cardan. *tract. de prouident. & lib. 1. de venen.* 12. Valleriol. *in append. locor. com.* Ludou. Mercat. *tom. 1. lib. 3. claſ. 1. quæſt. 176. n.* 11. Ioan. Hucherus *lib. 4. de feb. cap.* 7. Fabius Paulin. *in com. lib. Thucyd. de peſte*, Palmarius *in lib. de morb. contagioſis*, & alij. Lubet ergo in argumento ampliſſimo, nouiſſimo, vtili, & arduo paululum ſpatiari.

Arnaldus Villanouanus, in iis quæ pertinent ad medicam facultatem doctiſſimus *in ſpecul. introduct. medicinal. cap.* 88. *de rebus contra naturam*, ſic inquit: *Vndè omnes illi morbi ſunt contagioſi, qui corporibus imprimunt, ex approximatione ipſorum ad corpora patientia, morbos illos; & hi communiter ſunt lepra, ſcabies, variolæ, febres peſtilentiales, apoſtemata venenoſa, maximè in locis anguſtis, epidemia, phthiſis, baras, & ſcrophæ, &c.* Hunc citat & ſequitur Ioann. Fragoſus *in* gloſ.

N 3

gloſ. de apoſtemat. quæſt.63. approbat inſignis Thomas à Veiga *in com.cap.4. lib.1.de dif.feb. verbo, calidiores autem.* §. *Nam tertiana, quum habeat calorem multò acriorem, propter defectum tamen lentoris minùs contagioſa eſt, quàm ſtrumæ, &c.*

Neque obſtat, quod quidam obiicere poſſunt, hos auctores de vlceratis eſſe intelligendos, nam præterquam quòd hi de omnibus abſolute loquantur, ſtrumæ non vlceratæ fomite, & contactu ſunt contagioſæ. Licèt concedamus, vlceratas magis eſſe contagioſas, quoniam à ſordido vlcere fœtidiſſimus exhalat vapor infecturus, quod innuit Fracaſtor. *lib.2.de morb.contagioſ.vlt.*§. *Et ſtrumæ quædam vlceratæ, &c.* Vides quomodo Auctores rapti, & aliud negotium agentes, de hac controuerſia explicanda verba fecerint, quam ego in hunc modum diriмendam puto.

Vlceratæ, & non vlceratæ ſtrumæ fomite, & contactu ſunt contagioſæ. Patebit hoc euidenter, ſi conditiones ad contagium requiſitas adamuſſim percurras. Quarum prima eſt Putredo, quam habet humor in loco determinato conculcatus, & tranſpirari prohibitus, quicùm ſit lentus & humidus, putredini multò magis eſt obnoxius. Neceſſariam autem ad contagium eſſe putredinem, infrà latiùs patebit. Fomes enim non exurgit momentaneus, ſufficiens inducere affectum ab humore quieto, ſed à moto; non poteſt moueri à calore innato, nam hic emendat malitiam fomitis; non ab extraneo comburente, quia abſumit fomitem: neceſſe eſt ergo, vt ſit extraneus putrefaciens.

Secunda conditio, eſt eleuati vaporis lentor, quo hæreat, permiſceatur, & immoretur per tempus ſufficiens ad agendum, inficiendúmque; nam ſi facilè tranſeat, diſſipetur, aut exhalet, non poteſt eſſe contagionis ſeminarium in alio, ſed tantum perexiguum, aut debile. Humorem autem, ex quo velut à mediata cauſa oriuntur ſtrumæ, eſſe lentum & viſcoſum, patet ex Gal. *3.aph.26.* Qui eas non à calida materia, ſed frigidiore, & pituitoſiore originem ducere aſſeuerat; quæ eſt conſtãs omnium auctorum ſententia, & interpretum *ibi*, Muſæ, Argenterij, Fuchſij, & Thriueri, quod cum Auic. *3.4. tract.2. cap.10.* affirmant Guido *tract.2.doct.1.cap.3.* Nicol. *ſerm.7.tract.5. ſum.1.cap.37.* qui mucoſos, frigidóſque humores ſtrumarum cauſam eſſe prædixerunt; quorum mentem ſuprà citati confirmant, qui de ſtrumarum cauſa diligentiſſimè conſcripſerunt.

Tertia, eſt eminens qualitas in eleuato vapore, quæ valdè immutet humores alterius. Cùm enim hæc qualitas, contagij naturam, & actionem ſequatur, neque hæc fiat, niſi à proportione maioris inæqualitatis, videtur magnitudo contagij ad eminentiam, ſeu maiorem efficaciam ſuæ qualitatis referenda: hanc verò quia habent ſtrumæ, hac etiam de cauſa ſunt contagioſæ. Habere autem ſtrumas malam qualitatem, conſtat ex Paul. *lib.6. cap.35.* §. *Quæ igitur indolent attactu, & medicamentis impoſitis deteriores redduntur, malignæ ſunt, &c.* & Aëtio *tetrab. 4. ſerm. 3. cap.5.* §. *Malignæ verò ſtrumæ inflammationes, & dolores pulſantes inducunt, & tumorem inæqualem præ ſe ferunt, &c.* Firmat Fernel. *lib.7. pathol.2.* Quod autem verum ſit, experientia demonſtrat, cùm ſæpiſſimè hic morbus nonniſi alexipharmacis ſuccumbat, & refrænetur, qualia ſunt Ebenum, ſmilax aſpera, radix chynæ, & mercurius; ex quibus varia parari ſolent præſidia & vnguenta, quæ non ob id profunt, quoniam humorum craſſitiem attenuant, & liquant, ſed quia prauam eorum qualitatem retundunt.

Præter tres memoratas conditiones, additur & alia, ex ſitu humoris deſumpta, ex quo inficiens vapor exurgit. Nam ſi locus cutaneus ſit, & externus, quia magis integra, minúſque mutata efflat aura, faciliùs inficit vicinum corpus. Hinc ſtrumæ, tinea, ſcabies, elephantia, Gallica lues, imp tigo, & multi alij cutanei morbi promptiùs contagium inducunt, quoniam præter vaporem lentum, & prauum, partem occupant externam. Si cancrum vlceratum excipias, qui licèt idem ſit morbus cum ele-

A phantia, apud Paul. *lib.4.cap.1.* & Auic. *3.4.tract.3.cap.1.* tamen inter contagioſos morbos non numerandus, vt experientia ſuadet, qua ſola litigantium rationes ceſſant; ex Gal. *lib.1.de facult.natural.13.* & maximè ſi rationi cõiungantur, quam nos *lib.2.in com.hiſt.28.* explicabimus, quũ mammarum morbos fuerimus interpretati; quo loco cancrum vlceratum, à quo teter, fœdúſque vapor exhalare ſolet, non eſſe contagioſum diſſeremus, contra aliquos qui de cancri contagio ingenuè ſunt ratiocinati. Interim vide Cardan. *lib.1.de venen. cap.12.* quem immeritò carpunt plures, quorum ſingulas rationes eo loco adamuſſim expendemus.

QVÆSTIO L.

B *Quòd putredo ſit de eſſentia contagij. contra Valleriolam doctiſſimum.*

INſtabis pituitam gypſeam putrefieri non poſſe, quum ſit ab humore omninò exuta. Neque putredinem ad contagium eſſe neceſſariam, quum peſtis, morborum omnium contagioſiſſima, ſine putredine concitetur, vt elegantiſſimè *lib. 2. de abditis rerum cauſis, c.12.* Fernel. firmat, *lib.4. patholog. 17.* peſtilentem nulla affinitate cum putrida febre coniungi aſſeuerans. Quoniam verò noſtræ quæſtionis de contagio ſtrumarum explicatio, ex huius dubij dependet explanatione, altiùs de hoc argumento priùs agendum eſt, quærendúm que: Num putredo ſit de eſſentia contagij. Acutiſſimus Fracaſt. *lib.1.de morb.contag. cap.9.* contendit contagij eſſentiam in putrefactione conſiſtere. Sequitur Cardan. *lib.1.de venen.cap.11.* aſſerens, non

C ſat tamen conſideratè, conuerti inter ſe peſtilens, putridum, & contagioſum; neque vnum ſine alio reperiri, licèt quem extollat, ſimul mordeat, *tr.de prouidentia,* petulanter carpens Fracaſtorium, ſuis tribus libris nec vmbram de contagio fuiſſe aſſequutum, quum tamen ei totum in hoc argumento debeatur.

Ingenioſiſſimus Valleriola *in appendice locor. commun. cap.2.* etſi Fracaſtorium de cauſis, & natura contagij diſſerentem plurimum laudet, diſſentit tamen ab eo, quòd putredinem, perpetuam eſſe contagij cauſam fuerit arbitratus. Primò. Quòd febres putridæ, tertianæ, quartanæ, quùm putridæ ſint, contagioſæ non ſunt. Secundò. Contagij vis remediis propriis putredini comminueretur, & penitùs corrumperetur, quum tamen longè diuerſis, & nonniſi alexipharmacis contagij ſeminaria op-

D pugnemus, eò quòd hæc magis analogia, & occulta proprietate proſunt. Tertiò. Videmus homines in peſtilentia, vel etiam ſanos, citra putredinem, aut obſtructionem vllam corripi ſtatim, mortémque obire. At fieri non poteſt contagium, ſi putrefactio tam ſubitò, atque in inſtanti non fit. Quartò. Omnis peſtis maximè contagioſa eſt, interdum tamen ſine putredine, ex Fernel. *ſupra,* aliquando ſine febre, ex Gal. *3.epid.ſect.3.com.55.* & *9.ſimpl. cap.de bolo Armena,* interdum adiunctam habet diariam, vt patet in ſudore Britannico; aliquando ſolam intermittentem: multoties cum pulſu bono, bonáque vrina ex Galen. *lib. 3. de præſag.ex pulſib. cap. 4.* Vltimò. Id in canis rabidi veneno manifeſtè apparet, & in aliis contagioſis morbis; nam catarrhus, elephas, ophthalmia, & Gallicus morbus valdè ſunt contagioſi, ídque ſine febri,

E aut putredine vlla.

Sed pro contraria parte facit vnum, ídque firmiſſimum argumentum, quòd nullus morbus poſſit dici contagioſus, (hoc eſt, ſibi ſimilem affectum in alium inducturus) niſi communicet vaporem ita notabiliter infectum, vt ſufficiat humores alterius vitiare, quod probat Ariſt. *7. probl.4.* Sed ea vaporis ita infecti copia à ſolo putrido calore moueri poteſt, vt ab vno corpore alteri communicetur: igitur putredo concurrit neceſſariò in omni contagioſo affectu. Suadetur. Quòd licèt aliquid è corpore effluat, benigna, aut praua infectum qualitate, vt tãtus qualis requiritur, exurgat vapor, magna requiritur humorum agitatio, (non enim exurgere poteſt à quieto.) quæ non

non niſi à putreſcente calore fieri poteſt. Nam innatus emendat malitiam fomitis, nec ita mouet, aut agitat, nec patitur ita infectum producere vaporem. Non exurens, qui etiam dicitur extraneus ab Ariſt.4.*meteor.*2.cùm validus ſit, nimiúmque intenſus; quare hic diſſipat, attenuat, & diſſoluit ſeminarium mali: qua ratione ſub feruidæ æſtatis calore plerumque ſedatur peſtis. Ergo ſolus calor putredinoſus neceſſarius eſt ad omne genus contagij, quod ſpectatur in morbis per viciniam, expirationem, tranſpirationem, decubitum, aut quemuis alium adhærentiæ contactum, aut fomitem ſeminarij relicti in veſte, ſtragulis, domo, aut quauis alia materia apta ad ſuſcipiendum, diúque ſeruandum. Eſt ergo putredo præcipua, & communis contagij cauſa, vt ſine illa contagium fieri non poſſit in morbis.

Nec aliter ſentire cogunt rationes in contrarium adductæ, quibus ſingulatim ſatisfaciendum eſt: nam ex earum ſolutione, ad maiora dubia explicanda arripiemus occaſionem. Dic ad primum. Quod quamuis Fernel. viro acutiſſimo arriſerit opinio, peſtem contagioſum affectum, ſine putredine conſiſtere poſſe, eius tamen placitum ſubuertit Galeni auctoritas lata *lib.6.epid.ſect.*1.*com.* 29. quo loco peſtilentem febrem ab aliis febribus putredinoſis differre, per excellentiam putredinis aſſeuerat. Quare ſi peſtis crudelior eſt affectus, & efficacior febre peſtilenti, (plures enim apprehendit, & interficit) & à mutatione aëris validiore, & magis diuturna ortum ducit, auctore Magiſtro 3.*aph.*5.*&* 14. qua de cauſa dicitur epidemia pernicioſa, 3. *epid. ſect.*3.20.& *lib.*1. *de rat.vict.*9. iure meritò dicendum eſt, peſtis calorem putredinoſum ſemper eſſe ſordidum, profundum, interaneum, & contagioſum, vt latè inter omnes probat Ludou. Mercat. *lib.*7. *de feb.cap.*1.quidquid illegitimum & ſpurium contagium (hoc enim ad libitum diuidit Mercatus in nothum, & verum) citra putredinem poſſe fieri aſſeueret *tom.*1. *quæſt.* 176.*num.*17. putat enim modum ſubſtantiæ à cœlo, aut aliqua ſic diſponente cauſa æquè poſſe comparari vitioſum, ac ſi per putredinem talis fieret, pro exemplo afferens ophthalmiam, elephantiaſin, impetiginem, & morbum Gallicum. Quod falſum eſt, nam hi morbi ex putredine oriuntur, & citra vaporem putridum communicari alteri non poſſunt; cuius indicium manifeſtum eſt, fœtor ingens exhalantis vaporis ab vlcerata elephantiaſi, virulenta impetigine, Gallica, eáque vlcerata lue, & ophthalmia lippientium oculorum. Argumenta verò Fernel. eleganter ſoluit Alexand.Maſſaria *lib.*1.*de peſte, fol.*13, *edition. Venet.* Omnis ergo peſtilentiæ cauſa, quacunque tandem de cauſa illa oriatur, immediata & coniuncta, eſt vna excellens putredo, ex nimia ſolùm humiditate, tanquam ſubiecta materia, & extranea caliditate, vt ab efficiente cauſa concitata. Nam ex Gal. ſententia *lib.*1.*de temperam.* 4.*&* 3.*epid. ſect.*3. *in princip.* & alibi paſſim, in calida humida conſtitutione, ſimilibúſque naturis ſtatim ſuccreſcit peſtilentia. Denique nullum ex malis, quæ Hipp. *in Epidemiis*, in peſte accidiſſe narrat, inuenies, quod putredinis ſoboles non ſit, quòd neque à ſicco putrefieri quicquam ſit aptum, neque à frigido. Hoc ita eſſe intelliges, ſi carnes, & reliqua quæcumque condita aſſeruari ab hominibus ſolent, obſerues; hæc quidem ſale, hæc muria, hæc aceto, hæc alio quopiam ex iis quæ ſiccant, commodè præparari deprehendes: in Borea, qui ſiccus natura & frigidus eſt ventus, omnia quàm diutiſſimè imputria durare; contrà putreſcere facilè auſtrino ſtatu, eſt enim is ventus calidus, & humidus. Quòd ſi calida & humida conſtitutio generandæ putredini eſt maximè accommoda, vt paſſim *in meth.* & *lib.de dif. feb.* docuit Gal.quis dubitabit frigidam & ſiccam, illius generationem arcere, & impedire? Num verò præter putredinem in peſtilenti lue cœleſtis qualitas, atque occulta vis malefica, & corruptrix neceſſariò ſit ſtatuenda *in lib. vlt. Praxis Hiſtoriarum, cap. de febre peſtilenti*, contra Fernel. & alios diffusè agitabimus. Interim vide Emman. Gomeſium Antuerpienſem, *lib.de peſte, cap.*5.Maſſariam *eod.tit.*& alios qui de peſte doctè diſſeruere.

Ad ſecundum dic. Quòd quamuis contagio dicatur putredinoſa, non tamen è conuerſo omnis putredo, putridáue affectio aſſeritur contagioſa, quoniam plura alia neceſſaria ſunt ad contagium, quæ *ſuprà* explicuimus; quæ cùm in putridis febribus non concurrant, idcircò hæ non ſunt contagioſæ.

Ad tertium. Ex his euenit, vt in curatione morbi contagioſi, non ſufficiant auxilia putredini oppoſita: licèt enim putredine ablata, vis contagij auferatur, vel minuatur ſaltem, pugnare tamen conuenit aduersùs ea, quæ producunt affectus contagioſos, præſertim ſi maligni ſint, atque peſtiferi; ſic enim in putridæ febris curatione, præter putredinem intendimus febrem ipſam remouere. Adde, diſſonum non eſſe, ſuſpectas habere de contagio putridas febres, non æqualiter omnes, ſed magis vnas, magis alias, pro varietate aliarum cauſarum, quæ ad contagium concurrunt. Nam non eſt parua coniectura, quòd cùm quis in vna domo putridè febricitat, multi conſequenter ægrotent ſimul, ſerpente videlicet malo, & alios inficiente; qua de cauſa feneſtræ cubiculi manè & veſperi debent aperiri, vt innouetur aër, & noxius è domo expiret; & quòd ægri è domo vna in aliam permutentur, & alloquentes illum intentè non aſpiciant, & fugiant ægri tetram & virulentam auram.

Ad quartum. Licèt plurimos peſte, ac contagioſis morbis corripi videamus, qui anteà ſanitate fruebantur, non ideò dicendum citra putredinem hæc paſſos fuiſſe. Nam putredinis notæ non ſunt multoties in humanis corporibus manifeſtæ; quod in rabidi canis veneno ſatis patet, quod longo temporis ſpatio in corpore occultatur ſine damno, aut noxa vlla; & alia venena citra incommodum in corpore latent, 14 aut 20.annis, ex Gal.2.*prorrhet. ſect.* 2.*com.*17. & vermes nullo perſentiente ſenſu, ex putrida materia generantur in nobis; & generatur maxima pediculorum copia, quin putredinis labem quis perſentiat. Et demùm nullus eſt qui neget, fieri putredinem in nobis citra febrem, quoniam non ſemper cordis ſubſtantiam labefactat.

Ad quintum. Hoc argumentum quatuor habet partes. Quibus vt vtilibus ſeriatim ſatisfacere oportet. Ad primam dic. Varias extitiſſe auctorum opiniones, *num peſtis detur ſine febri vlla*, quas modò non placet examinare, in commodiorem locum reſeruantes. Rixentur interim inter ſeſe ad rauim vſque, Card. *lib.*2. *contrad. tract.*5. *contrad.*4. Andr.Gallus *faſcic.*4.*de peſte.*Mercur. *lib.*5.*de febr. cap.*17.Alex.Maſſaria eleganter, *lib.*1.*de peſt. in init.* Siue ergo repugnantes Gal. ſententiæ ſint explanandæ, ita vt in peſte, exigua febris adſit, vel nulla, vel hæc in initio tantùm non appareat, in proceſſu autem, etiam planè confirmato affectu ſuboriatur, & inſigniter inſoleſcat, & exaſperetur, vel in omni tempore morbi, ægra peſte affecti omninò careant, vt ex Galen. mente contendit Maſſaria *lib.*9.*ſimpl.cap.de bolo arm.*& 1. *acut.*9.*&* 3.*epid.ſect.* 3.*com.*28.*&* 55.cuius partes nos tuemur quoque, parùm refert. Nam ſi eſt peſtis abſque febri vlla, non tamen abſque putredine. Peſtilentes enim viſuntur catharri, & dyſenteriæ totius febris expertes, (de quibus ſit frequens mentio apud auctores) non tamen putredinis. Quomodo autem ſatisfaciendum ſit Galeni auctoritatibus in contrarium ab iſtis auctoribus adductis, alij citati luculentiſſimè explicarunt: Vtramque ergo viam ſi amplectaris, tutus incedes.

QVÆSTIO LI.

Quòd detur diaria febris putrida, peſtilens, & contagioſa. Contra Conciliatorem, Peredam, & Brauum Petrafitanum, Medicos doctiſſimos.

AD 2. partem argumenti quarti. Reſponde. Peſtem maximè eſſe contagioſam, interdum tamen habere adiunctam diariam putridam, ac peſtilentem, quàm nos libentiſſimè concedimus, cum Mercurial. *lib.*5. *de feb.*27.

N 4 Valleſ.

Valleſ. *lib.contr.*19. Lang.*lib.*1.*epiſt.*19. Petro Salio *lib.de feb.peſtil.*1.Fracaſt.*lib.*2.*de morb.contag.cap.*5.Laurent.Ioubetto *lib.de peſt. cap.*6. Fernel. 2.*de abdit.*12. Augenio *lib. de feb.* 12.Huchero *lib.de feb.peſtil.cap.*9.Ioan.Caluo *lib.*1. *de apoſt. cap.*5. *de ſpirit.* quos ſequuntur Proſper Alpinus *de medic. meth. lib.*5. *cap.*9. Andr. Gallus Trident. *faſcicul. de peſte.* Steph.Roder.Caſtrenſis *lib.* 3.*de meteor.microcoſm. cap.* 11.

Suadet ratio. Nam omnia putreſcunt præter ignem, ex Philoſ. 4.*meteor.*1. at ſpiritus non dices ignem. Inſtat Pereda contra Valleſ. *in com.cap.*1.*lib.*2. *Mich.Ioan. Paſchalij*, multa eſſe quæ non putreſiunt, quæ nempè ſummè ſicca ſunt, vt ferrum, lapides, & elementum terreum. Licèt enim hæc, quoniam habent bene permixtum humidum cum ſicco, difficulter putreſcant, tamen putredinem effugere non poſſe, concedimus cum Ariſtot. qui hanc, communiſſimum eſſe omnium interitum aſſeuerat. Metalla ergo putreſcunt, quoniam aquea ſunt: quare Plato ea dicit eſſe aquarum genera, id eſt, eſſe corpora ad aquam pertinentia, & frigore magis quàm igne durata: lapides etiam per putredinem, hoc eſt, diſſolutionem humidi à ſicco, veniunt ad interitum, & cinis fiunt; proprio enim calore exoleſcente, naturalis humor vnà cum eo per vaporem emittitur. Terra enim, & aqua, & aër putreſcunt, omnia enim hæc igni pro materia ſubſternuntur, vt falsò contra Valleſium arguebat Pereda. Nam per elementum terreum, intelligit elementum purum,vel impurum: non illud, quoniam nullum elementum eſt purum; nam ſi eſſet, putreſcere non poſſet, nam putredo mixtorum eſt paſſio. Si hoc, quum impurum ſit, putreſcere poteſt, quoniam à ſua natura, hoc eſt, puritate receſſit. At quæres iterum, cur ſi omnia elementa poſſunt hanc partium diſtractionem pati, & putreſcere, quoniam in ſuis naturis impura ſunt, excepit ignem, qui etiam impurus eſt? Dic: quoniam ignis qualitates, minimè contrarias admittit; nam hic non poteſt refrigerari, neque fieri humidus, ſed omnium eſt violentiſſimus, reliqua omnia conficit,& habet vt materiã ſubſtratam,ipſe quàm minimum refractus. Accedit, quòd ea quæ putreſcunt, debent vinci à calore ambientis, & debent quidem calore naturali fieri debiliora, calore verò præter naturam caleſcere, vt *cit.loc.* Philoſophus ait. Ignis verò neutrum illorum poteſt pati, neque ab alterius calore vincitur, quia nulli occurrit potentiori, neque aliquis gradus caloris poteſt illi eſſe præter naturam, quum ſecundum naturam ſummum gradum caloris retineat, omnia ergo putreſcunt excepto igne, vt explicat Didacus Lopius *in lib. de elem.cap.*4.

Deinde, ſi contingat ſpiritus humidiores eſſe,pluſquàm illorum naturæ conueniat, & calidos, ex humidiori materia generatos, cur putredinis labem non concipient? cur ſi fit diaria ſimplex, quum inflammatus inſpiratur aër; ſi putridus, & tabo infectus hauriatur, putrida & peſtilens non gignetur?

Contrà ſentiunt Conciliator *diff.*94. Pereda *loc.cit.* Ioannes Brau. Petrafitanus *in com.cap.*5.*lib.*1. *de dif. feb.* nixi his rationibus. Quòd ſpiritus tenues ſint, obſtruere non poſſint; facilè moueantur, tranſpirent, optiméque ventilentur, à natura nimis cuſtodiantur, & gubernentur: quare ſi febris in iis concitatur,ſalubris ſemper dicta fuit à Gal.mitiſſima, ac prauis ſymptomatis minimè coniuncta,ex Gal.2.*criſ.*13.*lib.*1.*ad Glauc.*2.*& lib.*1.*de dif.feb. cit.* Qua ratione intricatus Maſſaria *lib.*7.*de feb.cap.*6. leuitatem illorum, qui diariam inter morbos magnos acutos, & peſtilentes connumerant, confutat, immò ſudorulentam hanc peſtilentem febrim, quæ eruditiſſimorum virorum fuit inuentum, figmentum, & ſomnium, aliis futilibus ratiunculis munitus,perfricta fronte appellare non erubeſcit.

DVBIVM LIII.

Num ſanguis arterialis putreſieri poſſit. Contra Crucium Olyſip. doctiſſimum.

Qvid dubitandum de ſpirituum putredine,hauſtis per inſpirationem putridis halitibus,à quibus illi putreſieri corrumpique poſſunt? nónne ſanguis arterialis puriſſimus, & tenuiſſimus putredinem concipere poteſt? at fortè hoc negabis, quum ſanguis hic ſpirituum puritate, copiáque abundet, moderato calore ſit præditus, quo putredini vehementer reſiſtit, & facilè moueatur, & ſic duplici tunica vallatus,rectéque ventilatus,à naturáque optimè gubernatus, nec putredinem, nec acrimoniam concipere poteſt. Quibus rationibus conuictus Antonius Crucius Olyſip. *lib.*2.*Chirug. cap.*10. aneuriſma à cauſa interna per corroſionem arteriæ fieri non poſſe arbitratur,quoniam ſanguis hic malam qualitatem non acquirit. Cuius opinionis falſitatem coarguit Auic. 4.4.*tract.*2.*cap.*16.per hæc verba. *Et multoties arteriæ de intus accidit pulſatio magna, & diſrumpuntur,præterquam diſrumpatur cutis, & congregatur ſub cute emboriſma*, &c. explicant Fallop. *tract. de tumorib.præternatur.cap.*14.Fragoſus *lib.*2.*de apoſtemat.*9. Sanguinem enim arterialem, ſi calorem concipiat acrem & putridum, ſua acrimonia corrodere poſſe quis dubitat? quod firmat Nicol.*ſerm.*7.*tract.*5.*cap.*24. qui ab humore corrodente ſubſtantiam arteriæ, vel venæ, præterquàm corrumpat cutem, poſſe fieri aneuriſma aſſeuerat: & *infrà* ſic ait. *Et quando prouenit à cauſa intrinſeca, magis prouenit ex ruptura venæ, quàm arteriæ, quoniam vena eſt facilioris corroſionis, quàm arteria: humor autem corroſiuus pluries reperitur in venis, quàm in arteriis, quamuis ſanguis arteriæ calidior ſit ſanguine venæ, quoniam natura ſollicita eſt, ne talis humor pro poſſe in arteria generetur, aut tempore longo perſiſtat*, &c. Ex quibus conſtat, quòd licet ſanguis arterialis puriſſimus ſit, & optimè à natura cuſtodiatur, ac gubernetur, & alias habeat ſuprà citatas conditiones,quæ quodammodo aduerſantur putredini: tamen huic eſt obnoxius; illæ enim difficultatem arguunt putreſcendi, non tamen impoſſibilitatem. Sanguis ergo arterialis putredinem concipere poteſt, vi cuius ſuborta acrimonia, arteriam erodi contingit.

Nónne cor ipſum putrere poteſt? ex Gal. 3.*de præſag. ex pulſib.*3.*&* 7.quo loco dari hecticam peſtilentem ac putridam, cordis ſubſtantia putrefacta non ſemel inculcat. Quidquid, falsò tamen, contrà ſentiant Conciliat. *dif.*94. & Trincauel. qui dum peſtilentem febrem ſuo modo fingit,non hecticam peſtilentem, ſed hecticam ex peſtilente febrem nobis proponit.Sed aduertere debet Trincauel.cor poſſe pati putredinem,abſceſſus, vulnera, vlcera,vermes, verrucas, ſanioſas, omnis generis tumores, cum animalis vita,quæ omnia in diſſectis corporibus, in membrana cor veſtiente, in ipſius ventriculis, & ſubſtantia adinueniſſe gloriantur Beniuen.Fernel. Holler.Maſſa,Thom.à Veiga, Matthias Cornax, Realdus, Andreas Laurent. & alij quos referunt Marcel.Donat. & Schenckius *in ſuis obſeruationib.* & nos *lib.* 2. *huius operis* diffusè proponemus, quum pericardij affectiones, poſito exemplo in ſimia, & gallo patientibus tumores ſcirrhodes,apud Gal.5.*de loc.*2. fuerimus interpretati. Lege *obſeruationes* 139. *& tres ſequentes lib.*1.*noſtri, de praxi medica admiranda:* quibus locis raras peregrináſque hiſtorias de hoc argumento retulimus.

Cur ergo ſi cor, ſanguiſque arterialis putreſieri poſſunt, ſpiritus etiam putrere poſſe negabimus? Dari ergo ephemeram putridam ac peſtilentem, verum eſt, quam inter peſtilentes Gal. non conſtituit, fortè quoniam exiſtimauit, ſpiritus maligna putredine affici non poſſe, quin ſtatim inficerentur humores, vt ſcitè notat Fonſeca *in meth. curand. feb.quas Iacchin.omiſit, cap.de febri peſtilente.*

Neque quòd tenues ſint ſpiritus, obſtruere non poſſunt. Hoc verum,ſi de frequenti euentu ſit ſermo;ſi tamen contingat,

contingat, vt aliquando ex materia tenui non ita generentur, ſed humidiori & craſſiori, ad putredinem & obſtructionem magis diſpoſita, cur non obſtruent, & putrefaciendo calefacient?

Et licèt motus ſpirituum, & puritas, ipſos à putredine defendant, tamen ſi ob cauſam vehementem, & ſubiecti aptitudinem, putrida, peſtilentique aura inquinentur, cur diaria pernicioſa, ac interficiens non orietur? nam natura eos, quoad poteſt, conſeruat, verùm victa eos à labe tueri non poteſt, vt Riolanus ait. Omnis ergo ephemera ſalubris eſt, niſi ſit peſtilens. Nam omnis intermittens ſalutaris eſt, 4. *aph.* 43. quæ ſi ſit peſtilens, pernicioſa erit. Hipp. enim, & Galen. intelligendi ſunt de frequenti euentu.

DVBIVM LIV.

Num febris maligna, aut peſtilens, intermittens eſſe poſſit. Contra Mercatum.

AD 3. partem argument. quarti. Reſponde, intermittentem febrem malignam & peſtilentem eſſe poſſe. Nam qui eam negat, Medicinę decretis maximè repugnat. Quid enim obſtat quominùs pars aliqua ita ſit afecta, vt totum alimentum ſibi commiſſum in malam qualitatem conuertat? & acceſſionis tempore mittat in focum, vel in aliam præcipuam partem, in qua deleterius humor conculcatus maiori labe inquinetur, è quo vapor fœdus eleuatus inficiat viſcera tabe dira? Nónne ex tibia 3. *de loc.* 7. aura eleuatur per interualla, acceſſionis modo, comitialem morbum effectura? quem caſum vidit & curauit Tral. *lib.* 1. *cap.* 15. *tit. de iis qui ex alia parte morbum comitialem experiuntur*, & nos *ſuprà* ex Gal. *hiſt.* 18. *huius lib.* explicuimus. Viderunt præter alios Sauonarol. *tract.* 6. *de ægritud. capit. cap.* 20. *in fin.* Fernel. 5. *pathol.* 3. Nónne ex venenati ſeminis, & ſpurciſſimi menſtrui malitia totius corporis ex interuallis accidit conuulſio? quam referunt Gal. 6. *de loc. cap.* 5. Beniuen. *cap.* 97. *de abdit.* Quid commemorem humorem malignum, qui in quauis parte reconditus, per circuitus ſua virulentia poteſt naturam exagitare, de quo meminere Haly Rhodoam, *ad lib.* 3. *teg. Gal. in com. text.* 191. Valleriol. 4. *obſ.* 6. Gattinar. *cap. de epilepſ.* qui auctores vnanimiter confirmant, poſſe humorem deleterium ad tempus coërcitum, & in parte quapiam conculcatum exhalare, & per circuitus paroxyſmales repetere.

Quod ſi hæc vera ſunt, & virorum aut poſtremæ notæ monumentis confirmata, cur febris intermittens, maligna eſſe non poterit, humore maligno virulento per circuitus à natura exagitato? An quia nulla febris intermittens maligna eſſe poteſt, vt 4. *aph.* 43. oraculo prædixit Hip. id equidem non puto. Nam Hip. de ſalutari, minimèque pernicioſa intermittente febri, & frequentèr eueniente venit intelligendus. Quoniam aliàs quid inconueniens eſt, humorem malignum præ paucitate, in quapiam parte coaceruatum, non ita continuò, ſed ex interuallis naturam laceſſere, & acceſſionem concitare? quam nonniſi ex humorum maligna putredine oriri dicemus: hoc enim firmant Thom. à Veiga *lib.* 3. *de loc.* 7. *verbo, in corpore.* Illefonſus Lopius *in prognoſtic. verbo, febres, num.* 23. Iacob. Othæus *de obſ. propriis*, relatus ab Schenkio *lib.* 5. *obſ. de febrib.* Holler. *lib.* 5. *obſ.* 25. Ludou. Mercat. *tom.* 2. *de febrib. tit. de tertian. pernicioſa.* eleganter Valleſius 3. *epid. ſect.* 3. *com.* 9. Hercul. Saxonia *lib.* 8. *de febrib. cap.* 37. qui omnes, intermittentes febres poſſe eſſe malignas, conceptis verbis aſſeuerant.

Quòd autem febris intermittens, peſtilens eſſe poſſit, probat Fabius Paul. *lib.* 1. *enarration. in lib. Thucydidis de peſte*, edoctus à Tito Liuio *lib.* 1. *decad.* 5. qui in peſte ſæua ſui temporis, quartanos circuitus eueniſſe refert: quod facit etiam *lib.* 7. *decad.* 3. quam ſententiam, probant Oddus de Oddis, *lib.* 1. *de peſt. cap. vlt. in fin.* & Cornel. Gem. *tract. de peſt.* hemitritæum peſtilentem plures peſte affectos inuaſiſſe refert. Quare febres peſtilentes interdum

A repetunt per circuitus, & acceſſiones habent, vt probant Foreſt. *lib.* 6. *de feb. peſtil. obſeruat.* 12. Thomas à Veiga *in com. cap.* 4. *Gal. lib.* 1. *de dif. feb.* §. *De ſeptimo, &c.* præclariſſima Gal. doctrina inſtructi, *in lib.* 3. *epid. ſect.* 3. *com.* 20. quo loco nomen, *vulgare*, vel *peſtilens*, non eſſe morbi certi inquit, quaſi cum omni modo complicaretur peſtis. Explicat infrà, *in text.* 64. vbi in conſtitutione peſtilenti vagatas fuiſſe tertianas, quartanas, & alias febres erraticas aſſeuerat, quas cum multa turbatione fuiſſe coniunctas, prodit infrà *in text.* 65. quæ ſi peſtiferæ non eſſent, ſecuriſſimæ eſſent, & minimè perturbantes, ex Gal. *lib.* 1. *epid. ſect.* 3. *com.* 4. poſſe autem humorem peſtiferum in parte quapiam contentum deliteſcere, & per circuitus acceſſiones mouere, *ſuprà* explicuimus.

Ex quo patet erraſſe Ludouic. Mercatum *lib.* 7. *de feb.* B *peſtil. & maligna, cap.* 2. *in princ.* febrem peſtiferam & malignam, non eſſe de genere intermittentium aſſeuerantem, quòd eius materia ſit in venis maioribus, & propè cor; ideò ſi aliquando videatur intermittere, non verè, ſed apparenter hoc contingere; ad tantam enim ſæpè deuenit remiſſionem, ſaltem in principiis vt facilè incautos decipiat, putantes intermittentem eſſe, quum reuera periodum vllam non ſeruet, immò ſua malignitate citra veram intermiſſionem corpus fatiget. Sed cùm videamus aliquas intermittentes pernicioſas, quas ipſe ſuprà *in lib.* 6. conceſſit, adeò vt tempore acceſſionis longè ſint grauiores continuis, in eius opinionem deſcendere non poſſum. Licet enim neceſſarium ſit, in maligna peſtilentique febre, cor praua putredine, & maligna qualitate offendi, (in hoc enim à cæteris putridis diſtinguitur) non tamen ſemper à corde putredinem incipere, illius humo- C res aut ſubſtantiam occupantem, affirmandum eſt: nam interdum extra venas ab aliqua corporis parte eleuari poteſt vapor deleterius, cor feriens, lancinans, & eius robur proſternens, vt apparet in temporaneis venenis. Nec in febri peſtilente cor ſemper primò afficitur, quoniam dantur anginæ, pleuritides, catharri, dyſenteriæ, phrenitides, & colici dolores peſtilentes, ex Paul. *lib.* 3. *cap.* 43. & Auic. 16. 3. *tract.* 3. *cap.* 6. & *tract.* 4. *cap.* 30. Gentil. *in com. cap.* 6. *fen.* 16. 3. Leono Lunenſi *lib.* 4. *art. medic. ſect.* 3. *cap.* 4. Diuerſa enim, & admiranda eſt peſtis analogia, vt aduertunt Mercur. *lib. de peſtil. cap.* 14. Fracaſtor. *lib.* 2. *de morb. contag. cap.* 4. Fab. Paul. *in com. lib. Thucyd. de peſte, fol.* 274. Sicut enim datur peſtis, quæ ſolùm virgines afficiat, alia ſenes, alia quæ crura corripiat, vt innumeri auctores cōfirmant, provt varia & diuerſa dantur ſeminaria, quæ provt D vel his, vel illis amica ſunt, vel inimica, ita modò hunc, vel illum afficiunt: ſic etiam datur alia, quæ certa membra affligit tabe dira, vt pleuram, guttur, partes ſpiritales, cerebrum, & inteſtina; prout *in lib.* 2. de colica peſtilenti agentes, latiùs comprobabimus: de quorum affectuum curatione egit Cardan. *lib.* 3. *de venen.* & vt nuperrimè, ſic omnium elegantiſſimè Iean. Colle, *in lib.* 3. *de morb. malignis* diſputauit. At in iis peſtilentibus affectibus, cor primaria ſedes non eſt, licèt ratione febris ſemper patiatur.

QVÆSTIO LII.

Quòd in peſte, pulſus & vrina videantur eſſe ſecundùm naturam, cum ægri morte, & quæ ſit huius E *euentus cauſa. Contra Auic. interpretes, Gentilem, Nicol. Amat. Mercurialem, Altimarum, & alios Medicos præſtantiſſimos.*

AD 4. partē argument. 4. ducto altiùs exordio reſpondendum eſt Gal. *lib.* 3. *de præſag. ex pulſib. cap.* 3. ſic ait: *Quidam enim ab initio ad finem vſque; alij per totum morbum, probum pulſum habebant, qui perparùm deflexiſſet à natura, &c.* Et *cap.* 4. ſic ait. *Sanè videtur quibuſdam perplexa & incognita via, ſi quando nec differentia vlla pulſuum à naturali deficiat, & ſe ipſe ægrotus febrem non dicat percipere, ac inæqualitatem, quæ moleſta eſt, balneis percurauerit, & vt*

rem

rem difficiliorem reddam,nec ex vrina quidem petere in huiuſ-modi affectibus firmam notitiam ſemper licèt, ſed eſt ferè an-ceps colore, & compage ſimilis naturali. Sexcentos tales in diuturna peſtilentia conſpeximus, vbi Medicos cerneres ni-hilo plebe præſtantiores, imò verò imperitiores multo nonnullos experiente plebeio, &c.

Hanc ſententiam firmat Auic.1.4.*tract.4.cap.2.de ſign. feb.peſtil.* §. *Et quandoque eſt de febribus peſtilentialibus, in qua non percipit æger, nec tangens propinquus multitudinem caloris,& non alteratur pulſus,& aqua magna alteratione,& cum hoc ipſa eſt interficiens velociter, & hæſitant Medici in eſſe eius, &c.* Repetit 2.4. *tract.*1.*cap.*80. §. *Et quandoque eſt vrina in ægritudinibus peſtilentialibus bona, naturalis in ſubſtantia, colore & ſedimine, & ille cuius eſt, tendit ad mortem,&c.*

Sequuntur horum auctorum mentem, Auenzoar *lib.*3. *Theiz.tract.*3. *cap.*1.§. *Ex his autem quæ pluries, & pro ma-iori parte vidi accidere in epidemia, ſunt febres putridæ, quæ lentæ in tantum eſſe videntur, quod vix percipiantur niſi à Medico, & moriuntur ſubitò cum eis, &c.* Auer. 4. *collect. cap.*14. *prop.fin.* idem confirmat. §. *Et non apparet in his febribus fortitudo, nec ſentitur in eis magna læſio manifeſtè, &c.* Horum mentem explicat Raſius 10. *lib. ad Almanſ. cap.*2. *de peſte.* §. *Febribus quæ ex aëris corruptione generan-tur, non videtur in principio multa ineſſe caliditas, neque acuitas quum tangitur æger: ſunt tamen in oculis corporis partibus, & ipſius profundo magni nocumenti, & ſunt dece-ceptoriæ, & vehementis operationis, & ſunt febres lentæ, tepi-dæ, concluſæ, &c.*

Sed relictis veterum ſententiis, placet veritatem hanc examinare ad vnguem. Videtur enim longè à veritate alienum exiſtimare, pulſum bonum, & vrinam bonam in peſte interficiente apparere, quum venenũ lateat interiùs, lancinet cor,vitalis potentiæ & naturalis facultatis tonum diſſoluat; ſicque neceſſe eſt, vt pulſus in aliqua differen-tia deficiat, ſi verum eſt, pulſum inquietudinis, damnique interni indicem eſſe certiſſimum,ac minimè fallacem. In-ſuper, ſi peſtilens calor ab aliis per putredinis excellen-tiam differt, ex Gal. 6.*epid.ſect.*1.*com.*29.cur in pulſu, aut vrina, aliqua putredinis nota non apparebit? quam ex his ſignis rimari poſſe probat Gal. 9 *meth.* 4. §. *Quia au-tem nec in lotio, nec in lotio, nec in ipſa caloris qualitate,indi-cium aliquod humorum putreſcentium apparuit, &c.*

Enimuerò ſi Galeni verba,aliorúmque auctorum men-tem penitiùs ſcrutemur, pulſum naturalem, & vrinam bonam in peſte interficiente non poſſe apparere inuenie-mus. Patet ex Gal. *ſuprà*, ex verbo [*perparùm deflexiſſet à natura,*] & ex altero [*alteratione magna,*] & ex alio [*ſimilis naturali:*] ex quibus omnibus manifeſtè conſtat,in peſte, ægro tendente ad mortem, minimè dari pulſum natura-lem, ſed huic valdè ſimilem ob dictas cauſas,vt commu-niter Medici ex Gal. ſententia falsò pronunciant.

Quare tamen pulſus & vrina, à natura perparùm defi-ciant,plures explicarunt,ſed an rectè, ipſe iudicabis, ſi eo-rum opiniones priùs exaudias. Auic.interpretes in varias abiere ſententias. Dicunt ergo primæ opinionis fautores, quòd natura tanto malo oppreſſa non audet aggredi pu-gnam, & quaſi deuicta non valet inſurgere contra mor-bum, ſed potiùs ad operationes naturales ſe conuertit, vnde pulſus apparet bonus,& vrina bona.Hunc ſoluendi modum excogitarunt Conciliat. *dif.* 94. Gordon *lib.*1.*de feb.cap.*10. Pro illis eſt locus eximius *lib.*3.*criſ.*9.ſic enim ait Galen.*Hoc enim accidit,vbi plurimùm natura à morbo ſu-peratur, tunc enim neque certare aduersùs ipſum aggreditur, &c.* Lege quæ pro huius opinionis defenſione latè con-geſſere,Iacob.*de part.*Thadæus Florent.Vgo Senenſis,*cit. Auic. cap.* explanantes.

Sed horum demiror ingenium,quòd in re clariſſima ita à Galeni mente deflectant, cùm innatam naturæ proui-dentiam denegent in cuſtodiendo animali; nam ea ex neceſſitate operatur, & aduersùs corrumpentia decertat. Quî enim fieri poteſt, vt hæc licèt multa pernicie op-preſſa, morbum non aggrediatur? Nónne hæc eſt miles ſtrenuus, qui aduerſarium prouocat ad pugnam, etſi in

A conflictu ipſo ſuccumbat, & emoriatur? Nónne hæc maiores ſemper acquirit ad pugnandum vires, vt corpus ab externis iniuriis, quoad poteſt, defendat, in qua cum morbo luctatione pulſum debilem, frequentem & inæ-qualem fieri certum eſt? Nónne animalium natura eſt morborum medicatrix, & in expellendis, & oppugnan-dis mirabilem efficaciam præſtat? Cur ergo hæc tanto malo afflicta, ſigna non dabit ruinæ ſuæ manifeſta, quæ nonniſi ex pulſu, & vrina deſumi poſſunt firmiſſima. Nec eſt dicendum, ipſam morbi ſæuitie deuictam ad ope-ra naturalia ſe conuertere, ſed pugnam inire, quæ li-cèt tunc non ſit eo robore facta, ac ſi ſuperior eſſet,(quo pacto intelligendum Galenum puto) erit tamen ea vi qua poterit.

B Secundæ verò ſententiæ defenſores, quorum primus fuit Gentil.*in com.cit.loc. Auic.* cum Nicol. *ſerm.*2.*tract.*2. *ſerm.*4. *diſtinct.*6.*cap.*9. *in fin.* aſſerunt prædictos auctores hoc modo eſſe intelligendos. Corripiatur v. g. quidam febre ſalubri, in cuius corpore lateat materia venenoſa, quæ licèt, quoniam eſt in parte ignobili,& à corde remo-ta, non noceat, tempore tamen criſis commota cor ſubi-tò ferit, oppugnat, & interficit: quare æger moritur ex febre ſalubri cum pulſu bono, bonáque vrina. Sed non aduertunt viri doctiſſimi, quòd poſtquàm humor vene-noſus ſe deoccultauit, tunc neceſſariò æger febri peſtiſe-ra laborat; quo tempore pulſum bonum, & vrinam bo-nam apparere non eſt dicendum, & maximè quum præ conatu naturæ in criſi facto, & humore venenoſo ſua vi maligna cor feriente, omnia immutari contingat. Lege, quæ de hoc modo ſoluendi ſcripſerunt Theodor. Ange-

C luc.*lib.*1.*de feb.malign.cap.*6.Franciſc.Vlmus *lib.*4.*de vrin. cap.* 6. Scalig. *exercit.* 32. *de ſubtilit. in Cardan.* Valuerda Oiyſſip. *in epiſtola de peſte,Luſitano idiomate conſcripta.*

Alij alio modo reſpondent, de quorum numero eſt Fonſeca, *in meth. curandar.feb. quas Iacchinus omiſit, tit. de feb.peſt.ſig.* qui ex eo pulſum naturalem fieri in peſte, corde peſ. mè affecto arbitratur, quoniam ita calor inſi-tus à mala veneni qualitate debilitatur,vt non poſſit pul-ſum mutare, & extendere, ob ſpiritus & innati caloris inopiam. Corruit ſolutio, nam cùm natura frequentia magnitudinem compenſet,ſi exactè examines pulſum,dif-ferentiam inuenies à naturali, ſicque erit languidior, fre-quentior, & inæqualis.

Clariſſimus Mercurialis *lib.*3.*de excrementis,cap.*8.*in fin.* affirmat calorem exiguum,pulſúmque moderatum reperi-

D ri,quòd febris peſtilens ipſum quoque cordis corpus oc-cupauerit, planéque confirmata ſit, & in habitu, (quam hecticam peſtilentem concedit Gal. 3. *de præſag. ex pulſ. cit.*) in qua pulſus calorem repræſentat æqualem, & ſimi-lem ſano.Sequuntur hanc opinionem,Altimar.3.*de feb.*8. Oddus de Oddis *lib. de peſt. cap.*12. Amat. 3.*cent.*74. Sed quum Gal. peſte correptos habere pulſum ſimilem ſano, dicat, hectica verò peſtilenti correpti habeant pulſum debilem, paruum,crebrum, & modicè celerem,ab eorum opinione diſcedere cogor.Quum hecticæ peſtilentis pul-ſus non ſit ſimilis ſano, nam veneni ſæuitie oppreſſa fa-cultas, & languens, paruitatem pulſus crebritate vale compenſare, ita vt quòd vnica pulſatione non poteſt agere, pluribus efficiat.

E Vera ergo ſit ſententia,vſu,experientiáque confirmata: Pulſum ſimilem ſano, & vrinam ſimilem naturali appa-rere, quando peſtis venenoſa qualitate ampliùs affligit, quàm putredine. Quare quum exigua putredo circa hu-mores verſatur, exigua erit mutatio in vrina. Pulſum enim ſimilem ſano apparere, dicendum eſt, ſæuiente malo, venenóque interno, dicendum eſt,in hac peſte quæ ſine feruore, & calore nimio cor fatigat, & extinctis ſolutiſque ſpiriti-bus vitalibus, corpus & potentias cæca quadam, & abdi-ta venenoſa qualitate labefactat, & veluti præſentaneo veneno homines ex improuiſo, ſideratorum more inter-ficit, proſtratione ſumma, & plerumque ſine ſenſu dolo-ris, anxietudine, & angore maximo vexat, & inopinatò cor premit. In hac neque calor ardore mordax, nec ſitis vehemens eſt, æger tamen animi deliquio, ſyncope, pulſu

pulſu paruo, debili ac puſillo, aſſidua vomitione, vigiliis, inquietudine, corporis iactatione, & virium imbecillitate, ſpirituum omnimoda iactura refrigeratus occumbit: in hac, quum ſit inſufficiens velociter, hæſitant Medici in eſſe eius. De quo argumento vide Fernel. *lib.2. de abdit.12.* & Petrum Salium *libr. de febr. peſtilent.* 15. & 16. *ad fin.*

Non deſunt, qui ad repugnantiam temperamentorum confugiant, quam tantoperè laudauit Gal. *3.de præſag. ex pulſib.3.* quum videlicet cor calidius eſt, humores autem in finibus contenti frigidiores, ex qua contraoperantia pulſus ſit moderatus. Vel interdum eſt inæqualitas temperamenti inter cor & arteriam, vt ſcilicet arteria quæ frigida eſt, à corde calefiat, ita vt euadat pulſus nec paruus, qui frigidæ intemperiei eſt, nec magnus qui calidæ, ſed inter vtrumque moderatus. Aliquando ad diſtantiam arteriarum à corde: quæ enim cordi ſunt propinquiores celeriùs recipiunt influxum à corde; quæ remotiores ſunt tardiùs, vnde pulſus fieri ſimiles temperato, & naturali aſſeuerat. Sed quoniam hanc veriſſimam doctrinam, & miro ingenio adinuentam, iuniores in varios ſenſus diſtorquent, & oppugnant, imò inflatis buccis merum figmentum eſſe aſſeuerant, & locus iſte latiùs diuagandi tempus non concedit, hanc arduam pro Galeni defeſione aduerſus ipſius calumniatores litem diſcutiendam referuemus, ad *librum vlt. Praxis Hiſtoriarum*, in quo de peſtis curatione latè diſſeremus.

Ad 5. argum. de canis rabidi veneno, dic: In rabie putrefactionem quandam exiſtere, latet enim nos; nam putrefactiones quæ in humano corpore fiunt, non admodum manifeſtæ ſunt. Veriſimile eſt autem ita ſe habere, quoniam canes quum rabiunt, febri quadam corripi ſolent. Ergo ſi omnium contagionum inductio fiat, eas in putrefactione conſiſtere deprehendes, ob quam pituita gypſea (vt ad penitum redeamus) quæ eſt ſtrumarum cauſa materialis, & craſſi, mucoſique hmmores putrefacti, ſunt in cauſa, vt ſtrumæ contagium inducant.

DVBIVM LV.

Num pituita vitrea putrere poſſit.

PItuitam enim gypſeam putrere poſſe, nulli eſt non manifeſtum. Nam ſi cor vitæ fons, & domicilium, viuente animali; ſpiritus vitalis (functionum inſtrumentum;) ſanguis arterialis, in quo calor permanentiam habet; ſemen, ex puriſſima ſanguinis parte elaboratum; ſanguis venalis, lac, & alia plura putrere poſſunt, vt *ſupra* retulimus, cur non gypſea pituita? Dices fortaſsè, illi maximam ineſſe ſiccitatem putredini nimiùm reſiſtentem, ſed hoc difficultatem putreſcendi arguit, non impoſſibilitatem. Nam ſi craſſus, melancholicúſque humor, atque terreſtris ſextanæ, ſeptimanæ, octonanæque febris eſt cauſa, apud Auic.1.4.*tract.*2.*cap.*68.*in fin.* & hoc per putredinem accidit, ex ipſo *ibi* §. *Etiam non prolongatur, quin ſit in quibuſdam corporibus melancholia groſſa, & pauca, cui accidit putredo, &c.* cur gypſea non putreſcet? Deinde ſi pituita vitrea ſuapte natura frigidiſſima, 2.*de loc.*5. & 2.*feb.*6. putreſcit, ex Auic.1.8.*tract.*2.*cap.*80. §.*Verùm ipſi accidit iam putredo, &c.* & febrem concitat ob putredinem, ex Gal.*cit. de feb.* cur gypſea non putreſcet? fortè quoniam ab humore omninò exuta eſt? id equidem non puto. Audi Petrum de Peramato *lib. de humorib. cap.* 13. per hæc verba. *Eſt autem pituita gypſea, craſſior reddita per ſeroſi humoris abſumptionem, reperitúrque in artubus, pulmone, atque aliis meatibus corporis non rarò, taliſque appellatur ante integram exſiccationem, & conuerſionem in tophum, & lapidem, &c.* Hanc modica quadam humiditate, & mollitie eſſe adhuc præditam Coſtæus confirmat, *in com.c.*1.*Auic.fen.*1.*doct.*4.*n.*6. licèt enim lapidis, aut gypſi duritiem repræſentet, ab iis tamen diſtat ob humiditatem, quæ non eſt omninò ſpoliata, quum adhuc in tophi, aut calculi duritiem non migrauerit, vt 6. *phyſiolog.* 9. Fernel. docet. Addiderim ſtrumas non ex hac ſolùm pituita, ſed ex lentis mucoſiſque humoribus ortum ducere, vt inter omnes firmauit Manard. 7. *epiſt.* 2. Ab humore ergo in ſtrumis reperto, lento & putrido, quum habeat omnes conditiones ad contagium requiſitas, eleuari vaporem, vicinum corpus contactu & fomite infecturum, affirmamus.

Neque dicas, non adeſſe putredinem in iſto humore, quia in ſtrumoſis non viſitur febris, à putredine inſeparabilis. Nam præterquàm quod ſtrumæ febres mouent, teſte Celſo *lib.*5. *cap.* 20. *rubric. cit.* ob humorem putridum (qui eſt illarum cauſa) febrem concitantem, vt proprio experimento firmauit Amat. 5.*centur.*20. etiam peſtis datur ſine febri, non tamen ſine putredine; & plures peſtilentes viſuntur morbi omnis febris expertes, non tamen putredinis. Quamuis enim hæc ſit cauſa febris, non tamen omnis; ſed ea quæ per omnia vaſa vagatur, aut ita vrget vt corripiat, & ponat in calefacto eſſe: id quod non ſemper efficere poteſt putredo, vel etiam inſignis; quum ſit in externis partibus poſita, & à corde remotis, vt plures oſtendunt morbi, quorum putredinem ſat oſtendit fœtor ingens exhalantis vaporis à manantibus vlceribus, ſordidis fiſtulis, virulenta ſcabie, fœda elephantiaſi, Gallica lue, & aliis cutaneis affectibus.

Neque obſtat, quòd per duram cutis tunicam vapor exire non poſſit, vicinum corpus infecturus. Nam omnia ſunt tranſpirabilia, 6.*de loc.*5. & per cutem exilibus, crebris, & inſenſibilibus foraminibus conſtantem (poros vocant) effluxus continuus extra corpus humoris noxij defertur. Celerem autem euaporationem iuuat partis affectæ internus calor continuò effumans; calor autem à putredine humoris in parte coërciti fouetur ſemper.

DVBIVM LVI.

Num putredo ſit cauſa caloris.

OBiicies hoc minimè eſſe verum, nam putredo non eſt calor, is autem non niſi à ſuo ſimili oritur: neque enim concipi poteſt, vnde putredo putrenti rei calorem addat. Deinde licèt putrentes humores reddantur calidiores quàm antea erant, quum minùs caleant quàm cor, febrem excitare non poterunt. Iungit Ariſtot. 4. *meteor. cap.*1. putrentia omnia reddi frigidiora, quum per putredinem exhalet innatus calor, & extraneus ceſſet poſt actionem.

Licèt pro huius dubij ſolutione, variæ ſunt Philoſophorum opiniones, ſeu potiùs rixæ: placet enim iuniorum doctiſſimis flammam vtcumque iam conſopitam excitare, quum ad huius obiectionis ſolutionem, quædam neceſſe ſit prælibare, ex tam multis quæ Galeni interpretes, ad *cap.*3.*lib.*1. *de differ. febr.* doctè literis commendarunt: de quorum numero ſunt Argenter. *in art. medic.* & Thomas à Veiga *in com.cap.*5.*Galen.lib.*1.*de diff.feb.* Thomas Eraſtus, Archangel. Mercenar. *pro tract.de putredine.* Euſtach. Rudius 3. *de feb.* 11. Valleſius 4. *controu.* 3. & 4. *meteor.*1. Ludouicus Mercat. *tom.*2.*lib.*3.*de feb.cauſ.in init.* Stephanus Roderic. Caſtrenſ. *lib.* 3. *de meteor. microcoſm. cap.*4. inter quos non adhuc capit diſcordia finem, adeò dubium, anceps, arduúmque eſt: & nos plura de putredinis cauſis, eſſentia, & natura Laconicè proponemus, *lib.*4. *in com. hiſt.*4.

N ganda enim foret illa propoſitio Gal. lata tum *cit. de diff.feb.* tum *lib. de cauſ.morb.*2. & 3. *de temper.*2. niſi certiſſimo, manifeſtiſſimo frequentiſſimóque experimento, ſui certitudinem euidentiámque exhiberet: quale eſſe illud *cit.loc.* relatum, de ſtercore columbino, ex quo putrefacto, vaporémque edente, tota domus in Myſia, Aſiæ parte conflagrauit. Hoc autem ita accidere confirmant euidentiſſima argumenta. Primùm, acrimonia ſentati caloris in putrido, dum extrahitur ſanguine. Exemplum aliorum ſtercorum, quæ putreſcentia multum ignem concipiunt, adeò vt ſi manibus tangantur, exurant. Ardor tritici in aceruis putrentis. Lactucarum aceruus, quæ, ſi eas relinquas donec putreſcant, comburunt. Acceſſionum repetitio, duratio, & earum ceſſatio ſatis oſtendunt,

Indicat

Indicat euidenter humor in parte obſeſſa phlegmone contentus, vbi prohibitus difflari putreſcit, & febrem concitat.

Quare tamen hoc accidat,ex Gal.doctrina,& Philoſophi dictis ſatis conſtat; hi enim exemplis rationem addidere. Putreſcentia ergo omnia calorem concipiunt,calidáque præternaturaliter redduntur, licèt putredo non ſit formaliter calida vt ignis; neque eminenter,vt ſol;neque potentia vt piper; quòd alienus calor vniuerſum occupet corporis habitum: ſiquidem per putredinem naturalis calor corrumpitur, & ab extraneo calore ſubiectum occupatur, qui eſſentia ſua acrior eſt & mordacior. Qua de cauſa pituita, reliquíque craſſi & frigidi ſucci febrem accendunt, concepta priùs putredine, *lib.* 2. *de diff.feb.*5. Quo fit vt in frigidis affectibus propè mortem aliquando febris conſequatur, eo quòd retenta, & putrefacta excrementa calorem concipiant. Hæc eſt facilis ſecundùm Galen.& Philoſ.mentem reſponſio.

Licèt enim putredo non ſit calor, calefacere tamen poteſt, ob extraneum, præternaturalémve calorem ambientis, qui ſi validior ſit innato rei putrentis, cur putrefaciendo non calefaciet? Natiuus enim ad oppoſita patibilia gubernanda ſit impotens, & ineptus, ſicque effluere humidum permittit: in quod proſiliens extraneus, feruorem & incendium concitat. Quod ſi putridus humor adeò non calet, vt cor, aut contenta eius, (hoc enim ſecundo loco obiiciebant plures) ſaltem tranſmiſſa fuligo calidiſſima eſt, & ſufficiens ad febrem inducendam: quoniam concepto putredinis vitio languet innatus calor,& ab extraneo,vel remiſſiori facilè alteratur,æſtuánſque ſponte gliſcit, & ad noui putridique aëris acceſſum creſcit & inceditur. Tantùm enim abeſt vt poſt actionem alienus ceſſet calor, vt ad abſentiam innati magis efferueſcat, ſicque intenſior putredo concitetur.

Humor ergo actu committens ſtrumas, & qui earum cauſa coniuncta dici poteſt, & debet, tranſpirari prohibitus putreſcit, effumat, & calorem concipit acriorem & mordacem; ex quo eleuatus vapor putridus, lentus, & praua qualitate affectus contagium inferre poteſt, maximè quoniam eleuatur ex loco cutaneo externo, è quo integra, minúſque mutata exit aura. Strumæ ergo tam vlceratæ, quàm non vlceratæ,ſunt fomite,& contactu contagioſæ. Licèt illæ promptiùs inficiant, quoniam à ſordido vlcere fœtidiſſimus exurgit vapor,vicinum corpus infecturus lue dira.

Hoc minimè concederet Hieronymus Perlinus,qui *in declamatione ad lib.* 2. *cap.*10. aduersùs morborum contagionem, eiúſque fautores, acerrimè contendit, nullum morbum dari contagioſum, nec ſtrumas, imò nec ipſam peſtem. Et quod plus eſt, eò impudentiæ, imò dementiæ deuenit, vt aſſerat hodierna contagij, tum pericula,tum remedia irrita eſſe, inania ac planè nulla. Sed abeat cum ſuo commento Perlinus, qui humani generis hoſtis veriùs nuncupandus, ſibi licere putat impunè homines occidere. Rationes verò quibus fulciat paradoxum, nondum exiere in lucem: Medicorum enim terrore percitus declamationem ſolùm excudit. Si fecerit, non deerunt docti qui earum vanitatem impugnent euidenter.

QVÆSTIO LIII.

Quòd verba non naturali vi, ſed ſummi Omnipotentis potentia, aut accita Dæmonum ope, ſtrumas aut alios morbos curare poſſint.

QVorundam ruſticorum *exemplo, &c.*] Dirus morbus ſcrophula eſt, cùm qua ſæpiſſimè, incaſſum tamen Medici laborioſè luctati ſunt; pertæſi tamen vehementis laboris, ruſticorum opem implorant. Nam hoc Herculeum malum opprobrium Medicorum dici poteſt. Siue ergo humorem hunc expurges, extrà & intrà emollias, (per internam enim partem exhibitis medicamētis, poſſe fieri emollitionem, tenent Fallop.*lib.de tumorib.præter na*-
A *tur. cap.* 2. Iul. Cæſar Claudin. *conſult.*112.) cauſtica & ipſum ignem adhibeas, vix ſuccumbit affectus. Coguntur ergo miſeri ægri Ruſticorum Hiſpani alexicacos, ſeu ſalutatores vocant) auxilium exquirere tanto malo oppreſſi. Illi ſolo contactu, viſu, afflatu, verbis, aut lintei ſicci applicatione ſtrumas, aliáque vulnera ſanant immedicabilia. An tamen hoc verum ſit, iam videndum. Nanum namque non eſt, quod de verbis prolatis, & incantationibus circumfertur, quum his quotidie grauiſſimos morbos extirpari contingat. A ſacris ergo literis ducamus exordium. Incantationes probare videtur Regius vates *Pſalm.*57. dum ſic cecinit. *Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem incantatoris, & venefici incantantis ſapienter, &c.* Hierem.etiam *cap.*8. idem ſcripſit, dum di-
B cit: *Ego vobis immittam ſerpentes regulos, in quibus non eſt incantatio.* Hinc grauiſſimus auctor Ioſephus *lib.*8. *antiq. cap.*2.affirmat,ſapientiſſimum Salomonem præcantationibus,& coniurationibus,vt Dæmones fugarētur,& morbi curarentur, vſum fuiſſe. Et Plato *lib.*4. *de republic.* in vniuerſum morbos incantationibus ſanari aſſeuerat, vt affirmat Platonic. Princeps, Marſil. *lib.*3. *de vit. cælit. comparand.*18. Idque apud Lucianum Dinomachus Stoicus, Ion Platonicus, Cleodemus, & alij opinantur. Imò Pythagoras, Empedocl. Apollon. Thyanæus, non tam verbis, quàm carminibus morbos ſanari tradunt. Plinium *lib.*28.*cap.*2. eandem ſententiam habuiſſe, eámque plurimis appoſitis exemplis confirmaſſe, probant inſignis Tiraquel. *lib.*2.*de nobilit.quæſt.*7.*num.*302. Alexander ab Alxandro,*lib.*2.*dier.genial.cap.*17.eloquenter.

Ex noſtris Trallian. non contemnendæ auctoritatis
C Medicus *lib.*9. *cap.*4. ex ſententia Galen. id confirmat, §. *Præterea etiam diuiniſſimus Galen.qui nec quidem incantationes putauit, longo tempore, multóque vſu plurimùm ipſas poſſe deprehendit. Audi igitur verba ipſius,quæ de medica Homeri tractatione ſcripta reliquit in hunc modum. Nonnulli igitur putant incantationes anicularum fabulis eſſe perſimiles,quemadmodum ego quoque diu exiſtimaui; temporis autem progreſſu ab eis quæ euidenter apparent, perſuaſus ſum, vim ipſis ineſſe; nam in percuſſis ab ſcorpio adiumentum ſum expertus, nihilo autem minùs in oſſibus gutturi infixis, quæ incantatione ſtatim expuebantur;ac multa præclara ſingulæ habent incantationes, quum inſtitutum conſequuntur, &c.* Quæ ſententia Galen.licèt non extet, extitiſſe tamen, auctoritate huius viri poteſt comprobari.

Deinde is Auctor *lib.*12.*in fin.* characteribus vtitur ad
D coli dolores perſanandos: quam opinionem confirmat Marcel.antiquiſſimus Auctor *lib.de rē medic.cap.*8.Et mirabile eſt quod ſcribit Aëtius ex Archig. *tetrab.*2. *ſerm.*4. *cap.*29.per hæc verba: *Dentem igitur mortui canis, in nomine eius qui ægrè habet, acceptum ſuper prunas pone, vaporémque inde prodeuntem æger aperto ore admittat,& firmabuntur ei dentes, &c.* Plurima his ſimilia exempla legat qui velit, apud Fernel. 2. *de abdit.*16. Cardan. *lib.*2. *tract.*2. *contradict.*7. Ad hæc Gal.12. *meth.*8. flatuoſi doloris curam per cucurbitulas ſuper partem affectam poſitas docens, has eſſe auxilium incantamenti ſimile pronunciauit. Vide Beniuen.*lib.de abdic.ſanat. cauſ.*26. qui ſagittam infixam, in ſaucio iam à Medicis deſperato,carminibus auulſam fuiſſe aſſeuerat. Lege etiam Conciliator. *diff.*157. de hoc argu-
E mento ex profeſſo diſputantem,& Andream à Cruce *lib.*1. *de vulnerib.tract.*2. *cap.*17.*de curandis vulneribus, orationibus & aqua.*

Sed fabuloſum, & commentitium eſt, quod de incantationibus circumfertur. Quamobrem magi, & incantatores rigidè in Diuinis oraculis reprehenduntur, vt patet *in lib.* Deuteron.18. per hæc verba. *Quando ingreſſus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne imitari velis abominationes illarum gentium,neque inueniatur in te qui hariolos ſciſcitetur,atque obſeruet auguria,neque ſit maleficus, neque incantator,neque qui pythones conſulat,atque diuinos,& quærat à mortuis veritatem; omnia enim hæc abominatur Dominus, & propter huiuſmodi ſcelera delebit eos in introitu ſuo, &c.* Idem legitur apud Eſaiam, *cap.*2. & *in lib. Paralip.*33.

&

& *in Leuitic.*19.& 30. n quibus locis Iudæi grauiter plectuntur ob incantationes. Ob quas *lib.*1.*Reg.* Saül Rex à Deo interficitur. Et *lib.*4.*cap.*17. Dominu Oſſeæ Regis tempore populum Iſraëliticum,quòd incantationibus inſeruiret, in captiuitatem Aſſyriorum deduxit. Et *in cap.* 23.iuſſu Domini, Deuteron. lege promulgata, delentur incantatores & aruſpices. Conſule Valleſium, *in lib. de ſacra Philoſoph. in com. cap.* 2. *Geneſ.* Quare incatamenta ſunt vanitatis pleniſſima, mera figmenta, & meræ nugæ. Quo pacto Imperatores Conſtantin. & Iulian. *in l. multi. & in l.nemo, Codice de malefaciatis, & Mathemat. nobiles, & ignobiles capite damnare iubet.* & ampliùs patet, *in lege* 12. *tabular.* §. *Qui fruges excantaſſet, & qui malum carmen excantaſſet.* Subſcribunt Hipp. *lib.de morb. ſacro, num.*5. Ariſt. 8. *de hiſt. anim.* 24. *in fin.* Gal 6. *ſimpl in proœmio.* §. *Verùm is ad fabulas, verſus aniles, ſimulque ad præſtigiaturas quaſdam deliras Ægyptias,iunctis quibuſdam incantationibus, quas, cùm herbas colligunt, admurmurant:& ſanè vtitur ad ea quæ ſuſpenduntur, & impoſturas non ſolùm curioſas, ſed etiam falſas vniuerſas. At nos neque horum quidpiam, neque nugaces iſtorum narrabimus hiſtorias,neque enim vel paruis admodum pueris vtiles tales eſſe fabulas exiſtimamus, nedum iis qui Medicinæ opera obire properant, &c.* Repetit 9. *ſimpl.cap.* 26. Sequitur hos Celſ. *lib.*5. *cap.* 27. de vlceribus venenatis. Qua de cauſa Imperator Caracalla lege quadam inuiolabili cautum fecit, ne pro quartana, aut febribus abigendis, incantationibus quiſpiam vteretur. Adi Valleſ.*lib.*4.*contron.vlt.*

Ex quibus duas obſeruare oportet veriſſimas concluſiones. Sit prima. Verba materialiter ſumpta, incantationes, coniurationes, characteres,figuræ,annuli,ſcripta,ligata, appenſa, aut alia ſimilia ſuperſtitioſa & vana, vim aut efficaciam perſanandi morbos non habent. Hanc concluſionem probant inter omnes; Picus Mirandula *libel. prop. de magia.* Bened. Veronenſ. *lib.* 7. *cap.* 25. *de de veneficijs.* Amat. 6. *centur.* 86. Symphorian.Campeg. *in annotament.contra Conciliator.*Tarraga,*quæſt.*36.*in lit.P.* Gentil. *quæſt.* 55. *extrauag.* Ioan. Brau. Petraſitan. *lib. de Marſis & Pſyllis* eleganter. Ioan. Brau. Chamicus *lib.* 2. *de vuln.curat. cap.*5. Patet concluſio euidenter. Nam verba ſunt naturales rerum imagines, & nihil aliud. ipſa præter hominum placitum important.Deinde verba, aut ſcripta ſunt, aut ore prolata; illa ſunt quid mortuum, & omnis energiæ expers; hæc autem vim tantùm habent contactum aerem feriendi, vt & animalium,reliquorumque inanimorum ſoni : ſed ſonus tactum non magis valet immutare, quàm color auditum, quoniam non ſunt ſenſuum iſtorum obiecta. Quare cùm ad ſanationem neceſſarium ſit tactum immutari,fateri, oportet ſanationi morborum,ſolam verborum prolationem nihil conferre.Horum enim omnium vanitas, à vanitatum auctoribus inuenta,ab Epicuræis, Cyniciſque Philoſophis antiquitùs pariter vexata,atque deriſa,non modò viris doctis,verùm etiam rudibus. aa plebeiis notiſſima exiſtit. Lege Gaſparum Peucerum. *lib.de incantat. in princ.*

Quapropter ſi verbis ſimpliciter prolatis morbos incurabiles videris perſanatos, Cacodæmonis ritu fieri hoc certum eſt. Et idcircò militarem illam vlnerum curationem hoc modo celebrari dicendum eſt. Nam hæc virtus tam multis non poteſt impartiri. Neque fidem adhibeas reſponſioni, quam aliqui ex ſuprà citatis innuere videntur, quòd hi linteo vario modo impoſito,vlcera ſanant, quoniam abſtergunt & exſiccant, & ſic ſaniei expurgatione, in euchymis præſertim corporibus, vlcus ad cicatricem perducunt. Nam hoc non niſi longo temporis ſpatio, fieri poteſt. At verò hi ex improuiſo hoc machinantur, vt conſtat ex Ariolo citato à Beniu.26:qui duobus digitis plagæ ſuperpoſitis, & carminibus neſcio quibus inſuſurratis, telum ex oſſe redire iuſſit, quod citra ſummum vitæ periculum, nec varia medicamentorum genera, nec operoſa medentium manus extrahere vnquam potuerunt.

Meritò ergo hæc circulatorum impoſtura damnatur, & interdicitur diuinæ maieſtatis cultoribus, quoniam Dæmonum pacto inito fieri certum eſt. Sic enim commentus eſt Diabolus, vt ſanctiſſimis quibuſdam verbis prolatis faciliùs & libentiùs homines fidem adhibeant. At licèt ab iſtis verba proferantur ſancta, vel ſunt in malum finem dicta, vel ſenſus eorum inuertitur, aut cum prophanis, & nihil ſignificantibus rebus permiſcentur. Sic iſti mira perpetrant, quæ nonniſi ſpiritus iniqui commercio celebrari poſſunt. Contra hos impoſtores ſtrenuè certarunt Gaſpar Ciruelus Toletanus *lib. peculiari de ſuperſtitionibus.* Annæus Robert. Iuriſperitus inſignis *lib.*1. *rerum iudicatar. cap.*5. Benedict. Peter. *lib.*1. *de magia.* Thomas à Veiga *in com.*85.*art. Medic.Gal.* Ioan.Hucher. *lib.*4.*de malefic.*

Nec mireris : Nam ſicùt à maleficis & impiis hominibus, recitatis verbis, magicis quibuſdam actionibus, & certis cærimoniis fiunt, vi Diaboli, faſcina (philtra vocant :) & ſicut agitatis, & tranſmiſſis noxiis ſuccis ad nobiles partes, vel inſtrumentorum ſtructura viciata, innumeri hac de cauſa morbi contingunt, quos trans naturam. *loc.cit.* Fernel.vocat : idque faciunt præſtigiatores immediatè per motum localem, vel illudendo ſenſibus, vel applicando actiua paſſiuis, vt latè referunt Lang. *lib.*1. *epiſt.*38. & *lib.*2. *cap.*34. Marcel. Donat. *lib.*2. *de hiſtor. mirab. cap.*1. *verſ.fin.* Cornel. Gemma *lib.*2. *de natur.diuin. characteriſ.cap.*4. luculenter : Sic Dæmones, & illi horum vi,agitatis & expulſis prauis humoribus à partibus præcipuis ad ignobiles, plurimos morbos,vel etiam inſanabiles ſanare queunt. Sed hæc curatio, vt ſcitè Fallop. aduertit, *tract. de vulnerib. in gener. cap.*14. quantùm ad medendi vium pertinet, nec certa, nec tuta, ſed fallax & captioſa, imò recidiuatione eſt, & periculo plena.

Secunda concluſio. Diuinorum nominum vi, & poteſtate omnes morbi ſanantur. Hanc concluſionem probat eruditiſſimus Martinus Del Rio *lib.* 1. *magic. diſquiſ. quæſt.*8. Eius veritatem exemplificat Origenes, qui cùm *in lib. contra Celſum*, Diuinorum nominum poteſtatem conſideraret, inquit, in Diuinis nominibus mirandam latere vim, ideóque non eſſe ex Hebraica lingua in aliam transferenda, ſed ſuis ipſis characteribus conſeruandas quod quidem ab ipſo Pythagora obſeruatum fuiſſe legimus. Sic Plato *in Permenide* Diuina nomina tantùm commendat. Et idem 11. *de legib.* eos qui Diuina nomina mendacio, aut periuriis inquinant, ſacrilegos vocat, iubétque à quolibet impunè cædi. Sic Socrates *in Philebo* Deum nominare veretur. Hanc Diuinorum nominum mirificam vim ritè cognoſcens Dionyſius Areopagita, omnia Theologica myſteria in Diuinis nominibus exquiſiuit, de quorum excellentia elegantiſſimum librum compoſuit. *Tanta eſt*, inquit ipſe, *Diuinorum verborum maieſtas, vt vel ipſi Dæmones, ipſorum poteſtate fugentur illicò, ſuccenſeant, & contremiſcant, in quibus contemplandis tantoperè Theologi inſudant, & nudati à cogitatione terrena, totis viribus enituntur, vt ſanctiſſimorum decem Dei nominum alta mentis acie ſenſum dignoſcant.* In quibus analogia quadam, eiuſdem decem nominibus ſanctiſſimis, decem diuina oracula correſpondent : decem orbes cæleſtes : decem Angelorum ordines : decem potiſſima membra hominis, ac rerum omnium ordines decem, vt eruditè *lib.*4. *agricult. cæleſt.* Rifius diſputat, & Ioſephus Caſtilienſis *in Porta lucis.* Tu interim lege, quæ ex omnium auctorum decreto eloquentiſſimè ſcripſit Leuin.Lemn. *in exhortat. ad vit.optim. inſtituendam, cap.*59. de diuini Numinis maieſtate, & potentia diuinorum nominum, quibus Deus gloriatur in ſacris litteris, varietate, ſignificatione, amplitudine, efficacia, qua vna magicis, & diabolicis ſuperſtitionibus obſiſtere licet.

Neque tibi difficile videatur concedere Salutatoribus, licèt ruſticis, ineſſe hoc donum conferendæ ſanitatis ſupernaturale, quòd hi ſint peſſimi homines,vt notat Chriſtoph. à Vega *lib.*3. *de dif. feb.* Nam præterquam quòd magni ſunt auctores, quibus fidem abrogaſſe piaculum propè ſit, de quorum numero ſunt Alexandrin. *lib.*2. *ſalubr.cap.*12. Plin.*lib.*7. *natural. hiſt.cap.*2.& *lib.*28.*cap.*3.

Pomponat. *in ſuo de incantationib. lib.* Cardan.*loc.cit.* Mathiol. *com.ad lib.6. cap.*40. *Dioſcorid.* qui, ſalutatores, occulta quadam vi, venenoſos, & plures alios inſanabiles morbos curare affirmant: id etiam confirmarunt Victoria *in relectione de magia.* Crucius *lib.*1.*de anim. ſpeculat.*2. Nauarrus *in manuali, cap.* 12. dum ſic ait. *Porrò illi qui vulgò ſalutatores dicuntur, & qui afflatu, aut verbis morbos curandi vim habent, (quantuncunque aliàs ſint perditiſſimi homines) licitè poſſunt ſuo munere fungi, quoniam gratia illa gratis data huiuſmodi hominibus à ſolo Deo, conceditur, &c.* Nam ſicut non repugnat, vt in herbis, & lapidibus ſimiles reperiantur vires: ſic non contradicit, in tota humana ſpecie ſimiles vires inueniri.

Conſtet ergò, diuinorum nominum vi omnes morbos ſanari poſſe. Et ſalutatores, ruſticóſve, per hanc gratiam à ſummo Deo illis impertitam, ſtrumas curare. Huc ſpectat eorum ſententia, qui Reges Galliæ & Angliæ hac virtute curare ſtrumas aſſeuerant, quod non annalium modò, verùm etiam aliorum teſtimoniis certum eſt, vt retulere Guido *tract.*2. *doct.*2. *cap.*5. *Chirurg. magn* Mercurial. *lib.*1.*de morb. puer.* 5. Tagaultius *lib.*1. *inſtit.Chirurg.* & nuper ſcripſit Andreas Laurent.*lib.prop. de ſtrumar. ſanat. admiranda ferè per totum.* Cur verò plus A Regibus, quàm cæteris hoc bonum communicetur, citati varias cauſas aſſignant. Reliqua verò ſunt ſuperſtitioſa, & commentis malorum ſpirituum plena, ac planè vana, vt latè probat Cæſalpin. *lib. de dæmon. inueſtigat. cup.*10.

Quod verò de Salomone obiiciebatur, dicimus incantatione vſum non fuiſſe: quoniam tamen diuina ſapientia inſtructus, (vt *ibidem* Ioſephus notauit) callebat artes ſoluendi veneficia, quibus vti licitum erat, idcircò à multis, falsò tamen, incantatoris nota illi eſt impoſita. Ad carmina Pſalmographi, & ſimilia Sacræ paginæ loca, dic. Regium vatem per parabolam loquutum fuiſſe, vt multi facere ſolent, non quòd realiter incantationes ſint. Erat enim, vt notat Valleſ. *ad cit.loc. in lib. de ſacra Philoſoph.* philpſophandi antiquus vſus, loqui per confictas B quaſdam fabellas allegoricè ſignificatas. Cætera verò fabuloſa ſunt. De quo argumento, quæ deſunt, lege, ſi placet, apud Merinum Mercenium, *in cap.* 1. *in Geneſim, verſ.*1.*cap.*19. & Valleſium *loco. cit.* Rodericum à Caſtro *lib.*4. *de med. polit. cap.* 3. Santorellum *lib.* 2. *Antepraxis, cap.*15. Paulum Zacchiam omniſcium, *lib.*2.*quæſt. Medico-legalium, tit.*2. *quæſt.vlt.* Sed de morbis capitis tam multa dixiſſe ſit ſatis.

LIBRI PRIMI FINIS.

ZACVTI

ZACVTI LVSITANI DE MEDICORVM PRINCIPVM HISTORIA.

LIBER II.

De Vitalium, & Naturalium partium affectibus.

PROOEMIVM.

INTER principes noſtri corporis partes, Cor, vitæ ſedes, in medio thoracis locatum, ab auctore naturæ calidiſſimum creatum eſt membrum, tantò hepate calidius, quantò ſpiritus ad omnes obeundas functiones, excedebat ſanguinem calore. Eſt ergo cor, focus & origo innati caloris: flamma quæ aſſiduè moueri non deſinit, ſed mutua reciprocatione ſemper diſtenditur, atque contrahitur: vitalis facultatis, iraſcibiliſque animæ domicilium. Vitam calore, & ſpiritu per arterias in omnes corporis partes diffundit, & calorem influentem viuificum, cerebro iecori, ſanguini, & ſpiritui impertit. Membra omnia roborat, tuetur, defendit, & vinculo quodam veluti connectit. Nam quemadmodum ſummus ille maioris mundi motor, totam orbium machinam immotus ipſe continenter rotat, ac vertit: ita huiuſce minoris mundi, Cor ipſum, immotũ ſanè totam molem nuſquam nonvoluit, ac impellit. Adeò viſcus hoc eſt nobiliſſimum, & vitæ vſui præſtantiſſimum, vt eius neceſſitatem admiratus Philoſophus, illud venarum, neruorum, omnium facultatum principium, imò primam ſanguinis officinam eſſe acriter contenderit. Tanta huic particulæ caloris viuacitas ineſt, vt monente Galeno, *ſi quiſpiam viuente animali digitum in ipſius ſinum immiſerit, vratur profus ſit neceſſe*. Hîc diuinus, & cœleſtis ille calor, veluti in fonte, & laribus concluſus, à quo manante, natiuus ſingularum partium tonus conſeruatur, & cuiuſque partis ſymmetria recreatur. Huius ergo robore vigent omnia, languente langueſcunt, intereunte intereunt.

Vitalis itaque huius officinæ, œconomiæque commemoratorum inſtrumentorum Hiſtorias ex Medicorum Principum decretis, & monumentis depromptas, ſecundo huius operis libro, Diuino nos adiuuante Numine proferre, & ad poſteritatis memoriam, non ſine artis, vt reor, gloria, enarrare operæpretium duxi; inſuperque alias omnes exponere, quæ ad thoracis partes, tam contentas, quàm continentes pertinere videntur.

Enimuerò ne in tam multos libros opus partiretur noſtrum, placuit in hoc etiam eas in medium afferre, quæ ad partes naturales reducuntur. Et ſicut in principio libri agimus de Corde, Gula, aſpera Arteria, Pulmone, Arteriis, Pleura, Septo tranſuerſo, Mediaſtino, Mammillis, Ventriculo, Inteſtinis, Abdomine, Renibus: ſic etiam in fine, de Hepate pertractamus, facultatis naturalis ſede, gratioſi humoris fonte, cuius vis, pro fabrica vniuerſi corporis gubernanda, multa eſt, dignitas maxima, neceſſitas multò maior. Demùm ſermonem inſtituimus de Omento, Venis, Liene, & Veſica, quarum partium hiſtorias deſcribimus, explanamus, quæſtionibus, dubiis, & obſeruationibus illuſtramus.

HISTORIA I. GALENI, DE GVLA.

Gulæ abſceſſus curatio.

*E*R G O *cùm aliquando huiuſmodi accidentia longo temporis tractu nobis apparuiſſent, accedente nonnunquam* Ephemera febre, nonnunquam etiam horrore, & coiecturam feciſſemus abſceſſum concoctu difficilem eſſe in gula: accidit procedente tempore, vt laborans ruptionis ſenſum perciperet, ac ſubinde pus euomeret, idque non ſolùm eodem, ſed poſtero quoque die, atque iterum tertio. Deinde ſuccedebant ei deinceps omnia vlceratæ gulæ indicia; quippe ſiue acida, ſiue ſalſa, ſiue acerba deuoraret, aut vellicationem, aut adſtrictionem ſentiebat, dolebátque hac in parte, vel nihil deglutiendo, ſed moderatiùs. Vehementiorem verò dolorem excitabant ea, quibus mordendi, aut adſtringendi vis erat. Hic ergo longo temporis ſpatio vix ſeruatus eſt, ſcilicet ætatis beneficio: etenim natu maiores ferè omnes perierunt, &c. Galenus* lib. 5. de loc. affect. cap. 5.

PARAPHRASIS.

GVla (ſtomachum, œſophagum, pharynga, vel meri vocant) eſt via potus, cibíque, ex Gal. *lib.* 5. *& 6. de vſu part. cap.* 5. *& lib.* 2. *aph.* 17. conſtans duabus tunicis, quarum alteram ad cibi, potúſque deglutitionem fabricauit natura; alteram, quæ interna eſt, ad expulſionem comparatam. Hæc neruoſa eſt, & fibris rectis conſtans; illa carnoſa, & tranſuerſis fibris contexta, ex Gal. *lib.* 3. *de facult. cap.* 8. cuius fabricam exactè deſcribunt Columbus *lib.* 11. *de viſceribus, cap.* 4. Langius *lib.* 2. *epiſt.* 43. Hanc licèt ſit frigida, membranoſa, & exanguis, ex Gal. *lib.* 4. *aph. com.* 45. ſicut cæteras noſtri corporis partes, omne tumorum genus pati poſſe, nulli eſt non manifeſtum.

Et licét abſceſſus nomine plura poſſint intelligi, tametſi huius plures ſint differentiæ, & cauſæ citatæ à Galeno paſſim, & relatæ ab Henrico à Cuelhar, Chriſtoph. à Vega, Mercuriali, *in com. ſent.* 65. *lib.* 2. *prognoſt.* & Ludouic. Mercato, *tom.* 1. *lib.* 3. *claſ.* 4. *part.* 2. *quæſt.* 200. *à num.* 26. *vſque ad* 36. tamen eius duplex eſt ſignificatum: nam interdum ſumitur pro decubitu humorum ab vna parte in aliam, ex Galeno *lib.* 6. *epid. ſect.* 4. *com.* 39. aliquando frequentioríque ſignificato accipitur pro tumore; qui digeri non potuit, ſed in ſuppurationem conuertitur, ex Gal. *lib.* 2. *ad Glauc. cap.* 7. & Celſo *lib.* 2. *cap.* 7.

Tumoris ſigna ſunt, dolor, calor, deglutiendi difficultas, præſertim ſi ſolidum deuoretur, quæ omnia febris non ignaua comitari ſolet, maximè ſi fluxio klioſa ſit: ſi autem ex craſſiuſculo, magíſque lento humore oriatur abſceſſus, febris nulla, vel interpolata, exiguáve apparebit, quam inter diariarum numerum eſſe reponendam, certum eſt. Licèt enim ab internis inflammationibus ferè febris acuta ſit inſeparabilis; tamen cùm ab inflammata parte, putrida fuligo aliquando in propria ſubſtantia non communicetur cordi, ſed calor ſolùm præter naturam alteratione per continuum facta, fit vt multoties concitetur diaria. Hoc modo ex hypochondriorum inflammationibus, imò ex iecoris phlegmone febris orta, non ſemper acuta eſt, apud Galen. *lib.* 2. *prorrhet. com.* 21.

A niſi vehemens inflammatio ſit, ac eryſipelatis particeps, ex Galen. *lib.* 4. *de loc. affect. cap.* 8. Sic intelligendus eſt Trallianus *lib.* 8. *cap.* 1. dum dixit, *exiguam hepatis inflammationem non ſtatim febrem inducere*, ſcilicet, vehementem, & acutam. Quare ſi inflammato membro principe febris multoties non adeſt continua, cur gula inflammata diariam ſuboriri non aſſeremus cum Galeno hîc? præcipuè, ſi tumore duro, œdematoſo, concoctu difficili hæc pars afficiatur, vt de Pleuræ inflammatione à craſſo humore ſuborta aſſeruit Galenus *lib. de conſtit. art. Medic. cap.* 18. quem locum illuſtrat eruditiſſimus Valleriola luculenter. Demùm calidum tumorem, quo gulæ meatus comprimitur, & deglutiendi munus impeditur, ſitis vehementia, ſenſati caloris acrimonia, dolor, febriſque oſtendunt B manifeſtè.

Hic tumor iiſdem auxiliis curandus eſt, quibus Anginam priſcorum ſcientiſſimi pertractarunt; gargariſmatis, phlebotomia, reuellentibus præſidiis, ſicut in gutturis inflammationibus fieri conſueuit. Quòd ſi humor impactus ob craſſitiem, pororum conſtrictionem, & ipſius contumaciam diſcuti nequeat, imò reſolutioni vehementer renitatur & obſiſtat, vertatúrque in pus in parte conculcatus, & tranſpirari prohibitus, hoc ex adaucta febri, & horrore percipies, iuxta Senis edictum *lib.* 2. *progn.* 58. hæc enim in initio fiunt ſuppuratio- C num: febris, ob humoris fit ebullitionem, concalfacto principio, vt 2. *aph.* 47. retulit Galenus: rigor, ob puris acrimoniam, mordentis ac erodentis adiuncta corpora. Aperta vomica, pus vel ſcreatu, vel vomitione excernitur. Vlcus tandem his accedit, quod cæterorum ritu, dolorem acerbum concitat, qui vehementer exaſperatur, ſi acre, vel ſalſum, vel acidum, vel auſterum quidpiam deuoretur. Acria enim ex Theophraſto, *lib.* 6. *de cauſ. plantar. cap.* 1. Auer. *lib.* 5. *collect. cap.* 27. Auic. *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 3. Iſhac *lib. diætar. vniuerſal. cap.* 11. Serap. *lib. de ſimpl. cap.* 2. Gal. 3. *acut.* 2. *& lib.* 4. *de ſimpl. medicam. facult. cap.* 2. ſunt acuta, ignea, mordicantia valdè, ſicque D vellicant, & exaſperant vlceratas partes. Similem operationem efficiunt ſalſa, quæ cùm nitroſa ſint, ex Gal. *lib.* 1. *ſimpl. cap.* 36. & in eis dominetur pars ſicca aduſta, ex Ariſt. 23. *probl.* 30. & Gal. *lib.* 5. *ſimpl.* 26. partem vlceratam irritant, & mordent. Eandem facultatem obtinent acida, ex Gal. *lib.* 4. *ſimp.* 17. & acerba: ab hoc enim ſapore manifeſtè linguam exaſperari contingit, ex Galen. *lib.* 4 *ſimpl.* 7.

Vlcera Gulæ ſtatim medicanda ſunt: ſi enim ſordeſcant, ægri tabida febri correpti intereunt; aut ſi ad bonum res contingat, longo temporis ſpatio conualeſcunt: maximè ſi vlcus in profundiori parte conſiſtat, commodè enim abſtergi non poteſt. Ab hoc natu minores vix euadunt, E grandiores pereunt; in his enim pronata hæc vlcera (pars hæc enim dura eſt, & membranoſa) raró, aut nunquam conglutinari ſolent.

Medicamenta applicanda, craſſiora ſint, lenta, & quæ adhærere, non autem diffluere queant, vt aduertit Auic. 13. 3. *tract.* 1. *cap.* 14. quorum multiplicem ſyluam legat qui velit, apud Vidum Vidium *lib.* 9. *de curat. membrat. cap.* 6. *de vlceribus gulæ.* Euſtach. *lib.* 2. *praxis, cap.* 1. *de vitiis gulæ.* Quæ ſi non proſint, ad lactis potum deuenire neceſſitas cogit; quod auxilium, ad aſperæ arteriæ vlcera, & ad ea quæ in ſumma eius parte conſiſtunt,

eſſe

eſſe præſtantiſſimum, ſequenti hiſtoria Galenus confir- mat euidenter.

QVÆSTIO I.

Quòd febris non à calore ſolùm præter naturam, ſed ab vnione caloris innati; ſecundùm Galeni doctrinam oriatur. Contra communem Medicorum ſententiam.

COMMENTARIVM.

DE *Ephemera febre.*] Dubitari poteſt, & meritò ſanè, Num febris ex inflammationibus ſuborta, à calore extraneo, per alterationem continuam cordi communicato; an putrida fuligine eleuata ab inflammata parte, cor aut contenta eius afficiente; vel ab vnione innati caloris, conantis concoquere ſubiectum humorem, aut expellere properantis, eueniat. De primo, conſtans eſt Galeni vbique relata ſententia. De ſecundo. *In libris de different. febr. de criſib. de diebus decretoriis*, & alibi paſſim aſſeruit, ab humore in parte inflammata conculcalto, & circumſcripto, eleuari putridam in propria ſubſtantia fuliginem, quæ cordis contenta putredinosè afficere apta eſt. De tertio, quòd febris ex inflammationibus ſuborta, non ſolùm à calore præter naturam, ſed ab vnione caloris natiui ad coquendum, & à naturæ conatu, ſecundùm Galeni doctrinam oriatur, à pauciſſimis fuit controuerſum.

Hoc negotium, quanti ſit ad curationem momenti, iam exaudi: Si enim ſecundo modo, imò & primo, febris ex inflammatis particulis eueniat, neceſſe eſt, tum diariam, tum putridam febrim ex tumoribus excitatam perſanare, alteratione, venæ ſectione, purgatione, & aliis vacuantibus auxiliis. Si tamen ex conatu naturæ, vnionéque natiui caloris ad coquendum contingat, caue & angue peiùs fugiendum præſidium eſt: ſi enim aliter feceris, debilitato calore innato, reſolutis viribus, & diſtracta natura ab humorum coctione, ægros perire eſt neceſſe. Sic plures ob intempeſtiui auxilij vſum, in ſtatu pleuritidis, quando natura humorem, inflammationis cauſam, coquere conabatur, debiles facti, vitam cum morte commutarunt; quum meliùs tunc ſit, naturam congruentibus auxiliis roborare, quàm turpi vitium diſpendio virtutem exſoluere, naturæque ordinem peruertere. Hoc perbellè explicuit Auicenna 10.3.*tract.*5.*cap.*2. §. *Quúmque phlebotomas, & euacuas, & non ſedantur accidentia, tunc ſcias, quòd prohibitio collectionis quam quæris, eſt neceſſaria. Non ergo iteres phlebotomiam, vt non congeletur materia, quæ eſt habitura collectionem, &c.* Quaſi diceret, vt explicat Iacobus de Partibus, *in comment.* Si in inflammatione quauis interna, ſymptomata non ceſſent, adſitque maior febris ex vnione caloris natiui ad coquendum, fiat maior ebullitio & feruor ex conatu coquentis naturæ, appareant maióra ſymptomata ex maiori materiæ rarefactione, maiorique confluxu humorum ad putredinis focum: tunc ne te decipiat impreſſio accidentalis. Sanguinem non emittas, non purges, nec aliud magnum auxilium adminiſtres. Febris enim illa de nouo ſuborta vehementior, non à calore præter naturam, ſed ex aggreſſu & pugna naturæ, vel ad coquendum, vel expellendum noxium humorem concitatur. Quibus autem ſignis febris ab hac cauſa ſuborta cognoſci poſſit, & à cæteris diſtinguatur, Hippocrates & Gal.*lib.cit.prognoſt.* notarunt diligenter; & poſt eos, interpretes, Mercurialis, Vega, Brauus, & Heurnius luculenter explicarunt, *in com.*

Enimverò licèt omnes cauſæ caloris & febris, quinario comprehendantur numero, à Gal.*lib.de cauſ. morbor. cap.*2. & *lib.*1. *de differ. feb. cap.*3. ſintque motus, putredo, prohibitum effluuium, vicinia rei calidæ, eiuſdem rei calidæ permixtio; aliam tamen præter has reperiri non denegabis, ſi eam frequentiſſimis experimentis congruentem, validiſſimiſque rationibus munitam, attenta mentis acie rimeris.

Conatum ergo naturæ, & motum validum caloris vniti in foco, & corde, & impetum eius ad coquendum peccantem humorem, vel pellendum, eſſe cauſam frequentem febris, affirmamus: licèt enim adſint duæ aliæ cauſæ, calor nempè in corde, ex putredine, aut ex aliquo calido, ſiue naturali, ſiue adſcititio, nunquam credetur febrem durantem inuadere hominem, niſi adſit in corde calidi vnio cum feruore, quod antiqui referebant ad calefactum alicuius contenti in corde. Vniri autem calorem, & moueri ab indita cordis doctrina, ad varias partes, pro varia rerum neceſſitate, eſt manifeſtum. Nam in plantis per hyemem redit calor naturalis ad radices, per æſtatem ad ramos: in animalibus per hyemem, & ſomnum ad viſcera; in vigilia, & æſtate ad cutem: in patientibus inflammationes, ad partem ſuppurandam; in cogitatione ad caput; in triſtitia, ad cor; in verecundia, ad faciem: in gaudio, ad cutem: ad ſenſoria mandatur in ſentiendo: ad muſculos in motu. Denique difficile eſſet enarrare motus, quos pro varia vrgentia facit innatus calor validè commotus, & agitatus: maximè vbi validior fuerit moderato: nam ſolus concurſus calidi innati non ſufficit ad febrem inducendam, quod in coctione alimenti, & meditatione ſatis apparet, in quibus actionibus calor, licèt retractus & vnitus, febrem non generat.

Oſtenditur frequentia huius euentus.

Quando tumor ſuppuratur, fit febris quæ non præerat, ex Gal. *hic*, & 2. *aph.*47. Et quando coquitur humor valorum in pleuritico, ex Galen.1.*criſ. cap.*18. & quando non coquitur à natura, non febrit æger. Quare ſi in morbis febrilibus tale accidit, quale in iis quæ ſuppurantur, inflammationibus, ex Gal. *lib.* 1. *de diff. feb. cap.* 6. & in his febris oritur ex conatu naturæ, vnionéque natiui caloris ad coquendum, in vaſis eodem modo aliquando hac ſolùm de cauſa excitabitur.

Secundò. Catarrhus febre ſuccedente non recidiuat, ex Gal.*lib.*1.*criſ.cap.*18.& *lib.*6.*epid.ſect.*3.*text.*10. ipſa enim febris, coctio eſt. Ergo.

Tertiò. Humor noxius latens in corpore inducit febrem, quæ antea non aderat, quam à natura mouente, & à calore natiuo vnito, & conante expellere noxam ſenſatam, euenire dubitat nemo.

Quartò. In ſtatu, febris eſt multò maior, & tamen humor qui eſt cauſa morbi, in ſaluandis eſt meliùs diſpoſitus, ex Gal. 2.*aph.*29. magis coctus, minùs putridus, & magis edomitus. Ergo ea febris magnitudo non pendet ab aucta putredine, ſed ab aucto innato calore coquente, & aggrediente pugnam.

Quintò. In multis morbis lethalibus, prope mortem, ægri ſaniſſimè degunt, & omnia tunc apparent ſimillima ſanis, ex Galeno *lib.*1. *prorrhetic. ſect.* 2. *com.* 17. & Auicenna 2.4. *tract.*1. *cap.*92. Sic *lib.*4. *epid.in Hippologi villa puer conuulſus, ceſſante conuulſione, obiit.* Sic *Hermocrates lib.* 3. *epid. ſect.*1. *text.*2. *lethali morbo correptus, ſine febre cum ſomno & ſana mente, mortuus eſt.* Vnde Auicenna 1.4. *tract.*1. *cap.* 4. *in fin.* ſic inquit. *Et multoties quidem accidit apud mortem diſpoſitio, quæ eſt ſicut declinatio, &c.* Sed præter multas rationes, quas *ibi* Gentilis, & Dinus proponunt, & refert Valleſius *in com.ægrot.*2.*ſect.*1 *lib.*3.*epid.* ea eſt præcipua, quoniam natura fatigata ceſſat à conatu, & pugna.

Sextò. Humor latens in corpore, in diebus criticis, & in vere, inducit febres quæ non præerant: harum cauſa non eſt maior humorum putredo; nam in ſtatu, in quo fit criſis, ex Gal. 3. *criſ.*1. & alibi, humor eſt magis coctus, quoniam coctio facit ceſſare putredinem, ex Gal. *cap.* 88. *art.medic.* nec in vere, cùm ſit ſaluberrimum: & tamen in his temporibus natura aggreditur humorem noxium, non aliàs. Ergo cauſa febris aliquando eſt aggreſſus naturæ ad expellendum peccantem humorem.

Septimò. Prope mortem animalia in omnibus morbis creberrimè, & velociſſimè reſpirant; & in iis adeſt febris quæ anteà non erat, vel fit intenſior: ſed hoc non contingit propter putredinem, vel cauſam intùs calefacientem, quæ non adeſt. Ergo ob conatum extremum vniti caloris.

Neque mireris, naturam hoc inuento vti in animalis commodum, cui ſolùm ſemper eſt intenta. Facultatibus enim naturalibus indita eſt à naturæ creatore, ſeu factore potente, vt more Auic. loquar, 16.3. *tract.* 5. *cap.* 1. & Valleriolæ, 1. *obſ.* 9. illa innata doctrina, non in ſui gratiam tantùm; ſed crebriùs in vſus, aut totius corporis, aut membrorum, animalis corpus iuſtè tuetur & gubernat.

An verò Galenus hanc cauſam, de conatu vniti caloris, tradiderit, reſponde affirmatiuè. Nam *lib.* 1. *de criſib. cap.* 18. oriri febrem, natiui caloris coquentis ratione, manifeſtè pronunciat. §. 1. *Sic igitur in Anaxione, quantum ex prima illa criſi defecta relictum erat, hoc rurſus efferueſcens, in coctionis tempore, illam, quæ anteceſſit ſecundam criſim, febrem generauit; hoc verò à naturali calore, non à febrili proueniſſe, dierum natura non minimùm indicabat, &c.* Licèt enim priſci de hac cauſa obſcuriùs fuerint loquuti, quòd hæc magis ſit occaſio, vel cauſa ſine qua non; tamen *in* 3. *lib. epid. ſect.* 1. *com.* 10. Gal. iterum eam expreſsè proponit, dum ſic inquit. *Quo die rationi conſonum fuiſſet febrem exacerbari, ſi quidem natura omninò aggreſſa concoctionem humorum eſſet, qui incocti erant, vt oſtendebant vrinæ quæ tenues permanebant, eodem die febris perfectè ceſſaſſet: neque enim ſeptimo decimo acceſſit natiui caloris ratione, ſed ſola putredinis, ſuccenſis febriliter humoribus, &c.* Ex quibus locis apertè colligitur, conatum, & aggreſſum natiui caloris ad coquendum, vel expellendum reprobum ſuccum, aliquando febris eſſe cauſam.

Neque ex hoc exiſtimes, febrem eſſe quidpiam bonum, neque homines perire non poſſe ex febre, quum hæc oriatur à calore vnito, coquente, robuſto, & forti. Nam febris indicat magnum conatum, & ſimul calorem humoris agitati: quare malum latere in corpore ſignificat; quo præſente meliùs eſt febrire, ſicut tuſſire in intemperie materiali pulmonis, licèt ad tuſſim ſequatur quandoque hæmoptoiſis, & mors. Homines autem moriuntur ex febri ex accidenti, ſicut in criſi, in qua pugnante natura, & ebullientibus ſuccis pereunt ægri; velut occumbunt pueri ex variolis, licèt hæ habeant pro cauſa validam expurgantem vim.

HISTORIA II. GALENI.
De aſperæ arteriæ vlcere.

Vlceris in aſpera arteria poſt peſtem relicti, commodis auxiliis, ſanatio.

IN huius grauis peſtilentiæ initio, iuueni cuidam, cùm nouem iam dies ægrotaſſet, totum corpus vlceribus ſcatebat, veluti omnibus ferè qui euaſerant. Eo die etiam tuſſiebat paululùm. Poſtridie verò vbi ſe lauerat, illicò & vehementiùs tuſſiuit, & tuſſi expulit cruſtulam, quam Græci ephelcidem vocant. Erátque homini ſenſus manifeſtus vlceris in aſpera quæ in collo eſt arteria, prope iugulum nati. Quin aperto quoque hominis ore, fauces eius inſpeximus, nunquid in iis alicubi vlcus eſſet. Sed nec ſic inſpectantibus apparuit vitium: & planè laboranti ſenſus eius aliquis manifeſtus ex comeſtorum, bibitorùmque tranſitu fuiſſet, ſi illic vlcus fuiſſet. Quin etiam ex aceto, & ſinapi certioris notitiæ cauſa, quædam ei deuoranda dedimus. Sed nec horum quicquam eum momordit, & ſenſus doloris manifeſtè in collo erat: quo loco etiam adeò irritabatur, vt tuſſire impelleretur. Suaſimus itaque reniti quantùm poſſet, nec tuſſire. Quod & fecit, eo certè faciliùs, quòd exiguum erat, quod proritabat: & nos omnibus modis operam dedimus, vt vlcus ad cicatricem perueniret, foris medicamentum aliquod, quod ſiccaret imponentes, tum cubanti ſupino humidum aliquod ex iis medicamentis, quæ ad eiuſmodi vlcus facerent, exhibentes: ac iubentes id in ore continere, paulatimque permittere in aſperam arteriam defluere. Sic igitur faciens, ſentire ſe manifeſtè aiebat adſtringentis medicamenti circa vlcus vim: ſiue ea vis huc tranſmiſſa eſt, ſiue medicamentum ipſum roris ſpecie in arteriam ad vlcus defluxit, & tanquam percolatum eſt. Ergo ſentire ſe aiebat, tum medicamentum in arteriam defluere, tum tuſſim quoque aliquando mouere: obluctabatur tamen plurimùm, ac tuſſim cohibuit. Igitur ipſe quoque ſua ſponte, Romæ quidem, vbi correptus fuerat, triduum etiamnum poſt nonum diem eſt moratus: poſt hoc conſcenſo nauigio, primùm per fluuium ad mare nauigauit: quarto die poſt, naui peruenit ad Tabias, vſuſque eſt lacte, quod & mirificam planè vim habet, nec ſine cauſa prædicatur, &c. Galenus lib. 5. meth. cap. 12.

PARAPHRASIS.

AB ægritudine ſæua interficiente, qualis peſtis eſt, plurima, eáque irreparabilia damna contingere, ex Auic. aliorúmque ſententia, *in com. hiſt.* 44. *lib.* 1. tradidimus. Hæc miſeranda mala potiùs affligere iuuenes, res eſt manifeſta: hæc enim ætas calidiſſima cùm ſit, illicò vel qualibet data occaſione gliſcit, & excandeſcit. Quare meritò 3. *aph.* 29. homines in hac ætate conſtitutos frequentiùs incidere in ſanguinis expuitiones, febres acutas, tabem, & ſpiritalium partium vlcera, affirmat. Ampliúſque hoc accidere certum eſt, ſi præceſſerit peſtis, ob cuius vim, diram, debilitato calore, ſpiritibus exhauſtis, humoribus non regulatis, ad bilioſam, melancholicámque naturam conuerſis, & nimiùm inflammatis, vlcera praua in variis noſtri corporis partibus, vel etiam internis ſuboriri, putridos humores, & mala qualitate affectos, agitante, & pellente natura, non eſt dubitandum; probatque Gal. *lib. de bonit. & vit. ſuccor. cap.* 1. *lib. de atra bile, cap.* 4. *& lib.* 9. *de ſimpl. medic. facult. cap. de terra Samia,* quibus locis ſtatum peſtilentem deſcribens, plurimis ægrotantibus, quibus nigrorum excrementorum deiectio per inferiorem ventrem contigit, corpus totum puſtulis nigris, exanthematis, & aliis ſimilibus vlceribus conſpurcatum fuiſſe refert; iis præſertim qui à tanto malo erant euaſuri.

Animalium namque *natura nonnunquam ex principalibus membris humores malos euacuans, alios per vrinas, vel vomitus, vel aluum inferiorem excernit, quoſdam verò pellit ad cutem, ſed cùm non poteſt euacuare propter eorum craſſitudinem, eos ibi reponit, atque hoc modo tubercula naſcuntur in corpore: ſæpiùs verò & fauces ex capite fluentes humores ſuſcipientes inflammantur,* dicebat Gal. *lib.* 2. *aph. com.* 11. Quapropter veriſimile eſt, eorum humorum ad aſperam arteriam defluxorum portionem multam à cerebro emanaſſe; cùm hoc in peſte vehementer debilitetur: nam inter partes principes faciliùs noxam perſentiſcit, cùm laxum ſit, exſangue, & vtatur ſpiritu animali, tanquam inſtrumento, qui cùm tenuiſſimus ſit, facilè reſoluitur, vt 2. *aph.* 29. monuit Gal.

Plurima igitur humoris copia è capite in aſperam arteriam defluxit, illiúſque partem internam acrimonia ſua corroſit, vnde facta eſt cruſtula. Pauci etiam cùm eſſent humores, & paruum vlcus, leuem etiam tuſſim excitarunt. Excalfactis autem, ac liquatis à balneo, qui in capite erant, humoribus, aliquid ad tracheam defluxit, quod maiorem poſteà tuſſim excitauit, ex quo motu cruſtula decidit, *Ephelcis* Græcè vocata, ex Gal. *lib.* 1. *de loc. affect. cap.* 1. eius particulæ, à qua excernitur vlcerationem oſtendens.

Et licèt pus inſeparabiliter vlcus comitetur, illius non fecit mentionem Gal. quoniam aſpera arteria tota eſt cartilaginoſa, ferè exſanguis, & carne quaſi deſtituta, vt inter omnes oſtendit Laurentius, diligentiſſimus anatomicus, *lib.* 3. *hiſt. anatomic. cap.* 9. *& lib.* 9. *eiuſd. cap.* 14. quæ quamuis membranis, venulis, arteriolis, ac cartilaginibus conſtet, in ea etſi vlcerata, ſanies multa colligi non poteſt, & multò minus ſi paruum ſit vlcus.

Cùm autem ex ſignis ab eo poſitis, vlcus hac in parte adeſſe intelligeret, ad curationem acceſſit. Exſiccauit ergo medicamentis externè admotis, & intùs aſſumptis,

relicta abſterſione ob vlceris exiguitatem : nam in eis vlceribus, quæ magna ſunt, & à quibus multa copia puris emanat, vt frequenter in pulmonis vlceribus accidere comperimus, vt notat Galenus *lib.4.de loc.cap.8.* priùs abſterſio videtur optanda.

Quapropter purgato iam, ex præcedenti morbo, corpore, imperauit vt reniteretur, quantum poſſet ne tuſſiret, ne ſcilicet violento hoc motu, vlcerata pars dilaceraretur : in quem vſum *lib.5. meth. cap.* 8. ſuadet vt ægri ſilentium agant, magnóque non vtantur reſpiratu ; contraria enim vlcus exaſperant, & dilaniant. Cogit deinde ægrum, vt ſupinè cubans medicamentum aſſumat, ídque in ore contineat, paulatímque ſinat in aſperam arteriam defluere. Hoc præceptum ſummè obſeruatur à Gal. *lib.4. meth.cap.vlt.* §. *Ad vlcus quod in aſpera ſit arteria, vt ſupinus quàm diutiſſimè in ore teneat, ac omnes, qui illic ſunt muſculos relaxet, remittátque, præcipiendo: influit enim ſic ſenſim, & paulatim de medicamento aliquid ſenſibiliter, & manifeſtè in ipſam arteriam: & cùm naturaliter ſe habet, ſcire licet potionis nonnihil huc percolari, &c.* Galeni mentem explicat Amatus *1.centur.ſchol.22.* Humidum autem medicamentum Galenus exhibuit, vt poſſet faciliùs ad affectum locum peruenire, etſi poteſtate eſſet exſiccans, & adſtrigens: cum hoc neceſſariò erat admiſcendum mel, vlceri abſtergendo quàm aptiſſimum, ex Gal. *cit.4.meth. & lib.7.de compoſ.medicam. ſec.loc.cap.4. & l.1.alim.cap.4.* Nam ſi auſtera iis duntaxat medicamenta exhibeas, ſibiipſis vias præcludunt. Ad hæc, mel (ſicut cætera dulcia) habet humidum pingue, & glutinoſum, ex Gal. *lib. 6. epid. ſect. 5. com.14.* Sícque ob pinguedinem lenit arteriam, ob tenuitatem abſtergit, ob glutinoſitatem incraſſat.

Qualia verò fuerint medicamenta exſiccantia ; & adſtringentia per os oblata & extrà appoſita, licèt hîc non explicet, exponit tamen *lib. 5.meth.cap.vlt.* penis vlcerum exemplo adducto : quo loco laudauit medicamentum ex papyro combuſta, anethum vſtum, cucurbitam ſiccam & vſtam, cadmiam ſiccam vino elotam, argenti ſpumam, pompholigem, pini corticem ; lapidem hæmatitem. His etſi vlcus ſanatum fuerit, ægrum tamen ad Tabias demiſit, quoniam *in longis morbis, mutare ſolum conuenit*, ex præſcripto Hippocratis, *lib. 6. epid. ſect.5.text.20.* Cùm enim morbus hic humidus eſſet, & ab excrementitia humiditate pronatus, exſiccationem deſiderabat, ſicut & vlcus : quare meritò ægrotum in aërem contrarium naturæ morbi emiſit, vbi aër ſiccior erat : maximè quoniam Roma fluxionibus eſt valdè obnoxia, ſic docente Magiſtro *lib. 5. meth. cap.* 8. Aſſumpſit ergo lac ob multas cauſas, tum vt febrilis calor, ſi quis adhuc aderat, euaneſceret; tum vt corpus ex prægreſſo morbo debile, & nimis excarne factum craſſefieret, & ampliùs carne obduceretur vlcus. Quæ omnia lac poſſe præſtare *lib.7.meth.cap.6. & loco cit.* manifeſtè oſtendit Galenus.

Lac enim licèt homogeneum videatur, diuerſis tamen partibus conſtat, ex Gal. *lib. de bonit. & vit. ſuccor. cap. 4. & lib.4. ſimpl. cap.* 17. *& lib.*10. *eiuſd.tit.de lacte.* Habet enim partem tenuem ſeroſam, craſſam caſeoſam, pinguem butyroſam. Seroſa abluit ſaniem, & vlcus modicè detergit; caſeoſa glutinat ; butyroſa impinguat. Quare cum habeat omnes pro curandis vlceribus dotes, illis mirum affert ſubſidium ; & ob hæc, corpus, ob vlcus & febrim, extenuatum tabidúmque valenter recreat, & nutrit ; & cùm ſit alimentum ſapore dulciſſimum, guſtu, ſi quod alterum, ſuauiſſimum, promptè à partibus attrahitur, auidéque à natura amplexatur, & retinetur, tuſſim aſperam & ſiccam demulcet ac lenit, pectus dilatat, ſiccum corpus humectat, citò alteratur, optimum præbet ſuccum, tenuitate ſua remotiſſimas noſtri corporis partes ocyſſimè permeat, illáſque mirum in modum graciles reficit, ac inſtaurat.

Sumi debet adiecto ſacchari, aut mellis momento; hæc enim præterquam quòd lactis concretionem impediunt, ipſum per totum corpus celerrimè deferunt : quare cùm plurimas partes pertranſire oporteat, id medicamen quod ad pulmonem eſt peruenturum, huic neceſſariò mel, ſaccharúmque admiſcere oportet: nam *ptimum quidem medi-*A *camentum pertranſit os, fauces, ſtomachum, ventriculum, & quædam ex tenuioribus inteſtinis, deinde eas, quæ ſunt in meſenterio venas : deinde eas, quæ in cauis partibus hepatis : ex quibus ad eas quæ in gibbis ſunt, tranſſumptum, hinc ad concauam peruenit venam : poſt quam ad cor, & deinceps hoc modò ad pulmonem*, vt eleganter *lib.2. ad Glauc.cap.2. versùs finem*, docuit Galenus.

Hoc præſidio vtendum eſt, antequam habitualis intemperies ſit radicata valdè. Sunt enim plures adeò in eo exequendo inertes, vt ſolū in extenuato corpore, & vlcere magis ac magis ſordeſcente id propinent, quos coarguit Galenus *l.5.meth.cap.15.* nam *vbi ſemel moriendum eſt, à lenibus inchoare præſidiis eſt inutile.* Hoc firmat Hippoc. *lib.1. de morb. num.22.* agens de ſuppuratione facta ex pleuritide, dum ſic ait. *Hic ſi è veſtigio aſſumatur, ſanus plerúmque fit, ſi verò negligatur, perit, &c.* Quapropter ſi lac non exB hibeatur, antequam viſcera corripiantur putrilagine, & contabeſcat æger, hic poſteà remedium non habet. Sed de lactis præſtantia, & præparatione neceſſaria, *in com.hiſtor. 35.huius libri* latiùs diſputabimus.

HISTORIA III. GALENI,
De vlcere Tracheæ arteriæ.

Vlceris in Trachea arteria, ſanatio.

ALter verò adoleſcens, annos natus circiter decem & octô, cùm multis diebus ex diſtillatione laboraſſet, primùm quidem ſanguinem floridum cum tuſſi expuit, non ſanè multum. Poſtea vero etiam tunicæ ipſius partem, quæ tegens intrinſecùs C *totam arteriam, in fauces & os, per ipſum arteriæ caput (laringa vocant) aſcendit. Videbatur autem mihi, tum ex craſſitudine eius coniectanti, tum ægri ſenſu, ipſius laryngis eſſe interna. Quinetiam illi ex eo læſa eſt vox. Atque hic quoque longiore quidem tempore, ſed tamen ſanatus eſt. Cæterum qui ex peſtilentia hoc vitio laborarunt, propterea mihi facilè ſanati videntur, quòd præſiccatum iis, præpurgatúmque totum corpus fuerit : quippe cùm vomuerint ex iis nonnulli, & omnibus venter profluxerit. Atque cùm ita iam vacuati eſſent, qui euaſuri erant, iis puſtulæ (quas exanthemata vocant) nigræ toto corpore confertim multæ apparuerunt, vlceroſæ quidem plurimis. omnibus certè ſiccæ, &c. Galenus* lib.5.meth. cap.12.

PARAPHRASIS.

D PLures in hoc capite, *lib.5.meth.8. & lib.5.aph. com.13.* deſcribit hiſtorias Galenus, eorum, qui cùm vocem in clamorem intendiſſent, aut ab alto cecidiſſent, aut in palæſtra eſſent percuſſi, ſtatim graui ſuborta tuſſi ſanguinem expuerunt : quas, vtpote citatis, & citandis hiſtoriis ſimillimas non interpretamur; quoniam ex harum explanatione, illarum explicatio patebit manifeſtè, & hanc facile erit ex proximè enarrata hiſtoria enucleare. Depingit ergo adoleſcentem è trachea arteria ſanguinem expuentem, in cuius curatione eodem omninò modo vſam fuiſſe Galenum ſatis conſtare arbitror ; quum nullam de aliis applicitis præſidiis faciat commemorationem. Hic enim anteà cùm peſte affectus eſſet, vitioſiſque humoribus ſcateret, hac ipſa de cauſa contractis, ob nimiam humiditaE tem arteriæ tunica corrupta, ſanguinem expuit, & deinde vlcus in trachea eſt excitatum. In pauca quidem quantitate excretus eſt ſanguis, ſed floridus : hæc enim arteria exſanguis eſt ferè, ex cuius vlcere paucum pus emanare ſolet. Cùm enim hic ob prægreſſam peſtem, debilitato capite, diſtillatione laboraſſet, & ſic ſanguinem expuiſſet, iiſdem auxiliis curatus eſt, quibus in Adoleſcentis curatione in ſuperiori hiſtoria citati vſus erat; quo pacto breuitatis cauſa illa reticuit : Quare cùm ex ſanguinis ſputo vlcus eſſet factum, abſtergendum, & exſiccandum curauit lactis potu, ne ſi fortè hoc dimitteretur auxilium, iugi, lentáque febri æger correptus in dies tabeſceret magis, ac periret. Vlceris magnitudo parua fuit ; cùm Galenus eiectam arteriæ tunicæ partem, nulla magnitudinis, aut

paruitatis nota circumſcripſerit. Idem de vocis læſione dicendum, quæ & magna, mediocris, & parua eſſe ſolet, iuxta læſionis magnitudinem, mediocritatem, aut paruitatem. Longiori autem tempore fuiſſe curatum, abſolutè non intelligas velim, ſed reſpectu Adoleſcentis anteà ſcripti, qui breuiori tempore ſanitatem obtinuit.

Sed plurima ſunt quæ lectorem remorari poſſunt. Primum. Cur ij Adoleſcentes ad Tabiæ locum nauigarunt, imperante Galeno, & aërem Romanum euitarunt, vtpote diſtillationibus valdè obnoxium, ex Galeno *lib. 5. meth. cap.*8. Si Romanum cœlum ad temperatum vergit, immò in omni tempore anni æqualitatem ſeruat, ex Vitruio *lib.6. cap. 5.* dum ſic ait: *Quemadmodum Iouis ſtella inter Martis feruentiſſimam, & Saturni frigidiſſimam, media currens temperatur, ita diuinam mentem, ciuitatem Romam, temperatam regionem collocaſſe, &c.* Deinde. Roma in medio loco eſt quinti climatis, quod temperatiſſimum vocauit Auerroës *lib.2.collig.cap.vlt.* Dic ex Manardo *lib.7.epiſtol. prope fin.* Romam poſitam ſub quinto climate longè calere magis, quàm locis poſitis ſub quarto: quare quintum clima non eſt temperatum, vt Auerroës amore proprij climatis ſeductus affirmauit. Adde, Romanum aërem humidiorem eſſe, & vlcerum exſiccationi ineptum: quantam autem præſtent vtilitatem vlceri curando exſiccantia, oſtendit Galenus *hoc loco in fine*, dicens. *Ergo cùm experientia rationi atteſtetur, vlcerum curationem hunc vnum habere finem, vt ſiccentur, poterit quiſpiam ex iis, qui ſanguinem ex pulmone reiiciunt, ſeruare permultos, vt nos fecimus, &c.* Cúmque naturalium partim curentur morbi, potiſſimùm per ea quæ bibuntur & eduntur, vel augentur, vel minuuntur; ſic illi qui ſpiritalia membra infeſtant, per inſpirati aëris qualitates, non obſcurè ad felicem, vel infelicem exitum finiuntur. Aërem enim inſpiratum, vim ſuam omnem in cerebro, pulmone, & corde relinquere, omnibus compertum eſſe reor: nam anima eſt aër conceptus ore, deferuefactus in pulmone, tepefactus in corde, diffuſus in corpus. Quamobrem cùm aër Romanus humidus ſit, & tepidus, diſtillationibus eſt accommodus valdè: tepidus enim calor eleuat, ſed non abſumit. Contra in Tabiæ colle, monente Galeno *hoc loco*, eſt aër ſiccus, & eſt locus ſatis editus, nec adeò magnus, vt ventorum furiis ſit expoſitus, nec adeò humilis, vt ſubiectorum camporum halitum promptè recipiat. Ad hæc, Hippocrates *lib. 6. epid. ſect 5. text.* 20. Sic ait. *Solum vertere in morbis longis conuenit, &c.* nam vt Galenus ſcitè aduertit, *in com. Siue nauigans, ſiue terreſtre iter faciens quiſpiam in alteram regionem migrauerit, vel motus in itinere, aut nauigatione, vel aëris mutatio proderit, & maximè cùm in aërem contrariæ temperaturæ diſceſſerit: contrariam autem dico, non ſolùm aëris propriæ ægrotanti regionis temperamento, ſed etiam ipſius morbi: nam ſi humidus morbus ſit in ſicciorem aërem migrandum erit, &c.* Accedit, quòd lac ob dictas cauſas, ſalubréque pecoribus paſcuum, longè maiorem apud eum habebat commendationem. Quare cùm magna in morbis longis curationis ſpes reponatur in aëris efficacia, Tabianus aër, aut huic ſimilis phthiſicis ſummoperè confert. De quo argumento lege Vaſcum Caſtellum, *tract.* 8. *de thorac. affectibus, cap.6. difficult.*1.

Secundò, Si floridus, & ſpumoſus ſanguis ſolùm ex carnoſa pulmonis ſubſtantia affecta vlceribus emanat, iuxta Senis oraculum *lib.5. aph. text.*13. dicentis: *Quicunque ſpumoſum ſanguinem expuunt, iis è pulmone eductio fit, &c.* cuius ſententiam Galenus probat *in com. & lib.4.de loc. cap.5. & lib.5.meth. cap.*8. adeò vt ex ſanguine florido & ſpumoſo, ſolius pulmonis vlcera iudicentur, cur hoc loco ex vlcere tracheæ arteriæ, Sanguinem floridum excretum fuiſſe refert? Dic cum Matthæo perito *in lib.9. ad Almanſ. cap. de cruenta ſputione*, Hippocratem nempè, & Galenum *locis citatis*, per ſanguinem ſpumoſum & floridum, illum duntaxat intellexiſſe, qui ferè in vniuerſum ſpumoſus eſt, quíque ſemper talis manet, & qui totus videtur eſſe ſpuma: quare licèt ſpumoſus & floridus ſit ſanguis venarum pulmonis, aut pectoris, tamen minùs ſpumoſus eſt, & minùs ruber. Quippe ſpumæ duplex cauſa eſt materialis, & item duplex efficiens, ex Gal. *lib.* 2.

A *progn.*47. *& lib.2.aph.*43. Illa vel aër inſpiratus, vel humida ſubſtantia, quacum inuicem permiſcetur: efficientes ſunt, motus & agitatio vehemens, prædictam excitans miſcellam, & ingens calor ebullitionem producens. Quum igitur omnes hæ cauſæ non modò in pulmonis viſcere, ſed in cunctis partibus ſpiritualibus poſſint reperiri, quid mirum quòd ſicut è pulmone, ſic etiam ab aliis pectoris partibus propulſetur, ob aëris ex reſpiratione impetum, & aſſiduam tuſſis vehementiam? Sanguinem ſpumoſum ex multis partibus excerni certum eſt, è thorace, faucibus, ventriculo, hepate, liene, cerebro: Ille verò qui ex vlcerata pulmonis ſubſtantia emanat, mera eſt ſpuma ſanguinea, vt *in com. ſententiæ* 13. *lib.5.aph.* notauit Heurnius, Hippocratis ſatis doctus interpres, & elegans. Nam, vt dicebat Galenus *lib.6. de vſu part. cap.*10. B *Nullam aliam reperies particulam raram adeò, ac leuem, & ſpirituoſam, neque quæ ſanguine ita puro, & tenui, ac vaporoſo nutriatur, quàm pulmo. Quare pulmonis corpus leue eſt, ac rarum, & velut ex ſpuma quadam ſanguinea concreta conflatum, &c.* Demùm ex Auicennæ mente 10.3. *tract.*3. *cap 5. pleuritici, & peripneumonici quandoque ſpumoſum excernunt, quum in pulmonibus eorum eſt caliditas ignea, & feruens, & quandoque eſt ſpumoſus ex canna pulmonis, &c.* Præterea Hippocrates *in Coacis* ſcribit hæc verba: *Quicunque ſpumoſum ſanguinem expuunt, & à dextro hypochondrio laborant, ab hepate expuunt, &c.* At ſanguis ab iis partibus excretus non ita eſt floridus, ac ſpumoſus totus, vt eſt è propria pulmonis ſubſtantia emanans, qui vniuerſus eſt ſpumoſus, quia ſpumoſior eſt viſceris caro, cuius ſanguis induit ſimilitudinem. Quibus autem ſignis ſanguis ſpumoſus à quacunque parte excretus, diſtinguatur ab C eo, qui ex pulmonis carne educitur, conſule Heurnium *loc.cit.* & Mercatum *lib.2. de morbis internis, cap.5.* Guaſtauin. *lib.de locis medicin. ſelect. cap.*17.

Tertio. Cur ij Adoleſcentes ſanitatem recuperarunt, ſi vlcera harum partium difficillimè curantur. Dic ſolùm vlcera pulmonis ægerrimè, aut nunquam ſanitatem admittere, quoniam glutinari nequeunt, ob multas cauſas latas à Galeno *lib.5. meth. cap.*8. & 11. Deinde è pulmonis vlceribus multa copia puris emanat, quare ad ſui abſterſionem multo negotio opus eſt. Audi Galenum *lib.4. de loc. cap.*8. ſic alloquentem. *Orto verò in aſpera arteria vlcere, præter hoc quòd ſputum purulentum apparet, dolorem quoque in loco affecto laborans ſentire conſueuit: ipſum verò per ea quæ ſcreantur, quia exigua ſunt, ab vlcere quod in pulmone natum eſt, diſcerni poteſt; quippe ab vlceri*D*bus pulmonis plus ſputi reiicitur, &c.* Inſuper Galenus *cap. vltim. lib.4. meth.* aſperæ arteriæ vlcera ob id potiſſimùm ſanabilia eſſe aſſeruit, quia ad eam promptè medicamenta deueniunt. Sic enim ait. *At ad vlcus quod in aſpera ſit arteria, vt ſupinus quàm diutiſſimè in ore teneat, ac omnes, qui illic ſunt, muſculos relaxet, remittátque præcipiendum: influit enim ſic ſenſim, & paulatim de medicamento aliquid ſenſibiliter, & manifeſtè in ipſam arteriam: nam, & cùm naturaliter ſe habet, ſcire licet potionis nonnihil huc percolari, &c.* Et *lib. 5. meth.* 12. ſic ait. *Sic igitur faciens ſentire ſe manifeſtè aiebat, adſtringentis medicamenti circa vlcus vim, ſiue ea huc tranſmiſſa eſt, ſiue medicamentum ipſum roris ſpecie ad vlcus defluxit, & tanquam percolatum eſt, &c.* Ex quibus manifeſtè colligitur, aſperæ ſeu tracheæ arteriæ vlcera, faciliorem admittere curatio- E nem, quàm vlcera pulmonis, & pectoris, quoniam breuior eſt ad illa vlcera via, & aſſumendi modus ægrotantis ſupini cubantis. Hoc explicuit dilucidè Magiſter *lib.2. ad Glauc.cap.*2. ſub his verbis: *Conſidera itaque quot partes pertranſire oporteat id medicamen, quod ad pulmonem eſt peruenturum: primùm quidem os, & fauces, & ſtomachum, deinde & ventriculum ipſum, & quædam ex tenuioribus inteſtinis: deinde eas, quæ ſunt in meſenterio, venas: deinde eas, quæ ſunt in cauis partibus hepatis: ex quibus ad eas, quæ in gibbis ſunt, tranſſumptum, hinc ad concauam peruenit venam: poſt quam ad cor, & deinceps hoc modo ad pulmonem, &c.* Pulmonis ergo vlceribus, aſperæ ſeu tracheæ arteriæ vlcera faciliùs ſanitatem admittunt. Vltimò dic, in his ægris corpora priùs fuiſſe perpurgata,

&

& à vitioſis humoribus munda; tunc enim vlceratæ partes parùm ſuperflui humoris ad ſe alliciunt; nam corpus tunc purum eſt, & à prauis ſuccis immune. Quantam autem vtilitatem, & commodum præſentaneum in peſte afferat purgatio in initio celebrata, vel nulla expectata coctione, latè, & eruditè contendit Manardus, ex antiquorum mente, *lib.13. epiſtol.1.* quod expreſsè docuit Galenus *hoc loco, & lib.1. feb. cap.4. de febri peſtilenti*, qui in initio, omni via, corpora impura, à ſuperfluitatibus, data purgatione, mundare conabatur, quod monuit Auicenna, 1.4. *tract.4. cap.4. in initio.* Adſtipulantur Paulus *lib.2. cap.36.* Aëtius *lib.2. ſerm.1. cap.95.* Auerroës 7. *collect.31.*

Ergo in principio peſtilentis luis, in initio, nulla ſpectata coctione, purgatio celebranda, quoniam hic humor veneficus, cùm ſit à tota ſubſtantia alienus à natura, gratiam ipſius recipere, nec coqui ab ea poteſt. Audi Magiſtri memorabile axioma, prolatum *in lib.4. de ſanit. tuend. cap.3. Quod igitur omninò alienum eſt, nulla fieri ratione poteſt, vt id naturæ ſuæ gratiam recipiat, ſed educere id quamprimùm eſt tentandum, æquè certè, vt quæ in ventre corrupta prorſus ſunt, ea vel vomitione vel deiectione expelli profectò eſt optimum, &c.* Obtrudit argutulè, ſed ineptè Pereda, *ad com.cap.9. lib.2.in meth.medend. Paſchalij*, dicens humorem venenatum, & deleteria qualitate affectum, nunquam, alterari à natura ob nutritionem, ſed ad excretionem; ſic atra bilis licèt non nutriat, apta redditur ad excretionem. At futilis reſponſio hæc, imò inanis trica: nam diſpar in ſimilitudine ratio, atra enim bilis licèt ferinam induat naturam, non tamen verè pernicioſam & exitialem, & totis viribus naturæ noſtræ aduerſam. Quapropter expurgandus peſtifer humor in initio eſt: fremant licèt Mundella *epiſtol. 16.* Paræus *lib.21. de peſte, cap.24.* & plures alij, quorùm argumenta *lib.4. in com. hiſtor.48.* latè ſoluta inuenies, modò calamo contrahere habenas ſatius duxi. Interim lege pulchra de hoc inſtituto, apud Septalium *lib.5. cautionum medicarum, num.47.*

QVÆSTIO II.

Quòd Hip. Gal. cæterique Græci, variolas, & morbillos cognouerint. Contra Pererium, Fonſecam, Valleriol. Mercurial. Hucher. Vidum Vidium, & alios Medicos illuſtriſſimos.

COMMENTARIVM.

V*Lceroſæ quidem plurimis, omnibus certè ſiccæ, &c.*] Digladiari ſolent Medici, & inter ſe hoſtiliter decertant, num Hippocrates, Galenus, priſcíque artis proceres, variolas, & morbillos cognouerint. Iuniorum doctiſſimi negantem partem defendere conati ſunt. Hos redarguit veterum auctoritas multis in locis. Hippocrates enim *lib.3. epidem. ſect.3. text.51.* aduenisse ait inter alios morbos in conſtitutione peſtilenti, *magna ecthymata*, ſeu *papulas magnas*, quæ ſunt, auctore Galeno *in com. tumores in cute extuberantes à craſſis humoribus orti.* Id ipſum confirmat *lib.1. epidem. ſect.3. com.19.* quo loco refert, *Silenum octauo die habuiſſe exanthemata cum ſudore rubra, rotunda, parua, varorum inſtar permanentia, &c.* Quare his exanthematis, variolas ſignificari certum eſt, vt probant Ludonicus Lemoſius, *ſuis ad cap, 12. lib.5. meth. Gal. commentariis*, Sebaſtianus Auſtrius *lib. de morb. pueror. cap.50.* Fracaſtorius *lib.2. de morb. contagioſ. cap.2.* Coſtæus *in com. cap.6. Auicennæ, in 2.4. tract.4. de variolis*, Foreſtus *lib.6. obſeruat.42.* Quicquid Mercurialis *in com. hiſtor. Hippocratis, & lib.1. de puer. morb. cap.2.* contrà ſentiat, Variolas recentiſſimum eſſe morbum confirmans, neque ex hiſtoria Sileni contrarium probari poſſe aſſeuerans; eo ſolùm ductus argumento, quòd Sileno octauo die papulæ eruperint: variolæ autem, tertia, aut ad ſummum quarta die apparere incipiant. Ratio eſt, meo voto, indigna tanto viro, qua irretitus Galeni dicta peierare auſus

A eſt: hic enim auctor *in hoc cap. methodi*, in quo ſcripta eſt hiſtoria hæc, exanthemata ex peſtilenti vitio ſuborta, iam progreſſo morbo apparuiſſe affirmat: patet ex textus ſerie manifeſtè: *nam euaſuris apparebant nigra exanthemata, quæ erant reliquiæ ſanguinis, qui in febre putruerat, quas veluti cinerem natura ad cutem truſit.* Iam expurgationem corporis, vomitionibus, & alui deiectionibus, factam, poſt coctionem ſequutam fuiſſe intelliges, ex eo quòd vtilis fuit: quæ vacuatio, poſt coctionem, quæ fit in ſtatu, ex Gal. 3. *criſ.5.* & alibi, celebrata, non niſi nono, aut ſaltem actauo die contingere poteſt, vt probat Pereda *in fin. cap. 9. in lib.2. meth. Paſchalij.* Hoc ita eſſe fidiſſimo experimento medentium compertum eſt: nam variolæ in die ſptimo, 8. 11. 12. & quod plus eſt, 20. ſæpè apparere ſolent, quando natura præ humorum onere præſ-
B ſa, cauſam morbificam citiùs expellere non potuit. Has autem Sileni papulas fuiſſe variolas noſtras, conſtat, quoniam erant varis ſimillimæ: ſunt autem vari, exigui & duri tumores in cute à materia craſſa ſuborti, auctore Paulo *lib.3. cap.21.* vnde propter vocabulorum affinitatem, & ſimilitudinem, deriuatum nomen variolarum puto. Conſule Valetium apud Holler. *lib.2. de morb. intern. tit. de exanthematibus*, Amatum *lib.3. centur. ſhol. curat.18.*

Deinde Hippocrates *lib. 4. epidem. num. 26.* ſic inquit. *Qui in tibia vlcus habebat, & Attico vſus eſt, huic puſtulæ eleuatæ, rubræ, magnæ: atque hoc pro tuſſi, quæ poſteà acceſſit: priùs enim non tuſſiit, &c.* per has autem puſtulas ſignificari variolas, aſſerit Valleſius *in com.* Inſuper *lib.7. eiuſdem operis, num. 52.* ſic ait: *Timonactis filio fermè bimeſtri, puſtulæ in cruribus, & in coxis, & lumbis, & imo ventre, & tumores valdè rubicundi. His autem ſedatis, conuulſiones, &*
C *comitiales fiebant ſine febribus, multis diebus, & mortuus eſt, &c.* Quid ergo frequentius, inquit peritus Valleſius *in com.* quàm puſillis oriri exanthemata, hùncque mortuum fuiſſe, quoniam non per totum corpus facta ſunt, ſed ſolùm in crure, & coxis? interiiſſe autem non dubito, quia praui & venenoſi ſucci, in intimas principéſque partes collecti, Epilepſiam & conuulſionem efficientes, naturam ſuffocarunt. Lege Euſtachium Rudium *lib.3. cap.31. de variolis.*

Et ſi de Galeno quæras, num variolas cognouerit, firmum ſit tibi, huius quam interpretamur hiſtoriæ teſtimonium: nam iſta vlcera ſine vlla medicamentorum ope decidebant, magnum certè indicium hodierna die ad exanthematum eruptionem intelligendam. Hoc ex eius doctrina non incongruè probari poteſt, *in lib. 6. epidem. ſect. 1. com.29.* vbi *in febribus peſtilentibus eueniſſe*
D *puſtulas exiguas, & vlcereroſas* apertè demonſtrat. *lib. de atra bile, cap.4.* in ea conſtitutione peſtilenti, puſtulas nigras, vlceroſas, & à quibus ſquamma decidebat, eueniſſe narrat, quas etiam viſas fuiſſe in vaſta illa peſtilentia, relata à Galeno *lib. de bonit. & vitio ſuccor, cap.1.* nullus non videt, Eueniunt autem variolæ in peſtilenti ſtatu; nam earum materia maligna eſt, & peſtilenti proxima: quare Arabes inter futuræ peſtis præſagia eas reponunt, *Et quando accidunt variolæ, tunc expectantur febres peſtilentiæ*, dicebat Auicenna 1.4. *tract.4. cap.3.* Variolæ enim, *& morbilli ſunt de ſumma ægritudinum contagioſarum*, dicebat idem auctor, *eodem loco, cap. 6.* Ex quo mirari licèt Vidum Vidium, virum alioqui Galenicæ doctrinæ amantiſſimum, qui *lib. 6. de curat. generat. in cap.6.* Probabile iudicat hunc morbum eſſe nouum, quem primò Medici Arabes cognouerunt, & deinde noſtri: cùm
E Galenus expreſsè, & Hippocrates de eo meminerint, vt ex tam multis allatis teſtimoniis ſatis patet. Lege Zoroaſtrum Tinellum, *conſult. 15.*

Inſuper, Aëtius clariſſimè eas deſcribit, *tetrab.2. ſerm.1. cap. 129.* dicens: *Puſtulæ in malignis, peſtilentibuſque febribus oriuntur, quæ iam quædam vlcerantur, & ad carbunculi ſpeciem accedunt; bonæ ſuccedunt aluo ſuppreſſa, aut moderatas deiectiones faciente; malæ, fluente aluo, & vomitibus vexantibus, &c.* Celſus *lib.5. cap.28. tit. de puſtular. generib,* ſic inquit: *Nonnunquam puſtulæ plures ſimiles varis oriuntur, nonnunquam maiores puſtulæ liuidæ, aut pallidæ, aut nigræ, aut aliter naturali colore mutato, ſubeſtque humor, &c.*

Paulus

Paulus illorum ſententiam confirmat *lib. 4. cap. 8.* dum exanthemata ex craſſis in cute impactis humoribus, magis quàm in ſuperiori pellicula, cùm denſa ſit, generàri confirmat, & *in lib. 1. cap. 6. §. Puſtulis, quæ quòd puero per cutem veluti effloreſcunt, Græci exanthemata vocant: primùm ſanè nullum faceſſere negotium oportet: vbi verò probè ad ſumma eruperint, tunc iam curare tentabimus, &c.* Hippocratem cognouiſſe morbillos conſtat ex *lib. prorrhet. ſect. 2. text. 25.* quo loco vocat *Epanthiſmata.* Hæc ſunt, auctore Celſo *lib. 5. cap. 28. tit. de puſtularum generib. puſtulæ, quæ maximè vernis temporibus oriuntur: tunc enim circa totum corpus, partémve aſpredo quædam fit, ſimilis his puſtulis, quæ ex vrtica, vel ex ſudore naſcuntur, Epanthiſmata Græci vocant; eáque modo rubent, modò colorem cutis non excedunt, &c.* Hippocrates deinde, nomine puſtularum admodum prurientium, morbillos intellexit, *lib. 6. epidem. ſect. 2. text. 29. & lib. 3. eiuſdem ſect. 3. text. 51. & 6. aph. text. 9.* His enim locis duplex facit puſtularum genus; vnum ſublime, pruritum excitans, à calidiori ſanguine ortum; alterum humile, citra pruritum, à frigidiori ſanguine natum, latúmque, cuius cauſa humor eſt non ita acris, quòd in latitudinem extentus ſit, magis diffletur, & tranſpiret. Galenus verò *hoc in loco*, nomine exanthematum ſiccorum morbillos intellexit, quoniam ab his puſtulis paucus ichor, aut pus emanare ſolet: nam hæ effloreſcentiæ ſiccæ ſunt, auctore Auenzoar. *lib. 2. theiſir, tract. 7. cap. 3.* Quòd ſi contrariæ partis defenſores omninò renuant, adeant Plinium, qui varia puſtularum genera deſcribens, variolas & morbillos deſcripſiſſe viſus eſt, *lib. 20. natural. hiſtor. cap. 8. & lib. 22. cap. 25. & lib. 24. cap. 9. & lib. 26. cap. 11. & lib. 28. cap. 17. & lib. 35. cap. 15.* Legat qui velit Manardum *lib. 7. epiſt. 2.* Mundel. *epiſtol. 17. in princip.* Rembert. Dodonæum *in praxi, cap. 20.*

Gomezius Pererius Hiſpanus *lib. de medela febris peſtilentis, cap. 19. de variolis, & morbillis,* hoc morbi genus nouum eſſe, & priſcis incognitum ſibi perſuadet, ſequutus Fernelium *lib. 4. de febrib. cap. 18.* Ioubertum *2. decade paradoxorum, 1.* Hos ſequitur Fonſeca *in meth. febrium à Iacchino omiſſarum, tit. de feb. cum variolis, & morbillis.* Hi ergo omnes ex Pauli dictis *loc. cit.* ſuam nituntur roborare opinionem: nam ſi hæc exanthemata rectè curanda ſunt, curatio non balneis, myrtum, lentiſcum, roſáſque recipientibus, vt ait Paulus, celebranda eſt; neque vnguentis ex ceruſa, argentúque ſpuma paratis: ſunt enim hæc præſidia huic morbo valdè infenſa; nam humor hic adſtringentium vſu repelli non debet, ſed omni conatu eſt ad partes externas attrahendus. At ij auctores non intimiùs perſpexere Pauli verba. Hic enim iis auxiliis vtitur, quando Variolæ ſunt exulceratæ. Hoc Arabum maximus confirmat, 1. 4. *tract. 4. cap. 1. in fin. §. Et quando accidunt ex variolis vlcera confert vnguentum album, & propriè permixtum cum aliquantulo Camphoræ, & quandoque confert ſuper aſpergere ceruſam, & lithargyrium; & vnguentum quidem rubeum bonum eſt ad vlcera variolarum, &c.* Hæc ergo adſtringentia, & exſiccantia in morbillorum exulceratione ſummoperè proſunt: quæ ſi neglexeris, ſerpente exulceratione cutem erodi contingit, vt proprio experimento *lib. 3. centur. 18.* firmauit Amatus. Lege Hermannum Follinum *in oratione, de febri puncticulari,* de hoc argumento ingenuè diſputantem.

Sed fortioribus machinis ſic inſurgentem Valleriolam audiamus. Is enim *lib. 1. enarrat. 8.* ex hac Galeni hiſtoria, ipſum variolas cognouiſſe, nullo modo poſſe probari perfricta fronte contendit; cuius opinionem ſequutus eſt Ioannes Hucherus *lib. 4. de feb. peſtilent. cap. 28.* Licèt enim puſtulas has, exanthematum nomine vocitet Galenus, quòd à ſanguinis veluti cinere, atque reliquiis eius, qui per febrem putruerat humoris, in extimam cutem pullæ, naturæ ope: morbillos tamen eſſe non poſſe, aut id nominis conuenire ex eo conſtat, quoniam morbilli à nobis vocati, puſtulæ dici non merentur, quum neque puſtularum more cutem attollant, ſed effloreſcentiæ ſint, ac maculæ rubeæ ex ſanguine tenui, ac bilioſo ſubortæ, in cutem vi naturæ propulſo; maximè cùm exanthemata narrata fuerint nigra, vlceroſa, & à quibus velut cortex deci-

A debat, quæ omnia morbillis non conuenire, cuilibet vel mediocriter in arte verſato patere poteſt.

Sed hic eximius auctor non rectè perpendit contextum Galeni, imò vnam exanthematum differentiam cum alia confundit: neque enim nos negamus, per exanthemata vlceroſa intellexiſſe Galenum variolas, non morbillos, vt ille affirmat. Morbillos autem vocauit exanthemata ſicca, quoniam hæ puſtulæ ſiccæ ſunt, & ab iis nullus humor emanat.

Percontaberis, cur auctores data opera inquirunt, num antiqui Medici hæc exanthemata cognouerint? Dic. Turpius eſſe relictis fontibus riuulos ſectari; tunc enim nos hunc morbum, ſicut & cæteros benè curabimus, ſi de illo priſcos ſcientiſſimos loquentes audiamus; quorum ſidiſſimo conſilio ducti, horum affectuum cauſas rimari, & cu- B rationem callere ritè poſſimus.

QVÆSTIO III.

Quòd Græci, priſcique alij febrem puncticularem venenatam cognouerint. Contra Peredam, Colle, Toreum, Carmonam, Mercurial. Septalium, & Zoroaſtrum Tinellum Medicos eximios.

AN per exanthemata ſicca, puncticulas hoc loco Galenus etiam intellexerit, dubitandum. Hæc enim in peticulari febri, ſæpiſſimè in peſtilenti ſtatu conſpiciuntur, adeóque hoc verum eſt, vt Mercatus *libello* illo aureo *de febre maligna* aſſeueret, lenticulas, ſeu maculas rubeſcentes C in anxioſis, horrificiſque febribus per cutem apparentes, pulicum morſibus maximè ſimiles, certiſſimum, infallibile, ac pathognomonicum eſſe febris peſtilentis ſignum: clament vſque ad rauim Petrus Paulus Pereda *lib. 2. in Paſchal. de curand. morb. in ſchol. cap. 2.* Ioannes Colle *lib. 1. de morbis contagioſis, & malignis, cap. 7. ad finem.* qui puncticularem febrem nec venenatam eſſe, nec contagioſam acriter defendunt; quos coarguit vnanimis Medicorum ſchola, edocta à Fracaſtorio *lib. 2. de morb. contagioſis, cap. 6. de febre lenticulari, & cap. 7. & lib. 3. c. 6.* qui primus omniũ in hoc eruditiſſimo puluere ſtrenuè inſudauit; quem ſequitur Fernel, 4. *pathol. 18. & 2. de abdit. 12.* Hanc lenticularem febrem apud priſcos notiſſimam fuiſſe, ex eo conjectant recentiores, quòd Hippocrates illius variis in locis meminerit. Si enim huius febris ideam, mores, naturam ad D vnguem contempleris, diffiteri non poteris harum peticularum energiam in epidemicis illis tempeſtatibus, quas Hippocrates depinxit, expreſſam ſufficiéter reperiri. Audi Hippoc. *lib. 2. epid. ſect. 3. in init. Fiebant autem in febribus æſtiuis circa ſeptimam, octauam, & nonã diem aſperitudines in cute miliaceæ, culicũ morſibus maximè ſimiles nõ valdè pruriginoſæ. Hæ perſeuerabant vſque ad iudicationem, &c.* & *infrà* ſic ait: *Auditu erat graui, & ſoporoſa. Priùs autem non valdè ſoporoſa erãt hæ, quibus illæ aſſuturæ eſſent, &c.* Eruditiſſimus Valleſius *in com.* ſic ratiocinatur. *Sunt hæ maculæ, quæ Hiſpanis nouato nomine vocantur* tabardillo, *in febribus ardentibus ſymptomaticè ob feruorẽ, aut malignã ſuccorũ corruptionẽ facta, quas natura in malignis, & peſtilẽtibus febribus per cutim, præſertim dorſum, pectus, ſcapulas expellere tẽtat. Frequẽs ſanè in Hiſpania malum, in cuius curatione obſeruauimus ſæpè, illis E qui hoc morbo affligũtur, fieri hæc quæ narrat Hippocrates ſymptomata: nimirum antequã maculæ erumpant, anguntur plurimum, & vigilant ægroti, ſucco, qui interiùs ſecernitur, & cuius natura parat expulſionem, lædẽte viſcera: Poſtquam eruperunt, dum erumpunt, delirant, & comatoſi ſiunt, &c.* Hanc ſententiam amplectuntur Lupeus Cureleanus, *lib. de morbo puſtulato,* Zoroaſter Tinellus *tom. 1. conſult. vlt.* Ludouic. Lemoſius *ad com. cap. 12. lib. 5. meth. Gal.* Sed parcant mihi Valleſij manes; nam ex Hipp. loco minimè probari poteſt, ipſum puncticularem febrem cognouiſſe: effloreſcentiæ enim ibi deſcriptæ erant aſperæ, miliaceæ, culicum morſibus maximè ſimiles, & pruriginoſæ: maculæ verò iſtæ nõ ſunt aſperæ, nec cutim eleuant, neque culicum, ſed pulicum morſibus ſunt ſimiles, neque pruritum inducunt.

Alij, vt eſt Mercatus *loco cit.* Galenum eas deſcripſiſſe aſſeuerant, *lib.1.de dif.feb.3.& lib. de bonit. & vit. ſuccor. cap.3.* dum inquit. *Nonnulli putridis, & peſtiferis febribus perierunt: nonnulli puſtulas inſtar ſcabiei, ac lepræ in corpore contraxerunt, &c.* At manifeſtè falluntur, quoniam punèticulæ iſtæ puſtularum more cutem non eleuant.

Deinde *papulæ paruæ, quæ non eſſent excernendis morbis, ſtatimque euaneſcentes*, deſcriptæ ab Hipp. *lib.1.epid.ſect.2. text.38.* non ſunt lenticulæ noſtræ; hæ enim non eleuant cutem. Ergo hæ papulæ, variolæ non fuere; hæ enim citò non euaneſcunt; fuerunt ergo morbilli; huius enim affectus materia cùm tenuior ſit, & biliosior, facilè exhalat, & diſcutitur. Sileni papulæ cum ſudore rubentes, erant varis ſimiles, hi autem extuberant in cute; Petechiæ autem, tubercula non ſunt. Demùm Hippocrates *lib.3.epid.* B *ſect.3.text.51.* ſic ait: *Carbunculi æſtate multi, papulæ item magnæ, herpetes item magni, &c.* At hæ papulæ longè diſtant à puncticulis, quæ exiguæ ſunt. Ineptè ergo ex his locis colligit Maſſaria *lib.5.de febrib.cap.25.* noſtras petechias à priſcis fuiſſe cognitas.

Fallitur igitur Fabius Paulinus *in annotationibus, ad librum Thucydidis, de peſte*, dum per febres pemphigodes, aſpectu terribiles, de quibus Hippocrates *lib.6.epid.ſect.1. text.29.* intelligendas eſſe peticulas aſſeuerat: nam febris pemphigodes dicitur bulloſa: hoc dicebat Galenus *in com.* qui in febre pemphigode tubercula admittit, dum ait: *Corpus ſubrubrum, liuidum tuberculis exiguis, & vlceribus efflореſcens, &c.* In hodiernis verò peticulis nulla datur intumeſcentia, vt ſuccinctè, & eleganter admodum animaduertit Caſtrenſis Luſitanus *lib.3.opuſculi, Quæ ex quibus, cap.19.*

C His commoti Aloyſius Toreus, *libello de natura febris punctularis, in init.* Ioan. Carmona *lib. de peſte, & febre cum puncticulis, c.7.* Mercurialis *lib. de maculis peſtiferis*, aſſeuerant has maculas priſcis incognitas fuiſſe. Sed cùm in ea ſim ſententia, vt puté, in hac hiſtoria etiam, per exanthemata ſicca, intelligi poſſe peticulas, ſeu maculas has peſtiferas, idcircò eas non ſolùm à *Galeno*, ſed à priſcis melioris notæ deſcriptas, reperiri in ſuis operibus, non nego.

Audi Actuarium *lib.1.meth.c.23.§. Maculæ circa autem exoriuntur, nonnullis rubræ, aut purpureæ, nonnullis nigræ emergunt, quales quotidie ex pulicum, cimicúmque morſibus apparent, &c.* Idem fecit Aëtius *tetrab.2.ſerm.1.cap.9.*

Auicennam febrem hanc cognouiſſe, non eſt denegandum: nam 1.4. *tract.4. cap.2.* inter ſigna febris peſtilentis apponit bothor flauam, aut rubram. Sic enim ait: *Et quandoque accidunt cum ea bothor ſubalbida, aut ſubru-* D *bra; & quandoque eſt velocis apparitionis, & velocis occultationis, &c.* Illuſtris interpres Iacobus de partibus, *in com.* clariſſimè has peſtiferas maculas deſcribit, quas ſimiles non culicum, ſed pulicum morſibus eſſe aſſeuerat, vt videas vetuſtiſſimum hunc auctorem, quíque vixit circiter trecentos ante annos, peticularum manifeſtè meminiſſe. Accedit quòd dicit Auicenna, fuiſſe velocis apparitionis, & occultationis; nam hæ maculæ ſæpè ſubitò euaneſcunt, præſertim quæ à tenuiori humore ortum ducunt. Adde quòd Bothor ex ipſius mente 7.4.*tract.3.c.5.eſt macula in cute apparens, quaſi punctum, ipſam non eleuans.* Quare ſubit vehementer mirari Ludouicum Septalium, Medicum eximium, qui *lib.3.de peſte, cap.10.* de maculis pulicum morſibus ſimilibus, ante centeſimum annum nullum reperiri auctorem, qui harum macularum vllam faciat mentio- E nem, ſibi perſuadet. Quibus autem ſignis pulicares maculæ à pulicum morſibus diſtinguantur, agitat Sennertus doctiſſimus *lib.4.de febrib. cap.12.* & nos de hac re diſceptauimus *lib.3.de praxi admiranda, obſer.13.*

Demùm par eſt, & rationi conſentaneum, in vaſta illa peſtilentia deſcripta à Galeno, in hac quam interpretamur hiſtoria, ipſum has maculas, exanthemata ſicca vocaſſe magis, quàm morbillos; nam ab illis nihil humoris emanare ſolet, & ideò dicuntur ſicca, ſi verum eſt quod ſcribit Galenus *lib.1.acut.com.22.ſiccum eſſe morbum, quum nihil ab affectis partibus excernitur.*

Quapropter ſumma cum ratione Auicenna, has maculas inter ſigna febris peſtilentis repoſuit: nam in nullo alio febrium genere: præterquam in illa apparere ſolent, vt inter omnes notarunt Septalius *loco nuper citato*, & Vidus Vidius *lib.6. de febrib. cap.7.de febri lenticulari*, & meritò ſanè: hæc enim maligna febris de natura peſtilentium eſſe cenſetur, ob eam quam cum eis habet ſimilitudinem: nam ob aërem oritur vitiatum, vt illa; & hac de cauſa, maligna euadit, & contagioſa, ſicut ipſa: differtque ſolùm à putridis, in modo & excellentia putredinis, ſignorum prauitate & deterrima conditione. Deinde in putridis aliquis ex quatuor humoribus putreſit, & ſic circuitus, & acceſſiones ſingulis humoribus reſpondentes concitantur: At peticularis omnes humores praua inficit qualitate, inquinat, & conſpurcat, & ideò peſtilentium ideam maximè repræſentat, huiúſque mali diri eſt prænuncia. Quare, ſi fidem adhibemus ſcribentium experimento, ea non ſolùm vacuantibus præſidiis, ſed bezoarticis, cardiacis, & à tota ſubſtantia operantibus eſt curanda, vt 2. *de abdit.12.* Fernelius, & Valleſius 4. *meth.2.* adnotarunt.

QVÆSTIO IV.

Quod Arabum dogma de exanthematum cauſa, vt verum ſit admittendum. Contra Fernell. Holler. Ioubert. Loyſium, & Mercurialem, Medicos præſtantiſſimos.

SEd in hoc loco celebratiſſima quæſtio de exanthematum cauſa eſt ventilanda, quam Mercatus *lib. 2. de morb. pueror. cap. vlt.* magni putat eſſe momenti, de qua adhuc non ſatis conſtat, quæ verior ſit apud Iuniores, qui Euripi modo agitati, quotidie de hac re nouas condere leges non ceſſant. Ab Arabum ſchola in animos Medicorum concepta quædam irrepſit opinio, nullum hominem morbillos, aut variolas euadere poſſe: cùm enim fœtus in vtero ſanguine menſtruo alatur, vt eo inficiatur eſt neceſſe, qui poſteà nouo feruore ebulliens, gliſcit & excandeſcit, & quadam veluti criſi à natura tranſmiſſus, ſi tenuis eſt, & qualitate peccat, morbillorum; ſi craſſior, & non ita calidus, variolarum cauſa eſt atque origo: nam hic ſanguis eſt aquoſus, non benè coctus, & ebullitioni aptiſſimus, & qualibet occaſione data promptè furit, & incenditur.

Hæc eſt omnium ferè barbarorum de exanthematum cauſa opinio conſtans, quam nouatores Medici cenſorio ſupercilio redarguentes, reſpuunt, temnunt, & damnant, Fernelij argumentis conuicti. Is enim licèt *lib.7.phyſiolog. cap.7.* menſtruum ſanguinem, venenoſum ac pernicioſum eſſe confirmet, *lib.* tamen 2. *de abdit. rerum cauſis, cap.12.* nouam horum affectuum cauſam indagauit, quam omnes huius ſanguinis impuritati meritò attribuunt. Hanc ſententiam defendunt inter omnes Ludouicus Lemoſius *in com. cap.12. lib.5. meth. Gal.* Hollerius *lib.2. de morb. internis, cap. proprio de variolis*, & alij.

Ex eo ergo hi auctores ita inducuntur opinari, quòd non omnes his morbis capiantur: & ſemel capti, iterum bis deinceps, aut ter laborent. Quòd ſanguis, quo fœtus in vtero nutritur, benigniſſimus ſit, ac ſuauiſſimus, auctore Galeno *lib.5.aph.37.& lib.3.epidem.ſect.3.com.73.& lib.1.de ſanit. tuend. 2. & lib. 2. de cauſ. ſympt. 7.* & alibi. Probant eloquenter Andreas Laurentius *lib.8.de re Anatomic.quæſt.8.* Riolanus *lib.phyſiolog.cap 8.* Mercatus *lib.1. de morb.mulierum, cap.3.* Mercurialis *lib.4. de morb. mulier. cap. 1.* quoniam menſtruus ſanguis qualitate non nocet. Et quòd mulieres quibus menſtrua ſupprimuntur, huiuſmodi morbis non fœdantur, vt grauidæ. Denique ſi ex natiuitate oriretur hoc malum, ab initio mundi fuiſſet, eſsétque vetuſtiſſimum.

Sed non ob hæc, ſententia Arabum eſt deſerenda, qui à vitio menſtrui ſanguinis oriri exanthemata confirmarunt. Eam tuentur Auicenna 1.4. *tract.4. c.6.* Haly *lib.8.theoric.14.* Raſius 30.*continent. tract.13 cap.1.* Ishac, *lib. de febrib. particularib. cap.5.* & alij Mauritanicæ familiæ proceres ſcientiſſimi. Eam ampiectuntur Gentilis *ad*

citatum

citatum caput Auicen. Nicolus *ſerm.2. tract.2. ſum.4. diſtinct.6. cap.13.* Amatus *lib.3. centur.15.* item Andreas Laurentius *lib.8. controuerſ. anatomic. quæſt.9.* Matthiol. *lib.3.epiſt.3.* Cofteus, & Mongius, *in com.cit.cap. Auicen.* Hucherus *lib.4.de feb.peſtilenti,cap.de variol.*Manard.*lib.7. epiſt.2.* Foreſt. *lib.6.obſer.43.* Tobias Knoblochius *cap.3. inſt.anatomic.* Vidus, Vidius *loco cit.* Licèt enim ex impuritate principiorum, impoſſibile non ſit quemquam in vitæ decurſu ab hoc genere morbi immunem euadere, hoc eſt rariſſimum; quod verò tale eſt,contemnunt Medici: *rara enim excluduntur ab arte, frequentia pro perpetuis habentur,* ex Gal.*lib.4.aph.44.& lib.6.aph.58.quoniam ex iis quæ ſemel,aut bis homo vidit,non debet pronunciata medica conficere,* ex Gal. *lib. de fœtus format. cap.* 1. Et quia calor in feruorem adactus, non potuit ſemel reliquias ſanguinis expurgare,iterum validior factus,& ex aliqua interna,vel exter, na cauſa concitus, purum ſanguinem ab impuro ſeparare conatur, in quibuſdam citiùs,in aliis tardiùs,prout diſpoſitio corporis, naturæ, regionis, temporis adminicula-tur; nam in calidiori temperamento, natura ſimili, ætate calida, tempore æſtiuo, regione æſtuoſa, citiùs, quàm in contrario ſtatu variolæ erumpunt.

Nec mirum videri debet, variolas tanto tempore occultari: nam & plurima venena in corpore latent citrà noxam, 14.aut 20. annis,& conceptus tempore menſtruationis, elephanticus euadit, non modò poſt 12. aut 14. annum, ſed poſt quadragelimum, vt teſtatur Alzarauius *cap. de lepra.* Quod in rabioſis palàm fit, in quibus non illicò à morſu detegitur venenum, neque aliquam ſui notam in corpore præbet, ex Galen. *lib.de theriac. ad Piſon. cap.* 16. nam in quibuſdam 2. 3. aut 4. menſe poſt morſum pullulat affectio, alios poſt annum inuadit, ex Galen.*lib.* 2. *prorrhet. com.* 17. Alij poſt ſeptem annos veneno rabido tentantur, ex Dioſcorid.*lib.6.cap.36.*Actuario *lib. 6. meth. cap.* 11. Notarunt poſtea Albertus Magnus *lib.7. de hiſtor. animal.* 2. Palmarius *lib. de mob. contagioſis, tract. de rabie, fol.* 270. Salius *de affect. particular. pagin.*360.*&* 361. Amatus 7.*centur.*41. & alij.In iis ergo omnibus multo tempore venenum latet ſine damno: vel quia toto illo tempore non eſt inducta facta intemperies, quæ valdè lædit, & immedicabilis eſt, ſicut hectica auctore Magiſtro *lib.cit.prorrhetic.* vel ignobilitatem membri, cuius virtus non valdè irritatur; vel quia pars continens paruo veneno aſſueta non læditur; vel in aliqua parte viciſſim concoctrix, & retentrix roborantur, infirmata expultrice: nonnunquam hæc robuſtior fit, & noxium expellere poteſt.

Quamuis autem ſanguis, quo fœtus alitur in vtero, puriſſimus ſit, labem tamen ex menſtrui vitioſi permixtione contraxit, ex Galen. *lib.5. aph.60.* Mulieres verò quibus menſtrua non reſpondent, tentari etiam hoc morbo, non eſt dubitandum. At muliebris natura vitioſum illum ſanguinem, vtero, non cuti deſtinat. Licèt autem hoc verum ſit, aliquando aliter accidit, vt illæ,& vel vtero gerentes hoc vitio corripiantur, quando videlicet tantam fœculenti ſanguinis copiam fœtus conterere nequit, vt probat Schenckius *lib.6.de obſeruat.de variolis,& morbillis.*& nos de hoc inſtituto miram propoſuimus obſeruationem, *lib. 3. de praxi medica admiranda, obſeru.*47. & hoc exemplo iterum fiet manifeſtum.

Obſeruatio I.

Grauidæ, variolis etiam corripiuntur.

Grauida trimeſtris, carnoſa, cum ſuapte natura ſanguinea eſſet, vtpote in florente ætate conſtituta, ex copia nimia ſanguinem per os cum tuſſi quandoque excernebat. Ecce vno die rigore corripitur, quem febris, tuſſis, ſternutatio, totius corporis rubor ſubſequuntur cum anxietate ſumma: cùm verò lachrymæ inuoluntariæ, naſi pruritus, timor in ſomno, horripilatio, punctio in toto corpore ſenſata, palpitatio cordis, anhelitus difficultas, & capitis grauamen accederent, plurimíque variolis vexarentur, has citò ſuperuenturas, pa-

A lam adſtantibus prædiximus. Quare ante eruptionem, ad deonerandam naturam, feruorem compeſcendum, ſanguinem mittere viſum eſt,vt monuit Auicenna 1.4.*tract.* 4.*cap.*10.qui inter omnes rectiùs de variolarum curatione eſt ratiocinatus, dum dixit. *Et conuenientius quod adminiſtratur in hac ægritudine, eſt phlebotomia, &c.* quæ adeò neceſſaria eſt, vt vel poſt eruptionem, præſente plethora, eam imperet celebrandam, dum ſic ait. *Sed quando procedunt variolæ, non oportet tunc, vt adminiſtretur phlebotomia, niſi inueniatur vehementia repletionis, & dominium materiei, tunc enim phlebotometur,quantitate quæ alleuiet,ſeu minoret, &c.* Hac doctrina inſtructi, per interualla ter è mediana cruorem exhauſimus, nec impedimento fuit grauidatio, in cuius præſentia ſanguinem eſſe emittendum, veterum, & iuniorum frequentiſſimo experimento ſancitum eſt. Poſt eruptionem variolarum, Cardiaca

B oblata, cucurbitulæ ſcapulis admotæ. At cùm humoris copia tanta eſſet, hæc ad oculos elata, craſſiſſimam albuginem fecit, quæ ſoli pulueri oſſis ſepiæ intra oculos indito ſuccubuit. De cætero exanthemata emiſſo pure ad cicatricem perducta, quo tempore fœtus validus erat; & ipſa vires aſſumens, ſuo tempore obeſam femellam in lucem edidit. Grauidas ergo exanthematis corripi nouum non eſt.

Ab initio mundi hoc malum mortales afflixiſſe, certum eſt, cùm ſit antiquiſſimum, & priſcis notiſſimum. Antiquiore autem æuo rariùs, nunc frequentiùs mortales illo tentari, ad diuerſam corporum conſtitutionem, ob matrum, & puerorum maiorem incontinentiam reiiciendùm puto.

Eruditiſſimus Mercurialis, eleganter 1.*de morb.pueror.*

C *lib.cap.2. iuxta init.* pluribus probare contendit, variolarum, & morbillorum materiam, non eſſe ſanguinem menſtruum, ſed eſſe nouum morbum veteribus incognitum, qui cœli, & aëris vitio primùm cœpit graſſari, & in homines ferè omnes ſæuire, qui deinceps labem hanc, & veluti proprietatem paternam in filios hæredes tranſtulerunt. Hoc placitum validiſſimis argumentis ſtabilire conatur.

Primò. Hæc exanthemata eueniunt vitio morbidi cœli, vel aëris ſubſtantialiter corrupti. Secundò. Quod ante Arabum tempora, homines non corriperentur hoc vitio; cùm tamen ſempiternum ſit ſanguinis menſtrui inquinamentum: vnde cùm ſemper fuerit materia, & agens, iure debuiſſent homines omni tempore hoc morbo vexari. Tertiò. Si à ſanguinis men-

D ſtrui vitio, feruore, & ebullitione oriretur hoc malum, nullus in ſenectute tentaretur, nec poſt elapſum morbum; quia præcedens ebullitio, & expurgatio futuris variolis materiam abſumeret, cuius contrarium demonſtrat experimentum: nam plurimi in ſenectute, vel illicò poſt paucos à prægreſſo morbo dies, variolis tentantur. Quartò, equa, canis, aſina non habent hunc morbum, quum menſtruas habeant purgationes, ex Ariſtot. *lib. 6. de hiſt. animal. cap.*18. Quintò. Non videtur rationi conſonum naturam per variolas, & morbillos corpus expurgare poſſe, quum multis modis id anteà expurgauerit: primò, quando fœtus in vtero continetur, reponendo excrementa impura ſanguinis in duabus tunicis fœtum ambientibus. Secun-

E dò, quando fœtus in lucem emittitur, tunc enim prouida natura excrementa purgat per inteſtina. Tertiò, poſt aliquod tempus ab ortu, quando corpus vlceribus, achoribuſque ſcatet. Si ergo prouida natura tot modos depurandi ſanguinem excogitauit, cur ſuſpicari debemus in omnibus hominibus tanto tempore excrementa ſanguinis latere?

Verùm hæc commodiſſimam habent ſolutionem. Non enim negamus hunc morbum ab aëre, tanquam à cauſa mediata ſuboriri, quum videlicet nimiùm calidus eſt, frigidus, aut inæqualis; qua de cauſa hæc labes, æſtate, vel autumno ampliùs ſerpit, & inualeſcit: ardente enim Sirio liquatur hic ſanguis, feruet & ebullit. Vigente bruma, conſtrictis externis ſpiraculis, ob impeditam innatam difflationem, effratur interiùs putrado,

&

& ſic ebulliens & incaleſcens ſanguis, exanthematis præbet occaſionem. At immediatam cauſam eſſe ſanguinem menſtruum affirmamus. Et licèt barbaris antiquiores Medici huius morbi peculiarem non fecerint curationem, eius tamen naturam exactè calluiſſe non eſt denegandum, vt ex Hip. Galeni, Pauli, & aliorum dictis conſtat ſatis apertè. Ad tertium, dictum eſt *ſuprà*, ob multas cauſas venenum diu in corpore latere: hoc autem ſuas vires in ſenectute exerit, quoniam priùs in iſto ſanguine non fuit facta ebullitio, ob ipſius craſſitiem, lentorem, meatuum anguſtiam, expultricis debilitatem, ſicut ob contrarias cauſas in pueritia, aliiſque ætatibus ante ſenectutem plerumque oriuntur. Si tamen quiſpiam è variolis conualeſcens, iterum illicò eodem morbo recidiuat, id euenire puta, quia non erat ſufficienter ſanguis expurgatus, quem nouo feruore facto iterum natura mundificare contendit. Ad 4. Reliquorum quadrupedum infantes hoc vitio non corripiuntur, quoniam impedimento eſt cutis ipſa, quæ cùm dura ſit. in ea excrementa ita impinguntur, vt illa ad extimam ſuperficiem natura propellere non poſſit; vel ſi pellit, hæc vitioſa materia in pilos, vngues, cornuáque abſumitur. Et licèt animalia menſtruas habentia purgationes, ab Ariſtotele dicantur ſanguinea, & habeant materialem variolarum cauſam, nec efficiente careant, calore videlicet naturali, robuſto & forti, & ſic deberent variolis tentari, reſpondet Caſtrenſis Luſitanus *lib.4. de meteoris microcoſmi, cap.6. in fin.* arietum infinitum numerum variolis perire, viſúmque eſſe à ſe equum variolis plenum: at hoc malum non eſt animalibus familiare ob dictas cauſas. Ad 5. argumentum dic, ita eſſe pernicioſum menſtruum ſanguinem, vitiúmque ab eo relictum, vt multo negotio ad ipſius expurgationem opus ſit; nec ſufficere omnes illos modos, ſed neceſſarium eſſe conatum illum, quo natura ebullitione facta noxium ad cutem expellere tentat; & cùm ſemel id perficere nequit, iterum alacrior & vegetior facta, reſiduum excernere conatur. Hæc eſt cauſa, cur bis & ter homines in vita variolis corripiantur, quando veſtigium illud tam diræ labis vnica ebullitione elui non potuit.

Concludamus igitur ex Arabum decretis, variolarum cauſam eſſe materni ſanguinis, quo alitur fœtus, impuritatem, ob quam omnes in vita tentari hoc malo tenent Auenzoar *lib.2. theizir, tract.7. cap.3*. Serapio *lib.5. breuiarij. cap.22.* hanc ſententiam approbat Fracaſtorius *lib.2. de morbis contagioſis, cap.2.* Cætera verò quæ ab aliis auctoribus contrà obiici poſſunt, facilè ex dictis ſolui queunt. Interim de menſtrui, quo fœtus in vtero inficitur, malitia, ac virulentia; lege Plin. *lib.28. cap.7.* & *lib.2. cap.* 5. Columel. *lib.11. rei ruſtic. cap.11. & vlt.* Ælian. *lib.6. hiſtor. animal. cap.36.* Rabbi Moſſen *lib.3. dubitat. cap.47.* Lacunam *lib.6. in Dioſcorid. cap.25.* Mercurial. *lib.1. de venen. cap.14.* Conciliator. *lib. de venenis, cap. de ſanguine menſtruo*, Solin. Polyhiſtor, 14. Gentilis 39. *extrauag.* De qua re lege Rodericum à Caſtro Medicum ſcientiſſimum, *lib.2. de natur. mulier. cap.* 10. Quidquid ſanguinem hunc minimè eſſe malignum, acriter contra Fernelium contendat Otto Caſmannus *part.2. pſycholoh. cap. vlt. diſputat.9.* cuius rationes ſi penſaueris æqua lance, nullius momenti eas reperies, ſoluit Caſtrenſis *loc. cit.* eleganter.

Pro coronide vnum adiiciam, ad Auicennæ doctrinam ſummè neceſſarium. Nam iſte auctor *loc. cit.* ponens conuenientiam inter variolas, & morbillos, hos facit maligniores variolis, dum ſic ait. *Et ſigna apparitionis eius, proxima ſunt ſignis apparitionis variolarum; verùm ſubuerſio ſtomachi in eo eſt plus, & anguſtia, & inflammatio vehementior, & dolor dorſi minor, quoniam cauſa eius in variolis, eſt repletio ſanguinis extendens venam poſitam ſuper dorſum: nam generatio variolarum eſt propter multitudinẽ ſanguinis corrupti, & morbilli, propter vehementiam malitiæ ſanguinis corrupti pauci, &c.* Dic. Variolas eſſe pericuíoſiores morbillis, licèt enim conueniant, quòd vterque morbus ſit epidemicus, cutaneus, contagioſus, pueris familiaris, & cum febre intenſa inuadat; tamen in cauſa differunt, quoniam variolæ à craſſiori, & copioſiori humore oriuntur; nam ſunt corpulentiores, craſſiores, & faciunt in cute eminentias; morbillus verò cùm ſit, vt ibi notat Auicenna, variola cholerica, à tenuiori, feruidiori, & bilioſiore ſanguine originem ducit, at pauciori; quare maculas facit variolis longè minores, ſed rubicundiores: Comparat ergo inter ſe vtrumque affectam Auicenna, dicens variolas oriri à maiori copia humoris, morbillos à pauciori, ſed plus malitioſo, & prauo, quod verum eſt: nam ni morbilli eſſent periculoſiores, ſi in materia paritas adeſſet; quæ cùm deficiat in morbillis, malitia illorum à maiori variolarum quantitate humoris ſuperatur. Morbilli ob materiæ maiorem tenuitatem, maiorem concitant flammam, anguſtiam, febrem, & ſtomachi ſubuerſionem; at hæc omnia ſedantur faciliùs, quoniam humor tenuis, & paucus citò diſcutitur: Quare Auicennæ non eſt inuerendus error, vt quidam rati ſunt: Solùm enim variolas in quantitate humoris morbillos ſuperare, & hos, illas qualitate vincere aſſeruit.

At licèt ex menſtrui ſanguinis vitio vterque affectus oriatur, variolas tamen eſſe maligniores, & periculoſiores affirmamus: cùm enim fiant ex craſſiori, viſcidiori, & copioſiore humore, fit vt tantam humoris copiam naturâ cùm non poſſit expellere, ob lentorem eius, internis partibus, viſceribúſque præcipuis adhæreat viſciditate ſua, & interna vlcera, doloſa, & cacoëthica gignit hic pernicioſus humor ſuapte naturâ prauiſſimus; & vel malignas deiectiones, & dyſenterias, vel in trunco corporis lethales facit abſceſſus; reconditis malignis excrementis in viſceribus, & exeuntibus per inteſtina, quæ debebant in cutem emergere.

Quamuis autem à multis deſperationibus, hoc eſt, à grauiſſimis, & periculoſiſſimis morbis pueri crebriùs euadant, quoniam habent vires naturales, quibus vincuntur morbi, robuſtiſſimas, commutatricem nempè, & expultricem, vt ſcitè notauit Valleſius *lib.2. epidem. com.9.* ab hoc, cùm eſt ſæuus atque malignior, pauci liberantur: multoties enim accidit, vt humore in cute concocto, tabe pereant, dyſenteria occupati occumbant, & quod frequentiùs accidit, ſpaſmo prehenſi vitam cum morte commutent; ob materiam pernicioſam coërcitam, quæ de nouo ebulliens partem principem ſuo tetro vapore lancinat, & ferit. Hoc docuit Auicenna *2.4. tract.2. cap.98.* dicens *in declinationibus variolarum ægros perire*, qui licèt videantur declinare, ob humorem impactum in cute exſiccatis vlceribus, non verè declinant, quia humoris multa pars non potuit protrudi ad cutem, ſed ob lentorem detenta deflectit ad viſcera, & prauis vlceribus excitatis, maligniſque inflammationibus ægros iugulare ſolet. Sic Cratiſtonactes, & pictoris ancilla parotide ſuppurata mortui ſunt, apud Hip. *lib.1. epidem. ſect.2. text.84.* quoniam materia cocta fuit in parte, in toto verò incocta remanſit. Variolæ ergo horrenda magis ob dictas cauſas, & lethalia excitant morbillis ſymptomata: De quorum pernicioſa vi plura lege apud Iacotium *com. ad lib.2. ſect.2. Coac. Hip.* Paræum *lib.19. cap.1.* Marcellum Donatum *tract. de variolis, & morbillis*, c.29. & nos proprio exemplo firmauimus *lib.3. de praxi admiranda, obſ.48.*

HIST. IV. AVENZOARIS,

De oſſe in dorſo adnato.

Os in dorſo pronatum, purgatione celebrata eximitur.

*Etiam audiui dici à patre meo, quòd cuidam vidit naſci in dorſo ſuo os ad ſimilitudinem vnius cornu, quod erat minoris duritiei oſſis naturalis. Et ipſe pater meus purgauit *humores groſſos in ipſo, & poſteà poſuit medicinas exſiccatiuas ſuper os, ita quod cecidit dictum os. Et mihi etiam fuit ortum os vnum ſuper dorſum, magnum mihi inferens dolorem, & purgaui me ab humoribus groſſis, & poſui ſuper ipſum reſolutiua, ita quod reſolutum fuit maiori ex parte, & illud modicum quod remanſit, non impediuit me in aliquo in operationibus naturalibus exercendis, &c.*

Auenzoar *lib.1. theizir, tract.6. cap.5. de ingroſſatione oſſis præter naturam.*

PARAPHRASIS.

DOrſi nomine ſpinam ferè totam intelligo, quæ varios, & multiplices edit motus, anticos, poſticos, & ad latera, idque decem muſculorum opera, & quæ à baſi occipitis vſque ad extremum os, coccyx dictum pertingit, quæ triginta quatuor vertebris perficitur. In his partibus cùm oſſeæ ſint, melancholicóque humore, terreſtri, & craſſo nutriantur, excreſcentiæ duræ oriri ſæpè conſueuere. Nam ſicut in extima corporis ſuperficie, tubercula, verrucæ, & alia, ex excrementitia materia conflata oriuntur, ſic oſſa ex denſiore humore, & valdè compacto progigni non eſt dubitandum. Hoc Alexander Benedictus *lib.6. hiſt. corp. human. cap. vlt.* confirmat ſic ſcribens. *Vidimus in Creta vulnerato genu ſagitta, cornu nigrum, rupicapræ capitis ſimilimum prodiiſſe, materiámque quæ in oſſis ſubſtantiam conuerti debuiſſet, in corneam naturam aëris afflatu facilè conuerſam, continuóque gummi modo adhæreſcentem.* Et Lanfranc. *tract.3 doct.2. cap.3.* vidit cranij manifeſtas eminentias ſicut cornua. Refert Ioan. Philip. Ingraſſias *lib. de tumorib. tract.1. cap.1.*

Ariſtoteli quoque probatur, *lib.2. de hiſtor. animal. cap.4.* nonnullis ſeneſcentibus, præſertim mulieribus etiam octuageſimo anno non ſine dolore dentes exiiſſe. Narrat Alexander Benedictus *lib.3. cap.2.* ſe vidiſſe Panormi nobilem virginem correptam plurimis verrucis acutis excrementitis cornuum vitulorum inſtar, in omnibus artubus, manuum, cubiti, genuum, & etiam in capite & fronte. Iulius Cæſar Scaliger *exercit. 197. num.5.* vnum vidit in dorſo cuiuſdam remigis, & nos mirabile cornu vidimus in calcaneo enatum, *lib.2. de praxi medica admiranda, obſ.187.*

Firmat Plinius *lib.11. cap.17.* Cardanus *lib.8. de variet. cap.43.* ex Alberti magni ſententia. Alexander Benedictus *lib.1. de curand. morb. cap.6.* Ioubertus *2. decad. paradox. 2.* Cùm ergo hi inter oſſa ſint reponendi Galeni teſtimonio *lib. de oſſib. cap.5.* negandum non eſt, oſſa de nouo generari poſſe. Deinde Galenus *lib. de tumoribus præter naturam, cap.15.* Satyriaſes, aut Satyriaſmos vocat eminentias, extuberationéſque oſſium, quæ circa tempora fiunt: tubercula autem hæc ita appellantur à ſimilitudine Satyrorum, quibus vtrinque cornu circa tempora naſci ferunt, de quibus Plinius *lib.7. natural. hiſtor. cap.12.* Prætereà dentes tota vita creſcunt, quemadmodum quotidiana ciborum maſticatione atteruntur, vt Galenus *lib.5. ſec. loc. cap.5.* & Auicenna 7. 3. *tract.* 3. *cap.* 1. apertè fatentur.

Sed licèt hæc vera ſint, firmatam tamen doctrinam non euertunt. Nam tumor, quem paſſus fuit auctor, ſub oſſium genere comprehendi non debet, cùm fuerit excreſcentia dura, à terreſtri craſſóque humore ſuborta, quod ita eſſe ex curatione patet manifeſtè, vacuato enim humore fæcali, & melancholico ſanatus eſt. Sic faciendum monet Auicenna 7.4. *tract.3 cap.13. de cura clauorum, cornuum:* quo loco minorare ſanguinem cum phlebotomia, & euacuare humorem melancholicum ſaluberrimum eſſe prædixit. Et licèt idem auctor, *in cap.* 15. *ſequenti*, verrucas duras, clauos, cornua, ſeu alias additiones curuas, ſpiſſas, naſcentes in extremitatibus iuncturarum, incidendas eſſe, & medicamentis acutis eradicandas conſuluerit, hoc maxima præmeditatione exſequendum moneo, hæc enim curatio aliquando infeliciter contingit, & plura ex ea irreparabilia damna eueniunt. Puerum enim ex inciſione corniculi in capite nati, intra paucas horas expiraſſe narrat Amatus *lib.1. centur. curat.51.*

Si tamen ad ferrum, & ignem accedere neceſſitas cogat, ſuauiter priùs tumorem emollire, & deinde ferro incidere oportet. Hoc conſilium opere ipſo obſeruauit Cabrollius, *obſeru.11. anatomic.* qui tutò cornu in fronte ſerra reſecuit, ſanguinem cauterio repreſſit, cuius longitudo erat dimidiati pedis, craſſities pollicis, & tota eius baſis oſſi in latere ſiniſtro adhærebat. Vidit etiam Beniuenus *lib. de abdit. morb. cur. cap.14.* qui carneam excreſcentiam pondus ſexaginta librarum excedentem, coxæ adnatam, vinculis quotidie arctiſſimè deligando, tandem candenti ferramento quod ſupererat, reſecuit, & partem idoneis medicamentis ad ſanitatem perduxit. Similem excreſcentiam refert Langius *lib.1. epiſtol.3.* & *lib.3. epiſt.4.* Huic ſimilem ab inguinibus pendentem deſcripſit Amatus *lib.5. centur.88.* & nos illuſtre miræ excreſcentiæ carneæ exemplum deſcripſimus *lib.3. de praxi admiranda, obſeru.77.* His tumoribus pituitoſis adnumeranda eſt *Natta*, ſeu *Napta*, apoſtema magnum, carnoſum, & molle, cuius curationem proponunt Nicolus *ferm.7. tract.5. ſum.2. cap.69.* Guido *tract.2. doct.4. cap.4.* Tagaultius *lib.1. cap.2. & 14.* Theodoricus *lib.3. cap.31.* Brunus *lib. chirurgic. magnæ, cap.8.* quem affectum Rhaſis *lib.7. ad Almanſ. cap.14.* & Haly *lib.8. theoric. cap.11.* ſub nomine glandularum magnarum complexi ſunt. Hoc modo ſcribit Cabrollius *obſeru.30. ſe feliciter reſecaſſe panum immenſæ molis ad* ℔.v. *cum* ℥.iij. *in occipitio natum.*

Multoties, quoniam hic pertinaciſſimus affectus medicamentis vix ſuccumbit, quum à contumaci humore ortum ducat, ad cauſtica deueniendum. In hunc modum his medicamentis plures fuiſſe vſos pro eradicandis tumoribus duris, ſuprà citati auctores memoriæ prodiderunt. Hac ratione, nempè filo aqua Mercurij ſublimati inſuccato, iterúmque exſiccato, ſe carneam excreſcentiam, rarum nempè affectum, Vmbilici fungum, nucis inglandis magnitudine, colore nigro, fuſco, carcinomatis inſtar, ligaſſe, & ſic induſtria ſumma exeſiſſe, gloriatur Hieronymus Fabricius Hildanus *lib.5. centur. chirurgic. obſeru. 42.* De qua re lege Marcellum Donat. *lib.5. de medic. hiſtor. mirabili, cap.3. De mirabilibus excreſcentiis carneis*, quæ in partibus interioribus ex exterioribus oriri ſolent. Si verò pulchra de oſſium miris affectionibus ſcire deſideras, raras hiſtorias hic auctor ponit in propatulum, *lib. eodem. cap.1.* De quo argumento videndus Langius eruditiſſimus, *lib.1. epiſt. 46.* Horum anatomen propoſuit inter omnes, Ioannes Riolanus cum Syluio, *com. in lib. Galen. de oſſibus*, & *lib. de oſteologia, ad mentem Hippocratis deſcripta*, & de eorum paſſionibus plura conſcripſit Fallopius *tract. de partib. ſimilarib. cap.* 4. & priùs prædixit Auicenna 5. 4. *tract.1. à cap.4. vſque ad* 14.

QVÆSTIO V.

Quòd oſſa non ſanguine melancholico, ſed immediatè nutriantur medulla. Contra Iacobum, Petrum Hiſpanum, & Spilegium, Medicos eruditiſſimos.

COMMENTARIVM.

H*Vmores groſſos, &c.*] De oſſium nutrimento, inter Medicos & Philoſophos non inutilis controuerſia exiſtit. Peripateticæ ſcholæ Anteſignanus, immò loquentis naturæ genius mirabilis *lib.33. probl. vlt.* oſſium excrementum medullam eſſe confirmat. Auenzoar innuit *hoc loco*: nam ſucco melancholico, atque terreno oſſa nutriri concludere videtur, quòd vacuato ſimili humore, illorum ceſſauerit incrementum, ſequutus forſan Auerroëm, qui *lib.2. collig. cap.8.* oſſa, ex materia vacante, & excrementitia ali aſſeuerat. §. *Sed medulla quæ eſt in oſſibus, eſt ſuperfluitas cibi eorum, &c.* Igitur oſſa non nutriuntur medulla. Tantorum auctorum mentem rationes firmæ ſatis illuſtrant.

Prima. Oſſa plurima non habent medullam, ex Gal. *lib. de oſſibus in præfat.* Sed ſunt firma, ſolida ex Gal. *lib.11. de vſu part.18.* & Ariſt. 3. *de hiſtor. animal.* 7. Nam leo in oſſibus nullam habet medullam, ex Ariſt. *nuper cit.* & 2. *de partib. animal.6.* Plin. *lib.11. cap.37.* Æliano *lib.2. de natur. animal.2.* & plurimi concretis oſſibus, ac ſine medullis vixerunt, teſte Plinio *lib.7. cap.18.* Ergo medulla alendis oſſibus non eſt neceſſaria.

Secunda.

Secunda. Inter nutriens, & nutritum debet intercedere ſimilitudo, ex Ariſt.8 *phyſic.7.* & *lib.1.de generat. cap.5.* & *lib.2.de animal.4.* & Gal.2.*aph.5*0.& alibi paſſim: ſed oſſa terreſtria ſunt, ex Gal. *lib.1.de element.5.* & *lib.9. ſimpl. tit. de terræ differentiis*, & ſunt frigida & ſicca, ex Gal.*lib.1.de element. cap.6. iuxta fin.* & *lib. 1. de temper. vlt.* Ergo non nutrientur medulla, quæ calida eſt & humida, ex Dioſcor. *lib. 2.cap.70.* & Auic.*lib.2.tract.2. cap.492.*

Tertia. Vnumquodque nutritur iis, ex quibus conſtat; ex Ariſt.*2.de generat. animal. cap.8.* Sed oſſis generatio fit ex ſanguine, ex Galeno *lib.1. de facult. cap. 10.* & *lib. 2. eiuſd.3.* & Auicen. 1. *doct.3.cap.2.* Ergo non medulla, ſed ſanguine melancholico nutrientur. Patet euidenter, ex Galen.*lib.6.method. cap.5.§. Monſtratum namque eſt omnem animalis particulam, proprium, ac ſibi ſimile attrahere alimentum: id ſi verum eſt, oſſium nutrimentum, & craſſius, & magis terreum quàm aliud quoduis nutrimentum in toto animali fuerit, &c.* Eandem ſententiam firmant Gal. *lib.11. de vſu part.cap.18.*& *lib.2.de element.cap.2.& 5.*& *lib.1.de ſemin.* 11.Auic.1.1. *doct.4.cap.1.in med.* §. *Neceſſitas verò vt tantùm de ea cum ſanguine miſceatur, quantùm debetur pro nutrimento cuiuſque membrorum, in quorum complexionibus magnam melancholiæ partem eſſe oportet: ſicut ſunt oſſa, &c.* Firmat Haly *lib.1.theoric.25.* quibus locis auctores hi, partes ſiccas & oſſeas, ex ſicco terreſtrique alimento nutriri aſſeuerant.

His fortè conuictus, Iacobus de partibus, *in com.nuper cit. cap. Auicen.* medullam non verè nutrire oſſa, ſed nutritione quadam refocillatoria & imperfecta, humectando, & prohibendo ea ab exſiccatione, alere affirmauit. Eius opinionem ſequitur Petrus Hiſpanus, *in com.47.lib. diæt. vniuerſ. Iſahac, dub.3.* & *lib.diætar.particul.tit. de medulla*, & nuper firmauit Spigelius *lib. 1.de fabric. corp.hum. cap.13.*

Contrariam ſententiam, omnis tum Veterum, tum Iuniorum ſchola vnanimiter confirmat, ab Hippocrate Magiſtro ſuo edocta. Is enim in memoranda quadam, & multis abhinc ſæculis quaſi per manus tranſlata ſententia inculcat, *lib.de alimento, n. 12. Medullam eſſe oſſium alimentum, &c.* Hanc autem ſententiam eſſe Hippocratis genuinam, locupletiſſimi teſtes confirmarunt, & præſertim Theodorus Zuingerus *in ſuis ad hunc locum Hippocratis tabulis elegantiſſimis*, & Valleſius *in com.huius loci*, edocti ab ipſo Galeno *lib.6.de loc.6.& 6.epid.ſect.3.com.1.*& *lib.1. ſecund.gener.cap.17.* & *lib.5.aph.com.39.* & *lib.3.de facult. natural. cap. 15.* quo loco præfatam in aliis locis ſententiam manifeſtè roborat, ac defendit, dum ſic dicit: *Eſtque qualis carnibus ſanguis, talis oſſibus medulla, &c.* Et *lib.11.de vſu part.18.in med.§.Iam verò ſi caua iure fuerunt, haudquaquam ea reliqua erat inania, cùm ipſa penum quandam alimenti familiaris in ipſis poſſet reponere: nam in commentariis de facultatibus naturalibus demonſtrauimus, medullam oſſibus proprium eſſe alimentum, & oſſibus cauitate carentibus tale quiddam in eorum cauernulis contineri, &c.* Quem locum cùm exactè ſpecularentur recentiores, aptiſſimum eſſe ad noſtrum inſtitutum rati ſunt, licèt quæſtionem hanc per tranſennam veluti controuertant, quum ea variis, & repugnantibus locis vndique ſit referta. Lege Capiuacium *in com.ad methodum anatomicam, cap.8.* Mercat.*lib.1.tom.1. part.4.dubit.6.quæſt.129.num.12.* Andream Laurent.*lib.2. controuerſ.anatom.quæſt.4.*

Inſuper pro hoc fulciendo dogmate, habemus patronum Auicen. multis in locis: nam *in 1. 1. ſum.1. doct.5. cap.1.de oſſibus*, ſic ait. *Immò durum factum eſt eius corpus, & ipſius nutrimentum quod eſt medulla, &c.* & infrà: *Et iuuamentum medullæ, quæ eſt in eo, eſt vt nutriat ipſum, &c.* Et *lib.1 2.de animal.cap.9.* Idem affirmat. Cuius auctoris ſententiam veriſſimam eſſe, Gentilis *in com.* Iacobus de Foroliuio, & tota Arabum familia confirmat. Haly enim *lib.2. theoric.cap.2.* ſic ait. *Oſſa quoniam magna ſunt, & multitudini motus dedita, ac alacritati, concauiora facta ſunt, vt in concauitatibus medullæ quibus paſcantur, &c.* Idem confirmat Ariſtoteles *lib.2. de part.anim.6.§.Quoniam etiam in iis quæ oſſa ſpiſſa, firmáque habent, non temerè partim nulla, partim exigua ineſt medulla: alimentum enim in oſſa abſumitur, &c.*

A Explicant ingenuè Nicolus *ſerm.7. tract.1. ſum.1. cap.13.* Conciliator *diff.52.* Tarraga Burdigalenſis, *libro Quæſtionum, fol.79. lit.O.*

Dicendum igitur, omnia oſſa, tum vel ea quæ ad motum non ſunt deſtinata, quæ nigriori imbuuntur medulla, vt oſſa pectoris, & coſtarum, medulla immediatè nutriri: quare natura non ſolùm repoſuit in oſſibus medullam, vt hæc illa humectaret & molliret, ne nimiùm præ motu exſiccarentur, quod voluit Auicen. 1.1.*doct.5. ſum.1.cap.1. & 13.de hiſt. animal. cap.6.* & auctor *lib.de anatomia viuor. cap.1.* ſed ea, tanquam ex familiari, & magis propinqua materia nutrientur. Hoc ita eſſe probat expreſsè Galenus *lib.2.de vſu part.cap.16.in fin.§.Cæterùm ſi præterquam quòd magna ſunt, ſolida, & cauitatis medullæque expertia, dura & B denſa omninò fuiſſent, membra ipſa onere ſanè maximo grauarent: idcircò laxiora, & cauernoſiora, & magis concaua ſunt oſſibus cunctis minoribus maiora. Abutitur & hic probè, ipſa cauitate natura: reponit enim in eam familiare oſſibus nutrimentum, quod ſanè medullam nominamus, &c.*

Quid autem clarius his Gal. verbis dici poſſit, ignoro prorsùs. Auctoritas multiplici firmatur ratione. Prima deſumitur ex Gal. 3.*de facult. natural. cit.* nam talis eſt habitudo oſſis ad medullam, ſicut carnis ad ſanguinem, ſed ex ſanguine nutritur caro: ergo ex medulla oſſa nutrientur. 2. Medulla habet humidum benè concoctum, & nutritioni accommodum. 3. Medulla in recenter natis apparet ſanguinea, ex Ariſt. *loc.cit.* at cùm diſpoſitionem oſſi vicinam recipit, dealbatur. 4. Partes carnoſæ habent circumfuſum proprium alimentum, mucoſum nempè humorem & lentum, quibus relectis is apparet: & ſicut reſecta carne ap- C paret ſanguis, ſic reſecto oſſe apparebit hæc medullaris humiditas oſſa nutritura. 5. Si oſſa ſanguine melancholico immediatè nutrirentur, non eſſent alba: nam quod nutritur, refert aliqualiter colorem alimenti; quare alba oſſa ex nigro ſucco, vnica tranſmutatione ali nequeunt. 6. Si hoc verum eſſet, continerent oſſa in poris ſuis melancholicum nigrúmque ſuccum, non medullam; ſiquidem ſuo alimento imbutas eſſe partes nutriendas eſt neceſſe. Oſſa ergo ex medulla, tanquam ex materia propinqua nutriuntur.

Obiecta verò hac ratione ſolues. Ad primum reſpondet Fernelius *lib.2.phyſiolog.cap.2.* dum medullam eſſe excrementum vtile aſſeuerat, vt ſemen eſt teſtium: illud enim in oſſium cauernis exiſtens, & liquidi humoris ſpeciem oſtendens, oſſis eſt alimentum, quod à ſanguine primò deductum, ſenſim mutatum, ad illius naturam mox deficit. Nunquam ergo colligendum aduersùs Galenum, D medullam ita eſſe excrementum, vt non ſit alimentum: hoc enim ex Ariſtot.*loc.cit.* manifeſtè colligi poteſt, dum dicit. *Idcircò animalibus quibus oſſa ſolida & robuſta ſunt: vt leoni, nullam eſſe medullam, quoniam alimentum in oſſa abſumitur, &c.* Tunc ſic. Si medulla eſſet excrementum, quum leonis oſſa copioſo egeant alimento, oportet vt copioſum ſanguinem concoquant, & vbi copioſum eſt alimentum, tale debet eſſe excrementum; at in leonibus cùm nulla, vel pauciſſima adſit medulla, ea non eſt excrementum, ſed alimentum.

Ad 2. reſpondet Gal. *cit.de vſu part.& de facult.natural.* dicens, in omnibus oſſibus, tam cauis, quàm ſolidis, tam paruis, quàm magnis reperiri ſuccum medulloſum quo alantur, quem communi vocabulo medullam ſi appelles, non errabis. Neque ſolùm in maioribus oſſium finibus E medulla reponitur: verùm etiam illæ, ſpongiæ modo extructæ cauernulæ, non minùs quàm inſigniores illi ſinus medulla infarciuntur, quod ita eſſe præter Gal. auctoritatem firmat Veſalius *lib.1. de fabric. corp human. cap.1.* qui medullam proprium eſſe oſſium alimentum ſibi perſuaſit.

Ad 3. dic. Verum eſſe, ſimile ſuo ſimili nutriri; at os ex parte craſſiori medullæ nutritur, quæ licèt primo acceſſu videatur oſſi diſſimilis, eam tamen paulatim ſibi aſſimilat natura. Alia autem pars pinguis & humida, etiam in id comparata eſt vt nutriat, ſimulque vt oſſa arida, motui deſtinata humectet & emolliat, ne in opere nimiùm exſiccentur. Hæc ergo pars humidior cùm ſit, faciliùs oſſis ſubſtantiam peruadit, ibique per moram concocta, & aſſimilata, in naturam eius permutatur.

Ad 4. reſpondet Fallop.*in cap.*8.*lib.de oſſib.Gal.*qui medullam eſſe proximum, & veriſſimum oſſium alimentum arbitratur. Licèt enim omnes corporis partes ex ſanguine nutriantur,non omnes taman id eodem tempore præſtant; quibus namque ſimilis eſt ſubſtantia, iis mutari inter ſe fas eſt: quibus plurimum inter ipſa eſt diſcrimen, ea fieri ſimilia, citra omnes, quæ in medio ſunt mutationes,non poſſunt,ex Gal. 3.*de facult.naturalib.vlt.* Hinc eſt quòd carnes tam viſcerum, quàm muſculorum exiguam alterationem requirant: facilè namque ſanguis in carnem mutatur, quoniam priùs in medullam, (nam licèt exſanguis ſit, ex ſanguine tamen facta) poſteà in oſſa traſmutatio fit. Qualis ergo carnibus ſanguis, talis oſſibus medulla: qua oſſa immediatè, tanquam ex proprio alimento, ſanguine verò melancholico, tanquam ex materia remota nutriri, res eſt manifeſta, apud eos qui Galeni monumenta indefeſsè perluſtrarunt.

HISTORIA V. TRALLIANI, De ſanguinis ſputo.

Sanguinis ſputum ab ſpiritalibus partibus ortum, lapidis Hæmatitis vſu, perſanatum.

E*Go ſanè noui frequenter me ſine theriaca, aliiſque precioſis Antidotis multos curaſſe, lenibus vſum medicamentis, & præſertim lapide hæmatite. Vſus autem eo ſum in iis, qui largiùs ſanguinem reiiciebant,* * *cum ſucco mali punici, & granis, vel cum ſucco Polygonij, &c. Trallianus* lib.7. cap.1. rubric.17.in med.

PARAPHRASIS.

SIue ſanguinis ſputum, fluorem ſanguinis, ſiue fluxum appelles, cruentámve per os reiectionem, parum refert,licèt auctores in hoc fuerint ſolliciti: dummodo conſtet hanc excretionem eſſe ſymptoma in genere excretorum immodicè, toto genere præter naturam. Morbus autem quis ſit, à quo prodeat, plerique ſcribentium proprium caput de hoc argumento conſcripſerunt. Illud tamen inter Medicos conuenit, inquit Gal.*lib.*4.*de loc.affect. cap.*5. *ſanguinem, aut è gula, & ventriculo; aut ex ſpiritalibus partibus, thorace videlicet, pulmone, aſpera arteria, aut ex faucibus, gurgulione, ore, gingiuis expelli.*

Cruenta ſputio periculoſa affectio eſt, ex Hipp. *lib.*4. *aph.*25. & *lib.*7. *eiuſd.*37. & maximè ſi ex ſpiritus inſtrumentis emittatur ſanguis; *periculum enim imminet, ne curari non poſſit, & ſi durauerit, omninò poſteà febres ſuccedent,* Gal.teſte *in com.* Inſuper ab hoc ſanguinis ſputo, puris ſputum non raro ſequi conſueuit, iuxta Senis edictum, *lib.* 7. *aph.* 15. & ſi hæc ſanguinis reiectio intra tres dies non curatur, phlegmone deinde adueniente, omninò incurabilis affectio erit, potiſſimùm ſi ex eroſione ortum ducat, ex Gal.*lib.*5.*meth. cap.*8.11. 13. & 14.

Quapropter aggredienda illicò curatio eſt, & impetranda omnia, quæ ſanguinem tum auertere ad loca diſtantia, tum incraſſare nata ſunt. Hæc cenſentur, quæ ex lenta, glutinoſáque ſubſtantia conſtant, adſtringentia, obturantia, conglutinantia, ex Galeno *lib.* 7. *de compoſ. medic.ſecund.loc.cap.*4.& 5.*meth.cap.*3. quorum ſyluam latè doctéque inter omnes proponunt Trincauel. *lib.* 3. *de compoſit. medicam.cap.*18. Ludouicus Mercat. *lib.* 1.*indicat. cap.*14.

Inter hæc lapis hæmatites præcipuam obtinet vim, cuius eſt in retinendo ſanguine mira poteſtas. Eius efficacia, & mirabiles dotes retulerunt Dioſcorid. *lib.*5. *cap.* 101. Paul.*lib.*7. *tract.de lapidib.* Galen. *lib.*9.*de ſimpl.tit.de hæmatite.* Plin.*lib.*36.*cap.*21. & 22. Serap.*lib.de ſimpl.cap.* 421. Simon.Genuenſ.*cap.*411. Auic.*lib.*2. & alij: nec immeritò: nam oculorum ſcabrities cum melle repurgat; cum lacte autem muliebri, lippitudini, fractis, & oculis

A cruore ſuffuſis opitulatur: bibitur contra difficultatem vrinæ, & fluxiones mulierum in vino: pus ab vlceribus repurgat, exſiccat, & à putrefactione defendit, ſiue ſubſtantia eius, ſiue infuſum propinetur; & quod plus eſt, vnicè prodeſt iis qui ſanguinem reiecerunt.

Aſſumendus hic lapis,frigidis actu medicamentis commixtus, quæ inſpiſſant, adſtringunt, ſiccant, craſſant, cohibent, ſanguinem vndequaque manantem ſiſtunt, & ad omnes immodicas excretiones valent eximiè.Si verò cum tepida ſæpiùs pro compeſcendo ſanguine ab ſpiritalibus partibus manante Galenus propinat, id in iis qui copioſè ſanguinem non expuunt, facit, vt aquæ calore promptiùs medicamentum ad longinquas thoracis partes penetrare poſſit. Scis enim medicamenta pectori conferentia ſemper aliquid vehiculi debere ſecum deferre, ex ſenten-

B tia Galen. 4.*de compoſ.medicam.ſecund.loc.cap.*7. *Nam quod per multorum corporum media, membro patienti eſt occurſurum, omninò exſoluitur, & viribus deficit, ſi ab initio fuerit imbecille: tantum igitur aduentitij roboris adiungere oportet, quantùm in tranſitu amittitur: ob id igitur in thoracis inflammationibus, quæ in parte ſumma conſiſtunt, ea quæ laxare poſſunt, ſufficiunt.*

Probatur friabilis, ſaturato colore, niger, durus,ſuapte natura æqualis, nulla ſorde admiſta, vritur vt Phrygius. Vſtus,in porphyrite modicè læuis fit,quo, cùm neceſſitas cogit, vti licet cum ſucco Polygonij, hoc eſt ſanguinariæ, quæ, vt ſuprà citati auctores affirmant, habet vim quandam adſtringendi, fluxiones repellit, ſiccat, & leuiter craſſat, prodeſt cruentæ excreationi, & fœminarum profluuia ſiſtit. Fœminá mas efficacior eſt.

C

DVBIVM I.

Num mala punica cruentæ excretioni ſint accommoda.

COMMENTARIVM.

C*Vm ſucco mali punici.*] De punicorum differentia ſat plura dixere veteres, & iuniores ferè omnes,de quorum numero ſunt Dioſc.*lib.*1. *cap.*127. Auic.*lib.*2.*tract.*2. *cap.*319. Aëtius *tetr.*1. *ſerm.*1.*tit.de punico.* Auer. 5.*collig. cap.*40. Raſius *lib.*3.*ad Almanſ.*20. Dioſc.Interpres Chriſtoph.à Vega *lib.*2.*de art.medend.ſect.*3.*cap.*6.*rubric.*2. Ludouic.Mercat. *tom.*1. *claſ.*2. *quæſt.*164. *num.*74. Bruyerin.

D Anton.Gazius,& alij,qui hæc triplici diſtinguunt ſpecie, alia enim ſunt dulcia, alia acida, alia vinoſa. Punica licèt boni ſucci ſint,ſtomacho vtilia,exiguum alimentum præſtant; dulcia tamen calidiora ſunt, vnde in febribus abdicantur. Dixerat enim Hipp. *lib.*2.*de diæt. num.*29. Succum mali punici dulcis aluum mouere, haberéque quidpiam æſtuoſum, &c. *Nocet* enim *acutas habentibus febres*, vt *cit. loc.* Auic.confirmat. Eſt enim corruptioni, inflammationique paratiſſimus: ſputum tamen prouocat, tenuem coquit humorem, & expulſioni aptiſſimum reddit: qua de cauſa Auic.10.3. *tract.*5.*cap.*10. punica dulcia in pleuritide probat: *ſunt* enim *pectori amica, & in caliditate temperiem ſeruant*, 4. *ſimpl. cap.*9. & doctè notauit Ioan.Bauhin. *lib.*1.*hiſt.Plant.cap.*17.

Acida adſtringunt, æſtuanti ſtomacho auxiliantur, ſan-

E guinis, aut bilioſi humoris ſæuitiem compeſcunt, feruorem corrigunt, putredinem mirum in modum refrænant, corruptionem ſedant, humorum vehementes motus retundunt, appetentiam mouent, os ventriculi firmant, vaporum ad caput exhalationem impediunt, aluum ſiſtunt, & alias immodicas excretiones cohibent. Denique in peſtilenti ſtatu optimum, cardiacúmque alimentum præſtant, & ad putredinem arcendam valdè idoneum. De quorum vi eximia,lege Aloyſium Mundellam *lib.*.*epiſt.*3. Hermol. Barb. *lib.*1.*corol. cap.*161. Marcel.Virgil. *lib.*1.*in Dioſc.cap.*131.

Demùm tanta eſt huius ſucci præſtantia, vt eo fuiſſe curatam Cardialgiam, à vitioſo humore ad os ventriculi confluente ſubortam, affirmet Gal. *lib.*2. *aliment. cap.*24. *de punicis*, referens Hipp. hiſtoriam latam *lib.*2. *epidem. in init.*

init.quæ ſic ſe habet. *Mulier, cor (hoc eſt, os ventriculi) dolebat, & nihil remittebat dolor. Huic polentæ pollen in mali punici ſuccum inſperſus, & ſemel in die acceptus in cibo ſatis fuit, & non reuomeba, veluti Charioni contingit, &c.* Roborato namque ore ſtomachi ad medicamenti vim, & leuata natura, retuſis nempè ad id confluentibus excrementis, factum eſt, vt hæc in ipſius tunicis imbibita expellerentur grauiſſima damna deinceps, ob conſenſum quem hæc pars cum præcipuis obtinet, paratura, Nec Hip.in præſentem vſum aliud poterat vtilius excogitare medicamen; adſtringens enim, & refrigeratorium cùm ſit, bilis acrimoniam attemperando, laxatum & concuſſum ventriculum adſtrictione defendit, & eſt in cauſa, vt ea quæ adeſt bilis,dolorem non faciat,& quæ nondum fluit, fluere deſinat; quare in ſyncope, aliiſque affectibus à bilioſo humore ſubortis,mirabilem opem affert,vt *lib.1.ad Glauc. vlt.* retulit Galen. nec immeritò: quouis enim modò eo vtaris, ſiue totis granis per ſe, aut cum pane manducatis, ſiue hauſto ſucco ſolo, ſiue panis micis in eum iniectis, ſiue eius ſuccum cum aliquo idoneo cibo admixto edas, vt cum ptiſſana,Amylo,aut cum Polenta, mirabilem præſertim æſtatis tempore, & in picrocholis, ſenties vtilitatem.

Vinoſa punica mediam ſortiuntur naturam, ſitim ſedant, flatum generant, qui facilè diſcutitur, cùm eorum ſuccus tenuis ſit ac minimè tenax.

Sed dubitabis,quî fieri poſſit, vt acida,de quibus Trallianum hoc loco loquentem intelligo,cruentæ excretioni proſint, ſi ea aperiunt & incidunt? Nam Gal. *lib.2.de alim. facult. cap.21.* ſcribit,acida cùm ſuccum viſcidum in ventre inuenerint, ipſum incidere, ac deorſum ſubducere, ob idque deiectiones humectare.Quoniam acida frigiditas ſubtilium eſt partium, ſic docente Magiſtro *lib.4. de ſimpl.medicam.facult.cap.3.7.8.& 17.* Qua de cauſa Meſuës *lib.1.theorem.at.eodem*,ſic ait. *Acidum penetrat,aperit,incidit, diuidit,tenuat, terget; citò agit hæc opera, ſed in medio valentium, & imbecillium eſt, ſua denique ſubſtantia tenui acre obtundit, dulci & inſipido vigorem addit, &c.*

Acidam autem frigiditatem tenuium eſſe partium, *cit. lib.ſimpl.cap.7.* multiplici ratione Galenus confirmat. Prima, quòd illa tenuis eſſentiæ ſit. Secunda. quòd velox eſt acidorum ſaporum tranſitus in ſentientibus corporibus. Tertia, quòd acida omnia in alio magis agere apparent: Sed quòd frigidum ſubtile acidam efficiat qualitatem, à priori probari etiam non obſcurè poteſt. Nam ea generatur ex acerbitate, per aëreæ humiditatis ademptionem, frigiditate manente. Si namque non maneret frigiditas, ſed loco eius calor ſuccederet vnà cum humiditate, pinguis efficeretur ſapor, vel dulcis; pinguis quidem, ſi humiditas eſſet aërea; dulcis verò, ſi aquea. Rurſus *aciditas in ſaporibus*, teſte Galen.4.*lib.de ſimpl.medic.facult.cap.15. naſci potiſſimùm videtur, dum à calido quidem mutatur,vt tamen non ſuperet: id quod ex accidis ructibus vel maximè coniicias: nam hi haudquaquam, vbi nulla prorſum facta in ventre eſt ciborum alteratio, prouenire ſolent: quemadmodum nec vbi optimè concocti, ſed tantùm vbi ſemicocti, vt ita dixerit quis, fuerint* Vocat autem *ſemicoctos* ipſe, *qui à ventriculi calore alterationem perpeſſi,non etiam perfectè ab eo ſuperati fuerint. Sic lac,ptiſſanæ ſuccus,& quæcunque eius ſunt generis,tempore æſtiuo citiùs aceſcunt, quàm hyeme: poſtulántque ædes frigidas, vt in his repoſita pluſculo perdurent tempore. Ex quibus omnibus patet, quòd à calore mutante quidem,non tamen prorſus vincente,aciditas generetur:atque ob id pleriſque ineſt fructibus priuſquam maturuerint.* Hæc Gal. & deinde ſubdit, *Simile quid acidis ſaporibus vſu uenire,quod borealibus ventis accidit, vt tenuis ſcilicet eſſentiæ ſint, ſimúlque frigidi.* Ex quibus colligit,eos ſine calore non naſci, ſicut nec ipſum boream. Ab hoc calore quidem ebullitionem efficiente, nondum tamen alterationem perficiente,in lacte, vino,& ſuccis omnibus qui aceſcunt, partes igneæ,& aëreæ, quæ priùs inerant, diſſipantur,& reſoluuntur promptè, vtpote ad digeſtionem, & reſolutionem habiles; terreſtriores verò, atque aquoſæ, cùm diſcuti præ craſſitie nequeant, funduntur atque attenuantur ſatis, vnde ſapor oritur acidus,repreſſo calore,& interna frigiditate ſimul cum eſſentiæ tenuitate vincente. Quare patet euidenter, acidam frigiditatem tenuium, & ſubtilium eſſe partium, quarum vi tenuare,aperire,& incidere poteſt. De hac re lege Bartholomæum Anglicum, *lib. 19. de proprietatib. rerum, cap.47.*

Licèt autem hæc vera ſint, laborandum eſt,vt mentem Tralliani patefaciamus. Eum ergo de ſucco mali punici cum nucleo aſſumpti intelligas velim; hoc enim modo aluum ſiſtit: ſi verò citra nucleum deglutiatur, ſecedit, & prouocat. Quæ ſolutio ex ſummi dictatoris doctrina depromitur manifeſtè, *in lib.de affectionibus, num.49.§. Malum punicum reficit, & pituitoſum eſt, & cum nucleo quidem aluum ſiſtit:citra nucleum verò ſecedit,&c.* nam,vt Paul.*lib.7. tit.de punico* ait, *duriorem, & craſſiorem ſubſtantiam nucleus habet, quare plus adſtringit, ſiccat, & craſſat.*

Solue 2.& fortaſſe meliùs, ſi Trallianum de ſucco mali punici nimis acerbo intelligas; quum enim acerbus ſapor, ſit intensè auſterus,ex Gal.*lib.4.de compoſit.medicam. per gener.cap.5.*& *lib.4.meth.cap.7.*& vehementer adſtringat,ex Gal.*lib.7. meth. cap.7.*& *lib.4.de ſimpl. medicam. facult. cap.7.* & Auic. *lib.2. tract. 1. cap. 3.* & ex ſubſtantia craſſa, frigida, terrea atque ſicca fiat, patet euidenter contrahere, conſtringere, denſare, repellere, incraſſare, refrigerare, & exſiccare, ex Galen. *loco cit.* Quare ab Hip. & Galen. *lib.7. aph.37.* acerba dicuntur vomitum ſanguinis ſiſtere vehementer. Auſtera autem eſſe, & acerba mali punici genera, *in citatis locis* oſtendit Gal.Vtraque eoſdem affectus præſtare firmant Auicen.*loc.cit.* Auerroës 5.*collect. cap.27.* Serap. *cap.prop.* quo titulo 13.*lib. meth. cap.14.* in hepatis inflammatione ea denegat, quoniam bilis meatus arctant, & bilem ipſam excerni prohibent. Lege de punicorum differentia, & viribus, Ludouic.Nonnium, Medicum præſtantiſſimum, *lib.1. de re cibar. cap.31.* qui hæc omnia adamuſſim exarauit.

HISTOR. VI. TRALLIANI, De ſanguinis ſputo.

Sanguinis ſputum ex frigida diſtillatione ortum, candenti ferro in capite appoſito, curatur.

Ego itaque noui, me cuidam talium, qui eiuſmodi fluxionem in thoracem, etiam ex frigida intemperie ſuſtinerent, candenti quoque ferro in capite vti præcepiſſe: ac cùm æger id promptè feciſſet, mirum quomodo omnia ſimul ceſſauerint, & copia quæ influebat humida, & tuſſis; in poſterum verò æger à fluxionibus in thoracem liber, ac immunis permanſit, &c. Trallianus lib.7.ſui operis. cap.1.rubric.nup.cit.

PARAPHRASIS.

Quot mala ſecum afferat cerebri frigidi humidi intemperantia, oſtendit Galen. *lib.6.de ſanit. tuend.cap.9.*& *lib.2.de differ.febr. cap.11.*& *3.de cauſ.ſympt. cap.4.* Huius enim ſigna ſunt apud ipſum, *in art. medic. cap.22.* excrementorum copia perpetua, quoniam huius abundantiæ cauſa, eſt frigiditas impotens concoquere, & reſoluere; quapropter caput hoc modo intemperatum, repletioni ſit obnoxium, diſtillationibus, & grauedinibus facilè tentatur. Quare Auctor *lib.4. de morb. num.17.* caput eſſe partem plurimis morbis correptam diſſertiſſimè pronunciauit. Et Hip. *in epiſt. ad Democrit. num.20.* caput omnium malorum originem eſſe, libenter conteſtatus eſt: quod etiam dixit Plato *in Thimæo*, qui innumerabilium ex capite profluentium morborum aceruum oriri confirmat.

Ad hæc. Caput ſicut recipit promptiſſimè, ſic citiſſimè noxium à ſe depellit, vt ait Galen. *lib.de curand. curat. per ſang.miſ. cap.8.* habet enim ingentes ventriculos, qui decliuibus meatibus euacuantur. Cùm enim ab omni parte ad cerebrum poſſint humores deferri, ex Gal. *lib.1. prorrhet. ſect.3. com.6.* nihil mirum ſi ipſum, aceruatam

ſuperfluitatem ad partes inferiores excernat, velut oculos, tempora, aures, labra, dentes, maximas, palatum, gingiuas, os, laryngem, pariſthmia, aſperam arteriam. Demùm nulla eſt pars, in quam caput ſua excrementa non detrudat, quoniam cum omnibus, præſertimque neruoſis mirum obtinet conſenſum, ita vt affectionem digiti pedis illicò perſentiat, ſic monente Magiſtro *lib.1.prognoſt. com.23.*

Hoc tamen intelligas, dummodò partes inferiores ſint imbecilles, & ad recipiendum paratiſſimæ, vt *lib.2.de diff. feb. cap.11.* ipſe admonuit: aliter enim coërcitus in cerebro humor lethales morbos committit. Sic ſi refrigeretur cerebrum, fatuitas contingit, ex Galeno *lib.4. de præſag.ex pulſib.* & *2. de loc.cap.2.* Fiunt etiam Carus & morbus comitialis, ex Galeno *lib. de inſtrument. odorat. cap.8.* etiam inſenſibilitas & immobilitas hominem premunt, ex Gal.*lib.13.meth.cap.22.* Sic cerebri ventriculis compreſſis ſenſus amittitur, & motus, Gal. *lib.epid. ſect.1. com.2.* Sic cerebri ventriculis colliſis totum animal ſopitum iacet, ex Gal.*lib.3.de placit.cap.5.in fin.* Sic præ nimia frigiditate affecto cerebro, fiunt reſolutio, oris tortura, tres illæ celebratiſſimæ conuulſionis ſpecies, cataphora, vel catalepſis, amittitur memoria, oritur incubus, melancholia contingit, & vehementiſſimæ oriuntur affectiones, quæ accedente nimia humiditate fiunt deteriores, vt *lib.6. aphor. com.2.* ſcitè Gal.edocuit.

Cerebrum ergo frigidum & humidum hæc mala parit, & longè grauiora, ſi in partes vitales fluxio decumbat; hanc enim illæ, thoracis dilatatione, & compreſſione promptè recipiunt, quæ cùm humida ſit, vaſa relaxat, molliora, flaccidáque reddit, & ruptioni quauis de cauſa obnoxia.

Huius affectus curatio præcipua in roborando cerebro conſiſtit, ne deinceps ipſum debile, habitualique intemperie affectum, ſuperuacaneum humorem in inferiora detrudat. Quo pacto autem id firmare oporteat, explicant auctores ferè omnes, qui in curanda diſtillatione primas tenent: de quorum numero ſunt Donat. Antonius ab Alto mari, *lib.de medend. human. corporis malis, cap.43.* Ludouicus Mercat.*lib.2.de morb.intern.cap.1.* Petrus Vaëzius *in com.medic.cap.11.* Vidus Vidius, Mercurialis, Maſſaria, & omnes alij, qui de catarrho, raucedine, diſtillatione, & aliis rheumaticis defluxionibus peculiariter conſcripſerunt, & nos de febre rheumatica, ſeu catarrhali, obſeruationem elegantem propoſuimus, *lib.3. de praxi admiranda, obſ.12.*

Si verò omnia fuerint actitata præſidia, roborantia, vacuantia, & quæ frigidum humidum cerebri intemperamentum corrigant, atque emendent, & præ ſui contumacia non ſuccumbat affectus: tunc ad ea deuenire oportet, quæ fluxurum humorem in pulmonem, & reſpirationis vias reuocare queant. In quem vſum paruas vſtiones candenti ferro celebratas, in capitis circumferentia infigere, optimum cenſetur auxilium, præſertim ſi ab externis vaſis capitis ad eius intima fluxio decumbat. Sic enim auertitur humor excitatis vlceribus, diúque fluidis permanentibus, qui ſuapte natura in thoracis partes, tanquam imbecilliores defluere ſolet; ex quo ſæpè ſanguinis ſputum, anginam ſuffocatiuam, difficultatem reſpirandi, tabem, & alia formidabilia mala oriri, fidiſſimo experimento compertum eſt.

Quapropter ſi frigida humida intemperie cerebrum laboret, ſuáque excrementa in ſubiectas partes, præcipuè in thoracem detrudat, cauterium bregmati imponere eſt ex vſu: nam ignem frigidis tum humoribus, tum intemperantiis, vtpotè contrarium ſummoperè opitulari, priſcorum doctiſſimi confirmarunt, qui ad prohibendum rheumatis à capite ad pectus defluxum, in capite hac de cauſa cauteria adhibent: quod auxilium inueterata ſpirandi difficultate, & medicina omni fruſtrà adhibita, legimus feciſſe Aëtium *tetrab.2.ſerm.4.cap.57.* & in reſolutione, poſito cauterio in vertice, *tetrab.eod.ſerm.4.cap.28.* de uo inſtituto plura de huius mirabilis præſidij efficacia diximus, *in lib.1.in com. hiſt.20.* Explicant eleganter Fuchſius *lib.2. de medend.morb.cap.7.* Michael Ioannes Paſchal. *lib.7.de medend.morb.cap.25.* *Amat.2.centur.1.* & in ſequenti hiſtoria agemus. Reuellitur enim ſic humor in ſpiritales partes defluxurus, qui in cerebro debili, non potuit concoqui, nec reſolui, & aſſiduè magis ac magis, vel ex puriſſimo alimento regignitur. Quare ſi fontem malorum exſcindere, roborare caput, vehementiámque naturalis intemperiei habitualis corrigere non poſſumus, humorem, qui neceſſitate quadam ex cerebri imbecillitate nimia generari ſolet, quominùs præcipuas, magiſque præſtantes partes copia ſua moleſtet, vacuare neceſſitas cogit. Hæc omnia cauterio in capite excitato compleri, res eſt ab omnibus vnanimiter celebrata, ſiue in bregmate, nucha, aut in capitis circumferentia excitetur. Videndus in hanc rem Mercatus *lib.1.indicat.cap.vlt.*

HISTORIA VII. GALENI, *De ſanguinis ſputo.*

Curatio mulieris, quæ ex diſtillatione ſanguinem expuerat.

*Quemadmodum verò, qui ex catarrho ſanguinem reiiciunt commodiſſimè tractentur, nunc dicemus, propoſita, (claritatis cauſa) curatione, quam Romæ in ſplendida muliere peregimus. Hæc namque cùm eiuſmodi ſermones audiiſſet, quales nunc de iis, qui ſanguinem ex pulmone reiiciunt, habuimus, ſiue ex catarrho id, ſiue vehementi tuſſi paululum quiddam per per noctem expuerat, illicò ad me miſit, ſe quidquid exigerem præbituram promittens. Audiuerat verò ante id tempus, niſi quis illicò præſidium ſtrenuè afferret, priuſquàm vlcus phlegmonen contraheret, eum operam amiſſurum: atque hanc eſſe præcipuam eorum, qui ſanguinem reiiciunt, interitus cauſam. Igitur * incidere venam mulieri, quæ iam quatriduum propter catarrhum propemodum ſine cibo egiſſet, non placuit: ſed iuſſi, vt acri vteretur clyſtere, tum crura manúſque calefacienti pharmaco plurimùm fricaret, & vinciret; mox caput raderet, cui deinde medicamen, quod * ex Palumbium ſtercore conſtat, impoſui: interpoſitiſque tribus horis * in balneum duxi, ac laui, nullo caput contingens pingui. Dein caput idoneo pileo contexi, & pro eo, qui tum erat, temporis ſtatu, nutriui ſola ſorbitione. Poſtquam ſtatim fructum aliquem autumnalium * auſterum dedi. Deinde cùm dormitura eſſet, quod ex viperis conficitur medicamentum dedi (theriacen vocant) circiter quatuor menſes antè confectum: habet enim id ætatis adhuc præualentem papaueris ſuccum, qui in antiquatis ignauus redditur, ideóque & ſomniferum eſt, & fluxiones tum ſiccat, tum leuiter craſſat. Finito verò prorſus catarrho, liquidò conſtabat, tum ex reſpirandi ſpecie, tum ſonitu ſemel excitatæ tuſſis pulmonem expurgatione egere. Cæterùm, exibere hanc non placuit ſecundo ſaltem die: ſed in omni taciturnitate, & quiete muliere ſeruata, tum artubus eius perfricatis, vinctiſque iuſſi reliquas omnes partes perfricari, excepto capite, quod adhuc ex medicamento incaleſcebat. Rurſus autem veſperi dedi theriaces, ceu fabæ noſtratis magnitudinem: erat verò quod pridie acceperat hoc longè amplius. Poſteà verò cùm hac quoque nocte probè dormiuiſſet, tertio die manè mel coctum exhibui, ac in quiete ſeruaui. Procedente verò die totum corpus ſimiliter perfricui, ac ptiſſanæ cremorem cum pane exiguo pro cibo ſumere iuſſi. Mox quarto die manè quidem dedi medicamentum, quod ex viperis fit, ſed quod iam in ætate vigoris eſſet, idque cum copioſo melle. Capiti verò mulieris eodem pharmaco (quod vehementer tum ſiccat, tum calefacit) impoſito, ac deinde ipſa lota, nutritáque modicè, valentiùs iam pulmonem expurgare in quinto ſum aggreſſus. Ac dehinc rurſum, rurſúmque ex interuallo, ad caput quidem conſueto cerato quod thapſiam recipit, ſum vſus. Totam verò corporis curam, in geſtatione, frictione, ambulatione, lauandique abſtinentia, ac victu, tum moderato, tum boni ſucci, ad reficiendum direxi. Hæc itaque rectè ſe habuit, minimè lactis opem requirens, &c.* Gal.lib.5. meth. cap.13.

PARA

PARAPHRASIS.

MEmorabilis eſt hiſtoria hæc, in conſultationibus præ oculis ſemper habenda; nam vtilia multa continet, & notatu digna: rectam enim tradit methodum curandi morbi grauiſſimi, & periculoſiſſimi, omni ſexui, ætati, regioni, anni tempori, & hominum ſorti communis; in cuius deſcriptione ita peculiares notas, diem & horam, in quibus adminiſtrata præſidia fuere, exponit, vt hoc exemplo vniuerſalis præcepti vim videatur palam facere.

Nobiliſſima ergo fœmina Romana, cùm ex catarrho, cùm vehementi tuſſi ſanguinis paululum expueret, rémque periculo plenam, vel à Galeno publicè, vel in alicuius diuitis domo diſputante quum audiret, eum ad curationem cõuocauit, ſe in omnibus obtemperaturam pollicita. Nam Romani diuites, gulæ, luxuique maximè dediti, Medicis minimè erant obedientes; quibus minùs bene, quàm pauperibus adminiſtratur medicina; & hi faciliùs quàm illi curantur, & à periculoſis morbis euadunt, ob multas cauſas citatas à Galen. *lib.* 11. *meth.c.* 15. *& lib.* 3. *de compoſ. medic. per gener. cap.* 2. Hæc ergo Matrona, licèt ſplendida & diues, ob futuri periculi timorem, præceptis medicinalibus obedientior facta eſt, antequam vlcus phlegmonen contraheret; nam ſi inflammatio ſemel hominem inuaſerit, vel admodum exiguam, vel potiùs nullam glutinandi vlceris ſpem relinqui, ſcripſit ipſe, *lib.* 5. *meth. cap.* 8. phlegmones verò ſignum, febris eſt, ex ipſo *lib.* 7. *aph. com.* 37. Curantur autem quæ ſunt abſque inflammatione vlcera difficilè: faciliùs tamen iis, quæ cum inflammatione, ac febri affligunt; hæc enim non ſolùm curari non poſſunt, ſed nec in eadem magnitudine permanere; ſemper enim maiora fiunt, ac maligniora.

Pro ſanguinei ſputi curatione, ſanguinis detractionem reuulſiuam maximo eſſe ex vſu, eleganter oſtendit Galen. *lib.* 5. *meth. cap.* 8. *nuper citat. & lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap.* 11. atque alibi ſæpè. At eam in præſenti non obſeruauit, quoniam paululum tantummodò ſanguinis illa expuerat, neque erat magnus affectus, magni auxilij celeritatem deſiderans, cuius augmentum aliis auxiliis poterat impediri: aliis ergo reuellentibus vti maluit, nempè clyſtere acri, ligaturis, ac frictionibus vehementioribus, quibus reuulſus ex toto catarrhus eſt, & fluxio omninò impedita. Hæc enim præſidia humores in thoracem irruentes reuellere poſſe, firmant Galen. *lib.* 1. *ad Glauc.* 14. *& lib.* 8. *de compoſ. medicam. ſecund. loc. cap.* 4. Explicat luculenter Oribaſius *lib. de reuulſione, cap. vlt.*

Manus autem, hoc eſt, totum illud quod ab humero vſque ad ſummos digitos protenditur (brachium appellamus, ex Gal. 13. *meth. cap.* 5. *& in eodem lib. cap.* 11.) fricare plurimùm, ac vincire iuſſit, vt vehementior diuerſio fieret; in quem vſum calefaciens pharmacum addi iuſſit, vt calore à calefaciente medicamento in carnibus brachiorum excitato, validior eſſet attractio: medicamentum autem, vel poterat eſſe oleum aliquod calefaciẽs, cum aceto, vel puluere ſinapi, vel decocto aliquo calefaciente commixtum, quod ſuapte vi, tum attrahere, tum abſumere attractum humorem poſſet.

His exequutis caput radendum imperauit, ne fortè pili medicamenti penetrationem impedirent; maximè, quum cranium oſſeum ſit, & craſſum. Capiti raſo medicamentum appoſuit potens, vt celerrimè ob periculum reuelleret, exſiccans & excalfaciens; huius enim præſidij ope, intemperies frigida & humida cerebri corrigitur, catarrhúſque frigidus humidus, ac tenuis à pulmonibus auertitur, ſuopte impetu, in ſpiritales partes debiles defluxurus. Fuit autem medicamentum huiuſmodi, ceratum ex columbino ſtercore confectum, & quod ex thapſia componitur.

Columbinum ſtercus exſiccare valenter, vnáque excalfacere euidenter, ex Gal. doctrina probari poteſt, quia illud ob innatam ſiccitatem, ex ſe vaporem emittit aptum ad vrendum, ex quo tota domus in Myſia, Aſiæ parte conflagrauit 3. *de temp.* 4. nam præterquam quòd ſtercora omnia, ob nimiam putrefactionem, valida pollent attrahendi vi, ex Gal. 5. *lib. de ſimpl. medic. facul. cap.* 17. extrinſecùs etiam impoſita impensè attrahunt, ſiccant, & excalfaciunt, ex Paul. *lib.* 7. *tit. de ſtercor.* columbinum magis exſiccat, quoniam ſicciore temperamento conſtat hoc animal, & maximè ſi agreſte ſit, in turribus nimirum nidificans, vt ex antiquorum mente probat Conradus Geſnerus *lib.* 3. *de hiſtor. animal. cap. de columb.*

Huius medicamenti compoſitionem eandem eſſe cum Cerato de euphorbio, Galen. docet, *lib.* 3. *de medic. compoſ. ſecund. gener. cap.* 6. qui antè *in cap.* 4. ex vna euphorbij parte, ceræ tribus, olei duodecim, illud componi ſcripſit. Loco autem euphorbij, ſi columbinum ſtercus ſubſtitueris, emplaſtrum ex columbino ſtercore parabis: ſit autem ſtercus non admodum vetus, cuius vis iam exoleta eſt; neque admodum recens, nam humidius; ſed medium, circiter annum, quum turres ab eo expurgari ſolent: læuigetur optimè, & in ſubtiliſſimum puluerem redigatur. Oleum ſit ex calidioribus, quale Sabinum, aut Cicinum, purum, pellucidum, vetuſtiſſimum; quantò enim diutiùs fuerit reſeruatum, tantò magis calefacit, & diſcutit, ex Paulo *lib.* 7. *tit. de oleo.* ſic enim vigoroſius ceratum reddes. Ex thapſia ceratum efficies, ex oleo cera liquato, & duodecima thapſiæ parte admixta: cuius tam radix, quàm ſuccus, calore nimio & feruido, ex alto inſigniter trahunt, ſi Dioſcoridi *lib.* 4. *cap.* 151. fides eſt adhibenda, & Theophraſt. *lib.* 9. *de plant. hiſt. cap.* 22.

Interpoſitis tribus horis in balneum duxit particulare, nempè capitis lauacrum ſolùm conſuluit, quum capiti emplaſtrum calidum apponit. Eius mentem explicat Auic. 10. 3. *tract.* 3. *cap.* 6. dum enim huius mulieris hiſtoriam ex Galeni loco recitat, ſic ait: *& præcepit eam ingredi balneum propter medicamen, &c.* hoc eſt, ob medicamenti acrimoniam: nam *vnctus medicamento calido mordacem calorem ſentit*, ex Galen, *lib.* 1. *de præſag. ex pulſib. c.* 1. Feruor enim, & acuties medicaminis calidiſſimi, nullo meliùs præſidio, quam lauacro corrigitur ac emendatur. Si enim eſt tepidum, eius acrimoniam mirificè hebetat, atque contemperat, intemperiem calidã à pharmaco inductam demulcet, & dolorem hac ipſa de cauſa contractum vehementer lenit, & ob calorem reuellit à pectore, vt notat Iacchin. *in com. cap.* 36. *in fin. lib.* 9. *ad Almanſ.* Si frigidum eſt balneum, eaſdem parere vtilitates non eſt dubitandum, firmátque Auicen. 3. 3. *tract.* 1. *c.* 10. Neque mireris particularem lotionem, ſiue fomentum poſſe dici balneum; hoc enim expreſsè concedit Gal. oculorum dolorem curaturus *in com. ſent.* 33. *lib.* 6. *aph.* §. *Ac primùm quidem adoleſcentem balneaui, &c.* & infrà §. *Solet enim in his fomentum parumper dolorem lenire, &c.* & infrà §. *In quibus per ſigna cognoui influere quidem humores acres ad oculos, non tamen corpus eſſe plenum, balnei vſu dolorem ſedaui, &c.* Hac ratione in particulare balneum, ſeu lauacrum, mulierem deduxit, hoc eſt, caput lauandum imperauit, vt ſcilicet nimiam cerebri excalfactionem, & cutis excoriationem ex rubificantibus medicamentis contractam mitigaret.

Nullo caput vnxit pingui; hæc enim ſua humectatione maximè lædunt caput quod exſiccantia expoſtulabat præſidia. Monuit autem hæc Galenus: nam Romanæ fœminæ poſt balneum vnguentis odoratis caput vngebant. Poſt hæc idoneo pileo caput contexit, ne fortè ab aëre frigidiore læderetur, ſi nudo capite è balnei domo exiret, quæ calida ſemper eſſe ſolet. Cooperuit autem caput temperato pileo, pro eo qui tum erat temporis ſtatu; hoc eſt, leui, non graui, ne fortè ob anni tempus, vel cæli calidam conſtitutionem, impoſito alio graueretur. Datáque mox ſorbitione ſola, vt vires ex acuti clyſteris exſoluentis vehementia, debiles factæ, multa oblata alimonia non offenderentur, ſed reficerentur.

Hac exhibita, fructum aliquem autumnalem auſterum dedit, tanquam ſtypticum cibum medicamentoſum venæ apertæ oſculum occludentem, & qui ſanguinem adſtringentem gigneret, qui venæ obſignationi præſidio eſſet. Autumnalem autem voluit eſſe, ad differentiam eorum, qui à Græcis Horarij appellantur, quos Gal. 2. *de aliment. facult. cap.* 2. in medio caniculæ naſci aſſeuerat, vt cucurbitæ, mora, penopes, perſica, &c. autumnales autem,

autumni tantùm tempore vigêt,vt pyra duriora,cydonea, meſpila,ſorbæ.Eidem indicationi,vt ad plenum ſatisface-ret,recentem Theriacam exhibuit,quæ excellenti ſua fri-giditate ſanguinem cogit,erùmpentis ſanguinis impetum ſiſtit, & ad motum inhabilem reddit. Cur autem hoc ve-rum ſit, ſi maior copia calidorum mendicamentorum, quàm frigidorum in eius compoſitionem ingreditur,quæ potiùs vigiliam, & ſanguinis fluxum, quàm ſomnum,& adſtrictionem facere nata ſunt, ex medicimæ, & philo-ſophiæ principiis, *in lib.1.in com.hiſtor.27. in fin.*latius de-monſtrauimus. Huius ergo medicamenti vi, & efficacia ſomnus eſt ſuqutus quo, nullum eſt exllentius in hæ-moptoïſi auxilium:nam præterquam quòd potentias ani-males demulcet, vigorat, & refocillat, ſanguinem vnde-quaque manantem compeſcit; ſomnum enim omnes va-cuationes cohibere,excepto ſudore, apud omnes certa res eſt,vt infrà *in com.hiſt.77.* diſſeremus.

Finito verò catarrho, & ceſſante fluxione ob adhibitas reuulſiones,ceratum excalfaciens & fluxionem exiccans, victúmque tenuem, liquidò apparebat ex reſpirandi ſpe-cie, & ſonitu excitatæ tuſſis, pulmonem expurgatione egere excrementorum, quæ à capite fluere ſolebant, & grumoſi ſanguinis in pulmonis anfractibus,viiſque ſpiri-tus imbibiti. Pro complendo hoc opere,mel,ſi quod alte-rum,medicamen eſt præſtantiſſimum,ad abſtergenda quæ in thorace, & pulmone erant infarcta, & vt frigidorum medicamentorum, nempe theriacæ recentis, & fructus auſteri vires ad pulmonem deferret. Cùm enim medica-mentum, quod ad pulmonem eſt peruenturum, multas officinas pertranſeat,nempè os,fauces ſtomachum,vêtri-culum ipſum, meſenterium, cauum, gibbúmque iecoris, concauam venam,cor,& hoc modo ad pulmonem perue-niat,vt eleganti oratione diſſerit Galen.*lib.2.ad Glauc.c.16* vt bechica,tuſſicularia,arteriacáve medicamenta,quorum facultas maxima eſt, thoracem, ac pulmonem à vitioſis humoribus mundandi,& abſtergendi,ex Gal.*lib.5.de ſimpl. medic. facult. cap. 1.& lib.7.de compoſ. medic. ſec.loc.cap.1.* ſemper ſecum vhiculum aliquod deferant,ſit neceſſe, ex Gal.*lib.4.meth.cap.7.*quo titulo,mel,vt optimum thoracis ac pulmonis vlceribus approbat.

Percontaberis, quare mel, cùm ſit tenuium acutarúm-que partium, & hac de cauſa ſanguinis fluxum de nouo proritare poſſit, conſuluit hoc loco Gal.Reſpondet Magi-ſter *lib.7.citat.ſec.loc.cap.4.*in hanc modum. *Miſceantur au-tem prædictis congruenti menſura,tum calida, tum tenuiũ par-tium exiſtêtia, quæ infeſtiſſima ſunt tribus prædictis affectioni-bus, apertioni videlicet venarum, rupturæ & corroſioni: cuius rei gratia itaque miſcentur? Diſtributionis nimirum ipſorum in corpus; etenim adſtringentia, viſcoſa, ac tenacia ſibiipſis vias præcludunt; quare opus habent facultate ſibiipſis vias ſtruente, ac præparante, &c.* Hac de cauſa in tanta quanti-tate mel exhibuit, vt in ventriculum deſcendens, quin vires ſuas amitteret, ad pulmonem peruenire poſſet. Ob-tulit autem coctum, vt ipſius ſuccus tenuis & acris, quo abundat,eximatur,ex Gal. *lib.1.de alimentor.facult.cap.10.* Sic enim coctum, & curioſè deſpumatum, demptis cru-dioribus excrementis,minùs flatuoſum eſt,& magis nu-trit,ex Galen *lib.7.meth.cap.7.& lib.3.de alim.facul.cap.38. & lib.4.de ſanit.tuend.cap.11.*

Porrò mellis vſum ad tertium vſque diem prohiben-dum cenſuit,ne excitata tuſſi venæ coïtio impediretur:ob-quam cauſam, quietem, ſilentiúmque imperauit, ne fortè ob corporis motum, & ſermones, ex quibus pectoris & pulmonis incendium ſequi ſolet, conglutinata vena re-ſerari poſſet; in cuius rei gratiam iterum Theriacam re-centem propinandam iuſſit. Cùm verò ſanguinis expui-tio, & catarrhi fluxio ceſſaſſet, Theriacam vigentis ætatis offerendam voluit,vt nimirum exſiccaret, & cerebri frigi-dam & humidam intemperiem corrigeret; qua de cauſa ceratum ex thapſia, & ſtercore columbino toties capiti impoſuit. Omnibus verò feliciter in hac curatione eue-nientibus, totum præſeruationis cardinem poſuit Galen. in geſtatione,ambulatione,frictione,quorum mediocrem vſum conſuluit, vt calor natiuus exercitio recreatus, ex-crementorum promoueret purgationem:validiorem pro-

A hibuit,ne ſcilicet vehementi motu, ſanguis iterum ebul-liens de nouo recidiuam concitaret. A, balneo, tanquam emolliente,aperiête,ac corpus relaxante,ipſam abſtinuit. Et vt ſanguis deperditus reſtauraretur, boni ſucci victu alendam cenſuit, eúmque moderatum eſſe præcepit. Et-enim conualeſcentes,corpore malè habito,graciles,imbe-cilles, attenuati, exſangues, ob diſſolutum natiuum calo-rem,ob proſtratas membrorum vires, & exhauſtum ſpiri-tum vitalem, ob præſidia vacuantia: vigilias immodicas, & inedias, optimis cibis, euchymis, concoctu facillimis, congruo tempore,menſura,& dedito ordine exhibitis re-ficiantur,eſt neceſſe; quoniam ipſi promptè ex quouis de-licto læduntur,ita docente Gal. *lib.2.de differ.febr.cap.vlt.* & cùm humido natiuo, ac benefico priuentur, & gracile-ſcere, extenuaríque eorum corpora contingat, omninò

B neceſſe eſt illa eſurire, & plus appetere quàm ventriculi facultas debilis concoquere poſſit; quare cruditas oritur, quæ eſt omnium malorum ſeminarium atque origo, ſi fidem adhibemus Auic.*13.3.tract.3.cap.2.*Quare eorum, qui ex morbis conualeſcunt, alimentum ſit coctu facile, nutriens,minimè excrementoſum,gratiſſimi & ſuauiſſimi guſtus, imbelles vires mirificè recreans, citiſſimè alens, ventriculum roborans,faciléque diſtribuatur,præſertim ſi ſit cum moderamine ſumptum, vt firmant Galen. *lib.7. meth.cap.6.*& alibi paſſim,& Auic.*2.4.tract.1.cap.101.*nam non ex iis quæ bibuntur, & comeduntur, ſed ex iis quæ probè in ventriculo conquuntur, fit nutritio, vt per-bellè docuit Galen. *lib.11. meth. cap. 15.& lib. 4. de ſanit. tuend.cap.vlt.*

C

DVBIVM II.

Num in cruento ſputo ſit hauriendus ſanguis.

COMMENTARIVM.

I*Ncidere mulieri venam.*] In ſanguinis ſputo venam eſſe ſecandã, omnis Medicorum ſchola vnanimiter confir-mat,edocta à ſuo Magiſtro,qui pro compeſcêdo ſanguine è pectore erumpente, nullum aliud præſtantius auxilium venæſectione eſſe aſſeuerat, *in lib.3. meth.cap.3. & 8.* quo loco protinùs in hoc affectu,audaci animo,bis têrque eo-dem die eſſe feriendam venam feliciſſimo experimento ſibi perſuaſit. Quare à ſanguinis miſſione curatio inci-

D pienda illicò,quando eſt cruentum adhuc vulnus, & non eſt facta inflammatio, vnum enim eſt ex iis auxilium, in quibus magnoperè attentum Medicum eſſe oportet. Ad prohibenda mergo inflammationem,ſanguinis miſſio vti-lis eſt valdè,quum vnum ſit ex reuellentibus auxiliis præ-cipuum:nam eo ſe validam ſanguinis è naribus eruptio-nem repêtè ſedaſſe gloriatur,*in lib.de curand.rat per.ſang. miſ. cap. 11.* maximè quum mulier illa abundauerit ſan-guine, & vitam, cæterarum fœminarum nobilium more, egerit ſedentariam, & in otio vixerit, morbus eſſet ma-gnus, ob vehemens periculum, celeritatem remedij ef-flagitans. Neque inedia prægreſſa, cùm longa non eſſet, poterat,vt oportebat,ſanguinis copiam imminuere. Præ-ſtabat ergo, ob euidens ex ſanguinis fluxione periculum, licèt vires debiles eſſent, modicè, partitam iteratámque

E vacuationem exercere,vt ipſe ſuadet vbique,quàm ſpreto hoc generoſo auxilio in certum damnum ægram deduce-re.Præſertim cùm Paul. *lib.3.c.31.* Aëtius *tetrab.2.ſerm.4. cap.60.* in iis qui ob diſtillationem ſanguinem expuunt, ſtatim eſſe venam ſecandam conſuluerint.

Secundò. Cur loco venæ ſectionis,curcurbitulas non impoſuit,quarum vſu illicò ſanguinis fluxum vndequaq; manantem compeſci,cum Hip.*5.aph.text.50.*ipſe *loc.cita-tis* aſſeruit? hoc enim præſidium in debilium virium præ-ſentia ſummoperè commendat Celſus *l.2.cap.11.* namve-hementiſſima pollet attrahendi vi, ex Gal. *lib.4.meth.cap. vlt.& lib.7.aph. com.1.* His perſuaſi Medici, & tantorum virorum edictis edocti,ad cohibendum nimium ſanguinis effluuium, venæ ſectionem ſemper eſſe inſtituendam aſſeruere.

Enim verò ſi Galeni iudicium, exactam mendendi me-thodum,

thodum, vſum aſſiduum inquiramus, in hoc funeſto morbo phlebotomiam ſummoperè commendaſſe ſemper inueniemus, nî reſolutus æger ſit, & ex præcedenti morbo debilis factus, vel malo conſtet corporis habitu.

Raro enim accidit, vt protinus in primo, ſecundóve die vires imbecilles cernantur: accidit autem interdum vel propter ſenium. Nonnullis etiam vbi etiam fatigatio, vſtio, triſtitia, vigiliæque præceſſerunt, & inedia per totum ſequuta eſt diem, vt eleganter docet Galen. 10. *meth. cap.* 2. *in fin.* Quare ſi vnius diei inedia poteſt vires atterere, quantò magis quatriduana. Hanc autem reſoluto humido, & minuto ſanguine vires imbecillitare poſſe, demonſtratione non eſt opus; eam enim ſpeciem eſſe vacuationis, aſſeruit vbique Galenus 2. *aph.* 17. *&* 13. *meth. cap.* 6. & alibi paſſim.

Audi Auicennam huius hiſtoriæ fidiſſimum interpretem, 10. *tract.* 3. *c.* 6. *prope med.* § *Et Gal. quidem dixit, quòd mulieri ſputum ſanguinis aduenit ex catarrho, quam clyſteriſauit clyſtere acuto, & propriè quia non erat poſſibile phlebotomare eam, quia iam remanſerat quatuor diebus, & fuerat debilitata, &c.* Vbi ergo adeſt fames, hoc eſt, alimenti defectus, laborandum non eſt, ex Hipp. *lib.* 2. *aph.* 16. *Sicut enim ſanis non ſunt præcipienda exercitia vnà cum inedia, ſic neque ægris aliquis vehemens motus adhibendus vnà cum cibi abſtinentia; neque ſanguis mittendus eſt, neque citandus vomitus, neque purgatione, frictione multa, neque in vniuerſum aliquo forti motu, vel corporis alteratione vti oportet: in iis enim corporis motibus, vbi cibus defuturus eſt, vires reſoluuntur, ſiue ægrotent, ſiue etiam ſani ſint homines,* vt doctè Galen. aduertit *in com.* Hæc eſt cauſa, ob quam Medici, qui cum Galen. nobilem illam Romanam curabant, ſanguinis extractionem reformidabant, vt ipſe refert *lib.* 6. *epid. ſect.* 4. *com.* 29. In hunc ſenſum intelligendus eſt Auic. 4. 1. *c.* 20. dum in valdè famelicis tantoperè venæ ſectionem recuſat.

Venæ ſectionis loco, meritò fortes conſuluit frictiones, duras, & multas; hæ enim præterquam quòd debilitant, potenter reuellunt, ex Oribaſ. *lib.* 6. *collect. cap.* 16. *&* 17. Clyſterem acutum imperauit, hic enim cum ex medicamentis purgantibus, aliíſque calidis rebus, & validè attrahentibus conſtet, ex Oribaſ. *lib.* 8. *collect. cap.* 24. non ſolùm vacuat, quæ in inteſtinis continentur, ſed quæ ad caput feruntur, reuellit potentiſſimè, & ea quæ circa ventrem, & meſaræum, & hepatis ſima ſita ſunt, vacuat, vt luculenter monuit Galen. *in lib.* 2. *de compoſ. medicam. ſecund. loc. cap.* 10. nam eſt validum auxilium, perducit ad febrem, & debilitat hepar, ex Auicen. 4. 1. *cap.* 17. & animi etiam deliquium inducit, ex Gal. *lib.* 1. *ad Glauc. cap.* 14. viréſque fortes prærequirit, ex Hippocr. *lib. de medicament. purgat. num.* 2. *& lib.* 1. *de rat. vict. in morb. acut. text.* 45. Validiſſimè ergo acris clyſter cucurbitulæ inſtar attrahit, & reuellit, cùm ex colocynthide, centaurio, cnico, ſcammonio, aliíſque fortiſſimis & calefacientibus medicamentis ſit paratus.

At quæres, & meritò ſanè, ſi acutus clyſter vires deiicit, cur mulierem ex quatriduana inedia debilitatam, eo, ſicut frictionibus, ligaturis fortibus, & vlteriori inedia, vſque ad quartum à curatione diem, ampliùs macerauit, immò à ſanguinis miſſione abſtinuit, quæ huic affectui vtilis eſt valdè, ſi ſit parca, & pro tenore virium celebrata? Dic, quoniam *ſanguinis miſſio plus debilitat quàm purgatio*, vt expreſsè probat Galen. *lib.* 4. *de ſanit. tuend. c.* 4. *in med.* quo loco largiùs aluum ſoluendam eſſe iis aſſeuerat, in quibus vel propter timorem, ætatem, aut virtutis imbecillitatem ſanguinis miſſio exerceri non poteſt: maius ergo robur cùm requiratur ad ſanguinis miſſionem, quàm ad purgationem, (renuat licèt Valleſ. *lib.* 7. *controuerſ.* 10. ſuo loco impugnandus) in ea enim ſpiritus & ſanguis, in quibus virium eſſentia reponitur, vacuantur; in hac humores vitioſi, & inutiles ſeligente pharmaco extrahuntur: idcirco venæ ſectione non eſt vſus. Adde quòd affectus, ſui vehementia timorem multum non incutiebat, ſanguinis enim paululum ſolùm expuerat, alio modo fœminam tractaturus, ſi ſanguinis fluxio vehementer irrueret, quomodo Paul. Aëtium, cæteróſque auctores in hoc affectu ſanguinem emittentes intelligendos puto. Pauca ergo ſanguinis abundantia, in delicata & nobili fœmina, à quatriduana inedia abſumi, & aliis congruis, venæque ſectionem ſupplentibus auxiliis, poterat reuelli ac imminui.

QVÆSTIO VI.

Quòd in imponendo cauſtico medicamento in ſyncipite pro curanda diſtillatione, Gal. Trallian. & Aëtius ſint concordes. Contra communem Medicorum ſententiam.

EX *Palumbium ſtercore conſtat.*] Galeni edicta oraculo Delphico veriora, multiplicibus telis oppugnant plures probatæ fidei viri, ingenui, exercitati, & graues. Alij ea in varios ſenſus diſtorquent, omnes temnunt, auerſantur, & damnant, non ſine euidenti ratione, inſequuti Alexandrum *lib.* 2. *cap.* 5. Aëtium *tetrab.* 2. *ſerm.* 2. *cap.* 53. & alios, qui Galeni opinionem rationi diſſonam eſſe confirmant, quòd in calida acríque diſtillatione, fidat iis medicamentis, quæ vim habent exſiccandi, attrahendi, & reuellendi humorem ad exteriora; cui omne ferè recentiorum Medicorum opponitur, & aduerſatur votum: quippe qui non contemnenda ratione ſuffulti, iudicant, non modo in principio calidæ diſtillationis, ſed nec vllo alio eius tempore, iſthæc cauſtica medicamenta capiti admota iuuamentum afferre poſſe. Nam hæc, vt Tralliani verbis vtar, *acrem qualitatem adaugent, roſionem intendunt, cerebrum inflammant, ita vt ſubinde cuncta ſymptomata non leuiter increſcant, ſuccorum abundantiam potenter ad caput trahant, & maximè in initio, in quo exuperat humorum copia: quare præſtat in hoc caſu tam internis, quàm externis epiceraſticis præſidiis ſuccorum acrimoniam quæ valdè moleſtas, ferináſque tuſſes excitare ſolet, contemperare, infrigidare, & humectare.* Timenda ergo ſunt iſta vrentia medicamenta, ex quorum applicatione periculoſiſſimi decubitus ſæpè contingunt: qua de cauſa plurimi ab his non ſolùm in calida & acri, ſed in frigida diſtillatione abhorrent. Ex quorum numero eſt Matthæus Peritus *lib.* 9. *ad Almanſ. tit. de cura catarrhi*: vix enim poſſe reperiri exiſtimat corpus ita purum, vt non ampliùs officiant trahendo peccantes ſuccos ad caput, quàm iuuent calefaciendo, & exſiccando. Qua tamen in re procul dubio reprehendendus eſt, qui efficaciam huius tam celebrati præſidij, à cunctis claſſicis auctoribus in frigida diſtillatione citra controuerſiam commendati, non probè expenderit. Ex iis admirari licèt, quo comate, aut graui cataphora prehendantur Septalius *lib.* 6. *caution. medic. n.* 107. Montanus *conſil.* 36. 143. *&* 170. Fabius Pacius *in com. huius hiſtoriæ*, qui cauteria in ſyncipite, in diſtillatione curanda reſpuunt omninò, futilibus argumentis irretiti; quum in hoc negligant, ac parui faciant inſignem Galenum, qui ſua Venere Attica, & acri ingenio hoc commendat cum multis priſcis. Quare tu horum Medicorum quiſquilias flocci pende.

Iuniorum doctiſſimi hanc pacem inter hos Medicinæ proceres ſic componendam putant. Primò, vtilia eſſe, quando acris defluxus cauſa, eſt capitis refrigeratio. Secundò, his vtendum eſſe, propter materiam morbificam, non ob intemperiem calidam. Cùm ergo materia ſalſa peccat copia, vacuanda eſt; quum peccat motu, quo ad pulmonem diſtillat, trahenda eſt ſurſum: vtrumque autem ex cerato conſequitur. Quare melius eſt humorem ad ſuperas partes reuellere, aucta intemperie (hanc enim deinde alterantibus poſſumus corrigere) quàm rupturam, aut exeſionem venæ, pulmoniſque exulcerationem immedicabilem ſubſequi; nam maius damnum minore noxa eſt redimendum. Sic ſoluunt Hieronymus Capiuacius *in cap. de cura catarrhi*, Amatus 2. *centur.* 2. *in Schol.* Iulius Guaſtauinius *lib. de locis medicinæ ſelect. cap.* 20. Petrus Vaëzius *in compendio Medico, cap.* 11. Altimarus *lib. de medend. human. corpor. malis, cap.* 49. *in fin.* & alij, quorum numerum tædioſum eſſet recenſere, qui hac diſtinctione ſola ſuffulti, ſe Galenum à calumnia liberaſſe gloriantur.

Subit ergo vehementer mirari eos, viros alioqui excellentiſſimos, qui in re tam aperta ita ſunt allucinati, quum oppoſita ſententia, Galeni edictis, ſit conſona valdè, neque

contrarium

contrarium ex hiſtoriæ contextu probari poſſit. Illi enim pro certo præſupponunt, huius Matronæ catarrhum, putridum, acrem, ſalſum & erodentem fuiſſe, quod quàm à veritate alienum ſit, hiſtoriæ ſeries indicat manifeſtè: in qua neque acrem, neque ſalſum Galenus deſcribit, neque aliquod humoris acrimoniæ præſidium adhibuit, neque in eo libro præſentem hiſtoriam proponit, cùm de acri fluxione ſputum ſanguineum è pulmonibus mouente diſſeruit. Adde Aëtium, Paul. Auic. *locis cit.* eandem ad verbum huius affectus curationem, & hiſtoriam deſcribentes, neque catarrhi ſalſi, acris, aut putridi quidquam memoriæ protuliſſe. Quapropter cùm nullum ſaporem haberet catarrhus, à frigida & humida cerebri intemperie accidiſſe eſt affirmandum. Tutiſſimum ſanè fuit hanc exſiccantibus, & calefacientibus medicamentis corrigere, humorem frigidum humidum, tenuem, à pulmonibus auertere, quod opus ob imminens ex fluxione periculum, non niſi potentioribus medicamentis perfici poſſe eſt manifeſtum.

Meritò enim Trallianus Græcorum ſcriptor primarius, cauſtica, & vrentia hæc medicamenta reprobat in calida defluxione, cum Galen. hic enim tantùm abeſt vt ea probet, vt potiùs vehementer deteſtetur eos, qui ea capiti imponunt. Audi ipſum *lib. 13. meth. cap. 22. in med. Rariores ſunt, quæ propter calorem acrem oculis fluxionem immittunt: in quibus haud expedit iis, quæ ex thapſia & ſinapi fiunt, medicamentis vti: immò cõtrariis omninò, oleo crudo, & Hiſpano, & roſaceo, tum frequenti ex aqua dulci in balneo lauatione, &c. Et lib. 6. de ſanit. cap. 9.* ſic ait. *Nec committere, vt (quod nonnulli Medicorum faciunt, qui omni capiti medicamentum, quod ex thapſia, & ſinapi componitur, applicant) id ipſi quoque faciant: quando ſi ex calida intemperie caput malè habet, talia medicamenta noceant. Expedit igitur hos frequenti balneo potabilis aquæ fouere, quo & calidos vapores, qui in capite ſunt, euocemus, & totum capitis temperamentum melius reddamus. Calidarum autem quæ ſponte naſcuntur, noxius his vſus eſt: ſiquidem, quæ ex his ſulphuroſæ bituminoſæve ſunt, eæ propterea quòd calefaciunt, inimiciſſimæ calido naturaliter capiti ſunt, &c.* Ex qua ſerie conſtat, quantoperè auerſetur Galenus eos, qui in calida diſtillatione, medicamenta calefacientia capiti imponunt. Huic ergo controuerſiæ haud aliter quàm eiuſdem Gal. teſtimonio ſeipſum interpretantis, in hoc loco occurrendum erit: Nam ſi ſulphurea balnea infeſtiſſima eſſe calido capiti pronuntiat, quantò magis cauſtica? quæ nimio feruore humorem acrem exacuunt & intempeſtiuè attrahunt, veſicas ignea vi ſua excitant, & inflammant cerebrum; quæ infeſtiſſima eſſe in acri defluxione conteſtatur: quem ſequuntur Aëtius & Trallianus: explicant Montanus, cum Friſimelica, *conſilio* 180. Solúmque hi monent, quòd quamuis Galenus videatur ſentire, hæc medicamenta in defluxione prodeſſe poſſe, non intelligamus de calida, in qua reproba eſſe, & nullius vſus, ex ipſius mente latiùs comprobauimus; ſicut in frigida & humida, maximo eſſe ex vſu, ipſi vnanimes conteſtantur.

QVÆSTIO VII.

Quòd balneum cruentæ excretioni poſſit eſſe ex vſu. Contra Fabium Pacium doctiſſimum.

IN *balneum duxi.*] An balneum cruentæ excretioni ſit ex vſu, impendio vtrinque recentiores altercantur Medici, nec vtriuſque partis argumenta prima fronte probabilitate vacant. Partis affirmatiuæ defenſores, nullum aliud præter Galeni auctoritatem, *in hoc loco* in ſui ſubſidium adducunt. Negantem partem qui ſequuntur, Galeni clypeo muniti ſic inſurgunt. Balneum ſimpliciter, & abſolutè prolatum ſignificat dulcis aquæ lauacrum, ex Gal. *lib. 11. meth. cap. 9. & lib. 7. de compoſ. medicam. ſecund. loc. cap. 1. in med.* hoc cùm emolliat, vaſa dilatet, fundat, liquétque ſanguinem, ex Galen. *lib. 4. de ſimpl. medicam. facult. cap. 9. & lib. 3. de officin. medic. com.* 17. ſanguinis fluxum acriter irritat, ex Galen. *lib. 1. ad Glauc. cap. 14. in med.* Quare ad prouocandam hæmorrhagiam, id vt ſtrenuum præſidium conſuluit, *lib. 3. de rat. vict. in morb. acut. com.* 59. vt ſanguis, qui in capite eſt, vehementer moueatur: quo titulo Hip. *lib. 1. epidem. ſect. 3. ſentent.* 24. in Metone ad prouocandum ſanguinis è naribus profluuium, balneis ſuprà caput vſus eſt. Ex quibus ſatis conſtare arbitror, balneum ſanguinis fluxui eſſe incommodum valdè, ex Galen. *lib. 5. aph. com. 16. & 19.* Cauſa autem perſpicua eſt, monente ſic Magiſtro *lib. de ven. ſect. aduerſ. Eraſiſtratum, cap. vlt. ſanguis enim calido lauacro in vapores reſoluitur, ac in ſpiritus redigitur, proptereáque ad motum incitatur, & in tumorem attollitur.* Ad hæc, corpora calidis lotionibus mollia, debiliáque efficiuntur, & ruptioni paratiſſima.

Si ergo hæc vera ſunt, & ex facundiſſima Galeni penu deprompta, cur balneum in ſpuentibus actu ſanguinem conſuluit? Dubium hoc ita arduum eſt, vt Galeni ope egere videatur, ſubítque mirari doctiſſimos noſtræ ætatis profeſſores, cenſentes, Galenum non duxiſſe mulierem in balneum, ſed in locum balneo deſtinatum, vt ſcilicet caput raderet, & medicamento delibutum abſtergeret. Vel ſua ſponte ingreſſam fuiſſe in balneum, Galeno non præcipiente. Hæc, & alia ſcribit Fabius Pacius doctiſſimus, *in com. huius hiſtoriæ*, qui *libros 7. Galeni de meth. med.* omnium eloquentiſſimè interpretatus eſt. Sed non aduertit vir eruditiſſimus, Gal. eam in balneum duxiſſe, ac lauiſſe, quod ex ſerie contextus patet manifeſtè, ex §. *In balneum duxi, ac laui.*

Balneum autem ad compeſcendum ſanguinis fluxum, ſi ſit frigidum, & largum, eſſe omnium potiſſimum, ac præſtantiſſimum, veterum peritiſſimi docuere. Galenus ergo ſequutus morem, & conſuetudinem ſui temporis, ipſam in balneum, at frigidum duxit. Romani enim, præſertim præpotentes & diuites, quotidie ferè balneum ingrediebantur, vt ſatis copioſè, & doctè Mercurialis, variæ lectionis vir, ex veterum, tam Græcorum, quàm Latinorum mente, *primo de arte gymnaſtica libro*, confirmat. In quem vſum ſumptuoſos habebant balneorum apparatus, magnifica conſtruebant ædificia, in quibus repoſita erant vnctuaria, hypocauſta, ſudatoria, lauacra, aut frigidaria: de quorum vſu, cellis, inſtrumẽtis, luxu, plura lege apud Natalem Comit. *lib. 7. Mytholog. c. 1.* Caſſiod. *lib. 2. variar. cap.* 39. Fœmina hæc, ſic iubente Galeno, in balneum frigidum ingreſſa, magnum perſenſit adiumentum; hoc enim cutim cogit, contrahit, inſpiſſat ſanguinem, conſtringit, refrigerat, ac demùm actuali frigiditate ſanguinem craſſiorem reddit, & ad motum inhabilem valdè. Vt patet ex Auicen. 2. 1. *doct. 2. cap.* 19. Conſueuiſſe autem priſcos ad plurimas leuandas ægritudines balneo frigido vti, manifeſtè conſtat ex ipſo, *lib. 10. meth cap.* 10. quo loco hectica febri correptos, nihil iuuari niſi balneum frigidum ſint experti, pluribus argumentis comprobare nixus eſt.

Conſuluit tamen balneum frigidum, ſed longum; cuius frigiditas præ mora penitiſſimè in corpus ſeſe inſinuat; & foras circumſtans calorem debilitat; ſufficientérque partes internas refrigerat. Quid ergo dubitandum, fluxiones vndequaque manantes ſiſtere, fluxumque ſanguinis compeſcere poſſe? Si verò Hip. *lib. 2. de diæta, n.* 35. balnea frigida vacuo corpori præbere quandam caliditatem aſſeuerat: & *lib. 5. aph.* 21. frigidæ perfuſionem calorem adaugere pronunciat, de quo dubio ſatis multa *in lib. 1. in com. hiſt.* 51. ad Galeni mẽtem protulimus, de breui intelligendum puta: ob aquæ enim frigiditatem calor attractus, per antiperiſtaſim vegetior redditur, quoniam partibus irroratis, calorem, & alimentum exprimit ad viſcera. Hanc ſolutionem omnium primus propoſuit Auic. 2. 1. *loc. nup. cit.* de his quæ proueniunt ex balneatione. §. *Sed eius quidem calefacere eſt, ideò quòd multùm eſt calida, & cùm ipſius calor paruus eſt minor quàm tepida, infrigidat, & humectat: & cum coarctatione quum fuerit frigida, quia calorem conſtringit, qui ex eius aëre eſt habitus, & coniungit ipſum viſceribus, quum obuiauerit corpori ipſa exiſtente frigida. Eius verò infrigidare erit, quum in ea aliqui multùm ſe balneauerint, quoniam aqua naturaliter eſt frigida, quare infrigidat in vltimo rei, vel in fine rei, licèt calore accidentali calefaciat, qui non permanet, ſed tollitur, & remanet operatio naturalis, propter illud quod ex aqua penetrauit in corpus,*

& eſt infrigidatio. Ex cuius dictis totam litem euaneſcere putamus.

Hoc autem Galeni Medicorum ſine controuerſia facilè principis iudicium, ſi æquo animo claſſici trutinare, exactéque expendere voluiſſent, non vtique aduerſus eum ita hoſtiliter ſæuirent, ac debaccharentur. Fatemur quidem ingenuè ipſum nunquam ſatis laudatum, & in curandis humani corporis malis dexterrimum, frigidum balneum, ſanguinem ſcreantibus, vtpotè ſalutare, ſummoperè commendaſſe. Firmat tandem & hoc ſenſus ipſe; conſpicimus ſiquidem plurimas, ſanguinis fluxum ab vtero continuò patientes, nullo citiùs, quam balneo frigido perſanari: nam ſicut calidi proprium eſt rarefacere, & fluxilem reddere ſanguinem, ſic frigidi eſt cogere, inſpiſſare, & incraſſare, vt millies prædixit Galen. Lege quæ ex omnium mente elegantiſſimè de frigidæ lauacro pro ſiſtendis fluxibus, ſcripſit Antonius Fumanel. *lib. de aq. potabil. balneo, tit. de frigido balneo.* Vel ſi per balneum, capitis lauacrum intelligas, vt ſuprà monuimus, facilè à calumnia Galenum vendicabis.

Auſterum dedi.] De auſteri ſaporis natura ac facultate, Laconicè modo diſſerendum. Auſterum dupliciter enunciatur, metaphoricè nimirum, atque propriè. Hoc modo ſumptum ad guſtum tantummodò pertinet, *lib. 1. de natur. human. com. 6. & 2. de loc. affect. cap.* 8. Metaphoricè verò de moribus dicitur, quemadmodum apud Ariſtotelem ſumitur, *lib. 1. de hiſtor. animal. cap.* 9. dicentem, ſupercilia ſub fronte ſunt, quæ ſi in rectum protenduntur, lenes mores ſignificant; ſi iuxta naſum incuruantur, auſteros. Hoc modo Galen. *lib. quòd mores animi corporis temperaturam ſequantur, cap.* 10. vocat ætatem ſenilem auſteram, hoc eſt, duram, ac tædij plenam. Quare miror Galenum, cur Archigenem reprehendat, *lib. 2. de loc. cap.* 9. quòd dolorem vocauerit auſterum, cùm hoc ſaporum ſit nomen, qui lingua, vt inſtrumento, & guſtandi ſenſu dignoſcuntur, ſi ipſe eadem voce ad diros dolores deſignandos vtitur. Sed excuſari poteſt à calumnia Galenus, nam videtur Archigenes has voces propriè vſurpaſſe, Galenus verò impropriè, & per metaphoram tantummodò.

Auſterum Galenus nominat, quod Arabes ſtypticum dicunt, vt ex Auicen. patet, *lib. 2. canon. tract.* 1. *c.* 3. Auerroë 5. *collect. cap.* 27. Serap. *cap. prop.* dicentibus, ponticum, hoc eſt acerbum, & ſtypticum eſſe eiuſdem ſpeciei, illúmque fortiorem eſſe ſtyptico; & hunc non contrahere, niſi quod de lingua manifeſtum eſt: ponticum verò contrahere, & exaſperare, quod manifeſtum eſt, & occultum. Deinde auſterum, id eſt, adſtringens, ex Gal. *lib* 4 *meth. cap.* 7. in hoc differt ab acerbo, quòd hic ſapor vehementer, ille mediocriter adſtringat, ex Galen. *lib. de compoſ. medic per gener.* 4. *cap.* 5. *& lib.* 6. *eiuſdem cap.* 3.

Porrò auſtera contrahunt, conſtringunt, denſant, repellunt, incraſſant, refrigerant, exſiccant, ex Galen. *lib.* 4. *de compoſ. medic. per gener. cap.* 5. Et cogunt, denſant, roborant, diuiſa glutinant, ſuáque ſubſtantia craſſa obtundunt, ex Meſuë *in canonib. vniuerſitatib. theoremat.* 2. Quare ſanguinem incraſſant, & ad motum ineptum reddunt: & ſic in hunc vſum pro ſiſtendo ſanguinis fluxu hic ſummoperè commendantur.

HISTOR. VIII. GALENI,
De ſanguinis ſputo.

Adoleſcens refrigeratis vitalibus organis tuſſim contraxit, quam ſanguinis ad heminam dimidiam ſpuitio inſequuta, & curata.

*Alteri verò adoleſcenti, cui non ex diſtillatione, ſed ex refrigeratis ſpiritus inſtrumentis orta tuſſis fuerat, cùm ſanguinem & ipſe ad dimidiam heminam reieciſſet, * ſtatim * venam incidi, & bis eodem die ſanguinem detraxi; deinde rurſus poſtridie bis: ſed artuum frictione, & vnctura priore die vſus, ad veſperam dedi pharmacum noſtrum quod Diaſpermaton dicitur. Secundo die poſt alteram detractionem, impoſui toti pectori ceratum, quod ex thapſia conficitur; mox veſperi, ne ſuprà modum excalefaceret, id auferens. Tertio die ad tres horas impoſito, hominem laui. Cibaui autem ſimiliter tribus his diebus; prioribus quidem duobus, ſorbitiunculis; tertio verò ptiſſana, primùm cremore, deinde piſce ſtatim aliquo, qui & facilis concoctu eſſet, & ſimplici ratione præparatus, adiecto. Dedi quoque medicamentum Diaſpermaton, & ſecundo, & tertio die ſimiliter ad veſperam; quippe & ſomnum conciliat, & ſenſum doloris eleuat, & ſiccandi vim habet. Tum verò, cùm & ſpiritui delegatæ partes in naturali temperamento eſſent, & totum corpus vacuatum, ac nulla phlegmones ſuſpicio circa ruptum vas截 ſupereſſet, expurgare cœpimus. Mox bibito medicamento quod viperas habet, ætatis iam vigentis, ad Tabias dimiſi. Sic ego omnes qui primò die, ſe mihi curandos permiſerunt, ſanaui, Galenus* lib. 7. meth. cap. 13. in fin.

PARAPHRASIS.

Ob refrigerata ſpiritus inſtrumenta ſanguinem expui, nouum non eſt: ſicut enim calore ſolent venæ dilatari, & ſequitur ſanguinis profluuium, auctore Hippoc. 5. *aph. ſentent.* 16. *&* 19. Sic frigore nimiū contractæ ſolent comprimi, & diſrumpi; refrigeratæ enim difficulter extendi poſſunt. Hinc doctrinam inſinuauit Hippoc. 5. *aph.* 24. *& lib.* 6. *epidem. ſect.* 3. *text.* 14. frigidum valdè venas frangere aſſeuerans. Licet enim frigidi propriū ſit denſare, & ſiſtere, fluxionéſque cohibere; cùm tamen nimium eſt, in thoraciſque vaſa penitiſſimè irruit, eadem indurando, ac validis diſtentionibus retinentia reddendo, ex accidenti diſrumpi, plurimúmque ſanguinem reiicere cogit, quia diſtenta ſanguine vaſa, cùm dilatari non poſſint, rumpuntur, vt Laconicus paraphraſtes Heurnius exponit, *in com.*

Ruptum ergo fuit vas, non ſanè exile, cùm nimiam ſanguinis quantitatem, heminam nempè reiecerit; quæ menſura cùm ſit eadem cum Cotyla, & nouem vncias contineat, ex Galen. *lib.* 6. *de compoſ. medic. ſec. gener. cap.* 8. & Mercuriali *lib.* 5. *de feb. c.* 6. erat de ſaguinis reuulſione, incraſſatione, & infrigidatione cogitandum. Refrigerata ſunt ſpiritus (hoc eſt, reſpirationis) inſtrumenta, quorum beneficio ſpiritus, ſeu aër attrahitur, quæ eſſe quàm plura eſt manifeſtum. Nam alia ſunt deducentia materiam reſpirationis, larynx nempè, & aſpera arteria: alia excipientia, vt pulmones: alia mouentia, vt muſculi 56. quorum alij liberæ, alij violentæ, & coactæ reſpirationi ſuam dicarunt operam. Vel ſi per inſtrumenta, ſpiritus vitalis ſedem, cor nempè, in quo tanquam in penu quodam ipſe reconditur, intelligas, rectè explanabis: Principaliſſima autem ſpirituum vitalium inſtrumenta, eſſe cor, pulmonem, & thoracem, ambigit nemo; hæc enim hoc loco intellexiſſe Galenum exiſtima, & quòd rupto in pulmonibus vaſe, ſanguinem illum expuiſſe affirmet, & quòd thoracem refrigeratum, cerato calefaciente perſanet.

Qua de cauſa cùm periculoſus eſſet affectus; & celeri auerſione indigeret, ſtatim venam incidere auſus eſt; eámque bis eodem die, & rurſus poſtridie iterum bis aperire non dubitauit, ſciens nimirum hac iterata vacuatione ſanguinis curſum ad contraria eſſe reuellendum: ſic enim naturam ad diuerſum locum, vt inclinet, aſſuefacimus; quod fiet ſi non confertim, ſed paulatim ſanguis extrahatur: quem curationis modum ipſe explicuit, poſito exemplo in ſanguinis è naribus profluuio, *in lib.* 5. *meth. cap.* 3. §. *Vbi paululùm detraxeris, mox vnam horam intermittens rurſus detrahes, pòſt iterum atque iterum pro laborantis viribus, &c.* Repetit *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap.* 12. vnde Auicen. 4. 1. *cap.* 20. nimium ſanguinis fluxum reuellere ſtudens, ait: *& oportet vt foramen phlebotomiæ ſit vehementer ſtrictum, & ſint vices multæ, quæ non ſint in vna die, niſi magna neceſſitatis cauſa fuerit, & in die poſt diem, &c.* Nam ſi reuellere vis, ſi vel diebus duobus deinceps fiat, meliùs fuerit, ex Gal. *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap.* 20. Eſt ergo phleboto-

phlebotomia in multis morbis præſtantior per vices facta; ſic enim natura toties irritata per particulares has detractiones, quæ ad partem affectam confluunt, maiori impetu in contrarium locum expellere ſatagit: in quem ſenſum protulit Auicen. 4. 1. *cap.* 20. *meliorem eſſe multiplicationem numeri, multiplicatione quantitatis.* Tu verò de hac paulatina, & iterata phlebotomia, lege Aëtium *tetrab.* 1.*ſerm.* 3.*cap.* 17. Trallian. *lib.* 7.*cap.* 1. Oribaſ. *lib.* 7. *collect. cap.* 6.*in fin.* Hoc diuertendi conſilio artus perfricuit, ac ligauit: horum autem nomine, auctore Magiſtro, *lib.* 3. *de anatom. admin. cap.* 1. ſignificantur lacerti, hoc eſt muſculi, præcipuè brachiorum, & manuum, quorum natura tota conſtat oſſibus, neruis, ligamentis, arteriis, & venis, quorum elegantem anatomen propoſuit Columbus *lib.* 5.*de muſcul. cap.* 32.

Porrò ad ſanguinem incraſſandum, minúſque fluxilem reddendum, necnon ad ſomnum conciliandum, medicamento vſus eſt, quod Diaſpermaton dicitur, cæteris pro hac complenda operatione præſtantiore, ac mitiore, ex Galen. *lib.* 12. *meth. cap.* 1. Nam ad vehementiſſimos dolores leuandos, violentas tuſſes leniendas, ac diſtillationes grauiſſimas ſiſtendas, eſt celeberrimum apud ipſum *lib.* 7.*de compoſ.medic.ſec.loc.cap.* 5. quo loco plurimas affert eius deſcriptiones, cum Paul.*lib.* 7.*tit.de medicam. Diaſpermaton dicto,* inter quas ea eſt præcipua, quæ recipit. *Sem. Apij* ʒ. viij. *Opij* ʒ. ij. *Ammij* ʒ. viij. *Aniſi* ʒ. iiij. *Fœnicul. totidem. Caſſiæ nigræ* ʒ. ij. *ex aqua fiant paſtilli triobolares.*

Vt verò benè inanitum eſſet corpus, & pectus rectè ad futuri auxilij impoſitionem vacuatum, iterum ſanguinem emiſit; quo extracto, ceratum ex thapſia toti pectori, vt ipſum refrigeratum calefaceret, appoſuit. Tribus autem horis emplaſtrum pectori ſolùm hærere permiſit, ne partes ſuapte natura calidas plus iuſto calefaceret; & ſanguinis effluuium moueret. Lauit autem non quidem totum, ſed pectus ſolùm; hoc enim lauacro, tum medicamenti calidi reliquiæ adhærentes abſterguntur, tum illius acrimonia partibus communicata retunditur, ac emendatur.

Miraberis fortaſſe cur Galenus tribus diebus, tribus ſolùm ſorbitiunculis ægrum cibauerit, ſi vires ſanguine reiecto non ſatis poterant eſſe valentes. Dic, multis de cauſis in ſpuentibus ſanguinem, inediam poſſe eſſe ex vſu. Primò, quoniam eâ ſanguis areſit; craſſiórque redditur, & ad fluendum fit inhabilis valdè, auctore Galen. *lib. de ven.ſect.aduerſ. Eraſiſtratæos. cap.* 3.*in med.* §. *Sanguis enim ciborum inopiâ areſit, & denſior ſeipſo redditur, eámque ob rem ad fluendum ineptus euadit, &c.* Secundò, quoniam fit ſic natura auara in retinendo ſanguine pro ſui alitione. Tertiò, quoniam parca exhibita alimonia, noua illius generatio impeditur. Ne tamen vires nimis euaneſcerent, ptiſſinam exhibuit; quæ ſi ſit ex tritico, aut chondro parata, ſanguinem incraſſat. Sanguinéque non ampliùs effluente, ad alendas vires, & ad frigidiuſculum ſanguinem gignendum, piſciculum conceſſit, minimè cum ſalſamentis, anetho, porro, pipere, vt ſolebant priſci, conditum, ſed ſimplici apparatu, aqua ſcilicet, & oleo præparatum; illa enim aperiunt, & attenuant.

Tandem exhibito iterum medicamento Diaſpermaton, cùm ſpiritales partes in ſymmetria naturali eſſent conſtitutæ, & totum corpus exquiſitè vacuatum, nulláque inflammationis ſuſpicio adeſſet, ſanguinis grumos in pulmonis anfractibus imbibitos expurgare aggreſſus eſt; ſícque propinata theriaca antiqua, vt exſiccaret, vnitámque venam confirmaret; ad Tabiæque locum, aëre exſiccante præditum, ex Galen. *lib.* 5. *meth. cap.* 12. dimiſſus æger, omninò à tanto morbo ſanus euaſit.

QVÆSTIO VIII.

Quòd in vulneribus thoracis primo ſtatim die ſit ſanguis emittendus. Contra Alphonſum Ferreum, & Hidalgum de Aguero, chirurgos famigeratiſſimos.

COMMENTARIVM.

STatim.] Sanguinis miſſionem ad diuertendum præſtantiſſimam, in ſputo ſanguinis ſtatim eſſe celebrandam, antequam inflammatio concitetur, docuit *ſuprà citatis locis*, Galen. & firmat *lib.* 5.*meth.cap.* 8. pulmonis vulnus, ex quo citra dolorem confertim ſanguis feruens, floridus, multúſque cum tuſſi expuitur, curaturus. Sic enim ait: *Aggredienda verò curatio eſt, prout nos ſæpè ſumus aggreſſi: quibus vtique non rarò ſucceſſit. Igitur laboranti ipſi iniungendum eſt, vt nec magno vtatur reſpiratu, ac ſemper agat ſilentium: præterea vena cubiti interna protinùs incidenda: à qua bis térque poſteà ſanguis eſt detrahendus, vtique eius auertendi cauſa, &c.*

Hipp. Medicorum anteſignanus, in illo aureo, ac verè legitimo *de vlceribus libro*, (auctore Galen.*lib.* 3.*epid.ſect.* 2. *in proœm.& lib.de prop.libris, cap.* 6.) grauiſſimam ſanè, ac memorandam protulit ſententiam: *Omni ſcilicet recenti vulneri conducere frequenter ſanguinem defluere.* Senis edictum ſummè laudat Galen. *lib.* 4.*meth.cap.* 6. & vt ſerium, & ſumma cum ratione prolatum amplectitur, & non ſemel inculcat; dicens, Medicum oportere non modò naturæ imitatorem eſſe, verùm ſymptomata pernicioſiſſima præcauere, quæ illi accidere poſſunt: explicant Ioannes Tagaultius *lib.* 2. *inſtit. chirurg. tit. de detractione ſanguinis in vulneribus*; Franciſcus Dias *lib.* 3. *chirurg. colloquio* 6.

Hæc horrenda, ſæuáque imminentia pericula, nullo alio promptiùs auxilio, quàm venæ ſectione præcaueri poſſunt; nam cruenta expuitio periculoſa eſt, auctore Hippocr.*lib.* 4.*aph.text.* 25.*& lib.* 7.*aph.* 37. & præſertim ſi ex pulmone cum tuſſi ſanguis emittatur; ex hoc enim ſanguinis ſputo, puris ſputum, & ex hoc tabes, & mors frequenter ſequi ſolent, vt *lib.* 7. *aph. text.* 15. prædixit Hippocr. Namque *purulentum ſputum non omne ſputum ſanguinis ſequitur, ſed quod malignum exiſtit; tale autem eſt omninò ex pulmone, ex quo, proueniente ſanguinis reiectatione, ea quæ intra tres dies non curatur, phlegmone deinde adueniente, omninò incurabilis affectio erit, præcipuè ſi ex eroſione ortum ducat*, teſte Galen. *lib.* 5. *meth.cap.* 8. 11. 13. & 14. Exerce ergo ſine mora præcautoriam ſanguinis miſſionem, qua futuræ inflammationis periculum arcebis, à quacunque cauſa interna venarum vulnus fuerit concitatum; ſic enim prohibentur apoſtemata, bothor, & febris, ex Auicen. 4. 4.*tract.* 1.*c.* 3.*de cura vulnerum.* Sanguis enim qui ad debilem, & affectam partem confluit, huius præſidij vi ac poteſtate, ad contrariam diuertitur corporis partem, quod eſt ſalubre Celſi præceptum *lib.* 5.*ſui operis, cap.* 26. maximè ſi corpus ſit iuuenile, robuſtum, exercitatum, tempus vernum, regio temperata. Galeni, Auicennæque ſententiam examplificant Guido *doct.* 1.*tract.* 3.*cap.* 1. *de vulneribus membror.ſimpl.tit.de phlebotomia.* Raſius *lib.* 7.*ad Almanſ.* 3. Vigo *tract.* 1.*lib.* 3. *de vulneribus, cap.* 1.*in med.* Andreas à Cruce *tract.* 2. *de vulnerib. lib.* 1. *cap.* 6. Vidus Vidius *in cit. Hippoc. ſentent.* Euſtach. Rudius *lib.* 1. *de vulnerib. in gener. cap.* 8.

Patet ampliùs euidenter. Nam ſi in vulneribus à cauſa externa pronatis, illicò ob periculum inflammationis, neceſſe eſt phlebotomiam exercere, quantò magis in illo qui à cauſa interna, maiúſque periculum minante, ortum ducit? Extat non inelegans hiſtoria apud Galen.*lib.* 6.*meth. cap.* 3. cuiuſdam philoſophiæ ſtudioſi, cui, cùm in carpo vulnus eſſet inflictum, primo ſtatim die ſanguinem mittere conſuluit. Quod cum ſumma ratione fuiſſe factum, Ludouicus Lemoſius, vberrimus eius loci interpres in comment. explicuit.

Sed antequam ad alia gradum faciamus, paulifper hìc ſiſtere pedem operæ pretium duxi, explicaréque, an in vulneri

vulneribus thoracis primo ſtatim die ſit emittendus ſanguis. Pro parte affirmatiua ſunt eæ rationes, quas nuper pro Galen. tutela adduximus. Alphonſus Ferreus *lib. 2. de ſclopetor. vulnerib. cap. 12.* quandam conatur introducere nouam opinionem, cunctis, ni fallor, Medicis aduerſiſſimam, nimirum, omnibus in vulneribus phlebotomiam, ad quartum, quintumve diem eſſe differendam. Eius paradoxum firmare multis conatur argumentis Bartholomæus Hidalgo de Aguero, *in ſua vera, nouiſſimáque Chirurgia, Hiſpano idiomate conſcripta*, à Galeni, Principúmque placitis aliena. Ne tamen poſteris præbeant errandi occaſionem, eius argumenta poſita *in tract. 2. de vacuationibus, c. 2.* in medium referamus.

Virtus eſt debilitata præ ſanguinis copia è vulnere manantis, nec in quantitate, aut qualitate peccantis; & in altero die ſanguis eſt agitatus, & motus; & afflictis vulneratis non eſt adiungenda afflictio; eóque magis ſi patiens venæ ſectionis ſit timidiuſculus. Si ergo ſiat prima die venæ ſectio, obeſſe poterit, cùm nec reuulſionis, deriuationis, aut vacuationis poſſit obtinere nomen. Denique timor eſt, ne vacuato ſanguine, bilis efferuetur, & excandeſcat; cholericorúmque ebullitio ſequi poſſit, quod tantoperè timuit Auicen. 4. 1. *cap. 20.* Ergo in vulneratis primo ſtatim die non eſt ſecanda vena.

Sed demiror horum ingenium, qui in re tam ſeria ita miſerè ſunt decepti, & talia edere non erubeſcunt, quaſi pecudibus, aut truncis ſcribant, non hominibus, quorum in medendo inſcitiam redarguit Leonardus Botallus *lib. de ſclopetor. vulnerib. c. 9.* quare eorum futilia argumenta conuellere operoſum non eſt; tantùm enim abeſt, vt ſanguine extracto vires fatiſcant, vt potiùs deoneratæ ab humore per corpus impetuosè commoto, & exagitato, alacriores redditæ, recreentur, & fiant vegetiores; & licèt ſanguis tenuis vacuetur, quo exhauſto debilitari virtutem eſt neceſſe, tamen maior vtilitas minori noxa eſt redimenda: nam *nihil eſt quod tam magnificè proſit, quod aliqua ex parte non noceat*, auctore Galen. *lib. 11. meth. cap. 11.* idcircò maiorem oportet eſſe ex futuræ inflammationis præcautione vtilitatem, quàm ſit id quod ſequitur ex tenuis ſanguinis vacuatione detrimentum.

Ad hæc, Non oportet quòd ſanguis quantitate, vel qualitate peccet, quoniam non in ſola plethorica vocata ſyndrome ſanguis eſt emittendus; *cùm ea non exiſtente interdum ſit venæ ſecanda, quum dolor vehemens hominem prehenderit, vel pars aliqua fracta fuerit, vel os ex loco pulſum ſit, vel alius quiſpiam articulus, contractus reductúſque ſit*, vt ſcitè docuit Galen. *lib. 4. de rat. vict. in morb. acut. com. 21. & lib. 4. meth. cap. 6.* de quo argumento lege Galen. *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap. 8. in princip.* & doctiſſimum Menam *in com.*

Quod autem addit, in alterò die eſſe ſanguinem agitatum & motum, falſiſſimum eſt: nam quando maior viget dolor, tunc adeſt maior humorum agitatio, maior ad partem confluxus, concurrentibus nimirum ad ruptam & ſauciatam partem dolorificam affatim ſanguine, & ſpiritu: quare ſi in alterum diem procraſtinetur auxilium, maior ſubinde concitabitur dolor; & vehementior multò ſuborietur inflammatio; dolor enim attrahit, fluxiones mouet, & phlegmonas accerſit, ob multas cauſas latas à Gal. *loc. nuper citato, & in lib. 13. meth. cap. 7.* & alibi paſſim: Explicant Valleſius *lib. 7. contr. 3.* Ioannes Brauus *lib. 1. de purgandi ration. cap. 10.*

Illud verò, quod de afflictione afflictis ſuperaddenda affert argumentum, ridiculum eſt; nam hæc non ſolùm vulneratis, ſanguinem ex puentibus, ſed quolibet alio morbo oppreſſis communis eſt, in quibus, ſi ob hanc cauſam differas auxilium, ægros in diſcrimen adduces: Audi Albucaſim *lib. 2. chirurg. c. 84.* hæc verba proferentem: *Quando vulnus eſt magnum, & times ſuper infirmum, eueniam apoſtematis calidi, tunc propterea, & phlebotoma ex cephalica ſtatim, & non tardes illud, &c.* Lege Auicen. *4. 4. tract. 4. cap. 2. in fin.* & Dinum *in com.* Vide Nicol. *ſerm. 7. tract. 4. ſum. 1. c. 53. de vulneribus capitis*, qui ex mente Haly, Raſis, & Pauli, eadem hora, qua percuſſus eſt quiſpiam, phlebotomiam eſſe exercendam ſibi perſuadet. Horum mentem dilucidè

A interpretatur Andreas Alcacar *lib. 1. de capit. vulnerib. c. 14. iuxta fin.* Iacobus Franciſcus Rota Bononienſis *tract. de curand. vulneribus.*

Inconſiderantiæ verò pleniſſimum eſt: affirmare vacuato tenui ſanguine, bilem quoque futuram effrænem; ac ſi bilis cum ſanguine in veteri proportione in venis redundans, ac cum ipſo exactè permixta etiam non vacuaretur. Auicennam verò alio modo eſſe intelligendum, fusè *in com. hiſt. 63. lib. 1.* explicuimus. Peculianti ergo licentia hi auctores communem priſcorum doctrinam temnunt, & damnant; parùm enim attendunt rationem, aſſiduo vſu confirmatam. Quare in vulneribus, tam à cauſa externa, quàm interna ſubortis citiſſimè ſanguinis miſſio eſt celebranda.

B

DVBIVM III.

Num refrigeratis ſit vena ſecanda.

Venam incidi.] Aliud hoc loco occurrit ſilentio non inuoluēdum neotericorum diffidium. An venæ ſectio refrigeratis præſidio eſſe poſſit: Nam ſi Galeni doctrinæ ſtandum eſt, *lib. de rig. trem. & palpit. c. 5.* dicentis, *in affectu, qui calefieri deſiderat, nullum ſanguinem emittere fuiſſe auſum:* quod etiam firmat *lib. 4. de rat. vict. in morb. a. ut. com. 113.* Phlebotomiam illis eſſe interdicendā affirmabimus. Affectus enim frigidi ad humorum coctionem caloris natiui conſeruatione egent; *calor autem perſeuerantiam in ſanguine obtinet*, ex Galen. *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. c. 5.* Quapropter ſumma cū ratione in frigidis renuit venæ ſectionem, *lib. 5. meth. c. 6. §. Si verò horum nihil ſit, cæterùm hyems*
C *fuerit, regióve natura frigida, tum natura quoque hominis frigidior, iis per ſanguinis miſſionem, & totū corpus grauiter refrigeratur, & accidunt nonnulla quæ ad grauem perducunt refrigerationem ſymptomata, &c.* Deinde regionis frigus prohibet ſanguinis miſſionem auctore Galen. *lib. 1. ad Glauc. c. 14.* Igitur multò magis frigida laborantis intemperies, Auicen. 4. 1. c. 20. §. *Tibi quoque cauere debes à minutione in cōplexione fortis frigiditatis, &c.* Hos enim ſanguinis miſſione vacuare nō cōuenit, ſed frictionibus, & mediocriter calefacientibus præſidiis totā curationē peragere oportet.

Licèt autem hæc vera ſint, & à Galen. officina deprompta, in hæmoptoïca paſſione, morbo alioqui læuo, & periculoſo, præſtat ſanguinis miſſionē reuulſionis gratia exercere. Hanc ſententiam aſſiduo experimento veterum peritiſſimi confirmarunt, à quacumque cauſa oriatur hoc ma-
D lum, de quorū numero ſunt Paul. *lib. 3. c. 31.* Aëtius *tetrab. 2. ſerm. 4. c. 62.* Trall. *lib. 7. cap. 1.* Cælius *lib. 2. tardar. paſſion. c. 12.* Raſis *lib. 9. continent. tract. 1. c. 2.* Auic. 10. 3. *tract. 3. c. 4. & 4. 1. c. 20.* per hæc verba: *Ampliùs venæ quandoque phlebotomantur, propterea vt fluxus ſanguinis ex naribus, & matrice, & ano, & pectore prohibeantur, aut ex aliquibus exituris: ita vt ſanguis ad id quod à parte illa eſt diuerſum pertrahatur, & hæc quidem vacuatio eſt fortis innatiua, &c.*

Cætera verò quæ in contrarium adducta ſunt, commodam habent explicationem; nam præterquam quòd de venæ ſectione vacuationis ſolùm cauſa celebrata ſunt intelligenda, cautos nos reddunt, in ea pro curandis refrigeratis exercenda, ne frigidorum cruditas extracto ſanguine ſequi poſſit: quare non tantùm ſanguis extrahendus eſt, quantum affectus, & plenitudo deſiderant; ſunt
E namque hæc de ſcoporum contra indicantium numero, quæ non ſimpliciter ſanguinem indicant emittendum, ſed detractionis moderantur quantitatem, vt perbellè docuit Gal. *lib. de cur. rat. per ſang. miſ. c. 9.* Adde probatæ medicinæ parentes in morbo merè frigido phlebotomiam ſæpè exercuiſſe. Sic in hydrope conſulit faciendum *lib. 4. de rat. vict. in morb. acut. tex. 11.* Hippocr. quando à retentione vacuationis conſuetæ fuerit concitatus, vt explicat Gal. *in com. & lib. de ven. ſect. aduerſus Eraſiſtrat. 5.* Nam quando calor à frigidiore ob copiam ſanguine ſuffocatur, tunc præſtantiſſimum auxilium eſt ſanguinis miſſio. Sic in diaria ex obſtructione, ſanguinem mittit Galen. *lib. 8. meth. c. 4.* ne in putridam tranſeat; promptiſſima verò obſtructionis in cute cauſa, eſt occurrens frigus. Sic ad reuellendum, in palpitatione, affectu ſanè frigido, ex

Galen. *lib.de rig.tremor.& palpit.c.*5. ſanguinis miſſionem profuiſſe multis aſſeuerat,*lib.*5.*de loc.affect.c.*1.Sic in priapiſmo *lib.*14. *meth.cap.*7.*in fin.* ſanguinem extrahit. Sic in ſuffocatione facta ab aqua frigida ſubitò ac cumulatim hauſta, eam exercent Dioſcorid.*lib.*6.*cap.*3.*&* 4 Paul.*lib.*5. *c.*66.Auicen.6.4. *tr.*1.*ſum.*1.*c.vlt.& ſum.*2.*c.*31.De cætero lege Vaſcum Caſtellum doctiſſimum, *tract.*4. *de thorac. affect.c.*7.*difficult.*1.& Donatum Sanctorum,*lib.*3.*epiſt.*3.

HISTORIA IX. GALENI,
De ſanguinis ſputo.

Sanguinis ſputum, ex hauſta hirudine, contractum.

ETenim cùm viderem hominem integra valetudine huiuſmodi cruorem euomentem, interrogaui qua victus ratione anteà fuiſſet vſus; ille verò inter alia, quæ narrauit, illud quoque addidit, quòd cùm nocte quadam ſitiret, miſſo puero qui aquam afferret, ex immundo fonte bibiſſet: quibus auditis, ſciſcitatus ſum, apparuiſséntne aliquando ſanguiſugæ in ipſo fonte; qui cùm id quoque fateretur, epoto ſubinde idoneo pharmaco hirudinem vomitione reiecit, &c. Galenus lib.4.de loc. affect. cap.6.

PARAPHRASIS.

ALiam in hoc capite recenſet hiſtoriam Galenus, cuiuſdam,qui cùm huiuſmodi cruorem expueret, rure, æſtatis tempore in ſtagno quodam cum cæteris iuuenibus,iuuenili ludo, qualem adoleſcentes in aqua ludere ſolent,exercitatus, nullo alio modo cognitus eſt ſanguinem expuere,niſi ductus ad ſplendorem,& ſic conuerſo directè ad Solis radios narium foramine, in eo loco, vbi naſus ad oris regionem perforatur,hirudinis in meatu latentis caudam habere viſus eſt. Implorauítque auxilium, ſuæ affectionis cauſam ignorans. Facile enim eſt in ſtagno ſanguiſugis abundante, natanti alicui, dictorum animalium vnum in nares eius ſubterfugere, neque ſtatim, primis ſcilicet diebus, ob eius exiguitatem ſentiri: auctam verò hirudinem, & ſanguine plenam, tertio, & quarto die ſui ſenſum præbere. Adde, cauſarum intrinſecarum, & extrinſecarum abſentiam, ad hirudinis ſuſpicionem Galenum duxiſſe; eo maximè cùm hirudo latenter, clam, furtímque corpus noſtrum ingrediatur, oſſibus, & duritie carens, forma corporis oblonga cùm ſit,lubrica, ſubtilis, rotunda, & læuis, & cum aqua impetuosè deuorata. Forcipe igitur,vel volſella potuit vel facillimo negotio extrahi, & ſic homo ſanus euaſit.

Simili modo ab ore ad ventriculum, vel ad medium œſophagi permeare poterit, ipſiúſque parietibus adhærere,venam aliquam exedere,vomitúmque ſanguinis concitare, præſertim, ſi natura ſua grandis ſit, aut ætate maior, tunc enim ſanguinem copioſum ſugere poteſt; ſæpè enim externis partibus admota,cucurbitulæ inſtar,validam prouocat vacuationem, ita vt aliquando animi deliquium accerſat,& debilitatem afferat ſummam, neceſséque ſit ſanguinem, ex foraminibus ab ipſis inflictis emanantem, adſtringentibus compeſcere; pro quo complendo opere multoties,cæteris non conferentibus cauterium eſt ex vſu vt firmat experimentum: tanta enim ſanguinis quantitas, iis cuti applicitis emanare ſolet, vt patiens ad animi vſque defectionem perueniat, quod ſe obſeruaſſe ſcribit Aloyſius Mundella *in calce epiſt.*28.Quapropter cùm aliæ cauſæ non adeſſent internæ, aut externæ, quæ ſanguinis vomitum concitare natæ ſunt, meritò ad hirudinis ſuſpicionem acceſſit.

Fuit ergo auxilium neceſſarium, quod hirudinem vomitu eiiceret, ſed quale eſſet,non explicat hoc loco doctiſſimus Galenus. In hunc vſum eſſe plurima præſidia, ipſe, priſcíque omnes docuere. Alia ſunt vomitoria quorum vi & efficacia ventriculus,faciliùs exoneratur,vt hydrelæum oleum ipſum ſimplex, aqua tepida, raphani ſuccus, & ſi quæ alia. Sed explica, quod fuerit idoneum pharmacum, hoc eſt, hirudinis expulſioni plus accommodatum, ope cuius ipſa citiùs vomitu eiicitur? Dic, plurima eſſe à priſcis, pluribus in locis promulgata,de quorum numero eſt, Muria ebibita apud Dioſcorid. *lib.*6.*cap.*32.Cuius beneficio hirudo extra vomitu excutitur: quod auxilium eſſe præſtantiſſimum, firmat Galen,*lib.*2. *antidot.cap.*40.

Plurima, variáque necandis hirudinibus præſidia narrat Galenus ipſe *lib.*11.*de ſimpl.medic.facult.cap.*40.*& lib.*2.*de remed.paratu facilibus, cap.*20.*& lib.*3.*eiuſdem, cap.*147.Et Arabes non pauca congerunt, quibus Medicorum plures ſumma cum vtilitate vti conſueuerunt, vt Aloë, Abſinthium, & amara, quæ ſuo amarore hæc animalcula, ſicut lumbricos necare nata ſunt. Alliorum ſuccus laudatur à Dioſcorid.*lib.*2.*ſui operis, cap.*141.Cimices cum vino plurimùm præferuntur à Plinio *lib.*32.*cap.*10.*in medio.* Alios nix ſuperbibita ſanat. Alios iuuit Anagallidis ſuccus, aut acetum acre cum vino exhibitum, thymíque puluere reſperſum,ex Auicen.9.3.*tract.*1.*cap.*7.Raſio *lib.*9.*c.*7.Paul. *lib.*5.*cap.*37. Aëtio *tetrab.*4.*ſerm.*1. *cap.*56.Scribon.Largo *lib.de compoſit.medic.cap.*199.Hęc enim omnia,aut alia,per ſe,aut cum pharmaco vomitorio permixta, exhibuiſſe Galenum ſi affirmes, tutus incedes.

Dioſcorides naturæ interpres mirabilis *lib.*6.*cap.*32.inter cætera, hoc probatiſſimum iudicat auxilium,ſi æger in balneum aquæ calidæ vſque ad mentum deſcendat, aqua tamen frigida in ore detenta: quod præſidium eſſe vltimum, & præſtantiſſimum, docuere poſt eum Aëtius *loco cit.* Actuar.*lib.*5.*meth.cap.*12.*in med.* Matthęus *in com.cap.*7. *cit.lib.*9.*ad Almanſ.* Nam,vt inquit Mathiol. vir in ſtirpium materia deſcribenda diligentiſſimus *in com.cit.cap.Dioſcor.* Hirudo ab aquæ calore propulſata ad frigidam in ore retentam recurrens, facilè vnà cum ipſa aqua expuitur; quod remedium eſſe experientia confirmatum, teſtatur Lacuna *in cit.cap.enarratione.* Vnum ſolùm aduertas,vt non ſpernas quæ venenoſam huius animalis vim retundere queunt, plurimæ enim venenoſæ ſunt, ex Auicen. 4.1. *cap.*21.Propinanda ergo ſunt quæ aduersùs ferarum venenatarum morſus exhibentur auxilia; his enim deleteria & mortifera, ob deuoratas hirudines orta leuari ſolent ſymptomata, vt Mathiol.*in præfat.lib.*6.latè edocuit,& cum eo Albucaſis *lib.*2.*c.*39. qui inſtrumentum parat extrahendis hirudinibus in gutture infixis valdè proficuum. Plurima enim animalia venenoſa cum aqua ebibita,vel imprudenter per ſomnum per os ingreſſa,conuolaſſe in ſtomachum, auctorum grauiſſimi conteſtantur. Narrat Sauonarola, *tr.*6.*c.*9.*rub.*4.hiſtoriam ruſtici, qui bibendo aquam foſſæ, bibit vnum Cutubuch, ſiue Capram aquæ,vel Araneam aquæ, & ſtatim conſuluit Medicum, & Medicus potauit eum lacte copioſo, & ſtatim poſt vomitum egreſſum eſt animal.Marcus Gattinaria *in ſua praxi,cap.de cura præfocat. matric.*ſcribit,ſe cognouiſſe hominem,in cuius corpus Papiæ vipera per os eſt ingreſſa, quæ nullo alio præſidio fugari valuit, niſi fumo calceamentorum coriaceorum conſumptorum,ita enim exiuit per anum: Hoc etiam pariter confirmat Mathiol. *lib*2.*in Dioſcor. cap.*42. Habemus apud Matthæum de Grado *in prima parte practicæ,cap.*43.ita ſcriptũ. *Mulier quædam habens ſerpentem in matrice,poſita muliere ipſa ad radios ſolis, cum vaſe pleno lacte, ſtante ipſa muliere dilatatis cruribus ſupra vas, in quo radiabat ſol, exiuit ſerpens.* Extat non inelegans hiſtoria,apud Hip.*l.*5.*epid.*cuiuſdam adoleſcentis, qui epoto multo meraco, ſupinus in habitaculo quodam dormiebat, *cui* (inquit) *ſerpens Arges appellatus in os ingreſſus eſt,& ſanè cùm ſenſiſſet,& loqui non poſſet,dentibus ſtridit,& ſerpentem deuorauit,& dolore magno tenebatur,& manus prætenſas adhibebat,velut qui ſtrangularetur,& iactabat ſeipſum,& conuulſus mortuus eſt.* Docet nos hæ mirabiles hiſtoriæ, quantùm referat homines, hianti ore, in ſolo reptilibus pleno dormientes, vt ſolent ruſtici, præuidere, ne abreptis profundo ſomno venenoſum animal per os ingrediatur; & quantùm oporteat aquam pręſertim à riuulis,aliíſque cœnoſis locis exhauſtam,ſumma cum præmeditatione ebibere, ne forſan epota hirudine aut vomitus, aut ſputum ſanguinis ſubſequantur;

nam

ham ſæpè vna cùm potu aquæ paluſtris, vermes, & alia minutula animalcula deglutiuntur, quæ adaucta in ventre, terribilia concitant poſteà ſymptomata: Scribit enim Martinus Rulandus *centur.7. curat.28.* hiſtoriam puellæ natæ annos octo, quæ præ æſtu ſolis, ſitibunda cùm paluſtri aqua ranam deuorauit, quæ deinde ventris murmure, & inflatione fuit oppreſſa, cum coaxatione ranarum ſonora, intùs in ventre percepta: in quem vſum excellens vir Gal. has protulit hiſtorias, tanquam Medicis vtiles valdè, ac neceſſarias, ne morbi causâ ignoratâ plurima citra leuamen tententur auxilia, quæ corpori perniciem afferre poſſint. Cùm enim ex multis cauſis ſanguis euomatur, ab epota hirudine ſæpiſſimè hoc contingere, nulli eſt non manifeſtum: pertinaciſſimè enim vaſis adhæret, morſu ea aperiens, ſanguinem ſugens diu, & importunè. Accidit etiam, multas aquas habere hirudines adeò paruulas & occultas, vt ſine bibentium ſenſu tranſglutiri poſſint; pro quo curando morbo Medici cauſæ ignoratione decepti, plurima contra ſanguinis ſputum, incaſſum tamen machinantur auxilia. De quo argumento vide Alzarium à Cruce *lib.3.centur. quæſito 29.*

HISTORIA X. RASII, De vomitu ſanguinis.

Spleneticus, ſanguinis nigri vomitu, ſanatur.

VIdi quandam mulierem expuentem ſanguinem nigrum, & groſſum, in parte congelatum, & in parte non, ſed hora ſputi eius paſſa eſt punctionem, & inflammationem in epiglotto vehementem, & durauit in eadem diſpoſitione mala per plures dies, & non fuit ei nocumentum, ſed alleuiata fuit ex ſplenetica ægritudine exiſtente in ea, &c. Raſius lib.9. continent.tract.2.c.2.

PARAPHRASIS.

PRæ copia ſanguinem emanare per os, ſicut per quamlibet aliam corporis regionem, nulli eſt non manifeſtum. Cùm enim venæ turgent, ipſum natura onerata expellere ſatagit, & maximè ſi homo lauto vtatur victu, ex quo nimia ſuccreſcit ſanguinis copia, vt inquit Paul.*lib.3. cap.31.* Sic Voluſius ille apud Plin.*lib.11.cap.38.* vixit 94. annis, qui ſingulis annis ingentem ſanguinis copiam euomebat. Vidimus enim ſæpè, inquit Hieronym. Reuſnerus *in ſcholiis ad cap.22.* Iodoc. VVillichij *de probat.vrinæ*, iuuenes plethoricos, neque vlli manifeſto morbo obnoxios, quibus nec falerna vina, nec lautus cibus deſunt, reſeratis vaſis emingere cruentam vrinam, qui ſola phlebotomia ſanantur; adeóque ſagax eſt natura in deonerãdo corpore, vt interdum per vberum papillas ſanguinem ipſum expellat, vt Amat.2.*centur.21.* & Marcellus Donatus *lib.1. de medic.hiſtor. mirabil cap.2.* obſeruarunt.

Narrat Beniuenius *lib.2.de abdit.morbor.& ſanation. cauſis, cap.4.* ſe cognouiſſe hominem, qui ſingulis menſibus ſanguinis profluuium per inſenſilem porum infra iecur, qui omnium viſus aciem effugiebat, patiebatur, curatum tamen fuiſſe refert, aperta dextri brachij baſilica. Fallopius *lib.2.de vulnerib.c.73.* ſe vidiſſe ſcribit hominem, qui ſingulis annis menſe Maij, per iecoris regionem, integra exiſtente cute, circiter libram vnam ſanguinis effundebat.

Obſeruatio II.

Hæmorrhagia mira.

VIr erat robuſtus, & quadratus, circiter triginta annos natus, qui vere aduentante, cùm ſanguinis mole, Athletæ inſtar, eſſet onuſtus, & rubidis tumentibúſque oculis, viuida facie, turgentibus ſanguine venis vix incedere poſſet, vehementiſſimóque per corporis ambitum pruritu quateretur immaniter, & interanea exuri ſibi viderentur, antequam ad phlebotomiæ antidotum medentium conſilio accederet, naturæ beneficio ac ope, à tanto malo euadebat immunis. Hæc enim ſanguinis ſaburram, placidè, quindecim, & interdum viginti dierum ſpatio vacuabat, per minimum dextræ manus digitum, è cuius extremitate inter carnem, & vnguem riuuli ſanguinei vbertim emanabant: qua depoſita ſarcina leuabatur corpus, & ſolita munia deinceps obibat: quod ſi fortè minuta erat vacuatio hæc, eius defectum ſaluatellæ ſectio eiuſdem lateris, ad naturæ imitationem celebrata, ſummo erat ex vſu. Noui alium qui ſimilibus ſymptomatis vexatus, ardente Sirio, excitato ſanguinis fluxu, octiduo, ad trium librarum quantitatem, ex inferioris labij radice, ab his malis ſolùm fiebat immunis: & annus iam agebatur 14. quo typicè hanc patiebatur vacuationem cum commodo magno; nam poſt eam viuebat hilariter, alacriter edebat, euſarcus erat, robuſtus, & obeſus, neque vlli morbo obnoxius.

Quid plura? nonne per oculos interdum ſanguinem natura effundit? quas lacrymas erumpentes obſeruaſſe refert Dodonæus, *c.15.obſeruat.medicinal.* & nos proprio exẽplo cõfirmauimus *de praxi medica admirãda, obſeru.54.* Nonne ſudor ſanguineus aliquãdo eſt animaduerſus, per vniuerſum corporis habitum, ſuperfluum ſanguinem detrudente natura? de quo Ariſtot.*lib.3.de partib.animal.c.5.& lib.3.de hiſtor.animal.c.16.* Rondelet.*lib.de curãd.morb.c.11.* Mercurialis *lib.4.variar.lect.c.12.* Marcell. Donatus *lib.1.de medic. hiſtor. mirab.c.2.* Ioannes Baptiſta Syluaticus *controuerſ.5.* doctiſſimè diſceptarunt. Quum enim ſanguis tenuis eſt, aquoſus, cutis rara, laxa, pori aperti, corpus fluxile, & facultas expultrix validiùs quàm par ſit, expellit, retentrixque debiliter continet, facilè expulſus ad cutẽ, ſudorẽ mouet ad rubedinem vergentem, de quo meminit Alzaharauius *lib.pract.ſect.2.tract.31.c.19.* Aliquãdo natura in hominibus robuſtis peccantem ſanguinem per varias partes emittere ſatagit in animantis commodum, per aluum, vrinã, vterum, mammillas, hæmorrhoides: ſi ergo natura per has regiones eum excernit, cur nõ per cutẽ, quæ eſt totius corporis emunctorium? in quibus exemplis auctores hi, Raſij præcepto ſanguinẽ eſſe mittendum ſibi perſuadent.

Poſſe autem ſanguinem à liene profluentem per ventriculum vacuari, teſtis eſt Galenus *lib.5. de loc. cap.5. & lib.6.eiuſd. oper.cap.1.* Hoc ita eſſe, venaberis ex lienis tumore, dolore, & vomitu, ipſéque ſanguis concretus erit, grumoſus, ac niger; qui ſi acrimoniæ fuerit particeps, inter vomẽdum Epiglottida pungit, inflammat, & ferit: Eſt autem Epiglottis laryngis operculum cartilagineum: huius cartilaginis vſus duo, alter, vt laryngem operiat, ne in epulando, cibi, & potus in arteriam & pulmones ferantur; alter, vt aërem à pulmonibus, vi & impetu pulſum, percutiat ad vocis modulationem.

Pro noſtri inſtituti confirmatione, eſt celebris hiſtoria Hipp. *lib.5.epid. cuiuſdam ægri iuxta curriculum habitantis, qui ſanguinem noctu vomuit è liene profluentem:* quod confirmat Auicen.16. *3.tract.3.cap.4.* non omne ſanguinis ſputum, timoroſum eſſe dicẽs, cùm aliquod ſit cauſa ſanitatis apoſtematis in ſplene, quum videlicet naturâ ſeſe deonerante expellitur. Refert Langius *lib.1. epiſt.40.* Caſum cuiuſdam Abbatiſſæ, quæ circa hypochondria quotannis dolore citra febrem cùm corriperetur, ſpontaneo copioſo ſanguinis vomitu à morbo liberabatur. Et pyrobolorum magiſter ferè ſeptuagenarius, cũ magnis circa præcordia torminibus diuelleretur, repentè noctu ſanguinis pluſquam ſemilibram euomuit, & conualuit, apud Holler. *in ſchol. cap.48.* Sic Archembaut, apud ipſum Holler. *in ſchol.c.52.* per aluum, vomitum, & vrinam ex interuallis ſanguinem expellebat. Hoc ergo vacuato ſanguine ſæpiùs à diris lienis morbis leuantur: ſicut ægrotanti fœminæ, de qua in præſenti hiſtoria ſermo eſt, contigiſſe Raſius aſſeuerat, quæ à ſplenitica ægritudine conualuit. Spleniticos autem conſueuerunt veteres appellare, qui liene malè affecti erant, ſiue tumore diſtendente, obſtructione, ſcirrho, inflammationéve laborent, vt notat Ludouic. Mercat. *lib.4.de morb. intern. cap.4.* Sunt enim grauiores huius partis morbi; quorum cauſas, & ſigna Laconicè deſcribit Fernel. *lib.4. Patholog. cap.6.* Propriè tamen ſplenetici dicuntur, qui ſcirrho laborant, auctore Galen.

lib.6.aph. com.43. Seu qui diu durum habent lienem, ſeu induratam ſplenis affectionem patiuntur, ex Galen. *lib.9. de compoſ. medicament. ſec. loc. c.2.* Spleniticæ ergo ægritudines à ſanguine craſſo, melancholico, lutoſo, & fæculento originem ducunt: *Lien enim ſcirrhoſis affectionibus facillimè corripitur, propter nutrimenti quo vtitur ſpeciem; alitur enim ſanguine melancholico, qui veluti limus purioris exiſtit,* vt Galen. decernit *lib.13. meth. c.16.* Ex quibus ſumma cũ ratione ſtatuendum eſt, ex membris naturalibus, atque etiam ex ipſo liene per vomitum excerni aliquando ſanguinem, in ægrotantis commodũ. De quo negotio ſi doctam cupis legere obſeruationem, adi Marcell. Donat. *l.4. de medic. hiſt. mirabili, c.9.* contra Amatum: quo loco mira de ſanguinis fluxu in lienoſis, conſcripſit eloquenter.

HISTORIA XI. GALENI, De ſanguinis vomitu.

Sanguinis vomitus, herbæ hæmagogæ lethalis vi, excitatus.

*ILlud tamen quod in Thracibus Bithyniam incolentibus me adhuc puero contigit, ſine periculo cuiuſquam dici poteſt. Inuenit homo quidam herbam, quam ſi quis aſſumpſiſſet, * ſanguinem primò, tum vitam emittebat. Multis itaque hoc pacto morientibus, cùm facinus hoc diligenti inquiſitione dignum arbitrarentur, herbarium comprehendunt, & ad gentis magiſtratum ducunt. Is cùm non ſolùm hominem necare ſtuderet, ſed ſi quis alius herbam, aut didiciſſet, aut docuiſſet, à nullo ſe quidem ipſam didiciſſe veneficus aſſeruit. Verùm in ſuburbanum cùm aliquando ſuillum iecur deferret, vrgente ventre, ſuper herba quadam iecur depoſuiſſe, quod aliquanto poſt cùm ſuſtuliſſet, vidiſſe ex vniuerſo iecinore ſanguineos riuulos ad herbam confluere. Ex hoc coniectura facta, corporis ſanguinem ea detrahi poſſe, periculo mox in obuiam quodam facto, vt verum comperit, quod fortè ſperarat, ad malos vſus herbam tranſtuliſſe. Se tamen alicui alij demonſtraſſe negauit. Hæc herbarius ille inter quæſtiones habitus retulit. Populi verò magiſtratus, cùm plurimam illis in locis naſci hanc herbam ex rei dictis accepiſſet, vinctus oculis ad ſupplicium ipſum duci iuſſit, ne cui inter eundum herbam indicaret, &c. Galenus* lib. de purgant. medicamentor. facult. cap.4.

QVÆSTIO IX.

Quòd detur medicamentum electiuè ſanguinem euacuans. Contra Ioan. Baptiſtam Syluaticum erudítiſſimum.

COMMENTARIVM.

DAri medicamentum ſanguinem ex accidenti euacuans, hoc eſt, non vi propria, ſed excoriatis venis, vel earum orificiis apertis, vel ſua vi immoderatiore extremam vacuationem moliente, inter omnes tradidit Meſuë *lib.1. de re medic. theoremat.1.* edoctus ab Actuario *lib.5. tit. de ſimpl. medic. purgant. in fin.* hac enim de cauſa poſtremò ſanguis in ſuperpurgationibus cum vita effunditur. Sicut enim plantæ attrahunt id quod ſibi cognatum eſt; quo deficiente, etiam diſſimile ſugunt, vt docet Hippocr. *lib.1. de natur. human. text.29. & 31.* & ſicut corporis partes deficiente probo nutrimento, ad ſui nutritionem humores inutiles, & vitioſos trahunt, ſic monente Magiſtro *lib.9. de vſu part. cap.1.* eodem modo inquit Hip. medicamenta purgantia intra corpus aſſumpta, primò attrahunt ſibi ſimile, deinde reliquos humores tenuiores educere ſolent, & poſtremò ſanguinem; hic enim humor naturæ noſtræ familiariſſimus, & vitæ theſaurus vehementer ab illa retinetur: hoc modo ſanguis ex accidenti à medicamentis educitur. Sic Aloë mala ora venarum reſerando, & Cantharides veſicam excoriando, & lepus marinus pulmonem erodendo, ſanguinem è corpore educunt, & alia his ſimilia, vt Cucumis agreſtis, Centaurium, Colocynthis vnica in plãta, vna, Scammonium è regione Scenitarum, Euphorb. Thymelæa, & plura alia, quæ ſua vi immoderatiore extremam vacuationem moliuntur.

Quòd verò detur medicamentum electiuè ſanguinem euacuans, Galen. hoc loco affirmat. Sic herbæ cuiuſdam ſuccus apud vrbem noui orbis *Poſto* vocatam, artubus, vel cuilibet parti illitus, merum ſanguinem ſudoribus eliciebat, vt refert Petrus de Oſma *in epiſtola ſua ex Peru ad Monardum Medicum ſcripta, in lib. de rebus Occidentalibus, cap. de hordeolo, in med.* Nonne ſunt facultates occultæ, & admirandæ rerum proprietates, quibus plurima vario modo operantur? hinc tam multæ, támque admirabiles in certis plantis, animantibus, ac cœli tractibus, rerum formæ, affectiones, diſcrimina. Nonne os cuiuſdam animalis vocati *Cabal*, nati in regno *Iabua*, ſuprà carnem ligatum, corpore toto vulneribus confoſſo, ſanguinem ne exiret, mirabiliter retinuit, vt refert Ioan. Barrus *decade 2. hiſtor. Oriental. lib.6. c.2. fol.82.* & citauit Hieronymus Oſorius *lib.7. de rebus Africis, & Indicis.* Nonne plura mirabilia ſunt, quæ à proprietate ſanguinem ſiſtunt, vt notat Foreſtus *lib.13. obſ.10.* Cur ergo, ſi huic oſſi, & aliis, retinendi tanta vis ineſt, herbæ huic denegandam eſſe vim trahendi ſanguinem negabimus? Nonne aliquando ab hirudinum morſu, citata eſt hæmorrhagia ex ano ægrè compeſcibilis, pro qua ſiſtenda, multa etiam præſidia ſunt neceſſaria? Datur ergo medicamentum hæmagogum à proprietate & electione ſanguinem vacuans.

Ioan. Baptiſta Syluaticus Medicus eruditiſſimus, qui proximis annis hiſtorias Gal. ſolum 82. non infeliciter interpretatus eſt, hanc hiſtoriam, fabulæ loco haberi putat. Immò in ea ſcripta eſſe prorſus inania, fabuloſa, falſa, non credenda, tanto auctore indigna, operi inſerta, & ab hoc libro expungenda contendit, multíſque ita inducitur opinari, quibus & alia adiungam ſcitu non indigna. Primò. Quod Gal. ipſe in omnibus ſuis libris, in quibus de medicamentis ſermonem inſtituit, eiuſdem ſanguinem educentis nunquam meminerit; ſolumque ſanguinem chirurgicis auxiliis, ſecta nimirum vena, ſcarificationibus, hirudinibus extrahi poſſe docuerit: neque Hip. in illo *de med. purgantibus libello,* huius herbæ fecit commemorationem vllam; nec alius quiſpiam poſt Galeni tempora inuentus eſt, qui hanc agnoſceret.

Secundò. Nefarij herbarij experimento confirmat, non potuiſſe ex ſuillo iecore ſuper herbam poſito ſanguinis riuulos ad herbam confluere: Non enim fieri poteſt, vt mutato iam ſanguine in craſſiorem, frigidiorem, durioremque ſubſtantiam, ipſe iterum fluidus ac liquidus efficiatur.

Tertiò. Licèt vera eſſent omnia, quæ in hiſtoria continentur: vnde colligere quis poterit, eam herbam ſanguinem, relictis aliis humoribus, è venis trahere, eum nimirum in modum, quo alia medicamenta purgantia alios humores, relicto ſanguine ex eiſdem educere nata ſunt?

Quartò. Si herba illa medicamenti inſtar ſanguinem attrahit, & euacuat, negandum non eſt, illius vſum, tutum eſſe potuiſſe, ſi tempore, quantitatéque modica, vrgente neceſſitate exhibeatur. At Galen. ab ea herba ſanguinem totum educi, mortémque ſubſequi affirmauit. Non ergo hæc herba reperitur per ſe ſanguinem euacuans: & ſi datur, venenorum more ſanguinem educit, venarum & arteriarum oſcula aperiendo.

Quintò. Extat Meſuei auctoritas affirmantis, nullum medicamentum, facultatem habere primò, & per ſe hæmagogam, neque electiuè, cæterorum medicamentorum purgantium modo, ſanguinem educere poſſe contendentis. Quapropter etſi liber de medicamentis purgãtibus ſit genuinus ob phraſim, ſentẽtiarum pondus, & rectam eorum quæ tractantur determinationem; tamen in eo multa inſerta ſunt. Libros enim ſuos, adhuc ipſo viuente, multifariàm fuiſſe laceratos à plurimis, qui aut demendo, aut addendo, aut immutando eos coinquinarunt, *in procemio libri, de libris propriis,* ipſe admonuit. Cùm enim opera auctorum extra omnem ingenij aleam doctiſſimorum, in templo Deorum ſuorum reponerentur palam ea collocãtes, vt omnibus eſſet perſpicua editio: hæc (tum bello-

tum

tum incendio ſolo æquatis delubris) peribant, vel lacera, aut maiori ex parte deturpata remanebant, vt ipſe *lib. 1. de compoſ. medicam. per gener. cap. 1.* retulit manifeſtè. Conſueuiſſe autem veteres ad templa, opera ſua deferre, tradit Sueton *cap. 29.* Poëtæ enim ad templum Apollinis, libros ſuos mittebant, vt conſtat ex Martiali *epigr. 38. lib. 1.*

Inde ſacro veneranda petes palatia cliuo,
Plurima, qua ſummi fulget imago Ducis.

Et *epig. 3. lib. 12.*

Iure tuo veneranda noui pete limina templi,
Reddita Pierio ſunt tibi templa choro.

Et Perſius *in præfatione* dixit:

——— ——— ——— ——— *ipſe ſemipaganus*
Ad ſacra vatum carmen affero noſtrum.

Quæcumque igitur à Galeno ſcripta ſunt, vt diuulgarentur, in templo erant poſita, ideóque limata, ac perfecta: ſi verò mutila aliquādo inueneris, vt ipſe *in com. lib. 7. & 8. epid. Hippoc. animaduertit*, hanc fuiſſe cauſam iure optimo arbitraberis.

Sextò. Probari non indecorè poteſt ex documento, ſeu hiſtoria, quam Galenus pro puero epileptico conſcripſit: in quo libello (germanus licèt ſit, & à Paulo, Oribaſióque receptus) plura Galenicæ doctrinæ aduerſa, vtpote ab alio adiecta reperiuntur. Clariſſimorum autem Medicorum libris multa fuiſſe inſerta, vehementer deplorat Galenus *lib. 1. prorrhet. com. 4. & lib. 6 epidem. ſect. 2. com. 41. & 3. ſect. com. 19.* Accedit quòd librarij, ſeu tranſcriptores, Galeni libros peruerterunt, vt de Hippocratis libris queritur Galenus *lib. 1. epid. ſect. 2. com. 83. & l. 3. de humorib. com. 29.* Audi ipſum cauſas operum ſuorum corruptorum afferentem, *cap. 1. lib. de libris prop. Et quoniā libros meos multi multifariàm læſerunt, tanquam ipſorum proprios, alij in alijs gentibus legentes, quædam tum demendo, tum addendo, tum immutando, conſultum mihi viſum eſt, eam priùs cauſam, quam propter illi hactenus corrupti ſunt, & deinceps qui mei reuera ſint libri, & quæ cuiuſque materia, exponere, &c.* Hoc palam confirmant Allemantius Hæduus, & Iacobus Scutellarius, qui libros de ſeptim. & octimeſt. part. & libros de natura non hum. infeliciter ſunt interpretati.

Sed cùm ego fuerim ſemper deteſtatus eos, qui leui de cauſa cum Neotericis manifeſto errore ſuccumbentes, Galeni dicta peruertunt: idcircò affirmandum eſt; huius hiſtoriæ fidem eſſe multam; cuius veritatem Medicorum peritiſſimi confirmant, de quorum numero ſunt Valleſius *lib. 9. cont. 9.* Ioan. Brauus *lib. 1. de purg. rat. cap. 12.* Marcell. Donat. *lib. 1. de hiſt. mirabil. 12.* Quid dubitandum? nonne ſunt mutui rerum conſenſus in natura, quorum interuētu tractio celebratur? nonne magnes ferrum attrahit, & concatenatas acus è longinquo? nonne ſuccinum paleas, & quiſquilias omnes occulta quadam virtute ad ſe allicit? Dari autem ſpecificas proprietates miras, ex veterum, & iuniorum mente probat Marcellus Donat. *lib. 6. de hiſt. mirabil. 3.* & examplificat eruditiſſimus Ruellius *lib. 1. de natur. ſtirp. cap. 22.* Nam *omnia ad manifeſtas reducere qualitates, ſumma impudentia eſt*, dicebat Scaliger *de ſubtilit. in Cardan. exercit. 218. n. 8.* & eas à quatuor illis primis qualitatibus non oriri, disertè probauit eruditiſſimus Santorus Sanctorius *lib. 8. method. vitandor. error. cap. 10.* Res patet exemplis: Acus nauigatoriæ extremi apiculi magnete temperati incredibili diſtantia ad ſeptentrionem traductio, atque conuerſio, miraculum ſanè antiquis incognitum. Calthæ florum ſub ſolis ortum panſio, ſub meridiem integra expanſio, móxque eorundem ſenſim in occaſum vergente ſole contractio. Demùm concordiæ, & diſcordiæ naturales rerum adſunt, quarum cauſa manifeſta reddi non poteſt. Harum exempla admiranda, lege apud Fernel. *lib. 2. de abdit. 17.*

Syluatici obiecta ſic ſolues. Dic ad primum: Neque Hippocratem, aut Galenum medicamenti primò, ac per ſe ſanguinem educentis mentionem feciſſe, quoniam hoc, venenum eſt, cùm ſanguinem extra corpus effundat. Nec ex eo aſſeras, phlebotomiam eſſe venenoſam, aut aliud ſanguinem educens auxilium: nam ex illa ſanguinem manantem pro arbitrio noſtro, impoſito vulneri digito, aut ligatura ſupprimimus; medicamenti autem hæmagogi deuorati ſemel, operationem impedire non poſſumus. Adde indecorum fuiſſe Geleno, ſi huius medicamenti faceret commemorationem, cùm in certam hominis ruinam ſit inuentū; Magiſtri verò præcepta eò tendunt, vt ſanguis in corpore conſeruari queat, nequaquam minui, ac extingui. Huius herbæ refert Conciliator *dif. 114. art. 4.* habitā fuiſſe notitiā Paduæ à quodam: herbam auctor iſte agnoſcit, ſed occultat, ne fortè aliqui ea vtantur, & conuertant in malos vſus: maximè quum eam non optemus; nam ſuperfluus ſāguis faciliùs venæ ſectione, quàm pharmaco educitur.

Ad ſecundum. Dubitari poteſt: & meritò ſanè, quonam pacto herba illa ſanguinem è ſuillo iecore attraheret, cùm nihil eſſet, quod facultatem tractricem de potentia ad actum deduceret. Sed ſi dicas, præfatam qualitatem in herba illa actu contineri, vera propones: tanta enim quantitas ſanguinis è iecore, licèt recenter adhuc ab animali extracto, non poterat emanare, niſi innata, & actualis vis in ea adeſſet, qua ſanguinis riuulos ex compacta, & denſa iecoris ſubſtantia attrahere poſſet.

Ad tertium. Quid inconueniens eſt, hanc herbam attrahere ſanguinem, relictis aliis humoribus, cæterorum medicamentorum expurgantium inſtar? licèt enim huius euentus nullum habeamus experimentum, quoniam Medici, quicumque ratione aliqua præditi ſunt, illius non fecere commemorationem; habemus tamen Actuarium *lib. de medicam. cōpoſit. tit. 10. de ſimpl. medic. purgantibus, in fin.* plurima extare hæmagoga medicamenta affirmantem, ex quibus nonnulla venenoſam obtinent naturam, alia tantùm à venenis diſtant, vt ab alimentorum natura non multo interuallo recedant.

Ad quartum. Sicut medicamenta ſuapte natura deleteria, ſi modicè ſumantur, redduntur vtilia: ſic etiā ea quæ à proprietate ſanguinem redundantem attrahunt, non ſunt venenoſa; nec enim venæ ſectio ſanguinem ſuperfluum euacuans, eſt venenoſa. Vocauit autem Gal. hanc herbam venenoſam, quoniam purum, integrúmque ſanguinem eliciebat; hæmagogum autem medicamentum, putridum, vel alia qualitate fœdatum proprietate trahit. Quare ſi medicamēta hæmagoga primò, & per ſe ſanguinem attrahentia, in modica quantitate aſſumantur, non nocebunt. Quæ autem hæc ſint, ſiluere Medici, ne ea in malos vſus nefarij homines conuerterent.

Ad quintum. Nullum dari medicamentum hæmagogum, non benè concludit Meſuë, quod natura tantam ſanguinis curam habuerit, illúmque retineat; nec niſi coacta vi medicamenti immoderatioris trahi permittat. Nam etiam natura miram hominis curam habuit, cuius cauſa cuncta hæc genuit: at ipſa, venena plura homini infeſta, & inimica valdè aſſiduè profert.

Ad ſextum. Citra rationem Galenum accuſat, ſumpto argumēto ex libro de puero epileptico, in quo plura ſunt adiecta, quæ Galeni phraſim, purámque docendi methodum minimè redolent. Sed quàm infirma ratione Galeni aſſerta impugnet, leges *in libro primo, in hiſtoria. 28. de puero epileptico*: quo loco huius hiſtoriæ neceſſitatē eſſe maximam, præſtantiā multam, in eóque grauiſſima artis theoremata eſſe poſita, non niſi ex fœcundiſſima Galeni mente deprompta ſumus præfati; ſolutis pluribus obiectionibus, quæ in contrarium facere videbantur. Haud igitur aduerſantur Syluatici dicta, & obiecta Galeni ſententiæ, dum appoſita hiſtoria dari medicamentum hæmagogum manifeſtè fatetur: immò à paradigmatis Medicis deſciſcit ipſe, qui citra euidentem rationem, probatæ fidei auctores acriter ita condemnat.

Sanguinem primò, tum vitam emittebat.] Altiùs de ſanguine eſſet incipiendum exordium, niſi eminentiſſimi medicinæ profeſſores tam latè doctéque de eius generatione, temperamento, quantitate, & effectibus diſputarent; de quorū numero præcipui ſunt Valleriol. *lib. 1. loc. commun. c. 11.* Ioan. Lupus *ad tyron. l. 3. dialog. 2.* Otto Caſmannus *part. 1. de pſychologia hominis, cap. 12. quæſt. 3.* Georgius è Saà *in ſuis quæſtionibus de ſanguine.* Iacobus Segarra, Ludouicus Lemoſius, Mercatus, Andreas Laurent. Veiga, & Vega, Antonius Poncius à Cruce, Peramatus, Valleſius, & alij citati à Bauhino *lib. 1. theatri anatomici. cap. 44.*

in fin. quos,& alios refert Carrerius,*in com.cap.2.*Auicen. A *in* 1.1.*doct.*5.

Liceat tamen inter tantos viros, paucula de ſanguine Laconicè prælibare. Ex quatuor humoribus ſanguis familiariſſimus,ac mitiſſimus eſt,& ad naturæ opera accommodus valdè, vt qui caloris noſtri fomes ſit, ac alimoniæ noſtræ congruens,conueniénſque materia. Inſuper mitiſſimas habet qualitates, quibus naturæ maximè fit gratus; calorem nempè temperatum, humiditatem mitem, dulcedinem inſignem,& permeabilem in omnes vias,& ductus etiam anguſtiſſimos,ſubſtantiam naturæ nimis obſequentem obtinens;quare meritò ab Iſhach *lib.feb.part.*4.*cap.*8. & *l.*1.*de element.poſt med.*naturæ amicus,filius,& dilectus vocatur;& à Meſuè *lib.*1.*de re medic.theoremat.*1.*c.*2.vitæ theſaurus dicitur: nihil ergo mirum ſi ab ipſa ad extremum vitæ terminum retineatur vehementer, & nonniſi B vi coacta eum in ſuperpurgationibus exire permittat, ex Galen. *lib.*3.*ſimpl.cap.*21. Hoc eſt illud nectar viuificum, & primigenium, quo partium omnium robur recreatur, & in quo calor noſter perſeuerantiam obtinet, ex Gal. *lib.de curand.rat.per ſang. miſ.c.*5. hoc deſtituti moriuntur iugulati,& quibus in aliqua parte vulnera illata copioſum ſanguinem fundunt. Sic animo linquuntur, & ſyncope corripiuntur,quibus ex venę ſectione,aut alia quauis parte,larga ſequuta eſt hæmorrhagia: nam ij decolores fiunt extenuati, pigri, & ad quælibet peragenda munia imbecilles, & inepti. Contrà qui plurimam ſanguinis copiam aceruant, viuidi ſunt, roſeo colore perfuſi, carnoſi,firmi, vegeti, robuſti.

Demùm. Cùm vita ſit participatio calidi in humido, ſanguinei ſunt longæuiſſimi, quotquot accommodata, & quantitate, & qualitate calidi, & humidi conſtant: cùm C enim calor noſter temperatus eſt;nec amplior,vt exſiccet; nec minor,vt ſuffocetur:& humidum craſſum,lentum,nō friabile, piſcium inſtar, pabulum aptiſſimum obtinet dulce, & copioſum; tunc ille diutiſſimè alitur ex humido, non aliter quàm ignis ex lignis, & lucerna ex oleo. Quare ſanguinea temperatura diutiſſimè viuit, & eſt minùs putredini obnoxia; quum ſcilicet & calor, & humiditas non valdè excedunt,ita vt hæc illum copia ſua non obruat ac minuat, quo debilitato & occupato ab extraneo fit putredo; neque calor innatus exorbitet, tùnc enim fit ebullitio, reſolutio, & putredo. Adde quòd licèt ratione temperamenti ſanguis plus cæteris humoribus ſit aptus putredini; ratione tamen ſubſtantiæ dilectæ ampliùs à natura tutatur, & à putredine defenditur. Sic inter plantas, oleoſo, pingui, cōſtante, permanentéque D humore abundantes, & viuaciores ſunt, & minùs putredini obnoxiæ; innatus enim calor humido recreatur, in eo diu durat, fugit à merè ſiccis, in his reſoluitur & extinguitur.

De ſanguinis origine & effectibus, ſat plura conſcripſit inter omnes Fernel.*lib.*6.*Phyſiolog.cap.*3.*&* 2.*Patholog.* 12.Iacobus Fontanus *lib.*3.*Phyſiolog. part.*1.*cap.*5.De eius conditionibus pulchra prædixit Galen. *lib. de atra bile, cap.*2. Generatur ergo ſanguis in hepate, ſubſtantia mediocris, colore rubeus, ſapore dulcis: quidquid à venis tam iecur ambientibus, quàm remotis, ſanguificandi officium proficiſci arbitrentur quidam; licèt non vi propria, ſed à iecore demādata alij id poſſe fieri contendant: de quo argumento plurimas videbis quæſtiones, multis E dubiorum labyrinthis inuolutas,quas ad plenum citati retulere auctores, adeòque hoc humore reuiuiſcit natura, vt eum in maxima copia progignat: nam in optimè ſano corpore ſanguis abundat quantitate 48. vnciarum, pituita 24.bilis 12. melancholia ſex. Itaque huius benigni humoris tam ſollicita eſt natura,vt in eius generatione ſedulam operam impendat, ita vt pro nutrimento animalis ſingulis quibuſque diebus libra vna ſanguinis altioni neceſſaria generetur, authore Botallo *lib.de curand.rat. per ſang.miſ. cap.*28. *&* 33.

***

QVÆSTIO X.

Quòd in temperata corporis conſtitutione maior copia bilis, quàm melancholiæ generetur. Contra Gentilem, Fernel. Brau. Riolanum, & Poncium, Medicos eximios.

DE proportione, qua ſanguis cum cæteris humoribus in corpore abundat, apud iuniores litigium eſſe ſolet. Gentilis auctor ſanè grauiſſimus, & in dubiis arduis explicandis acutus, & ſolers, cenſura a ſuam expendens, *in* 1.1.*doct.*4.*in comment.cap.*1.in benè temperato, & optimè ſano corpore, purum ſanguinem multum excedere, cæteriſque præſtare affirmat, ab hoc deinde pituitam, quoniam dulcis eſt, poteſtque in ſanguinem conuerti, & quàm pluribus partibus nutriendis eſt neceſſaria: po ſt hos humores ſuccus melancholicus quantitate ſ uperat flauam bilem, quæ omnium pauciſſima eſt. Huius opinionem ſequuti ſunt Fernel. *lib.*6.*Phyſiolog.cap.*8.Riolan. *cap.*12. *Phyſiolog.* Ioan. Brauus Petrafitan. *lib.*2.*de curand. rat.per medic. purgant. exhibitionem, cap.*1. Antonius Poncius *in lib.*1. *Auicen. opuſcul.*6. *de humorib. cap.*4. *in fin.* De quantitate ſanguinis, & pituitæ nulla poteſt eſſe hæſitatio ob dictas cauſas. Quòd ſuccus melancholicus flauam bilem ſuperet, euidentes monſtrant rationes: & quòd plures partes nutriantur ſanguine melancholico, quàm bilioſo, & quòd illius receptaculum, quàm bilis, plenius, & capacius deprehendatur in nobis; & quòd in ſanguine emiſſo plus ſubſideat lutulenti, quàm per ſummum innatet bilioſi.

Sed cùm Gentilis, Ferneliúſque nullius probationis idoneam auctoritatem, aut firmam rationem afferant, non eſt, quòd repudiato & ſpreto Galeno, illis ſubſcribamus. Hanc vtriuſque bilis metam *lib.*5. *de vſu part.*6. ab ipſo fuiſſe receptam,legimus; Siquidem in commenſurata corporis conſtitutione,bilioſum recrementum quantitate excellere melancholicum, palam inibi profitetur. §. *Nam pauciſſimum quidem eſt melancholicum excrementum,copioſius autem ipſo bilioſum, &c.* Vt hinc planè intelligas, horum auctorum opinionem à veritate eſſe maximè alienam.Hoc ita eſſe,argumentum à ſenſu deductum apertè demonſtrat. Conſpicimus ſiquidem quotidie, maximam bilioſi recrementi quantitatem, per inteſtina & veſicam excerni; exiguam autem melancholici: alioqui., cùm nullum excrementum purum ſit aptum nutritioni, aſſignare oportet partem aliam, per quam melancholici tāta quantitas foras trudatur;quæ cùm nulla ſit,neceſſe eſt concedere,ampliorem quantitatem excrementi bilioſi in temperato corpore coaceruari, quàm melancholici. Nec afferas Galenum fateri hoc duntaxat loco ſolùm de excremento, non tamen ob id ſenſiſſe, flauā bilem in eadem corporis conſtitutione excellere melancholicum ſuccum:futilis namque & inanis eſt obiectio hæc, nam copioſum excrementum nonniſi à copioſo humore decidi poteſt. Adde, fuiſſe neceſſarium, ſuccum melancholicum in pauciſſima quantitate abundare, cùm ſuis qualitatibus natiuo noſtro calori repugnet. Ampliùs patet. Nam quartana inuadit de quarto in quartum; tertiana de tertio in tertium; non alia ſanè de cauſa, quàm quòd pauciſſimum ſit recrementum melancholicum, bilioſum autem copioſius.

Ad obiecta facilis eſt reſponſio. Si enim rei meditullium accuratiùs expenderis, nihil planè monenti eiuſmodi argumenta contra Galenum concludere iudicabis. Nam(vt à primo exordiar)plures partes nutriūtur ſanguine bilioſo, quàm melancholico; quoniam multò plures ſunt carnoſæ & calidæ partes,quàm frigidæ & ſiccæ:& licèt hæ calidas excederent,opus erat vt harum partium alimentum,quantitate ſuperaret alimentum partium frigidarum & ſiccarum; illæ enim ocyſſimè reſoluuntur; frigidæ verò ob innati calidi languorem,& ſubſtantiæ denſitatem tardiſſimè. Conſtat autem ſanguinem in temperato corpore bilis magis eſſe participem,quàm melancholiæ. Adde quòd magna pars terreni excrementi, ex quo melancholia conſtat, fuit in ventriculi confectione ſeparata.

Lege

Lege Mercatum *tom. 1. lib. part. de humorib. claſ. 1. quæſt. 65.*

Secundum verò argumentum, ex ampliori capacitate receptaculi atræ bilis depromptum, verum minimè eſt, immò manifeſtiſſimum ex ſe præbet errorem; non enim melancholiæ receptaculum amplius fuit, quòd amplior in corpore melancholiæ copia aceruetur, ſed vt ſanguinem ab hoc tetro & fæculento humore, ſuis qualitatibus vitæ maximè aduerſo, & contrario, liberaliùs expurgaret natura, & detruderet ad vas amplum, in quo terrenus ſuccus, ad lienis, & poſteà ventriculi vſum commodè elaborari poſſet.

Tertium de extracto poſt venæ ſectionem ſanguine argumentum, ficulneum eſt, & ſenſuum iudicio aduerſum. Quippe illa lutulenta pars, & atra quæ reſidet, licèt flauam ſuperet, in cæteris tamen purioribus partibus ſanguinis, potiùs flaua bilis atram vincit: non enim ſolùm illa pars quæ per ſummum innatat, eſt quæ ampliorem continet quantitatem flauæ, quàm atræ, ſed cunctæ illæ quæ rubidæ, tenues, nec nigræ conſpiciuntur. Noſtram poſitionem firmat Rabbi Moſes 2. *particul. aph.* 30. dum *humorem nigrum minorem eſſe omnibus, & citrinum eſſe maiorem nigro*, manifeſtè aſſeuerat: à quo deſumpſit Petrus de Peramato, *lib. de humorib. cap. 5.*

HISTORIA XII. GALENI,
De læuium arteriarum pulmonis obſtructione.

Antipater ox obſtructione læuium arteriarum pulmonis, ob crudum tuberculum ſuborta, emoritur.

E*A verò quæ Antipatro Medico acciderunt, nemo eſt qui neſciat, vtpote qui medicam artem publicè apud Romanos profeſſus eſt. Agebat hic ætatem ſexaginta quidem annis minorem, ſed quinquaginta iam annos exceſſerat. Is correptus aliquando febre quadam Ephemera, idque ab euidenti cauſa, declinanti iam febre, vt quid ſibi facto opus eſſet, intelligeret, pulſum ipſe ſuum tangere aggreſſus eſt: cùm igitur omne inæqualitatis genus in arteriarum motione inueniret, imprimis quidem territus eſt; deinde verò cùm ſe non febrire planè ſentiret, illicò balneum ſubiit, quippe laboribus, ac vigiliis corpus fatigauerat, atque tenui victu, donec tertium diem præteriiſſet, vſus eſt: quo cùm nulla appareret febris, ad ſolita negotia pertractanda prodiit, atque arteriam * in extrema brachij ſui parte tangens, admiratus eſt perſeuerantem in pulſibus inæqualitatem: occurrens igitur mihi, extendit manum ridens, iuſſitque pulſum tangere. At ego ſubridens, quid, inquam, ſibi vult hoc quod proponis ænigma? Ille iterum ridens, obnixè rogauit, vt tangerem. Igitur inter tangendum omnimodam in pulſu inueni inæqualitatem, non ſolùm in multarum pulſationum cumulo, quam * ſyſtematicen (id eſt, congregatricem) vocant, verùm etiam in vna arteriæ diſtentione. Proinde miratus quomodo adhuc viueret, quum talem haberet pulſum, interrogaui, num difficilis eſſet aliqua ei reſpiratio; illo verò nullam ſe ſentire reſpondente, obſeruaui equidē an aliquando mutaretur, quippe ſex menſium ſpatio aſſiduè arteriam tangebam. Quumque ab initio interrogaret, quænam corporis diſpoſitio, mihi videretur poſſe huiuſmodi pulſum efficere, atque per quem modum, idque citra febrem: ad eam quæſtionem reſpondi, in commentariis de pulſibus, iam declaraſſe me huiuſmodi inæqualitatem: namque ob magnarum in pulmone arteriarum anguſtiam id euenire putaui, anguſtiæ verò cauſam eſſe viſceris inflammationem. At tibi ob hanc cauſam (dixi) id nunc accidiſſe impoſſibile eſt, quippe febri fuiſſes affectus. Relinquitur igitur vel obſtructionem ex liquidis, & craſſis & viſcoſis humoribus, vel * crudi cuiuſpiam tuberculi ortum, in huiuſmodi te diſpoſitionem induxiſſe. Tum ille reſpondens, Oportuiſſet (inquit) me ſuſpirioſa orthopnœa laborarare. At ego probabilia dixi ipſum loqui, ſed à veritate aberrare: quippe fieri nonnunquam huiuſmodi orthopnœam ob eam, quam diximus cauſam, id verò cùm in aſperis, non in læuibus arteriis craſſus, & lentus humor cumulatur. Proindè ei omnem victus rationem, atque medicamenta quoque haud aliter quàm Aſthmaticis adhibere iuſſimus: deinde ſex, vt dixi, menſibus elapſis, leui quadam ſpirandi difficultate affectus eſt, accedente ſimml cordis palpitatione: imprimis quidem ſemel, deinde bis, atque ter; poſteà quater, ac ſæpiùs quoque aucta ſpirandi difficultate, ad quindecimum vſque diem: poſt quem difficillima oborta inſpiratione, exſolutus ſtatim obiit, aliorum quorundam exemplo, qui cordis affectibus laborant, &c.* *Galenus* lib. 4. de loc. affect. cap. vlt.

PARAPHRASIS.

CEleberrima eſt hiſtoria hæc, & à Medicis ſæpiſſimè in memoriam reuocanda. Vidimus enim non paucos qui hac reſpirandi difficultate correpti, morte præuenti ſunt; cuius cauſam plurimi inflatus craſſos è naturalibus partibus eleuatos, & ſeptum tranſuerſum comprimentes reiecerunt, quum nullam, aut perexiguam tuſſim conſpicerent, neque humoris viſcoſi per ſcreatum cernerent copiam excretam.

Depingit ergo Antipatrum Medicum obſtructione læuium arteriarum laborantem; eáque vel à craſſis, & viſcoſis humoribus in ipſis læuibus arteriis infarctis; vel à phymate, ſeu duro tuberculo in eiſdem genito pronata. Sed cùm obſtructiones iſtæ ſolo pulſu dignoſcantur, nec vllum aliud adſit indicium, nec tenſio, grauitas, dolor, percipiantur, neceſſariò organis, & inſtrumentis læſis pulſum immutari eſt neceſſe: ſicque non ſolùm in pulſu omnigena inæqualitas in multarum pulſationum cumulo, quam ſyſtematicen, ſeu collectiuam appellant, verùm in vnica pulſatione ſentitur. Quare in huiuſmodi obſtructionibus magnæ & paruæ, celeres & tardæ, raræ & frequentes, validæ & imbecilles pulſationes animaduertuntur; ſed in eadem pulſatione ſæpè inæqualitas quoad plures differentias, ſentitur.

Ex tuberculo autem crudo, hoc vitium fuiſſe Antipatro ortum, firmat cum auctoritate ratio, (renuat licèt Carrerius *diſput. 42. cap. 4. ad libros de affect. de loco affectus quem Antipater paſſus eſt.*) nam neque orthopnœa laborauit. neque magnam ſenſit grauitatem, neque ſtertorem inter reſpirandum paſſus eſt; nulla præceſſit à capite diſtillatio, neque tuſſis humida, à lentis, craſſis, multiſque ſuccis, in bronchiis ipſis exiſtentibus, aut iiſdem ab aliis partibus, ad eadem delatis, iſpſámque aſperam arteriam obſtruentibus concitata, eum afflixit; ſine quibus difficilis reſpiratio ex viſcoſis humoribus ſuborta, & læuium arteriarum obſtructionem efficiens, conſiſtere non poteſt. Hoc pariter confirmat Aëtius *tetrab. 2. ſerm. 4. cap. 57.* quoniam, vt inquit Gal. *lib. 4. de loc. affect. cap. 7. Si quis per bonam valetudinem ſolitas actiones facere poteſt, ſi difficulter inſpirare inceperit, augeatúrque ſymptoma, neque inter reſpirandum ſtertere videatur; ad hæc nihil expuit, crudi tuberculi ortum ſuſpicari oportet, quando iuxta læues pulmonis arterias ipſum oriri contingit, & demùm temporis diuturnitate aſperas arterias coarctant, ſpirandi parit difficultatem. Si verò ſtertendo ſtrepitum fecerit reſpiratio, lentorum, craſſorúmque humorum pertinaciter impactorum multitudinem, pulmonis bronchia moleſtare indicium eſt, &c.*

Hæc tamen obſeruata lege intelligas, vt reſpirandi difficultas à craſſis humoribus orta, non ſit ſemper vniformis: nam modò eſt intenſior, modò remiſſior: contrà quando à tuberculo procedit, ſemper eſt æqualis, quoniam cauſa ſemper eſt fixa, & ſtabilis. Inſuper in illa, pulſus erunt magis inter ſe diuerſi, & varij, prout humor obſtruens, in hanc, aut illam partem influit; in hac pulſus inæqualitas erit magis vniformis, quum eius cauſa ſit magis permanens, ac conſtans. Hácque reſpirandi difficultate laboraſſe Antipatrum tenent Scholiographus Holler. *ad cap. 30. lib. 1. de morb. internis*, & Donat. Antonius ab alto mari *lib. de medend. human. corp. malis, cap. 48.* Tu verò de læuium arteriarum obſtructione, & eius curatione, lege quæ eruditiſſimus Petrus Salius, inter omnes eloquentiſſimè conſcripſit, *libr. de affectib. particular. cap. 21.*

Nec mireris Galenum cauſam non attuliſſe, cur cum tanto periculo adhuc viueret, nam facilis reſponſio erat. Cùm enim exactam victus rationem obſeruaret, cauſæ morbificæ augmentum impediens, in tam longum tempus vitam produxit cum illo pulſu; huius enim cauſa non erat adeò fortis, vt citò occideret, cùm præcipuè adhuc reſpirationis læſionem aliquam non haberet, hocque maximè notauit Galen. vt perdurantis vitæ rationem aliquam tacitè innueret. Cùm verò adeò cauſa morbifica aucta fuit, vt aſperis arteriis communicaretur malum, hac de cauſa poſt ſex menſes elapſos, ob id primùm exorta eſt leuis orthopnœa, deinde maior, ac poſtremò ſuſpirioſa, ac difficillima effecta; quæ ſibi ſociam adiunxit cordis palpitationem, eleuatis nempè vaporibus prauis, ac in propria ſubſtantia cordi communicatis. Mortuus autem fuit, extincto, ac propè exſoluto vitali ſpiritu ob vim ferientis auræ, negatóque ob impeditas, maximéque obſtructas vias refrigerio. Proportione autem quadam palpitationem reuerti potuiſſe dicendum eſt, quoniam ex temporum proportionatis interuallis elati vapores, cor oppugnantes, hoc ad ſimilem motum cogebant. Quamobrem eo mortis genere occubuiſſe Antipatrum dixit Galen. quo moriuntur, qui cordis affectibus premuntur, ſyncope nempè, qua correpti repentè ſæpè vitam cum morte commutant, auctore Galeno *lib.5.de loc. cap.2.*

DVBIVM IV.

An Hippoc. pulſuum exactam notitiam habuerit.

COMMENTARIVM.

S*Yſtematicen, id eſt, congregatricem vocant.*] Tam ardua eſt pulſuum notitia, & variis difficultatibus plena, vt plurimi ex ignoratione eam temnentes, vanam, inutilem, longiſſimam, & incomprehenſibilem arbitrati, ſimpliciſſimas pulſuum differentias ſolùm eſſe neceſſarias, imprudentia, & temeritate quadam fuerint arbitrati, eo maximè argumento decepti, quòd Hipp. noſtræ artis coryphæus, & medicarum rerum indagator peritiſſimus, ſphygmicam artem nec excoluerit, nec perfecerit, *vel quia non nouit, vel quia parui momenti eſſe putauit*, vt *3. criſ. cap. vlt.* & *lib. de præcognit. ad Poſthum. cap.12.* & *lib.3. epid. ſect.3. com.80.* retulit Galenus.

Sed cùm fieri non poſſit, vt idem ſimul incipiat opus, & perficiat, monente Gal. *lib.2. de facult. naturalib. cap. vlt. in fin.* Hippocratem, ſummum Medicinæ magiſtrum, & primum conditorem, eam partem quæ ad pulſum pertinet, intactam non reliquiſſe, affirmamus: nam incepit eam, & excoluit, non tamen ad vmbilicum perduxit. Hoc ita vel ipſe Gal. fatetur *lib.1. de dif. pulſ. cap.2.* & *lib.1. de humorib. com. 24.* & *lib.2. de loc. cap.8.* & *lib. de ſalub. diæt. com.20.* qui Hippocratem primum omnium, motum arteriarum, qualiſcumque is eſſet, pulſum appellaſſe affirmat. Sed quorſum ad huius rei confirmationem, Galenum teſtem adduco? Nónne ipſe Hipp. diſertis verbis in pluribus locis, ad plurimos morbos curandos, atque præſagiendos, veluti cuiuſdam magni ſigni meminit? Nam *in lib. de alimento, Venarum pulſationes, morbi & ſanitatis eſſe ſigna*, affirmat. Primus ergo auctor nominis pulſus, Hipp. fuit, & plurimas, notatúque dignas pulſuum differentias cognouit. Si verò non magni momenti ſigna ex pulſibus putauit, comparatione ſpiritus intelligas velim, cum Ludouic. Lemoſio *lib.3. de optima prædicend. rat. cap.7.* quaſi diceret Galenus: cùm Hip. rationem ſpiritus magni faceret, non magni momenti eſſe ſigna pulſus exiſtimauit. Quanti autem Hipp. ad præſagiendum fecerit ſpiritum, facilè ex ipſo colligi poteſt, *in lib. epid. in hiſtoria Philiſci, Sileni, vxoris Dromeadæ*; ne quid interim commemorem, quæ de reſpiratione in prognoſticis ſcripſit; & Gal. tribus libris de difficultate reſpirationis, ex ſententia Hip. tradidit, vt refert Heurnius *lib.10. inſtit. cap.1.*

Inſuper Hipp. nomine ſpiritus, ipſum pulſum intellexit, quo factum eſt, vt Gal. quamplures differentias pulſuum ſcribens, eas à diuerſitate ſpiritus, quam docuit, acceperit. Audi Hipp. *lib.7. de morb. vulgarib. in hiſtoria Filij Balis, num.12.* Sic alloquentem: *Spiritus ad manum malus, non denſus, neque magnus, &c.* quo loco per ſpiritum ad manum malum, pulſum intellexit. Ex iis igitur locis, & aliis eiuſdem libri, nimirum *hiſtoria Eratolai, Filij Cidis, Polycratis, Vnctoris, Menonis, Polemarchi*, ex Hip. intelligi poteſt, ipſum, motum arteriarum frontis appellare pulſum; manuum verò, ſpiritum. Cæterùm duabus in partibus Hippocratem tetigiſſe pulſum, in fronte videlicet, & in carpo, certa res eſt apud eos, qui Hip. monumenta in ſuperioribus Hiſtoriis Hipp. annotarunt. Cùm ergo ſpiritus, & pulſus eadem ſit proportio in motu, cauſis, differentiis, à quibus immutatur, & in vſu, auctore Galen. *lib. art. medic. cap.3.* & *lib.1. de different. reſpir. cap.6.7.8.* & Auicen. 1.4. *tract.1. cap.6.* nihil mirum ſi nomine vnius, alterum intellexit. Hippocrates ergo exactam pulſuum notitiam habuit.

Poſt Hipp. non defuere viri percelebres, & maximè exercitati, qui plura addentes, vſque ad noſtra ſæcula abſoluerunt. Hi fuerunt Aſclepiades, Athenæus alter, Agathinus, Heraclides Erythræus, Chryſermus, Bacchius, Alexander Philaletes, & alij, quorum Galenus *in libris ſuis de pulſibus*, maximam facit commemorationem, ſed præcipuè Archigenis, & Eraſiſtrati, in quorum libros de pulſibus, duo fecit commentaria, vt ipſe refert *lib. 2. de præſag.* 4. quæ omnia cum aliorum auctorum ſcriptis, in Romano incendio conflagrarunt.

Licèt autem Herophilus admiranda ſcientia præditus, pulſus harmoniam deſcripſerit, vt referunt Plinius *lib.10. cap.37.* & Strabo, *in fin. lib. 12.* aliique plurimi citati (vt ex Laërtio, Suida, Theodoreto, & aliis fide dignis auctoribus conſtat) id negotium agitaſſe dicantur, quorum monumenta tempeſtate noſtra amiſſa, in Galeni, qui Imperatorum, & variarum regionum bibliothecas perſcrutatus erat, manus forſan perueniſſe, atque inde optima quæque in proprios libros congeſſiſſe, meritò credãtur: tamen Gal. cæteros, dicendi copia, vbertate, ac facundia, mirabilique ordine antecelluit ita, vt eius libros de pulſibus, omnis Medicorum chorus, tanquam numen quoddam hodie ſuſcipiat, ac veneretur.

Hic ergo ſummus auctor in ſphygmica arte præſtantiſſimus, difficili illa quidem, incomprehenſibili, obſcuriſſima, & multis labyrinthis pleniſſima, ad quam ſolùm ediſcendam, totam hominis vitam eſſe neceſſariam, ipſe *lib. 1. de dignoſcend. pulſib. cap.1.* edocuit; iudicio exacto præditus, internum, in profundo corporis deliteſcentem Antipatri affectum, ſola ratione, hoc eſt, oculis mentis, ex pulſus inæqualitate omnigena, non collectiua ſolùm, verùm etiam in vna arteriæ diſtinctione deprehendit.

Quare ad difficiliorem locum hunc enucleandum, ſucculentis Gal. dictis opus eſt. Nam vt ſcitè Ioan. Agricola Ammonius docet ad hunc locum, in pulſuum doctrina errant omnes Medici præter Galenum; illi enim nec genera partiti ſunt, & profectas ex facultate, vel inſtrumentorum vitio alterationes pulſuum, arbitrantur proprias ipſis febribus, ita vt inuadentis acceſſionis, & morbi, quidam crebros, & paruos; alij languidos, alij inæquales, alij tardos, alij celeres pulſus ſtatuerint.

QVÆSTIO XI.

Quòd Galenus in explicandis, quidditate collectiuæ inæqualitatis, differentiis, & cauſis, cæteros antecellat.

PRæſtat ergo de inæqualitate collectiua, eius differentiis, & cauſis, ex Gal. mente aliqua prælibare. Inæqualitas duplex eſt, collectiua vna: ſimplex (id eſt, in vno ictu) altera. De prima agit Gal. *lib. de pulſib. ad tyron. cap.5.* De ſecunda verò *cap.7.* De vtraque *lib.1. de dif. pulſ. cap.10.* & Auic. 2.1. *doct.3. cap.2.*

Simplex inæqualitas, duplex eſt ex Galen. *lib. cit. ad tyron. cap.7.* & *lib.1. de differ. pulſ. cap.13.* vna in vna parte

ateriæ, r

arteriæ, in pluribus altera, v. g. ictus arteriæ perceptus à quatuor digitis ordine diſpoſitis, poteſt conſiderari prout percipitur ab vno ſolo digito, vel omnibus ſimul. Si primo modo conſideretur, inæqualitas in vna parte arteriæ vocatur: ſi ſecundo modo, inæqualitas in pluribus partibus arteriæ dicitur.

Simplex inæqualitas ſecundùm vnam arteriæ partem, tripliciter accidit ex Gal.*lib.1.de diff.pulſ.cap.13.ad fin.*& *lib.cui titulus eſt, ſynopſis de pulſib.c.18.in princ.*& *2.de cauſ. pulſ.cap.4.in princ.* Vel enim arteriæ motus recurrit, vel eſt interruptus quiete, vel continuus: Primus pulſus dicitur dicrotus. Secudus intermittens in vno ictu, de quibus ſat plura Galen, *lib.de dif.pulſ.cap.17.*

In vtroque pulſu tam dicroto, quàm intermittente in vno ictu, multa accidit inæqualitas. Intermittens enim poteſt habere primam partem ſui motus, quæ præcedit interruptionem, tardiorem poſtremâ; quæ ſequitur poſt interruptionem, celeriorem: & vocatur is pulſus, capri-zans à Gal. *lib.1.de diff.pulſ.cap.29.* Eadem etiam inæqualitas in pulſu dicroto contingit.

Pulſus inæqualis in vno ictu ſecundùm vnam partem, & continuus, duplex eſt: aut enim eſt inæqualis æqualiter, aut inæqualis inæqualiter, ex Galen. *lib.1. de dif.pulſ. cap.15.in princ.* Inæquales æqualiter dicuntur, qui celeritatem, aut vehementiam, ſenſim & æqualiter amittunt, vel augent; veluti ſi arteriæ motus ſit celer in principio, in medio moderatus, in fine tardus. Inæquales inæqualiter non ſeruant iſtum ordinem, ſed ſit v. g. arteriæ motus in principio moderatus, in medio celer, in fine tardus; vel ex velociſſimo motu ad tardiſſimum ſubitò tranſit, quanquam hoc vltimum rarò accidere Galen. *cit. proximè loco* teſtatur.

Simplex inæqualitas ſecundùm diuerſas arteriæ partes ſit, quando quatuor v.g. digiti applicantur arteriæ, & motus partis arteriæ à digito indice tactæ eſt maior vel celerior, quàm motus illius partis arteriæ, quæ tangitur à digito medio, vel annulari, vel minimo, aut vice verſa. Poteſt hæc inæqualitas eſſe quiete interrupta, vel continua. Si enim arteriæ motus ab omnibus digitis percipiatur, erit continua, de qua agit Galen. *lib.1.de differ.pulſ.cap.18.* Si tamen ſentiatur à primo, & tertio, non verò à ſecundo, interruptam vocat Galen. *cit. loco, cap. 19.* vbi quatuor primas huius pulſus conſtituit differentias.

Inæqualitas tam continua, quàm interrupta, vel eſt æqualis, vel inæqualis, ex Galen. *loc. cit. cap. 8.* Æqualem voco, quando motus arteriæ ſub digito indice eſt magnus, indéque talis motus ſenſim minuitur vſque ad digitum minimum æqualiter, vel è contrà, ſit paruus motus ſub indice, & inde paulatim augeatur vſque ad minimum. Inæqualis eſt, quando arteria tacta à digito medio maiorem facit motum, quàm ea quæ reſpondet indici, annulari, & minimo. Hinc iam prodeunt duæ pulſuum differentiæ. Pulſus enim, qui à primo digito verſus vltimum, ſenſim deponunt magnitudinem, vocamus decurtatos in eodem ictu; qui verò in medio digito ſunt maiores, & verſus primum, & vltimum minores fiunt, dicuntur decurtati vtrinque, de quibus Gal. *2.de cauſ.pulſ.cap 2. in fin. & 3.in princ.* ex profeſſo diſputauit.

Collectiua igitur inæqualitas, ex aceruo plurimorum pulſuum conſtat, ex Gal. *lib.1.de dif.puſ. cap. 11. in princ.* eſtque paritatis pulſuum corruptela, in quamcunque ea dat differentiam pulſus, ex Gal. *lib.de pulſib.ad tyron.cap.5.* Si enim paribus pulſibus intercurrit vnus impar, æqualitas corrumpitur, *cit.ad tyron.cap.6.* vt v.g. Si aliquibus pulſibus magnitudine æqualibus ſuccedat alius paruus, & in cæteris differentiis.

Collectiua inæqualitas poteſt eſſe æqualis, vel inæqualis: illa dicitur, quum æqualiter, & paulatim perditur æqualitas, v.g. ſit primo pulſu ſecundus paulò minor, & tertius tanto ſecundo, & quartus tertio pari modo, idque ad plures vſque deinde perueniat; erit hæc inæqualitas æqualis; & vocabitur huiuſmodi pulſus mutilus. & quaſi decurtatus. Pulſus decurtati vel definunt minui, vel perpetuò diminuuntur, nec minui deſiſtunt, ad quietem denique prorſus recedunt, motúque deficiuntur, quos

A vocant deficientes decurtatos. At qui minui deſiſtunt, in duplici ſunt differentia: quidam enim in qua primùm paruitate diminui cœperunt, hanc ſeruant conſtantiſſimè. Alij de integro augentur, quos appellant reciprocos decurtatos; quorum quidam ad priſtinæ parem reuertuntur magnitudinem; aliqui ad minorem; ac nonnulli quibus antea exceſſibus ſunt imminuti, his augentur rurſus. Tot inæqualium ſunt æquales differentiæ.

Inæqualium inæqualitatum quædam nullam prorſus inæqualitatem retinent: quædam ſeruant ad tres vſque, vel quatuor, vel quinque pulſus, ſed poſtea amittunt affatim, & aceruatim, *lib.cit.cap.12.* vt ſi v.g. ſit primo pulſu ſecundus multò maior, & tertio quartus eodem modo, & ſic in cæteris: vel ſi quatuor, aut quinque pulſibus paruis ſuccedat quintus multò maior.

B Collectiua hæc inæqualitas in omnibus poteſt fieri pulſuum differentiis, præterquam in vehementia vera; non enim ita repentè facultas in imbecillitatem variat, & robur, auctore Gal. *lib.4.de cauſ.pulſ.cap.2.* Licèt in vehementia, quæ ex conatu oritur, poſſit reperiri; nihil enim obſtat quominùs facultas vitalis non aucta, apponendo maiores conatus, poſſit vehementiorem edere actionem. Excipe etiam duritiem, cui, ſi ſit vera, hæc inæqualitas accidere non poteſt; nulla enim cauſa poteſt ſuperuenire, quæ ita breuiter duritiem ſenſibiliter immutet.

Collectiuæ inæqualitatis cauſas indagandas aggredior. Tres ſunt tantùm cauſæ continentes pulſuum, ex Galen. *lib.1.de cauſ.pulſ.cap.1.in princ.*& Auic. *2.1. doct.3.ſum.1. cap.5.* Facultas nempe, inſtrumentum, & vſus: itaque cùm ex his cauſis pulſus proficiſcantur, omnes primæ, & generales pulſuum differentiæ ex variatione harum cauſarum oriuntur, *cit.de cauſ pulſ.cap.4.*

C Sed cui cauſæ ex prædictis continentibus collectiua inæqualitas tribuatur, ſic accipe Primum. Vſus adauctus, imminutus, per ſe ſolùm non eſt cauſa collectiuæ inæqualitatis pulſus. Secundum corollarium. Nulla inæqualitas oritur abſque inſtrumentorum vitio abſoluto, aut ad aliquid. Primum dilucidè confirmat Galen. *lib.2. de cauſ. pulſ. cap. 3. in princ.* Secundum probat Galen. *2. de cauſ. pulſ.cit.*& *2.de præſag. ex pulſ. cap.4.* ſic enim inquit. *Igitur de inæqualibus pulſibus, hoc in communi omnibus ſciendum eſt; ex oppilationibus eos, aut ex compreſſionibus inſtrumentorum, aut humorum abundantia ad facultatem quidem collata, aut ex cordis inæquali intemperie conſtare, &c.* Quatuor itaque numerat Galen inſtrumentorum vitia, quæ inæqualem pulſum faciunt; quum enim pulſus inſtrumenta ſint

D arteriæ, & cor, ſi in his datur inæqualis intemperies, vel oppilatio, vel compreſſio, vel humorum abundantia ad facultatem collata, inſtrumenta non bene ſe habent. Inæqualitas igitur collectiua ſine vitio inſtrumenti oriri non poteſt.

Obiiciunt contra Galeni doctrinam quidam, vnum fortiſſimum telum, quòd ſcilicet intemperies non refertur ad vitium inſtrumenti, ſed potiùs vſus; ſi enim aiunt, pars vna arteriæ calet, & altera friget, in vſu eſt inæqualitas. Aduertant tamen quòd inæqualis intemperies poteſt eſſe humida, & ſicca, (& tunc erit ſolius inſtrumenti vitium; nam eſſe inæqualiter intemperatum eſt inſtrumentorum vitium) ex qua fiet inæqualitas collectiua; ſicca enim facit inſtrumentum durum, & difficulter mobile; è contra, humida molle, & facilioris motus. Cùm

E ergo hæc intemperies ſit inſtrumentorum vitium, quæcunque alia erit. Si verò intemperies ſit calida, & frigida, faciet vt vitium ſit inſtrumeti ſolius, ſed commune cum vſu(quod nequaquam contradicit opinioni noſtræ,) qui inæqualis etiam eſt ſecundùm diuerſas inſtrumentorum partes; dupliciter enim ſit inæqualitas pulſus ex inæquali intemperie inſtrumentorum: primò quia vſus in vna parte eſt adauctus, in alia minutus, Secundò, quia calida arteriæ pars faciliùs mouetur, frigida difficiliùs.

Sunt qui humorum abundantiam ad facultatem collatam, ad vitium facultatis referunt, non inſtrumenti; duplicíque ratione hoc eſſe verum arbitrantur, & quòd Galenus paſſim vocet hoc vitium facultatis grauatæ, & quòd quantumuis inſtrumenta ſint expedita, ſi virtus imbecillior

imbecillior eſt quàm pro modo humoris, facit pulſum inæqualem. Dic hoc vitium commune eſſe facultati, & inſtrumento, quod non negamus; quemadmodum inæqualis intemperies eſt commune vitium vſui, & inſtrumento: Licèt enim robuſta ſit facultas, ſi grauetur à vaſis plenioribus magis, quàm pro eius robore, gignet inæqualem pulſum, quod docet Galen. 2. *de cauſ. pulſ. cap.* 1. *ante fin*: & 3. *de cauſ. pulſ. cap.* 16. *ante fin.* Cùm verò facultas eſt debilis, & vaſa expedita, oritur inæqualitas collectiuá, non ex debilitate virtutis, ſed ex qualicunque grauitate vaſorum ad facultatem. Si verò inſtrumenta adeò ſint leuia, & expedita, vt virtutem etiam debilem non grauent, nequaquam fiet inæqualitas pulſus, ex Gal. 2. *de cauſ. pulſ. cap.* 2. *in fin.* Omnis ergo inæqualitas ex inſtrumentorum vitio abſoluto, aut ad aliquid oriri ſolet. Obſtructio enim, & compreſſio ſunt vitia inſtrumentorum ſolùm: inæqualis intemperies, eſt vſus, & inſtrumenti: humorum multitudo ad facultatem collata, eſt inſtrumenti, & facultatis.

Quo pacto autem prædictæ cauſæ inæqualitatem faciant, nunc eſt dicendum. Compreſſio arteriæ, quam diximus eſſe ſolius inſtrumenti vitium, pulſum inæqualem efficiens, dupliciter fit: Vel vbi circa ſpatia, quæ ad hoc creata ſunt, vt diſtentam arteriam excipiant, aliud inſederit corpus, veluti inflammatio, ſcirrhus, aut abſceſſus; tunc enim non poſſunt per illa coarctatæ ſatis diſtendi. Itaque ſingularum actionum defectio ſummam interim magnam coaceruat, vt longè ab vſu officium abſit: Ibi iam violenter agere, & vehementer cogitur facultas reiicere, & illa propellere ſtudet, quæ inſtrumenta obſederunt, & motum prohibuerunt. Itaque ſi parem impetum facultas in omnibus quæ conſequuntur diſtentionibus retineret, æquè magni ſemper fierent, & vehementes, & celeres.

Comprimitur etiam arteria, quando humores obſederunt ſpatia per quæ ipſa mouetur, quos cùm natura vehementi motu propellere conatur, alium in locum defluere coguntur, dum in meatum impingant, qui educere ipſos poſſit. Itaque opus eſt, vt emanent ex corpore, vel etiam tempore tenuati, aut toti reſoluti in habitum digerantur. Vbi diuerſa etiam, & continens inæqualitas neceſſariò fit, quòd nec pari copia humores perpetuò deinceps maneant, nec eaſdem coarctent arterias, ſed ex partibus ſæpè ignobilioribus in nobiliores, atque rurſus ex iiſdem in illas commigrent.

Cognoſces tamen ab vna, vel altera cauſa ex prædictis, arteriæ compreſſionem factam, ſi inflammatio, aut abſceſſus, aut ſcirrhus arteriis circumfuſa corpora afficiat, à quo comprimantur, & coarctentur; tunc enim longioribus intervallis fiunt pulſus inæquales, quòd lenta ſit humorum mutatio, & varietas. Obſtructio verò, quæ altera collectiuæ inæqualitatis cauſa exiſtit ex humoribus craſſis, lentis oriri ſolet, arterias præcipuè obſtruentibus, quæ vel prope cor ipſum, vel procul quidem, ſed in nobilibus partibus conſtituuntur; tunc enim quia nec allicere ſpiritum, nec reddere poſſunt, ex pugna naturæ cum cauſis inſtrumenta vitiantibus, diuerſas, & difficillimas faciunt inæqualitates.

Ex ſanguinis copia pulſuum inæqualitas accidere ſolet, qui aut in venas, aut arterias ipſas fit infuſus; ſed copia illa in venis, arterias non ſecus ac tumor præter naturam, vtpote iis vicinas, premit ac coarctat, & ita refertur ad compreſſionem. At verò ſanguis qui in arteriis eſt, occupat ſpiritus riuos, & ex plenitudine illa non ſubeſt liber ſpiritibus tranſitus, ſicut in obſtructione ad quam reducitur. Repletio iſta ſanguinis in arteriis contenti, ab arteriæ obſtructione, & compreſſione quodammodo differt; ab hac, quoniam hæc prohibet arteriæ dilatationem, repletio verò contractionem: ab illa, quoniam non omne obſtruens replet, licèt omne replens obſtruat. Deinde quia licèt arteriæ repletio, & obſtructio, fuliginoſa excrementa liberè expurgari prohibeant, diuerſo quidem modo id accidit; in repletione namque propter defectum compreſſionis: in obſtructione verò pororum & meatuum anguſtia, & obſtructione. Et hæc de quidditate, & cauſis collectiuæ inæqualitatis, ex Galeni præclara doctrina commaticè dixiſſe ſit ſatis. Nam ſa-

A tius eſt ex limpidiſſimis huius auctoris fontibus, à quo omnes poſteà ſunt mutuati, aquam ſcaturientem exhaurire, quàm ex turbidis iuniorum riuulis cœnoſam extrahere: nam, vt rectè Seneca monet, *inertis ingenij eſt relictis fontibus riuulos inſectari.* Si pulchra de hoc negotio arduo ſcire aues, lege elegantiſſimum tractatum Roberti de fluctibus, cui *De pulſus myſterio* titulum dedit.

In extrema brachij parte.] Pulſuum ratio quàm mira eſt! quàm verè diuina! qui in cacumine membrorum euidentes ſunt morborum indices, in modulos certos, legéſque metricas per ætates citati, aut ſtabiles, aut tardi. In jis obſeruatio crebri aut languidi ictus gubernacula vitæ temperat. Quid ergo hoc ſigno præſtantius? aut quid æquè neceſſarium? ſed vnum habet difficillimum contemplatio hæc: nam tangens pulſum, plurimis opus eſt vt ſit inſtructus conditionibus, quæ cùm in vno artifice ita ab-

B ſolutæ reperiri nequeant, nec attento iudicio obſeruari, idcircò Medicus fallatur ſæpè eſt neceſſe.

Prima eſt. Quòd peritus Medicus non protinùs apprehendat carpum. Celſus ita fatur, *lib.* 3. *cap.* 6. *Ob quam cauſam periti Medici eſt, non protinus vt venit, apprehendere manu brachium, ſed primùm reſidere hilari vultu, percunctarique quemadmodum ſe habeat, & ſi quis eius metus eſt, eum probabili ſermone lenire, tum deinde eius corpori manū admouere. Quas venas autem conſpectus Medici mouet, quàm facilè mille res turbant?* Nam ob verecundiam, & timorem quem ſtatim conſpecto Medico ægri concipiunt, pulſus in varias alteratur inæqualitates, quæ Medicum diuerſimodè decipere ſolent. Ita Gal. *lib. de præcogn. ad Poſth.* 6. & 1. *prog* 8. pulſum multoties tangendo, fœminam amore laborare agnouit.

C Secunda. In omni natura proprius cognoſcendus eſt, ex Gal. *lib. de dignoſcend. pulſ. lib. cap.* 2. & huic adiungendus pulſus temporis, regionis, ætatis, ſexus. Si verò pulſus naturalis ignoretur, eum colligere oportet ex calore, gracilitate, corpulentia, ætate, moribus, regione, figura. Si tamen pulſus naturalis agnoſcatur, poterit Medicus ex eo dum ægrotat, quo in ſtatu ſit certò cognoſcere: ſunt enim quidam, qui etiam ſani pulſus inæqualitatem habent, quoniam ob vitium in formatione, partes arteriæ iuxta manū ſunt repletæ magis carne, & craſſiore cute, & ita ibi apparet pulſus minor, inferiùs verò apparet maior, quoniam arteria eſt minùs cooperta carne, ex Galen. *lib. de præſag. ex pulſib. cap.* 11. quam pulſus naturalis diuerſitatem in multis reperiri, tradit Auicen. 2. 4. *tract.* 1. *cap.* 1. 2.

Tertia. Medicus animo concipiat in omnibus differentiis moderatum pulſum: nam abſolutè magnus non

D poteſt dici, niſi reſpectu moderati; quia ſi reſpectu temperati eſt magnus, aut celer, indicat hominem eſſe calidiorem, aut graciliorem temperato, ex Galen. *lib. de præſag. ex pulſib. cap.* 1. & *lib. de pulſib. ad tyrones, cap.* 9. Eſt tamen vtilior cognitio pulſus naturalis ad affectum cognoſcendum, quantitatem affectus, & ad præſagiendum.

Quarta. Vt tactus promptè ſentiat, & mollis ſit, ex Galen. *lib.* 3. *de dignoſcend. pulſib. cap.* 6. ſic enim vel minimos motus animaduertet. Quo pacto Medicus exquiſitiſſimo tactu debet eſſe præditus: vt enim Ariſt. docet *lib* 5. *de gener. animalium, cap.* 2. *ad fin. Exacta rerum cognitio pendet ex molli carne, cutéque tenui, ex quibus tactus arguitur perſpicuitas; vnde rectum in rebus tangibilibus iudicium.* Vnde pulſus tangendus eſt cum extremitatibus digitorum dempto pollice, quia ſint temperatiores.

E Quinta. Proponit Alzaharauius *tract.* 7. *c.* 1. quòd vtraque manus tangat pulſum, quia duo teſtes certiores ſunt vno. Adde etiam, quòd in vtroque carpo. Si verò diſcordes ſint pulſus, cui magis fidendū? Oribaſius *lib.* 3. *aph.* 34. priùs tangit dextram, & ipſi magis credit. Dicendum, in ordine ad tangendum parùm referre in certitudine: at maior fides danda eſt pulſui meliori, minor minùs bono, aut malo. Secùs in vrina, nam plus fidendum vrinæ malæ, quàm bonæ, ſi æger idem ſimul vtramque excernat. Ratio: nam bonitas pulſus eſt ex radice benè ſe habente; malitia, ex cauſa mala particulari permutante pulſum membri, quæ cùm non extendatur ad cor, indicat eſſe exiguam. Lege Mercat. *lib. de dignoſc. pluſ. tract.* 1. *cap.* 1.

Sexta.

Sexta. Licèt Gal.non doceat numerum digitorum, tamen ipſe quator admouebat,1.*de diff.pulſ.*17.& 3.*de dignoſcend. pulſ.cap.*2. & 2.*de præſag. ex pulſ.* 10. & Halyab.7. *theoric. cap.*2. Galeni ſententiam firmat: nam neceſſe eſt, vt dignoſcamus pulſum breuem, inæqualem in fortitudine, & magnitudine.

Septima. Si iacet ſupra latus dextrum, tangatur,& credatur ſiniſtro: nam compreſſio impediens tranſitum facultatis, ſpirituum, ſanguinis,repræſentat pulſum languidiorem, minorem, minùs plenum.

Octaua. Quòd læua Medici ſuſtineat manum ægri, eſt autem ſitus commodiſſimus cubiti, figura media, ex Gal. 2. *de motu muſculor.* 4. *&* 9. nimia enim contractio arctat arterias in cubito, nimia extenſio extendit ipſas, & reddit pulſum longiorem, proximum conuulſiuo. Eandem etiam figuram debet habere manus, ſic vt nec ſit aperta, nec clauſa. Quare malè aliqui præcipiunt, vt Mena *lib.*1. *de pulſib. ad tyrones, in comment. cap.*1. Manum ſupra thoracem eſſe collocandam, anatomes forſan ignoratione decepti: nam hoc modo multò maiorem habent contractionem, quàm par ſit: quare multò melius eſt vt ſupra abdomen locetur, ea parte qua vmbilicus eſt; quoniam ſic mediam ſeruabit figuram. Eodem modo digiti ſe habeant.

Nona. Hoc modo figura cubiti nec ſit prona, nec ſupina,ex Galen. *lib.*2.*de dignoſcend. pulſib.cap.*8. *in medio.*§. *Nam longitudine, &c.* Sed cum Auicen. ſuper latus: nam prona auget longitudinem, magnitudinem, & latitudinem. Neque figura cubiti ſit ſuper volam manus, nec ſuper ipſius coſtas. Quomodo autem defendi poſſit Auicen. qui *in* 2.1. *doct.* 3. *cap.*1. contra Galenum *loc. cit.* arbitratus eſt, pronam manus figuram, pulſum latum, breuem tamen & humilem efficere: ſupinam verò, longum & latum, cùm id diuerſa ratione contingat. Lege Gentilem & Iacobum *in com.* qui in huius dubij ſolutione enixè inſudarunt.

Decima. Multi ſunt modi admouendi digitos, comprimendo, palpando, applicando. In omnibus eſt ſcrupulus. Nam ſi palpas, ſentis principium conſtrictionis, & finem dilatationis, quoniam cùm leuiter attingas arteriam, non inſequeris ipſam, vnde reliquum ſpatium fugit. Si comprimis, fugis primam partem conſtrictionis, & vltimam dilatationis; quia compreſſa arteria, contractionis principium occultat, & finem dilatationis: ſic enim impeditur quominùs principium ſui motus, & finem edere poſſit. Si applicas, extrema vtriuſque motus amittuntur, percipiuntur media.Gal.3.*de dignoſc.pulſ.cap.*2. dicit,quòd leniter palpando adiuncta ratione, cognoſcitur quantitas diſtentionis: nam ſi ſentis occurſum arteriæ in pluribus partibus pulpæ, indicat magnam diſtentionem, & magna diſtentio magnum interuallum per tranſitum ſicut parua, paruum. Contractio verò meliùs percipitur applicatione modò non infernè tangatur arteria, ex Gal. *lib. de dignoſc. pulſib. cap.*7. Quapropter tutius Medico eſt,vt plurimùm vtilius, tangere applicando. Si enim premis, intercipis motum arteriæ; ſi palpas, minimum percipis: ſi applicas, ignoras principium conſtrictionis, quod poſteà innoteſcit ex fine dilatationis, & ſic per hunc modum applicandi, extrema motus externa non fugiunt, nec media: interna autem extrema quòd fugiant, non obſtat: nam non cognoſcuntur per tactum. Si tamen pulſus eſt fortis, meliùs dignoſcitur gradus fortitudinis, & quantitas diſtentionis & contractionis,premendo; nam cùm longè arteria pellat tactum, nihil preſſio impedit ipſius motum: & per compreſſionem tactus, plus ingreditur cauitatem arteriæ, & ſic plus percipit de contractione. Contrà languidus, palpari debet, quoniam quæuis preſſio facit arteriam ſubſiſtere. Halyab. hac diſtinctione vtitur, *lib.*7. *theoric. cap.*2.In pulſu forti & vbi arteria multa carne tegitur, compreſſione eſt vtendum: ſicut è contrà, in pulſu languido, & arteria nuda carne, palpatione: in medio verò pulſu, & media arteria inter præd cta, medio modo, hoceſt, applicatione vti debemus. Vide Fernel. *lib.* 3.*patholog.cap.*2.

Vndecima. Quoniam pulſus ſæpiùs ſecundùm differentias mutatur, oportet vt plures ictus ſpectentur. G a *lib.*1.*de dignoſcend.pulſib.*1.indefinitum reliquit.Raſius 18. *cont.*limitat duodecim.Nicolus *ſerm.tract.*5.*cap.*3.expectat centum, & alij interpretes ſuper Auic.*loc.cit.* Sed melius eſt,vt non ſint pauciores viginti quinque: at quò propiùs acceditur ad centeſimum, tantò meliùs.

Duodecima. Quod non ſtatim à cibo contrectetur, nec ab euacuatione inſigni,nec laborante, aliquo ſymptomate occupato.Medicus ergo, & æger liberi debent eſſe ab omni animi pathemate, vt ira, triſtitia, ex Celſo *lib.*6. *cap.*3. Gal. *lib.*2.*de dignoſc.pulſ. cap.*2. & *lib.*1.*de præſag.ex pulſib. cap.*4. & *lib.*1.*de cauſ.pulſ.cap.*2.3.4.*&* 5.

Decimatertia. Pulſus carpi pluribus de cauſis potiùs contrectandus, *lib.de pulſ.ad tyrones,cap.*1.& 4.*de dif.pulſ. cap.*3. Ita enim dicit Galen. *At ſemper arteriæ temporum, ac pedum ſecundum plantas, manuum in carporum, ſeu brachialium parte interna illuſtrem motum habent. His minùs, non illæ tamen obſcurè pulſant arteriæ capitis poſt aures, & quæ tenent brachij interiorem regionem: ſunt verò etiam nonnullæ aliæ, quæ non abſtruſæ ſunt ſub ita multa carne. Verum enimverò nullam neque promptiùs, neque honeſtiùs, neque verò commodiùs, ſi carporum prætereas, tangas. Hæ enim, quòd vacet locus carne, apertiſſimæ ſunt: nec quod propter alias eſt neceſſarium, detegere harum gratia vllam corporis partem neceſſe habeas. Ad hæc in rectum ductæ ſunt, id quod non parùm ad exactam notitiam refert.* Firmat Paulus *lib.*2.*cap.* 22. Addunt Auic.& Haly*loc.cit.*propinquitatem cum corde,quòd in proximis morti, aliarum pulſus partium aboleatur,hoc remanente. Quod ſi ob vulnus, inſitam conformationem deprauatam, intemperiem factam, vel obſtructionem, in carpo non appareat, tangenda eſt arteria, Tarſi, hoc eſt, ſummi pedis arteria inter maximum & ſecũdum digitum, ex Gal. *lib.*3.*de anatomic.c.vlt.* nam hæc poſt arteriam carpi,illuſtri motu prædita eſt, *lib.de diſſect. venarum, prop.fin.* Lege Amat.1.*cent.*96. Hæc omnia vt rectè aſſequatur,debet eſſe Medicus longo experimento munitus, ex Gal. 1. *dignoſc. pulſib. cap.*1. nam hæc ſcientia de pulſibus eſt ardua, ac difficilis.

DVBIVM V.

Num curatio obſtructionis læuium arteriarum, à tuberculo facta, ſit difficilis.

CRudi *cuiuſpiam tuberculi.*] Suſpirioſam orthopnœam à craſſis, lentiſque ſuccis ſubortam, læuiùmque arteriarum obſtructionem efficientem, iis auxiliis, eodémque curationis modo eſſe tractandam, ac aſthma curari ſolet, certa res eſt; & qui de medendis humani corporis malis ſcripſerunt, id confirmant; inter quos palmam præripuit eruditiſſimus Petrus Salius Fauentinus, *lib.de affect.partic. loc.ſup.cit.* de obſtructionibus læuium arteriarum pulmonis, à quo deſumpſit Ludouic.Mercat.*lib.*2.*de morb.intern. cap.*7. De quo affectu multa priùs prædixit Hipp. *lib.*2. *de morb. num.*62.

Obſtructio læuium arteriarum pulmonis à tuberculo orta,quantum negotium pro ſui curatione Medicis faceſſere poſſit, nemo eſt qui neſciat. Grauis enim eſt affectio hæc ob multas cauſas. Nam cruda, contumax, & rebellis eſt tuberculi materia, & aſſiduè à capite, à cuius origine ferè ortum habet,noua humoris lenti portio in partes ſpiritales defluit: & affectus in penetralibus internis magis ſitus eſt, quàm ſit in aſthmate, vbi efficacia,& vehementia auxilia applicari non poſſunt: quæ ſi exſequaris, præterquàm quòd ea non admittit partis præſtantia, reſoluta tenuiori tumoris portione, reliquum induratum, lapideúmque euadet, cuius vi, obſtructis viis, negato refrigerio, & fuliginoſis recrementis retentis, cor ipſum gliſcit & exardeſcit, & tandem ſuffocato calore ſubita mors accidere ſolet, præcedentibus ſemper cordis palpitatione, animi deliquio, & ſyncope. Et ſi diu perſeuerauerit malum, corde ſufficienter non ventilato,& calido innato languente valde, & imminuto, & hepate debiliori facto, tum hydrops pulmonis, tum aliqua hydropis ſpecies ſuperuenire conſueuere.

Inſuper

Inſuper. Si ſuppurare ſtudeas medicamentis phyma, præterquam quòd incurabile vlcus relictùm, ægros ad obitum deducit, phthiſis inſtar, ob multas cauſas, pus in cor inſiliens inopinatam mortem inducit; & ſi pus poſt 40. dies educant, tabidi fiunt, vt ait H p. *in Coacis*. Quapropter huius tumoris, vt impoſſibilis, deſperanda curatio eſt, & maximè in ſenibus, in quibus ob calidi innati languorem, & virium iacturam ampliùs malum efferatur. Ij etiam præcipuè læduntur, qui malè formato ſunt pectore, & anguſto thorace, vel à natura, vel ex accidenti, aut ex gibboſitate, quæ dorſum ad externa contorquere ſolet. Cùm enim ſint his partibus infirmi, & ob thoracis anguſtiam à leuiſſima cauſa offendantur, facilè lædi ſolent. Ob talem igitur figuram, tubercula circa pulmones duris ac crudis, plerumque tales affecti ſunt: nam & gibboſitatis occaſio, & diſtentio pleriſque propter tales collectiones fit, cum quibus vicini nerui communionem habent, vt perbellè edocuit Hip. *lib. de artic. num.* 38.

Maximum item vertitur periculum, quando cum acuta febre affectus coniungitur, tum quia vel ob nimium calorem ſuppurato tuberculo, & facto vlcere, phthiſi occupatus moritur æger: tum quia indicationes curatiuę inuicem repugnant, quum contrariis indigeat. affectus: maxime quoniam cor ob febrim æſtuans, multa ſolùm aëris inſpiratione leuari poteſt, quæ ob ſpiritalium partium anguſtiam, & obſtructionem fieri nequit.

Admirandus Senex *lib. 6. epid. ſect. 4. text. 4.* Agaſij filiæ ex ſuppurato tuberculo laborantis hiſtoriam depingens, iubet, *vt abſtineat ab allio, ſuilla, ouina, bouina; in inſpirationibus verò à clamore, & ira.* Illa ſiquidem ægrè coctilia ſunt, crudúmque ſuccum gignere conſueuerunt: ira verò, & vociferatio non ſolùm rupta vaſa lacerant, ſed tenſionem, caliditatem, & inflammationem in inſtrumentis ſpiritalibus efficiunt.

De aëre, cibo, & potu ſat plura Trallianus *lib. 5. cap. 3. de phymate, quod in pulmone adnaſcitur.* Ad medicamenta antequam accedamus, ante ea neceſſarium eſt, cauteria, ſeu inuſtiones candentibus ferramentis efficere, vel in duobus ſpatiis intercoſtalibus ſupremis iuxta ſpinam, vel (quod magis laudo) in brachiis in parte externa, vt ſic humor in partes ſpiritales ſuopte impetu delapſurus, in alias minùs nobiles diuerti poſſit corporis partes: hoc enim facto emiſſario, non additur cauſa continuò tuberculi fouens augmentum: & ſic æſtuanti cordi ſubſidium paratur, ac refrigerium, quum pulmo non ita humoris copia grauetur.

Phlebotomia cauenda, corpora enim hæc ferè ſuccis crudis ſcatere ſolent, in quorum præſentia vires haudquaquam poſſunt eſſe valentes: & ferè hi viſcera habent languida & flaccida, imbecillúmque habent natiuum calorem, & ob morbi diuturnitatem inſignium præſidiorum vſum ferre non poſſunt. Si tamen fortè fortuna hic affectus cum plenitudine pituitoſa complicetur, vt ferè ſemper accidere ſolet, parcè & moderatè, habito tamen partis mandantis, aut recipientis reſpectu, ſecari poteſt interna.

Poſt quàm ſectionem, propinentur quæ craſſos humores blandè, & ſuauiter vacuare nata ſunt: ea tamen repetere oportet, nam lenti, viſcidique ſucci vnica vacuatione educi non poſſunt: quòd ſi in partibus inferioribus obſtructiones adſint, iis per propria medicamenta opitulari oportet.

Medicamenta exhibeantur, quæ ſint attenuantia, & exſiccantia, aromatica, & maximè ſi ſint thoracicis medicamentis permixta, vt ſunt galanga, cinnamomum, macis, coſtus, cardamomum, & ſi quæ alia arte Chymica extracta, ex Theriaca, Mithridatio, terebinthina, ſulphure viuo præſidia, quæ paulò vehementiora, ob ſitus reconditam ſedem, ſemper ſunt propinanda.

Quòd ſi his non ſuccubuerit malum, ad ſedationes ex ſmilace aſpera, ligno ſancto, radice chynæ, aut ſaſſafras Indica, paratas, deueniendum eſt; quibus (vt decet) factis, tuberculum vel diſcutitur, vel minuitur: nam *ſalſa parilla eſt Regina in hoc, quoniam tumores duros emollit, diſcutit, abſtergit, craſſam ipſorum ſubſtantiam mirandum in modum* A *reſoluit*, vt elegantiſſimè docuit Fallop. *lib. de morbo Gallico, cap. 63. & 68.* Et licèt horum ſudorificorum medicamentorum varia ſit aſſumendi forma, nam alij ex iis parant pulueres, tabellas, opiatas, martios panes, decocta, ſyrupos, pilulas. vt notat inter omnes Ioan. Fragoſus, *lib. de aromatib. diſcurſu* 12. Tamen cum decocto ſudores prouocare, vtile eſt auxilium huic vſui, & experimento diutino confirmatum: Calore enim ex ſudore comparato, ſucci craſſi liquantur, & medicamenti vi promptiùs diſcutiuntur, ſpiritales partes roborantur, & cerebrum, à quo ferè mali ſcaturigo, firmatur valdè.

Si tamen hæc non profuerint, tuberculi ſuppuratio medicamentis appropriatis eſt tentanda. Vitandáque acria, & craſſa, vt Hipp. *6. epidem. cit.* imperauit. *Agaſij filia, quæ diu* B *ſpitatione crebra laborans, & circa thoracem tantùm dolorem ſentiens, tuberculum nondum concoctum in pulmone habebat. Cúmque magnum leuaſſet pondus, aliquid crepuiſſe in pectore viſum eſt, fracto nimirum iam, vt veriſimile eſt, intus tuberculo.* Acria enim erodunt pulmonem, & breui phthiſim afferunt, craſſa excreationem impediunt. In inſpirationibus, à clamore, & ira arcendi ſunt ægri. Clamor enim non ſolùm vaſa dilatat, ſed rumpit, cùm fit vehementi reſpiratione. Ira, feruore excitato ſanguinem ad cor, pulmonémque attrahit, & vi adaucto plus reſpirare cogit, ideóque difficulter ſpirantibus maximè fugienda. Vlcere facto, abſtergentia primò, deinde exſiccantia, ſicut in phthiſi, exhibenda. Ergo vlcus ex ſuppurato tuberculo factum, ſanari poſſe deſperandum eſt: & licèt vlcera pulmonis aliquando, raró tamen, curari poſſe locupletiſſimi teſtes teſtentur, quos infrà *in com. Hiſtor.* 33. *huius libri*, legere ne pœniteat: tamen hoc eſt rariſſimum, & ab arte, vt monſtroſum, C explodendum: quoniam *ex iis quæ ſemel, aut bis homo videt, non debet pronunciata medica conficere*, ex Gal. *lib. de fœtus format. cap.* 1. Nam *frequentia pro perpetuis habentur*, vt bellè dictabat Galenus *lib. 6. aph.* 58.

HISTORIA XIII. GALENI, *De reſpiratione.*

Seruus Barbarus cohibita ſponte reſpiratione, mortem ſibi intulit.

Quod autem totum opus reſpirationis, voluntate, & ſponte ab anima fiat, declarauit ſeruus barbarus, qui cùm * *ve-* D *hementi ira concitatus mortem ſibi conſciſcere decreuiſſet, proſtratus humi, reſpirationéque cohibita, longo quidem tempore immobilis erat, poſteà verò paululùm volutatus, hoc pacto mortuus eſt, &c. Galenus* lib. 2. de motu muſculor. cap. 6.

PARAPHRASIS.

Licèt Valerius Maximus duo afferat exempla eorum, qui cohibita reſpiratione obierunt, & nos plures viderimus Æthiopes, qui vel ira perciti, vel timore perterriti, manu ori impoſita, ſponte impedita reſpiratione interierunt: de qua re, plura ſatis congeſſere Thaddæus Dunus *lib. de reſpirat. cap.* 1. Raſius Textor, *in ſua Officina, tit. de iis, qui variis modis ſibi mortem intulerunt*: & ob hoc, reſpirationis opus voluntarium eſſe, & non naturale, E cum Galeno concedere ſit neceſſe: tamen plura apud eum extant, quæ contradictionem maximam ingerere videntur, quæ recitare ſuperfluum iudico, cùm in hoc argumento Neotericorum doctiſſimi inſudauerint, qui cum Ariſtotele, Auerroë, & Peripateticis, reſpirationem, naturalem, & inuitam eſſe actionem, fuerunt arbitrati. Licèt alij cum Galeno, & Auicenna, voluntariam eſſe efficaciter contendant: de quorum numero primus eſt Carrerius, *diſput. 36. ad libros de loc. affect. cap.* 1. Quidquid plures mixtam eſſe actionem, ſolutis vtriuſque partis argumentis, doctè, latéque concludant: inter quos eſt Andreas Laurentius *lib. 9. de hiſtor. anatomic. quæſt.* 20. Tu verò ſi pulchra de hoc dubio legere deſideras, vide Lacunam *in contradict.* 13. Galeni, Nicol. Rorarium *in contradict.* 133.

Galeni,

Galeni, Valleſium *lib.3. controuerſ. cap.2. in med.* Ioan. Lupum *ad Tyrones, lib.4.dialog.11.* Coſtæum *in com.fen.lib.3. tract.2. cap.7.* Quis autem ſit reſpirationis vſus, quæ natura, quot eius cauſæ, quæ organa, explicat doctè Laurentius *lib.9. de re anatomic. quæſt.29.* De cuius præſagio ad Galeni mentem, vide Ludouic. Lemoſium *lib.3.de opt. prædicendi ratione, cap.12.*

DVBIVM VI.

Num ira repentè interimat.

COMMENTARIVM.

V*Ehementi ira concitatus.*] Maximum animi pathema ira eſt, ex qua non ſolùm omnis ſortis febres, ſed admiranda ſymptomata, & mortem quandoque oriri, veterum peritiſſimi confirmarunt: de quorum numero ſunt, Valerius maximus *lib.9. tract.2. de morte non vulgari*, Aulus Gellius *lib.3.noct. Atticar.cap.15.* Plin.*lib.7.c.32.& 57.* Valleriol. *lib.5.de morb. & ſympt. cap.5.in med.* Dubrauius *lib.2.hiſtor.Bohemic.* Conrad.Lycoſthen.*lib.14.* qui omnes, ira percitos vehementi plures obiiſſe, appoſitis exemplis conteſtantur. In ira enim cùm ſanguis, & ſpiritus iuxta cor ab iraſcibili facultate commoti incompoſitè ebulliant, & efferueſcant, ex Gal. *lib.2. de cauſ.ſympt.cap.2.* & *lib.2. de ſanit. tuend. cap.9.* & *lib.8.de placit. cap.1.* ita vt cordis latera immodicè quatiantur, fit vt vnito in corde, velut in arce quadam, vniuerſo calore, eóque præ congerie multa obruto, ac ſuffocato, internus ignis marceſcat ſubitò, ac extinguatur, ſi verum eſt, hunc non minùs à grauante copia, quàm à deficiente minui, ac reſolui.

Quare non deſunt, qui Galeni ſententiam temnunt & damnant, latam *lib.2.de cauſ.ſympt. cap.5. in fin.* ab ira neminem interiiſſe affirmantis, addúntque præter exempla ab hiſtoricis citata, rationes plures: nam Gal.*lib.12.meth. cap.5.iram, vigiliæ inſtar, vires reſoluere* aſſeuerat, qua prehenſos, & viribus deficere, & animo linqui confirmat.

At fidendum dictis Galeni, obiectiſque occurrendum hoc modo. Non enim negamus, in ira ſanguinis & ſpiritus in corde copiam cumulari: attamen hanc, cùm caloris effuſione ad extrà, eſſe coniunctam libenter admittimus; quo motu ad partes exteras ſubitò calorem ventilari non eſt dubitandum. Neque adductæ ab auctoribus rationes aliter opinari cogunt: nam irati non ab hoc animi pathemate, ſed ab aliis affectibus, iræ ſuperuenientibus obiere; excandeſcentiâ enim nimiâ, feruoréque maximo, ebulliunt & liquefiunt humores: ſicque cerebri excitantur lethales affectus, & aliarum partium internæ inflammationes, in corporibus præſertim impuris ſuboriuntur, ex Galeni doctrina, *lib.6. de ſanit.tuend. cap.3.* iratis enim cor ſalire, & bullire videtur, in quibus oculorum, & faciei ingens conſpicitur rubor, horridus aſpectus, & quaſi ignem expirans furor, qua de cauſa Philoſophus *lib.8.probl. 20.* iram ex igne profectam appellat.

Ira ergo per ſe neminem interficit, cùm accidat cum appetitu vindictæ, calore neque perfrigerato, neque eius robore ſoluto: ex gaudio enim ingenti nonnulli puſillanimes periere, æquè ac ex timore; non enim cum robore, ac feruore, velut in ira mouetur extrorſum animalis facultas. Hoc ſatis confirmant iratorum ſigna, pulſus, reſpirationiſque magnitudo, ex Gal. *lib.6.epid.ſect.5.com.9. & lib.4.de cauſ.pulſ.cap.2.* Neque inſtes facultatem in ſuo robore auctam poſtmodum poſſe cadere: nam quòd iratis robur acquiritur, naturæ eſt potiùs conatus, qui deinceps maiori cum diſpendio concidit. Inſtantiam redarguit ex profeſſo Gal.*lib.cit.de cauſ.pulſ.* qui vehementiam pulſuum in iratis non eſſe cenſendam præternaturalem, cùm ſit ex cauſis ſecundùm naturam profecta, copia nimirùm caloris denuò adaucti, conſtanter aſſeuerat: conatus enim ille, quem natura eo tempore apponit, non fit citra nouum facultatis robur illi ſuperadditum. Deinde ſanguis qui propè cor mouetur, & inflammatur, tantùm abeſt vt cor obruat, vt potiùs hoc illius acceſſu robuſtius euadat; non enim hic in corde conculcatur, ſed extrorſum aſſiduè mouetur. Lege Valleſ.*lib.5.cont.8.*

Inſuper, non negamus iram frequentem eo modo lædere, quo frequentes vigiliæ vires reſoluunt, ſæpè ſpiritu deperdito, aliàs alterato, aliquando ex parte reſoluto, non rarò hæc vtraque perpeſſo: quare frequens ira, diſſipatis ſpiritibus, virium robur diſſoluit, tandémque mortem acceſſit, à ſubita autem & repentina nemo interiit. Quoniam verò ira calidiorem, & concitatiorem generat ſanguinem, quem ſuapte natura ſupernas partes tentare notum eſt, ſic fuſis ſuccis, facilè caput repletur, ſpiritus animales confunduntur, conturbantur, & vertigo, Epilepſia, Apoplexiáque ſæpiſſimè oriri ſolent, vt notauit Ioannes Philip. Lonerus *lib. de apoplexia, rubric.3.* & poſteà firmauit Hildanus *lib.5. cent. Chirurg.17.*

DVBIVM VII.

Num ira conſiſtat in feruore ſanguinis in corde. Contra Fracaſtor. Medicum celeberrimum.

SEd quoniam de ira ad hiſtoriæ explicationem facta eſt mentio, haud erit extrarium, rectam iræ definitionem hîc breuibus excutere. Gal.*lib.1.de dif.feb.cap.4.* ſic definit; *eſt motus vehemens iraſcibilis facultatis, quæ in ipſo cordis corpore ſedem habet.* Fracaſtor. *lib.de ſympathia, c.21.* allatæ nimiùm finitioni aduerſatur, dùm ſic definit. *Ira per ſe eſt appetitus nocendi cauſa nos offendenti, ex quo collectio fit circa cor.* In contrarium ſuadet ratio; quæ talis eſt. Ira paſſio eſt cordis, nempè iraſcibilis facultatis in corde reſidentis: vltionis appetentia non eſt paſſio cordis, ſed principis facultatis, quæ in cerebro ſedem habet: appetitus ergo vindictæ non eſt per ſe ira, ſed quoddam acceſſorium. Proinde ſatius quidem fuerat, vniuerſa quæ in ira apparent, ex probatiſſimis philoſophorum ſic perſtringere.

Primùm animalis facultas comprehendit iraſcibilia obiecta; protinùs ſequitur motus vehemens animæ iraſcibilis, quem per ſe iram eſſe diximus: deinde acceſſoria iræ accedunt, nempè efferueſcentia ſanguinis, aut caloris in corde, & vltionis appetentia in principe facultate. Ex his conclude definitionem latam ab Ariſtot. *2.ſect. probl. 26.* nempè, *ira eſt efferueſcentia ſanguinis circa cor*, non eſſe eſſentialem. Sic enim intelligendus eſt Gal.*lib.de cauſ.morb. cap.2.* & *2.lib.de ſanit. tuend. cap.9.* Nam ira paſſio animi eſt: efferueſcentia verò ſanguinis, aut caloris in corde, non eſt paſſio animi: min mè igitur iræ eſſentia eſſe poterit. Quemadmodum enim iraſcibilia obiecta motum vehementem excitant facultatis iraſcibilis, qui per ſe eſt ira; ita motus ille præ ſe fert efferueſcentiam caloris in corde, & libidinem vindictæ in principe facultate; quæ acceſſoria eius ſunt.

H.c autem cordis feruor calidiori cordi iungitur à Gal. *in art. Medic.in cap.29.* quoniam hoc vtpotè faciliùs mobile, magis irritatur & excandeſcit, quàm frigidum, & propter innatum robur, diſpoſitionem habet promptiorem ad ſumendam de aduerſario vindictam, in eóque maior concitatur ebullitio, maior appetitus vindictæ cum aggreſſione: in corde enim calido adeſt maior vigor, viget audacia; in frigido adeſt timor retrahens animum ab aggreſſione, vt Hieronymus Nonnius Ramires Olyſiponenſ. notat eleganter, *in com.cap.5. lib.de ven.ſect.Gal.*

DVBIVM VIII.

Num ira ſit quædam furoris ſpecies.

BArbarus ergo ſeruus, hoc eſt, temerarius & furibundus, iráque forti percitus & agitatus, manus ſibi violentas intulit. Ex quo ſubit vehementer mirari priſcos ſapientiſſimos, qui hoc tam deteſtabile vitium, & ex quo tot pericula pullulare ſolent, tot laudibus celebrant, & encomiis. In Philoſophorum Scholis iactatum ſcimus, iram cotem eſſe fortitudinis. Ex Rhethorum pompa ſunt, qui indignationem impetus, animæ genuinum eſſe ſcutum pronunciant. Annon abſurdum, & à vero diſſentaneum, non poſſe fortem virum, niſi ſtomachabundum virtutis ſuæ opera promere? Atqui literarum, & omnis antiquitatis

parens Homerus,vehementer,acriter, animoſéque geſta, iracundè fieri pronunciat.Rurſum Peripateticorum ſcientiſſimi, perturbationes, quas alij extirpandas putant, non modò eſſe naturales contendunt, ſed & vtiliter à natura datas, rationibus colligunt. Fortitudini enim nullam vim ineſſe aiunt, ni ira excanduerit, quòd ſit ad res præclaras planè incitamèntum. Oratorem denique non agentem modò,ſed & patrocinantem,ſine iracundiæ aculeis non ſatis vehementem arbitrantur. Adiiciunt quinimò,ſi non adſit,verbis tamen,ac concitatiore motu effingendum,vt ardens Oratoris actio,ira inflammet auditores. Virum quoque eſſe negant,qui iraſci neſciat. Ad hæc verò quæ ex Peripatetica obiiciuntur ſchola,reſpondebit luculenter ipſa, ſui Ariſtotelis innixa veſtigiis : Iram conſiderari perpendique poſſe,provt in exceſſu eſt,itémque vt eſt in mediocritate. Si hoc ſecũdo modo ſumamus,eam dicimus eſſe cum regula,& rationis gubernaculo,iungique cum operatione forti poſſe pulcherrimè. Ideóque Philoſophum dixiſſe,iræ motionem eſſe naturaliſſimam,& ſi congruum accipiat finem ac electionem, futuram fortitudinem veram,ac fortitudinis operationem. Hoc modo iram non habere,dixere veteres, qui mentem non habeant. Ira legum præſidi neceſſaria, ciuitatis moderatori accomomda.

Si accipiamus eam,vt in exceſſu eſt, quid inſaniæ ſimilius? Quare Cato Senior iratum ab inſano,non alio diſtare adſtruebat, quàm tempore. Annon id Plutarchi nouimus ex *ſympoſiacis*, canes vehementiore aduerſum feras concepta ira quandoque obcæcari? vt ſcias non eſſe ſanos quos ira poſſidet. Ipſum intuere habitum : flagrant, emicántque oculi, multos ore toto rubor occupat, labia quatiuntur,dentes comprimuntur, ſurgunt capilli, ſtridet ſpiritus,gemitus,mugitúſque,ſermo præruptus,& comploſæ ſæpiùs manus, & pedibus pulſata humus, fœda viſu, & horrenda facies deprauantium ſe, atque intumeſcentium. Vnde Ouidius *lib.3.de art.amandi*, ſic depingit.

Ora tument ira, nigreſcunt ſanguine venæ,
Lumina Gorgoneo ſæuiùs angue micant.

Nónne hæc inſaniæ ſunt indicia, auctore Seneca *ep.*18. & *lib. de ira, cap.*3. 4. 5. Sic Horatius *lib.* 1. *epiſt.* 2. iram vocat furorem. Cur autem irati ignitos oculos habere videantur,multiplicem aſſignat cauſam Ioan.Baptiſta Perſona,*in Noctibus ſolitariis,colloq.*20.

Ira furor breuis eſt, animum rege, qui niſi paret,
Imperat; hunc frænis, hunc tu compeſce catena.

Apollonius *ad Macedon.ſerm.*20. apud Ioan.Stob.celerem iram,furorem vocat. Vnde Philemo ſic inquit. *In furorem agimur omnes, cùm iraſcimur : nam ſeſe in ira continere, ingens labor eſt.* Et apud eundem Stob. Catonis maioris dictum,iratum à furore, temporis morâ ſolùm differre. Cicero *lib.4.Tuſculan. Ira verò quandiu perturbat animum, dubitationem inſaniæ non habet.* Seneca *lib.2.de ira ad Nouatum,c.*16. *Nulla celerior ad inſaniam via eſt. Aiacem in mortem egit furor, in furorem ira.* Lege de argumento hoc nouam Polyantheam à Ioſepho Langio nuper illuſtratam, auctam,& ordine ſuo diſpoſitam. Qui harum perturbationum victor euadit,poteſt Deorum immortalium numero adſciſci,vt *de rerum natura,lib.*5. Lucretius eſt auctor.

Hæc igitur qui cuncta ſubegerit, ex animóque
Expulerit dictis, non armis, nónne decebit
Hunc hominem diuum numero dignarier eſſe?

Quid plura? nónne ira cæca,doloris acumine,aut alio tormenti genere perciti plures ſibi violentas manus intulere? Nónne irati,inimicos, amicos,liberos,parentes, beſtiáſque morte puniuere? quæ omnia exemplis ornauit, ex veterum ſcriptis Lælius Biſciola eruditiſſimus, *tom.* 2. *horar.ſucceſſiuar. lib.*10.*cap.*17. Nónne hi furore veluti indignabundo arrepti,mortis ſuæ vindices fuere acerbi, ſuique enormes homicidæ?

Scribit Langius acutiſſimus *lib.*1.*ep.*38. & ex eo refert Marcellus *lib.2.de Hiſtor.medic.mirab.c.*1.hiſtoriam Agricolæ,qui cùm crudelibus dolorum tormentis,in altero hypochondriorum latere conficeretur,ſubitò clauum ferreum ſub illæſa cute manu apprehendit, quem Chirurgus nouacula excidit,nec tamen dolores ceſſabant,ſed indies magis recrudeſcebant: quare quum nec aliud fore doloris remedium ſuſpicaretur miſer, irâ velut amens percitus, arrepto cultello, ſibi guttur abſcidit. Nec mirum : quandò poſt diſſectum cadauer, adſtantibus multis, inuenta in eius ventriculo lignum teres, & oblongum, quatuor ex chalybe cultri partim acuti, partim inſtar ſerræ dentati, ac duo aſpera ferramenta, quorum ſingula ſpithami longitudinem excedebant.

Obſeruatio. III.

Quidam ira percitus, violentas manus ſibi intulit.

SEruum noui iuuenem,at robuſtum ſatis,qui cùm à domino acriter citra rationem obiurgaretur, nec de eo poſſet ſumere, in filiorum præſentia,vindictam, ira percitus ſuborto ſubitò genarum rubore, toruo aſpectu,veluti amens, verba peſſima in dominum obmurmurans, euaginato tenuiſſimo cultello, vmbilico confoſſo mortem ſibi pro vindicta acciuit.

Denique pluribus gentibus viſum laudabile,ſe aliquando occidere. Romani ſui homicidæ pro fortibus celebrabantur,& ſapientes habiti ſunt, tum mares, tum fœminæ, qui vel inedia ſe confecerant,vel gladio,veneno, præcipitio,laqueo, aut igne; quorum amplam ſyluam, longúmque catalogum lege apud Valer.Maxim. Rauiſium Textor. *in Officina*,quos eleganti,ſuauique oratione enumerat Lactantius Firmian. *lib.3. cap.*18.

Hos vt inſanos, & dementes derident Herocles apud Stob.*ſerm.*73. Ariſt.*lib.5.Ethic.cap.vlt.* Virgil.*lib.6.Æneid.* qui hos in inferorum locis collocat.

———— qui ſibi lethum
Inſontes peperere manu, lucémque peroſi
Proiecere animas. ————

Hos ſuggillat hoc diſticho, Martialis in Fannium *lib.*7. *epigram.*80.

Hoſtem cùm fugeret, ſe Fannius ipſe peremit.
Hic (rogo) num furor eſt, ne moriare mori?

Nemo enim vitæ ſuæ eſt dominus, ſed eſt res, & opus Dei, qui vitæ, & mortis auctor eſt, vt legitur *in Deuteron. cap,*32. *Ego occidam, & ego viuere faciam.* Egregia eſt Ioſephi oratio *lib.3. de bell.Iudaic.*14. reprehendentis quadraginta viros, vt ignauos, non fortes, neque magnanimos, qui ne à Romanis in ſeruitutem raperentur, contra Dei, veri opificis legem,contra naturæ inſtinctum rationi congruentem, in ſpecu latitantes mortem ſibi gladio intulere. Quapropter ſapientes Thebani habiti ſunt,apud quos, qui mortem ſibi intuliſſet, nulla commendatione dignus habebatur, quòd ea violentia, impatientiam, ſeu animi demiſſionem, imò inſaniam coarguebat, cùm ſui immanis eſſet carnifex. Hac ergo amentia, ſeu furibunda ira percitus ſeruus barbarus violentas manus ſibi intulit. Si plura de ira morbo, eiúſque curatione medica, philoſophica, ac theologica ſcire affectas; lege Cælium Rhodiginum *lib.*23.*cap.*21. & Vvierum *prop.tract.de ira.* De cuius effectibus mira protulit Petrus Lopeſius *lib.5.de ſex.reb.non naturalibus*, elaborato carmine conſcripta.

HISTORIA XIV. GALENI, De vocis læſione.

APhonia, ad ſtrumarum inciſionem ſequuta : Quum ergo ex ceruice quidam chœradas, id eſt ſtrumas in profundo incumbentes excideret, ac deinceps inter ſecandum quoddam vas, membranas non ſpecillo ſecaret, ſed vnguibus euelleret, imprudens ob ignorantiam ſimul recurrentes neruos diſtraxit, atque hoc pacto puerulum liberauit à ſtrumis, ſed mutum reddidit, &c. Galenus lib.1. de loc.affect cap. 6. in med.

PARAPHRASIS.

ALiam *in hoc cap.* affert Gal. hiſtoriam, *de quodam qui cùm ſectionẽ faceret in alio puero, ipſũ ſimiliter ſemimutũ reddidit*

reddidit,læſo videlicet altero dũtaxat neruo:mirabantur verò omnes,quo pacto neque aſpera arteria,neque gutture quicquam affecto,vocem lædi contingeret,qui cùm vocales neruos me oſtẽdente conſpicerent, admirari deſierunt.

Similem hiſtoriam narrat Amat. 2. *centur.*70. mulieris Illyricæ, cui ſtrumam in collo habenti, Chirurgus indiſcretè ad reſecandas radices ſublimatum indidit, à cuius acrimonia alter recurrentium neruorum corroſus eſt, & vox inde ex toto ferè amiſſa: Huic conſimile affert exemplum Beniuen.*lib.de abdit.cap.*91. quod etiam proprio experimento probat Franciſcus Dias Chirurgus celeberrimus *lib.2.Chirurg. colloquio* 15.*de ſtrumis.*

Inter plurima pericula, quæ ex ſtrumarum exciſione ſequi ſolent, citata à Paul. *lib.6.cap.*35. vnum eſt relatum hîc à Galen. nempè recurrentium neruorum inciſio, quibus diſſectis, laceratis, aut diſtractis, vocem oblædi cõtingit. Probat Auicen. 3.4.*tract.2.cap.*10.§. *Homo enim quidam errauit quum perforaret quaſdam ſcrophulas, & obuiauit ramo neruorum reuerſiuorum, quare deſtructa eſt vox, &c.*

Nerui vocales, ſeu reuerſiui à Galen.dicti, guttur perreptantes ad larynga perueniunt, quos à præceptoribus ſuis fuiſſe ignotos, & à ſe primùm inuentos gloriatur ipſe *lib.7. de vſu part. cap.4. & 13. & lib.4. de loc. affect. cap.7.* Hos à ſexta neruorum coniugatione, qui ad omnia thoracis, abdominiſque viſcera ſenium deferunt, oriri, teſtatur Andreas Laurent. *lib.4. de re anatomic. cap.*17. Si quis enim alterum ex his præcindat, ſemiuocale redditur animal. Si ambo, prorſus obmuteſcere cogitur: quorum hiſtoriam graphicè depingit Realdus Columb. *lib.8. de re anatomic. cap.3.*

Hi ergo ſunt nerui illi, quorum vi ac ope efformatur vox; cuius inſtrumenta ſunt, guttur, larynx, muſculi, & nerui recurrentes, ex Galen. *lib.4. de loc. cap.6.* Eſt Vox apud Philoſophum *lib.2. de anim. text.*90. *repercuſſio inſpirati aëris ad vocis inſtrumenta.* Huius materia eſt exſufflatus aër, vt exſuffletur, expirari oportet cum ſtrepitu, & ſic vox editur, deinde articulatur, & fit ſermo; cuius inſtrumenta ſunt, lingua, labra, dentes, palatum gurgulio, & nares; principatum tamen obtinet lingua, vti in voce Epiglottis, quod *lib.7.de vſu part.cap.5.& lib.2.de placitis, cap.*4. Gal.confirmat.

Vox, & ſermo tripliciter lædi poſſunt, vt cæteræ actiones, aboleri, imminui, deprauari: hócque fieri non poteſt, niſi partibus vel principibus, vel quæ his famulantur, oblæſis, nempe larynge, muſculis gutturis, recurrentibus neruis, lingua, labris, palato, gurgulione, pariſthmiis, & naribus, quæ vocis, ſermoniſque efformandi inſtrumenta ſunt; præterea thorace, ac pulmone, quæ materiam vocis ſuppeditant.

Porrò ſi vocis oblæſæ cauſam inquiras, apud Galen. ipſum ſemper ferè ex læſione neruorum recurrentium eam non ſolùm lædi, ſed penitùs intercipi exiſtimaſſe inuenies. Mirabile enim dictu eſt, quàm horum neruorum ſit virtus admiranda; & ab eo ſummis laudum præconiis decantata *lib.7. de vſu part.cap.*16. Maiorem tamen admirationem facit, hos neruos minutos, ac capillorum inſtar ſubtiliſſimos, quemadmodum Galen. ipſe *lib.de præcogn.cap.*5. eſſe tradidit, reciſos, ac interceptos, vocis deperditæ cauſam eſſe: & firmat Vidus Vidius *tom.2.generat. lib.9. à cap.1. vſque ad cap.5.*

Vt tamen tantum ſcrupulum eximere poſſis, & experimentum Galeni, in ſecandi arte peritiſſimi veriſſimum eſſe pronuncies, audi Columbum *lib.14. de ſectione viua*, qui de re anatomica ſcripſit fidè, eleganter, & doctè. Sic enim ait: *Hi reuerſiui, ſeu recurrentes, ſeu vocales nerui, ſurſum reuertuntur aſperæ arteriæ adhærentes, & in laryngem immittuntur. Recurrentem neruũ facilè agnoſces, tũ quia albicat, tum quia inſtar fili videtur eſſe: hunc eleuato, nam ſi illum digitis compreſſeris, dictum, ac factũ miſero cani vox imminuitur: Si manũ detrahas, ita vt animalibus ſpiritibus aditus pateat, vox denuò reuertetur: ſin dextrũ neruũ abſcindas, prorſus amittitur. Nunc de ſiniſtro reuerſiuo neruo dicamus. Adminiſtratio eodem modo fiat, quo in dextro dictum eſt. Si neruum vinculo excipias, & coarctes, ſtatim mutus efficietur: Si diſſoluas, ſemilatrabit, ob dextri nerui abſciſſionem: ſin tranſuerſum diſſecaueris, mutus in æternum fiet, ſuperuiuere tamen poſſet, ſi dimitteretur, cum tanto vulnere, niſi alia afflictio afflicto adderetur. Profectò pulchrum eſt ſpectare, conſideratúque pulcherrimum, quo pacto duo neruuli adeò paruuli tam bellam edant actionem, qualis eſt vocis ipſius efformatio, nemóque eſt qui non obſtupeſcat.* hæc Columbus.

Cùm enim hauſta pulmonibus natura ſpirabilis (cui nomen eſt aer) munere, ſeu officio contemperandi calorem cordis perfuncta fuerit, ne in caſſum exuſta illa, calorique naturali nimiùm exitioſa remigret, admirabili prouidentia à natura in materiam vocis, & orationis, qua nihil eſt diuinius, conuertitur. Lingua enim crebris vibrata motibus, aërem reductum à pulmonibus, & ex faucium renitentia ſtipatum, crebriore ſui acuminis in palatum illiſu, in vocalẽ ſpiritum velut animat, eúmque adiuta dentium offenſione, & labiorum compreſſione in verba diſcernit, quæ ſunt notæ, & picturæ rerum, & cogitationum, abſque quibus, cùm hominum coniunctio, & naturalis ſocietas inter ipſos diſſolueretur, tum certè hoc, quod ſibi quiſque habet præſtantiſſimum, nemo vnquam aſſequeretur. Nec enim docere de Deo, omnium opifice, & creatore ſummo poſſet alter alterum, neque ſanctiſſimum illius nomen compellare, ad cuius cognitionem & celebrationem ſumus conditi: neque adeò multùm inter homines, & animantes cæteras intereſſet, à quibus non ſolùm ratio, ſed etiam oratio, quæ interpres mentis exiſtit, quàm longiſſimè ſeiunxit. Lege de vocis præſtantia & officiis, Conſtantium Varolium *l.1.anat.c.*1. & Petrum Lopeſium Luſitanum, *l.1.poëſis philoſoph. de ſex rebus non naturalib.in init.* qui vocis, & ſoni munera eximio poëmate deſcripſit.

Hanc ergo perfectiſſimam actionem complent vocales nerui duo, vt *cit.loc.* Magiſter edocuit. Si enim ambo ſint diſtracti, officio ſuo priuantur, facultatémque animalem aëris percuſſionem facientem ad larynga non deferunt, quare aphonum redditur animal: Si vnus tantùm diſſectus eſt, remanet ſemimutum: Neque intelligas quòd larynx ipſa partes inter ſe diſtinctas, & dimidiatas habeat, vt earum quælibet emittendæ vocis mediam facultatem habeat, & hanc vnaquæque à ſuo neruo recipiat, vt videtur inſinuare Auic. hunc Gal. locum ex profeſſo explanans, 10.3.*tract.2 cap.1.§. Et fuit alius, qui cum curaretur à ſcrophulis, inciſus eſt ei vnus duorum neruorum reuerſiuorum, quare abſciſſa eſt medietas vocis, &c.* Nam ad vocem rectè efformandam, laryngis, linguæ, muſculorum ipſam mouẽtium, narium, labiorum, & dẽtium munus requiritur promptiſſimum, præſertímque horum neruorum, quos facultatem animalem deferre diximus; ſed cùm multùm eſſet vox vitiata, ad id ſignificandum, ſemimutum remanſiſſe dixit.

Plurimas interceptæ, vel amiſſæ vocis cauſas, legat qui velit apud Auic. *loc.cit.* Nam repentè quempiam obmuteſcere abſque occaſione, admirabile eſt, quod faciunt venarũ occluſiones, interceptionéſque, iuxta Senis edictum, *lib.4.de rat.vict.in morb.acut.text.*23. Cùm igitur ſupra modum oppletæ fuerint venæ, grauetur virtus, & præ copia multa, extincto veluti natiuo calore, ſuffocetur, fit aphonia, vt in apoplexia, epilepſia, & ſyncope cardiaca quotidie experimur, vt ferè accidere comperimus iis, qui vel timore, vel maximo animi mœrore ſunt percuſſi. Ob metum enim ſanguine, & ſpiritu ad internas ſedes, & cor, velut ad arcem collectis, copia ſua innatum ignem obruentibus, & canales per quos facultas deferri debet, obſtruentibus, fit aphonia: de hac Lege Amat.*6.cent.*5.

Hæc fuit cauſa, ob quam Nauſimenis Athenienſis vxor, cùm filij ac filiæ ſuæ ſtupro interueniſſet, inopinati monſtri perculſa conſpectu, & in preſens tempus ad indignandum, & in poſterum ad loquendum obmutuit, teſte Valerio Maximo *lib.1.cap.*8. Ob quam rationem obmuteſcimus viſis lupis; ob timorem enim, & metum vox faucibus hæret, & ſæpè tremula, imbecilláque redditur. ex Ariſtot. 27.*ſect.problem.*7. & Gal.2. *de cauſ.ſympt.*2.

Sed cur fiamus aphoni, quando nos à lupo priùs inſpici contigerit, ad occultam, & ignotam nobis lupi proprietatem referendũ puta: ſicut enim ſunt plurima animalia, quæ viſu, afflatu, & tactu intetimunt; ſic Lupi abdita quadam qualitate vocis raucedinem, & priuationem inducunt.

Plurimi enim reperiuntur diſſenſus, quorum cauſa non ita eſt manifeſta, vt inter cæteros eleganter admodum protulere, Fracaſtorius *lib. de antipath. cap.*1. & Ruellius *lib.*1. *de natur. ſtirp.* 22. Sic viſus eſt, cui leniore ex cauſa biduum, aut triduum loquela adimebatur, móxque repentè, & inopinatò reddebatur, & qui ſæpiùs ex interuallis integro ſano corpore, modò loquebatur, modò obmuteſcebat, auctore Fernel. *lib.* 5. *de pathol og. cap.* 9. De Aphoniæ generatione, cauſis, ſignis, & curatione, Lege Vidum Vidium *lib.* 8. *de curat. membrat. cap.* 20. & Mercurial. *in com. cit. context. Hippoc. lib.*4.*de rat. vict.in morb. acutis.* At ſi plura de ſermonis, & vocis vſu, ac natura ſcire cupis, vide Lælium Biſciolam Mutinenſem *lib.* 10. *horar. ſucceſſiuar. tom.*1.*cap.*22. Veſal. 7. *de fab. à cap.*4. *ad* 8. Conimbric. *in comment. cap.* 8. *lib.*2. *Ariſt. de anim. quæſt.*3.*art.*1. Bartholomæum Perdulcem *lib.*3.*ſuæ medicin. cap.*19. Baptiſtam Condronch.*lib.*1. *&* 2. *de vocis natura:* de qua re pulchra prædixit Fabricius ab aq. pendente, *tract. de larynge, vocis organo:* nec ſiluit Theodorus Douſa, *tract. de natura vocis.*

HISTORIA XV. GALENI,
De vocis læſione.

Vocis læſio, ex recurrentium neruorum infrigidatione, ſuborta.

EQuidem vocem vitiatam fuiſſe memini, adeò vt penè perderetur, infrigidatis nimiùm neruis recurrentibus, cùm per hyemem in collo adhibita fuiſſet quædam chirurgia; quod cùm intelligerem, * *calorificis* * *remediis naturalem temperaturam neruis reſtituens, vocem recuperauit, &c. Galenus* lib.1.de loc.affect.cap.6.in med.

PARAPHRASIS.

NEruis vtpotè frigidis, nimium frigus obeſſe, res eſt manifeſta: licèt enim illi ſint tendone & ligamento calidiores, & animali ſpiritu abundent, neque omninò ſanguine deſtituantur; cùm tamen ſint ſenſu eximio præditi, & ſuapte natura frigidi, facilè ab aëre, hyemali præſertim oblæduntur, cæterarum partium neruoſarum ritu, quibus frigus valdè eſt infenſum: hoc enim neruos, ſeu molles, ſeu duros condenſat, atque infarctæ illius materiæ exhalationem inhibet, vt latè oſtendit Magiſter *lib.*6. *meth. cap.*3. Nam *neruus pars ſenſilis eſt, & principum partium primati continua, & temperamento ſuo frigida, quorum omnium occaſione, & ex facili à frigido offenditur, & ſuam offenſam illicò cerebro impertit.* Hæc eſt cauſa ob quam medicamenta vulneribus neruorum applicanda, calida eſſe oportet, & præcipuè hyeme, vt 7.*collig.tract.de cura ſolutionis continuitatis neruorum*, dicebat Auerroës: & priùs firmarunt Galen. *lib.*3.*de compoſ. medicam. ſec gener. cap.*3. & Auicen. 4.4. *tract.*4. *cap.*2. *de vulnerib. neruorum.* §. *Et apoſtemantur nerui, & quæ ſunt in iis ſimilia, & chordæ, & extremitates lacertorum, & aduenit iis frigiditas, & ſpaſmantur, &c.* & infrà §. *Et vulneratis à quibus eſt elongare aquam frigidam, eſt vulnus nerui, & ſimiliter frigus aëris, vel cuiuſque rei neruo approximandæ, quamuis parum ſit frigidum, &c. Explicant diligenter* Holler. *lib.*3.*inſtitut. Chirurg.tit. de remediis neruorum*, & luculenter Dinus *in com.* Hanc doctrinam probant Raſius *lib.*7. *continent. cap.* 15. *&* 16. Brunus *in chirurgia magna, cap.*5. Hoc ita eſſe patet manifeſtè: nam ſi aër æſtiuus frigidior eſt cerebro, & neruis, ex Galen. *lib.*8. *de vſu part.cap.*2. quantò magis hyemalis, hic enim quoquo verſum penitiſſimè irruens neruos offendit, ſicque infrigidatis neruis recurrentibus, qui ad vocem formandam ſunt præcipui, ex Galen. *lib.* 4. *de loc.affect.cap.*6. vocem fuiſſe vitiatam aſſeremus. Hanc hiſtoriam confirmat Auicen. 10.3. *tract.*2.*cap.*1. dum ſic inquit: *Locutio namque quandoque completur cum anhelitu æquali, ſicut faciebat homo cuius neruo reuerſiuo accidit frigus, quum eſſet neceſſarium, vt diſco operiretur cum ferro, quare deſtructa eſt vox eius, &c.* Gentilis *in com.* affirmat, aliquod apoſtema in ea parte fuiſſe, quod debuit ſecari, & expurgari: adhibita igitur Chirurgia, hoc eſt ſecto apoſtemate, & nudato neruo recurrente, cùm præcipuè ob hyemem valdè frigidus eſſet aër, frigida intemperies in eo eſt introducta, indéque vocis vitium euenit.

Cùm ergo præ nimio frigore valdè intemperati eſſent, calorificis auxiliis ad naturalem temperiem eos reducere ſibi perſuaſit. Quæ autem ſint hæc, & an eſſent intus aſſumpta, an extrà poſita, ipſe non explicat. Calida verò actu, & poteſtate ea cur præcipiantur, multæ ſunt cauſæ. Prima. Quemadmodum vulnerata caro naturâ licèt humida, medicamenta exoptat, non quæ humectando conſeruent, ſed quæ exſiccando à lapſu prohibeant: ſic neruorum frigida temperies, calida ad præcautionem medicamenta, magis quàm ad conſeruationem frigida expoſtulat. Secunda. Contentus ſpiritus calidus, neruo præſtantior, & in opere vincens, frigida renuit omninò. Tertia. Neruus in ſanitate aſſuetus eſt calori vicinæ, circumdantiſque carnis; cùm ergo laborat, niſi infundatur quod parem carni priſtinæ calorem habeat, euertatur temperamentum eſt neceſſe. Quibus autem præſidiis Aphonia hac de cauſa ſuborta, ſit curanda, proprio exemplo notaui, *lib.*1. *de praxi admiranda, obſeruat.*106.

Calorifica neruo applicanda, ſicca ſint oportet: nam ipſa nerui conſeruanda natura vim ſiccantium adaugeri poſtulat. Sint autem ſubſtantiâ tenuia, quoniam curanda affectio in profundo latet. Horum medicamentorum latiſſimam ſyluam exaratam vide apud Gal. *lib.*6.*meth. c.*2. *&* 3. *& lib.*3.*ſec.gener. cap.*2. quibus locis de curandis neruis vulneratis, aut punctis agit eximiè. Interim lege Dionyſium Dacam *part.*2.*Chirurg.cap.*57.

DVBIVM IX.

Num oleum, neruorum vulneribus applicandum.

COMMENTARIVM.

REmediis.] Inter calorifica auxilia à Gal. citata, quæ neruis diſcoopertis vtilia ſunt, de quorum numero cenſentur, euphorbium, ſagapenum, opoponacum, ſulphur, terebinthina, & alia multa, oleum Sabinum præſertim bimum trimúmve tenue, cùm ſit calidum, & profundam, craſſámve nerui ſubſtantiam penetrans, punctis vulneratiſque neruis eſſe ſaluberrimum, *cit.lib. meth.* Gal. confirmat. Sed quoniam hic auctor, de olei applicatione in vulneratis neruis diuerſimodè loqui viſus eſt, de hoc negotio paucula diſſerere ſtatui, in quo magna eſt contentio apud interpretes.

Gal. enim *in lib.*6.*meth.*3. id reprobat. §. *Sanè oleo perfundere tale vlcus non oportet, quia ſordidum vlcus reddit, &c.* & *lib.* 3. *meth. cap.*2. oleum dicit, *cauo vulneri impoſitum, aduerſiſſimum omnium medicamentorum eſſe: nam ſi ita mederi velis, vſu ipſo intelliges, ſordidum, ac malè olens vlcus fieri. Quod ſi anni tempus calidius ſit, ac homo vitio mali ſucci laboret, aut fluxionibus obnoxius naturâ ſit, aut etiam in victus ratione delinquat, timor eſt, ne illi pars ea computreſcat, in qua vlcus eſt factum.* Quam ſententiam confirmat Auic. 4. 4. *tract.* 4. *cap.*2. §. *Et oportet vt abluatur vulnus, neque cum aqua, neque cum oleo, &c.* Auctoritas firmatur ratione; nam oleum humidum cùm ſit, ad caliditatémque inclinans neruos putrefacere poteſt.

Contrà tenet omnis Medicorum Schola à ſuo magiſtro edocta. Is enim *in lib.*6. *meth. cap.* 3. *partem vulneratam calente oleo madefacere iubet*, & *lib.*3.*de compoſ. Medic. ſecund. gener. cap.*2. agens de vulneribus neruorum, idem affirmat per hæc verba: *Quando igitur vulneratum aliquem ſuſcipio, interim per liquida pharmaca curationem molior, interim emplaſtris, lanam quàm molliſſimam oleo calente imbutam applicans: quòd ſi medicamentum ex aceto vſurpem, aceti parum oleo admiſceo, ac bis térve quotidie ſoluo, & oleo calente foueo, &c.* & *in fin.* §. *Porrò ab aquæ vſu in tota curatione ita tempero, vt ne attingat quidem vlcus, proinde cùm ſanguis in initio à parte vulnerata eluendus eſt, ex oleo id facere expedit, &c.* Sequitur Paul. *lib.*4. *ap.*54. §. *Itaque aqua calida,*

quanquam

quanquam reliquis inflammationibus ſit accommodatiſſima, vulneratis tamen neruus eſt inimica; ac præſtiterit oleo dulci, quod adſtrictionis ſit expers, irrorare, &c. Subſcrib.t Aetius *tetrab.4.ſerm.2.cap.27.* §. *Præſtat igitur neruis ſauciatis oleo moderatè calido, tenuique, ac nihil adſtringente rigare, &c.* Sequuntur Rhaſius *lib.7.ad Almanſorem,cap.3* Guido *doctrin.1. tract.3. de vulneribus neruorum ſimplicium.* Neque imn eritò vulneratos neruos oleò calente fouere conſulunt auctores; hoc enim, ſuo actuali calore, & partium tenuitate denſam neruorum ſubſtantiam perforare poteſt,ac ſic ſaniem abſtergere, & expurgare valet.

Nicolus *ſerm.7. tract.4. ſum.1. cap.31. de vulneribus neruorum,& chordarum in generali*, auctores inter ſe diſſidentes conciliare intendit hoc modo, quòd priſci admittunt oleum gratia ſedandi doloris, cæteri hoc ſymptoma non reſpicientes, illud reſpuendum cenſent. Hunc modum ſoluendi omnium primus aduinuenit Vigo *lib.3.tract.1.cap.15.* qui non imponit oleum, niſi propter neceſſitatem ſedandi dolorem: explicat diligenter Fallopius *lib.de vulneribus particularibus,cap.25.in med.* Solutio hæc deducta eſt ex mente Galen. *in lib. 6. meth. cit.* nam hoc loco vulnerata pars; euphorbij vſu antea malè habens, olei fotu Sabini, ſine dolore, & phlegmone remanſit, & *lib.2.ſec. loc. cap.2.* eo vtebatur, quando dolor vèhemens, & inflammatio ægrum torquere ſolent: firmant eam Auic. *loc.cit.* Lanfrancus *doct.3. tract.1.cap.3.de cura vulneris neruorum.* Quare oleum non vulneris remedium, ſed aduersùs imminentia pericula præſeruatiuum auxilium cenſendum. lege Hieronymum Fabritium ab aqua pendente *lib.2.de vulnerib. cap.11.*

Alij aliter ſoluunt antinomiam: quòd Galen. & reliqui oleum apponant in neruo cooperto (hoc enim ferè accidit in punctura:) cæteri verò in neruo nudo,& diſcooperto id condemnent; cùm enim ſic actu tangat ſubſtantiam nerui,poteſt eam diſſoluere,& putrefacere: quapropter Auerroës *lib. 7. collig. cap. cit.* oleum eligit in neruo diſcooperto: multũ enim refert nudo neruo,an per interpoſitam cutem oleum admouere, vt *cit.meth.* retulit Gal.

Sed omnium facillima conciliatio eſt: quòd in vulneribus oleum omphacinum, in curatione vulneris neruorum ſit apponendum, ob rationes plures relatas ab Auic. *cap. cit.* §. *Et inſuper dico, quòd oleum roſaceum, & maximè quod fieri debet ex oliuis immaturis, non eſt vnctuoſum, ſed ſiccum, & vocatur oleum omphacinum, & maximè quum roſæ cum illo oleo commiſcentur,acquirit oleum illud aromaticitatem confortantem ſpiritum animalem, & ſiccitatem, & expreſſiuam virtutem, vt vult Gal.in lib.de ſimplici Medicina, per quod confortatur cerebrum,dolores ſedantur, ſanguis ingroſſatur,& ſi quis eſt,ſubtiliatur, &c.* Nam,vt ait Dinus *in com.* hoc oleum mellis roſacei, & aliorum digerentium caliditatem temperat.Hanc ſolutionem innuunt Albucaſis *lib.3. cap.3.* Carpus Berengarius *lib.de fractura crany, tit. de exteriorum læſionum capitis cura, fol.41.* Fabritius ab aqua pendente,*lib.2.de curand.vulneribus,cap.18.* Ioan.Fragoſus *gloſſa de vulneribus,quæſt.84.* Andreas Alcacar *lib.2.de vulnerib. neruor. cap.25.* Leonard.de Bertapalia *c.5.de fractur. crany.* De quo negotio,ex omnium auctorum mente plura agitauit Ioan. Brauus Chamicus *lib.4. de medendis corporis malis per manualem operationem,c.13. in med.*

QVÆSTIO XII.

Quòd contrariorum contraria ſint remedia. Contra Valleſium.

C*Alorificis.*] Licèt eminentiſſimi Medicinæ profeſſores, de contrarietate in curatione morborum obſeruanda diligentiſſimè diſputarint,inter quos palmam præripuere,Conciliator *differ.153.* Inſignis Veiga,*in com.c.88. art.Medic.Gal.* Valleſius *lib.8.contr.4.* Valleriol. *lib.3.locor. commun.cap.14.* Ludou.Lemoſius *in com. cap.12. lib.11. de method. medend. Galen, diſp.6.* Mercat. *tom.1. lib.3.part.1. claſ.1.quæſt.106.* Chriſtoph.à Vega *lib.5.de art. Med.par.2. cap.2.* & alij: placet tamen inter hos Medicinæ proceres, noſtram palam facere ſententiam, & aliqua de nouo ad-

A dere, maximè quum contrariæ artis argumenta prima facie probabilitate vacare non videantur.

Sicut vniuerſale pronunciatum eſt, non à Medicis tantùm, ſed à Philoſophis maximè receptum, conſeruationem fieri ab his, quæ non ſolùm qualitate, & forma, ſed etiam gradu,& quantitate paria ſunt; ſic perpetuum,& irrefragabile, curationem perfici contrariis, quum contrariorum contraria ſint remedia, quod *lib.2. de nat. hum. text.1.* Hippoc. primus omnium literis conſignauit, dum ſic inquit. *Oportet prætereà & hæc nouiſſe, quòd morbos,quicumque ex repletione ortum habent, euacuatio ſanat: quos verò parit vacuatio, repletio curat: quos gignunt labores, illis quies remedio eſt: quos nimium inducit otium,labor tollit,&c.* Idem firmat *2.aph.22. & 5.aph.59.* & mille in locis Galenus inculcat. Confirmarunt cæteri, qui hoc concluſum B artis noſtræ principium, axioma inuiolabile nuncuparunt, niſi doctrina Galen. *5. meth. cap. 15. in art. Medic. cap.88. 3.ſimpl.12. lib.3.de Medic. officio com.31. & 6.epidem. ſect.2. comment.9.* & Auic. *4.1.cap.1.* ſequuntur Plato *in Timæo ad fin.* Ariſt. *lib.1. probl.2.& 3.*

Hoc aſſumptum non demonſtratione, ſed ſola inductione probari poſſe,apud omnes in confeſſo eſt. Ea enim quæ in vnaquaque ſcientia ſunt maxima, fieri non poteſt,vt eſſe demonſtrentur, ſi fides eſt adhibenda Ariſtot. *lib.1.poſter. cap.8.* hæcque ſunt indemonſtrabilia,quæ peculiari nomine ab ipſo vocantur ſuppoſitiones,licèt etiam poſſint vocari dignitates, cùm ſint propoſitiones per ſe notæ,ad quarum cognitionem, non diſcurſu vero & cauſali,ſed improprio & ſecundùm ſucceſſionem indigemus: quare Hipp.*lib.de flatibus,num.2.* hoc axioma non demonſtrat,ſed ſola probat inductione, hoc modo. *Quod ergo eſt* C *famis remedium? hoc ſcilicet quod famem ſedat; id autem facit cibus; eo ergo malum illud medicandum. Amplius autem vbi ſitis vrgeat,bibere conuenit:& rurſus,repletioni euacuatio, euacuationi repletio,labori quies ſuccurrit, & quietis medelam ex labore reperies,atque vt breuiter dicã,contraria contrariorum ſunt medicamina,&c.* quem locum illuſtris explanator, Theodorus Zuingerus explanat *in com.* diligenter.

Galenus *lib.11.meth.cap.12.* hoc pronuntiatum breue eſſe oratione, ſed poteſtate maximum aſſeuerat. Quare hanc propoſitionem temnere, nihil eſt aliud, quàm omnem medendi methodum peruertere, quod non ſolùm in morbis, & ſymptomatis, ſed in cauſis morborum veritatem habere inuenio. Galenus *in lib. de conſtit.art.med. cap.12.* non medicé, ſed philoſophicè agens, ſic demonſtrat. Id quod ſanum eſt,moderatum eſt; id quod ægrum, D immoderatum: Si ergo dum corpus curatur, redit à ſtatu præter naturam ad naturalem,meritò iſta mutatio nonniſi per contraria eſt peragenda: vnumquodque enim perit à contrario, & per contrarium. Lege eruditiſſimum Valleriolam *in com.* Patiuntur tamen ſuprà dicta inſtantias multas.Nam Auic.*4.1.c.1.in vltimis verbis*,ſic ait. *Amplius ſcire debes,quòd non omnis repletio, neque omnis complexionis malitia ſuo medicatur contrario ex euacuatione,& oppoſitione, imò multoties ſufficit multa regiminis bonitas in repletione, & malitia cõplexionis,&c.* Deinde,plurima ſunt,quæ ſimilibus curantur,& non contrariis: Hipp.enim. *lib.6. epid. ſect.2. text.9.* dolorem dicit curari dolore, fluxum fluxu, vomitum vomitu,& tuſſim tuſſi: & *lib.5.aph.text.25.* conuulſionem aqua frigida perſanat, quæ auxilia contraria non ſunt,ſed ſimilia.Inſuper,vigilia curatur vigiliâ, & cibi faE ſtidium ineḋiâ,apud Hip.*6.epidem.ſect.4.com.17.* Ampliùs, Si hoc axioma verum eſt, ophthalmiam, & febrem curari non poſſe aſſeremus, cùm his nihil ſit contrarium, vt *lib.5.topicor. in fin.* Ariſt. ait. Ad hæc,Febris ardens curatur calidiſſimis catharticis, quæ non ſunt contraria febri. Febrem ardentem,rigor ſuperueniens ſoluit: rigor autem non eſt febri ardenti contrarius. Vltimò Hipp. *5.aph.19.* refrigeratis excalfacientia denegat.

Sed hæc nullo negotio aduerſa diluemus, priùs tamen præfati contrarietatem hîc non eſſe preſsè ſumendam, & ſtrictè,quemadmodum Ariſt.*in poſtprædicamentis definiuit. cap.de contrariè oppoſitis*, per ea quæ ſub eodẽ genere maximè diſtant,ſed largè; provt comprehendit quodam modo oppoſita, ſeu id ſit mediatè, potentiâ, vel ex accidenti.

Sic non omnis repletio, ſeu complexionis malitia ſuo medicatur contrario externo: nam multoties ſufficit internum, hoc autem natura eſt, quæ omni morbo contraria eſt, ipsúmque medicatur, vt Hippocrates *lib.6. epid. ſect.5. text.31.* Galenus *lib. art. Medic.cap.87.& lib.3. de dieb. decret. cap.11.& lib. de optim.ſect.ad Thraſibul.cap.4. & lib. de ren. dignot. atque medel. c.4.* Auicen.1.4.*tract.2. cap.8.* retulerunt. Cùm enim virtus conſiſtat in temperamento, & hoc dicat mediocritatem, quid mirum, vt ſicuti medium opponitur extremo, ſic virtus opponatur omni morbo? Quare morbi à natura curantur, quæ ſola ſibi ſufficit, vias excernendis ſuperfluitatibus parat, omnia facit in animantis commodum, & niſi medicamenta eius gratiam, & adminiculum recipiant, ſanare nequeunt, cùm eius actione perficiantur. A natura ergo morbi curantur præcipuè; ab arte quatenus eſt naturæ miniſtra; à Medico, vt artis miniſtro. A remediis, vt à Medico, artis beneficio, conuenienti qualitate, commoda menſura, & tempore opportuno exhibentur. Sic dicebat Auicen. 1.4. *tract.2.cap.8.curans enim, vt ſciuiſti, eſt virtus, non Medicus, quoniam Medicus eſt miniſter taciens peruenire inſtrumenta ad virtutem.* Quapropter natura eſt principale agens, auxilia verò inſtrumentalis agentis vicem gerunt. Ex quibus ad primum argumentum reſponſio patet: de cuius ſolutione Iuniorum peritiſſimi nec verbum quidem protulerunt.

Nunc ad alia explananda gradum faciamus. Dolor curatur dolore, hoc eſt, medicina faciente dolorem. Fluxus fluxum curat, vel quatenus remouet cauſam fluxus, vel fluxus ſanguinis extracti per phlebotomiam, fluxum ſanguinis vndequaque manantis perſanat. Sic vomitus vomitum curat, & tuſſis tuſſim, vacuando cauſam. Sic frigidæ aſperſio, remedium eſt conuulſionis, non per ſe, ſed ex accidenti, reuocando ad intùs calorem, calor autem hæc ſanat. Sic vigilia corrigit vigiliam ex accidenti: nam ob immodicam vigiliam virtus quæ admodum excitabatur diſſoluta appetit quieſcere; vnde magnus ſtrepitus, modo ſubitò ceſſet, ſomnum inducit apud Paul. *lib.2. cap. 42.* Auicen. 1. 4. *tract. 2. cap. 1.* Sic faſtidium curatur inedia, quia cùm ſit ſpecies vacuationis, abſumit cauſam faſtidij. Febris verò, & Ophthalmia licèt per ſe contrarium non habeant, illo tamen ex accidenti non carent. Sic cathartica calidiſſima, cauſam febris remouendo, febrim ſanant. Sic rigor, febris ardentis eſt remedium, quoniam per ſudorem humoris noxij, qui eſt cauſa febris, ſequitur vacuatio, ex Galen.*lib.4.aph.text.58.* Sic Hippocrates negans calefacientia refrigeratis, timens hæmorrhagiam, non conuellit perpetuum pronuncia-tum *contrario um contraria ſunt remedia:* ſed docet in complicato affectu, non ſemper incipiendum ab intemperamenti curatione, præſente, aut imminente, vrgentiore hæmorrhagiæ malo. De qua controuerſia, lege doctiſſimum Heurnium *in com. cit. aph.* Cardan. *lib. 2. contrad. tract.5. contrad. 8.*

DVBIVM X.

Num curatio fiat per contraria æqualia.

Verum hîc quiſpiam in Galenica doctrina exercitatus mox inquiret, Num hæc contraria debeant eſſe intenſa, æqualia, an remiſſa. Non ita facilis eſt reſponſio, cùm plures diuerſa literis conſignarint, quæ repugnâtiam præ ſe ferre videntur. Et licèt contraria debere eſſe æqualia omnes vnanimiter confirment, hoc tamen mihi ſemper ſuſpectum fuit, cùm inter paria agentia actio exerceri minimè poſſit; hæc enim ſequitur proportionem maioris inæqualitatis, fierique non poteſt, niſi actiuitas agentis vincat reſiſtentiam paſſi.

Et ſi autem hoc verum ſit, communi Medicorum conſenſu ratum eſt, morborum curationem non ſolùm per æqualia, ſed per remiſſa, aut intenſiora eſſe celebrandam: licèt eligenda ſit, quæ per æqualia præſidia exercetur. Patet apertè. Nam remiſſa auxilia ſæpiùs adhibita morbum curant: quamuis enim in agendo pigra

A ſint, temporis tamen diuturnitate immoderatum ad mediocritatem reducunt; quod enim validiſſimum agens breui tempore efficit, id longo debile peragere poteſt, vt *lib.4. ſimpl.27.* Galen. aduertit: quod præcipuè eſt faciendum, quando virtutis debilitas adeſt, aliter enim virtus ſuccumbet. Secus autem ſunt applicanda intenſiora, quum periculi ratio vrget: nam ij morbi celerem, eámque extremam curationem exoptant, vt *lib. 1. aph. text.6.* dicebat Hipp. *& lib. 5. meth. cap. 15.* Gal. confirmat. At cùm vtraque curatio valdè ſit ambigua, eligenda eſt quæ per æqualia perficitur. Si enim curatio ſit per intenſiora, eſt celer nimis, & periculo plena. Si per remiſſiora, languet virtus, & in curatione aliquod ſymptoma ſuperuenit, quod vires deiicere poteſt. Curatio autem tria efflagitat, vt ſit breuis, iucunda, & tuta, vt

B 14. *meth. cap.13.* dicebat Galen. & cum eo Celſus *lib. 3. cap. 4.* Inſuper vt ſit ſecura, tribus perficitur, vt operis abſolutionem conſequatur; vt euertatur morbus: & vt non lædat, fiátque cum modo, auctore Hipp. *lib. 1. epid.ſect.2.text.50.* lege Horat. Augen. *diſp. aduerſus Mercenar. cap.5.*

Si tamen imbecilles vires ſint, & conſuetudo obſtet, tunc morbus non per æqualia, ſed remiſſiora auxilia curari debet. Nam in præſidiorum applicatione, ſiue ſint alterantia, ſiue vacuantia, non ſolùm morbi magnitudinem, quæ remedium expoſtulat, ſed virtutem tolerantem attendere oportet; quare in præſentia virium debilium, remiſſis ſolùm auxiliis pugnandum eſt. Simili quoque ratione conſuetudinis ratio eſt habenda; nam hæc non eſt mutanda, ſed conſeruanda, auctore Magiſtro *lib.8. me-*

C *thod. cap. vlt.* Nam ſi homo aſſuetus calidis incidat in febrem, tunc quum indicatio febris ſit cæteris indicationibus potentior, & præſtantior, ſemper eſt præferenda; quo pacto refrigerantia & humectantia, remiſſiora tamen quàm febris deſiderat, ſunt offerenda: ſic enim & morbus curatur, & ſeruatur conſuetudo, cui aliquid eſſe condonandum monuit Hipp. *lib. 1. aph.17.* nam vt ſcitè Heurnius dicebat *in com.* quorum ventriculus ſemel, aut bis humeſcere, intumeſcere, concoquere conſueuit, ſi defraudetur, mutata conſuetudine, temperamentum, habitum, actionem immutat, vt inter omnes notauit Platnerus *lib.1. meth. cap.5. de contrarietate,*

Et licèt à propprtione maioris inæqualitatis actio proficiſcatur, de ea intelligendum eſt axioma, in qua contrarium omninò corrumpitur, non verò de ea quæ à Phi-loſophis dicitur refractoria, in qua contraria, licèt æqua-

D lia, quando coniunguntur, neceſſariò ſe tranſmutant, & quamuis vnum non vincat aliud, in pugna tamen remittit illud, & ſic ambo ducuntur ad medium, in quo ſanitas conſiſtit. Et licèt eſſent æqualia, auxilio tamen naturæ redduntur potentiora; tunc enim duo in vnum efficaciùs conſpirant, natura vt præcipuum agens: auxilium, vt agens ſecundarium, quod alioquin nihil omninò efficeret, niſi naturam haberet adminiculantem.

Cæterùm poſteaquàm de contrarietate per æqualia auxilia obſeruanda, quantum ſat eſſe iudicauimus, præſcriptum nobis eſt, non abſonum fuerit, hîc potiſſimùm potiora argumenta afferre, quæ ſuperiorem doctrinam redarguere videntur. Et primò ſic. Si curatio per æqualia contraria eſſet celebranda, ſequeretur omnes morbos æquali ſecuritate curari. Patet ſequela, quia veloci-

E tas motus attenditur penes actiuitatem agentis ad reſiſtentiam paſſi, & quantò eſt maior actiuitas, & minor reſiſtentia, tantò velocior eſt actio, auctore Philoſopho 7. *phyſic. vlt.* Ergo ſi in omnibus morbis reperitur æqualis proportio actiuitatis ad reſiſtentiam paſſi, omnium morborum curatio æquali tempore perficietur, quod eſt abſurdum.

Secundò. Reductio ſit per æqualia contraria, ergo curatio debet fieri per intenſiora. Antecedens eſt Galeni, *in art. Medic. cap. 86.* Probatur conſequentia, quoniam in reductione mutatur naturale temperamentum, quod ſenſim & paulatim eſt mutandum: nam natura non patitur repentinas mutationes, ex Hipp. *lib.6.epid. ſect.3. text.27.* quod enim paulatim ſit, tutiùs eſt, ex ipſo *2. aphor. 51.* in

in curatione corrumpitur morbus,qui res eſt violenta, & præter naturam,& quæ celeriter eſt remouenda: ergo intenſiora auxilia expoſtulat, & maximè ſi ſit grauis, & periculoſus: tunc enim ſubitò, & per intenſiora præſidia celebrari debet, ex Tralliano *lib.*12.*cap.* 2. *quæ enim celeritatem deſiderant, celeriter peragere oportet*, ex Hipp. *lib.*1.*acut. text.* 8. Et Aretæus *lib.* 2. *acut. cap.* 5. de curatione voluuli, dicit in hoc morbo debiliora non eſſe exſequenda, & *lib.*2. *eiuſdem, cap.* 1. de curatione pulmoniæ iubet, vt ſubſidia inæqualia ſint: & *lib.*1. *chronicon, c.* 5. de curatione melancholiæ, imperat vt intenſiora remedia propinentur; exiguis enim medicamentis non obſequitur affectus. In hunc ſenſum intelligendus eſt Celſus *lib.*2.*cap.* 11. dum inquit: *non poteſt vehementi malo, niſi vehemens auxilium ſuccurrere*. Et priſci in vehementi pleuritide, ſæuiente dolore,ingenti inflammatione interna,vſque ad animi deliquium,cruorem exhauriunt,intensáque præſidia exercenda rentur.

Tertiò. Sequeretur, quod nunquam morbus perueniret ad ſummum vigorem, quum in principio remittatur: ſiquidem contraria æqualia, etiamſi non tollant morbum, ipſum tamen remittunt.

Quartò. Curatio debet fieri per remiſſiora contraria: ergo non per æqualia: nam remiſſum remittit intenſum, ex Galen. *lib.*3.*ſimpl.cap.*8.

Quintò. Hipp. *lib.*6. *epidem. ſect.*2.*text.*26. ſic ait, *per adiectionem contraria adhibere, & interquieſcere*. Quo præcepto tradit nobis curatiuum conſilium, dum docet, contraria ſenſim & paulatim eſſe adhibenda, vt Galenus monuit *in com.* ſed ſi contraria æqualia ſint, non ſenſim, ſed affatim adhibentur. Galenus firmat *lib.*2.*ſec.loc. cap.*2. dum in affectuum curatione, à debilioribus inchoandum eſſe, & ſic paulatim ad fortiora accedendum, aſſeruit.

Sextò. Paulus *lib.*4. *cap.* 1. confirmans Aretæi ſententiam, dicentis auxiliorum vim morbis fortiorem, id palàm oſtendit, quoniam Elephantiaſis nunquam curatur, nam nulla medicina potentior reperitur. Idem docet Hipp. *lib. de arte, num.*13.§. *Quum igitur homo morbo afficitur, qui vehementior eſt quàm medicina inſtrumenta, ne ſperare quidem oportet, vt à medicina extirpetur, &c.* Ergo ſi morbus curari debet, per potentiora auxilia erit remouendus.

Septimò. Galenus *lib.*7.*meth.cap.*5. affirmat in infrigidando plus periculi eſſe, quàm in excalfaciendo: igitur ſi morbi frigidi curantur per æqualia contraria, morbi calidi propter periculum refrigerationis, non per æqualia frigida, ſed per remiſſiora curari debent.

Octauò. In humectando, & exſiccando nullum eſt periculum, quia humiditas, & ſiccitas ſunt qualitates ignauæ, ex Galen. *loco nuper cit. meth.* Ergo morbi ſicci, & humidi non ſolùm per æqualia, ſed per intenſiora curari debent.

Vltimò. Si natura calida incidat in morbum calidum, non per æqualia, ſed intenſiora curari debet: tunc enim non ſolùm morbus curatur, ſed exceſſus illius intemperamenti naturalis eſt corrigendus. At intenſiora contraria vtrumque præſtant; ſoluunt enim morbum,& intemperamentum emendant.

Sed hæc ita ſunt ſoluenda. Ad primum. Plures reſpondent,non omnes morbos æquali celeritate curari,nam interdum ſunt in habitu,ſæpè in diſpoſitione: hi parùm reſiſtant mutationi ſuæ,illi valdè repugnant, & ideo tardiùs curantur. Non ſatisfacit ſolutio,quia licèt non ſolùm fiat comparatio gradus ad gradum, ſed actionis ad patientis reſiſtentiam,videtur quod æquali celeritate debeant curari morbi, in quibus iſta proportio reperitur, quod eſt abſurdum: ſi enim accipiamus duas intemperantias ſientes, videlicet febrem acutam, & exiguam, in his æqualis proportio ſeruatur; non tamen æquali celeritate curari debent, cùm ex ea magnum immineat periculum, & febris lenta ſolùm longo tempore curatur. Dic ergo, & fortaſsè meliùs, quòd in quibus magnum imminet periculum, curatio non ſolùm per æqualia præſidia, ſed intenſiora celebrari debet. Neque timeas repentinam

A mutationem: nam ad euitandum maius periculum, ſæpè ſubita vacuatio exercenda. Sic ſanguinem mittit ſubitò Galenus,& ad animi deliquium in vrgentibus morbis, in locis multis. Sic aquam frigidam præbuere priſci ad ſatietatem,vſque,vt ſubitò corpus refrigeretur. Sic conſuluit Gal. frigidum balneum in hectico debili, in quibus morbis non ſeruatur eadem proportio. Neque redarguas iterum hoc modo. Si ſolùm proportio agentis ad patientis reſiſtentiam debet conſiderari, chronici morbi,& acuti æquali celeritate curationem recipient: quum enim chronici morbi multùm reſiſtant, dummodò auxiliorum vis intendatur, pro ratione reſiſtentiæ, æquali tempore curarentur, quod non eſt dicendum. Valleſius *l.*8. *cont.*4. poſtquàm alios contumeliosè obiurgauit, multis rationibus, vtrò citróque diſcurſans, hunc aſſignat reſponden-

B dí modum, ex Platone *in Timæo*, morbos habere fatalem conſtitutionem, ac proinde eorum tempora non eſſe remediis præſcindenda, quoniam ex paruo fit magnus, & ex vno multiplex; & ideò morbi chronici longiori tempore curantur, quoniam ipſorum tempora longiora ſunt. Sed labitur vir hic argutiſſimus: ſolum enim in morbis materialibus chronicis; in quibus concoctio ſpectatur, Platonis ſententia veritatem habet: in morbis tamen immaterialibus, qui non habent tempora ſecundùm materiam, non eſt vera; febris enim hectica, & ſimiles morbi nullum habent tempus determinatum, in quo remediis vtendum ſit, vel ab illis ſit abſtinendum; quoniam quocunque tempore præſidia adhiberi poſſunt, ac proinde celeriter curari queunt, ni virtus reſiſtat: ex hoc accidit vt chronici morbi longo tempore curentur, quia multùm reſiſtunt; nam renitens affectus leuia auxilia contemnit,

C fortia & intenſiora ſunt periculoſa. Ergo æqualia ſunt magis accommoda.

Ad ſecundum, quod acutiſſimus Valleſius difficile putat, Dic verum eſſe, reductionem eſſe temperamenti naturalis, curationem morbi; & ideò eſſe velociorem mutationem, non quia reductio per æqualia contraria, curatio verò per intenſiora fiat, ſed quoniam reducitur temperamentum quod eſt in habitu, curatur verò morbus qui in diſpoſitone eſt: nam quando in habitu eſt ſicut hectica, ita difficulter curatur ſicut naturale temperamentum: quinimò morbi qui ſunt in diſpoſitione, prout magis vel minùs facti ſunt, ſic faciliùs vel difficiliùs curantur.

Ad tertium, Dic, quòd remedia in principio morbi adhibita non prohibent morbi augmentum, quoniam cauſa interna adeſt,quæ ipſum auget: ſunt tamen in cauſa,ne in

D ingentem magnitudinem morbus accreſcat.

Ex his patet ſolutio ad quartum,& quintum argumentum,dummodò intelligas Hippoc.*in lib.*6.*epid.* intelligendum eſſe de mutatione conſuetudinis, vt Gal. explicat *in com.* remiſſum verò remittit intenſum, ſi illud eſt directum ab agente fortiori; tunc enim plus poteſt, quàm maius ab imbecilliori adiutum: hoc pacto frigidum ſecundi ordinis, à valida vi animæ directum, operatur in affectum calidum in tertio. Hac de cauſa in morborum principiis, quoniam virtus valida eſt, à debilioribus auxilijs exordimur. Deinde remiſſum remittit intenſum, quando contrarium remiſſiùs operatur, vel quando illius quantitas augetur; ſiquidem quantitatis augmentum intendit gradum, ex Galen. 3.*ſimpl.*33. vel quando agentia, licèt remiſſa, multiplicantur,vt explicat eleganter Valleſius *lib.*9.*com.*11.*poſt med.* Aduerte tamen, quòd verba

E illa Pauli, & Aretæi ſic debent interpretari, quòd etiamſi auxilia ſint morbis æqualia, auxilio tamen naturæ ſiunt intenſiora, quæ ſemper aduerſatur morbis. Ex quo ſoluitur Argumentum ſextum. Quòd ſi adhuc inſtes dicendo, ſi remedia æqualia remittunt morbum, nunquam niſi ſemel poterunt adhiberi, quoniam ſi ſecundò, aut tertiò adhiberentur, eſſent morbis multò potentiora: Reſp. Medicus ſolùm contemplatur mutationem ſenſibilem,quia eſt artifex ſenſualis ex Galen. *in art. Medic. c.*8. quare cùm primò videt morbum leniorem, ſtatim vires medicamentorum remittit, vt æquaiis proportio remaneat.

Ad ſeptimum. Dic, morbos calidos per remiſſiora contraria eſſe curandos,propter periculum quod imminet in infrigidando: nam, vt dictum eſt,in morborum curatione habenda eſt ratio periculi.

Ad octauum. Dic,morbos humidos, & ſiccos non ſolùm per æqualia, ſed per intenſiora remedia poſſe curari, quoniam ſunt qualitates parùm efficaces, & ideò in humectando,& exſiccando nullum eſt periculum.

Ad vltimum. Dic,naturas calidas in morbum calidum lapſas, modico, æquali, & remiſſo contrariorum vſu eſſe curandas: nam quod moderatum eſt,& ſenſim adhibetur, propter diuturnitatem in agendo,ſolet fieri æquale, vt ſuprà docuimus. Quo pacto autem intemperatæ naturæ ſint gubernandæ,lege apud Thomam à Veiga *in com. cap.* 86. *art.med.Gal.* Valleriol. *lib.4. enarrat.4.* Valleſ. *lib.6. contr. cap.2.* Chriſtoph.à Vega, *lib.2. de art. medendi, ſect.1. in fin.* Conciliat. *differ.116.* & nos *lib.7. in introitu ad Praxim, præcept.§ 8.* pulchrè agitabimus.

HISTOR. XVI. GALENI, De Aphonia.

Ex caſu quidam dorſi initium terræ allidens, aphonus factus, crurum reſolutionem incurrit, qui dorſo applicitis auxiliis conualuit.

Cecidit quidam ab alto,ita vt dorſi initiũ terræ allideret. Is tertio die exiguam admodum vocem emiſit: quarto die omninò obmutuit, reſolutáque ſimul fuerunt crura, manibus omnino illæſis; ſed neque ſpirationẽ amittebat, neque difficulter ſpirabat. Cùm enim tota ſub ceruice ſpina eſſet reſoluta,accidit thoraci, vt per ſeptum tranſuerſum, & muſculos ſupernos,numero quidem ſex, moueretur; quippe nerui ex ſpinali medulla quæ in ceruice eſt, ipſis adueniunt. At intercoſtalium muſculorum nerui, per quos efflatum fieri diximus, omnes affecti erant. Cùm itaque fruſtrà Medici negotium ſubirent, circa crura quidem vtpotè reſoluta; circa guttur verò,propter vocis affectum, equidem id interdixi,atque affectio duntaxat loco curationem adhibui. Proinde finita tandem ſpi[ri]tus flammatione, à ſeptimo die vox reſtituta eſt iuueni, & crurũ motionis facultatem recuperarunt,&c. Galenus lib.1.de loc.affect.cap.6.

PARAPHRASIS.

Hoc loco Medicorum ignauiam carpit Galenus,quòd parti tantùm affectæ, & non illi quæ primariò laborat,& à qua actio aliarum proficiſcitur, applicent auxilia; adductáque in medium hiſtoria hac, confirmat lædi nonnunquam actionem alicuius membri, nulla in eo noxa exiſtente. Ex eadem verò etiam manifeſtat, quantùm faciat ad curatoriam methodum cognitio ſpeciei affectus per conſenſum: Cùm enim quidam ab alto caderet, casúque eo dorſi initium in terram illideret, paulatim vocem exiguam reddens, creſcentéque deinde tumore in ictu, percuſsóque loco ob humorum confluxum, tandem quarto die vocem omninò amiſit, ſensúmque & motum in cruribus, (id eſt, crura fuerunt reſoluta) quoniam præ tumoris magnitudine obſtructi penitùs ſunt nerui, facultatem à cerebro deferentes ad crura, & ad intercoſtales muſculos thoracem contrahentes; à quibus vocis materia præſtatur efflatione, hoc eſt, vehementi, & confertim facta expiratione: qui quidem cùm animali facultate priuarentur, nec thoracem ampliùs contrahere, nec multam aëris copiam ad guttur impetuosè emittere, non quidem illius iſtrumento læſo, ſed tantùm ob non demandatam ad illud ſufficientem materiam, potuerunt.

Crura verò reſoluta ſunt, ob defectum facultatis;quorum affectuum differentias per cõſenſum, Galenus quamprimùm agnouit; reliqui verò huius rei conſcij parùm, reſolutis cruribus, gutturíque remedia fruſtrà admouebant: Galeni verò conſilio applicitis auxiliis percuſſo loco, hoc eſt, ſpinali medullæ, reſtitutæ fuerunt prædictarum partium actiones. Vnde fatetur Galenus, magis tolerabile eſſe affirmare, in prædictis ſympathiæ ſpeciebus non pati membra, licèt ſuis actionibus priuentur, quàm vbi noxia cauſa iam parti eſt communicata,vt cùm caput dolet ab humoribus in ventriculo contentis, quod Archigenes contendebat.

Cur autem non manus, ſed crura tantummodò fuerunt reſoluta? Dic, licèt ex vno atque eodem contuſo loco in dorſi initio exiſtente, nerui omnes ducantur, qui ad crura, & manus perueniunt: illos tantùm læſos eſſe, qui ad crura diuaricantur; illæſos remanſiſſe qui ad manus: In Pauſania verò Syro ſophiſta, relato à Gal. *lib. 3. de loc. affect. cap.8.* qui è curru deciderat, eos tantùm neruos affectos fuiſſe, qui ad manus perueniunt. Si enim ab vno ſolùm caudice proceſſiſſet ad brachium ramus, originis damnum totum brachium ſenſiſſet: quoniam tamen multi ſunt nerui illi, quorum vnuſquiſque ſuis, propriíſque membranis ab aliis diſtinguitur, licèt omnes in vnum cumulum colligantur,potuit vnus ſolùm affici. Illud in præſenti notandum, ſex affectuum differentias referri à Galeno, ad curationem neceſſarias. Prima, in qua ab vno membro in álterum materia alterans emittitur; quomodo caput à bilioſo humore ventriculi dolet, quia inde eleuatus fertur ſurſum, calefacit, diſtendit, atque ideò dolorem concitat. Secunda, ſimilis huic ferè eſt, in ea enim materia communicatur, ſed tranſiens tantùm, non alterans, aut diſtendens, cuius generis eſt corrupta oculi viſio ex bilioſo vapore ab ore ventriculi eleuato, qui per oculos tranſiens, imagines, apparitionéſve inducit. Tertia, in qua priuatur membrum ea facultate, quæ ad ipſum ſimul cum defluente ſpiritu ſolet demandari; vt quando non videt oculus, quia obſtructus eſt opticus meatus à cerebro deſcendens, per quem defluit facultas cum ſpiritu viſorio. Quarta, cùm deficit facultas quæ ſine ſpiritu demandatur; vt ſi pars aliqua ſenſu, aut motu, aut vtroque priuetur, ob obſtructionem nerui deferentis vim animalem.Quinta denique, & ſexta affectus per conſenſum differentia, eſt cùm materia ad actionem neceſſaria prohibetur omninò ad partem accedere, vt quando confoſſo pectore nullus ad guttur aër peruenit, & voce priuatur animal: vel ſaltem ſufficiens copia non accedit, & cum requiſito impetu; vt reſolutis intercoſtalibus muſculis contingit, quo caſu vox ex toto deperditur, licèt liberè fiat reſpiratio,& aër ad guttur expirando perueniat.

Ex dictis ſex conſenſuum differentiis illa elicitur methodus curatiua, vt quemadmodum in propriis affectibus, curatio inſtituenda eſt circa ſolam laborantem particulam, ita in conſenſu primæ ſpeciei, prouidentiam oportet habere vtriuſque partis, & mandantis, & recipientis. In ſecundo verò genere conſenſus, vbi materia non alterat, ſed tranſiens tantùm actionem vitiat, ſolius primarij ratio habenda eſt inter curandum, nulla autem conſentientis, id quod in reliquis conſenſuum ſpeciebus obſeruandum eſt.

Subſequenter addit Galenus, quòd quemadmodum accidit crurum reſolutio, nullo in ipſis vitio exiſtente, ſed tantùm ob ſpinalis medullæ læſionem, quoniam ſcilicet prohibetur animalis facultas, ne ad crura deſcendat; ita etiam obſtructi neruis vocalibus, hoc eſt,ad vocis inſtrumenta pertinentibus, quorum quidam apoplectici, alij recurrentes dicuntur, de quibus *lib. 7. de vſu part. cap.14.* agit. Simili conſenſus differentia, priuatæ nempè facultatis, poteſt etiam larynx reſolui, & animal penitùs mutum euadet. Licèt etiam ſectis ipſius laryngis muſculis, poſſit etiam vox deperdi, hæc tamen vocis amiſſio,non eſt (inquit) omninò ſimilis ei, quæ fit vocalibus neruis inciſis, quantumuis noxa in vtroque caſu gutturis ad eandem conſenſus ſpeciem pertineat, nempè ad priuationem facultatis, quæ ſine ſpiritu demandatur. Cùm enim quis mutus fit ex ſecto, vel reſoluto, vel refrigerato neruo, contigit vocem deperdi, quia ad illius

illius inſtrumenta nequaquam accedit facultas,& prohibetur operari ; mediante enim muſculo cartilaginem mouebat,vocémque efformabat.

Non eſt ſilentio prætereundum , quòd Galenus ad vltimas,& minimas aff:ctus differentias deſcendat, & quàm diligenter etiam intra eandem conſenſus ſpeciem deficientis facultatis diſcrimen aliquod agnouerit. Simile autem huic licet etiam conſiderare , in altera ſpecie propter deficientem materiam. Poteſt enim materia non accedere ad partem , vt cùm perforato pectore , efflatio aëris ad guttur non peruenit. Poteſt etiam accedere, ſed vetari ne exeat ad vocem edendam, vt ſi laqueo indito ad collum comprimatur, vt in ſuſpenſis, ſtrangulatis,anginoſis quotidie contingit. Pro huius hiſtoriæ explicatione perſcrutandum erat, *num facultas animalis per neruos influat , & an cum facultate ſpiritus* , ſed quoniam de ea , in commodiori loco , nempe *lib.* 5. *in com. Hiſtor.* 4. agendum eſt, modò ab eius explicatione ſuperſedeo. Interim lege inſignem Thomam à Veiga, *in com. huius hiſtoriæ*, Andream Laurentium *lib.*4.*de re Anatomica,quæſt.*12. Valleſium 2.*controu.*15.Petrum de Peramato,*lib.de facult. cap.* 2. Aëtium *tetrab.* 2.*ſerm.* 2. *cap.* 32. Halyabat. *lib.* 5. *pract.*26.Amat.2. *cent.* 19. Rondelet. *cap.* 28. *de morb. internis*.Foreſtum *lib.*10.*obſeruat.*90. & 91. qui omnes Galeni curationem in hac hiſtoria celebratam,miris celebrarunt laudibus,& encomiis.

HISTOR. XVII. GALENI,
De Axillarum fœtore.

Axillarum fœtor, in Medico præſertim execrandus.

*ALter fuit Medicus in noſtra Aſia. cui axillæ adeò * fœdum odorem expirabant, vt nullus elegantior eius acceſſum ægrotans ferre poſſet : Oportebat igitur eum priùs ſuo ipſius ſymptomati mederi,atque ita ad alios curandos ſe accingere,&c. Galenus* lib.c.epid.ſect.4.com.9. in fin.

PARAPHRASIS.

ALiam de oris fœtore hoc loco hiſtoriam enarrat Gal. quam,quoniam huic valdè ſimilis eſt , huic loco inſerendam curauimus. *Erat enim quidam os naturaliter putidum habens, eius putorem & purgatione , & medicamentorum ad id facientium potu mitigabat : atque quotidie , aut amomi, aut folij malabathri,aut aliorum id genus odoratorum in ipſam pauxillũ quiddam coniiciens,ita ex ædibus proficiſcebatur*, Multæ ſunt animi , & corporis dotes , quibus Medicus apprimè debet eſſe inſtructus , atque ornatus: debet enim eſſe timens Deum , fidus , verbis honeſtus; non loquax,verboſus,ſuperbus, iactabundus, aut glorioſus ; imò probus , amans,ſtudioſus, verecundus , habitu ſubmiſſo,modeſtus, minimè auarus, pacatus , amicus, ſani cordis , rectæ mentis , indolis probæ , eruditus , & mundus. Demùm nulla eſt ſcientia, quæ expoſtulet artificem ita perfectum,vt Medicina: De quo argumento latè diſſertat Gal.*cit.loc.epidem.*& priùs edocuit Hipp.*lib.de decenti ornatu , & de Medico, num.* 1. Explicant eleganter eruditiſſimus Heurnius & Theodorus Zuingerus,horum librorum diligentiſſimi interpretes. Georgius Henricus *lib.de perfecto Medico*,Rodericus à Caſtro,Medicinæ Antiſtes,*lib.*3. *de Medic. politic. cap.*4. Ludouicus Septalius *lib.*1.*caution. Medicar.ferè per totum.*

Oris ergo,ſeu axillarum fœtore, ſicut aliis fœdis morbis carere debet ; nam laborantibus nihil iniucundius. Licèt enim ex multis corporis partibus oriri poſſit fœtor ; nempè à toto corporis habitu præſertim fœtido manante ſudore , ex pedibus, pudendo,auribus, naribus , vt fuit Virgo illa annorum 17.quæ in monaſterium ingreſſa fœtorem cæteris monialibus, licèt ſola eſſet in ſuo cubiculo, cadaueralem emittebat , referente Gregorio Horſtio *lib.*2.*epiſt.ſect.* 10. cuius rei cauſam fuiſſe , labem ex A contaminato ſemine, & ſanguine materno contractam firmat ibi Libauius:modò tamen de oris,& axillarum fœtore,quod eſt noſtrum inſtitutum, ſolùm faciemus commemorationem : hunc enim Auic.6.3.*tract.* 1. *cap.* 29. à multis cauſis oriri aſſeuerat , à gingiuis , à radicibus dentium putrefactis,ab oris , palatique vlceribus , à ſtomacho, ob humorem putridum in eo retentum , à pulmone,aut ſpiritalibus partibus ; ab harum enim partiũ vlceribus vapor eleuatur omnimodâ putrilagine infectus, ex ſe fœtorem inſignem exhalans , vt in phthiſicis quotidie experimur: ſic ſputa tabidorum carbonibus iniecta grauiter olent,ex Hipp.*lib.*5.*aph.*11. ob putredinem, & corruptionem ſummam. Ex vitalibus partibus oris fœtor , expirante præſertim ægro,ſuboriri ſolet ; ſpiritus enim putrefacti, & inquinati labe dira , fœtidam eructant reſpirationem , quam in peſtilentibus febribus accidere teB ſtantur Gal.*lib.*3.*de præſag. ex pulſib.cap.* 4. & inter ſigna peſtiferæ febris iam firmatæ in corde afferunt Auic. 1. 4. *tract.*4.*cap.*2.§.*Et plurimi quorum anhelitus fœtet ex iſtis,& imprimis moriuntur,&c.*vt notant Fernel. *lib.* 4. *pathol.* 17 & Holler.*lib.*2.*de febrib.cap.de peſte.* Vidus Vidius *lib.*8.*de curat.membrat.*16.*in fin.*

A putrido ergo humore cùm oriatur fœtor , illum vacuare oportet, præſente plenitudine , cum phlebotomia, & deinceps purgatione diligenter corpus mundare ; quibus celebratis,auxilia localia ſunt adaptanda. Quæ autem ſit illorum materia, latè dilucidauit Hieronymus Montanus *part.*2. *Medicinæ,cap.de cauſis fœtoris.* Quo loco ſuſcitat quæſtionem, cur pueri , & puellæ virgines non fœteant ante coitum , ac ſtatim cùm coïerint , fœtere incipiant : quod accidere refert, quoniam præcipua membra C ex coïtu debilia facta , excrementa in maiori copia ad emunctoria tranſmittunt,quæ non difflata,& retenta putrent, & fœtorem concitant. Lege Ioan. Hucher. *lib.* 1. *de ſtrilit.viror.tit.de fœtore alarum.*

Si à pulmone fœtor emanet,per ſuffumigia vapor odoratus attrahatur , hæc ex Aromatis parantur , vt cinnamomo, Nuce myriſtica , Gallia moſchata , aqua roſ. ex quibus bullitis per fiſtulam in os attrahatur fumus. Si à ſtomacho , poſt vacuantia , hic odoratis cardiacis roborandus, de quorum numero ſunt Electuaria plura , quæ præterquàm quod à mucoſis humoribus ventriculum abſtergunt, ipſum roborare nata ſunt , vt Diamoſchum, Aromaticum roſatum, & ſiquæ alia. Si à gingiuis , mundentur hæ partes odoratis, quorum ampla eſt ſylua apud auctores,Lege apud Varignanam *tract.*6.*de diſpoſitionibus* D *vuæ.cap.*7. *de fœtore oris.* Chriſtoph. à Vega *lib.* 3. *de art. medendi, ſect.*5.*cap.*6. Mercurialem *lib.de decoratione, cap. vlt.*Benedict. Victorium Fauentinum *lib.*1. *empiric. c.* 11. Si fœtor è naribus emanet, videndum num fiat vlceris ratione, an propter humores in naribus retentos,induratos,& putrefactos. Si primo modo, mundetur, & exſiccetur vlcus. Si ſecundo , materia indurata emolliatur , & euacuetur. Medicamentorum materiam deſcribit Vigo *lib.*9.*de additionibus,cap.*26.

Quod autem addit Galenus,fuiſſe quendam Medicum, qui, cùm os malè oleret , ore detinebat folium Malabathri,aut Amomum,id, vt verum accipiendum eſt:narrant enim Aromatum Indiæ ſcriptores , vt Garzias ab horto, Monardus, & reliqui , hæc medicamenta in ore detenta, oris ſuauitatẽ miram conciliare, inter veſtéſque recondita E ſuauem odorem illis communicare , cuius fragrantia veluti delibutæ miram odoris conciliant ſuauitatem. An tamen Amomum ſit Acorum , aut Galanga maior ; & num verum Malabathrum cognoſcatur ; dubitant Manardus *lib.*6. *epiſt.*4. & VVeckerus *in antidotario ſpeciali, tit.de foliis calidis in gradu primo.* Hæc autem medicamenta ori ſubdita, dentes, gingiuáſque , vnde hoc vitium oriri conſueuit, mundificant & abſtergunt , præſertim ſi aquis aut decoctis appropriatis commiſceantur. Celebratiſſimum eſt præſidium , & huic vſui valdè proficuum , medicamentum vocatum *Cachundè* ſi id in ore retineatur, eiúſque ſuccum paulatim quis deglutiat : de cuius vi , ac poteſtate, eiúſque parandi modo plura diximus *lib.* 2. *de praxi admiranda,obſ* 6.

Axillarum

Axillarum fœtor, à Latinis dicitur hirciſmus,quia hic fœtor æmulatur fœtorem,hircorum,ortus à putridis tum vaporibus, tùm humoribus in eo loco detentis; quum enim hi in parte hac immota, concluſa, imperſpirabili coërceantur,& non ventilentur,facilè putreſcunt,Auctore Ariſt.*l.*13.*probl.* 8. Oportet ergo humorem putrefactū in corpore exiſtentem vacuantibus præſidiis extra corpus elidere; deinde ad peculiaria balnea, ſeu vnguenta ex odoramentis conflata, deuenire, quæ præterquam quòd ſuauiter oleant, à ſuperflua humiditate præſeruent, partem roborent, humorem ſuperfluum,& excrementitium abſumant, & exſiccent: quorum copiam latè referunt Aëtius *tetrabibl.*2.*ſer.*4.*cap.*7.Oribaſius *lib.*5 *ſynopſ.c.* 21. Auicen.7.4.*tract.*3. *cap.* 23. Valleſcus Tarantinus *lib.* 3. *cap.*19.Petrus Foreſtus *lib.*7.*obſ.*29.Sennertus *lib.*5.*pract. part.*3.*ſect.* 1. *cap.* 9. *de malo odore.* Denique ex Ambaro, Moſcho, Zibeto, Agallocho, Styrace, Balſamo, oleo de liquidambar, plura conſtruuntur medicamenta, quæ ſubter alis geſtata, putredinem omnem alarum abſumere valent. Ex Spica nardi, Amomo, Calamo aromatico,Ladano,Bdellio, & aliis fiunt,quæ Galenus *lib.* 7. *de ſimpl.tit.de calamo aromatico,& in art.meden.cap.*95.vocat Aromatica medicamenta, quæ tenui,ſubtiliſque ſubſtantia prædita ſunt. In eundem vſum faciunt vnguenta foliata, & ſpicata, ab antiquis pro hoc debellando morbo tantoperè celebrata.Iuuant lauacra ex Agallocho,ſaluia, roſis, maiorana, ſtyrace calamita, Acoto, Cardamomo,baccis lauri,betonica, angelica, pæonia, nepita pulegio, flore Aneth. radice ebulorum, & aliis parata, quorum ſyluam refert Benedictus Victorius Fauentinus *lib.*1.*empiricæ,cap.*11.

In curando ergo fœdo odore Medicus ſit ſollicitus; nam fœtidi odores ſpiritus omnes labefactant,vires comminuunt,triſtitiam inducunt, febres excitant peſtilentes, & præſertim putridas generant, recidiuam faciunt, ventriculum ſubuertunt,nutritionem vitiant,non ſolum inſpirati, verùm etiam arteriarum motu per cutem intùs attracti.Quo pacto Galenus *l.*1.*de ſanit.tuenda, c.* 11. optimum aërem in pulmones attrahere, omnibus iuxtà ſalubre eſſe ſcriptum reliquit, talémque fore,ſi nec halitu ſit prauo perturbatus paludis, ſtagni, cloacæ,ſpecus, aut alicuius rei putredine inquinatæ, vt cadaueris inſepulti,barathri; nam cui hanc graueolentem, aut peſtilentem auram inſpirare conducet? Fœtor ergo curandus: nam nemini frugifer eſt,imò omnibus infeſtus.

QVÆSTIO XIII.

Quòd putredo ſit immediata cauſa fœtoris.

COMMENTARIVM.

F*O Edum odorem*] De fœdo odore altiùs hoc loco texenda oratio eſt: Licèt enim de odore plures diſceptauerint,de fœtore tamen paucula addidere,fortè quoniam de odoris natura, fœtori ex directo oppoſita longiſſimas fecere quæſtiones, in quibus de odoris eſſentia graphicè diſputarunt;contrariorum enim vnam,atque eandem eſſe diſciplinam, docuit Ariſtotel. *lib.*3.*metaph. cap.* 2. *lib.* 1. *topicor.cap.*8.*& lib.* 3.*problemat.* 3.*&* 11. Quoniam verò definitio ordine doctrinæ, & dignitate, reliquas omnium rerum tractandarum partes præcedit, quod ſine dubio Ciceronem ad hoc quaſi Iouis ſuffragium deduxit, vt *in lib.*1.*Officior.*diceret:*Omnis quæ à ratione ſuſcipitur de re aliqua inſtitutio,debet à definitione proficiſci,vt intelligatur quid ſit id,de quo diſputatur:*idcircò ab ea incipere oportet.

Fœtor igitur nihil aliud eſt,quàm *vapor quidam ex putreſcentibus corporibus ſubleuatus,aërem inficiens, & odorandi ſenſum contriſtans.*Plato *in Timæo,*fœtorem *moleſtam ſenſationem ex putredine vt plurimùm ſubortam, & naturalē ſenſus ſymmetriam inimico,contrarióque ingreſſu euertentem* eſſe pronunciat. Fœtoris porrò putredinem eſſe immediatam cauſam, & putorem non dari abſque putredine, pluribus in locis Galen.confirmat,*Lib.*enim 1.*progn.com.ult* dicebat *ſuperantem graueolentiam putredinis eſſe,non concoctionis notam;atque ob id(inquit)ab Hippocrate dictum fuiſſe,pus optimum,& quàm minimè fœtidum eſſe debere*, & *l.*2.*eiuſd. oper.com.* 22. *graueolentiā putredinis indicium eſſe* aſſeuerat; nullo enim certiori argumēto in exterioribus probari poteſt,niſi fœtore.Et *l.*1.*de criſ.c.*11. *excrementum alui vehementer fœtens,putrefactionem vehementem ſignificare* conceptis verbis affirmat. Et ruſus *cap.*12.*ſequenti,odorem grauem vrinæ,putredinis eſſe effectum,*ſcriptum reliquit. Atque ob id *lib.de dif.ſympt.cap.*4. *Corruptelam, putredinémve excrementorum,fœtorem neceſſariò ſequi* affirmat.

Quoniam verò de fœtore nobis indago eſt propoſita, non ineptè(opinor)hîc illud inſeruerimus, quò exploratiùs prænoſcantur, quæ dicenda ſunt. Fœtidum ſemper à putredine oriri res eſt manifeſta, occupatum namque eſt ab eo calore qui præter naturam eſt; cùm *putrefactio* nihil aliud ſit,quàm *mutatio totius putreſcentis corporis ſubſtantiæ ad corruptelam,à calido extraneo,*ex Gal. *lib.*11.*c.*8. Et Ariſt. *lib.*4.*meteor.cap.*4.*putrefactionem, proprij naturaliſque caloris in vnoquoque humido exiſtentis,ab extranea caliditate corruptionem* eſſe, ſcriptum reliquit. Corrumpitur autem calor à calore,quoniam cum à mixtione educit ac exteriùs euocat: exhalante enim humido, vnà calidum exhalat, & humidum à ſicco ſeparatur: quo fit vt innatum rei quæ putreſcit,in debita miſtione elementa continere non queat, vnde miſtum per putredinem diſſolui neceſſe quidem eſt; calidum enim celeriùs quàm frigidum deperditur,quæ cauſa eſt: vt illud patibiles qualitates regere, & gubernare non poſſit,vnde oritur putredo, & miſtio diſſoluitur per putredinem, quæ ſimplici generationi mixti contraria eſt, vt ſcitè notauit Iacchæus *lib. inſtitut. Phyſicar.cap.*16.*&* 17.

Deinde calidum in omni mixto cætera elementa retinet,ac conſeruat: quod ſi potentius ſit, cætera abſumit, ac diſſipat; ſi languidius,iis continendis non ſufficit, neque humidum rectè gubernare poteſt. Humidum autem ſi immodicum eſt,tum innatum ignem copia ſua ſuffocat, debilitat,& veluti extinguit,tum à calore languido,& debili regi non poteſt; quare non rectè permiſcetur humidum cum ſicco,ex qua humidi à ſicco diſſolutione fœtor concitatur.

Porrò cùm in omni putredine humidum à ſicco ſeparetur, & foras euaporet, fit vt moleſto ſenſu odoratum afficiat. In coctione verò, cùm benè reguletur humidum à ſicco,gratus odor progignitur, vt in fructibus ferè omnibus paſſim conſpicimus,qui dum matureſcunt, ſuauiores & odoratiores redduntur; in his enim fit odor gratus, quoniam humidum benè cum ſicco permiſcetur. Cum enim in coctione natiuus calor ſuperior ſit, humidum ſuperat, moderatur ac regit, & ſicco vnit, atque permiſcet, vnde conſurgit odor iucundus & gratus.In putredine humidum à calore non ſuperatur, ſed eidem prædominans ab ipſo gubernari non poteſt, vnde emanat odor moleſtus,ac iniucundus. Cauſa ergo immediata fœtoris vnica eſt putredo,vt Keckermannus *lib.*3.*ſyſtematis philoſophici, cap.*6.ſolerter propoſuit.

Cogitaui diu mecum, quænam fuiſſet cauſa, ob quam fœtor ſemper à putredine oriatur, cùm Ariſtot. *lib.* 23. *probl.*4.affirmet: *mali odoris cauſam,cruditatem eſſe quandā excrementi:* crudum autem,nec putre,nec coctum dici debet.Secundò,ligna putrida ſæpè benè olent.Fructus ficus Indicæ,vt teſtatur Theoph.*l.de odore,*dulcis eſt.& ob hoc rectè concoctus,attamen fœtet,ſic etiam Iuniperus. Tertiò. Fæces alui ſunt chyli partes inutiles, & quæ aſſimilari non potuerunt, extruſæ ad craſſiora inteſtina, ibique à natiuo deſertæ calore, & extranei naturam induentes putreſcunt,& quia etiam non tranſpirant,fœtore participant: Atqui fæces non ſemper fœtent in ægris, & in ſanis,ob ídque maximè reprobantur ab Hipp.& Gal, *multis in locis.* Ergo, Deinde Damarum ſtercora benè olent, teſte Alexandro *lib.*1.*probl.*29.

Sed hæc ita ſoluenda videntur. Nam crudum, etſi putre non ſit, eſt tamen ad putredinem paratum: cùm enim à naturali calore minimè euictum ſit, reliquam habet ad putredinem mutationem; occupatum eſt enim ab eo calore,qui præter naturam eſt. Ligna autem putrida non

benè

benè olent ſecundùm partes putrefactas, ſed concoctas; nihil enim obſtat, quominùs corpora variis & diuerſis partibus conſtructa, diuerſos fœtoris, & odoris effectus ex ſe promere poſſint. De fæcibus alui, quòd non fœteant multoties, alia ratio aſſignanda eſt; id enim ob ingentem cruditatem accidere certum eſt, vt in lienteria, vſu quotidiano experimur, quando ſcilicet cibi nihil mo-rantur in inteſtinis, ſed inalterati illicò exeunt; vel immodicè in inteſtinis ab adurente calore torrentur, & diuturna mora reſiccantur, & ſic minùs fœtent, quoniam putredini ſubtrahitur fomentum, ex Philoſoph. *lib.*1 3.*probl.* 1. Damarum autem ſtercora omninò fœtore non carent, ſed pauliſper fœtent, licèt aroma redoleant, vt Aphrodiſæus inquit. Hoc etiam intelligendum eſt, ſi cum fæcibus cæterorum animalium vrbanorum, aut hominis collatio fiat: Damæ enim cibo ſicciori ſimpliciorique illis veſcuntur; quo fit vt hominum ſtercora, omnium maximè animantium fœteant, quòd vario humidiſſimóque cibo magis cæteris vtantur, atque plus quàm ſit ſatis, importunè priuſquàm egeant, gulæ ingerant, minúſque laborent. Cùm igitur cibus, vel plenè concoqui, vel ſatis difflari ob copiam nequeat, putreſcit aliquantulum, & grauiùs fœtet. Ex quibus ad argumenta promptum eſt reſpondere. Fœtor ergo ſemper putredinis ſoboles eſt, & nulla putrefactio eſt abſque fœtore. Lege eruditiſſimum Trincauel.*lib.* 2.*epiſt.*1 1.*de ſtercoris fœtore* fusè diſputantè.

HIST. XVIII. AVENZOARIS, De Pleuritide.

Pleuritis notha, tumore extrinſecùs excitato, & ſuppurato, inciſione curatur.

ET iam vidi ſenem patrem meum, qui curauit vnam mulierem ex hac ægritudine, & ingeniatus fuit extrahere humorem ad partes exteriores, ita quod manifeſtum fuit apoſtema exterius cum tumore, & apertum fuit exteriùs, & inde curata fuit cura perfecta, &c. Auenzoar lib. 1. Theizir tract. 16. cap. 4. de apoſtemate lateris.

PARAPHRASIS.

IN hac perficienda curatione, Auenzoar patrem ſuum ſummis laudibus ornat, & encomiis, dicítque ſe nunquam ad hoc opus, tam perfectum & miraculoſum perueniſſe. Si enim pleuriticus factis tempeſtiuè auxiliis, vt par eſt feciſſe auctorem, leuamen non ſentiat, neque affectus ſuccumbere videatur, tunc omni ingenio ad extrà euocandus eſt humor: quod cùm nonniſi Medici induſtria præſtari poſſit, idcircò plurimùm pater in curatione profecit. Mirum enim eſt, quomodo humore ad exteriores partes attracto, internæ, quæ antè erant illius copia obrutæ, & ſuffocatæ, ventilentur, & tranſpirent. Hoc conſilium ſummoperè commendat Gal. Medico curaturo, *in lib.*5. *de loc.cap.*3. dum in hæc verba prorumpit. *Sunt enim nonnulli, qui preſſo à nobis extrinſecùs inflammato loco dolere ſeſe fatentur, atque hi per ſputum non purgantur, quia ab initio nihil eius ſucci qui inflammationem excitauit, ad thoracis ſpatium peruenire ſolet; atque concocta inflammatione niſi pus priùs diſcutiatur, ad cutem vſque attollitur, atque inciditur, &c.* Hanc doctrinam approbant Halyab.6. *pract.cap.*1 3.*iuxta fin.* Auic. 10. 3. *tract.* 5.*c.*3. Meſuè *tract. de ægritudinib. pect. & pulmon. cap.* 9. *in fin.* Recentiorum peritiſſimi confirmant, de quorum numero fuere Rondelet.*in meth.cap.*1 5. Guainerius *tract.de pleurit.c.*6.*in fin.* Foreſt.*lib.*1 6.*obſeruat. in ſchol.*4 3. Marcel. Donat. *lib.*3.*de hiſtor. Medic. mirabil. cap.*9 & opere proprio obſeruauit Amat. *lib.*3. *centur.*67. qui emplaſtris, fomentis, & aliis attrahentibus auxiliis, humorem ad partes extimas attrahendum eſſe, vnanimiter contendunt.

Hoc potiſſimùm contingere animaduertes in notha, & ſpuria pleuritide, quando mùſculi externi, aut qui ſuprà coſtas tenduntur, ſunt inflammati; quam pleuritidem hanc fœminam fuiſſe perpeſſam, liquet apertè; nec enim ſigna numerat, quæ veram pleuritidis eſſentiam conſtituere ſolent, *vt lib.de conſt. art. Medic.*1 5. *poſt.med. & lib.*5. *de loc.affect.cap.*3. prodidit Galen. Nam nec febris ita vrget, quoniam in extrema ſuperficie ſitus eſt humor, à qua parte non ita integra, immutatáque putrida fuligo eleuari poteſt, quæ putredine vehementi cor fatiget. Nec tuſſis ita moleſtat; malum enim non ita vias ſpiritus lædit. Dolor, cùm à fluxione ferè pituitoſa originem ducat, non ita eſt intenſus, nec punctorius. Pulſus non ita durus; muſculi enim thoracis externi, cùm molles; & carnoſi ſint, non ita ſolent tendere, & indurare arterias, ex Gal. *lib.*4.*de cauſ.pulſ.cap.*9.*in med.* Difficultas reſpirationis mitior eſt, quoniam inflammatio non ita eſt cordi vicina. Quare hæc inflammatio non ita periculoſa eſt, vt pleuritis vera, in qua ſymptomata ſæua, & plena timoris plerunque exiſtunt: pleura enim quæ coſtas intùs ſuccingit, eſt tunica tenuiſſima, & acutiſſimo ſenſu prædita, & ideò grauiùs dolet, ex Gal. *lib.*7. *de vſu part. cap.*2 1. & *lib.*5. *de anatomic. adminiſt. cap.*8.

Et non ſolùm membrana hæc cingit coſtas, ſed reliquas etiam partes, quæ cauitatem thoracis attingunt, & propugnaculi vicem pulmoni præſtat, ne ſcilicet dum animal reſpirat, & extenditur, mendis cóſtis occurrat. Ea verò quæ externa eſt minori ſenſu prædita, minùs dolet, & mitiorem conſenſum cum partibus ſeruat interioribus, in cuius inflammatione licèt eadem tam vniuerſalia, quàm particularia auxilia, ac in vera pleuritide ſint neceſſaria, (cùm ea ratione ſitus dicatur notha, licèt exquiſita dici poſſit ratione humoris) mitiora tamen eſſe debent, quoniam affectus partem externam occupat; & maximè in mendoſa pleuritide, in qua cautè præſidia adminiſtranda, & venæ ſectio imperanda: quum enim ferè à flatulento humore excitetur, & veram pleuritidem ſæpè repræſentet, ſi ſanguinem mittas, ægros præcipites dabis in mortem, vt notat Amatus *lib.*1. *centur. ſchol.* 1 3.

Obſeruatio IV.

Lateris dolore correptus, vena ſecta illicò occubuit.

AEtius ſcientiſſimus auctor *tetrab.*2.*ſerm.*4.*c.vlt.* dum agit de inflammatione quæ pleuritis eſſe putatur, cùm tamen non ſit, in hæc verba prorumpit. *Multitudine itaque ſua ſuccingentem latera membranam introrſecùs diſtendentes, inferunt dolores: vt imaginatio facta inflammationis, inexpertis exhibeatur; quinetiam vias ſpiritus intercipientes, ſpirandi difficultatem vehementem inducunt. Vnde quidam Medici errore ſeducti, vena cubiti inciſa, multóque ſanguine vacuato, mortis cauſam ægris præbuerunt, &c.* Hæc aurea verba non animaduertens, aut prorſus ignorans quidam incautus Medicus, in mendoſa pleuritide ex flatulento humore concitata, quum acta præſidia non conferrent, venæ ſectionem copioſam, ſoli vrgenti dolori intentus, celebrandam imperauit; poſt quam, magis exaſperato dolore, & ſæuiente murmure in thorace percepto, ob abſentiam ſanguinis, æger eſt preſſus angore, & ſine pulſu, poſt quinque horas exanimis occubuit; nam venæ ſectio plus nocet detrahendo calorem natiuum, quàm profit extinguendo febrilem: ſunt enim maiora vitæ incommoda ex paupertate caloris natiui, quàm à febrili calore: Lege Dodonæum, *obſ.* 22.

HISTORIA XIX. RASII, De Pleuritide.

Pleuritis ſæuiſſima cum febre valida, intra quartum diem interficiens.

*DIco, quòd vidi quendam * pleuriticum habentem leue ſputum nimis, ſed * vrina eius erat vehementer rubra, & pulſus velox, & lingua groſſa, & dum durabiliter fuerant huiuſmodi,*

*huiuſmodi ; & caliditas vehemens * abſque ſputo , non potuit alleuiari paſſio, & inde mortuus eſt in quarto die ; vnde mors ipſius, fuit ex febre aduſta,non ex pleureſi : quia conuenerunt in eo * febres cum pleureſi,& * corruptio potens in venis;vnde cùm fuerit in defectu virtutis omninò,& non potuerit expuere omninò,licèt emiſſio ſputi fuerit leuis ex * minutione facta ſibi * in principio , malè fuit ei ex vehementia febris aduſtæ , eò quòd fuerat macilentus, & cholericus,ſed licèt iuuabilis fuerit cura pleureſis, eò quòd non fuit ad extinguendum perfectè,& leue faciendum ſputum, mortuus eſt, &c. Raſis* lib.10. continent. tract.2.cap.2.

PARAPHRASIS.

FEbrem vehementem , magníque feruoris cùm pleuritide miti complicari poſſe , illámque non à partis inflammatione, ſed ab apparatu morboſo, ab humore in genere venoſo efferueſcente concitatam , nullus dubitauit vnquam,qui facundiſſimam Galeni doctrinam perluſtrauerit. Nam fieri poteſt , vt paucus humor in partem ruat inflammatam ; vel quia ſuapte natura craſſiuſculus eſt;vel quia expellens vaſorum vis debilis : vel pars laborans non ita eſt reddita imbecillis, & noxium à ſe expellere tentat : cum hoc tamen multa humoris bilioſi,& putridi in genere venoſo poteſt eſſe copia congeſta;ex quibus cauſis febrem ardentem vocatam, oriri, & cum thoracis interna inflammatione leui conſiſtere poſſe , vſu, diuturnóque experimento ratum eſt.

Hanc febrim acutam , non ſolùm ex interna inflammatione , ſed ex morboſo apparatu concitatam , paſſum fuiſſe hunc ægrum , ardentem illam quidem , ex nimio feruore & incendio ſubortam , ex ſignis concomitantibus patet apertè. Vrina enim vehementer rubra , iecoris exuperantem calorem , & efferueſcentis ſanguinis copiam euidenter oſtendit, ex Gal.*lib.1.prorrhet.com.31.& lib.2.com.25.& lib.6. epid.ſect.5. com.14.* & Fernel. *lib.3. patholog.13.* quod ſignum , ad dignotionem eorum quæ in vaſis continentur , eſſe præſtantiſſimum , docuit *lib.2. progn.26.& 2.prorrhet.com.2.& 6.epid.ſect.1. com.10.& 2. feb.7.& 1.criſ.12.* ſoli enim vrinæ in vaſorum morbis eſt fidendum. A nimia caliditate pulſum velocem etiam oriri, quam efferueſcentis ſanguinis copia concitauit , res eſt manifeſta.

Humoris autem aduſti contenti in vaſis adfuiſſe copiam multam , lingua groſſa ſatis indicabat : lingua enim lotiū ſignificat,ex Hipp.*6.epid.nuper cit.* Hæc ergo lingua in febre præſertim aduſta & incendioſa apparet , ſitque valdè ſicca à perurenti febre, quæ ignis inſtar ſanguinem inflammans,fuligini potiùs,quàm vapori, ſimilem exhalationem efficit, ex Gal. *lib.1. de loc.c.5.& lib.4. acut.4.& 13.* in quibus etiam apparent fauces aſperæ & ſiccæ , ita vt ob excedentem ſiccitatem ægri loqui non poſſint , ni priùs fauces humectentur, ſic monente Magiſtro *lib.7.de vſu part.cap.14. in fin.* quorum vox clangoſa eſt, vt ſcitè *lib.7. de vſu part. cap.7.* notauit Gal. priùs prædixit Hipp. *lib.1.prorrhet.text.17.& lib.2. eiuſd.text.12.* firmauit Gal. *in com.* Hæc intelligas velim, ni adſit exigua tuſſis, leuiter irritans:tunc enim mediante motu in tuſſi reperto, deſcēdunt aliquæ à capite, & partibus vicinis , vel ſpiritalibus humiditates,quæ linguam laxam,& mollem reddunt,iuxta Hipp. edictum *lib.4.aph.54.& lib.6.epid.ſect.2.text.25.*

Duplicem ergo febris hæc habuit ſuæ originis focum, in venis vnum , in thorace alterum : ille ſanè fuit præcipuus ob dictas cauſas, ob quas febris fuit morbus,& non ſymptoma, ex putredine & vitio ſuccorum in venis,originem ducens , quæ inuicem poſſe conſiſtere eleganter *lib.1.criſ.cap.18.* Gal.confirmat, Anaxionis hiſtoriam recenſens,qui ſputo, & ſudore iudicatus eſt, quas excretiones redundantis humoris in thorace,& venis copiam demonſtrare,nullus ignorat. Tritum autem eſt apud doctrinam Gal. 4. *aph.37.* & 7. *aph.42.* febrem interdum eſſe morbum,aliquando ſymptoma, quæ diuiſio ad curationē ſummoperè eſt neceſſaria, provt Valleſius explicat, *lib.5. cont.c.23.* Hac igitur doctrina inſtructus auctor , cum febris aduſta vehementer vrgeret,ex efferueſcenti ſanguine

A in vaſis prognata,inſtarétque membranæ coſtas intùs ſuccingentis inflammatio,affectus ſanè acutus,ex Hipp.*lib.1. acut.8.* ad ſanguinis miſſionem accedere auſus fuit , iuxta Hipp.ſententiam *4.acut.19.& 2.eiuſd.com.10.& 11.meth.15.* & alibi paſſim. Hæc enim vacuatio tum peccantem humorem exhaurit, tum à parte inflammata reuellit , leuátque naturam, vt deinceps coquat, quod concoqui eſt habile, & expellat id quod poteſt expelli.

Sed cùm ad tantam febrem mitigandam , copioſa, eáque iterata ſanguinis miſſio eſſet neceſſaria , vires autem deficerent , ob quarum penuriam reïterari auxilium non poterat,idcircò debilitatâ vi,cohibitóque ſputo mortuus eſt. Adfuiſſe debilitatem , ex textus ſerie ſatis conſtare arbitror ; erat enim macilentus , & bilioſi temperamenti, in cuius præſentia , maxima cum præmeditatione

B feriendam eſſe venam , docet Auicen.4.1. *cap.20.* Nam macies , & extenuatio non ſolùm ſignificant carnis defectum ; ſed etiam ſanguinis , & ſpirituum inopiam oſtendunt ; quare impediunt venæ ſectionem, & adiectionem potiùs , quàm vacuationem deſiderant , auctore Galen. *lib.1. aph. com.17.*

Neque ſolùm hoc de macie à cauſis præter naturam contingente , ſed de naturali venit intelligendum , quæ temperaturam calidam , & ſiccam comitatur plerúmque; cuius ſignum eſt carentia pinguedinis , & gracilitas , auctore Galen. *lib.art. Medic.cap.56.& lib.2. de temp.cap.4. & lib.8. meth. cap.2. in med. & lib.9. cap.15.* §. *Si namque natura gracilis, temperatura autem calida & ſicca, maximè euacuationibus offenditur, &c.* Hanc doctrinam tradit Gal. *lib.1.ad Glauc. cap.14.* Sanguis ergo in his copioſè non eſt extrahendus , ſi modicè calidi & ſicci ſint ;

C & nullo modo ſi lapſi ſint valdè, quoniam ob pororum amplitudinem , & caloris exceſſum , ſpirituum ſanguiníſque tenuitatem,vena ſecta promptiſſimè reſoluuntur,ita vt animo deficiant , & vix refici poſſint. Quapropter prudentiſſimè monebat Gal. *lib.10. meth. cap.5.* *Iſtis corporibus aduerſiſſimam inediam eſſe* : hæc enim corpora nimis extenuata & bilioſa , deficiente humido nutrimentali excandeſcunt; & bilioſi humores in his corporibus ſuapte natura exuperantes, extracto ſanguine, quo anteà refrænabantur,efferueſcunt, & alia damna eueniunt , quæ ex vacuatione facta in corporibus impensè bilioſis , ſubſequi, fusè ex veterum,& iuniorum mente explicuimus,*in lib.1. in com. hiſtor.64.num.4.*

Sed ex qua parte Auctor ſanguinem emiſerit,ex litera textus ſatis non conſtat ; licèt ratum ſit apud Arabes , ex parte contraria mittendum eſſe ſanguinem, vt conſtat ex

D *lib.1.Theizir.tract.16.cap.3.* & ex aliorum doctrina liquet apertè, provt *infrà* proponemus latè.

QVÆSTIO XIV.

Quòd pleuritis aſcendens ſit deterior deſcendente. Contra Vaſcum Caſtellum, Medicum doctiſſimum.

COMMENTARIVM.

P*Leuriticum.*] Inter alia memoranda,quæ circa humani corporis morbos curandos , à Scriptorum clariſſimis enarrantur,non in poſtremis audio celebrari argumentum de pleuritide. Quare cùm à ſtudiis noſtratibus, pro huius hiſtoriæ interpretatione , in hunc affectum enucleandum nuper diuertiſſem, inter multiplices de hoc inſtituto dif-

E ficultates, non defuit quædam illuſtris, & in cuius explicatione ieiuna eſt lectio auctorum , quæ doctis communicanda omnibus ſeſe ingereret. Vtrùm ſcil. pleuritis aſcendens ſit periculoſior deſcendente.

Pleuritis eſt affectus frequentiſſimus:ob aſſiduas diſtillationes, ob motum thoracis prouocantem fluxiones , & quia pleura redundat multo ſanguine , & ſita eſt in loco calido. Deinde eſt periculoſus morbus , & acutus , & in alios morbos finitur deteriores, vt Peripneumoniam, Empyema,Phthiſim,& demùm cum vehementia,& periculo ſymptomatum interficit.

Idcircò ſummus Dictator Hippocrates , natus ferè in

miraculum

miraculum, libros de ratione victus in morbis acutis, huic affectui dicauit: nam *libro primo* vniuerſam rationem victus in morbis acutis, ſub exemplo pleuritidis deſcribit: & in *ſecundo, tertio*, & *quarto* curationem huius affectus aff.ibrè proponit. Ab Hippocratis ergo oraculis, tanquam à Dei voce (ſic enim de eo loquitur Galen. *lib.1. de vſu part.cap.9.*) incipiamus exordium noſtrum: qui tam memorabiles ſententias miro artificio propoſuit huius atrocis morbi curationi vtiles valdè. Nam *lib.2. acut.10. & 11.* pleuritidem diuidit in aſcendentem, & deſcendentem; dicítque illius ſignum eſſe, *Si dolor ad clauiculam pertigerit, aut moleſta ſit vel brachio, vel mammæ, vel partibus ſepto tranſuerſo ſuperioribus, grauitas. Si verò eas quæ ſub ſepto tranſuerſo ſunt partes dolor infeſtat, nullúmque ad clauiculam ſignum fecerit, tunc deſcendens pleuritis appellatur.* Quæ diſtinctio magni eſt in arte momenti, quoniam pleuritis aſcendens venæ ſectione potiſſimùm curatur, deſcendens verò purgatione. Vtra autem ſit periculoſior, nunc agitandum.

Quòd aſcendens ſit deterior, arguitur primò: Partes ſuperiores ſunt calidiores, & ſanguinem habent vberiorem, & calidiorem. Ergo inflammatio in illis progenita acutior erit, & deteriora inferet ſymptomata. Hoc manifeſtè probauit Galen.*lib.6. epidem.ſect.2. com.14.* dum enim ſuperiorum, & inferiorum partium dignitatem venatur, ſic ait. *Ideò namque vt plurimùm abſceſſus in ſuperioribus excitati difficiliores ſunt, quòd membra illa maius, quàm inferiora diſcrimen afferunt, cùm vtraque eodem affectu vexata ſunt.*

Secundò. Quantò pars inflammata eſt vicinior membris præcipuis, tantò eſt deterior eius inflammatio, & periculoſior: ſed pleura aſcendens, cerebro, gutturi, gulæ, pulmoni, pectori, & cordi eſt vicinior; & hæc membra citiſſimè in ſui conſortium trahit, quarum partium inflammationes mortiferæ eſſe ſolent, ex Galeno *loc. nuper citato*, & *lib.10. meth. cap.5.* Ergo pleuritis aſcendens eſt periculoſior, cùm ex mente Galeni *lib.4.de præſag.ex pulſibus, cap.5.* in hac parte ſita ſuccingens coſtas membrana, adhæreat ſepto tranſuerſo, membraníſque thoracem interſepientibus, per quas ad cor continuatur: ſepti autem inflammationem eſſe exitialem, & funeſtam, omnes confirmant.

Tertiò. Partes ſuperæ ſunt robuſtiores inferis, quia calidiores; ergo inflammatio in illis generata erit deterior, quoniam maiorem cauſam arguit, iuxta Senis proloquium *lib.2.aph.34.*

Vidit iſtam controuerſiam inter omnes, Petrus Vaſcus Caſtellus, vir apprimè doctus, *tract.5.de thoracis affectibus, cap.7. difficult.vlt.* & contrariam nititur tueri opinionem, multiſque ita inducitur opinari. Primò, inflammatio quæ exercet pleuram deſcendentem, oritur ab humore craſſiore, & difficulter reſolubili, vnde eſt longior, & diutiùs affligit: nam thoracis partes ſuperiores, ſunt calidiores, & faciliùs humorem impactum reſoluunt præ calore, & cùm ſint robuſtiores ipſum citiùs concoquunt. Deinde partes ſuperiores inflammatione ſibi proportionali minùs offenduntur, iuxta Senis edictum *2.aph.34.* dicentis. *In morbis minùs periclitantur, quorum naturæ, aut ætati, aut conſuetudini, aut anni tempori magis congruit morbus, quàm vbi nulli iſtorum congruit.* Inſuper cùm pleura communicet, conſentiátque partibus pectoris ſupernis vel parùm inflammata, facilè eas in conſenſum, ſeu condolentiam trahit.

Sed Caſtellus in hoc difficili Euripo fluctuat valdè: nam durum videtur, quòd deſcendens pleuritis ſit aſcendente periculoſior, quare contrariis rationibus ſatisfaciendum. Non vrget multùm prima: nam ea ſolùm probat deſcendentem eſſe longiorem; at aſcendentem eſſe acutiorem ratio dictat: nam partes ſuperæ, tenuiori & calidiori vtuntur alimento, & ſic febribus, & inflammationibus tentantur acutioribus, & quæ vehementioribus ſymptomatis celeriùs properant ad ſtatum. Et licèt hæ partes præ robore, & calore contentum humorem citiùs reſoluant; tamen cum maiori feruore, & periculo id perficiunt: quare etſi diuturnitate temporis vires non premant; intenſione, acutie, & ſæuitie ſymptomatum, cor, cæteráque viſcera conſpurcant, & fatigant. Nec obſtat,

A quòd ſuperis partibus, vtpote calidioribus inflammationes ſint proportionales magis: nam morbus improportionalis materialis plus periculi habet, ſeruata paritate in magnitudine cauſæ: hæc cùm ſit ſemper maior in aſcendente pleuritide, quum ob ampliores canales, latioréſque meatus, ob copioſiorem calorem magis dilatatos, maior quantitas humoris irruat in partes ſupernas, fit vt ſit ſæuior, & deterior: præſertim cùm inflammata, illicò cor, & cerebrum in conſenſum ducat. Quare ſeruata paritate in robore virtutis, magnitudine, & malignitate, pleuritis aſcendens eſt periculoſior deſcendente.

QVÆSTIO XV.

Quòd exquiſitæ pleuritidis febris, aliquando ſit diaria, intermittens, aut nulla. Contra communem
B *Medicorum ſententiam.*

FEbres cùm pleureſi.] Vetuſtiſſima ſententia eſt, à priſcorum ſcientiſſimis, aliíſque celeberrimis Medicinæ Prof. floribus, literis commendata, febrem, ad pleuræ, aliarúmque thoracis partium internarum inflammationes, ſequutam putridam eſſe, continuam, ac acutam. Cùm enim pars affecta inſignis ſit, & cordi vicina, ſi inflammetur, illi hæc duo neceſſariò eueniunt, & calor immodicus, & tenſio ob repletionem, ex Hip. *lib.3.epidem. ſect.3.text.79.* Gal. *lib.de conſt.art.med.15.lib.4.de cauſ.pulſ.cap.7.& 8.* & *lib.5. de loc. cap.3. ad fin.* Putrida ergo, & acuta febri tenentur pleuritici, non diaria; hæc enim auctore Galen. *3. de dieb. decretor. vlt.* acuta non eſt, quia non ſolùm caret periculo, ſed magnitudine, ex Galen. *2. aph.18.* Præterea febres diariæ, neque ex humorum putredine, neque ex inflam-
C matione partium internarum ortum habent, ex Galen. *2. criſ.13.* ſed ſolùm ex inflammationibus externis gigni ſolent, ex Galen. *lib.1. de dif. feb. cap.5.* firmat Auicen. *1.4. tract. 4. cap. 13.* dum *febres quæ ſequuntur apoſtemata interna, non eſſe de genere diariarum* aſſeuerat. Nam non ſolùm communicatur caliditas cordi, alteratione per continuum facta, ſed putrida etiam fuligo in propria ſubſtantia eleuatur, quæ cor ponere in calefacto eſſe potens eſt.

Ex his euidenter conſtat, quàm grauiter ſit deceptus Valleſius *lib.5.contr.c.23.* dum leuiſſimis quibuſdam argumentis probare contendit, febres inflammationum partium internarum ſemper eſſe diarias: in cuius rationibus ſoluendis non eſt cur tempus conteramus, cùm plures iamdudum id negotium perſoluerint ingenuè. Quare
D pleuriticorum febris eſt putrida, acuta, & continua, quoniam ob viciniam cum corde, continuò pars inflammata fuligines ipſi putridas tranſmittit.

Hæc eſt communis omnium Doctorum ſententia, frequenti experimento, rationéque validiſſima confirmata, quam ego quoque libenter amplector, ſi de frequenti euentu ſermo ſit. Nam exquiſitam pleuritidem poſſe ſecum ſociam habere aliquando diariam, interdum intermittentem, aliquando ſine vlla febri poſſe conſiſtere, grauiſſimis auctorum teſtimoniis palàm faciam. Et primò ad diariam accedamus. Cùm enim ad proportionem, & magnitudinem inflammationis febris augmentum ſequatur, ita vt ſi inflammatio ſit vehemens, febris caliditas increſcat ſit neceſſe, fieri poteſt, vt ſit mitiſſima pleuritis ex bilioſo, tenui, & minimè putrefacto ſanguine or-
E tum ducens, ex quo diariam concitari Galenus etiam concedit. Adde, omnes inflammationes internas non ſemper acutam febrem habere. Hæc eſt expreſſa ſententia Galen *lib.2. prorrhet.in com.17.* quo loco *ex hepatis inflammatione non ſemper oriri febrem acutam* aſſeuerat, licèt iecur ſit pars princeps, & cum corde maximum conſenſum habeat. In hunc ſenſum intelligendus eſt Auic. *1.4. tract.4. cap.13.* dicens *febres panniculorum pectoris eſſe debiles*, & *in cap. ſequenti 14.* dum *ex inflammatione renum febrem vehementem non concitari* confirmat, *immò ſæpè intermittentem oriri* pronunciat.

Rurſus. Si ab externis inflammationibus febres putridæ oriuntur, ex Hip. *4. aph. 55.* Cur ab internis diaria

non orietur? probat Thomas à Veiga *in com.cap.5.lib.1. Galen.de diſ.feb.* cùm ob cutis denſitatem, craſſitiem humoris, viarum anguſtiam, per anguſtos meatus putrida fuligo ad cor peruenire non poſſit, ſed ibidem remaneat in loco inflammationis circumſcripta,ſola alteratione per continuum facta, vſque ad cor communicata. Licèt enim putridus contineatur humor in parte interna inflammata, ob dictas cauſas putrida fuligo ad cor peruenire non poterit, ſaltem quæ ſufficiat ipſius humores inficere, & putridam generare. Lege Vaſcum Caſtellum *tract.de thorac. affect.cap.5. diffic.5.*

Quòd autem pleuritis exquiſita interdum detur ſine febri, eſt textus eximius apud Galen. *lib.de conſtit.art. medic.cap.15.* dum ſic loquitur, ſuámque ſub exemplo pleuritidis expendit ſententiam. *Dolet quidem homo, quoniam affectus phlegmone eſt; ſpecies autem doloris pungens, quod ſubſtantia affectæ partis eſt membranea: coſtis præterea eſt affixus,id enim quod affectum eſt coſtis adhæret; ſed ob id latè permeat, quoniam ea ipſa membrana latè diffunditur: febrim quoque tum ex ipſo affectu, tum ex ſitu affectæ partis ſequi neceſſarium eſt: quorum ſi vel alterum deſit, iam non ex neceſſitate febris aderit. Nam ſi digitus inflammatione laborauerit, non continuò febris adorietur, quum procul à corde ſedem habeat. Nec ſi ea quidem membrana quæ coſtas contegit, humore tamen duro, œdematéve,&c.* Ex quibus verbis liquidò conſtare arbitror,in pleuritide ab humore præſertim pituitoſo, & melancholico pronata, nullam aliquando adeſſe febrim. Patet ex verbo *non continuò*, & vt alij codices legunt,*nec enim ſi phlegmone digitus doleat,omninò febricitant.* In pituitoſa enim,& melancholica pleuritide (quæ ratione ſitus exquiſita vocatur) veritatem habere deprehendo, cùm ob ſucci naturam,& viarum obſtructionem, putrentes vapores eleuari non poſſint, qui cor putredinosè afficere queant.

Hoc euidenter confirmat Trallianus *lib.6. cap.1.* dum pleuritidem exquiſitam poſſe dari ſine febri, manifeſtè notauit.Extat elegans hiſtoria Hip.*l.3.epid.ſect.2.text.79.* toties à Medicis repetita, Anaxionis, cui pleuritico, durante interna,tam in genere venoſo,quàm in vomica, putredine, vigeſimo abfuit febris. Inſtat Mercurialis *in com. huius hiſtoriæ*, verbo *vigeſima ſeptima*,dicens: Anaxionem paſſum fuiſſe recidiuam; nam cùm ſudore iudicatus eſſet vigeſimo, vigeſimo-ſeptimo in febrim iterum incidit, ob humorem relictum in venis & pectore, qui nouam concipiens putredinem, febri amplam præbuit occaſionem: Quæ expoſitio quàm ſit Hippocraticæ veritati aduerſa, nemo non videt. Nam iudicatio vigeſimi diei meritò fuit inſida, quia intempeſtiua, facta enim eſt ante perfectam coctionem, in incremento medio; argumento eſt, quòd poſt iudicium vigeſimi,ſiticuloſus remanſit,& à pulmone prodibant non bonæ purgationes, hoc eſt, excreabat cocta, aut pauca, quæ ad minuendum morbum non conferebant manifeſtè, & idcircò erant inutilia. Neque dicas cum Petro Vaëzio *lib.1.com. medic.c.12.* Anaxionem laboraſſe exquiſita pleuritide ex ſitu, quæ ex melancholico aut pituitoſo humore ortum ducit;nam illa fuit bilioſa,vt ex ſymptomatis cuilibet legenti contextum patere poteſt.

Quid plura?nónne Auic.1.3. *tract.4.c.3.* in inflammatione mediaſtini, hoc eſt, in pleuritide quæ ad mediaſtinum ſit,multò ſanè, inflammatione pleuræ, periculoſiori (prout *infrà* ex ipſius Auicen. mente probabimus,) ob colligantiam cum baſi cordis, nulla interdum adeſt febris.Audi ipſum *loco cit.* ſic præfantem. *Et non eſt pleureſis, quum non ſint illic dolor pungitiuus, & pulſus ſerrinus, & reliqua, & in non vera exiſtit ſubtus pectinem ſpatulæ dolor. Et in pura, quæ eſt in velamine diſtinguente, eſt dolor declinans ad oſſa pectoris, & eſt permixtio rationis in ipſa, & fiunt vehementiora accidentia, & dolor, & difficultas anhelitus, & non eſt velocitas vehementiæ febris, ſicut in aliis, immò quandoque poſtponitur, vſquequò putreſiat ſuperfluitas, & fit fortis valdè, &c.*Vides, vt Auic. in pleuritide mediaſtini febrem quandoque poſtponi arbitretur? Scio quàm multa, vt ſuum Auicennam tueantur, ratiocinentur interpretes. Non me latet, quid in huius loci expoſitione eruditiſſimi proferant Coſtæus, & Mongius, dum mediaſtinum carti-

A laginea ſubſtantia, carne experte, & ſuapte natura frigidiori, conſtare putant; quare minùs facilè putreſcere quod in ipſum influit, quam ad latera, vbi pleura ſita eſt, quæ, quia internis coſtarum muſculis inhæret, calidior eſt. Quæ ſolutio quam reproba ſit, ſymptomata mediaſtini inflammationem comitantia planè demonſtrant; nam in hac fiunt vehementiora accidentia, vt Auic.*cit.loco* aſſeruit, hæcque euenire ob maiorem viciniam cum corde, obſeruarunt peritiores Anatomici.Quare mediaſtino maiorem ineſſe feruorem ob cordis baſim eſt neceſſe, qui ob continuam frigidi inſpirationem remitti non poteſt, vt rentur illi; hæc enim ratio in omnibus ardentibus febribus etiam locum haberet, in quibus aër licèt inſpiretur frigidus,ardor tamen, igniſque internus haud mitigari poſſunt. Dicendum ergo eſt, veriſſima Auicennam pronunciaſſe, quem ipſi incaſſum explicare conantur. Nam

B pleuritis exquiſita interdum poteſt dari ſine febri vlla. Auctores verò omnes arbitrantes pleuritidem non poſſe conſtare ſine febri,de frequenti euentu intelligendos puta.Interim lege Alphonſum Lupeum Cureleanum *lib.3.enchiridij, cap.de pleuritide*, qui Alexandri Tralliani mentem miratur valde,cuius dicta citra rationem impugnat.

DVBIVM XI.

Num ſputum in pleuritide, coctionis, & cruditatis ſignum ſit.

ABſque ſputo.] Licèt ampla ſit de ſputo apud Medicinæ proceres doctrina, quam inter omnes Mercurialis, Medicus citra omnem aleam doctiſſimus, ex profeſſo inculcat *l.3.de excrementis,c.3.*Nos,quæ auctores,præter-

C tim Hip.interpretes, *in lib.2. prog.à textu 43.vſque ad 48.* fusè de ſputo in pleuritide agitarunt, in Gal.florentiſſima vireta diuertentes,inquiramus,non vt transfugæ, verùm inſpectores, exploraturi ecquid inde vtilitatis percipi poſſit.Excrementum ab ore proiectum, vel eſt ſaliua, vel ſputum:de illa primo loco agendum eſt.Hanc Grammatici, notatione vocabuli, dictam volunt, quia ferè ſalis eſt ſapore;vel à ſaliendo,quòd in ore ſaliat,& creſcat.Sed niſi ego fallor, falluntur ipſi: ſani enim, & valentis hominis ſaliua, non ſalſa; immò ſalſa ægri ſtomachi, non temperatæ complexionis indicium eſt. Qui vim ipſius nouit, poteſtatémque in ore, à ſaliendo, id eſt condiendo, & ſaporem impertiendo nominatam veriùs dicet: cuius enim rei ab ore percipitur ſapor, cuius cibi ſenſum habebit guſtans lingua,ſaliuæ ope deſtituta? Itaque eadem corru-

D pta nullus guſtus,vel deprauatus:argumento ſit os eorum, qui cauſone vexantur, incenſum, ariditſſimum.

Vtcunque ſit, ſaliua ex pituitæ genere eſt, quæ per os citra tuſſim educitur,ex Gal.*lib.3.de loc.c.7.*dicitúrque *excrementum glandularum quæ ſub lingua reperiũtur*,vt Gal.inquit,*lib.2.de ſem.c.6.* quam lingua ſibi aſſimilat *l.5.aph.39.* cuius duplex vſus, vnus ad diſcernendos ſapores, cùm ipſa ſit guſtus medium: alter ad humectandum os,quum fuerit ab ipſa voce, & clamore exſiccatum: hac enim de cauſa glandulas in multis corporis partibus, lingua, faucibus, oculis, vtero, & aliis commodè natura conſtituit. Addit alium ſaliuæ vſum Auic.1.1. *doct.4.cap.2.in init.*vt coctionem alimentorum in ore adiuuet, cùm ipſa coquendi vim habeat, ex Galen.*lib.5.ſecund.loc.cap.1.*

Hanc expuere, licèt Perſis eſſet indecorum, & ignominioſum, vt refert Xenophon *lib.4.de exped. Cyri*, quoniam crapulæ, & repletionis certum erat indicium; quam felicitatem habuiſſe Antoniam Druſi vxorem, quæ nunquam expuit, prodidit Plin. *lib.7.cap.19.* nam excrementa emanantia ab ore, quò pauciora ſunt, eò videntur maiorem ſanitatem indicare. tamen cùm ſaliua naturalis ſit, & in homine verè ſano reperiatur, ſi quantitate non excedat, aut extraneum habeat ſaporem, reproba non eſt, vt *cit.lib.de loc.* retulit Galen. & firmat Auic.*6.3. tract.1. cap.25.* nam ſi ſaliua immodicè excernatur, dicitur *ptyaliſmus*, vt explicat Mercat. *lib.1. indicat.cap.14. in med.* huius affectus cauſas ingeniosè proponens: idcircò inculpata valetudine fruentes, debent interdum

ab

ab ore ducere ſaliuam, quum eâ lingua nutriatur, ex Gal. *lib.5.aph.com.39.§.In oſſibus quidem id quod in horum cauer-nis continetur, in hepate verò ſanguis. Ex hoc genere eſt & ſpu-meus humor qui in carne pulmonis continetur, & in articulorũ compagibus glutinoſus humor, & in teſtibus, & aſſiſtentibus anfractibus ſemen, & in lingua ſaliua, &c.* Quapropter glandularum, quæ in faucibus ſitæ ſunt, vſum tot encomiis celebrauit Gal.*lib.14.meth.cap.11.*& *lib.2.de ſem. cap. vlt.* De quarum vſu, vide Columb.*lib.9.de glandulis, in initio.*

Sputum eſt, quod excernitur ex pulmone per tuſſim: hoc duplex eſt, vnum in ſanis, in ægris alterum, quod nihil eſt aliud, quàm *pars humoris peccantis morbũ efficientis,* veluti *in cap.vlt.lib.2.de differ.feb.* protulit Galen. Quamobrem ſputorum vſus, ad cognoſcendas morborum cauſas, aut demonſtrandas indicationes, vtiliſſimus eſt, ex Gal.doctrina, *lib.1.aph.12.*& *lib.4. aph. com.71.* & *lib. 6. eiuſd. com. 33.* Hinc ex coloribus ſputi humorem ſuperabundantem agnoſcit Gal.*lib.6.epid.ſect.3.com. 42. lib. 6. aph.com.33.*& *lib.5.de loc.affect.cap.2.* nam ſpumans, pituitoſus eſt; pallidus, bilioſus; niger, melancholicus; ruber, ſanguinem defluentem ſignificat.

Sputum ægrotantium duplex eſt, vnum bonum, alterum non bonum. Illud tale eſt, quale hominum integra valetudine fruentium, ſanitatem inſtrumentorum, quibus vis ſpirandi eſt demandata, planè oſtendens, ex Gal. *lib. 1. criſ.cap.7.* hoc perfectæ coctionis index eſt certiſſimus, ſi album fuerit, læue, æquale, & conſiſtentia neque nimis humidum, neque nimis craſſum. Mediocriter craſſum, eſt probè coctum; coctio enim cogit, incraſſatque ex Gal. *lib.4.acut.com* 4.& *l.7. meth. cap.6.* & *lib.2. prog. com 33.* Ariſt.*lib.4.meteor.cap.1.* non ſolùm vrinam, ſed etiam deiectionem, quoties benè in ventre concoquatur, & item ſcreationem in pulmonia, & coſtali, atque etiam pituitam per diſtillationes, & grauedines, necnon per lippitudinem, & pus in vlceribus. Album ſit neceſſe eſt, quoniam natura à putrefacientibus cauſis prohibita, non potuit aſſimilationem, quam moliebatur, vt in cibo perfectam, aſſequi: aſſecuta eſt tamen qualemcunque, vt coloris fiat ſimilitudo, quando ſubſtantia aſſimilari non potuit: hinc eſt quòd colorem album, qualis eſt ſolidarum partium accipiat pus, ſedimentum vrinæ, & ſputum, quod illis reſpondet, *lib.1.criſ.cap.18.*& *lib.4.de rat.vict. 68.& 78. lib.2.aph.47.*& *lib.5.de ſimplic.medic.facult.cap. 9.* Debet eſſe æquale, id eſt ſibi ſimile. vt *lib.1.de differ.feb.6.* exponit Galen. quoniam omnes eius partes eundem colorem, odorem, & conſiſtentiam obſeruant. Læuitatem adiungit Hip.*lib.2.prog.21.* hoc eſt, vt quoad tactum, læuorem præſentet.

Sputum ergo ægrotantium, quod ſpiritalium partium affectiones mirum in modum demonſtrat, ex Galen.*lib.1. criſ.cap.18.* conſiderandum eſt, quando iam aliquid excernitur, verùm id ſanies eſt tenuis, & liquida, non qualis ſaliua, aut naturale ſputum, quæ non ſputum, ſed ſpuitio aut ſputamen dicitur à Græcis, ſignum debilis, & obſcuræ coctionis, principium non excludens. Si verò ſanies illa incipit iam craſſeſcere, & permiſceri cum ſputo naturali, promptiùs, faciliùs, & minori vi expellitur, & in copia maiori, manifeſtæ coctionis ſignum eſt, morbi augmentum ſignificans. Illud verò optimum album, læue, æquale, quod facile, & in magna quantitate educitur, perfectæ coctionis ſignum minimè eſt fallax, & morbi ſtatum adeſſe demonſtrat. Si verò in maiori copia, cum febris, & ſymptomatum remiſſione, faciliorique reſpiratione, morbum ex ratione leuat, declinantis pleuritidis certiſſimum eſt indicium.

Sputum hoc ſi circa initia, hoc eſt, primis tribus diebus, appareat copioſum, morbum breuiat, ex Hip. *lib.1. aph.12.lib.1.criſ.cap.7.lib. 1. de rat. vict.32.* & *lib. 1. epid. ſect.3.com.10.* Nam auctore Hip. *lib.2. prog.43. ſcreatio in omni dolore, qui affligat circa pulmonem, & coſtas, citò promptéque ſcreetur, neceſſe eſt.* Cùm enim tunica, qua partes thoracis interiores cooperiuntur, non ſit ita craſſa & dura, vt corium externum, ſed qualis eſt tunica oculi, & palati, ex quibus ob tenuitatem, & raritatem aliquid ſemper reſudat, ex Gal.*l.1.aph.com.12.*& *lib.de conſt.art.medic.15.ad fin.*

A idcircò ex pleura inflammata aliquid ſemper reſudare ſolet, momentaneum, ſi cauſa eſt tenuis, virtus expellens fortis, fluxio pauca, tunicáque minimè denſa, & hæc cocta pleuritis appellatur. Si verò ob doloris vehementiam, inobedientiam materiæ, imbecillitatem facultatis, æger nihil mentione dignum expuit, ex Galen.*lib.2.prog.67.* tunc ſicca vocatur pleuritis, & cruda; non quòd ab humore, intemperiéve ſicca, aut in parte ſicca fiat, vel ex inanitione concitetur, ſed quia in ea nihil excernitur, auctore Magiſtro, *lib.1.de rat. vi. in morb. acut. com.22.* Aduerte tamen ex Auic.10.3.*tract.4.c.4.* ſæpe reperiri pleuritidem, in qua nihil exſpuitur, non quia eſt fraudulenta, vt ipſius verbis vtar, ſed cùm mitis ſit, & benigna, ex tenui humore ſuborta, materia inſenſibiliter reſoluta facilè euaneſcit.

In ſputo coctο, vt ſit ſalutis ſignum, plura ſunt obſeruanda.
B Morbi cauſa non debet deliteſcere, quæ in aliquam partem ſubitò irruens, repentè mortem adducat, ex Galen.*lib.de conſt.art.medic.cap.18.* Non debet complicari aliquis morbus malignus, cuius ratione inopinatò mors contingat: Sic intelligendus Auic.*loc. nuper cit.* §. *Inquit Hippocr.multoties eſt ſputum bonum facile, & ſimiliter anhelitus, & ſunt illic alia ſigna mala mortalia, ſicut ſpecies in qua eſt dolor ad poſteriora, & eſt quaſi dorſum patientis eam, dorſum verberati, & eſt vrina eius ſanguinea, ſanioſa, & rarò fit beatus, immò moritur intra quartum, & ſeptimum, &c.* Huius rei duplicem cauſam aſſignant interpretes, & quòd pleuritidis cauſa, non multitudine, aut acrimonia, ſed mala qualitate cor fatiget: vel ſit maior humoris deleterij in vaſis, quàm inflammatâ pleurâ portio; & quòd reſpiratione parùm immutata, ſputóque apparente bono, à capite,
C vel alia parte defluit ad pulmonem excrementum, quod coctum excernitur: quare accidit, vt ſputum ex diuerſa materia fiat, quàm ex qua fit pleuritis. Deinde vt ſputum coctum ſalutem portendat, morbi cauſa debet eſſe homogenea, & poſt coctionem ſubſequi debet excretio, ex Galen.2. *prog.67.*& *com.22.lib.1.aphor.*

Sputum non bonum multiplex eſt: ſpumoſum, flauum, rufum, rubrum, pallidum, nigrum; quæ genera ſputorum, non ſputa propriè, ſed ſputamina, & expuitiones appellantur à Galen.*lib.1.de criſib.cap.5.* Hæc ergo ſputa, periculum, morbi incrementum, & mortèm præſagiunt: de horum genere ſunt ſputa glutinoſa, æruginoſa, viridia, liuida, rotunda; quæ omnia, vel excedentem calorem, vel immodicam frigiditatem oſtendunt, & ſigna corruptionis, vel incoctionis dicuntur à Galen. *lib. 1. epidem.*
D *ſect.2.com.46.*

Sputa periculoſiſſima ſunt nigra, ex Galen.*lib.2.criſ.10.* & valdè ſpumantia(ſpumans enim ſimpliciter ſolam pituitæ copiam ſignificat, ex Galen.2.*criſ.10.*& *lib. de conſt. art.medic.cap.17.*) quum in gutture ebulliunt, quo moribundi, conſtante adhuc mente raucum murmur, ac ſonitum reciprocantem edunt, (inſtantis mortis ſignum:) cùm enim arteriam vocalem occludi contingat, ſpiritus qui confertim erumpere geſtit, nactus meatum anguſtum, collapſámque fiſtulam, gargariſmo quodam prodit, ac raucum per læuia murmur efficit, ſcatebríſque arentes deſerit artus. Conglomeratus itaque ſpiritus, ſpumáque turgida commixtus, ſonitum excitat, (*oremon* Barbari vo-
E cant) reciprocanti maris æſtui aſſimilem. Alias verò cauſas, ob quas periculum maximum præſagiant. Lege *in lib. 2.pro loc.cit.* Galenũ, & poſt hunc, vide Chriſtoph.à Vega, qui interpretando Hip. cæteros antecelluit. Cætera de ſputo in pleuritide, legat qui velit apud Iacchin.*in lib.9.ad Almanſ.cap.39.* Guainerium, *tract.de pleuritide, tit.de ſputo.* Ludouic. Mercat.*lib.2. de morb.intern. cap. 6.* Altimarum, Mercurial. Maſſariam, Nicol. Piſonem, & alios qui de pleuritide proprium caput conſcripſerunt.

QVÆSTIO XVI.

Quòd ex ſanguine corrupto ſumatur indicatio ad ſanguinem mittendum. Contra Fernel. & Augen. Medicos eximios.

C*Orruptio potens in venis.*] Pertritum, exculcatúmque eſt vel omnibus, qui primis labris Medicinam deguſtarunt,

deguſtarunt, in præſentia ſanguinis corrupti in venis, ſanguinem vel largiſſimè eſſe emittendum. Hoc enim placitum, præter diutinum experimentum, Galen. *lib. 9. meth. cap.* 4. eleganti quadam hiſtoria confirmat, quo loco *in febre ex putredine ſanguinis concitata, vſque ad animi deliquiũ ſanguinem emittit*: de qua quæſtione plura diximus *lib.* 1. *in com. hiſt.* 9. & *in com. hiſtor.* 9. *l.* 4. Deo duce, fusè diſceptabimus. Hac ratione *in omnibus febribus quas putreſcens concitauit humor, ſanguinẽ* imperat *emittendum, lib.* 11. *meth. cap.* 15. Et *lib.* 9. *meth.* 11. *tunc venam ſecat, quando ſanguis redditur inutilis naturæ: fit autem talis, vel quando propriam qualitatem ad vnguem non ſeruat, nec amplius nutrire poteſt, ſicut prius cùm vtilis eſſet.* Quare ex praua ſanguinis qualitate, & corruptela, (peccatum ſanguinis qualitatiuum vocant) indicatio ſumitur ad ſanguinem mittendum. Sequitur Auic. 4. 1. *cap.* 20. §. *Amplius in corporibus, quæ prolixas perpeſſa ſunt ægritudines, caue tibi à phlebotomia, niſi ſanguinis adfuerit corruptio, quæ te ad hoc perducat: quoniam tunc phlebotomabis ea, &c.*

Contra hanc veritatem plura obiici poſſunt, quæ per incuriam tranſire fas non eſt. Primo loco offert ſeſe illa eiuſdem Galen. ſententia, lata *in illo aureo cap.* 4. *lib.* 4. *de ſanit. tuend. iuxta med.* ibi enim docet, quòd *quando humores valdè à natura ſanguinis recedunt, venæ ſectio non conuenit, quoniam plenitudo iam tranſit per putredinem in cacochymiã.* Deinde, ſi putredo immediatè à debilitate caloris oritur innati, vt omnis Philoſophorum, & Medicorum chorus vnà confirmat, cur *in potenti*, (Raſij verbo vtor, hoc in loco) hoc eſt, vehementi corruptione ſanguinis in venis, ſanguinem emittemus, ſi in illius præſentia vires haud poſſunt eſſe valentes, & maximè in pleuritide, in qua interdum licèt coctus ſit humor, non expellitur tamen multoties, ob debilitatem thoracem mouentis facultatis, vt 2. *prog.* 67. & alibi Galen dicebat? Quare putredo ſanguinis miſſione non curatur, ex Galen. 11. *meth.* 14. In tanta ergo corruptione ſanguinem mittere non conuenit, ex Senis præſcripto, *in lib.* 6. *epidem. ſect.* 3. *text.* 43. quoniam in his vires non conſtant, ex Gal. *in com.* dum ſic ait. *Expedit* (inquit) *horum aliquibus ſanguinem detrahi, quibus ſcilicet is copioſus eſt, & nondum inſigniter ad alterum humorem conuerſus. Non detrahendus eſt autem, in quibus iam mutatus eſt, propoſito à viribus ſumpto antecedente.*

A ſanguine ergo corrupto non poteſt ſumi indicatio ſanguinem mittendi, cùm phlebotomia tunc citra morbi leuamen vires deiiciat: indifferenter enim omnes humores euacuat, nec putridum magis, quàm integrum, quo fit vt in vitioſorum, corruptorúmque humorum in venis exiſtentium conſtitutione, venæ ſectio nil planè immutet, ſed eadem perſiſtat humorum proportio, quæ ante ſectionem fuerat; quare licèt copiæ nonnihil adimat, cacochymiam tamen, quæ viribus incommodat, non aufert.

Ioannes Fernel. Medicus apprimè doctus, & elegans, *conſil.* 45. & Horat. Augen. haud dilutæ auctoritatis vir, *tom.* 1. *epiſt. lib.* 11. *epiſt. vlt.* accuſare Galenũ non deſiſtunt, quòd nihil conſtans, ac firmum de hac quæſtione ſtabiliuerit, quæ ita ardua eſt, vt multorum torqueat ingenia. Siquidem dum ſanguis effluit impurus, craſſus, ac niger, aut aliquo alio vitio infectus, largiſſimè ſanguinem detrahit, quum verò purus, ac floridus, è contrà. Quare Medicorum tanta eſt varietas, ac diſcordia, vt vix quiſquã illius de hac re ſententiam firmam hactenus ſit aſſecutus.

Immeritò tamen Galenum reprehendere auſi ſunt. Nam à ſanguine vitioſo ſumitur indicatio ad ſanguinem mittendum. Hoc, præter citata ipſius teſtimonia, palàm facit, latum *in lib.* 5. *meth.* 15. quo loco in phthiſi, affectu ſanè, in quo vires haud poſſunt eſſe valentes, ſanguinem mittit, potiſſimùm quibus veluti limus quidam vitioſus, & craſſus totus eſt ſanguis, *in lib.* 5. *epiſt. ſect.* 3 *com.* 29. in muliere Romana valdè extenuata ſanguinem mittere non recuſauit, ea præſertim ratione ductus, quòd vitioſus ſanguis exiuit, colore liuidus, liquidæ pici, & colore, & craſſamento ſimillimus. Sanguis igitur leui putredine, & reducibili ad benignum infectus, quocum adhuc natura conſiſtat, nuncupabitur ſanguis vitioſus, à quo ſumi indicationem ad ſanguinem mittendum, colligi poteſt ex Gal. *lib.* 2. *aph.* 17. *iuxta fin.* & *in art. medic. cap.* 89. §. *Eſto enim ſi ita contigerit, ex humoribus putreſcentibus accendi febrẽ, &c.* Tunc enim venæ ſectio magnum præbet vſum, & ventilatione ſemiputridi, & vacuatione integrè putridi: niſi imaginemur putredinem ita creuiſſe, & eſſe conſummatam, vt eius cauſa ſanguis propriam formam amiſerit, & in alienam naturam degenerauerit, nam tunc inutilis eſt phlebotomia.

Oppoſita verò hac ratione ſolues. Dic ad primum. Galen. dictum locum habere in corporibus ſanis, & neutris, cùm ibi Galenus verſetur in parte de ſanitate tuenda, nos verò loquimur de iis qui actu iam ægrotant. Vel dicendum, magnam illam diſtantiam à natura ſanguinis, non aliundè quàm à virium imbecillitate deſumi: hoc colligitur ex Gal. *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap.* 9. dicente, in plenitudine crudorum ſuccorum inutilem eſſe phlebotomiam, quoniam iis virium robur non adeſt: Si verò vires cum ſanguinis putredine conſtent, exiſtimandum non eſt humores à natura ſanguinis valdè eſſe diſtantes; præſertim quando ſanguis vitiatur manente ipſius forma; nam ſanguis putreſcens etiam plenitudinem conſtituit, immò ſæpe cacochymia intra vaſa conſtituta venæ ſectione commodè minuitur: explicat eruditè Augenius *lib.* 4. *de ſang. miſ. cap.* 4. Quare putredo ſola ſanguinis miſſione non curatur, ſed remediis etiam concoquentibus, quæ poſt ſanguinis miſſionem celebrari debent; tunc enim parciùs ſanguinem extrahere oportet, ſumpta indicatione non à putredine, ſed à viribus, vt ſcilicet poſſit æger ad putreſcentium humorum coctionem ſufficere, qui poſt phlebotomiam in vaſis relinquuntur.

Sanguis igitur vitioſus, omninò corruptus & putris ſi abundet, ita vt vires langueant, ipséque inſigni conuerſione in alios humores ſit mutatus, tunc nullo modo emittendus ſanguis, ſed purgatio celebranda: Ex quo patet, corrigendam eſſe literam Auic. 4. 1. *cap.* 20. *iuxta med.* cùm ait. *Et ſimiliter oportet, vt ex minutione febricitantis, cuius febris non eſt ex putredine, minoratio fiat*: nã magis quadrat, vt legatur, *cuius febris eſt ex putredine.* Ex quibus ad argumenta patet reſponſio. Lege Spicilegium Moxij, in quo pulchrè agit de curandis febribus per venæ ſectionem, quas putreſcens humor accendit.

QVÆSTIO XVII.

Quòd in pleuritide, à parte affecta ſit hauriendus ſanguis. Contra plurium Iuniorum decreta.

M*inutione facta.*] Hiſtorias de pleuritide, morbo notiſſimo, ac frequentiſſimo exponentes, quò feliciùs rerum difficultates emenſi, demùm exoptatam contingamus metam, hanc difficilem quæſtionem de venæ ſectione, ex omnium pænè auctorum decreto Laconicè perluſtremus. Cæterùm quoniam vniuerſa Medicorum ſchola, magiſtros ſuos multiplicibus telis oppugnat, eorúmque mentem in varios ſenſus diſtorquet, non erit moleſtum, in illorum hortulos, multis ſæpè doctrinæ floribus peramœnos paululùm diuertiſſe.

Medicorum ſcientiſſimus *lib.* 2. *acut.* 10. & 11. & *lib.* 4. *eiuſd. text.* 72. & 73. *in pleuritide ab affecto latere ſanguinem hauriendum iubet.* Eius ſententiam amplectitur Galenus, *in com.* & *lib. de curãd. rat. per. ſang. miſ. cap.* 16. & alibi ſæpè. Attende quàm fuerint ſolertes, acuti, & graues; & quanti fecerint rectitudinem, in omnibus vacuationibus ab ipſa natura tantoperè obſeruatam, cuius vi facilior, & felicior multò vacuatio contingit. Illa enim quando criſim molitur, & per abſceſſum, ſanguinis fluxum, aut aliam quamlibet vacuationem, noxium humorem expellere tentat, operatur ſemper recto tramite. Quare ſi Medicus ipſam rectè operantem imitari tenetur, ſecundùm rectitudinem operari debet. Hæc eſt cauſa à Gal. variis in locis decantata, ob quam inter perfectæ criſis conditiones, eam reponendam ſtatuerit, quòd fiat recto tramite: nam *hoc modo celebrata euidentem attulit vtilitatem, ita vt & qui patiuntur & familiares ipſorum ſepenumerò obſtupeſcunt*, vt 3. *criſ. c.* 3. *lib.* 1. *aph. cõ.* 20. & *lib. de curand. rat. per ſang. miſ.* 14. 15. 16.

protulit

A protulit Galenus : cuius doctrinam eleganti poëmate confirmat Franciſcus Bouſſuetus *lib.7. de arte medendi, tit. de pleuritide.*

Venerandus Senex *lib.6.epid.ſect.2.text.*12. ſic pronunciat. *Secundùm rectum & coſtarum dolores, & præcordiorum contentiones, & lienis elationes, & ex naribus eruptiones, &c.* quam lectionem vt dilucidam, & medicinalem Gal. approbat, *in com.* nec immeritò; nam, vt notat Fuchſius *ibi*, monet Hippoc. quòd naturæ in expellendis excrementis motus diligenter à Medico ſit aduertendus, qui ſi in rectum ſit, robur naturæ ſignificat: neque enim vacuationi locus alius commodior eſt, quàm qui vicinus exiſtit, & ſecundùm rectum procedit. Iure ergo optimo in omni vacuatione, recta partium poſitio eſt conſideranda, ex Gal. *lib.5.meth.cap.3.* & *lib.de curand. rat.per ſang. miſ.cap.*11. Auic.4.1.*cap.*3. Hoc intelligendum eſt, dummodò rectitudo agnoſci poſſit; nam difficile eſt eam in omnibus agnoſcere: veluti quum varices, aut hæmorrhoïdes iniamiam ſanant; ſanguis vacuatur per vterum; humor noxius per aluum, aut vrinam expellitur. Ex his conſtat, partes è directo poſitas magis inter ſe conſentire, & frui. Hoc probat euidenter Gal.*lib.*14.*de vſu part.*7. quoniam, inquit, dextra vteri pars tantò eſt ſiniſtra calidior, vt ratione caloris adaucti mares effingat, eſt autem exuperantis caloris cauſa, hepatis rectitudo. Licèt autem omnia omnibus conſentiant, ex Hip.*lib.de aliment.num.*4. tamen præter generalem conſenſum, particularis inter partes, per communes, & affines venas obſeruari debet; nam vena quædam alteri parti magis quàm aliæ conſentit. Si enim incideris in eas quæ non conſentiunt, neque affectæ parti medeberis, & ſemper lædes, vt *libro de opt. ſect. cap.*5. Gal. docuit. In quo tamen conſiſtat rectitudo, diſputant Fernel.*lib.*2.*meth.c.*5. Valleſius *lib.*7. *cont.c.*4. Mena *in com.cap.*15. *Gal.in lib.de ſang.miſ.* Saluus Sclanus 1.*aph.* 21. Vega *lib.*2.*art.medic.ſect.*5.*cap.*5. & nuper ſcripſit Caſtrenſis eruditiſſimè, *lib.*2. *opuſcul.quæ ex quibus, cap.*14. Cur autem vacuatio ſecundùm rectitudinem celebrata, tantoperè iuuet, explicat inter citatos exemplis appoſitiſſimis, & manifeſtiſſimis Veiga *in com.cap.*95.*lib.art.medic. Galeni, in principio.*

Deinde, ſi ex Galeni doctrina *lib.de curand.rat.per ſang. miſ.*16. rectitudinem obſeruandam prænonentis, *Sanguinis miſſio in pleuritide facta è latere affecto, manifeſtam ſæpè attulit vtilitatem, ex parte verò oppoſita, aut nullam, aut poſt longum temporis interuallum*, vt eruditè admodum Hieronym. Nonnius Olyſip. explicat *in com.* cur à parte dolore tentata venæ ſectio non celebrabitur ſemper, vt prædixit Hippocrates? Si enim auxilia debent contendere cum morbis in magnitudine, & celeritate, alienum à ratione eſt in morbis acutis, & citam vacuationem expoſtulantibus auxilia differre, quæ vtilitatem celerem ſunt allatura. Igitur ſi ſectio lateris oppoſiti non iuuat, niſi poſt longum temporis interuallum, ea ex hac parte celebranda non eſt, quoniam non ita citò ſuccurrit, vt acuties morbi efflagitat: *Quæ enim celeritatem deſiderant, celeriter adimplere oportet*, vt *lib.*1.*acut.text.*8. docuit Hippocrates. Clamitent ad rauim vſque Manardus 12. *epiſt.*5. Altimarus *prop.cap.de pleuritide*, Trincauellius *proprio tract. de ſecanda vena in pleuritide*, qui hunc Gal. contextum in varios ſenſus diſtorquent; quum in eius doctrina omnia ſint ita plana, vt cæcus ſit qui veritatem hanc luce clarioré non agnoſcat.

Fatemur quidem ſimpliciſſimam reuulſionem, & in morbo non ita acuto factam, ex diſtantiſſimis partibus eſſe celebrandam; vel quando pauciſſimus humor in pleura continetur, maior tamen copia adeſt humoris fluentis, & fluxuri: tunc ſi minima humoris portio in parte affecta ſit impacta, & febris non ab inflammatione, ſed à copia peccantis humoris in genere venoſo fixi oritum ducat, tunc in initio initiante morbi, dogma Arabum defendi poteſt. Vel ſi de præſeruatione intelligas, veriſſima dices: nam in annua pleuritide, è contrario latere exercenda eſt, antequam inuadat, vt aduertunt Montanus *in com.cap.*88.*art.medic.Galen.* Ludou. Mercat. *lib. indicat.* 4. Capiuac. *lib.* 2. *prax.cap.*13.

Quapropter in pleuritide, aliiſque inflammationibus internis, ab affecto latere ſecandam eſſe venam perpetuò, cum Galeno concedimus; à quo docemur, ſeruata etiam ſufficiente contrarietate, quæ eſt à brachio ad pleuram, feriendam eſſe venam, quæ maximum cum affecta parte obtineat conſenſum, & tum reuellere, tum vacuare queat; quod opus vna eadémque phlebotomia perfici poſſe, teſtis eſt Galenus *lib.*2. *acut.*10.& 13.*method.cap.*11. hoc enim quoniam putarunt aduerſarij eſſe falſum, in grauiſſimos errores inciderunt. Galeni partes tuentur Oribaſ. 7.*collect.*5. & *lib.ſynopſ.cap.*10. Aëtius, ex propria ſententia, *tetrab.*1. *ſerm.*3.*cap.*12. licèt ex Archigenis mente, ex latere oppoſito detrahendum ſanguinem aſſeueret, *tetrab.* 2.*ſerm.*2. *cap.*68.

B Quis ergò ſummi Dictatoris edictum peierare audebit, aut pertinaciter noua condere dogmata, aut nouas leges? cùm primi Medicinæ parentes nullis ambagibus fuci, euidentiſſimam doctrinam promulgarint, ſine fuco, & fallaciis expoſitam, immò validiſſimis rationibus, mira induſtria, aſſiduo experimento confirmatam, poſteritati commendatam reliquerint.

Vidębis Arabum præcipuos in hoc negotio diſcordes valdè: nam Auicenna 10.3.*tract.*5.*cap.*1. Rhaſius *cap.*57. *in lib.*9. *ad Almanſ.* Serapio *tract.*2. *cap.*21. Iſhac *lib.*6. *pract.*11. è ſaphæna partis oppoſitæ ſanguinem eſſe exhauriendum ſuadent, & ſi corpus ſit plethoricum, ab oppoſito latere: timent enim ne ſecta vena, præſente copia multa, tota humoris machina in affectam partem ruere poſſit, faciátque pleuritidem grauiorem. Auenzoar *lib.*1. *Theizir, tract.*16. *cap.*13. ſecat baſilicam lateris oppoſiti, *quamuis quibuſdam nouis Medicis* (inquit ipſe) *noſtri temporis videatur, quòd ſit minuendus ex eadem parte ægritudinis,* C *inducendo ſuper hoc verba logicalia, & ſophiſtica, quod mihi nullatenus videtur rationale, neque verum, immò credo certiſſimè, quod facere illud, omninò eſt mors infirmi, &c.* vt aliter quàm Auicenna, ea de re exiſtimaſſe viſus ſit. Meſuë *tract. de ægritudinib. pect. & pulm. cap.* 7. ſecat baſilicam lateris oppoſiti, vt ſaphænam dextram, ſi ſiniſtrum latus laboret: quàm opinionem veriſſimam eſſe contendit Cæſar Optatus *peculiari tract. de pleuritide*: & maximè ſi peſtilens, aut maligna inflammatio ſit, vt probat Manardus 14. *epiſt.*1: quoniam à corde, cæteriſque præcipuis partibus peccantem humorem longiſſimè diuertit.

Sunt qui è latere contrario ſemper eſſe tundendam venam conſtantiſſimè aſſeuerant; de quorum numero, præter plurimos qui de pleuritide proprium caput conſcripſerunt, extant Gentilis, Iacobus de partibus, Mat- D thæus peritus *in com. cap.*1. *Auic. in fen.*10.*lib.*3. *tract.*5. Nicol. Nicol. Florent. Thurinus Piſcienſis, Thriuerus, Benedict. Victorius, Iaccbin. Arnaldus, Guainerius, Gattinaria, Valleſcus Tarantinus, Piſo, Harculanus: immò Coſtæus, & Paulus Mongius, doctiſſimi Auicennæ interpretes id confirmant.

Veſalius ſummi ingenij vir, *lib.*3.*de fabric.cap.*1.& 7. & *in epiſtola huic operi dicata*, & *lib.de radice Chynæ. ferè per totum*, quem ſequitur Thaddæus Dunus *lib* 4. *de ven.ſect. c.*5. ſemper è latere dextro faciendam eſſe phlebotomiam ſibi perſuaſit, quòd Azygos vena, ſeu coniugis expers, à dextro latere oriatur, quæ tam dextras, quàm ſiniſtras coſtas alit; quare in pleuritide, dextri brachij axillarem ſemper eſſe ſecandam monet, ſiue pleuritis partem dextram, ſiue ſiniſtram occupet. Hanc opinionem redarguunt E Valleſ. 7. *cont.*4. Amat. *lib.*1. *cent.*52. Ludouic. Duretus *lib.*2.*in Coacas Hip.cap.*13.*in com.ſent.*2. Gueuara *lib.de re anatomic.c.*3. Andreas Laurent. *lib.*4.*de re anatom. quæſt.*5. Sanctor. Sanctorius *lib.*3.*de euitand.errorib. medic.cap.*17.

Peritiſſimus Luſitanus *in com.c.*95.*art. med. Galen.propoſit.*2. experimento confirmat, frequentes pleuriticorum dolores nil per affectam partem leuatos, repentè aduerſæ ſectioni ſuccubuiſſe, quoniam fluxionis origo ab aduerſo accedebat: quare fit, vt ſeruata rectitudine extremus diſtantiſſimúſque locus magis profit. Quem auctorem ſi de præſeruatione intelligas, illum à calumnia liberabis. Sæpè enim accidit, vt à liene vel hepate, in pleuram dextram vel ſiniſtrã, humor tenuis & bilioſus confluat, qui laterũ ex interuallis pariat dolores, qui miſſo ex axillari vena

ſanguine leuantur; ſic enim ad originem fluxionis reuulſio fit. Si verò de curatione interpreteris, illius opinio amplectenda non eſt: nam licèt fluxio ex aduerſa parte accedat, interdum oportet ſpernere vnam indicationem, propter aliam vrgentiorem, ex Galen. *lib*.10. *meth. cap*.1. præſtantior autem indicatio eſt quæ ſumitur à parte affecta, & dolore tentata: cùm enim hæc ſit præcipuis membris vicina, ſui auxilium citiſſimè expoſtulat, vt probant Cardozus *lib. de ſex rebus non naturalib. cap*. 11. *quæſt*. 5. Bartholomæus Perdulcis *lib*.3. *vniuerſ.medic.cap*.5.

Nuper Caſalenus *proprio tractatu*, *de ſecanda vena in pleuritide*, varium mittendi ſanguinis locum aſſignat, pro varietate partis mandantis fluxionem, ſequutus forſan Alzaharauium *lib. pract. tract*.11. *cap.vlt*. nam ſi è capite oriatur fluxio, è cephalica; ſi à vena caua, & muſculis thoracis, ab interna; ſi è partibus infrà renes, è talo extrahendum ſanguinem conſuluit. Sed hæc opinio non omni ex parte vera eſt, & ex ſuprà dictis facilè redargui poteſt. Attende, quomodo in ſecanda vena in pleuritide, huc illúcque Euripi modo agitati, ab Hippocratica, immò Galenica via recta receſſerint, quorum diſſidentes inter ſe ſententias ad plenum referunt Argenterius *lib. de conſult. rat.cap.vlt*. Franciſcus Vallarinus *lib*.2. *canon.medicinal.canon*.13. Victor Trincauellius *tract.de vena ſecanda in pleuritide*, Iulius Guaſtauinius *lib. de loc. medic. ſelect.cap*.23. Renatus Morellus *in appendice Briſſoti, in lib. de ſang.miſ*. Sennertus *lib*.2.*praxis, part*.2.*cap*.16.*quæſt*.4.

Relictis ergo aliorum opinionibus, ne in iis refutandis ſim multiloquus, firmiter aſſero, ſemper in pleuritide ab affecta parte ſanguinem eſſe emittendum: nam præterquam quòd iam omnibus ventum eſt, ſecare more Græcorum venas, à parte vbi dolor eſt, vt *lib*.4. *acut*.10. *&* 72. Valleſius firmat: hoc placitum eſſe veriſſimum euidentiſſimis rationibus confirmant Argenterius *lib*.1. *aph*.21. Chriſtoph. à Vega *lib*.2.*art.med.ſect.cap*.1. Cardanus *lib*.1.*cont.tract*.2.*cont*.8. Saluus Solanus *in com.ſent*.21. *lib*.1.*aph*. Fernelius *lib*.2.*meth.cap*.5. Petrus Briſſotus *contra Dionyſium*, Georgius Gomez, Monardus, & alij *proprio tract. de ſecanda vena in pleuritide*.

Sed ex his omnibus placuit potiores rationes decerpere, ne illarum varietate lectores interturbentur. Sic ergo argumentis, & auctoritatibus Græcorum placitum munire oportet, quarum prima eſt. Illa reuulſio commodiſſima eſt, quæ humorem à termino defluxionis ad originem reuocat: atqui fermè ſemper defluxiones à locis rectis & communibus fiunt: ſed ſectio ex vena recta, & communi commodè ſuccurrit neceſſitati reuellendi humores fluentes, & ſimul auxiliatur alteri neceſſitati vacuandi humores contentos in parte affecta. Ergo ſanguinis miſſio ex eodem latere eligenda, potiſſimùm in principio internarum inflammationum. Maior patet ex Galeno *ſuprà*. Minor, ſenſifica demonſtratione probatur: videmus namque in iecoris inflammatione optimam criſim fieri, ſi ſanguis è nare dextra, ex Galen. *lib*. 3. *criſ.cap*. 3. malam verò exiſtere, ſi contrà fiat: nam *lib.de curand.rat. per ſanguinis miſ.cap*.16. concludit Galenus, reuulſionem, quibus in directum adhibetur, euidentem vtilitatem celeriter oſtendere; quibus contrà, non ita. Neque enim humorum tantùm fluxus fit ſecundùm rectitudinem, ſed etiam communicatio vaporum. Ita læſa parte dextra vteri, dolet pars dextra capitis; & læſa parte ſiniſtra, dolet capitis pars ſiniſtra. Et ſi caput ex ventriculo dolet, dolet frons; ſi ex vtero, dolet occiput, quia ſecundùm rectitudinem ſupraponitur vtero. Præterea dicta rectitudo non ſolùm facit ad fluxum humorum, & communicationem vaporum, ſed etiam ad communicationem ſimplicis qualitatis: ſic refrigerato rene dextro, crus dextrum refrigeratur; & ſi iecur incaluit, dextra manus, & pes exulcerantur, & ardent: ſi lien, ſiniſtra propter rectitudinem tantùm: ſimiliter ex eadem cauſa, dextra ſunt calidiora ſiniſtris, ex Galen. *lib*.14.*de vſu part.cap*.7. propter rectitudinem, quam habent ad iecur.

Secunda. Quando interna adeſt inflammatio, conuenit ſimul vacuare gratia humoris defluxi, & reuellere gratia humoris fluentis: ſed hæc omnia perficiuntur vacuatione facta ſeruando dictam rectitudinem, & communitatem. Ergo è latere partis affectæ ſanguis hauriri debet. Quòd autem ita etiam fiat reuulſio (in quo tota vis controuerſiæ conſiſtit,) vltra auctoritatem Galeni *lib.de ſang. miſ. cap*.15.16. & 5. *meth*.3. Oſtenditur, quia ex Hip. & Galen. *lib*.5. *aph*.68. à parte poſteriori capitis ad anteriorem fit reuulſio: atqui diſtantia quæ eſt à latere affecto ad venam quæ in brachio ſecatur, eſt multò maior. Igitur & per illam fiet reuulſio. Præterea ex Auicenna 4.1. *c*.3. ad reuulſionem ſufficit diſtantia, quæ eſt ab humero ad humerum: ſed ea quæ eſt à latere ad cubitum maior eſt, vt patet. Igitur illa ſufficit ad reuellendum.

Tertia. In principio inflammationis intentio eſt cohibere fluxum humorum ad partem affectam, & hoc ex methodo curatoria prærequirit ablationem cauſæ defluxionis, quæ cauſa ex Gal.13. *meth*.5.*&* 6. potiſſimùm eſt dolor partis, & calor eiuſdem, propter inflammationem, & calefactionem humoris contenti in parte affecta. Incipienda igitur curatio ab huius humoris vacuatione, quæ commodiſſimè fit ſeruata rectitudine, & communitate, à parte verò diſtantiſſima, non item.

Quarta. Si phlebotomia fiat extra rectitudinem, & communitatem, oportet illam ampliùs frequentare, vt faciunt Barbari, quovſque fiat vacuatio humoris contenti in parte affecta; quod in huiuſmodi phlebotomia tardiùs fit, quàm in ea quæ ſeruat rectitudinem, & communitatem.

Quinta. Si celebretur venæ ſectio extra rectitudinem, & communitatem, extrahitur bonus ſanguis, & relinquitur malus in corpore, vt frequenti conſtat experimento, & probat Galenus *lib.de tremore, & palpit.cap*.5.*in fin*. dum ſic inquit: *Alia enim alij corporis parti vena communicat, oportétque vacuationes ſemper ex communibus moliri: nam ſi venas quæ nihil parti affectæ communicant, incideris, neque affectæ medeberis*, & *ſanam ſemper offendes. Neceſſarium igitur nunquàm non videtur, vt is qui rectè medebitur, cauſam ex qua effectus oritur, agnoſcat*, *&c*. Cum igitur non ſeruata rectitudine & communitate, ob cauſas dictas multò magis debilitetur virtus, quam religioſiſſimè in pleuritide ſeruandam docuit Galenus *lib*.10. *meth.cap*.5. videtur ex parte diſtante celebranda venæ ſectio, ſeruante tamen rectitudinem, & communitatem cum parte affecta; ſic enim vnico auxilio occurrimus duplici neceſſitati, reuellendi ſcilicet, & euacuandi: poſſe enim reuulſionem ſimul, & euacuationem vnà venæ ſectione præſtari, teſtis eſt locupletiſſimus Galenus *locis ſuprà citatis*, nam in principio inflammationis adeſt neceſſitas reuellendi humorem fluentem, & fluxurum, & euacuandi impactum, & fluxum.

Et vt videas, quantum momentum in exequendis vacuationibus habeat rectitudo, vide Galenum *lib*.13. *method*.11. & *lib.de ſang.miſ*.16. *&* 2.*acut*.11. qui licèt multi fecerit communitatem, tamen huic prætulit rectitudinem: nam in inflammatione iecoris non apparente baſilica, quæ cum iecore communitatem habet, ſecat medianam, & rurſus hac non apparente ſecat humerariam; nec accedit ad ſectionem baſilicæ brachij oppoſiti, quæ maiorem communitatem habet cum iecore, quàm vena humeraria partis affectæ; quoniam huius ſectio propter rectitudinem plus poteſt, quàm ſectio illius ob communitatem: quæ ſolutio certior eſt alia, quam tradit Manardus 12. *epiſt*.5. *poſt med*. Lege Caſtrenſem *lib*.2. *opuſculi, quæ ex quibus cap*.17.

Sed offenſacula potiſſima ſunt euertenda, quibus Arabicæ familiæ ſtrenui duces, Barbari omnes, & Iuniorum peritiſſimi eos ſequuti, Græcorum ſaniſſimam doctrinam conuellunt. Primò ſic. Tunc temporis conuenit reuulſio, quando humor confluit ad partem affectam, ſed in principio pleuritidis humor fluit: Ergo hoc tempore reuulſio à parte diſtante, & oppoſita quadra celebrari debet, ex Galen. *lib*.4.*meth.cap*.6. & *lib*.5.*eiuſd.cap*.3. vacuatio autem ex parte affecta magis auget, & concitat defluxum humorum ad illam. Hoc modo *lib*.2. *ad Glauc*.2. *prope initium*, in affectibus partium ſupernarum ſanguinem per inferiora emittit, & in inflammationibus partiũ

infernarum,

infernarum, è contra: quia (vt inquit) fluxionis motum ad contraria retrahere expedit. Dic, in pleuritide non adeſſe ſolam neceſſitatem reuulſionis, ſed euacuationis: quoniam in initio portio humoris in parte eſt impacta, & facta phlebotomia à latere affecto, ſufficiens ſeruatur diſtantia requiſita ad reuulſionem. Locus verò ex *lib. 2. ad Glauc.* intelligendus eſt de externa inflammatione, vtpotè cubiti, aut humeri: nam inter partem affectam, & venam rectam communem ſecandam, adeſt notabilis diſtantia ſufficiens ad reuellendum; aliàs enim magis augebitur fluxio ad partem affectam. Ob eam cauſam Galenus *lib. 13. meth. vno crure malè affecto, ſcarificat reliquum,* non ſeruans rectitudinem; & *manu laborante ſcarificat crura,* non ſeruans rectitudinem. Sed cur affecto vno crure, ſecat reliquum, & non ſimiliter affecto vno brachio, ſecat alterum? Dic, hoc etiam commodè fieri poſſe, quando inflammatio partes externas occupat; non verò in pleuritide, ſæuo ſanè affectu, in quo illicò reuellere, & euacuare licet. Hoc modo Celſus *lib. 2. cap. 10.* vno humero malè affecto, ab oppoſito brachio ſanguinem mittit; nec id negat Gal. *loc. cit.* ſed ſolùm inſinuat, nos in huiuſmodi exemplis, rectè poſſe venæ ſectionem exercere, prætermittendo rectitudinem, aut communitatem.

Secundò. Gal. *lib. 5. aph. 68.* docet reuulſionem fieri ad contraria, idque tripliciter, ſecundùm longitudinem, id eſt, ſecundùm partem ſupernam, & infernam: ſecundùm latitudinem, hoc eſt, ſecundùm dextrum, & ſiniſtrum: ſecundùm altitudinem, ſeu ſecundùm partem anteriorem, & poſteriorem. Atqui ſi in pleuritide lateris dextri, verbi gratia, fiat phlebotomia ex brachio eiuſdem lateris, vt ſecundùm ſententiam Græcorum fit, nulla ex his tribus contrarietatibus ſeruatur. Igitur in principio, in quo reuellere conuenit, ex eodem latere celebranda non eſt. Dic, prætermittere Galenum *loc. cit.* quartam contrarietatem ad reuellendum, quæ eſt à centro ad circumferentiam, ſiue ab interioribus ad exteriora, de qua meminit Gal. *lib. de reuulſione,* & *lib. 5. meth. cap. 3.* dum ſic dicit: *Reuulſio verò in iis quæ ſuprà ſunt omnibus, deorſum agitur & ſurſum, in iis, quæ ſunt infrà. Præterea à dextris ad ſiniſtra, ſicut ab his rurſus ad illa: ſimiliter ex iis, quæ intùs habentur, ad ea, quæ foris ſunt: contráque ab his ad illa.*

Tertiò. Eadem ratio præſeruationis, & curationis: ſed in vacuatione præſeruatiua, Gal. *lib. de ſang. miſ. 19.* è parte diſtantiſſima, nempè ex crure euacuat, in illis qui Comitiali morbo, vertiginique ſunt obnoxij, edoctus ab Hip. *lib. 2. de natur. human. text. 9.* Ergo incipiente inflammatione ſimiliter faciendum. Dic primò, quòd licèt ſecta quælibet vena totum corpus exhauriatur, vt monuit Galenus *lib. 2. acut. 10.* tamen non ita æquè, atque ſimiliter vacuationem offerre ſtudemus: ineunte vere, gratia præſeruandi, non adeſt affectus particularis, qui pro ſui curatione celerem opem, & ex propinquiori, certóque loco expoſtulat; tunc enim non conuenit venæ ſectio ex quauis parte celebrata, quæ omnia contrario modo eueniunt in præſeruatione.

Quartò. Paulus *lib. 6. cap. 40.* in particulis recenter inflammatione tentatis, ex oppoſito ſectionem moliri docet. Dic, Paulum velle in inueteratis inflammationibus, in quibus iam ceſſauit defluxus, & intentio eſt ſolùm euacuare, venæ ſectionem eſſe celebrandam per partem affectam, vel per particulam ei vicinam: at in inflammationibus incipientibus, ſectionem faciendam eſſe ex oppoſito, hoc eſt, ex parte diſtante, quæ oppoſita ſit parti affectæ, aliquo modo contrarietatis ex illis quatuor ſuperiùs explicatis, ſcilicet, ſuprà, infrà, intrò, antè, retrò, dextrorſum, ſiniſtrorſum. In hoc itaque opinionum portento, tu mediam Græcorum viam tene, quippe hanc tenuere beati.

QVÆSTIO XVIII.

Quòd vigente coctione, tam in pleuritide, quàm in morbis vaſorum, poſſit ſanguis tutiſſimè mitti. Contra Fernelium, & Augenium, Medicos doctiſſimos.

IN *principio.*] Poſteaquàm ſatis, ſupérque de pleuritidis medela per venæ ſectionem diſſeruimus, aptiſſimum, (opinor) fuerit, inſeruiſſe huic potiſſimùm loco, quæ Hippocrates circa tempus, in quo hoc præſidium celebrari debet, literis prodenda cenſuerit. Quæſitum enim ſæpè inter claſſicos, ac primæ notæ conditores, ſitne exſequenda ſolùm in principio morborum venæ ſectio, an in ſtatu aliquando poſſit imperari. Rectè illud à ſummo Dictatore in ſuis Aphoriſticis oraculis *lib. 1. aph. 29.* inculcatum, inchoantibus morbis tentandas eſſe vacuationes: nam in ſtatu melius eſt quietem habere: tunc enim natura concoquit, ac vtile ab inutili diſcernit. Hanc ergo debilitare, factáque eo tempore phlebotomia diſtrahere, piaculum eſt, vt expreſsè *in com.* protulit Gal. In hunc ſenſum intelligendus eſt ipſe, *lib. 4. aph. text. 10.* in acutis eadem die vacuandum humorem noxium præcipientis, hoc eſt, in initio initiante, antequam robur corporis diſſoluatur, vel febris caliditas increſcat, vel ad aliquam partem præcipuam decumbant ij, qui per corpus vagantur humores. Huc ſpectat Hipp. dictum *in epiſt. ad Cratenam, n. 18. ab omni quidem arte aliena res dilatio eſt, verùm maximè in medicina, in qua dilatio, animæ periculum parit. Quare auxiliari ne differas: nam ſemel pereunti nulla poſtea ſuffragia proſunt,* vt Meſuè inculcat *in præfatione ſua.* Nam, vt rectè inquit Auicenna *1. 4. tr. ct. 2. cap. 7. Sanguinis miſſio cùm poſtponitur à principio, non eſt ampliùs intentio* Hoc primus omnium Celſus elegantiſſimus confirmat *lib. 2. cap. 10.* dum ſic ait. *Sed vt aliquando etiam primo die ſanguinem mittere eſt neceſſe, ſic nunquam vtile poſt diem quartum eſt; quum iam ſpatio ipſo materia & exhauſta eſt, & corpus corrupit, vt detractio imbecillum id facere poſſit, non poſſit integrum, &c.* Deinde in ſtatu omnia fortiora, & natura maximè à ſymptomatis eſt afflicta & oppreſſa: non eſt ergo eo tempore remediis exagitanda. Nam febris maior quæ in ſtatu apparet, ex maiori conatu naturæ, feruore, ebullitione, & pugna ortum ducit, quibus ceſſantibus, illa ſolet miteſcere: quare ſi tunc ſanguinem mittas, citra morbi leuamen, vires deiicis. Hac lege ducti Medici ante Hipp. vltra quartum diem venam non ſecabant, vt notanter aduertit Galen. *lib. 3. epid. ſect. 3. comment. 79.* in principio enim vires magis ſunt liberales, & copia multa; & maximè in pleuritide, ad cuius curationem, in ſtatu, viribus opus eſt: nam ſæpè humor eſt concoctus, & non expellitur ob mouentis thoracem facultatis debilitatem, vt *lib. 2. prog. 67.* admonuit Galenus, præcipuè in ſtatu, in quo virtus animalis, ad expectorandum tam neceſſaria, magna ex parte eſt defatigata, ex Gal. *lib. 2. aph. 29.* Quamobrem cùm vna ſalus ſit virium robur in pleuriticis, & in omnibus morbis, ex Gal. *lib. 1. prorrhet. com. 8.* & *lib. 10. meth. cap. 5.* ipſas reficere iam exhauſtas eſt neceſſe.

Ad hæc. In ſtatu facta phlebotomia, cùm ſit intempeſtiuè celebrata periculum inducit, & debilitatem ſummam, cùm maximè moueat, ex Trall. *lib. 9. cap. 2. ſect. 3.* immò mortem affert, ex Gal. *lib. 9. meth. cap. 10.* nam ſi fortes tum potuum, tum ciborum facultates tempeſtiuè quidem aſſumptæ maximam vtilitatem, intempeſtiuè verò maximam afferunt offenſam, quantò magis phlebotomia, quæ ex auxiliorum magnorum cœtu cenſetur, ex Galen. *lib. 2. aph. 29.* quam morbo conſiſtente adhibere non oportet; tunc enim concoctiones morborum maximè accidunt: nam Medici officium eſt afferre commodum, & euitare noxam, ex Hippoc. *lib. 1. epid. ſect. 2. text. 50.* Medicus enim arte Hippocratica dignus, tam debet laborare in curando, quàm in quieſcendo, ex Hipp. *6. epid. ſect. 2. text. 26. ibi: Contraria adhibere, & interquieſcere.* In hunc modum interpretandus Auicen. *10. 3. tract. 5. cap. 2. §. Quúmque phlebotomas, & euacuas, & non ſedantur accidentia, tunc ſcias quòd prohibitio collectio-*

nis, quam quæris, eſt difficilis: non ergo iteres phlebotomiam, vt non congeletur materia, quæ eſt habitura collectionem, &c. Si enim operante, & coquente natura, venæ ſectionem exerceas, non digeritur humor cum diminutione virtutis, & priuatione digeſtionis, vt idem Auicenna mox confirmat.

Nullo igitur modo in ſtatu, in quo coctio viget, exercenda venæ ſectio eſt: ſi enim in acceſſionibus, vigoribúſque morborum tenuiſſimo victu vtendum eſt, ne à coctione diſtrahatur natura, vt *lib.1.aph.*& alibi paſſim Hip. inculcat, cur ob eam cauſam non erit prohibenda ſanguinis miſſio?

His forſan conuictus Fernel. *lib.2.meth.c.*13. nunquam vigente coctione ſecandam eſſe venam conſtantiſſimè tenet, dum ſic ait: *Natura concoctione impuros, noxióſque humores è purioribus ſecernit, hos vt conſeruet, illos vt tandem foras exturbet, aut ſola per ſe, aut medicamenti ope. Atqui venæ ſectio nullo delectu, omnes, qui in venis ſunt, promiſcuè, & indiſcriminatim prolectat. Vt in phlegmone pus iam factum non ampliùs ſecta vena, ſed alia ratione per vias breuiores deriuamus: ita in febribus, quarum materia in venis coërcetur, concoctus, ac iam ſecretus humor, medicamento deriuandus, deturbandúſque eſt. Qua in re naturã tunc temporis habebimus adminiculantem, quæ ſecretos humores foras excludere contendit. At ſi quis hoc tempore venam auſit incidere, non eos ſolùm, ſed pariter vtiles eliciet: quandóque grauius eſt, eos qui vi naturæ ſecreti ſunt, puro ſanguini permiſcebit, hunc inquinabit, omnia confundet, naturæque optimam molitionem interpellabit. Cùm igitur manifeſtæ concoctionis notæ comparebunt, non ampliùs venæ ſectione, ſed aut purgatione, aut aliis deriuantibus præſidiis reliqua curatio tranſigenda, niſi cruditatis ſigna denuò ſe prodant.* Hactenus Fernelius, cuius ſententiam vallare nixus eſt Horat. Augenius *lib.8.de ſang.miſ.cap.*11.qui repetitionem venæ ſectionis, neque in augmento, neque in ſtatu poſſe eſſe ex vſu, pugnaciter contendit.

Sed in hoc condendo dogmate, licèt Fernelius, non inferioris ſubſellij Medicus, ſupercilio conſortio deteſtetur eos, qui etiam in augmentó, & ſtatu ſanguinem emittunt: hũc tamen ego magnoperè admiror, quòd Galenum vbique non legerit: Fernelij ergo Minerua licèt acuta ſit, à mente Galeni, immò veritate ipſa maximè diſtat, pro qua pugnare artificis eſt: nam hæc cuiuis eſt proponenda, ex Tralliano *lib.*12.*cap.*1.*ſect.*7.cùm nobis de veritate non de fabulis cura ſit impoſita, vt cum Galeno loquar *lib.* 3. *de vſu part.cap.*1.hic enim, monente patre, illam nudam proferre, protelaréque ſemper coactus eſt, ex Galeno *lib.de cognoſcend.curandiſque anim.morb.cap.*8. præſertim quum de ſalute hominum agitur, vt in Hippocratis laudem adſtruxit Celſus *lib.*8.*cap.*4, firmat Cardanus *ad init.com.*18.*lib.*5. *aph.Hipp.*

Euoluentibus igitur nuper Galenica opera, vt inſtructior fieret contra Fernelium ſupellex noſtra, obtulit ſeſe Galeni *cap.*5.neque illepidum, neque inuenuſtum, ex *lib.*9. *meth. medendi*, in quo, præter alia haudquaquam extrita, ſubnotauimus, in omni tempore vene ſectionem poſſe eſſe ex vſu. Sic enim habet facundiæ medicæ haud aſpernandus auctor. *Maxima verò continentium febrium remedia, hæc duo ſunt, detractio ſanguinis, & potio frigida. Verùm illa nullo non tempore, modò vires ſuſtineant; hæc cùm & in pulſu, & vrinis concoctionis euidentes cernuntur notæ, febris autem eſt maxima, &c.* Quid quæſo euidentius dici poteſt? cùm nullo non tempore, hoc eſt, in omni tempore venæ ſectionem celebrandam imperet.

Extat locus eximius apud Gal.*lib.de curand.rat.per ſang. miſ.cap.*20.§. *Quocumque enim die mittendi ſanguinis ſcopos in laborante inueneris, in eo auxilium adhibeto, etiamſi vel vigeſimus ab initio extiterit, &c.* Atqui ſcopi venæ ſectionis in augmento & ſtatu inueniri poſſunt. Ergo.

Deinde. Similis eſt putredo tumorum, & vaſorum: ſicut enim in ſuppuratis particulis, ſuperante natura, pus, gignitur; ſic in humoribus qui in venis, atque arteriis continentur, quiddam quod puri proportione reſpondet, ſubſidet in vrina, ex Galen. *lib.*1. *de dif feb. cap.*6. Sed in augmento, & ſtatu inflammationum ſæpè conueniens eſt phlebotomia, ob metum magnitudinis exituræ, & timo-

A rem noui defluxus ad partem inflammatam, vt explicat eleganter Henricus à Cuelhar *in ſenten.*5 2.*lib.*2. *prog.Hip.* Ergo in morbis vaſorum, ne calor ſuffocetur præ copia multa (maximè ſi phlebotomia à principio fuerit prætermiſſa) erit aliquando celebranda. Nec in contrariam abeas ſententiam, quòd videris Gal. *lib.*4. *acut.com.*21. impedire venæ ſectionem in iis, quibus pus collectum eſt; hos enim *puris vacuatione egere conſtat*: nam hoc loco de inflammationum curatione loquitur, quæ pure vacuato ſanantur, non de præſeruatione: ſi enim inflammatio ſit propinqua membris præcipuis, timórque ſit, ne præ copia naturæ, vnionéque innati caloris ad coquendum, & conficiendum pus, ad partem inflammatam, noua facta ebullitione, & concepto feruore concurrant, ij qui per corpus vagantur humores; tunc in ſtatu inflammationum,
B vigente coctione, ſanguinis miſſio differenda non eſt. Exemplo tibi ſit iuuenis ille, oculorum inflammatione laborans, cuius fecit commemorationem Galenus *lib. de curand. rat. per ſang.miſ.*17. in cuius curatione tam copioſam per venæ ſectionem exſequutus eſt poſt viginti dies vacuationem.

Ampliùs. Si Galen.*in lib.de opt.ſecta,cap.*38.non ratione temporis, ſed virium habita ratione, in ſtatu quieſcendum imperat: cur ſi vires adſint, nec immineat proximè criſis, tunc temporis ſanguinis miſſio, vt ſalutaris non eſt iudicanda? & maximè in augmento (hoc enim Augenius negat) in quo licèt coctionis ſigna euidentia appareant, ex Gal. *lib.*1. *criſ. cap.*37. in eo tamen ſanguinem emittit *lib. de opt. ſect. cap.*17. Quamuis enim coctio intendatur hoc tempore à natura, & illa iudicij celeritatem portendat, ex
C Hip.*lib.*1.*epid. ſect.*2.*text.*45. tamen ſanguinis miſſionem tunc exercere præſtat; vt breuior reddatur affectus, néve in aliud deterius malum commigret: vt enim ſcitè docuit Valleſius *lib.*4. *met.c.*2. *ſanguinis miſſio in quouis morbi tempore, eſt vtilis.*

Inſuper ſi ſanguinis è naribus profluuium in ſtatu, cocto morbo ſuperueniens, ſoluit ægritudines, ex Galeno & Hipp. *lib.*4.*acut.text.*16. & alibi. cur Medicus tunc naturam non imitabitur miſſo ſanguine? Obiicies, omnem artem imitari naturam, nunquam tamen eandem eſſe poſſe, ex Ariſt. *lib.*2.*Phyſicor.cap.*2. & ob id naturam, factorem potentem dici ab Auic.16.3.*tract.*5.*cap.*1. Cùm igitur ipſius opera ab artis operibus multùm diſtent, ex Gal.*lib.*1. *de feb. cap.*1.§. *In quo ſanè plurimùm differunt naturæ opera, ab his quæ humana arte ſunt fabricata, &c.* eadémque ſapientior in operibus ſit, ex Gal. *lib.*7. *de vſu part. cap.*13. quid
D mirum eandem in ſtatu morborum, in quo coctiones fieri prodidit Galen. *lib.*3.*criſ.cap.*5. & 4.*aphor.*22. & *lib.*1.*aph.* 12. cum Auicen. 2.4.*tract.*1.*cap.*2. per fluxum ſanguinis ſanare poſſe febrem? quam ſi nos vena ſecta eodem tempore curare intendamus, naturam debilitando, omnia confundemus; illa enim ſecernit vtile ab inutili, ars verò cum malo bonum aufert, ex Gal. *lib. de optim. ſect. cap.* 40. *in fin.*

Vera quidem hæc ſunt, & è fœcundiſſima priſcorum penu hauſta: ita ſanè Hippocrates, & Galenus obſeruandum præcipiunt, vbi naturam in vigore, perfectè & abſolutè ad expulſionem moueri contingit, quippe ex eodem Hippocrate *lib.*1.*aph.*20. *Quæ iudicantur, aut iudicata ſunt integrè, nec mouere, nec nouare aliquid oportet, ſed ſinere*, ita vt ſi in vigore infra modum, languidiúſque agat natura,
E quod deficit, imitando eam, venæ ſectione ſupplendum ſit. Cur igitur ſi natura in ſtatu nec coquit, nec ſecernit, ſed pigrè in vtroque opere ſe gerit, Medicus eius miniſter, & æmulator, venæ ſectionem (ſi vires ferunt) celebrandam non imperabit, antequam morbus denuò recrudeſcat? Quid plura? nónne ipſe Galenus, à cuius decretis opinionem illam ſe mutuatum Fernelius refert *locis citatis* palam facit, coctionem humorum neutiquam ſanguinis detractionem prohibere? Nónne cùm ſatis idonea coctione ægri in pleuritide, aliſque ſpiritalium partium affectibus materialibus mortem oppetunt? nam neceſſe eſt coctum eſſe humorem, & excerni per vias à natura deſtinatas, quod non ſemper contingere poteſt cum ægri commodo; multoties enim eſt humor coctus, & præ debilitate facultatis,

facultatis,aut humoris craſſitie,lentoréve non excernitur, ex Gal. *lib.2.prog.67*. Secundò.Coctio ſalutem portendit, ſi perfecta ſit, & vniuerſalis: quoniam in parte quapiam poteſt humor coqui,toto morbo adhuc remanente crudo. Sic *Cratiſtonactes, & Scymni pictoris ancilla ſuppuratis parotidibus obiere*,ex Hip.*lib.1.epid.ſect.2.text.84*.Si verò parte hac ſtudioſiùs quærat aliquis, ecquid de venæ ſectione in pleuritidis ſtatu, vigente coctione, prodendum ſe ingerat ex veterum monimentis, reſpondere hoc modo breuiter, aptéque ambiguitati propoſitæ ſic propemodum poſſe videor,dummodò conſtet Fernelianam doctrinam perpetuò haud poſſe eſſe veram.

Illud etiam teſtatum volumus,edictum Hippocraticum ferè eſſe intelligendum,dum in ſtatu quieſcendum eſſe aſſeuerat; dicta enim antiquorum præterquam quòd cum multo ſale ſunt intelligenda,vt cum Mattheo loquar *lib.9. ad Almanſ.part.4.com.31*.etiam includunt in ſe theoremata, & præcepta, quæ in vniuerſum ab artificibus pronuntiantur; rarò vt prolata ſunt, abſoluté ſunt accipienda, immò ſemper ferè ſunt certis quibuſdam limitationibus definienda, & terminanda; alioquin in eorum vſu errare frequenter contingit, vt notat doctiſſimus Trincauellius *lib.1.ad Glauc. cap.14.ſect.84*. id enim Galenus admonuit *lib.6.aph.58*.& alibi ſæpè,nam *quæ magna ex parte eueniunt, ea pro perpetuis habentur*,Ex Gal.*lib.2.aph.43*.In ſtatu ergo ferè meliùs eſt quietem habere, licèt interdum, vt vidiſti, ſanguinem mittere non ſit ab arte alienum.

Quamuis enim hoc auxilium, in morbi initio celebratum,præſtantius ſit ob rationes dictas; tamen in proceſſu morbi eſſe aliquando exercendum, etſi non ita copiosè, ob imminutum virium robur, haudquaquam inficior. Si non ita vtiliter, vt monebat Celſus, poſt quartam ſanguis emittitur, ac in principio. *Optimum igitur factu eſt (id quod nos ſemper in re quaque facere vidiſti) ſtatim non numero dierum, ſed vni virium robori in febribus eius generis attentum eſſe: quippe quod ſi ſeruatum eſt, non ſolùm ſexto, ſeptimóve, ſed etiam ſequentibus diebus ſanguis eſt emittendus*,vt perbellè docuit Galenus *lib.9.meth.cap.5.poſt princip.*Conſtat autem in ſeptimo, qui plurium non exactè peracutorum moborum eſt terminus,ex Galen. *lib.2.criſ.cap.12*.& ante ipſum coctiones fieri: quo tempore facta phlebotomia, tempeſtiua eſt;quæ ſi ſit cum virium tolerantia celebrata, maximam vtilitatem afferre ſolet: tunc enim tantùm abeſt, vt damna propoſita in argumentis ſubſequantur, vt potiùs deonerata natura humor in pleuritide, meliùs & coquatur, & expellatur. Neque verum eſt, in acceſſionibus ſemper tenuiſſimè eſſe cibandum; hoc enim placitum non perpetuò eſt amplectendum, vt proprio experimento contra diatritarios fusè confirmat Galenus *lib.8. meth.c.2. & lib.10.eiuſdem,cap.3*.Sic in morbi vigore pleniùs ſæpè cibamus, quum vires exhauſtæ ſunt,vt ſcitè *in com.8.ſent. lib.1.aph.Hip.*docuit Heurnius. Ex quibus liquet in pleuritide, aliiſque continentibus febribus, ſi vires conſtent, adſitque morbi acuties, & feruor denuò ingraueſcat, vigente coctione, etiam in ſtatu, hauriri ſanguinem rectè poſſe, vbi præſertim criſis non immineat, & in die decretorio non celebretur: quod vſu, multiplicique experimento in dies magis ac magis confirmo, cum ægrorum vtilitate ſumma.

HISTORIA. XX. RHASIS, De Pleuritide.

Sæua pleuritis; cum maxima debilitate, lethalis.

*ALcaſem patiebatur morbum, de quo * dubitabatur in principio quòd eſſet pleureſis,& erat * lateris ſiniſtri,ſed poſteà fuit certum: & non fuit phlebotomatus; & vrina eius erat vehementer rubicunda; & ſcreatus ſpumoſus,& albus;*& extremitates eius frigidæ,vt nix, & nunquam calefiebant; & anteiſtud non videbatur quòd pateretur febrem,ſed corpus apparebat ſemper frigidum; & oculi eius erant immobiles. Et nihil ego ſciueram de eo vſque ad nonum diem, & quærebat phlebotomari illa die; & cùm tetigi ſuum pulſum, inueni illum debilem & ſubmerſum, & prohibui phlebotomiam; & eius ſcreatus erat viſcoſus; & prognoſticatus ſum quòd viuet per aliquot dies,& mortuus eſt illa die poſt octo horas,&c. Rhaſius* in continent.lib.de mirabilibus curis,quas expertus fuit.

PARAPHRASIS.

MAleficentiſſimam fuiſſe hanc pleuræ inflammationem, ex textus ſerie dilucidè conſtat. Extremorum enim frigiditas,pulſuum obſcuritas & debilitas,oculorum immobilitas, non ſolùm inflammationis magnitudinem, ſed malitiam ex venenoſo humore ſubortam oſtendunt manifeſtè, ex Hip.*lib.4. aph.48. & lib.7.aph.1. & 26*. quæ ſpiritus animales,& vitales,potentiaſq; omninò extinxit. Mitities enim & lenitas febris,prauiſſimis iſtis ſymptomatis comitata, febrem non putredine tantum, ſed mala qualitate cor fatigare euidenter demonſtrat,In hunc ſenſum intelligendus eſt Galenus *l.3.criſ.cap.4*.dicens,*debiles febres & paruas, quandoque valdè malignas eſſe*. Ita in peſte pulſus apparet ſimilis ſano, ex Gal. 3. *de præſag. ex pulſib. cap.3. & 4*. firmant Auic. 1.4.*tract.4. cap.2.&* 2.4.*tract.1. cap.80*. Auenzoar 1.*theizir,tract.3.cap.1*. Raſius *lib.10.ad Almanſ.cap.2.de peſte*.Explicant Mercurialis *lib.3.de excrement*. 8. Potentiæ enim cùm eſſent à venenoſa aura impensè reſolutæ,& affectionem mortificationi ſimilem paterentur, proximæque eſſent extinctioni; viſorio ſpiritu, ſimúlque vitali, qui tum oculi motus, tum pulſus robuſti ſolent eſſe cauſa, ex toto veluti abſumptis, hæc exitialia ſigna accidiſſe,non eſt cur miremur.

Inſuper ſpumoſum ſputum,licèt à Galen.*lib.de conſt.art. medicæ cap.17.& lib.2.criſ.cap.10*. non reprobetur,ſicut nec candidum, aut glutinoſum, quum interdum hoc ſputum poſſit eſſe coctum,ex Gal.*l.1.acut.com.33*. pleuritidémque pituitoſam ſignificet, quæ poſt ſanguineam mitior eſt: Hìc de valdè ſpumoſo, aut glutinoſo loquutum fuiſſe auctorem, intelligas velim; hoc enim valdè reprobum eſt, & exitiale, apud Hip.*lib.2.prog.47*. quia ob exuperantem caliditatem apparere ſolet. Licèt enim ſpumæ generatio duas habeat efficientes cauſas,ex Gal. 2.*aph.com.43.& l.7. aph.com.30*.nempè vehementiam motus,& intenſam caliditatem: in animalis tamen corpore ſpumans deiectio,aut ſcreatio, aut vrina, extranei caloris exuperantiam ſignificant, vt *in cit.com.prog.* protulit Gal.

In tanta caloris innati penuria ſanguinem mittere,à ratione putauit alienum, ſequutus Galen. *lib. 9. meth. 13. §.Quippe,ſi quem curare ſtudes affectum, is autem vacationẽ requirit, vires autem extrema imbecillitate laborant: toto illo tempore quo vires reficimus, eorum quæ affectum ſanent, nihil planè ægrotãti exhibebimus.Vbi verò eo roboris perueniſſe conijcimus,vt nihil, aut parùm ex vacuando ſint lædendæ, tunc eſt ad affectus curationem accedendum,&c.*& maximè in pleuritide, in cuius curatione tantoperè vires neceſſariæ ſunt. Quapropter ſumma cum ratione dicebat Galen.*melius eſſe virtutem non exſoluere, quàm ſanguinem vacuare redundantem,lib.2. acut. com.10*. Cùm ergo æger in agone eſſet, & cum debilitate ſumma,eum tanquam deploratum ſine auxilio reliquit, ſolo mortis præſagio vſus: nam *quando ſummum vigorem excipit mors,in his,parte artis vtendum eſt ſola, quæ prognoſtica nominatur,id quod futurum ſit prænuntiantes, ne euentus rerum noſtro adſcribatur errori*, vt Galen. admonuit *in com.8.lib.1.aph.*quo autem pacto hoc ſit intelligendum, diximus *in lib.1.in com.hiſt 63.num.7*.

Mortem ergo præſagiens ab ægro diſceſſit: Nam Medicus cognoſcere debet, quis ſit morbus lethalis,ex Hip. *lib.3.epidem.ſect.3.in fin.* & ex eorum malitia, ac poteſtate periculum rimari opus eſt:neque enim omnium ſignorum æqua eſt dignitas, ex Gal. *lib.3.criſ.cap.*?. *lib 2.prog.55. & lib.4.de rat.vict. com.60*. Sic iis inter ſe collatis mortis dies à Medico præcognoſcitur, ex Gal.*lib.3 de criſ.cap.10*.

Sed non paruæ dubitationis illud cenſeri debet, cur præſagierit ægrum per aliquot dies victurum, & mortuus fuerit illa die? Dic, plurimos mori, non ex vi morbi (ita

ciṭiùs,

citiùs, ac Medicus ſperabat) ſed ex aliquo humore veneṅoſo in parte aliqua deliteſcente, & partes principes ſubitò occupante, vnde mors inopinata contingit: hoc pacto *plures occumbunt ſubitò, de quibus Medicus erat ſecurus*, ex Celſo *lib.2.cap.6.*& Galen.*lib.de conſtitut.art.medic.cap.*18.

Enimverò licèt pleuritis hæc, eſſet biliofa, & acuta, ab humore bilioſo, eóque calidiſſimo ortum ducens, cæterarum acutarum inſtar, quæ à bile frequenter proficiſcuntur, ex Ariſtol.*lib.1.quæſt.6.* Gal.*lib.2.prog.*46 *lib.2.aph.*19. *lib.3.aph.*24.*& lib.7. aph.* 32. Tamen morbus non ſolùm ob partis inflammationem ſæuam, ſed ob venenatam humoris naturam, ægrum ad interitum deduxit.

DVBIVM XII.

Num pleuritidis cognitio ſit ſcientifica, an naturalis.

COMMENTARIVM.

D*Vbitabatur.*] Conſentaneũ fortè ſtudioſi cenſuerint, vt hîc vellicatim attingamus, ſi pleuritidis cognitio certa eſt, & ſcientifica, & habet certas notas, & definitas, quibus comprehenditur, vt expreſsè protulit Galenus.12. *meth.cap.*7. nempè ſigna illa toties à Medicis repetita, & quæ ſoli pleuritidi, & omni conueniunt, ex Galen.*lib.*1. *aph.* 12.*& lib. de conſtit.art.medic.cap.*15. *poſt princip.& lib. 3.epidem.ſect. 3. com.* 34. à pleuritide inſeparabilia, quæ ſunt dolor punctorius, febris acuta, tuſſis, pulſus ſerrinus, & difficultas reſpirationis; cur hoc loco auctor referat, in principio dubitatum fuiſſe à Medicis, an eſſet pleureſis.

Morbi externi qui in ſuperficie ſiti ſunt, facilè tactu, viſúque deprehenduntur, illi autem qui in imo corporis latent, & occulti ſunt, & non ſenſibus, ſed ratione inueſtigantur, difficilè agnoſci poſſunt, vt *lib.de art.num.*21.Hipp. inquit, qui morborum clandeſtinorũ curam, quàm deſperatorum magis eſſe admirandam profitetur: nam abditi morbi virum deſiderant in arte peritum, & in anatome valdè exercitatum, vt tradit Galenus *lib.1.de loc.affect.c.*1. Hi enim ſola coniectura artificioſa, & veritati proxima, mediáque inter ſcientiam, & ignorantiam cognoſcuntur. Pleuritis enim ſi quinque illa ſigna vulgatiſſima, manifeſta habuerit, certis notis, his nempè pathognomonicis ſignis vel minimo negotio agnoſcetur, quibus à cæteris thoracis inflammationibus clariſſimè differt; de quarum claſſe cenſentur eſſe inflammatio membranæ extra coſtas ſuccingentis, pericardij, cordis, ſepti, pulmonis. Si verò hæc ſigna non ita ſint conſpicua, & ob multas cauſas occultari contingat, tunc cognitio pleuritidis, ratò tamen, coniecturalis eſt, ex Galen. *lib.2. de rat.vict.com.2.§. Et ſi pleuritidem, vel peripneumoniam curaueris, ex iys quæ ſpuendo excernuntur. Verùm cùm præfata omnis dignotio coniecturalis ſit, & non ſcientifica, non certa, compertáque, præſertim vbi in corporis imo ſita ſit, quæ dolore affligitur particula, &c.*(quã ſententiam eſſe ſuperiori ex diametro contrariam, rati ſunt plures) Nam ob humorum malitiam, ita extinguitur partis affectæ calor, vt in corruptionem, & in principium mortificationis abeat affectus, ex Galen.*lib.7.aph.*50.Rurſus febris eſt aliquando ita puſilla, vt in pleuritide peſtilenti euenire ſæpè animaduertimus, & probant VVierus *lib.obſ.rararum*, & Cardanus *lib.de venenis, cap.penult.*vt à Medico vix agnoſci poſſit. Hoc modo mortuus eſt hic æger cum ſubmerſo pulſu, & quem, vt extremè frigidum, Medici ante Raſim minimè putabant eſſe febri correptum. Quare ſæpe ſigna ſunt fallacia, præſertim in maligna pleuritide, vt partem affectam, vix certò cognoſcere queas ſed coniectura artificioſa opus ſit. Ne ergo mireris Medicos qui ante Raſim hunc ægrum tractauere, in principio dubitaſſe, an eſſet pleuritis, cuius agnitio ferè ex ſe ſcientifica eſt, vt ait Galen.*in methodo*, licèt aliquando, ob plura ſuperuenientia ſymptomata, ſit coniecturalis, vt affirmat *in lib. de rat.victus.* Ex quibus loca diſſentientia concilia. Pro quorum expoſitione lege Vaſcum Caſtellum *lib.de thoracis affectibus, tract.5.de pleuritide, difficult.*1. qui licèt loca repugnantia non viderit, dubium tamen alio modo exponit. Cuius ſolutionem propoſuit etiam doctiſſimus Rorarius *in contradict.Gal. contradict.*121.

Obſeruatio V.

Pleuritis fraudulenta intra duos dies interficiens.

ANtiquiſſimus Medicus *lib.2.aph.*27. nos monuit, *ne iis fidamus, quæ ſine ratione leuãt.* Ob hanc cauſam, repugnantibus cæteris, & bonam ſpem concipientibus, mortem certò præſagiui in quodam robuſtiſſimo milite, qui pleuritide laborans intra duos dies inopinatò occubuit. Cùm enim leuis eſſet, & tenuis febricula, dolórque citra rationem, hoc eſt, vacuationem ceſſaret, & praua cum ſputo ſpumoſo vrgerent ſymptomata, vt ſitis ingens, faſtidium ſummum, vigilia, inquietudo, vomitus, cardiogmos, periculum futurum timui, & partis inflammatæ corruptionem: nam ſæuiente maligna pleuritide ægri dolorem non ſentiunt, facultas enim ab interno veneno extincta, nec ſenſibilia valdè immutantia percipit, ex Galen.3. *epidem.ſect.2. com.3.* Hoc modo *ſitis non ex ratione ſoluta in acutis morbis, mala eſt*, apud Hippoc. *lib.2. prorrhetic. text.*22.

QVÆSTIO XIX.

Quòd pleuritis ſiniſtra ſit dextra periculoſior. Contra Valleſium, Peredam, Mercurialem, & Maſſariam, doctiſſimos.

L*Ateris ſiniſtri.*]Quæſtio eſt ab antiquis Auicennæ interpretibus agitata, num pleuritis lateris ſiniſtri ſit deterior, quàm lateris dextri: & licèt hi in ea explicanda induſtriam maximam, operámque impenderint, multa tamen ſuperſunt enucleanda, quæ puriorem limam exigere videntur.

Complutenſis Academiæ decus, Valleſius, Medicus, & Philoſophus inſignis, cuius, raris monumentis Hippocratica tribus fœcundatur, *lib.7. epid.in com. text.* 13. hoc negotium putat parui eſſe momenti: nam Medici qui pleuritidis curationem aggrediuntur, non multùm curant vtrum latus doleat. Sed fallitur meo quidem iudicio, vir hic licèt cyclicè doctus: multùm enim refert ad morbi maiorem magnitudinem, & malignitatem indagandam; ſcire, an pars præſtantior, & nobilior laboret, cùm ex Galeni doctrina, lata *in l.4.meth.6.*ex partis præſtantia morbi magnitudo arguatur; & ſi præſidia debent contendere cum morbo in magnitudine, & celeritate, parti nobiliori acuto morbo vexatæ auxiliares manus citiùs adhibere oportet. Deinde. Valdè intereſt ſcire, an morbi geniti in parte dextra, ſint periculoſiores pronatis in parte ſiniſtra; nam Hemicrania, Ophthalmia, Angina, Colicus dolor, Nephriticus, Podagra, Coxendicis dolor, tremor, Paralyſis, tam in dextra parte, quàm ſiniſtra contingere ſolent: de quibus morbis ſi auctores grauiſſimi, ſuper eodem argumento doctiſſimas fecere quæſtiones: cur in pleuritide, affectu ſanè acutiſſimo, & in regione nobiliſſima excitato, ad cognoſcendam maiorem vehementiam cauſæ, res ad viuum non expendetur? id apertiſſimè appunxit Hippocr. *lib.2.epidem.ſect.6.in med.* dum ſic ait. *Circa naturam plurimam vim habet mamma dextra, &c.* hoc eſt, vt *in com. text.*21. interpretatur Valleſius, velut palinodiam recantans, *magnum momentũ habet, dextra pars, an ſiniſtra laboret.* Sic *lib.7.cit.epid.num.*11.*Filio Amphiphradis, æſtate, lateris ſiniſtri dolor, &c.* Hippocrates ergo non dixiſſet pleuritidẽ huius ægri, qui ex pleuritide obiit, fuiſſe lateris ſiniſtri, niſi hoc haberet maximum momentum ad morbi vehementiam, & malignitatem cognoſcendam: nam nihil ſcripſit temerè, vt Galenus inculcat *lib.8.de vſu part.cap.6.*cuius ſyllabas, nedum dictiones, eſſe à Medico perito notandas, tradidit *lib.de comate, cap.3.*

Auicenna 10.3.*tract.4.cap.*4.de pleuritide agens, quæſtionem primus omnium propoſuit, dicens: *multos exiſtimaſſe pleuritidem lateris dextri deteriorẽ eſſe, & alios contra-*

riam

riam ſententiam habuiſſe. Concludit tamen ex ſententia ſua, *pleuritidem partis ſiniſtræ deteriorem eſſe, quoniam hæc pars principalior eſt, & magis vicina cordi; eſſe tamen paratiorem reſolutioni, & maturationi; dextri verò lateris pleuritidem minùs eſſe periculoſam, attamen diuturnam* apertè aſſeuerat.

Conciliator, in diſcutiendis controuerſiis auctor non incelebris, *dif. 99.* proponit quæſtionem diſputandam, eámque omni ferè ex parte cum Auicenna ſoluit, affirmans lateris ſiniſtri pleuritidem prauiorem eſſe materia, loco, ſymptomatibus, & curatione: nam quum ex humore calidiori, & acriori oriatur, deterior eſt. Deinde pars ſiniſtra calidior eſt dextra, & nobilior, ob maiorem viciniam cum cordis ſiniſtro ventriculo, qui dextro præſtantior eſt: hac de cauſa ſæuiora ſymptomata infert, acutiorem febrem, anxietatem, animi deliquium, ſyncopen, pulſum deficientem, & intermittentem; & quoniam partis natura ſymptomatum vehementia preſſa cauſam inflammationis non ita nititur expellere, ideò neque humor hac de cauſa concoquitur, diſcutitur, aut excernitur. In hunc ſenſum dicebat Auicen. 1. 2. *tract.* 1. *cap.* 11. de tremore agens, *illum eſſe magis pernicioſum, qui incipit à latere ſiniſtro.*

Valleſius *in com. cit. loc. epidem.* contrariam ſententiam ſtatuens, lateris dextri pleuritidem, maiorem eſſe, & acutiorem aſſeuerat, quoniam pars dextra calidior eſt, & ſanguinolentior, cuius opinionem licèt redarguat Pereda, Paſchalij Scholiaſtes egregius *in ſchol. cap. 27. lib. 1. de curand. morb.* vtramque tamen pleuritidem æquè periculoſam eſſe retur, quum æqualis dignitatis partes occupat inflammatio. At ſi cætera ſint paria, ſolúmque de ſitu contentio ſit, dexteram pleuritidem ſiniſtra eſſe periculoſiorem, plurima ſunt quæ euidenter probant argumenta, quibus forſan ducti auctores ita coguntur opinari.

Primò Partes dextræ ſunt præſtantiores, & robuſtiores ſiniſtris, ex Ariſtot. 31. *ſect. probl.* 13. ergo morbi geniti in parte dextra erunt deteriores, quum maiorem cauſæ magnitudinem præſupponant: quantò enim robur partis maius eſt, tantò morbus illi eſt magis improportionalis? cùm enim magis reſiſtat, vehementiorem cauſam ſignificat.

Secundò, Partes dextræ ſunt calidiores ſiniſtris, ex Hip. *lib. 5 aph. 48. & lib 6. epidem. ſect.* 2. 44. & ex Galen. *in com.* ergo in parte dextra maiores ſunt inflammationes, & periculoſiores. Maior patet, nam in dextra parte iecur locatur, membrum ſanè calidiſſimum, & fons caloris nuncupatum; in latere verò ſiniſtro eſt lien. Et licèt cor, monente Magiſtro *l. de vſu part. cap.* 2. in medio thoracis ſecundùm omnem dimenſionem conſtitutum ſit, inclinétque ad læuam partem ob ventriculum ſiniſtrum, & arteriam magnam, vergit tamen ad partem dextram ob ventriculum dextrum, & venam cauam; & arteria magna etſi oriatur in parte ſiniſtra, ſtatim ad ſpinam dorſi reflectitur, partibúſque dextris, & ſiniſtris pares ramos tranſmittit, in magnitudine tamen inæquali, nam ad dextram partem mittit maiores, ad ſiniſtram, minores: hæc eſt cauſa, quare pulſus in brachio dextro maior eſt, quàm in ſiniſtro. Quare ſi partes dextræ ob rectitudinem hepatis, ſpiritu & ſanguine magis abundant, & ſunt calidiores, inflammatio in iis ſuborta erit acutior, & deterior. Sic ſentiunt Maſſaria *2. praxis*, 3. Mercurial. 3. *de morb. intern. cap.* 6.

Tertiò. Illa pars eſt nobilior, præſtantior, & vitæ magis neceſſaria, quæ poſtremò deficiente iam vita, & animali quaſi extincto, remanet: ſed prope mortem, deficiente pulſu in parte ſiniſtra, remanet in dextra. Ergo. Hac ratione cor dicitur fons caloris, principium vitæ, & pulſus, quod tamen vltimò emoritur: ideò dicebat Galenus *lib. 5. de loc. cap. 1. in princip. animal non mori, niſi ob immodicas cordis intemperantias.* Addiderim, mortuo animali, præſertímque ob multitudinem ſanguinis ſuffocato, in ventriculo dextro, & vena caua copiam ſanguinis reperiri, qui in ſiniſtro, & arteria magna non inuenitur, quæ omnia ſanguinem, & ſpiritum ad ventriculum dextrum, tanquam radicem, & partem præſtantiorem confluere manifeſtè oſtendunt.

Quartò. Partes dextræ magis mouentur, quàm ſiniſtræ, A igitur in dextris maiores, & acutiores erunt inflammationes, ſi verum eſt motum augere fluxiones, & inflammationes, ex Galen. 13. *meth.* 16. & 1. *de dif. feb. cap.* 9. docente, partes inflammatas in quiete eſſe reponendas. Maior eſt vera, ſi fidem adhibemus Ariſtoteli dicenti *lib. 2. de cælo, cap.* 2. dextrum illud nuncupari vnde incipit motus: & cùm omnis motus debeat inniti alicui quieſcenti; in omni animali quod mouetur, debuit eſſe aliqua pars quæ quieſceret téperamenti ratione, qualis eſt ſiniſtra, quia frigidior; & debuit eſſe aliqua pars vnde inciperet motus, qualis dextra, quæ calidior exiſtit; nam caliditas iuuat ad motum, frigiditas impedit; quod in homine maximè erat neceſſarium, qui varias artes exercet texendi, ſcribendi, ſuendi, ædificandi.

Quintò. Partes dextræ acutiùs ſentiunt, quum ſint magis B attemperatæ, magis dolent, qua de cauſa promptiùs irritantur, & fluxiones recipiunt maiores, ratione quarum deterior inflammatio concitari ſolet. In hunc ſenſum Hip. 3. *epid. ſect. 3. text.* 19. In hiſtoria Anaxionis, qui laborauit grauiſſima pleuritide, retulit, fuiſſe lateris dextri, quod & 3. *continentis*, Rhaſius affirmat.

Sextò. Hippocrates *lib 2. de morb. num.* 51. cùm agit de ſuppuratione, hanc optat fieri *in latere ſiniſtro*; nam cùm minori noxa ea pars ſecatur, & vritur, ſícque meliùs pus in cauitate thoracis contentum extrahitur.

Sed ſi hæc ad Cleanthis lucernam expendantur, nullius eſſe momenti reperiemus. Quacumque enim ratione finiatur pleuritis, corruptione, ſuppuratione, aut reſolutione, (nam induratio, qua cæteræ inflammationes finiri ſæpè ſolent, in loco calido, & in materia calida reſolutioni parata, eſt rariſſima) pleuritis lateris ſiniſtri deterior C eſt, & à fortiori cauſa pronata, & breuioris terminationis: quæ ſententia ex argumentorum ſolutione patebit apertè.

Dic ad primum, & ſecundum. Licèt verum ſit, partes dextras eſſe robuſtiores, calidiores & nobiliores partibus ſiniſtris, qua ratione earum affectus grauiores, & acutiores eſſe debent: in thorace res ſe aliter habet, cuius pars ſiniſtra, & nobilior, & robuſtior, & calidior eſt dextra, quoniam magis accedit ad cordis ſiniſtrum ventriculum, qui nobilior, & calidior eſt dextro. Hoc videtur inſinuare Galenus *l. 5. de loc. affect. cap:* 2. docens, *inflammationem cordis, & ſolutionē continui in latere lethalē eſſe, & maximè quando vulnus, ſiniſtrum ventriculū penetrauit: tunc enim ſubitò animalia occumbunt.* Et *lib. 6. de loc. cap.* 9. agens de numero ventriculorum cordis, dextrum non eſſe abſolutè neceſſa- D rium, ſed in gratiam pulmonis, vt ei alimentum ſuppeditaret, arbitratur; argumento ſunt piſces, voce & pulmone carentes, qui in corde non habent ventriculum dextrum. Ampliùs. Spiritus vitalis eſt perfectior, & calidior ſanguine: ergo ventriculus ſiniſter eſt nobilior, & calidior dextro. Patet ſequela, ex Galen. *lib. 3. de facul. natural cap.* 15. nam ſpiritus vitalis generatur in ſiniſtro ventriculo ex ſãguine ſuppeditato à dextro; & vt valdè extenuaretur, & elaboraretur, vt natura ſpiritus deſiderabat, inter ventriculum dextrum, & ſiniſtrum reperitur ſeptum tranſuerſum, craſſiſſimum, foueis & meatibus plenum, in quo ſanguis retentus, purior redditur, & perfectior. Adde, ventriculum dextrum ſanguineum eſſe, ſiniſtrum ſpirituoſū: & quamuis in venis, & in ventriculo dextro aliquis ſpiritus reperiatur, is tamen impurus eſt, nebuloſus & craſſus; E in ſiniſtro purus, elaboratus, tenuis, & flauus. Hæc eſt cauſa, quare *lib. 6. de vſu part.* 16. Galenus affirmat, ventriculum ſiniſtrum habere carnem compactam, & duram. ne ſpiritus tenuiſſimus & ſynceriſſimus, ob tenuitatem reſolueretur, & euaneſceret. Habet ergo ſeſe ventriculus ſiniſter reſpectu dextri, ſicut arteria reſpectu venæ: & licèt hic extenſiuè ſit calidiſſimus, ſiniſter tamen intenſiuè calidior eſt; tantáque huius caliditas, vt ſi digitus in eum intromittatur, viuente animali, vratur prorſus ſit neceſſe, monente Galeno *lib. de inæqual. intemp.* 5. & *lib. 2. de temp. c. 3. in fin.* Denique cor in medio thoracis licèt ſit locatū, vt vitalē ſpiritum, & viuificum nectar in omnia extrema diffundat, hoc de ſola baſi intelligendum eſt; nam reliquum cordis corpus turbinato mucrone ſenſim in

ſiniſtrum

ſiniſtrum latus infra læuam papillam declinat, vt *de pla-cit.*Plat. & Hip.*cap.4.in init.*dicebat Galenus, explicat Petrus Laurembergius *cap.39.anatomiæ, in princip.* ibi enim conſpicua pulſatio tangentibus nobis deprehenditur.Hoc enim quia aduerſarij putarunt eſſe falſum,idcircò contrariam ſententiam probabiliorem eſſe adſtruxerunt, quorũ mentem commune anatomicorum redarguit experimentum,Laurentij, Pinęi,Plateri,Vaſæi,Columbi,Valuerdæ, Veſalij, Bauhini, Spigelij, qui edocti ab ipſo Galeno *loc. cit.*cor quodammodo in medio thorace locatũ eſſe,in ſiniſtrum tamen latus declinare ſibi perſuaſere. Quapropter ſi ventriculus cordis ſiniſter dextro eſt calidior, nobilior, ac robuſtior, pleuritis in ſiniſtra parte concitata, erit deterior & acutior, quoniam occupat partem ſiniſtram, in qua ſiniſter cordis ventriculus nobiliſſimus ſedem habet; nã partes principes diu noxas graues nequeunt tolerare, & humor in parte calidiſſima impactus, feruet, furit, & ebullit.

Ad tertium licèt Galenus *lib.7.de anatomic.adminiſtrat. cap.15.*cauſam per otium diſquirendam cenſeat, ob quam facta diſſectione in animali viuo propè mortem, priùs ceſſet motus in ventriculo ſiniſtro,quàm in dextro, quoniam in eo loco eius inſtitutum non erat cauſas rimari,ea ratio reddi poteſt commodiſſima: cùm enim facultas vitalis extremè languida eſt, ſubſtantiam ventriculi ſiniſtri craſſam, compactam, & grauem non poteſt mouere. Non igitur hac ratione concludendum eſt, radicem vitæ in ventriculo dextro ſitam eſſe. Adde propè mortem vniuerſum ſanguinem, & ſpiritum ex toto confluere ad cor, velut ad vitæ focum, in quo ſpiritus cum ſint tenuiſſimi, reſoluuntur; & cùm neque in ventriculo ſiniſtro, neque in arteriis alij de nouo regenerentur, ob horum abſentiam ceſſat motus in ventriculo læuo, in dextro apparet, ob ſanguinis multitudinem, quæ præ craſſitie abſumi non potuit.

Ad quartum. Verum quidem eſſe, partes dextras tempore ſanitatis magis moueri ſiniſtris, ſed ex hoc argumento apertè infertur, dextram pleuritidem eſſe minùs periculoſam, poſita in omnibus paritate; nec enim mirum eſt, dextram partem præ motu maiorem inflammationem pati poſſe, ex maiori humorum confluxu ſubortam: mirum tamen læuam æqualem pati inflammationem minùs motam,quod ſine dubio maiorem cauſam præſupponit. Deinde,tempore morbi,ægri quieſcere debent,nec debent mouere partes dextras,aut ſiniſtras,vt docet Hippocrates *lib.2.aph.* 48. Sed ſolùm facultatis animalis ope indigent pro reſpiratione, auctore Galeno *lib.7.meth.vlt.* & in reſpiratione non minùs partes dextræ, quàm ſiniſtræ mouentur.

DVBIVM XIII.

Num oculus dexter ſiniſtro ſit obtuſior.Contra Amatum, & Blemptum doctiſſimos.

AD quintum. Dic partes ſiniſtras vincere dextras in ſentiendo,quum ſint debiliores, & magis patiantur, ſenſus autẽ paſſione fit,vt *ſect.31.probl.13.& 19.* Ariſtoteles docet. Adde partes dextras, & ſiniſtras non differre ſenſu,quia vtræque æqualiter neruos,eiuſdem cõditionis recipiunt pro ſenſu.Si verò inter has litigium ſit, quænã exactiùs iudicet ſenſibile, ego parti ſiniſtræ præſtantiam tribuerem. Sic oculus ſiniſter meliùs videt dextro, vt ex multorum ſententia retulit Galenus *lib.6.epid.ſect.2.com.* 44.& probat Ariſt.*cit.loc.probl.*19. Sequuntur Mercurialis *in cõ.*10.*hiſtor.epidemic.in verbo quadrageſima die.*Ludouic.Lemoſius *in com.cap.3.lib.6.meth.*Gal.*diſp.* 2.Leuinus Lemnius *lib.4.de occultis natur.miraculis,c.* 4. dum ſic inquit. *Cæterùm quòd dexter oculus ſiniſtro ſit obtuſior, in ſe quiſque experiri poteſt,id efficit in adulta ætate,craſſior, denſiórque ſpiritus, & quòd ferè ex dextri lateris incubitu vapores nocturni eò deriuentur, ac cõfluant:in ſenectute verò magis ſicceſſit oculus dexter,ac calor hepatis humores qui viſioni adminiculantur,depopulatur; ſiniſter autem humidior eſt,nec in eo facilè vel ſpiritus extenuantur,aut humores areſcunt, &c.*

Quæ poſitio, de natiua, non morboſa affectione intelligenda eſt;cúm ab hepate,membro calidiſſimo,& in quo perennis adeſt coctio, & humorum ebullitio, vapores aſcendant viſionem interturbantes. Horum ſententiam amplectitur Manardus doctiſſimus *l.14.epiſt.4. poſt princ.* dicens.*Quòd verò oculus dexter magis quam ſiniſter lachrymas emittat,ex maiore eius imbecillitate puto contingere. Ferè enim cunctis hominibus dexter oculus ſiniſtro ſolet eſſe debilior, cuius cauſam in problematis ſcripſit Ariſtoteles,nec opera pretium eſt hoc loco referre,&c.* Eam tamen ego eſſe exiſtimo, quòd cum omnia omnibus conſentiant, præſertímque dextra cum dextris, & ſiniſtra cum ſiniſtris ſympathiam veluti quandam inter ſe habeant, ſecundum rectum ex ſiniſtro cordis ventriculo, qui ad læuam thoracis partem declinat, in quo ſpiritus vitales affabrè elaborantur, animali ſpiritui viſuali materia ſuppeditetur abundans, quæ ad ſiniſtrum opticum neruum delata, oculi ſiniſtri viſionem perfectiorem reddit; ex vitali enim ſpiritu animalẽ generari, multis in locis fatetur Galenus, hunc autem in opticis contineri, manifeſtè edocuit ipſe, *lib. 1. de cauſ. ſympt.c.2.in princip.*nam clauſo alterutrò oculo,momento dilatatur pupilla, quòd à ſpiritu fit,non ab humore: quia ab vna in alteram pupillam non tam ſubitò flueret,ac reflueret humor. Hoc etiam apparet in ſuffuſionibus: ſi enim clauſo oculo alter dilatatur, ſignum eſt videndi actionem non omninò interceptam, & quendam adhuc ſpiritui patere aditum.Oculus ergo ſiniſter ſpiritum viuidiorem, & magis purum à parte ſiniſtra cerebri haurit, qui è læuo cordis ventriculo ebulliens, in illam partem ſecundùm rectitudinem inſpirat. Si verò Hippocrates *lib.2.epid.ſect.6.in med.*aliter videtur ſentire, dicens, *circa naturã plurimã vim habet mamma dextra, & oculus dexter, &c.* ad venandum totius temperamentum intelligendus eſt; licèt enim multùm præſtent naturali calore partes dextræ, quia in dextra parte hepar ſitum eſt, principium omnis nutritionis, & dextræ partes hac de cauſa ſiniſtris ſint firmiores, vt *in com.* Valleſius edocuit,tamen hoc ad caliditatem, & firmitudinem vniuerſalem indagandam, recipiendum: Nam, vt Ariſtoteles *loco cit, problemat.* dicebat: *nullus ſenſus dexter ſiniſtro eſt præſtantior, & auris ſiniſtra meliùs audit dextrâ, & oculus ſiniſter meliùs videt dextro.*Ex his patet erraſſe Amatũ *lib.4.centur. vlt.*contrariam ſententiam amplectentẽ. Cum Fortunato Plempio, qui vltrò citróque diſcurſans *lib.*4.elegantiſſimo,& ingenioſiſſimo *de ophthalmographia,probl.*47. æquè oculũ dextrum, ac ſiniſtrum videndo præſtare arbitratus eſt; cuius argumenta ex dictis ſolui poſſunt. Tu verò de argumento hoc, Vide ingenioſum,& perdoctum Lupeum *lib.3.enchirid.cap.de lippitudine.*

Ad vltimum dic, diuerſum eſſe iudicium de pleuritide, & ſuppuratione: & licèt eadem ratio eſſet, optat Hippocrates,vt fiat ſuppuratio in ſiniſtris; quoniam hæ partes robuſtiores ſunt,& maiori pollent vigore ad coquendum,& excernendum pus. Præterquam liber ille Hipp. non cenſetur, vt probant Ludouicus Lemoſius *in iudicio operum magni Hip. cap.* 7. & Mercurialis *in cenſura libror. Hip.*cum Galen.*6.epidem. ſect.* 1. 29. Ergo ſi pars ſiniſtra thoracis præſtantior,calidior,& robuſtior eſt dextrâ,morbus partis ſiniſtræ,quàm dextræ maior erit ac deterior,ac proinde ſiniſtra pleuritis dextrâ periculoſior eſt cenſenda. Lege Vaſcum Caſtellum *lib.de thoracis affectibus,tract.* 5. *cap.7.difficult.*10.

QVÆSTIO XX.

Quòd lipyria Arabum valdè diſtet à lipyria Græcorum.Contra Iacob.Vgon.Mercat.Coſtæum, & Fonſecam doctiſſimos.

ET *extremitates eius frigidæ.*]Quęſtio eſt litigij,diſſẽſioníſque pleniſſima, num lipyria febris ſit morbus, vt voluere Arabes,an ex partium internarum inflammatione oriatur, vt Græci docuere.Et in primis audiamus Græcos huius factionis acerrimos defenſores.In internis, præci-

puíque

puiſque partibus inflammatio quandóque oritur, quam, *ignem ſacrum circa viſcera, & partes internas*, Aëtius vocat *tetrab.2. ſerm.1.cap.89. de lypiria*, quæ inflammatio à Gal. *lib.finit.medic.c.18. eryſipelas* dicitur, & eſt tumor rubens, dolorificus, à bilioſo ſanguine originem ducens, de quo præter Græcos, & Barbaros, differunt Manardus *lib.7.& 8. epiſt.2.* Dionyſius Daca *lib.2.de apoſtemat. cap.41.* Dicitur autem ſacer, quaſi ſit execrandus, quoniam comburit partes: licèt Celſus *lib.5. cap.28. rub.3.* illum faciat morbum ab eryſipelate diſtinctum; quod fecit etiam Plinius *lib.28. nat.hiſtor. cap.11.* Quamuis autem hic affectus ferè cutim & corium inuadat, internarum tamen partium multoties ſuperficiem occupat. Gal. enim hepar *lib.4.de loc.affect.c.8. & lib.5.einſd.cap.7.* pulmonem *lib.2.de loc.9.* ventriculum *lib.4.acut.1.& lib.1.epid.ſect.2.com.72. & 2.criſ.cap.7.* vterum, veſicam, & alias noſtri corporis partes interiores, eryſipelate tentari manifeſtè concedit, & deinde lipyriam febrem ſubſequi non eſt dubitandum: tunc namque cum extremorum frigiditate, interiora vruntur, ac ſitim habent, ex Hipp. & Gal. *lib.4.aph.48. Cùm enim fortis inflammationis calor vehemens fuerit, vt ad ſe trahat modo cucurbitulæ ex toto corpore ſanguinem, iis qui ita ſe habent, viſcera peruruntur, extremæ autem partes frigeſcunt, propter defectum ſanguinis ad viſcera ſe recipientis: & eorum plerique ne tegumenta quidem tolerant, propter incendium quod in viſcere ſentiunt*, vt *lib.7.aph.1.& 26.* Galen. edocuit: *qui caſus ſolis accidit febribus ardentibus, pernicioſis, malignis, veluti lipyriis; nulla verò febris alia profundiora perurit, cute refrigerata*, vt *cit.lib.4.aph. & lib.4.acut.com.16.* ipſe aſſeuerat. *Hæc verò internas, eáſque vehementes viſcerum ſequitur inflammationes, & maligna eſt*, ex Gal. *lib.2.criſ.c.7.§. Febris verò ardens, maligna, vel pulmonis, vel hepatis, vel ventriculi eryſipelatibus aduenit, &c.* Ex quibus euidenter conſtat, Græcorum lipyriam ab inflammatione partium internarum oriri, & in ea huius febris cauſam conſiſtere, cuius vi, euocato calore, cucurbitæ ritu, ad interiores ſedes, hæ vrantur, & frigeant externæ, vt ſibi perſuaſit Gal. tum *loc.cit.* tum *lib.de inæqual. intemp, cap.8. & lib.2.prog.4.* Quibus locis Galeni commoti Chriſtoph. à Vega, Ioan. Brauus *in com.cap.6.lib.2. Gal.de dif.feb.* Ioan. Agricola Ammonius *in com.c.8.lib.de inæqual. intemp.* Holler. *lib.2.de morb.intern.tit.de lipyria*, Ioubertus *lib.2.de febrib.cap.15.* Fernelius *lib.4.patholog.cap.7.* Fuchſius *in com. ſentent.48. lib.4. aph.* & alij, lipyriam in internarum partium inflammatione conſiſtere ſibi perſuaſere. Si verò *lib.7. aph.com.42.* lipyriam eſſe ſine partis inflammatione affirmauit, ex aliorum loquutus eſt ſententia: in qua contradictione enucleanda lege Valleſium *lib.5. controuerſ.23.*

His prelibatis ad Arabes deſcendamus. Auic. 1.4.*tract.2 cap.51. Lipyriam ex pituita, & bile craſſa circa viſcera incenſa oriri refert, in qua interiora calent, & vruntur: hac de cauſa exteriora refrigerantur, vel ob caloris ad intima recurſum, aut vaporum effluxum ad partes extimas, qui licèt mediocriter calidi ſint, à fonte tamen caloris, & putredinis à qua incaluere, recedentes, ad propriam redeunt naturam: internæ verò partes, non diſſipatis his, neque difflatis magis incaleſcunt: & maximè quoniam pituita, & bilis craſſa putreſcentes, vbi incendium conceperint, diu & importunè id conſeruant: qua de cauſa totus calor rapitur ad viſcera, & ad locum putredinis confugit, vnde interna ardent, extrema frigent.* Quo pacto lipyria eſt verè morbus, & inter continuas febres numeranda. Hanc Auic. ſententiam approbat Rhaſius *hoc in loco*, referens *hunc ægrum cum vrina vehementer rubicunda*, quæ bilioſum humorem nimis excandeſcentem, & igneum in venoſo genere redundare indicabat, *habuiſſe extremitates frigidas*: quod facit etiam *lib.10.ad Almanſ.cap.11.* & Halyabbas *lib.3.pract.18.* Serapio *tract.6.cap.17.* Meſuë *de feb. putrid.cap.3.* Iſahac *lib.8.theoric.c.6.in fin.* Nicolus *ſerm.2. tract.2.cap.3.* Explanant luculenter Iacobus de partibus, Ioan. Coſtæus *in com.*

Diuerſa ergo eſt lipyria Arabum, à lipyria Græcorum. Illa enim licèt bilis craſſæ naturam ſapiat, eſt tamen à prædominio pituitoſa, & verè morbus; hæc ardens, vt *cit. locis* Galeni conſtat, & quæ potiùs ſimilitudine quadam lipyria dici poteſt, quum ſit bilioſa incendioſa, & non ab

A humore pituitoſo putreſcente, vt alia originem ducat, ſed ab exuſto, ſicco, calidiſſimo, in inflammata parte coërcito, furenti, & pernicioſo; & principum partium inflammationibus grauiſſimis ſuperueniat, vt 4.*aph.& 2.criſ.cit.* docuit Gal.

Incaſſum ergo laborant Mercatus *lib.6.de febrib. cap.de lipyria.* Fonſeca *in methodo curandarum febrium quas Iacchinus omiſit, cap.de lipyria*, Ioannes Coſtæus *in com.cit.cap. Auicen.* volentes inter Arabes, & Græcos hanc componere litem: diſtinguunt enim lipyriam; in legitimam & propriam, & in illegitimam & impropriam: hanc fuiſſe Græcorum, illam Arabum lipyriam eſſe aſſeuerant: nam hæ inter ſe maximè diſtant, in humore, putredinis modo, pernicie maiori: Græcorum enim lipyriam humor concitat calidiſſimus, valdè pernicioſus, non ita ventilatus, ſed in inflammatione, veluti conculcatus, ac B difflari prohibitus, acris, malignus, febrem ſignis prauiſſimis comitatam conſtituens. Contrà; in Arabum lipyria omnia mitiora ſunt. Hanc diſtinctionem fecere priùs Vgo Senenſis, & Iacobus de Forliuio *in com.cit.ſent. 48.lib.4.aphor.* Sed cùm nullibi apud antiquos ſcriptores hæc diſtinctio ſit prolata, ei aſſentiri minimè poſſum: Sic enim hac ſolutione omnes medicæ artis difficultates ad libitum ſolui poſſent. Lege Vegam *in com.ſent. 4.lib. 4. prognoſt. Hippocr.*

DVBIVM XIV.

Num poſſint internæ partes, extimis calentibus, frigeſieri.

C NVm tamen contrà poſſint internæ partes, extimis calentibus, frigeſieri, dubium eſt ſcitu digniſſimum. Henricus Cuelhar *in ſuis doctis com. ad text.4. lib.2.prog.* Hoc contingere poſſe non dubitat. Firmat Auicenna 2.4. *tract.1.cap.43. §. Exitus vaporis calidi ex cute cum anhelitu frigido eſt ſignificatio pernicioſa, & non fit niſi quia caliditas cordis finita eſt, &c. & cap.48.§. Et aduſtio extremitatum, & cutis cum frigiditate ventris, eſt ſignum mortis iterum, &c.* Hanc priùs edocuit Hippocr. doctrinam, *lib.6. epid. ſect.4. com. 30.* dum ſic inquit. *Signa mortifera per cutem, calidus vapor, priùs nares frigidum ſpiritum reddunt, &c.* Illuſtris explanator *in com.* cauſam reddens, cur in ardentiſſima febre, ſudore calido emanante, frigidum reſpirent ægrotantes, ſic inquit. *Nam interituri corpore valdè calente frigidum expirant, quod ab inopia ſpiritus, caloriſque innati ab igneo calore reſoluti, euenire eſt dicendum*, vt aduertit Veiga D *lib.5.de loc. cap.1, verbo, iecinoris. Licèt enim ardentiſſima præceſſerit febris, quum tamen hæc calorem naturalem depopuletur & abſumat, tunc exſufflatio frigida, hoc eſt, parùm calida ſentitur. nam accenſo corde abſurdum videtur exiſtimare, interiora alia membra poſſe frigere, & magis cùm viuente animali frigus non ita detur intenſum, vt viſcera interna frigefaciat*, vt *6.epid.ſect.5.com.27.* aſſeuerat Galenus: alioquin frigens homo interiret. Audi Galenum *loc. ſuprà cit. epidemion. Illis enim ſolis id euenire comperies, quorum mortem calidiſſima febris anteceſſit, quæ corpus ipſum cordis torruit, atque ideò ipſum poſtremò refrigerauit; vitali ergo tenore, moriente iam corde, euaneſcente, in aliis quidem ſudores ſyncopen inferentes proueniunt, multorum ſcilicet humorum pleno corpore: illis autem qui ex feruida febri antè exaruerunt, pro ſudoribus calidus vapor tangēti tibi difflari videbitur, &c.*
E Ex quo loco apertiſſimè conſtat, cum frigida reſpiratione calidum ex cute vaporem poſſe emanare. Neque hoc tibi videatur mirum; nam præ incendio interno vitalis viſcerum ſpiritus exhalat à calore igneo exhauſtus, cutis verò calido vapore elato ſentitur calida. Num verò detur genus febris, in quo intima frigeant, externa caleant, ob cauſam diuerſi humoris putreſcentis in parte diuerſa, quam Auic. 1.4.*tract.2.cap.50.* epialam vocat, quam lipyriæ facit contrariam, latiſſimè explanant Gentilis, Dinus, & Iacobus vterque *in com.cit.loc: Auic.* Et niſi Auicennæ mens acutiùs interpretetur, non video quomodo cum Galeni doctrina conſtare poſſit, cùm nomen febris contrarium demonſtret manifeſtè, nam febris à feruore interno dicta eſt.

Interim lege Valleſium *lib.5.controuerſ.cap.24.* Galeni interpretes,*ad cap.6. Gal.lib.2. de diff.feb.* Vegam, Veigam, Trincauellium, Brauum, & Montanum,qui de hoc argumento eloquentiſſimè diſceptarunt.

HISTORIA XXI. GALENI, De Pleuritide.

Pleuriticus in declinatione poſitus, lentium eſu, emortuus.

Q*Vare qui* * *lenticulam cum aceto confectam pleuritico, morbo iam declinato, vt nihil aliud quàm coctorum expuitionem deſideraret, exhibuit, is non immeritò languenti ipſi, qui ſequenti nocte ſuffocatus eſt, mortis cauſa fuiſſe eſt viſus. Verùm lenticulam nemo, qui mentis compos fuerit, dederit. Gal.*lib.1. de rat,vict.in morb.acut.com.27.

QVÆSTIO XXI.

Quòd lentes in biliofa pleuritide concedi poſſint, vt voluit Auicenna. Contra Mattbæum, Coſtæum, Fuchſium, Amatum, & communem ferè Medicorum ſententiam.

COMMENTARIVM.

L*Enticulam.*] Cornelius Celſus, ſyncerioris Medicinæ auctor longè clariſſimus*lib.4.ſui operis,cap.6.*ſcriptum reliquit, *in pleuritide calidis potionibus vtendum eſſe.* Nam actu frigida nocent pectori,humorem incraſſant,ac ipſum excerni prohibent. Quapropter ſumma cum ratione; in hac hiſtoria,errorem Medicorum detegit Gal.qui nulla de partis ſitu conſideratione habita,in hoc affectu frigida, & ſtyptica propinare auſi ſunt; inter quæ primo loco lentes propoſuit.In cuius rei confirmationem,hiſtoriam hancin medium profert,& meritò ſanè, nam *frigidiſſimus cibus,eſt lens,* ex Hip. *in lib.6.epid.ſect.5.text.32.* incraſſans, & obſtruens,ex Gal.*lib.8.ſimpl.lib.1.de alim.facult.cap.1.*quamobrem frigiditate & ſiccitate,ſpiritalia membra refrigerat, humorem craſſiorem reddit,& ad expectorandum maximè ineptum,præſertim ſi cum aceto condiatur: hoc enim,auctore Gal.*lib.3.acut.com.39.*ſuapte natura neruos offendit: quum enim ſit tenuium partium, in eorum mergitur profundum, ſicque thoracis partibus eſt inimiciſſimum ex Hip.& Gal.*lib.5.aph.24.*Vnde vel membranas,ligamenta, tédones,& exſangues partes omnes lædit frigus,vel ſenſu eximio præditas,vt vterum,veſicam,inteſtina,penem,thoracem, vt ſcitè *in com.18. ſent.lib.5. aph.* annotauit Heurnius. Ab aceti enim frigiditate facilè thoracis partes refrigeratæ non expellunt purgamenta, quæ retenta dolorem acutiorem afferunt. Iure ergo Trall.*lib.6.cap.1.*calidis potionibus affectus thoracis ad expectorandum eſſe tractandos aſſeuerat.

Inſuper, quis hoc cibarium ægris concedere audebit? quod æſtuoſum eſt.& valdè corpus turbat,ex Hip. *lib.2.de diæta,n.14. & lib.4.acut.55.* & Gal. *lib.1.de alim.facult.25.* viſum integrum inculpatúmque hebetare affirmat. Et *lib.2. de loc. cap.7.* inter cibaria melancholica primo loco connumerat. Nam ſtomachum, & inteſtina inflant, lædunt neruos, caput, & pulmonem debilitant, ex Dioſcor. *lib.2. cap.98.* Auic. *lib.2. tract. 445.*ſuccum tetrum, & nebuloſum generant: quare harum vſui aſſueti, ex Gal. mente *lib.de bon.& vit.ſuccor.cap.3. in fin.facilè in cancrum, & elephantiaſim incurrunt*, ex Oribaſ.*lib.1.collect.17.* Auer. *lib.5. collig. cap.39.* Adeò enim hoc edulium melancholicum eſt,vt *lib.2.ad Glauc.cap.11.*in Alexandria potiſſimùm gigni cancros aſſeueret Gal. quòd huius cibarij frequens ſit in hac regione vſus. Craſſæ enim ſunt, terreſtres, inſomniorum terribilium generatrices, ſcabiem,lepram,cutaneos affectus, aliáſque melancholicas ægritudines gignunt. Et vel Arabes ipſi, huius eſcæ auctores, hanc ſummoperè condemnant,vt Auicen.*1.3.tract.4.c.20.* Raſius *lib.3. ad Almanſ.2. & lib.9.cap.13.* Serap. *lib.1.cap.2.* De quarum malitia, videndi Amat. *lib.3. cent. 18.* Lacun. *in com.Dioſc.loc.cit.*Bruyerin.*lib.7.de re cibar.c.3.* Chriſtoph. à Vega *lib.2.art.med. ſect.3.cap.5.* Georg.Valla Placentin. *lib.1.œconom.cap.79.* Ioan Roderic.*lib.in hiſtoriales campos Dioſcor. philolog.47.* Quare apud Romanos, lentem fuiſſe annumeratam inter funebres cibos, auctor eſt Apianus *lib.de bello parthico*,& Plutarchus *in vita Craſſi* obſeruauit, vt refert clariſſimus & expertiſſimus Ludouic. Nonnius Antuerpienſis Medicus *lib.1. de re cibar.cap.6.*

Viguerat ante Gal.communis omnium fermè veterum, fortaſſe ab ipſo Hip. accepta ſententia, lentes bonis cibis non eſſe annumerandas. Arabes tamen, & qui in horum ſchola ſunt nutriti,hoc cibarium accommodarunt in multos vſus,à quibus omnes propemodum Medici edocti,eas in ardentibus febribus,& ſynochis,ad compeſcendum bilis & ſanguinis feruorem, tanquam ſalutares, & maximè commodas ſummoperè commendant, & in variolis, ac morbillis miris laudibus extollunt; quæ fluenti aluo,miro ſunt auxilio, quidquid Septalius *lib.5. cautiou.medic. n.59.* præter rationem earum decoctum in variolis impugnet.

Miſſis tamen veterum opinionibus,hanc ſic componere litem ſatius duxi. Apud eos ſatis compertum eſſe reor, lentes duplici conſtare facultate, aperiente vna, adſtringente alia: idipſum teſtantur Dioſcor.& Auic.*loc.cit.*Gal. *lib.1.de alim.facult.cap.1.in fin.* Paul. *lib.7.tit.de lentib.* Aëtius *tetrab.1.ſerm.1.eod.tit.*Cùm enim hę partes aperientes, & vitioſæ in ſuperficie ſitæ ſint,in intimo adſtringentes,ſit vt corticis extima par abluat, aperiat, proritet aluum, & ſputum prouocet, pectúſque mundificet; caro verò interior contrarios ſortiatur effectus, & ſic incraſſet, obſtruit, adſtringit, ſputum cohibet. Cùm extergere opus eſt, humoremque ad cutem propellere eſt in animo,primùm ius earum exhibemus: cùm incraſſare, ſecundum,aut tertium propinamus.

Enimverò ſi lentes vt alimentum contemplemur, in pleuritide haudquaquam poſſunt eſſe ex vſu,vt *citata hiſtoria* monuit Gal.Si autem per lentes,primum earum ius intelligamus,quod ab initio ſolùm morbi exhibitum,abſtergere,mundificaréque pectus poteſt,eæ in pleuritide,maximè biliofa concedi poſſunt. Audi Auic.*10.3.tract.5.cap.3. in initio. Et cibi eorum ſint ſicut lentes cum acetoſitate, & ſimilibus, &c.* Nam præterquam quòd ad temperandum bilis incendium eas cum aceto præparatas,febrientibus concedit,hoc titulo etiam in pleuritide biliofa propinari poſſunt, in qua febris reperitur magni feruoris, & acetoſa ſputum prouocant: nam ſapor acetoſus ex acido, & acri, eſt permixtus, vt latè probat Gal. *lib.1. ſimpl.24. & lib.4. eiuſdem,cap.12.* Vnde Serapio *tit. de ſapore acetoſo: Acetoſitati*, inquit, *acetimiſcetur acuitas, & punctio.* Lege Ioan. Brauum doctiſſimum *lib. aureo de ſapor. & odor. different. cap.3.*

Matthæus Peritus quum hanc apud Gal. & Auic. antinomiam perſentiſceret, mendoſam Auic. literam ſuſpicatur: ſicque legit contextum.*Et cibi eorum non ſint ſicut lentes cum acetoſitate,&c.* Coſtæus ita vertit*Et maximi quidem erroris eſt in potu tribuere infrigidantia vehementia,niſi in fa-ctis ex cholera, & dare in potu infrigidantia ſtyptica,aut dare eis in cibo lentes cum acetoſis, & ſimilia,&c.*Sed cùm *textus non ſint inuertendi citra neceſſitatem,& veteres Scripturæ etſi difficiliùs explanentur,ſemper ſint eligendæ,*ex Gal.*lib.6.epid. ſect.3.com.31.*antiquam Auic.lectionem ego ampliùs amo, præſertim cùm acetum per ſe non adſtringat,ſed incidat, & ſit tenuium partium, vt tam *multis locis* Galeni probat ingenuè Syluaticus *controuerſ.51.*quo pacto ad ſanguinis grumos incidendos poſcam ſummè laudat *lib. 5. meth. cap.9.* Si ergo Galen. de carne lentium intelligas, & Auic. de primo earum iure explanes, hos auctores concordes reddes: nam ius primum habet nitroſam, calidam, & ſolutiuam vim, & maximè ſi cum porro, anetho, modico oleo, & ſale ſit paratum: hoc enim modo præparatos piſces ſaxatiles, ſputo educendo maximè ineptos, in pleuritide, loco ptiſſanæ concedit in *lib.1. acut.com.27.* quoniam hoc pacto conditi abſtergunt,& craſſitiem humorum incidunt, vt notauit Nicolaus Rorarius *in 111. contradict.*

Abeant igitur Fuſch. *lib. 2. paradox.* 12. Amat. *lib.* 12. *in Dioſcorid. enarrat.* 101. qui Auicennam, capitalem errorem commiſiſſe inflatis buccis effutire non verentur, ignorantes dictum ſapientiſſimi Galeni *in lib. 3. epid. ſect. 1. com. 4. prope fin.* quòd *qui reprehendit ſedulò ſeipſum afficit contumelia*: nam *melius eſt tacere, quàm temerè pronunciantem falli*, vt *lib. 1. de dieb. decretor. cap.* 11. protulit Magiſter Lege Cardan. *lib. 1. contradict. tract. 8. contradict.* 10. Nicol. Monard. *in fin. tract. de ſecanda vena in pleuritide*, qui contra illos acriter diſceptarunt. Hic ergo locus Auicennæ falsò verſus, plures, eóſque doctiſſimos decepit interpretes. Vide Iacob. & Gentil. *in com.* qui hunc locum elegantiſſimè expoſuerunt. Maximè cùm in bilioſa pleuritide lentes cum acetoſis manifeſtè Auicenna concedat. Licèt autem hoc edulium concedi poſſet, multò ſatius eſt ab acetoſis, & adſtringentibus abſtinere: arctant enim humores, & eos excerni prohibent; maximè ſi à craſſo humore, & pituitoſo pleuritis oriatur: cuius ſortis cùm eſſet inflammatio, de qua præſens eſt hiſtoria hæc, idcircò lentis eſus mortem attulit. Conſule Amatum *lib. 1. centur.* 61.

Obſeruatio VI.

Pleuritica adſtringentium eſu emortua.

VEtus ſententia eſt à Galeno, Arabibúſque recepta, humores in thorace contentos, vt excreationi fiant paratiores, ad mediocrem ſubſtantiam eſſe reducendos. Hoc axiomate freti duo non incelebres Medici, poſtquam cum pleuritide bilioſa laborioſè luctati ſunt, & ſputum, factis vacuationibus vniuerſalibus, topicíſque variis, non ſatis procederet, ad incraſſantia acceſſere, farinam oryzæ, & amyli in auis iure, ptiſſanæ loco concedentes. At ægra cùm triduo hoc edulio vſa eſſet, ſequenti nocte, cohibito ſputo omninò, ſuperueniente difficili reſpiratione, veluti ſtrangulata in decimo ſexto morbi die extincta eſt. Tanti periculi eſt in pleuritide adſtringentia offerre!

HISTORIA XXII. GALENI, De Pleuritide.

Pleuritis mitiſſima, citra venæ ſectionem perſanata.

*ID verò mihi ampliùs animaduertere contigit, cùm librum de humoribus explanarem. Inter explanandum enim, quendam ægrotum intuitus ſum, qui me, vt * ſanguineo ſputo vexatus, accerſiuit, ſed cruenta ob lateris affectum expuebat. Sputum igitur ego conſpicatus, ipſum interrogaui, num aliquem dolorem in coſta ſentiret? ipſe verò dolorem exiguum ſe percipere faſſus eſt. Talis autem erat eius habitus, ac vires, vt ſi ſanguinem expuiſſet, quoniam neceſſarium eſſet venæ ſecandæ auxilium, ad ipſum accedere auſus eſſem; ſed cùm morbus lateris * mitis admodum foret, neceſſe non erat. Ideò neque id genus remedij adhibuimus, atque euidenter hominem hunc lateris morbo laborare cognouimus, qui & aliis huic morbo congruentibus auxiliis, citra venæ ſectionem leuatus eſt, &c. Galenus* lib. 6. epidemion, ſect. 3. com. vlt.

QVÆSTIO XXII.

Quòd pleuritis aliquando impediat venæ ſectionem Contra Fuchſium, & Rorarium doctiſſimos.

PARAPHRASIS.

M*Itis admodum foret.*] Hippocratem omnium qui fuere in medicina maximum, ita eruditi omnes laudare conſueuerunt, vt dicerent, aliorum quidem monumenta ſemel in vita perlegiſſe, abundè pulchrum, ac fortunatum videri oportet; illum verò tanquam vnicum, ac ſingulare naturæ opus, non ſemel quidem legendum, ſed eatenus inhærendum, vt quantum humani ingenij ratio patitur, il-

A lius colorem exprimamus. Hic enim tantus eſt auctor (cuius obſcura edicta bis, térque eſſe mente luſtranda, vt intelligantur, monuit Gal. 4. *acut.* 30. *in fin. & in proœm. lib. de fracturis,*) ſententiam propoſuit difficilem *in loc. cit. epid.* in cuius commento eſt ſcripta hiſtoria hæc, pro cuius expoſitione, vix vlla de re, tanta opinionum varietate certatum eſt apud Neotericos, quàm de quæſtione propoſita. Verùm in hac rerum caligine, media nos incedemus via. Sic ergo habet auctor incomparabilis: *Impedimentum in cruenta ſpuentibus, anni tempus, pleuritis, bilis.*

In huius enarratione, Gal. per impedimentum intelligit, quod miſſionem prohibet. Cæterùm quoniam pleuritis morbus acutus eſt, ex Hip. *lib. 1. acut.* 8. & in acutis ſanguinem mittere præſtat, ex ipſo, 4. *acut.* 19. idcircò, vt ſententiam Hipp. interpretetur, de mitiſſima pleuritide, in qua B cruentum ſputur, intelligendam putat; in cuius rei confirmationem, hiſtoriam hanc attulit in medium.

Cuius ſenſum verum vt percipias, Fuchſium primò, deinde alios doctiſſimos huius loci interpretes exaudi. Ille enim (licèt *ſapientiſſimus, & in reparanda ſchola medicinæ, quæ à barbaris, & ineruditis Medicis in tyrannide tenebatur, ac partim tenetur, auctor eminentiſſimus*, vt de eo ſcribit Chriſtoph. à Vega *lib. 3. prog. in com. Gal.* 15.) noſtram ſententiam perluſtrans, eſſe de illarum numero aſſeuerat, quę ab ipſo tantùm Hip. intelligi poſſunt: ſícque parùm referre ait ipſe, ſi eam inexplicatam reliquerimus, præſertim cùm Gal. de eius intellectu certum quid conſtituere noluerit. Sed hæc tam abſurda, & à communi Hippocratica doctrina abhorrens opinio ex eo conuinci poteſt: quòd dictio hæc medicinalis ſit, & ad vſum præſtantiſſima; ſicque C eam Gal. *in com.* non ſolùm interpretatur, ſed roborat ac defendit, vt hoc exemplo addiſceres, aliquando pleuritidem ſine phlebotomiæ alexiterio poſſe ſanari. Lege Amat. *lib. 7. centur. 28.* & Valleriol. *lib. 6. obſeru. 6.*

Franciſcus Valleſius *in ſuis ad libros epidemion doctiſſimis commentariis*, ingenuam (vt ſolet) propoſuit interpretationem, ſic dicens: *Pleuritis eſt impedimentum venæ ſectionis, non per ſe, ſed quando cum cruenta ſputione complicatur.* Hos enim affectus inuicem poſſe coniungi, admittit Gal. *lib. 1. aph.* 16. intelligitque impedimentum ab Hipp. propoſitum non eſſe venæ ſectionis, ſed modi curationis: (vterque enim morbus venæ ſectionem efflagitat) nam in pleuritide, aceruata & copioſa fieri debet ſanguinis miſſio; in cruenta ſputione, partita & iterata. Deinde bilis pleuritidem ferè committens, expurgantia, aperientia, & abſtergentia D deſiderat: cruenta ſputio incraſſantia, obſtruentia, & quietem thoracis expoſtulat. Si igitur ſputum ſanguinis, & pleuritis, contraria petunt auxilia, neceſſe eſt mutuo ſibi impedimento ſint. Acuta quidem reſponſio hæc, verùm Hipp. & Galen. mentem dilucidè non exponit, vt aduertit Mercurial. *lib. 2. de morb. intern. cap. 9.*

Nicol. Rorarius *in contradict. Gal.* 112. lateralem morbum cum ſputo cruento non comparaſſe Galenum aſſeuerat, ſed lateralem morbum cum venę ſectione coniunxiſſe, noluiſſéque in hoc laterali morbo ſanguinis miſſionem conuenire; quoniam ſi cum ſputo ſanguinis compararetur, mitis adeò eſt, vt curationé ad ſe non trahat. Quod ſi mittendus ſit ſanguis: propter cruentam ſputionem, non pleuritidis cauſa, eſt mittendus. Non placet ſolutio. Pleuritidem enim cum ſputo ſanguineo comparaſſe Galenum, ex E eo conſtat, quòd mitiſſimos eos laterales morbos affirmauit, in quibus cruenta ſputa expelluntur.

Sed ne in confutandis auctorum erroribus multi ſimus, ex Hip. & Gal. expoſitionem afferamus, horum dictis valdè conformem. Pleuritis in qua cruentum expuitur, cùm mitis ſit, ſanguinis miſſioni impedimento eſt, hoc eſt, eam non expoſtulat; natura enim vacuato ſanguine per ſputum, eam ſupplet: quare mitioribus auxiliis citra venæ ſectionem eſt curanda, propriis lateralis morbi regulis, ac conditionibus tunc medicari oportet, quibus ducti vel ſanguinem mittemus, vel non. Si enim vrgeat magnitudo, ad ſecandam venam accedere opus eſt: ſi tamen aliter contingat, quòd paucus ſit humor in parte affecta retentus, ſubtilis, & vacuationi obediens, adſit cruentum ſputum, morbíque appareat leuamen, aliis morbo

congruentibus auxiliis ægrum citra phlebotomiam ſubleuare oportet, vt *lib.3.de humorib.com.33.* ipſe confirmat, De quo argumento ſat multa doctiſſimè conſcripſit Altimarus *lib.de curand.human.corp. malis,cap.*50.

Quòd autem non perpetuò in phrenitide inſignis vacuatio neceſſaria ſit,Hip.docuit *lib.2,de rat.vict.text.*1.cùm dixit. *Lateris dolorem ſiue per initia,ſiue poſteà exortus fuerit, calidis fomentis tentare diſſoluere non abs re exiſtit. Fomenta enim non ſolùm leniunt dolorem, ſed cùm modicè calida ſint, & tenuium partium,* ex Gal.*lib.5.ſimp.cap.9.cutem ipſam rariorem efficiunt,& phlegmones ſanguinem tum tenuare,tum digerere poſſunt.*Sic Hip.*lib.6.aph.33.& lib.7.eiuſdem,text.*46. & Galen.*in com.& lib.3.meth.cap.3. & lib.13.eiuſd. cap.*22. Aëtius *tetrab.2.ſerm.3.à cap.5.vſque ad* 10.dulcis aquæ lauacro oculorum dolores perſanat, quum ſolum malum in oculo eſt, morboſúſque in corpore non adeſt apparatus: Hanc ſententiam firmat Celſ.*lib. 4. cap.*8. qui ſuperuacaneum eſſe auxilium teſtatur, ſi leuior fuerit pleuritis. Et Trall. *lib.6.cap.*1. temerè non eſſe ſanguinem mittendum aſſeuerat, vt vulgò faciunt, niſi humor inflammationem committens copioſus ſit, & in toto corpore ſuperare videatur: alioquin fomentis,& expectorantibus (hæc enim ſunt congruentia auxilia) curatio peragenda eſt. Vide Ludouicum Duretum *in fin.2.lib.Coacar. prænot.in cautione de phlebotomia. Verbo,phlebotomia offendit*,qui pro more ſolerter adomodum hunc modum extricat.

Licèt enim Paul.*lib.3.cap.*33. & Aëtius *tetrab.2.ſerm.4. cap.*68.in omni pleuritide ſanguinem emittant,vel ex aliorum mente loquuntur, vt ex Pauli contextu dilucidè patet; vel de ea in qua cruentum non eiicitur: hæc enim externo indiget auxilio ſanguinem vacuante; illa autem mitiſſima cùm ſit,leuiſſimáque habeat ſymptomata, morbi acuti nomen non meretur. Si pulchra de hoc negotio ſcire aues, lege Simonem Ramos Hiſpalenſem *in apologia de pleuritide*, qui hoc argumentum adamuſſim exarauit,& poſt eum Caſtrenſis *tract. de complexu morbor. cap.*22. explicuit acutè ſatis, eleganter, & doctè.

DVBIVM XV.

Num ſputum cruentum, pleuritidis mitiſſimæ ſignum ſit. Contra Ronſſeum erudititiſſimum.

COMMENTARIVM.

S*Anguineo ſputo.*] Dubium de cruento ſputo, aliquid & ipſum contemplationis habet: Num pleuritidis mitiſſimæ ſignum ſit. Sunt enim ex Medicis non ignobiles,qui cruentas excreationes reprobarunt. Extat primus Hipp. *lib.4.aph.*47. qui *cruenta ſputa mala eſſe* confirmat. Sequuti ſunt Celſus *lib.4.cap.6. pleuritidem grauiſſimam* vocans, *in qua ſanguis ſpuitur.* Auicenna 10.3.*tract.4. cap.*4. de ſignis bonis, & malis pleuritidis, *purè rubrum ſputum* valdè condemnat: nam *ſanguis ſi ſuprà exeat, malum,* apud Hip. *lib.4. aph.25. & lib.7.aph.15. à ſanguinis ſputo, puris ſputum, & phthiſin* fieri, manifeſtè aſſeruit. Quare meritò *lib.2. prognoſt. com.51. rubrum ſputum, periculum portendere* affirmat.

Ex altera parte adeſt Gal. *lib.2.prog.com.*47. qui *aliorum humorum excretiones ſynceras,excepto ſanguine, prauam affectionem indicare,*prædixit;nam in iis vitium quoddam ſubeſſe teſtatur, quippe quæ ab inflammato ſanguine originem ducunt.Huc reſpiciens Auic.*loco nuper cit.cap.*8.conditiones optimi ſputi explanans, ſubiungit *ſputum rubrum ad bonitatem proximè accedere:* & ratio pro his ſtare videtur: nam rubrum ſputum, ſiue color ruber à ſanguine eſt, ex Hipp.& Gal.*lib.3.epidem.ſect.3.73.& lib.6.eiuſd.ſect.5. text.*14. Sanguis autem cùm ſit mitiſſimus,coctu facilis,& omnium humorum benigniſſimus, ſi exuperet, ſalutarem morbum facere aptus eſt,ex Hipp.& Galen.*lib.2. prog.*27. Quare cùm hic humor non poſſit prauitate ſua magna pericula adducere,idcircò ſputum cruentum mitiſſimæ pleuritidis ſignum eſt,ex Gal. *lib.1. criſ.cap.*10.

Sptum ergo cruentum in pleuritide apparens reprobari non debet,cùm benignæ pleuritidis ſignum ſit; hócque abſolutè, & non collatione facta cum nigro, viridi, flauo,& aliis quæ ex ſe malitiam pollicentur;nam diuturniorem morbum,ſalubrem tamen ſemper promittit.Sputum cruentum bonum eſt, veluti ſanies cruenta, quæ deinceps ob coctionem craſſior facta, mutato colore, vincentis caloris eſt manifeſtum ſignum. Si verò id reprobant ſuprà citati auctores, de cruento ſputo meraco, qui rupta, exeſa, vel aperta vena exprimitur, ſunt intelligendi, vt notat Heurnius *lib.4.aphor.comment.*47. quod ſæpè ſine pleuritide contingit, vel de excreatione quæ malè exit, hoc eſt ſine coctione, & tolerantia, vt *lib. 4. aph. com. nuper citato*, interpretatur Galen. Ex quo patet *lib.1.aph.2.23.25.& lib.4.aph.3.* & alibi ſæpè, hoc modo eſſe explanandum, quum dicit ſequi conferentiam ex euacuatione, in qua talia purgantur, qualia eſſe oportet; tunc enim non ſolùm naturam, & ſpeciem humoris peccantis ſignificat,ſed coctionem indicare videtur,ex Galen. *lib.1.acut.*23.Quapropter ſputum cruentum ſi malè exeat, pleuritidem grauem demonſtrat, vel ſi hæc cum hæmoptoïca paſſione complicetur.Ex his patet grauiter erraſſe Balduinum Ronſſeum *in com.citati loci Celſi*,dum per verbum *ſanguinis*,bilem,vel humorem melancholicum,citra vllam neceſſitatem legendum putat,locorum fortè contrarietate perterritus.

QVÆSTIO XXIII.

Quòd in initio deſcendentis veræ pleuritidis,non ratione cauſæ coniunctæ,ſed antecedẽtis,ſit purgatio celebranda.Contra Augenium,Valleſium, Mercurial.Heurnium, & Duretum, Medicos eximios.

C*Ongruentibus auxiliis.*]Quoniã pro virili,ex antiquorum decretis prælibauimus circa pleuritidem nonnulla,quæ legentibus profutura, & voluptati rebamur,& emolumento,nunc in malè feriatorũ torporem ignauum, ac turpiter deſidentem perducti ſumus,ita vt neceſſe ſit in re tam graui feramus opem Hip. viro doctiſſimo, & prudentiſſimo,à Sorano latè, & vel à Gal. tacitè, ab omnibus ferè oppugnato. Cùm enim inter cætera,quæ ſcienter admodum ille,nec citra ſummam ſcientiam protulit axiomata,ſit illud reponendum, ex *lib.2.de rat. vict. in morb. acut. text.*11. quo monet,in pleuritide deſcendente,eſſe Peplio, vel Veratro purgandos ægros, hoc eſt,quando partes ſub ſepto tranſuerſo dolor infeſtat, nullúmque ad clauiculam ſignum fecerit. Tamen illius ſententiam multiplicibus telis ferè omnes impugnant. Alij enim in pleuritide expurgantia renuunt ſemper. Quidam in fine tantùm probant, dicentes hoc eſſe congruum pleuritidis auxilium, quo, hunc ægrum perſanaſſe gloriatur hoc loco Galenus: hocque modo eius dicta in varios ſenſus diſtorquentes, illum inſcitiæ arguere non erubeſcunt,ob cauſas multas.

Prima.Extat non inelegans hiſtoria, apud Hip.*in lib.5 epidem.num.*1.qua euidenter probari poteſt, purgationem in pleuritide reprobam ſemper eſſe, & nullius vſus. Sed audiamus ſummi dictatoris edicta, è tribunali ſapientiæ ac veritatis medicæ ſic loquentem. *Scomphus in O Eniadis pleuritide correptus,mortuus eſt ſeptima delirus; Pharmacum autẽ bibit infrà purgans: priore ante potionem die mentis compos erat,& purgatus eſt non multùm:quum autem purgaretur, delirauit, &c.* Ex quo loco rectè concludi poteſt,in initio pleuritidis inutilem eſſe purgationem,cùm multis periculis reddat ægrum obnoxium; nam impetum humorum promptiùs detrahit ſanguinis miſſio, pharmacum autem maiorem turbationem affert: crudos enim ſuccos mouet, exagitat,irrequietos & citatiores facit,vt citiùs confluant in partem affectam; auget febrem,& inflammationem,& cùm non euacuet quod oportet, neque vnde oportet, debilitat virtutem citra morbi leuamen. Quapropter Scomphus, niſi accepiſſet pharmacum, vt ſuſpicatur Valleſius *in com.*aut non obiiſſet,aut non tam citò,ſed vndecima,aut decima quarta,túncque fortaſsè ſine delirio, aut hoc multò poſteriùs accidiſſet.

Secunda. Facit huc auctoritas Hipp.*lib.4.acut.text.*22.

quæ

quæ in hunc modum ſe habet. *Quicumque autem ea, quæ inflammantur ſtatim morborum inter initia medicamento ſoluere conantur, ij non ſolùm ab intenſa, inflammatáque parte nihil adimunt, cùm non cedat, obſequatúrque, quæ adhuc cruda eſt affectio: verùm quoque & quæ morbo reſiſtentia, & ſana ſunt, abſumunt, colliquántve: vbi autem corpus imbecille fit, morbus praualet: vbi autem morbus corpori prævaluerit, remedium non habet, &c.* O ſententia digniſſimâ cedro! quam Galen. *in comment.* veriſſimam eſſe denunciat, *quando enim vitioſi aliqui humores in partem aliquam confluunt, & in ea aceruantur, rectè ad ſanguinis miſſionem propiùs deueniendum eſt. Quapropter vbi non ſolùm acutus morbus fuerit, cuiuſmodi eſt pleuritis, verùm & cum febre vehementiſſima, multò magis vitanda eſt purgantis medicamenti adminiſtratio, atque per ſectionem venæ vacuandum magis, etiamſi ad hypochondrium dolor finiatur*, vt *in com.* 11. *cit. lib.* 2. *de rat. vict.* aſſerit Galen. Et Paul. *lib.* 3. *cap.* 33. & Rhaſius *lib.* 9. *ad Almanſ. cap. de pleuritide*, in deſcendente, & aſcendente pleuritide amant magis phlebotomiam ob dictas cauſas. Deinde ſi ex mente Fernelij *lib.* 2. *de venæ ſectione, cap.* 4. *In omni impura plenitudine a ſecta vena auſpicanda vacuatio eſt, ſine qua vix tutò purgatio decernitur; & purgatio vitanda, quæ plethoricum corpus in grauius diſcrimen adducit*, quantò magis in pleuritide, cui illicò ſecta vena auxiliandum, vrgentis inflammationis habita ratione.

Tanto horum auctorum oraculo perterriti, Vallefius *in comment. text.* 1 1. *lib.* 2. *acut.* & Mercurial. *eodem loco*, Horat. Augen. *tom.* 2. *epiſt. lib.* 2. *cap.* 4. Hippocratem arbitrantur non loquutum fuiſſe de pleuritide, ſed de dolore hypochondrij à materia craſſa, pituitoſa, viſcida, & flatuoſa ſuborto, qui ſi fomentis ſiccis, à quibus flatus diſſoluitur, materiáque tenax & pituitoſa attenuatur, non fuerit ſedatus, tunc inſtituenda purgatio eſt; ſicque redundante flatu, Peplium, craſſis verò humoribus excedentibus, Veratrum propinandum: nam locus ſupra ſeptum tranſuerſum eſt coſtarum veratum, & totius pectoris, in quo ob ampliorem calorem, calidi tenuéſque redundant humores: ſubtùs ſeptum tranſuerſum ſunt coſtæ ſpuriæ, quo loco, praui, pituitoſique colliguntur humores. Quare vbi dolor ſupra ſeptum tranſuerſum eſt, ſanguis mittendus; vbi verò infrà, purgatio celebranda. Sed hæc ſolutio Galeni menti minimè conſonat, hic enim expreſsè Hipp. loquentem de pleuritide interpretatur *in com.* & firmat inter omnes Ludouicus Duretus *cap.* 16. *in lib. Coacar. prænot. Hipp. in com. text.* 19. *verbo, nec pharmacia.* Patet apertè ex Galeni verbis, de vera pleuritide eſſe intelligendum; nam pleuritis cum febre vehementiſſima licet ad hypochondrium dolor pertingat, ſpuria eſſe non poteſt, ſed vera, ex humore calidiſſimo, febrem faciente acutam, concitata. Quidquid aliter arbitretur Bartholomæus Perdulcis *lib.* 13. *ſect.* 6. *cap.* 4.

Hipp. ergo cùm purgationem concedit in deſcendente, primò tentandam eſſe phlebotomiam non negauit, vt ſcilicet à parte affecta reuellat, & euacuet, & præparet vias per quas humor expurgari debet. Vnde fit, vt purgatio administretur ſemper phlebotomia præuia: nam medicamentum, præſertimque ſi validius ſit, calore nimio, fortique attractione humores exagitans, perturbánſque, plethoricum corpus in grauiſſima damna deducit: nam quando adeſt neceſſitas vtriuſque auxilij, venæ ſectio præferri debet, ex Galen. *lib.* 6. *epid. ſect.* 1. *text.* 6. *& lib.* 4. *de ſanit. tuend. cap.* 4. Hæc enim duo auxilia in initio facta, phlegmones prohibent generationem: ſanguinis miſſio, vt deoneret naturam humorum pondere grauatam, & à partibus inflammationi proximis peccantem humorem exhauriat; purgatio, vt à primis viis fluxuros ad pleuram humores auertat. Sic Galen. 12. *meth.* 1. *lateris dolorem in pleuritide purgatione perſanat.*

Enimverò ſi Hip. mentem bilance ponderemus, ipſum clariſſimè fuiſſe loquutum inueniemus, *lib.* enim 4. *acut. text.* 21. purgationẽ vetat ſine ſanguinis miſſione præuia, poſt quam ſi opus fuerit, purgatio ſecurè & mediocriter porrigenda: & deinceps addidit *in ſequenti textu* errare maximè eos, qui in initio inflammationis internæ, humores

A in parte affecta contentos medicamentis educere conabantur, cum cruda affectio ſummoperè renitatur, & medicamenta à parte affecta nihil adimant, verùm quæ morbo reſiſtentia ſunt, & ſana, colliquent abſumántque.

Itaque mens Hip. eſt, vt in pleuritide deſcendente ſemper ſit phlebotomia inſtituenda, qua celebrata, purgatio exhibenda in forma ab eo propoſita, ſuaui, & leni, cuius ope fluens, & fluxurus humor auerti poſſit à parte inflãmata, ad quam debilem, calore, & dolore attrahentem, excrementa ſemper confluunt, ex Galen. *lib.* 2. *de dif. feb. cap. vlt.* Illi enim qui in initio inflãmationis internæ, ſine ſanguinis miſſione corpus expurgarunt, aut violenta cathartica ad vacuandum humorem in parte impactum propinarunt, quum non obſequatur quæ cruda eſt affectio, partes ſanas contabefaciunt; & ſic ducto ad imbecillitatem

B corpore, morbus ſuperior euadit, qui vbi corpus vicerit, remedium non habet.

Et licèt Peplium, & Veratrum ſint fortia medicamenta, quæ fluxibiliorem humorem reddere, corpus exagitare, & inflammare queunt; mitiora tamen redduntur, ſi contemperata ptiſſana ſuperbibita protinùs à medicamenti aſſumptione aſſumãtur, vt *lib.* 2. *acut. text.* 12. ſequenti imperauit Hipp. tum ad abſtergendas reliquias medicamenti, quæ faucibus, gulæque adhærere ſolent, tum ad temperandam ipſius malitiam, quæ alimenti benignitate miteſcit, vt *in com.* prodidit Galen. & ſic remanet medicamentum alimentoſum, quod ſecurè, blandéque expurgare poteſt, vt *lib.* 1. *de alim. facult. cap.* 1. affirmat Galenus, poſito exemplo in Scammonio cum ptiſſana permixto. Hunc expurgandi modum vehementer laudat Hipp. *lib. de aliment.*

C *com.* 3. *text.* 20. dicens, *medicamentum in cibo optimum*, quem locum explicat Vallefius ingenuè *in com.* In cuius loci interpretatione etiam Galen. ipſum Scammonij permixti cum ptiſſana exemplùm appoſuit, & 13. *meth cap.* 15. in curatione hepatis inflammationis id obſeruat: quem modum curationis, variis in medium allatis teſtimoniis confirmat Donatus Sanctorus *lib.* 3. *epiſt.* 4.

Ex his dilucidè patet, tam *lib.* 4. *acut.* quàm *ſecundo*, purgationem exequendam imperaſſe Hippocratem, verùm factà priùs phlebotomia. In *lib.* 2. approbaſſe in initio reuulſiuam; *in lib.* 4. reprobaſſe vacuatiuam, ex iis quæ diximus fit manifeſtum. Dirimit diſertè controuerſiam Galenus *lib.* 4. *acut. com.* 76. de pleuritide verba faciens in hunc modum: *Nam vel ſtatim ab initio, priuſquam in parte aliqua firmentur humores, medicandum, vel poſtquam ad maturitatem perducti fuerint: quam ob cauſam, & prima interdũ die, & ſe-*

D *cunda, & quarta, & interdũ quinta medicamenta dedimus, & non quarta ſolùm, quomodo is dixit*, vt demonſtret nunquam in initio ante coctionem humores quietos eſſe expurgandos, vt oraculo quodam (ſic enim vocat 4. *de ſanit. cap.* 5.) *l.* 1. *aph.* 22. docuit Hip. Audi verba illius *in com. dicti aphoriſmi. Tales igitur humores vacuare conuenit, hoc eſt, qui ſunt in motu, latione, & fluxu: eos verò qui iam ſunt in aliqua corporis parte firmati, neque alio vllo auxilio mouere oportet, neque medicari ante coctionem, &c.* hoc idem confirmat, *lib.* 4. *aph.* 1. *& lib.* 1. *criſ. cap.* 9. In deſcendente ergo pleuritide exquiſita, facta priùs phlebotomia, purgatio eſt exercenda, adeò mediocris, & permixtis aliis boni odoris medicamentis, & attemperantibus, vt ſuauiter noxium humorem fluentem, & fluxurum auertere poſſint. Vt videas quàm malo fundamento nixa ſit eorum ſententia, qui ita ſunt

E maligni, obliquæ opinionis, & mente languidi, vt temeraria ſua ignorantia, Hippocratem in hac re inſcitiæ accuſare non deſiſtant. Lege Septalium *lib.* 3. *cautio. medic. num.* 48. de hoc negotio fusè diſceptantem.

Cæterùm non incurioſus aliquis ſtudiorum affectator haud abſurdè requiret, cur, ſi purgatio in initio ab Hip. præſcribitur vt reuellat, ea per vomitum non celebratur, iuxta regulam reuulſionis latam *lib.* 4. *meth. c.* 6. *&* 13. *eiuſdem, cap.* 11. nam hæc eſt reuulſionis lex, vt ſi affectus ſit in parte inferiori, per ſuperiora facienda vacuatio ſit, & è cõtra. Dic cum Iacchino *in lib.* 9. *ad Almanſ. cap.* 19. & Card. *in com. ſent.* 18. *lib.* 4. *aph.* vomitum in pleuritide, auxilium eſſe abſonum, & incommodum; vehementer enim agitat pectus, & commouet humores ad partem affectam.

Vt enim hæc promptiùs intelligas,aduerte reuulſionem duabus conditionibus conſtare : Prima, vt procul trahatur ſuccus ab ea parte quæ laborare cœpit : quare ab Hip. & Gal. antiſpaſis, hoc eſt, tractio in contrariam partem nuncupatur, *in lib.de humorib.num.*1.5 *.meth.*3.2.*ad Glauc.*2. *& lib.*6.*epid.ſect.*2.*text.*7.*&* 9.& alibi ſæpè.Secunda.Vt ſit facta ad originem fluxionis, hanc enim eſſe meliorem reuulſionem, & contrarietatem, & ſic ad retrahendum ſummoperè commendatam, & ſemper obſeruandam,monet Hipp.*in lib.de loc.in homin.num.*2.3.*&* 43.*& lib.*2.*epid. ſect.* 1. operéque obſeruat, *in eod. lib. ſect.* 4. *in fin. &* 5. *aph.* 50. Idem præceptum laudat Galen. *lib.*7. *meth.*11. *& lib.*1.*ad Glauc.*14. *&* 5.*meth.* 3.13. apponens emplaſtrum capiti ex ſtercore columbino,& *lib.*3.*de loc.cap.*7.in Epilepſia per conſenſum à tibia, cui ſinapiſmum imponens, & vacuato humore morbum comitialem efficiente, ab eo præſeruat. Sic in ſuppreſſis menſtruis, & hæmorrhoïdibus, è talo venæ ſectionem exercet.

Quapropter cùm primæ viæ ſint eæ, à quibus tanquam à fonte, praui vitioſique humores cum ſanguine mixti fluunt ad pleuram, facta priùs phlebotomia, neceſſaria eſt purgatio reuulſoria,quæ fluentes & fluxuros humores, ad inflammatam partem ſuopte impetu concurrentes,reuellere & retrahere poſſit, ad illas vnde manare cœperunt : in his enim gigni,& colligi ſolent;vt doctè,& latè ſub exemplo pleuritidis probat Donatus Sanctorus *lib.*5. *epiſt.*1. Quare meritò Fernel. *lib.*4. *patholog.*10. & Thom.à Veiga *lib.*2.*de dif.feb.in com.cap.vlt. totius corporis ſentinam appellarunt* Hæc alludens Gal. *lib.*1.*ad Glauc. c.*5. febres intermittentes rarò fieri ſine vitio primarum viarum,hepatis,lienis,& ventriculi aſſeuerauit. Purgatio ergo, quæ humores noxios ab illis expurgat, & procul ad aluum expellit,reuulſionis nomen meretur. In hunc ſenſum dixit Holler. *lib.*1.*de morb.intern.cap.*26.*in ſchol. Quòd autem Hipp.cùm dolor ad hypochondrium extenditur,laxatia præſcribit,Galen.concedit,ſed tantùm ad materiæ antecedentis eductionem, ſiue ab ſplene, ſiue à cauis hepatis, &c.* Cuius ſententiam firmat Mercatus *lib.*2.*de morb. internis, cap.*6. Ex his infertur,vomitum ex hoc capite eſſe etiam noxium valdè, quum à primis viis ſurſum in affectam partem humorum impetum conuertat. In huius rei confirmationem extat celeberrima ſententia Hippoc. *lib.*2. *aphor.*18. *dolores infra ſeptum tranſuerſum, per infernam purgationem medicandos eſſe*,cum Galen.aſſeuerantis.Sunt autem hi dolores, vt notat Heurnius *in com.* vmbilici, genuum, lumborum,pleuritis inferna.Quare,vt doctè aduertit Coſtæus *in com.cap.*2. Auic.*in fen.*10.*lib.*3.*tract.*5.ob hanc cauſam, commodior fluentis humoris deorſum ad aluum ipſam retractio eſt, quàm ſurſum ad brachia, licèt ſanguis redundet. In hoc ſenſu intelligendus eſt Galenus 6. *epidem. ſect.*6. *text.* 15. dicens : *dolor lateris interdum ſoluitur aluo turbata,& interdum ſudore.* Vnde Auicenna rectè dixit 2.1. *doct.*1. *cap.*8. *Lienteria ſanat apoſtema lateris.* Et ſignificauit Meſuës *cap. de pleuritide*, dicens, in hoc affectu diarrhœam eſſe bonam in initio, ſi conſtet virtus quia reuellit,& euacuat; & *lib.*6.*aphor. com.*16. Galen. confirmat. In hanc rem videndus Valleriola *lib.*1.*obſeru.*4. Igitur Hipp. *lib.*2.*acut.*peplium,& veratrum propinans, approbat purgationem reuulſiuam : *in lib.verò* 5. reprobat vacuatiuam, hoc eſt,eam quæ à parte inflammata cauſam coniunctam expellit.

Sed cùm non deſint plura argumenta,quibus ſubuertere noſtra plures nitantur omninò, ea vltimo loco diluenda ſunt, quorum primum eſt. In principio inflammationis humor non eſt impactus in parte, ex Galen. 13. *meth. cap.*6.*& lib.de morbor.temp.cap.*1. argumento eſt,quòd repercutientibus retrocedit : ſi ergo iis cedit, multò meliùs à medicamento ſeligente vacuabitur.

Secundò. Eadem intentione exhibet Hip.purgationem in deſcendente pleuritide, atque concedit ſanguinis miſſionem in aſcendente : ſed hanc concedit vt reuellat, & euacuet,ex Gal.*in com.* ergo purgationem propinat vt reuellat,& euacuet; quod *lib.*3.*cap.*33. Pau.confirmat.

Tertiò.Gal.*lib.*1.*aphor.*23.nullum maius remedium inuenit in vehementiſſimis doloribus,quàm vſque ad animi deliquium ſanguinem emittere, habita diſtinctione an venam ſecare,an purgare conueniat. At in iſta phlebotomia non ſolùm cauſa antecedens,ſed coniuncta vacuatur. Ergo in iſto caſu, vbi dolor vehemens, auxilium validum fieri compellit.

Quartò.Galen.*lib.*9.*de placit.cap.*9.diſtinctionem tradit eorum, qui vel ſanguinis miſſione, vel purgatione indigent;quaſi contrarium membrum opponens venæ ſectionem purgationi. Ergo ſicut illa vacuat cauſam coniunctam,ſic etiam purgatio vacuabit.

Quintò. Confirmatur ex Auicen. *loc.ſuprà cit. cap.*2.*in princip.* vbi in pleuritico dolore declinante verſùs hypochondria, approbat magis purgationem, quàm ſanguinis miſſionem,quia illa ampliùs de loco inflammato humores attrahere poteſt.Sic enim ait. *Et ſi dolor declinat ad partem hypochondriorum,tunc neceſſaria eſt ſolutio ſola,aut cum phlebotomia,ſecundùm quod neceſſárium facit illud teſtificatur, & illud ideò, quoniam phlebotomia ſola ex baſilica, non trahit de hoc loco aliquid, de quo ſit curandum,&c.*

Licèt autem anceps & obſcura quæſtio, à doctis ſemper hæc habita fuerit,placet tamen cum Galeno ſuprà,eam ſic dirimere;neque argumenta quidquam concludunt.Dic ad primum, humorem facientem actu inflammationem, firmatum eſſe,& radicitùs in parte impactum;alium circa inflammationem circumiacentem, non ita tenaciter in loco inflammato circumſcribi : repercutientia verò iubet in initio inflammationis apponere,tum vt is qui circa inflammationē eſt humor,ad alias partes veluti manu preſſus retrocedat; tum vt roborent partem,ne ampliùs recipere poſſit : quem humorem circa inflammationem circumiacentem, & alium fluxurum reuulſiua purgatione educere tentabis,reliquum verò minimè,quem ad coctionem natura reſeruat.Nam qui in parte affecta firmiter impactus eſt,neque repercutientibus,neque euacuantibus in initio adhibitis ſuccumbit:contra ſi tentes purgantia,hæc carnes colliquant,& ſanguinem.

Ad ſecundum.Diuerſa intentione purgationem concedit in deſcendente,qua concedit in aſcendente phlebotomiam;illam enim exhibet ſolùm in principio, vt reuellat, in fine verò, vt euacuet. Et licèt ibi, *lib.*2. *acut.* videatur, quòd Gal.vacuauerit purgatione cauſam coniunctam,cùm pro humorum, qui inflammationem faciunt,vergētia,inclinationéque, vacuationes faciat,adducátque Hipp. *lib.*1. *aph.*21. id alia ratione exercet, vt ſcilicet naturæ motum ſequatur; ſic enim faciliùs, feliciúſque ſuccedit, quæ per reuulſionem purgatio fieri debet. Si enim humores iuxta inflammatam particulam collectos, qui deinceps cauſa morbi coniuncta ſunt futuri,purgatione non reuellamus, magnas deinceps expectabimus inflammationes. Qua tamen ratione purgatio,facta ad partem ad quam natura inclinat, dici poſſit reuulſiua, ſuprà eſt demonſtratum.

Ad tertium.Non concludit argumentum: ſupponit ſolùm, quòd ſicuti phlebotomia vſque ad animi deliquium, euacuat cauſam antecedentem, & coniunctam : ſic etiam purgatio vſque ad animi deliquium,eam vacuabit, de qua in textu non loquitur Hip.

Ad quartum.Cùm Galen.oppoſitam fecit venæ ſectioni purgationem, de iis loquitur provt euacuant : nos verò ſupponimus ſolùm purgationem in deſcendente pleuritide reuellere,non verò cauſam coniunctam vacuare:quidquid Hippocratem præſcripſiſſe purgationem ad euacuandam coniunctam cauſam,aſſerat Heurnius *in comment. lib.* 2.*acut. com.*11. quæ opinio,vt vidiſti, antiquorum edictis maximè repugnat.

Ad quintum. Auicennæ textus ſi rectè interpretetur, cum Hip.doctrina,tradita *lib.*4.*acut.*21.verè cōſentit.Nam ſi dolor in pleuritide declinat ad hypochondria, tunc neceſſaria eſt ratione cauſæ antecedentis expurgatio, ad reuellendum humores qui in inflāmatam,debilémque partem decumbere ſunt parati, vel vnà cum phlebotomia; præſertim cùm hæc ex vena baſilica celebrata, non ita attrahat ab inflāmata parte, ac euacuat facta in aſcendente. Quamobrem ſumma cum ratione Hipp. priùs in deſcendente venam ſecat,deinde medicamentum expurgans propinat, vt vtriuſque auxilij efficacia, ob cauſas traditas,

promptiùs

promptiùs auertatur humor in affectam partem defluxu-rus. De quo argumento lege Petrum Vaezium *lib. com. medic.c.2.* Valleriol. *lib.1.enarrat.3.* & Fallop. *tract.de me-dic.purgantib.ſimpl.c.2. in med.* qui ex ſua,& aliorum ſen-tentia, alios ſoluendi modos, pro Hip. tutela, ibi recitant. Sed hic Galeni menti cæteris magis conſentit, quo om-nem antinomiam euaneſcere putamus.

Supereſt modò, vt ſubuertamus ea, quæ in pleuritide ex toto releganda eſſe repurgantia, comprobabant. Ad hi-ſtoriam Scomphi, dic, illum ex purgatione, nec delirafſe, nec obiiſſe; hæc enim omnia ex ſucci malitia, per con-ſenſum partes principes, & maximè cerebrum impeten-te, contigiſſe, veriùs dicendum eſt: neque enim affirmat Hip. purgationem attuliſſe delirium, verùm narrat quod actum eſt, vt ex qua cauſa id acciderit nos coniectemus. Nam antequam fluxio fit firmata in parte, ad præſeruan-dam hanc,tutiſſimum eſt reuulſoria vti purgatione, para-ta ex iis quæ ſuauia ſunt,nullamque noxam,& vim natu-ræ inferre poſſunt. Quod verò medicamenta purgantia in pleuritide, in qua ferè adeſt febris, reprobentur, quo-niam inflammant corpus, mouent, perturbant & exagi-tant, non eſt omninò verum;nam non omnia calida ſunt, febrémque accendunt: & licèt eſſent,eis eſt vtendum, ad maius periculum euitandum. De quo dubio lege, quæ fusè diximus *in lib.1. in com.hiſt.63.num.5.quæſt.31.* Qua-re purgatio in pleuritide eſt celebranda, ratione cauſæ antecedentis, & non coniunctæ, vt Iuniorum doctiſſimi ſatis confirmant: de qua re legendus Vidus Vidius *lib.8. de curation.membrat.cap.17.*

HIST. XXIII. AVENZOAR, *De inflammatione mediaſtini.*

Inflammatio mediaſtini, copioſa venæ ſectione, curata.

*Sic accidit mihi cum eſſem iuuenis: quum enim paſſus fuiſſem laborem maximum, & poſuiſſem me ad decubitum,percepi dolorém in panniculo prædicto, & tunc tuſſis, & dolor incepe-runt inualeſcere valdè, & inueni pulſum meum valdè durum, & febrem patiebar acutam. Quare miſi ſanguinem in quarta nocte per phlebotomatorem,& feci extrahere de quantitate li-bræ vnius, & permanſi ſic cum febre valida, & tuſſi forti,& dolore per totam noctem; & in ſomno diſſoluta fuit ligatura phlebotomiæ,& inde ſanguis multus emanauit: & cùm excita-tus fui à ſomno,remanſi cum maxima debilitate virtutis, at li-gati brachio permanſi taliter per totam noctem cum illis acci-dentibus, ſed non fuerunt augmenta. Sequenti verò die eieci ſanguinem cum ſputo cruento, quod erat boni coloris, & ſub-ſtantiæ. Deinde audiui noua, quæ multiplicauerunt ſuper me triſtitias, & dolores, & inde amiſi ſenſum, & intellectum,ita quod nihil potui intelligere, & non comedebam aliquid niſi quod mihi propinabatur de aqua prædicta, & habebam magnã ſitim,& tranſactis diebus ſeptem incepi ſentire, & cognoſcere, & multa imaginabar. Sed illud quod paſſus fui, fuit apoſtema generatum in panniculo diuidente pectus & pulmonem in duo media; & ex illo apoſtemate aſcenderunt vapores acuti ad ce-rebrum, propter quos dictos acutos,& malignos,qui ferebantur circa cerebrum, ortum fuit mihi in vno panniculorum * cerebri apoſtema calidum. Et demùm incepi ſpuere ſaniem, & non ſo-lum ex apoſtemate pectoris, verùm etiam ex illa quæ deſcende-bat à capite ad pectus. Et poſtea cognoui cauſam meorum ac-cidentium,& redij in ſenſum meum perfectè,& cùm ex toto fui alleuiatus à ſanie, incepi* aſſueſcere aquam hordei,& poſteà redij ad pultes furfuris; & ſic paulatim conuerſus fui ad meã conſuetudinem naturalem, & quod hic ſcripſi de iſta mea æ-gritudine, feci ſolummodò, vt ſit exemplum in omnibus aliis ſimilibus, &c. Auenzoar.* lib.1. Theizir, tract.16.cap.6.

PARAPHRASIS.

Atè auctor morbum quo correptus fuit, depinxit, vt ſcilicet eſſet exemplum Medicis ſimilem ægritudi-nem curaturis. Siquidem *non curatur homo in communi, ſed vnuſquiſque noſtrum,alius videlicet aliud temperamentũ, na-turámque obtinens: nam exiſtimare communem quandam eſſe omnium hominum curationem, ſicut ſtupidiſſimi methodici pu-tant, extremæ eſt dementiæ. Hi enim firma, rataque putant omnia medicæ artis theoremata, ipſorúmque notitiam, artem quandam eſſe communitatum,non proprietatum,tanquam com-munem, & generalem hominem, non particulares curarent,* vt non minùs latè,quàm diſertè Galen.affirmat, *lib.3.meth. cap.7. In exemplis* enim exercitari quidvis *dicentes maximè expedit,neque enim ſatisfaciunt ad exactam cognitionem vni-uerſales methodi,* monebat Galen.*lib.9.meth.cap.4. cuiuſque enim proprietas ineffabilis eſt, nec exactiſſima ſcientia compre-henſibilis. Sunt autem exemplorum ea pro potioribus habenda, quæ ipſi oculis vſurpauimus: quando,ſi omnes, qui docere,ſcri-beréve aliquid ſunt aggreſſi,ea priùs operibus oſtendiſſent,pror-ſus paucula falsò dicerentur. Compertum enim eſt, non ſolum ſufficere ſcire vniuerſalia artis theoremata, niſi in particulari-bus te exercueris. Cùm neque fieri poſſit, vt ſine multiplici in ægris ſingulatim exercitatione,quod ex vſu ſit, facias: nec ſine vniuerſalium cognitione probè exercitatio procedat,quippè cùm in vniuerſalibus methodus, in particularibus exercitatio conſi-ſtat,*vt *lib.9.meth.cap.6.* firmauit Galenus doctiſſimus.

Hic ergo Auenzoar ductus ratione ſola, hoc morbi ſui exemplum in propatulum ponere non erubuit: Quemadmodum enim in tranſitu fluuiorum, qui primi vadum tentant aleam fortunæ periculoſam ſubeunt: qui à tergo ſequuntur,poſſunt periculum declinare, ſi velint. Sic Medici aliorum peccata intimiùs perſpicientes, illorũ periculo ſibi ſumptus faciunt, & ægros à tantis malis, in quæ alij cum damno inciderunt,vigilanter præcauent.

De inflammatione mediaſtini tota eſt hiſtoria hæc: hanc enim factam fuiſſe in panniculo pectus diuidente ipſe af-firmat. Partem hanc peritiores anatomici membranas vo-cant interſepientes, Galen.auctore *lib.6.de vſu part.cap.3. & 5.de anatomic. adminiſtrat.cap.8.* & *lib.7. einſdem,cap.2,* probant Veſal. *lib.6.de fabric.3.*& Bauhin.*lib.2.theat.ana-tomic.cap.13.* Hæ membranæ dextram thoracis partem à ſiniſtra diuidunt, quarum longitudo à iugulis ad diaphra-gma vſque extenditur,& altitudo à pectoris oſſe ad verte-brarum corpora porrigitur,vt eleganter docuit Adrianus Spigelius *lib.9.de fabric.corp.human.cap.4.*

Mediaſtinum cauitatem maximè inſignem mẽbraneis fibris obſitam habet, quam voci efformandæ conferre pu-tant. Huius interſepti vſus,alius eſt primarius,alius ſecun-darius. Primus,tum ad viſcerum ſuſpenſionem,ne in late-ra,& poſteriorem partem collabantur, tum ad vaſa fir-manda, fulciendáque. Secundus, ne vnà parte læſa,altera in illius trahatur contagionem.

Cùm ergo bilioſi præſertim humores, & tenuiſſimus ſanguis in partem hanc confluunt, inflammationem fa-ciunt; hæc enim pars durà craſſiores humores non ſuſci-pit, neque ij craſſam eius ſubſtantiam penetrare poſſunt, ex Gal.*lib.6.aph.com.33.*& *lib.de conſtit.art.med.cap.16.* Iiſ-dem morbus hic ſignis cognoſcitur, atque pleuritis, ſed terribilior, maior, atque periculoſior eſt pleuritide, vt ait Auicen.10.3.*tract.4.cap.vlt.* §.*Verùm eſt pleureſis apoſtema calidum in partibus pectoris, aut in lacertis intrinſecis & in velamine cooperiente pectus, aut in velamine diſtinguente; & maius iſtis, & terribilius eſt illud quod eſt in ipſo velamine di-ſtinguente, & eſt prauius eis, &c.* Cauſa autem, ob quam hic affectus ſit grauiſſimus, eſt quoniam mediaſtinum ad cordis baſim incumbit,quæ ipſius cupide nobilior eſt, ex Gal.*6.de vſu part. cap.7.* cùm ſit fons, & ſedes innati calo-ris. Quare hoc affectu prehenſi, ſyncope,& cordis palpi-tatione, anxietudinéque corripiuntur.

In mediaſtino vera pleuritis etiam generatur,quidquid perperam arbitrentur Holler. *lib.1.de morb.intern.in Schol. cap.24.* & poſt eum Ludouic.Mercat. *lib.2.de morb.intern. cap.6.* Licèt in membrana ſuccingente coſtas, aut perio-ſtio,aut ſaltem in muſculis intercoſtalibus,veram excitari pleuritidem ſuis ſymptomatis inſignitam, conſtans ſit ce-lebrium Medicorum ſententia.

Hunc affectum à cauſa exteriori habuiſſe ortum, nem-pè ab exercitio non aſſueto palàm fecit auctor; hoc enim

ſuapte natura corpus excalfacere ſolet: & licèt à cauſa externa curatiua indicatio non deſumatur, auctore Galen. *lib.4.meth.c.3.* tamen ea ad curationem affectus plurimùm poteſt, ex ipſo *lib.2.de compoſ.ſec.loc.c.1.* & maximè ſi corpus inueniat ad febrem præparatum: vt ait Gal. *lib.2.de natur.human.c.2.non ſolùm ex iis quæ comedendo, aut bibendo ingerimus, verùm ex balneis quoque, exercitationibus, otio, vigiliis, mœrore, ira, refrigeratione, æſtu, morbi ortum habent.*

Itaque cùm paſſi diſpoſitio adeſſet, commoto, agitatóque humore, factum eſt, vt ob cerebri validam intemperiem, & magnam in ſpiritibus agitationem, à ſpiritalibus partibus vapores in cerebrum elati delirium efficerent, quod eſt error, ſeu *motus deprauatus principum facultatum*, ex Gal. *lib.de diff. ſympt.cap.3. ad.fin.* Ex pleuritide autem ſæpè concitari delirium, tenet Gal. *lib.4.de præſag.ex pulſib. cap.8.*

Ex his omnibus, ſimúlque ex concomitantibus ſymptomatis, huius inflammationis naturam exactè conſtituentibus, opitulari illicò ſatius duxit ſecta vena, qua leuata natura reſiduum humoris poſteà concoxit, & ſputum boni coloris, & ſubſtantiæ apparere cœpit: copioſè autem extraxit, vt maximæ inflammationi ferret opem. Nam Hipp.4.*acut.*74.ad animi deliquium euacuat in pleuritide: De quo argumento lege quæ diximus, *lib.3.de praxi medica admiranda, obſeruat.* 113. Et licèt multa copia humoris ex affecta parte, generéque venoſo rueret in cerebrum, acríque vapore ipſum irritaret, concuteret, & mentis faceret alienationem, tamen detracta copia venæ ſectionis ope, natura humorem in ſpiritalibus partibus impactum, tuſſi; deſcendentem verò à capite, ſimplici excreatione reiecit. Et vt partes ex nimia efferueſcentia excalfactæ attemperarentur, & abſtergerentur rectè, ptiſſanam aſſumendam propoſuit, & ad maiorem repurgationem, ad pultes furfuris acceſſit, quod has intentiones complere, ita eſt notum, vt probatione non indigeat. In cæteris omnibus, curari mediaſtini inflammationem, pleuritidis inſtar, firmat Petrus Salius *lib de curat.morbor. ab ordinariis practicis non exhibitorum, cap.6.* quorum materiam latè, doctéque deſcribit hic auctor inter omnes, à quo poſteà deſumpſere Mercatus *loco cit.* & Rodericus à Fonſeca *lib.2.conſult.* 84.

QVÆSTIO XXIV.

Quòd inflammatio ſit de eſſentia phrenitidis. Contra Iacchin. Valleſium, Petrum, & Carrer. doctiſſimos.

COMMENTARIVM.

CErebri *apoſtema calidum.*] inflammari cerebrum notius eſt, quàm vt explicari debeat, probántque inter omnes, ex Gal. mente pluribus in locis Alexander Maſſaria *lib.1.de morb.intern. cap.11.* Coſtæus *in 1.3.tract.3. com. cap.1.* Ludou.Mercat. *lib.1.de morb.intern.cap.11.* Montaltus *tract.3.de cereb. affect.cap.3,* & alij. An tamen inflammatio ſit de eſſentia phrenitidis, ſerium dubium eſt, & ex iis quæ aſteriſco ſignanda videntur. Pars negans ſuadetur, primò auctoritate Gal. Is enim *lib.1.prorrhet.com.1.* phrenitidem fieri dicit, quando flaua bilis occupat locum, in quo reſidet princeps animi pars; lethargum verò, quando pituita diluit cerebrum, ipſúmque humectat. Igitur cùm lethargus ſit vitium phrenitidi contrarium, auctore Gal. *lib.13.meth.cap.21.* & contrariorum eadem ſit ratio, ſequitur quòd, ſi ad generationem lethargi ſola intemperantia opus eſt, ad generationem phrenitidis ſola intemperantia ſufficiat.

Secundò. Febris continua, & delirium perpetuum ſunt ſigna pathognomonica phrenitidis, ex Gal. *l.3.epid.ſect.3. com.46.*& *lib.1.prorrhet. com.1.ante med.* Sed huiuſmodi ſigna poſſunt reperiri citra inflammationem. Ergo. Minor patet apertè. Si enim in cauſo flaua bilis aſcendat ad cerebrum, quin concitet inflammationem, & intemperando, perturbandóque delirij perpetui ſit cauſa, quis dubitat dari phrenitidem ſine inflammatione, ſicut ſine hac febris ardens, & delirium continuum generantur?

Tertiò. Sicut frigidus humor inſenſibilitatem, & immobilitatem inducit, ſic humor calidus in cerebro exiſtens continuum motum parit, & ſi vitiatur, dementiam gignit, ex Gal.13. *meth. cap.21.* §. *Ex humoris verò vitio dementia, &c.* At flaua bilis poteſt putreſieri in cerebri venis quin concitet inflammationem, ſicut quando eſt in meatibus inflammationem efficiet. Ergo ſi hoc ſecundo modo, febrem, & perpetuum delirium concitat, poterit id etiam primo modo efficere, & ex conſequenti, poterit phrenitis ſine inflammatione conſiſtere.

Vltimò Galen. 3. *de loc.affect. cap.7.ad fin.* ad naturam phrenitidis ſolùm requirit intemperantiam: & *lib.7. aph. com.*12. vapores calidos intemperando, & minimè inflammationem committendo, phrenitidem concitare affirmat. Ergo phrenitis iuxta Galeni doctrinam ſine inflammatione reperitur. Hæc ſunt quibus intricati Iacchinus *in lib.9. ad Almanſ. cap. 7. de phrenitide*, & Valleſius *lib. 5. contr.cap.12.* Gomez Pererius *in ſua noua medicina, cap.49.* Carrerius *diſput.7.ſuper libros de loc.affect.cap.1.* inflammationem non eſſe de eſſentia phrenitidis acriter contendunt. Sed exorbitant hi non exiguum, ſicut à veritate, ita à veriſſima Galeni, & Principum mente: breuibúſque perſtringemus, longè aliud profiteri Galenum *locis citatis*, quàm quod ipſi ſibi perſuadent. Si enim huius auctoris edicta perluſtremus, phrenitidem non aliter quàm per inflammationem definiri inueniemus. *Libro* enim 2. *de cauſ.ſimpt. cap.vlt.* phrenitidem, non ſolùm ex ſuccis calidis in cerebro impactis originem ducere, ſed ſupra id, phlegmonem in cerebro, eiúſque inuolucris eſſe conſtanter affirmat: quam ſententiam omnes tam Græci, quàm Arabes ſequuti ſunt, quorum numerum, operoſum eſſet recenſere. Per inflammationem autem, non phlogoſim, hoc eſt, inflammationem ſiccam, ſed humidam, & ex affluxu humorum conſtantem intelligas velim cum Galen. *lib.13. meth.cap.1.* hanc enim, veram inflammationem nuncupamus. Neque obſtat, quòd inflammatio ſit tumor, quem cerebrum non tolerat: nam præterquam quòd tumor non eſt de eſſentia inflammationis, vt apparet in herpete, & eryſipelate, quæ ſunt cutis inflammationes citra tumorem, vt inter omnes probat Andreas à Cruce *lib.1. chirurg. tract.1. cap.1.* etiam cerebrum extendi, & tumefieri poteſt, cùm ſit molle, viſcidum, & ſolum ſcirrhum inter omnes tumores non patitur, quia ſcirrhus familiaris eſt partibus duris, auctore Magiſtro *lib.4.de præſag.ex pulſib. cap.9.* Cerebrum ergo inflammari poteſt, ex Auic. 3.1. *tract.3. cap.1.* ſicut enim pars ex defectu nutrimenti marceſcit, ſic ex copia intumeſcit, & inflammatur, cùm ſuas habeat poroſitates, & meatus, fluxionem recipit. Vide Paulum *lib.3. cap.7. de inflammat. cerebri.*

Inſuper. Si phrenitis in Galeni doctrina non eſſet inflammatio cerebri, aut membranarum eius, non eſſet vera Hip.& Gal. ſententia lata *lib.1.prog.19.* aſſerentium omne genus phrenitidis eſſe exitiale, quoniam par princeps eſt affecta: nam intemperantia ſine inflammatione non eſt lethalis affectus. Occurrit Valleſius, hos auctores de phrenitide facta, & confirmata eſſe intelligendos, non tamen de ea phrenitide quæ in generatione eſt, quoniam hæc (inquit ipſe) nondum eſt inflammatio, nec lethalis, & facilè auxiliorum applicatione corrigitur. Solutio nullo modo poteſt admitti, eámque planè redarguit Gal. *lib.1.epid. ſect.2.com.73.* aſſerens flauam bilem tunc phrenitidem inducere, quando in cerebro, & eius membranis eſt impacta: quando verò profluit per venas, & antequam hæreat in cerebro, non phrenitidem, ſed delirium concitare aſſeuerat. Deinde phrenitis in generatione, & iam facta, non conſtat ex diuerſa eſſentia; cùm enim morbus ſit res facta, & permanens, non habet ſuam eſſentiam in generatione poſteriori: nam cùm primùm incipit eſſe, habet totum eſſe ſimul, auctore Galen, *lib.1. de loc.cap.2. ad fin.* & *lib. de morb. temp. cap.1.* & *lib.de tot. morb. temporib. cap.2.* Igitur ſi eſſentia phrenitidis factæ, & firmatæ conſiſtit in inflammatione, in hac, incipientis phrenitidis eſſentia etiam eſt conſtituenda. Vt verò quæſtionis huius

aſſequaris

aſſequaris explanationem,(aduerte cum Gal. *l.5.de loc.af-fect.cap.4.* phrenitidem non ſubitò, & affatim fieri: nam quædam eſt phrenitis futura fieri; quædam in generatione;alia eſt facta,firmata & abſoluta:illa dicitur futura fieri, quando adeſt febris bilioſa,maligna,ſicca,in qua nihil excernitur, præeſt capitis dolor; hæc enim, ex Auic. *1.3. tract.3.c.2.*ſunt ex ſignis fortibus,quæ futuram phrenitidem oſtendunt. In generatione appellatur phrenitis, quando flaua bilis ad caput non ſolùm aſcendit, ſed iam incipit effundi extra venas, nondum tamen manifeſtas inflammationis notas præſtat:hæc cum immodica vigilia, occipitis dolore, ingenti obliuione,delirio, reſpiratione magna,& rara, affligit & premit. Denique illa eſt phrenitis facta atque conſtructa,quando flaua bilis effuſa extra venas impingitur, inflammationem efficiens. In hac nihil apparet, quod ad prudentiam ſpectat, delirium eſt ferox & ferinum, oculi ſquallidi apparent, venæ oculorum rubent,lachrymæ inuoluntariæ effunduntur,floccos, feſtucas,muſcas venantur ægri; hæc enim factam,& abſolutam inflammationem ſignificant. Hæc diſtinctio magni ſolet eſſe ad vſum momenti; nam in illius curatione plus perficimus, præcauendo futuram, imminentémve phrenitidem,quàm curando iam factam, atque firmatam; hæc enim vt plurimùm interficit,ex Hip.*6.aph.53.*Galen. *lib.1.epidem.ſect.3.com.1.poſt princ.*Auic.*1.3.tract.3.cap.2. ante fin.* His poſitis ſit vnica concluſio.

Inflammatio ſemper eſt de eſſentia phrenitidis, tam illius quæ in generatione eſt,quàm illius quæ eſt facta,firmata,atque conſtructa. De facta,quòd ſit inflammatio, nullus dubitauit. De ea quæ in generatione eſt,ſic confirmo. Quilibet morbus,ſtatim ac incipit, totam ſuam eſſentiam complctam habet,cùm ſit de genere permanentium. Sed eſſentia phrenitidis factæ conſiſtit in inflammatione. Ergo incipiens, cùm habeat eandem naturam, & eſſentiam cum facta, etiam in inflammatione conſiſtet.

DVBIVM XVI.

Num detur morbus inſenſilis.

Diſceptatum eſt inter eruditos, qui Galenum terunt lectione aſſidua, num morbus incipiens, cùm ſit inſenſilis, & manifeſtè, inſignitérque non lædat operationes,verè morbus dicendus ſit.Galen.*lib.1.de dieb. decretor. cap.6. in fin.* affirmat Aſclepiadis familiam non curaſſe, neque contemplatam fuiſſe leues febres, quoniam ſenſibile nocumentum non inferunt, ex veterum, & Gal. ſententia,*l.3.de temp.c.4.poſt med.* qua ratione *lib.6.de loc.c.2.* dyſenteriam non vocat, quovſque aliquid cruoris appareat,& vlcus ſit inductum:neque enim ſanitas eſt abſoluta,perfectáque ſymmetria,qua perfectiſſimè operationes perficiuntur, alioqui nullus homo eſſet ſanus, cùm intra ſanitatis limites,dolores exigui,& febres leues reperiantur,quæ homines à publicis,& priuatis negotiis non impediunt,vt ait Galen.*lib.5. de ſanit. tuend.c.5.ante med.* Sic phrenitis cùm eſt in generatione, non eſt inflammatio, nec phrenitis eſt vocanda.Quamuis autem hæc vera ſint, ſi formaliter, & medicè loquendum ſit, qua ratione dicebat Gal. *lib.de totius morb. temporib.cap.9.* omnem morbum ex ſua natura in principio propter paruitatem latere,ita vt nec à Medicis, ægrotiſve ſentiatur: tamen morbus inſenſilis,& incipiens,morbus verè eſt, ſi phyſicè, & ſecundùm rei naturam loquendum ſit:nam ſanitas exacta ſymmetria eſt, & quilibet receſſus ab illa morbus eſt. Hinc *lib.1.de loc.affect.cap.2.ante fin.* morbum eſſe rem ſimilarem affirmat, qui cùm primùm limites naturæ egreditur,totam ſuam eſſentiam habet. Quare dyſenteria pro materiali, & ſecundùm rei naturam, vlcus eſt, & ſine ſit magnum,ſiue paruum, ſemper eſt vlcus. Sic inflammatio cerebri, ſiue ſit incipiens, ſiue adulta, parua, vel magna, ſemper eſt inflammatio, quoniam habet partes factas, permanentes, impreſſas, & productas, quarum ratione dicitur morbus, cùm per ſe actiones lædat.

Argumentis verò in initio adductis ſic ſatisfaciendum. Ad primum.Non negamus ad phrenitidis generationem, A neceſſariam eſſe bilem in cerebro, & intemperiem ab ipſa productam, verùm oportere etiam extra vaſa eam duci, & inflammationem concitare.

Ad ſecundum. Reſpondet Gal. *lib.1.prorrhetic.com.25.* non quodlibet delirium cum febre continua eſſe ſignum pathognomonicum phrenitidis, ſed illud tantùm quod eſt ferox & ferinum,quod ſolùm ad inflammationem ſequitur: illud verò quod ex ſola bile agitata & mota,citra inflammationem ortum ducit, non eſt ferinum.

Ex hac ſolutione, ad tertium explicatio patet: humor enim vitioſus in venis cerebri impactus, etſi delirium concitet,non tamen tale, & tam ferinum,quale ad phrenitidem neceſſarium eſt, niſi extra vaſa putreſcat, & in illius ſubſtantia,aut membranis inflammationem concitet.

Ad vlt. Dic, *ibi* Galen.de phrenitide vera, & propria B non eſſe intelligendum,ſed de paraphrenitide, hoc eſt,de illa quæ conſenſus ratione, vel à pulmone, ventriculo, ſepto tranſuerſo,vel ab alia aliqua parte inferna originem ducit: licèt enim intemperies calida, & vapores calidi phrenitidem concitent, quatenus intemperant, dolorem inferunt, fluxionem accerſunt, concreſcunt in cerebro, & in inflammationem degenerant, & ſic concitant phrenitidem; hoc non per ſe,primò, ſed ex accidenti efficere, affirmamus.

DVBIVM XVII.

Num aqua hordei vel ptiſſana in pleuritide propinanda.

C *Aſueſcere aquam hordei.*] Per aquam hordei, quandoque aquam in qua hordeum incoxerit, nonnunquam cremorem hordei intelligendum, qui cum Auic.*1.4.tract.2.cap.9.eſt ſubſtantia quædam tenuiſſima,ex toto hordei corpore,prius benè concocto,& linteo deinde percolato expreſſa.* Aqua verò hordei fit,quando triginta aquæ partes, & vnam hordei aſſumimus, atque hordeum tandiu elixari lento igne permittimus, donec grana valdè intumeſcant. Vtrùm autem hordeum electum, hoc eſt ſolidum, purum,non multùm recens,nec vetuſtum,& omnis malæ qualitatis expers, debeat eſſe integrum, an confractum, dubium eſt. Hoc probat Iſhaac *lib. diætar.part. cap. prop.* Alzaharau.*lib.16.c.1.*Haly,*c. de ptiſſana.*Renuunt Auenzoar *lib.2. tract.16. cap.6.* Auer.*5. collig. cap.30.* Nicolus *ſerm.2. tract.1. ſum 1. cap.16.* Tu verò controuerſiolam ſolue cum Gentil. *1.4. tract.2. cap.7.* Hic potus ferè nihil alimentitium habet, quem in morbis calidis ventriculi, D iecoris, febribus bilioſis, & ſanguineis, ſpiritaliúmque partium inflammationibus ad calidiſſimi humoris feruorem retundendum, ſumma cum vtilitate propinamus. Cremore autem ptiſſanæ vtimur, quando tenuem victus rationem inſtituere eſt in animo. An tamen ex hordeo excorticato paranda ſit,dic,quòd cùm hordeum frigidum ſit & ſiccum,ex Hip. *lib.2.de diæt. n.8.* & Gal. *lib. de ptiſſan.cap.3.*& *lib.7.ſimpl. tit de hord.* de quo argumento ſat plura congeſſere, Iulius Alexandrin. *lib.1.epiſt.2. & 3.* & Valleriol. *lib.1. enarrat.6.* & cortici quiddam abſterſiuum inſit,& purgatiuum:quando maiori abſterſione opus eſt, tunc cum cortice coquendum eſt. Cùm verò maiori refrigerio indigemus,tunc abſque cortice erit deligendum, vt eruditè notauit Coſtæus *in com. cap.8.fen.14. tract.2. Auic.* & firmat Mercurialis *lib.4. variar. vlt.*

Ptiſſana autem tota vtemur,quum multùm nutrire intendimus, tunc enim hordei grana optimè ad ignem cocta,& tumefacta, ac velut in chylum redacta ægrotis exhibemus. Quoniam verò nomen ptiſſanæ ad ea Cerealia etiam extenditur,quæ cortice poſſunt purgari,frequentiſſimè tamen inuenies,apud Plin.*l.18.c.7.*Ariſt.*l.3.probl.37.* Hip.*l.1.acut.text.17.*Ruel.*lib.2.de natur.ſtirp.16.* ptiſſanæ vocabulum ad hordeaceam, triticeam, orizaceam, atque ex chondro factam extendi: inualuit tamen conſuetudo, nomine ptiſſanæ audiri tantùm hordeaceam, quæ quibus conditionibus debeat parari, oſtendit Hip. *lib.1.acut.28.* & Gal.*lib.toto de ptiſſana,*& *lib.1.de aliment.facult.cap.9.*

Hæc ergo frumentaceis guſtamentis rectè præfertur, nam

nam viſcoſitas eius eſt læuis,continua,iucunda,lubrica,& mediocriter humens, ſitim minimè infert, abluit, abſtergit,non adſtringit, non malè turbat, neque in ventre tumeſcit, refrigerat, humectat, nutrit, ſitim compeſcit, coctionem procurat, excreationes mouet, boni eſt ſucci, facilè coquitur,& diſtribuitur.Quapropter priſci hunc mirabilem cibum tantoperè laudarunt, præſertim in acutis morbis, & pleuritide,maximè cocto humore,procedente ſputo,& vacuationibus celebratis: aliàs ſi quis cū dederit, ægrum præcipitem aget in mortem,quoniam abſtergit intempeſtiuè in corpore pleno, & multùm nutrit, naturámque à coctione diſturbat,vt firmat Hip. *lib.1.de rat.vict.in morb.acut. text.33.* explicat eleganter Mercurialis *in com.* Quare in omnibus internarum partium inflammationibus, præſtantiſſimum,ſi quod alterum, eſt auxilium :, ſic in putridis febribus,interiorum viſcerum phlogoſi mirificam opem præſtat, præcipuè ſi cum guttulis aceti præparetur ad humorum putredinem corrigendam, vt *lib.1. de alimen.facult.c.19.* Gal. præcepit,& notauit Septalius *l.2. caution.medicar.num.42.* de qua re lege Claudinum, *in appendice libri de ingreſ.ad infirmos, ſect.4.*

Ex quibus mirari ſubit doctiſſimum Manardum , tanquam calumniam veteribus prætexentem,qui *l.5.epiſt.2.* futilibus ratiunculis perſuaſus, probare contendit, ptiſſanæ , vel aquæ hordei in acutis morbis vſum , reprobum eſſe,& valdè noxium : cuius opinionem ſequitur Ludou. Mercat.*lib.1.indicat.cap.2.in fin.* quorum rationes infringerem libenter , ni hunc laborem ſubiiſſent iam Cardan. *lib.2.contrad.tract.6. contradict.3.* & Horat. Augen. *tom.1. epiſtol.lib.1.epiſt.1.* Vaſcus Caſtellus *tract.5. de thorac.affect.lib.cap.8.difficult.8.*qui acriter in eum debacchātes,ipſius paradoxum mirantur,& irrident : cùm ptiſſanæ laudes,ac aquæ hordeo decoctæ decantent, Hip. *lib.1. de rat. vict.in morb.acut.* Galen. *ibi*, & vbique paſſim Paul. *lib.1.cap.78.* Oribaſ.*lib.1.collect.11.* Aëtius *tetrab.1.ſerm.1. c.de hordeo.* Raſius *30.contin.tract.6.cap.2.*Auer.*lib.5.collig.31.* Haly *5. theoric.15.* Serap.*tract. de ſimpl.ex plant.cap.131.*Meſuë *c. de pleurit. tit. de aqua hord.* De cuius vſu,& efficacia eximia, inter Iuniores omnes lege Maſſariam *lib.7. de febrib. cap.16. de hordeo.* An tamen ptiſſana triticea præferatur hordeaceæ, dic cum Ariſtot. *lib.1.probl.37.* in ſanis illam optimam eſſe, quia triticum magis nutrit, faciliùs coquitur ; in acutis verò, de quibus Hip. agit, hordeaceam anteponendam,quoniam accommodatior eſt, melior,& frigidior. Cætera de ptiſſanæ facultate,vario parandi modo, vide apud Galen.*lib.de ptiſſana,cap.4.*& *lib.aliment.cap.cit.* Chriſtoph.à Vega *lib.2.de art.medic.ſect.3.c.4.tit.de hord.* Mercurial. *in com.cit. loci, lib.1. de rat. vict. in morb. acutis.* Iacobus Fontan. *lib.6.de aliment. cap.2. de hordeo.*Hermol. Barbar. *lib.2.corol. cap.310.* & elegantiſſimum Ludouic. Nonnium *lib.4. de re cibar. cap.vlt.*

HISTOR. XXIV. GALENI, De ſepti tranſuerſi inflammatione.

Quidam ex periculoſa ſepti tranſuerſi inflammatione, tutus euaſit.

IDem ſpirationis genus in quodam notaui,quem cùm aliquādo equus in præcordiorū regione calcitraſſet,adeò atrociter, vt oborta in ſepto tranſuerſo inflammatione,mortis periculum immineret : is licèt euaſerit à periculo tutus , ab imbecillitate tamen liberari nequiuit,&c.Galenus* lib.4.de loc.affect.c.5.

PARAPHRASIS.

SEptum tranſuerſum , quod alij diaphragma vocant velut interiectus paries, ventrem medium ab inferiori,& vitalia organa à naturalibus dirimit : princeps eſt,ac primarium reſpirationis inſtrumentum. Tranſuerſum verò dicitur , nam ab anteriore thoracis parte ad poſteriorem vſque protenditur,& ideò Hip. *in Coacis* , reſpiratorium ventris nuncupauit. Hoc veteres,phrenes nominarunt, quaſi prudentiæ ſit particeps , non quòd quicquam ad ſapientiam conferat,ſed quòd maximam ſortiatur cum cerebro ſympathiam , & connexionem , vt facilè ab eius inflammatione compatiatur.

Quidam , ob cordis viciniam , quòd ei prætendatur, præcordia dixere cum Ariſt.*l.1.de hiſt.anim.c.17.§.Sub pulmone ſeptum tranſuerſum eſt , quæ præcordia , & cinctum appellant,&c.*Plin.licèt *l.11.c.37.*hac de cauſa præcordia vocet,tamen *l.30.c.5.*vno nomine exta appellat, & Celſ. *l.2. c.3.* hypochondria impropriè nuncupat. Huius ſepti vſus primus eſt , vt liberæ reſpirationi inſeruiat inſpirando, expirandóque. Secundus,vt hypochondria ventilet , maximè verò hepar,quod ſuperiore,& conuexa ſui parte arterias nullas habet. Tertius, vt iuuet fæcum per inferiora excretionem ; niſi enim hic muſculus ſuperiore parte, tanquam manibus inteſtina premeret, æquè per ſuperiora ac inferiora deturbarentur fæces.

Cùm ergo ab equo calcitrone ictus in præcordiorum regione vehementer eſſet hic æger,quid mirum ſi ad hanc partem, prædità venis,à trunco aſcendentis cauæ exortis, phrenicis dictis , quas totidem arteriæ comitantur , & membris præcipuis valdè vicinam ; concurrentibus ob ingentem dolorem humoribus , oriatur inflammatio ? & magis motu ipſius ſepti attrahente (eſſe autem in perpetuo motu,6.*de loc.c.4.*Gal. confirmat,) adiuuantibus etiam calore , & partis imbecillitate ; quæ omnia quantum ad phlegmones faciant generationem, omnibus patere arbitror,& vbique patefecit Gal.

Licèt autem hæc pars ab humore frigido tenui , qui temporis diuturnitate in loco affecto craſleſcit , occupari poſſit : tamen cùm inflammatio recenter à cauſa externa fuerit concitata,illam à calido humore,bilioſo & tenui,ad debilem,& dolorificam partem affluente, fuiſſe cōcitatam non eo inficias : nam ſanguis craſſior,& pituita lenta, ob diaphragmatis denſitatem in ipſo recipi non poſſunt.

Hanc incipientem inflammationem neceſſariò ſequitur febris acuta, tum ratione affectionis, tum ratione loci affecti. Pars enim hæc ob viciniam, cum corde per arteriam magnam , cum cerebro per neruos, cum iecore per venam cauā,illicò has partes præſtantes in ſui conſenſum trahit. Quare ſepto tranſuerſo inflammato, ſpiratio adeſt praua & frequens:parua quidem,ob inflammationem, & affectum organi reſpiratorij;vnde fit,vt in omnem dimenſionem dilatari non poſſit thorax : frequens verò,vrgente neceſſitate , & incendio ; quo fit vt paruitas frequentiā compenſetur,vt 5.*de loc.affect.c.3.*docuit Gal.Deinde præcordia intenduntur abſque vllo tumore in hypochondriis,ex Gal.*lib.1.epid.ſect.3.com.18.Adeſt pulſus,ſeu palpitatio in præcordiis*,vt *l.1.prog.text.31.*affirmat Hip.cum Gal. *Increſcente* autem *inflammatione delirium neceſſariò ſequitur, ſpiratio eſt inæqualis, modò parua, modò magna, frequens, aut rara*,ex Gal.*5.de loc.cit.*& *lib.4.de præſ.ex pulſ. cap. de ſepto tranſuerſo*, pulſus apparet paruus, durus , & creber. Affectus hic acutiſſimus eſt, & exitialis ob dictas cauſas, quoniam hæc pars maximam connexionem , & conſenſum habet cum membris præcipuis ; & cùm ſit in perpetuo motu , vapores ab inflammata parte calidiſſimos in alias promptiſſimè emittit & eructat,qui facultatem animalem præcipuè vellicando,& validam in humoribus, & ſpiritibus agitationem efficiendo, deliria, conuulſionéſque,concitare nati ſunt.

Sed quibus auxiliis hic æger tutus euaſerit , Gal. non explicat.An fortè,quoniam inflammatio ab humore calido exorta,ſicut communes inflammationes partium principum curantur,tractanda eſt:id equidem puto: quoniam humor inflammationem faciens primò vacuandus eſt ſecta vena, ſcarificatis cucurbitulis, hirudinibus ſedi admotis. Reuellenda materia extremarum partium ligaturis, frictionibus, balneis, & refrigerantibus lotionibus. Euacuatur etiam humor impactus repellētibus primò,deinde diſcutientibus. Sed quoniam ob vigilias immodicas , & delirium continuum vires fatiſcunt,nec ægri ad opportunè oblata præſidia rectè ſe habent, delirio, & vigiliis obuiandum eſt ; oxyrrhodinis , & ſomniferis auxiliis , quæ apud auctores agentes de phrenitide paſſim inuenies.

Quibus

Quibus factis etſi tutus euaſerit, ob debilitatem, ſpirandi munus perficere non valuit. Cætera peculiaria huic morbo auxilia, adamuſſim exarauit Petrus Salius, vir in facienda medicina dexterrimus, feliciſſimus inter omnes, *de curat. morbor. ab ordinariis practicis non exhibitorum*, c.8. & poſt eum retulit Vidus Vidius *lib.8.de cur.membrat. c.15.*

QVÆSTIO XXV.

Quòd ex inflammatione ſepti tranſuerſi delirium oriatur perpetuum. Contra Carrerium, & Valleſ. Medicos inſignes.

COMMENTARIVM.

O*Borta in ſepto tranſuerſo inflammatione.*] Conſurgit hoc loco difficultas nobilis, agitata Medicis, illis præſertim, qui ſibi vel ſagaciſſimè odorari videntur. Hi enim argutulè inquirunt : Cur Galen. *hoc loco* periculoſam inflammationem in ſepto tranſuerſo ſubortam deſcribens, delirij continui non meminerit, quod ab huius partis inflammatione eſt inſeparabile. Ariſtoteles enim, totius naturæ genius mirabilis, *lib.3. de partib. animal. cap* 10. ſic ſcribit. *Vbi enim propter vicinitatem attraxerint humorem calidum, atque excrementitium, continuò mentem, ſensúmque planè perturbant; quamobrem phrenes appellantur, quaſi principes prudentiæ ſunt, &c.* Hanc doctrinam approbauit Gal. & poſteà ab eo tota Medicorum ſchola edocta vnanimiter confirmat. Is enim *lib.5.de loc.affect.cap.3.* in hæc verba prorumpit. *Atque delirare ſolent nonnulli, ob vitium quod in ore ventriculi conſiſtit, & febribus ardentibus, & pleuritide, & peripneumonia : ſed quæ ob ſepti tranſuerſi affectum accidunt deliria, non multùm à phrenitide diſtant, &c.* Infrà *eodem cap.* ſic ait. *Ergo hoc modo per cerebri affectum paulatim phrenitis euenire ſolet. Ab aliarum verò partium nulla, perpetuum delirium procedit, dempto ſolo ſepto tranſuerſo, adeò vt veteres putauerint hac parte inflammatione affecta homines phreniticos euadere, atque ob eandem ſuſpicionem phrenas (id eſt, mentem) appellauerunt, &c.* Idem confirmat *l.4.de præſag.ex pulſib. cap.4.§. Ac ſi ex ſolis excrementis in ipſo exiſtentibus citra febrim intendatur, dolor & dyſpnœa primò conſequitur : poſteà putreſcentibus excrementis febricitant. Si ex fluxione, quæ incumbit in ipſum, omninò hæc ſit, vel flauæ bilis, vel calidi ſanguinis, & tenuis oportet; nam craſſum ſanguinem, & pituitam lentam ob denſitatem nunquam recipit. Hi delirabunt neceſſariò, &c.* Et *lib.10. methoð. cap.8.* poſtquam hecticam à pluribus partibus præcipuis ſuboriri dixit, à ſepto tranſuerſo ſe vidiſſe ſubortam affirmat, ſed citiùs ob delirium ſuperueniens, interimentem, quàm hectica eſſet prorſus confirmata, quia huic parti perpetuum coniungitur delirium, ac neceſſarium. Et *lib.1. prog. com.28.* ſeptum tranſuerſum inflammatum, delirium afferre promptiſſimum memoriæ commendauit. Galeni ſententiam affirmat Auenzoar *lib.1. Theizir, tract.16. c.7.§. Eò quòd in hoc apoſtemate fit continuò perturbatio mentis, ac ſi eſſet in panniculo cerebri, &c.* Adeſt ergo in diaphragmatis inflammatione perpetuum delirium.

Contra hos grauiſſimos teſtes, quorum ſententiam tam priſcorum, quàm iuniorum comprobauit opinio, inſurgit Trallianus, haud dilutæ auctoritatis Medicus *lib.1. ſui operis, c.13.tit.de notis futuræ phrenitidis*, dum eos tanquam falſa loquentes coarguit, qui in inflammatione ſepti tranſuerſi delirium adeſſe continuum aſſeuerant, ſic enim ait. *Quemadmodum nonnulli phreniticos ob ſepti tranſuerſi inflammationem fieri exiſtimant, quod verum non eſt, &c.* Vides Tralliani, viri alioquin præſtantiſſimi ingeniũ, & mores. Quid ergo ad tantam machinam dicendum ſit, attende rogo. Arguit enim Trallianus illos, qui ex ſepto tranſuerſo fieri delirantes, feroces, & ferinos exiſtimarunt, quod verum non eſt; nam hæc delirij vehementia ſoli phrenitidi veræ & abſolutæ, ſuámque eſſentiam in confirmata cerebri inflammatione habenti conuenit. iDeinde ſi Trallianum, de ſepti tranſuerſi inflammatione ntelligas, ex craſſa materia ſuborta ; in qua non ita frequenter accidit delirium, ex Galen. *lib.4. de præſag. ex pulſib.c.4.* ſaltem in principio, ex Petro Salio, *vbi ſuprà* rectè diſſolues: Narrat enim Fernel. *lib.5.patholog. cap.11.* Se tumores duros diaphragmatis radici infixos nonnunquam deprehendiſſe, qui ſenſim tabe laborantes conſumpſerunt, citra vllam delirij ſpeciem.

Quare tamen ex inflammatione ſepti tranſuerſi delirium ſequatur perpetuum, claſſicorum peritiſſimi inquirunt. Mihi illorum varias opiniones de hac re contemplanti, obtulit ſeſe locus Valleſij dignus obſeruatione, ex *lib.4.controu. cap.vlt.in com.cap.3. lib.5.de loc. affect.* cuius viri ſententiam non erit abs re, ſi huic potiſſimùm loco agglutinemus. Putat enim conſenſus huius rationem non eſſe poſitam in vicinia, nec in rectitudine, nec in conſenſu generis, aut operis, ſed in occulta quadam analogia, quæ exprimi nequit. Plurimi enim inter noſtri corporis partes reperiuntur conſenſus, quorum cauſa non ita eſt manifeſta. Reproba eſt ſolutio, ob cauſas plures. Prima, quando enim ratio poteſt dari manifeſta, ad occultas confugere qualitates, vanum eſt: ait enim Gal. *lib.3. de præſagit. ex pulſib. c.5.* quòd *eorum qui nihil docent proprium eſt, ad proprietates quæ exprimi nequeunt confugere*, nam ignorantiæ eſt aſylum. Secunda. Si ſpinalis medulla eſt magis (vt ita dicam) analoga cerebro, cur hac inflammatione obſeſſa, non ſemper oritur delirium perpetuum & continuum? Tertia. Varia, & diſtincta eſt natura cerebri, à ſepti natura, illud enim totum eſt ſpermaticum, at ſeptum multa parte carnoſum. Vltima. Si ſolam neruorum ſympathiam admittit, cur inflammato ore ventriculi, quod inſignes accipit neruos ſtomachicos, & ſummam cum cerebro obtinet analogiam, perpetuum delirium non continget? Lege Caſtrenſem *lib.2. opuſcul. quæ ex quibus, cap.21.*

Petrus Garzia Carrerius, Complutenſis Academiæ primarius Profeſſor inſignis, & qui nuper Galeni *libros de locis affectis* arduis difficultatibus, acutè, ingenuéque illuſtrauit, *cap.7.diſput.7.* delirium ſepti tranſuerſi non eſſe perpetuum aſſeuerat, verbis ſanè commotus Gal. *in lib.5. de loc.affect.cap.3.* qui deliria ex ſepto tranſuerſo non multùm à phrenitide diſtare affirmat, & *parùm infrà*, à continuo diſtare ait. Si ergo à continuo diſtat, non eſt continuum. Deinde Auicen. 1.3.*tract.3.cap.2.§. Alienatio ſuperfluit quandoque, & abſcinditur alia vice, &c.* in phrenitide non eſſe perpetuum delirium confimat. Denique Galen. *lib.3. epidem. ſect.3.com.85. vxorem Dealcis multùm deliraſſe, & deinde perſiſtentibus aliis peſſimis ſignis, ad mentem rediiſſe* aſſeuerat. In phrenitide ergo vera ſi perpetuum delirium non adeſt, cur in ea quæ à ſepto oritur, continuum delirium apparebit?

Sed vir acutiſſimus non expendit ſeriò verba Galeni. Nam præterquam quòd Præceptor, *in eodem cap.* à nulla parte delirium continuum oriri dixit, dempto ſepto tranſuerſo; ab hac parte ſubortum delirium non eſt ita ferox, & ferinum, ac viſitur in idiopathica phrenitide, vt *cit. de loc.* monuit Galen. Deinde differt ſepti phrenitis, ab illa quæ primò in cerebro fit, quòd in hac ſtatim apparet delirium : in illa verò quæ ex ſepto originem ducit, primò febris ex inflammatione, mox delirium concitatur. Non ergo Galen. negat eſſe continuum, cùm ibidem continuum faciat, ſed parùm à continuo diſtare inquit, quòd illud cum febre incipiat, alterum parùm poſt febrem, quo tempore apparens, continuitatem, ſicut & primum ſeruat.

Ad 2.dic. In phrenitide vera, & ſepti tranſuerſi, delirium eſſe continuum : ſed ſicuti intenditur per exacerbationes febris, ſic remittitur, dum febris remittitur, vt videantur quodammodò ad ſe redire, at nunquam integrè reſipiſcant, ob cauſas dictas. Sic intelligendus eſt *loco cit.* Auic. in vera phrenitide quandoque alienationem abſcindi pronuncians, hoc eſt, imminui, non tamen omninò ceſſare, quod eſt impoſſibile. Hac de cauſa Dealcis vxor ad meliorem mentem rediit, cùm tamen deliraret ſemper: nam, vt rectè notat hîc Valleſius, rediit ad mentem, *tacita*, & vt Mercurialis *in com.huius hiſtoriæ* legit, *ſilens*, delirando ſemper; nam taciturnitas, & ſilentium ſignificant delirium, non ſimpliciter, ſed ex mœrore & ploratu rurſum ridere,

ridere, maiorem arguit inſaniam. Hoc autem delirium in hac ægra concitatum, exacerbatum fuiſſe ad incrementum febris,ex textus ſerie conſtat manifeſtè; nam poſt ſilentium iterum vigeſimo die multa loquebatur,& deindè quieſcebat muta.Ex quibus ad argum.3. reſponſio patet.

Sed his relictis,adiiciamus Præceptoris,ex *lib.4.de dignoſcend.pulſib.cap.3.in fin.*ſententiam præclaram,quâ nos commonefacit, *vt in ſoluendis dubiis vnumquemque ſcriptorem ex ſeipſo declaremus,nec inanibus ſuſpicionibus,aut affirmationibus in demonſtratione vacuis deliremus, quid aliquis dicat.* Cauſa ob quam,ex Gal.doctrina,in inflammatione ſepti tranſuerſi adeſt perpetuum delirium, eſt perpetuus ipſius motus,& vnà eius cum cerebro maior, quàm aliarum partium connexio, & ſocietas. Patet ex Galen. nam ſeptum tranſuerſum in perpetuo motu eſt,ex Gal.*lib.6.de vſu part.cap.4.*ex quo continuò motu continua vaporum copia inſilit in cerebrum, ex qua, continua agitatio humorum, & ſpirituum ebullitio conſurgit, in qua ratio continui delirij conſiſtit; quæ omnia in aliarum partium præſtantium inflammationibus deficiunt. Et licèt in pulmonis,pleuræ,oris ventriculi,iecoris,interniſque aliarum partium inflammationibus maximus adſit feruor, & humorum motus ingens, qui ad cerebrum delati delirium concitare poſſunt,ex Galen.*l.4.de cauſ. pulſ.cap.*8.deeſt tamen maior connexio & ſocietas, quæ inter cerebrum & ſeptum conſpicitur,ratione magnorum neruorum,qui in ipſum inferuntur: Formatur vnus ex quarta coniugatione, alius ex quinta memorabilis, ex ſexta alius, hoc quidem minor, ſed maior primo ad diaphragma deducitur, ex Gal.13.*de vſu part.c.5.& 9.*& poſteà Rufus Epheſius *lib.2.de human.part.corpor.nomenclatura,* Veſal. *l.4. fabric. c.* 12. confirmarunt.

Maior ergo adeſt connexio cerebri cum ſepto, quàm cum aliis partibus,ratione magni nerui formati à propaginibus quarti, quinti,& ſexti paris neruorum vertebrarum ceruicis.Firmat noſtram poſitionem Gal.*lib.4.de præſag.ex pulſib.cap.5.§. Pleuriticus cum tali pulſu nemo eſt ſeruatus vllus.Hi minus, quàm quibus inflammatum eſt ſeptum tranſuerſum, delirant; propiùs enim principium emittuntur nerui ſepti tranſuerſi,&c.* Vidiſti, quo pacto Gal. hos neruos à ſepto in cerebrum inſertos, propiùs,& intimiùs attingere cerebri ſubſtantiam aſſeueret.

Quid plura?nonne idem Galen.*lib.de pulſib. ad tyrones, cap.*11. hanc ſocietatem inter cerebrum,& ſeptum agnoſcens,ex pulmonis inflammatione,ſuffocationem,ex oris ventriculi inflammatione, ſyncopen; ex iecore inflammato,atrophiam; ex ventriculo inflammato, cruditatem; ex renum inflammatione, vrinæ ſuppreſſionem; ex ſepti inflammatione, conuulſiones oriri affirmat? quaſi hæc pars maiorem cognationem cum cerebro habens,& neruorum origini ampliùs conſentiens, conuulſiones & cerebri affectus facere,ducto in conſenſum cerebro nata ſit. Ex his compertum eſſe reor, cur dementiæ omne genus focum poſſit habere in diaphragmate, ſicut in cerebro. Quibus autem ſignis,delirium ſepti tranſuerſi diſtinguatur ab eo,quod in inflammatione cerebri concitatur,latè doctéque explicant Andreas Laurentius *lib.9.de re anatomic.quæſt.4.cap.4.* Ludouic. Mercat. *lib.1. de morb. intern. c.*11.Ludouic.Duretus *lib.1.in Coacas Hip. prænotiones, in. com.ſent.*55.& *lib.2.cap.*11.*in com.text.*30. Iacotius *lib.4 in Coac. in com. ſent.*7.

HIST. XXV. AVICENNÆ, De Empyemate.

Empyematis hiſtoria mira.

ET quandoque habens empyema expuit rem plurimam. Et ego iam vidi qui expuit in vna hora circiter duas heminas paruas, aut heminam magnam vnam, & plus dimidietate heminæ, &c. Auic. 10.3. tract.4. cap.15. *& Gal.* lib.5. de loc. affect. cap.2.

PARAPHRASIS.

HÆc hiſtoria deſumpta eſt ex Gal.*lib.5.de loc.affect.c.2.§.Vt non paucos ſuppuratos perire,ita & alios quam plures ſeruari vidimus,quorum,ſi quis per ſingulos dies reiecti puris quantitatem collegerit, interdum ſex, aut octo heminas,interdum decem, atque interdum plures, totam ſummam æquare inueniet,&c.*Quid ſit empyema,ſeu ſuppuratio variis in locis ab auctoribus traditum eſt,qui proprium caput de Empyemate,ſeu ſuppuratione conſcripſerunt: nam cùm tribus modis dicatur ſuppuratio,ex Hip.& Gal.*lib.1.prog.*40. & *lib.2.eiuſd.com.*60.primò,pro omni tranſmutatione quæ fit ad pus, in quacunque parte fiat, vt patet ex *lib.5.aphor. com.*8.& *lib.7.eiuſd.*44.Secundò pro iis qui in thorace, ac pulmone vniuerſum pus contentum habent, priùs tamen præd.ctis partibus inflammatione affectis, vt liquet ex 5. *aph.com.*8. Tertiò, præcipuè ſuppuratio dicitur, non quidem conuerſio inflammationis lateris, ſeu pulmonis ad pus,ſed collectio,ſeu effuſio puris in ſpatio thoracis,atque pulmonis intermedio,poſt præd.ctæ ſuppurationis diſruptionem,ita vt propriè Empyematici dicantur à Gal.quibus inter thoracem & pulmonem acernatum pus eſt.

Quibus autem modis vtraque ſuppuratio inter ſe differat, inter omnes exponunt Chriſtoph. à Vega, & Heurnius *in com. cit. loc. prog.* & non ſiluit acutiſſimus Duretus *lib.2.in Coac.c.*14.*in com.text.*68. De eius cauſis lege Altimarum *lib.2.de medendis,& curand.human.corp.malis,c.*52. Fernel.*lib.5.patholog.c.*11. Mercat *lib.2.de morb.intern.c* 8. De cuius ſignis iidem auctores,ex Hip.mente, luculentiſſimè differuere.

Quum ergo abſceſſus rumpitur,ſuppuratúſque non ſecatur,aut vritur,natura per ſputum,fœtidam cœnoſámque illuuiem expellere tentat,& quandoque cum tanto impetu ingentes collectiones puris in thorace,breui expurgat per tuſſim, vt incredibilis puris quantitas coaceruata, quotidie per os eiiciatur.Narrat Nicol.*ſerm.4.tract.2.cap.*26.hiſtoriam cuiuſdam puellæ empyematicæ, ætatis annorum quatuordecim,quæ per ſex continuos dies, quotidie puris libras octo tuſſi excreuit,& ſanitati reſtituta eſt. Hócque in thoracem penetrantibus vulneribus præſertim deprehenditur, quod notatu digna hiſtoria confirmat Ioan. de Vigo *lib.2.apoſtem.tract.5.c.*1.& poſt eum comprobarunt, Alexand.Benedict.*l b 9.de medend.morb.c.*2.Iacot.*com.*1.*ad aph.5.ſect.2. lib.6.Coacar.Hipp.* Valleriol.*lib.4.obſeru.*7. vt etiam apparet in iis, qui ex pleuritide in ſuppurationem incidunt.Neque obſtat quòd pleura dura ſit,neruoſa, valida, ac diuidi contumax, & ſic ab ea impediatur puris tranſſumptio in cauitatem pulmonis, & in pulmonem ipſum per membranam eum tegentem, duram,& conſimilis naturæ cum pleura: nam per eutem membranis craſſiorem & duriorem,ſanguis in fracturis oſſium, quæ callo obductæ ſunt, copiosè tranſmittitur.

Mirum autem eſt, cum tanta puris eiecta copia, vt ait Gal.*loc.cit.*ſuppuratos fuiſſe ſeruatos, quum quotidie centum vncias puris, hoc eſt, heminas decem & plures, per tuſſim excernerent: nam hemina eſt eadem cum cotyla, apud Manard.*lib.*12.*epiſt.*1.*in princip.* & cotyla,ex Lacuna *lib. de ponderib. & menſuris*, continet vncias nouem. Sic etiam Paulus *lib.7.eod.tit.* confirmat.Ex qua tanta vacuatione, diſſipatis viribus, partium affectarum imbecillitas ſumma, corporiſque totius colliquatio arguitur. Sed huic dubiæ,& incertæ ſanitati non fidendum; nam in thorace, tum frequentiùs in pulmone areſcens ſanies, & calore in cruſtam verſa,cicatricis falsò creditæ imaginem nobis imponit,donec ob thoracis motum, & partis mollitiem, leuiſſima occaſione excuſſa cruſta, vlcus recrudeſcat maiore quàm antea periculo. Quo pacto autem pectore ſuppurati rupta vomica liberentur, oſtendit Balduinus Ronſeus,*epiſt.*1. eleganter. Qua autem parte ſint ſecandi, aut vrendi, lege Marcel. Donat. *lib.* 3. *de hiſtor. mirab. cap.*9. Amat.*lib.*1. *centur.*60. Veſal. *in conſil. pro Duce terræ nouæ, cum Ingraſſiæ opuſculis edito.* Paſchal. *lib.*1. *c.*29. *de curand. morb.*Liebaut.*in ſchol.aph.*44.*lib.*7.*aph.Hip.*

HISTOR. XXVI. GALENI, De Suppuratione.

Pulmonis vomica, aliquando per vrinam purgatur.

*VIdimus etiam nos pulmonis vomicam * expurgari ſimiliter per vrinam:reiecto videlicet pure à pulmone quidem per læuem arteriam in ſiniſtrum cordis ventriculum : à corde autem per arteriam magnam ad renes:atque illinc tandem per vreteras ad veſicam. Etenim vt à caua vena, ita ex magna quoque arteria, rami ad renes deſcendunt, &c. Galen.* lib.6.de loc.affect.cap.4.in fin.

QVÆSTIO XXVI.

Quòd pus in cauitate thòracis contentum, per vrinam, & aluum commodè poſſit expurgari. Contra Fernel. Mathiolum, & Matthæum Herbornenſem, Medicos eximios.

COMMENTARIVM.

EXpurgari.] Expurgari empyicorum pus quatuor modis, per os, vrinam, alui fluxum, & per abſceſſus, conſtans eſt Gal. ſententia *lib.6.de loc.affect.cap.*4.Paul.*lib.* 3. *cap.*32.Aetij *tetrab.*2.*ſerm.*4.*cap.*65.Auicen.10.3.*tract.*4. *cap.*1.quam confirmant Beniuen.*de abdit.cap.* 43. & eius ſcholiaſtes Dodonæus, Alexand. Benedict. *lib.* 3. *anatom. cap.*9.Amatus *lib.*7.*cent.*42.Holler.*com.ad aph.*66.*ſect.* 3. *lib.*3.*Coacar.Hipp.*Iulius Alexandrin.*in com.cap.*4.*l.*5.*Gal. de loc.affect.*Hieronym.Fabric.*lib.*2. *Chirurg. cap.* 22. Bartholom.Euſtach.*de renū ſtructura,c.*16.39.& 41.Franciſc. Michin. *in obſ. anatomic.* Has vias euidentiſſimè demonſtrat Laurentius *lib.*9.*anatom. quæſt.* 12. anatomica ratione ſuffultus. Puris expurgatio per os naturæ familiaris eſt, & omnium maximè expetenda:nam facultatum omnium validam vim, ac firmitudinem oſtendit. Si autem per hanc viam, puris expulſionem, vel ob eius craſſitiem, vel muſculorum imbecillitatem, tentare non poſſit ſagax natura, aliud ſibi parat iter per vrinam, per aluum, & per abſceſſus. Itaque ſæpè per vrinam cum ægrotantis commodo, raro per alui profluuium, & ſæpè in perniciem expurgat; nam hoc tramite facta expurgatio, ventriculi, & inteſtinorum facultatem labefactat, & dyſenteriam parit ferè inſanabilem : nonnunquam per abſceſſus, purulentam illuuiem cum vtilitate expurgat.

Hanc puris expurgationem per vrinas, & aluum licèt ſuprà citati iuniores, referente Marcello Donato *loc cit.* per varias vias conſtituerint, præſtat cum Gal.*lib.6.de loc. cap.*4. è pulmonibus ſyncerum pus in renes quandoque deriuari affirmante, ſic philoſophari. E pulmone pus eructatur per læues arterias in ſiniſtrum cordis ventriculum, hinc in aortam arteriam, ex hac per emulgentes pellitur & excidit in renes, & veſicam. Poteſt etiam, hinc per minores arterias quæ per meſenterium feruntur, in inteſtina transfundi. Auicenna autem (præter arteriarum viam, quam etiam probat)alias conſtituit, nimirum per venam magnam ad veſicam, aut ventrem, è pectoris ſpatio pus interdum transferri; è pulmone fortè in dextrum cordis ſinum per venam arterioſam nonnunquam deriuari, iudicat; hinc in venam cauam, à qua in iecur, & meſenterij venas. Et licèt ſuprà citati auctores huius euentus cauſam variam aſſignent, contra præfatam Galeni doctrinam plurima obiicere conati ſunt.

Fernelius non infimi ſubſellij vir, ſed in Galenum nimis mordax, huius, imò Auicennæ ſententiam temnit, & damnat. *lib.6.patholog.cap.*10. inquiens *in his figmentis fieri non poſſe, vt tam longo viæ tractu, pus quod ſanguinis permixtione tinctum fuerat, album tandem redeat, ſecernatúrque ſyncerum.* Hæc præcipua contra Magiſtrum Fernelij ratio, quam ficulneam eſſe, & nullius momenti, ſic exaudi. Licèt enim neceſſe ſit, in via illa pus cum ſanguine commiſceri, non tamen adeò, vt minimum vnius, (vt aiunt) alterius minimum contingat. Sic poteſt ſagax natura retento innoxio ſanguine, affatim nocuum pus purum, atque ſyncerum, à ſanguine prorſus ſecretum propulſare. Quo tempore enim expultrix excernit noxium, ſimul retentrix innoxium retinet. Sic ipſa frequenter noxios ſuccos à purioribus ſecernit. Nónne quotidiano experimento ratum eſt, puriſſimam bilem, paulo antè cum ſanguine confuſam in venis, à natura, è venis iecoris, in meſenterium, & venas amandari? nónne in Ictero, ardentibus febribus ſuperueniente, flauiſſima bilis decretoriè è vaſis omninò ſecreta à ſanguine, per vniuerſam corporis molem transfunditur? Quid ergo dubitandum de ſyncero pure, quod licèt anteà in vaſis cum ſanguine fuiſſet commixtum, à natura puriſſimum in partem aliquam poteſt deturbari.

Hac etiam tenuiſſima nixus ratione, Galeni, cæterorúmque illuſtrium Medicorum mentem interturbare conatur *lib.*4. *de feb. cap.* 9. dum intermittentium febrium proximam cauſam non per habitum corporis, & carnes depelli; quo tempore rigores emergere vbique fatetur Galen. nec antecedentem intermittentium materiam in venis contineri, ſed extra venas, in regione abdominis, meſenterio, atque pancreate. Haud enim ingenio ſuo capere potuit, quo pacto tam repentè poſſit noxius ſuccus ſanguine in venis permixtus, è puriore ſanguine prorſus ſecerni, & quaſi momento in extimas corporis partes extrudi:de quo negotio plura contra eum pro Galeni tutela, Deo duce, proferemus in lucem; *in lib.* 4.*in com. hiſtor.* 33. Poterit igitur purulenta materia pectoris cauitate contenta, tam per ventrem ſuperiorem, quàm inferiorem, & veſicam, pura & nullo prorſus alio ſucco infecta detrudi; idque aut per ramum illum arterioſæ venæ, qui interdum in ſtelechiæam inſeritur, aut vt Gal. annuit, per læues arterias ad ſiniſtrum cordis ſinum, & inde in arteriam aortam; aut demùm per venas cordis, vt Auicenna tradit.

Sed Mathiolum Senenſem hîc contra Galeni edicta inſurgentem audiamus. Is enim *lib.* 1. *ſuarum epiſt.* 3. ſic ait:*Fieri non poteſt, vt purulenta materia cordis viſcus, & arteriarū capacitates ingrediatur, quin valetudinarius ſyncope, aliiſque grauiſſimis ſymptomatis, aut morte intercipiatur. Nam ſi malignus quidam vapor, aut venenata aura, per os, arterias, venas, aut alios cæcos ductus expirent ad cor, ſtatim ſyncope, aut lipothymia corripimur:cur fœtidū pus inquinatis puriſſimis vitalibus ſpiritibus eadem non præſtabit?* Ad hæc, arguit iſtā vacuationem tanquam inutilem, & periculoſam, cùm ſit facta per loca minimè conferentia, quod tantoperè condemnat Hipp. *lib.*1.*aph.*21.& alibi paſſim.

At iſthæc parui ſunt facienda. Sanè non neceſſariò in via illa, ſyncope, cæteráque lethifera inuadent hominem ſymptomata, quum valente corde, non multùm apud illud purulenta materies immoretur, ſed affatim, & ſubitò in vaſorum capacitates trudatur. Hinc fit, vt cordis facultas eius acceſſu non neceſſariò hoc caſu ſuccumbat, præſertim ſi pus optimum ſit, in quo putredo non admodum viget, ſed calor ſuperat naturalis. Deinde obſideri ſæpè cor corruptiſſimis nidoribus conſpicimus, ſuccorúmque putridorum mole ipſum opprimi in ardenti febre, nec tamen ſyncope, aut morte neceſſariò æger prehenditur, ſed ſimplici ſola acuta febri, eáque ſalubri laborat : neque halitus ex pure eleuatus, quum non participet qualitatem venenoſam, lethalia, & maleficentiſſima parere poteſt ſymptomata. Fit ergo ſine incommodo hæc per ſiniſtrum ſinum puris transfuſio, ſi ſit critica, & vires conſtent; retinet enim natura ſpiritus, noxiáque tantùm excludit. Nam cor ipſum per tranſennam pus admittit, quod ſi rectè valeat, citiſſimè propellit : at ſi vires ſint debiles, moritur in ipſa expurgatione æger. Neque negamus naturam ſagacem excretiones ſuas moliri per loca conferentia; fatemur quoque cor, & arterias loca conferentia non dici, nam Gal. non laudat iſtam puris vacuationem per vrinam, aut aluum, ſed ſolùm poſſibilem eſſe affirmat, eámque loco vacuationis per os factæ deinde elegit. Mathioli opinionem ſequutus eſt

Ioannes Matthæus Herbornenſis *in ſua centuria difficultat.* 11. Cuius auctoris, ſicut & Mathioli tela repulit acutè ſatis, & diſertè Iulius Alexandrinus *epiſtola ſequenti*, quæ hîc onerosum eſt iterum refricare. Quo pacto autem pus in cauitate thoracis, tranſmittatur à pulmone in renes & ventrem, ſi tunica pulmonis eſt dura, neruoſa, & craſſa, & magis ſi craſſum ſit pus, quærit Galen. *lib.* 5. *meth. cap.* 8. *poſt princip.* & ſoluit *lib.* 5. *de loc. cap.* 3. *poſt med.* Natura enim meatus pleriſque Medicis ignotos, ſibi verò optimé notos, ex pulmone per arteriam, & venam cauam, hepar, & venas emulgentes, ad renes, vretheras, & veſicam patefecit, per quos ſeſe à ſanie exonerat. *Hæc enim ſemper materiebus vias inuenit, quando valida eſt, et ſi illæ ſint craſſiores, & per anguſta foramina debeant penetrare. Sic per oſſa fiunt abſceſſus. Sic quibus inter ventriculum, & ſeptum tranſuerſum pituita repoſita eſt, non habens viam ad alterum ventrem, iis per venas in veſicam pituita verſa, ſoluitur morbus*, vt *lib.* 7. *aph.* 54. Hipp. & Galen. bellè confirmant, & repetunt *lib.* 6. *epidem. ſect.* 5. *text.* 2. De quo inſtituto lege pulchra apud Ioan. Lang. *lib.* 2. *epiſt.* 40. Hercul. Saxoniam *lib.* 7. *prax. cap.* 7. Duret. *lib.* 2. *in Coac. cap.* 16. *in com. text.* 67. & *in com. cap.* 26. *Holler. lib.* 1. *de morb. inter.*

HISTOR. XXVII. AETII, De Empyemate.

Suppuratio, citra febrim poſſibilis.

NOuimus autem quoſdam citra febrem ſuppuratos, ex ſeroſo, aut pituitoſo humore ex reliquo corpore in vacuum thoracis delapſo, iſthicque putrefacto, &c. Aëtius tetrab. 2. ſerm. 4. cap. 65. de pectore ſuppuratis.

PARAPHRASIS.

HIppocrates inter coryphæos Medicorum primarius *lib.* 1. *de morb. num.* 18. ſic ait, *Fit autem ſuppuratio, ſi pituita ex capite ad pulmonem diſtillet, & primùm quidem vtplurimùm latenter defluit, tuſſimque tenuem exhibet, & ſputum paulò amarius ſolito, & aliquando tenuis adeſt calor, &c.* Hanc non veram ſuppurationem vocat Fernel. *lib.* 5. *patholog. cap.* 11. dum ſic inquit. *Suppurationi interdum affine malum eſt, in quo magna thoracis capacitas, ſeroſo, pituitoſo, eóque tenui humore ſcatet, qui aut è cerebro per aſperam arteriam, & pulmones tenuitate ſua affatim irruens, aut è reliquo corpore, aut etiam ex abdominis capacitate, cæcis ductibus redundans, eò penetrauit, &c.*

Cùm ergo caput frigida præſertim intemperie laborat, partéſque naturales eadem afficiuntur, magna ſuggeritur crudi, aquoſique humoris copia, qui ab his partibus in thoracis cauitatem expirat, affectionem ſuppurationi finitimam efficiens. Hæc plurimis ſignis deprehenditur. Quum enim materia hæc ichoroſa, & tenuis copia abundat, difficultatem anhelitus obſtructione, & copia tuſſim concitat; ſed quoniam tenuis eſt, & ab ſpiritu facilè diſrumpitur, & ad partes ſuperas nequaquam attolli poteſt, idcircò parùm, vel nihil excernunt ægrotantes. De hoc affectu loquens Galen. *lib.* 4. *de loc. affect. cap.* 7. in hæc verba prorumpit. *Si verò ſeroſus, aut pituitoſus humor ſubitò in thoracis ſpatium defluẽs, excitauerit ſpirãdi difficultatem, æger tunc tenue ſputum, atque id ab initio quidem exiguum, ſed cum vehementi tuſſi: ſiquidem tenuis humor cùm ſubleuatus eſt, inter tuſſiendũ à ſpiritu diuiſus refluit. &c.* Quare ex hac cauſa accidit, vt vehementer tuſſiendo pauca quis expuat.

Inſuper. His viſcera frigida intemperie laborantia, obſtructa, ſcirrhoſáve ſunt, qualia in hydropicis apparent. Corporis partes extremæ, oculi palpebra inferior, pedes, manus, & ſcrotum, imò facies, & venter intumeſcunt; difficultas adeſt reſpirationis, ſpiritus enim viæ à multa materia occupantur, & ob diaphragmatis compreſſionem ægri ſuffocari videntur.

Sed cur aſſerit ex ſeroſo humore fieri ſuppurationem, A ſi ſuppuratio eſt concoctio ex natiuo pariter, & extraneo calore cõflata, ex Gal. *lib.* 5. *ſimpl. cap.* 15. & 2. *aph. com.* 47. & ſeroſi, tenues, aquoſique humores non coquuntur, ex Gal. *lib. quos, quibus, & quando, cap.* 1. aquoſos humores inter initia vacuandos præcipiente, quia ij non craſſeſcunt? Dic, hos verè & propriè non coqui, ſed impropriè, loquentibus nobis in lato coctionis ſignificato, cum Galen. 2. *acut. com.* 44. & Ariſt. 4. *lib. meteor. cap.* 1. Sic bilioſa, cocta vocat; & excrementorum coctionem appellat, quanquam mutata nutrire non poſſint. Sic excrementa huiuſmodi quæ à natura ipſa euicta ſunt, cocta vocare Hippocrates conſueuit: cruda verò, quæ non ſunt euicta. Seroſus ergo humor licèt tenuis ſit, concoqui hoc modo poteſt, dum frigiditas eius retunditur, & excretioni aptior fit, & gratiam ſic naturæ recipere poteſt.

B Deinde. Cur ex pituitoſo humore ſuppurationem fieri contendit hic auctor, ſi pus ex ſanguine ortum habet, ex Galen. 2. *aphor.* 47. Dic, pituitam actione caloris præter naturam in pus migrare, (nec enim neceſſe eſt in ſanguinem priùs verti) nunquam tamen pus hoc eſt perfectum, ſed quidpiam puri proportione reſpondens: id expreſsè conſtat ex Hipp. *lib.* 7. *aph. text.* 38. diſtillationes in ventrem ſuperiorem ſuppurari affirmante. Suppuratio ergo propriè dicitur de ſanguineo, aut mixto humore collecto, qui in verum pus vertitur: poteſt etiam dici de pituita, quæ eſt affinis ſanguini; nam colorem & odorem recipit puris, reliqui autem ſucci ſuppurationem non recipiunt: ſed vel immoti, incorruptíque manent; aut euaneſcunt, erodúntque particulam; aut corrumpuntur; & noxam illi pariunt exitialem. Quare pituita, & maximè in ſuperiore ventre ob caloris abundantiam, in pus conuerti C poteſt, non verum, ſed puri adſimile, vt monuit Galen. 3. *alim. cap.* 2.

Illud etiam dubitationem facit maximam: poſſe dari ſuppurationem citra febrem. Nam ſi ob ebullitionem, conatúmque naturæ ad coquendum, imò vnionem caloris natiui, febris accidit, dum pus in qualibet parte conficitur, iuxta Senis oraculum 2. *aph.* 47. quantò magis ſi humor putrefiat, vt auctor affirmat, in loco calidiſſimo, & cordi valdè propinquo, è quo minùs immutata, magiſque integra putrida fuligo cordi communicatur, quæ cor ponit in calefacto eſſe, vel id putredinosè apta eſt afficere? Dic, in ſuppuratione vera thoracis rarum eſſe, abeſſe febrem: hanc verò à frigido humore pronatam, (quam impropriam vocamus) citra febrem inuadere poſſe, non eſt negandum, vt Aëtius inquit. In illa enim, cùm maior ferD uor adſit, maior vnio caloris in foco ad coquendum, maior materiæ rarefactio, maior calor, & ex hoc, maior ad affectam partem humoris attractio, illicò febris ſuccreſcit. In hac, cùm materia ſit frigida, & minimè putreſcat, febris non adeſt, ſaltem in principio: nam diu retenta, ſalſa & acris euadit, febrémque inducit.

Cæterùm priuſquàm abeamus longiùs, & huius affectus curationem aggrediamur, id minimè diſſimulandum, cur in non vera ſuppuratione, ſi humor collectus in cauitate thoracis putreſcit, vt Aëtius ait, non adeſt à principio febris? Sed ad huius dubij ſolutionem legendus eſt Galeni *commentarius primus, lib.* 7. *aph.* quo loco veteres appellaſſe refert imputrida, quæ nos incocta nominamus; quare ſuppuratio hæc, de qua agimus, fit ab humore in vacuum thoracis delapſo, iſthícque puE trefacto, hoc eſt, concocto, & ſuppurato: Sic *in lib. de alim.* cocta vocat putrefacta Hipp & Empedocles referente Ariſt. *lib.* 4. *topic.* 5. vocabat vinum, aquam in ligno putrefactam, hoc eſt, coctam. Vocari autem ſuppurationem à Galeno nunc coctionem, nunc putrefactionem, adeò notum eſt, vt probatione non indigeat. Patet hoc ex ipſius doctrina euidenter. *Lib.* enim. 1. *progn. com. vlt.* putrefactionem vocat, & ſedimenti generationi, valdè ſimilem eſſe affirmat, *lib.* 1. *de dif. feb.* 5. quod è putrentis humoris portione conſtare, quæ per inſenſiles poros præ craſſiori modo ſubſtantiæ à natura excerni nõ potuit, ibidem confirmat Galenus, maximè cùm ipſe *lib.* 4. *meth. c.* 5. Hipp. ſententiam *l. de vulneribus, n.* 15. cõfirmãs aſſeueret, carnem cæſam, ac telo contusã, quamprimũ ſuppurãtibus eſſe

eſſe putrefaciendam, vt in pus verſa liquetur, & alia de nouo generetur; apertè ſignificans, ſuppurationem eſſe putrefactionem.

Locis verò *ſuprà citatis* hanc actionem, coctionem vocari poſſe oſtendit, dum humor in parte impactus, perfectionem acquirit, & meliorem formam, vtpote à calore deuictus natiuo. Puris ergo generatio, coctio eſt, vt ex Galeni monumentis latè Criſtoph. à Vega *lib.1. prognoſt. com.vlt.* & Valleſius *lib.5. controu. cap.4.* confirmarunt. Neque ſi cum Galeno côcedas, ſuppurationem eſſe actionem mixtam ex calore natiuo, & præter naturam, vrget argumentum, vt doctè probat Ioannes Butinus *in com. ſent.vlt. lib.1. progn. Hipp.* quòd eadem materia à calore innato, & à præternaturali non poſſit alterari, quum quidpiam motibus contrariis moueri non poſſit. Cæterùm cùm ambo agentia in eadem materia non operentur, ſed in diuerſa, nihil mirum ſi vterque calor agat: & licèt in eadem materia operarentur, diuerſo tamen tempore agunt; qua de cauſa ob horum agentium varietatem, interdum putrefactionis ſigna oſtendit. Num autem coctio, & putrefactio ſimul & eodem tempore intendantur, diſputat vt ſolet, acutiſſimè Thomas à Veiga, *in com. c.6. l.1. de dif. febr. Gal.*

Morbus hic periculoſus eſt; nam ex eo in tabem, phthiſimque facilè incidunt ægri: quum enim crudis, incoctiſque ſuccis, cauitas thoracis ſit repleta, timor eſt ne ſpiritualium partium calor debilitetur, & hydrops fiat pulmonis, grauiſſimus ſanè affectus, & ex quo pauciſſimi euadere ſolent. De cuius eſſentia, & curatione primus omnium egit Hippocrates *lib.2. de morb. num.66.* & non ſiluere Aëtius, Auicenna, locis à me citatis *lib.1. de praxi Medica admiranda, obſeru.111.* quo loco huius affectus ideam appoſito exemplo Lacon cè deſcripſi: de cuius morbi curatione, ſatis multa Petrus Salius, vir omniſcius, appoſitiſſimè exarauit *lib. de affect. particularib. cap.5. de hydrope pulmonis.*

Peruicax inſuper eſt hæc impropria thoracis ſuppuratio dicta: nam corpora hoc affectu vexata calorem natiuum ſatis languidum habent, virtutéſque naturales impensè debiles, & viſcera obſtructa, ſcirrhoſáque ſortiuntur; quorum omnium ratione vix curari, aut præſeruari poſſunt, nam in deteriorem incidant ſtatum, eſt neceſſe.

In hoc affectu corpus expurgandum hydrogogis, inter quæ præcipuum locum tenent radix Ireos, & Sambuci, ex cuius ſucco cum rhodomelite paratur medicamentum, quod naturali quadam proprietate humorem ſeroſum educit. In hunc vſum iuuant pilulæ de nitro Alexandri, elaterium, trochiſci Alhandal. Viæ communes expurgantur priùs Mechoaca, terebinthina, iure galli veteris; cum phlegmagogis medicamentis parato. Roborandæ partes principes: cerebrum cucuphis, electuariis. Iecur, & nutritionis officinæ firmandæ theriaca, Mithridatio, tabellis conflatis ex ſpeciebus aromatici, diarrhod. diagalang. diacinnam, diacurcum. Victus exſiccans impetrandus, offerendus meri potus. Veneris vſus cauendus, & vt humor qui ex habituali partium intemperie frigida regignitur, abſumatur, & vacuetur, vtendum ſudorificis, ex ebeno, radice Chynarum, ſmilace aſpera; vnáque cauteria brachiis, & cruribus affigenda.

HISTOR. XXVIII. GALENI, De mammillarum cancro.

Mulier cancrum in mammilla habens, annua purgatione leuata.

*Sic & mulierem quandam ſingulis annis vere inchoante ſimiliter euacuans, cùm aliquando * tumorem cancroſum in mammilla pateretur, forti atque frequenti medicamento, purgante atram bilem, adhibita vacuatione ad ſanitatem perduxi: & ſiquādo purgatio omitteretur, dolorem profundum ſentiebat, & me aduocato ſtatim volebat euacuari, &c. Galenus* lib.6. aph.com.47. & lib. quos, quib. & quando, cap.4. & lib.2. ad Glauc. cap.10.

Lib. II.

A PARAPHRASIS.

Cancrum in omnibus noſtri corporis partibus gigni poſſe, auctor eſt Galenus *lib.2. ad Glauc. cap.10. & lib. introduct.16.* In fœminarum autem mammis frequenter oriri Paulus confirmat *lib.4. cap.26. & lib.4. cap.45.* Cùm enim ſint laxæ, fungoſæ, & inanes, materiam elatam ab vtero, cùm quo obtinent ſocietatem miram, ex Galen. 14. *de vſu part.* 4. promptè ſuſceptant; præſertim in iis quæ non ritè purgantur. In viris aliquando in mammis hic affectus enaſcitur, maximè ſi hæmorrhoïdalis vacuatio ſit ſuppreſſa: nam præterquam quòd ibi eſt multa caro glanduloſa, emergunt etiam in eam partem ab interno corpore grandiores venæ, & arteriæ, quàm in vllam aliam externarum, vt *in com. text.100. lib.5. epid.* notauit Valleſius.

B Malum ſanè ſæuum, à contumaciſſimo, & pertinaciſſimo humore, nempè atra bile pronatum; à qua hunc affectum oriri, *lib. de tumorib. præter nat. cap.7. & lib.2. de criſ. cap.12.* aſſeuerat Gal. Timoris enim plenum eſt, & periculoſum, imò præ ſui rebellione auxiliis medicis non ſuccumbit; vt notat Celſus *lib.5. cap.28.* non enim ſolùm ob ſui craſſitiem minimè conſaneſcit, vtpotè quod nec repelli, nec diſcuti queat, nec totius corporis purgationi cedat, ſed etiam mitiora negligit auxilia, à vehementioribus irritatur, & excandeſcit, *vt l.6. aph.38.* protulit Gal. *& lib.2. cap.12. in med.* Actuarius probat. Ratio eſt in promptu, apud Galen. *lib.2. progn.46.* nam atræ bilis proprium eſt, vt ſolutu difficilem committat affectionem; humor enim craſſus, terrenúſque adeò infarcit membra, quibus impactus eſt, vt ægerrimè excernatur; ſolúmque indiget curatione, quam Chirurgi palliatiuam, edocti à C Guidone, *tract.4. doct.1. cap.4.* vocare conſueuerunt vt explicat Vidus Vidius *lib.5. de curat. membrat. cap.7.* Licèt aliquando cancrum vlceratum mammam depaſcentem exciſione ſe perfectè curaſſe glorietur Cabrolius *obſer.32. anatom.* & non vlceratum abciſſione tractandum, proprio exemplo firmet Arcæus *lib.2. cap.3. de curand. vulnerib.* & priùs prædixit Galenus *lib.6. aph.38.*

Meritoque feciſſe hìc Galenum iudicabis, qui pro huius mulieris præſeruatione hac via tutus incedens, ipſi à tanto malo præcauit: exhibito nempè medicamento forti, atque frequenti; illo, vt craſſus terreſtriſque humor eradicari poſſit; hoc, quoniam rebellis, reniténſque humor vnica vice educi nequit, qui paulatim debet coqui, & vacuari. Neque mireris cancroſum tumorem ab hoc peruicaci humore ſubortum, purgationi ſuccubuiſſe, qui D nullis vnquam auxiliis, vel vehementiſſimis refrænatur, iuxta Senis edictum, *6. aph.38.* nam Galen. hìc non loquitur de cancro, in quo venæ attrabilario ſanguine plenæ, & extentæ, inſtar pedum animalis cancri ſunt, & pertinaciter hærent loco quem apprehendunt, vt cancer animal; nec de cancro vlcerato, cui atra bilis efferueſcens, & acris originem dedit: ſed de tumore cancroſo, qui licèt cancri naturam ſapiat, ab illo tamen valdè diſtat, vt inter omnes eleganter refert Ludou. Mercat. *lib.1. de communib. mulier. affect. cap.vlt.* Vel dic, & fortaſſe meliùs, mulierem quondam habuiſſe tumorem cancroſum in mammilla; poſteà annua purgatione præſeruatam, ne tumor exereſceret, atque profundus excruciaret dolor; non ergo tumor recidebat, ſed dolor, recurrente humore melancholico ad eum locum, tanquam ad partem debilem factam; & tu- E morem anteà perpeſſam: fidem expoſitioni facit ipſe Gal. *in lib. quos, quibus & quando purgare conueniat, c.4.* qui referens hiſtoriam hanc, quandam mulierem, cancroſum tumorem quondam in mammilla habuiſſe, & ſanitati fuiſſe reſtitutam medicamento atram bilem validiùs vacuante, ſcribit. Sanauerat igitur Galenus tumorem apparentem conuenientibus auxiliis, pòſt, annua purgatione præcauebat, ne iterum ille exereſceret.

Quare tumor cancroſus purgatione curari poteſt, quū valdè differat ab ipſo cancro, ex Galen. *lib.5. ſimpl. cap.8.* Hic enim perfectus eſt tumor atrabilarius, qui exquiſitus cancer dici poteſt; ille huiuſmodi non eſt, ſed illius naturam participans, rectè via ad illum dici poteſt.

Imò non eſt affirmandum, ferè cancros occultos non eſſe curandos; nam hoc non eſt vniuerſale, & abſolutum, vt Gal. prædixit, *in com. Hipp. loco cit.* eius ſententiam tacitè ſuggillans, quum alioquin qui in ſumma corporis parte conſiſtunt, admittant curationem, hoc eſt, ſectionem, vel vſtionem, quos vnà cum ſuis radicibus ex toto excindere, & extirpare licet, vt monuit Magiſter *in com.* quem curationis modum ſibi ipſi attribuit Franciſcus Arcæus, vir ſanè doctiſſimus *loco citato.* cùm Galeno, vt inuentori primo hæc laus ſit tribuenda: De quo modo curationis, lege eruditiſſimum Sennertum *lib. 1. de tumorib. cap. 20.*

Inter ea quæ pro leuando hoc affectu, expurgandóque humore ſummoperè ab auctoribus commendantur, eſt ſerum lactis caprini, auctore Galeno *lib. 2. ad Glauc.* 12. quo ſe (iniecto in ipſum ſcammonio) illuſtrem fœminam herpete in inguine laborantem perſanaſſe gloriatur 14. *meth.* 17. nam nitroſa, qua pollet vi, atram bilem ab exuſtis humoribus genitam expurgat; quare melancholicis affectibus remedio eſt, & maniacis, lepræ, & Cancro ſummè opitulatur, vt probant Galen. 14. *meth. cap. 9.* Dioſcorid. *lib. 2. cap. 66.* vnáque Mathiolus, Lacuna, Marcel. Virgil. & Otho B. unfelſius *in com.* latiſſimè diſſeruerunt. Firmant Auic. *lib. 2. tract. 2. cap. 442.* Aëtius *tetrab. 1. ſerm. 2. cap. 96.* Hoc enim auxilium præterquam quòd in præſentia exuſti humoris eſt præſentaneum auxilium, etiam refrigerat, humectat, roborat, & expurgat, ex Gal. *lib. 4. ſimpl.* 14. de cuius temperamento plures differuere, quorum loca lege infrà *in com. Hiſt.* 109.

In ſero igitur, quum ſit materia in qua omnia medicamenta infundi poſſunt, vt rectè notauit Valleſius, *in lib. 2. epid. ſect. 6. in com. text. 33.* medicamina valenter purgantia atram bilem miſceri poſſunt, vt Elleborum, Turpetum, & ſiquæ alia ſunt, ex iis multiplici lege confecta, quorum amplam ſyluam recitauit in ſuo Elleboriſmo, maxima cum ægrotantium vtilitate, Mathiol. *lib. 3. epiſt. 12.* & alij illuſtres viri non ſiluere; de quorum numero ſunt Amat. *lib. 3. centur. 32.* Ludou. Mercat. *lib. 1. de morb. mulier. cap. cit.* Hieronymus Fabricius ab aqua pendente *lib. 1. de tumorib. cap. 22.* & alij, qui de Cancri curatione conſcripſere.

Per antonomaſiam pro purgando humore nigro laudatur lapis, quem Græci cyaneum, Latini cæruleum, vulgus Medicorum lapidem lazuli, & Arabes ſtellatum appellant: de cuius vi, & efficacia Meſuë *tract. de ſimplicib. cap. de lapide ſtellat.* Coſtæus *in com.* Heurn. *lib. 2. meth. ad praxim, cap. 24. rubric. 3.* Manard. *lib. 3. epiſtol. 3.* diſputarunt; quidquid (perperam tamen,) non ſine periculo vitæ dari pilulas ex lapide lazuli, contendat Ioan. Bapt. Theodoſ. *epiſt.* 55. Leonicenum ſequutus: cuius opinionem acriter conuellit Manard. *lib. 15. epiſtol. 3.* Licèt enim Auicen. *lib. 2. can. tract. 2. cap. 57.* putrefacientem, vſtoriámque dicat habere facultatem, cum Dioſcorid. *lib. 5. cap. 56.* ſi tamen, vt decet, abluatur, vt impetrant Manard. *loco cit.* & *in annotat. in Meſ.* & Mathiol. *in Dioſcorid.* edocti à Trallian, *lib. 1. cap. 17.* & Syluio *in Meſu.* eius vſus tutus eſt, miniméque perniciofus. Lege Ioan. Braum Petraſit. *lib. 3. de purg. rat. cap. 10. de lapide cyaneo.* & Coſtæum *in com. cap. 14. de ſimpl.* Alphonſum Moreſcottum *in fabric. recept. lit. c.*

Ne verò Medicæ contemplationis ſtudioſus, Galenum inconſtantiæ arguere poſſit, illa etiam eſt ſoluenda dubitatio, cur abundante atra bile, medicamentum forte exhibuit, quod ſuapte natura calidum eſt, humorémque iſtum ferinum irritat, & accendit. Quapropter cordatè Gentilis 1. 3. *cap. aureo dicto, dub. 23.* in affectibus, quos bilis atra aduſta excitat, præſidia ſemper debere eſſe mixta ſuadet; ſed magis frigida, quàm calida, nam exuſtus hic humor calidis exaſperatur, & excandeſcit. Dic cum Auicen. 1. 4. *tract. 2. cap. 7.* in morbis melancholicis curationem inſtituendam eſſe per medicamentum forte, debile. Illo vtendum, quoniam humor pertinax & craſſus, non cedit medicamento benigno ex natura; debili, quia frequenti purgatione humor paulatim, & in parua quantitate eſt expurgandus. Solue ſecundò. Atram bilem, in viis præſertim ſitam à communibus ductibus valdè ſemotis, vtpotè craſſam & terreſtrem, ſolùm validis medicamentis eſſe deturbandam, & maximè cùm frigida ſit à prædominio: licèt enim caloris ſit particeps, veluti acetum, & cinis, frigida tamen eſt, eò quòd terrea, *vt lib. 3. de cauſis ſympt.* Galenus affirmat, hoc eſt, priuata calore natiuo; calor verò illius oritur ex putredine, & quæ putreſcunt, & incinerantur, refrigerari eſt neceſſe, *vt lib. 4. meteor. cap. 1.* retulit Ariſtoteles. Retinet itaque colorem præter naturam, veluti empyreuma, quod fit à calore immodico: de quo argumento doctè ſcripſit Petrus Vaëzius *in comment. Medic. cap. 7.* & licèt calida eſſet, fortibus medicamentis eſt vacuanda, cùm multò maior ſit ex peccantis humoris expurgatione vtilitas, quàm ex calidis medicamentis detrimentum, vt bellè dictauit Magiſter *lib. 1. aphor. 24.*

Cætera verò quæ de Cancri natura, cauſis, differentiis, curatione dici poſſunt, legat qui velit apud Vigonem *l. 2. de apoſtemat. tract. 2. cap. 10. & 12. tract. 4. cap. 3.* Trincauel. *lib. 3. de compoſit. medicamentor. cap. 26.* Paræum *lib. 6. cap. 29.* Dionyſium Dacam *lib. 2. de apoſtemat. cap. 95.* Caluum *lib. 2. eiuſdem operis, cap. 25.* Montagnan. *conſil. 24. & 26.* Andream à Cruce *lib. 1. tract. 6. cap. 12.* Fallop. *lib. de tumorib. præter naturam, cap. 4. & 5.* Franciſcum Peccettum *Calcſtinum, lib. 1. Chirurg. cap. 30.* Fonſecam *lib. 1. conſult. 43.* Foreſt. *lib. 17. obſeru. 26. & lib. 4. Chirurg. cap. 6.* Hieronymum Montanum, & Friſimelicam, *conſilio* 188. Zoroaſtrum Tinellum *conſult.* 17. & alios qui de ſimili inſtituto diſceptarunt.

QVÆSTIO XXVII.

Quòd Cancer vlceratus, non ſit affectus contagioſus ad diſtans. Contra Cardanum.

COMMENTARIVM.

Tumorem cancroſum.] Quoniam verò paulo antè medicas perſtrinximus amœnitates, in quibus multiplex, interiórque deliteſcit ſcientia, quam ſæpè ingenium acre, lectio varia, iudicium excuſſum, emunctúmque promit in literas, quò ſtudioſiſſimus quiſque accuratiùs exerceatur, ne concepta ſemel facilitate in vtramque aurem dormiat, hic illud arduum adnotabimus, in quo pauciſſimi adhuc noſtræ profeſſionis viri docti ſuam induſtriam exercuere, ex iis qui cancri naturam intimiùs ſunt ſpeculati: Num ad diſtans, cancer vlceratus ſit contagioſus.

Pro parte affirmatiua, hæ ſunt rationes potiſſimæ. I. Cancer idem eſt morbus cum elephantia, ex Paulo *lib. 4. cap. 1.* & eſt lepra vnius membri, apud Auicen. *4. 3. tract. 3. cap. 1. in fin.* At Elephantiaſis morbus eſt contagioſiſſimus ad diſtans, ex omnium auctorum decreto: probant Valleriola *lib. 6. enarrat. 5.* eloquenter, Palmarius *lib. de Elephantiaſi, cap. 1.* Marcellus Donatus *lib. 1. de hiſt. mirabili, cap. 4.* Ergo cancer affectus eſt contagioſus ad diſtans.

II. Contagium fieri non poteſt ſine putredine, ex Ariſtot. 7. *probl. 4.* & nos fusè probauimus *lib. 1. de medic. Princip. Hiſtor. in com. hiſtor. vlt.* At ſeminarium ſeu vapor putridus, è cancro, præſertim vlcerato, eleuatur vicinum corpus infecturus. Ergo eſt contagioſus. Maior conſtat. Minorem probat Fernel. *lib. 7. patholog. 2.* qui è parte cancro affecta fœtorem, veluti cadaueralem cum ſordida illuuie, & ſanie virulenta emanare teſtatur, ex qua halitus eructatur grauis, & ſordidus, qui putredine ſua vicinum corpus inquinat.

III. Præter vaporis putredinem ſummam, & profundam, in contagio requiritur ipſius vaporis lentor, craſſities, copia, vt diu maneat, & poſſit operari ſimiliter afficiens: nam quando celeriter diſſoluitur, & exhalat, non ſolet lædere, ob quam cauſam febres bilioſæ parùm ſunt contagioſæ; contra pituitoſæ, & ſanguineæ magis, vt probant Ariſtot. *lib. 7. probl. 4.* Fracaſtor. *lib. 1. de contagion. cap. 10.* Sed à parte cancro affecta exhalat vapor lentus, à ſordido, lentóque pure eleuatus, præcipuè

præcipuè ſi cancer mammis, palato, aut ori adhæreat. Ergo cancer affectus eſt contagioſus ad diſtans.

IV. Si Scabies, cutanei morbi, Ophthalmia, Variolæ, Morbilli, Apoſtemata venenoſa, ſtrumæ, & ſi quæ alia mala, quæ ſunt in corporis ſuperficie, ad diſtans contagioſa ſunt, cùm ab iis eleuetur vapor vicinum corpus infecturus, habens omnes inficiendi modos: cur cancer hac de cauſa contagioſus non erit?

Omniſcius Cardanus vidit primus inter omnes hoc dubium, *lib. 1. de venen. cap. 12. in med.* tantæque antinomiæ ambiguitate perterritus, Pauli, & Auicennæ *loc. cit.* in primo argumento edicta, perfricta fronte contemnere maluit, quàm cum illis fateri Elephantiaſim eſſe carcinoma vniuerſale, & hoc eſſe lepram vnius membri, irretitus vna ratione ſola, quoniam carcinoma contagioſum non eſt, Elephantiaſis autem maximè: *nil igitur*, inquit ipſe, *Elephantiaſi cum carcinomate.*

Nos qui in aſperioribus artis cliuis diluendis inſudantes, Medicarum rerum ſecreta rimamur, eandem cum Cardano ſententiam amplectimur: rationem, tamen vimque primi argumenti, quam ipſe ſoluere non potuit, patefacimus. Licèt enim Cancer ab eodem humore originem ducat, à quo Elephas, morbus contagioſiſſimus oriri ſolet, ex Galen. *lib. 2. criſ. 12. in med.* & Pauli *loco cit.* qui vtrumque affectum à nigra bile proficiſci aſſeuerant, quorum mentem communis Medicorum approbauit opinio: & Cancer ſit lepra particularis; tamen ille, licèt vlceratus ſit, à quo teter, ſordidiſſimúque vapor exhalare ſolet, & malignam habeat naturam, (quo nomine carbunculus ex ſuperaſſato ſanguine ortus, natura ſua malignus eſt, apud Galen. *3. epidem. ſect. 3. com. 12.*) & eminentem qualitatem, putredinémque profundam; contagioſus non eſt ad diſtans, prout experientia demonſtrat, qua poſita litigantium rationes ceſſant, ex Galen. *lib. 1. de facult. naturalib. 15. in fin.*

Cauſa autem, cur Cancro affecti ſimiliter alios ad diſtans non inficiunt, ea eſt. Nam atra bilis eſt terreſtris & ſicca, & ſeminarium eleuatum ſiccum, & à nimia partis caliditate, lentoris & humiditatis expers, licèt aduolet, adhærere non poteſt. Eſſe autem minùs lentum, quàm vt hærere corpori infecturo tenaciter poſſit, patet, cùm humor valida aduſtione, & incineratione penè abſumatur: nam in vlcerato loco conculcatus magis aduritur, quàm putreſcit. Huius conditionis defectu bilioſæ, & ardentes febres, licèt ex putrido, eóque bilioſo humore pronatæ, contagioſæ non ſunt, etſi in eis vigeat putredo, exſurgátque vapor plurimus efficax ad agendum. Hac etiam de cauſa calida venena contagium non inducunt, quoniam in ſicco conſtituta ſunt, & ſeminarium ab eis eleuatum, ad adurendum magis, quàm ad putrefaciendum eſt accommodum. Aliter ſe res habet in Elephantiaſi, quæ licèt ab eodem humore habeat ortum, tamen partes externas infeſtat, & corporis occupat habitum, quo loco humor, & magis tranſpirat, & minùs præaſſatur, cùm non ſit in vno loco ſolùm circũſcriptus, ſed ſparſus per vniuerſam corporis molem; à quo minùs immutata, magiſque integra efflat aura, promptè vicinum corpus infectura.

Quare licèt in Cancro fœtor adſit, exhalet vapor ſordidiſſimus, & virulentus, cùm lentorem non habeat, quo hæreat, immoretúrque per tempus ſufficiens ad agendùm, inficiendúmque: is affectus hac de cauſa non eſt contagioſus ad diſtans; nam contactu eſſe contagioſum, proprio exemplo firmaui *lib. 1. de praxi admiranda, obſeru. 124.* Cur autem Cancer contactu inficiat, & ad diſtans non ſit contagioſus, ea eſt cauſa: quòd in longiori via, vaporis ſicci efficacia euaneſcit.

Ex quibus, ad argumenta patens eſt reſponſio. Lege doctiſſimum Caſtrenſem *lib. 3. de Meteor. Microcoſm. cap. 5.*

HIST. XXIX. ORIBASII, *De Cancro.*

Vlcus Cancroſum, Elleboro aſſumpto curatur.

Valet etiam ad vlcera carcinode occulta: quamuis minimè conuenire vlceribus videatur. Verumtamen ego mulierem quandam vidi ab huiuſmodi vlcere liberatam, cùm Medicus quidam in Co inſula hoc ei remedium adhibuiſſet: cùm tamen alioqui non eſſet clarus & probatus, ſed in Ellebori potione diligenter eſſet exercitatus, &c. Oribaſius lib. 7. collectan. cap. vlt. prope finem.

PARAPHRASIS.

INter varia medicamenta, quæ pro expurgando humore melancholico adinuenit priſca vetuſtas, nullum ſublimius, præſtantius, celebriúſve Elleboro eſt; ita vt de eius vtilitate mira proprium librum veterum ſcientiſſimi conſcripſerint. Sic Hipp. *in epiſt.* fecit *de veratri vſu* libellum. Sic proceres Medici de modis, quibus veratrum dandum eſt, proprios libros aſſignarunt. Elleborus ergo, vt inquit Meſuë *tract. de ſimpl. c. 30.* duplex eſt, albus, & niger; hícque ſalubrior albo, qui ſymptomata terribilia minatur. Niger corpus incolume, & veluti iuuenile tuetur: licèt Syluius *in com. Meſuë*, albi operationem nõ eſſe difficilem pronunciet, cum Paulo *l. b. 7. c. 10.* qui Ellebori ſmi modum ſimpliciorem eſſe affirmat, ſi fiat cum Elleboro albo; & cùm Elleborum nuncupamus, albus venit intelligendus, ex Manard *in Meſuëm*, & priùs prædixit Galen. *lib 5. aph. com. 1.* Sed pernicici cauſa, quæ in albo reperitur; non in eius naturam, ſed in ſitum, vbi naſcitur, vel malam præparationem referenda eſt. Nam ſi eius incorrecti periculum quis fecerit, ſymptomata ſpectabit terroris plena, animi deliquia, morſus ventriculi, virium lapſus; caſtigatum tamen, & quàm diligentiſſimè paratum, ac opportunè oblatum adeò mite eſt, vt inter ſoluentia debeat numerari. Quomodo autem præparetur, & quibus modis exhibeatur, *loco citato* Paulus edocuit. An verò in puluerem redactum exhibere liceat, vt fecit Paulus? Dic eius vſum non interdixiſſe Meſuëm, ſed de periculo monet, ac non ſatis tutum eſſe aduertit, quod verum reperiet, qui eius acrimoniam & ſepticam virtutem expenderit, vt Coſtæus aduertit *in com.* Num verò ſeſamoides ſit idem quod veratrum nigrum, latè diſputat Langius *lib. 1. epiſt. 74.*

Habere autem Elleborum, vim vrentem & cauſticam, his verbis oſtendit idem Langius *lib. 2. epiſtol. 20. Vidi enim certè non ſemel artis veterinariæ Medicos, equos orthopnœa, aut quouis alio pulmonis vitio laborantes, quum alia medicamenta non ſufficerent, traiecta cum ænea fibula aut ſubula in pectore pelle, & inſertis ex Elleboro nigro radicibus feliciter curare. Id quod milites in bello, peſtifera contagionis lue infecti, ac Medicorum conſilio, & opera deſtituti, facere, & imitari audent: infra quippe apoſtema, aut Anthracem, cute ad manus tranſuerſæ latitudinem forcipe apprehenſa, candenti ſubula per cannam laminæ complicatam, cutem traiiciunt, & adurunt; qua repentè extracta, vulnus radicibus Ellebori nigri butyro delibutis adimplent, infixáſque perferunt, donec per ſuppurationem exciderint: quo omne virus ad vulnus allici perſuaſum habent, nec ſpe fruſtrantur.* Tanta attrahendi, & calefaciendi præditus eſt virtute Elleborus: de cuius ſpeciebus latè ibi Langius conſcripſit, & non ſiluit eruditiſſimus Maſſaria *lib. de Medic. purg. cap. 29.*

Si tamen eo, vt dictum eſt, correcto, & præparato vtamur, à plurimis morbis reddit corpus immune; nam venena caſtigata ægritudines ſanant immedicabiles. Aconitum enim ſcorpionum morſibus medetur; hydrargyrium, ſcabiem, lepram, & morbum Gallicũ extirpat. Arſenicum peſtiferã luem refrænat. Paſtilli Andronis, & Paſionis adverſùs ſputũ ſanguinis ſummo ſunt auxilio, ex Gal. *5. meth c. 6.* qui parãtur ex Arſenico, & Chalcanto. Viperæ aduerſùs venenũ, iiſque gallinæ ſaginatæ Elephãtiaſi medentur.

Incorrectum autem Elleborum plurima aſſumentibus affert incommoda ; nam ſi tela Elleboro delibuta, venenata ſunt,apud Plin *lib.25.cap.5*. Aulum Gellium *lib. 17. cap.15*.Gal.*lib.de theriac.ad Piſon. cap.* 10. quibus ictæ & exanimatæ feræ illicò concidunt : de quo argumento acutiſſimè Langius *lib.1.epiſtol.68*.diſputauit : quantò magis Elleborum ipſum in potum aſſumptum ?

Quæri tamen poteſt à naturalium ambiguitatum ſtudioſis, quidnam ſit quòd obſeruatum eſt coturnices ad ſaturitatem vſque veſci veratro citra noxam,quod non illepidè Lucretius firmat his carminibus:

Præterea nobis veratrum eſt acre venenum,
At capris adipes,& coturnicibus auget.

Dic,ob conſuetudinem plurima animalia nutriri poſſe veneno ſine noxa,quod *in com.lib.5. ad hiſtor.* 24. & 26. latiùs diſputabimus. Coturnices verò accepta à veratro mala qualitate, & feriente neruos, etiam conuulſionibus corripi, verum eſt : nam & huius carnis vſu diſtentiones fieri, appoſita hiſtoria confirmat Galen.*lib.6. epid. ſect. 5. com.* 35.probant Mundel.*epiſt.6*.Bruyerin. *lib. 15.de re ciaria,cap.35*.Cardan.*lib. 3. de ſanit. tuend. cap.* 26. Seidelius *lib.de morb.incurabil.pag.* 162. hoc enim alimentum, malam & putredinoſam intemperiem ſortitur, & ad febres prauas corpus diſponentem, & alia damna efficit, hac ſolum de cauſa contractu. Neque arbitreris cum Langio *loc cit.* feras, ac volucres veneno nutritas edendo eſſe innoxias, quoniam ignis feruore in veru toſtæ, aut in lebete elixæ omne virus, venenumque deponunt, nam mala qualitas ab Elleboro acquiſita non ita facilè deponi poteſt, qua iſtæ carnes irreparabilia damna efficere ſunt natæ , quæ ex profeſſo *in com. Hiſtor.* 89. *infra* proferemus.

Ad penſum igitur redeuntes dicimus , non ita timendum eſſe Ellebori correcti vſum. Nam exhibitum , pluſimis morbis, qui aliis auxiliis non ſuccubuere , opem præſtat. Quoniam præterquam quòd atram bilem purgat per interna, trahitque pituitam , vitiis à craſſis humoribus originem ducentibus præſidio eſt. Quare febribus circuitu repetentibus, & diuturnis conuenit; cerebri affectibus opitulatur ab eadem cauſa pronatis, prodeſt comitialibus , articularibuſque , & paralyticis , ex Dioſcorid. mente *lib.* 4. *cap.* 151. firmant interpretes *in com.* Confert veterno, & denique omnibus chronicis morbis vnicè ſuccurrit.Eſt præſtantiſſimum ad inſaniam alexipharmacum , quare in mentis furore refrænando ſummoperè præſtat; nam atram bilem , huius mali cauſam, per vtramque aluum potentiſſimè expurgat ; quod benè ſignificauit Democrit. Apud Hipp.*in epiſtol.num.* 28. §.*Acceſſiſti ad nos velut inſanos,ô Hippocrates!veratrum nobis daturus ,&c.*Quare ſyrupus de elleboro pro pertinacibus his affectibus eſt vtiliſſimus, cuius deſcriptionem inter omnes tradidit Montanus , *conſilio* 368. repetit *in appendice conſil.*31.

Licèt autem in curandis his morbis maxima ſit huius medicamenti vis , & efficacia , eſt tamen ſicut theriaca, vt ait Meſuë , & Medicina antonomaſticè ad lepram , & cancrum ; quo medicamento hunc Medicum vſum fuiſſe narrat hîc Oribaſius : cùm enim eſſet occultus , hoc eſt, abſconditus , & in profunda corporis parte locatus, euacuata cauſa Ellebori vi, potuit conſaneſcere. In pluribus autem internis noſtri corporis partibus , cancroſa vlcera poſſe innaſci , ſuprà citati auctores vnanimiter conteſtantur. Caue tamen ne Elleboro vtaris in pueris, ſenibus, fœminis, vel debilibus , aut corpore non probè præmunito. Nam ſi aliter experiaris , non ſine periculo facies : vt probat Dodonæus *obſeru.*51. & 52. etſi enim correctum ſit, vires validas prærequirit. Num autem veratro abſque medulla contuſo ſit vtendũ,lege Paul. *lib.* 3. *cap.*13.Oribaſ.8.*ſynopſ.cap.*2. De Ellebori efficacia & vi, Vide *Gal.lib.*17.*cap*15.Theophraſt.*lib.9.de hiſtor. plantar.cap.*18.& Baptiſtam Codronchium *lib.de Elleboro* , qui de argumento hoc omnium elegantiſſimè diſſeruit.

A

HIST. XXX. ALZAHARAVII, De pilo mammarum.

Pilus ebibitus, mammarum facit inflammationes.

* *Pilus hominis bibitus à muliere cum aqua,vel ſumptus cum cibo,cuius ſignum eſt in mammilla rubedo,fortis dolor,febris, & dolor capitis, quouſque egrediatur pilus ; & quando egreſſus fuerit,ſtatim deſinunt omnia accidentia. Et mihi quidem iam viſum fuit hoc , & non fuit apud me dubium , fuiſſe pilum hominis,& hoc eſt notum apud mulieres, &c. Alzaharauius tract.*14.*cap.*2.*practicæ.*

B

DVBIVM XVIII.

Num morbus pilaris à pilo hauſto originem ducat. Contra Plin.Cardan.Veigam & Manard. Medicos excellentiſſimos.

PARAPHRASIS.

Pilus hominis ebibitus.] Indoctum vulgus,falſa quadam mulierum imaginatione ſeductum putat,mammas vtpotè laxas,ac fungoſas, epotum pilum ad ſe trahere : ex qua cauſa, vberum dolor,inflammatio,& febris oriantur; non ceſſaréque hoc malum ſibi perſuadet , quouſque vel ſponte exeat pilus, vel cum lacte ſugatur. Corruit ſuper-
C ſtitioſa opinio hoc argumento ſolùm , quòd affectus hic ſit lactantium, aut prægnantium iuxta partum mulierum inflammatio,ex corruptione,cõcretione, multitudinéque lactis in mammillis eueniens.

Errandi anſam præbuit Ariſtot. *lib.* 7. *de hiſtor. animal. cap.*11. dum de morbo pilari verba faciens,in hæc verba prorumpit. *Vbera enim fungoſa tota ita ſunt, vt ſi in poculo pilum hauſerit mulier, dolor moueatur in mammis, quod malum pilare appellant : non ſedatur , donec pilus exeat ſponte, vel cum lacte ſugatur ,&c.* Hæc Ariſtoteles ex Gazæ doctiſſimi conuerſione.Quibus verbis decepti plurimi, non falſum aut ſuperſtitioſum arbitrantur , aſſumptum pilum ob ſanguinis ad vbera confluxum,& earum raritatem eò fluere.Firmat hîc Alzaharauius : ſuffragantur Plin.*lib.*31. *hiſtor.natural.cap.*10.Card.*lib.*8. *de varietat. cap.*44. Ma-
D nard.*lib.epiſtol.*2. *tit. de mammar. morb.* Thom. à Veiga *in com.lib.6.de loc.affect.Gal.cap.*3. Alexand. Benedict.*lib.*3. *cap.*4.*anatom.*Franc.Pedemontan.*tract.de ægritud.mammil. cap.*2.*de exuberatione lactis.*

Vanam tamen , & multis erroribus plenam eſſe hanc opinionem,proclamant Rondeletius *lib.*18. *aquatil.c.* 23. Chriſtoph. à Vega *lib.3.art.Medic.ſect.6.cap.* 10. Mercurial.*lib.5.variar.lect.cap.4.& lib. 3. de morb. mulier. cap.* 5. Nam qui fieri poteſt, vt per tot angiportus , tenuéſque anfractus ab ore ad mammillas pilus hauſtus perueniat, quin priùs per canales amplos in ventriculum, ac inteſtina deſcendat, ac labatur , & cum excrementis egeratur? Rurſus, cur fieri poterit, vt pilus ebibitus per venas meſaraïcas , ex his per tot hepatis exiguos ductus & tot
E mæandros in cauam venam,& ab hac in axillares ,ab his ad vbera penetrare poſſit.

Sic ergo cum doctiſſimo Veſalio *lib. 5.fabric , cap.* 18. liceat opinari,nec pilum hauſtum ad mammas poſſe confluere, nec verum pilum in mammis generari affirmante. Primum inſana vulgi credulitas putauit eſſe verum. Secundum , conſtat eſſe apertè falſum. Licèt enim in inueteratis abſceſſibus,ob varias humorum qualitates, materia contenta,in calculum,arenam,ligna, carbones, amurcam, ſeuum, fæcem , ſetas , in aliáſque iſtiuſmodi formas,imò & pilos conuerti poſſit , tamen hi pili non ſunt veri,ſed veris pilis ſimillimi. Sicuti enim in renibus, vrinariiſque meatibus filamenta gignuntur, ex pituitoſioris , vndique ſanguinis copia orta, ex Galen.*lib.*4. *aphor. com.*76.ſic in mammis, ex tenaci, viſcoſo putreſcentique ſanguine,

ſanguine,aduſto & toſto; pilis ſimiles ſubſtantiæ conſpi-ciuntur: qua ſimilitudine decepti ſunt, qui ſe vidiſſe, & curaſſe hoc malum aſſeuerant. Sed vt verum fatear, Velaſius accepit hæc ab Auicen. 12. 3. *tract.*1. *cap.*2. §. *Et quandoque lac egreditur filoſum propter groſſitudinem ſuam, & ſiccitatem ſuam, &c.* Cuius mentem dilucidè explicauit Nicol. *ſerm.*7. *tract.*5. *ſum.*2. *cap.*58. qui de hoc negotio eximiè diſſeruit. Videndus Dionyſius Daca *lib.*3. *de apoſtemat. cap.*39.

Eſt ergo morbus pilaris (malum pili vocant) mammillarum inflammatio, à lactis copia, eiúſque putredine concitata, quam febris, dolor, tumor papillarum, & circumiacentium partium feruor comitantur. Quare morbus pilaris, ſicut inflammatio mammarum curari debet, vt ſcitè notat Mercat. *lib.*4. *de morb. mulier. cap. vlt. in fin.* De quarum inflammatione curanda, lege Auicen. *cit.loco, cap.*6. Altimar. *lib.de curand. human. corpor. malis, cap.*59. Chriſtoph.à Vega, *loco cit.* Maſſariam Saxoniam, Euſtachium Rudium, & alios *prop. cap. de mammillarum inflammatione.*

HISTOR. XXXI. GALENI, *De lacte pro educandis infantibus eligendo.*

Reprobum lac, infantes vlceribus conſpurcat.

Non enim ſimpliciter dicimus lac omne optimi eſſe ſucci, ſed prætereà optimum adiunximus. Nam lac quidem quod vitioſi eſt ſucci, tantùm abeſt, vt ad ſuccum probum gignendum conferat, vt qui eo vtuntur, cacochymos reddat. Cui rei argumento fuit is infans,qui cùm * *priore nutrice emortua, alterius praui ſucci lac ſuxiſſet, totum corpus multis vlceribus habuit refertum. Vtebatur autem ſecunda hæc nutrix in agro ſylueſtribus oleribus, propter annonæ caritatem, quæ veris tempore acciderat, &c. Galenus* lib.3. de aliment. facult. cap.15.

PARAPHRASIS.

Quanta debeat eſſe nutricis pro educando infante electio, oſtendit Galen. *lib.*1. *de ſanit. tuend. cap.*9. Hanc enim debere eſſe iuuenculam à vigeſimo anno vſque ad trigeſimum quintum, ſuadet ratio: nam annoſa, lac generat aliquo vitio fœdatum; Iunior, crudius, & alendo infanti ineptum. Sit ſana, nulliſque morbo obnoxia, pectore amplo, magnis mammillis, papilliſque neque conniuentibus, neque aululis, corpore nec admodum obeſo, nec nimiùm gracili, quæ maſculum peperit, & quatuor, aut quinque menſibus à partu diſtet, vt Auicenna inquit 3.1. *doctr.*1. *cap.*2. Huic infans,ſi quem lactat,auferatur, monente Magiſtro *lib.*7.*meth.cap.*6.Non ſit primipara, ſed quæ ter, aut bis ad minus pepererit, filios habeat viuos, ſanos, vegetos. Eius ſit conditionis in lactando, vt citra menſtruam purgationem lac ſuppeditet vltra biennium, nec ex menſtrui labe lac fœdetur, néve ob defectum & inopiam lactis, parentes ante ablactationis tempus idoneum, nutricem mutare cogantur, quod noxium valdè eſt. Præferenda ruralis vrbanæ. A venere abſtineat, ex concubitu enim lac acquirit virus, & perniciem. Vterum non ferat, cùm *nutrice prægnante nihil ſit deterius, lib.*1. *de ſanit. cap.*9. Colorem habeat, ex rubro, & albo permixtum, qui optimæ temperaturæ ſignum exiſtit, ex Galeno *in cap.*51. *art. Medic.* quoniam vbi cutis exactè concocta cum ſanguinis accedentis puritate iungitur, color euadit modicè ex albo rubróque permixtus: nam cutis, ſeminale membrum, ex probè concocto ſemine prodit exactè alba; quantum autem à perfecta coctione deficit, tantùm ab albedinis integritate. Sanguis verò exactè percoctus, nulla vitiatus cacochymia, ruborem floridum ex hepatis commercio repræſentat, qui ad cutem accedens alimenti gratia, pulchro rubore faciem ſuffundit: tantùm ergo intelligitur eſſe in ſanguine praui ſucci, quantum ab exacto rubore relinquitur, vt eruditiſſimè Thomas à Veiga illuſtrat *in comment.* Cur verò Ariſtoteles *lib.*3. *de hiſtor. animal. vlt.* laudet in nutricibus colorem fuſcum, vt aduertit Mercurial. *lib.*1. *de morb. puer. cap.*3. *in med.* ea eſt cauſa, quoniam hic color robur naturæ oſtendit: ſubnigræ enim multo innato calido participant. Subalbidæ, ſanguinis & lactis inopes ſunt, vnde parciùs phlebotomandæ, ex Galen.*lib.de ſang. miſ.*14.

Inſuper ſit modeſta,mitis, ſobria, hilaris, munda, non iracunda, ingluuiei dedita, nec procax,aut triſtis, bonis ſit moribus imbuta,quoniam lac non ſolùm in nutriendo, ſed in mutandis moribus maximam vim habet. Licèt enim neque animam, neque virtutem formatricem obtineat, ſæpè tamen ob qualitatum cognationem infantibus affectiones, propenſionéſque nutricum imprimit. Refert Iuſtinus *lib.*44. *ſuæ hiſtor. in Hiſpania Habidem infantem feris expoſitum, & ceruæ vberibus educatum, tanta fuiſſe pernicitate pedum,vt montium iuga ſaltúſque, inter ceruorum greges, non inferior velocitate peragraret:* Quare non immeritò Phauorinus apud Gellium *lib.*12. *noct. Atticar. cap.*1. inuehitur in matres, quæ infantes fœminis,barbaro agreſtique ingenio præditis nutriendos committunt. Quò alludens Mithridates apud Iuſtinum *lib.*38. de Romanis loquens, ſic ait: *vt ipſi ferunt, conditores ſuos lupæ vberibus altos,ſic omnem illum populum, Luporum animos habere inexplebiles ſanguinis, &c.* Vnde Virgilius *l.*4.*Æneid.* ſic fatur.

> *Nec tibi diua parens, generis nec Dardanus auctor*
> *Perfide: ſed duris genuit te cautibus horrens*
> *Caucaſus, Hyrcanæque admôrunt vbera tigres.*

Hoc ita eſſe, veterum & iuniorum ſcientiſſimi docuere: nam in moribus inoleſcendis magnam ferè partem nutricis ingenium, & natura lactis tenent, quæ infuſa tenero, & mixta parentum ſemini adhuc recenti,ex hac genina,concretione vnam indolem configurat. Lege Sennertum eruditiſſimum *lib.de morb.infant. cap.*1.

Hinc eſt quòd prouidentia naturæ ſimilitudinem natorum, atque gignentium ex ipſo quoque nutricatu præparans, fecit cum ipſo partu alimoniæ copiam naſci. Nam poſtquam ſanguis ille opifex in penetralibus ſuis corpus effinxit, atque aluit, aduentante iam partus tempore, idem ad corporis materni ſuperna conſcendens, in naturam lactis tranſmutatur, & albeſcit, vt recens natis idem ſit altor, qui fuerat fabricator. Quamobrem non fruſtrà creditum eſt, ſicut valeat ad fingendas corporis, atque animi ſimilitudines, vis & natura ſeminis: non ſecus ad eandem rem, lactis quoque ingenia, & proprietates valere. Neque in hominibus id ſolùm, ſed in pecudibus quoque animaduerſum; quia ſi ouium lacte hœdi, aut caprarum agni forſitan alantur, conſtat fermè in his lanam duriorem, in illis pilum gigni teneriorem. Plura ad hoc inſtitutum affert Macrobius *lib.*5. *Saturnal. cap.*11. hæc enim adeò vera ſunt, vt non immeritò Chryſippus nutrices optarit, ſi fieri poſſit, prudentes.

Nutricem exercitio vti debere, res eſt manifeſta. Hæc viuat in aëre temperato. Prolixè dormiat; ſomnus enim ad lactis generationem ſummoperè conducit. Euitet animi curas, hæ enim lac impensè corrumpunt. Illi ante cibum mammillæ fricentur, & pectus, ſic enim calor, & ſanguis ad vbera confluunt frictionis ope. Abſtineat à vino, quod ſi concedatur, ſit pauciferum, & caput minimè tentans; nam præterquam quòd nutrices facit proclues in Venerem, ſanguinem & lac inflammat, etiam dum lac copioſum volumus facere, infans Epilepſia, aut conuulſionibus tentatur. Cibi ſint euchymi, optimi ſucci, alimenti plurimi. Auerſetur ſiccantia, ſalſa, acria, acerba, acida, amara, & calida. Quod ſi praui ſucci veſcatur eduliis, multa mala ipſam prehendere eſt neceſſe. Lac enim horum commercio illicò conſpurcatur, velut & ſanguis, ex quo illud originem habet: plurimam enim reprobum, aut probum alimentum, a lactis præſtantiam aut malitiam, vim habere, hac hiſtoria

Galenus confirmat, & latè *lib.7.meth.cap.6.* ipſe edocuit. Ex viciato enim alimento non ſolùm lac corrumpi, ſed alios quoque morbos enaſci, appoſitis exemplis probauit *lib.de bonit.& vit. ſuccor.cap.1.* explicat Ioan. Ceckius *lib. de puerorum tuend. valetud. rub.3.* Num autem verè creda-tur à multis, lac eius quæ peperit fœminam, mari com-modius eſſe, & è contra? Dic.ſimili ſexu fit conſeruatio, alieno præſeruatio. Ergo vbi intemperatura magna eſt præſtat lac contrarij ſexus: vbi moderata, præſtat ſimili alere.

Quapropter ex optimo alimento, probatiſſimum lac generari, certum eſt. Eligitur hoc viſu, guſtu, olfactu,ex Paulo *lib.1.cap.3.* Oribaſio *lib.1. Euporiſton, cap.1.* Nam & videntibus apparebit albiſſimum, ac æquale, quidquid Philoſophus 3. *de hiſtor. animal. cap.21.* liquidum lac albo eſſe præſtantius aſſeueret, contra Galeni mentem *lib.1. de ſanit. tuend. cap.9.* Probatur id, quod inter craſſitudinem, & liquiditatem eſt medium. Reprobatur craſſum, caſeo-ſum, ſeroſum, ſpumoſum, graueolens, fœtidum, citò aceſcens, amaritudinis, aut alterius peregrinæ qualitatis particeps. Laudatur quod in pollice inſtillatum neque ſubitò, neque tardè videtur defluere. Cætera de lactis electione ſigna lege apud Peramatum *lib. de regimine in-fantis, cap.2.3.* Mercat. *lib.4.de morb.mulier. cap.15.* Chri-ſtoph. à Vega *lib.2.art. Medic. ſect.7. cap.1. rubric.1.* qui nutricem reprobo lacte præditam eſſe ablegandam, & aliam ſaniorem eligendam ſibi perſuaſere.

DVBIVM XIX.

Num licitum ſit nutricem menſtruantem eligere. Contra Vegam doctiſſimum.

COMMENTARIVM.

PRiore nutrice.] Quoniam de nutricis,& lactis pro alen-dis infantibus electione, ſatis multa non citra dele-ctum congeſſimus, duo dubia non reticenda opinamur, quòd & ipſa in eundem ſcopum diriguntur, eò maximè cùm ſint à Medicorum pauciſſimis agitata. Quorum pri-mum eſt: Num liceat nutricem menſtruantem eligere. Inter præcipuas nutricis dotes eam eſſe primo loco nu-merandam, quòd menſtruis careat,rationes euidentiſſimæ confirmant. Summoperè enim eſt perniciofum, ſi nu-trix menſtrua patiatur: nam ſic ſanguinis motus libidi-nem prouocat, turbat corpus, humores calefacit, exagi-tat, purum ſanguinem in lac conuertendum vitiat & conſpurcat. Hac de cauſa, fœdi colores, faſtidia, vo-D mitus, alui fluxus, febriculæ, per cutem puſtulæ, & vl-cera repullulare ſolent: cùm ex fœdiſſimi ſanguinis ad menſtrua afferuati vitio, reliquus pro nutrimento in-fantis præexiſtens tantam labem contrahat, vt potiùs ve-neni quàm medicamenti vires induat. Hinc Epilepſiæ, paraplexiæ, difficilis reſpiratio, macies, diarrhœa, & alia grauiſſima damna infantibus contingunt, cùm ab vtero ad mammas maximus adſit conſenſus, quem latè explicuit Galenus *lib.14. de vſu part.4. & 8.* Inſuper in-fans commodo priuatur alimento, cùm lac in tanta copia non generetur: nam lac ex ſanguine fit menſtruo, *lib.nu-per cit.de vſu part. cap.8. & lib.de ven.ſect. aduerſ. Eraſiſtr. cap.5.* Vna ſiquidem & lactis, & menſtruorum ſubſtan-tia eſt, amborúmque, vt quis dixerit, riuorum fontes communes, venæ ſunt. Quamobrem, quibuſcunque E per ætatem menſes fluere ceſſarunt, his neque in mam-millis lac ampliùs colligitur: quæcunque etiam purgan-di tempora adhuc habent, ac interea lactant, hæ non purgantur. Præterea cùm mulieri lactanti ſanguis per lo-cus eruperit, illicò lac huic euaneſcit. Ex his manifeſtè apparet, lactis & menſtruorum ſubſtantiam eſſe eandem. Quare ſi nutrici menſtrua contingant, minui lac eſt ne-ceſſe. Perniciofum ergo eſt nutricem menſtruantem eli-gere: probat Galen.1.*de ſanit.9.*firmat Omnibonus *lib.1. de art.med.infant.cap.6.*

Chriſtophorus à Vega *lib.2.art. Medic.ſect.7.cap.1.ru-bric.2.* contrariam videtur amplecti ſententiam, dum ſic A inquit. *At verò ſi eis alimentum non deficiat, vti in quibuſ-dam ſanguine abundantibus fieri vidimus, non parùm com-modi ſequitur ex purgatione menſtrua, puriore facto ſanguine quamuis purgationis tempore turbationem patiantur, &c.* Cen-ſet ergo lac purius euadere, ſi fæculentus ſanguis va-cuatur, cuius mixtione præexiſtens in corpore inquina-tur. Exemplo ſint lactantes, quibus cùm rarò fluant menſtrua, mali ſucci copia ſuccreſcit in corpore. Hoc euidenter comprobauit Hippocrates *lib.2. epidem. ſect.2. poſt princip.* dicens: *Lactans quædam papulas per totum corpus habebat, cùm autem ceſſauit lactare, ſedatæ ſunt æſta-te, &c.* Vt hinc diſcas lactare ceſſantes, profluentibus menſtruis, à morbis, quibus anteà corripiebantur, li-berari. At non benè ratiocinatur vir hic eximius: nam ſuppreſſio menſtruorum in lactantibus non eſt cau-ſa cacochymiæ, quoniam nutrices quæ non menſtruant, B ex prouidæ præſcripto naturæ, non generant plus ſan-guinis, quàm ſibi, & fœtui conueniat, & ob id carent periculis ex abundantia,& turbatione in excretione men-ſtrua. Ratio verò, cui veluti præcipuo innititur funda-mento, ficulnea eſt; nam lac maius vitium ſuſceptat ex vacuato menſtruo, & corpus maiorem turbationem, quàm ſit quæ ſequitur ex eius purgatione vtilitas. Qua-propter nutricem menſtruantem protinùs ablegare opor-tet, vt ſecuriùs fœtus alimentum ſuſceptet: ſi enim ali-ter feceris, in grauiora pericula infantem deduces. De hoc argumento, Lege Valleſium *in com. Hipp. in lib. de aliment. fol. mihi* 289. Peramatum, *tract. de regimine in-fantis, cap.2.*

DVBIVM XX.

C *Num nutrix pro infantium curatione expurganda. Contra Brauum, & Donat. Santorum, Medicos eximios.*

HOc loco non eſt ab inſtituto alienum, ſecundum dubium Laconicè perſtringere, quo quæri ſolet, num nutrix pro infantium curatione ſit expurganda. In hoc enim explicando inuenio Medicos fuiſſe diſcordes. Ioannes Brauus Petrafitanus, Salmanticenſis Scholæ pro-feſſor celeberrimus *lib.2. de curandi ratione per medicamen-tum purgans, cap.6.* & Ioannes Donatus Santorus *lib.4. epiſtol.2.* firmiter tenent, nunquam eſſe purgandas nu-trices pro curatione morborum, qui infantibus accide-re ſolent. Vel enim infans ægrotat, nutrix ſana eſt; vel è conuerſo: vel nutrix, & infans vnà ægrotant: vel am-bo rectè valent. Si vltimum, neuter purgari debet. Si ſimul ægrotant, optimum eſt nutricem expurgare; ita enim vtriuſque ſaluti conſuletur. Si tamen infans ſanus eſt, & illa laborat, ne in morbum incidat infans, Aëtij conſilio, *tetrab.4. ſerm.4. cap.6.* alij lactandus committi debet: nam vbi imminuitur lac, corrumpitur, omninò extinguitur, inſpiſſatur, aut attenuatur, præſtat alterius nutricis lac infanti præbere. Si tamen licitum non ſit, optimo victus regimine tractanda, ne lacte fœdato de-terrimis infans morbis occupetur, vt eleganter oſtendit Hipp. *lib.4.de morb.num.46.*

At ſi infans laborat, nutrix verò inculpata ſalubrita-te degit, infans ſolus purgari debet; ipſi verò nutrici nullum tale pharmacum porrigendum: nam qui ſano ſunt corpore, difficulter ferunt purgationes, ex præſcri-pto Hipp. *lib.2. aph.36.37.& l. 4. aph. 16.* Vitiatur enim medicamentorum permixtione ſanguis,& reliqui ſucci boni qui in corpore ſunt, inquinantur, caro liquatur, & ſolidæ animalis partes euertuntur. Licèt enim hoc de vio-lentis,& malignis pharmacis, quæ tempore Hipp.in vſu erant, ex quibus noxæ oriuntur inemendabiles, intelli-gas, etiam clementia & benigna, corpora demoliuntur, ac reſoluunt, vt ſunt Manna, Caſſiæ ſiſtularis interaneus liquor, ſyrupus ex 9. infuſ. roſ. Violæ conditæ, ſerum, pruna, ſenna, & ſi quæ alia: hæc enim cùm vires admo-dum languidas habeant,eorum facultas,antequã ad mam-mas perueniat, deperditur, aut ita obtunditur, vt exigua admodum, aut prorſus nulla in lacte ſuperſit. Si ergo

exſoluentia

exſoluentia pharmaca naturæ noſtræ aduerſantur,& cùm minimè nutriant, in ſanguinem verti nequeunt: & clementia,debilia cùm ſint, ſanguinem & alios ſucco s ad tertiam vſque coctionem non alterant, quorſum nutrici porrigenda? Rurſus. Licèt ſcammonio, colocynthide, ſucco cucumeris, ſylueſtres capræ pro alimento vtentes, lac reddant pueris ſuis purgatorium, in muliere videtur impoſſibile,quum hæc vtpotè venenata,nec in ſanguinē, aut lac verti poſſint; nam ſi mediocria medicamenta humorem noxium non attrahunt,ſi ab operatione fruſtrantur,ſed in purgandum humorem conuertuntur, quid de deleteriis dicendum,quæ auctore Magiſtro 6.*epid. ſect.* 6. *com.*5.vel per ſedem infuſa vehementer nocent, & febrē malignam accendunt? Quapropter ſi puerile corpus, & lactans,oppletum ſit vitioſis humoribus, medicamentum nutrici exhiberi non debet,niſi pro ſui corporis purgatione,ſi fortè prauis ſcateat humoribus; tunc enim exhibito medicamento purgante,ſanguis purior redditur,& excretis recrementis vitium deponit,lacque hoc modo redditur laudabile. Hæc eſt horum virorum circa hoc argumentum opin.o conſtans.

At nos qui Diuini Hippocratis ſenſa penitiùs abſtruſa rimamur, & eius edicta colimus, complectimur, veneramur. Contrariam omninò, & huic aduerſam ſententiam fidiſſimo nixi experimento approbandam cenſemus. Ille enim *in lib. 6. epid. ſect. 5. text. 35.* ſic inquit. *Mulier, capra,elaterium, aut cucumerem ſylueſtrem comedentes, pueris purgatio, &c.* Continent hæc verba optimam quandam rationem expurgandi lactantes infantes, qua Medici frequenter vtuntur, dato ſcilicet pharmaco ipſi nutrici, quia lac induit expurgatoriam medicamenti facultatem; vt eruditiſſimè Valleſius, & Fuchſius explanant *in com.* Cùm enim infantes ob patiendi facilitatem, labores & ſymptomata quæ vteri ratione patiuntur, humiditatum copiam ab vtero contractam(quæ quidem caloris natiui poteſtatem obruit,& obtundit)& cruditatem, infantilium morborum potiſſimam cauſam, generent, & plurimis morbis ſint expoſiti, in nutritione, ſuctione, dentitione, & loquela; & ob teneram ætatem, medicamenta purgatoria nec aſſumere, nec ad actum deducere queant; morbuſque vrgeat; cæteráque ex victus regimine, clyſmatis, ſanguinis extractione, attemperantibus ſerapiis, apozematis, aquis ſtillatitiis, pot'bus iuruſlentis petita, non proſint auxilia, quid reſtat exſequendum, niſi nutricem leuiter expurgare, vt medicamenti facultate in ſanguinem, & lac ſpirante, hoc reddatur purgatorium; quo ſucto, infantium morbi miteſcant, & noxio leniter vacuato ſucco, radicitùs extirpentur?

Hanc auream Hippocratis ſententiam Galenus *in com.* approbat, exemplis roborat, & confirmat, dum ſic inquit. *Non Elaterio duntaxat, quod cucumeris ſyluatici ſuccus eſt, quemadmodum neque ipſo cucumere ſolùm veſcentes, lac puerorum lactentium purgatorium redditur, verùm etiam ſi quod aliud medicamentum ſubductorium,quod vocant, aſſumpſerit.Siue autem à muliere elaterio, à capra ipſo cucumere,ſiue vtroque ab vtraque comeſo,infantes earũ lacte purgari dicat,nihil intereſt.Conducit autem hæc oratio ad Medicorum vſum:Infantulos enim purgare volentes,aut matri infantulum lactanti,aut capræ,eiuſmodi aliquid eſui dantes,ſic eos purgabimus, &c.* Cùm enim infans lactens febricitat, eſt neceſſe lac mulieris rectificare, exhibito medicamento quod vacuando noxios humores, ſanguinem ab horum ſpurcitie immunem reddat, & ex conſequenti purum lac, vt Auicen inquit 1.4.*tract.* 2. *cap.* 7. Hoc etiam conſilium repetit Galenus *lib.* 3.*de alim.facult.*15.*In diſcutiendis ergo puerorum morbis, quoniam ea ætas medicamenta reſpuit,ac auerſatur,eo vtor ſtratagemate,*inquit Lemnius doctiſſimus *lib.4.de occult, nat. miracul.cap.*25. *vt nutricibus ea præſcribam;ſtatim enim diffuſa per ſanguinem (ex quo lac conficitur) medicamenti vis vbera ſubit, ac lac illius qualitate imbuit,ita vt quaſi purgatrix ſit medicina,puero aluũ ſoluat.* Non ergo errant,ſed Hippocratis, Galenique doctrinam imitantur,qui pro curatione infantium,nutricibus medicamenta propinanda eſſe conſuluere; vt contendit Mer-

A curialis *in epiſtola 5. ad Petrum Monauium miſſa,& à Ioanne Cratone publicata.*

Neque negandum eſt hæc medicamenta nutrici offerenda,non debere eſſe fortia, ne fortè lac inquinent,corpus calefaciant,ac perturbent; ſed mitia & benigna, quæ vaporoſa ſua ſubſtantia per inſenſiles meatus, à ventriculo ad mammas, & ob conſenſum, ratione viciniæ, poſſunt lac inficere, & purgatrice facultate id imbuere. Quòd ſi hanc facultatem purgatricem, communicatam per venas ſanguini, hunc inficere etiam, & remanere in eo tanto tempore, quouſque ad lac conuertatur, aſſeueres, tutus incedes. Licèt enim violenta pharmaca, quibus ferè priſci vtebantur, non nutriant, neque in ſanguinem, aut lac conuertantur, expurgare tamen queunt: cùm enim morentur in ventriculo, facultatem B ſuam ſanguini, & lacti communicant. Num verò ſanguis & alij ſucci ſeruent facultatem eorum quæ ingeſta ſunt, vſque ad tertiam coctionem, (hoc enim aduerſarij putabant eſſe falſum) Reſpondet Galenus *loco cit.epid.In alimentis poſt coctionem,& in ſanguinem conuerſionem, validas vires remanere* aſſeuerans,*adeò vt & ſudores ipſos redoleant: nam in iſtis comeſorum qualitas ſeruata reperitur. Sic capra verno tempore Scammoniæ germina depaſtæ lac purgatorium generant.*Sic apud Indos animalium carnes, pulpam Caſſiæ continuò edentium, purgandi facultatem non exiguã obtinent.Necnon in Doride, & Bœotia, multi ex coturnicum eſu conuulſionibus capti ſunt, nam ob veratri paſtum, quo illæ maximè delectantur, malitiam hanc illis ineſſe, priſci docuere, latiùs *lib.* 5. *in com. hiſtor.* 26. referendi.Purganda ergo nutrix eſt,affecto infante, quod conſilium opere ipſo obſeruauit Iacchinus *lib.* 9. *ad Al-* C *manſ.in com. cap.* 24. *propè finem*, qui in tranſmutatione ſubſtantiali non omnia priora accidentia deperdi,ſed multa reſeruari arbitratur.Lege Ioan, Ceckium *lib. de puer. valetudin.tuend.rubric.*10.& 20.

HIST. XXXII. AVENZOARIS, De Phthiſi.

Phthiſis, panis benè fermentati cum oleo, & ſaccharo roſaceo, vſu perſanata.

D *ETiam recordatus ſum,quod pater meus dicebat mihi,quòd pater ſuus habuit quendam Hiſpanum in cura,qui patiebatur hanc ægritudinẽ,& extennatus fuit in tantum quòd tota caro eius conſumpta fuerit: & anus meus ipſum taliter curauit,ſcilicet quia cibabat eum pane benè fermentato cum ſaccharo roſaceo, & pane ſimiliter benè fermentato cum oleo oliuarum;& taliter reſumptus fuit, & ſuam recuperauit humiditatem, nec ei ſuperuenit aliquod accidens malum, & vixit poſteà tam longum tempus, quòd Medicus qui curabat eum, obiit ante ipſum:& poſteà diu remanſit in manibus patris mei, & obiit ad vltimum ex alia ægritudine, & non ex iſta. Et mihi ſimiliter quando incepi practicare, ſuperuenit ad manus meas quidam,qui patiebatur talem ægritudinem, & iniui regimen dictum:& receſſit tuſſis ab eo, & impinguatus fuit, & rediit ad operandum artem ſuam, & ad exercendum omnes* E *operationes ſuas,& ſic vixit poſteà longo tempore, &c. Auenzoar.*lib.1.Theizir,tract.11.cap.2.poſt med.

PARAPHRASIS.

LIcèt plures ſint tabis ſpecies propoſitæ à Celſo *lib.* 3. *cap.*22.quarum prima Atrophia eſt, ſecunda Cachexia, tertia Phthiſis; & ab Hipp.*lib.* 2. *de intern. affection. num.*11.12.& 13.& *lib.* 2. *de morb.num.*54.& 56. Ex quibus oritur prima, aliæ deſcribantur, quum pituita à capite in pulmonem confluit; ſecunda, à labore; tertia à ſpinali medulla, quæ maximè corripit recentes ſponſos, & Veneri deditos. Nos per tabem intelligi volumus, Phthiſim, hoc eſt, vlceroſam in pulmone diſpoſitionem, quam Galenus *lib.7.aph.cõ.*16.*totius corporis extenuationem eſſe*

eſſe dicit,cum febre tenui,& exigua,conſequentem ad inſanabilia pulmonis vlcera,vel ſi pulmonis vlcerolam voces diſpoſitionem, vera dices:ita enim eam vocauit Gal.*l.*5.*aph. com.*11.*& lib.* 3.*eiuſd.com.* 10.cuius ſententiam Paul. *lib.* 3. *cap.*32.Aëtius, cæteríque Medicinæ duces ſunt amplexi. Eſt ergo exquiſita Tabes,*corporis conſumptio cũ febre lenta, ex pulmonis vlcere ſuborta*.de cuius cauſa,ſpeciebus,ſignis, & cutatione, Auctores proprium caput conſcripſerunt, inter quos præcipui extant Fernel.*lib.* 5.*patholog. cap.* 10. Iacchin.*in lib.*9.*Raſis ad Almanſ.cap.*37.Altim.*lib. de cur. human. corp. malis*, *cap.* 53. Holler.*lib.* 1. *de morb. intern. cap.*26.Ludouic.Mercat.*lib.* 2.*de morb.intern.*9.Mercurial. *lib.*2.*praxis,cap.*4. qui omnes humectandum eſſe corpus humiditate naturali, per inſtaurationem naturalis humoris; ac etiam externa humiditate, iis exhibitis auxiliis, quæ ſiccitatem extraneam remouere queant, aſſeuerant: quæ autem ſit humectantium præſidiorum ſylua,retulere Trincauel.*lib.*1.*conſil.*16.Valleriol. 2.*obſ.*3.*& lib.* 3.*obſ.*6. *& lib.*5.*obſ.*5.Mercurial.*lib. de morb. puer. cap.* 3. *de macie.* Ludouic.Mercat.*lib* 2.*de puer.morb.cap.*17. *de contabeſcentia.* Syluatic. *contron.* 7. Sebaſtian. Auſtrius *lib. de morb. puer.cap.vlt.*

DVBIVM XXI.

Num panis azymus ſit melior fermentato, vt voluit Celſus. Contra Bruyerinum.& Syluaticum, Medicos eximios.

AVctor tria pro huius macie curanda propoſuit,Saccharum roſaceum,panem benè fermentatum cum eo,& oleo oliuarum.De primo auxilio in ſequenti hiſtoria agemus.De pane quòd plurimùm nutriat,eſt expreſſa ſententia Galen. *lib.*1. *de alimentorum facult. cap.* 1. Nam moderatum alimentum præſtat, & omni ætati, omnique tempore conuenientiſſimum, cùm ſit omnium ciborum veluti materies. *I*s licèt ex variis cerealibus fieri poſſit, inoleuit tamen vſus eum appellare panem, qui ex tritico fit, hoc autem debet eſſe durum, graue, denſum, plenum, mundum,cribratum;à cortice purgatum, nec ſuſpectum, tenuiſſimè molitum, aqua puriſſima collectum, ac ſubactum,nec damnatis lignis concoctum, ex quo fit panis, qui moderatam ſalis,& fermenti anteà ſuſceperit quantitatem. In clibano ſit coctus, nam modicè, intrà & extrà aſſatur,qua ratione eſt eſui aptior, cùm ſuauior ſit ac dulcior, & ſic ſaluti conſeruandæ vtiliſſimus. In furno verò coctus non ita probum præſtat alimentum; ignis enim ardentior primo ſtatim occurſu ſuperficiem externam circumurens, in teſtæ modum indurat, internam autem relinquit crudam,& illaboratam.

Sed cùm multùm differant clibanus,& furnus, explicandum hoc eſt, ſimúlque quæ fuerit olim panis concoquendi ratio. De primo. clibanum, ſiue cribanum, diſtinguunt quidam, idem tamen ſignificare, & eſſe, pleráque veterum teſtimonia ab Athen.*lib.*3.*dipnoſ.cap.* 15. prolata demonſtrant.Sic & Euſtach.*lib.*1.*Iliad.&* 4.*Odyſſ.* §.*Non enim dico furnum, quoniam clibanus furnus non eſt, quum panis clibanaceus,& furnaceus inter ſe differant,&c.*id probatur ex Plin.*lib.*18.*cap.*11.& Iul.Polluc.*lib.*6.*cap.*11. qui furnum, & clibanum ſeparantes, furnaceũ panem in furno coctum non facilè confici, clibanitem autem facillimè concoqui, eſséque probatiſſimum, illóque laudabiliorem confirmarunt.

Grammatici Græci ita definiunt. Clibanus mobilis eſt, & quaſi paruus furnus,teſtáque aliquando tegitur,& ferè è metallo fit; interdum tamen ex lapide conſtat,non tam pane, quàm aliis dapibus conficiendis idoneus. Sed hæc definitio ex more eſt noſtro, non antiquorum,apud quos vſitata panis ſub clibano coquendi ratio. Alij meliùs, & ad veterum conſuetudinem aptiùs, ſic definiunt. Clibanus eſt coquendis panibus ænei vaſculi deducta rotunditas, quæ ſub vrentibus flammis ardet intrinſecùs: à Catone *lib.de ruſtic. cap.* 74. 75. 76. teſtus vocatur, à teſta, quâ cooperiebatur,opinor.Furnus quid ſit,non eſt neceſſe explicare: quid enim ſit, quis non nouit?

De ſecundo. Triplex fuit olim panis coquendi ratio: Prima clibani, in quo deinceps cœptum eſt piſces, & carnes, quæ xeniorum loco ſolita erant amicis mitti, coqui. Altera fuit coquendi ratio panis in furno, quæ penè ſola apud nos modò retinetur: Caminites, & ipnites panis hic dictus. Forni autem olim dicti, vt fornaces, à forno. Alij à furuo, id eſt obſcuro, & nigro dictum volunt ob fuliginem, ſiue obſcuritatem loci. Varro *lib. de vita populi Romani*, Cocula, quæ coquebat panem, primùm ſub cinere, poſtea in forno. Tertia erat coquendi panis ratio in Artopta; vas erat in quo torrebatur panis, vt oſtendit Pollux *loc. cit.* & verſus eſt Plaut. *in Aulul.* à Plin.citatus *lib.*18.*cap.*21.

Athen.*lib.*3.*cap.*16. à clibanaceo, & furnaceo diſtinguit: apud quem genera panum diuerſa in gente Græcorum præſertim inuenies, *cap.* 15. *&* 16. & apud Plin. *lib. & cap. cit.* varietatem coquendi panis in furno; quo in argumento nonnulla Brodæus notauit, longè ante in Græcis lexicis obſeruata,& præclarè Mercurialis,*cap.* 12. *lib.*1.*variar.lect.*expoſuit.

Panis ergo hic clibanita, ob dictam cauſam omnium probiſſimus eſt, eúmque extollit Gal.*lib.*1.*de alim.facult. cap.* 2.*cit.* §. *Priuato autem, & ſeni, qui belliſſimè quidem in clibano eſt aſſatus, &c.* & *lib. de bonit. & vit.ſuccor.cap.* 2. §.*Igitur inter frumentacea, cibum exhibent ſucci boni panes puri, ritè confecti,quorum & in clibano coctura ſit,& ante id ſubactio, tum fermento conſtent modico, ſaliſque mixtura: ſecundas ab his obtinent furnacei, &c.* & *lib. de attenuante vict. rat. cap.* 6. §. *Sola autem præparatio eſt probanda, quæ fermento conſtat, ſale, & clibano, &c.* idem alibi ſæpè aſſeruit.

Hic cùm extrahitur è furno, pannis cooperiendus eſt, ne fortè ab aëre ambiente præcluſis poris, vaporis impediatur exhalatio. Non edatur calidus: nam nimis inflammat. Nec ſit eiuſdem diei, quoniam ponderoſior, ægriúſque coquitur,ex Gal.2.*acut.* 36. *&* 3.*alim.* 15. & Hipp.*lib. de intern. affection. num.* 46. Sicut nec vetuſtior, quia in coctione ſua plurimum ventriculo negotium faceſſit. Recentis ſolum odorem, ad collapſas tabidorum vires refocillandas, & ad citiſſimam ſpirituum alimoniam reparandam, eſſe præſtantiſſimum præſidium, probat Marſil. Ficin. *lib.* 2. *de ſtudioſor. ſanit. tuend. cap.*18.§. *Odorem verò omnem, quia pars corporis ſubtiliſſima eſt, ſcitote nonnihil habere caloris, atque ex rebus quæ ipſæ nutriunt, odores ſperate potiùs nutrituros, vt ex aromatico pyro, pomóque perſico, ſimilique pomo:magis autem recente pane calente, &c.* Nam vt ſapor, qui maximè placet, plurimi velocíſque nutrimenti cauſa eſt, ſic odorem ad ſpiritum ſe habere dicendum eſt: valente enim, ac ſuauiter olente vino, odoriferáque roſacea imbutus panis recenter è furno extractus, & naribus admotus, natura ſua ſpiritus iamiam exhauſtos recreat, & inſtaurat per odorem. Vbi igitur ſpiritus exiguus eſt, vel fugaciſſimus eſſe deprehenditur, vt in tabidis, ſyncopticíſque parua de cauſa contingit, panis odore extrinſecùs obiecto, neceſſe eſt ſpiritum reſolutum retinere, ac reficere. Huius olfactu Democritum, triduo vitam prorogaſſe, fatetur Diogenes Laërtius *in eius vita*: Cùm enim iam ex ſenio deficeret, & propinquus videretur morti, mœrentem ſororem, quòd ille in celebritate Cereris moriturus, & ipſa Deæ vota exſoluere nequiret, bono animo eſſe iuſſit, panéſque calidos ſibi quotidie afferre:eos igitur naribus quum admouiſſet, viuum ſe, dum ea celebritas tranſiret, ſeruauit. Vbi verò dies illi tranſierunt(erant autem tres) quietiſſimè, ac minimo dolore concluſit vitam, 109. ætatis anno. Extat ſuper hac re Græcum eiuſdem Laërtij epigramma, ſic Latinè conuerſum:

Quiſnam tam patiens viſus, qui tale patrarit
Vnquam, quale ſciens omnia Democritus?
Qui per tres tenuit præſentia fata dies, &
Illa recens cocti panis odore aluit,

Sunt & qui dicant, id mellis odore feciſſe. Neque hoc citra rationem ſibi conſuluit, nam mel vino liquefactum calenti pani infuſum, odore ſuo cor mirandum

in

in modum roborat, & ſpirituum ſubſtantiam deperditam reſarcit; flos namque florum mel exiſtit, nec parum nutrit dulcedine ſua, ac diu res integras à putrefactione tuetur. Num verò panis recens, ſalubrior ſit pridiano, agitat acutiſſimè Ludou. Nonnius *lib.* 1. *de re cibar. cap.* 2.

Sed vt ad panem noſtra redeat oratio, huius cruſta reproba eſt, & mali ſucci, bilem enim aduſtam, atque ſuccos melancholicos generat; nam ambuſta tum ad ſucci bonitatem, tum ad concoctionem inepta, auctore Gal. 4. *acut. text.* 102. cenſentur eſſe; nimíſque exſiccant; & humorum acrimoniam pariunt. Quapropter panis ſit optimè fermentatus, nam leuis eſt, apud Hipp. *lib.* 2. *de diata, num.* 10. ex quo fieri ſanguinem laudatiſſimum, ſi triticum purum ſit, & electum, teſtis eſt Gal. *lib.* 3. *de alim. facult. cap.* 26. Per panem autem fermentatum, eum intelligimus, qui fermenti quod ſat eſt habuerit; ſic enim panis meliùs nutrit, cùm calidior ſit, leuior, & ſic citiùs à natura amplexus, promptiùs coquatur, & diſtribuatur, ex Paul *lib.* 7. *tit. de fermento.*

Porrò ſi fermenti naturam intimiùs fueris perſcrutatus, hoc verum eſſe inuenies. Fermentum enim eſt maſſa illa cruda in acorem conuerſa, imò verò eſt ipſa corruptio, vt ſcribit Plutarch. *in fin. probl.* quo loco priſcos non fuiſſe vſos fermento, quoniam fermentatio eſt quædam veluti corruptio, aſſeuerat. Eſt igitur fermentatio, vt dicebat Plato *in Timæo*, partis terrenæ motio, & in aërem conuerſio: cùm enim fermentum ſit corpus acidum, illius acoris vi ac efficacia, ipſam farinam quodammodo calefacit, atque attenuat, ſicque maſſa attollitur & amplificatur; quare ab aceto humorem melancholicum fermentari, feruere, & ebullire veteres affirmarunt. Cùm enim fermentum aciditatis cuiuſdam frigidæ, & caliditatis ex putredine particeps ſit, auctore Magiſtro *lib.* 6. *ſimpl. tit. de fermento, &* *lib.* 1. *de alim. facult. cap.* 2. ſitque tenuium partium, mediocriter calidum, ſine moleſtia ac mordacitate, quæ in profundo ſunt, extrahit, coquit, digerit; & panis fermenti cauſa ratus ſit, & ſpongiæ inſtar attollitur in ventriculo, & in eo ex omnibus ſui partibus calorem admittit. Qui autem ſine fermento eſt, ita cogitur, ac reſidet, vt vix coquatur, ſuccúmque adeò craſſum gignit, vt nec in corporibus ſanis per anguſtiores venas attrahi poſſit: vnde qui fermento omninò caret, nemini prorſus eſt accommodus, & vt Auicen. inquit *lib.* 2. *cap.* 573. niſi multo labore fatigetur; qui eo vtitur, promptiſſimè læditur; iecoris enim meatus, per quos fertur alimentum, obſtruit, lienis imbecillitatem auget, calculum gignit, ſtomachum grauat, *vt lib.* 5. *colliget, cap.* 26. Auer. docet, & non ſiluit Raſius *lib.* 3. *ad Almanſ. cap.* 3. Quare ſi non ſit nimiúm fermentatus, probè alit, ex Auer. *lib.* 3. *collig.* 31. de cuius vario parandi modo, lege cardan. *lib.* 1. *contrad. tract.* 5. *cont.* 7. & maximè ſi ſit ſubactum cum oleo Oliuatum, quod cùm ſit lentum, craſſum, & viſcidum, humidum noſtrum primigenium, quod aëreum eſt, & oleoſum, nutrit, inſtaurat, & tabidos craſſefacit, & impinguat.

Sed quid reſpondebimus Celſo, *lib.* 2. *c.* 28. qui panem fermentatum corruptioni eſſe facillimum, non fermentatum verò minùs intra corpus vitiari, putredinique minimè eſſe obnoxium aſſeuerat? Dic Celſum, panem nimis fermentatum reprobaſſe, quia parùm nutrit, & non roborat vires, vt firmant Iſhaac *lib. Diætar. particular. tit. de Pane,* Auer. 5. *collig.* 31. Ex his apparet, citra rationem Celſum dannari à Bruyerino, *l.* 6. *de re cibaria, c.* 6. *de fermẽto,* Ronſſ. *in com. Celſ.* Baptiſta Syluatico, *contr.* 6. *in med.* cùm hac ſolutione cum Galeni ſententia ipſe ſit conformis.

HIST. XXXIII. AVICENNÆ, De Phthiſi.

Phthiſica, ſolius ſacchari roſacei vſu, omninò perſanata.

*ET ſi non timerem dici mendax, narrarem in hac intentione mirabilia, & referrem ſummam qua vſa eſt mulier Phthiſica. Peruenit res ad hoc, vt ægritudo prolongaretur adeò, donec perueniret ad mortem, & vocaretur ad ipſam qui præpararet ea quæ morti erant neceſſaria; tunc quidem frater eius ſurrexit ad eam, & curauit eam hac cura tempore longo, & reuixit, & ſanata eſt, & impinguata: & non eſt mihi poſſibile, vt dicam ſummam eius quod comedit de * ſaccharo * roſaceo, &c. Auicenna* fen. 10. 3. tract. 5. cap. vlt. & cap. 18. iuxta fin.

DVBIVM XXII.

Num Phthiſis aliquando curabilis.

PARAPHRASIS.

PHthiſicos nonnullos, vitam in multos annos produxiſſe, auctorum teſtimoniis conſtat manifeſtè. Auic. ſic 10. 3. *tract.* 5. *cap.* 18. inquit. *Et quandoque accidit phthiſico, vt protendatur cum eo phthiſis, producens cum ſpatio temporis, & ſimiliter extenditur à iuuentute vſque ad ſenectutem: & ego iam vidi mulierem vixiſſe in phthiſi, circiter viginti & tres annos, aut plus parùm, &c.* quam hiſtoriam vtpotè huic conſimilem, inexplicatam reliquimus. Eam experimentis ſuis firmarunt, Matthæus de Gradi, *in lib.* 9. *ad Almanſ.* Raſis, *in com. cap.* 54. vbi furnariam phthiſi correptam, plus viginti octo annis vixiſſe affirmat, cum Iulio Alexandrin. *in com. c.* 14. *lib.* 5. *meth. Gal.* Nec diſſuadent experimenta Deſiderij Iacotij *in com. ad aph.* 12. *ſect.* 2. *lib.* 6. *Coacar. Hipp.* Petri Foreſti *lib.* 16. *obſer.* 55. Gentil. *ad cit. loc. Auic.*

Phthiſicos, vel etiam quibus dimidia pulmonum pars erat amiſſa, deploratos, reſtitutos fuiſſe, & verè ſanatos hìc aſſeuerat Auicenna. Eius dicta veriſſima eſſe, locupletiſſimi, & haud infimæ notæ viri literarum monumentis conſignarunt. Raſis *lib.* 4. *continent.* puerum phthiſicum ætatis quinque annorum, lactis primò caprini, deinde aſinini vſu perſanatum fuiſſe refert. Foreſtus *lib. obſ. cit. obſ.* 58. vitellis ouorum cum ſulphure viuo, ſuperbibitis cyathis aquæ roris ſolis, & aliquando diſtillatitia limacum, quendam deploratum cui oſſa crepitabant, vixiſſe conteſtatur. Et plurimos conclamatos, aqua ſulphuris ſpagyrica enchiriſi extracta, tanquam præſtantiſſimo cardiaco auxilio conualuiſſe à phthiſi, probat Hieron. Rubeus *lib. de diſtillat. ſect.* 2. *cap.* 24. Monardus *lib.* 3. *de medicament. ex nouo orbe delatis, circa fin.* Phthiſicum, cancris, qui ſolùm ouis columbinis, & earum recens excluſis pullis veſcuntur, Medicorum conſilio nutritum, optimè conualuiſſe. Lactis vſu ſanatos fuiſſe plurimos referunt Valleriol. *lib.* 2. *obſer.* 3. *& lib.* 3. *obſer.* 6. *& lib.* 6. *obſeru.* 9. Michaël. Ioan. Paſchal. *lib.* 1. *de curand. morb. cap.* 29. Valeſcus Tarantin. *lib.* 3. *cap.* 2. veros phthiſicos puluere Haly perſanaſſe gloriatur. Hos, vſu decoctionis ligni ſancti curaſſe conteſtantur, Philippus Ingraſſia, *in conſilio Ducis à terra noua,* Franciſcus Arcæus *lib.* 2. *de curand. vulnerib. cap.* 2. Hieronymus Fracaſtor. *lib.* 3. *de contag. cap.* 8. Aloyſius Mundel. *epiſt.* 3. Thomas Eraſt. *lib.* 3. *conſilior. publicatorum à Laurentino Scholtzio, conſilio* 8.

Obſeruatio VII.

Phthiſis, Ebeni decocto curatur.

QVotidie mirabilia contingunt in arte noſtra, quibus Medici peritiſſimi reluctantur ſagacitate mira, nouiſſimis auxiliis ſtrenuè muniti. Dum hæc contemplor, acceſſi ad curationem Iuuenis, qui ex ſalſa diſtillatione, præcedente ſanguinis ſputo ex carnis pulmone educto, huius viſceris vlcere ſordidiſſimo diu immaniter vexatus, in phthiſim incidit, ad extremam maciem redactus, quem puſilla comitabatur febricula. Pro huius curatione generoſa præſidia celebrata: electuaria reſumptiua, lactis aſinini, & caprini potus diu imperatus, ptiſana, amylum. Abſtergentia varia, & vlcus repurgantia aſſumpta. Conſeruæ, tabellæ, vnguenta, pulueres,

&

& emplaſtra adminiſtrata, quæ robur corpori præbent, & humiditatem primigeniam deperditam relarciunt, & vlcus à ſorditie mundant. Omnia fruſtrà. Tunc in conclamato caſu, decoctum ligni ſancti, cum medicamentis pectus mundificantibus attemperatum, ſenſim ac ſine ſenſu exhibeo, cuius potu ſuauiter mouebatur ſudor. Hic præter ſpem in minori copia pus excernens, primò febricitare deſiit, & obducto cicatrice vlcere, reſtaurantibus renutritus, pinguiuſculus factus, duorum menſium ſpatio curatus, nullam poſteà paſſus eſt recidiuam. Ex hoc felici euentu audacior factus, quinque in vita mea vlcere pulmonis laborantes, hoc præſidio, reliquis non conferentibus, Deo auſpice, ad ſanitatem perduxi.

Hoc auxilium in doloſis vlceribus, vel citra Gallicæ luis ſuſpicionem, in qua tantoperè prodeſt, ſæpius ſum expertus cum vtilitate ſumma; quo ignorato, vel non celebrato ab Hipp. *lib.5. epid. num.3.* mortuus eſt ex ſuppurata coxa Eupolemus: quem locum Valleſius interpretatur *in com.* de qua re lege Iacotium *ad Coacas Hipp. pag.228. in com. text.39. lib.4. com.1.* Nonne vlcus verum pulmonis, vſu radicis Chynæ, & Smilacis aſperæ curandum docet eruditiſſimus Heurnius *in com. text. 9. lib.5. aph.* cuius auxilij vi ſe iuuenem tabidum perſanaſſe ibidem inculcat? Nónne Thomas à Veiga, *in com. cap.5. lib.2. Galen. de dif. febr.* febrem hecticam ex vlceribus internis ſubortam, decocto ligni ſancti eſſe curandam docuit? ſi ergo phthiſici, hoc, & aliis præſidiis ſanari queunt, non ſunt ab intrinſeco incurabiles, vt docuit Cardanus *in com. ſententiæ 11. lib.5. aph.* Neque Galenus *lib.5. meth.8. 11. & 12.* cauſas ſanationis vlcerum pulmonis ex profeſſo recitans, illa impoſſibilia eſſe ad curandum, ſed difficilia exiſtimauit. Sic enim ait. *Quod verò huiuſmodi vlcera, vel difficulter, vel planè nunquam ſanari poſſunt, hoc in cauſa eſt, &c.* & pauiò *infrà.* §. *Et quæ hæſerunt in pulmone vlcera, difficiliora ſunt ad ſanandum, &c.* Hanc eſſe Galeni mentem probant Oribaſius *lib.9. ſynopſ. cap.1.* Aëtius *tetrab.2. ſerm.4. cap.67.* Celſus *lib.6. cap.26.* Vlcera ergo pulmonis, non vt inſanabilia ſunt iudicanda. De qua re vide Mercurialem *lib.2. praxis, cap.7.* Ludouic. Mercat. *lib.2. de morb. intern. cap.9.* Craton. *in conſil.152. Montani.* Valleriolam *lib.5. obſ.5.* Marcel. Donat. *lib.2. de hiſt. mirabili, cap.10.* cum Iacobo Auberto *quæſt.15. in Fernel. lib.1. de abdit.* & omnium elegantiſſimè, Syluaticum *controu.59.*

Sed quod huic miſerando morbo auxilium ſupereſt, ſaccharum roſaceum exiſtit; cuius laudes miris celebrant encomiis auctores omnes: nam Conciliator *dif. 194.* refert, ſe phthiſicum adoleſcentem ſolius ſacchari roſacei vſu perſanaſſe: cuius vim, & efficaciam miram multis laudum præconiis, pro hoc curando affectu, decantant, Harculanus *lib.9. ad Almanſ. cap. de Phthiſi*, & non ſiluit expertiſſimus Meſuës, *cap. de phthiſi*, dum ſic ait. *Et ex rebus mirabilis iuuamenti ad conſolidationes, & ſanationes vlcerum pulmonis, eſt ſaccharum roſaceum recens, ſuper quod non præteriit annus; aggregatur enim in eo virtus abſterſionis ex ſucco roſarum, & virtus conſolidationis ex parte ſubſtantiæ roſarum; & noſti quòd virtus abſterſionis ex roſis propter antiquitatem abſcinditur, quæ adhuc poſſidetur in recentibus. Et Galenus quidem præcipit dari ſaccharum roſatum ſingulis diebus in quantitate plurima, etiàm cum rebus medicinalibus cibalibus, & potabilibus, ſecundùm omnem modum adminiſtrationis eius, ita quod cum pane etiam. Et vſi ſunt eo poſt ipſum plurimi, & non eſt comprehenſibilis eorum numerus, qui ſanati ſunt ex vſu eius, tamen priùs mundificationibus præcedentibus. Falluntur enim eo vtentes à principio, dum mundificatio non præceſſerit; coarctat enim in pulmone materias. Nos autem dedimus cum lacte calido non febricitantibus: febricitantibus verò cum aqua hordei decoctionis cancrorum fluuiatilium, & aliis multis modis adminiſtrationum, & inuenimus eſſe medicamentum vltimum, &c.*

Nec deeſt experimento ratio: quoniam ſi febrim, & emaciationem ſpectes, refrigerante & humectante victu opus eſt, ſi verò pulmonis vlcus attendas, ſicca victus ratio conueniet. Verùm cùm vlcus, febris & extenuationis cauſa ſit; & emaciatio ac febris in affectu iſto, pulmonis vlcus, velut ſymptoma morbum ſequantur: indicatio quæ ab vlcere ſumitur, indicationem ſumptam à febre obumbrabit; licèt quæ à febre ſumitur indicatio, negligenda non ſit. Quare eligendum eſt medicamentum, quod modicè refrigeret, ob febrim; ob vlceris ſaniem, detergat; & ob ſolutionem continui, glutinet. Has omnes dotes habere hoc alimentum, nulli eſt non manifeſtum: nam ratione roſæ, infrigidat, humectat, glutinat: abſtergit, & repurgat ratione ſacchari, & roſæ. Has enim vires ineſſe roſis firmant Dioſcorides *lib.1. cap.130.* Galenus *lib. de Medic. facile parabilib. cap.165.* Auic. *lib. de virid. cord. tract.2. cap. de roſa.* Meſuë *diſtinct.4. de conditis, tit. de ſaccharo roſato*, explanant diligenter Dioſcoridis interpretes, & inter omnes Monard. & Bald. Ronſſeus *libello proprio de Roſis.*

Siue ergo ſaccharum quàm albiſſimum inſtar farinæ tenuiſſimæ teratur, atque ſuperinfuſo tanto roſarum ſucco, quantum ſat ſit, vt placentulæ, aut panes varia forma conficiantur, qui in ſole quoad ſiccescant, operti linteolo dimittantur, reponantur, & toto anno conſeruentur: vel roſæ recentes exungulatæ cum ſufficienti ſacchari quantitate, tritæ in mortario, reponantur in vaſe vitreo cooperto, menſibúſque tribus inſolentur; vel roſæ calida aqua ablutæ cum ſaccharo permixtæ, ad ignem lentum coquantur, quod non probo (tenuis enim roſarum vis, & in ſuperficie conſiſtens, ablutione, & coctione facilè euaneſcit) quocunque modo pares, ventriculum, cor, viſceráque reliqua firmat, bilem furentem mirificè compeſcit, ardentibus febribus remedio eſt, cardiaca vi membra interna tuetur, & phthiſicis eſt tutiſſimum, præſentaneúmque auxilium.

Hoc celebrandum eſt ſeruatis conditionibus tribus, quarum prima eſt, vt vlcus ſit priùs exactè abſterſum. Secunda, vt primis diebus recentior conſerua offeratur, quia plus detergit: nam roſarum ſuccus à Galeno numeratur inter ea, quæ internis vlceribus opitulantur abſterſione ſua, *lib.4. meth. cap.7.* Tertia, vt proceſſu temporis vetuſtior propinetur, quoniam exſiccat, & glutinat: ſi enim tempeſtiuè illa in hoc affectu vtaris, ſalutiferum ſemper inuenies auxilium, vt probant Alexander Maſſaria *lib.2 praxis, cap.7.* Petrus Poterius *lib. obſeru.22.* Fernelius *conſil.19.*

DVBIVM XXIII.

Num ſaccharum frigidum ſit.

COMMENTARIVM.

SAcc*haro.*] De ſacchari artificio, inuentione, vtilitate, & vſu nihil à me modò in medium proferendum, cùm de hoc negotio plura literis commendarint Dioſcoridis interpretes: Bernardus Deſſenius *lib. 3. de compoſit. medicamentorum, in appendice oxyſacchara compoſita Nicolai.* Langius *lib.1. epiſt. 63.* Hermolaus Barbarus *lib. 2. corollarior. in Dioſcorid. cap. 306.* Ioan. Brauus *lib.2. de ſimpl. Medic. delectu, cap. 18.* & alij. Solùm de eius temperamento, quod dulciſſimum, candidiſſimum, atque præſtantiſſimum eſt, paucula quædam proferemus in lucem. Nam Galenus *lib.8. meth. cap. 4.* ipſum febricitantibus exhibet, tanquam medicamentum citra calorem detergens, & ab obſtructionibus quàm maximè liberans, & Auic. *lib.2. tract.2. cap.755.* Saccharum tabarzet natura frigidius eſſe affirmat. & 6. 3. *tract. 1. cap. 19. de aduſtione linguæ*, ad ſedandam ſitim ſaccharum proponit, tanquam medicamen infrigidans, humectans, & humoris calidi acrimoniam contemperans: nam ſi ſaccharum frigidum non eſſet, materia medicamentorum eſſe non poſſet.

Contrà, plura ſunt quæ pro contraria parte proponi poſſunt. Nam Saccharum calidum eſt in principio ſecundi; quoniam exactè dulce? hoc autem calidum eſſe fatemur, cum Galen. *lib.4. de ſimpl. Medic.*

facult.

facult.cap. 9. ob id enim natura dulce, calidum moderatè eſſe, probat Galenus, quòd fructus initio acerbi cùm eſſent, tempore matureſcentes dulceſcunt: ex quo ſequi ait, dulcedinem ipſis à calore prouenire. Nam ſi dulcedo maturatione acquiritur, & muturatio, coctio quædam eſt, ex Ariſt. *lib.4.meteor.cap.*3. ſequitur dulcedinem calore etiam acquiri; ſi verum eſt, coctionem à calore proficiſci, vt *cap. 2. cit. lib.* Ariſt. & Galenus paſſim aſſeruere. Quòd autem fructus omnes à calido matureſcant, coquantúrve, cunctis tum Philoſophis, tum Medicis perſuaſum eſt: tum quod idipſum duplex ſit, alterum proprium & cuique ingenitum, alterum externum, à ſole videlicet, vel ab igne comparatum, ſed tamen naturæ ipſorum conueniens, ac familiare. Quare minimè mirandum eſt, quoſdam eſſe, qui non in arboribus, ſed poſteà cùm decerpti, conditique aliquandiu fuerint, coctionis complementum nanciſcantur, & dulcedinem aſſumant; dulceſcunt enim adſcititio calore, omnia quæ ab igne præparantur, vt Galen. ait. *lib.4.ſimpl.*11. Ex quibus omnibus patet manifeſtè, ſaporem dulcem calidum eſſe moderatè; nam ſi corporis noſtri naturæ dulce maximè ſimile exiſtat, ita vt omnium quæ nutriunt, communis dulcedo ſit, docente ſic Galen. *lib. cit. ſimpl.*14. & natura noſtra temperatè tum calida, tum humida ſit, dulce ſimiliter moderatè calidum, humidúmque eſſe debere neceſſe eſt. Quod non illepidè *in ſuo herbario, litera Z. cap. de Sacchoro*, Confirmauit Caſtor Durantes his carminibus.

Calfacit, humectat, aperitque, & diſcutit, aluo
Vtile, veſicæ prodeſt, & renibus affert
Præſidium, ſtomacho pergratum ſacchar ——

Quare dulcia ex Galeno *lib. 5. de ſimpl. medic. fac.* calida ſunt, ſed non vrentia, immò teſte Rhaſio *lib.3.ad Almanſ. cap.1.coquunt, laxant, rarefaciunt, thoraci, pulmonique conferunt, corpus impinguant, ſemen augent, linguæ appoſita moderatè aperiunt, calefaciunt, humectant*: cùm citra violentiam apertos meatus linguæ ſubintrātia, diu ibi maneant, quo fit vt natura in tali temperie gaudeat, plurimúmque oblectetur. Cur autem in dulcibus neceſſaria fuerit hæc oblectatio, vt à ventriculo appeterentur, explicat Galen. *loc. cit.* & eius mentem explanat intimiùs Bartholomæus Anglicus *lib.19.de proprietat.rerum, cap.*41. Saccharum ergo, quia natura dulce, calidum eſt, ex Serap. *cap.*50. & Haly *lib.5.de theoric.cap.27.in med.* Lege Ruel. *lib.3.de natur. ſtirp.cap.*22. Fuchſium *lib.1.paradox.*36.

Secundò, ſaccharum noſtrum à ſaccharo antiquorum non differt, prout conſtat ex Dioſcorid. *lib.2.cap.*74. Plin. *lib.12.cap.*8. Galen. lib.7.*ſimpl.cap.de melle*, Strabon. *lib.2. geograph.* Solin. *lib. Polyhiſt. cap.66.* cùm ex eadem ambo proueniant planta: hoc ſolùm diſcrimine, quòd noſtrum ab ipſis plantis arte exprimatur, & ignis calore concreſcat; antiquorum verò tenuior eſſet, ac præſtantior medullæ arundinum ſacchariferarum pars, quæ per internodiorum fiſſuras Solis calore concreuerat, gummi, aut ſalis modo candida, dentibus friabilis, arundinibus nucis auellanæ magnitudine accreſcens, quare ſal Indum, aut mel cannæ vocatur, vt ait Auic. 1.4.*tract.2.cap.*8. § *Nunc autem mel cannæ, quod eſt ſaccharum, &c.* & refert Nicol. *ſerm.4. tract.3. cap.*15. Clament ad rauim vſque Manard. *lib.2.epiſtol.2.*& *lib.9.epiſtol.5.* & *lib.15.epiſtol.vlt.prop.fin.* Mercurial. *lib.3. de rat. vict.in com.text.* Hip. *verbo, bilioſa quoque, &c.* Saccharum noſtrum ab antiquorum ſaccharo longo interuallo differre arbitrati, quorum rationes Ioann. Brauus *loc. cit.* ex toto refutat. Immò credere par eſt, non Arabum tantùm, ſed etiam Græcorum Medicos, & ipſum Galenum, teſtante Scaligero *exercit.*101. *de ſubtil. ad Cardanum, diſtinctione* 5. *& exercitat.*164. vulgari ſaccharo vſos, quod olim quoque è ſacchariferis cannis extrahebatur, vt nunc in Syria, ac Indiæ inſulis, ex cannarum medulla, molli & ſucci plena, in ſubiectam peluim expreſſa, in æneis caldariis donec concreſcat, aut inſtar cryſtalli coaleſcat, decoquitur. Hanc ſacchari decoctionem, M, Varro Narbonenſis, Iulio Cæſare imperante, fuiſſe conſuetam his carminibus cecinit.

Indica non magna nimis arbore creſcit arundo;
Illius lentis premitur radicibus humor;
Dulcia qui nequeant ſucco contendere mella.

Sed præter Strabonem & Solinum, Statius Papinius qui ſub Nerua Imperatore vixit, Arabes, & Syrios in Eboſia ex cannis coxiſſe ſaccharum, hoc teſtatur endecaſyllabo.

Et quas præcoquit Eboſita cannas.

Quo loco Hypaſita, non Eboſita legendum; ita enim populi vocantur Indiæ à fluuio Hypaſi, vt eſt apud Strabonem, Pliniúmque. Saccharum ergo antiquorum à noſtro non eſt diuerſum. Sed antiquorum Saccharum calidum eſt, vt ex veterum mente ſatis conſtat. Ergo & noſtrum calidum erit. Lege Franciſcum Ioëlium *lib.2. vniuerſ. medic. ſect.2.de aliment.tit.de ſacchar.* & Ludouicum de Auila, *lib. de regimin. ſanit. cap.39. de ſaccharo.*

Tertiò, ſaccharum conuertitur in bilem, ex Auicen. *lib.2.cap. cit.* bilioſum enim à dulci progignitur, ex Galen. *6. epid. ſect.5. com.*14. §. *Ex melle quoque, omnibúſque ex dulcibus, cùm vehementius incaluerint, amaræ bilis contrahi humorem, in quarto de ſimpl. medic. viribus, commentario, declaratum eſt, &c.* Deinde. Saccharum ſitim facit, apud Auic. *loc. cit.* hæc autem, nonniſi ab humoris inopia, & caloris copia proficiſcitur, ex Galen. *lib.1. ſimpl. cap.* 30.

Nunc ad rationes Gal. *in methodo* ſaccharum propinat, non in febribus omnibus, ſed in illis, quæ ſunt ortæ ex obſtructione; nam nec febres accendit, ſed detergit, aperit, glutinoſa, craſſaque citra manifeſtam caliditatem diſſoluit. Auic. autem ſaccharum tabarzet frigidius eſſe pronuntiat, quia in caliditate non valdè excedit; nam quod parùm calidum eſt, frigidum dici poteſt, ex Galen. *lib.6. ſimpl. cap.67.* §. *Atriplex frigida humida temperie eſt, humida quidem ſecundi ordinis, frigida verò primi, quam vtique tepidam caliditatem eſſe poſuimus, &* c.2. frigidum vocat Auic. ſi cum aqua dilutum hauriatur, quo pacto ad ſedandam ſitim eo vſus eſt. Neque enim quòd ſit calidum, materia aliorum medicamentorum eſſe non poterit; cùm enim temperatum ſit, facilè ad calidum, aut frigidum declinat, olei inſtar, quod cùm tepidam ſortiatur caliditatem, ex Galen. 3. *ſimpl. cap.* 9. mediúmque ſit inter humectantia, & ſiccantia, ex Galen. *lib.2.ſimpl. cap.*25. omnium medicamentorum materia exiſtit, ex Galen. *ibid.* Nam vt optimè aduertit Gal. *lib.2.ſimpl.cap.vlt.* mediam debet obtinere temperaturam, quod vtriſque extremis tanquam materia inſeruit. Inſuper ſaccharum vires medicamentorum maximè conſeruat, quare ea illo ſeruantur incolumia, & minimè putrent; lentore enim ſuo eorum exhalationem impedit, & ab aëris iniuriis valdè defendit. De ſacchari viribus, lege eruditiſſimum Nonnium *lib.1. de re cibaria, cap.*41.

DVBIVM XXIV.

Num phthiſi, febribúſque curandis, ſaccharum roſaceum ſit ex vſu. Contra Septalium eruditiſſimum.

ROſaceo.] Multa quidem, & copioſè ſatis, ni fallimur, de ſacchari roſacei excellentia conſcripſimus, pro curandis phthiſicis; poterant & plura, ſed nobis in vaſtiſſima rerum congerie ſeruare temperamentum quoddam, viſum præſtabilius eſt: poſt quæ quum paulo antè curioſiùs Raſis volumina inſpectarem, ſcrutabar ſollicitè admodum, contra Septalium doctiſſimum, qua cauſa Arabicæ familiæ auctor primarius, ſaccharum roſaceum, phthiſi, febribúſque curandis ſalutare valdè, ita condemnet, temnat, & auerſetur: cùm *lib.3.ad Alm.cap.*27. in hæc verba prorumpit. *Et Deus confundat eos, qui ſaccharum roſaceum febricitantibus propinant: nam qui ardorem, & calorem patiuntur, nullo modo comedere debent, & maximè ſi æſtas fuerit; calefacit enim, & ſitim inducit, &c.* Deinde, in febrium initio, ex eo propinandum non eſt, quoniam adſtringit, humorémque impactum reddit, craſſátque; quare tunc adſtringentia nocua ſunt, ex Galeni mente,

*lib.*1*.acutor.com.*18.§. *Nemo ſiquidem adſtringentibus vtitur cibis, niſi vel propter ſymptoma quod animi deliquium inducat, vel propter immoderatum alui profluuium, cogunt ſiquidem, conſtringúntque corpora, viáſque tum diſtributionis, tum alimoniæ, tum eius, quæ foràs fit, perſpirationis conniuere faciunt, quas recluſas, apertáſque eſſe conducit, &c.* Adde, rhodoſaccharum phthiſicis eſſe inutile; quoniam vetuſtum, cùm adſtringat humores per ſputum excerni prohibet: ſi verò recens, aluum prouocat, quod in hoc affectu valdè timoroſum eſt, iuxta Senis edictum *lib.*5*.aph.*11.12. *&* 14. vt nunquam in iis, vel ſaltem cum maxima præmeditatione aluus ſit mouenda, vt eruditè notauit Ludouicus Duretus, *in com.cap.*28*.Holleri, lib.*1*.de morb.internis.* Roſis autem ineſſe vim expurgantem, Meſuës affirmat, *tract.*1*.de ſimpl. cap. de roſis.*

At hæc facilem habent explicationem. Raſius enim, cuius doctrinam eximium Medicorum chorus amplecti debet; (rabiat licèt Fallopius *lib. de medicament. ſimplicib. cap.*14*. in fin.*) etſi prima facie ſacchari roſacei vires impugnare videatur: eius tamen edictum, medendi ſcientia imbutus, aliquid in hac facultate poſteris elaboratius procudendum anhelans, multipliciter explano, ita vt textus ſit mendoſus, vt legendum ſit, *Mel roſaceum*, vt Simon Ianuenſis exponit *in com.* Vel ſi Raſium, de conſerua roſarum facta ex roſis Perſicis intelligas, quæ calida eſt, & æſtuoſa, non errabis. Sic ſuccus ex roſarum Perſicarum floribus extractus, cum ſaccharata aqua epotus pondere duarum vnciarum, aluum mouet, bilémque educit, ex Andernaci ſententia: maximè cùm Arabicæ familiæ principes omnes in decantandis rhodoſacchari laudibus multi ſint, vt docet Meſue *tract. de Antidotis, tit. de ſaccharo roſato*, & inter omnes eius interpretes, explicat Iacobus Syluius *in com.* Nec reprobandum eſt recens, quia aluum proritat; nam roſis vis parua ſolutiua ineſt, quæ ex artificio longioris coctionis euaneſcit. Neque adſtrictio earum adeò ſumma eſt, vt ſuccos craſſet, vacuationique ineptos reddat; nam eæ caliditate & tenuitate, non omninò ſpoliantur, vt ex Gal. Dioſcoridiſque mente conſtat apertè. Quare conditum roſarum roborat, cardiacum eſt, abſtergit, mundificat pectus, phthiſi, tabíque mirificè auxiliatur, bilem furentem refrænat, ſanguinem purificat, ſomnum procurat, leniter mouet aluum, refrigerat, humectat, nutrit, æſtuoſis febribus remedio eſt, & viſcerum internorum cauma compeſcit. Ex quibus colliges, quàm malo fundamento nixa fuerit Septalij ſententia, *lib.*5*.cation.num.*12. qui hoc auxilium tantoperè infamat. Rhaſij ſolùm auctoritate munitus.

HIST. XXXIV. RHASII, De Phthiſi.

Quidam vlcere pulmonis laborans, lacte, & pane ſimilæ victitans, conualuit.

ET ego cognoſco quendam patientem huius paſſionis, qui per vnum annum comedit ſolùm de lacte cum pane ſimila, & de lacte loco vini accepit in potum: & conualuit perfectè cum eiuſmodi cura de vlcere pulmonis, &c. Rhaſius lib.9. continent. cap.2.

PARAPHRASIS.

PHthiſicos lacte eſſe alendos, infrà ex veterum mente comprobabimus. Modò de pane ſimilaceo agendum. Cùm enim quadruplex ſit panis differentia, ſiligineus, ſimilaceus, autopyrus, furfuraceus, vt auctor eſt Galen. *lib.*1*. de aliment facult.cap.*2. ſimilaceo ſolùm vtimur, quia magis nutrit; erítque præſtantior, ſi factus ſit ex tritico, optimis, quas ſuprà depinximus, conditionibus prædito. Similagineus ergo dicitur panis ex ſimilagine factus, farina tritici non ita perfectè pura, quàm eſt ſiligo, quæ ex puriori tritici parte conflatur, vt *cit. loco* retulit Gal. & explicant Marcel. Virgil. *lib.*2*. in Dioſcorid. cap.*67. Hermol. Barbar. *lib.*2*.corollar. cap.*309. edocti à Plin. *lib.*8*. cap.*8.10.*&*11. Celſ. *lib.*12*.cap.*17. Columel. *lib.*1*.de re ruſtic. cap.* 6. *&* 9. qui omnes, de panis ſpeciebus agentes, ſiliginem veterum, puriorem tritici eſſe farinam docuere: de qua re lege Lang. *lib.*1*. epiſtol.*56. cur autem ſimila nuncupetur, explicat Rhodiginus *lib.* 9. *lect. antiq. cap.* 16.

Sed cur hic æger ita conualuit pane ſimilæ altus, qui difficilis eſt coctionis, & obſtructiones gignit, ex Galen. *lib.*5*.de ſanit. cap.*7. Dic, quòd cùm quatuor farinæ ſint partes, pollen, ſimila, ſecundarium, & furfures; ſimila dicitur medulla farinæ triticeæ, ſeu pars quæ inter pollinem eſt, & ſecundarium, potiſſimam nutriendi vim habens, ex Galen. *lib. de attenuante victus rat. cap.*6. Et licèt dicatur craſſi ſucci, non ob id ex hac farinæ parte factus panis talis eſt dicendus, ſed reſpectu alimentorum quæ ſuccum generant tenuiorem: neque craſſum nutrimentum præſtat, niſi ex ea fiant placentæ, & bellaria butyro permixta, vt *lib.*5*.de ſanit.cap.cit.* voluit Galen. Nil ergo mirum ſi æger hic, pane hoc nutritus, qui firmiſſimum præbet alimentum, minimè dilabile, & detergit plurimùm vlcus ratione furfuris, ita fuerit obeſior factus. Et ſi Galen. ſimilaceum panem *loc.cit.* nihil, vel parùm detergere affirmat, comparatione ad furfuraceum, intelligas velim. Tu interim præter citatos, de panis differentiis, Lege Ioan. Baptiſt. Theodoſ. *epiſtol.*7. & de ſimila, Nonnium *lib.*1*. de re cibar.*2.

Hanc tamen curationem, non panis, ſed lactis beneficio, à Rhaſio fuiſſe celebratam affirmamus. Nam ſi Alzaharauius *lib.*26*.ſuæ medic.* & Oribaſ. *lib.*4*.collect.vltim.* panem in aqua maceratum, iis qui acutè febricitant, eſſe concedendum affirmant; & Galen. 2*.ad Glauc.*13. panem ex aqua febricitantibus eſſe victum congruum aſſeuerat, immò hecticis vtiliſſimum iudicat *lib.* 10. *meth. cap.* 11. cum Auicen. 12.2*.tract.*1*. cap.*7. Cur is in lacte, alimento hecticis, & tabidis tam ſalutari, maceratus, præſtantiores non ſortietur vires, & facultates? De cuius vi admiranda prò nutriendis tabidis, *in ſequenti hiſtoria* diligenter peragemus.

HIST. XXXV. TRALLIANI, De Phthiſi.

Quidam à phthiſi, lactis vſu præſeruatus.

ET qui per initia ſolo ipſo (lacte ſcil.*) conſtanter longiore tempore vſi ſunt, omnes in totum conſanuere. Noui autem quendam, qui cùm toto anno, ipſum (loco vini) & bibiſſet, & comediſſet, interim cum frumentaceo aliquo, aut ſimilagine, aut alica, aut panico incoquens, quúmque ita agendo à vino abſtinuiſſet, liberatus fuit ex puris ſputo, & ne poſteà in phthiſim inciderit, &c. Trallianus.* lib.7.cap.1. in fin.

PARAPHRASIS.

NOn eſt inſtituti noſtri, in huius hiſtoriæ explanatione, de lactis, quo curatus fuit hic æger, natura, generationis modo, loco, temperamento quicquam diſceptare, cùm ante nos hoc argumentum graphicè inter omnes, ad Gal. mentem explicuerit Mercur. vir in veterum lectione verſatiſſimus, *lib.*3*.de morb.mulier.cap.*1. à quo deinceps omnes ſunt mutuati, qui de fœminarum morbis conſcripſerunt. Sed de eius alimento paucula quædam appungenda duximus, ex tam multis, quæ de huius facultate mira priſca vetuſtas pro tabidorum curatione, memoriæ conſignauit.

Cùm primigenia humiditas in carnoſis partibus conſumpta, actione caloris hectici incipit iam in ſolidioribus partibus abſumi, remanétque adhuc puſillus innatus calor, qui pauxillo humido radicali permixtus, vitam tuetur ac fouet, tunc niſi ſubſtantificis reparetur, velut lucerna oleo abſumpto, ac ellychnio valdè reſiccato, ad humidi abſentiam, innatus ignis marceſcit & perit.

Lac ergo cùm ſit omnium quæ mandimus, optimi ſucci,ex Galen.*lib.3. ſimpl. cap.15.* has vires mirificè complet: nam ex tribus diſſimilibus inter ſe ſubſtantiis conſtat, quarum vna ſeroſa eſt,tenuiſque; craſſa altera,ac caſeoſa;tertia verò pinguis,atque oleoſa,ex Galen. *lib.de bonit.& vit.cibor.cap.4.* Seroſa abluit vlceris ſaniem, caſeoſa glutinat, butyroſa impinguat corpus excarne, & tabefactum, humidúmque primigenium reparat & reſarcit. Eſt inſuper alimentum ſuauiſſimum, dulciſſimum,potu facillimum, viſui cùm ſit colore delectabile, & qualibet alia eſca benignius, & familiarius; lenit pectus, & ad deiiciendam pituitam, facilem ſpiritum reddendum, accommodatum: ſiccas inſuper, & marceſcentes ex ſiccitate partes humectat: eſt facilis coctionis, & tabidis, calorémque imbecillum habentibus idoneum: & cùm per omnes corporis partes ocyſſimè diſtribuatur, & penetret, eas præ calore contractas, & conniuentes, & ob humidi roridi inopiam pænè exhauſtas nutrit, & inſtaurat. De cuius alimenti efficacia, & vi eximia, ſat plura Hipp. & Galen. paſſim *in lib.de morb. affectionibus, de ratione victus in morb.acut. in method.* decantarunt: quos ſequuti ſunt Paul. *lib.2. cap.33.* Aëtius *tetrab. ſerm.1. cap. 93.* Rufus Epheſius *lib.de veſicæ,renúmque affectibus*, Dioſcorid.*lib.2. cap.66.*cuius doctrinam examplificant Mathiol.Marcel.& Lacun.*in com.*Chriſtop.à Vega *lib.2.art.medic.ſect.3.cap.9. tit de lacte.* Ioan.Brauus *lib.2.de purgant.medic.de lect.c.19.* & plures alij.

Eligendum primò pro curatione vlceris pulmonis, muliebre, ex Galen. *lib.7.method. cap.6.* tanquam natu æ noſtræ familiariſſimum, quod ab aliis Medicis, præcipuéque ab Herodoto, & Euryphonte, ad tabem ſummoperè celebratur,quoniam eſt ſubtilius,frigidius,humidius,alio quouis: ſícque citiùs concoquitur, penetrat, promptiùs nutrit: optimi ſucci, præſertim proprio fœtui; ob aſſuetudinem enim meliùs eo infantes reficiuntur. Num autem etiam intemperatarum matrum,iure inquires: Si intemperies parua eſt, præſtat maternum lac, quia maior eſt vtilitas conſuetudinis,quàm noxa paruæ intemperiei: ſin magna, præſtat vt alieno, & contrario lacte alatur. Num autem hoc ſit præſtantius aſinino, diſputat inter omnes Alphonſus Lupeus *in annotat. in cap.6. lib.7. meth. Galen. fol.160.* elegantiſſimè.

Aſininum præfertur poſt muliebre, ex Galen. *lib.5. de ſanit.tuend.cap.7.*Trallian.*lib.12.cap.4.* Auic. *1. 4. tract. 3. cap.6.non eſt*,inquit,*lac,poſt muliebre,quod hecticis æquè conferat, ac aſininum; hecticam enim, ſiquidem curabilis fuerit, ad plenum curat.* Cùm enim tenuiſſimum ſit, ex Galen. *lib.6.de ſanit. tuend.cap.11.* partes omnes quoquouerſum ocyſſimè penetrans, eas mirificè, promptiſſiméque reficit ac refocillat, vt Iacob. Vueckerus *lib.1. part.3.* de eo ſcripſit.

Hoc, camelinum tenuius eſt,ſeroſíque humoris magis particeps, quo fit vt minùs tum nutriat, tum emaciatis conferat,ex Auicen. *lib.2.tract.2.cap.442.* Hydropicis tamen,& quibus hepar malè affectum eſt,non parùm commoditatis affert, præſertim ſi fuerit camelæ nuper enixæ; eo namque hepar,ſi Auicennæ credimus, *14. 3. tract.45. cap.15.* reficitur, atque inſtauratur. Num autem aſinino camelinum ſit tenuius,reſpondet Galen. *4.acut.109.* illud eſſet tenuius,licèt *3.de aliment.facult.15.*camelinum liquidiſſimum affirmet. Pro cuius antinomiæ ſolutione, vide Manardum *16.epiſtol.5.* Brauum *cit. loc.* Rorarium *in contradict.Galen.89*, Stephan. Roderic.Caſtrenſem *lib. 4. de meteor.microcoſm. cap.vlt.*

Caprinum phthiſicis vtiliſſimum, ceu boni ſucci, nutriens, & à noxis remotum: nam præterquam quòd in omni qualitate ſymmetriam ſeruat,ex Galen. *lib. de bonit. & vit. ſuccor. cap.4.* & nec admodum pingue, craſſúmve nutrimentum præſtat, emaciatis eſt ſalutare valdè, ex Auicen. *lib. 2. cap. cit. & 2. 4. tract. 3. cap. 6.*

* * *

DVBIVM XXV.

Num lac animalis nigri ſit ſuauius, & vtilius. Contra Amatum doctiſſimum.

NVm lac eligendum, quod à capra nigra extrahitur, reſpondet affirmatiuè Meſuë, *tract.2. de ſimplicib. titul.de aqua lactis*, cum Raſio *vlt.continent. tract.2. cap.172.* Sicut enim caro animalis nigri eſt ſuauior, & leuior, ex Auic.*lib.2.tract.2.cap.145.in init.*& Albert. Magno *lib.9. de animalib. cap. 10.* Sic lac animalis nigri eſt ſuauius, & præſtantius: nam nigriora ſunt calidiora, ex Galen.*lib.6. epid.ſect.2.com.44.§.Et nigri idcircò,& viriliores viri,& hirſuti magis.&c.* quod probat Aëtius *tetrab.1. ſerm.2. cap.88.* Quare lac animalis nigri ſuauius eſt, magis elaboratum, & perfectè coctum, nec nimis ſeroſum, aut craſſum, ſed conſiſtentiâ medium, vtpotè à valido innato coquente calore exactè defæcatum; coctione enim fieri ſuauiora, Philoſophus docuit, *lib.4. meteor.cap.2.* Ob hanc cauſam Hip.*lib.de nat. mulieb. num.52.* poſt partum lac vaccæ nigræ 40. dierum ſpatio potandum conſulit, & ad hydropem ex cauſa calida lac nigrarum caprarum laudant Card. *in conſ.de diff. ſpirandi, in med.*

Amatus *lib. 3. cent.1.* colorem animalis nihil facere ad præſtantiam lactis aſſeuerat: At huius opinionem multò anteà redarguerat Galen. *loc.cit. epid. §. Calidior autem eſt maſculus,vt ipſius venarum magnitudo,& color indicat:nigriores enim plerumque viri mulieribus ſunt,&c.* Ex colore enim pilorum, totius venari nos poſſe temperamentum, docet Galenus *in arte med. cap.13.* cùm niger cutis, pilorúmque color, calorem vegetiorem in corpore vigere manifeſtè oſtendat. Si ergo animal habeat pilum nigrum, nigram etiam cutem habeat eſt neceſſe: nam pili brutorum habent colorem cutis,iuxta mentem Philoſophi *lib.5.de generat. animal. c.4.§. Colorum autem cauſa cæteris animalibus cutis natura eſt, vt vnicolora ſint,& varia. Sed hominibus nihil cauſæ cutis affert,&c.* Quare animal habens cutem & pilum nigrum, calidius eſt; quoniam fuligo eſt magis aduſta;ſic magis nigricat,& calor eleuans intenſior eſt.

Sed obiici poteſt dupliciter contra cauſas dictas. Primò. Si lac in tabidis, phthiſique, humectationis, nutritionis, & refrigerij cauſa offertur, cur lac animalis nigri tantoperè expetitur, ſi calidius eſt? Dic lac ab animali nigro emulctum, temperatum eſſe: cùm enim lactis natura ad frigidùm magis inclinet, ex Galen. *lib.4.ſimpl.17.* cùm craſſa eius pars, & ſeroſa frigida ſit; pinguis & butyroſa, temperata: ſi aliqualis caliditas ex animalis temperatura ampliùs accedat, lac temperatum fieri eſt neceſſe; cuius cauſa ſuauius redditur, & ob meliorem coctionem ex abundantiore calore contractam, plus penetrat, & magis nutrit: paruæ enim caliditas in lacte facit, vt minùs flatuoſum ſit,meliùs coquatur in ventriculo,faciliùs penetret, difficiliùs aceſcat, & in præſtantiſſimum vertatur alimentum.

Secundò. Si tanta cura habenda eſt animalis,à quo debet hauriri lac,tantoperè à Galeno commendatum, *lib.7. meth.cap 6.* & lac mulieris candidæ valdè præfertur, vt *in com.hiſt.31.ſuprà* docuimus,cur hac animalis nigri ad impinguandos phthiſicos expetitur? Dic, diſparem eſſe rationem: nam lac nutricis candidæ approbatur, quoniam eſt temperatum, quod hominem in ſtatu ſano, exacta, ſymmetráque temperie præditum, erat nutriturum; in ſtatu verò morboſo, lac ab animali nigro extractum, eſt præferendum ob multas cauſas. Hoc enim cùm non ſit ita flatuoſum, & craſſum, in debili febrientium ventriculo coqui, facilèque diſtribui poteſt; ſi enim lac à quouis animali emulctum exhibeas, præ innati caloris coquentis debilitate aceſſit, corrùmpitur, & alui profluuium concitat, quod in omni morbo, nedum in tabe valdè timoroſum eſt, iuxta Senis edictum, *lib. 5. aph. 14.* Aliam huius obiectionis ſolutionem, Lege apud Rodericum à Caſtro Medicum eximium, & Iuniorum facilè principem, *lib.4. de vniuerſa mulier. medicin. part. 1. cap.13.* in ea quæſtione, num nutrix liuidum, an album debeat habere colorem. Tu verò de præſenti dubio, lege

Ludouicum Lemoſium *in com.cap.6.lib.7, meth.Galen.verbo, id enim.*

Vaccinum, & ouinum, licèt apud Auicennam *loc.cit.* & Rhaſium *lib.3.ad Almanſ.cap.*15. corporis molem augeant; & obeſitatem adipiſci volentibus ſint accommodatiſſima, tamen craſſius alimentum præſtant, & à puſillo tabidorum calore vix coqui poſſunt, & citiſſimè concreſcunt in ventriculo. Inſuper obſtructiones gignunt, flatus pariunt, & cruditates. Sed ſi de lactis diuerſitate plura ſcire cupis, Lege præter veteres, Conciliat.*dif.*194. Cardan. *lib.*2. *contradict. tract.* 4. *contradict.* 1. Bruyerin. *lib.*14. *de re cibaria*, Ludouicum Nonnium doctiſſimum *lib.*2. *diætetic. cap.*15. qui copioſè ſatis, & eleganter admodum, de lactis natura, & temperamento diſceptarunt.

Lac vtiliſſimum eſt, cùm ex ipſis mammillis qui exhauſerit: expedit enim, ne vel minimo tempore in aëre ambiente lac moretur; nam celerrimè mutari eſt aptum, & genitalis ſeminis ritu extra propria vaſa illicò corrumpitur, vt doctè monebat Galenus *lib.7. meth. cap.6.* Cur autem inter omnia alimenta citiſſimè corrumpatur, reſpondet Petrus Hiſpanus *in com.cap.*57. *lib.diætar. vniuerſal.Iſhaac*, non eſſe paucitatem innati caloris; nam & ſemen, & ſanguis æquè velociter corrumpuntur: ſed magis videtur illi, quòd ſit naturalis humiditas, quæ extra locum natiuum facillimè à continente corrumpitur. Quòd ſi æger ſugere recuſet, interponatur breuiſſima mora, & emulctum in vas vitreum, quod immerſum ſit aquæ modicè calenti ne concreſcat, adiecto ſaccharo, ſtatim aſſumatur. Hauriri debet tribus, aut quatuor horis ante prandium. Prima vice exhibendum non plus quàm cyathus, hoc eſt, binarum vnciarum quantitate, ex Galen. *lib.*10.*meth. cap.*11. & ſenſim, ſi id æger probè coxerit, ad mediocrem quantitatem accedere oportet. Perfectam eius coctionem ex pulſu, & ructu venandam eſſe docuit Galenus *lib.7.meth.cit.*& *lib.5.aph.*64.nam lacte corrupto, aut non benè concocto, pulſus aderunt parui, & inæquales, ex Galen.*lib.1.de dif.feb.cap.*9.ructus fiunt nidorulenti, vel acidi. Facilè enim lac alteratur: nam ſi in calido ventriculo coquatur, in nidorem abit; ſi in frigido, citò aceſcit.

Lacte hauſto, ſaltem per duas horas comedendum non eſt, ne lac alterius alimenti permixtione corrumpatur, néve natura ab eius coctione diſtrahatur. Nec item bibendum, ne coctionis officinis refrigeratis, & debilitatis, lac aceſcat. Poſt eius potum duabus horis interdicendus ſomnus, ex Aëtij præſcripto, *tetrab.*1.*ſerm.*2. *cap.*93. Si enim ſomnum ante has horas procures, corrumpitur lac. Licèt enim in hecticis alimenta oblata, redacto ad internas ſedes calore, coquantur promptiùs & feliciùs, quàm tempore vigiliæ: lac tamen cum ſuaptè natura facilè alteretur, & dum concoquitur, attollat hypochondria, & caput feriat, quoniam coquentis caloris vi magis caput tentat, idcircò poſt eius potum prohibendus ſomnus. In ſumma tamen languidis exiguus ſomnus poteſt concedi ad iuuandam coctionem, vt ſcitè notauit Claudinus *in appendice lib. de ingreſſu ad infirmos, ſect.*8. *de lactis vſu, & natura.*

Poſt lactis potum, validum exercitium imperandum non eſt, ne lac crudum intempeſtiuè rapiatur ad venas. Nam ſi motus poſt cibum fortis tempore ſanitatis reprobus eſt, auctore Galeno *lib.de bonit. & vit.ſuccor. cap.*3. & Auic. *lib.de remouendis nocumentis, quæ accidunt in regimine ſanitatis, cap.3.tract.4.c.*25. quòd à ventre alimentum ante coctionem diſtribuatur, crudorúmque humorum vis colligatur in venis; vnde morborum genus omne progigni ſolet: quantò magis in morboſis, febrientibúſque corporibus, in quibus, exercitium, præterquam quòd calefacit, humores exagitat, corpus inflammat, & impensè debilitat, lac corrumpit, cùm hoc corruptioni paratiſſimum exiſtat; quare ſi conditionibus ſeruatis vtaris, citiſſimam ſenties vtilitatem. De cuius vſu, lege quæ ſuprà *in comment. Hiſtor.*2.*in fin.* prædiximus.

Lac ergo per ſe ſolùm, cum alica, aut frumentaceo aliquo permixtum valdè nutrit: & licèt alica ſit craſſi, tenacíſque ſucci, ex Gal.*lib.de attenuant.vict.rat.cap.6.*& in debili ventriculo difficulter coquatur: tamen cùm multùm nutriat, lactis benignitate adiuta, & temperata, à partibus vnà cum lacte vehementer amplectitur. Lac enim loco vini cum toto anno hic æger ebibiſſet, à purulento ſputo liberatus eſt, & ne in phthiſim incideret, præſeruatus. Quàm autem ſit reprobum vinum, quia corpus inflammat, ſqualidum corporis habitum ampliùs exſiccat, & ſpiritales partes vapore ſuo concutit, omnibus eſt manifeſtum. Vinoſum, intellige, & caput tentans, album enim, aquoſum, ſubdulce, nutrit, ſitim ſedat, abſtergit, calorem natiuum auget, ſpiritus refocillat; & cùm ſit potus, & medicamentum, pthiſicis eſt ſaluberrimum, vt notat Nicolaus Abrahamus Frambeſarius, ex Montui ſententia, *lib.*4. *conſult.diſtinct.*3.*canon.*6. Cùm enim hoc ſit colore, & ſubſtantia ſimile aquæ, non valdè calefacit. Si veró ad Galeni mentem, de aquoſi vini vi, & facultate plura ſcire cupis, adi Chriſtoph. à Vega *lib.2.art.med.ſect.3.cap.*2. & Amatum *lib.*1.*centur.*28.

HIST. XXXVI. GALENI, De tabe.

Exemplum eorum, qui tabe conſumpti interierunt.

QVidam humorem repentè expuit, liquidæ bili in colore perquàm ſimilem, medium videlicet inter flauum & pallidum, at nulla acredine infectum: atque ita quotidie maiorem eius quantitatem expuit: deinde leui ſuborta febricula tabeſcere incepit, adeò vt purulenta ſcrearet. Poſteà tractu temporis, quatuor videlicet menſium, exiguum cum pure cruorem reiecit, atque ſic aucta febre magis conſumebatur, ac iterum atque iterum plus expuebat, adeò vt magnam ſputi quantitatem redderet: quocirca magis increſcente febre, ac reſolutis viribus, eorum, qui tabe marceſcunt, exemplo obiit. Deinde alium vidi, eodem ferè modo ſex menſibus: ac alium quoque diutiùs laborantem. Igitur qui primus nobis occurrit, initio quidem nihil mali habere, ſed tandem peſſimè affici viſus eſt. Alterum verò cùm conſpiceremus, ei ſtatim ab initio cognito malo, præſenti medicamento ſuccurrere tentauimus: ac multò magis etiam tertio. At quamuis multo negotio vtrumque liberare conaremur, nihilominùs neque horum vllus, neque alius poſt eos ſeruari potuit: quum enim morti iam proximi eſſent, pulmonis ipſius putres quaſdam partes expuebant. Proinde facilè cognoui, haud abſimili eos affectu laborare, qualem in externis partibus videre ſolemus, quum à putrefaciente quopiam humore inficiuntur: verum has abſcindere, & vrere poſſumus, pulmoni verò horum auxiliorum neutrum adhibere licèt; quapropter omnes perire neceſſe eſt. At verò poſtremum cùm viderem, ad viſceris fortem exſiccationem ſollicito me animo conuerti. & quidem odoribus, atque potionibus ad id efficacibus. Proinde medicamentum quod hedychroum vocant, interdiu naribus ipſius ingiter adhibere iuſſi: ad ſomnum verò ſeſe conuertenti præſcripſi, vt narium foramina ex aliquo pretioſorum vnguentorum illinirentur, qualia videlicet Romæ præparari ſolent: vocant verò ea & foliata, & ſpicata. Atque dedi in potu medicamenta, Mitridaticam vocatam compoſitionem, Ambroſiam, Athanaſiam, theriacam. Itaque perpetuo anno ſic educatus, tandem ſimiliter vt reliqui tabidi, vitam finiuit, quam fortaſsè ob iam dictam educationem longiori tempore protraxerat. Præterea alium huiuſmodi affectum in pulmone notaui. Quidam diuturna tuſſi vexatus, & exiguum lentúmque pus expuens, fruſtum quoddam paruo grandinis grano haud abſimile excreauit, ac deferens illud mihi oſtendit, atque rurſus non ita multò poſt aliud quoque attulit: vnde conieci lentum illum humorem, quem anteà expuere ſolebat, ſiccatum, induratúmque ad huiuſmodi ſubſtantiam perueniſſe. Quamobrem medicamentum ei in potu dedi, quod aſthmaticis auxiliatur, atque ita factum eſt, vt minorem expueret grandinem, atque longiori quàm anteà interuallo: neque pluribus deinceps annis adeò mitigari potuit affectus, quin tandem moreretur, &c. Galenus lib.4. de locis affectis, cap. vlt. *At duos vidi citra febrem*

qui

qui talia ſputa calore pallida extuſſirent. Sed alterum paulatim febricula parua exceperunt : quo factum eſt, vt in longum tempus durans affectio permanentibus febribus tabidum hominem redderet. Alterum abſque febre, cùm talia expueret continuis diebus paucis, nihil eſt malè conſecutum, &c. Galenus lib. 3. epidemion, ſed 1.com.4. in initio.

Et in quibuſdam febre vacantibus id fieri vidimus, qui per valdè longum temporis interuallum nihil mali pati videbantur : attamen iſti omnes phthiſi poſteà contabuerunt, &c. Galenus lib.6. epid.ſect.3.com.36.

PARAPHRASIS.

ADductis in medium ægris, recenſet quoſdam pulmonis affectus rarò contingentes : rariſſimum namque eſt, vt phthiſicus euadat homo, nulla ſanguinis reiectatione præcedente, ſuppuratione, aut acri catarrho, quæ ſunt cauſæ phthiſis frequentiſſimæ, quod accidit in propoſitis exemplis, & ſic valdè fuit miratus Galenus; vt conſtat ex contextu, dum ait, *quamuis nihil cruoris excrearent:* & fatetur à ſe quàm rarò fuiſſe viſos. In primo affectu, inquit, ægri humorem expuebant, cum liquida quadam flauedine, hoc eſt, ſimilitudinem flauæ bilis referentem. In ſecundo, non liquida, ſed craſſa, glutinoſa, & dura, immò & grandini, vel capillis ſimilia ſputa fuerunt excreta. Omnes autem ſic affecti perierunt, excepto aliquo, qui interim dum tabeſcebat, alio morbi genere fortè fuit interceptus.

Sed ſi negotium hoc ad viuum expendatur; mente concipi non poteſt, quo pacto ſyncera ſcreatio reprobetur, eo ſolùm nomine, quòd calorem nimis excedentem indicet : nam laudatur in morbis, ſi humiditate permixta expuatur, & quò humidior fuerit, minus malum portendit, ex Hip. & Galen. *lib.2.prog.*38.45. & alibi. Atqui ægri, de quibus Galenus in primo exemplo, non ſyncera biliosa, nec ſimpliciter flaua, ſed liquida ſimul, & admodum crocea expuerunt, immò ſine vlla acredine, vt ipſe fatetur. Ergo non poterant omnes ita facilè inde tabeſcere, & tabidi omnes perire; maximè quod *lib.3. epid. citatos* duos refert, qui cùm ſine febri excrearent pallida, quæ maius incendium, quàm flaua ſignificant, non tamen contabuerunt ambo, ſed alter tantùm; alius verò nihil mali perpeſſus, incolumis euaſit. Quòd ſi mali cauſam referas ad humiditatem putrefactioni valdè obnoxiam, & ad permixtæ bilis putrefacientem calorem, vnde mollisſimus pulmo potuit putrefieri, & vlcerari, obſtat maior bilis pallidæ acredo, ratione cuius magis potens eſt vlcerare erodendo, quam liquida flaua putrefaciendo; alioqui pueri, in quibus redundat humiditas putredini minùs reſiſtens, cum ſufficiente calore ad putrefaciendum, ad tabem erunt magis proni, quàm iuuenes, contra Senis oraculum *lib. 3. aph.*29.

Deinde. Si craſſa, glutinoſa, & dura ſputa, frigidi, craſſi, glutinoſi, tenacíſque humoris, ad pulmonis fibras collecti ſunt ſoboles ex Gal.*6.epid.ſect.3.com.36*. ſic tenuia, calida, tenuis & aquei? vnde contabuerunt illi qui talia excrearunt?

Inſuper. Si ex immenſo, adurentéque calore, à quo tenax ille, pituitoſúſque humor aſſatur, atque lapidis inſtar induratur, atque concreſcit : cur febris non adfuit, ſi à glutinoſiſſima pituita, pulmonis bronchia infarciuntur; vnde non parato bono refrigerio cordi, fuliginibúſque aduſtis retentis, cor gliſcit, & calorem concipit præter naturam? maximè cùm hic lentus humor, retentus in calido loco putreſcat, ex quo eleuata aura cor afficit putredinosè, vnde febris.

Si hæc ita expendenda ſunt. Ad primùm, concedimus damnaſſe Hippocratem ſynceram vomitionem; at eam potiùs voluiſſe, quæ quodammodò permixta eſt, ob cauſam à Galeno aſſignatam. Rurſus fatemur merè quidem flauam, ſuæ acrimoniæ vehementia magis corroſiuam eſſe quàm liquidam; habeatur ſiquidem caloris mordacitas permixta humiditate : Verùm quia hac ratione putredinis, cui obnoxia eſt, maiori periculo reddit corpus obnoxium, vel membrum in quo redundat, maximè ſi aliquantulus calor adſit; qui putrefacere ſufficiat; vt accidit in exemplo primo, ideò omnes contabuerunt liquida flaua excreantes; de quibus hic; non ſic memorati *lib.3. epidem.* qui flaua tantùm expuerunt. Itaque ratione acredinis magis apta eſt flaua pura, & ſyncera ad erodendum, & vlcerandum, quàm permixta liquori, ſed ex hac, quæ maiori ex parte abundat in ſpongioſo hoc membro, & humiditatibus pleno, plures contabeſcunt; putrente humiditate, & putrefaciente molliſſimum viſcus; materia autem putrefacta non minùs acris, corroſiuáque fit, quàm quæuis alia; quantumuis calidiſſima ſit. Nec proinde inferas, pueros magis ſubiacere tabi; quàm iuuenes : licèt enim illorum natura magis putredinoſa videatur; ob multam illius ætatis humiditatem: cùm tamen ea à calore natiuo, ſiue proportionato regulетur; nec valdè excedat, à putredine, quoad fieri poteſt, prohibetur; calidam autem humidam temperaturam valdè excedentem, vel in qua maior ſit humiditatis exceſſus, ſolùm Galenus putredinoſas appellat, & ſimpliciter illas, in quibus ſanguis redundat, quod accidit in iuuentute, 8. *Method.* 7. & 2.*art.medic.*34.& 56. Adde quòd magna reſolutio, quæ in puerili ætate fit, non patitur ſuperabundare humidum, nec corporis laxitas, fieri obſtructiones, à quibus potiſſimùm oritur putredo.

Ad ſecundum & tertium. Materialis cauſa craſſorum ſputorum, inquit Galenus *cit.epidem.* eſt craſſitudo, atque tenacitas humoris ad pulmonem collecti; efficiens autem eſt calor excedens, tum illius, tum vicini cordis, qui plerumque poteſt pituitam adurere & indurare, ſine eo quòd febrim excitet. Hoc modo aduritur humor in pyloro in hypochondriacis citra febrem, ex Galen.*lib.3.de loc.cap.*7. & in mania humor aduritur abſque febri, ex Galen.*lib.*2. *de ſymptom.cauſ.cap.vltim.*

Denique non iniuras notam Galeno, quòd in his exemplis nullam de ætate fecerit commemorationem : cùm vtile ſit agnoſcere, quæ ætas ſit magis obnoxia ad incidendum in phthiſim, vt ſcilicet morbum vſque adeò frequentem, & periculoſum euitemus, & ad eum propenſos debito regimine, quoad fieri poteſt, præſeruemus, & maximè in Luſitania, in qua phthiſis, ob terræ inæqualitatem cum craſſo, nebulosóque aëre, eſt morbus endemius & patrius, nam collibus, & vallibus abundat. Quoniam Hip. *lib.* 3. *aph.* 29. ſcripſit, iuuentutem eſſe huic affectui obnoxiam, & *lib.* 3. *aph.* 9. cum illa iungit ſimul adoleſcentiam, dicens : *Tabes fiunt præcipuè ætatibus à decimo octauo vſque ad trigeſimum quintum.* Planum eſt autem adoleſcentiam vſque ad 25. annum extendi, ex Galen.5.*aph.*7. (ſiue velis vnam, & eandem eſſe cum pubertate, incipiente 12. aut 14. ex Galen. 3. *aph.*27. ſiue ab ea diſtinctam, & incipere anno 18.) & à 25. vſque ad 35. menſurari iuuentutem, ex Galen. 3. *aph.* 30. Quia ergo dicto annorum numero vna tantùm ætas non comprehenditur, ſed tota iuuentus, & pars pubertatis; ſeu tota adoleſcentia, ſi illam in hanc, & exquiſitam pubertatem diuidas : ideò Hipp. plurali numero nuncupauit ætates phthiſi obnoxias, impropriè verò Auic.13.3. *tract.*4. *cap.*20. 18.& 30. quaſi anni illi vna tantùm coëceantur.

Cur verò inter reliquas, eæ ætates magis phthiſi ſubiiciantur, illíſque frequentior, magíſque familiaris dicatur, arbitratur Galen. 3. *aph.*29. non ex virtutis imbecillitate, quæ fortior cum temporis eſt; aut ratione membrorum, quia magis completa & exacta, atque actiones (ſaltem animales) fiunt exactiores, 6.*de ſanit.tuend.*4. & 1.*aph.*14. & *lib.*3.*eiuſd.*18. ſed ex accidenti, & vt loquitur Galenus; ſecundùm aliquid, hoc eſt, propter inordinatum vitæ regimen, quo per eas ætates peccatur, tam in cibo, quàm in potu, & in aliis non naturalibus motibus, præcipuè intempeſtiuis exercitiis, curſus, luctæ, armorum, inſolatio-nis, &c. ex quibus facilè vaſa rumpuntur; & hinc euenit ſanguinis eruptio, & phthiſis, iuxta oraculum Senis *lib.* 7. *aph.*15.& 16. *A ſanguinis ſputo puris ſputum; phthiſis, fluxus, & mors.*

Addit prædictæ Galeni cauſæ, eruditiſſimus Heurnius

*in com. ſent.*29.*lib.* 3. *aph.* quoniam in ea ætate *ardet ſanguis bilioſus,qui è venis pectoris : aut pulmonum exſudat : vel iiſdem ruptis,apertis,vel exeſis erumpit : ab ictu,ſaltu,vociferatione,vel ſub ſole,& humi quòd cubarint ; vel acri diæta,inde ferina diſtillatio.*

Iungi poteſt & alia cauſa ex ſalſo, acrique catarrho, cui mediæ illæ ætates obnoxiæ ſunt, vtpote calidiores, præſertim iuuenilis, quum calida & ſicca ſit, atque adeò multa bile vexetur; vnde nihil mirum, ſi à capite in pulmonem influens exulceret, & tabem frequentiùs inducat, quàm puerorum, & ſenum catarrhi: licèt enim frequentiores ſint. 3.*aph.*26.*&* 31. in ſenibus tamen humor defluens ex frigore torpet: in pueris multo humido hebetatur,atque exulcerare prohibetur : non ſic mediis illis temporibus, in quibus præ acrimonia exulcerat, ſic monente Philotheo *in com. cit. aph.*

Vltimò. Oribaſius *in com.* multipliciter contra Galenum inſurgit, negans ob indebitum vitæ regimen, iuuenes eſſe phthiſi magis obnoxios:nam ij validè exercentur, ob vires pluſquàm in alio tempore robuſtiores, & alimēta reproba conterere valent. Deinde Galenus *in com.*39. *lib.*2.*aph.* iuuenes, ob inordinatum vitæ regimen, & intempeſtiuos motus,omni morborum generi dicit eſſe obnoxios,& non ſoli phthiſi: non ergo cauſa à Galeno propoſita eſt frequens & peculiaris, atque in ipſum ex mente Auicennæ inclinat Vgo 5.*aph. cit.* immò plures in hac ætate conſtituti ſaniſſimè,in otio,& ſine vllis in victu, & potu erratis viuentes, creberrimè incurrunt phthiſim. Quinimò continentes viri, & fœminæ,ab omni exceſſu, motuque inordinato abſtinentes, hoc morbo corripiuntur.

Non negamus, cauſam huius euentus eſſe, quoniam per eas ætates maior ſanguinis copia redundat, qui vaſa rumpit,vnde ſanguinis ſputum,& pulmonis vlcus,vt docet Galen. 3.*aph.* 27. cùm ceſſet iam in corpore augmentum; cùm enim minùs iam fiat, immò & minor nutritio, minùs de eo abſumitur,nec tantum, quantum conficitu, vnde neceſſe eſt redundare. Præterea fuſio, ebullitióque ſanguinis, vna, vel maxima eſt plenitudinis occaſio, 1. *aphoriſ.*15.& *lib. de plenitud.*& alibi paſſim : atque à calore per illa tempora pluſquàm in aliis ætatibus vigente, ſanguis magis funditur, ac ebullit, præcipuè ad arterias venoſas,ex vicini cordis,& illarum incendio. Igitur in illis propè viſcera, & pulmonem ſanguis maximè redundabit. Quare cùm redundantia, frequentiſſima ſit cauſa ruptionis, vnde hæmoptoïſis ac phthiſis conſequuntur,fit vt in temporibus illis morbus hic frequentiùs occurrat, quàm in aliis ætatibus antecedentibus. In his etſi generetur multus ſanguis, hic ob hebetatum calorem ab humido quo abundant,minùs ebullit,& totus in nutrimentum, & corporis augmentum tranſit : in ſubſequentibus calor iam minuitur,decreſcit ſanguis, ſimiliter & feruor, à quo ſolebat augeri.

Ex his elicies rationem,ob quam continentes hic morbus magis infeſtet: cùm enim caſtè viuant, vt plurimùm menſtruus ſanguis non rectè purgatur, & retentus, ad thoracis partes reſtagnans, hæmoptoïſim parit,& tabem, ex Galen.6.*aphoriſm.*12. præſertim cùm maximus ſit vteri cum partibus ſpiritalibus conſenſus. Otioſi, & inexercitati, copiam ſanguinis non abſumunt,& fortè vini potu, victúque multo vti ſolent; vnde multiplicatur ſanguis, propè viſcera, vaſa diſtendit, & rumpit; & ſic vtiliſſimè conſulitur his,vt parco victui aſſueſcant,ſanguinem nonnunquam mittant, præſertim in vere, & ex crure; aſſueſit enim ſic ſanguis ad partes diſtantiſſimas trahi, non ad ſupernas, cum euidentiſſimo phthiſis diſcrimine. Hoc enim modo Galenus vertiginoſos præſeruat, & comitiali morbo obnoxios, *lib. de ſang. miſſ. cap.*19. & ſub vno exemplo morborum, qui partes ſupernas infeſtant, cæteri comprehenduntur, ex Galen. *lib.*3. *acut.*42.

Nec leuem nobis præbuit dubitandi anſam ſolertiſſimus Galenus, qui tot ægros connumerans phthiſi emortuos, nullam fecerit mentionem de illorum natura, aut corporis conſtitutione; in qua re deſcribenda primus omnium inſudauit Senex Cous; qui conſiderata corporis forma, naturam alatam pronuntiauit maximè diſpoſitam ad phthiſim, *lib.*6.*epidem. ſect.*3.*text.*18. dicens. *Quæcunque alatæ naturæ laterum, propter impotentiam occaſionis, & in diſtillationibus malignis,& ſi excretio ſit,& ſi non ſit,malum,* & *lib.*1.*epidem. ſect.*1.*text.*18. poſtquam dixerat in conſtitutione quadam plurimos fuiſſe marcidos factos, maximè eos, *quorum natura vergebat ad tabem.* Hi enim præcipuè in hunc morbum frequentiùs incidunt, explicante Galeno *lib.*3. *aphoriſ.*13. *&* 4. *acut.*8. & *in comment. cit. loci epidem.* in quibus thorax adeò anguſtus eſt, & reſtrictus,vt ſpatulæ in morem alarum promineant. Addit Auicenna, ſi collum oblongum ſit, gracile, mollis cutis, albus color. In his cor, cerebrum, pulmo ſunt imbecilla, & exiguo admodum innato calore prædita : nam debile cerebrum facilè repletur, & frequentium defluxionum eſt origo, quibus ad thoracem deſcendentibus, malignæ fiunt diſtillationes, acres & mordentes infirmum pulmonem, qui hac de cauſa facilè vlceratur; ad cuius vlcus febris conſequitur, correpto corde ab extraneo calore, & ſic excitata ferina tuſſi, vlcera magis ſordeſcunt, & dilaniantur; vnde iugi, continuáque febri corpus occupatum, putreſcente deinde pulmonum ſubſtantia, vt inquit Fernelius *lib.* 4. *patholog. cap.* 8. & firmat Galenus *hoc in loco*, contabeſcit, & abſumpto humido rorido, & primigenio, glutinéque diſſoluto, cuius vi & ope partium continuitas ſeruatur, tandem perit & extinguitur.

Ad hæc, ex defectu & debilitate caloris, multiplicantur excrementa,à quibus diſtillationes, vaſorum rupturæ, & tabes. Quod verò pectoris ſtrictura cum longo,gracilíque collo, cordis, cerebri, & pulmonis arguat imbecillitatem,exiguúmque calorem in vitæ principiis, colliges ex eo, quoniam thoracis coſtarúmque amplitudo, cordis ac cerebri magnitudini reſpondet, 2.*art. medic. cap.*11. *&* 29. & 6.*epidem. ſect.*3.*com.* 18. & cerebro non ſolùm pectoris oſſa,ſed & vniuerſa totius corporis atteſtantur;non quaſi ab eo oriantur, ſed quia omnia tandem cohærent, & reſpondent dorſali, quæ & cerebro. Vnde Galenus *lib.*6. *epid. ſect.*6. *ad fin.* ſcribit, *oſſium naturam à capite eſſe æſtimandam.* Iam verò cordi pectus reſpondet; quia ſi calidum eſt cor, thoracem amplificat, tum quia calor vniuerſim diſtendit, tum quia informatrix poſt calidi cordis formationem, inſtrumentum parat, & domicilium ſufficienti aëri trahendo, recipiendóque in calidi cordis ſubſidium, vnde & pectus, & pulmonem magnificat. E contrà verò minuit, anguſtat, coarctat, in defectu caloris natiui. Cùm igitur paruus anguſtúſque thorax, cordis ac cerebri indicet paruitatem, ſimul & pulmonis in cordis vſum creati; membrorum autem paruitas ex informatricis imbecillitate ob inopiam caloris natiui oriatur, vt pulchrè docet Galen. 6. *epid. cit.* fit vt ex ſtricto, anguſtóque pectore in alata natura, principiorum debilitatem, & aptitudinem ad phthiſim coniiciamus.

Iungitur alatæ naturæ plerumque collum gracile, & oblongum, quia cùm vertebræ ipſius colli parùm amplæ euaſerint, immò ſtrictæ & anguſtæ, extendit eas natura; nam longitudine & proceritate, tentat quamprimùm latitudinis defectum compenſare. Cur verò ex procero collo maior aptitudo ad phthiſim oriatur, inquit Aurelianus *cap. de phthiſi*, quia per longum collum difficiliùs expurgatur materia, ex pectoris & pulmonis cauitate cúmque ſæpè tentetur purgatio, hæc non perficitur, immò fruſtratur; vnde retinentur intra pectus humiditates, & putreſcunt : à quibus putrefactis putrefiunt partes quas tangunt, eroduntur, exulcerantur.

Denique ex eodem caloris defectu, albi, molléſque ſunt, qui pectus habent ſtrictum, & ſpatulas in effigiem alarum prominentes; albedo enim frigiditatis eſt ſoboles, *in arte medic.*58. 59. ex ea canities, vitiligo,&c. & ad eam ſequitur mollities, ob copiam humiditatis aceruatæ, quæ ob defectum caloris reſolui non potuit. Neque obiicias, in frigidis naturis non multiplicari ſanguinem. à quo rumpuntur vaſa, neque bilem augeri,

à

à qua acris diſtillatio emanat. Quomodo ergo cohærebit, calidam ætatem, & frigidam temperiem eſſe paratiores ad tabem? Dic, ex abundante crudo pituitosóque ſanguine, cuius frigidum tempus, frigidáque natura eſt ferax, etiam vaſa diſtenduntur, rumpuntúrque: nam pituita detenta putreſcit, ſalſa acríſque fit, vnde pungit, rodit, vlcerat: ob hanc cauſam frigidi ſenes vigilant valdè, 3. *aph. vlt.* Quare rectè poteſt diſpoſitio vna diuerſis eſſe familiaris, & conuenire cum tali temperamento natiuo; ſimul & cum ætatiuo, non ſimili, aut proportionali, ſed oppoſito. Quod ſi adhuc inſtes, pueros & ſenes, quibus debilior vis eſt, & in illis magis tenera, molliorâque membra, à tabe frequentiùs moleſtari, ſi hac de cauſa dicitur frigidæ naturæ magis familiaris: Reſponde huic obiectioni commodè, quia licèt etiam in pueris, & ſenibus phthiſis accidat, quemadmodum morbi omnes in omnibus temporibus 3. *aph.* 19. ita tamen eam frigidæ naturæ addicimus, tanquam familiarem, vt aliquam bilis redundantiam exigamus, quæ in illis ætatibus maiori ex parte non datur, ſed præ aliis in iuuenili, atque ideò hanc potiſſimum dicamus huic morbo. Tu verò per otium lege Valleſium, & Fuchſium *in com. citatæ ſent. lib. 6. epidem.* & inter aphoriſmorum interpretes, Cardanum *in com. ſent. 29. lib. 3. aph.*

QVÆSTIO XXVIII.

Quòd in curatione tabidorum non errauerit Galenus, & cum Tralliano ſit conformis. Contra peritiſſimum Luſitanum, & communem Medicorum ſententiam.

COMMENTARIVM.

Mirum eſt quod multi volunt, & ferè apud primæ notæ viros eſt compertum ratúmque, Galenum vſu, omnigenóque experimento dexterrimum, immò Medicæ ſcholæ vigilantiſſimum ſpeculatorem, & commodiſſimum myſtagogum, in horum affectuum curatione cæcutiuiſſe. Hæc eſt concors, & vnanimis Medicorum ſententia. Sic ſentiunt ferè omnes, qui de tabe peculiare caput conſcripſerunt; quorum voto coactus Thomas à Veiga, vir omnium calculis doctiſſimus, *in com. huius loci*, non dubitat ſummos viros, ſicut Galenum deerraſſe. Sed quoniam lis, & controuerſia, in cauſa horum affectuum explicanda, eſt repoſita, ne Andabatarum more clauſis oculis hiſtoriæ explanationem aggrediamur, liceat exactiori tutrina eam ſpeculari, à primo ægro exordium ſumentes.

Humorem liquidæ bili ſimillimum, medium inter flauum, & pallidum, nulla acredine infectum; ex iecore, venis, aliáve corporis parte poſſe in pulmones confluere, illud facit manifeſtum, quòd in his partibus; non in pulmonibus illa generetur; quæ maiori impetu ad ſpiritales partes confluens, cùm calida ſit, & in loco calido detenta, febriculam lentam, putrida fuligine cordi communicata, excitauit: qua de cauſa, ob viciniam, calore extraneo in cordis corpore firmato, & humore de nouo velut in orbem confluente, tabes incepit; computreſcente autem, purulentum ſputum æger excreauit, ſumpto videlicet lato puris ſignificato, quo humor ſimilis puri intelligitur, prout ſuprà *in com. Hiſtor. 26. de Empyemate* latè retulimus. Ex putredine autem humor retentus cùm acquireret acrimoniam, vaſis parui hac de cauſa exeſio facta eſt, & ſanguinis paucum quiddam in ſputis apparuit. Ob purulentum ergo ſputum, iugémque febrem, cor gliſcit & exardeſcit, & communicato omnibus deinceps partibus ſquallido calore, harum genuinus innatúſque vigor, exhauſto pabulo, tabeſcente magis ac magis corpore, reſoluitur & perit. Hoc in tribus expertum ſe fuiſſe commemorat; quos morti proximos, pulmonis particulas quaſdam putridas, ex putreſcente pulmonum ſubſtantia per ſputum eiectas excreuiſſe narrat. De horum cœtu ſunt illi, quos *in epidemiis* citat auctor iſte, qui in initio,

A pauca adhuc humoris quantitate fluente, licèt nulla, aut non ita vehementi febre tenerentur, tamen illorum exemplo tabeſcere cœperunt, & obiêre.

Hi ſunt qui ob ſpiritalium inſtrumentorum affectum mortui ſunt, licèt nihil cruentum excrearent. Poſſe autem plurimos citra cruentam ſpuitionem tabe reſolui, præter Galeni hoc loco auctoritatem, *lib. 5. pathol. cap. 10.* Fernel. firmat, edoctus ab Hip. *lib. de intern. affect. num.* 12. & 13. quando videlicet ſputum craſſum, & multum à capite deſcendit in pulmones, ipsóſque infarcit; qui obſtructi, & mucilaginoſi humoris copia obruti, non bonum poſſunt parare cordi refrigerium. Qua de cauſa ſi diu durat defluxio hæc, cor calidius redditum, & non benè ventilatum, calorem concipit præter naturam; totúmque corpus, partéſque internæ inflammantur nimis, & excandeſcunt, & B humido depopulato tabes oritur, & euenit mors.

Miraberis fortaſsè, & meritò ſanè, cur tuſſis non meminerit Gal. ſi verum eſt, hanc naturale eſſe ſymptoma, ad expurgandas ſpiritus vias à natura ipſa comparatum, ex Galen. *lib. 2. de cauſ. ſympt. cap. 4.* Nam ſi noxa pleuræ, & ſepti tranſuerſi, non poteſt eſſe cauſa tuſſis, citra hoc quòd communicetur pulmoni, ex Galen. *lib. 2. de criſ. cap. 10.* & *lib. 5. de loc. cap. 3.* & Au. cen. 10. 3. *tract. 4. c. 2.* quid de pulmonibus ipſis, non per viciniam aut conſenſum, ſed per eſſentiam & proprietatem laborantibus proferemus, quibus affectis illicò tuſſim excitari eſt neceſſe? Hanc enim vt manifeſtam & ex neceſſitate euenientem, tanquam notam præteriit; nam quæ omnibus patent, ea præte mittenda ſunt, ex Galen. *lib. 4. de rat. vict. com. 72.* & *lib. 2. de difficult. reſp. cap. 7.* & *lib. 6. epidem. ſect. 2. com. 30.* Obſcura C enim repetere non grauatur, *lib. 10. meth. cap. 5. in med.* Nemo enim ſibi perſuadere poterit, pulmonum partes ſine tuſſi excerni potuiſſe, cùm Galenus de frequentioribus pulmonum affectibus ſermonem inſtituens, tuſſis perpetuò faciat mentionem.

At de illo, qui fruſtum paruo grandinis grano ſimile excreabat, tantiſper peragamus. Galenus enim hîc cauſam ſuæ generationis habuiſſe affirmat, quòd lentus ille humor, qui anteà expuebatur, ſiccatus, induratúſque, ad huiuſmodi ſubſtantiam peruenerit; quæ autem fuerit intemperies exſiccans & indurans, proferemus modò.

Hæc eſt ſuccincta affectuum horum explanatio. Putant ergo plures, medicamenta à Galen. allata, inutilia eſſe, & nullius vſus; cùm enim calida ſint, febrim magis in- D tendunt & exacuunt, humorem craſſum & lentum, abſumpta tenuiori parte, craſſiorem reddunt, cor, cæteráque viſcera, immò totum corporis habitum ſiccum & ſqualliduminflammant. Quare humorem craſſum præ calore, frigidis aperientibus eſſe debellandum cenſent, maximè cùm aſſerat Galen. *lib. 6. epidem. ſect. 3. com. 36.* horum ſputorum rotundorum, lentorúmque, & temporis diuturnitate tabem committentium, cauſam eſſe loci caliditatem: quare mirantur valdè Galenum, tabidos, ſicut anhelóſos perſanantem.

His commotus Alexander Trallianus in Galenum, vt iniurius inſurrexit, *lib. 5. cap. 4.* in hunc modum præfatus. *Meminit autem*, inquit, *diuiniſſimus Galenus cuiuſdam, qui non calculum, ſed grandinibus ſimilia expuerat: Item aliorum quorundam, qui ſimilia bili colore ſputa reiecerant. Atque miror quomodo ipſe nullo refrigerantium vti voluerit; nam & Mi-* E *thridatiũ ipſis offerebat, pariter & Athanaſiam, & quæ adhuc magis excalfacere poteſt, theriacam, aliáque omnia antidota ad ſuſpirioſos inſcripta, quæ acribus quibuſdam, & extenuantibus medicamentis conſtant. Atque ea ſe non ſolùm in vno viro, ſed etiam in compluribus vidiſſe dicit. Nullus autem eorum, quibus eiuſmodi acciderunt, mortem effugere potuit, ſed omnes cùm paulò longiore tempore, aut breuiore perduraſſent, interierunt. At reuerà, verum eſt hoc, quod de Archigene ille prodidit: difficile enim eſt, homo cùm ſit, in multis non peccare, quia nõnulla prorsùs ignorauerit: nonnulla etiam negligentiùs conſcripſerit. Atque hæc dicere de tam ſapiente viro auſus non fuiſſem, niſi veritas confidenti me eſſe animo incitaſſet, atque ego rurſus impium eſſe cenſuiſſem ſilere. Nam Medicus cùm id quod ſibi*

videtur, arripit, & non explicat, valdè alios offendit, & impietatem exercet, magnóque errori imprudens ſeipſum ſponte implicat. Verùm illud agendum eſt, quod Ariſtoteles dixit, amicus quidem Plato, amica verò etiam eſt veritas: duobus autem propoſitis, veritas præferri debet, &c. Hactenus Trallianus. Quãquam Simon Genuenſis, & Iacobus de partibus fidiſſimi eius interpretes, hiſtoriam ſolùm enarrent, ſed calumniam in Galenum (tanti forſan viri pace) pertranſeant. Hiſtoria autem Tralliani, eſt huiuſmodi. *Vir quidam calculum exquiſitè figuratum expuit, non craſſum humorem & viſcoſum, ſed verè calculum: non aſperum, ſed læuem valdè, durum atque renitentem, vt in terram quoque proiectus ſonum ederet. Hic vir longo tempore vexatus tuſſi, non potuit ne valdè tuſſiret, liberari, quouſque calculum expuiſſet. Vtebar autem victu temperato, humectante, & potius refrigerante mediocriter: erat enim & curis deditus, & habitu tenuis, vt hoc etiam tabidis ipſe reſponderet. Et niſi his vſus fuiſſem, puto illum ſimiliter iis, qui tabe labor runt, interiturum fuiſſe,* &c.

Vides, vt Trallianus ratione, & experimento munitus, Galeni ſententiam eſpuat, & condemnet. Neceſſe ergo eſt oſtendere, in curandis his ægris minimè erraſſe Galenum: deinceps, cum hoc illum eſſe concordem. Nam, nec bonum argumentum, Trallianum contra Galenum conſtruxiſſe puto, quia ſic affecti mortui ſunt, *non* enim *oportet, vt quos Medicus præ manibus habet, omnes ſanos faciat,* monente ſic Hippo. *lib.* 1. *prog. text.* 2. *cùm ſufficiat ſolùm facere, quæ ratio ſuppeditat, & longus vſus peritiáque commonſtrat,* ex Galen. *lib.* 6. *epid. ſect.* 8. *comment. vlt.* & maximè cum Galenus neceſſariæ illorum mortis cauſam adduxerit manifeſtam. Galenus namque non omnibus & ſingulis exhibuit Mithridaticam, Athanaſiámque confectionem, & theriacam, aliáque foliata, & ſpicata medicamenta, quæ inſigniter calefaciunt, attenuant, & exſiccant, vtpotè compoſita ex Opobalſamo, Caſia odorata, Spica, Pipere, Coſto, Styrace, Glycyrrhiza, Eupatorio, melle, & aliis, quorum deſcriptionem ex profeſſo referunt Cornel. *lib.* 5. *cap.* 23. & 24. Paul. *lib.* 7. *cap.* 11. Aëtius *tetrab.* 3. *ſerm.* 4. *c.* 121. & *tetrab.* 4. *ſerm.* 1. *cap.* 89. Trallian. *lib.* 3. *cap.* 17. quæ confectiones Romanis Medicis maximo erant in vſu: hæc rectè cùm ſciret Gal. multis de cauſis nocitura; ſed in tertio ægro, qui pulmonum putres quaſdam portiunculas expuebat, eſt expertus. Hæ enim cùm exſiccantia ſint, putredinem in carnem pulmonum ſerpentem arcent, & ſuppriment, & qua odora, ſpiritus vitales à vaporibus ſordidis ferè extinctos reficiunt, & refocillant. Cum enim caro pulmonis putrida ſit, & exulcerata; neque vſtione, aut ſectione liceat vti, veluti in partibus externis omninò corruptis quotidie fit: ideò ad vlceris abſterſionem, putrediníſque inhibitionem odoratis exſiccantibus curatio eſt celebranda. Denique primum, & ſecundum, vltimóſque ægros frigidis humidis, vt par eſt, Galenus perſanare intendit, præſertim cùm febricula adeſſet, quæ deinceps ex nouo confluxu humoris eſt adaucta; quod Trallianus firmat, & annuit Galenus. Verùm cùm pulmonis carnem exulceratio apprehendit, & ex vlcere, tabes & febris oriuntur, exſiccantia ob dictam cauſam præferenda ſunt.

Sed quid reſpondebimus contradicentibus Galeno, curanti expuentes grandinem calidiſſimis medicamentis, & quæ aſthmaticis auxiliari ſolent? Dic non perpetuum eſſe, rotunda ſputa, & dura grandinum inſtar, ab adurenti calore, vel vt cauſa effectrice generari, cùm etiam à frigiditate fieri poſſe exſiccationem, Philoſophus concedat *lib.* 4. *meteor. cap.* 5. Nam frigus cogendo calidum internum atque illud fortius reddendo, deſiccat: cum hoc deinde humorem abſumit. Siccantur ergo omnia non ſolùm calefacta, ſed refrigerata; cùm conſtet frigus natura ſua conſtringere, & repellere: conſtringentia verò & reprimentia, humidum exprimendo deſiccant: quo titulo Gal. *lib.* 7. *meth. cap.* 6. extenuatos & aridos, ab adſtringentium vſu ſummoperè arcet.

Quid ergo mirum, ſi ab exſiccante frigiditate ſputum lentum in grandinis formam fuerit redactum? id perbellè oſtendit Gal. *lib.* 3. *aphor. com.* 31. dum à cerebro excrementa confluentia in pulmones, craſſa, lenta & viſcida, perſæpè dura à frigiditate effici affirmat. Ob quam cauſam medicamentum aſthmaticis conueniens, attenuans nimirum, & valenter calfaciens exhibuit, cuius ope non ita facilè grando generabatur, erátque propterea minor, & infrequentior. Medicamenti autem vtilis ad aſthma; & dyſpnoïcos, exempla lege apud Galen. *lib.* 7. *de compoſ. medicam. ſec. loc. cap. vlt.* Ex quo patere arbitror, omnes ferè obiurgandos eſſe Medicos, qui citra diſtinctionem vllam, Galenum ſedulò calumniari auſi ſunt: *qui* enim *alios extempore reprehendit, ſeipſum afficit cõtumelia,* ex Galen. *lib.* 3. *epidem. ſect.* 1. *com.* 4. *in fin.* & Rhaſio *lib.* 6. *aphoriſm. text.* 40. nam *melius eſt tacere, quàm temerè pronunciantem falli,* ex Galen. *lib.* 1. *de dieb. decretor. cap.* 11. quoniam Galen. non in omnibus, ſed in quibuſdam tantùm calida medicamenta propinat, vt vel pulmonum putrilaginem, vel grandinis generationem, & ob huius cauſam, repentinam futuram ſuffocationem impediret, cùm valdè refrigerantia ſint vitanda; nam omnia cogunt, incraſſant, craſsúmque impingunt humorem, eúmque excerni prohibent. Si verò Trallianus, ægrum qui expuit calculum, frigidis & humidis curauit, Galeno minimè aduerſatur, cùm potuerit calculus, à calida & ſicca pulmonum intemperie concreuiſſe: præcipuè cùm æger eſſet ſqualido habitu, & tenui præditus, curiſque vehementer oppreſſus, cui refrigeratio & humectatio vtilis eſt. De quo dubio, vide Chriſtoph. à Vega *lib.* 3. *art. medic. ſect.* 6. *c.* 2. *in fin.* Deinde ſi febris non ſit ita valida; humorúmque viſcoſorum in bronchiis pulmonis adſit copia multa, quis dubitat calida medicamenta poſſe eſſe ex vſu? Sic Abſinthium in tertiana vera, & in non vera Piper, Hyſſopum, aut Origanum, Galen. *in lib. ad Glauc.* propinat. Sic in lethargo, ſeu qualibet alia pituitoſa inflammatione interna, medicamenta calida exhibere non veretur, 13. *meth. c.* 21. Sic in hydrope, præſente febri, victum non humidum, ſed ſiccum imperamus, cum Galen. *lib.* 1. *aph.* 16. Sic in frigidis vteri, naturaliúmque partium obſtructionibus cum febri, victum calidum, exercitium, & alia medicamenta calida deobſtruentia conſulimus cum vtilitate ſumma, edocti ab Auic. 4. 1. *cap.* 24. Sic etiam Medici, valido renum calore præſente, calidiſſimis potionibus ad frangendum lapidem vtuntur, vt hic medicamentorum tenuitate diuiſus promptiùs educi poſſit. Sic Gal. *hoc loco,* calida, & attenuantia vtilia eſſe pronuntiat, quia cauſam materialem grandinis hac ratione expellere ſatagit. Lege Carrerium *diſput.* 38. *ad libros Galeni, de loc. affect. cap.* 4. qui de hoc negotio diligenter plura exarauit.

HISTOR. XXXVII. PAVLI, De pectoris calculo.

Calculus, tuſſi proiectus.

NOtus certè quidam mihi eſt, ex iis qui ſanguinem è pulmone reiiciunt, qui temporis proceſſu, maxima cum tuſſi & ſanguinis copia, * calculos quatuor aut quinque expuit, aſperos tribulorum modo, ad magnitudinem ſiliquarum trium aut quatuor, ac deinde dolore leuatus eſt, &c. Paulus* lib. 3. cap. 31. *Trallianus* lib. 5. cap. 4.

PARAPHRASIS.

HAnc hiſtoriam affert etiam Trallianus *lib.* 5. *cap.* 4. dum virum quendam calculum exquiſitè figuratum, læuem, durum, & renitentem expuiſſe refert qui in terram proiectus ſonum edebat. Similes vidit è pulmonibus expulſos Aretæus *lib.* 1. *chronion, cap.* 12. & Galenus *ſuprà, cap.* 8. *lib.* 4. *de loc. affect.* hiſtoriam deſcribit cuiuſdam diuturna tuſſi vexati, qui fruſtulum quoddam grandini ſimillimum excreuit. Tradit Beniuenius *cap.* 24. *de abditis,* Henricum Alemanum lateris dolore cum tuſſicula ſicca per triennium vexatum, tandem calculum ad Auellanæ magnitudinem expuliſſe, ac ſanitati fuiſſe reſtitutum. Refert Iulius Cæſar Scaliger *ad Cardan. exercit.* 108. *num.* 3. ſe vidiſſe in pulmonibus Alberici quæſtoris aliquot calculos, æquabili

æquabili ſuperficie, duriſſimos, colore argillaceo. Meminit Rembertus Dodonæus c.23.*exemplorum memorabilium*, calculi ex pulmonum arteriis excreti. Fernel. firmat *lib.5.pathol.cap.*10. dicit enim ſe vidiſſe, virum quendam, quoties exercitatione incaleſcebat, concitata tuſſi calculos è pulmonibus edidiſſe prædur os, eóſque modo hordei, modo piſi magnitudine, quin in nonnullis ex orthopnœa extinctis, & diſſectis, in pulmonibus veros calculos deprehendiſſe, refert Victor Trincauellius *lib.*10.*de curand.part.affectibus, cap.6.* confirmat, vidit, & manibus propriis extraxit Columbus *lib.*15.*de his quæ rarò in anatome fiunt.* Eoſdem reperit Ioannes Kentmannus *lib. proprio de lapidibus in humano corpore repertis.* Caſtrenſis Luſitanus *lib.de meteor. microcoſmi, cap.* 15. ſe vidiſſe ſcribit in matrona quadam, quæ diſſecta fuit, pulmones vniuerſos quaſi grandine reſperſos, & monialem ſe curaſſe refert, quæ granuloſa quædam, grandinis inſtar excernebat.

Obſeruatio VIII.

Globus cryſtalliformis tuſſi proiectus.

Laborauerat multo anteà tempore Senex quidam importuna tuſſi, quæ à catarrhoſa defluxione originem ducebat. Is licèt plurima diu tentaſſet auxilia, adhuc vehementiori tuſſi in dies magis ac magis premebatur. Tandem vno die cum ſuffocationis diſcrimine globulum cryſtalliformem auellanæ paruæ magnitudine moleſtiſſima tuſſi excreuit, durum & compactum, quo eiecto conualuit. Ne veró ex partium habituali intemperie iterum malum recrudeſceret, mucoſis humoribus priùs vacuatis, fonticulum in læuo brachio affigendum curo, cerebrum roboro, thoracem à lenta pituita repurgo; terebinthina vario modo exhibita, ſudorifica ex ebeno celebranda impero: quibus exequutis ad priſtinam reuerſus eſt valetudinem.

Nec mireris: nam oſſa vidit Columbus in pulmonibus, *lib.*15.*de iis quæ rarò in anatome fiunt.* Quare ſi hæc in iis reperiuntur, quantò magis lapides, quos natos in pulmone, & ab amico tranſmiſſos vidit Geſnerus *part.*1. *cap.*12. *de foſſilibus.* Inuenerunt Cardan. *lib.*4.*aphoriſ.com.*79. Ferrandus Senior *lib.de nephritide.* Cornel. Gem. *lib.*1.*c.*6.*coſmocrit.& lib.*2.*Cyclognom.pag.*76. Gordon. *partic.*5.*c.*18. Gilbert. Anglic. *lib.*6.*compend.c.de lapide renum.* Ioan. Harcul. *in commentar.ad cap. de lapide veſicæ Rhaſis.* Muſa *com. ad aph.*79.*lib.*4.*aph.* Scholiog. Holler. *ad c.*48.*lib.*1.*de morb. inter.* Iacot. *ad aph.*67.*ſect.*2.*lib.*5.*Coacar. Hip.* Gerard. Bergeſ. *lib.de calcul. & arthritide.* Sebaſtian. Roth. *in diſp. medic.* Foreſt. *lib.*14.*obſeru.*26.*in Schol.* Felix Plater. *lib.de obſ. prop.* V Vier. *lib.*3.*cap.*2.*de præſtig. dæmon.& lib.*4.*cap.*16.

Quid plura? nónne in pulmonibus, aſpera arteria, vitalium inſtrumentorum capacitate, animalcula muſcis, ſtrobylis nucleis, cimicibus, vermiculis ſimilia generantur, quæ tuſſi tandem reiiciuntur? Hæc omnia per tuſſim excerni è pectore teſtes ſunt fidiſſimi, Auenzoar *lib.*1. *tract.* 11. *c.*3. Alzaharauius *tract.*13.*pract.cap.*1. Thom. à Veiga *comment.ad cap.*5.*lib.*1. Galen. *de loc.affect.* Brauaſol. *lib.*4. *aph.comm.*97. Beniu. *cap.*77.*de abdit.* Fernel, *lib.*6.*patholog. c.*10. Mundel. *dialog.*4.*num.*42.

Quid dubitandum? nónne humor viſcoſus, lentus, & tenax, è cerebro in ſpiritales partes delapſus, cùm totus ob multas cauſas non expuitur, & in pulmonum bronchiis, cauiſque adhæreſcit ita firmiter, vt euelli non poſſit temporis diuturnitate craſſeſcens, vi caloris ignei ac retorridi, in vitream, gypſeámque pituitam, ac tandem in lapillos verti poteſt? quos expuiſſe hunc ægrum, tribulorum modo aſperos, & ad magnitudinem filiquarum trium aut quatuor, hoc loco Paulus refert. Sunt autem tribuli, aut aquatici, aut terreſtres, ex Dioſcorid. *lib.*4. *cap.* 16. hi vel in domorum areis, vel ſeptis villarum naſcuntur, ſecundùm folium, ſpinas & aculeos habentes, quas cuſpides primatim contemplatur Theophraſtus in hac planta *lib.*6. *de hiſtor. plantar. cap.*6. nam, vt notat Ruel. *lib.*3.*de natur. ſtirp. cap.*84. ea ſpinarum aculeis inſigniter armatur, & muniuntur. Erat ergo lapis proiectus, ſpinoſus & aſper, tribulorum modo, pondere ſiliquarum trium aut quatuor, hoc eſt, granorum 12. aut ſexdecim: nam ſiliqua apud Saladinum, & Lacunam *in lib. de ponderibus & menſuris*, habet grana quatuor.

QVÆSTIO XXIX.

Quòd efficiens calculi cauſa, frigiditas eſſe non poſſit. Contra Valleſium, Cardanum, Mercurialem, & Coſtæum doctiſſimos.

COMMENTARIVM.

Calculos.] De calculi cauſa materiali, communis recepta Medicorum opinio eſt, quòd ſit humor craſſus, viſcidus, tenax & lentus, quicumque is ſit, qui ratione viſciditatis vnitur, & concreſcit. De efficiente ſæpè, & anxiè quæſitum inter Doctores ſcio, num ſicut calor eſt humorem exaſſans, exſiccans, & indurans, ſic etiam frigiditas exſiccans eſſe poſſit, nam quæcumque indurantur, id patiuntur vel à calido exſiccante humidum, vel à frigido illud exprimente, iuxta Philoſophum *lib.*4.*de meteor.cap.*2. & 3. A calore igneo calculos generari, conſtans eſt ſententia Galeni *lib.*6.*epidem.ſect.*1.*com.*6. dum enim huius vi tenuiores partes reſoluuntur, & craſſiores terreſtrioréſque remanét, hæ ob viſciditatem vnitæ, & compactæ, formam lapidis acquirunt. Eandem ſententiam habuit, *in eodem lib. ſect.*3.*com.*15. §. *Huiuſmodi verò craſſitudo multa collecta, & in vnum coiens, cùm ſemel aliquando non opportunè excreta, intus diutius remanſerit, coagmentandi, concreſcendique initium capit. Eo verò principio facto, facilè poſteà quidquid itérum reliqui craſſi in veſicam delabitur, priori agglutinatur, maiorque inde tophoſus calculus redditur: quemadmodum extra, & in calidis aquis ſponte naſcentibus, & in vaſis vbi calefit aqua, quotidie lapis concreſcere cernitur. Igitur vrinarum craſſitudo, creandorum calculorum prima, potiſſimáque cauſa eſt. Caliditas verò etiam mediocris ad huiuſmodi materiam ſpiſſandam ſatis eſt: nempè & in calidis aquis ſcaturientibus, etſi moderatis tepidiores ſint, tophi concreſcentes apparent, &c.* In quem ſenſum intelligendus eſt Auic. 18.3.*tract.*2.*cap.*16. dum cauſam lapidis efficientem, eſſe caliditatem egreſſam ab æqualitate manifeſtè pronunciat. Explicat Serap. *tract.* 4.*cap.*40. caliditatem hanc interdum eſſe igneam, aliquando temperatam aſſeuerans; hæc enim per moram, diu, importunéque agens, vt in ſenibus, viſcoſum humorem, reſoluendo humidum, cogit in lapidem. Demùm veros lapides in renibus, & alia quauis parte generatos, à calido fieri ipſe aſſeruit, *lib.*1.*de aliment.facult. cap.*5. & *lib.*3. *eiuſdem, cap.*1. & 6. & *lib.*3.*aph. com.*26. Firmant Ariſtot. *part.*10. *problem.*42. & Fernel. *lib.*6.*patholog.cap.*12. Ludouicus Lobera *lib.*2.*de quatuor ægritudinibus aulicis, cap.* 5 3. *de cauſa lapidis rerum.* Qui ex omnium ſententia, efficientem cauſam eſſe immoderatum renum calorem, qui humores perurens, ſiccans, & obdurans, mutat in lapidem, conſtantiſſimè aſſeuerant.

Non defuere tamen plures, iique emunctæ naris viri, qui tantorum virorum ſententiam improbent, & redarguere moliantur, vno ſolo argumento muniti, quòd videant Galenum *cit.com.*15.*lib.*6 *epid.* aſſerentem, veſicam neruoſam, & pauci ſanguinis exiſtentem, craſſitudinem in ipſam tranſmiſſam cogere, & inſpiſſare: quod ipſe etiam fatetur *lib.de ren.affect. dignot.atque medic. cap.*2.§.*In veſica autem exiſtente frigida (membranoſa eſt enim, paucique ſanguinis, & ampla intus capacitate) rurſus conſiſtit, denſatúrque ad eandem craſſitudinem, quam paulò antè monſtrauimus: conſiſtentiæque principium ſumit, ſi diutiùs in veſica commoretur, &c.* Ex quibus locis anſam arripuit Mercur. *lib.*2. *variar. lect. cap.*11. reprehendendi Galenum, cuius ſententiam amplectuntur Valleſius *in com.text.*6.*ſect.*1.*lib.*6.*epid.in initio*, & Cardanus *in com. aph.*79. *lib.* 4. *aph.* quam opinionem primus omnium habuit Marianus Sanctus *in ſuo libel. de lapid. ren. & veſicâ.*

Multipliciter peccare hos auctores nemo non videt. Primò. Nam cùm lapides in humano corpore reperti, calore non liquentur, calore concretos omnes eſſe conſtat. Secundò;

Secundò, quoniam Alexand. *lib.* 1.*problem.*110. lapides, nec in pueris, nec in ſenibus à frigore poſſe oriri confirmat, edoctus à Galen. *lib.* 2.*de temp. cap.* 3. §. *Neque enim tanta eſſe in eo frigiditas poteſt, vt aliquid in ipſo concreſcere in duritiem queat, &c.* repetit 6.*epidem.ſect.*5.*comment.*27. dum explicans ſententiam, *refrigeratio, quæ in ventre ſunt, durat,* in hæc verba prorumpit. *Hoc enim de refrigeratis partibus,quæ interiùs abſtruſæ non ſunt,rectè dici poteſt: partes enim ventris adeò rigere nequeunt, vt cibi, potúſque congelati indurentur, ſicut alia extra corpus noſtrum hyeme frigore concreta dureſcunt: priùs enim, quàm ita frigeret, homo interiret, &c.* Et vel ipſe Galen. *loc.cit. de ren.dignot.* quem ipſi in contrarium ſenſum diſtorquent, hanc ſententiam apertiſſimè confirmat, dum ſic fatur. *Verùm in nobis frigus non gignit: neque enim fieri poteſt,vt viuo corpori tantùm frigus accidat, quo concreſcere valeat in homine lapis, quemadmodum fieri in externis videmus.* Quo fit, vt à calore lapis in homine generetur, eóque vel vehementi vel tepido. De quo argumento, lege Euſtach. Rudium *lib.* 2.*de morb. intern. cap.*36. & eruditiſſimum Santorellum *lib.*8. *anteprax.*18.

Si verò *in Epid.* & infrà, *in cit.lib.de ren.dignot.* veſicam frigido ſuo temperamento ſuccos craſſos condenſare poſſe profeſſus fuit; per frigiditatem, non abſolutam frigiditatem, ſed calorem imbecilliorem intelligas,oportet. Sic enim Galen. paſſim, cerebrum, veſicam, ad alias partes calidiores collatione facta, frigidas vocat. Alioquin ſi poſitiuam frigiditatem intelligamus, Galenum in eadem ferè linea abſurda protuliſſe dicemus, cùm *ibidem* lapides ſemper ex calido fieri aſſeuerет. Immò Cardanus ſui immemor, *lib.*7.*de ſubtilit.* in quibuſdam animalibus, putà bufone, limace, & cancro, lapides generari poſſe à frigiditate, in homine verò à calore immodico duntaxat arbitratur.

Occurrit Coſtæus *in comment.cap.*16. *loci cit. Auicen.* de lapide renum, viuente animali fieri non poſſe, cum Gal. aſſeuerans, vt tantum frigus accedat, quo quidpiam in corpore concreſcere poſſit: tamen hoc in renibus & veſica, partibus, vel ſubſtantia, vel ſolùm aliorum viſcerum calidorum vicinia calidis, intelligendum eſſe confirmat;nam alias viuo corpore ex frigore lapilli concreſcunt: indicio ſunt tophi in articulis quotidie geniti. Quo argumento, Medicorum à calore in animali lapides generari arbitrantium opinionem, minimè eſſe conſtantem, firmámque ſibi perſuadet. Verumtamen obiectionem iſtam vanam prorſus eſſe, nec Galeno conſonam,ipſemet Galenus nos cogit aſſerere, quippe qui *lib.*14. *method. cap.*4. poros, ſeu tophos in articulari morbo, ex craſſo, glutinosóque humore progenitos, ob nimium digerentium,violentorúmque medicamentorum excalfacientium, & ſiccantium vim ſuboriri confirmat: nam tenui parte digeſta, ac reſoluta, quod reliquum eſt, veluti lapidoſa concretio linquitur. Subdítque: *ad eundem modum & calculi generantur in renibus, aſſo ſcilicet in his craſſo glutinoſóque ſucco, &c.* Quid in noſtrum inſtitutum à Galen. clariùs dici poteſt, quàm tophos, non ex frigore, vt rebatur Coſtæus, ſed ex calore, toſto videlicet lento humore generari? Deinde tophus non eſt lapis: ille enim frangitur attritu, ſed eſt tumor durus præter naturam ex craſſo, terreſtríque humore pronatus; hic autem ex gypſea pituita, vel naturali melancholia ortum ducens, fit ob diaphoretici, valdéque ſiccantis medicamenti vſum; quo pacto ob calorem concretione facta ita dureſcit humor, vt à lapidis, vel gypſi duritie non procul abſit, vt Fernel. inquit *lib.*6. *phyſiolog.cap.*9.*in fin.* A calore ergo omnis lapis cogitur in corpore. Si tamen de lapidibus Microcoſmi pulchra ſcire affectas, lege inter omnes Stephan. Roderic.à Caſtro *lib.*4.*de meteor. microcoſmi, cap.*16. qui de hac re inter omnes appoſitiſſimè diſſeruit.

***

HIST. XXXVIII. GALENI, De corde.

Duplex cor.

Nam gallum quiſpiam diis ſacrificans, cor inuenit duobus faſtigiatum verticibus,&c. Galenus lib.7. de anatomic. adminiſtrationibus. cap.11.

PARAPHRASIS.

De corde, eiúſque ventriculis,nominibus,figura,ſitu, vſu, motu, dignitate, ac neceſſitate, ſat plura dixere veteres, & iuniores anatomici ferè omnes, nos carptim de eius præſtantia mira aliquid proferamus. Eſt ergo cor omnium viſcerum, & membrorum radix prima, caloris innati conceptaculum, vitæ fons, ac principium, ſpiritus vitalis ſedes: ita ſe in humano corpore habet, ſicut in orbe intelligentia prima; ẽſtque quidam microcoſmi veluti rex nobilior. Proinde eſt illius ſubſtantia ſolidior,duriórque, tum vt affectionibus, nocumentiſque minùs foret obnoxium, tum ne ſpiritus, calórque vitalis omninò euaneſcerent, nullo cohibiti ſolidamento, ſed raritate, mollitiéque efflati. Sicut enim hominum, cæterarúmque animantium corpora diffluerent, niſi vis aliqua foret excellentior, quæ aſſiſtens, membrorum aleret, cuſtodirétque compagem: ſic niſi eſſet cor, caloris natiui focus vberrimus, à quo per arterias, tanquam riuulos,ſpiritus viuicus in omne corpus diffunditur ac deriuatur, cætera membra eius influxu deſtituta extinguerentur, & perirẽt. Vt enim in cœleſti illa regione præeſt Sol,cuius motu,radiis, & lumine illuſtrantur omnia ſublunaria, perficiuntur,& viuunt: ita Cor, cuius tanta eſt cum Sole analogia, calore ſalutari animal fouet ac tuetur, vt ipſum, ſolem hominis, antiqui appellare non dubitarint. Hoc enim viſcus igneam veluti vim in ſe continere videtur, cuius calor quantus ſit, explicat Galen, *lib. de inæqual. intemper. cap.*5.§.*In ſiniſtrũ cordis ventriculum ſi viuo etiam animante, nec adhuc febre tentato,immittere digitum velis, vehementiſſimum deprehendes calorem,&c.* repetit *lib.*2.*de temp.*3.immò inquit Galen. *lib.de vſu pulſ. cap.*2. *Si corde refrigerato, ac propterea animali iam mortuo, in alterutrum ventriculorum eius, præcipuè in ſiniſtrum inſeras digitum, magnum inibi calorem deprehendes, longéque maiorem quàm in aliis partibus, dummodò pro naturæ modo ſe habeant.* Sed de huius viſceris excellentia hæc ſunto ſatis. De cuius motu, & vi, mira conſcripſit eruditiſſimus Gulielmus Haruëius, *libello proprio de eius motu*,& explicuit Conſtantius Varolius *lib.*2.*de re anatomica, cap.*1.

Galenus licet hanc hiſtoriam citet vt veriſſimam,arbitrari tamen videtur in hoc gallo,duo corda non fuiſſe, ſed dextri verticem,circumſcriptionem peculiarem habuiſſe. Duplex autem cor in homine fuiſſe inuentum,noſtro, & priſcorum æuo eſt compertum. Plin. enim *lib.*11.*natural. hiſtor. cap.* 37. in Paphlagonia, bina in perdicibus corda reperiri affirmat. Et Auicen. 11. 3. *tract.*1. *cap.*1. cor cum duobus capitibus inuentum fuiſſe refert. Sic *lib.* 4. *de generat.animal.cap.*4.duplicem lienem Ariſtot.vidit. Duplex iecur, ſicut & duplicem lienem notauit Cælius Rodigin. *lib.*24.*lect.antiquar.cap.*3. Duplices renes, immò tres, aut quatuor viſi à Gemma *lib.* 2. *artis Cyclognom. pag.*72. & *in lib.*1.*c.*6.*coſmocrit.*& ab Euſtachio *lib.de ren. ſtructur. c.*10. à Botallo *lib.de monſtroſ.rene,pag.*137.Fallop. *in obſeruat.ad Petrum Manam Medicum.*Viſæ ſunt in eodem latere binæ venæ iugulares à Columb.*lib.*15.*de iis quæ raró in anatome ſiunt.* Binæ, tres, aut quatuor emulgentes venæ in eodem latere animaduerſæ,ab eodem *loc.cit.* Et geminas inſignes emulgentes venas, & binas arterias ad vnamquamque ferri vidit Fallop.*lib.*4.*de viſcerib.cap.*9. Immò ſeptem notauit emulgentes in calculoſo,Paręus *lib.*2.*anatom.cap.*25. Triplices teſticulos viderunt Cælius Rhodigin. *lib.* 24. *antiq.lect.cap.*4.& *lib.*17.*cap.*12. Montuus *cap.* 37. *com.*4. *Anaſceu,*

Anàſceu.morb. Fernel.*lib.1 patholog.c.8.* Iodoc. Vvillichius *lib.1.anatom.c.19.* Scholiograph.*ad c.62.l.1 de morb.intern.* *Holler.* Veſalius *lib.5.fabric.cap.13.* Duplicem papillam in mamma lac reddentem, notauit Holler. *inter rara, num.6.* viſa mulier à Cabrolio *obſeruat. 7. anatomic.* quæ quatuor geſtabat vbera, vtrimque gemina, quæ omnia lac fundebant. Quare ſi hæc vera ſunt, & plura videntur in corde monſtroſa, quorum hiſtorias non paucas reperies, apud Marcel.Donat.*lib.6.de medic.hiſtor.mirab.cap.2.* & Schenckium *lib.2.obſeru.de corde*, ex fide dignis, probatiſſimiſque auctoribus decerptas, quid de duplicis cordis ortu dubitandum? Quemadmodum enim ſine partibus principibus cadauera ſunt inuenta, vt de eo qui ſine liene, & hepate vixit, ſic referente Bauhino *in lib.de partu cæſareo*: ſic cum duplicibus viuere poſſe, cur denegabimus? Si verò plura monſtroſa, vtpote binas veſicas vrinarias, & alia inuenta, legere concupiſcis, adi Coïterum *in lib.obſeruat.medicar.& chirurgicar. ferè per totum.*

HIST. XXXIX. GALENI, *De cordis palpatione.*

Quidam palpitatione cordis quotannis vexatus, venæ ſectionis vi, præſeruatus.

CÆterùm noui quendam quotannis verno tempore huiuſmodi palpitationis accidente vexatum, qui cùm per tres annos à ſanguinis detractione ſe adiutum intelligeret, anno quarto antequam accidens ipſum inuaderet, ſanguinem miſit, idque pluribus deinceps annis faciendo, idonea etiam poſt ſanguinis detractionem medicamenta adhibuit. At nihilominus hic quoque ante ſenectutem morte preuentus eſt, ſicut & reliqui omnes, quorum alij quidem per acutas febres, alij verò cùm ſani degerent, affatim ſyncope intercepti perierunt: quamuis vnus, vel duo citra ſyncopen, alia quadam mortis ſpecie interierint, &c. Galenus lib.5.de loc.affect.cap.2.

PARAPHRASIS.

EX omnibus auxiliis, quæ ad palpitationem cordis priſci celebrarunt, ſanguinis miſſio primum locum vendicare videtur, præſertim quando ab humoribus craſſis in pericardio contentis, aliquando in finibus cordis concluſis oritur hoc malum; qui aut in ipſo corde generantur, aut aliunde tranſmittuntur: & quibus lien bilis atræ copia turgeſcit; in his enim perſpicua, & moleſta percipitur arteriæ palpitatio, quæ circa lienem, & pancreas ſita eſt, ex qua teter, & nebuloſus vapor in cor ſubiens palpitationem facit. Huius enim auxilij ope, fæculentus humor, huius mali cauſa, educitur: quo extracto, cor, quod ante illius copia obruebatur, ventilatur, & tranſpirat. Quod præſidium in craſſioris ſanguinis præſentia, ſaluberrimum iudicauit Holler. *lib.1. de morb. intern. cap. 27.* firmarunt poſteà Mercat. *lib.2.eiuſd.cap.11.* Altimarus *lib.de curand. corp.malis, cap.54.* Chriſtoph.à Vega *lib.3.art.medic. ſect.1. cap.8.* Leonard.Iacchin. *in comment. lib.9.ad Almanſ.c.40.* & alij.

Sed ex qua parte ſanguinem eduxerit Galen. ex hiſtoria minimè patet. Rhaſius *lib.9. ad Almanſ. cit.* Haly 6, *pract.17.* internam ſecant. Alij aut à ſiniſtro, aut dextro cubito ſanguinem exhauriunt. Quidam in curatione hanc etiam phlebotomandam imperant; in præſeruatione tamen in partibus inferioribus feriendam conſulunt, moniti, vt reor; Galeni præſcripto *lib.de curand.rat. per ſang. miſ.cap.19.* qui ad præcauendos cerebri morbos ex cruribus ſanguinem ducendum imperat, quod conſilium in ſanguinis craſſi præſentia vehementer laudo; fæculentus enim ſanguis ſuopte impetu ad infernas deducitur corporis partes, à quibus prompta integráque eleuatur aura palpitationem effectura.

Hac ergo celebrata, & adhibitis deinceps commodis

A auxiliis, iis videlicet quæ craſſos ſuccos attenuare, flatulentos reſoluere, robur cordi addere nata ſunt, eſt præſeruatus. Quæ autem ſint ea medicamenta, quæ poſt ſanguinis miſſionem adhibuit, non explicat. Hæc erant calefacientia medicamenta, vnà cum tenuante victu imperata, quorum ope poſt venæ ſectionem palpitantes fuiſſe perſanatos, narrat *lib.5.de locis affect.c.1.* Deinde poſſunt eſſe expurgantia, quæ humores nebuloſos vacuare nata ſunt. Sunt etiam cardiaca, quæ tum flatus abſumunt, tum cor flaccidum roborant; quorum ampliſſimam ſyluam veterum, & iuniorum doctiſſimi conſcripſerunt. Quibus, licèt ritè celebratis præſeruari non potuit, quin ante ſenectutem periret, nam vt Aëtius monuit *tetrab.2.ſerm.1.cap.99.* Cordis omnes morbi, mortem, ante annos quinquaginta feſtinant, maxima enim intemperie affectum cor, longo

B admodum tempore perſiſtere poſſe eſt impoſſibile. Alij enim per acutas febres depopulato, & reſoluto, ab igneo calore, innato igne, flatibúſque hac de cauſa progenitis obeunt. Alij verò dum ſani degerent, in ſyncopen collapſi, mortui ſunt. Alij verò alia mortis ſpecie, hoc eſt, ſtupore attonito correpti, vt ait Aëtius *tetrab.2.ſer.4.cap.58.* vitam cum morte commutarunt.

Obſeruatio IX.

Palpitatio ſana hirudinibus ſupra cor affixis, curatur.

DIrus, & truculentus affectus, palpitatio eſt, cùm quo quotidie Medici laborioſè luctantes, ab eo tanquam incurabili deſiſtunt. Hoc premebatur iuuenis quidam natiua ſorte melancholicus, qui per interualla præeunte me-

C tu, & triſtitia, angore ſummo, extremorum frigiditate ita vexabatur, vt in horas moriturus ſperaretur. Huic intùs tam validus motus ſentiebatur cum violento ſonitu coniunctus, vt timor eſſet ne vicinæ coſtæ thoracis frangerentur, quod obſeruauit Fernelius *5.patholog.vlt.* Pro eius curatione peritiſſimi Medici adhibiti. Hi vltrò citróque diſcurſantes, huius cauſam, copioſiorem eſſe ſanguinem melancholicum pericardio infixum rati ſunt: nàm hic ſubtriſtis erat, & illi lien atri ſanguinis copia turgebat, & manifeſta circa lienem conſpiciebatur moleſta arteriæ palpitatio. Hac de cauſa accommodum victum præſcribunt, humorem præparant melancholicum, eum iterum atque iterum expurgant, naturales partes & cor roborant fomentis, vnguentis, ſacculis, emplaſtris. Serum lactis propinant multiplici medicamentorum expurgantium lucum melancholicum lege paratum. Mariſcis ſæpiùs hiru-

D dines affigendas curant. Fonticulos in cruribus aperiunt. Balnea naturalia conſulunt. Cardiaca offerunt. Demùm nihil intentatum relinquunt. Cùm verò æger meliùs habere viſus eſſet, iterum de nouo acceſſione ita quatitur immani, vt ſine pulſu & reſpiratione, ad pedes lectuli iacens in horas animam efflare videretur. Tunc crurum frictiones fortes imperantur. ligaturæ, ac cucurbitulæ in ea parte, & ſcapulis ſcarificatæ admouentur. Clyſteres acerrimi adminiſtrantur. Quibus cùm non leuaretur, cucurbitulam magnam ſuper læuam mamillam, ſiccam imponi iubeo, & deinde octo hirudines circumcirca affigi curo. Hæ ita auidè, importunéque ſuxerunt, vt exhauſto ſanguine craſſo, & multo, æger ab acceſſione fuerit omninò leuatus, neque vnquam malum perſenſerit ampliùs.

E Cætera palpitationis auxilia accuratè proponit Valleriola *lib.1.obſeru.7.* & appoſuit Hollerius, cum interprete Dureto *lib.1.de morb.intern.cap.27.*

HISTORIA XL. RASII, *De cordis palpitatione.*

Cordis palpitatio, calidis medicamentis, curata.

*VIdi quendam conquerentem * de cordis tremore, & poſuit manum ſuper mamillam ſiniſtram, & ſenſi magnam eius arteriam*

*arteriam valdè pulſantem, & velocem,& quæſiui demonſtrari mihi brachium nudum,ad videndum venam baſilicã,quam patiens dicebat eſſe phlebotomatam, & non contulit ei, & arteriã ſitam iuxta ipſam venam in plica brachij inueni pulſantem,& mul ũm manifeſtam ſenſui,& caro illius partis vehementer eleuabatur,& deponebatur,& ſatis apparenter,& cum * comedebat res calidas,iuuabatur ab eis: & ſuper hoc ei conſului,quod acciperet de diamoſcho,&c. Raſis* lib.de mirabilib.curis.

PARAPHRASIS.

PAlpitatio cordis (tremorem vocant Arabes) deprauatus,atque intempeſtiuus eſt mo us,quo cor extra corpus proſilire ægrotantes queruntur;conatur enim natura hoc motu noxium expellere : nam in ſyncope vincitur facultas, at in palpitatione adhuc cum cauſis morbificis decertat.Quippe cùm nocui ſucci in corde hinc inde aſſiduè moueantur,& proſiliant,vehementiùs ad propulſanda quę moleſta ſunt, cor ipſum irritant,vnde cordis palpitatio facili negotio emergit. Hæc cùm à frigido flatu , craſſo, & nebuloſo originem ducat, & à iuuantibus, & nocentibus magna ſumatur indicatio ad curandum . ex Galen. *lib. 10. ſecund. loc.cap.2.* & æger à rebus calidis iuuaretur, meritò auctor conſuluit, priuſquam mors præoccuparet, vt acciperet cardiaca medicamenta,quæ flatus diſſoluere, córque roborare queunt.Cùm *multò meliùs ſit,imminentem morbum præcauere,quàm factum curare*, ſic monente Magiſtro *lib.2. de natural.facult.cap.*8.Et cùm inter præcipua antidota,cor innata proprietate corroborantia, & nebuloſum ſpiritum diſſoluentia, electuarium vocatum diamoſchum pro hoc complendo vſu primas teneat, idcircò id cæteris præpoſuit. Siue enim ſit dulce ſiue amarum, maximam in vigorando corde, diſcutiendiſque flatibus obtinet efficaciam. Nam præterquam quòd frigidos cerebri, ventriculi,neruoſarúmque partium affectus curat mirificè,cordis palpitationi ſummo eſt auxilio. Inſuper putredini internæ vehementiùs reſiſtit, & difficulter ſpirantes potentiſſimè iuuat. Hoc ergo in palpitatione cordis vtaris,vel intùs aſſumpto,vel extrà,epithematum modo ſupra læuam mamillam in ſacculo geſtato,vel per ſe ſolo,vel cum aliis cardiacis permixto, cuius & aliorum ſimilium medicamentorum vſu, ſanatam fuiſſe cordis palpitationem adeò validã, vt à præſentibus talis ſonus audiretur, ac ſi lapillus in vas aquæ ſemiplenum proiiceretur,narrat Chriſtoph. à Vega *lib.3 .art medic.ſect.6.cap.*8. Ex quibus autem medicamentis ſacculi, & epithemata pro roborando corde debeant parari, paſſim inuenies apud auctores, qui de cordis palpitatione, animi deliquio , aut ſyncope proprium caput conſcripſerunt, & priùs prædixit Auicen. *tract.2.de virib. cord.* luculenter.

QVÆSTIO XXX.

Quòd cor,vera & legitima palpitatione laboret.Contra Euſtachium Rudium, & Petrum Vaezium Luſitanum , Medicos celeberrimos.

COMMENTARIVM.

DE *cordis tremore.*]Scribit *in commentariis ſuper Hippoc. Aphoriſmos , & lib.de placitis*, variiſque in locis,omnium calculis ſcientiſſimus Galenus, cor palpitatione per primariam affectionem tentari (nulla aliunde noxa communicata) legitima,vera,& exquiſita,quãdo videlicet nebuloſus flatus,in pericardio propè cor,aut in eius ventriculis eſt congeſtus,qui præter naturæ modum commotus, cor ipſum variè etiam moueri cogit. Eius ſententiam amplectuntur Græci,Arabes,& iuniores omnes. Contra hos tam ſtrenuos duces oratoria quadam eloquentia,perfricta fronte dimicans , hoſtiliter ſeſe oppoſuit Euſtachius Rudius, Medicus non incelebris , *lib.2. de virtutibus & vitiis cordis,qui eſt de palpitatione,cap.3.*multis contendens argumentis, cor palpitatione vera laborare non poſſe, ſed palpitationem cordis apud Galenum , cæteróſque Claſſicos, tum Græcos,tum Arabes,veram palpitationem, quæ toto

A genere præter naturam motus eſt , non deſignare ,ſed motum quendam cordis validum , palpitationi ſimilem. Et primò ſic.

Si palpitatio definitur eleuatio quædam præter naturam,atque compreſſio partium,etiam quæ non mouentur, atque adeò omnibus ferè cõmunis, quæ naturaliter molles ſunt,ex Galen. *lib.de trem.& palpit. cap.5. & 2.de cauſ. ſymptom.cap.2.* quomodo dici poteſt cordis affectio?

Secundò. Palpitatio , motus eſt ſolius morbi,totúſque præter naturam , ex Galen. *cit. loc.* & ſi daretur in corde, oporteret ipſum, interim dum palpitat,à ſola cauſa præternaturali moueri:ſed hoc fieri non poteſt, niſi motu cordis naturali penitùs abolito , quia pars quæ à natura , & ſine intermiſſione dilatatur, & conſtringitur , non poteſt abſque propria deſtructione,à ſola re præter naturam dilatari, atque conſtringi. Igitur, &c.

B Tertiò. Palpitationis cauſa perpetua & immediata,aſſeritur craſſus , flatuoſúſque ſpiritus : ſed flatus præſertim craſſi nec generari, nec aggregari in corde poſſunt. Ergo, Maior ex ſe eſt manifeſta,vt *ſequente quæſtione* exponemus. Minorem eſſe veram , fortiſſima ratio conuincit : nam ad flatuum generationem , tum etiam conſeruationem, exiguus,debiliſque calor requiritur,non æſtuans & valdè excedens,à quo potiùs diſſoluuntur.Cor autem immenſo calore abundat, ſimul & ventriculi eius, præſertim ſiniſter, qui calidior,nobilior,& præſtantior eſt dextro, ex Galen. *lib.6.de vſu part.cap.7.& lib 7. eiuſdem,cap.2.*

Quarto.Si hæc affectio in corde generari debet,aliunde oporteret tranſmitti vapores. Vel ergo in ſubſtantia reciperentur,vel in ventribus: non in illa,quoniam cùm denſiſſima ſit , ſeparationem à flatu non admittit. Si dicas in

C dextro ventriculo , atque ibidem fieri palpitationem , ſequeretur, quòd duplex ſimul cordis pulſatio perſentiretur: illa nempè præter naturam in dextro , & altera ſecundùm naturam in ſiniſtro,contra experientiam;cùm ſemper vna percipiatur pulſatio, & tantummodò in parte ſiniſtra, quantumuis cor ipſum in medio thoracis ſit locatum.Iam verò in ſiniſtrum ventriculum tranſmitti,non videtur poſſibile,quoniam cùm triplex tãtùm via reperiatur,per dextrum nempè,per arteriam venalem , aut per arteriam magnam , in nulla ſufficientem commoditatem inuenies, ex qua tanta vaporum copia poſſit in ſiniſtrum ventrem deriuari. Non per dextrum,quia cùm diſtet à ſiniſtro, in notabili tranſitu per loca adeò calida,vel penitùs diſſoluerentur,vel ſaltem attenuarentur. Non per venalem arteriam, quia ſi in pulmone tanta flatuum multitudo inueniretur, vt tanta ad cor mitteretur,neceſſariò orthopnœa,& ſuffo-

D catio in palpitatione iungerentur , quod omninò falſum eſt. Denique multò minùs per arteriam magnam,propter oſtiola quæ in eius principio ſunt,quæque ſolùm in cordis ſyſtole, & ad expellendum aperiuntur. Quòd ſi dicas, in cordis diaſtole copiam flatuum ingredi , cur ſubinde in ſyſtole per eandem arteriam ſatis patentem, interim dum contrahitur cor , non expellentur , vel ſaltem aliqua ex parte , vnà cum fuliginoſis excrementis per arteriam venalem ? Igitur, &c.

Quintò. Rationabile non eſt , vt pars robuſtiſſima, ac omnium nobiliſſima , de cuius conſeruatione , & tutela vſque adeò ſollicita eſt natura , vt perpetuò in morbis qui finiuntur ad mortem , vltimo loco ſuccumbat , tanta flatuum copia repleatur , vt ad inſtar vtrium palpitando diſtendatur.

E Vltimò, Galenus huic ſententiæ non aduerſatur : nam *lib.2.de ſympt.cauſ.cit. & l.6.de placit.1. & lib.4.Aphor.65.* licèt videatur aſſerere,huiuſmodi affectionem etiam cordi accidere, non de vera & exquiſita palpitatione eſt intelligendus, ſed de quodam cordis motu deprauato , valido, concuſſiuo,vehementer,ſenſibilitérque patienti moleſto, celeri,crebro, palpitationis ſimilitudinem referente in eo, quoniam ſicut palpitatio compoſitus motus eſt ex dilatatione & conſtructione , ſiue eleuatione & compreſſione: ſic prauus ille motus in corde , ex iiſdem conſtituitur ; & ratione prædictæ ſimilitudinis , appellatus fuit palpitatio: cùm tamen reuera illi potiùs ſimilis ſit,& *in citatis locis* de vera palpitatione verba faciens , & de partibus quibus

conuenit,

conuenit, cor, & arterias vltimo loco proponens, dixit *in illis etiam fieri videtur*, ſcilicet ratione cauitatis intra quam flatus recipiuntur: ſed non abſolutè pronunciat fieri in illis, quia ob rationes allatas repugnat, cor, & arterias legitimam palpitationem poſſe pati. Denique deprauatum hunc cordis motum veræ palpitationi ita ſimilem, non à ſola re præter naturam fieri arbitrantur, ſed à facultate ſimul, & à morbo. In cuius confirmationem adducunt Galenum 6. *de placit. cit.* vbi ita habet. *Ex corde quidem eſt etiam qua ex palpitatione fit motio, non tamen ſecundùm naturam,&c.*Paulò infrà,multò euidentiùs de pulſu quocumque præternaturali loquens, ait. *Nam quamuis in huiuſmodi pulſibus cor ex ſeipſo moueatur, ſecundùm naturam tamen non mouetur, ſcilicet quia ſimul à morbo.* Vnde inferunt; perperam Auicennam, & Arabes damnari ab aliquibus, quòd palpitationem cordis, tremorem appellauerint, cùm motus ſint inter ſe ſimillimi, paritérque à natura & morboſa cauſa ſuborti: atque ita prauus ille cordis motus,in quantum motus, à natura quæ cor mouet, fit; quatenus verò prauus, violentus, & inordinatus; à re præternaturali, quæ naturam ſtimulat & cogit, ita deprauatè moueri concitatur. His munitus Petrus Vaëzius Luſitanus, Medicus eruditiſſimus, tum *in compendio Medico, cap.17. de cordis affectibus*, tum *in annotationibus quas ſcripſit contra Donatum ab Altomari,cap.de palpitat.cordis*,palpitationem cordis apud Galenum, non deſignare veram palpitationem, ſed motum quendam celerem, palpitationi ſimilem, pugnaciter contendit.

At hæc licèt validiſſima, non conuincunt. Dic ad primum.Etſi palpitatio ferè communis ſit partibus quæ molles ſunt, ſtat etiam hunc affectum, propriam eſſe cordis affectionem, & illi primariò euenientem. Inſuper vera, legitima & exquiſita palpitatio, quæ in corde à ſola re præter naturam fit, non diſſimilis eſt ei, quæ in reliquis palpitantibus membris concitatur. Nec verò illius naturalis motio,pulſus videlicet aboletur penitùs, quin durat adhuc, & longè diuerſa ſentitur à palpitatione; & hoc quidem motus genere (qui totus præternaturalis eſt, & affectio,hoc eſt paſſio potiùs,quàm operatio nuncupatur, 6.*de placit.cap.*8.) dicitur cor à ſola cauſa morboſa dilatari & conſtringi,non quaſi eo ſolùm moueatur,quia adhuc ſuum motum factum factum à natura obſeruat, licèt non omninò integrum & ſanum,nec omninò ſecundùm naturam. Nec enim membra, propterea quòd palpitando à ſolo morbo mouentur,operationes,quæ à natura fiunt, ſtatim amittunt,atque ideò ex corde etiam eſt palpitationis motus, quamuis non ex ſeipſo factus. Ex quibus ad ſecundum argumentum patet reſponſio.

Ad tertium. Palpitatio cordi ipſi per ſe nonnunquam aduenit, aliquando per conſenſum; at ſemper neceſſum eſt flatuoſum ſpiritum à quo perpetuò oritur, (quod generationis,& ſolutionis celeritas oſtendit) aliquando ibidem generari,ex multitudine humoris,in corde,vel pericardio collecti,& vel ab excedente calore illius,tum quia calidum omne in humidum agens flatus eleuat,ſaltem in initio ſuæ actionis,ſicut ignis ex aqua,&c. tum quia materias omninò diſſoluere non poteſt; ſed tantùm attenuare,& in vaporis formam conuertere; ſic ex inſpirato aëre fuligines in corde aceruantur, non omninò reſoluuntur, atque ideò ad illarum expulſionem neceſſaria fuit contractio. Generantur verò flatus,minimè diſcutiuntur etiam in calido viſcere, ſed ibidem detinentur quoúſque palpitationem excitent, quia multi, & craſſi;nec enim paucus, & ſubtilis ſufficit ad huius ſymptomatis generationem,ex Gal.2. *de ſympt. cauſ. cit.*

Ad quartum. Cor aliquando per conſenſum hac affectione laborat, ob conſortium vteri, ventriculi, lienis, inteſtinorum, iecoris, & aliarum partium, ex quibus aſcendit vapor, & in ventres ipſos recipitur; atque in quolibet detentus eleuationem illam, & compreſſionem facit præter naturam. Hunc flatum, cordis ſubſtantia etſi duriſſima (cum aliarum partium carne comparatione facta) admittit: nam denſiſſima ſimpliciter non eſt, quia poros habet ſuos, licèt non ita facilè permeabiles; nam

A & Galenus *lib.6. de vſu part. cap.*8. etſi cordis carnem, duram & ægrè alterabilem eſſe affirmet, ex fibris duris ac robuſtis conflatam, tamen patibilem eſſe non negat. Patet hoc euidenter: nam cordis caro ad ſui nutritionem ſanguinem admittit in ſpatia ſua: at ſanguis quamuis tenuiſſimus, craſſior eſt aëreà quauis ſubſtantia craſſiore. Deinde cordis corpus dupliciter alteratur,ex Galen.*lib.de curand.rat.per ſang miſ.cap.*5. vel per ſolam intemperiem, vel per humores: at facta in eo per humores alteratio, eorum in eo conſiſtentiam ſupponit manifeſtè: qua via igitur permeant humores,eadem,& aërea ſubſtantia craſſiuſcula permeabit.

Palpitatio etſi in dextro oriatur ſinul, apparet tamen euidentiùs in ſiniſtro. Poſſunt autem flatus ad eum tranſ-
B mitti per dextrum, ſine eo quòd diſſoluantur ob illorum craſſitiem, multitudinem, celerem tranſitum, breuitatem viæ. Inſuper & per aortam, ac venoſam arteriam, prædicto ventri inſertas, immò & per omnium arteriarum ora ad cor ipſum hiantia: per venalem quidem arteriam, interim dum diſtenditur cor, & aërem à pulmone trahit. ab aorta, & reliquis, dum contrahuntur: non enim fieri poteſt, quin contractis arteriis fiat contentorum expulſio, & ea quidem parte qua ad cor terminantur, nonnihil etiam ad ipſum mandetur, ex Galen. *lib. de vſu pulſ. cap.*5. nam præter id quòd *totum corpus intro & extrà conſpirabile eſt, atque confluxile*, vt inquit Hippocrat. *lib.de alimento, num.*4. *& lib.6. epidem. ſect.6. text.1. citat. à Galen. cap.2. & 5. lib. de vſu pulſ.* aortæ oſtiola minimè clauduntur; & licèt clauderentur, non ita ſolida ſunt, vt flatuoſa ſubſtantia, ea permeare ne-
C queat, maximè pellentibus arteriis. Neque iungetur neceſſariò Orthopnœa, aut in arteriis tranſmittentibus flatus, caloris aut pulſus ſuffocatio, quia vt plurimùm,tanta copia non datur, quæ ſufficiat ad noxam ita vehementem inferendam: quæ ſi adſit, non palpitatio tantùm; ſed ſuffocatio aliquando, deliquium, & ſyncope, nonnunquam mors inducetur.

Ad quintum.Prouidentia, ac ſollicitudo naturæ de nobiliſſimo membro, reſiſtere ſemper non poteſt aduerſantibus cauſis, aut earum effectum impedire, quia plerumque ſuperiores:inde enim morbi conſequuntur, & mors, cui humanæ vitæ conditio,& fragilitas ineuitabili neceſſitate eſt ſubiecta.Hoc modo à vehementiſſima cauſa hoc viſcus grauioribus morbis occupatur, vt tabe, vermibus, calculo,tumoribus duris,abſceſſibus,vlcere,vt multorum experimento *in ſequenti hiſtoria* comprobamus. Tuetur
D natura cor ipſum tanquam vitę principium,quoad poteſt, ſed perpetuò potentiſſimis cauſis reſiſtere nequit, vt aliquando moriatur animal.Nam Galenus *lib.*5.*de loc.cap.*2. apertè ſcribit, cor pati poſſe inflammationem, ſed incipientem tantùm, quia antequam augeatur, illicò animal corrumpitur. Et hoc modo intelligendi ſunt auctores,negantes cum Ariſt.3.*de partib.animal. c.*4.cor, nullum vitium graue pati, quia eſt principium vitæ, quo corrupto nihil eſt, quod cæteris quæ ex illo dependent, præbere auxilium poſſit. Ita ſentiunt Auicen.1 1.3. *tract.1. cap.*2. Auer.3.*collig.*25.Haly 9.*theoric.cap.*23. Serapio 2.*breuiar. cap.*27.*&* 28.Auenzoar *lib.1.theizir, tract.*12.*cap.*1. nam nec diu grauiſſimas noxas tolerare poteſt,vt probat Laurentius *lib.9. de re anatom. quæſt.*18. nec confirmatam inflammationem pati poteſt,quoniã in hac,plurima, eáque
E grauiſſima nocumenta ſimul coniunguntur,febris nempè acutiſſima,tenſio,& continui ſolutio,dolor ingens,ſaltem in panniculo, & circumiacentibus partibus; demùm & grauitas, atque obſtructio ex collectione materiæ, à qua impediuntur cor, & arteriæ dilatari, debitéque ventilari. Denique de multis elaboratiſſimis, & principaliſſimis ſubſtantiis; & in quibus noſtræ vitæ duratio conſiſtit, eſt ſollicita natura, quas tamen à vehementiſſima cauſa alterari, & corrumpi, certum eſt, vt *in com. hiſt.vlt. lib.*1. *dub.*§ 3. ſatis ſupérque ex priſcorum, & iuniorum mente comprobauimus. Sic putrent ſanguis, tum venalis, tum arterialis,ſpiritus, immò cor ipſum putrere poteſt, apud Gal.3.*de præſag.ex pulſ.*3.*&* 7. & cordis ſubſtantia putrefacta, hectica inſurgit putrida, ac peſtilens.

Ad vltimum. Negari non poteſt in corde generari veram, exquiſitam & legitimam palpitationem, & de hac loquutum Galen. vbi eam cordi addixit, neque enim quicquam repugnat: nec *2. de cauſ. ſympt.* oppoſitum probatur, quin conſtanter aſſeritur in corde, & arteriis oriri: cum enim dixit, *fieri videtur*, oculari teſtimonio, fidéque ex ſenſu deſumpta, confirmat prædictis partibus accidere, quia ſcilicet videtur, hoc eſt, ad oculum ſentitur, cor & arterias palpitare, alio in ipſis præter pulſum deprehenſo motu, vt conſequenter habet Gal. *ibid.* in antiqua verſione: quòd ſi iuxta nouam legas: *ita vt tum cordi ipſi, tum arteriis videatur accidere, aliúſque in his præter pulſum motus eſſe*, nec inde colligas, quidquam dubitaſſe, aut ſententiam mutaſſe pleriſque locis explicatam. Iam. 4. *aph.* 65. non negat cor verè palpitare, ſed tantùm ponderans verbum, Cardiogmon, ab Hip. *in aph.* poſitum, inquit, vt nonnullis placuit, ſignificare etiam motum quendam palpitationi ſimilem, ex immodico cordis incendio euenientem, qui licèt palpitationi ſimilis videatur, longè tamen eſt diuerſus: fit enim à facultate irritata; non omninò à cauſa præternaturali, vt cordis palpitatio. Hoc ipſum potiùs quàm oppoſitum colliges, ex *6. de placit.* 1. vbi verbis expreſſis, palpitationem, huius viſceris appellat affectionem, quam definit, motum ex alio in aliud, hoc eſt, paſſionem aliunde inductam: ac proinde ex corde quidem eſt palpitatio, ſed nō ab ipſo facta, vt pulſus etiam non ſecundum naturam; in his enim cor ex ſeipſo mouetur: cor enim in omni pulſu etiam præternaturali ab inſita facultate mouetur. Inſuper, non dilatatur quia ſpiritu impletur, ſed impletur potiùs quia dilatatur; in palpitatione, è contrà: vnde conſtat hos motus longo interuallo diſtare, quamuis ambo deprauati, & in eleuatione & compreſſione conueniant, immò nonnunquam in appellatione, quia etiam palpitatio ab antiquis vocabatur pulſus, vt colliges ex Gal. *lib. 1. prog.* 28. ſed impropria denominatione, qua etiam ab Arabibus tremor nuncupatur. Ex quibus ratum fit, in plurimis plurimùm aberraſſe hos viros doctiſſimos, dum è directo Galeni menti ſeſe oppoſuerunt, contra quos quiſque pro ſua induſtria poterit ampliùs illorum argumenta, feliciori, magíſque compto dicendi ſtilo redarguere.

QVÆSTIO XXXI.

Quòd vera cordis palpitatio à craſſo, flatuosóque ſpiritu, vt voluit Galenus, & non à calida intemperie ortum ducat. Contra communem Medicorum ſententiam.

COmedebat res calidas, iuuabatur ab eis.] Quoniam à pueritia Galenum, ſecretioris doctrinæ principem, mirificè ſum amplexatus, ne incertè erraret animus, quòd eius viri facundia diuinius quidquam innotuiſſe videretur, vix mihi quandoque valeo temperare, quin, ſpretis noſtræ claſſis auctoribus, myſteria Galenica, tametſi conniuentibus oculis, à limine, ſi non datur vltrà, pergam ſalutare. Et in primis incideram olim in iuniorum commentaria, quæ illi de palpitationis cauſis haud inſcitè condiderunt: inter cætera autem quæ ſe primo loco ingeſſerunt, illud fuit non illepidum dubium, num à flatuoſo, frigidóque ſpiritu, vt voluit Gal. an à ſanguine palpitatio oriatur, vt omnis contra tenet Medicorum ſchola. Nolo hîc longiſſimo verborum circuitu diſſentientes illorum de hac re ſententias in medium afferre, dum quidam à calida intemperie, alij à venenata abditáque qualitate, quidam ab aliis cauſis fieri contendunt, ſed dilucidè Gal. mentem explanare, illorúmque contra verum Magiſtrum rationibus ſatisfacere, ex ſolutione quarum, Galeni doctrina firmior euadet.

Palpitationem cordis, à flatuoſo craſsóve ſpiritu, & frigido generari, teſtis eſt locupletiſſimus Galenus *lib. de rigor. & palpit. cap.* 5. dum ſic inquit. *Quoniam verò ſpiritus craſſus, nebuloſus, aut caliginoſus, aut flatulentus, aut quomodocumque nominare velis, palpitationis cauſa efficitur, ideò ætates frigidiores palpitationi obnoxiæ ſunt, natura corporis frigidior, regiones frigidæ, anni tempus hybernum, vita otioſa, repletioni & ebrietati dedita, cibi frigidi, & flatulenti, & vt ſemel dicam, omnia quæ corpus refrigerant. Quæ verò his contraria ſunt, palpitationes ſtatim tollunt. Nam calefacientia, ſpiritus attenuant, & corpora reddunt rara, mollíaque: refrigerantia autem denſant quidem, contrahunt, & corporum meatus cogunt conniuere: incraſſant autem coarctántque, & turbidum ſpiritum reddunt: facilè igitur retinetur à perſpiratu impeditus, tum ſua ipſius craſſitie, tum corporum, quæ ipſum continent, denſitate. Calida rurſus contrario refrigerantibus modo fundunt, laxant, corporum meatus aperiunt, ipſum ſpiritum attenuant, ad motúmque facilè incitant, facilèſque ita tranſitus ipſi efficiunt. Quapropter etiam veteres Medici palpitationum remedia adinuenere, quæ extenuare, & calefacere poſſunt: cuiuſmodi ſunt quæ conſtant euphorbio, pyrethro, lemneſia, ſulphure, & pipere, aliáque id genus compoſita: item inter aquas, quæ è terra proſiliunt calidæ, atque ex his potiſſimum nitroſæ, ſulphureæ, bituminoſæ, eáſque commendant. Iam potui exhibent medicamenta calida, præſertim calida ex Caſtorio confecta. Palpitationis ſanè cuiuſlibet ex frigido generatio eſt, &c. lib. 2. de cauſ. ſympt. 2. palpitationem duas habere cauſas ſcribit, vnam poſſe eſſe ſuccum quendam, alteram, aëream ſubſtantiam: at quominùs ſuccus ſit, repugnat palpitationis tum motus, tum celeritas ſolutionis, vt quæ illicò fiat, & confeſtim deſinat. Succus autem nullus aut ita celeriter influit, aut refluit; neceſſarium ergo eſt, palpitationis cauſam, aëream eſſe ſubſtantiam: at verò ſi hæc tum exigua, tum ſubtilium eſſet partium, facilè per corpus transflueret. Non alienum igitur à ratione eſt, ſubſtantiam quandam craſſiorum partium, halituoſámque eſſe. Rationabiliter autem iis quibus perfrigerata eſt aliqua particula, palpitationes accidunt, &c.* Et *lib. 1. prorrhet. commentar.* 29. ſolum ob congeſtum ſpirituum ex frigore, cordis palpitationem oriri aſſeuerat. Palpitatio ergo omnia à frigido eſt.

Contra præfatam Galeni veriſſimam doctrinam, inſurgunt iuniores ferè omnes, multiplicibus telis inſtructi, atque muniti, quorum rationes hæ ſunt præcipuè. Primò, quòd ſæpè non à flatuoſo ſpiritu, ſed à nimia ſeri copia pericardij capacitate contenta oriatur, ex Galeno *lib. 5. de loc. cap.* 1. vnde cor afficitur, atque mouetur, proinde ac ſi fluctuaret in aqua. Non vrget obiectio. Nam viuente animali, aquam, ſero, aut vrinæ perſimilem in cordis inuolucro contineri concedimus; licèt hoc negent Matthæus *in 9. ad Almanſ. cap. de tremore cordis*, Curtius *in Mundini anatomia*, Lupeus *lib. 3. enchirid. c.* 3. & Veiga *in comment. c. 1. lib. 5. de loc. affect.* putantes in cadauere ſolùm reperiri, quia vapores iuxta cor infrigidati, poſt interitum vertuntur in aquam: quos omnes palam redarguit cum experientia auctoritas; nam ſi animal viuum, vel recenter interfectum, & adhuc calens reſecueris, ſemper inibi ſerum comperies: humor ergo hic ſeroſus pericardij naturalis eſt, vt *ſanum in cuſtodia cor floreſcat; habet enim humiditatem tantam, quanta ſatis eſt æſtuanti in medelam*, vt Hippocr. firmat *lib. de corde, num.* 1. Num autem è vaporibus denſatis, vaſorum ſero exudante, an à potus portiuncula in thoracem illabente generetur, lege Andr. Laurentium *lib. 9. quæſt.* 5. dummodo conſtet, palpitationem ab hoc ſeroſo humore, tanquam à cauſa mediata proficiſci; hic enim ob cordis motum, quando nimiùm abundat, agitatus, flatum ex ſe emittit nebuloſum, craſſum, & frigidum, qui palpitationis cauſa eſt immediata; háncque cauſam nos docuit venari Auicen. 11. 3. *tract. 2. cap.* 2. ex pulſus mollitie, ſeu lenitate; nam tunc cor ipſum, motus ſenſum exhibet ac ſi reuolueretur in aqua. Quam non ſolùm in mortuis, ſed viuentibus deprehendi, in viui canis ſectionibus apertè confirmat Columb. *lib. 7. anatom.* à qua opinione non diſtat Veſal. *lib. 6. de fabric. corp. human. cap.* 8. & poſt eos eruditè confirmant, Vaſcus Caſtellus *tractat. 9. de thorac. affectibus, tit. de palpitat. cap. 3. difficult.* 3. Adrianus Spigelius *lib. 9. de hum. corp. fabric. cap.* 5. Ioan. Poſthius *in ſuis obſeruationibus anatomicis, tit. de pericardio.*

Secundò Paulus *lib. 3. cap.* 34. Actuar. *lib. 4. meth. c.* 3.

Auicenna *loc.cit.cap.1.* Haly *9.theoric.22.* valentes cordis palpitationes ex ſanguinis concepti copia, aut illius feruore excitari affirmant. Hoc nos concedimus libenter, oririque ex ſanguinis pituitoſi, aut melancholici copia nimia non repugnamus; hi enim humores, cùm ab ore ventriculi, vel à liene in cor irruunt, ſuapte natura frigidi cùm ſint, ex ſe craſſos halitus fundunt, cor vehementer moleſtantes, ad quorum expulſionem, crebra dilatatione & compreſſione ipſum inſurgit, & accidit palpitatio, à craſſo nebulosóque vapore ab his humoribus eleuato, generata.

Tertiò. Galenus *lib.5.de loc.cit.* à cauſa calida oriri hoc vitium confirmat, quia omnes palpitantes iuuit venæ ſectio. Ex hoc non infertur, à ſanguinis copia grauante, aut obſtruente ortum ducere: cùm enim palpitatio morbus magnus ſit, ratione partis affectæ, reuulſionis cauſa, ſanguis mittendus eſt, ne ſcilicet ad partem aff. ctam, ob perpetuum motum excrementa ad ſe trahentem, humores confluere poſſint, ex quorum affluxu, ſyncope, & mors ſubita ſæpe contingunt. Deinde, iuuit venæ ſectio, quia frigidos humores vnà cum ſanguine in venis permixtos, & palpitationis cauſam immediatam fouentes vacuauit: licet enim ex ſanguine frigidiore naſcitur hoc malum, & frigiditatis ratione, ſanguinis miſſione affectus non indigeat; tamen quoniam copiæ detractio naturam leuat, vt hæc minorem illam eff. ctum facilè ſuperet, non alienum à ratione erit venæ ſectionem exercere. Sic in Anaſarca ſanguinem mittit Hippocrat. cum Galen. *lib.4. acut.111.& lib. de ven. ſect. aduerſ. Eraſiſtrat. cap.5.* nam,*vt ignis propè extinguitur immiſſis lignis, tum humidis, tum multis, niſi quis multitudinem ſuſtulerit: ſic & in frigidiori ob copiam ſanguine, vbi calor natiuus penè extinguitur, præſentiſſimum eſt remedium ſanguinis miſſio.* Sic in priapiſmo, aff.ctu ſanè frigido, & ex craſſo, nebulosóque ſpiritu ortum ducente, ſanguinem mittit 14. *meth. 17.* Sic in ſuffocatione ab hauſtu aquæ frigidiſſimæ contracta, ſanguinem illicò hauriendum ſuadent, Dioſcorid. *lib.6. cap.34.* & Paul. *lib.5. c.66.* Demùm non omnibus contulit venæ ſectio, vt Rafius *hoc loco* notauit, ſed illis, qui poſt hoc auxilium tenuante victu, & calefacientibus medicamentis vſi ſunt, vt monuit Galenus. Lege Ioan. Hieron. Pulucrin. *lib. praxis, cap.44.*

Quartò. Hic affectus in febribus ſæpè conting't, vt narrat Gal. *lib.3. epidem.ſect.3. com. antepenult.* in hiſtoria adoleſcentis Melibœæ, qui phreniticus toto morbi decurſu, perpetua cordis palpitatione laborauit. Quare veriſimile eſt, à cacochymia, ſuccorúmque feruore potiùs, quàm à flatuoſo ſpiritu habuiſſe ortum. Nam ſi veritas altiùs eſt inueſtiganda, à debilitate natiui caloris ab igneo depopulati, flatus originem habere eſt affirmandum; nam apud Galen. *lib.6.epidem.ſect.4.com.penult.* in morientibus ex febre, frigida reſpiratio ſæpiſſimè hac de cauſa conſpicitur.

Quintò. Hipp. in febribus, ex maximo incendio vitalis facultatis, quæ in corde conſiſtit, palpitationem oriri confirmat, *lib.4. aph.65.* dicens: *in febribus circa ventriculum fortis æſtus, & cordis morſus, malum.* Nam ibi, ex Galen. *in com.* per palpitationem, Cardiogmon intelligit, qui eſt ſolius ventriculi paſſio, vt ex veterum mente inter omnes probat Langius *lib.1. epiſt.22.* Si quis ergo per Cardiogmon, crebrum, & velocem cordis motum, (inquit Gal.) & præcipuè ſimilem palpitationi intellexerit, non errabit. In hoc ſenſu, pulſus præternaturaliter factus dicitur palpitatio, *lib.4. de dif. pulſ.11. & lib.2. prog. com.26.* & palpitationis ſecundùm præcordia meminit, *lib.1.epid. ſect.3.com.19.& lib.4.de cauſ.pulſ.cap.3.pulſum palpitantem* dicit. Vel de crebro, veloci, ac inordinato cordis motu, palpitationi ſimili intelligendus eſt, qui ex calida cordis intemperie poteſt excitari, & in febribus acutis non ſine periculo euenire; nam vera & legitima palpitatio, à ſanguinis multitudine, aut feruore cordis gigni nequaquam poteſt.

Sextò. Ex virium imbecillitate palpitatio cum animi deliquio ſæpè contingit, & probat Galen. hiſtoria quadam *in lib.2. aph.com.41.* quod præcipuè experimur in vehefica; peſtiferáque lue, in qua tabidus inſpiratus aër cordis corpus maligna qualitate lancinat, & premit. Ergò nuda cordis intemperies palpitationis cauſa eſt, & non flatuoſus ſpiritus. Ficulneum eſt argumentum, & prorſus nullum. Nam à deleteria qualitate vitali facultate oppreſſa, & ſpiritibus hac de cauſa reſolutis, & imbecillitato innato calore, quis dubitat flatus generari tetros, & atros; quorum vi & malignitate cor irritatum; vehementiori pulſatione nititur quod noxium eſt excutere, haud ſecùs atque cerebrum in Epilepſia? Reliqua verò argumenta, ab illis contra Galeni facundiſſimam doctrinam adducta, vt quæ minùs vrgeant, ex dictiſque facilè ſolui poſſint, prætermittimus. Quare vera palpitatio non ab omni mala cordis intemperie, ſed ſolùm à flatuoſo, craſſóque ſpiritu originem ducit.

HISTOR. XLI. GALENI, De abſceſſu pericardij.

In pericardio ſimiæ, & galli, tumores ſcirrhodes viſi, qui analogia quadam etiam ad homines transferri poſſunt.

Etenim ſimia quædam cùm emaciari in dies videretur, eam tamen neceſſariis noſtris negotiis impediti, ſecare in tempore non potuimus: poſt mortem verò, reliquis corporis partibus omnibus illæſis, inuentus eſt in ambiente cor tunica tumor præter naturam, humorem in ſe continens; qualem puſtulæ (Græcè hydatidas vocant) emittere ſolent. Atque in gallo quoque vidimus aliquando, cordis tunicam huiuſmodi ſcirrhoſo tumore affectam, perinde ac ſi plures craſſæ membranæ inuolutæ altera alteri fuiſſent: verùm in eo nihil humoris continebatur. Vnde veriſimilis coniectura elicitur, homines etiam poſſe ſimilibus affectibus infeſtari, &c. Galenus* lib.5.de locis aff. ct. cap.2.

DVBIVM XXVI.

Num tabes ex pericardio ſit periculoſus, & ferè incurabilis affectus.

PARAPHRASIS.

Petrus Salius Diuerſus Fauentinus, Medicus vſu dexterrimus, & qui rariores affectus ab aliis nec viſos, nec propoſitos, ſumma cum ſui, & artis gloria enarrauit, *lib. de curat.morbor.ab ordinariis practicis non exhibitorum, c.7.* non ita vulgarem, immò frequentem affectum proponit, quem tabem pericardij; hoc eſt, totius corporis extenuationem, ex affectu membranæ cor inuoluentis ſubortam patefacit, quem ex Galeni doctrina hoc in loco ſe deprompſiſſe affirmat. Licèt enim extenuationem ab hoc affectu proficiſci Galen. hîc animaduertat, tamen hoc videtur valdè dubium; nam inuolucrum cordis inter partes ignobiles reponitur ab ipſo, *lib.5.de loc.affect.cap.2.* ipsóque ſolo affecto nullum periculum ſequi poſſe, exemplo fit manifeſtum. Hoc proponit Gal. *lib.7. de anatom. adminiſt.cap.13.* in puero Marulli mimographi, cui os pectoris exciſum erat, & inuolucrum cordis computruerat, qui tamen ſuperuixit.

Attamen hac membrana, tumore, ſeu inflammatione quauis affecta, plurima pericula ſubſequi non eſt dubitandum. Hoc ipſum monuit Gal. *lib.cit.de loc.affect.* qui licèt eam, quomodocumque affectam, nullum afferre incommodum aſſeueret, adiecit, niſi quando ea inflammatione infeſtata, cor conſortij lege afficiatur. Pericardij autem inflammationem funeſtam eſſe, ac lethalé, & ſæua inferre ſymptomata, nempè acutam febrem, ſitim ingentem, inquietudinem, celerrimam reſpirationem & frequentem, thoracis incendium, ac phlogoſim, certum eſt: quæ omnia ex pulſus indicibili inæqualitate, anguſtia maxima,

ac ſyncope venari docent Petrus Salius *lib.cit.cap.6.*& ex eo retulit Mercat. *lib. 2. de morb. intern. cap. 6. in initio.* Quamuis autem hæc de inflammatione acutiſſima, à feruida bile, ſanguinéque tenuiſſimo originem ducente, & ferè ſubitò, inopinatóque interimente ſint intelligenda: tamen ex hac inflammatione à Gal. hîc propoſita, ob cordis viciniam, & difficiliorem curandi aditum, plurima ſubſequi irreparabilia mala, eſt certiſſimum. Si autem vulneratum, ſectum, & exciſum in puero Marulli, mortem non induxit, ſed citò ſanatum fuit, hoc contigit, quia eo ſolo affecto, illa affectio cordi non fuit communicata, quam ſi perſeueraſſet, diuturnitate temporis, cor in conſenſum ducere, ac mortem inferre potuiſſe, nullus dubitabit, qui præſtantiam huius partis, cum corde, ratione viciniæ, maximum conſenſum habentis, penſauerit ad vnguem.

Deinde inflammatio hæc quæ in ſimia viſa eſt, fuit tumor præter naturam, ex craſſo, pituitosóque humore in hac tunica impacto, emittens ex ſe humorem, qualem puſtulæ hydatides à Græcis vocatæ emittere ſolent. Eſt enim Hydatis, vt refert Manard. *lib.7.epiſt.2.tit.de oculor. affectibus*, ſubſtantia quædam ſubpinguis, ſub cute palpebræ præter naturam collecta; quæ in quibuſdam, præcipuè pueris, vtpotè humidioribus, adeò augetur, vt multorum accidentium cauſa euadat. Aggrauat enim oculum, atque ob id fluxionibus exercet, auctore Paulo *lib.6.c.14.* hanc Celſus *lib.7.*veſicam, Auic.*3.3. tract.3.c.17.* Alſarnac appellarunt. Hoc affectu prehenſi ſub diluculum maximè pituita infeſtantur, neque ad Solis lucem valent niſi lachrymantes intuitum conuertere, in continuáſque lippitudines incidunt.

Quid enim mirum, ſi ab humore iſto pingui, in hac membrana impacto, tumorémque committente, retento, & putri, febris ob viciniam cum corde, iugis, lentáque excitetur, & ex hac, noxa, putridáque fuligine cordi communicata, diuturnitate temporis, hectica febris conſurgat, cæterarum internarum inflammationum ritu, quæ ſpiritales partes exercere ſolent? præſertim cùm maximus ſit huius tunicæ vſus, nam eſt quaſi domicilium quoddam, aut ſecurum vallum cordi circumiectum, vt *lib.6. de vſu part. cap.16.* Magiſter edocuit, quæ tunica ex capite ipſius ampliſſima exoriens, poſteà ſecundùm figuram eius paulatim in mucronem contrahitur: licèt autem pericardios, cordis corpori connexa non ſit, cùm haud parua quædam regio inter cor, & tunicam media ſit, motui cordis accommodata; tamen ad baſim ipſius, quæ orbiculata eſt, prodeuntibus ab illo vaſis, à quibus trahit ortum, connectitur, vt eleganter *lib.7. de anatomic. adminiſt. cap. 3.* docuit Galenus. Ad hæc, cur cor ſanum permanere poterit, ſi tunica qua inuoluitur, idque ab externis iniuriis defendit, inflammatione laborat? Cor autem continuò à putridorum vaporum halitu concuſſum, vitalem calorem partibus omnibus ſummè neceſſarium perenni influxu non ita temperat, ac conſeruat; immò partes, actione febrilis caloris diutina labefactatæ, aut vehementi membri ſolidi temperie euerſa eneruantur; & ipſemet calor adeò ſeſe inſinuat, vt radicatus, habitualíſque fiat: vnde diſſipata à calore febrili humiditate natiua, ita ſiccitatem creſcere eſt neceſſe, vt abſumpto hac de cauſa humido, & colliquatis membris macies ſequatur immedicabilis. Quam etiam ſequutam fuiſſe ex ſcirrhode tumore in hac tunica in gallo pronato, ob dictam cauſam, eſt veriſſimum: cùm enim humor hic lentus in pericardio fixus, ab adurenti cordis calore eſſet craſſior factus, & induratus, non dubito quin conſumpta parte tenuiori, reliqua humoris portio in tumorem ſcirrhodem commigrarit.

Poſſe autem in hac tunica hos tumores, immò in arterioſa vena, & vel in ſubſtantia cordis, abſceſſus duros innaſci, probant Beniuenius *cap 35. de abdit.* Holler. *lib.1. de morb.intern. cap.29.in Schol.* Columb. *lib.15. de iis quæ rarò in anatome fiunt.* Et mirabilius eſt, quod tradit Thomas à Veiga *lib.5. de loc.cap.1.verbo, nec enim mirum, &c.* Sagittam cerui cordi infixam, callo iam obductam, &

A ſuppuratam in corde inflammationem abſque vllo ſymptomate à ſe fuiſſe inuentam. Inſuper obduratum callum in ſiniſtro cordis ventriculo vidit Beniuen.*cap.81.& c.89. de abdit.* in eodem ventriculo abſceſſum pituita redundantem obſeruauit. Nicolaus Maſſa in corde cuiuſdam hominis mortui ex vulnere capitis, inuenit apoſtema notabile, & auriculam ipſius ſiniſtram vlceratam exteriùs cum ſanie manifeſta, qui æger, dum erat ſanus, nunquam de aliquo dolore, aut tuſſi conqueſtus eſt. Poſſe autem cor, abſceſſus, calculum, vermes, vlcera, apoſtemata, & alios grauiores affectus pati, probant ex veterum, & iuniorum mente, Marcel. Donat. *lib.5.de hiſtor. medic.mirabil. cap.4.in med.* Schenckius *lib.3. obſeruat. de corde.* Andreas Laurent. *lib.9.de re anatomic. quæſt.18.* & nos exempla aliquot propoſuimus *lib. 1. de praxi admiranda, obſeru.139. 140. & 141.*

B Quid plura? nonne cor ipſum tabeſcere poteſt, ex Thoma Iordano *lib.1. cap.16.de peſt.phænom.* & Bernard. Teleſio *lib.5.rer.natural.cap.28.* Hi enim, humore, qui inuolucro cordis continetur, exhauſto & exſiccato, cor, vel nullum, vel tabidum, & ab igneo febris calore torrefactum, pyri toſti faciem repræſentans, ſe inueniſſe gloriantur.

Enimverò licèt inflammatio pericardij ab humore calidiſſimo pronata, immania & funeſta importet ſymptomata: tamen hæc quæ ab humore tenui, ſed frigido in prædictam tunicam irruente originem ducit, periculoſis ſignis eſt inſignita: nam eam ſequuntur animi deliquium, cordis palpitatio, ſyncope, pulſus durus, paruus; & putreſcentibus excrementis, ratione loci affecti ſequitur febris, quæ hecticarum more contabefaciendo
C interficit.

Periculoſus eſt ergo hic morbus, & immedicabilis ferè ob multas cauſas. Prima, quoniam humor vbi denſam huius tunicæ ſubſtantiam ob tenuitatem penetrauit, difficulter elui poteſt, cùm tunica hæc, ex Galeno *cit. de vſu part.*& Veſal.*lib.6.de fabric.c.8.* ſubſtantia conſtet craſſa, & admodum dura. Secunda, quia licèt tenuis primo acceſſu ſit materia, in loco tamen retenta, & à calore cordis craſſeſcens, coctioni, & expulſioni rebellis fit valdè. Tertia. Affectio eſt in loco, vbi valida auxilia exerceri non poſſunt: & ſi inueteraſcente tumore, ſuppuratio à natura tentetur, præterquam quòd ſuppuratus humor effuſus ſuprà cor ſubitam mortis periculum infert, ſi res benè ſuccedat, vlcus fit, quod cùm ſit in hac parte valdè recondita, pulmonis vlcerum immedicabilium
D inſtar, carnes colliquando, ægros ad interitum deducit.

Difficilis admodum curationis eſt affectus hic: quo pacto autem ſit curandus, Doctiſſimus Salius ſe ignorare ingenuè *loco cit.* confitetur; etſi in hoc raro deſcribendo, & curando morbo primas teneat. Licèt enim hos omni ingenio præſeruare tentauerit; nunquam tamen proficere potuit, immò omnes leui febricula adiuncta, ſyncope frequenter prehenſos, tabéque conſumptos conſpexiſſe refert. At ſi huius morbi intricatiſſimi curationem ſcire cupis, ea ad curationem tuberculi pulmonis eſt referenda, quam *in com.hiſt.12. huius libri*, exactè delineauimus.

DVBIVM XXVII.

E *Num ſimias in partibus inteſtinis homini ſimillimas, & non humana cadauera ſecuerit Galenus. Contra Veſalium, anatomicum inſignem.*

COMMENTARIVM.

E*Am ſecare non potuimus.*]Scitu dignum, immò arduum quæſitum eſt, Num Galenus, Hominis, an ſolùm brutorum anatomen deſcripſerit. Recentiores neſcio quo cauillandi ſtudio perciti, in ſummum hunc Medicinæ Magiſtrum furiunt, & debacchantur, quòd omiſſa humani corporis ſectione, à qua fortè abhorrebat natura ſuapte, in ſimiarum diſſectione conquieſcens, harũ, & non hominũ cadauera

cadauera ſecuerit. Ipſum ergo *in libris* illis *de vſu part.* diuinis, & in quibus recondita, & abſtruſa myſteria explicantur, hominis ſtructuram delineaſſe ex multis eius locis patere poteſt: nam *lib. 1. de anatomic. adminiſt. cap. 2. prop. fin.* vnamquamque particulam in hominibus primò eſſe inſpiciendam: ſin minùs certè in animantibus homini ſimilibus aſſeuerat. Et *lib. 2. eiuſd. cap. 8.* ſimiæ pedem ab humano d ff:rre, quòd ſtructura digitorum huic animali ſit diſſimilis. Et *lib. 2. de rat. vict. com. 10.* à quibuſdam animantibus in exortu venæ azugou hominem diſtingui profert. Et *lib. 13. de vſu part.* humanum vterum ab aliis animantibus differre ſcribit. Si ergo, vt rectè notat Andreas Laurent. *lib. 1. anatom. cap. 11.* quid habeant ſimile, quid diſſimile, hominum, & ſimiarum corpora agnouit Gal. veriſimile eſt eum humana corpora ſecuiſſe. Lege Riolanum *in præfat. tituli, lib. de oſſibus Galeni.*

Nonne Alcmæus Crotoniata humani corporis anatomen exercuit; nonne ipſe Galen. Numeſiani in Alexandria Quinti diſcipuli, qui plura ſecuit cadauera, fuit auditor, vt *lib. 1. de anatom. adminiſt. cap. 1.* ipſe edocuit? Nonne Celſ. qui multo tempore Galen. præceſſit, *in præfat. in fin.* licèt viuorum corporum ſectionem crudelem affirmet, mortuorum tamen eſſe neceſſariam aſſeruit? nam *cadauera meliùs, quàm viuus, & vulneratus homo repræſentant. Neceſſe ergo eſſe*, inquit Celſ. (*eodem loco, in med.*) *incidere corpora mortuorum, eorúmque viſcera, atque inteſtina ſcrutari: longéque optimè feciſſe Herophilum, & Eraſiſtratum, qui nocentes homines à regibus ex carcere acceptos, viuos inciderint, conſiderarintque etiam ſpiritu remanente, ea quæ natura antè clauſiſſet, eorúmque poſituram, colorem, figuram, magnitudinem, ordinem, duritiem, mollitiem, læuorem, contactum, proceſſus deinde ſingulorum, & receſſus. Neque eſſe crudele* (*ſicut plerique proponunt*) *hominum nocentium, & horum quoque paucorum ſuppliciis, remedia populis innocentibus ſæculorum omnium quæri.* Nonne docuit publicè anatomen Pelops, & Galeni fuit præceptor, qui cadauerum ſectionem ſæpiſſimè exercuit? Quare Plinius *lib. 19. cap. 5. compertum fuiſſe* ait, *in Ægypto, reges, corpora mortuorum ad ſcrutandos morbos reſecaſſe, vt ſic cauſas valetudinum, oculata fide recognoſcerent.*

Si verò plurima, quæ ad humani corporis ſtructuram attinent, omiſit, vel ignorauit, ex eo ſectionis imperitum eum non arguas; nam Veſalius ſyncerioris anatomes, quàm non ex chartaceo, ſed ex ipſo corpore humano, tanquam naturæ libro deſcripſit, parens; quem diuinum ſæpè *in anatomicis obſeruationibus*, Fallopius vocat, multa ignorauit, quæ poſteà à Valuerda, Syluio, Fallopio, Columbo, Gueuara, Spigelio, Bauhino, Laurentio, & aliis ſunt animaduerſa.

Deindè in ſceleti, ſeu humani corporis compage, hoc eſt, exſiccatis oſſibus cadauerum perſcrutandis, fuit vigilantiſſimus; hácque de cauſa in Alexandriam nauigauit, quo loco hæc doctrina vtilis à pluribus ſuo tempore celeberrimis viris explicabatur, ibíque duos ſceletos vidit, vt ipſe teſtis eſt, *lib. 1. de anatom. adminiſt. cap. 2.* Nam ſceleti cognitio miram præbet vtilitatem; ex oſſium enim figura, & magnitudine, reliquarum partium figura æſtimatur, & maximè cùm oſſis particulis ignoratis, nec muſculorum exortus, inſertiones, venarum ductus, arteriarum diuortia, neruorum diremptus agnoſcere poſſimus, vt videas quàm malo fundamento nixa ſit eorum ſententia, qui oſſa tantùm ſimiarum deſcripſiſſe Galenum, petulanter aſſeruere. Quare hunc auctorem, celebrium Medicorum diſcipulum, quotidie corpora humana ſecantium, in humanis corporibus anatomen exercuiſſe, ipſe non dubito, cum doctiſſimo Petro Iacobo Eſteue *lib. 2. epidem. ſect. 4.* ſtultum iudicante, qui contrariam ſententiam defendere auſit: quidquid effutiuerit multa Sanctorus Sanctorius *lib. 3. de eujtand. errorib. Medicor. c. 15.* nam, ſi rectè attendas, nil à Veſalio, aliiſque dictum, quod priùs non pronunciauerit Galenus; nam illi diſcurſus ſuos anatomicos ex vberrimis Galeni fontibus ſunt expiſcati.

Enimverò ſimia inter vniuerſa animantium genera,

Lib. II.

A tum viſceribus, tum muſculis, tum arteriis, tum neruis homini ſimillima eſt, ex Gal. *loc. cit. de anatom. adminiſt.* item manibus, pedibúſque, ex ipſo *lib. 6. eiuſd. operis, cap. 1.* ita vt ſi currentem figura erecta ex longinquo conſpexeris, eam ſimilem homini deprehendas. Huc ſpectat notiſſimus ex Cicer. *lib. 1. de natur. Deor.* Ennij verſiculus.

Simia quàm ſimilis turpiſſima beſtia nobis.

Nullum formoſius animal homine: nullum ei quàm turpiſſima beſtia ſimilius; nam binis cruribus incedit, prioribúſque artubus, vt manibus vtitur, & pectoris os, omnium quadrupedum habet latiſſimum, clauiculas humanis ſimiles, faciem rotundam, collum breue, quæ cùm hominis ſimilitudinem referant, qui fieri poſſet, vt ſecus haberent muſculi? hi enim oſſibus foris adhærent,

B protenſique ſunt; quare etiam tum magnitudinem ipſorum, tum figuram imitantur: hos ruſus arteriæ, venæ, & nerui ſequuntur. Ex quo fundamento *cit. de anatomic. adminiſt.* ſceleti parandi rationem docet, niſi copia humani cadaueris inſpiciendi habeatur, in ſimia oſſa eſſe diligenter conſideranda: & de eo genere loquitur ſimiæ, quod ad hominis figuram proximè accedit, quæ ſcilicet longas non habeat maxillas, nec longos dentes caninos, qui etiam ſolent aliis partibus hominis eſſe poſitura ſimiles. Eodem *loc. cit. de anatomic. & lib. 4. eiuſd. cap. 2.* ſex omninò ſtatuit formas, ſiue genera mutarum animantium, quæ non multùm ab hominis natura diſcedunt, ſimiæ, lynces, ſatyri, cynocephali, vrſi, ſues. At ſimia omnium proximè ad hominum naturam accedit. Et 11. *de vſu part. 2.* debiles, exiléique muſculos temporales habent ſimiæ, & homo. Et *lib. 13. cap. 6.* homini,

C & ſimiæ, & iis animantibus, quæ non longè ab horum natura diſtant, collum conſtat ex 7. ſpondylis. Et *cap. 11.* ſimia, vt in cæteris ridicula hominis imitatio in pleriſque, ita in artubus, quoad ſcapulas, & claues attinet, homini maximè eſt ſimilis: quanquam ea parte homini ſimilis eſſe non debebat: hâncque eſſe cauſam ſuſpicor, quòd licèt rectâ poſſit incedere, ferè tamen non incedit, vel non ita frequenter. Et *lib. 6 de anatom. 9.* inteſtinorum eædem in homine, & ſimia d ff:rentiæ. Et *cap. 5.* omentum, (id eſt, epiploon) maximum habent inter animantia homo, & ſimia: ex quo deducit præter hominem, animal nullum hernia laborare, excepta ſimia. Si ergo quid homo à ſimia differat in partibus inteſtinis, docuit tam exactè Galenus, cur eum humana corpora non ſecuiſſe dicemus?

Valeat ergo Veſalius, diligentiſſimus æui noſtri ana-

D tomes indagator, qui *in lib. 1. de fabric. corpor. human. cap. 18.* laſciuia fortè redarguendi Magiſtrum percitus, à cuius penu facunda, ſuam ornauit ſupellectilem, in ſimiarum diſſectione poſitam paſſim à Galeno operam tradit, magis quàm in hominum aſſeuerat. Et *cap. 7.* Et *ad fin. 18.* queritur ſuas vbique ſimias Galenum obtrudere. Et *lib. 2. cap. 5.* eum in diſſecandis ſimiis anatomen docuiſſe. Et *cap. 56. & 58.* & *illo cap. 18.* Galeni *de oſſibus librum*, quem præ cæteris anatomicis libris valdè commendat, ſimiis exactiùs, quàm hominibus reſpondere affirmat. Quæ omnia, quàm falsò Galeno, qui *libros de vſu partium*, diuinos ad hominis ſtructuram accommodauit, ſint impoſita, nemo non videt, qui ſuperiora huius auctoris loca adamuſſim examinauerit. In quibus autem ſimia tam in partibus internis, quàm externis ab homine

E differat, conſule per otium Galen. *lib. 1. de anatomic. adminiſt. cap. 2. & lib. 2. cap. 8. & lib. 4. cap. 1. & lib. 1. de vſu part. cap. 22. & lib. 3. cap. 8. & lib. 15. cap. 8.* Veſalium *lib. 2. cap. 5. 58. 59 & lib. 4. cap. 16. 17. 56. 58.* Conradum Geſnerum, ex horum ſententia *lib. 1. de quadrupedibus, cap. de ſimia, lit. 6.* Vlyſſem Aldrouand. *lib. 6. de quadrupedib. cap. de ſimia.* De quo argumento, contra iniquos Galeni calumniatores, doctè, & copiosè diſſeruit Riolanus filius *in lib. de ſimiæ oſteologia, ſiue de oſſium ſimiæ, & hominis comparatione, ferè per totum.*

HISTOR. XLII. GALENI, De Arteriis.

Arteria vulnerata, & medicamentis conglutinata.

SImile quiddam aliquando & agreſti contigit iuueni, dum ſanguinem mittendum veris tempore curaret, quod noſtratibus maximè eſt ex vſu. Cùm enim Medicus qui venam inciſurus erat, brachium homini deligaſſet, contigit attolli velut in gibbum arteriam: itaque hanc pro vena Medicus diuiſit. Exigua ſanè inciſio erat, ſanguis autem flauus, & tenuis, & feruidus ſtatim eiaculabatur, idque cum quodam veluti ſaltu. Ac Medicus quidem, vt erat admodum iuuenis, & operum artis parùm peritus, venam ſe incidiſſe putabat. Ego verò cum quodam alio ex iis qui aderant Medicis, vtique ſeniore, vbi quod accidit, aduerti, præparato ex emplaſtrorum genere quod ſanguinem ſupprimit medicamento, tum inciſionem curioſè coniunxi, tum ſuper medicamen illicò impoſui, ac ſpongiam molliſſimam extrinſecùs ſuper hoc deligaui. Mirante verò qui arteriam inciderat, inſolitam noſtram in hoc caſu prouidentiam, indicauimus homini rem factam, ſed poſteà quàm inciſi hominis diuerſorium exiiſſemus, iuſſimúſque ne vel ſolueret nobis abſentibus, vel ante quartum diem id aggrederetur, ſed ita, vt erat, deligatum haberet, ſpongiam deſuper duntaxat madefaciens. Poſtea verò quàm in quarto ſoluentes, planè conglutinatam inciſuram inuenimus, rurſus idem medicamen imponere iuſſimus, tum ſimili modo deligare, nec multis poſteà diebus ſoluere. Atque ita percurata eſt huius hominis inciſa arteria, ſola omnium quas in cubito inciſas vidi. Galenus* lib.5. meth. cap.7.

DVBIVM XXVIII.

Num imminentes morbi præcauendi.

PARAPHRASIS.

INuenio priſcos illos, primóſque Medicinæ parentes maximam habuiſſe curam, vt præcautione, hácque maximè verno tempore per ſanguinis miſſionem celebrata, morbos anteuerterent, exemplo deſumpto à natura in his quæ vtiliter agit. Cum enim hoc tempore corpora ſint temperata, calor ſit vegetus, augeatur ſanguis, ex Galen. *lib.1.epid.in præfat. & in eod.lib. ſect.1.com.1.* & homines tunc dyſenteriis capiantur, ſanguis fluat è naribus, calidiſſimíque, & rubicundiſſimi ſint, ex Gal. *lib 1. de natur. human. com.41.* ni venæ ſectione vtamur præſeruatiua, in plura, eáque ſæpè irreparabilia damna incurrere eſt neceſſe; adeóque de more hoc erat ratum apud antiquos, vt non ſolùm in hominibus, ſed & iumentis præcautionis cauſa phlebotomiam exequendam conſuluerint, auctore Magiſtro *lib.1. aph. com.15.* dum ſic ait. *Habent homines ſatis ipſi experientia compertum, non in ſeipſis tantùm, ſed etiam in iumentis. Nam ante æſtatis initium circa vltimam veris partem, & ſibi, & illis ſanguinem detrahunt: quoniam ad memoriam reuocant, quibus capiantur morbis, quando repentè calor æſtiuus ſuperuenerit. Hic enim ampliùs ſanguinem extendit, atque diffundit, & quodammodo efferuere facit; adeò vt quod hactenus modicum fuerat, non poſſit ampliùs in venis contineri, ſed vel diſrumpat ipſas, vel exedat; & quando immoderatiùs impetum fecerit ad aliam corporis partem illis debiliorem, in ipſa, vel inflammationem, vel eryſipelas, vel aliquod aliud morbi genus operetur, &c.* Hoc conſilio ductus Hippocrat. *lib.6.aph.47.* ad præcauendas ægritudines, ſanguinem hoc tempore emittere conſulit, ſententiámque eius non ſolùm Galenus probat, & confirmat, ſed exemplis fulcit, roborat, & defendit *in com.* quem ſequuntur Oribaſ. *lib.7.collect.c.2.iuxta med.* Aëtius *tetrab.1. ſerm.3. cap.10.* quorum mentem amplificant Fuchſ. Mena, & Hieronym. Nunnius *in comment. cap.7.* Galen. *lib. de curand. rat. per ſang. miſ.* Licèt enim nullum in corpore A ſymptoma ſit, præſtat veris initio ſanguinem emittere, iis qui alicui morborum generi ſunt obnoxij, in quibus omittendum non eſt, nec expectandum, vt euidens aliquod plenitudinis ſymptoma appareat, præſertim cùm hoc tempore ægritudines immineant, quæ reuerti ſolent, ex Galen. *lib.de puer.epileptic.cap.3.* Hos enim priuſquàm in morbum incurrant, præſeruare eſt opus; ſunt autem qui latentem in corpore cauſam habent, quæ ſenſibilem læſionem nondum intulit, modica tamen accepta occaſione promptè in morbos ipſos labi facit. Quare *ſalubrius eſt morbos imminentes præcauere, quàm factos curare,* ex Gal. *lib 2.de facult. naturalib. c.8. & lib de curand.rat.per ſang. miſ. c.9.* ver autem præcautioni eſſe tempus commodius ob multas cauſas, diximus *lib.1. in com. hiſt.39.* Quæ tamen veris pars in hunc vſum ſit eligenda, ad mentem Galeni pulchrè exponemus *lib.3.in com.hiſt.vltima.*

Hac ratione forſan nixus agreſtis hic iuuenis, hoc eſt, ruri degens, ſibi hoc tempore venam ſecandam maluit, qua ſecta mirari ſubit inſolitam Galeni in hoc caſu prouidentiam, aduertens enim ſanguinis exeuntis colorem, calorem, & exeundi modum, ſauciatam fuiſſe arteriam ſibi perſuaſit: ſanguis enim arterialis ob ſpirituum copiam flaueſcit, & tenuiſſimus eſt, vnáque calidiſſimus, quia in ſiniſtro cordis ventriculo percoctus ac elaboratus, tantò exceſſit venalem tenuitate, quantò ſpirituoſior, purior, ac ſyncerior exiſtit, ex Galen. *lib.6.de placit. Hippocrat. & Platon.cap.8.* Hunc ſanguinem, cuius principium eſt cordis calor per arterias vniuerſo corpori communicatus, eſſe ipſorum ſpirituum fomentum tradit Galen. *lib.6. de vſu part. 17.* quem vaporoſum eſſe dicebat C *lib.4.eiuſd.15.* cùm ſit plurima aëris portione permixtus, *lib.1.de dif. febr.cap.1.* quapropter cum feruore, & ſaltu emanare ſolet, idcircò ſagaciſſima natura tunica duplici vallauit, ex Galen. *lib.6. de vſu part.11. & lib.3. de facult. naturalib.11.* ne ſcilicet præ tenuitate, frequentíque motu agitatus, reſudans exhalaret. Adde ſaltus huius cauſam (obſignandæ arteriæ impedimentum potiſſimum) in arteriam ipſam eſſe reiiciendam; nam hæc ſanguinem eiaculatura ſemper diſtenditur, atque contrahitur, & hoc vulneratæ arteriæ firmiſſimum ſignum Paul. iudicauit, *lib. 6. cap. 4.* quæ omnia in erumpente è vena ſanguine, contraria obſeruantur: licèt enim tenuis, feruidus, & flauus etiam ſit venalis, eius impetus neque inſignis eſt, neque admodum violentus, neque perpetuus, ſed interceptus; flauitiéſque, tenuitas, & caliditas non tanta, ex Galen. *lib.1. de* D *ſem. cap.8.*

Quamuis autem ſanguinis arterialis erumpentis impetus, ex Galen. *5.meth.3.* reuulſionibus, ac vniuerſali corporis curatione perficiatur, hoc præceptum præcipuè intelligendum eſt, quando à cauſa interna, abundantia nempè, aut ſanguinis vitio ortum ducit; tunc enim aliò auertere, atque transferre impetum ſanguinis oportet: aliter verò ſe res habet, ſi ex vulnere, clamore, caſu contuſione præruptum vas eſt. Abundantia autem, ſi quæ erat, per ſanguinis detractionem, ſecta arteria, breuiſſimo temporis ſpatio factam copioſiſſimam, erat imminuta; quare ſanguinem ſupprimentibus, agglutinantibus, & obturantibus opus erat; vt *tom.2.lib.17.cap.3.* Vidus Vidius notat ingenuè.

Deindè, cùm arteria ſiccior, & durior vena ſit, ſiccio- E ribus medicamentis eget, quàm vena: quo pacto in hunc vſum inter emplaſtica, nullum poterat adaptari præſtantius medicamen illo, quod deſcribit *lib.5. meth. cap. 4.* nam *id eſt optimum medicamentum, quo etiam ad cerebri membranarum hæmorrhagiam tutiſſimè vti poſſumus; habétque thuris vnicam vnam, Aloës vnciam, quibus tritis, & cum albumine oui optimè ſubactis, additiſque pilis leporis exactè ſiccis, & quàm minutiſſimè trituratis,* (aliàs enim appliciti, reſtringendi virtute carent omninò, quum corpulentia ſua in partes penitiſſimè ſeſe non inſinuent) fit emplaſtrum, ad ſupprimendum ſanguinem efficaciſſimum: quo etiam vſus eſt ipſe Galenus *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap. vltimo*, pro conglutinanda arteria, inter indicem & pollicem ſecta, ob dolorem lateris

diuturnum,

diuturnum, miniſtrum Dei Pergami cruciantem: ſicque Medicis omnibus debet eſſe quàm commendatiſſimum, illúdque ſummoperè laudant Auic.4.1.*cap.20.in fin.* Aëtius *tetrab.1.ſerm.3.cap.19.*qui pro nimio ſanguinis fluxu compeſcendo, nullum aliud præſidium excellentius reperiri poſſe ſunt arbitrati. Tu verò de hoc negotio, lege quæ diximus, *lib.1. in com. Hiſtor.76.*

Licèt enim plurima ſint, quæ citra dolorem emplaſticam vim obtineant: nullum tamen hoc ita carne implere inuenies. Id deprehendes, ſi naturam componentium rimeris. Manna enim thuris, cùm ſit pars eius tenuiſſima, Gal.*lib.13.meth.cap.8.* Paulo *lib.7.cap.72.* Dioſcorid.*lib.1. cap.38.* Aëtio *tetrab.2.ſerm.3. cap.38.* eaſdem cum thure ſortitur facultates; thus autem viſcoſum, & ſiccum eſt, ſicque ſubſtantia ſua venarum orificia obturat, moderata ſiccitate carnem generat.

Aloë verò cùm ſit tertio ordine exſiccans, ex Gal. *lib.6. ſimpl.22.* partes duras, quales venæ & arteriæ ſunt incarnat, inſpiſſat, adſtringit, & ſanguinem retinet, ex Dioſcoride *lib. 3. cap. 22.* & *in com.* firmat Ioannes Leonicenus diligenter. Neque fidas plurimorum dictis, qui Meſuë auctoritate freti, *lib.2. de medic.purgant.cap.1.de Aloë,* hoc medicamentum venarum ora aperire pertinaciter contendunt; licèt iis Auicennæ faueat auctoritas, *lib. 2. tract. 1. cap. 15.* nam hos de maligna aloë intelligendos arbitror, ex ipſo Meſuë, *in canonibus vniuerſalib. intent. 1. cap. 2. qualia ſunt aloë mala, &c.* Eſt autem aloë maligna, nigra, odore tetro, adulterium paſſa. Vel ſi accidat, ex accidenti euenire putandum eſt, cum Manardo 12. *epiſtol. 3. & in annot. in Meſuëm.* Expurgat enim aloë acres, bilioſóſque humores, qui ora venarum acutie ſua aperire poſſunt: hoc enim omnibus cholagogis commune eſt, vt *ſcilicet ex acredine illorum quæ excernuntur parumper aperiatur os venæ, quàm hæmorrhoïda vocant*, ex Galeno *lib. 6. aphor. 47.* Nam aloë tam foris impoſita, quàm intùs aſſumpta ſanguinem ſupprimit: neque enim aloë ignea conſtat facultate, vt cyclaminus, allia, cæpæ, fel taurinum: nam venas aperientia ſunt nimis acria, & terreſtria, ex Galen. *lib.5. ſimpl. 14.* & aloë, ex Galen. *lib.6. ſimpl.tit.de aloë*, primo ordine calefacit: & Plin. *lib. 27. cap. 4.* ſanguinem vndequaque manantem arcere dicit, & Galen. 5. *meth. 4.* Aloë cum albumine oui, arteriam vulneratam conglutinauit. Matthias Lobellius inquit, aloëm foris admotam venas claudere; intùs aſſumptam attenuare, aperire, & ſanguinem vacuare affirmat: ſubſcribit Coſtæus *in Meſuëm*. Verùm hoc dogma priùs à Iacobo de partibus aſſertum, refutat Manardus *loco cit.* nam Auicenna contrarium docet, qui 10.3. *tract.3. cap.6.* inter medicamenta quæ ad apertas venas bibuntur, aloëm connumerat. De quo argumento plura diſceptarunt Valleſius *lib. 9. controu. 3.* Fuchſius *lib. 1. parodoxor. 1.* Ioannes Brauus *lib. 2. de purgand. rat.7.* & alij. Hoc ſi aduertiſſet Scaliger *in Cardanum exercitat. 160. num. 3.* non ita petulanter, Meſuë clypeo munitus ſæuiret in Medicos, qui aloëm venarum ora occludere ſibi perſuadent: cuius argumenta, ex Manardi doctrina facillimè ſolui poſſunt.

Pili leporis frigidiſſimi, & ſicciſſimi ſunt ex Galeno *lib.9. ſimpl. cap.9. & 10.* ſicque conglutinant, & ſiccitate ſua mirabiliter obturant, & carne implent. Sunt qui vrant priùs, ſed ſine ratione: nam acrius redditur pharmacum: vſta enim acriora fiunt: ſic Galenus 11.*ſimpl.15.* pilos & lanam ſuccidam vrit, vt acria ſicca, tenuiúmque partium reddantur. Nec mireris: nam quidquid à lepore proficiſcitur, exſiccantis facultatis eſt particeps, tegmen detractum, ſanguis, coagulum, caro, pili, vt latè doctéque Leuinus Lemnius *lib.2. de complexionib. cap.vlt. in med.*

Oui albumen, medicamenta partibus adhærere facit viſcoſitate ſua, frigiditate inflammationem arcet, partes diuiſas agglutinat. Spongiam autem impoſuit, nam hæc per ſe, ſi recens ſit, & adhuc mare oleat, ſiccans admodum eſt: quare vlcera ſanat, ex Gal. *lib.11. ſimpl. cap.56.* In hunc ſenſum Hipp. *lib.2.epid.ſect.6.iuxta fin.* ad turbationem alui, ea cum flore æris vſto vtendum conſulit.

Hanc autem, & non lintea linea ſuper medicamentum impoſuit, quoniam hæc humidorum medicamentorum partem exſiccare ſolent, quod non facit ſpongia molliſſima, tota poris ſcatens, & multis amplis vacuis plena, quæ etiam ob mollitiem ſeſe commodiùs ſub ligatura, ſine partis ſubiacentis incommodo adaptat, & facultate ſua diu perſiſtens exſiccat. Ad quartum diem detectionem diſtulit, vt ampliùs firmaretur glutinatio, quæ in re momenti tanti ſemper eſt ob oculos ponenda; qua de cauſa nec ligaturam multis poſt diebus ſolui permiſit.

Hoc artificioſiſſimo, & celebratiſſimo auxilio, & in ſiſtendo ſanguine primas tenente, vt latè refert Fallop. *tract.de vulnerib.cap.10.* curata eſt citra aneuryſma arteria hæc: Fit autem aneuryſma, auctore Gal. *lib. de tumorib. præter natur. cap. 11.* & *lib.de curand. rat. per ſang.miſſ.22. cùm vulnerata arteria, ad cicatricem deuenerit ea quæ adiacet cutis, manet autem arteriæ vlcus, ea neque conglutinata, neque ad cicatricem perducta, neque à carne obſtructa.* Huius duæ ſunt differentiæ, alia à cauſa interna, alia ab externa originem ducit: illam proponit Paul. *lib.6. cap.37.* quum videlicet ſine cutis diuiſione cutis aperitur, quod ſæpè contingit in alis, inguinibus, & ceruice, ex Auic. 4.4. *tract.2. cap.16.* Dinus cauſam huius euentus explicat *in com.* huius tumoris cauſam eſſe ſanguinem tenuem, feruoroſum, multóque ſpiritu refertum. Firmant Galenus *loc.cit.* Pareus *lib.de tumorib.cap.prop.* Fallop.*lib.de tumorib. præter natur. 14. & 15.* Ioan. Andreas à Cruce *lib. 1. de de tumorib. ſanguin.tract.2. cap.11. & 12.* Dionyſius Daca *lib. 2. de apoſtemat. cap. 39.* Petrus Pigræus *lib. 9. chirurg. cap.4.*

Ne ergo hoc periculoſum tumoris genus, diuiſa arteria ſuperueniat, ex Galeni deſcriptione, huius medicamenti compoſitionem paratam ſemper habere oportet. Hoc, opere ipſo confirmauit Petrus de Peramato, *lib. de vacuand. rat. cap. 30.* quo loco illuſtrem quendam virum, præſente ſe, paſſum fuiſſe arteriæ ſectionem refert, quod ex vehementi ſanguinis eiaculatione, colore, ſaltu, & pulſu cognouiſſe affirmat: quare ex tempore ſanguinem cohiberi, vulnus curiosè coniungi, puluerem hunc oui albumini mixtum admoueri, ſtrictim ligari, & quietiſſimè accumbentem contineri cùm imperaſſet, hoc modo tractatus æger ſine aneuryſmate ſanus euaſit. Huic medicamento plures plurima addunt. Almanſor *in diuiſionibus* addit ſarcocolam. Auicenna turundam facit ex tela araneorum, pilis leporis, ſubtili cotto, aut panno lini veteris adiecto. Vigo *lib. 3. tract.1. cap. 2. de fluxu ſanguinis*, addit gypſum, aut terram ſigillatam. Alij lanuginem adhærentem cortici interiori caſtanearum. Nonnulli gummi Arabicum. At Galeni ſimplicia ſatis ſunt, & aliis ſummoperè præſtant. De cuius medicamenti laudibus, conſule eruditiſſimum Trincauel. *lib.3. de compoſit.medicament. cap.18. de ſiſtendo ſanguinis fluxu.*

DVBIVM XXIX.

Num ad ſiſtendum ſanguinem arterialem, præter obturantia, aliáque præſidia, arteriarum ſutura ſit ex vſu.

COMMENTARIVM.

S*Anguinem ſupprimit.*] Plurima eſſe ad ſanguinem arterialem ſiſtendum præſidia, quæ vel à tota ſubſtantia, vel manifeſtis qualitatibus ſanguinem ſupprimere queunt, latiſſimè Galenus pluribus in locis confirmat: explicat Tagaultius *lib.2. inſtit. chirurg. cap.12.* Galenum in hoc præcipiti caſu, hoc tutiſſimo, & facillimo vſum fuiſſe, res eſt manifeſta; vſurum vel etiam fortioribus, ni morbus huic cederet auxilio: ſunt enim multa: quæ à proprietate ſanguinem ſiſtunt medicamenta, vt lapis heraclius, hæmatites, & Indicus: hi enim lapides collo, vel vulneri impoſiti ſanguinem vndequaque fluentem, compeſcunt, vt *lib.9. ſimpl.cap.9. & 26.* retulit Galen. viua apes linteo obuoluta, membróque à quo fluit ſanguis

ligata, id etiam præſtat, referente Nicolo *ſerm. 7. ſum.1. tract.4.cap.33.* Alia cruſtam inducendo id efficiunt; quippe hanc quoque ceu ſeptum quoddam huiuſmodi vulneribus veteres excogitarunt: efficiunt autem hanc tum ignis ipſe, tum quædam medicamenta quibus ignea vis ineſt, auctore Magiſtro 5. *meth. cap.3.* ſunt enim hæc cauſtica, ceu ignita ferramenta, quæ eſcharam efficiendo ſanguinem compeſcunt. Iis ergo vtendum eſt cogente neceſſitate ſumma, & vbi aliis medicamentis immodicus ſanguinis fluxus ſupprimi non poſſit, & maximè *vbi ex eroſione profluuium concitetur*, vt *ibi cap.4.* notat Gal. nam emplaſtica, & agglutinantia cauſticis ſunt ſecuriora: quoniam hæc carnem, & vaſa exurunt dum cruſtam generant, qua decidente, pars magis nuda, & cum maiori ſubſtantiæ iactura relinquitur, quæ omnia contrario modo accidunt in agglutinantibus. Huius auxilij vſu, inciſam in facie arteriam, cæteris non cōferentibus auxiliis, & ægro (venis ob immodicum ſanguinis fluorem, exhauſtis) prorius deficiente, fuiſſe vnitam gloriatur Beniu. *lib. de abdit.cap.49. Hac ratione tum in pudendis, tum ſede ad talem neceſſitatem ſæpè deuenimus*, inquit Galenus *loc.cit.meth. & 13.eiuſdem, cap.6. quòd videlicet hæ partes, tum propter naturalem humiditatem, tum quòd excrementorum ſint canales, ex leui cauſa putreſcant.* Nam exuſtio, ſiue medicamentis fiat, ſiue igne, aut ignitis ferramentis, præter id quod inducta cruſta intercipit ſanguinis profluuium, conſumpto & reſiccato vitioſo humore, qui eroſionis & putrefactionis erat cauſa, eroſionem, vel putrefactionem etiam ſiſtit, ſicque faciliùs deinde vlcus curari poteſt, vt luculenter Hollerius notat *3.inſtit.chirurg.cap.4.* Galen.*cit.5.meth.* in omni ſanguinis fluxu illicò digitum ſuper os vulneris imponit, blandè innitens, ac ſine dolore comprimens. Latam compeſcendi ſanguinis fluxus hiſtoriam, vide apud Paul.*lib.4.cap.53.* Is enim auctor *lib.6. cap.37.* mirabilem tradit modum ſiſtendi ſanguinis fluxum ab arteriis, has enim priùs nudat, deinde acu traiecta duobus funiculis deligat, de quo ſiſtendi ſanguinis fluxus modo egere Aëtius *tetrab.2.ſerm.4.cap.64. tit.de iis quæ ſanguinem ſiſtunt,* Celſus *lib.5. cap.26. rubric.* 18. Raſius *lib.7. ad Almanſ. cap.* 10. Fragoſus *de vulnerib. quæſt.* 76. Dionyſius Daca *lib.2. de apoſtemat. cap.* 41. Anton. Crucius *lib.2. chirurg. cap.*10.

Num autem pro hoc complendo opere, arteriarum ſutura ſit vtilis, magna eſt contentio apud auctores. Quęſtioni reſpondet Nicol.*loc.cit.* negatiuè, quia arteria cartilaginoſa eſt & dura, quo fit vt quamuis diuiſa labia iungantur, non coaleſcant, hócque expreſsè ſenſiſſe Galenum, affirmat, *in lib. 5. meth. cap. 3. §. Neque enim ſuere fas eſt arteriæ, venæve vulnus: veluti dixerunt, qui nullam à vulneratæ partis ſubſtantia, naturáque ſumi indicationem aiunt, &c.* Sed obſtat Guidonis auctoritas, *loc. cit.* in venis, & arteriis ſuturam concedentis: quod veritatem obtinet, ſi ſola arteria ſuatur, non autem coniunctim cum carne ipſa, ſicut ſuimus peritonæum cum ipſo abdomine; qua ratione ſi non per primam, ſaltem per ſecundam intentionem agglutinabitur; ex quo patet ſolutio ad Nicol. argumentum. Adi, ſi placet, Tagaultium, *lib.2.de vulnerib.cap. cit.* & Ioan. Brauum Chamicum Luſitanum, *lib.2.eiuſd.tit. cap.13.* qui de hac re diligenter conſcripſerunt.

HISTORIA XLIII. GALENI, De arteriotomia.

Arteriotomia, plurimis morbis proficua.

*MOnitus per quadam inſomnia, quorum duo perſpicuè mihi viſa ſunt, acceſſi ad dextræ manus arteriam, inter indicem, & pollicem ſitam; ſiuique fluere, donec ſponte ſanguis reſiſteret: nam ita ſomnium præceperat: * effluxit autem non tota libra. Subitò itaque diuturnus extinctus dolor eſt, in ea maximè parte fixus, qua iecur ſepto tranſuerſo committitur. mihi quidem hoc ætate iuuenili euenit.*

At miniſter Dei Pergami, diutino lateris cruciatu laborans, liberatus eſt arteria in ſumma manu inciſa, aggreſſus & ipſe illud inſomnij monitu.

Porrò alteri, cui ex vulnere in malleolo inflicto diſſecta arteria fuerat, ſanguinis quidem curſus haud quieuit, donec ego vocatus totam diſſecui: ac medicamento, ex aloë, manna, & ouorum albumine, pilis leporis mollinſculis, impoſitis, vſus fui: citráque aneuryſma curatum eſt vulnus, obducta videlicet arteriæ oſculo carne, &c. Galenus lib. de curand.rat. per ſang.miſſ. cap.vlt.

DVBIVM XXX.

Num arteriotomia celebranda. Contra Hollerium doctiſſimum.

PARAPHRASIS.

FEriendas eſſe in plurimis morbis arterias, tribus his exemplis confirmat Galenus. Conglutinatas autem medicamenti ſuperiùs citati ope, illius exemplo confirmát, qui citra aneuriſma curatus eſt. Has ſecandas eſſe in ſummis artubus, temporibus, in omnibus doloribus, qui à calida, ſpirituosáque ſubſtantia originem ducunt, & maximè in membranis, quarum dolor punctioni ſimilis eſt, ac ſenſim expanditur, docet *hoc cap.* Galenus, & *lib.3.de loc.affect.cap.8.* In vertiginoſis, & quibus vaporoſus, calidúſque ſanguis, & multo ſpiritu plenus per arterias aſcendit, profundam arteriæ retrò aures ſectionem, faciendam eſſe docent Paul. *lib.3.cap.1.* & *lib.6.c.4.* Auic.4.1.*cap.10.* Quare Galenus 13.*meth.cap.vlt.* eas ſecare iubet, quæ calidiores apparent, & maiorem pulſum ex ſe præbent. Cauſa autem cur frequenter in temporibus ſecantur arteriæ, eſt quoniam in capitis calidis affectibus, qui ab inferioribus fiunt, aut fouentur, aſcenſus humorum, aut vaporum per arterias fit, in quibus ſanguis magis ebullit, & feruet, vt *lib.de curand.rat. per ſang. miſ. cap.22.* Galenus affirmat, numerans ex profeſſo affectus, qui arteriis in capite diſſectis iuuantur. Videndum tamen, num per maiores, & internas arterias vapor efferatur; ſic enim nihil conferret auxilium, vt *ex cit.lib.3. de loc. affect.* perſpicuum eſt: & notauit Franciſcus Peccettus Cæleſtinus *lib.4. de ven. ſect. cap. 14. de arteriarum ſectione*: & eleganter probat Ferdinandus Mena doctiſſimus, *in coment. cap.cit. Galen. lib.de curand. rat. per ſang. miſſ.*

Hollerius, ſummi iudicij vir, & Medicus præſtanti mentis acumine præditus, *lib.1. de morb. internis, in ſchol. cap.* 1. licèt arteriæ ſectionem in omni dolore pulſatili, ſingulare remedium eſſe affirmet, periculoſum tamen, vtpotè Chirurgis minùs vſitatum eſſe contendit, veterum forſan conſilio ductus, qui, vt affirmat Galenus *in cap. 22. lib. de ſang. miſſ.* in earum ſectione valdè timidi erant, quòd difficulter ſanguinis profluuium compeſci poſſit; & ſi res optimè eueniat, maneat tamen aneuryſmá, quod malum ex vulnerata arteria originem ducit; vt ait Auic. 4.4.*tract.2. cap.6.* Deinde Galenus 5. *method. cap.7.* affirmat plurimos Medicos exiſtimaſſe arterias vulneratas coïre non poſſe, quia duræ ſunt, & cartilagineæ; nam & in externis rebus corpora mollia nullius rei interuentu facilè iunguntur, at quæ dura, nunquam; neque enim teſta cum teſta, lapis cum lapide ſine glutino coniungi poſſunt. Ad hæc: refert Gal. *cap.22. de ſang.miſ.* ex vulnerata arteria nonnullos mortuos fuiſſe, alios in gangręnas incidiſſe: quo pacto extollens Auic. huius ſectionis periculum, in hæc verba prorumpit: *Et ſuarum quidem diſpoſitionum minor eſt, quod ex ea prouenit aneuryſma, &c.* Ab arteriis enim ſanguis extractus, ob aſſiduum pulſum, & tunicarum craſſitiem vix compeſci poteſt, quum vulnus facilè nequeat ad cicatricem perduci. Vltimò. Quòd melius ſit putridam materiam ab arteriis ad venas ignobiliores facta phlebotomia, quàm ab his ad illas tranſmittere: nam putridus humor plus in venis, quàm arteriis abundat: quare arteriotomia euitanda, nam ob maiorem calidiſſimi ſanguinis, & ſpiritus reſolutionem, ſectis arteriis,

arteriis ; vires fatiſcunt. Hæc ſunt quæ pro Hollerij opinione poſſunt adduci.

Verùm non ob hæc repudiandum hoc auxilium eſt, quia inuſitatum ; vt contra Holler. rectè Theodor. Collado inſurgit, *lib. de errorib. Hollerij, cap.7. de dolore capitis, num.5. & 6.* Sic enim plura præſidia damnabimus quæ multis fuere ſaluti, ea ſunt balneum frigidum in hectico debili, ſanguinis miſſio, & purgatio vſque ad animi deliquium, gelidæ potus ad ſatietatem vſque & alia, quæ licèt noſtro æuo ſint inuſitata, ea tamen ſummè commendat priſca vetuſtas. Harum ergo ſectio non niſi in difficillimis, diuturníſque morbis, qui aliis non cedunt auxilis, eſt exequenda : licèt enim duræ ſint, & ſubſtantia ſua durioris tunicæ conglutinandæ difficultatem indicent; non tamen quæ euinci omninò nequeat, nam etiam maiores, quas nunquam ex induſtria ſecare licet, conſolidari poſſunt, vt hoc loco oſtendit Galenus : neque enim hæ ita ſiccæ ſunt, & duræ, vt oſſa, & cartilago, immò his longè molliores; quare Auic. 4.4. *tract.1. cap.1.* non eſſe deſperandum ait, quominùs in mollioribus natura, & habitu corporibus, præſertim ſi paruæ ſint, glutinari poſſint. Pericula autem quæ ex harum inciſione ſequi ſolent, cautos nos reddunt, ne niſi vrgente neceſſitate, & vniuerſalibus priùs tentatis auxiliis, ad earum ſectionem accedamus : quod auxilium in debilibus celebrandum non eſt; hos enim præſtat aliis auxiliis curare, quàm partibus ſanguine, & ſpiritu priuatis, in certum periculum deducere. Denique facta arteriotomia, non intendit Galenus materiam putridam, quæ raro (ob maiorem ſiccitatem & puritatem ſanguinis arterialis, maius innatum cordis calidum) in arteriis reperitur, exhaurire; ſed ſolùm tenuem, ac pituitoſum ſanguinem, qui plurimis morbis præſtat occaſionem, vacuare; qui cùm in arteriis paruis, & particularibus ſit reconditus, facta venæ ſectione ad venas commeare non poteſt. In pluribus ergo morbis eſt exercenda arteriotomia : de cuius vtilitate ſumma, lege Fernel. *lib.2.meth. cap.18.* Menam *in com. Galen. lib.de ſang. miſſ.* Altimar. *lib.de medend.human. corpor.mal. cap.17.* Iacchin.9. *ad Alm.cap.6.* Chriſtoph. à Vega *lib.2. art.medic. ſect.5.cap.2. in fin.* Mercat. *lib.1.indicat.cap.4.in fin.* Peramat. *lib. de vacuand. rat.* 21. Bartholom. Perdulc. *lib.5.vniuerſæ medicin.cap.4.* cuius opera nupertimè Renanatus Charterius doctiſſimus in lucem emiſit, & Septal. non ſiluit *lib.6.caution.med.num.*171. Firmat omnium voto doctiſſimus Montaltus, *tract.15.de cerebri affectib. cap.10.* & probat eruditiſſimus Heurnius *lib. 3. meth. ad praxim, cap.9. in fin.*

Aduerte tamen, quod in tertio exemplo, Galeno hîc euenit, ſanguine valdè manante, arteriam totam eſſe ſecandam, vt *lib.5. meth.3.* Gal. admonuit. §. *Sanè vinculum magnis quoque venis iniicere interdum cogimur : atque etiam interdum totas præcidere, vtique tranſuerſas. Quippe ita retrahitur ex vtraque parte pars vtraque, celatúrque ac integitur à ſuperiacentibus corporibus vulnus. Tutius tamen eſt vtrunque facere ; & vinculum vaſis radici iniicere, & quod deinceps habetur, præcidere, &c.* De hoc modo ſupprimendi ſanguinem, vide Albucaſ. *lib.1. chirurg.cap.23.*

Poteram iis eſſe contentus, ni me ad finem iam properantem, trium dubiorum explanatio ad pugnam denuò inuitaſſet, quorum primum eſt. Cur iecoris, & ſepti tranſuerſi doloribus, harum potiùs, quàm aliarum arteriarum ſectio vtilis eſt? Dic, quòd ſicut vena interna dextra vtiliter ſecatur in affectibus iecoris, & ſepti tranſuerſi; ita arteria ipſi ſubiecta, vbi per arterias fit humorum ad eas partes confluxus. Sed quoniam ex arteriæ magnæ inciſione aneuryſma, gangræna, & mors ferè ſequi ſolent, hæc pericula euitabimus, ſi eius ramos ad ſummam manum perreptantes incidamus : licèt enim Galenus 13.*met.5.* & 11. per venas manus, brachij venas intelligat ; tamen hoc loco per ſummam manum, intelligit illam totius brachij partem, quæ extrema dicitur, quæ in brachiale, poſtbrachiale, & digitos diuiditur.

Secundum. Si morbi dicti, diutini ſunt, quomodo ex calido, tenui, ac ſpirituoſo ſanguine originem ducunt? Dic, quòd ex hoc ſanguine diutinus dolor gigni poteſt, ob diutinam fluxionem, quæ reuulſione ex arteriis commodè facta miteſcit, & ceſſat, ipſis arteriis prorſus in itinere reſciſſis, ne fluxioni deinceps pateat aditus. Galenus *lib.3.de loc.cit.* vertiginoſis, quibus vaporoſus, calidúſque ſpiritus per externas arterias deſcendit, medetur, totius arteriæ ponè aures adeò profunda ſectione, vt medius inter duas partes locus cicatrice obducatur ; cuius ſectionis adminiſtrandæ rationem docuit Paul. *lib.6. cap. cit.* Sic in hemicrania, & ophthalmia difficili, arterias quæ in temporibus ſunt, turgidiores, aut ſecamus, aut prorſus præcidimus : cuius præciſionis adminiſtrationem propoſuit Paul. *lib.cit.cap.5.*

Tertium cur inſomniis credit, ſi iis nullam fidem adhibet *lib.3. meth.cap.2. in princip.* quo loco inſomnia, manifeſtas eſſe nugas aſſeuerat? Dic, Galenum ſoli inſomnio non credidiſſe, nam rationem vltra inſomnium addidit, ex confluxu ſanguinis ſpiritalis per arterias, qui commodiùs arteriotomia, quàm venæ ſectione auertitur. Num autem inſomniis ſit adhibenda fides, diſputant Macrob. *lib. 2. in ſomn. Scipion.* 13. Leuin. Lemn. *lib. 2. de occult. cap. 31.* Cælius Rhodiginus *lib.2. lect. antiq. cap.9.* Iulius Cæſar Scaliger *in lib. Hipp. de inſomniis.* Alex. ab Alexand. *lib.3.dier.genial.cap.26.* Santorellus *lib.7. antepraxis, cap.8.* Pererius *lib. 1. in Daniel. cap. 4. quæſt. 2. & 4.* Martinus Del Rio *lib. 14. diſquiſit. magicar. cap.4.* Picus Mirandula *lib. de prænotionib. 6. cap.7.* & alij quos referunt Lælius Biſciola *tom.1. horar. ſubſeciuar. lib.9. cap.20.* & Hieronymus Nonnius Ramires Olyſipon. elegantiſſimus, *in com. cap. 5. Galen. lib. de ſang. miſſ.*

QVÆSTIO XXXII.

Quòd arteriotomia vſque ad animi deliquium poſſit celebrari, vt Aëtius voluit. Contra communem Medicorum ſententiam.

COMMENTARIVM.

EFfluxit autem non tota libra.*] Silentio non eſt inuoluenda egregia, immò albo lapillo ſignanda dubitatio, quam ego inter omnes noſtra ætate longè doctiſſimos nouiſſimus propono : num arteriotomia vſque ad animi deliquium celebrari poſſit. Partis affirmatiuæ habemus ſtrenuum Ducem Aëtium, *tetrab. 2. ſerm. 3. cap.9. de arteriarum ſectione:* §. *Conuenit autem ſecare non obliquè, ſed tranſuerſim vſque ad os, & membranam caluariam ambientem exactiſſimè radere, & ſanguinis miſſionem vſque ad animi deliquium expectare, in quibus videlicet & vires robuſtæ ſunt, & dolor vehemens, ſic enim ſopies accidens ſymptoma, &c.* Hęc ſunt Aëtij verba, quæ licèt ex Seueri doctrina ſint deprompta, vera tamen ſunt, cùm ea approbauerit Aëtius, & in ſuos canones tranſpoſuerit. Fauet Gal. in contextu, nam ex ſectione arteriæ inter indicem & pollicem, ſanguis ita effluxit abundè, vt quaſi æquaret libram, qua quantitate vacuata vel ex venæ ſectione ſæpè animi deliquium fit, ſic enim ſe inſomnio monitum, harum ſectionem tentaſſe refert : huius autem auxilij inuentio, fuit admonitio per ſomnia. Nec dubites! nam, vt refert Augenius *lib.9.de rat. curand per ſang.miſ. cap.12. in omnibus temporibus, omnibúſque gentibus aliquando Deus plura voluit reuelare, quæ ad ſalutem humani corporis faciunt.* Deinde ſicut in plurimis venoſi generis morbis, ſanguis emittitur vſque ad animi deliquium cum vtilitate ſumma; vt Gal. paſſim confirmat; ſic in copia ſanguinis arterialis calidiſſimi, tenuis & vaporoſi, dolorem ſæuiſſimum facientis, ſanguinis miſſio ex arteriis vſque ad animi defectum, eſt exercenda.

Contrà ſunt plura quæ obiici poſſunt. Licèt enim ex phlebotomia vſque ad animi deliquium, ea ſequantur commoda quæ pluries recenſuit Galenus, ex arteriotomia hæc ſequi non eſt dicendum; extracto enim in magna copia ſanguine arteriali, qui valdè ſpirituoſus eſt, & in quo calor noſter perſeuerantiam obtinet, vires ſummè imbecillitari, & fatiſcere non eſt dubitandum. Adde quod

prius

priùs anima & vitâ deficient, hoc modo arteriotomia facta, quàm contingat, quæ ex hac vacuatione ſperatur vtilitas. Quapropter multò ſatius eſt, facta phlebotomia vſque ad animi deliquium, feruentem, ebullientémque ſanguiné in arteriis impactum ad venas reuocare, quàm corpus celebrata arteriotomia putiſſimo ſanguine orbatum relinquere; & maximè cùm nullus inueniatur auctor, qui eam faciendam imperauerit: nam Oribaſius *lib.7. collect. cap.14.* iubet, ne multa ſectio fiat arteriarum, hoc eſt, ne multùm ſanguinis, ſed quod ſatis ſit extrahatur; quoniam auctore Gal. *lib.6.aph. com.27. ſubita, & multa vacuatio periculum aliquando affert ineuitabile, cùm eueſtigio deficiat anima, viréſque concidant, nec poſteà debilitas ita facilè remedium habeat*, vt frequenter accidit in ſuppuratis, aut hydropicis, in quibus ſi ſectio aut vſtio celebrantur, & aqua, aut pus copiosè vacuantur, exhauſtis ſpiritibus, mors certa contingit.

Admittenda tamen eſt Aëtij, tanti auctoris ſententia, quæ vſque ad animi deliquium ſanguinem mittendum perſuadet, præcipuè ſi vires adſint, & dolor ſit vehemens: is enim mitigatur, extracto feruentiſſimo ſanguine, qui doloris & plurium morborum ſolet eſſe cauſa: nam doloris immanitas multa cogit aliquando moliri temerè. Neque Gal. in vehementiſſimis doloribus ſanguinem mittendum conſulens, facit diſtinctionem, an venam ferire, vel arteriam ſecare conueniat. Et licèt reperiantur in Aëtij oraculis pleraque ita occluſa prorſum, & in eorundem abdita maieſtate recondita, vt nulla ingeniorum ſolertia explicari poſſint: tamen ego veritati conſonam ſententiam hanc amplector, & probo.

Etſi enim obijci nobis multa ſinuoſiùs, ſolertiúſque poſſe videam, dum pro arteriis legendas eſſe venas facilè quiſpiam coniectare poſſit: tamen hac ſolutione hoc tantùm dubium non extricari, ex eo fit manifeſtum, quoniam quum priſci his venarum & arteriarum vocabulis promiſcuè vſi ſunt, aliud negotium agentes de eis ſunt loquuti; Aëtius autem poſtquàm de venæ ſectione latè peregit, ex propoſito de arteriarum ſectione diſceptat, ex quibus vacuandum eſſe ad animi vſque deliquium aſſeuerat. Antiquos autem arterias vocaſſe venas, patet ex Hip. *lib.2.epid. ſect.5. prop.fin.* §. *Cui vena in cubito pulſat, inſanus, & iracundus eſt, &c.* & *6.epid.ſect.6. text.2.* referente Galeno *in com.* quòd verò vena non ſolùm ab Hipp. ſed ab aliis veteribus arteria fuerit appellata, affirmat *lib.6.de placit.Hipp. & Platon.cap.14.* & *lib.de fœtus format. cap.9.* & *lib.de curand. rat.per ſang. miſſ. cap.22.* probat Augenius *lib. 9.de ſang.miſ. cap.1:*

Inſtabis ſecundò, hanc ſententiam non eſſe Aëtij, ſed Seueri, cuius edictum tanti æſtimandum non eſt. Reſponde cum Platone in Charmide, dum ſic inquit: *Quid refert ô Socrates, ex quo audiuerim? nihil profectò, nec enim conſiderandum quis dixerit, ſed vtrum verè dicatur.* Nam hoc modo plures philuras, *in lib. de compoſit. medicam. ſecundùm locos, & genera*, à Galeno ex Archigene, Aſclep. Diocle, Mantia, Rufo, & aliis; immò plura capita *in libris de pulſuum doctrina*, à famigeratiſſimis Medicis conſcripta, & ab ipſo Aëtio in ſuos libros conuerſa damnabimus: quorum auctorum doctrinam tantoperè extollit Galenus, & eam veriſſimam prædicat, & confirmat.

Placet tamen in huius arduæ controuerſiæ ſolutione, Aëtij mentem explicare hoc modo: non enim ad arteriotomiam facientem animi deliquium, neceſſe eſt quod multus ſanguis vacuetur, cùm enim arterialis ſit, ſpirituoſus, calidiſſimus, & tenuiſſimus, ſi exeat, vel in parua quantitate, animi deliquium inducit, quod pro termino huius vacuationis præſupponit. Non ergo vita deficiet, priuſquàm hæc vacuatio contingat.

Obiecta ita diluenda ſunt. Neque enim negamus hanc nimiam euacuationem diſſoluere naturam: at ſectis paruis arteriis, in quibus non ita elaboratus, ac ſpirituoſus ſanguis continetur, non ita debilitari vires certum eſt: & licèt ita eſſet, auxilium condemnandum non eſt, *nihil enim eſt quod tam magnificè proſit, quod aliqua ex parte non noceat,* ſic monente Magiſtro, *lib.11.meth. cap.11. in fin.*

Deinde, non licet facta phlebotomia ſanguinem ſpirituoſum, ac tenuem ad venas reuocare, nam præterquam quòd hic ſanguis magis in arteriis colligitur, ex Galen. *de fœt. format. cap.9.* quæ cùm membranis multis conſtent, ſolùm à calido humore vt plurimùm tentantur, ex Galeno *lib.6. aphor.33.* ad venas ſectas remeare non poteſt; quoniam, vt ait Galenus *lib. de ven. ſect. aduerſ. Eraſiſtrateos, cap. 5. ſanguis arteriarum tractu temporis calore redditur craſſiuſculus, atque ita venas inanitas non ita facilè recurrit.* Arteriis autem ſectis aneuryſma timendum non eſt, nam paruæ ſunt quæ ſecantur arteriæ. Oribaſius autem iubet, ne multa ſectio fiat arteriarum, hoc eſt, ne exeat ſanguis in quantitate multa, ne confertim exhauſtis ſpiritibus concidant vires. Galenus deinde hydropicos, & ſuppuratos, vt debiles, à magnis vacuationibus arcet, nos autem vires robuſtas ſupponimus. At hæc pro tanti auctoris tutela ſint ſatis. Nam ſi antiquorum iudicia, præſertim ſi illi ſint conſummati, veluti Aëtius, & alij ab ipſo citati, ſubterfugiamus, errabimus, monente Galeno, *lib. 2. de nat. hum. com. 6. in init.* Maximè cùm in quæſtionibus arduis, liberum ſit cuique quod velit opinari, vt docut Gal. *lib.1.prorrheticor.ſect.2.com.36.*

HISTORIA XLIV. GALENI, De pulſu intermittente.

Pulſus intermittentis, ſed naturalis cognitio.

*Qvidam domus magiſter, qui quòd omnia rectè gubernaret, à domino honorabatur, aliis Medicis accedentibus ſeptimo die * ſudando iudicatus eſt. Sequenti die cùm pulſum deficere inueniſſent, malignam aliquam in corpore affectionem latitare, quanquam magnoperè deciperentur, putabant. Exeuntes igitur cum domino ægroti iuuenis, ac mihi caſu obuiam facti, poſtquam & quæ contigerant, & quæ aderant ſymptomata narrarunt, quidnam ſignificaret id, quod in pulſu præter rationem euenerat, ſcire affectabant. Tum ipſe propinquam eſſe domum, in qua ægrotus decumberet, audiens, deducentibus illis, acceſſi, atque iuuenis pulſum attigi, dixi pulſum nihil aliud præter naturam aliquando continere, quàm vt ſolùm deficiat, & à prima ortus origine talem eſſe, ídque ſcitu difficillimum eſſe, immò potiùs fieri non poſſe, vt quiſquam illud internoſcat, niſi omnes omnium pulſuum differentias exactè perceperit. Vt ergo iuuenem, de quo ſermonem inſtitueramus, eiuſmodi pulſum habere ſenſi, Medicos hortatus ſum, ſecuriſſimè prorſus à morbo liberatum hominem reficerent: ac poſteà cùm exiret, & conſueta negotia tractaret, eum tangerent, ipſos enim tunc eius pulſum talem reperturos, qualem nunc inueniſſent, eò quod is ita ſit à natura procreatus, non ab aliqua morboſa cauſa oppreſſus: hócque ab eis obſeruato, rem ſic ſe habere inuenerunt, &c. Galenus* lib.de præcognit. ad Poſthum. cap.14.

PARAPHRASIS.

De inæqualitate in vno pulſu, eiúſque differentiis ſatis multa diximus ſuprà, *in com.hiſt.* 12. Neceſſe deinde eſſe ad pulſum intermittentem naturalem cognoſcendum, omnes pulſuum differentias exactè cognoſcere, hoc exemplo retulit Gal. quo docemur, pulſuum rectam cognitionem, ac vtilitatem eſſe maximam; nam iuuenem illum tanquam maligna aliqua interna affectione laborantem generoſis auxiliis, quæ miſerè perdidiſſent, cruciabant, ni Galenus illius cognita ſanitate, eum à tanto periculo liberaſſet. Et quoniam vel ratione facultatis mouentis, vel viarum, vel ratione ipſius inſtrumenti inæqualis, vel cordis intemperiei, inæquales huiuſmodi differentias, pulſus acquirere tradit Galen. 3. *de cauſ.pulſ.*1. & *lib.2.de præſag.ex pulſ.cap.*4. ab arteriæ vitio, à prima ortus origine, fieri eſt dicendum: quod non euenit ex facultate læſa; cùm enim hæc vel ob imbecillitatem, aut multitudinem grauantem contingat, cum abſoluta ſanitate

eſſe

eſſe non poteſt. Neque ex vitio in via, intermittens pulſus originem ducit; nam tunc eſſet in arteriis obſtructio, cuius occaſione, morbus aliquis periculoſus ex neceſſitate excitaretur. Neque ex cordis intemperie inæquali; cum quâ vita perſiſtere non poteſt. Relinquitur igitur, vt inſtrumenti ratione hoc vitium eueniat, cum quo etiam ſanitatem ſtare poſſe, res eſt manifeſta. Plures enim ob arteriæ in brachij carpo exiſtentis ſtricturam in prima ortus origine ſuſceptam, vel etiam ob cicatricem à vulnere, pulſu illius brachij omnino carentes, ſani viuunt & incolumes: pulſus enim neceſſitatem reſpiratio ſupplet, cuius, & tranſpirationis vi cor ventilari, vbique prædixit Galen. Quapropter cæteræ cauſæ à primo ortu pulſum intermittentem facere non poſſunt, excepto ſolo vitio inſtrumenti, cum quo ſanitas & vita perſiſtere poſſunt.

Enimverò ſi pulſus intermittentis cauſas rimeris cum Gal. *lib.2. de præſag. ex pulſ. c.4.* eas omnes lethales inuenies. In ipſo enim otiatur facultas, & ab actione ceſſat, adeò vt cum pulſu intermittente neminem fuiſſe ſuperſtitem affirmet, quando videlicet intermiſſio diuturna eſt, trium nempè pulſationum: nam ſicuti mors repentina comitatur apoplexiam; ſic pulſus intermittens mortem prænunciat, extincto calore natiuo ob ventilationis defectum.

Intermittens pulſus, vel à valida inſtrumenti obſtructione, vel à debili facultate originem ducit. Ab illa cauſa ſi oriatur, magnitudinem non amittit, nec vehementiam, niſi obſtructionis cauſa in corde, vel circa ipſum ſita ſit, tunc enim ſyncope frequenter laborantem prehendit. Si à debilitate, pulſus intermiſſio contingat, languidi omnes apparebunt: inter quos hi ſunt minùs periculoſi, qui vnius ictus ſpatium non tranſgrediuntur; illi verò periculoſiores, qui plus temporis conſumpſerunt, & quantò tempus fuerit maius, tantò periculum grauiùs, quos quidem tertiæ pulſationis ſpatium viuo animali tranſire non concedit Galenus.

In iuuenibus hic pulſus adeò eſt lethalis, vt rarum ſit vnum vidiſſe eo pulſu ſuperſtitem: quæ intermiſſio ſi ſit ordinata, inordinatâ eſt deterior: illa enim ſtabilem, firmam, atque eradicatu difficilem cauſam præſupponit; hæc verò mobilem, & vagam, quæ à natura quandoque ſuperari poteſt, vt aduertit Saxonia *lib.3. de pulſib. c.103.* in ſenibus, & pueris frequenter contingit citra noxam. Ratio dictat: nam pueri, & ſenes imbelles habent facultates; quare mirum non eſt, ſi facili de cauſa in pulſus intermiſſionem prolabantur.

Diſtingues pulſum intermittentem à natura, vel à morbo progenitum, ex aliis ſignis, quæ vel morbi vehementiam, vel naturam preoſtendunt. Nam bono habitu ſi quiſpiam ſit, valeat, & functiones ſuas obeat, habeátque pulſum intermittentem, eum ex natura euenire iudicabis: malum autem portendit, ſi à morbo oriatur, ſed non certò mortem. Ex his manifeſtiſſimè apparet, hanc prædicendi cautionem à Medicis eſſe obſeruandam, ne animo penitùs perculſo, & veluti commoto, de valetudinis recuperatione illicò diffidant, ſi quando huiuſmodi pulſus ſenſui occurrat, cùm cauſæ quidem morbificæ magnitudinem, & ancipitem oppugnantis naturæ luctam denotet, non tamen mortem appropinquantem, niſi plurium lethalium ſignorum accedat concurſus. Hic pulſus in febre peſtilenti, morbis melancholicis, cordis palpitatione, & cardiaca ſæpiſſimè viſitur citra mortis periculum, & aliquando ſecundùm naturam, in ſenibus præſertim, ita referente Amato *3. cent.44.* & *lib.6. eiuſd.72.* quod poſt eum obſeruarunt Othæus *lib. de obſeruat. prop.* Argenter. *in com. art. medic. Gal. cap. vlt.* Et ſi Gal. pulſum intermittentem neceſſariò mortem ſignificare ſcribit (quod obiicit Argenter.) id ferè intelligendum eſt: nam maiori ex parte hic pulſus lethalis eſt. Cætera de pulſus intermittentis cauſis, & præſagio, vide apud Ioſeph. Struthium *lib.2. art. Sphygmicæ, cap.4.* Gregor. Horſtium *lib.7. de medic. hiſtor. mirab. apud Marcel. Donat. cap.8.* Saxoniam *lib.3. de pulſib. cap.99.* Siluatic. *cont.23.*

DVBIVM XXXI.

Num ſudoris abſterſio prouocet ſudorem. Contra Lemoſium, & Cardozum, Medicos doctiſſimos.

COMMENTARIVM.

S*Vdando iudicatus eſt.*] Iuniorum clariſſimi, de quorum numero ſunt Mercurialis, Fonſeca *lib.3. de excrement. cap.1.* Ludouicus Lemoſius *lib.2. de optim. prædicend. rat. cap.17.* Hipp. interpretes *ad text.26. Hipp. lib.2. prognoſtic.* Valleſius, Vega, Cardanus, & alij, ita de ſudoris nomine, generatione, cauſis, differentiis, & præſagio luculenter ſcripſerunt, vt nihil de hoc negotio intactum reliquerint. Supereſt tamen diſcutienda quædam illuſtris antinomia, de ſudore in febribus detergendo; quam inter alia, ingenio ſingulari, doctrina nequaquam extrita, vel plebeia, deprompſit in litteras Galenus. Is enim ſummus auctor *lib.8. meth. cap.2.* diariam ex meatuum conſtipatione curaturus, ad ſudoris prouocationem, abſterſionem commendat. §. *Iuſſis igitur propinquis, ſi quæ guttulæ illi manarent, diligenter abſtergerent; ne frigore afficeretur, &c.* Et *lib.5. met.4.* in hunc vſum madores abſtergit. §. *Cùm verò & miniſtri adeò illi altum ſomnum fuiſſe dicerent, vt nec cùm madores eius abſtergerent, expergiſceretur, ſuaſi ita faceret, &c.*

Huius auctoris mentem confirmat Auicen. *1.4. tract.2. cap.13.* dum ſic ait. *Et non oportet, vt occupetur in exſiccando illud quod rorando egreditur, faciendo exſiccationem poſt exſiccationem: nam illud eſt occaſio ad illud prouocandum, & multiplicandum, & fortaſſe attrahit ſyncopen. Nam eius abſterſio addit in ipſum, & eius dimiſſio reſtringit ipſum, &c.* & *1.4. tract.1. cap.66. de cura multitudinis ſudoris*, eandem profert ſententiam. §. *Et ſudor quidem quando tergitur, exuberat, & quando dimittitur, abſcinditur, &c.* Cauſam huius euentus aſſignat Ariſt. *lib.2. probl.13.* quoniam ſudor remanens, non abſterſus infrigidat, & ſimiliter oppilat poros, & prohibet ſudorem. In hunc ſenſum protulit Meſuë *tract. de febrib. tit. de febre putrida*, cùm ſic ait: *Et balneentur in frigida, ſi tolerat virtus: oportet vt alia minorentur quandiu expediat, donec auferatur abſque abſterſione; abſterſio enim rarefacit, & prouocat.*

Hoc autem placitum eſſe verum, ex eo fit manifeſtum; quoniam ſi ſudor abſtergatur, mole ſua cutis ſpiracula non obſtruendo, noui ſudoris prouocat aduentum. Deinde abſterſio fit cum frictione euocando calorem, aperiendo poros, & humores à centro ad circumferentiam trahendo; quare frictio ad prouocandum ſudorem ſummoperè laudatur ab Auic. *1.4. tract.2. c....* §. *Deinde fac ipſum ſudare, & aperi meatus cum illis, in quibus calor non ſit fortis, ſicut cum vnctione ex oleo chamælino & fricatione, &c.* Qua in re illud ſcrutinio digniſſimum accedit, quo plurimi interturbantur, quo pacto Paulus medicæ artis ſcientiſſimus, celebratiſſimúſque ita aperta fronte Galeni doctrinam reſpuat, & condemnet, dum *lib.2. cap.47. ſudores in criſi erumpentes excipiendos eſſe affirmat, quandiu ſatis vacuatum fuerit; adiuuare enim oportet calore mediocri, & quiete, adeò vt neque abſtergantur, quoniam alius quoque alium elicit, &c.* Et infrà. §. *Cùm verò ſudores largiùs eruperint, tunc abſtergendo, leuandóque operimenta, leuare conuenit: etenim laſſant ſupra modum excidentes, vt in ſyncopen frequenter ægros perduxerint, &c.* Si igitur detergendus eſt, vt non prouocetur, vt prouocetur detergendus non eſt: nam ſudor calore ſuo cutis ſpiracula retinet aperta, & ad habitum corporis humorem extrahit.

Videre iſtam contradictionem inter omnes, eximij medicinæ profeſſores, Ludouic. Lemoſius *in com. cap.2. lib.8. de meth. medend.* Ferdinandus Rodericus Cardozus *lib. de de ſex reb. non naturalib. cap.11. quæſt.17.* qui Paulum, contrariam Auicennæ promulgaſſe ſententiam, vel hunc ex toto deerraſſe aſſerere non dubitarunt: nam in ſudore quandiu calet, abſterſionem vetant, niſi cùm timemus refrigerari; quæ opinio à Gal. refutatur, qui abſterſione allici

allici ſudorem arbitratur,ſic enim ampliùs referantur po- ri, & ſudori ſudor locum præbet.

Grauiter deinde decepti ſunt, quoniam citra rationem, Galeni dicta impugnant. Et ne ad libitum eos expugnemus, liceat ſic exactiori calculo dubium diſſoluere. Abſterſio ad ſudoris prouocationem eſt neceſſaria. Si verò Paulum cum Galeno conciliare velis, dic, Paulum multam & duram frictionem inhibere, quæ ex ipſius ſententia, corporis molem deprimit, reſoluit, & corpus præ ſudoris copia debile ampliùs imbecillitat; quare multam frictionem ſummoperè vetat, ne in ſyncopen æger incurrere poſſit. Inſuper dura frictio reddit corpora duriora, denſiora, & ſudori proliciendo valdè inepta, ex Galeno *lib.3.de ſanit. cap.4*. Galenus autem & Auicenna lenem & mollem, blandéque humiditates ad cutem attrahentem admittunt; hæc enim efficit corpus rarum, & prouocando ſudori aptiſſimum, ex Galeno *lib. de ſanit. tuend. cap. 7*.

HISTORIA XLV. RHASII, De ſyncope.

Syncope, ex nimia vacuatione ſuborta, alimentis vires recreantibus curata.

R*Ex Albomet, Haly filius, extraxit ſanguinem in quantitate nimia, & erat tempore autumni, & bibit vinum: & poſt ſomnum ſanguis exiuit ad quantitatem trium librarum, ad quem de nocte fui vocatus, & eum ſyncopiſantem inueni: & præcepi mihi afferre quinque * pullos columbarum, quos præcepi optimè præparari, & membra per ſe ſeparare feci, & in quatuor libris vini odoriferi eos coxi, quouſque carnes ab oſſibus ſegregatæ fuerunt; & multùm in decoctione poſui de caryophyllis, & cinnamomo, quam decoctionem colaui poſtmodùm, & Regi ad bibendum miniſtraui, & ante ſolis ortum loqui cœpit, quam decoctionem triginta diebus ſumpſit, & virtus eius ad eum reuerſa eſt, & ſanguis in eo fuit optimè reſtauratus, &c. Raſius* in lib. 3. ſuorum aphoriſmorum.

PARAPHRASIS.

SYncope à Gal.definitur 12.*meth.cap.5*.quod ſit *præceps virium lapſus*. Dicitur autem omnium virium lapſus, licèt propriè cordis,& facultatis vitalis paſſio exiſtat,quoniam cùm cor afficitur, & perit actio vitalis, cæteræ eius influxu & actione deſtitutæ labuntur,ac fatiſcunt, ex Gal. *lib.5.de loc.affect.cap.1*.facultas ſiquidem vitalis habet ſe vt forma, & perfectio reliquarum. Eſt igitur pars affecta in ſyncope,cor ipſum; illius eſſentia conſiſtit in eo, quod ſit ſymptoma in genere omnium actionum læſarum, præcipuè tamen vitalium: hoc immediatè ad magnam cordis intemperiem ſequi ſolet.

Syncopes cauſæ latiſſimè traduntur à Gal.12.*meth. c.5. & 6.1.ad Glauc.cap.14*. Auicen.1.3.*tract.2.cap.6*. in vniuerſum autem conſtituuntur quæ cordis temperamentum corrumpunt, ſanguinem, & ſpiritum, partiúmque ſubſtantiam reſoluunt, earúmque temperiem vitiant; facultatum namque eſſentia in ſingularum partium temperamento repoſita eſt, ex Galeno *lib.1. de præſag.ex pulſ. cap.4*.

Præterea ſyncopes frequens ſolet eſſe cauſa, omnis immodica ſanguinis vacuatio, ſiue ex vulnere, venæ ſectione, naribus, vtero, ventre, hæmorrhoïdibus, aut ex quacunque alia parte, aut alia ratione contingat. Et non ſolùm ſanguinis excretio nimia ſyncopen facit,ſed quando alij reprobi licèt humores, ſubito & vehementer vacuantur, præſertim quando excretiones magnæ ſunt, & diu durant: nam *qualibet immodica vacuatio deiicit actum virtutis*, ex Auicen.1.1.*doctrin.4.cap.2*. exemplo ſit,aquæ, aut puris in hydropico, & empyematico vacuatio copioſa, apud Galen.6.*aph.27*. & 1.*ad Glauc*. 14. in his enim omnibus vacuationibus plurimi ſpiritus confertim, repentéque vacuantur; neque enim fieri poteſt, vt praui ſucci adeò ſegregentur ab vtilibus, quin maxima humorum, & ſpirituum copia euaneſcat, & reſoluatur. De cuius cauſis, lege inter tantos doctiſſimum Barthol. Euſtachium, *prop.cap.de ſyncope*.

Syncopes futuræ ſigna ſunt,pulſus paruus,rarus, debilis,& aliquando omninò deficiens,ex Gal.*lib.10.meth.c.3*. reſpiratio pulſui eſt ſimilis, viuidus color mutatur in pallidum, antecedunt animi angor, inquietudo; corporis iactatio,extremorum frigiditas.Præſentem oſtendunt frigidi ſudores, tenaces, & viſcidi,per vniuerſum corpus, præcipuè tamen circa frontem,tempora; ceruicem erumpentes, quos ſyncopticos Medici vocare conſueuerunt, de quorum cauſa *infrà* latiùs agemus. Mortifera illa facies celeriter apparet, picta ab Hipp.*lib.1.prognoſt.text.8*.mens omniſque ſenſus deficit, & ægri mortis imaginem referunt.

Si ſyncope valida fuerit, nullus eſt remedio locus, ſic monente Paulo *lib.3.cap.34*. Ea periculoſior eſt, quæ corde affecto contingere ſolet; minùs, quæ à cerebro; multò minùs, quæ ab hepate læſo originem ducit. Peſtifera, quæ ab extenuato ſpiritu, ac ſanguine reſoluto ortum ducit: exitioſa eſt ſic, quæ ab immodicis euacuationibus proficiſcitur.

In præcipiti hoc affectu auxiliares manus adhibere oportet; præ oculis tamen memoranda ſententia Galeni eſt habenda, 12.*meth*.6. & Auic.11.*tract.2. c.8. in princip.* qua aduertunt, num æger actu ſyncope laboret, an tantùm ſit paratus incidere in ſyncopen: in primo caſu, ſolius ſymptomatis eſt habenda ratio; quod cauſæ morbificæ rationem gerit; quum enim vires ſunt diſſolutæ, eas ſolùm tueri debemus, vt Galenus docet 12.*meth. cap.1*. cùm præcipua indicatio à virtute ſumatur, ex Magiſtro 10.*meth. cap.1*. & 9.*meth. cap.13*. Auicenna 4.1.*cap.1*. §. *Et ſemper ſis ſollicitus de eo, quod eſt magis ſuſpectum, vt eſt virtus ſi eſt valdè debilis, &c.* Nam *ſi quem curare ſtudes affectum, is vacuationem requirit, vires autem extrema imbecillitate laborant, toto illo tempore quo vires reficimus, eorum quæ affectum ſanent, nihil planè ægrotanti exhibebimus: vbi verò eo roboris peruenisſe eas conicimus, vt nihil aut parùm ex vacuatione ſint lædendæ, tunc eſt ad affectus quoque curationem accedendum*, vt Galenus firmat *lib.9.meth.cap.13*.

Si tamen vires diſſoluuntur, & virtus conſtat, à morbo, & morbi cauſa agendorum ratio eſt ſumenda. Si verò mediocriter vires conſtant, à morbo & à virtute ſumenda indicatio.

Præſente iam ſyncope, & reſolutis viribus, tria ſunt Medico peragenda. Primum, ſanguinis & ſpiritus reſolutionem prohibere. Secundum, vires regeneratione ſanguinis & ſpiritus reficere. Tertium, facultatem vitalem, & animalem excitare, ſanguinem & ſpiritum, ad partes externas attrahendo. Horum primum perficitur aſperſione frigidæ roſaceæ, aut vini adſtringentis ſuper faciem; his enim condenſatur cutis, & ſic effluuium caloris naturalis, & ſpiritus prohibentur, vt docet Galenus 1.*ad Glauc. cap.14*. & Auicenna confirmat 11.3. *tract.2. cap. 8. in princip.* tres ſolùm caſus excipiens, in quibus aſperſione frigidæ vti non licet; videlicet quando ex ſuccorum cruditate, vel alui profluuio, aut vomitu, vel ex frigiditate ambientis ortum ducit. Si verò *lib. 1. ad Glauc. cit.* Galenus gelida præcipit irrorare in ſyncope ex alui profluuio ſuborta: Dic, dupliciter gelidam inſpergi poſſe, vel ſenſim, aſſiduè, & paulatim; vel ſubitò, & affatim: primo modo reprobandam eſſe certum eſt, quoniam cutim denſat, ad interiora humorem detrudit, & ſic refrigerat. Subitò verò inſperſam, & ad facultatem vitalem, & animalem excitandam, vtilem eſſe: licèt enim refrigeret, & humores ad interna reuocet, maior eſt vtilitas noxa: nam præterquam quòd excitat, ad faciem & partes externas, ſanguinem & ſpiritum attrahit. Tertium, completur etiam gelidæ aſperſione, extremorum frictionibus, ligaturis, auulſione pilorum,cucurbitulis, & aliis quæ irritandi, & facultates conſopitas excitandi vires habeant.

Secundum

Secundum de reficiendis viribus inſtitutum auctor noſter exequendum putauit, nam vires erant ex immodica ſanguinis vacuatione collapſæ. Cùm enim priùs ex phlebotomia ſanguinem extraxiſſet in quantitate nimia, & ex hac ſubita ſanguinis ebullitione, meríque potu calefaciente, & ſanguinem extenuante, caloréque per ſomnum ad interna retracto, & adaucto, ſanguis his de cauſis ad partem ſectam repentè flueret, vel fortè ex inepta ſciſſuræ ligatura, vt ſæpè contingit, vel ex inordinato brachij motu, ſubitum & copioſum ex ſciſſa vena concitaretur ſanguinis profluuium; & ex hac cauſa, præcedente etiam venæ ſectione copioſa, nimis debilitatus & exhauſtus, in ſyncopen incideret, ob valdè lapſum virium robur, ad ſanguinis & ſpiritus regenerationem, vires ſolùm reſtaurandas exiſtimauit.

At cùm multa ſint, quæ huic vſui ſint valde opportuna, nullum vino odorifero eſt præſidium excellentius ac præſtantius: tunc enim temporis potiùs potu, quàm cibo pugnandum eſt, (ægri enim deglutire nequeunt:) nam *facilius eſt impleri potu, quàm cibo*, ex Hipp.2.*aph.* 11. & *humidum, aptiſſimum nutrimentum eſt iis, qui celeri indigent adiectione*, ex ipſo, *in lib. de aliment. num.* 6. per humidum autem nutrimentum, Gal. *cit. aph.* vinum intelligit, quod celerrimè & vniuerſim nutrire fatetur, in 2. *lib. aph. com.* 18. *& lib.* 3. *de temperam. cap.* 2. & alibi ſæpe: quum citiſſimè & coquatur, & diſtribuatur, minima enim alteratione eget. In hunc ſenſum dicebat Auic. 3. 1. *doct.* 2. *cap.* 8. vinum eſſe maximum penetratorem. Et Auer. 7. *collig. cap.* 16. tanti laudat in ſyncope vini potum, vt id Sarracenis, licèt lege prohibitum, concedere non vereatur, maximè ſi ſit odorum; quoniam odores, ſpiritus nutriunt & refocillant, vt *in com. hiſtor.* 9. *lib.* 1. fusè retulimus. Licèt in hoc tamen affectu à vino abſtinendum cenſeat Gal. *lib.* 1. *ad Glauc. cit. & lib.* 8. *de compoſ. medic. ſecund. loc. cap.* 7. *Si interna adſit inflammatio, aut paſſio aliqua quæ delirare cogat, affuerit: aut caput vehementiùs doluerit: aut febris adſit ardens in morbo crudo; magna enim, & quaſi inſanabilia damna ex potu vini in huiuſmodi affectibus eueniunt.*

An verò vinum gelida ſit diluendum, poteſt videri quæſtione non indignum. Galenus enim *lib.* 1. *ad Glauc. cit.* in hoc affectu frigida diluit, curans eas, quæ fiunt ex magnis vacuationibus, diſſolutiones. E diametro pugnat Galen. *lib.* 2. *acut.* 28. *&* 34. dilutum frigida vinum, tonum ventriculi diſſoluere affirmans; quare *lib.* 10. *meth. cap.* 3. in bilioſiſſimo iuuene modicè calida temperare iubet. In hac dubitatione ancipiti, Galeni doctrinam ſequere, nam gelida temperatum vinum ſpiritus incraſſat, ne reſoluantur, cogit humores, & eorum prohibet reſolutionem, ventriculum roborat, & diu in ventriculo moratum, arctat repellítque ſuccos, ne in eum irruere poſſint. Si verò infirmare ventriculum 2. *acut.* aſſeuerat, non abſolutè intelligendum eſt, nam *in text.* 28. loquitur de vacuis vaſis, in quibus ipſum incoctum remanet, cùm ad ſingulas partes rapiatur illicò. Et *in textu* 34. de iis loquitur, qui à meraco præter conſuetudinem ad dilutum tranſierunt: in iuuene verò bilioſo modicè calida diluit, vt aqua caliditate citiùs penetrans, exhauſtum bilioſum corpus, & inedia maceratum, quale ibi deſcribit, nutrire queat.

Vini loco, in extrema virium debilitate, poſſumus vti aqua carnis, vel ſimplici, vel cum cardiacis permixta, quæ multiplici forma parari ſolet, vt latè oſtendunt Holler. & Mercatus *propriis capitibus de ſyncope.* & probat luculenter Syluaticus *controuerſ.* 7. qua auctor hic vſus eſt, ponens priùs in decoctione vini, caryophylla, & cinnamomum; his enim conditum, & decoctum vinum, fragrantius eſt, & odore ſuauiſſimo cor recreat, ſpiritus refocillat, corroborat ſtomachum, iuuat coctionem, & flaccidis viribus mirum in modum auxiliatur, ſi vera ſunt quæ de caryophyllorum, & cinnamomi vi eximia veteres, & aromatum diligentiſſimi ſcriptores, vt Paul. Plinius, Matthiolus, Garzias ab Horto, Cluſius, Chriſtoph. à Coſta, Monardus, Ruellius, & alij plures memoriæ commendarunt. Simili modo pro curanda ſyncope parari poſſunt epithemata, ſacculi, vnguenta, olea, aquæ, & alia cardiaca pro roborando corde auxilia, quæ paſſim leges apud auctores, qui curationi ſyncopes proprium caput conſignarunt.

DVBIVM XXXII.

Num pulli columbini bonis cibis ſint adnumerandi.

COMMENTARIVM.

PVllos columbarum.] Legebam nuper Galeni *lib.* 2. *de compoſ. medicament. ſecund. loc. cap.* 1. *tit. qua Apollonius ad capitis dolorem ex ebrietate, vel plaga ſcripſerit*, qui pullos columbinos tanquam boni chymi, & concoctu facilis ad capitis dolorem commendauit, & eò magis cùm muti velint, has aues, cæteras ſucci probitate antecellere; quare earum carnem, eſſe ægris, & conualeſcentibus ſummoperè neceſſariam arbitrantur, quoniam exhauſtos ſpiritus citiſſima ſanguinis regeneratione inſtaurant, ſanguinem purificant, & vires genitales adaugent: cùm eorum caro facillimè concoquatur, ex Paul. *lib. cap.* 82. Quapropter Raſis 23. *continent. cap.* 730. ſic inquit: *Pulli columbarum in cibo illius, cuius corpus vacuatum fuerit de ſanguine, aut infrigidatum ex longo morbo ſunt boni, &c.* & infrà. §. *Caro eorum eſt bona renibus, auget ſperma, & ſanguinem, &c.* firmat Arnoldus *in regimine, cap.* 29. & Gal. *lib.* 1. *de rat. vict. in morb. acut. com.* 27. eas languentibus propinandas eſſe imperauit; nam earum caro ad coquendum eſt facilior, ex ipſo *lib.* 3. *de aliment. facult. cap.* 18. & attenuat, idcircò eam inexercitatis commendat, *lib. de attenuant. vict. rat. cap.* 7.

Contrariam ſententiam tenent, qui omne columbaceum genus, craſſum, melancholicum, excrementitiúmque præbere alimentum ſibi perſuadent; inſuper febres afferre putridas, & capitis dolorem, confirmant, & maximè ſi æſtiuo tempore edantur, & ſint domeſticæ; nam agreſtes illis ſunt præſtantiores, ex Oribaſio *lib.* 4. *ad Euſtathium, cap.* 1. Hanc opinionem habuerunt Arabicæ familiæ proceres ſcientiſſimi, vt patet ex Auic. *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 145. *iuxta fin.* qui columbarum carnem excitare præfocationem vteri, & febres generare aſſeuerat. Firmat Auer. *lib.* 5. *collig. cap.* 32. qui eam habere ſuperfluam humiditatem prædixit. Quapropter caro hæc, apud Ishac, *cap.* 16. *diætar. vniuerſal.* groſſi, durique nutrimenti exiſtit. Et *in diætis particularibus, tit. de carne columbarum,* cum Raſio 20. *continent. cap.* 227. *& lib.* 3. *ad Almanſ.* 10. ac Meluæ auctoritate, carnem hanc ſtomacho grauem, & tardæ digeſtionis eſſe, ſibi perſuaſit, cum Auenzoare *lib.* 2. *tract.* 7. *cap.* 18. *&* 23. ſequuntur Chriſtoph. à Vega *lib.* 2. *art. medic. ſect.* 3. *cap.* 10. Ludouic. Mercat. *lib.* 2. *de ſanit. tom.* 1. *quæſt.* 164. *num.* 37. Quare pulli columbini ſanguinem corruptum generant.

Pugnantia loca conciliabis cum Coſtæo, *in com. cap.* 24. *Auic. fen.* 1. *tract.* 2. dicente, pullos columbarum recenter natos, præ ſuperflua humiditate craſſum & humidum, febribúſque paratiſſimum præbere alimentum: nam pulli columbarum tam agreſtium, quàm domeſticarum caro excrementis redundat: praua enim eſt, & craſſior Gal. teſtimonio 3. *de aliment. facult. cap.* 19. Hoc expreſsè *loco cit.* confirmat Ishac. §. *Pulli columbini calidi ſunt, & complexione humidi, quamobrem groſſum dant alimentum, quod teſtatur grauitas ad volandum: ſed volare inchoantes amittunt illam grauitatem, fitque illorum caro leuior, & ad digerendum acceptibilior, &c.* Et Auic. *loc. cit.* idem refert, dicens: *in pullis columbarum, qui volare incipiunt, eſt caliditas & humiditas ſuperflua, & ideò volantes ſunt leuioris digeſtionis, & melioris humoris, &c.* Hi ergo, in florente videlicet ætate conſtituti, bonis cibis ſunt annumerandi. Adde, Raſium *hoc loco* non carnem, ſed

pullorum ius, & decoctum, priùs tamen colatum exhibuiſſe; hoc enim exhauſtum corpus nutrit, necobſtruit autincraſſat. Cætera quæ de huius carnis viribus dici poſſunt, lege per otium apud Geſnerum, *lib.* 3. *de hiſtor. animal. tit. de columba*, & Ludouic. Nonnium *lib.* 2. *de re cibaria, cap.* 20. qui præclara eruditione, ex veterum ſcriptis, alimentorum facultates graphicè delineat.

HISTOR. XLVI. GALENI, De Syncope.

Syncope ex longa mora in balneo contracta.

NAm mulier quadā longum in balneo tempus commorata, frequenter exſoluebatur, ob temporis diuturnitatem, & quoniam magna ex parte ligna ſuccendebantur vitiata: verùm non erat hoc mortis ſignum, cùm cauſam haberet manifeſtam, &c. Galenus lib. 2. aph. com. 41.

PARAPHRASIS.

HAc hiſtoria confirmat Galen. non omnes qui exſoluuntur de repentè mori, quoniam vitium hoc à cauſa manifeſta originem ducit, nempè balneo; quod cùm fuiſſet diuturno tempore celebratum, nil mirum ſi ſanguinem, & ſpiritum diſſoluendo ſyncopen accerſat. Balneum enim ſummè imbecillibus, & reſolutis exhibendum non eſt, ex Hipp. *lib.* 3. *acut.* 59. hos enim auctore Gal. *in com.* ampliùs euertit: quare viribus fortibus præditi ſolùm lauandi, ex ipſo *lib.* 1. *ad Glauc.* 14. Sic in partium imbecillitate balneum negat *lib.* 11. *meth. cap.* 20. Nam balneum per patentes poros, miniméque adſtrictos, ob ſuum calorem, innatum reſoluit ignem, ſpiritus abſumit, & ſic eneruat vires, & debilitat, ex Galen. *lib.* 3. *de ſanit. tuend. cap.* 5. Deinde. Ex balneis aliud eſt largum, aut breue, aut moderatum: hæc enim conſideratio qualitati balneorum adiuncta, longè diuerſam à dictis parit actionem. Calidum ergo & largum, ſiccas quidem partes humectat, humidas reficcat, reſoluit, & debilitat. Hoc profectò profert Gal. *in lib.* 3. *Hipp. de officin. medic. com.* 16. & 17. §. *Et ſiccæ quidem humectatæ debilitatem, & animi deliquium exhibent, quia humiditas viſcerum exhauſta, ad externas partes per balneum atracta, interiora humiditate deſtituit, ac proinde ſpiritibus ſimul cum ea vacuatis, fit vt animi deliquium accedat, &c.* Quocirca aquæ calidæ ob diuturniorem, & breuiorem vſum contrarij eſſe effectus videntur; nam longior mora in balneo multùm digerit, præſertim ſi corpus ſit rarum, molle, quale eſt fœminarum, maximè debilium, de quarum claſſe fuiſſe hanc ægram eſt veriſimile. Quare balneum largum reſoluit, exſiccat, & tandem humidum diſſipando diutiùs, ob calidi exhalationem refrigerat; nam balnei vſu pars primùm attollitur, deinde extenuatur, quoniam digerens aquæ facultas humidum euacuat, ex Gal. *lib.* 6. *epid. ſect.* 6. *com.* 5. Et ſi calida accedat ægrotantis temperatura, diuturna in balneo mora impensè abſumit: ſic enim calidiora, & ſqualida corpora plurimùm reſoluuntur.

Cum ergo fœmina eſſet debilis, & ex longa mora in balneo ſummè debilitata, non eſt mirandum ſi hac de cauſa incideret in ſyncopen, quoniam ex longo balneo, ob aëris caliditatem, non paratur bonum refrigerium cordi; quare ipſum ſponte ſua gliſcit, & exardeſcit, & accedente ſpiritus ex toto corpore vacuatione, cor exſoluitur, monente ſi Gal. *lib. de vtilitate reſpirat. cap.* 4. Inſuper ſicut in graueolentibus ſpecubus, & recens calce oblitis domibus, & ab extinctarum prunarum fœtore ſuffocamur, ex Gal. *loc. nuper citato, & lib.* 7. *de vſu part. cap.* 8. & ſyncopen patimur, quum ex his, caliginoſi craſſique vapores exhalent, aërem tenebroſum reddentes; quo aëre puro non inſpirato cor exoluitur: ſic ex lignis nimis humidis vapor eleuatur, ex quo aër caliginoſus, & opacus redditus, ſpiritus nebuloſos, opacos facit, qui innatum cordis ignem ſuffocant, & extinguunt.

Denique ſi per ligna vitiata, ea qualitate venenoſa infecta intellexeris, vera propones: ſic enim explicat Galenum Conciliator, *tract. de venen. cap.* 3. *in med.* afferens exemplum illius qui in balneum ingreſſus, calefactum cum lignis excisis de cauernis ſerpentum, mortuus fuit ex vapore lignorum veneno infectorum. Hoc etiam modo obiiſſe quendam narrat Conradus Geſnerus *lib.* 5. *de ſerpentibus, part.* 2. ex Ponzetri ſententia. Ex his enim halitus eleuatur alterans, reſoluens, & corrumpens ſpiritus labe dira. Hos curare celerrimè oportet, tum alimentis ocyſſimè inſtaurantibus, tum cardiacis, & alexiteriis præſidiis, eorum inſtar qui ob venenum ſyncope corripiuntur.

HISTOR. XLVII. GALENI, De Syncope.

Syncope ex vteri affectu ſuborta.

*ALtera verò, quam * vteri affectus infeſtabant, ſyncopen patiebatur, &c. Galenus* lib. 2. aph. com. 41.

PARAPHRASIS.

ANtonius Muſa Braſauolus, qui Aphoriſmorum ambages luculenter, vnàque commentum Galeni interpretatus eſt, per vteri affectus intelligit vteri dolores ex menſtruo ſanguine cõcitatos. Alij vterinos legunt affectus; de quorum genere eſſe cenſentur, quæ longiſſima & diſertiſſima oratione proſequitur Hipp. *lib. de virgin. morb. ferè per totum*, intolerabilia ſymptomata, ex inſolita, ac præternaturali ſanguinis, & ſeminis retentione, & vbertate ſuborta recenſens. Hac de cauſa ſuppreſſo fœdi menſtrui profluuio; & ſpermatis occluſi, & prohibiti difflari, ſicque in venenoſam abeuntis ſubſtantiam ſuppreſſione, eleuatur aura, flatúue deleterius ex vteri ergaſtulo aſcendens, quæ numeroſam morborum ſtruem concitare ſolet. Cùm enim virgines iam maturæ viro, & nubiles ſunt, natura duce ſanguis menſtruus ad matricis loculos, & venas ab hepate refluit, qui cùm ob illarum anguſta oſcula, quæ nondum patuerunt, aut in fœminis quæ viro orbantur, & ob ſanguinis craſſitiẽ erumpere nõ poſſit, per venæ cauæ, maioriſque arteriæ propagines, ad cor, hepar, diaphragma, & præcordiorũ venas regurgitat, caput & ventriculum concutit; vnde torpedo, fatuitas, mille deliramentorum ſortes, difficilis reſpiratio, cordis pulſus, ventriculi ſubuerſio, nauſea, proſtratus appetitus, vomitus, ingens fames, cardialgia, cephalalgia, timor, mœſtitia, formido, deſperatio, putredo viſcerum, internę inflammationes, horribiles imaginationes, vteri retractiones, cordis compreſſio, animi deliquium, epilepſia, delirium, & lancinato corde, ſyncope oriri frequentiſſimè conſueuerunt.

Mirabilis enim eſt vteri cum omnibus noſtri corporis partibus ſympathia; nam *vteri omnium muliebrium morborum cauſa ſunt*, vt diuino quodam oraculo prædixit Hipp. *lib. de loc. in hom. num.* 59. Hunc mirum conſenſum explicant Gal. *lib.* 6. *de loc. affect. c.* 5. Andreas Laurentius *lib.* 7. *de re anatomic. quæſt.* 11. Cur autem innumerabilium ſymptomatum aceruus ex vtero originem ducat, ſi vnica eſt materialis cauſa, vnica formalis, ſeu efficiens, putredo nempe, vnica particula affecta nempe vterus, eloquenter agitat, & ſoluit Mercat. *lib.* 2. *de virg. & viduar. affectioni-bus, c.* 2. & inter omnes Thadæus Dunus *lib. miſcellaneor. de re medic. cap.* 9. appoſitis exemplis confirmat.

Cùm enim ſanguis menſtruus retentus, & ſemẽ abundans retinentur, cùm ſint excrementa, copia lædunt, & à natiuo calore non gubernata ab extraneo facilè corripiuntur, & maximè in vtero, qui eſt totius corporis cloaca, excrementorum ſentina, ac receptaculum.

Accedit

A Accedit innati caloris in fœmineo ſexu imbecillitas, putredinis cauſis non repugnans: ab hac enim parte eleuato ſpurciſſimo, craſſiſſimo, & humido vapore cor ferientе, dira, terribiliáque ſuboriri ſymptomata, non eſt denegandum, quæ rabioſi canis præſentaneo veneno, ſputó ſuo lethali viſcera, officináſque præcipuas prementi ſimilia eſſe, *lib. 6. de loc. cit.* Magiſter edocuit.

Ex hac ergo ſubſtantia, calidiſſimóque ſanguine in vtero retento, ad cuius præſentiam genitale ſemen, præſertim in fœminis temperatura calidis, ætate vigentibus, virginibus, otioſis, ſalacibus, ac caſtitatem ſeruantibus, copioſum excreſcit, ac variæ ſymptomatum myriades repullulant, quæ ex profeſſo citat Aëtius *tetrab. 4. ſerm. 4. cap. 76.* Cùm enim ſemine turgentes ſint, vterino furore, cerebro in conſenſum ducto, concutiuntur; qui ipſas reddit garrulas, iracundas, inquietas, & ad Venerem maximè procliues; nihilque vel imaginantur, vel B loquuntur, quàm de concubitu, & ſic frequenter loca pudoris, quorum attactu mirum in modum gaudent, ſcalpunt. Hinc giluus ille, ac muſtelinus virguncularum color, vbi vri, ac prurire incipiunt, & virorum amplexu exardeſcunt; hinc animi iactatio, febris alba, crebra ſuſpiria, febres erroneæ, mœſtitia, anxietudo, ſyncope, expultrice videlicet facultate ad excretionem turgentis humoris incitata. At hæc omnia cor præcipuè fatigant, quo cum, vteri maximus eſt per inſignes arterias tum ſpermaticas, tum hypogaſtricas conſenſus. Hinc ſæpè lipothymia, reſpirationis & pulſus priuatio; auſertur enim vtriuſque vſus à venenata aura natiuum cordis calorem exſoluente.

Sed quæſitum ab eruditiſſimis, quidnam cauſæ ſit, cur C viri caſti, pudici, & continentes, in quibus diu retinetur ſemen, his diris ſymptomatis non tententur? Reſpondet inſignis Luſitanus, *in com. cap. 5. lib. 6. de loc. affect. verbo, mulieribus*, quandoque in viris conſpici ob retentum ſemen, aliquid hyſtericis ſimile; patiuntur enim anxietudines, vomitus, mœſtitiam, deprauatas coctiones, totius corporis algorem; quæ omnia ceſſant ſponte, ſi ad priſtinam conſuetudinem reuertantur. Hoc enim pluribus, Diogenis, & aliorum exemplis *loc. cit.* confirmat Galenus. At rariùs his vitiis tentantur, quàm fœminæ: nam hæc vitia improportionalia magis ſunt calido, viriliqué ſemini; hoc enim plùs coctum eſt; & elaboratum, putredinis cauſis valdè reſiſtens: de quo argumento plura *lib. 3. in com. hiſtor. 9.* prædicemus.

His tantis, tamque ſæuis ſymptomatis auxiliatur D Hipp. Saphænarum ſectione, ſi ſanguis menſtruus copia lædens, maleficentiſſima hæc concitet ſymptomata. Si tamen ſemen exuperet, cùm viris cohabitationem, vt ſtrenuum præſidium conſuluit, *lib. de virgin. morb. num. vlt.* nam vteri deliramenta viri conſortio conquieſcunt; vt nos proprio exemplo notauimus, *lib. 2. de praxi. medica admiranda, obſ. 93.* & notabili hiſtoria firmauit Gal. *lib. 6. de loc. affect. cap. 5.* viduæ illius, quæ ob retentum ſemen vteri ſtrangulatu vexabatur: hæc enim, cùm inter curandum manibus partes muliebres tractarentur, oborta titillatione, cum labore, & voluptate, veluti per coïtum euenite ſolet, excreuit craſſum plurimúmque ſemen, atque ita à labore, & moleſtia liberata eſt mulier. Habere autem fœminas ſemen, & generare prolificum, contra Peripateticos validiſſimis machinis patefaciemus, E *lib. 3. in com. hiſt. 9.* interim lege Clementem Timplerum *lib. 2. Empſychologiæ, cap. 6. plobl. 6.*

Num autem frictionibus, & titillationibus liceat, cogente ſumma neceſſitate, retentum ſemen extra vteri clauſtra elidere, Theologis tractandum relinquo, excuſſum ab eruditiſſimo Carretio *com. ad libros Galeni de loc. affect.* Thomas Sanches, *tom. 3. lib. 9. de matrimon. diſput. 17. num. 19.* quem ſequitur Simon Petræus *conſil. 2.* reſpondet, ad redimendam vitam, fœmina quaſi animam agente, ſeu in maximo periculo conſtituta, licere ſemen corruptum extra vteri clauſtra directè elidere: ſi enim licet inanimem, in potentia proxima hominem, vt redimatur mater, ab vteri clauſtro expellere, cur non licebit ſemen illud veneficum, omninò generationi iam inutile; ſopitis cunctis fœminæ ſenſibus, & abolita reſpiratione foras ab vtero directè abſtrahere? Sed hæc opinio abſurda eſt: nam extractio hæc ſeminis citra titillationem, ac veneream delectationem fieri nequit: & hoc modò leges mulctare iubent eas, quæ ſola frictione ſe ineunt, vt probant inter omnes Antonius Gomez *in lib. 80. Tauri, num. 34.* Iulius Clarus *lib. 5. receptar. ſent. §. Fornicatio. num. 21.* maximè, cùm plura ſint pharmaca ſemen abſumentia; quorum amplam ſyluam Dioſcorides, Auicenna 20. 3. *tract. 1. cap. 18. & 29.* & alij proponunt. Hac ratione maſtrubatores, qui manu pudendis admota, cum frictione ſemen proiiciunt, rigidè in diuinis oraculis damnantur, *in cap. 38. Geneſis. §. Nam introiens ad vxorem fratris ſui ſemen effundebat in terram, & idcirco percuſſit eum Dominus, eo quòd rem deteſtabilem faceret, &c.* Explanant eloquenter ex noſtris, à Caſtro *lib. 1. de morb. mulier.* 15; ex alienis Burcardus *lib. 17. cap. 57.* Angelus de Geruaſiis, & Pererius *in com. cit. cap. Geneſis*, & nos *lib. 3. in com. hiſtor. 9.* plura proferemus. Neque argumentum Petræi quicquam concludit, cùm nefas ſit, & homicidio proxima culpa, fœtum nondum animam habentem medicamentis deperdere. Sic Hippocratem probum virum periurij nomine infamant, *in lib. de natur. pueri, num. 4.* quoniam pſaltriæ conſilium dedit, vt ſaltu ſepties repetito ſex dierum conceptum in terram proiiceret. De qua re plura Syluaticus, *cont. 82.* & poſt eum ſcitè retulit Caſtrenſis *lib. 4. opuſcul. quæ, ex quibus, cap. 6.*

DVBIVM XXXIII.

Num vterus odoribus delectetur.

Galenus in curanda ſyncope ex vteri affectu ſubortâ, iubet naribus apponere fœtidiſſima, vtero verò iubet indere odorata, & quæ laxare, ac calefacere queant; ſic monet Gal. *lib. 1. ad Glauc. cit.* Auic. 12. 3. *tract. 4. cap. 19.* odoramenti enim adeò amans eſt vulua, vt hoc cauernulæ vmbilici, ſeu ori matricis admoto, hæc in alterutram partem conuerſa in ſuum locum retrahatur; & placida manſuetáque reddatur; è contrà fœtida fugit; & reſpuit. Idem, ſed vice verſa, in vteri procidentia Medici conſulunt, nempè odorata naribus, fœtida verò & tetra muliebribus locis adhibere; quæ ſanè cuncta argumento ſunt, vterum odorandi ſenſu præditum eſſe; odoribúſque bonis delectatione affici, ſicut fœdis dolore premi.

Cur verò vterus repentè ſurſum, vel deorſum ad odores ſeſe præcipitet, velociter eorum eſca pellectus, ambiguitatem parit non exiguam. Eam hoc modo diſſolues. Vterus eſt pars viuens, ſicque malum & diſconueniens fugit & repudiat; bonum tamen, & conueniens proſequitur & amplectitur, ſi verum eſt, vnicuique rei naturali, eſſe à natura inſitum, gratis & voluptuoſis delectari, ingratis autem & doloroſis angi, & contriſtari: appetitus enim iſte ſuauiſſimorum odorum, quo flagrat vterus, animalis non eſt, ſed naturalis. Vt enim iecur, & viſcera reliqua, dulcia edulia ad ſe auidiſſimè alliciunt, iiſdémque ſummoperè oblectantur, & impinguantur, & nullo ſenſu guſtus reſpuunt amara, eáque affectu tantùm naturali abominantur: ſic vterus ad odores mouetur, graueolentia verò fugit, & auerſatur: Adde quod cùm perpetua ſpirituum in nobis ſit concurſatio, exploréntque hi, veluti animæ ſatellites, internâ, externáque omnia ad iucunda ſeſe effundunt, & triſtia refugiunt. Oblatis ergo iucundis ad nares odoribus, ſi ſyncope ex vteri ſit præfocatione, augetur præfocatio, vtero, ob neruoſam qua conſtat ſubſtantiam, exactiſſimo ſenſu pollente, ad iucundos, & quibus delectatur, odores accurrente, & augetur ſyncope: contra verò ex fœtenti odore, contrahitur, & animi deliquium ſoluitur. Aliam rationem quære apud Laurentium *lib. 7. cont. anatomic, quæſt. 10.* & Mercurial. *lib. 4. de morb. mulier. cap. 22.*

* **

QVÆSTIO XXXIII.

Quòd vterus propria ſubſtantia ad ſuperas partes aſcendere non poſſit. Contra Fernel. Euſtachium, Laurentium, & Augenium, Medicos, præſtantiſſimos,

COMMENTARIVM.

V*Teri affectus infeſtabant.*] Quum recentiorum doctrinæ pertæſus, in Gal. prata iucundiſſima diuertiſſem, inueni ipſum *lib. 6. de loc. cap. 5.* ſummoperè carpere eos, qui putabant idcircò mulierem reſpiratione priuari in ſyncope, & vteri ſtrangulatu, quoniam vterus, animal veluti errabundum, ſurſum aſcendens ſeptum tranſuerſum (reſpirationis potiſſimum inſtrumentum) corpore ſuo comprimit. Nam non ſolùm illuc, ſed nec ad ventriculum aſcendere poſſe, anatomica demonſtratione ſuffultus inibi inculcat, quum obſidentibus partibus multis, variiſque ligamentis alligetur.

Fernel. *lib. 6. de part. morb, cap.* 16. Galenicam ſententiam temnit, & damnat: quippe, ægrotarum mulierum modò querimoniis, modò etiam precibus adductus, hunc ſæpè tactu deprehendit, inſtar globi cuiuſdam in ventriculum efferri, eúmque grauiter opprimere. Quo argumento conuicti Euſtachius *lib. 2. praxis c.* 51. Andr. Laurent. *lib. 7. contr. anatomic. 9.* Horat Augenius *tom. 1. epiſtol. lib. 12. epiſt. vlt.* vterum non ſolùm ad ventriculum, ſed ad diaphragma moueri poſſe, tenaciter contra Præceptorem contendunt. Nituntur Hipp. teſtimonio, qui paſſim *in l. de morb. mulier.* modò ad præcordia, modò ad hepar, fonté gratioſi humoris, modò ad cor, ad latera, ad coxas vterum moueri teſtatus eſt. Sicut enim vterus ſeminis appetens, tanto interdum mouetur impetu, vt deorſum labatur; ita nimiùm reſiccatus & ſitiens, cur non ad originem iucundi vaporis, hepar nempè, recurret.

Qui vterum motu locali ad ſuperas partes moueri poſſe exiſtimat, is in anatome ſuam fatetur inſcitiam, & Galeni edictis maximè repugnat. Non enim ſequor Ariſtot. *lib 1. de generat. animal. cap. 11. §. Inanes etiam vteri, ac vuluæ ſurſum adiuncta ſtrangulant, &c.* qui pauca de re anatomica, eáque valde abſurda conſcripſit; quare multis demonſtrationibus, paſſim *in libris de vſu part. de anatomic. adminiſtrat. & de placitis*, à Galeno conuincitur. Sed hos peritiſſimos Iuniores miror, in humanorum corporum ſectione dexterrimos, qui in hac manifeſtiſſima controuerſia cæcutientes, à Galeni, veráque, tot ſæculis probata ſententia, leuiſſimis rationibus muniti, diſcedere coguntur. Etenim ſi diſſecta muliere vterum violenter manu, imò ferreis vinculis ſurſum ad ventriculum trahas, ad os ventriculi eum ducere, quin ligamenta diſrumpantur, vix poteris, tantum abeſt, vt ſuopte impetu ad ſeptum tranſuerſum ferri poſſe, ſit credendum.

Fernelij verò rationes ficulneæ ſunt, & prorſus nullæ: nam ſi plurimùm deſcendit, & totus laxatis ligamentis prolabitur, id quidem fit, quia grauis ſuo pondere excidit: nec exinde inferas, ſimili modo ad os ventriculi, aut ſeptum aſcendere poſſe. Subinde facilè expendes, magis addictum muliercularum ſententiis, quàm rationibus, aut veris experimentis à Galeni monitionibus Fernelium deſciuiſſe: quod enim fœminæ deprehendunt in hoc affectu, inſtar globi cuiuſdam, in ventriculum efferri, ex Galeni dictis liquet abundè, vteri ſubſtantiam non eſſe, ſed potiùs interiacentes partes ſurſum ab ipſo vtero vehementer compulſas, vel ſi globum perſentias, non vterum, ſed tumorem à craſſo, flatuoſóque ſpiritu, aut deterrimis nidoribus ab vtero aſcendentibus ſubortum, eſſe exiſtima, aut diſtentionem ventriculi inflationi ſimilem, ab eadem cauſa pronatam: in vterinis enim affectionibus, quum ferè frigidæ ſint, multa in vtero, partibúſque ſuperioribus flatuum copia redundat. Ex hac cauſa globum, ſphæræ inſtar, in ventre aliquando deprehendi, in renum inflammatione aut calculo, affirmant Auic. interpretes *in com. cap. 11. 18. 3. tract. 2. prope fin. §. Quúmque apoſtema fit Aldubellati, magnificatur grauitas valdè, & ſentitur grauitas, quaſi inflatio in locis vacuis, &c.* Nec refert quòd dicat Hipp. vteros ad hepar aſcendere, ad præcordia, ad ſeptum, quippe non vteri ſubſtantiam, ſed vapores ab ipſo elatos per vniuerſa viſcera oberrantes intelligas; hos enim ad has, & alias remotiores partes aſcendere, cum quibus vterus maximum habet conſenſum, non ibo inficias. Fatemur quidem vterum naturaliter moueri ad ſemen, vt id excipiat, retineat, & conſeruet ad fœtum procreandum; datum enim à natura eſt, vt gratum retineat, noxium expellat: non tamen moueri vterum ad ſuperas partes, vt cæteri rati ſunt, arbitramur. Neque quòd mulieres ex triſtitia in vterinas incidant affectiones, vterum ab aliquo principio moueri comprobatur; nam vertiginoſi, epileptici, & quauis animi ægritudine detenti, ob mœrorem ſubitum, confeſtim ſymptomate corripiuntur: recurrente enim ad cor, viſceráque innato calore, ob motum, fit humorum, vaporúmque ingens ebullitio, ex qua facilis fit ad partes ſuperas concurſus. De cætero lege Iacobum Fontanum *lib. 5. phyſiolog. part. 1. cap.* 49. & eruditiſſimum Rodericum à Caſtro *lib. 1. de nat. mulier. 6.*

HIST. XLVIII. GALENI, De Syncope.

Syncope, ex diutina ante balneum inedia concitata.

Q*Vidam verò poſt longum ieiunium in balneo, deficiebat animo. Alteri autem, ſi vel per horam lauabatur, idem accidebat, niſi priùs aliquid panis ſumpſiſſet, &c. Galenus* lib. 2. aph. 41.

PARAPHRASIS.

INter plurimas, eáſque præcipuas noſtri corporis partes, ventriculum etiam ſyncopen inferre poſſe, hoc exemplo oſtendit Galen. vt facilè colligi poteſt ex ipſo, *lib. 1. de cauſ. ſympt. cap.* 7. aſſerente nullam partem ita exactum habere ſenſum, nec ita cum partibus præcipuis mutuum habere conſenſum, ſicut ventriculus, præſertim ipſius os, quod cor vocant, tum ob alia ſymptomata, tum ob deliquia, quæ ad ipſius affectiones ſequi ſolent. Hanc ſententiam firmat 12. *meth. cap.* 5. dicens: *Mox verò reliquarum partium, quæcunque in conſortium affectus, principia ſecum ex facili trahunt: cuiuſmodi eſt ventriculi os, quod ob exquiſitum ſenſum, tum alia ſymptomata non pauca, tum verò ſyncopas accerſit:* & *lib. 2. acut. com.* 47. idē repetit, *§. Os ventris cùm vitalem facultatē ad ſympathiam agit, ſyncopas infert, &c.* & *lib. 1. ad Glauc. 13. §. animo (inquit) deficiunt, quibus os ventriculi malè habet, aut humorum vitio mordicatur, aut craſſis ſeu lentis, ſeu humidis, ſeu frigidis humoribus aggrauatur, &c.* & *lib. 5. de loc. affect. cap.* 5. hoc modo accidere ſtomachicam ſyncopen aſſeuerat.

Cùm ergo balneum plurimam ſpiritus ſubſtantiam digerat, atque reſoluat, vt *ſuprà, in com. hiſtor.* 44. latè probauimus: ob inediam, bilis ad os ventriculi confluens pungat & irritet pſum, vehementer dolet ab acri, bilioſóque humore vellicatum; quare præ dolore diſſipantur ſpiritus, adeò vt in ſyncopen acerbiſſimam, ac non rarò in mortem ocyſſimè ægri labantur, quam ſanè ſyncopes ſpeciem, vel oboriri citra cordis primarium affectum, vel corde præcipuè læſo, non eſt inconueniens. Ob diutinum enim ieiunium, & maximè fameſcente ventriculo, in hoc tum gigni, tum ad eum, acrem humorem confluere, probat Gal. *lib. 2. ad Glauc. cap.* 1. ſub his verbis. *Quidam etiam ſi pauxillus quidam humor in ventre, & preſertim circa os ipſius congregetur, ſtatim capite dolent; ob id ſi diutius famem tolerent, offenduntur: augetur enim in ipſis inediam patientibus huiſmodi humorum malitia, &c.* Inanito enim ventriculo, & veluti areſcente, humido præ balnei efficacia reſoluto, & exhauſtis ſpiritibus, deficiunt vires, & ſyncope generatur.

Hanc

Hanc facilè cognoſces, ſi oris ventriculi morſus præceſſerit, ſubſequantur vomitus, nauſea, ſubuerſio, gurgulationes, & alia eiuſdem naturæ. Quare ex conſenſu huius membri, ſyncopen oriri non eſt dubitandum. Factæ iam ſyncopæ occurres iis, quæ flaccidum ventriculum firmare, & roborare nata ſunt; quorum amplam ſyluam paſſim inuenies apud auctores, qui *de ſyncope ſtomachica* diſputarunt. Futuram oblato prius alimento anteuertes, vt pane exhibito ante balneum, ſyncopen imminentem ob inediam præcauebat Galen. cuius nutrimenti ope roborata natura, ſpiritus & caloris reſolutionem ex balnei calore profectam, citra virium diſpendium tolerabat. Vel ſi, loco panis aliud offeratur edulium, ſeu quod ſtomachum roboret, & ipſius os ſigillet, maximo erit ex vſu: nam ſub vno exemplo cætera comprehenduntur, auctore Galeno *lib. acu.* 33. *&* *lib.* 3. *eiuſd.* 61. *&* 5. *aph.* 33.

HISTOR. XLIX. GALENI, *De Syncope.*

Quidam ob vitalis facultatis atoniam, & cordis palpitationem, ſyncope cardiaca correptus ſubitò emortuus.

Qvicunque verò ex nulla tali cauſa, ſæpius, ac fortiter delinquuntur animo, ij ob virtutis vitalis imbecillitatem hoc patiuntur: ſicuti & ille, cui dum exſolueretur, cor fortiter palpitabat, de repente mortuus eſt: non aliter quàm illi qui acutiſſimis cordis affectibus, quos ſyncopas vocant, arrepti, ſucitò intereunt. &c. Galenus lib. 2. aph. com. 41.

PARAPHRASIS.

EX virium imbecillitate, ſyncopen cum animi deliquio, & cordis palpitatione oriri poſſe, hoc exemplo confirmat Galenus: ſi enim ex aliqua corporis parte vapor conſurgat noxius in cor, ſpiritus vitalis firmitudo labefactatur, & reſolutis ſpiritibus, ſyncope animal corripitur. Vt hinc diſcas nudam cordis intemperiem, ſicut palpitationem, ſic ſyncopen inferre poſſe: id profectò nobis peſtifera lues indicat, in qua tabidus inſpiratus aër, non humores, ſed ipſum cordis viſcus depaſcitur, ex qua tandem contagione protinus vitalis vis flacceſcit. Quare vſus oſtendit, perpetuum non eſſe quod Fernelius profitetur, *lib.* 5. *de part. morb. cap.* 12. omnes videlicet affectus cordis, ſyncopen inferre poſſe præter ſimplicem intemperiem; cuius placitum cùm refutauerit Carrerius, *cap.* 4. *de cauſis ſyncopes, diſp.* 48. *ad libros de loc. affect.* non eſt cur in Fernelij opinione infringenda amplius immoremur.

Deinde qui ſæpè, & vehementer exanimantur à cauſa interna, & palpitatione (conante videlicet natura expellere noxam ſenſatam) corripiuntur; in iis valdè debilis eſt vitalis vis, ob cauſas multas; & ob copiam grauantis humoris obruta ſuffocatur, & extinguitur: ex quibus præcipua eſt concretus in venis ſanguis, cuius quantitate nimia ſpiritus vitalis reſoluitur & perit, vnde inopinata mors. A venarum enim interceptione & occluſione, ſyncopen cardiacam, ſubitò internecantem emanare, teſtis eſt locupletiſſimus Gal. *lib.* 4. *de rat. vict. in morb. acutis, com.* 23. §. *Venarum interceptiones, appellat oppletiones, quæ à copia oriuntur. Cùm igitur ſupra modum oppletæ fuerint venæ grauari virtutem eſt neceſſe, atque in extinctionis agi periculum natiuam caliditatem, quæ ob copiam ſuffocationi quippiam ſimile patitur. Oriuntur ſiquidem epilepſiæ, apolexiæ, & ſyncope cardiacæ. Nempe vno communi Aphoniæ, id eſt, vocis carentiæ ſymptomate, ſymptomata huiuſmodi ſignificauit. &c.* Contingit enim aliquando, vt ſanguinis copia, non ad cerebrum, ſuperioréſve partes, ſed ad venam cauam, arteriámque magnam affatim irruat, & mole ſua ſanguis in his partibus fixus & firmatus, impedito tranſitu ſpirituum ad membra,

A coaleſcat, & ſic calor non ventilatus ſuffocatur, & extinguitur, vt notabili exemplo firmat Laurentius *lib.* 9. *de rè anatomica, quæſt.* 18. Quemadmodum enim ex multa lignorum ſtrue ignis obruitur; ſic innatus ignis, ſanguinis nimia copia oppreſſus & conculcatus, marceſcit & perit, niſi detracta copia, Hipp. edicto, *infrà, in text.* 24. facta phlebotomia præſtò ſuccurras.

Imminentem hanc ſyncopen, ex cordis quadam veluti compreſſione, animi deliquio, colore viuido in pallidum mutato, pulſus intermiſſione diligenter cognoſces, quæ omnia à ſanguinis coaleſcentis copia, & grauantis, obſtruentiſque interna viſcera, oriri, Hipp. & Gal. prædixerunt. Quemadmodum enim è vena extractus ſanguis, ſpiritibus euolantibus, ac parte ichoroſa ſeparata, ob refrigerationem concreſcit; maximè ſi frigidiores, craſſique humores, ſicuti pituita, & melancholicus humor miſceantur, quorum miſcella promptius ob intemperiem frigidiorem coaleſcit: Sic oppletis internis venis, & prohibito commeatu ſanguinis, & ſpiritus, calor extinguitur & perit.

Huic malo præſentanea eſt ſanguinis miſſio: ſi nimis ſit refrigeratum corpus, frictiones prius molles fiant, vt concretus ſanguis liquetur; ſimiliter potui exhibenda, quæ concretum ſanguinem liquare nata ſunt; vt coaguli genera, quæ grumos diſſoluere queant; inter quæ præfertur leporinum; denique attenuantia, incidentia, vrinam, alui ùmque prouocantia ſunt ex vſu. Si verò iam ſyncope ſit præſens, ea ſunt præſcribenda, quæ *ſuprà* retulimus medicamenta. Lege eruditiſſimum Salium *c.* 4. *de affect. particularib. fol.* 237.

HISTORIA. L. GALENI, *De Syncope.*

Adoleſcens, ob ſyncopen ſudans, à Medico in balneum ductus, protinus emoritur.

IGitur Adoleſcentem Medicus quidam nuper incipientem ſudare ſyncopticè, demiſit in balneum, tum autem ſudoris copia affluente Medicus gauiſus eſt, tanquam exquiſitè opportunum tempus coniectaſſet. Paulo poſt mortuo ægro Medicus à familiaribus, tanquam ægrum interfeciſſet, accuſabatur, &c. Galenus lib. 1. prognoſt. com. 3.

PARAPHRASIS.

MEdicum vti prouidentia, optimum eſſe, Hipp. *in initio prognoſticorum* euulgauit: *nam præſentiens, & prædicens coram ægris, præſentia, præterita, & futura, creditur cognoſcere ampliùs morborum cauſas.* Hæc ſanè ſi obſeruaſſet Medicus hic, culpam interfectionis apud adſtantes non meruiſſet. Similis, eáque elegans extat hiſtoria apud Beniuen. *lib. de abdit. cap.* 53. de Medico quodam, qui in ægro ſudore reſoluto deficientibus viribus, omni conatu ciendum eſſe ſudorem plurimis medicamentis, data opera tenaciter contendebat, cuius ſuppreſſione, corpore euentato, & frigidioribus potionibus exhibitis, æger ad priſtinam ſanitatem eſt reuerſus.

E Sudor alius eſt diaphoreticus, alius ſyncopticus; nam alter ab altero eſt diſtinctus. Ille enim plerumque calidus erumpit, referens naturam cauſæ corpus deuaſtantis; eſt enim hæc calida, erodens, & mordax, ex qua ſudores erumpunt, non quidem facultatis retentricis, aut caloris innati vitio ſuborti, ſed ob efficaciam, & vim cauſæ corpus in ſudorem colliquantis. Syncopticus verò, frigidus; ex debilitate enim ſemper prodit caloris innati, quo deficiente, frigidus emanat. Ij verò ſunt tenaces, & viſcidi, qui per vniuerſum corpus maximè circa frontem, tempora, & ceruicem erumpunt: cùm enim calor naturalis ſuffocetur, & extinguatur, ille qui in partibus exterioribus reperitur, refugit ad cor: ſicque hæ innato deſtitutæ, languent, & ſubſtantificam partium humiditatem nequeunt

retinere : manant verò frigidi, quoniam natura, ſolida membra gubernans, quæ ab Hipp. calor naturalis dicitur, vel extinguitur, vel proxima eſt extinctioni, ex Gal. *lib.4.aph.*37.quapropter reſoluto corporis habitu euenire protulit, *lib.3.de cauſ.ſympt.cap.*2. frigidorum ergo ſudorum cauſa, caloris eſt extinctio, earum partium à quibus ſudor emanat, ex Gal. *cit.aph.* & Auic. 2.4.*tract.*1.*cap.*71. Sic inflammationibus internis & febribus ardentiſſimis, depopulato, & ferè extincto natiuo calore, ab igneo, frigidi erumpunt, ex Auic. 11.3.*tract.* 2.*cap.* 7. & propter materiam quæ reſoluitur, craſſus & lentus apparet, ex Gal. *cit. aph.* quo in loco vbi vehementiſſimum febrilem calorem in acuta febre, hunc euenire docuit: licèt aliquando propter prauos, & tenues ſuccos in ventriculi tunicis. vel cauitate contentos, eundem excitari dicat, *in lib. 7. meth. cap.* 12. pro cuius explicatione lege Mercat. *lib. vnico, quæſt.* 3.

Hæc itaque non aduertens Medicus ille, qui ad prouocandum ſudorem, balneum, vtpotè humores euocans ad cutem, huic vſui valdè proficuum conſuluit, reſolutionem addens reſolutioni, ægrum in mortem præcipitauit, ignorans, hunc ſudorem, vt ſignum, & vt cauſam eſſe perniciosiſſimum : vt cauſam, quando ſuaptè natura poteſt reſoluere corpora: vt ſignum, quoniam humorum multitudinem oſtendit, quæ frigidiſſima eſt, cùm ne à febrili quidem calore mutetur, eritque tantò deterior, quò calor febrilis fuerit maior. Cur autem febre exiſtente acuta, frigidus ſudor è corpore exeat, explicat Gal. *lib.*4. *aph.cit.* Explanarunt poſteà Ludouic. Lemoſius *lib.* 2. *de optim.prædicend.rat.cap.*17. Chriſtoph. à Veiga, *in com.*22. *lib.*11.*prognoſt.* & eruditiſſimè inter omnes Steph. Roder. Caſtrenſis *lib.4.de meteor.microcoſmi, cap.* 13.

Omnia hæc ſi vera ſunt, & ex facundiſſima Hipp. & Galeni penu exhauſta, valde deceptum fuiſſe hunc Medicum res eſt manifeſta, quem de fæce Medicorum Romæ degentium fuiſſe, ipſe non dubito. Hi enim erant illi, quorum ſtupiditatem, & in curandis morbis ignorantiam tantoperè in ſuis operibus deteſtatus eſt Gal. & Plinius vbique paſſim condemnat: nam *lib. de præcognit. ad Poſthumum*, eorum fraudes detegit : & *lib.* 1. *meth.* 1. & 2. malignitatem patefacit, eóſquè ignorantes, ſuperbos, audaces, & contumelioſos appellat, quos manè ſaltationibus præpeditos, veſperi temulentos, & ventre diſtentos ad curandum accedere aſſeuerat : & *lib.* 1. *de dieb. decretor.* 5. ipſos tantam habere ſcientiæ cognitionem, quantam aſinum lyræ confirmat, & *in locis ſuprà citatis* latrones in vrbibus commorantes, facinoroſos, mancipiorum ritu adulantes, iocis & facetiis tempus abſumentes nuncupat. Adeò enim hi erant contumelioſi, vt Galenum relicta Roma Pergamum reuerti compulerint. Deſinant ergo Pliniani, ea quæ in Medicos Romanos torſit conuitia Plinius, in Hippocraticos Medicos eiaculari; cùm de illis, & Plinij, & Galeni, concors ſit ſententia; nam inter illum, & hunc, tantùm interiecti ſunt 67. anni: quum Plinius obierit anno 81. Galenus floruerit 143. Quare quos ille vituperat, hic maximè condemnat. Si tamen de inſcitia Medicorum, pulchra legere concupiſcis, adi Petrum Talpam in ſuo libello, *de indocto Medico, ferè per totum*, & Ioan. Aubrium *lib. de reſtituenda & iudicanda medicinæ dignitate.*

Quapropter hi ſudores ex habitu corporis reſoluto, & ex debili retentrice promanantes cohibendi ſunt, & minimè prouocandi; nam ſi hoc feceris, ægros præcipites ages in mortem. Num autem Medicus, vt hîc refert Galenus, ob malè adminiſtrata auxilia, in ius vocari poſſit, & pœna affici, diſputat elegantiſſimè ingenioſiſſimus Rodericus à Caſtro, inter omnes, *lib.* 3. *de Medic. politico, c.*23. Quorum pſeudomedicorum mores adamuſſim deſcribit acutiſſimus Benedictus à Caſtro, illius filius, *in ſuo flagello calumniantium, ferè per totum.*

* * *

HISTORIA LI. GALENI, De animi deliquio.

Ex vacuatione vſque ad animi deliquium, quidam interiere.

Siquidem in ſanguinis miſſione (quam vſque ad animi deliquium faciendam eſſe, paulo antè diximus, quo flamma in continentibus ex meatuum clauſura febribus extingueretur) non paruum meritò ſubſequeretur incommodum, niſi opportuno tempore, aut debita menſura fiat. Duos namque in ipſis Medicorum manibus perire vidi, qui poſtquam animo linquerentur, nunquam reuixerunt. Multi verò, etſi non protinùs, at poſteà propter virtutis infirmitatem perierunt : quos ſi quis citra eius reſolutionem vacuaſſet, minimè periiſſent, &c. Gal. lib. 9. meth. cap. 10. & lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap. 12.

PARAPHRASIS.

Hanc hiſtoriam repetit Galenus *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap.* 12. dum ſic inquit. *Noui enim ex iis quoſdam neceſſariò ex animi deliquio refrigeratos, ac toto corpore effluentibus madoribus, & alno rupta, celerrimè morbo liberatos. Vtile eſt autem pulſuum diminutionibus animum aduertere, tangendo eos, ſanguine etiamnum fluente; ſicut in aliis omnibus, dum ſanguis mittitur, facere conſueui, ne videlicet nobis nec opinantibus, pro animi deliquio mors occupet : quod ſanè tribus eueniſſe Medicis noui. Venam ſecabat eorum vnus mulieri febricitanti, aliorum vtérque viro, ſed ad tantum animi duxere deliquium, vt vires recuperari non poſſent.* Hæc Galenus.

Licèt enim ex tempeſtiuæ huius ſectionis vſu non contemnendæ vtilitates ſubſequantur, tamen ſi intempeſtiuè fiat, & citra requiſitas conditiones adminiſtretur, noxas inemẽdabiles facit, quas graphicè deſcribunt Ioſterius de Ioſteriis, *admiratione* 3. *de venæ ſectionis omiſſione*, Fernelius *lib.*2.*de ven ſect.* 17. Valleriol. *lib.* 2. *enarrat.* 7. Mena *in com. cap.* 12. *lib. de ſang. miſ. Gal.* & nos *in lib.* 1. *in com. hiſtor.*5. ex Gal. mente annotauimus.

QVÆSTIO XXXIV.

Quòd ſyncope, propria cordis affectio, non ex imminutione ſpirituum, ſed ex eorum repentina aggregatione in corde, tanquam à cauſa perpetua & immediata oriatur. Contra plurium iuniorum opiniones.

COMMENTARIVM.

AD *animi deliquium.*] Poſtquam verò de animi deliquio, & Syncope in ſuperioribus hiſtoriis plura delibauimus, non grauabimur hoc loco, pulchra, quæ hinc inde ex priſcorum mente aucupati ſumus, huic potiſſimum loco impingere; ex quibus horum effectuum cauſæ, ſigna, conſenſus, & diſſenſus inter ſe ad vnguem explorantur. Et primò de Syncope dubitatur, quando eam inter proprios cordis affectus numerauerit Gal. cùm potiùs ad cerebrum referenda videatur. Affectio enim ad illud membrum principaliter attinet, cuius actionem potiſſimùm vitiat & immutat : in Syncope verò, lipothymia, deliquio, ſeu animi defectu, ſenſus & motus, qui cerebri proprij ſunt, potiſſimùm læduntur, ſeu potiùs auferuntur; inde enim animæ defectio, 1.*aph.*23.& 7.*aph.*8. exſolutio, & *lib.*2.41. virium, ſeu virtutis caſus nuncupatur, 12. *meth. cap.* 5. Auic 11. 3. *tract.* 2.*cap.* 6. quod de vitali eius actione intelligi nequaquam poteſt, quum ea cadente, ceſſantéque mors potiùs, quàm ægritudo ſequatur.

Rurſus. Si vitalis facultatis reſolutionem, ſiue defectum ſyncope importaret, nunquam liceret vacuando vſque ad ſyncopen deuenire: in damnum ſiquidem virium irreparabile,

irreparabile, atque in euidentiſſimũ mortis periculum du-ceretur æger, 9.*meth.*10.2.*aph.cit.* quod cauendum omni-no Medico eſt; 1. *aph.*3. cum tamen Hipp. & Galenus, vno excepto Auerroë, eam vacuationem, vt proficuam & vtilem nonnunquam commendent.

Præterea. Si quandoque ſyncope accidit permanente adhuc virtute vitali forti,ex Auic.11.3.*cit.* quomodo hu-ius virtutis lapſus defectus, aut caſus poterit appellari. Audi Auicennam hoc modo præfantem. *Et quandoque accidit ſyncope ab euacuatione humorum, virtute vitali adhuc forti, non eſt adhuc timendum, &c.*

Denique. In ſyncope corpus cadit, impotenſque red-ditur ad ſenſum & motum,ob deficientes in membris ſpi-ritus animales, illatum functionum auctores,corporiſque molem rectam,& firmam ſuſtinentes: cùm igitur hi defi-ciant in membris, ob ſui proprij læſionem, & illud pro-cul dubio cerebrum ſit,hoc patietur in ſyncope,& ex con-ſequenti, hæc non erit propria cordis affectio.

Adde. Si lapſus virium, hoc eſt facultatum, à Galeno definitur, neque eæ in corde omnes ſimul continentur, ſed vnaquæque ex principibus in ſuo principali mem-bro, cur ſaltem cordis ſolius proprium huiuſmodi ſymp-toma dicetur?

Deinde. Contra cauſas à Galeno aſſignatas, multa, eá-que non inualida cogunt aliter aſſerere fundamenta: nam in cauſis aſſignandis huius affectus ambiguitatem, & dif-ficultatem ineſſe putat doctiſſimus Coſtæus, *in com. cit. cap.Auic.* quoniam cum hoc auctore, Galenus eas tumul-tuariè appunxiſſe viſus eſt. Nam ſi de immediatis, vt iu-niorum peritiſſimi loquuntur, ſermo ſit, vna tantùm eſt, ſubita nempè ſpirituum retractio. Si de mediis, innume-ræ ferè aliæ ſunt, neque indigniores, tam internæ, quàm externæ. Ergo vel vna tantùm erat tradenda, vel non omittendæ reliquæ.

Ad hæc: Ab intenſo calore funduntur & diſſipantur ſpiritus; à nimia frigiditate denſantur, & extinguntur; ab ingenti frigiditate ſuffocantur, à ſiccitate immodica abſumuntur. Igitur excedens intemperies potiùs impe-dit ſpirituum recurſum ad intima, & in eiſdem aggrega-tionem omninò requiſitam ad ſyncopen, quàm iuuet, aut efficiat.

Vrget etiam argumentum hoc. Si illius cauſa poteſt eſſe valida intemperies, cur non promouetur ab ingen-tium ardentium febrium calore, nec ab intenſa hectica-rum ſiccitate? Cur in colico dolore ex vitrea pituita om-nium frigidiſſima, in extrema ambientis frigiditate, vt plurimùm non cietur?

Facit & illud. Cùm vires innato calore conſiſtant, operentur; & potiſſimùm quidem in ſpiritibus funden-tur, quos aut animam eſſe dixit, *lib. de vtilitate reſpirat. cap.*5. aut organum, cur ad ſpirituum vitium non defi-cient, labentur vires ipſæ, & ſyncope concitabitur, alte-rato videlicet ſpiritu ipſo, deperdito, vel digeſto, 12.*meth.* 5. demùm oppreſſo, aut ſuffocato,vt in virulentorum ani-malium morſibus, peſtifera aura, venenoſis affectibus ac-cidere referunt auctores omnes: iam venenoſæ materiæ nihil illorum efficere poſſunt. Igitur nec ſyncopen pro-mouere, quum non ſuffocent, nec alterent: nec enim quantitate agant, nec poſſint deſtruere ſine præuia al-teratione, quum ſemper corruptionem præcedat alte-ratio, vt Ariſtoteles prædixit *lib.*2. *de ortu & interitu, cap.*1.

Vltimò. Malum hoc induci non poteſt, niſi adſit in corde ſpirituum defectus: ſed in phlegmone, eryſipe-late, & aliis tumoribus internis ſpiritus non deficiunt nec diſſipantur, quin potiùs vniuntur & conculcantur interiùs, tum quia validè aliquando trahuntur, vt in lipyriis accidit, magna iecoris, & ventriculi inflamma-tione, 1.*ad Glauc.*14. vnde frigent extrema 4. *aph.*48. & *lib.*7. *com.*1. tum quia ab obſtructione tumorum ad circunferentiam fundi prohibentur. Igitur Maioris ve-ritas ex eo patet: nam ſpirituum defectus perpetuò con-currere debet, vt ſyncope exciterur; quoniam ſi inter-nus ſpiritus diſſipatus non ſit, ita vt in quantitate debita pro cordis functionibus non ſubſiſtat, quorſum ille qui

A in partibus extimis, & corporis ambitu conſiſtit, ad inti-mas ſtatim confluet, & in corde ſubitò aggregabitur.

Tam anceps, & arduum eſt argumentum hoc, vt ad eius explicationem plurima animaduerſione opus ſit. Sup-poſito, quòd animi deliquium in communi, virium lap-ſum,ſeu imbecillitatem importet: cùm varij ſint imbecil-litatis gradus ſiue differentiæ; ſecundùm magis aut mi-nùs differentes, pro illarum varietate tradiderunt aucto-res aliqui, & non infimæ notæ viri, in ſuis *libris, de cu-randis morbis, cap.de Syncope*, varias deliquij ſpecies, qui-bus nomina impoſuerunt, quæ apud Hipp. & Galenum frequenter reperiuntur, vt animi defectio, lipothymia, exſolutio, ſubitus, ſeu præceps virtutis caſus, & ſyncope, quibus, vt aiunt, diuerſæ huius mali ſpecies ſignifican-tur, de quorum claſſe ſunt Altimarus, Maſſaria, Holle-rius, Duretus, Mercatus, & ſi qui alij *qui aphoriſmorum*
B *oracula* interpretantur. Sed inſufficienter quidem nomini-bus illis diſtinguunt deliquij differentias, & tam multas conſtituunt, cùm idem prorſus ſint animi defectio, lipo-thymia, atque exſolutio: idémque omninò ſubitus virtu-tis caſus, & ſyncope, quidquid clariſſimi Auic.interpre-tes, Gentilis, Iacobus de partibus, & Vgo, duo hæc vi-deantur ſeparare, dum imitantes Auic. faciunt caput pri-uatum, *de ſubito virtutis caſu*; nec enim inter hæc duo, diſcrimen aliquod apud Gal. inuenitur; vt conſtat ex lo-cis, vbi de hoc ſymptomate agit. Lipothymia verò ſeu animi defectus à ſyncope manifeſtè diſtinguitur, 2. *aph.* 41.12. *meth.cit.* & 1.*ad Glauc.*14. nam licèt huiuſmodi af-fectus, eiuſdem eſſentiæ & naturæ eſſe videantur, ambo-que ſub animi defectu, deliquio, ſiue exſolutione in com-muni comprehendantur, lipothymia in ſpecie mitior eſt, ſyncope acutior, grauior, & longè periculoſior,ex Gal.*vbi*
C *ſuprà.* Addit Aëtius *tetrab.*2.*ſerm.*1. *cap.*101. in eo etiam differre, quia deliquium vigilantes tantùm inuadit, & ci-tra ſudorem; ſyncope verò dormientes, & omninò cum ſudoribus præter naturam, quos ſyncopticos appellant, quique non aliunde eueniunt, quàm ex ſymptomatis ma-gnitudine, ratione cuius deficit retentrix membrorum, & ſudor ille prouocatur. Auer.autem hoc diſcrimen non ad-uertens, ſyncopen cum lipothymia confudit, & ſic 7. *collig.*8. deteſtatur vacuationem ad animi deliquium, ar-bitratus Gal. ita euacuando, ægros ad ſyncopen ducere, quod nuſquam ipſe, aut Hipp.affirmauit.

His iactis, illud etiam præſupponere debes,quod quam-uis ſyncope 12.*meth.*5.definiatur à Gal. præceps, hoc eſt ſubitus, ſiue repentinus virium lapſus, & vires quidem ipſæ, ex eodem *ibidem, & cap.*1. *lib.*11. tum in ſpiritibus ſint poſitæ,tum in partium ſolidarum,carnoſarúmque na-
D tura, hoc eſt, debito temperamento omnium partium to-tius, & potiſſimum trium principalium à quibus guber-natur corpus: ad vnum tamen cor tanquam propria paſ-ſio dicitur pertinere; in corde enim cùm præcipuè vita, & vires collocentur; vtpotè quod innatum calidum, vitæ noſtræ fundamentum in ſe contineat, & in toto conſeruat, illius vi, quæ radix eſt cæterarum; ad id ſyncope referen-da; cuius vi potiſſimùm labente, reliquas omnes ſubitò, ac repentè collabi eſt neceſſe, non è conuerſo: quod ad ſyncopen requiritur, ad differentiam aliorum affectuum, tam cordis, quàm totius,in quibus vires etiam,ſed paula-tim deficiunt, quia à corde (vt inquit Gal. *lib.de vſu pulſ. cap.*2.& 3.)non ab aliis, cæteris membris, vitalis caloris, virtutiſque influxus accedit, quo durante, actiones ſuas perficiunt, temperiem ſeruant, roborantur; & reuiuiſ-
E cunt: cùm vitalis facultas ſit velut actus, & perfectio cæ-terarum, *vt lib.*5.*de loc.cap.*1.& 7.*meth. vlt.* & 2.*acut.*47. dictabat Galenus; & licèt eæ in ſolo corde non conti-neantur, ſicut nec omnes principes facultates, dicitur ta-men vitium hoc, lapſus virium in plurali numero,quia in eo,non vna, ſed omnes virtutes labuntur.Primùm tamen & maximè illa cordis, & eius conſenſu cæteræ, quas re-git & conſeruat: vnde ad membra alia nonniſi conſenſu quodam cenſetur pertinere; ad cor ipſum, radicaliter. Porrò quia ex operationibus, robur & debilitas faculta-tum deprehenditur,& labefactata vitali in omnibus læſio ſequitur,nõ ſolùm in pulſu,ſenſu, atque motu voluntario.

Z 4 ſed

ſed & in naturalibus functionibus defectus, ac imminutio ſentitur in deliquio, magis & minùs, proportionabiliter ad pulſus læſionem. Quoniam verò in ſyncope, vtpotè quæ fit à validiſſima cauſa, vehemens datur illius deſtructio, præter exiguum, languidum, tardum, rarum, & inſenſilem pulſum, nihil prorſus ſentit ac mouetur patiens; denique omnino ferè virtutes cadunt, inde enim ſyncope, hoc eſt concīſio, ab auctoribus nuncupatur. In lipothymia verò, ſiue animi defectu, quamuis cadat etiam homo, & pulſus aliquantulum deficiat, non vſque adeò tamen ad extremum illum diminutionis gradum peruenitur; loquitur enim adhuc æger, præſentes agnoſcit, & ſentit vires deficere, ſe tamen ſuſtinere nequit; vtrobique ob animalium ſpirituum defectum, quos in ſe retrahit cerebrum conſentiens ad cordis læſionem: deficiente namque facultate, & ſpiritu vitali in corde, neceſſe eſt etiam deficere animalem in cerebro, & in ipſum continenter ſecundariò affici; primariò namque cor læditur & principaliter, quanquam ex ſenſus & motus defectu, quia actiones ſunt nobis magis manifeſtæ, hominem animo linqui conciciamus; quoniam facultas animalis, cùm imbecillior ſit, 2.*aph.*29. & vtatur ſpiritu tenuiſſimo, facilè, promptéque reſoluitur.

Memoria itaque tenere debes, ab innumeris ferè cauſis, (de quibus Gal. *à cap.*3.12. *meth. vſque ad* 8. *&* 1. *ad Glauc.* 14.) ſyncopen concitari, quas in compendium veluti redegit Auic. *vbi ſuprà*, tam internis quàm externis, occultis, &, manifeſtis. Ab immodica enim excretione promouetur, ſeu benigni ſit, ſeu noxij etiam humoris, 6.*aph.*27. per ſudores, alui profluuia; ex vehementi dolore; excedentibus animi affectibus; praui ſucci alimentis; vteri ſtrangulatione eleuata aura venenoſa ad cor, eius natiuum ignem exſoluente; ex humorum obſtruentium multitudine, maximè ſi cum impetu ad cor, & thoracis partes ferantur, vt nonnunquam ante epilepſiam, & apoplexiam contingit; & doloribus internis.

Fit etiam à valida intemperie; continui ſolutione; tumoribus præter naturam calidis, & frigidis; ab æſtu, frigore ingenti, aut quauis alia inſigni alteratione, facta ab euidenti, aut occulta qualitate, qualis eſt venenoſa: ſiue ab externis adueniat, vt fœtido aëre, corrupto, & peſtilenti, terris, cauernis, fararum morſu, aut propinato veneno: ſiue interiùs ſit genita, vt ex corrupto ſemine, retento menſtruo. Accidit etiam ex balneo, nimia corporis raritate, bilis agitatione ad ventriculum, plerúmque in acceſſionum initiis, nonnunquam in ſtatu, quibuſdam inclinante febre; quandoque in acutis malignîſque febribus; denique ab omnibus conciitatur, quæ partium ſubſtantiam diſſipant, ſpiritum aut temperamentum euertunt, ſiue à tota ſubſtantia, ſiue manifeſto temperamento, ſeu quouis alio modo id efficiant.

Sed cùm tam multæ cauſæ huius ſymptomatis aſſignentur, nec omnes primò, & ſine medio in eius productione agant, dubitant auctores, num in aliquo genere, vel pluribus comprehendi poſſint, quibus conueniat primò, & immediatè vires ipſas ſubitò proſternere, & ſyncopen inducere. Sed quoniam tractatio de ſyncope eſt valdè implicata, vt ait Mercurialis *lib.*2. *praxis*, *cap.*10. ideò varij variè reſpondent. Vidus Vidius *lib.*7. *de curat. membrat. cap.*4. Mercatus *lib.*2. *de morb. internis*, *cap.*10. & alij putant ex triplici capite vires concidere, & vniuerſas ſyncopes cauſas ad tria genera reuocari: vel quia grauatur nimiùm, opprimitur, aut ſuffocatur calor innatus: vel quia abſumitur, perit, & diſſoluitur ſpiritus: denique vel quia præternaturaliter alteratur occulta, aut manifeſta aliqua qualitate, & ineptus fit ad ſuſtinendas vires, actionéſque obeundas. Priori genere cauſæ, nempè ſuffocantis, comprehendunt ſyncopas, quæ paroxyſmi initiis eueniunt, vteri præfocatione, comitiali, apoplexia, in multitudine crudorum humorum ventriculum grauantium, in doloribus, & inflammationibus, vel aliis magnis tumoribus internis, in magno timore, vehementi triſtitia; in omnibus enim innatus ca-

A lor cum ſpiritibus præ multitudine materiæ obruitur, & ob ventilationem prohibitam, veluti flamma ex ſuperimpoſitis multis lignis ſuffocatur.

Ad ſecundum genus reducunt ſyncopas ex ira, vehementi gaudio, immodicis vacuationibus, tam ab arte, quam natura factis: externarum partium doloribus, colliquantibus febribus, diuturnis vigiliis, immodicis exercitiis, balneo, vehementi æſtu; demùm & quæ ob nimiam corporis raritatem, & ſpirituum tenuitatem contingit.

Ad tertium pertinere aiunt, quæ ex veneno accidunt, fœdis odoribus, praui ſucci alimentis, humorum corruptela, nimia frigiditate ventriculi, aut ambientis, vel calore etiam non multùm diſſoluente, in quibus alterantur præternaturaliter ſpiritus, & qualitatem acquirunt, naturæ & eius actionibus aduerſam, ſiue interim dum

B generantur, ſiue poſtquam geniti ſunt, vnde neceſſe eſt labi & deficere vires, quæ in ſpiritibus ipſis, & partium temperamentis conſiſtunt.

Alij prædictas quidem cauſas admittunt, ſuffocantes, alterantes, & corrumpentes calidum ipſum innatum, & ſpiritum: at vnam inquiunt, corrumpentem nempè, ſine medio agere, & perpetuò concurrere ad ſyncopes generationem. Primò, quia ſi in eadem quantitate ſpiritus in corde ſeruentur, non verò corrumpantur, euaneſcant, & deficiant, quæ ſubſequitur neceſſitas, vt ad cor repentè ex toto confluant, ſubitóque fiat in ipſo ſpirituum aggregatio, quæ perpetua eſt, & immediata huius ſymptomatis cauſa?

Secundò. Spiritus (præterquam quòd ſubſtantia eſt tenuiſſima, vaporoſa, leuiſſima, & mollis, 6.*de vſu part.* 10. *& lib. de vtilitate reſpirat. cap.*5. atque adeò facile re-

C ſolubilis, & quolibet momento quantitate euarians, 11. *meth.*) vt ſeruetur, & duret, refrigerio indiget ac ventilatione: cùm verò præſente cauſa ſuffocante, dictis commoditatibus priuetur, nec inueniat ſpiraculum, neceſſe eſt minui, perire, extingui.

Tertiò. Impoſſibile videtur, ſpiritus propter ſui tenuitatem, calidam, & puriſſimam ſubſtantiam à vehementi cauſa citra propriam corruptionem alterari: ſed ſyncope excitari non poteſt, niſi ab alterante cauſa magna, & vehemente. Ergo etiam cum hac concurrit inaniens, & corrumpens Hoc putant ſignificare Galenum, dum inter alterantes cauſas, materias quoque venenorum enumerat, quæ cùm à tota ſubſtantia agant, & vires habeant, humanas ſuperantes, præter alterationem, deſtruent & corrumpent ſpiritus ſecundùm ſubſtantiam ipſam; ac

D proinde ſiue à ſuffocante, ſeu alterante cauſa præceps virium lapſus oriatur, ad vnam corrumpentem, tanquam magis immediatam referenda eſt. Ob id enim Galenus 12.*meth.*4. in qualibet ſyncope vinum exhibet pro reparandis ſpiritibus; & nos contuſis, diſtillatitiis, & odoriferis vtimur. Quod ſi aliquando prohibet, non vtique fit ratione affectus ſed ob ſuffocationem ex ingenti plenitudine, aut inſigni inflammatione, à qua plerúmque oritur; vnde ſyncopen definiunt, præcipitem virium lapſum propter ſpirituum imminutionem, & eorundem repentinam aggregationem in corde.

Si verò obiicias Galenum, 12. *meth. cap.*5. quo loco illa tria cauſarum genera tanquam diſtincta adducit, & alterantem veluti diuerſam à corrumpente manifeſtè proponit, ſcribens diſiunctiuè, *ægrotantes tum animo lin-*

E *qui, tum etiam mori, aliàs ſpiritu ipſo deperdito, aliàs alterato, aliquando ex parte digeſto, non rarò hæc vtraque perpeſſo, &c.* ac ſi ſpiritibus ſolùm præternaturaliter alteratis, ac proinde & conculcatis, ſiue ſuffocatis, abſque corruptela & defectu ſyncope inducatur.

Huic obiectioni firmum præbe reſponſum, quòd quamuis alterans cauſa ſeparetur aliquando à corrumpente, & poſſit quidem ſpiritus citra ſui corruptionem alterari, à leui remiſsáque cauſa, nequaquam tamen à valida, qualis ad ſyncopen excitandam requiritur, ac proinde dicendum, in eius generatione perpetuò coincidere cum alterante deſtruentem; nec Galenum diſiunctiuè loquentem ſignificare oppoſitum, quia per alterationem

ibi

ibi non intelligit ſimplicem, & à corruptione ſeparatam, quaſi alterentur ſpiritus, ſine eo quod corrumpantur, ſed per alterantem cauſam innuit etiam corrumpentem, quæ per mediam, & præuiam alterationem corrumpit, ad differentiam aliarum, quæ ſine alteratione, de qua ſit curandum, inaniunt & deſtruunt ſpiritus, cuius generis ſunt ſuffocantes, & alterantes cauſæ. Nam licèt ſecundùm Philoſophum, *in lib. de ortu & interitu*, ſemper corruptionem præcedat alteratio, atque ita non poſſint ſpiritus ſuffocatione, aut euacuatione corrumpi; ſine præuia aliqua alteratione: ea tamen ex vſu non eſt, aut principalis; & ad quam ſit opus dirigere remedia; non enim ſuffocantur ſpiritus, quia alterantur, ſed è contra alterantur; & ſubinde corrumpuntur, quia ſuffocantur, vel euacuantur. Vbi verò fit mentio de præuia alteratione, qua corrumpuntur ſpiritus, tunc alterans cauſa ex vſu eſt, & principalis, cui reluctari oportet.

Cæterùm oppoſita ſententia eſt vera, quam Galenus *dictis locis* expreſſit, ſyncopen in genere tripliciter fieri, nempè vel à multitudine ſuffocante, vel ab inaniente cauſa, vel denique ab inſigniter alterante. Et poſſe quidem à ſingulis induci, nec omninò requiri ſpirituum defectum; ſuadetur.

Sicuti vires conſtant, & ſeruantur robuſtæ, cùm ſpiritus potiſſimùm inculpati reperiuntur, ita vbi vitium aliquod contraxerint, neceſſarium eſt vires ipſas detrimentum ſuſcipere, deiici, ac labefactari, proportionabiliter ad vitium: atqui ſpiritus poſſunt ab aliis cauſis inſigniter deprauari, ineptique fieri ad naturæ functiones, & vires robuſtas ſeruandas, ſine eo quod corrumpantur, minuantúrve. Ergo deiici, ac proſterni poterunt vires, abſque ſpirituum corruptione, & per conſequens, &c. Minor oſtenditur, quia oppreſſus & ſuffocatus ſpiritus, nec cordis functionibus debitè inſeruire poteſt, nec præ multitudine obſtruente per arterias diffundi, & vim, calorémque excedentem per membra deferre, quo totius corporis temperamentum, & vires ſeruantur; vnde vitioſum fit, & improportionatum inſtrumentum, nec minùs ſi præternaturaliter alteretur: *nec* enim *quicunque calor*, dicebat Galenus *lib. aduerſus Iulianum, ad fin. eſt operantis naturæ inſtrumentum, ſed qui maximè commenſuratus.*

Quod verò ſuffocentur ſpiritus, & deiiciantur vires, citra illorum defectum ac imminutionem, ex eo conſtat, quia aliquando eadem prorſus cenſenda eſſet imbecillitas per aggrauationem, atque ea quæ per inanitionem fit, cùm tamen ſint longè diuerſæ, & diuerſimodè curandæ, hæc adiectione, illa vacuatione, 2. *acut.* 48. & 12. *meth.* 2. tum quia in magno & repentino timore, in vehementi ſubitáque lætitia, nulla præcedente inaniente cauſa, ſubitò ſpiritus ex toto confluunt ad cor, atque ex ſola eorum & ſanguinis aggregatione, ſuffocatio inducitur, & ſyncope.

Quòd autem etiam ſine deſtructione ſui, nonnunquam alterentur, comprobatur, ſanguinis & aliorum humorum exemplo, qui ſæpè non peccante quantitate, peccant in quali, & vitio inſigni proprias formas ſine ſui corruptione ſuſtinent. Nec obſtat, ſpiritus quia tenuiores, faciliùs deſtrui & corrumpi, quia etiam in humorum alteratione arguitur vehementior cauſa, & multò maius vitium.

Inſuper negari non poteſt, ſpiritus ſicut reliqua omnia præter ignem, poſſe putreſieri, 4. *meteor. cap.* 1. *ad med.* cùm enim ex ſanguinis vapore, & inſpirato aëre generentur, nutriantúrque 6. *de vſu part.* 17. & 7. *de placit.* 3. & alibi paſſim, nihil mirum, ſi quocunque illorum putrefacto, putrefiant & ſpiritus: inde conſurgit diaria putrida, quam nos admiſimus ſecundùm probabiliorem ſententiam, *in lib.* 1. *in com. Hiſtor. vltimæ*, Sed in tali febri, quantumuis diaria peſtilenti, & ſyncopali, non iungitur neceſſariò ſpirituum defectus, & corruptio. Igitur. Probatur aſſumptum, quia nec aër ipſe cùm tenuior ſit ſpiritibus, praua illa, aut fortè maligniori qualitate affectus neceſſariò inanitur, vel deficit in quantitate, quin ipſe peſtilens ac vitioſus inſpiratur, & ab eo intra corpus inficiuntur ſpiritus, & humores. Quare, &c.

A Nec verò fundamenta in contrarium adducta prorſus euincunt admittendum eſſe in omni ſyncope ſpirituum defectum; & concurſum deſtruentis cauſæ. Non primum, quia ſicut natura ex innata doctrina, ſpiritu & ſanguine ad affectam, dolentémque partem ſolet accurrere, ex Gal. 5. *aph.* 5 3. ſcilicet vt ei opem ferat, & mali cauſam expellat, ita id multò celeriùs, & vehementiori conatu exequitur, in malis cordis, omnium membrorum nobiliſſimi; atque adeò vbi illud inſigniter afficitur, ſubitò ex toto ſpiritus emittit, repentéque aggregat in corde ipſo, vt principaliſſimum hoc membrum, ſpiritus & calorem innatum ſimul cum vita tueatur, & ſeruet, licèt non rarò ex tali ſubſidio, & aggregatione, deſtructio potiùs, & maius malum, imò & nonnunquam interitus, vt in noſtro ſymptomate accedit, epilepſia dolente parte, &c. ſequantur: non tam ex intentione naturæ, quæ bonum perpe-
B tuò exoptat, & nunquam ſuo ſcopo fallitur, quàm ex operis errore, quia plerunque inter operandum labitur, & artis correctionem expoſtulat.

Ad ſecundum, non negamus ſpiritus diu ſuffocatos & oppreſſos, diminui tandem, extingui, & perire: ſed quia vbi primùm ſuffocatio fit, materia impetuosè fluente, vt in ſyncopali humoroſa, & ſimilibus quamprimùm ſpiritus attrahuntur, & ſyncope adducitur; abſque illorum diminutione aliquando fieri putamus, etiam quando ſuffocatio antecedit aggregationem: nam vbi ſubſequitur, (quod contingit in ſyncope ex timore, atque mæſtitia) oſtenſum eſt; quia cauſa corrumpens non præfuit, nequaquam ſpirituum defectum præcedere, nec iungi neceſſariò in omni alteratione etiam inſigni: quamuis non inficiemur à maligna, deleteriaque qualitate, qualis eſt venenorum, ſpiritus vt plurimùm lancinari,
C breuiter in halitus diſſolui, & extingui, & per diſſolutionem ſyncopen fieri, vt in peſtilentibus, maligniſque febribus ſæpè contingit.

Verùm ſi fieri poſſet, vt non diſſoluerentur ſpiritus à præternaturali illa, & maligna febri, adhuc tamen virium lapſus induceretur; videlicet quia ipſi ſpiritus ita præternaturaliter, & inſigniter alterati, fiunt inepti ad naturæ functiones, & ſuſtinendas vires, vt diximus. Si verò in ſyncope, etiam à multitudine humorum, quicquam vini aliquando dare cogimur, fit vbi iam ſpiritus deficiunt, & omnimoda eorum proſtratio timetur, (nec enim negamus à grauante copia, ſpiritus tandem corrumpi, & deficere, ſed non neceſſariò ſtatim vbi ſuffocantur) atque ita non quò curemus affectum, qui à multitudine eſt, & potiùs euacuationem quàm adiectionem expoſtu-
D lat, ſed vt periculum præſens arceamus, omnimodam nempe virium & ſpirituum reſolutionem, quicquam permittitur, à quo ſuſtineantur, & viuificentur 12. *meth.* 2. & 11. 3. *tract.* 2. *cap.* 8.

Ex quibus colliges, non eſſe definiendam ſyncopen per ſpirituum imminutionem, ſed præcipitem virium lapſum, ob cordis imbecillitatem, & repentinam ſpirituum aggregationem. Quæ quidem aggregatio perpetua eſt, & immediata ſyncopes cauſa: quia enim retrahuntur ſpiritus à toto, & in corde, tanquam in arce, & foco aggregantur, labuntur membrorum vires, & veluti ſemimortua concidunt corpora ſyncope correpta: nam licèt in ira, vehementi gaudio, & ſimilibus oppoſitum fieri videatur, & expandi potiùs ſpiritus ad corporis circumferentiam, quàm aggregari calorem: expanſio illa
E immediata cauſa non eſt, quamuis principalis, ratione cuius, ſpiritus euaneſcunt à corde, & ſubſequitur aggregatio ſubitò & repentè facta.

Colliges ſolutionem argumentorum quæ in principio quæſtionis adduximus, & ſic ad plurimum, quòd licèt in ſyncope functionum cerebri defectum ſentiamus, & ex motu ſenſúque ablatis malum iudicemus, non proinde cenſendum proprium cerebri, ſed potiùs cordis, cuius virtus in hoc affecta radicaliter, & principaliter læditur, cæteræ per conſenſum, vt diximus. Verùm quia cerebri actiones magis nobis manifeſtæ ſunt, ex earum defectu cordis affectiones colligimus, certius tamen, & firmatum iudicium ſumétes ex imminutione, & caſu pulſus, qui

qui in propoſito ſymptomate paruus admodum, tardus, & rarus euadit, ob debilitatem & caſum pulſatilis facultatis inſigniter læſæ & proſtratæ, non omnino tamen deficientis, quia ſyncope non dicitur virtutis caſus, quaſi in ea vis cordis penitùs cadat & deficiat, ſic enim iam mors foret, non ægritudo: ſed dicitur caſus, hoc eſt, prolapſus, conciſio, & inſignis virium proſtratio, in qua præter ſenſus, & motus ablationem, pulſus ad vltimam paruitatem, tarditatem, raritatémque perducitur. Nec verò ad huiuſmodi caſum Hipp. & Galenus vacuare vnquam permiſerunt, ſed vſque ad illum qui lipothymia dicitur, & defectus animi ſimpliciter, in quo vſque adeò non deiiciuntur vires, nec ipſa cordis ad tantum peruenit debilitatis gradum.

Ad ea verò argumenta, quæ *in principio*, contra cauſas à Galeno traditas propoſuimus, Reſpondetur, omnium generum meminiſſe: alterantis, dum aſſeruit ab intemperie induci; corrumpentis, cùm à venenoſo humore: nam venenoſa qualitas quamuis de genere alterantium dicatur, corruptiua etiam eſt; denique & ſuffocantis mentionem fecit, dum dixit ab inflammatione, eryſipelate, vel quouis alio tumore oriri: nempe quia in huiuſmodi affectibus conculcatus humor, multitudine ſua opprimit & ſuffocat ſpiritus; vnde vel quia corrumpuntur ſuffocati, vel quia inepti redduntur ad cordis functiones, & vires ſuſtinendas, ſequitur ipſarum caſus.

Aduerte porrò, quòd vt intemperies, vel quæcunque alia cauſa alterans ſyncopen promouere poſſit, præterquam quòd inſigni aliqua qualitate debet excedere, qua ſubitò ſpiritus corrumpat, vel ſaltem inſigniter alteret: neceſſe eſt, vt primùm ſpiritus ipſos internos, cordíque vicinos, denique & internum calorem aggrediatur, & deſtruat; nam ſi paulatim alteret, ſenſimque corrumpat, paulatim etiam vires deiicientur, non ſubitò, & repentè, quod omnino ad ſyncopen requiritur, vt aduertit Paulus *lib.3.cap.34.*

Ex eo, in ardente febre non promouetur, niſi ſimul adſit tranſmiſſio bilioſorum humorum ad os ventriculi: non in hectica, *lib.1.ad Glauc.14.* niſi ſimul aſſocietur tabes, hoc eſt pulmonis vlcus, vel diſtillatio ad pulmones, vel demùm putrida febris, à quibus obſtructio, & putrefactio inducatur. Inde plerique à colico cruciati, in animi deliquium non incidunt, quantumuis à vitrea pituita omnium frigidiſſima orto, niſi aliquando vehementiſſimo dolore correpti, ratione cuius diſſipantur ſpiritus à corde, & ſubitò deiiciuntur vires: id quod multo minùs accidere videmus, in extrema ambientis frigiditate, ratione cuius multi non cum ſyncope, ſed paulatim & ſenſim fuerunt extincti. Cum enim frigiditas ſit agens per contactum, primò agit in partes proximas, deinde in remotas, & propterea paulatim incipiendo ab extremis partibus, ſpiritus & calorem illarum extinguit, quouſque ad intimas, & cor ipſum perueniat. Vbi verò frigiditas, licet vehemens, extimas partes alterat, & earum calorem extinguit, non expanduntur ſpiritus à corde, nec calor ad eas confluit, quoniam in corde ipſo eſt retractus, fugiens ſuum contrarium ambiens, videlicet actu aut potentia intensè frigidum: poſtquam autem peruenit ad cor, cùm extimæ partes refrigeratæ iam ſint, & earum calor extinctus; inſuper & viæ ac meatus ſpirituum, ratione frigiditatis condenſantis, & obſtruentis ſubſideant & anguſtentur, fieri non poteſt ſubita illa retractio in cor, quæ ad ſyncopen requiritur; quemadmodum vbi cauſa valida refrigerans, ſpiritus & calorem internum primò deſtruit. Quòd ſi nonnulli ob nimiam extremorum frigiditatem, in deliquium inciderunt, hoc ratione doloris potuit euenire, præſertim quia paſſio neruoſis partibus, & ventriculo nonnunquam ſolet communicari, quo caſu valdè dolorifica fit; tum quia interna frigiditas conſtringendo & denſando, continuum ſoluit, & neruoſas partes ac ventriculum conuellit, tum quoniam hæ partes exacto & acuto ſenſu præditæ ſunt.

Ad tertiùm & quartum patet ex dictis ſolutio: explicatum namque eſt, venenorum materias, & alterando tantùm & ſimul etiam corrumpendo ſpiritus, poſſe ſyncopen excitare, nec diſſimiliter ſuffocantes cauſas, cuius generis ſunt tumores. Ex quibus ad argumenta facilis reſp. Hæc de ſyncope ſint ſatis, in quibus pauciſſimi iuniorum induſtriam ſuam exercuerunt; & cum hoc arduum, & neceſſarium argumentum ſit, plura poſt tot, támque celebres viros, de eo literis conſcribere placuit, præcluſa rimans, ſecretiora proponens, & antiquitatis reliquias anxiè conquirens: Video enim huius ſæculi Medicos, Apitios, delicatioris palati, qui diaria faſtidiunt, & quidquid quotidiani ac publici eſt iuris contemnunt, idcircò cupediæ quærendæ, & conchylia Eois intonata fluctibus inueſtiganda.

HISTOR. LII. ORIBASII,
De manu inflammata.

Manus ex pondere inflammata, altero pondere in altera manu geſtato, perſanatur.

TImocrates igitur Heracleotes, cùm iuuenis quidam ex agro non mediocre pondus in vrbem dextra manu tuliſſet, ob eámque cauſam inflammata, & impleta manus fuiſſet, iuſſit, vt pari pondere ſiniſtræ impoſito tantundem itineris conficeret, ita fore vt manus tumor euaneſceret. Qua re confecta ſtatim tumor ceſſauit, &c. Oribaſius lib.8.collectan. cap. 19.

PARAPHRASIS.

DE nulla alia corporis particula deberent eſſe Medici æquè ſolliciti, quàm de curandis manibus; harum cùm ſit præſtantia multa: mira enim eſt artium numeroſitas, quam membri huius adiumento condiſcimus, & exercemus. Harum enim ope homines agriculturam miniſtrant, viſcera terræ, ac metallorum inde vim ſummè pretioſam eruentes, penetrant; pingunt, findunt, ſcalpunt, ſcribunt, ex qua ſcribendi maieſtate, tantarum rerum ſcientia nobis comparatur, vt quæ temporis, aut mortis auida rapacitate ſunt interitura, ea hac arte fiant veluti immortaliora. Harum vi admittuntur maria, repelluntur, certis quoque limitibus, veluti extra præſcriptum proferre pedem vetantur, obiectis molibus: penetramus aquarum ima: montium verrucas quantumuis ſenticoſas nobis obnoxias reddimus: quidquid ferè mundi vaſtitas complectitur, manuum ſolertia noſtri fit iuris; nam illæ aptæ, & ad omnem motum nullo labore faciles. Auſim dicere, ſeiunctis manibus, fuiſſe inermes nos futuros, ſed vel brutis infeliciores: nam rationis, ac ſapientiæ ſunt miniſtræ; nam iis poſcimus, pollicemur, vocamus, dimittimus, minamur, ſupplicamus, abominamur, timemus, interrogamus, rogamus: gaudium, triſtitiam, dubitationem, confeſſionem, pœnitentiam, modum, copiam, tempus oſtendimus. Quid? quod inter agendum non vt cæteræ partes loquentem adiuuant, ſed ipſæ quoque quodammodo loqui videntur.

Galenus non Medicinæ ſolùm peritiſſimus, ſed in philoſophia, cæteríſque bonis omnibus diſciplinis excellens, *lib.3.de vſu part. cap.1.* ait ſolum hominem philoſophari inter pedeſtria animalia, & recta eſſe figura, & ſedere; eámque ob cauſam accepiſſe manus à natura, quòd his duobus corporis ſtatibus ſit manuum opera neceſſaria. Cùm enim, inquit Gal. *lib.de vſu part.3. & 4.* ſapientiſſimum animalium ſit homo: ita manus ſapienti animali organa ſunt conuenientia; imò eas, ſi organum organorum appellaueris, vera propones. Manibus ergo affectis auxiliares manus citò adhibere oportet.

Cùm ergo in ſumma manu dextra non mediocre pondus in vrbem portaſſet iuuenis, & ob pondus, dolorem, calorem, & debilitatem, è toto corpore in eam irrueret humorum confluxus, tumorem, & inflammationem paſſus eſt. Maximè quum pondus in palma geſtaſſet, quæ pars cùm carnoſior ſit, & plures neruos recipiat, quàm pars externa, & inſtrumentum ſit rerum

quæ

quæ tangi poſſunt, exquiſitiùs qualitates quæ tactum feriunt, primarias & ſecundarias ſentit; ideòque & polita eſt, & depilis ea parte cutis: quapropter cùm exacto ſenſu prædita ſit, à cauſis externis promptiùs offenditur; & ſic facta ob graue pondus læſione, & dolore excitato, confluentibus ad debilem partem affatim ſuccis, inflammatio facta eſt.

Cui quum multiplici poſſet opitulari auxilio, nullo alio, quàm pari pondere ſiniſtræ impoſito curandam eſſe ſibi perſuaſit, ſpretis ſanguinis miſſione, frictionibus, ligaturis in parte contraria celebratis, quæ tum impactum vacuare nata eſſent. Sed videtur hæc curatio fallax, & à priſcorum mente aliena: Galenus enim *lib.4. acut. com.19.* cùm vehemens dolor hominem prehendit, vel pars aliqua fracta eſt, vel os ex loco pulſum, vel alius articulus contractus, reductúſque, ſanguinem illicò emittit præſeruationis cauſa, ne ſcilicet pars inflammatione tentetur, licèt homo paulo antè ſanus fuerit, prorſúſque redundantiæ ſanguinis expers, vt ipſe edocuit *lib.4. meth. cap.6.* Rurſus. Si Gal. 13. *meth. cap.5.* manu laborante ſcarificat crus, cur illa inflammata, pondus non impoſuit cruri, ſed manui?

Dic ac primam obiectionem auctorem hoc præſidium tentaſſe cum vtilitate ſumma, quod primo inflammationis occurſu tutius videbatur cæteris, quæ euacuando ſanguinem & ſpiritum, cum virium diſpendio morbum leuant, tentaturus & hæc, nî morbus priori cederet auxilio. Ad ſecundam. Illum de ſimplici reuulſione loquutum intellige, quare pondus non cruri, ſed manui ſanæ impoſuit: monet enim Præceptor *lib.13. meth. cap.6. & 11. & in art. medic. cap.99.* edoctus ab Hipp. *lib.2. de natur. human. text.9.* humorem longiſſimè à parte inflammata reuellendum eſſe; nequaquam ad eam trahendum; ſic altero crure malè habente, reliquum crus ſcarificat. Si verò manu laborante ſcarificat crus, de reuulſione mixta cum vacuatione eum intellige, quam vna eadémque venæ ſectione poſſe celebrari, fatetur ipſe *lib.1. acut. com.11. & 13. meth. cap.16. & lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap.16.* Quare rectè feciſſe auctorem arbitreris: pondus enim imponendum eſt procul à locis, in quibus ſanguis colligi, & dolor concitari conſueuit; aſſueſcit enim natura ſanguinem ſuapte natura in partem doloroſam, inflammatam, & debilem confluxurum, ad alias partes tranſmittere: quare reuulſio ex loco maximè diſtanti debet celebrari, iuxta Hipp. edictum *lib. de oſſibus, num.13.*

HISTORIA LIII. PAVLI,
De ventriculi debilitate.

Ventriculi debilitas, ob pituitæ copiam, vomitu ex radicula parato, curatur.

E*Go quandoque ita affectum noui, qui raphanis ex oxymelite ſumptis, incredibili craſſioris pituitæ copia vomitu egeſta, integræ ſanitati fuit reſtitutus, &c. Paulus* lib.1. cap.41.

PARAPHRASIS.

VEntriculi morbos difficillimè curari, eſséque multi faciendos arguunt plurima. Primùm. Quoniam alimenti eſt prima officina, & quum cibos recipiat nullo modo concoctos, ab illorum variis qualitatibus diuerſimodè alteratur. Secundò. Eius coctio deficiens, aut vitiata, ab aliis membris coquentibus non ita emendari poteſt. Tertiò. Quòd conſtet ſubſtantia frigida; qua de cauſa imbecillis factus, craſſos, viſcidos, tenacéſque ſuccos gignere conſueuit, quorum occaſione morbi diuturni excitantur, & rebelles. Quartò. Quia cum partibus præcipuis plurimum obtinet conſenſum, cuius cauſa illis ſuas citò communicat affectiones. Quintò. Quoniam ob exquiſitum ſenſum quo pollet, ex Gal. 12. *meth.5. & lib.1. de cauſ. ſympt.7.* illicò noxam perſentit. Sextò. In hac parte A varij humores pituitoſi coaceruantur, & eſt veluti lacuna pituitæ, auctore Auic. 13. 3. *tract. 2. cap. 16.* generatur etiam in ventriculo bilis porracea; & confluit ad ipſum humor melancholicus ex liene. Septimò. Alimẽtum corruptum in eo, generat ſubſtantiam, quæ retinet indicibiles qualitates, ex Gal. 3. *de cauſ. ſympt.* 1. Quare non immeritò Auic. *loc. cit. cap.4. debilitatem ventriculi eſſe cauſam omnium ægritudinum corporis* pronunciauit.

Cùm plurima pituitæ quantitas innatat in ventriculo, in eiúſque cauitate, tunicíſque tenaciter eſt impacta, faſtidium, inflationem, nauſeam, acorem, deprauatam coctionem ægri patiuntur; ob dictam cauſam, hos eſſe primò curandos, pituita à ventriculo abſterſa, Paulus *hoc loco* admonuit. Quantùm enim oporteat pituitam ſic innatantem à ventriculo abſtergere, & ſubinde vitiatos humores in eius cauitate infixos repurgare, docent B Galenus *lib.8. meth.5. & lib.8. de compoſ. medic. ſec. loc. 3.* Auic. *loc. nuper cit. cap.6. & 1. 4. tract. 1. cap. 35.* Aëtius *tetrab.3. ſermon.2. cap.9. & 10.* Ea enim coërcita, plurima damna, ob ventriculi cum præſtantibus partibus conſenſum, ſuboriri, quotidiano experimento compertum eſt. Ob eam enim inſitus ventriculi calor flacceſcit, & debilitatur, quo imbecilliori facto, cruditas increſcit, à qua omnis morborum farrago repullulare ſolet, cùm ſit malorum omnium ſeminarium, atque origo, ex Auic. 16. 3. *tract.3. cap.* 21. Ab hac enim oriuntur mali habitus, podagræ, articulorum morbi, diuturnæ febres, apoplexiæ, paralyſes, conuulſiones, peripneumoniæ, Ophthalmiæ, & vniuerſa propemodum ægritudinum ſtrues, ceu à fonte vberrimo originem ducit. Inſuper cruditas obſtructionis eſt promptiſſima cauſa; à qua irreparabiles morbos emanare lata oratione proſequitur Gal. *lib. de cib. boni, &* C *mali ſucci, cap.2. & 3.*

Quare pituitam in ſuperiori ventriculi parte contentam vomitu vacuare oportet, *vt lib.2. de alim. facult.* 20. & ex profeſſo *lib.6. de ſanit. tuend. cap.* 10. Galenus edocuit. Hæc enim vacuatio facilis eſt, & ſine noxa, minimúmque negotium faceſſit, *vt lib. 5. de vſu part. cap.* 4. retulit Galenus. Sic Celſus *lib.2. cap. 3.* vomitum prouocare iubet, quibus ventriculi ratione multa ſuccreſcit in corpore pituita: vacuatio enim per hanc regionem celebrata ſaluberrima eſt, & omnium præſtantiſſima: noxios quippe humores ex ipſis fontibus ſynceros elicit, & euacuat omnem, quæ in ventriculi cauitate hæret, illuuiem; & ex cauis iecoris ſuperuacuos humores; & caput, reliquúmque corpus conſequutione quadam expurgat, vt docuit Præceptor, *lib. 4. aph. com.* 2. & probat poſtſeum D Fernel. 2. *de purgand. rat. cap.* 2. eloquenter.

Cùm autem plurima ſint vomitoria, leuia, fortia, & mediocria, ex variis medicamentorum generibus parata; à leuibus inchoare, fortibúſque abſtinere oportet Aëtij conſilio, *tetrab.1. ſerm.3. cap.119.* Inter illa primum locum tenent raphani ſemen, cortex, radix, imò & totus oxymelite paratus; ille enim vomitum ſine moleſtia mouet, ob multas cauſas. Prima. Quoniam acrimonia ſua irritat expultricem ventriculi. Secunda. Flatulentia ſua diſtendit, & detergit, cùm aëris ſit. Tertia. Tetro ſuo odore ventriculum ſubuertit. Quarta. Non digeritur, quare tanquam oneroſus expellitur cum iis, quæ in ventriculo retinentur; ex Gal. 2. *alim.* 70. Auic. *lib.2. tract.2. cap.580. & lib.1. tract. 1. cap. 1.* Raſio *lib. 4. aph.* Ishac *lib. 4. diætar. cap. de radice.* Dioſcorid. *lib.2. cap.* 105. Quare Arabum axioma de Raphano, E *raphanus digerit, & non digeritur*; eſt explicandum; nam ex eo genere eſt ciborum, qui diu in ſtomacho durant, & magna cum difficultate coquuntur: digerit autem, hoc eſt, ſuo acumine diſtribuit, vel grauitate ſua reliquos cibos ad inferiora propellit. De quo negotio Amatus diligentiſſimè *lib. 2. centur. in ſchol.* 32. ratiocinatus eſt. Quinta. Fœtentes, putréſque ex ſe eleuat ructus, ad nauſeam, vomitumque facilè prouocantes, ex Galen. *lib.1. de loc. affect. cap.* 4. quidquid cauſam tetri halitus in ſumentis natura, non in radiculá ſitam eſſe, opinetur Aphrodiſæus *lib.1. probl.* 41. nam extrà maceratus parem fœtorem aquæ conciliat. Quoniã, vt inquit Simeon Sethi,

radiculæ

radiculæ ſunt facilis corruptionis, atque ideò ructus olidos efficiunt: par eſt igitur iis abſtinere, qui poſt eorum vſum ructant, quando hæ, & reliqua cibaria ſecum corrumpunt. Ergo radiculæ, quia ructus efficiunt, ventriculum perturbant, ructus enim eſt ventriculi affectio, vt docuit Ariſt. *lib.33.probl.1.5.9.17.* fit enim ructus, cùm ventriculi humor recaleſcens inflatur, atque concoquitur: ex quo reddit cauſam, cur nec iumenta, nec cornigera, nec aues, nec ruminantia ructent, ſcilicet ex ventris ſiccitate; quia plures habent ventres, in quibus humor conſumitur, qui cùm in flatum vertitur, efficit ructum. Declarant hoc luculentiſſima oratione Gal.3. *de cauſ. ſympt. cap.2. poſt. med.* Fernel. breuiter & politè *lib.6. de part. morb. cap.3.* Altimarus *de medend. human. corp. malis, cap.69.* & auctor eius voluminis quod *Philonium* dicitur, barbarus quidem, ſed elegans, *lib.2. cap.70. de oris & anhelitus fœtore, & lib.4. cap.11. de eructatione.* His de cauſis raphanum concitare vomitum patet apertè. Conſule Oribaſium *lib. 8. collect. cap.1. rubric.2. de vomitu raphanis prouocando*, & Mundellam *epiſt. 11.* De quo argumento nuper ſcripſit Petrus Morellus *in meth. præſcribendi medicamenta, ſect. 2. cap. 5. de Vomitoriis.*

Oxymel autem vomitum concitat, ſi ſit copiosè ſumptum, partim abluendo, partim detergendo; quare acetoſi ſyrupi, ex dulci & acri conſtantes nauſeam mouent, Auic. 2. *canon. tract.1. cap.3.* Cætera quæ de vomitoriorum forma, genere, agendi modo, aptitudine corporis ad vomitum, eius præparatione, tempore accommodato, ac denique de conditionibus ad vomendum requiſitis, conſultò prætereo, legenda apud Auic. 4.1. *cap.11.* & eius interpretes, Arnaldum *in tract. de regimin. ſanit. cap.43.* Nicolum *ſerm.2. tract.1. ſum.2. cap.9.* Mercat. *lib.1. indicat. cap.9.* Lupeum Cureleanum *lib.2. enchirid. cap.4.* Bartholom. Perdulcem *lib.3. vniuerſ. medicin. cap.27. & lib.5. ſect. vlt. cap.9.* Santorellum *lib.22. anteprax. à cap.1. vſque ad 5.* & nos *lib.3. in com. Hiſtor.26.* ſcitu non indigna proponemus.

HISTOR. XLIV. GALENI,
De ventriculi debilitate.

Ex ventriculi debilitate, & gulæ refrigeratione, mors ſubſequuta.

HOmo erat quadraginta annos natus: medio dum valebat, craſſitudinis & gracilitatis habitu. Is ſiti vehementer affligebatur, ac calidam auerſari ſe dicebat, cùm illi frigidam nemo daret, tametſi hanc impensè flagitabat: febricitare tamen Medicis non videbatur; & ventriculus quæ ſumpſerat, tribus aut quatuor horis pòſt euomebat ſimul cum potione. Itaque gracilis iam effectus erat, & periculo propinquus, minimè videlicet adiutus ab auſteris, acerbiſque tum cibis, tum medicamentis. Sumebat verò & poſt cibum, auſterum vinum is homo, cùm nec vltrà ſitim toleraret, ac (vt aiebat) mori mallet, quàm in cruciatu viuere, aquam frigidam * *ſimul multam ſuper cibum hauriens protinùs ſitire deſtitit: paulo verò pòſt plurimum eius euomuit. Abhinc horrorem in toto corpore ſenſit, pluráque operimenta popoſcit, quum priùs omnia abiiceret. Tunc igitur reliquum totum diem, quo id fecit, noctémque totam in quiete egit, cooperimentis ſe fouens. Venter verò circa mediam noctem ſemel excreuit, quæ mediocriter erant cocta: itaque nec ſiticuloſus præterea erat. Poſtero autem die tum* * *coloratior multò, tum firmior eſt effectus. Ac deliberabant iam Medici, an hominem lauare expediret, alij quidem ſuadentes, alij diſſuadentes. Vicit autem ſententia illorum qui lauare ſuaſerunt. Itaque etiam lauatus citra offenſam eſt, ac modicè cibatus, tum meliùs ei quàm pridie venter concoxit. Queſtus autem eſt quòd difficulter tranſglutiret, viſúmque omnibus eſt propter vomitum, qui præter conſuetudinem inciderat, vellicatam illi fuiſſe gulam, ac proinde malè habere. Cæterùm vt etiam ſecutis diebus ſymptoma permanſit, conſtabat nobis omni-* A *bus ventriculi imbecillitatem eſſe ſanatam, gulam autem eſſe perfrigeratam. Nec ſanè mirandum erat, ſicuti potione illa quod immodicè calfactum erat, ad mediocritatem eſt reuerſum: ſic quod mediocriter calebat, fuiſſe refrigeratum. Cæterùm gulam eius nemo potuit ſanare: ſed vitio in vitium mutato, tandem mortuus eſt, &c. Galenus* lib.7. meth. cap.8.

PARAPHRASIS.

VTile exemplum placuit Galeno recenſere ad vnguem, olim, dum Medicinæ operam daret, à ſe viſum, & à præceptoribus ſuis malè curatum, quum nec ipſe, nec Medicorum quiſquam affectum intelligeret. B Proponit ergo hominem quadragenarium calida ſiccáque ventriculi intemperie laborantem; quam periculoſiorem, & ſanatu difficiliorem eſſe conſtat, quia ex duabus qualitatibus, & difficilioris ablationis, & longioris temporis, ſit compoſita. Hac fuiſſe correptum, multiplicia probant argumenta, primùm ſitis vehemens, qua vehementer cruciabatur, calidæ auerſatio, nimium frigidæ deſiderium: hæc enim partes internas æſtuantes, meſenterium, hepar, ieiunum, pulmonem, ventriculum, & præſertim ipſius os, flagrare incendio ſignificant, ſi Galeno fidem adhibemus, *lib.6. de loc. affect.3. & in art. med. cap.64.* Quo pacto mirari ſubit Præceptorum Gal. ingenium, qui in re tam manifeſta ita cæcutientes, à vera affectus cognitione aberrarunt: & eò magis quòd æger tribus, aut quatuor horis poſt aſſumptum cibum vomeret; nam vomitus patientis ventriculi eſt euidentiſſimum ſignum.

C Liberabis ergo à calumnia Galenum, vt qui nihil certi de ſe affirmare auſus ſit, ſola tunc vſus contemplatione: ille enim iuuenis erat, & nondum in arte ſatis verſatus. Patet, quoniam procedente ætate audacior factus, quia magis expertus, ſimilem caſum, quum iam omnem ventriculi intemperiem diſcernere poſſet, perbellè curauit. Audi ipſum, *in ſequenti hiſtoria* dum ſic præfatur. *Poſteà verò quum iam medendi methodum inueniſſem, venit mihi in mentem, hunc, vtique illum eſſe affectum, quem olim fueram contemplatus.*

In hoc ergo agone cùm eſſet poſitus laborans, ſitientiſſimus, & ob denegatum potum, exareſcente ventriculo, ſicque vi quadam à partibus tracto humore, corpore extenuato & gracili, in maximum periculum eſt redactus: (immodica enim ſiti cruciatos quandoque vitam hac de cauſa cum morte commutaſſe, plu- D rimis exemplis comprobauit Galenus *lib.1. de cauſ. ſympt. cap.7.*) & maximè quum ob intemperiem calidam & ſiccam, vis retentrix adeò eſſet debilis, vt exhibitum alimentum retinere non poſſet; & ſic cùm corpus conuenienti cibo orbatum contabeſceret; factum eſt vt clamoſa vrgente ſiti vexatus, citra conſilium Medicorum, qui frigidam illi non concedebant, vtpotè debili, vomenti, gracili & excarni, mori quidem mallens, quàm in cruciatu viuere, aquam frigidam ſimul multam, ſuper cibum hauriret, qua epota protinùs ſitire deſtitit, & meliùs habere viſus eſt.

Hunc fuiſſe præpotentem & diuitem, patet apertè, nam præterquam quòd inſciis Medicis, vtpotè inobediens, & minimè obtemperans, (cæterorum diuitum inſtar, ex Gal 11. *meth. cap.13. & 16.*) gelidam aſſum- E pſit, plurimos Medicos ad ſui ſalutem conuocauit. Eſſe autem conſultationem Medicorum optimam, & in proprium ægrotantis commodum ſæpè finiri, tradit eleganter Hipp. *lib. præcept. num.7.* dum ſic ait. *Nec verò indecorè ſe ille geret Medicus, qui in rei præſentis anguſtia circa ægrum aliquem, & imperitia tenebras offundente, alios quoque accerſi iuſſerit, quò ex communi conſideratione res circa ægrum inquirantur, ac cognoſcantur, & illi cooperatores fiant ad auxilij ferendi facultatem: nam in afflictionis aſſiduitate, augeſcente affectione, ob conſilij inopiam, plurima ad rem præſentem effugiunt, &c.* Quem locum polita oratione exponit eruditiſſimus H. urnius. Nam conſultatio ægros obedientes reddit: quantum autem in curandis morbis proſit obedientia, oſtendit Gal. *lib.1. prog. com.2.*

&

& *lib.3.epid.ſect.3.com.58.*& *lib.6.eiuſd.ſect.2.com.43.* qui plures non obtemperantes, in peſte ſæua obiiſſe; è contrà obedientes, aſſumentéſque cibum, ſuperſtites euaſiſſe affirmat. Quapropter lætetur ſemper Medicus, ſecum habere colloquutorem; miti enim, & diſerta concertatione hauritur veritas, ſicut ex ferro & ſilice elicitur ignis; qui enim conſilium renuit, is vult ſolus eſſe in præcipi equus, qui à cœtu Medicorum exſibilandus eſt. Non ergo fruſtrà iuniorum doctiſſimi, de collegandi ſeu conſultandi ratione elegantiſſimos libellos conſcripſerunt, nam vt ſcitè Theodorus Zuingerus interpretatur, *in Hippocratis com. Medicus eruditione, & experientia licèt ſit pulchrè inſtructus, cùm homo ſit, decipi, errare, labi poteſt, ob ſingularium circa quæ verſatur, incomprehenſibilem varietatem.*

Ex gelidæ ergo potione intempeſtiuè, affatimque ſumpta, refrigerata gula, in deglutiendi difficultatem, & mortem incidiſſe, vnanimiter ipſi confirmarunt. Nam ab acerbis, tum cibis, tum medicamentis, læſum fuiſſe, extra rem eſt, quum hæc roborent, ſitimque leuent. Dulcis aquæ lauacrum obfuiſſe, non eſſe affirmandum: nam *balneum ſitientibus ſitim auferr*, ex Galeno *lib. de marcore, cap. 7.* Quare iis qui ob caliditatem, & ſiccitatem premuntur ſiti, balneum ſtrenuum eſt auxilium, ex Aëtio *tetrab. 1. ſerm. 3. cap. 106.* Cauſam ergo mortis totam in frigidæ potionem referendam eſſe patet, ex qua gulæ vellicatio; & e hac deglutionis impedimentumque ſequutum, eſt manifeſtum; vbi namque pluribus diebus cibum quis deglutire non poteſt, mori hunc neceſſarium eſt prorſus. Sed qua de cauſa frigidæ potio gulam refrigerando, deglutionis impedimentum fecerit, & cur hæc refrigerata calefieri non potuerit, qum non ſit in parte adeò longinqua vt ventriculus, qui refrigeratione leuatus eſt, ſic accipe.

Quam partem, gulam Latini appellant, eam Græci œſophagum vocant, licèt qui poſt Ariſtotelem ſcripſerunt, ſtomachum vocarint, auctore Gal.*lib.5.de loc.cap.5.* falsò tamen, cùm ſtomachus ſignificet eam corporis cauitatem, ex Plin. Celſo, Græciſque, quorum Galenus ſæpè meminit, in qua cibus recipitur, & prima fit concoctio, id eſt, ventriculum, vt Ioan. Manard.*lib.2.epiſt.3.* doctiſſimè probat: de qua re conſule Mercurial.*lib.1.variar.1.*& Marſil. Magnatum *lib.1.variar.obſeruat.cap.15.* Eſt ergo gula meatus ille, qui inter fauces & os ventriculi interiacet, per quem cibus & potus ad illam cauitatem, cui committitur, deglutiendo deducitur: quem œſophagum Græci, Latini gulam nuncuparunt, Arabes meri: ſic gula eſt via cibi & potus, guttur ſpiritur via. Nam *lib. 1. de hiſt. animal. 16.* gulam reddit Gaza pro œſophago, ſed magis vniuersè ſumenda videtur apud Ariſt. nam & gula pro ea parte tota ſumitur, quæ à mento pertinet vſque ad ſtomachum. Ita Plinius dixit *lib. 11. cap. 37. ſummum gulæ fauces vocantur.* Probat Hieronym. Magius *lib.1.miſcellan.cap.18.* œſophagum poculentis, eſculentiſque deſtinari, quam gulam Latini appellant.

Vtcunque tamen ſit, *gula eſt via cibi, potúſque*, ex Gal. *lib.6.de vſu part.cap.5.* & *2.aph.17.* Hæc pars duabus tunicis conſtat; alteram natura ad cibi, potúſque deglutionem fabricauit; alteram ad eam, quæ vomendo fit expulſionem. Interna craſſior, durior, neruoſior, rectis fibris contexta; externa carnoſior, tranſuerſis fibris prædita; tota denique eius compoſitio conſtat ex his membranis, venis, arteriis, & neruis; cuius fabricam delineauit Andr. Laurent.*lib.9. de re anatom.cap.17.*

Inſuper hanc partem vnà cum ſuis muſculis habere quandam ſocietatem per neruos & ligamenta, cum ſpinali medulla, membranis adiacentibus, & oſſibus vertebrarum tradit Galenus *lib.4. aphor. 35.* Ex his facilè colliges, gulam à frigidæ potu multo fuiſſe valdè læſam; nam frigidum inimicum neruis, ex Hippoc. *5.aphor. 18.* quoniam frigidæ, exanguéſque partes, ab intempeſtiuo, immodicóque frigidæ vſu impensè læduntur. A cuius potu, huius partis conſtrictæ, corrugatæque ſunt tunicæ, villi, & muſculi, potiſſimùm interni, qui deglutionis muneri ſunt deſtinati: frigidum enim auctore Galeno *5. ſimpl. 26.* incraſſat, contrahit, adſtringit, condenſat, ſtupefa-

A cit, atque extinguit, ex ipſo *6. epidem. ſect.6. comment.4.* Quapropter à frigidæ potu nimio, gulæ extinctum fuiſſe calorem dicendum eſt, maximè quum debilis eſſ.t, & excarnis æger: & ob ſitim diuturnam valdè afflictus: nam in his calor natiuus ob humidi inopiam eſt exiguus. His verò hunc potum concedere temerarium eſt, & à Galeno ſummoperè reprobatum; qui ſolùm iis qui valido conſtant calore, eſſe propinandum ſibi perſuaſit; denegandum verò iis qui imbecilem calorem habent: celeriter namque ad ſolidas animalis peruenit partes, nulli quod eius vim frangat, occurrens. Hoc expreſsè docuit Auicenna *23. 3. tract. 2.* de ſitis medela, dum ſic ait. *Et non bibat ſitiens aliquid plurimum ſubitò, neque aquam frigidam valdè, & mortificet caliditatem, quam debilitauit ſiccitas, &c.* Hauſtus ergo frigidæ, intemperiem extinxit; at gulam inſanabiliter extincto eius calore mortificauit, & deglutitionis impedimentum fecit. Demùm gulæ refrigeratio, vitium primum fuit; hoc in deglutitionis impedimentum mutatum: quare vitiò in vitium mutato, exteNuato corpore, abſumpto humido, & ob priuationem alimenti extincto calore, mortuus eſt.

DVBIVM XXXIV.

Num frigidæ potus ad ſatietatem ante coctionem concedendus.

COMMENTARIVM.

C *Frigidam ſimul multam hauriens.*] Quibus, & quo tempore morbi, gelida ſit ad ſatietatem vſque concedenda, explicat pluribus in locis Galenus: hic enim potus febribus ardentibus extirpandis, quæ intenſiſſima ſiti, & calore ardentiſſimo corpus fatigant, eſt accommodatiſſimus, quando enim inſatiabilis ſitis ex vehementiſſima caliditate, & ſiccitate, hoc eſt, humoris inopia ſuborta, in corpore præſertim ſqualido, & gracili, aliis auxiliis mitigari non poteſt, gelidæ vſu ad ſatietatem vſque leuatur, ex Galeno *lib.9. meth.cap.5.* & *lib.11. eiuſd. cap.9.* immò *lib. 10.meth.5.* & *lib.4. acut.12.* plurimos hoc auxilio tempeſtiuè adhito, igne correptos ſe perſanaſſe gloriatur, & de hac re plura proferemus *lib 4. in com. hiſt.11.* Hanc poſitis nonnullis obſeruationibus eſſe aſſumendam monet, quæ licèt ab ipſo ſtatuantur ſex, *lib.4.acut.cit.* ad tres tamen reduci poſſunt, ex mente Gal. *lib.cit.11.meth. §. Ergo ſi vires*
D *valentes fuerint, febris ardentiſſima, & concoctionis notæ planè euidentes, frigidam dare audacter debebis, &c.* Huius potus commoditates ſunt multæ: licèt enim aquæ, quæ in acutis bibitur morbis, nullam vtilitatem concedat Hipp. *lib.3. acut.40. nam tuſſim non ſedat, ſputum non mouet, vrinam non ciet: facilè deinde bileſcit, hypochondriis aduerſatur, lienem, & iecur maximè lædit, ſupernatat etiam, & ſtercoris ducendi ſuapte natura expers eſt*, ob multas cauſas traditas à Gal.*in com.* & explanatas à Mercuriali, Antonio Muſa, Valleſio, & Heurnio *in com.* luculenter: tamen hæc de aqua in parua quantitate exhibita ſunt intelligenda, non de ea quæ affatim, & ad ſatietatem vſque conceditur: illius enim potus parcus, ſi à ſtomacho bilioſo amplectatur, à copia bilis corrumpi-
E tur, & eius naturam induit; ciborum purorum inſtar, qui ſi trudantur in ſtomachum cacochymum, in prauos ſuccos corrupti conuertuntur, & maximè ſi in pleuritide propinetur aqua, in hac ergo affectione, cæteriſque thoracis inflammationibus oblata, plura & maiora damna facit: ſub quorum morborum exemplo, de aquæ potu loquutus fuit, *in lib.de rat. victus* Hip. vt notat Gal.*lib.1.acut.33.* & *6.* & *lib.4 com.42.*

Affatim verò ebibita vires recreat, naturam ſiti inextinguibili oppreſſam leuat, quæ alacrior facta, humores optimos, vtiléſque retinens, inutiles per vrinam, aluum, & ſudorem, aut quamlibet regionem potenter extrudit, vt referunt Paulus *lib.2. cap. 18.* Aëtius *tetrab.2. ſerm.1. cap.72.* Amatus *lib.1.centur. ſchol.3.* Sumendus hic potus quouſque æger fiat viridis, mutetur color, & tremat, ex

Auic.1.4.*tract.2.cap.7.* Cornel.*lib.3.cap.7.* Exhibendus in febre biliofa, in qua vires valeant, coctionis ſigna adſint, quæ ferè ſtatus tempore in vrina apparent, nullum viſcus internum debile ſit; neque inflammatione quapiam occupatum, aut obſtructione magna tentetur: nam in his noxas inemendabiles facit, quoniam obturat, incrudat, debilitat, fluxionem arctat, humorémque excerni prohibet. Eius loco, maioris attemperamenti cauſa, aqua medicata ſubſtitui poteſt, vt bugloſſæ, cichorij, hordei, &c. Et ſi internæ malignitatis veſtigia adſint, conſulunt Ferdinandus Mena *lib. de febr. cap.* 38. Trincauel. *lib. de febr. peſtilent. cap.* 201. propinari aquam pulpa tamarindorum benè decoctam, nec immeritò. Nam modicè refrigerat, humorum acrimoniam reprimit, ſanguinis furorem, feruorémque compeſcit, hepatis ardorem extinguit, bilem purgat, acutis febribus remedio eſt, veneno & putrefactioni reſiſtit, & malam qualitatem mirandum in modum compeſcit; vt refert Mizaldus *de compoſitione medicament. cap. vltim.* maximè ſi temperetur guttulis iulep. violacei, vel limonis, aut mali punici ſucco miſceatur.

Vnum ſolùm aduertere debes, febris vehementiam eſſe aliquando tantam, vt periculoſa ſigna ſe prodant, quæ hecticam febrim, aut innati caloris extinctionem manifeſtè minari conſueuerunt. Et ſunt lingua nigra, & aſpera, arida, fuliginoſa, ex Gal.*lib.1.de loc.cap.5.* & 4.*acut.*4. *&* 13. calor enim immodicus in ardentiſſima febre inflammat ſanguinem, & bilem, & horum humorum exhalationes fuligini ſimiles reddit, ex Galeno 6. *epid. ſect.5. com.* 14. In his faucium nimia ſiccitas, adeſt ita vt ob ſiccitatem ægri loqui non poſſint, ex Gal. *lib.7. de vſu part. cap.*14. *in fin.* Ob hanc cauſam ex gutture valdè reſiccato vox ſit clangoſa, vt *cit. de vſu part. cap.* 7. perbellè notauit Galenus. Hæc omnia in vehementiſſimis, & maximis partium internarum inflammationibus reperiuntur ſæpè, in quibus internæ partes extimis frigidis incendio flagrant, ex Hipp. & Galeno 4. *aphor.* 48. *& lib.7. eiuſd. text.*1. in his enim ob magnitudinem inflammationis, eximiúmque dolorem, ſanguis à circumferentia conuocatur ad centrum, ibique vnitus & conculcatus ſitim intolerabilem parit, vel animi defectum, aut caloris innati extinctionem ſecum accerſit. Hæc omnia demonſtrant præter cætera, vrina nigra & pauca, duriſſima aluus; nigredo enim ingentem humoris bilioſi aduſtionem ſignificat; paucitas totius ferè humoris aquoſi, ob retorridum ignem internum, conſumptionem præoſtendit; quibus de cauſis aluum duriſſimam reddi, ſtercori caprarum perquam ſimilem tradit Gal. *lib.4.acut. cap.*17. & poſt eum firmauit Auic.1 6.3.*tract.*3. *cap.*16.

Si verò hæc exitialia ſigna appareant, ex Galeno *lib.*1. *criſ.*12. & alibi paſſim, ſitiſque incompeſcibilis, & deurens caliditas hominem torqueant, citiſſimum interitum prænunciant, apud Gal. *lib.3.epid.ſect.3.com.*34. quid ergo faciendum, niſi oblata frigida ante coctionem, vſque ad ſatietatem, ægrum leuare? ni ergo hoc feceris, ſpretis cæteris indicationibus, illum præcipitem dabis in necem. Quod poteſt timeri, diuturnitas eſt affectus: at neglecta, quæ ſumitur ex cauſa febris, indicatione, ſoli febri prouidere oportet; multò enim melius eſt, vt crudiori facto humore, fiat febris phlegmatica & diuturna, quàm hectica. Nam, vt optimè dicebat Auicen. 1.4. *tract.2. cap.3. febris quandoque eſt tantæ vehementiæ, & acuitatis, vt non liceat vti regimine cauſæ, immò neceſſe eſt vti infrigidatione multa*, & Galenus *lib.*10. *meth. cap.6.* quandoque adſtante inflammatione interna, exhibet frigidæ potum ad ſatietatem vſque, negligens vnam indicationem ob aliam vrgentiorem: Sic enim ait. *Tutius eſſe ratus phlegmonas in præſens augere, quàm ſinere hominem in hecticam febrim incurrere, &c.* Gal. mentem probat Alzarius à Cruce *lib.4. centur.*91. & eloquentiſſimè firmat Donat. Santorus *lib.4. epiſt.4.*

His commotus Auerroës, ſummi iudicij Medicus *lib.7. collig. cap.8.* quinque rationibus contendit, ante coctionem, frigidam vſque ad ſatietatem eſſe concedendam. Prima. Quoniam febris ardens ita depopulatur corpora noſtra, vt ſi expectanda ſit concoctio, periculum immineat, ne extinguantur ægri, antequàm materia concoquatur. Secunda. Quoniam experientia comprobauit, frigidæ exhibitionem etiam in materia cruda ſæpè profuiſſe. Tertia. Bilem non propthereà dici crudam, quia craſſa ſit, ſed quia feruida nimium eſt, & valdè acris; frigidæ ergo potus potiùs coquere bilem eſt dicendus, quàm è contra. Quinta. Expendendum eſſe ait, an in exhibenda frigida, maius fiat detrimentum iuuamento; quando enim adminiſtratur in materia cruda, id ſolum detrimentum fit, ne morbus longior fiat, licèt mirum in modum incendium extinguatur: quare maius eſt nocumento iuuamentum. Poſtrema. Dicit Rhaſium (locus eſt *lib.1. diuiſion. cap.*148. 149. 150.) teſtatum reliquiſſe, aliquando dominum, & ſeruum ægrotaſſe, atque illum exhibita frigida perſanatum, ſeruum ea negata emortuum. Quare de cura coacta, in ardentiſſimæ febris præſentia, æſtate feruida, ſæuiente calore interno, non cunctandum vel citra coctionem, ob imminens ex procraſtinatione periculum, gelidam ad ſatietatem vſque exhibere. De quo argumento, conſule Abrahamum Nechmiam *tract.de frigidæ potu*, qui de hoc negotio egit eleganter.

Conſule Vindicianum, *in præfat. ad Valentinianum Imperatorem*, de quodam, qui retentis excremētis febri ardenti laborans, liberatus fuit contra omnium vota copioſiſſimo ſudore, copioſo frigidæ potu cum ſale exhibitæ. Num autem gelida, ſubitò & affatim, an ſenſim & paulatim in febribus ebibenda, lege Septal.*lib.2.caution.num.*60.

QVÆSTIO XXXV.

Quòd aqua minimè nutrire poſſit. Contra Rondeletium, Cardanum, Marcel. Augentum, Guaſtauinium, Conciliator. Rorarium, Baccium, & Mercatum, Medicos doctiſſimos.

Coloratior multò, tum firmior eſt effectus.] Mirum eſt, quod multi volunt, & plurium iuniorum peritiſſimorum auctoritate ſancitum eſt, aquam noſtram vſualem corpora nutrire. Firmat hoc Galenus *hîc*, huius ægri hiſtoriam enarrans, qui gracilis, & periculo propinquus, nullo alio oblato alimento, quàm potu gelidæ, & coloratior multò poſtero die, & firmior eſt effectus. Idem firmat Hipp.*lib.de diæt.num.*2.§. *Aqua omnia nutrit, &c.* Probat *lib. de affectionib. num.* 53. vbi proponens, quæ robur noſtris corporibus addunt, numerat & aquam: & 3.*acut.*19.multam aqua potentiorem eſſe affirmat. Subſcribit Ariſt.*ſect.*1. *probl.*13. quærens enim cauſam, quare corpora noſtra magis alterentur ab aqua, quàm ab aëre, illam inter alias connumerat, quòd aqua nutriamur, nôn ab aëre. Subſcribunt Guaſtauin. *in com.* Conciliator. *dif.* 155. Celſus *lib.2.cap.*18. inter ea quæ ſunt pauci nutrimenti, recenſet & aquam, & *lib.4. cap.2. & lib.6.cap.6.* idem affirmat, ſequitur Auic. 2.1.*doct.2.cap.*19.*in princip.*§.*Et neque attendenda ſunt verba illius qui dicit, quod aqua non humectat membra radicalia cùm bibitur, &c.* Albertus Magnus *in lib. de animalib*, vt refert Cælius Rhodigin. *lib.*13. *antiquar: lect. cap.*24. narrat ſe vidiſſe melancholicum, qui multis annis vitam ſola aqua peregit. Plutarch.6.*lib. probl.*3, famem aquæ potu ſedari aſſeuerat. Piſces aqua nutriuntur, & viuunt, ex Ariſtot. 8.*de hiſtor. animal.cap.*2. quam opinionem multis argumentis vallare conatus eſt Rondeletius *lib.1. de piſcib. cap.*12. quin piſciculi multa aqua nitidiſſima nutriuntur, ex Ficino *lib.2.de ſanit. ſtudioſor.tuend. cap.*18. vt cicadæ, quæ aluntur aqua, ex Athenæo *lib.* 2. *cap.* 2. Sic Plutarch. *lib. de Iſide, & Oriſide*, aquam Nili epotam corpus reddere pinguius, carniúmque incrementum efficere affirmat. Prætereà, ſi aër nutrit 2. *aphor.* 18. cur aqua aëre corpulentior non alet? Ad hæc, quod appetitum naturalem ſedat, vi nutriendi carere non poteſt. Sic plantæ aqua plurimùm nutriuntur; ſemina ſolo aquæ beneficio creantur, & fouentur; ſic olera, & maximè herbaceum genus aquæ irrigatione adoleſcunt, ex Theophraſto 7. *de hiſtor. plantarum, cap.* 5.

Itaque

Itaque Ægyptios legimus aquæ diuinum adhibuiſſe cultum, vti rei admodum neceſſariæ atque vtili, vt refert Senec. *lib.4.natural.quæſt.cap.2.*

Hoc pacto hecticis balnei beneficio ſubſtantificam deperditam humiditatem reparant : qua de cauſa aquam, aliquam nutriendi vim habere non denegauit, & *lib.de pulſib. ad tyrones, cap.24.* eam, exiguum alimentum præbere arbitratur. Sic aquæ potatores ſunt longæuiores, & pinguiores. Denique ſi dulcedo nutritionis eſt cauſa, ex Gal. *lib.2.ſimpl.419.& 3. cap.11.* cur aqua dulciſſima non nutriet? Vltimò. Si ex aliis elementis nutriuntur animalia, cur non ex aqua? Nam chamæleontem hianti ſemper ore, ſolum animalium, nec cibo, nec potu ali, nec alio, quàm aëris alimento, teſtantur totius naturæ indagatores ſummi, Ariſt. *lib.2.de hiſt.animal.cap.11.* Plin. *lib.8.cap.33.* Talpam nutriri terra conſentit auctor *libri* qui inſcribitur, *Summa de exemplis & ſimilitudinibus, cap. 43. lib.1.* Salamandram igne paſci, ac nutriri, ſcripſere Ariſt. *lib.5.de hiſtor.animal. cap.19.* Plin. *lib.10.cap.67.lib.11.cap.33.* Pyrauſtam, pennatum quadrupes in ærariis Cypri fornacibus volare per medium ignem, tradit. Viuere enim in igne animalcula quædam, magnarum muſcarum inſtar, tradunt Ariſt. *lib.9. de hiſt.anim.cap.1.* Ælian. *lib.2. de animal. cap.31.* Paul.Iouius *lib.32.hiſt.ſui temp.* Petrus Proponat. *in com.lib.4. meteor.dub.62.*

Sed iam tempus eſt vt Galenicam veritatem proponamus, quam omnis Medicorum chorus amplecti ſummoperè tenetur. Is enim *lib.4.de vſu part.cap.5.* deferendi humidum illud pingue, craſſúmque, per anguſta vaſa, & exiles meatus ad omnia membra, vſum aquæ conceſſit; *Neque* enim *ex ventriculo in venas commodè tranſſumi poterat chymus iam ex cibis factus, neque facilè pertranſire venas, quæ ſunt in hepate & multæ, & anguſtæ, cùm ſua craſſitie immoretur, lentore verò meatibus hæreat, niſi tenuis quædam, & aquoſa humiditas, tanquam vehiculum, fuiſſet ei admixa. Hunc itaque vſum præſtat mortalibus aqua, ſiquidem ex ea nutriri nulla particula poteſt : diſtribui verò ex ventre, quòd nutriturum erat, non poterat, niſi deductum fuiſſet à quopiam ita liquido.* Hactenus Gal. Hoc enim probat *lib.4.aph.13. aquam neque interiùs epotam, neque extrinſecùs applicitam poſſe animalis corpus humectare,* aſſeuerans : quod ſubſtantificè intelligendum eſt : nam aliquo modo, extrinſecè ſcilicet, id efficere poſſe, non eſt denegandum. Idem etiam aſſerit *3. acut. 17. aqua* ſiquidem *non vt alimentum vires recreat, ſed benè vt medicamentum, ad temperamenti ſymmetriam corpus deducens.*

Hunc ſequitur Auic. 2.1 *doct.2.cap.16.in princip.& 10. 3.tract.1.cap.1.§. Sed aqua eſt ad nutrimentum corporis, hoc eſt, facit nutrimentum ad diuerſa loca diſtribui, &c.* Eius ſententiam approbant interpretes, *in com.* Gentil. Vgo, Iacob. vterque Coſtæus, Ishac *lib. diætar.particul. tit. de aqua,* & eius interpretes Petrus Hiſpanus, Haly *8.theoric.29.* Tral. *lib.6.cap.de pleuritide, tit.de victu.* Auer. *lib.7.collig.cap.2.* Anton. Gazius *cap.250.* Valleſius *lib.6. cont.6.* Mercurial. *tract. de vino & aqua, cap.6.* Cardozus *in lib.de ſex reb. non natural.cap.4.* Hierem.Brachel. *lib.3.acut.in comment.17.* & Theod. Zuuinger. *in com. Hipp.in lib.de aliment. num.vlt.§. humiditas alimenti vehiculum eſt, &c.* Explicant eruditè Anutius Foëſius *in com.* Lege Santorellum doctiſſimum, qui *lib. 16. antepraxis, cap. 4.* noſtras partes acriter inter omnes tueri conatus eſt.

Scio quid ratiocinentur contrariæ partis defenſores, nempè Cardan. *ad lib. Hip.de aëre, & aquis.* Marcel.Donat. *lib.4.de med. hiſtor.mirabil. cap.20. in fin.* Andreas Baccius *lib.3.de vinor.hiſtor.cap.4.* Mercatus *lib.2.de ſanit.num.90.* Horat. Augen. *tom.2.epiſtol.lib.2.epiſtol.3.* Galenum ſcilicet loquutum de aqua ſimplici, & elementali, non verò de ea, qua quotidie vtimur pro potu, quæ cùm mixta ſit, nutrire poteſt. Sic enim ait *lib.de ptiſſana, cap.1.§. Siquidem eiuſmodi aqua vſui accommoda eſt, natura verò haudquaquam ſyncera exiſtit, perinde ac nec vllum quidpiam ſenſilium elementorum, &c.* & *lib. de element. cap.10.§. quare ſi quæris in animalibus terram, talem potes reperire, qualem terram in mundo; impermixtam autem, & integram, & ſolam, neque in illo facilè inueneris, ſicuti neque aquam ſynceram, omnis mixtionis*

A *expertem, neque ignem, neque aërem, &c.* Non concludit argumentum : vt enim rectè aſſeruit Albertus Magnus, *opuſculo de nutrimento*, non celebratur nutritio, niſi retineatur inter continens, ſiue quod alitur, & id quod valet ad alendum, proportio, ſic vt poſſit continens formam induere; ea verò proportio in eo maximè eſt ſita, vt vel alimentum ſit mixtum, quemadmodum & viuens, & vt ad viuentis temperationem maximè accedat; aqua verò vſualis noſtra, ſimplex eſt corpus, aut ſi non ita ſimplex, vt retur Galenus, tenuiſſimum tamen, fluidúmque eſt, & in ſolidam noſtri corporis ſubſtantiam verti non poteſt, quum huius reſpectu ſimpliciſſima ſit, & ab eius natura maximè recedat : nam fluida eſt, nihil habens lenti, quo affigi, aut adhærere membris poſſit, auctore Magiſtro *lib.10.ſimp.tit, de ſudore.* Affixionem autem ſummoperè eſſe neceſſariam nutritioni, tradidit Gal. *lib.2.de alimentor. facult.64.* & fu-
B ſiùs oſtendit *lib.1.de naturalib. facult.cap.11.* poſito exemplo in hydrope : *in hoc* enim *affectu nutritio non fit, non quòd affluentis alimenti deſit appoſitio, ſed cùm aquoſius ſit, & ad ſiccum non ſufficienter redactum, nec lentorem, glutiniſque conſiſtentiam, quæ natiui caloris ope prouenit, adeptum, cohærentiam conſequi non valet, diffluente nimirum, ac dilabente, ob tenuis crudique humoris abundantiam, à ſolidis partibus, alimento.*

Aqua ergo non nutrit, ſed nutrimenti ſolùm eſt vehiculum. Licèt enim plurimus in hominum vita ſit aquæ vſus, & ea optimi, ac nobiliſſimi muneris loco mortalium generi ſit conceſſa, quam diuinam appellauit Plut. *lib.5.ſympoſ.cap.10.* quum nutrix & altrix omnium rerum ſit, ab eáque tanquam à primo elemento ſint reliqua tria;
C tamen ob dictas cauſas nutrire nequit. Deinde aqua reliquarum rerum principium eſt, Ariſtot. *lib. 1. ſapientiæ, cap.3.* Cicer. *lib.1. de natur. Deor. & in Lucullo,* Plutarch. *lib.1.de placit.philoſoph.* Vitruuio, *lib.2. cap.2.* & *in proœm. lib. 8.* Nemeſio *lib. 2. de phil. cap.1.* Horum igitur omnium ſenſu, nobilitatem & vtilitatem aquæ celebrantium, hæc rerum omnium origo eſt, atque principium : Nec refert quod à Propertio *lib. 3. eleg. 14.* vilis nominetur :

Vilem ieiunæ ſæpè negauit aquam.

Cur? ob copiam, & quia inuentu facilis. Sic & Horatius *lib.2.ſerm. Satyr.5.*

Vænit viliſſima rerum Hic aqua.

Et quia viliſſimo pretio emitur, cùm res natura ſua ſit pretioſiſſima, vnde Lactantius *lib.1.cap.5.* ita vocat, velut à qua ſint omnia.

D Huius ergo neceſſariiſſimi elementi multiplex apud Medicos eſt vſus : nam ebibita aqua æſtuantem calorem demulcet & contemperat, & ob oris ventris corrugationem, appetitum ad cibum excitat, calorem naturalem robuſtiorem efficit, actiones omnes roborat, ciborum aſſationem impedit, elixationi denique ciborum ita prodeſt, vt ſine ipſa ſolida alimenta elixari minimè poſſint, niſi vinum, aut liquor alter eiuſdem vices impleat. Licèt enim has habeat excellentes dotes, nutrire tamen non poteſt, vt tenuiſſimis rationibus falsò ſibi perſuaſit Rorarius *in contradict.1.Cornel.Celſi.*

Quæ verò his aduerſari videntur, ſic ſunt excutienda. Nam æger hic aquæ potu, & coloratior multò, & firmior eſt effectus, quoniam alimentum præ nimio ventriculi, & aliarum partium calore, ſiccum & ſolidum redditum,
E aquæ humiditate liquatum & diſtributum, penitiſſimas, & præ ſiccitate conniuentes penetrans corporis particulas, ipſas refecit, atque nutriuit. Sic apud Plutarch. fames potu aquæ extinguitur. Locus deinde Hipp. *ex lib. de diæta* adulterinus eſt, ex Galeno *lib.1.de alimentor.facult. cap.13.* & *lib.6.aphor.com.1.* & *lib.1. acut.18.* Vel ſi Hipp. ſicut & Celſum intelligas de aqua compoſita, nempè aqua mellis, hordei, ſacchari, quæ alit; vel de aqua odorifera, vt naphæ, roſarum, quæ ſpiritus nutrit, rectè diſſolue : Hæ enim odoratiſſimæ, quum dulcedinem, caliditatem, lentoremque participent, ſubſtantiam ſpirituoſam alere ſunt aptæ. Aqua ergo carnoſum genus nutrire non poteſt, ſed connutrit, quoniam per totum corpus alimentum diſtribuit : hoc modo interpretantur. Ariſtot.

Conciliator *in probl.* & Auic.Exponit Vega *lib.2. art. med. ſect.3.cap.1.*

Quid verò ſit dicendum ad Magnum Albertum,ſic accipe. Fabuloſum eſt hominem multis annis ſola aqua vitam prorogaſſe. Deinde piſces non nutriuntur aqua , ſed aliis piſcibus,eſca,carne,vermibus, herbis,radicibus, ſtercore, terræ excrementis,& aliis.

Cicadæ autem,& alij piſciculi,vt cenſebat ſcriptor minimè vulgaris Athenæus, non nutriuntur aqua,ſed rore: nam ex humoribus cibum trahere ſcribunt Ariſt.*lib.4.de partib.animal.cap.3.* & Plin.*lib.11.cap.26.*firmat Virgilius *eclog.8.*

Dúmque thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ.

Nili verò aqua corpus reddit pinguius, ſua enim tenuitate alimentum promptiùs diſtribuit , & cùm frigidiſſima ſit nutritionem iuuat ; permixtione enim ſua remoratur velocem alentis humidi ex calido inflammationem , quem vſum præſtat cordi, ceu vehementer calido, vltra potum aër ; & oleo lucernæ admixtum ſal,dum enim liquatur tenuis humiditas , facit , vt multò magis duret oleum. Tanta fuit olim excellentia, & eam veteres inter regia munera adeò in deliciis habuerunt,vt Philadelphus eam ex Ægypto Berenicæ filiæ , quæ Antiocho nupſerat, in Syriam dono miſerit,ſic referente Langio *lib.1.epiſt.31.* iure ſanè; ſiquidem tanta illius fluminis dulcedo,vt accolæ vina non quærant , dummodò quieſcens in domo, & ſubſidens ebibatur. Tu verò de aquæ Nili præſtantia , & fœcunditate,conſule Pomponium Melam *lib.1.cap.5.*Diodorum Siculum *lib.1. rerum antiquar. cap.1.* Senec. *lib. 4. natural.quæſt.& lib.6.cap.2.*Strabon.*lib.17.cap.9.*Andream Libauium,*lib.3.de iudic.aquar.mineral.*

Prætereà.Optima non infertur illatio, aër nutrit, ergo aqua aëre corpulentior nutrit. Nam ea cocta,hoc eſt, deuicta calore noſtro, quidpiam nutriendis partibus ſimillimum præſtare non poſſet ; aër verò, ob ſubſtantiæ tenuitatem , & puritatem ſpiritus ſolùm alit. Pro cuius argumenti ſolutione , lege Theophraſt. *lib.2. de cauſ. plantar. cap.8.* & Auer.*lib.7.cap.12.*

Aqua appetitum naturalem ſedat , quia æſtuantem calorem compeſcit , & humectat. Omnia autem aquæ vſu pinguefiunt, quoniam ſine ipſius ope,alimentum,quo viuimus & nutrimur, ad diſtantiſſimas partes penetrare nequit. Sic olera, & herbacea omnia huius vi adoleſcunt, & reuiuiſcunt ; alimentum enim à terra acceptum , in focóque reſeruatum,per minimos ramos, ac tenuiſſimas frondes , ſine humoris vehiculo diſtribui nequit.

Hac ratione hectici, marcidi & extenuati , balnei vſu reficiuntur & pingueſcunt , eiúſque vi connutriti ad priſtinum nitorem ducuntur : hócque euenire puta,quòd aridus calor,iamiam marceſcens, ac penè extinctus,ſubſtantificámque humiditatem diu , importunéque depaſcens, humectatur,& ſic per amplos meatus, qui anteà præ ſiccitate conniuebant , patentéſque poros , nutrimentum ad corporis extremas particulas deduci poteſt, quo attracto, ipſæ commodo fruuntur alimento , & nutriuntur. De cuius vi eximia pro impinguandis corporibus, lege Gal. 11. *meth.9.&* 20.& alibi,& ex eius mente Mercatum *lib.1.indicat.13.*Fernel.*lib.2.meth.cap.20.*Bartholomæum Perdulcem *lib.4.ſect.2.cap.16.*

Aquæ verò potatores ſunt ſalubriores , & longæuiores, quòd inſitus à natura calor,exorbitans , aquæ frigiditate miteſcit, temperatur, vnitur & coërcetur , ne exhalet aut euaneſcat ; maximè quia in vini vſu exceſſus committuntur inemendabiles. Pingueſcunt autem aquæ potatores, non vt dicebat Alexand. Petronius *lib. de vict. Romanor. cap.9.* quia aqua coctioni & nutritioni , vino ſit commodior ; hoc enim Ariſt.4.*meteor.cap.2.* putat apertè falſum, quum ea frigiditate ſua, & humiditate obſit coctioni, quæ calore peragitur : ſed quoniam citiùs alimentum diſtribuitur per membra aquæ vi ; quare aqua dicitur edax, ab Hippoc.*lib.6.epid.ſect.4.text.20.* cuius acceſſu innatus calor roboratur.

Quid plura ? aqua minimè dulcis eſt,quum omnis qualitatis ſit expers, & inſipida,ex Theoph. *lib.6 de hiſt.plantar.3.* Galen.*lib.1.de ſimpl.medic.facult.5. & lib.1.de ſanit. tuend.11. & lib.4.eiuſd.3. & lib.7.ſec.loc.cap.2.* Dicitur autem dulcis, quoniam huius ſaporis aliquid, aliorum verò minimum admittit : & licèt dulciſſima eſſet, non aleret ; nam nec actu, nec potentia viſcida eſt , craſſa, aut lenta, ſicut eſt pars quæ nutriri decet.De aquæ dulcedine,hoc eſt ſuauitate , lege Marcel.Virgil.*lib.5.in Dioſcor.in com.c.10.*

Aëre deinde Chamæleontem nutriri,falſum deprehendit Ioan. Brod. *lib.6.miſcellan.cap.21.* nam vel rore,ac vaporibus paſci,aut animalculis quæ per aëra volitant,mihi perſuadeo,vt eleganter ex mente Cardani retulit Ioannes Ionſtonus, *in ſua Thaumatographia , tit.de admirandis quadrupedum, cap.13. de Chamæleonte.* Neque terra qua alitur talpa, pura , ſed inquinata , ſordida , & prorſus mixta, & vermibus quibus nutritur, valdè referta.

De igne maior eſt hæſitatio,num ex eo viuant animalia, diſcuſſa iam à doctiſſimis,Mercuriali *lib.3.variar.14.*Iulio Cæſar.Scalig.*in lib.exercit.aduerſ. Cardan.exercit.194.* qui hoc argumentum ad vnguem explicarunt.Ergo autem ex igne nutriri animalia nugas puto (quidquid cõtra Marcel. Donat.*lib.4.de medic.hiſtor.mirab.cap.26.* ſcripſerit) & putant Ariſt.*loc.cit.*quibus,& aliis retulit non ſuum,ſed aliorum,& communem ſenſum vulgi ; qui licèt *lib.3.de gener. anim. cap.11.* dicat, ſedem eſſe animalium, elementum in quo viuant , de igne tamen dubius apparet ; qui 2. *de generat. & corrup. text.* 21. ex igne neque quidpiam viuere concludit , cùm ignis ſit exarſio caloris & ſiccitatis , quibus in ſymbolis conſiſtere vita nequit. Nam materia eius quod alitur , alimentum eſt : at ignis ad naturam accedit formæ : ſibi igitur quaſi materiam reliqua applicabit. Iam verò de igne, præcipua quædam ratio nos cogit, vt exiſtimemus ipſum alendo ineptiſſimum : nam ſuapte natura, omni penitùs humore caret , qui ex communi Philoſophorum , & Medicorum conſenſu neceſſariò eſt tribuendus alimento. Receptui igitur canentes , vnum proponamus verum, aquam per ſe & ex natura ſua, propriè veréque nutrire non poſſe. Et ſi fortè de aquæ vſu aliqua deſint, ſupple ex Iacobo Fontano *lib.1. de reb. non naturalib. cap.11.* & pulchra vide apud omniſcium Tiraquellum *lib. de nobilit. cap. 31. num* 545. & ingenioſiſſimum Ludouic. Nonnium *lib.4.de re cibar. cap.4.* Quæ autem ſit ſalubrior poculorum materia ad epotandam aquam , diſceptant Artemidorus *lib.1.de ſomnior. interpretatione, cap.42.* Langius *lib.1.epiſt.29.* Santorellus *lib.16.anteprax. cap.15.*

HISTORIA LV. GALENI,
De ventriculi debilitate

Ventriculi debilitas, ex calida ſiccáque intemperie ſuborta , frigidis medicamentis perſanatur.

ALium verò huic ſimilem non paucis annis poſt vidi , cùm omnem ventriculi intemperiem diſcernere iam poſſem. Viſum igitur eſt mihi ſtatim maiore conatu refrigerandum eſſe, priuſquàm magis extenuatus, ſimile quidpiam priori ex refrigeratione pateretur. Tutius igitur viſum eſt, primùm refrigerantia medicamenta , quæ præcordiis imponuntur , experiri. Quo facto æſtus ſanè ventriculi eſt remiſſus : cæterùm homo ſuſpiranti ſimiliter reſpirabat, tanquam ægrè totum thoracem moueret : Quin ipſe quoque interrogatus , talem quampiam ſentire ſe offenſam fatebatur. Aduerti itaque illi tranſuerſum ſeptum refrigeratum eſſe : proindéque abiectis refrigeratoriis, foui locum oleo calido. Cùm autem reſpiratio ſtatim naturalem ſui motus ordinem recepiſſet , à fouendo deſtiti. Statui autem longiori temporis ſpatio moderatè refrigerare. Ergo & quæ extrinſecùs refrigeratoria applicui , infrà magis impoſui à ſepto vmbilicum versùs recedens : & cibum , potionémque omnem (excepto lacte) ſub fontanæ aquæ frigiditatem exhibui. Atque ita longiore ſpatio ſanatus eſt , nuſquam alibi offenſus, &c. Galenus lib.7.meth.cap.8.

PARAPHRASIS.

HVnc ægrum perbellè curauit Galen.anteacti periculi memor, non enim ſubitò,ſed paulatim,antequam extenuatus eſſet, refrigerauit.Ex quo exemplo patet apertè, quàm ſit neceſſaria ad morborum curationem experientia, rerum omnium magiſtra.Hac enim Hip.auctore Gal.*lib.6. aph.com.31.* omnia artis theoremata luſtrare incèpit, cùm illa præſidiorum inſtrumentum ſit,*lib.1.aph. com.1.* Huius namque ope variæ remediorum formulæ ſunt inuentæ; cùm ipſa omnia agenda manifeſtet,*lib.4.aph.com.29.* Et licèt ipſa ad morborum cautionem non ſufficiat , nec ad temporum varietates,aut ægritudinum mutationes diſtinguendas ſatis ſit, ex Gal. *lib.3. aph.in præfat,* ſi tamen cum ratione ſit coniuncta,plurima commoda ſecum afferre ſolet,ex Gal.*lib.2. aph.17.*

Hac ergo ſuffultus,curationem à Præceptoribus ſuis malè actam corrigit,atque emendat : maximè quum omnem intemperiem diſcernere iam poſſet. Itaque cauſæ morbi non ignarus, maiori vi refrigerandum eſſe cenſuit, antequam homo ob calidam ſiccamque intemperiem extenuatus, ſimile quidpiam priori ex refrigeratione pateretur. Quapropter præcordiis refrigerantia medicamenta impoſuit, quibus caliditatem ventriculi remiſit. Nec mireris à lenioribus incepiſſe, & externis tantùm medicamentis vſum fuiſſe, quum hæc internè oblatis, & præſertim frigidæ potu,ſubitam mutationem faciente,& repentè innatum ignem extinguente,tuta ſint magis : quapropter ſenſim,ac longiori tempore,ſecuriùs tamen refrigerare,ſatius iudicauit.

Quamuis autem ex frigiditate à medicamentis contracta,æger totum thoracem difficulter moueret, & ſeptum tranſuerſum fuerit paululùm refrigeratum; hæc tamen ſpirandi difficultas,cum gulæ refrigeratione in alio homine collata,longè minoris periculi fuit.Sed cur ad mitigandum ventriculi æſtum,refrigerantia infrà magis impoſuerit,à ſepto tranſuerſo vmbilicum versùs,quæ regio à ventriculi ſitu valdè diſtat : ea eſt ratio quoniam ad præcordia pertingit ventriculus , & à ſepto tranſuerſo vmbilicum versùs procedit,ex Gal.*lib 4.de vſu part.cap.7.*

Curauit autem ægrum , cibum, potúmque omnem ſub fontanæ aquæ frigiditate exhibens, hoc eſt, propinauit ea ſimilem frigiditatem habentia, quàm habet fontana aqua in æſtate;hoc eſt,tepida; nam ſi eſſent calida,æſtum ventriculi augerent nimis : frigida verò,debilem ventriculum præterquàm quòd læderent, frigiditate ſua,incocta remanerent. Lac autem excepit : nam hoc neque frigidum, neque calidum , ſed recens mulctum, hoc eſt, tepidum aſſumendum eſt, aliàs in ventriculo calido & ſicco ſtatim corrumpitur, ex Gal.*lib.5. meth.cap.cap.12.* & *lib.de bonit. & vitio ſuccor. cap.4.* Quibus ſic ſenſim, ac paulatim, ſecurè tamen factis,æger ſanus eſt factus. Diſce ex hoc exemplo, quantum proſit ad morborum curationem , ipſius morbi cognitio : nam vt rectè dicebat Hip. *in lib.de art.num.20.* *Medicus qui ſuffecerit ad cognoſcendum, ſuffecerit ad curandum.* Quapropter rectiſſimè illud à Gal.promulgatum *lib.3 aph.com.1.* & *lib.1. ad Glauc.cap.1.* vt morborum cauſam Medicus priùs agnoſcat,cùm à morbo prima ad curandum ſumatur indicatio. Repetunt Auic.4.1. *p.1.* & 1.4.*tract.2. cap.7.* Raſius *lib.30.continent.cap.1.* Num autem poſſit curari morbus, eius cauſa non cognita, diſputat latè Carrerius *cap.6.ad libros de loc.affect. diſput.62.*

HISTORIA LVI. GALENI,
De debilitate ventriculi

Ventriculi imbecillitas , ex inæquali intemperie orta, quomodo ſit curanda. Contra Empiricorum amentiam.

*VIdiſti igitur & tu quoſdam vno die, * vel potiùs hora, frigida potione leuatos,quibus non aquam modò dedi fontanam recentem , ſed niue refrigeratam : Cibos præterea ad eundem modum refrigeratos : & fructus ſimiliter refrigerans, & ptiſſanam probè coctam ipſis dedi. In quibus vnam rem mihi propoſui , ipſam ſcilicet refrigerationem. Veluti alios à refrigerantibus abſtinui , calefaciens omni ratione ; & exhibens vinum vetus valdè calefaciens (Falernum, & Surrentinum) tum nutrimentum , quod calefaciendi vim haberet , cum longo pipere. In nonnullis omne conſilium curationis ad ſiccandum direxi : dabamque tum cibos , qui natura eſſent ſicci , ac probè aſſati , tum prorſus exiguam potionem. Alium verò non pridem , qui iam adeò ſiccatus fuerat, vt ſimillimum habitum præferret iis qui maraſmo marceſcunt , ſanaui, contrariis omninò exhibitis, cui egregij iſti medici abſinthium, amaros aſparagos , & bulbos edendos dabant ; quæ cùm venter non contineret , malè cotonea , ceſtiana , punica dabant , immò & rhois ſuccum bibere cogebant , quibus eum omnis madoris expertem reddiderunt. Hunc nos ſanauimus omni ratione humectantes, &c. Galenus* lib.7.meth. cap.4.

PARAPHRASIS.

QVid rationalis curatio intemperiei quæ eſt in ventriculo , differat ab empiricorum curatione , *hoc in loco* proponit Gal.debilitatem ex quatuor intemperantiis ſubortam enarrans, eámque auxiliis contrariis perſanare docens : nam in quibus ob calidam intemperiem natiuus ventriculi calor debilitatur,iis frigida potio remedium eſt; quæ ſi ſit niue refrigerata , æſtuantem ventriculi calorem ampliùs contemperat : cui intemperiei ſi alimenta frigida , niuéque refrigerata exhibeas , ex arte facies. Licèt enim apud priſcos varij ſint refrigerandi modi , vt refert Mercurialis *lib.1.variar.lect.cap.* 8. tamen niue , alimenta, aquámque refrigerare, ſalubrius multò iudicauit Galenus *lib.2.ſec.loc.cap.1.* explicuit Langius *lib.1. epiſtol.* 31. De quo modo refrigerandi aquam,plura diximus *lib.1.in com. hiſtor.66.*

Qui verò ob frigidam intemperiem , ventriculi debilitatem patiuntur , hoc eſt , non appetunt , attrahunt, retinent , conficiunt , concoquúntve alimentum , quum hæc opera , caloris innati robuſti & fortis ope peragantur, ex Galeno 2. *lib. acut. com.* 22. quare Ariſtot. 4. *meteor.* 1. hanc coctionem elixationi ſimilem eſſe dixit , quæ non ſolùm ab innato, & proprio calore, ſed à iecore, reliquiſque membris circumuicinis mutato perficitur : iis calida medicamenta maximo ſunt ex vſu , vt vinum odorum, vetus , aromaticum , flauum , quod impensè calefacere vbique prodidit Galenus : nam odorum , ex Galeno 3. *acut.* 20. calidum : & vetus etiam , eſt calidius , ex Galeno *lib.7.meth.6.* quoniam vina antiquitate fiunt calidiora, & potentiora , quia partes aqueæ in dies coquuntur , & fiunt aëreæ, & igneæ, ex Galen.4.*ſimpl.11.& 12. meth.4.* & *lib.de cibis boni & mali ſucci, cap.11.* vnde Gal. 8.*ſimpl. cap.de vino,* dicit vnum nouum eſſe in primo ordine calidum , & vetus in tertio caliditatem obtinere. Quod ſi ſit cum piperis puluere reſperſum , iuuabit ampliùs : hoc enim medicamentum calefacit valenter , ex Galeno 8. *de ſimpl. medicam. facult. cap. de pipere,* & *lib.1. eiuſd. operis, cap.* 9. quare ad cruditatem , imbecillitatémque ventriculi eſt acommodum valdè , ex ipſo *lib.* 4. *de ſanit. tuend. cap.* 4. maximè ſi ſit nigrum ; hoc enim ſuauius , acrius, & magis aromaticum , ex Dioſcorid. *lib.2. cap.189.* nam plurimùm coctionem iuuat , flatus diſcutit , ventriculum roborat , craſſos humores ex debili coctione generatos incidit , aquoſos ab eadem cauſa pronatos coquit ; & frigidam intemperiem mirandum in modum corrigit, atque emendat. Hinc factum eſt , vt in hos vſus propinetur illud celebratiſſimum electuarium , diatrion pipereon appellatum à Galeno , ex triplici piperis , nigri , albi , & longi genere compoſitum , cuius calor vltra primas venas non traſcendit. De cuius vi lege Dioſcorid. interpretes *citato loco* , & alios qui de aromatum natura diligentiſſimè ſcripſere , & lecto poëmate deſcribit Caſtor Durantes *in ſuo Herbario , littera P* , & de frigida intemperie ventriculi curanda , Galen. *lib.7.meth.cap.7.* cui perſanandæ vinum cum pipere epotum ſummoperè condu-

cit; nam illud non inflat præcordia, immò ſi inflata ſunt, ſubſidere facit: inibi moram non trahit, ob caloris medio-critatem; digeſtionis vias aperit, alimentum in corpus celeriter deducit, eſt boni ſucci, & ad concoquenda, quæ in ventriculo, & venis ſunt, idoneum; vires ventriculi adauget, vrinas mouet, & expellendis excrementis viam facit.

Ob nimiam ergo humiditatem ſi relaxetur ventriculus, & retinere non poſſit; vel ob humoris copiam, diminuto ac ſuffocato calore, alimentum concoquere nequeat, tunc ſiccantia iuuant: iis enim roboratur ventriculus, ſuperfluáque humiditas exprimitur; quibus alimenta ſicca & probè aſſata commoda ſunt: licèt enim aſſa ſint ſubſtantificè humidiora elixis, ex Ariſt. *lib.4. meteor. cap.3.* Galen. *lib.2. de aliment. facult. cap.44. & lib.3. ſimpl.14. & 15.* quoniam in aſſatione, externa ſolùm humiditas; in elixatione etiam interna, & ſubſtantifica extrahitur: tamen ſi alimenta ſint probè aſſata, exhauſtâ vtraque humiditate, & ab omni humore exſucca, & priuata, exſiccant, vt Ludou. Lemoſius *in comment. huius loci*, & Valleſius *in com. cit. loci Ariſtotel.* doctè explicarunt. Hæc enim, pauco exhibito potu, qui ſuapte natura exſiccat, humidam intemperiem eximiè curant.

Si tamen ob nimiam ſiccitatem, ventriculi vigor flacceſcat, abſumpta & expreſſa humiditate, ad cuius abſentiam, calor noſter marceſcere incipit, & in cuius præſentia omnium partium calor, immò ventriculi viuacitas conſiſtit, tunc ſubſtantificè humectare opus eſt, exhibitis iis, quæ primigeniam, inſitámque humiditatem reficere queant, qualia ſunt lac, dulcis aquæ lauacrum, & alia, quorum ampliſſimam ſyluam latè propoſuit Gal. *in lib.7. meth. cap.6.* dum de curanda corporum ſiccitate, & de alimentis, quæ ſiccitatis corporibus conueniunt, eligendis, agit eximiè. Euitare etiam oportet abſinthium, & alia amara; nam hæc impensè calefaciunt, *4. ſimpl.7.* & ſicciora ſunt, *c.19. eiuſd. lib.4. & cap.22.* quæ cùm empirici ſiccitatis corporibus exhiberent, & ægri reiicerent vomitu, tanquam nutrimento aduerſa, quum hæc potiùs medicinalia, quam cibalia ſint, ex Auer. *lib.5. collect. cap.27.* & Auic. *lib.2. canon. tract.1. cap.7.* in grauiora pericula ægros deduxerunt, rhois ſuccum bibendum cogentes, qui cùm impensè exſiccet, apud Dioſcorid. *lib.1. cap.147.* & Paul. *lib.7. cap. de Rhu*, & expreſſione facta humiditatem reſoluat, eos omnis humoris expertes, immò extremè ſiccatos reliquerunt, qui contrariis omninò adhibitis, Galeni ope reuixerunt.

DVBIVM XXXV.

Num intemperantiæ calidæ & frigidæ, citiùs & faciliùs humidis & ſiccis, & æquali tempore curentur.

COMMENTARIVM.

VEl potiùs hora.] Galenus non Medicus modò præclarus, ſed eorum quoque quæ ad medendi rationem ſpectant, non incurioſus obſeruator, *lib. hoc 7. meth. cap.5.* promulgauit in lucem plurima, quæ ad huius hiſtoriæ explicationem valdè conducunt: ex quibus primum eſt, *Intemperantias calidas & frigidas, humidis & ſiccis faciliùs curari*, redditque cauſam, quòd alterationes, quæ ex calido & frigido conſiſtunt, qualitatibus maximè actiuis corriguntur. Secundum. *Ægriùs curari alterationes, quæ in humido & ſicco conſiſtunt*, propterà quod maximè ignauis, & materialibus ſeu paſſiuis qualitatibus eorum curatio perficitur. Quę doctrina non de humectatione, & exſiccatione priuatiua, quæ eſt effectus caloris & frigoris, ſed de humectatione, & exſiccatione poſitiua, quæ fit ab humiditate, & ſiccitate venit intelligenda: hæc enim eſt quæ longo tempore fit, illa verò breui, veluti eſt calefactio, & refrigeratio.

Deinde. *Intemperantiæ calidæ & frigidæ, æquali tempore corriguntur, inæquali tamen ſecuritate.* Reddit Gal. cauſam, quoniam calefactionis, & refrigerationis tempus eſt æquale, ſecuritas tamen impar: nam intemperantia calida cùm corrigatur refrigerantibus, cum maiori periculo curatur; nam ſicuti caliditas, naturæ eſt vtilis, & amica, ſic contra frigiditas illi aduerſa, ex Hipp. *lib.5. aph.18.* Hæc tamen propoſitio ſecundùm vtramque partem falſa apparet; videtur enim quòd tempus calefactionis debeat eſſe multò breuius, quàm refrigerationis, quum caliditas frigiditate magis ſit efficax, auctore Gal. *lib. de conſtit. art. med. cap.9. & lib.3. de cauſ. ſympt. cap.3. poſt princip. & lib.1. de temp. cap.2.* quare minori tempore effectum ſuum producet. Secundò, corpus humanum maiorem propenſionem habet ad cauſas calefacientes, quàm refrigerantes: ergo minùs calefacientibus, quàm refrigerantibus reſiſtet. Probatur antecedens, nam corpus humanum recedit à medio in tota ſubſtantia versùs caliditatem. Præterea, cauſis refrigerantibus repugnat calor natiuus non ſolùm vt naturalis, ſed vt calor eſt; calefacientibus tamen, ſolùm vt naturalis eſt, reſiſtit. Igitur ſi minùs repugnat, faciliùs à cauſis calefacientibus alterabitur: erit ergo tempus calefactionis breuius.

Vt verò huius dubij pateat ſolutio, aduerte primò: Alterationes quæ in calido, & frigido conſiſtunt, aut conſiderari reſpectu cuiuſque corporis abſoluté, aut reſpectu corporis humani. Si primo modo, tunc calefactionis & refrigerationis tempus vnum eſt & æquale, dummodò ſeruetur paritas in quantitate agentis, in gradu illius, in denſitate materiæ, in approximatione paſſi, in mora, & in omnibus aliis quæ ad actiones requiri, eſſéque neceſſaria Philoſophi vnanimiter concedunt. Sicut enim caliditas vincit frigiditatem in actiuitate, ſic ſuperatur à frigiditate in reſiſtentia. Si ergo velocitas actionis, naſcitur ex proportione actiuitatis agentis ad reſiſtentiam paſſi: & in calefactione & refrigeratione, reperitur æqualis proportio actiuitatis ad reſiſtentiam, æquale tempus erit in vtroque: nam ſicut in càliditate eſt maior actiuitas, ſic reperitur minor reſiſtentia, & ſicut in frigiditate adeſt minor actiuitas, reperitur reſiſtentia maior.

Inſtabis, & meritò ſanè: nam videtur quòd reſiſtentia debeat eſſe æqualis actiuitatis; reſiſtere enim nihil aliud eſt, quàm ab actione contrarij corrumpentis ſe defendere, illius actionem impediendo, & remittendo illius virtutem: hoc autem agere eſt. Igitur pro modo actiuitatis erit reſiſtentia. Dic, reſiſtentiam triplicem eſſe: quædam eſt negatiua, quæ vocatur ineptitudo ſubiecti ad recipiendam formam. Alia, quæ dicitur poſitiua, ſeu paſſiua, quæ non eſt virtus actiua, ſed naturalis quædam potentia, quâ paſſum impedit actionem contrarij agentis, non remittendo illius virtutem contrariam aliqua qualitate, ſed tantùm difficulter cedendo. Vltima eſt, quæ dicitur contrarietas, quæ virtus actiua eſt, qua paſſum impedit actionem contrarij per qualitatem contrariam illius virtutem remittendo. Hæc reſiſtentia æqualis eſt actiuitati; reſiſtentia tamen paſſiua, inæqualis eſt actiuitatis, nam interdum eſt maior, interdum minor; quare ſicuti hic ordo conſtituitur in actiuitate, quòd caliditas primum locum teneat, ſecundum frigiditas, tertium humiditas, poſtremum ſiccitas; ſic in reſiſtentia iſte ordo obſeruatur, vt primum retineat ſiccitas, ſecundum humiditas, tertium frigiditas, vltimum caliditas. Ex qua doctrina ad plenum primi argumenti ſolutio patet.

Quum tamen calefactio, & refrigeratio conſiderantur in corpore humano, vt ſunt remedia ad recuperandam ſanitatem, tunc tempus calefactionis breuius eſt, ob rationes dictas. Hoc inſpiciens Galenus, calefactionis, & refrigerationis tempus, non vnum, & æquale, ſed quodammodo æquale pronunciauit. At intemperantia frigida aliquantulum calida meliùs corrigitur, ſi de leui & recenti, non de antiqua & confirmata ſermo ſit; hæc enim ob defectum caloris, & virtutis, difficiliùs & tardiùs emendatur, quum non ſolùm auxiliis calefacientibus, ſed his quæ ſuſcitant & viuificant calorem innatum, & virtutem regeneratione ſanguinis & ſpiritus roborant, perficiatur, quod non tâtùm difficile eſt, ſed impoſſibile apparet: multò

multò enim difficilius eſt, ſenectutem frigidam, quàm hecticam calidam corrigere.

Nunc ſecunda pars propoſitionis Galenicæ examinanda venit. Nam videtur, quòd non ſit maius periculum in refrigerando, quàm in calefaciendo, ſicut enim immodica refrigeratio eſt periculoſa, ſic immodica calefactio, ex Hipp. *lib. 2. aph.* 51. vtraque enim ſi modica ſit, eſt remedium ad ſanitatem recuperandam. Deinde; quemadmodum homines pereunt ex morbis frigidis; ſic ex calidis ſolent interfici, & citiùs; quoniam velociores ſunt, & actiuiores. Igitur non eſt maius periculum in refrigerando; quàm in calefaciendo.

Nota, calefactionem & refrigerationem, ſenſim prudentérque à Medico docto, & per medicamenta mixta adminiſtratam carere periculo; contrario modo celebratam, periculoſam eſſe nemo negat: vt quando in ardentiſſima febre propinatur gelidæ potus, imperatur frigidæ balneum; in doloris vehementia vtimur narcoticis; in frigidis affectibus, medicamenta nimis calefacientia exhibemus, quæ febrem concitare nata ſunt; vtimur cauteriis: tunc maius in refrigerando, quàm in calefaciendo periculum eſt; frigiditas enim omnium partium actiones lædit, tollit, imminuit; illæ enim ad ſuas actiones obeundas indigent calore. Ea tamen quæ calefaciunt, ſolent excitare calorem, & fouere, & calor adauctus non lædit actiones, immò multoties iuuat, niſi quando ad eum gradum peruenit, vt colliquet, ex Galen. *lib. 3. de cauſ. ſympt. 3. in fin.* in quem ſenſum dicebat Auicen. 1. 1. *doct. 3. c. 1. ſanitatem & æqualitatem magis pertinere ad caliditatem, quàm ad frigiditatem*, quum latitudo ſanitatis anguſtiorem habeat terminum versùs frigiditatem, quàm caliditatem: ſic intelligendus eſt Hip. 5. *aph.* 18. caliditatem eſſe vtilem, frigiditatem verò inimicam aſſeuerans. Ex his manet ſoluta difficultas.

Vltimam deinceps proponit Galenus propoſitionem quæ eſt huiuſmodi. *Intemperantiæ humidæ & ſiccæ, æquali ſecuritate, inæquali tamen tempore curantur.* Cauſam reddit Galenus, nam humiditas & ſiccitas qualitates remiſſæ ſunt, cùm citra calidi & frigidi contactum violenter operari non poſſint, vt Galen. ait *lib. 1. de ſympt. cauſ. cap. 6. in princ.* quapropter nec in exſiccando, aut humectando aliquod periculum vertitur, auctore Galeno *lib. 6. de ſanit. tuend. c. 3. poſt med.* Inæquali tamen tempore curantur, quoniam quum humiditas ſit maximè ignaua, & parùm actiua, & ſiccitas reſiſtat valdè, intemperantia ſicca multò difficiliùs, tardiúſque curatur.

Hæc tamen propoſitio pariter ſecundùm vtramque partem plurimas patitur difficultates; nam in exſiccando maius eſt periculum, quàm in humectando, quoniam humiditas magis amica eſt naturæ, cùm ſit vitæ principium, ſicut & caliditas. Secundò, morbi ſicci multò ſunt deteriores humidis, quia conuulſio ſicca humidâ eſt periculoſior, ex Hipp. 2. *aph.* 26. & 4. *aph.* 57. & 5. *eiuſd.* 70.

Reſponde, humiditatem, & ſiccitatem bifariam poſſe conſiderari: vel ſecundum modum operandi, & quia remiſsè agunt, nullum in exſiccando & humectando periculum adeſt: Si tamen conſiderentur quatenus ſunt introductæ, & modum excedunt; quum ſint qualitates actiuæ, immutant ſubſtantiam in aliam ſpeciem, & corrumpunt; & tunc licèt in vtriſque qualitatibus periculum vertatur, maius eſt in exſiccando, quàm humectando; humiditas
E enim plus eſt amica naturæ.

Altera pars propoſitionis has habet inſtantias. Nam videtur, quòd tempus humectandi, & exſiccandi ſit æquale, nam ſicuti ſiccitas vincit humiditatem in reſiſtendo, ſic humiditas vincit ſiccitatem in actiuitate. Secundò. Galenus *lib. 3. de loc. cap. 7. in fin.* dum de Epilepſia agit, probat non fieri ex ſiccitate, ſed ex humiditate replente, quoniam ſubitò fit: ergo tempus humectandi breuius eſt. Solue hoc modo. Siccitas non vincit humiditatem in reſiſtentia ſola, ſed etiam in actiuitate, ex accidenti ob denſitatem materiæ; ſiccitas enim ferè cum materia ſicca & craſſa coniungitur, humiditas verò cum materia fluida & aquea. Deinde. Humectatio altera eſt qualitatiua, alia ſubſtantifica, accidentalis altera, quæ ex aliqua ſubſtantia

A humida præter naturam coaceruata originem ducit: illæ longo tempore indigent; hæc breuior eſt, nam fit ob caloris defectum: licet enim ſubſtantia illa excrementitia paulatim coaceruetur, ſubitò tamen mouere poteſt, & morbū inferre, vt ſub exemplo Epilepſiæ Galenus paſſim confirmat. Ex quibus patere arbitror, quo tempore, & qua ſecuritate omnes intemperies curari poſſint. Lege quæ de hoc dubio ſcripſerunt, acutiſſimus Gentilis, & Iacobus de partibus *in com. cap. 2. 4. 1. Auic. §. Et debes ſcire; quòd infrigidationis, & calefactionis tempus eſt vnum, &c.* Et non ſiluit Ludouic. Lemoſius *in com. cit. cap. Galeni.*

HISTOR. LVII. GALENI,

B
De attritione ventriculi.

Ventriculi laborantis, ab inuaſione febris dignotio, eiúſque curatio.

ID verò quod nuper in ipſo contigit Imperatore procul dubiò mirandū eſt: ipſe enim, & Medici omnes arbitrantur febris initium extitiſſe, quum deciperentur vniuerſi. Ille enim priore die, hora prima ex eo medicamento quod amarum, & ſacrum appellant, quidpiam acceperat; deinde quemadmodum ipſi mos erat ſingulis diebus, eo quoque die theriacam aſſumpſerat hora ſexta ferè: poſteà lotus, circa Solis occaſum, cibi parum ceperat. Cum itaque tota nocte torminibus, & ventris profluuio vexatus, ideo febricitaret; à Medicis inſpectus quieſcere iuſſus eſt; atque nona hora ab eiſdem ſorbitione ſuſtentatus. His peractis accerſitum nos venit Imperatoris nomine; neſcio quis, vt ipſe in
C *palatio cubarem. Quamobrem ante Solis ortum, cùm tres eſſemus, qui Imperatorem inuiſerent, & eius pulſum attingerent, cæteris febrilis cuiuſdam annotationis principium adeſſe viſum eſt, mihi verò ſilentium ſeruare: atque ideò conuerſus ad me Imperator, quidnam eſſet, poſtulauit, quod cùm reliqui pulſum attigiſſent, ſolus ego non attigiſſem: cui reſpondi, eos cùm bis iam tetigerint, ac forſitan alias ſæpè, dum cum eo in exercitū eſſent, expertique ſint pulſus illius naturalem habitum me melius affectum cognituros, ſpero. His dictis, iubente illo vt pulſum tangerem, acceſſi, & perpenſo ad ætatis, & naturæ menſuram pulſu, plurimùm ab eo differre, qui febrilem annotationem ſignificet, reſpondi: febris quidē inſultum eum mihi non videri, ſed eius ſtomachum atteri ab aſſumpto cibo, antequam excernatur, æſtuante. Tum ille dignotionem noſtram laudans, ter. hæc verba ſubiunxit: hoc eſt, hoc ipſum eſt quod dicis, ſentio enim*
D *me frigido cibo grauari: quæ cùm dixiſſet, quid opus eſſet facto; poſtulauit: cui ego reſpondi in hunc modum. Si quiſpiam alius eſſet, qui hoc morbo laboraret, bibendum ipſi dediſſem, quemadmodum ſolitus ſum, vinum pipere inſperſum. Vobis autem regibus, quibus tutiſſima remedia Medici admouere conſueuerunt, lanæ purpureæ manipulum nardino pigmento calido intinctū, oſtio ventriculi imponere ſufficiet. Tum ille, aliàs quoque; ſubiunxit, ſolitus ſum purpuream lanam, & nardinum pigmentū ſtomacho ſuper imponere, quoties mihi moleſtus eſſe cœpiſſet. His dictis, Pitholaum facere imperauit, quæ præceperam; & ſimul nos dimiſit. Poſtquam verò, & vnguentum ventriculo impoſitum eſt, & pedes calidis manibus attrectati incaluere; vinum Sabinum popoſcit, atque pipere inſperſo bibit, &c.* Galenus lib. de præcogn. ad Poſth. cap. 11.

PARAPHRASIS.

IMperatorem Romanorum Antoninum, cuius præſentem hiſtoriam Galenus ſcribit, frigida vētriculi intemperie laboraſſe, ex eo ſit manifeſtum, quòd Medici qui primò illum inuiſerunt, ab ea hora qua malè habere cœpit, amarum medicamentum, quod hiera dicitur, exhibuerint, calefaciēs ſanè & exſiccās, ad frigidos flatulentóſque humores in ventriculo impactos educendos quàm aptiſſimum: quo die theriacam pro more aſſumpſerat, & poſt ſolis occaſum, cibum parcum. Poſt quæ, tota nocte torminibus, & ventris profluuio vexatus, ideò febricitauit; quoniam intempeſtiuè hæc omnia ab ipſis Medicis acta ſunt. Quis enim vel mediocriter in arte verſatus, medi-

camenta ſibi inuicem aduerſantia,hieram per aluum vacuantem, & theriacam ſuapte natura vacuantis medicamenti actionem,retardantem,& naturæ excretionem impedientem, tam breui tempore propinare auſus fuiſſet? Theriacam autem aluum ex medicamento citatam cohibere, teſtis eſt locupletiſſimus Galen. *lib. de theriac. ad Piſon. cap.4.* dum exhibito medicamento aluum ſubducente,ſi qui aſſumpſit non purgetur,data theriaca,iudicat hanc eſſe optimam, quoniam purgationem prohibuit illius, qui purgantem medicinam ſumpſit.

Ex hoc ergo motu, pugna, & inæqualitate, ſeu vi naturæ illata,medicamenti videlicet expellentis,& theriacæ retinentis, tormina, & alui fluxum eueniſſe non eſt dubitandum;ex quibus diariam,accenſis & inflammatis ſpiritibus oriri,centies prædixit Galenus.Quam rem cùm non animaduertiſſent,ſeu potiùs ignorarent Medici illi, ex pituitoſis humoribus, tam in ventriculo, quàm in genere venoſo impactis,ſuſcitatum fuiſſe humoralem,& ſic hac de cauſa in pulſibus mutationem,& febrilis annotationis principium ſomniarunt.

At Galenus benè penſata re, febrem illam fuiſſe diariam aduertens, propriiſque ſignis cognoſcens, quæ ipſe *in lib.1.de dif.feb.c.7.& lib.2.de criſ.cap.vlt.* promulgauit, de curando ventriculo ſolùm fuit ſollicitus:qui licet naturalem Imperatoris pulſum ad vnguem non agnoſceret, quem per ſanitatem eſſe tangendum, illiúſque ſymmetriam & proportionem obſeruandam, docuit Galen.*lib.de pulſib.ad tyron.cap.9.*coactus tamen,perpenſo ad ætatis & naturæ menſuram pulſu, eius pulſum ab eo differre, qui febrilem annotationem ſignificaret, inuenit.

Quamuis pulſus naturalis duobus modis poſſit conſiderari,vno modo abſolutè & ſimpliciter,quia eſt cauſa & norma reliquorum,qui ſolùm in natura temperata,bono habitu, ætate, regione, & tempore temperatis reperitur: ſecundo modo, reſpectu illius naturæ quæ bilioſa,vel pituitoſa eſt. Et licèt pulſus abſolutè naturalis in omnibus differentiis mediocritatem debeat obſeruare, quia quod naturale eſt,moderatum eſt, ex Gal. *lib.de dif. morbor.c.2. & lib.2.de difficult.reſpirat.cap.1.& 2.aph.5 1.*ſitque æqualis, & boni ponderis, medius inter paruum & magnum, velocem & tardum,rarum & frequentem,durum & mollem; tamen his omnibus inter ſe collatis, habitóque reſpectu ad ætatem, & naturam, eum febrilis annotationis initium non habuiſſe ſignificauit.

Celebratiſſimum enim apud Medicos eſt, duplicem eſſe febrilis annotationis differentiam, compreſſam vnam,alteram incompreſſam: in hac non ita contrahitur pulſus, neque calor ita ab humoris copia obruitur, nec atteria ab illius copia,lentore, craſſitieve occupatur,quæ præſertim in humoribus bilioſis,faciléque inflammabilibus apparere ſolet,qui ob ſui tenuitatem faciè exhalant, & reſoluuntur;in hac,monente Magiſtro *lib.1.de dif.feb. 9.*neque adeſt extremarum partium refrigeratio, dormitatio, aut pigritia, aut aliqua in caliditate, aut pulſu inæqualitas,neque paruitas, neque debilitas, vt 3. *de præſag. ex pulſib.cap.7.* Gal. admonuit. De hac non fuiſſe loquutum Gal. patet, nam Medicos illos reprobauit, qui ex pulſus contractione, aut etiam omnimoda quiete eam cognoſcere aſſeuerabant.

Atteri ergo ab aſſumpto cibo Imperatoris ventriculum affirmauit,hoc eſt, eius calorem grauari à copia, & ſic diſtendi; nam debilis ventriculus, alimentum, licèt non ſit quantitate multa exhibitum, coquere non poteſt. Hæc imbecillitas cùm à frigido (tanquam calori, cuius ope coctio perficitur, contrario) faciliùs oriatur, dicendum hanc debilitatem,vel à frigida cauſa,vel à debilitate innati caloris ventriculi, vel ab vtriſque fuiſſe profectam.

Neque te ab hac expoſitione dimoueat Galeni contextus aſſerentis Imperatoris ventriculum æſtuaſſe,per quod verbum non intelligas calidum ventriculum,aut inflammatum,bilioſo igneóque humore refertum, nam hac ratione calida medicamenta nō exhiberet;ſed fluctuantem; cùm enim debilis ventriculus,ingeſtum cibum quo grauabatur, coquere præ copia non poſſet, fluctuabat, torquebatur,& ad excernendum vehementer coactus æſtuabat. Metaphoricè enim multoties à Cicerone ſic verbum hoc vſurpatur 4. *Ver.* & à Virgil. *lib.6. Æneidos.*

Turbidus hic cœno, vaſtáque voragine gurges
Æſtuat,atque omnem Cocyto eructat arenam.

Et Plinius *lib.18.c.1.§. Quorum æſtimatione, & gaudio nos quoque relictis æſtuationis ſuæ (hoc eſt, exagitationis) iſtis hominum turbis, pergamus exſoluere vitam,&c.*

Cui malo auxiliaturus, non vinum inſperſum pipere, (auxilium frigido ventriculo ſummè proficuum) non interna medicamenta offerre auſus eſt,quia Imperatorem curauerat nunquam, neque de eius temperatura erat certior factus, idcircò tutius viſum eſt illi externa præſidia apponere;in his enim perſonis cautè Medicus ſemper incedere debet. Securius ergo medicamentum excogitauit, ex nardo,medicamento pro roborando ventriculo primas tenente,ex Dioſcorid. *lib.1.cap.6.* & pro hoc complendo opere valdè præſtanti,ex Galen.*lib.7.meth.cap.4.& lib.8. eiuſd. cap.7.* pigmentum componere. Eſt autem pigmentum, genus quoddam vnguenti, ex Plin. *lib.16.cap.43.* Nardinum autem vnguentum,ex Gal.*lib.7. de comp. med. ſec.gen.cap.12.in fin.* coctionem ventriculi maximè iuuat, vtpote ex Nardo, Calamo aromatico, Caſia lignea, Cypero, Opobalſamo, & aliis roborantibus præſidiis conflatum:hoc autem vnguentum lana quàm molliſſima excepit,quum hæc tum(veluti ſpongia humores)vnguenta in ſe imbibat, & excipiat, ex Galen. *lib.11. ſimpl. cap. de ſpongia*, tum mollitie ſua partem, cui adaptatur, lædere non poſſit, ex Galen. *lib.11.eiuſdem operis*,& vires medicamenti retineat,& conſeruet.

Purpuream autem elegit, nam hæc flaccido, languentique ventriculo auxilium eſt potentiſſimum, Purpurea enim lana à Græcis Tyria,à Latinis Oſtrum,ab Arabibus Chermes vocatur;dicitur enim illa, quæ ſucco purpuræ tincta eſt,ex Galen.*lib 8. meth.cap.5.* Eſt autem purpura, teſtibus Plinio *lib.9.c.36.& 38.*Vitruuio *lib.7.de architect. cap.13.*piſcis quidam ex genere concharum, qui florem illum pro tingendis veſtibus, olim maximo in pretio habitum,inter papauer dictum, & collum continet, in vena quadam membranæ inſtar candicantis, reliquum verò corpus ſterile eſt, cuius hiſtoriam Dioſcorid. *lib.2.cap.3.* Ariſt.*lib.5.de hiſt.animal.cap.15.*& poſt eum Rondeletius, Bellon.*lib. de piſcib. tit.de purpura*,& eruditiſſimus Montaltus *lib.de viſu,cap.17.de purpureo colore*, exactiſſimè deſcripſerunt.De cuius diuerſis generibus,nominibus,præſtantia mira,lege apud Cælium Rhodigin.*lib.3.lect.antiquar.cap.2.*Ludouic.Lemoſium *in com.c.5.lib.8. meth.Galeni*,Cardan.*lib.4.de ſubtilit.fol.319.edition.Baſil.* & Matthiolum *ad cit. cap. Dioſcoridis.*

Filum lanæ purpura marina infectum, vocatur Oſtrum, quod auctore Galeno *lib.7. meth.cap.7.* ad imbecillitatem ventriculi valdè eſt proficuum,& ſtomachum roborat, ſi quod alterum, vt *in com.* Fabius Paccius doctè explicuit. Quoniam verò cocco infectorio, noſtris temporibus, in variis mundi regionibus lana inficitur, & eo tincta purpureum ex ſe emittit colorem, idcirco purpuræ loco, illo commodiſſimè vti poſſumus: nam eaſdem vires habet & fortè præſtantiores,vt probant Dioſcorides *lib.4.cap.43.* Galenus *lib.7. ſimpl. tit. de grano tinctorio*, & Arabes ferè omnes, qui de eo ſub nomine Chermes mira protulere. Iſti enim præter roborantem, & adſtrictoriam vim, illi plurimas alias attribuunt dotes; nam cardiaca vi pollere tradunt, qua venenis reſiſtere, & malignam humorum retundere qualitatem natum eſt. Quapropter Chermes, vt apud Græcos purpura in pretioſiſſima venit antidota, à qua celebratiſſimum illud electuarium è granis tinctorum,ſeu Chermes nuncupatur, quod officinæ Alchermes appellare conſueuere:hoc enim ad cordis palpitationem, ſyncopen, mentis alienationem, venenum ſummoperè prodeſt: nec immeritò, quum grana tinctorum cardiaca ſint; noſtri enim corporis facultates collapſas recreant, cor roborant,ſpiritus viuificant,ſenſus,mentémque exhilarant, triſtitiam abigunt diuturnam, peſtilentiam vnicè fugant, ſiue ea in potu cum vino, & aqua Meliſſæ, Naphæve, ſiue cum cardiacis, & belzaarticis medicamentis permixta, epithematis modo ſupra læuum cordis ſinum applicentur,

applicentur, provt refert Lacuna *in com. cap.cit. Dioſcoridis*, & eloquentiſſimè ex antiquorum, & iuniorum mente agitat Conradus Geſnerus *lib.4.de aquatilibus, cap.prop.de purpura*: quidquid perperam tamen, contrà ſentiat Manardus *in annotationibus in compoſita Meſuë, tit. de confectione Alchermes.*

Hoc ergo vnguento vires collapſas mirificè reſtituente; pedum calefactione, & vino aſſumpto cum pipere, reſtitutus eſt: calefacit autem pedes, vt ſic pulſus ventriculi calor, extremorum calefactione reuiuiſceret, ex Ariſtot. *6.probl.6.* Partes enim frigidas, neruoſas, excarnes, & remotas à fonte caloris, vel in febribus calefaciendas, tegendas, & faſciis inuoluendas, vt reliquo corpore frigidiores non ſint, ſumma cum ratione docet Hippocr. *lib.4. acut.text.40. Vbi enim pedes frigidi ſunt, vix fieri poteſt, vt dormiant ægri.* Quare ad conciliandum ſomnum non parùm confert pedes habere calidos; ſomnus autem coctionem iuuat, & excretiones promouet, naturam, & calorem innatum roborando. In hunc ſenſum dicebat Ariſtot. *lib.2.probl.26.* Medicos conſuetos eſſe in aduerſa valetudine pedes diligenter cooperire, ne frigeant; non enim ea pars ſolùm refrigeratur, verum etiam eſt in cauſa, vt rigores toti corpori ſuperueniant. Si verò de hoc raro affectu obſeruationes legere concupiſcis, vide Petrum Bayrum *lib.11.pract.cap.9. de attritione ſtomachi ex conuerſione cibi in phlegma*, & ex eius ſententia tranſtulit Marcel. Donat. *lib.4. de medic. hiſt. mirabil. cap.4.*

HISTOR. LVIII. GALENI, De ventriculi debilitate.

Ventriculi languor, vini Abſinthitis potu, ſanatus.

AMicam verò mihi præ cæteris Arriam, eximiè commendatam & ipſam ab Imperatoribus; quòd Philoſophiæ diligenter operam daret; & præcipuè Platonis lectione delectaretur; non leuiter olim ægrotantem ſanarunt. Laborabat enim ventriculi languore, atque ideò ita ſupinè decumbebat, vt ne cibum quidem accipere valeret: vnde periculum ipſi imminebat, ne defectu nutrimenti periret. Tunc itaque, ſicut expertiſſimi ſolent Medici, mulierem curarunt, vinum Abſinthio medicatum, me commonſtrante, propinantes: mox enim vt tale vinum bibit; & ſtomachum roborauit, & cibi appetentiam recepit, &c. Galenus lib.de theriac. ad Piſon. cap.2.

PARAPHRASIS.

QVòd liber hic *de theriac.ad Piſonem*, genuinus ſit, duæ confirmant rationes. Prima, quoniam in eo nullum dogma Galenicæ doctrinæ contrarium continetur: & hanc regulam dicebat Galenus multis in locis, eſſe veram ad libros Hippocratis explorandos. Secundò, quòd Serapio, Auicen. Rhaſis, Rabbi Moſes, quorum auctoritas contemnenda non eſt, hunc librum; tanquam Galeni indubitatum ſæpiſſimè citant, provt firmiſſimis rationibus, auctoritatibus Mercurialis *in præfatione ad hunc librum* manifeſtè expoſuit; quidquid Matthiolus *lib.2. epiſt.2.* contrarium omninò aſſeueret, Iulij Alexandrini rationibus ſuccumbens.

Mulier ergo hæc ventriculi languore; hoc eſt, defectione, & nimia imbecillitate, cum deperdito appetitu laborabat, cuius debilitatis frigidam & humidam intemperiem ventriculi fuiſſe cauſam, ex curationis modo facilè cuique patere poteſt. Nec dubites ex frigiditate poſſe oriri hoc malum: licèt enim illa corrugando os ventriculi, & comprimendo, appetentiam augere videatur, ex Gal. *lib.1.de cauſ.ſympt.cap.7.& lib.6.epid.ſect.4.com.19.* quum per frigidas anni conſtitutiones, appetitus vel etiam nimius excitetur, vt *cit.loc.* Gal. & Ariſt. *lib.8.probl.4.* aſſeuerant, tamen hoc de frigida & ſicca intemperantia, non de humida, intelligendum eſt. Nam ſicut frigus modicum roborato ventriculi ore concoquit, & digerit alimenta, ſicque appetentiam ſuſcitat; ſic immodicum ſolidas ventriculi partes diſſoluit, relaxat, ad attrahendum reddit imbecilliores, & appetitum deſtruit, ex Gal. *2.aph. com.20.* quum vires corporis emortuas reddat, & ſic faſtidij cauſa efficitur, ex Trall. *lib.7.cap.7.* Paul. *lib.3.cap.37.* quod perbellè explicuit Auic. 13.3. *tract.2.cap.7.* §. *Et cauſa in hoc loco eſt, quòd caliditas eſt mollificatiua, faciens currere materias, & replens locum eis, & frigiditas eſt è contrario, quamuis quandòque ſit cauſa magis nocens appetitui malitia complexionis frigida ſingularis, quando mollificat duas virtutes, ſcilicet ſenſitiuam, & attractiuam, quare debilitatur appetitus, &c.* Ex quibus patet, erraſſe Petrum Paulum Peredam, virum alioqui doctum, *in com.cap.34.l.1.meth.curand. morbos*, Michaëlem Ioannem Paſchalium, taxantem, quòd à frigida intemperie oriri aliquando inappetentiam aſſeuerat.

Cùm ergo appetentia ad vitam ſit maximè neceſſaria, ex Galen. *lib.6. aph.3.* (nam non aſſumpto alimento perire animal, tabefacto corpore eſt neceſſe) ſumma cum ratione eniti debemus, vt ventriculus roboretur, & æger alimentum appetat, retineat, & coquat. Huic vſui potentiſſimum eſt vinum, teſtibus Tralliano, & Paulo *loc.cit.* Hoc enim ex Dioſcor. *lib.5.cap.40.* vtile eſt ſtomacho, coctionem accelerat, faſtidia diſcutit, hepar roborat, frigidã emendat internarum partium intemperiem, præcordiorum diſtentioni mirè ſuccurrit; ventriculi inflationi opitulatur, & denique medicamentum ſtomachicum, ſi quod alterum, eſt præſtantiſſimum. Hac ratione auctores, qui de medela ventriculi frigidi conſcripſere; inter quos eſt Heurnius, vir omnium calculo doctiſſimus *lib.2.meth. ad praxim, tit.de remediis ventriculi frigidi.* inter cætera vina medicata, illud ſummis laudibus efferre ſolent.

Hæc ſi vera ſunt, illud veriſſimum, vinum cum Abſinthio paratum, mirabiles ex ſe pro roborando ventriculo prodere vires: cùm enim Abſinthium per excellentiam ventriculum vigoret, eiúſque collapſam valetudinem reſtituat, ex Galen. *lib.6.ſimpl.cap.de abrotano, & lib.7.meth. cap.4.& lib.1.ad Glaucon.14. & lib.de optima ſecta, cap.17.* fit vt eius languores perſanet: tenui enim, & calida virtute ſua, modicè adſtringenti (hæc enim ſummè iuuat ad penetrationem) ſeſe in ventriculi penitiſſimas partes inſinuat, offendénſque in illis humores impactos & lentos, eos minutatim diſſecat, ſectóſque, & ſic expulſioni faciles exacuit, & tenuitate ſua craſſos extenuat ſuccos, quoquouerſum ventriculi meatus facilè ſubintrans. Hac ratione humores in eo tenaciter infixos abſtergit, & aduerſus dolores ſtomachi eſt aptiſſimum, ex Dioſcoride *lib.3.cap.26.* Inſuper faſtidium arcet, ſuſcitat emortuam appetentiam, & ſingultum ſanat ex frigida cauſa contractum, vermes necat. Eſtque res adeò apud Scriptores omnes receptiſſima, vt ad ipſos etiam vulgares deducta ſit notitia, hoc auxilium languenti, flaccidóque ſtomacho, ſummo eſſe ex vſu: cuius conficiendi modum, pete ex Dioſcor. & eius interprete Matthiolo *locis citatis*; quibus mirabiles huius vini vires deſcribit.

Obſeruatio X.

Importunus ventriculi dolor, vini abſinthitis potu curatus.

LAborauerat trigenaria fœmina diu tertianâ notha, & ob obſtructiones viſcerum interiorum, & vteri reſtricta biennio omninò ſunt menſtrua, quæ ope conſeruæ chalybis ritè poſteà fluxere; ſed in vmbilico per annum ita ſæuo preſſa fuit dolore, noctu præſertim, vt omniũ remediorum vim prorſus contempſerit. Sæuiente dolore vmbilici regio eleuabatur, vt ſphærula in eo ad tactum ſentiretur. Adhibitum conſilium. Alij vermem eſſe cauſam rati ſunt. Alij lentos & frigidos ſuccos, facientes obſtructionem viſcerum huic malo anſam præſtare confirmarunt. Quidam flatum eſſe nebuloſum & craſſum, qui à calore lectuli, & quod verius eſt, ob ſomnum adaucto, fuſus & diſſolutus, vnà cùm internarum partium frigida intemperie, dolorem hunc pertinacem excitabat, ſibi

perſuaſere,

perſuaſere. In hunc vſum vacuantia ſæpius propinant. Affectæ particulæ adhibent topica innumera. Sudorifica ex Ebeno propinant balnea naturalia conſulunt. Demùm ſex menſium ſpatio nihil intentatum relinquunt. Tandem exhibito vino Abſinthite pro continuo potu,& à dolore immunis euaſit, & recurrentibus menſtruis,cùm anteà eſſet ſterilis, concepit, peperit.

HISTOR. LIX. GALENI, De ventriculi debilitate.

Ventriculi debilitas, ex abſciſſione omenti ſuborta, quomodo curetur.

Quòd omentum calefaciendi gratia factum ſit, euidenter diſcas licet, in illis qui vulnus in epigaſtrio, (id eſt, abdomine) *acceperunt, in quibus per vulnus excidit omentum, deinde liuidum factum cogit Medicos partem læſam adimere: omnes enim frigidiorem ſentiunt ventriculum, * minúſque concoquunt, ac pluribus operimentis extrinſecùs egent,& maximè quando inſigni fuerit magnitudine quod exciſum eſt. Quemadmodum certè,& nos aliquando ferè totum ipſum abſcidimus cuidam gladiatori ita vulnerato. Homo enim ſanatus quidem confeſtim eſt,ſed tamen adeò facilè, & patiebatur,& lædebatur à frigiditate externa, vt non ſuſtineret nudum habere ventrem,ſed lanis aſſiduè eſſet obuolutus. Gracilior autem à principio fuerat hic gladiator cùm aliis partibus, tum ventre; ob idque celeriter, opinor, refrigerabatur, &c. Galen.* lib.4. de vſu part. cap.9.

PARAPHRASIS.

Omentum, cùm vocetur viſcus, auctore Galeno *lib.3. de facult. natur.cap.7.* & calidum ſit, eo ad meliorem coctionem natura abutitur; eius enim vſu faciliùs, celeriúſque cibus concoquitur, ex Ariſtot. *lib.1. de hiſtor. animal.16.& lib.3.eiuſdem,14.& lib.4. de part.animal. c.3.* Cùm enim ventriculus ab adiacentibus membris foueatur, ab omento non nimiam ad cibi coctionem accipit vtilitatem;quare hæc particula longiſſimè protenſa eſt in inteſtina omnia,vt ipſorum coctionem iuuaret imbecillimam; nam non ſolùm denſitate ſua,ventriculum,inteſtináque ab externis iniuriis defendit, & factam ab ambiente prohibet diſſipationem, ſed caliditate ſua (calidum enim eſt, cùm nihil pingue, & promptè inflammabile,frigidum ſit,ex Galen.*hic.*)partes has fouet,& tuetur. Eſt ergo omentum,fulcimentum quoddam,aut,vt rectiùs loquar, operimentum, quod inſtrumentis cibum conficientibus, veluti operculum congenitum à natura eſt datum, ex Galen. *lib.4. de vſu part. cap.11.* Ex his manet aperta ſolutio ad quæſitum commune, cur ſcilicet frigeſcat ventriculus à calido hepate, quod *3. alim.16.* probauit Gal. quoniam iecoris incumbentis caliditas nimia liquefacit pinguedinem omenti:quare ventriculus exanguis, hac veſte quaſi ſpoliatus deficit. Lege Rulandum, *lib.probl.medico phyſicor.73.* aliàs huius problematis rationes varias lege apud Caſtrenſem Luſitanum *lib. de complexu morbor. cap.23.*

Et cùm raro accidat,vt omentum ex vulnere egreſſum non patiatur,videndum eſt,num refrigeretur,aut incipiat corrumpi,aut denigretur, & iam corruptum ſit. Si incipit putreſcere,ex ipſius pallore cognoſcitur; tunc ergo ſpongiis vino dulci,potenti,nigro,vel albo, cum chamomillæ decocto fouere oportet;poſt decoctionem factam,explorandum,num colorem proprium, naturalem, ac viuum recipiat,ita vt incaleſcat; ſi enim ita ſit, intromittendum eſt. Si contrà accidat, ipſum amputare debemus. Plurimi hoc modo abſcindunt,vt accipiatur pars corrupta,& filo circa partem ſanam deligetur, poſteà in regione vinculi ſecetur, & deinde exurunt: intromittunt ſanum omentum relictum. Non placet hæc methodus, nam de parte ſana aliquid etiam ligari debet, & amputari; quoniam ſi aliquid corrupti omenti relinquatur,id poſteà corruptionis reliqui omenti eſt in cauſa. Melius ergo eſt totam illã partem denigratam accipere, & cum aliqua portiuncula partis ſanæ ligare, & ipſam reſecare ad viuum, omiſſa vſtione,ne ſtatim liqueſcat,vt doctè retulit Andreas Alcacar, non infimæ notæ chirurgus *lib.4. de vulnerib. ventris inferior.cap.8.* lege Gal. *lib.6.aph.58.*& Hieronym.Fabric. ab aqua pendente *lib.2. chirurg. cap.25.* Ob dictas cauſas ij,quibus è vulneribus excidit omentum,frigidiorem ſentiunt ventriculum, ineptè concoquunt, ab externa frigiditate facilè læduntur,& externis operimentis extrinſecùs egent,maximè quando totum reſectum eſt. Quare Philoſophus omentum meliorem facere coctionem pronunciauit. De qua vtilitate videndus Conſtantius Varolius *tabula 1. anatomica, de omento.* Eius ampliores vſus lege apud Gal. *l.6. de anatom. adminiſt. c.5.* quo loco epiploï multiplicem vſum agnoſcit;nam præterquam quòd tegumenti inſtar inſitum calorem fouet, ac coctionem iuuat, venæ portæ ramos, in lienem, ventriculum, duodenum, & colum diſtribuendos ſuffulcit; arterias, & neruos ſuſtentat; inſuper vagantes per imum ventrem vapores retinet,& in adipem cogit;colo inteſtino à liene ad ventriculum, & iecoris cauum aſcendenti meſenterij vicem gerit; & humorem copioſum ab inteſtinis influentem, quum à glandulis excipi, & abſumi ſemel nequeat,in ſe, velut in æſtuario aſſeruat,vt latè explicuit Laurent.*lib.6. de re anatomic.c.12.* Quidquid Columb.*lib.14.cap.6.* priorem, de quo *hoc loco* Galen. egit, ſolum vſum agnoſcat, cum Fernel.*lib.1.de part.corp.hum.deſcript.c.7.*& Auic.*13. 3.tract.1.c.1.* De cuius multiplici vſu,lege Adrian.Spilegium *lib.8.de fabric.corp. hum.c.6.*

QVÆSTIO XXXVI.

Quòd ex decidentia mucronatæ cartilaginis,homines non ſolùm debilitatem ventriculi,& alios morbos pati,ſed contabeſcere poſſint. Contra Sanctorium, Laurentium,Columbum, & communem Medicorum ſententiam.

COMMENTARIVM.

Minúſque concoquunt.]Quoniam de ventriculi debilitate diu commentamur, age, illuſtremus & parte hac, aliam debilitatis ventriculi cauſam, ignoratam à veteribus,& idcircò indictam. Mirum enim eſt,quod ſidiſſimo experimento adinueni ſæpè, ventriculi debilitatem, nauſeam, vomitum, ructus, deprauatam concoctionem, faſtidium, alios inſuper aliarum partium morbos, immò tabem ſequi poſſe, ex procidentia illius cartilaginis, quæ à Medicis Xiphoïdes,Scutiformis,Enſiculata, Mucronata dici ſolet, & ab Arabibus malum granatum nuncupatur. De cuius morbi cauſa, ſignis,prognoſi, & curatione, tam vtilis & neceſſaria eſt cognitio,vt ſi in eius inueſtigatione, rationis gubernaculo non perſiſtas, facilè, & cum aperto diſcrimine in ſcopulos,immò mortem miſerrimos ægrotantes frequenter præcipites. Sic ergo in re tam ſeria me dicentem audire ne graueris.

In his, qui frigido, humidóque vtuntur alimento, ingluuiei,& comeſſationibus multis, crapulæque ſunt dediti: & hac de cauſa, vel natiua ſorte,frigida ventriculi intemperie, & imbecillitate laborant; vel ex morbo ſæuo acuto, aut chronico conualuere, ob coctionis defectum, mucoſus,lentus,viſcidúſque ſuccus in ventriculo,oréque præſertim ipſius gignitur, qui copia ſua ita grauat,qualitate frigida debilitat,humiditate relaxat, vt ventriculum, coctionis primum organum, mirum in modum debilitet, & ſæpè ſit in cauſa, quòd immedicabiles oriantur in eo, vel aliis partibus morbi,ab iſta intemperie pronati.

Cúmque ventriculi os plures circumdent partes,penes quarum læſionem varij morbi propullulant, ille frequentiſſimo experimento compertus eſt, qui ex decidentia illius cartilaginis oritur, quæ Enſiformis à Galeno appellatur: hæc enim imo pectori ita connata eſt, vt os ventriculi

ventriculi tegat, & tanquam ſcutum & propugnaculum muniat, ac defendat. Luſitani hanc cartilaginem vocant *Spinhela* hæc enim manu compreſſa, vel eleuata, ſpinæ oblongæ, ſeu gladioli parui figuram refert. Belgæ dicunt *Borſt been*. Huius vſus primarius eſt, vt ventriculi os tueatur. Illum ridet Columb. *lib.2. de oſſib.cap.*10. quia diſtare longo interuallo ab ore ventriculi, quod dorſo applicatur, ratus eſt. At præterquam quòd falſum eſt in viuentibus ita diſtare, eius placitum multò anteà redarguerat Galenus *lib.7.de vſu part.cap.*21. dum in hæc verba prorumpit. *Ob eam igitur cauſam, & ad partem oſſis pectoris vltimam, (quam ob enſis ſimilitudinem Xiphoïdem appellant) adhæreſcit: quam certum eſt propugnaculum eſſe oris ventriculi, & ſepti tranſuerſi; quæ illic eſt, iam autem & cordis, &c.* Auicenna probat.1.1. *doct.3.cap.*15.§. *Cùm inferiore præterea parte thoracis os cartilaginoſum latum contineatur, cuius inferior extremitas rotunditati attinens vocatur epiglottalis, eo quòd epiglottidi ſit ſimilis, & ipſum eſt tutamentum oris ſtomachi, &c.* Accepit à Galeno 6. *de vſu part.3.* firmant Veſal.1.*fab.*19. Bauhin.3.*anatom.*49. Paræus *lib.1. cap.*41.

Hæc ergo cartilago, cùm nimio mucore, humiditatéque excrementitia, ob infauſtam ventriculi coctionem ex ipſius debilitate contractam, eſt infarcta, emollito glutine, quo pectori hæret, decidit, & laxatur valdè. Neque putes abſurdum, cum Laurentio *lib.3. de re anatom. c.*11. hanc cartilaginem decidere, quum ita imo pectori firmiter adhæreat, vt non niſi ſumma vi diuelli poſſit, vt *cit. loc.* obtrudit Columbus: nam hoc de ſtatu naturali intelligendum eſt, quoniam vterus neruoſus, & obſidentibus partibus, multis, variiſque ligamentis obſitus, ita aliquando humoris copia laxatus procidit totus, elabitur, & flacceſcit, vt virilem priapum mentiatur.

Et ne quis putet noſtra hæc, figmenta eſſe anilia, aut meras nugas, vt citati firmauere recentiores, legat inſignem Veigam (hic enim peritiſſimus Luſitanus, omnium eruditiſſimorum Medicorum voto doctiſſimus, ſit mihi mille inſtar) qui *in com.ad cap.4.lib.1.de loc.affect.num.*21. noſtras partes lata oratione tuetur, *à verbo, nonnunquam, vſque ad verbum, idcircò indicta.* Tanti viri ſententiam Carrerius iiſdem fermè verbis confirmat *diſp.*52.*ad libros Galeni, de locis affectis*: dum enim plurimas tabis cauſas recenſet, potiſſimam accidere putat; quando cartilago hæc, emollito glutine quo pectori tenaciter adhæret, laxatur & decidit. Habere autem quidquam mucoſum, quo pectori alligatur, docet Galen. *lib.*11. *de vſu part.*18. & *lib.3.de facult. naturalib. cap.vlt.*

Hunc affectum comitantur in ventriculo flatus, gurgulationes, ructus, ſingultus, oſcitationes ab ſpiritu flatuoſo pronatæ, quæ omnia à debili coctione, ventriculíque imbecillitate originem ducunt: cùm enim cartilago hæc ventriculum ab externis iniuriis tueatur & defendat, ſi flaccida eſt, & muco oblita copioſo, relaxatur, & flectitur introrſum; ventriculi os premit & debilitat; vnde reproba concoctio, nauſea, & vomitus. Ægri difficilè reſpirant: nam ad diaphragmatis, quod eo loco neruеum eſt, tutelam, conſtructam fuiſſe hanc cartilaginem, *lib.7. de vſu part. cit.* Galenus edocuit. Diaphragma autem eſſe princeps, ac primarium liberæ reſpirationis inſtrumentum, Galenus paſſim confirmat: nam tenditur in exſpiratione, laxatur in inſpiratione. Inſuper languet appetitus. Os continuò madeſcit, ſputo craſſo, viſcidóque reſperſum. Adeſt Cephalalgia ob maximum ventriculi cum capite conſenſum. In partium extremitatibus, totiúſque corporis habitu, nodi duri, indolentéſque apparent, à frigido humore ſuborti, quem natura ex infauſta coctione, velut excrementitium, ad partes extremas, tanquam ignobiles detrudit.

Affectus hic contumax eſt, & rebellis, & qui ſæpiſſimè ſpreta cauſa ob Medicorum incuriam, putantium huius cartilaginis decidentiam anicularum eſſe fabulas ac præſtigias, contemptis præſidiis, diuturnus fit, & deinde auxiliis Medicis vix miteſcit. Immò ſenſim ac ſine ſenſu, furtímque habitualis ventriculi intemperies ſuccreſcit, ex qua tabeſcunt ægri, & pereunt: non enim ineptè coꝛcto alimento nutritur corpus commodè, quin extenuatur, & areſcit: Ex parua enim coctione non fit laudabilis hæmatoſis, impurum ſanguinem carnes non trahunt, ita ſuo genio, & nectare viuifico defraudatæ contabeſiunt: quoniam tantum habemus caloris, quantum ſanguinis. Quare ægri marcidi facti, ſæpè hectica ventriculi correpti, vitam cum morte commutant.

Curatio ſimilis eſt in omnibus, illi quam Medici, pro ventriculi debilitate ab intemperie frigida pronata, inſtituere conſueuerunt. Vnum ſolùm habet huiuſmodi affectus peculiare, quòd hæc cartilago manus opera ad ſuum locum delapſa reducatur. Quod opus licèt pluribus modis celebrari poſſit, nullo melius picatione perfici poſſe exiſtimo. Os ergo ventriculi modicè concutiatur ferula illita pice, ita vt leniter ſuauitérque caro attollatur, párſque incaleſcens rubefiat. Imponatur deinceps cucurbitula cum magna flamma, (hæc enim incantamenti modo flatus diſcutit, 12. *meth.vlt.* & 2.*ad Glauc.6.* & potentiſſimè calorem ad ventriculum debilem attrahit, 7. *aph.*1.) ſtrenuum enim auxilium eſt, vt quæ ſunt in alto, foras euocentur, ex Gal. *lib.*13. *meth.c.*19. Qua ablata ſtomachica emplaſtra ex calidis, roborantibus tamen medicamentis parata, ori ventriculi adaptare oportet, addita ſemper terebinthina, cuius vi tenaciùs adhærent, & opus ſuum per moram complere queunt.

Et ne me ſanè rudem, & de morbo hoc ſomniantem exiſtimes, anicularum inſtar, quibus ferè hæc curatio, à vulgari Medicorum plebe, ſuperſtitioſa dicta, demandatur, de picatoribus, ex Galeni mente hæc paucula accipias, rogo. Si quæpiam particula, ventriculus nempè, ex nutrimento ob debilitatem fructum non ſentit, inquit Galen. *lib.7.meth.cap.*7. optimum medicamentum eſt, quo picatores quotidie vtuntur. Accipiebant enim ferulas paruas, ac leues modicè illitas pice, & flaccidis, gracilibúſque partibus incutiebant, donec modicè attolleretur, vt Magiſter edocuit *lib.*14.*meth.*16. ex qua iterata côcuſſione, attracto ad partem ſanguine & ſpiritu, ventriculus incaleſcit & roboratur, meliùs appetit, retinet, & concoquit. Nam hoc ad præſtandum membro cuilibet vigorem, egregium medicamentum eſt, adeò vt ſi quod ſingulare membrum hoc vitio laboret, id hoc præſidio reſtituatur; nam calefacit, humectátque, ac vigorat ſanguinis multitudine accita. Picationis autem terminum *lib.6.de ſanit. tuend.c.*8. cutis ruborem ſtatuit. De cuius vtilitate mira, pro roborandis, impinguandíſque partibus, lege Hippocr. *lib.2. de officin. Medici, text.*52. Auicen.2.1.*tract.2.c.*14. & *tract.3.doct.*4. *c.*4. & 7.4.*c.*2. & 10.3.*tract.*1. *cap.*30. & 2.3.*tract.*1.*c.*46. Aëtium *tetrab.*1.*ſerm.3.c.*180. Paul.*lib.1.cap.*59. quorum mentem explicant Raſius *lib.5.ad Almanſ. cap.*60. & 61. Guido *tract.6. doct.1.c.*4. Nicol.*ſerm.7.tract.6. ſum.1.c.*1. Bartholomæus Euſtach.*lib.3.praxis, c.*35.*de tabe.* Ludou. Lemoſius *in com.cap.*7.Gal.*ad lib.7.meth.* Mercurial. *lib.de decorat.c.*7. Hercul. Saxonia *ſect.1. de phœnigmis, c.*11. qui de recto picationis vſu egere luculenter.

Picatores ergo erant, qui ferulis illitis pice partem debilem concutiebant, & ſic motu & calore, ſanguinem & nutrimentum ad partem attrahebant, & hac ratione membrũ extenuatum impinguabant, vel hanc cartilaginẽ ad ſuum locum reducebant, ventriculúmque hac ratione firmabant. Sic docet Auic.7.4.*cap.cit.*§. *Et de impinguatiuis ſunt linimenta, quæ adminiſtrantur poſt motionem membrorum, & ipſorum rubrificationẽ, ſicut eſt pix ſola, ita vt ſit vehementer liquida, aut ſoluta cum oleo in quãtitate qua faciat eã currere linimentum, & quãdoque adminiſtratur ſola ſuper cutem approximata igni, donec liqueſiat, deinde inuiſcatur, & eleuatur: Quandoque congelatur ipſa, attrahit nutrimentum ad mẽbrũ, & retinet ipsũ in eo, & remouet frigus eius, ſi fuerit cauſa eius debilitas virtutis, &c.* Non ergo vanum putes, cartilaginem hanc decidere, & picatione, cæteriſque attrahentibus præſidiis in ſuum locum reſtitui, quidquid contrarium Medici vnanimi ferè conſenſu, falsò tamen, hucvſque fuerint opinati, vt refert Auguſtinus Vaſquius *q.2. de ventriculi paſſionibus*, & non ſiluit eruditiſſimus Sanctorus Sanctorius *lib.3. de vitandis erroríb. Medicor. cap.*14. putantes nullo modo hanc cartilaginem decidere poſſe,

quorum

quorum argumenta ficulnea eſſe,ſuprà ſatis prædiximus, & ex dictis facilè ſolui poſſunt.

HISTOR. LX. RHASII, *De ventriculi dolore.*

Dolor ventriculi ex bile, & melancholia ortum ducens, congruis auxiliis ſanatur.

*Dico, quòd conqueſtus eſt mihi quidam de dolore ventriculi ex bile & melancholia, cum humiditate, & caliditate ſuperueniente velociter ad caput, quæ humiditas erat intenſa,quem curaui recipiendo Roſarum tritarum ℥.x.ſpicæ ℥.ij.maſtichis, thuris, caryophyllorum optimorum, cymini, an. ℥.j. Terantur quæ terenda ſunt, & inde fiant trochiſci cum ſucco Abſinthij,& cortic.criticorum:appoſitóque oleo nardino, confecto ex cypero,chœnantho,& coſto ſuprà ſtomachum, conualuit, &c. Rhaſius lib.*11. continent.tract.1.cap.2.

PARAPHRASIS.

A Multis cauſis oriri ventriculi dolorem, teſtatur multis in locis Galenus: quum enim eius ſubſtantia ampliſſimis neruis ſit contexta, qui à ſexto cerebri coniugio, ſuperiori eius orificio mutuo complexu implicantur, & in reliquum ventriculi corpus multiplici ſerie diſtribuuntur, idcircò maximè ſenſile eſt,ex Gal. *lib.2. de rat.vit.com.*11.& alibi paſſim.Doloris ventriculi aliquando cauſa eſt intemperies ſimplex,& ſine materia,quandoque cum materia: vtraque,vel calida,vel frigida. Harum ſigna ſatis ſupérque diſtincta inuenies apud eos, qui peculiare caput de dolore ventriculi conſcripſerunt, inter quos præcipui ſunt, Alexander Maſſaria *lib.3. de morb. intern. cap.3.* Mercurial. *lib.3. praxis, cap.2.* Leonardus Iacchin.*in 9.ad Almanſ.cap.45.* Bartholomæus Perdulcis *lib.13.medicin.cap.2.*Ludouic.Mercat.*lib.3.de morb.intern. cap. 1.*

Vnus ſolùm ſcrupulus eximendus, cur humiditas fecit dolorem,ſi ea apud Gal.*lib.1.de cauſ.ſympt.c.6.*non poteſt violenter corpus contingere, & alterare? Dic verum quidem eſſe intemperantiam calidam aut frigidam, per ſe & ſolam, poſſe dolorem efficere, quia cùm ſint maximè efficaces, confertim & violenter corpus immutant; humiditatem autem & ſiccitatem, ex accidenti concitare dolorem,quoniam ſunt qualitates materiales, ignauæ, & languidæ, auctore Magiſtro 7. *meth.5. & lib.6. de ſanit. tuenda,c.3.*nam humiditas agit & corrumpit, licèt paulatim & ſenſim, maximè ſi cum affluxu humoris copuletur.Galeni verò locus, licèt prima facie videatur contrarius, de intemperie nuda intelligendus eſt, ſiue hæc ſit ſimplex, ſiue compoſita.

Quúmque humiditas nimia caliditati copulata dolorem faceret; & ob vaporum ad caput copiam, cum quo maximè conſentit ventriculus, 3.*de loc.*5.timor eſſet,ne in cerebro, aliiſque partibus, aliquod ſymptoma ſuccreſceret,timoris & periculi plenum, excrementitiam abſumere humiditatem,óſque ventriculi roborare ſaluberrimum duxit;cùm nulla ſit pars, quæ ita exactum habeat ſenſum,vel principum partium vtramque, pro ſuarum affectionum modo perinde afficiat, atque ventriculi orificium; ſiquidem ſyncope, cardialgia, dyſpnœa, apnœa, epilepſia, delirium, inſania, huius partis occaſione euenire conſueuerunt. Mirandum enim non eſt, ſi ob oris ventriculi affectus, animalia maximis, iiſdémque vehementiſſimis affectibus affligantur,cùm nimirum pars illa, per neruos quidem cerebro, per arterias autem cordi vicino ſibi, ſuas offenſas communicet, vt non minus latè, quàm doctè Gal.pronunciat *lib.2.de cauſ.ſympt.cap.7.*

Maxima ergo eſt ventriculi dignitas, & ad omnium partium actiones ſummè neceſſaria. Maxima illius in toA tius corporis alteratione, & immutatione facultas: eam oraculo quodam patefacit Hippoc.*l.6.epid.ſect.4. text.25. Ventriculo calidi, frigidi carne, & graciles. Iſti venoſi, & iracundiores*: in cuius expoſitione mira protulit Valleſius *in comment.* Demùm ex eo ventriculi neceſſitatem poteris arguere, quoniam ſi vel minimum afficiatur, aut diuturna officij vacuitate reddatur ignauior, tota corruit ſtatim animalis machina,atque illius naturalis œconomia labaſcit.

Flaccidum itaque,& dolore afflictum ventriculum roborare oportet, ne præ doloris ſæuitie, ad eum conſortij lege, totius corporis concurrant excrementa, ex quorum prouentu, & confluxu diri poſſint ſuboriri affectus. Cùm autem pars citra totius prouidentiam ſanari non poſſit, culpam auctori non imponas, qui citra expurgantium B vſum localia conſuluit applicanda; nam vacuantia ſiluit, quoniam circa principium erat affectus, à quibus abſtinere docuit Gal.*lib.13.meth.c.*11.quando dolor,aut phlegmone ventriculum exercent, *ſiquidem longiſſimè à tentata fluxione parte, quod redundat reuellere, nequaquam ad eam trahere conuenit*: nam purgantia plus trahunt in ipſum à toto corporis ambitu,quàm ab eo pellūt,ex quo confluxu ita redditur venter languidus, ac dolor intenditur, vt vel ex noua fluxione noui emanent morbi, vel ita reddatur languidus, vt deinceps munus ſuum perficere nequeat. Quare purgantia in ventriculi affectibus ſumma ſunt cum præmeditatione porrigenda, quæ ſi offerantur, maximè ſi caput condoleat, tunc ſummoperè hieram laudauit, *l.7. meth.*11.& 8.*ſec.loc.2.& 2.eiuſd.cap.1.* quod medicamentum citra moleſtiam ventriculum ab excrementitiis humoribus repugnat.

C Dolorem itaque mitigare ſalutare conſilium fuit, ex quo ſymptomate ægri in grauiſſima pericula labuntur,vt Galenus *lib.12.meth. cap.1. & 8.* luculenter edocuit: cui etſi vt ſymptoma eſt,non debeatur curatio, ſed ſoli morbo,vt *loc.cit.meth. &* 11.*eiuſdem, cap.*12. Galen. edocuit; tamen ſi acerbus ſit,& vehemens,ad ſe curationem vocat, & habet rationem cauſæ: ſine qua alter affectus curari non poteſt,quoniam diſtrahit naturam, diſſoluit vires, & fluxiones mouet.Quare cordatè dixit Auic.4.1.*doct.5.c.1. quúmque ad diuerſum trahere volueris,membri à quo protrahis, dolorem priùs ſeda, &c.* & infrà. §. *Quúmque ægritudo dolori coniuncta fuerit,aut cauſa ipſius eſt dolor, aut ægritudo eſt cauſa doloris, ſicut eſt percuſſio,aut caſus, incipies ſedare dolorem,&c.* Si verò ſit mitis,& leuis,aut mediocris, non vocat ad ſe curationem, nam remoto morbo ſymptoma D remouetur:ſic intelligendus eſt Auic.1.4. *tract.2.cap.7.§. Et quando dolor capitis coniungitur cum febre, dignior eſt curatio febris, & non doloris, &c.*

Quapropter quum dolor vrgeret valdè, & ventriculi debilitas adeſſet, ipſum roborare opus fuit iis, quæ tum dolorem, ex recrementitia humiditate ventriculum diſtendente pronatum mitigare, tum roborare nata eſſent: inter quæ primo loco numerauit roſas, quæ auctore Galeno *lib.8.de ſimpl.medic.facult.tit.de roſa*, adſtringunt, & exſiccant, maximè ſi ſint ſiccæ, hæ enim ampliùs roborant, & ſuperfluam humiditatem exprimunt, & abſumunt,vt ait Dioſcorid.*lib.1.cap.*130. & aromaticitate ſua ſubſtantiam ſpiritus recreant & refocillant, quare ſyncopæ & cardialgiæ ſummoperè opitulantur, ex Auicen. *lib.de virib.cord. tract.2. cap.de roſa*, & ſic vires,tum vitaE les,tum animales roborant, ex Matthiol. *in cit. cap. Dioſcorid.* Eliguntur, quæ punico colore rubent; præſtantes etiam ſunt quæ in rufum candicant;viliſſimæ albicantes. De quarum vi eximia,lege Auicen. *lib.2.tract.2.cap.575.* & Ruel. *lib.1. natur. ſtirp.cap.127.* Monard. *libel.de roſis, ferè per totum.*

Secundum medicamen eſt ſpica nardi. Nardum autem frutex eſt, graui & craſſa radice, ſed breui, nigra, fragilíque, quamuis pingui, aſpero ſapore, folio paruo, densóque. Aliud eſt Indicum, Syriacum alterum; hoc melius, quò recentius atque leuius, item comoſum, colore rufo, odore vehementer iucundo, cyperum imitante, breui ſpica, ſapore amaro. Illud viribus languidum, quòd vliginoſo proueniat ſolo, proinde illam

odoris

odoris gratiam exuit, calefacit & exſiccat, nauſeabundos iuuat, inflationibus ſtomachi auxiliatur, prodeſt contra venena, & ventriculo robur conciliat. De cuius vtilitate mira lege Dioſcorid. *lib.* 1. *c.* 6. & alios qui de aromatibus Indicis diligentiſſimè diſputarunt. Cætera verò corroborare ventriculum, & illius abſumere madorem, adeò notum eſt, vt probatione non indigeat. Has enim vires obtinere maſtichem, thus, caryophylla, cyminum, abſinthium, cyperum, ſchœnanthum, & coſtum, rei herbariæ peritiſſimi paſſim confirmant.

Vnum ſolùm aduerte, vt hæc ſtomachica medicamenta non minùs parti anteriori, vt innuit hic auctor, quàm poſteriori ventriculi apponas: vt Galenus docet *lib.* 7. *ſec. gener. cap.* 12. *ad fin.* & 13. *meth.* 17. quorum os ventriculi vertebris dorſi adhæret; licèt enim pars anterior ſit carnoſior, & minùs oſſea, quàm ſpina, tamen poſticæ parti impoſita medicamenta ſummè iuuant, vt explicant Matthæus Gradius *lib.* 9. *ad Almanſ. cap. de dolore ventriculi.* Amatus 1. *centur.* 98. Ergo ſtomachica medicamina debent eſſe modicè calida: quæ enim nimis calefaciunt, exſiccant, & exprimendo humiditatem, debilitant. Hæc cum cera miſcemus, vt diutiùs vires ſuas retineant. Actu calida imponi debent, non frigida: nam hæc ventriculi robur diſſoluunt, vt ait Galen. 8. *meth.* 5. Auic. 1. 4. *tract.* 1. *c.* 26. tepida enim dilatant, liquant, emolliunt, retoluunt: calida, quantum æger tolerare poſſit, contrahunt, corrugant, aſtringunt, roborant, & magis ſi in duplici vaſe priùs calefiant: tunc enim actione ignis, vis medicamenti non euaneſcit. Quare ſi cum his conditionibus applicentur, præſertim ventriculo vacuo, ita vt ante aſſumptionem ciborum tempus notabile intercedat, multum prodeſſe poterunt. Emplaſtra in panno purpureo impoſita, non ſint ad modum ſcuti, ſed falcatæ lunæ, quia hæc eſt effigies ventriculi.

HISTOR. LXI. RHASII, De dolore ventriculi.

Dolor ſtomachi diuturnus ex frigore originem ducens, vini generoſi potu, curatus.

EVenit cuidam dolor chronicus in ſtomacho, & conſului ei vt biberet vinum forte, purum, & iam in continenti dolor declinauit verſus vmbilicum, & retenta eſt vrina eius, & ſentiebat veſicam inflatam, & repletam, & medicamentis prouocata eſt vrina, & exiuit cum ea phlegma album, viſcoſum, & meditatus ſum, quòd illud phlegma erat cauſa doloris, & retentionis vrinæ, &c. Rhaſius in lib. de mirabilib. curis.

DVBIVM XXXVI.

Num frigidis ventriculi doloribus, meri potus ſalubris ſit.

PARAPHRASIS.

ORiri ventriculi dolorem ex flatu, & pituita diſtendente, adeò notum eſt, vt probari non debeat: qui cùm euenerit, calidis roborantibus, intùs & extrà applicitis debellandus eſt. Et cùm inter plurima medicamenta fusè ab auctoribus, capite de dolore ventriculi ex flatu propoſita, primo loco vinum reponatur, meritò auctor illud aſſumendum conſuluit; nam hæc refrigeratos mirificè calefacit, craſſos humores diſſoluit, ventoſos diſcutit, vrinam mouet, emortuas præ frigore facultates reuiuiſcere facit, eſt denique refrigeratorum vnicum leuamen.

Huius vi roborata natura viſcidum humorem multo flatu permixtum ad vias vrinæ expulit, quo ſubitò confluente vrinæ ſuppreſſio contigit: pro cuius prouocatione plurima ſolent proponi auxilia; inter quæ præcipuum locum obtinent, quæ craſſum, tenacémque ſuccum extenuare, & modicè liquare apta ſunt, de quorum genere ſunt fomenta, & vnguenta varia, quæ paſſim reperies apud auctores.

Vnum ſolùm conſtat, vinum huius curationis fuiſſe baſim ac fundamentum: de cuius vi, ac facultate Laconicè quæpiam conſcribere placet, ex tam multis quæ de huius potus admirandis commoditatibus retulerunt auctores Græci, & vnà proponunt recentiores. Vinum (vox ad ſuccum, ſeu liquorem vitis, ſiue vuarum ſignificationem inuenta) tradit Varro *lib.* 4. à vi deductum eſſe, quòd eius potus citò venas repleat ſanguine, inde Ouidij verſus:

Vt ſolet infuſo vena redire mero

Et Nemeſ. *Eccl.* 3. *de Sileno.*

Ex illo venas inflatus nectare dulci,
Heſternóque grauis ſemper ridetur Iaccho.

Vel quòd vim afferat rationi; eam ſanè corrumpit, & è ſuæ naturæ ſtatu deturbat.

Vtcumque ſit, vinum maximas vires corpori præbet, nam citiſſimè nutrit, vertitur in ſanguinem, & carnoſas partes promptiſſimè alit, ex Galen. 3. *acut. comment. penult.* & 3. *de temp.* 3. & 5. & 6. *epidem. ſect.* 4. *comment.* 19. Eo enim aſſumpto, in pulſibus, quidem fortitudo, ac magnitudo, in motibus voluntariis robur adiicitur, quod eſt nutritionis ſignum, apud Galen. *lib.* 2. *aph. comment.* 18. Quidquid vinum non nutrire carnoſum genus efficaciter contendat doctiſſimus Mercurial. *tractat. de vino & aqua, à cap.* 1. *vſque ad* 5. expoſus iam ab Horatio Augenio *tom.* 3. *epiſt. lib.* 9. *epiſt.* 21. cuius rationes funditùs etiam diſſoluit clariſſimus Ludouic. Nonnius *lib.* 4. *de re cibaria, cap.* 8.

Plutarchus *lib.* 3. *Sympoſ. cap.* 5. & Macrobius *lib.* 7. *Saturnal. cap.* 6. pluribus nituntur oſtendere, vinum eſſe frigidum, eo potiſſimum ducti argumento, quòd videant à potu vini, frigidos affectus oriri. His breuiter reſpondet Galen. *lib.* 3. *de temp. cap.* 2. dum ſic loquitur. *Sic igitur & vinum, vbi plus bibitur quàm vt vinci poſſit, tantum abeſt, vt animal calefaciat; vt etiam frigidiora vitia gignat, quippè apoplexiæ, & paraplexiæ, & quæ Græcè caros, & comata vocamus, & neruorum reſolutio, & comitiales morbi, & conuulſiones, & tetani immodicum pini potum comitantur: quorum vnumquodque frigidum eſt vitium, &c.* Ex quibus patet vinum modicè ſumptum, calorem natiuum roborare; ſi verò immodicè bibatur, ſuffocato natiuo calore, & ab igneo, abſumpto & debilitato, frigidos parit affectus: nec enim oleum flammam accendit, tametſi eſt aptiſſimum ignis nutrimentum; immò ſi imbecillæ, & exiguæ flammæ confertim multum oleum infundas, ſuffocabis eam, potiúſque extingues quàm augebis: ſic calor noſter à nimia vini copia grauatus & debilis, excrementa gignit multa, ex quibus tot morborum frigidorum prouentus. Vinum ergo in actiuis calidum eſt potentia: num autem reductum ad actum à calore noſtro, per ſe exſiccet, lege Manard. *lib.* 14. *epiſt.* 3. Chriſtophor, à Vega *lib.* 2. *art. medic. ſect.* 3. *cap.* 2. Valleſium *lib.* 9. *cont. cap.* 6. Cardozum *lib.* 2. *de ſex reb. non naturalib. quæſt.* 2. *cap.* 5.

Vino inſunt multæ proprietates bonæ: nam puros reddit humores, facilè coquitur, ſanguinem ſplendidum generat, viuificat innatum ignem, coloris præſtantiam conciliat. Hoc, teſte Platone *lib.* 1. & 2. *de legibus*, eſt timoris pharmacum, ſenectutis ſolatium, mœroris & inopiæ obliuio, ſomni illecebra, ſpiritus ex puriori ſanguine geniti fomes, fortitudinis calcar, ingenij incitabulum, ſenum labores temperans, & aduersùs illorum morbos vnicum leuamen; quibus ſi occupentur, illis ſummum eſt præſidium; ſicut enim in igne ferrum, ita vino ſenum corpora molliuntur, ac temperantur, vnde ab Auicen. 2. 1. *cap.* 8. lac ſenum dicitur: quare illis exhibet, quantum tolerare poſſunt. Somnum procurat, mentem exhilarat, quare ſubtriſtibus, melancholicis, & hominum conſortia fugientibus, miro eſt auxilio, quod legitur *in lib. Iudic. cap.* 9. §. *Numquid poſſum deſerere vinum meum, quod lætificat Deum, & homines?* & *in Pſalmo* 103.

§. *Vt educas panem de terra , & vinum, quod lætificat cor hominum, &c.* Sed quoad Deum attinet, inquit eruditiſſimus Valleſ. *in l. de ſacra philoſophia. in com. loc. ſuprà citati*, Theologis diſputandum proponitur : quoad homines , ea inter alias eſt potiſſima cauſa: Cùm enim noſtræ naturæ ſimillimum ſit, citiſſimè ſplendidos regenerat ſpiritus , quorum penuria qui laborant, triſtes, & melancholici eſſe conſueuerunt. Quantum autem afferat commodum melancholicis, vinum, luculenter oſtendit Alzarius à Cruce *lib. 1. cent. cap. 2. quæſt. vlt.* Demum, ſi de vini differentiis, ætate, efficacia, plura ſcribere aggrediar, in his referendis ero multiloquus. Vide per otium Manard. Mecurial. & Augenium *loc. cit.* Fumanel. *lib. 1. de natur. & facult. vini.* Andream Baccium *lib. 1. de hiſtor. vinor.* Valleriol. *lib. 2. loc. com. cap. 7.* Ruel. *lib. 1. de natur. ſtirp.* 143. Mathiol. & Lacun. *in com. cap. 1. l. 5. Dioſcorid.* Amat. *lib. cent. in ſchol. curat.* 28. Mercat. *tom.* 1. 9. 164. *num.* 96.

Inſuper. Non ſolùm in frigidis , verùm in calidis morbis maxima eſt vini poteſtas , & efficacia , vt ex Galen. mente colligunt Amat. *loc. cit.* & Fuchſius *in com. ſent.* 11. *lib. 2. aph. Hip.* Quum enim in vehementiſſimis , maligníſque febribus horrenda ſymptomata contingunt, quæ innatum ignem impensè diminuunt , & totam curationem ad ſe vocant , niſi priùs reficientibus auxilieris. ægros præcipites ages in mortem ; ea ſunt dolor , animi exſolutio , ſyncope ; & virium debilitas : is ergo correptis dato vinum , quia natiuum calorem à febris vehementia , & malitia iamiam exhauſtum refocillat, ſpiritus puriſſimos , quibus corpus ad ſui alitionem opus habet, generat, ac emortuas facultates reuiuiſcere facit , & præſertim illud quod cum modica , non tamen obſcura dulcedine fragrantiſſimum ex ſe ſpirat odorem : hoc enim præterquam quòd frebrientibus concedit Galenus , eſt amuletum , & venenorum tutiſſimum alexipharmacum, quibus omnibus vini ſpiritus ſummoperè prodeſt ; cuius extrahendi formam tradit Andreas Libauius *lib. 2. alchym. tract. 2. tit. de quint. eſſent. vini.*

Hoc venenis non tantùm frigidis aduerſari , ſed iis quæ à caliditate , aut occulta vi interimunt , teſtis eſt locupletiſſimus Galenus *lib. 1. de antidot. cap.* 8. & 14. dum inter alia alexiteria , id hoc nomine parandæ theriacæ probatiſſimum recenſet. Quare ad omnia venena quæ exulcerando interimunt , ſummum eſſe auxilium tradit Dioſcorid. *lib. 5. cap. 6.* per hæc verba : *faciunt aduersùs venena , quæ exulcerando interimunt* ; quod poſt eum firmauere Galen. *lib. 6. epidem. ſect. 6. com. 5.* Auicen. 2. 1. *doct. 3. ſum. 1. cap.* 11. Manard. *lib 5. epiſt.* 3. Mercat. *lib. 7. de febrib. peſtil. & malign. tit. de præcautione*, & ideò theriacæ aſſimilarunt antiqui, vt notant Fallop. *lib. de tumorib. præt. natur. cap.* 14. Ludouicus Septalius *lib. 5. de peſt. & feb. peſtifer. cap. 7.*

Aduertas tamen , ne in vino pueris propinando audax ſis , his enim infeſtiſſimum eſt. Celebris eſt hiſtoria apud Galen. *lib. 2. de loc. affect. cap. vlt.* de puero, qui vehementer ſitiens, vinum antiquum bibens, febri correptus, & deinde vigiliis, obortóque delirio occubuit. His ergo vinum porrigere nihil eſt aliud , quàm ignem igni addere ; quoniam non ſolùm calefacit corpus ſuaptè natura calidiſſimum , ſed mentem , animúmque deprauat. Quocirca *lib. 1. de ſanit. tuend.* 11. & *lib. 5. eiuſd. cap.* 5. & 12. & Plato *in Timæo* , & *lib. 2. de legib.* pueris vinum vſque ad annum vigeſimum ſecundum interdicunt. De quo argumento pulchra dicemus , in huius hiſtoriæ *comm. lib.* 4. *hiſt.* 18. & pro explicatione ſententiæ Platonis , vide Gal. *lib. quòd animi mores, cap.* 10. & Lupeum *in annotationibus ſuprà hunc locum*, Cælium Rhodig. *lib.* 15. *ſect. antiq. cap.* 28. & 29. Lang. *lib. 2. epiſt.* 57.

Deinde tanta eſt huius dulciſſimi liquoris præſtantia, vt vel pretioſiſſimis liquoribus ſit æquiparandum , ſi cum modo , & tempeſtiuè eo quis vtatur. Ob quæ, plura animalia ſuopte impetu in eius gratiſſimum potum feruntur: admirabilis enim vini vis in quaſdam animantes eſt obſeruata. Nullum enim eſt ferè animal , quod quatuor ingreditur pedibus, quod vino non vehementer delectetur, iuuetur, & in ſumma laſſitudine non reficiatur: Ipſi quoque ſerpentes, quum datur occaſio, vinum præcipuè appetunt, vt monet Plin. *lib. 10. cap.* 72. Sic ſues, ſimiæ , corui, vrſi, elephantes. Videmus & nos aurigas ad continentius, & longius iter conficiendum, equis ſuis offam ex pane , & vino obiicere , aut ſaltem vinum in os, & nares eorum iactare ; ſic enim & firmiores redduntur, & alacriores.

Cùm neceſſitas vrget , vinum purum , nulla admixta portione aquæ, exhibere ſalubre eſt; maximè ſi dolor, flaccidum languidúmque occupet ventriculum, cuius tonum potus ipſius aqua diluti ſummè diſſoluit, auctore Magiſtro *lib. 2. acut. com.* 8. Et *com.* 34. in ventre ſuperiore humiditatem, infirmitatémque facere , & flatum in inferiore aſſeruit. Meritò ergo feciſſe Raſium hîc, qui ægro ventriculi dolore correpto, à frigida cauſa concitato, purum, hoc eſt, merum potandum conſuluit ; vehementiore enim calore craſſos ſuccos in ore ventriculi impactos diſſoluit , flatus diſcutit, & ipſum roborat : præſertim ſi ſit forte, hoc eſt, generoſum, & ex eorum genere quæ potenter calefaciunt, (polyphora Græci vocant) ex Galeno 3. *acut.* 20. vt ſunt vina fulua, flaua, rubra, dulcia, vinoſa, odora, quæ omnia ſunt fortia, & nimis excalfaciunt, ex Galen. 3 *eiuſdem* 2. 6. & 7. *meth.* 6. & 12. *eiuſdem, c.* 4. De quo argumento præter cæteros, lege Amatum *loco citato.*

Sanitatis tempore vinum aqua diluere docuit Hippoc. *lib. 7. aph.* 56. & à veterum ſcientiſſimis eſt ſatis promulgatum, vt ſic nimius vini ardor, caliditas, & vis, aquæ permixtione temperetur & obtundatur. Marina vinum diluere , vtile ſaluti humanæ iudicarunt Dioſcorid. *lib. 5. cap.* 20. Cato *c.* 14. & 106. *de re ruſtica*, quòd infuſa maris aqua permixtum , ſuauius ſit , faciliùs ac diutiùs conſeruetur , crapulam impediat , ventrem ſoluat , nec inflet, & conferat ad nutritionem. Potus vini res eſt vtiliſſima , pharmacum ſuauiſſimum : ſed ſi aqua temperetur, longè præſtantius euadit ; quidquid enim eſt vino noxæ, aufert aqua , non aufert quod eſt vtile. Hinc vulgatus verſiculus.

Compedibus Venerem, vinclis conſtringe Lyæum.

Vinum aqua temperare primus omnium docuit Staphylus, vt refert Plin. *lib. 7. cap.* 57. qui iſtius miſtionis varietatem tradidit *lib.* 23. & 24. De vino miſcendo, ex veteribus ſæpè Athen. *lib. 1. c.* 29. *lib. 2. cap. 2. lib.* 10. *c.* 6. & 7. Si de modo quo ſanitatis tempore , vinum aqua temperari debet , vario apud veteres miſcendi modo, tum à natura vini , tum à natura bibentium , tum à tempore quo potabatur, ſcire cupis, lege Mercurial. *lib. 1. variar. cap.* 18. Quòd ſi quæras , num vinum penetrare aquam faciat, an aqua vinum ? Reſpondeo , alterum in alterum operari : vinum in aquam ſua caliditate , aquam in vinum ſua ſubtilitate : nam aqua ſecundùm totum vino eſt ſubtilior: vinum verò ſecundùm aliquas partes ſubtilius aqua. Vide pulchra apud Santorellum doctiſſimum, *lib.* 16. *ante-prax. cap,* 7.

HISTOR. LXII. GALENI, De dolore ventriculi.

Dolor ventriculi ob pituitæ copiam , medicamentis ipſam incidentibus curatus. Idem ab acribus ſuccis ſubortus , iiſdem aſſumptis exacerbatus.

NOui autem & ipſe quendam , qui de ore ventriculi querebatur, quod cùm ab aceruata in eo pituita prouenire, ex ipſius ſermone coniectaſſem , conſuluiſsémque , vt cum ſinapi betam , & porrum ſumeret , eorum ope inciſam pituitam largiter per aluum excreuit , omnibúſque ſymptomatibus eſt liberatus. Idem poſteà cùm poſt eſum ciborum acrium non concoxiſſet , mordicationémque in ventriculo ſentiret , ſumpto rurſus cum beta ſinapi , non modo à mordicatione non fuit leuatus , verùm etiam longè deteriùs habuit. Tum protinùs admiratus , quid eſſet , quod ab iis quæ anteà ſummopere iuuiſſent , nunc grauiter læderetur , cauſam ſciſcitaturus

ſciſcitaturus ad me acceſſit: cui reſpondi, neceſſarium eſſe hominum pariter, ac ciborum temperamenta conſiderare: nam ſunt plurimi quibus ſaxatiles piſces concoctu ſunt faciles, ali, qui bubulam faciliùs conficiunt: quemadmodum de melle non ſimpliciter pronunciare conuenit, quibus ætatibus, naturis, anni temporibus, regionibus, ac vitæ rationibus vtile ſit, aut noxium; nam calidis & ſiccis eſt aduerſiſſimum, frigidis verò ac humidis vtiliſſimum, &c. Galenus. lib. 1. de alimentor. facult. cap. 1.

PARAPHRASIS.

HAc hiſtoria oſtendit Galenus, quantum oporteat hominum, ac alimentorum temperamenta contemplari; cùm enim hic de ore ventriculi, hoc eſt eius dolore quereretur, cuius cauſa, tenax mucoſáque pituita eſſe ſolet, in ore ventriculi congeſta, ipſum diſtendens & grauans, aſſumptis medicamentis incidentibus; ipſam per aluum excreuit: eam enim in minimas partes attenuatam, & ſectam natura deorſum in duodenum detruſit: nam orificium inferius, à Græcis pylorus, à Latinis ianitor dictus, ciborum promptuarium, alimentorum vaſculum nuncupatum, pituitam incidentium ope concoxit, & diuiſam in inteſtina expulit.

Inter incidentia numerat ſinapi, betam, & porrum. Illud valdè acre eſſe, probat experimentum; nam calefacit, & exſiccat ordine quarto, ex Gal. *lib.8. de ſimpl. medic. facult. cap.4.* Paul. *lib.7. tit. de ſinapi*, eſtque ita calidum, & feruens medicamentum, vt parti impoſitum puſtulas excitet, & ſua cauſtica vi noxios ſuccos ex alto, profundóque corpore attrahat. Quare omnibus diuturnis affectibus, comitiali vertigini, cephalææ, hemicraniæ, arthritidi, coxendicis dolori, & aliis quæ è frigidiori materia originem ducunt, vitiis, remedio eſt. Quo factum eſt vt in hos vſus, ſinapiſmos, hoc eſt emplaſtra, aut cataplaſmata ex ſinapi confecta veterum ſcientiſſimi adinuenerint, vt conſtat ex Dioſcorid. *lib.2. cap.183.* cuius vires, & conficiendi modum graphicè inter omnes proponit Ruel. *lib. 2. cap. 86.* Quare præter innumeras dotes, quibus eſſe præditum antiqui prædixerunt, calore ſuo coctionem iuuat, & diſtributionem ciborum craſſorum mirificè parat.

Betam numerat Gal. *lib. 2. de aliment. facult. cap. 43.* inter ea quæ modicè ventrem ad excernendum proritant; nam vt ait Dioſcorid. *lib. 2. cap. 149.* nitroſum in ſe continet humorem: quare eius ſuccus tenuium eſt partium, & abſtergit, præſertim candidæ, quæ magis ſoluit, quoniam maiori acrimonia pollet, & licèt ſit praui ſucci, in parua quantitate, & cum porro & ſinapi exhibita, redditur innoxia, & magis medicamentoſa, vt imbellem flaccidúmque hoc pituitæ copiam lædere non poſſit ventriculum.

Porrum, apud Dioſcoridem *lib.2. cap.189.* craſſos lentóſque humores potentiùs incidit, calidum & ſiccum eſt ordine ſecundo: quod licèt Gal. *l.6. ſimpl.* & Simeon Sethi ſtomacho aduerſari affirment, de crudo ſunt intelligendi: coctione enim acris illa vis, qua neruos lædit, deponitur, ſuccique improbitas miteſcit & remittitur. Nil ergo mirum, his tam proficuis aſſumptis medicamentis, tenacem, lentámque pituitam fuiſſe inciſam.

Is acribus priùs ſumptis cibis, non concoctis, eadem medicamenta aſſumens, peius habuit: argumentum ſanè firmiſſimum, quòd humor calidus à cibis calidis & mordicantibus genitus, ab illis irritabatur valdè: Non enim oportet in eodem dolore, quum ſit à diuerſa cauſa concitatus, eadem auxilia adhibere, ſed exactè ſpeculari, quæ ſit mali cauſa: quare plerumque contingit, vt calida aſſumpta noceant vehementer, contrà, frigida proſint. Rurſus conſtat eadem cibaria diuerſo tempore oblata, interdum lædere, & aliquando prodeſſe: nam homines non ſemper idem habere poſſunt temperamentum quum ſæpiſſimè ob ætatem, regionem, & pleraque multa variari contingat. In confirmationem veritatis huius, exemplum de melle proponit, quod in ſenibus in bonum ſanguinem, in iuuenibus in bilem conuertitur, eodem auctore *lib. 3. de aliment. facult. cap. 34. & lib. 4. ſimpl.* [illegible] quoniam in temperamento frigidiori nimium non excalfit, aut alteratur, ſed modicè coctum ſuam dulcedinem ſeruat; in calido verò corpore dulcedinem exuit, & à caliditate vehementi amaritudinem contrahit; & ſecundùm partes tenuiores in bilem abit.

HISTOR. LXIII. RHASII, De ſuppurata ventriculi inflammatione.

Quidam, ex ſuppurata ventriculi inflammatione, conualuit.

QVidam patiebatur in ſtomacho apoſtema magnum, quod curabant Medici cum infrigidatiuis ſub diæta ſubtili; & deinde macilentus factus eſt nimis, & cum eo erat febris: quem transmutaui ad contrariam curam; poſtquam mitigata fuit febris, & cognoui quòd in ſtomacho erat excitata, quæ matura eſt, & recollegit ſaniem, & per vomitum crepuit, &c. Rhaſis lib. 12. cont. tract. 3. cap. 2.

PARAPHRASIS.

MIrum exemplum enarrat hic auctor, quod ex ſuppurata ventriculi inflammatione æger hic conualuerit: nam *qui erumpit ſaniem ex ſtomacho ſuo, ad deſperationem propinquior eſt, quàm ad ſpem*, monente Auic. 13. 3. *tract. 4. cap. 11.* quoniam, vt ait Hip. *l.7. aph.8. à tuberculi introrſum ruptione*, hoc eſt, ſuppuratione ad ventriculum, *virium deiectio, vomitio, aut animi defectio fit*. Ad ſuppurationem immedicabile vlcus conſequitur, quod eſſe malum grauius priori morbo, res eſt manifeſta: nam ſpiritus vitalis multus excernitur, vt Gal. ait *in com.*

Ventriculi inflammationem, affectionem eſſe periculoſam, & maximam neceſſitatem corpori inferre firmant Trallianus *lib.7. cap.14.* Gal. *lib.10. meth. cap.5.* Hanc adeſſe venaberis ex tumore, & dolore circa partem affectam, & ſi eryſipelatis naturam referat, aderit multi caloris ſenſus, febris ardentiſſima concitabitur, ſitis immoderata, ingens ardor, vt notat Auic. *cap. 2. cit. loci.*

Hæc cùm nullis nec vacuantibus, reuellentibúſve præſidiis ſuccumbit, aut miteſcit, ad ſuppurationem vergit. Hæc ex ſignis ab Hip. 2. *prog.* 58. propoſitis (ſicut in aliis inflammatis particulis contingit) cognoſci debet, ea ſunt febris maior quàm antea erat, rigor, pondus pro dolore: quorum omnium exactam cauſam ſcire ſi deſideras, lege Chriſtophor. à Vega, & eruditiſſimum Cardanum *in com.* Cùm ergo ob febrim, & maciem, quæ ad hunc affectum neceſſitate quadam conſequitur, non rectè cocto alimento, frigida medicamenta alij Medici præciperent, neglecta indicatione quæ à febri deſumitur, quoniam deſumpta ex puris generatione, præſtantia ſua illam obſcurabat, frigida abiicienda conſuluit; hæc enim præterquam quòd ventriculi ſuapte natura neruoſi, & frigidi calorem inſigni refrigeratione extinguunt, arctant humorem, & concoctioni contumacem reddunt. Quare tunc modicè calida, tam interna, quàm externa applicari debent, quæ innatum calorem ad ſuppurationem robuſtum efficiant, ea ſunt balnea, vnctiones, fomenta, emplaſtra, & ſi quæ multa in potum in hunc vſum exhibita, à Medicis proponuntur, quorum ſyluam vide apud Mercatum *lib. 2. indicat. cap. 11.*

Et licèt incipiente pure, maior dolor febriſque increſcerent; ex vnione natiui caloris ad coquendum, ex conatu naturæ, ex nouo ad partem affectam confluxu concitata, magna auxilia, nempè venæ ſectionem dimiſit, quæ à parte tentata fluxione potentiſſimè reuellit; timor enim erat ne debilitato calore innato, vires ad tolerandum tantum morbum, ac expellendam materiam purulentam fierent inualidæ, & exhauſto ſpiritu, & ſanguine humor ſuppurantibus recrudeſceret: nam *vna ſalus eſt*

virium robur, quando ventriculum phlegmone obſidet: dicebat Galenus *lib.* 10. *meth. cap.* 5. Huc alludit celeberrimum Auic. dictum, latum 10. 3. *tract.* 3. *cap.* 2. dum ſic inquit. *Quúmque phlebotomas, & euacuas, & non ſedantur accidentia; tunc ſcias quòd prohibitio collectionis, quam quæris, eſt difficilis. Non ergo iteres phlebotomiam, vt non congeletur materia, quæ habitura eſt collectionem, &c.*

Enimverò quamuis ventriculi inflammatio funeſta ſit, quam febris lipyria, omnium maligniſſima, ac peſſima comitatur, ex Aëtio *tetrab.* 2. *ſerm.* 1. *cap.* 89. & ſymptomata ſint valdè formidoloſa, ob maximum quem habet ventriculus cum cerebro, & corde conſenſum, & ad eam conſequantur illicò delirium, ſyncope, & epilepſia *lib.* 1. *de cauſ. ſympt. cap.* 7. Tamen ex ea, & vel ad ſuppurationem ducta ægros quandoque, raró tamen, liberari contingit: quoniam *natura potenti nihil eſt impoſſibile*, ex Galen. *lib.* 7 *aph. com.* 54. *Ipſa enim cùm valida eſt, materiis etiamſi craſſiſſimæ ſint, & per anguſta foramina debeant permeare, viam ſemper inuenit, ſic & per oſſa fiunt abſceſſus. Sic pus inter thoracem, atque pulmonem contentum, in ſuppuratis expellitur per aluum aliquando, per vrinam interdum*, teſtantibus ſic Gal. 6. *de loc.* 4. Paul. *lib.* 3. *c.* 32. Aëtio *tetrab.* 2. *ſerm.* 4. *cap.* 65. Auic. 10. 3. *tract.* 4. *cap.* 1. Natura enim ſi per varias, modò per vrinam, cutem, inſenſilem tranſpirationem, ſudores, mariſcas, menſtrua, ventrem, & occultas partes vitioſos humores deturbat, vt *lib.* 1. *aph.* 15. *& lib.* 3. *com.* 20. *& lib.* 7. *com.* 5. *& lib.* 6. *epid. ſect.* 6. *com.* 1. & millies Galenus prædixit, quid mirandum, ſi ipſa per amplas vias, & canales conſpicuos, pus in capacitate ventriculi contentum per vomitum ſumma cum vtilitate euacuet, & eliminet?

Nec dubites deſertos à Medicis conualeſcere, vt Celſus *lib.* 2. *c.* 6. doctiſſimè promulgauit, quod arcani naturæ motus, quibus ipſa in ſeruando corpore vtitur, & à mortis iniuria vendicat ac defendit, non ſatis nobis perſpecti ſint. Ex quo accidit aliquando, vt quod ſignorum indicio futurum ſperes, non eueniat. Cur? quod coniecturalis ſit ars medica, rationémque coniecturæ talem eſſe, vt cùm ſæpiùs aliquando reſponderit, interdum tamen fallat nos. Sic Matthæus Gradius *in lib.* 9. *ad Almanſ. prop. cap. de ventriculi abſceſſu*, bis térve toto temporè vitæ ſuæ, curatos vidit hoc affectu correptos: Probat Foreſt. *lib.* 18. *obſ.* 32.

Vlcus ex abſceſſu derelictum febris lenta comitatur adeſt pulſus creber & frequens, concoctio, omniſque ventriculi functio languet, ſenſim corpus marceſcit, tandem iugi, tenuique febri, deficiente humido, animal perit. Si aliter contigerit, id naturæ operantis beneficio tribuendum, quæ ſola abſtergere vlceratam partem, ipsámque conglutinare potens eſt, licèt non ſit negandum, auctorem iiſdem mundificantibus vſum: (horum materiam latè docuit Hollerius *lib.* 2. *inſtitut. chirurgic. ferè per totum.*) ſed non propoſuit: *quæ* enim *vulgò patent, prætermittenda ſunt*, ex Galen. *lib.* 2. *de dif. reſpirat.* 7. ſolùm enim obſcura memoriæ commendanda, ex Galen. 4. *acut.* 72.

HIST. LXIV. AVENZOARIS, De ficu ventriculi.

Tumor in ventriculo natus, mali punici magnitudine, ægrum cum ſæuiſſimis ſymptomatibus interficiens.

ET procreatur aliquando in ſtomacho quædam ſpecies apoſtematis, quæ Arabicè dicitur Dubellati. *Et ego iam vidi tempore meo quendam qui patiebatur hanc ægritudinem, qui erat iuuenis in fine ætatis illius, & communiter erat bonæ virtutis, cuius complexio erat calida, & erat multæ comeſtionis abſque cuſtodia aliqua: cui ſuperuenit debilitas magna in ſuo corpore toto, cum multa macie, & extenuatione, & erat abſque febre, & benè cibum ſuum digerebat, & cùm non potuiſſet ambulare, decubuit: & cùm tandiu ſic perſeueraret, tandem ad ſpeciem hecticæ deuenit cum magno calore, & vltimò febris illa conuerſa fuit ad paroxyſmos manifeſtos, licèt inordinatos: & quando comedebat, non morabatur diu, quod pulſus eius ad duritiem conuertebatur, & exinde cœpit apparere in fundo ſtomachi, corpus apoſtematis, & ex ſua inordinatione cibi in breui apparuit apoſtema in groſſitudine pomi granati magni manifeſtè, & cœpit habere fluxum ventris, & ſuperuenit ſpaſmus, & mortuus fuit ille cum prauis & fortibus accidentibus, ſcilicet cum diſſolutione virtutis, & ſyncope frequenti & ſucceſſiua, & nunquam illud apoſtema apertum fuit. Et miratus fui non modicum, quod infirmus ille potuit tantum durare, donec apoſtema dictum ad tantam magnitudinem peruenit, &c. Auenzoar* lib. 1. theïzir, tractat. 15. cap. 4.

PARAPHRASIS.

DE ficu ventriculi, Arabicè dicto *Dubellati*, agit hoc loco Auenzoar. Alij *dubellat*, ſeu *dubellet*, hoc eſt apoſtema magnum vocare conſueuerunt. Aliqui *Aldubellati* nuncuparunt, hoc eſt, exituram, ſeu apoſtema quod colligit ſaniem, vt notat Andreas Alpagus Bellunenſis, de Arabicorum nominum tranſlatione, & firmat Auic. 13. 3. *tract.* 4. *cap.* 9. *&* 11. nam in curanda inflammatione ventriculi ſtatim phlebotomat, vt prohibeatur fieri *Dubellati*, & incipiat eſſe in via maturationis, *&* 14. 3. *tract.* 3. *cap.* 14. *de cura Dubellati.* Auctor ficum vocat, provt comprehendit eruptionem vlceroſam, ſubduram, rubentem, & doloris expertem, vt notat Paul. *lib.* 3. *cap.* 3.

Oriri quandoque in ventriculo tumores ſcirrhoſos, & alias inflammationes ex pituita mucoſa pronatas, probant Auicen. 13. 3. *tract.* 4. *cap.* 7. Coïterus *l. obſeruat. anatomic. & chirurg.* Iacchin. *cap. de inflammatione ſtomachi.* 46. Hæc enim, & ſimilia in hac parte promptiùs generantur, quoniam ventriculus debilis ex improſpera coctione plurima gignit excrementa, ex quibus in ventriculo obſtructiones miræ fiunt; nam, vt dicebat Hippocr. 6. *epid. ſect.* 3. *text.* 1. *ventris torpor, omnium confuſio.* A debili ventriculo omne propemodum morbi genus oriri ſolet, manant cruditates, è quibus malorum omnium ſeminarium, atque origo ſcaturit, ex Galen. *lib. de ſuccor. bonit. & vit. cap.* 3. & Auic. 16. 3. *tract.* 3. *cap.* 21. Et hac de cauſa, vnita & concreta viſcida pituita, cuidam occalluiſſe meſaraïcas, & ſtomachum, ita vt iunctis ex callo oris, ad imam ventriculi partem, nihil ad inferiores partes tranſmitti potuerit, & ſic mortem fuiſſe ſequutam, narrat Beniu. *lib. de abdit. cap.* 36. *&* 36. & Ioachim. Camerarius *lib. de obſeruat. quendam ex abſceſſu duro circa fundum ventriculi refert emortuum, quo paulatim exitus omnis ad inteſtinum duodenum fuit prohibitus* Lege de ſtomachi carunculis, Foreſt. *lib.* 18. *obſ.* 18. *&* 30.

Hæc præſertim vitia, in iis qui gulæ ſunt dediti, & commeſſationibus valdè obnoxij, ſucciſque frigidis ſcatent, apparere ſolent. Cùm ergo tantam alimenti copiam æger hic ingereret, & à puſillo ventriculi calore ſuperari non poſſet, neque concoqui, generatæ ſunt obſtructiones multæ, quæ alimenti tranſitum ad membra nutrienda impediebant; & ſic totus extenuatus, præ debilitate decubuit, hecticóque ſimilis remanſit: non quòd ex inflammatione interna, (cuius cauſam in pus vertere conabatur natura) ac diuturna, febris hectica fieri non poſſit, ſolidorum temperie euerſa, ac continua putridarum fuliginum eleuatione ſuborta, & humiditate primigenia, à marcido retorridóque calore, iugi & aſſiduo, abſumpta: ſed ad ſpeciem hecticæ deuenit, non nutrito corpore, & omnium partium coctione deteriore reddita, tractu temporis magis ac magis contabeſcebat. Sic Arabes hecticam quandoque nominant, non febrem hecticam, ſed extenuationem, & atrophiam, quæ affectum ſimilem hecticæ ſenectutis repræſentat. Sic Auicen. 13. 3. *tract.* 1. *cap.* 29. hecticam vocat ventriculi, quæ ex nimia ſiccitate ortum ducit: de qua Galen. *lib.* 7. *meth. cap.* 6. luculenter agit. Sic 3. 1. *doct.* 2. *cap.* 1.

ad

ad fin. hecticam ex dimiſſo exercitio originem ducere affirmat.

Sed cùm plura ſint ſigna incipientis ſuppurationis, ab Hip. propoſita 2. *lib. prog.* 58. nempè febris & rigor; habuit hæc ambo hic æger, & febrim, quæ non præfuit, ob puris generationem, iuxta oraculum Hip. 2. *aph.* 47. & rigorem, quem paroxyſmum inordinatum ipſe vocat. Vel ſi mauis, cum febri hectica coniunctam fuiſſe putridam, per circuitus inordinatos repetentem, non erit abſonum iudicium tuum; quas poſſe complicari, *in com. hiſt.* 43. *lib.* 4. ex mente Galeni *lib.* 10. *meth. cap.* 5. & *lib.* 1. *de dif. feb. cap.* 10. dilucidabimus. Non enim obſtat, quòd mordax halitus à parte inflammata elatus, & per ſenſibilia corpora delatus, acceſſiones committat inordinatas & erraticas, conante natura in vno tempore magis quàm in alio, coctionem humoris in parte affecta contenti aggredi, & in pus vertere; ex quo motu exacerbationes, augmentum febris manifeſtum ſentiri, teſtatur Auic. 3. 4. *tract.* 1. *cap.* 24. *de ſignificatione exituræ extrinſecæ*, dum ſic ait: *Quando accidit apoſtema calidum in viſceribus, accidunt horripilationes, & febres, & non eſt in eis ordo, &c.*

Patet id ampliùs ex pulſu: nam duritiem cum modica velocitate habuiſſe affirmat: quod verum eſt, ſi fides eſt habenda Auicennæ *loco nuper citato*, §. *Et ſcias quòd durities pulſus eſt teſtimonium magnum, & quando apparet ſignum exituræ aldubellati in viſceribus, & non induratur pulſus, non indices penitùs quòd ſit exitura interior, &c.* quoniam ſuppurationem pulſus durities comitatur: ſicque Galen. *lib.* 4. *de cauſ. pulſ. cap.* 9. pulſum huiuſmodi vocat hecticum, hoc eſt durum: Cùm enim ob humorum ebullitionem, vapores ſurſum eleuentur, & partes cordis magis comprimant, grauata facultate, & obſtructis repletiſque vaſis, maior hac de cauſa tenſio ſit, ex qua fieri in pulſu duritiem *lib.* 1. *de dif. feb.* 7. & *lib.* 5. *ſimpl. cap.* 8. tradit Galenus: Non nego quod à ſiccitate etiam oriatur, extenuato corpore, abſumptáque humiditate: nam licèt extenuatio in principio laxet, deinde indurat, apud Hippocr. 6. *epid. ſect.* 1. *text.* 29

Confluente tamen, ob partis calorem & efferueſcentiam, noua humorum copia, iiſdémque, ob eandem cauſam, liquatis & fuſis, tumor in maiorem accreuit molem, cœpítque in fundo ſtomachi apparere: debilitatóque ſic ventriculo, & tractis cerebro, & iecore in conſenſum, ſuperuenere alui fluxus, conuulſio, & ſingultus. Cordéque à prauis vaporibus lancinato, ſyncope & animi deliquium contigere, quæ omnia reſoluto, & extincto innato calore, accidere tenet Auic. 3. 4. *tract.* 1. *cap.* 26. Hic autem tumor nunquam potuit aperiri, hoc eſt, concoqui, ac in pus verti, quoniam ex terreo, melancholicóque humore habuit ortum, qui cùm ad ſcirrhi naturam proximè accedat, ad ſuppurationem vix deduci poteſt. Hæc fuit etiam cauſa, cur tandiu durauerit, quin ægrum ad interitum perduxerit; non enim eſt hic humor ita acris & mordax, nec ita ventriculum vellicat, laceſſit & pungit, vt celeriter ad perniciem deducat, quam inferre ſolent tumores à calidis, bilioſiſque humoribus orti; qui tunicas ventriculi diſtendentes, & ferientes, citiſſimam necem afferre conſueuerunt.

HIST. LXV. AVENZOARIS,
De Verruca ventriculi.

Verruca ventriculi cum virium debilitate, & diuturna ſanguinis profuſione, ægrum ad obitum perducens.

ET generatur quandoque in ſtomacho verruca, ſicut in aliis membris, & ego quidem vidi hanc paſſionem in vno de familia Haly, & ipſe non digerebat cibum, & febricitabat febre inordinata, quæ aliquando fortiter inualeſcebat,

Lib. II.

A *& interdum debilitabatur, & habebat ſolutionem non magnam, & illa egeſtiones erant varij coloris: & cùm tetigiſſem pulſum eius, inueni ipſum inordinatum, & non magnum: cognoui ergo, quòd apoſtema erat in membro multorum neruorum, & ſpecialiter * quia erat ſerrinus. Quare iſta manifeſtabant verrucam eſſe in ipſo ſtomacho: & quia non erat multa velocitatis pulſus, ſignum erat, quòd non erat de genere calidorum apoſtematum: & paulatim eius caro diminuebatur quotidie. Et cùm poſuiſſem manum meam ſuper fundum ſtomachi, inueni duritiem ibidem, ad quantitatem vnius pomi abſque ſenſu doloris, & cùm fortiter compreſſiſſem manum, tunc ſenſit modicum doloris, & quoties iterabam compreſſionem, fortiùs dolebat: cognoui ergo certiſſimè, quod erat moriturus. Et quadam die cùm aſſellaſſet, aſſellauit quoddam rotundum, quod habebat formam pomi cum radice*
B *vna, & erat ſolidum, & quoties poſteà aſſellabat, egerebat ſanguinem in magna quantitate, & ſic perſeuerauit pluribus diebus, quouſque cecidit virtus eius manifeſtè, & mortuus eſt,* Auenz. lib. 1. theizir, tract. 15. cap. 3.

PARAPHRASIS.

PLurimis morbis eſſe ventriculum obnoxium, iis præſertim, qui à craſſis, lentis, & mucilaginoſis humoribus oriuntur, ſuprà explicuimus, in quorum numero eſſe verrucam numerandam res eſt manifeſta. Hanc licèt à pituita craſſa ortum habere affirmet Auenzoar. *lib.* 2. *tract.* 7. *cap.* 9. eam tamen ex humore melancholico fieri plerúmque, docent cum Oribaſio Philotheus (& Thadæus *in com. ſent.* 26. *lib.* 3. *aph.* Auicen. 7. 4. *tract.* 3. *cap.* 12.
C Alzaharauius *tract.* 29. *cap.* 14. Rhaſis 36. *cont. tract.* 2. *c.* 2. Manard. *lib.* 7. *epiſt.* 2. Vidus Vidius *tom.* 2. *de curat. generat. lib.* 6. *cap.* 4.

Has in interna corporis parte generari poſſe firmat Auer. *lib.* 7. *collig. cap.* 31. Sic carnoſum tumorem gigni in ventriculo, ciborum viam impedientem, docet Galen. *lib.* 3. *de cauſ. ſympt. cap.* 2. Sic Beniuenius *cap.* 88. *de abdit.* narrat *mulierem præfocatam, & pro mortua habitam, moleſtiſſima tuſſi, carnis fruſtulum eieciſſe*, quam fuiſſe penſilem verrucam meritò quiſpiam ſuſpicari poterit. Ipſas in membranis propinquis pulmoni oriri, tenet Auenzoar *lib.* 1. *tract.* 11. *cap.* 3. vt interim omittamus carunculas in vrinæ viis, vel citra Gallici morbi complicationem, quotidie euenientes, quæ vrinæ fluxum impediunt. Quid plura? nonne in meatu veſicæ felleæ carnea excreſcentia oritur; ex Albucaſi *lib.* 1. *tract.* 13. *cap.* 9.
D Scribit Veſalius *lib.* 1. *fabric. cap.* 5. in cordis ventriculo ſiniſtro, glandulæ & ſubnigricantis carnis libras duas reperiiſſe. Eſaïas Meichſnerus *lib.* 3. *de obſeruat. prop.* & Gabuc. *lib. de lumbric. cap.* 13. ouiformem globulum, ex pituita concreta denſatum, per vomitum reiectum, vidiſſe aſſeuerant. Vidit Coïter. *lib. obſ. chir.* & *anat.* in fœmina octennio laborante, ſcirrhum ad ventriculi orificium adnatum. Aduertit Fernel. *lib.* 6. *pathol. cap.* 1. ſe in grauida, in ore ventriculi, tuberculum ita durum ingénſque vidiſſe, vt cibum, potúmque omninò impediret, quæ febri, deſipientiáque confecta diſceſſit.

Verrucam, ægrum hunc in imo ventriculi habuiſſe, ex duritie, impoſita manu, cognoſci poterat. Ipſum non
E concoxiſſe cibum, organo coctionis primario vitiato, res erat certiſſima. Febri corripi aliquando vehementi, interdum lenta, conante natura humorem illum ſuperare, & in pus vertere, ex præcedenti hiſtoria ſatis liquet. Ex pulſus duritie, inflammationem hanc eſſe ſitam in parte neruoſa, infrà patebit. Ipſam non eſſe ortam ex tenui, bilioſóque humore, pulſus qui non erat multum velox, oſtendebat ſatis: Cùm enim flamma ingens, phlogoſiſque adeſt interna, pulſus velocitatem, ad parandum maius refrigerium, acquirit.

Periculoſus eſt affectus, in quo egeſtiones viſuntur variegatæ, ex Hip. 2. *prog.* 23. & *lib.* 1. *criſ.* 11. hæ enim varios affectus, ex diuerſis cauſis concitatos ſignificant, vt 2. 4. *tract.* 1. *cap.* 77. docuit Auicen. Ex quibus inconſtantibus ſignis, affectus difficulter cognoſci potuit, quouſque ad

Bb 3

ad tactum in fundo ventriculi durities fuit percepta, qua animaduerſa, certiſſimè mortem prædixit: nam in longis morbis extenuatio peſſima: carnem enim, & ſanguinem colliquari ſignificat, præſertim ſi in periculoſa ægritudine appareat. Cúmque natura vltimo conatu noxium expellere tentaret, corpus quoddam rotundum, (verrucam diceres) cum ſuo pediculo, quo ventriculo tenaciter alligabatur, eiecit, ſequuta poſteà ſanguinis effuſione, ex vlcere relicto, emanante; & ſic vacuato ſanguine, in quo calor, & vita perſeuerantiam obtinent, & corpore ex diuturno morbo debilitato, viribúſque exhauſtis, è vita diſceſſit. Tu verò ſi plura de verrucarum nomine, differentiis, & cauſis ſcire affectas, adi Paul. *lib.7. cap.87.* Celſ. *lib.5. cap* 14. Mercurial. *lib. de decorat. c.*18. Marcel. Donat. *lib.3. de hiſtor. mirabil. cap.5.*

B

DVBIVM XXXVII.

Num pulſus ſerrinus perceptibilis.

COMMENTARIVM.

QVia erat ſerrinus.] Scrutinio digniſſimum dubium eſt, quo plurimi interturbantur, cur ſi pulſus ſerrini cauſa aſſignantur: quando partes arteriæ inæqualiter tenduntur, & indurãtur, ita vt partes quædam ſint molliores, quædam duriores, ſerrinitas, vt ita dicam, pulſus inueniatur, inflammatis internis particulis, ſi inflammatio æqualiter indurat arteriam? Reſpondebis dubio, pauculis animaduerſis. Pulſus ſerrinus velox eſt, frequens, durus, paruus & inæqualis in vnica pulſatione, in pluribus partibus arteriæ, ita vt ſerræ imaginem repræſentet cum aliqua vibratione: in ſerra videmus quaſdam partes depreſſas, alias eleuatas, inter has, quædam minùs eminent. Quando igitur arteria ſecundùm varias partes eleuatas & depreſſas, digitos inſtar ſerræ, ferit, ſerratus, ſerrans, aut ſerrinus pulſus nuncupatur.

C

Hic tres habet cauſas, apud Galenum *lib.4. de cauſ. pulſ. cap.7. & lib. de pulſib. ad tyrones, cap.*11. Altera eſt inflammatio principis partis, quæ ſuapte natura tenſa eſt, qualis eſt membranoſa, aut neruoſa. Alia eſt intemperantia cordis & arteriarum in calore, frigore, humiditate, aut ſiccitate: tunc enim ob inæqualitatem vſus, & inobedientiam inſtrumenti, quædam partes arteriæ citiùs & magis eleuantur, quæ feriunt digitos, aliis non ferientibus, veluti ſerræ contingit. Cùm enim inflammatio neceſſariò habeat coniunctam, vna cum tenſione, intemperiem calidam; & quando magna eſt, ambo hæc vniuerſo corpori, & cordi communicet, & febrem concitet, maximè ſi in parte principe ſita ſit, augetur vſus, ſitque pulſus maior, velocior, & frequentior: & cùm arteriæ præ duritie, & tenſione nequeant dilatari, vt vſus expoſtulat, fit pulſus paruus, velox, & frequens, quum velocitate, & frequentia natura ſuppleat defectum magnitudinis. In inflammationibus partium quæ molles ſunt; pulſus vndoſus apparet, ex Galen. *lib.4. de cauſ. pulſ.* 12. & 13. Quando verò partes membranoſas, quæ ſuapte natura tenſæ ſunt, occupat inflammatio, pulſus non ſolùm fit durus, ſed ſerratus, quem in pleuritide exquiſita apparere auctores vnanimiter confirmarunt. Poſtrema cauſa, eſt varietas illius ſubſtantiæ, quæ intra arterias continetur; nam aliquando ſecundùm aliam partem putreſcit, & ſecundùm alias vel cruda, vel cocta eſt: tunc inæqualitatem parere ſolent vſus, & diſpoſitio arteriæ in diuerſis partibus, quæ ad generationem pulſus ſerrantis ſufficiens eſt, vt 2. 1. *doct.3. cap.6.* docuit Auic.

D

E

His præhabitis; quæ huius pulſus naturam exactè demonſtrant, reſponde, ob has cauſas in inflammationibus partium neruoſarum fieri hunc pulſum, præſertim in pleuritide graui & difficili; ratione ſitus, & humoris exquiſita, in augmento & ſtatu, ex Galen. 4. *de cauſ. pulſ. cauſ.* 8. in miti multo minùs, in qua pulſus magnus eſt. Ex quo ſolues repugnantiam inter Galen. dicta: nam 2. *criſ.*10. in pleuritide apparere pulſum magnum, *& lib. 5. de loc.3. ad fin.* paruum aſſeuerat: ipſe enim dirimit con-

A trouerſiam 4. *de cauſ. pulſ.7.* hoc modo. *Quia verò ad eum modum febricitant, ideò habent pulſum celrem: Quod neruoſa etiam pars ſit, hinc inſigniter durus eſt. Iam quia ita habet, ideò minor eſt quoque quàm febri conueniat. Quare vt & creber fiat par eſt, quod magnos pulſus calor poſtulet, refragetur durities, &c.* Perinde atque velit exponere, pulſum pleuriticorum reſpectiuè paruum eſſe, ſi nempè attendamus euentandi neceſſitatem: alioqui, ſi cum pulſu naturalis ſtatus conferatur, magnus haud dubiè dici poteſt. Hactenus itaque fuit hæc peregiſſe impendiò ardua.

Modò, nam hic pulſus perceptibilis, altiori indagine ſcrutandum. Serrinum pulſum neceſſariò in inflammationibus reperiri, Medici vt Philoſophi concedunt: non poſſe tamen ſenſu cognoſci, præter experimentum, plures ſuadent, eæque irrefragabiles rationes. Prima. Quia ſemper iis pulſibus accidit magna celeritas, quæ vitiat, & obſcurat ſerræ effigiem. Secunda. Quoniam accedente alterius humoris à ſanguine aliqua portione remittitur durities: nam ſi pituitæ aliquid commiſceatur, ferè omninò deliteſcit ſerrantis imago. Tertia. Partis inflammatæ natura & conditio, ſerrantis conditionis plurimum detrahere poteſt. Primò, ob partium laxitatem & mollitiem, cuius naturæ ſunt, cerebrum, & pulmo; quæ partes nunquam viuo animali adeò tenduntur, vt pulſum manifeſtè efficiant ſerrantem: quibus addas lienem, quòd cùm valdè diſtet à corde, & nulla parte membranoſa, aut neruoſa conſtituatur, in eius inflammationibus etiam ſcirrhoſis nunquam prædictam figuram reperies. Secundò, quando pars inflammata arteriis caret, aut cùm paruiſſima inflammatio eſt, vel licèt magna ſit, & in parte neruoſa, ob animi deliquium, motum arteriarum conuulſiuum, & cætera ſuperuenientia ſymptomata, non exactè perpendi poteſt durities, aut ſerræ figura, quod in ventriculi, pleuræque inflammationibus malignis ſæpè contingit.

Nec dubitandum plurima, in doctrina de pulſibus omnium præſtantiſſima, digniſſima, ac ſummè neceſſaria recondita, Medicos vel peritiſſimos latere, quæ ipſi exacto iudicio, longæuóque fulti experimento percipere nequeunt, licèt acuto tactu, validáque cogitatione polleant: nam neceſſe eſt, vt præſentes pulſationes cum præteritis comparentur; hæ retineantur in abſentia, quod munus ſolùm phantaſiæ, & cogitatiuæ validæ opera exequi poſſunt; ex quarum fontibus exactam pulſuum notitiam originem ducere, teſtatur, Auic, 1. 3. *tract. 1. cap.6. in med.* quæ omnia, longo tempore, aſſiduo vſu, ſummáque diligentia tantùm comparari poſſunt, vt notauit Gal. *l. de prǽcognit. ad Poſthum. cap. vlt. & lib. de dignoſcend. pulſib. c.1. poſt med.*

Nonne maxima contentione certatum eſt apud veteres, vt refert Galenus 1. *lib.6. de dignoſc. pulſib. per totum*, an pulſus contractio poſſit tactu deprehendi? Et reuera arduum, & difficilè eſt eam cognoſcere, quam ſolùm in pulſu vehementi magno, & duro percipi poſſe oſtendit: & *in fine libri*, initium dilatationis arteriæ, & contractionis finem, quietíſque internæ tempus, ſenſum noſtrum effugere aſſeuerat. Explicat luculenter Auicen. 2. 1. *doct. 3. cap.1.* dum ſic inquit. *Depreſſionis verò motus apud plurimos Medicorum nullo modo ſentitur, ſed apud aliquos, eſt quum in forti pulſu ſua fortitudine ſentitur, aut in pulſu magno propter eleuationem ſui, aut in duro propter multam ſui reſiſtentiam, aut in tardo propter longinquitatem temporis ſui motus. Galenus quoque dixit, longo tempore non fui ſollicitus de depreſſione, poſteà verò non quieui tangendo, donec ex eo aliquid percepi, & poſteà illud compleui: nam poſteà porta pulſus mihi aperta fuerunt. Qui verò ſtuduerint vt ego, percipient illud, quod conſequutus fui. Et licèt ita ſit, vt dicit, in plurimis tamen diſpoſitionibus depreſſio non eſt ſenſu percepta, &c.* Quapropter ſi contractio ſenſu percipi non poteſt, quantò minùs pulſus ſerrinus, qui inæqualis eſt in vna pulſatione in pluribus partibus arteriæ? Si verò Auctor hic ex pulſu ſerrino inflammationem eſſe ſitam in parte neruoſa prædixiſſe gloriatur, communi Medicorum more loquutus eſt, qui in partibus neruoſis,

&

& membranoſis inflammatis ſimilem pulſum reperiri conteſtantur, qui inæqualis eſt ob inæqualem tenſionem partis inflammatæ, quæ arteriarum partes alias magis quàm alias tendit,& indurat: quo fit vt inſtrumenta quæ ad tenſionem inflammatarum partium tenduntur, inæqualiter tendantur, ad ſimilitudinem partium inflammatione obſeſſarum. Ex quibus dubitationis initio propoſitæ ſolutio patet.

HIST. LXVI. ORIBASII, *De debili coctione ventriculi.*

Ventriculus vulturis ad debilem coctionem iuuandam, ſtrenuum auxilium.

*NOuimus autem nihil æquè iuuare coctionem, quàm ventriculum vulturis, ac corpus humanum, ipſum contingens. Quamobrem nonnulli pullos noctu in ſinu tenent, & ſummum inde commodum ſentiunt: propiùs enim ad * naturalem calorem accedit, éſtque magis proprius & cognatus hic, quàm qui fomentis adhibetur. Quidam verò catulos paruos huius rei cauſa alunt, qui dum quieſcunt, eoſdem ventriculo admotos tenent, &c. Oribaſius* lib. 14. collectorum, cap. 37.

DVBIVM XXXVIII.

Num coctio putredini contraria.

PARAPHRASIS.

DE coctionis natura altiùs texenda oratio eſſet, ni tot præſtantes viri antè me hoc negotium diligentiſſimè agitaſſent, inter quos palmam præripuere Thomas à Veiga, *in com. cap. 5. lib. 1. Gal. de dif. feb.* Argenterius *in com. cap. 89. art. medic. Gal.* Valleſius *in com. cap. 2. lib. 4. meteor. Ariſt.* Thomas Eraſtus *lib. de coctione, & putredine.* Carretius *in 1. 1. Auic. cap. 13.* & alij Ariſt. interpretes *ad cit. cap. meteor.* Sed quoniam in illorum monumentis, plura ſunt quæ ventilationem deſiderant; idcircó noſtram de hac re ſententiam, *in com. hiſtor. 15. lib. 4.* commodiſſimè patefaciemus. At cùm non poſſimus commoditates coctionis explorare, niſi putredinis illi contrariæ naturam exactè calleamus, idcircò diſceptandum, num coctio ſit putredini contraria. Eſt ergo coctio duplex, quædam quæ circa alimenta & proficuos humores verſatur; altera quæ circa inutiles & alendo corpori ineptos. De illa in præſentia ſermo. *Concoctio,* inquit Ariſt. *loc. cit. eſt perfectio à calore tum naturali, tum proprio, ex oppoſitis patibilibus: hæc autem ſunt propria vnicuique materiæ.* Hæc comprehendit generationem ſubſtantialem, & viam ad generationem mixti: éſtque putredini contraria, quæ eſt via ad mixti corruptionem, & interitum. Nam illa roborat calorem innatum, cuius vigor putrefactionis cauſam tollit: illa oritur à robuſto, & vegeto; hæc à debili & diminuto calore originem ducit. Agnoſcitur pugnantia ex eo, quòd putredo ſit communiſſimus omnium interitus; niſi enim mixta violenter corrumpantur, ad interitum veniunt per putredinem. Perire autem genita eſt omninò ineuitabile; immò verò maximè compertum, quòd vbi primùm in lucem eduntur, mox incipiunt marceſcere, diminui, deſinere, ſeneſcere ac demùm mori. Coctio eſt perfectio, ducens ad eſſe perfectum, ſiue à perfectione caloris, quem, quæ coquuntur omnia, etiam ipſo coctionis motu recipiunt; qui quò eſt frigore præſtantior, eo reddit id, quod coquitur, toto ipſo coctionis tempore perfectius: nam coctionis cauſa, eſt robur innati caloris (ſiue adſit, ſiue abſit extraneus) vtiles, & neceſſarias alimenti portiones retinentis, & aptè præparantis; inutiles verò ſeparantis, & expellentis.

Rurſus coctio procedit à diuiſis ad coniuncta, nempè ab humido & ſicco ſeparatis, quæ inter ſe vnit exactè permiſcet, tuetur, & gubernat. Putredo à coniunctis ad diuiſa: nam patibiles qualitates vnitas diſgregat, & ſeparat, quoniam robur caloris extranei, putredinis cauſa, innatum debilitat, qui ſic affectus, ad paſſiua regendas redditur inneptus, & ſufficiens, ita vt extracto, ob extraneum calorem, innato igne, frigida & ſicca ad extremam putreſcentiam deducantur, & in cineres conuerſa, fimus, ac terra fiant, auctore Ariſt. *loc. cit.* Deinde. Putrefactiò importat prohibitam ventilationem, ſine qua ferè nunquam fit interna putredo: Coctio liberam difflationem præſupponit, cuius vi naturalis calor in ſymmetria ſua conſeruatur. Coctione omnia fiunt odora, & ſuauiora, ex Philoſopho *ibi*, cum in hac, caloris moderati beneficio, humidum aqueum, aëreúmque ſemper cum ſicco terreo permiſceantur, & vniantur: Putredine humidum à ſicco ſeparatur. Ex hac itaque agitatione humidi, quæ in vtraque alteratione fit, in coctione dum humidum ſicco permiſcetur, manat odor gratus ac iucundus, vt in fructibus omnibus palàm conſpicitur, qui dum matureſcunt, fiunt odoratiores: in putredine verò, dum ab ipſo ſeparatur, odor conſurgit viroſus & moleſtus, immò grauis qui putredinis indicium eſt, ex Gal. *lib. 1. prog. vlt. & lib. 2. eiuſd. comm. 22.* & *lib. 1. criſ. 11.* & *lib. de dif. ſympt. cap. 4.* Explicat Zabarella *lib. 2. de ort. & interit. cap. 9.* eloquenter.

Licèt enim coctio ex natura ſua, eſſentiáve putrefactioni non opponatur contrariè, cruditati tamen aduerſari, in eóque oppoſitorum genere contineri, quæ priuatiuè dicuntur, compertum eſt: eſt enim cruditas, coctionis priuatio atque defectus, vt *c. 2. loc. cit.* Ariſt. firmat. Coctio ergo de qua ſermonem inſtituimus, eſt alteratio ciborum in propriam, ac conuenientem eius quod nutritur qualitatem, à calore natiuo celebrata, auctore Magiſtro *lib. 2. de nat. facult. cap. 4. & 3. eiuſd. cap. 4. & 7.* & *lib. de ſympt. dif. cap. 4.* & *lib. 3. de ſympt. cauſ. c. 3.* vt in ventriculi coctione, & ſanguificatione, priores alimenti qualitates vt odor, color, & ſapor, à calore naturali partium mutantur in alias. Per mutationem autem qualitatum alimenti in aliti qualitatem, intelligendum eſt, ad iſtam mutationem, vnà etiam eiuſdem alimenti ſubſtantialem formam mutari, quod his verbis ſignificauit Gal. *lib. 1. epid. ſect. 2. com. 44.* dum coctionem vocat, deductionem eius quod concoquitur, in coquentis ſubſtantiam.

Per deductionem verò, Gal. & Ariſt. perfectionis motum quendam, per quem id quod mouetur, perficitur, non terminum ad rem perfectum accepere, vt contra Auerrois ſectatores, probauit diſertiſſimè Manardus *lib. 13. epiſt. 1.* Sic Ariſt. *lib. 12. probl. 6.* per alterationem, coctionem manifeſtis verbis definiuit dicens, *coctio eſt rei concoquendæ commutatio, ſiue alteratio.*

DVBIVM XXXIX.

Num alimentum ſuo, an ventriculi calore coquatur: Contra Valleſium.

INſuper. Coctionem à calore inſito rei coquentis perfici, non à proprio alimentorum calore, cum Medicis Philoſophi certant: nam hæc à ſuo ipſorum calore coqui nequeunt, à ventriculi calore queunt: alioqui cibi frigidi, vt lactuca, portulaca, lac, & alia non coquerentur, quoniam calorem non habent à quo coqui poſſint. Deinde ſequeretur, quòd alimenta æquè benè concoquerentur in febricitantibus, ac in ſanis, & extrinſecùs ipſa per ſe ſine alterius adminiculo, in vaſis in quibus continentur, coqui etiam poſſent; quod falſum eſt, & contra Ariſt. mentem *lib. cit. meteor. cap. 3.* dicentem: *ciborum coctionem à corporis calore fieri.* Maximè *cùm cibi in corpore concoctio elixationi ſimilis ſit, quòd à corporis calore partim in humore, partim in calore præſtetur:* cùm enim cibus per eam concoctionem corrumpatur, improbabile videtur à ſeipſo id pati. Præterea. Falsò Galenus, ac ab eo Medicorum ſchola edocta aſſereret, ventriculo eſſe facultatem concoctricem, ſi coctio non fit ab illo, ſed à cibis ipſis. Adde, cibum non mutari ſemper in eandem ſubſtantiam, vbicunque coquatur, ſed aliter atque aliter pro ratione membri in quo coquitur, mutatur ſemper ad ſubſtantiam ſimilem ipſi membro, atque adeò in vltima

concoctione membri ipſius pars fit, quod non contingeret, ſi cibus ipſe ſeipſum concoqueret, ac non potiùs membrum mutaret in ſibi ſimile; vt ignis lignum commutat, quod nullus dicet à ſeipſo vri. Neque obſtat, quòd fructus immaturi, lecti & repoſiti maturentur, aut ſuccus ex oliuis nuper expreſſus & ſeruatus, fiat oleum, aut muſtum in doliis ſeruatum, fiat vinum; nam hæc non ſuo, ſed calore arboris, de qua præciſa ſunt, coquuntur & maturantur: licèt ab ambiente iuuentur. Non ergo negandum, ſtomachum ſuo naturali calore, non ciborum concoquere. Nec afferas pomi calore in ventre factum eſſe chylum; neque enim ex flore fructus, ex ramulo flos, ex nucleo ramus proprio calore nuclei factus eſt: nam ſicuti ventriculi calore ex pomo chylus, ſic fructus proprio arboris calore factus eſt. Ex quo patet erraſſe Valleſium *in com. cap. 2. lib. 4. meteor. Ariſt.* arbitrantem coctionem ventriculi à calore rei coquendæ præſtari: cuius rationes ex dictis fiunt manifeſtæ.

Ventriculi ergo proprio, ingenitóque calore cibus concoquitur; huius ope alimentum ingeſtum cogitur in vnum, humidum cum ſicco permiſcetur, frangitur, exteritur, comminuitur, & depoſita omni qualitatum exuperantia, ſpeciem quandam cremoris conſequitur. Hoc primum eſt concoquentis facultatis opus, quod ſolo ventriculi calore præſtari eſt manifeſtum, licèt etiam inſita, & recondita proprietate perfici, ſit veriſſimum: nam ſtruthiocamelus ferrum concoquit, quod leo calidiſſimus non conficit, ſic puſillæ aues ſemina duriſſima coquunt, quæ ab hominis calore ſuperari nequeunt. Sic conturnices veratrum coquunt inuictum; quod humani corporis conatus temnit, & reſpuit. De quo argumento lege Saluſtium Saluianum *lib. de concoctione*, & doctè diſputat Carrerius, *in 1.4. Auic. cap. 6. de coctionis natura*, ſed adeò fusè more ſuo ſpatiatur, vt quam partem amplectatur, penitùs ignores.

Ventriculi calor, à circumiacentium & vicinarum partium calore iuuatur: nam quemadmodum lebeti magno circumiectus ignis, ſic proximæ partes; nempè iecur, lien, cor, diaphragma, vena caua, illi calorem inferuet, & omentum quod temperie & humiditate ſua calorem illius mitigat, atque contemperat. Cùm ad chylificationem, ventriculi calor magis operetur, non vt calor ſolùm, ſed vt eſt ventriculi inſtrumentum. Quod verò ad præparationem attinet, quæ attritione fit, eò magis referenda eſt ad circumſtantia, quò calor illorum eſt validior, quæ illum ambiunt, fouent, & calefaciunt, vt doctè Tobias Knoblochius *cap. 1. inſtit. anatomic. diſput. 4. c. 4. quæſt. 2.* annotauit.

Et licèt à circundantibus viſceribus plus caloris accedat, quàm inſit ventriculo, huic tamen eiúſque formæ, ac vi chylificanti, immò & minori ipſius calori conuerſio alimenti in ſuccum, quin & attritio principaliter attribuenda: lege Fernel. *lib. 7. phyſiol. cap. 1.* quoniam fortiùs concurrit calor ventriculi, licèt ſit remiſſior, quàm calor membrorum ipſum ambientem: nam calor ventriculi aliter applicatur obiecto, quàm membrorum calor. Num autem alteratio in ventriculo, ſit maior reliquis alterationibus: Dic cum Galen. *lib. 6. de anatomic. adminiſt. cap. 4.* Halyabbat. 4. *theoric. cap. 3.* alterationem in iecore factam, eſſe maiorem alteratione facta in ventriculo: nam caliditas iecoris intenſior eſt omni calore in ventriculo reperto, & ita coctio ventriculi ob debiliorem calorem longiori tempore durat. Si autem adhuc inquiras, vtrùm propria operatio ventriculi, ſit coctio, an chylificatio. Dic eſſe chylificationem, cum Gal. *lib. 3. de natural. facult.* 4. Si verò 5. *de vſu part.* 4. dicit eſſe coctionem, & ſic ventriculum, coctionis organum appellat, ea eſt cauſa, quia coctio tendit in chylificationem. Vltimò ſi interroges, an in ventriculo ſit duplex concoctio, altera communis, præparans ad generationem chyli, altera partialis, diſponens ad tranſitum chyli ad partes ventriculi. Reſpondet Veſalius 5. *fabric. 3. ad fin.* in ventriculo eſſe duplicem coctionem: ſed vnam tantùm eſſe opinor, ſeu vnum motum alteratiuum continuum, qui tandem ſolus reſpicit nutritionem corporis ventriculi. Nec obſtat, quòd in iſto motu acquirantur duæ formæ, altera chyli verſi in partes ventriculi: nam diſtinctio formarum non arguit diuerſitatem plurium coctionum, quemadmodum alteratio iecoris vna eſt, per quam generatur pituita, & ſanguis: & tunc non eſt dicendum, quòd in hepate ſit duplex concoctio in generatione horum humorum, altera per quam generatur ſanguis, altera per quam generatur ex pituita ſanguis.

Ventriculi calorem languidum plurimis auxiliis iuuandum eſſe, docuit Galenus *lib. de art. med. conſt. cap. 21.* inter quæ numerat hic auctor plurima, quæ natiuum calorem fouent, & hæc non per ſe, aut primariò, ſed ſecundariò, & natiui caloris interuentu coctionem moliuntur; natiuus namque calor in coctione molienda principij vicem obtinet, ex Ariſt. *cit. meteor. cap. 2.* & Gal. 1. *aph. 3. & 15. & 6. ſect. 4. com. 13. & 25.* & *ſect. 5. com. 5.*

Sed quo pacto vnumquodque auxilium ab auctore numeratum, hoc valeat efficere, enarrare aggredior. Nam ſi coctio à calore fit temperato, rationi conſonum eſt, vt à temperatè calidis iuuetur. Quare mirum in modum conducit puluinus ex tenui, volatilique pluma, aut ex lana quæ ex panno coccineo tondetur, infarctus. Pellis leporina ventriculo admota valdè prodeſt, quoniam Auenzoaris ſententia *lib. 1. theizir, in procemio, pelles leporum inducere, confortat corpora ſenum, ac iuuenum.* Et cùm multa ſint, quæ foris admota flaccido ventriculo robur addunt, nullum eſt magis præſentaneum auxilium quàm vulturis tegmen, vel detracta pellis. Vel enim hæc eſt cæterarum pellium modo ſubacta, ac conceſſione complanata, vel plumoſa pilorum ſerie ornata: vtroque modo, mira quadam, ac natiua veluti proprietate; & calorifica vi, ventriculum humanum roborat & fulcit, ac faſtidioſi nauſeantiſque ſtomachi vires firmat, vt inter omnes Leuin. *lib. 4. de occult. cap. vlt.* diſertè edocuit. Eſt enim vultur, auis rapaciſſima, vt miluus, quæ mirum in modum cadaueribus delectatur: cuius naturam, & mores luculenter exaratos lege apud Conradum *lib. 3. de auibus, cap. vlt.* in cuius *littera F.* ipſe ex variorum auctorum ſententia ſcribit, non ſolùm huius animalis pellem, axungiam, & ſtercus, ventriculum debilem firmare, ſed etiam reſolutis corporibus, & frigidis morbis detentis miro eſſe ex vſu.

Deinde nil æquè ventriculi coctionem iuuat, quàm corpus humanum, ſi ventriculum contingat: hoc probat Gal. *lib. 7. meth. cap. 7.* de curanda frigida ſicca intemperie ventriculi, dum ſic ait. *Et iis verò quæ ventri extrinſecùs applicantur, boni habitus puellus vnà ſic accubans, vt ſemper abdomen eius contingat. Sunt qui catellos pingues in hunc vſum habeant, neque id in aduerſa modò valetudine, verùm etiam in proſpera. Tales itaque iis, qui propter ſiccitatem quoque ſolam imbecillum ventriculum habent, ſunt idonei, &c.* nullus enim calor, naturali noſtro magis eſt conformis. Quæ verba ad vnguem tranſtulit Auic. 13. 3. *tract. 3. cap. 5.* vno ſolùm addito, quod cattum maſculum nigrum ad debilitatem digeſtionis amplexari iubet, ſed ex aliorum loquitur ſententia: nam vt ſcitè docet Auenzoar. *in procemio lib. 1.* & refert ex eo Rabbi Moſes *partic. 22. n. 39. ſcitum, & probatum eſt. quòd odorari anhelitum cattorum, habet conſumere humiditatem radicalem pulmonis, & totius corporis.* Firmat Conciliat. & Euſtach. *in ſuis libris de venenis, cap. de cerebro catti.* Nam reſpiratio felium malefica, venenoſa; ex ea enim exurgit veneficus vapor, qui inſpiratus, meatus cerebri obſtruit, & ſpiritus animales tabifica vi congelat, vt aduertit Ponzettus *lib. 2. tract. 6. cap. 3.* ex cuius hauſtu, fatuitas, & phthiſis, ſic notante Mathiolo *ad lib. 6. cap. 25. Dioſcorid.*

Inſuper, vt ad penſum redeamus, omnia hæc ab auctore relata auxilia, coctionem iuuant, quoniam naturales actiones, quæ ab innato calore proueniunt, à ſimili iuuantur extrinſecùs. Nam quid æquè concoctioni ventris conferre nouimus, quàm illi humanum corpus admotum? inquit Galen. *lib. 5. de ſimpl. medic. facult. cap. 5.* vnde nonnulli tum puellos, tum catellos per quietem ventri imponunt. De quo argumento ſat plura docuit Petrus de Peramato, *lib. de facult. cap. 8.* Hócque auxilium eſt magis proprium, cùm temperatum ſit, (calor enim temperato

perato calore fouetur) naturæ humanæ ſimillimum cùm ſit : ob id non negandum fomenta huic viui eſſe inepta; ea enim Gal. *lib. 1. de dif. feb. cap. 4.* ſummoperè laudat in iis, qui cruditate laborant, dummodò modica adſtringendi vi polleant, temperato ſint prædita calore, quæque naturam roborare, & coctioni ſuffragari queant : cætera laxantia fomenta, & cataplaſmata nimiùm condemnat, *lib. 11. meth. 15. & 12. eiuſd. c. 3.*

Plura *in cit. cap. de conſt. art. medic.* refert Gal. quæ coctioni ſummè opitulantur. Ea ſunt quies, calefactio moderata, boni ſucci ciborum mediocris vſus, vini modicè calidi potio, frictio moderata, moderatus aquarum calidarum vſus. Quies idcircò coctionem iuuat, quòd difflari corpora non ſinat, ſpiritúſque ac naturalem calorem ſeruet atque contineat, quos motus immoderatior diſſipat & reſoluit : eſt enim quies, teſte Gal. 4. *aph. com. 13.* otium & ab exercitatione vacatio, ſeu feriatio quædam ab òmni tum animi, tum corporis motu. A cibo enim ob id hæc interdicuntur, ne vel præcipiti motu, crudus, & fluctuans cibus in viſcera rapiatur, obſtructiones, & cruditates in iecore & venis facturus, vel reuocato, curis, ſtudiis, vel mentis intentione, ad caput natiuo calore, à ventriculo, iecore, offi cinisque, coctionis munus feliciter minùs procedat. Quod probè cognoſcens Celſus *lib. 1. cap. 2.* literarum ſtudioſos monet, ſi lucubrandum eis ſit, ne poſt cibum, ſed poſt coctionem literis incumbant; quos eſſe debilis ventriculi, ob hanc, & alias multas cauſas, firmat eleganter Marſilius Ficinus *lib. 1. de ſtudioſ. ſanit. tuend. cap. 4.*

Porrò quemadmodum moderata quies coctioni prodeſt, ſic exercitatio mediocris eidem non leue adiumentum præſtat, quę Gal. teſtimonio *lib. 2. di ſanit. tuend. cap. 2.* naturalem calorem ſuſcitat, deducit in corpus alimentum, eius immutationem magis expeditam procurat, faciliorem coctionem, & meliorem nutritionem efficit, exiguos meatus repurgat, excrementa expellit. Boni ſucci ciborum moderatus eſus idcircò coctioni confert, quòd euchymi cibi facili negotio à natura ſuperentur, miniméque excrementoſi ſint, ac prætereà cocti, noſtri corporis ſubſtantiam adaugeant, & foueant. Ob eandem cauſam vini modici vſus coctionem promouet, quoniam probè celeritérque ſpiritus inſtaurat, ſanguinem generat, vires omnes roborat, atque confirmat, & ſi quæ fortè ex frigiditate, & humiditate nata ſit intemperies, eam ſecuriſſimè, & circa moleſtiam perſanat, ex Gal. 8. *de compoſ. medic. ſec. loc. cap. 7.* dummodò non ſit valdè potens : hoc enim calorem nimis accendit, ſpiritus diſſipat, fluxiones excitat, & coctionem peruertit. Frictio lenis & ſuauis, auctore Gal. 2. *de ſanit. cap. 4.* vitale robur adauget, natiuum calorem excitat, ſpiritum & ſanguinem in partes trahit, & alimentum in corpus promptiſſimè diſtribuit. Dulcis aquæ lauacrum modicè calefactę, calorem noſtrum ſympathia quadam fouet, & auget, cutem laxat, & fuliginoſa excrementa expurgat, æqualem per totum corpus calorem diffundit, ſiccitatem attemperat; ventilat corpus, dummodò ab aſſumpto cibo non adminiſtretur; nam crudum alimentum intempeſtiuè in omne corpus diſtribuit, & obſtructiones facit. Quomodo autem calore corporis humani, noſtri corporis calor foueri poſſit, pro maiori hiſtoriæ explanatione, lege Valleſium *in lib. de ſacra philoſophia, cap. 29.*

QVÆSTIO XXXVII.

Quòd calor naturalis non ſit elementaris, ſed cæleſtis, æthereus, atque diuinus. Contra Peramatum, Argenter. Scaliger. Conimbricenſes, Poncium, & communem Philoſophorum, & Medicorum ſententiam.

COMMENTARIVM.

CAlorem *naturalem.*] Illa verò concinnè admodum huic parti appingetur, ex Ariſtotelis, inter Philoſophos haudquaquam poſtremi, de calore naturali coquente diſceptatio, num ſcilicet is elementaris ſit & igneus, an

A altioris originis, æthereus, cæleſtis, atque diuinus. Calorem noſtrum naturalem, qui coctionum, & aliorum operum, quæ non ſine magna admiratione in viuentibus fieri cernimus, auctor eſt, longè eſſe diuerſum ab igneo & elementari multa demonſtrant, eáque irrefragabilia argumenta. Nam ille eſt membris ſalutaris, mitis, benignus, animæ promptiſſimum inſtrumentum, originis valdè præſtantioris, viuificans demùm, & ſupra elementorum naturam exiſtens. Niſi enim ita concedamus, vnde viuet, nutrietur decrepitus, ſentiet, ac monebitur? vnde viuent ſerpentes? vnde increſcet papauer, mandragora, ac vniuerſum ſtirpium frgidarum genus? Quomodo ſi calor opifex omnium functionum viuentis, vincente in illis frigiditate, vitales operationes referri poſſent calori, niſi demus natiuum noſtrum primigenium, eſſe cœleſtem, & nimiùm elementaris caloris vires ſuperantem, qui concoquat, humeB ctet, roboret, vniat, & generet? lege Riolanum *in lib. Phyſiolog.* Fernelij mentem graphicè explanantem, quem cum Fernelio aberraſſe; ad rauim vſque contendit Poncius *in com. text. 1. lib. Hip de diæta*, cuius argumenta, & alia illis ſimilia infrà ſoluuntur.

Secundò. *Sol, & homo generant hominem*, ex Philoſopho *lib. 2. phyſic. cap. 2. text. 26.* quod intelligi debet, propter caliditatem, quam ei tribuit; non enim aliud præſtare poteſt. Huc alludit & illud *lib. 2. de generat. anim. cap. 3.* quo apertè noſtram ſententiam confirmat. §. *Calor quo animantium vita continetur, quo pereunte omnis eorum actio intermoritur, neque ignis eſt, neque ab igne ortum ducit, ſed in ſpiritu cælitùs delapſo inſidet, &c.*

Hic ſpectat illud Ouidij.

Eſt Deus in nobis, ſunt & commercia cœli,
C *Sedibus æthereis ſpiritus ille venit.*

Et Virglius inquit:

——— *Cæleſtis origo*
Seminibus. ———

Inſtabis, Ariſt. illud dixiſſe, ſi conſiderentur admirandi effectus quos efficit, quia non agit ſecundùm vim elementis ſed ſecundùm vim animæ; & ſumit vim, & vigorem cæleſtium cauſarum, à quibus dirigitur. Non placet ſolutio : ea enim opinionem noſtram roborat : aliquando enim per effectum ad cauſarum cognitionem peruenimus, & quoniam Ariſtot. effectus intellexit admirandos caloris, ideò inficiatus eſt hunc calorem eſſe igneum, ſed cæleſtem ac perfectiorem.

Tertiò. *Calor in animalibus repertus, nec ignis eſt, nec ab igne originem ducit*, ex Ariſt. *lib. 2. de generat. animal. cap. 3.*
D *ſed eſt proportione reſpondens elemento ſtellarum.* Ergo non igneus, ſed cæleſtis. Si enim in recitandis, Solis & ſtellarum facultatibus pauliſper immoreris, hæc ignem generare, & ad mixta generanda ſufficere inuenies. Patet id manifeſtè, in ſpeculo concauo à Solis radiis affecto, qui ignem in ſibi proximo ligno, vel ſtupa generat, & accendit. Sed quod poteſt producere maius, poterit etiam producere minus. Ergo cùm Sol poſſit producere ignem, poterit etiam functiones ignis obire, calorémque generare, quem ignis in generatione mixti præſtare dicitur : quare ſuperfluè ponitur ignis, vt *infrà* latiùs agemus.

Hanc Solis caliditatem admirati priſci, eam flammis comparabant, & acerrimam eſſe dicebant, vt conſtat ex Virgil. *lib. 4. Æneid.*

E *Sol, qui terrarum flammis opera omnia luſtrat.*

Et *lib. Georgicor.*

——— *Rapidiue potentia Solis.*
Acrior ———

Quòd ſi dicas, diuerſum eſſe calorem, quem præſtat ignis, ab eo quem præſtat Sol, falſa pronunciabis : quoniam calores hi ſub eadem ſpecie infima continentur; & omnes calores ſunt einſdem ſpeciei, & eandem proprietatem ſortiuntur eſſentialem : nam proprium caloris eſt congregare homogenea, & diſgregare heterogenea, auctore Philoſopho *lib. 2. de gener. & corrup. 2. 3. & 4.* quare ſi hæ proprietates inſunt calori ignis, Solis etiam calori conuenient.

Adeò enim hæc vera ſunt, vt ignem ad mixtionem non concur

concurrere affirment veterum peritiſſimi, quos refert Dominicus Mannus Mirabellus *in ſua polyanthæa, fol.* 207. Sol enim acceſſu ſuo vberiorem calorem præbens, floreſcere plantas facit, fructúſque liberaliter producit, quare mundi oculus, ſeu cor appellari ſolet, vt notat Cælius Rhodiginus *lib.2. antiq.*18. & *lib.7. cap.* 29. quòd omnibus mixtis vice cordis calorem impertiatur. Exemplo tibi ſint animalia, quæ hyeme in terræ latibulis ſemimortua degunt, & remiſſo feréque extincto eorum calore præ ambientis frigiditate, velut inanima apparent, quæ verè & æſtate reuiuiſcunt, & excitato eorum calore à Sole vires ſuas recuperant; & non ſolùm hæc, immò corpora humana tabida, & natiuo calore ferè deſtituta, in hyeme, accedente vernali calore, pingueſcunt, & multò fiunt robuſtiora, vt notabili exemplo firmaui *lib.3.de praxi admiranda, obſ.* 115. Hoc confirmant Conciliat. *dif.* 48. & 59. Marcel. *in lib.* 2. *de anim.* 143. & 144. Mirandulanus *lib.3. aduerſ. Aſtrologos, cap.*3. Bartholom. Anglic. *lib.3.de rer.propriet.cap.*1. Niphus *lib.1.meteor.com.*35.*q.*2. Fernel. *lib.* 4. *phyſiol. cap.* 1. & luculenter multò anteà confirmauerat Auer.*lib.de ſubſtant.orbis*,2. & *lib.*12.*metaph. com.*18. *ad fin.*

Magna enim eſt Solis poteſtas in hæc inferiora, de cuius præſtantia Cicero *lib.de ſomn.Scip.* ſic ait. *Deinde ſubter mediam ferè regionem Sol obtinet, dux, & princeps, & moderator luminum reliquorum, mens mundi, & temperatio, tanta magnitudine, vt cuncta ſua luce illuſtret, & compleat, &c.* Et *lib.de natur.deorum,* ſæpè Solem eſſe calidum & igneum confirmat, & non ſolùm magnam poſſe gignere caliditatem, ſed etiam ipſum ignem conteſtatur. Neque eſt negandum, corpora cæleſtia maximam vim habere in hæc inferiora: nam non ſolùm per motum, ſed per lucem, immò per fortiſſimas alias qualitates, & vires occultas, quas influentias vocant, mundum hunc inferiorem immutant. Nam ineunte vere, dum Sol ad nos redit, arbores incipiunt fronde virere noua: Inſecta, muſcæ, ſcarabæi ex ſterquilinio, Solis tempore ſuſcitantur, animalia omnia œſtro veneris percita, ad prolem incitantur. Eodem verò recedente, defrondeſcunt arbores, marceſcunt herbæ, inſecta moriuntur, languet Venus, vt ex multorum retulit mente auctorum Ioannes Ionſtonus, vir in auctorum lectione verſatiſſimus, *lib.Thaumatograph.cap.*1. *de admirandis cæli, artic.*7. *de Solis in hæc inferiora influxu.* Hæc fuit Platonis opinio, vt teſtatur Damaſcenus *in lib. de conſolat. medicin.* éſtque Mathematicorum communis. Eam defendunt Magnus Albert. *in* 2.*diſtinct.*14. Abulenſis *lib.3. Regum, cap.*17. *quæſt.*9. Ioan.Maior *in* 2. *diſt.*14. *quæſt.*5. Ferrarienſ. 3.*contra gentes, cap.*84. Venetus 2. *meteor.cap.*1. Saxonia 2.*lib.de cælo, quæſt.*12. Scias ergo, vt eruditiſſimè Stephanus Rodericus Caſtrenſis notauit, *lib.* 2. *meteor. microcoſm.cap.*14. & *lib.3.cap.*1. quòd à Sole omnis eſt vita: hic nos genuit, illuminat, calefacit, totius denique ignis fons atque origo; & cùm cæleſti virtute omnia conſiſtant, ac fiant omnia, Solis virtute conſiſtere, ac fieri dicenda ſunt. Quòd autem Sole medio ſufficiens caliditas ad mixtionem gigni poſſit, inſinuat Manardus, 15. *epiſtol.* 5. & quòd Sole cuncta viuant, producantur & conſeruentur, firmat Valleſius *com.in lib.*4.*epidem. text.*8. immò & ipſe Galenus *lib.* 3. *de vſu part. cap.* 10. & 3. *de temp.*5. aſſerit Solem, & ignem actu eſſe calida: & *lib.de compagin. membror.* Solem calidum eſſe & ſiccum, animámque, cor, hepar, cerebrum creare affirmat: & *lib.* 3. *de dieb. decretor.* 2. ipſum eſſe auctorem quatuor anni temporum ſcripſit; quò alludere videtur illud Virgilij *lib.*1.*Georg.*

—— Vos ô clariſſima mundi
Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum.

Quanta autem ſit ad naturas variandas Solis vis, ac poteſtas, ex veterum doctrina ſatis accuratè explicuere, eloquentiſſimus Lælius Biſciola *tom.*2. *horar.ſucceſſiu. lib.*12. *cap.*7. Valleſius *lib.de ſacra philoſop.cap.*26. & notauit Ioan. Guaniuetus *lib.3.de influxu planet.cap.*3.

Quid plura? nónne Solis radij per aquam, & aërem intùs mare penetrant caliditate ſua, vt virtus tranſit per neruos, apud Galen.*lib.*1.*de ſympt.cauſ.cap.*5. Nónne Gal. *lib.*1.*de dif.feb.cap.*3.4. tantam eſſe Solis caliditatem affirmat, vt eius calore febres generentur? Nónne *lib.* 4. *de compoſ. medic.per gener. c.*3. Solem pro medicamentis concinnandis, & emolliendis, vel ignem cùm Sol abeſt, conuenientem eſſe aſſeruit? immò in Sole meliùs quàm in igne præparari metalla profitetur? Ex quibus patet, Solem maiorem calefaciendi vim igne ipſo habere. Explicat eleganter Iuſtus Lipſius *lib.2.phyſiolog. diſſertat.*13.

Quartò. Calor ad generationem mixtorum moderatus debet eſſe, non abſumens: atqui caliditas ignis immoderata eſt, & principiis vitæ valdè aduerſa. Ergo. Ob hanc cauſam Herodotus, ignem, belluam auidiſſimam, inexplebilémque vocat, quæ ad vitam, generationémque prodeſſe non poteſt, cùm omnia calore, & ſiccitate abſumat, ex Ariſtot.*lib.2.de ortu & interitu, cap.*3. & referunt Conimbricenſes, *com.in lib.*1. *Ariſt.de cælo, cap.*2.*quæſt.*5. *art.*2.*ad fin.* luculenter. Tanta enim eſt ignis immoderantia, vt impoſſibile quaſi videatur, rem adeò voracem, ad actionem adeò modulatam, qualis eſt vitalis, per ſe concurrere: ignis enim omnia depaſcit, & corruptioni magis quàm vitæ inſeruit, furibundus enim, & edax illius calor eſt.

Scilicet ignis edax ſumma ad faſtigia vento
Voluitur: exuperant flammæ, furit æſtus ad auras.

Contrà, ſolis calor tepidus, moderatus, benignus: tanta eſt eius in hæc inferiora poteſtas! Ob quam cauſam Plato, ipſius boni filium conſpicuum nuncupauit, vt refert Cælius 13. *ſuar. antiquit.*14. Demùm plurima ſilentio inuoluo, quæ de ſolis præſtantia, ex veterum & iuniorum decretis proferunt Caſſaneus 12. *part. catalog. gloriæ mundi, conſiderat.*8. Tiraquellus *lib.de nobilitat.cap.*31. *num.* 366. nam ille tanquam elementalium virtutum dominus, caloris radios effundit, quibus vitam, ſenſum, motum, ſublunaribus abundantiſſimè elargitur ſua ſalubri, viuificáque vi, ex Cælio 24.*antiq.cap.*14. Denique cœleſtium vires in Sole, & à Sole ſunt omnes, & Solis lumen eſt ipſi deo ſimile, ob multas rationes euidentes, quas eloquentiſſimè propoſuit Marſil. Ficinus *libello prop. de Sole.*

Argenterius *com.*2. *in art. medic. Gal. mihi fol.* 109. reſpondet, verum eſſe, Solem poſſe ſufficientem calorem generare: attamen Solis caliditatem ſe habere, vt cauſam efficientem, ignis verò caliditatem, vt materiam. Hoc fictitium eſt; nam calor, elementalis qualitas eſt, & omnis qualitas expers eſt materiæ: quare neque materiæ rationem gerere debet. Prætereà ex ipſius ſententia ſequeretur, idem reſpectu eiuſdem eſſe cauſam efficientem, & materialem.

Solis ergo caliditas, miti ſua, ſalutiferáque vi, vt ait Plin. *lib.2.cap.*6. omnia bona in ſublunari regione contemperat, ac modificat. Hic tanquam principale naturæ regimen, ac numen, vices temporum, annúmque ſemper renaſcentem ex vſu naturæ gubernat. Hic cœli triſtitiam mitigat, atque nubila humani animi diſcutit. Hic lumen ſuum cæteris ſideribus communicat. Demùm ex Platonis ſententia, vt notat Rhodig. 13.*antiq.lect.*12. ipſe cœleſtis eſt ignis, animal ſempiternum, aſtrum animatum, diuturnum, maximum, & *in lib.*1.*Geneſ.cap.*1. luminare maius appellatur. Quapropter Aſſyrij, & Chaldæi Solem ſummo cultu venerabantur, vt tam multis auctorum teſtimoniis probat eruditiſſimus Ottho Heurnius *lib.de philoſophiæ primordiis, tract.*2.*cap.*5.

Quintò. Si elementum ignis ad noſtram generationem concurreret, ex ſua regione purum, vt perfectiſſimum effectum efficiat, debet aduenire: ſed hoc implicat, quoniam violenter ignis deorſum deſcendit: nam animal non eſt, vt versùs omnem poſitionem moueatur. Deinde. Si vnumquodque priùs ſuam, quàm vniuerſi conſeruationem intendit, quomodo à reliquo ſegregatur igne, & gratia mixtorum ſuum deſerit locum, inferiùs autem è contra corrumpitur. Reſpondet Argenterius *loc.cit.* deſcendere portionem ignis à ſua regione in hæc inferiora ad mixtorum generationem, craſſiorem ab aëre ſibi vicino redditam, & motu cœli depulſam. Sed hæc reſponſio meras ſapit nugas. Nam quòd ſpectat ad illum impulſum, falſum eſt. Deinde motus cœleſtis eſt circularis,

motus

motus verò quo ignis tendit deorſum, eſt rectus. Præ-tereà. Sequeretur ex eo ignem perpetuò in hæc inferiora deſilire ſine intermiſſione vlla, nam cœleſtia corpora circulari illo motu continuò mouentur; atque proinde aër nunquam videretur ſine flammis. Illud verò de particula ignis craſſiori reddita à ſibi proximo aëre, veritatem obtinere non poteſt: nam vel aër ignem allicit, & à ſua regione præcipitat, vel ipſe ignis grauis redditus, ratione grauitatis tendit in centrum. Si primum erroneum eſt, nam aër contactu ignis rarior euadit, ac proinde & eadem,& maior ratio daretur; quòd aëre contactu ignis, qui maioris eſt quantitatis, ac actiuitatis ſurſum efferatur, quàm quòd ignis deorſum ab aëre minùs actiuo detrudatur; maximè cùm aër non ſit ita actiuus, vt poſſit illam particulam in ſuo loco poſitam, & tantæ efficaciæ, à tam magna mole ſeiungere. Si ſecundum, inde te falſum protuliſſe deprehendes; nam hic ignis quem nos habemus, ponderoſior multò cùm ſit,non ſolùm aëri, & terræ, ſed etiam aquæ, vel ipſius ſubſtantiæ quam depaſcitur, vaporibus commixtus, ſurſum, & non deorſum tendit. ob multas cauſas inferiùs aſſignandas.

Conimbricenſes acutiùs ratiocinantur, *in com. lib.* 3. *Ariſt.de cœlo, cap.*5. *quæſt.*1. dicúntque ignem ideò ſuam regionem deſerere, & in hæc inferiora violenter deſcendere, quia à quadam vi compellente detruditur. Corruit ſolutio. Nam quæ eſt hæc vis compellens, & vim faciens igni? Eſtne aliqua qualitas occulta, ad quam, dum non datur locus fugæ, etſi doctiſſimi promptiſſimè confugitis? Vel ergo hæc ſemper, vel per interualla exercet operationem ſuam. Si primum, ſequeretur continuum eſſe prouentum ignis in hæc inferiora,ac proinde ſine intermiſſione ignis vbique, vt ita loquar, plueret. Secundum ſtare non poteſt, cùm generationes rerum in hoc orbe continuò dentur, ad quas debeat ignis concurrere continuò.

Sextò. Maturatio coctio eſt, & à calore naturali perficitur, ex Ariſt. *lib.* 4. *meteor. cap.* 3. *in init.* Sed fructus maturantur interuentu caloris cœleſtis. Ergo cùm non alia ratione fieri hoc poſſit, niſi quatenus auget, & perficit calorem innatum, ſequitur hunc eundem eſſe cum Solis calore, & ab eo genitum. Quod verò de noſtro calore in medium protulimus, id non de Solari ſolùm, ſed de cœleſti, Lunari ſcilicet, & ſtellarum intelligas, æthereo illo, atque diuino. Nam Lunæ in hæc inferiora maxima eſt poteſtas, cùm eà ſit minor Sol, auctore Ariſt. *lib.* 4. *de generat. animal. cap.vlt.* & cùm ſit inferiori mundo vicinior, magnam & aſſiduam effectuum varietatem oſtendit. Hoc nobis, ipſa ſine ratione animalia, luce clariſſima oſtendunt, quorum exempla affert ex profeſſo Plin. *lib.*2.*cap.*41. Lunæ motus cauſa eſt omnium permutationum, quæ in corporibus accidunt, vt *lib.*3. *de dieb. decretor. ferè per totum* Galen. oſtendit: illa enim æſtus maris cauſa eſt, ex Ptolomæo, *lib.*2.*cap.*12. Cicer. *lib.*2. *de natur.deor.* Plin. *lib.*2.*cap.*97. Strabon. *lib.*3.*de ſitu orb.* Magno Albert. *lib.* 2. *tract.* 3. *cap.*6. Albumaſar. *lib.*2. *maioris introductorij ad Aſtronomiam*, Ficin. *cap.* 6. *ad Plotin. librum.* Licèt enim Lunæ opera, Solis operibus ſint inferiora, auctore Galen. *cit. loc.* tamen his duobus luminibus vitam noſtram moderari, & illorum beneficio conſtare, teſtatur Macrob. *in ſomn. Scip. cap.* 19. *in fin.* nam mortalium corporum auctor eſt, & conditrix, eodem auctore *loc. cit. cap.* 11. Sed ne de te manifeſta faſtidium prolixa oratione generetur, ad ea, quæ de planetarum, & ſtellarum vi in hæc inferiora, veteres prodiderunt, breuiter tranſeamus: harum enim curſu res humanas diſponi; firmat Macrob. 1. *Saturnal.*17. *in init.* hæ enim ſunt cœleſtes ignes, apud ipſum, *in ſomn. Scip. cap.* 14. quarum plurimæ calidiſſimæ ſunt, & ſiccæ; nam Mars, Aries, Sirius, & Canis vterque, ingentem caliditatem, & ſiccitatem in nobis producunt, immò & Scorpius, de quo Virgil. *lib.*1.*Georgic.*& *lib.*10. *Æneid.parum ante med.*

Ipſe tibi iam brachia contrahit ardens
Scorpius. ——

De quarum vi & efficacia ſat plura dixere priſci, & poëtæ omnium vetuſtiſſimi auctores; de quorum numerò ſunt Iul. Firmic.*lib.*8.*cap.*9.Plin.*lib.*18.*cap.*28.& alibi paſſim. Ioan. Pontan. *lib.* 3. *de ſtel.* Pierius Val. *lib. Hier.* 44. Galeot.Martius *lib.*36.*de promiſcua doctrina*, Cælius *lib.*17. *antiq. lect.*27. quorum ſiderum, & præſertim canis effectus Plin.deſcribit *lib.*2.*cap.*42. & *lib.*14.*cap.*18. nam feruent maria exoriente eo, fluctuant in cellis vina, mouentur ſtagna, canes maximè aguntur in rabiem: eo enim tempore exuritur natura, quia Sol & vertici noſtro magis propinquat,& in noſtro hemiſphærio longiorem moram trahit,vt ſcitè docuit Manardus 15.*epiſt.*5.*in initio.* Si ergo Sol,dux, & moderator eſt reliquorum luminum, & ſtellis præſtat, neceſſe eſt vt Solem, qui moderatur noſtra,omnium quæ circa nos geruntur,fateamur auctorem: nec mirandum,nam terra reſpectu corporum ſuperiorum eſt inſtar puncti, vt *lib.*1.*meteor. cap.*14. Philoſophus firmat,& probant Ptolomæus *cap.*6.*epiſt.*1.& Macrob.*lib.*1. *in ſomn. Scip. cap.*20.

Vltimò, Gal.*lib. de maraſmo, cap.*3. reprehendit omnes aſſerentes calorem naturalem ſimilem eſſe igni: quoniam ignis corrumpit materiam in qua accenditur,at verò animalia non ſic ſortita ſunt calorem naturalem,ſed alio modo ab ipſo ſunt conſeruanda, & gubernanda. Igitur caliditas naturalis non redolet conditionem elementi ignis, ſed altioris originis eſt cenſenda, vt Lælius Biſciola *tom.*1. *hor. ſucceſſiu. lib.*16.*cap.*19. diſertè contendit.

Sed ſoluenda ſunt plura, quæ contendunt ignem concurrere ad mixtionem noſtram. Quorum primum eſt Argenter.*lib.*2.*in art.med.loc.cit.*Conimb.*lib.*3.*Ariſt.de cœlo,cap.*5.*quæſt.*1.Scalig.*exercit.*9.*in Cardan.* Vnum eſt corpus circulare quod mouetur. Ergo neceſſe eſt, vt habeat centrum, & circumferentiam; & vnum elementum ſit quod ad centrum,alterum quod ad circumferentiam moueatur. Ignis ergo & terra neceſſaria fuerunt, quæ vniri debebant, vt vnum mundum efficerent: hæc, duo poſtularunt vincula; vnum enim non poteſt ſufficere, nam illud tenderet ad medium, & ſimul ab eo recederet: duo ergo,aër,& aqua quorum vtrumque & graue, & leue eſt, & à medio, & ad medium mouetur. Hæc eſt præcipua eorum machina, quæ ſolùm probat dari ignem in rerum natura. Dic, falſum eſſe, vnum eſſe corpus circulare mobile,nam plura ſunt. Denique in ſuprema regione non eſt ignis,vt latiùs *infrà*, qui circumferentia ſit; quo poſito aqua eſſet medium: nam neque adeò grauis eſt, vt terra, neque adeò leuis vt aër, ſed ſatis eſt vt copulet aërem & terram,quòd contigua ſit centro,& circumferentiæ; nam aqua contigua eſt aëri,qui reſpondet ſuperficiei, & contigua eſt terræ, quæ reſpondet centro.

Secundum. Calor naturalis eſt compoſitus ex calore, & frigiditate, ex Galen. *lib. de trem. cap.*6.*& lib.*8. *de placit.* 7. Ergo ſicut frigiditas elementaris eſt, ſic & caliditas. Dic, nullum eſſe inconueniens, frigiditatem eſſe elementarem, & caliditatem eſſe Solis, quum hæc, eadem ſit ſpecie cum caliditate ignis; differant ſolùm inter ſe, quoniam hæc immoderantiam, altera mediocritatem importat.

Tertium. Sicut caliditas ignis calefacit, reſiſtit refrigerantibus, extenuat, reſoluit, ſic calor naturalis. Ergo eſt ab igne. Dic, non rectè inferri conſequentiam; maximè quum calor Solaris eoſdem efficiat effectus, quos ipſi tribuunt igni, quum eius caliditas, & ignis ſint eiuſdem ſpeciei.

Quartum.Calor naturalis conſeruatur ſanguine & ſpiritu auctore Gal. *lib.de curand. rat.per ſang.miſ.cap.*5. Sanguis tamen, & ſpiritus conſtant ex quatuor elementis: igitur & calor naturalis eſt elementaris. Dic ſanguinem, & ſpiritum non ſolùm ex tribus elementis, ſed ex calore Solari conſtare, quem præſtantiores effectus producere igne, *ſuprà* explicuimus.

Quintum.Calor naturalis augetur,roboratur,& quum eſt languidus, admotis medicamentis calidis, quæ pollent ignea caliditate, redit ad priſtinam naturam: igitur elementaris eſt: nam ſi gradus aliquis introducitur, & facit ipſum redire ad priſtinum ſtatum, eſt, quoniam iſte eſt idem natura cum præexiſtente. Dic, illa medicamenta non

non pollere ignea caliditate, ſed Solari. Neque enim nos negamus ignis caliditatem à Solari differre nam ſub eadem ſpecie infima continentur, ſed ignem ad generationem mixti non concurrere, libenter aſſerimus.

Sextum. Ex duorum corporum colliſione elicitur ignis, quod nulla alia ratione fieri poſſet, niſi ignis mixtorum generationes ingrederetur. Sic arguit Petrus de Peramato, *lib. de element. cap. 5. lin.* 4. Reſponde hoc ita fieri, quoniam aër inter illa duo corpora contentus, illo veloci motu rarefit, caleſcit, inflammatur, ac tandem diſtractis eius partibus in ignem migrat, atque hæc eſt potior ſolutio Scaligeri *contra Cardanum exercit.* 16. exemplum ſit de ſagitta plumbea, violenter & magno impetu per aërem emiſſa, quam igniri, & liquefieri firmat Ariſt. *lib. 5. probl.* 13. & 14. & *lib. 2. de cœlo, cap. 1. text.* 42. & *lib. 1. meteor. cap.* 3. motus ergo calefacit, quoniam ſic extenuat & rarefacit aërem, vt ſub propria forma contineri non poſſit; quare corrupto aëre, generari ignem eſt neceſſe: licèt enim raritas, & tenuitas non ſint qualitates actiuæ, quæ calorem producere poſſint, vt ignis ignem; attamen ex diſpoſitione materiæ, ſine cauſa vniuoca, & particulari, generantur animalia ex putredine, quoniam diſpoſita materia, cauſa particularis vicem ſubit vniuerſalis, dicitúrque generatio ex accidenti. Hoc modo motus licèt non ſit calidus, calorem generat. Ita Virgilius *libr. 5. Æneid.* introducit Aceſtem ad æthera ſagittam contorquentem,

Namque volans liquidis in nubibus arſit arundo.
Signauitque viam flammis, tenuéſque receſſit.
Conſumpta in ventos. ——

Sic ſoluunt Albert. Magn. *lib. 1. meteor. tract. 1. cap.* 11. Girbius *lib. 2. ſuæ ſummæ, tract. 2. quæſt.* 6. Zimara *in ſuis theoremat. prop.* 45. Aphrodiſ. *lib. 1. probl. quæſt.* 59. Soncinas 12. *metaph. quæſt.* 12. Thom. à Veiga *lib. 1. de dif. feb. in com.* 5. *Gal.*] Zabarel. *lib. de calore cœleſt. cap.* 3.

Septimum. Sicut dantur quatuor qualitates primæ, & quatuor humores, ſic debent aſſignari quatuor elementa, quæ illis ex æquo reſpondeant: hoc eſt præter alia ſuperiùs poſita, firmiſſimum Conimbricenſium argumentum, *in lib. 3. Ariſt. de cœlo, cap. 5. quæſt.* 1. At nihil concludit ſimilitudo: poteſt enim calor ſuperiorum corporum extenuare materiam, ex qua fit bilis calida & ſicca, nec ob id ad eius, ſicut nec ad generationem mixtorum, ignem concurrere aſſerendum eſt. Quare ſi non concurrit calor elementaris noſter, æthereus eſt, cœleſtis, atque diuinus. Hæc habui quæ de calore noſtro concoquente, commentatione iuſta promerem in literas: ea labore non paruo ex veterum ſcientiſſimis congeſta, ſi quis paulò humanior vocauerit in lancem, fatebitur ad Philoſophi, Medicorúmque mentem eſſe prolata. Supereſt ſolùm explodere eorum opinionem, qui arbitrantes noſtrum calorem igneum eſſe, ac elementarem, eum ab elemento ignis ad concauum Lunæ ſuam ſphæram habentis, originem ducere, falsò ſibi perſuadent.

QVÆSTIO XXXVIII.

Quòd non detur ignis ad Lunæ concauum. Contra Peramat. Mercat. Conimbricenſes, Scaligerum, Magirum, & communem Medicorum & Philoſophorum ſententiam.

ALtiùs hoc loco, generoſiúſque excitandus animus, quærendúmque, Num detur ignis ad Lunæ concauum. Eum ergo, ſicut nec ad mixtorum generationem concurrere, ſic in ſuprema regione non collocari, res eſt manifeſta. Nam ſi illic eſſet, ſplenderet ſaltem nocturno tempore, videretúrque à nobis, ſicuti & noſtratem ignem longiſſimè collucere intuemur, quum in ſua regione in maiori quantitate ſit, & magis perfectus. Hoc argumentum temnit & ridet Scaliger *exercit. 9. ad Cardanum*, dicens, ignem ibi eſſe rariſſimum, multúmque materiæ expertem, quare rarefactus ignis non lucet. Sed hæ nugæ ſunt, nam expertiores materiæ ſunt Solis radij, & ni-
A hilominùs lucent: nam aër qui eſt radiis materialior, & denſior præ ſua raritate non videtur: quare ignis, licèt non videtur, cur non lucet? & quamuis illud libenter concederem, obſtat tamen eius magnitudo, quo raritatem ſuperat; ignis enim ſphæra vniuerſum ambit, vt rentur ipſi.

Secundò. Ignis noſter idem eſt ſpecie cum illo, quem in vltima ſphæra aduerſarij fingunt: ſed ille nutritur. Ergo hic eo loco non datur: nam ibi quis dixerit habere pabulum? Reſpondent Conimbricenſes *lib. 3. Ariſt. de cœlo, cap. 5. quæſt.* 1. quòd hic noſter cùm ſit à contrariis obſeſſus, qui eum extinguere nituntur, ideò nutriatur. O Conimbricenſium ſubtile inuentum! reſponſio inaudita! nam ad nutritionem nihil facit contrarietas, ſed alimenti penuria, partiúmque indigentia: præſertim cùm in ſphæ-
B ra ſua qualitatibus contrariis, aſtrorum plurium frigiditate, & aëris humiditate, eiuſque vaporibus oppugnetur, vt falsò ſibi perſuaſit Ioannes Magirus *lib. 3. cap. 2. phyſiolog.* Scaligeri ſequutus opinionem.

Deinde ſimili modo cætera elementa nutrirentur, nam aer, terræ, aquæ, & ignis incurſu ſemper alteratur, ab eorúmque contrariis qualitatibus obſidetur, ita etiam terra ab aëre, & aqua ab igne alteratur. Ergo falſum eſt dicere, ignem propter contrariorum occurſum nutriri: cùm enim adeò fortis & actiuus ſit, promptiùs aëre contrariis reſiſtet; hic enim ita leuiter alteratur, & tam debilis eſt naturæ, vt maiori de cauſa ei nutritio eſſet tribuenda.

Petrus de Peramato, *in lib. ſuo eleganti, de element. quæſt. de loco ignis*, hac ſolutione totam litem euaneſcere arbitratur, quòd ignis elementaris, calidiſſimus & ſicciſſimus
C ſit, noſter verò ideò indigeat pabulo, quoniam ſubiectum eius eſt humidum. Conuellitur multipliciter ſolutio. Primò, quoniam ex hac ratione ſequeretur ignem noſtrum, cùm humidiſſimum habeat fundamentum, non indigere pabulo, ſiquidem in ſe habet nutrimentum (nam humidum, ignis eſt alimentum.) At verò ſupremus ignis ſicciſſimus cum ſit, humiditatem deſiderat, vt conſeruetur, nam calor animalium ſi ita ſicceſcit, vt humiditate deſtituatur, ſtatim extinguitur. Secundò. Ipſe Peramatus palinodiam recantat: dictorum enim immemor, probans ignem eſſe ſimpliciſſimum, aſſerit, hunc ob excellentiam qualitatum, omnia vaſtare, exurere, ac abſumere; quare ſi voraciſſimus eſt, pabulo indiget. Ita quidem reſpondens; ſed quàm inaniter, iam exaudi; nam ſi omnia qualitatum exuperantia exurit, cur hoc in loco ne-
D que vrere, neque calefacere affirmas? Deinde ignis, vt tu dicis, & propter caliditatem & ſiccitatem minùs nutritur: ergo ob frigiditatem & humiditatem nutrietur magis: & quantò frigidior, magis depaſcet ac nutrietur, nam contrariorum eadem eſt ratio. Sed hoc nullus confirmat, qui à limine philoſophiam deguſtauerit: ergo nec illud.

Tertiò. Vniuerſus mundus, immò omnia propter homines creata ſunt: nam vt ex multis locis Geneſis colligitur, Deus rerum ſublunarium dominum hominem conſtituit. Sed ibi hominibus ignis nullam præſtat commoditatem. Ergo. Reſpondet Peramatus, conferre ad ornatum, ſed ſi non conſpicitur, neque lucet, quem confert ornatum? Dicunt alij calorem præſtare, hoc falſum eſt: nam à media aëris regione vndequaque frigidiſſima im-
E pedietur, vt huc non deueniat; corrumpetur inſuper ille calor, & alterabitur. Si iterum non impediri inſiſtas, ipſúmque calefacturum mediam regionem aſſeueres: hæc calefacta non ſemper erit frigida, contra communem philoſophantium edictum. Vinum enim ex his eſt ſummè neceſſarium, vel quòd ignis priùs regionem illam calefaciat, vel quòd huc non perueniat, & à frigiditate aëris medij corrumpatur, quum tranſitus de extremo ad extremum debeat fieri per medium: ſi enim eius caliditas ab aëris frigidiſſima regione non impediretur, partes terræ quæ ad eum proximè accederent, calidiores euaderent, (omne enim agens fortiùs agit in propinquum, quàm in remotum) cuius contrarium patet experientia: magis igni appropinquant non hyemali, ſed æſtiuo tempore,

frigidiores ſunt, & albicant niue; quæ tamen, ſi caliditas ignis infra mediam aëris regionem permearet, vel ignis ſuprà eſſet, incaleſcere deberent. Si ergo ignis actiones in hæc inferiora non penetrant, neque aliqua ſublunaribus ex eo paratur commoditas, cur ibi eſſe locatum affirmabimus?

Quartò. Natura nil in hoc modo patitur otioſum, ex Ariſt. *lib.1. de part. anim. vlt.* Gal. *lib.3. de vſu part.10.* Cicer. *lib.2. de nat. Deor.* Cum ergo ibi ignis nihil agat, nec vllam commoditatem præſtet, neque ex aduerſantium opinione, ibi luceat, neque calefaciat, videtur eſſe otioſus, & in ſuprema regione non locatur: natura enim ſicut non negat neceſſaria, ſic ſuperflua abhorret.

Quintò. Ignis, ſi ibi eſſet, in maxima quantitate aërem exuperaret; nam elemento ignis tribuunt mathematici milliaria 120578. aëris verò profunditatem dicunt ſolùm eſſe 52. milliarium, vt probant Clauius *ad caput primum ſphæræ Sacri Boſc.* Barotius *lib.1. comoſgraph. cap.2.* Plin. *lib.2. cap. 13.* & non ſolùm quoad profunditatem multoties maior ignis, ſed quoad extenſionem; nam capit in concauo ſuæ intimæ ſuperficiei aërem. Inſuper cùm ſit vigoroſior, & fortior, aër verò ſibi coniunctus ſit cbſiſtentiæ debilis, & faciliùs alteretur à quocunque è terra eleuato vapore, & à caliditate Solis promptiùs immutetur, facillimè & multo magis poterit ab igne ſibi proximo alterari. Patet, nam tenuiſſimus terræ, & aquæ vapor poteſt duas eius regiones immutare, nempe hanc infimam, & mediam. Ergo multò magis ignis eas immutare poterit; efficacior enim eſt, & maioris actiuitatis elementis cæteris: præſertim cùm ab eo ſcintillæ in infimum aërem deſcendant auctore Philoſopho *lib.1. meteor. cap.1.* & cometæ innumeri, qui igniti aërem etiam calfacere queunt. At ſi ignis has regiones calefacit, vnde grandinis, & pluuiarum copia? Conimbricenſes nugantur, ex eo enim *loco cit. de cœlo*, ignem non corrumpere aërem rati ſunt, quia ab aſtrorum occulta qualitate impeditur; (niſi enim aſtra occultà vi obſtarent, libenter concedunt, ignem totas aëris regiones calfacturum, & ad nos vſque alteraturum.) His reſponſum præbeo, vt eam occultam qualitatem, ſeu proprietatem aſtra præſtare probent, ſed in arduis ad occultas confugere qualitates, eſt ignorantium aſylum, ex Gal. *lib.3. de præſag. ex pulſib. cap.5.*

Sextò. Multi, ac ingentes ſunt ſubterranei ignes, vt communis fert Philoſophorum opinio, & probat Reinerus Solenander *lib.2. de calore fontium, cap.17.* & alij, qui de medicatis aquis libellos conſcripſerunt. Cur hi ad ſuam regionem ſupra aërem, tanquam ad ſuum locum conſeruatium non tranſuolant? quibus vinculis hic ignis ligatus detinetur? Reſpondent Conimbricenſes, ignem violenter in hac inferiori parte propter denſitatem, & pondus materiæ detineri. Inepta reſponſio, nam cur remota cauſa illam violentiam faciente, hoc eſt remoto pabulo non euolat ſurſum, ſed corrumpitur, & emoritur? Deinde multò ponderoſior eſt aër, & ſurſum fertur; nam ſi fortè ſub aqua detineatur, ſtatim ſcaturiendo emergit, quum ibi ab aquarum pondere, ponderoſior quàm ignis, à ſuo nutrimento reddatur.

Septimò Hipp. *in lib. de flatibus, num.5.* (aureo, ac legitimo libello, ex Caſtrenſi eruditiſſimo *lib.1. de meteor. microcoſmi cap.10.* & Iacobo Alemano, qui hunc librum eleganti ſtylo, & facili fuit interpretatus, contra Valleriolam *lib.3. enarrat. cap.4.*) affirmat totum ſpatium, quod inter cœlum & terram effunditur, aëre plenum eſſe. Peramatus ad libitum ſoluit obiectionem, dicens Hipp. verba etiam de igne eſſe intelligenda, quia tenuis etiam ſpiritus eſt. At contradicit Ariſtoteles *lib.1. meteor.4.* dum ait: *ſupra aquam eſſe aërem, & id, quod quamuis ignem conſueuimus appellare, ignis tamen haudquaquam eſt.*

Octauò. Fulmen nil aliud quàm ignis eſt 3. *meteor, cap. 1.* ſeu exhalatio calida, in medio aëris interſtitio, motu, vel antiperiſtaſi inflammata, & in ignem conuerſa. At cur fulmen inferiùs repetit, & ſurſum, cùm ſit ignis, in ſuum locum non tendit? non ergo is in ſuprema ſede, ſeu concauo Lunæ ſuum locum habet.

Vltimò. Si illic eſſet, cur diuina hiſtoria de eo, ſicut de cæteris elementis, non facit commemorationem? nam Moyſes, vir cœleſti numine afflatus. Medicus non doctrina ſolùm præclara inſtructus, verùm ſacro ſpiritu dimanante adornatus, nullibi de hoc elemento eſt loquutus. Soluunt Conimbricenſes: Diuinum vatem ſolùm duorum elementorum feciſſe mentionem, quoniam hæc tantùm aſpectu percipiuntur, & notiora erant: quaſi incomparabilis Philoſophus alia non potuiſſet obſcuriora, vt aërem, qui externis ſenſibus non ita peruius eſt, ac patens.

Fortiſſima verò aduerſantium tela ſic ſunt ſoluenda, ignis hic noſter in modum pyramidis ſemper ſurſum fertur. Secundò, ſemper pabulo deſtitutus ſurſum repit. Tertiò, conueniens fuit ea ſede locari, vt ab eo aër ſuam caliditatem mutuari poſſet. Horum facilis eſt ſolutio: nam primum accidit quoniam aëre frui deſiderat, vt eius fuligines ac excrementa ventilatione purgentur, nam aër ei in pabulum cedit, iuxta illud Ouidij.

Mollis alit flammas, grandior aura necat.

In modum autem pyramidis fertur quia pars eius craſſior pabulo detéta detinetur inferiùs, ſubtilior verò ad pabulum accedere cùm non poſſit, ob tenuitatem & raritatem, effertur ſurſum vt aëre fruatur, & ventiletur. Ex quo ad ſecundum ſolutio patet, nam aër non mutuatur ab igne caliditatem; quia in actiuis, & paſſiuis qualitatibus ſymmetrus, & temperatus eſt: maximè cùm elementa à reliquis ſuas non mutuentur qualitates, ſed eas habeant inſitas. Alia ſunt argumenta, quæ noſtram ſententiam infirmare videntur, quæ ex profeſſo afferũt Chriſtoph. à Vega *lib.1. de art. medend. c.1.* Ludouic. Mercat. *tom.1. claſ.4. art. 9. quæſt.25.* quæ ſolerter Caſtrenſis *lib.1. de meteoris microcoſmi, cap.6.* Non ergo datur elementum ignis ad Lunæ concauum, nec ad mixtorum generationem concurrit: quapropter calor noſter, nec igneus nec elementaris eſt, ſed cœleſtis, æthereus, atque diuinus. Hic eſt viuificus ille calor, qui cœleſtia cum terrenis ineffabili ſympathia, & cognatione connectit, admirationéque dignos effectus producit, quos cœleſti ſiderum calori, qui diuinum Solis, & ſtellarum fertile eſt vehiculum, acceptos referre oportet, vt non minùs eleganter quàm doctè Cicero *lib.2. de natur. Deorum*, ex Cleanthis ſententia confirmat, & graphicè, luculentérque illuſtrant Ioan. Langius *lib.1. epiſtol. 13.* Picus Mirandula *lib.5. prænotion. cap.5.* Fernel. *lib.1. de abdit.8. 9. & 10.*

DVBIVM XL.

Num ſanitas hominis ſani communicetur corpori ægro. Contra Ariſt. & Montanum.

AC *corpus humanum ipſum contingens, &c.*] De coctione, caloréque coquente plura *ſuprà* recenſuimus, nunc illud diſcutiendum, num ſanitas hominis ſani communicetur corpori ægro. Ariſtoteles *lib.7. probl.1.* quærit cauſam: *cur à morbis nonnulli ægrotant, qui appropinquarint, à ſanitate nemo ſanari poteſt?* Reſpondet, quoniam morbus motio eſt, ſanitas autem quies. Ergo ille mouere poteſt, hæc non poteſt. Deinde *ſect.29. probl.10.* quærit *quare ex conuerſatione cum iuſto & bono, iuſtus & bonus homo efficiatur, & cum homine ſano, homo non reddatur ſanus, neque deformis cum pulchro, pulcher, neque cum valido imbecillis, robuſtus efficiatur?* Reſpondet, quòd virtus eſt bonum animi, & ſanitas eſt bonum corporis: illud gaudendo & lætando imitari poſſumus, hoc verò nequaquam.

Contrariam ſequuti ſunt ſententiam Oribaſius *hoc in loc.* Galen. *loc. citatis* in paraphraſi, qui valetudinarios, ſenes, & ventriculi imbecillitate ob frigiditatem correptos, ex amplexu pueri boni habitùs, & ex calore catulorum ventriculo admotorum, iuuari, calefieri, & ſanitatem recuperare aſſeuerant. Nullus enim calor naturali noſtro magis eſt conformis, aut excogitari poteſt, quàm qui feruet in puerili, aut adoleſcentulæ corpore; & hæc eſt cauſa quare leproſi, & tabidi conuerſationem cum ſanis ſummoperè appetant:

nam horum reſpirationem ſibi eſſe valdè commodam experiuntur. Demum ſi morbus ab vno corpore in aliud communicatur, cur non ſanitas, ſi contrariorum eadem eſt ratio?

Ob hæc dicendum, ſanitatem quæ conſiſtit in temperamento, poſſe communicari: nam ſicut morbus contagioſus ille eſt, cuius qualitates mediante ſeminario corporibus ſanis communicantur; ſic ſanitas temperamenti, mediante calore natiuo, & per halitus è corporibus ſanis emanantes poteſt communicari. Eſt tamen inter ſanitatem, & ægritudinem diſcrimen, quoniam hæc ob ſeminarij efficaciam promptiùs communicatur; illa verò difficilè, & poſt longum temporis interuallum: ſanitas verò in conformatione, & vnitate, non eſt actiua, & ideò non communicatur.

Sed quid reſpondebimus Ariſtoteli aſſerenti contrarium? Clariſſimus Montanus *part.2. medic. fol. 373.* vt tantum auctorem à calumnia vendicaret, hunc innuit ſoluendi modum, dicens, ſanitatem ſenſibiliter ſumptam eſſe quietem, ſi verò inſenſibiliter conſideretur, eſſe alterationem. Sed ſi veritas bilance ponderanda eſt, neque Ariſtoteles, neque ipſe eius interpres problematis ſolutionem exactè penſitarunt; nam materia morbi, & ſanitatis, cùm ſint affectus, non in paſſione, ſed in motione conſiſtit. Et ſicuti morbus, qui cauſam habet à qua dependet in conſeruatione, aſſiduè mouet, ſic ſanitas pendet ex commenſuratione primarum qualitatum, & humorum, quæ cauſæ ſemper agunt, & mouent contrà operando, ergò ſicut morbus communicatur, ſic etiam ſanitas, cùm in motu conſiſtat.

Rurſus reddit cauſam Ariſtoteles, dum quærit, *quare virtus eſt communicabilis, & non ſanitas*? Reſpondet, quia bona corporis imitari non poſſumus, animi verò maximè. Non quadrat reſponſio, nam gaudium & triſtitia, ſicuti intempeſtiuè adhibita morbum inducunt ſic tempeſtiuè ſanitatem efficiunt. Præterea. Non ſolùm bona animi, ſed corporis poſſumus imitari, & conſequi: nam quemadmodum homo virtuosè operando efficitur virtuoſus, ſic etiam æger ex approximatione corporis ſani efficitur ſanus, ex complexu enim pueri boni habitus, illi qui habent ventriculum debilem, aut paralyſim, tremorémque patiuntur, ſanari ſolent, quam vtilitatem alia vel calidiſſima medicamenta non præſtant: nam ſi frigidum ſenem multis veſtibus obruas, onerabis multùm, calefacies nihil, quia eæ nonniſi cohibito interno calore calefaciunt: ſi linteis calidis inuoluas, is calor citò euaneſcit: ſi frices, corpus exſoluis. Solus humanus calor, cùm diu duret, mitis & ſuauis, alterum corpus calefacere poteſt.

HISTOR. LXVII. GALENI, *De inappetentia.*

Miua cydoniorum, ad deiectam appetentiam, mirabilis.

Nos autem & medicamentum, quod ex ſucco ſtruthiomelorum conficitur, quodque iis, qui deiectam habent appetentiam, eſt accommodatiſſimum, quum fortè in loco conſpicuo non eſſet poſitum, tandem poſt annos ſeptem inuenimus, nihil in qualitate mutatum: cruſtam enim in ore vaſculi denſam fecerat, cuiuſmodi in melle ſæpe numerò, & aliis quibuſdam accreſcit. Componitur non ex melle ſolo, & malorum ſucco, ſed piperis albi habet quidpiam, & zingiberis, & aceti, &c. Galenus lib.2.de aliment.facult. cap.23.

PARAPHRASIS.

Malorum cotoneorum multiplex eſſe genus, Plin *lib.15.cap.11.* confirmat, quorum omnium ſuccum deiectæ appetentiæ eſſe ex vſu, nullus Medicorum it inficias: auſtera enim cùm ſint, adſtringunt, *vt lib.4.meth.c.7. & lib.4.de comp. medic. ſec. loc. cap.5.* comprobauit: quod enim Galenus, veteréſque Græci auſterum vocauere, id ſtypticum Arabes appellarunt, ex Auic. *lib.2.canon.tract.1. cap.3.* Auer. *lib.5.collig.cap.27.* vt cotonea, mali punici genera, & reliqua eſui apta, guſtuíque gratiſſima, dummodò cum auſteritate dulcedinem, aut iucundam aliam qualitatem habeant coniunctam: ſi namque amaritudinem obtinerent, vt aloë, & abſinthium, ingratiora exiſterent, quàm ſi ſolùm amara forent: nam dulcia auſtera moram trahunt, & in parte cunctantur, compreſſionéque quadam in linguæ intimiora pelluntur: & hæc eſt cauſa, quare alimenta melancholica tantoperè ad edendũ nos inuitent, vt oliuæ, ceruina caro, caro oſſibus adhærens, & ex viſceribus lien.

Auſtera ergo contrahunt, conſtringunt, denſant, repellunt, incraſſant, refrigerant, exſiccant, ex Gal. *l.4. ſec.gener. cap.cit.* & Meſuë *in canonib.vniuerſal.theor. 1.* Sic melancholicus ſuccus à liene ad ventriculi fundum delatus, frigidus, ſiccus, terreſtris, & auſterus cùm ſit, ex Galen. *lib.1.de natur. human. com. 39.* excitat appetentiam, quia ventriculum conſtringit, contrahítque, & ipſius os corrugat, ex Gal. *lib.5.de vſu part.cap.5. in fin.* & Auic. 1. 1. *doct. 4. cap. 1.* Quæ enim hac prædita ſunt facultate, ad appetentiam conferunt, ex Gal. *lib.1.de cauſ.ſympt. cap. 7.* Explicant Valleſius *lib.1.cont.cap.20.* Laurentius *lib. 6.de re anatomic.quæſt.26.*

Cotonea enim cùm ſint auſtera, ex Plin. *lib.23. cap.6.* ſuperiores affectus præſtare non eſt dubitandum. Quare ex Dioſcorid. *lib. 1. cap. 136.* ſtomacho ſunt vtilia, cuius firmitudinem conciliant: cœliacis, dyſentericis, cholericis, ſanguinem excreantibus ſunt ex vſu. Exprimitur ex iis ſuccus, qui difficulter vetuſtatem ſentit: cùm enim omnes ſucci frigido & excrementitio humore abundantes, aceſcant facilè, ab hac malorum conditione cotonea & ſtruthea deſciſcunt, quæ nec fugacia ſunt, nec facilè degenerant in acorem. Sic vinum quod ex iis tuſis, expreſſíſque fit, tandiu durat incorruptum, ſicut & oleum, quod communi vocabulo melinum vocatur.

Cotoneorum caro per cribum tranſlata, & ſaccharo condita, ad ignémque artificiosè præparata, eaſdem præbet vtilitates. Alij ex ſucco cotoneorum, & ſaccharo conditum efficiunt, ventri ſuaue, quod eius vires placidè roborat, & appetitum exſiceat: in quos vſus aromata miſcent; ſic enim iucundius euadit, & ad vigorandum ventriculum magis aptum. Neque timendum quòd medicamentum ex permixtis aromatis caput tentet, quoniam à ſucco malorum in ventre detenta, non ita effumant in caput, quod obtrudit Vega *lib.2.art.medic.ſect.3.cap.6.* nam quum parum ſit quod additur, & à ſucci partibus craſſis vis calida aromatum retundatur, hoc incommodum timeri non poteſt.

Eligantur mala rotunda, parua, & odora, quæ ſtruthea dicuntur. Si verò Dioſcorides magna eligenda conſulit ad edendum intelligas: nam cùm ante maturitatem maxima auſteritate polleant, potentiſſimè adſtringunt. Nihil æquè imbecillem ventriculum à cauſa calida firmat, ac vtus miuæ vocatæ cydoniorum, vt è Galeno colliges *lib.6. de ſanit. tuend. cap. vlt.* Sed ipſum de ſimplici intelligito, quam parat Galenus ex ſucco cydoniorum, aceto, ac melle decoctis; nos verò è ſaccharo eadem paramus. Alia dicitur cum aromate, quæ cum melle, zingibere, vino, & aliis aromatis parari ſolet; vtraque ventriculum roborat, hepar, & cætera viſcera firmat; ſuſcitat appetentiam; coctionem iuuat; vomitum, & alui profluuium cohibet: præcipuè verò ſi zingibere condiatur, quod ad flatus diſcutiendos mirum eſt auxilum; flaccido deinde ventriculo, & cruditati ex humoribus pituitoſis contractæ ſummoperè opitulatur. Quocirca oculorum caligines ex denſis, craſſiſque humoribus ab ſtomacho ſurſum elatis natas depellit; vliginoſum vdúmque ventriculum emendat; quem vehementi dolore ob pituitæ copiam oppreſſum, crebríſque ructibus infeſtatum leuat, & refocillat. Additur acetum ad penetrationem cuius loco ſubſtituitur vinum. Quæ autem quantitas debeat eſſe mellis, ſacchari, aceti, aut vini ad ſuccum, oſtendit Haly *lib.10.praxis, cap.20.* & exemplificant Ludouicus Veles, & Bernardus Deſſenius *tract. de ſyrupis,* & non ſiluit elegantiſſimus Nicolaus Fontanus *lib. inſtit. pharmaceuticar.*

pharmaceuticar. tit.de Syrupis. Tu verò de cydoniorum vi, ac facultate, lege quæ graphicè conſcripſerunt eruditiſſimus Ludouic. Nonnius *lib.1. de re cibaria, cap.30.* Petrus Lopius *lib. de ſex rebus non naturalib.* qui lectiſſimo poëmate eorum admirandam præſtantiam patefecit. De horum alexiteria vi aduerſus venena, miram protulit hiſtoriam Philarchus *lib.6.hiſtor.*eam refert Athenæus *Deipnoſeph.3.lib.*

HIST. LXVIII. TRALLIANI, De fame canina.

Fames canina, ob lumbricum 12. cubitorum concitata, hieræ beneficio perſanata.

NOui mulierem quandam, *quæ cùm multa immodica aſſumeret, omniaque concoqueret, & nunquam ſatiari ſe diceret, roſionem verò in ſtomacho experiretur, & capite doleret, puluerem purgatorium accepit: erat autem is, * hiera. Facta autem vacuatione vermem proiecit, qui longitudine 12. cubitos, & plures habere putaretur; atque tunc immoderata, & furioſa appetentia conquieuit. Innotuit igitur non bulimon, ſed beſtiam fuiſſe, quæ ad cibum ſumendum compelleret, omniáque conſumeret, &c. Alexander Trallianus* lib.7. ſuæ Medicinæ, cap.4.

DVBIVM XLI.

An canina fames à vermibus aliquando ortum ducat.

PARAPHRASIS.

CAninam famem à vermibus, præſertim maximis latiſque oriri, auctor eſt Galenus *lib. de theriac. ad Piſ. cap.15.* hi enim ſuſceptum alimentum deuorando, inſatiabile comeſtionis faciunt deſiderium, & niſi corpus cibum aſſumpſerit, inteſtina rodantur eſt neceſſe, auctore Paulo *lib.4. cap. 57.* quod enim viuificatum eſt in inteſtinis, vbi recens exhibitum cibum conſumpſit, poſteà ipſa ſolida corpora arrodit, vt refert Aëtius *tetrab. 3. ſerm. 1. cap.40.*ſummè igitur vires comminuunt hæc animalcula, ex Gal. *lib.3. acut. com.54.* corpúſque extenuant & labefactant, quoniam alimentum, ſubſtantiam corporis noſtri aliturum depopulantur Auic. *13. 3.tract.2. cap.12.* aſſeruit, famem caninam ſæpè fieri ob vermes, & ſerpentes longos, quum ſubitò incipiunt venire ad comeſta, & appropinquant eis, & dimittunt corpus, & ſtomachum famelica. Scribit Nicol. *ſerm.5. tract.4. de diſpoſitionibus ſtomachi, cap.32. de appetitu canino.* ſe vidiſſe Florentiæ mulierem quandam, quæ propter vermes plurimos, quos habebat in ventre congregatos, non ſtabat vna hora inter comeſtionem, & comeſtionem, & ſi propter aliquam cauſam dimittebat cibum vna hora, vehementer cruciabatur, vnde pluribus vicibus de nocte ſurgebat, & comedebat, & finaliter ſumptis pilulis ex Colocynthide, emiſit phlegmata multa groſſa, & vermes in pluribus diebus vltra centum longos ſatis, & ceſſauit ab ea appetitus ille.

Mirabile eſt, quod hoc loco enarrat hic auctor, nempè fœminam hanc, vermem 12. cubitorum expuliſſe. Qua nouitate adductus Matth. *lib.9. ad Almanſ. cap. prop. de vermibus,* legit(duos cubitos.)quanquam ſuperiori lectioni potiùs ſit adhibenda fides, prout Gentilis, & Simon Genuenſis fidiſſimi eius interpretes conteſtantur, & fide digni auctores confirmarunt. Narrat Ioannes Michaël Paſchal. *lib.1. meth. curand. morbos, cap.33.* puellam fame canina laborantem ſanitati fuiſſe reſtitutam, verme 12.cubitorum, medicamenti purgantis ope, eiecto. Scribit Geſnerus *lib.3. epiſtol. ad Fabricium, pag.90.* ſe vidiſſe non ſemel lumbricos, 13. cubitorum expulſos. Refert Rondel. *lib. de dignoſcend. morb. cap.17.* vxorem cuiuſdam mi-

A litis ex eſu alliorum reieciſſe vermem duorum cubitorum.

Quare non dubites de Tralliani dicto, nam in multis ludit aliquando natura, occulto quodam operandi modo, mira & prorſus incredibilia efficiens. Membranam enim tenuem, & valdè longam, palmorum viginti, & paulo pòſt alteram longitudinis palmorum octo, eiectam teſtatur vidiſſe Valeriola *lib.1.obſ.9.* quod anteà ſignificauerat Plin. *lib.11.c.33.*Legimus apud Gabucinum *lib.de lumbric.c.13.* Recinæ Picentum, puellum, annum ſecundum, ac menſes quatuor ſuæ ætatis agentem, egeſſiſſe latam tæniam, integram, miræ planè longitudinis, roſtro acuto, acus piſcis more præditam, quæ mouebatur, ac ſeſe contrahebat lubricorum terreſtrium more. Cornarius *lib.2. Gal. de compoſ. medicam. ſec.loc.* vnum ſe vidiſſe firmat lumbri-

B cum, longitudinis cubitorum decem. Et Alex. Benedict. *in proœmio lib.21.pract.*ſe vidiſſe, longitudinis 15.pedum: Et quatuor cubitorum conſpexiſſe referunt Beniuen. *de abdit. cap.87.* Manard. *lib.3.& 4.epiſtol. 1.* Gabucin. *cap.3. de lumbric.* Amat.6. *centur. curat.74.* Nicol. Monardus 3. *ſimp. cap. de verbena,* Felix Platerus *lib.de obſer.prop.*& alij, qui de lata tænia diligentiſſimè conſcripſerunt.

Quapropter ſumma cum ratione aſſerendum eſt, lumbricum hunc in ventriculo non fuiſſe pronatum, ſed fuiſſe latum lumbricum, qui teſte Paulo *lib. 3. cap.57.* mutatio eſt adnatæ interiori inteſtino membranæ, in materiam animalis modo mobilem, quæ ſæpè tota redditur longitudine incredibili. Hic vermis, tænia à multis vocatur, continuos ſtomachi dolores infert, & ad cibos inſatiabilem appetitum: conſequitur affectus corporis gracilitas, & imbecillitas cum tarditate, aſſiduúque fa-

C mis ſenſus, vt *citato loco* retulit Aëtius. Hæc ergo tænia in ventriculo ſuæ generationis non habuit principium, cùm tantæ eſſet longitudinis, & à natura ac capacitate ventriculi aliena valdè, ab inteſtiniſque eò aſcendiſſe ad capiendam eſcam veriſimile eſt. Num autem verum ſit Pauli, Aëtij & aliorum dictum, putantium latum lumbricum eſſe inteſtinorum interiorem tunicam, conuerſam in figuram animalis; an potiùs ſit animal ex humiditate oblita ipſis inteſtinis, hoc eſt, ex crudo, mucilaginoſóque humore ad tuenda ipſa inteſtina ab aſperitate ſtercoris à natura ipſis donata, generatum, diſputant contra Paulum Amatus *lib.1. centur.6.* Mercurialis *lib.3. de morb.puer. cap.7.* Auicen. *16. 3. tract.5. cap.2.* illi ſuffragatur ſententiæ, vt dicat, *latum progigni ex ipſis viſcoſitatibus, fixis in ſuperficie inteſtinorum, quas comprehendit panniculus mucoſus velans eas, quaſi ipſi generentur ex eo, &*

D *in ipſo putreſiant,* quod veritati conſentaneum eſt: nam natus lumbricus eiſi rariſſimus ſit, ex eadem materia, ex qua cæteri fiunt, originem ducit, & in inteſtinis, in quibus datur locus capax, & ſpatium idoneum, generatur ſolùm.

Obſeruatio XI.

Tænia admiranda.

PVer quidam in 13. ætatis anno conſtitutus, quum vermibus eſſet obnoxius, vno die immani ventriculi dolore concutitur, qui ad duas horas ita increuit, vt ob dolorem ipſe moriturus ſperaretur, præcedentibus ſyncope, animi deliquio, & anxietate ſumma. Col cum

E dolorem ſuſpicati Medici, clyſteria parant, vomitum, procurant, ventriculo admouent cataplaſmata, & alia anodyna, quæ flatus diſcuterent, lenirent dolorem, pituitoſúmque humorem per ſedem vacuarent. Omnia fruſtrà. Superueniens ego, qui eundem puerum ſæuiſſimis doloribus conflictatum anteà curaueram, omnem curam direxi ad enecandos vermes, quorum excretione dolor anteà ſemper conquieuerat. Sed cùm multa biduo offero auxilia, nihil profeci. Æger viribus iam exhauſtus, vigil, & inappetens ad oblata præſidia erat immorigerus. At cùm ſitibundus eſſet, vinum album obtuli, lymphatum cum aqua priùs ligno colubrino decocta, & cum ſucco allij ſicci, & ℈.1. theriacæ antiquæ medicatum. Poſt horam ab hauſtu aliquantiſper quieuit.

Poſt quatuor horas excreuit per ſedem præuiis tormini-bus diris, membranam latam (tæniam diceres) longam palmos viginti quinque, craſſiuſculam, quatuor digito-rum latitudine, rubro, & nigro colore infectam. Hæc in-iecta in phialam aqua plenam, ſeſe contrahebat. Hac ergo expulſa puer conualuit: in poſterum à tanto malo Abſin-thitis vini beneficio præſeruatus.

Non nego etiam in ventriculo vermes gigni poſſe, quidquid contrà ſentiant Gabucinus *lib. de lumbric.8. in med.* Valleſius *in com. Ariſt.* Mercurialis *loc.cit.cap.3.* fulti Ariſt.auctoritate *lib.4.metheor.cap.3.* qui eos in ventriculo gigni non poſſe, conceptis verbis affirmat: quorum ſen-tentiam Amatus *loc.cit.* Altimarus *cap.81.de lumbricis.* Do-natus *lib.4.de hiſtor.mirabili, c.26.prope fin.* amplectuntur: nam Philoſophus eſt intelligendus de ventriculo ſano, in quo non ineſt putredinoſus calor, agens in materiam pu-tredini obnoxiam, & ex qua poſſunt procreari vermes, quę cùm tenax ſit, mucoſa, & lenta, ventriculi tunicis hærere poteſt, quod negabat Gabucinus, explouſus antea à Con-ciliatore *dif.101.* Sauonarola *tract.6.cap.6.* & aliis.

Nam ſi calor extraneus, in materias aptas generationi lumbricorum, quocunque loco ſint poſitæ, ita agere po-teſt, vt putreſcant; non video, cur in qualibet corporis parte huiuſmodi animalia procreari non poſſint, quid-quid partes vitales excipiat Conciliator *loco nuper citato,* quem coarguit illuſtrium Medicorum experimentum, nam in pulmone genitos, & per tuſſim excretos videre Mundella *dialogo 4.* Beniuen. *cap.77. de abditis,* Fernel. *lib.9. patholog.cap.10.*

Deinde ſi in variis corporis partibus ij innaſcuntur, cur ipſos in ventriculo progigni dubitabimus? Auic *lib.3. tract.2. cap.3.* ex ſua, & aliorum ſententia, eos in ante-riore capitis parte oriri affirmat. Conſentiunt Raſius *lib.1. continent.9.* Nicolus *ſerm.5. tract.7. cap.51.* Ariſt. *lib.2. de hiſtor. animal. cap.15.* In cerebro ex frequenti odoratu baſilici herbæ vermem natum vidit Hollerius, *lib.1.de morb.intern.cap.1.* Beniuen. *de abdit.cap.100.* Cor-nel. Gemma *2. coſmocrit. 4.* Trincauel. *lib.9. de curand. affect.11.* Duretus *in cap. Holler.cit.* Fernel. *5. patholog.7.* In dentibus ex humore ibi putreſcente generari, auctor eſt Alzaharauius *tract.7. pract. cap.4.* In auribus, vidit Valleſcus in ſuo *Philonio, cap. de lumbricis.* Curationem verminationis in auribus, proponunt Celſus *lib.6. cap.7.* Paul.*lib.3.cap.23.* Tral.*lib.3.cap.6.* Auic.*4.3. tract.1.c.23. de aurium vermibus.*

Per vrinam expulſos vidiſſe, teſtantur Mercurialis, *lib.1.Gymnaſticæ,cap.7.* Rondeletius *lib.de dignoſcend.morb. cap.17.* Dodonæus *in ſchol.cap.77.* *Beniuen.* In Hepate vi-dit Gemma *lib.2.coſmocrit.cit.* In vtero gigni fat. tur.H p. *lib.7. epid. in hiſtoria filij Diui:* quorum copiam per vteri collum excretam vidiſſe, refert Garcias Lopius, *de varia lectione, cap.13.* In corde enaſci, mirabili quodam exem-plo oſtendit Ioan. Hebenſtreit. *in ſuo libello de peſte:* & Stockerus, Petrúſque Sphærerius, citati ab Schenckio filio *lib.2.obſeruat. de corde,* id confirmant, & nos exemplo quodam admirando notauimus *lib.1. de praxi Medica ad-miranda, obſ.139.de verme cardiaco.*

Denique ſi in omnibus corporis partibus vermes gigni poſſunt, cur nón in ventriculo, qui omnis impuritatis re-minarium eſt, atque origo, materiæque pituitoſæ re-ceptaculum exiſtit? Si tamen hiſtorias mirabiles, & monſtroſas vermium legere concupiſcis, adi doctiſſi-mum Beniuen. *lib. de abdit. cap.2.85. 87.92.* Gabuc. *loc. cit.* Amat. *6. cent. 3.* Paræum *lib. 19. de infant. uariol. cap.3.* & *3. lib.noſt.2.de praxi admiranda, ad obſer.38. vſque ad obſer. 44.* Foreſt. *lib.21. obſeruat.16.* Num autem ali-quod ſignum certum ſit lumbricorum, qui in hominis ventre generantur, diſputant Syluaticus *cont.32.* Trinca-uel. *lib.1. cont.24.*

Plurima ſunt, & propemodum infinita, quæ ab au-ctoribus ad vermes enecandos proponuntur auxilia, in-ter quæ primum locum obtinere amara, ab iiſdem ra-ta quadam lege ſancitum eſt, quod longa diſertáque oratione proponit Galenus *lib.4. ſimpl. cap.20.* in hunc modum: *nam amara minimè omnium putreſcunt, minimèque*

A *vermes, aliáque nonnulla animalcula, qualia in radicibus, her-biſque ac fructibus putreſcentibus prouenire ſolent, procreant; maximè namque vidimus in humidis naſci corporibus vermes, ac putrilaginem. At quæ exactè amara ſunt (voco autem ſic ea, quæ nulla ſenſu notabili alia participant qualitate) omnibus propè animalibus, nedum hominibus, eſui inepta ſunt: quip-pe cùm animal omne plus minúſque ſit humidum; amara autem ſicca, haud aliter quàm cinis & puluis. Itaque nec cinerem, nec puluerem, nec fauillam, nec calcem animal vllum eſitat, nec eorum quæ planè amara ſunt, quidpiam.* Quod deinceps lacus aſphaltitis, ſeu bituminoſi exemplo oſtendit, *in quo ob amaritudinis nimietatem, nullum nec animal, nec planta ineſſe conſpicitur: imò cum duo in eum fluuij confluant longè maximi, piſciúmque copia ſcatentes, præcipuè qui propè Ieri-chontem fluit, quem Iordanem nominant, nullus omninò piſcium fluuiorum oſtia excedit: ac ſi captos quis in lacum iniiciat, ce-leriter mori conſpicit, &c.*

B Hoc ipſum *infrà* manifeſtè confirmat, dum ſic in-quit: *Adeò eſt omnibus tum hominibus, tum plantis inimi-cum quod exactè amarum eſt, & quod ſqualidum pariter, ac ſiccum eſt, atque naturæ velut fuliginem ab aſſatione referens.* Quare Auic. *lib. 2. canon. tract. 1. cap. 3. amarum* ait, *eſt grauis ſubſtantiæ, ſiccæ & propterea ipſius purum non recipit putrefactionem, ex qua animal generetur, nec purum ipſius nutrit animal, &c.* Cui ſententiæ ſubſcribit Auer. *lib.5. collect.cap.27.* dicens: *In aqua maris, quæ eſt multum amara, non poteſt viuere aliquod animal, propterea quia amaritudo eſt in extremo, nutrimento animalium aduerſa, & eſt dulcedini contraria propter ſiccitatem ſolùm, ob idque interficit infantes, quando multum ea vtuntur, eò quòd ſunt in vltimo humidita-tis; & vniuerſaliter non ingreditur natura amaritudinis in re cibali, quia illa non eſt niſi medicinalis, & dulcis ingreditur in*

C *cibos, & medicinas, &c.*

Cùm ergo ex genere eorum quæ tota ſubſtantia præ-ter naturam ſunt, vermes exiſtant, ſiue aſcarides, & hel-minthes, ſiue teretes, ſiue etiam lati; diráque ac horren-da, imò miſeranda mala ſecum afferant, eos prorſus è cor-pore expellere opus eſt. Expelles autem, ſi priùs eneca-ueris, ait Gal.*14. meth.cap.vlt.* Necabis autem amaris me-dicamentis, tum quoniam hæc vermibus ſunt infeſta, tum quòd ea eſculenta non ſint, ex Galeno *lib.4. ſimp. cap.9.* ac ideò iis aſſumptis moriuntur vermes.

Inter amara principatum obtinet hiera, quam obtu-lit Trallianus ratione ſumma, vt ventriculi roſionem, capitiſque dolorem compeſceret, vnáque humores in tu-nicis ventriculi immerſos expurgaret, quod medicamen-tum eſſe huic vſui præſtantiſſimum, tenet Galenus *lib.8.de*

D *compoſ. medicamentor. ſec.loc.cap.11.* & *lib.6.de ſanit. tuend. cap.2.* quod ſacrum & amarum veteres appellarunt, vt refert Galen. *lib. de præcognit. ad Poſthum. cap.11. in init.* quibus locis varias refert hieræ deſcriptiones, quas Aloë, medicamentum amariſſimum, & necandis lumbricis aptiſſimum adornat. Inſuper vi etiam purgatrice vna cùm ſtercore pituitoſam materiam euacuat, & generationi vermium fomitem ſubtrahit, vt notauit perdoctus Tho-mas Monfetus *lib.2. inſectorum, cap.33. de curatione lum-bricorum.*

Vnum aduertas quæſo, quod monuit eruditiſſimus Septalius *lib.caution. num.109.* & *120.* vt poſtquam medi-camenta ad enecandos vermes per os fuerint exhibita, il-licò propinentur, quæ è corpore eos propellant; nam re-tenti vermes putrefactione ſua, tetróque vapore partes

E ſuperas inficiunt, & grauiſſima ſymptomata concitant: quibus, hoc eſt, virtute enecante & expurgante, cùm Aloë prædita ſit, non eſt mirandum, beſtiam hanc huius medi-camenti ope interfectam. Hoc auxilio fuiſſe per aluum aliam feram excretam, narrat Montuus *l.4.anaſceues morb. cap.19.* Loco Aloës, proximum eſt Abſinthium, Ponticum præſertim: non enim ſolùm amarore vermes interficit, ſed ventriculum, & inteſtina à copia mucoſi humoris exonerat.

Obſeruatio XII.

Vermis admirabilis Abſynthÿ ope interfectus.

INtolerabili ventris dolore premebatur quadragenarius alternis diebus, à quo factis variis præſidiis vix leuari potuit. Ecce vno die, ita truculento premitur circa os ſacrum cruciatu, vt ob doloris ſæuitiem ſine pulſu exanimis redderetur. Eo die multa parantur medicamina, fomenta, inſeſſus, emplaſtra, clyſteria, quæ flatus diſcuterent; & pituitoſum humorem exhaurirent, ſed incaſſum omnia celebrata: nam dirus dolor auxilia temnens, pubémque occupans, præuia lipothymia hominem ad mortis fauces penè deduxerat. Iterum inter Medicos B conſilium adhibitum: Hi cùm vermes adeſſe ſuſpicarentur (nam æger in pueritia iiſdem doloribus afflictus eos excreuerat) ad hos enecandos præſidia triduo præſcribuntur. At multis tentatis, peruicax malum ſolùm Abſinthij efficaciæ ſuccubuit: nam ex puluere eius tenuiſſimo cum Syrupo eiuſdem Abſinthij paratæ decem pilulæ ciceris magnitudine, & deuoratæ ieiuno ventre feram enecarunt. Hæc poſt duodecim à pharmaco aſſumpto horas expulſa eſt per ſedem mortua, palmi longitudine, pollicis craſſitie, alba, & toto corpore lanugine oblita, in cuius fronte aderant cornicula duo tenuia cochlearum inſtar, qua excreta æger reuixit.

DVBIVM XXXVII.

Quòd dulcia, tam ad præſeruationem quàm ad curationem lumbricorum reproba ſint. Contra Gabucinum doctiſſimum. C

COMMENTARIVM.

H*era.*] Legebam nuper ingenti ſtudio aurea Hipp: ſcientiſſimi opera: indidem quum alia præclara præſcripſi; quæ mihi egregiè ſuffragata ſunt, illud fuit percelebre, quod *lib.4.de morb.num.*43. manifeſtè aſſeruit, *ex lactis vſu propter dulcedinem vermes generari.* Ratio firmat: nam ſi amara eos interficiunt, dulcia eos progignent; nam eorum generationi materiam ſubminiſtrant, eóſque genitos ſua dulcedine fouent, & alunt. Vnicuique enim animali conceſſum eſt, dulcibus & iucundis delectari; nam ſuccus dulcis gratiſſimus eſt, & nutriendis corporibus D ſummè familiaris, ex Gal. *lib.*1*.de cauſ.ſympt.cap.*6. quoniam dulcis ſapor ex caliditate mediocri, & ſubſtantia non admodum craſſa ortum ducit; quare linguæ appoſitus modoratè aperit, modicè calefacit ac humectat, & citra violentiam apertos linguæ meatus ſubintrans, diu ibi manet; quo fit, vt natura hac temperie gaudeat, plurimúmque oblectetur. Quapropter omnium quæ nutriunt, communis dulcedo eſt, ex Gal. *lib.4.ſimpl.*14.*&* 3*.eiuſd.cap.*5. *& lib.de alimentor. facult. cap.*64. nam nutriens, aut plus aut minùs eſt dulce, cùm hoc ſit maximè naturæ delectabile, ex Auic. *lib.de virib.cord. tract.*1*.cap.*8. idque appetitus ſanus promptiſſimè eligat, ex ipſo 13.3.*tract.*1. *cap.*17.

Cur verò hoc ita accidat in eodem, *de facult.natural.lib. cap.*10. cauſam attulit Galenus, dicens, nutritionem eſſe vacuati repletionem: atqui quod vacuatum eſt, familiare E erat: quamobrem quod nutrit familiare ſit neceſſe eſt. Hac ergo dulcedine allecti lumbrici, huc illúcque per corpus inſilientes oberrant, vt ea frui poſſint, in qua curſitatione vellicant inteſtina, & ad ventriculum capiendæ eſcæ cauſa aſcendentes, pungunt ægros, lacerant, atque excruciant.

Quod verò dulcia ad generandos vermes ſint aptiſſima, patet; nam ea ſuccos crudos gignunt, quos eſſe materiam, ex qua promptiſſimè horum animalium generatio conſiſtit, docuere Gal.3. *aph. com.*26. Paul. *lib.*4. *cap.*57. Aëtius *tetrab.*3*.ſermon.*1. *cap.*39. Auic.16.3. *tract.* 5*.cap.*2. Auenzoar. *lib.*2. *tract.*7. *cap.*22. Columel. *lib.*6. *cap.*26. Serap. *tract.*3*.cap.*3. Haly 9*.theoric.cap.*28. Ariſt. A *lib.*5*.de natur. animal.cap.* 19. qui omnes ex cruda, craſſáque materia, putredini accommoda generari vermes libentiſſimè concedunt: quorum ſententiam vnanimis Medicorum confirmauit opinio, vno excepto Montano *part.*2*.Medicin.lib.* 1. *de fæcibus, in med.* quem ſequutus fuit Marcel.Donat.*lib.*4*.de hiſt.mirab. cap.* 26. *in med.* qui ab omni humore animalia hæc poſſe gigni, aſſerere cum illo auſus eſt, quorum argumenta ad plenum ſoluit Mercurialis *lib.*3*.de morb.pueror.cap.*4. & non ſiluit Gabucinus *lib.cit.cap.*7. quidquid contrà ſentiat Sanctor. Sanctorius *lib.*5*.de errorib.med.*11.

Dulcia autem craſſi ſucci eſſe, & ad crudorum ſuccorum generationem aptiſſima, ex Galeno conſtare arbitror, qui *lib.de ſuccor.bonit. & vitio, cap.* 4. *in fin. Illud de* B *dulcibus,* inquit, *ac craſſi ſucci edulijs ſciendum, ac memoria ſeruandum horum ſcilicet ſucco, iecoris ac lienis vias impediri: quòd ſi viſcera phlegmone præterea laborare cœperint, hanc ipſam valdè augent.* Ratio eſt, quoniam dulcia vt plurimùm craſſæ ſunt ſubſtantiæ, eo quòd per decoctionem dulcedinem acquiſiuerunt, quæ teſte Philoſopho *lib.* 4. *meteor.cap.*4. omnia incraſſat, cogitque, & viæ per quas debent permeare ſunt anguſtiſſimæ, & quæ in hepate, ex amplis portæ ad iecoris gibbas procedunt, per quas eorum omnium, quæ in corpus vniuerſum diſtribuuntur, tranſſumptio fit: quapropter in iis maximè impinguntur, quoniam ſubſtantia craſſa in itinere anguſto facilè hæret.

His accedit alia potiſſima cauſa, quoniam vt amara, acerba, & acida non ſolùm ori, & palato, verùm aliis pleriſque viſceribus ſunt iniucunda: ita dulcia, iucunda ac C grata illis exiſtunt, vt ab ipſis ſæpè intempeſtiuè attrahantur. Hæc omnia adamuſſim, diligentérque complexus eſt Auic.3.1.*doct.* 2. *cap.* 7. dicens: *Res præterea dulces ad obſtructiones faciendas ſunt veloces, quoniam eas natura attrahit, antequam concoquantur.* Et 14. 3. *tract.* 1. *cap.* 20. ſic ait. *Dulcia conueniunt hepati, quare impinguatur, & magnificatur, & confortatur: verùm velocia ſunt vt faciant euenire obſtructiones, propterea quòd hepar attrahit ea impetuosè, aſſocians ea humoribus aliis; & propter hoc oportet, vt vitet dulcia ille, qui habet apoſtema in hepate ſuo, &c.* Ex quo fit manifeſtum, vitium omnibus dulcibus, tam craſſis, quàm tenuioribus ineſſe, quòd viſcera obſtruant, quemadmodum docuit Gal. *lib.* 2*. de alim. facult. cap.* 8. *&* 26. In hunc ſenſum intelligendus eſt Galenus 13. *meth.c.*14. dicens, *dulcibus omnibus tum iecur, tum lienem maximè intumeſcere:* quum enim illis viſcera delectentur, plurimúmque D celeriter attrahant, ex Gal.*lib.*3*.acut.com.*11. incocta à ventriculo rapiuntur ad venas, & ſic præ craſſitie obſtruunt: ſunt enim cruda adhuc, & inconfecta, atque ob id promptè obſtruere poſſunt.

Deinde. Sub pingui ſapore dulcis continetur, ex Gal. *lib.* 6. *epid.ſect.* 5. *com.* 14. Pingue autem, oleoſum, ſeu vnctuoſum, Gal. teſte *lib.*5 *ſimpl.*16. & Meſuë *lib.*1. *de re Medic.theoremat. eodem,* laxat, mollit, abominabile eſt & nauſeabundum, flatuſque gignit, obſtruit, & vt ſcribit Raſius *lib.*3. *ad Almanſ. cap.* 1. ventriculo incommodum eſt, quoniam ſtomachum emollit; & ventrem fluere facit, ac ſatietatem affert, antea quàm homo cibi quantitatem ſibi neceſſariam aſſumat. Quod multò antea docuit Galenus *lib.* 1. *de aliment. facult. cap.* 30. dum ſic inquit. *Seſami ſemen pingue eſt, ideóque repoſitum celerrimè fit oleo-* E *ſum; quamobrem eos qui ipſo veſcuntur, celeriter implet ſtomachúmque ſubuertit, ac tardè concoquitur, pinguéque corpori præbet alimentum. Liquet ergo quòd ventriculi partibus vigorem, ac robur addere nequit, quemadmodum neque aliud quoduis pingue, &c.* Addit Rhaſius, vnctuoſa & pinguia p tuitā augere, & Auic. 13. 5. *tract.* 2. *cap.* 9. obſtruere poſſe affirmat: quæ cauſa eſt, cur illa plerúmque à ventriculo dilabantur inconfecta, vt notauit Ishac *lib.diat.vniuerſ.ſect.* 18. *& lib.partic cap.de pinguedine.* Quapropter cùm dulcia pinguia ſint, & pituitam gignant, crudorúmque ſuccorum copiam coaceruent, lumbricorum generationi ſunt aptiſſima.

Gabucinus *lib.cit. cap.*7. *in fin.* dulcia qua dulcia ſunt, lumbricos non poſſe procreare affirmat, eo ſolùm ductus

argumento,quòd conſtent eo temperamento, vt facilè in quouis corpore in bilem conuertantur, quæ generationi vermium eſt inepta. Quum enim à calore temperato dulcis fiat ſapor, eóque vel inſito, vel adſcititio; proprio quidem veluti mel; adſcititio verò, veluti ſunt omnia, quæ ab igne præparantur, ac proinde dum calida ſunt, iis ſuauiora, quibus nutritione opus eſt, apparent, ſi dulce quidquid ſit, venter commutare & concoquere debet, ſui calore idipſum alterare neceſſe eſt; quod tunc vlteriori decoctione ſaporem adipiſcitur amarum: hic verò bili rufæ ſimilis cùm ſit, facillimè in ipſam commutatur. Quum igitur ex bile nullum nec intùs, nec extrà procreari animal poſſit: relinquitur, ex dulcibus rebus lumbricos procreari non poſſe.

Secundò. Dulcis ſapor poſitus eſt in quadam partium, & ſuccorum temperie,quum à calore modico exactè permiſcente, & concoquente oriatur, ex Galen. *lib.4.ſimpl. cap.7.* vbi temperies adeſt, putrefactio eſſe non poteſt: ergo dulcia hac mediante lumbricos procreare nequeunt.

Sed reiicienda eſt opinio hæc, ab Hipp. mente, communique Medicorum experimento aliena. Ille enim *in lib.4. cit. de morb. ad fin.* de tertia ſpecie lumbricorum faciens mentionem, latos, & rotundos, in inteſtinis infantium in vtero matris ex humore dulci putridóque ibi retento gigni aſſeuerat; quæ cauſa non ſolùm in his, ſed adultioribus materia poterit eſſe generationis vermium: hoc methodus curatiua expreſsè confirmat,quæ per amara, acida, ac detergentia exercetur.

Neque eius argumenta quidquam concludunt: Licèt enim dulcia in bilem conuertantur quæ lumbricorum generationi eſt aduerſa, illa non in omnibus corporibus, ſed in calidis & picrocholis naturis, hoc eſt, amaram bilem coaceruantibus propriè in bilem conuerti; eſt aſſerendum, cum Gal. 1. *de criſ. cap.12.* §. *In commentariis de potentiis naturalibus oſtendebatur, quidquid alimenti ſupra modum calefit, præſertim ſi pingue, ac dulce fuerit, verti in amaram bilem, &c.* idem prædixit 2. *de facult.natur. cap.8. & lib.6. epid. ſect.5. com.14.* Imò, ſi fides eſt habenda Gal. *lib.3. acut. com.11.* & Auic. *13. 3. tract.1. cap.20.* dulcia, præſertim in morboſo ſtatu, & iecore phlegmone obſeſſo, in bilem conuerti aſſeremus: ſic enim Galenus: *ſenſio verò manifeſta continuò efficitur, & in ventris ore, quod dulcibus aſſumptis delectatur, modò animans ſecundum naturam habuerit. Viſcera igitur hoc pacto dulci gaudere ſucco, plurimùmque ipſius celeriter attrahentia, cùm valent frui, alique: cùm verò febriunt, & phlegmone obſidentur, in id quod bilioſum eſt, dulcem ſuccum conuertere par eſt, &c.*

Infantium autem, & puerorum corpora, in quibus ob multas cauſas vermes generantur, non ſunt de illorum natura, quæ amaram bilem aceruare conſueuerunt, cùm humidiſſima ſint; in his enim cruda, craſſa, pituitoſáque materia, & putredini accommoda colligitur, *vt cit. loc.* Paul. confirmat. Addiderim, dulcia ſecundùm partem pinguiorem, & magis aëream in bilem degenerare in calidis naturis: (qua ratione ſitim excitant) hoc enim modo aër fit ignis propter mutuum naturarum ſymbolum: Sed dulcibus multò magis acria, flammam veluti referentia, & amara atque ſalſa, carboni ſimilia, in bilem vertuntur, propterea quòd dulcibus multò ſunt calidiora, & maiorem cum bile obtinent conſenſum. Craſſa autem dulcium pars, tum lentore ſuo, tum à partibus intempeſtiuè attracta, & crudior remanens, vermium generationi in omnibus naturis eſt aptiſſima. Vide Ioan. Matth. Herbornenſ. *in centur. difficult.35.*

Quod verò addit dulcia eſſe modicè calida humida, & temperata, veriſſimum eſt, attamen corrumpi ſæpè non eſt denegandum. Ea enim quæ calida humida ſunt, facillimè corrumpuntur, ex Gal. *lib.11. meth. cap.4.* & alibi paſſim: quum enim cruda ob rationes dictas permaneant, à naturæ regimine derelicta, & non gubernata, putreſcunt, & materiam vermium idoneam ſubminiſtrant. Patet in ſanguine, qui licèt temperatus, modicéque calidus & humidus exiſtat,tamen putreſcit & corrumpitur: imò quando dulcia temperata corrumpuntur, in maiorem abeunt labem ac putrefactionem, ex Galen. *lib.6. de loc. cap.5.* Sic dulce nutriens corrumpit ſanguinem aliquando, ex Auic. 3. 1. *doct.2. cap.7.* §. *Scire præterea debes,quòd dulce nutriens capit natura,antequam matureſcat, & digeratur, & corrumpit ſanguinem, &c.* Ratum ergo & firmum ſit,dulcia ad vermium generationem eſſe promptiſſima, ipſóſque genitos alere,& nutrire. Lege, ſi placet Ioubertum, *in com. cap.8. Gal. de naturalib. facult. lib.2.* Ioan. Brauum *in com.18. text. Hipp. lib.2. prognoſt.* Et Mercurial. *lib.3. de morb. puer. cap.4. de cauſa materiali lumbricor.* qui de argumento hoc, licèt non ita diſtinctè, & vbertim non inutilia literis conſignarunt.

HISTOR. LXIX. GALENI, *De fame canina.*

Fames canina, copioſo vini generoſi potu, curata.

Quidem multos ipſe ſanaui,qui indeſinenter fameſcebant, vinum ipſis abundanter exhibens, ex eorum genere quæ ſufficienter calefaciunt, &c. Galenus lib.2.aph. com.21.

DVBIVM XXXIX.

Num ſolus ventriculus, an membra etiam fameſcant.

PARAPHRASIS.

Galenum Pergamenum, quem vnicè mirantur omnes, & alieni, noſtrique auctores celeberrimi laudibus efferunt vbertim, *in lib.1. de ſymptom. cauſ. cap.7. poſt princip.* eleganter de fame naturali diſceptaſſe, illuſtris explanator Valleriola *in com.* conſcripſit. Ad famem enim naturalem excitandam quinque neceſſariò concurrunt ſymptomata. Primum eſt naturalis partium inanitio ex auctione innati caloris in humidum. Secundum eſt partium naturalis appetentia ad refarciendum id quod inanitum eſt;nam membra ſua vegetabili potentia attrahunt à propinquioribus partibus, donec ad ventriculum peruentum ſit.Tertium eſt ſuctus ventriculi,ab eadem vegetabili potentia exortus. Quartum ſenſus illius ſuctionis. Quintum eſt animalis appetentia ad cibaria externa. Ex his omnibus ſolum quartum, ſenſum ſcilicet ſuctionis, vocat Galenus famem.

Hæc tamen ſententia à multis non recipitur: Opinantur enim famem, eſſe vltimum ſymptoma, animalem videlicet appetentiam ad cibum externum: nam Ariſt. *lib. 2. de anima, cap. 3.* affirmat famem eſſe appetitum calidi & ſicci, ſitim verò frigidi & humidi. At Galeni ſententia magis placet; quoniam fames eſt res moleſtiſſima, & multi fame perierunt, quæ omnia de animali appetentia nequeunt enuntiari. Ariſtot. verò definiuit famem per cauſam finalem, & à poſteriori:Galenus verò per efficientem, & formalem. Differt enim animalis appetentia à priori naturali appetentia, vt docet Gal. *lib. 1. de ſympt. cauſ. cit.* quòd illa ſit opus facultatis animalis, hæc naturalis.Differt etiam à ſenſu ſuctionis, vt deducitur ex Ariſt. *lib.2.de anima,cap.3.* vbi diſtinguit appetitum à ſenſitiuo, demonſtrans diuerſa eſſe appetere, & ſentire: ex qua doctrina patet ſolutio ad illam difficultatem, qua quæri ſolet, *vtrùm fames ſit affectus naturalis,vel animalis?* Reſpondet Gal. *loc. cit.de cauſ.ſympt. poſt princip.*§.*Cùm enim opus hoc vniuerſum, &c.* dicens; affectum eſſe naturalem, ſicut in plantis; differunt tamen, quia in animalibus fit cum ſenſatione, in plantis verò ſine ea: nam plantæ ſunt terræ affixæ, & ſic perpetuò habent paratum alimentum; in animalibus contrà ſe habet: quoniam fuit neceſſarium quod haberent hanc indigentiam, vt ad percipienda alimenta mouerentur.

Rimatur Thomas à Veiga, *in com. cap.16. lib.art.medic. Galeni,*

Galeni, cur non ſentitur fames in membris , ſed in ſolo ventriculo ; ſiquidem in illis ſunt cauſæ famis , defectus alimenti ſentiendus, & facultas ſenſura ? Reſpondet Turiſanus *in com. cit. loc. Gal.* dicens in ventriculo ſuctum , & ſenſum ſuctionis, ab vna fieri facultate mixta, qua reliqua membra carent, & cùm non poſſet explicare hanc virtutis mixtionem, dixit , *hunc mixtionis modum ſolus cognouit Deus ſublimis, & excelſus.* Veiga *loc. cit.* dicit cauſam eſſe, quia non adeſt in membris ſolutio , quæ cum dolore ſentiatur : vaſa enim facilè cedunt membris trahentibus, & ſic non ſoluitur vnitas. Rurſus iecur cedit vaſis, & iecori ventriculus, in quo tanquam in poſtremo tantùm perſentitur ſolutio ; & ſenſus ſuctionis , quoniam ibi non eſt aliud membrum quod in ſuctione cedat.

Sed ſi hæc omnia ad amuſſim contempleris , Gal. ampliſſimus Medicinæ Oceanus, dubium perſtrinxit *lib. 9. de vſu part. cap. 11. §. Poſtremò etenim quod ventriculo, &c.* quo loco, in ventriculo reperiri prædictum ſenſum deficientis alimenti arbitratur , propter exactiſſimum & acutiſſimum ſenſum, quo præditus eſt; & præſertim eius os. Secundùm hanc rationem *lib. 4. ſimpl. cap. 1.* ipſe aſſeuerat, linguam ob ſenſus acutiem , omnes ſaporum differentias percipere. Ad hanc ſentiendi acutiem refert Gal. quamplurima ſymptomata , (ſyncopen præſertim) quæ vitio ventriculi accidere ſolent, 12. *meth. cap. 5.* probat *lib. 3. de loc. affect. cap. 5.* Lege quæ perdoctus conſcripſit Baptiſta Perſona, *in com. Odyſſeæ Homeri, colloquio 30.*

Obiicies ita. Cur lingua non habet iſtum ſenſum ſuctionis, ſi ob ſenſus acumen omnes percipit ſaporum differentias ? Dic. Acuties ſentiendi denominatur ad obiectum, ſiue ſenſibile, ex organo in quo reſidet, nam facultas animalis ſentiens vna cùm ſit , variat pro diuerſitate organorum quibus communicatur. Quare prædictus ſenſus ſuctionis ſoli ventriculo fuit conceſſus , vt docet Gal. *lib. 4. de vſu part. cap. 4. in princip.* quoniam non erat alia particula, ex qua ventriculus alimentum ſugere poſſet, quapropter ventriculus eſt quoddam promptuarium ciborum , ne animalia cogerentur ſemper ſumere alimentum , quod intelligebat Hipp. *de humorib. text. 3.* dicens , quemadmodum terra arboribus , ſic animalibus ventriculus.

Cauſa famis præternaturalis, à Gal. præſcribitur *lib. 2. aph. 21.* in hunc modum ; *quum enim canini appetitus , vel propter ſolam intemperaturã frigidiorem, vel propter humores acidos fieri conſueuerint, quos exorbuit os ventriculi, &c.* licèt enim plures cauſæ famem præternaturalem concitare natæ ſint, corpus exinaniendo, vt balneorum vſus , parſimonia, diutina famis tolerantia , febres colliquantes, vacuationes immodicæ, immoderatum exercitium ; & demùm plurima quæ innatum ignem diſſipare nata ſunt: canina fames iure optimo dici non debet, quouſque ventris os afficiatur , & frigido intemperamento vitiatum, alimentum ingeſtum retinere non poſſit ; quo fit vt genuina caninæ appetentiæ ratio, in acidorum, frigidorum, crudorúmque ſuccorum copia ſit repoſita, qui os ventris, eiúſque ſubſtantiam permeantes & vitiantes, accidens inferunt ſuctioni ſimile , ſimúlque illius vires prémunt , & imbecillitant ; licèt pituitoſi ſint, ex Gal. *6. epid. ſect. 3. com. 37. & lib. 6. de loc. affect. cap. 1.*

Percontaberis , num melancholicus ſuccus naturalis, confluens à liene ad ventriculum, ſicut in parua copia delatus , conſtringendo & comprimendo ventriculum , infert aciditate ſua ſenſum ſimilem ſuctui, & naturalem famem excitat, ſic in multa copia in os ventriculi confluẽs, famem caninam facere queat ? Gal. *lib. 2. aph. cit.* reſpondet affirmatiuè : explicat eleganter Valleſius *lib. 1. controu. cap. 20.* ſubſcribit Auic. 1. 1. *doct. 4. cap. 1. ante finem , &* 13. 3. *tract. 2. cap. 7. &* 15. 3. *tract. 1. cap. 2. de anatomia lienis.* Hoc modo dicit Hipp. *6. epid. ſect. 4. text. 19.* aquam edacem eſſe , quoniam frigiditate ſua corrugat os ventriculi , & appetentiam excitat. Sed argutè inſurges hoc modo. Cur humor melancholicus à liene ad ventriculum delatus iuuat coctionem, & eſt in cauſa vt retineantur cibi , perfectiúſque coquantur , ex Gal. *lib. 5. de vſu part. cap. 4.* & aciditate ſua appetentiam mouet in parca copia : quum verò liberaliùs influit, caninam excitat appetentiam , ſi humor melancholicus nulla acida qualitate præditus eſt ? eſt enim textus eximius , apud Galen. *lib. 3. de loc. affect. cap. 5. longè à principio. §. Sed ea , &c.* quo loco hoc apertè confirmat. Multi textum mendoſum eſſe rentur. Solue tu hoc modo. Melancholia naturalis nullam acidam qualitatem participat ; hoc eſt , non eam habet aciditatem, quæ ſolùm conuenit atræ bili, quia fermentat terram. Hanc ſolutionem docuit primus omnium Galenus *lib. 4. aph. 21. in init. §. De deiectionibus nunc ipſi eſt ſermo, quæ à priſcis quidem nigræ vocantur , bilis verò nigra exquiſitè non ſunt. Nam acrimoniam, mordacitatem , & aciditatem non habent : imò verò in terram effuſæ, ipſam non fermentant, &c.* quare ſuccus melancholicus, ſyncera , & exacta aciditate non conſtat , quæ ſoli atræ bili propria eſt, ex Gal. *lib. 4. meth. 9. & lib. 3. acut. 38.* cuius vi abigit muſcas , & abradit terram , vt notat Gal. *lib. de atra bile, cap. 3.*

Multi confundunt caninam famem cum bulimo, quum diſtinguantur natura, & cauſa. Natura, quia canina fit ab oris ventriculi punctione, & aliquando ab acidis, & frigidis ſuccis: bulimus, à frigiditate vires nimiùm deiiciente. Deinde bulimus ab externo frigore originem ducit: canina appetentia à cauſa interna oriri ſolet. Hæc degenerat in maciem : bulimus incipit à frigore , penuria & macie. Caninam appetentiam ingens, & inſatiabilis conſequitur appetitus, & mox à ſaturitate euomitur cibus, & ſuperſtite eadem appetentia denuò ingeritur , quia cauſa quæ ventriculo infixa eſt , reddit vires imbecilliores , vt copiam alimenti nequeant ſuſtinere ; & ſic neceſſariò conſequitur vomitus ; & perſeuerante affectu, nihil ampliùs retinet ventriculus , ſed ſuperuenientibus alui profluuio, cœliaca, & hydrope , nullo accedente animi deliquio , vt in bulimo accidere ſolet, ægri in peius ruunt, & moriuntur ; vt aduertit Montanus *part. 2. Medic. cap. de fame.* Galenum non eſſe intelligendum de bulimo, patet: nam hæc paſſio eſt labefactatio facultatis à frigore externo, quæ à fame quidem inchoauit, ſed non habet eã ampliùs adiunctam, vt notat Alphonſus à Fonſeca , *luminari 2. cap. de canina appetentia.*

Hanc caninam appetentiam ex frigidiori ventriculi intemperatura , vel ſucci acidi copia pronatam , vellicato, refrigerato, atque compreſſo ventriculo, ex Gal. *li. 1. de cauſ. ſympt. 7.* non ſine ratione facit ceſſare vinum : nam fames ſedatur nutritione, & repletione ; hæc duo præſtare poſſe vinum, dubitat nemo : quoniam corpus citiſſimè reficit , roborat ventriculum , frigiditatem corrigit , humorem melancholicum lenit. Debet eſſe flauum , rubeum, aëreum, odorum, non adſtringens; hoc enim ſuperiores dotes habere *in com. hiſtor. 61. ſuprà* eſt prolatum: & *in lib. 3. in com. hiſtor. 47.* fusè demonſtrauimus.

QVÆSTIO XL.

Quod Galenus vinum Creticum , Maluaticum , & moſchatellinum agnouerit. Contra Vegam, & Mercatum , doctiſſimos.

COMMENTARIVM.

S*Vfficienter calefaciunt.*] Varia enim vinorum genera palam fatetur Dioſcor. *lib. 5. ſui operis, à c. 1. vſque ad 34.* diuerſorum faciens mentionem amplam : nam quædam à frigidis herbis denominationem ſuſcipiunt, ex cydoniis, roſis, myrto, & punicis : nullum ex maluis appellauit vinum ; nam cùm ars præparet vina ad tuendas corporis facultates , apud omnes nullum medicamentum ex illis parari poſſe, eſt in confeſſo , cùm malua roborandi vim non habeat, ſed lentore quem poſſidet, ex Gal. *lib. 2. de alim. facult. cap. 42.* relaxet , & virium firmitudinem diſſoluat; ob quam cauſam apud Dioſcor. *lib. 2. cap. 49.* ſtomacho eſt infeſta.

Quo etiam nomine à maluis dicendum non eſt hoc vinum ; licèt hoc modo frigidius reddatur , & febribus curandis valdè proficuum , quum malua frigiditatem habeat,

beat, & humiditatem, ex Gal. *lib. 6. ſimpl. cap. 67.* nam ſic maiori iure veteres eligerent roſatum, quia frigiditatem, vnáque robur viſceribus conciliat, ex Dioſcorid. *loc. cit.*

Neque optimum argumentum te confeciſſe putes, quòd in multorum ſcriptis videas, maluaticum eſſe propinandum iis, qui febribus malignis ſunt correpti, vt maluæ frigiditate harum febrium ardor miteſcat, ac temperetur: nam alia de cauſa id propinant, & nonniſi viriũ reficiendarum cauſa, & ſymptomatis vrgentis ratione id concedunt, cui nî auxiliares manus adhibeas, in grauiora pericula ægros coniicies. Si enim in ſumma virium penuria, vinum, vel etiam præſente febre, non propines, natiuus ignis à febris vi, & vehementia depopulatur, & veluti extinguitur. Non ergo à maluis, maluaticum vinum nuncupatur.

Eſt ergo vinum maluaticum, Luſitano idiomate dictum *Maluaſia*, à Latinis *Paſſum Creticum* ſeu *Cretenſe* dictum, vt rentur Andreas Baccius *lib. 1. de natur. vinor.* & Manard. *lib. 14. epiſtol. 2.* Eſt ſuaue, odore gratum, flauum, inter craſſitiem & tenuitatem mediocre, ad dulcedinem declinans. Hoc præter cæteras vinorum dotes, quibus præditum eſt, præſtantiſſimum, & pretioſiſſimum cùm ſit, ad morbos ex frigiditate ſubortos eſt celeberrimum; nam eminentiori quodam modo virtutem vigorat, innatum calorem refocillat, & flatus diſcutit, vt Iacobus de partibus de eo aſſeuerat *in fin. 15. 3. tract. 2. cap. 12. de cura ventoſitatis ſplenis.*

Huius triplicem apud veteres inuenio differentiam. Primam ſortitur illud vinum, quod ex vuis paſſis conficitur. Secundam, quod ex valdè maturis vuis ac ſponte ſtillantibus paratur. Tertiam, quod ab vuis odoris, ac dulcibus exprimitur, quæ vuæ, quia ſuauiter inſtar moſchi, ſuauiſſimi aromatis, ſpirant, moſchatulæ ſunt dictæ, vt notat Manardus *lib. 8. epiſt. 1. & 2.* Primam differentiam agnouiſſe Galenum conſtat, quam vocauit paſſum Creticum, quod eſt verum maluaticum: iſto namque pro conficiendis medicamentis fuiſſe vſum, conſtat apertè, ex eo *in lib. 1. de compoſ. medic. ſec. loc. cap. 6. §. Paſſi Cretici ſextarium vnum, &c. & lib. 3. eiuſd. oper. cap. 29. §. Expedit & modicum paſſum affundere, ne pharmacũ exareſcat, &c. & lib. 7. cap. 2. in init. §. Paſſi Cretici ſextarium, &c. & lib. eodem cap. 3. §. Vuæ paſſæ in vino paſſo, &c.* Paſſum autem vocari Creticum, tradit Dioſcorid. *lib. 5. cap. cit.* per hæc verba. *Paſſum, quod vuis ſole ſiccatis in area, aut in ſarmento aductis exprimitur, Creticum cognomine, &c. Dicitur paſſum, hoc eſt, ſuccus expreſſus ab vua paſſa: vel à patiendo, nam percutitur vua ſiccior, & decoquitur, & inde fit paſſum, vt lib. 20.* explicat Iſidorus.

Veri paſſi plurimi ſunt conficiendi modi, quos ex mente Columellæ, & Palladij refert Marcellus Virgilius *lib. 5. in Dioſcorid. cap. 3.* & non ſiluit eruditiſſimus Ruel. *lib. 1. de natur. ſtirp. cap. 143.* nam quidam paſſas vuas in area, vel ſarmento ſiccatas exprimunt. Alij vuas præcoquunt, ac ſiccant in ſole, donec paulo ampliùs dimidium pondus ſuperſit, tuſáſque leuiter vuas exprimunt; deinde quantum expreſſere, adiiciunt aquæ puteanæ, vt ſecundarium paſſum faciant. Diligentiores autem ſiccatis acinos eximunt, ac madefactos vino excellenti donec intumeſcant, exprimunt, hócque genus inter cætera laudant. De cuius vario conficiendi modo lege Valleriol. *2. loc. com. cap. 7.* Manard. *14. epiſtol. 3.* Horat. Augen. *lib. 1. epiſtol. lib. 12. epiſtol. 3.* Andream Baccium, *lib. 1. de natur. vinor.* Ludouic. Nonnium *lib. 4. de re cibaria, cap. 13.*

Hoc vinum ſi ſit ex vua benè matura, ſuccoſa, & exemptis acinis compoſitum, ſaluti humanæ, morborúmque curationi eſſe conuenientiſſimum, ſibi perſuaſere antiqui, qui id omni ſexui, & temperaturæ non denegabant, vt ex ſententia Varronis, & Auli Gellij probat Mercurial. *lib. 1. variar. lect. cap. 17.* dummodò non bibatur recens, hoc enim dyſenteriam generat, ex Auic. mente 14. 3. *tract. 4. cap. 1. in fin.* Modicè coctum, & à parte flatuoſa repurgatum, calefacit, ſanguinem temperatum generat, ſiccos humectat, impinguat tabidos, optimum colorem conciliat, puros gignit ſpiritus, appetitum ſuſcitat, roborat ventriculum, auget vires, prouocat aluum, ſanat caninam famem, & valenter nutrit, ex Celſo *lib. 2, cap. 18.* Demùm eſt vitæ humanæ firmiſſimum fulcrum, & eas facultates ſortitur, quas vuæ paſſæ priſcorum ſcientiſſimi attribuerunt, vt conſtat ex Gal. *2. lib. de alim. facult. 10.* Auic. *lib. 2. tract. 2. cap. 735.* Iſhac *lib. diætar. particul. tract. de vuis.* Hæ enim facilè coquuntur, & diſtribuuntur, optimum alimentum præſtant, prouocant appetentiam, ſtomachum vigorant, ſuccos concoquunt crudos, tuſſi, catarrhóque, ex communi Medicorum decreto, auxiliantur mirificè: adeóque hoc verum eſt, vt in earum laudes prorumpens Gal. *lib. 8. de compoſit. medic. ſec. loc. cap. 7.* ſic loquatur. *Vua paſſa, licèt contemptibilis videatur, ob vſum familiarem; tamen roborat hepar, quantũ requirit affectum viſcus, habétque vim aliquã concoquendi crudos humores, & coërcendi maligna, exiſtens etiam ſecundùm ſubſtantiam iecori familiaris, &c.* De cuius laudibus tam multa dixit Mundella, *epiſt. 2.* Quare ſi paſſa ad acidos humores coquendos eſt præſtantiſſima, multò magis erit paſſulatum vinum, quod ſuapte natura frigidas viſcerum intemperantias corrigere eſt natum; nam & nutrit, & roborat, concoquit, & putrefactioni aduerſatur, & ſi intemperies ab humiditate & frigiditate proficiſcatur, eam citra omnem moleſtiam, & ſecurè perſanat, *vt loc. cit. ſec. loc.* retulit Galenus.

Audi Dioſcorid. *lib. 5. cap. 7. Paſſum autem, quod vuis in cratibus ſole ſiccatis, aut in ipſo ſarmento torrefactis exprimitur, Creticũ cognomine, aut protropũ, aut Pramnium, itémque ſapa, quæ fit muſto igni decocto, omnia aſtringunt, languidos pulſus excitant, & faciunt aduerſus venena, quæ exulcerando necant, ex oleo pota, vomitionibus reddita: itémque contra meconium, pharicum, toxicum, cicutam, necnon contra renum, ac veſicæ roſiones, & exulcerationes, &c.* Arnaldus *in tract. de vinis, tit. de vino paſſulato,* ſic ait. *Vinum paſſulatum, factum ex paſſis ſine acino, in infuſione, eſt vinum optimum ſenibus, decrepitis, melancholicis, phlegmaticis, impinguat, lenit pectus, roborat ſtomachum, hepar, clarificat ſanguinem, putrefactioni reſiſtit; eſt vtile ad tuſſim, & aſthma; prouocat ventrem; corroborat digeſtiuam, expulſiuam, retentiuam; abſumit phlegma; eſt bonum illis qui frequenter in animi deliquia incidunt; & qui vſus fuerit eius potu, in ægritudinem phlegmaticam non incidet, &c.*

Secunda differentia maluatici, vocatur vinum protropum, quod ab vuis valdè maturis ſponte ſtillat, à Latinis dicitur lixiuium, à lixiuij ſimilitudine per colum diſtillantis, madente cinere, vt notat Rhodig. *lib. 28. antiq. lect. c. 34.* Ab Italis, & noſtris dicitur *lagrima.* Hoc vinum agnouiſſe Gal. conſtat, *ex lib. 6. ſec. loc. cap. vlt. §. Cum vino protropo illine, &c. & lib. 7. eiuſd. operis, cap. 2. §. Palmulas in vino mulſo, aut protropo coquito, &c. & lib 8. eiuſd. cap. 2. de catapotiis hepaticis. §. Paſſi protropi ſextarios tres, &c. & in lib. 9. cap. 4. in init. §. Vini dulcis, aut ſcibelitæ, aut protropi ſextarios tres, &c.*

De tertia differentia maior eſt controuerſia. Chriſtoph. à Veiga *lib. 2. art. medic. ſect. 3. cap. 2.* Galenum moſchatellina vina non agnouiſſe conteſtatur: ſequitur Mercat. *lib. 1. indicat. 2.* At hunc tantum virum, qui de omni vini differentia fusè diſputauit, hæc non latuit, poſuítque ſub genere dulcis aromatici, quod fieri certum eſt ex vua, quam vocant Latini Apianam, quòd apes eam populari gaudeant, hanc vulgò moſchatulam interpretantur. Numeraſſe autem Galenum plurima aromatica, ex multis ipſius locis patere poteſt, & præſertim *in lib. 1. de antidot. cap. 8. 9. & 10.* vbi hæc antidotis, & præſertim theriacæ parandæ aptiora eſſe ſibi perſuaſit. Cuius conficiendi modum docet Plin. *lib. 14. cap. 9.*

Habes ergo, de quo vini genere ſit in hac hiſtoria intelligendus Galenus, quod ſatis prolixè Auic. 13. 3. *tract. 2. cap. 14.* Tral. *lib. 7. cap. 5.* Paul. *lib. 2. cap. 52.* tractauere, ſingulis huius affectus cauſis, ſeorſim curationem opponentes.

***

HISTORIA.

HISTOR. LXX. GALENI, De homine pituitoſo vomente bilem.

Caſus pituitoſi quotidie vomentis bilem.

ALterum autem vidi, cuius totus habitus pituitoſus erat, quotidie tamen bilem pallidam euomebat. Cenſui igitur inſpicienda alui excrementa, in quibus minimum bilis apparebat: quare coniectura quadam comprehendi, eum meatum qui bilioſum egurgitat humorem, non paruam eiuſdem partem ad imum ventriculi locum, quem Græci pyloron (id eſt, oſtiariam) vocant, effundere, vt in quibuſdam apparet animalibus, &c. Galenus in lib. art. medicinal. cap. 74. & lib. 2. acut. com. 29.

DVBIVM XL.

Num vas cholidochum aliquando ad ventriculi fundum implantetur. Contra acutiſſimum Argenterium.

PARAPHRASIS.

SVbtiliſſimus Argenterius, Neotericorũ præcipuus anteſignanus, plurima Dædaleis labyrinthis obſcuriora in huius capitis commento explicuit, ſed dum ſuam contra Galenum opinionem proponit, nouam profitetur Medicinam, Magiſtri limpidiſſimos fontes perturbat, & fundamenta firmiſſima funditùs euertere conatur: Accuſat ergo eum, quòd vas cholidochum aliquando ad ventriculi fundum implãtari aſſeueret; duplici ratione erraſſe exiſtimans: primò, quoniam non ſunt imputandi naturæ errores citra neceſſitatem. Secundò, quoniam huius euentus cauſa attribuenda eſt, quòd totum corpus à bile per vomitum expurgetur, vel bilis porracea ex pituitoſis ſuccis orta quotidie in ventriculo regenita euomatur.

Sed cùm Galenum erroris inſimulat, miſerè fallitur nam exemplum Galeni ſumma induſtria eſt inuentum, admirabilique coniectura comparatum: videns enim hominem, cuius habitus pituitam præ ſe ferebat, bilem pallidam quotidie euomentem, in cuius egeſtione minimum bilis apparebat (magnum certè bilis in alium locum regurgitantis indicium) in eam deuenit ſententiam, vt crederet meatum regurgitantem in inteſtina bilem etiam ex natura ad imum ventriculi locum, quem pyloron Græci vocant, implantari, quod præterquàm quòd in animalibus diſſectis experimento comprobauerat, ſuperiores coniecturæ in veritatem deduxerunt.

Apud ipſum conſimilis extat hiſtoria, *lib. 2. acut. com. 29.* de Paulo Rhetore, *qui licèt toto temperamento pituitoſus eſſet crebris tamen vomitionibus torquebatur, cui erat adſtrictior aluus;* nam bilioſi humoris portio, quam tranſmittit natura ad inteſtinum ieiunum, vt excretiones promoueat, ad ventriculum confluebat.

Hanc Hiſtoriam *artis paruæ* doctiſſimi interpretes; Iacobus Forolitiienſis; Turiſanus, Akakia, & alij, vt veriſſimam recipiunt: & vel Veſalius, qui prurigine laborauit mordendi Galenum; ſemel ſe obſeruaſſe affirmat *lib. 5. fabric. cap.* 8. non negarunt Bauhinus *lib. 1. theat. anatomic. cap.* 45. Ludouic. Mercat. *tom. 1. lib. 1. part. 4. quæſt. 116. num. 2.* Andreas Laurent. *lib. 6. anatom. quæſt. 24.* Sic Ariſt. *lib. 4. de generat. animal. cap.* 4. tres aut quatuor renes vidit. Et vtrumque renem, vel alterum ſaltem duas habere cauitates, & binos meatus vrinarios prope veſicam coëuntes viderunt Carolus Stephan. *lib. 1. de diſſect. corpor. human. cap.* 15. Alexander Achillin. *in annotat. anatom.* Realdus Columb. *lib. 15. anatom.* Cor ſine pericardio inuentum, ex Columb. *loc. cit.* cordis ſitum mutatum obſeruauit Platerus *lib. de obſeruat. prop.* & viſum hepar in ſiniſtra, ſicut lien in dextra, à Petro Sphærio *lib. de obſeruat. prop.* Ceruo, & damæ fel deeſſe notatum, ab Ariſt. 2. *de hiſtor. animal. cap.* 15. Viſæ ſunt in eodem latere binæ iugulares, à Columbo. Si ergo hæc vera ſunt, & tantorum virorum firmata teſtimoniis, cur meatuum aliquem, per quem bilis in duodenum exoneratur, diuidi in geminum canalem ante inſertionem, & ad fundum ventriculi implantari poſſe negabimus? Lege Fuchſium *lib. 3. paradox. cap. 3.*

Cur autem variè inſeratur hic meatus in pedeſtribus, volatilibus, piſcibus, tradit rationem Thomas à Veiga illuſtris huius loci interpres, *in com. In volucribus venter ſpiritalis, propter alarum exortum plurimùm deſcendit, quare non eſt locus multis inteſtinorum inuolucris: ſicut nec in piſcibus, ob corporis longitudinem, & nationis velocitatem. Ne erga alimentum ante integram ſucci diſtributionem perreptaret pauca inteſtina, nouis excogitauit rationibus: videlicet auibus præſtitit duo oblonga & cæca inteſtina; piſcibus verò ventriculum ipſum oblongum, & in mucronem ceſſantem: nec bilis meatum initio inteſtinorum inſeruit (feſtinaret enim excrementi deiectio) ſed prope rectum. In pedeſtribus verò, in quibus vacabat locus multis anfractibus inteſtinorum, meritò ibi inſeritur, vbi primùm inteſtina voluuntur, ne ſopita natura faces moreantur, & cum periculo obſtruant.* Hactenus Veiga Huic alia ratio iungenda. Nam quemadmodum aqua minùs ſuſtinet grauitatem rei motæ, quàm terra, & aër minùs quàm aqua, ideò velociſſimè voluit natura moueri aues, inde piſces, tardè pedeſtria; ſic abſtulit ab auibus, & piſcibus, fœtus viuos, vbera lactantia, veſicam, inuolucra multa inteſtinorum.

Hæc fuit admirandi Galeni coniectura, qui hac anatomica conſideratione ductus, in pituitoſo homine euomente bilem, opinatur meatum illum felleum, ventriculum conſcendere, vel totum, vel maiore ſui parte. At vbi tantus eſt ſapientium virorum conſenſus, facilè moueor vt dicam, quòd Argenterius ingenij laſciuia diſſentire videatur. Neque negandum eſt, naturæ eſſe imputandos errores; ipſa enim quandoque ludit in opere errans. Imò huius euentus cauſa minimè attribuenda eſt, quòd totum corpus per vomitum à bilioſo recremento expurgetur; cùm ex præſcripto, & lege naturæ, bilis ad ventriculum non confluat, vt efficaciſſimis rationibus *lib. 5. de vſu part. cap.* 4. contendit Galenus. Adde, in ea copia porraceam in ventriculo gigni non poſſe, vt per vomitum expelli queat.

Admittenda ergo eſt Galeni doctrina quam 2. *de temper. cap. 6.* expoſuit, ſuperioribus obiectionibus tacitè reſpondens, dum quoſdam ſe conſpexiſſe refert vomentes bilem, qui alioqui erant toto corpore molles, candidi, glabri, adipoſi, venis, ac muſculis parùm conſpicuis præditi, exangues, nec tangentibus admodum calidi; cuius excrementi per vomitum reiecti copiam, oriri ex meatu cholidocho ad ventriculi fundum implantato pronunciat quem aliquandò ad hunc locum bifurcari, *in com. huius loci,* Iacobus Segarra doctiſſimus confirmat.

Hos infelices à natura, ob generationem choleræ rubeæ, vocat Auic. 4. 1. *cap.* 20. §. *Et tibi etiam caue, ne ſubtilitatẽ ſenſus oris ſtomachi habentem, aut ipſius debilitatem; phlebotomes, & infelicem ex generatione choleræ rubeæ in ipſo, &c.* Hi enim ſunt, qui aſſiduè bilem euomunt, nauſeam, & oris amaritudinem patiuntur, & in perpetua ſunt afflictione; quoniam meatum cholidochum ad ventriculi fundum habent implantatum, vel maiorem quàm ſit ille, qui à iecore ad duodenum terminatur pro expurganda bile, vt doctiſſimè *in com. Auic.* Gentilis, Iacobus de partibus, Dinus, & Antonius Maria Battus interpretantur.

In his ergo arcet Auic. phlebotomiam, quòd extracto ſanguine bilis ad venas remanẽs ferueat amplius, & ebulliat. Et maximè cùm in his virium robur non adſit; hi enim picrocholi bile in ventriculo redundant amara, huius partis morſus ingentes patiuntur, prehenduntur cardiogmo, linquuntur animo, cruciantur ſiti, conuelluntur, rigent, ſunt inappetentes, ad nauſeam, & vomitum paratiſſimi, & demùm frequenter ventriculi inflammatione corripiuntur.

HISTOR.

HIST. LXXI. AVICENNÆ, De ſatietate.

Saturitas, poſt tranſactam famem, nocentiſſima.

ET ſcias quòd nihil eſt deterius ſaturitate, quando fames præceſſit. Vidimus enim multos, quibus in tempore ſterilitatis cibus defecit; poſtea cùm in tempore fertilitatis abundauit, repletos fuiſſe, & mortuos, &c. Auic. 3. 1. doct. 2. cap. 7. in princip.

PARAPHRASIS.

REctè illud à Celſo proditum *lib. 1. cap. 3. mox in init. ex multa fame nocentiſſimam ſaturitatem eſſe*; licèt enim nimia ſatietas ſuffocando innatum ignem, ſubitæ morti obnoxios reddat; tamen ſi poſt famem, & nimiam abſtinentiam ſequatur, ingentia damna ſecum afferre ſolet. *Cum vniuerſam penè Italiam, tam ingens ac valida fames afflictaret*, inquit Beniuenius doctiſſimus *cap. 57. de abditis, vt paſſim multi publicis in viis, ac plateis deficerent; multi etiam ex malis ac noxiis nutrimẽtis, in varias inciderent ægritudines: vidimus ex iis quàmplurimos, qui ex diutina fame, eſcam abundantiorem nacti fuerant, dum pleniore victu vtuntur, paucis diebus vitam finiuiſſe: adeò noxia, ac pernicioſa nimia ſatietas, quam multa præceſſit inedia.*

Huius problematis facilis eſt ſolutio. Cùm enim ventriculus, ob prægreſſam inediam, abſumpta rorida, ſubſtantificáque humiditate impenſè ſit debilitatus, & oneroſum alimentum concoquere nequeat, ſemicoctum remanet, & crudum. Omnium autem morborum cruditatem primam eſſe radicem, teſtatur Auic. 13. 3. *tract.* 3. *cap. 2. non enim ex iis quæ bibuntur, & comeduntur, ſed ex iis quæ probè in ventriculo cõcoquuntur, fit nutritio*, auctore Gal. *lib. 11. meth. cap. 15.* & cùm mutuò coctiones ſe excipiant *lib. de bonit. & vitio ſuccor. cap. 5.* ita vt animantis omnibus partibus alimentum præparet iecur; huic ventriculus; ventriculo os; ori aſſatio, elixatio, maceratio: fit vt cùm homines largiter cibis ſe impleuerint, eáque exactè confici ob copiam nequeant, crudi ſucci & incocti plurimùm in corpus animalis rapiatur. Hócque multis de cauſis factum puta: & quòd deteriùs in ventre veníſque concoquitur; & quòd multum in corporis molem ideò ſubit, quia multum ſupereſt; & quòd citiùs quàm par eſt, inconfectum venter à venis, hæ à reliquis animalis partibus inanitis rapiunt. Quod enim in ventre malè elaboratum eſt, in ſecunda coctione non ita emendari poteſt; ſicut nec carnes, quæ ex venis attraxerunt, vbi rectè non ſunt concocta, probè conficere queunt. Si ergo partes famelicæ crudum attraxerint alimentum, non paruam inde excrementorum copiam ſuccreſcere eſt neceſſe: ex qua cauſa obſtructiones à crudo: craſſóque ſucco oriri ſolent ex quibus innatũ ignem, denegato partium inter ſe refrigerio, ac conſenſu, impeditóque tranſitu ſpiritus, & ſanguinis ad membra, paulatim marceſcere, diminui, & tandem è copia multa ſuffocatum extingui non eſt dubitandum. Et cùm prædictus malè concoctus ſuccus ineptus ſit nutritioni, relictus à regimine naturæ, putreſcit, & febres malignas accendit, aliáſque partium internarum inflammationes accerſit, vt *in com. cap. 1. Gal. lib. de ſuc. bonit. & vit.* notauit Sebaſtian. Scropha diligenter.

Sic inanitis venis poſt ſanguinis miſſionem, multam alimoniam interdicit Galenus *lib. 4. de ſanit. tuend. cap. vlt.* ob rationes dictas. In quem ſenſum Galenus *lib. 9. meth. cap* 4. in iuuene ſynocho laborante, cui ſanguis ad animi deliquiũ fuit extractus, poſt duas à ſanguinis miſſione horas pauculum nutrimenti exhibet. Hoc exercendum eſt præceptum in iis qui quamlibet effatu dignam vacuationem ſunt perpeſſi. Siue igitur ſpatioſum iter quis confecerit, ſiue illi ſanguis largiter miſſus eſt, ſiue peperit mulier, ſiue ex vulnere copioſam quis patiatur hæmorrhagiam, his pauciſſima alimonia offerenda, quoniam multam debilis ventriculi calor concoquere nequit, & venæ inanitæ attrahunt ex ventriculo crudum ſuccum, loco eius qui fuit vacuatus.

Sic conualeſcentes, & qui contractam ex morbo gracilitatem cum virtutis imbecillitate coniunctam habent, & diſſolutum natiuum calorem, ob proſtratas membrorúm vires, & exhauſtum ſpiritum vitalem, ob morbi vehementiam minutum, ob præſidia vacuantia, vigilias immodicas, & inedias contraxerunt, parciſſimè regendi ſunt, neque oneroſo cibo ſaturandi, ne à vaſis exhauſtis crudum alimentum intempeſtiuè ſugatur è ventre, & ſic fiant morbi noui curatis multò pericoloſiores, maximè cùm ij, ex Galeno 2. *de dif. feb. vlt.* promptè ex quouis delicto labantur: cùm enim famelica corpora humido natiuo priuata plus eſuriant, quàm ventriculi facultas coquere poſſit, fit vt ſi pro appetentiæ ratione alimentum exhibeatur, morbi deinceps accidant inemendabiles. Sic Hippocrat. *lib. 2. acut. text.* 13. poſt purgationem, alimenti minus adminiſtrare iubet, taxans Medicos, qui poſtquam vacuauerunt ægros, copioſè nutriunt: *nam corporum, quæ purgata ſunt, natura, purgatione agitata, labefactatáque, tolerare alimoniam non poteſt, neque probè eam conficere, niſi omninò pauca fuerit: purgatis igitur tantum alimenti exhibendum, quantum domare poſſint: deinde paulatim ſenſimque adaugere oportet.* Quapropter prudenter Meſuë *lib. 1. de re medica, theoremat.* 4. *cap.* 1. iubet, *vt euacuatus non feſtinet ad multos cibos capiendos, ne natura eos incoctos trahat.* His ergo omnibus exhauſtis, in principio pauciſſima danda ſunt, quæ ventriculum non grauent, gradatimque augenda, donec ad conſuetam ventriculo quantitatem peruentum ſit. Deinde alimentum coctu ſit facile, nutriens, minimè glutinoſum, non excrementoſum, gratiſſimi & ſuauiſſimi guſtus, citiſſimè alens, imbecilles vires mirificè reficiens, facilis diſtributionis, ventriculum roborans. Hoc modo ſunt gubernanda corpora, quæ famem, vacuationémque perpeſſa ſunt. Hæc documenta non obſeruantes Romani, poſt famem ingentem, quæ multis deinceps ſæuiit annis, auctore Galeno *lib. de ſuccor. bonit. & vit. cap.* 1. praui ſucci eduliis, abundè ad ſaturitatem vſque veſcentes, eáque citra delectum ingurgitantes, grauiſſimis & periculoſiſſimis morbis plures eorum correpti, aut cum manifeſta viſceris alicuius inflammatione, aut cum vehementi aut maligna febrì ſuborta, interiere. *Vaſorum* enim *obſtructiones ab hoc crudo, craſſóque ſucco malè confecto ſubortas comitatur diſtributionis impedimentum, ac putredinis collectio in meſaræi, ſimarúmque viſceris partium venis; quo caſu periculum rurſus eſt, ne aut phlegmone inſequatur partium, in quibus facta collectio fuerit, aut redundantiam humorum ipſorum putredo. quandoquidem alterutrum ſequi neceſſe ſit crudos craſſoſque humores, vt aut in ſanguinem conuertantur concocti, aut putreſcant, ſicuti reliquis quoque omnibus accidit, quæcunque locis calentibus diutius moram trahunt, vt cit. lib. cap.* 2. docuit Galenus. Quare famelici parciſſimè regendi. Num autem repletio poſt famem, an hæc poſt repletionem ſit deterior: Dic, longè deteriorem eſſe repletionem poſt inanitionem: nam hæc paulatim vires extinguit; repletio verò ſubitò ſuffocat. De quo argumento lege Montanum *part. 2. medicin. cap. de fame.*

HISTOR. LXXII. GALENI, De Siti.

Siti enectorum Hiſtoriæ.

*INexplebili verò nouimus cruciari ſiti, ex qua etiam perire, tum eum qui viperam comederat (erat autem fortaſſe dipſas:) tum meſſores, qui vinum in quo talis ſerpens fuerat merſa, biberant: tum eum qui vetus vinum * vſque ad ebrietatem hauſerat: non minùs eum qui pertinaciter ſuſtinere*

ſitim

ſitim ſibi imperauerat: ad hac alios in nauigio, cui deficeret aqua dulcis, quorum qui auſi ſunt marinam bibere, cùm immodicè ſuprà cæteros ſitirent, quidam etiam eorū & fluxa eſſent aluo, nec id ſine morſu vehementi, celeriùs quàm alij perierunt Vidi autem & ex iis qui ardenti febri laborarant, quendamcùm morbus inualeſceret, & frigidam impudenter bibere nec vnquam, quoad moreretur, expletum, &c. *Gal.* lib. 1. de cauſ. ſympt. cap. 7.

DVBIVM XLI.

Num ſitis immediata cauſa, ſit ſiccitas in ore ventriculi percepta. Contra Thomam à Veiga, Medicum inſignem.

PARAPHRASIS.

Corpus noſtrum, ob ſubſtantiæ continuum effluxum, continuò perit, & diſſoluitur; quare ad reparationem eguit humido pingui, inflammabilique: nam frigidum eſt inutile, quoniam calidum perimit: ſiccum verò calorem ſuſtinere non poteſt; ſolùm igitur ſupereſt humidum lentum, calidi pabulum, quod fame expetitur, & humidum aqueum, potabile, cuius gratia ſitis concesſa eſt: nam ſitis eſt appetitus frigidi humidi, cuius vſum multiplicem *ſuprà* oſtendimus *in com. hiſtor.* § 4. Oportet ergo ſentiri in ſiti, vel ſiccitatem magnam in ore ventriculi, vel ſuctionem, quam natura dignoſcit, ſeparátque à ſuctione qua appetitur ſubſtantificum pingue: nam in ſiti humidum roridum deperditur, moleſtat autem ratò, quum os ventriculi humore dulci, frigido, multóque perfunditur.

Quapropter ſitis cauſam indagaturi, notamus cum Gal. *lib. de ſymptomat. cauſ. cap.* 7. vbi poſtquam docuit omnia quæ ad famem concurrunt, ſubdit, *in potionis verò appetentia totidem altera his ſimilia*, &c. quæ verba variè ſolent ab auctoribus interpretari: nam plures arbitrantur ſenſum tactus in ore ventriculi reperiri, qui humidum roridum præſens, & illius defectum percipiat; ſicut in viſu reperitur ſenſus lucis, & tenebrarum; & in auditu, ſoni, & ſilentij: quare ſitim immediatè fieri, ex defectu humidi roridi à ventriculo percepto, ſibi perſuadent. Hæc opinio duplici ratione coarguitur, & quòd priuationes à ſenſibus per ſe non percipiuntur, cùm non ſint obiecta imprimentia; percipiuntur tamen ex accidenti, quatenus ad eliciendum actum ſuperior potentia concurrit: nam hoc modo in auribus percipitur ſilentium, quoniam ſenſorium rectè ſe habet, aliquidque externum non ſentit: cuius contrarium apparet in ſiti; quoniam ſiticuloſi, velint nolint, ſentiunt ſitim, etiamſi ſuperior potentia non aduertat. Et quòd in ſiti adeſt dolorifica ſenſatio, producta ab aliquo obiecto materialiter imprimente, vel ſolutione continui, vel intemperie. Quapropter affectus poſitiui, vtpotè doloris, poſitiua cauſa eſſe debet, & non priuatiua, in cuius numero defectus humidi roridi eſſe cenſetur.

Thomas à Veiga, Clariſſimus Galeni interpres, *in com. cap.* 61. *lib. artis medicinalis*, cauſam ſitis immediatam, eſſe ſiccitatem magnam in ore ventriculi perceptam, vel ſuctionem ſui generis, apertè contendit; quam natura dignoſcit, ſeparátque ab ea, qua appetitur humidum ſubſtantificum. Addit prædictam ſuctionem percipi à facultate oris ventriculi, vtriuſque humidi defectum percipiente. Doctrina hæc muniri poteſt clypeo Galeni *lib* 1. *de ſympt. cit.* §. *Quæ quidem veluti priuatio eſt*, &c. Vbi docet deficientis ſitis duplicem eſſe cauſam, vel frigiditatis, vel humiditatis exceſſum, vel deficientem in ore ventriculi ſenſationem. Sed hoc placitum omninò admittendum non eſt, quia duplicem conſtituit ſitis immediatam cauſam, ſiccitatem ſcilicet, & ſuctionem. Deinde non explicat ſuctionem, quam ipſe ſui generis vocat. Dic ergo immediatam ſitis cauſam, eſſe ſiccitatem in ore ventriculi ſenſatam, mediatam verò humidi roridi defectum: Qua poſita doctrina intelligendus erit difficilis Galeni locus *lib.* 1. *ſimpl. cap.* 32. *in init.* dum inquit: *Quippe cùm & ſitis duplici ratione eueniat, altera caloris copia, altera humoris inopia*, &c. quare caloris exſiccantis copia, ſitis eſt immediata cauſa; humoris verò inopia, mediata.

Sed cur ſitis non ſemper famem præcedit, ſi defectus humidi roridi ſitim concitat, defectus verò humidi ſolidi famem facit, ſi roridum faciliùs abſumitur, quàm ſolidum? Reſponderi aptè huic quæſito poſſe video, quia natura ſemper fugit id quod magis moleſtat; ſitis autem, ſenſus licèt ſit triſtis, triſtior tamen eſt quàm ſenſus famis, 28. *probl.* 5. & 6. & ratio eſt, quia ſitis res magis anxia eſt, & ſic ſiti ampliùs contriſtamur, quàm fame: calor enim quo viuimus, humidum magis, quàm ſiccum deſiderat. Addunt plures cauſam aliam; quoniam humidum roridum eſt in maiori quantitate, quàm ſolidum; quare hoc, cùm ſit paucum, illo citiùs abſumitur. Hunc reſpondendi modum reprobat Thomas à Veiga *cit. loc. propoſit.* 2. dicens, quòd humidum ſolidum licèt in minori quantitate abundet; tamen ob ſui lentorem magis reſiſtit, & tardiùs diſſipatur: nam ſi vnam tantùm libram ſacchari, aut mellis, cum quatuor aquæ igni exponas, priùs vniuerſa aqua abſumetur, quàm ſaccharum ad ſenſum minuatur. Deinde non ſemper præcedit ſitis, ob peculiarem facultatis oris ventriculi (quæ non appetit, niſi propter defectus) varietatem, non aliter quàm facultas pulſifica cordis, quæ ſolùm pro vſus indigentia arterias mouet.

Hæc ſolutio difficultatem non eradicat; nam ſitis actionem facultatum naturalium conſequitur, quæ præſente obiecto ad vltimum potentiæ operantur, & in hoc diſtinguuntur à facultate vitali, quæ ſolùm pro vſus neceſſitate operatur: ergo præſente humido rorido, cùm faciliùs diſſipetur à facultate naturali, ad vltimum potentiæ operante, ſemper ſitis famem præcedet. Dic ergo, quòd ſitis non ſequitur ad ſiccitatem, quæ accidit à ſuctione ad famem faciente: nam ex eadem ventriculi ſuctione ſequitur ſiccitas ad appetentiam alimenti, & ſiccitas ad appetentiam potus. Quare fames naturaliter præcedit ſitim, quia prior eſt ſuctio ventriculi, quàm illius exſiccatio, quum præſertim potus ſit in ſubſidium alimenti, vt ſit eius vehiculum. Fames ergo, & ſitis ab eadem ſuctione, diuerſis tamen rationibus dependent: quoniam fames ſit per ſe, ſitis verò ex accidenti, concurrente ſiccitate ad ſuctionem.

Illa verò ſitis, quam morboſam & præternaturalem vocamus, à calore incipit, & in ſiccitatem commigrat; hinc ſit vt calida, & ſicca diſpoſitio promptè labatur in ſitim, ex Gal. *loc. cit. art. medic.* repetit 6. *de loc. affect. cap.* 2. firmant Paulus *lib.* 2. *cap.* 52. Trallian. *lib.* 7. *cap.* 8. idcircò pueri non ſunt perinde ac iuuenes, ſiticuloſi, nec vinoſi, ob humidi copiam, 3. *probl.* 7. Aliquando ſitis præter naturam abſque humidi defectu oriri poteſt, ob caliditatem ſolam, vt patet in temulentis, & omni vini calidi repletione. 5. *aph.* 27. Interdum accidit ob frigiditatem oris ventriculi, non potentis concoquere humorem, 1. 4. *tract.* 2. *cap. de ſiti, qua in febribus contingit.* Aliqua ſit à caliditate ſola, aliqua à ſiccitate ſola; 4. *aph.* 19. imò aliqua ex tabifica ſit affectione, aliqua ex vrinæ profluuio, 6. *de loc.* 3. quin ex ſola pulmonis, & cordis naturali caliditate oboritur, *art. med.* 64. Fit etiam à caliditate & humiditate, tanquam à cauſa diſtincta ab aliis, 1. *ſimpl.* 30. & contingit excalfacto ventriculo, quo ſit vt aues habentes pulmonem ſpongioſum, & natura calidum, ratione cuius multam attrahunt aëris portionem, per quam ventriculus refrigeratur propter pulmonis propinquitatem, non ſitiant, inter quas aduncæ nullo modo ſitiunt, 8. *de hiſtor. animal.* 18. & 3. *de partib. animal.* 6.

Quæcunque ergo humidum roridum abſumere poſſunt, ea ſitim immoderatam inducunt, ſiue primariò os ventriculi afficiatur, ſiue per conſenſum alicuius membri vicini, quod connexionem cum ipſo obtineat cuius naturæ ſunt pulmo, gula, iecur, & renes; ſiue ab externa cauſa

vtpotè,

vtpotè ab alimentis calidiſſimis, ſi humida hæc ſubſtantia exſiccetur. Quorum omnium meminit Galenus hoc in loco, & nos ſingulorum faciemus commemorationem.

DVBIVM XLII.

Num vipera calida ſit. Contra Mercurialem doctiſſimum.

VIperarum eſum ſitim afferre inextinguibilem, auctor eſt Galenus *lib.* 11. *ſimpl. tit. de vipera*; adeò enim ingentem obtinet deficcandi facultatem, vt ea veſcentes vehementiſſima ſiti crucientur, & magis ſi ſit dipſas, qua commorſos ardor intolerabilis vrget, & ſitis tanta excruciat, vt nec extingui, nec intermitti poſſit: nam copiosè potum ægri hauriunt, eadem tamen ſiti conficiuntur tanquam nihil planè hauſiſſent, ſimiléſque toto habitu ſunt iis, qui antea potus nihil hauſerint; vnde propter continuam potus aſſumptionem, dipſas à ſitiendo ſerpens appellatur, vt eleganter *lib.* 5. *cap.* 16. Paul. admonuit: & non ſolùm ab earum eſu hoc contingit, ſed à morſu, quo percuſſi ſatiari non poſſunt, ſed priùs diſrumpuntur, quàm ſiti liberentur. Nam vt Paulus prædixit *lib.* 7. *tit. de vipera*, caro viperina, calidam & ſiccam ſortitur temperaturam, & præſertim ſi in locis aridis tempore æſtiuo degat; nam hæc ad ſitim inferendam multò eſt efficacior, auctore Aëtio, *tetrab.* 1. *ſerm.* 2. *cap.* 170. & impensè calefacit & exſiccat. Hanc opinionem habuit Auic. 6. 4. *tract.* 3. *cap.* 21. & 2. 1. *doct.* 2. *c.* 15. & Raſius 20. *continent.* a. & 21. *eiuſd. cap. de tyro.* Conſtantinus 8. *theoric. cap. de morſu tyri*, confirmant. Quare viperæ ipſæ calidiſſimæ ſunt: nam earum oleum vehementer reſoluit. Quin & viuiditas, agilitas, & ferocitas illarum, & nomen, hoc ipſum indicant: ideò namque appellantur viperæ, ſecundùm probatiſſimos auctores, quoniam viuidæ, & viuidiſſimum animal pariunt, excedentis caloris indicium manifeſtum.

Contrà ſunt plurima quæ obiici poſſunt, nam Galen. *lib. de loc. affect. cap. vlt.* viperas frigidas eſſe firmat, dum ſic inquit. *Cæterùm animalia, quæ frigidiore ſunt natura per hyemem ob frigoris vim, ac ſi mortua eſſent, latitare ſolent; atque tunc viperas quoque videres, ſi manibus tractentur, deferanturque, haudquaquam mordere*, &c. Idem tenet *lib.* 1. *aph.* 15. & *lib. de ven. ſect. aduerſ. Eraſiſtrat.* 9. & *lib. quòd animi mores, cap.* 3. nec deeſt huic opinioni ratio: nam venenum viperinum frigidum eſt, & interficit cum ſopore profundo, apud Auic. 6. 4. *tract.* 1. *cap.* 3. congelat ſanguinem cordis, calorem naturalem mortificat, ludorem frigidum inducit: argumento eſt, quod à viperis ictos nonniſi calefacientibus curandos imperat Galenus, & Ariſt. aſſeuerat *lib.* 1. *de generat. animal.* 11. & *lib.* 8. *eiuſd. cap.* 17.

Mercurialis *lib.* 2. *de venenis, cap.* 3. viperas, & earum venenum frigidum eſſe conſtantiſſimè tenet, Arabéſque in hac re longè latéque eſſe hallucinatos ſibi perſuaſit. Primò, quoniam ſi æſtate manibus tractentur, gelidiſſimæ apparent. Secundò, Galenum intelligendum putat cum parantur cū Sale, Anetho & porro. Corruit ſolutio, nam Galenus *lib.* 2. *de loc. cit.* viperas æſtate calidiſſimas eſſe, & furere aſſeuerat. Affirmatiuè autem Galenum, & auctores omnes de viperæ temperamento fuiſſe loquutos, & non reſpectiuè ad præparationem, adeò eſt notum, vt probari non debeat.

Sic tamen cum doctiſſimo Veiga liceat opinari. Is enim *in com. cit. de loc. affect.* miratur Galenum viperas inter frigida numerantem, *quarum vis homini collata adeò eſt calorifica, ſiue caro edatur, ſiue oleum conficiatur*: nam *aliud eſt*, inquit ipſe, *acrimonia, & intenſione caloris pollere, aliud innati calidi copia abundare: quæcunque ergo vel vtroque deficiunt, vt plantæ, & exanguia, vel altero tantùm calidi genere vt viperæ, hyeme aut pereunt, aut torpent; eadem hæc acceſſu caloris florent, & roborantur.* Ex quibus conſtat, quomodo viperas frigidas vocauerit Galenus. Lege Alphonſum de Fonſeca, *in ſpeculo medicinæ Chriſtian. luminari* 2. *tit. de corde venenato.*

Obiecta verò ita ſunt ſoluenda. Viperæ venenum cicutæ modo interimit, quoniam vel deficiente, vel ad intus reuocato calore ob veneni vim, partes extimæ algent; vnde ſomnus profundus, & depopulato calido innato ſanguis concreſcit, & frigida ſymptomata oriuntur. Curant autem morſos à viperis Medici calefacientibus præſidiis, vt allio, ruta, vino, quoniam hæc vel à proprietate viperinum venenum extinguunt, vel calorem innatum iamiam exhauſtum refocillant. Si plura de viperæ, eiúſque veneni temperamento legere concupiſcis, adi Leonicenum *libel. de Tyria*, & Pandulphum Collinutium cótra eundem acutiſſimè diſputantem, Ludouic. Lemoſium *in com. cap.* 3. *lib.* 4. *meth. Gal.* Ioan. Camaram Buſthemantin. *lib.* 3. *de reptilib. ſacræ Scripturæ.* Conrad. Geſner. *lib.* 5. *de reptilib. cap. de viper. liter. G.* Vlyſſem Aldrouand. *lib.* 5. *de ſerpentib. cap.* 17. 18. & 20. Marcel. *lib.* 2. *in Dioſcorid. cap.* 16. & plura nos *lib.* 5. *in com. Hiſtor.* proferemus.

DVBIVM XLIII.

Num vinum viperinum ſit venenoſum.

PEriere etiam, qui vinum in quo talis ſerpens fuerat merſa, biberant: nam hoc vinum nocentiſſimum eſt, & inficit corpora humana tabe dira, nam vipera animal eſt pernicioſiſſimum, & venenoſum, & morſu ſuo lethalia inferens ſymptomata, quod proprio experimento comprobauit Gal. *lib.* 3. *de loc. cap.* 8. *in med.* proponens plurium hiſtorias, qui morſi à vipera, ſolùm commorſa parte illicò abſciſſa, aut medicamento epoto ex viperis ſalui euaſerunt, & refert Amat. *lib.* 1. *centur.* 1. firmant cum Dioſcoride *lib.* 6. *cap.* 47. eius interpretes, *in com.* De qua re lege non inuenuſta apud Rhodiginum *lib.* 6. *antiquar. lect. cap.* 6.

Inſtabis, & meritò ſanè, cur ſi viperinum vinum eſt venenoſum, elephanticis eſt ſaluberrimum auxilium? Hoc ita eſſe celebratiſſimis hiſtoriis confirmant Gal. 11. *ſimpl. cap.* 1. cum Aret. *lib.* 2. *chronior. cap. vlt.* eorum qui facie graui, fœdo aſpectu, tuberoſo vultu, humi morientium inſtar proſtrati vini viperini vſu conualuere; & refert *lib.* 2. *ad Glauc.* 10. Galenus, & nos diximus *lib.* 1. *in com. hiſtor. vlt.* & proferemus in lucem, *lib.* 6. *in com. Hiſtor.* 1. & 2. Reſpondet Mercurialis *lib.* 1. *de venen. cap.* 20. vinum viperinum caſu paratum eſſe venenoſum; extinguuntur enim in ipſo totæ viperæ, & cauda, & caput miſcentur, neque fit fermentatio: artificiale verò, amputatis amputandis, vtile eſſe, & venenatis proficuum: Quare hoc vinum magnoperè prodeſt aduerſus venena, veluti & carnes viperæ huic vſui vtiles ſunt. Hoc dato, vinum viperinum caſu paratum veneficum cùm ſit, hos ægros perimit, elephanticos verò iuuat, quoniam hic morbus venenoſus eſt, venena autem aliorum venenorum ſunt antidota. Sic vipera trita, & loco icto appoſita, certa quadam proprietate, & latente vi venenum extinguit, *vt lib. de theriac, ad Piſon, cap.* 12. & 13. admonuit Galenus. Quare vinum viperinum caſu paratum cæteris lethale venenum, elephanticis verò ſaluberrimum, ob antipathiam quam vipera ad debellandum hunc morbum ſecum habet, prout *cit. loc.* Magiſter edocuit.

Similiter etiam ſitiere, & periere, qui vinum vetus vſque ad ebrietatem hauſere, nam feruore adaucto interno, febri correpti, mortui ſunt: cùm negato humido potabili viſcera gliſcant, & excandeſcant, & vel à nimia vini copia ſuffocato, & obruto calore, ac ferè extincto occubuere, eo modo quo externus ignis multa lignorum ſtrue conculcatus perit, & extinguitur. Sed cur 2. *de loc. vlt.* in puero vini liberalis potus fecit vigilias, & delirium, & hîc ſitim, ſi liberaliter ſumptum frigidos morbos parit, ex Gal. 3. *de temp.* 5. *lib. de cauſ. morb.* 3. & 2. *prorrhetic. com.* 29. & 1. *de cauſ. ſympt.* 8. Dic vinum antiquum, nimis calefaciens, & exſiccans apud Gal. 4. *acut. com.* 106. & *lib. de præcognit. ad Poſthum. cap.* 2. facere ſitim, & vigiliam concitare; nouum verò ſemicrudos humores gignens, delirium, ſomnum, & frigidos morbos accreſcere:

nam

nam hoc humectat, cerebrum emollit, meatus, per quos animalis vis communicari debet obturat; vetus verò calefaciens, & exſiccans, reſiccato cerebri, & ventriculi humore, ſitis, & peruigilij eſt cauſa. Tu verò de noxis vini nimiùm epoti, vide Hip. & Gal. *lib.7.aph.7.* & eius interpretes, præcipuè Cardanum *in com.*

Sic etiam mortuus eſt, qui pertinaciter ſitim ſuſtinere ſibi imperauit; nam denegato humidi potabilis refrigerio, quo noſtri caloris viuacitas temperatur, & abſumpto illius pabulo, viſcera humidum roridum depopulantur, & deinceps ſicca & ſqualida primigenium abſumunt, & depaſcuntur, ad cuius abſentiam perire internum ignem, & extingui animal eſt neceſſe.

Deinde miſerè vitam cum morte commutarunt, qui dulcis aquæ deficientis loco ſalſam epotarunt: hi enim poſtea immodicè præ cæteris ſitiere, & aluo rupta obiere celeriùs; nam aqua marina deficcat *lib.5. ſimpl. cap.2.* & ſitim concitat: quemadmodum enim marina aqua ignem externum minùs extinguere poteſt, cùm pinguior ſit; calidior, & promptiùs inflammabilis, ex Ariſtotel. 23. *ſect. probl.7.* & ſic hac de cauſa lucernas magis ardere facit, ex Plutarcho *lib.1. ſympoſ. 9.* & Macrob. 7. *Saturnal. cap.13.* Sic ebibita inflammat, & ſitim vehementiorem concitat, & nitroſa qua pollet vi, nimis aluum proritat, & ad diarrhœam corpora facillimè parat. Sic ſalſa aluum deiiciunt, ex Gal. *lib. de attenuant. vict. rat. c.3.* in hunc ſenſum *lib.3. ſimpl.15.* dixit conchularum maris, cæterorúmque oſtreorum ſuccum planè tum ſalſum eſſe, tum ventrem ſoluendi vim habere, qua ſanè ratione morſum, & acrimoniam inferunt.

Non minùs occubuit, qui imprudenter, hoc eſt intempeſtiuè, non iubente Medico, citra coctionem humoris cùm eſſet cauſode febre correptus, gelidam ebibit, cuius potu in bilem conuerſæ, vſque ad mortem nec tantillùm leuata ſiti recreatus eſt, adeò inextinguibili occupantur ſiti hac febri correpti; cuius ſigna pathognomonica ſunt ardentiſſimus calor, & inſatiabilis ſitis, auctore Galeno *lib.4. de rat. vict. com.1.* quæ cum à vehementiſſima calíditate & ſiccitate febris oriatur, ab humore bilioſo calidiſſimo & ſicciſſimo, in venis putreſcente ſuborta, neque potu, aliíſve auxiliis mitigari poteſt, ex Galen. *lib.3. epid. ſect.3. com.34.*

Ex his diſces, quàm periculoſa ſit ſitis morboſa: qua detenti nimiam potus copiam ingurgitantes, in hydropem, & alios grauiſſimos affectus, minuto refrigerato, & ſuffocato interno igne, ob copiam multam, ocyſſimè prolabuntur. Quibus autem auxiliis immodica ſitis ſit curanda, latè auctores proprio capite de morboſa ſitis retulerunt, & tradunt Vidus Vidius *lib.9. de curat. membrat. cap.10.* Mercat. *lib.3. cap.4. de morb. intern.* Huic ergo citò ſuccurre, nam ea plus vexat, quàm fames, apud Rhodig. *lib.28. antiq. cap.33.*

QVÆSTIO XLI.

Quòd ebrietas nulli curando morbo ſit ex vſu. Contra Philonem Hebræum, Platonicorum facilè principem.

COMMENTARIVM.

VSque *ad ebrietatem.*] Ebrietatem voluntariam ſanè inſaniam ac manifeſtum furorem, non defuere è celebertimis auctoribus qui approbarint, immò ſi mêſe bis, aut ſemel admittatur, maximum ex ea ſentiri emolumentum ſibi perſuadent. Nam Dioſcorid. *lib.5. cap.6.* poſtquam dixit noxiam eſſe ebrietatem, quoniam cedunt nerui quotidiana obſidione laborantes, ingeneràtque copioſus quotidie vini potus, acutorum morborum principia: vtilem tamen eſſe pronunciauit, præſertimque à potu aquæ vinoſitatem: in ſummum enim euocat, meatus laxat, laxatíſque his, ſenſuum cæca excrementa expurgat. Paul. *lib.1. cap.95.* immodicam vini potionem diligenter vitandam conſulens, longiore tamen temporis ſpatio interpoſito liberaliter bibendum prædixit; ſic enim &

A vrina, & ſudores largiùs promouentur. Rhaſius *lib.4. c.5. ad Almanſ.* duplicem in menſe probat ebrietatem, cum Auc. 3.1. *doct.2. cap.8.§. Quibuſdam autem viſum eſt, quod ſemel in menſe, aut bis inebriari confert, propterea quod virtutes alleuiat animales, & requieſcere facit, & vrinam prouocat, & ſudorem, & ſuperfluitates reſoluit, &c.* Sic enim vomitus prouocatur, & ventriculus à vitioſis humoribus grauatus exoneratur, & in hunc vſum ebrietatem conſuluit vt ſalubrem, 4.1. c.11.§. *Qui autem vinum biberit inebrians, ad hoc vt euomat, &c.* nam excitat appetitum deperditum, apud ipſum 13.3. *tract.2. c.7. in fin.* Quapropter ſemel in menſe ebrietatem commendauit, *in canticis, 2. part. n.34.* Diſputant Syluaticus *cont.14.* Cardozus *lib. de ſex reb. non natur. cap.5. quæſt.3.*

B Hoc canunt Græci, Latiníque dum inquiunt, mœſtitiam vino diſſolui, quare in vita fruendum eſſe, genióque liberaliter indulgendum monent. Neſcio ſtultiúſne, an lepidiùs ebrioſus Senex Anacreon, Latinè conuerſus ita cecinerit:

Teneris ſupérque myrtis,	*Tumulum eſt, quòd vngas*
Super & virente lauro	*Vel humo quod ebibenda*
Recubans, bibam lubenter:	*Pericula dona fundas?*
Religatus ac papyro	*Potiùs manente vita,*
Tunicam Cupido collo,	*Roſeas meo corollas*
Mihi poculum miniſtret.	*Capiti, feráſque odores:*
Rota nam velut curulis,	*Mihi & euoces amicam.*
Properat volucris ætas:	*Etenim priuſquam ad Orci*
Tenuis tacebimúſque	*Rapiar nigri choreas,*
Cinis, oſſibus ſolutis.	*Volo diſſipare curas.*

Vinolentia namque multa bona facit. Primùm canunt C Græci, Latinique Poëtæ, curas, mœſtitiam, & animi moleſtias vino diſſolui. Anacreon in hoc multus fuit, & famigeratiſſimus Poëta Horatius huc alludit. *od.7. l.1.* inducens Teucrum ſocios hortantem:

Nunc vino pellite curas.

Et *lib.1. od.14.*

—— Sic tu ſapiens finire memento
Triſtitiam, vitæque labores
Molli Plance mero ——

Et alibi paſſim. Sed quid Poëtas laudo teſtes, cùm Socratem auctorem grauiſſimum habeam, ſic apud Xenoph. *ſympoſ.* alloquentem? *Sed & mihi planè videtur bibendum: verè enim rigans animos vinum, mœrores quidem ſedat, vt mandragora ſonum conciliat homini, iucunditatem, vt oleum flamma, excitat.* Vinum item ſpiritus mouet, & in ſpem erigit, quod & Poëtæ cecinerunt, & Philoſophi docue- D runt. Horat. *od.21. lib.3.* de vino.

Tu ſpem reducis mentibus anxiis.

Et *epiſt.2. lib.3. ad Torquatum.*

Quid non ebrietas deſignat? operta recludit.
Spes iubet eſſe ratas. ——

Plato *lib.1. de legibus*, ex tranſlatione Lambini: *hominem qui biberit primùm efficit placidiorem, quàm erat antea, & quò plus de eo guſtarit, tantò illi plures bonas ſpes prabet, tantò plus virium ad gloriam, & exiſtimationem ſuppeditat: ad extremum igitur omni orationis licentia, ac libertate, quaſi ſapiens ſit, omnique confidentia atque audacia completur, ita vt quiduis ſtrenuè, atque impigrè, & dicat pariter, & agat,* & Ariſt. *ſect.30. probl.* probat latè & doctè, quando omnes animi ſpes bona vini copia afficit *lib.3. eth. c.8.* & implen- E tur eloquentia ebrij, quod teſtatur Horatius illo verſu:

Fœcundi calices quem non fecere diſertum!

Hoc multis probare poſſem, ſed habenas calamo. Seneca hanc omninò probat opinionem, *epid.95.* dicens *Habebitur aliquando ebrietati honor, & plurimum meri cepiſſe virtus erit.* Et *lib. de tranquil. cap. poſtremo, liberaliori potione* ait *dari vigorem: non nunquam & vſque ad ebrietatem veniendum, non vt mergat nos, ſed vt deprimat, eluit enim curas, & ab imo animum mouet, & vt morbis quibuſdam, ita triſtitiæ medetur.*

Philo Hebræus doctè hanc quæſtionem *lib. de plantat. Noë* pertractat, non tamen vt Hebræum decebat interdum, ſed vt gentilem & profanum; & ex multorum ſenſu Philoſophorum, duplicem conſtituit ebrietatem: quarum altera vino madeant homines, altera delirent & inſaniant:

vtramque alienam eſſe à ſapientis & boni viri officio; cùm vna ſit peccatum,& vitium,altera cauſa ſit etiam vitij & peccati, non ſolùm peccatum: tertiam comminiſcitur opinionem, nunquam videlicet ſapientem modum in bibendo exceſſurum, niſi certa ſpe magni alicuius in patriam, aut parentes, aut liberos, valdè neceſſarios, fructus & commodi: adiungit, vinum non adferre quidem interitum corpori, animi tamen eſſe perniciem, per inſaniam & furorem. Addit, quòd cui vnum è contrariis conuenit, alterum etiam conueniet: at ſobrietas tam malo,quàm bono viro ineſt: bono igitur, ac malo ebrietas conueniet.

Ante Philonem Platonizantem, Plato *lib.2. de leg. non longè à fin.* ita ebrietatem ſapienti concedit viro, atque omnibus, vt ea tamen ad vim, & furorem non impellat. Conſentit Marſ. Ficin. cum eo, *in argumento ad hunc ſecundum librum lib.3.* imperans iuuenibus,vt cum quadrageſimum attingent annum, in conuiuiis epotent licentiùs, ac largiùs.

Deteſtandam tamen eſſe ebrietatem,tum veterum,tum iuniorum peritiſſimi monuerunt.

Galenus palam fatetur hoc in loco, dum eam ſitis intenſiſſimæ, & mortis fuiſſe cauſam inculcat: à nimio enim calore vini veteris,noſter calor reſoluitur: hoc modo maior flamma minorem abſumit. Dioſcorides *loc. cit.* noxiam eſſe omnem retur ebrietatem,præſertímque continuatam: Hip. *lib.5.aph.5.* ex ebrietate quandoque oriri aphoniam, & conuulſionem aſſeuerat, idem affirmat *lib.2. de morb. num.28.* imò ex ea, præcedente vocis interceptione, mortem renaſci affirmat, *in lib.3. de morb. num.8.* Galenus licèt pluribus locis vini modicè ſumpti vſum commendet, ab eius nimio potu arcet tanquam ab ipſa peſte;nam *3.de temper.2.vinum vbi plus bibitur, quàm euinci poſſit, tantum abeſt vt animal calefaciat,vt etiam frigidiora vitia gignat,quippe apoplexiæ, & paraplexiæ, & quæ Græcè caros,& comata vocamus,& neruorum reſolutio,& comitiales morbi,& conuulſiones,& tetani immodicum vini potum comitantur, quorum vnumquodque frigidum eſt vitium, &c.* Cætera de ebrietatis noxis,lege apud ipſum,ex mente Platonis,*lib.quod animi mores,cap.*10.quem locum elegantiſſimè Ioannes Baptiſta Perſona fuit interpretatus. Nam vinum imperat animæ facultatibus,velut tyrannus quidam: Explicant eloquentiſſimè Macrob. *lib.7.Saturnal.6.* & 7. Cælius Rhodig. *lib.8. antiq.* 30. & 31. Plin. *lib.14. cap.22.*

Auicenna *loc.cit. de regimine aquæ, & vini*, ſic ait. *Frequens quoque ebrietas eſt mala,quæ hepatis,& cerebri complexionem corrumpit, & neruos debilitat, & ad neruorum ægritudinem perducit, & apoplexiam,& mortem ſubitaneam,&c.* Hæc omnia vitia ſigillatim recenſet Arnaldus, *in com. cap.15. regiminis Salernitani*, & examplificat inter omnes Leuin,Lemn.*lib.2.de occultis,cap.17.*& 18. Nam vini intemperantia, quàm cibi nocentior, ex Celſo *lib.1. c.2. in fin. §. Sæpè ſi quæ intemperantia ſubeſt, durior eſt in potione, quàm in eſca, &c.* quidquid per verbum (*durior,*) legant aliqui interpretes (*tutior:*) ſed circa rationem, quoniam immodica vini potio plus damni, detrimentique affert corpori, quàm cibi ingluuies. Potus ſiquidem tenuitate ſua meatus omnes confeſtim penetrat, atque incoctus venas ſubit, neruóſque ac cerebrum tentat: cibus verò in ventriculo hæret dum concoctus eſt, qui ſi oneri eſt nimio, minimo negotio vomitu excutitur: argumento eſt, quod canes, feles, glires ſi veneno medicatas offas deuorent, irritata ad expulſionem facultate, nulla moleſtia euomunt,quod in liquidis eſt difficillimum: hinc fit vt venena potu exhibita, plus quàm in eſculentis noxia ſint,rapitur enim citiſſimè in penitiſſimas corporis partes virus, & viſcera interna corrumpit labe dira.

Deinde nemo probauit ebrietatem, vinolentiam non damnauit.Patet apertè, nam ſi vini modicè ſumpti laudes ſunt innumeræ, vt *ſuprà* citauimus, vt refert Paul. *lib.1. cap.95.* cum Oribaſ. *lib.5. collect. c.7.* immoderatè hauſti erunt damna plura. Hinc Seneca ebrietatem remouet à ſapiente, *epiſt.84.* & 85. in eámque inuehitur acerbiſſimè; ea enim videtur ſemper reprehendenda, neque ea

A commemoratur ab hiſtoricis, vt laude digna, ſed vt non digna ſapiente. Ad hanc euitandam narrant Plut. *in quæſt. Rom.q.45.* Polyb. apud Athenæ. *lib.13. cap.13.* interdictum fuiſſe à Romanis, fœminis, & ingenuis adoleſcentibus potum vini. Sic Maſſilienſes, & Lacedæmonij ab ebrietate ſic abhorruerunt, vt ſeruos ſuos plurimo vino cogerent impleri, quò liberi eorum tam fœdo ebriorum aſpectu ebrietatem aduerſari docerentur,vt ſcribunt Valer.Max.*lib.2.cap.1.*Ælian. *lib.2.var.hiſtor.c.38.* Clemens Alexandrin. *lib.3.pædag.cap.8.*

Ad hæc, ebrietas petulantiſſimos reddit, & in Venerem maximè pronos:nam voluptatis comes eſt, iuxta Silium Italicum *lib.15.bel. Punic.*

Ebrietas tibi fida comes, tibi luxus, & atris
Circa te ſemper volitans infamia pennis.

B Et Petrus Lopeſius *lib.6. de ſex reb.non natural.* ſic cecinit:

Eſt blandus dæmon, peccatum dulce, venenum
Suaue, bonum morem non habet ebrietas.

Quare homines ad Venerem procliues reddit, auctore Ouidio *lib.2. de remed. amoris.*

Quid tibi præcipiam de Bacchi munere quæris?
Vina parant animos Veneri ———

Et alibi.Vnde illud Ariſtophan.apud Ath. *lib.10.cap.15.* *Vinum lac Veneris.* Hinc verſus ille Græcorum vetus: *Mortua res,non modò frigida Venus, Abſque Cerere & Baccho.* Cur; exponit apud Ath. *lib.10.cit.* Ariſtophan. quia dulce vinum, ac ſuaue lac Veneris: & Apul. *in aſino aureo* propterea Veneri cœnam affingit ebriam. Huc alludit Ouid. *lib.12. metam.*

C *Nam tibi ſæuorum ſæuiſſimè Centaurorum*
Euryte, quàm vino pectus, tam Virgine viſa
Ardet,& ebrietas geminata libidine regnat.

Tametſi verò concitentur vino mortales in Venerem, vis tamen in eis procreandi, feminiſque facultas hebetatur, quoniam vino diluitur, auctore Theophraſto apud Athen. *lib.10. cap.11.* qui Alexandrum magnum in actu venereo, minimùm valuiſſe affirmat, quòd vinoſus eſſet. Hoc docuit expreſsè Ariſt.*ſect.3.probl.l.4.*11.32. qui inutiles eſſe ad coïtum ebrioſos affirmat, quòd eorum ſemen infœcundum ſit, & liqueſcat in aquam: de quare Tiraquel. infinitæ lectionis vir, eloquenter agitauit, *in lib.9. legum connubial.1.p.9. num.128.*

Inſuper ebrietas parua eſt inſania; ex Chryſippo apud Stob. *lib.1.de ſentent. cap.18.* nam vinum temetum apellatur quòd mentem tentet, & à ſtatu ſuo dimoueat, & la-
D befactet.Sic Fulgoſius *lib.2.mythol.1.in Dionyſio;* quatuor genera conſtituit ebrietatis: nam prima eſt violentia; ſecunda,rerum obliuio; tertia, libido; quarta inſania: vt ex Catonis mente notat Marius Grapaldus *lib.2. de partib. ædium, tit. de vino.* Ebrij enim nec mentis, nec corporis compotes ſunt.Ebriis omnia geminata videntur,ex Ariſt. *3. probl.29.* explicant Trallianus *lib.1.probl. num.121.* & Rhodig. *lib.28. antiq.cap.34.* Hinc Virgilius Poëta eximius,*cum lib.2. Georg.* genera vuarum recenſet, de vna, aut altera tentare pedes canit, & linguam vincere.

Et Paſſo Pſythia vtilior, tenuiſque Lageos
Tentatura pedes olim, vincturáque linguam.

Immò & mentem, vt eſt apud Propert. *lib.3.eleg.3. in deſcriptione triumphi.*

Me iuuat & multo mentem vincire Lyæo.

E Sic Theognides apud Stob. *loc.cit.* habet: *Quiſquis bibendo modum ſuperauerit, non ampliùs ſuæ linguæ compos eſt, neque mentis: verba effatur balba, quæ ſobriis dedecus fiunt. Nullo enim quolibet agendi pudore ducitur, quandiu fuerit ebrius: qui priùs ſapiebat, tum ſtultus efficitur. Hæc tu animaduertens, vinum ne ſupra modum ingurgitaueris, ſed priùs ſurge quàm inebrieris, ne te ſibi ſubiiciat venter, tanquam mediaſtinum improbum, quotidianis laboribus inſeruientem, &c.*

Denique Euplius apud Ath. *lib. 4. cap.3.* ſic alloquitur.

Gaudia quanta ſuis Bacchus dedit,atque laborem!
Si quis multa bibit,fiunt inſania vina,
Illa pedes, mentémque ligant,linguámque,manúſque,

Ebrietatem

Ebrietatem execratur vehementer Sacra Pagina pluribus in locis, quæ citant Dom. Nanus *in Polyanthæa*, Amantius, Langius,& And.Eboren.qui multis in ebrietatem inuehuntur argumentis. Primò, quòd ſeruitutis origo ſit, tum parit egeſtatem. In idololatriam impellit; Hominem exuit, hoc eſt, vſu ſpoliat rationis, & pudoris ludibrio exponit; libidinem prouocat; bellicoſos,ac ſtrenuos viros effœminat; fatuos efficit,& mendicos; pernitiem corpori adfert extremam; quare venenum appellatur. Dehoneſtat,& contaminat omnium mores,& actiones. Viros mulieribus ſubiugat:Secretorum fidem prodit: & aliorum vitiorum altrix eſt, & origo.

Ac ne abeam longiùs,quæ vino attribuuntur laudes, ad vinum pertinent moderatè ſumptum, quæ ei aſſignantur reprehenſiones, eæ vini ſunt nimij. Aptiſſimè probat id ab Alex. Clemente *lib.3.ſtrom.* ſic à Gentiano Latinè factus verſus.

Potatur nimium ſi vinum, eſt res mala: ſed ſi
Vtatur benè quis, res bona, non mala res.

Pro vnius Dioſcoridis interpretatione Marcel. Virgilius *in com.*inſudat valdè, vt dicat ipſum vinoſitatem quæ ex ſe mala non eſt, approbaſſe, ebrietatem damnaſſe: etenim nihil eſt aliud quàm relaxatio animi vino facta, qua calentes, & à torpore excitati toto corpore ſpiritus, ad agenda omnia vegetiores redduntur. Sed fallitur apertè, nam hæc, vt vidiſti, non eſt recipienda.Dic ergo eam poſt aquæ potum,auctorem commendaſſe:cùm enim aqua frigida,ſubitò ac cumulatim epota, præſertim à balneo, curſu, validiſque exercitiis, ſtrangulatus & dolores concitans, veneni promptiſſimi inſtar,innatum extinguat ignem, apud Dioſcorid.*lib.6.cap.*34. & Paul.*lib.5.cap.66.* nullo alio præſentaneo auxilio, quàm multo meraco epoto, citiùs ſuccurritur, quoniam calefacit corpus, & aquæ frigiditas ſic vinoſitate, hoc eſt, copioſo potu vini retunditur.

Arabicæ verò familiæ ſectatores,hoc modo ſunt intelligendi; nam poſt nimium aquæ potum,nimia quantitate hauſto vino,grauato ventriculo,vomitus cietur, & aquæ inducta malitia infrænatur. Vel ſi ex aliorum mente loquutos fuiſſe hos auctores,vt ibidem refert Auic. aſſeueres,explicabis rectè. Quidquid, falsò tamen,erraſſe ipſos contendant Gulielm.Placentin.*lib.1.cap.*8.Gordon. *particul.2.Iulij,cap.*21.Valeſc. Tarent.*lib.1.philon.cap.*8. Sic in maiori copia epotum vinum, appetitum à valida frigida ventriculi intemperie deperditum excitat.

Vinum deinde omnes ex pectore moleſtias diſſipat, epotum ad menſuram: ſin minùs, noxium eſt. Poëtas nimio effici potu vini,an concedam,ſum anceps. Libentiùs negabo cùm ſummos poëtas videam non ebrioſos fuiſſe, ſed ſobrios. Homerum,ac Virgilium fortè vinoſos dices, iuxta illud Horatianum,*lib.1.epiſt.3.*

Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus.

Sed non alia de cauſa vinoſi habiti ſunt, niſi quòd vinum laudarunt, idémque Horatius iſto verſu indicauit. Ad Venerem impellit immodicus vini vſus: id cecinit Propertius *lib.3.eleg.16.*

Illic ſæpè animos iuuenum rapuere puellæ,
Et Venus in vinis, ignis in igne fuit.

Senecam verò, & Platonem eximios ſanè Philoſophos, & modeſtiſſimos, quis ebrietatem commendaſſe aſſeuerabit?cùm eam abhorreant ſummoperè,ſolùm monent aliquando ad eum vini potum accedendum eſſe,non vt mergat nos, (ſic enim loquuntur) ſed vt curas deprimat. Vinum ergo ſemper ſobriè bibendum,vt notat Valleſius *lib.de ſacra Philoſoph.cap.*27.

De Philone Hebræo maior eſt diſceptatio,in qua quis non videt eius euerti ſententiam? Concludit enim non repugnare ſapienti, ſi cùm tempus & occaſio fert,largiùs vino vtatur. Fulcit ſuam ſententiam illorum teſtimoniis, qui de ebrietate ſcripſerunt libros, & confutat eorum, qui dicebant, non licere viro bono ebrium fieri. Egregium tamen Philoſophum, & ſacroſanctæ Paginæ interpretem grauiſſimum atque præclarum valdè miror, qui patrocinium ſuſcipit ebrietatis, ſeu vinolentiæ,dum futili argumentatione nixus, bono viro, ac malo ſobrietatem

A conuenire affirmans, eius contrariam ebrietatem etiam debere ineſſe contendit: nam hoc modo, cui conuenit caſtitas, etiam impudicitia conueniet. Ampliùs peccat ipſe, in quo excuſare conatur ſanctum virum Noë, qui licèt ob incuriam, & ignorantiam naturæ, & efficacitatis vini,factus fuit ebrius, tamen peccauit. Sic Lothi ebrietas præcedens concubitum cum filiabus, reproba fuit, & damnata nimis, vt ex multorum mente Doctorum probauit Perrerius *in com.c.*19. *Geneſ.diſput.*7. Ebrietas ergo ſemper deteſtanda,& nulli morbo curando eſt ex vſu. De quo argumento pulchra lege apud Petrum Andream Canonherium *lib.2.de admirandis vini facult. ferè per totum*, qui copioſiſſimè ſimul, & ingenioſiſſime de eodem inter omnes diſceptauit.

B *HISTOR. LXXIII. RHASIS, De Siti.*

Sitis orta ex phlegmate ſalſo, ſalſis cibis curata.

CVraui quoque patientem ſitim de phlegmate ſalſo,dans ei cibaria, in quibus condominabatur ſalſedo; vt cappares cum ſale, curatis omnibus cum ſuo contrario, &c. Rhaſis* lib.11. continent. tract.1. cap.2.

PARAPHRASIS.

GAlenus *lib.4. acut. com.*1. refert ſitim ex potu aquæ marinæ vehementem concitari, & ex phlegmate C ſalſo inſatiabilem fieri; dicant aſcitici, qui clamoſa cruciantur ſiti vt *infrà* latiùs dicemus: nam ſalſa licèt amaris ſint humentiora, & minorem obtineant calorem, magis tamen ſiticuloſa ſunt,quoniam liquefacta,& in ventriculo,eiúſque ore imbibita & impacta, partem ipſam vndequaque alterant, cùm tamen amara in extimam tantùm ſuperficiem agant, nec intimiùs peruadere queant.

Sed cùm ſitis oriatur ex humoris inopia,& caloris copia,& ſapor ſalſus dulci ſit calidior,ex Ariſt.32.*probl.*10. & Auerr. *lib.5. collig.*27. fit manifeſtum à ſalſis concitari ſitim,quæ licèt humida ſint actu,potentia tamen impensè exſiccant, ſupra quorum complexionem dominatur pars ſicca, aduſta, in qua mixta eſt humiditas pauca, ex Gal. *lib.5.ſimpl.*26.dicente,ſalſum terreſtre eſſe,calidum, nondum tamen igneum. Caloris ordinem expreſſit Iſhac, D *lib.diæt. vniuerſ.cap.*12. inquiens, in fine gradus ſecundi calefacere, & exſiccare. Habet etiam ſalſus ſapor aquei humoris non exiguam portionem, ita vt neque prorſus terrenus, nec tantùm aquoſus exiſtat, ſed ex amborum, permixtione materiæ quandam mediocritatem ſortitur. Hoc ita eſſe,generatio eius apertè demonſtrat:nam partes terrenas aqueæ materiæ permixtas calor externus præaſſans, & adurens, ſiccánſque, ſalſum ſaporem producit; fitque à terreno ſicco, quod in aqueo humido caloris vi præaſſatum,attenuatum exiſtit. Hanc ſalſi ſaporis cauſam tradere viſus eſt Ariſt.*lib.2.meteor.c.*3.de maris ſalſedine verba faciens:nam ait ob id mare ipſum ſalſum reddi,quia Sol tenuiores aquæ partes extrahens, & in vapores effundens, craſſiores veluti torret atque adurit, quæ vnà cum crudioribus ipſius aquæ partibus permixtæ,ſal- E ſedinem faciunt: de qua re, lege Scaligerum luculenter diſputantem, *exercit.*51. *aduerſus Cardanum.*

Exigitur hic aqueus humor ad ſalſi ſaporis generationem: nam ſine eo conſiſtere, aut permanere non poteſt; quandoquidem eo abſumpto nō ampliùs ſalſus remanet, ſed protinus amarus redditur,terreſtri portione vnà cum calore tantùm remanēte.Idipſum ſal manifeſtat,qui dum igni applicatur, mouere crepitum ſolet; quod nulla alia occaſione euenire.Philoſophus putat,*lib.*11.*probl.*26.niſi quia ſal parùm humoris in ſe continet, qui calore ignis conuerſus in ſpiritum,violēto proſiliens impetu erumpit. Obiicies,cur ſalſa odora non ſunt,ſi odorabilium vaporoſa exiſtit ſubſtantia, quæ ab humore ſemper eleuatur?

Reſpondet Galen.*lib.4.ſimpl.22.* id euenire, quoniam humidum quod habent, aqueum eſt, & nullum ex ſe vaporem emittit, nam aquea corpora hac de cauſa inodora ſunt. Num autem pituita ſalſa, frigida ſit, an calida, inter omnes agitant Mercat. *tom.1. claſ.3. quæſt.78. num. 4.* & Ioan. Brauus Petrafitan. *in com.cap.6.lib.2. Gal.de dif.feb.* Peramat. *lib.de humorib.cap.15.*

Sed iure inquires, cur ſalſis ſitim à pituita ſalſa ſubortam perſanauerit, ſi illa ſicca ſunt terreſtria, calefaciunt, & exſiccant, & hic humor humectationem deſiderat? Dic, auctorem exhibuiſſe ſalſa ad humorem ſalſum abſtergendum, & abluendum; has enim proprietates habere ſalſa, oſtendit Auic. *lib.2. tract.1. cap.3.* Dic ſecundò, exhibuiſſe non quælibet ſalſa, ſed cappares conditas ſale; hæ enim ſolutione euacuant humorem melancholicum, ſalſuginoſum, crudum, & groſſum, qui eſt cauſa ſitis, ex Auic. *lib.2.tract.2.c.141.* Nam Dioſcorid. *lib.2. cap.164.* cum Paul. *lib.1.cap.74.in fin.* eas iecur, lienémque laxare, & pituitam per aluum deiicere affirmant, ſic referente Marcel. Virgil. *in com.* Hæ ergo vacuant mucoſum ſuccum, quem priùs extenuant, aperiunt, abſtergunt, incidunt, & mundificant, apud Paul. *lib.7.tit.de cappar.* & Plin. *lib.20. cap.15.*

Neque auctoris verba te ſuſpenſum teneant, dicentis ſitim ortam à pituita ſalſa, ſalſis eſſe medicandam, tanquam contrariis; cùm intelligendus ſit, loquentibus nobis latiſſimo contrarietatis ſignificato prout Medici loqui conſueuerunt, appellantes contraria, quæ quodammodo opponuntur, ſiue id ſit mediatè potentia, vel ex accidenti: Sic Hip. *6.epid.ſect.2.text.9. dolorem,* inquit, *curari dolore, fluxum fluxu, vomitum vomitu, tuſſim tuſſi.* Sic ſalſa, ſitim curant factam ab humore ſalſo, vacuando cauſam, vt *ſuprà in com. Hiſtor.15.* annotauimus.

QVÆSTIO XLII.

Quòd pituita ſalſa fieri poſſit, permixta cum dulci pituita, exuſta bile. Contra Gentilem, Amatum, & Manardum, Medicos doctiſſimos.

COMMENTARIVM.

De *phlegmate ſalſo.*] De pituitæ ſalſæ generatione, etſi abundè plurima ſint à iunioribus agitata, nihilominùs varia diſcutientibus, verſantibúſque oſtentant ſe pleraque, citra diſpendium ſtudioſæ iuuentutis, quæ præteriri nequeant. Conflatur itaque ſalſa pituita, Galeno auctore *lib.2.de dif.feb.cap.6.* bifariam: altero modo ex putrefactione pituitæ; altero verò ob permixtionem ſalſæ ſeroſæ humiditatis cum pituita dulci, aut inſipida. Putrefactione quidem, nam ob ebullitionem, & præternaturalis caloris calidam actionem, partes nonnullæ terreſtriores redduntur, & quadantenus torrentur, quæ licèt modicæ amaritudinis participes eſſe poſſint, vt aliqui cineres, ſi tamen commiſceantur cum humore dulci, aut inſipido, ex hac miſcella ſalſus emerget ſuccus; in hunc ſanè modum, marinæ, & puteales aquæ nonnullæ ſaporem ſalſum præ ſe ferunt.

Concinnatur præterea ſalſa pituita ex ſalſa ſeroſa humiditate, mixta cum pituita dulci. Hunc Galeni modum Auicenna *1.1. doct.4. cap.1.* non admittit, ſed nulla alia ratione, vt ſcitè *ibidem* notauit Gentilis, niſi quia Galeni contextum deprauatum legerat (*propter permixtionem ſeroſæ humiditatis cum pituita dulci:*) debebat autem legere (*propter permixtionem ſalſæ ſeroſæ humiditatis,*) vt in correctis codicibus modo animaduertitur. Colliges deinde incautè, immò imprudenter ſe geſſiſſe Gentilem, qui *cit. locum* Auic. enarrans, Galenum rudem appellare non erubeſcit, propriam in hoc ruditatem apertè manifeſtans, qua adeò laborauit, vt ſibi perſuaderet Galenum per ſalſam ſeroſam humiditatem, ſalſam pituitam accepiſſe; cùm ſeroſa ſalſa humiditas apud Galenum, nedum pituitæ nomen, ſed nec propriè humoris retineat appellationem, nec ſanguis ſit, bilis aut melancholia, velut ſerum in lacte, quod neque butyrum eſt, neque caſeus, vt eru-

A ditè admodum docuit Valleriola *lib.1. enarrat.c.7.* qui de ſapore ſalſo, illius generatione, & natura affabrè conſcripſit.

Auicenna allatis ſalſæ pituitæ cauſis, non veretur *citato loco* aliam ſubnectere: nempè eam fieri etiam ob certam commixtionem portionis bilis exuſtæ cum humore pituitoſo dulci, aut inſipido. Hanc Auicennæ ſententiam palam redarguere conatur Manardus *lib.18. epiſt.5.* vno ſanè munitus argumento, quòd experimento compertum ſit, vomentium pituitam, pauciſſima bile permixtam, in quibus etiamſi bilis ſui paucitate ſenſum lateat, amaror, & non ſalſedo deprehenditur. Tam efficax eſt amarus ſapor, vt vel minima quantitate, quæ ſibi commiſcentur omnia amara faciat: aloës exemplo, quæ exigua quantitate, copioſiori aquæ permixta, amaram prorſus, non ſalſam eam reddit. Quis ergo credat, ex ad-
B mixtione bilis amariſſimæ cum pituita ſalſum ſaporem reſultare?

Ego verò huius auctoris experimentum ficulneum, commentitiúmque eſſe puto, quo nixus petulanter rei veritatem occultare auſus eſt: nam commixtis particulis terreis exuſtis cum dulcibus, aut inſipidis, certa quadam commixtione, ſapor conflatur ſalſus, auctore Ariſt. *24. ſect. probl.17.* quod in lixiuio interdum accidere idem meminit: ſed in omni exuſta bile aſſignantur partes hæ terreæ: ex certa igitur, & determinata mixtione bilis exuſtæ cum pituita dulci, concinnari poteſt ſalſa pituita. Licèt enim terreum illud exuſtæ bilis vtcunque amareſcat, non inde tamen ſequitur amarum relinqui ſaporem, & non ſalſum; ſalſus namque ſapor amaro finitimus eſt, eiuſque generationis modus, penes maiorem exuſtionem, aut minorem, ab amaro diſſidet, ex Galen. *lib.4. ſimpl.20.*
C Vis experimento perſpicuo, & certo hanc rem intelligere? conſule ſecretorum naturæ operum diligentiſſimos ſcrutatores, hi enim ex rebus combuſtis omnibus ſal elici aſſeuerant, quantumuis duris, aridis, mollibus, humidis, nempè combuſta re quauis, ſi eius cineres humore aliquo, vel ipſa inſipida & dulci aqua diluas; atque hunc rurſum humorem inclinato vaſe in alterum vas ſi collegeris, re ipſa diſces, amarum quidem, ſed ſalſum etiam humorem eum effluxiſſe; immò ſi ipſum deinceps igni tantiſper admoueas, donec humidum omne calore abſumatur, ipſum manifeſtiſſimè concretum ſalem ſubſidere deprehendes. Quare cùm hæc ita ſe habeant, doctiſſimè videtur, ſalſæ pituitæ cauſam in aduſtæ bilis, & aquoſi humoris mixtionem retuliſſe, quod Auer. *3. collig. cap.6.* eximiè explicuit. Quo pacto autem cognoſ-
D camus, quando ſalſedo in pituita ſit per mixturam intùs factam, & quando per mixturam humoris aliunde venientis, explicat acutè Sanctorus Sanctorius *lib.7. meth.vitandorum errorum cap.2.*

Quo igitur modo dilui poteſt Manardi argumentum contra Auicennam? Reſpondet Amatus *1.centur.92.* cum Auguſtino Niplio, non ex qualibet mixtione bilis flauæ cum pituita dulci produci pituitam ſalſam, ſed ex certa & determinata, eáque à calore facta. Hæc dum ſcribit, eadem qua Manardus, imbuitur labe, cenſens profiteri & tradidiſſe Auicennam, ex flaua bile amariſſima cum pituita dulci permixta, ſalſam pituitam oriri, cùm Auicenna de bile exuſta, quæ minùs amara eſt, mentionem faciat; non de flaua, cui intenſa ineſt amaritudo. Dic tu, quod bilis flaua, & aloë adeò vehe-
E mentem obtinent amaritudinem, vt pituitæ dulcedinem, aut aquæ inſipiditatem ad amarum potiùs, quàm ad ſalſum ſaporem mutare queant: opus autem eſt, vt terreum quod permiſcetur ad ſalſi ſaporis generationem, exigui remiſſique ſit ſaporis, minimè verò intenſæ amaritudinis, vt doctè Conciliator aduertit, *in comment.lib.2. probl.4.* Ad iſtum profectò modum marina aqua ſalſa efficitur. Patet ampliùs euidenter, in marina aqua, quæ per ceram tranſcolata dulcis efficitur, quoniam tenues & dulces partes permeant, duntaxat relictis craſſioribus terreis exuſtis, quæ erant ſalſuginis cauſa. Prætereà, vt Auicenna protulit *loc.cit.* decoctus in dulci aqua cinis alkali, calx, & alia, quæ exiguam amaritudiné præ ſe ferunt, ſalſum

ſalſum producunt ſaporem; ſecus procul dubio accidit, vbi quæ commiſcentur, amaro ſapore intenſo prædita ſunt. Solue ſecundò, & fortaſſe meliùs, non ex quauis permixtione amari cum aqueo fieri ſaporem ſalſum: nam requiritur permixtio amari aduſti, vt in ſputo ieiunantium, in quo ob inediam bilis torretur, & ſaliua ſalſa redditur. Sic ſudor, & vrina ſalſa ſunt, ob mixtionem paucæ bilis aduſtæ cum humore ebibito, ex Gal. *lib.* 10. *ſimpl.* 15. De quo inſtituto pulchrè & argutè ſatis docuit Antonius Poncius, *in fen.* 1. 1. *opuſcul.* 6. *de humorib. cap.* 20.

His prælibatis quæres Primò. Quomodo, ſi ſalſum putredini aduerſatur, & ab hac corpora omnia præſeruat, poſſit quod putridum fit, ſalſum euadere? Secundò. Cur ſalſedo magis afficit pituitam, quàm reliquos humores? Tertiò. Cur ex aliis humoribus vſtis aqueo mixtis, non fit in noſtro corpore ſalſedo, ſed ex ſola bile amara? Dic ad primum. Acetum genitum per putredinem ex vino, putredini maximè reſiſtit, quoniam dum putrebat, omnes partes putredini opportunæ, calidæ nempè & humidæ, fuerunt ſeparatæ & abſumptæ, relictis frigidis ſiccis putredini inimicis, quæ non modò non putrent, verùm à putredine præſeruant, frigore, ſiccitate, & adſtrictione. Sic ſalſa pituita putredine generatur, atque aliis pituitæ differentiis difficiliùs putret. Dic ad ſecundum. Serum ſalſum, pituitam omnis ſaporis expertem ſalſedine afficere, reliquos verò ſuccos ſic afficere non poſſe: reluctantur enim in ſanguine dulcis ſapor, in bile flaua amarus, in atra acidus; accedit, quòd de ſanguine ſalſo meminit Gal. *lib. de atra bile, cap.* 2. ſed hæc non eſt ſyncera ſalſedo, qualis in pituita ſalſa animaduertitur. Ad tertium. Dic. Frigidos humores non ita vri, vt eum ſaporem induant; ſanguis verò eius eſt naturæ, vt priùs ferè vertatur in bilem. Quare ſola bilis eſt, quæ ſalſedinem vlteriori vſtione efficere poteſt.

HISTOR. LXXIV. GALENI, De Siti.

Meri potus, ſitim auget, non placat.

Scio equidem, me aliquando ex æſtiuo itinere ſiticuloſum redditum, bibiſſe vini veteris paulò ſyncerioris calicem vnum, atque ex eo magis ſitim auxiſſe, non placaſſe, &c. Galenus lib. 4. acut. com. 1.

PARAPHRASIS.

INgentem ſitim, aut ob humoris inopiam, aut ob caloris copiam, aut propter vtramque excitari conſtanter affirmauere auctores omnes, edocti à Galen. *lib.* 4. *aph.* 19. *& 6. de loc. affect. cap.* 2. & 1. *de cauſ. ſymp.* 7. Aëtio *tetrab.* 2. *ſerm.* 4. *cap.* 119. Paul. *lib.* 2. *cap.* 52. Alexandro *lib.* 7. quare ſitis eſt appetitus frigidi, & humidi actu. Cerꝫ tum enim eſt ſitim ex defectu liquidioris & humidioris ſubſtantiæ concitari: vnde ſitiens frigidum & humidum expoſtulat præſidium, quod non ſolùm deperditam ſubſtantiam reficiat, verùm & calorem (quem ad humidi defectum, acriorem & maiorem fieri eſt neceſſe) refrigeret & contemperet. Sitim adaugent, æſtiuum tempus, calidiſſimi aëris inſpiratio, nimium exercitium, quæ tum roridam ſubſtantiam abſumunt, tum viſcera, pulmonem, ventriculum, iecur, ſanguinem, & ſpiritum calefaciendo inflammant: ſic labor, ira, vigilia ſitim concitant hac de cauſa.

Sitis hæc ab externa cauſa producti, vel potu, vel liquidiori frigidóque alimento miteſcere ſolet. Sed cùm ſitientes ſemper expetant actu humidum, & appetitus ventriculi cùm ratione careat, feratur in humidum quoduis obuium, non potens diſcernere inſitas eius qualitates: idcircò Galenus exercitio, æſtúque maceratus, & ſiticuloſus, vinum vetus paulo ſyncerus ebibere coactus eſt, ex cuius potu ſitis plus aucta eſt, quàm mitigata. Cùm enim ex itineris labore corpus eſſet exſiccatum nimis, caloréque confectum, aſſumpto mero exardeſcere cœpit; nam vinum vetus eſt calidum in tertio, & ſiccitas ex proportione reſpondet. Addiderim vina vetuſtate fieri calidiora, ex Galen. 12. *meth.* 4. & *lib.* 5. *de ſanit. tuend. cap.* 5. & ſicciora; nam vinum potentia exſiccat, ex Galen. *lib.* 5. *aph. com.* 5. & *lib.* 3. *meth. cap.* 4. cum Hip. *lib. de vlceribus* affirmante, vlcera vino eſſe exſiccanda: vinum enim dummodò non ſit aquoſum, ſicut potentia calidum eſt, ſic potentia exſiccat; & reductum ad actum, per ſe calefacit & exſiccat; bilioſos morbos inducit, ſitim concitat; & magis ſi ſit merum, hoc eſt ſyncerum, nulla, vel minima lympha permixtum; citiùs enim tunc inflammat ſanguinem, bilem adurit, humores acuit, humiditatem ſiccitate ſua exprimit & reſoluit, & promptiùs ſitim inducit, quæ aquæ potu commodiùs leuari ſolet; nam vt dicebat H p. *lib.* 6. *epid. ſect.* 4. *text.* 15. *calidis natura aquæ potus, refrigeratio, frigidi aëris inſpiratio valde conducunt.* Sed de vini differentiis dicemus plura, *lib.* 3. *in com. Hiſtor. penultim.* Quibus autem præſidiis, & quo ingenio, ſiti ab æſtiuo tempore, & exercitio profectæ, immò à variis cauſis ſubortæ auxiliari poſſimus, doctiſſimi ſcribentes explanarunt, & latè retulit Mercatus *l.* 1. *indicat. c.* 2. Interim lege Mercurial. *lib.* 3. *praxis c.* 9.

HIST. LXXV. TRALLIANI, De ſingultu.

Singultus ex caliditate ortus, frigidis curatus.

NOui autem quendam ex iis, qui ob hanc intemperiem ſingultiunt, frigida ſorbitione conſeruatum, &c. Trallianus lib. 7. cap. 13.

PARAPHRASIS.

DE ſingultu, eiúſque cauſis iuniori doctiſſimi ſuas fecere quæſtiones. Eum eſſe ventriculi motum conuulſiuum, & ab eiſdem cauſis proficiſci à quibus oritur conuulſio, firmant cum Hip. & Gal. *lib.* 6. *aph.* 39. cæteri Medicinæ principes; quorum mentem intimiùs explicarunt Marcel. Donat. *lib.* 2. *de medic. hiſtor. mirabili, cap.* 5. Valleſius *lib.* 5. *controu.* 16. Chriſtoph. à Vciga *lib.* 3. *art. medic. ſect.* 1. *cap.* 21. & alij, qui aphoriſmum citatum Hip. ſunt interpretati. Num autem in ſingultu vehementiùs, quàm in vomitu natura moueatur, vt propulſet noxam ſenſatam, inter omnes agitant Mercat. *lib.* 3. *praxis cap.* 5. Altimarus *lib. de curand. hum. corpor. malis, cap.* 66. Vidus Vidius *lib.* 9. *de curat. membrat. cap.* 14. Gentilis *in com. cap.* 20. *tract.* 5. 13. 3. Holler. *lib. de morb. intern.* 1. *in ſchol. cap.* 31.

DVBIVM XLIV.

Num ſingultus ſit pulmonis paſſio, vt voluit Ariſt. Contra Lupeum, Medicum eximium.

POrrò, an Ariſtotelis ſententiam tueri poſſimus, qui à Medicis aſſertionibus recedens, arbitratur ſingultum pulmonum affectum eſſe, hoc loco videtur diſcutiendum. *Sect.* enim 30. *probl. quæſt.* 1. ſingultum eſſe infrigidationem loci, qui eſt circa pulmonem, affirmauit: & *quæſt.* 5. ſingultum fieri refert, quoties ſpiritus vacuans ab humore, in loco ſpiritus detinetur. Reſpondet Lupeus *lib.* 3. *enchiridij, cap. de ſingultu*, fortè hoc in loco Ariſt. ſuccinere Platoni voluiſſe, qui *lib. de natura* ſcripſit, arteriam aſperam viam eſſe potus. Ego verò pro Platonis, atque Ariſtotelis tutela, reor potiùs, nec Platonem inibi, quod Lupeus forſan opinatus eſt, profiteri; nec Ariſtotelem *in problematis* tam turpiter deceptum vt iudicet, verum ſingultum ventriculi paſſionem non eſſe.

Quod verò attinet ad Platonem, ſatius quidem fuerit affirmare, apud eum aſperam arteriam viam eſſe potus, non maioris eius partis, quæ dum bibimus, in ventriculum detruditur, ſed duntaxat portiunculæ eius, quæ non obſtante epiglottidis opericulo in aſperam illabitur arteriam. Hoc, non aliud profiteri Platonem multis teſtimoniis probat Galenus *lib.8.de placit.Hip.& Platon.cap. vlt.* Id ſanè Hip.ante Platonem profeſſus eſt, *lib.de corde, num.*1.*&* 2. & Gal. poſt eum *lib.cit.cap.*8. quorum mentem intimiùs explicuit Andreas Laurent.*lib.9.de re anatom.quæſt.*25. Verùm ad Ariſt. dicere meritò poſſumus, cum Conciliatore, *in com.* per ſingultum eo loco non intelligere verum ſingultum, qui ventriculi paſſio eſt, ſed motum quendam partium ſpiritalium, qui fit dum irritatur tuſſis, ſed non completur. Hunc motum, ſeu improprium ſingultum, aſſimilari alicui modorum motus tuſſis, quæ eſt in pulmone, & velamine ad expellendum humorem noxium; tenet Auic. 3.3.*tract.*5.*cap.*19.*in princip.* Quare per conſenſum, non per ſe, à pulmonibus oriri per ſingultum affirmabimus, quemadmodum Gal. *lib.*2. *de cauſ. ſympt.*2. aliquos ſcripſiſſe tradit, ſingultum aliquando ex conuulſione muſculorum, qui inſpiratum faciunt, oriri poſſe. Sic ſingultum ex hepate inflammato ſuperuenire propter neruorum communionem docuit Hip.*lib.5.aph.*58.& *lib.7.aph.*17. Sic ex gulæ affectu, originem aliquando ducere, docet Gal. *lib.2. de cauſ. ſympt. cap.6.* Et niſi hoc modo Ariſt. interpretetur, quo pacto defendi poſſit, haudquaquam intueor.

Vtcunque ſit, Trallianus hoc loco loquitur de ſingultu orto in febribus ex mordaci, acri, calidóque humore, quem humectantibus, & infrigiditantibus obtundere conatur. Sic enim eius acrimonia hebetatur, mordacitas infrænatur, & vis pungens, ventriculúmque laceſſens miteſcit, & temperatur. Si enim hunc humorem non attemperes, ducto in conſortium cerebro, neruorum principio, ſuſcitabitur conuulſio, prout proprio experimento obſeruauit Gal.*lib.*12.*meth. vlt. & lib.*5. *aph.com.*1. Loquutum autem fuiſſe de ſingultu ex plenitudine orto, conſtat: nam qui ob inanitionem, fit, incurabilis eſt, ex Gal.*lib.5.aph.3.&* 4.cùm enim ſingultus fit ſtomachi conuulſio, ex Gal. *nuper. cit.loc.& lib.7.aph.*3. & hæc, ex ſiccitate & inanitione oriatur, curationem non admittat, ex Gal.*lib.2.cap.*26.Paul.*lib.3.cap.*19.& alibi paſſim: manifeſtum fit, hunc ægrum, depoſita iam humoris acris, & bilioſi maiori parte per medicamentum purgans, vt par erat feciſſe Trallianum) ſingultum ex repletione fuiſſe paſſum, & frigidi ſorbitione leuatum.

Grauis ſanè affectus eſt ſingultus, qui in febribus, ab acribus venenoſiſque halitibus, & ventriculum nimis ſenſilem mordentibus cùm ortum ducat, maximum periculum portendit: nam ſæpè vapor malignus in os ventris effuſus, deteriorem, quàm quiuis humor acer & mordax, ſingultum inflixit, qualem ſæpiſſimè comperimus, malignis & peſtilentibus febribus, atque etiam iecoris inflammationi ſuperuenire, & maximè cùm ſpes in anguſto eſt, & cor morbi malignitate opprimitur,vt ait Fernel.*lib.6.pathol.cap.*3.Eum ſæpiſſimè contingere videmus in febribus laborioſis valdè, inflammatione ilei, meſaræi, ventriculi, hepatis, ac cerebri in tertiana pernicioſa, ardente, & quacunque continua, & ſingultuoſa nominata, cuius meminit Hip.*lib.4.acut.*69. quæ ab humore rodente, acerrimóque originem ducit, ex Galen. *in com.* quo euomito fuerunt febrientium plures ab hoc ſymptomate liberati. Quare cùm ſingultus multas peſſimáſque ſignificationes docuerint auctores, & cum eo obierit mulier, quæ decumbebat in mendacium foro igni correpta, apud Hip. *lib.3.epid.ſect.2. text.vlt.* & in febribus adurentibus reprobus ſit, apud Auic. 13.3. *tract.5.c.*19. illicò illi tanquam ſymptomati pernicioſo, manus auxiliares adhibere debemus. At cùm multa ſint, quæ paſſim citati referunt auctores, & citat Mercat.*l.3.de morb.intern.c.5. & lib.7.de feb.cap.2.de feb.maligna, de ſymptomatum, correctione,* quæ humorem iſtum mordentem, malignúmque reprimunt, ac emendant, ptiſſana omnibus his præſidiis antecellit; nam contemperat, & ſimul id quod rodit, abſtergere poteſt: hanc eſſe frigidam ſorbitionem tantoperè à Tralliano commendatam, ipſe *infrà* expoſuit, & *loc.cit. acut.* Hip. firmat, qui in hunc vſum ptiſſanæ cremorem ſorbendum exhibet. Frigidam autem conſuluit ſorbendam potionem, vt bilioſus, acriſque humor, ſuapte natura calidus miteſcat ac temperetur, & febrilis, ardor, vnáque internarum partium phlogoſis, ac incendium infrænentur. Contrarium legimus apud Gal. 12.*meth. cap.vlt.* quo loco ad expellendum humorem deterrimum per vomitum, tepidam conſulit ex aqua ſorbitionem: nam timor erat ne cohibita frigida, humoréque præ mora lædente magis, ventriculi puſillus calor ſubitò poſſet extingui. Quare cùm à ſucco tetro tunicis ventriculi infixo, oritur in malignis febribus ſingultus, de ſalute ægri debemus eſſe ſolliciti, adeò vt dicat Mercurialis *ad citatam Hip. Hiſtoriam lib.3. epid.* ſe neminem vidiſſe cum hoc ſymptomate ſeruatum; quòd licèt ſit paruum, non tamen, ex neceſſitate mortem affert, ex Gal. *lib.5. aph. com.3.* plures enim vidi ſingultu pertinaci; ac continuo in febribus malignis correptos, qui celebratis pluribus auxiliis cùm non curarentur, cucurbitula ſcarificata ſuper ventriculi os impoſita leuati ſunt, de cuius vi eximia, pro curanda febri ſingultuoſa, lege *obſeru.* 20. *lib.3. de praxi Medica admiranda.*

Obſeruatio XIII.

Ad ſingultum ex calore ſubortum, eximium auxilium.

Bilioſus iuuenis vigente caſſe incidit in ignem. Febri hic retorrida oppreſſus, quam ingens oris amaritudo, ſitis inexhauſta, linguæ ſcabrities comitabantur, inſuper ſingultu corripitur, cum bilioſo vomitu concitato. Horum pathematum cauſa, erat acris & erodens humor, qui tunicis ventriculi impactus ſingultum concitabat. Medici varia præſidia parant: nam totum negotium leuibus clyſteriis committunt; vtuntur julapiis mordacem humorem infrænantibus; leuiter vomitum concitant; bilioſum humorem diſtrahunt ad partes ignobiles, crurum vinculis, frictionibus, cucurbitulis, eum contemperant ptiſſana, ſyrupo de ribes, de acido citri, aqua decocta tamarindis, ſyrupo papauerino, & aliis. Extrà, ventriculo apponunt refrigerantia emplaſtra, ſucco arantij, agreſtæ, cotoneorum irrorata. At cùm omnia hæc opem vix ferrent vllam ad narcotica accedunt. Imperata requies Nicolai, Philonium perſicum, quantitate drachmæ vnius cum aqua lactucæ diſſolutum. At malum ferox ſolùm potu niuis eſt edomitum: hæc enim narcotici medicamenti inſtar, acerrimum humorem, & correxit, & infrænauit.

HIST. LXXVI. AVENZOARIS, De alui fluxu.

Alui fluxus ex debilitate vnius brachij ſubortus, auxilio corroborante perſanatur.

EGo eandem rem ſimilem feci in quodam fluxum patiente, qui medicatus à multis Medicis, & à me multo tempore, nihil profecit. Tandem percepi vnum ex ſuis brachiis alio frigidius, & macrius, & autumaui quibus fluxus ab alio brachio ortum habuit, eò quòd virtutes vnius membri, attractiua, & digeſtiua deperditæ eſſent, propter malam complexionem frigidam non materialem ſuper ipſam dominantem. Et ego intentionem meam ad illud membrum calefaciendum appoſui, & eum fricationibus, balneis, & ſimilibus localibus reducere ad bonam, & naturalem temperaturam conatus fui; & poſteà mentem appoſui, vt calorem naturalem, & humiditatem hanc cum rebus conuenientibus conſeruarem, donec ipſum ad omnes ſuas virtutes naturales reduxi, nec medicinam propriam aliquam fluxui curaui, & propter hanc rem breui tempore curatus eſt, &c. Auerrhois lib.4. colllig. cap.45.

PARAPHRASIS.

Ngenioſam curationem deſcribit hoc loco Auerroë, cuiuſdam alui fluxum patientis, qui curatus à multis; deinceps conualuit ab hoc diuturno fluxu, ſeu deſperato morbo; nam dicebat Celſus *lib.* 4. *cap.* 19. *vno die fluere aluum ſæpè pro valetudine eſt, atque etiam pluribus dum febris abſit, & intra ſeptimum diem id conquieſcat; purgatur enim corpus, & quod intus læſurum erat, vtiliter effunditur. Verùm ſpatium eſt periculoſum: interdum enim tormina, ac febriculas excitat, viréſque conſumit.* Si enim longo tempore perſeueret, euacuato ſpiritu multo fatiſcunt facultates, languet innatus calor; & contabefacto corpore moritur animal.

Cui malo occurrens auctor; & artificioſa coniectura morbi cauſam inquirens, in eam venit ſuſpicionem, vt crederet brachij illius extenuati & frigidi facultatem eſſe læſam, adeò vt nec attrahere alimentum, nec id retinere, aut concoquere poſſet; quo dato natura illud, licèt futurum ipſius brachij alimentum, tanquam oneroſum remittebat in aluum: ex quo continuo fluxu cùm timor eſſet, ne depauperato calore natiuo vires in dies reſoluerentur magis, curationem tandem incepit ab ea parte, quæ erat primariò læſa.

Intemperie ergo frigida diuturna brachium affectum, commodè alimentum ad ſui nutritionem attrahere non poterat. Ergo brachium calefieri debebat, & roborari. Hoc opus cùm multiplici poſſit celebrari auxilio, nullo promptiùs quàm frictione, & balneo perfici poteſt: frictio enim ex Gal. *lib.* 5. *de ſanit. tuend. cap.* 3. & alibi paſſim partem calefaciendo, conuocat ſanguinem & ſpiritum ad ipſam, vnde vigoratur, & rectè munia ſua obire poteſt; quare tanta eſt frictionis pro nutriendis partibus vis, atque poteſtas, vt *cit. loc.* referat Galenus multos, quorum corpori nihil longo tempore ex alimento acceſſerat, eiuſmodi frictione adhibita facilè paucis diebus carne impleuiſſe: & Galenus *lib.* 7. *meth. cap.* 7. frictionem mollem approbat, pro curanda totius corporis gracilitate, & macie ſumma; nam apud Galenum *lib.* 2. *de ſanit. tuend, c.* 3. & 4. mediocris frictio carnem adauget, robur parti conciliat; eam robuſtiorem accito alimento efficit. Qualis autem debeat eſſe frictio, quis eius terminus *nuper cit. loco* explicuit Galenus, edoctus ab Hippocrate *lib.* 3. *de officina, com.* 32. Tu de commodis frictionis pro impinguando corpore, & viuificando calore innato, plura vide apud Celſum *lib.* 2. *cap.* 14. Oribaſ. *lib.* 6. *collect. cap.* 20. Auicen. 3. 1. *doct.* 2. *cap.* 4.

Similes vires præſtare balneum, eſt manifeſtum, vtrumque enim auxilium à centro trahit ad circumferentiam. Licèt enim per balneum, apud Gal. *lib.* 11. *meth. cap.* 9. & *lib.* 7. *de compoſ. medicam. ſec. loc. cap.* 1. *in med.* ſimpliciter prolatum, dulcis aqua lauacrum intelligendum ſit, non bituminoſum, ſulphureum, aluminoſum, chalcantodes, ſalſum, aut ex marina aqua paratum; illud non eſſe cuius meminit auctor hoc loco patet apertè: nam balneum ad hoc ab ipſo conſulitur, vt partes roboret, ac calefaciat; dulcis autem aquæ balneum imbecillitat, & refrigerat, ex Gal. *lib.* 11. *meth. cap.* 20. & *lib.* 3. *acut.* 59. quoniam emollit, & relaxat.

Conſuluit ergo balnea naturalia, quorum quædam ſunt nitroſa, alia ferri, alia æris qualitatem poſſident, quædam ex iis compoſita ſunt. Horum autem omnium vis roborat, exſiccat: alia cum hoc quòd ſiccant, etiam ſtrenuè calefaciunt, ſanguinem & ſpiritum ad partes deducunt; quædam verò ſiccando, etiam adſtringunt, vt aluminoſa; ex parte verò etiam ſalſa, & quæ æris qualitatem obtinent: omnia tamen frigidis & humidis diſpoſitionibus ſunt accommoda valdè, vt Auic. 21. *doct.* 2. *cap.* 29. & 22. 3. *tract.* 2. *cap.* 7. cæterique Principes firmauerunt; quorum mentem dilucidarunt Cardan. *lib.* 2. *contrad. tract.* 4. *cont.* 3. Sauonarol. *tract. de balneis*, Fallop. *tract. de aquis thermalib.* Andreas Baccius *eod. tit.* Mercat. *lib.* 1. *indicat.* 13. qui de balneorum vſu, ac differentiis eximiè diſputarunt.

Si defint hæc, artificialia parentur, quæ ſimilia poſſe fieri naturalibus probat Gal. 14. *meth. cap.* 15. §. *Sin minus,*

A *ipſi ſimilem aliquam moliemur, &c.* & *lib.* 1. *de ſimpl. medic. facult. cap.* 4. & *lib.* 3. *de alim. facult. cap.* 32. §. *Intellis medicamentis, quæ ſimiles vires obtineant.* Sed cur balnea artificialia non ita proſint ac naturalia, ſciſcitaberis? Dic illa non ita durantem, aut efficacem obtinere calorem: hæc fouentem, actualem, & permanentem, & non aliunde emendicatum. In quem ſenſum dicebat clariſſimus Montanus *lib.* 1. *conſultat.* 51. quòd confectiones artis, ac mixturæ non ſunt ita perfectæ, ac eæ quæ à natura parantur: quare licèt balnea artificialia ſimilia poſſint fieri naturalibus, illa tamen multò ſunt imbecilliora, quoniam calorem ex ſuæmet generationis principio inſitum non habent, vt ſcitè notat Rondeletius *in method. curandi morbos, cap.* 23. *de paralyſi.*

B Hoc negotium perfici etiam poteſt emplaſtris, vnguentis, fomentis, & aliis etiam parti affectæ applicitis medicamentis, quæ præterquam quòd inſitum, natiuúmque partis calorem conſeruant, flatus diſcutiunt, frigidam intemperiem corrigunt, atque emendant. Hæc omnia cùm exequeretur auctor, brachium ad omnes ſuas virtutes naturales reductum eſt, attraxit alimentum, retinuit, coxit, & ſuperflua expulit. Gloriatur in fine, & meritò, nullam ſe fluxui medicinam adhibuiſſe; aliter enim ſi faceret, adſtringentiáque medicamina propinaret, alimentum crudum, & ſemicoctum coërcitum, ac diu retentum, putreret, & hac de cauſa fieret affectus primario periculoſior, & ex ſimplici diarrhœa, dyſenteria afficeretur æger, reſtrictis excrementis, quæ præ mora acriora redduntur, & ad excorianda inteſtina, promptiſſima ſiunt: quare in longum protraheretur curationis tempus, ſuperueniente alio

C grauiore ſymptomate, quod ad intempeſtiuè coërcitum fluxum alui ſequi conſueuit: Nam ſi oneroſum nutrimentum, quod brachij debilis facultas non attraxerat, nec aliis partibus iam ſaturis idoneum, reprimere, & medicamentorum adſtringentium ope inhibere coneris: retentum & acre, in alias partes conuerſum, prauos alios generabit affectus. Ad cauſam ergo, & cauſæ principium deuenire multò fuit conſultius, impoſitis medicamentis, quæ partem affectam, à qua mali origo emanabat, roborarent, & calorem natiuum redderent vegetiorem: quorum materiam lege per otium, apud Rondeletium *loc. cit.* Mercat. *lib.* 1. *de morb. intern. cap.* 14. Iacob. Horſtium *in obſeruationibus ſuis.*

D

HIST. LXXVII. RHASII, *De alui fluxu.*

Alui fluxus cerebralis, ſinapiſmo in capite adhibito, curabitur.

*AMicus meus à fluxu longo vexatus, multa remedia incaſſum expertus eſt, vnde vt curam ægritudinis certificarem per vnam noctem ſecum manſi, & quia cognoui, quòd * poſt ſomnum fortiùs vexabatur à fluxu; perpendi cauſam ægritudinis eſſe humorem calidum, acutum à cerebro deſcendentem, & cùm ad ſtomachum veniebat, fluere cogebat. Cùm verò patiens excitabatur, fluxu carebat, & ſpiritum aſſiduum habebat. Præcepi ergo ei, vt caput raderet, & vt ipſum cum ſina-*

E *pi, & moſcho, fricaret*; & *ſanitati fuit poſtmodum reſtitutus, &c. Rhaſis* lib. 3. ſuor. aphoriſm.

PARAPHRASIS.

REctiſſimè à Celſo, altero ſanè poſt Hip. & Gal. Medicinæ magiſtro dictum eſt, *in præfationis fine, vtiliorem eſſe Medicum amicum, quàm extraneum*: ſiquidem amicus amoris impulſu ductus, (res eſt ſolliciti plena timoris amor) attentè, accuratè, ſolertérque omnia agit, futuris euentis prouidet, & magna cura præſentia profligat mala, & anteuertit futura. Ne ergo beneuolentis hominis & amici Medici munus, atque officium prætermiſiſſe videretur Rhaſius, non lucri, ſed pietatis cauſa commotus,

amico malè habenti præſtò fuit, apud eum pernoctans; laboribus minimè parcens, immò & intempeſta nocte, & antelucano etiam tempore eum inuiſens: nam amicus fidelis amico operam dare nunquam occupatus eſt, vt Plaut. inquit *in Mercatore*; quoniam vt ait Salomon *Prouerb.* 17. *omni tempore diligit, qui amicus eſt*: & in malis amici ſunt boni, vt ex veterum & iuniorum penu protulit Ioan. Stobæus *lib.* 4. *ſent. c.* 11. nam mortalium ſapientiſſimus *Prou.* 17. eos fratribus preſert: *Vir amicabilis ad ſocietatem magis amicus erit, quàm frater*; vt iure, *Eccl.* 24. ſcripſerit: *Beatus qui innenit amicum verum.* Quare deſerere amicum præſertim in morbo, & aduerſitate poſitum, turpe eſt, iuxta Ouid. *lib.* 2. *de Ponto*, 6.

Turpe erit in miſeris veteri tibi rebus amico
Auxilium nulla parte tuliſſe tuum.
Turpe referre pedem, nec paſſu ſtare tenaci:
Turpe laborantem deſeruiſſe ratem.
Turpe ſequi caſum, & fortunæ accedere amicum,
Et niſi ſit felix eſſe negare ſuum.

Hinc factum eſt, vt hac amicitiæ ſollicitudine adductus cauſam mali inquireret, certiórque de hora fluxus factus, hunc à cerebro manare indicaret. Inter multiplices alui fluxus differentias ab auctoribus celebratas, & præſertim ab Auicenna 16.3. *tract.* 1. *cap.* 2. qui de fluxu cæteris meliùs diſceptauit quandam eſſe, quando à cerebro humor tenuis ſalſus, putris, in ventriculum, & deinde in inteſtina prolabitur, alui profluuium effecturus, auctor confirmat hoc exemplo. Et licèt hoc vitium aliquando ex frigida dimanaret cerebri diſtemperie, qui eſt in cauſa, vt cùm natura non poſſit rectè conficere alimentum, crudos relinquat humores: hanc autem ex continua defluxione per nares, aut cerebri emunctoria, ſomno profundiori, ſitis abſentia venaberis: tamen hunc ægrum diſtillatione ab humore acuto originem ducente fuiſſe correptum, ſeries contextus manifeſtat. Calidam eſſe intemperiem, humoréſque eſſe ſalſos & mordaces, demonſtrant acris, tenuiſque humoris diſtillatio per os, nares; facies rubeſcit, & naſus exulceratur; febris adeſt magna ex parte, frons & tempora immodicè calent, vt Celſus *lib.* 4. *cap.* 2. Paulus *lib.* 3. 28. & cæteri confirmant, quorum mentem explicant Fernel. *lib.* 5. *pathol.* 4. Altimarus *c.* 43. *de medend. hum. corp. malis.* Vidus Vidius *lib.* 2. *de curat. membrat. cap.* 20. & latè priùs edocuit Galen. *lib.* 3. *de cauſ. ſympt.* 4. *& lib.* 5. *de ſanit. tuend. cap.* 9. *& lib.* 3. *de dif. feb. cap.* 11. quibus locis, cerebrum in diſtillatione oblæſum eſſe primariò oſtendit ipſúmque excrementa ſua in ſubiectas partes detrudere probat, nempè in aures, oculos, nares, dentes, tempora, maxillas, pariſthmia, laryngem, aſperam arteriam, pulmonem, ventriculum, & inteſtina.

Cognoſces autem à cerebro fluxum proficiſci, quoniam potiùs fit noctu quàm interdiu; & fit poſt ſomnum longum; & eſt conſeruans paroxyſmos, & cum eo ſunt ſigna catarrhorum, ex Auic. *cit. loc. cap.* 3. inſuper deiectio eſt ſpumoſa, iuxta Hip. edictum *lib.* 7. *aphoriſm.* 30. dicentis: *Quibus in alui profluuiis excrementa ſpumoſa ſunt, iis ex capite pituita defluit.* Tranſmittit enim natura in ſomno à cerebro per ventriculum ad inteſtina pituitoſum ſuccum, & defert pariter ſecum alimenta, & excrementa: & eo maximè quum ab iſto mucoſo humore deſcendente, facultas ventris, & inteſtinorum contentrix debilitetur. Hunc etiam fluxum indicant catarrhus, capitis grauedo, victus intemperatus, cerebri intemperies frigida, vt optimè notauit Syluius *in lib. de medend. morb. cap. de fluore alui à catarrho.*

Quo in malo duplex curandi ratio inſurgit; altera quæ caput reſpicit, præcauendo quominùs hæc generet excrementa: altera quæ ventriculum roboret, & euacuet quidquid in eo receptum. Primam complent roborantia capiti admota, quæ non ſolùm vigorare cerebrum nata ſint, ſed ſuperfluum humorem diſcutere queant, quorum ſyluam ſacculis, fomentis, emplaſtris, lotionibus paratam, iuniorum doctiſſimi *cap. de diſtillatione* perſtrinxerunt.

Quoniam verò habitualis cerebri intemperies, quæcunque ea ſit, difficiliùs curari conſueuit; idcircò hanc compleuit auctor curandi rationem: & meritò ſanè, cùm enim humor neceſſariò ex cerebri debilitate debeat regigni, melius eſt eum iam genitum facto ſinapiſmo in capite extra euocare, vlceribus excitatis quorum vi putris, acriſque humor vacuetur, in inteſtina confluxurus, quàm hoc non celebrato ægrum grauioribus periculis exponere: nam ex acri defluente humore inteſtinorum exulceratio timeri poteſt. Hanc curandi rationem confirmauit Auic. *loc. cit. tract.* 2. *cap.* 9. *de cura fluxus cerebralis.* §. *Et quando excitatur à ſomno, oportet vt adminiſtretur illud quod diximus in capitulo catarrhi, de ratione capitis, & fricatione eius cum rebus aſperis, & ex vaporationibus capitis, & adminiſtratione rubificantium, & cauterizantium ſupra ipſum, &c.*

Admiraberis, cur oculatiſſimus Rhaſius in fluxu diuturno cerebrali, acuto & calido, à capite ad inteſtina deſcendente, conſulat medicamentorum applicationem, quæ calida ſunt, irritant facultatem, humores acriores reddunt, attenuant, fuxui aptiores parant, inflammant, & caput ſuapte natura calidum exaſperant, de quorum genere eſſe ea, quæ ex ſinapi componuntur, nulli eſt non manifeſtum. Dic. Iſtum auctorem hæc ſummoperè commendaſſe, quia acris huius defluxus cauſa, erat capitis debilitas, & refrigeratio, cui, ceu primariæ cauſæ, non niſi calidis applicitis potuit occurrere, euocato humore ad externas partes, ne in inteſtina deflueret, ex quo aſſiduo fluxu corpus reſolutum contabeſceret. De quo argumento *ſuprà* ad Gal. mentem diximus plura *in com. hiſtor.* 7.

DVBIVM XLV.

Num ſomnus vacuationes omnes cohibeat.

COMMENTARIVM.

P*Oſt ſomnum.*] Auicennæ Medicorum Principis interpretes fidiſſimi quæſtionem excitare ſolent, num ſomnus vacuationes omnes cohibeat. Firmat Rhaſius *hoc loco* dum fluxum poſt ſomnum huic ægro eueniſſe refert, & non in ſomno. Contrarium docet Auic. ipſe 19.3. *tract.* 2. *cap.* 15. cauſam mictus in lecto eſſe profundum ſomnum aſſeuerans: cùm enim ſomnus humectet, retentricem facultatem imbecillitat, quæ ſiccitate perficitur, & hæc eſt cuſa, cur pueri frequenter ob humiditatis exceſſum, vomitum, & alui fluxum patiantur, auctore Magiſtro *lib.* 3. *de cauſ. ſympt. cap.* 3. Quare ſi imbecillitas retentricis expultricem adauget, 12. *meth. cap.* 6. *in med.* in ſomno hanc eſſe fortiorem, & robuſtiorem eſt neceſſe. Tertiò. Somnus omnes operationes naturales fortiores facit, ex Auicen. 2. 1. *doct.* 2. *cap.* 13. Igitur cùm vacuatio ſit operatio facultatis expultricis naturalis, per ſomnum debet reddi fortior, & minimè impediri. Quartò. Somnus reuocat humores, à partibus externis ad internas, vigilia contrà: ergo cùm hæc humores vnà cum calore diuertat à partibus, ad quas natura vergit & inclinat, vacuationes impediet, contrà promouebit. Quintò. Ex eo in ſomno prouocatur ſudor, & non retinetur, quoniam illius materia augetur: ergo eadem ratione ſi in ſomno augetur ſanguis, & diſtribuitur fluxus ſanguinis concitabitur.

Sed præſtat Auicennæ *loc. cit.* fidem adhibere, aſſerenti contrariam: nam ſi fluxus, & excretiones fiunt operante expultrice, & hæc non pellit niſi irrita; non irritatur, niſi ſentiat: efficitur, vt torpeſcente per ſomnum ſenſu, deficiat minuatúrque vacuatio. Quare cùm ſomnus ſimilis ſit quieti, ex Hippoc. 4. *aphor.* 15. & vigilia motui, hæc mouet, agitat, & promouet vacuationes, ſomnus verò humorum remouet agitationem; qui minùs agitati, minùs irritant, & ſic ſomnus & quies retinent. Et cùm quamplurimæ vacuationes, veluti eſt vomitus, alui fluxus, excretióque per vrinam, motu & actione facultatis indigeant (perfici enim nequeunt, niſi abdominis muſculi à facultate animali comprimantur) conſtat impediri prædictas vacuationes, ſi tempore ſomni tollitur voluntarius motus.

Neque

Neque argumenta adducta quidquam obſtant. Dic ad ptimum. Somnum per ſe mictum impedire,quando muſculus veſicæ ceruicem claudens fortis eſt : at verò quando languet, & à copia multa vrinæ ob ſomnum profundum collectæ, irritatur natura ad expellendum, tunc fit mictus in lecto ; quoniam muſculus à ſuo opere & à conſtrictione ceſſat ob imbecillitatem. Deinde ſomnus humectat ſubſtantificè, facta regeneratione ſanguinis, & ſpiritus ; vnde ſicut partes meliùs diſpoſitæ nutriuntur, & roborantur, ſic & retentrix : illa verò humectatio quæ qualitatiua dicitur ; eſt quæ relaxat, & vires retentricis eneruat.Hac ratione omnes potentiæ naturales, & earum operationes fortiores redduntur, vt tempore vigiliæ, promptiùs & meliùs munia ſua exequantur,vnde ad tertium argumentum reſponſio patet. Ad quartum reſponde ; Verum quidem eſſe in ſomni principio ſimul cum calore retrocedere humores ad partes internas, ſed hi non manent agitati & moti,ſed quieti & fixi : in vigilia verò humores ex corporis profundo ad partes externas mouentur ; & agitati & moti à natura irritata expelluntur. Vltimum verò ſolues, dicendo in ſomno ſanguinem augeri, & diſtribui ; verùm mouetur lentè,& ſenſim : in vigilia verò expanſo calore ad extra,vehementiùs,& impetuoſiùs moueri ; quare hæc cauſa eſt, cur hæc ſanguinis fluxum conciter, ſomnus cohibeat.

Cur autem ſomnus ſudorem plus prouocet, multæ ſunt cauſæ. Prima. Quoniam recrementa halituoſa, quæ ſunt materia ſudoris, augentur in ſomno,quàm in vigilia magis, ob feliciorem coctionem & nutritionem, quæ exhalantia tempore vigiliæ apertis poris perſpirant & inſenſibiliter exhalant ; in ſomno verò denſata cute,in ea detenta & condenſata, in modum ſudoris erumpunt. Secunda. Somnus recrementorum excretiones coërcet, ac retinet, à quibus actione caloris vapores eleuantur, qui ſicut ad partes ſuperas eleuantur (vnde apud Auicen. 2.4. *tract.* 1. *cap.* 68. in ſomno redditur deterior reſpiratio) ſic ad extimas eos natura detrudit, aliarum vacuationum defectum ſupplens, & compenſans ſudoris abundantia. Vltima.Humor ſeroſus non ſolùm in venis maioribus,ſed minoribus abundat, ſic facta retractione caloris ad corporis profundum, partes externæ cutis comprimuntur, ad quarum compreſſionem venæ graciles comprimuntur, & ſic expreſſo ob ſubſtantiæ tenuitatem, ſero, ſenſibiliter ſudor erumpit. In hùnc ſenſum intelligendus Gal. 1. *aphor.* 14. ſuperfluitates per ſomnum expurgari aſſeuerans, eleuatas à recrementis retentis, halituoſas, & ad cutem tempore ſomni per ſudorem erumpentes.

HIST. LXXVIII. ACTVARII, De alui fluxu.

Deiectio nigra ab afflato ſanguine ortum ducens, non ſemper peſſima.

Ego quinimò in quodam iuuene id ipſum memini me vidiſſe. Namque ipſe, amicique complures, ſub canis ortum ab vrbe profecti, venimus ad nundinas quaſdam : iamque meridies aderat, quum redire cogitauimus ; & ſole aduſti, ad crepuſculum domum peruenimus,maximo per eam diem labore tolerato : partim quia nemo noſtrûm conſueuerat fatigari longa via, & æſtu, partim etiam quòd vnuſquiſque erat molli corpore, vehemens æſtus nos corripuit. Vnus verò ex iis qui nobiſcum venerant, qui etiam molliori conſtabat corpore, quódque ex facili afficiebatur, nocumentum ob viam,& æſtum ſuſcepit : nam poſtera dies demonſtrauit, vt ipſe ab itinere eo eſſet offenſus : venter enim eum ſtimulauit. Quare ſubnigrum humorem excreuit : quem vbi aſpexit, iuſſit aſportari, ac veniens ad me, paſſionem enarrauit ; rogauitque quidnam ſibi vellet, eiuſmodi excrementorum mutatio. Igitur ipſum cùm nouiſſem conſuetum eſſe ſecare venam, atque multo iam exacto tempore non vſum eſſe ea more ; item eſſe calidum hominem atque ad patiendum habilem, addens quoque heſternum iter : tum certò cognoui eum ſudauiſſe, atque ſanguine per ſuperficies internas venarum afflato, ac deinde attracto ad ventrem, ac tandem excreto per ſedem,apparuiſſe eiuſmodi excrementorum genus,&c.* *Actuarius* lib. 1.de cauſ.vrinar. cap. 10. *Galenus* lib.de atra bile,cap. 3. & lib. 4. aph. 21.

PARAPHRASIS.

Nigram deiectionem peſſimam eſſe multis de cauſis, docet Hipp.*lib.* 2.*prog.* 22. *&* 4.*aph.* 21.cum Gal.*lib.* 2. *criſ.* 11. nam vel ſanguinis & bilis aduſtionem ſignificat, vel nigri humoris commixtionem portendit ; quem vel ſurſum, vel deorſum excerni in morbi initio, ad bonum non poſſe,Hip.*cit.loc.*explicuit ; cuius dicta ingenuè interpretatur Chriſtoph. à Veiga *in cit.ſent.com.* Si tamen benè exeat, & apparentibus ſignis coctionis excernatur, interdum ad bonum iudicat, vel ipſo monente Gal. *cap.* 3.*lib.de atra bile.* §. *Nigrorum autem vacuationem non infrequenter bonis auſpiciis fieri conſpexi, &c.* nam ſi proſperè vacuetur deiectio nigra,bona eſt : indicia autem,quòd benè excernatur, maxima ſunt concoctio, & bona tolerantia,vt Gal. retulit *in com.* Hæc enim in omni vacuatione obſeruanda refert, *lib.* 1. *aph.* 2.22. *&* 25. *&* 4.*aph.* 3. *& lib.* 1.*de rat.vict.* 23. Hinc *aph.* 21. *lib.* 4. dicit Gal. *plurimas verò huiuſcemodi deiectiones in peſtilenti longo hoc morbo fieri conſpeximus, qua non magis in iis qui exitio proximi erant, quàm in ſaluandis apparebant ; non tamen vel in principio, vel incremento morborum conſpiciebantur.* Quas hiſtorias ſeparatim non explanamus, quoniam cum Actuarij hiſtoria relata concidunt. Aſſumpto tamen medicamento, quod vim habeat purgandi nigra, talia deiici nihil mirum, vt Gal. *aph.* 21. *lib.* 4. aduertit.

Ab internis cauſis aduri ſanguinem *locis.cit.* Hipp.monet ; ab his in hoc ægro, ſimulque ab æſtu, & labore, ipſum fuiſſe aduſtum, & ſubnigrum redditum, ex contextus ſerie facilè probari poteſt : nam præ æſtu, exercitio nimio, ſolis incendio, non ſolùm ſpiritus accenſi ſunt, ſed etiam vehemens in ſanguine facta eſt ebullitio, & aduſtio, cuius fæcem natura ſubnigram, vtpotè toſtam per aluum expulit. Accedit alia potiſſima cauſa : nam ob æſtum ſummum, & calorem ex labore contractum, conuenientibus poris, retentiſque fuliginibus aduſtis, ſanguis aduſtionem, & inflammationem perpeſſus, veluti toſtus eſt, & in nigrum colorem verſus : maximè cùm eſſet aſſuetus ſecare venam, & diu hanc vacuationem intermiſiſſet. Hac ergo de cauſa, ſanguine in vniuerſo genere venoſo redundante, accedente cauſa externa nimis calefaciente, & inflammante, iecur excanduit, & ſanguis per ſuperficies venarum eſt aduſtus : præſertim cùm ſubiectum eſſet ad ſuſcipiendum calorem extraneum nimis aptum, nempè impensè calidum, *nec* enim *agens ſine patientis aptitudine agere poteſt*, vt *lib.de feb.cap.*4.Galenus manifeſtè edocuit, alioquin omnes qui in Sole commorantur, febrirent, cùm contrarium quotidianum firmet experimentum. Ob quam intermiſſam phlebotomiam, in præſentia ſanguinis melancholici & aduſti, ad leuandam naturam, & præſeruanda viſcera ſummè neceſſariam, humoris melancholici copia accreuit, quod auxilium ſicut alia refrigerantia non memorauit auctor, quoniam eius inſtitutum non erat, niſi ſolùm cauſas deiectionis nigræ in propatulum afferre.

DVBIVM XLVI.

Num prohibitum effluuium, ſeu vicinia rei calidæ ſit cauſa caloris.

Ex longa ſtatione ad Solem, præſertim inconſueta ; ex adhæſu, vicinia, ſeu applicatione eorum, quæ vel arte, vel poteſtate calida ſunt, ſpiritus inflammari, & calorem natiuum accendi, probat Gal.*lib.de cauſ.morb.c.*2. *& lib.* 1. *de dif. feb. c.* 3. At hoc mihi de veritate ſemper ſuſpectum fuit ; non enim mente concipere poſſum, quo pacto ſolaris caliditas mediante aëre febrem inducere poſſit, cùm is quantumuis æſtuoſus, & calidiſſimus, corpori collatus, perpetuò refrigeret,auctore Galen. *lib.*8.*de vſu part.cap.*2.

Si tamen ſupponas, aërem validiſſimè corpora noſtra immutare, facilè à prædicta obiectione te extricabis. Aër enim ineuitabiliter & efficaciſſimè alterat; eſt enim omnibus communis, nec per interualla, ſed continuò afficiens, animalia, extrorſum, introrſum, dum quieſcunt, mouentur, pulſant, inſpirántve; quo pacto citiſſimè rapitur in viſcera; & cor non ſolùm qualitate ſua, ſed & ſubſtantia facillimè peruertit, cùm ſpiritus nutriat. Deinde alimenta, potúſque alterat, ea ſibi attemperando; & ſic horum interuentu corpora animalium in contrarium ſtatum tranſmutat: quare vitæ, mortiſque auctor appellatur ab Hip. *lib. de ſtatib. & 2. de natur. hum. text. 3*. Gal. 1. *de ſanit. tuend. 7*. Auic. 1. 1. *cap. de complexionib.* imò morborum, & ſalutis vel ab arte, vel medicamentis diſperatæ, apud Hipp. *6. epid. ſect. 5. text. 2*. Hac ergo ratione corpus noſtrum dupliciter ab aëre concalefacit, vel quoniam ipſe calidiſſimus cùm ſit, inſpiratus calefacit, hócque modo ad permixtionem calidæ ſubſtantiæ intra corpus ſuſceptæ referri poteſt; vel quoniam ſæuiente calore æſtuans, ſpirituoſæque ſubſtantiæ permixtus calorem generat præter naturam, ſicque ad viciniam, ſeu contactum pertinet; & licèt non ita caleat vt cor, illius tamen præſentia, & cùm ſatis non ventiletur, innatus ſponte gliſcit, & efferueſcit, & vel à remiſſiori redditur calidior.

Præterea à magno æſtu conniuent meatus, & poroſitates cutis conſtrictæ præ ſiccitate, ac denſatæ, vt Gal. affirmat *lib. 7. meth. 7. & 11. eiuſd. c. 20.* & alibi: ad quam cauſam non tantùm intenditur calor internus, ſed cuiuſvis generis febres conſequuntur. Cùm enim ad refrigerantis aëris ingreſſum, & fuliginum exhalationem, liberas eſſe oporteat, & patentes vias, ſi ipſæ occludantur, duplici de cauſa innatum ignem inflammari, & febres excitari eſt manifeſtum. Prima, quoniam excrementum vbi in corpore retinetur, calorem reddit acriorem & mordaciorem, & putreſcentium excrementorum, fuliginúmque aduſtarum prohibet effluuium. Secunda, quòd conſtipata cute frigidus aër per ipſam attrahi nequit, quare calor naturalis excandeſcit, & magis ac magis intenditur.

Hæc eſt de hac cauſa caloris Galenica ſententia, ſed plura ſunt quæ cogere videntur aliter opinari. Primò ſi refrigerij & difflationis inopia, ignis flamma, & calor omnis marceſcit, cur ex cutis conſtipatione calor augebitur, & præſertim ex immodico frigore facta? Hoc eſſe verum confirmant multa, faces accenſæ, & ardentes prunæ ad radios ſolis emortuæ, flamma in Medicis cucurbitulis marceſcens, & vniuerſus in fornace ignis obturatus, qui illicò extinguitur. Secundò. Si cutis denſitas febrium eſt cauſa, cur in hyeme, in qua tanta effluuij prohibitio adeſt, calor non intenditur? Tertiò ſi id quod effluit, aduſtus eſt vapor, & terrea fuligo, & in hac calor noſter ſeruari non poteſt, imò tanquam inutilis ineptáque materia, cordis & arteriarum contractione, & ſubſidentia extrà pellitur, cur ex prohibito effluuio intendetur calor? Quartò. Si vapor mordax eſt qui retinetur, vnde plethora? cùm hæc non vaporum ſolùm, ſed vel ſolius ſanguinis, vel omnium ſimul humorum exuperantiam importet 13. *meth. 6. & 2. ſec. loc. cap. 2*. Auic. 4. 1. *cap. 40*.

At hæc minimè nos deterrent argumenta, neque cogunt Galenicam deſerere veritatem: tantùm enim abeſt, vt calor ex cutis denſitate marceſcat ſuffocatus, vt potiùs totus iunctus, & vnitus æſtuet, ebulliat, & increſcat; ſicut enim ignis prohibitus difflari, augetur, ſic calor noſter, qui veluti ignis eſt *lib. de vſu pulſ. 2*. Nec in ſimilibus exemplis eſt admittenda paritas: nam in cucurbitulis perit ignis ab omnimodo difflationis defectu; in cutis verò denſitate non ita adeſt prohibita difflatio, quin aliquid ſemper tranſpiret. Simili modo hyemali tempore accidere certum eſt: adde, tunc dari paulatinum frigoris acceſſum: & licèt in viſceribus per antiperiſtaſim ſequatur caloris augmentum, non tamen intenſio, quoniam frigidiſſimus aër non ſolùm quæ contingit, refrigerat, ſed penitiſſimè irruens per omnes diffunditur corporis meatus, ex Gal. *lib. 1. de natur. hum. com. 36*. Deinde. Dic, verum eſſe vapores extrà pulſos acriores eſſe remanentibus; attamen ob cohibitum effluuium vniri, craſceſcere, & per moram ad priſtinam redire naturam, & ſanguinis copiam augere, vnde plenitudo. Minimè ergo dubitandum eſt, quo pacto fuligines aduſtæ retentæ poſſint eſſe materia apta, in qua calor noſter conſeruetur, & ſic cohibitæ plethoram inducere poſſint.

QVÆSTIO XLIII.

Quod pleniùs in melancholica, quàm pituitoſa plenitudine ſanguis ſit emittendus.

COMMENTARIVM.

Conſuetum ſecare venam.] Conſuetudinem vacuandi neceſſitate vacuationis inducere, vbique eſt à Gal. promulgatum. Cùm enim æger hic eſſet aſſuetus ſecare venam, & multo iam tempore hunc vacuandi morem intermiſiſſet, nulli dubiū erat quod in copia humoris aduſti & melancholici, ventilationis & vacuationis cauſa eſſet aperienda. Innuit hoc præſidium *hoc loco* auctor noſter, ſi eius verba exactè rimentur. Et Galenus non prætermiſit *lib. 6. epidem. ſect. 3. com. 29*. quo loco illuſtris matronæ ex ſuppreſſis menſtruis laborantis hiſtoriam celebrem cenſens audaciſſimè ſanguinem emiſit, quoniam venæ ſanguine melancholico, & liuido plenæ erant; & multò ampliùs vacuare auſus fuit, quoniam reſciſſo vaſculo, liquidæ pici, & colore, & craſſitudine ſimilis ſanguis emanabat: ad cuius imitationem, extenuatam fœminam, remorantibus menſtruis, & in qua ob nimiam plenitudinem melancholicam, venæ nigriores factæ, admodúmque extentæ, liuido ſanguine turgentes eminebant, copioſa phlebotomia ſe curaſſe gloriatur Beniuenius, vir in facienda medicina celeberrimus *lib. de abdit. cap. 44*. & priùs edocuit Magiſter *lib. 5. meth. 14*. qui in phthiſi ſanguinem emittit, *præſertim quibus veluti limus, vitioſus, & craſſus totus eſt ſanguis*.

Sic in melancholica plenitudine pleniùs, audaciúſque ſanguinem extraxit; nam in lienoſis, ſanguinémque tetrum & fæculentum habentibus, liberaliùs venam ſecuit; vt patet ex *cap. 11. lib. 1. ad Glauc. & 3. de loc. affect. cap. 7. & 2. ad Glauc. 10*. in quibus locis, in cancro, carbunculo, quartana, melancholia, illicò curationem à venæ ſectione auſpicari iubet. Quare 14. *meth. cap. 4. & lib. de curand. rat. per ſang. miſſ. cap. 10*. præſentaneum auxilium affirmauit, frictionibus, exercitio, aliiſque motionibus celeriter plenitudinem ſanguinis detrahere, qua præſente ſanguinem mittere multò latius indicauit: & quod ipſe fatetur *lib. de melancholia*. Explanant ingenuè Leonardus Fuchſius, Mena, & Hieron. Nonnus Olyſip. *in com.*

Hanc medendi normam omnis Principum chorus amplectitur, obſeruat, veneratur, de quorum numero ſunt Paul. *lib. cap. 14*. Aetius *tetrab. 2. ſerm. 2. cap. 10*. Oribaſ. *lib. 7. collect. 2 prope fin.* Trallian. *lib. 1. cap. 16*. Auic. 4. 1. *cap. 20. & 31. tract. 4. cap. 20. & 15. 3. tract. 2. cap. 7*. Haly. 5. *pract. 23*. Raſius *lib. 9. ad Almanſ. 13. & lib. 1. cont. tract. 2. cap. 3*. Hi enim in plenitudine melancholica copioſiùs ſanguinem emittere imperarunt, ob multas cauſas, & alij, quos refert Alphonſus à Cruce *opuſculo de melancholia dialogo 5*.

Prima. Quoniam melancholici ſanguinem multum calidum habent, ex Gal. *lib. 3. epidem. ſect. 3. com. 70*. ad cuius ventilationem, & vacuationem ſaluberrima cenſetur venæ ſectio. Secunda. Rumor melancholicus licèt ſit craſſus, non eſt lentus, quem lentorem cùm habeat pituita, & vaſis plus adhæreat, non ita promptè cum ſanguine facta phlebotomia extrahitur. Tertia. Ad vacuationem ſanguinis humor etiam melancholicus vacuatur, quia eſt fæx ſanguinis, non autem pituita, aut alius crudus humor Quarta. Melancholia naturalis magis eſt conueniens naturæ ſanguinis, quàm pituita, cùm à calore temperato generetur, ex Auic. 1. 1. *doct. 4. cap. 2*. non autem pituita, cùm à diminuto calore oriatur. Quinta. Sanguis melancholicus craſſus eſt, & neque inedia, neque balneo abſumi poteſt, conſequens ergo eſt, vt minutione vacuetur, vt ſcitè notat Iacchin. *lib. 9. ad Alm. 15*. Sexta, & potiſſima, qua fit

manifeſtum

manifeſtum, pleniùs in plenitudine melancholica ſanguinem eſſe mittendum, quam in pituitoſa, eſt, quoniam pituita, ſi diutius maneat in corpore, corrigi poteſt, & per vlteriorem coctionem in ſanguinem vertitur, ex Gal. 2. *acut.* 30. nam ſicut natura nutritur ex ſuccis crudis, 12. *meth.* 3. *& lib.* 1. *de præſag. ex pulſ.* 8. ſic ex pituita, quæ maiorem affinitatem cum ſanguine obtinet. Melancholia verò in ſanguinem tranſire non poteſt, ex Gal. 2. *acut. cit.* quæ deinceps in corpore manens, per aduſtionem fiet atra bilis, cum fera, tum etiam maligna, iuxta Gal. doctrinam *lib.* 3. *prog. com.* 27. *& lib.* 4. *aph.* 21. *&* 2. *feb. cap.* 5. *&* 14. *meth. cap.* 9. Hac ratione natura receptaculum proprium pituitę non deſtinauit, vt ſit delata per venas, ex ea alteretur corpus, ex Gal. 2. *de natural. facult. cap.* 9. *& lib. de atra bile, c.* 8. Adde melancholiam humorem eſſe ſuis qualitatibus valdè vitæ aduerſum, quibus calorem innatum debilitat, & oppugnat; hunc ergo ad vitæ prorogationem vacuare oportet, quo extra corpus expulſo lætitia triſtibus aduenit, vt doctè appunxit Meſuë *ſect.* 2. *de ſimpl. c. de ſena:* præſertim cùm is nec corrigi poſſit, nec facilè abſumi præ craſſitie, vt aduertit Iacchin. *c.* 43. *prg. fin.* Hoc conſilio ducti Hip. & Gal. *lib.* 4. *acut.* 82. in redundantia ſanguinis melancholici in venis, ſpirituum interceptiones, cum pulſuum priuatione facientis, nullo alio quàm venæ ſectionis vtuntur præſidio, quod anteà prædixerant *text.* 27. *&* 28. eiúſque copioſæ, ex Auic. 3. 1. *tract.* 4. *cap.* 23. *de cutubut.* & vſque ad animi deliquium celebratæ, ex Paul. *lib.* 3. *cap.* 16. Alzahar. *c. de cutubut.* Rhaſio 1. *contin. penult. in fin.* explicat Gerard. de Solo *in com. cap.* 13. *lib.* 9. Rhaſis *ad Alm.* per hæc verba. *Sed quare plus competit phlebotomia in melancholica paſſione? quia melancholia naturalis conuenientiam habet cum ſanguine, immò magis competit: & propter hoc omnes melancholici debent phlebotomari multis vicibus, & maximè in autumno, quia tunc melancholia dominatur, &c.*

Contrà in plenitudine pituitoſa ex præſcripto Gal. ſanguinem emittere valdè timoroſum eſt. Quare *lib.* 12. *meth. cap.* 13. in febre ſyncopali orta ex ſuccis crudis, nullo modo ſanguinem euacuat. §. *Nulli talium ſanguis mitti ſine maximo diſpendio ſolet, cùm tamen vacuationem deſiderent, &c.* Quo pacto crudis ſuccis abundantibus cautè vacuabis ex Gal. *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap.* 10. nam in copia ſuccorum crudorum vires adeſſe non poſſunt, ex Gal. *cit. lib. cap.* 9. Hæc eſt cauſa, quare *lib.* 4. *de ſanit. cap.* 4. ſi ſanguis paucus eſt, & bonus; humores autem valdè recedunt à natura ſanguinis, non eſſe ſanguinem mittendum ſibi perſuaſit. Hac commotus ratione *lib.* 1. *ad Glauc.* 12. in quotidiana ſanguinem non exhaurit, cùm in omnibus melancholicis affectibus, & in quartana hoc auxilium eſſe celebrandum ſibi perſuaſerit. Tradit rationem Fernel. *lib.* 2. *de ven. ſect. cap.* 4. dum ſic inquit: *Melancholica plenitudo parcius id auxilij genus tolerat: non enim eouſque calida exiſtit, vt refrigerationem poſtulet. Pituitoſa omnium certè minimè: quum enim impensè frigida ſit, ſanguinis miſſionem auerſatur, quæ magis cruditatem refrigerans, ita conduplicat, vix vt vnquam concoqui, emendarique poſſit. Sed & huic ferè comes virium imbecillitas largam vacuationem minimè tolerat.*

Sed quæres, cur in pituitoſa plenitudine tantoperè ſanguinem mittere recuſamus, qui aucta pituita plus cæteris humoribus adauctis debilitat, ſi per vlteriorem elaborationem in ſanguinem verſa roborat vires, & ſanguinis extracti penuriam reſarcit? Reſpondet inſignis Thomas à Veiga *lib.* 1. *de dif. feb. in com. c.* 3. hoc variis de cauſis accidere. Prima. Quoniam cùm receptaculum pituitæ ſit os ſtomachi ſæpè illius iungitur læſio, ob quam, ob cordis viciniam ſequitur ſyncope; euadit enim pituitoſa febris ſyncopalis: ſic dicta, quòd in paroxyſmo vel exacerbatione, lipothymia, vel ſyncope ſuperueniant: nam à pituita putreſcente halitus eleuantur, qui innatum cordis ignem impensè exſoluunt. Secunda. Frigiditas pituitæ eſt valdè naturæ aduerſa. Tertia. Cùm melancholiam pituita vincat copia ſua, innatum calorem obtundit, extinguit, & ſuffocat: cùm enim pituita ſit humor crudus, & in vaſis copioſis abundet, prohibet acceſſum ſanguinis ad membra nutrienda. Vltima. Cùm pituita habeat tres cauſas obſtruendi, relatas à Gal. 11. *meth.* 13. nempè multitudinem, craſſitiem, & lentorem, ob has cauſas orta obſtructione, prohibetur ſufficiens tranſpiratio aëris ad ſpiritus nutriendos, ex quorum defectu vires noſtræ imbecillitantur valdè.

In plenitudine ergo pituitoſa adaucta parciùs eſt mittendus ſanguis; nam in copia crudorum ſuccorum vires adeſſe non poſſunt; ij enim eas opprimunt, calorem natiuum extinguunt frigiditate ſua, onerant quantitate, obſtruunt craſſitie, & os ventriculi, córque conſortij lege afficiunt, quo pacto in ſyncopali febre nullo modo ſanguis eſt emittendus ob dictas cauſas, vt Gal. præcepit; ſed tota curatio perficienda eſt inedia, frictionibus, & exercitio, quidquid repugnare videatur Trallian. 12. *meth. cap.* 3. cum Auer. 7. *collect.* 2. quos auctores cum Galen. eſſe concordes contra communem Medicorum ſententiam, *in com. hiſt.* 39. *lib.* 4. latiùs exarabimus: interim conſtet in plenitudine melancoholica liberaliùs, quàm in pituitoſa eſſe exhauriendum ſanguinem. De quo dubio lege fidiſſimum Auic. interpretem Gentilem 4. 1. *cap.* 20. *dub.* 20. *in com.* §. *Ampliùs in corporibus, &c.* & poſt, *dub.* 34. qui inter omnes hanc quæſtionem ſubtiliùs agitauit: nam auctoribus iuſtum ſuum præmium reddendum eſt, vt perbellè docuit Galen. *lib.* 2. *de dif. reſpirat. cap.* 1. *in fin.* quoniam vt ait Celſ. *lib.* 2. *cap.* 14. *ea reddenda ſunt domino ſuo, quæ benè ab eodem dicta fuere:* alioqui (vt Plin. ait *in præfat.*) *obnoxij profectò animi, infelicisque ingenij eſt, deprehendi in furto malle, quàm mutuum reddere:* cùm ſit *tam vaſtus optimæ exiſtimationis campus, vt inde vnuſquiſque maxima ornamenta, ſine alienæ gloriæ detrimento, ſibi colligere poſſit,* vt optimè dicebat Fallop. *lib. de obſeruat. anatomic. prop. fin.* Quibus autem notis, exuberans melancholia, aut pituita cognoſci poſſint, vide apud Fernel. *lib.* 2. *patholog. cap.* 16. *&* 19. Vidum Vid. *lib.* 7. *de curat. generat. cap.* 5. *&* 6. Barthol. Perdulcem *lib.* 3. *medic. cap.* 10. 11. Tu verò huius quæſtionis ſolutionem ad Gal. mentem Laconicè prolatam perpende, & euitabis tot verborum ambages, quibus more ſuo, Gentilis in argumento hoc, licèt vtili fusè ſpatiatur.

HISTOR. LXXIX. GALENI, De alui fluxu.

Alui fluxum Galeni prædicentis Hiſtoria.

AT paucis diebus apud ægrotum quendam cum multis aliis magni nominis Medicis, cùm de ſymptomatibus quæ tenerent ægrotum, omnes attoniti eſſent, ventris fluxum prædiximus. Mox illi vnde id prædiceremus, requirebant: quibus reſpondimus, multùm abeſſe ipſos, vt hoc intelligerent, qui ne leuiſſima quidem ſcirent. Paucis pòſt diebus de ſiniſtra nare præſagiuimus ſanguinis profluuium, deinde etiam parotidas: poſteà alia, atque alia tum prædiximus, tum curauimus, quorum illi erant imperiti. Vbi cùm illi inſtarent, vt ex qua re eas commentationes prænunciatis, & obitis aperirem: perpetuò ſilui, nec quidquam reſponſi illis dedi: ſed vobis ipſis dixi Comici illud.

Vt ligna tortuoſa nunquam corrigas,
Virides nec arbor vetus, aliò ſi transferas,
Produxerit ſtolones.

Galenus lib. 3. de different. pulſuum, cap. 3.

PARAPHRASIS.

GAlenus, Medicorum in præſagiendo feliciſſimus, ſæpè taxat eos, qui aliud in lingua promptum, aliud in pectore clauſum geſtare conſueuerunt; de quorum numero fuiſſe Medicos Romanos, ex *lib. de præcognit. ad Poſthum.* ſatis patere arbitror. Hi enim ſcienticuli cùm eſſent fullones, medicinæ hypocritæ, omnis diſciplinæ ac literaturæ exortes, tamen nomine quidem & fama erant celebres, re verò & opere inſipientes, vt profert Hip. *lib. de lege, num.* 1. cùm ſigna critica perſpicerent, eáque eſſe grauia & timoris plena, attoniti, & perterriti arbitrarentur, lata ab Hip. 2. *aph.* 13. & *in lib. prognoſt. Coacar. & prorrhet.*

explicita

explicita, & interpretata à Gal. *in lib. de criſib. & dieb.decretoriis*,eáque rudes illi,& ignari minimè callerent,ſciſcitabantur obnixè,qua arte, quo modo, & qua doctrina inſtructus Gal.hæc poſſet præſagire. At horum proteruiam, & geminam ſuperbiam cùm luce clariorem, manifeſtámque exploraſſet iamdiu Gal. qui eorum peruicaciam, tricas, contumelias, & in Medicina ignorantiam cognoſcebat, tacuit, nec reſponſum dedit: ſciens illos eſſe vafros, inuidos;& qui palam eum preſtigiatorem,& fœdum librorum Hip.interpretem, conniuentibus oculis, ſubmiſſo ſupercilio vbique paſſim, per vicos, plateas,fora,in concionibus prædicare ſolebant, vt *cit. de præcognit. lib.* latè ipſe confirmat. Horum enim ſtupiditatem nullus ſanare cùm poſſet, cùm eò arrogantiæ & inſcitiæ perueniſſent, vt ſe Hippocratem ſuperaſſe gloriarentur,ex Gal.*lib.*1.*meth.c.*2. reſpondere illis adeò erat ſuperfluum, ac ſi quis aſino fabulam narret,auctore Magiſtro *lib.*3.*de natural.facult.c.*10. Quare ſequutus Hip.*lib.*3.*de artic.text.*27. nullum his calumniatoribus reſponſum præbuit, qui turpe eſſe retur, ſine vllo profectu multa verba facere, & maximè apud ſtultum Medicorum vulgus, apud quod doctus Medicus, & vel ipſe Hip.ignarus fuit habitus,vt *lib.*1.*de artic.text.*3. ſibi accidiſſe fateri nòn erubeſcit. De quo argumento plura diximus *lib.*1.*in com. Hiſtor.*64.

DVBIVM XLVIII.

Num futuri alui fluxus apud Hippocr. aliquod ſit ſignum.

SEd cùm prædictio in Medicina, ardua ſit,ex Hip.*lib.*3. *de articul.text.*103.& ipſi nullum viderent ſignum alui fluxus ab Hip.propoſitum, idcircò inflatis buccis,perfrictáque fronte,huius vacuationis notas à Galeno petebant. Quare aliquam videntur habere ignorantię ſuę excuſationem.Nam Hipp.& Gal.licèt fuſiſſimè omnium futurarum vacuationum ſigna præſcribant, nullum imminentis diarrhϾ indicium proponunt. Accedit quod Gal. *lib.*3. *criſ. vlt.*aſſerat, huius vacuationis nec manifeſtum, nec proprium ſignum eſſe,ex eóque ſolùm eſſe præſagiendum, ſi ſigna coctionis & criſis adſint, deſint alia ſigna, quæ alias vacuationes futuras oſtendunt: tunc enim colligendum, criſim fortè per ventris perturbationem, & deiectionem ſubſequuturam. Quare ſi nullum eſt certum, atque proprium deiectionis futuræ indicium,cur gloriatur hic contra alios diarrhœam futuram præſagiiſſe? Dic Galenum maximum fuiſſe Hippocraticę doctrinę imitatorem,quem vt diuinum quoddam numen coluit, & eius ſcripta,velut ab oraculo Delphico prolata,prædicente ac diuinante,obſeruauit,vt patet 7.*meth.*2.*&* 2.*eiuſd* 6. *& lib.*9.*cap.*8.*&* 1. *de facult. natural.*16. *& lib.de theriac.ad Piſon.*28. *& lib.de comat.cap.*4.*& lib.quòd animi mores,cap.*9. (clamitet ad rauim vſque Valleriol. *lib.*5. *enarrat. cap.* 2.) Cùm ergo Hipp. multis in locis huius vacuationis ſigna nobis ante oculos proponat, quid mirandum ſi eius doctrina, quam callebat, ad vnguem inſtructus, hanc excretionem prædixerit?

Eſt textus eximius apud Hip.*lib.*4.*aph.*73.qui huius criſis futuræ ſigna tradens, ſic inquit. *Quibus hypochondria ſuſpenſa murmurant,lumborum dolore ſuperueniente iis alui humectantur, niſi flatus erumpant, aut vrinæ multitudo proueniat.* Et ante *aphoriſmo* 20.*eiuſdem libri* dixerat, *ſi tormina acciderint, & genuum grauitas, & lumborum dolor, purgari per inferiora oportere ſignificatur.* Ex quibus conſtat, genuum grauitatem, tormina, & lumborum dolorem eſſe ſignum inclinantis naturæ ad aluum.Et *in Coacis* ſic ſcribit. *Quibus ructus, flatus, crepitus ventris, eiuſdémque inflatio, his rapidè fertur aluus:* arguunt enim hæc omnia tranſlatum humorem à maioribus vaſis, & à toto corpore in meſenterij venas, & ab his in inteſtina, vnde rugitus, & vẽtris inflatio. Et *in lib.*4.*aph.vlt.*addit vrinę ſuppreſſionẽ: nam ſicuti mixtio noctu plurima facta,paruam deiectionẽ denotat; ita ſi profuſior futura ſit aluus, aut ſupprimetur vrina, aut exigua erit illius quantitas; maximè ſi alterius futuræ vacuationis ſigna non adſint: quomodo *lib.de præcognit.ad Poſthum.*3.*in fin.* in Eudemo triplici quartana laborante, alui fluxum contra plurimos ſe prædixiſſe gloriatur. Addunt Arabes notas ex vrina,& pulſu deſumptas: pulſum paruum & frequentem eſſe volunt, vrinas verò tenues & albas apparere, tranſpoſita ad aluum & inteſtina copioſiſſima bile, vt patet ex Auic.1.3.*tract.*2. *cap.*30. *&* 1.4.*tract.*2. *cap.*7. *&* 2.4.*tract.*1. *cap.*9. *&* 1.*part. canticor. num.*47. De qua re vide Paul.*lib.*2.*cap.*10. & Barthol.Perdulcem *lib.*3.*cap.*5.*ſect.*3. Argenter.*lib.*4.*de ſignis prognoſt. cap.*22.*in fin.*Gilbert.Iacchæum *lib.*4.*inſtit.med.cap.*9.

HISTOR. LXXX. GALENI,

De alui fluxu.

Adſtringentia in prima menſa ſumpta aluum ſiſtunt; in vltima, aluum prouocant.

*CVm Protas Rhetor quidam ciuis noſter narraret,ventrem ſibi poſt eſum pomorum, ac pyrorum auſterorum deiici, re intellecta, atque in ipſo per experientiam comprobata, audaciùs poſteà in aliis ſum expertus. Rogaui enim hominem,vt mecum vel vnum diem viueret, vt ſcirem quo tempore, & quàm multis veſceretur adſtringentibus. Ac primum hominem ſtatim ſum hortatus,vt more ſuo viueret,néve vlla in re conſuetam ſibi victus rationem immutaret: ipſe autem cùm poſt balneum paucula aqua præbibita, fœnum græcum, radiculam, & id genus alia (quæ ante alios cibos omnes ferè ſumere conſueuerunt) ſimiliter & ipſe ſumpſiſſet, vinúmque dulce quantitate mediocri adbibiſſet,comedit deinceps * maluas cum oleo,& garo,& pauco vini,& poſt illa,piſcis quidpiam,ſuillæ,& auis: deinde cùm ſecundò bibiſſet,pauco tempore intermiſſo,ſumpſit pira auſtera: poſtà deambulatum progreſſi,non multùm deambulauimus,cùm venter illi maiorem in modum eſt ſolutus. Quæ cùm eſſem conſpicatus,pactus ſum cum amico,vt poſtridie quæ ad ſuam victus rationem pertinerent,mihi committeret.Qui cùm mihi promptè eſſet aſſenſus,prima omnium poſt balneum, pyra exhibuit: deinde alia deinceps, vt conſueuerat: quibus peractis, non modo non vehementer, ſed ne mediocriter quidem aluum deiecit. Mirabatur ſanè (vt par eſt) rei euentum, cauſamque eius à me ſciſcitabatur.Cui ego hæc quæ nunc referam,expoſui: nam cùm garum (inquam) vnà cum iis,quæ cum eo ſumpſeras, aluum ſuapte natura ſubducat, adſtringentia poſtremo loco ſumpta, iis potiſſimùm, qui ſtomachum habent imbecillum, deiectionis ſunt cauſa,ventriculum roborantia,& ad expellendum deorſum quæ in ſeſe continet,incitantia: quod magis(inquam) fatebere, ſi cras prima omnium adſtringentia ſumpſeris: ſecunda autem poſt illa, carnoſa: omnium poſtrema, quæ cum garo & oleo manduntur, &c. Gal.* lib.2. de aliment.facult. cap.22.

PARAPHRASIS.

HAc hiſtoria latè Gal. confirmat, iis qui ventriculum habent imbecillum, ventrem deiici, cùm poſtremis epulis adſtringentium quidpiam fuerit aſſumptum; ſi verò prima menſa, aluum ſiſti. Garum enim, oleum, malua piſcis,cùm ſuapte natura ventriculum ſubuertant; adſtringentia verò roborent ac firment, ſtipticitate ſua & compreſſione, exprimunt deorſum tenues cibos, eóſque ante tempus per aluum propellunt. Hoc ita eſſe,eleganti quadã hiſtoria *infrà, in hoc cap.* comprobauit, iuuenis cuiuſdam, qui accepto ſcammonio,cùm horis quinque poſt id acceptum prẹterlapſis,nihil deiiceret,immò ſtomacho preſſus, tumidus,ac grauatus,pallidus,attonitus,atque animi incertus affligeretur, aſſumpto malo adſtringente, punico, aut pyro,copioſiſſima ex ipſius ventre facta excretione,à tantis malis fuit liberatus: quam hiſtoriam vtpotè huic ſimilem idcircò non appunximus.

His edocti Medici,ad prouocandum alui fluxum,emollientia primo loco;ad ſiſtendum verò adſtringentia edenda ſuadent: illa enim ventrem lubricant, fluidũque reddunt:

hæc

hæc roborāt,& corrugant fundum ventriculi,arctántque ſua ſiccitate, vt alimentum deſcendere nequeat.

Maluam ventrem emollire, teſtis eſt Gal. *lib.2.de alim. facult.cap.42.* hæc enim facilè ſubducitur,non modò propter humiditatem,verùm etiam propter lentorem,ex Paul. *lib.1. cap.74.* qua de cauſa veteres ad molliendam aluum vtebantur ea,vnde Martialis *lib.10.*

Exoneraturas ventrem mihi villica maluas
Attulit, & varias quas habet hortus opes.

Maximè ſi cum oleo ſuapte natura ventrem molliente, ex Galen.*lib.3. ſimpl.18.* & garo edatur. Garum autem eſt liquor piſcium ſalſus, qui olim conficiebatur ex piſce, quem Græci garon vocabant: & quamuis nunc ex infinito genere piſcium fiat,nomen tamen priſtinum retinet, à quo initium ſumpſit; qui liquor ſalis vi, ventrem proritat. De cuius effectu, vi, & varia parandi forma, ad priſcorum mentem diſceptarunt ingenuè Hermolaus Barbarus *lib.2.corollar.c.234.* & eruditiſſimus Ludou. Nonnius *lib.3.de re cibaria,cap.41.*& non ſiluit omnigenæ lectionis vir, Lælius Biſciola *tom.2. horar. ſucceſſiu. in appendice lib. vltimi.* Alimenta autem auſtera, adſtrictoriam habere facultatem, nulli eſt non manifeſtum, & probat Galen. *lib.4.meth.7.& lib.4.de comp.medic.ſec.gener.cap.5.& lib.6. eiuſd.cap. 3.* His factis, & ordine ſic viuendi immutato, Rhetor iſte euentum admiratus, nunquam ampliùs alui fluxum eſt perpeſſus.

QVÆSTIO XLIV.

Quod alimenta tenuia debeant præcedere craſſa. Contra Concil:atorem, & Gentilem, Medicos acutiſſimos.

COMMENTARIVM.

M*Aluas cum oleo, & garo.*] Qui ſanitatis conſeruandæ præcepta,ſaluberrima literis tradidere,illud in quæſtionem vertere ſolent:num alimenta tenuia debeant præcedere craſſa. Videtur non eſſe obſeruandum vllum ordinem in aſſumendis cibis,nam ſi auctore Gal. *l.2.de ſympt. cap. 3.* ventriculus non aperit orificium infernum, antequam cibus comminuatur, & ad perfectam coctionem fit redactus, parùm refert hæc vel illa, primo vel ſecundo loco aſſumere, ſi ſuperiora cum inferioribus, & hæc cum illis exactè permiſcentur, coquuntur, & ad vnicam cremoroſam formam rediguntur.

Conciliator *diſ. 11.* arbitratur alimenta, qua alimenta ſunt,& non aliquem lapſum caſtigent,accepta, quæ craſſiora ſunt,ac concoctu difficiliora præaſſumenda eſſe,quoniam ventriculi fundum calidius eſt, & carnoſius, ſicque maiorem ſortitur concoquendi vim,organúmque concoctionis nūcupatur; pars verò ſuperior,frigidior, neruoſior calidiſque viſceribus minùs vicina, organúmque appetentiæ dici ſolet. Quare ſi debet ſeruari proportio inter calorem coquentem,& obiectum quod patitur,conſentaneum videtur rationi, vt in parte ventriculi calidiore alimentum difficulter alterabile conſiſtat, & in parte minùs calida,quod faciliùs coquitur,immoretur:quo dato omnia in eodem tempore coquentur, & ſimul ab ipſo poſt coctionem expellentur: aliter ſi coctu facilia ingeras priùs, ob exceſſum caloris, ea in imo ventriculi corrumpentur diutiùs retenta.

Gentilis Fulginas, licèt ſubtiliſſimus, in eodem luto hærere videtur,*in com.c.3.* Auic.*fen.13.3.tract.4.* ampliùs referens, quoſdam eſſe cibos craſſos difficilis coctionis, qui tamen è ventriculo citò deſcendunt, vt carnes ceruorũ,& olera: quoſdam facilis coctionis,qui minimè lubricant. Tunc infert, ſi comparemus cibos labiles è ventriculo,non labeſcentibus,labiles eſſe præaſſumendos,interpoſito tamen ſpatio temporis, ne vnà cibi labantur, & hoc ciborum duntaxat ratione, & medelæ cauſa obſeruādum cenſet. Si verò cibum facilis coctionis non facili comparemus,tunc ſi diuerſitas vtriuſque(quod ad coctionem ſpectat)modica ſit,qui paulò difficilior concoctu eſt, permitti debet. Si verò multa diuerſitas intercedit, vt in-

A ter pullinam,& vaccinam carnem,tunc qui facilè concoquitur,præmitti debet,nam ſi poſtponatur,cùm citò concoquatur, vlteriùs concocta corrumpetur, viam non habent: quare præaſſumi debet, vt poſtquam cocta fuerit, è ventriculo explodatur,remanente alio cibo,qui difficilis coctionis eſt.In ſui confirmationem,aſſerit pylorum reſerari toties, quoties ſibi portio pleniſſimè concocta eſt. Quapropter etſi cibus vniformis ſit, quia tamen faciliùs ac citiùs, qui in fundo eſt concoquitur, idcircò oportet pylorum aperiri, vt explodatur. Hæc eſt Gentilis opinio, quam nouam,ac ſuam eſſe gloriatur.

Galenus cibos tenues præaſſumendos eſſe non ſemel inculcat; ſeu ſoluere ventrem, ſeu edere propoſitum ſit, niſi ventrem cohibere, adſtringeréve velimus, prout in hac hiſtoria ipſe confirmat.Nam *lib.3.acut.com.22.& lib.3.*
B *de ſympt.cauſ. cap.10.* id confirmat,& apertiſſimè *lib.2. de alim. facult. cap.11. §. Satius enim fuerit ſcire, ex cibis qui ſubducuntur, poſteriores quidem ſumendos eſſe qui tardè permeant, omnium autem primos, qui celeriter quidem peruadunt corrumpuntur tamen ſi in ventriculo morentur diutius, &c.* & *loc. cit. de ſympt. cauſis*, inter cauſas propter quas corrumpitur coctio ventriculi, reponit ordinem præpoſterum ciborum, vt ſi v. g. primo loco aſſumantur mala cotonea, deinde verò olera cum garo & oleo. Et cùm alimenta, tardi citive tranſitus eſſe comperiantur,aliàs ob naturalem noſtram ab initio conſtitutionem, aliàs ob ventris diſpoſitionem adſcititiam, nonnunquam ob peculiarem aliquam eſculentorum ac potulentorum ſubſtantiam, hinc fit, vt non vno ciborum genere venter ſoluatur, tum omnibus, tum eidem homini perpetuò; nam quibuſdam venter ſubducitur lentis, ac præ
C humidis, vt triplice, blito, maluis, ac cucurbita; quidam acribus, inciſoriis, ac abſtergentibus, vt qui cùm ſinapi, betam, ac porrum ſumpſit, eorum ope inciſam pituitam largiter excreuit. In his omnibus ſecundùm cuiuſque indigentiam, qui citare ventrem poſſunt, priùs ſunt offerendi.

Hoc placitum defendunt Auicen. *4. 1. cap. 1. & 3. 1. doct.2. cap.7. poſt princip.* dum inquit, *quòd ſanitatis conſeruator in ciborum aſſumptione ordinem ſeruare debet, ita vt id quòd facilè digeritur, præcedat; ſequatur verò deinde, id quod difficilè digeritur.* Rhaſis *25.contin. cap.1.* retulit cibum, qui concoctu facilis eſt, præaſſumendum eſſe, per hæc verba. *Vnde ſi appetis in vno cibo, vti duobus cibariis, vno velocis digeſtionis, & alio tardæ; illud velocis digeſtionis præcedat aliud tardæ digeſtionis, vt tendat ad fundum ſtoma-*
D *chi, &c.* Et *in eodem capite* refert, *quoties ſumis in vno cibo duo cibaria, quorum vnum velocioris alterationis eſt altero, vnum corrumpet aliud, impedito cibario velocis alterationis, per cibarium tardioris alterationis; & inde corrumpetur in totum nutrimentum ciborum, & hoc appellatur malitia ordinis, &c.* Hæc ille. Sequitur Iſhac *lib. 6. de diæt. vniuerſalib.cap.4.& 20.* Approbant Valleſius *lib.2. controuerſ.4.* Chriſtophor.à Vega *lib.2. art.med. ſect. 3. inxtà fin.* Horat. Augenius *tom.1.epiſtol.lib.1.epiſt.1.* Ludouic.Mercat. *tom.1. quæſt.164. num. 18.* Santorellus *lib.15. antepraxis, cap.14.*

Cæterùm, licèt in vniuerſum cibi qui aluum mouent, ſint præaſſumendi, illi tamen potiſſimum id expoſcunt, qui ſuaptè lentitie, & humiditate ventrem ſoluunt; hi enim ſi poſt alios cibos edantur, faciliimè corrumpun-
E tur; imum enim ventrem petentes,atque à reliquis cohibiti, in ſuperficie natantes corrumpuntur,quoniam præhumidi ſunt, ac praui ſucci: quare vltra generale præceptum hoc habent peculiare, quòd ſua humiditate ventrem moueant, & praua qualitate ventriculum cibos amplecti prohibeant, qua de cauſa prauè concoquuntur. Hæc omnia perbellè expreſſit Galenus *lib. 1. de aliment. facultat.19.* de perſicis ſermonem habens, dicens. *Nunc autem diſcas, quòd ſcilicet ipſorum ſuccus, & caro facilè corrumpitur, prauáque omnino eſt; quocirca (quod quidam facere ſolent) non ſunt poſt alios cibos mandenda: corrumpuntur enim in ſuperficie natantia. Sed in omnibus, quæ praui quidem ſunt ſucci, verùm humida ſunt, & quæ ſubduci facilè queant, id communiter tenendum, ea ob id ipſum ante alios cibos eſſe ſumenda,*

ſumenda, ita enim fiet, vt & citiùs ſubducantur, & aliis cibis viam muniant, quæ ſi poſtremo ſumpta fuerint, vnà ſecum alia quoque corrumpent, &c. Idem *cit. lib. cap. 31. de prunis* comprobauit.

Aliorum verò argumenta, contrahentium nullum eſſe ſpectandum ordinem in aſſumendis cibis, nihil concludunt; nam etſi verum ſit coctionem fieri permixtione, non intelligendum eſt quòd ſuperiora cum inferioribus miſceantur, quilibet enim cibus in ea parte, in qua conſiſtit, alius tardiùs, alius citiùs concoquitur.

Et licèt verum ſit, quod obiiciebat Conciliator, adeſſe aliquod inter partes ventriculi diſcrimen, cùm pars inferior ſit carnoſior & calidior, tamen ferè nunquam hæc proportio inter cibos, & has partes reperitur, hoc eſt, non in æquali proportione vna pars excedit aliam, qua excedit craſſum tenuis cibus in facilitate corruptionis. Et licèt inueniatur, alienum à ratione eſt concedere, quòd cibus difficilis coctionis debeat præcedere, cùm reuera periculum corruptionis ciborum immineat.

Pylorum autem reſerari toties, quoties cibi portio concocta eſt, opinio eſt ad libitum inuenta, nec eam, quantum legere licuit, apud Galenum pro Gentilis defenſione potui inuenire: illud ſolùm conſtat, eundem Auctorem *lib. 3. de facult. natural. c. 4.* contrariam Gentili habuiſſe ſententiam de pylori apertione; quo loco propia experientia, eáque anatomica edoctus, *ventriculum non aperire inferius os, quouſque cibi exactè ſint concocti,* manifeſtè pronunciat: *peracta verò coctione ventriculum abundè ſaturum, reliquum vt oneroſum à ſe depellere, tunc enim aperto fundo excidunt facilè cibi, etiamſi lapides, oſſa, acinos, aliáve, quæ verti in cremorem non poſſunt, plurima ſecum habeant. Nam viuente animali, ventriculum non perpetuò,* inquit ipſe, *ſed poſt aſſumptos cibos, ſupernè eos, infernéque, & vndique arctè complexum, ac immotum adeò vidi, vt cibis vniri, & iis vndique adhærere videretur. Quo tempore etiam pylorum conniuentem, clauſúmque ad vnguem inueni, non ſecus ac prægnantibus os vteri; at poſt concoctionem conſummatam, recluſum pylorum inueni, &c.* Hæc ſi vera ſunt, vt profectò ſunt veriſſima, luce meridiana clariùs liquet, Gentilem virum cyclicè doctum, à Galeni mente prorsùs aberraſſe.

DVBIVM XLVIII.

Num varietas ciborum pro ſanitatis tutela, vtilis ſit,

M*Aluas cum oleo, & garo, pauco vini, ſuillæ, piſcis, auis.*] Varietatem ciborum reprobam eſſe, vtpote ex qua numeroſa oriatur morborum ſtrues, veterum ſcientiſſimi conſcripſere. Galenus enim *lib. 1. de rat. vict. in morb. acut. com. 18.* ob duas cauſas ciborum varietatem maximè condemnat: & quòd ingeſta ipſa probè concoqui prohibeat; cùm enim iucunda ſit & delectabilis, appetentiam maximè excitat, & ſic plus aſſumitur, quàm ventriculus retinere aut concoquere poſſit: & quòd diuerſi cibi cum repugnantes habeant facultates, ventriculum impensè perturbent. Quare idē Gal. *lib. de vict. priuat. com. 22.* affirmat, *vnicum vinum bibere. & vnicum cibum edere, eſſe conſeruationi ſanitatis ſalutare valdè;* quoniam ventriculus magis retinet, & meliùs concoquit. Argumento ſunt rurales homines, & laboribus dediti, qui ſimplici vtentes victu, robuſti ſunt: contra variis epulis aſſueti, imbecilles; & morbis valdè obnoxij. Confirmat hanc ſententiam Horat. *lib. 2. Satyr. 2.*

——— Variæ res
Vt noceant homini credas, memor illius eſcæ,
Quæ ſimplex olim tibi ſederit, at ſimul aſſis
Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis,
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachóque tumultum
Lenta feret pituita. ———

Idem aſſerit Auicen. *3. 1. doct. 2. cap. 7. in med. §. Et nihil quidem deterius eſt, quàm diuerſa nutrientia ſimul adiungere, &c.* & *in fin. §. Cibaria quoque diuerſa à duabus impediuntur partibus; vna earum eſt, propter diuerſitatem eorum in digerendo: & quoniam quod ex iis eſt digeſtum, ei admiſcetur, quod non eſt digeſtum. Et ſecunda, quoniam aliquis plus poteſt comedere ex vno cibario, &c.* In eadem ſententia eſt Plin. *lib. 2. c. 5. Hominis cibus vtiliſſimus ſimplex, aceruatio ſaporum peſtifera, & condimenta pernicioſa.* Nam, vt ait Plato *l. 3. de republic.* ex ciborum varietate varij naſcuntur morbi, ob dictas cauſas, quas multò anteà recitauerat. Hip. *l. de flatib. num. 9.* quoniam varij cibi ſeditionem, hoc eſt, perturbationem in ventriculo mouent; alia enim citiùs, alia difficiliùs concoquuntur, cibi enim varij licèt faciliùs edantur, coctioni tamen ſummoperè reſiſtunt, teſte Celſo. *lib. 3. cap. 6. iuxta fin.* ſicque aſſumendi non ſunt ex Paul. *lib. 1. cap. 72.* quoniam morboſi ſunt, ex Philoſopho *1. ſect. probl. 15.*

Simplicem cibum, multiplici & vario eſſe præferendum, lata oratione contendit Diſarius Medicus clariſſimus, apud Macrobium *lib. 7. Saturnalior. cap. 4.* cuius rationes in vnam redigemus ſummam. *Nam pecudes, quæ ſimplici, & vniformi cibo contentæ ſunt, ſaniùs degunt: contra altiles, quæ offis compoſitis, & variis condimentis aluntur, magis implicantur morbis, ſicut & illæ quæ ſanguinem compoſita varietate patiuntur, adeò facilior digeſtu eſt alimonia ſimplex. Qui ſimplicem cibum ſumit, facilè quo ſucco eius corpus vel iuuetur, vel grauetur, vſu docente, cognoſcit. Qui multiplici cibo alitur, diuerſas patitur qualitates, ex diuerſitate ſuccorum pronatas: nec concordant humores ex materiæ diuerſitate naſcentes, nec efficiunt liquidum purúmve ſanguinem, in quem iecoris miniſterio vertuntur, & in venas cum tumultu ſuo tranſeũt: diuerſorum enim ciborum, diuerſa natura eſt, ſimplex autem cibus non habet coctionis controuerſam moram, dum in ſimplicem ſimul ſuccum vertitur. Deinde alimentorum varietas varia recipit condimenta, quibus gula vltra quàm neceſſe eſt, laceſſitur, & fit inde congeries, cum pruritu deſiderij amplius, vel certè de ſingulis parua libantur, quare alimentorum varietas repudietur, vel propter hoc quia voluptatis plena eſt:* de qua quæſtione Plutarch. *lib. 4. Sympoſ. quæſt. 1.* egit ſatis eleganter, & doctè.

Hæc eſt veterum ſententia, ratione, experimentóque firmata: contra quam plura obiici poſſunt. Primò. Corpora contrariis & diſſimilibus qualitatibus ſunt compoſita, ex calido enim, & frigido, & ſicco, & humido conſtamus. Cibus verò ſimplex, ſuccum de ſe vnius qualitatis emittit: multiplex ergo aſſumendus eſt, vt quælibet pars ſimili, & proprio gaudeat temperamento.

Secundò. Varietas alimentorum iucunda eſt & delectabilis, & ob id maximè commendatur ab Hipp. *2. aph. 38.* quare ſi ventriculus varia, & iucunda meliùs retinet & concoquit, ciborum varietas reprobanda non eſt.

Tertiò. Sicut alimenta intemperata, coctione fiunt temperata, ex Gal. *4. ſimpl. 26.* ſic alimenta varia & diſſimilia, coctione & permixtione in ventriculo ſolent attemperari, ita vt chylus temperatus, & ſanguis nutritioni idoneus generari queat.

Vltimò. Gal. *lib. 5. de ſanit. tuend. cap. 4.* refert Antiochum Medicum, & Telephum grammaticum diu vixiſſe illæſis ſenſibus, & integris membris ad poſtremum vitæ curriculum perueniſſe, quoniam ij artis Medicinæ præcepta obſeruabant: At hi, vt inquit Galen. variis cibis vtebantur, & in cœna oleribus, obſoniis, piſcibus, & carnibus veſcebantur. Ergo varietas ciborum tantum abeſt vt nocua ſit, vt potiùs longæuos faciat. Exemplo ſint frugales & ſobrij, qui varia alimenta in prandio, & cœna edentes, optima valetudine fruuntur.

Aduerte, varietatem ciborum aliquando eſſe paruam, & contemnendam, quia noxa illius facilè iucunditate corrigitur: interdum eſſe magnam, non ſolùm in facilitate aut difficultate coctionis, ſed in temperatura, & aliis facultatibus; tunc ſi plures cibi æquè ſumantur, nocere ſolent, nam in ventriculo perturbationem mouent. Hæc varietas vitanda eſt, tanquam ſaluti noxia, & aduerſa. Si verò vnus; aut alter cibus ſumatur potiſſimum ad nutriendum, & reliqui ſumantur vt coadiuuantes, veluti ſalſamenta pro excitanda appetentia, & condimenta pro exceſſu intemperamenti alterius cibi corrigendo, & alia ad roborandum ventriculum, & abſumendos flatus; tunc hæc varietas non euitari. ſed commendari debet.

His

His poſitis, primum argumentum dilues,ſi dicas, ſemper ex vnico,& ſimplici cibo generari chylum in ventriculo, & ſanguinem in iecore ſano, in quo ea reperitur varietas, quæ neceſſaria eſt pro nutriendis partibus. Ad ſecundum dic. Ciborum varietatem iucundam eſſe,appetitúmque excitare, faſtidioſis maximè neceſſariam; ſanis & benè appetentibus periculoſam, ob rationes dictas. Tertium diſſolues hoc modo. Intemperata, coctione attemperantur:in ventriculo autem hoc perfectè fieri poſſe inficiamur, nam eorum, quæ diſſimilibus facultatibus conſtant, occurſu, ita ventriculus perturbatur, & illius actio adeò læditur: vt deinceps neque permiſcere, nec coquere queat. Vltimùm ſolùm probare contendit, varietatem ciborum eſſe vitandam, quando omnes æquè principaliter ſumuntur ad nutriendum: eam verò eſſe approbandam, quando cum vno alimento, reliqua pro ſallamentis, condimentis, aut medicamentis eduntur, quod non negamus. Sic *duo cibi prodeſſe poſſunt, ſi alter, alterius vitium emendet*; teſte Auicen. 3. 1. *doct.* 2. *cap.*7. Ex quibus patet ſolutio argumentorum, quæ Macrob. *loc. cit, cap.*5. pro contraria parte adſtruere conatur, quæ per otium legere ne graueris,& Antonium Panſam *lib.de proroganda vita, c.*32. qui argutulè de hoc negotio diſceptauit. Cætera verò de ratione victus in ſanis obſeruanda, accuratiùs trademus *lib.*3.*hiſtor.*24.

HISTOR. LXXXI. GALENI, De alui fluxu.

Celer à mordicatione excretio, inferiorum inteſtinorum diſpoſitionem ſignificat.

*ITa in alio quoque, vbi celeriter * à mordicatione ſequebatur excretio, diſpoſitionem ad inferiora retuli inteſtina:hunc igitur iniecto medicamento ſanaui, quippe certò ſciebam,quòd proxima ventriculo partes exhibitis ſupernè tum cibis,tum potibus; quæ verò non multùm à ſede diſtant, infernè iniectis medicamentis promptiùs adiuuarentur, &c. Galenus* lib.1. de loc. affect. cap.4.

PARAPHRASIS.

QVantum referat ad morbi curationem, ſitum partis affectæ internoſcere, hoc exemplo oſtendit Galen. nam inter inteſtinorum mala, tormina eſſe conſueuerunt,à mordaci humore,acri,& abradéte ferè ſuborta, ex Celſo *lib.*4. *cap.*15. qui interdum diarrhœam, aliquando dyſenteriam concitare ſolet. Licèt enim prouidè natura, ne in perpetua paſſione verſaretur animal, inteſtinorum ſenſum, qui ratione membranarum, & obiecti continuò irritantis, nempe ſenſatæ bilis acrimoniæ erat exquiſitiſſimus, hebetiorem aliquantulum reddiderit; nam interiorem tunicam, pingui concretóque humore oblinuit, qui & læuitate obtunderet, & craſſitie prohiberet acrimoniam, eiúſque deſcenſum lubricitate promoueret, tamen cùm interiùs neruulis ſint contexta, vt bilis ad ea ex lege naturæ delabentis feritatem, ac mordacitatem perſentirent, eámque à ſe depellerent, idcircò ſenſu prædita ſunt acerrimo. At cùm bilis interdum acris in corpore in copia multa redundet, ad inteſtináque confluens, ea acrimonia ſua abradat, vellicet & pungat, multoties inferiora, aliquando ſuperiora vexat & premit.

Num verò malum in ſuperioribus ac tenuioribus inteſtinis, vel inferioribus ac craſſioribus conſiſtat, hoc ſigno docet agnoſcere Galenus:nam ſi multo poſt mordicationem tempore deiectio fit, in ſuperioribus affectio eſt; at verò ſi mox à dolore deiectio ſequitur, inferiora ſunt affecta. Hoc enim ſignum magnum ad curationem afferre ſolet momentum: nam qui ſuperiora inteſtina affecta habent, medicamentis epotis; infuſis verò per clyſterem ſanantur, qui inferiora inteſtina læſa habent: & hoc eſt quòd dicitur in contextu, *iniecto medicamento*, hoc eſt,infuſo ipſe ſanaui.

His alia ſigna adiungit. Galenus *lib.* 6. *de loc. affect. cap.* 2. oſtendens, num pingue quidpiam vnà cum ſtercore deiiciatur: quoniam ſi ita euenerit, in craſſis affectionem conſiſtere credendum eſt. Si verò cruor excernatur, intueri oportet, vtrùm is reliquis excrementis ità ſit admixtus, vt vniuerſus miſceatur vniuerſis, an pars eius aliqua reliquis ſupernatet. Etenim ſi admixtus eſt, in ſuperioribus; ſi verò ſupernatet, in humilioribus vlcus eſſe portendit. Verùm vbi neque deiectiones, iis quæ ab vlcere emanant admodum permixtæ, neque omninò diſcretæ apparent, coniiciendum eſt in mediis potiùs inteſtinis affectum exiſtere, Tralliano auctore *lib.*8. *cap.*7. Nam cùm excrementa cruore multo confuſa ſunt, quia diu ſimul iter agunt, graciliora eſſe affecta coniectandum eſt; ſicut craſſa & infima, cùm ſeorſim, aut parùm permixta cum ſanguine apparent. Similis quoque ratio de cruſtulis habenda eſt. Nam ſi ramenta craſſa & copioſa cum excrementis exeant, craſſa inteſtina abradi dices; ſicut tenuia, ſi pauca & gracilia. Ampliùs ex loco doloris ſupra vmbilicum, gracilia; ſicut dum infrà vrget, craſſa eſſe affecta coniicies. Item grauiores exiſtunt tenuium, quàm craſſorum dolores. Hæc & alia ex Aëtio, Paulo, Auicen. & cæteris, ſigna poteris mutuari, qui de diarrhœa, dyſenteriáque proprium caput conſcripſerunt.

QVÆSTIO XLV.

Quòd in alui profluuio ſanguinis miſſio ſit ex vſu, vt voluit Gal. Contra Peredam, & com. medic. ſententiam.

COMMENTARIVM.

A Mordicatione.] Inter plura, præſtantiſſimáque præſidia, tum infernè iniecta, tum in potum exhibita, à Medicis vnanimi conſenſu, pro alui fluxu à mordaci humore concitato curando comprobata, nullum venæ ſectione ſalubrius exiſtit, de cuius adminiſtratione cùm ipſi inter ſeſe digladientur, placuit de hac re cenſuram noſtram interponere. Galen. *lib.* 4. *acut. text.*116. in hæc verba prorumpit. *Fluente aluo ſanguinem non detrahes, Nam ſi poſt detractionem perſeueret fluor, virtutem proſternit, &c.* Similem ſententiam protulit *lib.* 1. *ad Glaucon. cap.*14. §.*Sed neque ſi fuerit febris cum profluuio ventris,alia eſt opus vacuatione: verùm hac ſola ſufficit, quamuis non ſit pro multitudinis ratione: quicumque enim his plus adimere ferè neceſſarium putantes, aut ſanguinem mittere, aut ventrem mouere tentauerunt, in grauiora pericula duxerunt, &c.* Huc alludit Auicen. 10.3. *tract.*5. *cap.*2. *in fin.* qui præſente alui fluxu phlebotomiam condemnat. Deinde ſi ſanguinis miſſio prouocat alui fluxum, apud Galen. *lib.* 9. *meth.* 4.*lib.*1. *aph.*23. nam ea celebrata aluus rumpitur, cur in diarrhœa celebranda imperabitur? His teſtimoniis adducti plurimi,prorſus à ſanguinis miſſione in diarrhœa abhorrent, eámque vel etiam præſente febris vehementer execrantur: nam & vires ex fluxu debiles ampliùs deiicit, neque bilem trahit, neque mordicationem curat.

Pro parte contraria plures ſunt, eæque non contemnendæ rationes. Qui enim in ſymptomatica diarrhœa in initio febrium eueniente, venæ ſectionem condemnat, is rectæ medendi normæ contradicit, & experimentum fidiſſimum impugnat. Si enim hæc vacuatio in initio morbi accidens, (cæterarum vacuationum inſtar) eſt ſymptoma præter naturam, earum quæ ſunt in corpore diſpoſitionum, oſtendens naturam à cauſis morbum facientibus grauari, cur cauſa huius ſymptomatis amolienda non eſt? Deinde ſi in febrium initio ſudores,& rigores à copia grauante ſuborti eueniant, quid faciendum? niſi extracto ſanguine ægrum & à febri, & ab humorum ſarcina naturam leuare? ſi ſic humor mordax, igneus, & calidus ad ventrem corruiet à toto, ſaluberrimum eſt

ſanguinem aperto vaſe haurire. Hac facta ventilatur cor-pus, tranſpirant vaſa, inteſtina acri humore occupata, ceu incendio oppreſſa leuantur, & ab vlcere præſeruantur, re-trahitur humor abradens & ſqualidus, qui dolore & ca-lore continuò ad ſeſe materias attrahens à toto de nouo irritatis inteſtinis fluxionem accerſit, refrigeratur iecur, à qua parte totius mali ferè ſcaturigo eſt, & ſic cohibetur fluxus. In hunc ſenſum intelligendus Auicenna 4.1.c.20. dicens: *Amplius phlebotomia propterea quòd ad diuerſum trahit, naturam ſecundùm plurimum retinet, &c.* & vt legit Iacobus Mantinus, *aluum valdè aſtringit.*

Quamobrem cùm magna febri torquentur ægri, quum acerrimus humor, à venis & iecore confluit in inteſtina, vlcera & inflammationes paraturus, conſtantibus viri-bus conſultiſſimum eſt ſanguinem in biliosâ diarrhœa detrahere. Nam ſi in dyſenteria, tum ex veterum, tum iuniorum ſententia, ſanguis eſt emittendus: cur in diar-rhœa biliosâ, quum initio morbi vires adſunt liberales, nec robur facultatum imminutum, ſecuriſſimè non ad-miniſtrabitur? Sic Hippocrat.6.*epid.ſect.*2.*text.*17. reuel-lenda eſſe, monuit, quæ, quò non expedit, repunt. Sic Gal.*lib.de reuulſione, cap.*2. in fluxione ad ventrem, ad ma-nus reuellere docet: ex reuellentibus autem præſidiis præ-cipua eſt venæ ſectio; nam materiam fouentem fluxum extirpat, malam membrorum qualitatem deponit, & hu-morum acredinem emendat.

Hæc ſi ſit facta cum ſciſſura tenuiſſima, minùs vires deiicit, nam ſic minor ſpirituum copia exhauritur: & ſan-guis morosè, lentéque extractus, quaſi per riuulos aliò auertitur; & per vices ſectio ſi partiatur, præſtantior reuulſio fit: *quantò* enim *maiorem in numerum particulares auxeris detractiones, tantò efficaciorem efficies*, inquit Galen. *lib. de curand. rat. per ſang. miſ.cap.*11.*in fin.& lib.*5. *meth. cap.* 3. Quare ſic facta potentiùs reuellit, & calidam ie-coris, & venarum intemperiem corrigit atque refrænat: nam extrahendo calidam ſubſtantiam refrigerat, ex Gal. *lib.*10. *meth.cap.*10.*& lib.quòd animi mores, cap.*3. Auicen. 2.1.*doct.*2.*cap.*17. Medicum autem quantum oporteat ſol-licitum eſſe in fluxibus de refrigerando iecore, hoc exem-plo fit manifeſtum.

Obſeruatio XIV.

Diarrhœa bilioſa, ſola ſaluatellæ ſectione curata.

LAborauerat iuuenis quidam bilioſus ſatis, vigente cane, bilioſa diarrhœa, ex qua (omnibus celebratis, præſidiis, iiſque non conferentibus) in tabitudinem ſummam, & mortis fauces erat delapſus. Tandem lacte chalybeato vſus, nullum leuamen ſenſit. Cur ita? quo-niam Medici de cohibendo fluxu ſolùm erant ſolliciti, nulla de hepatis intemperie calida, commemoratione facta, quod monuit Galenus *lib.*4.*de articul.comment.*40. dum ſic ait. *Plerique Medici neglecto iecinore, vlceri dun-taxat inteſtinorum medentur, atque idcircò ægrotantes preci-pitant, &c.* Quare cum diarrhœa bilioſa ſit finitima dy-ſenteriæ, & à iecoris caliditate intenſa oriatur, non du-bitaui iecur roborare, & refrigerare vnguentis extra applicitis, & ſaluatella ſecta dextræ manus, à qua vena ſanguis parcè extractus ita contulit, vt poſt tres dies cohibito fluxu, paulatim vires æger reſumeret: hæc vena ſecta furtim ſanguinem exhaurit, parum debili-tat, potenter reuellit, & incantamenti modo iecur ro-borat, & temperat. Nec mireris in ægro extenuato ſan-guinem emiſiſſe: nam Galen. *lib.*6.*epidem. ſect.*3.*com.*29. in extenuatiſſima Romana copiosè ſanguinem em ſit, *& lib.*5.*meth.*14.in phthiſi ſanguinem extrahit, edoctus ab Hippocr.qui *lib.*5.*epid. num.*2. tabeſcentem, ſecta in vtra-que manu vena, quouſque exanguis redderetur, à macie liberauit.

Proinde vbi dolor vehementiſſimus fuerit, ob acrium humorum copiam concitatus, ad præſeruanda inteſtina ab vlcere, & inflammatione, phlebotomia præſtantiſſima eſt. Hæc ſi expendiſſet. Pereda *in com.cap.*36.*lib.*1.*Paſcalij*, non ita redargueret eos, qui in initio diarrhœæ ſangui-

A nem emittunt: maximè cùm hæc doctrina à Galeni me-thodo non ſit aliena, vt Medici hactenus perperam ſunt opinati. Audi ipſum *lib.*1.*prorrhet.ſect.*3.*com.*49. *Diſtinctio autem eſt, quibuſdam morbi in principio, ſi vires valentes, vel ſanguinis redundantiam habeant, vel pituitæ, vel alterutrius bilis: nam ſi valenter excernantur, ſanguiniſque abundantiam habeant, quod ſectione venæ, non vomitu, aut ventris purgatio-ne indigeant, neminem latet, &c.* Ex quo loco liquet, valen-ter fluente aluo ſanguinis detractionem eſſe ex vſu. Pro-bat erudititiſſimus Petr. Vaezius *in com.med, cap.*20.

Nam Hip. vt ad primum argumentum pateat reſponſio, fluente aluo criticè, ſanguinem non detrahit: vel fluente ſymptomaticè, ſanguinem non emittit copiosè. Mens ergo Hip. ſicut Gal.*l.*1. *ad Glauc.* quod ex fluxu alui magna ſu-matur indicatio, ad ſanguinis miſſionem vel prohibendã,
B vel moderandam: non quòd in febre cum profluuio alui, ob copiam concitato, ſemper ſit abſtinendum à venæ ſe-ctione, cùm ſæpiſſimè contrarium feliciter contingat, ſed cautos reddit Medicos, ne præſente alui fluxu, cuius cauſa vires fatiſcunt, tantum ſanguinis emittant, quantum exigit diſpoſitio, ne geminata vacuatione vires proſternantur; quum aliquid ſit relinquendum ſymptomati, cuius cauſa ſæpè ſudores eueniunt, & vires debilitãtur. Itaque (inquit ipſe *cit.ad Glauc. loc.*) *ſi vehementiſſima vigiliæ, aut dolor in-tenſus hominem infeſtent, cauenda eſt ſubita ac multa vacua-tio. Sic in fluxu ventris, copioſa, & ad animi deliquium facta vacuatio eſt prohibenda, cuius ope rumpitur aluus.* Ergo ob dictas cauſas, amplectenda parca & moderata, cuius vi & beneficio alui profluuium compeſcitur. Demùm *lib.cit. prorrhet.* approbat venæ ſectionem in fluore alui, ſi vires
C ſint valentes: *cit. lib Glauc.* & *de ratione vict.* reprobat, cùm alui fluxus ex partium debilitate oritur. Ex his pa-tere arbitror, quàm meticuloſi fuerint auctores omnes, in venæ ſectione in diarrhœa celebranda, qui eam ſicco pede pertranſeunt; de quorum numero ſunt Iacchinus, Hollerius, Vidus Vidius, & alij, textu Galeni perterriti, qui per peram intellectus, multorum hominum millia iu-gulauit. Si tamen pulchra, de alui fluxu cum febre com-plicato, ſcire deſideras, lege Caſtrenſem *lib. de complexu morbor.cap.*5. Noſtras partes acerrimè defendunt Altima-rus *cap.*37.*de medend. morb.* Nicolaus Abrahamus Fram-bæſarius *lib.*5.*conſult.diſtinct.*3.*canon.*4. Sanctorus Sancto-rius *lib.*15. *de euitand. errorib. med. cap.*12. Nicolaus Piſo *lib. de curandis morbis, cap.* 14. Carrerius *in* 1. 4. *Auicen. tract.*2. *cap.*14. *de ſuperfluo alui fluxu in febribus*, qui nu-perrimè, fusè, at eleganter Auicennæ mentem expoſuit.
D At nullus, hoc tantum auxilium, pro hoc ſæuo doman-do morbo, ex Galeni mente prolatum eſſe hactenus aſ-ſeruit.

HIST. LXXXII. GALENI,
De alui fluxu.

Alui fluxus, nec alia vacuatio in febribus tentanda, priuſquam ventriculi læſio-nem, ac debilitatem auferamus.

E *AGe enim, ſi quis febricitet, & adſit plethorica diſpoſi-tio, verùm ex recentibus cruditatibus ſit, ac morſum ſentiat, afflictùmque os ventriculi: vel ſi etiam humorem aliquem malum euomuerit, & in huius tranſitu non pa-rum fuerit offenſus, adeò vt grauiter ſe habeat, atque anxiè: nunquid hic ad febrem reſpicientes, ſolam multitudinem va-cuare tentabimus? (quod alioquin ſine moleſtia faceremus.) An priùs ori ventriculi prouidebimus, ac deinde poſtquam circa hoc benè ſe habuerit, quàm licuerit, totius corporis va-cuationem faciemus? Mihi quidem ita agendum videtur. Multos itaque ſæpiùs vidi, qui ita affecti erant, quoſdam in-teriiſſe, alios ad extremum periculum fuiſſe perductos, cùm Medici eos vacuare tentaſſent, antequam os ventriculi corro-boraſſent, &c. Galenus* lib.1.ad Glauc.cap.13.in principio.

PARA

PARAPHRASIS.

VEntriculi os in putridis febribus, (de iis enim agit Galen. *hoc in loco*) cruditatibus repleri, diuturna confirmat experientia. Cùm enim præternaturalis calor non ſit naturæ operantis inſtrumentum, cùm non ſit commenſuratus ac proportionatus, (alioquin febrientes meliùs coquerent) fit vt ventriculus prauè affectus alimentum concoquere rectè haud poſſit, ſed ex eo crudum ſuccum gignat, flatúque plenum. Deinde ſæpiſſimè in febribus contingit, humorem acrem & mordacem in ventriculi os defluere è iecore, venosóque genere, vt ex tranſitu, vellicationéque ipſum grauiter ſtimulet, ad vomitúmque compellat. In hoc ſtatu, ſi adſit plethorica diſpoſitio, (hoc enim modo veriùs legendum contextum, cum Leoniceno, & Stephano Athenienſi puto, quàm negatiuè, hoc eſt, *non adſit plethorica diſpoſitio*) neque medicamentum purgans exhibendum, neque venæ ſectio imperanda, antequam ventriculi os roboremus. Non illud; nam præterquam quòd crudi humores in ventriculo tenaciter impacti, citra maximum damnum in initio expurgari nequeunt, ex concurſu humorum, qui attractione medicamenti ad os ventriculi conuocantur, aucto nouo feruore & morſu, ſyncope, anxietas, lipothymia imminere ſolent.

Deinde. Crudis humoribus in ventriculo regurgitantibus nocua eſt venæ ſectio. Primò, quoniam innatum ventriculi calorem debilitat, & ad crudi præexiſtentis coctionem, & bilioſi mordentis impetum frænandum, & attemperandum, inneptum reddit, vnde crudi humores, extracto ſanguine crudiores redduntur: hic enim eos præſentia ſua, calore, & benignitate fouebat, ac tuebatur: in quem ſenſum intelligendus Auic. 4. 1. *cap.* 20. *& caue ne ægrum ad frigidorum ſuccorum frigiditatem perducas, &c.* Hæc eſt cauſa, ob quam 22. *meth.* 3. in febre ſyncopali ſanguinem non emittit, nec vtitur medicamento expurgante *lib.* 4. *de ſanit. tuend. cap.* 5. dum ſic ait. *Cæterùm cùm ſanguis bonus exiguus eſt, crudi humores plurimi, huic nec ſanguis mittendus; nec alui deiectio, aut exercitatio, aut omnino motus, aut balneum adhibendum: quippè inciſa vena bonum ſanguinem emittit; malum, qui in primis maximè venis circa iecur, & quod meſenterium vocant, colligitur, in totum attrahit corpus: deiectio verò in talibus tormina, & roſiones creat, animique deliquia, cum eo quòd nec notatu quidpiam dignum educit, quando omnes ſucci pigri, atque ad motum inepti, propter craſſitudinem, frigiditatémque ſunt, &c.*

Secundò, quoniam venæ inanitæ ſectionis vi, crudum humorem rapiunt ex ventriculo, febrémque conduplicant. Audi auream ſententiam Fernelij *lib.* 3. *meth. cap.* 8. §. *Sed graui ſanè diſpendio naturæ ordinem peruertit, qui impuritate relicta, purum ſyncerúmque ſanguinem profundit è venis, quique venas ſectione exinanitas implet fœda illuuie, rapta è primis ſedibus, quæ quaſi ſentina eſt omnis impuritatis, &c.*

Quapropter crudis ſuccis abundantibus, cautè per venæ ſectionem vacuabis, quoniam iis virium robur non adeſt, ex Gal. *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap.* 8. nam crudi ſucci vires maximè opprimunt, natiuúmque ignem ſua frigiditate extinguunt, & ſi in præſentia crudorum ſuccorum ſuperueniat febris, nullo modo aperienda vena, ex Gal. *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap.* 10. Licèt enim febris de nouo adueniens, intemperiem frigidam, crudorum humorum cauſa contractam, emendare queat; tamen cùm febrilis intemperantia alteri iungatur, vires adeſſe non poſſunt quoniam vires debiles ampliùs debilitantur, vt Mena doctè notauit, *in com.*

At quæres: Cur, ſi in præſentia crudorum ſuccorum ſanguis non eſt emittendus, ille *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap.* 11. in iis quibus crudorum copia inerat, ſanguinem non ſemel, ſed bis, & ter exhauſit? Sic enim ait. *Vbi verò multa vacuatione eſt opus, verùm vires ſunt imbecilliores, in his euacuationem partiri expedit, vti nimirum & me feciſſe vidiſtis, iis in quibus humorum crudorum copia inerat. Nam pauculo ſanguine detracto, protinus melicratum exhibeo probè coctum cum incidentium medicaminum*

A *quopiam, velut hyſſopo, origano, & interim etiam nepita, aut pulegio; aut certè cum meliocrato oxyme, aut oxyglycy, ac ſic rurſum ſanguinem minuo, vel ipſo eodem nonnunquam die: interdum die poſtero, in quo rurſum exhibito propoſitorum medicaminum quopiam, iterum de ſanguine quid aufero, eo rurſum tertio die ſimiliter bis, &c.* Reſpo. de, redundantibus ſuccis crudis ſanguinem emiſiſſe, quia ij non erant alieni valdè à natura ſanguinis, in cuius abſentia nullo modo eſt vena ſecanda, immò purgatio exhibenda, ex illius præſcripto, *lib.* 4. *de ſanit. tuend. cap.* 3. §. *Quòd ſi vitioſi tantùm ſucci, iique citra ſanguinis copiam ſubſint, purgatio petenda eſt, quæ vnicuique humori ſit accommoda, &c.* Et *in cap.* 4. §. *Vbi quidem paululùm vel citra ſanguinem reſtitum, vel vltrà proceſſum eſt, audacter ſanguis mittendus eſt; vbi autem plus, conſideratiùs agendum;*
B *vbi autem plurimum; omnino nullus mittendus ſanguis eſt, &c.*

Aduerte, Galenum hîc inhibere ſolùm purgationem fortem, violentam, & quæ ab ambitu corporis ad ventriculum humores conuocare nata ſit, non eam quæ à ſolo ventriculo leniter, supernè aut infernè eos educere queat. Hæc ergo vacuatio præterquam quòd rationi eſt conſentanea, quando cruditatibus, bilioſiſque humoribus ventriculus repletur, eam in febre ſyncopali, orta ex ſuccis crudis 12. *meth. cit.* exercet; tunc enim, maximè ſi aluus commodè non deijciat, audacter per inferius aliquid infundere iubet, & in potum, mulſam crudam, & ptiſſanæ cremorem aſſumere imperat, vt quæ in primis, venis, circa iecur & meſenterium, ſint collecta excrementa, vacuentur. Hoc confirmat *lib.* 1. *ad Glauc. cit.* dum ſic ait. *Qui verò ex vitioſis humoribus os ventriculi mor-*
C *dicantibus diſſoluuntur, hos poſt aquæ calidæ, aut hydrelæi potum, fac euomere. Quòd ſi difficulter euomant, priùs concalfacere oportet, quæ os ventriculi circundant loca, & manus, pedes. Quòd ſi neque hoc modo poſſint euomere, digitos, aut pennas immittendo irritare oportet. Quòd ſi neque ſic euomant, rursùs his oleum calidum quàm optimum exhibendum. Solet autem ſæpiùs oleum non ſolùm ad vomitum irritare, ſed etiam ventrem molliorem facere. Eſt autem hoc non parum vtile: quare niſi ſponte accidat, arte procurandum eſt, præcipuè verò glandibus ſuppoſitis hoc tentandum eſt, facere. Quod ſi ex iſtis faciliùs fiat; etiam abſinthij comam in melicrato decoquens ad potandum exhibeas, atque deinceps vinum, deinde omnibus modis membra roborare oportet, partim iis quæ extrinſecus apponuntur partim abſinthij potionibus, &c.* Vide quo pacto
D ventriculi ore, crudis & vitioſis humoribus ſcatente, non tantùm roborantia conſulit Gal. quin blandè expurgantia, de quorum genere eſt abſinthium, roborans ſanè medicamentum, quod crudorum, mordaciúmque humorem eductiuum eſſe fatentur Dioſcorid. *lib.* 3. *cap.* 24. Gal. *lib.* 6. *ſimpl.* 69. *&* 6. *de ſanit.* 10. *& lib.* 8. *de comp. medic. ſec. loc. cap.* 3.

Sed ſoluenda ſunt plura, ex quorum explicatione hiſtoriæ interpretatio fiet manifeſta. Primum. Quæ eſt cauſa, ob quam medicamentis roborãtibus, ventriculum primo curare intendit, quæ ſua vi adſtringente humores arctant, & reſolutioni ineptos reddunt? Dic, Gal. roborantia interna conſuluiſſe, & externa, quæ ſi applicentur flaccido, debilique ventriculo, & crudorum mordaciúmque ſuccorum copia grauato, & lancinato, tantum abeſt vt noceant, vt potiùs ventriculo roborato, & horum ope vegetiori fa-
E cto, meliùs præexiſtentes humores coquantur, attenuentur, domentur, expulſioni reddantur paratiores, & fluxuri à toto impediantur.

Secundum. Quare recentes cruditates ventriculi morſum facere queunt, ſi acrimonia carent? Dic, Recentes crudos humores morſum facere poſſe, cùm bilioſi ſunt, acres, & mordacitatis participes; hos autem vocari crudos, patet ex Gal. 2. *acut. com.* 44. §. *Bilioſa cruda ita appellauit, nam quod à natura deuictum, ac ſuperatum non eſt, crudum eſt, ſiue frigidus, ſiue calidus humor; ſiue etiam excrementum ſit, &c.* & ex Ariſtot. *lib.* 4. *meteor. cap.* 1. §. *Quod crudum eſt idà naturà deuictum non eſt, &c.*

Tertium. Cur præſente plethorica diſpoſitione, & vigente febre, arcet phlebotomiam, ſi hanc *in meth. lib. de*

curand. rat. per ſang. miſ. lib. de ſanit. tuend. & præſertim *in lib. de venæ ſectione aduerſus Eraſiſtrat.* ad euitanda maiora damna illicò celebrandam ſuadet? Dic. Diſpoſitionis plethoricæ duplicem eſſe differentiam; vna, quæ eſt ſuccorum omnium æquabilis redundantia ad proportionem, altera eſt, ſyncerioris ſanguinis ſumma vbertas, & affluentia: in illa aliquando vincit pituita, interdum bilis flaua, nonnunquam atra; non quòd ſanguinem quantitate excedant, ſed omnibus ſimul auctis pituita (gratia exempli) propriam menſuram ad proportionem aliorum magis excedit; hæc vocatur plenitudo ſecundùm quid, aut pituitoſa, aut impura, nec exquiſita dicitur à Fernel. 2. *patho*l. 13. Et Galen. 2. *ſec. loc. cap.* 1. *tit. de capit. dolore ex frigore*, non plenitudinem ſimpliciter, ſed cum appoſitione pituitæ, aut bilis flauæ, aut nigræ appellat, repetit *lib. de plenitud.* 11. Aliam verò plenitudinem, talem abſolutè dictam appellabis, quando purus ille ſanguis, reliquos permixtione ſuccos magnoperè vincit, adeóque exuberat, vt venas quoquouerſum ii ſdet atque diſtendat, & facultatem grauet, in qua ſubitò, & confertim expedit ducere, ex ipſo paſſim. Nam hac plenitudine detenti, periculo ſunt obnoxij, quoniam à grauante copia interdum ſubitò occumbunt, vt ait Galenus *lib. 9. meth. 5. & 2. de natur. hum. com. 1. & acut. 23. & 1. de dif. feb. 1.* Celſus firmat *lib. 2. c. 2. § Ergo ſi plenior aliquis, & ſpecioſior, ac coloratior factus eſt, ſuſpecta habere bona ſua debet, &c.* De hac non fuiſſe loquutum hoc in loco, ita clarum eſt, vt probatione non indigeat: loquitur ergo de impura plenitudine, quæ potiùs cacochymia dicenda eſt, quum ex vitioſis humoribus ortum ducat, & citra ſanguinis augmentum concitetur. Meritò ergo in ea ſanguinem emiſit; nam *cacochymia purgatione, quæ cuique ſuperanti ſucco ſit accommoda, corrigitur*, vt 13. *meth. 6.* eleganter docuit Galen. Nec obſtat febris: cùm enim hæc ſit ex vitioſis ſuccis concitata, iis ſuo tempore, poſt roboratum ventriculum, vacuatis, ceſſat ſtatim. Sic diuturnos affectus, immò acutos cum febri, quando hæc non multum vrget, nec ſui vehementia, & acutie periculum præceps minatur, medicamur: tunc enim poſtpoſita indicatione, quæ à febri deſumitur, cauſam à qua ipſa dependet, priùs ſubmouemus, provt prudenter faciendum monet Auicen. 4. 1. *cap.* 24. poſito exemplo in febri à viſceris internis obſtructionibus ſuborta: nam obſtructionum præſidium eſt, multitudinis vacuatio, craſſitudinis attenuatio, & lentoris abſterſio, vt *in cap. 49. art. med.* Magiſter edocuit. Hanc ſymptomaticam Fernel. vocat *lib. 4. patholog. cap* 8. quæ latenter internarum partium obſtructiones plerumque conſequitur. Ex his patere arbitror, quantopere noceat in febribus, non roborato ventriculo, cuius actio eſt toti communis, ex Gal. 7. *meth. vlt.* vniuerſalia auxilia adhibere. Lege Caſtrenſem Luſitanum *lib. de complexu morbor. cap.* 27. qui hac de re egit eleganter.

HIST. LXXXIII. AETII, De cæliaca.

Cœliaca, commoda purgatione, curata.

EGo verò ad cæliacos, priuſquam vires extremè deficiant, purgatione humoris contenti vtor. Aliquando autem acres quidam, aut ſeroſi humores tuniculis ventris, aut magis inteſtinorum infarcti aut inhibiti, rodunt & irritant, atque ex omni corpore humores, ad locos circa ventrem & inteſtina aduocant, diuturnarúmque fluxionum cauſa fiunt, &c. Aëtius tetrab. 3. ſerm. 1. cap. 37.

PARAPHRASIS.

DE cœliaca, eius cauſis, ſignis, differentiiſque à lienteria, ſat plura agitauere auctores omnes. Inter hos ſubit vehementer mirari acutiſſimum Fernelium *l. 6. patholog. cap.* 10. Is enim præter communem, & veram opinionem latam à Galeno *lib. 6. aphor. comment.* 1. Paul. *lib. 3. cap.* 40. aſſerentibus in cœliaci, languente ventriculi facultate, & imbecilla reddita, nec concoqui, nec digeri alimenta, ſed imperfecta reddi; tamen huius affectionis cauſam eſſe aſſerit, non cruditatem, non imbecillam ventriculi coctionem, ſed chyli imperfectam, malámque diſtributionem, quam meſenterij, lienis, aut iecoris obſtructio, vel trahentis facultatis imbecillitas parit. Hæc quàm ſint ſuperiorum auctorum dictis aduerſa, nemo non videt; & quàm falſa, palam facit Galenus *lib. 6. de loc. affect. cap.* 2. quo loco tam lienteriam, quàm cœliacam, ab affectione ventriculi & inteſtinorum prodire aſſeuerat. Eſt verò hic affectus tum ventriculi, tum inteſtinorum communis, ex Galen. 4. *aph.* 12. Eſt ergo cœliacæ cauſa, non ſolùm impedita cremoroſæ ſubſtantiæ digeſtio, verùm etiam (quod frequentiùs euenit) imminuta, & non abſoluta ventriculi concoctio. Ex his docti perpendant, cautè huius viri, alioqui docti & eloquentis opinionibus eſſe fidendum.

DVBIVM XLIX.

Num in alui fluxu expurgantia torrefacta ſint ex vſu. Contra Hollerium, Amat. Rondeletium, & Sclanum eruditiſſimos.

LIcèt autem in vniuerſum, prima & immediata cœliacæ cauſa ſit ventris ferè totius frigidum cum excrementitia humiditate intemperamentum, & cum innati calidi, humidi proprij imminutione: ex quo non leuis facultatis ventriculi impotentia ſequitur, tum retentricis, itémque concoctricis, ad diſtributiuæ; tamen ſæpiſſimè in natura calidis, bilioſiſque corporibus, bilis acris & mordax, à genere venoſo & hepate, ad ventriculum confluere ſolet, quæ rodens irritat ae excretionem; quare ventriculus, & inteſtina non expectata concoctione, vt *lib. 4. aph. com.* 20. monuit Gal. chyloſam ſubſtantiam expellunt. Ad hæc acris humor cum pungat, laceſſat, concitétque dolorem, eſt in cauſa vt ad has partes de nouo confluant excrementa.

Totus ergo curationis cardo in bilioſo excremento vacuando, vnáque in roborando ventriculo, ne deinceps nouam fluxionem ſuſceptet, conſiſtere ſolet. Huius humoris vacuatio multiplici licèt perficiatur medicamento, nullo tamen meliùs rhabarbaro toſto comparatur. Hoc enim, is humor promptiſſimè educitur, internæ partes roborantur, & facultates munia ſua alacriter obire ſolent vigoroſiores factæ. Similes vires ex omnium auctorum decreto dicuntur habere Myrobolani, & præſertim quæ citrinæ à Barbaris dici ſolent. Nihil enim eſt, quod magis mirabili quadam efficacia ſigillet inteſtina, fluxui frænum imponat, & compreſſione quadam, cauſam facientem fluxum euacuet, quàm *ſuprà* recitata medicamenta. Audi Auicen. 16. 3. *tract. 2. cap. 7. §. Et ſi fuerit neceſſaria vacuatio propter malitiam humoris, fac eam cum timore & cautela, & ſtude vt ſit ſolutiuum non vehementer nociuum vlceri, immò ſit ſicut myrobalanus, &c.* Et infrà. *Et rhabarbaro quidem ineſt proprietas mirabilis in vlceribus inteſtinorum, & in fluxu algaras, &c.* Quamobrem in is affectibus ſummè neceſſaria purgatio eſt, tranſacto initio, (contrarium licèt ſentiat Fuchſius 2. *paradoxor.* 13.) cum præmeditatione tamen, & cautione celebrata. Licét autem *ſoluere ventrem ſuprà ventris ſolutionem, valdè timoroſum ſit*, apud Auicen. 4. 1. *cap. 3. in init.* quoniam plus iuſto naturam irritare ſolet, & modum aliquando excedit, & reſoluitur virtus, & præſente febre cum alui profluuio, alia non ſit opus euacuatione, apud Galen. *lib. 1. ad Glaucon.* 14. Tamen ex præſcripto Hipp. *6. epid. ſect. 2. text. 9. fluxus curandus eſt fluxu, & alui deiectio clyſtere eſt perſananda*: ſic enim iuuantur ægri, vacuata cauſa quæ fluxũ concitare ſolebat. Sic ſoluere ventrem ſuper ventris fluxum criticum, abſonum eſt, & ab arte alienum: nam *quæ indicantur, aut indicata ſunt integrè,*

neque

neque mouere, neque nouare, ſed ſinere oportet, & totum negotium naturæ committere fas eſt, ex Hip. *lib.* 1. *aph.* 20. Sic fluente aluo, vacuatione ſimpliciter ventrem deiiciente vti, extra normam Galenicam eſt; quoniam ex hoc concitato motu, & confluxu ad inteſtina, præcipitatur natura, & ſuperpurgatione facta, ægri in animi deliquia incurrunt, exanimes fiunt, & moriuntur. Quapropter in febri cum alui profluuio, commoda ſunt expurgantia, quæ prauam, morboſámque materiam tum facultate purgatrice, tum compreſſione & expreſſione educant, clementia ſint, ſedatóque iam fluxionis impetu exhibita; quo tempore, in dyſenteria, cacochimiam valente medicamento affatim expurgat Galen. 4. *acut.* 110. nam ſi eis initio vtaris, maximè lædes, ex Gal. 13. *meth. cap.* 11. cùm longiſſimè à parte quæ fluxione tentatur, quod redundat reuellere, nequaquam ad eam trahere conueniat. Quare initiante vlcere reproba ſunt expurgantia, poſteà verò vtilia, & multi vſus, renuat licet Maſſaria *lib.* 3. *de morb. internis, cap.* 22. inſolenter purgantium vſum in hoc affectu condemnans: cuius rationes, ſicut & Fuchſij, dicta ſolutione fiunt manifeſtæ, & ad plenum diſſoluit Donatus Santorius *lib.* 5. *epiſtol.* 4.

Num verò hæc medicamenta torrefieri debeant, vt ſcilicet eorum acris vis, & expurgans torrefactione miteſcat, dubitant auctores. Hollerius, Rondeletius *cap. de alui fluxu*, & Amat. *lib.* 2. *centur.* 44. cane & angue peiùs, torrefactum rhabarbarum reprobant, & repudiant, ob multas cauſas. Prima. Quoniam ambuſta bilem pariunt, & ſui acrimonia ventrem mordent, vt propterea fluxionum à toto corpore cauſæ fiant, vt *lib.* 4. *acut. com.* 102. protulit Hip. cuius ſententiam confirmat eruditiſſimè Gal. *in com.* nam vſta ignis vi redduntur acriora, ex Gal. 11. *ſimpl. cap.* 50. quo loco *ſalem vſtum digerere quidem magis, quàm non vſtum affirmat, quantò ſcilicet ſubtilius ipſum corpus accepta ab igne facultate redditur, velut & in aliis quæ combuſta ſunt, frequenter accidit.* Quare partes terreſtres rhabarbari, immò terreſtriores corticum myrobalanorum torrefactæ, vel vſtæ, ex igne acrimoniam acquirunt, inteſtinorum vlceribus inimicam, qua mordere ipſa natæ ſunt; & partes ſubtiliores, multò redduntur acriores. Secunda. Quoniam rhabarbarum torrefactum primas tantùm venas permeat: cùm enim tenuiores partes torrefactione ſint abſumptæ, quarum vi tum humor in foco putredinis ſitus, tum extra venas repoſitus, educitur, fit vt eo, hoc modo exhibito, humor acris & bilioſus, vlcus continuò fouens extrahi nequeat, cùm eius vis vſtione euaneſcat. Tertia. Humor vitioſus nimis adſtringentibus retinetur, quapropter ſalubrius cenſent, rheum bis aut ter in aqua macerare, & vltimam infuſionem factam in decocto adſtringente exhibere: ſic enim partes exaſperantes, & vlceribus aduerſæ amittuntur, & medicamentum minùs acre, immò mitius ac ſecuriùs multò redditur. His fortè conuictus Saluus Sclanus *in com. lib.* 3. *art. med. Gal. in cap.* 40. *fol. mihi* 670. in dyſenteria torrefactum rhabarbarum condemnat.

Hos redarguit Hippocratis veneranda auctoritas, *in lib.* 4. *de diæta, num.* 24. & 25. quo loco ad alui profluuium cohibendum, aſſata & toſta, optima eſſe aſſeuerat, nam ventrem retinent. Sic Auic. 16. *lib.* 3. *tract.* 2. *cap.* 7. piſces aſſatos, & oryzam torrefactam in alui profluuio propinat. Ego quò magis ſeneſco, eò audacior fio in exhibendo rhabarbaro torrefacto, ex cuius tempeſtiuo vſu millies ægros alui fluxum patientes ſanari ex tempore vidi, qui infinitis propemodum auxiliis excarnificati conſaneſcere non potuerant. Lege Valleriolam *lib.* 3. *obſer.* 4. & Augerium Ferrerium; *in ſuis caſtigationibus medicis*, *lib.* 2. qui in dyſenteria rheum torrefactum ſummopere laudant. Neque timeas empyreuma, & vt ita loquar, igneitatem à calore per torrefactionem contractam; hæc enim ſi leuis ſit & modica, illam non relinquit. Et licèt rhabarbarum præter innatam acrimoniam, maiorem etiam acredinem ex igne ſuſciperet, euadit tamen ſiccius, vlceri curando aptius, & ad roboranda inteſtina efficaciſſimum: nam acrimonia inducta poſteà facta lotione in aqua roſacea, aut plantaginis miteſcit, ita vt iuuet, neque obſit. Modica autem torrefactio in totum tenuiores partes, quarum ope intimiùs penetrat, non abſumit; qua de cauſa nimis adſtringens vſtione non fit. Adde duplici infuſione, quàm ipſi inſtituendam docent, non ita poſſe tenuiores partes ſecedere. Quapropter cùm adſtringere, & expurgare opus eſt, his medicamentis torrefactis eſt vtendum, quæ in alui profluuiis eſſe exhibenda magna cum ægrorum vtilitate, vniuerſa Medicorum ſchola approbat, & confirmat. Quo autem tempore, & qua occaſione dyſenterici ſint expurgandi, tradit Valleſius *lib.* 4. *in com. text.* 96. quo loco apertè contradicit iis, quæ *libro* 2. *eiuſdem operis, ſect.* 6. *in com. ſent.* 27. prædixerat: nam expurgationem ſolùm in maligna concedit dyſenteria; cuius opinionem acriter impugnat Petrus Paul. Pereda *in ſchol. cap.* 38. *meth. Michaël. Ioann. Paſchal.* & Galenus *lib.* 4. *acut. com.* 110. multò antea reprobauerat, qui in alui fluxu bilioſo cùm torminibus, & mordicatione, vtitur medicamentis affatim, & valenter expurgantibus; quorum vi cacochymia educi poteſt: nam ſic fluxus fluxum curat, vacuando cauſam, ex Hip. *lib.* 6. *epid. cit.* Lege eruditiſſimum Trincauel. *lib.* 2. *epiſt. ad Philippum Theodo.*

HISTOR. LXXXIV. AETII, & Galeni, De dyſenteria.

Dyſenteria ab intermiſſa vacuatione, aut ab aſperitate annuli deuorati concitata.

Tales etiam ſanguineas dyſenterias Hyppocrates in iis accidere dixit, quibus artuum aliquis eſſet præciſus. Nos autem vidimus, non iis modò, ſed etiam aliis quibuſdam certo circuitu repetentes: omnes autem quos ita vacuatos vidi, ab exercitata prius vita, ad omninò deſidioſam ſe transtulerant, &c. Galenus lib. 3. de ſympt. cauſ. cap. 2. & lib. 4. de artic. com. 40.

Ego verò, inquit Antyllus, quum quidam per iocum, aureum annullum deuoraſſet, & ramentoſa, ac cruenta infernè egereret, ob ſculpturæ videlicet aſperitatem: in ipſo enim auro capitellum inerat aſperè concinnatum. Non ſum immoratus, iis quæ vias lubricas reddunt, ſed confidenti animo ad ea quæ fortiter purgant pharmaca ſum progreſſus: quare contingit vna cum excrementis annulum excidere. Quo facto, homo ex ptiſſanæ ſucco, ac ſorbilibus ouis nutritus, tertia die ſanus euaſit, &c. Aëtius tetrab. 3. ſerm. 1. cap. 46. *Galenus* lib. 3. de facult. natur. 4.

PARAPHRASIS.

Qvomodo ſint curandi qui ex membri amputatione, intermiſſo conſueto exercitio, cruenta deiiciunt, perbellè oſtendit Gal. *lib. cit. de articul.* nam iis ex interuallis debet ſanguis emitti: imperanda purgatio: tenuis præſcribendus victus, & reliqua offerenda, quæ ſanguinem minuere poſſint; nam ſanguis generatus præciſum membrum non nutrit, neque exercitio abſumitur. Inexercitati, exercendi, fricandi, ante cibum lauandi: In his enim omnibus cruentæ huius deiectionis curatio conſiſtit.

De ea verò quæ ab annulo acuto, & aſpero deuorato accidit, recepto in ventriculo, ad inteſtina expulſo, ibique dilaceratione cruentam deiectionem concitante, vt Aëtius, firmat, non mireris: nam præterquam quòd Galenus *lib. cit. de facult. natural.* probat propria hiſtoria, plurimos oſſa fructuum valdè magna, annulum aureum, nummum, & alia dura deuoraſſe, & nullo ſuperueniente ſymptomate facilè excreuiſſe, multa accidunt monſtra in arte, ex Auerrhoë *lib.* 7. *collig. cap.* 31. & naturæ potenti nihil eſt impoſſibile, ex Gal. *lib.* 7. *aph.* 54.

Nec deſunt peritiſſimorum auctorum teſtimonia, quibus lubet veritatem hanc planam facere. Narrat Benedictus Veronenſis *lib.* 2. *anatom. cap.* 2. mulierem Venetam, acum crinalem deglutiuiſſe, qua cirri capillorum intorquentur, quatuor digitorum longitudine, & decimo tandem menſe eminxiſſe. Scribit Beniuenius *lib. de abdit. morbor. & ſanat. cauſ. cap.* 20. mulierem æneam acum deuoraſſe,

raſſe,& poſt decem annos perforato ſtomacho detruſiſſe. Refert Amatus *lib. 2. cent. 69.* puerum octo annorum, æneum quoddam numiſma deuoraſſe, & poſt elapſum annum, nulla percepta noxa cum excrementis expuliſſe. Affirmat Rodericus à Caſtro *lib.4.de morb.mulier.part.2.in ſchol.cap.26.* puerum ſex annorum aciculam imprudenter deuoraſſe, & poſt 18. annum rubigine obſitam, nulla ſequuta noxa per crus(mirum dictu) erupiſſe. Memorat Iulius Cæſar Claudinus *l.1. reſponſ. medicinal. cap.40.* à quodam acum fuiſſe deglutitam,& quinque annis in corpore retentam, & tandem per vrinam excretam. Languis *lib.2. epiſt.40.*literis prodidit,quod in gynecæo Ducis Iuliacenſis,virgo dum ſe adornaret, perterrita, ingemiſcens, acus quinque quas in ore mordicus tenebat, deglutiuit, & poſteà per vrinam illæſa reddidit.Idem referunt Mizaldus *l.1. centur.53.*Foreſtus *l.15.obſeru.de ægritudin.gulæ, obſeru.28.*

In ſimili euentu, magna diligentia quod per incuriam deuoratum eſt, ad inferiores partes propellere oportet, enematis,pharmacis,quæ violenter purgare, & ad excretionis vias, quidquid in ventriculo oneroſum eſt, detrudere queant. Conueniunt etiam quæ lubricas vias parant,vt ſunt alica,ptiſſan... ...melle, cibi ſorbiles. Hoc cùm feciſſet Antylus, ægrum, excreto annulo, à morbi pernicie liberauit. Si quæ verò abraſionis noxa in inteſtinis, ob aſperitatem annuli concitata remanſit, eam facilè natura deinceps ſanauit; nam quando corpora pinguia duntaxat excernuntur, & abraſa inteſtinorum ſuperficie interiora ramenta deiiciuntur, primus gradus, & principium ſecundi abeſt dyſenteriæ,ex Gal. *lib.4. aph.24.& 26.* & *lib.6.de loc.affect.cap.2.*hunc affectum natura ipſa perſanat abſque externo auxilio,ex Gal.*lib.1.de loc.affect.cap.2.* maximè autem citò æger ſanitatem recipiet, ſi alatur ptiſſana, abſtergente exiguum vlcus; ouis ſorbilibus, quæ tum lenire dolorem, tum ob albumen, cicatrice vlcus obducere queunt, ſimúlque quidquid in inteſtinis hæret detergere poſſunt. Inſuper alia ſunt conſulenda præſidia, quæ vlcus abſtergant, & conſolident, vt in dyſenteria facere conſueuimus.

HIST. LXXXV. RHASII,
De dyſenteria.

Dyſenteria, ex ſordido vlcere concitata, clyſtere ex cauſticis medicamentis parato perſanatur.

*DEnunciauit mihi quidam Notarius,quòd quidam nomine Ginazir * clyſterizauit eundem cum puluere citrino, in quantitate aur.pond.1.admixto in ℥.1.ol.roſ.crudi: vnde præcepi,vt clyſterizaret eum cum ſublimato: Dixit quòd reuerſus eſt fluxus de centum ſellis ad decem, & conualuit per 15. dies Deinde redit paſſio, & per eandem curam iterum conualuit, &c.Rhaſis* lib.13.continent.tract.3.cap.2. *Galenus*, lib.4. de vſu part.cap.17.in fin.

DVBIVM L.

Num in conclamata dyſenteria, cauſtica per ſedem infundenda. Contra Rondeletium doctiſſimum.

PARAPHRASIS.

QVatuor ſunt ſanguinolentæ excretionis differentiæ allatæ à Gal.3.*de cauſ.ſympt.cap.2.* quarum prima eſt ſolius ſanguinis,quæ per circuitus repetere ſolet; hæc ſolet illis accidere, quibus aliquis artuum eſt abſciſſus, vel qui exercitationem dimiſerunt, vel menſtruam purgationem ſuppreſſam patiuntur,vt *lib.5.de loc.affect.cap.7.* Gal. affirmat. Secunda. Cùm ex imbecillitate iecinoris aquoſus ſanguis deiicitur, quem vtique loturæ carnis ſimilem dicunt. Tertia. Cùm melancholici, ſplendentiſque ſanguinis deiectio fit. Quarta. Cùm & minutim, & exiguo tempore expulſio fit, aliàs quidem veri ſanguinis, alià concreti: in hac & puris non raro exiguum aliquid excernitur, etiam vlcerum cruſtulæ eiiciuntur, & membranoſa quædam corpora,quæ inteſtinorum ſunt particulæ; ſed & ſtercus ſuper his collectum ſæpenumerò excernitur, ſanguinis in ſe guttas habens.

De hac in præſenti agit Auctor noſter, per quam inteſtinorum vlcus ſignificamus,cum Gal.6. *de loc.2.* & 2.*de loc. 5.* cuius cauſam eſſe humorem acutum, acrem, erodentem, bilem videlicet flauam, atram, aut ſalſam pituitam, Medicorum ſchola aſſeuerat. Cùm ergo morbus hic chronicus ſit, ex Hip.6. *aph.3.* primò à mordaci humore abraſis inteſtinis, quædam corpora pinguia duntaxat excernuntur: deinde ramenta quædam inteſtinorum, abraſa horum ſuperficie interiori, quæ denſa & membranoſa eſt, eiiciuntur: vltimò & ipſa abraditur inteſtinorum ſubſtantia. Ex quibus tres gradus dyſenteriæ veræ, ac propriæ dictæ,colligit Gal.4.*aph.26.*Primus gradus facilè curari poteſt,ablata cauſa ipſam faciente,natura videlicet perſanante abſque auxilio externo,ex Gal. *lib. 1. de loc.2.* Secundus nonniſi magno negotio curari poteſt. Tertius, vbi iam facta eſt, atque conſtructa dyſenteria, & partes adeò magnæ inteſtinorum excernuntur, vt verius eas, carnes appellare poſſimus, tunc eſt lethalis dyſenteria, cùm neque caro concreſcere, neque cicatrice obduci poſſit vlcus.

De hoc tertio gradu loquutum fuiſſe auctorem, res eſt manifeſta: cùm enim certo & determinato morbo, certum & determinatum auxilium conueniat, fit vt vlceribus prauis inteſtinorum ſola abſtergentia ſint ex vſu, magis depaſcentibus præſidia efficaciora conueniant. Quando tamen malum inueterauerit,ita vt ægrum è medio tollere poſſit,vt Celſus ait,*lib.4. cap.15.* tunc cacoëthici vlceris,& putrilaginoſi malignitatem, & ſorditiem, ſolùm vehementiſſimis præſidiis, velut in deſperato caſu,emendare conabimur: præſertim quando contumax is affectus auxiliis Medicis non ſuccumbit: tunc enim valentiſſimis exſiccantibus vti oportet.

Deinde ſi partis corruptio timetur, tunc cogente neceſſitate, ſummam putrilaginem abſumentia, & vel cauſtica per ſedem eſſe infundenda docet Gal. *lib. 9. de compoſ.medic.ſect.loc.cap.2.*& *lib.9.de ſimpl.medic.facult. cap.5.* Auic. firmat. 16. 3. *tract. 2. cap. 7.* Ea fiunt ex arrhenico, calce viua,auri pigmento rubro, cadmia,ære vſto,alumine ſciſſili, ſandaracha, ſulphure viuo, trochiſcis de minio, puluere Ioannis Vigonis; hæc enim exſiccant impensè arctant, glutinant, à putredine arcere ſolent: maximè ſi in lacte diluantur priùs, & ſingulis drachmis illorum, opij grana j.addatur:vt notarunt Holler.*lib.1. de morb.intern.c.40.*Mercat.*lib.3.praxis,c.12.*quidquid aliter contendat Rondeletius *in meth.curand.morbos, cap.20. de dyſenteria*, increpans veteres, qui hæc per clyſteria infundere imperant, quum in reliquas inteſtinorum partes omnes æquè agant,ac in eam quæ vlcerata eſt. At cùm ex acerrimo humore,& maligno viſcera erodantur, & aliæ partes exulcerentur, vt proprio experimento obſeruarunt Beniu.*lib.de abdit. cap.96.* & Scholiog. *ad cap. cit. Hol. de morb.internis,*præſtat in conclamato morbo cauſtica ad inducendam cruſtam,infundere, correcta tamen & macerata iis,quæ eorum malitiam retundere queant, & in parua quantitate,vt notauit Fallopius *lib.de morb.Gallico, cap.88. in fin.*Quare maior eſt eorum vtilitas, quàm noxa; quæ ipſa melior eſt quàm mors, quæ ex vlcere cacoëthico,ſerpente magis ac magis,imminet ac impendet.

Maxima ergo cum ratione factum eſt, vt puluis citrinus per ſedem iniiciendus conſuleretur. Eſt autem hic puluis,arſenicum citrinum,quod vocatur auri pigmentum ab Auic.*lib.2.tract.2.cap.49.*Permiſcuit autem ipſum oleo crudo, hoc eſt, incompleto; hoc enim lentore ſuo adſtrictione, & frigiditate medicamenti effrænem vim retundere poteſt.Quid plura?nónne Auic. *loc.nuper.cit.*in potum id exhibet medicamentum, in habentibus ſaniem in pectore, cum hydromelite, & commiſceri cum pilulis, quæ ſunt ad aſthma, imperauit. Ex quo fit manifeſtum, nimis verbosè Ludouicum Lemoſium reprehendere

Auicennam

Auicennam, *in com. cap.7.lib.4. meth. Gal.* qui arſenicum propinandum ſuaſit. Si enim in pauciſſima quantitate, & ſaccharo roſaceo permixtum exhibeas, provt faciendum ſuadet Auic. hunc à calumnia vendicabis, qui 1o.3.*tract.*1. *cap.*40. ad aſthma cum gummi pini propinat.

Miſcuit autem ad vnciam vnam olei, aureum vnum, hoc eſt, drachmam vnam cum dimidia, ex Saladino *lib. ſuo de ponderibus, particula* 3. Quid mirum? nónne Auic. 1o.3. *tract.* 5. *cap.* 6. pro curando vlcere ſordidiſſimo pulmonis, vtitur ſuffumigio ex arſenico? quod licèt vrentis facultatis dicatur à Gal. *lib.*9. *ſimpl.* cùm erodat, vlceráque caliditate ſua irritet, humores inflammet, partes ſpiritales calefaciat, liquet, attenuet; cùm ſit præſentaneum venenum, & toto genere præter naturam, vt ne halitus quidem, qui ex eo trito ſpirat, nobis innoxius eſſe poſſit; tamen ſuffumigium eius, maximè mixti cùm cardiacis pulueribus exſiccantibus, nocere non poterit. Quapropter vbi vlcera ſerpenda depaſcunt, & circa craſſa inteſtina conſiſtunt; iuxta Paul. *lib.* 3. *cap.* 42. Aëtium, & Trallianum, hæc medicamenta cruſtam inducentia probanda ſunt; nam vel ipſe Auic. 4. 4. *tract.* 2. *cap.* 5. ea in caſu, & offenſione exhibet in potum. §. *Et arſenico eſt virtus mirabilis, in omnibus quæ ſunt neceſſaria de incarnatione, & reſolutione ſanguinis, & prohibitione nocumenti, &c.* Nec mireris hunc ægrum, carne obducto vlcere, horum præſidiorum vi, fuiſſe perſanatum; nam difficultate inteſtinorum miſerabiliter afflicti, etiam putreſcentibus inteſtinis, beneficio exterioris eorundem tunicæ regeneratæ ſanati ſunt, apud Gal. *lib.* 4. *de vſu part. cap.* 17. §. *Multos ſanè ac ſæpè vidimus, quibus cùm morbis grauibus, atque diuturnis eſſent conflictati, maxima inteſtinorum pars putredine erat tentata adeò, vt compluribus locis tunica omnis interiori eſſet exeſa: attamen vixerunt ij, & ſuperſtites fuerunt: quod non feciſſent, niſi ſecunda quædam alia tunica extrinſecùs corruptæ tunicæ acceſſiſſet, &c.* quod poſt eum notauit Braſauolus *ad aph.* 16. *lib.* 4. *Hip.* Inteſtinorum enim corpus membranaceum, ſimplex non eſt; vt *cit. loc.* monuit Gal. ſed duplici tunica, eáque propria circumtextum; tum vt facultas expultrix validior eſſet: tum vt ipſa inſtrumenta ab iniuriis omnibus eſſent tutiora; poſtremò, vt ſi aliquando bilis orgaſmo, & feritate interior putreſceret, aut roderetur, exterior ſaltem tunica illacera, & incolumis permaneret, vt aduertunt Aurentius *lib.* 6. *de re anatomic. c.* 12. Tu verò curationem eorum, quibus tunica prima erat exeſa, apud Gal. *cit.* 4. *de vſu part.* ex huius hiſtoriæ explanatione venari poteris; quare eam inexplicatam relinquimus.

QVÆSTIO XLVI.

Quòd lac, in diarrhæa aut dyſenteria bilioſa, præſente remiſſa febri, ſalubre ſit. Contra Amatum Medicum præſtantiſſimum.

COMMENTARIVM.

CLyſterizauit.] Inueterata opinio, & plurimorum ore, librîſque contrita ſententia eſt, lactis vſum pro inteſtinorum vlceribus ſanandis, inter præſtantiſſima auxilia primatum obtinere. Hæc mihi opinio refricat Gal. loci memoriam *lib.* 3. *de alimentor. facult. cap.* 15. quo, inter epiceraſtica, id eſt, temperantia ſuccorum acrimoniam medicamenta, & ad adſtringendum aptiſſima, lac connumerat; quod præſidium non modò vt ſerium, ſed vt neceſſarium approbauit ipſe, *lib. de theriac. ad Piſon. cap.* 12. Auic. non obliterat 16.3. *tract.* 2. *cap.* 7. & omnis Medicorum ſchola amplectitur, & firmat, edocta ab ipſo Magiſtro, qui *lib.* 10. *ſimpl. tit. de ſtercore canino,* lac chalybeatum dyſentericis ſummè eſſe proficuum, canino ſtercori commixtum, appoſita hiſtoria confirmat, quam quoniam adduximus *lib.* 1. *huius operis,* 82. idcircò eam modò non ampliùs illuſtramus.

Hos omnes deterret Senis edictum *lib.* 5. *aph.* 64. *lac malum eſſe* prædicentis, *quibus bilioſæ ſunt deiectiones.* Facilè quidam putant dilui controuerſiam poſſe, dicentes, in

A diarrhœa, & dyſenteria bilioſis cum febre, meritò reprobari lactis vſum; at in ea, quam febris non comitatur laudari. Hi in ſui ſubſidium afferunt Hip. *lib.* 4. *acut.* 115. lactis aſinini potionem in dyſenteria porrigentem, ſi febris non fuerit. Contra hoc pugnat à diametro Gal. auctoritas *lib.* 5. *aph. com. cit.* iudicantis, tam cum febre, quàm ſine febre deiectionibus bilioſis lac eſſe nocuum.

Amatus hac nixus ſententia habentibus bilioſas deiectiones prorſus lac eſſe interdicendum ratus eſt, 2. *centur.* 44. ſiue eæ cum febre, ſiue citra febrem conſiſtant. Si verò Gal. *loc. cit.* id probauit, verum eſſe fatetur in ea dyſenteria, quæ non à bilioſis ſuccis, ſed aliis acribus non bilioſis nata eſt; nam in bilioſa ſe aſſiduo experimento didiciſſe refert, plura damna, vel etiam non præſente febri, inferre, cùm facilè corrumpatur, cacochymiámque
B alat. Corruit reſponſio hæc, nam dyſenteria, cui lac eſt vtile, ferè oritur è bilioſo, rarò ab aliis acribus non bilioſis. Deinde ſicut bilis parata eſt lac corrumpere, ita & alij acres non bilioſi ſucci. Sed quid multis moror in re omnium lucidiſſima? nónne Galen. 1o. *ſimpl. cap. de lacte,* non quibuſdam, ſed omnibus acribus ventris fluxionibus optimum eſſe remedium affirmat?

Hippocrates ergò in bilioſis deiectionibus abhorret lac crudum, quia facilè vertitur in bilem, & cacochymiam auget, ventrémque ſoluit. Gal. verò probat apparatum, excoctum, & chalybeatum. Lege Hip. *lib.* 7. *epid. num.* 3. dum ſic loquitur. *Eratolai filius circa æquinoctium autumnale dyſentericus fiebat, & febris tenebat. Egeſtiones alui erant bilioſæ, tenues, multæ, & moderatè ſubcruentæ. Dolor autem ventris vehemens. Vbi ſerum, & lac bibiſſet ſilice candefacta immiſſa, dolores & ſubcruentæ deiectiones modera-*
C *tiores fiebant, & ſæpe ad exonerandum aluum ſurgebat, ſed minore dolore, &c.* Ex hoc loco fortaſſe Galenus lactis hanc præparationem decerpſiſſe viſus eſt, dum *lib.* 10. *ſimpl. tit. de ſero lactis,* in hæc verba prorumpit. *Porrò vbi aliam deſiccantem facultatem lac habuerit adiunctam, optimum eſt remedium dyſenteriæ, & omnium ventris acrium fluxionum. Eam accipit à lapidibus, qui decocto ipſi iniiciuntur igniti. Porrò eos eſſe oportet, quos vocant cochlacas, & lac eò vſquè decoqui debet, dum pleraque ſeroſi in eo humoris pars abſumpta fuerit. At nos iniectis ferreis in ipſum cylindris candentibus, eandem, aut etiam meliorem facultatem effecimus; nam ferrum adſtringentis quoque (vt dictum eſt) facultatis eſt particeps.* Hæc Galenus. Hoc modo præparatum lac, cùm tota ſeroſa pars non ſit abſumpta, depurgat, & vlcus abſtergit, ſuccorum mordacitatem temperat, lenit dolores, adſtringit, & incraſſat, cùm ſit craſſius ignis efficacia factum. Lege Se-
D ptal. *lib.* 7. *caution. medic. num.* 96. nam lac ſeroſa ſubſtantia abſtergit vlcus, caſeoſa exſiccat & adſtringit, butyroſa contemperat, nutrit, lenit dolores. Vide Valleriol. *lib.* 3. *obſeru.* 4. eloquenter diſputantem.

Solue ſecundò, & fortaſſe meliùs, ſi dicas, lac eſſe interdicendum in his ventris fluxionibus bilioſis, non vacuata bilioſi humoris copia; poſt vacuationem autem majoris partis cacochymiæ, eſſe propinandum cum vtilitate ſumma. Hanc ſolutionem innuit Gal. *lib.* 2. *de ſimpl. medic. facult.* 12. & 13. *in princip.* Sic enim ait Gal. cuius monitis totam controuerſiam euaneſcere putamus. *Vnumquodque temperantium medicamentorum, vbi valentius euaſerit humoribus mordicantibus, morſum eorum retundit. Verum ſi aut valentioribus facultatibus aut multis paucum mixtum fuerit vnà & ipſum corrumpitur, alitque cacochymiam, ſiue ſucci mali-*
E *gnitatem. Quamobrem protinus euacuandi ſunt, qui ab iis quæ temperandi naturam habent, irritantur atque aſperantur: vtpote qui multa, nec facilè mobili corruptione ſint repleti. Sic ſanè lac frequenter, ſimulátque ſumptum fuerit, aliis aceſcit, aliis in nidorem vertitur, priuſquam probè concoctum corruptionem temperet. In quibus vtique primùm maxima cacochymiæ pars vacuari debet, atque inde ſumendus chondrus, ptiſana, lac, & alia.* Hæc Gal. quibus ſolutio Amati, eiúſque experimentum redarguuntur. Ille enim expertus eſt excoctum lac in bilioſa dyſenteria citrà febrem ſummè nocere, fortè quoniam intempeſtiuè ante maiorem partem cacochymiæ expurgatam fuit oblatum. Nocet ergo lac, ante idoneam vitioſi ſucci expurgationem, iuuat poſt illam.

Attemperando

Attemperando, vires reficiendo, & adſtringendo.

Quæres, an præſente remiſſa febri, lactis ſic apparati vſus ſalubris ſit? annuit Hip. *cit. loc.* dum longis, remiſsiſq; febribus eius potum tantoperè commendat: ſic Hipp. in Eratolai filio, bilioſa dyſenteria cum febri laborante, ſalubriter lacte chalybeato vſus eſt, poſt idoneam cacochymiæ vacuationem. Primò enim ſerum exhibuit, ad humectandum corpus, ne ex febre lenta & iugi laberetur in extenuationem ſummam. Amatus *cit. loc.* citra rationem, perfricta fronte Hip. temnit & damnat, quum multa ab Hip. *in lib. 6. epid.* ſint dicta, à quibus vt falſis ſe retraxit. Firmat poſitionem ſuam. Gal. dictis, *in lib. 4. acut. cit.* quo loco, in torminibus, ſi febris non fuerit, lac aſinæ bibendum præbet. Tu verò intellige, Gal. dixiſſe, ſi febris non fuerit magna, qua præſente lactis vſus reprobus eſt; nam vehemens febris calor, lac nidoroſum reddit, & corrumpit. Librum autem ſeptimum epidem. eſſe genuinum, & magno Hippocrate dignum, licèt non auſim dicere, cum Galeno *lib. 3. de difficult. reſpirat. cap. 1.* & *lib. 6. epid. ſect. 2. com. 13. & 6. eiuſd. in proœm.* & *ſect. 1. com. 2. & ſect. 2. com. 44.* tamen in eo plura ſunt, quæ Hip. phraſim redolere videntur, & eximiam continent doctrinam, quam habere hiſtoriam Eratolai, firmauit eruditiſſimus Valleſius, qui ex profeſſo ſingulas eius particulas explicuit, cum Anutio Foëſio *in com.* Cum verò lac in febribus exhibendum, lege Cardanum *lib. 2. contradict. medicar. tract. 4. cont. 2.* qui hanc quæſtionem ſatis diffusè, doctéque pertractat.

HIST. LXXXVI. GALENI, De dyſenteria.

Quidam cæpæ eſu, & muria per clyſterem iniecta, plurimos à dyſenteria liberauit, alios interfecit.

QVidam (vt ſibi eſt viſus) generosè dyſentericos vehementiſſimo medicamento curans, multos vno ſanauit die, quoſdam verò iugulauit. Erat namque eius medicandi ratio eiuſmodi. Cæpas in genus, quod Græci carton vocant, vno die comedendas cum pane dabat, tum potam parcum. Poſtridie manè muriam acerrimam per inferiora infundebat. Secundùm hanc etiã pharmacum validum. His igitur tolerandis quicunque ſufficere potuerunt, prorſus ſunt ſanati: aliqui verò conuulſione, aut ſyncope ex dolore, vnà cum madore cutis oborto interiere, &c. Galenus lib. 12. meth. cap. 1.

PARAPHRASIS.

LIcèt hæc hiſtoria non ſit ex iis, in quibus Gal. ſuam induſtriam exercuit, quoniam tamen ab alio Medico refert curationem eſſe celebratam, & plura in ſe hic curandi modus continet ſcitu digna, idcircò eam placuit interpretari. Veterum nonnulli, & vel ipſe Gal. *lib. 4. de artic. 40.* omnem cruentam deiectionem, dyſenteriam appellant: tamen vt ex *2. lib.* & *6. de loc. cit.* conſtat, dyſenteria vera, vlcus inteſtinorum deſignat. Pro qua curanda, quando contumax eſt & rebellis, & aliis præſidiis non miteſcit, vlcúſque nimis eſt ſordidum, & putrilaginoſum, ad vehementiora accedere auxilia neceſſitas cogit: nam *vehementi malo non poteſt niſi vehemens auxilium ſuccurrere,* ex Celſo *lib. 2. cap. 11.*

Primò videndum, quam vtilitatem poſſint præſtare cæpæ, ſi ſunt omnes auctore Dioſcorid. *lib. 1. cap. 145.* acres & caliditate ſua vlcus inflammare, & dilaniare poſſunt, immò mordaces ſuccos incendere queunt, ex Paul. *lib. 6. cap. 76.* ex quarum morſu dolores vlcerum intenſiores fieri dubitat nemo, & ſi in quarto gradu calidæ ſunt, auctore Gal. *7. ſimpl. cap. prop.* qua ratione hæmorrhoïdes prouocat ſuccus earum ano appoſitus, & maximè ſi ſint acres, longæ, flauæ, crudæ, ſale conditæ; hæ enim vehementiorem obtinent vim, quàm rotundæ, candidæ, virides, coctæ, & inſalitæ, ſi fides eſt habenda Dioſcoridi *loc. cit.* & Oribaſ. *lib. 2. collect. cap. 27.*

Rurſus. Cur muria in ſedem infundenda, maximè acerrima, ſi partem exaſperat, fluxionem concitat, inflammationem auget, & ſiccitate caliditatéque ſua humores bilioſos, acriores reddit, ratione ſalis ex quo componitur, ex Gal. *lib. 1. ſimpl. 4.* quare valdè incendit, attenuat, mordaces ſuccos, fluxibilioréſque reddit, præſertim aſperrima, quam duram, ſeu maturam vocant Celſ. *lib. 2. cap. 24.* Scribon. Larg. *cap. 10.* Columel. *lib. 12. cap. 6.* De cuius conficiendi modo inter omnes ſcripſere Marcel. Virgil. *in com. Dioſcorid. lib. 5. cap. 82.* Ludouic. Nonnius elegantiſſimè *lib. 3. de re cibaria, cap. 4. 2.* Hæc ergo dura muria, quam ſalſiſſimam auctores vocant, ita eſt calida & vrens, vt ſi eam parti cuipiam inſpergas, ipſam aduſſeris, ex Gal. *lib. 3. de temp. cap. 3.* Hac ergo infuſa, vlcera potentiùs dilacerari, non erit dubitandum,

Sed ſi res bilance ponderetur, à Galenica methodo non eſt aliena curatio hæc. Nam in graui, deſperataque dyſenteria, acria medicamenta, leuiſſimis non iuuantibus, eſſe tentanda ipſe edocuit, *lib. 2. ſimpl. 12.* quo loco muria vtebatur per ſedem infuſa: educit enim hæc nonnunquam mordentem ſuccum, & mordacitatis redditur medela, perinde vt cætera omnia quæ abluunt, & abſtergunt. Et licèt operatio hæc ſit ex accidenti, quandoque prodeſſe ſolet, quoniam muria ſiccat, & incorruptum quidpiam ſeruat, ex Gal. *2. de facult. natur. cap. 9.* Quare cùm vlcera valenter abſtergat, & depaſcentia à putredine tueatur, ſiccitate ſua nimiam humiditatem abſumendo, ex Auic. *lib. 2. tract. 2. cap. 493.* ad mundificandum eſt optima. Sic docuit Dioſcorid. *loc. cit.* qui eam interaneorum exulcerationes ad cicatricem perducere affirmat: vnde Plin. *lib. 3. cap. 8.* inquit, *ſiue illa ſalſugo ſpiſſat, mordet, attenuat, ſiccat, dyſentericis vtilis, &c.* Cui affectui ſummoperè auxiliari, teſtantur Gal. *lib. 9. de comp. medic. ſec. loc. cap. 5.* Aëtius *tetrab. 4. ſerm. 2. cap. 29.* Celſ. *lib. 4.* firmant Amatus *lib. 2. centur. 53.* Mercurialis *lib. 3. praxis, cap. 28.* & alij.

Muriam has dotes habere ratione ſalis, res eſt manifeſta; nam ſal adſtringit, exſiccat, expurgat, diſſipat, reprimit, à putredine defendit, roborat, ſorditiem, & putrilaginem abſtergit, ſuperfluam abſumit humiditatem, cuius vitio in dies magis ac magis vitiantur vlcera, fiúntque ſordidiora, ex Auic. *lib. 2. tract. 2. cap. 623.* nam ſalſedinis effectus, ex Gal. *lib. 5. ſimpl. 16.* & Auic. *lib. 2. tract. 1. cap. 3.* ſunt abſterſio, ablutio, exſiccatio, & putrefactionis prohibitio; cùm ſal conditura ſua corpora ſiccet, & à putredine defendat: quoniam docente Gal. *11. ſimpl. tit. de ſale,* quidquid in corporibus humidum ineſt, quodammodo abſumit, & quod reliquum eſt ſubſtantiæ ſolidæ, adſtrictione contrahit. Quare muria per clyſterem iniicienda; licèt enim ea attrahat mordacitate ſua, humorem tamen attractum deinceps exſiccat, & vnà vlcera perſanat. De cuius parandæ modo, lege Mercurial. *2. variar. lib.* Lælium Biſciolam, *in appendice lib. vlt. tom. 2. horar. ſubſeciuar.*

Hac ratione cæpas, has intentiones pro curandis vlceribus obtinere, in dubium verti haud poteſt; nam docente Auicen. *lib. 2. tract. 2. cap. 122.* ipſæ, & earum aqua, vlcera ſordida abſtergunt: quarum acriores dyſentericis offerebat edendas Medicus ille, & fortaſſe crudas, tanquam magis acres, quoniam coctione, aſſatione, aut maceratione acrimoniam deponunt Galen. *lib. 2. de aliment. facult. cap. 18.* cum eis verò panem adiiciebat, nam præterquam quòd hic nutrit, medicamentum cum alimento acceptum, ſenſim, furtimque ſeſe in corporis partes inſinuat, & inteſtinis vim ſuam hac de cauſa citiùs communicat. Potum paucum adiecit, vt efficaciùs exſiccaret.

Quod verò attinet ad medicamentum illud, quod poſt muriam infundendum imperabat, erat eiuſdem; aut ſaltem maioris quàm muria facultatis, de illorum ſanè genere quæ cruſtam inducunt: vt arſenicum, calx viua, alumen, æs vſtum, & alia cauſtica, de quibus *ſuprà, in hiſt. præcedenti* meminimus. Priùs enim infundebat muriam, deinde validum medicamen, à leuioribus ad validiora procedens, & cruſtam hac ratione inducere ſperans; & ſic in maxima abſterſione, exſiccatione, & cruſtæ inductione totum curationis cardinem reponebat, ſatis eſſe exiſtimans,

mans, hæc omnia augere, & periculoſiſſimum morbum citò leuare, quàm ſinere ægrum in obitum incurrere, vtilitate maiori minus damnum compenſans: nam *melior eſt noxa, quàm mors*, ex Gal. 12. *meth. cap.* 1.

Eos verò ſanatos ait, qui doloribus tolerandis ſufficere potuerunt, hoc eſt, qui ita viribus præditi erant valentibus, vt ingentes dolores virium firmitudine pertulerint: contrà mortuos eſſe refert, qui ob virium impotentiam doloribus ex curatione pronatis reſiſtere non potuerunt. Difficultatem verò habet maximam, quòd vno die ſanatos fuiſſe pronunciet, cùm ipſum tribus diebus integris abſoluiſſe curationem aſſeueret; nam in primo cæpas præbebat, in ſecundo muriam acerrimam infundebat, in tertio validum pharmacum. At deſines mirari, ſi poſſibile fuiſſe exiſtimes, vt diei vnius ſpatio vlcera inteſtinorum fuerint perſanata infuſis cruſtam inducentibus, poſt muriam inditam in ſecundo, & cæpas in primo die oblatas. Sed licèt hæc curatio probetur à Galeno, in deſperatò morbo, tutius eſt ab illa tanquam violenta abſtinere, & ad mitia medicamenta curationem totam conuertere, quæ præterquam quòd ſiccant, peccantem etiam humorem ſine moleſtia educunt.

HIST. LXXXVII. GALENI, De dyſenteria.

Quidam dolorem animosè ferentes, nullis applicitis lenientibus dolorem auxiliis, viriliter emortui.

EQuidem noui quoſdam, tum Medicos, tum ægros, qui dum animoſi videri volebant, ob id ipſum perierunt, quod fortiter ac viriliter contra dolorem ſemper ſunt renixi, nec quod eũ lenire, quicquam ceperunt, ſed in aſperis, & (vt ipſi interpretabantur) affectum deſtruentibus auxiliis perſeuerarunt. Quos ſanè ſpatio longiore curatos eſſe ſatius fuiſſet, quàm breui viriliter mori, &c. Galenus lib. 12. meth. cap. 1.

PARAPHRASIS.

DOlorem eſſe ſymptoma, in quod maximè curantis conſilium dirigi debet, teſtatur Auic. 4. 1. *cap.* 1. §. *Et cùm ad diuerſum trahere volueris dolorem prius ſeda, &c.* nam *ob dolorem, ægri ſine pulſu redduntur, exanimèſque fiunt*, dicebat Gal. 2. *de rat. vict. in morb. acut. com.* 48. & Auic. *loc. cit.* idem refert §. *Quúmque ægritudo dolori coniuncta fuerit, aut igitur cauſa ipſius eſt dolor, aut ægritudo eſt cauſa doloris, ſicut eſt percuſſio, aut caſus, incipies ſedare dolorem, &c.* Dolor enim curationem ad ſe vocat, diſtrahit naturam, diſſoluit vires, & attrahit, fluxionéſque concitat, ex Gal. *lib. de curand. rat. per ſang. miſ.* 8. & *lib.* 2. *de dif. feb. c.* 15. non quòd dolor per ſe vim habeat attrahendi, aut inter tractionis differentias, numeratas à Gal. 6. *de vſu part.* 15. & 3. *de facult. & natur. lib.* 15. Auic. 1. 1. *doct.* 6. *cap.* 3. reponatur, à facultate, à vacuo, à calore, ſed ſolùm fluxiones irritat, naturam concitat, vires exſoluit, quoniam ſpiritus omnes ad partem dolentem facultates tranſmittunt, vnde cor ſpiritu priuatum relinquunt, & potentiæ dolori intentæ ab actione ceſſant; ex ipſo *lib.* 5. *aph.* 27. & *in art. medic.* 95. Et *lib.* 5. *meth. cap.* 4. ſic ait. *Vitandum ne dolor incidat, ac rurſus profluuium concitet, cùm nihil ſit, quod magis ſanguinis profluuium quàm dolor concitet, & phlegmonas augeat, &c.* Dolori ergo quàm celerrimè occurrendum, neque committendum, vt diutiùs crucientur ægri; in quo ſedando, quum dirus eſt, & ſui acerbitate, vehementiáque vires labefactat, magna celeritas, mora eſt. Neglectus dolor deiicit vires, & conuocata fluxione inflammationes incenduntur, conuulſiones rapiunt ægros, quæ ex nimio dolore oriri conſueuerunt: aut certè madeſcunt, quæ ſicca eſſe, ſeruata naturali ratione, & vacua excrementis, neceſſe eſt.

Quapropter verius eſt dicere, humores in partem dolentem decumbere, quàm ab ipſis trahi. Cur autem ad partem dolentem confluant ſucci, explicat Galen. *lib.* 13. *meth. cap.* 3. natura enim triſte aliquid ſentiens, id expellere properans, magno conatu aliquid ſanguinis & ſpiritus, in dolentem partem ex circumuicinis exprimit, atque eo confluente, partem in tumorem attolli eſt neceſſe. Accedit, quòd pars, quæ doloris ſæuitie debilis facta eſt, ad ſuſcipiendos humores aptior redditur.

Enimuerò ſi vires ex dolore reſoluuntur, atque ex eo periculum impendet, mitigari dolor, & roborari vires debebunt, quò & morbo reſiſtere & curationis ſpatio ſufficere queant. Qui enim animosè, & viriliter auxilia contra dolorem, eiúſque ſæuitiem mitigantia contempſerunt, ſed ſolùm in cauſa doloris amolienda perſeuerarunt, ij doloris ſæuitie victu occubuere. Quo pacto maximè reprehendit Gal. ægros, & Medicos, qui nulla facta, de doloris lenitione commemoratione ſolùm præſidia contra affectum conſuluerunt, quo pacto ſpiritu reſoluto ob doloris ſæuitiem mortui ſunt. Quibus autem præſidiis ſedandus ſit dolor, & in quibus morbis anodyna, ſeu ſedantia dolorem, propria vel impropria ſint applicanda, explicat latè, doctéque Galenus *in hoc* 12. *meth. cap.* 1. & 11. *eiuſd.* 12. & *lib.* 1. *de compoſ. medic. ſec. loc. cap.* 1. *ſect.* 5. *in fin.* & *lib.* 9. *eiuſd. cap.* 4. *in princip.* Lege Trincauel. *lib.* 2. *de compoſit. medicam. cap.* 9. Mercat. *lib.* 2. *indicat. cap.* 16. Valleriol. *lib.* 3. *obſ.* 4.

HISTOR. LXXXVIII. TRALL. De dyſenteria.

Dyſenteria, cum tabe, balneis, & refrigerantibus auxiliis, curata.

EGo ſanè quendam conſpicatus; ex iis qui contabuerant, à paſtillis ei oblatis magis irritari, iuſſi hæc quidem abiicere, balneis autem potiùs vti, & cibis refrigerantibus, vt pepone ſine medulla, intybis, & bulbo: atque hoc victu refrigerante citra medicamentum, ægrum à morte ipſi expectata liberaui, &c. Tra llianus lib. 8. cap. 9. in fin.

DVBIVM LI.

Num balneum in dyſenteria aliquando poſſit eſſe ex vſu.

PARAPHRASIS.

PLura damna ex hepatis calida intemperie ſuboriri, res eſt manifeſta: hanc pluribus ſignis venari licèt, ex habitu gracili, oris amarore, ſiccitate, ſiti, oris ventriculi morſu, torminibus, vomitibus billioſis, ex calore ſenſato in plantis pedum, & manuum volis, capitis dolore, vigilia, iracundia, audacia, viuiditate, & aliis indiciis, quæ ex profeſſo referunt Gal. *in art. medic. cap.* 41. Auic. 14. 3. *tract.* 1. *cap.* 14. Si tamen nimis ſqualidum hepar ſit, & intemperamentum plurimum increuerit, colliquationes ſequuntur bilioſæ, fœtidæ, vſtæ, & ſanguinolentæ, donec caro hepatis colliquatione per cruentam deiectionem contabeſcat, & excernatur, vt firmant Galen. *lib.* 8. *ſec. loc. cap.* 6. Amatus *eib.* 2. *centur.* 50. Quare excrementa apparebunt graueolentia, ſplendida, nimis calida, cum animi deliquio, angore, febricula, totius corporis macie & extenuatione.

Rurſus ex tranſitu huius calidiſſimi humoris, mordacis, acris & erodentis ab hepate generéque venoſo ad inteſtina demandati, quis dubitat vlcera in ipſis concitari poſſe; quæ adſtringentibus paſtillis, ſeu trochiſcis ſiccari, & curari debent; nam cruenta deiectio ab vlceribus concitata, adſtringentia expoſcit. Verùm cùm ex horum vſu acria excrementa retenta fiant acriora, ampliúſque erodant & irrirent, vlcera exaſperent, & fluxionem concitent, fit vt ex eorum adminiſtratione maior ſit noxa vtilitate; & tantum abeſt vt abſtergantur, ſicceſcántque vlceratæ partes, vt potiùs maiori irritatione facta; &

vehementiori

vehementiori concitato dolore, attractáque de nouo majori humoris copia, ampliùs ſordeſcant.

Ex ſordidiſſimo ergo vlcere, nónne cordi communicatur in propria ſubſtantia putrida fuligo, ita vt id ſuapte natura igneum, & excandeſcens ponat in calfacto eſſe? Sícque ex diutina actione & alteratione, poteſt concitari calor hecticus, fixus, & durans. Quippe ſi ex virulento externo, & antiquo vlcere, aut ex eo quod plurimum puris excernit, velut ſunt, quæ prope magnos articulos exiſtunt, prodit in cordis ſubſtantiam & caloris conditio adeò fixa, & ob putrilaginoſam naturam adeò adhæreſcens, & interanea, vt facili negotio, ob cauſam diſſipati humidi ab euacuatione, calore,, vel vtroque, & rurſus innati caloris deuicta reſiſtentia, extraneus ille vlceroſus, & præter naturam in cordis ſubſtantiam ſeſe inſinuet, firmetur, & radicetur: cur ab interno vlcere, hecticum calorem, fixum, permanentem, & habitualem oriri non dicemus? maximè ſi vlcus ſit ſiccum, ſqualidum, quod moliri poſſe per continuitatem, calorem, & ſiccitatem in ſolidis membris hecticum calorem non eſt denegandum.

Si ergo oriatur à ſordido vlcere contabeſcentia, cur balneum ad maciem ſummoperè neceſſarium, conſulere verebimur; præſertim cùm habitualis calor ſit iam independens, licèt ab vlcere foueatur, febri intenſiori facta, tunc habita ſolùm indicatione, quæ à marcido calore deſumitur, balneum ſummam præſtabit vtilitatem. Nec te deterreat Hip. dictio *lib. 3. acut. text. 59.* prohibentis balneum, quibus aluus plus iuſto fluxibilior eſt: nam ibi ſolùm reſpicit ad fluxum, cuius ratione balneum non conuenit, quia emollit, laxat, & ventrem prouocat: non negans præſtare poſſe hoc auxilium magnam commoditatem, ſi aliquis alius affectus complicetur, in quem curantis conſilium dirigi debet. Docet enim ipſe *lib. 10. meth. cap. 1. interdum licere ſpernere vnam indicationem, ob aliam vrgentiorem.* Sic potum frigidæ ad ſatietatem probat, in phlegmone partium interiorum, ob hecticæ timorem. Sic balneum frigidum in hectico debili, *lib. 10. meth. cap. 10.* concedit. De quo ſi Trallianum intelligas, non errabis. Conſule Maſſariam *lib. 3. de morb. intern. cap. 22.* conſtipat enim meatus, cohibet fluxum, bilioſum frigiditate ſua temperat humorem, & ſic incraſſat: quem etiam vſum, balneum ex ſtypicis medicamentis paratum præſtare, vt roſis, cypero, myrto, balauſtiis, & aliis omnibus compertum eſſe reor.

Deinde Balneum tepidum præſente alui fluxu, vrgentioris indicationis habita ratione prodeſſe poteſt, nam partes extimas calefaciendo, dilatando meatus, & attrahendo fluxionem à partibus internis ad externas, ſolet cohibere humoris fluxum, & inſuper humiditatem reficit & inſtaurat, tabidíſque remedio eſt. Sic *lib. 1. ad Glauc. cap. 14. in med.* dicit balneas in fluxionibus ad ventrem aptiſſimas eſſe, quia auocant humorem à ventre ad cutem, & ſic fluxum ſiſtunt. Sic Auic. 4. 1. *doct. 5. cap. 8.* cum Paul. *lib. 7. cap. 7.* in ſuperpurgatione balneum conſuluit; eius enim vi reuellitur materia fluens ad inteſtina, in vniuerſum corpus. Quamobrem ſi tabeſcente corpore, humor vtilis, & vitæ neceſſarius ad vlcera confluit inteſtina, balneum, ad cohibendum eſt vtile; hanc enim ſubſtantiam contineri, non excerni oportere, (ea enim vacuata corpus priuatur alimento, & contabeſcit) res eſt manifeſta.

Hac ratione cùm tabe corpus afficitur, ob pulmonis vlcus, balneum mirificum eſt, ex Ludouic. Mercat. *lib. 2. de morb. intern. cap. 9.* nam ſiccas partes natiua quadam humiditate recreat, febrilem, marcidúmque calorem contemperat, natiuum ignem connutrit & refocillat, & pus ab igneo calore craſſefactum liquat, expulſioníque paratum reddit; retentum enim opprimit partes ſpiritales, eáſque inficit labe dira. In hunc vſum Trallianus in dyſenteria, frigida præſidia exhibuit, peponem ſine medulla, hæc enim maiori humiditate ſubuertit ventriculum, internas partes relaxat & emollit, & fluxum concitat, de cuius viribus lege quæ diximus *lib. 1. in com. hiſtor. 28.* Quare cùm ex vlcere inteſtinorum æger tabe eſſet affectus, & ex paſtillis calidis ſiccis oblatis magis ſiccatus extenuaretur, commodiſſimè balneum, & alia refrigerantia ſunt imperata, quæ iecur calidum roborare nata ſunt.

HIST. LXXXIX. GALENI, *De colico dolore.*

Colicus dolor peſtilens, ac contagioſus, frigidis curatus.

*PVto autem colicam affectionem, quæ etiam nunc regnat, ex huiuſmodi proueniſſe humoribus, quæ ab Italia quidem regionibus incepit, in aliis autem multis Romanorum Reipublicæ locis * peſtiferæ cuiuſdam luis modo eſt graſſata: ex qua plerique in morbum comitialem, alij in artuum reſolutionem ſenſu incolumi, nonnulli in vtraque ſunt prolapſi. Ac eorum qui in comitialem morbum inciderunt, plures interierunt. Ex illis verò qui in reſolutionem, plures euaſerunt, tanquam in criſi, cauſa aliorſum ex loco quem infeſtauerat, conuerſa. Sic igitur laborantes, Medicus quidam in Italia curauit victus quadam ratione infideli, refrigerante, & maximè temeraria. Lactucas enim non coctas, refrigeratáſque ipſis porrigebat, intybúmque ſimiliter ſuprà ſatietatem comedendum, item vuas, mala, piſces dura carne præditos, omniáque cruſtacea, pedes bubulos, bulbos, & ſimilia, non ſolùm facultate, ſed & tactu frigida. Vinum rarò præbebat: cùm autem dabat, frigida miſcebat, ipſámque frigidam, vel etiam poſcam frigidam exhibebat, ab omni alio calido, & medio cibo abſtinens. Atquè plurimos ſic præter omnium opinionem * perſanauit. Immò nonnullos qui iam in morbum comitialem, vel reſolutionem prolapſi erant propemodum, ſanitati reſtituit, &c. Paulus* lib. 3. cap. 43.

QVÆSTIO XLVII.

Quòd colicus dolor, peſtilens ac contagioſus, ſit morbus nouus.

PARAPHRASIS.

DE colico dolore, veterum & recentiorum peritiſſimi, ſatis ſupérque diſputarunt. Num eius fecerit mentionem Hip. vel ilei nomine deſcripſerit, graphicè proponit Mercurial. *lib. 5. variar. lect. cap. 11.* quo morbo primò Tiberium Imperatorem fuiſſe tentatum narrat Plinius *lib. 26. cap. 1.* Marcel. *cap. 29.* colicum vocat dolorem, & Celſus *lib. 4. cap. 13.* craſſioris inteſtini dolorem, colicum appellat. At hunc morbum non agnouiſſe dicendum eſt Hippocratem? minimè quidem. Hoc modo ipſum, nec rabiem, ſicut nec curationem animalium virus vibrantium deſcripſiſſe, aſſeremus, quos tamen affectus conſtat non ignoraſſe: nam Homerum Hippocrate vetuſtiorem, rabiem memoraſſe legimus, dum *Iliados* 8. Teucrum occiſis octo, Hectorem non potuiſse percutere ſcribit. Sic enim ait: *Hunc autem non poſſum percutere canem rabidum.* Quòd ſi dicas, præſtantis huius Medicorum coryphæi multa volumina iniuria temporum periiſse, vera pronunciabis.

Deinde, poſse morbum aliquem denuò nunquam antea conſpectum oboriri, neminem eſse arbitror quí ambigat, præſertim cùm antiquorum præcipui ita fieri poſse conteſtentur. Celſus *lib. 1. in præfat.* nulla cauſa magis dicit rationales Medicos empiricis præſtare, quàm quòd nouis morborum generibus queunt etiam auxilium ferre. Nam Plin. *lib. 26. cap. 1.* Lichenem ſeu mentagram Tiberij Claudij Cæſaris principatu primùm in Italiam irrepſiſſe memoriæ commendauit. Firmant Plutarchus *lib. 8. ſympoſ. cap. 9.* Petrus Crinitus *lib. 20. cap. 10.* Et Lucio Paulo, & Quinto Marcio Conſulibus primùm in Italiam carbunculum veniſſe, recenſet ex annalium ſcriptis Plinius *loc. cit.*

Rigorem ſine febre hac tempeſtate frequentiſſimum, temporibus Hippocratis, ob illius ſæculi ſobrietatem non apparuiſſe, multis in locis Galenus eſt auctor. Omitto Gallicam luem, puncticularem febrim, quas nouiſſimas eſſe

eſſe ægritudines contendunt plures, quorum ſententiam latè refutauimus *lib.1.in com. hiſtor. 73.& in hoc libro, in com.hiſtor.3.*

Quid commemorem duos illos rariſſimos affectus à Plinio relatos *lib.25.c.3.*quorum alter erat putridum oris malè olentis vitium quod ſtomacaciam appellabant,cuius vi dira intra biennium omnibus dentes decidebant. Noſtri *Scorbutum* vocant, ſeu *ſcelotyrben*. in hoc vlcerantur gingiuæ, dentes decidunt, ſcrotum inflatur, crura liuent, fœtet reſpiratio,tibiæ vlcerãtur,tumet lien, corpus ictero nigro premitur,febricula infeſtat,adeſt neruorum,tendonum, & ligamentorum rigor cum impotentia ad motum: cuius morbi notas legat qui velit,apud Balduin.Rôſſeum *prop.libel.de ſcorbuto.*Dodonæum *c.33.obſ.medic.* Gulielm. Lemn.& Reuſn.*prop.tract.*Olaum Magnũ *l.16.de gentib. ſeptentrionalib.cap.52.& lib.9.cap.38.*Mithob.*lib. de peſte,* Lang.*lib.1.epiſt.41.*Foreſt.*lib.10.obſ.* & alios, qui de hoc morbo graphicè diſceptarunt. Alter erat,qui neruos crurum adeò lædebat, vt compagines in genubus cum crurum vacillatione diſſoluerentur.

Sic *Gemurſa* apud Plin. *loc. cit.*inter digitos pedum naſcebatur, qui morbus celeriter extinctus eſt. Sic inuſitatum morbi genus fuit illud,quo Atrium occubuiſſe teſtatur Adonis Viennenſis *in Breuiario chronicorũ,ætate ſexta.* Hic namque cùm ad ſeceſſum acceſſiſſet, viſcera prope mortem excreuit: quanquam Pomponius Lætus *in compendio Romanæ Hiſtoriæ,*dolore colico obiiſſe referat.

Adeſt *Sudor Britannicus,* circa æſtatẽ poſt humidiſſimã cœli cõſtitutionem,dira mortalium clade, paucis abhinc annis inualeſcens; quo correpti,maxima ſudoris diluuie, intra viginti quatuor horas,febri incendioſa oppreſſi exſpirabant.Hæc ſudorulenta febris multa millia mortalium iugulauit. De cuius cauſis,& præſidiis luculenter egere, Cornel.Gemma *lib.1.coſmocrit.*8.Langius *lib. 1. epiſt.* 19. Brauus *lib.1.de diff. feb.in com. cap.5.* Gal. Ioan.Hucherus *lib.2.feb.6.*Fernel.*2.de abdit.12.* Laurentius Surius *in com. rerum in orbe geſtarum,*Polydor.Virgil.*lib.20. Hiſtor.anglic.* Sennertus *lib.4.de feb.15.* Nam dari diariam peſtilentem, & putridam,acriter probauimus, contra multorum mentem,*lib.1.in com.Hiſtor.*84.

Nõnne *Dracunculus* tibiarum,nouus eſt morbus? nam Galenus *l.6.de loc.affect.c.3.*de eo obſcuriſſimã fecit mentionem,eiúſque eſſentiam per vmbram quaſi depinxit,*in introduct.*& *l.finit.medicar.*narrauit,& vidit Aëtius *tetr. 4. ſer.2.c.85.*cum Paulo *lib.4.c.vlt.* Curationem propoſuere Auic.*3.4.tract.3.cap.21.*Auenzoar.*l. 2.tract.7.c.20.* Alzaharauius *tr.10.c.2.Haly l.9.pract.c.67.*Rhaſ.*l. 9. ad Alm. tract.7.c.24.*Iulius Pollux *lib.4.*Amat.*7.cent. 64.* Monard. *lib.7.epiſt.2.*Thom.à Veiga *in c.2.Gal.l.6.de loc.affec.*Morbus in Arabia frequens,ab aliis dictus *vena medena,ciuilis, vel ſanioſa,*à ſanguine,atra bile,vel ab exuſta,& valdè ſicca pituita pronatus: de cuius motu, & eſſentia contronertunt auctores, vbi generetur, & num vena ſit,neruus, vermis,an animal viuum,in brachio,femore,tibia,& partibus muſculoſis enatum,imò(quod mirabile videtur, & notat Gentilis *3.4.cit.*)ſi frangitur,inquit Auenzoar,(ubi tò emoritur æger; integer enim hic neruus eſt paulatim extrahendus. Lege de alio morbo, Dracunculo vocato, Mercurialem *lib. 2.variar. cap.20.*

Sic ſuperioribus annis viſus eſt morbus nouus, quo pili retorti,conuulſionis modo inter ſe implicabantur,ita vt cum aliis ſæuiſſimis ſignis plures perirent, qui morbus appellatus eſt *plica Polaca,*quòd in Polonia vigeat ſolùm, & exacerbetur.Nouum ſanè,veteribúſque indictum,horridi & intricati capillitij, tum barbæ, tum capitis, morbi genus, difficilium quorundam capitis morborum argumentum. De cuius morbi natura, & curatione, ſat multa congeſſit Saxonia *proprio libello de plica Polonica*, & poſt eum Laconicè exarauit Fonſeca *lib.1.conſult.1.*Sennertus *lib.5.pract.part.3.ſect.2.cap.9.*Foreſtus,& alij.

Noua *Lues Morauiæ*, ab aliis vocata *Brunus Gallicus*, quia Brunam ciuitatem, intra duorum triúmue menſium ſpatium depopulari,plurimis horrendis ſymptomatis viſa eſt.De hac egere Thomas Iordanus *lib.de lue noua Morauiæ.* Crato *lib. 2.epiſt.per Laurentium Scholtzium publicatarũ,pag.*228.Henricus à Bra Campenſis *epiſt. 1.* Ioãn. Spoſ-

A richius *tract.de Bruno Gallico* Huic morbo addendus etiam eſt Brunus Vngaricus, cuius naturam exactè explicuere Iordanus *lib.19.de peſte,*Balthazar Conradinus, & Iacob. Suterus *prop.tract.*Sennertus *lib.4.de feb.cap.14.*

Scribit Albertus Krantzius *lib. 5. Hiſtor. Saxonicæ,* circa Nineruam, mirabile morbi genus innotuiſſe, tacti namque homines igni inuiſibili ardebant, qui facilè penetrabat præcordia. Alij pedes, alij manus ea occaſione præciderant.

Tradit Pomponius Lætus *in compendio Hiſtoriæ Romanæ,* Heraclitum Imperatorem, nouo cladis genere peremptum, teſtium nempè folliculo ſurſũ verſo, ſimul cum virili membro ſemper tenſo,adeò vt quoties meieret,niſi tabula vmbilico admota prohibente,vultum lotio ſparſiſ-

B ſet. Nouum etiam Deliorum morbum, vide deſcriptum apud Mercurialem *lib.3.variar.cap.18.*

Viſæ ſunt præteritis annis pleuritides, peripneumoniæ,dyſenteriæ,catarrhi peſtilentes, de quibus cõſcripſere Rembert.Dodonæus,*c.11. obſeruat. medicinal.* Cornel. Gemma *lib.2.coſmocritic.cap.1.*Sic anno 1566. viſa eſt *febris Vngarica*,quæ licèt eiſdem ac Brunus Vngaricus,eſſet inſignita ſymptomatis, vehementioribus tamen iugulabat.De qua Matthias Cornax *lib.2. conſult.medicor. cap.9.* Apparuit etiam vitiligo peſtilens,in qua pili albeſcebant, de cuius natura Mercurialis *loc.nuper cit.*

Mirabilis eſt etiam morbus,quem primus omnium vidit Albucaſis *lib.2.cap.93.* ab eo *Flatus furioſus* nuncupatus qui à materia flatulenta turgente intra venas, huc illúcque impetuosè mota, & ad ambitũ corporis trãſmiſſa,

C irrequietóque motu agitata ſcaturit. De quo flatuoſo dolore,ſeu flatu vago diſceptarunt eleganter Marcellus Donatus *lib.1.de medica hiſtor.mirabili, cap. 6.* Cardanus *conſil.5.de dolore vago,* Nicolus *ſerm.7.tract.3.ſum.2. cap. 45.* Beniuenius *cap.40.& 81.de abdit.ſanat.& curat.cauſis.*

Extat rarum quoddam morbi noui exemplum apud Celſum, *in præfatione ſui operis*, dum ætate ſua quandam, ex naturalibus carne prolapſa & arente,intra paucas horas expiraſſe commemorat, ſic vt Medici nobiliſſimi neque genus mali,neque remedium inuenerint.Quid dicam de Elephantiaſi, quæ ante Pompeij Magni ætatẽ in Italia accidit?Quid referã de tabe Romæ graſsãte, anno. 1222. quæ omnes ferè depopulata eſt,auctore Blondo *lib. 7. decad. 2.* Dari ergo morbos nouos, nouum non eſt, prout *epiſtola vnica de morbis nouis*,eruditiſſimus Heurnius doctè confirmat,& nos *lib.3.de praxi Medica admiranda,in fin.*

D aliqua morborum nouorum exempla propoſuimus.

Huius cenſus eſt morbus hic colicus, à Paulo ſolùm animaduerſus, peſtilens ac contagioſus, ex quo alij in epilepſiam, alij in reſolutionem, nonnulli in vtraque mala ſunt prolapſi; cuius euentus cauſam latè diximus *lib.1.in com.hiſtor.* 45. Poſſe autem dari colicum dolorem peſtilentem probat Auic. *16. 3. tract.3. cap.6. in med. & tract.4. cap. 30. §. Et ipſe quidem vadit de quibuſdam ad quoſdam,permutatione quæ fit in aëre peſtilentioſo,& de terra ad terram,permutatione ægritudinũ venientium,&c.* Firmant Gentilis *ſuper cit.loc. Auic.* Ratio dictat, nam quid obſtat, quominùs praua qualitas recepta in aëre, plurimas noſtri corporis partes corripere poſſit, & primò colon inteſtinum labefactare lue dira? quoniam alia peſtis ad cerebrum, alia ad pleuram, alia ad alia inteſtina, alia

E ad colon analogiam habet, ex qua diuerſimoda & admiranda vi, phrenitis, hemitritæus cum cataphora coniunctus, pleuritis, dyſenteria, & colica peſtifera conſurgunt: hæc autem colon exercens & fatigans, peſtiferarum febrium more ſæpè celeriter interficit, vt ſcitè notauit Leonus Lunenſis *lib. 4. art.medic. ſect. 3. cap.7.*

Hunc autem morbum fuiſſe contagioſum, præterquã quòd ex Pauli dictis conſtat manifeſtè,dicentis ipſum à multis Italiæ regionibus ad Romanorum diuerſa loca fuiſſe graſſatum, annuunt priſci, qui omnes differentias contagij cognouerunt; nam Galenus *lib.1.de diſ.feb. cap. 2.* fecit commemorationem contagij ex conuerſatione,& aëre inducti §.*Et quòd peſtilenti morbo laborantium conuerſatio*

conuerſatio periculoſa, ne inde contagiũ contrahatur, quemadmodum ex ſcabie, & lippitudine, nemo ſanæ mentis dubitauit, &c. & *in cap.*4.de ſeminario in aëre relicto,§. *Magna autem ex parte ex inſpiratione incipit aëris circumſtantis à putreſcibili euaporatione infecti, &c.* Et *lib. de theriac. ad Piſon. cap.*16. de peſte illa, quæ ab Æthiopia in Græciam tranſlata,multa hominum millia ingulauit,ciuitates depaſcendo, vaſtando, & depopulando. Deinde Ariſt. contagium agnouiſſe patet, *ex ſect.*1.*probl.*7.quærens enim,cur peſtis ſola ex omnibus morbis eos afficiat maximè,qui ad laborantes propè acceſſerint? reſpondet, an quòd is ſolus omnium morborum communis,omnibus hominibus eſt? Et *lib.*7.*probl* 4.de contagio agit eximiè. Vt ſanè Tireſia cæciores iudices Montanum *part.*2. *ſuæ medicinæ,* de contagij eſſentia optimè diſſerentem, & Cardanum *lib.*1. *de venen.cap.*14.Fabium Paulin.*in com. lib. Thucydidis, de peſte*, aſſerentes, Græcos contagium nec per vmbram agnouiſſe.Nam,vt eruditè notauit Steph.Caſtrenſis *lib.*3. *de meteor.microcoſmi.cap.*5. Galenus de contagio ſcripſit in lib.Thucydidis de peſte,qui non extat.

DVBIVM LII.

Num poſſit dari peſtis citra perniciem.

SEd quæres hoc modo. Si colicus hic affectus fuit peſtilens, & contagioſus, & peſtis dicitur epidemia pernicioſa plurimos interficiens, à Gal.*lib.*3. *epid.ſect.* 3. *com.*20.& *lib.* 1. *acut.com.* 9.cur ex hoc affectu peſtilenti plures euaſerunt, præſertim qui in reſolutionem inciderunt? Dic. De eſſentia peſtis non eſſe, quòd ſit morbus epidemicus, quantumuis ita communiter explicetur: plures ſiquidem inuadere, potiùs eſt effectus, quam ratio formalis morbi: ſat enim eſt, vt morbus dicatur lethalis ac pernicioſus,vt ſua magnitudine poſſit inficere, magis enim & minùs non variant ſpeciem: quoniam tamen magna ex parte,à communi cauſa ortum ducit? & plures corripit, epidemia nuncupatur,& deſcribitur à veteribus. Quare vt peſtilens dicatur affectus, cuiuſcunque generis ille ſit, non oportet per multos graſſari,nec plurimos ex iis perdere. ſed ſufficit poſſe. Licèt enim peſtis deleteria ſit affectio, & ab efficaciſſima cauſa proficiſcatur, parùm interdum, aut nihil agit, ſi paſſum, valdè reſiſtat; ita vt pro varia corporis diſpoſitione non ſemel accidat, vt non patiatur vnum, ægrotet aliud, & moriatur illud: nec enim oportet peſtilentem, aut venenoſam affectionem, vt talis dicatur, omnes quos corripit, vel multos perdere,ſed ex ſe exitium minari:de quo argumento inter omnes lege Antonium Poncium *lib.de peſte, in initio*, de hac re eruditiſſimè diſſerentem.

Neque mireris colicum dolorem frigidis fuiſſe perſanatum, & calidorum medicamentorum abſtinentia curatum;nam ipſum à bilioſis ſuccis originem aliquando ducere,teſtes ſunt locupletiſſimi,Gal.*lib.*12.*meth.cap.*7.Auic. 16.3.*tract.*3.*cap.*2.& 6.Iacob.Oethæus *lib.obſer. propriar.* Amat. *lib.*1.*centur.* 2.quo in morbo, à mordaci humore, calido & pungente,ſuborto, frigida præſidia ſunt ex vſu; ſic enim eius acrimonia obtunditur,& hebetatur,temperatur mordacitas, & caliditatis vehementia infrænatur. Quòd ſi epilepſia, & paralyſis à bilioſo, calidóque ſucco ortum ducant,frigida auxilia omnibus iſtis affectibus remedio ſunt;quos affectus à bile aliquando oriri poſſe diximus *lib.*1.*in com.hiſt.*28.& 46.à quo humore colicũ dolorem,cæteróſque hoc loco relatos affectus fuiſſe pronatos, ex ſerie contextus, eorumque curatione ſatis patere arbitror,& firmat Gal.*l.*1.*de loc.c.*2.& *infrà* proponemus latè.

COMMENTARIVM.

P*Eſtiferæ cuiuſdam luis.*] De peſte hoc loco agendum, morbo diro,funeſto,exitiali, ob cuius labem dirã, affecto inquinatóque corde, vires omnes, præcipuéque vitales infringuntur.Inſuper eſt affectio deleteria,nõ vt cæteræ quæ communiter lethales dicuntur,ob ſui magnitudinem,intenſionem,partis nobilitatem, aut curandi difficultatem, ſed & inſuper mirabili quodam, inſigni, & extraordinario perdendi modo.Hoc repentinæ indicant cædes,ac miri alij effectus manifeſtè demonſtrant, quos refert eloquenter Fernel.4.*patholog.*17.& 2.*lib.de abdit.c.*2. Petrus Salius *lib.de feb. peſtil.* 15. & 16. *ad fin.* & Ioann. Georg.Schenkius,omnigenæ lectionis vir, qui ex Medicorum ſcriptis,*lib.*6.*obſeruationum* compendium collegit, & deſcribit Palmarius *lib.*6.*de morb.contagioſ.cap.*5.

Nam veneni promptiſſimi inſtar, horrida inimicitia, animantium genus inuadit & oppugnat, & præcipua membra,in primis cor,vitæ ſedem ac domicilium,ſpiritus eius deiicit & labefactat,vires proſternit,omnino ſuperat naturam, & citra cauſam manifeſtam corrumpit & premit,quod eſt de ratione veneni à tota ſubſtantia talis.Denique tanta eſt corruptio intùs concepti peſtilentis aëris halitus, vt non rarò ægros ſideratorum more concidere videamus, cùm alioquin in eis nec pulſus exitialis, nec vrina à naturali ſtatu mutata,nec vix vlla aduerſæ valetudinis ſigna appareant,ſanique videantur, ac ſtatim, & loquentes & incedentes, tanquam fulmine icti pereant. Nec minora ſunt, quæ in lethalibus, carbonibus,ac aliis venenoſiſſimis,ac fraudulentis huius mali ſignis accidere conſpicimus; ſic namque affectos,pleróque ſublatos vidimus, toruo aſpectu,liuenti facie,ſoporatos, delirantes, ſyncope correptos; tandem verò cum terribiliſſimis ſymptomatibus,pulſu paruo, debili, puſillo, aſſidua vomitione,inquietudine,corporis iactatione, virium imbecillitate,ſpirituum omnimoda iactura refrigerati,animam agentes, vt videas quàm ſit huius veneni latentis mira vis, & cæca poteſtas.

Notauit Rhaſis *lib.*30.*contin.tract.* 13. *cap.* 1. ſudorem ſanguineum in maleficentiſſimis variolis. Vidit Georg. Agricola *lib.*2.*de peſte*,formidabilem peſtis ſpeciem, qua correpti triduum circa caput,& pectus ſanguineum ſudorem excluſerunt. Cùm enim facultas retentrix, extincto ſpiritu,quo munia ſua exercet,à præſentaneo veneno,æthalique peſtifera aura ſit laceſſita,& victa,ſanguinem retinere non poteſt, ſed fluere permittit per poros cutis.

Quàm ſint exanthemata nigra in peſte apparentia,pernicioſa, docuit Galenus *in hiſtoria Critonis*, apud Hippocratem *lib.*1.*epid.ſect.*3.*text.*26.qui puſtulis nigris ad pollicem erumpentibus mortuus eſt. Sic Silenus *lib.* 1. *epid. ſect.*3.*text.*19. variolis oppreſſus cum extremorum nigritie obiit: quod mortis inſtantis eſſe certum ſignum firmat Gal. *lib.*3.*epid.ſect.*2.*text.* 5. agens de adoleſcentulo, qui in mendacium foro decumbebat: quæ in peſte apparere, omnes norunt.

Demùm huius tyrannici morbi eſt præſeruatio difficilis, curatio difficillima. Pro præcautione, veterum & iuniorum ſcientiſſimi ſatis inſudarunt, quibus eſt manifeſtum, illam ſolùm conſiſtere in roborando paſſo, & debilitando agente. Firmabitur illud, ſi partes principes cuſtodias, tuearis, ac firmes, quo minùs venenum queant perſentiſcere.In hunc vſum auxiliorum ſylua inuenta eſt, quæ tum viſcera interna roborare, tum peſtilentem auram, occultis, manifeſtiſque qualitatibus oppugnare poſſint. Ea ſunt vacuantia diuerſa multiplicique forma confecta, quæ corpus à ſuperfluo mundent humore, cardiaca ſint, alexiteriáque vi veneno mirandum in modum reſiſtant.Domus ab omni inquinamento, ſeu fœtore ſit immunis, aëri puriſſimo aquilonari expoſita. Hic igni purificetur, conflato ex odoriferis lignis, olentibus coronis,ac ſuauiſſimis floribus,vt lauro, pinu, iunipero, oliua, lentiſco, cupreſſo, rore marino, ligno aloës,myrto,roſis,aceto,cinnamomo,ſpica,& aliis iucundum fundentibus odorem; ſic enim animalia aërem purum ſpirantia,ab imminenti lue redduntur immunia. Lege doctiſſimum Danielem Sennertum *lib.*4. *de febrib.cap.* 5. *de præſeruatione à peſtilentia.*

Victus quantitate, qualitate, tempore, & ordine modum non excedat. Arcendi hominum conuentus. Roborandum cor alexipharmacis intùs aſſumptis. In hunc vſum inuenta antidota ex auro, margaritis, lapidibúſque pretioſis confecta. Aquæ theriacales mira diſtillationis arte extractæ, tabellæ ex cardiacis medicamentis, opiatæ,

pulueres,

pulueres,ſacculi,epithemata,vnguenta,conſeruæ, pilulæ, poma , quæ manibus tractata , ſuaui inſpiratione in cerebrum delata,animalem facultatem, & vitalem recreante, vires reficiunt, putredinem arcent,& putris humoris,peſtiferæque auræ qualitatem venenoſam, ac corruptricem, mirabiliter corrigunt, domant , atque infrænant. Horum omnium formas legat qui velit, apud eos qui doctiſſimè de peſte conſcripſerunt, Ioubertum,Paræum, Mercurial. Angelucium.Salium,Simonium,& Foreſtum. Inter cætera præſtat antidotus probatiſſima cõtra venena Matthioli.Præſtantiſſimum etiam eſt oleum de ſcorpionibus eiuſdem,ſeu Gregorij.Garauitæ,fidiſſimo experimento aduerſus peſtiferas febres adinuentum , cuius vires tantis laudum prçconiis ad cœlum euexit Andr.à Lacuna *in præfat. lib.6.in Dioſcor.*cuius eximias facultates ſæpiſſimè in febri lenticulari,ſumma cum ægrotantium vtilitate ſum expertus, cùm ex eius ſupra cor appoſitione,variis ſymptomatis oppreſſos viderim reſtitutos. Vnde verò hæc omnia alexipharmaca habeant facultatem ſuam, pauci explicarunt,excepto Stephano Roderico Caſtrenſi, qui in huius cauſæ ratione reddenda *lib.4.de meteor. microcoſm. cap. 2.* cæteros antecelluit.

QVÆSTIO XLVIII.

Quòd ad præcautionem,curationémve peſtis, venena ſupra cor geſtare non conueniat. Contra Baptiſt. Theodoſ. Mercat. Fallop. Paræum, Merindolum, & comm. Medicorum ſententiam

MItum eſt quod multi volunt,& ferè in vſu receptiſſimum eſt,hydrargyrũ , aut arſenicum ſublimatum ſuper ſiniſtram cordis papillam, aut alam ſiniſtram geſtata,venena cuncta fugare,& genuino latétique odio, à veneno, venenoſóque affectu præſeruare. Tantum enim fidunt huic auxilio,vt ſolo hoc,à peſtiléti lue homines præſeruari poſſe, conſtantiſſimè aſſeuerent Paræus *lib. 21. de peſt.c.12.*Ludouic.Mercat.*tract.de feb.malign.*Ioan.Thom. Porcelle *lib.contra peſtem,c. 16.* Ioan. Piſtorius Niddanus *lib.de peſte,cap.34.*& deinceps Anton.Merindol.*lib.de feb. cap.12.*Simon Simonius, Fallop, Iordanus, & plures alij. Tantique faciunt hi, hoc illuſtre à Deo mortalibus conceſſum auxilium,quod diuinũ inuentum appellare ſolent, vt Lacuna *lib.6.in Dioſcor.in præf.*,affirmet quendã Medicum Luſitanũ,in Romano Xenodochio peſtiferas febres curantem , ſolo ſublimato iuxta ſiniſtrũ cordis ventriculum geſtato,à periculo 24. annis euaſiſſe immunem. Sequuntur Ioan.Rhenanus,Petrus Droëtus *in tract.de peſt.*

Ioan.Baptiſta Theodoſius *epiſt.2.* aſſeuerat, corpus veneno aſſuetum minùs lædi à venenoſo,peſtiferóque aëre: Sicut enim multo tempore aſſueta,licèt fuerint deteriora inſuetis,minùs moleſtare conſueuerunt *2.aph. 50.* ſic venena aſſueta geſtari non nocent , imò muniendo cor cætera venena fugant. Sed cùm Arſenicum ſit venenum per eroſionem interimens, auctore Dioſcoride, cur antequam cor conſuetudinem contrahat , ipſum non interficiet ? cùm aëre per inſenſilem tranſpirationem attracto, venenum neceſſariò hauriamus. Hinc deduces , non eſſe ſtandum opinioni dicentium,ex eo in conſtitutione peſtilenti venena geſtare optimum eſſe,quòd ipſa cùm fœtida ſint , alia fugant venena : nam licèt aliquem in arcendo cõtagioſo,peſtiferóque aëre habere poſſint principatum, maius tamẽ ex illorum communicatione damnum ſubſequitur,maiórque pernicies. Lege Hermannum Follinum *lib.2.cap.7.de peſte.*

Petrus Salius *lib.de feb.peſtil.cap.20.*& Antonius Porta *lib.2.de peſt. cap. 49.* totam cauſam in ſimilitudine, quam habet vnum venenum ad aliud,inuicem ſe trahendo,eſſe ſitam acerrimè contendunt. Aſſerunt enim, venenum externum interuẽtu ſimilitudinis attrahere internum;quare in præſeruatione,& curatione peſtis,mirum auxilium eſſe cenſent,vt ſic maligna & venenoſa qualitas,altis in corde fixa radicibus,foras extrahatur,ac venefici ſpiritus promptiſſimè extrà alliciantur : in præſeruatione autem mirabiliter conferre arbitrantur :nam præterquã quòd venenoſam qualitatem retundunt , & infrænant ; ſunt etiam ſummè ſicca ; & inquinamenta peſtis abſumendo,excrementitiam humiditatem diſcutere queunt.

Quòd autem hæc reſponſio ſit extra rationem , patet. Nam vel de præſeruatione eſt ſermo,vel de curatione : Si de illa, reproba ſunt hæc venena,& nullius vſus, imò inutilia , nocua , & incommoda : in hydrargyrio enim , & ſublimato extant tum manifeſtæ,tum occultæ qualitates; non illæ, quoniam hydrargyrium frigidum cùm ſit, condenſando poros, fuliginum putridarum prohibet exhalationem , quibus cor obruptum cùm ſuffocetur , feruet ſuapte natura,gliſcit, & excandeſcit ; & ſic minùs reſiſtit futuro, imminentique veneno. Deinde ſublimatum calidum cùm ſit,nimis calefacit,cordis temperamentum peruertit, ſpiritus acriores reddit, ipſóſque inflammat. Lege Caſtr.*lib.4.de meteor.cap.4.*

Simon Simonius doctiſſimus *2.lib.meth.curand peſtem, fol.* 122.ad qualitates occultas confugere eſt coactus, dicens arſenicum ſuaptè natura hoc habere , vt extrà appoſitum cor firmet , & venenum atterat. Sed quoniam confugere ad occultas qualitates , eſt aſylum eorum qui nihil dicunt, monente ſic Magiſtro *lib. 3. de præſag. ex pulſib. cap. 5.* huius opinionem confirmare non poſſum: maximè cùm arſenicum , venenum ſit à tota ſubſtantia tale , cordi & ſpiritibus valdè infenſum , & aduerſum. Quæ ergo qualitas benigna in eo aderit occulta , confirmans cor , vt in præſeruatione conferre poſſit ? Ad hæc. Si virtus horum intùs penetrat , cùm labes in corde non adſit venenoſa , niſi familiaritate , & ſimilitudine ſubſtantiæ inueniet attrahendum. Eſtne(quæſo) in his aliqua admiranda vis , vt illæſis ſubſtantiis internis ſine aliquo damno , iſtorum facultas foràs extrahatur ? Cur ſi ſolus peſtilens aër maiori ex parte per inſpirationem attractus peſtilentiam facit , continuò naribus non apponitur, ne ſcilicet aër ingreſſurus viam inueniat ?

De curatione maior eſt dubitatio. Cùm enim duo adſint venena , internum , & externum ; cur illud cùm peſtilens ſit, & in agendo efficacius non attrahet externum , ſi verum eſt inter attrahentia familiaritate , illa potiùs attrahere, in quibus maior eſt actiuitas, & efficacia, ex Gal. *lib. 3.ſimpl.24. & 25.* peſtilens autem venenum aliis venenis multò eſſe excellentius , deduci poteſt ex Gal. *lib.6.epid.ſect. 1. com. 29.* qui calorem peſtilentem, ab aliis per putredinis excellentiam differre affirmat. At ſi tantoperè horum auxiliorum fidis tractioni , ſalubrius tibi ſit multò , cucurbitulam regioni cordis admouere , vt ſiquid ibi veneficum latet , extrahatur. Et ſi Arſenici ſiccitatem tantoperè laudas , cur cordi cauſtica non imponis,quorum vi,& ope ichores virulenti abſumantur ?

Excellentiſſimus Fallopius *lib.de bubone peſtifero,cap.16.* experientia edoctus , Arſenicum impoſitum cordi in ſacculo tenuiſſimo, eſſe medicamentum factum à Deo conteſtatur. Sed videndum, num experientia ſit bona ; quum enim multa ſint , quæ in peſtis præcautione applicantur auxilia , videndum ad quæ referenda ſit ſalus. Ego tunc credam , cùm videro hominem ad peſtem ſuſcipiendam aptum , cum peſtilentibus conuerſantem , reprobo vtentem regimine , horum ſolùm antidotorum vi fuiſſe præſeruatum. Bona tamen fidè teſtari poſſum, me anno 1600. in vaſta illa peſtilentia , quæ Luſitanos, Cantbros, Gallæcos , Flandros , Afros , Hiſpanos citeriores , & non paucas , vt audiui , Orientales prouincias miſerrimè afflixit , plurimos vidiſſe peſte correptos,imò alios repentè , velut fulmine ictos , emortuos, non ſine liuore in regione cordis , in quorum parte læua iuxta cor , ſacculus plenus arſenico diu fuit geſtatus.

Securius ergo multo ſit,belzaarticis medicamentis,cardiacis vnguentis , & aliis probatis alexipharmacis, intùs aſſumptis, & extrà appoſitis cor munire , quàm hoc ambiguum auxilium experiri. Lege eruditiſſimum Alexandrum Maſſariam , qui *lib.2.de peſte , cap. 4.* noſtram ſententiam approbat,& confirmat, ſimul cum Septalio *lib.5.*

*caution,medicar.num.*58.Saxonia *lib.de plica,cap.*54. Gemma,Gerardo Columba,& Augenio.

QVÆSTIO XLIX.

Quòd cadauera peſte enecta valdè ſint contagioſa. Contra Fracaſtorium, & Rondeletium eruditiſſimos.

DE præſeruatione in peſte, illa ſoluenda dubitatio eſt, quam ieiunè ventilarunt recentiores: num cadauera peſte enecta, ſint contagioſa. Claudius Galenus, inter Medicos & Philoſophos acutiſſimus, & in cuius libris legendis nullum finem facio, tam mihi videntur docti, grauiter, ingenioſè, prudenter conſcripti! *lib.* 1. *de dif. feb.cap.*2. peſtilenti morbo laborantium conuerſationem periculoſam eſſe, ne inde contagium contrahatur, aſſeuerat. De hoc argumento cùm diebus elapſis apud Doctorem quendam Medicum celeberrimum,& virum non minùs illuſtrem, quàm doctum fortè in corona eruditiſſimorum colloqueremur plures, quidā non infimæ notæ Medicus, hanc veritatem luce ipſa meridiana clariorem ſummoperè approbans,& confirmans,de viuis corporibus hoc eſſe intelligendum clamitans, cadauera peſte emortua, nullo modo contagioſa eſſe prædicauit.

Ego,vt verum fatear,cùm opinionem hanc,generis humani ſaluti conſeruandæ aduerſam maximè eſſe, fuerim arbitratus, imò à ratione, experimento, illuſtriúmque Medicorum decretis longè alienam, ſumma admiratione affectus ſum, præſertim in re, quæ maximum pōdus ſemper habere viſa eſt. Quapropter eum enixè etiam atque etiam rogaui, vt pro ſua in nos beneuolentia,opinionem ſuam confirmaret, & ſeriis rationibus muniret. Iſte cùm eſſet ingenuis moribus præditus, & in ſtudioſos valdè propenſus,ſic eſt profatus.

Tanta eſt, inquit ipſe, inter ſymbola ſympathia, concedentibus omnibus cum Philoſopho, vt ſolus viuus homo cum viuo eam obtinere poſſit,maximè cùm maior actiuitas ſit in viuente,quàm emortuo. Nec enim mente concipere poſſum, quo pacto cadauer poſſit inficere hominem, quū in illo nulla ſit actiuitas, nulla putrentis vaporis exhalatio,nullus innati caloris conatus;meatus præterea ſint adſtricti, & ob frigiditatem occluſi & conſtipati, per quos fuligo infectura tranſire debet.

Huius conditionis defectu, vulnera cætera venenoſa, licèt lethalia ſint,nō ita ſæua pariunt ſymptomata,quàm quæ ex animalium venenoſorum morſu accidere refert Gal.poſito exemplo in ſcorpione, 3.*de loc.cap.*7. nam, vt inquit Celſus *lib.*5.*cap.*27.*ſect.* 3. *venena non in guſtu, ſed in vulnere nocent*;ob quandam vim mortiferam,quam nobis contrariam habent, ex Gal. *lib. de inæqual. intemp.* 6. Dioſcorid.*lib.*6. *cap.* 35. Fernel. *lib.* 2. *de abdit. rer. cauſ. cap.*11.Paræo *lib.*20.*c.*9.§. *Cæterùm ex commemoratis, &c.* Explicat eleganter Ioan.Andreas à Cruce,*lib.*3. *de morſib. venenoſis,tract.*5.*tit.de curat.morſ.venenoſi*, dum ſic inquit. *Nonnulli opinantur, quòd vulnera illata ab animalis venenoſi viuentis morſu, ſunt multò grauiora ac periculoſiora illis, quæ à venenato telo cauſantur:nam venenum quod ab animali prouenit,valdè acutum,ac penetrabile eſt,cùm auctore Celſo,quilibet morſus,virulentia quadam lædere ſoleat,quæ propria malignitate, membri complexionem turbat ac corrumpit, & intrinſeca qualitate cordi nocumentum afferre quærit.* Hæc ille. Hócque ita fieri dicendum eſt, quoniam in partem demorſu apertam, vel ſaliuam, vel humorem caloris interuentu eructat, cum quo virus in arterias, in omne denique corpus obrepit,primùm ſpiritus, deinde humores, poſtremò ipſam partium ſubſtantiam inquinat, & labefactat. Vt ergo cadauer noxium ſit, & contagioſum, in proximíque corporis ruinam & damnum, ſui furoris proferat incommoda, debet habere adminiculantem calorem, vt vapore emiſſo vicinum corpus breui admodum tempore afficeret, quo cùm careat, & contagionis ſeminaria ſint finita, contagioſum eſſe non poteſt.

Fracaſtorius Medicus, & Poëta celeberrimus, noſtram poſitionem omninò confirmat *lib.* 1.*de contagion.cap.*12. cùm ſic inquit. *Mortuum autem animal contagem eam non ſeruat, qua tenebatur viuens, quoniam ſeminaria contagionis vnà cum calore innato extincta ſunt,&c.* & *in initio cap.* poſtquàm dixerat,contagiones non vno modo ſe habere,nam aliæ promptiſſimè inhærent, & afficiunt, aliæ ſeriùs, aliæ ſtatim ſe manifeſtant, ſubdit. *Omnes autem in viuo corpore natæ infectionem diſſeminare,in mortuo non,&c.* Hæc eſt huius viri, qui omnibus de contagio rectiùs fuit ratiocinatus,clariſſima ſententia.

Eius forſan conſilio, & auctoritate ductus Rondeletius, manifeſto experimēto quæſtionis ſolutionem patefecit *lib.de febrib.cap. de feb. peſtilentiali*, dum hæc verba profatur. *Quare corpora illa mortuorum quæ ampliùs non expirant,nullum venenum eiaculantur:quòd ſi aliquid contrahatur id potiùs ab eorum pannis contrahitur, quàm vlla re alia: ſiquidem diſſecuimus aliquando corpora mortuorum ex peſte, multis ſpectantibus ſtudioſis,ſine aliquo damno,&c.* Concludens ait, *propterea quòd mortuo animali perit omne venenum.* Hæc ille. Quòd autem venenum pereat extincto animali, probant Langius *lib.* 1. *epiſt.*69. Paræus *lib.*2.*cap.* 4. qui *animalia veneno alta innocuè poſt mortem edi poſſe* aſſeuerant. Quamobrem ſi hæc vera ſunt, & tot eruditiſſimorum expreſſis probata teſtimoniis, cur cadauera peſte emortua, contagium poſſe importare,aſſeremus?

Placuit audire docti viri reſponſum: nam ſi acutus Auerrhoës *lib.*4.*collig.*9.lepidè imperat, cribrandum eſſe ſabuli modium, in quo fortè fortuna poſſit inueniri aliqua margarita, & nihil ſit contemnendum, ex Hipp. 6. *epid. ſect.* 2. *text.* 25. Et præſtantes Medici vel imperitorum aliqua præſidia protulerunt in lucem, vt Celſ. *lib.*4. *cap.*4.*ſect.* 1. Paul. *lib.* 14. *cap.* 3. qui fœminarum remedia in propatulum poſuere, & non ſit cunctandum aliqua ab idiotis inquirere, ſi quid ad curationis occaſionem viſum fuerit, auctore Hipp. *in præcept. num.* 2. *in fin.* & Gal.idem affirmat *lib.* 1. *acut. com.* 1. quantò magis iſtius viri ſententiam, tanta doctrina, auctorúmque probatorum voto permunitam, quæ omnem de hac re dubitationem, & veluti caliginem dilucida interpretatione diſcuſſit, & animum meum à grauioribus curis, hilaritate,quietéque laxauit.

Sed reuerſus altera die, & ad frugiferam fructuoſamque diſputationem accedens,re benè penſata, & redintegratis viribus ſic ſum exorſus. Notiſſimum eſt, vel etiam iis qui prima medicinæ limina ſalutarunt, ex cadaueribus mortuis in bello, peſtem oriri poſſe; nam vnanimi conſenſu Medici illa illicò eſſe cremanda imperarunt. In illis enim licèt ceſſet innatus calor, refrigeratum ſit corpus, deficiátque expiratio arteriarum, & minor ſit exhalatio; ratione tamen putreſcentis materiæ in corde, in venis, arteriis, per tranſpirationem ſit ſufficiens euaporatio ad inficiendum aërem. Huius rei manifeſtum ſignum eſt fœtor ingens,nonniſi ab effumāte calore,plurimáque vaporum copia exurgens, ex ſordida circa viſcera putredine natus,quæ ad abſentiam natiui caloris, à quo antea coërcebatur,ſeſe inſolenter eructat. Quare ſi fœtentes vapores à cadauere eleuati aërē putredinosè inficiūt, quid mirum ſi ipſi è cadauere peſte emortuo elati corpora vicina inficiant peſte dira?

Pernicioſius ergo multò, ex peſtilenti lue emortuum corpus, quàm ipſum ægrotantem attingere; illud enim cùm vehemētiorem arguat cauſam, eminentiori quodam perdendi modo, inficiendi vim habet. Exemplum ſit tibi peſtis illa Athenienſium, celebrata tantoperè à Gal. *lib. quòd animi mores, cap.* 5. & *lib.* 1.*feb.*4. & *lib.* 2. *de cauſ. ſympt.vlt.*& *lib.*2.*de dif.reſpirat.*7.& 6.*epid.ſect.*4.*com.* 12. & *lib.*4.*de articul.com.*40.in qua,vt referunt Thucydides, & Lucretius, aues & bruta, cadauera deguſtare non audebant, quaſi peſtiferam illam tabem mortuorum corporum perhorreſcerent. Horum ergo plurima eſt inficiendi vis; nam quod in viuis calor effumans per patentes, miniméque occluſas vias, reſpirationē videlicet, & tranſpirationem efficere poteſt, id calor putredinoſus per hanc partem peragere valet efficaciùs.

Deinde, Si corpora inanima contagium à cadaueribus

peſte

peſte enectis ſuſcipiunt, quantò magis animata, quæ veneficum vaporem vnà cum aëre quem inſpiramus, cótinuò attrahunt? Extat celebris ad huius rei confirmationem hiſtoria Trincauellij *lib. 3. conſilior.* 17. qua confirmat chordas, quibus peſte mortua cadauera ſepulchris inferebantur, ſupra 30. annos deliteſcentes; tandem peſtis contagium intuliſſe: vnde decem millia hominum abſumpta ſunt. Sic enim ait. *Iuſtinopoli, in maxima peſtilentia, chordas quibus deferebant ægros, aut certè mortuos ad ſepulchrum, poſtquam illa ceſſaſſet, quidam poſt capſulam quandam proiecit: latuere ibi ferè per 20. aut 30. annos. Tandem cùm ſacris quidam eſſet initiandus, & omnia purgarentur, ſimul & locus in quo ſcrinium quoddã erat, hoc remoto, ſeruus inuenit funes, eóſque campanis aptos aſſeruare volens, incidit in peſtilentialem febrem, contagioque illius, reliqui infecti adeò ſunt, vt decem millia hominum, ex hac occaſione, mortua ſint, &c.* cuius verba etiam citat, & firmat Schenckius *lib. 6. obſer. de peſte.*

Inſuper. Si canis rabidus emortuus inficit alios rabie dira, licèt extincta animali emortuo contagionis ſeminaria videantur, cur homo peſte emortuus alios etiam non inficiet? Primum probant illuſtria eruditiſſimorum virorum teſtimonia. Nam Cælius Aurelianus *lib. 3. acut. cap.* 9. narrat ſartricem quandam, quum chlamydem ſciſſam rabidis morſibus ſarciendam ſumeret, atque ore ſtamina componeret, & lingua pannorum ſuturas lamberet aſſuendo, quò tranſitum acus faceret faciliorem, tertia die in rabiem veniſſe. Palmarius *lib. de morb. contagioſ. pag. 266. & 267.* animalia, ſtramentum in quo rabie perciti ſues decubuerant, deguſtantia, contracta primò rabie, periiſſe vidit. Tanta eſt vis veneni, cuius efficacia dira per dies, nec annos exoleſcere poteſt. Quare contagionis ſeminaria extincto calore natiuo deleta non ſunt, vt perperam dicebat Fracaſtorius, Lege Sennertum *lib. 4. de febrib. cap. 2.*

Quid verò ſit reſpondendum ad Rondeletij experimentum, ſic accipe. Nam licèt ſit veriſſimum, attamen non concludit: nam vt bellè dicebat Gal. *lib. 1. de dif. feb. cap. 4. nulla cauſarum ſine patientis aptitudine agere poteſt, alioquin omnes qui cum peſtilentibus conuerſantur, morerentur:* quoniam *non quæuis demorſa à rabidis, aguntur in rabiem, ſed diſpoſita tantùm,* ex Nicol. *ſerm. 4. tract. 4.* §. *Ego enim vidi canem rabioſum mordere quendam anſerem, & dilaniauit de cute eius multum cum ſanguinis effuſione, & tamen nullum malum accidens inde anſer ille paſſus eſt, & tamen erat canis ille valdè rabioſus, quia poſt valdè paruam moram momordit quendam iuuenem, qui inde factus rabioſus mortuus eſt, &c.* Multoties enim cum peſtilentibus in eodem lecto decumbentes, ſecuri euadunt, è contrà alij, ſolo halitu, & vapore inficiuntur. Exemplo ſit infans, qui duabus nutricibus peſte infectis lactatus, ſuperſtes remanſit, vt obſeruauit Ioachimus Camerarius relatus ab Schenckio *lib. 6. de obſ. peſte.* Quapropter ne mireris, ſi adſtantes coram cadauere peſte emortuo, lue peſtifera non fuerint infecti, cùm ad recipiendum venenum peſtiferum non eſſent diſpoſiti.

DVBIVM LIII.

Num veneno enecta, aut nutrita, eſui eſſe poſſint. Contra Langium, & Paræum, doctiſſimos,

QVod autem falſum ſit, extincto animali omne venenum perire, & animalia veneno alta, edendo eſſe vſui, contra Langium euidentiſſimis teſtimoniis palàm faciam. Galenus enim ex coturnicum veratro nutritarum eſu oriri neruorum diſtentiones, & veneno ſimilia ſymptomata aſſeuerat, *lib. 6. epid. ſect. 5. com.* 35. quod poſt eum obſeruarunt Mundel. *epiſt. 6.* Bruyerin. *lib. 5. de re cibaria, cap. 35.* Cardan. *lib. 3. de ſanit. tuend.* 21. Seidelius *lib. de morb. incurabil.* Lacuna *lib. 4. in Dioſcorid. cap.* 152. Refert Surius *in com. rerum in orbe geſtarum*, in Ducatu VVittembergenſi quoſdam eſitantes carnes porcorum rabidi canis morſu infectorum, verſos in rabiem, mutuis ſe morſibus dilaceraſſe; & Fernel. *lib. 2. de abdit.* 14. hoc ipſũ approbat hoc exemplo. *Hac æſtate venatores quidam in lupum ſæuiorem irruerunt, trucidatum in varia obſoniorum genera apparарunt & coxerunt; omnes quicunque eſitarunt, non multo poſt tempore rabie correpti, alij perierunt, alij ſociorum morte prudentes ſibi proſpexerunt, &c.* Non ergo mortuo animali perit omne venenũ, neque veneno alta innoxia eſui eſſe poſſunt: nam vis lethifera, & venenata remanet ſemper, quæ ignis vi omninò deuinci non poteſt, vt Salius *cap. 19. de affectibus particularibus* edocuit, cùm ſit à tota ſubſtãtia pernicioſiſſima, imò cor, ſpiritus, viſcerúmque firmitudinem fœda colluuie inquinat, venenoſa qualitate conſpurcat, & labe dira premit, ac ferit.

Neque bonum argumentum confeciſſe Langium exiſtimes, de gallinis, quæ viperis ad curandos elephanticos ſaginari ſolent: nam his illæ ob certam antipathiam, & naturalem contrarietatem, antidoti & alexipharmaci inſtar, auxilio ſunt; homini verò ſano multam perniciem, ſi edantur, afferre queunt. Veneno ergo altæ feræ, aut toxico interemptæ, edendæ non ſunt; nam in veru toſtæ, aut in lebete elixæ, feruore ignis malitiam non deponunt; quare ſuſpectæ ſunt, & pernicioſæ. Imò earum virus ignis calore non diſſipatur, difflatur, aut euaneſcit: expertũ namque eſt, referente Lacuna *lib. 4. in Dioſcorid. cap.* 152. carnem cerui haſta ſucco veratri delibuta interfecti, extremè eſſe hac de cauſa laxatiuam. Malam enim qualitatem à veneno acquiſitam, non ita facilè elui poſſe, Hippocrates, *lib. 6. epid. ſect. 5. text.* 35. confirmat, dum lac purgatorium reddi aſſeuerat, ſi capra cucumerem ſylueſtrem comederit: licèt enim lac ſit ſanguis coctus, qui innati caloris coquentis vi multas ſit paſſus permutationes, nunquam tamen harum beneficio purgantem vim exuere potuit. Quare ſi hanc lac amittere non poteſt, quantò magis caro? Huius rei habemus exemplum in boue Indico, qui cùm Caſſia veſcatur, carnem habet ventrem ſoluentem. Caro ergo animalis, telo venenato, aut veneno interempti, tuta non eſt, vt probat Cardanus *lib. 2. de venen. cap.* 8. Narrat Amatus 2. *cent.* 65 *filiam Arubæ tabefactam fuiſſe, ac emortuam, quòd carnem guſtaſſet gallinæ arſenico enectæ.* Nec Celſi te moueat auctoritas *lib. 5. cap.* 27. dum venatoria venena, quibus Galli præcipuè vtuntur, non guſtu, ſed vulnere nocere refert: nam intelligendus eſt quaſi dicat, non ita in guſtu, ac in vulnere nocere: conſueuiſſe autem Gallos, vt ferarum carnes teneriores redderent, tingere ſagittas Ellebori ſucco, teſtis eſt Plin. *lib. 25. cap.* 5. Quapropter veneno alta, vel interempta, eſui ſunt noxia, vt probat Mathiolus *in præfat. ad lib. 6. Dioſcoridis in med.* Nam ſi caro animalis, quæ fulmine percuſſa interierit, pernicioſa eſt, apud Conciliat. *lib. de venen. cap.* 69. maiori iure ea erit, quæ alitur veneno, aut interficitur. Vnde errant qui Elleboro ſagittas illinere conſueuerunt; nam venenum exanimatæ feræ viſcera altiùs penetrat; ex Aulo Gellio *lib. 16. noct. Atticar. cap.* 15. Licèt autem carnes hæ deuoratæ nihil ferè incommodi afferant; quod mirantur Matthiolus *ad lib. 4. cap.* 141. *Dioſcorid.* Iulius Alexandrinus *lib. 10. ſalubrium, cap.* 5. Cyriacus Lucius *lib. de ligni cotonei natura, & viribus,* Antonius Ludouici Olyſſip. *lib. 3. de occult. propriet. cap.* 3. Ioan. Crato *lib. 2. pag. 227. ad Thom. Iordan.* Tamen tractu temporis, noxas edentibus inemendabiles faciunt. Hac de cauſa venatores experti vulneratam carnem latè circumcidunt, ne veneni virus citiùs penetralia feriat. Lege per otium pulchra apud Marcel. Donatum *lib. 6. de hiſt. mirabil. cap. 1. in med.*

Sed ne longiùs abeam, accedo ad negotium; concludóque homines tractantes cadauera peſte enecta, aut eorum horribilem fœtorem, ex ſordida interanea putrilagine contractum inſpirantes, vel peſte affici, vel ea ſola deuictos corruere, & occumbere. Inquirẽda ergo eſt cauſa congruens dictis euentibus: quæ cùm alia non ſit quàm quæ à cadaueribus originem habet, idcircò dicendum, hæc maximè eſſe contagioſa, & ſumma cautela, cuſtodiáque eſſe ſepelienda. Hæc eſt cauſa, ob quam apud Septentrionales peſtis tandiu durat, & ſæuit, hi enim cadauerum peſte enectorum nullam prouidentiã gerunt, ab his nullum incommodum ſequi poſſe pertinaciter contẽdentes,

quod quàm ſit à vera, medicáque præcautionis norma alienum, ſuprà explicui. Vos, quæ tumultuariè, imò obſcurè, & confusè dicta ſunt à me, eadem demonſtrationis vi perſequimini, qua arduis medicæ ſcientiæ dubiis diſſoluendis ſedulò incumbitis. Lege Ioubertum *lib. de peſte, cap. 3.*

COMMENTARIVM.

PErſanauit.] Ex omnibus, quæ ad curandam peſtilentem luem à Medicis proponi ſolent, auxiliis, tria ſunt potiſſima: antidota, venæ ſectio, & purgatio. De hac, num in peſte ſit celebranda, ex profeſſo *lib. 4. in com. hiſtor.* 47. diſceptabimus: nam in hunc commodiorem locum huius quæſtionis deciſionem reſeruare ſatius duxi. Antidota, ab aliis dicuntur alexiteria, alexipharmaca, ſeu Belzaartica, hoc eſt, omnia quæ peculiari quadam antipathia veneno aduerſantur. Duplicia ſunt apud Galenum *lib. 5. de ſimpl. medicamentor. facult. cap.* 18. nam *alia alterant, quædam euacuant ex corpore patiente, ſeu venenum corrumpens, ſeu deleterium medicamen. Alterant igitur aut vna qualitate, aut duarum coniugatione, aut denique tota ſubſtantia, &c.* Hæc omnia occulta quadam vi qualitatem venenoſam repellunt, & refrænant, viſcera omnia, cor præſertim roborant, & defendunt, ſpiritus puriſſimos reddunt, ſanguinẽ purificant, mentẽ exhilarant, putredini reſiſtunt, venenoſam contagionem eliminant, & factam, ne ampliùs ſerpat, domant ac retundunt. Inter hæc primatum obtinent Lapis Belzaar, de cuius temperamento, & vi tam multa diximus *in com. hiſtor.* 36. *lib.* 1. & Gaſpar Bauhinus, ex Arabum & iuniorum mente, eius facultates admirandas explicuit *lib. de lapide Belzaar, ferè per totum.* Vnicornu verum, Armenia terra, lapides pretioſi, aurum, margaritæ, os de corde cerui, dictamnum, tormentilla, carlina, ebur, ſemen citri, Angelica, & alia; ex quibus antidota, conſeruæ, tabellæ, & aliæ formulæ parari ſolent: vt ſunt Theriaca, electuarium de gemmis, Alchermes, confectio hyacinthorum, oleum de ſcorpionibus Mathioli, electuarium de ſanguinibus ab eodem auctore conſcriptum, electuarium de ouo, & ſi quæ alia præſtantiſſima auxilia, tum ſimplicia, tum compoſita, quorum formas inter omnes tradit Andreas Alcacar *lib. 6. de bubone peſtilenti, cap.* 10. Belzaar ex ceruorum lachryma, cuius hiſtoriam Langius *lib. 2. epiſtol.* 24. exactiſſimè deſcribit. Cornu aſini Indici, de quo Ælianus *lib. 5. variæ hiſtor. cap.* 21. Cornu Camphurch, cuius vires Theuetus propoſuit *tom. 5. lib. 2. cap. 5.* Fera Pyraſſouppi dicta, cuius cornu, mirabile eſſe contra venenoſos ictus, narrat ipſe Theuetus *lib. 1. coſmograph. cap.* 5. Cornu ceruinum, de cuius laudibus mira vide apud Cratonem, *ad Thom. Iordanum conſil. & epiſtol. lib. 4. pag.* 426. Andream Baccium *lib. de prolegomenis venenorum, & antidotorum, pag.* 61. Ruta, cuius vires pro veneno propulſando repetit Athenæus, *Deipnoſoph. lib. 3.* Galega, de cuius admiranda vi contra venenum, lege Foreſtum *lib. 2. de incerto vrinarum iudicio,* & Petrum Sphærerium *obſ. 99. pag.* 217. Scorzonera, de cuius efficacia contra venena, peſtem, & febres malignas, graphicè diſſeruit Monardus *proprio tract. de radice Scorzoneræ.* Carduus benedictus, malum citrium, cotoneum malum, Anthora Mathioli, Contrayerua Monardi, Moringa Chriſtophori à Coſta, Drakena Cluſij, Lignum Colubrinum Garziæ ab horto, Molucenſe Chriſtoph. à Coſta. Coccus Maldiuenſis, pro domando veneno, febribúſque curandis malignis, Antidotum pretioſum, cuius mirificas vires politè, ornatè, & doctè deſcripſit nuperrimè Augerius Clutiuus, Medicus, & Botanicus Amſtelodamenſis eximius, *proprio de nuce medica Maldiuenſi opuſculo* Et ſi quę alia contra venena probatiſſima præſidia, quorũ vires eſſe diuerſas ſæpè, oſtendit Peucerus *lib. de præſag. medic. fol.* 548. & notauit Anutius Foëſius Mediomatricus *in pharmacop. ſect.* 1. *de antidot.*

Hæc profunt ſupra cor appoſita, ore contenta, annulis geſtata, vel ſi ſugantur; & quod magis probo, cibis admixta, priùs tamen in tenuiſſimum puluerem redacta, cum quibus liquores coqui poſſunt. Hæc enim venenum A extinguunt, ſpiritúſque venenoſos ad extimas depellunt corporis partes, ad quas propulſi viſcera præcipua non ita inficere valent.

De venæ ſectione in peſte celebranda hæſitant iuniores: quam eſſe reprobam, & valde nocuam acriter contendunt Cardanus *lib. 2. contradict. tract. 4. contrad.* 4. Petrus Salius *lib. de febre peſtilenti, cap.* 21. quorum rationes ex profeſſo enucleauit Maſſaria *lib. 2. de peſte, in med:* & alij luculenter diſſoluerunt, qui tibiarum ſcarificationes, ad imitationem Galeni, miris celebrarunt laudibus & encomiis: *Hic* enim, vt refert Oribaſius *lib. 7. collect. cap.* 20. *cum vehemens peſtis Aſiam prehendiſſet, ipſumque attigiſſet, ſecunda morbi die, remiſſione febris facta, crus ſcarificauit, duáſque ferè ſanguinis libras detraxit, hácque de cauſa periculum vitauit*: quam hiſtoriam lege apud ipſum B *lib. de cucurbit. & ſcarificat. cap.* 21. Adeò enim eſt præſtans auxilium hoc, vt plerique peſte affecti, eo vſi, ſuperſtites euaſerint, vt notauit Claudinus *lib. 2. de ingreſſu ad infirmos, cap. 6. de ſcarificatione malleolorum,* & firmant Ludouic. Septalius *lib. 5. de peſt. & feb. peſtifer. cap.* 19. Donatus Sanctorius *lib, 1. epiſt. 2.*

Hoc pacto iuniorum doctiſſimi in truculenta lue, tali ſectionem tantoperè amant; nam ſic noxius & veneficus ſanguis, ad inferas minúſque præcipuas auertitur corporis partes, qua facta vacuatione, ſuperna viſcera, in quibus focus conſiſtit, & minera putredinis, ventilantur & tranſpirant. Hac tamen diſtinctione facta, partium inferiorum moliaris ſanguinis miſſionem eſt neceſſe, vt ſi vires ſint liberales, ex talo feriendam venam præcipias, háncque eò ampliùs aperiendam cures, ſi malum ſit in principio, morboſus in corpore præſit C apparatus, ex ſanguinis, aut aliorum humorum copia congeſtus, tumores adſint doloroſi, puſtulæ grandiores, tunc parcè, aut per vices celebranda, vt vires donec morbus conſiſtat, ſufficere queant; ſi tamen aliqua conſueta vacuatio fuerit ſuppreſſa, tunc audaciùs ſanguinem emittes.

Si tamen vires non ita conſtent, meo, & doctiſſimorum Medicorum conſilio, firmum ac ratum eſt præceptum, vel cucurbitulas cum ſcarificatione dorſo, ſpatuliſque apponere, quum hæ citra virium diſpendium, morbum leuent, ſuccum, aut ſpiritum venenoſum à corde diſtrahant, malámque qualitatem ab internis partibus præcipuis, ad externas ignobiles diſtrahant; vel hirudines venis hæmorrhoïdalibus apponimus, quarum ſuctu, euacuato aduſto præ febrili calore, ſanguine, interna viſcera prom- D ptiùs leuantur, & virus ad minùs præcipuas, diſtantiſſimáſque allicitur corporis partes, vt doctè admodum probant Ianus Antonius Saracenus *lib. de peſte*, & Ioan. Guinterius Andernacus, *dialogo 3. de peſtilentia*: vel harum loco, tibiarum ſcarificationes celebramus, quas in febre peſtifera vtiliſſimas eſſe, multiplici vſu, experimentóque eruditiſſimi viri conteſtantur, ob cauſas dictas latè, à Ioanne Carmona *lib. de peſte, & febre cum puncticulis, cap.* 1. Fracaſtor. *lib. 3. de curat. feb. puncticul. cap. 5. prope fin.* Mercat. *tract. de febr. maligna, tit. de ſang. miſ. per cucurbitulas,* Mercurial. *in com. hiſt.* 22. Ioan. Iacob. Manno *lib. de malleolor. ſcarificat.* Claudin. *de ingreſſu ad infirmos, lib. 2. cap.* 6. Aloyſio Toreo *proprio lib. de febre cum puncticulis,* Michaël. Guauaſſet. *in epiſtol.* Ioan. Colle *lib. de morb.* E *malig. cap.* 6. preſertim ſi poſt partum, aut aborſum ingruerit affectus, adſitque menſtrui ſanguinis retentio; quo caſu in hac parte ſcarificationes exerceri debere, maximè in albidioribus fœminis, teſtis eſt locupletiſſimus Galenus *lib. de curand. rat. per ſang. miſſionem, cap.* 11. Ex hac enim parte ſanguis extractus phlebotomiæ vicem gerit, apud Gal. 2. *aph.* 17. Profundam autem, mediocrem, aut ſuperficiariam ſanguinis extractionem, iuxta virium tenorem poſſe fieri, ſcarificationis vi, ex Gal. patet 2. *ad Glauc. cap.* 7. ſic docente. *Tentaui autem multas ſæpius, & in ſuperficie, valdéque tenues ſcarificationes: contrario autem modo alias profundiores magnas, & tertias, quæ mediũ tenebant in longitudine, ac profunditate. Quæ igitur in ſuperficie fiebant, debile auxilium afferebant. Quæ verò longæ erant, atque profundæ, plurimũ quidẽ ſanguinis exhauriebant, adeò*

vt

vt ferè animi defectum afferrent : rurſus verò ipſa propriam curationem, veluti vulnera, exigebant. Quæ autem earum ambarum medium tenebant, ſemper inueni ab inconuenientibus dictis eſſe remotas : atque eas in vſu ideo cenſui eſſe præferendas, *&c.* Ex quo loco ſcarificationis differentias manifeſtè colligere licet, & quando illarum quælibet ſit exercenda. Demùm magnam eſſe huius auxilij poteſtatem, ex ſuperiorum auctorum mente patere arbitror, & probat Donatus Santorus *lib.1. epiſt.2.*

DVBIVM LIV.

Num in inflammationibus peſtilentibus internis è cubito mittendus ſit ſanguis. Contra Manardum doctiſſimum.

DOctiſſimus Manardus adeò in peſte, peſtiferáque febri inferiorum partium euacuationi fidit, vt vel in internis inflammationibus peſtilentibus, phrenitide, pleuritide, & aliis, è talo moliendam eſſe ſemper venæ ſectionem conſtanter aſſeueret, *lib.12. epiſtol.5. in reſponſione ad primam dubitationem.* Cùm enim peſtilentialis, inquit ipſe, fuerit pleuritis, hoc eſt pernicioſa, & vaga, quanto fieri poteſt longiſſimè à principalibus membris ſanguis eſt detrahendus; quod opus meliùs per malleoli, ſeu tali, quàm per alterius venæ ſectionem perfici, nullus ignorat: hoc enim à Gal. mente non abhorret; *in lib.* ſiquidem *de curand. rat. per ſang. miſ. cap.7.* crurum venas ſecat in comitiali, vertiginoſóque morbo laborantibus, in quibus minùs timendum ex humoribus ſurſum latis eſt, quàm in peſtilentiali pleuritide: nec hæc curandi ratio à Galeni dogmate recedit, qui 13 *meth. cap.5. manu patiente, ex cruribus ſanguinem euacuat.*

Admiror tamen tanti viri iudicium, qui in re momenti tanti ita cæcutit. Nam ſi auxilia debent contendere cum morbo in magnitudine, & celeritate, cur in internis peſtilentibus affectionibus, quæ acutie ſua & ſumma pernicie præceps periculum minantur, eæ venæ non eligentur, quæ prauum ſanguinem à foco, profundóque corporis citiſſimè & reuellere, & vacuare queunt? Hoc autem opus præſtare poſſe baſilicæ ſectionem ambigit nemo, qui Galeni ſenſa intimiùs perluſtrauerit, *in com.10. lib.2. de rat. vict. in morb. acut. & lib.13. meth. cap.11. & lib.4. acut. com.73. & lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap.16.* Licèt enim vacuationes ab vniuerſo animalium corpore fieri noueris, tamen non ita celeriter, atque ſimiliter ex omni vena fiunt. Cur ergo remotiſſimæ quærendæ venæ, vbi pars eſt particularis affecta, quæ pro ſui medela ex propinquiori loco auxilium efflagitat? Si enim in his locis, Galenus nullam aliam tundendam venam præter ſuperiores conſuluit, quando vehemens interna inflammatio ægrum exercet, iure optimo in peſtilenti interna inflammatione, in qua maior adeſt pernicies, maior feruor, & maxima ebullitio, eam oportet venam eligere, quæ cum parte affecta maiorem conſenſum habeat. Rurſus ſi in peſte cum inflammatione externa partes ſuperiores occupante, vacuatio è ſuperioribus venis eſt celebranda, cur eam faciendam ex hac parte dubitat Manardus, quum internas, præſtantéſque partes, ſæua, acutáque inflammatio vrget, cui ſi ex propinquiori parte ſecta gibberi vena non medearis, in grauiora mala ruet affectus, vt proprio exemplo Franciſcus Frizimelica apud Montanum *conſil.173.* expertus eſt.

Fatemur quidem, præcautionis gratia, in cerebri, thoracis, aliiſque ſuperiorum partium affectibus ſectionem venæ, vt monebat Galenus, à diſtantiſſimis celebrari poſſe, vel quando affectus ſimplex eſt, vel venoſum genus ſolùm occupat, vt ex adductis Manardi argumentis dilucidè patet: verùm quando non ſolùm reuulſionis, ſed vacuationis cauſa, in præcipti lethalique morbo, vena eſt ferienda, eam eligere debemus, quæ citiſſimè à parte affecta noxium humorem vacuare queat.

Neque ex hac vacuatione timeas humorum ad ſuperas partes recurſum, quo titulo Auicenna 4.1.*cap.*1. tranſitum praui humoris per membra principalia ſummoperè cauit: nam licèt is humor per ea tranſeat, non immoratur, ſed velociter ſine damno, venæ ſectionis beneficio extrà educitur; teſtimonio ſunt quæ de fracta pulmonis vomica ſcripſit Galenus *lib.6. de loc. cap.4.* cuius pus per leues arterias, & ſiniſtrum cordis ventriculum ſine noxa tranſit, deinde in renes, & veſicam, & tandem per vrinam expurgatur. Si autem veram curationem venenatæ internæ inflammationis peſtilentis & contagioſæ per venæ ſectionem ſcire cupis, adi Vvierum *libel. rarar. obſ.* & Andream Gallum *lib.4. faſciculi de peſte.*

HISTOR. XC. GALENI, De colico dolore.

Colicus dolor, ex vitioſis humoribus curatur.

VNus enim, vt ſcis, quadragenarius erat qui cùm colo laborare putaretur, non modò nihil eſt à fomentis tum humidis, tum ſiccis leuatus, ſed nec cataplaſmatis, nec clyſteribus, quibus ſcilicet publicè vti in huiuſmodi affectibus ſolent, verùm etiam à plurimis eorum exacerbatus. Nam à rutaceo oleo per ſedem infuſo deteriùs habuit: itémque à caſtoreo: quinetiam vbi mel coctum cum pipere aſſumpſit, extremis doloribus eſt afflictus: cùm cremorem cocti fœnugræci vnà cùm melle accepiſſet, vehementer eſt irritatus, ipſe igitur vbi mordentes ſuccos in tunicis inteſtinorum immerſos conieci, qui ſcilicet ſecum vnà corrumperent, tum ea quæ per inferiora eſſent infuſa, tum ea quæ per os ſumebat, exhibui homini alimentum quod non facilè corrumperetur. Deinde cùm minùs eum cruciatum intellexi vitioſos humores purgandos indicaui. Cùm verò aptiſſimum ad eiuſmodi vitioſos humores eſſet medicamentum, quod ex Aloë componitur, quodque pieram appellant, vtique ſemel hominem iuſte purgare non ſum auſus, quod doloribus & inedia duobus menſibus confectus eſſet. Verùm ex quibuſdam interuallis moderatè id faciens, quindecim circiter diebus hominem (vt ſcis) prorſus ſanaui, idque nullo præterea adhibito præſidio, &c. Gal.* lib.12. meth. cap.7.

PARAPHRASIS.

PRoponit Gal. exemplum illius qui colico dolore ex mordentibus ſuccis enato eſt correptus, qui cùm valida experiretur auxilia, ab iis vel nihilo leuatus, ad alia tentanda acceſſit, qualia ſunt fœnugræcum, mel, caſtoreum, & piper, quibus vtpotè calidiſſimis exacerbatus, in peius, vehementiori dolore afflictus declinauit; hócque duplici de cauſa factum puta, & quòd calida applicita, mordentes & acres humores exaſperarunt; & quòd citra purgationem vniuerſalem aſſumpta, attenuatis ſuccis, & concitata de nouo fluxione, immanem dolorem, in corpore præſertim impuro concitarunt: nam *calfacere præcordia cataplaſmatis, & perfuſionibus, non eſt perpetuò tutum, niſi in iis quibus corpus purum eſt, cæteris omnibus extrema eſt pernicies*, ex Gal. *lib.11. meth. cap.15.* Cùm enim calida ſint, ſuapte natura hoc habent, vt quod in iis continetur partibus digerant, ſic & quod redundat ex propinquis trahant, vnde dolores ex ipſorum applicatione increſcere par eſt, prout elegantiſſimè protulit Gal. *art. med. cap.95.* explanante Argenterio *in com.* Repetit Gal. 12. *meth. cap.3.* §. *Sanè dictum à me etiam in ſuperioribus eſt, qui cataplaſmatis, & perfuſionibus aſſiduè præcordia vehant, ipſos in eiuſmodi affectibus plegmonas accerſere: minimè igitur eis eſt vtendum, priuſquam ſuperuacanea magna ex parte partim vacuata ſint, partim concocta, &c.* Id confirmat Auic. 4.1. *tract.2. cap.55. prope medium.* §. *Et non oportet vt fiat innuctio cum vnguentis reſolutiuis, nec embrochatio fiat cum embrochis ſubtiliatiuis, cùm ægritudo eſt in principio, & humor eſt in corpore ambulans; ipſa enim mollificant viſcera, ſua calefactione humida, &c.*

Non eſt ergo mirandum, ſi fomenta tum humida, tum ſicca intempeſtiuè appoſita, & citra totius vacuationem

non profuerit, maiori de nouo ad partem affectam conuocata fluxione, quam cùm præſentiret Gal. neglectis topicis ad nocuos humores expurgandos acceſſit. Hoc opere obſeruauit 6. *aph. com.*31. *& lib.*4. *acut. com.*1. quibus locis à fomentorum ceſſat applicatione, creſcente dolore, & ad euacuationem ſe conuertit. Sic ergo exhibito nutrimento: quòd non facilè corrumperetur, (nam *impura corpora quantò magis nutris, tantò magis lædis*, ex Hippocrat.*lib.*2. *aph.*10.) quoniam *alimentum, vt ſano robur, ſic laboranti morbus.*7.*aph.*67. ad ſuperflui humoris expulſionem accelerauit.

Cúmque inter plurima medicamenta, quæ in hunc vſum circumferri ſolent, ſit picra, hoc eſt amara, meritò id medicamen exhibuit: licèt enim modicè calidum ac ſiccum ſit, vim tamen habet maximam, excrementa bilioſa, & pituitoſa à ventriculo, inteſtinis, & partibus naturalibus vacuandi, in quorum affectibus maximum leuamen afferre ſolet, ſicque ipſum præ cæteris eligendum eſſe ſuaſit *lib.*1. *de loc. cap.*4. in ægro, in cuius ventriculo mordentium humorum copia inerat; cuius compoſitionem pete ex ipſo Gal. *lib.*7. *meth. & lib.*2. *ſec. loc. cap.*1. *tit. de iis quibus caput ab ſtomacho dolet.* Hæc eſt hiera illa Galeni toties repetita, & nunquam ſatis pro meritis laudata: quamobrem Auic. *cap. de debilitate ventriculi,* ait: *Et cùm fuerit ambiguitas de ſuperfluitate ventriculi, non tranſcendas tale medicamentum, quale hiera eſt.* Hanc tamen commiſcere oportet cum aliis medicamentis, quæ ipſius amarorem tegere nata ſunt, quare ſola propinanda non eſt, & frequenter pilularum forma aſſumi debet, quæ apud omnes ad roborandum caput, & ventriculum ſunt celebratiſſimæ. Huius medicamenti aliam affert compoſitionem, quæ maiorem habet calefaciendi vim. Quomodo autem illa ſit paranda, inter omnes tradit Ludouicus Veles *tract. de electuar. tit. de hier. ſimpl. Gal.*

Quamobrem cùm quadragenarius eſſet debilis, doloribus inediáque confectus, moderatè, & per interualla purgandus viſus eſt, ne fortè ex aceruata vacuatione, humores præcipiti lapſu ad inteſtina ruerent; quare paulatim, & ſic ſecurè, at longiori tempore curatus, ſanitatem recuperauit.

DVBIVM LV.

Num in colico dolore purgatio celebranda. Contrà Lemoſium, Maſſariam, & Septalium doctiſſimos.

COMMENTARIVM.

V*Itioſos humores purgandos iudicaui.*] An in colico dolore vtendum expurgante medicamento, lis eſt maxima apud auctores: num excrementa ad partem affectam trahenda non ſunt, iuxta normam reuulſionis, latam *lib.*4. *meth. cap.*6. ita vt ſi pars inferior patiatur; per ſuperiora inſtituenda vacuatio ſit, quoniam longiſſimè à parte tentata fluxione reuellere oportet, vt eleganter docuit Gal. *lib.*13. *meth. cap.*11. Quare Gal. *lib.*1. *de loc. cap.*2. doctiſſimè monuit, vt medicamenta coli dolore vexatis ſolùm adhibeantur, quæ humores ex inteſtinis tantùm vacuare nata ſint; quod etiam conſulit faciendum 12.*meth. cap. vlt.* acria enim, & exſoluentia pharmaca dum in ventriculo morantur, vi ſua & efficacia, è venis & corporis habitu attrahere poſſunt, quod timet Auic. 16.3. *tract.*4. *cap.*1. *de canonibus vniuerſalibus colicæ*, dum in hæc verba prorumpit. *Quandoque non oportet dare medicinam deſuper in potu propter neceſſitatem; & ſit contentus clyſteri, & illud, quoniam ſecundùm plurimum cauſa colicæ eſt humor groſſus, viſcoſus adhærens adhærentia quæ non egreditur integrè per vacuãtia: cumque bibitur medicina deſuper, euacuat non ab vnoquoque duorum, videlicet ſtomacho, & inteſtinis tãtùm, imò ex aliis locis, à quibus vacuatio omnino non eſt neceſſaria; & illud facit acquirere debilitatem procul dubio, &c.* Et *infrà* ait. *Tunc melius eſt, vt ſis contentus quantum poſſibile eſt clyſteribus, & iis quæ currunt curſu eorum, ipſa enim dum inuenient in inteſtinis humorem, non attrahunt ex locis aliis, & non euacuant ex reliquis membris plurimum, &c.* Hac de cauſa apud Gal. 13. *meth. cap. cit. inteſtinis laborantibus, aluum ciere non conuenit.* Et Paul. *lib.*3. *cap.*43. tunc purgationem probat, quum pituita fuerit attenuata & concocta. Non ergo ſubductiua medicamenta per os ſunt aſſumenda, antequam venter inferior ſufficienter lenientium clyſterum vſu ſit factus obediens.

Ludouicus Lemoſius in ſuis *ad hunc locum Gal. commentariis,* ſic nodum ſoluit: dicit enim in coli doloribus vtendum eſſe clyſmatis fortiſſimis, & exſoluentibus, qualia ſunt Diaphænicum, & alia etiam ex Scammonio, & Colocynthide parata; per os verò ſolùm cenſet aſſumenda, quæ ex longinquo attrahere nequeunt. Reproba ſolutio hæc. Nam ex immiſſis per ſedem fortibus medicamentis, eadem ſequi incommoda res eſt manifeſta, quæ ex exhibitis per os oriri conſueuerunt; nam acria enemata potentiſſimè euacuant, & ad inteſtina vel ex remotiſſimis partibus attrahere queunt, vt expreſsè conſtat ex Gal. 2. *de compoſ. medic. ſec. loc. cap.*10. ita vt ea naturam exſoluant, ex Hipp. *lib. de med. purgantib. n. vlt. & lib.*4. *acut.*76. & vicem gerant ſanguinis miſſionis, ex Gal. *lib.*5. *meth. cap.*13. Qua etiam ratione accuſandus eſt Septalius *lib.*7. *cautíon. medicinal. num.*71. qui præcipitium humoris, ad affectam partem ex vſu pharmacorum fortium concitatum, non pertimeſcens, deridet illos qui ſola hiera viſcidam pituitam expurgant, in colici doloris initio.

Ex his palàm fit, quo veterno teneatur Maſſaria, vir alioquin dexterrimus, qui *lib.*3. *de morb. intern. cap.*18. nimio furore in Auicennam excandeſcens, hunc contra Hipp. Gal. imò & ſeipſum loquutum fuiſſe aſſeuerat, dum *loco cit.* validiſſima medicamenta propinat. Sed falsò notam inurit auctori tanto, qui in initio ſolùm leuia approbat, & quæ tantùm ex affecto loco, ventriculo, inteſtinis, minimè verò ex diſtantiſſimis partibus attrahere nata ſunt.

Solue tu quæſtionem hoc modo. Dolore valdè vrgente mitiſſimis ſolùm vacuandus humor, ceſſante, aut mitiori facta fluxione, valida ſunt imperanda, vt rebellis craſſuſque humor, vi attenuantium medicamentorum, quæ communiter in colici doloris curatione adhiberi ſolent, inciſus & coctus educi poſſit, *vt lib.*2. *parodox.*14. Fuchſius monet. Sic Gal. picram exhibuit, medicamen ſanè ſuaue, & ex inteſtinis vacuandi ſolùm vim habens, idque moderatè aſſumendum conſuluit, ne tota machina humoris rueret ad partem. Hoc modo læſis inteſtinis, negat purgationem aceruatam, aut in initio morbi celebratam quam ſæpè concedit, quando maior humoris pars eſt vacuata, & eam in inflammationibus partium internarum exſequendam ſuaſit 13.*meth.*15. Mitis ergo purgatio, præcedentibus clyſteribus lenientibus, in colico dolore maximo eſt ex vſu. Sæpè enim accidit febris, vt doctè animaduertit Coſtæus *in cit. cap. Auic.* concalfacto iecore, ex potionibus, fomentis, & clyſteribus, quæ deinde negotium faceſſit, expectantibus Medicis coctionem, & verentibus purgationem; qua celebrata poſt lenes clyſteres, & vomitionem leuem, ægri ſanitatem ſtatim recuperarunt. Hoc modo mitiori facto dolore exhibita picra in modica quantitate hunc ſanauit.

HISTOR. XCI. GALENI, De colico dolore.

Colicus dolor à mordacibus ſuccis pronatus, Hiera aſſumpta, curatur.

S*Ic equidem quoſdam colicos vocatos ſanaui, dato in potu medicamento ex Aloë: quippe coniiciens mordacem humorem ad affecti inteſtini tunicas defluxiſſe, dato medicamento ſperaui omninò huiuſmodi affectionem fore quietiorem. Quod vbi contingit, intelligens rectã me ductũ coniectura, rurſus plus ipſius exhibui. Sed quid me ad hanc coniecturam promouerit, operæ pretium fuerit enarrare. Vidi hominem à calidis tum cibis,*

*cibis, tum medicamentis, atque ab omni calorica victus ratione irritari, rurſus * iuuari ab alimentis boni ſucci, temperantibus nominatis. Inſuper inediam ei noxam inferre; doloris verò ſpeciem percontanti mihi, mordacem eſſe reſpondit. Quare multò magis ſperans ad veram me perueniſſe notitiam, auſus ſum amarum ei medicamentum exhibere. Poſtremò conſpiciens hominem mirificè adiu,um, quæ fuerit diſpoſitio, efficaciter me deprehendiſſe putaui, &c. Galenus* lib. 1. de loc. affect. cap. 4. propè finem.

PARAPHRASIS.

Licet hoc loco ſummis laudibus efferre Galenum; virum induſtrium, qui coniectura quadam artificioſa, ad morbi huius curationem acceſſit. Qui enim à calidis, vt inedia exſiccante, quæ bilem genitam acriorem reddit, læditur, à temperatis autem iuuatur; is procul dubio calidis, & acribus ſcatet humoribus; à iuuantibus autem, & nocentibus, magnam ſumi indicationem ad remediorum applicationem, fatetur Gal. *lib.* 10. *de compoſ. medic. ſec. loc. cap.* 2. præſertim cùm morbus occultus eſt, & manifeſtiſſima pro ſui cognitione non præbet indicia: hoc ita eſſe ex doloris ſpecie mordaci poterat coniectari, qui mordicans dolor, ab humoris acritudine, & acutie oriri ſolet, ex Gal. 2. *de loc. cap.* 2. *& lib.* 1. *ad Glauc.* 15. & Auic. 2. 1. *doct.* 2. *cap.* 2.

His perſpectis; & attentè celebratis auxiliis citra vtilitatem vllam, ad purganda excrementa in inteſtinorum tunicis immerſa acceſſit. Quantùm verò Aloe in ventriculo, & inteſtinis affectis conferat, vacuando ſimul, & roborando, dilucidè docuit Gal. *in lib. ſimpl.* firmant Dioſcorid. *lib.* 3. *cap.* 23. Plin. *lib.* 21. *cap.* 4. Meſuë *cap.* 1. *ſimpl.* Varianda enim ſunt aromata iuxta varias ventriculi affectiones. Nam aliquando ventriculus ipſe flacceſcit, & laxatur, præſertim non abundante humoris copia in ipſius ore, ſed tenui quadam humiditate; in quo quidem caſu conuenientiſſimus abſinthij vſus, & aptiſſima auxilia adſtringentia, intùs, extráque appoſita. Nonnunquam verò redundat tenuiſſimus humor, & ventriculi tunicis imbibitus, immerſúſque adhæret; cui malo vtiliter auxiliatur Aloë; quæ quidem non lota valentiùs purgat, lota verò minùs, ſed roborat ventriculum magis, vt Gal. *cit. loc.* affirmat, & aromatibus præparata tenuitatem, & penetrationem aſſumit: qua autem quantitate componatur, & quomodo ſit aſſumenda, citati docuere auctores.

Aduerte tamen pro maiori hiſtoriæ expoſitione. Si adhibita coniectura de morbo Medicus auxilia adhibeat, & ab illis experiatur iuuamentum, non ſolùm exactè aſſequetur affectus dignotionem, ſed & curandi methodum inueniet, quæ quidem perſeuerans ægrum ad integram perducet ſanitatem: tantam enim inter ſeſe connexionem habent affectuum dignotio, & curatio, vt oſtendit Gal. 12. *meth. cap. vlt.* vt promptiſſima fiat curatio ab eo, qui probè ægritudinem agnouerit; exactáque comparetur morbi notitia, ſi conuenienter fuerit adhibitum auxilium: affectus verò ipſe exactè cognitus promptiùs & faciliùs curatur. Vtrumque confirmat Gal. hiſtoria hac. Illud ex præſenti ſerie colliges, quòd licèt ex malis non rectè cognitis, & in quibus ad infimam vſque ſpeciem deſcendere non datur, quemadmodum neceſſe eſt, liceat Medico aggredi curam tentatiuam; vt expreſsè *lib.* 2. *acut.* 1. *&* 6. *aph.* 31. monuit Gal. non ſunt tamen inconſideratè præſidia applicanda, iuxta coniectatam de morbo opinionem; quemadmodum non eſt quicquam à Medico temerè agendum, iuxta Hipp. decretum *lib.* 6. *epid. ſect.* 2. *text.* 25. nec operabitur quis, incerto inconſtantique iudicio ductus, quale eſt illud quod ex coniectura elicitur; contingit enim vt magnum inferat nocumentum, quum tamen illud inter operandum debeat obſeruare, vt ſi non proſit, non noceat, vt prædixit Hipp. *lib.* 1. *epid. ſect.* 2. *text.* 50. & quòd maior vtilitas nocumento, ex ſuo opere conſequatur, ex Gal. *lib.* 1. *aph. com.* 24. Conſtat autem ſæpiſſimè nocere illa, quæ ex opinione ſuſpicionéve emanant, ob ſui incertitudinem, *lib.* 1. *aph. com.* 1. quamuis aliquando iuuent. Cautè tamen procedere debet, ſi fortè in opinione de morbo habita decipi contingat: quare tutius eſt à leuioribus incipere, quomodo feciſſe Galenum hoc loco, in propoſiti ægri curatione colligimus. Cùm enim ex prænarratis ſignis cognoſceret affectum locum, ea moderatione proceſſit, vt iuxta indicationes, ab exploratis illis, cognitiſque generibus, parte ſcilicet affecta, & calido intemperamento deſumptas, curationem tutò aggrederetur. Quoniam verò certus non erat de calidi differentiis, num nuda eſſet intemperies, an cum materia coniuncta, ſed indicia ſolùm apparebant, quæ coniecturam præbebant imbibitæ, immerſæque bilis, non illicò operatus eſt iuxta opinionis dictamen, ſed cautè à leuioribus incipiens, & diminuta quantitate ex euentu certitudinem ſperans. *Sic ſanè*, inquit, *dolores quoſdam ſanaui, qui tanquam colici à Medicis remediis calidis tractabantur*, de quibus 12. *meth.* 7. Quare coniiciens ab acri, mordacique humore ortum habuiſſe, contemperante cibo vſus eſt, & qui emplaſticam vim habet humorum acrimoniam obtundendi; à quibus cùm hominem iuuari vidiſſet, cruciatúmque diminui, & à calidis cibis, medicamentiſque augeri, certò cognouit immerſos eſſe in inteſtini tunicis mordaces humores, quemadmodum anteà coniiciebat. Quare certior factus, prædictis cibis & medicamentis inſiſtens, exhibita hiera, hominem ſanitati reſtituit.

DVBIVM LVI.

Num per frequentem ciborum adiectionem poſſit fieri curatio per epicraſin.

COMMENTARIVM.

Iuuari ab alimentis boni ſucci.] Galenus *in com.* 17. *lib.* 1. *aphoriſ.* ſententiam profert, quam lemniſco adornandam eſſe, vnanimi conſenſu Medici hucúſque confirmarunt. Dum enim humorum corruptionem, præſente virium debilitate, perſanare intendit, in hæc verba prorumpit. *Si enim vires laborantis debiles fuerint, & ea quæ in corpore eſt diſpoſitio, ſit ex corruptione humorum, vel defectu; parùm alimenti, & ſæpiùs talibus offeremus. Parùm quidem, quia virium imbecillitas non poteſt totam ſimul multitudinem alimenti ſuſtinere: ſæpiùs autem, quoniam multis indiget diſpoſitio: defectus ſiquidem exigit adiectionem, corruptio verò, contemperamentorum, &c.* His verbis aſſerit Gal. humorum corruptionem multis cibis indigere, & iiſdem poſſe corrigi, ac ſanari. Hoc etiam inſinuauit Auic. 3. 1. *doct.* 2. *cap.* 7. *de regimine eius quod comeditur, & bibitur.* §. *Et quandoque conceditur ei, in cuius corpore mali ſunt humores, vt rem bonam largiter bibat, &c.* & *in eodem cap. verſus. finem:* §. *Et quando corpus fuerit plenum malis humoribus, &c.*

Hæc doctrina videtur aduerſari Hipp. 2. *aph.* 10. dum ſic ait: *Impura corpora quantò magis nutris, tantò magis lædis*, & *lib.* 7. *aphor.* 67. *Si quis cibum febricitanti dederit, ſano quidem robur, laboranti verò morbus*, & Galen. 9. *meth.* 10. *ad fin.* vbi docet, *id quod affectus remedium eſt, cum virtutis cuſtodia pugnare; quoniam is affectus vacuandum eſſe præcipit.* Ergo humorum corruptio non indiget contemperamento, ſeu frequenti ciborum adiectione. Nam *cibus morboſam affectionem iuuare non poteſt*; auctore Magiſtro *lib.* 1. *acut. com.* 44. & Auicen. 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7. *poſt princip.* dicente: *quòd ſicuti cibus eſt amicus virtuti ex parte ſui, eſt illi inimicus; quia eſt amicus inimico eius, nempè morbo, & cauſæ morbificæ.* Deinde corruptio non indiget contemperamento, ſed euacuatione. Sicuti enim in exterioribus quæ non viuunt, id quod putre eſt, corruptúmque abſcinditur, reliquum verò quod initium putredinis concepit, refrigeratione, exſiccatione, & ventilatione corrigitur: ſic in animalis corpore, quod putruit & corruptum eſt, id vacuandum eſt; ſemiputre verò, concoquendum & emendandum, auctore Gal. 11. *meth. cap.* 8. quemadmodum enim illud, ad priſtinam naturam redire non poteſt, ſic hoc naturæ actione ad benignum reducitur, ex Gal. 2. *aph.* 17. *&* 9. *meth. cap.* 10.

In hac controuerſia,quæ parua non eſt,dupliciter reſponderi poteſt. Nempe primò, corruptionem & putredinem duplicem eſſe, alteram quæ eſt in fieri, & quæ nec intenſiuè, nec extenſiuè adeò magna eſt, vt ampliùs non poſſit ad benignum reduci:aliam verò eſſe factam, & ita extenſam, vel intenſam,vt non poſſit ampliùs emendari. Hanc dici poteſt,ſui ablationem extra corpus indicare, vt *cit.loc.* docuit Galenus, neque poſſe contemperamento emendari, imò id reſpuere; quoniam quando putredo non eſt copioſa, nec intenſa, ſolis bonis alimentis ſæpè exhibitis poteſt emendari.

Verùm hæc reſponſio non ſatisfacit, quoniam ſi putredo aliqua humorum, ſiue corruptio exigit ciborum adiectionem, ea eſt ex qua peſtilens febris ortum ducit: nam ob eam cauſam Gal. *lib.3. epid. ſect.3. com.*18. docet illos,qui in febribus peſtilentibus ſibi vim inferentes, cibos comederunt, omnes fuiſſe ſeruatos: & Auic. 1. 4. *tract.4. cap.4.de curat.feb. peſtilentis*, ait illos qui viriliter comedunt, & bibunt, euadere. Sed peſtilens febris non eſt parua & leuis, ſed ex magna & excellenti putredine humorum originem habet,cùm ab aliis febribus per putredinis excellentiam differat, vt docet Galen. *lib.6. epid. ſect.5. com.29. poſt med.* Non eſt ergo perpetuò verum, ſolam leuem & paruam putredinem exigere ciborum adiectionem. Præterea putreſcentiam humorum remedia duo ſunt, ex Gal. *in art. medic. cap.*88. euacuatio, & alteratio: illa quæ totam ſubſtantiam ex corpore educit, & debetur humoribus ex toto putridis; hæc, quæ putredinem finit, manente adhuc ſubſtantia, & debetur humoribus ſemiputridis, qui poſſunt ad benignum reduci. Hæc alteratio fieri non poteſt per frequentem ciborum adiectionem, quia alimentum, vt alimentum eſt, corpus non alterat, ſed ipſum tale conſeruat quale accepit, in illius ſubſtantiam mutatum, auctore Gal. *lib.de alimentor. facult. cap.1. poſt med.* at medicamentum eſt id quod corpus alterat, ex Gal. *lib.1. ſimpl. cap.1.* Quare alimentum humores leuiter putrentes non alterabit, imò naturam à coctione diſtrahet,ex Gal. 1.*aph. com.*8. Non ergo humorum corruptela ſiue leuis, ſiue intenſa ſit, frequenti ciborum adiectione emendari poteſt.

Neque dici poteſt, corruptionem indigere contemperamento; hoc eſt cibis temperatis, & boni ſucci, quia ex illis virtus reficitur, & corroborata humores corruptos poterit concoquere, & ad benignum reducere. Nam virtus roborari non poteſt, niſi facta regeneratione ſanguinis, & ſpiritus laudabilis; hoc autem in corporibus impuris fieri non poteſt, quoniam corrumpitur adueniens alimentum ab humorum prauitate corpus iam obtinente, ita quòd ipſorum quantitas augetur, qualitas verò ſeruatur, vt 2.*aph.*10. admonuit Galenus. Deinde Galenus inquit, *quòd ſicuti defectus indiget adiectione, ita corruptio indiget contemperamento*: ſed adiectio contrariatur per ſe defectui, ita etiam contemperamentum debet repugnare corruptioni; & ſic non gratia virtutis, ſed per ſe intenditur temperamentum.

Verùm alio modo ſoluenda eſt antinomia hæc,nempè virtute languente dupliciter cibationem proponi poſſe, vel cum euacuatione, vel citra ipſam: hoc modo non conceditur, iuxta *aphoriſmum* 10. *ſect.* 2. At verò cum ipſa,tanquam vtilis, & neceſſaria inſtituitur frequens cibatio;nam corruptio multis indiget,id eſt, ciborum adiectione, quoniam loco vitioſi, quod paulatim debet vacuari, frequenter debet vtile reponi per oblatum alimentum, quam vitioſi ſucci curationem Medici epicraſin vocant, *vt cit.9.meth.* docuit Galenus.

Solui etiam poteſt hæc difficultas cum Gal. *hoc loco*, & *in ſuperiori hiſtoria* dicente,curationem per epicraſin poſſe etiam fieri per alimenta, & medicamenta refrigerantia & humectantia, quæ acrium mordaciúmque humorum vim hebetare queunt; quæ cùm temperata ſint, (Græcè dicuntur epiceraſtica) ſuccorum acrimoniam retundunt, putredinem arcent, rectè concoquuntur, vires reficiunt, & minimè corrumpuntur; maximè ſi eorum copia fuerit imminuta, aliàs eam augent: docet enim Gal. *lib.1. ſimpl. cap.*12. 13.& 14. quòd quando humores acres abundant, alimenta temperata non mitigant eorum morſum,ſed potiùs corrumpuntur: contrà tamen ſi eorum abundantia fuerit vacuata, contemperant, quoniam tunc non corrumpuntur ab illis, cùm ſint valentiora. Quare frequenti ciborum temperatorum adiectione, humorum corruptio, hoc eſt acrimonia contemperatur. Ex quibus patet ſolutio ad argumenta.

HISTOR. XCII. GALENI, De colico dolore.

Colico dolore quidam ſæpè tentatus, accepto ſcammonio vehementiſſimè ab eodem dolore poſteà vexatus, adſtringentibus auxiliis, theriaca, & aliis præſidiis curatur.

*ATalius iuuenis huic quidem ætate propè par, ſed qui ſæpè antè colicis cruciatibus fuerat affectus, accepto ſcammoniæ ſucco fuit purgatus. Cùm autem benè largiter fuiſſet vacuatus, primo quidem die veſperi in balneo lotus, * mox ptiſſanæ cremorem ſumens, pòſt piſcem quoque comedens, nocte ea quæ ceperat euomit. Secundo die itidem lauatus, comedit primùm lactucam, mox auium carnis aliquid in albo iure elixæ: ab hac alicam ex aqua ſumpſit, vino auſtero iniecto. Vbi verò ab iis mediocriter ſe habere eſt viſus, etiam die tertio nutritus ſimiliter eſt. Reddidit tamen per aluum plura, quàm pro ciborum portione, eáque cum morſu. Deinde quarto die etiam magis dolere ſibi ventrem ſenſit: & cùm ſe in balneo alicubi frigus accepiſſe imprudentem putaſſet, rutaceum ſibi oleum per ſedem infundens, non ſolùm vehementiſſimè eſt vexatus, ſed etiam liquidã deiectionem copioſiſſimam excreuit: quod facilè declarauit aliquid à toto corpore ad loca ventris deferri. Pòſt deinde per circuitus ſimilis redibat cruciatus. Audientes autem eius ſymptomata, intelleximus noxam ex ſcammonio in illis maximè inteſtinis procubuiſſe, quæ priùs etiam fuerant imbecilla, ſic vt quaſi fluxionis quidam exortus eſſet affectus. Ergo quemadmodum hunc quoque ſanauerim, ſcis. Abiicere enim iuſſi præſidia colica, alicáque calente, quæ cocta in aqua eſſet, nutriri, immiſſis ei mali punici granis. Cùm autem tota nocte citra dolorem dormiuiſſet, miratus profectò eſt remedij nouitatem: rogauitque quid eſſet bibendum. Dedimus itaque bibendum dilutum rhois cremorem: quò videlicet, ſiue aliqua eſſet in ſummo inteſtino facta vlceroſa affectio, eam adſtringeret; ſiue etiam ex conſuetudine aliquid ex ſuperioribus locis in partem afflictam confflueret id reprimeret: prandióque eodem vti iuſſimus. Deinde ad veſperam cœnare pane puro madefacto in vino aliquo, naturaliter quidem auſtero, ſed veteri. Conceſſimus præterea, vt auſterum quemcunque vellet fructum ſumeret, ſiue malum, ſiue pyrum, ſiue punicum. Simili ratione etiam die tertio, cibatus in quarto theriacen bibit, ſanúſque omninò eſt redditus: ac de cætero ad conſueta reuerſus, nullum ſenſit incommodum. Galenus.*lib.12. meth. cap.7 in fin.

PARAPHRASIS.

IVuenem proponit, qui ſæpe colicis doloribus fuerat oppreſſus, ac ad præſeruationem, ne iterum in eundem cruciatum incideret, ſcammonium aſſumpſit, quod medicamentum ad mordentes, bilioſóſque humores (quorum cauſa frequenter colicum dolorem fuerat expertus) vacuandos, eſt potentiſſimum. Cùm autem iuuenis eſſet, calidi temperamenti, & nimiùm medicamenti vi eſſet vacuatus, ex motu & agitatione vacuationis, cùm humores nouum feruorem conciperent, & præſertim bilis à medicamento commota ebullitionem contraheret, ad partem natura ſua debilem confluxit. Poſt vacuationem, balneum pro more ingreſſus, ptiſſanam aſſumpſit, quæ poſt medicamentum, à veteribus præcipiebatur aſſumenda, vt illius vim effrænem corrigeret, reliquias ablueret, ex Hipp. 2. *acut.*11. & ne ventriculum humoris copia grauatum craſſiore alimento defatigaret, eúmque pleniore victu à coctione diſtraheret.

His

His factis, piſcem (fortè ſaxatilem) attemperamenti cauſa eſitans, conquieſcere non potuit, quin ob copiam bilioſi humoris ventriculum pungentis, & irritantis, omnia euomeret; hic enim regurgitans ad os ventriculi, vellicatione facta, ipſum ad excernendum alimentum neceſſariò compellit. At ſedata efferueſcentia, aſſumptóque iure albo, alica, & auſtero vino adiecto, triduo meliuſculè habuit. Sed cùm iecur à medicamento calidiſſimo eſſet incenſum nimis, alimentum in bilioſam naturam conuertit, ex qua excrementum mordax & acre, in inteſtina confluens, morſum excitauit; quem cùm à flatu originem ducere arbitraretur, oleum rutaceum per cylſterem immiſit, poſt cuius infuſionem vehementer increbuit dolor: ſignum manifeſtum, mordentes humores ab oleo calido fuiſſe exacerbatos, ſimúlque ipſos tenuiores factos, à genere venoſo ad inteſtina confluxiſſe; quibus omnibus medicamenti violenti & calidiſſimi potus, occaſionem dedit. Quapropter medicamenta colica, hoc eſt, frequenter ad colicam flatuoſam in vſu habita, cogente neceſſitate abiicere iuſſit: timor enim erat, ne, ſi iterum exhiberentur, adaucto maiori feruore, & humore bilioſo, tenuiore & acriore facto, in dyſenteriam, aliámue inflammationem internam commigraret affectus.

Ad retundendos ergo mordaces & acres humores, Alicam calentem aſſumpſit, quæ cocta in aqua eſſet, immiſſis in eam mali punici granis; quo auxilio ita leuatus eſt, vt tota nocte citra dolorem obdormiſceret. Eſt autem Alica, ſi Galeno fidem adhibemus, puls frumentacea facta ex tritico, ptiſſanæ hordeaceæ perquam ſimilis, ex Gal. *lib.1.de aliment.facult.cap.6.* Hæc præbet victum craſſum, lentum & viſcoſum, ex Gal. *lib.de attenuat. vict.rat. cap.6. & lib.3. de aliment.facult.*15. *& lib.de puero epilept.cap.2. & 2.aph.*18. Inſuper eſt boni ſucci, ex Gal. *loc.cit.* quam ob cauſam eam offert in diaria 8.*meth.cap.5* & in tertiana exquiſita *lib.1.ad Glauc.9.* & in febre continua, *in eodem lib.cap.*13. vt & in iis qui arterias habent inflammatas. *lib.7.de comp.med.ſec. loc. cap.*1. quoniam bonum corpori præbet nutrimentum, vt ptiſſana, & in actiuis temperatum, vt triticum: quare his qualitatibus infrigidat & humectat, furentem bilem coërcet, eius vehementes motus infrænat, lentore ſuo, craſſitie, & viſcoſitate cùm adhæreat vaſis, obſtruit, & bilem in inteſtinum deſcendere prohibet, *vt loc.cit.&* 13.*meth.*14. Magiſter edocuit. Squalidum corpus demulcet, & adſtringit. Calentem autem dedit, vt illicò calore ſuo longinquas corpris partes penetraret. Coctàm exhibet in aqua, non permixtam vino, ne bilioſum corpus incaleſceret ampliùs. Hæc licèt cum multis aliis condimentis paretur, aduerſus varios morbos, à Gal. cum pipere nempè, anetho, porro, pulegio, calamintha, vino, beta, iuſculis accõmodatis, ſale, & aliis, quæ perpetuò cum ea miſcenda eſſe præſuppoſuit *loc.cit.* in noſtro tamen ægro, vt ſimiles compleret intentiones refrigerandi, humectandi, bilioſum humorem attemperandi, fluxum compeſcendi, inter coquendum mali punici grana commiſcuit, acida nempà, nam dulcia bileſcunt, & corrunpuntur.

Ex his intelliges, quomodo ſit conciliandus Gal. qui *locis citatis* varia de alica pronuntiauit: nam modò ad abſtergendum, attenuandum, incraſſandum ea eſt vſus, pro varia conficiendi ratione, ad varios morbos curandos neceſſaria: quare pro varietate compoſitionis, varias ſortitur operandi facultates. Num autem alica, & chondrus diverſa inter ſe ſint: & an ſemina, vel fruges, vel ſint id quod nos Farrum vocamus, præter Marcel. Virgil. *in com. cap.*87 *lib.2. in Dioſcorid.* Lege Ioan. Guinter. Andernac. *in com. Pauli, lib.1.cap.*78. Vidiſti, quo pacto Galenus de alicæ vtilitate eximia ſit multiloquus. Quid ergo in mentem venerit Manardo *lib.12.epiſt. 3. in fin.* & Ioan. Agricolæ Ammonio *in com. cap. 6.lib. 7. meth. Gal.* vt dicerent tempore Galeni, rem obſcuram fuiſſe, ingnoro prorſus; de cuius multiplici parandi modo, vſúque vario iat plura congeſſit Plin. *lib.18.cap.11.& lib. 22.cap.25.* Sequuntur Hermol. Barbar. *lib.2.corollarior.cap.319.in Dioſcorid.* Ruel. *lib.2.de natur.ſtirp.cap.*16. & alij.

Tranſacta verò tota nocte citra dolorem, neceſſarium erat propinare medicamentum, vt vlcerationem, ſi quæ facta eſſet, conſolidaret. In hunc vſum thois cremorem exhibuit; quod medicamentum, rhus voce Græca, ſumach ab Arabibus nuncupatur; ſiccat in gradu tertio, & infrigidat in ſecundo: quare adſtringit, incraſſat, conſolidat, ſiſtit, fluxiones reprimit; quo cùm in prandio, hoc eſt, prima menſa, ante alios cibos aſſumpto vteretur, meliùs habuit. Veteres enim, vt Theophraſtus, Plinius, & Dioſcorides, licèt eo, loco ſalis vſi ſint, eius tamen dilutum in potum exhibuit, vt ſic tenuitate ſua citiùs penetraret; quod ad ſimiles affectus complendos quàm ſit neceſſarium, præter citatos docuit Paulus *lib. 7. cap. de rhu.* Veſperi verò ſolo pane puro in vino auſtero madefecto, at veteri ægrum nutriendum iuſſit: pane, vt vires ex præcedentibus cruciatibus labefactatas reficeret: vino auſtero, vt adſtrictionem conciliaret: veteri; vt citiùs partes adſtringentes, ipſius vini calore quoquouerſum impulſæ, in omne corpus diffunderentur. Sicque exhibitis fructibus adſtringentibus, vt cotoneo, pyro, punico, theriacam aſſumendam imperauit; quæ ſi recens ſit; tum ſiſtit, tum leuiter cr. ſſat, ex Gal. *lib.5.meth.cap.*13. quibus exequutus perfectam conſequutus eſt ſanitatem.

Sed antequam vltrà progrediamur, illud meritò dubitari poteſt, cur tantus auctor in copia acrium humorum, in temperamento calido ſicco, tam violento, eóque calidiſſimo medicamento vſus eſt? Hoc ſi noſtro æuo fieret, adſcriberetur errori, cùm diuino beneficio factum ſit, vt homines lenium medicamentorum vires experiantur. Quis enim cogitabit Galenum, ſummum Medicum, & in medendis humani corporis malis exercitatiſſimum, ad mordentes & bilioſos ſuccos in ventriculo impactos expurgandos, ſcammoniæ ſucco vſum fuiſſe, ſi alia lenia, apud ipſum, veteréſque omnes, medicamina expurgantia erant in vſu? At huius medicamenti maxima eſt in attrahendo vis, & in nocendo efficacia fraudulenta; nam nocet ſtomacho, & hepati, quas partes ſpiritu flatulento, mordacíque nimium conturbat, prouocat ad nauſeam, caliditate & ſiccitate corpus inflammat, febres excitat, acuitate ſua venarum ora immodicè dilatat, hácque de cauſa vehementes concitat fluxiones, & acredine abradit inteſtina, & ſic tenaſmum & dyſenteriam mouet, partes principes laceſſit vi deleteria, viſcera lancinat, parit ſitim, & alia innumera damna efficiendo, velociter interficit, ſi fidem adhibemus Meſuæ *tract.de ſimpl. cap. prop.de ſcammonio*, Auic. *lib.2.tract.2. cap.*636. Cur ergo hæc non potuerunt Gal. ab eius vſu auertere? Quare factum eſt, vt eo oblato concitaretur in inteſtino vlcus, & ex eius effræni vi, confluentibus affatim ad imbecillem partem acribus ſuccis dolor exacerbaretur.

Deinde. Cur in colico dolore, inteſtinorúmque debilitate, medicamentum propinat, quod ad partem debilem tam violenter noxios humores præcipitat? Hoc autem ita vehementer corpus euacuat, vt ſolùm antonomaſticè dicatur purgatorium, quod aduertit Meſue *loco cit.* & ab Hipp. multis in locis eſt dictatum, vt notauit Mercurialis *lib.2. de compoſ. medic. cap.*8. ex cuius ſucco innumera mala oriri refert Gal. *lib.2. de alim. fac. cap.*22. Præterea, cur ſuccum ſcammonij impermixtum exhibuit, & incorrectum, contra edictum Hipp. 2. *acut.*11. violenter purgantia permiſcentis cum iis, quæ ipſorum malitiam infrænare poſſint? Hæc enim affligunt inteſtina, viſcera conturbant, opprimunt facultates; quod in hoc medicamento notauit Paul. *lib.7.cap.*4. qui ad eius vim retundendam, piper, & ſal permiſcet, cum Aëtio *tetrab.1.ſerm.3.c.*25. Quare Actuar. *lib.5.cap.*8. aliquid odoratum miſcendũ meritò imperauit, vt notarunt Ioan. Brauus *lib.3. de purgand. rat. cap.*16. Fallopius *tract.de medic.purgantib.ſimpl.cap.*48.

Galenum à calumnia liberabis hoc modo. Licèt medicamenta purgantia calida ſint & ſicca, & ſuapte natura ſymptomata concitare queant, iis tamen eſt vtendum ad maius periculum euitandum, præſertim cùm *nihil ſit quod tam magnificè proſit, quod aliqua ex parte non noceat*, ex Galen. *lib.11. meth. cap.*14. *Non* enim *ob febrim purgamus ægrum, ſed ob humores facientes febrim; vnde multò maiorem oportet fieri purgantibus medicamentis vtilitatem,*

quam

quàm ſit quod ex caliditate ipſorum ſequitur detrimentum, vt eleganter aduertit Gal. *lib.1. aphor.24* Quapropter etſi ad partem debilem medicamenti vi confluant humores, maior eſt vtilitas ex vacuatione comparata, quàm noxa.

Solue ſecundò, licèt Scammonium, purgatorium vehemens ſit, potentiſſiméque euacuet, eo tamen correcto neceſſitate, cogente eſt vtendum, prout par eſt feciſſe Galenum, qui tantoperè ſemper inſudauit horum eff.æ-nium medicamentorum acrimoniam corrigere iis, quæ eorum efficaciam infrænare poſſent. Res patet exemplo in ipſo ſcammonio, quo ſemper præparato vſus eſt, & cocto priùs in Cydonio malo excauato, clibano, aut prunis inaſſato, paſta vndique circumlita, præſertim adiecto fœniculi, dauci, Apij ſemine, & galanga: quem parandi modum docuit *lib.1. meth. cap.7. & in præfat. ad lib.de alim. facult.* edocuit: quod namque hoc modo præparatum eſt, abſque ſtomachi ſubuerſione aluum ſubducit, auctore Serapione, *cap.303*. Alij macerant inter coquendum plura, quæ feruorem medicamenti extinguunt, vt pſyllium, roſas, violas, tragacanthum, cotonea, myrobalanos: vt ex veterum mente inter omnes notauit Ludonicus Veles, *tract. de pilulis, tit. de pilul. aggregat. in medio*, & vt nuperrimè, ſic eloquentiſſimè edocuit Nicolaus Fontan. Ioan. Filius *in ſuis inſtitutionibus pharmaceuticis, ſect.6.cap.2.* Si verò vlcus aſſumpto Scammonio fuit excitatum, id non per ſe, ſed ex accidenti factum puta: nam billioſos humores expurgat, qui acrimoniâ inteſtina abradunt, & vlcus concitant; hac enim de cauſa á medicamentis venas reſerari, teſtis eſt Gal. *lib.6.aph.com.47*.

Sed ſi totam vis eximere litem, Dic Galenum non propinaſſe ſcammonium; nam hominem purgatum inuenit, hiſtoriámque tantùm narrat, & factum: hoc ex multis ſit manifeſtum. Primò ex ſuperiori hiſtoria, in quà ad eundem affectum curandum maximè hieram commendat. Secundò, quoniam ſi videret ſcammonium nocuiſſe oleum rutaceum infundendum non imperaret. Ergo curationem ab alio priùs factam fuiſſe intellige ex verbis: *Ergo quomodo hunc quoque ſanautrim, ſcis; abiicere enim iuſſi præſidia colica, &c.*

QVÆSTIO L.

Quòd in morbis, victus ratio procedat attenuando. Contra Gentilem, Iacob. Vgon. Dinum, Brachelium doctiſſimos.

COMMENTARIVM.

M*Ox ptiſſanæ cremorem.*] Si te noſtræ artis exploratorem ſedulum, in illos Euripeos, & vadoſos alimenti præſcribendi reciprocantes vortices deduxero, nónne te hæc difficultas terrebit: & à medicina exercenda, niſi Medico præuio, auocabit? nónne tanti rerum apices te inſcium, & per rei magnitudinem attonitum ab inceptis reuocabunt: dum indigirata Medicinæ difficultate, dubium de victus ratione moderanda, anceps inextricabile fateatis ſit neceſſe, ob implicatos cauſarm, ſymptomatum, & indicationum nexus ſine fine diſtentos, in quibus alia nonnunquam momenta, atque aliæ appendices temporariæ occurrunt, quæ curationem moderantur, & gubernant, & nunc ratam faciunt, nunc irritam. Iaceat in æternum cum Adriano Imperatore probroſa illa de Medicis querela, quorum turba diſcordante, præſertim circa victum inſtituendum, querebatur ſe periiſſe.

Impudentiſſimus Theſſalus tridui inediâ ægros macerabat, ſic referente Galeno vbique paſſim: fortè edoctus ab eo hoc in loco, qui principio morbi ptiſſanæ cremorem exhibuit, hoc tenni victu breuiorem futurum morbum ſperans: ſi verò virtus, proceſſu morbi, magis ac magis (vt ferè ſemper accidit) redditur imbecillis, tunc auium carnis aliquid in albo iure elixæ, eſitandum imperat; hoc conſilio docens, in morborum principio, tenuiori victu vtendum eſſe. Ob quam cauſam, quæſtionem illam arduam ac difficilem, olim à Barbaris, præſertim Medicis agitatam incudi reddere ſatius duxi: Num victus ratio debeat procedere incraſſando, an extenuando; nam in ea explicanda plures hactenus naufragium fecerunt.

Galenus hoc loco incraſſando procedere, manifeſtè affirmat. Ratio dictat, nam quò magis morbus recurrit, tantò pleniori victu vtendum eſt, quoniam virtus, ex morbo, & auxiliorum applicatione reddita imbecillior, magis videtur reficienda. Secundò. In initio morbi maior adeſt copia, & maior repletio humoris crudi & rebellis: ergo ne impediatur natura à cauſæ morbificæ valdè reſiſtentis, & indomitæ coctione, tenuiori victu tunc vtendum eſt. Tertiò Hipp. *lib.1. aph.11.* in acceſſionis principio à cibo ægros abſtinere iubet: ergo ſi temporum vniuerſalium, & particularium morbi eadem eſt proportio, minùs in principio, quàm in reliquis morbi temporibus eſt cibandum. Quartò. Quando morbus non cognoſcitur, regimen ſubtiliare oportet, ex Auic. 1.4. *tract.2. cap.7. in med.* Sed morbus in principio minùs cognoſcitur, quia non ita ſæuit, nec premit, vt in ſtatu, ex Hipp. *lib.2. aph. 30.* & non ita manifeſta promit indicia. Ergo multò tenuiùs in principio eſt cibandum. Quintò. Hipp. *lib.1. de rat. vict. text.21.* de pleuritide agens, & morbis acutis, affirmat in principio nec multam, nec craſſam eſſe offerendam ſorbitionem; at *in ſententia 23. ſi os madeſcit, & euidens, ac perfecta coctio in ſputis apparet, ſorbitionis quantitatem adaugendam* imperauit. Sequitur Auic. 1. 3. *tract.3. cap.3.* de calido capitis apoſtemate loquens, quo loco primò oxymel, dein aquam hordei ſubtilem, poſteà tranſactis duobus diebus ipſam groſſam, hoc eſt cremorem ipſius propinat. Idem docet *2.3. tract.1. cap.4. in cura paralyſis:* & *1.4. tract.2. cap.56. de curatione phlegmaticæ, & cap. de curat. quartanæ,* in prima, & ſecunda ſeptimana maximè ſubtilitat regimen, deinde incraſſat. Præterea Gal. *lib.6. meth. cap.5. in med.* cùm agit de fractura oſſis, in principio tenuiſſimè, poſteà pleniùs cibandum præcipit. Et *lib.12. meth. cap.6.* in febri ſyncopali orta ex tenuitate ſuccorum, exhibet primis diebus Chondrum; coctione autem apparente, quæ ſolet accidere in augmento, & ſtatu, carnes offert, ex quarum alimonia victus plenior ſolet comparari. Nam vt Celſus dicebat *lib.2. cap.16. initia morborum, famem, ſitimque deſiderant.*

Pro altera parte validiſſima ſunt momenta rationum, ex facundiſſima Hipp. & Galen. penu deſumpta. Ille enim *lib.1. aphor.7. 8. & 10.* præcipit in principio pleniùs eſſe cibandum, vt virtus poſſit ſufficere vſque ad ſtatum; in ſtatu tamen, & ante ſtatum multò tenuiorem eſſe victum offerendum affirmat. Hæc dictio duabus firmatur rationibus validis. Morbus natura ſua, & ob ſymptomata prohibet cibum: ergo quantò morbus eſt vehementior, & ſymptomata grauiora, tantò magis cibi vſus eſt interdicendus: Sed morbus eſt maior in augmento; quàm in principio, & multò maior in ſtatu, & ſymptomata ſunt fortiora, ex Hippocr. *2. aphor. 30.* Ergo morbus minùs prohibet cibum in principio, & magis in augmento, & adhuc multò magis in ſtatu. Deinde. Tunc minus cibi eſt propinandum, quando natura circa cauſam morbificam eſt occupata, ne videlicet ab eius coctione diſtrahatur: ſed natura magis aggreditur coctionem in augmento, quàm in principio, & multò magis in ſtatu, coquendo, ſeparando, expellendo. Ergo quantò magis morbus procedit, tenuiùs eſt cibandum. Hoc expreſsè *in com. Hippocr.* affirmat Galen. amplectitur Auic. 1. 4. *tract. 2. cap. 8.* dum inquit: *Tempus magis conueniens ad incraſſandum eſt principium, & tempus magis conueniens ad ſubtiliandum eſt ſtatus:* & *infrà* dicebat. *Verùm eſt tibi neceſſarium cum in hoc tum in omnibus ſpeciebus, vt ſit principium tui regiminis groſſius, & poſtremum tui regiminis perueniens ad ſtatum, ſubtilius.*

Tantis difficultatibus perterriti veteres Auicennæ interpretes, Gentilis, Iacobus, Dinus, Vgo, & alij *in com.*

citati nuper capitis Auic. immò Conciliator *dif.*134. varios excogitarunt reſpondendi modos, quibus auctores longè inter ſe diſtantes in veram reducere poſſent amicitiam. Dicunt enim victum in morbis debere procedere extenuando, adhibitis conditionibus ſeptem. Harum prima eſt, vt ſit morbus materialis; nam immaterialis cùm careat cauſa, & ſit ex inanitione, non prohibet cibum, ſed potiùs ipſum indicat; & propriè ſi in ipſo non notentur tempora morbi, cùm nulla cauſæ alteratio reperiatur. Secunda. Vt morbus non ſit peſtilens, atque malignus; ſi enim in hoc ſummè vires atterente morbo tenuiſſimè cibes, ægri exhauſtis viribus ob malitiam morbi pereunt citò: pleniori ergo victu vtendum eſt, quo vtentes frequenter liberantur, ex Galeno *3.epidem. ſect.3.com.*58. & Auicenna 1.4.*tract.*4.*cap.*4. Tertia. Vt morbus ſit ſimplex & non complicatus; nam tunc vnius ratione tenuiſſimè, & ratione alterius craſsè cibandum eſt, quum morbus vergit verſus ſtatum. Sic in fractura oſſis, in paralyſi, phrenitide, reliquis inflammationibus, vt prohibeatur fluxio & phlegmones generatio, victus tenuis in principio eſt ex vſu. Quarta. Vt virtus conſtet in ſtatu; nam quando tunc, vel in augmento ob ſuperuenientia ſymptomata diſſoluitur, pleniori victu reficienda eſt, quàm anteà: in hunc ſenſum Auicenna 4.1. *cap.* 1. in ſtatu maximè eſſe ſubtiliandum aſſeruit, niſi aliquid acciderit quod nos ab hoc prohibeat: & Galenus *lib.*1.*aphor.comment.*9. inquit: *quando caſus interuenerit robur naturæ diſſoluens, in ipſo ſtatu nutrire cogimur.* Quinta. Vt morbus ſit cognitus; nam ſi non cognoſcitur, ſubtiliandum regimen, ex Auicenna 1.4.*tract.*2.*cap.*7. Si enim inordinatus eſt, & inconſtans, cùm nec idonea curatione, nec conuenienti victu quouſque conſtet, curari poſſit, ex Hippocrate 4.*de rat.vict.*52. tunc tenui victu æger in principio gubernandus; nam ſi craſſior exhibeatur, aucta cauſa morbi non leuia deinceps ſymptomata eueniunt. Sexta. Si non adhibeatur regimen tentatiuum; ſæpè enim chronicos morbos victu tenuiſſimo curare tentamus, quoniam illorum cauſa, præſertim ſi non ſit multa, illius beneficio diſſolui ſolet, ac concoqui. Sic Auicenna *loco cit.* in curatione quartanæ, & quotidianæ ſubtiliat regimen. Septima. Vt morbus ſeruet materiam ad vnam criticam expulſionem: Sunt enim morbi materiales in duplici differentia; quidam enim ſunt, in quibus tota materia ſimul coquitur, & tota ad vnum iudicium reſeruatur, in quibus morbis omnia tempora coincidunt: nam quando morbus eſt in principio quoad alterationem, eſt etiam quoad eſſentiam, & quoad ſymptomata: & quando eſt in ſtatu quoad alterationem, eſt etiam quoad eſſentiam, & quoad ſymptomata. Alij ſunt in quibus non tota ſimul concoquitur, nec ſeruatur ad vnum iudicium, ſed paulatim coquitur & paulatim repurgatur, in quibus omnia tempora non coincidunt, quia quando ſunt in principio quoad alterationem materiæ, ſunt in ſtatu quoad eſſentiam & ſymptomata; & quando ſunt in ſtatu quoad alterationem materiæ, ſunt in declinatione quoad eſſentiam & quoad ſymptomata.

His ita conſtitutis, arbitrantur Hip. *in aphoriſmis* intelligendum, de morbis ſeruantibus materiam ad vnam criticam iudicationem, quales ſunt morbi venoſi generis. In *primo* tamen *lib.de rat.vict.* intelligendum, de morbis non ſeruantibus materiam ad vnum criticum iudicium, quales ſunt pleuritis, peripneumonia, & alij thoracis affectus. At hæc doctrina licèt ab Auic. interpretibus, Iunioribúſque omnibus ſit recepta, ſi adamuſſim penſetur, non videtur carere errore. Nam aſſerere morbos venoſi generis ſeruare materiam ad vnam criticam iudicationem, ſicut morbos thoracis eam non ſeruare, abſolutè eſt falſum. Quoniam in pleuritide, quæ inflammatio eſt thoracis, materia non ſemper paulatim concoquitur, & expurgatur; ſed ſæpè tota concoquitur, & ad vnum iudicium reſeruatur: ſolet enim finiri criſi per ſanguinis fluxum, ſudorem, alui profluuium. Deinde eius materia interdum tota concoquitur, & tota ſeruatur, veluti quando inflammatio in ſuppurationem commigrat. Prætereà febres, quæ ſunt morbi venenoſi generis, non ſemper ad vnum criticum iudicium materiam ſeruant, quinimò rariſſimè. In eis enim paulatim materia expurgatur, vt conſtat in febribus intermittentibus, & continuis, in quibus exacerbationis tempore, vel inſenſibiliter per ſingulas acceſſiones materia paulatim reſoluitur, vel inſenſibiliter expurgatur per ſudorem, vomitum, alui fluxum.

Ad hæc. Simpliciter pronuntiare in morbis thoracis victus rationem debere procedere incraſſando, falſum etiam eſt, & euidenter conſtat in Hip.*lib.*2.*acut.text.*15. dum ſic inquit, *Melius ſiquidem eſſe dico, vt protinus à morbi initio ſorbere incipias, quàm inanitis vacuatiſque venis, vel die tertio, vel quarto, vel quinto, vel ſexto, vel ſeptimo, ſi ante hoc tempus morbus haudquaquam iudicatus fuerit, ſorbitionem inchoare, &c.* In qua ſententia docet, quod *in aphoriſmis* ſcripſit, in omnium morborum vigore, tenuiſſimo vtendum victu præcipiens, vt Galenus expreſsè notauit *in com.* Demùm Hippocrates *in lib.de rat.victus*, de omnibus morbis agit, poſito exemplo in pleuritide, auctore Galeno *lib.* 1. *acut.com* 33. & *lib.*3. *eiuſd. com.*24. & 61. Ergo in omnibus morbis tam venoſi generis, quàm thoracis, in principio pleniore victu, deinde tenuiore, & poſteà tenuiſſimo vtendum eſt, iuxta edictum Hip.*lib.*1.*aph.*8. dicentis, *Quando morbus in ſuo rigore conſtiterit, tunc victu tenuiſſimo vtendum eſt.*

Brachelius *lib.*1.*aph.com.ſentent.*10. rei difficultatem, & manifeſtam contradictionem perſentiſcens, nouum conciliandi excogitauit modum. Dicit enim victus rationem nec extenuando, nec incraſſando rectè procedere in morbis; ſed in principio parum eſſe cibandum, in augmento pleniùs, in ſtatu tenuiſſimè: nam in principio cruditas maximè affligit, quæ cibi oblationem interdicit. In ſtatu etiam, cùm ſit ſumma morbi & ſymptomatum vehementia parciſſimè offerendus cibus. In augmento neque cruditas viget, neque ſymptomata vrgent, ideò in hoc tempore pleniore cibo vtendum eſt, vt tempore ſtatus natura morbi vehementiam tolerare queat; explicátque Hipp. *lib.*1.*aph.*10. quod in particula illa (*priùs*) non intelligat principium, ſed augmentum.

Hęc ſolutio eſt erroris plena, Galeno, Auicennæque maxime aduerſa. Hic enim auctor 4.1.*cap.*1. aſſeuerat, quòd quantò ægritudo principio fuerit propinquior, & ſymptomata magis remiſſa, cibus liberaliùs offeratur; & quantò ſymptomata ampliùs increuerint, & ægritudo vergat verſus ſtatum, alimentum minuatur. Ille 1.*ad Glauc.*13.*in princ.* poſtquàm dixerat, quòd quando vigor intra ſeptimam diem futurus eſt, tunc victus ſit tenuis, & exquiſitus: & quando vltra ſeptimam extendi debet, aut vires ſunt inualidæ, tunc in principio ſolidior cibus ſit offerendus, in augmento tenuior, in ſtatu tenuiſſimus. Et *lib.*1.*aph.* enarrans vltimam particulam *ſententiæ ſeptimæ*, in vigore morbi tenuiſſimè cibandum confirmauit, ita vt quò morbus ampliùs diſtat à vigore, tantò pleniore victu vtendum ſit.

Deinde falſitas opinionis huius conuincitur, primò ex Gal. *lib.*1.*aph.*7. & 8. hoc enim loco non alia ratione probat in vigore morbi tenuiſſimo victu vtendum, niſi propter magnitudinem ſymptomatum, & maiorem coctionem, ne oblato alimento copioſiore diſtrahatur natura. Ergo cùm in augmento morbus ſit maior, & ſymptomata fortiora quàm in principio, minùs in augmento, quàm in principio, alimenti offerendum.

Non deſunt, qui aliter loca Hipp. conciliare intendant, vt notat Mercurialis *in com. ſent.* 23. *lib.*2. *de rat.vict.* dicendo Hipp. hoc loco, in augmento & ſtatu augere ſorbitionis quantitatem, non tanquam alimentum, ſed vt medicamentum: nam *in textu* 8. prædixerat, ex pulmone expurganda, humectatione indigere, præſertim ſi craſſa ſint, tenacia, viſcida, auctore Galeno *lib.*7.*ſimpl. cap.*6. & 3.*de rat.vict.* 2.*in med.* Háncque eſſe cauſam rentur ipſi, ob quam Gal.*lib.*5.*ſimpl. cap.*2.*in fin.* præcipiat, omnia illa medicamenta, quæ expurgando thoraci conueniuntur, permiſcere cum melicrato, vino dulci, aut ptiſſana, quæ abſtergendi, & humectandi vim habent. Hæc doctrina licèt ſit vera, non tamen ſoluit difficultatem: nam Hippocrates *loc. cit. de rat. vict.* augendam monet ſorbitionis quantitatem, vt roboretur virtus, & magis expurgationi

ſufficiat eorum, quæ exeunt è pulmone: igitur Hip. ſorbitionis quantitatem, non ſolùm vt medicamentum, ſed vt alimentum.

His reiectis, veram ſententiam proponere licet, quæ duabus concluſionibus fiet manifeſta, quarum prima eſt. *Quando morbus cognitus eſt, ſimplex, & virtus conſtat, ſumpta indicatione à morbo, ſi ſeruat materiam ad vnam criticam expulſionem, victus ratio debet procedere extenuando.* Patet apertè concluſionis veritas. Tunc enim omnia tempora coincidunt, nam morbus quando eſt in principio, ſtatu, augmento, quoad alterationem materiæ, eſt in principio quoad eſſentiam, & quoad ſymptomata: cùm ergo morbus, & ſymptomata ſint in principio minora, & maiora in augmento, & adhuc vehementiora in ſtatu, ſumpta indicatione ab ipſo morbo, in principio pleniùs, in augmento tenuiùs, in ſtatu tenuiſſimè cibandum. Neque mireris tenuiſſimam cibationem eſſe præſcribendam increſcente morbo, & magis debilitata natura, triplici enim de cauſa ægri magis, & diu inediæ reſiſtunt. Primò, quia licèt ægri calor ſit auctior, tamen plus reſoluit ſanorum calor, cùm ſit multus,& reſolutioni humidi magis accommodatus. Secundò, quia humores ægri multò magis renituntur conſumptioni, ob ſui lentorem, crudıtatem, & viſcoſitatem. Tertiò, quia æger non fameſcit ſicut ſanus, qui ob probitatem humorum facilè reſoluitur, & proinde citiùs fameſcit, & ad famem ſequitur reſolutio, quæ ex moleſtia in ventriculo ſenſata oriri ſolet.

Secunda concluſio. *Quando morbus non ſeruat materiam à principio, ſed paulatim incipit repurgari, victus ratio non debet procedere extenuando, ſed incraſſando.* Ratio eſt, nam quando morbus eſt in augmento, vel in ſtatu ſecundùm alterationem materiæ, iam periculum euaſit æger, & iudicatus eſt, quoniam eſt in declinatione quoad eſſentiam & quoad ſymptomata: inde tunc pleniùs, quàm anteà cibandum eſt.

Queres, & meritò ſanè, quo pacto poſſibile ſit, vt morbus ſit in augmento, vel ſtatu ſecundùm alterationem materiæ, & non ſit in his temporibus ſecundùm eſſentiam & ſymptomata; maximè cùm coctio quæ ſit in venis, putredinis ſit particeps, & ſimilis illi quæ in inflammationibus contingit, ex Galeno *lib.1. de diff. febr. cap.5.* & ſicut in illa alteratione, cùm ſit media, ex Galeno *2.aph.47. & lib.5. ſimpl.cap.6.* intenditur coctio, ſic etiam intenditur putrefactio: ergo ſi augetur putredo, augebitur morbus cum ſyptomatibus. Dic. In cauſa interna, quæ morbum excitat, fouet & auget, conſiderari duo, illius qualitatem, & quantitatem; illa eſt acrimonia, caliditas, aut mala qualitas ex putredine, & corruptione nata: hæc aut eſt eadem & æqualis, aut eſt maior, aut minor. Sola qualitas non poteſt determinatum effectum inducere, ſine quantitate certa; & quantò maior eſt hæc, maior eſt effectus illius, quoniam nullum agens tam valens eſt, quod effectum ſuum poſſit imprimere ſine quantitate certa; ignis enim, licèt maximè actiui ſcintilla, non ſolùm non vrit, quinimò nec calefacit, vt *3. ſimpl. cap. 23.* aſſeruit Galenus. Hæc ergo eſt cauſa, quare etiamſi in augmento & ſtatu ſecundùm alterationem materiæ, intendatur qualitas cauſæ, cùm quantitas ſit imminuta, non poſſit efficere morbum maiorem quàm anteà, ob quantitatis defectum.

Neque partis aduerſæ plurimùm vrgent argumenta. Dic ad primum. In proceſſu morbi verum eſſe virtutem imbecillitari, ſi tamen victus ratio, vt decet, præſcribatur, tunc in morbo ſalutari virtus ſemper eſt in ſtatu potentior morbo: permittimus enim, ne accreſcat morbus cum magnitudine ſymptomatum, vt aliquantulum vires diſſoluantur, tunc enim non ſoli virtuti, ſed morbo conſulendum eſt. Ad ſecundum. In augmento & ſtatu virtus magis eſt impedita, quàm in principio: nam caliditas, & acrimonia humoris ebullientis & rarefacti, magis irritant, laceſſunt, & premunt; & ob hæc natura commota, maiorem aſſumit conatum ad agendum, quàm in principio: quapropter cùm adſit maior feruor, maior ebullitio, maior concoctio, magis eſt occupata, & ad expellendam cau-

A ſam morbificam diſtracta. Ad tertium. Magna eſt diſparitas inter tempora particularia, & vniuerſalia: nam in principio vniuerſali ſemper morbus, & illius ſymptomata ſunt minora; in particulari verò maiora, quoniam eſt tempus deterius totius acceſſionis, & maximè ſi compreſſa annotatio adeſt, quapropter magis inutile ad cibationem tempus cenſeri debet. Ad quartum. Concluſio intelligenda eſt de morbo cognito; nam ſi non cognoſcitur, proba victus ratio inſtitui non poteſt; quamobrem neceſſe eſt primis diebus victum tenuem inſtituere, vt agnoſcatur. Si tamen cognoſcitur, in principio pleniùs, deinde tenuiùs cibandum eſt.

Quod verò ad maiorem machinam attinet, nempè Hip*an lib.de rat.vict.* augentem in ſtatu pleuritidis ſorbitionis quantitatẽ, ſic accipe. Hip. agit *hoc loco* de pleuritide humida, in qua materia paulatim repurgatur, tunc victus

B ratio non extenuando, ſed incraſſando procedit. Si verò obiicias, non omnem pleuritidem paulatina finiri vacuatione, cùm criſi ſæpiùs indicetur, qualis fuit pleuritis Anaxionis, apud Hip. *3.epid.ſect.3.text.79.* qui bis criſi facta per ſudorem perfectè fuit iudicatus. Reſponde, conuenientem pleuritidis indicationem fieri paulatinè per ſputum, vt millies Magiſter edocuit: Si verò criſi iudicatur, non eſt ratione ſui, ſed alterius morbi, qui cum ipſa complicari ſolet. Sic Anaxion duplici laborauit morbo, ex Gal. *lib.1.criſ.18.* & humore contento in venis, & humore impacto in pleura: cùm enim ob morboſum corporis apparatum complicetur febris, quam Medici mo bum vocant, hæc criſi finiri ſolet. Solue ſecundò. In pleuritide, & omnibus inflammationibus internis, in principio conuenit victus tenuiſſimus, ad prohibendam fluxionem, quę

C inflammationem adaugere ſolet: partes enim inanitæ inediam, cùm indigeant, retinent ſuccos, & non permittunt ad partem affectam defluere. Sic Gal. *6.meth.5.* in fractura oſſis tenuiſſimè cibat, & in vlceribus & vulneribus, præſertim quando recentia ſunt, præcipit Hip. *lib.de vlceribus*, modico cibo vti. Hoc pacto in pleuritide, nec multam, nec craſſam ſorbitionem dare expedit. Cùm verò incipit fieri expurgatio, pleniùs cibandum; nam ad expectorationem, facultatis animalis opere indigemus, quæ maximè in acutis diſſolui conſueuit, ex Gal. *2. aph. 29.* Tenuiſſimè ergo inſtituendus victus in ſtatu, vbi vires materiæ copia, & agitatione premuntur; non autem vbi ab exhauſto, & expectorato humore reſoluuntur. Quò plus ergo expectoratur, eò plus cibus augendus eſt, ne vires cadant, vt ſcitè docuit Laconicus Paraphraſtes Heurnius *in com.ſent.8.*

D *lib.1.aph.Hip.* Solue tertiò. Principium interdum ſumitur pro primo morbi inſultu; ſæpè pro primis tribus diebus; aliquando pro tempore cruditatis; multoties pro tempore opportuno, in quo primum auxilium celebrari incipit. Hip. neque panem, neque ſorbitionem, neque aliud ſolet concedere ante tempus pręfinitum, vt Gal. *lib.1.de rat.vict.* 25. Si ergo in pleuritide pro victu conueniat ptiſſana, aut potio, non debent mutari in ſorbitionem craſſam, quouſque morbus ſit in declinatione; & tunc ne ſubita fiat mutatio in repletione, danda eſt ſorbitio, neque multa, neque craſſa, ſed paulatim eſt adaugenda, vt *cit.loc.* eleganter docuit Gal. Lege pro huius argumenti ſolutione Valleſ. *lib.7. controu.c.2.* & Ludouic. Mercat. *lib.1. iudicat.c.1.* Si verò Celſ. in initio famem exoptat, intelligendus eſt in iis, qui crudis ſcatent humoribus, in quibus tenuiori victu ſæpè,

E quàm in ſtatu vti licet, vt aduertit Septalius *lib.2.cautio. medic.n.16.*

Ad locum Gal. *lib. 12. meth.* Dic, Galenum *ibi* de febri ſyncopali verba facere, quæ ob ſuccorum tenuitatem, pororum amplitudinem, inanitionem, oriri ſolet, in qua non conſtant vires, quas ſemper pleniore victu adaugere oportet nutrientibus ſuccis. Hoc modo Galenus primo morbi inſultu cibum non valdè nutrientem hoc loco exhibuit: cùm verò ob doloris ſæuitiem vires laberentur, coactus fuit pleniorem offerre. Perpetuum ergo & irrefragabile ſit, indicatione ſumpta à morbi temporibus, in ſummo vigore tenuiſſimè eſſe cibandum, maximè craſsè in principio; ni accedat aliquod ſymptoma, quod hanc methodũ peruertere poſſit, & in quod curantis

conſilium

conſilium dirigi debeat. Num verò in omnibus morbis plus periculi habeat peccatum plenitudinis, an tenuitatis, lege apud Hieremiam Brachelium *in com. tit. aph.* Valleſium 8. *controuerſ. cap.*1. In cuius dubij ſolutione cæteros antecelluit Manardus doctiſſimus *lib.*4. *epiſt.*2. & non ſiluit Septalius *lib.*2. *caution. medicar. num.*21. & 22.cum Santorello eruditiſſimo *lib.*15.*antepraxis,cap.*6.& Iacchino, *libello de morbor.acutor.curat.rubric.* Vtrum verò morbus, an virtus indicet cibum, ex Galeni penu exponemus luculenter *lib.*3.*in com.hiſtor.*11.

HISTOR. XCIII. GALENI,
De colico dolore.

Colicus dolor à bile pronatus, frigida potione curatur.

SImili genere & alteri cuidam in æſtate affecto, quum ſitibundus admodum eſſet ; ſupra alia quæ memoraui, etiam frigida potione vti permiſi, &c Galenus lib. 12. method. cap. 7. in fin.

PARAPHRASIS.

EVndem colicum dolorem à bilioſis,acribus, mordacibúſque ſuccis pronatum,gloriatur ſe hoc loco curaſſe Galenus ; cui perſanando cùm cætera infrigidantia non prodeſſent præſidia , ad frigidam potionem exhibendam acceſſiſſe conteſtatur , aduertens quàm ſit ingenio artifice dignum,cauſas morborum rimari, præſertim illas,quæ non ita ſcientifica agnitione percipi poſſunt, vt in dyſenteria , & pleuritide contingit , quorum morborum ſigna coniectura non aſſequuntur,ſed certis, manifeſtiſque notis ſunt comprehenſa.

Hunc affectum ex bilioſo humore originem duxiſſe,ex ſiti vehementi euidenter patet ; hæc enim ex ventriculi caliditate & ſiccitate, & amara bile in ipſo congeſta ſolet accidere,ex Gal.*lib.*4.*aph.com.*19.& 2.*ſimpl.cap.*30.& *lib.*6. *de loc.affect.cap.*3.& *lib.*1.*de cauſ.ſympt.cap.*7.*in med.* Inſuper anni tempus erat æſtiuum , quod gignendo huic humori eſt accommodum valdè , quum ſicciſſimum ſimul, & calidiſſimum ſit,ex Gal.*lib.*2.*criſ.cap.*1. Deinde hoc cognoſces ex vigilia, vomitu bilioſo,vrinæ ardore, rubore, intenſo dolore,oris amaritudine,& aliis quæ aërem bilioſumque humorem intùs latere ſignificant.

His præſentibus, cùm alia factitata eſſent,quæ ſuprá recitauit auxilia,quæ calorem refrigerant,bilis acrimoniam incraſſant , & eius efficaciam obtundunt, (aduerſiſſima enim,ſi humor rodens affligit, ſunt quæ extenuant,& calefaciunt, ex Gal. *lib.*12. *meth.cap.*8.) & ſic theriacam recentem offerret,quæ ſi ſit recens, furioſos huius humoris impetus coërcet; lenit dolorem,quoniam ſtupefacit ; ſomnum conciliat. Quare cùm alia eſſent celebrata auxilia,vt conſtat ex verbo (*ſuprà memoraui*) meritò ad frigidam potionem accedere conſultius iudicauit ; huius enim potus vis omnes implet indicationes , quas pro domando hoc humore exoptamus : nam dolorem mitigat , torporem inducendo, humoris tenuitatem cogit, vehementem calorem refrigerat. Ob hanc neceſſitatem narcotica propinat, præſente huius humoris copia immanem dolorem inteſtinorum concitante, 12.*meth.*1.& 8.At vbi humores craſſi exuperant , torporem inducentia alieniſſima ſunt. Licèt enim inteſtinorum tunicæ vehementi frigiditate fiant denſiores, humorique excernendo minùs aptæ reddantur : tamen melior eſt noxa quàm mors, quæ ob ingentem dolorem fieri conſueuit , cuius cauſa ægri ſæpè exanimes fiunt, in ſyncopénque incurrunt, vt diſertè monebat Magiſter *lib.*2. *acut. com.* 48. Inſuper impeditur inteſtini inflammatio , cuius hic morbus præludium eſt, quæ cùm ſit ſæua ac lethalis, vt docent Paulus *lib.*3.*cap.* 43. Trallianus *lib.* 10. *cap. de colica ex inflammatione* , in ileum tranſire ſolet. His rationibus coactus fortè Amatus *lib.*1.*centur.*2. contra quoſdam magni nominis Medicos, colico dolore affectam ægram calidis medicamentis excarnificantes , grauiter inſurgere auſus eſt, frigorifica auxilia propinans , qui dolor cùm à bile inteſtina rodente ortum duceret , ſolùm frigida oblata , ſiti valdè premente conquieuit.

Quid igitur per frigidam potionem Galenus hîc intelligat, non ſatis conſtat. Nam plures ſunt refrigeratoriæ potiones , vt aqua cocta ſimplex, vel cum ſucco limonum , granatorum , hordeo , & aliis refrigerantibus medicamentis parata. Immò Hippocrates *lib.*3.*de morb. à num.*3.*vſque ad* 31. Plures frigidas parat potiones ex aqua cœleſti , albuminibus ouorum in aqua concuſſis , & agitatis, hordeo, eius farina. At Galenum per frigidam potionem , ſolùm aquæ frigidæ potum intelliges , res eſt manifeſta ei , qui eius doctrinam intimiùs perluſtrauerit : nam *lib.* 9. *method. cap.* 5. quum aquæ potum vſque ad ſatietatem in continentibus exhibet , illum vocat frigidam potionem. §. *Maxima verò continentium febrium remedia , hæc duo ſunt : detractio ſanguinis , & potio frigida , &c.* & *lib.* 10. *cap.* 6. *eiuſdem operis.* §. *Oportet autem quamprimùm ptiſſanæ cremore , & ſorbitione ex alica nutritum , panéque pòſt oblato , atque frigidæ potione , &c.* Idem facit *in lib. de ratione vict.* Quem potum dolores leuare à bilioſo humore concitatos , præſertim cùm intenſa ſiti vexantur ægri , quæ viſcerùm internum ardorem euidenter demonſtrat , omnibus compertum eſſe reor ; quod eleganter comprobauit Amatus *lib.* 2. *centur.* 46. exemplo iuuenis , qui cùm bilioſis deiectionibus , ſæuiente æſtate , ſiti vrgente oppreſſus , citra Medicorum conſilium gelidæ copioſiore potu vſus, à fluxu dyſentericó , & dolore euaſit immunis. De cuius potu ad ſatietatem exhibito, plura diximus *ſuprà, dub.* 34. & exempla rara proponit Septalius *lib.* 7. *cautionum medicar. num.*81.

HISTOR. XCIV. GALENI,
De colico dolore.

Colici doloris ſpecies rara, ex vitrea pituita ſuborta, perforantis doloris ſenſum inferens : & quomodo Galenus in eo cognoſcendo fuerit deceptus.

*POrrò memini , mihi ipſi accidiſſe dolorem vehementiſſimum , vt mihi viderer in intimo ventre terebro perforari, in eo potiſſimùm ſpatio , per quod à renibus ad veſicam vreteras ſcimus extendi. Iniecto deinde rutaceo oleo , quum id paulò poſt excernere tentarem , excreui ſimul grauiſſimo cum dolore , humorem vitreum à Paraxagora apppellatum. Quippe vitro fuſo tum colore , tum ſubſtantia haud abſimilis erat. Atque id aliis quoque accidere conſpexi. * Equidem putabam lapidem in altero vreterum impactum , adeò mihi doloris ipſius ſpecies perforanti ſimilis videbatur. Atqui excreto humore , doloréque ſedato , manifeſtè conſtabat , neque lapidem fuiſſe cauſam , neque vreteres, aut renes fuiſſe affectos, ſed aliquod inteſtinorum , & fortè magis craſſiorum. Neque enim veluti per tenue corpus , exitus eius breuis temporis fuit: ſed tanquam à profundo quodam , & per craſſius aliquod, quàm per tenuium inteſtinorum tunicam , ferebatur. Huiuſmodi dolores,omnes propemodum Medici colicos nominare mihi videntur, quanquam quod ad locum, in quo dolor ſentitur, pertinet , nullum adſit indicium , colon potiùs, quàm tenuium inteſtinorum aliquod dolore affici , &c. Galenus* lib. 2. de loc. affect. cap. 5.

PARAPHRASIS.

GAlenum Medicum, & Philoſphum eximium, cuius ſcientiſſima plura extant ingenij monumenta, quæ genuinam ſapiunt eruditionem , ad ſenectutem vſque nullam paſſum in curando , & præſagiendo calumniam,

ex ore Pythij Apollinis (vt Romani dicebant) alloquentem, experientia inſignem, veridicum, vſu dexterrimum, feliciſſimum, in hoc morbo proprio ita deceptum, licet admirari, nec mirum præſtantiſſimos viros quandoque deerrare. Nec piguit tantum virum errorem ſuum libentiſſimè confiteri, præſertim in re, quæ ſemel intellecta, multam dilucidandi, & curandi morbos poſteris præbet vtilitatem, ne quis ipſorum decipiatur eadem ratione, qua quis anteà deceptus eſt. Quare decorum eſt medico proprios errores confiteri, & in laudem vertit Cornel. Celſ. *lib.8.cap.4.* & nos plura diximus *lib.1. hiſt.79.*

Suò ergo ipſius exemplo monſtrat, fieri quandam doloris ſpeciem ab intemperie pronatam, vſque adeò validam, vehementémque, vt per eam videantur ægri quaſi terebro quodam perforari, vnde perforantis nomen accepit; de cuius cauſa, ſicut de aliis dolorum generibus, quæ & ſpecies, & differentias appellant, ſat plura dixere Gal.2.*de loc.* 2.3.*&* 4. & *lib.2.de compoſ.medic.ſecund.loc.cap.2.* & *lib.6. aph.com.5.* & *lib.1.ad Glauc.cap.15.* Paul.*lib.2.cap.40.* Auic. 2.1.*doct.2.cap.20.* Hunc itaque perforantem dolorem cùm experiretur Galenus, in eo potiſſimùm ſpatio, per quod à renibus ad veſicam, vrinarij meatus, vreteres appellati extenduntur, in profundo ventris ſe terebro perforari ſentiebat: clyſmate autem iniecto ex rutaceo, paulo pòſt grauiſſimo cum dolore excreuiſſe ait humorem frigidiſſimum & colore, & conſiſtentia fuſo vitrò perſimilem, atque adeò vitreum ab antiquis Medicis appellatum, ex Gal. *lib.2.de de dif.feb.cap.1.* à quo intolerabilis ille concitabatur dolor, qui illicò euanuit, vbi primùm gelidiſſimus humor, illius cauſa fuit excretus ab iniectione rutacei; in hoc genere mali, à Gal.12.*meth.vlt.* ſummoperè commendati, vtpotè quod tenuium ſit partium, flatus diſſoluat, ſtrenuè calefaciat.

Neque culpam imputes Galeno, qui in ſemetipſo laborante, colicum dolorem à nephritico non potuit diſtinguere: nam hos inter ſe diſiungere admodum eſt difficile, & valdè laborioſum; maximè cùm Gal. eſſet ægrotus, & ſui Medicus, qui immani cruciatu oppreſſus, colicum dolorem, quo acerbiſſimè premebatur, à renali diſtinguere non potuit; præſertim cùm ipſe vtriuſque notas proponat exactè, tum *hoc loco,* tum *6.de loc.cap.2.* & *lib.6. epid. ſect.1.com.6.*

QVÆSTIO LI.

Quòd Hip. & Galenus, colicum dolorem à nephritico rectè diſtinxerint. Contra Gentil. Matthæum, & Valleſium, Medicos celeberrimos.

COMMENTARIVM.

E*Quidem putabam.*] Verum enimverò, quia in priſcorum ſcita de diſtinctione colici doloris à renali incidimus, placet parum per ſe poſitis aliis, quæ plurima ſeſe ingerunt, in eaſdem excurrere amœnitates; nec id tamen fruſtrà, ſed vt Magiſtrorum noſtrorum profundiſſimam ſcientiam, Cimmeriis adobrutam tenebris promamus in lucem, ſicuti ex limpidiſſimis eorum fontibus accepimus: nam recentiorum peritiſſimi hoc negotium arduum tentarunt, inter vtrumque affectum diſtinctionem, ſicut à Gal. acceperant, ingenioſè proponentes, ſed argumenta quæ contrà obiici poſſunt, ad amuſſim non explicarunt, quorum tela irrita eſſe, iam exaudi.

Inter ſymptomata renibus cum inteſtinis communia, numerabant aliqui lapidis generationem; atque ex inteſtinali quidem & colicum dolorem concitari exiſtimabant, & fluxum nonnunquam lapidoſum, de quo Auic. 16.3.*tract.1.cap.2.* & *tract.3.cap.6.* Ishaac.4.*feb.16. ad fin.* Sed quoniam vel in ſolis renibus, & veſica lapis generatur; vel ſaltem alibi rariſſimè, vt tam multis auctorum exemplis palam fecimus, *in lib.1.in com. hiſt.70.* & de particularibus ſcientia non habetur, idcircò Gal.*lib.6. de loc. affect.cap.2.* quo loco, de hoc negotio ex profeſſo pertractat, ſermonem ad frequentia conuertit.

Colicam ergo à nephritide, id eſt renum dolore diſcernit, eo quòd propter ſymptomatum ſimilitudinem, & ſitus communitatem, non ita facilè internoſcuntur, immò plerumque Medici non inferioris notæ in hoc decipiuntur. Porrò quanquam parum interſit, ſi protinus ab initio non dignoſcantur hæc mala, eo quòd vrgente vtrobique dolore ſimilia ferè requiruntur auxilia, extrinſecus, & intrinſecus adhibita, quibus leniantur dolores; quia tamen ſubſequente tempore diuerſis indigent præſidiis; nephritis, quò lapis à renibus excutiatur; colicus, quò frigidus vacuetur humor: neceſſaria omninò internotio eſt, ex traditis ab Hip. & Gal. indiciis petenda.

Primum eſt vomitus, licèt enim hic vtrique dolori communis ſit, ob magnam ſympathiam inteſtinorum cum renibus, & renum cum inteſtinis, atque vtrorumque cum ventriculo; maior tamen ſequitur, atque aſſiduus in colica, ob maiorem viciniam, & communitatem, quam cum ventriculo habet colon inteſtinum. Cùm enim lapis ex materia craſſa, viſcida generetur, & pituita præternaturalis generationem habeat in ventriculo, 1.*de natur.hum.39.* idcircò huius vomitum patiuntur ægroti, quia in ventriculo redundat: procedente verò tempore, bilis æruginoſæ vomitus ſubſequitur, cùm ex dolore, vigilia, inedia, ſanguis & bilis præaſſantur, ex qua origine hanc bilem proficiſci tenet Gal.*lib.1.ſimp.cap.12.*

Secundum. Ventris constrictio, quæ tanta aliquando adeſt in colico, propter obſtructionem à craſſis humoribus ortam, vt nec flatus quidem, aut ructus poſſint emitti.

Tertium. Nephriticus dolor eodem loco firmus, & ſtabilis permanet, pro ratione exigui ſpatij, quod occupat renum corpus: Colicus contrà; ſæpè enim diffunditur per amplum ſui inteſtini ſpatium (à dextra enim illum regione procedens per iecinoris cauum, & ventriculi fundum vſque ad ſiniſtram, cincturæ modo protenditur) vt loquitur Paul. *lib.3. cap.43.* ſæpéque locum mutat, & ad pectinem nonnunquam ſecundùm vreteras deſcendit, provt de ſe memorauit Gal. quin & ex dextro in ſiniſtrum vergit, vbi etiam aliquando infeſtat, quidquid negauerint aliqui ex antiquis; nam licèt frequentiùs eueniat in dextro latere, quod coli origo eſt, & pars magis diſtans à ſede per quam excernuntur fæces; dubitari tamen non poteſt, in ſiniſtro etiam accidere, iuxta multorum, & Auic. experimentum 16.3.*tract.3.cap.10.*

Quartum ex ſitu diſcrimen ſumitur manifeſtum: nam ſi ſupra renum ſedem dolor vrget, certum eſt inteſtinalem eſſe.

Quintum. In nephritide vrina primò alba redditur, & aquoſa, propter renes obſtructos; deinceps ſabuloſa, aſperam quandam præ ſe ferens ſubſidentiam, renibus iam aliquantulum deobſtructis, ac tandem arenoſa, quæ certiſſimum lapidis indicium putatur 4.*aph.49.* & *lib.de ren. affect.cap.3.*

Sextum. In nephritide vrina apparet cruenta, ex Hipp. 6.*epid.ſect.1.text.6.* quando ſinuoſus, & angularis lapis in deſcenſu diuidit vias, & ſanguinis fluxum excitat; & ſi ſinuoſus non eſt, ſed æqualis, ob magnitudinem dilatat vias, & cruorem mouet.

Septimum. In nephritide crus è directo patientis lateris ſtupet, & ſæpiſſimè teſticulus eiuſdem lateris retrahitur, ob rectitudinem, & communitatem vaſorum cum renibus, & cruribus, de quo *infrà.*

Octauum. Nephritici exacerbantur poſt ciborum repletionem, vt Hip.*cit.loc.* conſcripſit, quoniam multitudine alimentorum grauantur renes; nam colon inteſtinum ſuper renes eſt ſitum. Quorum ſignorum latè *infrà* proponemus cauſas.

Nunc contra prædicta non pauca machinantur, & contra Hip. & Gal. mentem aduerſarij. Et primò ſic. Colicus dolor acutus, & vehemens eſt, vtpotè excitatus in parte ſenſu acri prædita, ex Galen.5.*de vſu part.10.* Nephriticus non ita, ſed grauis tantùm, ex Hippoc. *loc.cit.* quum enim in ſola viſceris carne calor generetur, provt colligitur ex *lib.2. de natur.hum. text.18.* & ſcribit Auenzoar.*lib.2. tract.2.c.2.* & caro illa, ſicut & aliorum viſcerum ſenſum non habet acutum, 5. *de vſu part. cit.* quia non habet

diſperſum

diſperſum per ſuam ſubſtantiam neruum; non poterit [A] etiam à magno lapide, vehemens dolor in renibus concitari, ſed quidam tantùm grauitatis ſenſus. Ergo rectè poteſt ex modo, & quantitate doloris, protinus à principio diſcerni, num ſit colicus, an renalis; ob hoc ipſum enim qualitatem, & magnitudinem doloris, conſiderandas monuit *prædictis in locis.*

Secundò. Leuior cenſetur vomitus, quo durante ſola eiicitur pituita, quàm vbi conſequenter etiam bilis euomitur *2.probl.54.* & colligitur ex Hip.*6.epid. cit.* nec immeritò: pituita ſiquidem cùm in ventriculo etiam naturaliter contineatur, nec infixa, facili agitatione mouetur; bilis nonniſi maiori agitatione, & conamine attrahitur à iecore. At licèt calculoſis (ab initio ſiquidem) vomitus perinde accidat pituitoſus, ſit tamen in proceſſu bilioſus, quin & æruginoſus, exuſta doloribus, & vigiliis bile, *cit. epid.* Ergo grauior erit, & laborioſior nephritidis, quàm colicæ morbus.

Tertiò. Amplum ac craſſum inteſtinum, quale eſt colon, non poteſt ab humoribus, quantumvis tenacibus & craſſis, ita obſtrui ſeu anguſtari, vt nihil prorſus ad inferiora tranſmittatur, provt manifeſtè ex ipſo Gal. colligitur, *6. aph.* 44. vbi ex communi ſententia hoc tantùm in tenuiſſimo ileo admittit. Igitur perperam *6. de loc.* 2. ex omnimoda ventris conſtrictione, colicum dolorem à renali diſtinguit.

Quartò. Cùm ſint duo renes locis ſatis diſtincti, dexter, & ſiniſter, & duo vreteres in ſuo latere ſinguli; nec vnus lapis quantumuis magnus poſſit in vtroque ſimul contineri: vnde lapide exiſtente in vno rene, tenuis fiet, & aquoſa vrina? maximè ſi altero obſtructo rectè poteſt toto in ſanum deriuari, liberéque altero expedito tranſire: [C] non alia ſiquidem de cauſa, iuxta ſententiam Galeni, partes fuerunt geminatæ, quàm vt amiſſa, vel impedita vna, vſui altera foret; alioqui quorſum duos renes natura feciſſet, ſi alterutro impedito vtriuſque actio vitiaretur?

Quintò. Non poteſt eſſe indicium lapidis, id quo excreto, & lapidis ipſius materia minuitur, & pauca, vel inepta ad illius generationem indicatur, quin & renum expultrix robuſta, cuius imbecillitas non exiguam præſtat calculi occaſionem: ſed hæc omnia ſignificat crebra arenarum excretio: ergo potius nos tutos reddit à lapidis generatione, quod ſcripſit Auic. 18. *3.tract.2.cap.16.* Probatur minor, quia præterquam quòd arenæ dicuntur etiam lapidis materia, ſi multus eſſet craſſus, & lentus humor, à quo magna ex parte generatur, quia aptus eſt indurari, & in lapidem conuerti, *6.epid. in com. & de ren.affectionib.* [D] *cap.3.* in lapidem, non in arenas abiret. Inſupper & debibilis renum expultrix, intra eos contineretur, & per moram lapideſceret.

Vltimò. Licèt renes propter ſui diſtantiam à ventriculo, eo pleno non tantùm comprimantur, quantùm tenue, & colon inteſtinum; à primis tamen fæcibus, quo confeſtim ſumpto alimento deſcendunt in inteſtina; grauantur & premuntur; quin & protinus à compreſſis inteſtinis ex repleto ventriculo. Ergo quemadmodum colicus exacerbatur poſt cibum, ita & nephriticus: id quod expreſsè dixit Gal. cum Hip. *lib. nuper cit. epid.*

Hæc ferè obiici poſſunt, quæ quantum ponderis habeant, deinceps ſigillatim expendemus. Dic ad primum. Non in ſola renis carne, immò nec ita frequenter ac in eius cauitate lapis generatur: iuxta probabiliorem ſententiam, [E] quam multi cum Gal. ſequuntur; quidquid contrà ſentiat, perperam tamen Fernel. *lib.6.patholog. cap.16.* de quo *infrà, in com.hiſt.* 128. nec enim *2.de natur.human.* oppoſitum legitur, nec liber Hip. habetur, vt multùm mouere debeat illius auctoritas. Porrò vbicunque oriatur, dolorem procul dubio concitat, & nonnunquam acerbiſſimum, ſed grauem tantùm, hoc eſt grauitatem quandam moleſtam, & veluti ponderis ſenſum infert, cùm in ſinu gignitur, vel iam intra eum, vel carnem omninò genitus eſt, acutè autem, & vehementiſſimè cruciat, & dum per anguſtas vreterum vias permeat, ſiue in ſinu ortus, ſiue in media carne, & interim dum in hac concreſcit, vel ab ea tranſit in ſinum, vt pulchrè Gal. *6.epid.cit.* Cùm enim in ortu, & tranſitu, denſa viſceris caro à duriſſimo, inæquali, ſeu anguloſo lapide proſcindatur, cur non acutiſſimè à cauſa vſque adeò vehementi dolebit, licèt in ſe exiguo ſit prædita ſenſu, & neruis deſtituta? ab externis enim ſuæ membranæ inſertis, vim ſuſcipit ad ſentiendum, quia hæc etiam citra neruos per ſpatium exiguum poteſt accedere, vt *lib.5. & 6. de vſu part.* affirmat Gal. augetur autem ſimul & doloris vehementia, à membrana ex tumente rene diſtenta, eáque valdè ſenſibili. Nec verò par ratio eſt in phlegmone, à quo non acerbum, ſed grauem tantùm dolorem renibus induci dixit, *6.epid. & 6.aph.cit.* nam à molli, leuique humore naſcitur; nephritis à duriſſimo lapide. Cùm igitur nephritis non minùs acerbè, quàm colica diſcruciet, nihil mirum ſi dolente rene in parte coniuncta colo, non liceat dignoſcere ex magnitudine doloris, colicus ſit, an renalis.

Ad ſecundum. In vtroque contingit vomitus, nauſea, faſtidium, &c. propter conſentientem renibus, & inteſtinis ventriculum, non tam ob imbecillitatem (quod nonnulli putant) ex defectu ſanguinis, & ſpiritus ad partem dolentem attracti, quia protinus ab initio, à quo vomitus accidit, tanta eſſe nequit; quàm ob agitationem à dolore factam (commouet enim, & exagitat dolor) & concurſu humiditatum ad ventriculum: quia cùm expeditum non habeant deorſum exitum, præſertim in colica, conſcendunt, & vomitum ac nauſeam concitant, ſtimulante ſcilicet bile ſurſum vergente, ex prohibito deſcenſu. Inducitur verò pariter faſtidium, & ſubuerſa ex iiſdem cauſis appetentia, & quia natura vbi in expellendi opere conſtituta eſt, trahere obliuiſcitur. Iunguntur etiam ructus, ex multa flatuum copia, tam naturalium, quibus exitus negatur, quàm præternaturalium, qui ex retentis humidis excrementis aceruantur. Porrò maiora fiunt dicta ſymptomata in colica, ob maiorem communitatem, quam ſuum inteſtinum obtinet cum ventriculo, vt diximus; & ſimiliter vomitus pituitoſi magis aſſidui, & copioſiores, tum ex contenta in ventriculo pituita, tum ex ea quę à dolente colo (cuius affectus magna ex parte frigidus eſt) copioſiùs, & faciliùs, quàm à renibus, ſurſum vergit: in nephritide autem, licèt etiam ab initio vomitus adſit pituitoſus, expellente primùm ventriculo id quod abundat; deinceps tamen alienus eſt, pro ratione materiæ, quæ à renibus, vel aliunde recurrit, & ſæpè æruginoſus ex aduſta bile maiori velocitate auulſa, quia magis fixa, & in remotioribus partibus impacta. In hoc quidem ſenſu laborioſior eſt nephriticorum vomitus, ſed non proinde maior & frequentior quàm colicorum, nec adeò pituitoſus.

Ad tertium. In ſolo ileo, ſeu voluulo, dixit Gal. *in aph. & 6.epid.ſect.2.com.6.* intercluſa exitus via nihil prorſus per aluum deiici: cùm verò hoc ipſum *6 de loc.2.* etiã colicæ adſcribat, nec flatum in ea aliquãdo emitti, putant aliqui ilei nomine colicam ſimul comprehendiſſe illic, atque nihil repugnans ibi tradidiſſe; quia ſicut nomẽ habet cõmune, ita & ſymptoma hoc ſuppreſſæ vacuationis eorum, quæ per aluum excernuntur. Sed licèt ilei appellatione colica etiam aliquando veniat, & è conuerſo, vt colligitur ex Gal.*6.aph. & 3.epid.citatis*, ileum tamen propriè ſumptum, per omnimodam ventris conſtrictionem diſtinguit *ibidem* à dolore coli. Quare dicendum, in hoc non ita retineri excrementa, ſed tantùm cum difficultate egredi: & ſi nonnũquam accidat nihil prorſus reiici, rarius erit quàm in ileo; non tam propter anguſtationem viarum, quod tantùm Gal. videbatur contendere, quàm propter retentionem à vehementiſſimo dolore factam: præterquam quòd in præſenti comparatiuè ad nephritidem fuit locutus; certum eſt autem in colico magis retineri ſuperfluitates, vtpotè propriis ipſarum inſtrumentis affectis.

Ad quartum Valleſ. reſpondet *lib.7.epid.in com.text.59.* in cuius interpretatione ad hos libros, meo, & doctiſſimorum voto, veræ, & ſecretioris praxis totũ cardinẽ ſemper repoſui, tàm mihi videtur apta, compendioſa, & tanto viro digniſſima expoſitio, quæ ſi poſt Galenum non extaret, quo pacto Hippocratici ſermonis præſtantia, multa, eáque pulcherrima breuiſſimis dictiũculis ſignificantis, omnibus

foret conſpicua, haudquaquam intueor: Is ergo fortiſſi- A mus Medicinæ Atlas, hunc calculum mouens, ſic ratiocinatur: Ideò lapide in vno rene contento ſæpè vrinam ſupprimi, aut dilutam excerni, quia cùm emulgentes è caua vena ſimul oriantur, rarò accidit vnum renem lapidem congerere, quin alter à craſſis ſuccis, aut arenis pariter obſtruatur; vnde per ambos colata, aut purior, aut aquoſa excernitur, aut omninò ſupprimitur. Sed non ſatisfacit vir doctiſſimus: nam ſi natura duos renes fabricauit, vt vno affecto ſeruaretur alter, qui impeditam alterius actionem ſuppleret, quod ipſe Valleſius *ibi* experimento confirmat in cane, ab eo fortè diſſecto, cuius alter ren erat corruptus omninò, ita vt multo tempore rene vnico agnoſceretur eſſe vſus, quod in dies experimur, tam in renibus, quàm oculis, & geminis aliis partibus; fieri ſaltem non poteſt, vt maiori ex parte ambo pariter afficiantur, & pereat vel B minuatur vſus vtriuſque. Improbabile etiam videtur quod addit: ſcilicet illud tantùm locum habere in affectibus dolorificis, vt cùm in vreterem lapis deſcendit, ac ſi intra carnem dolorem non concitet: *quia enim*, inquit, *ad vrinam reddendam neceſſarius eſt muſculorum abdominis nixus, & is natura refugiente dolorem, cum pereat, ſuppreſſio ſequitur, obſtructo vno tantùm vretere.* Nam præter alia eſt, quòd eadem ratione in colica nixus ille ceſſaret, & ſupprimeretur vrina, cuius excretio merè naturalis eſt, ab expultrice veſicæ abſque muſculorum ope dependens. Rectiùs ergo dices, impoſſibile eſſe quòd ſupprimatur à lapide vnius tantùm renis, niſi veſicæ collo ſimul obſtructo à craſſis excrementis delapſis, & vrinæ tranſitum impedientibus. Sicut verò frequens non eſt veſicam obſtrui, calculo in vno tantùm rene exiſtente, ita nec cohiberi in totum vrinam. Vnde ergo ab initio tenuis, & colata (quod Gal. docuit) apparet? C Videtur ex permixtione illius, quæ tranſit per obſtructum renem; ſicut paulò poſt, fit tota turbida & ſabuloſa.

Ad quintum. Si eadem ferè eſt arenarum, ac lapidis materia, & efficiens cauſa, & in creatione lapidis ſimul arenæ creantur, quin & ipſæ paruo momento in lapidem concreſcunt: quid mirum ſi ex arenis cum vrina excretis lapidis ſuſpicio habeatur? & certiſſimum ſignum, ſi tenuis vrina, dolor, & alia calculi ſigna præceſſerint, vel adſint, etiam ex Auic. 18. 3. *tract.* 2. *cap.* 17. quòd ſi nec adſunt, nec præceſſerunt, & crebra fit arenarum expulſio, iungitúrque bonus habitus corporis, ſignificatur non aceruari lapidem, ex rationibus adductis, idque voluit Auicenna *cap.* 16. *citato.* Porrò licèt frequentes arenæ ita cum vrina exeuntes, calculi timorem auferant, tutiores tamen nos reddit vrina pura, indicans nihil alienum in renibus D contineri: quanquam fieri etiam poſſit, vt multa, lenta, & craſſa obtineant, quæ tamen præ imbecillitate nequeant excernere; quo in ſtatu magis timendum, quàm in arenoſo. Hic enim abſque aliis ſignis, ſolùm indicat in membro, vnde excernuntur arenæ, adeſſe paruam quandam lapidis aptitudinem, plerumque ſine ſucceſſu; ille maximam, & quæ ſæpè in lapidem commigrat.

Ad vltimum. Hippocrates *lib.* 1. *epidem. ſect.* 1. *text.* 6. apertè docuit, Nephriticis cùm cibo implentur, dolorem vehementer increſcere, minui per vomitum; idque ipſum affirmat Auicenna 18. 3. *loc. citat.* Contrà Auicenna 16. 3. *tract.* 3. *cap.* 10. hoc vnum connumerat, quòd *renalis dolor fit fortis hora vacuitatis, & colicus remittitur in ea, & fit fortis cùm ſumitur aliquid.* Quæ tamen ſententia monitionibus Hippocratis *lib. cit. epidem.* E perſpicuè opponi videtur, vbi renum dolores grauiores excitari, & intenſiores, dum cibo ægri replentur, palàm cum Galeno profitetur. Gentilis explicat, Auicennam loqui de vacuitate ventriculi, non inteſtinorum; ventriculo enim pleno, renes propter ſui diſtantiam nec grauantur, nec comprimuntur, ſaltem antequam repleantur inteſtina; quinimò accedente alimenti humiditate leniente, & laxante, tenſos illorum meatus leuari: grauari verò ac premi inteſtina diſtento ventriculo, ſatis manifeſtum eſt, priuſquàm ad ea deſcendat alimentum. Ac proinde nihil mirum, ſi protinùs aſſumpto cibo colicus dolor exacerbatur: ſicut & renalis repletis iam inteſtinis, plena enim neceſſariò grauant, comprimúntque renes, qui per peritonæum craſſo inteſtino copulantur: & de inteſtinorum quidem repletione, intelligendum Hippocratem putat, cùm dixit, *acerbiùs dolere nephriticos, cùm implentur.* Sed quàm ſit à Galeno aliena interpretatio hæc, conſtat ex illius verbis *in com.* apertè enim ſcribit, veridicam eſſe Hipp. ſententiam in vtroque ſignificato cibi, ventriculi ſcilicet, & inteſtinorum: licèt à multitudine, & pondere excrementorum, hoc eſt cibi, & inteſtinorum magis ingraueſcat dolor, remittatur vacuatione; quod nec ſiluit Auicenna 18. *cit.* Ergo ſicut vterque affectus, copia ac repletione increſcit, ſed colicus magis: ita euacuatione & ſurſum & deorſum, vterque minuitur, inæqualiter tamen. Nam colicus integrè aliquando ſoluitur, fæcibus omninò vacuatis, quia cauſa penitùs aufertur: renalis autem, quanquam etiam aliquantulum leuari videatur, quatenus vomitu, aut deiectione minuitur compreſſio; nihilominus tamen etiam tempore inanitionis viget, quia per eam non excernitur lapis, qui eſt ſui doloris cauſa: id quod expreſſit Galenus 6. *epid. cit.* & *lib.* 6. *de loc. cit.* dicens: *clyſteribus non ſedari, ſed lapide excreto.* Atque ita hos auctores in amicitiam reduces, ſcilicet vt tantùm velint colicam repletione deteriùs acerbari; nephritidem verò etiam inanitione, quia adhuc fortis manet, quando illa alleuiatur. Hoc modo coarguendus eſt Matthæus Gradius *lib.* 9. *ad Almanſ. cap. de colica, tit. de ſignis demonſtratiuis,* qui gloriatus de expoſitione ſua, Gentilis modo reſpondet; quæ ſolutio, & veritati, & Galenicæ (vt vidiſti) opponitur ſententiæ.

Iungit verò Hipp. *loc. cit. epidem.* aliud ſignum, nempè ſtuporem cruris è directo affecti renis, ſcilicet propter rectitudinem, & communitatem vaſorum cum renibus, & cruribus. Cùm enim vena & arteria, à caua, & magna arteria deſcendentes, ad renes accedant, ab his rurſus per femora ad crura progrediantur, rene aliquo lapidem habente, crus è regione poſitum (quin & dorſum, & lumbi, quibus priuſquàm vaſa illa deſcendant, inferuntur) neceſſariò ob conſenſum afficietur; & torpore quidem, ſeu ſentiendi & mouendi difficultate, quia quando in rene generatur lapis, trunci illi à caua, & arteria deſcendentes, ſingulis renibus, teſtibus, & cruribus communes replentur, ſimul & germina quæ ad crus deferuntur; plenis verò & tumentibus vaſis, iuxta poſiti comprimuntur nerui, quibus compreſſis, vis & ſpiritus animales ſaltem liberè ad crura non tranſmittuntur, & inducitur illa ſenſuum & motuum impotentia, quam ſtuporem appellamus.

Addunt, quòd è directo affecti renis retrahitur teſtis. Ratio eſt in promptu: nam renum vaſa cum teſtibus etiam communicant: quoniam vena ad inferiora delata tripliciter diuiditur: vnus enim ramus tendit ad renes, alius ad teſtes & vaſa ſeminalia, tertius ad crus; quare ſicut ad plenitudinem venæ cruris ſequitur ſtupor, ita etiam & contractio teſtis, ad repletionem rami, qui ad teſtem deſcendit; nimirum quia vena repleta tumet, tumens autem cùm ad latera extendatur, penes longitudinem abbreuiatur, & contrahitur; ſimúlque contrahit & abbreuiat membrum cui inferitur, perinde ac contractus neruus. Si verò pro horum ſignorum diſtinctione, plura inter tantos legere concupiſcis, lege Carrerium *cap.* 3. *ad libros de locis affect. diſput.* 62. Caſtrenſem *lib.* 2. *de meteor. microcoſmi, cap. vltim.*

Obſeruatio XV.

Dolori nephritico, fonticulus in crure vtiliſſimus.

DVm hunc conſenſum inter renes, & crura contéplor, non poſſum non mirari excellentiſſimos Medicos, qui pro præſeruatione à lapide renum, cauteria cruribus affigenda non curant, vt ſpirét renes igneo calore affecti, ſuáque excreméta per venas in crura deponãt: quo auxilio multos à ſæuo cruciatu nephritico leuaui, qui innumeris

præ

præſidiis conualeſcere haud poterant. Cuius auxilij ope, plures in longius tempus, non tam diris doloribus concuſſi, vitam produxerunt. Alij, quum recens eſſet malum, ex toto curati. Quidam, cùm miſerrimè immani dolore paſſim eſſent excarnificati, & illis diu eſſet vrina ſuppreſſa, hoc ſalutari auxilio, ab hoc tyranno morbo aliqualiter immunes ſunt facti: nam in poſterum per longiora interualla, minores lapides, & cum maiori facilitate excernebant. De cauteriorum vtilitate mira, conſule Thomam Fienum *prop. lib. de cauteriis*, quem Hermannus Follinus, Medicus doctus in compendium redegit.

DVBIVM LVII.

Num pituita vitrea in corpore gigni poſſit.

SEd meretur admirationem, quo pacto ex alimento, in ventriculo, & in calidiſſima iecoris officina concocto, tam frigidus humor generari poterit; & vnde tantam frigiditatem acquiſiuerit, vt neque intra corpus ad tactû notabiliter calidum aliquantulum calefieret; nec auxiliis calidis intrò, extráque applicitis; nec motu, ex violentia caliditatem reciperet. Nam ſi frigidiſſima aqua in cacabum immiſſa, ignis calore protinùs calefit, cur longiſſimo tempore humoris frigiditas, à calore continentis loci aliqua ex parte non fuerit diminuta, ita vt calidus prodierit, dignum eſt ſpeculatione.

Deinde, ſi aſſerente Galeno 6. *epid. ſect.* 5. *com.* 27. cibi, potúſque viuente animali à frigore gelari non poſſunt, vt alia frigore concreta repræſentent, cur vitream pituitam in corpore, vigente calore interno oriri affirmabimus? Sed præſtat fidem adhibere Galen. eam in corpore gigni aſſerenti: *in lib.* enim 2. *de feb. dif.* 6. epialam febrim ab ea generari aſſeuerat. Cùm enim frigidiſſima ſit omnium, quæ in corpore reperiuntur, ex Galen. *lib.* 1. *prorrhetic. ſect.* 1. *com.* 35. & craſſiſſima, tenaciſſiméque ob viſciditatem partibus impacta, difficulter putreſcat & accendatur; qua de cauſa, epiala correpti vnà rigent & febriunt, & adeò contumaciſſima eſt, vt per ſentientes partes deleta, ſine febri rigores progignat, ſic vt vel ex vehementi motu calorem non contrahat?

Hoc ita eſſe, proprio experimento comprobauit Gal. *lib. de rigore, c.* 7. illius iuuenis, qui rigore ſine febri ab ea ſuborto correptus, calidis auxiliis ſanitatem recepit. Poſſe autem dari rigorem ſine febri, conſtat ex Hip. *lib.* 1. *epidem. ſect.* 3. *text.* 22. *in hiſtoria vxoris Epicratis*, & *lib. prorrhet. ſect.* 2. *text.* 31. & Gal. *lib. de inæqual. intemp. c.* 8. *&* *lib. de dif. morb. c.* 5. Auic. 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 6. *in med.* Raſio 30. *contivent. tract.* 1. *cap.* 1. Iacobo de Partib. *in com. cit. c. Auic.* Simone Simonio *lib. de humoral. feb. natur. c.* 6. Valleſio *lib.* 5. *controu.* 17. *in fin.* quem à craſſo ſucco, vel vitreo humore generari, citati auctores conteſtantur.

De hac intelligendus eſt Gal. *lib.* 4. *de ſanit. tuend. cap.* 4. cùm ſic ait. *Neque verò huic lentor ineſt: nam is ſi adſit, Praxagoras eiuſmodi ſuccum vitreum appellat, egregiè quidem frigidum*: & *lib. de atra bile, cap.* 2. viſcidiſſimum eſſe apertè refert. Hæc pituita potiùs albuminea dici debet, quia oui albuminis conſiſtentiam, colorem, & facultatem repræſentat; quam in corpore generari teſtis eſt locupletiſſimus Auic. 1. 1. *doct.* 4. *cap.* 2. §. *Et eſt ſpecies phlegmatis vitrei, groſſi, vitreo liquefacto ſimilis, in ſui viſcoſitate, & ponderoſitate, &c.* explicat Gentil. luculenter *in com.* Sequuntur Halyabbas *lib.* 1. *theoric.* 25. Thom. à Veiga *in com. c.* 6. Gal. *lib.* 2. *de dif. feb.* Fernel. *lib.* 6. *phyſiolog. cap.* 9. Chryſtoph. à Vega *l.* 1. *art. medic. ſect.* 1. *c.* 2. Mercat. *tom.* 1. *claſ.* 3. *quæſt.* 75. *art.* 4. Valleſ. 1. *cont.* 21. Peramat. Segarra, Carrerius, Antonius Ponçius, qui nuperrimè *fen.* 1. *lib.* 1. elegantiſſimis quæſtionibus illuſtrarunt.

Hæc ergo pituitæ ſpecies cæteris frigidior eſt, & craſſioris ſubſtantiæ eſſe cenſetur. Si verò pituitam acidam, quòd à validiſſimo frigore fiat, inter omnes pituitæ non naturalis ſpecies frigidiſſimam facit *lib.* 4. *aph.* 12. *&* 3. *eiuſd. com.* 2. cùm *cit. lib. de feb. dif.* pituitam vitream longè frigidiorem eſſe acidâ aſſeueret: Reſpondet Montan. *part.* 1. *ſuæ medicin. c. de generat. pituitæ, tit. de viſione phlegmatis*, vitream ibi cæteris facere frigidiorem, ſi iſta vitrea ſit acida: nam ſi talis ſit, & craſſior reddita, certum eſt, quòd frigidior etiam ſit, quàm pituita acida abſolutè.

Adde tu, cum Ioan. Brauo *lib.* 1. *de purg. rat. cap.* 13. vitream omnium frigidiſſimam, & craſſiſſimam eſſe, & mora longa in nobis craſſiorem, & viſcidiorem euadere; nam hæc nota nulli alteri, quàm vitreæ conuenit, ex Gal. *lib.* 4. *de ſanit. cap.* 4. & hæc eſt cauſa (inquit ipſe) quare licet humores in ſuperpurgationibus tenuitatis ratione educantur, ita vt poſt bilem, pituitas, & poſtea atra bilis exeat, ex Gal. *lib.* 1. *de natur. hum. com.* 9. tamen hæc ex Hip. *lib.* 1. *eiuſd. oper. text.* 2. in ſuperpurgationibus poſt melancholicum humorem in deiectionibus apparet: cùm enim hæc ob ſui craſſitiem, & viſciditatem nimiam, vehementer meatibus, quibus firmiter adhæret, ſit impacta, in ſuperpurgationibus poſt atram bilem excernitur.

B Porrò in ſtatu naturali non poteſt tanta adeſſe frigiditas, quæ ſit huius generationis auctor: poteſt tamen in ſtatu præternaturali reperiri remiſſus calor, à quo valdè refracto & debili originem ducat; præſertim in partibus natura ſua frigidis, in quibus pituitoſa excrementa & viſcida collecta, quantò magis immorantur in corpore, tantò plus, abſumptis à calore noſtro tenuibus eorum partibus, fiunt frigidiora, quæ in partibus, in quas deciđunt, grauiſſimos concitant dolores. Neque mireris: nam ſudor, & humor in corpore acutè febriente manant actu frigida, 4. *aph.* 37. ſentiens enim natura hæc vt incoctilia, ab eorum coctione ſe diuertit: cúmque non agitantur à natura, reſoluta parte ignea, in diēs redduntur frigidiora. Lege de argumento hoc, Holler. interpretem *l.* 1. *de morb. internis, c. de colico dolore*, & Mercat. *lib. conſult.* 17. *in med.*

C

HISTOR. XCV. GALENI,

De colico dolore.

Ruſticus colico dolore correptus, allij eſu ſanatur.

VIdimus namque ex agreſtibus operariis quempiam, qui vbi coli dolorē ſenſit, protinùs ſe cinxit, cùm cingi anteà non ſoleret. Comedit autem cum pane allium, nullum dimittens conſuetum opus; nec toto die quicquam bibit, ſed veſperi meracius ab his, & tota nocte dormiuit, & manè ab omni dolore planè liber ſurrexit, &c. Galenus lib. 12. meth. cap.

D vltimo.

PARAPHRASIS.

AD colicum dolorem propulſandum, ex frigidis humoribus, flatúque ſubortum, præfert inter cætera allium, quo aſſumpto ruſticum ab eo immunem euaſiſſe refert. Cùm ergo hic dolore premeretur immani, ventriculum cinxit, hoc eſt, operimentis muniuit, ne fortè ab ambiente læderetur. Cùm enim agreſtes homines laboribus dediti, frigori citra ordinem exponantur, immò defeſſi laboribus, madentéſque aërem frigidiſſimum tum inſpiratione, tum tranſpiratione attrahant, facillimè viſcera refrigerantur illis, & ſubortis flatibus dolore ſæpiſſimè tentantur. Hoc explicat ipſe, per verbum [*cùm cingi*

E *antea non ſoleret.*]

Poſt hæc comedit cum pane allium; hoc enim cum illo aſſumptum à natura meliùs amplexatur, & maiori temporis ſpatio cum ipſo commixtum, in ventriculo retinetur: & vt humores attenuarentur crudi, flatúſque diſſoluerentur, laborauit, hoc eſt, nullum dimiſit conſuetum opus; ſic enim motu, caloréque adaucto, exercitij ope incaleſcit corpus, ſucci coquuntur frigidiores, ventriculus robuſtior fit, & pituita viſcida, tenáxque in probum ſanguinem conuertitur: nec quicquam bibit, vt potus abſtinentia, qui ſuapte natura incrudat, ſiccarentur humores & abſumerentur magis.

Accepit tamen merum, hoc eſt, vini ſynceríoris potum,

& ſine aqua permixtum : hoc ita fecit, an quia antiquiſſimis ſæculis in vſu fuit meracum bibere, vt refert Athenæus *lib.* 10. ex Herodoto ? minimè quidem, ſed vt hoc antiquo, & impermixto vino promptiùs flatus diſſolueret, humiditatem abſumeret, excalfaceret, exſiccaret, crudos ſuccos coqueret, & lentos humores inteſtinorum inuolucris hærentes incideret, naturámque ad excernendos flatus roboraret, quæ pituitoſum humorem in ſui alimoniam poſteà conuertit, & maximè accedente ſomno, quem ſemicrudos concoquere humores à Gal. millies eſt decantatum. Nam allium calorificum ſuccum generat: quoniam Ariſtoph. *in veteri comœdia*, cùm vehementiore hominem ingenio, ac ferociore, & ad pugnandum promptiſſimum deſcribit, appellat alliatum, ſeu allis paſtum. Allij enim eſus ferociam excitat, iras acuit, incendit, inflammat.

Aduerte hic Galenum de allio crudo intelligendum: ſi namque elixum fuerit parum, adeò vt acrimoniam deponat, ex Galen. *lib.2.de alim.facult.*71. vires imbecilliores ex ſe oſtendit. Licèt enim hoc, quà alimentum, ſucci ſit praui, inflammet, & caput tentet, tamen quà medicamentum, mirum in modum craſſos humores attenuat, & cùm ſit calidum & ſiccum verſus quartum, ex Auic. *l.2.tract.2.cap.*77. lentos incidit, digerit, obſtructiones aperit, flatus diſcutit. Si verò Hip. *lib.4.acut.*90. flatum parere affirmat, de viridi interpretandus; præterquam quòd contra auctoris huius libri mentem Galen. *in com.* non flatuoſum eſſe affirmat, cùm exſiccet & calefaciat vehementer: nam ſi eleuat flatus, ipſos deinde abſumit. Hoc apertè docuit Gal. *cap.vlt.lib.12.meth* §. *Idem omnium planè eduliorum maximè flatum diſcutit*, *&c.* cuius vires lecto poëmate ad viuum expreſſit Petrus Lopius *in lib.de ſex rebus non naturalibus, cap. de allio.* Quapropter *ad colicum dolorem curandũ, & in ſedando dolores à flatu ſubortos, allio ineſt proprietas bona*, vt docuit Auic. 16.3.*tract.4.cap.*14. Agricolis enim, nautis, immò Thracibus, Gallis, frigidáſque regiones colentibus vt Galenus ait, accommodatiſſimum, cuius vires inter tantos decantant Chriſtoph. à Vega *lib.2. artis med. ſect.3.cap.*8. Balthazar Piſanellus *l. de eſculent. & poculentor.facult.tit.de allio*, & non ſiluit ingenioſiſſimus Ludouic. Nonnius *lib.1. de re cibar. cap.* 19. quas eleganti carmine deſcripſit Caſtor Durantes doctiſſimus *in ſuo herbario, fol.10.tit.A*, dum ſic ait.

Allia calfaciunt, ſiccántque, vináque vincunt,
Viſum hebetant, eadémque ſolent tum lædere cruda
Ventriculum, lotiúmque trahunt, menséſque, ſecundúſque,
Humores craſſos tenuant, lentóſque: vetuſtæ
Sunt tuſſi auxilio, preſeruant peſte, dolores
Perſanant dentum, ſi ſtent intra ora retenta.
Allium alopecias replet: coliquę dolores,
Hydropicóſque iuuat, coctus, & vota miniſtrat.
Vermiculos, lendéſque necat, vocem expedit, ipſi
Splendorem reddens, ſerpentum deinde medetur
Ictibus impoſitum, liuentibus atque colorem
Reſtituit, delet tum ſugillata, leuátque
Id renum vitia, tineas & ventris id aufert,
Concoquit, obſonium plebique videtur honeſtum,
Dicitur idcirco theriaca id ruſtica: acutus
Eſt cibus, atque malum ſuccum gerit, atque miniſtrat.
Guſtantémque ferunt illud ſerpentis ab ictu.
Nil noxæ attrahere, nil ex hauſtúque veneni.

Allij mirabilem facultatem aduerſus vermes non inuenuſta hiſtoria confirmauit Ioan. Hebenſtreit *libel. de peſte*, & refert Sebaſtian. Meyerus *ſect.2.ſecretor.medicinal. cap.*12. dum vermem poſt diſſectum cadauer cordi adhærescentem, viuum, in circulum ex allij ſucco in menſa figuratum, coniectum, ex allij nidore emortuum aſſeuerat. Aduerſus viperam, & hæmorrhoï ſerpentis morſus in potu vtile eſt, ex Dioſcorid. *lib.2. cap.*141. vel cibo vel illitu, vt proprio experimento firmat Amat. *lib.1.centur.*1. Demum venenis ita eſt aduerſum, vt eius ſuccus epotus, à venenatis morbis præſeruare poſſit, vt auctor eſt Æmilius Macer.

Hæc ideò miſcere cibis meſſoribus eſt mos,
Vt ſi fortè ſopor feſſos depreſſerit artus,
Anguibus à nocuis tuti requieſcere poſſint.

Dicitur autem theriaca ruſticorum, quoniam ſicut illa à veneno aſſumentes præſeruat, ſic hos allium à frigidis morbis immunes reddit, vt inquit Cælius Rhodig. *lib.4. c.14.lect.antiq.in fin*, De cuius viribus admirandis, & medicamentariis facultatibus, lege Ruellium *lib.2.cap.*85.

HSTOR. XCVI. GALENI, De colico dolore.

Stercus lupinum, ad colici doloris præſeruationem, & curationem, vtiliſſimum.

AT lupinum ſtercus quidam colicis potandum dabat, non tantùm in ipſis paroxyſmis, ſed etiam interuallis, ſiquidem phlegmone vocarent. Quorum ego quoſdam vidi non ampliùs inuadi: qui erant inuaſi, non ampliùs id grauiter paſſos, ſed nec poſt paucum temporis. Accipiebat autem ille albidius ſtercus, quale vbi oſſa ederint, ſolent excernere. Verùm illud etiam in eo mirabar, quòd vel ſuſpenſum euidenter aliquoties iuuiſſet. Itaque hic ſtercus capiebat quod non decidiſſet in terram, id quod non erat inuentu difficile; ea enim eſt luporum natura, quæ canum, vt ſuſpenſo altero poſteriorum crurum, & meïant, & cacent in eminenti quopiam ex terra. Itaque in ſpinis ſæpè æſtate ſtercus lupinum reperitur, & fruticibus, vepribus, herbiſque procerioribus. Inuenitur porrò in ſtercore illorum, & nonnihil oſſium deuorati animalis, quod vt effugit commanſionem, ita & concoctionem: quod & ipſum contundens ac conterens, bibendum præbuit colicis: miſcebatque & ſalis quidpiam, aut piperis, aut quidpiam eiuſmodi. Vt plurimum autem ex vino albo conſiſtentiæ tenuis bibendum præbebat: interim verò etiam ex aqua. Hoc ergo ſtercoris quod patientis ilibus applicandum dicebat, nos in ollula ad magnitudinem maximæ fabæ repoſitum quibuſdam ſuſpendimus, nec potuimus non mirari, quum plurimos ipſorũ videremus adiutos, &c. Galenus lib.10. de ſimpl.medicament. facult.tit.ſtercus lupinum.

PARAPHRASIS.

STercora omnia excalfacere & exſiccare, auctor ex Gal. *lib.10.ſimpl.* non eſt ergo mirum, ſi affectui frigido & humido eximiè conueniant. Sed cur potiùs luporum, quàm cæterorum animalium, pro hoc affectu præſeruando vel curando, potiſſimum celebretur, reſpondent plurimi hoc medicamentum ab occulta proprietate colico dolori auxiliari; de quorum numero ſunt Fernel. *l. 2. de abdit.*17. Fracaſt. *lib. 1. de morb. contag. cap.* 8. & alibi. Marcel. Donat. *lib.6.de hiſtor.medic.mirabil.cap.*3. quorum ſententiam ego quoque libenter amplector, nam & Gal. librum conſcribere pollicetur, de iis quæ ab occulta proprietate iuuare ſolent, & *lib.11.ſimpl.cap.de cancris fluuiatilibus*, hos rabiei, ab occculta & ſpecifica facultate prodeſſe aſſeuerat. Sic hepar lupi à tota ſpecie humanum iecur roborat, ex Auenzoar. *lib.2.theïz.tract.1.cap.*2.

Hac ergo de cauſa ſtercus lupinum, ſiue epotum, ſiue ſuper locum affectum alligatum, validum eſſe contra colicum dolorem auxilium, firmant Paulus *l.7.tit.de ſtercore*, & Auic. 16.3.*tract.4.cap.*14. per hæc verba. *Stercus autem adib, quod fit ex oſſibus quæ comedit, (& eius ſignum eſt vt ſit album, in quo color alius non permiſcetur, & propriè illud quod eiicit ſuper ſpinas) eſt res magis iuuatiua, & datur in potu in vico: aut in aqua mellis, aut lambitur in melle lambitionibus, poſtquam cum eo conficitur ſecundùm deſcriptionem: aut fit aromaticum cum ſale, & pipere, aut cum aliqua ſpecierum, & ſi inuenitur in ſtercore eius os ſicut eſt, eſt mirabile etiam. Et dicitur quòd eius ſuſpenſio eſt iuuatiua, & dictũ eſt quòd corpus inteſtini adib, quũ exiccatur, & teritur, eſt magis vltimum in iuuamento, quam ſtercus eius &c.*

Hoc auxilium à proprietate colicis auxiliari teſtantur Gentilis, & Iacob. de partibus *in com.* quod intelligas velim, dummodò phlegmone abſit, qua præſente, cane & angue peius fugiendum eſt; nam calefacit, & inflammat.

in

In colico verò dolore eſt ex vſu, qui à flatu, humoribúſque frigidis originem ducit, maximè ſi eius rei gratia miſceas piper, ſalem, & mel: nam præterquam quòd redditur ſic guſtui gratius, citiùs ad affectam partem vires ſuas communicat, & eò ampliùs, ſi in vino, aut aqua mellis diluatur. Hoc præſidio ſæpiſſimè vſum Amatum, pro colico dolore cum vtilitate ſumma, legimus apud ipſum *lib.3. centur.12. & lib.2. in Dioſcorid. c.75.* approbant omnes qui de colico dolore ſcripſerunt. Hollerius *lib.1. de morb. intern. c.39.* Mercat. *lib.3. de morb. internis, cap.15. in fin.* Michaël Ioan. Paſchal. *lib.1. meth. curand. morbos, c.40.* Chriſtoph. à Vega *lib.3. art. medic. ſect.7. cap.16.* Vidus Vidius *lib.9. de curat. membrat. c.26.* & alij: qui omnes hoc remedio vtuntur, tam epotó, ſuſpenſo, ſuper partem affectam ligato, & emplaſtri modo cum aliis medicamentis admoto, quàm per clyſteres iniecto: De cuius exhibendi multiplici forma, lege per otium Conradum Geſnerum *tom.3. de quadrupedibus, tit. de lupo, num.48. lit. O.*

HIST. XCVII. SCRIB. LARGI,
De dolore iliaco.

Iliacus dolor clyſtere ex oleo, priùs ruta & aphronitro decocto, parato ſanatur.

ITem in oleo domeſtico incoquere rutam quàm plurimam, & hinc admiſcere aphronitriti ſeſcunciam, & ita per clyſteria immittere. Hoc ego tam ſtercus per os deiicientem (quod ſi non mortiferum eſt) ſanaui vnguentarij cuiuſdam ſeruum. Eſt autem vitium ileos periculoſiſſimum, & ideò inter præcipua refertur, &c. Scribonius Largus lib. de compoſ. medicamentor. compoſit. 118.

PARAPHRASIS.

PLurimum debemus Petro Salio Diuerſo, Medico in artis operibus exercitatiſſimo, quem ætas noſtra, & venerari, & admirari debet, qui peculiari *libello, de affectibus particularibus, ab aliis ordinarius practicis non exhibitis, c.11.* huic affectui, quem ileon Medicorum ſchola vocare conſueuit, dicauit; quo loco de eius cauſa, ſignis, & curatione, eleganti methodo ex veterum penu, inter omnes mira deſcripſit, in quibus explicandis ieiuna veluti erat lectio auctorum. Eſt enim ileos ſuperfluitatum cibi, quæ per inferiorem aluum excernuntur, retentio, ex Gal. *3. aph.2.* alij nuncupant iliacam paſſionem, Chordapſum, & voluulum. Huius affectus rationem conſiſtere in obſtructione inteſtinorum, ita vt nihil deorſum expelli poſſit, *7. aph.10. & 3. de facult. naturalib.10.* monuit Gal.

Obſtructionis multiplicem cauſam agnoſcunt omnes tumores præter naturam, ſtercus induratum, flatum, mucoſam, viſcidámque pituitam, veneni potum, & demum omnia, quæ attenuando, exſiccando, coarctando, opplendo obſtruunt. Eſt affectio grauiſſimos dolores inferens, ex Paulo *lib.3. cap.44.* Aëtio, & aliis. Nam autem hic, colico dolore vehementior fit, agitat Altimarus *lib. de medend. morb. cap.80.* In voluulo nihil exit inferiùs, nec ſi acerrimo vtaris clyſteri, ex Gal. *lib.6. aph.44. & lib.7. com.10. & 3. de cauſ. ſymp.2. in med.* In eo vomitus non adeſt ſemper, & ſi exitialis fuerit ileos; ſtercus quoque vomitur, vt *loc. cit.* docebat Galenus.

Pars affecta, licèt à Gal. conſtituatur, quòd ſint tenuia graciliáve inteſtina, non autem craſſa, vt ex ſuperioribus locis ſatis patere arbitror; in craſſis poſſe hanc affectionem conſiſtere, defendunt Petrus Salius *loc. cit.* Mercat. *lib.3. de morb. intern. c.16.* Carrerius *diſp.56. ad libros de locis affectis,* Mercurial. *in com. hiſtor.23. ad libros epid.* Hoc ita eſſe confirmat hiſtoria Fernel. *lib.6. patholog. c.9.* nam inteſtina ex copia pituitæ obſtructa, ileon, & omnimodam fæcum retentionem induxerunt: diſſecto enim corpore inuentum eſt colon ipſum, non inteſtina tenuia, hac ma-

A teria oppletum, & obſtructum: non eſt ergo negandum in ileo poſſe, & tenuia, & craſſa affici inteſtina, præcipuéque colon. Hoc ipſum aſſeruit Gal. *lib.3. epid. ſect.2. com.9.* in hiſtoria mulieris, quæ apud Tiſamenum decumbebat, cui voluulus cum moleſtia excitatus eſt. Sic enim ait Galen. *Et cùm ſit periculoſus omnis voluulus, qui in ſublimibus inteſtinis conſiſtunt, iis qui in craſſis, ſunt deteriores, vt qui contagio iecur afficiant, & lienem, &c.* Licèt Scholiaſtes Paſchalij hunc locum interpretetur, ita vt Gal. de craſſiore parte inteſtini tenuis, quæ craſſo inteſtino adhæret, ſit intelligendus. Si verò hunc auctorem cum aliis concordem facere intendas, dic Gal. intelligendum eſſe de frequenti euentu, cùm rarò accidat, vt in craſſis ileos conſiſtat, nam rara non tollunt veritatem problematum Medicorum.

B Ileos accidit ex omnibus cauſis, ex quibus accidit colica, ſicque oportet, *vt reditio fiat cum cauſis ſuis, & accidentibus, & cura, curatione ad illud, quod dictum eſt in capitulo colicæ,* vt ſcitè monebat Auicen. 16.3. *tract.4. c.29. in initio.* Cùm verò hic affectus à flatuoſa ſubſtantia contorquente inteſtinum, anfractus, & ſinus vehementer diſtendente habuerit ortum, meritò calidis perſanandum eſſe iudicauit. Inter quæ potiſſimum enumerat enema, emolliens fæces induratas, flatus diſcutiens, & inteſtina calefaciens, paratum ex oleo oliuarum (ſi enim *domeſticum* intelligo) in quo ruta, & aphronitrum priùs ferbuerint.

Oleum mollificare humiditate ſua pinguioſa, ſtercora dura, ambigit nemo, quapropter Hip. *lib.3. de morb. n.15.* emollientia pro hoc affectu curando parat ex malua, capite caſtrati, ptiſſana, & iuribus pinguibus. Deinde lenit C dolores ſua miti ſubſtantia, & facultate anodyna. Illicò enim in hoc affectu mitigare dolorem eſt opus, tantò citiùs, quantò colico eſt grauior & periculoſior, nam inteſtina gracilia & tenuia acrioris ſunt ſenſus, & propinqua partibus præcipuis, hepati, lieni, fundo ventriculi, & ſepto tranſuerſo.

Cum ergo à crudo, craſsóve flatu ortum duxerit morbus, in oleo decoxit rutam, & aphronitrum, quæ ſunt medicamenta diſcutiendis flatibus potentiſſima, vt ſic ex clyſtere facto, tunc flatus reſoluerentur, fæcéſque retentæ expellerentur. Ruta enim, & præſertim ſi ſit ſylueſtris, ex Dioſcorid. *lib.3. c.48.* vrit, exulcerat, vrinas pellit, flatus diſcutit, ex Gal. *lib.7. ſimpl. tit. de ruta, & lib.8. eiuſd. eodem tit.* Auic. *lib.2. tract.2. cap.598.* Nam agreſtis quarto ordine excalefacit, domeſtica verò in tertio: quare craſſos D digerit ſuccos, lentos humores attenuat, & cùm ſit tenuiū partium, flatus abſumit, cùm digerat, & ſtrenuè exſiccet. Cùm igitur intruſo ſpiritu flatus mouentur, & cruciatus excitantur, tunc rutam præaſſumere, aut medicamentum ex ea paratum, ſaluberrimum eſt conſilium: nam ſuapte vi excalefactoria, vaſa relaxat, & ſic incluſus ſpiritus facilè per patentiores anguſtias euadit. De rutæ ad alios vſus, præcipuéque ad peſtem, aut lethalia venena vi mirabili, lege Ruellium *lib.3. de natur. ſtirp. c.28.* & Dioſcorid. interpretes *loc. cit.* In eandem vtilitatem iniecit aphronitrū, quum ad nitri facultatem accedat, ex Galen. *lib.9. de ſimpl. medic. facult. c. de nitro.* Nam craſſos, & lentos ſuccos ſecat, & extenuat: at nunquam deuorandum, niſi grauis vrgeat neceſſitas, cùm ſit ſtomacho noxium, & nitro potentiùs incidat, & valenter detergeat, ex Gal. *in eodem lib. tit.* E *de aphronitro.* Huius ergo enematis efficacia, æger, fæces per conſueta loca, abſumptis flatibus diſtendentibus, & inteſtina contorquentibus, expellens, à periculoſo morbo curatus eſt: quem eſſe lethalem, dubitari haud poteſt; quoniam ab eo pauci euadunt: nam miſerabiliter ſtercus per os reddentes, citò occumbunt, vt Auicen. 16. 3. *tract.4. cap.30.* præſertim ſi ſudor emanet fœtidus, reſpiratio adſit fœtida, & ructus, crepitúſque fœtidiſſimi excernantur.

Sed mirari licet, auctorem in morbo tam ſæuo non conſuluiſſe vehementiora auxilia, cùm *vehementi malo non poſſit niſi vehemens auxilium ſuccurrere,* monente Celſo *lib.2. c.11.* At cùm huic ſuccubuiſſet affectus, potentiora tentare opus non fuit: nam ſi per initia morbi etiam in præſentia

præſentia doloris viri, violentiora auxilia, corpore exiſtente impuro adminiſtres, confluentibus humoribus ad locum dolentem poſitum in parte decliui, geminatur dolor, & ampliùs inualeſcit.

Obſeruatio XVI.

Ad deſperatum voluulum, optimum enema.

EX omnibus præſidiis ad hunc mortiferum morbum neceſſariis, nullum hoc eſt præſtantius. Cùm enim quinam ex pyrorum crudorum ingurgitatione multa, in voluuloſum affectum incidiſſet, & obturatis inteſtinis fæces diu excernere non poſſet, immò fœdis vomitibus cruciaretur, & contumax morbus pluribus celebratis præſidiis non ſuccumberet, ad hoc enema acceſſi cum vtilitate ſumma. Cùm enim flatus nebuloſus, & craſſus in inteſtinis pertinaciter eſſet impactus, exitúmque ob ſtercora indurata non haberet, neceſſe priùs fuit hæc emollire iniecto clyſtere, cuius vi excrementa ſicca, & tetrorida excreuit. Deinde alterum curaui iniiciendum, ad abſumendos flatus potentiſſimum. Paratur ex aqua vitæ, vrina pueri impubis, generoſo vino, vncia Balſami, in quibus priùs decoquantur aniſum, ſtercus capræ, ſemen fœniculi, dauci cumini, & ſeſeleos, cum vnciis duabus olei rutacei, & drachma vna Caſtorei. Huius vi crepitus in magna copia excreuit, & à periculoſo morbo immunis euaſit.

Hippocrates iubet *lib. 3. de morb. num. 15. de curatione voluuli*, vt folle fabrili quo ignem accendimus, per imum ventrem inteſtina exſufflentur, vt impetu aëris inteſtina redeant ad priſtinam naturam, & ipſa ſtercore obſtructa aperiantur, vt ſic ſubſit locus emollientibus clyſmis. Hoc auxilium feliciter expertus eſt Amatus *lib. 1. cent. vlt.* cui non multum fidit Petrus Salius *loco cit.* Attamen Trallianus admittit *lib. 10. cap. de curatione colici doloris, ex duri ſtercoris obſtructione*; quod auxilium fœliciſſimo experimento in deſperato voluulo eſſe primarium, appoſito exemplo firmaui *lib. 2. de praxi medic. admiranda, obſ. 35.* Si à flatu craſſo obturentur inteſtina, & fæces retineantur, vacuetur flatus enematis ingreſſum impediens, quare inſtrumentum clyſteris habeat fiſtulam duplicem, vt vna via penetret liquor, altera flatus foràs erumpat, vt monuit Paſchalius *lib. 1. de curand. morb. cap. 40.*

Narrat Marianus Sanctus *cap. de colico dolore*, multos ſe vidiſſe, qui in ileo deſperato, imminente morte, liberati ſunt hauſtis argenti viui in aqua calida libris tribus, pondere enim ſuo inteſtinum expedit, & euoluit, & obſtruentes fæces deorſum trudit: quod auxilium ſe etiam in colico dolore expertum fuiſſe refert, à quo deſumpſit Paræus *lib. 20. cap. 38.*

In eundem vſum conſulit Mercatus *lib. 3. de morb. intern. cap. 16. in fin.* limaturam chalybis deuorare in opiatæ formam redactam; nam difficilè iudicat flatuoſam ſubſtantiam grauitati chalybis poſſe reſiſtere: quare hoc præſtantiſſimum eſt præſidium, maximè ſi aliquod laborans poſſit efficere poſt chalybis potum, exercitium.

HIST. XCVIII. AVENZOARIS, De iliaco dolore.

Dolor iliacus à gelidæ potione ſubortus, calidis medicamentis curatur.

*ET recordor cùm eſſem iuuenis, quòd hæc ægritudo accidit cuidam ruſtico, qui poſt multum laborem in tempore calido biberat * aquam frigidam in magna quantitate: quare deuenit ad hoc quod non poterat fæces eiicere ab inteſtinis, & habebat dolorem tam fortem, quòd vix poterat ſuſtinere. Quare laboraui circa curam ipſius, & ſupplicaui à patre meo, vt mihi apertè dicere vellet curam iſtam; & ipſe tunc aperuit librum, & oſtendit verba Galeni, quæ iam ſuperius memorauimus, & legi in illo libro tandiu, donec cognoui illud quod ſuprà dixi, & laboraui in cura illius, donec fuit liberatus, &c. Auenzoar* lib. 2. Theïzir, tract. 1. cap. 2.

PARAPHRASIS.

INteſtina à pituita craſſa & lenta, craſſo flatu, fæcibus duris, inflammatione, & aliis obturari, ita vt animal ſtercus expellere non poſſit, veterum, & iuniorum ſcientiſſimi obſeruarunt. Raſius *lib. 9. continent.* ſe vidiſſe enarrat mulierem paralyticam, cuius venter conſtipatus eſt per menſem vnum, quam hiſtoriam vtpotè huic ſimillimam non appunximus. Scribit Nicolus *ſerm. 5. cap. 37. tract. 8.* ſe vidiſſe grauidam, quæ in primis menſibus, quadrageſimi quinti diei ſpatio, nullum habuit beneficium ventris. Holerius *in ſchol. cap. 40. lib. 1. de morb. internis,* ſe in duobus obſeruaſſe refert, fæces retineri, quoniam colon, qua parte vicinum eſt reni ſiniſtro, collecta veluti cartilagine dura, in ſcirrhum obduruerat, ita vt cauitate ex tumore intercepta, nihil tranſcurreret. Simile exemplum vidit Beniuen. *de abdit. 34.* in religioſa, quæ ob inteſtinum callo obductum, non niſi cum doloribus, & ægrè ſtercus reddebat. Immò ex craſſo humore, pituita lenta, caloris vi magis ac magis craſſeſcente, & obſtruente interdum obturari inteſtina, vt nihil omnino fæcis in aluum delabi poſſit, appoſitis hiſtoriis Fernelius docuit *lib. 6. patholog. cap. 8.*

Debilitari interdum virtutem expultricem inteſtinorum à frigida intemperie, & hanc à frigidæ copioſo potu intempeſtiuè concitari, hac hiſtoria firmat Auenzoar. & Gal. priùs aſſeruit *lib. 3. de cauſ. ſympt. cap. 2.* (hunc enim librum huius auctoris pater patefecit, qui Medicus fuit, vt conſtat ex ipſo *lib. 1. Theizir, tract. 11. cap. 2.*) maximè ſi ab exudantibus accipiatur, vt inquit Auic. *16. 3. tract. 4. cap. 29.* qui *plurimum iliaci doloris, eſſe ex complexione frigida* inculcat, *& propriè cùm accidit, vt ſtomachus ſit calidus valdè, tunc enim obtorquet inteſtinum, & oppilat ventoſitatem, & phlegma, & quandoque* (inquit ipſe) *eſt potus aquæ frigidæ non ſecundùm neceſſitatem eius, &c.* nam, vt Galen. dicebat *lib. 6. epid. ſect. 5. com. 27. excretiones calore prouocantur.* Si enim à frigidiſſimo ambiente, partibus quæ in ſede ſunt, frigeſcentibus, atque ideò contractis, indurantur fæces, & ſequitur conſtrictoria inteſtinorum actio ab inferioribus partibus incipiens, qua ſurſum verſus contenta expelluntur, vt *cit. loc.* ſcitè Magiſter edocuit: cor à frigidiſſimæ aquæ potu poſt validum exercitium, penetralia corporis calore natiuo deferente, & ad extremas partes adacto, ob validam frigiditatem, emortua veluti, & reſoluta expellente inteſtinorum facultate, idem ſymptoma non continget? ſi verum eſt inter iliaci doloris cauſas, ſenſum inteſtinorum obtuſum eſſe numerandum, vt paſſim auctores affirmant: obtundi autem à frigiditate, teſtis locupletiſſimus Aëtius *tetrab. 3. ſerm. 1. cap. 28.* nam à gelidæ potu intempeſtiuo, natiuo igne valdè debilitato, & ad externas ſedes expanſo, flatus plurimi, nebuloſi, & craſſi excitantur, qui interna obturare queunt. Sic ex frigido potu, in calido poſt exercitia corpore, ileon fuiſſe ſequutum vidit Iacchinus in quodam, qui diei ſpatio occubuit, *lib. 9. ad Almanſor. cap. 56.*

Cùm enim à frigida cauſa ileus eſſet concitatus; per calida auxilia eſſe debellandum, res eſt manifeſta. Quamobrem laborauit circa ipſius curam, calorifica applicando, quæ in eodem capite ipſe propoſuit, de quorum genere ſunt cinnamomum, maſtiche, eupatorium, glycyrrhiza, balſamum, ambarum, & cætera, ex quibus cum oleo antiquo nucum, & melle, parari poſſunt auxilia multiplici lege confecta, quæ inteſtina, hepárque à quo vis partium expultrix foueri ſolet roborare, & flatus diſſoluere nata ſunt: quibus ſecundùm rationem celebratis æger ſuperſtes euaſit.

At quæres, cur ab ileo hic ſanus remanſit, ſi hic affectus exitialis eſt, à quo vix quiſpiam liberari vnquam potuit, præſertim qui ſtercus euomere conſpicitur, auctore Galeno *lib. 6. de loc. affect. cap. 4. & lib. 6. aphoriſm. 44.* Dic, hoc quidem verum eſſe de lethalibus ileis, in quibus fæces per

per vomitum reiiciuntur, & adeſt abſoluta inteſtinorum obſtructio, quam cùm hic æger non pateretur, nil mirum ſi ex hoc periculoſo morbo ſaluus remanſerit; & maximè cùm ille à cauſa externa ortum duxerit, quæ cùm non inueniat apparatum morboſum in corpore, non ita lædit, ac ſi à cauſa interna ſcaturiat: nam tunc vehementiorem cauſam præſupponit. Dic ſecundò, lethale apud Galenum *lib.5.aph.com.2.* ſumi aliquando pro morbo, qui admodum crebrò, non tamen ex neceſſitate mortem inducit: quare ileos exitialis eſt morbus, licèt interdum, rarò tamen, ex eo homines ſaluari contingat.

Quæres ſecundò. Si iliacus morbus acutiſſimus eſt, ex Gal. *lib.3.epid. ſect.2. com.6.* & Theodoro Priſciano *lib.2. ad Timoth.cap.9.* quomodo tandiu durauit hic affectus, ita vt moram dederit inquirendi conſilium à patre ſuo, vt medicamenta præſcriberet huic morbo accommoda? Dic. Duplicem eſſe voluulum, alterum legitimum & exquiſitum, in quo adeſt omnimoda inteſtini obturatio, & ſic totale impedimentum adeſt deſcenſus excrementorum; & hic vel à ſtercoris indurati copia, vel tumore præter naturam oriri ſolet. Alterum ſpurium & nothum, in quo neque omninò via eſt intercluſa, neque excrementorum deſcenſus planè prohibetur; cuius cauſa eſt pituitoſus ſuccus, vel nebuloſus flatus. Hic per ſimilitudinem ileos appellandus, & diu perdurare poteſt, & ad plures dies protrahitur, vt *loc.cit.* Salius annotauit. Alius verò acutiſſimus eſt, ex inflammatione ſubortus, de quo intelligendus Gal. Et Celſus *lib.4.c.13.* non ſiluit, cum Paulo *lib.3.cap.44.*

Quæres tertiò. Si iliacus dolor à gelidæ intempeſtiuo potu, debilitata, & veluti mortificata virtute expulſiua ortum ducit, & calidis præſidiis curandus eſt, vt hoc loco firmat Auenzoar: cur ſtrangulatus, & dolores ab eadem cauſa pronatos frigidis auxiliis curandos eſſe aſſeuerant Dioſcorides, & Paulus? Eſt textus celebris apud Paulum *lib.5.c.vlt.* qui in hunc modum ſonat. *Aqua frigida ſubitò ac cumulatim pota, vinúmque meracius copioſum, dulce, præſertim à balneo, aut curſu, validiſque exercitiis, ſtrangulatus, & dolores concitat, in quibus ſanguinis miſſio protinus adhibita, & inanitio imminens periculum diſſoluit, &c.* Hanc ſententiam confirmat Dioſcorides *lib.6. c.33. ex verſione Ruellij.* Quare ſi ſubitus dolor à copioſa gelida ſubortus, calidis medicamentis tanquam contrariis curandus eſt, ineptè à Dioſcoride ſanguinis miſſio, quæ calidam ſubſtantiam, ſpiritum nempè & ſanguinem exhauriens, refrigerat ex Galen. 10.*meth.cap.10.* à Paulóque conſulitur. Pro quo dolore curando Auic. 6. 4. *tract.1. ſum. cap. vlt.* medicamen conſulit Diacurcuma, & de moſcho, quum à potu aquæ frigidæ in ieiunio, aut poſt balneum, aut coitum fuerit concitatus. Reſponde. Dolorem ex potu aquæ, aut vini copiosè hauſti poſt exercitium, & labores, nullo alio promptiùs præſidio, quàm venæ ſectione curari, vt diſertè idem protulit Auic. *cit.loc.ſum.2. cap.31.* Sic enim inflammatio ab illo concitata ſedatur, & interna viſcera ex illius potu flagrantia, & excandeſcentia, vacuato ſanguine nimis excalfacto attemperantur. Subitum verò dolorem, & incipientem, phlebotomia curandum eſſe docuere citati auctores, vt citiſſimè & ſine cunctatione, ob præceps periculum ſuffocationis, caloris natiui ruina & extinctio impediantur, vel imminentis inflammationis ex nimio dolore contrahendæ noxa auertatur, & ſimul cum ſanguine, qui in venis eſt, diuertatur aquoſitas, & reuocetur flatus; ne incidat in principes partes, doloríque augendo occaſionem præſtet. Quo tempore, hoc eſt, in initio doloris iliaci, ſi vocaretur auctor, non dubito quòd veſtigia Dioſcoridis ſequutus, ob vrgentem neceſſitatem reuulſionis cauſa venæ ſectionem exequeretur: quam excernendam non conſuluit, quoniam iam intemperies frigida erat facta, ratione cuius præſidia calefacientia erant ex vſu. Sic in initio palpitationis venæ ſectionem tantoperè commendat Gal. *lib.5. de loc. affect. cap.1.* & vel in ea quæ fit ex aqua in pericardio contenta: quod præſidium in priapiſmo eſſe optimum, tanquam reuellens & euacuans, firmat ipſe *lib.14. meth.cap.7.* quem affectum à flatu & debilitate caloris natiui generari, ibidem Gal. inculcat. Et licèt ſanguinis miſſio imbecillitet calorem, & ſic videatur nocere, maior vtilitas minore noxa eſt redimenda; hæc enim potiùs eligenda eſt, quàm mors, ex Galeno *12. meth.cap.1.*

Cùm ergo auctor noſter in principio vocatus non eſſet; quoniam æger erat ruſticus, qui homines diutius citra auxilium dolores perferre ſolent, idcircò calida remedia applicuit, maximè cùm facultas inteſtinorũm expulſiua ex frigida intemperie nimis iam eſſet labefactata; quo tempore omni ingenio calefacere, roborare inteſtina, fæcúmque retentarum excretionem promouere oportet: his enim præ mora coërcitis, & caloris vi indureſcentibus, corpus graueſcit, coctio ventriculi læditur, cerebrum tetro vapore concutitur, & ſic immedicabiles contingunt huius partis, ventriculique affectus. Et cùm inteſtina, nec pondus, nec acrimoniam (vt inquit Galen. *lib.3.de facult.naturalib.cap.13.*) tolerent excrementorum, hæc expellere quàm longiſſimè conantur: cúmque inferior via obſtructa ſit, ad ſuprà poſita inteſtina, & ad ventriculum extrudunt, hincque ſtercoris vomitus, ſingultus, frigidus ſudor, conuulſio, extremorum frigiditas, ſummus virium languor, morſque contingere ſolent, vt Auicenna 16.3. *tract.4. cap. 30. de retentione fæcum* aſſeuerat.

Quamobrem auxiliares manus mox adhibere oportet. Profunt calefacientia tam extrà, quàm intus aſſumpta, inunctiones, balnea, emplaſtra, clyſteres; fomenta quæ flatus carminandi, calefaciendi, roborandi inteſtina, vnáque mucoſam pituitam vacuandi facultate prædita ſint: quæ licèt non tam citam vtilitatem afferre poſſint; quoniam inteſtina paralyſi veluti ſunt affecta, tentanda tamen ſunt, & vel in deſperata ſalute omnia exequenda, præſertim præſagito mortis periculo; vt monebat Magiſter *lib.12. meth. cap.3.* Vnde extra olea apponenda ſunt calidiſſima, ſimiliáque, immò fortiora emplaſtra, quæ frequenter à Medicis pro curando colico dolore exerceri ſolent. Intus per os exhibentur vina generoſa, aqua vitæ, decoctiones, conſeruæ, antidota, theriaca, mithridatium, aquæ minerales, quæ ad tentandam excrementorum euacuationem non ſolùm per os propinantur, ſed per ſedem infunduntur. Clyſteres parantur ex vino, aqua vitæ, medicamentis carminantibus, quorum ſyluam multiplicem, *capite de iliaco dolore* auctores paſſim tradidere.

DVBIVM LVIII.

Num intempeſtiuus frigidæ potus nocere poſſit.

COMMENTARIVM.

A*Quam frigidam.*] Num intempeſtiuus frigidæ potus nocere poſſit, meritò in dubium vertendum. Nam vita ſtat per calorem, & calidis naturis aquæ potus ſalubrior eſt, apud Hip. *lib.6.epidem.ſect.4.text.15.* eiúſque frigidiſſimæ, ex Auic. *2.1. doct.2.cap.16.§. Aqua præterea temperata quantitatis frigida, ſanis melior eſt aquis omnibus, quoniam appetitum excitat, & ſtomachum fortem facit, &c.* Aquæ potum frigidum tempore ſanitatis eſſe commodiorem, res eſt manifeſta, & probat Ludou. Mercat. *lib.1. indicat. cap. 2.*

At nos hanc ſententiam libenter amplectimur, ſed intempeſtiuum frigidæ potum vehementer damnamus, à quo immedicabiles, repentinoſque morbos, immò & mortem fuiſſe ſubortam, auctores vnanimiter conteſtantur. Extat in primis elegans hiſtoria apud Hip. *lib.6.epid. ſect.8.text.39.* dum ſic inquit. *Abderis palæſtræ cuſtos, qui Stheneus vocabatur, multùm luctatus cũ alio fortiore, in caput cecidit: inde abiens aquam frigidam copiosè bibit, & tertio die mortuus eſt, &c.* Cùm enim caput fuiſſet colliſum, & ad ſuperas partes ob dolorem, & ad exteras ob validam luctam, ſanguis & ſpiritus confluerent, internáſque partes calore orbatas delererent, factum eſt, vt copioſa frigida ingeſta, extincto veluti & emortuo natiuo igne, mortem afferret ineuitabilem, quidquid non læſum fuiſſe hunc hominem à potu aquæ frigidæ *in com.* aſſeueret Valleſius;

ea

ea enim non malè bibitur à recenti caſu, quippe quæ tardat motum ſanguinis, prohibétque fluxiones fieri. Sed ſiniſtra eſt interpretatio hæc, quam Gal. coarguit *in com.* §. *Probabile eſt cùm ex ictu concuſſum eſſet cerebrum, magnam ei noxam eſſe ex aqua potu allatam: vnde vigiliæ, & moleſtiæ ſunt conſecutæ, & extremæ partes frigore correptæ ſunt, &c.* Nam vt Fuchſius notauit *in com.* etſi anteà, ob caſum in caput, cerebrum, aut ſaltem nerui læſi eſſent, tamen ſubſtantia iſta aquæ frigidæ potione, multò maiorem, quàm fuerat anteà, noxam effecit: cùm enim calidis fouendum eſſet caput, hic potiùs frigidam adhibuit, & eam copiosè ingeſſit, quæ quantam cerebro, aut neruis afferat noxam, oſtendit Hip. 5. *aph.* 18. Quæ verò poſt caſum commodiſſimè bibitur, in parua quantitate propinari debet, ob dictam cauſam: ſi enim in magna ebibatur, diſtracto ad partem dolentem calore, ſuperſtitem in internis partibus ignem mortificat.

In hunc ſenſum dicebat Auicen. 3.1. *doct.* 2. *cap.* 8. valdè nocere copioſæ aquæ frigidæ potum, præſertim ieiuno tempore, poſt exercitium, & balneum: adde coïtum, iram, aut aliquod validum animi pathema, & corporis motum, cuius cauſa internus calor intima corporis penetralia deſerat; quo tempore affatim gelida epota ipſum puſillum extinguit, & aliquando minuit, vnde hydrops, vel alius frigidus morbus oriri ſolet, vt Gal. *lib.* 5. *de loc. affect. cap.* 1. inculcat: & *lib. de ſalubri diæta, com.* 12. frigidam potionem poſt exercitationes valdè nocere refert, ni calida illicò ſuperbibatur. Auicen. *part.* 2. *canticor. num.* 31. non eſſe aſſumendam frigidam poſt fortem exercitationem aſſeruit; & retulit *lib. de remouendis nocumentis in regimine ſanitatis, tract.* 3. *cap.* 9. *de nocumento aquæ frigidæ in balneo:* & *cap.* 15. ſic ait. *Potare in balneo rem aliquam frigidam, ſicut aqua frigida, & ceruiſia, eſt timoroſum valdè. Quoniam res frigida quando peruenit ad ſtomachum in balneo, in quo iam poroſitates ſunt apertæ, & meatus ſunt rectificati, & aperti, ſubitò attrahitur ad hepar, & ad cor, quare infrigidantur ambo infrigidatione vehementi; aut debilitatur caliditas naturalis, & debilitantur omnia viſcera, & diſponuntur ad hydropiſim, &c.* & *tract. eodem, cap.* 27. potum aquæ ſuprà coïtum facere tremorem cordis, & debilitatem eius aſſeuerat.

Quid plura? nonne plurimis, iiſque lethalibus affectionibus tentantur homines, quum potum frigidiſſimum intempeſtiuè hauriunt? immò plurimos mortem ſubiiſſe apud fidiſſimos auctores ſcriptum inuenio. Narrat Lacuna *in com. cap.* 34. *lib.* 6. *in Dioſcorid.* magnatem quendam in medio pilæ ludo, hauſto frigidiſſimæ poculo, ſubitò extinctum fuiſſe. Refert Scaliger *exercit.* 32. *n.* 2. *in Cardan.* meliorem è meridiana tritura ſitibundum primo gelidæ hauſtu repentè occubuiſſe. Scribit Beniuenius *lib. de abdit. c.* 16. Antonium Parmenſem iuuenem admodum robuſtum, cùm ſub ſole feruentiſſimo pluribus diebus verſaretur, ardentiſſima febre correptum, vrgente ſiti, frigidiſſima aqua ebibita intra paucas horas obiiſſe: quam hiſtoriam commemorant etiam Nicol. *ſerm.* 7. *tract.* 4. *cap.* 35. Amat. 2. *centur.* 62. Mundel. *dialog.* 7. Ob quam cauſam affirmat Celſ. *lib.* 1. *cap.* 3. *gelidæ potionem ex itinere fatigatis eſſe inutilem, & ex labore ſudantibus pernicioſiſſimam.*

Cùm ergo ex gelida intempeſtiuè ſumpta, lethalia ſymptomata, extincto veluti calore natiuo contigerint, quid faciendum in agone tanto, perbellè docuit Auic. *lib. cit. de iis quæ accidunt in regimine ſanitatis, tract.* 3. *c.* 15. dum iis, antequam emoriatur internus ignis, vinum purum bibendum conſulit, cum Diamoſcho, Mithridatio, aut Diacurcuma permixtum, aut aromatis conditum; & cor, hepárque pannis calidis fouendum imperat: in quem vſum commodiſſimè ſuper cor, & ventriculum cucurbitulæ imponendæ, vt ex toto corporis habitu ſanguis, & ſpiritus ad has partes confluere queant: poſteà eas cardiacis medicamentis actu calidis roborare oportet, ne via vitalis flacceſcat, aut pereat.

HIST. XCIX. ORIBASII, De Lumbricis.

Auriculæ muris ſuccus, aduerſus aſcarides celebre auxilium.

AD lumbricos, qui aſcarides dicuntur, faciunt muria, vel centaurij decoctum, vel Abſinthij, vel Lupinorum, vel Aloës, vel Cedria cum alicuius decocto. Mihi verò vſu compertum eſt, Auriculæ muris ſuccum tridno potui datum ſæpenumerò quod opus erat, confeciſſe, datur ſextarij quarta pars, &c. Oribaſius lib. 1. Synopſeos, cap. 19.

PARAPHRASIS.

TRes eſſe lumbricorum differentias, latos, teretes, atque aſcarides, firmat Ariſtot. *lib.* 5. *de natur. animal. cap.* 19. approbarunt deinde Gal. 3. *aph. com.* 16. & *lib.* 4. *c.* 17. Paul. *lib.* 4. *cap.* 57. & cæteri Medicinæ Principes Græci id confirmant. Quomodo verò Hip. & Celſus *lib.* 4. *cap.* 17. duas ſolùm, & Auic. 1 6. 3. *tract.* 5. *c.* 2. quatuor conſtituerint, explicant diligenter Manard. *lib.* 4. *epiſt.* 2. Gabucin. *lib. de lumbric. cap.* 2. Mercurial. *lib.* 3. *de morb. pueror. cap.* 7. quo loco iſte auctor, pulchra docet ex antiquorum mente, & cur aſcarides, de quorum vermium curatione hîc diſputamus, frequentiùs in iumentis, quàm in hominibus generentur.

Sunt aſcarides beſtiolæ quædam, tipulas Latini vocant, quæ in pueris ferè, & vbicumque aqua ſe colligit terrena, ſubſidente concretione oriuntur: fit enim vt principio fæx ipſa putreſcens colorem candicantem trahat, mox nigricantem, poſtremò cruentum: talis quum fuerit, minutiſſima quædam, & rubra, ſpecie algulæ prodeunt, quæ ad tempus hærentia ſuæ origini mouentur, deinde abſoluuntur: itaque feruntur per aquam tipulæ nuncupatæ, quarum *loc. nuper. cit.* meminit Ariſtoteles. His ſimiles in ima ſede, hoc eſt, in extremo longanone procreatos vſitato nomine aſcarides nuncupamus, qui vehementem harum partium pruritum excitant, aſſiduam pariunt egerendi difficultatem, & inteſtina vellicant, non abſimiles iis qui in caſu, putridiſque carnibus minutili conſpiciuntur, & quales iumenta quum malè cibum concoquunt, excernunt: quarum prauam concoctionem fœtor indicat excrementorum, Galeno auctore *in com. cit. aph.* Quapropter & eorundem indicia ex graueolentia excrementorum potiſſimum ſumuntur: indicant enim hæc prauos aſſumptos cibos, ac eorundem corruptionem & frigiditatem, ex quibus ſpecies hæc lumbricorum generatur.

Licèt autem ex præcitatis auctoribus conſtet, inter omnes lumbricorum ſpecies minùs periculoſos eſſe aſcarides, tum quia tenues & exigui ſunt; tum quoniam generantur in loco à partibus principibus remotiſſimo, inteſtino inquam recto, craſſo, minimè omnium ſenſus participe & noxam ſentiente; & cum alui egeſtionibus facilè excernuntur; & medicamenta ſtatim ipſos attingunt: tamen horum non negligenda curatio eſt, nam vehementem pruritum inferentes, ad animæ quandoque defectionem ducunt, vt Paulus & Aëtius confirmarunt: aſſiduè enim commoti, animal continuò ſtimulant & exercent; quare ab his vexati, præcordiorum ac dorſi cruciatum perſentiſcunt. Qui ſi ſint viui, mortuis ſunt deteriores; quicquid hos eſſe illis periculoſiores contendant Arabes: quam litem diremit doctiſſimus Mercurialis *loc. cit. de morb. puer. cap.* 9. & poſteà explicuit Ioan. Brau. *in com. ſent.* 18. *lib.* 2. *prognoſt.* & de hac re nos *lib.* 2. *de praxi medica admiranda, obſeru.* 40. plura Laconicè perſtrinximus.

In aſcaridum curatione, vnum ſolùm aduertas quæſo, vt quoad potueris, medicamentis per ſedem iniectis eos interficias; quare acri muria infuſa, aut abſinthij decocto admixto necandi ſunt, vel centaurij decocto cum nitro, & melle. Infantes verò glandibus ex melle cum ſalis

momento

momento vacuari debent: & poſt excrementorum vacuationem, locus, id eſt, longanon illinendus ſimplicibus medicamentis amaris, adſtringentibus, acacia, rhois ſucco, alumine liquido; coacta enim ab adſtringentibus affecta pars roboratur, aptitudinémque ad animalculorum generationem amittit, atque aſcarides ipſos excludit. Demùm hæc omnia ab auctore propoſita amara ſunt, quæ per clyſteres iniecta ipſos interficiunt. Amara autem lumbricos enecare, teſtatur Gal. 14. *meth. vlt. cap.* Cur autem amara vermes interficiant, diximus ſuprà *in comment. Hiſtoriæ 66.*

Aſcaridum curationem validioribus egere medicamentis, quàm vllum aliud lumbricorum genus, *loc. ſuprà cit.* teſtatur Gal. & firmat Auic. 16. 3. *tract. 5. cap. 4. §. Et medicina quæ interficiunt aſcarides, fortiores ſunt eis, quæ interficiunt longos; & illæ quæ interficiunt aſcarides, & rotundos, interficiunt etiam longos: & cauſa in hoc eſt, quòd aſcarides ſunt remotiores ab eis, quæ bibuntur, & ſunt magis ſubmerſi in humiditatibus continentibus in eo, & quandoque ſunt in cyſti. Et quoniam ipſi ſunt generati à materia groſſa, & groſſiore, & ſpiſſiore, & propinquiore ad complexionem calidam, & magis ſimili ei quod eſt venenum: quare non patitur à ſuo ſimili, dum non ſuperfluat, &c.* Ex qua ſerie patere arbitror, cur aſcarides potentioribus egeant medicamentis: nam fiunt ex deteriori materia, fæculenta, & craſſa, ac veneno proxima; & longè abſunt ab ore, vel ventriculo, per quæ loca medicamenta ad lumbricos, vel necandos, vel educendos transferunt; & non niſi imbecillia ad eorum ſedem perueniunt. Vt igitur commodè interimantur, validiſſimis medicamentis vtendum eſt.

Inter plurima, quæ ab omnibus auctoribus, præſertimque à Gabucino *lib. de lumbric. cap. 23.* Mercurial. *lib. cit. cap. 10.* Mercat. *lib. 2. de puer. morb. c. 13.* Altimaro *lib. de curand. human. corp. malis, cap. 81.* Iacchino, Maſſaria, Rondelet. Paræo, & aliis proponuntur auxilia, tam per os aſſumpta, quàm per aluum indita, alia cenſentur calida, alia frigida; quorum medicamentorum numeroſam ſyluam Principes in ſuis libris deſcripſere. Oribaſius *hoc loco*, auriculæ muris ſuccum triduo potui datum ſæpenumerò vermes enecaſſe tradit. Huius ſuccum eſſe frigidum, lumbricóſque interficere, firmat Gabucinus *lib. cit. cap. 22.* Auricula muris duplex eſt, vtraque *myoſotis* vocatur; quædam *Alſine* nuncupatur, & à muribus nomen inuenit, quòd eorum auribus ſimilia habet folia, humilior eſt, & breuioribus foliis conſtat; refrigerandi vim habet, ex Dioſcoridis *lib. 2. cap. 175.* Alia verò muris auricula vocata, & quæ ab vna radice caules mittit rubentes, & concauos, de qua ſequenti capite Dioſcorides egit, & ſcolopendrio ſimilis eſt; hanc ordine tertio reficcare prodidit Galenus *lib. 4. de ſimpl. medicament. facult.*

De prima ſpecie loquutum fuiſſe auctorem, res eſt manifeſta; quam etiam à tota ſubſtantia vermes interficere, mihi perſuadeo: ſunt enim plurima quæ à proprietate lumbricos interimunt, vt affirmat Ioan. Michaël Paſchal. *lib. 1. de curand. morb. cap. 51.* nam cùm lumbricus ſit pars in corpore addita, toto genere præter naturam, & ſit auferenda; à medicamentis, quæ toto temperamento operantur, curari debet. Lumbrici enim cùm ſint animalia, habent ſua venena, corallum, cornu ceruinum lumbricos terreſtres, & ſimilia, ſolo experimento cognita, vt doctè aduertit Pereda *in com.*

HISTORIA C. PAVLI, De lumbricis.

A lumbricis quidam exeſi, conuulſi interierunt.

MVlti *ſiquidem nulla lumbricorum cura habita, exeſi ab ipſis ſunt, & conuulſi interierunt, &c. Paulus* lib. 4. cap. 53.

Lib. II.

PARAPHRASIS.

HAnc hiſtoriam Auic. recenſet, fortè ex Pauli mente, *ſen. 16. 3. tract. 5. cap. 2.* dum ſic ait. *Et iam retulerunt quidam, quod viderunt eos perforaſſe ventrem, & exiuiſſe ex eo, & illud apud me maximum eſt, &c.* Nec deſunt qui Pauli dictum veriſſimum eſſe, manifeſtis exemplis confirment. Narrat Hippocr. *lib. 7. epidem. num. 56. Dinij puerulo circa vmbilicum ſauciato, exigua fiſtula relicta, per hanc exiiſſe aliquando lumbricum magnum.* Scribit Tral. *in epiſtol. ad Theod. de lumb.* ſæpè obſeruatum eſſe, lumbricos ob alimenti inopiam ita inteſtina laceraſſe, vt per cutim ipſam egredi viſi ſint. Hæc experimentis approbant Paræus *lib. 19. cap. 3.* Foreſt. *lib. 7. in ſchol. obſeru. 35.* Omnibon. *lib. 4. cap. 15. art. med. infant.* Conciliat. *dif. 101.* Nicol. *ſerm. 5. tract. 8. cap. 54.* Thom. à Veiga *in comment. cap. 5.* Galen. *lib. 1. de loc. affect.* Solenand. *lib. 5. conſil. 15.* Balduin. Ronſſeus *epiſt. 10. pag. 31.* & nos, vermes, inguina & vmbilicum perforaſſe, appoſitis exemplis firmauimus *lib. 2. de praxi admiranda, obſ. 39. & 40.*

Mira ſunt, quæ ab auctoribus de lumbricis proponuntur, indicia. Mirabilia quæ quotidie in hoc morbo viſuntur ſymptomata, inaudita, & terroris plena. Vermes enim comitantur ſingultus, cordis morſus, vomitus, nauſea, Iliacus dolor, inteſtinorum tormina, inappetentia, fames canina, cephalalgia, ſopor, conuulſio, epilepſia, apoplexia, angina, febres incerto ordine repetentes, vigilia, inquietudo, tuſſis exigua cum ſiccitate irritans, inſolitus clamor, ingens mœſtitia, pulſuum inæqualitas, extremorum frigiditas, ſtridor dentium, impedimentum deglutiendi, carnium extenuatio, ſyncope, animi defectus, oris fœtor, ventris tumor, alia demùm horrenda ſymptomata apparent, quæ ægros miſerrimè torquent, & Medicos expertos ſæpè fallere ſolent.

Obſeruatio XVII.

Epilepſia ex vermibus orta, theriaca curata.

VOcatus vt inuiſerem ſeptennem puerum, qui ab anno Epilepſia ſæua corripiebatur ex interuallis. Ceſſante acceſſione, immani vlulatu ac gemitu vexabatur, cum maxillarum rubedine ſumma, vt non ſolùm parentes, immò adſtantes omnes ad commiſerationem perduceret. Medici pro remouenda acceſſione remedia parant, & alia præſcribunt extra paroxyſmum, quæ ad morbum comitialem à ſanguine melancholico ortum prodeſſe ſolent. De horum genere ſunt venæ ſectio, cucurbitulæ ſcarificatæ ſcapulis admotæ, hæmorrhoïdum apertio hirudinum vi, purgatio frequens, cauterium in crure, quo occluſo in nucha inuſtum, cucuphæ roborantes, tabellæ, & conſeruæ, ſicut & cardiaca, intùs & extra applicita. His factis ſecundùm artem, inſultus tamen epilepticus inualuit, & fortiùs eſt exacerbatus. Cùm autem omnia iam tentata eſſent, Theriacam, ad vermes necandos à veteribus laudatiſſimam propino; quæ licèt in pueris cautè ſit concedenda, quoniam illorum debiles vires ſuperat, calorémque inſitum exhaurit: tamen in moderata, ſcrupuli videlicet, quantitate exhibita, in eorum morbis mirè prodeſt. Hoc antidoto quinquies aſſumpto deprehenſus eſt totius mali auctor, qui toties irrita pharmaca contemnens, ac Medicorum operam illudens, anteactam tragœdiam excitauerat: nam ſemel poſt horam ab aſſumpta theriaca, cum aqua cardui benedicti diſſoluta, præuiis torminibus diris, excreuit per ſedem lumbricum rotundum, palmi longitudine, digiti indicis craſſitie, ruberrimum, emortuum; quo expulſo, qui ſuo tetro vapore cerebrum concutiens, ſacrum morbum concitabat, æger nunquam ampliùs malum perſenſit.

Summè ergo attendere oportet, inquit Paulus, vt vermes, antequam ferina ſymptomata accerſant, interficiamus. Si verò febris ex putrida in ventriculo collecta humiditate complicetur, amborum ſimiliter conuenit habere

habere rationem, eruntque auxilia ſimpliciora, maximè ſi inflammationem viſcera patiantur. Vbi verò febres non ſint vehementes, calida frigidis miſcenda ſunt. Cùm ad integritatem ventum eſt, efficaciora quoque vſurpanda, vt *lib.4.c.50.* Paulus edocuit. Si verò ſymptomata admiranda vermis per nares excreti audire cupis, lege quæ ex doctiſſimorum voto ſcripſit Alzarius à Cruce *l. 3.cent.quæſit.31.*

HISTORIA CI. GALENI,
De hepatis inflammatione.

Medicus Siculus pleuritide ſe affectum falsò credens, iecoris vitio laborare à Galeno conuictus eſt.

Equidem cùm primùm Romam veniſſem magnificè admiratus eſt me Glauco Philoſophus, ob huiuſmodi quandam dignotionem. Etenim per viam mihi occurrens, opportunè (inquit) aduenisti; iungénſque dexteræ dexteram, proximi ſumus (inquit) laboranti, quem nuper vidi: itaque oro, vt vnà mecum ad ipſum venias: eſt autem Siculus Medicus, quem non ita pridem mecum ambulantem vidiſti. Itaque primo ſtatim aditu obuiam nobis venit quidam peluim è cubiculo offerens, continentem tenuem cruoris ſaniem, carnium nuper mactataru ablutioni haud abſimilem, euidentiſſimum affecti iecinoris indicium: quæ vix dum inſpecta, vnà cum Glaucone ad Medicum ingreſſus ſum. Apprehendi itaque manum in carpo (id eſt, brachiali) quò intelligerem, vtrùm inflammatio, an ſola imbecillitas eſſet in viſcere. Quia verò (vt diximus) Medicus erat: nuper (inquit) à deiectione decubui: itaque perpende arterias, ob id quòd ſurrexeram, crebriùs pulſare. Hæc quidem ille dixit: ego autem deprehendi inflammationis indicium. Proſpiciénſque ad feneſtram, hyſſopum ex aqua mulſa decoctum in olla conſideraui: proindéque cogitaui Medicum ſe pleuriticum eſſe putare, dolore videlicet nothas coſtas infeſtante, qualis iecinoris quoque inflammationibus aliquando accidere conſueuit. Hunc itaque cùm ipſe ſe ſentiret, eſsétque ſpiratio & parua, & crebra, atque exigua tuſſi infeſtaretur, pleuriticum ſe eſſe exiſtimabat: quamobrem hyſſopum cum aqua mulſa præparauerat. Intelligens itaque ego, quòd fortuna mihi viam præberet, qua apud Glauconem, clarum nomen adipiſci poſſem, manum eius ad nothas in dextro laborantis latere coſtas detuli, indicatóque loco, dixi eum ibi dolere: quod cùm ipſe fatetur, Glauco ex ſolo arteriarum pulſu exiſtimans me ſedem affectus inueniſſe, planè admirari me cœpit. Verùm, vt vehementiùs ſtuperet, hæc quoque addidi: quemadmodum hoc in loco dolere te conſeſſus es, ita velim fatearis etiam tuſſiendi cupiditate vexari te, & ex longis interuallis tuſſim exiguam, aridam, & ex qua nihil expuis, te moleſtare: atque ita me dicente, incepit fortè fortuna, huiuſmodi quadam tuſſis ſpecie, qualem iam diximus, tuſſire. Qua de re, tanta admiratione Glauco commotus eſt, vt continere ſeſe non valens, magna voce exclamando, in laudes meas prorumperet. Tum ego: ne putetis, inquam, ſola hæc ex arte medica circa ægrotos poſſe præſagiri: ſunt enim alia quoque quæ nunc dicere aggredior, quibus & laborans ipſe teſtimonium feret. Itaque rurſus incipiens dixi: Quum magnam trahis inſpirationem, dolor ea parte quam notaui, vehementiùs te cruciat, ſentiſque in dextra præcordiorum parte grauitatem. His auditis, ne infirmus quidem ſeſe potuit continere, quominùs præ vehementi admiratione vnà cum Glaucone exclamaret. Itaque ſentiens equidem arridentem mihi fortunam, de iugulo quoque, quòd videlicet ad inferiora trahi videretur, aliquid efferre volebam. At quia magnas inflammationes, quemadmodum & ſcirrhum id comitari ſolet, dicere non ſum auſus, ne laudem quam anteà de me excitaueram, ſauciarem. Quúmque animum induxiſſem, tutò me aliquid eloqui oportere, aſpiciens laborantem, haud ita multo pòſt, inquam, iugulum ad infernas partes detrahi ſenties, niſi fortaſſe, id iam anteà tibi euenerit. At cùm hoc quoque fatere-tur, conuerſis equidem oculis ad ægrotantem mirificè attonitum, vna eſt addenda, inquam, prædictis diuinatio: etenim dicam, quam de morbo ſuo laborans ipſe habuerit ſuſpicio-

A *nem. Tum Glauco nec de hac quidem diuinatione deſperarè ſe aiebat: laborans autem incredibili hac pollicitatione in ſtuporem adductus, & acriter me intuens, quid eſſem dicturus, attenta mente expectabat. Igitur, dicente me, quòd infeſtantem morbum, pleuritidem eſſe putaſſet, ille ingenti cum admiratione huius quoque rei ſe teſtem exhibuit: id quod etiam affirmabat ex adſtantibus vnus, qui paulo antè latus eius ex oleo fouerat. Atque ex eo tempore Glauco, tum de me, tum de vniuerſa arte quam optimam concepit opinionem, quum anteà nihil magni ab arte expectaret, vtpote qui nunquam cum conſummatis in arte viris verſari conſueuiſſet, &c. Galenus* lib.5. de loc. affect. cap.7.

PARAPHRASIS.

B Celeberrima eſt hiſtoria hæc, & Medici frequenter eam in praxi obſeruant, qua docentur pleuritidem ab hepatis inflammatione diſtinguere. Cùm enim dolor in dextro latere nothas coſtas, cum tuſſi exigua, arida, & ex longis interuallis exercet, alia ſigna ſunt quærenda, quibus pleuritidem ab hepatis inflammatione diſtinguere poſſimus. Vt verò affectum in primo ſtatim intuitu cognoſceret, obtulit quidam ex miniſtris videndam peluim, tenuem humoris ſaniem continentem, carnium nuper mactatarum ablutioni non abſimilem, euidentiſſimum affecti iecinoris indicium.

Per hanc verò non intelligas ſaniem ab vlcere, vel phlegmone putreſcente effluentem, quo nomine ipſam, pus vocat, quod à carne liqueſcente, & in ſaniem degenerante emanat, vel à thoracis ſpatio tuſſiendo excernitur in C ſuppuratis, vt ipſe fatetur *lib.4.de compoſ. medic. per gener. cap.2.& lib.5. de loc. affect. c.3.* ſed intellige ſeroſam ſubſtantiam, ichorem, aut aquoſam humiditatem, quæ in ſerum verſa eſt, & colorem album aquæ ſimilem retinet; quia verò aliqualiter concocta eſt, ſanguinis colorem aliqua ex parte habet; hæc ergo (ſanguinem crudum, ſeu ſemicoctum veriùs dicas) ex albo, & rubro mixtum colorem habet. Hunc retinet aqua, qua nuper mactatas ablui-mus carnes: eas enim ſanguine adhuc aſperſas ſi ablueris, euadet color rubeus ad album inclinans, quem ſanguineum ichorem, non ſaniem appellare licet.

Hoc ſignum infirmatæ coctricis hepatis eſt certiſſimum, & tanquam infallibile ſignum, vocant Medici affectionem hepaticam, frigidiorem eius intemperiem arguens manifeſtè, ſanguinem perfectè generare non potentis; ex qua imbecillitate ſanguis crudus tenuis, & ſe-D micoctus fit aquoſus, dilutus, & fluidus, vt nihil aliud repræſentet quam aquam, cui parùm ſanguinis addideris. Hos hepaticos nuncupamus, quibus iecur in proprio ſanguificationis munere aberrat, & quibus hepatis ſanguifica vis imbecillior facta, licèt chylum trahat, & rudiorem illum ſanguinem, quem à venis meſaræi accepit, conficiat, minimè tamen ad ſanguinis perfectionem ducit, ſed ſimile quid loturæ carnium efficit: quod vitium ab intemperamento ſolùm frigido hepatis oriri, vnanimis ſcriptorum confirmauit opinio. Licèt enim huius partis debilitas, à frigiditate, & à caliditate eundem innatum calorem diſſipante proficiſci poſſit, frigidam tamen intemperantiam per ſe, & immediatè eſſe cauſam impotentiæ ſanguificæ facultatis eſt aſſerendum.
E Ex his manifeſtè conſtat, veram & legitimam hepaticam affectionem, nihil aliud eſſe, quàm imbecillitatem actionis propriæ eiuſdem iecinoris, citra aliquod manifeſtum in viſcere malum; cuius ſignum manifeſtiſſimum eſt, ſi aquoſus ſanguis excernatur, vt 3. *de cauſ. ſympt.* 2. & 8. *de compoſ. medic. ſec. loc. cap.* 7. Galenus affirmat.

Hoc ergo ſigno fretus Gal. ſtatim ad ægrotantem ingreſſus, nulla præuia interrogatione, manum carpo admouit, vt artis dignitatem ſtabiliret. Cùm enim ipſe non ſemel admoneat Medicos, vt diligenter ab ægris præterita, & præſentia inquirant, & neceſſariis interrogationibus non parcant, vt conſtat ex *l.6.epid.ſect.2.text.& com.43.& ſect.4.com.9.& lib.de conſt.art. medic.cap.17.* in hoc Siculi Medici morbo, vt quam conceperat Glauco de

de Galeno opinionem,magis confirmaret,& multam medicæ artis eſſe vim patefaceret, de ſingulis non interrogauit. Glauco enim vera artis prognoſtica ad diuinationem potiùs pertinere opinabatur: patet ex Galeni contextu. *Quoniam heri & Gorgias, & Appellas mihi nuntiauerunt, notiones, præſagiáque edidiſſe te, quæ ad diuinationem potiùs, quàm ad medicinam pertinere videantur,cupio equidem periculum facere, non adeò vt tuam experiar doctrinam, quàm vt ſciam, num tanta ſit in arte medica,tum cognoſcendi,tum præſagiendi facultas.*

Imbecillitatem adeſſe in viſcere, ex nuper recitato ſigno Galenus cognoſcens,pulſum attigit,vt certò ſciret, num inflammatio etiam adeſſet; quem non ita durum & rigidum, qualis in pleuritide deprehenditur, cùm inueniſſet, non hunc affectum, ſed hepatis inflammationem eſſe, qua Siculus vexabatur, verè cognouit. Neque difficilè tibi ſit, potuiſſe viſcus idem, vno atque eodem tempore, calido ſimul & frigido affectu laborare, inflammatio ex calida intemperie pronata, & frigiditate quam intemperies inferat: nam hepar refrigeratum, confluentibus calidis humoribus, inflammatiòne tentari poteſt; neque intemperies calida addita, præexiſtentem frigidam emendabit, immò de nouo aduenieus, præternaturalis cùm ſit, hepar iam ob frigidam intemperiem imbecille, ampliùs debilitabit. Deinde ſi in Siculo Medico ſimarum partium adfuiſſe inflammationem, & in gibba imbecillitatem dicas, pronunciabis vera; cùm illarum partium inflammatio per alia potiùs accidentia, quàm per tactum inueſtiganda ſit, ex Galeno *in eiuſdem capitis initio*, in quo hiſtoriam hanc deſcripſit; ſed cùm ſine tactus medio Galenus inflammationem cognoſcere tentaret, verè dicendum eſt, in ſimis inflammationem, & in gibba imbecillitatem adfuiſſe.

Neque negandum eſt, allata à Galeno inflammationis hepatis ſigna, cum pleuritidis incipientis & crudæ ſignis poſſe conuenire. At Galenum ex ſanguineis alui excrementis primùm cognouiſſe non adeſſe pleuritidem, deinde ex pulſu, qui non erat ſerrinus,certiorem eſſe factum, verè affirmandum eſt: nihil enim apud eius doctrinam magis eſt decantatum, quàm in pleuritide adeſſe pulſum ſerrinum, & valdè durum. De cuius cauſis *ſuprà in com. hiſt.*63. plura ex Galeni mente prædiximus.

Si verò quæras, cur Galenus huius morbi non propoſuerit curationem? Dic ipſum à Glaucone ſolius cognoſcendi cauſa fuiſſe accerſitum: maximè quum locorum patientium libros non curationi, ſed cognitioni deſtinauerit: ſufficiebat enim ſolùm rectam dignotionem patefacere, vt facilè quiſque morbo cognito auxilia adaptet: quæ ex ipſius penu facundiſſima deprompſerunt poſteà Aëtius *tetrab.* 3. *ſerm.*1. *cap.*3. Trallian. *lib.*8. *cap.*1, Paul. *lib.*3.*cap.*46.Galenum ſummis laudibus extollentes,quòd hos affectus inter ſe, acri iudicio præditus, manifeſtiſſimis ſignis diſtinxerit.

Si verò ſecundò ſciſciteris, cur Galenus fortunæ aliquid tribuens, hanc ſibi arriſiſſe pronunciauerit, ſi huius nulla in arte medica eſt vis, vt probat peritiſſimus Rodericus à Caſtro *lib.*2.*de medic. politico, cap.*14. Reſpondeo. Galenum flocci, paruique facere fortunam, cuius opera ſine artificio ſunt, & raro finem ſuum conſequuntur, ex Galen. *lib.*9. *de placit. cap.*8. vtpotè minimè tuta, ex ipſo *lib. de ven. ſect. aduerſus Eraſiſtratum, cap.*7. Quare fortunam ſequentes Empiricos condemnat, *in lib. de theriac. ad Piſon. cap.*11. nam illa temerè, & ſine ordine operatur, ex Philoſopho, *lib.*2. *magnor. moral. cap.* 9. quoniam eſt obſcura, & inſtabilis, 3. *topic. cap.*2. Idcirco turpe homini eſſe affirmat, *in orat. ad artes ſuaſorias, cap.*2. in arte nobiliſſima, & circa ſubiectum nobiliſſimum verſante, ſe manibus improbæ fortunæ committere; cùm hæc ſit cæca, vaga, inconſtans, incerta, varia, volubilis. Quo pacto ſumma cum ratione in mortales inuehitur Plin. *lib.*2. *natural. hiſtor.* qui huic quicquam attribuunt, cùm ea raro quicquam rectè operetur, ex Galen. *lib.*17.*de vſu part.cap.*1.*in med.*Nónne veriſſima ſunt hæc, & Galeno maximè digna? Omitto plura, quæ

A de hoc argumento à Philoſophis, Oratoribus, Poëtis, Hiſtoricis latiſſimè recitantur, quæ expendit latè, & doctè, variæ lectionis vir Lælius Biſciola *tom.*2. *horar. ſubſecinar. lib.*4. *cap.*5. Si ergo hæc vera ſunt, cur fortunæ,in his quæ ad artem pertinent, ex mente Galeni eſt adhibenda fides? Neque Galenus hoc vnquam conſuluit, ſed tantùm monuit Medicos,vt oblatas ab ea ſibi opportunas & laudabiles occaſiones prudenter arripiant, quod ſe aliquando feciſſe gloriatur. Id faſſus eſt *lib. de ſubfigurat. empiryc. cap.*2. cùm dixit. *Obtuliſſe fortunam, vt non incommoda tantùm, ſed commoda quoque, ex quibus ars confici poteſt, conſpicaremur.* Sibi ipſi in hac hiſtoria huius Medici, oblatam à fortuna laudis conſequendæ occaſionem, prædictione & cognitione morbi media, prudenter Galenus eſt amplexus. Nactus itaque opportunam occaſio-
B nem magni, admirabiliſque nominis acquirendi, nihil prætermiſit, quod ad eam facere poſſet, omniáque ſine ægrotantis interrogatione palam enuntiare conatus eſt, quibus clarum nomen ſibi compararet apud Glauconem, qui Philoſophus Platonicus fuit doctiſſimus, & Medicorum admirator ſummus: ob quam cauſam ipſius precibus adductus, præclaros illos de arte curatiua ad Glauconem libros duos Galenus edidit in lucem. Tu verò de hepatis inflammatione, pro pleuritica falsò curata, lege Beniuen. *c.*75.*de abdit.*& Foreſt. *lib.*19.*obſ.*3. Sanctor. Sanctorium *lib.*1.*de euitandis errorib. Medicor. cap.*24. qui plura in hoc vtili argumento eleganter diſceptarunt.

C

HISTOR. CII. GALENI, De hepatis inflammatione.

Theagenes Cynicus inflammatione hepatis laborans,ab Attalo Medico,relaxantibus medicamentis interfectus.

PLacet autem nunc in memoriam reuocare tibi egregiam eorum curationem, quam Theageni Philoſopho Cynico adhibuerunt. Siquidem hanc nôrunt plurimi,propter viri famam, vt qui publicè diſputare in Traiani circo quotidie ſit ſolitus. Erat qui hominem curabat, vnus ex Sorani diſcipulis,nomine Attalus. Is impoſuit quotidie iecinori cataplaſma ex pane & melle, haud intelligens viſcus hoc mediocriter adſtringi de-
D *bere,propterea quòd animalibus altricis facultatis principium ſit, & venoſum ab hoc oriatur genus. Ita igitur viſcus curauit, ſicut bubonas, meris ſcilicet & ſolis relaxantibus vtens, cataplaſma ex pane & melle imponens: ac priùs oleo calente perfundens: tum ſorbitione ex alica cibans. Viſum autem eſt mihi ſeorſum Attalum monere, vt adſtringens aliquid admiſceret, nec nudis vteretur relaxantibus. Ac de viſceris quidem natura nihil eram homini dicturus(id enim fuiſſet planè aſino fabulam narrare:)ſed quod me perſuaſurum homini arbitrabar,& cui omnes homines facillimè aſſentiri video, id tantùm expoſui; nempè longam experientiam Medicos docuiſſe, vt iecur mixta medicamentorum materia curarent. Si ergo, inquam, tibi videtur, miſce aliquid de abſinthij coma diligenter tunſa cataplaſmati: oleo verò, totius herbæ aliquid, modicè id, quemadmodum alios cernis in illo incoquentes. Cataplaſ-*
E *mati verò myrobalani pieſma, & irim, & iunci florem, aut narditidos horbæ radicem, aut cyperi miſcebis. Non inutile ſit, & ex vino ea aliquando præparare, ac miſcere interim etiam de fæce ipſa: quinetiam aliquid adſtringentium incoquere malorum, cuiuſmodi cotonea ſunt, & quæ vocantur ſtruthia. Præterea quæ Romæ abundant vocata ceſtiana. Oleum verò (nam id quoque video miſcere te) non quodlibet eſto: ſed vel Hiſpanum, vel Hiſtoricum, vel crudum, vel lentiſcinum, vel myrteum, vel melinum, vel nardinum vnguentum. Porrò aliam materiam plurimam eſſe dixi eorum, quæ incoquere liceret, nam & lentiſci tenera germina, & myrti, & rubi, & vitis, præſertim ſylueſtris, à qua œnanthen vocatam decerpimus. Non alienum etiam ſit, & Atticum hyſſopum, tum cataplaſmati, tum etiam ce-*

ratis miſcere. Nam & cerata quæpiam illi ex eiuſmodi materia imponere poſt cataplaſma ſuaſi : & apponere illi tentabam vniuerſam deinceps curationem , quò ſcilicet etiam, quæ à Medicis epithemata vocantur , ex mixta materia componeret. Nam melius , inquam, eſt ſublato cataplaſmate aliquid ſuper viſcus eſſe. Attalus verò ſermonem meum interpellans : Niſi multum , inquit , tibi tribuerem , nihil horum toleraſſem : nam in quibus ſuperiores Medici paſſi naufragia ſunt , priuſquam vera medicina inuenta à noſtris eſſet , ea mihi veluti ignaro ſuades. Cæterùm tres (inquit) aut quatuor dies ſine me Theageni ex mea ſententia proſpicere , & ſanum eum penitùs conſpicies. Sed quid , inquam , ſi cum ſubitò pauci , & hi lenti apparuerint ſudores , moriatur , recordaberiſne quæ promiſeris, ac de cætero ſententiam mutabis? Atque Attalus poſt hæc abiit irridens , nec quidpiam propterea reſpondens , ſic vt neque de alica quicquam me conſulere permitteret : ſed nec quòd ex iis , quæ vrinas cient, miſcere aquæ paulo pòſt opporteret , quòd ſcilicet iecinoris gibba eſſent afflicta. Nam ſicut iecinoris cauum per aluum purgatur , ceu paulò ſuprà diximus , ſic gibba eius per ea quæ modicè vrinas mouent , cuius generis eſt apium. Procedente autem tempore, vbi phlegmone iam concoquitur ; etiam valentioribus vti licet, aſſaro, & Celtica nardo, & phu quod vocant , & petroſelino, & ſmyrnio , & Meo. Sicut etiam per ventrem vacuare , ſi cauum afficitur , cnico cibis admixto , & vrtica , & mercuriali , & epithymo , & polypodic ; omnibus præterea quæ modicè aluum deiiciunt : magiſque in remiſſionibus, tum his ipſis audaciùs quam antè vtendum , tum verò quæ his ſunt valentiora, partim in ptiſſana incoctis, partim tunſis; ac in molliſſimum puluerem redactis. Exhibenda verò & hæc ſunt , vel ex ptiſſana , vel ex aqua : Ego namque etiam filiculæ aliquid in ptiſſana aliquando incoxi, & nigri veratri corticem. Etiam clyſtere vacuare eos conueniet, inter initia, vel ſale, vel nitro, vel aphronitro aquæ mulſæ admixto , contentis : in remiſſione verò, potiſſimúmque ſi quid ſcirrhoſum relictum è phlegmone eſt, etiam valentiora medicamenta miſcentibus : quippe hyſſopum eo caſu aquæ incoquimus , & origanum, & colycinthida, & minus centaurium Opportuniſſima nãque ad ſcirrhum ſunt iecur , & lien ; ſiquis ipſa neglexerit , vel glutinoſo cibo vſus fuerit , ſicut Attalus , qui Theageni quotidie alicam exhibebat ac nihil offerebat , quod tum obſtructiones eximat , tum detergeat. Verùm quod contigit Theageni , vel potiùs Attalo , dici eſt tempus. Vt enim promiſerat poſt tres dies daturum ſe hominem à iecinoris phlegmone liberatum , tum magis quàm priùs calente oleo viſcus plurimum perfudit, tum cataplaſmate frequentiùs eſt vſus : hac diligentia feliciùs ſibi curationem ceſſuram ſperans : reſponditque percontantibus de Theagene gloriabundus , meliora. Cæterùm contigit , provt ipſe prædixeram , ſubitò hominem mori. Et quod omnium maximè riſu dignum fuit , ducebat Attalus ſecum ex iis , qui de hominis ſtatu rogaſſent quoſdam , quibus oſtenderet adeò rectè eum ſe habere , vt iam eſſet lauandus, lætúſque cum multis ingreſſus eſt domum , in qua iacebat: cùm Theagenem mortuum quidam ex amicis , qui & Cynici quidem erant , & aliqui philoſophi, lauare ex more pararent. Itaque etiam vſque ad mortuum accedere , idque vnà cum ſpectatorum cœtu Attalo contigit ; vtpotè cùm nemo intùs lugeret. Nam Theageni ne ſeruus erat , nec puer, nec mulier, ſed cum eo ſoli amici philoſophantes verſabantur : qui iuſta quidem mortuorum , citra tamen omnem luctum obibant. Atque hanc laudem Theſſalius aſinus inter multos ſpectatores eſt conſecutus, oſtendens explicatum à phlegmone hominem , intra quatuor, (vt pollicitus eſt) dies, &c. Galenus lib.13. meth. cap.15.

PARAPHRASIS.

IVcunda profectò, & vtilis eſt hiſtoria hæc , nam præterquam quòd inflammati hepatis continet curationem rectam , docet etiam Medicos doctos , quomodo cum indoctis ſe gerere debeant. Deinde philoſophorum Cynicorum Romæ tunc viuentium vitæ inſtitutum, mores, & in eorum morte officia obſernata oſtendit. Proponit etiam in propatulum veri amici dotes , & quo pactois alium amicum errantem admonere debeat. De his vltimis pauca quædam erant appungenda, ni illorum philoſophorum vitam priùs exactè delineaſſent Diogenes Laërtius *lib.1. de vita philoſoph.cap.1.* Athænus *lib.3. cap.34.* Gal. *in lib. de cuiuſque animi peccator.notit.atque medela , cap.3.* quibus philoſophis mos erat , in circis , in hora qua ludi , aut ſpectacula non fiebant , publicè diſputare. Romanos etiam Imperatores , circos ædificaſſe ingentes , ſumptuoſos , & admirandos, vt populus ludos commodè proſpicere poſſet , teſtantur Athen. *lib. 13. dipnoſop.* Cicer. *lib.3. Philip.* Cornel. Tacitus *lib.14. annalium.* Quomodo autem priſci corpora mortuorum lauarent , & lugerent , (hoc enim Galenus proponit in hiſtoriæ fine) tradit Cælius Rhodigin. *lib.17. lect. antiq. cap.21.* De veri verò amici dotibus , amicitiæ lege , partibus , vi , natura , pulchra ſcripſerunt Langius ; Dom. Mannus *in Polyanthæa , tit. de amicitia* : collegit etiam Stobæus ex multorum mente. Et vt nouiſſimè , ſic eloquentiſſimè omnium de argumento hoc diſſeruit Stephanus Rodericus Caſtrenſis vir excellenti ingenio & doctrina, Medicus, & Philoſophus celeberrimus *libris tribus de Philomelia* elegantiſſimis.

Sed his relictis, ad hiſtoriæ explanationem accedamus. Galenus in hac vtili hiſtoria, venæ ſectionis pro hepatis inflammatione tam neceſſariæ, ex Gal.13.*meth.*11. nullam fecit commemorationem , quoniam tranſactum erat inflammationis principium , quo tempore reuulſionis , & vacuationis cauſa conuenientiſſimum præſidium eſt. Cæterùm hoc loco Galenus agit de topicis , ad contentos humores abſumendos neceſſariis.

Enarrat deinde hiſtoriam , dicens iecur ipſum adſtringentia medicamenta ob id expoſtulare, quoniam animalibus altricis facultatis principium eſt , & venoſum ab eo oritur genus. Licèt enim hoc inter Galenum, & Ariſtotelem ſit controuerſum , illius tamen partes eſſe tuendas & amplectendas, ab omnibus Medicis eſt receptum ; qui contra Philoſophum, iecur, primam eſſe ſanguificationis officinam , venarúmque principium acriter contendunt. Porrò propria hepatis ſubſtantia mollis eſt , ideóque ab his quæ laxant , prorſus diſſoluitur : iis ſi adſtringentia miſceantur , laxans vis retunditur , pars vnita conſeruatur, conniuentibus poris calor naturalis retinetur, nec exhalat , aut euaneſcit totus. Vt ergo hepatis calor conſeruetur, eius ſubſtantia roboretur, ſpiritus non diſſipentur, & ſanguifica vis à propria ipſius hepatis ſubſtantia , & carne (eſt enim hæc ſanguis velut coagulatus, ex Macrobio.7. *Saturnal.c.4.*) celebrata, non flacceſcat ; omnibus medicamentis hepati imponendis adſtringentia permiſcere oportet, odora, & modicè calida ; frigida enim viſcerum calori natiuo ſunt infeſta , hepatis ſubſtantiam ſcirrhoſam reddunt , & ſanguinem ſpiritúſque frigiditate & ſiccitate ſua ab ea repellunt , & ſic innatus hepatis calor imbecillitatur nimis. Modicè ergo adſtringentia ſint ex Gal.11.*meth.*16. & odorata, ex ipſo *lib.6.epid.ſect.6.com.5.* odorem enim à ſiccitate originem habere , res eſt prorſus manifeſta, & *in lib.2.de anim.cap.9.* tradita ab Ariſtotele, quo loco odorem ſicci eſſe, ſicuti ſaporem humidi, ingenuè profeſſus eſt : immò odoris effectricem cauſam ſemper exiſtere calidam, ſcribit Gal. *lib.4.ſimpl.22.* nam quæcumque odorata, eadem & calida ſunt, cùm vaporum copia è calore emanet.

In hunc ſenſum intelligendus eſt Galenus *lib.cit.meth.* 11. dum pro inflammato iecore requirit medicamenta tenuium partium : tum verò etiam amara ſint , & adſtringant : nam odoratum, quin amarum ſit, reperire difficile arbitrantur Theoph. *lib.6. de cauſ. plantar. cap.13.* Plin. *lib.21. cap.7.* dicentes , odorato ſapor rarò vlli non amarus : è contrario dulcia, rarò odora. Hoc ipſum experientia confirmat, nam roſa, agallochum, moſchus, ambarum, zibetum , & alia huiuſmodi odoratiſſima , amaritudinem non exiguam præ ſe ferunt: quicquid amarum, nunquam odoratum eſſe , ſcribit Gal. *lib.4. ſimpl. 22.* quem textum mendoſum eſſe , Alphonſus Lupeius confirmat , *in annotatione huius loci.* Amara ergo , adſtringentia , odora, tenuibus partibus medicamina, hepati inflammato ; relaxantibus mixta ſunt ex vſu.

Cur

Cur ergo, ſi hæc ex veteris medicinæ præceptis curationis ſunt deprompta, impudentiſſimus Attalus ſola relaxantia imponebat, ignoro prorſus. Nam oleum relaxare pinguoſa ſubſtantia ſua, *lib.2. de ſimpl. medic. facult.* latè edocuit. Panem verò ipſum,ex triticea conflatum farina, ſimiles habere facultates,firmat ipſe *lib.2.ad Glauc.cap.6.* & alibi. Ab horum autem natura non diſtare mel,probat *lib.7. de comp. medic. ſec. loc. cap.2.*

Nunc de medicamentis iecori opportunis, ab ipſo Galeno in hoc loco deſcriptis, ſingulatim paucula quædam proferamus.Abſinthium primo loco propoſuit:cuius comam cataplaſmati miſcet; herbæ verò totius aliquid in oleo modicè incoctum commendat. Non quodlibet abſinthium præfert, ſed Ponticum, odorem ſpirans ſuauem, & aromaticum, ſi cum cæteris conferas,quibus omnibus odor eſt fœdus.Si obiicias, hoc calidum medicamen eſſe, ex Dioſcorid. *lib.3.cap.23.*Gal.*6.ſimpl.c.prop.*& ſic in hepatis inflammatione,affectu ſanè valdè calido,eſſe inutile. Dic,illius vſum à Galeno commendari,quum concoquitur phlegmone,caliditate iam valdè remiſſa, quæ ſi ſit intenſa, tunc refrigerantia proſunt, ex Gal.11.*meth.*16. de quorum genere,ſunt roſaceum vnguentum, melinum,& lentiſcinum: ſi verò febris fuerit exigua, calefacientibus vtitur, qualia ſunt nardinum, & maſtichinum.

Quare, ne mireris calida, & frigida ſecundùm hanc conſiderationem propoſuiſſe Gal. medicamenta, ad componenda hepatica cataplaſmata, epithemata, cerata, vnctiones. Nam myrobalani pieſma, iunci flos, narditidis herbæ,& cyperi radix,vinum,eiúſque fæx,nardinum vnguentum, hyſſopúmque Atticum, calida ſunt medicamenta. Mala verò cotonea, & mala vocata Ceſtiana, oleum lentiſcinum, melinum, myrteum, lentiſci tenera germina,myrti rubi,& vitis ſylueſtris refrigeratē,cuilibet eſt notum. Ex his duo ſunt, quæ explanatione indigere videntur, Myrobalani pieſma,& OEnante. Per illos,non eſſe intelligendos, quibus purgatrix facultas ineſt, res eſt manifeſta. Eſt ergo myrobalani, fructus arboris magnitudine auellanæ nucis, exterſoriam facultatem habens cum adſtrictione aliqua, auctore Aëtio *tetrab.1. ſerm.1. cap.proprio.*Huius cortex odoris gratia premebatur,vt inquit Theoph. *lib.4.de hiſtor. plantar.cap.prop.* Glande ipſa mollita,extrahi ſuccum,(balaninum oleum dicunt Græci) Dioſcorides *lib.1.cap.35.*confirmauit.Oleo expreſſo,quod remanet terreum & craſſum; amarum eſt, & vim habet incidentem, abſtergentem, adſtringentémque. Cætera de glande vnguentaria, ex veterum mente lege ſi placet apud Marcel. Virgil. *in comment.cap.154.lib.4. Dioſcorid.* Hanc Græci myrobalanum, ſiue balanum myrepſicam appellant. Huius oleum vocat *de Ben.* Auicen. *lib.2.tract.2.cap.322.*quod adſtringit, abſtergit,incidit. Hoc extuſſo, aſſatóque fructu iſto, affuſa roſacea parari docet Meſuë *tract.de oleis,tit.de oleo balanino.* De cuius vi, & electione, vide Ruel. *lib.1. de hiſtor. plant. cap.56.* At OEnanthen à vite ſylueſtri productam, refrigerare & adſtringere, docet manifeſtè Dioſcorid. *lib.3.cap.118.* cuius gratia in hepatis inflammatione tantoperè hoc medicamentum commendauit. Huius duplicem facit ſpeciem Dioſcorid. *lib. cit.cap.2.* vna, quarum eſt vna matureſcens, paruis conſtans acinis, nigra, & adſtringens:altera eſt vna pariter matureſcens, flore tenus, œnanthe nominata.De hac loquutum fuiſſe Galenum patet, quoniam germina iuſſit accipienda.

Proſequamur cætera.Cur Gal.hepatis partem gibbam per vrinam, cauám per aluum expurgandam eſſe docuerit; quod etiam conſuluit faciendum Paul. *lib.5. cap.49.* cæterique Principes conteſtantur, ea eſt ratio. Cùm enim gibba pars, venis plurimis, iiſque paruis abundet,ex Gal. *4. de vſu part.* 13. & in his ſanguis in hepatis ſubſtantia genitus retineatur, & elaboretur, euenit, vt impacti in hac parte excrementitij humores per vrinas vacuentur. Cùm verò in viſceris caua parte,vel propè ipſam conſtituta ſit veſica fellea,hinc fit,vt hepatis pars hæc per aluū expurgetur: argumento eſt, quod obſtructis his poris bilem flauam attrahentibus, regurgitet illa ad corporis ſuperficiem, & non poſſit ad inteſtina permeare

Lib.II.

Cauum autem inflammatum euacuari per aluum iuſſit, cnico cibis admixto; purgantia enim cum alimento permiſcere docuit Gal.*lib.6.epid.ſect.5.com.29.*edoctus ab Hip.*in lib.de alimento,n.4.* dicens. *In alimento medicamentum optimum*, explicat Valleſius eruditè *in com.* Nam, vt doctè in huius loci interpretationem aduertit Theodorus Zvvingerus, pharmacum alimentoſum, vel alimentum quod pharmaci vim habet iunctam, vel id habet,à natura ſua,vt braſſica,lens, ſerum lactis; vel ab arte, vt quando lacti Ellebori radices incoxit Melampus, & nos quotidie in ptiſſana, vt hic fecit Gal. vel iure auis expurgantia infundimus.Quomodocumque ergo ſit,in nutrimento medicina optima: ſic enim iam ſuauiùs & auidiùs amplexatur natura, & ſic attracta, & in remotiſſimas partes penitiſſimè ſeſe inſinuans eius vis, peccantem humorem feliciùs & faciliùs attrahere poteſt.Si verò Hip.*in eodem libro* dicit,*In alimento medicina malum*,intellige,præſente cacochymia:nam eam auget,ex Hip.*2.aph.*10.*& lib.7.aph.*67. de qua re lege Donatum Sanctorum *lib.3.epiſt.4.*

Enim verò licèt Galenus hoc in loco plurima numeret medicamenta, quæ pituitoſum, vel melancholicum humorem vacuare nata ſunt, vt vrticam, mercurialem, epithymum,filiculam, & veratrum; & hepatis inflammatio à bilioſo ſanguine,nequaquam à pituita,aut humore atro ortum ducat, vt millies pronunciauit Galenus; tamen ipſe docuit veriſſima,& rectæ medendi methodo conſona valdè. Nam ſanguis bilioſus duas habet partes, ſubtiliorem vnam,craſſiorem alteram:illa facilè abſumitur à natura, & inſenſibiliter localium medicamentorum vi in ichores conuerſa, reſudat & exhalat:hæc à retorrido hepatis calore terreſtrior facta, ad atri humoris naturam vergens, fortibus medicamentis eſt expurganda. Hæc in molliſſimum puluerem redacta voluit ptiſſanæ, vel aquæ admiſceri,vt faciliùs & celeriùs à calore naturali ad actum deduci poſſent.

Ad partem ſanguinis tenuiorem abſumendam, & vacuandam, laudat clyſteres ex aqua mulſa,ſale, nitro, &c. In remiſſionibus verò,potiſſimúmque ſi quid ſcirrhoſum relictum à phlegmone eſt, valentiora imponit medicamenta, qualia ſunt hyſſopum aquæ incoctum,origanum, colocynthis,& centaurium minus: cùm iam inflammatio eſt remiſſa.

Relinqui aliquid ex phlegmone ſcirrhoſum,& durum, quonia n igneus hepatis inflammati calor ſubtiliores partes abſumens, reliquas exſiccat, & duriores facit, Gal. *hoc in lib. cap.*16. auctor eſt, maximè cùm iecur lutoſum quidpiam contineat, natura ſua ſit molle, & cuius pars gibba,multis & anguſtiſſimis venis ſit referta, & obſtructionibus multis obnoxia. Et hæc eſt potiſſima cauſa, cur ad ſcirrhum hæc duo naturalia membra ſint paratiſſima: nam lien terreſtri, & fæculento nutritur humore; hæc pars cùm rara ſit, lento, craſſo, limosóque ſucco facilè infarciri ſolet.

Minùs aduertit monita, & documenta Galeni Attalus, contumax & ceruicoſus ex illius reprehenſione factus, qui cum promitteret poſt tres dies, daturum ſe hominem à phlegmone liberum, tum magis calente oleo quàm priùs, viſcus perfundebat, magiſque alicam exhibebat: cùm illo plus relaxando partem, imbecillitaret; & hac ampliores obſtructiones faceret, cùm hæc glutinoſum, craſſum, lentúmque præbeat ſuccum, ex Galen. *lib.1. de alim. facult.6.& lib.3. eiuſd.cap.15. & 2.aph.18. & lib. de attenuant.vict.rat.*16.& alibi ſæpè:& contraria ſit morbo, qui attenuantia, abſtergentia, & laxantia præſidia deſiderat. Quid autem ſit ipſa, *in hiſtor.92. huius libri* explicuimus.

Vltimò dicamus, qua nixus ratione Gal. terminum illum ſtatuerit Theageni, cùm paucis & lentis ſudoribus moriendi, quem Attalus ſanitati eiuſdem præfixerat certum,maximè cùm eſſet acuto morbo detentus,cuius prænuntiationes eſſe incertas prædixit Hippocr.*lib.1.aph.19.* Facilè verò intelliges Galenum potuiſſe præſagire vera. Nam ſi hepatis inflammationem ſequitur animi defectus, 1. *ad Glauc.* 14. hic verò, huiuſmodi ſudores facit, vt cuilibet patet, ſit vt ſuborto animi defectu ob nimiam

facultatum debilitatem, pauci emanarent ſudores, quia inſenſibilis reſolutio maior fuit;lenti, quoniam hæc eſt hepatis ſubſtantia. Hos ergo eſſe mortis prænuntios, Galenus confirmat *lib.7.meth.c.12.& lib.3. de cauſ. ſympt. c.2.*

HISTOR. CIII. GALENI, De hepatis inflammatione.

Topica in vitiis iecoris imponenda, roborantia eſſe oportet.

Erat enim is qui ægrotabat, Medicus: quem iam lucernis accenſis inuiſimus. Ergò cùm inclinatam notabiliter febrem inueniſſem, vtendum occaſione quam primùm cenſui, eò certè magis, quòd ſuſpectam horam quæ gallicinio futura erat, alterius acceſſionis initium allaturã verebamur. Incoxi in oleo quidem abſinthium: in aqua verò malum cotoneum. Dum autem hæc coquebantur, myrobalani pieſma, & ireos radicẽ, quæ intus inuenerã, contudi, cribrauique: dein olei, & aquæ quæ parauerã, portionem in lebetem immiſi: ac vbi modicè coxeram, myrobalanũ, & irim vnà cum exigua cera inieci. Coquimus autẽ cotoneum non in aqua modò, verũ etiã perſæpè in auſtero vino. Ac omnibus eiuſmodi cataplaſmatis, de ipſa quoque cotonei carne interdum admiſcemus, &c. Galenus lib.11.meth.cap.16.

PARAPHRASIS.

De topicis inflammato iecori apponendis, agit hoc in loco Galenus, quæ vel ſolam obtineant adſtringendi facultatem, vel amaritudinem, eſt neceſſe: & ſi ambas ſortiantur qualitates, hæc maximè deligenda ſunt: ſi hæc non adſint, amara adſtringentibus mixta ſummoperè proſunt. His ergo ex Galeni præſcripto hic in hunc modum vteris, nimirum ſi phlemone in initio ſit, & fluxio copioſior, vim adſtringentem adaugere oportet: vbi verò totum corpus purum eſt, nec membrum ipſum imbecillum, & parùm fluit, tunc minimum adſtringentium, copioſis relaxantibus permiſcendum, mixtis cum amaris & acribus medicamentis. Humorem enim in initio inflammationis ad partem inflammatam confluentem, repellere debemus: hoc opus adſtringentia commodè perficiunt; horum namque ope pars roboratur, & humor ad interiores ſedes fluens, fluxus, & fluxurus exprimitur. Cùm enim horum vi pars vegetior fiat, humorem non recipit; nam ad debilem partem ſolùm fluunt, qui per corpus vagantur humores. Deinde pars ignea, & inflammata, frigiditate adſtringentium recreata, cùm magis attemperetur, non ita fluxurum attrahit humorem; quæ enim morboſum continent calorem, potentiùs attrahunt, cùm calor vna ſit ex præcipuis cauſis attractionis, ex Gal. *lib.5.de ſimpl.medic.facult.16.& lib.2.de dif.feb.cap.vlt. & lib.13.meth.c.3.& 3.de facult.15.& lib.6.de vſu part. c.15.* & alibi.

Frigiditate denique & ſiccitate adſtringentium fluxus vacuatur humor: quoniam *vacuatur quod impletum eſt, non ſolùm medicamentis iis quæ digerunt, ſed iis quæ adſtringunt, & refrigerant*, vt perbellè monebat Magiſter *lib.13.meth. cap.6.* magiſque profectò ad incipientes phlegmonas, frigidis adſtringentibúſque, quàm iis quæ digerunt, eſt vtendum: ſicut enim manus ſpongiam aqua plenam, compreſſione quadam exprimit aquam; ſic adſtringentia ſiccitate, & frigiditate comprimunt, & humorem ad interiores partes compellunt, dummodò corpus plenum non ſit, ex Gal. *in art.medic.c.95.* Explicant luculentiſſimè Valleriol. *lib.1.enarrat.c.5.* Ludouic. Mercat. *lib.2. indicat. cap.4.*

In iecore ergo inflammato ſi relaxantia adhibeas, partem debilitas, fluxionem accerſis, præſertim ſi corpus eſt impurum, iuxta Galen. normam latam *lib.11.meth.cap.16.* quoniam *calfacere præcordia cataplaſmatis, & perfuſionibus, non eſt perpetuò tutum, niſi vbi corpus purum eſt: cæteris omnibus extrema eſt pernicies.* Quo pacto cùm ad inflammatas particulas, caloris & doloris ratione attrahentes, ex vniuerſo corpore confluant ſucci, hæ roborandæ ſunt adſtringentium vi, ne recipiant. Quare *cit. cap. art. medic. priùs à parte repellendum, mox diſpergendum eſſe*, monuit Galen. quem locum interpretantur. Thom. à Veiga, & Argenterius eloquenter: *nam ſi calefacientibus reſoluere tentemus, plus vi caloris ad partem attrahemus, quàm digeremus.*

Hepate ergo affecto adſtringentia imponenda; nam hæc præterquam quòd humores reddunt quietos & minùs mobiles, quia frigiditate & ſiccitate eos cogunt & incraſſant, & ſic reſolutioni parant aptiores, quo titulo Galen. *lib.2. de compoſ. medic. per gener. cap.9.* cephalicis medicamentis ea immiſcet: etiam (vt in ſuperioris hiſtoriæ explicatione prædiximus) roborant facultatem. Num autem expultricem, an retentricem vigorent: Reſpondet Thom. à Veiga *in comment. cit. cap. Galen. verbo, etiamſi*, à quo deſumpſit Mercat. *loc. cit. Quòd adſtringentia, quia contrahunt meatus, non ſecus quàm vis expultrix facit, intrò pellunt, & fluxum à membro proritant: cæterùm id eſt pro varia partis, & medicamenti appliciti ratione. Nam ſi inanito membro accedant, roboratur retentrix, & fluxiones ceſſant: ſi verò pleno, ob vaſorum, aut cauitatum contractum, expultrix operatur; qua de cauſa adſtringentia vltimò ingeſta aluum mouent. Sic ſi toti ex æquo membro medicamenti vis accedit, ſequitur retentio: ſi parte extima, non interna, expulſio promouetur. Cúmque in inflammatione accedat parti plenæ, eidémque non vniuerſæ, ſed multo potentiùs in extimam, quàm in intimam, imprimat, ſit vt inflammatum locum adhibita adſtringentia non coërceant, ſed exprimant*: præſertim cùm hæc ſiccis, & craſſis partibus conſtent, viſcoſa ſint ac tenacia, ex Galen. *lib.7. de comp. med.ſec.loc.cap.4.* ſicque denſent meatus, adſtringant, contrahant, vinciant ac contineant partium ſibi inuicem cohærentium ſubſtantiam, ex Gal. *lib.4.eiuſd.cap.5.* qua facultate cùm ſint prædita, noxios humores à ſe depellunt. In hunc ſenſum dicebat Meſuë *in canonib. vniuerſalib. theoremat.*1. adſtringentia cogere, denſare, repellere, diuiſa glutinare, ac roborare.

Hoc Galenus hiſtoria hac, aduersùs plurimos ſui temporis Medicos probare contendit, qui nulla de facultatibus partium habita ratione, ipſis medicamenta adhibere ſolent: plurimùm enim intereſt huic, vel illi membro adſtringentia imponere: nam *nec colo laborante, nec reliquorum inteſtinorum quouis, nec muſculis qui in præcordiis habentur, aut ipſo peritonæo, miſcenda adſtringentia ſunt: ſed nec cùm veſica malè habet, vterúſve. Porrò renes, & pectus in media prædictorum conditione ſunt: quantum ſcilicet à ventriculi, iecinoriſque ſolicitudine abſunt, tantum reliquorum ſupergreſſa: ſiquidem in ventriculo, ac iecinore exſolui robur eſt pernicioſiſſimum: in illis minimè eſt periculoſum*, vt *in cap.* in quo proponitur hæc hiſtoria, diſertiſſimè admonuit Galenus.

Ob hanc cauſam ſi ſuperuacua fuerint vacuata, iecinore affecto, relaxantibus ſemper mediocriter adſtringentia miſcere oportet: nam ex hac præcipua particula, accedit animalis partibus maximum incommodum, ſiue non probè concoctum alimentum ſit, ſiue non ritè in ſanguinem conuerſum. Sic inflammatione hepatis Medicum detentum cùm inuiſeret, in cuius medela vniuerſale auxilium, vt par eſt, eſſet celebratum: de imponendis topicis ſolùm fuit ſolicitus; quippe hæc roborant, fluentes & fluxuros ad partem humores repellunt, & fluxum impactúmque digerunt. Ea ſunt abſinthium, quod miram habet adſtringendi vim, & amaritudinis ratione manifeſtam habet calefaciendi poteſtatem, natiuáque ſorte affecto iecori opitulatur, ex Gal. *lib.13.meth.cap.16.* Hoc ſit Ponticum, nam reliquis eſt præſtantius, nec ita calidum, & ampliùs roborat: cuius loco Romanum eligendum, quod bis coquendum, vt amaritudinem deponat; aut cum ipſis permiſcenda, quæ dimidium eius pondus adæquent. Nam aliud quod à multis vocatur Seriphium, ab aliis marinum, vel Santonicum, quia in Santonia natum, non eſt in vſu, quoniam ſtomacho inimicum, ex Gal. *lib.6. ſimpl.cap.1.* & Dioſcorid. *lib.3.cap.25.*

Ponticum verò eſt cardiacum, ex Auer. *lib. 5. collect. cap.* 40. & gratum, ſi quod alterum medicamen, & in corroborandis noſtri corporis partibus excellens valdè, non propter amarorem (nam amara viſceribus ſunt infeſta, ex Auic. *lib. 2. tract. 1. cap. 3.*) ſed propter adſtrictionem. Patet apertè, nam ſuccus, à quo terreæ partes, in quibus adſtrictoria vis ſita eſt, ſeparatæ ſunt, hac facultate deſtituitur, amaritudinem quaſi ſolam obtinens ventriculo aduerſam, vt eleganter protulit Manardus *lib. 19. epiſt. 2.* Porrò non aliam ob cauſam Gal. *hoc in loco*, tantoperè in iecinoris, & ventriculi phlegmone hoc medicamentum, inter cætera vulgaria laudat, niſi quia in Pontico adſtringendi facultas non parua eſt: in reliquis verò omnibus amara quidem qualitas eſt vehementiſſima, adſtrictio verò aut planè obſcura, aut prorſus nulla ſentitur. Ergo non propter amaritudinem, ſed ob adſtrictionem, abſinthium ventriculo viſceribuſque gratum, beneuolúmque exiſtit. Si verò Meſuë *in canonib. vniuerſal. theorem. 2.* amara ſtomachum firmare aſſeuerat, eum non abſolutè intelligas, ſed tunc ſolùm, quando vnà cum amaritudine adſtringendi vim coniunctam ſortiantur.

Quaproper cùm inclinatam febrem inueniſſet Gal. & medicamenta, ob noctis incommoditatem, ab officina fortè deferri non poſſent, ne occaſio (quę præceps eſſe ſolet, ex Hip. *lib. 1. aph. 1.*) præteriret, hæc ad manum intra domum inuenta appoſuit; maximè cùm ſuſpecta hora acceſſionis in gallicinio ſperaretur, hoc eſt, ea parte noctis in qua galli cantant, quæ eſt quarta caſtrenſis vigilia, apud Apul. *lib. 8. de aſino aureo. §. Noctis gallicinio venit quidam iuuenis proxima ciuitate, &c.*

Frixum autem appoſuit in oleo, non ſimplici, ſed aut Hiſpano, aut ex frondibus oleæ parato, aut crudo, ſeu omphacino dicto, quod roborandi vires habet, 12. *meth.* 3. incoxitque cotoneum in aqua; ex qua, & oleo, facta decoctione, iniectiſque pulueribus retrimenti myrobalani, & radicis ireos, quæ adſtringentem vim habent, adiecta cera parauit vnguentum, ad dictos vſus admirabile. Non diffimilis facultatis eſt in roborando hepate cotoneum, & quęcunque ex eo parari ſolent auxilia, & maximè in vino auſtero immerſum: cùm enim cydonium adſtringat, & roboret, ex Dioſcor. *lib. 1. cap. 136.* & Gal. *lib. 2. alim. cap. 23.* ſi in vino ſtyptico (auſterum vocant Arabes, vt patet ex Auic. 2. *canon. tract. 1. cap. 3.* Auer. 5. *collect.* 27. Serap. *cap. prop.*) coquatur, præſtantius erit Hoc autem eſt natura ſua auſterum & adſtringens, quod ventriculo robur addit, ex Gal. *lib. 12. meth. cap. 4.* & *lib. de bonit. & vit. ſuccor. cap. 11.* quo pacto hoc vinum omnibus excretionibus opitulatur valdè, ex Galen. *cap. nuper cit.* & *lib. 3. acut. com. 7.* explicat Chriſtoph. à Vega *lib. 2. art. medic. ſect. 3. cap. 2.* Hoc non niſi ad ſiſtendam aluum vti licet; neque enim alimento deducendo confert, nec gignendo ſanguini, nec ſucci bonitati, nec ſudoribus promouendis, nec ſubducendæ aluo eſt ex vſu, ſed ſolùm vt medicamentum partes firmat, ac fluxiones ſiſtit, vt *cit. loc.* docuit Gal. Aliud ſit auſterum ex arte, iniectis, & coctis in vino medicamentis auſteris, vt roſis, cotoneis, fructibus arbuti, ilicis, fagi, corni, ſylueſtris pruni, balauſtijs, &c. quæ omnia aſtringunt, & roborandi vires obtinent.

Quòd ſi expoſtules, cur amara & calida medicamenta præſente inflammatione imponat? Dic, quòd hæc humorem impactum, fixúmque, declinante præſertim inflammatione reſoluunt, vnáque viſceri robur, ac firmitudinem inducunt. Quòd ſi ſecundò perconteris, quam acceſſionem in hepatis inflammatione, à qua febris continua, ac minimè per exacerbationes repetens, ſed inſeparabilis oritur, expectabat? Reſponde hoc verum eſſe in principio, non verò in declinatione morbi, quando ſanguis per putredinem iam abiit in cacochymiam, & pars ſanguinis putreſcentis tenuis conuerſa eſt in bilem, craſſa verò in melancholiam; quo tempore febris aſſumit formam circuitus tertianarij, & quodammodo bilioſa eſt, ex Gal. 2. *feb.* 9. & *lib. 2. criſ. cap. 12.* & ob hanc cauſam phrenitis, & pleuritis per circuitus aliquando repetere ſolent, ex Gal. *lib. 1. aph. com. 12. verſus med.* Quare abs re non eſt, poſſe præſente inflammatione hepatis acceſſionem concitari, quæ licèt ab humore actu faciente inflammationem ortum non ducat, ab illo tamen qui in genere venoſo conſiſtit, oriri conſueuit. Tu verò de roborantibus applicandis in hepatis inflammatione, lege Planerum *lib. 2. meth. n com. cap. 39. art. medic. Gal.*

HISTORIA CIV. RHASIS, De hepatis inflammatione.

Hepatis inflammatio pro colico dolore habita, copioſa phlebotomia, & refrigerantibus exhibitis curata.

Ehaleb Tabri paſſus eſt morbum calidum hepatis ex labore, & dedi ei in potu ptiſſanam, & ſimilia, vſque quò facta fuit extinctio; & ſuperuenit nunc ei dolor hypochondriorum, & inguinum, ex quo ſuſtinuit magnum laborem, & nocumentum: & plures Medici opinati ſunt, quod eſſet colica, & preceperunt ei exhibere electuaria calida, quia putauerunt ptiſſanam ei nocuiſſe. Et tunc tetigi loca dolentia, & inueni ipſa calida, & dura: & quæſiui ab eo ſi ſentiret aliquam repercuſſionem, & dixit ſatis magnam: & certificatus ſum illa hora, quòd in latere erat apoſtema calidum, & phlebotomaui ipſum de baſilica ſub aſſelari, & ſubtraxi ferè ducentas drachmas vna vice, & dedi ei in potu aquam vuæ vulpinæ, & endiuiæ, cum pulpa caſiæ fiſtulæ per aliquot dies, & liberatus eſt, &c. Rhaſis libro de mirabilibus curis, in medicinalibus libris repertis.

PARAPHRASIS.

Licèt laboris multiplex ſit apud Gal. ſignificatum, vt ex eius facundiſſima doctrina firmat Valleriol. *lib. 2. enarrat.* 10. tamen hoc loco laborem pro exercitatione eſſe intelligendum, res eſt manifeſta, apud Gal. *lib. 6. epid. ſect. 5. com.* 10. & interpretatur Valleſius & Fuchſius *in com. verborum Hip.* dum dicit, *labor articulis, &c.* confirmátque Auic. 1. *part. cantic. tract. 1. text. 143. §. Exercitium immoderatum dicitur labor, &c.* certum enim eſt, corpus præ vehementi exercitatione laborare. Ex hoc enim motu valido, calidos, inflammatorióſque viſcerum affectus oboriri concedunt omnes: nam ille non ſolùm ſanguinem commouet ac ſpiritum, háſque ſubſtantias ſuapte natura calidiſſimas tenuat, acuit, incendit, ſed in partes internas penitiſſimè diſtribuit, quarum præſentia & totum corpus inflammatur; & colliſione, confrictionéque muſculorum & articulorum, accenſo in corporis latebris calore nimio, iecus gliſcit, & excandeſcit.

Quo factum eſt, vt hac de cauſa iecur intemperiem pateretur calidam; ad quam auferendam, nullum aliud prôptius poterat inueniri auxilium, quàm ptiſſana, quæ in feruore compeſcendo interno ſummoperè prodeſt, omnibúſque præſidiis anteferenda venit, ex Hip. *lib. 1. acut. text.* 18. bilioſum enim humorem, ex motu & labore feruidum, & excandeſcentem, mulcebri humiditate contemperat, eius furioſum motum lentore compeſcit, ſqualidum iecur refrigerat, & demùm cauma extinguit. Quo auxilio, citra ſanguinis miſſionem ad refrigerandum hepar tantoperè neceſſariam, vſus eſt ſolùm, quoniam à cauſa externa, extra morboſum corporis apparatum, affectus ortum habuit; & euentus poſteà comprobauit, quem explicat per verbum (*facta fuit extinctio:*) quæ phraſis, ſeu modus loquendi eſt apud Arabes peculiaris, quum enim volunt ſignificare præſidia frigida, hæc vocant extinctoria. Patet hoc ex Auic. 4. 1. *cap. 3. §. Cum paralyſis, & febris coniunguntur, oportet priùs curare febrem extinguendo, & phlebotomando, &c.*

Sed cùm iecur eſſet impensè calidum, & continuò, vel ex probo alimento bilioſa regigneret excrementa, efferueſcente humore bilioſo, vnde dolor hypochondriorum, iterum recruduit malum. Sic enim apud doctrinam Galeni, vnam cauſam prorogationis morborum eſſe partem

curatu difficilem, nempè hepar,aut aliud interaneum membrum intemperie affectum,vnde fouetur in dies magis ac magis morbus: quæ autem ſit hæc pars curatu difficilis, interpretantur Henricus Cuelhar, & Chriſtoph. à Vega *in com.*23. *lib.*3. *prognoſt.* Hæc ergo de nouo genita recrementa, ad inguina,tanquam ad emunctoria conabatur natura detrudere; ex qua cauſa factum eſt, vt harum partium ingente ſequuto dolore, & moleſtia, nocumentum perciperet æger, nempè debilitatem, & incendium maius: nam dolor vires atterit & minuit,& alterando ſpiritus, ſanguinémque mouendo, maiorem feruorem concitat.

At cùm feratur inteſtinum colon ad iecoris cauum, & in hac parte nocumentum fortè ſentiretur; non eſt mirandum, ſi alij Medici ad conſilium huius curationis conuocati,opinarentur aliter,eſſeque dolorem colicum profiterentur palàm,cuius medelæ raro ptiſſana,& ſimilia prodeſſe ſolent. Horum opinionem eſſe falſam, manifeſtiſſima ſigna arguebant; nam hypochondriorum durities; & ad tactum caliditas,ac pulſatio,quam repercuſſionem vocat, in parte dextra inflammationem adeſſe euidenter ſignificabant.Aduerte tamen,nihil de febre ab inflammationibus internis inſeparabili loquutum; quoniam de iis quæ manifeſta ſunt,& vel idiotis patent,ſæpè non recordantur auctores; hæc enim prætermittenda ſunt, ex Gal. *lib.4.acut. com.*72. & *lib.2. de dif.reſpirat.*7. & 8. & *lib.6. epid.ſect.2.com.*30.

Sed cùm ad inflammationem hepatis,eiúſque augmentum prohibendum, nullum aliud ſit præſtantius phlebotomia auxilium, ex Gal. *lib.*13. *meth. cap.*11. quoniam in maximis inflammationibus ſaluberrimum eſt, ex Gal. 1. *aph.*23. idcircò copioſè, ſubitò, & confeſtim ſanguinem extraxit; quoniam viſcera ex calidis exhibitis electuariis erant incenſa valdè: ſic enim factum eſt, vt alij Medici hanc inflammationem pro colico dolore curantes,& medicamina propinantes calida,veluti aromaticum roſatum, diapipereon, diacyminum, & alia,concurrente ex calidorum applicatione maiori humorum copia ad partem affectam,tenuatis ſuccis,& acrioribus factis,in grauiora pericula, inflammationem ampliùs exacerbantes, ægrum duxerint. Elegit autem baſilicam præ cæteris venis, nam hæc promptiſſimè è vena caua copiam exhaurit, maiorem cum ea ſocietatem habens, ex Gal.2.*acut. com.*11. & *lib.4.de ſanit.cap.*4. Licèt enim ab omni vena fieri vacuatio poſſit, non tamen ita æquè,celeriter,ac ſimiliter.

DVBIVM LIX.

Num in phlegmone hepatis, aliquando è talo ferienda vena.

DVbitabis,cur dolentibus hypochondriis,& inguinibus, è brachio,non ex talo ſanguinem extraxerit, ſi inferioribus partibus affectis,vt vtero,veſica,pudendo,& renibus, per inferiora mittendus eſt ſanguis, ex Gal. 13. *meth.*11. & *lib. de curand.rat. per ſang.miſ. cap.*18. Auget dubitationem locus Gal.6.*epid.ſect.*1.*com.*6.vocantis partes ſuperiores, quæ ſupra iecur ſunt, inferiores verò quæ ſunt infrà: neque ſolùm hoc diſtinguit, ad partium dignitatem explorandam,vt pro earum præſtantia,magnitudinem aut periculum diiudicet; ſed ſitum partium in ordine ad euacuationem requirit. Sic enim ait, *eodem lib.*6. *epid.ſect.2.com.*14.*Aliàs autem didiciſti,membra ſupra iecur cubiti venæ ſectionem poſtulare, infrà verò crurum: in poplitibus nobis venas cædentibus,aut ſaltem iuxta malleolos,&c.* Hanc doctrinam confirmat *lib.6.aph.com.*36.§.*Videmus ſiquidem (inquit) in omnibus libris ſuis, in partibus quæ ſuprà iecur ſunt, è manibus ſanguinem emittere; in inferioribus autem, venas quæ in poplite, vel talo ſunt, ſecari iubet:* quod etiam Aëtius obſeruauit *tetrab.4.ſerm.3.cap.*12.& Gal.*lib. de curand. rat.per ſang.miſ.*18. diuidit partes in ſuperiores, inferiores,& medias: illæ dicuntur,quæ ſupra renes ſunt, caput,facies,guttur,gula,os:pulmo,iecur,& lien: quæ verò infra renes,vocat inferiores,vt ſunt vterus,coxendix,

A veſica, pudendum: medias vocat, quæ ambigunt, vt renes. Quæ partium diuiſio licèt particularis, & exquiſita ſit,parùm diſtat à ſuperiori: nam vt optimè dicebat Valleſius *lib.* 7. *com.* 4. *partium ſuperiorum vltimum eſt hepar, primum inferiorum renes ſunt:* hi enim ex altera prope ab hepate non multùm diſtant, ſunt namque ſiti prope venam cauam paululum ſub iecinore,adeò vt ren dexter iecur ipſum ſæpè attingat. Hoc pacto in hepatis inflammatione vena videtur in talo ſecanda,quoniam hepar ambigit, & tam ſuperioribus, quàm inferioribus vacuationibus ſuccumbit. Reſponde,hoc eſſe intelligendum, quando inueterata paſſio eſt, & particularis infeſtat membri affecti plenitudo: nam quando recens phlegmone hepatis eſt, copiáque ſanguinis adfuerit, & plenitudo ingens, neceſſe eſt ipſam, & ipſius cauſam,priùs facta in ſuperio-
B ribus partibus vacuatione, deponere. Sic inueterata renum paſſione, quàm nephritim vocant, è talo: *Itaque etiam miſſo ex cubito ſanguini interdum auſcultant, vbi videlicet recens fuerit phlegmone, ſanguiniſque adfuerit multitudo*, vt perbellè monebat Gal. *cit.de curand.rat. per ſang. miſ.loc.*Explicat Mena ingenuè *in com.*Sic in genu inflammatione, corpore pleno exiſtente, ex ſuperioribus partibus mittere ſanguinem conſuluit *lib.* 1. *ad Gauc.* 2. cùm fluxionis motum ad contraria retrahere expediat: cùm verò inueteraſcit malum,è talo detrahere conſultiſſimum eſt. Sic in ictero ex iecoris obſtructione ſuborto, è talo ſanguis emittendus: ſic in vteri inflammatione recenti, licèt inferior pars ſit, Fernel.2.*meth. cap.*7. cum Paul, Aët. *prop.capitibus*, & Auic.11.3.*tract.*4.*cap.*12. è cubito ſanguinem exhauriunt, & firmant Mercurial. *lib.*4. *de morb.*
C *mulier. cap.*16. Altimar. *lib.de curand.hum.corp. malis, cap.* 116. Mercat.*lib.4.de morb.mulier.cap.*12. & alij. Cùm verò depoſita eſt plenitudo, in his morbis è talo ſanguis eſt demendus.

Audacter ergo cubiti interna vena dextra, in affectu inflammatorio hepatis recenti eſt ſecanda,propterea quod è regione, & ampla via, cum vena quæ caua dicitur, ſocietatem habet, & fluentem citiùs à vena tali, quàm ad iecur ſanguinem reuellit; paritérque fluxum euacuat, vt Gal.*lib.*13.*meth.*11.non ſemel conſcripſit: præſertim cùm huius partis phlegmonas vehementiſſima comitetur febris,non ſolùm ex humore actu committente inflammationem, ſed ab eo,qui intra venas continetur, pronata,vt *lib.2.de loc.*8.& 2.*prorrhetic.*21.& 5.*de loc.*7. prædixit Galenus.

D Extraxit autem ita copioſè ſanguinem, vt non ſolùm cauſa antecedens fouens inflammationem,ſed etiam coniuncta vacuaretur: poſſe autem hanc, venæ ſectionis beneficio educi, expreſsè confirmat Gal. 2.*acut.*11. Hoc ita eſſe exequendum pluribus in locis Gal. aſſeuerat, nam in vehementiſſimis inflammationibus ardentibus febribus, ſubitò ac ſemel expedit ducere, priuſquam dolor partis augeatur, qui hac de cauſa,& nimio calore continuò fluxionem accerſit, vel febris caliditas increſcat, commotis & ebullientibus ſuccis, & in maiorem feruorem adactis; vel ad alias principes partes decumbant ij, qui nimium excalfacti furiunt humores.Hanc copioſam vacuationem, ſi adſint conditiones requiſitæ, non modò in externis,verùm in internis inflammationibus eſſe celebrandam,inter omnes probat Ambroſius Nonnius elegantiſſimè *in com.* 23.*ſent.lib.*1.*aph.* ſunt autem eæ, auctore Gal.4.*acut. com.*
E 74.*ſi virtus robuſta fuerit,viguerit ætas,ſanguis abundauerit, & laborantis natura,tum denſior,tum durior,atque ægrè magis perſpirabilis,& ſanguinis copioſi fuerit: anni etiam tempus, & conſtitutio benè temperata, ſic ſanè & regio. Nempè quòd ad animi vſque defectionem ſanguinem auferre vereamur, nobis ex his accidit.*

Quantitas autem extracta fuit 200. drachmarum, quæ faciunt numerum vnciarum 26. cum dimidia, ſi fides eſt adhibenda Galeno, qui quamlibet vnciam octo conſtare drachmis aſſeuerat, *lib.6. de compoſ.medicam. ſec.loc.cap.*1. *tit. ſtomaticum ex malis punicis Andromachi.* §. *Octo enim drachmæ vnciam efficiunt, &c.* quod confirmat *lib.* 8.*einſd. operis,cap.*3. *parum ante fin.* & *lib.*1.*per gener.cap.*8. *in fin.* Ex his conſtat vnica vice extraxiſſe duas libras cum vncia

vna

vna & dimidia. Libra enim tam menſuralis, quàm ponderalis in vncias duodecim diuiditur apud Romanos, Gal. teſte *lib. 3. de compoſ. medic. ſec. gener. cap. 5. in med.* dum ſic ait. *Porrò menſura quidem apud ipſos eſt, qua oleum metiūtur, inſecta, diſcretáque lineis, totam in duodecim partes diuidentibus, atque integra menſura ab eis libra nominatur, &c.* Hac de cauſa Georgius Agricola *lib. 1. de ponderib. & menſ.* illos medicamentarios damnat, qui libram ſexdecim vnciarum pondere conſtituunt, cùm Arabum & Græcorum medicamenta conficiunt. Hic ergo tam aceruatam vacuationem exercere auſus eſt, quam vrgente neceſſitate celebrandam eſſe docuit Gal. dum *lib. 6. epid. ſect. 3. com. 29.* in muliere illa nobili Romana, primò libram, deinde ſemilibram extraxit, & *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. 17.* pro pulſando dolore oculorum, Oeconomum Romanum infeſtante, quinque horarum ſpatio quatuor libras ſanguinis extraxit.

Sic in inflammatione partis præſtantis qualis iecur eſt, ad auferendum ardorem internum, mitigandum viſcerum feruorem, & extinguendum cauma, præſtantiſſimum eſt auxilium hoc, præcipuè ſi inflammatio in parte iecoris gibba ſita ſit; nam præterquàm quòd caua per aluum expurgatur, gibbæ inflammatio eſt periculoſior, cui citiùs auxiliares manus adhibere oportet; citiſſimam enim opē efflagitat, quoniam maius periculum importat, vt firmant Gal. *lib. 6. epid. ſect. 2. com. 14.* & Auic. 14. 3. *tract. 3. cap. 1.* §. *Et apoſtema quidem quod eſt in gibboſitate, deterius eſt apoſtemate quod eſt apud concauitatem, &c.* Quamuis enim partes iecinoris inter ſeſe continuentur, & vna non poſſit affici, quin alia illicò compatiatur; tamen ſi inter diuerſas partes fiat comparatio, pars ipſius conuexa aff. cta, concaua eſt periculoſior, quidquid *lib. 5. de loc. affect. 7.* contrarium Gal. aſſerere videatur, quem cum Auic. & ſemet ipſo concordem facere conantur Thom. à Veiga *ad cit. cap. Gal* Maſſaria *lib. 3. praxis, cap. 14. in med.* Mercurial. *cap. de inflam. hepatis,* Coſtæus *in com. cit. cap. Auic.* Carrerius *diſp 59. ad lib. 2. de loc. affect. Gal.*

Cùm verò cauſa eſſet vacuata, ad corrigendam intemperiem acceſſit, oblatis in potum aqua endiuiæ, & vue vulpinæ, quæ ab aliis ſpina nuncupatur, quæ cùm frigida ſit & adſtringens, ex Matthiolo *lib. 1. cap. 105.* qui eius hiſtoriam exactè depingit, & Lobellio *in ſtirp. obſ. aduerſ. 445.* calorem hepatis retundit, & viſceri robur conciliat. Quāuis autem præceptum ſit vniuerſale, latum à Gal. 13. *meth.* 11. vt cùm iecur phlegmone laborare cœperit, vitanda ſint expurgantia; nam ex horum exhibitione vehementior excitatur inflammatio, humore euocato per eam partem, & magis commoto: Paul. & reliqui (prædicta damna verentes, ſcientéſque nihil poſſe ab inflammata parte purgantibus detrahi, neque à reliquis, quin ea magis lædatur, & febris caliditas increſcat) vacuationem per aluum interdixerunt: tamen ſi febris remiſſa ſit, inflammatio in coctionem vergat & reſolutionem, purgationem conſulere oportet, cum Gal. *lib. 7. meth. vlt.* & *lib. 8. de compoſ. ſec. loc. cap. de his, quæ Archigenes ad hepatis inflammationem conſcripſit,* leuiſſimam illam quidem, & medicamentis mitiſſimis celebratam; & de quorum genere ſunt manna, ſyrupus ex pluribus infuſionibus roſarum, aut violarum, lactis caprini ſerum, aut ſiliquæ Ægyptiæ interaneus liquor, qui ex Arabum mente bilioſum humorem contemperat, & refringit, eúmque ſuauiſſimè per ſeceſſum educit, & bilem retorridam, & incandeſcentem citra moleſtiam euacuat, ex Auic. *lib. 2. c. 193.* Meſuē *cap. prop.* Rhaſio, 3. *ad Almanſ.* 15. Halyab. 2. *pract.* 38. Auer. 5. *collect.* 55. Serap. *lib. de ſimpl. tract. 1. cap. 12.* Actuario *lib. de compoſ. medic. aduersùs affectus qui febres comitantur.* Dedit autem diſſolutum cum prædictis aquis per aliquot dies: nam retorridus iſte humor cùm craſſiuſculus ſit, vnica vice expurgari à medicamento clementi ſufficienter nequit; & cùm ſiccus ſit, & per humiditatem caſſiæ debeat corrigi, hæc cùm pigra ſit, & inertis actiuitatis, pluribus vicibus, vt opus ſuum compleat, propinanda eſt; nam quod agens forte velociſſimo temporis ſpatio perficit, pigrum in agendo, nonniſi longiſſimo peragere valet.

QVÆSTIO LII.

Quòd plures ab affecto hepate, quàm à cerebro oriantur ægritudines. Contra Fernel. acutiſſimum.

COMMENTARIVM.

Superuenit ei dolor hypochondriorum, & inguinum.] Quoniam de hepatis inflammatione ſatis multa non citra delectum congeſſimus, illud reticendum non eſt, quod & ipſum in eundem dirigitur ſcopum, num plures ab hepate, quàm à cerebo oriantur ægritudines: nam inter has partes ſolùm poteſt eſſe diſſidium, à nullo Medicorum hactenus ſedatum? pro qua dirimenda lite omnium nouiſſimus in palæſtram literariam deſcendo. Plures ab affecto hepate, quàm ab alia principe parte oriri morbos, & tanquam ab vberrimo fonte emanare probari poteſt hoc modo. Iecur ſanguificationis eſt primum inſtrumentum, auctore Gal. *lib. 4. de vſu part. 12. & lib. 6. aph. 12. & lib. 5. de loc. c. 7.* éſtque ipſius facultas principaliſſima, ex Gal. *lib. 8. ſec. loc. cap. 7.* Cùm vnum ſit ex præcipuis noſtri corporis viſceribus, vt *lib. 2. ad Glauc. cap. 6.* admonuit Gal. ſitque veluti fons ardèns facultatis facientis humores, ex Gal. *lib. 2. prog. com. 37. & lib. de multitud. cap. 3. in med.* Quis ergo à iecore affecto plura, eáque innumerabilia mala, quàm ab alia parte ſcatere negabit?

Hæc enim pars ſi immodicè calet, & veluti igneſcit, maiorem quàm par eſt, bilis gignendo copiam, ipſámque exaſſando, bilioſos primùm, deinde melancholicos morbos progignit. Iecore enim calida intemperie laborante colliquationes accidunt, vt *cit. lib. & cap. cit. loc.* notauit Gal. Sic in ipſo affecto, & in igneam naturam degenerante, ſuperuenit ſitis inexhauſta, calor immodicus & deiures, ingens faſtidium, vomitus bilis tum ſyncera, tum eius quæ ouorum vitellis ſimilatur, quæ poſteà vel porri, vel æruginis colorem referre aliquando conſpicitur, aluus adſtringitur, ſupprimitur vrina, accidit nauſea, & totius corporis dolor contingit, vt *lib. 5. de loc. cap. 7.* monuit Gal.

Deinde à iecore calidam intemperiem patiente, omnes repullulant cutanei affectus, & tanquam à ſua primaria origine ſcaturiunt; quorum adeò ampla eſt ſylua, vt ſi eos numerare intendas, priùs in ipſo limine obruaris, quàm optatum finem attingere poſſis. Potiſſimi ſunt ophiaſis, alopecia, caluitium, porrigo, achores, tinea, cerion, ficus, pſydracia, phagedænæ, exanthemata ſubrubra, & aſpera ſummæ cutis exulceratio, hydrocephalon, talpæ, aurium tumores, polypus; & ozæna; in lingua ancylogloſſos, & ranula; in gingiuis parulis, & epulis: illud enim abſceſſum circa gingiuas factum ſignificat, qui ni ſolutus fuerit, ſuppuratur; hoc eſt ſuperfluā ex inflammatione carnem in extremo molari dente, cui dolor quandoque & febris iunguntur; in ore aphtæ, ſeu vuam, ſeu columelam, ſeu amygdalas, ſeu gargareonem occupent; In facie ſunt ſugillatio, varus, léticulæ, ficus, fauus, ephelipes, Stigma; In collo bocecium; In obſcœnis partibus vtraque gonorrhœa, vlcera quæ à calido iecore originem ducunt; in horum morborum genere etiam cenſentur thymi, ſeu eminentiæ in oſtio vteri adnatæ, modò albæ, modò rubræ, & condylomata, tubercula dicta, per ambitum vteri ſanguinem fundentia.

In extremis membris, pedibus videlicet, ac manibus fiunt paronychia, pterygion, ſcabri vngues, perniones. Sunt deinde plurimi morbi à calida hepatis intemperie pronati, qui ſedem ſibi certam non determinant, ſed in quacunque parte gigni poſſunt: ex his quidam ad tumorum genus, quidam ad vlcera ſpectant: ij ab humoribus fiunt, qui quandoque ſub cute, quandoque ſub circumoſſibus membranis, quandoque in ventre, interdum in inteſtinis, aliquando in medio horum & peritonæi, multoties in quolibet alio loco colliguntur, ſúntque eryſipelas, ignis ſacer, phlegmone, phygethlon, panus, phyma, & furunculus. Phlegmonem ſequuntur carbunculus, & gangræna, propè illum eſt anthrax, hunc ſequitur aneuryſma,

ryſma. Ad eryſipelatis genus poſſunt referri herpes tam miliaris, quàm eſtiomenus, & phlyctena, & alia, ſi quæ bilioſi humoris germina eſſe cenſentur, cuius naturæ eſt flamma volans, morbus ſanè nouus ac mirabilis, ex ieco-ris igneo calore emanans, cuius deſcriptionem propoſui *in lib. 3. de praxi admiranda, obſ.* 101.

Si tamen iecur nimia caliditate humores exaſſaſſe con-tingat, & eos ad melancholicam naturam tranſmutet, fe-rinos morbos oriri non eſt dubitandum, de quorum nu-mero eſſe cenſentur mania, lycanthropia, eflere, pſora, ſcabies, pruritus, vitiligo, lichen, morphæa, lepra, verruca, claui, myrmecia, & thymi.

Accidunt preter magnos hos, quos numerauimus mor-bos, tumores in corporis ſuperficie non infrequentes, paruas quaſdam eminentias, vel maculas repræſentantes; illas, puſtulas vel bothor; has cutis vocant defœdationes. His accedunt variolæ, & morbilli, ſudamina, epinyctis, puſtulæ lacteæ, & glandoſæ, mentagra & papulæ. Huc ſpectant cicatrices albæ, & nigræ, vibices, & regius mor-bus.

De vlcerum caterua ſunt chironia, telephia maligna, rheumatica, ſphacelos, pladara, id eſt mollia, dyſoda, id eſt fœtida, ſinuoſa, fiſtuloſa, ſciſſa, attrita, deſquammata, in-tertrigines, rhiema, caries, gutta rubra, lactamen, zerma, ſanguis mortuus, malum mortuum, cancer, lupus, natta, napta, folium, id eſt caruncula in capite aſperæ arteriæ nata, ignis ſacer, & ſi quæ ſunt his vicina alia innumera mala.

Ab hepate emanat truculentus ille affectus, morbus Gallicus appellatus, totius ſubſtantiæ morbus occultus, contagioſus, tuberculis, maculis, doloribus, vlceribus, miſeros ægros exercens, ſolo concubitu, aut alio impu-ro contactu contrahendus, cuius multiplicem fecerunt auctores differentiam. Hic ſæuiſſima ſecum afferre ſo-let ſymptomata, & adeò fera, & deteſtanda ſibi mala ad-ſciſcit, vt infeſtiſſimus humani generis hoſtis dici poſ-ſit, immò ſcortatorum miſerabile flagellum veriùs no-minandus, ex Fernelio *lib. 6. pathol.* 20. & Valleriol. *lib. 5. obſ.* 7.

Omitto varios, eóſque grauiſſimos oculorum, palpe-brarúmque morbos exteriores, & internos, quos ad ple-num recenſent Bernard. Gordon. *lib. 1. breuiarij, cap. de he-betudine.* Mercat. *lib. 1. de morb. intern. cap.* 20. Hos ab eo-dem fonte emanare nemo non videt, quum iecur ſit fons, ſedes, & origo mali huius, vt latè probat Ioan. Sporta *tract. de lue vener. cap.* 5.

Sileo inflammationes internas, præcipuas noſtri corpo-ris partes occupantes, quæ quàm numeroſæ ſint, nulli eſt non manifeſtum, de quorum numero ſunt inflammatio pleuræ, cordis, pericardij, cerebri, pulmonis, ventriculi, gutturis, lienis, renum, vteri, veſicæ, & mediaſtini, quæ quàm mortiferæ ſint ac exitiales, diſerta oratione com-probauit Gal. *lib.* 10. *meth. cap.* 5. quas à calido, feruentique ſanguine, aut humoribus nimium excalfactis à iecore ge-nitis oriri, non eſt operoſum demonſtrare.

Quid proferam de febribus à calidis humoribus origi-nem ducentibus, quæ ferè gigni non poſſunt, niſi hepar ad earum generationem, materiam ſubminiſtret? de qua-rum claſſe ſunt cauſus, vtraque tertiana, quartana, quin-tana, ſextana, ſeptana, nonana. His accedunt ſynochos, diaria, hectica, peſtifera, epiala, lipyria, ſyncopalis, ſin-gultuoſa, anxioſa, erratica, horrifica, ſudorifica, laſſitudi-naria, pemphigodes, de quibus peculiarem fecerunt priſ-ci, Barbarique præſertim, commemorationem, & Iunio-es ferè omnes: quarum febrium elegantiſſima propoſui-mus exempla *lib. 2. de praxi medica admiranda, in initio,* quę quidem febres licèt maiorem ſecuritatem importent, quàm continuæ, ex Hipp. 4. *aph.* 42. in illis tamen adſunt morbi acutiſſimi, maximi, grauiſſimi, & præ cæteris val-dè lethales.

Hi vènoſi generis morbi, etſi ad calidam cordis intem-periem formaliter reducantur, vn Gal. latè concedit *lib. 1. de diſ. feb. cap.* 3. & *lib. de cauſ. morb.* 3. materialiter tamen ad iecoris calidam dycraſiam ſunt referendi; illud enim intemperatum humores generando calidiſſimos, ad fe-

A brium, arſiuarúmque inflammationum generationem, materiam præſtat. Deinde radicantur magis in hepate morbi, quoniam corde eſt imbecillius, auctore Magiſtro *lib. 3. de facult. natural. cap.* 13. in corde autem nonniſi lon-go temporis interuallo; quoniam viſcus eſt facultatibus robuſtiſſimum, & noxium à ſe depellere poteſt; nec na-tura patitur tantum membrum citra vitæ diſpendium, gra-uiſſima damna occupare.

At cùm nulla ſimplex intemperies diu duret, ex Gal. *lib. 6. de ſanit. tuend. cap.* 2. ſed calida adſciſcat ſibi ſociam ſiccitatem; hinc calidum ſiccum hepar vitia ferè immedi-cabilia ſecum importat; generat enim feruidam bilem, ſanguinem adurit, alios humores exaſſat. Quare cùm la-pſus per ſiccitatem incurabilis veluti ſit, quia hæc maxi-mè reſiſtitiua eſt, & corrigitur per humiditatem, quæ na-

B turâ ſua pigra eſt, & in agendo iners, idcircò ad futuram ſiccitatem præcauendam, flaccidum ex nimio & adaucto calore iecur, frigidis & roborantibus medicamentis, in-tùs, extràque applicitis, tuendum, viuicandúmque eſſe coniulunt; nam plures noxas ſicca intemperies afferre ſolet, ex Galeno *lib. 5. de loc. cap.* 7. hæc enim ſi valde exce-dat, dupliciter lædit iecur; vel enim calorem auget, & acuit, vel humidum, caloris pabulum abſumendo, ipſum debilitat, vt 3. 1. *doct.* 3. *cap.* 1. Auic. edocuit. Ex hac debili-tate plura incommoda oriri non eſt dubitandum: ſit enim hydrops, cùm iecur calida ſiccáque intemperie laborat, vt cibum in probum ſanguinem tranſmutare nequeat; ſic enim ſanguis minuitur, ſpiritus diſſipantur, innatus calor diſſoluitur: quare ad hanc priuatiuam frigiditatem, hoc eſt, caloris naturalis inopiam iecur redactum, hydro-pem committit, vt ſcitè retulit Auicenna 14. 3. *tract.* 4.

C *cap.* 4.

A poſitiua frigiditate non contemnenda vitia ſubſe-quuntur: accidit enim hydrops, peculiaris hepatis affe-ctio, ſine cuius vitio fieri non poteſt, auctoribus Hip. 2. *epid. ſect.* 1. *text.* 20. & Gal. *lib. 2. prog. com.* 1. & 6. *aphor.* 43. & 5. *de loc. affect. cap.* 7. Iecore frigida intemperie affecto, tres illi famoſiſſimi affectus ſuboriuntur, variis ſympto-matis inſigniti, quos Hip. *lib. de intern. affect. num.* 32. he-paticos vocat, fiúntque cùm iecur alterare ſanguinem ne-quit, ſed ſemicoctum gignit. Fit etiam dyſenteria, quam Medici vſitato vocabulo hepaticam vocare conſueuerunt; oritúrque quum iecur perfectè coquere non valet ſangui-nem, ſed crudum gignit, carnium recenter mactatarum lo-turæ perſimilem. Fiunt etiam alij frigidi affectus, quos breuitatis cauſa prætereo, de quorum numero ſunt œde-ma, glandulæ, ſcrophulæ, & nodi, & alij, qui pitui-

D toſi humoris naturam ſapere videntur, vt omnes chro-nici morbi, ex lentis humoribus, & flatu progeniti, à ie-coris frigido intemperamento ſuborti, quorum nume-rum recenſere ſuperfluum puto.

Et cùm humiditatem illicò frigiditas ſibi compareṭ, vt 2. *aph. com.* 20. monuit Gal. plurimis partibus commu-nicato malo, varios ſuccreſcere morbos eſt neceſſe: ſic-que ob humiditatem, relaxato ventriculi ore, appetentia proſternitur; & læſa ipſius capacitate, concoctio deiici-tur, acciditque cruditas, ex qua ſola, omnis propemo-dum morborum farrago ortum ducit; quæ cùm ab im-becillitate ventriculi oriatur, & ſit coniuncta cum ea, omnium vitiorum cauſa eſt, vt bellè notauit Galenus *lib. 6. epid. ſect. 3. com.* 1. & *lib. de bonit. & vitio ſuccor. cap.* 3. nam à cruditate obſtructiones, mali habitus, podagræ,

E articulorum morbi, diuturnæ febres, paralyſes, peri-pneumoniæ, conuulſiones, ophthalmiæ, & vniuerſi pro-pemodum morbi, ceu à fonte perenni ſcaturiunt. Hac enim præſente illicò hominem adoriuntur ſupinitas ſto-machi, ſubuerſio, nauſea, vomitus, inflatio, & colicus do-lor, & ſi damnum inteſtinis communicetur, eueniunt al-ui profluuia; ſi lieni, fiunt ipſius durities, inflatio, ob-ſtructio. Demùm innumera ſunt damna, quæ ad frigidita-tem, & humiditatem iecoris ſequi ſolent, quæ *lib.* 5. *de loc.* 7. & *lib.* 8. *de compoſ. medic. ſec. loc. cap.* 8. *iuxta fin.* recen-ſet Gal.

Quid multa? nónne variis morborum generibus qua-ſi neceſſarium eſt illud membrum, quod in medio corpo-

ris

ris ſitum eſt, & tam inferiorum, quàm ſuperiorum noxis eſt expoſitum, ex Gal.*lib.6.aph.36.* & *6.epid.ſect.1. com.6. in fin.*Nónne viſcus hoc naturalium ſpirituum auctor eſt, ex Gal. *lib.12. meth.cap.5.* quorum ope noxium toti corpori tranſmittit? Nónne eſt pars neceſſaria ad viuendum, 14. *de vſu part. vltim.* ex qua emanat virtus ſecundùm quam nutrimur, augemur, cibum appetimus, aſſumptum elaboramus concoctione, ſanguificatione, & appoſitione? His ergo perſuaſus aſſerere cogor, plures ab affecto iecore, quàm ab alia noſtri corporis parte oriri morbos, ſiquidem in tantarum functionum numero, quas hæc pars perficere debet, multoties labatur ipſius facultas, eſt neceſſe.

Fernel.*lib.5.pathol.cap.4.*de hoc negotio ſuam pandens ſententiam, ſic ratiocinatur. Cerebrum omnium morborum radix eſt, atque origo: Cùm enim cerebri ampla, copioſaque medulla,multo egeat alimento,& ex hoc plurimum gignatur excrementum,ſit vt eo in inferiores partes delapſo innumeri oriantur affectus. Quoties enim illud impensè frigidum eſt, imbecille, aut multo humore turget, hunc velut ſuperuacuum in inferas ſedes propellit, in oculos, maxillas, dentes, ceruicem, ſcapulas, brachia, latera, dorſum, lumbos, artus, crura, neruorum origines, nares, ſenſuum organa, fauces, aſperam arteriam, pulmonem, & ventriculum: cùm enim ſit laxum, molle, friabile, exſangue, & ſpiritibus vitalibus animalium refectionem habens; & aſſidua operationum præſtantium actione, exhauſtis animalibus ſpiritibus, ob tenuitatem reſolutioni promptiſſimis flacceſcat, & debilitetur, frigidum ſuccum, lentum, ac viſcoſum gignere conſueuit: quapropter ipſum frigidi & viſcidi eſſe domicilium, atque metropolim diſertiſſimè pronũciauit Hip.*lib.de principiis, num.4.* cuius ſententiam ſuccinctè, & doctè explanarunt Zuingerus *in tabulis*, & eleganter Heurnius *in com.* Ex hac ſcaturigine propullulant lethales morbi,apoplexia, epilepſia,paralyſis, vertigo, carus, catalepſis, cataphora, incubus, fatuitas, amentia, externorum ſenſuum affectus, & alij diri morbi emanant.

Deinde cùm cerebrum ſit in altiſſima parte locatum, & ſit velut tectum domus calidæ, ſic monente Magiſtro *lib.9. de vſu part. cap.2.* cucurbitulæ inſtar trahit, abſorbétque partium inferiorum expirationes, quas ab il us frigiditate concreſcentes priùs, cùm præ deb litate diſcutere non poſſit, copia grauatum, in ſubiectas ſedes detrudit. Huc alludit Hip.*lib.4.de morb.num.17.§.Caput autem, & ſplen maximè ſunt morbis obnoxia, &c.* & *lib. epiſt. in epiſt. ad Demetrium, num.38. caput omnium malorum eſſe fontem* aſſeuerat: explicat Gal.*lib.6. de ſanit.cap.9.* & *2.de dif. febr. cap. 11.* Oritur ergo ex capite innumerabilium morborum aceruus.

Rectè ſanè iſthæc prolata ſunt, quæ nos non negamus: caput enim ſicut recipit promptiſſimè, ſic citiſſimè noxium à ſe depellit; vt notauit Galenus *lib. de curand. rat. per ſang.miſſ. cap.8.* At cerebrum omnium morborum frigidorum cauſa eſt; cùm ſit ſedes frigidi, & glutinoſi: ob dictas enim cauſas, lentum, craſſúmque ſuccum generare frequenter præ debilitate conſueuit, qui capitis morbis periculoſiſſimis materiam ſubminiſtrat. Facta tamen inter vtramque partem collatione, plures ab affecto hepate, quàm à cerebro læſo oriri ægritudines, non eſt dubitandum; & has paucas per primariam affectionem à cerebro, maiorem autem partem per conſenſum à iecore emanare, vſu experimentóque aſſiduo, citati priſcorum doctiſſimi confirmarunt. At de hoc argumento tam multa dixiſſe ſit ſatis.

HISTORIA. CV. GALENI, De hepatis ſcyrrho.

Hepatis ſcyrrhus exquiſitus, lethalis.

Cyrrhum autẽ hepatis ab initio quidem ſananimus ſæpiùs: vbi verò ad plures dies fortè foret extenſus, neque ipſe

A *potui ſanare, nec alium vidi qui poſſet. Omnibus verò qui ſic affecti ſunt, ex neceſſitate ſequitur aqua intercus. Pereunt autem plurimi in tempore longo. Quoſdam verò noui etiam breui pereuntes, quibus aluus multa deiiciebat, &c. Galenus* lib.2. ad Glauc. cap.5.

PARAPHRASIS.

Duris tumoribus iecur eſſe opportuniſſimum latè oſtendit Gal.*13.meth.cap.16.*nam limoſo alitur ſanguine, cuius pars, præcipuè gibba, multis, exilibúſque venis referta,obſtructionibus idcircò ſit obnia.Cùm enim iecur ſit viſcus carnoſum, & illius caro ſit veluti ſanguis concretus, vt ex Galeno *lib.4. de vſu part.cap.12.ad fin.* & *lib.6.de placit.cap.8.ante med.lib.de fœt.format.cap.2.ad fin.*
B Auicenna *1.2.doct.3.cap.2.* & *14.3.tract.1.cap.1.* à vi formatrice, ſpirituum & calidi innati beneficio, ex puriſſimo ſanguine, illud ſummo naturæ artificio, effuſo, & in ſubſtantiam iecori ſimilem tranſmutato: de cuius mira præſtantia & viribus, ſicut de eius ſitu, figura, magnitudine, compoſitione, vaſis,tunicis, neruis, temperamento, vſu, actione, ligamentis, tam multa dixerunt celebriores anatomici; ſit vt, cùm mollem habeat carnem, facilè tenues eius venæ, & deinde omnis viſceris ſubſtantia,à craſſo, viſcidóque humore infarciantur,& obturentur, qui in dies magis ac magis induratus, tenuiori parte,vi caloris, reſoluta, abſolutam perfectámque duritiem acquirit.

Hæc à veterum doctiſſimis dicta fuit ſcyrrhus, de cuius natura omnes Medici peculiarem fecerunt commemorationem; duplicem eius conſtituentes differentiam,
C quarum vnam, exquiſitum ſcyrrhum appellant, aliam, non exquiſitum. Ille, tumor eſt præter naturam, durus, & indolens, ab humore glutinoſo, craſſo, viſcido, frigido,vt eſt atra bilis, & ſuperexſiccata pituita, pronatus; omnes enim tumores ſcyrrhoſi, aut ex atra bile, aut pituita, aut vtriſque mixtis originem ducunt, vt ex Galeni mente latè, doctéque inter omnes firmauit Fallop. *in duobus tract.de tumorib.cap.1.* & *30.* alter eſt non exquiſitus, qui licèt ſit durus, non eſt omninò inſenſilis: nam hepar exquiſito ſenſu licèt non indigeat, cùm vndequaque inutilibus & noxiis excrementis, bile, melancholico ſucco, & ſero, à veſica, liene, & renibus expurgetur, vt notauit Galenus *lib. 4. de vſu part.13.* totam tamen eius carnem membrana quadam tenuiſſima à peritonæo exorta natura circumueſtiuit, in quam exiles duo inſeruntur ner-
D ui, vnus à ſextæ coniugationis ramis, ventriculi orificio & meſenterio implantatis; alter ab eo exortus, qui per coſtas excurrit: tenues ambo fuere, quoniam hepatis actio naturalis omninò erat, non animalis, neque ad motum, neque ad ſenſum animali ſanguinem præparabat. Ab his ergo neruis in proximas iecoris particulas quomodo vires diſtribuuntur, ac communicantur,qui ſatis ſunt ad deferendum illum obſcurum, & debilem ſenſum, quem illi fuiſſe neceſſarium, vt haberet ſenſum inflammationis, aut alterius morbi (alioquin non differret à plantis) & noxam à ſe depellere poſſet, vt annotabat Galenus *loco de vſu part.cit.* & *lib.5.de loc.cap.3.* & *4.* non ergo ratione membranæ huius ipſum veſtientis ſolummodo ſentit.

Vtriuſque autem ſcyrrhi cauſa eſt humor craſſus, par-
E tibus tenaciter impactus, qui interdum iecoris molem obſtruendo indurat; vel a igneo inflammati iecoris calore, tenuibus humoris partibus diſſipatis, craſſeſcit; vel talis redditur Medicorum imperitia, quando videlicet aut importuna auxilia, aut nimiùm refrigerantia, aut valenter diſcutientia inflammationibus adhibent, vt ſic humor, vel frigore induratus, vel à calore exſiccatus, lapideſcat. Hunc à cæteris tumoribus diſtingues: ab inflammatione, quia dolet; ab eryſipelate, quod non eſt durum; ab œdemate, quod tactui non reſiſtit, ſed cedit; à flatuoſis, & aquoſis tumoribus, quòd hi reddunt ſonum, vt tympanum; quæ in ſcyrrho non reperiuntur.

Tumorem autem hunc, lapidoſum eſſe, durum, indolentem,

lentem, immobilem, ac ſi eſſet clauo fixus, (in hoc enim à nodo, glandula, ſtruma, ganglio diſtinguitur) docuere Gal. 14. *meth.9.* & *2.ad Glauc.4.* & *lib.5. de ſimpl.medic. facult. cap.9.* & *lib.6.epid.ſect.1. com.2.* & *4.acut.21.* & *4. aph.com.34.* Auic.3.4.*tract.2.cap.11.* Oribaſ.*lib.3.de morb. curat.cap.50.* Actuar.*lib.2.meth.cap.12.* Paul.*lib.4.cap.32.* Vigo *lib. 2. de apoſtem.8.* & Iuniores vno ore pronuntiarunt: quod enim Græci ſcirrhum vocant, id latini durum dicunt.

Cauſam ob quam in initio ſcirrhus durationem admittat; antiquus verò & exquiſitus nequaquam; ſic exaudi. Inter initia humor non ita tenax, craſſúſque eſt neque inſolubiliter viſceri infarctus, neque iecur ita debile; tunc ergo appoſitis extrà medicamentis, aut intùs aſſumptis ſæpè curationem admittit, cùm autem eſt exquiſitus, diuturnus, iecur imbecille eſt, & induratum valdè, parùm ſpei eſt, auctore Paulo *loc.ſuprà cit.* & *14.meth.6.* nec humor ob ſummam duritiem, admittit reſolutionem. Actuarius *cit.loc.* cum Gal. *lib.7.de compoſ.medic. per gener. cap.9.* huius inſanabilitatis aliam attulit rationem, dum ſic inquit. *Qui ſenſu caret, iam ſanari non poteſt: ſiquidem qui impoſita medicamenta non perſentit, ecquenam ſpes inde auxilij expectari poteſt? cùm qui ſentiunt, eatenus ſpem faciant, quatenus etiam ſenſus ſunt participes, &c.*

Quapropter ſi ſcirrhus inſenſilis omninò ſit, iecore debilitato valdè, ipſius puſillus calor, nec medicamenta regulare impoſita, nec ad actum deducere valet. Inſuper nec ex chylo ſanguinem, ſed pituitoſum humorem, flatúque refertum progignit: tunc enim à copia humoris frigidi, craſſi, & lenti hepar obrutum, diminuto natiuo calore, & denegato refrigerio, impeditóque, obſtructiones multas, tranſitu ſanguinis & ſpiritus, ſanguificandique facultate vitiata, hydrops oritur, vt non minùs doctè, quàm fusè ad Gal.mentem explicat Valleriola *lib.1.obſ.2. de hydrope ad hepatis ſcyrrhum ſequuto.*

At cùm hydrops ſcyrrho neceſſariò ſuperueniens, morbus chronicus ſit, monente Celſo *lib.3.cap.21.* alia ſecum ducit ſymptomata, quæ licèt lethalia, diuturno tamen tempore corpus extinguere ſolent. Pereunt namque hydrope detenti, ſitibundi, difficulter reſpirantes, inappetentes, lenta oppreſſi febricula; quibus, & aliis concurrentibus cauſis, commeatu proprij alimenti deſtituti, longo temporis ſpatio contabeſcunt, quòd neque cibus, læſa & iam ſummè proſtrata naturali facultate, rectè confici, nec diſtribui, ob internas, eáſque ſcyrrhoſas affectiones commodè poſſit; quare priuatæ partes alimento extenuantur, marceſcunt, & depopulato vi caloris febrilis, humido primigenio, animal perire eſt neceſſe. Alios verò breui occubuiſſe refert, quibus alui fluxus ſuperuenit, quo accedente, vires iam exhauſtas, magis imbecillitari, & in deterius ruere certum eſt: fluxus enim hic ob naturales potentias, officináſque multipliciter viciatas cùm accidat, breuiſſimè naturam deiicit, fatigat, & premit, euenit enim ob corrupta alimenta, quæ ante corruptionem imbecilles venæ attrahere non poſſunt, cùm ſint habituali intemperie affectæ, & ſic accidit fluxus lientericus, priuatúrque corpus alimento, cùm hoc per vaſa obſtructa, nec diſtribui, nec ab hepate imbecilli attrahi poſſit. Accedit alia huius fluxus vrgentiſſima cauſa, perennis bilioſi excrementi coaceruatio, tum à putredine, tum ab inflammatione, & vehementi calore ieiuni, ex quibus morderi inteſtina, & irritari ad excretionem oportet: ex quo fluxu nec ſedantur dolores, nec internus calor mitigatur, quum ſemper eadem hectica intemperies generet excrementa, ſed labefactatis partibus, reſolutiſque viribus, circa morbi leuamen citiſſimè vires deiicit. Quapropter rectè notauit Auicenna 15.3. *tract.4. cap.4. in fin.* fluxum ventris in hydropiſi mortalem eſſe ob dictas cauſas, & maximè in hydrope euenientem, ob duritiem hepatis; qui deterior eſt illo, qui ob duritiem ſplenis accidere ſolet vt *ſuprà, in eodem cap.* propoſuit Auicenna; nam hepar pars eſt liene nobilior, & cuius actio toti eſt ſummè neceſſaria, qua pereunte, hominem mori eſt neceſſe.

Sed dices, cur ad hepatis ſcirrhum hydrops neceſſariò, & non alter affectus conſequitur; provt Gal.*lib.5. de loc. cap.6.* & *2.ad Glauc.5.* edocuit, & Paul.*lib.3.cap.46.* aſſeuerat.§.*At ſi tumor in ſcirrhoſam affectionem deciderit, dolores quidem remittunt, ſed tumor cum duritie eſt conſpicuus; quæ ambiunt partes extenuantur, & tempore procedente difficulter poterunt diſcerni: quippe aqua inter cutem protinùs comitatur, &c.* Ea eſt cauſa; nam per validas intemperies, & tumorem in parte obortum, natiuo calore veluti ſuffocato, propria hepatis facultas deiicitur, quæ ſanguificationis, alentiſque materiæ eſt organum, & ad frigidam præternaturalem intemperiem lapſa, minimè poteſt ſuo munere fungi: quare neceſſariò aquoſum ſanguinem, crudum, & alendo corpori minimè neceſſarium generat, qui tandem in ventris caua ſpatia detruſus aſcitem gignit. Et hæc pro hiſtoriæ enarratione ſint ſatis, ex tam multis quę de ſcirrhi natura, ſignis, prognoſi, & curatione referunt auctores omnes. Et nos de hoc negotio non inutilia proferemus in lucem *lib.3.in com.hiſt.42.*

DVBIVM LX.

Num hepatis ſcirrhus ab eius inflammatione oriri poſſit. Contra Fernelium doctiſſimum.

Ntequam tamen hinc diſcedam, breuibus enitar Fernelij nouam quandam opinionem palam facere, priſcorum traditionibus aduerſam valdè. Is enim ſcirrhum hepatis, ab inueterata ſæpè & contumaci obſtructione, raró aut nunquam ab inflammatione oriri poſſe aſſeuerat *lib.6.pathol.cap.4.* Propterea quod, inquit, in viſcere naturâ calido & humido, omnis inflammatio in pernicioſum potiùs deſinat abſceſſum, quàm in ſcirrhum. Hoc eſt potiſſimum huius viri alioquin diſertiſſimi fundamentum.

Hunc tamen ego vehementer admiror, qui inepta ratione, medicorum arcanorum ſcrutatores eximios, nimia peregrinarum opinionum petulantia nixus, temnit, & damnat. Quapropter cùm Tral.*lib.12. cap.1. ſect.7.* priùs veritas eſt præferenda, cùm nobis cura impoſita ſit de veritate, non de fabulis, monente Magiſtro *lib.3.de vſu part. cap.1.* hic enim nudam ex partis præſcripto ſemper habebat veritatem, ex ipſo *lib. de curand. cognoſcendiſque anim. morb. cap.8.* quare eam ingenuè proferre debemus, quando maximè de hominum vita res agitur, vt in Hipp. laudem affirmat Celſ.*lib.8.cap.4.*

Sed quoniam qui reprehendit, debet errores detegere, ex Gal.*lib.3.epid.ſect.1.com.4.* miſerè labitur Fernel.irretitus ratione dicta. Quippe licèt iecur ſit viſcus calidum, & humidum, alitur tamen craſſiori ſanguine, vt *cit.ſup.locis* Gal. edocuit: ex quo cùm neceſſe ſit, eius inflammationem foueri, patet manifeſtè, non modò ex aliis cauſis opportuniſſimum ſcirrhoſis tumoribus eſſe, ſeu etiam ex inflammatione: caloris videlicet vi, tenuioribus craſſioris ſanguinis partibus facilè exſolutis, craſſioribus terreis relictis, ex quibus ſcirrhus conflatur ſæpè, antequam abeant in pus. Hoc Gal.probè expendens 13.*meth.15.* meritò ſcripſit, ſæpiſſimè faciléque iecoris inflammationem in ſcirrhum mutari, ſi ea detentus cibis vtatur craſſos ſuccos gignentibus, cuius ſententiam principum, cæterorúmque claſſicorum vnanimis comprobauit opinio.

HISTORIA CVI. GALENI,
De hepatis debilitate.

Debilitatis hepatis, ex tenui & alba vrina præcognitio.

Doleſcens præterea quidam excernebat cum febre imbecilla rubidam proluuiem non paucam: ſæpiúſque die vno noctéque cum tepida febre: qui hinc mediocriùs habere viſus eſt, ita vt tertio die immunis eſſe à febre videretur. Ego itaque vrinas ipſius, quæ tum tenues, tum albæ inſtar aquæ eſſent, conſpiciens, iecinoris infirmitatē permanere conieci, præcepique vt occurrerem

*occurrerent huic idoneis tum epithematis, tum eſculentis, & ratione viuendi vniuerſa. Deridens verò me Medicus quidam à Theſſalo edoctus, qui non ſolùm ipſe nunquam vrinas contemplatus erat, ſed & contemplantes, * fullones appellabat, prohibuit ne homini præſidium ferretur, ſola poſt inanitionem refectione vtendum eſſe inquiens. Sed morbus ſeptimo à principio die ſuperueniens patuit omnibus eſſe hepaticus, &c. Galenus* lib. 1. prorrhetic. ſect. 2. com. 17.

PARAPHRASIS.

DE hepatica affectione eſt in hoc loco ſermo, qua fuiſſe correptum adoleſcentem hunc, res eſt manifeſta; duóque confirmant firmiſſima ſigna: quorum primum eſt, cruentæ ſaniei deiectio; ſecundum, vrinæ aquoſæ excretio, quæ inſignem hepatis debilitatem apertè demonſtrant. Adoleſcens ergo hic, febre debili, miti, & tepida laborans, multis ſcatens corruptis humoribus in venis, exonerante ſeſe natura in aluum, & deponente aquoſum illum, cruentúmque ichorem, ob hepatis imbecillitatem generatum, meliùs habere viſus eſt. Licèt enim initio morborum nihil ad bonum euacuari ſit poſſibile, quoniã oportet præire coctionem, deinde diſcretionem, & tandem euacuationem, vt bona ſit criſis, atque iudicium: & ſi quid tunc euacuetur, ſymptomaticum ſit, à natura irritata, vel à copia, vel à mala humoris qualitate laceſſita, vt bellè 4. *aph. com.* 22. & alibi paſſim monuit Gal. tamen hæ in initio morbi factæ vacuationes, vt cauſa, multoties leuãnt, quoniam maiori humoris parte vacuata, & diminuta, natura deinceps fortior euadit ſupra reſiduum, quamuis vt ſignum ſemper reprobæ ſint, vt tam multis allatis priſcorum ſententiis eruditiſſimus comprobauit Syluatic. *contr. 25. & 26.*

Ex his patere arbitror, quæ fuerit cauſa, cur tenuibus his humiditatibus rubidis vacuatis, hic meliuſculè à febri habuerit, licèt nunquam remanſiſſet immunis ab ea, quod explicat Gal. per verbum (*à febre immunis eſſe videretur:*) ſed cùm ſemper affectus ab initio eſſet hepaticus, ob hepatis imbecillitatem eueniens, ſeptimo à morbi die clariùs patuit omnibus ægrum fuiſſe hepaticum. Vocantur autem hepatici, iecorarij, ſeu iecinoroſi, *quando citra aliquod manifeſtum in viſcere malum, iecur in propriis affectionibus debilitatur,* auctore Gal. *6. de loc. 7. & 8. de comp. ſec. loc. cap. 6. & 3. de cauſ. ſympt. 2. in med.* & licèt quatuor facultates lædi poſſint, attractrix, retentrix, expultrix, & alteratrix, quum hæ ſingulis corporis partibus communes ſint; non de omnibus, ſed de poſtrema, quæ alteratrix, ſeu ſanguifica dicta eſt, propriæ facultatis imbecillitatem intelligimus: appellatur autem propria, quoniam nulli alteri corpori parti eſt communis, vt cæteræ dictæ: licèt autem contineatur ſub alteratrice facultate, ſpeciatim tamen ſanguifica vocatur, ex propria iecoris eſſentia, & ſubſtantia, ac peculiari quadam eiuſdem temperie emanans.

Hanc cruenti ichoris vacuationem ex frigida hepatis intemperie, præſente miti etiam febre, ortum duxiſſe, exſoluto videlicet hepatis calore, Gal. oſtendit *locis ſuprà citatis.* Vel enim alui ſedimina, aquæ in qua nuper mactata caro abluta eſt, ſimilia eſſe videntur, vel fæci ſanguinis ſimilia deiiciuntur; hoc ſuperaſſantis ſanguinem hepatis indicium eſt; illud, illius non potentis præ imbecillitate ſanguificare. Nihil enim inconuenit quominùs frigida intemperie hepar laboret, & ex aquoſo ſanguine corrupto, tenuibúſque humiditatibus putrefactis cor ponatur in calefacto eſſe, vt in febri ſyncopali orta ex ſuccis crudis, hydrope, diuturnis obſtructionibus, morbo Gallico quotidie experimur; per quos morbos febris concitatur lenta, ex viſcerum internis obſtructionibus ſuborta, maior aut minor, pro obſtructionis magnitudine, vt diſertè monuit Gal. *lib. 7. meth. cap. 4. in med.* & inter omnes agitat eleganter Fernel. *lib. 4. pathol. cap. 8.*

Rubentes has proluuies, aquoſo ſimul & cruento ichore permixtas, debilis hepatis eſſe certiſſimum ſignum, ſuprà ex Gal. mente *in com. hiſt. 101.* prædiximus, eáſque malas eſſe in omnibus morbis, in hoc loco monebat. Hipp. vtpotè quæ huius principis membri ſummam debilitatem demóſtrant; & in hoc adoleſcente, etiam veritatem habet, qui licèt à febri meliùs haberet, hepaticus remãſit, vrinas tenues & albas, inſtar aquæ excernens, quæ hepar refrigeratum manifeſtè oſtendunt, quæ omnia futurum euentũ periculoſum ſignificant: nam temporis ſpatio colliquationes fiunt, primò humorum, deinde carnis ipſius hepatis, quinimò totum corpus abſumitur, & corrupto in viſcere ſanguine; febris intenſior ſuperuenit, quæ tractu temporis vel in tabitudinem immedicabilem, aut hydropem commigrat, vel interficit.

Hoc ita euenturum præſagiebant vrinæ tenues & albæ, quæ vehementem iecoris intemperiem frigidam arguunt, & extremam cruditatem ſignificant, ex Gal. *lib. 4. aph. 72.* extinctionémque natiui caloris denunciant, ex Gal. *lib. 1. criſ. 12.* de cuius cauſa, & præſagiis *in com hiſtor. 133. infrà* dicemus plura. At Theſſalicus ille Medicus vrinarum contemplationem deſpiciens, homini auxilium ferri interdixit; inſpicientes vrinas, fullones appellans: ſunt autem hi, qui curanda, poliendáve veſtimenta cum vrina curant, ex Plauto *in Aulul.* Plin. *lib. 28. cap. 6.*

Huius morbi ſanandi ſcopum vnum eſſe Galenus prædixit *loc. ſuprà cit.* nempe vt intemperies eum faciens corrigeretur, quæ cùm frigida eſſet, calefactionem deſiderabat. Epithemata ergo, eſculenta, & viuendi rationem vniuerſam, calefaciendi vires habere debuiſſe, conſtabat apertè. Qualia ſint epithemata iecori imponenda, adſtringentia, & roborantia, & è qua materia parari debeant, *ſuprà in com. hiſt. 103.* ex mente Gal. pronuntiauimus. Sub eſculentis etiam comprehendiſſe Galenum non ſolùm quæ in cibum aſſumuntur, ſed eſculenta medicamentoſa, negare non poſſum, vt vuam paſſam, crocum, mel, vinum, quæ omnia cibi, & medicamenti conditionem ſubire, *cit. loc. ſec. loc.* monuit Gal. nam hæc, & præſertim vua paſſa, adſtringunt, & affectum viſcus roborant, intemperiem ſanant, ſuccos crudos concoquunt, hepati ſunt valdè familiaria. Rationem viuendi vniuerſam à Galeno pete *loc. cit.* cuius doctrinam examplificauit ex priſcorum mente Altimarus *lib. de curand. malis, c. 82.* Ludouic. Mercat. *lib. 4. de morb. internis, cap. 3.* Vidus Vidius *lib. 10. de curat. membr. cap. 7.* Chriſtoph. à Vega *lib. 3. art. medic. ſect. 8. cap. 1.* Holler. *lib. 1. de morb. intern. cap. 34.* De cauſis verò huius affectus, lege apud eruditiſſimum Carrerium *cap. 1. ad libros de loc. affect. diſp. 68.*

QVÆSTIO LIV.

Quòd vrina præſtantius ſignum ſit, quàm pulſus. Contra Mercatum doctiſſimum.

COMMENTARIVM.

FVllones *appellabat.*] Signum ab vrina deſumptum magni faciendum eſſet vbique prædixit Galen. *tanta enim eſt vis vrinæ in febribus, vt ſoli ipſi credendum ſit,* ex Gal. *l. 6. epid. ſect. 1. com. 10.* Quum enim, auctore Gal. *lib. 2. progn. 26.* in morbis iecoris, vaſorum renum, veſicæ, atque vaſorum vrinariorum, nullum planè neque manifeſtũ, neque euidens haberi ſignum poſſit, præter ſolam vrinam, fit vt hæc harum partium affectiones indicet, vaſorúmque ſanguinem continentium, & virtutis ſuccos generantis, tum robur, tum imbecillitatem oſtendat. Quapropter ad iudiciorum dignotionem, prædictionem, concoctionem, aut cruditatem eorum quæ in vaſis continentur, ſummè conferre ſolet. Ex his patet ſummoperè reprehendendos eſſe, quotquot in vniuerſum vrinarum inſpectionem, atque cognitionem, tanquam incertam, & inutilem damnarunt; hac enim ratione Hippocratem & Galenum, qui frequenter harum mentionem faciunt, irrident; & rationi, experimentóque vehementer aduerſantur.

Vrina eſt ſerum ſanguinis, & aliorum humorum, quod à renibus per venas emulgentes attrahitur, & in veſica coacernatur, & deinde per penem excernitur, vt docuit Galen. *lib. 3. epid. ſect. 1. com. 6.* Quare ſi hoc verum eſt, quidquid in ea præter naturam apparuerit, aut venas, aut veſicam malè ſe habere indicabit. Vrina ergo in venoſi generis affectibus eſt ſignum cæteris præferendum,

vt 1.criſ.7.& 12.& 3.eiuſd.5. & alibi paſſim Gal. edocuit: omne enim quod deciditur, refert naturam eius à quo deciditur. Hæc eſt cauſa, ob quam *3.epid. ſect. 2.com. 6.* ex mente Hippocratis præcipiat Gal. non ſolùm in affectibus venoſi & arterioſi generis, ſed thoracis, cerebri, neruorum, ventris,& inteſtinorum, vrinam eſſe contemplandã:nam quando bona eſt,non paruum ad ſalutem momentum habere ſolet, ſi tamen praua eſt, amplificat ægri periculum:ſi enim non rectè ſe habent iecur & venæ,pluráque principia laborant, morbus malignior exiſtit, vt rectè explicuit Duretus *in Coacis, lib.3.tr.4.de vrinis,in com.text.1.*

Hæc puto fore ſatis, ad refrænandam illorum contumaciam, qui ſignum ab vrina deſumptum nullius eſſe momenti obnixè contendunt, pulſui ſoli, tanquam ſigno minimè omnium fallaci animum adhibentes, ſignum ab hoc deſumptum, tam ad prædicendam mortem, quàm ſalutem, illi præferendum quod ab vrina deſumitur, arbitrantes. Pulſus enim cùm ſit actio facultatis vitalis, illius diſpoſitionem ſignificat; vrina verò ſolùm facultatis naturalis ſtatum indicare ſolet: quare cùm vitalis magis ſit naturali vitæ neceſſaria, cuius actione ceſſante extempore animal extinguitur, & naturali ceſſante vita durare ſolet, ex Gal. *lib. 5. de loc. cap.1. & lib. 2. de rat. vict. in morb. acut.com.*47.fit vt ſignum pulſus vrinæ præferendum ſit ex horum mente.

Ludou. Mercat. *in præfat.ad libros de pulſ.arte,& harmonia*, quæſtionem hanc ſic dirimendam putat, vt pulſus morti prædicendæ certius ſignum præſtare poſſit;vitæ autem vrina:nam pulſus quantumuis bonus ſit,ſolùm virtutem conſtare ſignificat, neque hoc ſatis ad ſalutis præſagium eſt;fieri enim poteſt, vt morbus qui in præſenti mitis eſt, deinceps ingraueſcat, & vehementior virtute euadat. vrina verò optima non ſolùm virtutem rectè valere demonſtrat, ſed morbum, & illius cauſam eſſe deuictam, in quo ſalus conſiſtit. Deinde. Vrina exitialis non tantam vim habet, ac pulſus peſſimus ad prædicendam mortem, quoniam cum pulſu abolito, aut deficiente, aut intermittente per tempus duarum pulſationum,nullum vidit euaſiſſe Gal. *lib. 2. de præſag. ex pulſ. cap.* 4. cùm vrina tamen nigra multi liberantur, ex Hip. 1. *epid. ſect.3.text.* 20. & Epicratis vxor reddens vrinam ſubnigram vſque ad vndecimum,euaſit,*in text.*2.& mulier moroſa in Thaſo *lib.3. epid.ſect.3.text.*84. cum vrina nigra, & tenui ſeruata eſt. Sed cùm hi hanc vrinam redderent alia ex cauſa, quòd melancholicus humor eſſet ſuppreſſus, qui per menſtrua, aut hæmorrhoïdes vacuari ſolebat, idcircò ij euaſere; vt latiùs infrà *in com.hiſt.*132. explicabimus. Vnum tamen aduertas quæſo, Gal. huic opinioni contradicere *lib.1.criſ.cap.*12. vbi affirmat neminem ſe vidiſſe cum vrina nigra liberatum. Igitur tantam vim habet vrina peſſima, quantam pulſus peſſimus ad prædicendam mortem.

Dicendum ergo eſt ſignum ab vrina deſumptum,abſolutè præſtantius eſſe illo, quod à pulſu elicitur. Vrina enim vtilis eſt ad prædicẽdam criſim,ipſius perfectionem, aut malitiam,ad cognoſcenda tempora,indicandam morbi cauſam,& ſpeciem illius diſtinguendam. Deinde in pulſu neceſſariæ differentiæ conſiderantur,quæ vix percipi poſſunt,& maximè ſi eas in vna pulſatione animaduertas:hęc enim omnia diuturnam exercitationem requirunt tactus, iudicij & memoriæ perfectionem præſupponunt,quæ vix in Medico queunt inueniri. Differentiæ tamen vrinarum facilè vſu comprehenduntur, & minùs in eorum cognitione Medicum aberrare contingit.

Neque ſignum quod ſumitur ex pulſu præferri debet, quia ſit ſignum actionis facultatis vitalis, quæ videtur eſſe magis neceſſaria vitæ, quàm naturalis; nam omnes virtutes ad tutelam vitæ ſunt neceſſariæ, & quacumque earum pereunte, reliquas perire eſt neceſſe, *vt lib.7. meth.vlt*, docuit Gal. Hoc tamen diſcrimen eſt, quòd facultate vitali ceſſante ab actione, protinus ceſſat vita: ceſſante facultate animali, reliquæ virtutes breui tempore ceſſant: otiante tamen naturali,longo temporis ſpatio reliquæ virtutes permanent, *vt cit. loc.* docuit Gal. §. *Magna eſt cordis officij dignitas, &c.* Licèt autem ad vitæ conſeruationem omnes virtutes neceſſariæ ſint in morbis, non tamen omnium æquale robur deſideratur; nam in febribus putridis firmitudinem vitalis, & maximè naturalis requirimus: illæ enim coctione, & expulſione humoris debent perſanari, vt inſinuauit Gal. *lib.11. meth. cap.6. §. Neque pulſus,&c.* in thoracis morbis, non vitalis, & naturalis, ſed animalis robore indigemus, quoniam non coctione, ſed expurgatione ſoluuntur, quæ huius opere perficitur. In affectibus capitis, & neruorum, vigorem facultatis animalis exoptamus. Quare in morbis, provt hæc, vel illa facultas, magis aut minùs neceſſaria eſt, ſic ſignum ſumptum ab actione illius eſt certius: veluti in apoplexia, & epilepſia, maior fides habenda eſt ſenſui, motui, & reſpirationi, quàm pulſui, & vrinæ: & in morbis thoracis, potiſſimam reſpirationi, & ſputo adhibemus fidem; veluti in febribus putridis, pulſui,& vrinæ, vt ſcitè notauit Iacchæus *lib.4. inſtit. medic. cap.* 4.

Quòd autem huic maiorem prærogatiuam adhibere oporteat,ex Hipp.auctoritate ſatis patere arbitror.Is enim licèt in præſagiendo peritiſſimus fuerit, & de hoc inſtituto plurima conſcripſerit ſempiternæ memoriæ commendanda,tamen nec pulſus,nec facultatis vitalis, aut reſpirationis pulſui ſimillimæ reminiſcitur, niſi rariſſimè, etſi pulſuum notitiam exactè calluerit, provt *ſuprà in com. hiſt.* 12. latiùs enucleauimus; quum varios morbos proponens, vrinæ frequentiſſimam faciat commemorationem; manifeſtè docens, ſignum ab vrina deſumptum præſtantius eſſe, illo quod à pulſu depromitur. De quo argumento lege Valleſium *lib.3.cont.cap.*1. & priùs prædixit Gentilis 2. 1. *doct.3. dub.*2.

HIST. CVII. AVENZOARIS,
De dolore hepatis.

Hepatis dolor, vnguento ex oleo nucum,& de vitellis ouorum facto, perſanatur.

ET oritur aliquando in panniculo hepatis extenſio, ſicut in aliis membris conſueuit euenire, vnde ſequitur dolor fortiſſimus, quaſi intolerabilis, & apparet patienti quòd hepar ſit quod doleat,& eſt ſenſus huius panniculi acutiſſimus,propter multitudinem paruorum neruorum in ipſo contextorum. Ego autem paſſus fui hunc dolorem, & curaui me inungendo locum cum oleo de vitellis ouorum, & nucum æqualiter mixtis, & liberatus fui in ipſa die, &c. Auenzoar. lib.1. theizir, tract.13. cap.4.

PARAPHRASIS.

IEcur obtusè ſentire, quoniam illi minimum neruum dedit natura, lata oratione confirmat Gal. *lib.4. de vſu part. cap.*13. nam neque ad motum, neque ad ſenſum futurum erat animali ex vſu; ſentit tamen quàm plurimos morbos, non affatim, vt aliæ corporis particulæ, quòd neruus cùm ſit paruus, qui in tunicam ambientem diſtribuitur, aut non omninò in viſcus, aut non in totum ſeſe inſinuat,explicat Petrus Paulus Permumia *lib.2. de curat. arte in med.*

Ab auctoribus variæ cauſæ ſolent aſſignari, ob quas iecur dolere poſſit, quas ſummatim recenſet Auic. 14. 3. *tract.2. cap.* 9. eæ ſunt flatus incluſus diſtendens, craſſus,contumax, & difficulter reſolubilis. Intemperamentum calidum,aut frigidum,humorum copia grauans,acrimonia mordens,viſceris obſtructio, inflammatio, aut ſolutio continui.

In diuerſis eius partibus dolorem excitari,nullus Medicorum it inficias. Quippe ſi doloris cauſa in profundo carnis ipſius hepatis vrgeat,ratione ſui,nullus aut paruus excitabitur dolor: nam iecur vi ſentiendi hebeti præditũ eſt. Verùm ſi in vaſis ipſius viſceris, doloris ſit cauſa,pungens & tenſiuus aderit dolor. Sicut dum panniculus,ſeu membrana tenuiſſima totum iecoris corpus circumueſtiẽs,dolitabit,acutus erat,& intolerabilis,ex Gal. *lib.6.aph.com.*5.

ob

ob nerui portionem, quæ ex ſexto ferè neruorum cerebri coniugio ad eius tunicam diſſeminatur.

Hunc autem dolorem, quo vexatus fuit auctor hic, à flatu habuiſſe ortum, retento & inſpiſſato ſub panniculo patet, quoniam, vt *cit. loc.* docuit Auic. *quum non eſt febris, & dolor eſt vehemens, tunc cauſa doloris hepatis eſt ventoſitas:* & maximè quia applicitis anodynis ceſſauit ſubitò, quod eſt flatus proprium, maximè ſi non ſit nebuloſus, & craſſus: tunc enim medicamẽtorũ calidiorũ ope facilè diſcutitur.

Dolor hepatis illicò mitigandus, nam timor eſt, ne cõfluentibus humoribus, in inflammationem commigret affectio. Quare flatuoſa ſubſtantia, qua frequenter fœminæ ob vteri conſortium, iuxta iecoris regionem premuntur, & viri potui nimio indulgentes, otioſi, & qui crudis ſuccis ſcatere ſolent, abſumenda anodynis, quæ reſoluendi, & diſcutiendi vires habent.

Nec mireris localia, citra totius vacuationẽ, ipſum imperaſſe; nam acutus dolor eſt ſymptoma ad ſe trahens curationem totam, præſertim ſi corpus purum ſit. Hac ratione Hipp. *lib.* 2. *acut.* 1. *lateris dolorem ſiue is per initia, ſiue poſteà obortus fuerit, calidis fomẽtis reſoluendum eſſe prædixit:* nam ſi materia eſt pauca, fotus ipſam reſoluit, & minuitur aut ceſſat dolor; ſi multa, & plethoricum corpus, intenditur dolor, & ſignum eſt quòd corpus vacuatione indiget. Sicque fomentum fit ſignum curatorium, & diagnoſticum. Hoc Hippocratis conſilio ducti Medici, fomenta tam humida, quàm ſicca citra totius corporis vacuationem, in corporibus puris ſæpiſſimè imponunt ad diſſoluendos flatus, de quorum numero eſſe fotum ex aqua calida, furfure, ſale, milio, ibi Hippocrates inculcat.

Inter tanta præſidia pro flatu reſoluendo indonéa, oleum ex vitellis ouorum, nucum præcipuè elegit, quoniam mulcebri qualitate, & temperata vi, modicè reſoluunt, tenuium cùm ſint partium, & ſic dolorem leniunt, materiam flatulentam digerendo per cutis ſpiracula in halitus: quæ licèt relaxent, adſtringentiáque viſcus deſideret; tamen non ob id reprobanda, nam intentio ſolùm fuit ſedare ſymptomata, ſtyptica autem arctant, flatúſque excerni prohibent. His ergo auxiliis ſi non ſedaretur dolor, non dubito quin phlebotomiam, réuulſionis & præſeruationis cauſa, exequendam imperaſſet.

De olei ex vitellis ouorum facultate pro leuando dolore, plura diximus *in com. hiſt.* 59. *lib.* 1. quo loco, quomodo immani dolori, ſubitò omnibus neglectis ſit occurrẽdum, ex veterum mente pronuntiauimus; de cuius olei vi mira, lege Ioannem de Boys Pariſienſem pharmacopolam doctiſſimum *in tract. de oleis*, & Hieronym. à Touar Hiſpalẽſem *tract. de gradib. medicin.* qui eius dotes exactè delineãt.

Oleum verò nucum dolores ſedare, auctor eſt Meſuë *tract. de oleis, tit. proprio*, quod exemplum olei amygdalini parare docuit Dioſc. *lib.* 1. *c.* 34. Hoc ergo modicè calefacit, penetrat, rarefacit, digerit, concoquit, partẽ æquabiliter demulcet, & ſic dolorem lenit; quæ omnia conueniunt etiam oleo de vitellis ouorum, & in anodynis medicamentis exoptat Gal. *lib.* 5. *de ſimpl. medic. facult. c.* 18. Inſuper flatus craſſos diſſipat, neruis attritis, vel punctis, præſertim cum calce lota confert eximiè, & ſcabiem ſanat.

Ex his colliges manifeſtè erraſſe Mathiolum, eiúſque ſimiam Lacunam *in com. cit. cap. Dioſcorid.* qui hoc oleum nullius eſſe in medicina vſus tenaciter contendunt. Nam oleum è nucibus inglandibus expreſſum, eandem vim habere cum Balanino; quod eſt ad multa vtile, ipſe Dioſcorides apertiſſimis verbis confirmat. Et præter Meſuæ auctoritatem, Auic. *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 501. hoc oleum herpeti eſthiomeno, & eryſipelæ, fiſtulíſque in partibus oculi conferre, teſtatur. Plinius *lib.* 23. *cap.* 4. alopeciis, ſurditati auxiliari affirmat. Galenus *lib.* 7. *ſimpl. de nuce*, hoc oleo Gangrænas, carbunculos, & ægilopas à pluribus ſanari aſſeuerat. Doctè igitur ſcribunt Doctores omnes, id calore & tenuitate eſſentiæ flatus diſcutere: cuius vires in dolore colico pluries ſe obſeruaſſe cum vtilitate, ait. Syluius doctiſſimus *in com. cit. Meſuæ. contextus*. Præſtat ergo illud in officinis paratum habere; de cuius poteſtate lege V Vekerum, & Bernardum Deſſenium *tract. de oleis, ti. de oleo nucum.*

Lib. II.

A

HISTOR. CVIII. GALENI, De abſceſſu hypochondrij.

Abſceſſus muſculorum hypochondrij cognitio.

Etenim Steſianus cùm Medicorum indiciũm ſubiiſſet, neſciò quo pacto eorum non pauci abſceſſum in ipſius hepate conſiſtere crediderunt. Sed cùm poſtea longo temporis ſpatio nihil ſe in melius proficere ſentiret, me quoque vocauit. Igitur ſimulatque domum vbi iacebat, fuiſſem ingreſſus, aſpiciens eum, hoc inquàm ſcias velim, nullum tibi eſſe in viſcere vitium: ſed quid aliud te moleſtet, nudatis præcordiis declarare conabor. Inueni B *ergo in profundis muſculis abſceſſum, contracto iam pure, in medio ſpatio eorum muſculorum, qui per tranſuerſum incedunt, atque eorum qui obliquè ab infernis ſurſum tendunt, qui medij ſunt inter eos, qui tranſuerſi peritonæo incumbunt, atque eos qui ſub externa cute obliqui deorſum feruntur, &c. Galenus* 1 b. 5, de loc. affect. cap. 7.

PARAPHRASIS.

IN methodica morborum curatione, ab affectis partibus magnam ſumi indicationem, atque pro harum varietate auxilia excogitari, Galenus pluribus locis confeſſus eſt, & in hac hiſtoria confirmat manifeſtè. Nam iecoris temperie mutata, humores quoque huiuſmodi vitio afficiuntur; quoniam ſanguinis officina eſt iecur; qua vitiata, ſanguinem vitioſum per vniuerſas corporis partes delatum, & diſtributum, cutis quoque inficere colorem eſt neceſſe. Sicque interdum herbis pallore candentibus totum corpus manifeſtè aſſimilatur; aliquando plumbi colorem induit, ita vt colores varij ſint pro natura patientis loci: nam nigriores fiunt malè affecto ſplene; hoc enim viſcere ad attrahendum ex hepate atræ bilis humorem, & ad repurgandum ſanguinem debilitato, teter hic humor vnà cum ſanguine in ambitum corporis delapſus, totius colorem nigredine conſpurcat.

C

Coloris ergo cùm nullum vitium in Steſiano conſpiceret Galenus, damnum ex eo nullum in viſcere, hoc eſt, hepate, & liene adeſſe affirmauit. Sed cùm Steſianus in ventris inferioris regione dolorem, atque alia ſymptomata pateretur, & auxilia illi parti fuiſſe adhibita ab aliis Medicis, Galenus accepiſſet, præcordia, & ventrem ipſum tangendum admonuit. Eóque inſpecto abſceſſum in ſpatio inter muſculos, cum pure protinùs agnouit; nam, vt *lib.* 2. *ad Glauc. cap.* 7. monebat Magiſter, abceſſus cùm ſuppurantur, cedunt, digitis prementibus non reſiſtentes, qui cùm in ſumma cute conſiſtunt, facilè dignoſci poſſunt.

D

Et licèt abſceſſus dupliciter ſumatur apud Medicos, ex Gal. 6: *epid. ſect.* 4. *com.* 39. & *lib.* 2. *ad Glauc. cap.* 7. vel pro decubitu humorum in aliquam partem, vel pro humore collecto in ſuppurationem conuerſo; vel conuertendo. Hoc ſecundo modo accepiſſe Galenum hoc loco, eſt veriſimile. Huius curationem non appoſuiſſe ex eo conſtat, vel quoniam in libris de patientibus locis de ſola partium noſtri corporis affectarum cognitione; ſermonem inſtituit; vel quia huius curatio omnibus manifeſta eſt; & ab ipſo *lib. cit. ad Glauc.* ſatis expoſita. Nam primò oportet ſola abſceſſus ruptione, & apertione, pus contentum extrahere; & ſi partes, quæ circa ſectionem ſunt, liberæ ſint ab inflammatione (dicebat ille *loc. cit.*) emplaſticis vtere medicamentis, ſuauibus & minimè mordentibus, & quæ citra doloris ſenſum reſoluant. Si verò pars aliqua ſectioni circumſtans, inflammata fuerit, medicamentum quod ex Chalcitide conſtat, oleo liquefaciens, ſit tibi ex vſu. Quomodo verò Epigaſtrij muſculi, quatuor contenti coniugationibus, ſecundùm latitudinem, & longitudinem, per medium totius ventris extendantur, docent Gal. *lib.* 5. *de vſu part.* & *lib. de muſcul. diſſect. cap.* 26. Columb. *lib.* 5. *de muſcul. cap.* 22. quibus autem notis inflammatio muſculorum ventris deprehendatur, exponit Trall. *lib.* 3. *cap.* 15.

E

De nomine verò, abſceſſus, differentiis, cauſis, ſi pulchra ex Hipp. & Gal. mente ſcire aues, lege Ludouic. Mercat. *tom.1. ſuor. operum, claſ. de ſignis criticis, quæſt.* 200. *num.* 27. & Vidum Vidium *lib.* 5. *de curat. memb. cap.* 11. *&* 12. qui inter omnes librorum prognoſticon Hippocratis interpretes, de hoc argumento elegantiùs diſſeruerunt.

HISTOR. CIX. GALENI, De hypochondrij murmure.

Murmur hypochondriorum ſero lactis miteſcit.

Serum tamen lactis, ſale, & melle condientes, quibus hypochondria murmurant exhibuimus: & iuuantur citata ipſis aluo, &c. Galenus lib. 5. aph. com. 64.

DVBIVM LXI.

Num ſerum lactis hypochondriis murmurantibus ſit ex vſu.

PARAPHRASIS.

Hypochondrium ſignificat ventris ſuperiorem partem à latere in latus ſub coſtis, non tantùm ipſa latera, ſed & mediam partem quæ ventriculo reſpondet, vt enim *lib.* 1. *progn. com.* 26. docuit Gal. intima hypochondriorum ſunt, iecur, lien, ventriculus, & peritoneum, quod refert *lib.* 3. *epid. ſect.* 1. *com.* 1. Hoc debet eſſe in naturali ſtatu, ſine dolore, molle, æquale dextra, ac ſiniſtra parte exiſtens, *vt lib.* 1. *prog. text.* 23. *&* 3. *Coacar, text.* 1. firmauit Hippocrates.

Si verò hypochondria, pluſquàm naturæ conueniat, ex flatu diſtendantur, & murmurent, quod colliges ex ventris ſtrepitu, & motu; tunc ſerum lactis medicatum ſummoperè prodeſt. Hoc expreſsè docuit Hipp. *lib.* 2. *epid. ſect.* 6. *in init.* dum ſic ait. *Si hypochondrium diſtentum fuerit, comprimere manu, & leuare: aquæ recedentis à lacte, octo cotylas bibendas dare: ſi autem vomat, & non bibet, allij intritum acutum, &c.* Cùm enim hypochondriorum diſtentiones fiant à flatu, aut aqua, aut crudis ſuccis eo loco redundantibus, ſerum lactis, quod aquam recedentem ex lacte vocat, mirum eſt præſidium.

Licèt enim medicamen hoc frigidum ſit & humidum, auctore Galeno *lib.* 4. *ſimpl.* 17. cùm tamen nitroſa, acrique vi præditus ſit, idcircò Gal. 3. *de aliment. facult.* 15. & Meſuë *tract. de ſimpl. tit. de ſero lactis*, id calidum conſtituunt; quæ loca doctè conciliant Manardus 16. *epiſt.* 5. Amat. *lib.* 2. *Dioſcorid. in com. cap.* 64. Ioan. Brau. *lib.* 12. *de ſimpl. cap.* 20. Quare etſi frigidum ſit à prædominio, tamen acutis partibus modicè flatulentum humorem, ſalſum, & melancholicum expurgat, viſcera roborat, & deobſtruit. Quamuis autem frigidum calidum poteſt dici: ſic violam, & maluam interdum Galenus frigidam, aliquando calidam, ſicut alia plura medicamenta appellat. Conſule acutiſſimum Ioubertum *lib.* 1. *paradox.* 6. de hac quæſtione argutiſſimè diſſerentem.

Vt tamen expurgatio ſero lactis celebrata optatum finem conſequatur, tria efflagitat: Primum, vt ſerum debeat eſſe lactis caprini; nam hoc cæteris temperatius eſt, ex Meſuë *loc. cit.* Sub dio exponatur, ſi enim accepto rore à cœlo demiſſo, qui ſuaptè natura purgare poteſt, redditur magis refrigerans, & expurgās. Nec ſerenus, nocturnúſque aër acrimoniam, quæ purgandi vim habet, abſumere poteſt: tantum enim abeſt, vt hoc contingat, vt potiùs noctis, & aëris frigidi repercuſſu vis ipſa vniatur: vt videas quo in errore verſetur Garzias Lopius *lib. de varia rei medicæ lectione, cap.* 28. qui hac ductus ratione ſerum ſub dio non eſſe exponendum pugnaciter contendit.

Secundum. Vt ſumatur medicatum; & præparatum iis quæ ipſius frigiditatem aliqualiter retundant, vnáque internas partes roborent, vel deobſtruant, vel expurgent

A humorem, qui morbi cauſa eſſe ſolet. Cùm enim ſerum ſit materia, in qua omnia medicamenta infundi poſſunt, tum quoniam facilè ob tenuitatem ſubſtantiæ vires medicamentorum in ſe imbibit, tum quia eſt temperatum, vel parùm ab eo recedit per frigiditatem, tam morbis calidis, quam frigidis, & ex craſſo humore ſubortis, ſummo eſt vſui. Sic Gal. illuſtrem illam Romanam herpete in malleolo laborantem ſanauit, ſero exhibito, in quo clanculum ſcammonij minimum erat immiſſum *in lib.* 14. *meth. cap.* 17. Sic meſuë ad biliosas febres rhabarbarum, ſummum eſſe auxilium aſſeuerat, *tract. de medic. ſimplicib. tit. de ſero lactis*, ſi in aqua caſei infundatur. Cùm enim bilioſus, tenuiſque humor, faciliùs quàm craſſus, glutinoſus, terreſtris, & niger vacuetur, ex Galen. *lib.* 14. *meth. cap. nuper cit.* Serum illum facillimè expurgat, &

B maximè ſi in eo per noctem madeſcant cholagoga, vt violæ, roſæ, tamarindi, ſiliqua Ægyptia, rheum, myrobolani citrini, & plura alia, vt notauit Ioan. Vvitrichius *conſil.* 33.

Hoc modo pro melancholico humore expurgando, in Cancro, eo vtitur Gal. *lib.* 14. *meth. cap.* 9. *& lib.* 2. *ad Glauc. c.* 10. permixto cum epithymo, vel aliis quæ atram bilem vacuare nata ſunt. Ad pituitoſos humores educendos, infundimus quæ pituitam expurgare queunt, vt ſunt Agaricum, cucumis ſylueſtris, ebuli radix, hermodactylus, ſambuci radix, turbith, & mechoaca.

Galenus verò hîc ſerum exhibuiſſe refert, cui ſal & mel admixta erant. Cùm enim hypochondriorum murmur pro cauſa habeat ſpiritum flatuoſum, ex Galeno *lib.* 4. *cap.* 73. hic autem non niſi à pituitoſa, frigida, craſſáque materia eleuetur, fit vt hanc ſerum expurget per al-

C uum, præſertim ſi in eius ſocietatem accedant ſal, & mel; hæc enim non ſolùm ſeri frigiditatem infrænant, ſed eius operationem efficaciorem reddunt. In hunc ſenſum intelligendus Auic. *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 441. §. *Et ſal quidem iuuat ad ſolutionem aquæ lactis, &c.* Sal enim flatus reſoluit, calefacit, adſtringit, ſiccat ſuperfluam humiditatem, abſtergit, & aperit, ex Galeno *lib.* 9. *ſimpl. tit. de ſale.* & Dioſcorid. *lib.* 5. *cap.* 80. *de ſale.* & facilem efficit ſuperfluitatis egeſtionem, ex Auicen. *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 623. & iuuat medicinas ſolutiuas, ad eradicandam melancholiam & phlegma, ex ipſo Auicen. *loc. cit.* quoniam irritat; & ſic enematibus frequenter apponitur: nam expultricem excitat ad vacuationem. Hinc ſalſa aluum deiiciunt, vt Galenus ait, *lib. de attenuante victus rat. cap.* 3. *&*

D *lib.* 3. *de ſimpl. medic. facult. cap.* 15. affirmat, conchularum maris, cæterorúmque oſtreorum ſuccum planè tum ſalſum eſſe, tum ventrem ſoluendi vim obtinere. Mel autem plurimùm iuuare ad abſtergendam ab hypochondriis pituitam, patet: nam detergit, ex Galeno *lib.* 7. *ſimpl. tit. de melle.* Quare crudum, frigidis & humidis temperaturis optimum eſt, ſubducit aluum, ex Paulo *lib.* 1. *cap.* 96. Dioſcorid. *lib.* 2. *cap.* 74. Auicenna *lib.* 2. *tract.* 2. *cad.* 496. In ſumma abſtergit, aperit, reſoluit, humiditatem ex profundo corporis expellit, meatus liberat ab infarctu & vrinam mouet, ex Auicenna *ibi*, & Gal. *lib.* 8. *de compoſ. medicamentor. cap.* 7. quæ omnia acrimonia ſua præſtare, teſtis eſt locupletiſſimus Galen. *lib.* 3. *de aliment. facult.* 39. cum ſit inquit. *Mel promptè in calidis corporibus in bilem vertitur: frigidis verò ſiue per ætatem, ſiue per morbum, ſiue natura talia fuerint, eſt accommodatiſſimum: ob id*

E *in ſanguinem mutatum, nutrire ipſa poteſt, in calidis verò priùs in bilem, quam in ſanguinem mutatur. Cùm autem tenuium ſit partium, acrimoniæ quiddam habeat eſt neceſſe, qua aluum ad excretionem proritet: quam certè adimentes, ipſum efficimus ad diſtributionem, & coctionem accommodatius: commodiſſimè autem ipſa adimemus: ſi primùm multum illi aquæ admiſcuerimus: ac deinde tantiſper coxerimus, quoad ſpumare deſinat: oportet autem ſpumam ſtatim vt emerſerit, continenter ab ipſo tollere; cùm enim hac parandi ratione acrimoniam depoſuerit, neque ampliùs aluum ad excretionem irritet, haud cunctanter in corpus diſtribuetur. &c.* Vnde Meſuë *tract. de ſimpl. tit. de aqua lactis*, mel vigorare operationem eius admonuit.

Quapropter murmurantibus hypochondriis ſerum hoc

modo

modo præparatum, optimum, ſi quod alterum, eſt auxilium. Quo pacto in flatuoſa melancholia, quam hypochondriacam vocant, hac lege conditum exhibere, magni ſemper fuit momenti: cùm enim hunc morbum pariant flatus hypochondria diſtendentes, ab inflammatorio naturalium partium affectu non rarò pronati, vt latè Galenus edocuit *lib. 3. de loc. affectis, cap. 7.* fit vt ſerum ſic paratum, partim contemperet, partim humorem retorridum euacuet.

Inſuper fidiſſimo experimento compertum eſt, maximi eſſe commodi hoc auxilium, quando à nebuloſo, craſſóve flatu, in hypochondriis ſubſultus, & pulſationes adſunt, quas maniam, & mentis perturbationem ſignificare, non ſemel cecinit antiquus vates *in prorrhetic. lib. 1.* & in *Coacis*, dum ſic ait. *Pulſus in hypochondrio cum perturbatione, dementia eſt: magiſque ſi oculi crebrò mouentur, &c.* nam vt graphicè explicat Ludouicus Duretus *in com. lib. 2. cap. 11. num. 12. cùm hypochondria, id eſt, eæ partes epigaſtrij, quæ adiacent nothis coſtis quæque viſcera iecoris, lienis, diaphragma quoque ipſum, & ſtomachum circumplectuntur, dolore vexãtur, ab oppreſſione flatuum craſſorum, vel ingenti harum partium ſqualore; & phlogoſi, tunc ob mirabilem earum cum cerebro ſympathiam, tum generis ſimilitudine, tum operis ſocietate, tum etiam vaſorum communione ipſum in conſenſum trahunt.*

Enimverò ſi prædicta vrgeant ſymptomata ab eiſdem cauſis pronata, tunc ſerum præſentaneum auxilium eſt, præſertim in iis fœminis, quæ vehementi pulſatione in arteriis dorſi vexantur; in quo vitio cùm in hypochondriis adſit fæculentus, aduſtus, nebuloſus, ſanguis, flatúque refertus, vt Aretæus *lib. 2. de cauſ. & ſignis acutor. cap. 8.* manifeſtè edocuit, & poſt eum doctè explicuit Mercat. *lib. 2. de virgin. & viduar. affect. cap. 7.* ſerum ad ventilanda viſcera, auferendum cauma, deobſtruendum, humorem nigrum ſuauiter expurgandum, abſtergendum meſaræi venas, quæ flatu turgent, calidáque intemperie laborant, ſummoperè præſtat.

Hoc enim medicamen attenuat, abluit, abſtergit, *vt lib. 2. diſtinct. 1. cap. 9. de medic. ſimpl. purg.* Meſuë inquit, & nitroſa qua præditum eſt, facultate, aluum abſque mordacitate vlla leniter ſubducit, ac bilem tum flauam, tum atram ab aduſtis humoribus genitam deiicit, quo fit vt mirificè conferat maniacis, melancholicis, lienoſis, & iis qui terreſtri ſucco ſcatent, vt *cit. loco* prædicti auctores aſſeuerant, & non ſiluit Rhaſius *lib. 3. ad Almanſ. cap. 15.*

Tertium præceptum in exhibendo ſero eſt, vt ſumatur in magna quantitate, *vt lib. 2. epid. ſect. 6.* docuit Hipp. qui octo cotylas aſſumendas imperat in hypochondrij diſtentione: accipit verò cotyla vncias nouem, hoc eſt, octoginta circiter vncias. Veteres enim lacte vtebantur ad expurgandum, ex Hipp. 1. *acut. 7.* præſertim aſinino, hoc enim cæteris eſt ſeroſius, ex Hipp. *lib. 2. de diæta, num. 9.* ſeu camelino, & equino, quæ ſunt maximè ſeroſa, ex Ariſt. *lib. 3. de hiſt. animal. cap. 20.* Lac enim expurgat ratione ſeri, maximè ſi illi miſceatur ſal; & in magna quantitate aſſumatur. Super hanc iubet Hipp. ad præcauendum vomitum in ventre flatibus diſtento, vti intrito, quod ex allio paratur; hoc enim flatus diſcutit: & obſtructiones aufert.

Percontaberis, cur murmure hypochondriorum vexatos, ſero exhibito gloriatur hîc ſe adiuuiſſe Galenus, ſi tormina, & circa vmbilicum dolores à flatuoſo ſpiritu ſuborti, medicamentis non cedunt, iuxta Senis oraculum *lib. 4. aph. 11.* Dic flatuoſam ſubſtantiam duplicem eſſe in hypochondriis impactam, altera quæ à cauſa facta, habituali, & diuturna ortum ducit, *vt cit. loc. in com. aph.* Galen. admonuit; hæc autem fit ſine murmure, quoniam cauſam habet permanentem ac fixam. Alia quæ recens eſt, & murmure facto in hypochondriis miteſcit, ac ſoluitur, de qua in præſenti loco ſermonem inſtituit Galenus. Hoc ita eſſe *in Coacis* prædixit Hipp. dum ſic dixit. *Qui verò tumor recens excitatus in hypochondriis, ſiquidem ſine inflammatione eſt, ſoluitur murmure facto in hypochondrio, &c.* Flatus ergo nebuloſi & craſſi in his partibus regurgitantes, cum ſtrepitu & motu, facilè vacuata cauſa, nempè humore pituitoſo ac lento, per infernam aluum ſoluuntur ſero exhibito, præſertim ſi ſal, & mel cum illo ſint permixta. Si tamen

A plura de natura, & vſu ſeri ſcire aues, lege Claudinum *in appendice ad lib. de ingreſſu ad infirmos, ſect. 9.*

Vnum ſolùm pro colophone addam, vt in dolore hypochondriorum curando, ex quo melancholia hypochondriaca ſcaturit, ſis ſollicitus; nam ex hac ferini, & exitiales morbi propullulant, quos auctores latè deſcripſerunt citati à Marcello Donato *lib. 4. de hiſtor. mirabil. cap. 8.* hunc enim morbum ſæua ſymptomata comitantur; quorum omnium cauſas exactè propoſuit acutiſſimus Caſtrenſis Luſitanus *tract. de complexu morbor. cap. 24.*

Obſeruatio XVIII.

Dolor hypochondriorum ſæpè lethalis.

B DVm hæ interpretarer, acceſſit ad nos epiſtola eruditiſſimi Domini, D. Ludouici Nonnij Antuerpienſis, in qua referebat exempla duo non incelebria, quæ ſunt huiuſmodi. Suſanna 11. annos nata à ſeptennio, ventris & hypochondriorum aſſiduis doloribus eſt vexata. Tandem acuta ſuperueniente febre, ventris diris torminibus correpta, quinto die obiit. Diſſecto cadauere inuenta eſt tota ventris cauitas, fœtidiſſimo, & ſeroſo pure referta. Omentum totum erat corruptum, & penè abſumptum. Hinc acerbi illi cruciatus.

Obſeruatio XIX.

Ex mirachiali affectu mira ſymptomata ſequuta, Ebeno curata.

C NObiliſſima Domina, hypochondriaca melancholia laborans, mirandis ſymptomatis premebatur. Poſt rigores enim inæquales, coxæ præſertim palpitatione corripiebatur, ita vt manifeſtè videretur moueri, & palpitare: quo ſedato videbatur inferior venter vehementiſſimè attolli, & deprimi. Deinde in caput, & cerebrum raptus ille vapor, aliquando conuulſiones, ſæpè deliria concitabat. Durauit hoc malum ſeptimanis aliquot maximè matutino tempore, adeò, vt veneficij ſuſpicionem pleriſque incuteret. Tandem Ebeni decocto ad 40. dies exhibito conualuit.

HISTORIA CX. GALENI,

D ### *De hypochondrij dolore.*

Dextri hypochondrij dolor, cùm paruitatem quandam iecoris, tum meatuum anguſtiam oſtendit.

VIdi enim aliquos, & quidem quàm plures, quibus venæ erant anguſtæ, & totum corpus colore priuatum. Quod ſi pluſculum cibi aſſumpſiſſent, qui præſertim flatibus excitandis aptus eſſet, & craſſus, & tenax; nonnulli quidem veluti pondus quoddam inſidens, atque ſuſpenſum in profundo dextræ hypochondrij partis ſentiebant, nonnulli verò quandam cum dolore intentionem. In his quidem veriſimile eſt iecur eſſe paruum, atque anguſtos meatus habere, &c. Gal. lib. artis medicinalis, cap. 70.

E

PARAPHRASIS.

GAlenus, vtpotè artis anatomicæ profeſſor peritiſſimus, coniectura habita de partibus, quæ internæ ſunt, earúmque compoſitione, in pluribus hepar indicauit paruum, quòd vltra venarum exiguitatem, & decolorem habitum, ex aſſumpto quouis alimento, vel lento, vel craſſo grauabantur, dolebátque dextrum hypochondrium. Hanc Hiſtoriam affert 14. 3. *tract. 1. cap. 30.* dum ſic ait. *Et minoratur hepar in quibuſdam hominibus, & eſt quandoque ſicut ren paruus, &c.* Hoc ita eſſe demonſtrat frequentia obſtructionum, quibus tale iecur paruum ob anguſtiam aptiſſimum eſt. Accidit corporis debilitas, quoniam

corpus indiget cibo plurimo. Totum corpus colore priuatur; ob obſtructiones enim impeditur tranſitus ſufficiens ſanguinis ad membra, cuius commercio & vi, inſitus cuiuſque partis calor ſuas perficit operationes: quare nec hic pellucidos generat ſpiritus, puſillus cùm ſit, nec floridum ſanguinem alimenti gratia accipiens ab hepate, faciem, totúmque animalis habitum pulchro rubore minimè ſuffundit: vbi enim ſanguinis ad cutem temperatam accedit puritas, color euadit modicè ex albo, rubróque permixtus, quem moderatæ temperaturæ eſſe certiſſimum ſignum, oſtendit Gal. *lib. art. medicinal. cap.* 51. tritum enim eſt apud doctrinam Gal. colorem liuidum intermorientis caloris eſſe indicium, vt conſtat *ex lib.* 1. *criſ.* 12. *& lib.* 2. *prog. com.* 8. *& lib.* 7. *aph. com.* 2. & alibi. Si ergo totum corpus colore priuetur, & liueſcat, roſeóque colore, qui optimæ temperaturæ proprius eſt, non decoretur, obſtructum, & paruum hepar eſſe ſuſpicandum eſt.

Rurſus. Si alimentum flatuoſum, craſſum, & tenax hi aſſumant, ob venarum anguſtiam, non poteſt in ſe recipere hepar, ſed retentum & conculcatum obſtruit, & ob flatuum copiam grauat, & diſtendit, ſicque tanto onere oppreſſum iecur læditur in operationibus ſuis, & cùm non poſſit chylum ob imbecillitatem, attrahere, alui profluuium chyloſum ſequi eſt neceſſe. Hæc ſunt quæ coniecturæ Galenicæ addidit Auicenna.

Subtiliſſimus Auertoës, licèt *lib.* 5. *collect. cap.* 31. magni faciat Galenum, propterea, quia fuit (vt ipſe inquit) legalis, & verax experimentator, & nullus ſit qui poſſit ei comparari, niſi is qui cùm clamat, non intelligit id quod clamat, tamen *lib.* 4. *cap.* 4. gloriatur ſe compleuiſſe ſigna à Galeno prætermiſſa, de iecoris compoſitione agnoſcenda, dicens hepati paruo molles fæces ineſſe; quum enim exiguum ſit, chylum ab ſtomacho attrahere non poteſt, ſicque eſt neceſſe vt exeat deiectio mollis. Num verò ex breuitate manuum iecoris prauitas deprehendatur, vt addidere Arabes, Rhaſius 7. *contin. tract.* 1. *cap.* 2. Auic. 2. 1. *doct.* 3. *cap.* 1. §. *Quemadmodum curtitas digitorum, &c.* 14. 3. *tract.* 1. *cap.* 30. quorum doctrinam ſuperiori loco impugnauit Auerroës, Vide apud Coſtæum *ſuper Auicennam loc. cit.*

Galenus licèt de hac natiua hominum ſorte nihil, quoad curationem attinet, meminerit, quoniam iecur paruum nullo modo arte maius reddi poteſt; tamen, vt in naturali hoc corporis vitio ſanitas etiam conſeruetur, ne frequenter obſtructiones experiatur hepar, minùs inflatione, doloréque tentetur, optimum eſt conſilium Auicen. *loc. cit.* dicentis, his cibum eſſe aptum paruæ quantitatis, & plurimi nutrimenti, velocis penetrationis, ſæpiúſque eſſe exhibendum. Parùm cibi propinandum, quoniam multum nec attrahi, nec retineri poteſt. Sæpè, quoniam multo indiget cibo nutriendum corpus, illóque velociter permeante; nam ſi in capacitate parua moretur ampliùs, diſtendit obſtruit, & grauat. In hunc vſum, ſalubre commendat præceptum, vt adminiſtrentur medicamenta diuretica, hepar mundificantia, ſubtiliatiua, appetitiua, & ſolutiua; hæc enim abſtergunt, vacuántque humorem craſſum, lentum, & multum, à quo obſtructiones fieri, teſtis eſt Gal. *lib.* 8. *meth. cap.* 4. *& in art. med. cap.* 89.

Ex his obiter, & veluti raptim notandum duxi, Auicennam, cæteróſque Mauritanicæ familiæ proceres ſcientiſſimos, plurima arti addidiſſe, quæ à Græcis partim prætermiſſa ſunt, vel ignorata. Abeant ergo huius famigeratiſſimi interpretis Galeni calumniatores. Abeant Fuchſius, Manardus, & Leonicenus, qui in hunc eminentiſſimum Medicinæ Magiſtrum ſimilia effutire inflatis buccis, imò perfricta fronte, tela directiſſima, irrita tamen & inania proiicere non erubeſcunt. Dicunt enim quòd fuerit erroribus caliginoſus, artem noſtram variis mendis fœdauerit, ſuum librum ab aliis tranſcripſerit; de elephantiaſi, carbone, anthrace, pruna, eupatorio, hedera prauè ſenſerit. At hæc ridicula ſunt. Nam Auicennam, alióſque Arabes ſcatere erroribus non nego, ſed hoc in Arabicam linguam, quæ difficilè in Latinam transfertur, & in interpretum culpam eſt reiiciendum, quod horum auctorum æuo ob explanantium penuriam cùm contigerit, Auicennæ auctori grauiſſimo, & Galenicæ doctrinæ ſtudioſiſſimo adſcribendum non eſt, qui noſtra ætate Andreæ Alpagi Bellunenſis, Coſtæi, & Pauli Mongij, virorum eruditiſſimorum caſtigatione, à mendis, quibus ſcatebat, eſt expurgatus. Quòd autem ab aliis plurima in ſuos canones fuerit mutuatus, hac ratione culpandus non eſt: hoc enim pacto vel Galenum ipſum damnabimus, qui ab Hippocrate, Archigene, Diocle, Aſclepiade, plurima in ſuos libros tranſpoſuerit. Sic Paulum, Aëtium tantoperè in Scholis commendatos repudiabimus, qui ex Galeno, Herodoto, Philagrio, Rufo, omnia in doctrinam ſuam commutarunt. Hoc ita eſſe hæc hiſtoria teſtatiſſimam fidem facit, in qua quantùm Galeni mentem in præſeruatione corporum, quibus paruum eſt iecur, ſuperauerit, ex dictis ſit manifeſtum. Simile iudicium proferri poterit de Rhaſio, auctore tanto, quem empiriciſſimum Fallopius *lib. de medic. purg. cap.* 14. nuncupare auſus eſt, eius libros ab ſcholis Medicorum eſſe ablegandos pertinaciter contendens. Hæc ego exaudiens (lachryma-bile dictu) intimis angor ſenſibus, animi dolore diſrumpor, cùm huius doctrina multo in pretio ſit habenda, prout latè *lib.* 1. diximus, *in prolegomenis*, & eruditi omnes, pleniſſimis, vt aiunt, tibiis, eius laudes prædicant, & buccinantur.

HIST. CXI. AVICENNÆ, De ſpleneticis.

Spleneticus, vrina ſua epota, ſanatus.

Quidam homo ſpleneticus ſomniauit, quòd præcipiebatur ei in ſomno, vt vrinam ſuam biberet omni die tres pugillos, quantum in palma manus incuruata continetur, & inuenit mirabile, &c. Auic. lib. 2. tract. 2. cap. 725. de vrina.

PARAPHRASIS.

Splenetici vocantur apud Galenum *lib.* 6. *aph.* 43. qui diu durum habent lienem, ſeu induratam ſplenis affectionem patiuntur, *vt lib.* 9. *de compoſ. medicam. ſec. loc. cap.* 2. ipſe admonuit. Hic affectus à craſſis, lutoſis, fæculentiſque humoribus originem ducit, *quoniam lien ſcirrhoſis affectionibus facillimè corripitur, propter nutrimenti quo vtitur ſpeciem; alitur enim ſanguine melancholico, qui veluti limus purioris exiſtit*, vt *lib.* 13. *meth. cap.* 16. Galenus edocuit.

DVBIVM XLII.

Num vrinæ potus morborum curationi prodeſſe poſſit.

Inter plurima, eáque præſtantiſſima, vſu aſſiduo; multiplicique experimento confirmata præſidia, quæ ad ſcirrhoſam lienis diſpoſitionem, tum veterum, tum iuniorum doctiſſimi literis commendarunt, nullum eſt vrinæ potu ſublimius, aut excellentius. Galenus enim quamuis de eius vſu non ita rectè ſentire videatur, *lib.* 10. *ſimpl. cap.* 15. cùm abominabilis, & execrandus ſit ipſius potus, & multa ſint ad manum auxilia quæ nobis conducere poſſint: attamen cogente neceſſitate potandam conſulit caprinam, *lib.* 9. *de comp. medic. ſecund. loc. cap.* 3. & humanam in achoribus propinat, *lib.* 1. *eiuſd. operis, cap.* 18 *tit. de iis, quæ Soranus ad achoras ſcripſit.*

Neque hoc extra rationem eſt, cùm huius etiam auxilij habeamus Hippocratem teſtem locupletiſſimum; hic enim *lib.* 2. *de morb. mulier. num.* 29. vrina veteri calida vterum fouet, quum hic in coxam incumbit. Et *lib.* 1. *eiuſd. operis, num.* 96. vrinam veterem cum ferri recrementis ad imprægnationem bibendam offert; & *num.* 123. vrinam

vrinam bubulam bibendam præbet ad purgandum ſterilium vterum. Nec mirer's,nam vrina vehementer abſtergit, & maximè humana,quæ licèt omnibus infirmior ſit, cæterùm potenter repurgat, *vt cit. loc. ſimpl.* monuit Galenus,id quod ſatis fullones indicant qui vſu illius ſordidas veſtes expurgant, atque abſtergunt. Hoc ita eſſe, ipſe ex aliorum mente confirmat *lib. cit. ſimpl.* Gal. qui cùm peſtiferè ægrotarent in Syria, humanæ vrinæ potione ſeſe liberatos profitebantur. Nec deeſt experimento ratio: nam, auctore Dioſcorid. *lib.2.cap.73.* vrina humana antidotum eſt contra venenum præſentaneum, & viperarum morſibus mirè auxiliatur, & confert omnibus lethalibus venenis, canique rabioſi morſum, virulentorúmque animalium puncturas coërcet & retundit, *vt cit. cap.in fine* Auicenna affirmat,& refert Crollius *lib.alchym. pag.214.*

Magna ergo eſt vrinæ epotæ vtilitas, & ad ſanandos morbos efficacia vehemens, vt Dioſcorides *cit. loco* confirmat; explicat luculenter Matthiolus *in com.* Hoc modo probat aquam ex vrina per diſtillationem extractam, ad omnes obſtructiones hepatis, inflammationes, Gangrænas,Quercetanus *in pharmacopœa dogmatica reſtit.pag.119.* in Paralyſi dicit eſſe vtilem Foreſtus *lib. 8. obſ. 5.* vrinam pueri laudat Mullerus *in miracul. chymic.* ad viſus conſeruationem, eámque cæteris anteponit. Inſuper eius potus lienoſis ſaluberrimus eſt, quum enim calida ſit & ſicca, humorem lentum incidit, tenacem ſecat, craſſum abſtergit: ſicque contra incipientem aquam intercutem plurimùm prodeſt; quod de caprina, camelinaque potiùs affirmat Paulus *lib.7 tit. de vrina*, & magis ſi cum Nardo aſſumatur,vt docuit Auic.*loc. cit.* redditur enim ſic magis odorifera, & minùs horribilis ad bibendum.

Deinde plurimis morbis vrinæ potum auxilio eſſe citati auctores pronuntiarunt,quos ſequutus Plinius *lib.28. cap.6.* variis allatis experimentis confirmat.Frigidos morbos curat, clyſteris modo indita colicum cruciatum perſanat, & hydropicis miro eſt auxilio, vt proprio experimento obſeruauit Valleriola *lib.2.obſ. cap.5.* & eius vſum pro curanda cachexia laudat Salomon Albertus *conſil.89.* nam valenter aquas detrahit, & magis ſi ſit pueri impubis,venerem adhuc non experti: ſorditiem, ſcabem, pruritúmque abſtergit, nitroſa,qua pollet,facultate,*vt cit.loc. ſimpl.*inquit Gal.& latè explicuit Aëtius *tetrab. 2. ſerm.1. cap.108.*& non ſiluit Georgius Valla Placentinus *lib. 2. ſuæ medicinæ, cap.23. de vrina humana.* Sic nobiliſſimum medicamentum eſt pro pellendis arenulis, vt firmat Vntzerus *in ſimpl.antinephritic.p.202.*

Ad hæc,morſui venenoſo illita eximiè ſuccurrit, trahit enim cum fortitudine venenum, *vt 6. 4. tract.4.cap.9.* de curatione canis rabioſi protulit Auic. & poſt eum dixit Rhaſis 35. *continent. tract. 2. cap.3.* vt refert Mercurialis *lib.5.de febrib.cap.28.de peſtis præſeruatione.* Inſuper. Apri vrina ad veſicæ,& calculi cruciatus eſt potentiſſima, apud Plin.*lib.28.cap.15.*& ſpleneticos iuuat, apud Auic. *15.3. tract. 2.cap.4.*& maximè ſpiritus vrinæ per diſtillationem ex ractus, cuius vſus eſt maximus in peſte, cordis, & cerebri morbis,vt Libauius *in ſyntag.arcan.chym.lib.1.c.25.* & Philippus Vlſtadius *in ſuo cœlo Philoſoph.cap.21.*ex profeſſo retulerunt. Ægrotantis enim vrina in hunc vſum eſt præſtantior; cùm enim præ obſtructione, & impedita tranſpiratione acrior ſit reddita, lienis duritiē promptiùs mollire eſt apta,& craſſos humores attenuat, eóſque per ſeceſſum,vrinámq; expellit.Hinc puto conſueuiſſe Iberos vrina in cloacis inueterata ſe lauare, ſibíque ipſis,ac mulieribus eadem dentes abſtergere:qua re permoti Barbari, teſte Plinio *lib.28. cap. 8.* vrina quinque annis inueterata ad ciendas aluos vtebantur: quod etiam Strabo *lib. 3.*& Catullus *in Egnatium.*Volaterran. *lib.16. comm. vrb.* Alex. *lib.1.dier.genial. cap. 9.* confirmarunt.

Mirabilem hunc vſum perſpicientes Imperatores, ex vrina vectigalia faciebant, quod tanquam pudendum Suetonius non reticuit, *cap. 23. de vita Veſpaſiani Cæſaris.* Sordida planè augendi ratio ærarij: Sicque cogebantur omnes habere in publico dolia, ſiue amphoras vrinæ in angiportis, ad eam excipiendam, quæ ad vſum purgandarum veſtium à fullonibus vſurpatur, quò Martialis alluſit 93. *epigram. lib. 6. in Thaidem.*

Tam malè Thais olet, quam non fullonis auari
Teſta vetus, media ſed modò fracta via.

Vt ſcitè probat Iuſtus Lipſius *lib.2. de magnitudin. Roman. cap. 6. de vrinario vectigali.* Sed quàm hæc acerbitas, & ſordidorum vectigalium, inhumanitas principem dedeceat, ex antiquorum dictis doctè ac prudenter collegit idem Lipſius *lib.4.ciuilis doctrin.cap.11.* tyrannorum enim hæc ſunt,non principum, qui occaſionem dederunt adagio.*Vel à mortuo Vectigal auferre.*Licèt autem Gal.*cit.ſimpl.* referat,Apollonium *in lib. 1. parab.* conſuluiſſe Aſini lotium ad inflammatam columellam: *miror*, ait, *huiuſmodi auxilium tradentes, certò enim ſcio omnes homines, paucis omninò exceptis, citiùs mori velle, quàm vrinam aſini bibere.* Quamuis enim Aëtius *tetrab. 1. ſerm. 2. cap. 84.* carpat Xenocratem,& alios qui de medicamentis vrinarum ſcripſerunt; *qui namque hæc ſcribunt; non minori, ſed maiori digni ſunt odio, quam qui perpetrant*: attamen cùm vel medicamentorum copia non ſuppetit, aut in itinere, venatione, ruſticatione: aut homo ruſticus fuerit, aut ſeruus, hæc, & alia ſimilia propinare non eſt cunctandum, maximè cùm ſalute nihil charius ſit, teſte Cicerone *lib. 2. rhetor. cap. 21.* nam,vt legitur in Eccleſiaſt. *cap.30. melior eſt pauper ſanus, quàm diues imbecillis.* Sic Gal. *10. ſimp. tit. de ſtercore humano*, ipſo, gutturi illito anginam perſanat, & caninum exhibet in potum ad vlcera inteſtinorum ſummè inueterata. De quo argumento lege Tiraquell. *lib.de nobilit.cap.33.à num. 359.vſque ad num.367.* ex Medicorum celebrium decretis eloquentiſſimè diſtantem.

Quid mirandum? quando alia ſordidiora pro vita ſeruanda mortales aſſumere non recuſant; & idcircò ex ſtercore humano plura parantur medicamina,quæ hominis ſaluti mirificè conferre queunt. Sic aqua ex ſtercore humano per diſtillationem extracta, intùs aſſumpta, auxiliatur comitialibus, hydropicis; calculum minuit, & expellit,contrà rabidi canis, & virulentorum animalium morſus eſt præſtantiſſima, auctore Libauio *lib.2. Alchym. p.142.* Hoc modo ſecundinæ torrefactæ puluis, mulieris primiparæ,filium enixæ, aduerſus epilepſiam, ſtrenuum eſt auxilium,vt firmat Finckius *in enchiridio Dogmat.Hermetic.p.41.* cur ergo ſi hæc vera ſunt,& pro recuperanda ſanitate cenſentur ſaluberrima, vrinam plurimis morbis eſſe proficuam non fatebimur? Ex hac contra inſultus febriles fieri enema optimum, probat Hubertus, referente Duncano *tract.de feb.pag.806.* Tu verò de vario vrinæ vſu conſule Danielem Beckherum Medicum eminentiſſimum, & apud Boruſſos Regiomonti Profeſſorem celebrem, *lib.1. Spagyricæ Microcoſmi, cap. 9.*

HIST. CXII. TRALLIANI, De lienis ſcirrho.

Lienis ſcirrhus, purgatione, & aliis auxiliis curatur.

*Nouiſti curatum à me fuiſſe militem; qui dum ad me veniret,totam * lienis regionem barbaricis ferramentis candentibus inuſtam habebat, quem duobus,tribúſue diebus, medicamentis per os datis purgabam, & deinde diligentem ei curam in ſingulis conuenientibus remediis adhibebam, &c.* Trallianus lib.8. cap. 13. in initio.

PARAPHRASIS.

Elegans ſanè, & multi vſus eſt hiſtoria hæc; quæ morbi contumaciſſimi, nempè Scirrhi lienis exactam curationem breuiter proponit.Scirrhum lienis vocat Gal. tumorem durum, & indolentem. Huius cauſa eſt humor glutinoſus, craſſus, viſcidus, vt eſt humor melancholicus naturalis,aut ſuperexſiccata pituita,vt Gal.edocuit *lib. 14. meth.cap.5.& 6.& lib.de tumorib.præter nat.c.9. & lib.2. ad*

Glauc.cap.5.& alibi paſſim.Communes itaque habet cum hepatis Scirrho cauſas; nam vel à principio paulatim congregatur,& augetur, ac in magnum tumorem attollitur,vel Medicorum imperitia paratur,vbi vehementer inflammationes, & eryſipelata adſtringunt, refrigerant, & tumorem hoc modo lapidoſum efficiunt.

Cùm enim lienis munus ſit fæculentum ſanguinem attrahere, quem mira quadam, & inſita vi ad ſe allicit, vt Gal.*lib.6.de loc.affect.lib.2.de facult. naturalib. & in lib. de vſu part.cap.4.*non ſemel prodidit, & idcircò hunc ex aduerſo hepatis locauit natura, vt limoſa ac lutulenta ſuccorum illuuie hauſta purior redderetur ſanguis, ſit vt promptiſſimè ſcirrho tentetur. Quoniam, *vt cit.de facult. natur.cap.vlt.* Gal. edocuit, in ſanguine generando quicquid abundè craſſum, ac terreum ex ciborum natura in nutrimento fertur, nec commodè à calore naturali alteratur,id lien ad ſe attrahit. In hunc vſum,eum rarum fungoſum, & ſolutum, ſolidioris ſpongiæ, aut leuioris pumicis inſtar,hauriendo, excipiendóque huic terreno ſucco opportunum fabricauit natura. Quapropter hoc viſcus ex iis eſt, quæ ſanguinem purgant, vt Fernel. *lib. 1. meth. cap.9.* doctè conſcripſit. Hac de cauſa lien ob nutrimenti quo vtitur ſpeciem,facilè ſcirrho corripitur,*vt 13. meth. cap.16.* aduertit Galenus.

At ego non video, quomodo hoc verum eſſe poſſit, ſi contrarium legimus apud Gal. *lib. 4. de vſu part. cap. 15.* §. *Splenis verò corpus, cùm tantò rarius hepate ſit, quantò eſt craſſius pulmone, meritò ex tenuiore ſanguine nutritur, &c.* niſi intelligamus parte puriore ſanguinis melancholici nutriri, & ſubtiliore quàm iecur, vt longa verborum ſerie explicat Amat. *lib.3. centur. ſchol. 48.* & non ſiluit acutiſſimus Fernel. *6. phyſiolog. cap. 3.* Nam hauſtum hunc limoſum ſanguinem per ſplenicum ramum ſ, copia arteriarum attenuat, coquit, & ſibi ſimilem reddit, tandémque puriore eius portione nutritur, reliquam verò impuriorem, vtpotè oneroſam, nunc in ventriculi fundum, nunc in venas hæmorrhoidales detrudit.

Huius viſceris corpus à flatuoſo, nebuloſóque ſpiritu indurari quodammodo videtur: at verò ſcirrho tactu manifeſtè diſtingues: ille enim tactui pertinaciter non reſiſtit, imò impoſita manu cedit. Verus autem ſcirrhus à terreſtri humore tenaciter infixo ortum ducens, durus eſt, renitens valdè, & indolens, in ſiniſtro latere perceptus, cum anguſtia, moleſtia,ac diſtentione; accidit tenſio in abdomine, difficultas in motu, prauus in facie, & vniuerſo corpore color, qui liuidus, & nigricans eſſe ſolet, crebrior adeſt anhelitus, inflantur crura, temporis progreſſu cachexia accedit, pedes intumeſcunt, vlcerantur gingiuæ ob plurimum quem cum liene obtinent conſenſum vlcera in cruribus excitantur,fœtet os,quæ omnia indicia collegit Auic.13.5.*tract.*2. *cap.*5.

Ex lienis ſcirrho, plurima, eáque irreparabilia damna oriri ſolent,hydrops, fluxus colliquans, ad tabitudinem extenuationémque maximam, imò & mortem ægros deducens. Quapropter omnes Medici tum priſci, tum iuniores, in eo curando ſtrenuam operam impoſuere. Si enim à flatu tumor ſit, præter diætam idoneam, & humorum craſſorum iteratam purgationem, flatus diſcutientia,tam interna,quàm externa ſunt vſui,quorum amplam apud eos ſyluam inuenies.Si tamen ex humore terreſtri & craſſo oriatur, ob dictas cauſas ſedula opera in eius curatione eſt impendenda.

Licèt autem lien inter ea viſcera non numeretur, quorum tanta dignitas eſt,vt iis vel leuiter affectis ſtatim immineat mortis periculum, eius tamen conditionis eſt, vt facilè ſuas affectiones communicet ventriculo, iecori, & corpori vniuerſo, hinc cachexia,melancholia, icterus niger,aliæque grauiſſimæ affectiones repullulant, quæ majori ex parte in interitum finiuntur: de quarum ſorte eſſe aquam intercutem, firmat Galen. *lib. 1. epid. ſect. 3. comm. 4.*

Morbus hic contumax eſt, ac rebellis, & præſidiis vix ſuccumbit,quoniam à craſſo,glutinoſo, terreſtrique ſucco, viſceri pertinaciter impacto, ac lapidoſo facto originem ducit. Quamobrem ne mireris Medicos, qui antè Trallianum, militem hunc curauerant, diu in eius curatione inſudaſſe: nam, vt par erat, ſanguine priùs miſſo, & celebrata purgatione, ad ferrum acceſſerunt (vocat ipſe *barbarica ferramenta.*) Nam perſeuerante malo Archigenes, priſcique alij ſiniſtri hypochondrij cutem multis locis ſcarificabant, cucurbitulis deinde impoſitis ſanguinem craſſum extrahebant,& vel hoc auxilio etiam ſunt vſi,vt medicamenta extrà applicita penitiſſimas poſſent lienis partes permeare. Ferramenta autem hæc poterant illo ſæculo appellari barbarica, quum eſſent à Barbaro inuenta, vt Paulus *lib.7.* & alij Barbarica emplaſtra nuncuparunt.

DVBIVM LXIII.

Num lien aliquando vrendus.

COMMENTARIVM.

R*Egionem lienis inuſtam.*] Offert ſeſe modò non incelebre dubium: num ferramentis candentibus lien ſit vrendus. Nam veterum ſcientiſſimi inuſtiones faciebant, vt humor tenax, & firmiter impactus liquaretur, & ad extrà attraheretur. Sic Hipp. candenti ferramento pro morbis capitis,vſtiones celebrat in capite,circa aures, naſum,ceruicem *lib. 2. de morb. num. 15.* & *in lib.de intern. affect.num.3.*in hunc vſum plurimas facit vſtiones ad acetabulum coxæ,ſcapulam,nates, medium femur, genu, & malleolum; & *in num. 14.* in eo morbo, in quo ſpinalis medulla præ Venere reſiccatur, plures vſtiones facit ad lumbos, dorſum, ceruicem: & *in num.20.* in coxendicis dolore hoc præſidij genus exequitur. *Vrere autem quidem oportet, carnoſa quidem ferro, &c.* & priùs prædixerat *lib.6.aph.text. 60.* vbi in diutino coxendicis dolore vſtione prohibuit claudicationem. Ab hoc mutuatus fuit Celſus *lib. 3. cap. 23.* vbi morbi comitialis curationem inſtituens, ſic ait. *Quod ad Medicum verò pertinet, vltimum eſt, iuxta talum ex vtroque crure paulum ſanguinis mittere,occipitium incidere,& cucurbitulas admouere,ferro candente in occipitio quoque,& infrà,quà ſumma vertebra cum capite committitur,adurere duobus locis,vt per ea perniciosus humor euadat, &c.* Idem exequitur auxilium *lib.4.cap.2.§.Illa in omni vetuſto capitis dolore communia ſunt,ſternutamenta excitare,inferiores partes vehementer perfricare gargarizare iis quæ ſaliuam mouent,cucurbitulas temporibus, & occipitio admouere, ſanguinem ex naribus detrahere,reſina ſubinde tempora peruellere,& impoſito ſinapi exulcerare ea quæ malè habent,antè linteolo ſubiecto,ne vehementer arrodat,candentibus ferramentis, vbi dolor eſt, vlcera excitare,&c.* Et *cap.22.de coxarum morbis,* ſic ait. *Vltimum eſt, & in veteribus quoque morbis efficaciſſimum,tribus aut quatuor locis ſuper coxam,cutem candentibus ferramentis exulcerare,&c.*Hunc modum loquendi,omnes mutuati ſunt ab Hipp. *lib.de articul.com.1. text.42.43. & 44.* qui ferramentis vtitur candentibus, pro curandis illis, quibus humeri caput elabitur.

Sic in deſperatis morbis, partes noſtri corporis inurere candenti ferro priſcorum ſagacitas adinuenit. Quando enim cum dolore & grauitate, iecur vomica laborat, & carnea ipſa ſubſtantia vitiata oſtenditur,puriſque adeſt in tunica collectio, tunc adurere oportet, ex Paulo *lib. 6. cap.45.* ita anteaquàm purulentum iecur adurebant, vt conſtat ex Hipp.7.*aph.*45. Si vſtionem contempſeris, magna copia puris hepate concepta effunditur in ventriculum, ac tetro ſuo vapore ſuffocat. Vtrum verò hoc opus actuali an potentiali cauterio ſit peragendum, explicat Hollerius *in com. cit. aph.* Sic in longis ſtomachi defluxionibus, ferramentis candentibus mucronatis cruſtas moliri oportet, ex ipſo *cap.49. einſdem libri.*Et *in cap.48.* ſimili ferramento hepar pluribus cruſtis inurit, vt humor in intimo pertinaciter impactus liquetur, & per vlcera diu fluentia emanet. Accepit Paulus ab Hipp. *lib.de intern. affect. num.26.*

Hoc modo Andromachus, & Archigenes apud Aëtiū *tetrab.3.ſerm.4.cap.11.* emplaſtra ex arſenico, & alumine ſciſſili

ſciſſi, calce viua cum emollientibus ſpleni adaptabant, vt cruſtis excitatis viroſus humor in profundo deliteſcens extraheretur foras. Securè verò ſuper hanc partem vſtiones celebrare poteris, nam lien non eſt pars princeps, nec principium alicuius facultatis exiſtit: quare lienis vulnera non ſemper lethalia ſunt, quoniam ipſum totum aliquando reſectum vidit Franciſcus Rouſſetus *ſect.4. de partu Cæſareo, cap. 5.* Et quaſdam ipſius particulas excretas fatetur ſe vidiſſe Aretæus *lib. 3. de cauſ. & ſignis acut. morb. cap.* 14. & curſoribus ne obſit, vel inuri, vel exſcindi ſæpè, teſtatum reliquit Plinius *lib.* 11. *cap.* 37. & non ſiluit Plautus *in Mercat.* Probat eruditus Georgius Bertinus Campanus *lib.* 18. *ſuæ medicin.cap.*1. Quid plura? nónne ſine liene homines viuere poſſunt, vt pluribus exemplis explicat Laurentius *lib. 6. de re anatomic. quæſt.* 25. Exemplo ſint pecudes in Creta, quæ ſine liene viuunt, quòd ſcolopendrio veſcantur, vt narrat Vitruuius *lib.*1.*cap.*4. quæ an ſit aſplenium, eruditè explicat Gulielmus Rouil.*lib.*11.*hiſt.plantar.cap.*4.*&* 5. Nec hoc mirum videri debet, cùm lien ſit per accidens neceſſarius, ſicuti retrimenta tum alui, tum veſicæ, vnde fit vt nonnullis magnitudine deficiat, auctore Ariſt. *lib. 3. de part. animal. cap.*7. ſic referente Cælio Rhodigino *lib.*4.*lect.antiq. c.*18. quod etiam obſeruauit Celſus *lib. 3. cap.*9. & notauit Beniuen. *lib. de abdit.* 105. dum lienoſos ferratæ aquæ vſu iuuari affirmat: vnde fit, inquit ipſe, vt animalia apud fabros ferrarios educata, exiguos lienes habeant; ex quo inferri poteſt, ſine liene, aut eo exiguo, animalia viuere poſſe. Num verò abſque vitæ periculo exſcindi poſſit, ob eius cum partibus præcipuis connexionem, negatiuè reſpondet Tobias Knoblochius *lib. inſtit. anatomicar.diſp.*7. *de liene:* nam id ſine vitæ iactura perfici nequit, vt refert Leuinus Lemnius *lib.2.de compl. ex c. vlt. in princip.*

Sciſcitaberis, ſi incaſſum ab aliis Medicis, præter generales vacuationes, ferramenta cadentia ſpleni ſcirrhoſo erant inuſta, cur hic contumaciſſimus morbus purgationibus, & aliis auxiliis ſuccubuit? Dic. Duplicia ſunt vacuantia per os, nam aut euacuant per vrinam, aut per aluum. Illis poſſe lutulentam materiam in liene firmatam expurgari, Galenus auctor eſt 2. *Glauc. cap. 2. prop. finem:* quo loco inteſtina per inferiores deiectiones expurgari vult, vt ſplenem, & renes per vrinas. Si verò *lib.* 13. *meth. cap.* 17. affirmat nullam patere viam à liene ad veſicam: Reſpondet Mercurialis *in com. Hiſtor. primæ epidemicæ, in com. verbi Hipp. (nigrum minxit)* à liene nullam eſſe viam manifeſtam, occultam tamen dari negandum non eſſe: hanc indicauit eruditiſſimus Laurentius *lib.4.de re anatomic. quæſt.*27. qui priſcorum, ſuiſque experimentis lienem per vrinam poſſe expurgari contendit, cui adſtipulantur qui tranſtulerunt Galeni locum ad Glauconem; Martinus Acakia, & Andreas Lacuna *in ſuo breuiloquio.* Leoniceni quoque conuerſio eſt ambigua, licèt ab Auguſtino Guadaldino recognita. Ita enim habet vera lectio ex Græco contextu fidè deprompta. *Inteſtina autem per inferiores excretiones; quemadmodum & ſplenem, & renes per vrinam.* Sed hiſtoria ab Hippocrate recitata *lib.* 2. *epid.* de Bione lienoſo, qui mictu copioſo, & craſſo indicatus eſt, ſplenem vacuari poſſe per vrinam, recurrentibus ſuccis à menſenterio per cauam in vias vrinæ, manifeſtè demonſtrat. Cui iungenda & alia Valentij, *exercit.* 40. *ad Holler. de morbis internis,* cuiuſdam ægri, qui à lienis tumore, annis continuis quindecim, annuatim bis aut ter, per vrinæ profluuium attramento ſimile ſanus euaſit.

Tanta eſt vis diureticorum in molliendo liene; nam deriuata craſſiore parte ſanguinis, quæ ſplenis duritiem fouebat, ad vrinæ vias, ille molleſcit: nam propriè diuretica primò ſanguinem attenuant, ſecundò fundunt, & ſeorſim cogunt partem craſſam, & ita remanet ſerum ſecretum; ſunt enim hæc valdè calida, & tenuiſſima ſubſtantia pollent. Si verò fortioribus, & ſeligentibus pharmacis, melancholicúmque humorem vacuantibus per ſe materia propria morbi vacuetur, ſæpè his emollitur lien; quin localia imponere ſit neceſſe: nam vt in pleriſque *cit. locis* dicebat Galenus, lien fortiores vacuationes ſuſtinet citra incommodum. At cùm humor impactus terreum ſit, & tractu difficilis, & viæ arctiores, & longiores cæteris omnibus, craſſiſſimi humoris vberem copiam vix ſuſcipientes, ſi vehementia pharmaca propines, exaſperatur affectus, moto, & non vacuato humore: leuia autem medicamenta pertinacem hunc humorem non expurgant, & puſilla eorum vis partem affectam non attingit. Quid ergo faciendum? Docuit belliſſimè Hipp. *lib.* 1. *de morb.num.* 30. dicens, *ſi verò ſpleneticus fuerit, neque purges lacte, neque ſuo ſero, ſed eo quod modicum ingeſtum, multum purget, &c.* Hoc dicebat Auic. 1. 4. *tract.*2. *cap.*7. *vtendum* ſcilicet eſſe *medicamento forti, debili,* illo ex natura ſua; debili, quoniam in parua quantitate valdè purgat.

His factis vniuerſalibus auxiliis, diligentem curam huic ægro Trallianus in ſingulis conuenientibus auxiliis adhibuiſſe refert. Quæ autem ſint, non explicat. Dic tu fuiſſe deobſtruentia, ab infarctu liberantia: cùm enim hoc viſcus ſit eius naturæ, vt craſſo humore abundet, ferè ſemper adſunt obſtructiones curatu difficiles, quas auferre chalybis vſum aſſiduum, comprobauit experimentum, & nos *in com. Hiſtor.* 82. *lib.*1. ex veterum, & iuniorum mente prædiximus: & firmat Claudinus *lib.de ingreſſu ad infirmos, in appendice ſect.*2. Inſuper hoc opus alia etiam poſſe præſtare medicamenta, Galen. *cit. loc.* aſſeuerat quorum latam ſyluam reperies apud eos, qui doctè de lienis ſcirrho conſcripſerunt.

Denique conuenientia auxilia indurato lieni, non alia poſſunt eſſe malactica, ſeu emollientia, quorum naturam exactè deſcribit Gal. 8. *lib. de medic. comp. ſec. loc. cap.* 8. §. *Quæ verò ob frigidos, & viſcoſos humores in ſolidis corporibus imbutos indurantur, ex neceſſitate frigidam habent affectionem. Quare & calfacientibus, ſimúlque tenuium partium opus habent, hæc enim ſufficientia ſunt, & ad viſcoſitatem humorum induratis partibus infarctorum extergendam, & ad ſecundam craſſitudinem, & diſcutiendos humores ita extenuatos, &c.*

Hæc ergo, quæ congelatum humorem fundunt, & ſenſim per halitum digerunt, qua cautela ſint applicanda, *in lib. meth. cit.* oſtendit Gal. ne videlicet ſine vehementia, ita vt ab eorum vſu abſumpta tenuiori parte humoris, reliqua exſiccetur, & lapidoſa concretio, immedicabiliſque durities gignatur. Explicat egregiè Hollerius *lib.* 1. *inſtit. chirurg. cap.* 4. de mollientibus; quorum medicamentorum quot ſint gradus, ex Galeni mente expoſuit Mercatus *lib. 2. indicat. cap. 6.* Si tamen præſidiorum emollentium ſplenem refrigeratum, obſtructum, & induratum, ſimúlque aliorum aperientium, & calefacientium numerum, & formulas ſcire deſideras, ex omnibus auctoribus in ſynopſim redactas, lege Mercatum *tom.* 1. *quæſt.* 216.

HIST. CXIII. GALENI, *De morbo regio.*

Morbus regius, citra naturalium viſcerum affectum, ſæpè generatur.

*Quidam enim acuta, biliosáque febri laborans, * die ſeptimo multa flaua bile ad cutem tranſmiſſa, à morbo liberatus eſt, manſitque ſequentibus diebus * auriginoſus. Itaque & excrementa, & vrinas conſiderauimus. Virīſque verò ſecundùm naturam habentibus, atque ob eam cauſam nullum viſceris affectum declarantibus, venit in mentem fieri poſſe, quòd tranſlata in cutem bilis craſſior eſſet. Qua ratione permotus, diſcere volui qualiſnam eſſet ſudor. Illo autem apparente aquoſo,*

aquoſo, conieci eſſe bilem diſsipari contumacem. Præcepi itaque laboranti, vt aqua ſuapte natura calida, & cui diſcutiendi vis eſſet, vteretur, ac prætereà victum adhiberet humidiorem, qui humorum craſsitudinem paulatim poſſet extenuare. Hic autem bonam valetudinem conſequutus eſt, &c. Gal. lib. 5. de loc. affect. cap. vltim.

PARAPHRASIS.

ICterum citra aliquam viſceris affectionem euenire poſſe, hac hiſtoria explicat Galen. Cùm enim in die decretorio, præcedente coctione, ab internis ſedibus ad corporis habitum, natura bilioſum humorem tranſmittit, ſoluitur febris. Internas partes liberas, & ſanas remanſiſſe, communia alui & veſicæ excrementa oſtendunt manifeſtè. Nam, vt dicebat Gal. *lib. 2. aph. com.* 15. *animalium natura nonnunquam ex principalibus membris humores malos euacuans, alios per vrinas, vel vomitus, vel aluum inferiorem excernit, quoſdam verò pellit ad cutem, ſed cùm non poteſt euacuare propter eorum craſſitudinem, ibi reponit. Tunc igitur conſiderandum ac diſtinguendum, nunquid natura totam deponat in patientibus partibus ſuperfluitatem, an adhuc etiam corpus vniuerſum vitioſis humoribus ſuperabundet: quod excrementa indicabunt; nam ſi ſint ſimilia ſanis, totum corpus bonos habere humores indicium eſt, &c.*

Nullo enim ſigno certiùs interiorum partium diſpoſitionem coniectari poſſumus, quàm ab excrementis. Bilis ergo ad cutem tranſlata, num eſſet tenuior, an craſſior, ex ſudore iudicauit Galenus; nam ſi ſubtilior bilis eſt, quæ auriginoſum morbum committit, facilè ſponte ſua tranſpirat, & exhalat; ſi autem apparet ſudor, íſque aquoſus, aut ſeroſus reſudat, bilem non tenuem, ſed contumacem, difficiliſque reſolutionis oſtendit euidenter. Neque inde arguas ex aquoſo ſudore, aquoſum humorem in corpore redundaſſe, fuiſſéque ad cutem tranſmiſſum: non enim hoc ſignum indicauit Galenus, niſi vt bilis naturam inueſtigaret: bilis enim ſi craſſior ſit, in cute condenſata, in formam roris, aut ſudoris erumpit.

Hunc autem craſſiuſculum humorem per eandem partem, nempè cutem, in halitum digerere ſatius iudicauit. Cùm autem plura ſint, quæ hoc opus præſtare poſſunt, vt diſcutientia lauacra, ablutiones, innatationes, ſuffumigationes, quæ cutem denſam laxando, & humorem craſſum, impactúmque digerendo, ipſum diſſipant, ad naturalia balnea (vocant aquas ſponte naſcentes) eum miſit, quæ ſuapte vi cutem aperiunt. ipſius ſpiracula potentiora reddunt, & ſic humorem craſſum in cute impactum reſoluunt; quas dotes mineralia balnea obtinere, ex antiquorum mente inter omnes latè, doctéque probat Cardanus *lib. 2. cont. tract. 4. cont.* 3. Sed has aquas non iubet aſſumere in potum; nam præterquam quòd partes internæ ſanæ erant, internóque non indigebant auxilio, poſt tranſactam acutam, bilioſámque febrim erant ſuſpectæ valdè. Sic Aëtius *tetrab. 3. ſerm. 2. cap.* 18. icterum criſis ratione euenientem, aquarum potabilium lauacro aptè perſanat.

Deinde abſumendus humor erat bilioſus, & craſſus, quapropter victum humidum, attenuantémque conſuluit, vtrique indicationi ſatisfaciens. Sed cùm in ambitu corporis, craſſioris bilis copia eſſet impacta, quam ex aquoſo ſudore prodeunte cognouit, fortius auxilium ex balneo aquarum ſponte naſcentium vtilius eſſe indicauit: ita monuit ipſe *lib. 9. ſec. loc. cap.* 1. dum icterum criticum perſanare intendit.

§. *Et facilè hi curantur balneis, &c.* & Medici poſteà vnanimiter confirmarunt.

***

QVÆSTIO LIV.

Quòd Auriginoſus morbus, citra Iecoris vitium, in omni iudicatorio die eueniens, ſalubris ſit. Contrà Plinium.

COMMENTARIVM.

D*Ic ſeptimo.*] Incidimus nuper in ſummos, Galeni *in libros de locis affectis* interpretes: apud quos ſcitu digna pleraque de ictero ingeſſerunt ſe nobis. Ergo & inde ſpicilegium fecimus, ne nobis tantùm, & Muſis (quod dicitur) incineremus, atque hiſce commentationibus conſperſimus, vt quíſque exigit locus. Nunc illud enotamus, bilioſi recrementi per totum corpus refuſionem, definiri eam affectionem, quam regium morbum, Auriginoſum, arquatum, atque icteritium nuncupant: ſic Gal. *lib. de dif. ſympt. cap. 4. & lib. 3. de cauſ. ſympt. cap. vlt.* Paulus, Aëtius, Cornelius; & cæteri omnes, ſumpta appellatione ab his quæ in morbo, ac eius curatione accidunt. Ex eo enim quòd corpus palleat inſtar auri, auriginoſus dicitur: & regius, quoniam, vt notat Celſus *lib. 3. cap.* 24. luxu, laſciuia, & ludis, denique & regio apparatu tractandus. Icteritia, verò ſecundùm Aëtium, ab animalculo, quod ictis, ſeu muſtela ſylueſtris nominatur, oculos habente auricolores. Aliis ab ictero aue, Latinis Galbula nuncupatur. Hic vitioſus color magis apparet, vt inquit Aurelianus *lib. 3. chronion*, in albidis oculorum partibus, ob ſummam coniunctiuæ albedinem, & quia ibi ceſſat vaſorum ductus; & venis quæ ſub lingua ſunt propter illarum amplitudinem, & carneam linguæ laxitatem.

Non eſſe perpetuò in morbo regio affectum iecur, ſed citra illius vitium nonnunquam accidere, demonſtrat Galenus hac hiſtoria in medium allata: nam ſæpenumerò in morbis, vt tertiana exquiſita, & aliis id genus à bile procreatis, nequaquam laborante hepate, bilis ipſa, iudicatione ad cutim effunditur, & efficitur aurigo, ex ipſo *lib. 4. aph. 62. 2. feb. cap.* 1. ea ratione, qua interdum etiam pellente natura in criſibus peccantem humorem ad cutem, ſolent euenire ſudores, & per defluxum humoris in partem abſceſſus, iuxta illud Hipp. 31. & 32. *cit. lib.* & alibi. Secundò, quia aliquando etiam citra iudicationem, nempè, deprauata ſanguinis maſſa, & venenoſa quadam alteratione in bilioſam qualitatem conuerſa; ſiue corruptio à veneno oriatur externo, epoto, aut ex ictu ferarum, ſiue ab interno, hoc eſt, intra corpus genito, quod generari poſſe monſtratum eſt *lib. 1. in com. hiſtor.* 52. Deinde ex eo, quod prouenit etiam non rarò ratione viarum, per quas expurgatur bilis, aut vitio fellis præ imbecillitate non attrahentis, vel obſtructione ſui meatus ad inteſtina non pellentis.

Demùm. De icteritia illa quæ ad felleam veſicam ſpectat, non agit hoc capite Galenus, in quo propoſita eſt hiſtoria hæc, quia eo loco ſolius iecoris rationem habet; imò verò quia tantùm intendebat oſtendere, non ſemper in huiuſmodi morbo hepar ipſum laborare; & idcircò ſingulas differentias, quæ illius cauſa eueniunt, non proſequitur, ſed frequentiſſimam tantùm proponit, eam videlicet quæ oritur ex calido, & adurente huius viſceris intẽperamento, ratione cuius tantam aliquando procreat bilem, quæ nequeat à felle expurgari; atque adeò cum ſanguine delata per membra, ea ad pallidum colorat, & icteritiam concitat, ídque nonnunquam citra inflammationem, ſcirrhum, aut obſtructionem, à quibus etiam plerúmque naſcitur hic morbus; quanquam duæ priores cauſæ, etiam obſtruendo concurrant, & obſtructio quodammodo etiam inflammando: nam præterquam quòd prohibita per obſtructionem bilis in felleam veſicam ſecedere, facilè in cutem deflectit, impeditus etiam in tranſitu ſanguis per moram bileſcit.

Quòd tamen aurigo per morbi indicationem, aut ſanguine in bilem verſo ab extranea corruptione euenire nequeat citra hepatis læſionem, quod Galenus in præſenti contendit, oſtenditur. Primò. Non ſufficit ad tertianam, vel quamuis aliam bilioſam febrem, bilis copiam in

in corpore redundare : nec requiritur inſuper quòd putreat; nec qualibet, ſed inſigni putredine, ex Gal. 2. *feb.* 1. & Auic. 15. 3. *tract.* 1. *cap.* 5. Atqui icteritia licèt à bile exuberante fiat, non tamen citra illius putredinem, ex Gal. *ibidem*, alioquin febricitarent intensè icterici omnes. Igitur fieri non poteſt in bilioſis morbis per viam criſis, citra peculiare aliquod iecoris vitium.

Secundò. Si hoc ita eſſet, cum rigore neceſſariò accideret; is ſiquidem non aliter efficitur, quàm bile velociter mota per membra ſentientia, ex Galen. 4. *aphor.* 58. & alibi. Non poteſt autem bilis ad cutem diffundi ad huius morbi generationem, niſi tranſeat per ſentientes muſculos; nec criticè, niſi motu velociſſimo. Cùm verò ſine rigore fiat, &c.

Tertiò. Si in aliis morbis etiam per viam criſis accideret, eſſet in iecoris inflammatione. Sed quamuis ab hac ſæpè oriatur, criticè tamen nunquam, vt colligitur ex Gal. *lib.* 4. *aph.* 62. & probant ibi ſcribentes Hollerius, Heurnius, Fuchſius, & alij. Igitur.

Vltimò. Si ab externo veneno ſanguinis maſſa aliquando bileſceret, ad huius morbi generationem, eſſet, vel quia inſtar cholagogi medicamenti intra corpus remanentis in bilem conuertitur, vel ſua deleteria qualitate humores ipſos pallefacit. Non primum, nam aduerſatur veneno, pati atque immutari. Minùs ſecundum, qui mortificans calidum innatum, & ſpiritus diſſoluens, potiùs denigrat; quo colore infectos, veneno interemptos perpetuò ferè experimur. Igitur.

Sed hæc nihil concludunt. Dic ad primum. Quamuis putridæ febres bilis expulſione ad cutem, atque adeò icteritia aliquando finiantur, bilis tamen ipſa ad cutem delata abſolutè putrida non eſt, ſed putredinis tantùm initium habet; vnde auriginem, non tertianam facit: ad hanc enim putredo notabilis, & cordi communicata requiritur, provt rectè obiiciebatur. Quòd ſi inſiſtas, non poſſe febrem putridam terminari, niſi materia à qua pendet omnino tranſmiſſa, quúmque hæc ſit inſigniter putrida, talem fore illam icteritiæ. Reſponde, coniunctam in ipſo paroxyſmo reſolui: antecedentem autem nondum putrefactam, circa cutem remanere, & icterum gignere. Sed nec placet ſolutio Gentili *in com. cap.* 3. *in* 9. 3. *Auic.* Soluit ergo, etiam coniunctam materiam ad extimam cutem effundi in critica icteritia; ob loci verò diſtantiam febrem non efficere: de qua re lege Mercat. *lib.* 4. *de morb. internis, cap.* 5. *in initio.* Cæterùm Auic. loquitur indiſtinctè, & ſimpliciter pronuntiat, ſine putredine à bile gigni, ſaltem momentanea.

Ad ſecundum. Licèt aurigo ex bile tranſmiſſa ad cutem oriatur; tamen cùm in huiuſmodi morbo bilis per vaſa ferè ad corporis ſuperficiem mandetur, illáque hebeti ſint, vel exiguo ſenſu prædita, nihil mirum ſi rigor non ſequatur, non aliter quàm in continuarum febrium acceſſionibus; requirit enim rigor materiæ delationem per membra exactè ſenſibilia. Quòd ſi aliquando in regio morbo apparet, vt habetur 4. *acut.* 81. & teſtatur ſe vidiſſe Thadæus *lib.* 4. *aph.* 62. fit, quia per muſculos bilis ipſa nonnunquam defertur, tam ad icteritiam, quàm ad ſudorem, atque abſonum non eſt, licèt rarum, iungi vtrobique rigorem. Conſule Carrerium, qui *diſp.* 34. *ad libros de loc. affect.* hoc argumentum ex profeſſo agitauit.

Ad tertium. Quamuis hepatis inflammatio frequentiorem habeat ſui terminationem per hæmorrhagiam narium, præſertim ea quæ gibbum obſidet, ſudorem, vrinam, vomitum, & ventris fluxum, 14. 3. *de apoſtomate calido*, & 2. 4. *cap.* 2. vnáque ex frequentibus cauſis icteritiæ aſſeratur, 4. *aph. cit.* 5. *de loc.* 7. impoſſibile tamen non eſt, poſſe hepatis inflammationem per regium morbum etiam iudicari. Si enim per ſudorem exactè & completè iudicetur expulſa materia ſubtili extra corpus per cutem: cur non etiam via permutationis per icteritiam, in materia craſſiori, ea ipſa ad cutem tranſmiſſa, & ſalubriter; provt docuit Hipp. 4. *aph.* 64.

Sed num in omni indicatorio die, controuerſum eſt, ob repugnantes veterum ſententias, quas quia iuniorum peritiſſimi non ita ad plenum conciliarunt, nobis curæ erit

A hos auctores tantos in veram amicitiã reducere. Nam plures, antiquorum dicta hoſtiliter impugnant, contra quos acriter decertarunt Conciliator *dif.* 78. Valleſus 10. *cont.* 9. Mercurialis *lib.* 3. *prax.* 23. & *in com. hiſtor. epid.* 16. Marcel. Donat. *lib.* 1. *de hiſtor. mirabil. c.* 9. Muſa *in com. cit. loc. de rat. vict.* & alij, qui aphoriſmorũ ænigmata doctè extricarunt.

Hipp. ergo 4. *aph.* 62. icteritiam ante ſeptimum reprobat, 4. tamen *acut.* 81. eam cum rigore ante ſeptimum euenientem laudat: nec defuerunt qui aphoriſmi ſententiæ contradicere tentarunt. Plinius *lib.* 26. *cap.* 12. ſcribit *vixiſſe multos à deſperatione illa Hipp. ex icteritia ante ſeptimum eueniente.* Quare ſententiam Hipp. ſuo, & Perſarum omnium experimento reprobatam teſtatur Auerrhoës *lib.* 4. *collect. cap.* 43. quia nihil inconuenit, vt bilis cocta vtiliter antè ſeptimum excernatur; quod etiam ſignificauit Auic. B 2. 4. *cap.* 59. & 80. maximè ſi alia ſimul iungatur vacuatio, ex eodem, & colligitur *ex cit. aph. in com.*

Nec verò rationes deſunt, quibus poſſit hæc ſententia roborari. Si enim antè ſeptimum dies iudicatorij numerantur, in quibus exactæ, & laudabiles criſes contingunt; inſuper, & ante ſeptimum concocta poteſt eſſe bilioſa materia, cur ſalubriter tunc temporis ad cutem tranſmitti non poterit, & cum vtilitate accidere icteritia; non minùs quàm ſudor fit, *cit. aph.* 35.

Rurſus. Magis tenuis huius morbi, quàm abſceſſus materia eſt (hi enim ex ſanguine, quin & ex alio ſucco craſſiori non rarò fiunt, aurigo ex tenuiſſima bile.) Sed abſceſſus in morbis concocta iam materia, & criticè quarto die fiunt, *cit. aph.* 74. Igitur & icteritia.

Denique. Quo pacto icteritia ante ſeptimum indicabitur ſymptomatica, non critica, neque laudabilis, ſi in morC bis exactè peracutis efficit plerúmque iudiciales vacuationes in quinta die, & ante, ex Hipp. 4 *aph.* 36. Nec dicas, ſeptimum eſſe breuiſſimum terminum morborum, qui poſſunt aurigine terminari, propterea quòd oportet huius morbi materiam craſſiuſculam eſſe; tenuior enim ſi foret, latenter expiraret, aut per ſudorem pelleretur: nam materia, bilis eſt, vt conſtat, nec ea quidem craſſa, alioquin (quod demirabatur Plinius) non poſſet in denſiſſimas, ac ſubtiliſſimas oculorum tunicas ſubire. Inſuper & fieri poteſt, quòd licèt tenuiſſima, non expiret, ob cutis denſitatem, ſed ibi impacta icterum gignat.

Cæterùm cum bilis icterum faciens non exactè tenuis aſſeratur, imò verò prædita ſit craſſitie quadam, ratione cuius ad cutem terminatur, prohibetúrque in formam ſudoris excerni: nec ita craſſa materia infra dies ſeptem poſſit in totum à natura ſuperari; ſi priùs ad cutem D pellatur, non critico, ſed ſymptomaticè excernitur, à turbata potiùs, quàm vincente natura expulſa; vnde perinde ac quæuis alia vacuatio ante ſigna coctionis facta, reproba cenſetur, & ſuſpecta icteritia ante ſeptimum. Si nihilominùs ea cum aliqua euacuatione iungatur, ſudoris, ſanguinis, ventris, aut vrinæ, idque iudicatorio die; poſſibile erit, quòd ſalubris vtiliſque ſit, & ad eam ſanitas ſequatur, quantumvis per expulſionem fiat materiæ adhuc incoctæ: accidit enim, vt crudam humoris portionem ſimul cum cocta, ad ſalutem natura excernat, & ſanetur morbus, quod docuit Auic. *vbi ſuprà*, inſinuauit Hipp. 4. *aph. cit.* & colligitur *ex* 4. *acut.* vbi ante ſeptimum cum rigore eueniens, laudabilis pronunciatur, fortè quia iunctus rigor vacuationem aliquam ſignificat. Hoc probat Hipp. 1. *epid. ſect.* 2. *text.* 65. quo loco Heraclidem apud E Ariſtoclidem decumbentem, ſexto die, morbo regio ſuperueniente fuiſſe liberatum affirmat, maximè quia per nares ſanguis effluxit, & per aluum, & veſicam excrementa ſunt vacuata.

Quamuis autem Auerrhoës, ſuo, & Perſarum Orientalium Medicorum teſtimonio ſcripſerit ſalubrẽ eſſe hunc morbum quinto die apparentem, non ideò Hip. carpit, ſed interpretatur, ac verè dixiſſe ait de his, quæ in Græcia contingunt, licèt aliter Arabia propter climatis calorem: nihil enim mirum, ſi in calidis regionibus, citiùs quàm in frigidis, & temperatis, morbi terminentur, atque adeò ex cocta iam bile, vtiliter & iudicatoriè ante ſeptimum icteritia eueniat: non ſic in Hipp. patria, aut noſtra frigidiori.

Licèt

Licèt autem quibuſdam non placeat Auerrhois interpretatio, eo quòd Hip. (aiunt) ſolis Græcis non ſcripſit, ſed ſigna ab eo propoſita, vera ſunt & in Delo, & Scythia, & Lybia, ex ipſo *3.prog.*40. nec perpetuum eſt in frigidis tractibus, regium morbum ante ſeptimum eſſe ſymptomaticum, ſicut nec in calidioribus criticum: obliuiſcuntur tamen, artis præcepta, pro tempore, ætate, & regione variari, nullóſque in medicina eſſe terminos omnino certos, aut perpetuos, eo quòd valdè natura à natura, ætas ab ætate diſtat, iuxta illud Hipp. 1. *de fract.* 41. atque ita ad eum modum recipiendum eſt, quod Plinius ait ſuo orbe vidiſſe: quanquam nec ſi lethale foret ſignum, neceſſe erat omnes ex illo interire, aut mirum eo præcedente aliquos vixiſſe, vt notat Cardanus *in com.*62.*ſent.lib.*4.*aph.* Vtcunque tamen excuſari non poteſt, quòd parum perpendens vim & energiam verborum Hipp. quod ille dixit malum, ille deſperationem appellauit: nec enim ſimpliciter deſperata eſt icteritia ante ſeptimum, aut omninò mortis prænuncia, provt deſcribit Halyabbas 10.*theoric.*10. ſed mala quædam, imperfecta, & ſymptomatica criſis, quam aut mors, aut difficilè iudicium ſequitur, iuxta prædictionem decretorij non decernentis, poſitam ab Hipp. *lib.*2.*epid.ſect.*1.*in princip.* dicente, decretoria non decernentia, aut lethalia ſunt, aut difficilis iudicationis: explicat axioma hoc Gal. *lib.*7.*aph.*4.*&* 3.*criſ.*4.*&* 1.*epid.ſect.*3.*com.*18. Quare modo explicato vera eſt ſententia Hipp. habita ſcilicet diſtinctione climatis, temporis, & temperaturæ loci.

Nec enim adductæ rationes euincunt, laudabilem vtplurimùm habendam, licèt dies quarta & quinta inter iudicatorias habeantur, & feliciter iudicent; non ſufficit enim numerus dierum, ſed requiritur inſuper & materiæ præparatio, vt facta in ea criſis, ſalubris pronuncietur, iuxta edictum Hip. 2.*aph.*27. explicat Gal. 4.*aph. com.* 22. Poſſibile autem non eſt, vt diximus, quòd concocta ante ſeptimum ſit materia morbi, qui per icteritiam fieri debet, eo quòd craſſior, quàm quæ in formam ſudoris excernitur. Iam verò abſceſſus criticos, non eſſe ante vigeſimum vtplurimùm expectandos, conſtat ex Hip. *3.prog.*25.

Denique ſymptomatica habetur per icteritiam criſis, quia fit per expulſionem materiæ incoctæ, præ craſſitie enim ita celeriter ſuperari non poteſt: nec tenuitatem ſufficientem arguit, quòd ſurſum aſcendens, oculorum tunicas penetret, cùm eò etiam ſanguis multò craſſior conſcendat, & permeet, vnde Ophthalmia. Non negamus autem etiam tenuiſſimam bilem ex cutis denſitate aliquando prohiberi per ſudorem excerni, ſed vtplurimùm in naturis, temporibus, ac calidis morbis, cutis raritas datur, & meatuum apertio, qua liberè poſſit tenuis ſuccus expirare. Hoc ſignificauit Auenzoar *lib.* 1. *theizir*, *tract.* 13. *cap.*6. dum ſic ait. *Et iam ſciuiſti, quod antiqui Medici dixerunt, quòd icteritia quæ fit in principio ægritudinis eſt mala valdè, eo quòd fit ante digeſtionem materiei. Sed ego dico, quod eo quòd icteritia fit ex humore acuto, eſſe debet volocis motus in omnibus ſuis actionibus, & paßionibus; vnde non videtur eſſe longi, quum, nec extraneum, ſi recipit digeſtionem in ſecunda die, & magis in quarta, & maximè in iuuentute, & in regione calida; & in tempore calido, & quando flant venti orientales, & meridiani, &c.*

Ad quartum argumentum reſponde, purgantia medicamenta, ni ſoluant, humorem purgandum alere, provt ſenſit Galenus 3. *ſimpl.* 24. Vnde fortè Aurelianus inter auriginis cauſas, retulit cholagoga à corpore non excluſa; quo caſu etiam citra hepatis vitium, ex aucta nimiùm in vaſis bile, hic morbus eueniet: ſed non perinde poteſt ab externo veneno fieri, quia aduerſante ſua, & præpotente qualitate, cùm valdè repugnet calori noſtro, nec ſuperari à natura, nec conuerſionem pati poteſt, quin ſuperat potiùs, immutat, & deſtruit, ex Ariſt. 1. *probl.*47. id quod ex Gal. manifeſtè deducitur *cit. ſimpl.* vbi venenoſa pharmaca ſtatim excepit, eo quòd non digeruntur, neque in humorem, cuius generatio naturæ dominium arguit, ſed in corruptionem potiùs conuertuntur: nam licèt audiamus concoqui aliquando venenum præſertim in virtute robuſta, & nutrire, vt conſtat ex Gal. hiſtoria 3. *ſimpl.* 18. ab Auic. relata 6. 4. *tract.* 1. *cap.* 2. *ad fin.* de quo latè Conciliator *dif.*142.*in reſponſione ad primum argumentum*, à toto genere venenum non eſt, id ſiquidem etiam exiguum, nullam coctionem admittit, ſed ſuperat, & interimit, *cit. probl.* imò nec ea quantitate, qua digeri & nutrire dicitur, rationem ſubit veneni, etiam ſecundùm qualitatem. Vbi verò ab externo, vel intra corpus genito veneno icteritia accidit, ex alterata fit ſanguinis maſſa, & in bilioſam qualitatem conuerſa, à vi & natura veneni in colorem illum humores immutantis, provt Galenus *in lib.*5.*de loc. affect. cap.*7. appoſita hiſtoria confirmat ſerui Imperialis, qui à vipera commorſus in icterum incidit, in cuius interpretatione induſtriam noſtram adhibemus *in lib.*5.*in com. hiſt.* 29. Verùm hoc non tollit, corpora veneno infecta, plerúmque liuido, viridi, atro, aut quouis alio colore ſuffuſa, iuxta proprietatem, colorem, aut temperamentum veneni apparere.

DVBIVM LXIV.

Num vitioſus oculi color, morbus ſit, an ſymptoma. Contrà Argenterium, Fernel. & alios Neotericos præſtantiſſimos.

AVriginoſus.] Reſidua de ictero ſupereſt explicanda dubitatio, in cuius explanatione Medicos video eſſe diſcordes: num vitioſus oculi color, morbus ſit, an ſymptoma. Nam quidam putant non eſſe morbum, ſed ſymptoma, & lædere viſionem, non ratione alicuius morbi; ſed per ſeipſum, quoniam ſymptoma ſymptomati ſolet ſuperuenire immediatè, veluti Gal. oſtendit *lib.de dif.ſympt. cap.*4. *&* 5. & quamuis vnum ſymptoma à morbo oriatur immediatè, quia remoto morbo omnia remouentur, ſic deprauata viſio à vitioſo colore oculi emanat, & hic ab obſtructione pori fellei, aut intemperantia calida iecoris & venarum ſcaturit, quibus remotis, ſtatim vitioſus color, & viſionis læſio ceſſare ſolent: hæc opinio Gal. ſententiam euertit: nam vitioſus oculi color, cùm ſit qualitas permanens, affectus eſt; & cùm non ſit ſecundùm naturam, & actiones lædat, morbus eſt, & non ſymptoma. Huic reſpondebis, dicendo cum Gal. *lib. de dif. morb. cap.*1.*in fin.* morbo neceſſariò ineſſe duo, quòd ſit affectus præter naturam, & quòd actiones lædat: ſymptomati verò, neutrum ineſſe neceſſariò, quia licèt interdùm ſit affectus præter naturam, non lædit actiones, vt vitioſus totius corporis color: ſæpè lædit actiones, & non eſt affectus, veluti eſt actio læſa; & vitium recrementi: aliquando vtrumque habet, vt vitioſus oculi color. Cæterùm quia hæc non inſunt neceſſariò colori præter naturam, idcircò non datur morbus in colore. Sed non videtur recipienda ratiocinatio hæc; quia ſequeretur ex illa, definitionem morbi eſſe vitioſam, traditam à Gal. *lib. de dif. morb. cap.*1. vbi ex communi Medicorum decreto, dicit *morbum affectum eſſe præter naturam, à quo primò actiones læduntur*: quidquid contra eam plura obiiciat Argenterius *lib.de generib.morb. cap.*1. *&* 2. cuius tela irrita eſſe & prorsùs nulla, ſatis ſupérque demonſtrarunt Montanus, Valleſius, Valleriola, & alij viri in arte perilluſtres. Deinde remota obſtructione & intemperantia, ſolet remanere in oculo vitioſus color viſionem lædens. Igitur ſi de natura ſymptomatis eſt, quòd remoueatur ad remotionem morbi, non erit vitioſus oculi color prædictarum ægritudinum ſymptoma.

Alij ſententiam ſuam ſic expendunt, vitioſum oculi colorem morbum eſſe ſecundæ qualitatis, & reduci ad morbum in temperamento, quia ſecundæ qualitates oriuntur ex primis. Verùm cùm in ſecundis qualitatibus conſtituatur morbus diſtinctus à morbo in temperamento, vt conſtat in aſperitate, & læuitate, quæ naſcuntur ex ſecundis, & conſtituunt morbum organicum in ſuperficie, qui non reducitur ad morbum in temperamento: ſimiliter de colore, & aliis ſecundis qualitatibus poſſumus reſpondere, quòd licèt naſcantur ex primis, poterunt diuerſum morbi genus à morbo in temperamento conſtituere. Accedit, quòd non poteſt explicari, qualis ſit intemperantia iſta, ad quam debeat reduci: illa enim ex colore

agnoſci

agnoſci nó poteſt; quilibet enim color in qualibet intemperantia reperiri ſolet: ideò ex colore facultates medicamentorum non eſſe agnoſcendas,aſſeuerat Gal.*lib.4.ſimpl. cap.vltimo.*

Subtiliſſimus Argenterius *lib.de generib.morbor.cap.1.in med.* acutiùs ratiocinatur, dicens, vitioſum oculi colorem non eſſe morbum, ſed ſymptoma in genere mutatæ qualitatis ſenſibilis: nam Galenus hoc affirmat *lib. de diff. ſympt.cap.5.& 2.de loc.affect. c.9.in med.* aſſeuerans vitioſum colorem, ſiue ſit in toto corpore, ſiue in lingua, ſiue in oculo,ſymptomata eſſe mutatę qualitatis.Prætereà Gal. *1.de ſanit.tuend.cap.5. in medio,* ſanitatem in colore reponendam non eſſe aſſeruit, etſi interdum ſit affectus ſecundùm naturam, quia non eſt actionum cauſa: igitur neque in colore morbus eſt conſtituendus;nam cuius ſymmetria eſt ſanitas, eiuſdem ametria eſt ægritudo; nam colorem, qui viſionem vitiat, nullus morbum eſſe fatebitur: quare ſi vitiat, eſt interuentu morbi: vt dolor capitis, & vigilia lædunt actiones ventriculi, quia in ipſo intemperantiam frigidam concitant. Hanc doctrinam etiam proponit Fernelius *lib. 1. patholog. cap. 9.* ſed quoniam non explicat morbum, cuius interuentu vitioſus oculi color lædat viſionem, non videtur recipiendus, ſicut nec Valleſius, qui *lib. 4.cont. 1. poſt medium,* in eodem luto hærere videtur. Ergo ſi quiſpiam pro illis inſurgat, affirmétque morbum cuius ratione lædit color, eſſe obſtructionem corneæ ab humore pronatam, non extricabit dubium: nam ſi vitioſus oculi color ratione obſtructionis viſionem læderet, ſemper viſio eodem modo læderetur, ſiue oculi color eſſet flauus, vel rubens, vel fuſcus, quia idem eſt modus obſtructionis, quod falſum eſt. Prætereà vitioſum oculi colorem per ſe lædere viſionem,*lib.1.de cauſ.ſympt.cap.2.* Galenus aſſeuerat.

Sed meo voto vitioſus oculi color, eſt proprius oculi morbus, & non aliarum partium:nam ſicuti oculus optimam temperiem deſiderat, conformationem optimam, & vnitatem,ſic in humoribus & in cornea ſubſtantiam diaphanam deſiderat, vt ſpecies penetrent, & humori cryſtallino repræſententur. Deinde oculus requirit, quòd in prædictis affectibus ſit colore priuatus; nam ſi non eſſet ita conſtructus, viſus iudicium corrumperetur. Quare quando in oculo eſt vitioſus color, illius ratione læditur viſio,& ſic verè illius partis, & non aliarum morbus eſt. Lege Coſtæum *in com.cap.3.9.3. Auic.*

HISTOR. CXIV. ACTVARII, D
De morbo regio.

Vrina paſſea, auriginoſi morbi eſt indicium.

Ipſe verò in quodam familiari aliquando ſimilia accidentia vidi, quæ nunc opportunè referam. Erat hyems quum viſus eſt à me familiaris meus, qui cùm magna iniuria affectus eſſet à quodam, ſurrexerat diluculo, atque citra regiam frequentabat, quærens ſolutionem iniuriarum inuenire. Atque hoc pacto agens, multos dies inedia preſſus eſt: & ſiquando eum oporteret coactum ſumere cibum,comedebat frequentius acria & ſale macerata. Sed eiuſmodi ciborum oblationes ſuſtinens, anxius ne magno damno afficeretur, cœpit malè dormire,& quia panis per erat, prauis vtebatur alimentis. Quia verò euenit,vt vrinam ſpectaret exeuntem cum colore non naturali,pranam affectionem ſentiens, rem omnem mihi narrauit, petiitque facti cauſam. Ego verò videns eum ſanum, & hanc vrinam in ægritudinibus peſſimis apparere, iuſſi vt poſt mictum iterum eam mihi oſtenderet. Et ego diſceſſi. At ipſe toto die ſine cibo verſatus, poſtero die detulit mihi matulam cum vrina paſſea, qualis eſt arquatorum. Ipſe putabat etiam febre carere. Prædixi niſi caueret, caſurum eſſe in auriginem. Ipſe primo die cauens quietus manſit, pedetentim increſcente paſſione. Poſtera eum vidi,neque quicquam mali patientem; neque enim ſitis ei aderat, neque febris ſenſibilis,neque aliquod ſignum apparebat ex iis quæ in ægrotantibus videntur. Atqui nos reliquit, dicens nihil non ſcire: atque cibum craſſiorem ſumpſit,& vinum infirmum bibit:& nondum nox erat,quum humor ille commotus eſt, atque conturbatio non parua hominem corripuit,nóſque tum intelligens rectè indicaſſe, accerſiuit, atque ſalutem nobis credidit. Ego verò verbis,vt viſum eſt,caſtigans, vt Medicis iubentibus fidem haberet. Atque cùm intelligerem humorem huiuſmodi bilioſum non adeò inflammatum eſſe, iuſſi vt caueret à cibis craſſioribus, atque vino, vtereturque victu tenuiore. Iam cutis corporis, atque oculorum album arquatum ſpectabatur. Et homine à morbo liberato, victúque non admodum tenui vſo, prædixi humorem vacuatum iri ſine dolore, &c. Actuarius lib.1. de præuidentiis ex vrinis, cap.8. de præuidentia ex vrinis palleis.

PARAPHRASIS.

B Tædioſus eſſem ac prolixus, ſi de arquati, ſeu arcuati morbi variis cauſis, ſignis, & prognoſi quidquam modò memoriæ commendarem, quum Hip.& Galenus, auctores tanti, & in morbis deſcribendis non incelebres, & Iuniores ferè omnes, de hoc negotio paſſim diſputarint. Quidquid Iacobus Douinetus *lib.3. apolog. cap.1.* tempore Hippocratis non fuiſſe auriginoſos pneumatodes aſſeueret, quod eius affectus origo ſit ab imbecillitate ventriculi, quæ cruditates parit, à quibus obſtructio, & icterus, nam humor multus, craſſus, lentus, procumbens è cerebro in ventriculum, iecoris venas ſenſim obſtruit, aut ab alimentis multis, & craſſis, aut balneis, aut motu violento, mox à cibo: ac ſi ſapientiſſimus doctor *in epidemiis, Coacis prænotionibus, Aphoriſmis, libris de ratione victus,* icteri, ab obſtructione, & partium naturalium ſcirrho orti,in quo hæ cruditates accidunt, non meminerit, auriginoſíque morbi cauſas graphicè non deſcripſerit. Sed his relictis, ad hiſtoriæ explanationem accedamus, quæ ex huius Dubij expoſitione patebit manifeſtè.

DVBIVM LXV.

Num mœror, febrem, tabem, & mortem concitare poſſit.

Qvot damna triſtitia afferre conſueuerit, vel ex hac hiſtoria ſatis patere arbitror. Cùm enim hic ob iniuriam illatam mœſtus eſſet, & vigilans, inediáque maceratus, extra domum perpetuò eſſet, & ſic quærens vindictam, anxius & cogitabundus verſaretur, acria & ſalita cibaria eſitans continuò,factum eſt,vt hepate valdè exſiccato, & calidiori reddito, humidi nutrimentalis copia denegata, bilioſi humoris quantitas nimia in ipſo generaretur,quæ auriginoſo morbo præbuit occaſionem.

Quantum incommodum curæ,continuæ cogitationes, maximè ex triſtitia pronatæ corpori afferant, ex eo fit manifeſtum, quoniam iis vis ineſt nimia abſumendi ſpiritus; nam aſſiduæ curæ natiuum calorem, humidúmque primigenium abſumunt, & ſic exſiccant corpus; at ſanguine aduſto humores acriores redduntur, iecur incaleſcit, & inflammatur, & febribus acutis homo corripitur, vt docuit Hip.*6.epid.ſect.1.text.6.* quoniam diutinæ meditationes exhauſtis ſpiritibus vigiliam ſuperfluam inducunt, quam *ſuprà* citata mala inferre, docet Hip.*7.aph.18. & lib.2.acut.text.vlt.*

E Quòd ſi accedat triſtitia, quæ oritur ex opinione mali præſentis, quando ſuccumbit & deprimitur animus, & veluti onere premitur, tunc irreparabilia mala ſuccreſcere non eſt dubitãdum. In mœrore enim anima fugiens à malo quo affligitur, ſenſim & paulatim ſanguinem, & ſpiritum retrahit ad cor; partes exteriores ob defectum caloris refrigerantur,in actionibus hac de cauſa pigriores euadunt, & non benè concocto alimento neque attracto, liquatis & diſſolutis, recenter concretis carne & adipe, corpus extenuatur & marceſcit, (qua ratione triſtitia dicitur edax, vt notauit Gal. *lib.1. de artic.com.30.*) immò exſiccatur & reſoluitur;nam triſtitia omnes naturæ actiones impedit, ſicut gaudium perficit & auget, vt *lib.10. ethic. c.2.* protulit Ariſt. Sic retracto calore ad ſedes intimas, facultates languent, & ad actiones edendas inſurgere non

non poſſunt,vt eleganter docuit Valleſius *in cap.72.lib.de ſacra Philoſophia*,quare accidit pulſus tardus,paruus,rarus, & languidus. Quapropter ex triſtitia corpora ſiccantur, & contabeſcunt. Huc alludit Salomon Prouer.17. *animus gaudens ætatem reddit floridã,at ſpiritus triſtis exſiccat oſſa.*Et *c.23.Sicut tinea veſti,& vermis ligno,ſic triſtitia nocet cordi viri*, & in Eccleſiaſt. *cap.38.à triſtitia feſtinat mors.* Huius varios effectus eleganti carmine leges deſcriptos,apud Petrum Lopeſium *in lib.5.de ſex reb.non natur.tit. de triſtitia.*

Illa enim inter omnes animi paſſiones , plus vitæ affert incommodi , nam non ſolùm vehementia , & duratione, cæterarum paſſionum inſtar , ſed natura ſua vitæ eſt ſummoperè aduerſa, cùm caloris vitalis, influxúmque ſanguinis & ſpiritus ad reliquas corporis partes, reuocato calore impediat : cùm hæ cordis influxu indigeant, operentur, & viuant ; & pereunte actione cordis, reliquarum munia perire neceſſe ſit , ex Gal. *lib.5.de loc.affect.cap.1.* Deinde aliæ animi paſſiones , quæ in appetitu proſequutionis coniſiſtunt, veluti eſt amor, deſiderium, gaudium, ira, non ita nocent : in his enim expanſio, & influxus ſanguinis & ſpiritus ad vniuerſum corpus non impeditur:at verò paſſiones illæ , quæ conſiſtunt in fuga mali , ob contrariam cauſam impensè nocent, velut eſt odium, timor, triſtitia, quæ præ reliquis ſæuiſſima mala accerſere ſolet ; quum enim ſit de malo præſenti , magis affligit & premit , ex Gal.2. *de ſympt.cauſ.in fin.*

Hac de cauſa non immeritò dixit Auic. 1. 4. *tract.1. cap.13.* ex triſtitia febrem concitari. Licèt enim mœror ebullitionem ſecum non afferat, ex Galen. *lib.1.de dif.feb. cap.3.*cùm ſit ſymptoma timori proximum, ex Gal.*lib.cit. de cauſ.ſympt.* & in hoc motus minùs velox ac impetuoſus conſpiciatur , ac in timore , in quo affatim , & confertim ſpiritus ad interiora recurrunt: ex illo tamen febrem concitari, duo confirmant, ſpirituum videlicet vitalium vnio in corde , & propter annexam cogitationem , animalium in cerebro.Hinc fit,vt ſpiritus conculcati,difflarique prohibiti , nimis incaleſcant , & præternaturalem concitent calorem.Exemplo tibi ſit fœmina illa, cuius hiſtoriam recenſet Gal.10. *meth.cap.5.* quæ autumno ex triſtitia febricitare cœpit,& deinceps in hecticam incidit febrem, cum alia , quam humores excitauerant , coniunctam, vt etiam *lib.1.de dif.feb.cap.penult.*affirmat Galen.& non ſolùm hæc vitia gignit , ſed mentem obnubilat , animales facultates perturbat , ſenſibus ruinam minatur , coctionem vitiat, cerebrum debilitat , aciem mentis obtundit. Denique vt ſtomachus nauſeabundus in probum chylum cibos ingeſtos minùs poteſt tranſmutare;ſic confecti mœſtitia,facultatu mnullam probè nôrunt exercere functionem,nullum miniſterium , ita vt qui præſtabat habitu corporis validiſſimo, tabeſcat ſenſim, atque liqueſcat.

Nec contra hanc doctrinam bonum argumentum opponunt quidam , quòd triſtitia , & mœror inter frigidos affectus pariter numerentur, ex Gal.*lib.de cauſ.morb.cap.3.* & *lib.2. de cauſ.pulſ. cap.4.* cùm reuocato calore innato ad intra,hic potiùs ſuffocari videatur; vnde hi affectus quietem important , quod paruus , tardúſque pulſus demonſtrant ſatis , ex Gal.2.*de ſanit.tuend.cap.9.* quæ omnia potiùs deficientis , quàm aucti caloris ſunt indicia : ad quorum pathematum extirpationem, iram, tanquam auxilium contrarium, quo omnes morbi curantur , excitare conſulit Gal.*6. epid.ſect.5. com.9.* & poſteà docuit Auic.*1. part. cantic.text.155.*

At hæc licèt vera ſint , prædictam tamen ſententiam non euertunt; ſolùm enim probant,non ita frequenter ex mœrore , & triſtitia febrem accendi , ac in iis animi pathematis , in quibus ſanguis & ſpiritus incõpoſitè,ebullitione maxima feruent & mouentur. Nam ſi mœſtitia longo tempore perſeueret , licèt ſit frigidus affectus , febrem concitare poteſt modo dicto , & ſæpè mortem , auctoribus Valer. Maximo *lib.9. tract.12.de morte non vulgari*,Aulo Gellio *lib.3.noct. Attic. cap.15.* Plin. *lib.7. cap.32. & 57.* Valleriol. *lib.4.de morb.& ſympt.cap.5.* Num autem hoc animi pathema aliquando ægris prodeſſe queat , diſputat ingenuè Vaſcus Caſtellus *tract.10. ad thoracis affectus , cap.2.difficult.6.*

Etſi enim triſtitia ſit frigidus affectus , tamen febris ex ea concitata, paſſio calida eſt,in qua humor ad intra coërcitus & conculcatus , vnitus, ampliùs quàm anteà incaleſcit , & calorem concitat præter naturam. Paruitatem & tarditatem pulſuum , triſtitiam comitari , de ſtatu naturali intelligendum eſt : cùm enim facultas non excitetur ad opus,ſed veluti extinguatur; ſit facilè vt multi rigeant,& toto corpore frigidiores appareant.Cùm verò hoc pathema diu durat , & ſanguis conculcatus inflammatur , tunc fiunt parui, tardi,rari, demiſſi, depreſſi; ſed cum eleuatione aliqua , ſeu diuerſitate in dilatatione & conſtrictione , vt *cit.loc.& c.14.infrà de febre ephemera ex cogitatione*,monuit Auic.vel ſi in triſtitia dicas adeſſe hos pulſus tardos , non abſolutè , ſed comparatione ad pulſus, quos lætitia , gaudium, & aliæ febres magni feruoris, efficiunt , Galenum à calumnia liberabis.Quod verò addunt,triſtitiam ira curari, nihil concludunt; nam & hydropici febrientes victu calido curantur,ex Gal.1.*aph.16.* & quartanarij pipere,& aliis calidis medicamentis iuuantur, ex Gal. *lib.1.ad Glauc.c.11.* ſic mœſtibundi,& anxij,vt humor frigidus,ex improſpera eorum coctione progenitus, incidatur, ira, calidiſque curari deſiderant.

Hic ergo triſtis & mœſtus, multáque vigilia confectus, diu inediam hac de cauſa ſuſtinuit. Quam eſſe in ſicco corpore pernicioſam nimis , *lib.10. meth.c.5.* prædixit Gal. *nam calidis & ſiccis corporibus,aduerſiſſima res inedia eſt, & febriũ paratiſſima cauſa*,maximè ſi ex vigiliis,labore immodico,aut comprehenſis animi motibus ſit contracta,quippe vel in febres ardentes ex ea incidunt ,à quibus , niſi priùs mors occupet, in hecticas migrant , atque ab his in maraſmum , vel protinùs ab initio , ardentibus præteritis, in hecticam. Denegato enim humido alimentoſo , corpora vigiliis & curis exſiccata,ſiccantur ampliùs,& contabeſcunt. Nam exacta inedia impensè exſiccat,ex Galen.*lib.7. aph.com.22. in med.* præſertim ſi ſalſorum , & acrium alimentorum ſubſequatur vſus.Hæc enim exſiccãt,ex Auic. *lib.2.tract.1.cap.3.* cùm ſal conditura ſua quidquid in corporibus humidum ineſt,id quodammodo abſumat,& quod reliquum eſt ſubſtantiæ ſolidæ, adſtrictione contrahat, ex Gal.*l.11.ſimpl.tit.de ſale*,& Ariſt.21.*probl.5.* Acria omnium ſunt calidiſſima , vt allium , cæpæ , à quorum aſſiduo vſu tantoperè abſtinendum iubet Gal.*lib.2.de alim.facult.cap. vlt.* & potiſſimùm , cùm is qui ipſis veſcitur, natura fuerit bilioſus:ſolis enim,qui vel ſuccum pituitoſum,vel crudum vel craſſum , ac lentum aceruauerint , cibi eiuſmodi ſunt accommodati : nam acris ſapor,Galeni teſtimonio *lib.5.de ſimpl.medic.facult.cap.27.*extenuat,ſiccat,digerit,& eſcharam , ſiue cruſtam efficit. Hæc omnia complexus eſt Meſuë *in canon.vniuerſalib. theorem.1. & 2.* dum inquit. *Acre medicamentum facilè inflammatur , mordet, penetrat, incidit, ſeparat,reſoluit,è longinquo attrahit,ſiccat,emaciat, ſitim facit, & hac omnia citò & valenter agit.*

Sed quid boni expectare poterat in homine his anguſtiis preſſo,oppreſſo vigiliis, iniuriis affecto,acribus,& ſale maceratis, iiſque reprobi ſucci cibis nutrito,paupere,& ſollicito , curiſque vehementer confecto ? Dicerem certè omnia hæc ſimul copulata nonniſi perniciem ſummam minari , maximámque ruinam portendere. Quare iecore concalfacto nimis, ſanguinéque bilioſiore reddito,& cum ſero commixto , auriginoſus ſolùm apparuit affectus, hepaticus ille quidem , ex iecoris calida diſtemperie, aut venarum , totiúſque corporis exurente caliditate pronatus: quare cùm plus tunc bilis generaretur , vel præ obſtructionibus (has enim in hoc ægro adfuiſſe,ob vigilias, infauſtam coctionem , prauorum ciborum eſum , debilem calorem, non eſt dubium) ea in aluum non conſcenderet, fit vt in vniuerſum corpus,& præſertim oculorum album irruens, flauo colore has partes infecerit.

Ex nimia hepatis caliditate, & bilioſi humoris prouentu arquatum morbum in hoc fuiſſe generatum , vel ex hoc ligno tibi fiet manifeſtum , quòd vrinam paſſeam eminxerit,regij morbi certiſſimum ſignum.Licèt enim in ictero vrina ſit vehementer flaua,adeò vt flaueſcant omnia quæ cõtingit alba: tamen ſi inſigniter tingatur immerſum linteum , color adeſt paſſeus , qui validam permixtionem bilis

bilis valdè flauæ, eiúſque maximam generationem oſtendit, ex Auic. 2.1. *doct.3. cap. 2. de coloribus vrinarum.* Nec mirum: cùm enim hic diutinam paſſus eſſet inediam, ob vigilias ſiccato corpore, bilioſi humoris copiam aceruauit, quare vrina tincta eſt: fames enim eſt ex iis, quæ vrinam vehementer tingunt, & ipſam valdè acuunt, vt *cit. cap.* dicebat Auic. Hæc vrina cognoſcitur, quoniam in colore aſſimilatur vuis paſſis, vt Actuarius *hoc loco* oſtendit, vel ceraſis nigreſcentibus, vel vino decocto dicto ſapa, oſtendens bilis aſſationem, & in paſſeum colorem conuerſæ. Quare cùm non expurgetur bilis per viam à natura deſtinatam, tendens ſimul cum ſanguine per venas, ſuo calore ipſum adurit, & tum hac ratione, tum ex permixta bile cum ſanguine, hic reſultat color in vrina, qui in icteritia præſente, vel imminente eſt frequentiſſimus, cognoſcitúrque, quoniam agitato vaſe, vrina & ſpuma, flaua apparent.

Hæc paſſea vrina, tendente nigredine ad citrinum colorem, in febribus malignis, acutis, & turbulentis eueniens, aduſtionem ſanguinis, aut flauæ bilis oſtendens, quàm reproba ſit & pernicioſa, magnum arguens à naturali ſtatu receſſum, probant Actuarius *lib.1. de iudic. vrinar.cap.*17. Fernel.*patholog.cap.*13. qui vitinam vineam, & paſſeam, vuæ nigræ perſimiles, deterrimas eſſe aſſeuerant, quæ vel ſanguinem, vel bilem præaſſari, & in atram deuergere indicant. In noſtro verò ægro, hanc vrinam ſaluhriter fuiſſe excretam, ex ipſo contextu patet euidenter, ex verbis (*homine à morbo liberato:*) & ex aliis (*prædixi humorem vacuatum iri:*) ſed quibus auxiliis, non explicuit. Vt humor ergo bilioſus, non valdè inflammatus, craſſus & vſtus vacuaretur, néue ab eius excretione onerata natura diſtraheretur, victum tenuem conſuluit, craſſa cibaria, vinúmque interdixit, ſciens humorem hunc antea commotum, ſecundùm rationem euacuari: quem criticè poſſe excerni cum laborantis commodo, vel in hæmorrhoidibus, menſtruíſque retentis, vel in calculo renes obterente, quando craſſus ſanguis, paratus ad lapidis generationem cum vrina expellitur, cæterarum vrinarum nigrarum modo *lib.2.de cauſ.vrinar.* Actuarius probat, & nos *infrà, in com. hiſtor.* explanabimus, vrinas nigras criticè poſſe excerni ex priſcorum mente comprobantes.

HISTOR. CXV. GALENI,
De morbo regio.

Morbus Regius, ſola purgatione ſæpè ſanatur.

NOs *enim non paucos poſt curatum, qui in iecore erat, affectum, vnica purgatione à morbo vindicauimus, cùm ſi quis medicamento * quod pituitam ducit, purgauerit, nihil profecerit, &c.Gal.* lib.1.de facult.naturalib. cap.13. prope fin.& lib.de purgant.medic. facult.cap.5.

PARAPHRASIS.

IN hoc capite reprehendit Aſclepiadem Galenus, quòd ſibi perſuaſerit omnia medicamenta purgantia, omnem humorem quem attigerint, in ſui naturam conuertere, & deinde ipſum vacuare. Hanc opionem diſſonam refutat etiam *lib.2.de element.cap.3.& lib.de theriac.ad Piſon.cap.3.* quia tunc æqualiter, & indifferenter omnes humores vacuarentur à medicamento quolibet, quia hoc etiam illos in ſui naturam tranſmutat; quare etiam ſanguinem vacuabit, quia etiam occurrit maſſæ ſanguineæ, & ipſam corrumpit, quod falſum eſt. Nam ſi, vt *hoc loco* Gal. admonuit, experientiæ, non rationi fides eſt adhibenda, monente etiam Magiſtro *lib.5. ſimpl.*18. illa, cui potiſſimùm Hippocrates confidit, contrarium apertiſſimè demonſtrat: nam ſi bilioſo homini medicamentum, quod pituitam purgandi facultatem habeat, exhibere tentaueris, ſanè non dubito, quin ſit hoc illius decretum non ſine damno experturus. Et ſi laboranti aquato morbo medicamentum dederis, quod pituitam ducat, ne quatuor quidem id cyathos educturum: & ſi medicamentum quod bilem trahat exibueris, plurimum quidem vacuabitur bilis, totum verò corpus purum ſic purgatis efficitur.

Purgans medicamentum appellatur, quoniam à vitioſis humoribus ſanguinem purum reddit, ex Gal.*lib.de purgant.medic.facult.c.*4. illud vel lato & communi, vel preſſo & magis proprio vſurpatur ſignificato. Latiſſimè dicitur purgans, quòd ex corpore ſuperfluum pellit, ſiue per naſum, os, ſputum, vrinam, vel aliam corporis regionem, & promiſcuè ac ſine delectu, recrementa, ſiue ſint huius, ſiue illius naturæ euacuat. Solùm autem purgans, vera & ſtricta ſignificatione ſumitur pro eo, quod per aluum, & vomitum euacuat: ſi bilioſo homini medicamentum quod facultatem habeat purgandi pituitam, exhibere tentaueris, nil ſanè proficies. Deinde ſi hoc non eſſet verum, cur non omnibus venas ſecamus hominibus, qualeſcúnque illi ſint, graciles aut craſſi, ſiue regio morbo teneantur, ſiue atra bile vexentur? Atqui ex his plurimi, qui graciles erant, ex purgatione humoris à quo infeſtabantur, non parum præſidij reportarunt, quibus ſi ſanguinem detrahere auderes, interitum protinus inferres. Medicamenta ergo purgantia ex natura ſua certum & determinatum humorem expurgant. Hanc ſententiam primus omnium adinuenit Hip.*lib.1.de nat.human.text.*31. firmauit poſtea Gal. *loc.cit.*& *lib.de medicament. purgant.facult.ferè per totum,* & *lib.3.de ſimpl.medic.facult.*24.& 25.& *l.5.eiuſd.operis,c.*17. & in hoc loco appoſita hac hiſtoria confirmat, & *lib. de purg.med.facult.c.*7. refert Galen. exemplum hominis non ſtulti, *qui cùm puſtulæ illi toto corpore erupiſſent vlceroſæ, & malè coloratæ, Medicum adiuit, exiſtimans ſe quamprimùm ab illo purgatum iri: Ac eo ſanguinis miſſionem protinus iubente: ne deſipias, inquit, veriſimile ſiquidem eſt vnà cum prauis bona quoque effluxura.*

Exhibito ergo medicamento cholagogo, ſe morbum regium perſanaſſe vnica purgatione gloriatur, vacuata bile, quæ huius morbi cauſa eſt. Hanc autem expurgant, aloë, manna, ſcammonium, centaurium, abſinthium, thymelæa, thlaſpi ſemen, quibus antiquitas ſumma cum vtilitate ad expurgandam bilem redundantem vtebatur. Nos ex ſiliquæ Ægyptiæ liquore interaneo, myrobalanis citrinis, prunis, arbuſti fructibus, (ſebeſten vocant) tamarindis, & præſertim rhabarbaro, ſæpè, immò ſecuriùs (bilioſus enim humor aſſumptis valde calidis excandeſcit, & exacerbatur) fructum maximum capere ſolemus. Aliqui addunt rhaponticum, de quo Dioſcorid.*lib.3.cap.*2.& cæteri Græci, putantes hanc radicem ab alia, nulla ratione, niſi loco differre. Num verò hoc verum ſit, certatim debacchantur Ruel.*lib.3.de natur.ſtirp.c.*2. Monard.*lib.5.epiſt.*5. & Medici Florentini, qui rhaponticum Græcorum, & rhabarbarum Arabum, natura, viribus, nataliique ſolo non differre ſibi perſuadent, quod modò, vt à noſtro inſtituto alienum, non diſcutimus. Legat qui velit doctiſſimos Dioſcorid.interpretes, & Syluium *lib. 1. meth.* qui in ſimplicium purgantium medicamentorum natura inueſtiganda cæteros antecellunt.

At quæres. Si icterus, morbus ſanè rebellis eſt ac contumax, à diuerſis cauſis originem ducens, & cuius materia in habitu corporis ſita eſt, oculis præſertim, in quibus, vt tenerioribus & nitidioribus præſertim apparet, quæ ſunt partes à viis ductuum, ventriculo, & inteſtinis valdè ſemotæ, cur vnica purgatione ſuccubuit? Maximè cùm Gal. *lib.6.epid.ſect.2.com.*30. affirmet, *ſuccos ad cutem vergentes per eam eſſe euacuandos: nam iterum ad intima corporis reuulſio ipſis valdè longinqua eſt: vt per aluum, & vomitum vacuentur.* Dic. Ex triplici icteri ſpecie in vniuerſum, fellei, hepatici, & critici, qui ſanè omnes, iuxta diuerſitatem cauſæ, in plures ſpecies ſubſecari poſſunt, omnes difficiles ad curandum ſunt: quum felleus, ab immodica plenitudine veſicæ fellis, paruitate eius, aut imbecillitate facultatis attractricis eiuſdem, aut à meatuum obſtructione oriatur, ſiue eorum per quos allicitur bilis, ſiue eorum per quos pellitur ad inteſtina, quare regurgitat ad venas bilis, & icterus concitatur. Hepaticus ab hepatis obſtructione, ſcirrho, inflammatione, aut phlogoſi ortum ducit,

ad quam venatum & totius corporis exurens caliditas eſt reducenda. Criticus,vel eſt verè iudicatorius, præcedentibus ſignis coctionis, cum conferentia & tolerentia poſt ſeptimum diem eueniens, natura humorem bilioſum ad habitum corporis expellente. Vel iudicatorius non indicans,ob irritationem naturæ,ob copiam oppreſſæ,& ante ſeptimum diem, à motu maligni morbi concitatus; vt in peſtiferis febribus, veneno eóque vel epoto, vel à fera eiaculato accidere,auctores exararunt. Refert Gal.*lib.5.de loc.cap.6.* hiſtoriam ſerui Imperialis, qui à vipera ictus, & ictericus factus theriaca conualuit. Idem affirmat Auenzoar *lib.1.theizir.tract.*13.*c.*6.nam,vt Paulus *lib.3.cap.*50. inquit, ab extranea veneni corruptione ſanguis in bilem vertitur.Sed aliquando aliter contingit, vt icti ab animali venenoſo, ictero nigro capiantur; ſi enim corpus bile nigra redundat, eam venenatæ rei occaſione ad cutim natura affatim tranſmittit: quam rationem pluribus exemplis Marcellus confirmat *lib.1.de hiſt.medic.mirabili, cap.9.* & hoc exemplo fiet etiam manifeſtum.

Obſeruatio XX.

Icterus à veneno non ſemper flauus.

Meſſores duo ardente Sirio poſt meridianam trituram ſitibundi, ad fontem accurrunt gelida plenum. Hi nudatis pedibus ob æſtus feruorem, fatigati profundiſſimo ſomno ſunt oppreſſi. Ambo ab vna vipera ſubitò iuxta pollicem pedis icti, in ſyncopen labuntur. Poſt horam epilepticis motibus, immò variis conuulſionibus concutiuntur. Horum alter in flauiſſimum icterum, poſt decem horas: Alter in nigerrimum, poſt 14. horas lapſus eſt, ita vt Æthiopis formã repræſentaret. Vtriſque cardiaca adminiſtrata. Ligaturæ fortiſſimæ in tibia, & vincula admota. Ictero nigro affectus poſt diem emortuus; ſecto cadauere inuentum eſt hepar liuidum; nigerrimis maculis reſperſum, putridum,id quod ſectum,ſanie erat reſperſum. Alter ope theriacæ ſæpiùs repetitæ cum labore euaſit.

Omnes hæ ſpecies, excepta verè critica, difficilis ſunt eradicationis, cùm à variis diuerſiſque cauſis excitentur, & multoties in iis accidant, quibus viſcera ſcirrhoſa exeſáque ſunt,& latent obſtructiones, ita præcipuis partibus contumaciter adhæreſcentes, & impactæ, vt ipſa membrorum ſubſtantia interdum labefactetur: Quo pacto *in Coacis,& Aphoriſmis* Hippocrates icterum periculoſum iudicauit, maximè ſi dextrum hypochondrium obduruerit. Cur ergo ſi Gal.*in com.*id prædixit, & alibi paſſim,hoc loco vnica purgatione ſanaſſe fatetur. Sed attendenda ſunt verba Galenam hoc accidit *poſt curatum*,vt ipſe inquit, *qui in iecore erat, affectum.* Tunc enim bilis, quæ per habitum corporis eſt diſſeminata, & in venis cum ſanguine commixta, ſublata obſtructione, & iecoris intemperamento prius per propria auxilia correcto,purgatione educi poteſt facillimè. Inſtitutum enim Gal.erat,vt probaret bilioſum humorem à medicamento cholagogo ſolùm educi,& non à phlegmagogo: & in huius rei confirmationem, in medium attulit hiſtoriam, non curans an deinceps reuertatur affectio, bile de nouo ob partium debilitatem generata.

Si verò tibi parit admirationem, quo pacto humor in cute exiſtens per aluum poſſit vacuari, audi Galenum *lib.6.epid.ſect.2.com.*30.dum ſic profatur. *Sed forſan me dicere putabis, nunquam purgatione per aluum in talibus vtendum eſſe? Ego verò non id dico: nam in libris de arte curandi, in quibus corporibus permulta humorum copia ineſt, iis vtiles eſſe purgationes didiciſti. Priuſquã enim ita redundantem materiam, aut venæ ſectione, aut purgatione quis eduxerit, ſi fouens, hoc eſt calidis vtens, ipſam diſcutere conetur, plus attrahet,quàm per cutim vacuabit.* Ex quibus manifeſtè patet, humorem in cute impactum per aluum etiam eſſe vacuandum. Quare ſi latæ puſtulæ, quales Simon habuit, de quo loquitur eo loco Galenus,à craſſiore ſucco ſuborta, eæque non admodum pruriginoſæ, vacuatione per imum ventrem facta ſunt curandæ; quantò magis bilis in ambitu corporis impacta, ſuapte natura tenaci humore tenuior, purgatione educetur, præſertim cùm bilis flauæ

A vacuatio ſit facilior, vt 14.*meth.*17. monuit Galen. Quo pacto autem humor qui eſt extra vaſa, purgationis beneficio iterum ad ea poſſit remeare, *lib.1.in com.hiſt.*55. explicuimus; quo loco, ſola purgatione oculorum inflammationes ſe perſanaſſe Galenus gloriatur. Quibus autem præſidiis, humore iam vacuato aut vi naturæ diſcuſſo,impediri poſſit,ne iterum de nouo generetur icterus,accreſcátque denuò bilioſi humoris copia, explicat inter omnes de regio morbo latè ſcribentes,omnium calculis eruditiſſimus Manardus *lib.6. epiſt.2.* ſex rerum naturalium materiam graphicè deſcribens.

QVÆSTIO LV.

B ### *Quòd medicamenta purgantia, certos & determinatos humores attrahant. Contra Eraſiſtratum, Ariſtotel. & Cardanum.*

COMMENTARIVM.

Quod pituitam ducit.] Prudentiſſimus Senex, *lib.1. de natur.human.text.*31. medicamenta purgantia,certos & determinatos humores vacuare, accommodato ſtirpium & ſeminum exemplo illuſtrauit. Nam ſicuti hæc attrahunt certum,& determinatum ex terra alimentum, vt potè ſibi magis conueniens & familiare, ſic medicamenta humores attrahunt ſibi familiares. In terra enim repetitur dulce,acidum, ſalſum, nitroſum,& inſipidum:quare vitis, & arundo dulcis attrahunt in ea quod dulce eſt; cucurbita inſipidum; colocynthis, & cucumis agreſtis amarum &

C aduſtum, lupini,& braſſica marina, ſalſum & nitroſum; oxalis acidum. Sic exhibito rhabarbaro in quantitate mediocri; ſola flaua bilis attrahitur & expurgatur, exhibito agarico pituita; & aſſumpta ſenna, melancholia ſola ſolet euacuari,vt *citatis locis,& in præſenti loco* Galen.confirmat,Nam ſi hæc ſententia non eſſet vera, fruſtra Medici laborarent, vt cognoſcerent quibus medicamentis quilibet humor eſſet vacuandus.

Hæc eſt firma, veráque Hipp. & communis omnium Medicorum ſententia concors, cuius auctoris tanti eloquium mihi ſemper arriſit plurimum. Clamitet ad rauim vſque Ioubertus *lib.2.paradox.9.* qui *medicamenta non attrahere, ſed fugare humores*,pertinaciter contendit. Sed cùm plures eum mordeant dente omnium mordaciſſimo & rabidiſſimo,placuit pro magiſtri tutela, illorum argumen-

D to vellicatim appungere, & refellere, ne illius diſcipulorum mentem poſteà amplectantur, eorum tricis & cauillationibus irretiti.

Summus ille Philoſophus Ariſtoteles, & naturæ interpres mirabilis *ſect.1.probl.*41.47.& 48.rem ſic determinat. Medicamenta purgantia euacuant, quia non vincuntur, ſed ſolùm extenuantur, funduntur, & corpus penetrant: ſicque retrocedentia humores ſecum deferunt. Quare ſi ea quæ ſuperari debent,quando non vincuntur, ſed cruda manent, ob quantitatis exceſſum album ſubducunt, vt conſtat in melle, muſto, & oleo; maiori cum ratione ſentiendum eſt de iis, quæ qualitatis ſuæ ratione à corporibus ſuperari nequeunt, qualia eſſe medicamenta purgantia,nulli eſt non manifeſtum.Hæc ergo (inquit ipſe) cùm amara ſint & fœtida, humores exagitant & perturbant, & hac ratione eos purgant.

E Verùm hæc Ariſtotelis, & Peripateticorum de hac re opinio,à Medicorum ſcholis debet explodi,ſiquidem falſo innititur fundamento. Licèt enim medicamenta purgãtia, ſi operari debent,nec vinci,nec tranſmutari à corpore debeant, nam tunc fruſtrantur purgatione; ſed egeant reductione de potentia ad actum, quæ extenuatione & motu adſcititio præſtari ſolet, & diſtributione ad partes in quibus humores continentur; tamen delabi per eaſdem vias, per quas penetrauerant, & ſecum deferre humores, à ratione alienum eſt. Nam medicamenta non ſponte relabuntur, ſed partes irritatæ & à medicamentis, & ab humoribus, ſolùm hos cum illis affatim expellunt. Deinde medicamenta non euacuant quia incoctilia, ſed quoniam humores attrahendi poteſtate prædita ſunt, neque mel, oleum,

oleum, & muſtum, quia remanent cruda aluum ſubducunt, ſed quia facultatem habent emolliendi, & abſtergendi; ob quantitatis exceſſum ventriculi & inteſtinorum expultricem, vim ex accidenti irritant. Denique ſi ob amarorem, & fœtorem medicamenta aluum ſoluerent, cur hac ratione abſinthium Romanum, opium, cicuta, & alia, purgatricem vim non ſortiuntur, cùm ſint amara & fœtida, maximè cùm hæc non perturbent humores, ſed ſenſus?

Eraſiſtratus Hippocraticæ, immò Galenicæ doctrinæ acerrimus hoſtis *lib.1. de facult. natural. cap.13.* medicamenta purgantia, humores æqualiter indifferenter vacuare, pertinaciter aſſeruit, & in hoc conuenire cum venæ ſectione: differre tamen, quoniam medicamentum purgans euacuat cum immutatione, & corruptela, primò tenuem & ſeroſum, deinde craſſiſſimum, illum vacuari à medicamento ſolùm debili, à forti omnes humores promiſcuè expurgari contendit.

Eius paradoxum aliqua ſunt quæ confirment. Primò. Quoniam in curatione vnius morbi modò purgatione vtimur, modò venæ ſectione, veluti *lib.2. acut.10.& 11.* in pleuritide faciendum edocuit. Igitur vtrumque auxilium idem præſtare poteſt. Secundo. Si neceſſaria eſt venæ ſectio, & ob ætatem, imbecillitatem, vel timiditatem impeditur, ad purgationem confugit Gal.4. *de ſanit.tuend. cap.4.* & vice verſa neglecta aut impedita purgatione, phlebotomiam exercemus. Igitur vtrumque præſidium idem præſtat, aliàs fruſtrà vnum aliud ſuppleret. Tertiò. Hip. in pleuritide deſcendente, quæ magna ex parte ex ſanguine tenui & bilioſo oritur, auctore Galen. *5.aph.33.* vtitur elleboro, peplio *in lib.2. acut.11.* quæ humorem melancholicum euacuant. Igitur hæc medicamenta omnes humores indifferenter euacuant. Quartò. Hipp. *lib.4. aph.21.* commendat purgationem factam à medicamento purgante, in qua plures colores apparent, à diuerſis humoribus expurgatis pronati. Igitur medicamentum omnes humores vacuare poteſt.

Sed abſurda, & plena erroris eſt opinio hæc, quippe quæ ſenſuum & experientiæ probabilitatem, auctoritati anteponit Eraſiſtrati, & Aſclepiadis, qui ſolùm in condendis ſectis contra Hippocratem, ambitioſam gloriam oſtentabant, vt *lib.de venæ ſectione*, contra eum, eiuſque ſequaces palam fit, quibus Galenus illorum vnitatem infregit luculenter. Huius ergo opinionis falſitas colligitur euidenter: nam, vt hoc loco aſſeruit Gal. Si hydropico hydragogum propinetur medicamentum, leuari ſolet vacuata aqua: contrà, ſi exhibeatur cholagogum, oblæditur valdè, & ſic de cæteris. Igitur medicamentum purgans non indifferenter omnes humores euacuat. Secundò. Si, ſuccus tenuis, deinde craſſus, poſtremò craſſiſſimus euacuatur ſemper, melancholicus humor nonniſi, per immodicas vacuationes poterit vacuari, cùm ſit tenaciſſimus, & terreſtris valdè, quod confiteri ſummum eſt abſurdum. Tertiò. Sequeretur medicamenta vacuantia humorem melancholicum, neceſſariò debere eſſe validiſſima, & vacuantia humorem aquoſum, eſſe debilia, quod eſt apertè falſum: nam ſenna, & epithymum euacuant humorem melancholicum, & ſunt debilia, & clementia; & elaterium, & euphorbium euacuant humorem aquoſum, & ſunt fortiſſima.

Aduerſæ verò rationes futiles ſunt. Dic ad primam. Nam in curatione eiuſdem morbi vtroque auxilio opus eſt, diuerſa tamen ratione illo vtimur, ſanguine quidem redundante, phlebotomiam: cæteris verò humoribus peccantibus, purgationem exercemus. Ergo idem non præſtat venæ ſectio, & purgatio. Ad ſecundam dic. Purgationem phlebotomiæ loco celebrari, & è conuerſo, in his affectibus qui ex plenitudine, & cacochymia originem ducunt; quando ſanguis ob putredinem, aut feruorem in alium humorem degenerat, tunc non-ratione ſanguinis, ſed aliorum humorum, imperari purgatio debet; nam horum multitudine depoſita purgationis vi, natura lenta præexiſtentem ſanguinem corrigere, eùmque vel inſenſibiliter reſoluere, vel in partium ſubſtantiam valet commutare. Ad tertiam. Licèt pleuritis à tenui humore ortum

A ducat, ex omni tamen, vel etiam craſſo concitari poteſt, vt *cit.loc.* docuit Gal. Si tamen ex hoc generetur, qualis ſolet eſſe deſcendens, quæ ob grauitatem humoris ab illo ferè oriri conſueuit, tunc prædicta medicamenta rectè conceduntur, vt ibi monuit Hip. Ad quartam. Reſponde, Hippocratem intelligendum eſſe de purgatione, non à ſimplici, ſed compoſito medicamento, plures humores facultatem trahendi habente, celebrata, cuius vi diuerſi humores vacuari queunt. Conſule Tobiam Dornerellium *tract.de purgation. cap.1.*

Verùm *cùm indebile malum ſit, eluſque non potens, iſta circa ſectas ambitio, ac ſcabie quauis ad ſanandum rebellius*, monente Magiſtro *hoc in cap. de facult. natural.* in quo eſt ſcripta hiſtoria hæc: idcircò inanis gloriæ aucupio allectus, inſurgit contra Gal. ſubtiliſſimus Cardan. *lib. de ſubtilitate*, exiſtimans à medicamentis purgantibus non poſſe B fieri attractionem; nam hæc in re viuente reperitur ſolùm; illa autem non viuunt. Partes ergo viuentes, inquit ipſe, qualitate purgatoria infectæ & imbutæ, humores ad ſe alliciunt, & ipſos deinceps è corpore expellunt: cùm enim medicamenta purgant à in ventriculo, hepate, inteſtinis, & aliis partibus qualitates ſuas impreſſas relinquant, vt conſtat ex ſiti, anxietate, & æſtuatione poſt purgationem, nulli dubiũ erit, viuentes ſolùm partes medicamentorũ qualitate delibutas, peccãtes humores attrahere.

Proferam eius rationes tres. Prima. Nam medicamenta, in forma ſolida præcipuè aſſumpta, deinceps tota euomuntur ſæpè, & tamen feliciter, deinde contingit purgatio: euidens argumentum, purgantia medicamenta, vim expurgatricem in ventriculo, & inteſtinis impreſſiſſe. Secunda. Medicamenta vmbilico, & ventri admota, in mo- C dum emplaſtri adhibita, valentiſſimè expurgant, & odorata purgantia ſtrenuè euacuant, vt veteres vnanimiter confirmant. Hæc verò non poſſunt efficere, niſi alteratione per continuum facta, cùm ſuam virtutem ventriculo, & inteſtinis communicant, quæ partes, mediante illa qualitate, humores attrahunt. Tertia. Si fricatur acus cum magnete, illa acus ob virtutem à magnete impreſſam in illa, attrahit aliam acum, & hæc alias acus è longinquo. Ergo ventriculus, inteſtina, & aliæ partes ſimili purgatrice qualitate imbutæ, humores attrahent.

Sed à Lycæo Medico explodenda eſt inepta opinio hæc. Nam attractio, quam familiaritate, & ſimilitudine ſubſtantiæ fieri, cum Hipp. & Gal. conceſſimus *lib.1.in com.hiſt.25.* quo loco ardua plura de hoc negotio ad Cleanthis lucernam elucubrauimus, eſt communis viuentibus, & non vi- D uentibus; nam magnes attrahit ferrũ, & ſuccinũ paleas, & alias quiſquilias ad ſe allicit, hæc tamen non viuunt. Verum quidem eſt medicamenta purgantia, ſiue extrà applicita, ſiue intùs aſſumpta, aut odorata, partem tenuem & vaporoſam, in qua vis purgatrix præcipuè reſidet, partibus interioribus communicare. Quare euomito medicamento, eo modo quo fuit aſſumptum, purgatio fruſtratur; ſi verò aliter eueniat, & portio aliqua medicamenti fuit intùs relicta, purgatio celebratur. Quando verò fricatur acus cum magnete, ibi non eſt ſolùm vis magnetis, ſed ſubſtantia relicta. Sic quando medicamentum aſſumitur, propria ſubſtantia eius relinquitur in ventriculo impreſſa, quæ operari poteſt. Quare attractio humorum non in naturam ventriculi, & inteſtinorum, ſed in ſubſtantiam medicamenti ibi impreſſam & relictam, eſt deferenda. Lege Valleriol. E *lib.3.locor.com.cap.16.*

An tamen medicamenta purgantia maneant in ventriculo & inteſtinis, an potiùs ſic diſtribuantur, vt penetrent ad partes diſtantes, in quibus humores continentur, altioris indaginis quæſtio eſt, de qua licèt Ariſtot. *loco cit.* exiſtimet, totum medicamentum purgans diſtribui, & peruenire ad humorem, & iterum per eaſdem vias relabi, ſecúmque deferre humorem; & quamuis Conciliator arbitretur *diff.141.* medicamenta vique ad certam diſtantiam diſtribui, vt promptiùs vis medicamenti communicetur humori diſtanti, & per partes intermedias communicata virtute non ſolùm realiter, ſed intentionaliter, in modum odoris, & caloris, qui per ſpecies ſolent communicari, humores attrahere: & licèt alij varia proferant, quorum

diſcrepantes opiniones refert, & refellit eruditiſſimus Fallopius *lib. de medic. purgantibus, cap. 2.* Tamen probabilior eſt Fernelij ſententia *lib. 3. de purgand. rat. cap. 6.* medicamentum ſecundùm partem maiorem, fortiorem, & craſſiorem manere in ventriculo & inteſtinis, & ſecundùm partem magis vaporoſam, & tenuiorem per totum corpus diſtribui: quando enim de potentia ad actum reducitur, actione caloris liquatur, & minuitur; ex qua actione ſubtiliores medicamenti partes ad omnes corporis meatus eleuatæ, & per venas & arterias delatæ, ad humorem expurgandum accedunt. Quo pacto autem interpretentur Auic. 4. 1. *cap. 4.* Meſuë *intent. 1. p. 2.* Serap. *lib. 7. breuiarij, cap. 10.* exiſtimantes medicamenta purgantia manere in ventriculo quieta, & in inteſtinis, & ſolùm tranſmittendo virtutem humores attrahere, ſicut magnes attrahit ferrum, explicant elegantiſſimè Coſtæus *in com.* Ioan. Brauus Petrafitanus *lib. 1. de purgand. rat. cap. 9.* Amatus *lib. 2. centur. curat. 72.*

Deinde medicamenta cum multis partibus habent plurimum conſenſum, & ad eas vapores emittunt, & ſic ex determinatis locis proprietate quadam, & ſpecifica vi humores attrahunt. Sic aſplenium lienem reſpicit; abſinthium ventriculum; adiantum thoracem; ſaluia, & ſtœchas, caput; eupatorium, iecur; pilulæ lucis euacuant ex oculis; Cochiæ ex capite; agaricum ex thorace, vtero, & neruis: argentum viuum ducit humores ad fauces, & os. Sic deiectoria mouent humores ad aluum; vomitoria eos ad partem ſuperiorem conuocant, vt probat Valleſius *lib. 9. cont. cap. 10.* magna tamen ex parte purgantia, per partem inferiorem expurgare nata ſunt, tum quoniam medicamenta ad fundum ventriculi deſcendunt, & orificio inferiori proxima ſunt, quo ex naturæ ordine vtitur ventriculus ad expellendum, ſicuti ſuperiori ad attrahendum, auctore Magiſtro *3. de ſympt. cauſ. cap. 2. ante med.* tum quia venæ, quibus attrahuntur humores, magis ad inteſtina, quàm ad ventriculum pertinent, & ſunt multò maiores, quibus ſolet natura vitioſos humores expurgare; & inteſtina ſunt ignobiliora ventriculo, & excernendis excrementis ampliora, & propinquiora, & ampliùs recipiendis ſordibus conſueta, vt aduertit Auic. 4. 1. *cap. 4.* & Meſuë *in canon. vniuerſ. theorem. 1. cap. 2.* & humores ob inſitam grauitatem, ad inferna ruunt.

Si verò quæras, quomodo medicamenta retenta in ventriculo, & in inteſtinis, attrahant humores, & magnes attrahat ferrum, quin moueantur: ſi (monente Ariſt. *lib. 7. phyſic. cap. 2.* dum de motu locali, qui fit à principio extrinſeco agit) id quod trahit, & trahitur, debet localiter moueri. Dic cum Auerrhoë *lib. 7. phyſic. com. 11.* duplicem eſſe tractionem; alteram veram, in qua trahens, & tractum mouentur, vt Ariſtoteles ait: non veram alteram, ſed potiùs æquiuocè dictam: ſic partes attrahunt alimentum, magnes ferrum, medicamenta humores: in hac, id quod trahit, non eſt neceſſe, vt moueatur. Quod tamen inter has tractiones ſit diſcrimen, ibi Auerrhoës accuratiſſimè explicuit. Interim lege de hoc argumento Cardanum *lib. 2. contradict. tract. 1. cont. 3.* Valleſium *lib. 9. controu. cap. 1.* Fabium Pacium *in com. cap. 6. lib. 1. meth. Gal.*

QVÆSTIO LVI.

Quòd medicamenta purgātia integros humores quantitate peccantes euacuent: natura verò putridos excernat. Contra communem Medicorum ſententiam.

PVrgauerit] Immotum, atque perpetuæ veritatis axioma eſt, & à priſcorum ſcientiſſimis, neotericiſque vnanimiter receptum: medicamenta purgantia putridos attrahere humores; quod licèt ipſi nulla ratione probent (illud tanquam principium inconcuſſum obſeruantes) in lectorum gratiam aliquibus rationibus comprobabo. Prima ſit. Gal. *lib. 1. aph. 22.* aſſeuerat purgationem fieri medicamēto attrahente, & natura expellente. Sed ferè ſemper purgatio adhibetur, quando humores, putridi aut corrupti ſunt. Ergo medicamentum attrahit hos humores, & natura iuuat eorum attractionem.

Secunda. Galenus *lib. 11. meth. cap. 8. §. Tanquam igitur in his corporibus, &c.* vtens exemplo carnis putreſcentis, docet, quòd ſic nos gerere debeamus in euacuatione humorum putridorum, ipſos euacuantes, reliquos verò perflantes & ventilantes, vt ſi in iis aliqua labes eſt, deperdatur. Sed hæc vacuatio per alui deiectionem, à medicamentis purgantibus celebratur. Ergo hæc putridos humores euacuant.

Tertia. Galenus *lib. 3. prorrhetic. com. 13. §. Nempe cùm excerni contingit, &c.* purgationem, corruptorum humorum excretionem vocat. Sed hæc purgatio à medicamento fit. Ergo.

Quarta. Galenus *lib. 1. aph. com. 2.* purgationem vocat, quando Medicus aliquam molitur vacuationem humorum, qui corpora noſtra moleſtant. Sed humores putridi naturæ moleſtiam inferunt. Ergo hi à medicamento purgante attrahuntur.

Quintà. Si medicamentum attraheret humores integros putridi verò exploderentur ab ipſa natura, ſequeretur quòd etiam in principiis morbum expellerentur, cùm eadem ſit ratio. Sed nunquam, niſi oblato medicamento purgante educuntur. Ergo.

Vltima. Meſuës hoc confirmat *tract. de ſimplicib. medicament. purgantib. cap. de agarico §. Pituitam autem craſſam, lentam, putrem purgat, &c.* integræ, & eius quæ ſecundùm naturam ſe habet, nulla prorſus mentione facta, & *in cap. de Bryonia*, ſic ait. *Vtriuſque radix, ac præcipuè ſuccus, pituita etiam putri, cerebrum, neruos, partes reſpiratorias purgat, &c.* Et *cap. de ſenna*, ſic inquit, *Senna bilem vſtam à cerebro, ſenſoriis, pulmone, corde, hepate, liene expurgat.* Deinde *de electuarium Hamech vocatum pituitam ſalſam expurgat.* Inſuper *in tract. de pilulis, tit. de ſtomachicis*, ſic fatur, *Catapotia ſtomachica alia cerebrum, & ventriculum corruptis humoribus purgant.* Idem repetit *tit. de pilulis ex rhabarbaro*, quas vacuare humores craſſos, lentos, multùm putres aſſeuerat. Denique Actuarius *lib. de compoſ. medicament. tit. de potionibus medicamentariis, aduerſus affectus qui febres comitantur*, ſiliquæ Ægyptiæ concretum liquorem, torridam bilem citra moleſtiam expurgare, centauriúmque minus, pariter & colocynthim, mucoſum humorem deiicere ſcriptum reliquit. Quare ſi ſalſa pituita, putris, mucilaginoſa, humores corrupti, bilis retorrida, vſta, præter naturam ſunt humores, cur putridos humores à medicamentis purgantibus euacuari negabimus?

Licèt enim hæc ſint ex abditis veterum decretis exhauſta, tamen contra vniuerſam Medicorum ſcholam conſtantiſſimè teneo, purgantia medicamenta humores integros attrahere, putridos verò à natura expelli, & excurgari. Arduum eſt rem nouam, & à nullo comprobatam, ad communem hominum ſenſum accommodare: confido tamen me hanc concluſionem ex mediis medicinæ principiis ita demonſtraturum, vt ei qui ſyncero, candidóque animo, totam præceptionem diligenter audiet, nulla irrepat calumniandi occaſio. Vt verò hæc intimiùs intelligantur, aliqua priùs notare oportet, ad huius quæſtionis expoſitionem valdè neceſſaria.

Primum eſt. Humor corruptus eſt diuerſæ ſpeciei, & ab eodem integro exiſtente maximè diſtat. Patet, nam hic eſt ſecundùm naturam, & corruptus eſt præter naturam. Sed ſecundùm naturam, & præter naturam differunt ſpecie. Ergo & humores diſtabunt inter ſe. Hoc probat Galen. 2. *feb. cap. 6. §. Siquidem totum id, &c.* vbi docet pituitam corruptam, & integram, eſſe diuerſæ qualitatis id eſt ſubſtantiæ, ſiquidem Galen. multoties per qualitatem, intelligit ſubſtantiam, vt conſtat ex 5. *ſimpl. 17.* quo loco Gal. affirmat medicamenta attrahere qualitatis, id eſt, ſubſtantiæ familiaritate, & *lib. 10. meth. cap. 8.* ibi enim vocat putrefactionem, totius ſubſtantiæ corruptionem, & probat Ariſt. 4. *meteor. 1.* in febre ſanguinis putrefacti patet euidenter, in qua ſanguis integer à ſanguine corrupto differt: *cùm enim ſanguis putreſcere cœperit, non amplius bonus remanet. Sed illius pars tenuis conuertitur in flauam bilem, craſſa verò in melancholiam*, ex Galen. 2. *criſ.* 12. & 2. *feb. 9.*

Secundò. Animaduertere licet, quòd natura excernere poteſt

poteſt humores putridos, à medicamento purgante non adiuta. Conſtat hoc, quoniam ſi humores partibus noſtri corporis moleſtiam inferunt,in quibus eſt facultas excernendi ipſos, ſicuti retinendi id quod conueniens eſt, illos natura excernit,vt docet Gal. 3.*de natur.facult.cap.*6.Sic in criſi putridi humores citra medicamenti opem à natura expelluntur; hæc enim eſt præcipua morborum medicatrix,vt ait Hip.6.*epid.ſect.*5.*text.*1. Sola ſibi ſufficit, ſeparat vtile ab inutili;excrementitium,putridúmque humorē per varias regiones propellens,& hoc modo criſes à natura fiunt.2.*de vſu part.cap.*17.*&* 2.*Aph.*13.§.*Criſis fit naturaſeparante à bonis mala, & ad excernendum properante, &c.*quod innumeris ſententiis *lib.de criſibus,de diebus decretor.*& alibi confirmat.

Tertiò. Præmittendum, medicamenta purgantia humores integros attrahere,& hoc ſolùm longa experientiâ poteſt confirmari,& manifeſtè Galen.in hac hiſtoria ſatis concludit, dum medicamento exhibito quod bilem flauam,vel nigram purgat,ſe Icterum citra iecoris aff. ctum perſanaſſe gloriatur, in Ictero autem flauo, vel nigro humor non eſt corruptus; quoniam non eſt mutata illius natura. Deinde præſeruationis gratia ſæpè celebrantur euacuationes,& tunc humor non eſt corruptus,qu à corpus nullo modo laborat. Ergo medicamenta purgantia attrahunt humores integros,& non corruptos. Præterea Hipp.*lib.*2.*aph.*37.noſtram poſitionem confirmat, dicens, *qui corpore valent,difficulter ferunt medicationes:*quam ſententiam explicans Galen.*in com.*in hæc verba prorumpit. *In hoc autem, generaliori dictione de iiſdem pronunciat, inquiens, hos difficulter ferre medicationem; nam & vertigines, & tormina patiuntur, & difficulter his purgatio ſuccedit, & præterea celeriter exſoluuntur. Fiunt autem hæc omnia, purgante medicamento proprium quidem attrahere humorē appetente, vel flauam bilem videlicet,aut atram,aut pituitam,aut aquoſam ſuperfluitatem:quia verò ille non adeſt,ſanguinem colliquat,ac carnes,vt ex ipſis proprium attrahat humorem.*Quid autem de hac re verè & ſyncerè Galeno ſit viſum,relictis ambagibus, hæc vna ſententia commonſtrat, in qua per proprium humorem intelligit integrum & illæſum,quoniam corpus ſanum eſt.

His iactis, ad confirmandam concluſionem noſtram accedamus; nam fidem maiorem accipiunt quæ comprobantur,ex Galen.6.*epid.ſect.*4.ideò *l.*1.*de facult.& 6. epid. ſect.*2.*com.*25.*& ſect.*4.19. nulli temerè credendū citra rationem aſſeuerat.Primò. Si natura non attraheret humores,integros,& corrupti ab ipſa natura euacuarentur,illud eſſet,quia nec medicamentum integros attrahere,nec natura corruptos excernere poſſet. Sed hoc eſt falſum, vt diximus in ſecundo,& tertio præmiſſo.Ergo liquidò conſtat,quòd medicamentum attrahit humores integros,corrupti verò excernuntur à natura.

Secundò. Rhabarbarum attrahit bilem, ſed cùm bilis iam abeat in vitellinam, atram, vel Iſatodem, & in alias ſpecies,interrogo:Vel hæ omnes bilis ſpecies attrahuntur à Rhab.vnica ſimilitudine ſubſtantiæ, vel pluribus. Non dices pluribus, quoniam ſic in vno, & eodem medicamento erunt plures ſimilitudines.Ergo vnica ſimilitudine id efficere debent. Sed hoc dicendum non eſt, quoniam longo interuallo diſtant inter ſe huiuſmodi ſpecies bilis; nam differunt ſpecie ſecundùm primum præmiſſum:ergo neceſſariò dicendum eſt, medicamentum purgans integram bilem attrahere, reliquas verò bilis ſpecies ab ipſa natura excerni.

Tertiò. Atra bilis ita fit ex bile aſſata, vt etiam ex melancholia generari poſſit,docente Galeno *lib.*6.*aph.* 53.*& in lib.de atra bile,cap.*3.Tunc inquiro, quo medicamento vtendum ſit ad illius vacuationem, cùm à diuerſis cauſis generetur.Dices expelli à natura, exhibito medicamento vacuante humorem illum, qui tranſit in atram bilem; ac proinde Medicus conſiderare debet, ex quo humore bilis atra originem ducat, vt exhibendo medicamentum quod ipſum euacuet, natura atram bilem excernat: nam ſi, quando ex humore bilioſo generatur, propinetur medicamentum quod euacuat melancholiam, maxima inde ægro noxa inferetur.

Quartò. Si medicamentum attraheret humores putridos, rogabo, quod ſit medicamentum quod humores peſtilentes educit: nullum ſanè. Ergo. Patet: nam ſunt ſolùm quatuor medicamentorum purgantium claſſes, ſcilicet pro bile, pro melancholia, pro pituita, pro ſeroſo humore.Quare cùm ignoremus, quo medicamento vtendum ſit, fit vt ægrotis ſæpius mortis cauſam afferamus. Quapropter contemplari oportet, qualis ſit humor ille qui corrumpitur, & peſtilens fit, vt oblato medicamento,quod talem humorem euacuat,peſtilens & corruptus à natura excernatur.Si enim ignoretur hoc, caſu & fortuna,benè vel malè purgatio contingit,

Vltimò. Galenus *lib.*2.*de humorib. com.*8.§.*Hippocrates verò non hic tantùm,ſed in aliis ſuis commentariis, quando inuicē proportione ſeruata humores omnes augentur,miſſione ſanguinis auxiliatur.Vbi verò vnus aliquis ſuperabundat,illi purgatorium dat medicamen.*Sed humor auctus non eſt corruptus.Ergo medicamenta attrahunt humores integros.Eſt etiam ſentētia eximia,quæ noſtras partes tuetur apprimè: nam *lib.de renum dignotione,cap.* 4. *in princ.* ſic inquit. *Ex Medico quidem purgans medicamentum; ex natura verò totū negotium pendet: hac etenim purgante medicamento excitatā facultatem ſegregatricem aduocat, qua ſegreget inutilia ab vtilibus, ac vtilia quidem facultas retentrix detinet: inutilia verò facultas expultrix expellit,&c,* Sed humores corrupti inutiles ſunt, integri verò vtiles, niſi quantitate peccent. Ergo.

Obtrudet forſan argutulus quidam, hunc librum non eſſe Galeni,ſed Philagrij,vt *infrà,in vltima hiſtoria* demonſtramus. Hic forſan non negabit, Philagrium fuiſſe doctiſſimum,ex cuius ſcriptis plurima in ſuos canones,eáque ſelecta præſidia Aëtius tranſpoſuit; maximè cùm fides ſit adhibenda Galeno *lib.*1.*epid.ſect.*3.*com.*1.conſulenti,vt *iudicium Medici clari ſemper magni faciendum ſit, cùm ſit dignum conſideratione,*à quo ſumitur probabile argumentū ad curandum:explicat Valleſius *lib.*5.*epid.in com.text.* 85. & *lib.*7.*einſd.in com.text.*26.Philagrij ergo Medici illuſtris ſententia recipienda, dicentis naturam prouidam & ſollicitam de animantis commodo, inutiles humores expellere; nam integros quantitate redundantes medicamenta purgantia attrahunt; neque enim hi à natura retinentur, cùm nutritioni ſint inutiles valdè.

Sed aduerſantium argumenta ſunt diſcutienda. Dic ad primum. Auctoritas Galeni vera eſt: verumtamen ex ea medicamentum attrahere humores non poſſe humores integros, & naturam euacuare corruptos, non concludunt;quoniā medicamentum ſolùm cùm integris, non autem cum corruptis familiaritatem ſubſtantiæ habet. Siquidem bilis, verbi gratia,quæ putrida eſt, tantùm diſtat à bile integra, quantum differunt bilis,& pituita inter ſe.

Eadem prorſus ratione reſpondendum eſt ad reliquas obiectiones à Galeno acceptas: hic enim putridos humores ſolùm vacuandos eſſe commonuit; nō tamen prædixit eos à medicamento purgante vacuari, cùm hoc integros ſolùm attrahat, qui cùm quantitate abundent, etiam naturam moleſtant.

Ad quartum dic. Putridos humores in morborum initio non expelli, quoniam ſunt commixti cum aliis, quorum ratione putridorum malitia obſcurantur, ac proinde non multum naturam vexant. In ſtatu veró, præcedente coctione, ab vtilibus ſunt ſeparati, & ideò naturam fatigant & premunt, quare tunc vi excernuntur.

Vltimum hoc modo reſolues,ſi dicas,verè quidem auctores firmaſſe,medicamenta purgantia vacuare humores putridos & corruptos; nam hoc modo ſunt intelligendi: nec enim pituitoſa mucoſa putrida eſt,neque bilis retorrida,aut vſta. Longè ſiquidem vſtionem à putredine differre,res eſt manifeſta; quia fit à calore ſicco, putredo oritur à calore humido: vnde in aduſtis non poſſunt generari vermes, in putrefactis maximè; de qua re lege Valleſium *lib.*4.*meteor.in com.cap.*8.*in fin.*Putridi autē humores,non quando ſunt in via,trahuntur à medicamento,quia adhuc formam ſuam retinent, quia putredo non eſt corruptio, ſed via ad corruptionem;ſed quando poſt corruptionem in alios humores degenerarunt, vt bilis corrupta, quæ

 degenerat

degenerat in atram, medicamento eſt vacuanda, quod melancholicum humorem euacuet. Sic ſanguis cum conuerſus eſt per corruptionem in flauam, vel atram bilem, medicamento eſt educendus, quod flauam, vel atram educere poteſt. At biles has ex corruptione ſubortas vocabis putridas? minimè quidem, neque enim ex re putri ſemper gignitur putre. Sic febris diaria ex putredine orta, putrida non eſt; neque acetum ex vino putreſcenti genitum, putridum eſt; neque vermes ex putredine terræ, & putridis recrementis orti, putridi ſunt: ſic bilis, vel flaua, vel atra, in quam ſanguis per corruptioné degenerauit, integra eſt, & à medicamento expurgante attrahitur. Et de hac quæſtione ſatis, ad quam veritatis allectus amore explicandam acceſſi: num ſcopum attigerim, ſub doctiorum cenſura maneat inuolutum, qui ſi apponant meliora, victus euadam; non enim ſum de illorum numero, qui ſibi placendo malunt errare, quàm alterius cedendo ingenio reſipiſcere. Anſam enim præbui doctioribus, vt poſt me in hoc argumento feliciùs inſudent.

HIST. CXVI. GALENI, De hydrope.

Hydrops, ex conſueta menſtrua, vel hæmorrhoïdali vacuatione ſuppreſſa, vel nimiùm excurrente, ſæpè ſubortus.

*Siquidem ex diuturnis hæmorrhoïdibus, vel ſuppreſſis, vel immodica profuſione hominem ad extremam frigiditatem ducentibus, non ſemel aut bis, ſed ſæpè iam*aquam intercutem collectam vidi; ſicut mulieribus quoque tum menſtruæ purgationis omnimoda ceſſatio, tum immodica vacuatio, cùm ſcilicet vteri nimio ſanguinis profluuio laborarunt, ſæpe hydropem accerſiuerunt, &c.* *Galenus* lib.2. de facult. natural. cap.8. *Porrò ego quoque vidi non paucos, ob huiuſmodi vacuationes, quæ Medicorum imperitia cohibitæ fuerant, aut atra bile, aut inſania vexatos. Ipſorum quoque aliqui tum intercoſtali inflammatione, tum renali morbo correpti ſunt: nonnulli verò ex ventriculo ſanguinẽ vomebant, atque eundem tuſſiendo ex thorace ſpuebant; aut paraplegiis, aquáve intercute interibant, &c.* *Galenus* lib.de ven.ſect.aduerſ.Eraſiſtratum, cap.6. in fin. & lib.6.epid.ſect.5.com.29.

DVBIVM LXVI.

Num ſolemnium vacuationũ ſuppreſſio, vel vacuatio nimia, hypropem, & alia vitia concitare queat.

PARAPHRASIS.

AQuam intercutem.] Quantam vtilitatem ſanguinis modica excretio per hæmorrhoïdales venas corpori afferre conſueuerit, oraculo quodam prædixit Hippocrat. *lib.6.epid.ſect.3.text.* 37. dum ſic ait. *Mariſcis laborantes neque morbo laterali, neque pulmonario, neque phagedæna, neque furunculis, neque terminthis, fortaſſe verò neque lepris, fortaſſe neque aliis, &c.* repetit *lib. 3.de humorib. com. 26. in init.* dum ſic inquit. *Hæmorrhoïdes, quamuis omnes homines, omnémque ætatem, & omni in tempore anni vexare queant, reuera ſunt affectus ætatis declinantis proprij, non ſecus quàm melancholiæ. Fiunt enim ab atra bile, quæ ad venas ſedis vberiùs, cumulatiúſque decumbit. Quocirca cùm melancholicis, & vitio renum laborantibus ſuperueniunt, curare eos ſolent; quod non ſolùm ratione euacuationis, ſed etiam humoris qui euacuatur, qualitate faciunt. Effundere enim craſſũ ſanguinẽ humoris melancholici plenum ſolent: qualẽ nos fæcem in vino appellamus. Itaque cùm hæmorrhoïdes veluti fæcem ſanguinis euacuent, meritò fit, vt melancholiam curent.*

Deinde conferre hæmorrhoïdas ei, quem atra bilis occupat, iam omnes nôrunt: quum hoc Hipp. apertè do-

A ceat: Hæc enim vacuatio per circuitus repetens; non ſolùm à morbis melancholicis, ſed ab aliis etiam periculoſiſſimis præſeruat, quum omnis humorum abundantia eius vi repurgetur: quare *melancholia, & nephritide laborantibus, hæmorrhoïdes ſuperuenientes, bonũ*, ex Hip. præſcripto *lib.6.aph.* 11. & 21. nam pellente natura ad partes ignobiliores, eos qui inſaniam efficiunt humores, & præſertim cùm melancholici fuerint ac craſſi, hæmorrhoidũ ſequitur generatio, & inſaniæ ſolutio cuius eſt maximum remedium ſanguinis ex his venis effuſio, quam etiam ſi futura ſit, prohibet, vt *lib.4.aph.com.* 25. docuit Galenus, & proprio exemplo confirmat *lib.7.epid ſect.5.com.* 29. illorum qui clauſis hæmorrhoïdibus in inſaniam inciderunt ſæpè; quos reſeratis his venis ab ea euaſiſſe refert; quam hiſtoriam vtpotè huic ſimilem idcircò inexplicitam

B reliquimus. Lege *hiſt. 39. lib. 1. huius operis*, & Moxium *lib.1.de morb.mulier.cap.45.& ſeqq.*

Rurſus menſtrua purgatio, quum tempeſtiuè fit, & ſingulis menſibus ordinato motu recurrit, fœminæ valetudine fruuntur. Cùm enim hæ frigidæ ſint, miniméque exerceantur, & crúdorum ſuccorum copiam præ debilitate natiui caloris quotidie accumulent, ſanguinis menſtrui vacuationem, tanquam remedium naturale ipſis indidit natura, vt ſanguis ille excrementitius, inutilis & crudus purgaretur, eáſque à plurimis, eíſque periculoſiſſimis morbis præſeruaret, quos ex profeſſo citat Galenus *lib. de venæ ſectione aduerſus Eraſiſtratum, cap.* 5. in hunc modum pronuncians. *Velim itaque audias iam veritatem ipſam, me præcone, tibi denunciantem, quod mulier, ſi probè expurgetur, neque podagris, neque articulorum doloribus, neque lateris inflammationibus, neque peripneumoniis capiatur:*

C *ſed neque epilepſiæ, neque apoploxiæ obnoxia ſit; aut ſpirationis, aut vocis ablatiooe ritè purgata vllo tempore infeſtetur, &c.* Et *lib.6.de loc.cap.5.* plures addit morbos, qui ad menſtrui retentionem ſequi conſueuerunt: & priùs firmauit Hip. *lib.1.de morb.num.6.& 7.& lib.de virgin.morb.num.12.& 3.* ij ſunt *fatuitas, torpedo, delirium, horror, erroneæ febres, acutæ inflammationes, caligo, timor, triſtitia, anxietas, ſpectra, ac phanthaſmata varia, ventris durities, dentium ſtridor, tabes, lumborũ dolor, vteri ſuffocatio, vigilia, faſtidium, cordis morſus, animi deliquium, paralyſis, alui fluxus, vrinæ difficultas,* & alia innumera damna, ex ſuppreſſis menſtruis cõtingẽtia, quæ latè auctores deſcribunt *c.de menſtrui ſuppreſſione,* vt acutè ſatis, & eloquenter proponit inſignis Duretus *in Coac.Hip.prænotiones, tract.3.de morbis mulierum, in com. text.7.*

D Suadet ratio. Cùm enim *vteri, omnium muliebrium morborum cauſæ ſint,* auctore Hippoc. *lib.de loc.in hom.num.59.* iique venas grandiſſimas habeant, plurimas. Cúmque eos, aut menſes, aut à partu purgamenta ſuppreſſa, aut phlegmone aliqua vtcúmque orta, malè accipiunt, ipſos ſanguine compleri neceſſum eſt, ex Gal. *lib.6.epid.ſect. 1. com.* 2. cuius rei cauſa multiplex eo loco citatur à Galen. Quid mirum, ſi vapore tetro, fœdo, & nebuloſo, malignáque qualitate affecto, & ad ſuperas partes ab vtero elato, diri ſuperiorum partium affectus contingant immedicabiles? Ab hac origine, pernicioſus, corruptúſque ſanguinis vapor, ſeu aura quædam toto genere præter naturam, inſurgit & emanat, que veneni promptiſſimi inſtar, horrida inimicitia totum corpus inquinat, & conſpurcat, & varios morbos periculáque affert, pro varia natura par-

E tium, in quibus ſanguis ille colligitur, vt monuit Galen. *lib.2.prorrhet.com.48.* Explicant inter omnes Mercat. *lib.2. de morb.mulieb.c.5. 8. & 9.* Didacus Moranus *Apologia 3. de epilepſia hyſterica* elegantiſſimè.

Deinde peregrina, admirandáque ſymptomata menſtrui ſuppreſſio inducit, cuius cauſa Phaëtuſæ, & Namyſiæ, corpus virile, ſátque omni ex parte hirſutum factum eſt, barba emiſſa, & vox facta eſt aſpera, auctore Hip. *lib.6. epid.ſect.8.text.41. & 42.* Poſſe autem fœminas in virum conuerti, noſtra, & patrum memoria obſeruatum eſt; quidquid nympham interdum ad tantam magnitudinem excreſcere Mercatus affirmet *lib. 2. cap. 10.* vt virile pudendum mentiatur, quod accepit ab Albucaſi *lib.2.cap.71.* quam affectionem ipſi putant eſſe eam, in qua Medici

fœminas

fœminas in viros migrare exiſtimant; de qua re plura dicemus *lib.3.in com.hiſtor.8.*

Demum ob mirabilem, quam habet vterus cum omnibus partibus, ſympathiam, & maximè cum hepate, recurrente craſſo illo ſanguine, & fæcali ad illius vaſa, fieri hydropem, nulli eſt non manifeſtum, qui Galeni monumenta perluſtrauerit, qui *in lib.4.de rat. vict.in morb. acut. com.111.§. Nempe hic ſolus cùm incipit, ſanguinis eget detractione, cùm ſcilicet ex retentione, vel hæmorrhoidum, vel muliebrium inceperit, propè accedente ad extinctionem naturali caliditate, vt igni contingit. Nempe, vt ignis propè extinguitur, immiſſis lignis, tum humidis, tum multis, niſi quis multitudinem ſuſtulerit: ſic & in frigidiore ob copiam ſanguine, vbi calor natiuus propè extinguitur, præſentiſſimum eſt remedium ſanguinis miſſio, &c.*

Vidiſti quo pacto ex menſtruis & hæmorrhoidalis ſanguinis retentione oriatur hydrops. Licèt enim hæc ſolennis per mariſcas vacuatio, ſi tempeſtiuè fiat, à diris morbis præcauere queat; & plures viri per menſtruas periodos, (mulierum inſtar) ſanguinem fæculentum per has venas expurgent cum vtilitate ſumma, vt propriis exemplis proponunt Antonius Zimara *in com.cap.10. lib. de ſomn. Ariſt.* Amat.*lib.5.cent.3.* Veſal.*lib.5.fabric.c.15.* tamen conſueta, ſi ex toto cohibeatur, hydropem accerſit, iuxtà Hip. oraculum *lib.6.aph.12. à diuturnis ſanato hæmorrhoïdibus, ſi vna non ſeruatur, periculum eſt aquam intercutem, vel tabem aduenire.* Reddit cauſam Galenus *in com. & lib.cit.de humoribus,* quoniam *venæ illæ propter plenitudinem in ſede aperiuntur, & ad ipſas ſanguis fæculentus, & melancholicus à iecore reiicitur. Si quis igitur hanc viam illi præcluſerit, tum ſcirrhum iecur contrahet, tum multitudine, ac craſſitudine grauatum reddetur: vnde eius calor paulatim minuetur, & quaſi extinguetur: atque ita bonum generare ſanguinem ampliùs non poterit. Perſpicuum autem eſt & aquam intercutem fructrata ſanguinis generatione effici, &c.*

Hinc fit vt ſumma cum ratione in curatione hæmorrhoïdum, vna ſemper ſit relinquenda, vt per eam effluuium fæcalis ſanguinis poſſit expurgari, monente ſic Paul.*lib.6.cap.79.* & annuente Cælio *lib.3. cap.7.* Si verò Aëtius *tetrab.4.ſerm.2.c.5.* videtur Hippocrati, & Galeno contrarius, hæmorrhoïdes omnes nulla ſeruata occludere conſulens, eum ex aliorum mente loquutum arbitraberis, de qua re lege Valleſium *lib.8.controu.cap.6.* Altimar. *lib. de curannd.human.corp.malis, cap.76.* Sic Alcippus apud Hipp.*l.4.epid.nũ.vlt. cùm haberet hæmorrhoïdas, à curatione prohibebatur, curatus inſaniit.* Summa ergo cum cautela cohibendæ ſunt, aliàs vel grauiſſimi morbi contingent, vel natura tanta nigri ſanguinis copia grauata per alium locum minùs commodũ, eum expellere conabitur. Scribit enim Amatus *loc.cit.& cent.2.curat.13. Ioannem Baptiſtam propolam, & Angelũ de Prato, ſanguinẽ copioſum per hæmorrhoïdas emittere conſueuiſſe, quibus cùm multa peracta eſſent auxilia, ex toto cohibitus fuit, ita vt ineunte vere per os ſanguinem, abſque tuſſi & febre, ſubflauum, & nigrum multũ coaceruatum emitterent, qui deinceps adapertis hæmorrhoidibus ſanati ſunt.*

Si verò menſtrua ſupprimantur, aut hæmorrhoides, quarum vacuationum beneficio mortales vitam morbis minimè impeditã agunt, illicò hæ vacuationes reuocandæ: nam vt optimè notabat Auic. 4.1. *cap. 3. in fin. Cùm ſuppreſſio alicuius vacuationis fuerit cauſa morbi, reuerſio illius ſecundùm plurimum illi medicabitur.* Quapropter ſi mẽſtrua cohibeantur, & morbi fiant, iuxta edictum Hip. *5.aph.57.* & Ariſtot.*lib.2.de generat.animal.cap.4.* maxima cura adhibenda eſt, vt menſtrua prouocentur: hanc enim fuiſſe ſpem illarum mulierum, inquit Hippocrates *lib. 6. epid.ſect.8.com.42* quæ ob menſtrui retentionem in viros conuerſæ ſunt, vt effœminarentur, menſtruæque purgationes naturaliter redirent: ſed cùm Medici variis auxiliis tentatis, ob magnum à naturali ſtatu receſſum, nihil proficerent, breui tempore perierunt: non enim menſtruus ſanguis recurrens ſolùm à morbis præſentibus liberat, ſed eos anteuertit; nam *decubitus, in quibus facta tollit, hæc antè facta prohibet,* ſic monente Hippocrate *lib.6. epid.ſect.3.text.40.*

Communiſſimus ergo ſcopus in prouocandis menſtruis eſt, vt ſanguis reddatur fluxilis, & curſus eius reuocetur: at quoniam hoc commodè perfici nequit, niſi cauſæ auferantur, idcirco omni ope eas ſubmouere enitendum eſt. Deinde ad viſcera reſeranda accedere oportet. Quibus autem præſidiis id præſtare poſſimus; ſatis doctè explanarunt, qui in curanda retentione menſtruorum primas tenent; nam præter Gynæciorum auctores, Mercatus *lib.1.indicat.15.* Maſſaria, Rodericus è Caſtro, Heurnius, Varandæus, & Sennertus antecellunt, cum Moxio, qui in curandis fœminarum morbis ſtrenuam operam nauarunt.

Accidit tamen multoties, vt menſtruo ſanguini excernendo ita pertinaciſſimè aſſueſcat natura, vt ſi præſidia adhibita non proſint, illa corpus ab imminentibus malis tueatur, ſanguinémque regurgitantem per alia loca eliminet, maximò cum hominum commodo. Quare ſanguinem excernit menſibus ſingulis per angulos oculorum, aures; nares, os, dentium foramina, ſputum, vomitum, veſicam, hæmorrhoïdes, ſedem, mammillarum vbera, vmbilicum, minimum, & annularem manus digitum, inflictum vulnus, è quibus locis naturam vtiliter menſtrua excreuiſſe, fidiſſimi auctores memoriæ prodiderunt, quos citant Marcellus Donatus *lib.4.de hiſtor.mirabili, cap.29.* & Ioannes Schenckius *lib.4.obſeruat. tit. de menſtruis.* & nos per vmbilicum, gingiuas, & inguina, menſtrua binis fœminis erupiſſe vidimus, *lib.2. de praxi medica admiranda, obſeruat.*100.101.102.

Quid de ſuppreſſis proferam hæmorrhoidibus; quas eſſe illicò prouocandas, vacuato ſanguine melancholico, Saphænæ ſectione, atram bilem expurgantibus, recta victus ratione; harum venarum apertione; fontanellis in cruribus affixis, & aliis præſidiis, auctores non contemnendi ſuaſere, qui de prouocandis ſuppreſſis hæmorrhoïdibus curationem inſtituunt. Idcircò humorem hunc melancholicum vacuare oportet audacter ſecta ſaphæna; quum melancholici pleniùs ſint vacuandi, ex Gal. *lib. de curand.rat.per ſang.miſ.cap.10.* melancholici enim ſanguinem multum calidum habent, ex Galeno *ſect.3.lib.3.epid. com.70.* de quo argumento fusè *ſupra* ſumus loquuti *in com.hiſtor.78.* Loco venæ ſectionis vtiliter aperiuntur harum venarum ora hirudinum ope, mordentibus & acribus medicamentis, vt ſucco cæpæ, foliis viridibus perdicij herbæ, mercuriali trita, felle bubulo, foliis ficus, panno aſpero, ſucco centaureæ minoris, braſſicæ marinæ, felle porci, & aliis, præmiſſo tamẽ aliquo leniente decocto. Victus ſit calidus & humidus. Fontanella etiam huius vacuationis defectum mirè ſupplet, & maximè ſi fœmina ſit, cui ſuppreſſa ſint menſtrua. Prouocant etiam ſuppreſſas hæmorrhoïdes clyſteria acria, ſuppoſitoria ex hiera ſuperaſperſo puluere aloës. Lege Hieronym. Fabric. Hildanum *lib.de valetudine tuenda, in fin.* & Alphonſum à Cruce *opuſculo de melanchol.obſ.7.*

Sicut autem vacuationis ſuppreſſæ hydropem accerſunt; ſic etiam nimium excurrentes, exhauſta nimia ſanguinis copia, hunc affectum concitare queunt: cùm enim calor noſter in ſanguine perſeũerantiam habeat, quid mirum ſi ex hac ſuperflua nectaris viuifici, cuiusa præſentia recreantur partes, vacuatione, minuatur nstinus ignis, frigeſcat iecur, & deſtitutum ſanguificationi munere hydropem creet? quippe ex hac immodica vacuatione corpus frigidius, ſiccius, & mille aliis morbis implicitum euadit: nam eneruantur vires, vitiatur concoctio, inappetentia contingit, oritur ſyncope, fœdus totius corporis habitus accidit, color cutis cum virore albicat, molleſcit caro, crura vacillant, oculi tument, laxatur facies, & alia ſigna accidunt relata ab Auic. 21. 3. *tract.3.cap.2.* Galen.*6.de loc.cap.5.* quæ omnia ex natiui caloris imbecillitate euenire non eſt dubitandum. Cur autem immodica menſium, aut hæmorrhoïdum ſuppreſſio, aut nimia vacuatio tot damna afferat, eleganter oſtendit Alzarius à Cruce *lib.1.centur.cap.3.*

Hęc, & alia grauiſſima mala ex hæmorrhoïdum nimio profluuio oriri non incertum eſt: nam & deformitatem, & miſeram vitam hæmorrhoïdes inducunt: illam quidem

propter

propter coloris totius corporis vitium ex euacuatione ſuccedens: miſeram verò vitam propter corporis debilitatem. Quandoque etiam periclitantur ſic affecti, quum ob excedentem vacuationem, perfrigeratum hepar, aquam intercutem operatur, Aëtio teſte, *tetrab.4.ſerm.4. cap.64.* Quibus verò auxiliis exuperans ex vtero, aut hæmorrhoïdibus fluor ſit compeſcendus, & hydrops ab hac cauſa ſubortus curandus, veterum, & iuniorum doctiſſimi paſſim tradiderunt. Lege Mercatum *lib. 1. indicat.cap.14.*

HISTOR. CXVII. RHASII. *De hydrope.*

Hydrops, victu attenuante, & aliis auxiliis, curatus.

Dico quòd hoc regimine curaui hydropicum in ætate prouecta conſiſtentem, dando ei in potu ſemel in quatriduo, de aqua cucullæ recentis rotulum vnum, cum drachmis x. ſacchari albeſar, etiam dando ei interim de trochiſcis de berberis, laccæ, & ari, & emplaſtrando hepar cũ glutinatiuis, & faciendo eum vti exercitio, & pauco potu vini, &c. Rhaſius lib. 1. continent.tract.19.cap. 1.

PARAPHRASIS.

Hydropem affectum eſſe notiſſimum, & ab omnibus auctoribus vbique deſcriptum, frigidum, vtpotè ex frigida hepatis intemperie ferè ſubortum, norunt vel ij, qui prima medicinæ rudimenta primis labris deguſtarũt. In eo adeſſe huius viſceris debilitatem inſignem, obſtructionibus multis comitatam, à qua huius ſæui mali origo deducitur, nullus ignorat. Adeſſe flatuum, ſuccorúmque crudorum copiam plurimam à debili calore pronatam, concedunt omnes. Cúmque innatus ignis nimia humorum frigidorum copia ſit obrutus, ſubitam auxiliorum, eámque confertim factam adminiſtrationem ferre nequit; ſi enim hæc ſimul exequi intendat, flacceſcit ipſe in opere languidior, aſſiduo medicamentorum vſu imbecillis factus.

Quare per epicraſin curationem inſtituit hic auctor: factiſque priùs, vt par erat, vacuationibus vniuerſalibus, ad cæteras complendas indicationes acceſſit. Nam poſtquam victu attenuante vſus eſt, qui in hac ægritudine propulſanda primas tenet, ſine quo nullus alius morbus frigidus & humidus, nec hydrops rectè curari poſſunt, vt docuit Galen, *lib.de attenuante victus ratione, cap.1.* ad reliquos curationis ſcopos ſermonem direxit. Sunt autem hi, totius corporis nimio humore madentis exſiccatio, paulatina aquæ per ventrem ſolutio, vrinæ, & ſudoris prouocatio, obſtructionum per ea quæ infarctu liberant curatio: hepatis, per ea quæ viſcus roborare ſolent, & intemperiem remouere, reductio. His ſcopis curationem huius atrocis morbi perfici, priſci vnanimiter docuerunt.

Hos omnes compleuit Auctor *hoc in loco.* Et quod ad regimen attinet, iubet vti victu ſicco & calefaciente; quod intelligi debet, plus aut minùs, pro ratione febris: ita enim & humor nimius præter naturam collectus abſumitur, & intemperies corrigitur: omnibus enim hydropicis commune eſt, frigidis ſuccis, & crudis abundare, ſeu pituita, ſeu aqua, ſeu flatu, ſeu omnibus, ob innati caloris in hepate debilitatem. Quapropter à iurulentis, humidis abſtinendum. Nauticus panis pro vſu ſit, cui inter pinſendum ſemina marathri, & aniſi ſint iniecta, quæ ad flatus diſcutiendos ſunt aptiſſima: nam in aſcite, perinde atque in tympania, tum aquoſus humor, tum flatus abundant. Carnes ſint auicnlæ paruæ, & in dumetis agentes, aſſæ potiùs quàm elixæ, turdi, turtures, columborum pulli, merulæ, perdices, quarum iuſcula aliquando in parua quãtitate propinanda, alterata priùs radice apij, graminis, fœniculi, ciceribus rubris, lauere ſeu ſio, quod vrinæ prouocandæ

A eſt eximium, auctore Dioſcoride, *lib.1.cap. 126.* Demùm victus ſit excalfaciens, & exſiccans.

Quo factum eſt, vt potus aquæ interdicatur omnino, ſi fieri poteſt, ſin minùs, quàm minimùm vini ſumendum eſt, eiúſque meraciſſimi; neque enim optimum conſilium eſt aqua vinum diluere: quòd non ſolùm ab illius potu, verùm ab aſpectu interdicendi ſint ægri, vt ſcitè docuit Auic.14.3.*tract.4.cap.13.* Nam præterquam quòd aqua ſitim potiùs auget, quàm extinguit, nitroſa, ſalſáque redditur, ſitimque intenſiorem facit. Quapropter rectiſſimè ab Hip.dictum 4.*caut.11. vt hydropici quamminimùm bibant:* quoniam, vt Gal.aduertit *in com.* hic viuendi modus calefacit, & exſiccat, cuius via aquoſi humores abſumuntur, quare Celſ.*lib.1.cap.21.* largiorem potum illis interdicit, quàm qui vitam ſuſtineat.

B Poſt diætam, hydragoga ſecundum locum obtinent, quæ aquam, ſeroſámque ſuperfluitatem expurgant; quæ cùm ventriculo, hepatique ſit propinqua, tenuis, & ad educendum prompta, coquenda non eſt: nam *ſeroſos, & tenues humores inter initia vacuabis*, monente Galeno *lib. quos, quib.& quando, cap.4.* Sunt enim aquæ in modo ſubſtantiæ omnino ſimiles, & idcircò incoctiles vacuandi. Sed cùm multa ſint huic vſui vtilia, vt gratiola herba, ſuccus radicis bryoniæ, ſambuci, ebuli, cucumeris aſinini, oleum vitrioli, radix Mechoacana, ſtibium præparatum, ſoldanella, & alia paſſim ab auctoribus celebrata, quæ inter omnes referunt Alphonſus Moreſcottus *tract. de ſimpl.medicam.tit.de hydrope, lib.2.* Claudinus *de ingreſſu ad infirmos, cap.14.* Vietus *lib. obſeru. de hydrope*, ex quibus electuaria, potiones, vnguenta, cataplaſmata, pulueres, tabellæ, apozematáque parari poſſunt: tamen aqua cucullæ
C recentis, ad educendam aquam eſt præſtantiſſima; ſed loco (*cuculla*) legendum eſt (*cuſcuthæ*) Hæc enim planta eſt capillaris, ſine foliis, reliquas plantas inuoluens & enecans, flores edit albos quàm plurimos, à quibus ſemen tenue prodit. *Caſſutha*, ſiue *caſcutha* ab aliis appellatur. Excalfacit ordine primo, ſiccátque ſecundo; abſtergit, & quadam cum adſtrictione roborat. Iecoris obſtructiones aperit, infarcti lienis vitia expedit, venas pituitoſis ac biliofis exonerat humoribus, vrinam pellit, & regio morbo opitulatur, ſi Auic.fides eſt adhibenda, *lib.2.tract.2.cap. 138.* Ruel.*lib.2.de natur.ſtirp. cap. 131.* Sed diuturno vſu ventriculum grauat; quæ tamen noxa tollitur, ſi aniſi momentum adiiciatur. Exhibetur abſinthio permixta, in quem vſum decoquitur, & bibitur eius decocti libra, cum ſacchari ſeſquuncia.

D Huius aquam ab herba recenti extractam propinare conſultus, viſum fuit, permixtam cum drachmis decem Sacchari Albezar, quod alij vocant *Albuzar*, ſiue *Albazar*, vt Bellunenſis caſtigat. Verumenimverò, quòd Alhazar apud Arabes ſui generis arbor ſit, & ab arundine maximè differat, & quòd eius ſaccharum, quamuis ab Auicenna manna dicatur, quod fortaſſe granulis concreſcit mannæ ſimilibus, ex rore haudquaquam fiat, ſed gummi modo ab arbore diſtillet, manifeſtè oſtendit Serapio *cap.50.* ſub his verbis. *Alhazar habet lata folia, & habet ſaccharum quod egreditur ab oculis ramorum ſuorum, & à locis foliorum eius, & colligunt de eo homines rem conuenientem, & in ſaccharo eius eſt amaritudo, & egrediuntur ab hac planta, mala quædam, ſicuti teſticuli camelorũ, è quibus liquor*
E *quidam emanat adurens, ſepticaque facultatis, ad cauteria perinde idoneus: & lignum quidem Alhazar eſt leue, craſſum, rectum, pulchrúmque.* Hæc Serapio. Sed cùm hoc ſit fortiſſimum, calidiſſimúmque medicamentum, ad huius effrænem vim temperandam, lac camelæ permiſcere, ſalubre eſt, vt Auic. *lib.2.tract.2.c.756.* de Saccharo Alhuzar manifeſtè edocuit.§. *Confert hydropiſi cum lacte camelæ nouiter factæ, &c.* Hoc enim lac huius medicamenti malitiam corrigit, & attemperat, humorem aquoſum etiam expurgat, & abſtergit, & hydropi opitulatur cum proprietate ſua, vt latè oſtendit Auic.14.3.*tract.4.cap.13.in med.*

Quum tamen auxilia nõ proſunt, & ſumma neceſſitas cogit, plures ad extrahẽdam hydropicorum aquam variis ingeniis vti ſolent. Alij crura, coxáſque ſcarificant tenuiter, ſola cute leuiter perforata, vt materia illa aquoſa, quæ in

in ventre inferiori, & in ambitu totius corporis ſita eſt, ſenſim vacuetur, quo præſidio hydropicum iam iam moribundum ſe perſanaſſe gloriatur Nicolaus Maſſa 21. *epiſt. volumin. primi*. Cúmque natura per inferiores partes ſæpè aquoſam materiam detrudat, auctoribus Scholiographo Holler *lib.1.ad cap.39.de morb.intern.* Vido Vidio *lib. 10. cap.5. de curat.membrat.* Alexand. Benedicto *l.15.de curand. morb.cap.40.* qui effuſa aqua ex præciſis vnguibus, per pedes, & ipſorum digitos, plures hydropicos immunes euaſiſſe conteſtantur. Idcircò veterum, & iuniorum præſtantiſſimi, excitanda eſſe in cruribus veſicatoria, phœnigmos, vſtiones, ſcarificationes, & fontanellas ſibi perſuadent; & non immeritò, nam perterquam quòd ſeroſum humorem clementer exhauriunt, naturam irritant, & prouocant, vt humorem aquoſum deorſum detrudat.

Si natura non ſatagit aqueum hunc humorem extra corpus deppellere per aliquam viam, quam ipſa cum valens eſt excernendis ſuperfluis ſuccis ſæpè deſtinat, & parat, tunc hydragoga ſuperiùs relata vſurpanda, quibus addendus cortex radicis frangulæ, qui incidit, detergit, & coagulatam, obſtruentémque ſubſtantiam reſoluere, ſolutámque per vrinam, ſudorémque propellere poteſt. Hæc enim medicamenta non ſolùm internos, ſed externos corporis meatus aperiunt per aluum, & ſudorem mouent.

In hunc ſenſum dixit Auic. *loco ſuprà citato, de curatione hydropicorum. In aſcite purgat renes.* Hoc opus clementer complent ſquinanthum, cinnamomum, aſarum, maſtiche, abſinthium, aniſum, fœniculum, ſpica nardi, ariſtolochia longa, petroſelinum, caryophyl a, crocus, rhabarbarum, calamus aromaticus, quæ omnia in aqua graminis decocta, addito melle, & puluere diacurcumæ, potenter hepar roborant, & mouent vrinam. Idem etiam efficiunt ſemen viticis, cicera rubra, ſemen hyperitici, calamintha, pulegium, quæ omnia ſi in vino, vel decocto rubeæ coquantur, addito angallidis cæruleæ ſucco, plurimam afferunt commoditatem.

Aqua terebinthinæ Chymica arte extracta, vtiliſſima eſt, ſicut eius oleum, vel pilulæ ex ipſius puluere cum rhabarbaro, aut puluere diarrhodonis paratæ, quod medicamentum in abſtergendis partibus interioribus, vacuandóque humore per aluum mucoſo & lento præcipuum locum tenet. Vel ſi ea in bolum cum ſpeciebus diarrhodonis redacta vtaris, plurimum commodum ægrotanti afferes.

Trohiſci dialacca, diacurcuma, ſyrupo aliquo permixti ſummè proſunt, ſicut vocati de abſinthio, de rhabarbaro, & de eupatorio; ex quibus cum conſerua zingiberis, anthos, citri, eringij, additis diacymino, dianiſo, diagalanga; diacinnamomo, parari poteſt electuarium huic vſui maximè proficuum, quibus ſi addas theriacam, & mithridatium, euadet præſtatiſſimum: vt notarunt eleganter Curtius Marinellus *in ſua Pharmacopœa, in fin.* & Caſparus Pilleterius *in ſuis ſynonymis plantarum, litera E, tit. de Eringio.*

Quare ex arte faciunt Hippocratica, qui ad euacuandam aquam paracenteſi vtuntur in hoc morbo. Extat oraculum Hippocratis *lib.6. epid. ſect.7.text.11.* in hunc modum: *Tabeſcentes ſtatim vrere, hydropicos citiùs ſecare oportet.* De hac magna fuit inter veteres contentio, quod Cælium Aurelianum *lib.3.tardar. paſſion.c. de ſectione hydropicorum*, aliis vituperantibus, aliis laudantibus id genus curationis. Qui contemnebant, plurimis rationibus nitebantur. Prima, quòd peritonæum neruoſum cùm ſit, non ferat citta periculum punctionem, aut ſectionem vllam: maximè cùm non tam facilè fiat, quin ſecetur vllum inteſtinum. Accedit, quòd aquæ eductio non videatur tollere affectionem, ſed ſymptoma, cum non tollat hepatis intemperiem. Vltimò, quòd periculum maximum ſit, ne effuſa tota aqua, vacuato etiam ſpiritu, moriatur homo.

Horum rationes diſſoluunt ex profeſſo Holler. *lib.6.aph. com.27.& lib.1.de morb.intern.cap.37.* & Aurelianus ſe vidiſſe quoſdam, qui ſectione euaſerant, teſtatur. Quare A probanda eſt curatio hæc, qua etiam Hippocratem vſum fuiſſe conſtat, & plures ſeruatos refert Holler. *loc. cit.* edoctus à Gal *lib.6.aph.27.* qui hoc auxilium vehementer probat, ſeruatis præcipuè conditionibus, quas tradit Paul. *lib.6.cap.50.* imperans apertionem fieri ad latera vmbilici, qua parte ilia vacua, & inania ſunt; & muſculi ferè excarnes. Dummodò hydropicus in tabem non inciderit, vires ſint lãguidiores, febris adiuncta, viſcera habitualiter affecta, interna putredo ingens, ex aqua nimiùm putrefacta contracta. Hoc tempore interaneis corruptis ſi ſectionem tentes, nihil aliud facies, quàm exhauſtis ſpiritibus cum effuſa aqua, corpus moribundum citiùs interficere. Quapropter temeraria eſt tunc curatio hæc, quo tempore nihil aliud fit, quàm quòd quæ tempeſtiuè ſuſcepta contu- B liſſent, celebrata ſeriùs infamantur auxilia. Ne ergo mireris ferè hoc clebrato præſidio plures occubuiſſe, quum ſeriùs tentetur ſemper, quando iam hectica naturalium partium intemperies adeſt, & morbus temporis diuturnitate factus incurabilis, & deſperatus, omnino vicit naturam: nam ſi tempeſtiuè fieret ſectio, & ſtatim in initio morbi, antequam aquæ colligeretur plurimum, & hepar valdè intemperatum eſſet, nullum periculum eorum quæ alij timebant, erat acceſſurum. Quò verò loco celebrari debeat paracenteſis, certatum eſt apud Iuniores. Albucaſis, Rhaſius, Meſuë *cap.de hyprope*, Paul. & omnis propemodum Medicorum ſchola, hydropicos, paulò infra vmbilicum ſecant, & ad latera, alij ex aduerſa parte viſceris affecti. Laurentius *lib.1.de re anatomic.quæſt.16.* rationibus validis, firmiſſimóque experimento munitus, commodiùs per medium vmbilicum celebrandam eſſe contendit; cu- C ius placitum, illuſtrium Medicorum comprobant obſeruationes, hydropicorum, qui per apertum vmbilicum, excreta aqua, ſunt liberati; quas legat quit velit apud Beniuen. *de abdit.cap.12.* Valleriol. *lib.4.obſeruat.3.* Atonium Saportam *l.3.de tumorib.præter natur.c.12.* Marcel. Donat. *lib..4.de hiſtor.mirabil.cap.21.* Tu verò antiquam compunctionem, à priſcorum ſcientiſſimis traditam ſequere, quam decies in vita mea ad ſalutem clebratam vidi, qua, cæteris non cenſerentibus, ægros à tanto malo ſuperſtites euaſiſſe ſum expertus.

Caue tamen, ne vel hoc auxilio, vel exhibito medicamento hydragogo vacuationem moliaris, quin hepar internis, & externis firmes auxiliis. Cuius cauſa factum eſt, vt plures educta aqua, vel ſponte, vel ab artifice, occumbant, quoniam hepatis debilitas reparari non potuit, vt D firmarunt proprio experimento Amat. *lib.1.centur.in ſchol curat.30.* Foreſt. *lib.2.de incerto vrinar.iudicio*, Capiuaccius *l.3.praxis, c.19.* Balduin. Ronſſetus *epiſt.2.ad D. Petreium Tyara.* in hunc vſum trochiſcos de berberis, & lacca auctor conſuluit. Hi enim præterquam quòd hepatis obſtructiones, & inde ortas febres diuturnas perſanant, viſceribúſque robur conciliant, aſciticos vacuant purgando per vrinas: in quem vſum oleum è iuniperi baccis inter cætera commendatur, ſicut cætera medicamenta, quæ huic operi eſſe proficua probat Holler. *in com.ſent.4. lib.6. ſect.2.in Coacis.*

Puluis Bufonis vſti potenter prouocat vrianm. Celebris eſt hiſtoria apud Vvierum *lib. 3. de præſtig. dæmonum. cap.3.* cuiuſdam hydropici, cui cùm puluis bufonis in olla vſti ab vxore mala offerretur, copioſo reddito lotio, & ventre ab aqua exonerato per veſicam conualuit: vt etiam E retulit Solenander *ſect.5.conſil.15.*

DVBIVM LXVII.

Num cantharides hydropi ſint ex vſu, & num toto corpore ſint venenoſæ. Contra Lacunam, Amatum, Fachſium, Langium, & Mercurial. doctiſſimos.

CAntharides ad prouocandam vrinam miro ſunt auxilio; nam proprietate quadam vrinam mouent & hydropi opitulantur: in quem vſum conceduntur ab Hippocrate *lib. 4. acut. text. 122.* Habent tamen tantam vim erodendi, vt etiam viſcera exulceret, & partes per quas pertranſeunt,

pertranſeunt, ita vt ſanguinem fundant; exit autem cum A deiectione ſanguis, ſed ſemper cum vrina: nam canthariides veſicam ſolùm præcipuè lædunt, & canales illi inſeruientes, ſimúlque renes, quos non mediocriter malignitate ſua, veneficáque & acri vi exulcerant, vt auctor eſt Galenus *lib.4.ſimpl.cap.17.& lib.10.cap.de ſero.* Deinde ardorem vrinæ, pruritum in pudendo, intolerabilem mingendi cupiditatem, & veneris ſtimulos cum pudendi arrectione, & coëundi valido deſiderio excitant, vt *lib. 6. cap.1.* edocuit Dioſcorides. Denique tanta eſt huius animalis contra veſicam contrarietas, & ad prouocandam vrinam, ſanguiniſque mictum excitandum efficacia, ac poteſtas, vt non ſolùm potui datæ, ſed exteriùs in cataplaſmate mixtæ, impoſitæque pubi, coxis, genu, & aliis corporis partibus, hoc opus promptiſſimè complere natæ ſint, vt referunt Montagnana *conſil.182.cap.10.* Andreas B Baccius *in prolegomenis venenor.antidotor.pag. 22.* & quod omnem fidem excedit, eſt, quod narrat Braſauola *com. ad aph.17.lib.2.* quendam Vincentium Gremam, rhabarbarum in mortario trituratum, in quo cantharides contuſæ fuerant, deuorantem, ſanguinis mictum cum veſicæ exulceratione paſſum fuiſſe. Immò narrant Ioan. Paſchal. *in methodo curand.morb.cap.44.* & Claudius Adolphus Occo *in ſuis obſeruat.* quoſdam cantharides in burſa, ſeu pera portantes, aut cauterium ex ipſis paratum, in ſanguinis mictum incidiſſe.

Miſcentur ergo commodè cantharides medicamentis diureticis, vt Galenus docet *lib.3.ſimpl.cap.22.* Immò modicè ſumptæ, quibúſque oportet admixtæ, non modò nihil offendunt veſicam, ſed renes etiam expurgant, vt ipſe docet *lib.4.ſimpl.18.* Valaſcus de Taranta, ſic referente Paſchalio *loc.cit.* medicamento ex cantharidibus multos laborantes, & anaſarca, & aſcite ſanitati reſtituit. C Hoc ex veterum mente priſcorum ſcientiſſimi tradiderunt, apud Dioſcorid.*lib.2.cap.54.de cantharidibus*, qui has ſubeuntibus cutem aquis auxiliari, antidotis ad ciendam vrinam factis additas, iure optimo arbitrantur. Immò plures, eas incorrectas propinant, exemptis ſolùm alis & capitibus, vt exmente Petri de Argelata refert Sebaſtianus Cortilio *lib. 3. de apoſtematib. cap. 11.* ſed ſatius eſt eas præparatas offerre, & admixtas cardiacis, quæ illarum virus infrænare, & partes roborare queant. Præparantur autem hoc modo, iuxta Valaſci Tarantini mentem. *Accipe vnam cantharidem abſque capite & pedibus, quatuor ſeminum frigidorũ mundatorum, ana vnciam ſemiſſẽ, ſacchari candi violati, vncias duas, gummi craſſi, vel Dragaganti,* ℨ.vj *miſce, & fiat ad modum pulueris.* Doſis eſt vncia vna, ſummo manè. D Sed defende veſicam, admouendo ei lac caprinum, vel oleum roſatum tepidum.

Sed pro cantharidum præparatione, varia diſcurrentibus, verſantibúſque auctorum monumenta, oſtentant ſe plura; quæ non citra diſpendium ſtudioſorum præteriri queant. Igitur non contemnendi auctores, caput & pedes, alij alas abſcindendas eſſe conſtanter aſſeuerant: quoniam venenum in illa, aut hac parte eſſe arbitrantur.

Hippocrates *lib.4.acut.text.122.* ſic prædixit. *Poculum hydropico: Cantharides tres, abiectis ſingularum tum capite, tũ pedibus, tũ alis, in cyathis aquæ tribus terantur, atque cùm bibens laborauerit, calida perfundatur, &c.* Hoc etiam aſſeruit *lib.de internis affectionib.num. 45.* & *lib.de morb.muliebrib. num.94.* quod etiã facit Raſis *l.9.ad Alman.ſ.73.* E Galenus *in com.* appoſita hiſtoria contrarium affirmat, dum Medicum inſcium & ignarum appellat, quoniam facit quod Hippocrates iuſſit, nempè vt auferantur caput, pedes, & alæ: cùm prædictæ partes non ſint abiiciendæ, cum Dioſcoride ſentiens *loc.cit.* dicente ſolum ventrem eſſe venenoſum, & partes extremas eſſe alexiterias, pro iis qui corpora cantharidum ſumpſerunt, quod etiam firmat Plinius *lib.11.cap.35.* nec Galenus *lib.11.de ſimpl.medic.facult. tit. de cantharidibus*, ab hac ſententia eſt alienus; eo enim loco ſcribit, licèt cæteri Medici abiicerent pro componendis medicamentis extrema cantharidum, ſe integras apponere conſueuiſſe: nam in cantharidibus, vt ait Capiuaccius *lib.de venen.cap. 11.* quædam ſunt partes alexipharmacæ, A & ſunt caput, pedes, & alæ. Hac ratione Paulus *lib.7. tit. de cantharidib.* has nonnullos Medicos medicamentis vrinam prouocantibus admiſcuiſſe affirmat. Ex quibus patere arbitror, vt monet Scaliger *exercit.184.num 2.* in hoc animali ſicciſſimo, certis in partibus venenum eſſe, & in aliis aduerſus id remedium, vt in alis. Huic ſententiæ firmiter adhæret Coſtæus *ſupra Meſuēm diſt.11.tract.de vng. tit.de vnguento ex cantharid.* Qua ergo parte venenum illud veſicæ tantoperè aduerſum lateat, nondum conſtat apud auctores: Lege Andream Cæſalpin.*lib.3.de ven.cap.11.*

Viderunt controuerſiam iſtam eximij medicinæ profeſſores. Lacuna *in cit.cap.Dioſcorid.* Amatus *eodem loco.* Langius *lib.1.epiſt.47.* Fuchſius *lib.1. paradox. 3.* Mercurialis *lib.1.de morb.veneneoſ.cap.14.* Primi antinomiæ difficultate perterriti, eam inſolutam reliquere. Tertius, & quartus B diuerſas Galeni, & reliquorum ſententias proponunt, ſed hanc pacem componere non tentarunt. Mercurialis aſſerit venenum horum animalium eſſe in toto corpore, ſed in capite, pedibus, & aliis plus eſſe exitiale, ac deleterium. Roborari poteſt ſententia hæc: nam Rhaſis *citato loco* alas abiecit, & Nicolus *ſerm.4.tract.4.cap.27.* aſſerit idcircò Medicos, alas, pedes, & caput cantharidum reieciſſe, quia ſunt magis venenoſæ; quo pacto non debemus mirari Hippocratem præcepiſſe, vt abiicerentur.

Sed ſum ego alterius ſententiæ, cùm ſæpiſſimè viderim plures, eas cum alis, capite, & pedibus deuoraſſe ad coïtus illecebras, pharmacis permixtas, quæ illarum virus obtundere poſſent. Quare ſolum illarum ventrem eſſe venenoſum, cum Galeno exiſtimo. Hic enim *loco citato de rat.vict.* taxauit Medicum abiicientem alis, vocauitC que audacem, quoniam auctoritate textus perſuaſus, id exequutus eſt; cùm apertè conſtet ex Galeno *in proœm. lib.4.acut.& 2.acut.38.& lib.4.com.5.* in quarto hoc libro à multis plurimas eſſe interiectas ſententias, & Galen. ſuggillat manifeſtè auctoris dictum *in com.* & hac ratione Mercurialis ipſe, hanc ſententiam inexplicatam reliquit. Libri verò *de internis affectionibus, & morbis muliebribus*, ſpurij ſunt, ſtilóque Hippocr. indigni, ex Gal. *2.acut. 38. & lib.3, de articul.com.18.* Raſis verò alas abiecit, quoniam hæc extrema, magis ſunt excrementoſa, & acria. Ne ergo miremur Nicolum, qui ſequutus auctorem *lib. 4. de rat. vict.* contrarium aſſerere auſus fuit. De hac contradictione lege eruditiſſimum Nicolaum Rorarium *in contradict.30. Galeni*, & Seuerinum Eugalenum *lib.de ſcorbuto, tit.de hydrope ſcorbutico.*

D Inter hydragoga medicamenta primas tenet Thermalium aquarum potus, vt refert Vidus Vidius *lib.10. de curat.membrat.cap.5.* qualis ex Tetucciana ex Valle Nebulenſi, & Porrectanea ex agro Bononienſi: ſed omnium præſtantiſſima eſt in hoc caſu Spacenſis, ſeu Spadana, quæ multis morbis, hydropicis tamen vel confirmatis certam ſalutem pollicetur. Hæc enim redundantem aquam in abdomine per vrinæ vias deducit, & ventriculo, iecori, ac cæteris partibus naturalibus amiſſum robur mirificè reſtituit, ac reſtitutum adeò confirmat, vt homo poſt eiuſmodi aquæ vſum pluries quotidie repetitum, deperditam prorſus recuperet ſanitatem. *De cuius præſtantia pro hydrope ſanando*, lege Vidum Vidium *lib. 10. de curat. membratim, cap.5.* Illius mirificam vim explicuit Henricus ab Heer Tungrus, *libello proprio, de admirandis Spadanarum* E *aquarum facultatibus.* Cætera lege apud auctores, qui proprium caput *de hydrope* conſcripſerunt. Hadrianus à Mynſicht *in ſuo theſauro Medico chymico, ſect.3.* Specificũ hydropicum deſcribit, de quo pro aſcite, & melancholicis morbis, cæterorum Chymicorum ritu, montes aureos pollicetur; ſed hoc cùm iam ſit recitatum à Paracelſo, Crollio, Libauio, Vlſtadio, & aliis, & Chymici apud Galenicos Medicos ſint ridiculi, qui vno ſpreto Hippocrate, medicinam ex ſpiritibus vitæ conſtruunt, idcircò horum nugas flocci facio, parui pendo, qui omnes ægros ſuis magiſteriis, hoc eſt vno calopodio perſanare conantur. Quo pacto demiror Sennertum, virum alioquin artis Galenicæ amantiſſimum, qui forſan in gratiam ſuorum Germanorum, pacem inter Chymicos,

&

& Galenicos conciliare tentauit; cùm ij nullam inter ſe admittant.

Summè etiam neceſſe eſt ſudores excitare, iis quæ ſeroſam ſubſtantiam reſoluunt, ſolutámque per habitum corporis propellere queunt. Hoc beneficium præſtant balnea naturalia, præſertim ſulphurea, licèt ſalſa, & aluminoſa ſint etiam ex vſu. Si deſint hæc, confugiendum ad euaporationes factas ex aqua, vino, in quibus priùs medicamenta diſcutientia coquantur. Vel fiat balneum artificiale ex arena, ſale, milio, tritico. Commodiſſimè exhibetur theriaca maluatico diſſoluta, cuius potu, ægro benè cooperto prouocetur ſudor. Decoctum ligni ſancti, ſmilacis aſperæ, radicis Chynarum, & ligni vocati ſaſſafras, eſt præſtantiſſimum, ex omnium decreto; & aduertit Amatus *lib. 1. centur. 90.* quo præſidio ſanatum fuiſſe aſciticum deſperatum narrat Valleriola *lib. 2. obſeruat. 5.*

Clementer iecur roborant, & humorem per ſudorem & vrinam mouent Trochiſci de Rhabarbaro, quorum ope Ducem Mediolanenſem curaſſe glorìatur Matthæus *in comment. cap. 9. lib. 9. Rhaſ. ad Almanſor.* Sed cùm viſcera in hydropicis ſcirrhoſa ſint, crudis humoribus referta, flatu diſtenta, & flaccida, oportet exhibere quæ viſcera deobſtruant. In hunc vſum Trochiſcos de Aro aſſumendos imperauit Auctor, *hoc in loco.* Ari autem radix habet facultatem deobſtruendi, & incidendi, auctore Auicenna *lib. 2. tract. cap. 439.* Noſtri ſyrupos deobſtruentes, euacuantes, aperientes parant, qui aquoſos humores expellere vnáque viſcera roborare nati ſunt, quorum formam deſcripſimus *lib. 2. de praxi medica admiranda, obſeruat. 62.* Hæc medicamenta alternis diebus exhibentur: cùm enim vires debiles ſint, frequentem vacuationem ferre non poſſunt: neque humores craſſi impetuosè ſunt mouendi, ſed paulatim coquendi, & paulatim euacuandi.

His omnibus completis, neceſſe eſt de robore hepatis nos eſſe ſollicitos; emplaſtrando (vt loquitur Auctor) ipſum cum glutinatiuis, hoc eſt, adſtringentibus, & quæ robur viſceri indere poſſint. De horum claſſe cenſentur vnguentum roſaceum, ſantalinum cum puluere ſpicæ nardi, ſchœnanthi, abſinth. Styrace calamit. permixtum: non enim oportet humorem peccantem ſolùm reſpicere, ſed omni ope, naturæ viſcerúmque robori attendere opus eſt. Taxat enim Galenus ſui temporis Medicos *lib. 1. de humor. ſect. 1. com. 1 2. in med.* quod ſolùm de vacuando humore erant ſolliciti, nulla de particulis roborandis conſideratione facta: ſic enim ait. *Quo pacto cernere eſt commune Medicorum erratum, quod in pleriſque affectionibus plerumque committitur: nam quod ſuperuacuum eſt, euacuant illi quidem; ſed tamen ne ei quod vacuatum ſit, perſimile gignatur, nullo modo ſibi curandum proponunt, &c.*

Sed vt partes in vigore perſiſterent, exercitium ſummoperè commendauit, ſequutus Hippocratem *lib. 5. epidem. num. 27.* dicentem, *Hydropicum oportet defatigari:* hoc eſt, neceſſe eſt hydropicos plurimùm exerceri, & laborare; exercitium enim natiuum calorem auget, cruſdos ſuccos abſumit. Attamen cum modo quodam exercendum corpus, vt ne magis, quàm ferre poſſit, debilitetur; magna enim eſt exercitij vis atque poteſtas, cuius ope dilatantur viæ, reſerantur meatus, vacuantur excrementa, auferuntur obſtructiones, reſoluuntur flatus. Firmantur rurſus facultates vini potu, quod præterquam quòd nutrit; hydropicis ſummo eſt auxilio: nam craſſos ſuccos attenuat, frigidam intemperiem ſanat, prouocat vrinam, & ſudorem. Potum eius paucum offert: nam cuiuſcumque liquoris potus nimius humectat, & in hydrope exſiccantia iuuat. Album tenue imperauit Hippocr. *loco cit.* vt faciliùs ſecederet per vrinam. Huius tanta eſt facultas & præſtantia, vt hydropicum deſperatum eius potu fuiſſe ſanatum; afferat, ex mente Alberti. Nicolus *ſerm. 5. tract. 5. cap. 25.* De victus materia lege Celſum *lib. 3. cap. 21.*

A

HIST. CXVIII. GALENI, De hydrope.

Hydrops, venæ ſectione ſæpè curatur.

Ego autem non hæc ſolùm, ſed & ſpaſmum, hydropémque ſanguinis miſſione ſæpiùs ſum medicatus. In hunc enim modum erudiuit me tum longa experientia, tum ratio ipſa; quæ mihi ſuggeſſit, vt occaſionem ipſam eiúſque momentum ſic inueſtigarem, &c. Galenus lib. de venæ ſectione aduersùs Eraſiſtratum, cap. 5. in fin.

PARAPHRASIS.

B

Galenus ex profeſſo empiricos hæmophobos vt meritò redargueret *in hoc capite,* primò ab ipſius naturæ opere, deſumpto teſtimonio, mulieres cunctas ſanguine ſuperfluo foras effuſo ſingulis menſibus euacuantis vſus eſt. Deinde rationalium Medicorum exemplo, & experimento, ſuum placitum roborare conatur, qui non ſolùm in allatis calidis, inflāmatoriíſque morbis, vt angina, pleuritide, & aliis internis inflammationibus ſanguinem emittunt; ſed in frigidis, aliiſque affectibus ex multitudine ſubortis, eum ſumma cum vtilitate exhauriunt frequenter, & vt ſententiam ſuam fulciret ampliùs, duos frigidos affectus ponit in propatulum, in quibus videtur eliminandum auxilium hoc. In hoc ergo ſi conuenit, cur in aliis à tenuiſſimo, feruentiſſimóque humore pronatis interdicetur? quod negabant aduerſarij, acerrimi venæ ſe-

C

ctionis hoſtes, clàm Galenum lacerantes, & aculeis pungentes, dira rabie perciti, & inuidia. Affectus autem frigidi ſunt ſpaſmus, & hydrops.

In ſpaſmo celebrandam eſſe venæ ſectionem, nón ita tamen vniuerſum, vt exigit affectus, teſtis eſt locupletiſſimus Galen. *lib. 1. ad Glauc. c. 1 4. in initio. §. Sed neque ſi quis ſimul, & diſtentione neruorum laborauerit, & ſanguinis, eguerit miſſione, huic tantùm ſemel mittere oportet, quantum exigit morbus; ſed aliquid etiam accidenti eſt relinquendum, cuius cauſa ſæpè ſudores eueniunt, & vigiliæ moleſtant, & vires ægri debilitantur, &c.* Hanc ſententiam omnes poſteà confirmarunt, veterum, & iuniorum eruditiſſimi, præſertim qui in medendis humani corporis malis primas tenent, aſſerúntque eam eſſe veram, ob cauſa multas quas latè expendunt

D

Iacchinus *in lib. 9. ad Almanſ. cap. 1 3.* Altimar. *lib. de morb. curand. cap. 1 3.* Chriſtophor, à Vega *lib. 3. art. medic. ſect. 1. cap. 21.* Vidus Vidius *de curat. membrat. cap. 4.* Mercatus *lib. 1. de morb. intern. cap. 1 5.* & alij. Hoc tamen intelligas, velim, dummodò à plenitudine conuulſio oriatur; nam quæ ab inanitione originem ducit, adiectione, & non vacuatione curatur.

QVÆSTIO LVII.

Quòd in omni hydropis ſpecie interdum ſanguis poſſit emitti. Contra communem Medicorum ſententiam.

E

De hydrope maior eſt controuerſia. Hipp. *lib. 4. acut. text. 11.* in hoc affectu commendat venæ ſectionem, *ſi difficulter ſpirauerit æger, fueritque anni tempus vernum, & viguerit ætas, viribúſque fuerit valentibus.* Galenus eius dictionem approbat *in com.* dum ſic ait. *Quod ſolius anaſarca eſt, quem vt inſanabilem prætermiſit. Nempè hic ſolus, cùm incipit, eget interdum ſanguinis detractione, cum ſcilicet ex retentione vel hæmorrhoidum, vel mulicbrium, vel ex quapiam, quæ ita plethorica ſit cauſa, inceperit. Tympaniam verò, & aſcitem nullus per ſanguinis miſſionem ſanare eſt auſus: nam licèt anaſarca ex ſanguine frigidiore oriatur, & frigiditatis rationè illa non indigeat: tamen quoniam copia detractio naturam leuat, vt hæc minorem illam effectam facilè ſuperet, non alienum; immò rationi conſentaneum eſt, vena ſectione vti: cùm enim innatus ignis extinctioni proximus ſit: niſi copia exhauriatur, ipſe onere preſſus peribit: quemadmodum enim ignis propè*

extinguitur immiſſis lignis tum humidis, tum multis, niſi quis multitudinem ſuſtulerit, ſic & in frigidiore ob copiam ſanguine, vbi calor natiuus ſuffocatur, præſentiſſimum eſt remedium ſanguinis miſſio.

Hæc eſt Galeni ſententia, quam Principes ſunt amplexi, & iuniores omnes vnanimiter confirmant, qui in hydropis ſpeciebus ſanguinis miſſionem ſummoperè renuunt, & in anaſarca libentiſſimè cum Galeno concedunt, præſertim ſi ex ſanguinis vbertate, ſuppreſſis hæmorrhoïdibus, vel menſtruis, vel quauis alia vacuatione ſuppreſſa oriatur: nam,vt 6.*aph.*12. Galenus aduertit, ob has cauſas ſanguis retentus,prauus frigidiórque efficitur. Si ergo ſigna plenitudinis adſint, æger ſit ſanguineus, iuuenis, laborantis natura denſior, durior, & ægrè perſpirabilis, anni tempus vernum, regio temperata, ſanguis pituitæ ſit permixtus, ad hanc exhauriendam quæ cum ſanguine in venis redundat, ſaluberrimum eſt celebrare phlebotomiam: nam natura ab humorum crudorum pondere ſubleuata, poterit reliquos qui ſuperſunt concoquere, & in ſui alimoniam conuertere. Maximè cùm in anaſarca, tanta ac in aliis ſpeciebus, non adſit virium debilitas,& humor ſit in venis, vel circa ipſas; quo pacto faciliùs venæ ſectionis vi educi poteſt.

Galenus longa experientia, rationéque nixus, in anaſarca ſanguinem eſſe mittendum ſibi perſuaſit. Ego illius veſtigia ſequutus, ratione, longóque artis vſu munitus, quibus ſolùm confidit tantoperè ille in arte noſtra, 6.*epidem. ſect.* 8. *com. vlt.* in aſcite, & tympanite, aliquando ſanguinem mitti poſſe, conſtanter affirmo. Adeſt Hipp. *cit. lib.*4.*de rat. vict.* qui in tympanite ſanguinem emittit. At cùm auctor iſte dicat (*ſi ætas vigeat, & robur adſit :*) & Galenus hæc duo cum morbo magno, ſtatuat ſanguinis mittendi ſcopos, non poſſum non ſubſcribere huic ſententiæ Hippocraticæ, in hydrope ex flatibus, hoc eſt, tympanite, ſanguinem mittendum imperanti: niſi obiiciatur hydropem morbum magnum non eſſe, quod falſum eſt; nam hydrops morbus eſt vehemens & periculoſus, quoniam partem principem affligit & labefactat: quidquid de magnitudine requiſita ad venæ ſectionem contentiosè digladientur inter ſe Argenterius *lib.de morb. diſ.c.*7. Augenius *lib.*3.*de ven.ſect.cap.*2.3.*&* 4.Chriſtoph. à Vega *lib.*2.*art.medic. ſect.*5.*c.*2.*in init.* Maſſaria, Moxius, & alij.

Auicenna deinde in aſcite venam ſecandam præcipit; 14.3.*tract.*3.*c.*13. dum ſic inquit. *Phlebotomiam verò oporret vt deuitet omnis hydropiſim habens, quantum poteſt, niſi illi qui patiuntur hydropiſim ex retentione ſanguinis, &c.* Ex quibus verbis vnum conficio argumentum. In anaſarca orta ex vacuatione ſuppreſſa Galenus, & Auic. *in cit loc. cap.*12. ſanguinem imperant emittendum, ne præ copia retenti ſanguinis calor ſuffocetur. Sed omnis hydrops à retenta vacuatione oriri poteſt; vt tenet Auicen. Ergo in omni hydropis ſpecie interdum poteſt ſanguis emitti. Hanc vacuationem, vel etiam in tympanite concedit Auicen. *loc. cit. cap.*15. *de cura hydropiſis tympanitis.* §. *Et phlebotomia quidem non ingreditur in hoc capite,niſi rarò,&c.* Ergo aliquando celebrari poteſt. Licèt enim nutrientium viſcerum robur exhauriat, & ſanguine, nectare partium viuifico, vacuato impensè debilitet, tamen maius damnum minori noxa eſt redimendum; nam hoc aliis omnibus frigidis affectibus commune eſt, in iis tamen ob multas cauſas ſanguis emittitur. Sic Auicenn.4.1. *cap.* 20. *in fin. in hydropiſi ſecat venam in parte dextra ſupra hepar.*

Deinde. Hydrops tympanias ex flatu multo in abdominis capacitate concluſo ortum ducit, qui ex imbecilla coctione, cruditate, & minuto natiuo calore genitus, in abdominis membranas magnis torminibus ſeſe infert. Sed in multis morbis qui à flatulento ſpiritu oriuntur, venæ ſectio commodiſſimè exercetur.Ergo etiam in tympanite aliquando celebranda. Notum autem eſt apud Galenum *lib.*14.*meth.cap.*7. in priapiſmo, quando cauernoſus neruus, qui propriam colis ſubſtantiam conſtituit, halituoſo ſpiritu impletur,humore ſubfrigido, glutinoſo, ab igneo & aucto calore in halitus craſſos diſſoluto, vtilem & neceſſariam eſſe phlebotomiam, ad exuperantem calorem attemperandum, quam cæteri deinceps commendarunt. Dices, in hydrope læſam eſſe partem præſtantem,nempè hepar. At cùm in palpitatione,quæ omnis à flatu originem ducit, ex Gal. 3.*de ſympt.cauſ.cap.*2. ſanguinem emittat, *lib.*5.*de loc.cap.*5.in qua cor patitur, huic reſponſioni aquieſcere non poſſum. Nonne in flatuoſa vocata melancholia, in qua incluſus flatus in ventriculo, venis meſaraïcis, pyloro negotium faceſſit, ſanguinem emittit libentiſſimè Gal. *lib.*3.*de loc. cap.*7. vt igneus aduréntque calor, & à ſua mediocritate, & naturali temperie deflectens miteſcat, & temperetur? Cur ergo ſi hæc vera ſunt, in cæteris hydropis ſpeciebus, anaſarca excepta, tantoperè à venæ ſectione abſtinebimus? maximè cùm tympanites, & aſcites poſt ardentes, acutáſque
B ſequantur febres,vt Gal. eſt auctor *lib.*6.*de loc.cap.*1. Cùm enim non quicumque calor, ſit naturæ operantis inſtrumentum, ſed qui proportionatus eſt, & commenſuratus, ſi calor noſter præ febrili calore efferueſcat & ebulliat, tum minuitur, quia à natiua temperie exorbitat, tum flatus generat,& ſit tympanites: quo caſu venæ ſectio vtilis eſſe poteſt ad ventilandum.

Inſuper. Quis negabit,in aſcite adeſſe obſtructiones, quarum occaſione non tranſpirat iecur. Sed denegato, ob impeditum tranſitum ſanguin is & ſpiritus ad membra, refrigerio, gliſcit & exardeſcit; & hectica intemperie laborat. Sic iecore grauiter affecto,& nimio calore æſtuante,ſanguis aduritur, & caloris natiui ſubſtantia diſſipatur ac reſoluitur, quibus omnibus innati caloris vires infirmantur. Et multoties renes calida intemperie affecti cauſa ſunt, vt vel oriatur, vel ſemel ortus increſcat denuò, &
C exacerbetur hic affectus: quum enim ſunt imbecilles, & ſanguinis aquoſitatem, vt decet, non attrahunt, ſit vt per genus venoſum vagetur adeò copioſa aquæ vbertas, vt vel calor ſuffocetur, vel ſi natura potens ſit, per dicta loca ad ventrem aquam protrudat. Quod ergo præſidium præſtantius venæ ſectione excogitari poteſt,quum viſcera interna exardeſcunt? Sic Lupeus grauiſſimus auctor, qui omnia opera Galeni ſuccinctis annotationibus exornauit, *in com.*89.*lib.*4.*de rat.vict.* in aſcite,& tympanite,quando ex hepatis æſtu & inflammatione, hoc eſt phlogoſi, & ardore interno oritur hoc malum, ex ſaluatellis ſanguinem emittere, ad remittendum iecoris feruorem, conſultiſſimum auxilium indicauit. Firmat Petrus de Peramato *lib.*2.*de vacuand.rat.c.*29. & non ſiluit expertiſſimus Mer-
D catus *lib.de morb.intern. cap.*6.*de aſcitis curatione.* §.*Poſtbabita ſanguinis detractione, quæ in aſcite nulla lege exercenda venit, niſi iecore euidenter inflammato, idque parcè, & cautè, &c.* nam, vt eruditè notauit Iacotius *lib.* 6. *in Coac. Hipp. ſect.*2.*in com.ſent.*18.*inchoata caloris extinctione,venæ ſectione iuuatur per initia morbi, quando per ſuffocationem accidit, vt in initio hydropis à ſuppreſſione hæmorrhoïdum, menſium, aut ſolennis vacuationis.* Probat in hoc affectu phlebotomiam Ioannes Marquardus *lib.*3.*praxis, cap.*11.

Denique. Si Galenus *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap.* 12. in crudorum ſuccorum copia ſanguinem mittit, venæque ſectionem iterandam, vel etiam bis eodem die conſuluit, adhibitis priùs incidentibus, ſubtiliantibus, & calefacientibus auxiliis, vt craſſus, glutinoſúſque ſanguis extenuatus faciliùs poſſit vacuari: cur in aſcite, in quo pituitoſus humor exuperat, ſanguis non emittetur?
E Maximè ſi pituitoſa plenitudo non eſt valdè remota à ſanguinis natura, ſed exactè, aut mediocriter cum eo permixta,quo caſu phlebotomia admittitur ab ipſo *lib.* 4. *de ſanit.tuend.cap.*4.

Obiicies,& meritò ſanè,non poſſe fieri, vt hoc morbo laborantibus virium robur adeſſe poſſit, cùm in tanta crudorum ſuccorum copia vires conſtare nequeant, ex Gal.*lib.de curand.rat.per ſang.miſ.cap.*9.quare illud videtur fruſtrà ab Hippocrate præſcriptum. Hoc equidem puto, morbo quidem valdè progreſſo, ſed in incipiente non puto defuturas vires, ſaltem pro exigua aut mediocri venæ ſectione: præſertim cùm malum nó ingruerit paulatim intemperatis partibus, ſed affatim, ſuffocari incipiente calore à ſuppreſſis menſibus, recentis hæmorrhoïdibus,

euacuatione aliqua conſueta,aut intermiſſa exercitatione; quo ſanè caſu miſſio ſanguinis neceſſariò experitur. Licèt enim frigidus ſit affectus,& in hoc nullus ſanguinem mittere auſus ſit, quoniam calefacientia deſiderat, ex Galen. *lib.de rigore cap.5.* tamen quoniàm copiæ detractio naturam leuat, vt hæc minorem illam affectam facilè ſuperet, conſentaneum eſt parcam ſanguinis miſſionem tempeſtiuè exercere.

Neque Galeni loca contrarium ſuadent: Anaſarca enim cùm incipit, ſolum indiget venæ ſectione, ſubintelligens,in hac hydropis ſpecie, & audaciùs & copioſiùs quàm in aliis eſſe venam ſecandam. Nullum verò aſcitem,& tympanitem ſanare auſum fuiſſe per venæ ſectionem, intellige, per ſolam venæ ſectionem; nam hydrops ſolo hoc auxilio non curatur, quoniam expurgantia deſiderat, & deobſtruentia. Phraſis eſt hæc vſitata Galeno. Sic enim loquitur,*in lib.11.meth. cap.14.* neque putredo, neque obſtructio ſanguinis miſſione curatur,hoc eſt,non ſola;quoniam vacuantia,& abſtergentia expoſtulant: aliàs enim euidens eſſet contradictio, cùm *lib.8. meth.cap.4.* & *lib.11.eiuſdem cap.4.* libentiſſimè in febre orta ex obſtructione putredine,ſanguinem emittat. At ſi dicas Galenum ex aliorum mente loquutum, totam auferes controuerſiam;quod patet per verbum (*nullus.*) Neque obſtat,quòd aſcites ſuperueniat vtplurimùm morbis longis, & humor in hoc affectu redundans non ita ſit aptus vacuationi, quoniam extra vaſa conſiſtit: Si tamen in initio accidat, vbi facultates non adeò languent, ex Gal. *12.meth.cap.2.* non dubito, quin hoc tempore celebrata valdè ſit profutura:humor enim extra vaſa receptus,iterum vacuationis viad ea remeare poteſt: retroceſſum enim humoris eſſe poſſibilem, in variolis, & morbillis palam fit, in quibus repentè aëris accurſu humor occultatur,& retrocedit, ſæpè febres malignas accendens. Probat Gal. *lib.4. de ſanit. tuend.cap.1.§. Dum aliquid eorum qui ſunt in corpore humorum remigret ad venas, &c.* Aliquando ergo in omni hydropis ſpecie ſanguinis miſſio celebrari debet.

HISTOR. CXIX. RHASIS, *De hydrope.*

Hydrops ex frigidæ potu ſubortus, medicamento diacucurma dicto, perſanatur.

*V*Idi quendam cum exercitio in æſtate vſque ad meridiem cum abundanti ſudore, & nocebat ei. Deinde ſurgendo ſumpſit in potu de aqua frigida ſubitò ſuperabundanter pluries. Sed hoc vtendo per triduum, paſſus eſt hydropem carnoſum,& curatus eſt cum diacurcuma maiore,& conualuit, &c. *Rhaſis,* lib.1. continent: tract.19. cap.1.

PARAPHRASIS.

EX intempeſtiuo frigidæ potu, præſertim poſt laborem, aut validum exercitium, non ſolùm grauiſſimos morbos, verùm etiam mortem contingere, *ſuprà in com. hiſtor.89.* ex auctorum mente prædiximus. Cùm enim nimis excalfacto corpore ſanguis fluxilis fiat,hic impetuosè agitatus, frigidam qualitatem ſibi aduerſantem fugit, & remeans ad cor, tanquam ad arcem, calorem ipſius ſuffocat & extinguit: qui ſi apertis ob laboris vim poris,ad externas expandatur coporis partes, & puſillus in viſceribus remaneat, occurrentique frigiditati minimè reſiſtere queat, ab illa ſuperatur, & perit; aut ſaltem frigore viſcera interna penetrante, caloriſque motum vi ſua impediente ad membra, hæc mortificat, & ſic in periculoſiſſimos morbos ex refrigeratione contractos incidunt mortales; præſertim ſi gelida ab exudantibus hauriatur, vt aduertit Celſus *lib.1.cap.3.*& notauit Dioſcorides *lib.6.cap.33.* qui frigidam abundè epotam,aut merum liberaliùs ſumptùm, poſt balneum, curſum, aut vehementem exercitationem, dolores & ſtrangulatus inferre

A affirmat. Et Galenus *in comment. de ſalubri diæta, num.12.* gelidam poſt exercitium ſumptam, niſi calida ſuperbibita, noxa non vacare ait. firmat Auic.*lib.de remouend.nocument. in regimine ſanitatis,tract.3.cap.99.&* 15.& *2.part.canticor. num.31.*

Ratio eſt in promptu: nam frigidum nimium lædit corpora noſtra,ex Hippocr.*lib.5.aph.24.*quoniam calorem vehementer debilitat, quum illi ſit aduerſum, ex Auic. *3.1.doct. 2. cap.8. & 1.1. doct. 6. cap.3.* & nulli functioni ſit ex vſu, *3. de ſympt. cauſ.2.* immò facultates eneruat, coctionem vitiat, cruditatem generat, ex Auerrhoë *3. collig.22.* Qua de cauſa frigidæ potus frigidos morbos generat, ex Galen.*2.de diſ.morbor.cap.3.& 3.de temperament. cap.3.*

Hinc factum eſt, vt ex frigido potus vſu hepate refri-
B gerato,æger hic in hydropem inciderit,ex qua cauſa hunc affectum interdum originem ducere, à Galen. proditum eſt *lib.5.de loc.cap.3.& lib.6.de loc.cap.1.* Auic.14.3.*tract.4. cap. 8.* Hunc ergo poſt exercitium factum in æſtate, ſæuiente Solis feruore, copiosè ſudantem, valdè ex gelidæ potu læſum fuiſſe, non eſt dubitandum; ſicque officinis coctionis vehementer refrigeratis, viribúſque proſtratis, alimentum ſumptum neque concoquitur, neque digeritur,neque in ſanguinem permutatur,ſed crudum remanet, & ſic ab humore pituitoſo per carnem ſubeunte, & iuxta carnem ſparſo & collecto,ſit hydrops,quem Medici communi appellatione carnoſum,anaſarcam,hypoſarcam, aut hypoſarcidium appellare conſueuerunt; quas omnes ſpecies leucophlegmatiæ nomine complexus eſt Hippocrates *lib.7. aph.29.* dicens. *Si leucophlegmatiâ detento fortis*
C *diarrhœa ſuperueniat, morbum ſoluit.* Hoc enim hydropis genus à pituitoſo humore, in vaſis,& in ambitu corporis collecto, illúcque à iecore refrigerato, genito & tranſmiſſo oriri, teſtantur omnes.

Cùm ergo hac de cauſa, vel eiſdem partibus corporis, & totius carnis vehementer infrigidatis, & in hanc ſubſtantiam ob habitualem intemperiem alimentum commutantibus, oriatur hoc malum, idcirco calefacientia, & roborantia conſuluit, inter quæ primum locum obtinet Diacurcuma magna. Hoc enim electuarium, ventriculi, iecoris; lienis, morbos frigidos contumaces ſanat, hydropem, & cachexiam curat, fœdum corporis colorem emendat, & prouocat vrinam, ſi Meſuæo huius confectionis auctori fides eſt adhibenda. Alia vocatur minor, ad eoſdem affectus imbecilliùs agens, cuius deſcriptionem proponunt Serapio *tract.7.cap.8.*Nicolaus Alexand.*c.221.*
D Cordus, Myrepſus, & alij.

Sed miraberis, cur hic conualuerit, ſi hydrops anaſarca cùm aggreditur,hominem interficit,ex Hippoc. *lib.4.acut. text.111.*Anaſarca à principiis internis orta,vt hepatis inflammatione,ſcirrho,alióve lienis,aut viſcerum affectu interno, grauis eſt affectus, ferè lethalis. Aliter accidit, ſi à cauſa externa concitetur,neque confirmata ſit,nam in hac, cùm non ſit facta,viſcera ſana ſunt, hecticáque intemperie non laborant. In recenti verò è frigido potu ſuborta, corrigenda eſt intemperies frigida, hepar roborandum, calefaciendum. Hæc eſt cauſa cur in tam graui morbo expurgãtia non cóſuluerit,quia apparatus morboſus in corpore nó præerat. Adde quòd Diacurcuma aliqualiter prouocat aluum,Rhab.Eupatorij,& mellis vi;& vrinam mouet,quæ vacuationes in hoc morbo tantoperè expetuntur.
E Optimum ergo eſt ſemper, partes internas roborare, nam hepar eſt infrigidatum valdè, & cùm non præparet benè ſanguinem, neque ſeparet aquoſitatem, hæc retenta in meſaraïcis; hydropem carnoſum gignit, vt Auicen. firmat, 14.3.*tract.3. cap.1.§. Et omne apoſtema accidens in hepate, calidum, vel frigidum, per hoc quod oppilat,& non relinquit in corpore niſi ſanguinem aquoſum,& cum hoc debilitatur hepar in ſeparando aquoſitatem, & cum hoc retinetur plurimum aquoſitatis in meſaraïcis, & iſtæ ſunt cauſæ hydropiſis carnoſæ,&c.*

Hanc ſpeciem hydropis, plurimi cæteris ſpeciebus deteriorem,& periculoſiorem cenſent, cum Hipp. *lib.4.acut. text.111.*quoniam ſi fieri aggreditur,vitari non poteſt, ab ipſo enim pauci liberantur; idque Dei potiùs,quàm artis

auxilio: nam viſcera mutata ſunt, vt tenent Amat. *lib.*1. *cent.*30. Chriſtophor. à Vega *lib.*3.*art.medic. ſect.*8. *cap.*10. Vidus Vidius *lib.*10.*de curat.membrat. cap.*5. & alij. Quidam tympanitem maligniorem eſſe ſibi perſuadent, vt Altimarus *lib.de curand.human. corporis malis, cap.*91. Valleſius *lib.*8.*cont.cap.*10. Mercat. *lib.*4.*de morb. intern. cap.*6. Pereda *in com.cap.*44.*lib.*1.*Paſchal.* At ſi res accuratiùs expendatur; aſcitem cæteris eſſe periculoſiorem inueniemus, vt rati ſunt Coſtæus *in com.cap.*4. *Auic. in fen.*14.3. *tract.*3. Petrus Vaëzius *in com. Medico,cap.*19.& alij. Nam præterquam quòd Auic. 14.3.*tract.*4.*cap.*4.& Rhaſius *lib. diuiſionum, cap.*65. aſcitem, & periculoſiorem, & curatu difficiliorem eſſe opinantur; in aſcite adſunt inflammationes, malignæ febres, magis ſcirrhoſæ obſtructiones, ſitis, inexhauſta, ingẽtes dolores, quæ omnia innatum calorem diſſipant, ſpiritus reſoluunt, iecur ad ſummum languorem, & debilitatem deducunt. Accedit, quòd aſcites à vehementiori frigiditate oriatur, ex mente Gal.4.*aph.*11. cum maior intenſiórque iecoris illa intemperies cenſenda ſit, quæ ex chylo aquam, quàm quæ aquoſum ſanguinem, aut flatum generat. Anaſarcam facilioris eſſe curationis, & minùs periculoſam acriter contendit Iacchinus *in almanſ. cap.*52. & proprio experimento hoc ita eſſe confirmat; nam cauſa minùs eſt rebellis, nam proximè hi ad ſanguificationem accedunt, & adhuc minor debilitas eſt; quæ vertit nutrimentum in pituitam crudam, quod in hac hydropis ſpecie contingit. Hip. verò, cuius auctoritate valdè nititur Amatus, noſtræ non opponitur ſententiæ; nam ex Galeno *in com.* deprauatè legitur, *Anaſarca cum aggreditur, protinus interficit*, cùm legi potiùs debeat, non *cùm aggreditur*, ſed *cùm omino facta eſt*, vt etiam *in comement.* Heurnius, neruoſus ſanè Hippocrat. interpres annotauit: quo quidem modo quælibet hydropis ſpecies, protinus lethalis eſt cenſenda. Negandum verò flatibus diſcutiendis nulla præſidia inueniri; ea ſunt carminantia, & reſoluentia, quæ curata priùs habituali intemperie à qua generantur, multo poſſunt eſſe vſu. Neque flatum diſcutientia, cum quibus curatur hydrops, calida cum ſint, de nouo flatum generant, ſed potiùs abſumunt, vt rebantur qui tympanitem eſſe periculoſiorem arbitrantur: nam ſi hoc accidat, id ad partis hecticam debilitatem de nouo flatus generantem, reiiciendum puto.

Porrò quo pacto hydropicorum aqua inter peritoneum & omentum colligatur, plurimi hæſitant, quum nulla ſenſibilis pateat via, per quam tanta ſeri quantitas eò ferri poſſit. Fernelius *lib.*6.*pathol. cap.*8. turpiter illos hallucinari putat, qui iudicant, per anguſtos, cæcóſque poros ſeroſum humorem à iecore transferri in capacitatem abdominis, cùm ipſe *lib.*5.*cap.*11. fateatur, in hydrope aſcite ex abdominis cauitate ſeroſum humorem per cæcos ductus, ad thoracis cauitatem penetrare, hydropémque pulmonis efficere. Qui auctor quàm fœdè lapſus ſit, oſtendunt Mercurialis *lib.*3.*praaxis.cap.*24. Marcellus Donatus *lib.*4.*de hiſt.mirabili.* Caſtrenſis *lib.*4. *de meteor. microcoſmi. cap.*12. qui eius argumenta eruditiſſimè confutarunt. Num autem detur hydrops, iecore ſaluo, diſputarunt Salius *de affectib.particularib.c.*9. Mercat. *loc.cit.* Gregorius Horſtius *lib.*7,*de hiſtor.mirabil.cap.*7. & alij præſtantes viri non ſiluere.

HISTOR. CXX. RHASII, De hydrope.

Hydrops, laureolæ vi, perſanatur.

Ego quoque curaui quendam ſenem hybropicum, de quo nunquam cogitaui quòd conualeſceret, in quo non erat caliditas, & dando ei de laureola in potu, ceſſauit inde per dies. Deinde reuertendo, dedi ſibi de laureola ſecunda vice, & conualuit. Sed loculus teſticulorum repletus erat aqua, vltra quàm exiſtimari poterat, &c. Rhaſius lib. 1. continent. tract. 19. cap. 1.

PARAPHRASIS.

Inter præſtantiſſima medicamenta hydropicis valdè conſentanea, primum locum obtinere laureolam, à Medicis eſt exaratum. Hanc menſes, & vrinam potenter ciere, firmat Dioſcorides *lib.*4.*cap.*144. quæ ab illo Daphnoïdes vocatur; & de ea ſub eodem titulo agit *lib.* 6. *de ſimpl.medic.facult.* Galenus, & Paul. *lib.*7.*tit.de daphne herba*, ſic ait. *Laureola, quæ daphnoïdes Græcè nuncupatur, eiuſdem facultatis eſt cum daphne herba, nam calida, acris, & ſubamara eſt; idcircò menſes, & vrinas mouet.* Huius hiſtoriam explicuit Ruellius *lib.*3.*de natur. ſtirp.cap.*137. Cuius folia, linguam ad fauces feruido quodam ſapore erodunt, vrúntve Quapropter cautè propinandum medicamentum, hoc cuius ſolum decoctum, aut puluis in iure auis exhiberi poſſunt. Si enim omnibus aſſumendum conſulas, timor eſt ne nimiùm inflammes. Imperandum ergo eſt, ſi æger ſit ſenex, frigidi temperamenti, nulla omnino adſit febris, & in caſu veluti deſperato, quoniam validiſſimum medicamen eſt, & pituitoſum humorem potentiſſimè expurgat, vt ex mente Theophraſti *in com. Dioſcoridis*, Marcellus Virgilius ſatis confirmat.

Quantum oporteat Medicos de virium robore eſſe ſollicitos, ne vacuato ſemel humore, intemperie adhuc permanente, iterum regenerato eo, denuò malum exaſperetur, hoc exemplo ſatis patere arbitror: cùm enim hic laureolæ vi nimis eſſet ab aquoſis humoribus expurgatus, ob hanc cauſam iterum, relicta intemperie, lapſus eſt in morbum: pro cuius extirpatione neceſſe fuit iterum ad laureolæ vſum accedere. Conſtabat autem hepar eſſe debile, ex tumore ſcroti aquoſo humore referti; eſt enim ſcrotum, ſacculus, burſa, ſeu teſtium vaſculum, cuius cutis rugoſa eſt admodum, & tenuis, ex cuticula & cute conflata; cuius hiſtoriam eleganter deſcribit Veſal. *lib.*5.*ſab.*13.

Hæc ergo pars ſi aquoſo humore infarciatur, propullulat tumor ille, quem Medici communi vocabulo ramicem, ſeu herniam aquoſam vocare conſueuerunt; quod vitium ex frigido iecoris intemperamento originem ducere, nulli eſt non manifeſtum: ab hac enim cauſa, aquoſus crudúſque ſanguis progenitus, promptiùs quàm ad alia loca decumbit, quoniam locus hic ſuſcipiendis excrementis amplam habet capacitatem. Deinde quoniam eſt poſitus inter anum, & virgam, hoc eſt in ipſo ſordium confluxu. Eſt in decliui parte poſitus, ad quam ſuopte pondere, & impetu aquoſus humor vergere ſolet. Eſt inſuper pars longè diſtans à fonte caloris.

Tumor hic facilè cognoſcitur. Nam preſſis digitis caro flaccida molleſcit, & remanet fouea, venæ in ſcroto inflantur, ſplendet tumor cum luciditate, ac ſi per vitrum, aut cornu inſpiciatur, candela ex oppoſita parte admota, abeſt dolor, non ſubitò, ſed ſucceſſiuè excitatur. Huius cauſa occulta eſt, è repletis vaſis aquoſa humiditate. Sed vniuerſalis cauſa eſt vitiũ hepatis, vel lienis, cuius ratione colligitur liquor in hypochondriis, qui facilè deſcendit ob cauſas dictas, vt aſſerunt Auicenna 22.3.*tract.*1.*cap.*1.& Celſus *lib.*6.*c.*18. Paul. *lib.*3.*cap.*53. diligenter annotarunt.

Curatio huius tumoris à ſuperioribus partibus debilibus dependet: hæ roborandæ, vitium hepatis, & lienis corrigendum; ſudorifica exhibenda, quæ aquoſum humorem abſumant, & vnà imbecilles partes robuſtiores efficiãt: in quem vſum plura à Medicis parantur auxilia; at ſunt ſaluberrima, balnea naturalia, & ligni ſancti, ſeu ſmilacis decoctum eſt præſtãtiſſimum. Topica ſint, quæ impactam in teſtibus aquam euacuent. Plures repellentia, vt retrocedat humor conſulunt apponenda. Alij per patientem partem eum educunt digerentibus, quæ cùm ſint calida & ſicca humorem aquoſum abſumunt. In hunc vſum parãtur vnguenta, emplaſtra, & fotus. Quidã poſt reſoluentia, vtũtur ſcarificatione, aut vſtione. Inuritur locus vbi aqua eſt. Prohibetur rurſus, ne deinde colligatur, impoſito medicamẽto ſiccante vehemẽter, ex pice, ammoniaco, alumine liquido cũ cera. Celſus in pueris apertionẽ in inguine exoptat, *loc. nuper cit.* ac ſurſũ pellit aquã: in adultis in imo ſcroto, & ſic, educit aquã, facta priùs lotione ex aqua ſalita, aut nitroſa. Gal. *l.*14.*meth.c.*13. diutiùs retinet apertã partem affectam

immiſſa

annmiſſa cannula, ſeu Siphone argenteo, aut plumbeo. Guido *cit. loco* ſectione emittit, & diu detinet. Sed quomodo debeat curari hernia carnoſa, allatis in medium veterum ſententiis diximus *lib. 2. de praxi medica admiranda, obſeruat.* 84.

Quoniam verò ex iecoris proprio vitio, diminutè ſanguinem conficiente, & eum ad ſcrotum emittente, oriebatur hoc vitium, in hoc ægro ſatis fuit crudum ſanguinem laureolæ vi vacuare; quo excreto cùm pars non reciperet ampliùs, infixus in ea humor cùm cauſam fouentem non haberet, ſponte ſua facilè eſt diſcuſſus, aut completa coctione, aut coadiuuante calore lecti: quod in conualeſcentibus quotidie obſeruamus, in quibus natiuus calor ex prægreſſo morbo in ventriculo, & hepate languet valdè, & tantùm conficere nequit, quantùm ægri appetunt; quo fit, vt cùm alimentum coquere non poſſint, cruda, craſsáque excrementa congerantur, quæ puſillum calorem opprimendo, ipſum adeò debilitant, vt pro inculpato ſanguine aquoſus gignatur, qui in ſcrotum confluens, id in tumorem eleuat, hydropémque antecedit, aut ſubſequitur; quoniam ſanguis hic crudior cùm non poſſit partibus aſſimilari, tanquam oneroſus ad eam partem detruditur: qui ſi euaneſcit, iterum à partibus intemperatis progenitus, ad eandem debilem delabitur. Tantus eſt huius partis cum ſuperioribus conſenſus!

Si his præſidiis contumax, & importunum malum non cedat, habitualiſque adſit partium ſuperiorum frigida intemperies, quæ corrigi nequeat, tunc in cruribus fontanellas aperire oportet, vt expirent viſcera interna, & humores per eas vacuentur, qui ad ſcrotum ſuaptè vi confluere ſolebant. Huius præſidij pro curatione, & præſeruatione hydropis vis eſt mirabilis. Eam deſcribit Hipp. *lib. de internis affectionibus, num.* 28. quo loco infligit vulnera ſcroto, tibiis, femoribus, quibus factis ægrum ſanandum citò ſperat, edoctus ab ipſa natura, quæ vtitur hoc auxilio, excitatis vlceribus in cruribus. At præſertim habet locum hoc auxilium in Anaſarca, qui affectus ex tertiæ regionis vitio concitatur, quo fit vt affixis vtrique cruri fontanellis, facilè ad crura confluat, quod in partibus carnoſis, totóque corporis ambitu continetur. Idem etiam beneficium præſtant in aſcite; nam quod intra omentum, & peritonæum recipitur; & ex partium imbecillitate regeneratur, per occultas vias ad crura vlcerata delabitur. Caue tamen ne eas candenti ferramento aperias, quoniam ignis ſiccat, laxam partem roborat, ne vltrà permeet. Ruptoria præter incertitudinem quantitatis ruptionis, ſummè partem debilitant. Qua de cauſa plurima, eáque irreparabilia damna, partis nempè mortificatio, & gangræna ſubſequuntur.

Obſeruatio XXI.

Pro hydrope curando, fontanellæ mirabiles.

INuiſebamus plures Medici illuſtrem matronam, quæ ex retenta menſtrua purgatione in aſcitem inciderat. Huic biennio laboranti infinita propemodum auxilia fuere, quæ frigidam hepatis intemperiem corrigerent, obſtructiones auferrent, menſtrua prouocarent, vrinam & ſudorem mouerent. At cùm ex habituali partium debilitate humor aquoſus de nouo accreſceret magis, poſt ſudorifica ex ebeno auxilia, chalybeata medicamenta, & balnea naturalia, ad fontanellas in cruribus apertas acceſſit cum vtilitate ſumma: cùm enim per hos fontes trium menſium ſpatio ſeroſus humor in magna copia emanaret, detumuit venter, ſitis quæ anteà vexabat clamoſa, eſt minuta, & tandem parco chalybeati vini potu vſa, lymphathi cum aqua decocta eupatorio, & rhabarbaro, & à morbo euaſit.

Obſeruatio XXII.

Ambuena, medicamentum exoticum, curando hydropi valdè ſalutare.

ACceſſi ad curandum Tympaniticum, in quo varia tentans auxilia, operam & oleum perdidi. Ille miſerrimè morbo oppreſſus, ſpreta Medicorum ope à vulgaribus præſidia quærit. Ecce eum inuiſit amicus, qui in India Orientali militans per multos annos ſtipendium fecerat, allatóque remedio ſalutem integram illi pollicetur, cuius beneficio plurimos hoc morbo detentos, nullis proficientibus, ad plenum fuiſſe reſtitutos fide inculcat. Naſcitur in India Orientali, in Molucenſi regno, in aſperis montium iugis, in Inſula quadam nuncupata *Buena*, quæ fortiſſimo caſtello munita eſt, quod vocatur *Am* patria lingua, radix quædam, ob id appellata *Ambuena*, quæ eundem habet generationis modum ac Zingiber, & huic, colore, ſapore, & odore ſimilis eſt: nam colore eſt alba, odore acuta, ſed ſapore ita eſt acris ac feruida, vt dentibus comminuta gingiuas inflammet] cauſtici inſtar, & ſi forte in puluerem redacta deglutiatur, fauces & pariſthmia, aſpredine, acrimonia, aut vrente vi exulceret. Hoc eſt propè diuinum ad morbos omnium partium frigidos præſidium, ſed præſertim hydropi tympaniti, aſciti, & anaſarcæ etiam medetur, ſed ita potenter, & cum felicitate tanta, vt eius ope obſeruato regimine, omnes propemodum conualeſcant. Hoc medicamentum roborat hepar, flatus diſſoluit, (eſt enim calidiſſimum) appetitum emortuum ſuſcitat, coctionem ventriculi iuuat, & ſic ad tympanitem eſt præſtantiſſimũ, & intemperamento frigido iecoris, & venarum mirè auxiliatur: mouet vrinam, valenter deobſtruit, fœdum vultus colorem corrigit atque emendat. Incolæ eo in puluerem redacto vtuntur, cum ſaccharo, & mero permixto. Exhibetur à granis decem vſque ad ſcrupulum. Aſſumitur viginti diebus continuis ieiuno ventriculo, vel per ſe, vel quod incolæ ignorant, cum aliis aromatis permixtum; Etiam radix hæc viridis, & ſuccoſa melle poteſt conditi. flaccido enim ventriculo mirificè auxiliatur. Hunc ordinem cùm obſeruaret æger noſter, ſenſim ac ſine ſenſu, vacuato flatu craſſo per vtramque regionem, detumuit venter, & omnibus ſymptomatibus lenitis ad priſtinam ſanitatem eſt redactus. Hoc proſpero euentu audacior factus, ex puluere electuarium parans cum medicamentis huic curando morbo proficuis conſtructum, miſcui Theriacam, ſpecies diacinnamomi, dialaccæ, diacucurmæ, aromatici, throchiſc. de eupator. de Rab. & ſic cum conſerua anthos, radicis enulæ, cum ſyrupo de eupatorio exceptis, parata eſt conſerua: ſed cum hoc obſeruato, vt ad ʒ. ij. reliquorum medicamentorum, adiiciantur Ambuenæ gr. x. & ita poſſunt cum ſaccharo tabellæ efformari. Hoc auxilio plures ad ſanitatem redacti, alij mirandum in modum adiuti. Sed caremus hoc pretioſo antidoto, quod in parciſſima copia ad nos adſportatur, adeò vt diligentiſſimi aromatum ſcrutatores, illius notitiam hactenus non habeant manifeſtam. Si Olyſippone, Londini, Amſtelodami, aut Venetiis inueneris, ad quos terrarum tractus naues onerariæ quotannis conueniunt: Vtere; nam magnum ægris ſolatium, & tibi non incelebrem gloriam comparabis. Ex cuius puluere cum ſaccharo poſſunt fieri tabellæ, pilulæ, boli. Et emplaſtris pulueres hi, & enematis flatus carminantibus poſſunt permiſceri: nam roborant naturales partes, & vrinam mouent.

HISTOR. CXXI. AETII, De hydrope.

Ex Orthopnœa, * Hydrops.

NOuimus etiam quoſdam, qui ex recta ſpiratione, quam orthopnœam vocant, in aquam intercutem ſunt deducti, &c. *Aëtius* tetrab. 3. ſerm. 2. cap. 20.

PARAPHRASIS.

TRiplicem eſſe ſpirandi difficultatis differentiam, dyſpnœam, aſthma, & orthopnœam, affirmant veterum peritiſſimi, & iuniores omnes, qui in harum cauſis, ſignîſque præſcribendis latiſſimè ſunt ſpatiati. Ex illis grauiſſimam eſſe orthopnœam, ex nominis etymologia conſtare poteſt; nam recta ſpiratio à Latinis dicitur, ab hoc ſymptoma nomen aſſumens; in hac enim ſpirandi difficultate iacentes ſuffocantur, & vix recto thorace ſufficiunt, nihil dilatato dorſo, vt *com.45. lib.2. prorrhet.* Galen. & Celſus *lib.4.cap.4.* Paul. *lib.3. cap.29.* cæterique medicinæ duces confirmarunt. Quare cùm ægri iacent, ſuffocari videntur; tunc namque totus thorax ſupra ſpinam ipſam concidit; quo fit vt arctior reddatur via ſpiritus: cùm verò ſe erigunt, extenſo thorace, ac collo, rectè arteriam ipſam aſperam dilatari contingit, vt *lib.4.de loc.cap.6.& lib.7. de com.medicam.ſec.loc.cap.6.* Galenus edocuit.

Morbus hic ſæuus eſt, contumax, diu premens & importunè; ægrum vehementiſſimis acceſſionibus, vigiliis, partium ſpiritalium oppreſſione, anguſtia nimia, & viriū proſtratione ſumma conficit, atque fatigat: cùm enim thoracis muſculi, lento, mucilaginosóque humore, à cerebro præſertim, partibúſque vicinis defluente infarciantur, ſpiritúſque viæ eo ſint oppletæ, ob anguſtiam hanc, denegato neceſſario refrigerio, vehemens accidit in corde, & pulmone æſtus. Horum omnium cauſa frequens, licèt ſit humorum copia, lentor, craſſities, ſæpè tamen eſt grando, lapis, tuberculum crudum, quæ obſtruendo ſpirandi difficultatem faciunt grauiorem.

Quando enim hic affectus, ex viſcido humore in muſculis thoracis impacto, & imbibito originem ducit, & diu durat, (multoties enim comitatur ad mortem, *2. aph. com. 46.*) præque ſui ſæuitie vires conterit, alios etiam grauiſſimos morbos accerſit: cùm enim ex præſcripto naturæ noctu dormiendum ſit, inter diu vigilandum, *lib. 2. prog.text.11.* vt ſic roboretur calor noſter, & hi vehementiſſimis acceſſionibus prehenſi, magnáque anguſtia oppreſſi, in horas ſuffocari videantur, tunc vigilare coguntur; & ſic conſumptis, & diſſipatis ſpiritibus, abſumptoque humido natiuo, refrigerantur viſcera interna, & coctionis officinæ debilitantur. Quare ventriculi calore diminuto, & ob improſperam deinde factam coctionem, hepate refrigerato, vis ſanguificationis intercidit, quum natura ob crebras acceſſiones labefactata ſanguinem probum non generet; ſed aquoſum, ſeroſum, & fluidum. Ipſa enim excernendis tenacibus humoribus protius intenta, hepar, ſanguificationis fontem, deſerit; vnde hydrops, quem ab orthopnœa originem poſſe ducere hoc modo, non ibo inficias. Impedietur autem hydropis generatio, ſi morbus prior curetur. Quibus autem præſidiis id perfici poſſit, explicarunt plures. Cum verò hydrops genitus eſt, tunc ipſe curetur, difficultate ſpirandi non neglecta; maximè cùm vterque affectus auxilia expoſtulet, abſtergentia, ſecantia, attenuantia, & incidentia.

Secundo modo explicari poteſt Aëtij ſententia, (*Ab orthopnœa, hydrops oriri poteſt.*) Cùm enim affectio illa ab imbecillitate capitis ortum ducat, quæ craſſos, glutinosóſque humores in muſculos thoracis, tanquam in debiliorem partem detrudens, orthopnœam generat: ſi in dies magis ac magis intemperies inualeſcat, pituitoſi humoris loco, aquoſus, ſeroſus, & ichoroſus gignetur, qui in abdominis capacitatem detruſus à natura per tranſmutationem hydropem committit. Neque dubitamus, ex humore actu faciente orthopnœam, tranſmutationis ratione, poſſe fieri hydropem: nam à ſuperioribus partibus noxij humores tranſlati, hydropem committunt, vt ex furore poſſe fieri aquam intercutem, concedit Hipp. *lib.7. aph.5.*

Galenus *lib.6. epid. ſect.6. com.8.* enarrans Hippocratis ſententiam: *pro quibus, qui morbi,* ſummoperè neceſſarium eſſe docet, inquirere morbos qui aliis ſuperuenire ſolent, an ſalubriter, vel perniciosè hoc contingat: nam ad partem prognoſticam, & curatoriam valdè conducit. Auicenna *2.1. doct.2.cap.8.* docet morbos interdum in alios mutari, vt prior non maneat, cùm vna ægritudo alterius eſt medicamentum. Sic quartana eſt remedium conuulſionis, paralyſis, Epilepſiæ, Varicum, ex Hippocrat. *5.aph. 70.& lib.1.epidem.ſect.3.text.4. & lib.6.eiuſd.ſect.6.text.6.* Sic febris remedium eſt conuulſionis, & paralyſis, ex Hippocrat. *lib.2. aph.26.* ſic febris curat raucedinem, & grauedinem, & ſuſpirium, ex Galen. *comment.in 6. epidem. ſect.6. text. 8.* ſic hæmorrhoïdes ſanat melancholiam, nephritidem, ex Hippocrat. *6. aph.11.* & leuant dolores ſciæ, renum, & vteri ex Auicenna *loc. cit.* Sic diarrhœa lienis pituitam ſanat, *6. aph.17.* ſic lienteria ſanat apoſtema lateris, ex Auic. *cit.* & Galen. *lib.6. aph.16.* ſic diarrhœam ſpontaneus vomitus ſoluit, ex Hippocrat. *lib.6 aph.15.* ſic ſingultu ſternutatio ſuperueniens liberat, ex Hippocr. *lib.2.aph.13.*

Aliæ ſunt ægritudines, quæ in alias mutantur ad peius: ſic pleuritis mutatur in peripneumoniam, & phrenitis in lethargum, ex Gal. *lib.6.epid.ſect.6.com.6.* Sic Orthopnœa in hydropem tranſmutari ſolet: quæ tranſmutatio reproba eſt, nam vires ex præcedente morbo valde ſunt deiectæ, qui tempore ſi periculoſus & grauis morbus adueniat, vires validas expoſtulans, eas iam proſtratas labefactat & extinguit. Quo tempore cùm ſoli hydropis curationi intentos nos eſſe oporteat, pro cuius medela vires valentes exoptamus ob multas cauſas, eæque langueant valdè; cur hic morbus orthopnœæ ſuperueniens, non erit amplius exitialis, quàm ſi ex ſua natura eueniret? difficulter, enim poteſt tunc æger laſſatus, vacuantia præſidia, & potus nimiam abſtinentiam tolerare, quæ quàm neceſſaria ſint in hydropis curatione, omnibus cumpertum eſſe reor. Sed quoniam de tranſmutatione morborum in alios, conſcripſit Caſtrenſis Luſitanus aureum opuſculum, vocatum, *Quæ ex quibus,* ad eius lectionem te remitto.

QVÆSTIO LVIII.

Quod in hydrope pulmonis, thoracis ſectio celebranda. Contra Petrum Salium, & Mercatum Medicos eximios.

COMMENTARIVM.

HYdrops.] Aëtij celebris auctoris ſententia, tertio modo venit interpretanda (*Ab orthopnœa, hydrops pulmonis ortum ducit.*) Cùm enim affectio illa ex capitis imbecillitate oriatur, quæ craſſos, & glutinoſos humores generans, eos in muſculos thoracis, tanquam in debiliorem partem detrudit, & orthopnœam concitat: ſi in dies, magis ac magis intemperie aucta, affectio inualeſcat, pituitoſi humoris loco, ſeroſum, aquoſum, & ichoroſum generari certum eſt, qui è cerebro per aſperam arteriam, & pulmones, tenuitate ſua affatim irruens, in thoracis capacitatem ſeſe inſinuans, hydropem pulmonis committit. Nam ſicut in imo ventre materia aquoſa collecta hydropem concitat; ſic intra thoracis cauitatem fluctuans facit affectum, quem pulmonis hydropem, ſeu hyderon primus omnium vocauit Hip. *lib.2.de morb. n.66. & lib.de intern. affect.num.26.* Sequuti ſunt Auic. *10.3. tract.4.cap. 15. de aggregatione aquæ in pulmone,* Fernel. *lib.5. patholog.cap.11.* Franciſcus Michinus *obſ.7.ad appendicem,* Fallop. *in com.l. Gal.de oſſib.* Coïter. *in obſ.anatom.& chirurg.* Salius *in com. Hip.lib.cit.de morb.* Iacotius *com.ad aph.4.ſect.2.l.6.Coacar. Hippocr.& com.1.ad aph.79.ſect.2. lib.5. Coacar. Hippocr.* Marcel.Donat. *lib.3.de hiſtor.mirabil.cap.9.* OEthæus *lib. de obſeruat.prop.* Qui in diſſectis corporibus, intra cauitatem thoracis, aquam in magna quantitate ſe inueniſſe gloriantur.

Hæc affectio præſertim apprehendit eos, quibus partes naturales frigidæ intemperie ſunt affectæ, obſtructionibus ſcatent, & ichoroſis humoribus redundant, qui ſi in pulmonē tranſmittantur, hunc morbum generant, quum thorax ob perpetuum motum facillimè fluxionem ſuſceptet.

Signa huius affectus latè proponit Hipp *loc.cit.* Ea ſunt, difficilis reſpiratio, pedum tumor, vnguium omnium contractio.

contractio. Aliqui etiam intumeſcunt ventre, ſcroto, ac facie. Oculi palpebra inferior inflatur. Grauatur thorax ob materiæ copiam. Sonitus in thorace percipitur ebullienti materiæ perſimilis. Extrinſecùs latus, acetum olet. Tuſſis ſicca continuò affligit: humor enim ad excretionem profitat, ſed quoniam tenuis eſt,& ab ſpiritu facilè diſruptus facultatis expellentis vim ſubterfugit, tuſſi foràs extrudi non poteſt,vt *lib. 4.de loc.cap.vlt.* & alibi Galenus admonuit.

Periculoſus eſt hic morbus, nam corpora in quibus prædicti gignuntur humores,languidum habent calorem innatum, facultates debiliſſimas, viſcera habituali intemperie affecta,ſcirrhoſa,& exeſa, caput imbecillimum, & fluxionibus valdè obnoxium. Et cùm patiantur cordis tremorem,animi deliquium;& reſpirationis difficultatem, in perpetua ſunt anguſtia. Hi licèt præſidiorum ope, à tanto malo videantur immunes,iterum progreſſu temporis (vt Hippocrates inquit) in eadem, deterioráque mala relabuntur. Quapropter vix curari, aut præſeruari poſſunt,quin in hydropem vniuerſalem; & tandem in mortem incurrant.

Curatio perficitur lentè,& paulatim;nam in tanta ſuccorum crudorum copia, innatique caloris penuria, per epicraſin eſt vacuandus humor. Viæ communes priùs expurgandæ. Fluidum faciendum corpus. Roborandæ internæ partes, vt alimentum ſibi commiſſum vertant in bonum ſuccum: néve præ debilitate oneroſum humorem in ſpiritales partes debiles tranſmittant, morbúmque hac ratione foueant. Caput cucuphis, & lotionibus roborandum, ne à partibus infernis, cum quibus maximum conſortium habet,fluxionem recipiat. Ventriculus firmandus vnguentis, emplaſtris, fotibus, ſacculis multiplici forma paratis. Iecur tutandum epithematis, & vigorantibus vnguentis. Demùm corpus præparandum eſt tabellis, electuariis, pulueribus, apozematis,quæ flatus diſcutiant,deobſtruant, vigorent, intemperiem frigidam corrigant atque emendent.

His celebratis, propinanda hydragoga eáque ſenſim, & ex interuallis exhibenda, ne partium vires flacceſcant. Inter hæc primum locum obtinent ſuccus radicis cucumeris agreſtis, ſambuci, aut ireos,correcta tamen, & permixta iis, quæ horum efficacem vim temperent ac demulceant, vt eſt rhodomel. Longè tamen ſecurior eſt aquarum expurgatio, quæ radice mechoacana perficitur, quippè quæ nec ventriculum, nec iecur lædit, ſed exigua aſtrictione firmat. Cauenda fortiora, vt tithymallus, & alia quæ cùm tenui,ignea, acri, & incidente vi conſtent, validam vim naturæ inferunt.

Cauteria in brachiis, & cruribus, tam ad curationem quàm ad præſeruationem optima ſunt, quibus humor continuò ex hectica partium intemperie regenitus vacuetur, vnáque à thorace reuellatur. In eundem vſum decoctum ligni ſancti vtiliſſimum eſt, quo, ægro ſtragulis benè cooperto, prouocare ſudorem ſummè præſtat. Semel aut bis in die, pro virium tenore ſudor prolicienedus. Hoc enim auxilium partes firmat, ſeroſos humores mirum in modum abſumit, per ambitum corporis liquatos detrudit,& corpus à flatuoſo ſpiritu repurgat;maximè ſi in decoctum ſoldanella, aut ebuli radices iniiciantur. Potus parciſſimus imperandus, paratur ex aqua, cinnamomo, aniſo, & ligno ſancto decocta. Merum bibant Victu vtantur exſiccante, qualis in hydrope commendari ſolet.

Hippocrates *loc.cit.de morbis:& de internis affectionibus,* poſtquam hunc morbum exactè deſcripſit, eiúſque ſigna accuratè expoſuit, nullum aliud præſidium præcipit, quàm ſectionem facere inter coſtas. Sic enim inquit. *Et quidam ab inferna aluo id eſſe putant, quam videant ventrem magnum, & pedes tumentes: intumeſcunt enim hac,ſi ſectionis tempus tranſgrediaris. Hunc ſiquidem ſi extrà intumuerit, intra coſtas, ſectum curare oportet. Si verò non intumuerit, multa calida lotum, velut ſuppuratos collocato, & qua parte ſtrepitum perceperis, ea ſecato quàm potes infimo loco, quò fluxio facilis contingat, &c.*

Sicuti enim ſuppurati, aut hydropici, non alio quàm

A ſectionis auxilio, educto pure, aut aqua ſanari ſolent, provt vbique ipſe prædixit: Sic hydrope pulmonis laborantes,non alio quàm eodem præſidio, vacuata aqua conſaneſcunt. Hoc iubet ſecare inter coſtas, velut in ſuppuratis exercendum monet *lib. 2. de morb. num.* 50. ſic enim inquit. *Secato autem inter coſtas per nouaculam primùm cutem,deinde ſcalpello acuto,quod panniculo ſit alligatum, ita vt ſumma ipſius pars ad vnguis magni digiti menſuram expedita reſtet, quam intromittas. Poſtea emiſſo pure,quantum viſum fuerit vulnus linamento ex ligno crudo, alligato foras propendente filo, concludito: & quotidie ſemel pus educito, &c.* Ex quibus mens Hippocratis facilè percipitur, in pulmonis hydrope ſectionem inter coſtas eſſe celebrandam, eo modo quo ipſe in ſuppuratis exercendam docet.

Petrus Salius Medicus inſignis, *libro de curatione morborum ab aliis practicis non exhibitorum, cap. 5. de hydrope*
B *pulmonis*, ſectionem thoracis,ab Hippocrate commendatam,non eſſe faciendam aſſeuerat, duabúſque rationibus ita inducitur opinari. Prima.Quoniam ſectio hæc euacuat ſolùm aquam, non verò roborat partes, ne in poſterum illam iterum regenerent.Secunda.Quia ſecuriùs & tutiore via,ſeroſi in cauitate thoracis fluctuantes humores hydragogis educi poſſunt. Adde citatos auctores,qui de hydrope pulmonis hiſtoriam pertexunt,hoc auxilium,vt inſi ugiferum tacuiſſe.

Ego autem ſum alterius ſententiæ,quam ratione,& experimento comprobabo. Si enim hic ſeroſi humores in cauitate thoracis impacti, neque diæta exſiccante abſumi,neque hydragogis,vacuari queant: cur ad ferrum, & ignem non accedamus, provt Hypocrates monuit? Se-
C cundò, hic affectus finitimus eſt ſuppurationi ex Fernel. *loco citato.* At in ſuppuratione, ſectionem, ſeu vſtionem commendat ipſe *loc.cit.& lib. 6. aph. text. 26.* cum Galeno. Cur ergo in hydrope pulmonis ſecuriſſimè non adminiſtrabitur? Experimentum illuſtrium Medicorum noſtram firmat poſitionem. Hollerius *com. ad aph. 14. lib. 6. aph.* in duobus hydropem pulmonis ſe vidiſſe refert, quorum vnus ſectus fuit, licèt obierit.Mors autem auxilium non condemnat: nam celebratis præſidiis opportunis ægri ſæpè occumbunt, quoniam *morbus vicit naturam: vbi autem hoc accidit, æger remedium non habet*,ex Hip.*lib. 4. acut. text. 22. Non* enim *oportet, vt omnes quos Medicus præ manibus habet,ſanos faciat*,ex Hip.*lib. 1. prog. text. 2.* ſed *ſufficit facere quod ratio, & experientia ſuadent*, ex Gal. *lib. 6. ſect. 8. com. vlt.*

Salij verò rationes non multùm vrgent. Verum quidem eſt, ſectione ſolùm vacuari aquam, non roborari viD ſcera: At ſatius eſt illam exhaurire, quàm ea relicta ægrum ſuffocari, & omni ſpe adempta certò perire: nam facto hoc emiſſario, de roborandis partibus poſſumus eſſe ſolliciti. Sic ſectio hydropicorum ab Hip. Gal. cæteriſque veteribus,& Iunioribus celebrantur in hydrope; cuius ope ſolùm vacuari aquam,non roborari hepar certum eſt, quum deinde cæteris præſidiis locus ſuperſit,quæ partes firmare nata ſunt. Quod verò addit,tutiùs ſeroſos humores hydragogis vacuari, licèt verum ſit, tamen cùm hæc non proſunt, alia etſi cum periculo tentanda, quum *melius ſit anceps remedium experiri, quàm nullum*, ex Celſo *lib. 2. cap. 10.* Addiderim, vacuantia ſæpiùs exhibita vires labefactare, & ſpiritalium partium robur diſſoluere; nam animi deliquium, & omnimodam pariunt virium iacturam, quæ etſi ſint correcta, ea ab omni labe, effrænique
E vi exui in totum nequeunt. Si verò Mercatus *lib. 2. de morb. intern. cap. 4. in fin.* iiſdem ferè rationibus, quas à Salio mutuatus eſt, eam reprobat, ſufficit quòd Hip. tantus auctor eam exercendam conſuluerit,quem fuiſſe Hippocratem Coum citati fatentur auctores, & ipſe Salius, qui hunc librum ingenuè, & eloquenter interpretatur. Audi Philippum Menxelium *in obſeruationibus ſuis, tit. de hydrope pulmonis*, qui hiſtoriam hanc deſcribens, ſic alloquitur *A medicamentis purgantibus plus viſus eſt lædi,quàm iuuari. Sectionem thoracis, in qua ſpes collocanda erat, magis ferè quàm mortem reformidabat,&c.*

Si verò cæteri auctores eam non appunxerunt, cauſa multiplex reddi poteſt: nam curantes non cognouerunt

morbum, ſed ſolùm poſteà in cadauere diſſecto aquam inuenientes in cauitate thoracis, hydropem pulmonis fuiſſe, quem anteà ignorarunt, falſi ſunt. Deinde quamuis hoc auxilium à rei natura deductum videatur, cum tamen plenum ſit difficultatis ac timoris, idcircò ferè ſemper anxiè expendendum, priùs quàm aggrediendum; niſi eò redacta res ſit, vt cæteris non conferentibus æger periculo extremo ſit expoſitus. Hoc ergo præſidium cum Hip. aliquando exercendum: nam is auctor *nihil fruſtrà conſcripſit*, vt de eo refert Galenus *lib.8. de vſu part. cap.7.* Cùm verò hos, velut ſuppuratos ſecandos eſſe affirmet, quos inter tertiam, & quartam coſtam aperiendos iubet; hoc loco ſectionem celebrabis versùs ſiniſtram partem: quidquid alij inter quartam, & quintam; quidam inter hanc, & ſextam celebrandam affirment. De quo argumento plures videbis auctorum ſententias variis labyrinthis inuolutas, apud Marcel. Donat. *lib.3. de hiſtor. mirabili, cap.9.* Liebautium *in com. Hip. lib.7. aph.44.* Si vltrà, exemplum petas de ſectione thoracis facienda in pulmonis hydrope, id lege *lib.1. noſtro de praxi medica admiranda, obſ.111.* quo præſidio ægrotum quendam hoc funeſto morbo detentum perſanaſſe, ſequutus Hippocratem, teſtor atque profiteor. Conſule Zoroaſtrum Tinellum *tom. 1. conſultat. 23.*

HIST. CXXII. AVICENNÆ, De hydrope.

Hydrops, frigidis auxiliis ſæpè curatur.

ET non oportet vt attendatur illud quòd dicitur, quòd hydropiſis non ſanatur, niſi cum medicinis calidis: multoties ſignificat illud quod teſtificamur, & experti ſumus, vt curemus nos, & qui fuerunt ante nos, apoſtema cum curatione ſua, & complexionem calidam cum infrigidatione. Et ego quidem vidi mulierem, quam hydropiſis attriuit, & magnificata eſt ſuper eam. Et ipſa mulier comedit quantitatem malorum granatorum tam maximam, quòd eius relatio eſt incredibilis, & ſanata eſt, &c. Auicenna 14. 3. tract. 4. cap. 13. iuxta fin.

DVBIVM LXVIII.

Num ex cauſa calida per ſe hydrops oriri poſſit. Contra Cardan. Marcel. & Iacchin. doctiſſimos.

PARAPHRASIS.

AVicenna, auctor ſanè non ignobilis, aliam huic ſimi'em proponit hiſtoriam cuiuſdam ſenis, qui cùm pateretur hydropiſim calidam (ſic enim loquitur) frigidis extrà applicitis, & intùs aſſumptis curatus eſt. In his ergo exemplis comprobare nititur, non eſſe attendendam mentem dicentium, hydropem ſolùm calidis præſidiis eſſe curandum: cùm contrarium ſæpiſſimè contingat eſſe verum; nam ex acutis febribus hydropem gigni nouum non eſt. Hoc ipſum firmat Galenus *lib. 2. prog. com. 1.* & *lib.6. de loc. affect. c.1. §. Haud ſecus hallucinari conſueuerunt in ea quoque aquæ inter cutem ſpecie, quæ ad acutos morbos ſequitur: quippe ab his, iecur calida & ſicca intemperie grauiter afficitur; vt cibum in ſanguinem tranſmutare nequeat, &c.* Cùm enim omnis hydrops frigida ſit paſſio, ex Gal. *lib. 2. de facult. natural. cap.8.* & alibi paſſim: hoc de proxima cauſa eſt intelligendum, quam vtique eſſe frigidam ſemper oportet. Res perinde ſe habere videtur in hydrope, ac in aciditatis generatione, cuius cauſa continens, frigiditas eſt; æſtiuus tamen calor acorem inducit, quod oſtendit vinum in acetum tranſmutatum: tractis videlicet à calore æſtiuo tenuioribus vini partibus, quibus exhalantibus fit acetum: nam veterum, & iuniorum opinio tenet, aciditatem & à calore, & frigore concitari, & teſtatur Gal. *4. ſimpl. cap.12.* Eadem planè ratione res ſe habet in hydrope: nam febrilis æſtus calorem naturalem

A abſumendi vim habet, qui cùm in ſpiritibus, ſanguine que tenuiore conſiſtat, nil mirum ſi iis diſſipatis, eius temperamentum corrumpatur; quare infrigidari iecur eſt neceſſe.

Ex hoc apparet fieri hydropem à frigiditate, hoc eſt naturalis caloris defectu: aucto enim extraneo, innatus minuitur, & in opere deficit. Sic Ariſtoteles lachrymam vocauit frigidam, *ſect.31. probl.25.* quæ ita calida eſt, vt exulcerandi vim habeat. Hanc rationem indicauit Auic. 14.3 *tract.4. cap.4.* dum ſic ait. *Cauſæ verò antecedentes ſunt omnes ægritudines hepatis, aut complexionales, aut inſtrumentales, ſicut paruitas, & oppilationes, & apoſtemata calida, &c.* & *infrà* ait. *Et inter cauſas quæ faciunt hydropiſim, connumerantur complexionales inflammantes, mediante ſiccitate, cum gradatione reſolutionis innati caloris, aut extractionis eius ſubitò, &c.* Quapropter Medici alterutri tribuunt, aquæ

B inter cutem generationem: ita vt fiat à calore, per accidens & mediatè; per ſe, & immediatè à frigore, ſiue illud poſitiuum, ſeu priuatiuum, hoc eſt, caloris natiui inopia. Ita Iuniores interpretantur Galenum, in locis multis, & priùs notauit Gentilis *ad cit. cap. Auic.*

Verùm licèt facilis reſponſio hæc ſit, nec probabilitate carens; tamen illa ſententia mihi ſemper ampliùs arriſit, quæ affirmat, per ſe, & immediatè aliquando, ad hepatis calorem eſſe referendum hydropem, quanquam frequens illius occaſio, frigus vniuerſaliter aſſeratur: id quod ex Gal. colligi videtur *4. aph.11. & loc. ſuprà citatis*, in quibus reprehendit antiquos, fortè quia eius originem in propoſito caſu à frigiditate arbitrabantur.

Auerrhoës acutiſſimus *lib. 3. ſui collector. cap.21.* in eodem puluere acriter dimicans, illud ipſum expreſsè teſtatur: quamuis enim frequentem hydropis occaſionem,

C iecoris frigiditatem fateatur, non negat tamen per ſe à calore aliquando oriri, ex eo quia prima huius morbi radix eſt deprauata ſanguificatio: ſed hæc non minùs à frigore, quàm calore poteſt immediatè vitiari: igitur & hydrops gigni. Probatur minor, quia iecoris temperatura, ſiuè innatus calor ſanguificationis auctor, in humorum productione non agit abſolutè vt calor, ſed in ratione naturalis (*neque enim quicumque calor eſt natura operantis inſtrumentum, ſed maximè commenſuratus*, quem innatum dicimus ex Gal. *lib.4. aduerſ. Lycum, ad fin.* Auic. *1.1. doct.6. cap.3. & 2.1. doct.3. cap.3.* neque ignis multò calidior humores generat. Atqui moderantia illa ſanguificantis caloris, tam frigoris quàm caloris exceſſu pariter amitti poteſt. Igitur & infirmari vis iecoris, deprauarique ſanguificatio. Quæcunque ſiquidem valida intemperies,

D provt receptiſſimum eſt, & docet Gal. 3. *de ſympt. cauſ. cap. 1.* vires poteſt deiicere, & earum actionem tollere, non ſecùs quàm mors ad quamcunque cordis intemperiem ſequi, ex Galen. *lib. de mercatore, cap. 1. & lib.5. de loc. cap. 1.*

Quod ſi obiicias Auerrhoï, iecore per calorem intemperato ita vitiari ſanguificationem, vt non probi (ſicut anteà) generentur ſucci, ſed biliosi ac calidi, non tamen frigidi ad hydropem requiſiti. Tacitè reſpondet: ſi parùm quidem hepatis temperatura à præternaturali calore corrumpatur, veluti quia ſiens eſt, prauos quidem gignet, & bilioſos humores: hi enim cùm per vlteriorem coctionem gignantur, & concoquens calor iuncto extraneo intenſior reddatur, fit vt bilioſa euadat ſanguificatio. Si verò plurimùm iecur vitietur, humidum in flatum ver-

E tet, non aliter quàm ignis aquam; atque pro ſanguine & humore flatum creabit, & ex eo tympaniam; quam ſolam exiſtimat Auerrhoës à calore poſſe immediatè prodire, quod & innuit Galenus *loco citato.* Nam tympanitici, ac proinde aſcitici ſæpè febriculam patiuntur, quam *laticam* Arabes vocant, Græci *typhodem*, & multi hydropici plurima bile redundant, non ob aliud; quàm ab obſtructione, vnde putredo, & calor igneus augetur.

Quapropter non inſcitè Auerrhoës monet Medicos, vt de ea ſint valdè ſolliciti, eo quòd à calido, & frigido pariter oriatur; & quanquam morbus ipſe frigidus ſit, non eſſe admodum calidis vtendum in illius curatione, conſulit Trallianus *lib. 9. cap. 3.* quia ab illis nullum poteſt

poteſt ſperari iuuamen, quin potiùs cauſæ morbi;& ſymptomatum incrementum: quare modicè refrigerandum, ratione cauſæ, vt attemperetur excedens calor; & iecur factum ab illo imbecille, ad bonam tempetiem reducatur. Quòd ſi vehemens ſit ardor, licèt aliqui, vt montanus *lib.* 1 *.centur.7.* & 8. frigidiſſima exhibere non vereantur, tamen ſatius eſt modicè frigida offerre, ſumpta indicatione ab effectu, in quo Gal. 1*.aph.16.* calida exhibet. Idcircò ſecuriora ſunt, quæ refrigerant, & aperiunt, vt endiuia, eius ſtillatitia aqua, lac aſininum, aut camelinum, & ſerum lactis. Eſt ergo hydropis cauſa non perpetua, ſed frequentiſſima, intemperies hepatis frigida, licèt à calida multoties per ſe oriri poſſit: ita explicuit Trallianus *loco cit.* dicens, *cauſam dydropis magna ex parte oriri ex hepate valdè refrigetato.* Vtrùm autem intemperies generans hydropem debeat eſſe facta? Gal.5. *de loc.* 7. fatetur eſſe habitualem, id eſt fixam, & ſolutionis difficilis; id enim per habitualem intelligit, non quòd omninò hectica ſit, id eſt, æqualis in membro affecto.

Quapropter frigida aperientia ſunt ex vſu, ob cauſas dictas: & ſic granatorum ſuccus (acidorum intellige: nam dulcia vertuntur in bilem, & febrem augent, ex Galen. 3. *acut.*11. & 2. *de facult. cap.* 8.) vel in maxima quantitate aſſumptus valdè iuuat: nam ſapor acidus roborat, incidit, & cùm ſit tenuium partium, deobſtruit, attenuat, penetrat, diuidit, & abſtergit, ex Gal. in multis locis, quos *ſuprà in com.hiſt.5.* recitauimus. Neque obtrudas cum Iacchino *lib 9.ad Almanſ.c.52.* & Marcello Donato *lib.4. de medic. hiſtor.mirabil.c.21.* quos ſequitur Cardanus *in com. ſent.1. lib.2. prog.* mulieri huic, de qua fit mentio in hiſtoria noſtra, mala granata potiùs ex vſu fuiſſe, partes roborando adſtrictione ſua, quàm illius caliditatem remittendo. Et licèt hi à calida cauſa hydropem oriri non poſſe arbitrentur; quorum opinionem ſuperiores rationes impugnant manifeſtè; tamen hanc ad Auicennæ hiſtoriæ expoſitionem, ipſemet auctor redarguit euidenter, qui hiſtoriam affert ad confirmandum, hydropem à calida intemperie emanare, quia frigidis curatur; inter quæ ſuccum malorum granatorum appoſuit. Lege Chriſtoph. à Vega *lib.3. art.medic. ſect.8. cap.11.* Bricium Bauderonum *lib. 2. prax. cap.63.* Gregor. Horſtium *decad. 7.probl.medic.* 7.

Dubitandum tamen eſt: num præter tympaniam, aliæ etiam ſpecies poſſint à calore fieri. Et quanquam durius videatur, ab igne aquam progigni, cùm eam potiùs conetur deſtruere, atque adeò diſſipet, & attenuet in flatus, vt aut perimat, aut in ſui naturam conuertat; nec patiatur ſub aquæ forma permanere; aſcitem à cauſa calida nonnunquam admitto, hypoſarcam minimè, ſed ſemper frigidam reor. Ratio eſt in promptu: nam cùm flatus ferè aquei ſint, à ventris frigore concreti, in aquam & aſcitem tranſeunt, non aliter quàm vapores à frigido aëre, frigidóque cerebro, vnde pluuiæ, & catarrhi; atque ita febre detinente poſſe accidere, dixit Gal.4.*de cauſ.pulſ.*24. Licèt autem anaſarca perinde etiam ad febres aliquando ſequatur, nunquam tamen poterit eſſe caloris ſoboles; videlicet quia ſi extraneus talis ſit, qui natiuum iecoris plurimum euertat, aget vt igneus, non vt innatus, atque adeò non humor, ſed flatus gignetur: ſi verò parum opprimatur, parúmque vitietur, & tanquam innatus adhuc queat operari, ſanguificabit quidem licèt vitiosè, ſed vitio ſapiente cauſam, hoc eſt, calidiores & bilioſiores humores, producet, non pituitoſos, qui coctionis defectum, non exceſſum arguunt; exceſſus autem à calore nimiùm actiuo, defectus à frigoris ignauia, & ad coquendum ineptitudine occaſionem habent. Quod ſi nonnunquam etiam durante febre, pedum, & totius corporis tumor ſequitur, atque adeò carnoſus hydrops, ſarcitis, leucophlematia, ſiue hypoſarca dictus, à frigido oritur diſſoluto extraneo, & præternaturali calore ſimul cum innato (id quod ſæpè accidit poſt longas febres,) tamen is ad ſummam debilitatem non peruenit, alioqui prò humore flatus, aut aqua generabitur, & ex iis tympania, vel aſcites, non anaſarca. Vtrùm autem hydrops febribrus ſuperueniés ſit lethalis, vt *cit. prog.* prædixit Hippoc. ſi frigidus affectus calido ſuperueniens, huius malitiam corrigit, diſceptabimus *l.4.in com. hiſt.37.*

HIST. CXXIII. RHASII,
De hydrope.
Hydropica pluribus auxiliis non leuata; expulſa per vuluam copioſa aqua, conualuit.

V*Xxor ablutoris pannorum habebat ſigna hydropiſis, & impoſſibile erat mihi ſcire cauſas euentus eius, quia mulier à me non videbatur: & præcepi quòd aliquo tempore vteretur diatrionpipereon, & aliquo tempore diacucurma. Et quadam die abluebat pannos extra clam viro ſuo, & cùm inclinaret ſe ſuper vas plenum aqua ad abluendum, defecit pes ſuus, & cecidit, & emiſit per vuluam quantitatem viginti rotulorum aquæ croceæ, & alleuiata eſt, & vltimò conualuit, &c. Rhaſius* in lib. de mirabilibus curis, in med.

PARAPHRASIS.

REctiſſimè illud axioma ab Hippocrate prolatum eſt *lib.6.epid. ſect.5.text.1. naturam eſſe morborum medicatricem:* nam cùm ſit *docta ſine doctore,* ex Hipp. *in lib.de alimento, n.*21. inuenit ſibi vias, ex Hip. *in contextu, epid. ſequenti:* quæ loca vberrimè explanauit Valleſ. ſcientiſſimus, auctor ſanè incomparabilis, immò bonarum artium vetus, nouáque bibliotheca, quoniam vt inquit Auicen. 16. 3. *tract.5.cap.1.natura eſt factor potens, & omnium opifex;* apud Hip. *lib.6.epid.ſect.5. text.2.* expellit enim noxia, & ſeruat vtilia, ex Gal. *l.1.de dif.feb.c.5.* Hæc cùm malum ſentit, quailibet data occaſione mederi ſummoperè geſtit, primùm lãguoribus ſuccurrit, & inueniendo vias nobis incognitas, ægros à plurimis intricatiſſimis morbis facit immunes.

Cùm enim huic plura non prodeſſent auxilia, quæ craſſos humores, flatus, aquoſam materiam reſoluunt, hepárque roborare nata ſunt, natura per vterum, arrepta occaſione, copioſo humore excreto, ægram à tanto malo liberauit: quæ cùm electuariis diacurcuma, & diatrionpipereon antea diu vſa eſſet, quæ flatus diſcutiunt, & viſcera firmant, hanc copioſam vacuationem potuit tolerare; quam fuiſſe excretam pondere viginti rotulorum, hoc eſt, librarum, id ille nouit, qui rotulum, ac libram idem eſſe ſibi perſuaſerit, cum Rhaſio *lib. 12.continent. cap.1.* Serapion. *lib.3.Breuiarÿ; cap.15.* Explicauit eleganter Nicolaus Fontanus. Medicus eximius, *in proœmio inſtitut. pharmaceuticarum, tit. de ponderibus, & menſuris.*

Huius exempli veritatem confirmauit Beniueniüs *c.109. lib.de abditis curat. & ſanat. cauſis.* recenſens hiſtoriam illius, quæ cùm aqua inter cutem laboraret, vt nulla de ſalute eius ſpes eſſet, neſcio quo ſpiritu impulſa de eminenti quodam loco in terram deuoluitur, & vtero ad lapidem eliſo, ita prorſus omnis effuſus eſt humor, vt quæ puerum octimenſem geſtare videbatur, enixam crederes.

Obſeruatio XXIII.

Hydropica, foramine in pollice dextri pedis aperto, excreta copioſa aqua, conualuit.

RVſticam vidi hydropicam, quæ plurimis auxiliis vſa nihil proficiebat. Hæc veluti deſperata, exſiccante victu, & continuò exercitio macerandum eſſe corpus ſibi perſuaſit, hoc præſidio abſumendam in ventre aquam ſperans. At cùm in agro veloci curſu obambulat, ad acutum lapidem dextri pedis pollicem impegit. Ecce ex externa digiti læſi parte extrema, cutis tenuiſſima detracta eſt, ex qua cum vehementi dolore, octiduo, aquæ limpidæ, ſenſim ac paulatim tanta copia effluxit, vt riuulorum inſtar emanans, eſſet in cauſa, vt totus detumeſceret venter. A tanto malo immunis, ne in idem labatur vitium, præſidiũ quærit. Parciſſimus imperatus potus. Merum exhibitum, lymphatũ cum aqua aſplenio, & eupatorio decocta. Congruum ſeruauit victum. Mechoaca ſemel in menſe expurgatum

gatum corpus. Fontanella cruri dextro affixa. His per annum celebratis, nullum deinceps malum perſenſit.

Alij quibus in vaſtam molem venter intumuit, per vmbilicum ſponte ſua diſruptum; alij per ſuras, pedes ſponte apertos, vel in iiſdem partibus excitatis vlceribus, vel verſiculis, ingentem aquæ copiam effuderunt, vt referunt Valleriola *lib.4.obſ.3.* Beniuen. *de abdit.c.12.* Amat. *5.cent.37.* Foreſtus 19. *obſ.* 33. Andreas Laurentius *lib.1. anatom.quæſt.16.* Vidus Vidius *lib.10. cap.5. de curat. membrat.* Gaſpar Hoffmannus *lib.3. conſil.* 30. Alexand. Benedict. *lib.15.du curand.morb.cap.40.* Ne ergo mireris, hanc viam fortuitò inueniſſe naturam, vt tanti mali noxam à ſe detruderet.

Obſeruatio XXIV.

Aſcite laborans, perforato naturæ vi vmbilico, integrè curatur.

Annus agitur vigeſimus ſecundus, ſi rectè recordor, quo tractaui quadragenariam, aſcite mirabili oppreſſam. Hæc infinitis propemodum præſidiis vſa in peius ſemper ruebat, adeóque tumidum, & in portentoſam, vaſtámque molem extenſum ventrem habebat, & vmbilicus extrà protuberabat cucurbitæ ſatiuæ inſtar, vt neceſſe eſſet ob ingens pondus, faſciam collo, & humero appendere, vt has partes adúſque genua prolabentes ſubleuaret. In hac miſeria poſita, malle mori, quàm tam miſeram vitam agere affirmabat. Hoc tempore vmbilicus prominens ita attenuari cœpit, vt membranæ inſtar tenuis, ſplendens tranſluceret, & rupturam minari videretur. Ecce vna nocte ex perforato naturæ vi vmbilico, triginta dierum ſpatio, ſenſim egreſſa eſt aqua in copia multa, & ventre ſubſidente vmbilicus ſponte ſua coaluit. Hæc aſſumptis roborantibus hepar, impoſterum ſana euaſit, ſuperuixítque annos totos viginti duos, munera ſua domeſtica exercens, ſterilis tamen, & decolor remanſit.

HIST. CXXIV. ARETÆI, De hydrope.

Hydropis ſpecies rara, à Græcis, aliíſque omnium ætatum Medicis, Aretæo excepto incognita.

Alia quadam hydropici morbi ſpecies talis cognoſcitur. In ea veſiculæ quædam puſillæ, crebræ, humoris plenæ, in loco vbi aſcites fieri ſolet, excitantur. Cæterùm quòd humore multò referta ſint, illud indicio eſt, ſi abdomine perforato parum admodum humoris effundes; ab interiori námque parte veſica occluſit: at ſi altiùs inſtrumentum impuleris iterum ſuccus emanabit. Hac vtique aqua inter cutem ſpecies haud leuis eſt. Vnde enim id genus veſiculæ eruperint, via haud facilè reperitur, &c. Aretæus lib.2.de ſignis & cauſis diuturnor.morbor.c.1.

PARAPHRASIS.

Infrequens eſt hæc hydropis ſpecies, recentiorum quorundam obſeruationibus illuſtrata, in qua veſiculæ plures aqua refertæ in corporibus genitæ, ſymptomata, & tumorem hydropi ſimilem, ſine aqua, aut flatibus concitarunt, & mortem obruto innato igne, & ſuffocato intulerunt. Hanc hydropis ſpeciem teſtantur vidiſſe Mauritius Cordæus *com.5.ad priorem Hip.lib.de morb.muliebr.* Ioann. Aicholtzius *in obſeruat. ſuis*, & nos eandem vidimus bis. Cuius exemplum propoſuimus *lib.2.de prax.medic. admir. obſ.49.* Alterum hîc deſcribere non grauabimur.

Obſeruatio XXV.

Hydrops mirabilis.

Laborauerat Illuſtriſſimi cuiuſdam Baronis coniux quinquagenaria hydrope aſcite, ſeptennio, qui ex

A ſuppreſſis hæmorrhoïdibus ortum duxerat. Imperata diæta. Expurgatum ſæpiùs corpus à melancholico ſucco. Secta ſaphæna bis: & ad maiorem tetri humoris expurgationem, & reuocandam ad originem ſuam, fluxionem, quater hirudines mariſcis affixæ. Cauteria cruribus inuſta. Omnia fruſtrà. Nam malum adeò increuit cum ſiti clamoſa, nimiáque ventris mole coniunctam, vt tabefacto corpore, & innato calore ſuffocato à copia multa, plura deinceps celebrata præſidia temnens, eam ad mortem deduceret. Secto cadauere, iecur putridum inuentum, ita vt ſolùm digitis impoſitis difflueret. Aperto ventre inter peritonæum, & inteſtina inuenimus numeroſam veſicarum ſtruem, quæ bullæ aquatilis inſtar, molles, & lucidæ, erant inter ſe coniunctæ. Et his curioſè ſeparatis (quæ 52. numero erant, & oui magnitudinem non excedebant) & diſruptis emanauit limpidæ aquæ, at ſalſiſſimæ copia tanta, vt duodecim libras adimpleret; ex cuius humoris one-
B re calor internus eſt obrutus.

Dubitat hoc loco Aretæus, à quo loco tanta aquæ copia in capacitatem abdominis emanauerit, cùm nulla ſit, conſpicua via, per quam tanta ſeri quantitas eò ferri poſſit. Huic quæſito facilè reſponderet Fernelius *lib.6. patholog.cap.8.* qui turpiter illos hallucinari putat, arbitrantes, per anguſtos cæcóſque poros ſeroſum humorem in abdomen è iecore transferri. Immò victus, & implicatus abſurdam commentus eſt huius tranſitus rationem, ita adiiciens. *In aſcite ergo, quoniam exeſum, apertum, ruptum, fiſsúmve aliquid eſt, ſeroſus humor, vtpote tenuis, à ſanguine ſeparatus, excidit in abdominis capacitatem, haud ſecus atque pleuritis ſuppurans, exeſa, aut diſciſſa ſuccingente coſtas membrana, aſſatim in thoracis capacitatem irruit.* Quam opinionem; aliis argumentis mea quidem ſententia futilibus,
C vallare nixus eſt, quæ funditus euertunt Mercurial. *lib.3. praxis, c.24.* Marcellus *lib.4.hiſtor.de mirabili, c.21.* & alij.

Dic tu cum Galeno, refluxionem illam ſeri in abdominis capacitatem, per cæcos meatus eſſe poſſibilem, & inde iterum per eoſdem in venas reſumi, reſorberíque poſſe demúmque excerni per vrinas, & vêtrem, ex Gal. *lib.7. aph.54.* Quinimò mirabilius eſt, quandoque naturam per exiles, & inconſpicuos meatus, materiæ craſſiſſimæ ad illum inanem locum viam moliri, & inuenire. At ſi trãſſumptionem hanc admiratur Fernelius, cur non magis miratur craſſiſſimum illud pus, quod in empyemate à thoracis capacitate ad pulmones, per cæcos ductus, & ambientem membranam traducitur? Poteſt itaque per exiles meatus, ſatis ampla ſeri quantitas è iecore, in ſpatium abdominis vacuum transferri; quod non inficiatur Auicen-
D na.14.3.*tract.4. cap.5.* Conſpicimus námque hydragogo hauſto medicamento, ex cauitate abdominis idem ſerum ad venas, & ventrem affatim retrocedere, & abſorberi, quod aliter fieri non poſſet, quàm per eandem latentem viam ſubſtantia tenuiſſima tranſſumpta.

Et vt videas, quàm vana ſomniauerit Fernelius, hæc exaudi. Niſi enim hepar afficiatur, hydrops non ſit, vt milies veteres protulere. Ergo non eſt aſcitis potiſſima cauſa, ruptio illa vaſorum, quàm rimarum plena Fernelij fert opinio. Præterea. Si opus eſt, iecoris vas aliquod, atque eius ſimul membranam in aſcite rumpi atque findi; ſixum ſanè dolorem, ac ſtabilem, vt ſic affecti in ſoluto loco ſentirent, erat neceſſe, immò acutum, quum hepatis membrana acutiori ſenſu natura prædita ſit. Deinde. Si ſiſſuram illam temporis progreſſu amplificari contingeret; ſimul
E & ſanguis ab hepate in vacuum illud ſpatium laberetur, quod nuſquam viſu obſeruatum eſt: nam ſi in vaſis neceſſariò ſerum cum ſanguine mixtum eſt, ſi vel tenuiſſima ſectione hydropici venam ſeces, vix ſolus ſeroſus humor ſine ſanguine effluet. Quo pacto igitur ſiſſum iecoris vas in rimas, ſimul cum tam ampla ſeri quantitate, ſanguinem non profundet? Quin Fernelius ipſe palinodiam recantans *lib.5. patholog.11.* fatetur in hydrope aſcite, ex abdominis cauitate ſeroſum humorem per cæcos ductus ad thoracis cauitatem penetrare, hydropémque pulmonis efficere. Explodenda ergo eſt iſthæc Fernelij doctrina, ne in re medica lituram vnquam lapſu temporis producere queat, etſi phaleratis verbis eam nobis ſcriptam tradiderit.

rit: quàm ingenuè aliis rationibus munitus euertit, non A
incelebris auctor, Caſtrenſis Luſitanus *lib. de meteor. microcoſmi, cap.* 12.

HISTOR. CXXV. CELSI, De hydrope.

Hydropicus ſibi indulgens, vrina ſua epota, interiit.

SEd ne ij quidem qui ſub alio ſunt, ſi ex toto ſibi temperare non poſſunt, ad ſalutem perducuntur. Ideóque non ignobilis Medicus, Chryſippi diſcipulus, apud Antigonum Regem, amicum quendam eius notæ intemperantiæ, mediocriter eo morbo B *implicitum, negauit poſſe ſanari. Cúmque alter Medicus Epirotes Philippus ſe ſanaturum polliceretur; reſpondit, illum ad morbum ægri reſpicere, ſe ad animum. Neque eum res fefellit. Ille enim cum ſumma diligentia non Medici tantummodò, ſed etiam Regis cuſtodiretur; tamen malagmata ſua deuorando, bibendóque ſuam vrinam, in exitium ſe præcipitauit, &c. Celſus* lib. 3. cap. 21.

PARAPHRASIS.

QVanti ſit æſtimanda Cornelij Celſi doctrina, in præfatione libri primi ſatis explicuimus, luculentérque expoſuit Petrus Pauuius, qui librum octauum huius Auctoris non infeliciter interpretatus eſt. Is ergo ſummus Auctor, vt probaret ſitim in hydrope, meliùs & cum maiore patientia, à ſeruis quàm liberis tolerari, & ob id C illos, quàm hos faciliùs & promptiùs ſanari, hanc hiſtoriam in medium adduxit. Hydrope enim detenti, licèt aquam in ſe contineant, ſitiunt intenſiſſimè, quoniam illa eſt ſalſa atque nitroſa, & præ mora retenta, tum calidior, tum nitroſior redditur, vt firmat Aëtius *tetrab. 3. ſerm. 2. cap. 20.* cuius locum illuſtrat Mercurialis *lib. 3. praxis, c. 24.* Deinde. Humiditas alimentaris ablumitur, qua irrigantur partes. Accidit etiam, vt compreſſis partibus ſpiritalibus à nimio calore in ventre contento, cor non rectè refrigeretur, & eò magis, quoniam ob obſtructiones, impeditur tranſitus humidi potabilis, & hac de cauſa denegato refrigerio, partes exſiccatæ gliſcunt, & excádeſcunt, ex quibus cauſis ſitis inextinguibilis oriri conſueuit. Quare meritò Auicenna pronunciauit 1 4. 3. *tract. 3. cap. 8.* non euacuari hydropicos à ſiti clamoſa, hoc eſt, inexplebili, vt cui ſuccurrere ægri ingenti potu quò plus in animum inducant; D hac anguſtiola ſiti vexati, vt Nicolaus inquit *ſerm. 5. tr. 5. cap. 24.* eò plus ſitiant.

Aduerte tamen ex Auicenna *ibi*, ſitim clamoſam & inextinguibilem, in confirmato hydrope ſolùm deprehendi, quando accidit conſtrictio anhelitus, vt Auicenna inquit. Si verò hydrops accidat ex frigido potu intempeſtiuo, tunc ſitis incompeſcibilis non adeſt: quæ cùm vrget, tolerari non poteſt. Rectiùs feciſſe arbitror Iulium equitem Romanum, apud Plinium *lib. 7. cap. 18.* qui interdicto, toto vitæ genere potu, ab hydrope curatus eſt. Et Ruſticum apud Beniuenium *lib. de abdit. cap. 13.* qui cùm ab hoc poſtulaſſet, quo pacto ab hydrope poſſet liberari, dixit, *abſtine à potu*, quo facto per totum annum, curatus eſt. Hoc ſi vidiſſet Gal. admiraretur, cùm *lib. 6. epid. ſect. 4. com. 8.* aſſerat, quoſdam ſanatos fuiſſe, quum per quinde- E cim dies, iubente Deo, à potu abſtinuiſſent.

Ex his clariſſimè patet, quantum oporteat hydropicos à potu abſtinere: & Auic, *loc. cit.* à viſione aquæ eos arcere iubet. Quod præceptum ſi hic obſeruaſſet, in mortem non ſeſe præcipitaſſet, qui malagmata ſua, hoc eſt, vnguenta deuorando, mortem ſibi acciuit.

Sed inquires, ſi vrina pro curandis hydropicis, ſalubre cenſetur auxilium, ex Dioſcorid. *lib. 2. cap. 7.* Auicenna *lib. 2. tract. 2. cap. 727.* cùm acritudine ſua aquas detrahat, cur ægri vrina epota ipſum tantoperè læſit? Dic, propriam vrinam præ obſtructione, febri, & prohibita ventilatione acriorem redditam, ſitim augere, & affectum exaſperare poſſe. Conſule pro hydropis medela, quæ ſecundùm Galeni mentem ſcripſit Henricus Paſchaſius, *in prima decade tit. de hydrope.*

HIST. CXXVI. RHASII, De lumborum dolore.

Lumborum dolor, cum febri nocturna, à melancholico humore ſuppreſſo pronata, excreta vrina nigra ceſſauit.

*VEnit coràm me mulier quadam vrinans vrinam nigram, & * conquerebatur de dolore lumborum: & cùm incipiebat vrinare talem vrinam, ceſſabat dolor: & poſt incidit in febrim nocturnam cum rigore, & erat complexionis melancholicæ: & curaui ipſam cum rebus prouocantibus vrinam, & liberata eſt, &c. Rhaſius* in lib. de mirabilibus curis.

PARAPHRASIS.

NAturam ſæpiſſimè expurgare per vrinam vtiliter melancholicum ſuccum, hac hiſtoria Rhaſius ſatis confirmat: nam excreta vrina, ceſſabat dolor; & retenta, febris nocturna rigorifera increſcebat. Hoc modo ſummoperè laudo auctoris conſilium, qui iterum prouocare vrinam, & per regionem conſuetam vacuare melancholicum ſuccum, conſultum iudicauit. Sic monuit Auicenna *4. 1. cap. 3. vt quando ſuppreſſio fuerit cauſa morbi, reuerſio illius ſecundùm plurimum ei medicetur.* Quod axioma in omnibus ſuppreſſis vacuationibus, morbúmque actu committentibus obtinet veritatem; vt in hæmorhoïdali, menſtruáque vacuatione, in iis quæ fiunt per naſum, palatum, aures, oculos palàm fit, quæ corpus à plurimis morbis præſeruant. Si verò hæ vacuationes ceſſent, lethales noxas, ac ferinos morbos excitare conſueuerunt. Idem ſentiendum de aliis vacuationibus factis per vomitum, aluum, hæmorragiam, fiſtulas, fontanellas, varices, ſudorem, in quibus ob diuturnam aſſuetudinem natura habitum iam contraxit.

Hanc doctrinam intellige de vacuatione virtuali: non enim eſt neceſſe, quòd quando ex ſuppreſſa vacuatione concitatur morbus, eademmet vacuatio redeat; nam qualiſcúnque vacuatio, modò illam adæquet virtute, poterit morbum ſoluere, illius cauſam remouendo, ſiue à natura, ſiue ab arte celebretur. Tu verò de recto vſu purgationis quæ fit per vrinam, lege Mercat. *lib. 1. indicat. cap. 10.*

QVÆSTIO LIX.

Quòd in lumborum morbis, venæ ſectio ex talo externo ſit celebranda.

COMMENTARIVM.

COnquerebatur de dolore lumborum.] Occurrit hoc loco controuerſia haudquaquam ex triuio: An in lumborum dolore; venæ ſectio ex talo externo ſit ex vſu? Nam ſi medicamenta vrinam mouentia conceſſit ſummâ cum ratione Rhaſius, vt vrinam nigram retentam, ex qua lumborum dolor, & febris ortum ducebant, prouocaretur & retenti humores melancholici hac via vacuarentur, & fortè iis malum non cederet; quid ſupererat faciendū, niſi per infernam partem, apertis mariſcis, aut ſecta ſaphæna ſanguinem detrahere? Horum enim auxiliorum ope, humor terreſtris deorſum ſuo pondere vergens, promptè vacuatur. Quare ſaphenæ ſectio in lumborum dolore vtiliſſima, vt *infrà* probabo. Num verò è parte interna, an externa ſit ferienda vena, diffidium eſt à paucis diſcuſſum.

Sed priuſquàm ad dubij explanationem accedamus, de lumborum etymologia, dolore, cauſis, ſignis, prognoſi, & curatione, Laconicè quædam proferemus.

Lumborum

Lumborum nomine, intelligere oportet ſpinæ lumbares muſculos, renes, inteſtina ipſis alligata, & membranas quæ his omnibus partibus connectuntur, arteriam, & venam lumbarem, ſpinæ vertebras; licèt illius partem tertiam lumbi conſtituant, qui quinque tantùm vertebris conſtant, ſi peritioribus Anatomicis eſt adhibenda fides. Demum ea ſubaudire oportet, quæ lumbus haud exiguus muſculus complectitur. Hic dicitur *pſoa* Græcè, & ab vndecima thoracis coſta, cum anteriori eius portione, per validum ligamentum interiori coxendicis parti inſeritur; eo præcipuè loco vbi os pubis vocatum incipit, os verò illud deſinit, exterior autem in principium oſſis ilium; reliquum vero ipſius pſoæ vniuerſum, iuxta interna oſſis ilium partes progrediens, denſum quendam ex illo etiam oſſe exortum carnoſum ſuſcipit; poſteà vnicus euadit, auctore Gal. *lib. de diſſect. muſculor. cap.* 35. Vnde fit, vt lumbus ſit pars pſoæ, ex Gal. 12. *de vſu part.* 2. & in eo vertebræ quinque ſint, ex Gal. *lib.* 3. *de articul. com.* 45. explicat Columbus *lib.* 1. *de re anatomica, cap.* 17. quæ ſunt omnium maximæ atque craſſiſſimæ, ex Gal. *lib. de oſſib. cap.* 10. qui numerus vertebrarum lumbarium, nuſquam alibi, quàm in homine reperitur, ne in ſimia quidem, vt notat Duretus *lib.* 1. *in Coacas, in com. ſentent.* 114.

Cùm ad lumbum ſit arteria magna, ex Gal. *lib.* 15. *de vſu part. cap.* 4. & ſuperiacet partibus, quæ plurimo, eóque calidiſſimo ſanguine turgeſcunt, eo referta, idcircò plurimis, iiſque grauiſſimis morbis eſt obnoxia.

Quare ex defluxu calidiſſimi humoris acris, & mordacis in hac parte vehementiſſimæ inflammationes, & acerbiſſimi dolores concitari ſolent: ſicut enim ex alimenti defectu pars quæpiam marceſcit, & extenuatur, ſic ex copia illius ſolet repleri, intumeſcere, & inflammari, ex Gal. *lib.* 5. *de compoſ. medic. ſec. loc. c.* 8. & Auic. 1. 3. *tract.* 3. *cap.* 3. *&* 7. 3. *cap.* 1. Porrò vno è tribus modis partem hanc inflammari eſt certiſſimum. Primò. Cum excalfacto ſanguine plena, arteriæ quæ iuxta dorſum eſt, vitium communicat. Secundò. Cùm ex calidiſſimi humoris affluxu incaleſcit, quod non rarò in gracilibus, & melancholicis corporibus, ex ſanguinis, alterius humoris, aut excrementi aduſtione oriri conſpicimus: quippe cùm in his omnibus, in viſcerum, & meſaræi præſertim venis, ſanguis fæculentus, vel humor, aut excrementum quodvis, ab interna, aut externa cauſa aduratur, non eſt dubium quin hæc pars inflammetur, & excalfiat. Tertiò. Ex viſceris alicuius, aut venarum quæ huic proximæ ſunt, obſtructione regignitur, quam in fœminis, quibus lochia retinentur, aut diminutè procedunt, fieri conſpicimus: nam ex tumore humorum obſtruentium pars hæc compreſſa dolet, & ex retentione & putredine incaleſcit, & inflammatur.

Huius doloris notiſſima ſunt ſigna. Adeſt dolor circa lumbos, in initio grauatiuus, & ſi adeſt inflammatio, pulſatorius. Æger aſcendere aut deſcendere non poteſt. Calor circa totam ſpinam ſentitur. Aluus reddit excrementa acria exigua, & biliosa. Lotium eſt acre, & mordax. Anxietas ſuperueniente ſiti increſcit: & aucto malo, cor per arteriam; & iecur, ventriculúſque per venas, & vaſa muſaraica compatiuntur. Febriunt ægrotantes, & eò magis ſi ex magna inflammatione concitetur affectus: licèt ſæpiùs aut non adſit febris, aut ſit exigua: hæc enim pars non eſt præcipua, ſed aliquantulum diſtat à corde, nec ita cum eo conſentit: quare renibus inflammatis multoties iungitur febris interpolata, interdum parua, iuxta præceptum Auic. 1. 4. *cap.* 14. §. *Et membra quidem occulta diuerſificantur in faciendo febres, & fortitudine earum, & continuatione earum, & ipſarum temporibus, ſecundùm magnitudinem eorum in ſe ipſis, & magnitudinem venarum eorum, & ſecundùm membra ſua: nam in membris intrinſecùs ſunt, quæ ſunt propinqua cordi, & vehementis communitatis, ſicut velamen, & pulmo; & de iis ſunt quæ ſunt longinqua à corde, & debilis communitatis, ſicut renes: ipſi enim non ſemper faciunt propter apoſtemata ſua febres fortes, neque continuas, immò multoties quidem ſunt interpolatæ, & ſunt de genere febrium commixtarum, & febrium tertianarum, & quartanæ, & ſextanæ, & fiunt cum eis rigor, & horripilatio, & ambiguum fit eſſe earum, &c.* Nam ſi Galenus *lib.* 2. *prorrhet. com.* 21. in hepatis inflammatione non ſemper oriri acutam febrem aſſeuerat; & Trallianus *lib.* 8. *cap.* 7. exiguam iecoris inflammationem, non ſtatim febrem inducere arbitratur, quid ſentiendum ſit de lumborum inflammatione, patere poteſt, cùm ſit pars longè diſſita à viſceribus, & à corde remota, in qua ob diſtantiam; aliquando intermittentem febrem, interdum nullam concitari, non eſt dubitandum.

Cùm vehemens dolor lumbares muſculos prehenderit, auxiliares manus illicò adhibere oportet; hæc enim pars, cùm ratione conſenſus, præcipuis ſit communis, non contemnenda mala portendere ſolet: ex lumborum enim vertebris plurimæ prodeunt neruorum coniugationes, ex Gal. *lib. de neruor. diſſect. cap.* 16. quæ cum inſignibus partibus communionem habent; quare hic dolor, capitis concitat affectiones, ex Gal. *lib.* 1. *prorrhet. ſect.* 1. *com.* 12. Hippocrates enim *in Coacis, num.* 14. *iactationem, & inquietudinem ex lumborum dolore periculoſam eſſe affirmat, maximè ſi tremores, & alia praua ſigna acceſſerint.* Et *lib.* 2. *prorrhet.* 7. ait: *quibus lumborum dolor perſeuerat, cum æſtu faſtidioſo, & ſudore, malum:* timor enim eſt, ne materiæ peccantis tranſlatio ab ea parte incipiens, cerebrum, & alias partes conſortij lege coinquinet; quod ipſe præſagit *in Coacis, n.* 3. *Qui,* inquit, *ex lumborum doloribus recurſus fit in caput, & manus torpidæ ſunt, dolétque ventriculi os, & aures ſonant, ſanguis largiter erumpit, & aluus fluit, his turbulenta mens eſt magna ex parte, &c.* Ad hæc, lumborum dolores cum ſymptomatis aliarum partium adiuncti, periculoſiſſima mala ſignificant; nam ex iis ceruix, & caput afficiuntur, & ſæpiſſimè delirium, & conuulſio oriuntur. Lumborum ergo dolor periculo plenus exiſtit, nam præcipuas partes in conſortium ducit.

Sicque cunctandum non eſt, mox ei opitulari, iuxta triplicem cauſam in initio adductam. Prima, & ſecunda, quæ ex lumborum inflammatione, ac phlogoſi oritur, ſpecies, vt quæ grauiſſima ſit affectio, ſedulam operam prærequirit; in quo affectu, præter tenuiſſimam, ac refrigerantem victus rationem, totam curationem in ſanguine detrahendo poſitam eſſe exiſtimo. Hac ratione Aretæus, qui primus ſcripſit de venæ concauæ acuto morbo, *lib.* 2. *de ſignis & cauſ. acut. cap.* 8. & *lib.* 2. *de curat. acut. c.* 7. venas in cubito protinus ſcindendas conſulit, quod conſilium partitè, & per vices exequendum monet. Quamobrem cùm ob huius venæ, & arteriæ iuxta dorſum viciniam, inflammantur lumbi, vel ex ſeipſis accepto incendij initio, vel aliunde confluente humore, tutiſſimum eſt è gibbero ſanguinem priùs detrahere, præſertim ſi in genere venoſo febris adſit continua, ex ingenti plethora concitata: quoniam lumbi miſſo ſanguine ex cubito auſcultant, vbi febris viget, morbúſque adeſt in corpore apparatus, copiáque ſanguinis adfuerit, ex Gal. *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap.* 18. Nam hoc modo etiam in vteri inflammatione, licèt vterus ſit pars infrà iecur, & renes, ad deponendam totius plenitudinem, ſanguinem è brachio emittunt Paulus *lib.* 3. *cap.* 64. & Auic. 16. 3. *tract.* 4. *cap.* 12. Et Galenus *lib.* 2. *ad Glauc. cap.* 2. in genu inflammatione, è cubito venam ſecat: & *lib.* 10. *de compoſit. medic. ſec. loc. c.* 2. baſilicam tundit in coxendicis dolore. Nam hoc modo cohibetur fluxio, reuellitur humor, pars inflammata à fluxione præſeruatur, & corpus plethoricum, in initio morbi ſarcina refertum, exoneratur.

Cùm verò totum corpus venæ ſectione ſufficienter exhauſtum eſt, tunc vt corrigatur malum quod factum eſt, humórque impactus eximatur, tutiſſimum eſt venas ſecare inferiores. Hoc modo intelligendus eſt Galenus *lib. de curand. rat. per ſang. miſ.* 18. quo loco, vbi recens eſt inflammatio, à plenitudine magna concitata, priùs venas in cubito, deinde in talo eas ferire iubet: quod etiam exercendum monet in coxendicis affectu, & in vteri inflammatione, *loco nuper citato, & lib.* 13. *meth.* 11. Quapropter in malis infrà renes, ſumma cum ratione veteres ſemper conſueuere ſecare venas in poplite, vt retulit Galenus *lib.* 6. *epid. ſect.* 1. *com.* 6. De qua re lege Altimarum *lib. de curand. hum. corp. malis, cap.* 94. Mercurialem *lib.* 4. *de morb. mulier. cap.* 18. Mercat. *lib.* 2. *de morb. mulier. cap.* 7. Explicant Auic. 22. 3. *tract.* 2. *cap.* 3.

cap.3.de cura doloris dorſi, Rorarius *lib.contrad. Gal. contradict.96.*

DVBIVM LXIX.

Num venæ ſectio ex talo plus debilitet, quàm ſectio baſilicæ, vt voluit Auicenna. Contra Lazarum à Soto Medicum doctiſſimum.

Ab eruditiſſimis Auicennæ interpretibus quæſitum, quidnam cauſæ ſit, cur ille 4. 1. *cap.* 10. *prope finem* aſſeueret, *phlebotomiam venarum pedis magis debilitare virtutem, quàm phlebotomiam venarum manus.* Ex qua ſententia liquet manifeſtè, in morbis renum, & lumborum, (ſunt enim hæ partes mediæ inter infernas, & ſupernas) qui tam ſectioni ex talo, quàm ex baſilica ſuccumbunt, ſi vires debiles ſint, ex brachio ſanguinem eſſe mittendum; ſi verò valentes exiſtant,ex ſaphæna eſſe exhauriendum. Quapropter harum partium curationem deſcribentes per venæ ſectionem, hoc dubium Laconicè exponemus. At cùm Auicenna Galeni ſe vbique fateatur interpretem, in hoc dogmate ab huius doctrina minimè diſcedit, qui *lib.de ven.dignot.atque medel.cap.* 4. ſic ait. *Quapropter cùm firma virtus eſt, conuenit ex vena quæ in poplite eſt, ſanguinem emittere: quum debilis ea eſt, reuellere ad ſuperiora, &c.* Ex his diſces, Galenum firmiores vires ad ſectionem venarum inferiorum,quam ſuperiorum expoſtulaſſe.

Primò. Quoniam ſectio venarum inferiorum diuertit ſanguinem à fonte caloris. Secundò. Partes inferiores ſūt frigidæ,oſſeæ,neruoſæ,& exangues,& minus ſanguinis in ſe continent,vt notat Hollerius *lib.1.de morb.intern.c.43.* & ſic penuriam extracti ſanguinis ampliùs perſentiſcunt, vt aduertunt Gentilis,& Dinus Florentinus *in com. Auic.* & poſt eos retulit Nicolus *ſerm.2.tract.* 1.*ſum.* 2. *cap.* 10. Tertiò. Venæ ſectio in partibus inferioribus facta in balneo calentis aquæ celebratur, vtantiquiſſimi Græci, ac poſt hos, Arabes faciendum imperarunt,Oribaſius *lib.7. collect.cap.9.* Auic.4.1.*cap.*20.& alibi:quo lauacro,patentibus venis,liquidiore ſanguine facto, & maiori dolore, in neruoſis & ſiccis partibus,à venæ ſectione,ligatura,& frictione forti contracto,tum amplior quantitas extrahitur ſanguinis,tum ſpiritus viréſque magis reſoluuntur. Lege Rhaſium *lib.7.de venæ ſectione,cap.*21. Quartò Sciſſa vena in talo, ex ambitu ſanguis totus ob grauitatem præceps deorſum ruit.

Si verò Galenus *lib.2.acut.com.*10.venas brachij velociſſimè euacuare aſſeuerat, in cauſa fuit,quoniā extremarum partium venas in balneo non ſecabat. Patet apertè. Nam *lib.de curand.rat.per ſang.miſ.cap.*14. affirmat *ex vena ſecta manus ſummæ nihil effluere mentione dignum*: cuius contrarium accideret, ſi in balneo ſecaretur hæc vena,vt quotidiano experimento ſit compertum; nam ſi permittatur effluere, priùs anima deficiet, quàm ſiſti poſſit. Deinde venæ inferiorum partium etiam ſunt maximæ, ex mente Galeni *lib.6 epid.ſect.* 1. *com.* 2. §.*Vteri venas grandiſſimas habent, &c.* quare ex harum vacuatione reſolutis ſpiritibus citiſſimè vires fatiſcūt. Quapropter venæ ſectio tali plus debilitat,quàm ſectio baſilicæ. Ex his fit manifeſtum, Lazarum à Soto Hiſpanum, virum alioqui de re medica benè meritum, laude dignum non eſſe, qui *in initio animaduerſionum medicarum*, ad libitum, imò petulanter Auicennæ dictum condemnat, qui hoc placitum maxima cum ratione inculcat: nec refert quòd ſuperiores venæ magis elaboratum, magiſque ſpirituoſum ſanguinem contineant,ex cuius vacuatione exhauſtis ſpiritibus citiùs vires fatiſcunt:nam in ſectione tali plures debilitantes cauſæ concurrunt, quæ ampliùs debilitant. Vel ſi aſſeueres, ſectionem factam ex talo plus debilitare partes infernas, hos auctores diſſidentes,inter ſe concordes reddes. Nunc ad inſtitutum.

Num in lumborum doloribus ſaphenæ ſectio ex talo interno,an externo ſit celebranda,nunc explicandum: Cuius dubij ſolutionem hoc ducto exordio enucleabimus. Ex celeberrima illa venæ cauæ deſcendentis diuiſione

A conſtat, venam hanc per vtrumque crus vſque ad pollicem, & minimum digitum, in numeroſam ramorum & propaginum ſobolem diſſeminari, provt Galenus *lib. de arteriar.& venar.diſſect.cap.*1. & *l.3.de anatomic. adminiſt.* & *cap.*12.promulgauit: & non ſiluit Veſalius *l.3.de hum. corpor.fabric.c.*10.Nam diuiditur cruralis ramus in ſex cōſpicuos ſurculos: ſunt autem hi, *Saphæna,iſchias minor,muſcula,poplitea,ſuralis,& iſchias maior*, quas omnes ad varios vſus priſcorum eruditiſſimi ſecabant. Verùm noſtris temporibus,vel propter difficultatem, aut ignorantiam ſecari non conſueuerunt, vel quia fœminæ ea parte ſectionem non patiuntur; poplitea enim in morbis veſicæ, vteri, & teſtium à veteribus tantoperè commendata ſecari non poteſt; ſed illius vice ſecatur vena, ſaphæna dicta in talo interno,qua non apparente ramus illius ad radicem pol-

B licis ſecari ſolet. In talo verò externo,& propè ſolet ſecari vena,quæ iſchiatica dicitur, qua non apparente, ramus illius prope digitum minimum tundi ſolet.

Si ergo dolor lumbos occupet, tunc ad ſectionem iſchiaticæ accedere oportet,ſi verum eſt, vacuationes ſecundùm rectitudinem celebratas, citiſſimam afferre vtilitatem, ita vt ſectis ſecundùm rectum venis, & patientes, & familiares ipſorum ſæpenumerò obſtupeſcant,ſic monente Magiſtro *lib.de curand.rat.per ſang.miſ.cap.*16. nam ſi ſecundùm rectitudinem non vacuaueris, neque affectæ parti medeberis,& ſanam ſemper lædes, *vt lib. de tremor. cap.5.* notauit Galenus. Cur ergo ſi iſchiatica per partem externam porrecta,maiorem rectitudinem,& conſenſum habet cum lumbis, quemadmodum ſaphæna cum veſica, vtero,& teſtibus,illa in lumborum morbis, ſicut & iſchij affectibus ſecuriſſimè non ſecabitur? Probat Manardi s

C 12.*epiſt.5.in med.*

Deinde. Si in coxendico dolore; qui iſchium, partem externam ſolummodò infeſtat, auctores in talo externo ſecandam eſſe venam monuerunt, de quorum numero ſunt Auic.22.3.*tract.*2.*c.*24. Rhaſius *lib.de ægritud.iunctur.cap.*19.& *lib.9.ad Almaſ. cap.* 32. Serapio *tract.* 4. *de ægritudinib. iunctur. cap.*2. Meſuē *eodem tract.cap.*5. Guainerius *eod.tract.cap.*21. Mercat.*l.4.de morb.intern.c. in fin.* Fuchſius *in com.cap.*18.*Gal. in lib. de curand.rat. per ſang. miſ.*& alij. Cur etiam in dolore lumborum,venæ ſectio in talo externo tutiſſimè non adminiſtrabitur.

Neque putes hos auctores ad libitum fuiſſe loquutos, cùm extima cum extimis, intima cùm intimis maiorem habeant conſenſum. Hunc aſpiciens Dictator ſummus *lib de oſſium natura,num.*12.ſic inquit. *Oportet igitur vena-*

D *ſectiones in doloribus in dorſo,ac in coxendicibus,à poplitibus facere,& à malleolis foriniſecus,&c.* Sententiam eius amplectitur, Galenus *lib.2.de natur.human.in com.8.§.Venā itaque ad coxarū,& dorſi dolores,in poplitibus ſecabis, & exterioribus malleolis,&c.* Hi ergo non ob aliam cauſam, niſi maiorem rectitudinem, hanc ex hac parte faciendam imperant vacuationem. Quantum autem operetur rectitudo in vacuationibus,quæ fiunt vel ab arte,vel natura, explicat luculenter Thom.à Veiga,*in com.c.95. l.art. med. Gal.*

Obiicies Galenum contrà ſententiam *lib.6.aph.com.*36. dum ſic inquit. *Secare autem interiores: hoc dictum paruam vim habet. Ab vna enim ambæ naſcuntur,in poplite trifariam diuiſæ quoniam & vna vena ad hoc peruenit membrum, non ſicuti ad manum duæ. &c.* Hanc dicendi phraſim æmulatur Auic.4.1.*cap.* 20. cùm ſaphænam, & iſchiaticam, ad-

E ſimilis eſſe iuuamenti confirmauit. Sed hi auctores originem venarum attendunt, non rectitudinem, cuius cauſa, externa cum extimis facilè conſentiunt. Quapropter depoſita grauante plenitudine, venæ baſilicæ ope, è talo externo ſanguis eſt emittendus.

Quòd ſi ad celebrandam hanc vacuationem, vel deſint vires,vel ſufficienter ſanguis ſit extractus,tunc incredibili efficacia,hirudinibus, hæmorrhoïdalibus venis applicitis ſanguinē oportet exhaurire. Lumbares enim venæ cum venis dorſi,& meſaraïcis,à quibus oriuntur hæmorrhoïdales, communes quodammodo exiſtunt: Vnde fit, vt lumbaris hæc affectio, mira celeritate, extracto ex his venis ſanguine leniatur,ac miteſcat:maximè ſi fæcalis ſanguis per has venas purgari conſuetus,aut vterum, ritè

non fluat,aut ex toto ſit ſuppreſſus.In hunc ſenſum Hip. *lib.1.prorreth.ſect.3.com.13. lumborum dolorem, ſanguinem per hæmorrhoides fluxurum, præſagire affirmat:* nullo enim auxilio ſanguis iſte retorridus promptiùs vacuatur. Lege Hollerium *lib. 6.aph.com.* 11. cuiuſdam nephritici hiſtoriam proponentem,qui omnibus celebratis auxiliis, non niſi hæmorrhoide aperta potuit ſubleuari, & Hipp. priùs prædixit *in textu dicto.*

Poſt hirudinum impoſitioně, ſecundum locum tenent ſcarificatæ cucurbitæ, quarum ope interna viſcera excandeſcentia eximiè leuantur. Eundem vſum complent epithemata parata ex ſucco agreſtæ, pampinorum vitis, nymphææ, cucurbitæ, lacte muliebri, caprino,aut olio, aqua roſacea,oleo violaceo,nymphææ.Optima ſunt clyſmata refrigerantia, & quæ calidam lumborum intemperiem mitigare nata ſunt. Purgatio cautè, declinante affectu,& maxima cum præmeditatione celebranda, iis quæ refrigerant,humorémque aduſtum vacuare queunt,quoniam lumborum dolor purgationem per inferiora facĕdam ſignificat, docente ſic Hipp.*lib.4.aph.*20. Nec diſplicet leuiſſimis diureticis humorem ad vrinæ vias diuertere,vt fecit *hoc loco* Rhaſius,quoniam quæ in lumbis ſunt, per vrinæ vias expurgantur,ex Gal.*lib.*11.*meth.cap.*9.

Si verò ex alicuius partis vicinæ obſtructione, vel ex humore in ipſis lumbis infarcto & obſtruente, oriatur dolor,verendum ne in hydropě commigret affectus,iuxta Senis edictum *lib.4.aphor.*11. túncque ab auxiliis ſanguinem exhaurientibus abſtinendŭ, vel parciſſimè eis vtendum: aduertendo nullum auxilij genus quidquam frugis allaturum,nî obſtructionem priùs perſanes.Quamobrem cuius viſceris obſtructio ſit, expendes, & ablata obſtructione partem roborabis. Sed quoniam ex veterum mente in curanda obſtructione inter omnes palmam præripuit Mercatus, eum lege *lib. 2.de virgin. & viduar. affect. c.6.& lib.4.de morb.intern.cap.5.*

HIST. CXXVII. ACTVARII,
De renum dolore.

Renum dolor,cum vrina nigra,à frigiditate ſubortus, calidis curatus.

*EGo nimirum memini me vidiſſe vrinam nigram.Venit quidam matulam deferens, in qua vrina nigra ſpectabatur. Veruntamen vbi vrinam feciſſet, nequiuit venire erectus, ſed venit valdè incuruatus:nam ſenſerat circa renes, vehementes dolores. Retulit quoque priuſquàm inciſa fuiſſet vena,mediocriter doluiſſe ex renibus, atque ſatis ſanguinis fluxiſſe:poſteà verò dolores vehementer exuſtos, ita vt prauè affecerint hominem. Erat autem tum hybernum tempus, atque pluſquam decebat frigidum. Igitur hæc videns, & audiens, conſideraui * immodicam quandam frigiditatĕ in cauſa eſſe, dixique opus eſſe,vt calidioribus vteretur,&c. Actuarius* lib.1.de cauſ.vrinar.cap.13.

PARAPHRASIS.

REnes dolere ob calidam, frigidámve intemperiem, ita notum eſt, vt longiori indagine non ſit opus. Ex flatu frigido, craſſo, nebuloſo dolorem concitari oſtendit tenſio in parte, quam magnam perſentiunt ægrotantes, ita vt neque moueri, neque erecto corpore incedere poſſint.In hoc ægro dolorem à frigida cauſa habuiſſe ortum argumento erat, quòd à venæ ſectione malè habuerat, cùm hoc auxilium pro renum dolore mitigando ſit præſtantiſſimum, quando à calida intemperie proficiſcitur. Cùm enim flatus doloris cauſa eſſent, phlebotomia nimiùm obfuit, cuius vi calor innatus langueſcit valdè, & ſic extracto ſanguine, cuius penuria vires fatiſcunt, & cuius præſentia abſumuntur flatus,& ignis internus perſeuerantiam habet, ſæuior dolor ægrum excruciauit. Hoc modo flatu abundante, & exuperantibus ſuccis crudis, tantoperè abſtinet à venæ ſectione Galenus *lib.de curand. rat.per ſang.miſ.cap.*10. Nam ſequitur frigidorum cruditas, apud Auic.4.1. *cap.* 20. §. *Et ſummoperè tibi caue, ne ægrum ad vnam duarum rerum perducas, ſcilicet frigidorum cruditatem, &c.* Quoniam ſecta vena in copia frigidorum ſuccorum, hos crudiores ad ſanguinis abſentiam remanere eſt certum. Sic apud Auic.4.1.*cap.*20. *colica, & phlebotomia rarò eueniunt*: oſtendens nimirum in colico dolore, qui ferè à flatu, pituitosóque humore oritur, raro eſſe ſanguinis miſſionem exercendam, ſicut nec in alio frigido affectu, quem ſub colico dolore comprehendit: nam ſub vno exemplo cætera intelliguntur, vt monuit Galenus *lib.1.acut.com.*33.*&* 3.*eiuſd.com.*42.*&* 61.De qua re lege Dodonæum *lib.obſ.cap.*22.

Cùm enim à iuuantibus & nocentibus, magna ad cognitionem morbi ſumatur indicatio,ex Gal.*lib.*10.*de compoſ.medic.ſec.loc.c.*2. & facta venæ ſectione dolor exacerbaretur magis, eſſétque hyems rigidiſſima, in eam deuenit opinionem, vt putaret à frigiditate natum eſſe dolorem, & calidioribus auxiliis fore oppugnandum.

Deterrebat ab hoc iudicio vrina nigra, quæ ferè caliditatis exaſſantis eſt ſoboles. Non obſtat hæſitatio;nam huius vrinæ duplicem ſtatuit in hoc capite cauſam;quoniam ob frigiditatem nigreſcit vrina, vel ob caliditatem,materia contenta in venis aſſata.Vt ergo hanc litem dirimeret, oſtenderétque aliquando à frigiditate hanc vrinam originem habere, hanc hiſtoriam in propatulum propoſuit, cenſens hunc dolorem renalem calidis præſidiis fore debellandum.Quæ autem ſint hæc,paſſim inuenies apud auctores,qui de doloris renŭ curatione accuratè ſcripſerunt.

QVÆSTIO LX.

Quòd vrina nigra à frigiditate oriri poſſit,vt voluit Galenus. Contra Mercurialem,& Brauum Petraſitanum, Medicos eximios,

COMMENTARIVM.

I*Mmodicam quandam frigiditatem.*] Dum nuper recentiorum exemplaria, circa vrinæ nigræ efficientem cauſam ſitienter verſarem, defloraturus quæ Principum hiſtorias polirent opulentiùs, in margine *libri.3. de excrementis* clariſſimi Mercurialis, quædam adnotata comperi, quæ & tranſpoſuiſſe operæpretium cenſui, vt nulla non in re medicæ facultatis ſtudioſos iuuare poſſem. Is enim illuſtris auctor *in cap.3.* licèt ſit Galenicæ doctrinæ amantiſſimus, ab ea, argumento neruoſo coactus, diſcedere cogitur,

Magiſter *lib.1.criſ.cap.12.& lib.2.progn.com.* 29. *vrinæ nigræ generationem,aut ob vehementem frigiditatem,aut propter exuperantem calorĕ fieri* aſſeuerat. *Siquidem igitur priùs micta fuerit liuida vrina, deinde ſic nigra fiat, frigiditatem cuaſam habet. Si verò flaua præceſſerit, & poſteà nigra inuenta fuerit,ab ampliore nimirum caliditate ſuperaſſata,nigra facta eſt,* vt Gal. *cap.* 23. *lib.de vrinis*, & Aëtius *tetrab,2. ſerm.1.cap.*44. approbarunt. Nam ſicuti videmus ſanguinem congelatum nigreſcere, atque etiam particulas corporis extremas mortificatas nigrere:ſic contingit vrinam frigore interno euadere atram. Et quemadmodum experimur, ſanguinem, aut aliam materiam morbificam combuſtam, nigredinem acquirere, & corpora diutiùs ſoli æſtiuo expoſita,nigra reddi: ſic vrina nigra, vel excedentem calorem,aut vehementem frigiditatem præſupponit. Id ſignificauit Auic.2.1.*doct.3.c.2. & part.1.cantieor.tract.2.num.*297. Hanc doctrinam medicinæ proceres vnanimi conſenſu confirmarunt.

Illam tamen perobſcuram eſſe, difficilem, non indignámque vt docti in eius explicatione vires ſuas exerceant,*loc.cit.*iudicat Mercurialis,*& lib.2. variar.lect. c.* 11. *& in com.ſent.29.l.2. progn.* quoniam à frigiditate vrinam nigram generari, putat impoſſibile. Non enim poteſt fieri vrina nigra,niſi à frigore ſummo & intenſiſſimo, vt in externis accidit nigreſcentibus. Sed viuente animali hoc frigus in internis partibus reperiri non poteſt, alioquin interiret homo, priuſquam ad eum ſtatŭ perueniret.

Ergo

Ergo vrina nigra non poteſt fieri à frigiditate. Maior eſt Galeni, *citatis locis*. Minorem probat ipſe *lib. 6. epid. ſect. 5. com. 26.* dicens. *Neque enim quod hanc partem interpretantes dicunt, verum eſt, frigidum ſcilicet, quæ attingat corpora, cogens atque congelans, ita duriora efficere. Hoc enim de refrigeratis partibus, quæ interiùs abſtruſæ non ſunt, rectè dici poteſt. Partes autem ventris adeò rigere nequeunt, vt cibi, potúſque congelati indurentur; ſicut alia extra corpus noſtrum hyeme frigore concreta dureſcunt: priùs enim quàm ita frigeret, homo interiret, &c. Quum enim duæ cauſæ ſint, quibus corpora congelantur & obdureſcunt, altera refrigerans, altera exſiccans, cauſa quidem refrigerans, ad ea quæ in ventre continentur, viuis nobis peruenire non poteſt*, vt loco nuper citato commonefacit Galenus. *Non* enim *tanta in humano corpore frigiditas eſſe poteſt, vt aliquid in ipſo concreſcere in duritiem queat*, vt *lib. 2. de temperam. cap. 3. in init.* monebat Galenus. Hoc eſt argumentum vnicum, quo munitus à Galenica doctrina diſcedere cogitur.

Secundò. Inſurgit Ioannes Brauus Scholæ Salmanticenſis Profeſſor celeberrimus, contra Galenum hoc modo, *in com. ſent. 22. lib. 2. prognoſt.* Nam frigiditas imbecillitat vires, & ſtupefaciendo, actiones naturæ impedit, quoniam nulli functioni ex vſu eſt, ex Auic. 1. 1. *doct. 6. cap. 3.* & Galeno paſſim. Ergo media frigiditate, vrina nigra generari non poteſt.

Tertiò. Vel vrina nigra oritur à frigiditate; quoniam ſubſtantia ſeroſa alteratur à partibus; aut quoniam ob frigiditatem generatur aliquis humor à iecore frigido, qui permixtus cum ſubſtantia vrinæ ſignificat intentam iecoris frigiditatem. Sed neutrum horum dici poteſt, Ergo. Non primum. Cùm enim ſubſtantia potulenta, & pars aquoſa alimentorum, ſit natura frigida, & elemento aquæ correſpondens, ab extrema frigiditate inalterata remanere neceſſariò; quare vrina fieret aquoſa, alba, non nigra. Non ſecundum. Nam media frigiditate generatur magna copia pituitæ, & ſi illa intenſa eſt, fit vitrea, quæ cum vrina permixta, faceret vrinam lacteam, aut charopam.

Sed antequam his duriſſimis nodis faciles imponamus cuneos: Aduerte primò. Calorem noſtrum naturalem, potiſſimum animæ inſtrumentum, & quo mediante ipſius perficiuntur operationes, diuerſorum vrinæ colorum eſſe cauſam, hos vel illos humores generando, qui ob ſuã cum ſubſtantia ſeroſa (hæc enim natura ſua coloris eſt expers) permixtionem, ipſam diuerſimodè tingunt. Quapropter cùm in naturali ſtatu eſt conſtitutus calor, bilem naturalem generat, quæ cùm latitudinem habeat in colore, intra limites naturalis ſtatus, aliquando reddit vrinam pallidam, interdum rufam, ſubrufam, flauam, ſubflauam, quoniam pro diuerſitate temporis, & ætatis, totam hanc latitudinem patitur. Si verò prædictus calor à ſua ſymmetria, temperiéque recedat, ob qualitatis excedentis diuerſitatem, varij humores præternaturales in iecore, & maſſa ſanguinea exuperant, qui cum vrina permixti, ſuo colore intemperiem excedentem exactè demonſtrant. Quare ſi excedat caliditas, limites naturæ egreſſa, humoris calidi & bilioſi adeſt prouentus, vnde conſurgit vrina crocea, flammea, aurea, rubea, &c. Quando excedit frigiditas, frigidi gignuntur humores, vt pituita, aut melancholia. Hæc ergo, quæ ob caloris natiui remiſſionem, & exceſſum frigidæ intemperiei gigni ſolet, eſt cauſa, vt liuida, aut nigra fiat vrina. Nam liuida non ſignificat humores liuidos, ſed nigros parùm permixtos: & pro maiori vel minori permixtione ipſius humoris melancholici, cum ſubſtantia ſeroſa, nigra, vel liuida vrina conſurgit.

Aduerte ſecundò. Humorem nigrum, ex cuius permixtione fit vrina nigra, generari vel propter vehementem caliditatem, à qua exuritur & nigreſcit ſanguis, humor bilioſus, aut melancholicus, & tunc mediatè, hoc eſt, mediante prædicta aduſtione, & permixtione humoris aduſti generari certum eſt. Hoc modo in febribus ardentiſſimis, malignis, ſæpiſſimè eam excernit natura, internum incendium manifeſtè oſtendens: in his enim innatus calor debilitatur, reſoluitur, & veluti extinguitur. Tunc partes depopulato, & abſumpto ſpiritu frigeſcunt, (etiamſi in illis excedat calor præter naturam) calore naturali veluti orbatæ: Hæc frigiditas dicitur priuatiua, & non poſitiua; nam partes ſunt quaſi exuſtæ, & ob immoderatum calorem proximæ ſunt extinctioni. Quemadmodum enim exigua flamma, à magna extinguitur; ita internus ignis exiguus, ab immoderato calore reſoluitur & abſumitur. Hoc modo ſi intelligas Galenum, tutus inceſdes, qui ob frigiditatem priuatiuam, ſeu mortificationem, vrinam nigram oriri aſſeuerat.

Deinde. Si humor melancholicus generatur ob vehementem frigiditatem poſitiuam, ratione cuius magna copia humoris melancholici propullulat, qui permixtus cum vrina in magna quantitate, cùm ſit ater, ipſam reddit nigram, cur color niger à frigiditate non orietur? Tanti eſt momenti hæc ratio, vt *in com. Auic. cit. loc.* acutiſſimus Gentilis, vnà cum Iacobo de partibus, & cæteris expoſitoribus aſſerat, hanc frigiditatem ad vrinæ nigræ generationem requiſitam, coniungi cum ſiccitate debere, vt humor melancholicus generetur: aliàs ſi cum humiditate coniungatur, potiùs humor generabitur pituitoſus. Quare ſi in corpore, & præſertim in iecore reperitur excedens frigiditas (quam ſub nomine mortificationis *lib. 1. criſ. 12.* Galenus intellexit,) mediante generatione humoris melancholici, vrina nigra conſurget. Lege eruditiſſimũ Montanũ *part. 2. medicinæ vniuerſæ, c. 2. de colore vrinæ, poſt med.* & Ioan. Zecchiũ *tract. de vrinis, tit. de vrina nigra.*

Vltimò. Humor melancholicus, etiam in ſtatũ naturali, generatur in iecore per ſubſidentiam, quia ſcilicet in materia, ex qua generatur, calor remiſsè recipitur. Ergo in ſtatu præternaturali, quando calor eſt imbecillior, maior copia humoris melancholici generabitur. Illud concedes cum Auic. 1. 1. *doct. 4. cap. 1.* Nam ſi calor eſt remiſſus, excedit frigiditas: tunc ſubſtantia craſſa, & terrea alimentorum, ex qua humor melancholicus generatur, minus caloris naturalis recipiet, & illius magna copia generabitur. Ergo cùm color niger, ob maiorem prædicti humoris permixtionem generetur, ab intenſa frigiditate eum oriri, ſicut Galenus prædixit, non imus inficias.

Ad argumenta facilis eſt reſponſio. Dic ad primum. Verum quidem eſſe, colorem nigrum in partibus externis ob frigiditatem excedentem, extinguentem calorem naturalem, oriri, hoc tamen in partibus internis non contingere in generatione caloris nigri in vrina: cùm enim hic color ob permixtionem humoris melancholici fiat, debet generari à frigiditate, cum qua compatiatur vita; & ſic non dicit omnimodam extinctionem caloris innati, ſed maximam remiſſionem, ſufficientem tamen ad vitam; & hoc modo *lib. 1. criſ. cit.* intelligendus Galenus. Ex ſolutione huius, ſecundi argumenti expoſitio patere poteſt: nam frigiditas maximè intenſa & morboſa illos effectus producit, cum qua humor melancholicus minimè generari poteſt, quum nulla detur actio in iecore. At verò illa frigiditas, quæ ita excedit, vt non omninò extinguat calorem innatum, neque planè actionem naturæ impediat, eſt in cauſa, vt magna copia humoris melancholici cumuletur; ex cuius permixtione nigreſcit vrina. Neque verum eſt (vt ad tertium pateat ſolutio) nigrum colorem per ſimplicem alterationem oriri, ſed propter permixtionem humoris frigidi, & ſicci. Ex quibus ratum fit ac manifeſtum, Galeni doctrinam ſummo cum iudicio eſſe prolatam, vanámque illorum, qui his argumentis fulti, huius mentem obſcurare pugnaciter contendunt: quo homine, Hippocratis ſeu, vt veriùs loquar, naturæ loquentis præceptis inſtituto, nihil ſtatuo in medicina fieri potuiſſe diuinius.

HIST. CXXVIII. AVENZOAR,
De lapide renum.

Renum calculus, Baſami ope excretus.

ETiã recordor cùm eſſem in carceribus Haly, quòd ipſe miſit ſcriptorem vnũ ſuum, qui erat in cõditione mortis à lapide, & præcepi ei vt biberet tertiam partem vnciæ de optimo

Balſamo,& eiecit lapidẽ cum vrina in ipſo die,&c. Auenzoar. lib.2.theizir,tract.2.cap.7.

PARAPHRASIS.

INter morbos quibus renes quati ſolent,frequentior,& qui plus moleſtat, eſt ipſorum lapis,qui affectus etiam nephritis à Medicis nuncupatur, vt docet Galenus *lib.de ren.dignot.cap.*2.dicens,quod licèt omnis affectus,quo renes laborant,nephritis dicatur, præcipuè tamen calculus, hoc nomen peculiare ſibi vendicat. Eſt ergo calculus renum,corpuſculum quoddam durum, toto genere præter naturam,inſtar lapidis,ſeu tophi in renibus productum.

Num hic affectus ſit morbus,an cauſa morbi, certatim agitant iuniores : ſed quæſtio eſt dialectica, & ad curationem impertinens , auctore Galeno *lib. 5. de loc. cap. 1. in med.*ſiue enim calculum dicas morbum, aut cauſam morbi, pronunciabis vera ; nam quatenus replet & obſtruit, morbi cauſa eſt ; & quà lædit, & impedit actiones veſicæ per ſe,morbus eſt.Tu verò quæ contra obiici poſſunt,ſolue ex Turiſano *lib.3.techni, com.* 37. Quidquid Argenterius *lib.de generib.morbor.cap.9.*aliter ſentiat.

An verò ſabulum in interiori cauo , vel in propria renum ſubſtantia generetur,contendunt multi.Fernel. *l.6. pathol.cap.* 12. arenulas in ſubſtantia produci adſtruit. At illi planè aduerſatur Galenus *6.epid.ſect.1.com.5.*tum calculos, tum illas in renum cauitate gigni aſſeuerans : non enim quòd rubræ ſint, & duræ,reniſque ſubſtantiam,colorémque retineant,in propria ſubſtantia produci dicendum eſt; hoc enim accidit, quoniam ferè contingit, cum ſanguine illic pituitam permiſceri : in veſica verò albi potiùs naſcuntur calculi, quum pituita ſæpè in eius cauitatem pura prolabatur,in renibus verò tranſcolata priùs, & ſubinde à ſanguine prorſus ſecreta.

Nullus eſt morbus adeò carnifex quàm lithiaſis; quare in eius curatione & præſeruatione Medicorũ peritiſſimi indefeſsè inſudarunt ; & præter alios , qui de huius affectus curatione ſcripſerunt , legendi Gerardus Bergenſis *l.de articulor. & renum morbis,*Kentmannus *libel. de calculis,* Fonſeca *lib.de calculoſis,*Euſtachius *lib.de renibus,*celeberrimus Ioannes Beuerouicius *proprio tract.de calculo renum,* qui ex ſua & magnorum virorum doctrina,de eodẽ argumento diſceptat politè,eleganter,& doctè. Num verò lithotomia renum & veſicæ à veteribus celebrata, ſit aliquando exercenda , reperies apud Schenckium hiſtorias miras, ex probatiſſimis auctoribus decerptas, quibus hoc auxilium non eſſe impoſſibile cõprobatur.De hoc inſtituto lege Septalium *lib.7.caution.medicin. num.* 126.

Inter plurima,variáque præſidia,quæ pro lapidis curatione à Medicis proponi ſolent , Balſamum eſt celebratiſſimum, ſecuriſſimúmque auxilium.Hoc ab arbore quadam pretioſiſſima per inciſionem extrahitur, de cuius ortu,ac magnitudine , tanta eſt inter auctores ſententiarum varietas, vt ſi illos numerare intendas, priùs in ipſo limine obruaris, quàm optatam metam attingere poſſis.Iuſtinus Hiſtoricus *lib.36.*& Hegeſippus *lib.4.de excidio vrbis Hieroſolymitanæ. cap.* 17. Auguſtani Medici *in pharmacopœa , in prolegomenis , tit.de balſamo* , balſamum verum in Iudæa naſci affirmant.Theophraſtus *l.9.de plantar.hiſtor. cap.6.*& Plin.*lib.*12.*cap.*25. in Syria oriri arbitrantur. De quo argumento Sebaſtianus Munſterus *in deſcriptione Iericho,& lib.6.cap.prop.& lib.1.cap.*31.Strabo *lib. 16. Geograph.*Ruellius *lib.1.de natur.ſtirp.cap.* 35. & alij diligentiſſimi Aromatum ſcriptores,plura literis conſignarunt. Dioſcorides *lib.1. cap.* 18. inter arboreſcentes plantas locum obtinere affirmat,& perpetuis caudicibus. ramis foliiſque conſtare tradit.

Quidquid ergo ſit de eius ortu , magnitudine , deſcriptione,verum balſamũ probauimus , ſi laneæ veſti inſtillatum,maculam nullam relinquat,ſi lacti, aut aquæ infuſum coagulet. Sed non miror hoc modo hodierno tempore non poſſe probari , quum pretioſiſſimus hic liquor ad nos adulterinus afferatur;qua ratione Galenus, vt verum à falſo dignoſceret,in Iudæam nauigauit , vt conſtat ex ipſo,*lib.1.de antidot.cap.1.& 13.*

Generoſum hoc medicamentum , calidum cúm ſit & & ſiccum exceſſu ſecundo , ex Galen. *lib. 6. ſimpl. tit.de balſamo* , eſt tenuium partium , menſtrua prouocat , ſudorem prolicit, ſecundinas extrahit , tenebras oculorum abſtergit, horrores diſcutit,vlcerum ſorditiem expurgat, cruda concoquit,vrinam mouet,ægrè ſpirantibus prodeſt, ſerpentum, & beſtiarum ictibus virulentis medetur, pulmonum vitiis, tuſſique antiquæ auxiliatur, comitialibus, & vertiginoſis remedio eſt , ſquammas oſſium extrahit, obſtructiones aperit , neruorum affectionibus ſuccurrit, cerebrum roborat , emplaſtri modo applicitum eaſdem ſortitur vires, arenoſam ſubſtantiam epotum extergit,renum & veſicæ vias mundificat , harum partium lapidem comminuit, quum craſſos & concretos humores per vrinæ vias expurget, & tenuitate ſua , denſas compacti lapidis partes penetrans,ipſum in minutiſſimas portiones diuidat. De huius præſidij viribus eximiis fusè egere, Auic. *lib.2.tract.2.cap.*84.Serapio *tract.de plant.c.* 140. Dioſcoridis interpretes *loc.cit.*Hermolaus *lib.1.corol.*18. Monardus, Fragoſus, Proſper Alpinus *in ſuis dialog. de Balſamo,* Caſtor Durantes *in ſuo Herbario,lib.6.cap.de Balſam.*Saladinus *cap.penult.in Nicol.*

DVBIVM LXX.

Num ſolus homo inter cætera animalia calculo laboret.

MVlta ſiquidem *ſuprà in com.hiſtor.*37. non citra delectum congeſſimus, cùm de efficiente cauſa generationis lapidis ſumus loquuti : nunc de materiali cauſa agendum eſt. Nam cùm renes ſero expurgent ſanguinem, & quidquid tenue ac ſeroſum , cum ſanguine ipſo permixtum exiſtit in iecoris vaſis,ad ſeipſos attrahant per vaſa emulgentia , his latiùs patefactis nonnihil etiam ex craſſioribus ſuccis ſimul illabitur : ſi ergo id per vreteres facilè non deſcendat cum lotio , ſed detineatur ; vel propter expultricis imbecillitatem , renum denſitatem , vel meatuum anguſtiam , diúque impactum hæreat cauitati, ab immodico viſceris calore ita exuritur & areſcit , vt partim humiditate ſeroſa conſumpta , partim ad veſicam deſcendente , reſiduum , denſum , terreum & craſſum euadat , ac lapidis inſtar durum ac concretum , quod pro ratione materiæ, & agentis intemperantiæ , aliquando in inſignem magnitudinem , & duritiem accreſcit. Atque is eſt calculi in renibus generandi modus , quem aptè aſſimilauit Trallianus *cap.de lapide renum,*Halyab.9. *theoric.* 34. & alij , fictilium vaſorum efformationi ex terræ luto , & ſolari vel igneo æſtu. Quemadmodum enim figulina , vel vitrea vaſa , ex idonea materia confecta , ad ſolem , aut ignem ideò exſiccantur , vt tanquam in lapidem indurata , nec ab aqua emolliri vnquam , aut dilui poſſint : ita ab igneo renum calore, durum poſſunt concipere , ex viſcidis, craſſiſque humoribus , lapilli. Quare cauſa lapidis , eſt craſſus lentúſque humor.

Hoc modo lac, præſertim vaccinum, calculis gignendis eſt aptiſſimum, ex Gal.5.*de ſanit.tuend.cap.7. & lib. 3. de aliment.facult. cap.de lacte.* neque enim quia bilioſum eſt , & ob hoc febrientibus interdicitur , 5. *aph.*64. ſed quia plurimum caſeum habet , & ſic ſecundùm partes caſeoſas , in ſtomacho vel iecore æſtuante , in craſſum abit ſuccum , à quibus intra calentes renes aduſtis lapis generatur. Neque ex hoc inferas , fœminas , quia redundant craſſis ſuccis , frequentiùs calculo tentari, cùm contrarium aſſerant Auic.18.3.*tract. 2.cap.* 17. Serapio *tract.4.cap.*19. Halyab. 9.*theoric. vlt.* nam licèt fœminæ ſint pituitoſæ,& multas aceruent cruditates coagulationi aptas , quia tamen non retinentur , immò facilè excernuntur cum vrina , propter amplum breuéque veſicæ collum quod habent , non ita frequenter calculis, præſertim veſicæ ſunt obnoxiæ.

Sed pro maiori explicatione, expediendum eſt dubium quoddam , quod ſuperiorem doctrinam vehementer impugnat.Nam ſi craſſitudo materiæ calculis occaſionem

præſtaret,

præſtaret, cætera animalia, excepto homine, calculis eſſent obnoxia: nam hæc craſſis ſuccis redundant, ex crudis cibariis, quæ citra delectum ingerunt, & turbidis quas potant aquis. At contrarium aſſeuerat Ariſt. 10. *probl.* 42. ſolum hominem calculo laborare aſſeuerans.

Vidit inter omnes dubium hoc Mercurialis *lib.* 2. *de morb.pueror.c.*21. dicitque cum Conciliatore *in com. probl. Ariſt.* qui eum vidit extractum è veſica ſuis, aliquando cætera animalia, licèt rarò, calculo laborare. Nec mirum, nam Garzias ab horto, *in l.de hiſt.aromat ſimpl.apud Indos naſcentium, cap.*5. aſſerit, lapidem Belzaar generari in ventriculo cuiuſdam animalis, quod Perſica lingua vocatur *Pazam.* Et Nicolaus Monardus *tract. de lapide Belzaar,* (quem clariſſimus Carolus Cluſius ex Hiſpanica lingua in Latiam trãſtulit) non ſolùm in ventriculo, ſed in variis corporis illius partibus internis, & renibus enaſci. Immò Plin.*l.*11.*c.*9. in iuuencarum ventre lapidẽ ſcribit inuentũ: & Scaliger *exercit.*125. reperiri in veſica fellis tauri affirmat: & in cãcris, & teſtudinibus, & eiuſmodi aliis generãtur, ſed potiſſimũ in homine, atque in renibus, & veſica.

Cur vero ſolus homo inter alia calculoſus ſit, Ariſtoteles refert ad canalis veſicæ anguſtiam, ratione cuius non ita facilè prodire queũt terreæ & craſſæ humoris portiones, quæ ſimul cum tenui, & ſeroſa humiditate labuntur; retentæ enim à calore loci ampliùs craſſeſcunt, & in ſe reuerſæ cohærent, concreſcúntque in lapidem. In aliis verò, quæ mingunt animalibus, ob patentiores veſicæ meatus protinus excernuntur, non retinentur, quod ad calculi generationem ſummè eſt neceſſarium.

Licèt autem de ſolo veſicæ lapide loquatur Ariſtoteles, ad renalem etiam poteſt extendi ratio. Latiores enim habent iumenta, & pecora vias omnes vrinarias, quàm homo, quod eorũ craſſæ, perturbatæque vrinæ 4. *aph.* 70. manifeſtè demonſtrant: ſic fortè prouidente natura (quæ cunctorum ſaluti, & incolumitati proſpicit) imminentibus morbis, ex crudis & craſſis cibariis, quæ bruta ipſa ingerere ſolent. Alij frequentem calculi occaſionem in homine putant, detentionem materiæ, ſed non tam ob natiuam meatuum anguſtiam, quàm propter obſtructionem ex lento, & craſſo humore in renibus, quæ non ſolùm calculi, ſed & plurium morborum origo eſt: quoniã enim homo ex alimẽti copia, exercitij inopia, obſtructionibus frequenter corripitur, & ex naturalium facultatum debilitate, propter diſtractum calorem, quo pollet ad diuiniores alias functiones obeundas: ideò quanquam proportione ſui corporis, inſito calore ſuperet aliqua animalia, & temperamenti perfectione vltimum mixtorum ſit, & finis miſcibilium, creberrimè ægrotat, & calculo frequentiùs affligitur.

DVBIVM LXXI.

Num pueri, veſicæ calculis; ſenes, renum lapillis magis ſint obnoxij.

CAlculos in puerorum veſica frequentiùs, in adultis verò, ac ſenibus in renibus generari, omuium Medicorum conſenſu pro confeſſo habetur. Nam pueri lapides aceruant, quoniam edaces ſunt, intempeſtiuè mouentur poſt cibum, vnde crudus ſuccus gignitur, & incoctus in venas diſtribuitur. Lactentibus verò, & materia ipſa occaſionem præbet; lac enim natura craſſum eſt, & ad calculos creandos aptiſſimum, ex Gal.6.*epid.ſect.*3.*com.* 15. Accedit alia cauſa, ex Gal.*lib.*1.*criſ.*12. nam cùm vna ventriculi operatio non poſſit duobus ſimiliter ſufficere; augendo ſcilicet, & alendo, propteтеa antequam alimentum in ipſo ſit coctum, ipſum ad ſe corpus attrahit, atque hinc fit, vt plurimum coaceruet.

Sed cur in pueris in veſica calculi magis generentur, quàm in ſenibus, quod *cit.epid.* docuit Hipp. explicat Gal. *in com.* Ex hoc ergo deducere poteris non inualidum argumentum contra Fernelium *lib.*6.*path.*13. qui noua, falſa tamen, & fabuloſa opinione, aliam occepit cauſam calculi veſicæ inueſtigare, ac comperiiſſe monet, omnem calculum in veſica concluſum, rudimentum quoddam è renibus traxiſſe è quibus per nephriticum dolorem exiẽs, ſi grandiuſculus eſt, in veſica aliquandiu hæret, ac plerumque perſiſtit, illicque allatarum ſordium adhæſu coagmentatur, quouſque verus, ac confirmatus lapis fiat. Nam præter multa, quæ contra eum obiicit acutiſſimus Duretus *in com.ſent.*6.*cap.*22.*Coacar.Hipp.* & alij qui eius argumenta diſſoluũt, oblitus fortè fuit vir iſte, pueros ferè omnes, calculo veſicæ laborare, quorum tamen vix vllus tanquã renum calculo anteà eſt oppreſſus, vt probant Cardanus *lib.*3.*aph.com.*26. Braſauolus *lib.*4.*aph.*79.

Gal. ergo *loc. cit. epid.* cauſam huius euentus ſic inquirit. Cùm enim renes, calore ampliùs quàm veſica abundent, craſsíque ſucci & pituitoſi in pueris, ob caloris innati inopiam fuſi ſint, & veluti liquati, in eorum renibus tranſcolantur, neque inibi immorantur, quia non craſſeſcunt; in veſicam autem decumbentes, ita ob loci innati calidi languorem ipſos craſſeſcere contingit, vt diutiſſimè parietibus veſicæ adhærentes, poſſint illic remorari, caloréque loci ſenſim lapideſcere. Contrà in ſenibus accidit potiùs, lentos craſſóſque ſuccos in renibus hærere per moram, ita vt ad veſicam vix pertranſire queant: quoniam ob innati caloris remiſſionem, tenaces ſucci fuſi, vt in pueris, eſſe non poſſunt.

Sed cur non frequenter in pueris non generãtur in renibus calculi, quum calor renum in omni ætate, & ſexu, validior & intẽſior ſit, quàm veſicæ; maiórque in illis, quàm in ſenibus, qui craſſum, glutinosúmque humorem congeſtum, diu retentũ exaſſare, & lapidis inſtar congelare poteſt; Dic, quia ſenibus maior copia crudorũ ſuccorum ad renes colligitur, qui præ ſui craſſitie, meatuum anguſtia, & debilitate expultricis colari nequeunt, aut deorſum ferri cum vrina; vnde renibus ipſis infixi remanent, & tandem vel ab exiguo ſenum calore torrentur, & lapideſcunt.

Sed cur ſtricturæ viarum, durities partium, & debilitas expultricis non reddunt etiam ſenes veſicæ calculis obnoxios? Dic, quia renes non expurgantur. fæx craſſa lapidis materia in ipſis relinquitur, non deſcendit ad veſicam, ſed tantùm pars ſeroſa tenuis, quæ percolari potuit. At verò in pueris, cùm validæ ſint actiones naturales non ita aceruantur, detinentúrque in renibus viſcoſa & craſſa; tum quia humorũ craſſitudo ex velocitate in pueris genita, à multitudine humoris funditur ac diſſoluitur, & liquida, iã reſoluta, & attenuata fertur in renes, atque ideò facilè per eos meat in veſicam (promptè enim etiam per anguſta transfunduntur craſſa, ſi priùs à calore liquẽtur;) tum licèt craſſa materia, & ad lapidis generationem accommoda ad renes perueniat, in illis non permanet, ſed à forti calore fuſa, liquatáque velociter deorſum pellitur ab expultrice robuſta, iuuante ſimul deſcenſum mollitie, & viarum laxitate. Poſtquam autem ventum eſt ad veſicam, quia frigida eſt, neruoſa, & exanguis, amplæque cauitatis, in ea rurſus craſſities illa gelatur, & in lapidem cõcreſcit, ſi diu immoretur, nec ſimul cum ſero egrediatur; per moram enim fæx craſſa deſcendit, & ſubſidet in cauitate. At verò puerorum veſica habet ſufficientem capacitatem ad craſſum terreum ſubſidendũ, non renes, propter eorum prauitatem in exiguo corpore; nec groſſum illud ita facilè cum vrina excernitur, quin ad interualla mingendi neceſſariò moratur & ſubſidet, tandem lapideſcit pueris in veſica, ſenibus autem in renibus quoniam ſua amplitudine locum præbet ſubſidentiæ, & concretioni, ita Gal *cit.epid.* & inter alios Aphrodiſ.*probl.*107.

Cur verò expultrix robuſta à veſicæ calculis, perinde ac renum pueros non liberat, vtrobique pariter effundens cũ vrina fæcẽ, nõ permittens in veſica congeri, ac morari ad concretionem lapidis; cauſa non eſt viarum anguſtia, (cùm ſecundùm Gal.*loc.cit.* multò anguſtiores in renibus puerorum tranſitus, veſicæ autem ceruix vſque adeò lata, vt cuiuſque materiæ craſſitudo per eam facilè tranſmitti poſſit,) ſed vel maior tenacitas materiæ ex lentore per maiorem coctionem acquiſito, ratione cuius magis in vnum coit, conſiſtit, atque adhæret, propter quam cauſam craſſæ redduntur puerorũ vrinæ 2.*prog.*33. vel lãguida expulſio veſicæ puerorũ: quamuis enim illa merè naturalis dicatur, & omnium naturalium robur pueris ineſſe; quia

tamen ad omnimodam vrinæ excretionem non parum etiam iuuant abdominis muſculi, qui interuentu facultatis animalis motiuæ operantur, cuius eſt omnium muſculorum operatio, & hæc ipſa facultas pueris debiliſſima fit, quin & ſenſitiua ad expulſionem veſicæ omnino requiſita: fit vt nunquam veſica mingendo pueris ſatis expurgetur, ſed remanent ſordes lentæ & craſſæ in veſica ipſa, quæ deinde concreſcunt à calore loci: non aliter atque concreſcere ſolent arenæ in matulis, ac multò magis in vaſis anguſti oris, quum non effunditur liquor magno impetu, ſed paulatim, aut languidè.

Notabis ex Auic. 18.3.*tract.* 3. *cap.* 16. pueros obeſos veſicæ calculis eſſe cæteris magis obnoxios, graciles verò & extenuatos, è contra: nam obeſi, ex Hipp. 2.*aph.*44.*& lib.de ſang.miſ.c.* 11. anguſtas habent venas, & hoc modo viſcidæ, tenaces, lentæque materiæ, niſi admodum attenuatæ, percolari non poſſunt, ſed ibidem concreſcunt in calculum, retentæ, & toſtæ,

Aduertes deinde calculoſos excarnes & graciles, maiori periculo eſſe expoſitos; nam ob vigilias, dolores, febrim, frequentem attenuantium medicamentorum vſum facillimo negotio tabeſcunt, & maximè ſi diu hac premantur affectione: nam intemperies illa fit habitualis, à qua de nouo, indies magis ac magis regenerata lenta materia fouetur morbus. Et diſpoſitio iſta non ſolùm fit habitualis, verùm aliquando eſt contracta à primordiis generationis, ex ſeminiſque vitio acquiſita, quare tunc reparari non poteſt. Calculoſam enim affectionem eſſe hæreditariam, primus omnium prædixit Hipp. *lib. de nat. puer. & lib.de loc.* Explicuit deinde Fernel. *lib. 6. pathol. cap.*12. firmauit Marcellus Donatus *lib.* 4. *de hiſt. mirabil. cap.*30. Quo pacto autem ſit curanda, propoſuit Mercat. *lib.de morb.hæreditar. in princip.* diligenter, & ſub exemplo Phthiſis, confirmat grauiſſimus auctor, Valleriola, *lib.*3.*obſeru.*6.

HISTOR. CXXIX. AETII,
De calculo renum.

Ad lapidem renum, paſſerculus troglodytes, remedium laudatiſſimum.

NAturalē autem vim omnino admiratione dignam habet paſſerculus troglodytes aduerſus calculoſos. Itaque ſale conditus, & crudus in cibo acceptus morbum perfectè ſanat. Et noui quoſdam, ob eius vſum, nunquam ampliùs ab affectione vexatos, &c. Aëtius tetrab. 3. ſerm. 3. cap. 11. *Et Trallianus* lib. 9. cap. 3.

PARAPHRASIS.

PLurimùm laborare Medicos in nephritico dolore cognoſcendo, quando videlicet colicum dolorem mentitur, *ſuprà in com. hiſt.* 94. ex Galeni mente oſtendimus: maximé cùm nullum ſit certum lapidis renum indicium, vt Syluaticus *controu.*32. & Carterius *diſp.*53. *ad libros de locis affectis Galeni*, comprobarunt eleganter. Cùm verò cognoſcitur affectus, vix auxiliis ſuccumbit; nam renes calculoſos arduum eſt præſeruare à gignendis calculis, cùm hæc affectio homines comitetur vſque ad mortem, ex Gal. *lib.* 2. *aph.com.*40.

Veterum doctiſſimi, calculis renum, & veſicæ, inter præſidia omnium longè præſtantiſſima, & efficaciſſima, hoc ex aue troglodytica paratum, miris laudum præconiis, tam ad præſeruationem, quàm curationem celebrarunt, quod à proprietate, ſeu tota ſubſtantia prodeſſe teſtantur Galenus *lib. de ren. dignot. atque curat. cap.* 7. Marcellus Empiricus *lib.de medicament.cap.*26. quicquid nullum dari medicamentum à tota ſubſtantia lapidem frangens, ſomniet Pereda *in com.cap.*47. *l.de curand.morb.Paſchalij*, quem Aëtius coarguit hoc in loco, & poſt eum comprobauit Emmanuel Stupanus Baſileenſis *in theorica, cap. de lap.ren.*

A Auis troglodytes nomen habet à ſubeundis troglis, id eſt, cauernis, vt & Troglodytæ populi. Pyrgites verò vulgò apud recentiores Græcos paſſer communis domeſticus eſt. Recentiores quidam Medici, & Arabes, pro troglodyte paſſere, caudam tremulam interpretātur, & ab aliquibus dicitur motacilla, & nomine corrupto, tanquam Arabico Auic. 18.3.*tract.*1.*cap.* 19. *traguliridico* vocatur. Hæc auis iuxta ſepes & muros victum quæritat, omnium auicularum minima, ea excepta, quæ Regulus appellatur: ſimilis eſt autem regulo in multis, præterquam quòd in fronte auricolores pennas non habet. Eſt etiam troglodytes paſſer paulò maior regulo, & nigrior, caudáque ſemper ſubrecta, & albo colore, magiſque garrulus quàm regulus eſt, & ſanè iuxta ſummum alæ, lineamentum ciB nerei ampliùs coloris: breues item volatus facit. Huius deſcriptionem, & effigiem pete à Geſnero *lib.* 3. *de auibus, proprio capite de paſſerculo troglodytico.*

Hic itaque & ſale conditus, & crudo in cibo acceptus morbum perfectè ſanat: nam calculos iam concretos per vrinam expellit, in poſterúmque generari prohibet; cuius combuſti cinerem, adiecto piperis momento, cum mero epotum, celeberrimum eſſe auxiliū pro curandis, & præſeruandis calculoſis, memoriæ commendarunt plures, de quorum numero ſunt præcipuè Auic. *loc.cit.* Scrap. *tract.*4. *de ægritudinibus renum, cap.*21. Paul. *lib.*3.*c.* 45. Matthæus Gradius *in com.cap.* 14. *lib.* 9. *ad Almanſ.* Nicolus *ſerm.* 5. *tract.* 9. *cap.* 19. Baptiſta Theodoſius *epiſt.* 19. Nicolaus Myrepſus *antidoto* 60. Horat. Augenius *tom.*3.*epiſt.*4. Chriſtoph. à Vega, Altimarus, & cæteri, qui de calculi renum curatione doctè conſcripſerunt.

C *Conditur optimè pennis euulſis, atque inde largo ſale obrutus, & poſtea arefactus, editur. Melius autē eſt, ſi plures inueniantur, coctos eos edere. Exhibentur etiam alio modo. Paſſerculus non deplumis in ollulam coniicitur, ac deinde operculo addito vritur, animaduerſione aſſidua habita, ne fallaris, cùm in cinerem ſit redactus, & in aerē exhalans; vſtione abſumatur totus: conſueuit enim hoc contingere, tum ipſi tum aliis quæ vruntur: quapropter præſtat ollæ operculū nō oblinire, vt per interualla, operculo dempto, vſtionis modum intueamur. Exhibendus eſt autē ſemel omnis vnius paſſerculi vſti cinis per ſe, aut modico pipere admixto, vt ſaporis iucunditate ori commendetur. Vſtus itaque paſſerculus peregrè proficiſcentibus commodus eſt, licétque melle cocto exceptū in promptu habere. Melior autē mihi videtur cōdiendi modus, atque adhuc dictis præſtantior, ſi quis euulſis pennis viuū ſale obruat, quod & ego facio, inquit Phi*D *lagrius. Arbitror enim & ſanguinis naturam quiddam in ſe complecti, quod minimè vulgariter proſit: cui ampliùs ſtercoris efficacia accedit, quā ex vſtione debiliorem reddi planè credo. Proderit etiam eis qui abundant, aſſatos edere integros, ita vt nihil ex iis præter pennas abiiciant. Atque hæc quidē ſunt quæ ſecundùm proprietatē totius ſubſtantiæ efficacia exiſtunt.* Hactenus Aëtius *tetrab.*3.*ſerm.* 3. *cap.* 11. Lege Rodericum à Fonſeca *lib. de calculorum remediis*, & Petrum Vaëzium *in compendio medicament.cap.*15. qui inter ſelecta huic vſui medicamenta, hunc paſſerem reponunt.

HIST. CXXX. RHASII.
De vlcere veſicæ.

E Vlceris veſicæ dolor, opiatis lenitus.

ET erat in filio Dauid, vlcus in meatibus vrinæ, ex quo patiebatur dolorem vehementem, ſimilem dolori parturientis, cui dedi in potu de ſemine hyoſcyami, quar. 1. *opij cerat.*1. *ſem.citrullor.* ℥.ij. *ſem.lactucæ* ℥.j. *ſem.portulac.* ℥.ß. *& mitigatus fuit dolor illius: & hoc factum eſt, dum frequens fuit ipſorum bibitio per dies, & ipſa bibitione dimiſſa excitatus eſt dolor ipſius, & reuerſa ipſa cura exinde mitigatus eſt dolor ipſe, &c.*
Rhaſius lib. 23. continent. tract. 3. cap. 1.

***

PARA

PARAPHRASIS.

MVltis de cauſis contingit exulcerari veſicam; aut ob præcedentem abſceſſum, aut tuberculum quod præceſſit, aut rupturam, ſeu ob fluxionis roſionem, ex materia acri, mordaci & abradente, à capite, aut à toto in veſicam confluente: quod vno è duobus modis fieri dicendum eſt, vno per venam cauam, trahentibus emulgentibus humorem prauum & vitioſum; alio fluentibus humoribus per venas, quibus veſica alimentum ſuſceptat. Plerumque etiam vlcus in veſica concitari ſolet, ex aſpero, duro, & magno veſicæ calculo.

Huius affectus ſigna latè proponuntur ab Auic. 19. 3. *tract.* 1. *cap.* 16. Aëtio: & Paul. *lib.* 3. *cap.* 45. *tit. de abſceſſu, & exulceratione partium per quas vrina deſcendit.* Has autem partes præcipuè vocamus vreteras, ſeu vrinaria vaſa, aut vrinarios meatus: hi enim à ſima renum parte oriuntur duo, concaui, albi, craſſique, arteriarum inſtar neruei, ad veſicam progredientes. Hi ſimplici conſtant tunica, ſed denſa, villis tantùm obliquis texta: ita namque meatus illi diſtendi, ac contrahi facilè poſſunt, & in vriis faciliùs obſiſtunt. Adhærent vaſa hæc peritonæo; ab eóque communem accipiunt tunicam: hinc ſuper lumborũ muſculos ſupertenſa, deorſum ad veſicam prorepunt; eiuſque lateribus reflexu ſinuoſo, & in anfractus conuoluto mirificè implantantur, ne in veſicam illapſa vrina remigret. Sed diſtinguenda eſt, vt Paulus inquit, renum exulceratio, ab ea quæ veſicam, vel meatus vrinarios exercet: nam renibus exulceratis, dolor in lumbis cum grauitate excitatur, & ſine impedimento vrina redditur, cui pus mixtum reperitur, carnoſis particulis innatantibus. Veſica exulceratione experta, tormentum vehemens in pectine, imóque ventre mouet, vrinæ difficultas vrget, pus, vbi reddita eſt vrina, ſubſidet, ſquammulæ adſunt cum odore fœdo, ex Hipp. *lib.* 4. *aph.* 81. Si verò meatus vrinarij ſint exulcerati, etiam puris mixtura medio quodam modo habet, & pilis ſimilia potiùs in lotio feruntur, dolórque mediam, inter renem & veſicam, regionem occupat. Si autem pus, aut ſanguis excernatur, idque citra vrinam, nullius particulæ ex prædictis, ſed pudendorum exulceratio ſignificatur.

Ex fœtore autem, ſeu graui odore puris veſicæ vlcera cognoſces, nam cùm pars quæ putreſcit in veſica, ſit interna tunica, hæcque ſit carnea; tardiùs putreſcit: ſi autem hoc contingat, vel violentiorem & grauiorem cauſam ſignificat, & ſic vehementior concitatur fœtor. Secundò hoc euenit ob mixtionem partium aquearum vrinæ, quæ retentæ vehementiùs putreſcunt, & veſicam corrumpunt & inquinant. Si autem vlcus ſerpat, & altiùs erodat, excernuntur mucoſa, ſanioſa, cruenta, & graveolentia, nam, vt *in com. cit. aphor.* rectè notat Heurnius, ex veſica vlcerata excretum pus graueolet; quoniam excrementa retenta cum vrina, à calore ipſius debili non gubernatur, ſed facilè per putredinem, tetrum odorem concipiunt: quæ ramentis inteſtinorum in dyſenteriis ſimillima, cum dolore, & ardore expelluntur: & ſi ex collo, ſeu ceruice excrementa prorumpant, ea ſunt craſſiora, quoniam huius particulæ ſubſtantia carnoſior eſt, vt Galenus *lib.* 6. *aph. com.* 18. & Realdus Columbus *lib.* 11. *anat. cap.* 10. cæterique docti Anatomici prædixerunt.

Veſicæ vlcus à quauis cauſa ſubortum, vel nunquam, vel rarò, & maxima cum difficultate ſaneſcit, ſed illo prehenſi, indeſinente dolore, febribus, vigiliis, colliquatione, alij citiùs, alij tardiùs occumbunt: multis enim de cauſis huius partis vlcera fiant inſanabilia, eſt neceſſe. Prima: Ob aſſiduam ſuſceptionem excrementi, & eiuſdem excretionem: quæ autem ſanari debent, quieſcant oportet, vt Galenus *lib.* 5. *meth. cap.* 8. propoſuit. Secunda: Excrementi natura acris eſt & mordax, & ob eius retentionem naturalem, acrius, & mordacius efficitur. Tertia: Quoniam medicamenta ob anguſtas vias vim auxiliorum non ſuſceptant. Quare veſicæ morbi difficilis ſunt curationis, quoniam ob longinquas vias medicamenta vires ſuas amittunt, & ſi per pudendum hæc iniicias, hoc ob debilem calorem illa ad actum deducere nequit: quare certum erit periculum in eius vlceribus; nam Hippocrates veſicam diſciſſam non coaleſcere affirmat; quòd non ſolùm de vulneribus, ſed vlceribus intelligendum eſſe, tenet Cardanus *in com. cit. aphoriſmi.* Licèt enim vulnera ſint lethaliora, ſic tamen maiorem ſanitatis ſpem habent; quoniam violenter inciderunt: vlcera autem vt ſunt curatu difficiliora, ita lentiùs mortem inducunt.

Sed ſi omnia ſanationis ſpe carent, vt auctores teſtantur, & Cardanus *ibi* affirmat, cur opiatis, & ſtupefacientibus gloriatur hic Rhaſius hunc veſicæ vlcere detentum perſanaſſe? Dic. Medicamentis citatis non fuiſſe curatum vlcus, ſed dolorem mitigatum. In hac enim hiſtoria, immani dolori opitulari intendit, neglecta ipſius cauſa: ſic cogit ſæpè neceſſitas; nam vrgens dolor cùm virtutem valdè proſternat, gerit vicem morbi, totámque curationem ad ſe vocat, ex Galen. *lib.* 4. *de compoſ. medicam. ſec. loc. cap.* 14. *& lib.* 12. *meth. cap.* 1. 7. *&* 8. Quare mitigandus eſt, quum calorem naturalem maximè deiiciat, ex Galen 4. *aphor.* 6. *& lib.* 4. *de loc. cap.* 7. *&* 2. *acut. com.* 48. Inſuper fluxiones exacerbando, & proritando, reddit partem debiliorem, & ad ſuſcipienda excrementa aptiſſimam, & ſic ſordeſcit ampliùs vlcus.

At cùm plura ſint huic operi vtilia auxilia, narcotica, opiata, ſeu ſtupefacientia ſunt reliquis præſtantiora, quæ indolentia à Galeno nuncupantur, quæ præterquam quòd auferendo ſenſum, partem expertem doloris reddunt; acres etiam & bilioſos humores, vlcus fouentes attemperant & incraſſant. Inter hæc primum locum tenet opium; ex Galen. *lib.* 7. *ſecund. loc. cap.* 1. *& lib.* 9. *eiuſd. cap.* 4. quod cæteris ſtupefacientibus permixtum promptiùs operabitur. Quomodo autem hæc medicamenta ſint permiſcenda, oſtendit inter omnes doctiſſimè Trincauellius *lib. de compoſ. medicamentor. cap.* 9. *de narcoticis medicament. & lib.* 1. *conſil.* 32. *de vlcere in collo veſicæ, ac meatu vrinario.*

Miraberis, cur Rhaſius opium, cæteráque, vt hyoſcyamum, ſemen lactucæ, per ſe ſola incorrecta propinet; contra Galeni edictum *lib.* 8. *ſecund. loc. cap.* 3. *& lib.* 3. *eiuſd. cap.* 1. dicentis, opij, narcoticorúmque vehementem frigiditatem eſſe caſtorio, pipere, & aliis calidiſſimis medicamentis, facultate contrariis corrigendam. Dic: Quod licèt ex Galeni mente aliquando opium incorrectum poſſit propinari, vt latè *lib.* 1. *in com. hiſtor.* 61. diſceptauimus; tamen cùm partes longinquas hæc medicamenta debeant penetrare, calida permiſcenda ſunt; ne in itinere exſoluantur, & viribus deficiant, imò ſi ſint diuretica, tenuium partium, promptiùs illa deferunt ad partem affectam, vt notauit Auic. 18. 3. *tract.* 2. *cap.* 12. Hoc modo, ſi calida ſimul cum narcoticis miſceas, vel poſt hæc exhibita, deinceps correctorium propines, ex arte facies, ſequutus Aëtium *tetrab.* 4. *ſerm.* 4. *cap.* 31. qui poſt opiata, caſtorium exhibet, vt feciſſe Rhaſium, ambigit nemo; nam nec oportet hoc, vtpotè clarum, literis exarare; *quæ* enim *patent ſunt prætermittenda*, apud Galenum *lib.* 2. *de difficult. reſpirat. cap.* 7. nam & *Hippocrates reliquit dicere nota, pronuncians ſolùm obſcuriora*, vt Galenus in eius laudem adſtruxit *lib.* 4. *acut. com.* 72. *& lib.* 6. *epid. ſect.* 2. *com.* 36. quæ repetere non grauatur ipſe *lib.* 10. *meth. cap.* 5. *in med.* Adde non fuiſſe magnam opij exhibiti quantitatem, & maximè per plures dies, & non ſemel aſſumptam; nam cerat eſt ſemiobulus, obulus autem eſt pondus medij ſcrupuli, ex Saladino *in lib. de ponderib. & menſuris:* ita vt tota quantitas opij ſex conſtaret granis, ſi verum eſt, ſcrupulum ex 24. granis conſtare. Cætera verò non ita intenſa pollent, ac opium, frigiditate. Quæ autem pro vlcere veſicæ proponuntur auxilia, inter omnes citant Vidus Vidius *lib.* 10. *de curat. membrat. cap.* 16. 17. 18. 19. Nicolaus Piſo *lib.* 2. *de cognoſcendis, & curandis human. corpor. morb. cap.* 44. & cæteri confirmarunt, qui de vlceris veſicæ curatione peculiare caput conſcripſere.

HIST. CXXXI. TRALLIANI, De vlcere veſicæ.

Dolor ex vlcere veſicæ exortus, ouis crudis recentibus mitigatus.

EGo ſanè noui quendam, qui oua quamprimùm eſſent poſita, ſorbebat citra coctionem: dicebátque ſe plurimùm adiuuari, & roſiones, ac dolores qui circa veſicam oriebantur, mitiores fieri affirmabat, &c. Trallianus lib.9.cap.5.

PARAPHRASIS.

PArs vlcerata, quia debilis, & ex confluxu humorum intemperata, ob calorem, & debilitatem, ingentem humorum acrium copiam recipit, quorum plures in vlcerata parte retenti, acriores redduntur, & ampliùs exulcerant, ſordidiúſque vlcus efficiunt. Deinde, patientes hunc morbum, febribus, vigiliis, doloréque ſummo premuntur,in dies magis ac magis fiunt imbecilles, & contabeſcunt. His omnibus totum ouum mirè ſuccurrit. Nam ſi dolorem ſpectes, ratione albuminis,& vitelli, illud medicamentum anodynum eſt: ſi maciem, reficit exhauſtas vires mirificè, viſcoſitate ſua diuiſas partes incarnat, fluxionem cohibet, lenit, & ſorditiem vlceris abſtergit. Hæc probè reſpiciens Manardus *lib.*10. *epiſt.*5. in tumore vteri,cum aſſidua mingendi difficultate, ingenti doloris moleſtia, renum dolore, ſtranguria, & dyſuria, dolore pectinis; oua nuperrimè nata adhuc calida ſi ſorbeantur, mirè conferre aſſeuerat; nec deſpiciendum remedium, quia vulgatum, cuius vtilitatem refert Ioannes Agricola Ammonius *in com.cap.*4.*lib.*6.*Gal.de loc.affect.*

Sed de medicamentariis ouorum crudorum viribus agendum, oua videlicet integra (id eſt, cum albumine, & vitello,) citra coctionem ſorbentur. Hoc enim modo ſi ſumatur ouum, vlceri renum, & veſicæ, ac ſanguinis mictui prodeſſe, teſtis eſt locupletiſſimus Dioſcorides *lib.*2.*cap.*44. & non ſiluit Galenus 11. *ſimpl.tit.de ouis* firmat Auicenna *lib.*2.*tract.*2.*cap.*527.Deinde totum ouum crudum recenter aſſumptum, fluxum muliebrem ſiſtit, hæmorrhagiam cohibet, ex ſuperiori præſertim parte manantem, lenit arteriam, prodeſt ad inflammationem ani; rupturas, & omnem dolorem perfectè ſanat, ſitim prohibet, raucedinem emendat, ita vt ſi raucus oua incocta recentia per triduum ieiunus hauſerit, ſtatim ſanetur, auctore Marcello *lib. de medicament. cap.* 16. auxiliatur purulentis, humores in thorace contentos ſecat, pectus mundificat, & illis, quorum guttur clamore exaſperatum eſt, vel acrimonia humoris concuſſum, ſummoperè opitulatur; tenacitate enim ſua partibus affectis inhærens, cataplaſmatis inſtar, & ſubſtantiæ ſuæ pariter lenitate morſus mitigat, atque curat: qua ratione biliofos humores, vlcus fouentes, & dilaniantes infrænat, ac contemperat, excoriationibus internis remedio eſt, aſperitates viſcerum ab acri humore pronatas mitigat. Denique tuſſientibus, pleuritidi, phthiſi, vocis raucedini, ſtricturæ anhelitus, vigiliis, dyſenteriæ, & diarrhœæ bilioſæ mirabiliter confert. Demum, nullus eſt alius cibus; qui in ægritudine alat, neque oneret; ſimúlque vim potus ac cibi habeat, quàm ouum; vt de eius facultatibus, & præſertim de crudis eruditiſſimè promulgauit Plinius *lib.*29. *cap.*3. Quorum vſu, licèt (vt edictum eſt) vlcera veſicæ non curentur, leuatur tamen ex eorum vſu æger, doloribus ampliùs mitigatis, & refectis viribus in longum tempus vitam producit. Num verò totum ouum frigidum ſit, Galenus agitat *loc. cit.* Vitellum autem modicè calidum eſſe, latè contra Matthiolum, Acakiam, & Amatum probauimus *lib.*1.*in com. hiſtor.*59. De ouorum verò facultatibus ad plures vſus, plura dixere Conradus Geſnerus *lib.*3. *de auibus tit.de gallin.* Chriſtoph.à Vega *l.*2.*art. medic.ſect.*3. *cap.*10.*tit.de ouis,*Ioan.Curio *in Arnaldum cap.*8.& 9.*regiminis Salernitan.* Ludouic.Nonnius *lib.*2.*de re cibar.c.*37. qui in eorum virtutibus deſcribendis cæteros antecelluit.

HIST. CXXXII. ACTVARII, & Galeni, De vrina nigra.

Vrinæ nigræ interdum mortiferæ, aliquando ſalubriter, & criticè excretæ.

VErumtamen quem aliquando caſum vidi in ſeruo meo, non pigebit ipſum enarrare: qui fortaſſe quoque aliquo pacto conferet diſputationi prababitæ, atque res auditu non ingrata eſt. Acceſſi ad quendam ægrum,ſequutúſque me eſt ſeruus meus,ea pharmaca deferens,quæ collatura exiſtimaueram ægroto. Atque inibi manu capiens pharmacum (erat enim trochiſcus amarus) miſcui cum eo tantum oxymelitis, quantum ſatis eſſe putaui, atque infudi de feruente aqua, vt liquidius & facilius eſſet ad bibendum pharmacum, idque ægroto præbui. Ille verò calicem labris admouens,poſtquam ſenſit medicamenti inſuauitatem, atque adeò amarus ipſe factus, & cætera ſuperbus, & moroſus, quique ad medicamenta capienda non facilè Medico obſequeretur: volui etiam ipſe ludere,atque redarguere abominationem medicinæ, quæ ingenita ei erat ab animæ mollitie. Itaque vbi dixiſſem, moleſti nihil debere tolerare virum quenquam niſi ad vtilitatem comparandam, dedi ſeruo pharmacum ad bibendum, dixique id non mediocriter collaturum eſſe corpori.Seruus acceptum calicem, manúque labris appoſitum, euacuatum oſtendit: quo facto illinc diſceſſimus. Ipſe profectus ſum quò decreueram: ſeruum verò miſi ad amicum quendam ob rem aliquam neceſſariam, iuſſique vt celerrimè reuerteretur. Erat iter breue,obedientem reperi,atque celeriter reuerſum. Sed vbi ad meiendum coactus eſſet, ei viſum eſt nigrum meiere: mihique retulit idipſum malum, atque cauſam neſciens, ſummoperè contriſtatus eſt. Iuſſi itaque vt poſtera die in matula oſtenderet vrinam: ſic itaque egit, euentum diſcere expectans, verebaturque ne fortè ignorata cauſa, repente moreretur. Ego quoque vrina nigra inſpecta primò miratus ſum, oblitus pharmaci quod nuper dederam, neque quartanam in eo fuiſſe conſiderans, neque melancholiam: ſolummodò tamen videbam temperaturam eius vergentem ad quendam purum humorem nigrum.Sed hanc ſolam non credidi fuiſſe cauſam facti, nulla altera reddita cauſa. Poſtquam verò recordatus ſui medicinæ quam exhibueram,intellexi rem, atque riſi, iuſſique puerum confidere,ita vt ei nihil mali expectandum eſſet. Vrina autem plurimùm erat tincta nigrore: quoniam (vt puto) non ſæpius vſus fuerat ea medicina. Poſtera verò die vrina apparuit veneta; & die quæ hanc ſequuta eſt, mutata eſt ità vrina, vt ad eam quæ ſecundùm naturam eſt, conceſſiſſe ſpectaretur. Fortaſſe à principio non fuiſſet tincta vrina tam facilè ab ebibito pharmaco, niſi etiam labor magnopere adiuuiſſet, quod ita facilè medicamentum diſtributum fuiſſet,& vigentem materiam, atque abundantem attraxiſſet, &c. Actuarius l.1.de iudiciis vrinarum, cap.20. *Galenus* lib.3.epid. ſect.3. com.73. §. Equidem quandam noui, quæ talibus vrinis magna copia vacuatis, auxilium percepit &c.

DVBIVM LXXI.

Num vrina nigra aliquando ad bonum iudicet.

PARAPHRASIS.

GAlenus *lib.*1.*de criſib. cap.*12. *peſſimam* iudicat *vrinam nigram, & neminem ſeruatum vidiſſe ſcribit, ex quis qui hanc vrinam minxerunt:* nam vel maximum incendium denotat, vel partium mortificationem oſtendit,vt priùs prædixit Hippocrates *lib.*2. *aph.text.*32.& 33.& poſt eum aſſeuerant Paulus *lib.*12.*cap.*14. Aëtius *tetrab.*2. *ſerm.*1.*cap.* 44. Hac ratione inter ſigna lethalia febris ardentis Hippocrates vrinas nigras collocat: *lib.*1.*epid. ſect.*2.*text.*75. Cum hac vrina periit mulier, quæ apud frigidam aquam

ægrotabat

ægrotabat in Thaſo, *in lib.* 3. *epid. ſect.* 3. *text.* 73. Eraſinus quoque obiit 1. *epid. ſect.* 3. *text.* 25. & *text.* 84. *lib.* 3. *ſect.* 3. alius obiit. Ob hanc cauſam Auicenna 1. *part. cantic. tract.* 2. *text.* 306. hanc vrinam omnium deterrimam iudicat.

Non eſt tamen ita temerè recipienda, Galeni de vrinæ nigro colore condemnatio, dicebat peritiſſimus Luſitanus *lib.* 1. *de dif. feb. Gal. in com. c.* 5. nam & ipſe vidit Hippocratem contrà pronunciantem *in epidemiis.* Herophon. enim *lib.* 1. *epid. ſect.* 3. *text.* 20. igni correptus, cum vrina nigra, & tenui fuit liberatus: cùm enim curſus humoris aduſti, inquit doctè Valleſius *in com.* in liene feciſſet abſceſſum; licèt vrinæ nigræ tandiu durauerint, ſeruatus fuit æger, quoniam craſſus, melancholicúſque humor vacuatus, ſine maligna corruptione, poteſt tales vrinas parere; atque idcircò cum hac vrina, facta ob mixtionem B ſucci atri, & melancholici, hic æger euaſit, vt notat Mercurialis *in ſuis ad hunc locum commentariis*, & priùs dixerat Galenus *in com.* Sic Epicratis vxor, *in eodem libro, text.* 22. cum eadem vrina ſuperſtes euaſit, licèt morbus (vt ait Galenus *in com.*) fuiſſet periculoſus. Sic Meto cauſo prehenſus cum eadem vrina euaſit, *in text.* 24. *eiuſd. loc.*

Quamuis autem vnum ex ſignis lethalibus febris ardentis indicium, ſit vrina nigra, apud Hippocratem *lib.* 1. *epid. ſect.* 2. *text.* 72. quoniam ab humore bilioſo præ febris incendio toſto originem ducit: tamen cum hac liberatus eſt Heropytus febre grauiſſima laborans, *lib.* 3. *epid. ſect.* 3. 80. & Nicodemus *text. ſequenti.* 81. Quapropter prudentiſſimè dixit Auicenna 2. 4. *tract.* 2. *cap.* 85. *quod non ſemper verificatur iudicium de morte, ob nigredinem coloris in vrina, in ægritudinibus acutis; licèt in ſeipſo ſit ſignum malum, quamuis aſſocientur ei aliqua ſigna mala: nam multoties natura fortis, ac potens facit euacuationes diuerſas.* Hoc C notauit Sennertus *lib.* 3. *pract. ſect.* 2. *part.* 3. *cap.* 3. maximè ſi excretiones nigræ confertim excernantur, vt Hipp. *lib.* 4. *aph.* 47.

Inſuper in febribus longis, in copia humoris melancholici, in ſcabie rebelli, in lienoſis, quartana, ſuppreſſis menſtruis; vrinam nigram ſalubrem eſſe, teſtis eſt Galenus *lib. de atra bile, cap.* 8. §. *Quod igitur nigra, non facta purgatione menſtrua, ſæpè mingantur, quódque mulieres ſic ægrotantes leuari ab his magis, quam exacerbari contingat*, &c. Sic mulier in Thaſo apud Hippocratem *lib.* 3. *epid. ſect.* 3. *text.* 82. cum hac vrina euaſit, quoniam (vt Galenus rectè notat *in commentar.*) *color vrinæ licèt eſſet niger, nihil attulit periculi, quod retenti menſes eſſent magis melancholici.*

Hoc modo poteſt cum vtilitate, vrina hæc apparere. D Vel nigro ſumpto edulio, aut potione diuretica nigrum humorem per vrinam vacuante, vt contigit *hoc loco* Actuario. In quartana prodeſt, vt Auicenna refert 2. 1. *doct.* 3. *c.* 2. quod Valleriola *lib. de conſtit. art. medicæ, fol.* 355. pluries obſeruauit. In vlceroſa ſcabie hanc vrinam ad bonum iudicaſſe vidit Amatus 1. *centur.* 54. In tumore lienis expertus eſt Antonius Valletius *exercit. ad cap.* 40. *Holler. de morb. intern.* In lienoſis obſeruauit Laurentius *lib.* 1. *de re anatomic. quæſt.* 38. In icteritia nigra cum ſalute ægri notauit Crato *lib.* 2. *epiſtol.* Auriginoſum morbum ſanguinis aterrimi ſubitaneo mictu curatum refert Marcellus Donatus *lib.* 4. *de hiſtor. medica mirabili, cap.* 29.

Auic. 1. *part. canticor. tract.* 2. *text.* 307. optimè pronunciauit, *apparentem vrinam nigrã poſt eius fuſcedinem, in morbis ex melancholia, eſſe bonam.* Hoc notarunt poſtea Fernel. E *lib.* 3. *pathol.* 13. Mercatus *tom.* 1. *lib.* 3. *part.* 2. *quæſt.* 190. *num.* 49. Chriſtophor. à Vega, & Ioan. Brauus *in com. ſentent.* 29. *lib.* 2. *prog. Hipp.* Non eſt ergo omnis vrina denigrata, in omnibus morbis adeò peſſima, vt ea exeunte de ægrorum ſalute deſperemus; cum ea micta plurimos ſaluari contingat: maximè cùm pro varietate aſſumptorum multifariam tingatur, vt probat latè Adolphus Scribonius *lib. de inſpectione vrinarum, pag.* 51. Ex quibus hiſtoriæ explicatio eſt facilis. Cùm enim medicamentum ab Actuario oblatum, expurgandi humorem melancholicum & nigrum vim haberet, non dubito quin ex tranſitu humoris atri per vrinam, hæc nigro inficeretur colore. Sed quod eſſet medicamentum hoc, ipſe non explicat, dicens A ſolùm eſſe trochiſcum amarum, per quem ſi trochiſcum factum è pulpa Colocynthidis correcta priùs intelligas, non errabis: nam hoc medicamentũ licèt bilem, pituitamque expurget, ex Actuario *lib.* 5. *de compoſ. med.* cuius doctrinam Arabum ſententia confirmat; tamen ex Aëtio *tetrab.* 2. *ſerm.* 1. *cap.* 84. nigros humores euacuat. Hoc autem ita eſt amarum, vt fel terræ ob immenſam amaritudinem vocetur. Neque dicat quis; eſſe trochiſcum ex Aloë amara factum: nam hoc medicamentum ſolùm bilem, & pituitam purgat, ex omnium auctorum decreto.

HIST. CXXXIII. GALENI, De vrina alba.

Vrina alba, in delirantibus lethalis.

VRinæ tales extremam cruditatem ſignificant, quare & morbos longos ſignificant. Quædam verò ex ipſis, cùm anticipauerint morbi vires diſſoluere, ſunt pernicioſæ, veluti in deliriis. Nullum enim vidi delirantem, in quo talis vrina appareruiſſet, ſaluatum, &c. *Galenus* lib. 4. aphoriſm. in com. ſententiæ 72.

PARAPHRASIS.

DE albo colore vrinæ hoc loco Laconicè agendum; cùm enim quatuor in vrinarum inſpectione ſint contemplanda, color, conſiſtentia, quantitas, & contenta; color primum occupat locum. Præcipuorum autem in C vrina colorum octo ſunt differentiæ: albus, pallidus, ruſus, flauus, ruber, viridis, liuidus, niger. Dicitur ergo res alba propriè, quoniam eſt diſgregatiua viſus, & ipſam viſus non peruadit, ſed cùm ſit ſummæ albedinis, in ipſa terminatur, veluti lac, & nix. Dicitur ſecundo modo, impropriè tamen, res alba, quia tenuis & tranſlucens, & quæ non terminat viſum, ſic aqua dicitur alba, Cryſtallum, Vitrum. Sic vrina dicitur alba, quando tenuis eſt, pellucet, & aquæ ſimilis exiſtit, ſubſtantia, & candore, hoc eſt perſpicuitate, vt notat Galenus *lib.* 1. *prorrhet. ſect.* 2. *com.* 32.

Hæc vrina cùm non dimanat ex multitudine humoris ebibiti, & celeriter mingitur, vel ſignificat maximam iecoris, & renum obſtructionem, quoniam non permittit, D niſi id quod tenuiſſimum eſt tranſire, ac percolari, vel extremam iecoris, & ventriculi notat imbecillitatem, ex intemperie partium frigida ſubortam.

Quum vrina verè ac propriè eſt alba, craſſa tamen, ac perſpicua, vocatur Glauca, copiam pituitæ mucilaginoſæ tendentis ad vitream ſignificans. Quando tamen craſſa eſt, & nón relucens, lactea dicitur, ſuccorum crudorum multitudinem oſtendens; quæ vrina ſi perſeueret, frigidas ægritudines minatur, de quorum numerò ſunt paralyſis, conuulſio, apoplexia, epilepſia, vertigo, lethargus, carus, aſthma, & colicus dolor. Si tamen in chronicis febribus vrina tenuis longo tempore perſeueret, quartanam præſagit, humorum enim craſſorum cruditatem prædicit.

Interdum vrina alba craſſa, pinguis eſt; quoniam pinguedo concreta alba eſt, veluti antiqua palleſcere ſolet; E quæ cùm à colliquatione oriatur, facta ab immodico calore, hecticam futuram præoſtendit.

Sæpiſſimè vrina alba & craſſa, purulenta eſt, quæ quoniam fungis ſimilatur, fungalis dicitur. Hæc ob renum, veſicæ, & meatuum vrinariorum vlcus euenire ſolet, ſicut multoties ob vomicam pulmonis, thoracis, aut alterius viſceris diſruptam, monente Galeno *lib.* 6. *de loc. affect. cap.* 4. cuius mentem *ſuprà in com. hiſt.* 26. explicuimus, & expoſuit Laurentius *lib.* 9. *quæſt. anatomic. quæſt.* 12.

Nonnunquam vrina alba & craſſa, ſpermati ſimilis eſt, *vt* 2. 1. *doct.* 3. *cap.* 2. docuit Auicenna. Hæc criſis ratione plerumque contingit, *vt* 4. *aph.* 74. docuit Hipp. & ſi hoc modo non eueniat, frigidas ægritudines prænunciat.

Eſt & alia vrina aquoſa, quæ verè aquea eſt, & in

tenuitate

tenuitate ſubſtantiæ, & perſpicuitate, aquæ eſt omnino A ſimilis, hæc non ſolùm cruda, ſed incocta eſt ad ſummum, quæ coctionem,& ſpem coctionis omnino denegat,ob facultatis alteratricis imbecillitatem; maximam enim extinctionem caloris præoſtendit, *vt lib.*1. *criſ.*12. docuit Galenus. Nam ſicuti ex miſcella croci tingitur & coloratur aqua, & prout maior vel minor eſt, magis aut minùs coloratur: eodem modo ex miſcella humoris bilioſi cum humore ſeroſo tingitur vrina, & ſecundùm maiorem aut minorem miſcellam,intenſiorem,& remiſſiorem colorem acquirit: nam humor ſeroſus cùm ad aquæ naturam accedat,expers eſt coloris: mixtio enim illa fit à calore per coctionem,cuius munus eſt miſcere.Quando igitur extremè languet calor,& facultas alteratrix eſt imbecillis valdè,nec generatur humor bilioſus, nec permiſcetur cũ vrina,alba, & aquea apparet.Lege de albo vrinæ colore,Chriſtoph.à Vega *lib.*2.*prog.in com. text.*32. Fernel. *lib.*3. *patholog.*13. B Mercat.*tom.*1. *lib.*3.*part.*2. *claſ.*2.*quæſt.*109. *num.*40.

Hieronymus Cardanus *in com. huius aphoriſmi*, plures cauſas affert, ob quas aquoſa vrina mingatur. Prima. Potus aquæ copioſus, quum enim non poſſit euinci, prodit qualis bibitur. Secunda. Obſtructio in renibus & vicinis locis. Tertia. Intemperies hectica renum, & extenuatio locorum huiuſmodi,vbi ſolet concoqui vrina. Quarta. Caliditas renum, ac iecoris, trahentium potum, & non concoquentium,vt in hectica.Quinta.Frigida ſicca iecoris intemperies, præſertim habitualis.Sexta.Lapis in veſica,vel renibus. Septima, quæ maximè huius hiſtoriæ explicationi conuenit,quum bilis aliò fertur,præſertim ad caput, vt in phreniticis, ſicut monet Galenus *in com.* Atque eò magis deterior eſt, ſi permutetur ex mala, & ad contrarium, velut ex vrina, fuſca, nigra, cærulea, viridi, craſſis, tunc C enim ingens periculum citiò portendit.In turbulentis febribus vrinæ tenues,crudæ, aquoſæ,vigilias ſignificant,& delirium, dicebat Hippocrates *in Coacis* ſæpiſſimè; nam raptum bilioſi humoris,qui ſolebat tingere vrinam, in caput, vel aliam partem ſignificat.

Hac de cauſa non inſcitè monuit Auicenna *loc. cit.* quòd exiſtente diſpoſitione calida & bilioſa, vrina ob cauſam traditam alba apparet. Neque arguas, non poſſe ſumi ex vrinis albis præſagium phrenitidis futuræ, quòd Galenus *lib.* 2. *prorrhet. com.*2. aſſeueret, nullum eſſe in vrinis ſignum, quod delirium portendat: nam per ſe ex vrinis albis non poteſt quiſpiam de phrenitide pronunciare: ſi verò ſequantur ad vrinas rufas, aut rubeas, in febribus maximè ardentibus, conſonum erit ratione, humorem ad caput vergere, vnde prædictio non erit D incongrua.

In phreniticis hæc vrina lethalis eſſe ſolet; nam malignam cerebri, eámque vehementiſſimam oſtendit inflammationem, quæ bilem, tingentem vrinam, ad ſe ritu cucurbitulæ, attrahit, vt loquitur Galenus *lib.*7. *aph.* 1. ex qua affectione pauci euadunt, cùm ſuapte vi ſit mortifera, & exitialis, ex Galen. *lib.*1. *epid. ſect.*3. *com.*1. præſertim ſi debilibus accedat; vt ipſe docet *lib.*1. *prorrhet comm.*8. *Si quis verò aliquando viderit ab exitiali phrenitide cum vrina alba ægros ſuperſtites euaſiſſe, perpetuaque non eſſe Hippocratis pronunciata aſſeueret, illud tamen ſeruabit, quod magna ex parte ſolet accidere; nam commune eſt huic aphoriſmo cum aliis ab Hippocrate prolatis: quòd per petuitatem quandam dicendi figura indicat, quamuis res ipſæ non ſemper eodem modo eueniant, ſed rarò aliquando aliter ac-* E *cidant*, vt diſertè monebat Galenus *lib.*2. *aph.*43.*& lib.*6. *com.*58. Sic vtero gerentem corripi acuto morbo, lethale, apud Hipp. *lib.*5. *aph.*30. cùm plurimas acutiſſimis morbis prehenſas ſaluari contingat. *Non enim ex iis quæ ſemel, aut bis homo vidit, debet pronunciata medica conficere*, vt monebat Galenus *lib.de fœt.format. cap.*2. *rarò enim contingentia non tollunt veritatem problematum Medicorum.*

HIST. CXXXIV. GALENI, De pilis vrinæ.

Pilorum in vrina generationis deſcriptio, cauſa, curatio.

Nuper quidem talia corpora tam longa mingebat, vt incredibilis longitudo videretur: nam quidam ex ipſis ad dimidium cubitum extendebantur. Hic autem toto ferè anno qui antecefferat, orobum, & fabam comederat, ſæpiſſiméque caſeum, & tenerum, & ſiccum: omnibúſque aliis talia mingere contingit, qui cibis craſſioribus vtebantur. Tali igitur humore in renibus aliquo modo vſto: capillis ſimiles ſubſtantiæ generantur. Sanéque modus ipſe curandi, rationi, quæ de cauſa habetur, atteſtatur: nam ab extenuantibus, atque incidentibus medicinis, adhibito etiam alio victu humectante, tales ægri curantur, &c. Galenus lib.4. aphor. comm.76.

PARAPHRASIS.

Excernuntur interdum cum vrina ſubſtantiæ, quæ capillos repræſentant, qui aliquando ita longi ſunt, vt cubitum, aut pedem adæquent, & interdum ita breues & anguſti, vt in modum pilorum expellantur,vocant capillarem morbum, aut capillitium. Hi ex humore tenaci & viſcido, ab adurente igneóque calore, exuſto originem ducunt: nam præter Galeni auctoritatem *in com.* firmat etiam Rabbi Moyſes, de capillitio in vrina, *in com.*8. *ſent: lib.*24. *aph.* Qui enim pilos mingere ſolent, craſſiori vſi ſunt victu, de cuius cœtu ſunt, faba, orobos, à Latinis Eruum dictum: illud enim edulij genus ita craſſum eſt, & ad coquendum contumax, vt ſi triduo id coquas, haud flatuoſum minimè efficias, ſic monente Galeno *lib.*1.*acut.*13. quare ad craſſos, tenacéſque humores gignendos eſt aptiſſimum: de cuius cibarij noxis, lege Hugonem Frideuallem *lib.*2. *de ſanitat. tuend. ſect.*2.*cap.*4. Orobum autem ſimilem facultatem habere tradit Galenus *lib.*6. *epid. ſect.*4. 13.dum in magna fame homines ad hoc alimenti genus neceſſitate coactos confugiſſe aſſeuerat, ex cuius eſu, genuum dolores orti ſunt. Et ex leguminum vſu morboſam conſtitutionem ortam fuiſſe enarrat *lib.*2.*epid.ſect.*4.In horum albo reponendum cenſeo caſeum,tam tenerum quàm ſiccum,quoniam craſſum facit ſuccum, & melancholicum, ex Gal.*lib.*3.*de loc. affect. cap.*7. & maximè ſi ſit vaccinus, nam craſſiſſimus cùm ſit, ad lapidum generationem eſt aptiſſimus, ex Gal. *lib.*3. *epid. ſect.*3. *com.*15. & probant Durantes Scacchus *lib.*2.*de affectib.veſic. cap.*12.

De loco verò generationis pilorum,licèt Galenus *lib.*6. *de loc.affect.cap.*3.in vaſis eos generari aſſeueret,& *hoc loco* in renibus oriri affirmet,de vaſis renum intelligendus eſt. Et ſi dicas,in vaſis renum materiam pilorum præparari,& in renibus conſiſtentiam accipere, reſpondebis rectè. Demùm vbi eſt materia,& efficiens cauſa, ibi ob anguſtiam, & longitudinem loci gigni queunt, vt doctè firmat Veiga *in com. cit. cap. Gal.* nam dum humor craſſus prædicta loca pertranſit, aſſiduè adhærens, à caloréque exuſtus, pilorum figuram acquirit. Sic Fuchſius, & Cardanus, *in comment.cit.ſent.*multoties ſe vidiſſe affirmant capillos,per vrinam ad palmi maioris longitudinem excretos, variis coloribus, pro humoris à quo generantur varietate, infectos: nam ex pituitoſa materia albi; ex ſanguinis miſcella, rubri; ex bilis copia flaui, ex ſucci melancholici affluentia, fuſci oriuntur. Hæc etiam varietas ex caloris aſſantis intenſione dimanat; nam ſi eſt multùm exurens, pili nigri apparent; ſi parùm, ad albedinem tendunt, vt notauit Ioan. Zacchius *tract.de vrinis tit.de vrina contentis.*

Hoc affectu vexantur, qui fœda gonorrhœa ſunt correpti, vt aduertit Fernelius *lib.*3. *de vrinis, cap.*16. & iis mulieribus contingit, quibus albicantes menſes emanant, aut vterus fœda proluuie laborat. Sæpè ex iis

vaſis

vaſis deriuantur, quæ paraſtatæ dicuntur, in quibus longam ſortiuntur figuram, ex ſeminis materia conflati, quæ vi morbi ſenſim defluens calore craſſeſcit. Craſſa verò hæc materia in lapidem, aut arenas non concreſcit, quia in renum ſinu parùm magna ex parte immoratur & cum vrina defluit; neque ita craſſa eſt, vt lapideſcere poſſit; nec ita tenuis, vt reſolui queat. Sic ex vlcere renum, materia purulenta adaucta, pili emergunt, vt Auicenna retulit 18. 3. *tract.*12. *cap.*11. Deinde ita aliquando craſſeſcit humor, vt interdum palearum in modum excernantur, & aliquando in rotundam figuram excreſcant. Plutarchus enim *lib.*8. *ſympoſ. probl.*9. refert quendam, qui in vrinis paleas hordaceis ſimiles excernebat, & Cardanus *cit. loc.* narrat, ſe pluribus annis grumos atramento ſimillimos in magna copia, lentis maioris magnitudine per vrinam expuliſſe. Immò filamenta per hanc viam excreta notarunt Chriſtoph. à Vega *cap.*4. *comm. de vrinis.* Ioubertus *cap.*20. *de vrinis*, Scholiographus *ad cap.*50. *lib.*1. *Holler. de morb. internis.* quæ excreta ab humore in venis renum aduſto oriri, citati auctores vnà cum Galeno aſſeuerant. Schenckius *lib.*3. *obſ. de vrina*, ex propria ſententia, nouam, & inauditam trichiaſim, non in renibus, ſed veſica obortam, in quadam fœmina obſeruauit, quæ per vrinam ex interuallis integros pilorum faſciculos, cum diris cruciatibus, quibus tandem immortua eſt, excreuit. Alia mira exeuntia per vrinam, lege apud Marcel. Donat. *lib.*4. *de hiſt. mirabil. cap.* 29. Si verò de morbi pilaris exacta curatione pulcherrima ſcire affectas, vide quæ Gulihelmus Fabric. Hildanus, ex ſua, & Gregorij Horſtij ſententia, *lib.*5. *centur.* 50. diſceptauit. Num autem pili cum vrina excreti, ſint veri, an apparentes, agitat Laconicè & ingenuè Santorellus *lib.*8. *antepraxis*, *cap. vlt.*

HIST. CXXXV. ACTVARII,

De trichiaſi renum.

Trichiaſis renum, qua cum vrina pili excernuntur.

Quæ verò ſimilia ſunt capillis, in iis vaſis quæ à renibus ad veſicam deſcendunt generantur. Atque quanta eſt longitudo vaſorum internorum; tanta generatur humoris ſpiſſitudo, & aſſatio, atque illa veluti capilli ſimiliter extenduntur. Proinde cùm ſæpius hæc ſpectauerim in aliquorum vrinis, nec quicquam aberraui à iudicio & prouidentia, dicens illos malè habere ex renibus. Et illi veluti conuicti, confeſſi, ſunt paſſionem, atque confidentes, curationem mihi crediderunt, &c. *Actuarius* lib.1. de cauſ. vrinar. cap.21.

PARAPHRASIS.

Diximus de loco generationis pilorum in vrina, eorum efficiente cauſa, & materiali. Sed de longitudinis cauſa aliqua ſuperſunt enucleanda. Nam Galenus *lib.*6. *de loc. affect. cap.*3. ſe vidiſſe refert aliquando pilos, qui ſemipedis longitudinem æquarent, interdum longiores, quos ex craſſa lentáque materia, à calore exſiccata & vſta oriri, *ibi* confirmat; verùm ipſorum longitudinis cauſam ſe ignorare, fatetur libenter. Occurrit hoc loco ingenioſè, Actuarius, inter Græcos ſcriptores grauiſſimus: Cùm enim mirum eſſet, in cauitate ipſa renum, quæ rotunda potiùs eſt, tam longa corpuſcula efformari, ſubdit dicens, illa in iis vaſis quæ à renibus ad veſicam deſcendunt: generari. Aſſatur ergo humor in renibus ipſis, vel in venis, & longam formam in vreteribus aſſumit: tranſmiſſa enim illa materia lenta & craſſa, in venis, vel renibus exuſta, vt ad veſicam per vreteras expellatur, glutinoſa cùm ſit, illis adhærens, longam, teretémque formam aſſumit, in pilique effigiem conſurgit; pendet enim per meatus vreterum, & ad horum ſpatium protrahitur, vt docet Gentilis 2.1. *doct.*3. *ſum.*2. *cap.*6. longi enim, & teretes ſunt vreteres ipſi; in quem

A ſenſum Actuarij verba hîc ſunt accipienda. Tu verò pro maiori explicatione huius loci, lege Muſam *in com. ſent.*76. *lib.*4. *aph.*

Si verò quiſpiam roget, cur ſubtiliſſimum illud corpuſculum non diſrumpatur, ſed adeò longum perſiſtat, tenacitatem & lentorem humoris, ex quo illud efficitur, eſſe cauſam, arbitretur. Cùm enim glutinoſa ſit materia, non ita facilè diſiungitur, ſed continuò per meatus vrinarios ad veſicam deſcendit. Quæ autem ab auctore curatio fuerit tradita, non ſatis conſtat. Eam abſoluit Galenus *in hiſt. ſuprà citata*: nam extenuantia, & incidentia medicamenta, vnà cum victu humectante, proficua eſſe determinauit. Sed cur attenuantem victum approbat, ſi craſſam pituitam, huius mali cauſam, arctat & impingit, quatenus reſoluta parte tenuiore attenuantium, vt reli-
B qua remanet indurata? Dic. Gal. attenuante, & humido victu vtrique indicationi auxiliari: illum enim craſſos ſuccos & viſcidos ſecare, & incidere, vacuare certum eſt. Caliditatem verò & ſiccitatem renum, huius mali efficientem cauſam, humido corrigi nullus dubitauit. Cùm itaque capillata materia excernitur, tenuans medicamentum eſt neceſſarium cum humectante victu. Sic enim tenax diſcutitur, & vacuatur humor, & flamma, hepate, venis, renibúſque concepta conſopitur. Hoc modo diuerſas cauſas reſpiciens Galenus *lib. de ren. dignot.* & alibi ſæpè, contrarias curationes inſtituit, quando homo in calculoſæ coagmentationis periculo eſt. Sic Galenus *lib.*6. *de ſanit. tuend. cap.*5. curans renum tophos præſente corporis macie, aſininum lac conſuluit, hoc enim cum tenuitate, refrigerat, & humectat.

C Sed apud eruditiſſimum quempiam ſingularis erit admirationis, cur Galenus pro curanda exurente caliditate renum, victum ſolùm humidum, non frigidum conſuluerit? Hippocrates ille omniſcius, de quo perſuaſiſſimum eſt, indoctos eſſe, quibus ille non ſapit, quum de victu febrientium ageret, ita prodendum putauit *lib.*1. *aph. text.*16. *Victus humidus febricantibus omnibus conuenit.* Adde tu, ſqualidis, exuſtis, & quibus viſcera incendio interno exardeſcunt. Et licèt eruditiſſimus Heurnius *in com.* Hippocratem de ptiſana loquentem intelligat, tamen de omni victu humido, ad compeſcendam febrem accommodato, agere nullus ignorat, etſi de ptiſana veriùs poſſit interpretari, textus, cùm illa admirandas ſortiatur pro igne interno coërcendo facultates, vt ipſe inquit. *lib.*1. *acut.*18. & alibi paſſim Galenus inculcat.

D Dictatoris ſummi ſententia (cuius aphoriſticam doctrinam Mercurij quadratura ſtabiliorem, licèt Claſſici impugnent conatu omni, quum frigiditas aſſanti, febrilique calori magis ſit contraria, quàm humiditas) ab omni ſæculo, ceu diuinum oraculum exculta, & ſeriò accepta, ſemper amplectenda eſt. Tantus enim Auctor febrientibus frigiditatem eſſe vtilem exiſtimauit: non eam autem appoſuit, ſed vt rem claram prætermiſit; quæ enim vulgo nota ſunt, non eſſe ſcriptis mandanda, monuit Magiſter *lib.*4. *acut. com.*72. Deinde, victu humido præcauit lapſum ex ſiccitate, qui curatu difficilis eſt, & ſummè periculoſus; & maximè in trichiaſi, in quo affectu ad compeſcendum igneum renum calorem, humiditas confert. Dic tertiò. Curat per qualitatem minùs violentam, & alterantem, qualis eſt humiditas, à qua noxa non abſoluitur frigiditas, quæ cùm intenſa debeat
E eſſe, & curandæ intemperiei contraria, obſtruit canales, craſſos humores ampliùs incraſſat, febris cauſam contumaciorem reddit, & calorem innatum debilem extinguit. Solue quartò. Poſito calore maximo, ſiccitas ex neceſſitate adeſt ſocia. Poſita humiditate ſubauditur frigiditas: nam humidum in partium internarum ſqualore exhibendum, non debet eſſe pingue, id enim bileſcit, ex Hipp.6. *epid. ſect.*5. *text.*14. ſed aqueum, quod frigidum eſt. Quare ſub humido victu Hippocrates frigidum intellexit. De quo argumento lege Alzarium à Cruce *lib.*4. *centuriar.* 3. Et de trichiaſis renum præſeruatione Gregorium Horſtium *lib.*5. *epiſt. in medio*, qui de huius morbi cauſa eximiè diſceptauit.

HIST. CXXXVI. GALENI, De vrina oleoſa.

Vrina oleoſa, interdum criſis curatione excernitur.

Nam pinguem vrinam quidam ita cenſuit, ab eo dictam eſſe, quæ liqueſcente piguedine per morbum feruidum, & adurentem fit. Nonnulli colore, & craſſamento olei ſimilem. Equidem talem ſæpè vrinam nullo ægri detrimento redditam conſpexi: immò verò interim planè è contrario in morbi conctione, &c. Galenus lib. 3.epid. ſect. 3.com.74.

PARAPHRASIS.

VRina oleoſa, & pinguis eſt illa, quæ colore, & craſſamento, vel vtroque oleum repræſentat, vt notat Galenus *hoc in loco, & in com.76. in hiſtoria Pythionis*, qui tertio die minxit oleoſum: qui color, vt Auic, ait 2.1.*doct.* 3. *cap.*2. ex citrino, & liuido eſt compoſitus. Galenus *loco cit.* dicit, quòd ſicut color olei varius eſt, (nam licèt ſit pallidus, interdum vergit magis ad candorem, aliquando ad flauitiem) eodem modo vrinæ color variat in colore: nam quando pallida eſt vergens ad albedinem; humorum crudorum copiam, & morbi longitudinem ſignificat, qualis fuit vrina oleoſa, Parij, cuius morbus in longum tempus fuit productus. Quando vergit ad flauitiem, colliquationem pinguedis ab igneo calore factam oſtendit; quare hæc vrina in febribus ardentibus apparet, & periculum portendit, iuxta Gal. mentem *lib.7. aph.35. §. Siue alui excrementum, ſiue vrina pinguis fuerit, ex colliquatione adipis fit, non magis in renibus, quàm in toto corpore exiſtentis: quare non propriè morbi renalis eſt ſignum, ſed commune omnis adipis ab igneo calore colliquati, &c.* Sic vxor Dromeadæ *lib.1.epid. ſect.3. text.28.* hac vrina micta occubuit. Huc reſpiciens Hipp. 2.*progn.35.* dixit. *Si pingue deſuper natans telæ araneorum ſpeciem referat, damnandum eſt, iudicat enim conſumptionem:* quam ſententiam Galeni, pluribus auctoritatibus firmat Chriſtoph. à Vega *in comm.*

Poteſt etiam cauſa varietatis coloris, ad pinguedinis colliquationem referri: nam quando recens eſt, candida apparet; ſi eſt antiqua, flaueſcit. Aliquando oleum ſolùm imitatur, quando exigua pinguedinis quantitas eſt colliquata; quando tamen minima, in ſuperficie vrinæ apparent portiones quædam, quæ oleum repræſentant. Quando verò multa, tunc vrina oleo, colore, & craſſamento ſimilis eſt.

Galenus *loco cit.* vrinam oleoſam à pingui diſtinguit. Hanc vocari affirmat, in qua ſupernatat pingue telis araneorum, aut pinguioribus iuſculis refrigeſcentibus perſimile: cùm enim colliquata pinguedo naturam aëream retineat, neceſſariò ob leuitatem ſupernatat. Hæc eſt cauſa, ob quam Hippocrates *in libris prognoſticon*, in quibus exactè & diligenter, acutorum morborum curationem eſt proſequutus, de pingui ſubſidentia non egerit: nam, inquit ipſe *loc.epid.cit. Pinguitudines fluitantes vidimus frequenter, verùm nunquam in medio pinguia pendere, quominùs ſubſidere obſeruauimus. Nam id eſt comparatum naturâ omne pingue, vt reliquis humoribus inuehatur.*

Num autem pingue perpetuò innatet in vrina, an poſſit cum vrina ita permiſceri, vt vrina tota pinguis ſit, affirmatiuè reſpondent Aëtius *tetrab.2. ſerm.1. c.37.* & Auic. *loco cit.* Nec eorum ſententia eſt à ratione aliena: nam quando pinguedo leuiter colliquatur, ſupernatat; quando verò vehementer ebullit & agitatur, ſolet maximè cum liquore permiſceri, & tunc tota vrina apparet pinguis; veluti quando non ſolùm colliquatur, ſed exuritur; tunc enim quum naturam terream acquirat, grauitat, & ſubſidet, veluti quando pinguedo colliquata permiſcetur cum humoribus craſſis, & lentis, tunc cum illis mixta ſubſidere ſolet. Si verò pingue perpetuò innatare perſeueret, de pinguedine leuiter colliquata intelligendum eſt: quidquid contrariam habeant opinionem Valleſius *lib.3. contron.27.* & Vega *in com.loc.cit.prognoſt.* Lege Actuarium *lib. de iudiciis vrinarum, cap.19.* nam mihi dictæ rationes magis placent.

At dices, ſi vrina pinguis fit à colliquatione, & ab adurente retorridóque calore, vel in toto, vel in renibus ortum ducit, *vt citatis locis* priſci docuere, & idcircò hæc vrina damnatur ab his; cur criſis ratione, & in ſalutem animantis aliquando excernitur; vt in hac hiſtoria affirmat Galenus? Dic reprobam eſſe vrinam pinguem, quæ ex colliquatione emanat; nam quando ex crudi humoris concoctione proficiſcitur, ſine ægri detrimento, eunte morbo in iudicationem excernitur. Extat celeberrimus contextus apud Galenum *lib.4. de ſanit.tuend. cap.4.in med. §. Ergo vbi crudus planè ſuccus eſt, vtique tennis, aquoſáque vrina cernitur, nihil nec quòd ſidat, nec quod pendeat, in ſe habens. At vbi is concoctus eſt, hac in vrina apparent, atque etiam nubecula deſuper tenues ſuperſtant, veluti quod in ſummo lacte colligitur* (Græcè graus dicitur) *& quod in ſummo refrigerati iuſculi concreuit, &c.* Quum enim crudi ſucci coquuntur, & in ſanguinem trenſeunt, quum hic natura ſua partem habeat oleoſam & pinguem, tunc nubecula quædam pinguis in vrina apparet, victoriam & coctionem perfectam, præſertim in bilioſis maniſeſtè oſtendens. Quare vrina pinguis non ſemper mala eſt, niſi alia praua ſigna adſint, & maximè ſi nigræ ſuccedat, vt Auicenna edocuit 2.4.*tract.*1.*cap.89.de ſignificationibus ex vrinis oleoſis.* Lege Actuarium *lib.de iudiciis vrinarum, cap.19.*

HIST. CXXXVII. GALENI, De diabete.

Diabetes, rarus affectus, bis à Galeno viſus.

AD Renes pertinere is affectus videtur, quem alij hydropem matellæ, alij vrinæ profluuium, alij diabeten, alij dipſacon appellant. Equidem eum hactenus bis duntaxat videre potui, ſupra modum ſitientibus infirmis, atque ſubinde bibentibus. Quare exuberanter quoque reddunt, id quod biberunt, eo à ſua qualitate non mutato. Atque hic renum, veſicæque affectus ſimilis eſt ventriculi, inteſtinorúmque læuitati, &c. Galenus lib 6.de loc.affect.cap.3.

PARAPHRASIS.

QVemadmodum infirmata ventriculi retentrice, contingit per aluum velociter excerni quæcunque ſumuntur, abſque aliqua ſui tranſmutatione, quem affectum lienteriam, ſiue inteſtinorum læuitatem appellamus: ita ob imbecillitatem renum, ſequitur aliquando tam velox, continuáque vrinæ excretio, vt quidquid bibitur, ſimul vt potatum eſt, nihil à ſua qualitate mutatum, exuberanter & plus iuſto mingatur; & paſſio oritur, quæ vrinæ, ſeu veriùs liquoris, potioniſve non mutatæ profluuium nominatur, & Diabetes, hoc eſt tranſitus, læuitas, & decurſus; eo quòd nihil prorſus immoratur in renibus ea quæ bibuntur, ſed velociſſimè, & tumultuatim tranſcurrunt. Dicitur & hydrops ad matellam; quoniam ſicut in hydrope naturalis venter aqua impletur, ita in huiuſmodi affectu matella. Denique & Dipſacus nominatur, ob ſitim inexplebilem, qua perticiter, & ſupra modum vrgentur laborantes, ex Gal. *lib. de diff. ſympt. cap. vlt. & lib.1. criſ. 12. & 6. de loc.3.* vnde Paulus, Aëtius, Trallian. Auic. & omnes ſua hauſere. Quia enim quàm citiſſimè per lotium traſmittitur potus, nihilque humectat vel reficit corpus, in dies areſcunt, nunquam ſatiantur, ſed aſſiduè potare coguntur, ſine fine ſitientes, adeò vt ob immodicam, & inſatiabilem ſitim exhauriatur attrahatúrque in renes, quod inſtar miraculi putat Aretæus, & definit affectionem hanc, cariam, ac membrorum in vrinam colliquationem.

At

At ſi hæc attentè perpendantur, non carent dubitatione maxima: nam licèt colliquatio plerumque ſequatur, mali tamen eſſentia in liquatione non conſiſtit, ſed in velociſſimo illo per vrinam exitu potus non mutati. Paſſio verò eueniens lienteriæ ſimilis, ex defectu & mortificatione retentricis pariter, & alteratricis virtutis eueniens, 1.*criſ.* 12. ſequitur ad aliud ſymptoma, vehementiſſimam nempè, & deprauatam bibendi appetentiam, qua humidum affatim, & immodicè attrahitur, non aliter quàm cibus in canina fame.

Morbus ad quem ſequitur, vtplurimùm eſt ingens, immoderatúſque calor, vehementer attrahens, & exhauriens. Porrò licèt in diabete vehemens ſitis iungatur; quod tamen ad ventriculum, cui fames immodica tribuitur, proinde referenda non ſit, ſed ad renes potius, contra priſcos, confirmat Gal. 6.*de loc.cit.* quia quamuis ex ventriculi, aut inteſtinorum imbecillitate potus etiám retineri non poſſit, non per vrinam tamen, ſed per ſedem demittunt, quæcunque retinere nequeunt: cùm igitur in propoſito malo ad veſicam potus feratur, feſtinanter, & confertim mictu excernendus, ventriculo, aut inteſtinis attribui non poteſt.

Rurſus & quod nulli ex aliis vrinæ membris, præterquàm renibus oſtenditur: nam iecore, & meſaraicis infirmatis nihil ad iecur ipſum tranſmittitur, nec ab hoc ad renes emulgentibus imbecillitatis (ita enim iecur à ventriculo per meſenterij venas attrahit, & renes per emulgentes, ſerum, veluti arbor per radicis fibras.) Igitur vehementiſſima tractio, ſeu humidi appetentia quæ iungitur in diabete, à iecore, meſaraïcis, aut emulgentibus non oritur.

Cùm verò nec à vſica oriatur, quam conſtat vim non habere trahendi ſerum, ſicut nec inteſtina chylum, ſed recipiendi tranſmittentibus per vreteras renibus; manifeſta inductione colligitur, ad hos ipſos eſſe referendum dipſacon, id eſt, ſitim vehementem, ſimul & diabetem, ſiue celerem vrinæ tranſitum, ſcilicet dum præ tractricis robore, ſed potiùs immodico ardore, ſeroſitates & liquores ad ſe vehementiſſimè trahunt, & præ retentricis debilitate retinere nequeunt, ſed quàm celerrimè, & abſque mora vlla aceruatim in veſicam propellunt.

Adde, ſi propter iecoris, aut meſaraïorcum inflammationem potus ita feſtinanter exiret, diſtribueretur ſimul cum cibo: inſuper nec ad ſolos renes, ſed in totum corpus manaret. Igitur renibus ipſis, quibus vis ineſt trahendi ſeroſitates, immodicè ſitientibus tranſmittitur, & propter debilitatem retinendi, confeſtim elabitur, alioqui cur tam celeriter permearet?

Nec mireris validam tractionem (quæ partis robur videtur arguere) ſimul cum retentionis defectu, ſummáque imbecillitate in renibus dari; nam etiam in lienteria, quæ pariter fluor eſt velox, & confertim factus, ob imbecillem ventriculum, vehementiſſima excitatur appetentia ciborum, quos tamen protinus excernunt laborantes. Idem & in fame canina paſſim experimur. Quinimò in ſtatu ſano ſimile quidpiam contingere, confirmat exemplum auium quæ à multis Seleucides vocantur, quæ locuſtis inſatiabiliter veſcuntur, eáſque celerrimè excernunt, ac rurſus voragine edunt inexplebili, quo pacto firmiſſimo præſidio ſunt contra plagam illam fructus deuaſtantem, precibus ſæpè ab incolis Caſiæ montis impetrato, prout ſcribit Plinius *lib.* 10. *cap.* 27. De qua re pulchra propoſuit, vt ſolet Valleriola *lib.* 2. *obſ.* 1.

Cæterùm, quamuis lienteriæ perſimilis ſit diabetes, quatenus celerem vrinæ tranſitum importat; & caninæ appetentiæ, prout eſt affectus renum immodicè ſitientium: differunt tamen præterquàm locis, quoniam diabetes fit ſubitò, hoc eſt facta iam, & veluti in vigore conſtituta affectio, non anteà fit manifeſta, duæ aliæ affectiones paulatim. Nam cùm renum tractio, ſiue appetitus ſit omninò naturalis, nulla præcedente ſenſatione, renes ſitientes à venis & iecore ſeroſitates attrahunt, quibus vaſa & iecur prorſus ferè ſpoliata, ab inteſtinis & ventriculi venis, quin & ab ipſomet ſugunt vehementiſſimè: ſuctionis autem ac exſuccationis vehementiā ſentiens ventriculus, fit ſitibundus, & potum externum deſiderat, oblatus autem per eaſdem venas in iecur, & ab hoc per emulgentes confertim rapitur in renes; à quibus rurſus velociſſimè propellitur in veſicam, & agnoſcitur malum quaſi ſubitò, & tunc eueniens, ſed ingens iam & penè confirmatum, quanquam anteà inceperit, & paulatim increuerit. Ventriculi autem appetentia, cùm ſit animale opus, nec citra ſenſum, in cibum potúmque feratur, vbi immodicè excitatur, ſentitur protinùs, & agnoſcitur a principio canina, atque adeò ſubitò accidere non videtur; ſicut nec etiam inteſtinorum læuitas, licèt in ea cibus aſſumptus, ventriculum & inteſtina celeriter pertranſeat, non ſecus quàm in diabete potus.

Adiungit deinde Gal. *loc.cit.de loc.affect.* conuenire quidem diabetem cum lienteria, non ſolùm in celeri tranſitu, ſed etiam in diſpoſitione ipſa, & in cauſa; vtraque namque paſſio oritur ex imbecillitate retentricis; vel partim cum lienteria modo explicato conuenire partim cum canina; nam vtrobique eadem eſt diſpoſitio, appetentia nempè inſatiabilis, & tractio immodica.

Quòd ſi obiicias, non poſſe diabetem propriam renum dici, ſolùm ſiquidem ad ſe trahentes, quidquid attrahunt in caua exiſtit, quod ſuo tempore trahent, & debitè retinebunt; quo pacto fieri nequaquam poteſt velox potionis tranſitus, nec diabetes. Reſpondet Gal. ad vrinæ fluorem propriè pertinere tractionem partium, iecoris, meſaraïcarum, ventriculi, qui ante renes ſunt; his ſiquidem immodicè trahentibus, exſiccatę iecoris & meſenterij venæ, vehementer ſugunt à ventriculo, cogúntque vltra modum ſitire, nec patiuntur in eo remorari potum ob aſſiduam renum tractionem, ſed confeſtim rapiunt, indéque quàm celerrimè ad renes, & ab his in veſicam permeat. Longè verò aliter fit, vbi ex ventriculi vitio, calore ſcilicet aut ſiccitate ſitis oritur; in hac enim ingeſtus vel euomitur, vel per aluum deiicitur, vel in ventriculo ipſo moratur: ſi autem præſente ſiti huiuſmodi ſymptomata adſunt, nos tutos reddunt à dipſaco renum: aut vt interpretantur alij, ſi ex ventriculi vitio ſitis accidat, licèt etiam poſſit hauſta potió confeſtim per veſicam excerni, & vrinæ fluor concitari, non tamen ea celeritate qua permeat in diabete, ebibita aqua ad renes, & veſicam.

Vltimò *in cap.cit.de de loc.affect.* adducit Gal. affectionem quandam ſimillimam diabeti, quæ ſpecies vna eſt appetentiæ caninæ, verùm à priori diſtincta, quoniam in hac ſurſum, aut deorſum quemadmodum in illa, citra diſtinctionem ingeſta deiiciuntur, ſed per corpus quidem diſtribuuntur, nec tamen nutriunt, quia velociſſimè diſſipantur, vnde meritò ciborum diſſipatio nominatur: quia verò in ea corpus non probè alitur, perpetuò ad eſum ferè inſatiabiliter animal irritatur. Cauſam habet apud Gal. *lib.* 1. *de cauſ.ſymptomat.cap.* 7. vel infirmam retentricem, vel membrorum attractricem robuſtam, quæ ad membra ex diſſipante calore inanita vehementer attrahens, ventriculi appetentiam alioquin incolumem excitat, ad immodicè fameſcendum. Eſt autem canina hæc magis ſimilis diabeti, quàm prior, quoniam vtrobique cum valida attractione iungitur velociſſima diſtributio, diſcuſſio, & diſſipatio, in vna per corporis partes, in alia per vrinam.

Denique ob ſymptomatum communitatem, ingentis ſitis quæ citra diabetem accidit, cauſam eſſe docet, calidam, aut ſiccam, vel vtramque ſimul ventriculi intemperiem, de quo 1.*ſimpl.* 30. pręſertim cùm os ipſius ſupra modum æſtuat, atque exſiccatur, idque ſiue primigenia affectione, ſiue à iecore, vel pulmone inflammato communicetur incendium ieiuno inteſtino, meſenterio, ac ſtomacho ipſi: is enim partibus ſic nimiùm æſtuantibus non modò vehemens, & intolerabilis ſitis oritur, ſed & plerumque marcor, hoc eſt tabes, & totius corporis exſiccatio.

Porrò licèt ſitis abſque vrinæ fluore ad ventriculum referenda ſit, vt *ſuprà, dub.* 41. palam fecimus, non ſic tamen vbi alia iunguntur, tunc enim diabetica paſſio fit renum propria, ortáque ex valida eorum appetentia, & debili retentrice, vt diximus; niſi enim illa immodicè appeteret, & robuſta attractix vehementer attraheret,

quid effatu dignum ad renes perueniret? vnde tota potio cruda,quàm celerrimè ad ipſos permearet? niſi etiam imbecilla foret retentrix, cur diutiùs in renibus ipſis non contineretur,cúrve tam confeſtim eiiceretur? Ex quibus, patet, quomodo diabetes ad ſolos renes pertineat: nam licèt æſtuans iecur inexplebiliter ſitire faciat,& ex nimio ardore,roborata,auctáve tractrix,vehementer attrahat,& ventriculum celeriter exhauriat, non ſugit tamen potum ſyncerum, perinde ac renes, quibus eſt innata proprietas proliciendi liquorem.

Lethalis propemodum eſt hic affectus: nam colliquatur corpus, viſcera vri videntur, & corpus humida ſubſtantiâ orbatum contabeſcit, & tandem ægri miſerabili ſiti oppreſſi ſupra modum, & ſine cunctatione ebibentes, & illicò epotum liquorem excernentes,pereunt,& extinguuntur. Rarus tamen eſt affectus, quum in occidente nunquam ſe vidiſſe narret Rabbi Moyſes *part.* 8. *aphor.* Baptiſta Theodoſ. bis ſe obſeruaſſe docet *epiſt.* 48. Sæpè vidit Hollerij interpres *lib.*1.*de morb.internis, cap.*58. notarunt Trincauellius *lib.*10.*cap.*11.*de curand. morb.* Amatus 2. *centur.* 94. Vidus Vidius *lib.* 10. *de curat. membrat. cap.*26. Dodonæus *obſ.*32.

DVBIVM LXXII.

Num in diabete intenſior concitetur ſitis, quàm in hydrope, aut cauſo.

COMMENTARIVM.

SVpra modum ſitientibus infirmis.] Antequam hinc diſcedamus,legentibus propemodum eſt dubium iucundum, num inter ſitiferos affectus, cauſum, hydropem, & diabetem, hic ſitis vehementia, & intenſione cæteros antecellat. In hoc enim morbo ægros inexplebili ſiti miſerè torqueri probat Gal. *lib.*6. *de loc. affect. cap.*3. Sicut enim in canina appetentia inſatiabilis ciborum cupiditas,ex vitioſo humore, qui ſtomacho imbibitus eſt,contingit; ſic inextinguibilis in diabete accidit ſitis:nam & ſicca renum, calidáque intemperies adeſt, vnà cum ſalſi acriſque humoris præſentia, qui renibus impactus aſſiduè irritat ad tractionem, auctore Auicenna 16.3. *tract.*2. *cap.*17. tanta enim corpus ſiti vexari conſpicimus, vt non ſolùm ſero, vel aquoſo humore attracto, ſed ſolidarum partium abſumpto humido, viſcera exardeſcant, & vniuerſum corpus,diu & importunè exuratur,vt notat Aretæus *lib.*2. *de diuturnor. morbor. curatione, cap.*2. Quapropter pertinax ſitis ſuper ſitim ægros inexplebiliter exercet, vt licèt potum aſſiduè aſſumere conentur, nunquam ſatientur, proptereà quod epotum citiſſimè expellitur, vt retulit Aëtius *tetrab.*3. *ſerm.*3.*cap.*1. & non ſiluit Paul. *lib.*3.*cap.* 45.*rubric.*6.

De hydropicorum ſiti,ſat plura diximus *ſup.in com.hiſt.* 125. nam hoc affectu vexati, clamoſa ſiti premuntur, & viſcera interna, ſalſa nitroſáque aqua turgentia, gliſcunt, exuruntur, excandeſcunt,& ſic anguſtiora,ſiti cruciantur ægri.

Quid proferam de ardente febri, in qua accenſa flaua bilis, natura ſua acris & mordax, ſitim excitat incompeſcibilem, ex Gal. *lib.*4. *acut.*1.4.& 13. & *lib.*3.*epid.ſect.*3. *com.*3. *com.*34. Cùm enim cauſus vocetur ignis ab Hipp. *in libris epidemion, per multos ægros*: hic autem efficacia ſua vrat, ſiccet, inflammet, & viſcera reddat ignea, ſqualida, arida, fit rarum igne interno cruciatos vri, ac intenſiſſimè ſitire.Hac de cauſa in cauſo fit lingua nigra,ex Gal. *lib.*1.*de loc. cap.*5. & *lib.*6. *epid.ſect.* 5. *com.*15. nam vehemens, retorridúſque calor inflammat ſanguinem & bilem, adeò vt exſiccatis faucibus, æger præ ſiccitate loqui non poſſit,ex Gal.*lib.*7.*de vſu part.cap.*14.*in fin.*& ex gutture valdè reſiccato vox accidat clangoſa, ex Gal. *lib.*7.*de vſu part.cap.*7.ſitis ergo inextinguibilis ſignum eſt pathognomicum ardentis febris, ita vt aſſerat ipſe *lib.* 1. *de ſympt.cauſ.cap.*7. cauſo correptum, nunquam potuiſſe ſatiari, donec moreretur.

A Vidiſti, quantam ſitim ſalſa pituita in hydrope, bilis flaua in ardente febre,calida renum intemperies in diabete concitare queant; vt cunctis pateat, maniſeſtúmque exiſtat,cui affectui citiùs opitulandum ſit: & licèt Ioan.Branus per tranſennam de ſapore ſalſo agens *lib. de ſaporib. & odorib. cap.*6. non auſus ſit determinare, num ſalſa pituita in hydrope, an bilis flaua in cauſo maiorem ſitim concitet,videtur ob dictas cauſas in hydrope intenſiorem fieri; & in diabete vehementiorem concitari quàm in hydrope, & cauſo. Nam diabetes, cùm à calida renum intemperie originem ducat,maiorem excitat ſitim quàm hydrops, qui à frigida hepatis intemperie emanat, & maiorem quàm cauſus; nam in hoc morbo non deficit potus, in diabete maximè, quoniam tanta ſiti torquentur ægri, ac à dipſade commorſi, quos ſitis vſque adeò pertinax premit, vt ſatiari non poſſint, ex Dioſcoride *lib.* 6.

B *cap.* 10. Inſuper in cauſo licèt humor biliosiſſimus, & mordaciſſimus redundet; & in hydrope ventriculi membranæ, aut venæ humore ſalſo imbutæ ſint; tamen potus ingeſtus, & retentus aliquantiſper mitigat ſitim: in diabete verò aſſumpta humiditas non retinetur, ſed ea illicò expulſa, pertinaciter trahentibus renibus, caro liquatur, corpus contabeſcit, & ſenſim ac ſine ſenſu extenuatur; vnde dipſacon à ſiti veteres appellarunt, ob inexplebilem ſitim; aſſiduè enim coguntur ægri potum aſſumere, neque tamen ſatiantur, proptereà quòd citiſſimè per lotium expellitur potatum, ex Tralliano *lib.* 3. *cap.* 41. quia, vt ſcitè *lib.*6. *de loc. cap. cit.* retulit Galenus, renes trahunt ſanguinis ſerum ex venis, quæ cùm totum attraxerint, videatúrque ſanguis in venis huiuſmodi humiditate ſpoliatus; exſiccata tum vaſa humorem trahunt ex

C hepate; deinde hoc ex inteſtinis, & ventriculo. Cùm verò exſiccatæ fuerint venæ quæ in ore ventriculi ſunt, potum deſiderant: venæ deinde ex hepate ad ventriculum venientes, vtpotè aridæ, totam humiditatem rapiunt, atque ex his aliæ deinceps,donec ad venas perueniat tranſſumptio per eorundem attractionem facta; & ſic corpus humiditate priuatum,renibus ob imbecillitatem nimiùm eam trahentibus, neque retinentibus, ſiti premitur, cruciatur, & tandem perit, vt Thomas Eraſtus *conſil.*5.luculenter edocuit.

Obiicies,non poſſe tantam ſitim in diabete adeſſe, cùm affectus frigidus ſit,ex Aretæo *lib.*1.*de diuturn.morb.curat, cap.*2.Sitis autem ex caloris copia, & humoris inopia oritur ducit. At Aretæum intellige de priuatiua frigiditate, quæ caloris natiui debilitatem deſignat. Sic Gal. *lib.* 11.

D *meth.cap.*8. putredinem à nimia caliditate gigni aſſeuerat, quàm à peregrina frigiditate,hoc eſt natiui caloris inopia: patibiles qualitates non regulante,proficiſci,Philoſophus firmat *lib.*4. *meteor. cap.*1. ſic generatur diabetes ex frigiditate, pro cauſa frequentiſſima immodicam habens renum caliditatem. Lege pro Aretęi cum Galeno concordia, Carrerium *cap.*2.*ad libros de loc.affect.diſp.*63. contra Augenium, qui *lib.*3.*epiſt.tom.*2. *epiſtol.*21. reprehendit Aretæum,quòd diabetem à frigida & humida intemperie oriri affirmauerit. De quo argumento pulchra ſcripſere Syluaticus *controu.* 31. Trincauellius *lib.* 6. *de ren. affectibus, ſect.* 14. *cap.* 12. & *lib.*2.*epiſtol.ad Theophilum Varinonium Brixienſem in init.* Andreas Chriſtianus Ripenſis,& Ioan. Fridericus Vverdembergius,qui Trincauellij opera in Enchiridium redegere.

E

HIST. CXXXVIII. *RHASII,*

De diabete.

Diabetes infrigidantibus ſuper dorſum adhibitis mitigatur.

PRæcepi cuidam laboranti diabete, quod faciat habitaculū eius in domo humida,& iaceat ſuper terram infrigidatam cum ſalicibus, foliis roratis cum aqua niuis, ponendo inferiora dorſi ſuper ea: & teneat in ore eius de ſero lactis: non moueatur penitùs,ne ſubuertatur,& diſſoluatur ab eo aliquid. Et

ſi infrigidantur renes, ex frequenti dormitione quam fecerat ſupra res frigidas, mitigatur pars maior ipſius paſſionis, &c. *Rhaſis* lib.23.continent.tract.2.cap.3.

PARAPHRASIS.

EXtrinſecus in diabete ad lumbos,ſeu renes,pectinem, & hypochondrium,præſertim dextrum,illitiones,vnguenta, cataplaſmata refrigerantia eſſe imponenda, Paulus edocuit *lib.3.cap.45*.nam aduersùs immodicum renum calorem pugnandum eſt, refrigerando partem, & roborando,corpus contemperando,& humectando; hoc enim neceſſariò ſiccum, ob immodicam vrinæ excretionem, deprehenditur. Siue ergo nuda calida renum intemperies huius affectus cauſa ſit; ſiue cum ea, bilioſi ſalſique humoris copia ſit permixta, huius acrimoniam delere, ſanguinémque, ac cum eo permixtum ſeroſum humorem ad motum tardiorem reddere, & renum intemperiem corrigere eſt neceſſe.

Miraberis, cur tantus auctor citra totius prouidentiam topica adhibenda conſuluerit, cæterùm illum à calumnia liberabis, quòd adſtringendi, & roborandi vim habentia impoſuerit, quæ nimium partis calorem temperare nata ſunt, quem non ſi mitigaueris, priuſquàm expurgantia propines, fluxiones de nouo eius cauſa concitari certum eſt. Roborantibus applicitis, ſi vitioſi ſucci exuperant; purgante medicamento vtendum eſt, leui illo quidem, quod ſuauiter bilioſum humorem vacuare queat.

DVBIVM LXXIII.

Num mitia expurgantia in curatione diabetis ſint ex vſu. Contra Matthæum, practicum peritiſſimum.

MAtthæus peritus *lib. 9. ad Almanſ. cap. de diabete*, adeò reformidat pharmaca ſubductiua, vt nullum prorſus licèt mite,nec roſaceum ſuccum, quem Auic.19. 3.*tract.2.cap.*18.*de diabete* comprobauit, propinare auſus ſit: propterea quòd (inquit) *timor erit, ne ſucci acres verſùs renes vi medicamenti tracti, ab ipſis renibus eo tempore ſummoperè attrahentibus, rapiantur*; proinde ſupernam purgationem, leniáque enemata ſolùm proficua eſſe aſſeuerat. Sed hoc Matthæi conſilium amplectendum non eſt, cùm ſit præter rei euidentiam prolatum. Vbi enim diabetes,à bilioſo acrique ſucco fouetur,cur mitia expurgantia ſubductiua reſpuenda ſunt, quæ corporis molem agitare nequeunt,de quorum numero ſunt aëreum mel, craſſa fiſtula, rhabarbarum, tamarindi, myrobalani, ſyrupus ex pluribus infuſionibus roſarum, ſaccharum violaceum, & ſi quæ alia.

Deinde ſi Hip. *lib.de intern. affectionib. num.*16.pro nephritidis curatione ſcammonij ſuccum propinat; & Aretæus *loc.ſup.cit.* hieram in hoc affectu exhibet,cur nos leuiſſima formidabimus medicamenta? Ad hæc. Licèt Gal. 13.*meth.c.*11.in initio inflammationis hepatis & partium obſidentium ventriculum & inteſtina, totóque fluxionis tempore pharmaca renuat electiua, tamen *in cap.* 15.*ſeq.* vbi iam phlegmone concoquitur,non veretur expurgantia ſuauia,vt vrticam, mercurialem,epithymum, polypodium; & in maiori remiſſione fortiora, vt nigri veratri corticem propinare.Denique ſi in diabetica paſſione,minor ſubeſt ex purgatione timor, quàm in inflammatione renum; & in hac in declinatione, ex omnium decreto leuia medicamenta conceduntur,cur in illa erunt reprobanda? Argumentum autem Matthæi ficulneum eſſe nemo non videt: nam ex his lenibus medicamentis timor non eſt, ne ob agitationem nocui ſucci in renes decumbant, cùm hæc citra perturbationem,peccantem humorem cum ægri leuamine ad ventrem deriuent; quæ licèt mouerent, non ob id erant repudianda; *non* enim *propter febrim*, dicebat diuiniſſimus Gal.*lib.1.aph.com.*24.*purgationem adhibemus (hanc enim ſcimus ſui ratione nocituram) ſed propter humores illam efficientes. Quare maiorem oportet ex noxiorum humorum euacuatione fieri vtilitatem, quàm id (quod neceſſariò conſequitur) ex purgantibus medicamentis detrimentum. Eſt autem maior vtilitas, ſi abſque moleſtia, omnis infeſtans ac moleſtans humor euacuatus.*

Quapropter cùm ex vitioſi humoris vacuatione,maior ſequatur vtilitas noxâ,quæ ex motu,& aliquali agitatione purgātium medicamentorum comparatur,ea parui facienda eſt. Sic Medici in cauſo, viſcerum, renúmque feruore purgantia adminiſtrant. Sic in vehementiſſimis febribus,cùm febris remiſerit, medicamenta purgantia exhibere, non eſt à ratione alienum, vt monuit Hipp. *lib.de medic.purgantib.num.vlt.* Quo autem tempore in febribus calidáque internarum partium intemperie,cathartica ſint propinanda,fusè diximus contra Veigam *lib.2.in com.hiſt.* 63.*num.*5.

Expurgato corpore, & bilioſi ſalſique humoris acrimonia refrænata,ad renum intemperantiam corrigendam acceſſit, à continente initium ſumens: nam habitatio in aëre humido viſcerum ſqualorem attemperat; cùm enim ex puriſſima, & magis defæcata aëris attracti per inſpirationem parte,ſpiritus alimoniam ſuſciperent,ſi ij ſint humidi internarum partium feruorem, & bilioſi humoris ſiccitatem valdè retundunt. Similem vtilitatem recipiunt diabetici, & qui renum calidam ſiccámque ſortiuntur temperaturam,ſi dormiant ſupra ſtratum,ſalicibus & frigidis herbis inſperſum,& irroratum aqua nauis; cuius loco roſacea ſummo eſt ex vſu: nam ſalix refrigerat, exſiccat,& roborat apud Dioſcor.*lib.1.cap.*121. & Paul.*lib.7. tit.de ſalice.*

Non contemnendum commodum præſtat,os decoctis aquiſque refrigerantibus ſæpè abluere, vt ſero lactis, & aliis: cùm enim communis,vnáque ſit tunica,quæ ventri interna eſt, & in omni ea quæ os ſubiungit, ex Gal.*lib.4. acut.*6.fit vt refrigerantia in ore detenta,ventriculi & partium vicinarum ardorem contemperent.Quantam autem oporteat in febribus continuis, præſtantium partium ardore & phlogoſi,curam habere gutturis & linguæ, vt internus calor attemperetur, ex veterum mente oſtendit Amat. *lib.7.cent.*96.Vetat deinceps omnem corporis motum,& exercitium,idque duplici de cauſa factum puta,vel quòd exercitatio renes calefaciat,vel quòd ſudorem prouocet, humiditatem exhauriat, & corpus exſiccet; quæ omnia quàm nocua ſint, in affectu qui humectationem deſiderat, res eſt manifeſta. Quod verò addit in hiſtoriæ initio,vt æger habitet in domo humida, latè explicabitur *lib.3.in com.hiſt.*34. quo loco de habitatione ægri proponemus pulchra.

HISTOR. CXXXIX. RHASII, De mictu ſanguinis.

Mictus ſanguinis à nimia meri potione ſubortus, phlebotomia curatus.

VEnit coram me quidam magnus ebrius, qui cùm eſſet vno die plurimùm crapulatus, minxit in quantitate duorum rotulorum ſanguinis,& inueni oculos eius rubicundos, corpus repletum, & tunc mandaui quod phlebotomaretur, & vteretur rebus ſtypticis, & liberatus eſt. Rhaſ. in lib.de mirabilib.curis.

PARAPHRASIS.

NImium vini potum corpus inflammare,ſpiritus calefacere,ſanguinem augere,quoniam in huius ſubſtātiam citiſſimè conuertitur,non indiget probatione: nam carnoſas partes verè nutrit,& alia plura commoda ſecum affert,ſi cum modo bibatur,vt *ſup.*ex veterum mente diximus *in com.hiſt.*61.Cùm ergo natura ſanguinis mole oneratur eum redundantem è corpore expellere tentat, per hæmorrhoïdes,vterum,hæmorrhagiam,vomitum,& ſæpè per vrinam,maximè ſi præceſſit conſuetæ vacuationis ſanguineæ ſuppreſſio,exercitij intermiſſio,membri alicuius mutilatio,vberior potus,lauta victus ratio.

Scribit Amatus 2.*centur.6* 3. iuuenem quendam ſanguinea febri laborantem, ſanguine per vrinam micto, ſanitati fuiſſe reſtitutum. Nicolus *ſerm.* 5. *tract.* 5. *cap.* 19. ſe vidiſſe refert apoſtema hepatis expurgatum per fluxum vrinæ ſanguineum. Non ſilendum quod Aret *lib.* 2. *c.* 3. ſcriptum reliquit, eſſe nonnullos qui per quoſdam circuitus ſanguinem mingunt. Huiuſmodi affectus hæmorrhoïdum profluuio ſimilis eſt: ſimilis eſt quoque corporis conſtitutio; nam valdè palleſcunt, torpent, ignaui ſunt, cibum faſtidiunt, cruditate laborant, & cùm excretus eſt ſanguis, languidi fiunt, membra reſoluuntur. At ſi per circuitum nihil ſanguinis effluxerit, capitis dolore vexantur, oculorum acies hebeſcit, tenebræ ante oculos obſeruantur, vertiginem patiuntur. Inde alij in comitialem morbum incidunt; tumidi, veluti caligine perfuſi, aquam inter cutem patientibus ſimiles; alij morbo atræ bilis, aut neruorum reſolutione tentantur: nam ex conſueti profluuij ſanguinis retentione huiuſmodi mala proueniunt.

Ob hæc prouida natura in animantis commodum ſuperantem ſanguinem expellere ſatagit. Sic Voluſius ille, apud Plin. *lib.* 11. *c.* 38. vixit 94. annis, qui ingentem ſanguinis copiam ex ore euomebat, quam per vberum mammillas exeuntem vidiſſe narrat Amatus *lib.* 2. *centur.* 21. Fallopius *lib. de vulnerib. cap.* 73. refert ſe cognouiſſe hominem, qui ſingulis annis menſe Maij, per iecoris regionem, integra exiſtente cute, circiter libram vnam ſanguinis emittebat. Rembert. Dodonæus *cap.* 15. *obſeruat. medicinal.* ſe ſanguineas lachrymas obſeruaſſe narrat, & nos ſanguinis profluuium criticum factum per inſenſibilem porum in interfœmineo, & ex gingiuis excretum notauimus *lib.* 1. *de praxis medica admir. obſ.* 92. & *lib.* 3. *obſ.* 78. & *lib.* 3. *obſ.* 114.

Quid plura? nónne ob robur potentis naturæ, à nimia copia ſe exonerantis, ſudor accidit ſanguineus laxata cute, huius poris apertis? cuius meminit Ariſt. *lib.* 3. *de partib. animal. cap.* 5. & ex multorum celebrium Medicorum mente cauſas affert doctiſſimus Marcell. Donatus *lib.* 1. *de hiſt. medica admirabili, cap.* 2.

In iis ergo omnibus exemplis, ad leuandam naturam, ne vel præ onere ſuccumbat ad excernendum, & ſanguis retentus ad aliam regurgitet corporis partem, ſaluberrimum eſt, Rhaſij exemplo, ſanguinem emittere; maximè ſi per vrinam ſanguis excernatur: ſæpè enim ſanguis in vis vrinæ concretus, vrinam immedicabiliter ſupprimit, &idira ſymptomata concitat, quæ ad ſanguinis grumos conſequuntur. Videmus enim, inquit Hieron. Reuſnerus, *in ſcholiis ad cap.* 22. *Iodoc. Villichij, de probatione vrinæ*, iuuenes plethoricos, neque vlli manifeſto morbo obnoxios, quibus nec Falerna vina, nec lautus victus deſunt, reſeratis vaſis mingere vrinam cruentam, qui ſola phlebotomia curantur: hoc enim modo naturam onere preſſam, facta minutione leuare oportet. Hac celebrata curatum fuiſſe quendam, refert Beniuenius *lib. de abdit. c.* 4. qui ſingulis menſibus ſanguinis profluuium patiebatur per inſenſilem porum infrà iecur, qui omnium viſus aciem effugiebat.

Obſeruatio XXVI.

Cruenta deiectio, critica.

Qvidam carnoſus, & robuſtus, ingluuiei valdè deditus, ex nimia ſaburra, potúſque meri liberali, in ignem ſæpè incidebat. Hic triduo fortè, inteſtinorum venis præ copia adapertis, cruentum deiiciebat in copia multa, ſine nixu, dolore, aut noxa vlla: qui abundantia excreta pancraticè viuebat, quovſque multitudine iterum, ob alimenti copiam, adaucta, idem patiebatur infortunium, à quo dyſenteriæ ope euadebat immunis. Huic, ſi fortè liberalis non erat vacuatio, vena ſecta in gibbero, remedio erat.

Vſus eſt auctor poſt phlebotomiam adſtringentibus, ad virium reſolutionem impediendam. Qui enim facilè quauis de cauſa ſanguinem mingunt, reſoluto calore, in atrophiam, aut malum corporis habitum commigrant: licèt enim qui ex robore excernentis facultatis id efficiunt, aliquo modo leuari videantur, tractu tamen temporis nimiùm imbecillitantur, & in lipothymiam, ſyncopémque incurrunt. Ad præcauendum autem immoderatum ſanguinis profluuium, adſtringentia medicamenta eſſe ſalubria, firmat Hippocrates *lib.* 5. *aphor.* 23. cum Gal. *lib.* 1. *acut. com.* 18. & alibi ſæpè. Hæ enim cum frigida & ſicca ſint, arctant vias, humores incraſſant, eóſque ad fluendum inhabiles reddunt. Quæ autem ſit illorum materia, luculenter oſtendit Mercat. *lib.* 1. *indicat.* 14. & *lib.* 2. *eiuſd. cap.* 4.

HISTOR. CXL. RHASII,

De vrina purulenta.

Renioſam vrinam expellens quidam, mundificantibus, & adſtringentibus curatur.

Bdellam, quando vrinauit vrinam ſanioſam, curaui cum rebus mundificantibus vrinam; & facta eſt vrina clara, & mundificata à ſanie: & poſteà exhibui ei in potu lutum ſigillatum, thus, & ſanguinem draconis, & fuit liberatus, &c. Rhaſius in libro de mirabilibus curis.

PARAPHRASIS.

PVs à bona ſubſidentia diſtinguitur fœtore, iuxta Hip. oraculum *lib.* 4. *aph.* 81. Licèt enim pus, renum, veſicæ, pulmonum, aut partium quæ ſuppuratæ & ruptæ ſunt, vlcerationem ſignificet, vt *text.* 75. *eiuſd. libri*, ipſe docuit, tamen odor grauis & inſuauis, proprium eſt ſignum veſicæ. Proponit rationem ſcitè Heurnius *in com.* nam *in pulmone ſi fiat ſuppuratum, pus id ratione generationis, non fœtet: nam à pleno calore elaboratum fuit, & quoniam per longos anfractus emanat, antequam excernatur, etiamſi malè oleret, tetrum illum odorem amitteret.* Sic etiam purulentæ vrinæ non ita fœtent, ſi ex renibus decidantur, quia in itinere aliqualem graueolentiam amittit pus. Veſicæ verò exulceratæ pus graue olet: quoniam hoc in parte exſanguis, & debili, facilè putredinem concipit, & grauem illum odorem in breui via non amittit. Quamuis enim omne pus malè oleat; ex Hipp. *lib.* 1. *prog. vlt.* id quod ex veſica exulcerata emanat, magis olet, etiamſi minimè malum ſit, quod in aliis partibus non contingit. Primò, ob ſubſtantiæ quæ corrumpitur, ſcilicet ob ipſius veſicæ naturam, quæ non eſt carnea, maximè in anteriore parte, ideò cum longiore tempore ad putredinem egeat, à violentiori cauſa magis putreſcit. Secundò ob admixtionem partium aquearum vrinæ, quæ corrumpunt, & corrumpuntur. Demùm ob moram, quam ibi ob vrinæ naturalem retentionem contrahit. Differt à crudo, albóque ſucco pus: nam pituita quaſſata, non ita vt pus diffluit, nec ita fœtet, & periodis quibuſdam emanat. Differt à ſemine, hoc enim pendulum eſt in vrina, cùm ſit aëreum.

Dicit ergo Rhaſius, hunc ęgrum vrinam ſanioſam excreuiſſe. Sanies autem eſt quid diſtinctum à pure, nam eſt tenuior hoc, variè craſſa, glutinoſa, & colorata. Pus craſſiſſimum, albiſſimúmque, glutinoſius & ſanguine, & ſanie. Rurſus, ſanies non eſt idem quod ichor, quoniam illa aut eſt tenuis, aut craſſa; ichor autem ſemper eſt tenuis. Deinde ſanguis exit ex vulnere recenti, aut iam ſaneſcente: ſanies eſt inter vtrumque tempus: Pus ex vlcere iam ad ſanitatem ſpectante, vt diſertè Celſus edocuit *lib.* 5. *cap.* 6. *tit. de ſanguine, ſanie, & pure.*

Sanies mala eſt, multa, nimis tenuis, liuida, pallida, aut nigra, aut glutinoſa, aut mali odoris, aut quæ & ipſum vlcus, & iunctam ei cutem erodit. Melior non multa, modicè craſſa, ſubrubicunda, aut ſubalbida. Cùm tamen multam ſanies cum pure ſimilitudinem obtineat, factum eſt vt Auic. pus, ſaniem appellauerit, tum 3. 4. *tract.* 1. *cap.* 23. *de iudicio ſaniei*, tum alibi ſæpè.

Pus aliquando mingi, veſica nequaquam affecta, *ſuprà citatis ſententiis* monuit Hippocrates. In hoc autem ægro fuiſſe

faciat veſicam exulceratam,ex textus ſerie manifeſtè conſtat; nam poſt abſtergentia,conſolidantia vlcus conſuluit. Inſuper veſicam vlceratam oſtendunt, dolor in ea parte acutus, maximéque mictionis tempore,& excretionis puris. Aſſiduè decumbunt, neque erecti ſtare poſſunt, nam dolores acuti ſunt,& vlcera iniucunda. Quod ſi vlcus ſerpendo procedat,ſanguinolentum & ſanioſum,cum vrinæ difficultate,penis erectione,& dolore iuxta pubem,excernitur. Adſunt mucoſa excrementa,& cruenta,ramentis inteſtinorum in dyſenteriis excretis ſimillima, cum dolore, & ardore. Hæc eſſe in collo diſtingues; nam præterquam quod ex ceruice excrementa prorumpunt craſſiora, cùm huius particulæ ſubſtantia craſſior ſit, à qua mucoſus, & viſcidus humor emanat,etiam tempore mictus ſolùm hæc ſymptomata exaſperantur magis, vt Gal.*lib.de loc.4. & 5.* Paulus, Aëtius,& Trallianus *prop.cap. de inflammat. veſicæ* docuere.

B Licèt difficile ſit dirimere, an pus hoc à renibus, an à veſica in hoc ægro affluxerit, quum nullum de ramentis, aut vrinæ fœtore, præter ſaniem (cuius excretio vtriuſque partis vlceri communis eſt) ſignum attulerit, tamen cùm vlcera harum partium,vel ex rupto abſceſſu,vel humorum acrium,erodentium,aut ſalſorum affluxu,vel à reſoluente continuum vi & impetu, ſiue caſus ſit, ſiue percuſſio, aut vlcus oriantur; eáque quatenus vlcera ſunt, communem ſibi vendicent curationem,nempè abſterſionem,& exſiccationem, eámque propoſuerit auctor hic, videndum num ſic auxilium, quod his indicationibus ex æquo ſatisfaciat.

C Quaproter præcedentibus vacuationibus vniuerſalibus, quarum ope attemperentur partes, acres mordacéſque humores vacuentur ſuauiter (hæ enim partes ob luborum,& dolorum moleſtiam illicò ex frequenti,aut violenta vacuatione exacerbantur, & excandeſcunt) ad abſtergentia accedere neceſſitas cogit. Cui viui nullum lacte excellentius eſt auxilium,ex omnium auctorum decreto; nam lenit dolorem,attemperat,abſtergit vlcus,corpus reficit vigiliis & doloribus exhauſtum, tabitudinem arcet. Eſt hoc præſidium, vt alimentum, & vt medicamentum efficaciſſimum:quippe ſeroſa parte abſtergit,caſeoſa conglutinat,butyroſa ac pingui dolores lenit, ac mirificè nutrit. In initio,vbi maiori abſterſione opus eſt, vtere aſinino,quod ſuapte natura ſeroſius eſt,& magis abluit; poſteà caprinum; & minùs ſordeſcente vlcere vaccinum eligendum. Id exhibe cum ſaccharo. Præſtant quoque idem beneficium ſaccharum roſaceum,decoctum hordei cum ſaccharo,vel ſyrupo roſaceo, ſerum lactis caprini cum melle,amylum, ptiſana,aut ex farina hordei pultes, & denique alia quæ capite de vlcere renum, aut veſicæ, apud auctores reperies.

D His factis,ſi vrina purior ſit,púſque & minus,& albius, & non admodum fœtidum, videatúrque vlcus ab omni ſorde immune,fluxio nulla ſit,dolor minor,ad conſolidantia, & vlcus carne implentia deueniendum eſt, cui operi efficaciſſima ſunt ab auctore propoſita,nempè terra ſigillata, thus, ſanguis draconis; quæ medicamenta hoc munus complere, omnibus compertum eſſe reor. His ſimilia ſunt quæ ſanguinem cogunt,& inſpiſſant,vt karabe,tragacanthum,ſpodium,bolus armeno,oryza, fructus myrti, trochiſci de corallo, balauſtia, roſæ,amylum; quibus penetrationis gratia,ſaccharum,mel roſaceum,ſyrupum roſaceum,& vrinam mouentia admiſcere oportet,vt ſemina melonis,citrulli,petroſelini, & cætera multa.

E

Obſeruatio XXVII.

Veſicæ vlcus mirabile, lacte curatum.

DVm hæc ſcriberem,acceſſit ad manus noſtras obſeruatio illuſtris, Doctoris Roſales Medici Hamburgenſis peritiſſimi, quam vt monſtroſam hîc deſcribere non grauabor. Fœmina quadragenaria biennio paſſa eſt ardorem vrinæ ita intolerabilem, vt mictionis tempore alta voce clamaret. Poſt hunc, ſanguineos ichores per menſem excreuit. Hos ſequuta per anni ſpatium, tanta

A fœtidi, craſſi,& graueolentis puris copia cum ſquammulis permixta,cum vehementi in pube,imóque ventre tormento percepto,vt quotidie (mirabile dictu) quinque heminas per vrinam emingeret, in tantámque tabitudinem eſt lapſa, & carnium extenuationem,vt cum tenui febri, & vultus colore plumbeo, ventre contracto, rel quum corpus ita aridum ſit factum,vt ſceleton videretur. Hanc Medici pro Gallicata Guaianicis remediis excarnificauerant,quæ per anni dimidium,lacte aſinino primùm, deinde bubulo alta,ad priſtinum nitorem pinguiuſcula facta, eſt redacta.

Licèt vlcera veſicæ, & renum,curatu difficilia ſint, ex Gal.*lib 6.de loc.3.*& maximè ſi ex eroſione ſint oborta, ita vt pauci ab eis perfectè liberentur, vt monuit Aët. nam harum partium opus indeſinens eſt,ex Gal.*lib.6.aph.com.6* quiete autem opus eſt, ſi quid ſanari debeat; & quoniam excrementum acre exacerbat vlcera impensè veſicæ, quæ cùm neruoſa ſit, ſolidatur difficiliùs; nec per pudendum auxiliorum vim aptè ſuſcipere poteſt; cúmque frigida ſit, & exanguis,ipſa actuare non valet: tamen auxiliares manus adhibere oportet præſertim ſi recentia ſint vlcera,hęc enim,diutinis vlceribus,in iunioribus potiſſimùm,faciliùs conſaneſcunt, ſicut quæ in collo veſicæ ſita ſunt,vt *lib.6. aph.com.*18. Magiſter docuit. Vlcera ergo veſicæ licèt lethalia ſint magna ex parte,nihilominus aliquando ſanata legimus, apud Cardan. *lib.6.aph.com.*18. Anton. Beniuen. *cap.*78.*de abdit.* Valleſcum *in ſuo philonio,cap.de lapide veſicæ*, & alios.

HISTOR. CXLI. GALENI, *De vrina carunculis.*

Veræ carunculæ per vrinam excretæ, nunquam à Galeno viſæ.

N*Vnquam tamen talem vidi renum diſpoſitionem: ſed veluti carunculæ ſæpius à me viſæ ſunt in illis febribus, in quibus etiam quæ ſunt ſimilia orobis ſedimenta conſpiciuntur, ſanguine craſſo in renibus, aut in hepate exuſto: non tamen veras carunculas vnquam vidi cum vrina exeuntes, &c. Galenus* lib.4.aph.com.76.

PARAPHRASIS.

PLura ſunt quæ in vrina apparent contenta,praua,pręter naturam, & vitioſa. Humor pituitoſus, & crudus, arena, calculus, capilli, pinguedo, recrementa farinacea, laminea,furfuracea, ſquammoſa,pus,carunculæ. De pilis, pinguedine,& pure, ſatis diximus *ſupr. hiſt.*130.134.136. De reliquis breuiter nunc dicendum. Humor crudus contentus in vrina ſolet referre ſpeciem laudabilis ſedimenti,quoniam aliquando extenuatur à calore,& ſolet Medicis imponere; à bona tamen ſubſidentia diſtinguitur, quoniam inæqualis eſt, diuulſus, & in partes diſſimiles diſtrahitur,morbúſque eſt in principio; & antequam perfectum appareat ſedimentum,primò viſitur nubes,deinde appendiculum,poſtremò ſubſidentia: contrà humor crudus primò concoquatur, extenuatur tunc ſublimamentum, deinde nubecula apparent, vt docet auctor *libri de vrinis,cap.vlt.*

Sabulum, ſeu arena in vrina ſolet etiam apparere, quæ auctore Hipp. *lib.4.ſent.*78.non ſolùm veſicam, ſed etiam renes calculo laborare oſtendit,vt notauit Gal.*lib.1.de loc. affect.cap.*1.dum agit de ſignis,quę partem affectam oſtendunt. Quare Hip.*lib.6.epid.ſect.1.text.*16. in lapidis generatione arenas rufas in vrina apparere affirmat. Arena, & calculus ab eadem materia oriuntur,& in eodem loco gignuntur; differunt ſolùm, quoniam materia calculi eſt magis lenta, arenæ autem lentorem non habet,nec cohæret,ſed diſſoluitur,& friabilis eſt,vt notauit Gilbertus Iacchæus *lib.4.inſtit. medicar.cap.*5.

Carunculæ etiam in vrina apparent,quæ,vt docet Gal. *lib.6. de loc. cap.*3. renum exulcerationem oſtendunt, & non ſiluit Celſus *lib.2.cap.7.in med.* edoctus ab Hippocr.

in lib.4.aph. text.76. cuius commento ſcripta eſt hiſtoria hæc. Sic enim inquit Hip. *Quibus cum vrina craſſa, caruncule parue, aut veluti capilli vna exeũt, iis à renibus excernitur.* Illæ ex alia parte oriri non poſſunt cum vrina craſſa: quæ enim excernuntur ab hepate, venis partibuſque diaphragmate ſuperioribus, vt in febribus accidit ardentibus, cum vrina exeunt tenui; quæ verò à renibus prodeunt, cum magno dolore, labore, difficultateque ob anguſtiam loci emanant, cum vrina purulenta, quum à magno vlcere, & ſordido ſcaturiginem ducant. Præterea in vrina ſolent apparere contenta aut farinacea, aut laminea, aut furfuracea. Hæc omnia paruarum caruncularum modum repræſentant. Omnes deterrimas eſſe pronunciauit Hip. *lib.1.prog.text.*28. ſedimenta farinacea ſunt ſimilia farinæ hordei craſſiori vel triticeæ, ſiue ex zea craſſo modo molita. Et *in com.huius ſententiæ* firmat Gal. farinaceas ſubſidentias eſſe illas, quæ aſſimilantur craſſioribus partibus hordei frixi, & moliti, illis videlicet quæ moliturain ſubterfugiunt. Hæ ob craſſioris ſanguinis aduſtionem, aut inæqualem carnis colliquationem oriri ſolent, ex Gal. *lib.1.criſ.cap.*12. Quibus locis notauit hic auctor, ab igneo & adurenti calore pinguedinem recenter concretam, carnem, & partes ſolidas liquari, ac diſſolui. Sicuti enim in herbarum, & aliarum rerum diſtillationibus, primò pars tenuis & aërea diſſoluitur, deinde pars aquea, poſteà craſſior, poſtremò terrea, & quæ velut glutino, & calce cohærebat: ſic quando animalis ſubſtantia à calore immodico diſſoluitur, primò incipit pinguedo recens concreta, quum paratior ſit diſſolutioni, deinde antiqua, quia illa ampliùs reſiſtit, poſteà caro recenter genita, quæ magis vtraque pinguedine reſiſtit; deinceps reſoluitur caro antiqua; poſtremò partium ſolidarum ſubſtantia colliquatur.

In his, quæ priùs diſſoluitur eſt ſuperficies interna, quæ cuticulæ quodammodo reſpondet, deinde verò profunda ſubſtantia incipit diſſolui. Quando liquatur pinguedo, quæcunque ea ſit, apparet vrina oleoſa, & pinguis. Quando exuritur caro, magna portio in ſudorem reſoluitur, aut vacuatur per vrinam: ea tamen portio craſſa, & duriuſcula, quæ manet veluti fricta in ſartagine, expulſa per vrinam, conſtituit contentum farinæ tritici, aut hordei ſimile.

Hanc farinaceam ſubſidentiam, quam Auic. 2.4.*tract.*1. *cap.*38. vocat orobinam, quoniam orobo, ſeu eruo excoriato ſimilis eſt, dicit Gal. ſæpiùs ſe vidiſſe in febribus, ſanguine craſſo in renibus, aut in hepate exuſto, vel liquefacta carne. Si fiat ob ſanguinis aduſtionem, ad rubedinem tendit, dicitur orobea ſubſidentia: ſi propter liquationem carnis contingat, & tendit ad albedinem, & pollentacea, ſeu ſimilacea dicitur, & farinæ tritici, vel hordei craſſiori ſimilis exiſtit. Hæc mala eſt, & perniciosa, vt conſtat ex *hiſtoria Sileni.* qui 1.*epid. ſect.*3.*text.*19. primo die hoc in vrina habuit contentum, & vndecimo obiit.

Contentum lamineum, laminoſum foliatum dicitur, quoniam in eo laminæ, ſeu folia apparent. Auicenna 2.4. *tract.*1.*cap.*38. vocat ſquammoſum, quoniam ſquammis piſcium aſſimilatur. Hoc non iam carnem, ſed ipſorum ſolidorum membrorum intimas partes exuri ſinificat. Furfureum hanc etiam cladem denotat. Differt tamen à laminæo ſola latitudine, anguſtia, craſſitudine, & tenuitate; nam hoc latius eſt, & tenuius, furfure craſſius, ac minùs latum. Omnium eſt conſimilis efficiens cauſa, ex Gal. *loc.cit.*& *lib.6.epid.ſect.*5.*com.*15. nempè calor immenſus, igneus, exurens, colliquans.

Has ergo ſubſidentias, quas veluti carunculas vocat Gal. multoties vidiſſe in vltimis febribus aſſeuerat: veras tamen carunculas cum vrina excretas ſe nunquam vidiſſe confirmat: & meritò ſanè, quoniam quum vehemens febris vrit, interdum ſanguis in renibus, & hepatis venis aſſatur, vnde quid ſimile carunculis mingitur; quando tamen profunda ſubſtantia ſolidorum, aut renum incipit diſſolui, antequam diſſoluatur, animal perit, vt *lib.*10.*meth. cap.vlt.ante fin.* Magiſter diſertè edocuit. Dum enim in febre hectica & maraſmode, ab adurenti calore, pinguis, carnoſaque portio liquatur, contabeſcit animal, attamen ipſis ſolidis liquatis ac ſiccatis, fieri nequit vt ſtatim non iuguletur: nam, vt ipſe inquit *in comment. cit. aphor. fieri non poteſt, vt manente vita, ipſa carnis renum fruſtula (carunculas veras vocat:) cum vrina deſcendant. Veriſimile namque eſt, humanum corpus, vita ſuperſtite, non poſſe pati tantam labem, vt ſolida membra vel in farinæ pollinem redigantur, vel fruſtulatim decidant.*

DVBIVM LXXIV.

Num furfuraceum contentum ſit deterius ſquammoſo.

Q Væ ſedimenta ex his ſint deteriora, vertit in dubium Valleſ. *lib.*3.*controu.cap.*27. & *in Hippocratis loc.cit. prog.* furfuraceũ deterius eſſe affirmat, quoniam maiorem colliquationem, & noxam inſinuat: nam peius eſt partes ſolidas colliquari, quàm ſanguinem & carnem aduri, & ſolidorum colliquatio profunda, deterior eſt ſuperficiali. Auic. 2. 1. *doct.*3. *cap.*6. ſquammoſum deterius indicauit, quantò enim maiores diſſoluuntur, tantò noxa eſt maior. Actuarius *lib.*2. *de iudiciis vrinarum, cap.* 20. farinaceum prætulit in malitia, nam ſolidorum maiorem colliquationem ſignificat: illa enim ita à calore igneo torrentur, vt partes glutino veluti cohærentes, in farinam diſſolutæ conuertantur. Concilia hos auctores hoc modo. Prædicta recrementa excernuntur, vel propter aduſtionem humorum, aut recrementorum: quando hoc modo exeunt, minùs reprobari debent, & quanto craſſiora, & maiora fuerunt, minus periculum portendunt, quum ſint præter naturam. Quando tamen ob colliquationem ex partibus deciduntur, ſunt multò deteriora, & quantò maiora & craſſiora ſunt, tantò peiora: quoniam cùm ſint res præter naturam, quò plus earum excernitur, eò maior eſt noxa. Recrementa ergo furfuracea, quando non propter aduſtionem ſanguinis, ſed propter diſſolutionem partium ſolidarum excernuntur, ob prædictam cauſam ſunt deteriora.

Neque hæc contenta ita perniciosa iudices, vt iis excretis nullum ęgrum ſaluari contingat, quum contrarium aliquando, tarò tamen accidere narret Hip. Qui in horto Dealcis decumbebat *lib.*3. *epid.ſect.*1. *text.*18. habuit vrinam cum ſuſpenſionibus farinæ craſſæ ſimilibus, qui die 40. ad ſalutem iudicatus eſt. Si enim præſentibus aliis ſalubribus ſignis, morbus cum virium robore protrahitur, ſpes ſalutis eſt, quod omnibus ſignis prognoſticis commune eſt. Ex his apparet, vera fuiſſe loquutum Hip. *lib.*7. *aph.* 31. dum ſic ait. *Quibuſcunque febricitantibus in vrinis fiunt ſedimenta veluti farina craſſior, longam ægritudinem fore ſignificant.* ſententiæ veritatem probat Heurnius diſertè *in com.* Nam hoc contentum citra virium robur exitiale eſt, quoniam coctionis difficultatem denunciat: Si vires non adſint, in graui calamitoſóque morbo citam mortem ſignificant; in mitioribus, diuturnitatem: nam quod natura breui tempore efficere non poteſt, abſoluit longo.

Hæc omnia intelligas velim, modò morbus non ſit in veſica, vt notat Hip. *lib.*2.*prog.*37. nam ob vitia renum & veſicæ, ſolet vrina vitioſa apparere, ſine vitio totius. Hoc ita diſtingues: quum enim vrina eſt mediocris & cocta, prædicta contenta ex vitio veſicæ emanare ſolent, vt aduertit Hipp. *lib.*4.*aph.text.*77. quum autem ob vitium totius, & febris malignitatem prodeunt, vrina tenuis eſt, & cruda. Inſuper ſi appareant ob vitium veſicæ, abeſt febris: licèt multoties hæc omnia confundantur, febris, cruditas vrinæ, cum veſicæ noxa, quæ omnia propriis ſignis venari oportet.

Ex his elice corollaria duo. Primũ. Carunculas veras viuẽte animali per vrinam excerni non poſſe, vt Gal. firmat: licèt enim auctores mira viderint per hanc partẽ excreta, & citra valetudinis noxam, vt grumũ, vermiculos, beſtias, pediculos, formicas, veſicas, pituitam vitream, lentam, conglomeratam, ramenta, globulos cryſtalliformes, culmum hordeaceum, pilos, horũ faſciculos, & alia monſtroſa, quorum catalogũ ex diuerſis auctoribus deſumptum, legat

legat qui velit, apud eruditiſſimum Schenckium *lib.* 3. *obſeruat. de vrina*, tamen carunculas veras nunquam viſas fuiſſe ipſi enarrant. Secundum. Sedimentum furfuraceum reliquis deterius eſſe. Quomodo autem ſedimenta hæc diſtinguantur, quando ob aduſtionem ſanguinis, aut colliquationem carnis inæqualem oriuntur, pete ex Mercuriali, & Chriſtophoro à Vega *in com.cit.ſent.lib.* 2. *prognoſticorum*, qui hunc Hippocratis contextum luculenter explanarunt. De qua re pulchra dixit Santorellus doctiſſimus 8. *anteprax.* 22.

HISTOR. CXLII. RHASII, De vrinæ incontinentia.

Vrinæ incontinentia, enematis, & aliis adſtringentibus auxiliis curata.

Erat quidam puer patiendo mictum in lecto, qui curatus cum toto eo quo curant Medici, non contulit ei, ſed fuit ſanatus, dum clyſteriſatus eſt cum rebus quæ retinent vrinam, & immiſſum eſt in veſicam ipſius de eis cum calefactiuis, quolibet nocte penes dormitum, bibitis tunc drachmis duabus, aut tribus de granis myrti, quoniam hoc tollit abundantiem vrinam, &c. Rhaſius lib. 23. continent. tract. 2. cap. 1.

PARAPHRASIS.

Veſicæ partes duæ ſunt, fundum, & ceruix; in fundo continetur vrina. Hoc ſenſim in anguſtiora coarctatur, & in ceruicem carnoſiorem deſinit: muſculo cingitur qui ianitoris vicem gerit. Huius proprium munus eſt veſicæ collum fortiter claudere, & exitum intercludere, ne inuitis nobis effluat vrina, vt *lib.* 5. *de vſu part. cap.* 16. docuit Galenus. Quo pacto mirari non oportet, quomodo per bonam valetudinem volentibus nobis vrina excernatur, cùm muſculus iam dictus ceruicem veſicæ circumdans, voluntatis noſtræ imperio obtemperans, ab actione quieſcit, fungente veſica ſuo munere, in excernendo naturaliter agens: De quo argumento *comment. hiſt. vlt. huius libri* latè diſceptabimus.

Vrinæ ergo incontinentia, eſt morboſa & præternaturalis actio, & muneris continendi vrinam ceſſatio; ad quam ſymptoma oritur in genere immodicè excretorum. Huius cauſa multiplex eſt. Nam vel accidit, neruos à ſexta coniugatione, vel à ſpinali medulla ortum ducentes, ad veſicámque delatos frigida eſſe intemperie affectos, obſtructos, compreſſos; vel ob luxationem vertebrarum contingit, quæ luxatæ; & comprimentes neruos, vrinæ incontinentiam efficiunt.

Frequenter tamen cauſam eſſe remur, quando hic muſculus nimia humoris copia madefit, qua relaxatus collum veſicæ coarctare nequit. Sic pueri inuoluntariè mingunt: ſic ebrij ob humiditatem multam, vrinam incontinenter reddunt. Cauſæ verò quæ noctu, & inter dormiendum vrinam fluere cogunt, in pueris, & humidioribus naturis, ſunt debiliores & minùs efficaces iis, quæ prædictum muſculum reſoluunt, & comprimunt. Et ob hoc inter dormiendum meiere, ſignum eſt minoris mali prædicti muſculi, & facilioris cauſæ, quàm dum inuoluntariè fit mictio.

Huius rei triplex ratio. Prima. Quia in profundiore ſomno affectis, minùs eſt animalis potentia actionibus intenta, & ob id minùs reſiſtit actibus naturalis potentiæ expellentis. Secunda. Tempore ſomni humiditas intrò regurgitat, & vrina fit abundantior. Tertia. Profundè dormientes habent admixtam cum vrinæ copia acrimoniam & mordacitatem, qua perſentita excitatur ad expulſionem facultas tempore ſomni.

Triſte, & miſerabile eſt hoc malum, nam homo negotiis vrbanis dicatus, in actu excernendi perpetuò exiſtit. Cúmque tota cauſa huius mali in frigiditate, & humiditate muſculi claudentis veſicam ſita ſit, & maximè in pueris, in quibus ob frigidorum, & humidorum humorum copiam oritur hoc vitium, medendi ratio conſiſtit, vt firmetur muſculus, & abſumantur humiditates.

Primò vacuabis totum phlegmagogis. Firmabis partem, immergendo pueros vſque ad medium dorſi in aqua thermali; quæ ſi deſit, artificiale balneum para ex carminantibus, calefacientibus, & exiccantibus herbis paratum, & decocto adde alumen, ſulphur, & nitrum. Similem vſum præſtant ſudorifica facta ex decocto ebeni, ſmilacis aſperæ, chynæ, & ſaſſafralæ Indicæ. Vnguenta impoſita ſuper perinæum, & pubem, facta ex oleis calidis maximè cum theriaca, & oleo vulpino, aut belzoïni, vtilia ſunt. Calefacientia medicamenta per ſyringam in veſicam immittere, non eſt abs re. In potum tribuere adſtringentia, vt myrtum, & alia; cum vino adſtringenti permixta; ſummoperè hic ab auctore, & aliis commendatur. Clyſteria parabis calefacientia, & adſtringentia, quæ maximum in hoc affectu obtinent momentum. Fient ex decocto myrti, rutæ, abſint. ſaluiæ, myrrhæ, ſtœchad. cum oleo de caſtor. & myrtino. Demùm medicamenta ex myrto ſatiua parata, omnia ſunt optima: nam puluis myrti cohibet, ſiſtit, arctat, retinet vrinam, ſicut fluxiones omnes immodicas compeſcit, cùm adſtringat, ex Dioſcoridis *lib.* 1. *cap.* 128. quare ſiue foliis, granis, ſemine, ſuccóve vtaris, maximam in compeſcendo fluxu immodico vrinæ ſenties vtilitatem; quum vehementer ſiccet & adſtringat, vt monuit Paulus *lib.* 7. *tit. de myrto*, & cæteri poſteà confirmarunt. Fontanellam, cæteris non conferentibus auxiliis, brachiis, aut cruribus affiges, ſi humor à capite, vel partibus inferioribus fluat. Reliqua verò quæ à proprietate vrinam cohibent, per otium lege apud Euſtachium Rudium *lib.* 2. *praxis cap.* 44. Mercurial. *lib.* 2. *de morb. pueror. c.* 19. Vidum Vidium *lib.* 10. *de curat. membrat. cap.* 15. *in fin.*

HIST. CXLIII. GALENI, De vrinæ incontinentia.

Vrinæ incontinentia, ex luxatione externa vertebrarum, ſuborta.

Rurſus alter luxatis ad externas partes vertebris vrinam inuitus profudit; nullo infeſtante veſicam dolore. In hoc coniecimus, eius muſculi neruum, qui veſicam claudit, fuiſſe affectum: proinde ſpinalem medullam curare voluimus, &c. Gal. lib. 6. de loc. cap. 4.

PARAPHRASIS.

Incontinentiam vrinæ; ſeu illius inuoluntariam profuſionem accidere, ob affectum muſculum veſicam claudentem, docet hoc loco Galenus. Coafficitur autem is affecto neruo (hic enim ad illum pertingit) ab ſpinali medulla ortum ducente. Neruus hic multis modis læditur: vel obſtruitur ſpiritu craſſo, nebuloſo; aut humoris copia imbuitur, & relaxatur; vel comprimitur, vt accidit huic ægro, cui luxatis vertebris è regione veſicæ, compreſſus fuit neruus proprius ad hunc muſculum pertingens. Vel à reſoluente dilaceratur. Interdum præ frigore, animales operationes, ſpiritúſque mortificante reſoluitur. Aliquando obſtructis prioribus neruis, à quibus hic diuaricatur. Qua de cauſa ſenibus inuoluntarius accidit vrinæ fluxus, & his qui in locis frigidis & humidis vitam degunt. Tunc in ipſis vigere mali cauſam arbitrandum eſt: nam frigido humore abundantes, nimium refrigerantur, & ſpiritu influente orbantur, & vel molliores, laxioréſque facti ad illuſtrationem recipiendam ſunt inepti.

Conſtat ſpina non vno oſſe, ſed pluribus; cuius pars principaliſſima eſt medulla, ſpinalis propriè appellata, fluuius veluti quidam à cerebro, quaſi à fonte manans: à qua locis omnibus quæ præterit, neruus emittitur, tanquam ſenſus & motus riuulus; ſemper enim propinquis

quibúſque partibus ; ex parte eius propinqua productus neruus immittitur : tota enim neruorum compago conſumitur non aliter,quàm arboris truncus in ramos quàm plurimos;& in dictis oſſibus,cauis exiſtentibus, hæc continetur.Sunt oſſa hæc,numero quatuor & viginti in hominibus , præter os latum , quod extremæ ipſi ſubiacet; vocatáque ſunt oſſa huiuſmodi, ſpondyli , ſeu vertebræ. Habent hæc oſſa cartilaginis ſubſtantiam ea circumdantem, qua reguntur, & tuentur. Huic ligamenta neruoſa, lata, fortia , craſſa indita à natura , totam ſpinam colligantia. Oſſium horum forma eſt huiuſmodi , vt quæ ſitum ſuprà habent , deorſum ; quæ infrà , ſurſum ſpectent ; ad formam ædificij fornicis dicti. Sunt inter ſe magnitudine diſtincta : circa lumbos ſita, molem habent magnam; quæ infernè circa os ſacrum, illam habent maiorem ; ſuperiora verò versùs collum , omnium tenuiſſima ſunt.

Per hæc oſſa nerui exeunt, quorum triginta paria obſeruant periti anatomici;ſeptem ceruicis,duodecim dorſi, quinque lumborum , ſex oſſis ſacri , vt docuit ſolertiſſimus Magiſter *lib.12.de vſu partium*, à quo loco hæc ſunt exhauſta. Quare fit,monente ipſo *lib.5.eiuſd.operis, cap.8.* vt veſicæ vrinariæ nerui à ſpinali medulla , qua parte os ſacrum dictum, ſitum eſt, prodeuntes, læſi fuerint. Cùm ergo ab aliqua externa cauſa,nerui illi circa illam partem exorientes læduntur , veſicæ officium , quod eſt vrinæ excretio , nullo infeſtante veſicam dolore , lædi omninò neceſſarium eſt.

Sed quæres, cur hic luxatis ad poſteriores partes vertebris , vrinam inuitus profudit ? Dic , quoniam neruus veſicam claudentis muſculi fuit reſolutus,non quidem ob propriam nerui paſſionem, ſed ob læſionem ſpinalis medullæ ; hæc verò læſa erat ob vertebrarum ad poſteriora luxationem.Num verò ex caſu,ictu;aut tumore præter naturam , hæc fuerit luxata , ex Galeni doctrina non ſatis conſtat : veriſimile tamen eſt ex ictu, vel caſu fuiſſe luxatam ; nam ſi tumor adeſſet , eius curationem ſine dubio proponeret.

At cùm ex diſlocata,aut luxata ſpina,affectis neruis qui ad omnes partes demandantur, torpor,diſtentio, tremor, reſolutio, & alia damna ſequi poſſint,vt Hippocrates docuit *lib.3.de articul.ferè per totum*,& mors:cùm ſcilicet ob inflammationem, dolorem ingentem ; & ſiccitatem lædatur medulla cum neruis;afficiatur cerebrum;auferatur,vel plurimùm minuatur ſenſus,& motus;ſupprimatur vrina, & deiectio; ſuperueniat neruorum diſtentio , quæ hominem abſumant : Videndum , quæ luxatio tanta mala parere poſſit.

Multiplices eſſe luxationis differentias , Hippocrates *loco citato* edocuit,cuius mentem fidiſſimus eius interpres *lib.4.de loc.affect.cap.3.*Laconicè illuſtrauit.Harum prima dicitur anguloſa,in qua vnica duntaxat vertebra luxatur. Altera eſt circularis, quæ in orbem, & paulatim fit , pluribus ſcilicet quadantenus luxatis vertebris , ſed non vehementer & omni ex parte à ſua ſede diſtractis. Tertia vocatur recta , quæ rectè ad interiora, aut exteriora procumbit. Vltima appellatur obliqua , quæ non rectè , ſed obliquè & ad latera fit luxatio, in qua contingit neruos atteri, ſubiectáſque partes lædi. Anguloſa omnium periculoſiſſima,propterea quòd contingit in ea vehementiùs, & cum maiore violentia ſpinæ medullam atteri,quàm in circulari, quæ etiam periculo non vacat : Hæc in gibbis fit,tam interiùs, quàm exteriùs, in qua nihil omninò patiuntur partes , quæ ſummotis vertebris ſupponuntur. Ægrum autem hunc obliqua luxatione laboraſſe,ex dictis eſt manifeſtum. Licèt enim anguloſa , ſpinalis medullæ & neruorum compreſſionem poſſit efficere , tamen hæc in qua vna tantùm, aut altera luxatur vertebra, ſubitò & affatim, à caſu , aut percuſſione , & in ſuperioribus colli vertebris contingens,periculoſiſſima cùm fit,motu ſubiacentium partium, ſimul & reſpiratione impedita , hominem tollit, priuſquam paralyſim emittat,vt protulit Auicenna 3.9.*tract.1.c.8.*hæc enim,ipſo auctore 5.4.*tract.1. cap.21.* coarctat neruos, anhelitus , & reſpiratione interceptа procul dubio interficit.

A Rogabis vltimò,cur Galenus luxationis huius curationem non expoſuerit ? Dic, illius minimè fuiſſe oblitum; patet ex verbis (*proinde ſpinalem medullam curare tentauimus.*) Auxilia autem huic operi accommoda,tanquam notiſſima ſunt prætermiſſa,vtpotè ſæpiùs *in libris de articulis* recitata. Scopi namque in hac curatione ſunt , vertebras in ſuum locum reponere,& neruos læſos roborare. Illud opus multiplici præſidio perficitur, extenſione, repoſitione, deligatione,& collocatione. Hæc omnia in luxatione curanda eſſe obſeruanda , monuit Hippocrates *lib. 2. de fractur.* cum Galen.*com.5 2.5 3.5 4.& l.3.de articul.com.21.* explicant Auic.*loc.cit.cap.5.*Ioan.Vigonius *lib.6.cap.1. de vniuerſali curatione oſſium luxatorum*,Paulus *lib.6.cap.111.* Celſus *lib.8.cap.21.* quorum mentem dilucidè explanant Hollerius *lib.3.inſtit.chirurg.* Tagaultius *in ſuo compendio,* B *de luxationibus*,ex variis auctoribus doctiſſimè collectam, Hieronymus Fabric. ab Aq. pendente *lib.5.de luxationib. cap.2.* Vidus Vidius *l.5.de curat.membrat.c.6.* Ex quorum lectione fit manifeſtum,in reducendis ſpinæ vertebris,inſtrumentū machinæ Hippocraticæ,qua olim luxatæ ſpinæ ſubueniebat,eſſe pro hoc cōplendo opere præſtantiſſimū.

Poſt repoſitas vertebras, neruos & ſpinalem medullam roborare oportet,maximè in ea parte, vbi è regione veſicæ neruus eſt compreſſus.Hoc facies aſperis frictionibus, vnguentis calidis,roborantibus emplaſtris, in lumbis,perinæo , pectinique applicitis , quorum copiam lege apud probatos auctores , *cap.de paralyſi.* His omnibus anteponenda cenſeo medicamenta cum neruis ſympathiam habentia,qualia ſunt Roſmarinum,ſtœchas,betonica,herba paralyſis,ſaluia,iua arthetica,aqua vitæ, euphorbium, ſagapenum , opopenacium, & ſi quæ alia firmandis neruis C aptiſſima. Horum materiam vide apud Holler. *lib.1. de morb.intern.cap.9.* Mercat.*lib.1.de morb.intern. c.14.* Montaltum *tract. de capit. affect. cap. de paralyſi.*

HIST. CXLIV. GALENI, De vrinæ difficultate.

Vrinæ difficultas , ex ſiccitate glandularum veſicæ adiacentium nata,humectantibus internis, & externis perſanata.

P*Orrò qui humor in illis corporibus glanduloſis progignitur* D *(quæ vtraque parte colli veſicæ locata ſunt ,) is in meatū vrinarium effunditur:atque in muſculis quidē,vnà cum ſemine in matricē delabitur:in fœminis autem & foràs,& in muliebre pudendum erumpit.Vtilitates autem eius in ſexu vtroque ſunt, quòd ad venerem excitet,in coitúque delectet,denique meatum vrinariū madore ſuo perfundat,habilioremque ad vrinæ tranſitum reddat.* At fœmina cùm maſculo frigidior ſit,incoctum, tenuémque in glandoſis paraſtatis hunc humorem habet. Quòd autem madefaciat,molliat, & viſcoſitate quadam, olei inſtar, meatū inungat,eſt notum: At nunc nuper quidā quòd graciles, & penuria alimenti partes has omne laborantes,& ſiccas haberet,ob eā cauſam viſus eſt nobis non poſſe priùs meiere,quàm copioſum in veſica lotium aceruaſſet,quòd meatus ipſi ſiccus eſſet,ac concidiſſet. Oportebat igitur meatū ipſum à lotij multi,ac ſubiti ſupernè validè immiſſi impetu aperiri,alioquin haudquaquam* E *homo ille meiere potuiſſet;eámque cauſæ coniecturam curationis euētus confirmauit:oleoſis enim vnguentis locum omnem perfundētes,corpúſque vniuerſum renutrientes(erat enim ſummè gracile,& præſertim partes illæ)his remediis hominem reſtituimus, &c. Galenus* lib.14. de vſu part. cap.11.

PARAPHRASIS.

INter proprios veſicæ affectus numerandus etiam eſt, qui vrinæ difficultas dici ſolet , cùm videlicet æger meiere cupit,ſed cum vi vrinam excernit,& cum dolore. Gal. *lib.6.aph.36.* & maximè *lib.7.com.48.* huius affectus conditiones,in vrinæ excretione cum dolore,aut cum difficultate , conſiſtere aſſeuerat. Interdum vrina difficulter excernitur,

excernitur, quoniam ob doloremſardorem, & moleſtiam maximam perterrita natura vrinam cohibet: aliquando, quoniam meatus vrinarij ſicci ſunt præ humiditatis defectu, quam gignit natura in corporibus adenoſis, quæ ad ceruicem veſicæ, lentum, ſed non craſſum progignunt oleoſum humorem, quo lotij ſuapte natura acris mordacitas retundatur. Hanc cauſam difficultatis, & ardoris vrinæ, ex Galeno *hoc loco* propoſuit inter omnes Auicenna *lib.3.fen.18.tract.2.cap.3.* Explicuere Mercatus *lib.4. de morb.internis, cap.13.* Ludouicus Duret. *in com. cap. 50. lib.1. de morb. intern.*

Licèt enim hæ glandulæ, quæ ſunt in veſicæ collo iuxta ſphincterem, humorem contineant, qui in maribus & fœminis ad venerem incitet, in coïtuque delectet, huius tamen perpetuum impediri vrinæ ardorem, ne animal in continuo eſſet dolore, in ipſo mictionis actu, Galenus hîc confirmat. Hic enim pinguis humor lentore ſuo, & oleoſa mulcebrique humiditate, ſerum vrinæ acre, veſicam irrigando, contemperat.

Vrinæ difficultatem à plurimis aliis cauſis, vt ab vrina ipſa acriore reddita, ab acrium humorum affluxu, à ſalſorum ſuccorum copia, ex veſicæ, vel ceruicis eius vlcere; ex vteri, aut veſicæ inflammatione oriri certum eſt, attamen ex conſumpta harum glandularum humiditate originem ducere, ſuperiores auctores confirmarunt, vt *in com. cit.c. Auic.* Coſtæus notauit. Huius affectus cauſas perbellè explicuit Auicenna *loc. cit.* nam immodicè coëuntibus, abſumpta illa humiditate ardor vrinæ ſuperuenit; præceſſerunt morbi corpus colliquantes, vt febris ardens, hectica, quarum cauſa, nimia macie extenuata corpora contabeſcunt, & glandulæ exſiccantur. Hac etiam de cauſa ardorem patiuntur, qui habent vlcera in meatibus vrinæ propinqua virgæ: nam ex puris acrimonia excitatur ardor.

Curationem in hac hiſtoria præclarè propoſuit Galenus, & abſoluit Auicenna *loc.cit.c.4.* nam potulentis pugnare oportet, & iis quæ ſeroſam humiditatem ad veſicam protrudunt; hæc enim ob humoris inopiam, ſicca & corrupta, huius affluxu ampliari, diſtendique poteſt. Quare extenuata, ſiccáque pubis loca fortibus humectanda, relaxandáque ſunt balneis humectantibus, paratis ex decocto capitis caſtrati, Violar. Maluar. biſmaluæ, ſem. pſyllij, & cydonior. Quòd ſi cum olei copia multa parentur, erunt præſtantiora; hoc enim ſqualidum corpus humectat, ex Gal.*lib.5.ſimpl.c.13.* lactè etiam muliebri, vel quouis alio, pubem, os ſacrum, & perinæum irrigare ſummoperè prodeſt, præſertim ſi addatur copia olei violacei, aut amygdalini. Per virgam iniicere humectantia, vt lac muliebre cum mucilaginibus cotoneorum permixtum, conducit valdè. Humectante victu reficiendum corpus, lacte, ptiſſana, vitellis ouorum, iuribus pinguibus, & renutrientibus cibis. Conſimilem hiſtoriam tradit Iulius Pollux, referente Alexandro Benedicto *lib.24.c.3.*

QVÆSTIO LXI.

Quòd mulier ſit calidior viro, vt voluit Hipp. Contra Macrob. Parmenid. Laurent. Vegam, Peramat. & alios neotericos præſtantiſſimos.

COMMENTARIVM.

AT *fœmina cùm maſculo frigidior ſit.*] Diuini Senis, ſummi Medicinæ Antiſtitis, ſupremi Dictatoris, *in lib.1.de morbis, num.3.* celeberrima ſententia eſt, fœminam mare eſſe calidiorē. Sic enim habeat ſcientiſſimus Auctor. *Habet enim mulier ſanguinem calidiorem, & propterea calidior eſt, quam vir, &c.* Quæ ſententia quam ſibi ipſa contraria ſit, ex eius doctrina adſtrui poteſt: nam *lib.5.aph.48. & 6.epid.ſect.2.text.44.45.& 46.& ſect.4.text.27.& lib.1. de diæt.n.28.§. Ex omnibus autem, maſculi calidiores ſunt, & ſicciores, fœminæ verò humidiores, ac frigidiores, &c.* Eſt inſuper hæc ſententia aduerſa Galeno, qui pluribus in locis hoc ipſum aſſeuerat, tum *3.de cauſ.pulſ.c.1.& l.2.de temp. vlt. & 6.de loc. affect.c.5.in fin.& lib.5. aph. com.38.48.& 69.& 14.de vſu part. cap.6.& 7.epid. ſect.2.com.44.& 45. ſect.4.& com.27.& lib.2.de ſemin.c.5.* & alibi. Repugnat etiam Ariſtoteli *ſect.10.probl. & lib.4. de generat. animal. c.1.poſt med.* & Auicennæ *1.1.doct.3.cap.vlt. in fin. & 2.1. doct.3.c.7. in init.& 21.3.tract.1.cap.8.in fin.*

Tantorum virorum auctoritate freti recentiorum clariſſimi vnanimiter iurant, maſculum calidiorem eſſe fœmina. Inter hos extant duces ſtrenuiſſimi, Inſignis Veiga *in com.cap.5.lib.6.de loc.affect. Gal. in fin.n.4.* acutiſſimus Gentilis *in fen.1.1. Auic.doct.3.cap.vlt.in §. Secundum verò diuerſitatem.* Peramatus *lib.de temperam.c.13.in fin.* Mercurialis *lib.4.de morb.mulier.cap.1.* Chriſtophorus à Vega *in com.ſent.10.lib.3.prog. Hip.in init.* Andreas Laurentius *lib.8.de re anatomic.quæſt.2.* Valleſius *lib.1.controuerſ.9.* Petrus Iacobus Eſteue Valentinus *in com. lib.2. epid. ſect.3. ſent.41.* Ioubertus, Carrerius, Poncius, Iacobus Segarra, & alij.

Si enim rationes penſites ad vnguem, quibus illi muniti aſſeuerant, mares eſſe fœminis calidiores, falſam (vt illi rentur) eſſe Hippocratis ſententiam arbitraberis, aut librum hunc de morbis eſſe adulterinum, tantóque auctore indignum iudicabis. Ne ergo in recitandis eorum rationibus ſim prolixus, neu cramben tibi recoctam præbere videar, idcircò alia firmiſſima argumenta ex veterum fœcundiſſima penu palam faciam, quæ fœminarum caliditatem impugnant euidenter. Nam, vt ipſi probant, mares generantur ex ſemine calidiore, in loco calidiore, nempè dextro, conformantur celeriùs, mouentur citiùs, excluduntur celeriùs, & poſt partum breuior eſt purgatio, ſi marem peperit fœmina: Mares habitu conſtant ſolidiore, vaſa habent ampliora, vtuntur victu calidiore: debuit calidior eſſe mas, quia corpus ad ferendos labores illi erat neceſſarium, & animus intrepidus ad ſubeunda pericula. Ergo ſi hæc ſpectes, mares fœminis eſſe calidiores procul dubio concedes. Audi tamen rationes alias, quæ animum tuum mulcebunt apprimè.

Prima. Inferiora mulierum magna ex parte craſſiora; virorum ſuperiora: ita Ariſt. *lib.4.de generat. animal.c.1.* Rabbi Salomon *in c.1. Geneſ.* & ex eo Nicolaus Liranus *in com. cap. einſdem,* Cælius Rhodig. *lib.4.lect.antiq.c.12.* Cùm enim frigidior ſit mulier, alimenti minima portio ſurſum fertur, ob caloris defectum: in maribus autem præ caloris copia, alimenti pars maior altiora petit; & ſic ſuperiores partes augentur magis.

Secunda. Mulieres citiùs caneſcunt, vt Aphrodiſ. *lib.1. probl. c.4.* quoniam ſunt humidiores & frigidiores: nam canities, ex Philoſoph.*10.probl.36.* oritur ex inopia natiui caloris, vnde Albertus Magnus *lib.3.de animalib. tract.2. cap.2.* debilem calorem, eſſe canitiei cauſam aſſeuerat: ita celeriùs mulieres fiunt canæ, quia paucum habent calorem maiorem humorem qui concoqui non poſſit; ita putreſcit humor circumſiſtentis aëris calore: putredo enim omnis calore fit, non quidem ſuo ac natiuo, ſed alieno, ex Philoſoph.*4.meteor.c.1.* de qua re conſule Marcel. Donat. *lib.1.de hiſtor.mirabili, cap.1.*

Tertia. Mulieris corpus non horreſcit pilis, vt viri; habent enim poros, & ſpiracula denſiora, quòd frigus compeſcat, & adſtringat, ita Aphrodiſ.*lib.1.probl.c.5.* nam calor pilos educit, argumento ſunt eunuchi, & hominis partes exteriores, quæ quò calidiores, eò magis, ac citiùs veſtiuntur pilis: quamobrem læuius eſt fœminarum corpus quàm virorum, ac proinde frigidius.

Quarta. Mares ferè grandiores ſunt corpore, quia vi caloris in agendo conſiſtit, ita Ariſt. *10.probl.10.* & Theophil. Protoſpatarius *lib.5.de fabric.corp. human.c.25.* Hoc eſſe verum in aliis animalibus, docent Ariſt. *4.de hiſt. animal. cap.vlt.& lib.5.c.5. & 1.de generat. animal. c.16.* niſi inſecta excipias cum Plin. *lib.11.cap.29.* in quibus mares fœminis ſunt minores.

Quinta. Maribus pulſus ſunt maiores, & vehementiores, ex Gal. *3.de cauſ.pulſ.c.2.* nam robori virtutis, & vſui adaucto vehemētia pulſus, & magnitudo ſunt familiares.

Sexta. Fœminæ citiùs viris ſeneſcunt, quia frigidiores; vita autem conſiſtit in calore: contrarium ſi accidat, rariſſimum eſt, ſic notante Galeno *lib.5.aph.38.*

Septima. Fœminæ plerumque ſunt pinguiores, & obe-

ſiores

ſiores maribus; frigus enim pinguefacit, tabeſcit calor, ex Galeno 2. *ſimpl.c.* 20. Eandem ſententiam tuetur ſacra Hebræorum lingua, quæ virum *Iſc.* nominauit, à radice *Eſch*,quæ ignem ſignificat;licèt *Iſcia* mulierem vocet,ſed quia de viro ſumpta,& parte viri frigidiore, id eſt, coſta, quæ maximè eſt oſſea.

Octaua.Mares fœminis audaciores,fœminæ meticuloſiores,illud caloris argumentum, hoc frigoris:quare cùm ſexum ſupergrediuntur mulieres, propterea calidiſſimæ dicuntur ab Ariſtoph. quæ fortaſſe ratio eſt, cur proniores in venerem, & concubitus appetentiores: nam materia appetit formam, potentia actum, ita frigus calorem, ſi modo vera eſt hæc opinatio, quam nunc non expendo.

Quapropter concludendum eſt,mares eſſe fœminis calidiores:nam ſi experimentum ſequaris Plinij *lib.7. cap.4.* Varron. *lib.1.de re ruſtic.cap.*11.Columel. *lib.6.cap.*24. in hac ſententia firmiùs perſiſtes: cùm enim marem gigni pullum volunt, ſiniſtrum admiſſarij teſticulum funiculo ligant; cùm fœminam dextrum. Firmat Albert. Magnus *lib.*18. *de animalib. c.*1.*de cauſa differentiæ ſexus fœminini, & maſculini.* Ita docuit Ariſtotel.*in locis multis.* Sequuntur Serapio *tract.*5.*breuiar.c.*34.Philaret.*lib.de pulſib.in initio,* & ſuſiſſimè Conciliator *dif.*28.

Hæc ſi vera ſunt,vt certè ſunt,quid ad maiorem machinam reſpondebimus, Hippocratem nempè, aſſerentem maribus eſſe calidiores fœminas? Reſpondent quidam, illuſtrius eſſe hanc ſententiam ſcindere, quàm diſſoluere, quum in ea mendoſum,quidpiam eſſe exiſtiment. Sed cùm veteres contextus, & ſcripturæ, quas tantoperè obſeruandas & eligendas, etſi difficiliùs explicentur, docuit Galenus 6. *epid. ſect.*3. *comment.*13. citra neceſſitatem inuertendæ non ſint, maximè ſi cum codice Græco apprimè conſentiant, horum firmare interpretationem non poſſum.

Ludouicus Mercatus *tom.*1. *q.*53. Mauricius Cordæus *in comment. lib.*1.*de morb. mulier.com.*1. *ſect.*4. *ad fin.* licèt hanc ſententiam vt genuinam agnoſcant,eius tamen ſenſum multipliciter diſtorquent. Parmenides apud Ariſtot. *lib.*2. *de partib. animal. cap.*2. & Florus apud Macrobium *lib.*7. *Saturnal. cap.*7. Hippocratis ſententiam citra vllam diſtinctionem admitterent,qui multis ibi contendunt,fœminarum naturam calidiorem eſſe,quàm ſit virorum;quorum rationes ſolutas,lege apud Laurentium *loc.cit.* Ioan. Baptiſtam Montanum *part.*1.*vniuerſæ medicinæ,tit. de temperam.ſexus,*Rorat. *contradict.*38. *Hippocratis*, qui de hoc argumento ingenuè diſceptarunt.

Superiores auctores rei veritatem appoſitiſſimè indagarunt,quod gratius eſt & facilius, quàm auctoris mentem exponere. Nos vtrumque ſequentibus propoſitionibus dilucidabimus. Prima. Perpetuum & irrefragabile, marem fœmina genitalibus eſſe calidiorem. Nam & hæc ſexus cauſa potiſſima,recepta ab Hippocr. & Democrito, aucta ab Ariſtot. *lib.*2.*de partib. animalium,c.cit.* ex calore maiori genitalia extrà trudente. Contrarium ſi obtigerit, monſtroſum. Obſeruauit Plinius *lib.*7. *natural. hiſtor.c.*4. Vidit Amatus 2.*centur.*39.& notarunt alij,puellam in virum verſam; quidquid huius rei cauſam aliam exiſtiment Laurentius *lib.*7.*controu.anatomic.quæſt.*8. Ludouic. Mercatus *lib.*2.*de morb.mulier.cap.*10. & 11. quorum rationes ficulneas eſſe,ratione,& Medicorum celebriúmque virorum auctoritate firmabimus *lib.*3.*huius operis, in com. hiſt.* 8. cuius euentus exemplum propoſuimus *lib.* 3. *de praxi medica admiranda, obſeruat.*96.

Propoſitio ſecunda.Perpetuum ferè etiam,de totius & principalium partium temperamento naturali, marem fœmina eſſe calidiorem.Contrarium ſi euenerit,monſtroſum eſt; nam in arduis ludit natura aliquando in opere errans, vt obſeruarunt noſtri. Viſum duplex hepar: Triplices venæ azygi: & à ſiniſtris mutati lienis,& iecoris ſitus, & pleraque alia, ad quæ ius adaptari non poteſt, quod legit Celſus *lib.*1.*pandectar.tit.de legibus.* Quæ enim ſemel aut bis accidunt, contemnunt legiſlatores: *ex iis enim quæ ſemel aut bis homo videt, non debet pronunciata medica conficere*, ex Galeno *lib.de fœtus format.c.*2. Solùm

A frequentia pro perpetuis habentur in medicina. Ex his nota pro vſu lapſum vulgo receptum,aſſerenti,pullos gallinaceos fœminis frigidiores, & febrientibus eſſe magis accommodos. Nec obſtat Auicenna 3.1. *doct.*2. *cap.*7. *in fin.* pronuncians, ius pulli temperare humores, gallinæ verò nutrire, nam imparis ætatis exemplum eſt.

Propoſitio tertia.Perpetuum ferè in homine,mares fœminis maiores eſſe; rariſſimum,contrarium. Quòd ſiquis obtrudat, fœminas partibus inferioribus viris eſſe craſſiores:ob particularem craſſioris ſanguinis portionem,& ſedentariam vitam,fieri credendum eſt. Si accidat contrarium,id cum Ariſtot.7.*de hiſtor. animal.c.*2. de volatilibus ex raptu, viuentibus intelligendum eſt: quod in accipitrum genere videre licet, in quibus immodicus maris ca-
B lor humidum depopulatur, prohibétque incrementum: contrà, fœminarum temperatior promouet.

Memorandum illud eſt, Galeno ſæpiſſimè commendatum, quòd mulieri ex ſummi Opificis præſcripto generis propagationi conſulenti, natura multum ſanguinem gignendi vim indidit;qui non alitioni tantùm mulieris,ſed & fœtus formationi, nutritioni in vtero, & educationi extra vterum ſufficeret: hic verò dum in dictos vſus non abſumitur,nec ob propriam ſexus frigiditatem,impotentiámque diſcutitur, quantitate exuberans, & mole ſua naturæ oneroſior factus,à toto habitu in venas vteri truditur,menſtruas purgationes mulieribus effecturus. Vide Gal.14.*de vſu part.*6.Auic.1.1. *doct.*3.*cap.vlt.*

Ex hac conſideratione,Hippocrates aphoriſticam ſententiam profatus, ſic inquit. *Quæ non peperit, grauius, & citiùs menſibus ægrotat, quam ea quæ peperit*, ob triplicem cauſam. Prima,quoniam venæ fluidiores ſunt ad menſes.
C Secunda, quia dolores à partu iam experta, menſium decurrentium labores faciliùs patitur. Tertia, quoniam & non fluentium dolores, aſſueta iam vtero geſtare, promptiùs fert.

Deinde præfatam doctrinam ampliùs explicaturus, & qua ratione labores illis fiant,& ſoluantur,inquit. *Mulier & molliore, & tenuiore carne prædita viro eſt, & ſic amplioerem humiditatem à ventre trahit,ad corporis & carnium ambitum. Attractam ergo humiditatem ſi natura non ſecernit ab habitu ad vterum,vt à plenitudine ſeſe exoneret, calor præter naturã,& dolor oboritur,& ſi diutius fuerit retardata humiditatémque,hoc eſt,ſanguinem foràs non eruperit,morbũ facit.*

Copioſum autem ſanguinem, eúmque ſuperfluum, ab eo vocari caliditatem patet ex ipſo *lib.*1. *de morb. mulieb. num.cit.*§.*Si verò ampliùs accedens*(ſupra vocabat humidi-
D tatem)*receſſerit, dolor non fit à ſanguine, neque calor, &c.* Et *in eod.lib.ante fin.*§.*Fœminæ verò cum humidioribus, ac pinguioribus diætis vtantur, caliditatis purgationem ex corpore ſingulis menſibus faciunt, &c.* Quaſi dicat, copioſi ſanguinis, ex quo prouenit caliditas, purgationem ex corpore ſingulis menſibus faciunt. Lege Martinum Rulandum *lib.*2. *probl. medico-phyſicor.*66.

Calidior ergo virili fœminæ ſanguis,ac ideò & mulier: non tamen propria carnium, ſolidiorumve temperie, in ſanguinis generatione, in hepate, & venis accepta, ſed quantitate.Cùm enim viro mulier ſanguine magis abundet;illo eſt calidior,ratione copiæ, & quantitatis. Multus enim ſanguis licèt ex frigidis cibis genitus, caloris naturalis in animali ſubſtantiam auget,non qualitatem inten-
E dit,ex Gal.3.*de temp.cap.*4.*in fin.*& Auic.2.1.*doct.*2.*ſum.*1. *cap.*14.*ante fin.*hoc confirmat, quum loquitur de lactuca, dum ſic dicit.*Cúmque eius conuerſio in ſanguinem completur, plurimũ operationis eius eſt calefacere, propterea quòd in ſanguine augmentum facit, &c.* & Iacobus de partibus *in com.* ſic ait. *Poſſibile eſt vt ſanguis genitus ex alliis retineat ſibi caliditatem maiorem debito; & ſanguis, lactuca frigiditatem: & nihilominus dicetur calidus,non à caliditate excedente, ſed quia reparando deperditum, augmentat ſubſtantiam caloris innati,&c.Sic qui creſcunt,plurimum habent calidi innati,*ex Hippoc.*lib.*1. *aph.*14. & pueri iuuenibus ſunt calidiores, quoniam calorem abundãtiorem ſortiuntur,ex Gal.*in com.*

Quare conciliari Hippocr.poteſt cum ſeipſo(quod nemo fortaſſe animaduertit)ab Ariſt.2.*de partib.animal.c.*2. ex diſtinctione eius quod calidius,hoc vel illo modo dici-

tur:

tur:quare cùm fœminæ conſtent multa ſubſtantia calida, viris dici poſſunt hoc modo calidiores. Lege Galenum *lib.2.de ſimpl.medic. facult.cap.3.& 23.*

Solue ſecundò. Fœmina aliqua calidior eſt viro. Propoſitiones enim ſuprà relatæ, intelligendæ ſunt ſeruata in multis paritate, in temperamento, indiuiduo, ætate, regione, viuendi ordine; nam billioſæ fœminæ collatus, in eadem ætate, regione, victu, conſuetudine calidior eſt. Bilioſam verò fœminam iuuenem, calido ſub cœlo, calido & tenui victu, laboribúſque aſſuetam (viraginem vocant,) quis pituitoſo ſene, ſub frigidiore cœlo, molliter educato, mirabitur calidiorem? De iſtorum numero ſunt viri in otio, & mollitie alti, totáque victus, & exercitij ratione prorſus effœminati, qui ordinata neceſſitate purgationes menſtruas per hæmorrhoïdas patiuntur, quales viuere in Lotharingia, & Germania refert Lacuna *libello de extirpandis carunculis*: qui lac generant, & horum multum eſſe numerum, tradunt Ariſtot. *lib.1. de hiſtor. animal.* 12. Veſal. 5 *.fab.* 18. Cardan. 12 *.de ſubtilitate*, Eugubius *libel.de lacte*, Marcel. Donat. *lib.2.de variol.c.*8. Laurentius *lib.2. anatom. cap.*2. Multi ergo viri ſunt fœminis frigidiores. Num autem fœmina abſolutè aſcititio calore ſit calidior viro: contrà vir innato calore ſit calidior fœmina contendit, pro huius textus expoſitione eruditiſſimus Heurnius *lib.5 .inſtit. medicar.cap.*66.

Solue tertiò, cum omniſcio Tiraquello *lib.de nobilitate, cap.*31. *num.* 309. Mulier callidiorem habet ſanguinem quàm vir, & propterea callidior eſt viro. Hic enim auctor legit verbum (callidior) cum duplici ll. Nam *melior eſt iniquitas viri, quàm mulier benefaciens*, ait Sapiens *Proueb* 4. explicat inter omnes Rab. Moſes Ægyptius *lib.2. perplexor.*52. elegantiſſimè. Sortiuntur enim fœminæ aſtutiorem, & maligniorem ſanguinem, & huic ſimilem conditionem, & mores, (hi enim, teſte Gal. temperamentum ſequuntur) prout multorum atteſtantur teſtimonia. Et de hac iocoſa interpretatione, de qua tot extant commentaria, ſilentium expoſtulo, ne tibi faſtidio ſim, & fœminis inimicitiæ: quidquid contrarium tam multis argumentis firmauerit Cornelius Agrippa *lib. de nobilit. & præexcellentia fœminei ſexus, ferè per totum.* De cætero lege pro confirmanda caliditate virorum, Theophraſtum *lib.1. de cauſ. plantar. c.*27. Albert. Magnum *lib.*23. *de animalib. tract.* 2. *cap.*6. Flor. apud Plutarchum *lib.3. ſympoſ. quæſt.*4. Ioannit. *c.*16. *Iſagog.* Hebræorum inſignem Medicum Iſhaac *c.*14. *diætar. vniuerſal.* Arnaldum à Villanoua *lib. de regimin. ſanit.c.*3. Rabbi Moſſem *part.*16. *aph.* Didymum *lib.*18. *c.*3. Tu verò artificioſam magis, pro textu Hippocratico expoſitionem excogita: nam

Paruos parua decent, mihi iam non regia Roma,
Sed vacuum Tibur placet, aut imbelle Tarentum.

HIST. CXLV. GALENI, De ſuppreſſione vrinæ.

Vrinæ ſuppreſſio ex grumo, eo extracto, æger vrinam minxit.

QVidam etiam cùm cecidiſſet, manente ſpina illæſa, imprimis quidem magnam ſanguinis copiam cum vrina emiſit; poſt ea verò omninò ſuppreſſa eſt vrina: cuius rei cauſam eſſe coniecimus, quòd concreti ſanguinis grumus intùs ſe oppoſuit. Quocirca dimiſſa per colem fiſtula, paulatim vrinæ reddit; extracta deinde fiſtula, apparuit in ipſius ore grumi indicium, &c. Galenus lib.6. de loc. affect. cap.4.

PARAPHRASIS.

SVppreſſionem vrinæ Græci Iſchuriam appellarunt. Hanc tribus modis oriri poſſe, notum eſt apud eum, qui *lib.3 .de cauſ.ſympt.cap.2.& loc.cit.nuper, de locis affectis* perlegerit. Aut enim corpus veſicæ in tantum tumorem attollitur, vt meatus inde occupetur, quemadmodum in abſceſſu, ſcirrho, inflammationéque quotidie fieri videmus; vel ob meatus conniuentiam, ſiccitate nimia, vt in ardentiſſimis, acutiſſimis, retorridíſque febribus ſæpè cõtingit; vel clauditur, quoniam vel aliquid præter naturam innaſcitur, vt caruncula, callus, vel obſtruit, vt pus, arena, calculus, lenta craſsáque pituita. A ſanguine concreto, & grumoſo, vreterum capita obſtrui rarius eſt, hic enim diu non ſubſiſtit in via, ſed facilè vrinæ curſu, ac impetu foràs propellitur, vt *lib.6. pathoIog.c.*13. Fernelius docet.

Si tamen hac de cauſa ſupprimatur vrina, agnoſces ex prægreſſa ſanguinis fluxione ad vrinarios meatus, vel quòd præceſſerit ictus, caſus, percuſſio, aut magni ponderis ſubleuatio; quibus de cauſis ſanguinem rupta vena partim foràs effundi, partim intùs condenſari, & in grumos conuerti, iudicabimus. Sanguis enim, ſi ex vaſis deciderit, in quibus tanquam in loco naturali conſeruabatur, illicò in thrombum coire; tum quia pinguis eſt, tum quia fibras habet, docuit Ariſtoteles *lib.3. de hiſtor. animal.*19. *& lib.de partib.animal.cap.*14. firmat Fernelius *lib.6. phyſiolog.cap.*7.

Neque refert, quòd ſæpiùs ſanguinem è vena ſecta exhauſtum, & profluentem, minimè concreſcere obſeruemus, in maleficentiſſimis febribus, & aliis corporibus valetudinariis, in quibus ob frigidum & humidum hepatis, & venarum intemperamentum, ſanguis tenuis nimis eſt; & aquoſus totus, miniméque habet partes craſſas, & terreſtres, quarum abſentia frigeſcens non coït: ſic ſanguis ceruorum, & damarum (hac de cauſa illa eſſe timida, docuit Philoſophus 2.*de partib.animal.*4.) non coït, etiam ſi effundatur. Sanguis iſte morbidus eſt, & validam ſanguificæ facultatis imbecillitatem oſtendit. Huic proximè accedit ille, qui licèt omninò non coëat, modicè tamen in medio coagulatur, cui innatat multùm ſeri expreſſi, vt è lacte ſolet. Hic quando totus ſeroſus eſt, & è venis effuſus, concretus, plurimùm habet aquoſæ humiditatis ſupernatantis, peſſimus iudicatur à Gal. *lib.3.de alim.facult. cap.*26. In febribus autem maligniſſimis non concreſcens ſanguis, pernicioſiſſimus eſt; grandem enim internam corruptionem oſtendit, & ardoris interni vehementiam, ſummámque malignitatem ſignificat: ex quibus cauſis, ſanguinis partes aëreas & pingues eſſe colliquatas, & fibras corruptas, validámque ſanguinis in ſaniem, conuerſionem, iudicabis. Quo fit, vt ſanguinem in vaſis non concreſcere poſt ſectam venam, in malignis & peſtiferis febribus, maximam ruinam portendat, & mortem: in aliis verò, qui alia de cauſa febribus laborant, in quibus ex obſtructionibus internis, nimio potu, frigida hepatis intemperie, aqueus & ſeroſus ſanguis redundat, cùm non ſit benè coctus & elaboratus, maximam arguit debilitatem, quæ ſerum redundans generat, quum effuſum in venas ſanguini permiſcetur; vt docuit Fernelius *lib.2. de ven. ſect. cap.*17.

Inſuper grumum vias obſtruere, exitúmque vrinæ impedire coniectabis; ſi immiſſo cathetere parùm vrinæ fluat, & cum ea ſanguinis ramentum: adſint etiam ſymptomata grauiſſima, cum animi deliquio, & reſolutione; quæ ita exiſtunt pernicioſa, vt finitima ſint illis quæ ex veneno oriuntur: *ad grumos enim vocatos, qui vel in veſica continentur, thorace, ventriculo, inteſtinis, animi defectio, & pallor ſequi ſolent; pulſus verò paruus, & obſcurus frequénſque apparet, & laborans ipſe cum anxietate reſoluitur*, vt retulit *lib.6.de loc.cap.3.&* 4. quinetiam concretus ad hunc modum ſanguis in vulneribus, in cauſa eſt, vt putredo celeriter vicinas partes corripiat, vt ait Galenus *lib.de bonit.& vit. ſuccor. cap.4. in init.*

Sed quî fieri poſſit, vt humorum omnium maximè proprius & familiaris, poſtquam refrixerit, affectus afferat ingentes adeò, diſquirendum. Sanè non parùm iſtud mitor, cum Galeno *loc.nuper citato*, qui licèt proponat quæſtionem, non tamen ſoluit. Dic. Videtur maior mixtio, quam ſequitur perfectio eius; eſt enim ſanguis liquor remotiſſimus ab elementorum ſimplicitate, ex Gal. *lib* 8. *de placit. c.*7. vniuerſale eſt autem, pura omnia magis durare, ceu plus à contrarietate recedentia, vt elementa, lapides, metalla: Indicio eſt, quia lac citiſſimè corrumpitur,

cuius

cuius pars ſeorſim durat,ex Gal.*lib.7.de compoſ. medic.ſec. loc.cap.*1.& homo inter animalia vltimum mixtorum frequentiùs ægrotat,& ſemen citiùs vitiatur,& inter humores ſanguis exiens è vaſis,quum bilis in icteritia & pituita in iuncturis diu durent:nam ſanguis ad alendum è vaſis exiens,ideò non corrumpitur,quia iam habet formam roris, cuius locus naturalis, ſunt membrorum pori. Sed cur caro humana,licètrecenter mortua,antequam putreſcat,cùm ſimillima nobis ſit, multùm nutrit, immò eſt ſapidiſſima, & ſuauiſſima (qualem experiuntur Indi, qui tanquam immanes feræ humanis carnibus veſcuntur, & alij,qui vel inſcij,vel fame coacti eas deuorarunt)in peſſimam tamen non ducitur putredinem? Reſpondet Petrus Hiſpanus apud Ishac *lib. de vniuerſal. diæt. lect.*1. *ad fin.* carnem viuam ad præſtantiſſimæ formæ præſentiam temperatam, mortuam tamen peſſimam credi, & inutilem ad alendum: ſed hoc de ea quæ eſt diu emortua, eſt intelligendum;hæc enim ſi edatur, ſæua parit ſymptomata.

At cur hæc optima & perfecta, cùm putreſcunt, deteriore labe fœdentur, ſcrupulus eſt maximus. Dic cum Theodoſio *epiſt.* 23. *in init.* (philoſophentur reliqui ſuo modo) quòd ſanguis, lac, & ſemen vertuntur per corruptionem in venenum, vt patet in ſanguine in grumos conuerſo,ex Auic.*6.4. tract.5.cap.*20. in lacte coagulato, ex Diſcorid.*lib.6.cap.*31.& Paulo *lib.5.cap.*72. in ſanguine menſtruo putrefacto,& corrupto,ex quo ſymptomata ſuboriuntur veneno finitima,vt Hippoc.*lib.de virg. morb. num.*4.aſſeruit.In ſemine corrupto,ex cuius vi dira, venenoſa propullulant accidentia, quorum ſæuitie fœminæ oppreſſæ, veluti à præſentaneo veneno concuſſæ ſubitò occumbunt.Id euidenter patet in ouis putridis. In pomis odoratis, quæ putrefacta peſſimum ſaporem acquirunt. Hæ ergo omnes ſubſtantiæ perfectiſſimæ & elaboratiſſimæ, quum putreſcunt, fœtidiores & deteriores euadunt. Demùm optimum quodque in peſſimum. Huius quæſiti triplex ſolutio excogitari poteſt. Prima. Quoniam omnis mutatio eſt à contrario in contrarium, hoc eſt, ex optimo in peſſimum: omnes enim qualitates in peſſimas mutantur; quæ enim optima naturaliter ſunt, præternaturaliter lapſa, peſſima erunt. Secunda. Multa mixtio cum à calore naturali roboratur, optima eſt; cum ab eo demittitur, & ab extraneo occupatur, peſſima: ſic cadauer humanum peſſimè fœtet, & fæcalia recrementa multò ampliùs putrent.Nam vt valida illa mixtio cum à forma ſubſtantiali, innatóque calore coërcetur, optima euadit; ita calido innato diſſoluta, & ab extraneo correpta, in peſſimam abit conſtitutionem, quam ingentis putredinis indicia, odor, ſapor,& color demonſtrant. Poteſt addi & tertia validiſſima, quòd natura de optimis humoribus ſollicita,non relinquit eos niſi à valida cauſa euinci: valida autem cauſa extranea magnam corruptionem inducit; ſicut robuſtus homo nonniſi magno morbo ſuccumbit.

Conandum illicò eſt, ægro ex hac cauſa Iſchuria correpto auxiliares manus adhibere;à ſanguine enim grumoſo,vtpotè corrupto halitus eleuantur,vires noſtras diuerſimodè proſternentes,vt eleganter *tetrab.3.ſerm.2.cap.*27. Aëtius docuit. In hunc vſum exhibe electuaria cardiaca, alexipharmaca, antidota,& belzaartica, iis ſiue intùs, ſiue extrà epithematum loco vtaris, vt ſunt theriaca,mithridatium, electuarium de gemmis, aut alchermes, lapis belzaar, & alia quæ ab auctoribus contra venenum præſidia celebrantur. Neceſſaria ſunt prætereà medicamenta, quæ ab auctoribus ad lapidem comminuendum approbantur, ſempérque admiſcere oportet calida & tenuia, vt concretus ſanguis caliditate fundatur & liquetur; cuius generis ſunt acetum mulſum, aut oxymel in potu datum, maximè permixtum cum decocto arthemiſiæ, rubi,betæ, cum leporis,aut hœdi coagulo.Si nihil profeceris,neceſſitas tunc adeſt catheteris adhibendi, cuius vi cùm vrinas eduxeris,rurſus prædicta in potu propinentur.Si verò nec ſic diſſoluantur grumi, ex auctorum præſcripto, intercapedinem inter anum, & pudendum ſecare oportet.Sed ſi ſanguinis grumus tot venefica parit ſymptomata,& ſanguis concretus,nulla interpoſita mora,inſtar veneni procurandus eſt è corpore expelli clyſteribus,& vomitoriis,

A vt Auicen. prædixit *6.4. tract.2.cap.*20. cur Gal.*6.de loc. cap.*4. incidentibus, & liquantibus tantùm remediis tractandum docet? Dic:non negandum eſt properandum eſſe ad grumi extractionem, non minus quàm cuiuſuis alterius veneni; tamen vt commodè, & tutò extrahatur, liquari debet, vt oxymelite cum aceto. Si autem in ventriculo contineatur, etſi vomitum commendet Auic. reprobatur ob ſuffocationis periculum: quare priùs diſſoluendus grumus,quàm vomitus procuretur,ex Dioſcorid. *lib.6. cap.*25.

HIST. CXLVI. GALENI, De ſuppreſſione vrinæ.

B Ex torpido veſicæ ſenſu, vrinæ ſuppreſſio contingit.

Atque in alio ſimiliter affecto ſuppreſſa fuit vrina,torpente ob affectos neruos veſicæ ſenſu. Cùm itaque inter dormiendum non ſentiret homo veſicam impleri,ipſa extenſa nihil excernere potuit. Etenim accidit interdum, vt hoc modo vrina ſupprimatur,&c.Galenus lib.6.de loc. affect.cap.4.

PARAPHRASIS.

Torpuiſſe ſolummodò veſicæ neruos, & hac de cauſa ſuppreſſam fuiſſe vrinam,hoc loco edocuit Galenus. Cùm enim torpet expultrix facultas veſicæ,cuius munus eſt vrinam excernere, hæc retinetur: nam prolapſa vrina C veſica extenſa nihil poteſt excernere;vt quotidie accidere videmus in ſanis hominibus, qui publicis detenti negotiis,aut in concionibus,ſenatu, foro, conuiuiis occupati, deinceps mi&ere nequeunt:repleta enim,tenſáque veſica, quantum ipſa diſtenditur, tantùm meatus eius euadit anguſtior,& impotens redditur veſica ad ſeſe contrahendū.

Torpeſcit, & deficit naturalis potentia excretrix veſicæ, cui munus eſt ſe contrahere tranſuerſarum fibrarum adminiculo; & ſic otiantibus & laxatis obliquis, & rectis vrinam reddere non poteſt ob læſos neruos. Hi vel reſoluuntur, vel torpent, vel comprimuntur. Reſolutionem non fuiſſe,Galenus confirmat. Non adfuiſſe compreſſionem, aut dilacerationem à reſoluente, vel comprimente, conſtat, quoniam nullam cauſam externam præſupponit, vt prædixit *in hiſtoria* 143.*ſuprà deſcripta*,illius qui luxatis D vertebris è regione veſicæ,compreſſóque neruo proprio ad veſicæ muſculum pertinente, vrinam inuitus effudit. Torpuiſſe ergo veſicæ neruos dicendum eſt,ita vt animalis facultas ad ipſos non pertingeret, & hoc modo ſenſifica vis cùm eſſet obtuſa,& pigra reddita ad expulſionem, moleſtiam, aut pondus minimè ſentiebat, eò maximè ſi abdominis muſculi pariter ſint reſoluti, aut torpidi. Ex hac cauſa oriri malum agnoſces, quoniam licèt laborans ab vrinę pondere moleſtetur validè,nequit vrinam reddere,quòd ſi conetur muſculis abdominis id efficere, quàm pauciſſimam emittet: ſi tamen manibus veſicæ regionem compreſſeris, longè maiorem extrahes vrinæ copiam.

Non eſt ergo mirum, ſi æger alter ex alteratione vertebrarum ad partem externam inuoluntariè vrinam minxit,cùm hic ſimiliter affectus vrinam non excreuerit:licèt E enim contrarij effectus ab vna eadémque cauſa non poſſint oriri; tamen in illo fuiſſe reſolutos, in hoc torpuiſſe intelligās. Cùm reſoluti ſunt, actiones edere nequeunt, veſicæque oſtium non claudentes, inuoluntariè exit vrina. Si torpent illi tantùm, oſtium quidem claudent, ſed expultrix vis ſuo non poteſt officio fungi; non enim ob torporem excitatur.

Torpor hic cùm à cauſa externa originem non duxit, nempè ictu, percuſſione, aut vertebrarum luxatione: à frigida intemperie & humida, vnà cum lentorum humorum affluxu oriri ſolet,à quibus neruus,qui ad muſculum veſicam comprimentem demandatur,obſtruitur aliquantulum,& hoc modo impeditur,quominùs ſpiritus deſcendat. Hoc ita eſſe haud difficulter ex prægreſſis agnoſces,

ex

ex intemperata laborantis vita, gulæ, potuique dediti; ſi ignauia, & frigiditas adſit vicinarum partium.

Cùm vrina ſuppreſſa eſt,& laborantem premit, aduerſus cauſam pugnare à ratione alienum eſt; nam tunc excretioni ſolùm vrinæ prouidendum. Hoc fiet dilatatis meatibus,& viis laxioribus factis,vt vrina faciliùs exſtillet,ſicque omni arte conandum eſt ſtupefactos ſenſus excitare, ac humiditatem ſuperfluam exſiccare. Id efficiunt fomenta calida,roborantia, flatus diſcutientia. Ex his parabis inſeſſiones,vnguenta,emplaſtra: quorum multiplicem ſyluam, lege apud Mercatum *cap.14. lib.2. de morb. intern.* & Rondelet.*cap.25.de veſicæ reſolutione.* Ludouic. Gardinium doctiſſimum *lib.2. de medicam.purgantib. tit.de oleo diacolocynthidos.*

HIST. CXLVII. GALENI, De ſphincteris; aut muſculi claudentis veſicam; reſolutione.

Vrina, & alui excrementa quibuſdam inuitè fluebant.

Piſcator quidam,cùm in fluuio piſces venans,circa ſedem,& veſicam infrigidatus eſſet,vt ipſo inuito effluerent alui excrementa, & vrina, per calida medicamenta affectis muſculis adhibita; celeriter ſanus euaſit. Item aliis iiſdem moleſtatus accidentibus,ſine tamen manifeſta cauſa,læſis circa os ſacrum neruis,multo tempore per multa præſidia ſanatus eſt, &c. Galenus, lib.4.de loc.affect. cap.5.& lib.1.de loc. ad fin.

PARAPHRASIS.

A Frigore denſante ſpiritus animales,canales,aut neruos,per quos ipſi deferuntur, comprimente, & neruorum fibras, quibus muſculus ſphincter, ſeu veſicæ intertexitur, reſoluente, & maximè ſi cum humiditate adiungatur;fieri vrinæ,& ſtercoris inuoluntariam excretionem,probat Gal. hic. Et licèt Paul. *lib. 3. cap.45.* & Auic. *16.3.c.6.& 7.*dicant, ad veſicæ paralyſim, ſequi retentionem vrinæ,propter defectum virtutis motricis in neruo, explicandi ſunt cum Nicolo *ſerm.5. cap.prop.* quòd huius muſculi parua paralyſis efficit retentionem; valida, per quam conſtringi non poteſt, expulſionem voluntariam creat.Sed de his multa *in com.hiſt.vltimæ*,dummodò tamen frigiditas hæc calorem extinguat,alioquin vrinæ retentionem molietur. Adeſſe muſculum circa veſicæ ceruicem, illam claudentem, & veſicæ collum conſtringentem, tenuem, orbicularem: circularibus fibris conſtantem, ne nobis vrina inuitis exeat, certum eſt, & probat Galenus *lib.5. de vſu part. 16.* Etenim ſi hic non eſſet muſculus, lotium in horas ſingulas excerneretur, quemadmodum huic & multis aliis contingit, quibus muſculus hic relaxatur; cuius hiſtoriam deſcribit Columbus *lib.5. de re anatomic. cap.26.*

Ano tres muſculos contingere,ex quibus vnus orbicularis eſt, qui ſphincter appellatur, docet idem auctor *cap.ſequenti*, in extremo recti inteſtini poſitus: hic latus potiùs, quàm craſſus dici meretur, fibris conſtat tranſuerſis,& cum cute admodum vnitur, à coccyge ligamentis mutuò acceptis. Eodem munere fungitur, quo fungi veſicæ muſculum diximus. Fæces ſcilicet hic detinet, ne nobis inuitis exeant,vt ille vrinam.Reliqui verò lati quidem ſunt, ſed ſubtiles.Hi rectum inteſtinum ſurſum trahunt, ne nobis excrementa nimiùm excernere conantibus,illud exeat infrà.De quorum compoſitione,& natura ſi plura ſcire aues, lege quæ Ioannes Riolanus filius, vir ſtupendæ lectionis,raro,acutóque ingenio præditus,*lib.5. Anthropograph.* de muſculorum vtilitate, & vſu graphicè inter omnes peritiſſimos anatomicos conſcripſit: nam eius opera anatomica ſunt digniſſima cedro.

Rogabis,cuat dhibitis calidis præſidiis, horum quidam vix ſanari potuit? Dic in virium firmitudine fuiſſe diſparem rationem:nam vires fortes lethales morbos continent ex Gal.*lib.10.meth.cap.4.& lib.1.epid.ſect.3. com.19.* Dic ſecundò,quoniam à cauſa externa laborauit,& manifeſta, cui tutò ſuccurri poteſt, maximè cùm citra apparatum morboſum lædit. His poteſt addi tertia,nam læſi circa os ſacrum nerui difficulter ex præſidiis opem ſentiunt: hæc enim pars infima eſt, partibus excrementa recipientibus vicina,ad quas ſuapte natura ex toto corpore ſuperfluitates confluere ſolent; præſertim cùm os ſacrum ſit omnium oſſium totius ſpinæ maximum; quare ab Hipp. *lib.2.epid.ſect.4.num.1.* magna vertebra appellatur?in qua cùm humor impingitur, ac firmatur, vix medicamentis elidi poteſt;hæc enim ob eius craſſitiem, commodè altiùs penetrare non poſſunt.

Aggredienda tamen curatio eſt;& calidis auxiliis celebranda. Victus ſit calidior, & ſiccior. Humores frigidi, craſſi,& viſcidi alterandi,expurgandi,prout *in cap.de reſolutione*, vnanimiter auctores conſuluerunt. Topica ſint exſiccantia, calefacientia, roborantia: quorum formam proponunt Aëtius *tetrab.2. ſerm.2. cap.34.* Paulus *lib. 3. cap.45.* de eodem affectu ex profeſſo diſceptantes.

HIST. CXLVIII. GALENI, De vrinæ ſuppreſſione.

Ex concreto pure, aut lapide, vrina ſupprimitur.

Præterea cùm alios quoſdam diuturni dolores vnà cùm abſceſſuum notis infeſtarent, tenue pus finitis abſceſſibus cum vrina profluere viſum eſt: deinde ſubſequens vrinæ retentio coniecturæ occaſionem dedit,quòd à craſſo pure meatus obſtrueretur. Atque in pueris etiam quos lapis veſicæ cruciabat,videmus ſæpenumerò vrinam retineri. Eos itaque reſupino figurato corpore concuſſimus, ita vt à meatu lapis dimoueretur, &c. Galenus lib.9.de loc.affect. cap.4.

PARAPHRASIS.

Ex abſceſſu, vlcere, aut vulnere in renibus, vel veſica facto, pus emanare notum eſt.Cùm autem hæc purulenta excretio per vias vrinæ valdè eſt copioſa, tenax, & viſcida,in his partibus impacta,vrinam ſupprimit. In hoc caſu tenuantibus,& abſtergentibus vtendum eſt, tam intùs aſſumptis,quam per ſyringem immiſſis. Ea ſunt aqua hordei cum melle,& ſaccharo. Stillatitia ex hordeo, terebinthina,& ſaccharo. Lac ſeminum frigidorum.Aqua lactis cum ſaccharo,aut melle.Craſſa pituita per aluum,vomitúmque repurganda. Roborandum membrum, cuius occaſione humor deſcendit in veſicam. In hunc vſum roborantia, ſuperfluámque humiditatem abſumentia ſummoperè præſtant. De horum numero ſudorifera eſſe cenſentur, quæ ex decocto ebeni; aut ſmilacis aſperæ parari ſolent. His ſi non ſuccubuerit affectus, fontanellam in cruribus affigendam cura,vt purulenta materia,ſeu viſcidus pituitoſúſque humor ad ignobiles diuertatur corporis partes, cuius vacuatione interna membra leuantur, & tranſpirant.

Si lapis cauſa eſt obſtructionis; optimum eſt Galeni experimentum. Quare ſi nullum rei obſtruentis, præterquam lapidis, indicium adſit, puerum reſupino figurato corpore concute. Scimus enim duplici corporis figura lapidem è veſicæ collo dimoueri: vnà plurimùm inflexo corpore, qua calculus in veſicæ alueum ſeponitur: & mox vrina in decliui poſita in fiſtulam ſubit vrinariam. Altera verò, dum corpus ſupinè poſitum,ſublatis femoribus,& clunibus concutitur,quo in aduerſam ſpinæ cauitatem calculus relabatur. Vtrumque ſi fueris expertus,lapis è meatu dimouebitur. Semotum minue,aut medicamentis extrà elide, quæ auctores *in c. de veſicæ lapide* obſeruanda præcipiunt.

HIST. CXLIX. GALENI, De vrinæ ſuppreſſione.

Vrinæ retentionis, ex perinæi inflammatione ſubortæ, curatio.

PErcuſſus validè quidā in ea parte, quæ femen appellatur, (Græci perinęum dicunt)*inflammatione ſuborta vrinam reddere non potuit: ac veſica ipſa, vtpotè plena, manifeſtè ſecundùm circumſcriptionem intenta erat. Huic ne irritaretur inflammatio, fiſtulam adhibere noluimus, ſed aqua calida affuſa, oleo perungere ſatius eſſe putauimus. Cúmque tribus horis eum ſic tractaſſemus, tenſione non parùm relaxata, ac dolore (vt ipſemet fatebatur) non ita grauiter infeſtante, iuſſimus, vt vrinam reddere tentaret. Interim cùm nos veſicæ tumorem ad inferiores partes impellendo, ſenſim premeremus, iuuenis vrinam reddidit, &c. Galenus* lib. 1. de loc. affect. cap. 1.

PARAPHRASIS.

GAlenus cauſas extrinſecas vrinam retinentes explicaturus, hanc hiſtoriam propoſuit, quam in hunc modum explicandam iudica. Eſt femen, quod Græci perinæum dicunt, intercapedo illa quæ eſt inter anum, & ſcrotum, ex Galeno *lib. 3. de articul. com. 45.* & Aëtio *tetrab. 2. ſerm. 1. cap. 42. & tetrab. 4. ſerm. 3. cap. 27.* Huic verò parti percuſſæ, & ob dolorem, conuocata fluxione, tumidæ, tenſæ, inflammatæ, localia priùs auxilia adhibere ſatius iudicauit, citra venæ ſectionem, huic vſui præſtantiſſimam; quoniam parua erat inflammatio, neque vrgebat multum, & à cauſa externa ſuborta. Vel ſi mauis dicere, Galenum tam ſigna inflammationis, quàm huius remedium celebratum per venæ ſectionem, tanquam res notiſſimas præteriiſſe, non aberrabis. Nam veriſimile eſt hanc celebraſſe, in inflammatione partis, ad quam ex neceſſitate plura damna deinceps ſubſequuntur, quæ deinde difficilem habent correctionem; nam conuocata fluxione, ex fluxu irruentis humoris, ſupprimitur omnino vrina ſæpiſſimè, coarctatis vrinariis vaſis, & veluti obſtructis, ob inflammationis molem; accidunt abſceſſus, vlcera immedicabilia, & fiſtulæ: nam hæc pars eſt poſita in ipſo ſordium confluxu, ad quam decliuem ſuapte natura à toto decumbere ſolent excrementa, quæ abſceſſuum curationem valde impediunt. Sed à qua parte ſit celebranda venæ ſectio, *in ſequenti hiſtoria* dicemus.

Topica ergo, & localia medicamenta imponenda iuſſit, neglecta ænea fiſtula, ne irritaretur inflammatio, non quòd hæc in veſicæ collum immiſſa, perinæi tumorem tangere poſſet, ſed timor erat, ne cum difficultate immiſſa, ſeſe magis compreſſiſſent veſicę collum, & perinæi tumor, & neceſſariò inflammatio fuiſſet irritata. Eſt autem ænea fiſtula, (Græci catheterem vocant) quæ lapidem à ceruice repellit, & vrinam educit. Huius formam exactè deſcribit Cornelius *lib. 7. cap. 26.* & alia multa de eius vſu neceſſaria, dum ſic inquit. *Res interdum cogit moliri manu vrinam, cùm illa non redditur, aut quia ſenectute iter eius collapſum eſt, aut quia calculus, vel concretum aliquid ex ſanguine intùs ſe oppoſuit. At mediocris inflammatio ſæpe eam reddi naturaliter prohibet, idque non in viris tantùm, ſed in fœminis quoque interdum. Ergo æneæ fiſtulæ fiunt, quæ vt omni corpori, ampliori, minorique ſufficiant, ad mares tres, ad fœminas duæ Medico habendæ ſunt. Ex virilibus maxima, decem & quinque eſt digitorum, media duodecim, minima nouem. Ex muliebribus, maior nouem, minor ſex. Incuruas verò eſſe eas paulum, ſed magis viriles oportet, læuéſque admodum, ac neque nimis plenas, neque nimis tenues, &c.* Galenus verò peculiariter oſtendit iniiciendi modum per catheterem *lib. 4. meth. c. 7.* cum Paulo *lib. 6. cap. 59.*

Quare tutius iudicauit tumorem laxare, ac emollire, dolorem imminuere, ac ſedare, quàm aliquo irritamento vrinæ exitum procurare: irritat autem ſemper fiſtula, & expertiſſimum Chirurgum deſiderat. Totum ergo curationis cardinem in mixtura ex oleo, & aqua repoſuit: hæc enim ſi non ſit intensè calida; vt eſt balnei aqua, non calefacit, ſed inflammatam particulam refrigerat, ſedat dolorem, laxat, emollit, digerit; & eò plus ſi cum oleo ſit permixta, ex oliuis maturis expreſſo, ex Gal. 2. *ſimpl. 7.* quod ſimiles tepidæ aquæ habere qualitates, à Galen. proditum eſt *lib. 4. de rat. vict. com. 49. §. Cæterùm olei, & aquæ, mixtura, tepidam generat caliditatem, mollitque, & mitigat, vtpotè moderatam habens facultatem, cuius potiſſimum eſſe debent quæ & maturant & per halitum digerunt, &c.*

His indicationibus ſatisfaciens Galenus, hoc medicamento vſus eſt; maximè cùm pars neruoſa refrigerantia non admittat medicamenta, ſed temperata, qualem temperiem habere oleum oſtendit Galenus *lib. 2. ſimpl. 22. &* 24. vbi præſertim nec ſummè frigidum, nec calidum applicatur, vt monuit *lib. 2. eiuſd. oper. c. 18.* Quare mordicationes lenit, ex ipſo *c. 13. eiuſd.* & vlceribus cum inflammatione opitulari, *cap. 10. ſuprà* aſſeruit. Ad hæc aqua calida moderatè laxat, modicè digerit, ex accidenti refrigerat.

Si verò oleum eryſipelatibus, & inflammationibus infeſtiſſimum eſſe aſſeuerat, quoniam cùm ſit pingue, ignis eſt aptiſſimum alimentum, ex Galen. 4. *de vſu part. 9. & 3. de temp. 2.* & idcircò calefacit, & inflammat, ex ipſo 3. *de temp. 5. & 2. ſimpl. 12.* De oleo intelligas per ſe ſolo applicito, non mixto cum aqua calida, quæ eius actionem retardat. Vel id eſſe noxium aſſeuera, impoſitum in parte eryſipelate æſtiuo tentata, vel ab inflammatione, ex bile, calidiſſimóque ſanguine orta, correpta. Neque aquam caliditate & humiditate ſua relaxando, & eneruando, ad putredinem partem diſponere, aſſerendum eſt, vt 5. *ſimpl. 7. & lib. 5. de ſanit. c. 3.* Galenus ſentire viſus eſt: nam tantùm abeſt, vt hoc contingat, vt huius beneficio, laxatis poris impactus humor meliùs tranſpiret; & pars robuſtior, & vegetior à putredine, minuto humore, & dolore ſedato, immunis euadat.

At cur reſoluto humore, & lenito dolore, detracto aliquantulum impedimento, iuſſerit vt vrinam reddere tentaret (nam periculum erat, ne compreſſione facta, ad locum inflammatum vicinum humores premerentur;) ea eſt ratio, vt ſcilicet muſculi illi abdominis ad vrinæ expulſionem concurrentes premerentur, & maximè cùm infirma eſſet veſica, & ſic ſenſim facta compreſſione, humorum confluxus non erat timendus, præſertim cùm in ipſis muſculis non eſſent ſuperflui humores. Quo factum eſt, vt retentam vrinam, ſuaui illa facta compreſſione, iuuenis expelleret, & ab vrinæ retentione immunis euaderet.

HISTOR. CL. GALENI, De vrinæ retentione.

Vrinæ ſuppreſſio ex veſicæ inflammatione ortum ducens, curata inflammatione, ceſſauit.

IGitur cuidam cùm cecidiſſet, ſpina ſinuata eſt, quapropter vrinam reddere non potuit: nam id aliquando fieri ſolet, quemadmodum ab Hippocrate dictum eſt. Verùm non illicò ſuppreſſa fuit vrina, ſed perendie, ob afflictarum vertebrarum ad interna luxationem, inflammata veſica. Itaque dolebat in ea parte vel nemine tangēte, ſed multò magis, ſi quis manu eam tangeret: atque hanc curauimus inflammationi remedia adhibentes, &c. Galenus lib. 6. de loc. affect. cap. 4.

PARAPHRASIS.

EX caſu vertebrarum luxationem; ex hac, ſpinæ imbecillitatem, & dolorem; ex hoc, humorum ad veſicam confluxum, & inflammationem fuiſſe excitatā, res eſt manifeſta. Ex vnius autem doloris præſentia inflammatā veſicam cognoſcere cùm non potuerit, neceſſarium eſt vt dicamus, ipſū alia cōmunia veſicæ inflammatæ, ſigna, vt notiſſima præteriiſſe, ab ipſo, aliiſque Medicinæ auctoribus

tantoperè

tantoperè celebrata : ea ſunt grauitas, tenſio, tumor in regione veſicæ, vomitus bilióſus, ardor in parte, ac ſatis inſignis dolor, cum pondere & grauitate circa pubem, & inguina, nauſea, difficultas anhelitus, febris aſſidua, & acuta; & ob cerebri conſenſum interdum vigiliæ, motus conuulſiuus, & delirium apparent, quæ omnia expendunt Aëtius *tetrab.3.ſerm.3.cap.26.* & Paulus *lib.3.c.45.*

Per ſpinæ autem ſinuationem, intellige vertebrarum ſpinæ ad interna luxationem, lordoſin (id eſt euacuationem) vocant. Nam nec dorſo deſunt ſua mala, inquit eruditiſſimus Manardus *lib.7. epiſt.2.* ſic referente Agricola Ammonio *in com.c.5.lib.4.de loc.affect. Galen.* modò enim ſpina extrorſum flectitur, qui Græcè *Kybi, Hybi, Kyrti*, & Latinè *Gibbi* dicuntur, modò introrſum, qui regibbi, & lordi vocantur, de quibus nominibus elegantiſſima protulerunt Celſus *lib.8.cap.14.* & Paulus *lib.6.cap.100.*

Cæterùm ſpinæ ſinuationem, ex ſe vrinæ ſuppreſſionẽ non effeciſſe, Galenus affirmat, ſed ob vertebrarum ad interna luxationem, excitata inflammatione in veſica. Nonnunquam enim accidit, vt à veſicæ inflammatione anguſtior reddatur meatus, per quem excernitur vrina, vel etiã omnino obturetur, ex confluente ob doloris ſæuitiem humore, qui vias arctando, & comprimendo, vrinam ſupprimit. In hac enim vertebrarum ad interna luxatione, non vnam, ſed plures vertebras luxatas fuiſſe, tam quæ ſub ſepto tranſuerſo ſunt, oſſi ſacro contiguæ, à quibus nerui ad veſicam perueniũt, quàm neruos omnes qui à ſpinali medulla oriũtur, & dictarum vertebrarum medio ad veſicam prodeuntes, & partes ſpinæ ſuperincidentes fuiſſe preſſas, aſſerendum eſt, cum Gal. *in lib.3.de articul.com.51.*

Quare ægro dolore correpto, in regione veſicæ, quæ pubes eſt, vel nemine tangente, quoniam ab humoribus calidis, & inflammationẽ facientibus diſtendebatur veſica, & adhuc magis, ſiquis manu locum illum tangeret, quia tunc magis premebatur veſica, & adſtantibus aliis ſignis, inflammationi remedia ſolùm adhibere tutius iudicauit.

Quæ autem ea fuerint, non exponit, fortè quoniam *in lib.3. meth.c.2. & lib.2.ad Glauc.c.2.* ea patefacit : his enim locis ortum inflammationum perpendens, has ex ſanguinis influxu copioſioris, quàm pars poſtulet, generari tradit. Cùm enim excretoria facultas ſuo munere fungitur; & triſte aliquid ſentit; vt dolorem, ex qualibet cauſa contractum, expellat, omni conatu vehementer aggreſſa, ſanguinem & ſpiritum, ex reconditis corporis ſedibus in afflictam exprimit, & ſic ex dolore, particula, pro portione confluentis in eam humoris, in tumorem attollitur.

Rurſus. Fluentium humorum antiſpaſis, id eſt retractio, medela eſt, hac poſita animaduerſione, vt in initio inflammationum longiſſimè à parte tentata fluxione diuertendus ſit humor, nequaquam ad eam trahendus, vt *lib.13. meth.11.* latè docuit Galenus. Si ergo ad veſicam fluxio deferatur, & corpus plenum ſanguine appareat, valida ſit laborantis vis, tempus autem anni ſit ver, regio temperata, æger ſit adoleſcens; is ſanguinis miſſione ex ſuperioribus partibus indiget. Sicut enim ſi aliqua pars ſuperior patiatur, per inferiora ducendus eſt ſanguis, ſic ſi inferior laboret, per ſuperiora extrahendus eſt, ex Gal. *lib.4.meth.c.6.* & alibi paſſim. Semper enim motum ad contrarium retrahere expedit, ſic enim meliùs pars inflammata à vehementia ſuperuenientium ſymptomatum præſeruatur; & non inflammata modò, ſed ſolùm dolore, aut calore tentata, & affecta, tutiùs ab imminenti inflammatione præſeruatur. Sic *lib.10. de compoſ.medic.ſec. loc.c.2.* in coxendicis dolore priùs baſilicam ſecat.

Ex hac conſideratione, ex ſuperioribus partibus ſanguinem emiſiſſe Galenum in hoc ægro iudicabimus. Sed quid reſpondebimus Galeno *lib.6. aph.com.36.* interpretanti aphoriſmum illum, *Difficultatem vrinæ venæ ſectio ſoluit, ſecare verò interiores*, dicentique per interiores venas, non eſſe intelligendas brachiorum: nam *conſueuit Hip.* (inquit ipſe) *in omnibus libris ſuis, in partibus, quæ ſupra hepar ſunt, è manibus ſanguinem emittere : in inferioribus verò venas, quæ in poplite, & malleolo ſunt, ſecari iubet, &c.* Sunt autem inferiores partes, ex ipſo, *in lib. de curand. rat. per ſang.miſ.c.18.* Coxendix, vterus, veſica : & Galen. *lib.13. meth.11.* adiecit renes, veſicam, pudendum, vterum; quas partes eſſe per poplitis, aut malleoli ſectionem vacuandas, expreſsè ibi confirmat.

Auctores ferè omnes, qui de veſicæ inflammatione proprium caput conſcripſerunt, primò è brachio, deinde ex talo venæ ſectionem moliuntur; licèt Paulus, Aëtius, & cæteri Principes locum ſectionis non aſſignent: & meo quidem iudicio, rectè eam ex cubito moliendam imperarunt; promptiùs enim ſic auertitur ad contrarias partes humor ne in affectam partem decumbat, grauiora mala effecturus. Sed ad difficilem Galeni contextum, iubentis veſica affecta ex inferioribus partibus eſſe ſectionem venæ celebrandam, vel nihil reſpondent, vel inutiles afferunt diſtinctiones.

Fernelius *lib.2.de ven.ſect.c.7.prope fin.* in inflammatione podicis, partium obſcœnarum, crurum, veſicæ, inguinis, ex ſuperioribus cubiti venis ad inhibendam fluxionem, in initio ſanguinem mittit; & deinde ex inferioribus ſanguinem euacuat. Hanc ſententiam hauſiſſe Fernelium ab Auicenna, neminem latere poteſt : is enim auctor *lib.16.3.tract.1.cap.11.* illicò ex baſilica ſanguinem minuit; & cùm declinat, ad ſaphænæ ſectionem accedit. Galenus enim in declinatione è talo ſanguinem extrahit: cæteri in initio è cubito rectè quidem phlebotomiam exercendam monent. Hippocrates verò interiores, hoc eſt internas venas ſecari iubet, non crurum; & ſi id facit, in declinatione inflammationis, in eo loco ſectionem celebraſſe dicendus eſt. De quo argumento lege Ferdinandum Menam *in com. c.cit.Gal.de curand.rat.per ſang.miſ.* de hoc negotio accuratiſſimè diſſerentem. Cur autem Auicenna tundendam imperet ſiniſtri cubiti venam, & non dextri, qui ſanguinis ſedi proximus cùm ſit, poteſt inflammationem magis auertere, explicat Mercurialis *lib.3.praxis, cap.34.*

Purgationem inſtituendam eſſe iam declinante morbo, lenibus & clementibus medicamentis, vt de totius corporis habita prouidentia, inflammata pars, tutiùs & ſecuriùs medelam recipiat, firmant Medicorum præcipui. Poſt vniuerſalia remedia ſequuntur inflammationem ſedantia auxilia. Licèt autem in omni inflammationis initio, vt millies protulit Galenus, repellentia optima ſint, quorum vi roboratur pars, & fluens humor repercutitur, & ſic phlegmones ortus, atque incrementa, vomica, maligna vlcera, febrium, dolorúmque cauſæ, aliaque permulta vitia declinantur : tamen hæc in veſicæ inflammatione cautè adminiſtranda, tum quia veſica eſt pars frigida, exanguis, fibris intertexta, & frigidorum occurſu facilè læditur; tum quòd in profundo ſita eſt : quare extima parte inanita, & contracta repellentis vi, intrò pellitur humor in ima, & ſic maior copia humoris in inflammatam partem confluit.

Digerentia ergo temperata ſint, quæ dolorem leniant, laxent, humorem in halitum abſumant; quare neceſſe eſt vti fomentis, inſeſſionibus, balneis, quæ emolliendi, & reſoluendi vires habeant. Hoc opus præſtant, viola, malua, chamæmelum, anethum, althæa, ſemen lini, aniſum, fœnugræcum, ſi oleis anodynis & laxantibus, vt amygd. dulc. anethin. liliaceo, illorum medicamentorum decoctum permiſceas.

Vrinam verò prouocantia, nocua, ex Galen. *13.meth.11.* hæc enim ſua vi attenuante humores ad inflammatam partem mouent, & caliditate inſigni inflammant, ex Galeno *5. ſimpl. cap.22.* Cætera verò quæ ſine mordacitate vrinam mouent, & in declinatione inflammationis ſint exhibita, Galenus non prohibet, *loc. cit.* hæc ſunt ſemina melonis, cucurbitæ, & cætera, quæ ſeroſo humore multiplicato vrinam ciere dicuntur. Quare illis vtendum non eſt, & maximè cùm ex inflammatione veſicæ, vrinæ ſuppreſſio contingit, ex Aëtij conſilio *tetrab.1. ſerm. 4. cap.111.* præſertim ſi corpus vitioſis humoribus abundet; ſi enim ea temerè tentes, aliud grauius malum ſuboriri ſolet.

Quòd ſi his factis, adhuc non quieuerit, dolor, cucurbitulam iuxta pectinem affixam ſcarifica, cuius vi impactus humor educi poſſit, Aretæus *l.2.de curat.morbor. acut.c.9.* ventris partem laxam, quam keneôna vocant Græci, ſe-

candam, & multo oleo cum ruta & anetho, veſicam irrigandam præcipit: ſed ſumma cum cautela celebranda eſt, aut quàm rariſſimè; nam ſectio hæc febrem ob dolorem augere eſt apta, ſanguiniſque profluuium concitabit maximum. Si inflammatio ad ſuppurationem vergat, eadem iuuanda erit, & abſceſſu diſrupto vlceris curationem aggredi oportet.

HIST. VLTIMA, GALENI, De vrinæ ſuppreſſione.

Vrinæ ſuppreſſio ex lapide in virgæ extremitate impacto, glandis inciſione curatur.

*SÆpè namque præ magnitudine in collo veſicæ detenti lapides, in extremum periculum, doloris acumine, patientes agunt, nec * vrinas ſinunt excerni. Vidi ego quendam, cui per alias vias elapſus, in virilium extremitate lapis hæſerat, minimúmque abfuit, quin vrinæ difficultate, & dolore acutiſſimo homo interiret, niſi tandẽ anguſto forcipe eximere potuiſſemus, ſectionem per longum ſupernè moliti, &c. Galenus* in lib. de ren.dignot.& medicat.c.3. *Aëtius* tetrab.3. ſerm.3.cap.4.

PARAPHRASIS.

HVnc librum Galeni non eſſe, patet manifeſtè, cùm ſit Philagrij Medici antiquiſſimi Chriſtiani, à quo hiſtoriam deſumpſit Aëtius *loc.cit.* ex quo auctore integras paginas in ſuum librum tranſcripſit: & vt videas quàm miſerè hallucinentur, qui contrariam ſententiam defendere auſi ſunt, vide *c.23.lib.de ren. dignotione*, quo loco ſe Chriſtianum fuiſſe profitetur auctor, ibi.§. *Non abſurdum eſt nos ceu Chriſtianos, &c.*

At cùm Aëtius referat hiſtoriam, & auctor hic ſit vir eximius, & Medicus haud poſtremæ notæ, vtar Valleſij conſilio *in præfatione ad libros Hip.epidemicos*, qui omnes hiſtorias, & ſententias huius auctoris licèt nothas, & adulterinas ſe interpretari affirmat, quum hæ Medicis curaturis maximam vtilitatem ex ſe præbeant.

Cùm ergo lapis in pudendi extremitate, vel medio tenaciter, valido ad hunc locum naturæ conatu protruſus, & præ magnitudine excerni non poteſt, contumaciter pudendi parietibus adhæreſcens, mollire virile membrum balneis laxantibus oportet; qualia in retentione vrinæ ex lapide, grumo, viſcidiſque humoribus orta præſcribi ſolent. Tumidæ, & dolenti parti anodyna imponenda. Balneum ex oleo iterandum. Vitanda diuretica. Abſtinentia à potu imperanda.

His factis, ſi adhuc lapis ſit impactus, & homo de vita periclitetur, pudendi ſectio celebranda. Hunc curandi modum opere ipſo obſeruauit Stephanus Gourmelenus *lib.2.chirurg.pag.*149.approbant Rodericus à Fonſeca *lib.2.c.*10.*de calculoſis*, Iacchin.*in lib.9.Rhaſ.ad Almanſ.c.*64. Michaël Ioan.Paſchal.*lib.1.c.47.de curand. morb.in fin.*

Et hæc de vrinæ ſuppreſſione ſint ſatis. De illa verò vrinæ retentione, quæ fit non patiente veſica, lectu digna ſcripſit Petrus Salius, omnium in hoc difficillimo argumento primus *lib.de affect.particul.c.*12. & ex eius mente tranſcripſit Marcellus Donatus *lib.4.de medic.hiſt.mirabili, c.*28.& poſtea retulit Mercatus *lib.4.de morb. intern. c.*12.

QVÆSTIO VLTIMA.

Quòd vrinæ retentio ſit actio animalis, excretio verò naturalis. Contra Andream Laurentium, Medicum acutiſſimum.

COMMENTARIVM.

V*Rinas ſinunt excerni.*] Iniurius eſſem, & à Medicorum cœtu eliminandus, ſi poſt tot de vrinæ retentione, A aut excretione hiſtorias diligentiùs in præſenti non examinarem, vtrum retentio, ſeu excretio vrinæ ſit opus facultatis animalis, vel naturalis: nam in eius expoſitione plura latent ſcitu digna, quæ contradictionem in doctrina Galeni arguere videntur. Quare omnia ad amuſſim explicare difficillimum eſt, cùm tractatio hæc paulò ſit obſcurior: in qua præſertim induſtriam ſuam exercuit Thomas à Veiga grauiſſimus Medicus *in com.c.1.lib.1.* Gal. *de loc. affect.num.*37.ſed ita obſcurè (more ſuo,) vt vix illius mens percipi poſſit, quo pacto, Delio (vt aiunt) natatore opus eſt. Sic ergo me clariùs, & vberiùs de hoc argumento diſceptantem audire ne graueris, præſertim cùm plura rimari fuerim coactus, quæ ad ſuperiores propoſitas hiſtorias enarrandas apprimè conducunt.

Andreas Laurentius, Medicus profectò celeberrimus B propoſuit quæſtionem, ſed ita per tranſennam, ac obiter eam agitat *lib.6.de hiſtor.anatomic.quæſt.*31.vt nihil frugis ex eius lectione eruere queas: nam & retentionem, & excretionem, mixtam eſſe actionem ex naturali, & animali aſſeuerat; & ſuam poſitionem inualidis argumentis confirmat, quæ luculenter infrà ſoluta videbis. Proponit ergo doctrinam Gal.*lib.1.de loc.cap.1.& lib.6.de loc.c.*4.quibus locis tantus auctor hanc quæſtionem ſoluit, aſſeuerans retentionem animalem, & voluntariam eſſe, quum fiat mediante muſculo veſicæ collo inſerto, qui toto retinendæ vrinæ tempore contractus operatur, conſtringendo collum veſicæ. De excretione autem pronuntiauit, eam eſſe naturalem operationem expultricis veſicæ. Hanc Magiſtri poſitionem ego quoque libentiſſimè amplector: cuius auctoris doctrina in ſolutione argumentorum, ampliùs clarior euadet, quæ contra ipſum obiici poſſunt.

C Qui ergo retentionem vrinæ, naturalem eſſe actionem contendebant, his forſan niti poterant rationibus: & prima ſit. Omnia villorum genera, etiam qui retentioni inſeruiunt, reperiuntur in veſica, ex Gal. *l.5.de vſu part.c.*11. ergo non minùs in ea quàm in reliquis corporis partibus, retinendi munus obibunt: cúmque illud potiſſimum fiat in veſica circa vrinam, videtur illius retentio non animalis, ſed naturalis, quantumuis à conſtringente muſculo iuuetur; quemadmodum expulſio eiuſdem veſicæ, licèt nonnunquam abdominis muſculis perficiatur, opus tamen naturale à Galeno appellatur.

Secunda. Omnis motus animalis voluntatis imperio fit. Sed vrinæ, quemadmodum omnium excrementorum retentio voluntati noſtrę non ſubiacet. Ergo non eſt dicẽda operatio animalis. Maior videtur conſtare, quoniam in eo D actiones animales à naturalibus differunt: nam hæ cum ſponte, & nulla præcedẽte cognitione, aut electione fiant, nullius imperium expectant vt edantur, ſed data materia neceſſariò exercẽtur, ex Gal.*lib.de vocal.inſtrument.diſſect.c.*2.vbi vult ex animali voluntarium colligi, & è contra.

Tertia. Reſoluta veſica cohibetur aliquando vrina, ex Aëtio *tetrab.3.ſerm.3.c.*34.Paulo *lib.3. cap.*45.Gal.*lib.6.de loc.cap.*4.priuatur enim ſenſu, & motu, & robore ad excernendum. Ergo veſicæ retentio non eſt animalis operatio. Probatur conſequentia, quoniam cùm reſolutio nihil ſit aliud, quàm facultatis animalis ablatio, procul dubio ceſſabit, vitiabitúrque ea ablata, retentio vrinæ, ſi ea illius virtutis ſit operatio.

Sed hæc commodè ſolui poſſunt. Dic ad primum. Non negamus veſicæ ineſſe retentricem naturalem, & obliquos E villos illi inſeruientes: illis tamen non fit potiſſimum vrinæ retentio, quum ad tantam molem ſuſtinendam non ſufficiant; ſunt enim gracillimi, tenuiſſimi, ac proinde valde imbecilles: ſed mediante muſculo oſculum conſtringente, cui prædicti villi etiam aliquem vſum præſtant, quemadmodum etiam omnes, tam recti ſeu oblongi, quàm obliqui, & tranſuerſi, ſui contractione ad excretionem faciunt; licèt ſoli tranſuerſi ſint proprium inſtrumentum excernentis facultatis, vt conſtat ex *lib.5.de vſu part.cap.*11. Licèt verò Galenus ibidem aſſerat, ideò omne villorum genus veſicæ datum fuiſſe, vt omnes etiã motus ſpecies conſequeretur, non ſic verò inteſtinis, in quibus (inquit) nec attrahere, nec retinere erat neceſſarium; atque ita innuere videatur, naturalem retentricem

veſicę circa vrinam retinendam potiſſimùm negotiari(nec enim de retentione circa alimentum veſicæ intelligi poteſt,cùm illa etiam in inteſtinis detur) & propterea obliquis fibris donatam fuiſſe ; nam hoc licèt verum ſit, non tollit hoc præcipuum retentionis agens eſſe muſculum cum facultate animali, qua ſola mediante operatur, cui muſculo reliqui villi ſubſeruiunt: quemadmodum & 6.*de anatomic.adminiſt.* & *lib.4.de vſu part. ad fin.* de inteſtinis loquens,quamuis nullam iis fæcum tractricem concedat, ait, oblongos villos ad firmitudinem reliquorum habere; id quod etiam de tractrice veſicæ intelligendum eſt, eam ſcilicet ei datam fuiſſe,veluti quoddam additamentum, ne ſcilicet veſicæ deeſſet,ſi aliquando prædicta facultate eſſet opus,& renes vrinam non tranſmitterent,cuius ferè tota demandatio renum expultrice perficitur, vt paſſim ex Gal. colligitur,vbi de vrinę ſeparatione loquens,ſemper eam à renibus ſecerni,& ad veſicam tranſmitti affirmat,vix vnquam facta mentione de tractrice veſicę. Ad id verò quod addebatur, negamus excretionem illam, quæ abdominis muſculis perficitur,vbi vel vrinę exigua eſt portio,vel veſicæ expultrix naturalis imbecillis,operationem eſſe naturalem; animalis enim eſt,vtpotè à vi animali per muſculos facta. Nec Gal. naturalem vim appellat excretoriam vrinæ,niſi illam quæ in corpore veſicæ ſita eſt,& quæ totam vrinam ſemper excernit,atque reſiduum vrinę in penè relictum iaculatione quadam propellit,vel veſica imbecilli excernit,nam procul dubio animalis eſt,vt Gal.*lib.1. de loc.affect.c.1.* affirmat; ſit enim muſculis,& virtute animali qua ipſi operantur. Quòd ſi excretoria virtus veſicæ maiorem vrinę copiam expellere poteſt,& minimam non poteſt,id eſt quia parua copia ſubterfugit actionem virtutis,vnde muſculi abdominis vrinæ expulſionem adiuuant.

Ad ſecundam. Negatur maior ſi per voluntarium motum intelligamus eum,qui neceſſariò voluntatis imperiũ exſpectat vt fiat;plurimę enim animales functiones fiunt, nulla voluntate præcedente,vt tuſſis,reſpiratio, & multæ aliæ quas exercent dormientes; quibus tamen nulla eſt voluntas,quemadmodum & nullæ actiones intellectus.Si tamen voluntarius motus ſumatur pro eo,in quem poteſt habere ingreſſum voluntas, ad accelerandum, vel retardandum, tuſſis, & reſpiratio voluntarij motus dici poſſunt. Quare non ſequitur, excrementorum retentiones, quantumuis animales ſint,eſſe voluntarias, ſaltem primo modo:nec Galenus citatus vniuerſaliter aſſerit omnes animales actiones ſecundùm voluntatem perfici, ſed tantùm plurimas;immò verò (inquit)ſi quid eſt animale opus, ad id non omnino neceſſariam voluntatem eſſe,nec neceſſarium eſt, vt animales motus à naturalibus diſtinguantur per præcedentem cognitionem,& electionem; licèt enim ſæpè ita fiat, ſemper tamen inter eos tale diſcrimen reperitur, ſed ſatis eſt quod à diuerſis fiant facultatibus per diuerſa inſtrumenta, & cum aliis quæ ad talem diſtinctionem ſufficiunt,Quòd ſi aliquando Galenus, & alij auctores, ex animali voluntarium colligunt, confundunt prædicta duo,& pro eodem accipiunt ſignificato,cùm tamen procul dubio diuerſa ſint,nec mutuò conuertantur.

Ad tertiam.Negatur antecedens: conſtat enim ex Gal. *l.1.de loc.affect.c.1.* & *in lib.6.c.4.* à veſicæ reſolutione non cohiberi vrinam,ſed potius inuoluntariè excerni;cuius ea ratio eſt,quæ in argumento adducitur,nimirum quoniam cùm reſolutio facultatis animalis ablationem importet,& illius interuentu vrinæ retentio perficiatur, procul dubio veſicæ reſolutio retentionem vitiabit, non autem expulſionem; atque ita ad vrinam retinendam non habebit vim:ſicut nec muſculorum abdominis reſolutio vitiabit retentionem,ſed expulſionem,quoniam cùm ad excretionem faciat illorum reſolutio, potiùs expulſionem, quàm retentionem incommodabit.Quo pacto verò Paulus, Aëtius, & Gal.ſint intelligendi, paulo pòſt dicemus: Quare retentio, animale eſt opus, à virtute animali factum.

Quòd verò excretio,opus animale ſit potius quàm naturale,plura obſtant, eâque valdè vrgentia argumenta:& primò arguere poterit quiſpiam hoc modo. Omnis actio quæ fit ſecundùm noſtram voluntatem, animalis eſt, vt Galenus ait *cit.lib.de vocal.inſtrumentor.diſſect.*Sed in ſano

A corpore vrinę excretionem præcedit neceſſariò voluntas. Ergo hæc operatio eſt animalis, & ab animali facultate proficiſcitur.

Secundò.Non excernitur vrina,vbi veſicæ facultas reſoluitur: cùm ergo reſolutio cadat ſuper animalem vim, ad eam videtur pertinere ipſius vrinæ excretio.

Tertiò.Quemadmodum ad vrinæ retentionem requiritur actio circumdantis muſculi,conſtrictio ſcilicet; ita ad expulſionem neceſſaria eſt eiuſdem operatio, laxatio nimirum: niſi enim relaxetur muſculus,vrina non prodibit, quia læditur illius diſtentio: ſed ſola vi animali muſculi omnes mouētur.Ergo illa eſt,quæ vrinæ excretionē facit.

Quartò. Naturales operationes nulla præcedente ſenſatione fiunt: patet in plantis,in quibus ſenſu omni priuatis naturalia opera exercentur; & naturalis expultrix

B ex ſe fertur,ad innoxium,& inutile excernendum: ſed ad vrinæ excretionem irritatio,& moleſtatio requiritur, quæ ſenſationem ſupponit,& Gal.5.*de vſu part.vlt.* & *lib.3.de facult.naturalib.cap.12.* Ergo excretio vrinæ non eſt opus naturale,prout ab animali diſtinguitur,ſed animale potiùs dicendum.Hoc videtur inſinuare Auic.*19.3.tract.1.cap.1.* dicens, tunc veſicam expellere vrinam, cùm conſtringit eam, & dilatat lacertum ſuum, ex cuius facultate reſoluta Iſchuria contingit. Muſculi verò facultatem, animalem eſſe patet: ex cuius reſolutione etiam in colo inteſtino paralyſim accidere affirmat, *16.3.tract.3.cap.7.* & Gal.*de motibus manifeſtis,& obſcuris, cap.2.* docet non fieri excretionem vrinæ, niſi accedente virtute animali.

At hæc argumenta non concludunt. Dic ad primum. Quamuis fateamur excretionem eſſe voluntariam, &

C non fieri in ſano corpore,niſi præcedat voluntas, hoc eſt, ſinat, & permittat expultricem ipſam ſuum munus exercere, relaxatione muſculi oſculum veſicæ conſtringentis, qui imperanti voluntati obſequitur. Cùm tamen muſculus ſe relaxando, à ſua operatione ceſſet & ferietur, planè excretio vrinæ non erit operatio animalis facultatis, ſed potiùs eius ceſſatio & feriatio. Et quoniam oportet neceſſariò facultatem ipſam animalem ceſſare à ſua actione, qua muſculum contrahit, facitque retentionem, vt vrina excernatur; dici poteſt vrinæ excretio in ſano corpore, opus animale per accidens, nimirùm quoniam non exercetur,niſi facultate animali accedente,non opere,ſed operis quiete & otio.Et in hunc ſenſum poteſt admitti maior primæ rationis, quæ impugnabatur, excretionem veſicæ eſſe opus naturale: aliter enim neganda, quoniam ſola illa actio, quæ præcedente voluntate fit,eſt animalis,quæ

D per muſculos exercetur: cùm enim muſculi per neruos à cerebro animalem vim motricem reciperent, inſtituit natura,vt in ſuis motibus voluntati ſubeſſent, ne temerè & inordinatè mouerentur.

Pro maiori tamen euidentia aduertes,quòd licèt veſica ad vrinam excernendam, non recipiat à cerebro per neruos virtutem motricem, nimirum quia neruus qui in muſculum inferitur,non præſtat motum alicui particulæ, quia non eſt mouendi inſtrumentum; licèt etiam ſit motiuæ facultatis delator: recipit tamen per neruos ſenſitiuam, quæ mediante veſica ipſa ſentiens morſum ab vrinę acrimonia illatum,vel diſtentionem à copia factam,excitatur ad excernendum.Verùm cùm non poſſit exire vrina niſi relaxetur muſculus conſtringens veſicæ collum,accedit voluntas à veſicæ ſenſatione excitata,imperans anima-

E li motrici muſculi, vt ab opere ferietur conſtringendi & claudendi. Fertur itaque animalis imperium in vim animalem muſculi,illi ſubordinatam,& cùm ea feriante muſculus relaxetur,& excretionis via libera ſit, & non impedita, excernitur vrina ab expultrice naturali veſicæ, vnde excretio opus naturale eſt, licèt vt fiat, neceſſarium ſit quòd voluntas præcedat, & muſculus relaxetur; propter quod, opus mixtum à Laurentio appellatur, ex naturali & voluntario, ſed ineptè, vt vidiſti: nam eius argumentum ſatis remanet explicatum,ſi dicta,& dicenda penſites ad vnguem.

His iactis, video te obiicientem, retentionem vrinæ, quam inuoluntariam diximus, abſque voluntatis imperio nequaquam fieri poſſe: nam ſi muſculi relaxatio non fit niſi

niſi voluntate præcedente, non aliter etiam fiet eiuſdem conſtrictio; tum quia multò plus requiritur ad operandum, quàm ad ceſſandum ab opere; tum quia voluntas fertur in diuerſa,& oppoſita,ſuper quæ cadit electio,quæ eſt actus voluntatis:eiuſdem ergo imperio videtur ſubiici opus, cui ſubiicitur operis interceſſatio; præſertim cùm illa muſculi conſtrictio, qua perficitur vrinæ retentio, operatio ſit animalis,mediante muſculo facta:cuius actionem imperatam eſſe, & voluntati neceſſariò ſubiectam, docuit Galenus in locis multis.

Hanc inſtantiam ſoluere non eſt multùm operoſum: nam diuerſa ratio eſt in conſtrictione muſculi, ad hoc vt fiat abſque voluntate præcedente, non ſic autem relaxatio: quoniam cùm muſculus ille inſertus ſit veſicæ collo, vt tanquam ianitor quidam perpetuò aduigilaret, & ſui contractione meatum vrinæ clauderet, nec pateretur ipſam prodire, niſi pro tempore, & occaſione, vbi ſuum munus obiiſſet, ſatis erat animalem vim à cerebro per neruum recipere, nec voluntatis imperium expectare, ſiquidem abſque eo, conuenienter agere poterat, & fungi ſuo munere:ne verò ab eo temerè, & intempeſtiuè ceſſaret, neceſſe fuit non niſi pro arbitrio relaxari. Cùmque huiuſmodi relaxatio, otium ſit & interceſſatio facultatis animalis; conſtrictio autem eiuſdem operatio: licèt voluntas neceſſariò interueniat, vt muſculus ille relaxetur, multò plus tamen requiritur ad eiuſdem conſtrictionem,nimirum concurſus mouentis, ſeu animalis facultatis, licèt abſque voluntate.Nec obſtat, quòd ea in diuerſa fertur, & ſuper oppoſita cadat electio;ſatis enim eſt quòd poſſit quouis modo habere ingreſſum in vrinæ retentionem, ad eam accelerandam, vel retardandam; non enim requiritur, vt æqualiter arbitrio noſtro ſubiiciantur illa, ſuper quæ voluntas fertur. Denique non obſtat retentionem vrinæ fieri à muſculo, vt voluntaria dicatur, ita vt fieri non poſſit niſi voluntate præcedente: hoc enim ſolùm habet locum in motu muſculorum progreſſiuo, & perfecto, & quo locus mutatus.

Ad ſecundum. Negatur antecedens, potiùs enim immoderatè excernitur vrina veſicà reſolutà, vt dictum eſt, Quòd ſi Gal. *lib.*1.*de loc.cap.*1. dixit, ſupprimi aliquando vrinam exteriora veſicæ reſoluta, verbo reſolutionis abuſus eſt, accipiens illud pro defectu naturalis facultatis expultricis veſicæ; vel ſi reſolutio propriè accipiatur, dici poteſt impediri excretionem vrinæ ad veſicæ reſolutionem, hoc eſt, ad ablationem & defectum animalis facultatis, non quidem voluntariè mouentis, ſed alterius, nempè ſenſificæ, quæ etiam animalis eſt; nam cùm illius miniſterio ſentiat veſica vrinæ acrimoniam, vel copiam, atque ita ad excernendum irritetur, ea deficiente vel ablata neceſſarium eſt veſicam ſaltem plurimùm deficere à priſtina excernendi vehementia: & in hunc ſenſum intelligendi ſunt Paulus, Aëtius,& Galenus *locis citatis*, dicentes veſicæ reſolutionem nonnunquam vrinæ tarditatem,retentionémque inducere.Negari tamen non poteſt, reſolutionem muſculorum abdominis, id eſt, defectum virtutis animalis mouentis, nonnunquam excretionem vrinæ impedire, & incommodare. Quoniam tamen illorum munus non accedit neceſſariò ad excernendi opus; ſed vbi vrina, vel pauca eſt, vel veſicæ expultrix infirma, rarò contingit Iſchuria prædictorum muſculorum reſolutione: nec ea ſi aliquando acciderit, dici poteſt veſicæ paralyſis, ſed ventris potiùs, cuius ipſi ſunt muſculi, & non veſicæ. Verùm licèt ita ſit, cùm tamen exigua vrinæ copia,ſeu portio,quæ continetur in fiſtula vltra muſculum circumdantem collum veſicæ, in ipſo muſculo contracto à vi animali pellatur: ea quidem reſoluta,non poteſt retardari aliquantulum expulſio prædictæ portionis vrinæ: cùm tamen naturalis expultrix veſicæ totalem excretionem promoueat,nec in eam cadat reſolutio, non cohibetur excretio vrinæ ad veſicæ reſolutionem.

Ad tertium Auic. 19.3. *tract.*2.*cap.*6. & 7. in eam ſententiam inclinat, vt exiſtimet relaxationem muſculi eſſe actionem,atque motrice lacerti reſoluta vrinam ſupprimi: agens enim *in cap.*6. de cauſis vrinam remorantibus, ait: *& facta cauſa virtutis motiuæ eſt, vt non ſit lacerto, vt ſoluat ſeipſam, & moueatur à ſua conſtrictione ad dilatationē ſuam. Cap.*verò 7. *Signum* inquit *mollificationis* (id eſt reſolutionis)*lacerti,eſt debilitas prouocationis,abſque impetuoſo vrinæ exitu.* Videtur itaque illi ea mens fuiſſe, vt opinaretur, duplicem lacerto operationem tribuendam, conſtrictionem ſcilicet, qua vrina retinetur, & alteram qua modicè laxetur, ad exitum; rurſus excretionem quidem tardam & leuem, munus eſſe expultricis naturalis veſicæ, feſtinam verò,accelaratámque(quam aliquando continuam, nonnunquàm intermittentem paramus) ex muſculi motrice pendere: ſubdit enim,reſoluta motrice lacerti exire vrinam,ſed paulatim & ſenſum, non cum impetu & eiaculatione. Poterat calumnia inuri Auicennæ, auctori tanto:vnica enim eſt tantùm muſculi operatio,conſtrictio nimirum, vt *lib.*1.*de motu muſculorum ferè per totum*, Galenus edocuit, nam quando muſculus relaxatur, feriatur ab opere, & ceſſat in eo vis animalis; nec illius reſolutione vrinæ exitus impeditur, ſed tantùm retentio,ob cuius vitium guttatim fluit. Nec excuſat illum expoſitio Nicoli *ſerm.*5. *tract.*10.*c.*11. quòd huius muſculi parua paralyſis, per quam non poſſit ſoluere conſtrictionem,efficit retentionem; valida verò,propter quam conſtringi non poteſt, expulſionem inuoluntariam creat. Non valet (inquam) quoniam laxatio conſtricti muſculi non eſt animalis operatio, ſed merum otium; quare quantò reſolutio maior eſt,eò erit laxatio promptior. Cùm verò antiquorum dicta hoſtiliter non ſint redarguenda, ſed amicè interpretanda, ex Galen.*lib.*2.*de ſympt. cauſ.c.*5. idcircò in errorem incidiſſe euidenter ex contextu probari non poteſt:duplicem ergo lacerto attribuit operationem, præcipuam videlicet conſtrictionem, & alteram qua laxatur,& otiatur, quam ſi lato nomine cum Auicenna operationem appelles, explicabis rectè.

Ad vltimum. Tam plantis, quàm animalibus inſtituit natura, vt communia alitionis opera actione naturali fierent:verùm licèt in plantis facultas ipſa naturalis, ex ſe, ſoláque innata doctrina abſque ſenſu operetur, & expultrix in inutile, & innoxium feratur, non inconuenit in animalibus interuenire etiam ſenſum, quo pro tempore magis excitetur vegetabilis potentia ad operandùm, & percepta ſenſatione illius operatio fiat acrior,& concitatior, atque ideò ad expellendum veſica eſt donata ſenſu, ventriculus ad attrahendum acutiſſimo. Quomodo verò ſit interpretandus Auicenna, nuper diximus. Vbi tamen de coli paralyſi loquitur iudicare licet, librarij vitio additum fuiſſe *coli*, nam cùm ea ſententia ex Paul. *lib.*3.*c.*43. ſit deſumpta, vbi refert colicum dolorem ſuo tempore vagantem,in paralyſim fuiſſe tranſmutatum,probabiliter arbitrari poſſumus, illud voluiſſe Auicennam, non verò colicum dolorem in coli paralyſim fuiſſe finitum: de qua tranſmutatione,*lib.*1.*in com.hiſtor.*45.& de eius curatione plura propoſuimus,*in hoc lib.in com.hiſt.*89.Concludamus ergo retentionem vrinæ eſſe opus animale, cùm veſicæ collo natura muſculum inſeruerit,cuius operâ vrina retineretur; muſculi autem operatio à facultate prodit animali: excretionem verò opus eſſe naturale,vtpotè ab expultrice naturali veſicæ factum.

Vtrùm verò muſculus voluntarij motus ſit organum, ſitque immediatus,proximúſque motor,mobili cohærens, an verò mediante alio motum efficiat, poterat hoc loco controuerti, ſed quoniam per amœniſſimos Principum campos latiùs in hoc libro ſumus ſpatiati, nunc habenas calamo. De hac re lege Iuniorum clariſſimos, Thom. à Veiga *in com.cap.*1. *lib.*6.*de loc.affect.* Valleriol. *lib.*4.*enarrat.*9. Andream Laurentium *lib.*5.*de re anatomic.q.*1. Sed cùm hi plura prætermittant,quæ in hac ardua quæſtione proponi poſſunt,hanc vaſtiſſimam, ampliſſimámque diſputationis prouinciam referuare ſatius diximus, ad *hiſtor.* 27.*lib.*3. quem poſt hunc in lucem emitto, Deo auſpice, & noſtrorum ſtudiorum patrono, cui ſit honor, & gloria in ſæculorum ſæcula æterna. AMEN.

FINIS LIBRI SECVNDI.

ZACVTI

ZACVTI LVSITANI, DE MEDICORVM PRINCIPVM HISTORIA.

LIBER TERTIVS.

De vteri, genitalium, & inferiorum partium affectibus.

PRÆLOQVIVM.

VNIVERSAM corporis molem in tres regiones diſtinximus, ſupremam quæ caput; mediam, quæ vitalia, & naturalia organa complectitur; tertiam quæ partes externas comprehendit. De primæ partis affectibus, primo libro diſceptauimus. De ſecundæ regionis morbis, in ſecundo egimus diffusè. In hoc, de vteri, partiúmque inferiorum vitiis, Laconicè proponemus pulchra.

Vterus eſt veluti hortus feraciſſimus, excipiendo muliebri, & virili ſemini ad ſobolis generationem comparatus. Eſt nobiliſſima, ac propè diuina fauiſſa, ex qua naturæ theſauri conditi depromuntur. Eſt quaſi animal errabundum, quod nunc mouetur ſurſum, nunc deorſum, nunc ad latera, ad præcordia, ad coxas. Ex hoc inordinato motu, varia, eáque grauiſſima ſymptomata emergunt, dira, & terroris pleniſſima. Inſuper mirabilis eſt huius partis cum omnibus noſtri corporis partibus conſenſus, ob quem eleuata venenoſa, & deleteria aura ab vteri ergaſtulo aſcendente, ſuperioráque membra feriente, & dira labe fœdante, miri & ferini propullulant affectus, qui ſedulam Medici opem prærequirunt: quare non inſcitè dicebat Hippocrates *lib. de loc. in homin. num.* 59. *Vteri omnium muliebrium morborum cauſa ſunt.*

Huius partis arduos, Herculeos, inſuperabiles morbos in hoc ſcrutamur libro, qui quàm ſæui ſint, truculenti, & funeſti, vtpotè ab ſpurciſſimis ſubſtantiis, ſemine, & ſanguine menſtruo retentis, corruptis, & in veneficam naturam abeuntibus ſuborti, & in vtero, qui eſt ſtabulum omnis putrefactionis, & totius inquinamenti ſentina, pronati, nouit vel mediocriter in arte verſatus. Hinc morbi Gallici (miſerabilis ſcortatorum flagelli) horrenda vitia emanant, & tanquam à perenniſſimo fonte, alij condigni huius inſatiabilis libidinis fructus ſcaturiunt. Quæ omnia (Deo auſpice) nunc velut in ſpeculo quodam ſuccinctè, & ornatè deſcribere viſum eſt, plura addentes noua, quæ nobis fidiſſimo experimento ſunt comperta.

Extremas partes, vt coxam, genu, femur, talum, & totum pedem, licèt ignobiliores, ita vſu, & neceſſitate non multùm inferiores, ac principibus ſeruientes, earúmque importunos, & contumaces morbos rimari, etiam par eſt; quorum varietas, & obſcuritas vel peritiſſimos Medicos ſæpè deludere ſolent. In harum ergo partium ægritudinibus perſcrutandis finem huic tertio imponemus libro.

HISTORIA I. GALENI, DE MENSTRVI SVPPRESSIONE.

Fœmina extenuatiſſima, diuturna menſtrui ſuppreſſione laborans, copioſiſſima ſanguinis miſſione, curata.

*ATQVE ego cuidam mulieri * iam octo menſes * purgationis menſtruæ ſupprreſſione laboranti, * extenuatiſſima cùm eſſet, haud exiguo detracto ſanguine, breuiſſimo tempore proprium habitum reſtitui; ſicut & alias non paucas eodem modo ad ſanitatem reduxi. Sed quod illi mulieri accidit, fuit valdè celebre, ipſi quidem reſciſſa vena, & Medicis ex eo remedio futuram vtilitatem conſtanter polliceri verentibus: quin etiam nonnulli mihi aduerſari audebant, non ſolùm propter mulieris maciem, ſed etiam propter inappetentiam, ex venæ ſectione ſequuturam noxam affirmantes. In hac ergo * primo die ſanguinis ſeſquilibram detraxi, rurſum poſtridie libram, tertio verò non multò plus ſelibra, erant enim vnciæ octo. Scilicet ipſius eminebant venæ ſanguinis plenæ, colore liuidæ, reſciſſo autem vaſculo, liquidæ pici, & colore, & craſſitudine ſimilis ſanguis emanabat. Ob id ipſum ſanè multò magis viſus fuit largiter vacuandus, &c. Galenus* lib.6.epid. ſect.3.com.29.

PARAPHRASIS.

CElebris eſt quidem hiſtoria hæc, & in practico opere ſæpiſſimè præ oculis habenda: nam docet exactè, quomodo curanda ſit menſtrui retentio diuturna in extenuata fœmina. Sed antequam hiſtoriæ explanationem aggrediamur, lectorem admonitum volo, ne à nobis exaratam, & expeditam commemorationem expetat omnium, quæ ad theoriam, & praxin pro muliebrium morborum curatione conducere videntur, cùm hæc à iunioribus doctiſſimis latè, doctéque ſint enucleata. Quapropter relicta in præſenti, inueſtigatione naturæ menſtrui, eius originis, temporis, quantitatis, qualitatis, & finis, quæ omnia ad ſatietatem ab omnibus agitantur, ad hiſtoriæ expoſitionem accedamus, ea ſolùm controuertentes, quę vel ab aliis non ita dilucidè ſunt explicita, vel in ſe admirationem, & vtilitatem ac difficultatem continent non aſpernabilem.

Magiſter longè celeberrimus hoc in loco, contra Romanos Medicos, medicinæ hypocritas, totius ſcientiæ expertes, arduam aggreſſus eſt curationem, quoniam fœmina hæc erat extenuata nimis, in cuius medela adiectio potiùs videbatur neceſſaria, quàm detractio. Sed cùm in ea adeſſet melancholici ſanguinis ſumma vbertas, eam copioſa phlebotomia minuere non abs re fuit: ſic enim plenitudo melancholica deponitur, ventilatur corpus, & ſanguis vitioſus, niger, atrabilarius extrahitur, in arteriis, & venis contentus, qui eſt ineptus nutritioni, & probum ſanguinem conſpurcat, quo detracto, corpus nutriri incipit. Hoc auxilium præſentaneum eſſe experimur in melancholia hypochondriaca, & in doloribus ſplenis. Cùm enim lien, vterus, viſceráque interna atri humoris copia, menſtruis ſuppreſſis abundant, & partes ob obſtructionem impedito tranſitu alimenti ad membra, marceſcunt & tabent, commodiſſima eſt venę ſectio, quę præterquàm quòd naturam à ſarcina leuat, obſtruentem humorem euacuat, menſtrua mouet, & interiora refrigerat: nam ex igneo iecoris calore humor aduritur, fit craſſior, & magis obſtruit. Ne ergo mireris Galenum, quòd tam copioſam fecerit vacuationem. Neque putes illum medendi peritia

A clarum, ſemper ſimultaneas, & aceruatas exercuiſſe vacuationes: nam ille iuſto quodam ordine præſidia adaptabat morbis: aliquando enim in magna quantitate, ſępè in mediocri, interdum parciſſimè ſanguinem extrahebat, deſumpto ſcilicet à virium tenore ſcopo, vt conſtat ex *c.13. lib.de curand.rat.per ſang.miſ.* quo loco vſque ad dimidium cotylæ ſanguinem iubet extrahere. Eſt autem cotyla, menſura continens vncias nouem, ex Gal. *lib.6.ſec.gener. cap.*8. Manardo *lib.12.epid.*1. Mercuriali *lib.5.de feb.cap.*6. Hieronymo Nonnio Olyſip. *lib. de ponderib. & menſuris, in fin.*

In huius ergo fœminæ curatione, ita copioſam celebrauit, quoniam plenitudo erat melancholica; qua præſente pleniùs ſanguinem mittere præſtat, ex Galeno *lib.de curand.rat.per ſang.miſ.cap.*10. probat Fernelius *lib.de ven. ſect.2. cap.*4. nam melancholici ſanguinem multum calidum habent, ex Gal. *lib.3.epid.ſect.3.com.*70. quem, vtpotè craſſum, nec frictionibus, nec aliis motibus, niſi ſola phlebotomia commodiùs exhaurire poſſumus: licèt enim hic ſit craſſus, non eſt lentus, vt pituitoſus; & cùm vaſis non adhæreat, facilè venæ ſectione extrahitur: maximè cùm ſit fæx ſanguinis, & huic plus ſit conueniens, quàm pituita, & ob alias cauſas: quibus, & aliis rationibus ducti, liberaliùs in plenitudine melancholica, quàm pituitoſa eſſe ſanguinem mittendum, firmauimus *lib.2.in com. hiſtor.*78.

E talo in hac fœmina fuiſſe extractum ſanguinem, non eo inficias: ex partibus enim inferioribus in ſuppreſſione menſtruorum eſſe celebrandam vacuationem, ſuaſit Magiſter *lib.de curand.rat.per ſang.miſ.cap.*11.& 18. §. *Plenitudines omnes ex ſuppreſſis menſibus ortas omninò per crura euacuabis, ſiue venam ſecare, ſiue ſcarificare conueniat: ſectæ enim in cubito venæ mulierum reuellere purgationes aſſolent, &c.* quæ enim fiunt è partibus infernis, non ſolùm euacuant, ſed etiam menſes mouent, vt fusè contra plurium opinionem agitauimus *lib.1. in com. hiſt.*77. licèt enim ex huius hiſtoriæ ſerie non conſtet, ex quo loco Gal. phlebotomiam fuerit exequutus, quum ipſe locum non determinet; rationi tamen, & Galeni doctrinæ congruum videtur, ſi dicamus ex talo fuiſſe celebratam; & auctores omnes, qui in ſuppreſſis menſibus è talo ſanguinem emittunt, Galenum hoc in loco in ſuæ ſententiæ confirmationem adducunt. Nec refert quòd antiqua eſſet ſuppreſſio, in qua non debemus de menſtruo eſſe ſolliciti, nam in ea tutius eſt à venæ ſectione in talo celebrata curationem auſpicari.

Sed & illud magis mirandum, quonam pacto Galenus ſanguinis extracti quantitatem potuerit explorare, ſi ſanguis hic in balneo extractus, & totus cum aqua permixtus confunditur, ita vt illius quantitas deinceps diſcerni nequeat? Solues facilè, ſi aſſeras, antiquiores Græcos in balneo calentis aquæ extremarum partium venas non ſecuiſſe. Patet apertè; nam Galenus *lib. de curand. rat. per ſang.miſ. cap.*14. ex ſectione venæ manus nihil mentione dignum effluere aſſeuerat, cuius contrarium eueniret, ſi in balneo ſecaretur hæc vena. Iudicauit ergo ſanguinem pondere: ipſe enim *lib. de præcognit. ad Poſtum.*13. iuuenis hiſtoriam recenſens, qui à febri hæmorrhagiâ eſt liberatus, affirmat ſanguinem excretum, librarum quatuor & dimidiæ pondus æquaſſe. Hoc modo iudicium eſſe ferendum de ſanguine extracto, firmant Muſa *lib.2.aph.*41. & *lib.5. com.*23. Amatus *lib.2. centur.vltim.* Quare ſciſſo vaſculo poterat facilè Galenus de ſanguinis colore, & craſſitie iudicare; hoc enim modo præclari Italiæ Medici facere

facere conſueuere, vt notauit Amatus *lib.* 1. *centur.* 21. A Deinde ſi concedamus vetuſtiſſimos illos Medicos conſueuiſſe ſecare venas extremarum partium in balneo, non erat arduum ſanguinis quantitatem venari; nam cùm copioſa ſit phlebotomia, ita ſanguis proiectus in aquam craſſeſcit, vt cultro diſſectus ponderari poſſit. Vel ſi dicas, Galenum in omnibus vigilantiſſimum priùs aquam, & poſteà ſanguinem cum aqua confuſum ponderaſſe, affirmabis vera.

Inſurgunt tamen contra Galeni methodum quidam inſcitiſſimè, & de illorum ſanè numero qui fimbrias expandunt, & oſtentui ſua habent omnia, & pectus ſuum bibliothecam rentur, arguúntque hoc modo. Si ſanguis ille craſſus erat, & præ lentore effluere non poterat, cur attenuante victu, aperientibúſque medicamentis non vtebatur priùs, in muliere præſertim debili, & extenuata, quæ B citra virium diſpendium menſtrua prouocarent? Audi ipſum *lib.* 5. *aph. com.* 36. de eodem argumento ſic loquentem: *Nempè & extenuante aliquando victu tales affectiones ſæpè curauimus: quo deſcriptum à nobis habetis librum: vnà autem cum hoc victu, coniungi poteſt aromatum ſuffitus; & ſuppoſititij peſſi, eandem cum eo vim habentes; & potiones medicæ quæ humorum craſſitiem incidant, & tenuent, qualis eſt diacalaminthes, qua nos peculiariter vti ſolemus, & quæ ſæpè commorantes menſtruas purgationes mouit. Etenim indicatio, & ſcopus eorum prouocationis eſt, vaſorum ad vterum peruenientium ora tum recludere, tum extenuare ſanguinem, &c.* quare ille caſtorium vnà cum pulegio, aut calaminthe exhibere non veretur, quæ medicamenta ſe ſemper expertum eſſe purgationem mouere, abſque fœminæ noxa, ſcripſit *lib.* 11. *ſimpl. cap. prop.* C

Verùm hi animis noſtris fallaciarum nubila obiectant, quæ hoc modo diſcutienda ſunt: nam ſanguinem craſſum, & melancholicum ſola ſanguinis miſſione eſſe abſumendum, docuit Gal. *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. c.* 10. his verbis. *Licet enim frictionibus multis, balneiſque, & ambulationibus, aliiſque motionibus, ad hæc vnctionibus digerentibus, celeriter plenitudinem exhaurire, ſi vtique videbitur non eſſe craſſi ſanguinis redundantia. Talis eſt vtplurimùm maximè melancholici, raro verò crudorum, quos vocant, humorum. Cæterùm in redundantia humoris melancholici, ſanguinem mittere præſtat, aut certè medicamento vti atram bilem expurgante, &c.* Quale cùm huius fœminæ venæ ſeſſent atro ſanguine plenæ, idcircò eum exhauriendum vena ſecta præcepit. Sed quam ſcripſit Gal. *in cit. loc. aph.* menſium reſtrictorum ducendorum methodum per attenuantia medicamenta, & victum attenuantem, eam humori D pituitoſo venarum obſtructiones facienti, non ſanguini atrabilario accommodauit.

Quòd ſi inſtes adhuc argutulè, quomodo fœmina hæc longo tempore extenuata, breuiſſimè potuerit refici, & ad naturalem habitum reduci, ſi ex Hip. præſcripto, 2. *aph.* 7. *corpora longo tempore extenuata longo reficiuntur interuallo:* illis enim ex ſolidorum colliquatione contabeſcentia accidit, à quibus concoctio in animalibus, ſanguificatio, diſtributio, atque nutritio perficiuntur, ex Gal. *lib.* 1. *epid. ſect.* 2. *com.* 46. quæ cùm vnà ægrotant, difficulter ſuam naturam recuperare queunt, quia in habitu videtur eſſe morbus? Dic, breuiſſimè curatam fuiſſe fœminam hanc non abſolutè, ſed reſpectu illius extenuationis, quæ maxima erat: præſertim cùm naturalis illius mulierculæ habitus eſſet tenuis, qui citiùs poterat reſtitui; quòd opus E in craſſiore natura ſua corpore, ita extenuato tam citò fieri non poteſt. Quare vacuato illo ſanguine prauo, atrabilario, & nigro, calor innatus à ſarcina huius tetri, & fæculenti humoris leuatus, ad priſtinam redactus ſymmetriam, muniis ſuis functus eſt. Sagaciſſimè ergo Galenus vacuationem inſtituit, dum totum illum ſanguinem vitioſum, & peſſimum, minimè nutrire aptum, vena ſecta exhauſit.

Neque negandum eſt, ex hac inſigni vacuatione vires debilitatem contraxiſſe cum detrimento multo. Quoniam autem ſtatim vacuato illo ſanguine; corporis renutritioni, & virium inſtaurationi occaſio ſeſe offerebat opportuna, illud damnum Galenus parui pendit, nam maior erat vtilitas noxâ, quæ ex virium iactura ſequebatur, quæ potiùs æſtimanda eſt, ex Gal. 1. *aph.* 24. præſertim *cùm nihil ſit, quod tam magnificè proſit, quod aliqua ex parte non noceat,* ex Gal. *lib.* 11. *meth. cap.* 11. quoniam *melior eſt noxa, quàm mors,* apud ipſum *lib.* 12. *meth. cap.* 1. Sic ſanguinem Galenus ad animi vſque deliquium iubet emittere in locis multis, licèt ex hac affatim facta vacuatione, vires ſummoperè debilitari ſit neceſſe. Sic admiſit gelidæ potum ad ſatietatem vſque, cùm ex eius hauſtu nimio natiuus ignis periclitetur ſæpè. Sic imperauit balneum frigidum in hectico debili, cuius vi, puſillus hectici calor interdum extinguitur. Sic plurima alia conſuluit auxilia, quæ licèt aliquantulum noxia ſint, etiam inſigniter proſunt.

QVÆSTIO I.

Vtrùm antiqua menſtruorum ſuppreſſio, ſit incurabilis, vt voluit Hippocrates.

COMMENTARIVM.

Iam octo.] Quæſitum à doctoribus medicinæ arcana rimantibus, tum vt ſic perfectiùs ingenium expolirent, tum vt poſteris ſe vixiſſe teſtarentur, ſitne diuturna menſtruorum ſuppreſſio incurabilis? huic dubio non improbè reſpondere Hippocrates videtur *lib.* 1. *de morb. muliebr. num.* 4. dum ſic profatur. *Et in quintis porrò menſibus ſi non multi menſes prodierint, dolor adhuc fortior accidit. In ſextis verò incurabilis eſt, &c.* Ex qua ſententia docemur manifeſtè, vltimos carceres menſtrui retenti eſſe ſextam lunationem: nam ſi per totum hoc temporis interſtitium muliebria occultentur, tunc malum incurabile eſt.

Verùm hæc ſententia, Hippocrati ipſi valdè eſt aduerſa; hic enim *lib.* 4. *epid. num.* 22. hiſtoriam enarrat ancillæ cuiuſdam, cui cùm per ſeptennium menſtrua fuiſſent reſtricta, mox iiſdem emanantibus integra valetudine eſt perfruita. Et *lib.* 5. *eiuſdem operis, num.* 5. alteram Gorgiæ vxoris hiſtoriam refert, quæ per annos quatuor, menſes habuit ſuppreſſos, & poſt ipſos redditos concepit, & peperit.

Soluenda tamen eſt ad mentem Gal. antonomia hæc, affirmantis poſt ſex menſes, acciſionem menſtruorum curationem recipere poſſe, & poſt eos obſeruarunt plures. Narrat Iacchinus *in com.* 66. *lib.* 9. *ad Almanſ. Raſis,* ſe curaſſe mulierem ligni Indici decocto, adiecto dictamno, quæ per annos quinque nihil purgabatur, & ſterilis erat, & tandem euocatis menſtruis concepiſſe refert. Scribit Alexander Petron. Traianus *lib.* 1. *cap.* 9. *de morb. Gallic.* mulieres nonnulas, triennium, quinquennium, ſeptenniúmque menſtruis carentes, poſteà habuiſſe menſtrua, & concepiſſe.

Sed quid reſpondebimus ad maiorem machinam, Hippocratem nempè, dicentem contrarium, vt vidiſti ſuprà? Reſpondet Mercatus *lib.* 1. *de communib. mulier. affectionib. cap.* 9. Hip. ſententiam adulterinam eſſe, conuictus fortè alius Hip. hiſtoriis, & Iuniorum experimentis munitus. Reproba ſolutio. Nam axiomata Hippocratica non ſunt citra neceſſitatem, vt illegitima explodenda, ſed certis quibuſdam limitationibus interpretanda.

Dic ergo cum Mercuriali *lib.* 4. *de morb. mulier. cap.* 1. menſium retentionem ab aliis cauſis pronatam, ſi producatur vltra ſex menſes curationem recipere poſſe; illam verò quæ ex colli vteri peruerſione originem ducit, incurabilem eſſe. Quæ conciliatio menti Hippocratis eſt conſona valdè, nam eo loco tres recitauerat affectiones quæ in vteri accidunt figura, ex quibus vteri inuerſio erat vna, quæ ſi perduret, fœminas iugulare ſolet. Lege doctiſſimum Roratium *contradict.* 35. *Hip.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO II.

Vtrùm diuturna menſium ſuppreſſio, ſit recenti periculoſior, vt putauit Hippocrates,

MEnſes.] Sed quia in Hippocratis diuini aphoriſmos peruenimus, in quibus pleraque reconditam habent doctrinam, ne illotis (vt aiunt) manibus diſcedamus, in ſtudioſorum gratiam obſcuriora nonnulla ſubtexamus. Ille enim inter medicæ veritatis aſſertores, doctrina, & ſententiarum eloquiis maximè illuſtris *lib. 5. aph.* 57. ſic ſcriptum reliquit: *ſi menſtrua non fiant, ab vtero morbi contingunt.* Vbi notat verbum [*ab vtero*] quaſi dicat, à prima origine, & ſcaturigine morbi: nam *vteri omnium muliebrium morborum cauſæ ſunt*, dicebat Hippocrates *lib.de loc. in homin. num.* 59. Admiranda enim hæc pars cum omnibus habet ſympathiam: cum cerebro enim conſentit per neruos, ex Gal.*6.epid.ſect.*1.*com.*2.explicat eleganter Mercatus *lib.*1.*de virgin.& viduar. morb. cap.*4. cum corde per arterias, vnde eleuata deleteria aura, à menſtruo retento & corrupto, cor lancinante & feriente, emanant diri affectus, ferini, & prorſus ſæui, ſyncope, cordis dolor, anxietas, exſolutio, & alia truculenta pathemata propullulant, quæ referunt Laurentius *lib.*7.*de re anatomica, quæſt.* 11. Ludouicus Duretus *in appendice de vulneribus ad com. text.*44. cum hepate obtinet conſenſum mirum, quapropter reſtagnante ad hepar ſanguine retento menſtruo, huius partis, & viſcerum naturalium immanes exoriuntur morbi, vt icterus, cachexia, hydrops, ex Gal.*lib.de facult. naturalib. cap.* 8. & *lib. de ven.ſect. aduersùs Eraſiſtrat. cap.*6.

Quare ſi fœmina ritè purgetur, à multis vitiis fit immunis; ſi verò menſtrua illi ſupprimantur, horrendis morbis fit obnoxia. Hi ſunt podagra, articulares dolores, pleuritis, peripneumonia, epilepſia, apoplexia, reſpirationis & vocis ablatio, & alij quos recitat Hip. *lib.*1.*de morb. num.* 6. *&* 7. & *lib. de virgin. morb. num.*1.2. *&* 3. diuerſimoda namque malorum grauiſſimorum genera, tum ipſi vtero, tum vniuerſo corpori ita affectarum mulierum imminere prædicendum eſt: ſi quidem nulla fermè pars eſt, quam prauè retentorum menſium qualitas afficere non valeat. Inde enim primarum qualitatum exceſſus in vtero, tumoréſque præter naturam, atque vlcera non raro admodum praua, ac cancroſa oriuntur, quæ cum vteri corruptione mulieres perdunt. Ad hæc ſi menſes in venis vteri retineantur, facillimè putreſcunt, febres malignas accendunt, ventrem diſtendunt, & cruciatibus intolerabilibus ſtomachum ſubuertunt, atque in neruorum diſtentiones, motúſque conuulſiuos mulieres præcipitant, vt notarunt fusè Galenus *lib.6.de loc.cap.*5. & Aëtius *tetrab.4.ſerm.*4. *cap.*56.

Quare hæc omnia in toto corpore, aut priuata parte imminentia mala vt auertantur, inquit dictator ſummus *lib.Coacar.prænot.num.*3. *Salutare eſt muliebria non cohiberi. Nam inde eueniunt epilepſiæ, quibuſdam autem profluuia longa ventris, vt arbitror, nonnullis autem hæmorrhoïdes.* Deinde multis malis vexari fœminas eſt neceſſe, explicat Hildanus *lib.*5.*centur.chirurgic.*43. licèt enim aliquæ viſæ ſint, quæ menſtruas purgationes illas communes, quæ menſtrua dicuntur, nunquam habuerint, & ſaniſſimæ ſint, & robuſtiſſimæ, vt inquit Petrus Toletus *lib. de morb. puer. cap.*1. firmant muſa *lib.*5. *aph.*36. Fernel. *6.patholog.c.*26. cuius rei reddit rationem Trincauellius *lib.*10. *de curand. particularib.affectib.cap.*3. tamen hoc rarum eſt, quum frequenter contrarium accidere frequenti experimento ratum ſit.

Menſtrua enim ſi ritè purgentur, multis commodis mulieres beant: nam corpus vindicant ab excrementis, quæ ipſi ſunt ægrotandi cauſæ, tum nutricatus, ac ſpiritus œconomiam, vitæ cuſtodem, efficiunt benè moratam, & conſtitutam. Vigiliarum & ſomni adeſt certa, & conſtans viciſſitudo. Denique quæ intus ſunt inutilia, ſiue incommoda, tranſeunt in naturæ commoda, beneficio menſtruorum. Quare vna ſpes medicandi, atque curandi mulieres, & ſanitatis earum tuendæ fiducia, in liberali, & libera menſtruorum purgatione conſiſtit. Benè ergo res eunt mulierum menſtruantium, ſi menſtrua benè reſpondeant: nam vt dicebat Præceptor *lib.*1. *de morb. num.* 16. *Mulier ſana ex menſibus agnoſcitur.* Explanat Cordæus eleganter *in com.* Ex his omnibus patet, funeſta mala ex menſtruo ſanguine retento velut à fonte ſcaturire. De qua re legendus ingenioſiſſimus Moxius *lib.* 4. *de morb. mulier. cap.*8.*&* 9.

Num verò hæc damna, menſtruorum ſuppreſſio diuturna maiori cum periculo facere poſſit, nunc indagandum? Nam à recenti menſium retentione periculoſiora ſymptomata oriri, mala ferina poſt partum de nouo concitata ex menſtruo retento, ſatis demoſtrant, & probat Gal. *lib.3.epid.ſect.3.com.*73. hiſtoriam deſcribens mulieris, quæ apud frigidam aquam in Thaſo ægrotabat, quæ cùm filiam peperiſſet, nec eſſet purgata, tertio à partu die febre correpta, tandem mortua eſt. Inquit ergo ille *in com. Quippe menſtruorum ſuppreſſio offendit; tamen non perinde, vt ſi à partu ſupprimantur, officit, quod non abundantiam modò, ſed inſignem etiam humorum pariant prauitatem, &c.* Repetit *lib.* 1. *epid.ſect.*3. *com.* 21. quoniam ſanguis effuſus poſt partum haud inculpatus eſt, ex Gal. *loc.cit. &* 2.*prorrhet.*48.*& lib.de atra bile, cap.*9. ſed teter, fæculentus, melancholicus, & deterrimus, vtpotè per longum illud conceptionis interſtitium in ipſo vtero retentus, & labe fœdatus, ob prauorum alimentorum eſum, ob picam, qua grauidæ ferè laborant, otium, & vitam ſedentariam, & alia plurima quæ ſynceritatem, & puritatem ſanguinis omninò vitiant, & corrumpunt. Si verò Hipp. *lib.de natur puer.num.*12. ſanguinem laudabilem, qualis à victima, effluere dicit, & in hoc videatur Galeno aduerſus: Hippocratem intellige cum Cordæo *com.*4.*in lib.*1.*de morb.mulierum*, 62. de ſanguine qui in muliere ſana à toto effunditur corpore, qui laudabilis eſt, cùm Gal. ſit intelligendus de ſanguine qui in vaſis vmbilicalibus, & ſecundinarum eſt concluſus: dummodò tamen intelligas, ſanguinem poſt partum effuſum illaudabilem eſſe, & qualitatem peccare, vt notauit Riolanus *lib.*1.*phyſiolog. ſect.*7. *cap.* 9. & maximè in enixis fœminis, quia hæ pluribus abundant ſordibus, & maiori expurgatione indigent, vt docuit Valleſius *lib.*3. *epid.ſect.* 3. 14. ergo hæc retentio recens poſt partum, cùm ſæuiora faciat mala, illis quæ à retento menſtruo eueniunt, diuturna retentione erit periculoſior.

Sed obſtat veneranda Hipp. & ab hinc poſt multa ſæcula veluti per manus tranſlata ſententia, quam viua voce expreſſit *lib.*1.*de morb.mulier.à num.*4.*vſque ad num.*13. dum ſic eloquitur. *In tertiis verò menſibus optimè afficietur, ſi quæ priùs inſunt progreſſa, fuerint educta: ſin minùs mulier hæc patietur ſuffocationes alias, atque in ipſam irruet febris, ac horror, & lumborum dolor. In quartis magis affligetur, vrina erit multa, & craſſa, venter fit durus, dentibus fremit, vigilat, cibum auerſatur. In quintis ſi non deſcendant menſtrua, dolor fortior accidit. In ſextis incurabilis eſt, & dolor increſcit, aderunt anxietas, animi defectus, pituitæ vomitus, ſitis fortis, ventris exuſtio, dolor in pube, febris acuta, vteri inflatio, dorſi dolor, animi deliquium, aphonia, morſus ſtomachi, iactatio, ardor, inquietudo, vmbilici, & inguinum dolor, vteri vlcera. Et ſi à ſexto menſe vitam ad octauum menſem producat mulier, in octauo emoritur.* Hactenus diuinus Senex. Ex qua ſerie deducuntur hæc funeſta mala, intolerabilia; calamitoſa. Epilepſia, & apoplexia, grauiſſimi ſanè morbi etiam comitari ſolent, quæ eò ampliùs ſolent exacerbari, & fieri ſæuiora, quò retentio menſtruorum magis eſt diuturna: cùm enim ſpurcus hic ſanguis, in vtero tanquam in ſentina omnis impuritatis coërcitus, retineatur, & non ventiletur, ob moram putreſcit, & corrumpitur, in deterrimámque abit labem, & perniciem, & per venas, quas vterus grandiſſimas habet, ex Gal.*6.epid.ſect.*1.*com.*2. per neruos, quibus præditus eſt, & per arterias, tum ſpermaticas, tum hypogaſtricas, partes principes illicò conſpurcat lue dira. Quæ mala non ita fera increſcere ex acciſione recenti, nulli puto non manifeſtum. Lege acutiſſimum Duretum *in Coac.Hip.prænotion.tract.de dorſi & lumborum affectionib. in com.ſent.*19.*in princip.*

Hoc

Hoc confirmat Galenus *lib.6.de loc. affectis, cap.5.* dum ſic dicit. *Quòd ſi longiori tempore menſtrua ſupprimantur, nullámque medicus adhibeat vacuationem, tumor aliquis in inguine interdum exoritur, oſtendens nimirum ex internis partibus aliquam inflammatam eſſe, &c.* quæ mala ex recenti ſuppreſſione non oriri, ipſe hoc loco inculcat: patet ex verbo *(longiori tempore)* quaſi diuturna, & antiqua menſtruorum retentio hæc exitialia mala promptiùs facere nata ſit. Cùm enim conetur natura extrudere peccantem humorem, eum ad inguina, velut ad partem viciniorem, & debilem protrudit; qui abſceſſus viſcerum internorum onus, incendiúmque demoſtrant, iuxta Senis oraculum, *lib.6. epid.ſect.2. text.10. Abſceſſus veluti bubones, ſignum quidem ſunt germina habentium, tum aliorum, tum præcipuè viſcerum: maligni autem ſunt hi.* In hunc ſenſum dicebat ipſe *lib.4.aph.55. Ex inguinum tumoribus omnes febres malæ, præter diariam:* quoniam bubones febribus non diariis accedentes, morbum aliquem viſcerum ſignificant. Ergo ex longa menſium retentione non ſolùm interna, ſed externa mala, eáque periculoſiora, quàm ex recenti oriri ſolent.

Argumento verò de retentione menſtrui à partu ita ſatisfaciendum eſt, nam non mouet multùm. Retentio illa etſi videatur recens, antiqua tamen eſt: quoniam ſanguis in vtero diu retentus, ſi non vacuetur, cùm ſit vitioſus, copia premit, qualitate praua vterum conſpurcat, & viſcera interna maligna aura vehementer lancinat & ferit: fœtus enim dulciſſimo ſanguine nutritur, relinquens deteriorem, qui ſi à partu non vacuetur, multis malis fœminas corripi eſt neceſſe.

QVÆSTIO III.

Vtrùm extenuatis ſit vena ſecanda, vt monuit Galenus.

EXtenuatiſſima cùm eſſet.] Nequeo mihi temperare, quin hoc potiſſimùm loco ſubnectam vtile dubium, quod hanc intricatam hiſtoriam explanabit luculenter: nam interpretis officium ſolùm circa orationes obſcuras verſatur, auctore Gal.*lib.1.epid.ſect.2.com.52. & 3.aph.in præfat.* Mirum enim eſt, quo pacto Gal. Medicus experitiſſimus, tam copioſam vacuationem, in muliere debili, & valde extenuata celebrare tentauerit, ſi fidem adhibere debemus Hip.*lib.2.aph.7.* dicenti, *ex longo tempore extenuata corpora, potiùs eſſe reficienda, quàm euacuanda:* nam Gal. vehementer extenuatos plurima adiectione, & refectione indigere affirmat *lib.2.de naturalib.facult.c.6.* morbi enim qui ex inanitione fiunt, curantur repletione, ex Hip.*lib.2. aph. text.22.* nam *defectus indiget adiectione,* ex Gal. *lib.1. aph.17.* quare Auic.ſummoperè vetat phlebotomiam in corporibus fortis maciei, 4.1.*cap.20.* hæc enim corpora, marcore veluti confecta, illicò extracti ſanguinis penuriam perſentiſcunt.

Hoc modo debiles, & extenuati ſunt pertractandi, in iis enim præſidia vacuantia præſcribi non debent, ſed alimenta exhibenda concoctu facilia, nutrientia, minimè glutinoſa, gratiſſimi & ſuauiſſimi guſtus, quæ mirificè imbelles vires reficiant, citiſſimè alant, ventriculum roborent, facilè diſtribuantur. Huiuſmodi ſunt, vbi febris non adeſt, lac caprinum tepens, ab vberibus extractum, & modico ſaccharo permixtum, oua recentia & tremula, vino odorifero, & roſacea irrorata, & ſaccharo albiſſimo reſperſa. Placentulæ prætera ex amygdalis, pectore capi, vel gallinæ bené cocto, ſaccharo, & aqua roſacea concinnatæ. Tenuiſſimæ veluti eſcharæ, membranulæve, ex albiſſima farina, ouorum vitellis, & ſaccharo compoſitæ. Pulpa capi in tenuiſſima fruſta redacta, additiſque foliis apij ſatiui, ſemine ſicco coriandri, & pauco croco in globulo aggregata, qui lento igne cocti, atque cum ouorum vitello, & ſaccharo conditi, non indecenter nutriunt. Sed id maximè vinum præſtat: nam teſte Gal. 3. *de temp.* 2. *&* 2.*aph.*18. vt aſſimiletur, mutationem deſiderat minimam, quo fit, vt tum nutriat, tum roboret celerrimè, præſertim ſi ſit colore rubrum, liquore tenue, aut mediocre cum leui quadam acerbitate. Conueniunt electæ carnes in liberis locis nutritæ: nam quæ lacus, aut ſtagna ſequuntur, vitari debent, ex Gal.*lib.7.meth.6. & lib.8.cap.2.* alimentum enim præbent extenuatis corporibus laudabile, ſanguinémque minimè vitioſum generant. Et cùm partes ſolidæ ex morbi diuturnitate ſint debiles, & languidæ, cibóque duriori coquendo non ſint idoneæ, tunc liquida ampliús offerenda, quoniam celeriùs diſtribuuntur, & promptè nutriunt: nam *facilius eſt impleri potu, quàm cibo,* ex Hippocrate 2. *aph.* 11. & humidum alimentum ad reparandas vires optimum eſt. Quapropter extenuatos mirè reficiunt liquidi cibi, vt colatitia, contuſa, expreſſa, diſtillata, intrita. Ad hæc. Ori, & naribus, regioni cordis, orificióque ventriculi odorata ad ſpiritus inſtaurandos admouenda ſunt: virium enim ſubſtantia, ex ſpiritu, carnoſa ſpecie, tum ſolidis ipſis completur, ex Gal.11.*meth.3.* Denique extenuati, graciles, non vacuantibus auxiliis, ſed ſomno moderato, congrua exercitatione, & animi tranquillitate ſunt gubernandi. Per ſomnum enim quieſcente animali facultate, naturalis validior quàm anteà redditur, ope natiui caloris ad internas ſedes collecti; quoniam exhauſti per morbum ſpiritus reparantur, natiuus calor reficitur, humectatur totius corporis habitus, viſcera muniis obeundis firmiora euadunt. Quamobrem extenuata corpora potiùs adiectionem poſtulant, quàm detractionem.

Sed mirari deſine: nam Galenus imitatur Hippocratem, quem, vt numen quoddam, ſemper fuiſſe veneratum gloriatur, & cuius edicta, veluti à Delphico tripode prædicente, ac prædiuinante eſſe aſſerta, inculcat *lib.7. meth. cap.1. & lib.9. eiuſdem, cap.8. & lib.1.de elem.16. & lib.1. de facult.natural.cap.13. & lib.de theriac.ad Piſon. cap.28.* & alibi paſſim (renuat licet Valleriola *lib.5. enarrat.2.*) Ille enim *lib.5. epid. num.2.* in Oeniadis virum tabeſcentem, & ab omni pharmacorum genere minimè adiutum, ſecta vena in vtraque manu, vſquedum exanguis redderetur, ab extrema macie liberauit. Quotus enim quiſque Medicus, vt prudenter notat Valleſius *in com.* non abſtinuiſſet à venæ ſectione, ob virium imbecillitatem ſummam, quæ adeſſe videbatur, ob penuriam alimenti, & reliqua ſymptomata? Hoc modo Gal. *lib.5.meth. cap.14.* in phthiſi ſanguinem emittit, ſi ſanguis ſit limoſus, vitioſus, & craſſus.

Tantos auctores imitatur Beniuenius *lib. de abditis, cap.44.* dum ſic inquit. *Anno integro remorantibus menſtruis mulier ad ſummam deducta eſt maciem, & venæ eius ob nimiam plenitudinem nigriores factæ admodum extendebantur; cúmque nullum cibi genus deſideraret, conſequens fuit, vt totum tabeſceret corpus: quare præſentaneum auxilium iudicauimus ſanguinem emittere, qui cùm primo die nigrior effluxiſſet, iubeo & alteri id ipſum fieri, quo longè clariore manante, factum eſt, vt profluentibus dein menſibus, mulier quæ per annum macie & tabe afficiebatur, idoneis tamen medicamentis reſumpta, ad priſtinam facilè redierit ſanitatem.* Hanc curationem opere ipſo obſeruauit Dodonæus *in annotat. ad caput prædictum Beniuenij.*

Enimverò licèt fœminam hanc extenuatam, & debilem phlebotomare vererentur Medici ob dictas cauſas, tamen cùm extenuatio, & macies ex vitioſo ſanguine, nigro atrabilario, nutritioni minimè apto, in arteriis, & venis contento originé ducerent, idcircò eum oportuit vacuare, vt corpus eo detracto nutriri inciperet; nam partes hunc reprobum ſuccum non attrahunt, ſed reſpuunt: quoniam quemadmodum homines, cibos nidore, aut alia mala qualitate infectos, vbi primùm deguſtant, quamuis eſuriant, ipſos renuunt, & extinguitur in illis appetitus, vt docet Gal.*lib.6.epid.ſect.4.com.26,* ſic partes non attrahunt niſi probum ſanguinem, quo tanquam ſimili & familiari alimento nutriuntur, & craſſefiunt.

Auicenna autem, & cæteri auctores in extenuatis corporibus renuentes venæ ſectionem, de macie orta ob defectum, ex ſanguinis & ſpirituum penuria ſubortum, intelligendi ſunt, quæ adiectione, non inanitione curatur, vt ſcitè docuit Galenus *lib.1.aph.17.* Hoc modo in hecticis, & aliis febribus marcidis, & tabificis reformidanda

eſt

eſt venæ ſectio, quia marcor hecticus ex inopia oritur,& non à copia.

Inſuper. Auic.ſic exponente Gentili,ſidiſſimo interpre-te *in com.*explicandus eſt etiam de macie,& gracilitate na-turali,quæ plerumque calidam ſiccam temperaturam co-mitatur, cuius ſignum inter alia eſt carentia pinguedinis, vt docet Gal.*in arte medic. cap.*5 6. & *lib.2.de temp. cap.4*, & *lib.8.meth.cap.2.*& *lib.9.meth.cap.*15.§. *Si namque natu-ra gracilis, temperatura autem calida ſicca , maximè ex va-cuationibus offenditur, &c.* & *lib.1.ad Glauc. c.*14. huiuſce temperaturæ homines à venæ ſectione arcet,ita vt venæ ſectio in illis celebretur cum præmeditatione multa; nam in iis non adeſt virium robur, vt Gal. inquit *lib.*1. *& c.*5. *ad fin.*quoniam propter caloris exceſſum,& pororum am-plitudinem,& tenuitatem ſanguinis & ſpirituum, prom-ptiſſimè reſoluuntur ſanguine miſſo , & animo linquun-tur , & vix refici poſſunt. Quare ij parcè ſunt vacuandi. Reliqui verò graciles , qui haud modica ſanguinis copia redundant, ex Gal. *in com.hiſtoriæ huius*, quum vitioſi ſan-guinis copia abundent , liberaliùs ſunt inaniendi.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm ſanguinis miſſione iterata,prima vice ſanguis ſit copioſiùs extrahendus.

P*Rimo die ſeſquilibram detraxi.*] Iactatum apud Græcos inuenio in locis multis , aliquando celebrandam eſſe vacuationem ad animi deliquium vſque, quam ſimulta-neam Medici , & ſubitò confertimque factam appellare conſueuerunt , eámque exequendam docuere,quando vi-res ſunt robuſtæ,morbus vehemens,& efferueſcentis ſan-guinis copia in corpore ineſt : nam tunc vnica requiritur ad morbum celerrimè extirpandum vacuatio,cuius vi hu-mor ſuperabundans ſemel tantùm,& ſecurè exhauriri po-teſt : ſed ſi tutum id non fuerit , quia vires debiles ſunt, partiri & iterare vacuationem conuenit , vt eam natura ferre poſſit.Hanc doctrinam palam fecit Gal.*lib.de cur.rat. per ſang.miſ.c.*20.in hunc modum. *Quapropter præſtat, niſi quid vrgeat , priori miſſione minus detrahere , iterúmque eam repetere, immò, ſi lubet, & tertiò. Vbi verò multa vacuatione eſt opus , verùm vires ſunt imbecilliores , in his vacuationem partiri expedit,&c.*Repetit *lib.*10.*meth.*9. quo loco quan-do vires debiles ſunt,paulatim & iteratè euacuat.Similem curationem exercet *lib.*5. *meth. cap.*14. in acri ad pulmo-nem diſtillatione , quo loco minuit primò ſanguinem & rurſus reficiens ægrum , iterum ſanguinem exhaurit. Se-quitur Auic.4.1.*cap.*20 *poſt princip.§.Cùm autem phleboto-mia neceſſaria fuerit cum debilitate virtutis, cauſa febris,aut aliorum humorum partiri phlebotomiam , ſicut prædiximus oportet,&c.*

Sed perſcrutandum,vtrùm in hac partita,& iterata ve-næ ſectione,prima vice liberalior ſit celebranda vacuatio? Nam Galen.*hic*, primò extraxit ſeſquilibram,poſtridie li-bram , tertio , non multò plus ſelibra. Hanc methodum opere ipſo obſeruat *lib.de curand. rat.per ſang.miſ. cap.*17. quo loco Oeconomo ciuis Romanis oculorum inflamma tione laboranti prima vice tres ſanguinis libras extraxit, ſecunda verò vnam.Et *in cap.*13 *.eiuſd.libri*,in pueris poſt 14. annum,prima venæ ſectione ad cotylam extraxit, de-inde ſi vires permittant,dimidium adiicit. Approbat Auic. 4.1.*cap.*20.§. *Et quacumque vice minoratio fiat,quantum poſ-ſibile fuerit,&c.*& *paulò infrà*,ſyncopen timet ex iteratio-ne copioſa, dicens : *Multa præterea in ſecundatione euacua-tio ſyncopen affert,&c.* explanant Iacobus de partibus, Di-nus,& Antonius Maria Bettus *in com.*luculenter.Nec diſ-ſuadet ratio , quia in initio morbi , humorum adeſt copia maior, & vires ſunt magis liberales. Quare in ſanguinis miſſione , prima vice copioſior vacuatio exercenda , ſiue euacuationis,ſiue reuulſionis gratiâ celebretur.

Sed maioris operis, & ingenij eſt, ſpeculari quo pacto intelligendus ſit Galenus *lib.4.de ſanit.tuenda,cap.*10.quia huic omnino aduerſam protulit ſententiam , dum enim phlegmonoſæ laſſitudinis medelam propoſuit, iubet vt prima vice extrahatur ſanguis, ita vt homo animi deli-

A quium non incurrat, in ſecunda verò copioſiùs extrahere imperat,ita vt animi deliquium non formidetur.Sic enim ait anteſignanus auctor. *Optimum verò fuerit bis eodem die, ſi fieri poteſt detrahere. Ac primùm quidem ita mittere expe-dit , vt animi defectum homo non adeat : ſecundo verò ne de-fectus quidem ipſe eſt formidandus ; quippe qui priori detra-ctione reſolutus eſt , ſecundam ſuſtinere haud poterit : in hac verò, ſi quid tale homini incidat, facilè reuocabitur, &c.*Vi-des arduam antinomiam , in qua ieiuna eſt lectio aucto-rum. Sed ſatisfaciendum eſt obiectæ auctoritati , in hunc modum : nam prima vice parciùs ſanguinem extrahit,ſe-cunda copioſiùs,quia cùm medeatur laſſitudini phlegmo-noſæ,in qua multa ſanguinis quantitas in carnes, & cor-poris molem delata eſt , nec iam eſt multa humoris va-cuandi quantitas in venis,meritò prima detractio parcior

B erit, altera verò copioſior , vt per eam vacuetur, & reſi-duum plenitudinis vaſorum , & id quod poſt primam detractionem ex carnibus in vaſa remigrauit iam corrup-tum , cuius ratione copioſior detractio neceſſaria eſt.

HISTORIA II. GALENI,

De menſtrui ſuppreſſione.

Fœmina rententione menſtrui laborans, neglecta phlebotomia, ob Eraſiſtratæo-rum incuriam, difficultate ſpirandi ob-orta, interiit.

C P*Orrò mulierculam quandam , quæ viginti vniúſque an-norum ætatem agebat , ac ex menſtruæ purgationis reten-tione , faciem rubicundam obtinebat , tuſſiebátque paululum, & difficulter ſpirabat , Medici Romani tantoperè à venæ ſectione abhorrentes , curare adorti ſunt. Primùm quidem membra illius laneis vinculis leniter excipiebant , & in ine-dia exigere iubebant , venam autem ſecare nolebant , nóſque id facere volentes , prohibebant. Quia verò domeſticis ipſius mulieris familiariter vtebantur , & ætate me erant multò ſu-periores , facilè ipſis eſt habita fides. Ego quidem tunc tem-poris venæ ſectionem illis ſuadere non ſum conatus , ſed inter-rogaui, num mihi per eos liceret ſanguinem ad vias vteri , re-mediis,quæ hoc efficere poſſent,prouocare : quod cùm illi prom-ptè conceſſiſſent , adij familiarem ipſius ægrotæ obſtetricem, quam & exhortatus ſum, vt vſum illorum experiretur, verùm*

D *illa remediis huiuſmodi , tempore , quo factum id oportebat, vſam fuiſſe ſe affirmabat , quando ſcilicet menſtrua purgatio futura in expectatione erat, recitabátque remedia ordine,quæ muliebri obtuliſſet , & hæc quidem commoda alioqui erant, eámque ob rem quo minùs efficacia fuiſſent,nequaquam illorum imbecillitate factum eſſe videbatur. Poſtquàm igitur ego ita percepiſſem , ſimúlque à retentione ſanguinis quartum iam menſem præteriiſſe animaduerterem, denuò cum Medicis il-lis congreſſus, vt ad venæ ſectionem ſe conuerterent, perſuade-re eis conabar. Quum autem id facere noluiſſent , illorum animum demirabar, maximéque quia eniterentur, vt omni co-natu apertis circa vterum venis quàm plurimis , ſanguinem ſuperfluum illinc vacuarent : ſi verò alia quæpiam vena ſeca-retur, noxiam ex eo vacuationem euenturam arbitrarentur. At his reſpondentibus , quod vel abſque tanti auxilij præſentia*

E *ſanguis exuperans ſola inedia vacuari poſſet , taciturnus diſ-cedebam, nihil bonæ ſpei de muliere propter tuſſim,ac ſpirandi difficultatem concipiens. Aut enim rupto vaſe , ipſam ex tho-race , pulmonéve ſanguinem ſputo eiecturam , aut ſynanche, vel * laterali inflammatione , vel peripneumonia corruptum iri præmeditabar, optabámque votis omnibus, velut in delectu malorum fieri contigit , vt mulier laterali ſaltem inflamma-tione corriperetur : incutiebat quippe mihi terrorem tum acui-tas periculi , quod ex ſynanche , peripneumoniáque ſubitura eſſet,tum ex ruptione vaſis in pulmone lethale nocumentum,id quod poſteà reipſa eſt ſubſequutum. Dum enim illa vehemen-tiùs tuſſiret , ſanguis etiam vnà extrorſum ferebatur. Atqui etiam vulgares non parùm Medicos obiurgabant , quòd illi*

mulierculæ

mulierculæ venam incidere vetuiſſent,ſperabántque omnino fu-turum, vt etiam ſi id priùs non fecerint, hoc tamen tempore verecundia ducti, vſum præfati auxilij concederent. Cæterùm cùm hi neque tum quicquam commouerentur, ſed potiùs vin-cula membrorum fortiùs adſtringerent, iuberéntque viterum remediis irritare, ac mulierem inedias ſuſtinere: ego ob æta-tem, & celebre nomen virorum, nihil me ampliùs profectu-rum credens, illinc diſceſſi. Mulier quoque ipſa non ita mul-to tempore interiecto, infanabili ſpirationis difficultate cor-repta interiit, &c. Gal. lib. de venæ ſect. aduersùs Eraſi-ſtratæos, cap. 1.

PARAPHRASIS.

Eraſiſtratum venæ ſectionis infenſiſſimum hoſtem in hac hiſtoria euidentiſſimis rationibus redarguit Ga-lenus, & abſurdiſſimam eius opinionem, humano generi pernicioſiſſimam, appoſitis in medium hiſtoriis conuel-lit, & ex conſequenti Medicos Eraſiſtratæos, Eraſiſtrati diſciplina falſa imbutos vehementer refellit, *Cum enim*, inquit *Romam veniſſem, incidi in Medicos quoſdam, qui à venæ ſectione tantoperè abhorrebant, vt quum aliquando æger quiſpiam propter plenitudinem præfocaretur, ne tum quidem hoc auxilio vti vellent, &c.*

Sic & mulierem hanc iuuenem, ſumma ſanguinis re-tenti plenitudine laborantem phlebotomare non aude-bant: cùm enim ſanguis retentus menſtruus ad ſuperas partes reſtagnans tuſſim moueret, timor erat ne rupto vaſe per os cruorem excerneret & ſequeretur phthiſis, iuxta oraculum Senis *lib. 7. aph.* 16. aut alia horrenda vitia ſubſequerentur, quæ ex huius ſpontini ſanguinis fluxu ſuppreſſio originem ducunt, quæ ad viuum expreſſit Hip-pocrates *lib. de virgin. morb. num.* 1. 2. & 3. & refert *in hoc cap.* Gal.

Vt ergo menſtrua prouocarentur, laneis vinculis vte-bantur, & hæmagogis, aliiſque medicamentis, ſangui-nem ad vterum auocare conabantur, tenuentes phleboto-miam, quum hæc facilè, tutò, & celeriter ſanguinis co-piam, vacuatis vteri venis promptiſſimè demat. Sic mortua eſt Ancilla Chienſis, & neglecta phlebotomia ab eodem Eraſiſtrato interfecta. Sic Crito vitam cum morte commutauit angina oppreſſus; apud Galenum *lib. aduerſus Eraſiſtratæos, cap.* 3.

Quid ergo abſurdius dici poteſt quàm velle ſangui-nem regundantem in vtero; & ex hoc ad ſuperas partes repurgitantem inedia ſola minuere, quum hæc menſes re-primat. Eſt textus eximius ad ipſum *loco nuper cit.* ex quo patebit manifeſtè, quàm falſa ſit, perfida, & inſolens ho-rum medicaſtrorum præpoſtera curatio, qui licèt fama eſſent inſignes, retamen, & opere erant inſcij, impuden-tes, præcipites, temerarij, qui Galenum neglexerūt recto-rem, in locis multis. Audi ergo ipſum ſic loquentem. *Sed è diuerſo ſi quis vena ſecta inediam ſuſtinere imperauerit, non ſolùm menſes priùs fluentes cohibebit, verùm etiam purga-tiones, quæ iam inculpatè euacuabantur, reprimet. Sanguis enim ciborum inopia areſit, & ſeipſo craſſior, ac denſior effici-tur, & ad fluendum euadit ineptus, &c.* Adde quòd ob in-ediam natura in traſmittendo ſanguine fit auara. Sed pi-geat pluribus hos aſinos, ceu lapidem verberare; nam citiùs ſentiet tardus bos admotos ſtimulos, quàm iſti am-plectantur ſalubria documenta: quare hos lethiferos Cerberos cum ſua inſcitia relinquamus, quorum Agyrta-rum ſuperſtitioſos mores vberrimè infrænant Ioannes Freitagius *in ſuis noctib. Medicis, tr. de abuſu medicinæ, ferè per totum*: & Benedictus à Caſtro, Medicus eximius Ham-burgenſis, *in ſuo flagello calumniātium*, luculenter & doctè.

Sed circa hiſtoriæ explicationem percontaberis, cur ſpectatæ fidei auctor Galenus, fœminam hanc rubicun-dam eſſe dicat, ſi illæ quibus deſunt menſtrua, pallidæ eſſe ſolent, decolores, & ſubalbidæ, & maximè ſi per plu-res menſes menſtrua ſupprimantur, vt huic contigit: Rembertus Dodonæus *in com. cap.* 44. *Beniuen. de abditis*, reſpondet hoc modo, quòd licèt verum ſit, frequentèr fœminas ſuppreſſione menſtrui laborantes, recurrente ſanguine ad ſuperas ſedes, & mole ſua hepar, officináſque coctionis opprimente, & debilitata, flaccidáque redditā ſanguificandi vi in opere, & ſic copia aquoſi ſanguinis regenita, pallido & ſubalbido colore infici, quum antea roſeo genarum, labiorúmque perfunderetur; quare fe-bris hæc ex menſtruo retento concitata, dicitur alba à Langio *lib.* 1. *epiſt.* 21. Mercato *lib.* 2. *de morb. mulier. cap.* 6. & ab aliis Icterus albus nuncupatur: Rarum tamen eſt has rubicundas eſſe, quòd affectus ex magna obſtructione pronatus frigidus ſit, & ob hoc crudi, frigidique humo-res ſuborti, cùm fluxiles ſint & tenuiſſimi, cutaneas par-tes penetrant, & cutis tingitur albo colore. Sed hæc ſo-lutio mihi non arridet; nam vulgaris eſt, & commune ſanè refugium ad omnia veterum oracula exponenda, quum appoſitè adaptetur cunctis: proinde nos accuratio-rem multò iudicamus, fœminas non menſtruantes albo colore, aut tetro vexari, quando ob pituitoſi, aut melan-cholici humoris copiam menſtrua ſupprimuntur: aliter verò accidere comperimus, quum ob ſanguinis plenitu-dinem ſupprimuntur, tunc enim corporis tenſio, grauitas, & totius corporis rubor apparent. Hoc ita eſſe, præter Aëtium *tetrab.* 4. *ſerm.* 4. *cap.* 57. *de iis quæ ob plenitudinem non purgantur*, firmant Mercurialis *lib.* 4. *de morb. mulier. cap.* 1. de ſignis menſtruæ purgationis ſuppreſſæ ob cali-dam cauſam. §. *Aderit color corporis rubeus, &c.* & Mercato *lib.* 1. *de com. mulier. affectionib. cap.* 9. §. *Sic primò vniuer-ſum corpus huic affectioni conſentire dignoſces ex ſignis pleni-tudinis, quibus corpulentior, pulchrior, rubicundiórque fœmina apparet, &c.* nam *color ſimilis efflorecit humoribus in corpore ſuperabundantibus*, ex Gal. 1. *aph.* 2. & apud Hipp. & Gal. *l.* 6. *epid. ſect.* 5. *text.* 4. *color ruber à ſanguine oritur*: & maximè in hac fœmina iuuencula, & copioſo ſanguine plena.

Satis ſupérque opinor, demonſtratum ex iis quæ dixi-mus, in quibus fœminis menſtrua purgatio retenta, cutis pallorem, aut ruborem inducat. Nunc operæ pretium me facturum arbitror, ſi inquiram, quæ fuerint illa auxilia quæ ab obſtetrice celebrata, menſtrua prouocent, attra-hendo ſanguinem ad vterum: nam ea Galenus ſubticuit. Dic fuiſſe crurum lauacra, ligaturas, vincula, frictiones validas, quæ dolorem concitant, irritant naturam, & ſan-guinem ad vterum conuocant. Sed cùm vocata eſſet ob-ſtetrix, quæ dicta adminiſtraret auxilia, ſuſpicor peſſaria fuiſſe impoſita: licèt enim apud Galenum *lib.* 5. *aph.* 62. munus præcipuum obſtetricum ſit, apta ad liberorum procreationem corpora conciliare, & partubus iuuandis operam præſtare; tamen eis aliud officium concedit *lib.* 14. *de vſu part. cap.* 5. & 3. *de natural. facult. cap.* 3. vt ſcilicet locis muliebribus applicent vnguenta, vel peſſulos: eſt autem peſſulus, auctore Paulo *lib.* 7. *cap.* 24. *lana carpta ad formam magni digiti rotunda, in qua medicamenta excipiun-tur, ac genitalibus mulierum induntur.* Horum tres genera-les differentiæ exiſtunt: nam emolliunt quidam, alij ad-ſtringunt, aperiunt alij. His vtimur, quando ſuppreſſam vacuationem irritare ſtatuimus, aut vuluam conuenien-tem, compreſsámve emendare. Quæ in peſſis, inquit Galenus *lib.* 5. *de ſimpl. medic. facult. cap.* 20. aut fomentis, aut quouis modo ſimili, vuluæ admouentur, ea duplici ra-tione agere conſueuerunt: nam alia calfaciendo duntaxat prouocant, alia facultatibus attractoriis, & purgatoriis; quas demonſtrauimus, trahendorum familiaritate perage-re, &c. & *lib.* 5. *aph.* 36. Et *ſuppoſititij peſſi eandem cum eo vim habentes, &c.*

Præparantur peſſi multis modis, primò ex liquore aliquo glandis forma, melle, aut cera coacto. Fieri quo-que poſſunt ex melle, artemiſia, dictamno, braſſica, porro, ſcuto rutæ, ſcammonio, euphorbio, rubia, felle, nigella, puluere radicis ireos, capparum, ariſtolochiæ, cala-mintha, trochiſcis de myrrha, ſtyrace, ladano, gal-bano, ſagapeno, ammoniaco, bdellio, aſaro, agarico, cinnamomo, caſtorio, pulpa colocynthidis, & aliis, additis theriaca, moſcho odorato, ſucco Mercuriali, au t terebinthina.

Peſſos linteo obuolues tenui, vt vterus vires medica-menti ſuſcipiat, mordacitatem tamen minimè deguſtet, ob quam cauſam filo ligari ſolent, neque ſinenda vl-tra horam ibidem morari; poſtquam, ad retundendam acrimoniam

acrimoniam ex calidorum med camentorum vſu contra-ctam, neceſſe eſt vterum abluere iis quæ mordacitatem contemperant, vt decocto maluarum, lacte,aut ſero eius, hordeíve cremore. Ex iis medicamentis parari poſſunt naſcalia, goſſypio, lana, cera, reſina, aut ficu aliqua exceptis,& pudendi oſculo adhibitis. Similiter vterini clyſteres conficiuntur. Differunt tamen naſcalia à peſſis, quod hæc in vteri collum penitus ſeſe inſerunt,illa verò, tantùm os vuluæ attingunt. Si verò plura de modo conficiendi peſſulos, & eorum materia ſcire aues, Conſule eruditiſſimum Ioan.Renodæum *lib.5.Inſtit.pharmaceutic. cap. 2.*

Quare quis non magnoperè mirabitur, cur hi ſtupidi medicaſtri circa vniuerſale venæ ſectionis auxilium,quod copiam demit citò, celeriter, & ſecurè,hæc tam fortia,& calida medicamenta vtero indere ſibi perſuaſerint: nam præter quam quòd fœminam hanc iuuenem, annum vnum & viginti natam,plus conſueto rubicundam, ſolita menſium vacuatione deſtitutam,ſanguine plenam,corporis grauitate, plenitudinéque ſumma laborantem, concitato calore,& feruore iis vtero admotis exagitabant,plethoricum corpus in diſcrimen adducebant: nam attenuatus ſanguis, calefactus, motus, & non vacuatus, ſuo calore, & copia ad ſuperas partes reſtagnans, dira aptus eſt ſymptomata concitare.

Videamus vltimò, num errauerit Galenus, quum primùm cum aliis Medicis congreſſus, ſanguinis miſſionem non propoſuit ſummè neceſſariam,immò à curatione abſtinuit. Sed dum hæc animo contemplor, ipſum fuiſſe prudentem, & in artis operibus dexterrimum inuenio, cuius maturum iudicium commendo, & admiror: cùm enim è Græcia Romam adueniret,moréſque Medicorum non exactè calleret, & iuuenis eſſet, vt retulit ipſe *lib.1. de articul.com.23.* ſi cum ſenioribus, & celebrioris nominis Medicis acriter contendiſſet, eorúmque errores carpere, & extirpare conatus eſſet, ſuperbus ſtatim, glorioſus, & arrogantiæ plenus habitus fuiſſet: quas conditiones ille in Medico tantopere condemnat,*in lib.de ſubfigurat.empiric. cap.13.* & licèt ſciret Medicum iuuenem, doctum, & in præceptis artis optimè inſtructum,ſeni indocto eſſe præferendum; quum tamen non ignoraret plebem ſenectuti multum tribuere, illos vtpote ſenes, ætate graues, nomine celebres, & ægrotanti familiares redarguere noluit, quoniam ſciebat certò illis ægram magis obtemperaturam (nam ægri familiaribus ampliùs obediunt, ex ipſo *lib.2.de officin.medic.com.2.*) Sed neque ob hoc ſuo defuit officio:quoniam iterum commendata venæ ſectione, eáque reiecta propter reluctantium adhuc magis Medicorum votum, à cura honorificè diſceſſit: quia non multo pòſt tempore, mulier difficili ſpiratione correpta occubuit:& eò magis,ſequutus Hipp. *3.de artic. text.37.* qui nullum calumniatoribus ignorantibus præbendum eſſe reſponſum admonuit, quia turpe eſſe retur apud ſtultum vulgus, ſine profectu multa verba facere, apud quod vel ipſe Hippocrates ignarus eſt habitus, vt conſtat ex eo, *lib.1.de articul.text.3.*

QVÆSTIO V.

Vtrùm pleuritis orta ex menſtruo retento, ſit mitis, an periculoſus affectus?

COMMENTARIVM.

L*Aterali ſaltem inflãmatione corriperetur.*] Ex menſtruo ſuppreſſo, ad partes ſuperas regurgitante,lethales, ac pænè funeſtos morbos in omnibus noſtri corporis partibus enaſci, ſuprà eſt demonſtratum. His frequentiùs, & maiore cum periculo partes ſpiritales vexari,ex hac cauſa pronatis,certa res eſt: nam vteri cum thorace magnus eſt conſenſus. Conſentit cum corde,tum per arterias ſpermaticas, tum hypogaſtricas; hinc cordis dolor, ſyncope, lipopſychia,palpitatio,aphonia,angor,reſpirationis & pulſus priuatio: ex ſanguine enim menſtruo eleuatur aura noxia,venefica,quæ innatum ignem veluti exſoluit. Cùm mammis manifeſtam habet ſocietatem, hinc tubercula, ac carcinomata dira ſuboriuntur. Hunc conſenſum explicuit mirificè Galenus *lib.14.de vſu part.4. & 8.* nam quibuſdam mulieribus ad mammas ſanguis colligitur,ex Senis edicto *lib. 5. aph. 40.* & Braſauolus *in com.* narrat ſe vidiſſe mulierem, è cuius vberibus fluebat ſanguis lactis loco. Idem obſeruarunt Paræus *lib. 23. cap. 52.* Amatus *lib.2.centur.21.* Cordæus *com.6.lib.1.de morb.mulieb.Hipp.* ſed quid mirum? nonne nutricibus, refluente ab vtero ad mammas ſanguine, ſupprimuntur menſes? Refluxum à mammis ad vterum, celebri hiſtoria cofirmauit Andreas Laurentius *lib.7. de re anatomic. quæſt. 11.* plurium puerperarum, quæ per vterum, & veſicam, maximam lactis copiam excreuere. Denique ex mammarum inſpectione vteri affectus dignoſcuntur,vnde Hipp. *lib.6.epid. ſect.5. text.18.* ſic dicit. *Si mammarum papilla, & quod in eis, rubet, palleſcat, morboſum eſt vas:* nomine autem vaſis, vterum intelligit, qui Græcis dicitur conceptaculum. Inſuper curatio affectuum vtriuſque partis, ſympathiam indicat: id docuit Hippoc. *lib. 5. aph. 50.* dicens: *ſi mulieri menſtrua cohibere velis, cucubiturlam magnam ad mammas apponito.* Denique ex mammarum inſpectione, fœtus in vtero contenti, & ætas, & ſexus, & ſanitas demonſtratur ab Hipp. *in lib. de natura pueri num.20. §. Simulatque moueri cœperit fœtus,tunc ſui notam lac exhibet matri; ſtatim enim attolluntur mammæ, turgentque papillæ, &c.* Hunc conſenſum elegantiſſimis exemplis firmatum legat qui velit, apud clariſſimum Duretum *in Coac. in appendice de vulneribus, ad com.text.44.* Vias huius communionis aperuit diſertiſſimè idem Laurentius *loco citato.*

Ex hac doctrina fit manifeſtum, maximum eſſe conſenſum vteri cum ſpiritalibus partibus. Accedit, quòd velociſſima illa thoracis dilatatione & compreſſione, copioſiùs conuocatur ad illas & citiſſimè ſanguis retentus: ex qua cauſa,angina,tuſſis ferina, pulmonis inflammatio, & frequenter pleuritis oriri ſolent; nam pleura multo ſanguine abundat, & infirma eſt, in locóque calido ſita. Cor enim licèt copia ſanguinis redundet, ob robur, morborum generationi valde reſiſtit; ideò dicebat Ariſt. *3.de partib.animal. 4.* cor nullum graue vitium pati: nam cor, & iecur ſicut valent facultate attractrice, ſic expultrice vigent, ex Gal. *lib.3. de natural. facult. cap.13.*

Sed cur Galenus omnnium calculis doctiſſimus, inter mala retentioni menſtrui facilè ob dictum conſenſum ſuperuenientia, tuſſim nempe,reſpirationis difficultatem, anginam, ſputum ſanguinis peripneumoniam, lateris inflammationem minùs timendam, & ſic potiùs optandam conſtituerit, meritò quis non incurioſus inquiret,ſi pleuritis eſt morbus acutus, & ſæuitie ſua citiſſimè interficit? Sic enim ait Hipp. *lib. 1. acut. 8. Maximè verò laudauero Medicum, qui in morbis acutis, vi quorum plurimi hominum enecantur,inſigniter præ cæteris melius procedat:ſunt igitur hi acuti morbi, quos priſci nominatim perſtrinxerint, pleuritis, &c.* Deinde pleuritis lætos nõ habet exitus,imò funeſtos, lethales,ex Hipp. *5.aph.8. Quicumque enim,* inquit, *morbo literali laborantes in quatuordecim diebus non repurgantur, iÿ ad ſuppurationem vertuntur.* Ex ſuppuratione qui corripiũtur,ferè intereunt,ex Hipp. *2.prog.63.& 69.* quia *ſi in quadraginta diebus non repurgantur, ad tabem tranſeunt,* ex Hipp. *5.aph.15.* & phthiſi vexantur, pulmone exulcerationem contrahente, ex Paulo *lib.3.cap.33.* Inſuper Galenus *lib.1.aph.12.* & *lib.1.de criſib. cap.6.& 7.* morbum lateralem crudeliſſimum vocat: in quo nihil expuitur: repetit *in lib. de conſtit. art.medic. cap. 16.* & ſi excernatur nigrum, erit exitiale, ex Gal. *locis citatis.* pernicioſiſſimus enim eſt humor melancholicus præpollens, nam aſſantis caliditas index eſt; quare concoquitur ægrè, difficilè expurgatur, & ſic valde erodit, & maximè ſi pulſus nimia accedat durities, cum qua vix fuit ſeruatus vllus, ex Galen. *lib. 4. de præſag. ex pulſib. cap.5. quæ, ſi cum debili facultate fuerit coniuncta, ineuitabile periculum portendit: ſi cum firma, aut tardè concoquetur, aut ad ſuppurationem deflectet, aut tabidus excipiet marcor,*

ex

ex Gal. *lib. de pulſib. ad tyrones, cap.* 11. & *lib. de cauſ. pulſ.* 8. Vltimò. Pleuritis in phrenitidem terminatur, ex Galen. *lib. 6. epid. ſect. 6. com.* 11. *& ſententia 9. eiuſd. loci*, Phrenitis autem cùm ſit inflammatio cerebri, aut membranarum eius, ex Gal. 2. *de cauſ. ſympt. cap. vlt.* acutiſſimus affectus eſt, & maximè exitialis, ex Galen. *lib. 1. epid. ſect. 3. com. 1. poſt princip.* præſertim ſi languidis accidat, ex Gal. *lib. 1. prorrhet. ſect. 1. com.* 8. nam *in inflammationibus internis vna ſalus, eſt virium robur*; auctore Magiſtro *lib.* 10. *meth. cap.* 5. Denique pleuritis tranſmutatur in peripneumoniam, ex Hippoc. *lib. 7. aph.* 11. quæ inflammatio quàm ſit periculoſa, nemo non videt. Prætermitto pleuritidem peſtilentem, malignam, contagioſam, cuius ſæuitie plures perire, auctorum teſtimoniis conſtat abũdè; de cuius ortu, cauſa, & curatione latè diſceptarunt VVierus, *lib. rararum obſeruationum*, Andreas Gallus *lib. 4. faſciculi de peſte*, & expertiſſimus Dodonæus *in lib. obſ. medic. cap.* 21. Si ergo pleuritis periculoſiſſimus eſt affectus, & tuſſi, reſpirationiſque difficultate perniciosior, cur illam, & non hos morbos ex menſtrua retentione ſubortos potiùs exoptat?

Sed hæc diligenter, ac ſeriò examinanda: nî enim Galenum loquutum de pleuritide, in qua cruentum ſputum excernitur, quæ omnium mitiſſima eſt, & facta collatione ad cæteros morbos dictos eſt ſecùrior, interpretemur, quo pacto eum tueri queamus, haud facilè intueor: hæc enim pleuritis in qua ſputum exit rubrum, eſt leuiſſima, vtpotè à ſanguine generata, qui omnium humorum cùm ſit benigniſſimus, ac concoctu facillimus, pleuritidem committit minimè pernicioſam, adeò vt fomentis ſolis ſit curanda, ex præſcripto Hipp. 2. *acut.* 1. & citra venæ ſectionem eſt tractanda. Extat elegans hiſtoria Galeni *lib. 6. epid. ſect. 3. com. vlt.* ægroti, qui cruentum, ob lateris dolorem expuebat, quem citra venæ ſectionem perſanauit, dicens. *Sed cum morbus lateris mitis admodum foret, neceſſe non fuit ad venæ ſectionem accedere, &c.* & *infrà* ſic inquit. *Mitiſſimi enim ſunt lateris morbi, in quibus cruenta ſputa eiiciuntur, &c.* De quo argumento lege eruditum Caſtrenſem *tract. de complexu morbor. cap.* 22. & nos de eodem ex profeſſo agitauimus: ex veterùm, & Nouatorum mente, *in lib. 2. in com. hiſtor.* 22. Quo autem modo pleuritis ex menſtruo retento pronata, vel actu fluentibus lochiis, intra carceres purgationis, per venæ ſectionem ſit curanda, explicat, perdoctus Moxius *lib. 3. de curandis morbis muliebribus acutis per venæ ſectionem, cap.* 46. & nos *lib. 1. in com. hiſt.* 77. ſatis explicuimus.

HISTOR. III. GALENI,
De menſtrui retentione.

Fœmina ex retento menſtruo febricitans, ſpreta phlebotomia, hæmorrhagia ſanatur.

*HOs etiam inſequuta eſt mulier, numero quarta, quam illi venæ ſectionis hoſtes, retentione menſtruæ purgationis non pauco tempore grauatam, eodem pacto ad interitum ferè pertraxerant. Nam primis tribus diebus ipſam in inedia conſeruabant, febri enim continua laborabat. Quarta verò luce pauxillum quid ſorbitionis exhibentes, quintam ſine cibis tranſigere iuſſerunt, in qua illa grauiſſimè exacerbata, deſipiens proſiliebat, & clamore iam extra fores ab illa ſublato, vix tandem ab his qui eò confluxerant, retineri potuit. Verùm hanc natura * copioſo ſanguine ex naribus effuſo ſeruauit, & dabatur occaſio, qua non ſine admiratione diſcere poteramus, quantam habeat facultatem ad huiuſmodi affectuum medelam ipſa ſanguinis ſubtractio: mox enim poſt ſanguinis è naribus eruptionem, mulier ab omnibus ſymptomatis libera euaſit, &c. Galenus* lib. de venæ ſectione aduerſus. Eraſiſtratæos, cap. 1.

A
QVÆSTIO VI.

Vtrùm ſanguinis è naribus profluuium, menſtrui retentioni ſuperueniens; vtile ſit: vt fatur Hippocrates.

PARAPHRASIS.

COpioſo ſanguine è naribus effuſo ſeruauit.] Inter plurimas de hoc argumento quæſtiones, ingerit ſeſe quædam ſcitu non indigna, quam ſigillatim ac curiosè, contentéque ſi quis ventilare curet, vix reperietur finis vllus; cùm de ea Galenus, ditiſſimus Medicinæ Oceanus, tam multa variis locis literis commendarit. In actuoſa enim Medicina quotidiano experimento medentium compertum eſt, fœminas, quibus retenta ſunt menſtrua, aut poſt
B partum lochia non ritè excernuntur, regurgitante ſanguine ad partes ſuperas, hæmorrhagiam pati copioſam. Hoc euentu intricati Medici, ſanguinem exhaurire conantur ſectis poplitis venis; vt ſuperabundantem ſanguinis copiam ad vterùm, ceu ad originis fluxionem conuocare queant: nam reuellendus eſt humor, ſi quò non oportet, vergat, ex Hippocratis præſcripto *lib. 6. epid. ſect. 2. text.* 11. & eò magis vacuationem hanc reprobam, & noxiam eſſe rentur, quia non eſt per conuenientem regionem, nempè vterùm celebrata, in ſuáque opinione pertinaciter inſiſtunt, quoniam per ſanguinis è naribus profluuium, exit ſanguis tenuis, per capillares venas, exiguóſque ductus veluti tranſcolatus; at ſanguis menſtruus retentus craſſus eſt, viſcidus, lentus, & tenaciter vaſis impactus, *vt lib. 4. aph.* 28. & alibi paſſim docuit Ma-
C giſter. Quare in morbis ſolùm à calido, tenuique humore ſubortis, hæmorrhagia vtilis eſt. Hoc modo neque lethargus, neque peripnæumonia fluxu ſanguinis è naribus ſoluuntur, ex Gal. 3. *criſ.* 3. nam hi morbi ferè à craſſis humoribus oriuntur, & pituitoſis, ex Gal. 3. *meth. cap.* 21. Vnde Auic. 1. 3. *tract. 4. cap.* 10. de peripneumonia ſic dicit, *Et fluxus ſanguinis narium in ea non confert, ſic in pleuritide, propter diuerſitatem duarum materiarum, &c.* id eſt, quia in peripneumonia humor craſſus eſt, & pituitoſus, ac proinde diuerſus ab humore excitante pleuritidem, qui tenuior eſt, ex Gal. 6. *aph.* 33. Quare phrenitis hæmorrhagia ſoluitur, apud Gal. *lib. de criſib.* nam tenuis humor, acris, & calidus ora venarum reſerare eſt aptus. Quapropter ſi humor craſſus in lethargo, aut peripneumonia, licèt ſit propinquior venis narium, non excitat hæ-
D morrhagiam, cur in vtero tanquam in parte diſtanti firmatus, cùm ſit grauis, ſurſum aſcendere poterit? Erit ergò reproba vacuatio hæc, ſi menſtruæ purgationi ſuperueniat; nam illa morbis acutis eſt propria, qui ſanguinis è naribus profluuio iudicantur.

Per hæmorrhagiam autem vniuerſum corpus expurgari, & grauiſſimorum virorum auctoritas, & experientia ipſa fidem facit. Multos acuto morbo laborantes, & retentione menſtrua fœminas vexatas, & ob lochia ſuppreſſa grauiſſimis morbis poſt partum implicitas, perfectè ſanatas hæmorrhagia obſeruauimus, in quarum curatione Medici temeritate ducti, è talo cruorem, contra Magiſtri mentem, exhaurire tentabant. Negamus enim ſolum ſanguinem tenuem, & veluti tranſcolatum per nares effundi, ſed craſſum, & limoſum excerni acriter contendi-
E mus, cui cùm ſit biliosi humoris portio permixta, huius ope irritat, & copia ſua efferueſcens, & turgens vaſa diſtendit, & aperit.

Hanc ſententiam vnico oraculo complexus eſt Medicinæ phœnix *lib. 5. aph.* 33. dicens. *Menſtruis deficientibus, ſanguis è naribus fluens, bonum.* Addit ſolers ſpeculator *in com.* quoniam *facta per nares euacuatio innoxia eſt, & per hanc partem ſanguis vacuatus omnem corporis tollit læſionem.* Hoc ita eſſe, hiſtoria in medium allata confirmat Gal. *in præſenti.*

Venæ ferentes ad vterum menſtruam purgationem, comprimuntur lentore, craſſitie, & copia ſanguinis, & ſic per eas obſtructas, & infarctas ſanguis tranſire nequit. Nam è Galen. 3. *de cauſ. ſympt. cap.* 4. octo ſuppreſſionis

menſium cauſæ aſſignantur, quarum prima eſt vteri ſoliditas atque durities. Secunda, vitioſa venarum anguſtia à prima conformatione. Tertia, nimia vaſorum compreſſio à corporis adiacentibus, ob eorum craſſitiem oborta, quam Galenus ſuperiori reſpondere innuit. Quarta, vteri intemperies. Quinta, excreti ſanguinis craſſities, ac lentor. Sexta, vaſorum vteri obſtructio ab humoribus viſcidis, & craſſis originem ducens. Septimam, vniuerſi habitus cauſam definit Galenus, aut quia ob multas exercitationes, aut victus tenuitatem inanitur corpus, & aliò humores repunt. Vltimum præſcribit naturalium facultatum robur, præ quo menſtruus ſanguis ad alias ab vtero partes tranſmittitur. Cæteræ verò cauſæ ſi quæ ſunt ſuppreſſionis menſium, ad alias poſſunt reduci.

Has cauſas Gal. *lib.* 5. *aph.* 57. ad minorem reduxit numerum: prima ad contenti ſanguinis refertur naturam, vt ſi frigidus, craſſus, lentúſue fuerit; reliquæ tres ſub occluſione, obſtructione, & conniuentia conprehenduntur; ſub quibus & ſubſtantiæ denſitas, & vaſorum vteri robur continentur. Si verò Dictator ſummus, tum *lib. de natur. mulieb. num.* 31. 36. 24. 36. 37. & *lib. de ſterilib. num.* 1. *& lib. de morb. mulieb. n.* 3. tres tantùm huius ſymptomatis ſignat cauſas, quæ omnes in formationis vitio conſiſtere putat, quarum prima eſt oris vteri occluſio, diſtortio, contractio, ſeu inuerſio, hæ differentiæ ſub quarta à Galeno propoſita comprehendentur.

Ex his omnibus cauſis frequentiſſima eſt tertia, quarta, quinta, in quibus ſanguis craſſus, lentus, multus in vteri vaſis ſtabulans, obſtruit, cùm glutinoſus ſit, & pertinaciter adhæreat: nam hic viſcidus humor ſi copia abundet, habet tres cauſas obſtruendis vaſis aptiſſimas relatas à Galeno *lib.* 11. *meth.* 13. nempe multitudinem, craſſitiem, & lentorem, & ſic foramina permeare nequit, imò facultati expultrici operanti reſiſtens, in vtero conculcatur, & retentus prohibitúſque difflari, putret, & febrem ardentem committit.

Hoc eleganti elogio monſtrat Galenus *lib. 6. epid. ſect.* 1. *com.* 2. dum ſic ait. *inter omnes corporis partes, plurimas grandiſſimáſque venas vteri habent: quúmque eos, aut menſes, aut à partu purgamenta ſuppreſſa, aut phlegmone aliqua vteque orta malè accipiunt, ipſos ſanguine compleri neceſſum eſt. Quo deinde putreſcente ſi febris excitetur, inter ſynchorum ſpecies ipſam connumerari opus eſt: nam id genus febrium ex putreſcente ſanguine accendi oſtenſum eſt, &c.* Repetit 6. *de loc. c.* 5. dum enim ſymptomata narrat, quæ ad ſuppreſſos mēſes conſequuntur, febres ardenter connumerat. Attamen febris non continuò comitatur ſuppreſſa menſtrua, niſi retentio ſit diuturna, & magna adſit obſtructio, & hoc modo meliùs eſt interpretari Aëtium *tetrab.* 4. *ſerm.* 4. *c.* 50. dicentem, *febres continuò comitari ſuppreſſa menſtrua,* quàm reſpuere cum Mercuriali, *lib.* 4. *de morb. mulier. cap.* 1.

Cùm ergo ſanguis in hac fœmina ob nimiam plenitudinem in vteri vaſis redundaret, quo minùs permeare liberè poſſet, quúmque inedia imperata ſiccaretur magis, & craſſeſceret, denegata phlebotomia ad curationem tam neceſſaria, ad ſuperas partes tranſuolans, & calentium vaporum vim haud paruam in caput tranſm ſit, mentémque percellens, deſipientiam peperit: nam criſim antecedunt ſymptomata horrenda, lata à Gal. 3. *de criſib. cap.* 2. *& lib.* 1. *de dieb. decretor. cap.* 1. *Nam & anxietates, & vigiliæ, & dementia & graues ſomni, & difficiles anhelitus, & hallucinationes, vertigines, & difficiles ſenſus, dolores capitis, colli, & ſtomachi, & multorum aliorum membrorum: nonnullis verò aurium ſonitus, & vana ante oculos apparēt imagines, & lachrymæ innolūtariæ effluunt, & vrina retinetur, & labrum inferiùs agitatur, aut aliquid tremulum fit, obliuio, & præſentium ignorantia, & vehemens accidit rigor, & plurimùm acceſſio conſuetam anticipat horam, & multus æſtus, ſitiſque intolerabilis ſequitur, clamant, & ſaliunt ſicuti furentes, neque poſſunt in eodem ſitu recumbere. Deinde repentè multus ſudor erumpit, aut vomitus aliquis non paucus inſequitur, aut venter ſubitò ſoluitur, aut abundans fit fluxus ſanguinis, aut hæc omnia ſimul contingunt, vnde non paruus inuadit timor aſpicientes, &c.* Hæc multò antea præmeditauerat Laconicus vir, breuitate gaudens Hippocrates, *lib.* 2. *aphoriſm.* 13. dicens,

A *Quibus criſis futura eſt, iis nos grauis ante acceſſionem.*

Fœmina poſita in agone tanto, ad maximaſque anguſtias redacta, & abundantia ſumma venæ ſectionis ope non depoſita, natura medicatrix per alia loca ſanguinem redundantem expellere tentauit. At cùm quatuor ſint viæ, per quas hæc plethora auerſione amouetur, vt ſcitè notauit ingenioſiſſimus Heurnius *in com. cit. ſent. lib.* 5. *Aph.* hæmorrhagia, vomitione, hæmorrhoïdidus, & cruēta dyſenteria. Vomitio periculo non vacat; nam ſanguis ſi cunctetur in ventriculo, lipothymiam, cardiogmum, & mortem affert. Auerſio verò quæ fit per dyſenteriam, reproba eſt, ſicut illa quæ per hæmorrhoïdes celebratur; humor enim per has partes excurrens, ſæpe mala ſæua excitare ſolet. Sola quæ fit per nares auerſio, optima eſt, & innoxia; & ita natura menſtruo ſanguine onerata eam affectat, vt per hanc viam, & vnà per vterum ſanguinem peccantem B eliminet, cum commodo ſummo, quod accidiſſe refert Hippocrates *lib.* 1. *epid. ſect.* 2. *text.* 68. Detharſis filiæ virgini, cui laboranti & menſtrua purgatio, & ſimul largè è naribus ſanguis profluxit, & vnà aliis poſt partum contigiſſe affirmat hæmorrhagiam, nullámque ex his mortuam fuiſſe, quibus bene, & pro multitudinis ratio ſanguis è naribus effluxit

Hæc vacuatio febres ardentes perſanat, apud Hipp. 4. *acut.* 10. dum ſic dicit. *Et ſi è naribus fluxerit ſanguis, ſoluitur ægritudo, &c.* Repetit *lib.* 1. *epid. ſect.* 1. *text.* 9 Nam vt in his locis retulit Galenus. *In acutis febribus quod ex ſanguine feruet, ad caput fertur. Cùm igitur reſciſſis, ruptiſque venis, natura idipſum vnà cum aceruatis vaporibus effuderit, cæteris promptiùs dominatur, ac imperat.* Nam *nihil habet admirationis, ſi diſrumpantur, & recludantur huius regionis venæ à ſan-* C *guine, qui ſurſum incitatus calore effertur, à quo neceſſe eſt ipſam inflari, tum reſerari venas, ac rumpi ob ſpiritus copiam, qui diſrumpi vel vtres, ac dolia, quum in muſto efferueſcente accumulatur, &c.* Hac commodiſſima vacuatione leuatur natura, quum ſuperabundantem ſanguinem in vtero retentum per hanc regionem expellit, vt proprio exemplo probat Hildanus *lib.* 3. *obſeru. chirurgicar.* 60. imperforatæ puellæ, quæ ob hanc cauſam ſuppreſſo menſtruo; in tormina, lipothymiam, vertiginem, epilepſiam ſingulis menſibus incidebat, & non potente ſanguine per clauſam vterum emanare, ad ſuperas partes reſtagnans, copioſè per nares erumpebat.

Quare hæc excretio, critica eſt, & febrem ardentem finit, vt conſtat ex hiſtoria virginis Lariſſæ, *lib.* 3. *epid. ſect.* 3. *text.* 83. & Metonis *lib.* 1. *einſd. ſect.* 3. *text.* 24. qui ægri hæ- D morrhagia ſunt iudicati; & virgini, detracta copia ob largum ſanguinis fluorem, poſt ſudorem vniuerſalem, menſtrua eruperunt. Inſuper ſanguinis per nares effluuio inflammationes ſoluuntur interiores, vt ex plurium mente auctorum firmauimus ſuprà. Quare cùm hæc vacuatio menſes retentos eximiè ſuppleat, non ſolùm vniuerſalem, ſed particularem plenitudinem demit.

Seruata autem eſt fœmina hæc, quoniam copioſum emanauit ſanguinis effluuium: nam criſis facta per hanc regionem, cæterarum criſium inſtar debet eſſe effatu digna, *vt lib.* 3. *criſ.* 2. & alibi paſſim Galenus confirmat. Hoc ita eſſe teſtatur diſertiſſimus Senex *lib.* 1. *epid. ſect.* 2. *text.* 63. dum ſic profatur. *Febribus autem ardentibus hæc accidebant, quibus ritè, & largiter ſanguis per nares erupit, ea de cauſa maximè ſeruabantur, nec vllum noui, ſi rectè erupiſſet ſanguis, in hoc ſtatu quendam emortuum. Nam Philiſ-* E *cus, Epamenon, & Silenus quibus parum quarto die, & quintò, è naribus ſtillauit, mortem obierunt, &c.* Valleſius acutiſſimus ſic ratiocinatur *in com. Febres ardentes ſemper ferè ſolent afferre fluxum ſanguinis è naribus, ſanguine ſurſum lato præ calore, & admixta bile: & ea vacuatio in illis maximè prodeſt, quia ipſas venas,* & *arterias per ſe euacuat putreſcente ſucco, & eo qui paratus eſt putreſcere, & feruorem extinguit. Meritò ergo ſeruabantur, quibus ſanguis fluxit benè, decretoriè ſcil. & tempeſtiuè: largiter, id eſt, multitudinis ratione, &c.* Hoc modo intelligendus eſt Hipp. 4. *aph.* 74. dicens: *quòd ſi ex naribus ſanguis effluxerit, breui admodum morbi ſolutio fit.* probat Gal. *lib. eodem, aph.* 25. *& lib. de ſectis, cap.* 17.

Hæc omnia de copioſo ſanguinis effluuio ſunt intelligenda: nam ſi lentè parcéque ſanguis è naribus emanat, quolibet tempore inutilis habendus eſt, & non modò morbum non ſoluit, nec minuit, ſed malum portendit, & lethale ac pernicioſum exiſtimatur. Nam vacuatio ſi exigua fuerit, peſſima eſt, quo pacto ſtilla ſanguinis eſt praua: ſic enim habet Gal. *lib. 2. prorrhetic.* 47. dum Hyppocratem exponens, ſic inquit. *Excerni pauca in ægris vnum quoddam ex ſignis eſt, quæ ex toto prauitatem habent, ſiue ſanguis per nares excernatur, ſiue quopiam alio modo ſuperfluum expellatur. Nihil enim eorum, quæ decretoria ſunt, exiguè ſecerni conuenit, ſed quæ ita euacuantur, omnia duorum alterum ſubeunt, nam vel quòd non queant tolerari ob copiam, ab affectis partibus effunduntur: vel imbecillitatem naturæ oſtēdunt, quæ proponit quidem ſuperflua expellere, ſed nequit, &c.* nam *narium ſtilla, pernicioſum ſignum, maximè in febribus ardentibus, quibus eſſe pernicioſiſſimum patet, ſiquidem eis eſt familiariſſimum, ſanguinis profluuium,* auctore Magiſtro *lib. 1. epid. ſect. 2. com.* 75. refert *lib. 1. prorrhet.* 1. ſtilla ergo eſt de numero ſignorum: quæ ſunt decretoria non decernentia, *quæ aut lethalia ſunt, aut difficilis iudicationis,* auctore Hipp. *l. 2. epid. ſect. 1. poſt princip.* Sanguinis ergo ſtilla mala eſt, quocumque colore prædita ſit: meri autem, hoc eſt, atri coloris peſſima, vt de Philiſco ſcribit Hippocrates *lib. epid. ſect. 3. text.* 18 & *lib. 3. eiuſdem, ſect. 1. com.* 25. firmat Galenus; nam ſicuti vrina nigra, & pauca in febre ardente, ex bilioſo aduſto humore ortum ducit, ita ab intenſo calore omnis ex ſanguine humor in ſtilla torretur atque aſſatur. Num autem ſtilla in diebus paribus, an imparibus apparens ſit pernicioſior, Galenus explicat *in com. Hipp. lib. 1. prorrhet. text.* 1. dicentis, *ſtillatio è naribus pernicioſa, tum aliàs, tum ſi quarto die cœperit:* repetit *lib. 3. prorrhet. com.* 32. De quo argumento pulchra prædixit Duretus *in com. ſent.* 12. *cap.* 13. *lib. 2. Coac. prænot. Hipp.* quo loco ſuperſtillationem malam iudicat cum Hipp. ibi, *ſi ſtilla bis ſiat, & redeat:* nam *quò ſæpius fruſtra proritatur natura, eò peius eſt ægro.*

Quapropter vt finem huius dubitationis optatum conſequamur, concludamus cum Hipp. Sanguinis è naribus profluuium in internis inflammationibus, febribus ardentibus, & in menſtruis ſuppreſſis eſſe optimum, & ad bonum iudicare poſſe, cæterarum vacuationum inſtar, quæ, ſi benè exeunt, perfectè indicare ſolent. Ex iis apparet, quàm falsò fundamento nixa ſit Fernelij opinio, qui *lib. 2. de venæ ſectione cap.* 8. inanis gloriæ aucupio allectus, putat hanc vacuationem licèt criticam, ſalubrem non eſſe: cuius tela euertere conati ſunt ante me, viri in palæſtra literaria verſatiſſimi, Chriſtophorus à Vega, & Ioannes Brauus *in com. ſent.* 32. *lib. 2. Aph.* Cur verò à facundiſſima priſcorum mente, & frequenti experimento ſic recedat, contra eum exarauimus plura *lib. 1. in com. hiſtor.* 64. Interim lege Laurentium *lib. 2. de dieb. critic. cap.* 13,

Ex iis facilè erit aduerſas rationes demoliri, nam vacuatio hæc cùm innoxia ſit, per conuenientem regionem celebratur; licèt enim natura ſanguinem menſtruum per varia loca eliminet vtiliter, per oculos, os, aures, vrinam, ſedem, vberum mammillas, digitos, vt variis exemplis cōfirmant Marcellus Donatus, *lib. 4. de medica hiſtoria mirabili, cap.* 19. & Schenckius *lib. 4. obſ. tit. de menſtrua purgatione,* & nos per gingiuas, inguina, vmbilicum, menſtrua erūpentia conſpeximus, *lib. 2. de praxi admiranda, obſ.* 100. 101. & 102. tamen per nares frequentiſſimè ipſum euacuat, vt proprio exemplo proponunt Muſa *lib. 4. aph.* 25. & *lib. 5. in aph.* 32. Paræus *lib.* 23. *cap.* 52. Amatus *lib. 2. centur.* 17. qua vacuatione & corpus à morbis præſeruat; & ſi fortè hi opprimant, eos, excreto ſanguine per nares, maximo cum ægrotantium commodo perſanat.

Neque tibi mirum videatur, naturam per partem ſuperam menſtruum excreuiſſe ſanguinem, vt fœminam hanc tantis malis obſitam à graui pernicie liberaret, qui licèt ſuaptè natura ſit craſſus & lentus, ſuóque pondere ad imas vergat corporis partes; tamen quod feruet, & ebullit, cùm ſit tenue, in ſuperas regiones detrudit ſagaciſſima natura, maximè cùm vterus cum capite plurimum ob-

A tineat conſenſum, quum hoc ſit tectum domus calidæ, ex Gal. *lib. 9. de vſu part. cap.* 1. quare ſuperabundantem ſanguinem per narium venas expellere ſatagit natura noſtra; quum ſit docta, ſola ſibi ſufficiat, ſitque morborum medicatrix, & vel per oſſis meditullium peccantem humorem expellat in animantis commodum auctore Galeno *l. 7. aph.* 54. præſertim ſi vires validæ ſint, quæ ex ipſo *l.* 10. *meth.* 4. omnia contemnunt, & tolerant: ſæpè enim expertus ſū, robuſtas grauidas plenitudinis morbo vexatas, hæmorrhagia excitata, à magnis morbis ſuperſtites euaſiſſe.

Quapropter morbi ex ſuppreſſis menſtruis orti, ſanguine per nares effuſo curantur: ſi verò natura hanc vacuationem per hanc, vel aliam regionem non moliatur; vel pigrè & diminutè ſe gerat, quid faciendum, niſi aperto vaſe ad eius imitationem cruorem exhaurire, maximè
B ſi febris adſit, qua præſente ſaluberrimum ſemper eſt ſanguinem extrahere, vt oraculo quodam prædixit Gal. *lib.* 11. *meth. cap.* 15. & omnes poſteà felici experimento confirmarūt; niſi ſint Eraſiſtratæi, Tireſia cæciores, qui aut ſtupiditate, vel maledicentia ducti contra Hippocratem; operum artis exploratorem ſedulum; multa blaterent, & effutiant. Sagax namque natura & docta, terreſtre corpus humanum conglomerauit harmonia ſumma; prudens architecta capaciſſimos conſtruxit riuos, fontes non exiguos, ceu vias ſecretiores formauit, quorum omnium beneficio vniuerſa humani corporis ſtructura fœcundaretur irrigua. Hos canales conſpicuos, puriſſimo ſanguine, velut dulciſſimo nectare repleuit, quo partes omnes fruerentur ad libitum, & per eoſdem, ſi fortè ſalubri ſtatu laberetur corpus, imperante Medico inciſos, ab omni pariter morboſo apparatu vindicaretur. His ergo, artis mi-
C niſterio, reſeratis, ſanguinis ſaburram, ex qua iniuriæ plurimæ fatali quadam neceſſitate mortalibus contingunt, deponimus, & inutilium humorum ſarcinam leuamus. Eſt igitur ſanguinis miſſio auxiliorum omnium præſtantiſſimum, efficax, præſentaneum, & multiplici renum vſu fœcundiſſimum. Huius neceſſitatem opera naturæ ſatis confirmant; nam in vtroque ſexu canales ſingulis menſibus reſerat, quibus typicè & ſecurè ſanguinis vbertatem excernit per vterum, ſedem, nares commodiſſimè; oſtendens quanti ſit momenti ſanguinem aperta vena effundere.

HISTOR. IV. GALENI,
De vrinæ ſuppreſſione.

D Fœminæ aqua frigidiſſima ex niue hauſta; menſtrui retentione laborantes, vena, ſecta tutò curantur.

Contigit enim cùm vulgò mulieres aquam frigidiſſimā ex niue potarent, vt aut nullo pacto, aut prorſus diminutè purgarentur: has tamen Medici vena ſectione adeò incolumes * conſeruarunt, vt neque ſanguinem ſpuerent, neque laterali inflammatione, aut pulmonis, aut ſynanche caperētur, &c.* Gal. lib. de venæ ſectione aduerſus Eraſiſtratæos, cap. 3. in med.

PARAPHRASIS.

E Galenus vt Eraſiſtrati ſequaces acriter reprehenderet, quòd puellæ Chienſi menſtruorum retentione laboranti, & ob hanc cauſam febricitanti, & ſanguinē per os reiectanti, venam non ſecuiſſent, & ſuperfluum ſanguinem ex auxilij genere non vacuaſſent: nam ſolùm totum negotium in abſumendo ſanguine in inedia poſitum eſſe arbitrabantur, quum ipſa non citò, neque celeriter ſanguinem imminuere queat, prout morbi neceſſitas, ingénſque plenitudo ex ſanguine retento contracta efflagitant; inter alia argumenta, experimentum etiam adducit fœminarum Romæ degentium, quæ aquam niue refrigeratam cùm potarent, nihil aut diminutè per menſtruas vacuationes purgabantur, quas Medici venæ ſectionis ope, adeò incolumes ſeruarunt, vt neque ſanguinem

ſpuerent, neque laterali, aut pulmonis inflammatione, aut ſynanche corriperentur.

Ex hac ſerie diſce, Galenum non damnare modiocrem potionem niue refrigeratam, ſed immodicam, quæ lædere nimium poteſt, *vt 3.de temper. cap.* 3. ipſe edocuit: & nos *lib.*1. *in com. hiſtor.* 66. de modicæ potionis niue refrigeratæ vſu, & vtilitate, ex auctorum penu plura deprompſimus: quo loco, hunc potum, quoniam calorem naturalem robuſtiorem efficit, viſcera temperat, roborat, & minori aquæ quantitate ſitim compeſcit, & viſcerum cauma reſtinguit, robuſtis, exercitatis, frigido potui aſſuetis, æſtatis tempore ſalubrem eſſe contendimus; ſicut reprobum debilibus, inexercitatis, obſtructis, ægrotis, inaſſuetis, praua corporis diſpoſitione præditis, hyberno tempore aſſumptum. Nam aqua niue infrigiditare, ſalubre eſt, ob quas fortè vtilitates tantopere Ægyptij niuem inter delicias habebant, ſic referente Rhodigino *lib.* 9. *antiq. cap.* 12.

Si verò damna plura huic potui Galenus attribuit, de aqua nimiùm refrigerata, intempeſtiuéque aſſumpta, vel de niuis vſu, aut niuali aqua venit intelligendus. Hanc expoſitionem eſſe veram, ipſe nos cogit aſſerere, dum *lib. de bonit. & vitio ſuccorum, c.* 13. ſic præfatur. *Nam tametſi ipſa ſtatim nix, noxa ſenſibili non videatur corporibus officere, increſcente tamen temporis proceſſu, occultè paulatimque noxa, vergente nempe ætate, articuli his, neruique ac viſcera morbis corripiuntur, vix aut nunquam ſanandis: ac veriſſimè certè ſit, vt vnicuique ea potiſſimùm pars afficiatur, quæ natura omnium maximè infirma fuerit, &c.* Explicant Aulus Gellius *lib.* 19. *noct. Atticar. cap.* 5. & Langius *lib.* 1. *Epiſt.* 31. Lege Hildanum *lib.* 5. *centur. chirurgic.* 29.

Rurſus intempeſtiuum frigidæ potum impensè nocere, pluribus argumentis, & auctorum obſeruationibus ſtatuimus, *lib.* 1. *in com. Hiſtor.* 98. nam aſſumpta ieiuno ventriculo, præſertim à debilibus, eneruat vires, innatum ignem debilitat, & ſæpè ſubitò extinguit, & maximè ſi ab exudantibus epotetur: nam excalfactus ſanguis frigidam qualitatem ſibi aduerſantem fugiendo, impetuosè ad cor, tanquam caloris arcem ita confugit, vt calorem ſuffocet, & vnà animal extinguat.

De aqua autem niuoſa, quòd ſit deterrima, conſtat ex ſententia Hipp. *lib.* 5. *aph.* 24. dicentis: *frigida, qualis nix & glacies, pectori inimica, tuſſes mouent, ſanguinis profluuium, & diſtillationes.* Addit Galenus *in com.* quoniam cerebrum debilitat nix; quare & artus valdè labefactat, & partes neruoſas, nam eſt aqua frigida frigidior. Hoc ita eſſe ſignificauit Macrobius *lib.* 7. *Saturnalior. cap.* 12. *prope fin.* dum enim quæreret, cur aqua quæ obſita globis niuium perducitur ad niualem rigorem, non minùs in potu noxia ſit, quàm ex ipſa niue aqua reſoluta? nam multæ noxæ e potu niuis humore naſcuntur: ſic reſpondet. *Aqua enim ex niue reſoluta, etiamſi igne calefiat, & calida bibatur, æquè noxia eſt, ac ſi epota ſit frigida. Omnis enim aqua habet in ſe aëris tenuiſſimi portionem, quo ſalutaris eſt: habet & terream fæcem, qua eſt corpulenta poſt terram. Cùm ergo aëris frigore, & gelu coacta caleſcit, neceſſe eſt per euaporationem, velut exprimi ex ea auram illam tenuiſſimam, qua diſcedente conueniat in coagulum ſola terrea in ſe remanente natura. Nix ergo, quæ nihil aliud eſt, quàm aqua in aëre denſata, tenuitatem ſui, cùm denſaretur, amiſit, & ideò ex eius reſolutæ potu, diuerſa morborum genera viſceribus inſeminantur, &c.*

Quapropter aqua niuoſa, peſſima; nam incocta eſt & terrena; exſpirante enim parte ſubtiliore, dum vapor in niuem concreſcit, craſſa tantùm relinquitur. Hoc affirmat Hipp. *lib. de loc. aëre, & aqua num.* 20. dum in hunc modum inquit. *At verò aqua ex niue, & glacie producta, omnes malæ ſunt. Quum enim ſemel concretæ fuerint, non ampliùs in priſtinam naturam reſtituuntur. Sed quod quidem in ipſa clarum, ac leue, & dulce eſt, excernitur ac diſperditur: quod verò turbidiſſimum eſt, ac ponderoſiſſimum relinquitur. Hoc verò cognoueris hoc modo. Si volueris, hyemis tempore, vaſculum certa aquæ menſura infuſa, ſub dio exponere, quò maximè congeletur: deinde poſtridie in locum calidum deportatum ſinere quò maximè glacies liqueſcat; & vbi exſoluta fuerit, aquam metiri, reperies aquam multò pauciorem. Atque hoc ſignum eſt, quòd ex congelatione, id quod leuiſſimum eſt, diſperditur, & non*

A *quod grauiſſimum, & craſſiſſimum exiſti Hac igitur de cauſa has aquas quæ à niue, ac glacie eliquantur, peſſimas eſſe puto ad omnes res.* Hactenus Hippocrates,

Miratur valdè Santorellus doctiſſimus *lib.* 16. *antepraxis. cap.* 8. Auicennam, quòd 2. 1. *doct.* 2. *cap.* 16. ſcripſerit, aquam niuoſam eſſe bonam, dum ſic inquit. *Nix verò, & aqua glacialis cùm munda fuerit, & non commixta alteri rei virtutem habenti malam, ſiue ſoluatur, & ex ea fiat aqua, ſiue cum ea de foris infrigidatur aqua, ſiue ipſa mittatur in aquam, erit bona.* Sed facilè ſoluitur obiectio hæc, & Santorellus liberatur ab admiratione, ſi Auicennam de ſtatu morboſo intelligas, in quo, ſi aquam niue dilutam exhibeas tanquam medicamentum, non errabis; nam ipſe Auicenna *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 24. ſic inquit: *Aqua niuis ſedat dolorem dentium calidum*, & ſic eam inter narcotica connumerat

B 7. 3. *tract.* 1. *cap.* 8. & niuis potum ipſe conſuluit, ad infrænandam veneni cal'diſſimi acrimoniam, 6. 4. *tract.* 1. *cap.* 4. cuius in ore detentæ vſu ſe dolorem dentium perſanaſſe gloriatur Aëtius *tetrab.* 2. *ſerm.* 4. *cap.* 27. Quare licèt in ſanitatis cuſtodia ſit fugienda, tamen æſtuanti ſtomacho, quem potiùs curare, quàm conſeruare eſt opus, ſummo eſt ex vſu, vt notauit Chriſtoph. à Vega *lib.* 2. *art. medic. ſect.* 1. *cap.* 1. Quapropter ſi febris retorrida ſit, lingua ſcabra, arida, nigra, incendióque & ardore partes internæ occupentur, non abs re erit gelidæ potum, vt ſuadent priſci, vſque ad ſatietatem concedere, niuis portione irroratam: ſic enim ardor febrilis extinguitur, recreantur viſcera, & bilioſi humoris acrimonia retunditur: quare pro præſeruatione & curatione febrium ardentium, hunc potum eſſe præſtantiſſimum firmat Clariſſimus Ludou.

C Nonnius *lib.* 4. *de re cibaria, ca.* 5.

Cæterùm in ſtatu ſano, ſi quis ea vti conſueuerit, noxas contrahet inemendabiles: nam hydrops, mali habitus, iecoris imbecillitas, coli dolores, articulorum cruciatus, ventriculi frigiditas, neruorum affectus, demùm omne frigidorum morborum genus, tanquam à perenni fonte ſcaturit & emanat; & præſertim vtero, in quo tanquam in parte frigida & neruoſa, ex eius vſu tormina excitantur, ex flatu nebuloſo, pituitáque lenta ſuborti, cuius generationi huius aquæ vſus viſcera debilitando occaſionem præbet. Demum inter plurima damna, quæ ex niuis potu in fœminis propullulant, eſt menſtruæ purgationis ſuppreſſio. Ex frigidæ enim potu expultrix vteri facultas infirmatur valdè, ſanguis craſſior redditur, & ineptus ad motum, canales conniuent, & ob hæc obſtru-

D ctio oritur his de cauſis contracta, nam *frigidum inimicum neruis*, dicebat Hipp. *l.* 5. *aph.* 18. immò *perimens*, apud ipſum *aph.* 22. *eiuſdem libri.* Quòd ſi hæc eueniant damna, medeberis calefacientibus remediis inter quæ primas obtinet aqua antihyſterica, cuius deſcriptionem inuenies, *in pharmac. Amſterlod. ſect.* 1. *de Aquis.*

Quare frigida dolore vterum afficiunt, apud Hipp. *lib. acut. text.* 39. licèt enim apud Galen. *lib.* 6. *epid. ſect.* 1. *com.* 1. vterus verè neruoſus non ſit, ſed per ſimilitudinem quandam (quomodo intelligendum Galen. puto, qui *citato nuper loco acutorum*, eum ex omnium Anatomicorum mente neruoſum vocat) vt aduertit Ludou. Lemoſius eruditiſſimus *l.* 6. *meth. Gal. diſp.* 2. cùm tota eius compoſitio ex multis aliis ſimilaribus particulis, tunicis, venis, arteriis, vinculis conſtituatur, vt rentur peritiores Anatomici, de quorum numero ſunt Laurentius *lib.* 7. *de re anatomica,*

E *cap.* 11. Columb. *lib.* 11. *cap.* 16. Veſalius *lib.* 5. *de fabrica, cap.* 15. & alij; tamen eſt fibroſus, ex Galen. *lib.* 6. *de vſu part. cap.* 5. & triplici fibrarum genere eſt contextus. Rectas habet conſpicuas, quibus ſemen è ſua ceruice allicit; obliquas, quibus fœtum retinet; tranſuerſas & circulares, quibus fœtum, ſordéſque expellit. Hæ ergo fibræ à frigidiſſimæ niualis aquæ potu refrigeratæ, non excernunt purgamenta, quæ retenta morbos pariunt grauiſſimos, & exitiales.

Diſceptatio poteſt eſſe non leuis apud Hippocraticos, cur nix, & frigida, vterum & non ventriculum dolore afficiant, & menſtruum ſanguinem incraſſent, vt hoc loco Præceptor admonuit, ſi ventriculus magis neruoſus eſt, quam vterus (à ſexto enim coniugio cerebri nerui inſignes

ſignes emittuntur, qui ſuperiori orificio mutuo complexu implicantur ?) Auenzoar huic dubio reſpondet inter omnes, *lib.2. theizir, tract. 5. cap. 1.* dicens, ob tres cauſas hoc accidere poſſe: nam ventriculus callum veluti contraxit, vt non lædatur à frigidis: & licèt ſit neruoſus & ſenſilis, magis tamen carnoſus eſt, quàm vterus; & ſic acrium, & frigidorum vim ampliùs contemnit: maximè cùm in ventriculi capacitate adſint humores craſſi, qui frigiditatem illorum impensè retundunt.

Vnum ſolùm certum eſt, frigida eſſe valdè nocua vtero, ex quorum vſu ſanguis menſtruus craſſeſcit, arctantur viæ, & ſic illo ad ſuperas partes conuolante, ferini, & diuturni morbi contingunt: quos in compendium redegit Gualtherus Bruele *cap. prop. de ſuppreſſione menſtrui.* Nec mireris, hîc ſolùm numeraſſe Galenum ſputum ſanguinis, pleuritidem, peripneumoniam, & anginam, quum ſuprà alios frigidos morbos recenſuerit, à frigida cauſa pronatos, vt ſunt podagra, articulorum dolores, apoplexia, epilepſia, aphonia, lethargus, conuulſio, tremor, rigor, melancholia, mania: nam ea ratione illi numerati ſunt, quia cùm ſanguinei ſint, & à ſanguinis multitudine retenta faciliùs procreentur, frequenter fœminas infeſtant retentione ſanguinis menſtrui occupatas.

Fœminæ, quando ob ſanguinem hunc ſuppreſſum immaniter diris morbis vexantur, ea remedia expetunt, quæ ſalutifera eſſe ſolent, ſed ea quæ expetuntur, non raró expectationem fallunt ægroti, & Medici, & ſæpè adiiciunt ei periculo, quod à morbo infertur. Sed in menſtrui ſuppreſſione, ſola phlebotomia conſolatur fœminas ſpe certa leuationis. Hanc propoſuit Præceptor *lib. de virginum morb. in fin.* dum enim grauiſſimos morbos ex acciſo menſtruo ortos perſanare doceret, concludit hoc modo. *Ceterùm curatio vt hinc liberentur, eſt ſanguinis detractio, ſi nihil fuerit quod impediat, &c.* Hoc eſt, ſi virium adfuerit debilitas; qua præſente tutius eſt ſanguinem malleolis ſcarificatis exhaurire, iuxta Galeni mentem, *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. c. 11.* quo loco in albidioribus fœminis, in quibus ob carnem facilè tranſpirabilem, & pororum amplitudinem, continua fit euaporatio & reſolutio, crurum, aut tibiarum ſcarificationem amat; cùm enim hæ debiliores ſint, ſanguinis miſſionem citra noxam ferre non poſſunt: nam *ſcarificatio proxima eſt venæ ſectioni*, ex Gal. *lib. 2. aph. 17.* & minuit plenitudinem, præſertim ſi fit profunda, ex ipſo *2. ad Glauc. cap. 7. & lib. de ſcarificatione, cap. 20.* Contra nigriores fœminæ, quæ ſanguinem magis craſſum, & melancholicum colligere conſueuerunt, cùm robuſtiores ſint, vena ſecta in talo tutò curantur.

Inſuper in ſuppreſſis menſtruis ſalúberrima cenſetur phlebotomia, nam præſtò & ſine mora auxiliatur; damna enim imminentia anteuertit, materiali illorum cauſa vacuata; vt ſic incitatur natura, vt per locum conuenientem redundantem ſanguinem excernat. Huius rei veritatem diuino quodam elogio promulgauit Hippoc. *lib. 5. aph. 32.* dùm ſic inquit. *Mulieri ſanguinem vomenti menſtruis erumpentibus ſolutio aduenit.* Addit vberrimus explanator *in com.* hæc verba. *Non abſque ratione: erit enim retractio ſimul, & euacuatio ſanguinis ad ſuperiora tendentis. Hoc autem experientia comprobat vtiliter fieri. Nos verò ex ipſa permoti, naturæ opera quæ benè geruntur, imitabimur: & mulieres hac paſſione laborantes, miſſo ſanguine ex vena vacuabimus.* Venam autem poplitis, ſeu malleoli in retentione menſtruorum tundendam firmant, Nicolaus Rocheus *lib. de morb. mulier. cap. de retentione menſtruorum*, & perdoctus Mena *in com. cap. 11. lib. 1. Gal. de ſang. miſ.* Deſinant ergo poſthàc plures ex ſecta Eraſiſtratæorum hæmophobi, hoc noſtro ſæculo titulo ſolùm Medici luxuriantes, & inſoleſcentes, qui in menſtruis ſuppreſſis calida medicamenta ſolùm concedunt, aperientia, & deobſtruentia, hoc tanto generoſo ſpreto auxilio: & relicto Galeno, veritatis alumno, Eraſiſtrati, & aliorum ignobilium Medicorum inſequuntur quiſquilias; & figmenta: nam ſi omnes morbi muliebres miteſcunt apparente menſtruo, vt Dictator ſummus protulit *lib. 3. Coacar. prænot. tract. 3. ſent. 21.* dicens: *conuulſionis finem afferunt muliebria, quæ primùm, aut ſtatim apparent*: & probat in ſuis aureis annotationibus Ludouicus Duretus, vir cyclicè doctus, appoſito exemplo in Lariſſæa virgine, apud Hipp. *lib. 3. epid. ſect. 3. text. 83.* quam prima eruptio menſtruorum ab interitu vindicauit, expellente natura ad inferas partes noxium ſuccum, qui ſæuorum ſymptomatum quibus fuit oppreſſa, cauſa erat: cur nos inſtante, aut præſente malo, à menſtruo ſanguine emanante, tundere venam pertimeſcemus? Num verò in retento menſtruo, ante eruptionem, an pòſt debeat fieri phlebotomia; controuerſia eſt; nam in hoc dubio veteres ſunt diſcordes: quia Paulus *lib. 3. cap. 61.* ſecat venam, poſtquam decem dies prætererint; àt Gal. *lib. de ſang. miſ. cap. 61.* quatuor diebus antequam erumpant menſes, ſanguinem emittit. Dic, Gal. ſententiam intelligendam eſſe de omnino retentis: Paulum verò explicandum, de menſtruis minutis; nam quando natura diminutè agit, tunc Medicus ſupplere debet, ex Gal. *lib. 1. aph. com. 20.* De qua re alios ſoluendi modos lege, apud elegantiſſimum Mercurialem *lib. 4. de morb. mulier. cap. 1. tit. de curatione.*

QVÆSTIO VII.

Vtrùm in ſuppreſſione menſtruorum, primò medicamentum purgans exhibendum, vt rentur Iuniores.

COMMENTARIVM.

VEnæ ſectione.] Necdum à fœminarum menſtrui's digredimur, ſuccurrunt enim adhuc quæpiam, interiorem redolentia doctrinam: arduum quippè ſupereſt diſcutiendum inuolucrum, num in ſuppreſſione menſtruorum, ſpreta phlebotomia primò ſit offerendum pharmacum: quoniam grauis eſt diſcordia inter duo noſtræ artis corruſcantia ſidera. Galenus enim; inuictiſſimus Græcorum Coryphæus, Lernæus inuulnerabilis negat: dum enim menſtrui retentionem perſanare intendit, propoſitis in medium allatis hiſtoriis, à ſanguinis miſſione illicò curationem auſpicandam eſſe firmiter contendit. Si enim *cap. 5. lib. 9. meth.* perlegeris, *in §. Itaque ſi tempore mittendi ſanguinis, &c.* libros *de venæ ſectione aduerſus Eraſiſtrat. & de curand. rat per ſang. miſ.* ſcitò contempleris, in quibus ex profeſſo agit de argumento hoc, ſaluberrimam ſemper iudicauit phlebotomiam pro prouocandis menſtruis, vel loco illius inferiorum partium ſcarificationes approbat, & confirmat. Galeni mentem tutantur ſtrenui duces, Græcæ, & Arabicæ ſcholæ primarij, & recentiorum peritiſſimorum cohors ſatis defendit: quod experimentum, vſu longiſſimo fuit comprobatum, & grauiſſimis viris, ſedulis artis Phœbææ indagatoribus, à Galeni temporibus, ad hoc vſque noſtrum æuum celebratum. Quid quod adeò eſt vſitata ſanguinis miſſio in ſuppreſſis menſibus, vt fœminæ, & vulgares omnes, ad prouocandos menſes, citra Medici conſilium, eam ante omnia præſidia exequendam curent; cùm enim humor qui retinetur ſit ſanguis, ſolus hic exhauriendus ſecta vena.

Pro parte contraria occurrunt diuini Præceptoris non incelebres, imò bracteatæ ſententiæ, quibus in retentione menſtruorum, ſpretis cæteris auxiliis, purgatio celebranda eſſe cenſetur. Extat in primis non contemnenda auctoritas *lib. 5. aph. text. 36.* dum ſic dicit. *Mulieri menſes decolores, nec per idem ſemper tempus venientes, purgatione indigere ſignificant.* Et Galenus *in com.* dicit, quòd Hippocrates hoc, *in libro de mulieribus* docuerat: *contingit enim mulieribus quæ malos humores habent, in menſtruis purgatio-nibus tempus periodi non ſeruari. Craſſi enim humores ad longius tempus eam protrahunt, & retardant, ſicut tenuiores conſuetum tempus anticipant.* Quare cùm ſanguis in alium humorem vertitur; qui impedit menſtruam purgationem, hic purgatione educendus. Ita *lib. 1. epid. ſect. 3. ægroto 4. & 5.* duabus enixis malè habentibus, ſola balano opem tulit, licèt cordis dolor grauiter infeſtaret, qui à prauis

ſuccis in ventriculo coacervatis, in corpore toto, oriatum ducebat: quare glande vacuationem per aluum moliri ſatius duxit.

Accedit alia eiuſdem viri illuſtris auctoritas, *lib. 1. de morb. mulieb. num. 11.* dum ſic inquit. *Quum menſes fuerint occultati, dolor habebit imum ventrem, & onus quoddam incumbere videtur, & lumbos, & laterum mollitudinem mirum in modum dolet, ſi verò omnino non procedunt præ morbo, aut craſſi, aut viſcoſi, aut glutinoſi fiunt. Primùm igitur ventrem purgare oportet ſurſum, ac deorſum, &c.* Quare ſententia optima ſtabilitur ratione: nam ſublato eo ſucco, qui impedimento eſt quo minùs ſanguis erumpat, facilè eius eruptioni deinde poſſumus attendere.

Inſuper, *in eodem lib. num. 55.* eiuſdem auctoris locus eſt eximius, in quo poſt partium in retentione menſtruorum ventrem ſolummodò expurgat: ſic enim inquit. *Si verò ex partu non fuerit purgata, venter intumeſcit, & ſplen, & crura, & febris habet, & rigor corripit, & dolores profiliunt ad lumbos, aliquando etiam ad viſcera, & perfrigeratur, & febris habet: pulſus debiles ſunt, & aliquando acuti, & aliàs attolluntur, aliàs deficiunt. Hæc patitur incipiente morbo, & ſic habet: temporis autem progreſſu, caua faciei partes rubeſcunt. Quum ſic habuerit, lenes cibos exhibeto, & ſi turget, pharmacum infrà purgans bibendum dato; ſi biliosa fuerit quod bilem purget; ſi pituitoſa, quod pituitam. Poſtea verò vteros odoratis foueto, &c.*

Iam ſic conficio argumentum. Tota ratio in celebranda phlebotomia in ſuppreſſis menſtruis, conſiſtit in eo, quòd eius ope ſanguis ad inferas partes prouocetur; & tota ratio inhibendi medicamétum purgans eſt, quoniam huius vi noxius hic ſäguis ab vtero retrahitur ad viſcera. Sed in ſanguine ſuppreſſo poſt partum, licèt malignior ſit eo, qui ſtatutis menſibus per vterum ex præſcripto naturæ foràs propellitur, Hipp, exercendam iubet purgationem. Ergo maiori cum ratione in hoc erit exequenda. Maiorem medicinæ proceres confirmant, qui in fœminarum morbis curandis primas tenent: probat eleganter Alexander Maſſaria *in ſuis prælectionibus de morb. mulier. cap. 12.* Minorem firmant Mercatus, Hipp. conſilio edoctus *lib. 4. de mulier. affectionib. cap. 11.* Valleriol. *lib. 4. obſ. 6.* Moxius *lib. 3. de curand. morb. acutis mulier. per ven. ſectionem, cap. 47.* De maligniore natura ſanguinis, qui poſt partum excernitur, reſpectu illius qui ſingulis menſibus per vterum excurrit, ſatis multa diximus ſupra, *quæſt. 2. in com. hiſtor. 1.* ob hanc cauſam menſtruorum ſuppreſſio indebito tempore contingens, multum offendit; tamen non perinde ac ſi à partu ſupprimantur menſtrua, officit, vt Gal. prædixit *epid. 3. ſect. 3. com. 73.* quare morbi à partu deteriores ſunt reliquis, & ferè exitiales. Hoc peculiari cecinit oraculo Hipp. *lib. de natur. pueri, num. 13. §. Si enim non purgetur mulier in purgationibus partus, morbus magnus ipſam corripiet, & periculum vitæ incurret, niſi citò curetur, & quis conuenientem ipſi purgationem inducat, &c.* nam poſt partum deterior qualitas ſanguinis reſeruatur, & maior quantitas, quæ cùm repentè corruat & reſtagnet in partes ſuperas, maiorem læſionem neceſſariò in viſceribus excitat.

Solùm ſupereſt explorare, num libri de morbis muliebribus ſint Hip. magni, an illis falsò adſcripti, & licèt ij ab Hipp. magno non ſint conſcripti, tamen cùm in illis ſint ſententiæ memorabiles, dicendum eſt ab aliquo Hipp. nepote, Theſſali filio, aut Dracone, aut aliquo doctiſſimo auctore eſſe compoſitos. Quare Moricius Cordæus ſuis doctiſſimis commentariis, eos vt genuinos illuſtrauit: neque enim auctores curant morbos ſed remedia, vt doctè notauit Ludouicus Lemoſius, *in libello, de iudicio operum magni Hipp. cap. 11. in fin.*

Ecce ante oculos poſui duo clariſſima Medicinæ lumina, quorum ſententiæ licèt longo interuallo contrariæ ſint, videantúrque nullo amoris vinculo poſſe conciliari, tamen vtræque maxima fruuntur veritate; gaudent methodo, rationúmque momento ſtabiliuntur, & frequentiſſimo firmantur experimento. Noſtra intereſt modò, in hoc intricato gurgite, inter tantos viros, medicæ artis Legiſlatores de hac re promere ſententiam.

A Ego enim cùm veritatis ſtudio tantùm exardeſcam, hoc ſum difficilè aggreſſus iter; an metam attigerim, iudicent ſapientes, qui ſi rectiùs quid mouerint, pandant libenter.

Galeni ergo doctrina, firmior Mercur'j quadratura, de omni recenti menſtruorum ſuppreſſione venit intelligenda: ſicut Hippocraticam, de antiqua & diuturna ſi interpreteris, verè conciliabis, imò tutus incedes. Hanc ſolutionem horum auctorum dictis eſſe conformem, ſeries contextus Hippocratis ita cogit aſſerere: nam *num. 55. cit. lib. de morb. mulieb.* medicamentum, poſt retenta à partu menſtrua, non incipiente morbo, ſed temporis proceſſu propinat. Ratio dictat: nam in initio morbi ſanguis integer redundat, qui venæſectione ſola exhauriri debet, quoniam ſuam formam ſeruat, & in quantitate

B ſolùm exuperat. Vbi verò proceſſu temporis (quando poſt diutinam retentionem, prohibetur difflari) ob putredinem, ſuam formam depoſuit, haud alio præſidio, quàm purgatione demendus, quia in alium humorem per putredinem conuerſus eſt, & à natura ſanguinis eſt alienus; vt Galenus *lib. 3. de humoribus, com. 32. & lib. 4. de ſanit. tuend. c. 4.* ſcitè edocuit. Axioma enim eſt apud Medicos frequentiſſimum, ſanguinem per putredinem partim conuerti in bilem partim in melancholiam; ita affirmat Galenus *lib. 2. feb. cap. 9. §. Sanguis quum putreſcit, pars tenuis conuertitur in bilem, craſſa verò in melancholiam, &c.* Repetit *lib. 2. de criſib. 12.* probat Auic. *1. 4. tract. 2. cap. 42.* Explicarunt Conciliator *dif. 89.* Fernelius *lib. 4. patholog. 5.* Valleſius *lib. 5. cont. 19.* Turiſanus *lib. 3. art. medic. com. 38.* nam ſanguis non poteſt diu tolerare putredinem, ſicut humores reliqui: hi enim maximam putredinem conci-

C pere poſſunt, eam diuturno tempore ſeruare, quia in ſubſtantiam alterius ſpeciei degenerent: quoniam ſunt intemperati, & imperfecti, & ſub maiori latitudine formas ſuas conſeruant; minorem enim diſpoſitionem ad ſui conſeruationem requirunt. Contrà, ſanguis leuiùs putreſcit, nec tantam, nec tam diuturnam patitur putredinem; perfectior enim eſt, & plus attemperatus, & à moderato calore fit; quare illius forma ad ſui conſeruationem, exactam diſpoſitionem expoſtulat, & ſub minori latitudine, & anguſtioribus terminis putreſcit. Hoc modo diu putredinem tolerare nequit, quin in alios humores degeneret.

Ex his colligitur, in pleuritide in qua apparet ſputum rubrum, febrem ortam ex ſanguinis putredine aſſumere

D formam circuitus tertianarij, ex Gal. *lib. 1. aph. 12.* ob hæc Arabes poſt quartum diem venam ſecare non audebant, quoniam ſanguis per putredinem abiit in cacochymiam, quæ potiùs purgatione, quàm venæ ſectione demenda eſt, ex Gal. mente *lib. 3. meth. c. 16.* moniti fortè Celſi conſilio *lib. 3. cap. 10. §. Sed vt aliquando etiam primo die ſanguinem mittere neceſſe eſt, ſic nunquam vtile poſt diem quartum eſt, quum iam ſpatio ipſo materia & exhauſta eſt, & corpus corrumpit, &c.* Quæ ſententia Hippocratis méti conſona eſt, dicentis *lib. 3. epid. ſect. 3. text. 79.* pro curatione Anaxionis pleuritide laborantis, venam ſectam fuiſſe octauo die, quoniam, vt inquit Galenus *in com.* antiqui vltra quartum venam non ſecabant.

Quapropter in recenti ſuppreſſione, ſecundùm Galeni mentem, ſanguinem mittere præſtat, in diuturna verò ſecundùm Hippocratis methodum, purgatio imperan-

E da: nam ſanguis, vt dicebat Conciliator *loco cit.* propter ſui æqualitatem, & perfectionem; nec magnam, nec diuturnam ſuſtinet putredinem, quin in aliam ſubſtantiam commigret, vt doctè notauit Auerrhoës *lib. 3. collector. cap. 8.* Si verò quæras, an mulieri enixæ medicamentum purgans conueniat, lege Ioan. Syluaticum, *controuerſ. 86.* qui quæſtionem hanc ad plenum emedullat. Sed vtere diſtinctione noſtra, qua auctores ab eo propoſiti, purgationem poſt partú renuentes, cum iis qui eam approbant, conciliari poſſunt. Lege Santorellum doctiſſimum *lib. 20. anteprax. cap. 9.* & Thomam Campanellam *lib. 6. de medend. morb. cap. 22. art. 1.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm ad prouocanda menſtrua, vnguentum de chalybe poſſit eſſe ex vſu.

COnſeruarunt.] Poſteaquam de ſanguinis miſſione, & purgatione, pro prouocandis menſtruis abundè actum à nobis eſt: nunc in quaſdam amœnitates diuertere collibuit, vt legentium animi, laxiùs, indulgentiúſque tractentur, ne noſtræ lucubratiunculæ, quocunque genio prodierint, multum habere abſinthij credantur, mellis parùm. Cùm enim multa ſint, quæ pro retentione menſtruorum, à qua periculum impendet maximum, Medici parare ſolent auxilia, nullum chalybeatis medicamentis præſtantius, aut excellentius eſſe, tùm veterum, tum iuniorum ſcientiſſima confirmarunt, de quorùm numero Galenus, Græci, & Arabes ſatis plura dixerunt in locis multis, quos citant Nicolaus Monardus *tract. proprio de ferro*, & alij à me citati *lib. 1. in comm. hiſtor.* 8 1. Quapropter ex chalybe præparato diuerſimóda parant auxilia, pulueres, electuaria, tabellas, ſyrupos, quorum omnium exactam compoſitionem legat qui velit, apud Iulium Cæſarem Claudinum *lib. 1. ſect. 9. in appendice libri de ingreſſu Medici ad infirmos.* Sed cùm hoc metallum graue ſit, ponderoſum, terrenum, & craſſum, eſt neceſſe vt per corpus diſtribuatur, vt ſic diſtantiſſimas partes penetrare queat; quapropter præter triturationem ſubtiliſſimam, & exactam præparationem, factam præſertim in vino, & aceto (nam hæc cùm ſint ſubtilium partium, iuuant ad penetrationem,) exercitio valido opus fuit, vt ſic ob calorem reſeratis viis faciliùs permeare poſſet.

Si verò vires flacceſcant, & debiles ſint ægri, & ex diuturno morbo conualeſcant, exercitióque inepti videantur, nam id excarne corpus citra noxam tolerare nequit, frictio imperanda eſt, quam eſſe loco exercitij monuit Præceptor *lib. de puero epileptico, cap. 4.* Quare in hunc vſum vtere ſyrupo de chalybe, ex deſcriptione noſtra, cuius formam propoſuimus *lib. 3. de praxi medica admiranda, obſeru. 11.* vel tibi in pretio ſit vnguentum de chalybe, à nullo (crede mihi) hactenus exaratum, qui in chalybeatis medicamentis recitandis inſudarunt, quo feliciter in curandis virginum obſtructionibus; habita primò totius prouidentia, vſus ſum, in iis præſertim quæ febri iugi correptæ, excarnes & tabidæ exercitij vim ferre non poterant.

At ego multoties rimari cœpi, quo pacto hoc metallum frigidum ſiccum cùm ſit, terreſtre, & adſtringens deobſtruere & aperire poſſet, quo pacto ad prouocanda menſtrua videtur reſpuendum. Nam Ariſtot. 4. *meteor. cap. 6.* dicit, ferrum eſſe de genere illorum, quæ concreſcunt à frigore per euaporationem totius penitus caloris; quare ſi totus calor exhalat, ſequitur quod materia relinquitur tota frigida. Deinde Galenus *lib. 9. meh. cap. 17.* dicit, quòd metalla, vt aurum, æs, ferrum, habent ſuam conſiſtentiam à frigore, maximè cùm ferrum ſit corpus terreum, craſſum, & ſiccum; quare vt terra, ſiccat & refrigerat: quapropter apud Gal. *lib. 10. ſimp. tit. de ſero lactis*, ſiccat, adſtringit, fluxiones ſiſtit, & immodica ſanguinis profluuia retinet & compeſcit, & aduerſus diarrhœam, ſuperfluáſque alui deiectiones eſt medicamen vtiliſſimum, quoniam cohibet, & incraſſat; apud Auic. *lib. 2. tract. 2. cap. 25. §. Et vinum in quo extinguitur ferrum, retinet ſolutionẽ antiquam, & dyſenteriam, & confert mollificationi ani, & fluxui vrinæ inuoluntario, & fluxui menſtruorum, &c.* Quare ex omnium auctorum mente, ferrum eſt frigidum & ſiccum, vt tam multis auctoritatibus probat Fallopius *lib. de metal. & foſſilib. cap. 2.* & poſt eum Rodericus à Caſtro, Medicus celeberrimus confirmat *lib. 2. de morb. mulier. in ſchol. cap. 5.* Manardus ſubſcribit *lib. 16. epiſt. 5. in med.* in quem vſum paratur ab Iacobo Vveckero *lib. 2. antidotar. ſpecialis*, Crocus Martis, factus ex limata ferri ſcobe, ad ſiſtendas immodicas ſanguinis fluxiones, qui ad omnes ventris fluxus eſt eximius.

A Ex altera parte ſunt rationes euidentes, ex quotidiano experimento deſumptæ, quæ ſatis probant ferrum calidum eſſe: nam eius vſus magnos lienes liquari vidimus. Quare priſci Medici tantoperè vinum, aut aquam in qua ferrum candens extinctum ſit, pro viſcerum obſtructione pertinaci, & iecoris, lieniſque ſcirrho perlaudarunt: quoniam ferri ad emolliendos duros tumores eſt vis mirabilis; vnde animalia apud fabros ferrarios educata, exiguos lienes habent, ex Celſo *lib. 9. cap. 4.* & eleganti exemplo probat Beniuenius *lib. de abdit. cap. 105.* & ſic ferrum aperit, ac deobſtruit, quùm calidum ſit: & hoc modo Rhaſis *vlt. continent. cap. de ferro*, Haly 5. *theoric. cap. 14.* & alij Arabicæ familiæ proceres ſcientiſſimi, calidum conſtituunt.

B Sed hæc ſi æqua lance ponderentur, leuia procul dubio lectis ingeniis videbuntur. Nam ferrum eſt diſſimilare, & cùm contrarias habeat qualitates, valde inter ſe diſtantibus pollet facultatibus, cæterorùm multorum medicamentorum inſtar, quæ ob diuerſas partes diuerſos effectus ex ſe emittunt, quia adſtringunt, & aperiunt aloë, rhabarbarum, rhaponticum, pſyllium, lentes, lac, braſſica, ſquamma æris, endiuia, & pleráque alia. Sic ferrum frigidum cùm ſit à prædominio, & habeat plures terreſtres partes, diſſimilare tamen eſt, & habet partes tenues & igneas, ratione ſulphuris, & argenti viui, quæ ſunt communia metallorum principia. Hoc modo metalla igneam habent ſubſtantiam, ex Gal. *lib. 9. ſimpl. c. 26.* explicat Albert. Magnus *lib. 3. de metal. tract. 2. cap. 4.* de qua re lege quæ diximus *in lib. 1. in com. hiſtor. 7.* Nil ergò mirum, ſi auctores omnes varia de ferri temperamento protulerint.

C Mirabilis ergo eſt vtilitas ferri, aut chalybis, pro menſtruis prouocandis, & aperiendis obſtructionibus, quæ viſceribus contumaciter adhærent. Sed quoniam pluribus in ſubſtantia hoc medicamentum propinari non poteſt, nam ea ob debilitatem exerceri nequeunt, & multæ adeò moroſum habent palatum, vt nec ſyrupum de chalybe aſſumere poſſint, & vnguenta communia quæ ad viſcerum obſtructiones commendantur, nullam, aut non ita euidentem afferant commoditatem; nunc vtere vnguento hoc, quo ſi nocturno tempore, tribus horis poſt cœnam, præcedente frictione leui, molliter ventrem inferiorem illinas, mirabilem opem ſenties, idque reïterare toties opus erit, quouſque durities ex totò emolliatur, aut obſtructio viſceribus pertinaciter adhæ-
D rens abſumatur, cuius vſu ſcirrhoſas viſcerum durities ſæpè curaui. Huius forma eſto hæc.

℞. *Capill. ♀. aſplenij, eupator.* an. M. ß. *Sem. petroſelin. ſem. fœnicul.* an. ʒ j. *Radic. endiu. eringij, gramin. ruſci, aſpareg. apij, an.* an. ℥ ß. *Nepitæ, puleg. origan. calamint.* an. M. ß. *Radic. cucumer. agreſtis*, ʒ j. ß. *Camæpit. chamædr.* an. P. ß. *Radicis rubiæ, rumicis*, an. ℥ j. *corticis radic. cappar. Cortic. radic. tamariſci*, an ℥ j. *Olei cappar. amydalar. amararum, & abſinth.* an. ℥ ij. Omnia priùs bulliant in ſufficienti quantitate aquæ, & vini generoſi priùs bis chalybeatorum, ad conſumptionem aquæ & vini, & facta colatura, & vehementi expreſſione add: *Aceti acerrimi priùs ſepties chalybeati* ℥ viij. *Cyclamin. optimè triturati, & mundi*, ʒ iij. Iterum bulliant ad conſumptionem aceti, & facta iterum colatura, adde *Galbani, Ammoniac.* an. ʒ j. *Vnguent. deoppilatiu. ſuccor. & vnguent. Agripp.* an. ℥ iij. *Vnguent. aregon.*
E *& Marciati*, an. ℥ j. *Olei de cappar.* ℥. iiij. *Olei chamæmel.* ℥ iij. *Trochiſcor. de cappar. & trochiſ. de abſint.* an. ʒ. j. ß. *Pinguend. gallin. & anatis*, an. ℥. ß. *Pulu. cortic. rad. cappar. & pulu. cortic. rad. tamariſci*, an. ʒ. ij. *Chalybis præpar. & ad exactũ læuorem redacti* ℥. ij. ß. *Balſami* ℥. ß. *olei de thymo* ℥. ij. Miſce omnia, & cum cera quantum ſat eſt, in dictis oleis liquata, redigantur ad formam vnguenti; quod per duos annos conſeruari poteſt.

***

HISTOR.

HISTOR. V. ACTVARIJ;
De menſtrui retentione.

Fœmina menſtruis violenter adſtringentium vi retentis, in grauiſſima damna, & mortem incurrit.

Mulier quedam diues atque mollis, tres aut quatuor filios peperit, quorum tres ferè infantes mortui erant, ſolùm vnum audiebat mater. Atque quodam tempore præterito, ipſáq; ambigente, dum videret omnem ſpem ſuam in ſolo vno filio, qui repentè tolli poſſet, fluctuare. Verebatur enim, ne ſi puer moreretur, cogeretur alienis bona ſua tradere. Námque (vt dictum eſt) vbi amiſerat alios, quærebat modum quo alterum filium pareret, atque ſpem ſeruaret. B *Ergo (vt mos eſt mulieribus) deſiderium aperuit, atque ſolutionem quærebat. Quidam dixerũt hanc ſolutionem: ſi aliqua menſium fieret, naturâ, vel arte retentio, (namque ipſi menſes plus iuſto profluebant) conciperet. Quod perſuaſa, rei operam dedit, ac vehementer retenti ſunt menſes, vnde conceptus ſpes magna eam tenuit. At verò ſecundus menſis erat, muliérque modicè conturbabatur: námq; cumulato ſanguine menſtruo per vterum, neque locus exeundi habebatur. Accidentia, vt videbatur, poterant eſſe ſigna conceptus: námque in initiis conceptuum ſimilia accidere ſolent. At tertius aderat menſis, & paſſiones proceſſerãt. Vbi verò etiam quartus aduenit menſis, túmque quum grauidis mulieribus, ſi quid perfuiſſet moleſtiæ, illud ſedatur: ipſi verò magis venter intumuit, atque accidentia peiora ſentiebantur. Igitur circa quintum menſem audiui vt mulier eſſet correpta ab ea paſſione: erat enim vna mihi ex maximè familiaribus.* C *Quare ad eam acceſſi, atque intrans vidi ipſam ſupinam iacentem in lecto, & ſalute acta rogaui, vt haberet, ac pulſum tetigi. Illa verò ſubtili, ac pertenui voce reſpondit. Pulſus erant prætenues, ac diuerſi, atque virtus genuina propè deuicta. Cutis veluti cortex mali granati, & color eius vergebat ad icterũ, & omnia quæ ad faciem ſunt, multùm attenuata, atque manus, & humores ſatis hærentes pectori habebat, ſed venter magnoperè extuberabat. Quoniam verò oportebat & vrinã ſpectare, ea quidem erat tenuis, atque mihi viſa eſt mediocriter ſubſanguinea: contenta verò ſubſidebant in ea ad matulæ fundum valdè rubentia, atque veluti ſimilacea. Atque tunc mihi poterat facilè cognoſci paſſio, quæ non multùm trita eſt in breuiariis libris Medicorum, eo præſertim quòd nemo ex Medicis qui illuc frequentabant, paſſionem intelligeret, ſed putarent omnes aquam intercutem eſſe. Quoniam verò paulò pòſt legi de paſſionibus mulierum,* D *doctúſque ſum quàm graue eſſet retinere ſanguinem menſtruum, audiuerámque mulieri hunc retentum eſſe, deinde hac ratione ſuper eius vrina ratiocinatus ſum, illam recta ratione illiuſmodi fluxiſſe: nam partim ob manifeſtiſſimam collectionem ſanguinis in vtero, tumore effecto huiuſmodi, partim ob vicinitatem veſicæ, ſanguine commixto cum vrina, factum eſt, vt vrinæ colorarentur, ſed ob aſſationem ſanguinis, apparuerint contenta ſimilacea, atque rubea. Hoc pacto ab immodica menſtruorum retentione, præſertim ſi natura anteà multa profluxiſſent, vrina alteratur, atque tractu temporis commutatur. Cæterum, vt omnem hiſtoriam finiamus, reliqua ſubiungamus. Sextus menſis aderat, quum in ilibus exterioribus factus eſt abſceſſus, atque mollitus eſt tempore procendente. Vbi verò ſeptimus menſis aduenerat defluxit ab eo * ſanguineum pus, * priùs mollito abſceſſu Medicorum em-*E*plaſtris, & deinde aperto. * Sed venter abundè euacuabatur: quamobrem * magna ſpes ſalutis & viro eius oborta eſt, & Medicis illuc frequentantibus, quod non ita ſucceſſit: ſed paulò pòſt euacuatio ſimul omnium ſpem perdidit. Nam (vt arbitror) quatuor dies poſt tumoris aperturam, venter euacuatus eſt re omni affligente, atque commiſſus eſt. Mulier verò veluti exanimi reducta abſque reluctatione aliqua vitam efflauit, &c.* *Actuarius* lib. 2. de præuidentiis vrinarum, cap. 12.

PARAPHRASIS.

Conatur hac hiſtoria Actuarius demonſtrare, quantam vim habeat in alteranda vrina vterus: cùm enim A toti corpori conſentiat, genus venoſum, hepar, viſceráque vehementer immutat, ſi morboſus eſt, & ſuas affectiones illicò illis communicat, quas à menſtruo retento euenire *ſuprà, in prima hiſtoria* prædiximus: & explicat Fabricius Hildanus *lib. 5. cent. chirurg.* 43. Si ergo hæc vera ſunt, cur mirabitur ſi ex ſuppreſſo menſtruo violenter, ope medicamentorum adſtringentium, & conſtipantium, tot, támque ſæua damna huic miſerrimæ fœminæ contigerint, quæ muliercularum, aut alicuius inſciti Medici dolo ſeducta, ſpe cõcipiendi, vitio in vitium mutato occubuit: nam quid aliud in tanto facultatum lapſu expectari poterat?

Sed inſurget quiſpiã ſciendi auidus, anxiéque inquiret, quæ fuerint medicamenta quibus ad ſupprimenda menſtrua ipſa vſa eſt? Dic fuiſſe incraſſantia, & adſtringentia, quæ contrahunt, conſtringunt, denſant, incraſſant, refrigerant, exſiccant; ex Gal. *lib. 4. de comp. medic. per gener. c. 6.* B dum ſic ait: *Omnia adſtringentia contrahunt, ac denſant meatus: ad hæc vinciunt, ac continent partium ſibi inuicem cohærentium ſubſtantiam; atque minùs magíſque hoc pro adſtrictionis quantitate efficiunt. Cæterùm adſtringendo, ac denſando ſumma corporis, quod adſtringitur, virtus illorum excluditur, & in altum ire prohibetur, &c.* Optimè verò Meſuës adſtringentium vires complexus eſt, *in canonibus vniuerſalibus, theoromat.* 1. dicens, *adſtringens cogit, denſat, diuiſa glutinat, ſuáque craſſa ſubſtantia ea omnia obtundit.* Adſtringentium multæ ſunt differentiæ: nam alia citra manifeſtam qualitatem id efficiunt, vt balauſtium, galla, hypociſthis, glaucium, acacia, ſuccus rhu: alia quæ cum adſtrictione aliquid etiam habent acre, aut pingue, aut dulce, aut amarum, aut ſalſum, aut acidum, quoniam ſub aſtringenti materia diuerſæ, ac ſæpe contrariæ reperiuntur indicationes, vt ex profeſſo Gal. edocuit *lib. 3. ſimpl. c.* 14. Deinde acre medi-C camentum ſæpè adſtringens reperitur, licèt calidum ſit natura, vt æs vſtum, attramentũ ſutorium, chalcitis, & alia, ex Gal. *lib. 2. aliment.* 1. Amara medicamenta adſtringunt, veluti aloë, rhabarbarum, abſinthium, nitrum, & numeroſa ſeminum copia, vt rutæ potiſſimùm ſylueſtris, melanthij, mali medici, ſicut lupini, & orobi, auctore Gal. 4. *ſimpl. cap.* 1. Salſa cùm ſint propinqua amaris, ex Gal. 4. *ſimpl.* 20. terrena contrahunt, conſtringunt, ex Gal. 5. *ſimpl.* 25. Dulcia ſimul, & adſtringentia ſunt myrti fructus, & pyri agreſtis, & roboris, & caſtaneæ, & palmæ. Ex his omnibus veriſimile eſt affirmare, illi fuiſſe oblata frigida ſicca, glutinoſa, viſcida, craſſa, quæ frigiditate & ſiccitate arctant meatus, canales obſtruunt, humores incraſſant, & ad motum ineptos reddunt; quorum ſyluam legat qui velit, apud eos qui de immodico ſanguinis fluxu per vterum D proprium caput conſcripſerunt: de quorum facultate conſule Mercat. *lib. 2. indicat. cap. 4. de adſtringentibus.*

Quapropter cùm ſanguis menſtruus diu adſtringentiũ vi eſſet in vtero, ſentina totius corporis, coërcitus, prohibitus difflari, nõ ventilatus, putridus, & ſpurcus, tetro ſuo vapore, cor, cæteráque viſcera concuſſit, vnde facultate vitali languente valdè, pulſus facti inęquales, diuerſi, crebri, languidi; & cordis propullularunt grauia pathemata, funeſta, & terroris plena; ex quorum ſæuitie mortem fuiſſe concitatã natiuo igne valdè minuto, non eſt cur miremur.

Rurſus. Ab hoc fœdo ſanguine reſtagnante ad partes ſuperas & nutritionis officinas occupante, & debilitato iecore, ſanguifica facultate vitiata, auctis obſtructionibus viſceribus pertinaciter adhæreſcentibus, & impedito tranſitu ſanguinis, ſpirituum, & alimẽti ad membra, hanc pra-E uo fuiſſe vitiatam colore, & circa partes extremas nimis extenuatam, excepto ventre nimis intumeſcente, certa res eſt, vt in hydrope quotidie proprio experimento conſpicimus: nam ſi via per quam fæculentus ſanguis craſſus, & melancholicus emanat, intercludatur, durities in hepate fit; & ſimul multitudine grauans, ac craſſitudine obſtruẽs, calorem in ipſo natiuum extinguit, quum tale quid accidat, quale in flãmis exterioribus, in quibus multa ligna ingeſta ſtrangulat ignẽ, vt verbis vtar Gal. *lib. 6. aph. com.* 12.

Ex hac ergo ſcaturigine non ſolùm color in vultu in virorem, pallorémque mutatus, & inflatio ventris, internę obſtructiones, hydrópſq; emanare ſolent, auctore Galen. *lib. 2. de naturalibus facult. cap.* 18. & *lib. de venæ ſect. aduerſ.*

Eraſiſt.

*Eraſiſt.cap.6.in fin.*ſed morbi immanes,truculenti, exitiales. Ex hac cauſa ſuquutam fuiſſe colli vteri inflammationem, vlcus cancroſum, gangrænam, & mortem, proprio exemplo confirmat Hildanus *centur.2.obſ.chirurgic.*62.63.64. Quare in hac ægra tumor ventris accreuit per vniuerſam ipſius regionem extenſus; quem à copia viſcidi ſucci,omenti,meſenterij,venarum Hepatis obſtructionibus ortum fuiſſe, res eſt manifeſta.

Accedamus ad reliqua.Quis hāc hydrope laborare non affirmaret,cùm dictis ſympotomatis eſſet correpta,cū vrina tenui, ſubſanguinea,in qua aderant contenta rubentia? Hanc vrinam ob collectionem ſanguinis menſtrui, partim ob vicinitatem veſicæ cum vtero, ſanguinis commixto cum vrina, apparuiſſe, Actuarius arbitratur hoc loco, & firmat Duretus, *in Coacas,tract.4.de excrementis,c.3.num.5.* qui tenuiori ſanguinis portione ab vteri loci ad veſicam exudante, hanc fieri in retentis menſtruis vrinam,vel ſugente veſica ab vtero cruentum ſerum,aſſeuerat. Deinde, ſi hic ſuppreſſus ſanguis recurrit ad venas, & ad veſicam retrocedit, cur colore ſuo ſerum ſhumorum non altera-bit? Cùm verò ſanguinis adeſt multitudo,qui prohibitus diſſlari acrior redditur, tunc ob ſanguinis aduſtionem apparent contenta ſimilacea, atque rubea. Inſuper contingit vrinam apparere ſubſanguineam, conante natura conferatim emittere ſanguinem retentum per vrinæ vias, velut excernit per hæmorrhoïdes vterum, ventriculum, nares; qua de cauſa ſubſanguineam apparere, excreto ſanguine, tunica vaſorum reſerata, confirmant Euſtachius *lib.2.praxis,cap.*49. Mercatus *lib.4.de morb.internis,cap.*8. Auic.21.3.*tract.2.cap.*26.

In hac verò vrinæ rubræ mentione:addamus & aliqua egentibus futura non ingrata; qua in parte illud ſit quæſitum: ſi vrina rubra aut ſubrubea à ſanguine in corpore redundante originem ducit,ex Gal.*l.3.epid.ſect.3.com.*72. & *lib.6.eiuſdem, ſect.5. com.*14. & *lib.2. prog.*27. & *lib.4. ap.*71.& *lib.1.criſ.*12.& *2.prorrhet.*25. & vrina prærubra, quam ſanguinolentam vocat Chriſtophorus à Vega, *in com.cit.loc prog.* ſanguinis ferorem oſtendit,ex Gal. *lib.de vrin.* 8. Actuario *lib. de prauidentiis vrinar. cap.* 4. probat Georgius Bertinus Campanus *lib.* 17. *cap.* 2. cur in hoc morbo frigido à retento menſtruo concitato, imò hydrope quotidiana, & diuturnis obſtructionibus viſitur, ſi in his frigidis morbis ſanguinis copia eſt imminuta valde, flatus cum pituita abundant, calor natiuus debilis eſt, & nullus adeſt feruor, aut ebullitio ſentitur? Nos cum Auicenna 2. 1. *doct.* 3. *cap.* 2. ob multas cauſas hoc accidere poſſe reſpondimus *lib.* 2. *de praxi admiranda, obſ.*63. Sed eſt potiſſima, vt in retentione menſtruorum vrina apparet rubra, quando menſtrua cum vrina permiſcentur. In hydrope verò hæc apparet, quoniam facultas debilis ſerum à ſanguine ſeparare non valet. Quapropter in pituitoſis morbis perſæpe apparet,vt in quotidiana,ex Gal.*lib.*1.*ad Glauc.c.* 7. Imò in copia pituitæ putreſcentis vrinam apparere rubram, notauit Valleſius *lib.*7. *epid.in com.ſent.* 59. Lege Dodonæum *lib.obſeru.medic.obſ.*31.

At cùm tanta eſſet copia humoris craſſi in intimis viſceribus recondita, natura eum excernere ſatagens, ad alia excitato abſceſſu tranſmiſit: nam, inquit Galenus *lib.* 2. *aph.*15.*animalium natura ex principalibus membris humores malos euacuās,alios per vrinas,vel vomitus,vel aluum inferiorem excernit, quoſdam verò pellit ad cutem,ſed cùm non poteſt euacuare propter eorum craſſitudinem, ibi reponit, atque hoc modo tubercula naſcuntur in corpore.* Quapropter cùm inflammatio adeſſet interna. viſcera oprimens; cum fæculenti ſanguinis, & conculcati ſarcina multa, hunc detruſit ad ilia natura. Hunc euentum multo antea præmeditauerat Galenus *lib.6.de loc.affect. cap.5.* dum ſic ait. *Quod ſi longiori tempore ſupprimantur menſtrua, nullámque Medicus mulieri vacuationem promoueat,tumor aliquis præter naturam in ilibus interdum oritur, oſtendens nimirum ex internis partibus aliquam inflammatam eſſe : nonnullis panus in extrema ilium parte excitatur; veluti viris quoque in eodem loco nonnunquam oriri ſolet. Qui paruus in quadam muliere fuit ſuppuratus,adeò vt opus fuerit ſectione.*Factus ergo eſt tumor in ilibus, deponente natura ex nobili parte ſua excrementa

A in externam, & ignobilem, qui viſcerum morbum ſignificabat,& interaneam malignitatem oſtendebat,iuxta oraculum Senis *lib.6.epid. ſect.2.text.*10. dicentis: *Abſceſſus veluti bubones, ſignum quidem ſunt germina habentium, tum aliorum,tum præcipuè viſcerum: maligni autem ſunt hi.*Nam, vt legitur *in ſent.* 55. *lib.*4. *Aph. Ex inguinum tumoribus febres omnes malæ, præter diarias.*

Notanter aduerte,quòd licèt nomē abſceſſus dupliciter accipiatur. Primo modo, cùm tumor abſcedit; & pus intus continetur, ex Galen.2. *ad Glauc.*1. Secundò,pro decubitu humoris in aliquam partem, ex Hipp. & Galen. *lib.* 1. *prog.* 65. Hoc loco in ſecundo ſignificato accepit Actuarius, & Gal. *lib.* 6. *de loc.cit.* ſub nomine tumoris, aut pani comprehendit. Eſt enim panus, *tumor non altus, latus,in quo quiddam puſtulæ ſimile eſt*; & vulgò panus ap-

B pellatur, ſeu veriùs dixeris Phygethlon, ex Celſo *lib.5. cap.*18.*tit.malagma aduersùs panum,& phymata,*§.*Vt aduersùs panum tum primùm orientem (quod Phygethlon Græci vocant,) & omne tuberculum, &c.* vt ex Celſi mente probat Manardus *lib.7.epiſt.*2. Demum ſi panum pro phymate, id eſt, bubone in inguine vſurpes, cum Paulo *lib.*4. Amato *lib.*1. *centur.* 29. Marcello Virgilio *lib.* 1. *in Dioſcorid. cap.*106. ad mentem priſcorum perſolues. Eſt autem panus tramæ inuolucrum, quo panni texuntur, & quidquid ſublonga, & ſubrotunda forma tumet, panicula, & panus dicitur,vt probat Agricola Ammonius *in com.cap.*1.*lib.*1. *Gal.de loc.affect.*

Ex hac cuaſa tumor in ilibus eſt exortus, qui deinde medicamentis emollientibus abiit in ſuppurationem. Ilia autem ſunt,auctore Celſo *lib.4.cap.*1. partes quæ inferiùs circa pubem iacent: cùm enim inferior regio hypoga-

C ſtrica, quæ ab aliis imus venter, à quibuſdam ſumen appellatur, inter pudendum, & vmbilicum interiacens, habeat partem dextram & ſiniſtram, hæ partes laxæ & flaccidæ, ilia dicuntur, quòd ileo inteſtinum contineant. Ex iis patet erraſſe Leonicenum,Heurnium,Cardanum,viros alioqui perſpicaciſſimos, & alios qui ex Græca lingua Aphoriſtica oracula in Latinā linguam tranſtulerunt,qui pro ilij,hypochondria tranſtulere,vt patet *lib.4.aph.*73. & *lib.6.aph.*40.vt rectè notauit Manardus *lib.8.epiſt.vlt.prope fin.* nam hypochondria propriè partes ſunt regionis epigaſtricæ, quæ cartilaginibus notharum coſtarum ſubiacent, vt aduertit Laurentius *lib.6. de re anatomic. cap.*2. nam hypochondria dicta à Celſo *lib.* 2. *cap.* 3. ſunt loca vtrinque à lateribus ventriculi os attingentia, dextrum ſub quo iecur, ſiniſtrum ſub quo lien iacet. Plinius exta

D vocat *lib.*11.*cap.* 37. & ab inferiore viſcerum parte ſeparantur membranis, quæ præcordia vocant, quia cordi prætenduntur. Ilia verò ſunt inferiora; nam ilium os,oſſi ſacro, ligamenti cartilaginei interuentu, robuſti quidem & membranei eſſe valde alligatum,oſtendit Veſalius *l.* 2. *fabricæ, cap.*61.

Suppuratus eſt abſceſſus ſuppurantium medicamentorum ope, nam hæc debent eſſe calida,humida, ſimilia caloris noſtro, & viſcoſa, quæ occluſis poris cutis calorem vniant, retineant & roborent, vt ait Gal. 5.*ſimpl.8.& 9.& in lib. de medic. offic. com.*2. *ſentent.*30. & *lib.*1. *epid. ſect.*2. *com.*31.& notat Auic. 1.1.*doct.*5. *cap.*2. explicat Nicolus *ſerm.3.tract.5.ſum.3.cap.*20. Mercat.2.*indicat.*13.

Ad ſuppurationem conuerſo abſceſſu,& aperto, defluxit ab eo ſanguineum pus:quod prauum eſt,virium iactu-

E ram maximam, & materiæ inobedientiam planè oſtendens: nam pus debet eſſe album; contrarium peſſimum eſt. Cùm verò diuturnus eſſet morbus; & vires eſſent imminutæ valde, ob continuam puris effluxionem, quo diu vacuato s multi ſpiritus cum eo exeunt, atque excernuntur, quorum vacuatione vires fatiſcunt, ex Galen. *lib.6.aph.*27. *quum è veſtigio deficiat anima, vires debilitentur,& poſteà debilitas iſta remedium non habeat* : factum eſt vt naturalibus facultatibus valdè lapſis, nimio alui profluuio excitato, ex retentricis debilitate originem ducente, aut ex obſtructione partium naturalium ſuborto, exanimis fœmina è vita diſcederet.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IX.

Virùm pus rubrum, liuidum, vel nigrum, aliquando ad bonum iudicet.

COMMENTARIVM.

S*Anguineum pus.*] Qui pus rubrum grauiùs deteſtati ſunt, ij mihi appoſitiſſimè videntur feciſſe: nam in hoc ſequuntur Hippocratem Medicorum tutelarem Deũ, qui de hac re profatus, memorandam protulit ſententiam *lib.*1. *progn. text.vlt.* dicens: *Pus autem optimum, album eſſe debet.* Quoniam membra tranſmutantia ſanguinem in pus, ſunt alba: hæc ſunt ſolidiora corpora, conceptaculorum tunicæ, nerui, copulæ, membranæ, cartilagines, oſſa. At pus non eſt calidum inſtar ſeminis, quoniam hoc à pleno fuit elaboratum calore; pus verò ex natiuo pariter, & extraneo calore conflatur, ex Gal. *lib.* 5. *ſimpl.cap.*6.*& lib.*1.*aph.*47. de cuius natura ac generatione abs re eſſet quidquam modò in propatulum proferre, quum in eo argumento peritiſſimi medicinæ profeſſores ſtrenuè inſudarint, qui *libros de dif. feb.* & *prognoſticon.* vberrimè ſunt interpretati, & nos breuiter patefaciemus *lib.*4.*in com.hiſt.*9. Vnum tamen non prætermittam, Cardanum vt iniurium, ſeſe oppoſuiſſe contra Galenum, dum aſſeuerat, colorem puris album non poſſe fieri ob partes ſolidas; cuius multiplicia tela contra Magiſtrum, vt irrita ſoluit Mercurialis, cum Stephano Athenienſi *in com. cit. prognoſt.* nam, vt optimè notauit Celſus *lib.*5.*cap.*26.*tit.de ſanguine, ſanie, & pure: pus albiſſimum eſt optimum: quod verò huic contrarium eſt, peſſimum eſt.* Nam illud potentiæ robur, & caloris natiui ſymmetriam ſignificat; hoc actionum caloris præternaturalis, & materiæ inobedientiam præoſtédit, *vt in com.cit.lib.prog. ſent. vltim.* firmat Ioan. Butinus, ex Gal. mente. Quapropter ſubcruentum pus, prauum eſt, & mortem portendit, iuxta Senis oraculum, *lib.* 7.*aph.*44. dicentis: *Quicumque ſuppurati vruntur, vel ſecantur, ſi pus purum fluxerit, & album, euadunt: ſi verò ſubcruentum, & fæculentum, ac fœtidum, pereunt.* Subſcribit Celſus *lib.*1. *c.*8. §. *Ex iecinore ſi pus cruentum exit, mortiferum eſt, &c.*

Quapropter ſi pus ſubcruentum eſt reprobum, quantò magis liuidum, aut nigrum? Et de liuore conſtans eſt ſententia Hipp. *lib.*2. *prognoſtic.* 8. quo loco liuidum colorem digitorum, & vnguium, mortem portendere aſſeuerat, & *lib.*1. *prognoſt.*3. in pictura faciei lethalis, liuidum colorem adeſſe aſſeuerat: & Galen. *lib.* 5. *aph.* 19. hunc colorem facultatum mortificationem ſignificare probat: & firmat Ariſt. *lib.* 4. *probl.*80. quare extinctionem caloris innati denotat, ex Gal. *lib.*1. *epid.ſect.*3.*com.*16.*& lib.*3.*epid.ſect.*2.*com.*4. Quare, inquit Hipp. *lib.* 7. *aph.* 2. *in oſſe ægrotante caro liuida, malum eſt.* Et Gal. *in com.* ſic dicit: *Non enim in mediocribus oſſium læſionibus, ſed fortibus putrilaginibus talis ſpecies coloris circumſtantibus aduenit carnibus, extincto ſcilicet in iis calore.* Nam maximam virium arguit imbecillitatem; ex Gal. 1.*criſ.*12.*&* 1.*epid. ſect.* 2. *comment.* 75. quare hic color in febribus ſemper malus, ex Galen. *lib.*6.*epid. ſect.*1. *com.*29. Hoc modo delectio liuida, peſſima, apud Hippoc. 2.*prog.*22.& 4.*aph.*21. Sic vomitus liuidus celerrimam mortem oſtendit, ex Hipp. 2. *prog.*41. Si verò inſtes, cur color liuidus nigro ſit perniciofior. Reſpondet Mercurialis *in com. ſent.*8.*l.*2. *prog.* nam liuidus color ſemper fit ab extinctione caloris, nunquam ex abſceſſu humoris; quippè nullus eſt humor in corpore, qui eum colorem in cute informet; niger autem fit, & ab extinctione, & depulſione humoris nigri ad partes infernas, & debiles: deinde color niger & liuidus differunt in modo generationis, quoniam liuidus fit à putredine ſumma, in qua pacto calore natiuo, præternaturalis dominatur. *Itaque* (inquit Heurnius *ad hunc locum*) *liuor nunquam poteſt fieri ex materiæ decubitu, at nigror poteſt.* Hoc modo Hipp. *lib.*1 .*prognoſt.*18. vlceris colorem liuidum, aſſerit eſſe lethalem.

De nigro autem colore puris, conſtans eſt ſententia Hipp. eſſe peſſimum; cùm enim color liuidus ſit in mutatione, & in via ad nigrum, hic à maiore cauſa proficiſcitur: ita vt cum vrina denigrata nullum ſaluari contingat, ex Gal. *lib.* 1. *criſ.*21. Sic color cutis niger, peſſimus ex Hip.1.*prog.* 3.& excreta nigra deterrima. Sputum nigrum, lethale, ex Gal.*lib.*1.*aph.*12.*& lib.*2.*prog.*51. Aëtio *tetr.*2. *ſerm.*1. *cap.*44. Demùm ſi hæc ſunt lethalia, cur nigrum pus non erit exitiale? Quapropter nullum pus rubrum, aut nigrum ad bonum iudicare poteſt, ſed potiùs hoc pus vocandum eſt ichor, aut ſanies cruenta, aut nigra; & hæc cùm maligna ſit, immania mala, mortémque præſagit, ex Hipp. *lib.*2.*prorrhetic. num.*21.§.*At verò nomæ lethaliſſimæ ſunt, quarum putredines profundiſſimæ, nigerrimæ, ac ſicciſſimæ exiſtunt. Prauæ etiam ſunt ac periculoſæ, quæ nigram ſaniem remittunt.* Nomæ autem ſunt vlcera, quæ ſerpendo per corpus, ipſum depaſcunt, & deuorant, ex Plinio *lib.* 23. *cap.*4. alij nomata, & carcinomata appellant. Hinc factum

B eſt, vt è vita diſcederet Malienſis, apud Hipp. *lib.*5.*epid. num.*13.*cui currus onuſtus inductus eſt ſuper coſtas, & coſtas confregit, & per tempus ſubſtitit ipſi pus infrà coſtas, & ex vlcere effluebat putridum, ſubnigrum, & graueolens:* nam vt notat Valleſius *in com hic ſuccus ſubniger malignam ſignificat putreſcentiam. Sanies* enim *nigra, aut liuida, ſicut pus liuidum, exitium portendunt*, ex Celſo *lib.*5. *cap. cit.* Hoc aliquando in lethalibus vulneribus effluere, proprio experimento docuit Valleriola *lib.*2.*obſ.*8. *&* 9. cùm à grumoſo ſanguine, corrupto, & nequaquam in pus conuerſo, & caloris natiui extinctione eueniat, qui ob multitudinem mali ſucci, transfuſum ſanguinem nec concoquere, nec in pus vertere potuit: ſequitur itaque vt nigreſcat, & corrumpatur, vt notauit, Gal. *lib.*2. *de fract.com.*32.

Licèt autem hæc ſint vera, & ex Principum mente

C hauſta, ob quæ ſatis nobis, ſi modò in medicina aliquid profecimus, perſuaſum eſſe debet, pus album ſolum eſſe optimum, tamen tantorum auctorum mentem de frequenti euentu eſſe explanandam, firmiter tenemus; nam pus rubrum, aut nigrum, aliquando ad bonum iudicare poteſt. Si enim in lienis carne à fæculento ſanguine excitetur inflammatio, quid mirum ſi hic ater humor in laxa, ſpongioſa, molliique huius viſceris carne concoctus, abeat in pus nigrum, ſuppurata inflammatione, & ſalubriter exeat in animantis commodum? neque enim nigræ deiectiones reprobantur, ſi rectè exeant, & ſint cum robore virtutis celebratæ, quod monuit Hipp. *lib.*4. *aph.*47. *Excretiones in febribus non intermittentibus, liuidæ, cruentæ, fœtidæ, & bilioſæ, omnes malæ. Sed ſi proſperè excernantur, ſiue per aluì excretionem, ſiue per vrinam, bonæ, &c.* Galenus verò *in com.* ſic ait: *fortè conuenientius fuerat dice-*

D *re, omnes prauas excretiones cùm proſperè excernuntur, in bonum contendere.* Præſertim ſi exeant cum tolerantia ægri, & conferentia, quæ maximè experitur in euacuationibus omnibus ex Hipp.*lib.*1.*aph.*2.23.*& lib.*4. *aph.*3. Demùm non ita condemnandus color niger, vt cum eo nullum ſaluari contingat. Neque enim vrina nigra ſemper lethalis eſt; ſiquidem aliquando cum ægri vtilitate excerni, teſtis eſt Galenus *lib.*3. *epid. ſect.*3.*com.*20.*&* 82. nam in retentis menſtruis, ſuppreſſis hæmorrhoïdibus, morbis melancholicis, quartanâ vtiliter apparent, vt latè ex Principum, & Iuniorum mente probauimus *lib.*2.*huius operis in com.hiſtor.*182. & vel Hipp. ipſe *lib.*2.*prorrhetic.com.*17. *in vlceribus laudat colorem nigrum*, §. *Species vlcerum bonæ ſunt leues, & commoderata; iuxta colorem verò ſit ſpecies alba, aut nigra, &c.* Ita Aëtius *lib.*10.*cap.*4. pus nigrum, puris

E nomine appellare docet: nam pus in ſe non eſt albiſſimum, ſed in genere puris tale dicetur, quoniam pus eſt cinerei coloris, ex Galen. *lib.*2. *de fract.com.*42.

De rubro pure minor eſt hæſitatio: ſicut enim in tunica iecoris, quæ ipſius corpus inueſtit, poteſt oriri inflammatio, & emanante pure albo poſſunt euadere ægri, ex Hipp. 7. *aph.*45. Sic ſi in carne ipſa hepatis oriatur inflammatio, pus illud poteſt eſſe bonum, licèt ſit rubrum: nam humorem ſubiectum iecur non poteſt in pus album tranſmutare, cùm rubrum ſit; quia coctio nihil aliud eſt quàm eius quod coquitur, in concoquétis naturam tranſmutatio, & aſſimilatio. Sic omnia referunt idæam. naturam, temperiem partis à qua emanant. Sic chylus ſit albus, quia à ventriculo ſit albo, & ſpermatico: ſemen album

quia

quia in teſtibus ; lac album quia in mammis adenoſis generatur.Ex chylo albo fit ſanguis ruber, quia à iecore rubro concoquitur.Sic pus album fit, quia in ſolidis coquitur.Sic pus in iecores rubro generatur : nam pus à iecore factum, debet eſſe rubrum hac de cauſa, monente Gentili *in com.cap.*10.*in* 14.3. *tract.*3.*Auic.* Si autem Galenus *loco nuper citato aph.* cum Hipp.aſſeuerat, omnes perire,qui ex ſuppurata hepatis inflammatione pus emittunt fæculentum,fætidum, amurcæ inſtar,incoctam putredinem hepatis manifeſtè oſtendens, quando videlicet vſque ad carnem hepatis corruptio pertingit, de lethali hepatis inflammatione intelligendus eſt; in qua ob eximiam, & excellentem putredinem,quam fœtor ingens comitatur,pus apparet graueolens; non de ea inqua pus rubrum benignum apparet, cum robore, tolerantia,& notis coctionis excretum, à qua aliquando ægri immunes euadunt vt referunt Capiuaccius *lib.*3.*c.*23. Eraſtus *part.*3. *diſp.de febre putrid.*Immò abſceſſus hepatis ſæpe per vomitum,aluum, & vrinas, aut in abdominis capacitatem expurgari, docet Fernelius *lib.6.pathol.c.*4. Quin ex vomica hepar putrefactum,ad ſuras putrilaginē tranſmittit,vt teſtantur Gaſpar Bauhinus *in obſer.prop.*Iacotius *com.ad Coac.Hip.pag.*349.

Nec pariat tibi obſtaculum veneranda Celſi ſententia, *lib.*2.*c.*8.dum dicit.*Ex iecinore ſi pus cruentum exit,mortiferum eſt*,& Hip.7. *aph.*45.dicit *pereunt*.nam Hip.in oraculis ſuis,ſemper ex figura dictionis perpetuum docet,licèt res ipſæ non ſemper eodem modo eueniant, quamuis eæ aliter,licèt raro contingant, vt notauit Gal. *lib.6.aph.*58. Sic lethale,ſeu mortiferum ſumitur pro morbo,qui admodum crebrò,non tamen ex neceſſitate mortem inducit,ex Gal. *lib.*5.*aph.*2. Sic grauidam capi acuto morbo, lethale eſſe pronunciat *lib.*5.*aph.*30.cùm tamen aſſiduum experimentum aliter nos cogat aſſerere; illæ enim ſæpe ex acuto morbo euadunt. Ergo pus liuidum, nigrum, vel rubrum aliquando ad bonum iudicare poteſt. Conſule eruditiſſimum Ioan. Brauum *lib.*1.*prog.in com.ſent.vlt.*

QVÆSTIO X.

Vtrùm confecto pure, illicò abſceſſus aperiendus?

P*Riùs mollito abſceſſu, & deinde aperto.*]Etiamſi operis inſtituti initio certiſſimum nobis propoſitum fuit, chirurgica minùs, medicinalia magis conſectari, quum de medica materia ſolùm hoc agat opus vniuerſum, vix tamen ſtilo interdum valemus temperare, nam ingerunt ſeſe plura ardua à celeberrimis Græcorum notata auctoribus, quæ inter noſtrates claſſicos non ita ad plenum ſunt expoſita. Sic igitur pro huius hiſtoriæ explanatione in literis videor comperiſſe. Puris incipientis ſigna ab Hip.*lib.*2.*prognoſt.*58. connumerari febrim, rigorem, dolorem, & pondus. De febri extat ipſius oraculum *lib.*2. *aph.*47. nam ob vnionem caloris in parte inflammata, & conatum naturæ coquentis, ebullitionem, & confluxum humoris ad partem inflammatione obſeſſam, febris concitatur: ſicut excitatur rigor, vbi mordens halitus per ſenſibilia corpora eleuatus ſua acrimonia, ac ſtimulis partes vellicat ac ferit: quòd ſi accedat pondus,pro dolore antea percepto, humorum in pus verti, res eſt manifeſta. Cùm igitur humor ſuppuratur, colligitur in partem vnam, & ſic æger tunc pondus ſentiet magis; collectus enim humor in cauitatem vnam magis grauat, quàm vbi in poris contentus, fuerit diſperſus. Dolor fit, auctore Galeno *lib. cit.aph.*extenta ſimul,ac calefacta præter naturam, inflammata particula. Facti puris indicia certa ſint, ſi hæc omnia ceſſent: Nam *ſi dolor, febris quæ præceſſit, rubor, pulſus & reliqua inflammationis ſigna minora tunc appareant, tunc confectum eſt pus*,ex Paulo *lib.6.cap.*32.& Auic.3.4.*tract.*1. *cap.*25.Ex tactu etiam certę notæ deprehenduntur,*vbi tumor in acutum faſtigiatus eſt, & pus digitis innixis occurrat, præſertim cùm ſumma occupat abſceſſus.* Explicat Auic.*eo loco, cap.*29.

Suppurationem eſſe præſtantiorem reſolutione contendunt multi:nam apud Gal.*lib.*5. *aph.*22.§.*Vlceri pus generanti nihil mali accidere poteſt*: & ex Hip.*lib.6.epid.ſect.*3. *text.*11.*ſuppuratio eſt ſine recidiua.Ipſamet enim concoctio, & indicatio ſimul, & abſceſſus.*Et *in ſect.4.text.*1.ſic ait: *Quibus ſecundùm aures iudicationis tempore genita non ſuppurauerint hoc inanito, reuerſio fit ſecundùm rationem reuerſionum, &c.* hoc eſt, ſuppurans non retrocedit, nam hoc periculi eſt, & timoris plenum. Quare ſuppuratio non poteſt eſſe curatio fallax, vt reſolutio.Sed ex altera parte obſtat Galeni auctoritas *lib.de inæqual. intemperie; cap.*3. vbi de ortu inflammationem verba faciens, comparánſque inter ſe reſolutionem,& ſuppurationem, ſic ait: *Eſto priùs victa fluxio, duplex hîc incidit curationis genus: quòd vel diſcutietur quicquid humoris in particulam procubuit, vel concoquetur: verùm diſcuſſio optanda maximè curatio eſt, &c.* Et meritò præferenda eſt reſolutio ſuppurationi; illa enim eſt morbi ſublatio, ſuppuratio verò eſt in alium morbum commutatio. Controuerſiam hanc ſolues hoc modo. Reſolutio præſtantior eſt ſuppuratione, quoniam potentiorem, & robuſtiorem arguit calorem innatum, & materiæ obedientiam præoſtendit: verùm ſuppuratio eſt ſecurior. Vel ſi dicas reſolutionem eſſe magis optandam, quum humor tenuis eſt, ſuppurationem verò quum craſſus, auctores concordes reddes.

Abſceſſu ad ſuppurationem conuerſo, ne differas apertionem, inquit Auic.3.4.*tract.*1.*cap.*29. nam plura damna ſequuntur ex pure diutius in parte retento. Sic enim inquit:*Quum inueneris exituram groſſæ cutis,cum maturatione, cuius non ſperatur ipſius eruptio, & ſunt illic venæ, & chordæ, & nerui tunc oportet vt perfores,quoniam ſi dimiſeris ſaniem, corrumpetur, & corrumpet, & corrodet venas, & villos neruorum,&c.*Sed ſi hoc axioma verum eſt, cur Guido *in tract. de apoſtematibus*,ex mente Auic.iubet expectare, vt natura abſceſſus apertionem moliatur:*nam apertio quæ fit à natura,melior eſt ea quæ fit ab arte*;hæc enim immodicam puris copiam gignere ſolet, & in vlceribus excitat ſorditiem, virulentum, ſordidúmque reddit vlcus, & malè olens. Sed niſi Guidonem intelligas de abſceſſibus, in quibus nullo modo Chirurgus debet facere apertionem, vt in abſceſſibus cauitatem vteri occupantibus, & in illis qui internas partes corripiunt, ignoro, quomodo cum cæteris princibus eius auctoritas poſſit conciliari. Quæ enim fit in his abſceſſibus à natura apertio, eſt ſine dolore, & illa meliorem locum eligit quàm Chirurgus: ſed ſi vniuerſaliter eius ſententia accipiatur, non eſt recipienda; quoniam ſi differatur apertio, quouſque natura eam moliatur, plura, eáque irreparabilia ſubſequuntur damna: nam præter ea, quæ ab Auicenna proponuntur ſuprà, ex eis ſequitur corruptio oſſium cutis viridi colore inficitur, & in longum tempus curatio producitur. Melior ergo eſt apertio quæ fit ab arte, ea quæ à natura celebratur, ſi confecto iam pure, & vt decet,à perito Chirurgo adminiſtretur.

His propoſitis ad quæſitum properemus. Licet enim confecto pure, illicò ſit apertio exequenda, tamen aliquando pure facto, & maturo abſceſſu, notabilique puris copia in parte contenta, reſolutio tentanda. Id affirmat Galenus *lib.*13.*meth.cap.*5.dum ſic dicit:*Quin ſi pus aliquod notabile in ſuppurante particula ſit contentum, non expedit (quod nonnulli faciunt) protinus incidere, immò exhalationem moliri medicamentis ad id valentibus, quorum vſus ex affectu ſit coniectatus, &c.* Idem aſſerit *lib. ad Glauc.7. in fin.* §. *Rurſus igitur ad ſuppuratos tumores accedamus, quos vbi poſſe reſoluere deſperaueris, ex farina tritica vtere cataplaſmatibus:nam ad celeritatem ſuppurationis plurimùm conferunt, &c.* Et *ſuprà* dicebat *in eodem cap. Et cùm ſuppurari incipientem inflammationem curaturus, ſuppurationem prohibere poſſe ſpiraueris, tunc plurimum panem ebullire permittas, &c.* Subſcribunt Paulus *lib.4.cap.*22.§. *Cùm tumor ad ſuppurationem ſpectauerit, non promptè diuidere, ſed medicamentis quæ cerati ſpeciem referunt, diſcutere nitentur, &c.* Adſtipulatur Aëtius *lib.6.cap.*89.*de parotidibus.* §.*Vbi verò ſuppurati fuerint, diſcutere ipſos aggredimur, &c.* Et *lib.*14. *cap.*31. §.*Si locus affectus nimia materia turgeat, non mox ad chirurgiam prorumpere oportet, velut quidam faciunt, ſed conari, vt materia collecta per pharmaca diſcuſſoria digeratur, &c.* Horum mentem confirmat Rhaſius *lib.*14.

continent.cap.1.§.*Cùm maturum fuerit apoſtema calidum, pro-cedere debes ad diſſoluendum ſaniem cum medicis*, &c. Ergo in abſceſſibus, in quibus pus confectum eſſe iudicamus, non illicò celebranda apertio eſt, maximè ſi ſint parui, & ſint ſub cute; & paucum ſit ac tenue quod continetur pus, corpúſque rara ſit præditum contextura. Has omnes conditiones eleganter expoſuit Cornelius Celſus *lib.7. cap.3.§. Si pus maturuit in alis quidem, & inguinibus, rarò ſecandum eſt. Item vbicunque mediocris abſceſſus eſt. Item quoties in ſumma cute, vel etiam carne vitium eſt, &c.*

Sed ſcitu non iniucundum erit, ſi exponam, cur aliquando in ſuppuratis particulis reſolutio tentanda; nam multi fuit momenti apud priſcos cutim non incidere; cùm enim tota ratio reductionis partis affectæ ad priſtinum ſtatum, dependeat ex viribus naturæ, quas in calore naturali & ſpiritu ſitas eſſe, res eſt manifeſta; ſit vt inciſa cute hæc ſubſtantia elaboratiſſima exhalet, & ſpiritus nimiùm diſſipentur, ex Gal. *lib.6.aph.27.* Et idcircò cutem diuidere, quæ eſt totius corporis fulcimentum, & tutela, priſci non audebant. Hanc cauſam luculenter oſtendit *lib.3.de fractur.com.4 3.* dum ſic alloquitur. *Scire enim licet, quæcunque cute conteguntur, hac eadem delectari, nihilque nudari innocenter. At quid mirum eſt, ſi ea quibus cutis proprium atque innatum velamentum eſt, ſemper velamento gaudent innato, cæteriſque omnibus læduntur? Equidem quum nihil ex cute præciderem, ſed eam ab vlterioribus partibus ſuper locum inducerem, à quo detracta erat, agglutinatam vidi, & (quod magis admiratione dignum eſt) quum locus iam nigritie occupare-tur. Illud item longè admirabilius, quòd non modò adoleſcentibus, ſed ſenibus non paucis cutem ita detractam protinus, vt in plaga nigreſceret, ſæpe agglutinaui, &c.* Et vt videas quantopere cutis corpus noſtrum tutetur, audi ipſum *eo loc. infrà. §. At nuda caro, ſi ſine cute relinquatur, ægrè ad cicatricem perducitur, præterquam quòd morſum omnino ſentit, & ſordida redditur, ſed vbi pars, à qua detracta cutis eſt; eadem contegatur, nulli eiuſmodi noxa patet: quod ſimile eſt, atque vbi puſtula ſub variis cauſis orta in tumorem aſſurgunt, & interdum grauem afferunt dolorem: acuta enim acu (vt noſti) eas aperio, vt exitum habeant, collectòque ibi humore leuiter expreſſo, ſuperiectam cutem ibi relinquo. Hæ deinde implentur præcluſo foramine, impleta eodem modo aperiuntur: humore expreſſo cutis ad carnem compellitur, ſeruaturque, dum quod ſub ea exulceratum eſt, ad cicatricem perueniat. Hoc dixiſſe volui, vt apertè oſtenderem, vlcus quodlibet innata cute contegendum eſſe, &c.* Conſule Fallop. *tr.de tumorib. præter natur.c.23.de ſecando abſceſſu.*

QVÆSTIO XI.

Virùm ante perfectam ſuppurationem, abſceſſus apertio molienda.

QVi ante ſuppurationem perfectam aperit abſceſſus, ſuam in arte chirurgica fatetur inſcitiam, & priſcorum edicta parui facit, & temnit. Illi enim vnanimi conſenſu perfectè ſuppuratos tumores aperire conſulunt: nam ſi aliter feceris, timor eſt ne pars morticinium patiatur; cùm enim crudus ſit humor, & adhuc conetur natura eum in pus tranſmutare, dolor adeſt, & confluente humore ob nouum ex apertione dolorem, ingentes inflammationes concitantur, & debilitato calore natiuo, & non benè ventilato, neque tranſpirante, mortificatio accidit. Quapropter abſceſſus ante perfectam ſuppurationem, nec cauterio, nec ſcalpello eſt aperiendus.

Sed quia in Chirurgorum phalanges peruenimus, in quibus pleraque reconditam habent doctrinam, ne illotis manibus adeamus, ſubtexamus obſcuriora nonnulla, ab vertice ferè ad vnguem extremum. Sed heus tu, inquies, manum de tabula: nam Chirurgi adſunt citiùs quàm putabam: Define ergo ex illorum pomœriis flores delibare; at vtile eſt, ſi velis, hæc paucula perſpicuè agere. Ergo præbe aures Cornelio Celſo, chirurgicæ familiæ duci ſtrenuo, qui in ſuis vltimis libris, non perfunctoriè, ſed firmiſſimis rationibus, & experimentis, ingenio raro, iudicio admirando hanc artem illuſtrauit. Hic proponit primum exemplum, in quo liceat crudos tumores, & ad-

A huc perfectam ſuppurationem non expertos aperire: cùm videlicet calor natiuus debilis eſt, & ob ingentem dolorem, & vigiliam timor eſt, ne antequam humor totus vertatur in pus, poſſit occumbere, aut pars mortificatione tentetur. Sic enim habet Celſus *lib.7.cap.2. Si pus maturuit in alis quidem, & inguinibus, rarò ſecandum eſt. Item vbicunque mediocris abſceſſus eſt. Item quoties in ſumma cute, vel etiam carne vitium eſt, niſi feſtinare curantis imbecillitas cogit, &c.* Firmat Rhaſius 13.*continent.c.2.§. Si videris caliditatem innatam eſſe debilem, & humorem eſſe malum, noli maturare eum quia ſi hoc feceris, generabitur in membro putrefactio, &c.* Et *infrà* ait: *Sed operari debes tunc ſcarificationes fundales, & figuras profundas in eo loco eius ſuperponendo ei medicinas velocis exſiccationis, & diſſolutionis, &c.*

Secundum exemplum, quando pus eſt in copia tanta, vt id non poſſit regulare natura, & hoc modo propoſuit
B Auicenna 3.4.*tract.1.c.27.* dum ſic inquit: *Et quando agritudo eſt pertranſiens in magnitudine ſua, illud quod conſuetum eſt, & timetur magnificatio rei in expectatione maturationis in ea, & ſcitur quod virtus non ſufficit in maturatione illius, etſi adminiſtrantur maturatiua, perducet illud ad veſtigium immaturationis, tunc neceſſaria eſt perforatio cum cautela, ne ferrum tangat illud quod ſequitur exiturum de membris nobilibus, &c.* Lege Dinum, qui hanc ſententiam expoſuit diligenter.

Tertium exemplum. Quum materia eſt craſſa, profunda, conculcata. Hoc confirmat Auic. *loco nuper cit.§. Quum ſenſeris, quòd materia eſt talis groſſitiei, quòd non maturabitur & quòd calor naturalis in membro tantæ eſt paruitatis, quòd non maturabit: aut timueris quòd ipſe propter ſuam diminutionem eſt talis, quod alterabitur alteratione non mutationis veræ tunc neceſſaria eſt perforatio cum cautela, &c.*

Quartum exemplum. Quando membrum incipit mor-
C tificari, ita firmat Auic. *cap.25.§. Qui autem maturationem efficit cum aliquo, quod ſit ſicut huiuſmodi maturatiuum, attendere debet, vt ſi viderit calorem innatum debilem, & quòd membrum declinet ad hoc vt corrumpatur, remoueat ab eo glutinoſa, & oppilatiua, & ponat aperitiua, & ſcarificationem faciat profundam, deinde adhibeat medicinas in quibus exiſtit reſolutio, & deſiccatio, &c.*

Quintum exemplum. Quando abſceſſus eſt venenoſus, & malignæ, veneficæque qualitatis particeps. Si enim crudum tumorem non aperias, timor eſt ne natura ſuccumbat, à mala qualitate prorſus deuicta. Sic ait Auic. *loc.cit. Cùm timueris quod ipſa propter ſuam qualitatem malam & venenoſam, per quam eſt talis non alterabitur, alteratione maturationis vera, qua natura non poterit ſupra materiam, immò materia poterit ſupra naturam, & maximè ſi adhibitum fuerit*
D *auxilium ex maturatiuis: tunc perfora, &c.* Confirmat Valleſ. in *com.ſent.16.lib.5.epid.§. Ego quoque in parotidibus, quæ ex morbis aliis non leuibus fiunt, citò, vel nulla expectata ſuppuratione, vſtione vtor in ipſo tumore: nulla enim ratione meliùs prouidetur ne ipſe recurrat, ſed materia, per ipſum vlcus infligitur, expurgetur, &c.* Subſcribit Mercat. *lib.7.de feb.tr. de feb.peſtil. in fin §. Sin aliter, hoc eſt, ſi laborans deteriùs ſe habuerit, & morbus ſit ex his, qui celeriter interimunt, citra vllam maturationem, tumorem aperire oportebit, quò faciliùs per foramen expirat vniuerſa veneni vis, &c.* Et in *c.2.de feb. magna, in fin.* ſic ait: *Quod ſi compertum fuerit, aut tantùm creſcere, aut venenoſæ eſſe naturæ, vt laborans ſuffocatione periclitetur, antequam aut diſcuſſioni, aut ſuppurationi ſufficiat natura, conſultiſſimum eſt, candente auro, aut leui aliquo ferro eas vnico foramine aperire, vt veneni vis, aut immodica hu-*
E *morum copia faciliùs expiret: quo ſanè auxilio plurimos velut deploratos ſanitati fuiſſe reſtitutos compertum eſt, &c.*

Sextum exemplum. Quum abſceſſus eſt iuxta membrum princeps: ſi enim ibi pus retineatur, tetro ſuo vapore, illud lancinat, conſpurcat, & ferit, metúſque eſt ne humor retrocedat, & in alias partes reſtagnet, quod maximè periculoſum eſt, vt monent Hipp. & Gal. *lib.6.epidem. ſect.4.text.1.lib.de indicationibus, num.10. & lib.2.prog.68.* & *lib.5.aph.65.* Et notat Paulus *lib.6.cap.34.*

Septimū. Quando eſt circa iuncturas abſceſſus, ſi enim retinetur pus, ligamenta afficit putredine ſua: ita aſſerit Paul. *loc.nuper cit.§. Sciendum verò eſt crudos interdum ipſos, priuſquam ex toto in pus mutati ſint, inciai; ſi in articulis ſint,* ne

ne ligamentum, aut aliquid eis neceſſarium aſſidua putredine pariter contabeſcat,&c. Si aliter feceris,inquit Auic. *loc.cit.* in longum tempus curatio abſceſſus producetur, & æger claudus in poſterum remanebit.

Octauum exemplum. Quando abſceſſus eſt ſuper oſſa, neruos,tendones,articulos.Sic Hip.*lib.* 2.*de morb.* pię lixit. §. *Quæ prope digitos accedunt, ante integram maturationem aperienda ſunt, ne in corroſionem oſſis, perforationémque procedant.* Nam ſi his partibus perfectã ſuppurationem expectemus,damna irreparabilia contingent; cùm enim digiti parui ſint,exangues,& remoti à fonte caloris,faciliùs corrumpũtur,quia minùs reſiſtũt. Quo pacto potiùs ſequenda eſt ſententia Hip.quàm Celſi contrarium aſſerentis, *lib.*7. *c.*2.§. *Inter neruos verò vltima expectanda maturitas eſt, quæ cutem extenuet, eique pus iungat, quo propiùs reperiatur,&c.* Quare abſceſſus in neruis ſubcrudi aperiendi, vt Hip.monuit. Sicut & illi qui excitantur in perinæo, hoc eſt loco qui eſt inter anum,& teſtes,ſic docet Paulus *loc.cit.*§. *Porrò abſceſſus ano proximos, crudos antequam in totumematurueſcant,diſſecari Hip.præcipit,veritus ne perforationem experiantur,&c.* Et Hip.*lib.de fiſtulis, num.*1. *Primùm igitur cùm tale quoddam tuberculum naſcens fuerit crudum, quàm citiſſimè ſecare oportet, priuſquàm ſuppuretur ad rectum inteſtinum.*

In calce quæſtionis huius notanter aduerte, per crudos tumores, intelligendos eſſe qui habent tenſionem, & duritiem: nam maturus,eſt mollis.Ita dixit Hip.*lib.*5.*aph.*67. *Molles boni, crudi verò mali.* Et Gal. dicit *in comm. Propriè autem molli opponitur durum, atque renitens,&c.*

QVÆSTIO XII.

Vtrùm abſceſſus in neruoſis partibus, cauterio, an ſcalpello aperiendi, vt prædixit Celſus.

CÆterùm iis explicitis, fortè præſtiterit Corneliana ſubtexere placita in aperiendis abſceſſibus qui iuxta neruos conſiſtunt, ſed antequam eius mentem enodemus, non erit indignum vti notentur hoc potiſſimùm loco,præcepta circa abſceſſuum apertionẽ neceſſaria.Primũ.Vt fiat apertio in loco vbi eſt pus. Hoc cognoſces, quia cutis ibi eſt attenuata plus, & abſceſſus ſublimis. Hoc præceptum propoſuit Gal.*lib.*13.*meth.cap.*5.§.*Sin aliquando puris copia medicamenta ſuperet, nec ea videantur tibi totum digerere poſſe, quòd ſic abſceſſit, ſecare exitum ei, quod digeſtioni non ceſſit,eo potiſſimùm loco oportet,quo eſt editiſſimum: quippe tenuiſſimam etiam illic inuenies cutim,&c.* Auic.3.4. *cap. cit.* ſic inquit. *In perforatione quære locum ſaniei, & cùm inuenerís eum, illic perfora, & perforatio tuá ſit in loco maturiore.*

Secundum præceptum. Vt apertio ſit facta in loco inferiore,tunc enim pus promptiùs effluere ſolet:nam ſi retinetur, & non rectè exit, retentum corrodit & ampliorem cauitatem efficere ſolet, monente Galeno *lib.*13.*meth.c.*5. §. *Meminerís præterea in ſectione,&c.* Explicuit Auic.3.4. *cap. cit.in princ.*§. *Et ſis ſollicitus, vt cadat porta perforationis inferiùs,&c.* Sic enim pus commodiùs expurgatur. Hoc pacto inquit Celſus *lib.*7.*c.*2. *vt imus ſinus exitum habeat, ne quis humor intùs ſubſidat, qui proxima, & adhuc ſana rodendo ſinuet*: & priùs dixit Hipp.*lib.*2.*de morb.*de hydrope pulmonis verba faciens.

Tertium præceptum. Vt apertio ſit facta ſecundùm rectitudinem fibrarum: tradit Gal.*in lib.introductor. cap.*8.§. *Simplici ſectione in abſceſſionibus vniuerſis vtimur,diuidendũ verò membrum eſt recta linea, non tranſuerſa,&c.* Firmauit Auic.*loc.cit.* cum Paulo *lib.*6.*cap.*34.§. *Inciduntur ergo non omnes ſimili linea: nam in fronte ſi hanc ſectionem faciamus, nocebimus, nam ſecabimus muſculum qui ſub cute eſt,&c.* Quapropter ſi in fronte rectã aperias, ſequitur ciliorum caſus.Ita Gal. *lib.de cucurbitulis, cap.*4. iubet vt ſcarificatio facta in cruribus,abdomine, pectore, collo, fiat ſecundùm rectitudinem longitudinaliter: nam in collo ſectio tranſuerſim facta,multa affert incommoda,quum vaſa,& nerui porrigantur rectè.

Quartum præceptum. Vt in magnis abſceſſibus tota puris quantitas non educatur ſimul: nimiùm enim hac ſubita vacuatione eneruantur vires, multa ſpirituum copia effuſa: nam præterquam quòd plurimum vacuare eſt periculoſum,ex Hip.2.*aph.*51.Hoc ſimultaneo puris efflu-xu,*multi ſpiritus vnà cum eo exeunt, atque excernuntur, vnde periclitantur ægri, quum è veſtigio deficiat anima,& vires debilitentur, & poſtea debilitas iſta remedium non habeat*, vt ex mente Hip.*lib.*6.*aph.*27. dictabat Galenus.Quo pacto ipſe *lib.*1.*ad Glauc.c.*14.potiſſimã cauſam ſyncopes eſſe refert, ſi totũ ſimul pus euacuetur.Sic enim ait:*Et ſi quando etiam nos abſceſſus ſecantes, totum ſimul emittere pus tentauerimus, animi defectum ſubſequi eſt neceſſarium,&c.* Explicant Martinus Acakia,& Stephan.Athenienſ.*in com.*luculenter.

Quintum præceptum.Vt tutò, velociter, & cum minore dolore apertio fiat: vt Celſus profert *lib.*3. *c.*4.*in princ.* tranſtulit Gal. *lib.*14.*meth. cap.*13. §. *Siquidem talia omnia amouere oportebit;atque id ſemper agere,vt rationibus, quibus id fiat,penſitatis, optimã ſemper earum eligas.Sanè optima rationes tripliciter iudicantur,tum ex temporis curandi breuitate tum ex curando citra dolorem, tum ex maximè tutò curando. Rurſus vt tutò cures,tria propria ſunt,quibus intentus ſis oportet:vnum primùmque, vt omnino abſolutionem operis conſequaris, alterum, vt ſicubi hunc non conſequaris, ſaltem cubantem non lædas: tertium, vt vitium non facilè reuertatur,&c.* Hoc præceptum multo antea præmeditauerat Hip. *lib.*1. *epid. ſect.*3.*text.*50. dum inquit:*In morbis in duobus te exerceto,vt proſis,& non noceas*:nam,vt dicebat fidus Scholiaſtes *in com. qui ita remedia ægris præſcribunt,ac illi qui aleã iaciunt,quorũ inutilia præcepta magnum ægrotis afferre ſolent incommodum.*

Sextum præceptum. Vt emiſſarium fiat in ea quantitate ſecundùm abſceſſus magnitudinem,ita vt ſi ſit magnus, magnum fiat foramen, ſi paruus, paruum.Si multa copia puris, maius fiat orificium; ſi minor, minus. Hoc docuit, Gal.13.*meth.cap.*5. reprobans,illos,qui maximas ſectiones facere ſolent, quarum occaſione particula, vbi ad cicatricem eſt perducta,non ſolùm turpiſſima redditur,ſed etiam fit imbecillior,ſolùm ergo inciſio fieri debet ad myrtei foliĳ ſimilitudinem. Et Celſ. *lib.*7.*c.*2.monet, vt ſi ſcalpellus adhibetur,quàm minimæ,& quàm parciſſimæ plagæ ſint.

Septimum præceptum. Vt poſt apertionem mitigetur dolor, quem ſectio fecit, deinde neceſſe eſt abſtergere, euacuare, ad cicatricem perducere, vt *citato loco meth.* docuit Galenus.

Octauum præceptum. Vt ſit Chirurgus ſolicitus, ne faciat apertionem nerui,venæ,aut arteriæ.Quapropter vt hæc damna auertantur, iubet Albucaſis *lib.*1.*de cauteriis*, vt fiat apertio cum cauterio. Nam præterquam quòd ab imminenti hæmorrhagia præcauet, etiam partem à prauis ſymptomatis præſeruat: ſic enim, ſi accidat punctura nerui, à futuris grauiſſimis damnis præſeruatur corpus. Contra cõtinget,ſi in neruoſis partibus abſceſſus aperiãtur ſcalpello, nam tunc dolores, & conuerſiones contingere ſolent. At cùm verſaremus nuper Cornelĳ Celſi, Medici ſummi *cap.*2.*lib.*7. eximium quidem, elegans, & doctum, incidimus fortè in huius auctoris circa hoc negotiũ prætextatam ſententiam,quæ ſuperiori è directo repugnat.Sic enim habet medicæ facundiæ anteſignanus auctor. *Si autem altius malum eſt, conſiderari debet, neruoſúſne is locus ſit,an non ſit. Nam ſi ſine neruis eſt,candenti ferramento aperiri debet. At ſi nerui iuxta ſunt, ignis alienus eſt: in his periculum eſt, ne vel diſtendantur hi,vel membrum debilitent, neceſſaria verò opera ſcalpelli eſt,&c.* quoniam *ignis eſt neruis inimicus*, vt optimè dicebat Hip. *de artic.com.*1. *text.*54.

His poſitis, tantorum virorum inter ſe tam longè contrariis ſententiis, ita difficile eſt hos in veram redigere amicitiam, vt nihil ſit in actuoſa Chirurgia difficiliùs. Quamuis autem acutè, & doctè eloquentiſſimus ille Orator, & celebris Medicus, mentem ſuam circa hoc negotium aperuerit; tamen Albucaſis ſententiam ampliùs tutandam, & roborandam arbitramur: nam damna ſæua ſuprà relata frequentiùs accidere comperimus,ſi abſceſſus circa partes neruoſas ſcalpello aperiantur, quàm ſi cauterio;neque enim tunc neruorum fient conuulſiones, neque debilitabitur pars, cùm ignis roboret.Hic, vt dicebat Hipp.neruis eſt inimicus, ſi profundè penetrat; ſic enim Habet Hip. *eo loco*: *Traiiciatur autem cutis candenti ferramento, ſed non nimis altè: ignis enim neruis eſt inimicus.*

Ex hoc loco mutuatus eſt Albucaſis ſententiam ſimilem, dum ſic ait, *lib. de cauteriis, cap. 1. Et ſcitote quidem filij, quod ex ſecreto curationis per cauterium cum igne, & bonitate ipſius ſuper medicinam comburentem eſt, quia ignis eſt ſimplex, & eius actio non peruenit ad membrum quod cauteriſatur, & non nocet membro alij coniuncto cum eo, niſi ſuperfluat, &c.* Vel ſi dicas, mendoſum eſſe contextum Celſi, pronuntiabis vera: de qua re interpretes Celſi, vt Petrus Pauuius, & Brachelius, nec verbum quidem protulerunt.

QVÆSTIO XIII.

Vtrùm in morbo diuturno, alui fluxus vtilis ſit.

SEd *venter abundè euacuabatur.*] Qui Hippocratica inſtituta medicæ integritatis normam certam conſtituunt, verum pronuntiant: nam ex huius ſummi auctoris doctrina eximia, velut ex equo Troiano, innumera prodierunt documenta. Quum enim plurimas recitaſſet ſententias, *in libro ſuo octauo Aphoriſmorum*, quintam propoſuit, ex qua Medici eruduntur hoc modo. *In diuturno morbo, alui fluor, malum*, aut vt legunt Rodolphus Magiſter, & Nicolaus Fontanus, qui Aphoriſmos Hipp. in compendium, politè & doctè redegerunt: *Ex diuturno morbo, alui fluor, malum:* quoniam hic vt cauſa, & vt ſignum reprobus eſt. In hunc ſenſum dicebat Auic. 1. 6. 3. *tract.* 1. *cap.* 2. *Et omnis fluxus ventris, poſt ægritudinem vehementem, accidens ſubitò, eſt ſignificatio mortis, quoniam ſignificat corruptionem ſubitam, &c.* & 2. 4. *tract.* 1. *cap.* 77. ſic ait: *Et fluxus ventris multus poſt ſigna mala ſignificat caſum virtutis, & præter hoc quòd ſuccedat læuitas, eſt ſignificatio mortis, licèt febris ſit etiam eradicata, &c.* Fluxus enim hic non fit ex ordine naturæ expellentis, ſed ex imbecillitate naturæ retinere non potentis: nam perincioſa ſine ſignis leuantia mortem indicant, apud Hip. *lib. 2. prorrhetic.* 17. cùm ſint *decretoria non decernentia, quæ partim lethalia ſunt, partim difficilis iudicationis*, vt dictabat Hip. *lib. 2. epid. ſect. 1. in med.* repetit Gal. *lib. 1. epid. ſect. 3. com.* 18. & *lib. 7. aph. 4.* cùm *iis quæ ſine ratione leuant, fidere non oportet*, ex Hip. 2. *aph.* 27. hoc eſt, iis quæ ſine coctione, ſeu vacuatione rationali, & ſequuta tolerantia leuant, non eſt fidendum, quum *morbi qui ſine ſignis finiuntur, malignius retrocedant*, ex Gal. *lib. 3. criſ. cap.* 2. nam tolerantia ægri maximè in euacuationibus expetitur.

Hac ratione alui fluxus in diuturno morbo eueniens, calamitoſus eſt: retentricis enim facultatis nimiam debilitatem ſignificat, & cùm in morbo chronico, exhauſtis ſpiritibus & ſanguine, fatiſcant vires, & minuatur internus ignis, crudorum ſuccorum copia ſuccreſcit in corpore, quæ obſtructiones promptiſſimè generat; ex qua fluxus oritur, quem oppilatiuum Arabicæ familiæ ſectatores nuncuparunt, qui ex ſe funeſtus eſt, & difficilis curationis; nam fluxus quatenus fluxus, incraſſantia expoſtulat, obſtructio autem apertionem: ſi illa propines, auges obſtructionem; ſi offeras incidentia, prouocas fluxum; ita vt ob varias, eáſque contrarias indicationes, fluxus hic veluti immedicabilis ſit, & ex quo pauci euadere ſolent; immò vitio in vitium mutato, quum debilitas partium velut habitualis corrigi nequeat, & in morbo longo facultates omnes lapſæ ſint, propullulat fluxus, quem Arabes omnium modorum vocitarunt, qui quàm periculoſus ſit, exactè propoſuit Auic. 1. 6. 3. *tract. 1. cap. 2.*

Proponamus exemplum in hydrope, (qua affectione vexari fœminam hanc arbitrabantur Medici) in quo, durante diu, multipliciter ad malum alui fluxus contingit: nam accidit ob imbecillitatem venarum, quibus tanquam manibus iecur ad ſe trahit alimentum, & ſic debiles id retinere nequeunt; ſunt enim habituali frigida intemperie affectæ, & ſic corrupta alimenta confeſtim labuntur deorſum. Accedit alia potiſſima cauſa, quòd in hydrope detentis, ob obſtructiones ſcirrhoſas, viſceribúſque contumaciter adhæreſcentes, putredinem internam, inflammationem, vehementem calorem partium naturalium, interceptam diſtributionem, hepar eſt valdè debile, gliſcit, & excandeſcit, & ſic bilioſum excrementum coaceruatum profluit in inteſtina, ea vellicat, & mordet, &

A prorítat ad excretionem, qua vacuatione nec dolores ſedantur, nec incendium internum, vllum poſtea remedium habet, cùm remaneat eadem facta in viſcere generéque veneſo intemperies, quæ ſemper eadem generat excrementa: hic fluor alui in hydrope periculoſus eſt, neque ſoluit dolorem, vt ait Hip. *lib. 2. prog.* 2.

Ex iis deduces, notabile ad praxim ſummoperè neceſſarium, nempè euacuationem ſine coctione reprobam eſſe, & inutilem. Hoc multò anteà prædixit Galenus *lib. 3. de criſib. cap. 3. §. Primum quidem, ac maximum bonæ criſis ſignum, ſunt coctiones, &c.* Hæ in omni vacuatione per quamcunque regionem eueniente obſeruari debent; poſtea debet ſubſequi vacuatio: coctio enim ſine vacuatione, & hæc ſine illa, certam ſalutem non portendunt. Id expreſsè docuit Gal. *lib. 4. aph.* 22. dum ſic ratiocinatur: *Quando aliquis incipit morbus, ſiquid tunc excernitur, nihil tunc ex-*

B *cernitur naturæ ratione, ſed ſunt omnia ſymptomata earum, quæ præter naturam ſunt in corpore diſpoſitionum, quo enim in tempore à cauſis morbum facientibus natura grauatur, & adeſt cruditas humorum, tunc aliquid vtiliter euacuari eſt impoſſibile. Siquidem oportet coctionem præire, ſubſequi verò diſcretionem, & poſtea vacuationem, vt bona ſit criſis, ſiue indicium, &c.* & *lib. 2. prog.* 67. ſic ait: *Itaque neceſſe eſt & concoctum eſſe morbum, & excerni rectè ſcreationem, per affectionem quæ in ſanitatem itura eſt.*

Vtrùm verò magis ſit fidendum coctioni, quàm euacuationi, quid ſenſerit Medicorum longè clariſſimus Hippocrates, iam ex interpretatione Galeni *lib. 4. cap.* 22. promere ingrediar. *Planè*, inquit, *coctiones iudicij celeritatem, ſalutiſque ſecuritatem ſignificant: cruda autem, & incocta, & ad malos abſceſſus conuerſa, iudicationis carentiam, vel labores, vel diuturnitatem, vel mortes, vel eorundem malorum redi-*

C *tus. Quando igitur poſt morbi coctionem aliquis humor vitioſus excernitur, tunc corpus à natura expurgatur. Et propter hoc atra bilis, & alius omnis huiuſcemodi humor, vbi ſigna coctionis in morbi proceſſu apparuerint, bonam ſignificant euacuationem. Si verò aliter excernantur ſine ſignis coctionis, exitialis eſt caſus.* Hactenus diuiniſſimus Galenus. Idem confirmat *lib. 1. aph. 12. §. illud ſcire oportet, quòd ſigna coctionis quidem ſemper ſunt bona, vt quæ morbi ſolutionem haud ita multò poſt futuram oſtendunt:* & *lib. 1. criſ.* 13. & 14. immò millies id comprobare videtur, edoctus ab Hip. *lib. 1. epid. text.* 45. & 46. Ergo magis fidendum eſt coctioni ſoli, quàm euacuationi, ſecùs quàm Medici opinati ſunt, qui hanc fœminam pertractantes ſummè ſunt lætati, & bonam ſpem de morbo conceperunt, quòd nimio excitato alui profluuio, à periculo immunem futuram arbitrarentur, quum hoc

D ſic contra Hip. & Galeni mentem, qui euacuationi ſoli non confidunt, ſed coctioni: nam ferè virtus quæ potuit integrè, & plenè materiam morbificam coquere & ſuperare, ſufficiens erit illam excernere. Ex hoc fit manifeſtum, in vera & vniuerſali declinatione neminem vnquam vi morbi periiſſe. Hanc ſententiam præclaro elogio firmauit Galenus *lib. 11. meth. cap.* 15. dum ſic profatur, *Saluberrimum igitur eſt in febribus venam ſcindere, non continentibus modò, verùm etiam aliis omnibus quas putreſcens concitauit humor, vbi præſertim nec ætas, nec vires prohibeat. Leuata namque quæ noſtrum corpus regit natura, exoneratáque eo quo velut ſarcina premitur, haud ægrè, quod reliquum eſt, vincet. Itaque proprij muneris haud oblita, & coquet quod concoqui eſt habile, & excernet quod poteſt excerni.* Vides quo pacto Galenus tanti faciat concoctionem, quam ſemper eua-

E cuationi præferre viſus eſt. Vtrùm verò concoctio ſecuritatem omnino portendat, explicat diſertè Cardanus *lib. 2. contrad. tract. 16. cont.* 4.

QVÆSTIO XIV.

Vtrùm alleuatio propè mortem interdum Medicos deludat, vt monuit Galenus.

M*Agna ſpes ſalutis Medicis oborta eſt.*] Quoniam Medicorũ caſtra, non vt transfugæ, ſed vt exploratores ingreſſi ſumus, nauanda opera ſtrenuè eſt, vt publico ſtudioſorum bono, electius aliquid, cultiúſque proferamus in lucem

lucem. Quæramus itaque vndenam ſit, quòd medicæ artis non imperiti interpretes, apud Hip. *lib.3.epid.ſect.1.text.5. in hiſt. Hermocratis,* anxiè rimentur, cur Hermocratis hepatis inflammatione correptus, prope mortem fuerit ſine febre, & cum ſana mente, à dolore, & anxietudine factus immunis, rectiùs habuerit, cùm anteà eſſet delirus, ſurdus, vigil, & ſiticuloſus. Hoc modo mulier in Thaſo, decumbens iuxta frigidam aquam, apud Hip. *lib.3.epid.ſect.3. text.*73. cùm ex partu, ſuppreſſis lochiis, in febrem acutam, horridam incidiſſet, grauiſſimis concuſſa ſymptomatis, voce priuata, prope mortem reſipiſcebat, & loquebatur. Sìc Apollonius in Abderis, *in eodem lib.epid.text.*84. antequam obiret, erat cum ſolatio. Demùm vix vllus emoritur vnquam, quin aliquando antequam decedat, videatur ſibi, & aſſiſtentibus meliùs habere.

Huius quæſiti multiplicem tradunt rationem, qui in explanando Auicenna primas tenent: nam hic auctor *can.4. tract.1.cap.4.* ſic profatur. *Et multoties accidit apud mortem diſpoſitio, quæ eſt ſicut declinatio, & eſt quaſi æger euaſerit, & non oportet vt tu occuperis in hoc, immò cognoſcas diſpoſitionem pulſus, & an magnificetur & fortis fiat, &c.* Primam colligunt ex Gal. *ſuprà, in hiſtoria Hermocratis,* dum ſic ait: *Quos quidem affectus ignorat vulgus, & gaudet ſi quæ indicatur alleuatio: tametſi hæc de exitioſis ſignis, & ſymptomatibus prioribus proficiſcatur, neſcium, cùm natura enecatur, extinguitur inſitus calor, tales ſolere affectiones incidere: non ſecus ac partes, quæ defluxione mala in tumorem aſſurgunt, vbi natura præ infirmitate haudquaquam attingit concoctionem humoris, qui excitauit tumorem. Nam cùm generatur, inquit, pus, dolores fiunt, & febres, quòd natiuus calor humores, tumoris auctores immutet. Quare quando hæc omnino à concoquendo abſtinet per imbecillitatem, nec laborant, nec febricitant, niſi perparum, &c.* Vides quomodò emoriente per partes internas ſenſu, ceſſat natura præ imbecillitate à coctione, & à pugna; & tunc otiante facultatum actione miteſcere videntur ſymptomata, & hoc ipſum, eſt ipſum mori. Secunda cauſa eſt, quoniam naturalis facultas ob imbecillitatem excrementa non mouet, quæ immota minùs partes principes concutiunt vapore ſuo. Tertia eſt, extremus naturæ conatus, qui ſi non expellit, facit tamen, vt abſcedant excrementa à partibus principibus ad tempus, in quas nouo impetu illa irruentia inopinatò mortem afferunt, quum ſpes aliqua ſalutis ſeſe cœperat inſinuare.

Quo pacto, hæc mitities ſymptomatum ſæpe vel peritiſſimos Medicos deludere ſolet, qui hac lenitate irretiti, ſalutem præſagiunt, quum non multo pòſt mors ſubſequatur. Hoc ſignificauit Galenus, in eadem hiſtoria Hermocratis, per hæc verba: *Mihi verò animum diligenter aduerte: ac caue mireris, quî ſæpe ego, quum quempiam perniciosè ſe habere dixiſſem, qui interim repentè haberet bellè, adeò vt lauaret, illuderérque non à plebeiis tantùm, ſed à Medicis quibuſdam, in prædictione tamen conſtarem. Poſteà cùm repeteretur ille à morbo, qui videbatur rectè habere, moreretúrque, ex diuinatrice, non medica ſpeculatione habitus ſim prædixiſſe, quum hæc præclari iſti ipſi Medici nuſquam eſſe affirmauerint literis mandata, &c.*

Quanam igitur ratione hæc à Medicis ſint obſeruanda, ne ita miſerè decepti infamiam incurrant; Auicenna explicuit *ſuprà,* dicens: *Non eſt neceſſe vt Medicus occupetur in hoc, neque ſit contẽtus cum quiete hac, ſed anteacta ſigna rimetur, ex quibus, an hæc alleuatio ſymptomatum ſit vera, an fallax, indicare queat, & conferat ſigna omnia inter ſe, videátque num morbus ſit finitus cum abſceſſu aliquo. Quæ* enim *ſine ſignis finiuntur, maligniùs retrocedunt,* ex Gal. *3.criſ.c.2.* Omnia hæc, vario, & fidiſſimo vſu nixus vbertim explanat Galenus *l.6.epid.ſect.2.com.*11. dum hæc aurea verba profatur. *Dolor lateris quempiam inuaſit, vt ſigna quæ affectũ indicantia nominantur, nobis declarant, quod etiam grauis tranſitus morbi atteſtatur: quare ſæpe fit, vt Medicus repente ingreſſus, & morbi, & doloris leuationẽ eſſe factam, & adſtantes lætos cõperiat, ipſe tamẽ lætari temerè non debet, ſed quærere factáne ſit indicatio, aut abſceſſus eruperit, quorum nullum ſi factum inuenerit, ſed ægroti oculos perturbatos, ſignáque delirij adeſſe intueatur, tunc magnum eſſe malum pronuntiabit; tunc enim ſedata quidem pleuritis eſt, ſed ad perniciem, propterea quòd* A *materia ad cerebrum impetum fecit, &c.* Ex quibus verbis conſtat manifeſtè in morbis exitialibus non eſſe temerè ſpem ſalutis pollicendum, ſi fortè aliqua elucet leuatio, ne ſi fortè recrudeſcente morbo mors contingat, vel fefelliſſe, vel ignoraſſe Medicus videatur, vt ſcitè notauit Celſus *lib.5.c.26.in initio.* Auicenna *ſuprà citata ſententia,* ex pulſu docet diſtinguere hanc declinationem mortalem, à vera: nam in hac redditur pulſus magis ordinatus, æqualis, & vehemens; in illa verò fit pulſus debilior, inordinatus, ac inæqualior.

Ex iis apertè apparet Medicos hanc fœminam curantes fuiſſe deceptos: nam licèt abſceſſus eſſet apertus, & ab eo pus emanaret in copia multa, quum tamen cætera ſigna, ruinam, naturæque debilitatem, & omnimodam extinctionem portenderent, euidens erat, ægram neceſſariò B perituram. Caue ergo ab iſtis qui irrationalem experientiam colunt, atque hæreſim methodicam amplectuntur, omnia artis noſtræ theoremata deſtruentem, quæ rationes quaſdam dogmaticas quidem, ſed multis erroribus implicitas conſectatur, vt verbis vtar Gal. *lib.2.ad Glauc.cap.2. in fin.*

QVÆSTIO XV.

Vtrùm Galenus ſymptomata ex ſuppreſſis menſtruis orta rectè deſcripſerit.

DVm curioſius Græcorum monumenta verſarem, pro harum hiſtoriarum, quæ de menſtruo ſuppreſſo ſunt propoſitæ, explicatione, in quibus quæpiam ſunt ſcripta, Medicis auribus (vt reor) non indigna; pergratum me ſtudioſis facturum opinatus ſum, ſi hiſce commentationibus C illuſtria inſererem, addendo etiamnum ex veterum ſcientiſſimis nonnihil, ne in hac parte mutilæ, ac quaſi aſymbolæ videantur. Quamobrem reiecta omni veſica, ſic cum Gal. claudere partem hanc ſatius duxi.

Fœminis, ex conſulto naturæ, locus eſt conceſſus, efformando, alendóque fœtui accommodatiſſimus, & cùm pro his vſibus materia eſſet neceſſaria vberrima, conſonũ omnino fuit plus ſanguinis illis ineſſe, quàm conficere poſſent: cùm verò in eam vtilitatem non expenditur, aliquid eius ſupereſt & redundat, præſertim in corpore, quod nec caloris copia, nec ex vitæ ſtudio, & inſtituto ſatis aptũ eſt, reſolutioni eorum quæ ſuperſunt. Vnde rectè Gal. *lib. de venæ ſectione aduerſus Eraſiſtratum, c.9. Muliebre,* inquit, *genus; quòd domi agat, nec vehementibus laboribus exerceatur, aut ſub claro ſole viuat, humorum coacervat multitudinem.*

D Vt ergo ſagaciſſima natura fœminarum incolumitati proſpiceret, & plurimos, eóſque ferinos morbos anteuerteret, ex menſtruo ſanguine retento pronatos, quos ſuprà liberali ſtilo deſcripſimus, illis menſtruam purgationem conceſſit, vt quod ſanguinis ſupereſt, certis quibuſdam ſtatutiſque temporibus per vterum excerneretur innoxiè, tum vt ad locum conceptioni idoneum aſſueſcat, tum vt à ſuperfluo per commodam regionem corpus expurget. Hanc ſanguinis expurgationem tam Medici, quàm Philoſophi menſtrualem nuncuparunt, edocti ab Hip. *in lib.de morbis mulier.in locis multis,* & Ariſt. *lib.7. de hiſtor. animal.cap.*1. & alibi.

Quamuis autem fœmineum genus vniuerſum plus ſuperfluitatum, quàm maſculinum aggregare conſtet, non omnibus tamen viuiparis, ſanguineiſque animalibus menſtrua ſuccreſcunt: ſuperuacua namque in corporis ali- E mentum conuertunt, aut in corium durum, ſquammas, pilos, pennas, demum in craſſas & multas vrinas. Huiuſmodi enim purgatio mulieribus inter in fœminas euenit vberior; equabus minor, & parcior adhuc iuuencis, nulli, vt mulieri, ex Ariſt. *in lib.6.de hiſtor.animal. cap.*18. & 20. Deinde, omnium maximè mulieres menſtruas purgationes habent, quoniam bruta parciſſimè viuunt, vno victus genere vtuntur, laborant, exercentur: mulier verò liberaliori, eáque varia eſca vti ſolet, otioſa eſt, ſedentaria, & ſanguinis copiam non conterit.

Inter ſymptomata, quæ ad menſtrua retenta ſequi ſolent, numerat Galenus *lib. de loc.affect. cap.5.* lac, cum Hip. *lib.5.aph.*39. Verùm, qui etiam nullo in mammis lacte

apparente menſtrua retinentur; quin & grauidis, & fœtis procreatur, alia adiungit ſcilicet moleſtum quendam grauitatis ſenſum toto corpore perceptum, quem ſequi neceſſe eſt, ex defectu purgationis redundantium ſuperfluitatem; & ex eadem cauſa inquietudinem, qualis euenire ſolet iis, qui præ ingeſti cibi multitudine, grauiter, moleſtéque habentes, implacidi atque inquieti fiunt, & dum in lecto iacent, ſeſe huc illúcque proiiciunt, crebróque permutant, ex Gal.2.*acut.comment.*22.

Oriuntur deinde ciborum inappetentia, ac faſtidium, propter ventriculi cum vtero conſenſum: horrida inæqualitas, hoc eſt quam horror comitatur, de qua *lib.2.de ſympt. cauſ. cap.*2. nam ſi citra horrorem inæqualitas fiat, ſimúlque faſtidium incidat, & rerum alienarum, ſeu vitioſarum cupiditas, datur ſuſpicio geſtationis, ex Hipp.5. *aph.*61. & omnimoda ferè certitudo, ſi os vteri internum citra duritiem clauſum ſit: ex Hip.5. *aph.*51. Si creber vomitus infeſtet, vel terræ, carbonum, & ſimilium appetentia, quæ grauidis eſt familiaris, & Pica vocatur, de qua Galenus *lib.*1.*de cauſ.ſympt.c.*7. Quòd ſit præter dicta ſymptomata, & menſium ſuppreſſionem, vteri ceruix cum quadam duritie cladatur, non grauidatio, ſed præternaturalis aliquis vteri affectus protenditur in illa ſui parte, quæ tangenti obſtetrici retracta apparet, ſurſum, in dextrum, vel ſiniſtrum, confirmante ſimul dolore, & grauitate ſenſata, cuius certiſſimus index eſt dolor. Is inſuper vtero affecto in coxam nonnunquam decumbit; quin & per inceſſum crus claudicat è regione poſitum, ex *lib.*6. *epid.ſect.*1.*text.*2.

Porrò ſi menſtrua retineantur, tumor præter naturam in ilibus exoritur; ſequuntur lumborum dolores, colli, & ſyncipitis, tractis in conſenſum illis partibus. Febres ardentes, ex retento, ac putrefacto bilioſo ſanguine in venis. Nigricantes aliquando vrinæ redduntur aut rubra quadam ſanie commixtæ, pellente natura ad lotij meatus portionem quandam menſtrui ſuppreſſi. Nonnunquam vrinæ difficultas, aut omnimoda accidit ſuppreſſio, vias ipſas vrinarias craſſis excrementis obturantibus. Interdum ſanguinis ſputio per os 5. *Aph.*32. aut per quamuis aliam partem. Phlegmonæ, & eryſipelata pari ratione excitantur. Hæc igitur cum accidunt, menſtrua eſſe ſuppreſſa coniiciendum eſt: neque enim probè purgatis (inquit Galenus) talia eueniunt. Quapropter *vterus omnium muliebrium morborum in cauſa eſt* vt dicebat ſapientiſſimus Senex *lib.de loc.aër.& aq. num.*76. & Galenus alſatis in medium teſtimoniis, *in cap.cit.de loc.affect.* vbertim confirmant.

Sed multa ſunt, quæ lectorem à Galeni lectione auertere poſſunt. Et in primis ſic inſurgo, contra ſignum ex lacte in mammis collecto deſumptum. Nam vel dicatur quædam albi, necdum concreti adipis portio, ab omento ſurſum diſtillata, ep vteri compreſſione retentis menſibus turgidi, quod putauit Hip. *lib.de natura pueri,ad med.* vel ſecundùm, Ariſt.4.*de generat.animal.*8. albus ille, dulcis, & percoctus liquor in vberibus genitus, & ex ſanguine illo in toto corpore redundante, & præcipuè in corde, atque inde tanquam è fonte ad vbera facilè permeante, ob loci viciniatem, & inanem láxámque contexturam, ad recipiendúmque promptiſſimam. Demùm, vel iuxta Galenum *l.*14.*de vſu part.c.*8.& *lib.*5.*aph.*37. quia & vtero, & mammis communia quædam ſunt vaſa, per quæ ſibi mutuò materias impertiuntur: ſic prouidente natura, vt commoda pararetur fœtus alitio: & ſicut quandiu in vtero exiſtit, ad ipſum ex vniuerſo corpore ſanguis confluit, quia in vtero continetur, ita poſtquam in lucem exit, ad vbera tranſmittitur, 7.*de vſu part.*22. Sed quocunque modorum illorum generatio lactis conſideretur, admitti nequaquam poteſt, præterquam in grauidis, & lactantibus. Igitur ex lacte apparente iudicium ſumi nequit menſtrui præternaturaliter retenti. Probatur, quia icèt menſes retenti materia ſint lactis, ex ea tamen ſola, effectus nequaquam ſequitur, & maximè ſi cauſa deficiat finalis. Cùm igitur hæc ex omnium conſenſu, ſit prolis nutritio intra vterum, vel extra; nequaquam poterit generati lac, niſi in his quæ conceperunt, idque debito

A conuenientique tempore, ſcilicet prope partum, ex Hip. Ariſt. & Gal. ideò enim tunc temporis vbera inſigniter intumeſcunt.

Secundò. Quemadmodum in præternaturali menſium ſuppreſſione, totus ille ſanguis corruptus, & naturæ ſuperfluus in corpore colligitur: ita & cùm menſes ipſis gratia conceptus ſiſtuntur. Igitur ſimilia patientur ſymptomata, faſtidium, horrorem, tam quæ in vtero gerunt, quàm aliæ; immò verò illæ grauiora ex derelicta impuriore, & magis fæculenta ſanguinis parte ſeparata à præſtantiori, quàm ad ſe fœtus pro ſui alitione alliciunt: inde enim toto ferè geſtationis tempore peſſimè habere fœminas, Medici edocti ab Hipp. *lib.de morb. mulier.* paſſim confirmant. Atque adeò inſufficienter videtur Galenus diſtinxiſſe per ea accidentia, retentos menſes à conceptu, & aliis cauſis. Nec minùs per iudicium illud ex vteri

B clauſura, ita vt ſi eius os tangenti obſtetrici clauſum citra duritiem occurrat, credatur ceſſare purgationes, quia grauida ſit mulier; ſi autem durus & clauſus appareat, ex phlegmone: nam præterquam quòd tangi ab obſtetrice non poteſt, cùm modica vteri ceruicis longitudo, vndecim digitorum ſit, *lib.de diſſectione vulua, cap.*2. & 21.3. *tract.*1.*cap.*1. ſi grauidis os vteri clauderetur, & nequaquam aperiretur, ſuperfœtatio fieri non poſſet, contra id quod expreſsè docet Hip. *lib.de ſuperfœtat.in init.* & euentus confirmat. Deinde, quæcunque pars ſuſcipit humorum affluxum, tumet, & notabiliter diſtenditur, tantùm abeſt quòd contrahatur. Ergo pariter & vterus, ſiue gerens, ſiue inflammatus, multò magis diſtendetur, & aperietur, & hiabit magis, non ſecus quàm vuea oculi tunica, cuius inflammatæ foramen magis pateſcit.

C Tertiò. Licèt flatus à toto corpore & vtero exhalantes, ſurſum aſcendant, ſupremum verticem petentes, per eam tamen caluariæ partem, vtpote quæ tenuior eſt, & futurarum ferax, facilè exhalant, & parùm aut nihil immorantur: ideò enim natura per ſanitatem eò mittere ſolet, quia per eum locum habent exitum feſtinum, & commodiorem diſſlationem ſortiuntur. Igitur & hac de cauſa, & ex conſuetudine minor moleſtia, ac noxa in ſyncipite percipietur, & per conſequens, &c.

Quartò. Si vrina nigra in ſuppreſſis menſtruis appareret, omnes ferè interirent, quibus illæ purgationes cohibentur. Atqui nec multæ inde intereunt, nec valde periclitantur. Igitur. Probatur ſequela, quia ex 2.*prog.*32.exitialis eſt illa vrina, ita vt 1.*criſ.*1 2. nullum cum tali vrina vidiſſe ſanatum affirmet Galenus.

D Vltimò. Si memorata ſymptomata bene purgatis non acciderent, ipſis apparentibus prædicere certò poſſet Medicus menſium defectum, antequam laborantem audiat. Sed Galenus inſuper iubet interrogare, num menſtrua retineantur. Igitur ſuppreſſionis eorum non ſunt illa omnino certa indicia, alioquin quorſum in re certa interrogaſſet?

Sed nos, quoniam à Galeni doctrina tam reuelli neſcimus, quàm nolumus, quod hic nunquam non fidem tueatur ſuam, literarum magnitudine, ac recondita ſupellectile, idcircò quidnam parte hac coryphæus Galenus ſenſerit, quidve cæteris præſtiterit, aſtruamus. Huius ergo tanti Medici ingenium profundiſſimum admirantes, argumenta contra eum propoſita diſſoluamus. Ad primum. Quemadmodum corium, ſcripſit Hip. multo oleo illitum, ſi fortè comprimatur, huc illúcque oleum effundit; ſic

E grauidæ venter pinguior per conceptum factus, à tumente vtero compreſſus, ſurſum & deorſum pinguedinem exprimit: hæc ad vbera deueniens replet, & attollit, & lactando puero præbet nutrimentum; nec enim aliud, lac opinatur, quàm adipem liquatum à calore, ex albedinis, pinguedinis, & dulcedinis ſimilitudine inductus. Sed quanquam pecora (quod ipſe ait) dum vtero gerunt, pingueſcant, ex cibo copioſiore quem ingerunt, propter abſumpta excrementa, quæ tempore ſanitatis proprios vſus referuant, non excernunt per menſes: mulieres tamen grauidæ vt plurimùm gracileſcunt, & malè habent, ob retentam copiam excrementorum.

Prætereà, multò magis turget, & comprimitur venter per

per hydropem, quàm per fœtum. Atqui in maiori illa hydropis compreſſione, nihil ferè è ventre ad vbera diſtillat, quia potiùs decidunt, cōtrahuntur, & attenuantur, quàm repleantur, & turgeant. Igitur, & multò minùs in conceptu, & per conſequens, &c. Ariſtoteles verò, etſi magis artificioſè lactis generationem tetigerit, ex ſanguine nempe fluere conſueto, geſtationiſque tempore retento, & vberum facultate per coctionem quandam in lactis formam vertente; ſatis tamen non explicuit ſanguinis commeatum in mammas: immò nec Galenus ipſe, licèt exactiùs quàm priores; nam fatemur quidem communionem aliquam dari inter vteri vaſa, & ea quæ alunt vbera, id quod etiam ſignificauit Hip. *lib. de natura pueri.*

Rurſus, conuenientiſſimum quidem fuit grauidis, in fœtus materiam & alimoniam, ſanguinem ex vniuerſo corpore ad vterum confluere, parientibus ad vbera moueri, & redire: verùm tam exigui ſunt ramuli illi ab vtero conſcendentes, vt nì magnus aliquis conatus accedat, prouidentia, & induſtria, cuius vi craſſus menſtruus ſanguis opportunè in ſuperiora trudatur, fruſtrà ex ſola vaſorum ſocietate ſperes illius conſenſum ad vbera, maximè prope partum; immò verò promptiorem decubitum in crura, & quia horum vaſa extant grandiora, magiſque cum illis vteri communicantia; & quia ſanguis ipſe præ innata craſſitie, & grauitate deorſum inclinat; & fœtus loca ſuperiora occupans, conſenſum prohibet, & ad inferiora propellit aliquid de alimento ſupereſt. At ſi grandior fœtus pluri indiget alimento, atque ideò ex omni parte trahit, maximéque ab vberibus; & præ illius inopia, illud extrà quæſiturus calcitrat, dicente Hip. *cit. de pueri natura*, atque in lucem prodit nonnunquam intempeſtiuè 5. *aph.* 31. quomodo poſtremis menſibus ſanguis ad vbera ſponte remeabit, ea repleturus? Inſuper, ſi poſt partum fluente ex vtero ſanguine, ipſa etiam replentur; qua probabilitate credemus ante partum repleri, quia prohibetur ſanguis extrà prodire?

Dicendum ergo, non ex iſta vaſorum ſocietate, non caſu, aut fortuna, ſed arte eximia, quod ipſe Galen. perbellè prædixit, & ſumma naturæ prouidentia, ſanguinem prope partum à virtute informatrice ad vbera ipſa mandari, vt lacte turgeant, tumeantque ad fœtum aliturum; non ſecus quàm illius formandi, & alendi gratia, ad vterum antea mittebat; & in plantis, certis quibuſdam temporibus, deorſum ad radices mittit; aliis, ſurſum ramis; aliis floribus & fructibus producendis. Poſt partum iuuat ſanguinis conſenſum valida infantis ſuctio, roborata exercitio tractrix, & partis inanitio ſeu vacuitas.

Cur verò fœtus ipſe iam grandior intra vterum, vehementer non attrahat, copioſo indigens alimento, vel non prohibeat vberum incrementum, ac turgentiam, inquit Ariſtoteles, quia quò magis perficitur, plus ſupereſt excrementi: quam in ſolam nutritionem abſumatur, non in membrorum formationem, ſicut ab initio. Adde, vel quia abſolutus iam, & perfectus lucem exoptans, parùm ſibi iam in vtero curat alimoniam, vnde non ita continuò trahit. Iunge, quòd licèt validè trahat, tamen magis turgeant vbera prope, & poſt partum, quia minor menſtrui copia celeriùs poteſt, & faciliùs concoqui in lac; nam magna opprimit coquentem vim.

Quare autem volucres lac etiam non generent, quo pullos alant, petendum ex Galeno *cit. de vſu part.* Nam quæ ſiccæ naturæ ob volatū eſſe oportebat, docuit etiam ſuperfluitates non congerere, quibus grauarentur, impediréntúrque volare. Verùm lactis penuriam compenſauit natura maiori in filios amore, quo ſtimulatæ victum illis conuenientem ſollicitè quærunt, vndequaque parant & ſuppeditant, quandiu præ corporis mollitie, ſua induſtria quærere non poſſunt. Porrò quanquam lactis promouendi finis in geſtantibus, & puerperis ſit nouæ prolis educatio, gratia etiam vberum alendorum gignitur, non ſecus quàm teſtium ſemen; ac proinde nihil mirum, ſi etiam in non prægnantibus appareat, & turgeant mammæ in menſium ſuppreſſione, pellente natura ſurſum, id quod ſibi ſuperuacuum eſt, & alienum, cùm extrorſum per vteri canales excernere nequit: immò verò & maribus

A interdum etiam gigni, & effluere dixit Ariſtot. *lib.* 3. *de hiſt. animal.* 20. finis autem talis prouentus, eſt etiam partium alitio, & nocumenti remotio. Ex quibus ad argumentum patet reſponſio.

Ad ſecundum, Galenus reſpondet 5. *Aph.* 61. commune eſſe faſtidium omne menſium retentioni, ob oris ventriculi læſionem, ſed in eo diſtingui cùm ex alia cauſa, quàm propter cōceptum ſiſtuntur, quòd in illa horror, ac febris ſimul ſuperueniant. Cur verò hæc pariter non infeſtent, ratio eſt; quoniam in iis, docente Gal. *in com.* citra cauſam manifeſtam menſtrua repentè ſupprimuntur, & ſeparata vtili, optima, & dulciori portione pro fœtu alendo, quod ſupereſt, fæculentum quidem & impurum, partim in vbera & ventriculum tranſmittitur, propter naturalem conſenſum earum partium cum vtero; vnde rurſus euaB porans in ventriculum ipſum, & iecur, impuritate ſua vitiat ciborum appetentiā, atque multa alia ſymptomata gignit; rigorem autem, ac febrem minimè, quoniam propter craſſitiem, nec ita dimoueri poteſt, vt rigorem efficiat: nec putrere in dictis locis, ad inducendam febrim.

In non grauidis autem, quibus retinentur menſtrua, totus ille ſanguis paulatim in vaſis aceruatur, ac proinde fit neceſſe, quod ea putrente rigeant, & febricitent mulieres, quod dixit Hipp. *loc. cit. aph.* Quod attinet ad vteri clauſuram, eam Galenus putat firmiſſimum geſtationis indicium, dummodò citra duritiem fiat, ex Gal. 3. *de facult. natur.* 3. Ideò enim ferè putant purgationes ſiſti concipientibus, quia clauditur, ſiue comprimitur os vteri, nec quidquam prodire ſinit; niſi in partu, quo tempore aperitur ad exitum fœtus: reliquo, hoc eſt, extra conceptum
C & partum, hiat inſtar calami inanis. Verùm quanquam grauidis ita occludatur, vt nec cuſpidem acus admittat, & prædictæ longitudinis habeat ceruicem, tangi tamen rectè poteſt, & ſuperfœtatio fieri, ſcilicet quia ab illecebroſo immiſſi digiti contactu, vterus ipſe ex innata doctrina deſcendit, veluti concupito ſemini occurſurus, & in congreſſu illo recepturus, perpetuò aperitur, quantumuis gerat, quemadmodum opinantur aliqui; nec aliud voluiſſe Hip. & Gal. quàm grauidis claudi, id eſt, ſponte non hiare: recludi tamen, vt virilis iniiciatur genitura.

Addunt alij, dummodò ſit denuò conceptura mulier, ita enim à conceptu vterus naturaliter contrahitur, coarctatur, & comprimitur, quomodo dum venter cibum & fellea veſica bilem amplectitur, ex Gal. 3. *de facult. natur. cit.* vt nequaquam aperiatur, niſi in ſuperfœtatione, hoc eſt, ſecunda; vel altera imprægnatione, quod nomen
D ipſum palàm indicat: non enim ſimultaneè vno in congreſſu, ſed diuerſis fit ſuperfœtatio, neque illi valde diſtantibus, ſed vbi paululum temporis à primo conceptu interceſſit, ſi ſit fœtus perficiendus, ex Hip. *lib. de ſuperfœtat. n.* 1. §. *Qua gemellos geſtat, eadem die parit, prout concepit, &c.* Ariſt. 7. *de hiſt. animal. c.* 4. & *lib.* 4. *de hiſt. animal. c.* 5. §. *Si autē coitus proximè ab altero acceſſit, &c.* Vide Plin. *lib.* 7. *de hiſt. natural. cap.* 10.

Nonnulli interpretantur, coarctari os vteri prægnantibus, vtplurimùm, & ferè ſemper, nec ampliùs niſi parientibus aperiri, atque ita eſſe veteres intelligendos: ſuperfœtare verò, quibus non ita ab initio valde clauditur, prout expreſſis verbis teſtatur Hipp. *cit. lib.* Quia tamen raro accidit non exactè claudi, ideò etiam rariſſimè ſuper-
E fœtatio contingit, quoniam poſt primum conceptum magna ex parte ad partum vſque ſe cōprimit, docente Ariſt. 4. *de generat. animal. cit.* Obſtrui autem membra à materiæ copia, præſertim craſſa, poros, cauitates, & meatus replente; ab inflammatione, & re corpulenta diſtendi, obturari, & claudi ſatis manifeſtum eſt. Quòd ſi vuea inflammata ex humoris affluxu magis hiat, fit iſtud quia tenſa cùm ſit, vbi per inflammationem repletur, contrahitur, corrugatúrque, vnde magis pateſcit foramen: at verò vterus laxus præ humoris copia diſtenditur, & tumet, atque adeò os ſuum comprimit.

Ad tertium. Quare in vteri affectibus caput doleat, & inter illius partes ſynciput magis infeſtetur, & ad verticem potiſſimum, Galenus explicat, *lib.* 6. *epid. ſect.* 1. *cit.* non quòd vterus ſit neruoſus, neruorum origo cerebrum,

 &

& plurima eius pars in ſyncipite locetur, vel inde ad vterum nerui deriuentur, atque adeò eo patiente ſimul afficiatur neruorum principium, & illo maximè loco, prout arbitrabantur quidam. Maius, quòd illa capitis pars infirmiſſima ſit, atque ideò magis quàm aliæ vitiis obnoxia: ſed quia vteri vaſis, quæ plurima grandiáque ſunt, ex phlegmone, vel menſium ſuppreſſione repletis, calidi vapores à putrente ſanguine ſurſum eleuantur, eam potiſſimum cerebri partem replentes, in qua terminantur vaſa cerebrum ingredientia: cúmque hæc ad ſynciput, anterioréſque cerebri ventriculos ceſſare videantur, ibidem magis viget dolor, in plenitudine capitis flatulenta. Secunda cauſa. Nam ſanitatis tempore, ad ſynciput ſolet mandare, quæcumque tenuia, & halituoſa excrementa in cerebro aceruantur, ſcilicet quia eo in loco ſuturæ laxiſſimæ ſunt, & ipſa caluaria ſubtiliſſima, pluribuſque meatibus peruia, quibus facilè difflari queunt: igitur eò etiam mandabit, vbi præternaturaliter redundauerint in capite excrementa, & per conſequens, &c. Tertia. Maior ſenſibilitas partis facit, vt à pari dolendi cauſa, dolor maior ſentiatur. Atqui in ſyncipite ſenſus magis viget, ob membranas, & vaſorum multitudinem, quæ iuxta ſuturam ſunt. Igitur, &c. Additur etiam à Rhaſio *lib. de dolore iuncturarum, cap. de ſciatica*, cauſa, quæ etiam à priſcis, referente Galeno, ex rectitudine ſyncipitis cum vtero: hic enim cum in medio veſicæ, & recti inteſtini locetur; rectè habet poſitum è regione ſynciput, nihil igitur mirum ſi ad ipſum facilè conſcendant ex vtero vapores, & ibidem maiorem inferant moleſtiam, interim dum retinentur, & non erumpunt. Nec verò eò mittendi conſuetudo, quod obiiciebatur, noxam minuit, quin potius augmenti præſtat occaſionem, nempe quia docta, & facilitata ex conſuetudine, ad eam tantum partem, vel magis tranſmittit ſuperfluitates: hæ autem licet habeant faciliorem per ſuturas difflationem, præ multitudine tamen, & loci anguſtia non ita facilè permittunt exire.

Ad quartum. Licèt nigra vrina ab exeunte calore, qualis eſt acutarum febrium, ſuperaſſante bilem, ac in atram conuertente, vel ex frigiditate mortificante, ac denigrante humores, oriatur; eáque reproba ſit, pernicioſa, & ferè lethalis: tamen aliquando ex melancholici humoris permixtione, accidit interdum citra noxam, vt in menſibus retentis, hæmorrhoïdibus ſuppreſſis, critica vacuatione quartanæ, melancholia morbo, ſplenicis, cutaneis affectibus, & ſimilibus ex decreto Galen. 1. *criſ.* 12. *lib. de atra bile, cap.* 3. & 3. *epid. ſect.* 3. *cō.* 82. Aëtio *tetrab.* 2. *ſerm.* 1. *cap.* 44. Actuario *lib.* 1. *de iudiciis vrinarum, cap. vlt.* quæ incolumis ſæpè apparet, & citra periculum in productis febribus, diurnis, nocturnis, erraticis, teſtante Auicen. 2. 1. *doct.* 3. *cap.* 2. ex ſumpto edulio, vel diuretico medicamento humorem nigrum vacuante, prout accidit ſeruo Actuarij, cuius hiſtoriam lege *in lib.* 2. *in comment. hiſtor.* 132. quo loco plura inuenies de argumento hoc ex priſcorum penu facundiſſima deprompta. Immò in acutis, ex magnóque incendio ortis, poteſt etiam aliquando, quanquam rariſſimè ſalubriter excerni, præſente virium robore, coquente virtute, criticéque per veſicam, atram bilem excernente, vel ad ignobiliores partes deriuante, quemadmodum in ægro illo 1. *epid. ſect.* 3. *text.* 20. de quo Galenus dixit, præter rationem ſuperuixiſſe, quoniam nigrum eminxerat. Licèt enim ille neminem viderit ſeruatum, qui eam excerneret, viderunt alij cum Hipp. nec enim is voluit ſemper eſſe exitialem, ſicut nec deiectionem nigram, 4. *aph.* 22. ſed vtplurimùm, & frequenter, in quo ſenſu etiam artis theoremata recipiuntur, & ita dicit Auic. 2. 4. *tract.* 1. *cap.* 85. *non verificatur iudicium penitus de morte, propter nigredinem vrinæ.*

Ad vltimum, perinde ferè dicendum, quia integrè purgatis in memorata ſymptomata non euenire dicuntur, vt tamen aliquando, licèt rariſſimè poſſint: ideò ne præfando deludatur Medicus, ad maiorem certitudinem præcipit Galenus interrogare, num omnino ſupprimantur, vel diminutè fluant purgationes.

HISTORIA VI. RHASII,
De vteri procidentia.

Vterus extrà prolapſus, putrefactus, & citra periculum totus ferè abſciſſus.

Vxor filij tinctoris patiebatur aliquid colicæ, & dedi ei ad ſumendum, electuarium multæ caliditatis; & ſentiebat dolorem in matrice; & propter apoſtema quod erat in matrice, inteſtinum rectum coarctabatur, & ex hoc erat non modicè conſtipatū: & dolor augmentabatur, cùm ſtercus deſcendebat. & natura conabatur ipſum expellere, & non poterat: & cùm incepi illi has medicinas exhibere, viſum fuit quòd appareret in vulua aliquid ſimile ſecundinæ: & iuſſi tunc obſtetrici, vt tangeret quod apparuit, & diceret duritiem eius, & cuius tactus erat: & dixit quod erat molle, & inſenſibile: & mandaui ei quòd ligaret cum crure, & poſt duos dies præcepi, quod incideretur totum id quod erat inſenſibile, & ter idem apparuit, & ſimititer fuit ligatum viciſſim. Rhaſius lib. de mirabilibus curis.

PARAPHRASIS.

Licèt vterus vndique ſit alligatus, antè, retrò, ſupernè, infernè, dextrè, ſiniſtrè, obliquè, oſſi pubis, ilio, & ſacro, & per tunicam à peritonæo, dextra, & ſiniſtra parte ſit cōnexus, magnis vaſis per arterias, & venas præſertim ſpermaticas, & apophyſin peritonæi, ſpinali medullæ per neruos, recto inteſtino per quaſdam tenues fibras, veſicæ per alias, ſed plures, & laxiores, oſſi pubis per vincula laxa: tamē procidere poſſe, & ob varias cauſas è ſua ſede prolabi, priſcorū peritiſſimi, tū Hip. *lib.* 2. *de morb. mulieb.* tum Galenus, cæterique medicinæ principes, & Arabicæ familiæ proceres confirmarunt, qui peculiare caput de vteri procidentia, prolapſu, ſeu deſcenſu conſcripſerunt.

Dicitur ergo vteri prolapſus, quum ita deorſum euertitur, vt foras promineat; eſtque morbus in ſitu, vteri omnes operationes lædens. Huius cauſam Auerr. *lib.* 3. *collect. c.* 29. ad tria genera reducere conatur, ad caſum, percuſſionem, & humiditatem lubricatiuam. Auicenna 21. 3. *tract.* 4. *c.* 4. plures huius affectus cauſas propoſuit. Aliæ internæ ſunt, quædam externæ. Illæ ex ſola repletione oriri ſolent: nam vterus repletus, oneroſus, ac grauis factus, totus deorſum ruit. Mucoſa, & humida ſubſtantia in corpore vteri collecta, & in acetabulis ipſius imbibita, eſt in cauſa, vt ipſe laxatus, in propria ſede vinculis contineri nequeat. Auicenna, apoſtemata omnia eſſe cauſam præcipitationis vteri aſſeruit: nam vterus nimio pondere labitur ad ima. Externæ cauſæ numerantur, frigus pedum, ſaltatio, terror, nimium exercitium, praua fœtus extractio, violenta ſecundinæ depulſio, ſpiritus cohibitio, immenſi oneris ſublatio, plaga, partuum frequentia, animi affectus, præſertim ira ita vehemens, vt in peritonæo aliquid diſrumpatur, laxetúrve aliquod vinculorum ad oſſa pubis.

Signa ſunt manifeſta, ſanguis plurimus erumpit: adeſt dolor ingens ilij, lumborū, oſſis ſacri, hypogaſtrij, & pudendi. Tumor oui forma, ſed magnitudine varia, pro affectus vteri, & colli eius amplitudine, viſui & tactui apparet. Stercus, & vrina ſupprimuntur, à tumore vteri, rectum inteſtinum, & veſicæ collum comprimente. Febris comitatur interdum. Si ligamenta humore multo madeſcant, & laxiora facta huic morbo principium præſtent, ex anteacta vita, & excreto per vterum, patebit manifeſtè. Si verò nimia humoris copia relaxatus vterus, & eius vincula putreſcant, tunc ſanies putris, virulentáque materia emanare ſolent.

Ex iis triplex in hoc affectu inſurgit curandi ratio. Prima, quæ vterum ad proprium locum reducere docet. Secūda, quæ reductum tuetur, ne iterum decidat, hócque, ablata cauſa perficitur. Tertia, quæ vterum adſtringit, firmat, & roborat. Has omnes curatiuas indicationes,

quum ante me Iuniorum peritiſſimi,qui de morbis inter- nis,& muliebribus ſeorſim ſcripſerunt,propoſitis in me- dium variis præſidiis exararint, non eſt cur modò in eis deſcribendis tempus conteram. Lege eruditiſſimum Fa- bricium Hildanum *cent.4.obſeruat.chirurg.60.61.& 62.*

Vt ergo ad hiſtoriæ explicationem accedam, exiſtimo fœminam hanc,vteri inflammatione laboraſſe,quæ ex pi- tuitoſo humore originem ducebat,ſimúlque habuiſſe ali- quid colicæ, hoc eſt, paſſam fuiſſe dolorem colicum, ob flatuum copiam enatum, qui ab vtero ad inteſtinum co- lon ſæpe eleuari ſolent. Non fuiſſe intenſum; ac vehe- mentem dolorem aſſeuerat, quod explicat per verbum (*aliquid colicæ*,) quaſi diceret, habuit aliqualem dolorem; ſcilicet paruum, & in regione coli perceptum: nam, vt Auicenna *loc.cit.cap.13.* aſſeuerat, *Apoſtema phlegmaticum matricis comitatur dolor, de quo non ſit curandum.* Hæc fuit cauſa,cur obtulit electuarium multæ caliditatis, quod ad diſſoluendos flatus, lentúmque humorem vacuandum erat eximium:& licèt in vteri inflammatione febris ſem- per adſit, vt pluribus locis teſtatur Galenus, præſertim *l.6.epid.ſect.1.com.2.& ſect.5.com.14.& 3. prorrhetic. com.* 27.quoniam vterus cũ corde maximum conſenſum habet per arterias inſignes, tum ſpermaticas, tum hypogaſtri- cas:& Paulus firmat *lib.3.c.64.* tamen in vteri inflamma- tione à pituitoſo humore pronata, aliquando debilis eſt febris; quum enim vterus tumore œdematoſo tentatur, tunc febris léta apparet:ita dicit Auic.21.3.*tract.4.c.13.§. De apoſtemate phlegmatico in matrice.§. Et quandoque comi- tatur ipſam febris incipiens cũ lenitate,&c.*Pro cuius inflam- mationis curatione victus, medicamenta, & reliqua quæ offeruntur,calidiora eſſe debent; vt inter omnes notat ex principum mente,Vidus Vidius *l.11.de curat. membratim, cap.19.*& maximè quum non adeſſent ſigna alia,quæ ar- dorem internum viſcerum oſtenderent, quæ latè propo- nunt auctores,edocti ab Hipp.*l.1.de morb.mulieb.num.66. & lib.2.num.54.*nempe calor ingens, ſitis vehemens, do- lor circa ſynciput ſæuus,aluus turbata, & malè olida, vo- mitus,& refrigeratio extremorum.

Tumor cùm eſſet in poſteriore vteri parte exortus,in- teſtino recto compreſſo, ob molem inflammationis, reti- nebantur fæces: & maximè quoniam vterus cum recto inteſtino maximum obtinet conſenſum, ex Hipp. *lib. 5. aph.* 58. fit autem conſenſus hic tum per vicinam, tum communionem.Communio & per membranas peritonæi fit, quæ vterum his partibus alligant, per vaſa commu- nia:ab eodem enim ramo hypogaſtrico riuuli ad vterum, & inteſtinum feruntur. Quapropter fæcibus retentis, & vtero moleſtato,acerbior excitabatur dolor.

Hinc factum eſt,vt exhibitis medicamentis calidis, quæ frigidum & mucoſum, in toto, & vtero contentum hu- morem euacuant, natura forti conamine, & vehemente nixu ad fæcalia excreméta exturbanda profiliens, cohibi- to ſpiritu, vuluam ob excreméntitiam humiditatem laxio- rem factam extrà expelleret;& tunc apparuit in ore vteri quid ſimile ſecundinæ, ſeu corpus quoddam membrana contectum, quod ſecundinæ eſt ſimile valde: nam hæc, auctore Galeno *lib.15.de vſu partium,cap.4.*nihil eſt aliud quàm vaſorum multitudo membrana tenui contectorum, quæ haud facilè numerare queas.

Cùm mucoſis humoribus vterus madeſcit, totus laxa- tus procedit, & extra prolabitur: cúmque ab aëre am- biente refrigeratus,factus eſſet inſenſilis, & mortificatio- ne affectus, vel vinculis laxatis, aut putrefactis deorſum ruit,quoniam in proprio loco contineri non potuit,mol- lis,& ſine ſenſu redditus:mollitiem autem, & inſenſibili- tatem,membri mortificationem oſtendere, à Galeno pro- ditum eſt,*lib.2.ad Glauc.cap.9.*

Vterus ſic corruptus, & gangræna occupatus, abſcin- dendus; reliquam verò curationem velut in eſthiomeno adminiſtrabis,vt docent Paulus *lib.4.c.73.*Aëtius *tetrab.4. ſerm.4.cap.76.* Hanc operationem proprio exemplo exer- cuit Benienus *c.11. de abditis ſanation. cauſ.* qui vuluam corruptam, & in fruſtula comminutam, totam præcidit. Quantum enim vteri corpus putre iudicaueris, tantum excidendum eſt audacter,vt refert Syluius *lib.de menſibus mulier.cap.de vteri præfocatione:*firmat Chriſtoph. à Vega *lib.3.aph.18.*repetit *lib.3.art.med.ſect.* 10. *cap.* 10. De hoc curandi modo lege Paræum *lib.de homin. generat. cap.* 41. Eſaiam Meichſnerum *lib. de obſeru.prop.*Rouſſet. *de partu Cæſareo,ſect.4.cap.5.* Gaſpar. Bauhin. *in appendice ad hunc locum.*

Non eſt tamen ita temerè hæc ſectio aggredienda, niſi priùs ſatis conſtet, vterum,ſeu aliquam eius partem adeò computruiſſe, vt nullo prorſus pacto valeat conſaneſce- re;immò manifeſtum periculum adſit, ne malum, quod partem aliquam occupat, paulatim cæteris quoque eiuſ- dem viſceris partibus communicetur, vt aduertit Vidus Vidius *lib.11.de curat.membrat.cap.19.in fin.*

Vtrùm ſi prædicta exciſio non fuerit ſatis, ne corru- ptio vlteriùs ſerpat,cauſtico medicamento partem putri- dam vres,quò citiùs ſecedat; aut candenti ferramento id facies. Caue tamen ne imprudenter hoc opus exequaris: nam etſi ſuperiores auctores, vterum prolapſum putri- dum,incidi,aut vri poſſe affirment,multiplici experimen- to ſuffulti:tamen ſi hoc opus ſumma cum prudentia non adminiſtretur, in grauia pericula fœmina deducitur; & cùm per neruos vterus maximum cum cerebro, cæteriſ- que partibus habeat conſenſum,conuulſio,& alij cerebri affectus ſæui exoriuntur ſæpe.

In vteri ergo procidentia curanda,oportet vt ſit Medi- cus ſollicitus: licèt enim raro accidat hic affectus, tamen cùm accidit,calamitoſus eſt, ratione vteri, qui ſuo prola- pſu facilè corrumpitur, gangrænam concipit, & can- crum: nunquam enim expertus eſt appulſum aëris frigi- di.Quòd cõtigerit,vt ex frequenti prolapſu aliqua vteri ſeu potiùs ceruicis eiuſdẽ pars natiuo calore deſtituatur, ac computreſcat,audacter ad putreſcẽtis exciſionem per- gendum eſt, quum aliquando acciderit, vt vniuerſo ferè vtero putrefacto; & propterea à perito chirurgo exciſo mulier adhuc plures annos ſuperuixerit, vt Paulus *lib.3. cap.72.*memoriæ commendauit,& ſequenti Hiſtoria pro- bat Auenzoar. Non eſt tamen eiuſdem ſectio temerè ag- gredienda,niſi priùs ſatis cõſtet, vterum, ſeu aliquam eius partem adeò computruiſſe, vt nullo prorſus pacto valeat conſaneſcere,imò manifeſtum periculum adſit,ne malum quod partem aliquam occupat, paulatim cæteris quoque eiuſdem viſceris particulis communicetur.

HIST. VII. AVENZOARIS,
De vteri procidentia.

Mulier ſine vtero diu viuere poteſt.

ET recordati ſunt Medici quidam, quòd aliquando putre- fiunt ligamenta matricis omnia, & exit matrix omnino, & permanet mulier abſque matrice, & viuit ſine diminutione aliquarum operationum ſuarum:& dixit mihi quidam amicus meus, de quo, & eius veritate multum confido, quòd vidit mulierem, cui omnino matrix exiuerat, & remanſit viua, fa- ciendo omnes operationes naturales ſuas integrè,& perfectè,& ſic debet eſſe abſque dubio, &c. *Auenzoar.* lib. 2. theïzir, tract.5.cap.4.*Paulus* lib.6.cap.88.& lib.3.cap.72. *Aëtius* tetrab.4.ſerm.4.cap.76.

PARAPHRASIS.

AVenzoar non Medicus modò inſignis, ſed philoſo- phus quoque adeò celebris, & peruulgati nominis, vt eum acutiſſimus Auerrhoës *lib.4.c.* 40. per quandam exochen glorioſi, & admirabilis nomine perſæpe ſignifi- cet,licèt ex ſua ſententia hiſtoriam non propinat, ab alio tamen Medico,vel viro veridico ſibi narratam eſſe aſſeue- rat. In hoc ergo exemplo,vterum,vel ex procidentia,vel gangræna, vel aliter vitiatum totum, aut per partes ſine vitæ periculo decidere poſſe confirmant: nam *vterus*(vt ipſe ait hoc in loco)*non eſt membrum princeps,nec aliquibus membris aliquas præſtat vtilitates,nec præſtat aliquod iuua- mentum in conſeruando vitam, nec inuentum fuit ad illud.* Si

Si verò Paulus *loco citato*, vterum, viſcus appellat, vt in Græco codice legit Audernacus Pauli interpres, per viſcus intellige (*interaneum*,) vt ibi ille animaduertit; ſolum enim cor, iecur, lien, pulmo, ſunt viſcera, & apud quoſdam renes, vt *lib.3.de facult.natural.cap.*12.notauit Galenus.

Quare cùm vterus non ſit pars præcipua, viſceribus non eſt annumeranda. Ex hoc præcepto docemur manifeſtè, vt vterum ex deſperata procidentia, vel quacunque occaſione corruptum, ne in alias partes corruptio ſerpat ſecemus, vramus, ligaturis præſcindamus, & à corpore auferamus, quum operatio hæc ſine vitæ periculo celebrari queat. Hoc conſilium expertiſſimi Medici poſtea confirmarunt, vrentes, & abſcindentes citra vitæ iacturã illam. Matthæus Peritus *lib.9.ad Almanſ.cap.de exitu, & diſpoſitionibus matricis*, id affirmat: Nicolaus Florentinus *ſerm.6. tract.3.cap.26.* Marcus Gattinaria *in com. nuper citati cap. Rhaſis*, Guainerius *lib.de ægritudinibus matricis,c.*13. Carpus *in Iſagoge anatomica*, Langius *l.2.epiſt.*39. immò Auicenna 4.4.*tract.2.cap.*10. totum vterum abſciſſum vidiſſe referunt vita ſaluą; quod opus à Rhaſio, ſuperiori hiſtoria eſt celebratum, cum vtilitate multa.

Quid dubitandum? Nonne ſine partibus principibus vel abſciſſis, vel vi morbi corruptis, extra corpus prodeuntibus per multos annos vixere plures citra noxam vllam? Narrat Carpus Berengarius *in ſuo tractatu aureo, de fractura cranij*, plures hiſtorias illorũ, qui ex prodigioſis, & deploratis vulneribus, notabilem quantitatem medullæ cerebri citra iacturam vllam perdiderunt. Id ipſum affirmant Muſa *in com.*18.*lib.6. Aph.* Maſſa *tom.2.epiſt.*10. Fallopius *l.de curandis vulneribus capitis,c.*45. Chriſtoph. à Vega *lib.6. Aph.com.*18. Franciſcus Arcæus *lib. 1.c.6.de curat.vulner.* Gemma *lib.1.Coſmoc.cap.6.* Andreas à Cruce *lib.1.cap.*14. Paræus *lib.9.cap.*22. Augenius *lib.9.epiſt.*2.

Sine corde animalia poſſe viuere, diſceptatum inuenio apud Plin. *lib.1.natural.hiſtor.cap.* 37. & notatum à Rhodigino *lib.4.antiq.lect.cap.*16. cuius ſiniſtrum ventriculum deſideratum refert Columbus *lib.15.de iis quæ rarò in anatome ſiunt.* Et quendam pericardio deſtitutum ſcribit ſecuiſſe auctor idem *eo in loco*, qui dum viueret mortuo erat perſimilis, & in ſyncopen frequenter incidebat, quo genere morbi deinde exanimatus occubuit.

Sine liene inuentam fuiſſe fœminam, numerat inter rara Hollerius *n.2.*& firmat Ariſt *lib.4.de generat. animal. cap.*4. Renum alterum aliquando deficere, memoriæ commendarunt Carolus Stephanus *l.2.de diſſect.corpor.humani,c.*14. Fernel, *lib.1.phyſiolog.7.* Veſalius *lib. 5. fabric.* 10. Audernacus *lib.1.inſtit.anatom.* Euſtachius *lib.de ren. ſtructur.cap.*10. Solenander *ſect.conſil.*16.

Sine veſica fellis animalia poſſe vitam traducere, manifeſto exemplo oſtendit Fernelius *lib.5.pathol.cap.* 5. Sine pulmone inuenit cadauer Columbus *eodem loco.* Et Hildanus *cent.2.obſ.chirurgic.* 30. fruſta pulmonis per vrinam excreta vidiſſe teſtatur, quod priùs firmauit Galenus *lib.4. de loc.cap.* 8. Et nos de hac re admirandum exemplum propoſuimus *lib.1.de praxi admiranda, obſeru.* 110. Sine hepate, & liene inuentum corpus fuiſſe ex Ioachimi Camerarij, & aliorum ſententia tradit Schenckius *lib. 3. obſ.de iecore.*

Quapropter ſi ſine partibus præcipuis animal viuere poteſt, cur ſine vtero non viuet? illæ enim ita ſunt neceſſariæ ad vitam, vt ipſarum præſentia natiui caloris ſymmetria conſeruetur, illarum robore & vigore cæteræ recreentur & functiones ſuas obire queant. At verò vterus, præterquam quòd non eſt pars princeps, & ſolùm ſit vas fœtum conſeruans, cùm ante conceptioné ſit veluti campus, & hortus feraciſſimus, excipiendo virili & muliebri ſemini, ad ſobolis propagationem comparatus, non eſt ad indiuidui conſeruationem neceſſarius. Cùm enim ad perfectam generationem, ſeminis vtriuſque miſcella concurrat, & in vtroque ſemine, ſingularum partium idea, non actu ſed poteſtate contineatur: facultas hæc conſopita & latens, alieno indiget, vt excitetur, principio. Semina vt permiſceantur, in aliquem locum, quaſi aruum fertiliſſimum, effundi debent. Fuit ergo in fœminis neceſſarius omnino, excipiendo, concipiendo, nutriendo ſemini,

A & fœtui conſeruando locus, vt Galenus *lib. 3.de facult.natural.cap.3.lib.*14.& 15.*de vſu part.* mirificè edocuit.

HIST. VIII. ALBVCASIS, *De ægritudine caudata.*

Caro in orificio vteri quandoque adnaſcitur, vt virile pudendum mentiatur.

Et caro naſcitur in orificio matricis aliquando, donec impleat ipſum, & fortaſſe egreditur ad exteriora, ſecundùm B *ſimilitudiné caudæ, & propter illud primi nominant ægritudinem caudatam, & quandoque magnificatur in quibuſdam mulieribus, adeò donec expanditur ſicut in viris, & peruenit vſque ad coitum, &c. Albucaſis* lib.2.cap.71.

PARAPHRASIS.

De morbo à veteribus vocato Cauda, ſeu caudata ægritudine, eſt in hoc loco ſermo. Fit autem ea quando caro in vteri orificio progignitur. Eſt morbus in via; & ſymptoma quod hunc morbum ſequitur, eſt læſio coitus, qui deprauatus eſt, cum impedimento ingreſſus, & egreſſus ſeminis. Auicenna 21.3.*tract.4.cap.*23. profert fieri ætate ſecundùm latitudinem, hyeme verò diminui. Alij hunc affectum vocant Cercoſin, quando videlicet caro ab vteri ore ita propagetur, vt muliebre pudendum C repleat, & foràs caudæ modo promineat, vt notat Paulus *lib.6.cap.*20. explicat Gaſpar Bauhinus *lib.1.theatri anatomici,c.*40. firmant Seuerinus Pinæus *lib.* 1. *de notis virginitatis,cap.*3. Adrianus Spigelius *lib.8.de fabric. corp. hum. cap.* 18. cuius opera poſthuma nuperrimè Daniel Bucretius, vir de republica medica benè meritus, in lucem emiſit.

Cauſa ſtatuenda eſt, ipſius naturæ luxuries in gignenda carne, atque etiam humoris redundantia in partibus naturalibus, qui paulatim à toto ad vterum corriuans, ſenſim ac ſine ſenſu hanc carunculam gignit,

Alia eſt affectio huic conſimilis valdè, quæ Nympha à Græcis vocari conſueuit, ab Hipp. columella; ab Albucaſi *hoc loco* tentigo nuncupatur; ab Auicenna virga; à Moſchione dicitur ſymptoma turpitudinis. Hæc caruncula D eſt muſculoſa, aut membranoſa ſuper alarum pudendi commiſſuram ſita, quo loco vrinarius eſt meatus. Hæc in quibuſdam fœminis in tantam magnitudinem augetur, vt deformitatem, ac pudorem inducat, quin à veſtium contactu continuò arrigitur, & ad Venerem, ac coitum proritat, vt notat Aëtius *tetrab.4.cap.4.cap.*103. Particula hæc virili membro reſpondet, & ſolet aliquando ad tantum incrementum peruenire, vt fœminæ hanc habentes coëant cum aliis, ac ſi eſſent viri: vt referunt Fallopius *in obſ.anatom.ad Petrum Mannam.* Veſalius *in examine obſeruat. anatomic. Fallopy*, Coïter *in tabulis anatomicis*, Platerus *de corp.human.ſtructur.& vſu,pag.* 169. firmat, Ioan. Riolanus Filius *in ſuo elegantiſſimo 2. Antropographiæ lib. cap.*21. qui plura in anatome inuenit, & illuſtrauit, ab aliis nec notata, nec obſeruata quidem. Differunt cauda, & Nympha, quòd illa intùs iuxta vrinarium meatum, hæc E verò in vteri orificio fit adnata; de cuius vſu plura prædixit Varolius, Arantius *lib.4.anatom.cap.4.*

Curatio inſtituenda: nam præterquam quòd hæc affectio mulieribus horribilis eſt & odioſa, etiam congreſſum impedit cum viris, & ex ſe ſæpè pruritum, aut furorem vterinum accerſit, & conceptionem impedit, quoniam ſeminis virilis ingreſſum prohibet.

Nymphæ apophyſes ſunt, & veluti cutis muſculoſæ productiones, quæ vtrinque ex parte ſuperiore oſſis pubis, deorſum vſque ad ceruicis veſicæ orificium deſcendunt, ſæpè in tam turpem molem excreſcentes, vt virilis membri inſtar arrigantur. Quare iis à primis annis ſunt amputandæ, magna tamen cautela hoc faciendum: nam ſi audaciùs reſcindantur, tanta ſequitur hæmorrhagia, vt

vt mors, vel ſterilitas ſubſequantur: nam ob immodicum ſanguinis effluuium, vterus refrigeratur nimiùm, vt monuit Paræus *lib.2.cap.3 4.*

Hanc curandi viam docuit Paulus *loc. cit.* in Nymphæ amputatione: & in Caudæ curatione Aëtius *loc. cit.* dum ſic ait. *In quibuſdam mulieribus carnoſa quædam ſubſtantia ab vteri oſculo oritur,& muliebre pudendū replet. Aliquando etiam extrà progreditur,vnde etiā nomen habuit. Mulier itaque velut in nymphæ amputatione dictum eſt,locetur,& promineus caruncula forcipe extendatur, & tota ex baſi reſecetur. Poſt chirurgiam,curatio ſicut in Nympha peragatur,&c.*

QVÆSTIO XVI.

Vtrùm fœminæ in viros verti poſſint, vt contrà Plinium, Mercatus, Laurentius, & Seuerinus Pinæus pernegant.

COMMENTARIVM.

E*T peruenit vſque ad coitum.*] Conſtans opinio eſt inter eos qui naturalſum rerum ſecreta rimantur, & annotatum à ſcientiſſimis auctoribus inuenimus, fœminas in viros verti poſſe; clamitent quicquid velint Laurentius *lib.7.controu.anatomic.quæſt.8.* Ludouicus Mercatus *lib. 2. de morb.mulier.cap.10.& 11.* Seuerinus Pinæus *l.1. de notis virginat.cap.9.probl.2.* qui tenuiſſimis rationibus muniti, huius euentus cauſam aliam eſſe ſibi perſuadent. Nam vel mulieres ab ortu ita à natura ſunt comparatæ, vt earū clitoris,mentulæ formam referens ita promineat, vt quia penis inſtar diſtenditur, moxque flaccelcit, virilem priapum mentiatur, rudioribúſque imponat, quæ fœminæ laborant hac affectione, de qua in præſentia eſt ſermo: nam, vt diximus, cauda, ſeu virga ad tantam magnitudinem increſcunt, vt deformitatem, ac pudorem inducant, & pudendi virilis ſpeciem referant. Et aliquando quibuſdam viraginibus, nimio coëundi deſiderio, aut viduis longiore Veneris abſtinentia,ita procedit vulua,monente Ariſtot.*lib.7.de hiſtor.animal.c.2.* vt eas viros fuiſſe factas Medici arbitrentur.

Sed horum opinio,auctorum experimentis eſt aduerſa, cùm alia magis monſtroſa oriantur in rerum natura, Nonne dentes non ſolùm viris in vltima ætate, ſed & mulieribus octogeſimo ætatis anno, imò centeſimo renati ſunt,ex Alexandro Benedicto *in proœmio l.7. morb. part.* Valleſco de Taranta *lib.6.cap.12.* Nonne virtus formatrix dentes in vtero matris generat,quos poſtea variis temporibus extrà emittit natura, vt docuit Euſtachius *in ſuo de dentibus libello, cap. 15. & 17.* Nonne Auicenna ſcripſit *in com.5.6.& 7.cap.4.de generat.animal.* ex mente Ariſtot. fœtum,narium, auriúmque meatibus obturatis, in ſeptimo fuiſſe natum,qui mox exteriùs aperti ſunt? Quid ergo prohibet,quominùs & mulieri membrum virile in prima formatione efficiat, quod poſtmodum temporis tractu ſtatuto perfectum prodeat?

Si ergo apparēt monſtra in rerum natura,ex Auerrhoë *lib.7.collect.c. 2.* & ex huius errore multa admiranda cernuntur,ex Ariſt.*l.2.phyſicor.text.82.* cur ex muliere virum poſſe fieri denegabimus? De hermaphroditis non eſt cur agamus, quos reperiri in rerum natura, præter oculatam fidem,teſtantur Plinius *lib.7.cap.3.* Ariſt.*lib. 4. de generat. animal.cap.4.* Haly Rhodoan.*in com.l.3.techn.Gal.text.38.* Columbus *cap.15.anatom.* Iacob.Rueff.*lib.3.cap.3. de concept.& generat.homin.* Paræus *l.24.cap.4.* Bauhinus *libello proprio de hermaphroditis*.immò eos generare,& parere firmant Montuus *de medicin.theoreſt,lib.1.cap.6.* Veinrichius *com.de monſtris, pag. 7.* nam in iis poſſe reperiri aliquem, qui hæc duo membra æqualiter perfecta habeat, arbitratur Auicenna *20.3.tract.1.cap.43.*

Quid mirum? nonne Valleſcus *in ſuo philonio lib. 6. cap.12.* tradit religioſam, & honeſtam monialem Prioriſſam, cui cùm ob ſenectutem defeciſſent menſes, & tempeſtiui veniſſent in vertice cani,& ferè omnes cecidiſſent molares, vberum verò nullo, aut parùo apparente veſtigio,& rugæ eſſent in facie profundiſſimæ, factum eſt, vt

A quidquid de capillis deciderat, repullularet, & exirent dentes, vt in infantibus, fluerent menſtrua, mammillæ veluti in virginibus eleuarentur, rugæ euaneſcerent, & facies pulchra fieret? Quæ de anu iſta reiuueneſcente, ſi hic ſpectatæ fidei auctor non aſſereret, creditu eſſent difficilia.

Deinde fœminas factas fuiſſe barbatas, præterquam quòd illuſtri exemplo apud Hipp.*com.8.lib.6.epid.aph.45.* ratum eſt: firmat Alexander Benedictus *lib. 26. cap.4. de curand.morb.* Auicenna etiam docuit 21.3. *tract.3. c.26.de accidentibus, quæ ſequuntur ad retentionem menſtruorum. §. Et quandoque accidit in complexione ſua quum retinentur menſtrua, quando eſt fortis creationis, cuius vis eſt potens ad excernendum ſuperfluitatem retentam, vt aſſimiletur viris,& multiplicentur pili eius, aut naſcatur ei quaſi barba, quare*

B *exaſperatur vox, deinde moritur, &c.*

Sic Phaëtuſæ ab Hipp.propoſitæ, ex hac cauſa corpus virile, & omni ex parte hirſutum factum eſt: licèt enim vt Cælius Rhodiginus,ex Macrobio *lib.14.antiq.vlt.* ſcribit,caloris inopia ſit in cauſa,cur muliebre corpus,vt viri, pilis non obſideatur, læue autem eſt mulierum corpus, veluti innato conſtipatum frigore, quando algorem comitatur denſitas,læuitas raritatem; medicæ tamen doctrinæ dogma eſt, ab Ariſt. comprobatum, ſubſiſtente menſtruorum redundantia,nec non ſeminis,mulieribus quandoque barbam contingere,quod in viduis caſtitate præſignibus ſe vidiſſe, Auicennæ interpres ſcriptum reliquit. Ego bona fide teſtari poſſum,vidiſſe me effigiem fœminæ ſexagenariæ, à maioribus meis fide dignis,propriis oculis conſpectæ, quæ olim vixit in oppido vocato *Penheranda*,

C quod triginta milliaribus diſtat à *Matriio*,aula Regis Hiſpaniæ, cui à iuuentute in tantam molem barba excreuit, vt os ventriculi attingeret,vocabatúrque *Brizida de Penheranda*,& quod mirandum eſt, huic nunquam menſtrua defecerunt. Si ergo ex retentione menſtrui, aut ex viſcerum robore,& calore immenſo,fuliginum copiam ad ſuperas partes emittente, in fœminis barbitium contingit extrà prominentibus pilis: cur pudendum intus latitans in fœminis, calore foras trudente, in ætatis proceſſu extrà prodire poſſe negabimus?

Fœminæ ergo in viros verti poſſunt: licèt enim à Poëtis, & hiſtoricis tam multa poëticè, & hiſtoricè tradantur, tamen tot ſeriis, & peritiſſimis ſcriptoribus non eſt deroganda fides. Iouianus Pontanus, magnæ auctoritatis vir,*in hiſtoria Neapolitana*,binas in huius rei confirmationem recenſet hiſtorias, & quod magis eſt,

D mulierum per plures annos nuptarum.A liam affert Torquemada, doctiſſimus Iuriſconſultus Hiſpanus. Aliam de altera cuiuſdam ruſtici vxore,deſcribit Phlegon *lib. de mirabilibus, & longæuis*, Antonius Liberalis *lib.2. alteratorum Nicandri*, quinque nihilominus in viros verſas dinumerat. Dalechampius, Medicus, & Philoſophus præclarus *in com.cap.4.* Plin.*lib.7.natural.hiſtor.* plures ad hunc penſum recitat hiſtorias, cum Martino del Rio *lib. 2. tom.1.quæſt.22.magicar.diſquiſit.* Vidit Amatus Luſitanus *2.centur. 39.* firmat Albert. Magnus *lib. 8. de animal. tract.2.cap.7.* Raphaël Volater. *lib. 24. comment. vrbanor.* Fulgoſius *lib.1.cap.6.* Paræus *lib.24.cap.5.* Georgius Bertinus *lib. 4. cap. 10.* Exempla verò fœminarum in mares conuerſarum,lege in Plinio *lib.7.cap.8.* T. Liuio *lib. 4.ſe-*

E *cundi belli Punici*, Luciano *in Gallo, & de ſaltatione.* Mutationis huius cauſas legat qui velit,apud Cardanum *l.b.8. de varietate,cap.43.* Vvierum *lib.4.de præſtigiis dæmonum, cap.24.* Gemmam *lib.1.coſmocritic.cap.7.* Galeottum Narnienſem *cap.8. de promiſcua diſciplina.* Num autem viri in fœminas verti poſſint, fabuloſum puto: rariſſimè enim accidit,vt gradus fiat à perfecto ad imperfectum; de quare ſi pulchra ſcire deſideras,adi Marcellum Donatum *lib.6.de hiſtor.mirabili,cap.2.* Ionſtonum *lib. thaumatograph.ſect. vlt. artic.3.*

***

HISTOR. IX. GALENI, De vteri ſtrangulatu.

Vteri ſtrangulatio, & alia ſæuiſſima ſympto-mata in fœminis & viris, ex veneris abſtinentia ſequuntur.

*COgitanti itaque mihi aliquando ſuper hac re, tale quoddã accidẽs apparuit in muliere ex longo iam tempore vidua, quæ præter cætera mala, neruorum quoque diſtentione vexabatur. Ac dicente obſtetrice * vterum eſſe retractũ, remediis ad huiuſmodi affectus conſuetis vti decreuit. Quibus adhibitis, partim ob ipſorum calorem, partim etiam quod inter curandũ manibus tractarentur partes muliebres, oborta titillatione, cum labore, & voluptate, veluti per coïtum vſu venire ſolet, excreuit craſſum, *plurimúmque ſemen, atque ita à moleſtia ſua liberata eſt mulier, &c. Galenus* lib. 6. de loc. affect. cap. 5. in med. & lib. 2. de ſemin. cap. 1.

PARAPHRASIS.

SOlertiſſimus Galenus, vt probaret maiorem noxam ex ſemine retento, quàm ex menſtruo ſuppreſſo fœminis oriri, ex induſtria quatuor in medium allatis hiſtoriis id confirmat, quas, quoniam aures delicatulas radere ſumus veriti, compendioſè proponemus, vt ſic ſingulatim diſpoſitas, & explicitas, minore faſtidio, immò iucundiùs, auidiúſque non ſomniculoſus lector procuriat.

A viduæ ergo propoſita hiſtoria initium ſumamus, quam propoſuit Galenus, vt etiam confirmaret fœminas ſemen effundere, adiiciẽs ipſam vterinis morbis vexatam, lumborum, manuum, & pedum diſtentione fuiſſe oppreſſam, ita vt conuulſa videretur. Quapropter adhibitis auxiliis calidis, & oborta, manuum obſtetricis ope, titillatione, excreuit ſemen craſſum, & copioſum, propterea quòd multo iam tempore non fuerat vacuatum. Nam viduas à concubitu longo tempore abſtinentes, virgines plenis nubiles annis, viróque maturas, ex natiua ſorte ſemen copioſum retinere, res eſt manifeſta, præſertim ſi ſint ætate florentes, vitam agant otioſam, temperaturæ ſint calidæ & humidæ, optimis nutriantur cibis, in deliciis viuant. Ita dixit Hippocr. *lib. de virgin. morb. num.* 1. §. *Virgines nubiles, & maturæ viro, hoc magis patiuntur, vnà cum menſium deſcenſu, anteà non valdè afflictæ, &c.*

Semen cùm ſit excrementum, retentum copia lædit, & à natiuo calore non gubernatum, facilè ab extraneo corripitur, & maximè in fœmineo ſexu imbecilli, in quo innatus calor putredinis cauſis non ita reſiſtit. Cùm ergo ſemen extra vteri cauitatem corrumpitur, in conceptaculis, ſeu veſiculis illis, in quibus ſecundùm naturam coaceruatur, & tempore coïtus dimanat, ſi inibi putreſcat, in venenoſam abit naturam, & coërcitum, grauiora excitat ſymptomata, quàm ſanguis corruptus facere conſueuit: ſi enim ex ſanguine gignitur ſemen, & ex illo dira oriuntur pathemata, quæ lata oratione proſequitur Galenus, in cap. vbi eſt deſcripta hiſtoria hæc, cur ab hoc, vtpotè ſubſtantia puriore, magis lethalia non emergent? ſi verum eſt magis elaboratam ſubſtantiam dum corrumpitur, in maiorem abire corruptionem, quoniam ad magis contrarium ob violentiſſimam cauſam mutatio fit, vt latè *lib. 2. in com. hiſt.* 145. comprobauimus.

A ſemine ergo in vtero retento, ob conſenſum vteri cum omnibus præcipuis partibus, eleuantur vapores humidi, craſſi, virulenti, qui pernicie ſua, & lethali vi, cor, neruoſúmque genus concutiunt, lancinant, & premunt; vnde cùm cerebrum auram venenatam valido conatu excludere ſatagat, ventriculi cerebri fortiter comprimuntur, vt media compreſſione noxium vaporem à ſe depellant; & in hac dimicatione, ac pugna accidit aliquando epilepſia ab vtero orta, & miræ manuum brachiorum, & aliarum partium conuulſiones contingunt.

Hoc modo præter cætera mala, nempe grauitatem totius corporis, inæqualitatem horridam, vteri duritiem, retractionem: vidua hæc neruorum diſtentione eſt correpta. Et aliis grauioribus malis, & ſæuiſſimis ſymptomatis poſſe huius ſortis fœminas premi, & magis virgines, eleganti oratione comprobat Hip. *lib. de virgin. morb. ferè per totum*, vt ſunt fatuitas, torpor, delirium, clamor, triſtitia, angor, deſperatio, & alia, quæ omnia ob ſanguinis, & ſeminis copiam euenire ibi dictat Hip. quod ex curatione ab eo adhibita patet apertè: nam iubet vt ſanguinem ex talo exhauriant, cùm retentus ſanguis menſtruus malo occaſionem præbet: cùm verò ex ſemine coërcito oritur affectus, conſortium cum viris ſummoperè probat.

Ex ſemine enim ſuppreſſo, & non vacuato, eleuantur vapores tetri, quorum copia turgentes, ad eius expulſionem irritantur, & vterino furore, rabidáque inſania fœminæ percitæ, in deſperationem aguntur, in puteóſque ſe præcipitare volunt amentia vexatæ. Hæc fuit abſtruſa vis morbi, qui oppreſſit Crotonienſes virgines, auctore Petro Crinito *l. 3. de honeſta diſciplina, cap. 9.* vt cùm nullũ extaret in ipſis morbi leuamẽ, in prælatos puteos ſe proiicerent. Huic furori ſimilis fuit is qui Mileſias inuaſit, vt eſt apud Plutarch. *lib. de claris mulieribus, exemplo.* 21. Gellium *lib.* 15. *noct. Atticar. cap.* 10. quæ repentinæ mortis incenſæ cupidine ſe ſtrangulabant, neque ab hac inſania potuere vllo alio remedio coërceri, quàm virginum, quæ iam ſibi mortem conſciuerant, cadaueribus nudis in medio foro relictis. Par item fuit Prœti filiarum à Melampode curatus furor, quẽ *ſecundo ſuæ biblioth. l.* Athenienſis deſcripſit Appollodorus, & qui Arginas corripuit, à Melampode item ſanatus, vt narrat *in Corinth.* Pauſanias, qui eas non ſinebat domi conſiſtere, ſed palantes cogebat per agros vagari: nam ſimilem Lacedæmoniarum furorem Bacis depulit, vt *lib. 8. hiſtor. de Philip. rebus geſtis*, tradit Theopompus. Quæ omnia naturali mulierum tribuuntur affectioni: nam ob ſemen retentum, & menſtrua, partes principes occupantur labe dira.

Si ergo ex ſemine retento tot ſymptomata oriantur terroris plena, quæ latè poſt Hipp. *lib. de virgin. morb.* recenſet Mercat. *lib. de morb. mulier. c.* 2. neceſſe eſt exhibere pharmaca ſemen comminuentia, præſertim cùm nullum detur medicamentum à proprietate ſemen euacuans. Sunt ergo cannabis ſatiuæ ſemen, coriandrum, agnus caſtus, radix aſparagi, peponis caro, ruta, nymphæa, & alia quæ refrigerant, ſiccant, cogunt, incraſſant; quorum copiam leges *infrà, in com. hiſt.* 20. Repugnandũ inſuper eſt alexipharmacis virulentam qualitatem infrænantibus, peſſis acribus, ac mordacibus, ac aliis pharmacis vtendum, quæ corpus à ſuperfluo humore exonerare nata ſunt.

At licèt hæc auxilia fortè poſſent eſſe, quibus obſtetrix pro viduæ curatione vſa eſt; tamen ego alia fuiſſe exiſtimo, quæ nempe ſunt ad affectus vterinos conſueta, vt ait Galenus *lib. 5. ſimpl. cap.* 14. vt amaracinum, aut irinum vnguentum, cyclaminus, cæpæ, & alia quæ craſſis partibus conſtant, caliditatem non mediocrem ſortiuntur, quibus peſſarij forma vti poſſumus. Adde odorata, & aromata; hæc enim muliebria ducunt, apud Hip. *lib. 5. aph.* 28. quibus inditis in vterum, ſemen ipſo aperto foràs effluit. Num autem hæc ante totius, & vteri prouidentiam debeant imponi, contendit contra Hollerium Theodorus Collado *cap. 75. in errores Hollerij.* Inter odorifera primatum obtinet Ambarum, Moſchus, Gallia, quam vſitato nomine Zibettum nuncupamus; etſi enim hæc ſordidiſſima ſint, & ex ſanie, tetráque colluuie conflata, vt Arabes, & Iuniores tradiderunt; tamen ſtercoribus & lotiis viuentium ſuum munus adeſſe, operationem & virtutem ponderoſam, cuique eſt manifeſtum. Quamobrem licèt Moſcho, & Zibetto nihil videatur vilius & abiectius, inter odoramenta tamen vtero indenda principem habét locum. Vnde Moſchus, medicamẽtum eſt odoratiſſimum, & pretioſiſſimum, immò præſtantius Zibetto, & ecaſtor longè magis neceſſarius; de cuius viribus ex priſcorum mente tam multa diximus *lib. 1. in com. hiſt. 9.*

Secunda hiſtoria à Galeno propoſita eſt huiuſmodi, *Sunt*, (inquit) *nonnulli, quos protinus à iuuentute concubitus imbecilliores effecit. Alij niſi aſſiduè coëant, capitis grauitate moleſtantur,*

moleſtantur, cibos faſtidiunt, febribus obnoxij fiunt, malè ap-petunt, minùs concoquunt; alij præ pudore à libidinis vſu ab-ſtinentes, torpidi, pigrique facti ſunt; alij melancholicorum exemplo, mœſti, & timidi. Quidam vxoris mortem lugens, & à concubitu frequenti abſtinens, cibi cupiditatem amiſit, & ne exiguum quidem concoquere potuit: vbi verò ſeipſum ad edendum cogebat, protinus vomebat, citra occaſionem etiam mœſtus apparebat. At hic celeriter liberatus eſt, ad priſtinam conſuetudinem reuerſus.

A venere ſummoperè læduntur ſuapte natura excar-nes, graciles, ſicci, frigidi, ex Gal. *in art. medic. cap.* 86. & Paulo *lib.* 1. *cap.* 35. hi enim exhauſto ſpirituoſo ſemine, & ſpiritu primigenio vacuato, puriſſimis his ſubſtantiis orbati citiſſimè exſoluuntur. Compertum eſt veneris vſu maximam oriri corporum imbecillitatem, in eis autem præcipuè excitari, qui melancholici ſunt natiua ſorte, eſt manifeſtum: cùm enim flatu abundent, pudendorum mea-tus diſtendente, magis pruriunt, & cùm ſint debiles, vſu veneris læduntur, & fiunt flatuoſiores. Hi ſunt hypochon-driaci, qui ob hoc à Medicis flatuoſo morbo laborare di-cuntur.

Veneris enim vſus præſertim aſſiduus, vires exhaurit, ſpiritus extinguit, innatum mortificat calorem, vacuata elaboratiſſimâ, ac oppidò defæcata ſubſtantia, & quæ ma-gis accedit ad membri formam, ſpirituoſiſſima, ſynceriſſi-ma, tenuiſſima. Cauſam quæris? accipe ex natura ſeminis, vt diuerſi diuerſæ tradiderunt Philoſophi, apud Plutarch. *lib.* 5. *de placit. philoſoph.* 3. & 4. Eſt enim ſemen, ſpuma vti-liſſimi ſanguinis, & ſuperfluitas, ſeu retrimentum alimẽti, vti Pythagoras ſenſit: pars cerebri, vt Alcmæo: quiddam à dorſi ſpina deriuatum, vt Plato, particula à corpore, animáque auulſa, vt Epicurus, ſed malè: à totius corporis partibus quid deductum, vt Spherus apud Laërtium *lib.* 7. Excrementum vltimi alimenti ſanguinei, vt Ariſt. *lib.* 1. *de generat. animal. cap.* 18.

Fit enim ex ſanguine optimè confecto, ac digeſto: ſic Auic. 20. *tract.* 1. *cap.* 3. Albertus Magnus *lib. de anim.* 15. *tract.* 2. *c.* 5. & 6. Soranus Epheſius *c.* 16. *Iſagog. Gal.* Theo-dorus Priſcianus *lib.* 4. *rer. med.* ſemen vocauere ſanguinem ritè in venis confectum. Sic Conciliator *dif.* 34. de cuius natura, & viribus, ſit vnus inſtar omnium qui de hoc ar-gumento diſceptarunt Fernelius *lib.* 7. *phyſiolog. cap.* 5.

Quòd ſi magna pars vitæ hominis, & roboris corporis, in ſanguine, & ſemine eſt quod ex illo fit; quò plus de-traxeris ſeminis, plus etiam detraxeris de vita. Deinde ſi venus nimia omnes noſtri corporis partes debilitat, cur non eneruabit cerebrum, quod ſuapte natura frigidum eſt, exſangue, laxum, friabile, molle, & ex ſpiritibus vi-talibus in animali refectionem habens, qui cùm ſit te-nuiſſimi, facillimè reſoluuntur; quare debilitato cerebro, quod ſuapte natura eſt neruoſiſſimum, & omnium mor-borum radix, ex Hip. *in epiſt. ad Demetrium Regem, n.* 40. multæ ægritudinum repullulant myriades. Lege Sebaſtia-num Traunim *in ſuis Theorematis,* 13. *fol.* 760.

Hinc fit, vt qui nimia vtuntur venere, citò calueſcant, apud Ariſt. *lib.* 5. *de gener. animal. cap.* 3. & Locrenſem Ti-mæum *lib. de anima mundi.* Quo pacto damnoſam vene-rem Poëtæ canunt, Horatius *lib.* 1. *epiſt.* 19. & *lib.* 2. *epiſt.* 1. Ouidius *lib. de Ponto,* & 4. *metamorph.* & meritò; nam vt ſcitè notat Clemens Alexand. *lib.* 2. *pæd.* 1. ſuperflua venus vſum obtundit rationis: ſpumoſi enim ſeminis, ac ſpiri-tuoſi ſubſtantia crebrò vacuata corporis vires impensè exhaurit, & cauſam naturalem aſſignat Diogenes Apol-loniata apud Clementem Alexandrinum *lib.* 1. *ſui pædag. cap.* 6. nec vllo vitio tantoperè mentis, & rationis acies obtunditur, atque venere, ex Ariſt. *lib.* 6. *ethic.* 5. quæ in-geniis valdè eſt infenſa, vt doctè ex Hip. & Platone, Mar-ſilius Ficinus expoſuit *lib.* 1. *de vita ſana.* Lege pulchra apud Tiraquellum *lib.* 15. *Leg. connubial. gloſ.* 1. *part.* 15. qui in hanc ſententiam plurima congerit, è Poëtis, Phi-loſophis, & Theologis exhauſta; & nos diximus etiam in rem plura *lib.* 1. *in com. hiſt.* 36. & dicemus *infrà in com. hiſt. penult.*

Sed percontaberis, ſi ex concubitu nimio, frigidi, ſicci, melancholici exhauſtis ſpiritibus læduntur, ad quorum

A abſentiam corpus triſtitia afficitur; cur refert Gal. hoc lo-co, quendam à venere abſtinentem, factum fuiſſe mœ-ſtum, ac melancholicum, quaſi innuat veneris vſu læti-tiam comparari? Dic hoc verum eſſe, quando ſcilicet ex corruptione ſeminis morbus ſcaturit: nam ex congreſſu, accito calore, flatus cum ſemine diſcutiuntur, & ex hy-pochondriis protruduntur. Accedit ex venerea voluptate, ipſos metu & mœſtitia afflictos, reddi alacriores, hilar o-res, atque adeò meliùs habere: quare venus melancholi-cis remedio eſt. Nec obſtat, quòd ij ſint frigidi, ſicci, icho-roſi, flatuoſi, & ſpirituum penuria laborent: nam venus moderata, & rara illis obeſſe non poteſt, & maximè ſi ex retentione corrupti ſeminis triſtitia melancholica pre-mantur, quoniam tunc illis eſt ſalutaris valdè, ex Paulo *lib.* 1. *cap.* 35.

B Confert etiam parcus veneris vſus inculpata ſanitate fruentibus, ex Hip. *lib.* 6. *epid ſect.* 6. *text.* 4. dicente, *labor, ci-bus, ſomnus, venus, omnia mediocria, &c.* exemplificant Gal. *lib.* 2. *de ſemin. c.* 2. & *lib.* 6. *eiuſd. c.* 7. & *lib.* 6. *epid. ſect.* 5. *com.* 26. Aëtius *tetrab.* 1. *ſerm.* 3. *c.* 8. Oribaſius *lib.* 6. *collect.* 37. Auic. 22. 3. *tract.* 2. *c.* 10. probat latè Gal. *in c.* 86. *art. medic.* & ibi interpretes, *in com.* Argenterius, Veiga, Montanus, & Acakia: nam repletionem euacuat, corpus agilius, ala-criúſque reddit, idémque ad augmentum promouet, viri-léque magis efficit, mollit organa, meatus dilatat, pituitam expurgat, impeditam intelligentię vim diſſoluit, iratos mi-tigat, & corpus ad functiones omnis generis obeundas, promptiùs, alacriúſque reddit. Denique non ſolùm ſanis, verùm etiam ægris, dummodo vires conſtent, ſummo eſt auxilio.

C Quapropter atra bile percitis, ſubtriſtibus, hominúm-que conſortia fugientibus commodiſſima exiſtit, ex Hip. *lib.* 6. *epid. ſect.* 5. *text.* 27. idem prædixit *lib.* 5. *epid. num.* 27. §. *Timochari hyeme diſtillatio, maximè in nares: quum vene-re vſus eſſet, reſiccata ſunt omnia: laſſitudo, calor ſucceſſit: caput graue, ſudor à capite multus, defluebat autem & per totum corpus. Erat autem etiam ſanus ſudare aſſuetus: ter-tia die euaſit ſanus, &c.* Quum videlicet nulla reſolutio ſentiatur, & ſeipſo homo quodammodo leuior factus, & meliùs ſpirare videatur: ſi enim ex longioribus interual-lis celebretur, furioſos ad ſaniorem mentem reducit, comi-tiali prehenſos ſanat, capitis grauitatem, ad vigorem & integritatem permutat. Plurimi enim ex eius vſu, ex mor-bo alimentum non ſentientes refecti ſunt, alij ex ægrè ſpirantibus rectè ſpirantes facti ſunt, vt docent Auer-rhoës *lib.* 3. *collig. cap.* 16. Valleſ. *lib.* 6. *controuerſ. c.* 9. Chri-

D ſtoph. à Vega *lib.* 2. *art. medic. ſect.* 5. *c.* 4. Cùm enim ſemen ſit excrementum, copia læditur, & niſi vacuetur, nocet, & morbos inducit: quare cùm morbos, quos fecit repletio, vacuatio ſanet, ex præſcripto Hip. *lib.* 2. *aph.* 22. fit vt eius vacuatione leuetur corpus, & imminentibus morbis mi-nùs obnoxium reddatur. Quapropter Aëtius *loc. cit.* dixit, coïtum, naturale opus eſſe, naturalibus operationibus mi-nimè nociuum, niſi ſui immoderantia, & vſu tempeſtiuo corpus oblædat.

Obiicies contra aſſerta hoc modo. Venus corpus effi-cit laxius, frigidius, imbecillius, ſicciùs, ex Gal. 3. *de ſanit.* 11. & *lib.* 1. *de ſem.* 16. & *lib.* 6. *epid. cit.* Deinde. Ad vene-rem requiritur certa corporis diſpoſitio, quantitas mode-rata, & tempus opportunum, quæ omnia ratiſſimè con-

E iunguntur. Adde, quòd illa quæ ſunt neceſſaria ad ſani-tatis tutelam, plus, minúſve in omni ætate conueniunt: Cùm ergo venus ſolùm conueniat ætate florentibus, ex Gal. 2. *de ſanit. tuenda, cap.* 2. quibus minùs nocet, non erit ad ſanitatis conſeruationem neceſſaria. In hunc ſenſum intelligendus eſt Ariſt. *lib.* 7. *Politicor. cap.* 16. conſulens non eſſe nubendum, niſi in ætate perfecta: ſic enim ho-mines fiunt robuſtiores, & corporis non impeditur aug-mentum, fœminæ ſunt continentiores, vita in longius tempus protrahitur, & ſic idem Ariſt. *lib. de longit. & breuit. vitæ* protulit, animalia multo vtentia coïtu, vt paſſeres, ci-tiùs ſeneſcere; contrà verò tardiùs, equum, aſinum, & caſtos, continentéſque viros: nam in venereo congreſſu difficulter admodum ob annexam voluptatem poteſt ſer-uari modus.

Sed iſthæc facillimè ſolui poſſunt,ſi ea de nimia, & intempeſtiua venere, & celebrata ab illis, qui debiles ſunt, intelligas : nam venus aliquando eſt cauſa ſalubris,ac vtilis, quando in ea modus retinetur , vt aliarum omnium cauſarum , quæ nunc proſunt, nunc lædunt,fert natura : quoniam debilibus magnam debilitatem eſt allatura, cæteris verò,qui redundantia humorum ſcatent,ſuntque ſalaces,& ſemine turgent,permittendum eſt,vt vtantur venere moderata in adoleſcentia ipſa : debilibus verò ac biliosis iubendum, vt omninò abſtineant , ſed ſolius ætatis beneficium expectent. Quapropter venus increſcentes morbos exacerbat, apud Hipp. *lib.6.epid. ſect.5 .text.26.* ſi nimia ſit,& hi morbi non ex humoris redundantia,ſed ex ſpirituum reſolutione oriantur , vt perdoctus interpretatur Valleſius *in com:* Morbos autem increſcentes eos intelligo,ait Gal. *in com.* qui procedente tempore augentur, ſempérque,niſi priùs ſoluantur, labuntur in peius,vt podagras,articulorum dolores,renum vitia,comitiales, melancholias,qui omnes coïtu exacerbantur. Sed de immoderato eſt Galenus explicandus : nam moderatus ſiccatione,& vacuatione poteſt conferre,vt luculenter Santorellus, ex veterum, & iuniorum mente confirmat *lib.* 10. *antepraxis, cap.* 10.

Hac ratione veneris vſu quamplurimi ſoluuntur morbi,vt pituitoſi,ex Hip. *lib.6.epid. ſect.5. text.*23. dicente : *Venus in morbis à pituita,vtilis :* firmat Ariſt. 1.*probl.*5 1.*&* *ſect.4.probl.*17. quoniam præ motu, lenti & mucoſi diſſipantur humores,& roboratur calor,dummodo vires conſtent : nam,vt Gal.inquit *in com. Non cunctis ex pituita laborantibus, ſed quibus vires firmæ ſunt, veneris vſus prodeſt ; imbecilli namque ab ipſa in extremam debilitatem redacti magnoperè læduntur : at qui viribus excellunt, non diſſoluentur,ſed contrà iuuabuntur veneris vſu,pituitæ copiam reſiccante. Didiciſtis enim concubitum,quemadmodum & vigiliam exſiccare,quoniam ſcilicet humores abundè digerunt. Quinetiam coïtus robuſtorum corpus calefacit : infirmorum autem continuò quidem calefacit, ſed poſteà vehementer refrigerat.*

Inſuper pluribus naturis diuerſa ratione ſummoperè prodeſt,maximè illis qui ob ætatem, alimentorum vbertim nutrientium copiam,ſubſtantifico humido abundant, & ſemine turgent : Ij præ pudore ab vſu veneris abſtinentes, in peſſimos,exitialéſque morbos ſæpè incurrunt, & niſi concumbant , ſummoperè læduntur. Sicut enim ſanguis ſuperabundans,etſi inculpatus;niſi vacuetur, corpori damnum faceſſit , ſic ſeminis exuberantem copiam, niſi excernatur, valdè nocere certum eſt, ex quo retento vapores craſſi , & à ſanguine aduſto elati melancholicæ mœſtitiæ ſunt cauſa : nam tetri , nebuloſique flatus , cùm partibus ſuperis ſint infenſi , eas vitiant , & labefactant labe dira; quare ſpiritus animalis,qui ſuapte natura ſplendidus eſſe ſolet, turbidus redditur, neque ita aptus fit pro ſenſu & motu , & ſic torpor & pigritia accedunt.

Ex hac cauſa,ventriculi tonus & firmitudo diſſoluitur, & in officinis nutritionis naturalium partium vigor proſternitur, coctio non integrè fit, diſtributio alimenti improſpera euadit, immò ventriculi retentrice infirmata accidunt vomitus, nauſea,inflatio,& ructus, quæ omnia excreto ſemine conquieſcunt. Tanta eſt à natura ipſa indita animalibus ad concubitum concitatio , vt ad materiam hanc turgentem deſcribendam,nullo manifeſtiore exemplo vti potuerint medici,quàm animalis ad venerem incitati ; ex quo calidos, ferméque ignitos ſpiritus eſſe illos, qui ſemini vim ad ſui excretionem concitantem tribuunt, manifeſtum eſt. Hoc docet apertè Galenus *lib. de ſanit. tuend. cap.* 4. his verbis : *Sunt enim qui genitale ſemen copioſum,calidúmque gignunt, quòd eos ad ſui expulſionem proritat.*

Hiſtoria tertia eſt Diogenis Cynici, *quem narrant , virum alioqui omnium conſtantiſſimum , quod ad continentiam attinet , libidini tamen indulſiſſe : non à copulata illi dum effunditur ſemen voluptate, veluti bono aliquo illectum , ſed vt noxam quæ à retento ſemine preuenire ſolet,euitaret. Eum meretrix adire pollicita,quum diutius ceſſaret,ipſe manu pudendis admota, ſemen proiecit, ac venientem deinde mulierculam remiſit , inquiens , manus hymenæum celebrando te præuenit.*

Has ergo noxas à retento ſemine vt euitaret Diogenes, ex interuallis ad coïtum accedebat, non venereæ voluptatis illecebris irretitus , ſed excutiendæ moleſtiæ gratia allectus. Neque enim libidinis œſtro percitus Philoſophus ruebat in venerem , quo in hanc animalia ſemine turgentia ſeſe præcipitant. Non nego voluptatem ſemper eſſe annexam , quam admirabilis naturæ prouidentia , ne mortale indiuiduum extingueretur, ad ſpecierum conſeruationem ſingulis animalibus iniecit, vt his ſtimulis irritata concubitum tantoperè appeterent. Quare Diogenes, Cynicorum Philoſophorum inſtar, ob animi virtutem & conſtantiam,voluptatem pro fine ſibi non propoſuit. Horum autem placita,mores,viuendi legem deſcribit Gal.*lib. de cuiuſque animi peccatorum notit. atque medel. cap.3.* Sic modeſti viri voluptatis ſolùm lenocinio ineſcati non coëunt, ſed venerem exercent generationis deſiderio capti, aut euitandæ moleſtiæ cauſa , quæ à retento ſemine ferè oriri conſueuit.

Sed quomodo Gal.hunc vocauerit continentiſſimum, ſi ſcortum non expectans,manu propria ſemen excernens neceſſitati ſatisfecit ? Dic, illum ob longam ſcorti tarditatem,de huius aduentu deſperantem, hymenæum manu celebraſſe. Quæ operatio ab omnibus debet deteſtari,tanquam omnium ignominioſiſſima, & execranda, quam ex Veterum, & Iuniorum decretis damnarunt Rhodiginus *lib.*20.*lect.antiq.*14. Roderic. à Caſtro,Medicus celeberrimus *lib.*1.*de vniuerſa mulier.medicina, c.*15. & rigidè condemnat Martialis poëta Ethnicus, & laſciuus *lib.9 epigr. ad Ponticum.*

Quarta hiſtoria à Galeno deſcripta, *eſt amici cuiuſdam, cui præter eam , quam anteà habuerat conſuetudinem, omninò à concubitu abſtinenti , rigidus adeò , tumidúſque factus eſt penis, vt ipſi Galeno tale quid manifeſtare coactus eſſet, quærens vnde eueniret , quòd Athletæ cuidam continentiam pariter ſeruanti , non rigidus, tumidúſque euaſerat penis , ſed rugoſus, collapſúſque. Huic quæſito reſpondit Galenus , plurimos ſemine abundantes , à concubitu abſtinentes interdum priapiſmo vexari , præſertim ſi venereis imaginibus moleſtentur, nec ſtudeant, vt multa exercitatione ſanguinis abundantia diſſipetur : At Athletæ, qui iam inde ab initio, nullam vitæ partem venereis illecebris continuarunt, nullam admittentes eiuſmodi vel cogitationem, vel imaginationem, iis pudenda & exilia, rugoſáque fieri , velut ſenibus , conſueuerunt. Siquidem præter cætera , quæ accidere ſolent iis , qui protinus à iuuentute, immodicè ſeſe libidini permiſerunt , id etiam euenit, vt horum locorum vaſa ampliùs patentia , maiorem ad ſe ſanguinis copiam alliciant , & coëundi cupiditas magis increſcat : ignauia ſiquidem exſoluit, proprij autem officij exercitatio, robur augere ſolet.*

Huic rei cauſam dedere arteriarum ora,quæ ad pudendum deueniunt : cùm enim hæc calidiora redduntur , patentiora fiunt , & ſic multa copia ſpiritus in fiſtuloſum neruum diffunditur,qui paulatim affluens,colem implere ſolet. Semen enim,quà ſemen eſt, hunc affectum non excitat,ſed à moderata caliditate excalfactum, ora venarum aperit,vnde eleuantur ſpiritus vaporoſi,qui colem extendunt,& priapiſmum excitant. Hoc explicuit Auic. 20. 3. *tract.* 1. *cap.* 37. dicens : *Et quandoque priapiſmus accidit, qui dimittit coïtum ad tempus , ex quo mouetur in eo ſperma, & ventoſitas cum fortitudine.*

Accidit autem hic affectus iis,qui multo ſemine abundant,& præter conſuetudinem à coïtu abſtinēt,præſertim cùm non ſtudent , vt multa exercitatione ſeminis copia diſſipetur. Athletæ verò , Rurales , & vitam laborioſam agentes , exercitatione vehementi , ſanguinis & ſeminis copiam abſumunt ; in quibus cùm cauſa materialis priapiſmi deficiat , non eſt mirum , ſi in duobus à coitu abſtinentibus, exercitatio ſeminis multitudine diſſipata, rugoſus penis fiat : inexercitato, copia ſeminis coaceruata, tumidus appareat : maximè cùm illi vitæ ſuę partem venereis imaginationibus non contaminarint. Hac de cauſa amico Gal.conſuluit, vt poſtquam genitale ſemen excreuiſſet, à narrationibus, ſpectaculis,& meditationibus libidinem concitantibus caueret omninò; hæc enim naturam ad agendum excitant,huicque morbo originem præbent.

Licèt

Licèt enim in viris, hæc, & alia ſimilia ex retento ſemine accidant ſymptomata; tamen in fœminis frequentiùs contingunt, quæ horrendis vitiis hac de cauſa ſubortis premi ſolent, ſed præcipuè ſtrangulatus vteri eas apprehendit, & ita immaniter vexat, vt ſine pulſu, & reſpiratione vlla vel inſenſibili eas proſternat. Licèt autem reſpiratio adeò ſit vitæ neceſſaria, vt viuentem non reſpirare, ac reſpirantem non viuere ſit impoſſibile, auctore Gal. *in loc. hoc; vbi ſunt ſcripta hiſtoriæ hæ*, tamen exiguus in vtero ſuffocatis calor tranſpiratione ſeruatur: nam pereunte ob vteri affectum reſpiratione; quoniam vniuerſum corpus refrigeratur, fieri poteſt, vt nullo attracto per os ſpiritu aut reddito, tranſpiratio quæ per arterias fit, perſeueret, quamuis interdum exigua, vt ſenſum omninò effugiat, cùm enim muliebre ſemen, & frigidius ſit, & humidius, promptiſſimè corruptionis labem ſuſceptat. Accedit quòd fœmina eſt debilior, & infeſtantibus cauſis minùs reſiſtit; vt tam multis exemplis (præter Medicos, qui de hoc argumento paſſim diſceptant) probant Vlpianus *lib. 1. de ſenator. libr. P. tit. 9.* Papinianus *in l. in multis 9. de ſtatu hominis, in P.* Accurſius *in dictâ lege*, ſatis copioſè, & eleganter, & alij, quos eruditiſſimus citat Benedictus Pererius *in cap. 4. Geneſis, quæſt. 2. & 3.*

Vnum tamen pro coronide aduertam ſolùm, vt ſi fortè fortuna mulier vtero ſtranguletur, eóque miſeriæ deueniat, vt iaceat velut mortua, ſine pulſu, & reſpiratione vlla, & nullum adſit vitæ ſignum, illicò non ſepeliatur, prout *in com. hiſt. 34. lib. 1.* prædiximus: ſi enim peſte extincti mox non ſunt inhumandi, vt Guilhelmus Fabricius Hildanus *cent. 2. obſ. chirurg. 95.* ex clariſſimi Gregorij Horſtij ſententia, pluribus allatis ſententiis confirmat, quantò magis quæ repentinis affectibus ſideratorum inſtar concutiuntur. Audi celeberrimam hiſtoriam, quam refert Ambroſ. Paræus *lib. 23. c. 46.* cuidam eximio Medico, & in anatomica facultate verſatiſſimo contigiſſe, & eſt huiuſmodi.

Anatomicæ commentationis iacentis, & propè neglectæ parens, ac reſtaurator in Hiſpania, ad nobilem mulierem, quæ ex hyſterico ſtrangulatu mortua credebatur, diſſecandam vocatus. Ecce ad ſecundam adactæ nouaculæ compreſſionem, derepentè ad ſe illa redire, & artuum, corporiſque, quod pro cadauere habebatur, motu ac clamore, vitæ adhuc ſuperſtitis ſigna præbere cœpit. Quæ res circumſtantes amicos in tantam admirationem horroremque rapuit; ſic primæ & melioris notæ Medicum illum infamem, odioſum, & deteſtabilem reddidit, vt parùm abfuerit, quin vnguibus omnium è veſtigio diſcerperetur, & laniaretur, nihilque priùs ſibi eſſe duxerit, ſi ſaluus eſſe vellet, quàm prouincia quàm citiſſimè excedere, ſéque fuga inuidiæ ſubtrahere. Sed nec ſic quidem inteſtinum tortorem, ac carnificem, quo iudice nemo nocens abſoluitur, malè nempè rei geſtæ conſcientiam effugere potuit. Itaque non ita multo poſt mæſtitia confectus, magno rei, & publicæ, & Medicæ detrimento interiit. Horroris plena eſt hiſtoria hæc, ſed vera: nam vtero ſtrangulatæ pro mortuis habitæ, & ſæpè quoque elatæ, ac tumulatæ reuixerunt: vt exemplis conſtat Georgij Pictorij *lib. ſermon. conuiual. pag. 20.* Alexand. Benedictus *lib. 10. practic. 10.* Paræi *lib. 24. cap. 19.* Foreſt. *lib. 10. obſ. 79.* Albertin. Bottoni *lib. de morb. mulier. cap. 44.* & aliorum, qui in fine ſequentis quæſtionis ſunt referendi.

QVÆSTIO XVII.

Vtrùm vteri ſtrangulatus ſymptomata, oriantur ab vna radice, vt voluit Fracaſtorius.

COMMENTARIVM.

Verum eſſe retractum.] Altiùs hoc loco agendum de vteri ſtrangulatu, affectu ſanè ſæuo, & qui fœminas frequenter premit, diu & importunè; in cuius eſſentia indaganda doctiſſimi etſi ſtrenuè inſudauerint; latent tamen plura adhuc ſcitu non indigna, quæ exactiorem explicationem prærequirunt. Quemadmodum ergo inter membra quibus natura corpus miniſtrat, ea eſt vteri efficacia in fœminarum corporibus, vt ſi pro naturæ lege ſuo munere vtatur, non ſolùm incolumis viuat mulier, ſed etiam conceptui apta; ita vtero malè affecto, innumeris ferè affectionibus prematur. Vterus enim præter peculiare illud officium, & ſibi tantùm proficuum, quo in propriam alitionem ſibi ſanguinem trahit, cùm aliud contineat commune vniuerſo fœminæ corpori, & toti ſpeciei ſubſeruiens, nempè ſtatutis quibuſdam temporibus excrementitium, ſeu menſtruum ſanguinem expurgare, & ſemen tempeſtiuè excernere, pro vtilitate, & beneficio ſalutis in aliis; continere omnia intra ſeipſum, vt fœtui ſubſit materia, & locus: quare ſi in altero, vel vtroque excedat, aut deficiat vterus, infinita propè mala euenient; vt rectè Hip. *lib. de virgin. morb. & de loc. in hom.* & Aretæus *lib. 2. chronion* aſſeruit dicens: *Mulieribus vterus ad purgationem, & partum bonus, ſed morborum infinitorum aceruum congerit.*

Et licèt hoc ita ſit, tamen vterum tanquam conuenientiſſimum ſelegit meritò natura ad procreandam prolem, ex Gal. 14. *de vſu part. cap. 7.* vnde & naturæ ager, & quòd ex ipſo animantia omnia veluti à matre oriantur, matrix fuit appellata, & metra Græcè, ſeu hyſtera, quoniam ſitu poſterior ſit omnibus viſceribus, ex Gal. *lib. definit. medicar. poſt init.* nam inter veſicam, & rectum inteſtinum ſita eſt, ex Gal. *cit. de vſu part. cap. 13. & 14.* vnde affectiones quæ vteri vitio contingunt, vterinæ, ſeu hyſtericæ omnes nuncupantur, quemadmodum & patientes ipſæ.

Inter has tanquam omnium grauiſſima, frequentiſſima, & ſoli vtero propria, non cum aliis morbis communis ſimpliciter vterina nuncupatur, in qua ex vteri conſenſu patiens veluti ſtrangulari, ac ſuffocari videtur, ob reſpirationem prohibitam, vt & apnœa, vteri ſtrangulatio, ac vteri præfocatio dicitur, indito nomine à grauiore huius morbi ſymptomate, ex communi omnium conſenſu.

De vteri igitur affectibus acturus Gal. *c. 5. l. 6. de loc. affectis*, à præfocatione orditur, eius eſſentiam, & cauſas primò inquirens. Et quamuis vniuerſa tanti mali ratio in diſficili quadam reſpiratione potiſſimum conſiſtat; ſentit tamen Gal. præfocationis nomine non vnum tantùm morbum, aut ſymptoma intelligi, ſed multa ſimul ab vna exorta origine, vteri nempè vitio, ſeu deleteria qualitate emanantia. Tres verò præcipuas huius affectionis differentias agnoſcit, primam, ac vehementiſſimam, in qua laborantes fœminæ veluti attonitæ, ſenſu ac motu deſtitutæ iacent, reſpiratione priuantur, & vel obſcuriſſimum pulſum, aut nullum habent, cum totius corporis refrigeratione. Alteram, in qua licèt ſenſu, & motu non priuentur, illæſáque ratione vtantur, difficilem tamen reſpirationem, hoc eſt: paruam, & frequentem, tanquam pectore compreſſo, ſimul & animi defectum patiuntur. Tertiam, in qua prędicta etiam membra, brachia ſcilicet; & crura conuelluntur, cuius meminit Gal. *lib. 1. prorrhet. ſect. com. 27.* quarum quidem ſpecierum varietas ſuboritur, iuxta vehementiam cauſæ, & diuerſitatem membri, cui ab vtero tanquam à foco & minera, hyſtericæ acceſſiones præſtantur.

Porrò cauſam à qua ſuſcitatur, docet Galenus eſſe corruptum ſemen, vel menſtruum ſanguinem intra ipſius vteri vaſa retentum, ſed illud præcipuam ac maximam: eo potiſſimum argumento, quoniam cùm fœminæ multò magis huic malo, quàm mares ſubiiciantur, pauciſſimæ vel rarò eo corripiuntur, quæ & integrè purgantur, & viri commercio fruuntur: quæ contrario modo ſe habent, creberrimè. Vnde & innuptæ virgines, & viduæ ſæuiſſimis, & frequentiſſimis hyſtericis ſymptomatibus infeſtantur, præſertim ob ſeminis retentionem: cùm enim ſuperabundat, nec excernitur, vim maximam obtinet ad nocendum, vt in citatis exemplis palam fecit Galenus, idque tam maſculis, quàm fœminis, ſed his magis, quoniam ſemen habent humidius, & frigidius & minùs regulatum à calore; ac proinde cùm redundat, tanquam nóxium quidpiam ad ſui excretionem ſtimulat, vel ex naturæ inſtinctu & doctrina, non tam voluptatis gratia, quàm in ſubſidium moleſtiæ; quo primo bruta ſemine turgentia ad coitum concitantur: *Nec enim* (ait Galenus) *Venerem appetunt, quòd putent aliquam voluptatem illi ſubeſſe,*

ſed à natura docentur, vt fugiant retenti ſeminis moleſtiam, non ſecus quàm ad ſtercoris, aut vrinæ excretionem mouentur. Quamuis enim bruta alia, quæ etiam ſuas habent recordationes, non ſolò naturæ inſtinctu, ad trahendum vtile, pellendum noxium, ſed illecebroſo etiam appetitu in alimentum, & libidinem ruant; quia tamen minùs quàm homines voluptatis recordatione feruntur, ideò dixit Gal. *loc.cit.de loc.affect.* bruta venerem appetere, non vt delectentur, ſed vt à moleſtia liberentur, quam retentum ſemen infferre ſolet.

Quoniam verò ſibi perſuadebant nonnulli, fieri non poſſe, vt à tantillo ſemine in vtero contento, tam ſæui & repentini excitentur cruciatus, quales in hyſtericis quotidie experimur. Falſam horum opinionem Gal, *loc.cit.de loc. affect.* confutat, adductis in medium exemplis phalangij, ſcorpionis, & aliarum ferarum, quibus vis mira ineſt nocendi vniuerſo corpori, immiſſa exigua ſpirituoſa, vel inſenſili ſubſtantia; quin & ſolo contactu ingentes efficiendi alterationes, vt torpedini marinæ. Cúmque intra humanum corpus, ex humorum corruptela venenum poſſit innaſci, non minùs pernicioſum, quàm quodvis aliud externum, vt *lib.*1 *huius operis, in com.hiſtor.*52. notauimus; quid mirum ſi vitioſum ſemen, aut menſtruum cùm intra corpus retinentur, & putreſcunt, poſſint parua tranſmiſſa portione per corpus, vehementiſſima inducere ſymptomata, qualia ſequi ſolent à veneni lethalis potione?

Num verò ab externo, epotóve veneno, an intra corpus genito acciderit, diſcernendum *ibi* docet Gal. ex corporis habitudine, præcedentique regimine ſubſecuto dolore, &c. *Nam ſi quis rectè ſanus cum ſit, boniſque humoribus præditus, ſalubri aſſuetus victui, repentè moriatur, & corpus ſubinde liuidum, aut nigrum confeſtim fiat, prauéque olidum*, nec peſtilens adſit aëris conſtitutio, *magna habetur hauſti veneni coniectura*, quemadmodum etiam teſtantur alij. Inſuper quòd vitioſus humor in corpore, vel aliqua illius parte procreatus, atque adeò ſemen, menſtruumve in vtero retentum, & corruptum ſenſim poſſit vicina inficere, donec tandem ad nobile membrum commigrans lethalia inferat ſymptomata, præſertim iis corporibus quę ad patiendum ſunt apta, rurſus confirmat Gal. canis rabidi exemplo; is enim ſi rabie corripiatur (ad quam ſolus idoneus eſt inter reliqua animalia, propter ſui temperamenti aptitudinem) tantam induit humorum corruptionem, vt vel exiguæ ſpumæ contactu rabire faciat hominem, & quæcunque tetigerit omnia, latente diutiùs malo, nec niſi poſt longum tempus apparente, ſcilicet vbi paulatim ſerpens iam ad principem partem deuenit, & ab ea per totum corpus, donec tandem vniuerſum in malignam qualitatem commutetur.

Suppoſito ergo, quod ad vterum pertineant hyſterica vocata ſymptomata, quoniam & viduis potiſſimum accidant, quæ præ cæteris ex vtero laborant, & quibus menſtrua ſupprimuntur, vnde vteri morbi, 5.*aph.*57. & potiſſimum ex retento ſanguine: tum quia viduas grauiora infeſtant, etiam rectè procedentibus menſtruis; nuptas vel leuiora, vel rarò, aut nunquam abolita reſpiratione premunt, quantumuis ſatis non purgentur: tum quia in his quibus præter aſſuetudinem ſemen retinetur, vterus tangentibus obſtetricibus ferè totus ſurſum retractus interdum videatur, nonnunquam in latus declinans, vt nihil mirum ſi inde graues animi defectiones, & apnœam patiantur.

Antequam Gal. ſuam interponat ſententiam, quomodo tam ſæua, & varia ſymptomata ab vtero inducantur, refert ſimul & confutat antiquorum opiniones, de præfocatione vuluæ: de qua lege quæ diximus *lib.* 2. *in com.hiſt.* 47. Eæ ergo in medium ſunt afferendæ, & in examen trahendæ, ſimul cum his quæ Gal. de propoſita affectione edocuit. Plato igitur *in fin.Timæi*, cuius verba à Gal. *cit.loco* recitantur, cùm opinaretur vterum ad ſobolem propagandam deſtinatum, eſſe animal quoddam peculiariter in corpore viuens, & iuxta Aretæum 2. *acut.* 11. & alios, & Aphrodiſæum 2.*prbl.*60. ſe vndequaque mouens, affirmauit ipſum conceptionis auidum, denegato virili ſemine veluti ſuccenſum, vel potiùs indignabundum, per totum corpus vagari, vel pœnas de continente matre ſumpturum, vel ſemen cuius deſiderio perpetuo flagrat, quæſiturum: eo verò ad ſuperiora conſcendente ita ſeptum aliquando comprimi, & muſculos reſpiratorios impediri, vt inſigniter lædatur reſpiratio, quin & interdum ſubſequuta aphonia penitus auferatur, anguſtetur cor, & fiat ſtrangulatio. Inducebantur autem ita de vtero ſentire, quoniam ſenſus & motus particeps, inſtar animalium videtur, dum iucundis delectatur odoribus, ad eos accurrit, prauos refugit, demùm triſtibus & lætis mouetur, & bonis ſuppoſitis odoribus ad ſuam ſedem reuertitur.

Sed quanquam animatus ſit vterus, animaliúmque ferax, non ideò poteſt anima appellari, cùm pars ſit vnius animalis, quod ex multis conſtare non poteſt, niſi velis aggregatum eſſe, non vnum verè, & per ſe: perinde verò ventriculus, cor, & cerebrum odoribus reficiuntur, non quaſi iucunditatem percipiant ex odoris qualitate, quæ ſolis naribus ſentitur, ſed quia odoris vapor accommoda eſt ſpirituum materia, quibus illæ partes abundant, verùm nec ideò eas dixeris animalia. Ferri autem in ſibi ſimilia & familiaria, aduerſa fugere, à natura eſt elementis, mixtis, plantis, & animalibus commune: immò verò licèt vterus ſentiat, delectetur, quin & moueatur etiam; cur animal dicetur, non membrum, perinde ac quodvis aliud eandem formam per eaſdem functiones cum toto habens?

Enimverò ſi vterus nec ventriculum, nedum ſeptum pertingit, ex Gal. *lib.de diſſect. vuluæ, cap.* 2. vnde tribues reſpirationis difficultatem, aut priuationem in ſtrangulatis? præſertim cùm etiamſi daremus conſcendere, & ſeptum ac thoracem premere, nihil ampliùs efficeret, quàm ſatietas, aut geſtatio, à quibus licèt reſpiratio libera impediatur, non tamen aufertur omninò quemadmodum interdum accidit ſuffocatis. Denique quorſum conſcendet virilis ſeminis auidus, ſi aliunde, non à ſepto trahendum, quum fortè huius gratia procliuior natura reddatur ad inferiora? Ita ferè Gal. Platonis inuentum refellit de vteri ſuffocatione. Illorum verò opinionem, qui vt animal quidem errare non credebant, menſibus tamen excitatum, humectationis deſiderio, ad viſcera conſcendere opinabantur, atque dum ad ſeptum peruenit, ſuffocationem, & apnœam inducere, facilè confutat Gal. quoniam ſi irrigationem quærit, paratiorem habet humorem in ſuis propriis vaſis, in ſibi proxima, incumbentéque veſica, quàm in ſuperioribus, præterquam quòd potiùs ad hepar, quàm ſeptum moueri oportebat.

Fatetur ergo Galenus, in ſtrangulatione quidem vterum ſurſum interdum moueri, ſeu potiùs retrahi, & conuelli, aliquando in latus, & conſentire videtur Aëtius. Efficitur autem aſcēſus, ſeu retractio vteri ad ſuperiora, non vt veluti indignabundus (quia priuatur his quæ concupiſcit) corpori noceat, minùs vt ſuppreſſis menſibus exſiccatus humectetur; ſed quia dum menſtruo, vel ſemine retento eius vaſa nimiùm replentur, ipſe ſurſum verſus conuellitur, ita ad cæteras partes conſcendiſſe, & proprium ſitum mutaſſe videatur. Verùm licèt ita retractus vterus morbum habeat in ſitu, ſeu figura, ex Gal. *lib.*3. *de artic.*100. ex retractione ipſa non oriuntur ſymptomata, quæ in hyſtericis apparent, ſed à virulenta putridi ſeminis, vel menſtrui exhalatione, vitæ principiis, cordi; inquam, cerebro, aut iecori communicata; ratione cuius innumeri ferè apparent morbi, in vteri præfocatione: atque ideò non vnus affectus, ſed multorum ſimul congeries nuncupatur: nam apoplexia, epilepſia, melancholia, ſyncope, apnœa, aphonia, & alij truculenti affectus, illis quàm ſimillimi poſſunt in ſtrangulatu iungi, & ex deleteria vteri qualitate oriri, non ſecus quàm à peſte, ex venenoſa aëris conſtitutione, ab epoto veneno, Gallica lue, &c. quæ mala fœminas grauiſſimè afficiunt, quia omnia morborum genera poſſunt progignere, intemperaturæ, compoſitionis, & ſolutionis. Appellatur tamen hæc affectio, de qua agimus, vteri ſuffocatio, quoniam potiſſimum eius ſymptoma eſt reſpirationis priuatio, aſſumpto nomine, tum à parte affecta, tum à ſuperueniente ſymptomate fortiori.

Deinde tanti mali cauſa non eſt perpetuò cenſenda

vteri retractio, immò nec ſola, vt aliqui autumant: nam licèt ex Aretæo, Gal. Paulo, Aëtio, & communi omnium conſenſu ſemper comprimatur, opprimatúrve ſeptum in præfocatione, atque ita videatur neceſſe; non ſemper tamen adeſt vteri peruerſio, ex Gal. *lib.6.de loc.affect. cap.5*. maximè ſi è retento ſemine morbus concitetur, quia ex ſola vaſorum ſeminalium diſtentione vterus ita retrahi nequit, immò nec ipſe retractus opprimere tantùm poteſt, coarctaréve ſeptum, vt ea tantùm de cauſa, apnœa, & reliqua hyſterica accidentia ſequantur, quæ irruente ſurſum vtero, & ſeptum ac vitæ principia opprimente ſequuntur: ſed non ſola peruerſione, nec ea ſemper, immò verò potiſſimum prauis ſimul, & interdum ſolis habitibus, qui ita venenati, maligni, ac pernicioſi nonnunquam ſunt, vt partium quas attigerint facultates offendant, earúmque functiones intercipiant, vel vitient, & verſus ſeptum irruentes reſpirationis inſtrumenta vi ſua ita comprimunt, & ſtupefactiua quadam qualitate obtundunt, vt vel parùm, vel nihil moueri patiantur; vnde vel nulla fit, vel vix, aut ita difficilis reſpiratio, vt laborans quaſi ſuffocari videatur: pulſus nullus, vel obſcurus, refrigerato, obſtructo, aut ſuffocato corde: vnde etiam & reſpirationis priuatio, deficiente ſcilicet principaliori vſu. Extremorum refrigeratio, denegato caloris influxu à corde, & retrocedentibus ad ipſum ſpiritibus ex toto. Denique nonnunquam mors frigidi veneni ritu. Malo altiùs in fauces irruente, eæ quaſi vinculo conſtringi, aut manu præludi videntur, vnde & omnimoda ferè ſpiritus interceptio inducitur, & ſuffocationis periculum imminere videtur. Hinc ad fauces fieri vaporibus ab vtero ſubleuatis, & laryngis muſculos replentibus nonnulli opinantur, & ab apnœa diſtingui; iidem verò cerebri arcem conſcendentibus, modò furores excitantur vterini, aliàs ſopores profundiſſimi pro varietate, & magnitudine cauſæ. Demùm & nonnunquam ille ſenſuum ſtupor, & immobilitas: nam ſtupidâ manent, & immota membra omnia, ac ſi affuſa torpedinis frigiditate torperent: frigidus enim eſt, frigidique veneni naturam habet vteri morbus, ex retento & corrupto ſemine, vel menſtruo, à quo vapor ille eleuatur prædicta ſymptomata inducens.

Fracaſtorius, Medicus & Poëta celeberrimus *lib. de ſympath.cap. 5*. licèt admittat reliqua membra coaffici, vi irruentis vaporis ab vtero; opinatur tamen referri etiam poſſe ad conſenſum, ſympathiámve, quam à natura habent nerui, ac muſculi omnes crurum, ſepti pectoris, dorſi, capitis, & reliqui cum matrice; qua affecta, nerui ac ligamenta quæ ad ipſam pertinent, contrahuntur. Sed non videtur recipiendum inuentum, ſi enim plurima membra in corpore, multò magis inter ſeſe, quàm cum vtero communicantia, vt ferè neruoſa, & muſculoſa, omnia ab vno principio vim & ſpiritum recipientia, dum conuelluntur, aut reſoluuntur, non ſe mutuò trahunt in conſenſum; qua probabilitate poteſt credi de vtero, qui verè neruoſus non eſt, aut muſculoſus, ex Gal. *lib.6.epid. ſect.1. com.2.* vt retractus, ſiue conuulſus: in ſimilem diſpoſitionem trahat partes ferè omnes, neruis aut muſculis præditas? Præſtat ergo opinari, ſtrangulatus ſymptomata modo explicato euenire, à maligno vapore vitæ principiis tranſmiſſo, ex retento ſemine, vel menſtruo, concurrente ſimul nonnunquam vteri retractione ex vaſorum plenitudine.

Cæterùm poſſunt hic nos quædam meritò remorari, quæ expedire oportet. Primum. Conuulſio accidere non poteſt, niſi à repletione, aut inanitione neruorum, quorum propria paſſio dicitur. Atqui menſtruus ſanguis, & ſemen non aceruantur in neruis, qui perexigui ſunt in vtero, ſed vel in vaſis, vel in ipſius corpore, & in iiſdem ſimiliter deficiunt. Igitur vterus nequaquam conuelli poteſt in ſtrangulatu.

Secundum. Si ſanguis intra vteri vaſa putrefiat, febrem concitat, ex Gal. *lib.6.epid.ſect.cit.* non totius infrigidationem: ſi ſemen in vteri cauitate fuerit, nequaquam detinetur in illa, quin celeriter per eius os affluit, preterquam in conceptu. Ergo ab his, vel quolibet eorum hyſterica ſymptomata induci non poſſunt. Nec dicas in vaſis ſpermaticis putreſcere ſemen: nam illa ſunt propria, & naturalia ſeminis conceptacula, in quibus conſeruatur, aut in eorum alimentum abſumitur. Si verò adhuc inſtes, ſanguinem intra vaſa totius putreſcere, atque ideò nihil mirum, etiam in vaſis ac vteri, perinde ſemen in ſuis ſpermaticis, putreſcere, facilè obiectio hæc ſolui poteſt: nam ſanguis non eſt ſubſtantia vſque adeò pura, nec tam expers humiditatis excrementitiæ; ſemen è contrà perfectè coctum ab excrementis mundum, demùm non ita putredini obnoxium, vt tam facilè intra propria, & naturalia loca corrumpatur.

Tertium. Si ab illis ſubſtantiis intra ſua vaſa retentis, ac putrefactis, tantum malum oriretur, magis infeſtaret virgines, quàm viduas: nam illis ob meatuum conſtrictionem magis retinentur, & deteriùs purgantur. Rurſus magis geſtantes in vtero, quibus tanta menſtrui copia totis nouem menſibus occluditur, & detinetur. Inſuper ſi à ſemine interna ſymptomata fierent vehementiora, non minùs continentes viros, quàm fœminas moleſtarent; quin & illos magis, acrius ſiquidem ſemen habent, magis irritans, magiſque aptum per moram vitiari. Atqui ſecundùm Gal. virgines, grauidæ, ac maſculi rariùs, & leniùs patiuntur memorata accidentia. Igitur, &c.

Quartum. Si ea deteriora acciderent ſymptomata ex ſemine, id aſſumptum foret exitioſius, quàm menſtruum, cùm tamen intrò ſumi poſſit ſemen innoxiè, non menſtruus ſanguis, vt Conciliator, Ponzettus, & alij *cap. de ſanguinis menſtrui veneno* proponunt: ex cuius potu, multi amentes, fatui, deliri, immemores facti ſunt, immò ſubitò occubuerunt.

Quintum. Si vterus dicitur corporis ſentina, & veluti quoddam conceptaculum, ad quod ex toto putrida confluunt excrementa; cur ſuffocatio non fiet ex quolibet humore putrefacto, & in ſimilitudinem veneni in vtero conuerſo, non minùs quàm à ſanguine, aut ſemine, quemadmodum dixit Auic. 21.3.*cap.prop.* cum Auer.3.*collig.*29.

Sextum. Si à reſpiratione, & pulſu vita eſt inſeparabilis, ex Gal. *lib.1.de vſu pulſ.c.*1. quomodo viuent hyſtericæ, nihil prorſus reſpirantes, aut pulſantes. Quòd ſi dicas poſſe viuere citra reſpirationem per aliquod tempus, dummodò cordis pulſus ſeruetur, prout docuit Gal. *lib.4. de dif.pulſ. cap.*1. quorſum *lib.6.de loc.cap.*5. mortem ab apoplexia, aut præfocatione ſecernit, lanæ vel goſſipij appoſitione naribus, aut vaſis aqua pleni ad ventriculum, quæ potiùs ſunt argumenta abolitæ reſpirationis, quàm mortis.

Vltimum. Si frigida eſt huius morbi natura, atque ideò ſoporem, triſtitiam, metum, ſilentium, apnœam, ſtuporem, & refrigerationem totius inducit, vnde iracundi furores, concitamenta, inquietudines, & audaciæ, æſtuantis caloris effectus? vndéve inappetentiæ, & ciborum faſtidia, ſi potiùs fames, ac inexplebilis edendi cupiditas à frigido concitatur? præſertim melancholiæ, cuius naturam ſapiunt menſtruum, & ſemen vitiata.

Sed non ita ardua hæc ſunt, vt euincãt. Dic ad primum. Quemadmodum ventriculus, quia muſculus non eſt, ac eius oſtiolum conuelli propriè non dicuntur, vt conſtat ex Gal. *lib.5.aph.4.* & accuratiùs *lib.3.de cauſ.ſympt. cap.2.* ita nec vterus, ſed impropriè, & metaphoricè: hic enim quia natura durus, & veluti neruo ſimilis, plenis ſuis vaſis, & fibris, quibus aliis partibus alligatur, aliquando incolumis ad ſimilitudinem neruorum conuellitur, ſeu potiùs retrahitur ſurſum, vbi ex æquo omnia ligamenta diſtenduntur, vel ad latus, ſi vnius tantùm partis vaſa repleantur. Dubitari etiam poteſt, an ex ſola vaſorum ſeminalium diſtentione præ copia, vuluæ peruerſio contingat: & licèt aliqui negent, quia pauca admodum ſunt, nec à tantilla materia vteri moles ita diſtendi poteſt vt peruertantur; ipſe tamen Galen. *loc.cit. de loc.affect.* teſtimonio obſtetricum hyſtericas viduas tangentium, ſignificat interdum etiam iſtud euenire: nec immeritò; nam ſi ad infarcti nerui contractionem integrum membrum aliquando conuellitur, cur non perinde vterus ad repletionem vaſorum ſeminaliũ? Iam verò magno impetu, ac nixu, nonnunquam contrahi poſſe, ad excutiendam putridi ſeminis virulentiam, atque adeò veluti ex morſu conuelli

ſatis manifeſtum,ſit ex contractione cerebri ac totius corporis,in acceſſione epileptica,à ſola exhalatione ab vtero in cerebrum aſcendente. Addunt multi,ex veneris appetitu poſſe etiam vterum tumere , & retrahi ;atque hinc fortè viragines,& libidinoſas fœminas præfocatione nonnunquam fatigari. Sed meritò improbantur; tum quia cùm matrix ſcroto reſpondeat, ex Gal. *lib.introduct. c.*10. & 14. *de vſu part. cap.*6. non ſecùs quàm ipſius matricis ceruix virorum coli ; ſicut in his præ libidine colis , non ſcrotum inflatur , ita nec in fœminis vterus : tum quia is ex congreſſus deſiderio potiùs deſcendit,& verſus collum quod ſua gula eſt,porrigitur,quàm contrahitur,quemadmodum Gal. *lib.*1. *de ſem. cap.*3. oſtendit, ſimilitudine ex ventriculo deſumpta,qui vehementer appetens cum fundo ad ſtomachum , & gulam recurrit.

Ad ſecundum. Sanguis intra vteri venas , quæ multæ & magnæ ſunt , detentus & putreſcens , etiamſi febrem plerumque excitet , aliquando tamen per corruptionem vſque adeò venenatam induit naturam, eámque frigidiſſimam,vt vel ſolo vapore expirato,cordis calorem, ac totius corporis,inſtar veneni,vel celeriter extinguat,vel obtundat,vnde refrigeratio,interceptio pulſus,reſpirationis, & ferè omnium functionum abolitio : certum eſt autem huius affectus materias intra propria vaſa , ſuáque loca naturalia detineri,& putreſcere,quum præ copia à natura regulantur. Quantò verò ſeminis probitas maior eſt, eò faciliùs , & deteriùs putret , ſi præ multitudine grauans, non excernitur, ſed retinetur.

Ad tertium. Viri capitis grauitatem, corporis languorem, pigritiam, inappetentiam, & nonnulla alia ſymptomata hiſtericis ſimilia patiuntur , ſed non ita crebra , ac vehementia , ac fœminæ ; nam cùm huiuſmodi morbus inter frigidos numeretur,frigidáque ſit materia venenoſa ex qua oritur , multò faciliùs in frigidam malignitatem corrumpetur muliebre ſemen,quod magis inclinat ad frigidum , quàm virile ſuapte natura calidum , atque adeò crebriùs mulieres hoc malum incurrent , tanquam ſibi proportionale. Iunguntur & in illis cauſæ aliæ , quibus aptiores reddduntur prædictis ſymptomatibus, & ſæuioribus , maior nempè cacochymia maiori corruptioni obnoxia,minor innati caloris copia ad reſiſtendum putrefacientibus cauſis,demùm & ipſa vteri conditio ; cùm enim (præter alia munia,vt diximus) dicatus etiam à natura ſit totius corporis expurgationi , ex toto ſuſcipit excrementa,quę inter ſeſe commixta facilè deleteriam coaccipiunt qualitatem,qua & vterum ipſum inficiunt,& corpus vniuerſum innumeris redduut affectionibus obnoxium , ex proprietate illa in vtero relicta , ſimul & in eo aceruatis excrementis , præſertim menſtruo , aut ſemine retentis ; ſed ab hoc maximè , vtpotè quod deteriùs putret , quia perfectiùs,& exactiùs elaboratum,vt diximus. Hinc fit vt viduæ , quibus præter conſuetudinem ſemen detinetur ; vterinis malis grauiùs vexentur , quàm virgines ; quantumuis ob naturalem meatuum anguſtiam non purgentur benè,& ex concluſo intra vaſa ſemine hæc eadem mala non raro patiantur ; & frequentiùs quidem quàm grauidæ,quia in his ſanguis intra vterum geſtationis tempore morans,prohibeatur à natura ne putreſcat,ſcilicet quia citra illum negotiatur; partem concoquens & emendans, aliam in vteri & fœtus alimoniam abſumens , partem ad vbera tranſmittens, partem vomitu diminuens : denique citra vſum detineri non patitur,atque adeò non putreſcit, maximè quod intra membranam fœtum continentem, chorion ſcilicet , tanquam in ſuo naturali loco , nec ſine diſpenſatione naturæ ſeruatur , non aliter quàm in fellea veſica bilis : quod ſi putreſcere contingat , ſuffocationem inducet,præſertim vtero iam facto grandiore,qui minium in tumorem elatus ſeptum magis comprimit ; & eleuatis malignis , pernicioſiſque vaporibus à frigido ſanguine per corruptionem ſic facto, ad reſpirationem redditur ineptum.

Ad quartum. Maiorem vim corrupto ſemini ineſſe ad nocendum , quàm menſtruo,conſtat ex dictis : & ſi vitiatum quidem intrò ſumeretur , non dubito quin læderet pernicioſiùs.Nec obſtat quòd menſtrua,extrà & intrà,in-

A ſigniter officiunt,non ſic ſemen ; res namque exteriùs poſitæ,non idem ſemper poſſunt , quòd interiùs, ſicut nec è conuerſo,3.*de temp.cap.*4.& 5.

Ad quintum.Quamuis ex quouis humore,in frigidam ſubſtantiam,eámque deleteriam mutato,vterina oriri poſſint ſymptomata, iuxta Auic. Auer. & alios, frequentiùs tamen ex menſtruo ſanguine, & corrupto ſemine ; quod monſtrat frequentia euentus,in iis quæ improbè purgantur, ac viri conſortio non fruunrur. Adde quòd menſtrui nomine , humores omnes comprehenduntur, non ſolùm ſanguis à reliquis ſeparatus; nec enim ab vno tantùm humore integro, & puro efformatur fœtus, inquit Galenus *lib.*1.*de natur.human. com.*27.

Ad ſextum. In apoplexia,apnœa,& præfocatione,citra reſpirationem & pulſum,vitam ſeruari teſtatur Gal.*lib.*4. *de loc.cap.*7.& *lib.*6.*eiuſdem,cap.*5 .& licèt reſpiratio, pari- B ter ac pulſus,ad conuertentiam cum vita dicantur,nec perire poſſint in totum manente animali , nec momento quidem temporis vita ſupereſſe poſſit citra reſpirationem; tamen fatemur neceſſariò etiam in forti apoplexia , apnœa, præfocatione ſimilibus , quandiu viuit animal, ſaltem latentem reſpirationem adeſſe ; dici verò in dictis affectibus amiſſam, ſeu priuatam, quia ſenſum effugit,non quia in totum pereat. Quòd ſi magis placet , dic ſolum pulſum eſſe à vita inſeparabilem,provt docuit *lib.*4.*de dif. pulſ. cap.*2. ſoláque tranſpiratione poſſe exiguum in animalibus calorem , quemadmodum & in plantis ſeruari ; atque ita in apnœa, & ſimilibus, in totum reſpirationem auferri , quod ſub dubio reliquit Gal. *lib.* 4. *de loc. affect. cap.*7. dicens , poſſe vtrumque probabiliter defendi. Dic in aliis locis adductis, tantùm velle ſic vitam à reſpiratio- C ne pendere, vt diu non duret animal, ſi illa ex toto auferatur : non quaſi illicò pereat , etiamſi non reſpiret ; viuet enim , quandiu motus non defuerit , à quo velut ad momentum vita eſt inſeparabilis. Nec obſtat , quòd *ad initium lib.de vſu pulſ.* ſcripſit,tantò magis eſſe neceſſariam reſpirationem pulſu , quantò cordis calor magis neceſſarius eſt ad vitam , quàm membrorum ; *ibi* enim de pulſu membrorum loquitur , cuius collatione non negamus magis eſſe neceſſariam reſpirationem : quomodo autem ea calorem refrigerando tueatur , non eſt huius loci demonſtrare. Quòd ſi ſolo cordis pulſu , etiam nullo exteriùs apparente. vitam aliquando ſeruari contendas, difficillimum erit in forti apoplexia, præfocatione , & apnœa vitam à morte diſcernere ; & ideò incerta quidem habenda ſunt documenta auctorum , & vulgi : nam goſſipium D naribus impoſitum corpore reſupino, clauſis feneſtris,& remota anhelantium turba , vt ſi modo aliquo moueatur , ſuſpicio vitæ ſit , ſin minùs mortis : & ſi agitetur aqua in cyatho ori ventriculi admoto , quia pariter cum ſepto in reſpiratione ventriculus mouetur : demùm & nitidum ſpeculum ori approximatum,vt ſi inficiatur nubecula , iudicemus anhelitum adeſſe , reſpirationis nullius ſunt indicia, non mortis , provt obiiciebatur ; & confirmant multorum experimenta, qui pro mortuis habiti reuixerunt , & iamiam ſepeliendi fuiſſent, nî in domum reuocati eſſent , alij tumulati iam inuenti ſunt reuoluti , de quibus apud auctores, Valerium Maximum *lib.*1.*de miraculis,de hiſtor. Attilij,* Plin. *lib.*7.*cap.*52. explanant Gentilis *in Auic.*13.*tract.*5.*cap.*12. Haly *lib.*5.*pract.cap.*22. Leuinus Lemnius *lib.*2.*de occult.natur.miracul.cap.*3.& inter E omnes nunquam ſatis laudatus Zacchias,indefeſſæ lectionis vir, *lib.*4.*quæſt. Medicolegal.tit.*1.*quæſt.vlt.num.*50.*vſque ad finem.*

Vltimum verò argumentum de iracundo furore,audacia,&c.Potiùs calidam cauſam,quàm frigidam atteſtantibus, facilem habet expeditionem , conſideranti frigidam ſubſtantiam,ſeu potiùs ſemen,& menſtruum frigida qualitate, eáque deleteria vitiatum, eſſe frequentem ſtrangulationis materiam : licèt verò nonnunquam in ſuffocatis ſymptomata vlla conſpiciantur , per rara tamen ſunt, frequentiſſima quæ à frigido oriuntur ; frigidum enim eſt ſimul, & deleterium huiuſmodi vitium,vt diximus, ac proinde etiamſi à frigido promoueatur appetentia , propter adiunctam tamen venenoſam qualitatem in hoc

morbo,

morbo, deiicitur; nam etiam à melancholia fames exci-tatur; verùm vbi ea qualitatem aliquam naturæ horri-dam concipit, vires omnes & appetentiam proſternit, at-que ingens faſtidium inducit.

QVÆSTIO XVIII.

Vtrùm fœminæ ſemen fœcundum generent, vt contrà Ariſtotelem aſſeruit Galenus.

PLurimùmque ſemen.] Vtrùm fœminæ ſemen generent, idque prolificum ſit, ac fœcundum, Galenus cum Phi-loſopho ad rauim vſque decertat, ſed adhuc ſub iudice lis eſt: nam Peripateticorum tela ita ardua ſunt, vt ea decli-nare licèt Iuniorum doctiſſimi tentauerint ſæpè, & illu-ſtriſſimi Philoſophi hanc prouinciam ſtrenuè fuerint ag-greſſi, tamen illa, ni fallor, ſunt inſoluta adhuc: mecum ita ſenties, cùm legeris Conciliatorem *dif.* 37. Iacob Dinum, & Thomam de Garbo *ſuper Auic. de generat. embryonis.* Eundem Garbum *lib.* 1. *ſuæ medic. tract.* 5. *quæſt.* 58. Turiſa-num, Thadæum, Forliuium, & alios interpretes *lib. art. me-dic. cap.* 45. Thom. à Veiga *in com. cap.* 5. *lib.* 6. *de loc. affect.* Fernel. *lib.* 7. *phyſiolog. cap.* 6. Cardan. 2. *contrad. tract.* 6. *con-trad.* 18. Valeriol. *lib.* 1. *loc. com. c.* 17. Valleſ. 2. *cont.* 7. Rode-ric. à Caſtro *lib.* 1. *de mulier. morb. part.* 1. *cap.* 3. Peramat. *tract. de ſemine*, Mercat. *lib.* 1. *de affect. mulier. c.* 1. Laurent. *lib.* 8. *de re anatomic. quæſt.* 5. Syluat. *controu.* 79. & alios. Sed diutiùs his inſtiti, quia intricata, & maximè neceſſaria, in quibus ferè nituntur omnia, quæ de ſtrangulatione vteri dicta ſunt. Attamen nec acquieſco, immò hæreo, fluctuo-que ampliùs: conabor tamen potiora Ariſtotelis argu-menta in propatulum ponere, nitidè & diſtinctè, ex quibus alia lucidiora fient, quæ à ſuis hinc inde afferri ſolent.

Primum. Quemadmodum ſemen excrementum quod-dam eſt poſtremi alimenti, vtile, & exquiſitè confectum; ita menſtruum ſuperfluitas quædam eiuſdem dicitur mi-nùs perfectè concocta. Atqui fœminæ ob caloris imbe-cillitatem menſtruis abundant, hoc eſt, cruenta illa, & in-cocta ſuperfluitate. Igitur ſemine careant eſt neceſſe. Hoc ſiquidem ex optima coctione fit, vel etiam ſecun-dum Gal. menſes ex incoctione: nec par videtur, duo eſſe eiuſdem rei vltima, & tam diuerſa excrementa; ac proin-dè quemadmodum maribus ſolum ſemen ex vltimo ſan-guineo alimento ducitur, ita ſolum menſes fœminis: quæ quidem inter ſeſe reſpondere, & proportionem habere ex eo ſatis indicatur, quòd eadem ferè ætate, 14. anno per-acto 7. *de hiſt. anim.* 1. ſemen maribus, fœminis menſtrua effluant; conſimiliter etiam in ſenio finiantur, iiſdémque ſymptomatibus incipiant.

Secundum. Pueri, eunuchi, & mulieres, in habitu, in voce, & pilis ſunt ſimiles. Atqui illi non generant ſemen. Ergo nec mulieres.

Tertium. Si procaces, libidinoſæve fœminæ multoties pariant, ſedantur, temperantúrve. Atqui per partum ſan-guis, non ſemen excernitur. Igitur ille eſt qui turgens, ad libidinem fœminas excitat: quod & illarum experimen-tum confirmat, quæ præ venereo appetitu ſanguinis pro-fluuium intra menſem ſæpè habent, pellente ſcilicet na-tura id à quo ad congreſſum ſtimulatur.

Quartum. Si mulier ſemen haberet; & in congreſſu emitteret, vel eſſet neceſſarium ad generationem, vt agens, vel vt materia, denique vel vt vtrumque. Non pri-mum, quia cùm virile integrè coctum ſit, ſolum ſufficit ad generandi munus, tum quia licèt in aliqua rerum pro-creatione, vnum idémque videatur efficiens & materia, vt in fruticibus, &c. in animantibus tamen perfect ori-bus, non paſſa fuit natura gignendi principia miſceri, ſed voluit cum ſexuum diuerſitate, diſtinctas etiam apparere actiuam, & paſſiuam facultates: cúmque mas efficiens in generatione ſit, fœmina patiens, agentis hæc rationem ſubire nequaquam poterit; ſiquidem præterquam quòd duo eiuſdem rei principia, ſecundùm idem genus non admittuntur, immò verò (vt concludit Auerrhoës *infrà referendus*) vbi duo ad vnum finem commiſcentur, opor-

A tet vnum eſſe formam, hoc eſt agens, alterum, materiam ſiue patiens; tum quia cùm alterum principium, nempè materiam ex ſanguine menſtruo mulier contineat; ſi ſe-men fœcundum gereret, citra maris congreſſum ex ſeipſa poſſet concipere, & fœtum edere. Non ſecundum, ſiqui-dem ad omnia membra formanda menſes ſufficiunt, & ſiquid aliud requiritur, virile ſemen ſat eſt. Conſtat au-tem ſine excretione, aut voluptate ſæpè concepiſſe mul-tas, & teſtatur Auerrhoës *lib.* 2. *collig. cap.* 10. quo loco ad-dit nouiſſe fœminam in vicinia cohabitantem, probis moribus, & fidei integræ, quæ iureiurando confirmauit, concepiſſe infantem ſemine ex balneo attracto, quod profudiſſet laſciuiens maſtrubator: firmat Amatus *lib.* 4. *centur.* 36. cui hiſtoriæ alia annectenda ipſius Amati *lib.* 7. *Centur. curat.* 18. in qua narrat mulierem à muliere

B fuiſſe grauidam factam: cùm enim binæ mulieres Turcæ mutuis coïtibus ſeſe contaminarent, vidua à coniugata; quæ ea hora cum marito rem habuerat, attraxit ſemen virile, à quo grauida facta eſt. Denique non vt materiam ſimul, & vim generantem præſtaret; nam præter dicta id in ſeipſum ageret, in proprium damnum, & interitum. Quòd ſi Ariſtoteli obiicias, eo etiam conſentiente *cap.* 20. *lib.* 7. *de generat. animal. cit.* fœminis etiam in actu venereo magna cum voluptate ſubſtantiam quandam effundi ſper-mati, ſimillimam, eámque in vaſis maximis manifeſtè con-cipi. Reſponde, illud nec ſemen eſſe, ſed quandam vteri humiditatem, nec quicquam ad generationem conferens: quoniam nec omnibus talis excretio euenit; nec ad eam ſequitur conceptus, menſibus deficientibus, nec intror-ſum ad vterum fit; & quia ſine ea ſeminis emiſſione, & quæ ad eam ſequitur, voluptate, plerumque concipiunt,

C ſi menſes debitè fiant, nec verò inquit, ab excretione il-lius humiditatis fœminas delectari, ſed ex frictione & ti-tillatu, quo pacto pueri, & eunuchi delectari ſolent, nihil alioquin ſeminis habentes.

Addunt. Arboris ſemen in terram effuſum, ſola mate-ria ex terra mutuata, citra alterius ſeminis acceſſum, ſat eſt ad arborem proceram gignendam. Igitur & virile ſemen abſque alio fœminini concurſu, ſaltem quod vim ali-quam, aut opem præſtet in fœtus conſtitutione; ſed ſo-lum inquam menſtruum tanquam materiam, & veluti lac coagulandum exhibere, maſculi autem eſſe principium coagulationis. Sicut verò lacte concreto coagulum effluit; ita 2. *de generat. animal.* 3. virile (inquit) ſemen in vtero receptum, vi præſtita menſtruo ſanguini, confertim aut diſſolui, & in flatus abire, aut extrà vterum mitti ſolet, vi-

D delicet quia nullatenus fit materia fœtus, ſed tantùm vt efficiens cauſa concurrit. Ariſtotelis verò ſententiæ, præ-ter Auerrhoëm *lib.* 2. *collect. cap.* 10. & alios Peripateticæ doctrinæ, aſſentiri putant Auic. 21. 3. *c. de generat. embryo-nis*, Capiuac. *tract. de fœt. format. cap.* 3. & alij primæ notæ Philoſophi, Durand. *in* 3. *diſt.* 3. *quæſt.* 1. Capreol. *diſt.* 4. *quæſt. vnica*, *art.* 3. Paludan. *quæſt.* 2. Heruæus *in tract. de vnitat. form. quæſt.* 18. Socinas 8. *meth. quæſt.* 16.

Sed rectiùs Medici ferè omnes, Hip. & Gal. veriorem opinionem ſequuntur: ea huiuſmodi concluſione expli-cabitur. *Non generat ſolus maſculus ſemen; ſed & fœmina etiam. Vtrumque materiam ſimul, & efficientiam præſtat: fœ-mineum tamen minùs fœcundum, nec omnino ad generationem neceſſarium.* Priorem partem tum ratio, tum ſenſuum te-ſtimonium, ac experientiæ fides ſatis confirmant: nam

E ſi (quæ nihil fruſtrà condere ſolet) natura, fœminis ſuos teſtes attribuit, perinde ac maribus, item & ſeminalia vaſa; variis flexibus ac circuitibus inorta, quæſtam in teſtes; alia ab ipſis in vterum terminata: atque partes illæ in maſculis, nulla alia de cauſa ſunt factæ, quàm vt ſemen generarent, & in congreſſu emitterent: quo iure ipſis de-negabitur ſimilis facultas in fœmineo ſexu.

Nec refugias cum Auer. *loc. cit.* ad exiguas mammæ pa-pillas citra vſum aliquem datas, ſeu notas, mammarum in fœminis; ad ſacrum, ſiue coccygis os hominum ad vlti-mum faſtigiatum, caudæ brutorum index; ad occluſos talparum oculos, &c. Quoniam licèt verum ſit, plerum-que naturam abſque vllo vſu, ſimilitudinem quandam quibuſdam animalibus inurere, tanquam notam, ſeu

Rr 4 veſtigium

veſtigium partis alicuius,quam cum magno emolumento alteri ſpeciei conceſſit; vbi tamen ſimile opus non exoptat, diuerſimodè fingit,aut quidpiam minuit:teſtes verò, & vaſa ſeminalia cùm in mare, & fœmina ſimilia ferè omnia fabricaſſet,numero, magnitudine,anfractibus, par eſt credi, eiuſdem momenti gratia condidiſſe. Id quod rerum euentus,& fides oculorum demonſtrauit: nam ſemine intra vaſa illa turgente, fœminæ procliues feruntur in Venerem; eáque ſi non vtantur vterinis capiuntur affectibus, à quibus, ſemine ipſo excreto liberantur.

Rurſus non minùs quàm mares,gonorrhœam,& priapiſmum patiuntur fœminina bruta, quæ ſtatis temporibus concipiunt, & quaſi furentia mares quærunt; nec aliunde,niſi retento ſtimulata ſemine; eo verò per concubitum excreto protinus conquieſcunt, adeò vt ampliùs mares non admittant, donec rurſus aceruent; quod ſanè non ita eueniret, niſi ſemen progignerent,& in congreſſu proferrent.

Adde.Si fœminæ caſtrentur (quod in porcis quotidie conſpicitur) ampliùs non coeunt, nec vlla ratione ſuſtinent acceſſum. Igitur illarum teſtes ſemen progignunt, & eo turgentes, ad libidinem, & conceptus faciunt: id quod & per illarum partium diſſectionem ad oculum demonſtratur; atque ita ex ſententia Hippoc. *lib. de natura pueri,ad initium*, Galenus *lib.1.& 2. de ſem.* latè, & *lib.6. de loc. cap.5.* confirmat.

Quod autem virile ſemen, non vt opifex tantùm, ſed vt materia etiam,in fœtus procreatione ſeruiat,(quidquid Ariſt.*lib.1.de generat.animal.cap.2.*& alibi cenſuerit) præterquam quod ex Hip. colligitur *cit.de natur. pueri*, dum vult ex vtriuſque ſeminis miſcella, menſtruo poſtea accedente ſanguine fœtum conſiſtere, multis oſtendit Galenus *lib.1. de ſem. cap.5.* Cùm oporteat ſemen ab vtero comprehendi, ac retineri, vt conceptio fiat, prout *libello illo*,& *de genitura* Hip.& Galenus obſeruarunt; nam vterus ſentiens ſuauitatem ſeminis, huic totus fit obuiam, quod ipſum plena fide nomen conceptionis indicat.Præterea,ſi nulla geniti pars,ex ipſo virili ſemine, tanquã ex proxima materia procreatur, quò vertitur corpulenta ipſius ſubſtantia, (vt verbis vtar Philoſophi 2. *de gener. animal.3.*) poſtquam motionis principium, generantémque virtutem ſemini præſtiti?Nec enim intra vterum diutius immorari, retineſiue poteſt, præterquàm ad generationem,quin morbos excitet grauiſſimos,& ſymptomata pernicioſa.Minùs extra vterum pelli, eius ſiquidem oſculum valde occludi ſcripſit Hip.5. *aph.21.* & alibi: immò Galenus multis argumentis ab experimento deſumptis confirmat, concipientibus nequaquam excidere genituram, ſed intus neceſſariò manere. Supereſt ergo quod dicit Ariſt.in halitus,abire,ſi nullam præſtet materiam.At ſi ita fieret,protinus à conceptu vterus nimiùm inflatus: ac elatus ſentiretur,immò diſtenderetur,& doleret; cùm tamen oppoſitum appareat, ipſo ſeſe contrahente, & circumquaque conceptus materiam comprehendente,vnde in primis menſibus vterus minor apparet: præterquam quòd neceſſe foret, aut partus tempore, aut priùs flatus illos per pudendum cum ſonitu emitti, non ſecus quàm excernuntur illi, qui in ventre colliguntur.

Deinde. Solida membra, & quæ à Medicis ſpermatica nuncupantur,oſſa,nerui,arteriæ,venæ,ſicut diſtant à ſanguinis ſubſtantia, ita exanguia ſunt, & nullam ferè illius ſimilitudinem referunt;ſeminis autem maximam, colore, conſiſtentia, craſſitie, lentore,& ſpecie. Ergo probabilius eſt ex ſemine, quàm ex ſanguine efformari. Nec cum Philoſopho dicas,partes omnes ex ſanguine fieri,ſed illas eo priùs à natura multùm alterato, & è rubro in album, è tenui in craſſum mutato, non ſecus quàm ex eodem perinde elaborato nutriuntur, iam in lucem edito infante: nam ſi ſanguis ita alteratur, & in album ſuccum conuerſus, ſemini prorſus ſimilis efficitur, quorſum natura alioquin artificioſa,& quæ nihil ſuperfluè,aut fruſtrà machinatur, ſemen, quod habet à principio paratiſſimum, expellat,conetur ſanguinem ad ſeminis ſimilitudinem ab initio elaborare?

Inſuper. Si ex plantarum ſemine, cui ineſt ſua opifex virtus, iunctis terræ portionibus planta ipſa procreatur, præſtante ſemine ipſo generantem vim, ſimul & materiam, cur hoc ipſum non admittemus in ſemine animalium ad ſui fœtus formationem, aſſerentes vtriuſque parentis ſemen eſſe ſolidorum materiam?

Eſſe autem muliebre ſemen prolificum, & vim etiam habere efficientem; nec mulieribus duntaxat datum, vt materia foret generationis, aut ſolum impetum illis, & quaſi ſtimulum ad congreſſum adderet, apertè etiam colligitur ex Hip.*cit.de genitura,& de natur.infantis*:& multis Gal.*lib.2.de ſemin.*comprobauit;atque ex eo potiſſimum, quoniam ſi eiuſdem ſpeciei ſunt mas & fœmina,& perſimile ferè ſemen in ſimilibus organis gignunt, illúdque ſimiliter cum libidine, & oblectatione per concubitum effundunt; cur ſimiles habere facultates, ſiméſque agendi vires denegabimus?

Ad hæc. Ni fœmineo ſemini vis actiua ineſſet, nunquam liberi matribus ſimiles procrearentur. Atqui ſæpenumerò partus matri aſſimilatur.Igitur earum ſemen ſuã habet efficaciam, & agendi virtutem, qua ingreditur generationem:non enim ſola materia,ſolúmque principium paſſiuum, cauſa eſſe poteſt aſſimilationis: cùm enim aſſimilatio ad vnum,vel alterum parentem,docente Hip.*cit. de genitura*, ex vnius, vel alterius ſuperantis ſeminis portione ſequatur, quomodo in actione ſuperabit fœmineum,ſi agendi vi omnino deſtituitur?

Nec vim rationis infringes,dicẽs cum aduerſariis, plerumque ob materiæ ineptitudinem non poſſe agens ſibi effectum aſſimilare, ſed vbi quod nititur obtinere non poteſt,in proximam formam degenerare,abſque vlla reactione materiæ, atque ita accidere in fœtus aſſimilatione ad matrem.Nam licèt verum ſit,hoc,& ſæpe terræ vitio, abſque vlla vi & concurſu actiuo terræ, linum in lolium migret, & triticum in typham:id tamẽ ſolùm oſtendit, ex paſſi rebellione,irritam fieri agentis vim; & interdũ impediri quo minùs effectus ipſi aſſimiletur: at verò quòd fœtus matri ſimillimus fiat,eámque ſolam,etiam in minimis, & aduentitiis repræſentet, accidere nequaquam poteſt,niſi ipſa ſuo ſemini vim imprimat informantem,cum ſuorum accidentium idolis, quæ alterius ſeminis oppoſitum conantis efficaciam vincat.Conſule Ioannem Gallego de la Serna *lib.1.de principiis generation.cap.25.*

Denique.Niſi ſua vi generante fœmineum ſemen polleret, meritò foret accuſanda natura, quòd ſolas fœmineas eo beneficio priuauerit, quo reliqua corpora corruptibilia donauit: omnibus ſiquidẽ vires quaſdã indidit, vt & elementis etiã ſuas qualitates actiuas,quibus agunt, & dum ſuam imprimunt ſimilitudinem, gignunt, & alterum ſibi ſimile ſubſtituendo,viuunt,& durant: natura ſiquidem exoptat vt perpetuentur, quod cum per ſe ob fragilem mortalium rerum conditionem obtinere nequeant,tamen diu permanent.

Demum.Si vel ipſo teſtante Ariſtotele,vtriuſque ſexus vires natura in fruticibus miſcuit, non committens ſoli maſculæ vi (licèt terra materiam ei conferat) procreationem fruticis, ſed fœmineæ ſimul; atque ita per totum ſtirpium ſemen formatricem diffudit, nempe quia ita totam materiam communicans, & permeans,meliùs, & faciliùs fingit, & materia ipſa obſequitur;cur id multò magis in animantibus, quæ perfectioris ſunt ordinis, non efficeret, maris fœminæ vires mutuò coniungens, non duntaxat vt fœmina materiam ſuppeditet, ſed vt copulatis ac confuſis actiuis amborum viribus,ſemen vnum ex vtriſque aptius generationi euadat.

Eſſe verò maſculinum præſtantius,ac fœcundius,nemo inficiatur; fœmina enim cùm ſit frigidioris temperamenti,frigidiúſque ſemen eius, æquali fœcunditate cum maſculo calidiore pollere non poteſt,ſed minori ex Gal. 13. *de vſu part.6.* Atqui illud citra maris opem ſterile quidpiam,& imperfectum progignere tantùm poteſt,gallinæ, & aues ſubuentanea oua, greſſibilia, molas,&c.

Non requiri autem omnino fœmineum ſemen ad conceptum (quidquid citati auctores repugnent) expreſſit Ariſt.1.*de generat.animal.cap.19.& 20.*& *l.2.c.4.* aſſerens

concipere

concipere ſæpè fœminam abſque vlla profuſione,& quæ ad eam ſequitur,voluptate. Ratio ſuadet: nam cùm virile ſemen prolificum abſolutè dicatur, integrè coctum, & perfectum, ſi copia ſufficiente effundatur pro gignendis membranis, intra quas fœtus formandus; tegendúſque eſt,ſimul & pro primis ſolidorum lineamentis;cur per ſe ſolum non æſtimabitur ſufficiens muneri generationis; cúrve tunc non excuſabitur fœmineum,dummodò menſium vſus adſit in fœtus materiam & alimentum? Nec aduerſantur Hip. *lib. de natura puer.* & Gal. *cit. de ſem.* & 14.*de vſu part.*7.aſſerentes in conceptu,vtriuſque parentis ſemen in medio vuluæ miſceri, iaculatione, & fortè ſimultanea, atque ex vtroque ita mixto vnum confici principium: intelligendi enim ſunt, melioris vſus gratia ita fieri, & ita magno quidem vſui eſſe ad fœtus conſtitutionem, ſed non omnino requiri vt ſimul concurrant, & miſceantur. Atque eodem ſanè modo accipiendum eſt illud laſciui poëtæ, deteſtantis tanquam infœcundum concubitum, in quo mas, & fœmina pariter non excernunt; & aliud in quo tarditatem à viro requirit,vt fiat & ſimultanea vtriuſque eiaculatio;vtpotè quæ ita facta vim maximam habet ad conceptum,ſed non proinde neceſſariam. Porrò licèt non excernat fœmina, adhuc etiam actiuè concurrit,& fœtus productionem adiuuat cum informatrice vteri, cui etiam ſua vis ineſt. Lege Bonauentur.*quæſt.*1.*n.*31.Maior. *quæſt.*3.*art.*4. Ocham. *quæſt.*5. & alios quos refert Mirandula *lib.* 1. *de examine vanitatis, cap.* 16. qui noſtras partes acerrimè tuentur.

Supereſt ſolùm Peripateticorum fundamenta, conuellere. Et primum ſic. Seu ſemen cum Galeno *lib.*2.*de ſemin.* ſanguinem definias, in venis quæ ipſum continent, exactè confectum;vel cum auctore *finit.medicar.*gignitiuum humorem calido ſpiritu conſtantem, & in ſeminariis vaſis contentum; aut ſiccum familiariſſimum matrici,14.*de vſu part.c.*11.ſiue cum Ariſt.& Medicis etiam,vtilem ſuperfluitatem vltimi alimenti, non quaſi abſolutè ſuperfluitas ſit, ſed pars quædam vltimi alimenti nondum in membra verſa, quæ ſuperfluit, aut eripitur naturæ, antequàm in membri nutritionem abeat; ſiue cum Neotericis finias,quòd ſit corpus humidum,ſpumoſum,& album,ex reliquis alimenti vltimi & ſpirituum vbique oberrantium permixtione, vi ſola teſtium excoctum, elaboratumque idque ad perfectam animalis generationem: quid prohibet ab eadem re diuerſas ſeparari ſuperfluitates; ſi nullum mixtum vſque adeò homogeneum reperitur, quod partes inter ſe diuerſas non obtineat, nullumque tam ſimile alimentum, in quo varia non reperiantur excrementa. Immò verò ſi à puriori ſanguine, iam intra poros membrorum recepto, exactè concocto,& iamiam in ſubſtantiam commutando, ſuperfluitates ſeparantur; cur non ab impuro in vaſis totius redundante, vnde crudas & excrementitias portiones conſultò ad vterum tranſmittit,vt & corpus purgetur, & præſtetur materia, & alimentum? Nec ideò ſuperfluit ſemen, aut menſtruum ex parte materis; ſola ſiquidem ſine mare fœtum alit, pariterque cum eo efformat, & gignit, & carnoſarum partium ipſa ſola materiam præſtat,præter alios ſui ſeminis vſus,de quibus *infrà*:atque ideò cùm ad pubertatem deueniunt,maſculus tantùm ſemen fundit, fœmina menſtruum ſimul ſanguinem, & cum vtroque ad generantem concurrit.

Secundum parùm etiam vrget,nec aliud euincit,quàm pueros eunuchos, & mulieres, perfectum & exactè coctum ſemen non progignere,ex caloris,& virilis habitus defectu; propter quem imberbes etiam ſunt, fragiles, & puſillanimes, quos etiam fricatione, & congreſſu humiditates quaſdam albas aliquando excernere non negauit Ariſtoteles.

Ad tertium.Ideò libidinoſæ crebro partu temperantur, & ad ſobrietatem redeunt,quia vacuato ſanguine exhauritur ſeminis materia, vnde & ipſum minuitur, ſimul & libido, quæ à turgente ſemine excitabatur. Fluunt verò ſalacibus menſes frequenter, & nonnullis ex turpi conſpectu, quoniam conante natura ex Venere imaginata ſemen excernere, quod ſuum eſt incitamentum, & vteri vaſa in eum vſum comprimente,profluit ſanguis,vtpotè

A qui faciliorem habet,& magis expeditum deſcenſum; ſemen difficiliorem ob vaſorum ſeminalium circuitus, & anfractus? qua de cauſa iumenta etiam libidinis œſtro correpta frequenter reddunt vrinam.

Ad quartum. Conſtat quid ſit reſpondendum, nec verò diſſonum fuit generandi principia ſimul miſceri, quin potiùs conuenientiſſimum, vt ab vtroque parente materia quædam emitteretur; in qua ita illorum vis & poteſtas contineretur, vt à neutra per ſe, ſed ab vtriuſque miſcella, ſoboles procrearetur, ex adductis cauſis. Quoniam verò ita ſeparatæ hæ, ſiue diſcretæ vires, generandi munus nequeunt explere,ideò alter ſuo ſemine ſtimulante,alterius copulam, ſocietatem, & coniunctionem deſiderat; ex qua mutua (vt rectè dixit Empedocles ab Ariſt. relatus 1. *de generat. animal.* 18.) veluti ſymbolum quoddam

B fit, totale principium generationis, paſſiuum & actiuum: nec ſuperfluit vllum, quanquam à mare & fœmina, materia ſimul, & efficacia præſtetur à neutro ſiquidem ſufficiens præſtatur, nec perfectum quidpiam edi poteſt, vt diximus. Mas namque licèt polleat gignendi efficacia,nec materiam habet ſufficientem, nec locum in quo formari queat, effingique conceptus: fœmina verò, etſi locum habeat idoneum, ſeminis tamen copia, & integra vi ac fœcunda deſtituitur,eámque conſequitur ex permixto virili ſemine.

Huius enim fœcunditas, illius acceſſu etiam promouetur,& aptus redditur ad membranarum, & ſolidorum efformationem: nam vſus ſeminis in fœmina multiplex eſt. Primus,vt ſtimuletur ad coïtum. Secundus,vt mulier ipſa quodammodo perennet; traducta in fœtum ſimilitudine. Tertius, iſque maximè neceſſarius, vt augeat ſemen

C maſculinum,& ſufficiat generandis membranis. Nec obſtant argumenta Veſalij *lib.*5. *de fabric. cap.*17. quòd ſemen ex Gal.ſufficit formandis membris omnibus ſolidis; quare multò magis membranis, citra fœminæ ſubſidium. Addit,quòd ſuprà tetigimus,fieri ex exiguo ſemine ingentem arborem; cur ergo non ex maſculino ſemine membrana fœtum obuoluens? Dic ad primum. Solida gignuntur ex ſemine, id eſt, ex attracto ſanguine in ſemen verſo. Ad alterum. Plantarum ſemina cortice continentur,quo rupto confeſtim trahunt ad efformationem materiæ: ſemen verò virile antequam tractu operetur, membranam gignit,intra quam veluti corticem,vis illa tractura clauditur,ex Hip.*lib.de natur.pueri in init.*hanc membranam, & venulas formanads, quibus fœtus cohæret cum vtero, fœmineum ſemen auget,& nutrit virile.

D Porrò licèt in fœmina ſit facultas informatrix,licèt adſit materia, circa virum concipere non poteſt; nam hæc vis non eſt perfecta,quæ ſola ſufficiat. Quòd verò addunt ex Auerrhoë, & Amato, citra ſeminis excretionem concepiſſe multas, difficile creditu eſt, ne dicam figmentum merum: quo pacto tantum Philoſophum miror,quòd dicat maximè ſibi placuiſſe rationem Medici vocati Auenzoar cladis, *in lib. ſuo de ſemin.* dicentis hoc impoſſibile non eſſe, *quia vulua trahit ſperma propter vnam propriam virtutem quam habet cum eo à tota ſpecie, & ad hoc non eſt neceſſaria delectatio. O quàm benè placet mihi!* licèt enim non impoſſibile ſit,fœminam citra voluntatem concipere poſſe; tamen ſemen debet eſſe calidum, ſpirituoſum, non frigidum, vt efformando fœtui apta ſit materia. Deinde ſemen,teſte Philoſopho 2.*de generat.animal.*2. ſpumoſum

E eſt: ſi ergo in aqua permaneat,liqueſcat eſt neceſſe. Inſuper vrget illa ratio: nam ſi ſemen extra vaſa effunditur, illicò corrumpitur,ex Gal.7.*meth.*6. multò magis ſi ab aëre alteretur: tunc enim vis eius omninò euaneſcit. De quo argumento conſule Caſmannum *lib.*1. *pſycholog.c.*8. *quæſt.* 4. Demùm animalia quæ habent penem longum, ſunt infœcunda, *lib.* 1. *de generat. animal. cap.* 6. nam in longo illo ductu ſemen refrigeratur,& generationi ineptum euadit: quomodo ſemen viribus ſuis priuatum; per longum aquæductum poterit attractum ingredi vterum, vt ſit conceptui aptum. Scotus 3.*ſentent. diſtinct.*4.*cap.*1. cum Caietano *ib.*, & aliis, nouam ſoluendi modum inuenit, vt tueatur Auerrhoëm, dicit enim fœminam non poſſe concipere citra oblectationem; at non poteſt benè oblectari;

oblectari, niſi effundat: quare ad ingreſſum iucundum feminis virilis in balneo,ſequuta titillatione & motu, ſemen fœmineum ad vterum eſt excretum. Futilis ſolutio immò inanis trica:nam ſemen non titillat vterum, ſpiritu & calore omnino orbatum, & in totum ab humiditate aquæ, & aëre ambiente frigidius factum. Lege Paul. Zacchiam *lib. 3. quæſt. medicolegal. tit.* 1. *quæſt.* 8. qui multis rationibus huius hiſtoriæ vanitatem impugnat euidenter cum Laurentio *lib.* 8. *de re anatomica, quæſt.* 11.

Vltimò. Non effluit ſemen,aut euolat in flatus,vt dixit Ariſt. immò intus permanens, agente tenuiore ſpiritalique parte, in qua vis optifex continetur ac viget, ſecundùm craſſam & corpulentiorem (vt ita demus agens à patiente diuerſum, nec quicquam in ſe ipſum agere) in membranas illas,& ſolidas partes abit, quibus efformandis non ita conueniebant menſtrua. Nec verò in ipſa feminum miſcella,neceſſarium eſt,vnientis vnum, alterum vniti rationem habere, aut tertium aliquod dari in quo vniantur, quod inſtabat Auerrhoës: per ſe ſiquidem vniuntur liquores eiuſdem generis ſimiles, aut omnino eaſdem facultates habentes, quales ſunt maſculinum, & fœmininũ,non enim maſculino tantùm coagulandi principium,& actiuam virtutem, ſed fœmineo pariter tribuimus?quicquid repugnet Ariſtot. cum ſuis, ita ad propoſitam quæſtionem reſponſum eſto:de qua plura ſi requiris, præter Hip. Gal. Ariſt. Auic. & Auerrhoëm. Lege Leuin, *lib.* 1. *de occult. c.* 6. Montanum *l.* 1. *medicinæ vniuerſæ, tit. de morbor. diuiſione, quæſt.* 2. 3. 4. *mihi fol.* 207. *edition. Francofurtenſis.* Clementem Timplerum *lib.* 2. *empſycholog. c.* 6. Rorar. *in contradict. Gal. n.* 137. & Caſtrenſem Luſitanum, medicinæ phœnicem *lib.* 5. *de meteor. microcoſm. c.* 2.

HIST. X. AVENZOARIS,
De corroſione matricis.

Ad corroſionem matricis mors ſubſequuta.

*Generatur quidem * hæc ægritudo in matrice,ex vberantia humoris acuti, & corroſiui; & quando fit in aliquo alio membro cum difficultate curatur: ergo cùm oritur in iſto membro, multò difficiliùs. Et iam recordatus ſum, quòd cùm eſſem iuuenis,ad me venit quidam ſenex, & dixit mihi, quòd quædam Domina de qua multùm curabat,& eam multùm diligebat,hanc patiebatur ægritudinem. Et ego diu in eius curatione laboraui,donec fui feſſus;& quia eam multùm diligebat, feci ſcire hoc patrem meum,qui ſenex erat,& ipſe me deſperare fecit de hac curatione, dicens quòd hæc paſſio eam ad mortem deducere debebat naturaliter, & docuit quod ei facere deberem. Et aliquando hæc ægritudo alleuiabatur,& aliquando intendebatur donec ſanguis in quantitate maxima emanauit.& corroſio dilatabatur: & in tantum augmentata, & dilatata fuit corroſio,quòd corroſit vnam ex magnis venis, & inde tantum ſanguinis exiuit, quòd inde mortua fuit, &c. AuenZoar.* lib. 2. theïzir, tract. 5. cap. 3.

QVÆSTIO XIX.

Vtrùm vlcera vteri inſanabilia ſint.

PARAPHRASIS.

Hæc ægritudo.] Vterum cæterarum partium ritu, vlceribus conſpurcari,quæ ab acutis, bilioſis, acribúſque humoribus originem ducunt,res eſt manifeſta: nam ſæpe humores ab aliis partibus in vterum confluunt, vel in ipſo generantur, ita mordaces & maligni; vt ferinam induant naturam, & ſortiantur erodentem vim, in cancroſámque naturam facillimè degenerent. Si enim iecur feruidum & igneum, humorem bilioſum exaſſat & adurit,eúmque exſiccando craſſiorem reddit, & atræ bili ſimillimum,tunc hic ad vterum corriuans,ibique ſtabulans,
A cancrum gignit,maximè in iis, quibus diu ſuppreſſa ſunt menſtrua;quæ retenta, excalefacta,ac retorrida huic malo vberrimam materiam præſtat, vt *lib.* 6. *cap.* 45. Paulus admonuit.

Vlcera omnia vteri difficilem ſortiri curandi viam, indicat neruacea ipſius ſubſtantia, quæ ſemel exulcerata rarò coaleſcit,ac regeneratur. Accedit ipſius vteri natura & conditio,quam in ſuſceptandis totius corporis excrementis idoneam fuiſſe conſtat, ratione humidioris, ſordidiorisque loci, cùm vterus ſit poſitus in medio ſordium confluxu, & totius corporis ſit veluti ſentina, ac receptaculum, quæ omnia eſſe curandis vlceribus aduerſa, nemo non videt. Accedit recondita loci ſedes, ad quam facilè medicamenta penetrare nequeunt.

Si vlcera ſint ſordida,& poſt inflammationem aut ery-
B ſipelata ſuperſint, virulenta ac depaſcentia fiunt. Quæ poſt ſcirrhum, in gangrænoſa, dyſepulotica, & chironia commigrant. Ab vlcere inflammato,exiguum quid fæculentum,& ſanguinolentum,cum ingenti dolore procedit. Si ſordidus ſit, ichores cum minore laborare emanant. Si ſit depaſcens, teterrimi odoris fluxum emittit. Si vlcus à bile oriatur, aut à ſanguine,dolor erit acerbiſſimus, pungens cum ardore,& febri. Ex ſalſa pituita, pruritus intolerabilis contingit,& excrementum cum fœtore:acrimonia, paucóque ſanguine permixtum effluit. Si ab inundante humiditate vlcus ſit concitatum,maior aderit fœtor, excrementa erunt tenuiora, & copioſiora. Si veluti fæx vini ab vtero ſtillet, vlceris cancroſi ſuſpicio eſt. Si exit ſanies inſtar loturæ carnis recenter mactatæ,menſtrua ad ſuppurationem vergunt. Si excretum ſit viride, liuidum, nigrum, & cum dolore,vlcera ſunt corroſiua,cacoëthica,
C fiſtuloſa. In vniuerſum verò vterum eſſe exulceratum cognoſces, ſi ſanies emanat tenuis, aquoſa, nigra, fulua, & grauiter olens. De quorum cauſa,ſignis, & curatione ſat multa exarauit Valerius Baldutius *peculiari tractatu de vlceribus*.

Quo pacto,ſi vlcera vteri magna ſint,in profundis partibus poſita,valde putrida, & corrodentia; adſit dolor in pube vehemens,in lumbis,capite,& præſertim ſyncipite; in excretis ſentiatur fœtor horribilis, hæmorrhagia ingens corroſis vteri venis emanet, ob quam debilitentur ægræ, & in animi deliquium incurrant; hæc inſanabilia ſunt,nam ſanguine orbatum corpus contabeſcit,& extinguitur. Quæ verò contrario modo ſe habuerint,ea ſanare ne deſperes,vt *lib.* 1. *de morb.* paſſim docuit Hip. Rectiſſimè
D ergo pater Auenzoaris prædixit, quòd hæc paſſio erat deſperata, & quæ fœminam hanc neceſſariò debebat ducere ad mortem;nam hac correptæ, ſuborta febricula iugi,faſtidio, inquietudine, animi angore, ſyncope vitam cum morte commutat. Pater autem Auenzoaris Medicus fuit eruditus,vt conſtat ex ipſo, *lib.* 1. *theïzir, tract.* 11. *cap.* 2.

Si vlcera ſint cancroſa, incurabilia ſunt apud Hipp. 6. *aph.* 38. & firmat Gal. *in com.* ſub his verbis. *Quòd enim illi qui ſunt in partibus penitioribus,talibus non curãtur remediis, etiam experientia docet. Etenim ſcio omnes,qui huiuſmodi cancros curare tentauerunt,magis illos exacerbaſſe,& breui homines interemiſſe. Nam qui cancrũ in palato conſtitutum, & in ſede,& in ſinu muliebri,vel vſſerunt,vel ſecuerunt,non potuerunt vlcera ad cicatricem perducere,& homines per curationis afflictionem vſque ad mortem excarnificarunt,qui nulla cura-*
E *tione adhibita, longiori tempore vitam cum minori moleſtia tranſegiſſent,&c.* Et Paulus *loc. cit.* ſic ait: *Quoniam verò partes putrefactæ,aut quæ,vt ſimpliciter dicam,naturæ modũ exceſſerunt,ablatione ſui poſtulant: cancris vuluæ, manus opera nec poteſt;nec vtile eſt admoueri,&c.* Cancer enim vlceratus in quacunque parte conſiſtens ſi incurabilis eſt, quantò magis in vtero; in quo ob dictas cauſas, corroſis venis magnis vteri,quibus ipſe præditus eſt,ex Galen. *lib.* 6. *epid. ſect.* 1. *com.* 2. difficillimam, aut nullam curationem admittit. Si enim leuia tentes, ea affectus contumax contemnit; ſi acria applices, & violenta, humor atrabilarius irritatur, & excandeſcit, vnde inſanabilis redditur affectus,ex Gal. *lib.* 4. *c.* 24. & nos *lib.* 2. *in com. hiſtor.* 28. propoſuimus. Quapropter ad præſeruandũ ne vlcus ampliùs

ſordeſcat,

ſordeſcat, fidiſſimo experimento compertum habeo, cauteria in cruribus excitare, vt ſpiret vterus, & putridi humores ad ignobiles partes trudantur.

Blanda ergo curatio inſtituta eſt, vt par erat à patre, Auenzoar,& mitibus medicamentis celebrata. Cùm ergo arbitraretur vlcus hoc cancroſum eſſe: quia hic peruicax humor, venis magnis arroſis excitata nimia hæmorrhagia, ad mortem perduxit, idcirco ſolùm filio ſuo conſuluit,vt adminiſtraret victum. Et hoc eſt quod ſignificauit,cùm dixit: *Et docuit quid ei facere deberẽ*. Ergo præmiſſa totius prouidentia, ſi vires ferant, & vlcus ſit in initio, ſecanda vena, clementia expurgantia offerenda, humor mordax retundendus,partes principes roborandæ. Vlceri anodyna, abſtergentia, exſiccantia applicanda, quorum amplam ſyluam legat qui velit,apud Mercat. *lib.2.de morb. mulier. c.20.* Hieronym. Fabric. ab aqua pendente *lib.2. de tumorib. cap.22.* Guilhelm. Fabricium Hildanum, & alios. Vlceratus cancer illicò vas grande abradit,& ſequuto copioſo ſanguinis effluuio corpus tabefacit,colliquat, & tandem ad interitum deducit. Aliquando vas paruum corroditur, & ſanguis emanat in quantitate exigua. Hoc modo intelligendus eſt Gal. *l.5. meth. c.5.* narrans hiſtoriam mulieris,quæ ex vtero ſanguinem excreuit, & ſucco plantaginis,huic vſui vtili,oblato,conualuit;quam hiſtoriam,vt parui momenti inexplicatam reliquimus.

Si vteri vlcera ſordida, doloſáque ſint, & Gallicæ luis ſapiant naturam, nullo alio præſidio promptiùs quàm antidotis pugnare debemus, & quæ à tota ſubſtantia prauam humoris qualitatem retundant: de quorum genere ſunt, ebenum, ſmilax aſpera, & radix chinæ, non ſpretis localibus præſidiis,quæ vlcerum ſorditiem abſtergere, & exſiccare queunt; quorum præſidiorum farraginem lege apud Mercat. *de morb.Gallic.cap.7.* & *in Appendice,cap.de morbo Gallico*, proponemus latè.

At quia delicatulæ fœminæ ſudorificis præſidiis non ita obtemperant,præſertim debiles, & febre tenui detentæ,& in quibus ob proſtratum virium robur hæc celebrari nequeunt, tunc iiſdem,ſed mitioribus eſt pugnandum, quæ calorem igneum contemperent, deleteriam morbi Gallici naturam infrænent,& vlcera cacoëthica exſiccent, de quo curandi modo,lege *obſ.noſtram 134. lib.1.de praxi admiranda, & lib.2.obſ.128.* quibus in locis illuſtria tabis Gallicæ exempla deſcripſimus.

Si verò hæc non proſint, & vteri vlcera radices agant, & præ ſui contumacia, intemperie, dira vi auxiliis non ſuccumbant, Mercurio debellanda,quem pro huius morbi medela eſſe præſtantiſſimum, contra plurium opinionem, expugnatis illorum argumentis *lib.1. in com.hiſt.37.* demonſtrauimus; nam ſi febricitent, hydrargyrium cùm frigidum & humidum ſit, calidorum humorum feruorem atque impetum coërcet, calida & ſicca viſcera humectat, quo fit vt tutò omnis generis vlcera ſanet,ſcabiem demulceat,pruritum compeſcat,impetiginem,pſoram,lichenes, lepram, & alia huius naturæ radicitus euellat. Hoc auxilium ſi tempeſtiuè celebretur, corpore,vt decet præparato,non leue leuamen afferre ſolet:licèt enim malam qualitatem morbo Gallico inſidentem non corrigat,tumores tamen comminuit,& facta vacuatione per ſputum,aluum, aut ſudorem,vlcera abſtergit; ſi verò incautè adminiſtretur,ſæua ſymptomata accerſere ſolet: narrat enim Fabricius Hildanus *cent.3. obſ.chirurg.obſ.92.* quendam ex improſpera vnctione Mercurij ſubitò fuiſſe emortuum.

HISTOR. XI. GALENI,
De fluxu muliebri.

A deſperato vteri profluuio, mulier, Galeni opera liberatur.

BOëthi vxor cùm in muliebrem,quem vocant,fluxum incidiſſet, obſtetricum familiarium,quæcunque in vrbe Roma optima habebantur,remediis vſa, cùm nihil leuaretur,vir eius

A *præcipuos Medicos conuocat. In eam ſententiam ab omnibus itum eſt,vt ea remedia adhiberentur,quæ ab Hip.& aliis poſt Hip. Medicis optimis deſcripta fuiſsẽt. Voluit Boëthus ſemper intereſſem mulieribus, quoties aliquid ægrotanti miniſtrarent vxori,probarémque ſingulas medicamentorum materias,quarũ intentio ſummatim erat,non vterum modò, ſed vniuerſum etiã corpus ſiccare,vnguenta inſuper admouere,quæ muliebres locos adſtringerẽt. Sed ita faciendo,cùm deterior in dies morbus videretur,iure mecum,& reliqui dubitare cœperunt. Et quamuis omnes requireremus ad alium ſanandi modum tranſire,melius tamen quicquam,aut ratione inuentum, aut experientia repertum non occurrebat, quàm in quod optimi Medici paulò antè conſenſerant. Interea verò tumor in ventre,qualis in prægnantibus ſuboriri ſolet, apparuit. Quamobrem ex miniſtrantibus nonnullæ reuera prægnantem eſſe ægrotantem credidere. Non* B *tamen Medicorum aliquis id verum eſſe arbitratus eſt: nam muliebris fluxus indicia, quæ ſingulis diebus excernebantur, eorum opinioni refragabantur. Cùm igitur ægrota mulier ab ancilla ſibi fieri permitteret, quæ in prægnantibus fieri ſolent, & ſingulis diebus lauaretur, contigit vt in prima thermarum cella,vehementiſſimis doloribus correpta,quales parturientibus aduenire ſolent,humoris aquei vſque adeò multum excerneret, vt animo defectam è thermis ipſis extulerit. Inclamantibus ergo,& vociferantibus ancillis,verùm neque pedes, neque manus, neque òs ventriculi fricantibus, ipſe qui caſu ante fores balnei conſtiteram,audito clamore, intro me proripui, conſpiciénſque frigentem, manu nardino vnguento admota, ſtomachum laborantis ex eo confricui,ancilláſque iuſſi pedes calefacere, manus fouere, odorandum aliquid manibus ſupponere. Tunc itaque ipſam * celeriter refocillauimus. Subſidente verò ob inanitionem ventre, ſummoperè verecundia affecta eſt ob-* C *ſtetrix, quoniam eſſe prægnantem,contra Medicorum votum opinabatur. Dubitantibus itaque ſingulis quid factu opus eſſet, noctu mihi de ea re cogitanti tale quiddam nouum occurrit: nam quando, vt dixi, animo defecit, ipſóque nardi vnguento præcordia(nihil iuuantibus,ſed clamantibus ancillis)confricui, recordatus ſum me tantam mollitudinem illic reperiſſe, vt cùm animaduertiſſem poſtea, me violentiùs à principio præcordia fricuiſſe, timens ne carnem liuidam redderem, à violenta confrictione deſtiterim: partes enim omnes circa præcordia ſiquis exactè comparare velit,lacti quod coagulatur, nondum tamen in caſeum obduruit, ſimiles erant. Prorſus itaque mihi viſum eſt, inſiſtendum nimiæ humiditati exſiccandæ morbi qui aquoſus eſſet, excogitandúmque talem ſanandi modum, quo non ſolum humiditatem ſiccaremus, verùm etiam ita calefaceremus,vt æſtatis præſertim tempore ægrotantis corpus non liqueſ-* D *ceret,quod frigida & humida temperatura ſupra modum erat: huius tamen contrarium tunc faciebamus,quum ipſam in arenam magis calidam decumbere præciperemus. In aliud quoque erroris genus,quod plerìſque in morbis occurrit,tum nos etiam incidere collegi; labuntur enim ſæpe Medici, dum id quidem quod redundat euacuant, ne tamen illi ſimile aliud gignatur non prohibent. Atque adeò mecum decreui, vt vniuerſa victus ratio ad duo inclinaret, potus paucitatem, & totius corporis frictionem,quam non ex pice & reſina ſubſequeretur inunctio, ſed ex melle ſolo,multùm quidem cocto,tantùm tamen refrigerato, vt fontanæ aquæ ſimilis æſtino tempore foret. Ac quemadmodum per cutem humorem redundantem euocare melius eſſe cognoui, ſic medicamentis vrinam cientibus idem per aluum etiam detraheretur. His animo præſumptis Boëthum ſic ſum alloquutus. Me, quem probè noſti in hodiernum vſque* E *diem, ne in vna quidem re ad medicinam ſpectante deliquiſſe, tecum ipſe conſidera, an totos hos decem dies circa vxorem tuam,operam quam velim,præſtare ſinas; ac ſi meliùs interim ſe habere videbitur,totidem rurſus diebus aliquid denuò circa eandem agere iubebis: ſin tibi nihil profeciſſe viſus fuero; tum denique ab ea prorſus & ipſe diſcedam. Hoc mihi cùm promptè Boëthus conceſſiſſet, medicamento * aqueum humorem per aluum ducente, primò vſus ſum: pòſt aquam in qua aſarum, & apium inferbuerant,bibendam exhibui. Cùm itaque duobus primis diebus, vterus minùs fluere cœpiſſet, tertio die rurſus haud multum medicaminis illius exhibui,quod per aluum trahebat ea, quæ per vterum repebant: cùm non ſolùm per vrinam, ſed per aluum etiam humorem deriuare vellem. Ab eo die*

poſtea

poſtea quotidie & melle ipſam perunxi,corpus confricui molliſ-ſima primò,tum aſperrima ſindone. Montanarum etiam auium carnes,& piſces ſaxatiles comedendos obtuli. Cùm igitur diebus quindecim hiſce remediis vſus eſſem,nullum prorſus morbi veſtigium apparuit. Quod cùm aduertiſſet Boëthus, quia etiã plus,quàm promiſeram,me præſtitiſſe videbat,vt prorſus vxorem ſuam liberarem,poſtulauit,præceptáque exhibere rogauit, quibus in poſterum ampliùs eo morbo non ægrotaret. Cùm itaque menſe tranſacto,& bene colorata mulier adeò foret, vt ad naturalem habitum nihil penitus deſiderari poſſet,nec ampliùs fluxus indicium aliquod ſupereſſet , quadringentos aureos ad me Boëthus miſit , & nobilium Medicorum inuidiam auxit, &c. Galen. lib. de præcognit. ad Poſthum. cap.8.

PARAPHRASIS.

Celeberrima eſt hiſtoria hæc, & à Medicis ad curandas miſeras fœminas , hoc ſæuo , & tædioſo morbo detentas,ſemper in pretio habenda : multa enim in ea inueniuntur pulchra , ac vtilia , quæ circa morbum natura ſua difficillimum , & frequentiſſimum controuerti poſſunt , quem cùm omnes de morbis muliebribus ſcribentes,accuratè ex Gal. *hoc loco* deſcripſerint,idcircò nos pro textus explicatione , quædam ex multis arduis quæ ſeſe offerunt , Laconicè perſtringemus.

Fluxus muliebris dicitur à Gal. *lib.6.de loc.affect.cap.5. & 3.de ſympt.cauſ.c.4.*Paulo *lib.4.cap.63. vniuerſi corporis per vterum expurgatio,ipſo haudquaquam affecto.* Et licèt alicuius determinatæ particulæ non ſit morbus, cùm ſit affectio in genere excretorum immodicè, & in ea vitioſum ſit quod expurgatur,à menſtrui tamen ſanguinis eruptione differt, quòd in hac ſyncerus ſanguis procedit,in muliebri verò profluuio,fluxus corruptus apparet, Aëtio auctore *tetrab.4.ſerm. vlt.c.65.* ſiue ruber, ſanioſus purulentus,albus,viridis, pallidúſve exeat, vt Oribaſius notat *l.9. ſynopſ.c.48.*& Auic.firmat 27.3. *tract.3.c.23.* & aliquando liuidus,vel niger,vt *l.2.de cauſis,& ſignis diuturn.morb. c.13.* retulit Aretæus; cuius humoris, vtpotè infrequentiſſimi, peculiariter non meminerunt auctores.

Deinde.Hic fluor interdum tenuis, craſſus, concretus, grumosúſve emanat. Aliquando excretum eſt fuliginoſum,acre, erodens, nimis fœtidum : quos omnes diuerſos fluxus , iuxta varios putredinis , & corruptionis modos euenire,auctores præſertim Arabes confirmarunt.

Fluor hic,quo fœmina hæc illuſtris premebatur,aquoſus erat , vt Galenus *in textu* confirmat manifeſtè, qui ex alteratricis potentiæ debilitate, & partium frigida intemperie originem ducebat. Quare periculoſiſſimus eſt affectús hic : nam ex eo aliquæ in vteri procidentiam,tabem, & deiectis naturalibus potentiis,& ob ſpirituum copiam ex nimio fluxu exhauſtam , debiliori iecore facto, in hydropem frequenter labuntur. In hac fœmina rudimentum adfuiſſe cachexiæ,ex hiſtoria deduci poteſt, quoniam circa præcordia tanta carnium mollities aderat , vt lacti coagulato , nondum tamen in caſeum obdurato ſimilia eſſent : ſi verum eſt quod ſcripſit Hip.*l.7.aph.74.albæ* ſcilicet *pituitæ aquam inter cutem ſuperuenire* : vt enim rectè Galenus notat *in com. Quibus plurima in vaſis,totóque corporis habitu aceruata eſt pituita , his leucophlegmatias hydrops ſuperuenit , &c.* Huius rei argumentum efficax eſt, quia in prima thermarum cella, depoſita humoris copia, venter,quem habebat inflatum,detumuit.

Cùm ergo vrgeret malum, curationem aggredi coacta eſt , ſed priùs conuocatæ obſtetrices : nam ob verecundiam,& pudorem viris has partes tractare eſt indecorum, & ſic inaſſuetum ; illis enim pudibunda loca illinire , fouere,fricare,vngere, vel in vterum digitos immittere eſt conceſſum , dummodò de admouendis auxiliis Medici conſilium accedat. Maximum fuiſſe obſtetricum numerum in vrbe Roma,refert Gal.*lib.de cauſ.morb. c.7.& 15. de vſu part. cap.5.& 3.de facult. naturalib.c.3.* quæ omnes nulla facta conſideratione auxilia adhibent,medicamenta eligunt , officium Medicorum exercere ſolent , cùm tamen illarum præcipuum munus , ſit in iis quæ ad muliebria pertinent, ſe exercere.

A Vxor ergo Boëthi, cùm nullum ex his imperitis fœminis leuamen ſentiret, primarios vrbis Medicos conuocauit, qui in eam vnanimes ſententiam conuenerunt , vt ea præſidia adhiberentur,quæ ab Hip. & aliis poſt Hip. Medicis erant conſcripta. Hæc omnia proponit Hip.*lib.2. de morb. à n.1. vſque ad* 14.dum mulieribus album fluorem patientibus dandum eſſe pharmacum fluxiones reprimés aſſeuerat, ſorbitionéſque ex panico, lenticula, farina hordei,ac recentis tritici cocti, alica cocta ſorbili , & zea cocta,quo loco plura alia ſcribit,vſque ad *n.75.& lib. de loc, in homin.& lib.5.aph.56.* dum ſic ait : *Mulieri menſes decolores, nec eodem ſemper modo , & tempore prodeuntes, purgationem indicant eſſe neceſſariam,&c.* Medici verò, quos refert Gal.poſt Hip.fuiſſe optimos, præcipui ab ipſo in ſuis libris citantur, præſertim *in lib. ſecundum genera, & locos,*

B *de pulſibus,*& *alibi,*nempe Cornelius Celſus,Archigenes, Diocles,Herophilus,Herodotus, Pelops, Lycus, Capito, Attalio, Muſa, Democritus, Aſclepiades, & alij.

Verùm cum ab obſtetricibus , mediciſque conſultum eſſet,vt non vterus modò, ſed vniuerſum corpus ſiccaretur,& vnguenta admouerentur, quæ muliebres locos adſtringerent,humoiémque craſſiorem redderent; & iis celebratis in peius rueret affectus, quia adſtrictis locis, humore ampliùs incraſſato,& ad ſuperas partes retrocedente, idcircò regurgitante etiam ad internas ſedes , ibique coërcito repullulauit tumor,qualis grauidis accidere conſueuit ; ob quam cauſam obſtetrices , eam grauidam eſſe prædicabant. Medici verò rebantur contra, tumorémque ex intempeſtiuo adſtringentium vſu citra totius prouidentiam oblatorum,retento intus humore, & ad intimas partes reſtagnãte accidiſſe exiſtimabant:nam hac de cau-

C ſa,monente Aëtio *loc.cit.* plura non contemnenda damna accidere ſolent, vehemens cephalalgia, cardialgia, epilepſia , neruorum reſolutio, &c. Et quamuis fœminas hoc albo fluore vexatas poſſe concipere non ſit denegandum, cum Hip. *lib.5. aph.60.* qui grauidas poſſe pati menſtrua aſſeuerat:tamen cum humoris eſſet quantitas vacuata inſignis:abſonum erat conceptionẽ imaginari:nam in vtero humente, læui, mucoréque obſito ſemen retineri nequit; & natura præcipitata, & aſſueta fluxui, illicò omnia à ſe depellit;& ſemen à frigidorum humorum copia vel infrigidatur,vel extinguitur:quare rectè dicit Hipp.*5.aph.62.* bene temperatos vteros ad conceptionem eſſe idoneos.

Ad ventris tumorem accedamus, cuius cauſa cùm eſſet aquoſus humor , adſtringentium medicamentorum vi

D coërcitus,factum eſt vt laxato ventre,& ex balneorum vi emollito,vnáque retentrice debilitata(illa enim ventrem, & partes internas eneruant,& relaxant, apud Hip.*3.acut,* 59.) natura tantam humoris copiam retinere non poſſet; qua de cauſa tam ingens aquoſi humoris copia eſt vacuata,qui cùm ad vterum partem ſanè neruoſam eſſet depulſus , diſtentione facta vehementiſſimum dolorem concitauit.Ex hac copioſa vacuatione,reſolutis ſpiritibus, animi deliquium oboriri,res eſt manifeſta,& firmat Gal. *lib. 6.aph.17.& lib.1.ad Glauc.c.14.*

Huic virium lapſui,animique defectui opem allaturus Galenus,nardino vnguento ſtomachum inunxit:maximè cùm fortè eſſet ad manus,cùm ſemper Matronæ Romanæ id domi paratum haberent,nam roborat,& calefacit ventrem , præſertim ſi in eo pituitæ crudæ copia redundat. Huic indicationi ſatisfaciens, pedes,manúſque, ob animi

E deliquium retracto ad interiora calore frigentes,calefacit. At cùm plurimi ſpiritus ex ſubita vacuatione eſſent reſoluti,odorata naribus admouere iuſſit, vt ſic reparatis ſpiritibus vires celeriter reficeret:odores enim citiſſimè nutrire,& naturam recreare,probat Hip. *in l.de aliment. n.6. & 2.aph.11.* Cùm ergo fœmina citò fuiſſet reuocata,neque frictionibus,ligaturis,frigidæ aſperſione, balneis (in fluxionibus ad ventrem aptiſſimis) neque narium apprehenſione opus fuit,quæ præſidia Galen.*lib.nuper citato ad Glauc.*pro hoc affectu curando ſummoperè probat.

Sed cùm ipſe ob neceſſitatem præcordia confricaret, & partes illas omnes lacti coagulato , nondum tamen in caſeum indurato ſimiles reperiret , & aquoſo , crudo , & multo humore repletas eſſe intelligeret , collegit ſtatim, omnem

omnem curationis ſcopum eò dirigendum eſſe, vt nimia humiditas abſumeretur, & exſiccaretur, ne fortè æſtatis tempore, corpore debili & molli vehementer excalfacto, tabeſceret mulier; idque procul dubio eueniſſet, ſi in arenæ maris incepto auxilio perſeueraſſet: licèt enim habeat balneum ex arena vim exſiccandi tumentem carnem, ægrotante ſcilicet in illis arenis calidis circumuoluto, ſi fides eſt adhibenda Galeno *lib. 9. ſimpl. cap. de lapide pyrite*, Dioſcorides *lib. 5. cap. 1.* Lacunæ *in com.* Sauonarolæ *tract. de balneis*, Mercat. *lib. 1. indicat. cap.* 13. quo pacto hydropis, podagricis, iſchiadicis, ſuſpirioſis, lienoſis, aſthmaticis remedio eſt: tamen auxilium hoc nimium colliquat, & molle, faciléque reſolubile mulieris corpus reſoluit. Hoc ita eſſe, argumento cognouit Galenus: nam præcordiorum partes adeò erant flaccidæ, vt timor eſſet, ne durante frictione, reſoluto calore natiuo, ex liuore morticinium ſequeretur; quo pacto à frictione ſeſe retraxit: nam ſi dura ſit, corporis molem deprimit, ex Paulo *lib. 1. cap. 18.* lenis verò licèt impleat, tamen in corporibus laxis ac mollibus, reſoluit, & debilitat.

Hac de cauſa totam curationem in eo repoſuit, ne pituitoſi humoris copia generaretur. Hoc vt aſſequeretur, duo conſuluit, nempe potus paucitatem, & frictionem ex melle multùm cocto celebratam: nam parciſſimè bibentes, paucam humiditatem aceruant, & ſic in corpore contenta humiditas potus abſtinentia abſumitur. Mel autem cùm ſit exſiccantis facultatis, coctionéque aridius factum, maiorem exſiccandi facultatem acquirat, abſtergit & diſcutit vehementiùs; æſtatéque præſente, frigiditatis illud particeps eſſe voluit, ne fortè ex frictione partes nimis caleſceret, ardórque induceretur moleſtus: conſuluit autem frictionem, quia hæc ab vtero reuellit.

His factis, & parte tenuiore humoris per cutem diſcuſſa, craſſiorem per aluum, & vrinam expellere decreuit. Illis vſus eſt priùs, vt particularis per vrinam vacuatio facienda, corpore vniuerſaliter vacuato faciliùs ſuccederet; & ſic poſt vacuantia per aluum, aſari, & apij decoctum libenter propinauit: hæc enim diuretica ſunt, calida, ſicca, tenuia, ex Gal. *lib. 5. ſimpl. cap.* 1-3. ſicque exſiccandi facultate ſunt prædita, ſanguinem cogunt, exſiccant, & excretum ab eo ſerum fluere faciunt. Ab his pituitoſi ſucci fuſi, ac liquati, fluxum muliebrem facientes, in vrinam mutati, deriuatione, vacuationéque per veſicam, locum vtero diuerſum expellũtur: nam vt rectè monet Gal. 5. *meth. 3. per vterum naturaliter fluentia, vel per vrinas, vel per aluum ſunt reuellẽda.*

Arguet hoc loco acutior aliquis, reprobam eſſe Galeni curam incidentibus, aperientibus, & dilatantibus venas celebratam: nam fluxus muliebris hac de cauſa mouetur magis, menſtrua cientur, & ad vterum humor à toto corpore attrahitur magis vbertim. Obiectionem ſic facilè dilues cum Galeno *lib. 5. ſimpl. cap.* 22. dicente vera diuretica, aperientia, penetrantia, ſanguinis craſſitiem auferentia, tantùm abeſſe vt menſes moueant, vt potiùs illos coërceant; nam quæ menſes mouent, calida quidem ſunt, non tamen adeò ſicca, vt diuretica: & *infrà* ait. *Verùm & hæc vtraque vrinas prouocant, & ad hæc cum primis ea quæ calefaciunt, & deſiccant: eapropter ea peculiariter dicuntur diuretica, ſiue vrinã mouentia, non quia ſola moueant vrinas, ſed quia ſolas, & non etiã menſes, aut lac mouent, &c.* Quoniã hæc peculiari quadã ratione per vrinã euacuant, Quapropter his aquoſos humores ad vrinæ vias deriuauit, quibus ſiccantéque victus ratione vſus, fluxus paulatim fuit diminutus.

Sola ergo ſupereſt ſoluenda dubitatio. Si affectus hic exſiccantem victum expoſtulabat, cuius efficacia ſe hunc morbũ perſanaſſe gloriatur, cur piſces ſaxatiles exhibuit, quos frigidũ, & humidum præſtare victum, nullus ignorat? Dic, quòd licèt ſaxatiles ſint facilis coctionis, & diſtributionis, ſanguinem generent laudabilem, & conſiſtentia medium, & tam in morbis frigidis, quàm calidis videãtur poſſe concedi, quoniam mediam naturam habent, vt fusè ex veterum, & iuniorum mente comprobauimus *lib. 1. in com. hiſtor.* 28. tamen petroſi piſces ſemper frigidum, & humidum præbent victum; quare ſi afferas, in hoc morbo præſertim chronico, voluptatis cauſa fuiſſe oblatos, Galenum à calumnia liberabis: ſuauia enim, etſi deterio-

A ra, minùs nocere ſolent, 2. *aph.* 38. aliquando enim *laborantibus grata concedenda*, vt Hip. dixit, 6. *epid. ſect. 4. text.* 8. iucunda enim & cum voluptate aſſumpta faciliùs coquuntur, ob multas cauſas latas à Gal. *lib. 6. de ſanit. tuend. 3. & 2. alim. 27. & 4. meth. 7. & 3. de temperam.* 2. Solue ſecundò dicendo conceſſiſſe Galenum in hoc morbo ſaxatiles, conditos aliis rebus medicamentoſis, quæ attenuare craſſum ſuccum queunt, vt ſunt porrum, anethum, ſal, ex Galen. 1. *acut.* 27. Hoc modo præparatos concedit puero ſuo epileptico, *in c.* 4. quos attenuare, exſiccare, abſtergere, aperire, ob condimentum, probat Gal. *lib. de attenuant. vict. ratione, cap.* 8. Lege elegantiſſimum Rorarium *contrad.* 111.

Hanc ergo fœminam, vacuato aquoſo humore per aluum, & vrinam, & retracto ad cutem per frictionem, & ope regiminis exſiccantis, abſumpto potus parcimonia, ſe B cum maxima ſui nominis fama perſanaſſe gloriatur Galenus, cuius induſtriam, & miram in curando ſolertiam poſt eum omnes vnanimiter celebrarunt. Ob quam curationẽ, in illuſtriſſima fœmina, & inter Matronas Romanas nobiliſſima, celebratã, Boëthus vir in vrbe inſignis, qui Galenum liberaſſe à tribus quartanis Eudemum, & filij ſui Cyrilli ægrotantis commiſſum erratum mirificè detexiſſe obſeruauerat, déque eius excellentia, acutie, & curandi peritia planè edoctus erat, & alios Medicos tanquam medicinæ imperitos vituperabat, Galeno quadringentos aureos miſit, & præſtantiſſimorum Medicorum inuidiam auxit, qui mille coronatis ſolaribus æquipollent, vt notat Lacuna *in vita Galeni*, & ex eo firmat Amatus 1. *cent.* 3.

Nec magnum pro tanto morbo curato oblatum à viro Conſulari locupletiſſimo donum iudico; nam maiora C munera Medicis fuiſſe conceſſa, veteres, & noſtri obſeruarunt, quorum exempla legat qui velit apud Plin. *lib. 29. cap. 1. & lib. 26. cap.* 3. Eraſiſtratus Antiocho Rege ſanato centum talentis donatus eſt à Rege Ptolomæo filio eius, id eſt, ſexaginta millibus aureorum noſtrorum, vt ſupputat Budæus *l. 2. de aſſe.* Charmis ex Maſſilia ægrum ex ſuis Maſſilienſibus ſanandum conduxit ſeſtertiis ducentis, id eſt, quinque millibus aureorum, vt referunt Dubrauius, *lib. 23. rerum Bohemicar.* Anton. Bonfinius *lib. 2. decad.* 3. Æneas Siluius *cap. 55. & 42. ſuæ Bohemiæ.* Thaddæus Florentinus cùm ex patria curationis gratia exibat, in ſingulos dies non niſi quinquaginta aureis operam locabat. Idem ferunt de Petro Aponenſe. Garzias ab horto, qui ſcripſit de ſimplicibus apud Indos naſcentibus, à Rege Niſa Malluco in India plus duodecies mille pardaos pro curatione accepit, & ſi aliquot annis apud eum D manere vellet, in ſtipendium annuum quadraginta mille offerebat? eſt autem pardao, moneta habens nouem drachmas Hiſpanicas. Cognoui Mercatorem Luſitanum ditiſſimum, qui conuocatis quatuor Medicis, & octo Chirurgis (laborabat enim vehementiſſima penis inflammatione cum valida, & maligna febre coniuncta) ſingulis pro die duodecim aureos locabat, ita vt finito morbo, in vigeſimo die, exhibitis muneribus manu liberali, præter quotidianum ſtipendium, duo millia aureorum omnibus impenderit. Denique ſi de magnis Medicorum ſtipendiis plura ſcire aues, lege Dubrauium *lib. 23. rer. Bohemicar.* Roderic. à Caſtro *lib. 3. de med. politic. cap.* 22. Antonium Bonfinium *lib. 2. decad.* 3. Æn. Siluium *cap. 35. & 42. ſuæ* E *Bohemiæ*, & alios quos citat Canonherius Medicus celeberrimus, & in auctorum lectione verſatiſſimus *lib. 7. Aph. cap. 1. num.* 17. De hoc argumento multa lectu digna proferunt Ioan. Beuerouicius, Medicus elegans, & edoctus *in Oratione de laudibus medicinæ*, & Accurſus inſignis iuris conſultus *in proœmio Digeſtorum ſuper verſiculum illum.*

Dat Galenus opes, dat Iuſtinianus honores.

QVÆSTIO XX.

Vtrùm Virtus, an Morbus, victum indicet?

COMMENTARIVM.

C*Eleriter ipſam refocillauimus.*] Siquidem in hunc locum in quo de ægrorum reſtauratione per alimenta

agendum eſt,incidimus,rem latiùs exequemur,flores modò rerum,quod & in cæteris conſueuimus, præcerpentes. Nam qui accuratiùs victum inſtituendum introſpicere enixi ſunt,duas alimentorum claſſes deprehenderunt:alia enim circa ſpirituoſam ſubſtantiam reparandam; altera citra carnoſas, & ſolidas partes nutriendas verſatur. De prima claſſe loquutum fuiſſe Galenum in præſenti, patet ex contextu, ex verbis: *odorandum aliquid naribus ſupponere:* nam ſpiritus odoribus nutriuntur, & mirum in modum inſtaurantur;de quo argumento plura diximus *lib.*1. *in com. hiſt.* 9. Conſule de hoc inſtituto Marſilium Ficinum *lib.*2. *de vita producenda,cap.*18.

De altero nutrientium alimentorum ordine, cuius ope ac vi,nō ſolùm ſpirituoſa ſubſtantia,ſed etiam ſolidæ partes citiſſimè reparantur,breuiter peragendum.Sunt enim quædam edulia, quæ in pauca quantitate oblata multùm nutriunt,in flaccido tenellóque ægrotantium, & conualeſcentium ventriculo ocyſſimè coquuntur,& diſtribuuntur, minimúmque illi negotium faceſſunt, & idcircò inſtaurantia Medici vocare conſueuerunt.Horum potiſſima ex iuniorum mente nunc proponam.

Hæc in duplici ſunt differentia, alia ſunt in forma ſolida, alia in liquida.De illorum numero ſunt tabellæ perlatæ,aut ſine perlis, damulata, pulmentum album: cuius varios conficiendi modos referunt Bened. Victorius Fauentinus *lib.*1.*empiric.c.*4. Valler.*lib.*5.*obſ.*6.Panis dulcis, gelata,quæ fiunt ex roſacea,taberzet,& margaritis; canulata parentur ex iiſdem,additis ſantalis,& granis moſchi. Nonnunquam paramus morſellos ex pulpis caponum,aut gallinarum minutim inciſis,cum ſaccharo,roſacea, farina oryzæ,tragacantho,penidiis,ſemine cucurbitæ,amygdalis, & granis moſchi: additur enim commodè tragacanthum, vt in membris cibus retineatur, ſicque lentore ſuo per moram affigatur magis, & adhæreat.

Reſtaurātia in forma liquida,ſunt in quadruplici differentia.Prima ſunt iurulenta. Secunda,ſtillatitia.Tertia cōtuſa.Quarta,ſucci expreſſi.Primum eſt Raſis *lib.*3.*Aph.*& potiſſimùm in morbis frigidis, ab ipſo frequēter expertū, fit ex pullaſtrula,& pullis columbarum decoctis in equali quantitate aquæ,& vini odoriferi, quouſque oſſa à carne ſeparentur,& in fine addantur grana moſchi:nā pulli colūbini ſunt mirifici in imbecillitate caloris innati,*vt lib.*2. *in com.hiſt.*45.ex veterū mente propoſuimus. Alij ex pullaſtra optimè decocta in vino maluatico,iurulentū parāt.

Alzaharauius *tract.*13.*cap.*4.facit ex pullis coctis in roſacea,cum ſucco pomorum, & vino odorifero, & deinde aromatizat cum moſcho:nā poma odorifera ſuaui ſuo vapore vires recreant,& ſpiritus ſubſtantiam adaugent. Alij vtūtur pullaſtra iuuene minutim inciſa,in cuius decoctione indantur aureæ monetæ,aut tenuiſſima auri ſcobs, vel folia,deinde iuri addātur puluis margaritarum, maluatici momentū,aut ſaltem vini odoriferi portio, & grana moſchi.Si times calorem,adde roſaceam,corallum, & ſantala.

Inter ſtillatitia primum locum ſibi vendicat illud Hollerij *lib.*1.*de morb.internis,in ſchol. cap.*27. quod deſcribit Mercatus *lib.* 2. *de morb. intern. cap.* 9. & eſt refouendis viribus vtiliſſimum; eius formam legat qui velit apud eoſdem auctores; cuius ſæpè feci in reſtituendis collapſis viribus experimentum, & eſt pro hoc vſu mirum, ſi quod alterum auxilium.Montanus *conſil.*136. Lutea ouorum diſtillata ſummoperè commendat: nam emanat humidum pingue,aëreum, & glutinoſum, quod caloris eſt commodum pabulum. Valletiola *lib.*9. *obſ.*6. miris laudibus effert,pro virium defectionibus reſtaurandis, ſuccum è corde Veruecis per ſublimationem, vel eliquationem extractum,qui ſympathia quadam, & tacito naturæ conſenſu cor roborat.Manardus 20.*epiſt.*1. laudat liquorem à Gallinaceo oppleto malis odoris in teſta panificia exudantem. Montagnana *conſil.*120.extollit aquam ſublimationis caponis, vel gallinæ iuuenis, exhibeatur cum octaua parte generoſi Maluatici. Bauerus *conſil.*51. præfert ſtillatitium ex capone,vel pullaſtra lota cum roſacea, minutim inciſa, & bracteis aureis priùs operta. Idem decoqui exquiſitè carnes, quæ poſteà contunduntur, & permiſcentur iuri, & omnia ſimul ponuntur ad diſtillandum in Balneo Mariæ. Quibus ſi vinum odoriferum addas,aquam naphæ, cinnamomum, margaritas, corallum, poma odora,confectiones cardiacas; hyacinthor. alchermes, theriacam, vnicornu, raſuram eboris, os de corde cerui, ſantala, ſuccum agreſtæ,limon. & granator. cortices citri,folia auri; ex arte facies;ex quibus poſitis in vaſe vitreo,aut balneo,ſtillat ſuccus quidam pretioſiſſimus,febribus malignis,& peſtiferis vtilis valdè;& ſi in poſtrema parte,per quam exit ſuccus diſtillatus,ponatur petia rara, moſcho,& ambaro delibuta,erit tunc liquor præſtantiſſimus,vt notat Antonius Carthaginenſis *tract.de peſte,c.*5. Auic.1 1.3.*tract.*2.*c.*8.pro roborando corde præbet aquam carnis animalis laudabilis,aromate conditam;& 1.4.*tract.* 3.*cap.*7. parat ex lateribus hœdi,cum ſucco pomorum,& odorifero vino.Gal.*lib.*8.*ſec.loc.*nō ſemel reſtaurat ſtomachicos,& hepaticos,cum mica panis in vino,ouis ſorbilibus,bulbis,& cochleis.Marſilius Ficinus *lib.*2.*de ſtudioſor. ſanit.tuend.cap.*11.cum Montagnana *loc.cit.* Guainerio,& Sauonarola *c.de debilitate cordis,* ſaluberrimum eſſe cenſet liquorem diſtillatum ex ſanguine iuuenis temperati, qui ſi ſaccharo,& roſaceæ miſceatur,mirificè vires auget, ob multas cauſas, quas *lib.*1.*in com.hiſtor.*23.ex auctorum mente protulimus. Si verò de variis formis contuſorum, ſuccorum expreſſorum, & ſtillatitiorum, pulchra ſcire aues,adi Ioan.Baptiſt.Syluaticum,*qui contr.*7.inter omnes copioſè ſimul,& eloquenter hoc negotium exarauit.

Aduerte cum Montano *lib.*2.*conſult.*137. Manardo 15. *epiſt.vlt.*Matthiolo *lib.*1.*in Dioſcorid. cap.*113.*&* *l.*5.*c.*24. non eſſe faciendas diſtillationes in vaſis,quæ vulgò ſublimatoria nuncupantur; nam plurimam noxam pectori, ventriculo,iecori,viſceribúſque omnibus inferunt,quum à metallicis organis, à quibus ſucci diſtillant, pernicioſa metallorum qualitas communicetur: quoniam metalla igneam habent naturam, ex Gal. 9.*ſimpl. cap.*26. ratione ſulphuris, & argenti viui quæ ſunt metallorum communia principia; de qua re lege quæ diximus *lib.*1.*in comm. hiſt.*7. Iure ergo commendatur ſtillatitium,quod per balneum calentis aquæ, vitreis organis elicitur.

Hæc & alia pro reficiendis viribus parare ſolent Medici celeberrimi, qui longo artis vſu, & doctrina ſtudia compleuerunt:nam virtus expoſtulat,cibum,ex Gal.*l.*11. *meth.*14.*&* 1.*aph.*9.*&* *l.*1.*acut.*44.§.*Nempe morbus ſuæ affectionis indicat auxilia,phlebotomiā videlicet,clyſma,cataplaſma,purgationem,oxymeli,aquam mulſam,atque aliorum vnūquodque:virtutis verò cuſtodia ſolam indicat alimoniā. Si igitur morboſam affectionem nullo pacto offenderet alimonia, nos virtuti ſoli attendentes,ægros vt ſanos aleremus: ſed quoniam ſæpiùs noxam, vti oſtendimus, affert, ob id morbi affectionem, non tanquam cibi indicatricem, ſed tanquam prohibitricem, contemplamur. Vbi ergo non prohibuerit,facultáſque perceperit,tunc nutrimus: nunquam enim cibus morboſam affectionem ſui ratione iuuabit, &c.* quoniam *alimentum, vt ſano robur, ſic febrienti morbus,* ex Hipp. *lib.*7.*aph.*6.*&* *lib.*2.*aph.*10.

Sola ergo virtus pro ſui cuſtodia cibum indicat, quum enim ſi res ſecundùm naturam, ſui conſeruationem efflagitat, quæ cibo perficitur, ex quo ſpiritus, ſanguis, & partium ſubſtantia inanita,in quibus virium eſſentia conſiſtit, reparantur, ex Gal. 12. *meth. cap.*5. præſidia enim vacuantia, ſicuti tollunt cauſam morbi, ſic & virtutem diſſoluunt: ſimul enim cum morboſa cauſa, aliquid natiuæ,& congenitæ ſubſtantiæ educunt, vt notat Gal. *lib.*9. *meth.cap.*10.*poſt med.* Quare ſi virtus permittat, tunc celebranda auxilia, ſin minùs, contrà.

Deinde,licèt virtus indicet cibum, morbum tamen cōtemplari debemus:cibus enim ſicuti auget vires,ſic auget morbū;quare Gal.11.*meth.*14.dicebat:*ſi nutris,febrē auges, ſi non nutris,vires deiicis*:& *lib.*1.*ad Glauc.c.*10.aſſerit,quòd *cibus ſicuti robur virtutis auget,ſic morbū fouet,&* (vt loquitur Auic.) *ſicuti eſt amicus virtuti,ſic eſt amicus inimico illius, ſcilicet cauſæ morbi,& morbo*; quòd inſinuauit priùs Hipp. *lib.de alimento,*dicens: *Alimentum amicum,& inimicum.*

Sed aduersùs Gal.ſententiam ſunt dubitationes maximæ.Nam victus diuiditur in tenuem,mediocrem, & plenum, apud Gal. 1. *aph.* 4. Tenuis eſt ille, qui vires deiicit; & hic eſt triplex: alius tenuiſſimus in extremo, &

cum omnimoda inedia concidit; alius tenuiſſimus tantùm, veluti ſunt ſyrupi, decocta, & ſuccus duorum granatorum; alius eſt exquiſitè tenuis, & per alimenta parũ nutrientia perficitur, vt ſunt, olera, fructus. Plenus eſt, qui vires adauget. Mediocris, qui ſolùm vires cõſeruat. Tunc ſic arguitur. Virtus non poteſt indicare victũ tenuem, & tenuiſſimum; nam hic vires cõminuit: nec victum plenum; hoc enim exhibito accreſcit morbus, & virtus opprimitur.

Secundò. Si hoc eſſet verum, ſequeretur, quòd quantò virtus debilior eſt, tantò pleniorem victum indicaret; ſicuti morbus, quantò maior eſt, tantò maiora auxilia expoſtulat. Hoc autem falſum eſt nam quò debilior eſt virtus, eò minùs eſt cibandum, quia minùs tolerat, & quantitas cibi debet eſſe proportionalis virtuti, & coquenti calori, ex Gal. *lib. 1. aph. 15. ante fin.* Ergo.

Poſtremò. In ſtatu virtus eſt imbecillior, quia ob morbi vehementiam, ſymptomatum durationem, vacuantia auxilia, tenuem victum, vires ſunt imminutæ. Sed tunc victu tenuiſſimo vtendum eſt, ſic monente Hip. 1. *aph.* 8. Ergo virtus pro ſui cuſtodia victum non indicat.

Antequam verò has rationes ſoluas, attende, quòd in ſanis à ſola virtute pro ſui cuſtodia indicatur victus, quia nihil eſt quod cibi oblationem impediat, quare pro tenore virtutis, tunc in illis alimentum exhibendum: ſi enim liberales ſint vires, largior offerenda eſca; ſi debiles, modica debet eſſe, & parca. At verò in ægrotantibus non indicatur victus à virtute ſola, ſed ſimul conſiderato morbo: nam victus ſicut cuſtodit vires, ſic morbum auget; quare morbus, vt prohibens, eſt contemplandus, & victus hoc modo eſt inſtituendus, vt vtrique ſuccurramus, virtuti ſcilicet, & morbo: virtus enim debet cuſtodiri, & morbus non debet augeri, ſed ita debet inſtitui victus, vt in ſtatu morbi ſalutaris, virtus ſuperet morbum.

His iactis: Reſponde ad primum: victum plenum prohiberi, non ratione virtutis, ſed ratione morbi; victum autem tenuem, & tenuiſſimum offerri in morbis, non quòd hic à virtute pro ſui cuſtodia indicetur. Secundum ſolues, ſi aſſeras, virtutem quò imbecilior eſt, maiorem ſui cuſtodiam indicare; quare tunc pleniore victu eſſe cuſtodiendam, res eſt manifeſta, non in quantitate continua, ſed diſcreta; cùm enim multum non poſſit tolerare, parum, & ſæpe eſt refocillanda, auctore Galeno *lib. aph.* 17. Dic ad tertium. In ſtatu morbi, virtutem quoad eſſentiam eſſe debiliorem, quàm in augmento, & in principio: reſpectu tamen morbi, & cauſæ illius, eſſe fortiorem, quàm in præcedentibus temporibus. In ſtatu autem, victu tenuiſſimo vtimur, nõ ratione virtutis, ſed morbi, qui cùm celerrimè declinet, & in declinatione ſit locus ad reficiendas vires, idcircò in ſtatu potiùs conſulimus morbo, quàm virtuti.

Sequitur vt inquiramus, num morbus indicet Victum. Quòd non indicet, latè ſuprà oſtenſum eſt. At pro contraria parte ſunt efficaciſſimæ rationes. Prima. Morbus ſiccus, vt febris hectica, & morbus ex inanitione contractus, ex vſu immodicæ Veneris, vigiliis, fame, nimia aliqua vacuatione; repletione & cibo curari debet, iuxta Senis oraculum 2. *aph.* 22. dicentis: *morbos qui ex inanitione fiunt, curat repletio, & aliorum contrarietas.*

Secunda Febris inuadens naturas calidas, ſiccas, cibum, & humectantia, vel etiam in acceſſione expoſtulat, ita monente Gal. *lib.* 10. *meth.* 2. & 5. nam inedia in imperata, febrem adauget; quare hac correpti febre, nî cibentur, in hecticam tranſeunt, aut ſuperueniente ſyncope occumbunt. Ergo illa febris, quæ has naturas premit calidas & ſiccas, pro ſui remotione cibum indicat.

Tertia. In morbo peſtilenti plenior victus offerendus; quia malignus morbus victum indicat: ſi aliter feceris, exhauſtis ſpiritibus, & liquata carne, reſolutis viribus, ægros præcipites dabis in mortem. Quare ita cecinit Auic. 1. 4. *tr.* 4. *c.* 4. *de febre peſtilenti,* dum inquit: *qui viriliter bibit, & viriliter comedit, à peſte liberatur.* Et priùs prædixit Galenus *lib.* 3. *epid. ſect.* 3. *com.* 58. ſcribens, eos in ſtatu peſtilenti euaſiſſe, qui ſibi vim iniecerunt, & fortiter comederunt.

Extricabis quæſtionem totam hoc modo. Morbus immaterialis, ſiccus, ex inanitione ſubortus, humectatione ſubſtãtifica, repletione, & regeneratione ſanguinis & ſpiritus, curandus, pro ſui curatione cibum indicat, vt in citatis argumentis palam fit. Morbus tamen materialis, non victum, ſed præſidia vacuantia expoſtulat, in quo ſi cibum offeras, maximè in principio, vehementer lædes: nam cibus ob quinque cauſas vehementer nocet. Prima, opprimit vires. Secunda, auget maiorem reſiſtentiam in cauſa morbifica, quoniam calor innatus, difficiliùs duplex obiectum tranſmutat, quàm vnicum. Tertia, diſtrahit naturam à coctione, & à ſuis operationibus diuertit: nam diſtrahitur inſtrumentum commune, hoc eſt, calor influens, qui cum ſanguine & ſpiritu partibus diſtribuitur. Sic Galenus 5. *aph.* 53. & 2. *de cauſ. ſympt. cap.* 2. *ante fin.* agens de animi affectibus, ſanguinem, & ſpiritum vocat inſtrumentum animæ. Hoc modo ob motus inordinatos, validas cogitationes, vehementes animi affectiones, ceſſante influxu cordis, ab omnibus actionibus natura diſtrahitur. Sic ob dolorem ſæuum, aut internam inflãmationem, quæ ritu cucurbitulæ ſanguinem, & ſpiritum allicit ad ſeſe, in coctione alimenti perturbatur natura. Inſuper accidit etiam hæc diſtractio non ratione organi, ſed obiecti: ſi enim vitioſi humores, intra, aut extra venas ſint impacti, offeratur alimentum; tunc natura ad illud, tanquam ad obiectum iucundius, & minùs moleſtum ſe conuertit; illud retinet, concoquit, & humores vitioſos ad nutritionem valdè ineptos à ſuo regimine relinquit, nec ipſos concoquit. Quapropter rectè à Galeno 1. *aph.* 7. & 8. eſt aſſertum oblatum cibum à coctione humoris naturam diſtrahere. Additur & quarta, quoniam exhibito alimento accreſcit cacochymia. Quinta alimento à calore febrili occupato, & corrupto, augetur morbus, & ſymptomata non ſolùm communia, ſed propria fiunt fortiora.

Quapropter in morbis materialibus diæta primum locum vendicat; & licèt de ea nihil effatu dignum veteres conſcripſerint, vt monuit Hip. *lib.* 1. *acut. text.* 6. tamen hæc eſt nobilius, & magis præcipuum artis inſtrumentum: nam Plato referente Gal. *lib.* 1. *de ſanit. ad Thraſibul. c.* 33. antiquos Aſclepiades diæta non admodum fuiſſe vſos aſſeuerat, & Celſus *lib.* 1. *in proœmio, ſub initio* refert veteres, ex Homeri teſtimonio, ferrò tantùm & medicamentis vti ſolitos, vt *cit. loc.* affirmat Gal. qua Hip. *in Aph. in lib. de rat. vict.* & aliis locis, & Gal. *lib.* 11. *meth. per totum,* & alibi paſſim, ſumma vtilitate vſi ſunt: quin Diuinus Senex *lib.* 3. *de diæt. num.* 12. ſe fuiſſe diætæ inuentorem gloriatur: Anteponitur autem hæc medicinæ pars quæ victum præſcribit, aliis omnibus ex quibus medicina conflatur, quas longa ſerie explicuit Gal. *lib. de conſtit. art. medic. cap.* 19. & *lib. de ſanit. ad Thraſibul. cap.* 31. nam ægros conſeruat, inſtaurat, reficit, morbos præcauet, & ſic cæteris multò eſt præſtantior, ex Gal. *lib. introductor. cap.* 8. Deinde diæta tam ſanis, quàm ægris eſt neceſſaria, ex Gal. *lib.* 1. *de alim. facult. cap.* 1. ſic Damaſcenus *in aph.* 160. dicebat: *Diætetica medicina præſtantior eſt pharmaceutica, & chirurgica,* & priùs prædixit Gal. 11. *meth.* 15. *in init.* §. *Sed cùm ars ipſa tota.* Inſuper diæta eſt veluti firmiſſimum fulcrum, ſine quo reliqua artis præſidia parùm, aut nihil conferre poſſunt, docente Gal. *lib. de theriac. ad Pamphilian. cap.* 4. & *lib. de ſang. miſ. cap.* 7. §. *Nam intemperantes, &c.* quo pacto 2. *aph.* 29. firmat Gal. feliciſſimas fieri purgationes in illis, qui ante diætam, & tenuem victum obſeruarunt. Denique experimento compertum eſt, morbos periculoſiſſimos, & natura ſua difficillimos ſolius diætæ vſu & ope fuiſſe deuictos, quos non Medicorum opera, non artis præſidia debellare potuerunt.

Vltimò, ſalubris victus ratio medicamentis eſt præſtantior; quare Arnaldus *in parabolis, cap.* 2. *n.* 4. ſic ait: *Quando ſanitas alimentis procuratur, penitùs eſt abhorrendus vſus medicamentorum.* Celſus in hunc modum inquit *lib.* 3. *c.* 4. *optimum verò medicamentum eſt, cibus opportunè datus.* In hunc ſenſum protulit Hip. 6. *epid. ſect.* 4. *text.* 12. *Poſſeſſio tuendæ ſanitatis, non ſatiari cibis, &c.* à quo accepit Ariſt. *lib.* 1. *probl.* 47. & experimento etiam probauit Gal. *lib. de bonit. & vitio ſuccor. cap.* 1. *in fin.* Huc alludit Auic. 1. 4. *tr.* 2. *cap.* 14. dum dicit. *Caue ne cures febrem, niſi cognoueris eam; quòd ſi non cognoueris, ſubtilia regimen:* quaſi dicat;

ſi morbus neque ſecundùm genus, neque ſpeciem cognoſcitur, tunc victum tenuem, & diætam præſcribere oportet: nam humor qui eſt morbi cauſa, benignitate alimenti deſtitutus, ſyncerior redditur, & ſuam vim euidentiùs demonſtrat, & vehementiora ſymptomata concitat. Adde quòd inedia imperata, cùm ſit ſpecies euacuationis, apud Galen. *lib.*1.*aph.*17.*&* *lib.*4.*aph.*2. ex accidenti euacuat.

Fernelius elegantiſſimus, diætæ in morbis & in ſanis commoda, & præſtantiam eloquenter deſcribit *l.*1.*patholog.cap.*14.dum ſic ait: *pernicioſa admodum ſentina eſt abdomen inſaturabile, omnium tum corporis, tũ animi vitiorum fons, atque origo. Intemperantia eſt medicorum nutrix: nam cibus moderatus ſpiritus, natiuum calorem, corporiſque ſubſtantiam tuetur, & reficit, facultates omnes, earúmque functiones corroborat, coctionem alimenti, diſtributionem, humorum æqualitatẽ, & excrementorũ propulſionem, motus denique, ſenſus mentiſque vires integras incolumeſque conſeruat. Vna temperantia totius eſt iucunda, ſalubriſque vitæ moderatrix. Nulla calamitate, vel ærumna premetur, qui vitę fundamentum iecerit temperantiam. Inedia corpus peruium, paténſque reddit, obſtructiones expedit, flatus alui, fæces, vrinas, cerebri, omniúmque partium excremẽta mouet, & excludit, cruditates concoquit, tenues humores, ac inutiles exhaurit, & halitu diſſipat, craſſos parti tenaciùs hærentes proritat, & mouet.* Magna ergo eſt diætæ in curandis morbis materialibus potentia, ac efficacia.

Sed obſtant plures Medicorum celebrium rationes. Multi enim materiales morbi non diæta, ſed victu, eóque pleno, & copioſo curantur: nam in fractura oſſis, quando generantur callus, quo oſſa cohærere debent, victu copioſiori vtendum eſt, qui multum ſanguinem generet, craſſum, & lentum, qui generatione calli eſt aptiſſimus, monente ſic Gal. *lib.*6. *meth. cap.*5. explicat Thomas à Vega *in com.cap.*91.*art.medic.Gal.* diſertiſſimè.

Secundò, Patientes ſuffuſionem, craſſo, plenóque victu ſunt alendi, vt celeriter concreſcat, & perficiatur ſuffuſio, ſic enim meliùs, & tutiùs ſolet remoueri: ita iubet Rhaſis *in lib.diuiſion.c.*70.& alij citati à Syluatico, *controu.*56.

Tertiò. Melancholici liberaliùs, vberiúſque ſunt alendi, quàm ſanitatis tempore, ex Rhaſio *lib.* 9. *ad Almanſ. cap.*13.Auic.1.3.*tract.*4.*cap.*20.nam in his tota ſpes curationis repoſita eſt, vt humectentur, ex Gal.3.*de loc.*7. hoc autem fieri non poſſe, niſi per cibos laudabiles, quorum vi moles corporis augeatur, & pingueſcat, proditum eſt à Gal. 3. *de loc.cap.*7.

Quartò. Peſtis eſt morbus materialis, à venenoſo humore, putrido, multóque ſubortus, in quo ſi cibum tenuem exhibeas, eneruantur vires, reſoluuntur ſpiritus, & ab aura peſtifera viſcera promptiùs occupantur; quare peſte oppreſſi, quum virtus ex morbi deleteria, & malefica qualitate ſit diſſoluta valdè, & ob ſuperuenientia ſymptomata, ſyncopem, animi deliquium, cardialgiam, vigilias, capitis dolorem, anxietudines, debilior ſit facta pleniùs nutriendi: ita monent Auic. & Gal. *loc.ſuprà citatis.* Quare *fame non ſunt cruciandi ægri*, ſic monente Celſo *lib.*3.*cap.*7. ſed leuiſſimis cibis alendi.

Sed hæc argumenta haud difficulter extricabis, ſi dicas, aliquando in ægris vberiùs eſſe nutriendum propter ſuperuenientia ſymptomata, quæ totam curationem ad ſe trahunt: quare in peſte, & menlancholia, ſeruandarum virium gratia copioſè nutrire cogimur, ne videlicet à maleficentiſſimo humore virtus concuſſa flacceſcat, vt notat Septalius *lib.*2.*animaduerſion.medic.num.*19. Mercatus *l.*1. *indicat.*1. Sic in ſuffuſione, aut generatione calli, craſſum plenúmque victum exhibemus.

QVÆSTIO XXI.

Vtrùm in Muliebri profluuio, vterus lædatur, vel vniuerſum corpus; & an hoc affectu grauidæ tententur?

A *Queum humorem.*] Superioribus hiſtoriis egimus de ſuppreſſo vteri profluuio, modò de nimio & ſuperfluo diſceptandum. Nam muliebris fluxus tot ſunt differentiæ, quot ſunt humores in corpore ſuperantes, vt ait Paulus *lib.*3.*cap.*63.probat Galenus *lib.*6.*de loc.c.*5.& cæteri confirmãt. Fluor enim muliebris alius eſt ruber, veluti ſanguinis ſanies; candidus, pituitæ ſoboles; pallidus, qui bilem teſtatur; niger, qui eſt melancholiæ germen. Addit Aretæus *lib.*2.*de ſignis, & cauſis diuturnor.cap.*11. rubrum fluxum, & exit ſanguis, qualis victimæ recens, mactatæ, vt prædixit Hipp.*lib.*2. *de morb.num.*6. liuidum, concretum, grumoſum, purulentum, malè olentem, & ſeroſum.

Has omnes fluxiones immoderatas, eſſe nimiùm periculoſas, nulli eſt non manifeſtum: ſi omnis nimia vacuatio etiam noxij humoris eſt reproba, 2. *aph.*51. *&* *lib.*4. *aph.*25. *&* *lib.*6.27. quoniam cum inutili humore, vtilis vacuatio contingit, vnde deficiunt vires, & ſequutis irreparabilibus damnis, vacuato ſpiritu multo, vires fatiſcunt; & æger nullum poſtea remedium habet; cur euacuato copioſo humore, non proſternentur facultates, & reſoluta humiditate corpus non ſiccabitur, tabefiet, & extinguetur, & ad minùs refrigerato iecore ſuperueniet hydrops ex frigiditate, & alia ſcaturient damna ab Hipp. prolata *lib.*5 *aph.*57.

Rursùs, ſi cuiuſcumque alterius humoris nimia facta vacuatio hæc pericula ſecum accerſit; cur immodica ſanguinis per vterum excretio, grauiſſima non concitabit ſymptomata, ſiue menſtrua nimiùm excurrant, ſiue alia de cauſa immoderatè profluant; nam ſanguis eſt naturæ noſtræ familiariſſimus, & ad obeundas operationes accommodus valdè, in quo calor noſter perſeuerantiam obtinet. De hoc ergo menſtruorum fluxu, qui fœminas miſerrimè affligit frequentiùs, hoc loco paulò altiùs dubitandum, & ſingula à Galeno allata in examen trahenda.

Superfluus menſtruorum fluxus, ſummum periculum portendit; nam ex eo terribilia ſymptomata ſequuntur, vt docuit Hipp. *lib.*5.*aph.*3.*&* 56. Inter ſymptomata, verò menſtrui ſanguinis nimiùm excurrentis, refert Galenus *lib.*6.*de loc.affect.cap.*5.*de vteri affectibus*, fœdum corporis colorem, ciborum inappetentiam, vitiatam coctionem, pedum tumores, demùm & illa omnia quæ ad immodicas, & intempeſtiuas ſanguinis vacuationes ſolent euenire, citata à Galeno 2.*de facult.naturalibus*, *c.*8. qualia ſunt hydrops, conuulſio, animi defectus: cùm enim in immodico menſtrui fluore, in maiori quantitate, & pluribus diebus vacuatio fiat, quàm conueniat, ex Gal.6.*epid.ſect.*1. *com.*7. ſeu, vt alij definiunt, præter modum, & conſuetudinem peculiaris naturæ, ætatis, & viuendi inſtituti, mirum non eſt, ſi priuato corpore ſanguine, & ſpiritu, quibus cutis efflorescit, & innatus continetur calor functionum omnium inſtrumentum, defœdatio coloris, inappetentia, coctionis vitia, œdemata pedum, aqua intercus, & mille alij, iique ferè immedicabiles enaſcantur morbi, toto corpore infrigidato, ventriculo & iecore imbecillitatis, nec ſatis munus ſuum potentibus efficere, 4. *aph.*27. & aliis locis citatis.

In horum morborum nomero reponẽdus eſt affectus, de quo in præſenti Hiſtoria agit Galen. & meminit 3. *de cauſ.ſympt.*4.nempè muliebris fluor; alij, menſes ſeu flores albos, vteri purgamenta, & fluxus humiditatum appellare conſueuerunt. Malum ſanè diutinum, & nonnullis etiam continuum, in eo à menſtruo profluuio diſtinctum, quòd in hoc ſanguis non excernitur ſyncerus, ſed aut ruber, aut rubra quædam ſanies, vel alba, flaua, aut cum pallore mixta, tenuis, aquoſa, atra, quæ ex vniuerſo corpore, vel variis locis emanat, vt ab inſigni aliquo membro, quod ſeſe à prauis quos continet humoribus expurgans, huiuſmodi ſymptoma molitur. Quòd ſi purus effluat ſanguis, non ex corpore, ſed vtero cenſendus eſt prodire, vel eius ceruice, idque aperto, vel eroſo vaſe aliquo; quod per puris abſentiam, vel præſentiam diiudicabitur: ſanies enim permixta ſanguini, certiſſima eſt eroſionis, vlcerationiſque nota, 4.*aph.*51. Nam qui ex toto ad vterum delabitur, non ſolet eſſe ſyncerus, aut inculpatus, ſed excrementitius, & alieno colore infectus: quanquam enim ſola quantitate interdum redundans è membris pellatur, poſſibile tamen non eſt à ſuo loco ſeparatum, ac in longo tranſitu non vitiari, & ſuum non amittere colorem.

Nihilominùs

Nihilominùs hoc loco exurgit dubitandi occaſio, qua ratione dicat 6. *de loc. affect. cit.* in muliebri profluuio, locum affectum, eſſe vterum, ſi Hipp. *lib.5.aph.* 57. contrarium firmat, dicens: *Menſtruis largiùs fluentibus morbi eueniunt: non fluentibus autem, ex vtero morbi contingunt.* Et firmat Galen. *in com.§. Quare ſit veriſimilius, in ſola retentione menſtruorum, dixiſſe Hipp. morbos contingere ex vtero*, quo loco morbos ex immodica vacuatione, non ad vterum, ſed ad corpus pertinere aſſeuerat. Ratio dictat: nam ſi in ſuperfluis menſibus vtilis ſanguis neceſſariúſque è corpore aufertur, planè in illis corpus ægrotat; ſicut in retentis menſtruis, vterus, in quo ſuperflui, & excrementitij inutilis congeries aceruatur.

Nec refugias ad vlcera, quæ à fluentis ſanguinis acredine, & mordacitate poſſunt in vtero fieri, à quibus aliæ grauiſſimæ affectiones in corpus redundant: nam præterquam quòd mala, quæ eueniunt fœminis fluxibus laborantibus, ab vtero vt plurimùm non fiunt, ſed ab immodico fluxu: illa vteri vlcera non ab ipſo fluxu, qui quantitatem immodicam importat, ſed ab illius cauſa contingunt.

Deinde. Affectio ad eam partem videtur attinere cuius læſam actionem importat, cuiúſve ſymptoma nuncupatur. Atqui profluuium muliebre eſt ſymptoma quoddam in genere excretorum ab vtero immodicè fluentium, *lib. de ſympt. dif. cap. vlt.* immò verò non rarò eueniens, ob imbecillitatem venarum menſtrualium, vt loquitur Auic. 21.3. *tract.* 3. *cap.* 23. Igitur negari non poteſt, in huiuſmodi malo vterum eſſe locum affectum.

Dic, quid vterus in menſium fluore per ſe non afficitur, ſed corpus vniuerſum vnde profluit ſanguis; neque morbi, qui ex immodico profluuio ſuccreſcunt, ex vtero, aut per vterum oriri dicuntur. Quòd, ſi aliquando ex immoderato fluxu maligna vlcera in vtero fiant, ex quibus deinde in vniuerſum corpus alia mala redundent, ad acredinem & mordacitatem ſanguinis ſunt referenda, non ad ipſum fluxum: ex hoc enim potiùs, quàm vterus ægrotat: atque ideò rectè Galenus *in aph.* dixit, ex ſola retentione morbos in vtero fieri: nec tamen proinde *lib.6. de loc.affect.* agens de vteri affectibus, menſalis profluuij, & morborum qui inde naſcuntur, ſermonem fecit; vterini namque reuerà ſunt, vtpote occaſione vteri pronatij; immò verò omnes ferè, vel plurimi muliebres morbi, ex vtero ſunt, quia cùm corporis ſentina ſit, & putridorum excrementorum conceptaculum, ad quod perpetuò confluunt ex toto ſuperfluitates, non ſolùm prauè ſe habet, ſed corpori etiam communicat innumeras affectiones: omnis enim conſuetus fluxus, morbis obnoxius eſt, & periculoſam habet vtramque immoderantiam, ſiue ſuprà modum ſanguis excernatur, ſiue ex toto ſupprimatur; quapropter dicebat Gal. 4 *aph.* 25. non eſſe ei aſſuefaciendum, niſi ingentis mali vitandi gratia, ob imminens ex fluxu conſueto periculum: nam ſi excedat, vires omnes diſſoluit, mille parit ægritudines, & interitum: ſi vel ſemel moretur, difficillimas etiam, & periculoſiſſimas, vtpote ex ſeparato, & maligno excremento, non cum bono ſanguine permixto, quod natura ad diffluxus partem tranſmittere ſolebat.

Inſuper certum eſt: muliebrem fluorem ſymptoma vteri eſſe, vt conſtat ex Aëtio, Paulo, & cæteris, qui dicitur vteri diſtillatio diuturna, vel ex Gal. *cit. de loc. affect. & 3. de cauſis ſympt.* 4. vniuerſi corporis per vterum expurgatio, & muliebrium locellorum fluxus. Quia tamen Gal. ait, vtero nihil laborante accidere, ſed corpore ſeſe per illum expurgante, dubitant Mercurialis *lib.4.de morb. mulier.cap.6.* Donatus *lib.de curand.hum.corp. malis, c.*109. & alij, num aliquando ipſius vteri vitio contingat: & licèt negent aliqui, oppoſitum tamen probatur ex Auic. dum dicit? *fieri etiam, cùm propter imbecillitatem digeſtionis in venis vteri, corrumpitur ſanguis, & corruptus effluit*: nec Galenus contradicit, imò annuere videtur, cùm habet: *interdum vtero haudquaquam affecto accidere*, quaſi velit vt plurimùm affici, ſed non ſemper. Non eſt autem ſyncerus & inculpatus, ſed corruptus potiùs (vt dicit Aëtius) ſanguis, qui in huiuſmodi fluxu prodit: tum quia excrementum eſt, & portio vitioſi humoris in corpore redundantis;

A tum quia (vt diximus) in longo tranſitu vitiatur. Menſtruus autem non ſic: quamuis enim abſolutè purus non ſit, critico tamen, & muliebri collatus, ſyncerus eſt: dummodò excipias qui parientibus excernitur; hic enim nequaquam prodit inculpatus; ſed eò deterior, quòd bona eius pars, puriórque adſit in fœtus formationem, & alimoniam, ex Gal. *lib.1.epid. ſect.3.com.2.1.* de qua re ſuprà *in com. Hiſt.1.quæſt.2.* plura prædiximus.

Eſt & altera mox exponenda non leuis difficultas: Num vtero gerentes hoc affectu etiam tenentur. Si enim protinus à conceptione ita os vteri clauditur, vt nihil prodire queat, atque adeò geſtationis tempore purgationes ſiſtuntur; quomodo grauidis euenire poteſt defluxus ſanguinis, aut aliorum humorum, qui ſecundùm omnes, ab vtero, interniſque illius vaſis affunduntur, quibus omnibus B hæret chorion fœtum comprehendens? Dic, grauidas vteri fluore etiam laborare, & pati omnium humorum purgationes. Id conſtat apertè ex Hipp. 5. *aph.*60. dicente: *Mulieri vtero gerenti ſi purgationes eant, impoſſibile eſt fœtum eſſe ſanum.* Quo loco multi non ſolùm menſtruale, ſed muliebre profluuium intelligunt: licèt enim ex ſanguinis menſalis vacuatione defraudetur fœtus paſtu ſuo, tamen ex aliorum humorum vacuatione abortum ſequi non eſt dubitandum, quoniam cum inutili, benigna & vtilis etiam humoris portio exhauritur, & ſit diminuto calido innato, & reſolutis ſpiritibus, ſubtrahitur alimentum fœtui.

Si autem vltrà pergas, & inquiras, ex qua parte prodeat ſanguis ille, qui grauidis excernitur, & purgationes variæ quas illæ frequenter patiuntur? Galenus *lib.nuper cit. Aph.* C reſpondet, non prodire ex vteri ſinu, nec per venas, quæ interiora vteri contingunt, poſſe quidpiam in vteri cauitatem effundi: tum quia vtero gerentibus os vteri occluditur; tum quia ab internis ipſius vteri vaſis, vaſa chorij oriuntur, atque ita omnibus vniuntur, vt vnius finis, ſit principium alterius: cùm verò vniuerſus ſanguis intra membranam illam contineatur, nihil in vteri ſinum peruenire poteſt, nec ex hoc quicquam profluere, etiamſi recluderetur. E venis ergo (ait, quæ in collo matricis ſunt; grauidis fit ſanguinis excretio: quin & viſum eſt nonnullis, hac etiam via menſales purgationes virginibus fieri; ſcilicet quòd propter hymenem, hoc eſt membranulam in ipſa vteri ceruice retis formam obtinentem (clauſtrum, ſiue interſeptum virginale vocant) menſtrua ex vtero effluere non poſſint.

Aliis tamen magis placet, tam grauidis, quàm virgini- D bus, quin & fœminis omnibus, ex vtero per internas ſui corporis venas ſanguinem prodire, qui propriè menſtruus dicitur, ſimúlque muliebrem fluorem in illis frequenter euenientem: ex illis verò quæ in ceruice, & collo matricis ſunt, ſi aperiantur, & multam ſanguinis copiam effundant, fluxum alium concitari, à menſali diſtinctum, Græcis; & Barbaris hæmorhoïdes vteri nuncupatum; de quo meminit Ariſt. *l. 2.de generat.animal.c.4.* dicens, affectũ hunc eſſe ſimilem mariſcis; ita Auic. 22.3.*tract.*1.*c.*20. & alij.

Veſalius Anatomicus admodum peritus, *lib. 5.fabric. c.15.prope fin.* determinare nõ audet, num ex fundi, aut ceruicis venis, ſemper, aut alternatim, vel vtriſque ſimul effluent menſes; licèt indubitanter affirmet, ſanguinem non infundi ſinu (quod perperàm viſum eſt nonnullis) totò menſis interuallo ſenſim aceruari, ac menſis periodo, tur- E gente iam vtero promanare, ſed in vteri venas paulatim ex toto corpore admitti, eáſque nimiùm oppletas, ſuis oris apertis ſanguinem illum ſtatis periodis eructare; nam præter alia quæ adducit, ſi in vteri cauitate, ſiue ſinu colligeretur paulatim, quis non videt, non ſine vitæ diſcrimine in grumum coïre poſſe, aut in flatum verti, & concretum, fruſtillatimque educendum, non tenuem, fluidum, ac per quàm ſimilem illi qui è naribus diſtillat? At quomodo ergo ab internis vteri vaſis, quibus fœtus per chorion vnitur, prodire grauidis poteſt, maximè vtero occluſo, in quem defluere eſt neceſſe, priuſquàm foràs erumpat? quomodóve virginibus, prohibente exitum hymene.

Quemadmodum Chorion (Latini vocant ſecundinam, ſeu ſecundam, alij Loculos, Galen. 5. *aph.* 50. locum

appellat) toti vteri ſuperficiei non adnaſcitur,ſed duntaxat tantæ,quanta eſt ipſius inuolucri exterior ſuperficies, vt ſcribit Veſalius *cit. lib. cap.* 17. Ita nec omnibus vteri vaſis adhæret, ſed lateribus tantùm, ac proinde ex aliis poterit emanare; præſertim quòd neceſſum non eſt, ora internarum venarum aperiri vt effluat ſanguis, ſed externarum tãtùm,quod in narium hæmorrhagia conſtat,nec enim in ea capitis vena aperitur, ſed extrema ad nares accedens; nec in ſanguinis miſſione omnes quæ inaniuntur, ſed illa tantùm quæ ſecatur. Vterus autem ſicut grauidis bene habentibus clauditur, ſic laborantibus interdum recluditur; cúmque profluuium hoc euenire illis non ſoleat, niſi cùm malè habent, quid mirum ſi hiet ad profluuium? Iam verò hymen non vſque adeò denſa eſt, & impertuſa, vt omnino prohibeat ſanguinis exitum, licèt non ita liberum permittat; ideò enim fortè virgines, & ob menſalium viarum ſtricturam debitè non purgantur. Et de muliebri profluuio ſatis.

HISTOR. XII. GALENI, De conceptione.

Fœmina intenta imaginatione formoſum puerum depictum intuita in concubitu, non patri, ſed picto ſimilem peperit.

Porrò mihi vetus hiſtoria indicauit, quòd cùm deformis quidam opibus potens, formoſum vellet procreare filium, depinxit in lato ligno elegantem alium puellum, dicebátque mulieri inter coëundum, vt illam pictura effigiem inſpiceret: hæc autem defixis intuens oculis, & vt ita dicam, totam illuc mentem aduertens, infantem non patri, ſed picto ſimilem peperit,&c. Galenus lib.de Theriac. ad Piſon. cap.14.

PARAPHRASIS.

Maxima eſt in procreando fœtu,& aliis agendis,imaginationis vis,atque poteſtas: nam hæc ſi ſit fortis, ac vehemens inter concipiendum, vel in toto formationis tempore, quo ſanè dominatur formatrici naturali ſeminis, imperátque eo modo quo inferiores potentiæ parent ſuperioribus, imprimitur potiùs idolum imaginis vehementer comprehenſæ, quàm paternam in ſemine referuetur, quoniam ex inepta materia quæ hominis formam adipiſci nequit, ſit aliquando ſenſitiuum, eius tamen ſpeciei, cuius eſt animal, quod fœmina in imaginatione apprehendit, & tantæ efficaciæ eſt imaginatio, vt ad ſpeciem imaginatiuam muteiur ſpiritus corporeus ad teſtes fœminæ,& vterum perueniens,qui maioris actiuitatis eſt, quàm ſpiritus genitiuus, qui in ſemine paterno fuerat.

Hac de cauſa Iacob,vt legitur *in cap.*30. *Geneſis,parauit ſibi virgas populeas virentes, & amygdalinas, & ex caſtanea, & decorticauit in eis decorticationes albas,denudando alborem qui erat in virgis illis: & ſtatuit virgas, quas decorticauerat in canalibus, in aqualiculis aquarum,ad quas veniebant pecudes vt biberent, è regione pecudum,vt incaleſcerent cùm venirent ad bibendum: & incaleſcebant oues ad virgas illas, & poſtea pariebant pecudes variatas pedibus, punctatas,& maculoſas.* Hoc artificio vſus eſt Iacob, vt euaderet diues è domo Laban ſoceri ſui virgas variis coloribus depictas in canalibus ponens; ad quos oues bibendi cauſa ducebantur, vt dum illæ cùm arietibus coïrent varios fœtus conciperent,vt reuera accidit: procreabant enim agnos, non parentibus,ſed virgarum,quas præ oculis habebant,coloribus variis ſimiles.

In his omnibus obſeruant omnes interpretes huius loci, rationes phyſicas fuiſſe à Iacob intellectas, quibus poſſet, pecora diuerſi coloris ſibi acquirere, obiecta coëuntibus pecudibus ſpecie virgarum varij coloris: ita

A vt dum biberent oues, ſimúlque mares in fœmellas ſalirent, ſpecies illa directa virgarum decorticatarum, & verſiculorum in aquis iacentium,ſpeciei reflexæ, vel vmbræ marium ineuntium in aquis mixta, vnam quaſi ſpeciem variegatam fœmellis ingereret, quaſi cernerent ſuos mares ita coloribus variantes: vnde vi phantaſiæ eoſdem colores ſuo fœtui, quem tunc concipiebant, imprimebant. Mares enim ex ſimili fœmellarum vmbræ aſpectu,permixtæ virgarum ſpeciei formam verſicolorem ſuo fœtui imprimebant,

Id ita natura comparatum eſſe,Phyſici docent, & experientia probat. Cùm enim in admiſſura, phantaſiæ vis ſoleat eſſe maxima, quia tunc anima omnem ſuam vim exerit, conſequitur etiam talis impreſſio in fœtu; non quòd potentia imaginatrix, per ſe, ac vi ſua vllam pro-
B ducere queat qualitatem, ſed quatenus ſpiritus, ſanguinem, ac humores mouet, ex quorum vario motu, variæ in corporibus qualitates exiſtunt. Niſi etiam dicamus, quemadmodum ſubſtantia interuentu accidentis ſubſtantiam gignit; ita animam per intentionale, & adumbratum eſſe rei, quale eſt imago coloris in phantaſia ab anima expreſſa,verum ac perfectum eius eſſe producere poſſe, in certis quibuſdam ſubiectis ad id aptis, vt in fœtus materia, quæ tenuis & fluxibilis eſt: ſic effigies, & color, & alia huiuſmodi accidentia præconcepta in materiam fœtus inducuntur.

Accedit alia ratio ex Auerrhoë *in lib.* 4. *phyſicor. Ariſt. com.* 97. dicente, imaginationem & cogitationem eſſe quaſi tres, quæ parant materiam artifici; recipiendam actionem deſiderij. Imaginatrix igitur vis, quæ eſt vna ex principibus animæ facultatibus,cùm moueatur à viſu,
C ex Gal. *lib.* 8. *de vſu part. cap.* 7. patiantúrque ad inuicem maximè corpus,& anima;& ex animi perturbatione quæ-libet,corporis & ſanguinis ingens eueniat ſæpe perturbatio,ſit vt viſus medio,facto in mulieris imaginatione motu, dum concipit, fiat in ea rei imaginatæ, deſideratæque impreſſio,quæ ſanguini illius communicatur, ex quo ſanguine fœtus nutritur; & hunc ex illo eam formam ſuſcipere, liquet abundè.

Hæc omnia accepta referenda eſſe imaginationi, præter Plutarchum 10. *probl.* 12. Plin. *lib.* 7. *natural. hiſtor. cap.*12. Albert.Magnum *lib.*9. *de natur.animal.cap.*7.illuſtribus exemplis confirmant luculenter Michaël Medina *lib.*2.*de recta in Deum fide*, Cataneus *lib.de intellect.& cauſis miror. effectuum*, Ægidius Romanus *quæſt.*5. *quodlibeti*, Henricus Gandauenſis *in ſuis quodlibetis*, Conciliator *in*
D *ſect.*7.*probl. Ariſt.com.*6. Thadæus Florentinus *in com. ad Iſagog. Ioannitij*, Thomas Garbius *lib.*2. *ſum. med. tract.*4. *quæſt.*11. *& lib.*1. *tract.*5. *quæſt.*31. Mercat. *lib.*3. *de morb. mulier.cap.*7. Heurnius *lib.*3.*inſtit. cap.*6. Fracaſtor. *lib. de ſympath.& antipath.cap.*23.Fernel.*lib.*7.*phyſiolog.*12.Iacobus Foroliuienſis 3.*techni,quæſt.*11.Coſtæus *in com.fen.*2.1. *doct.*2.*cap.*14.§.2. Subſcribunt & alij in Geneſim peritiſſimi expoſitores, Benedictus Pererius, Valleſius *lib. de ſacra philoſophia, in com. cap.*11. Conimbricenſes *lib.*1. *de generat. cap.* 4. *quæſt.* 30. *art.*2. Ioannes Camara Buſthemontinus *lib.*2.*de reptibilib. ſacræ Scriptur.cap.*4. Leonardus Marius *in Geneſim*, Rabbi Iſhac Atias ingenioſiſſimus *lib.*2. *præcept.*33.

Non deſunt qui hunc Iacob euentum contigiſſe rentur,non per imaginandi vires, ſed per diuinam virtutem,
E vt myſteriis correſponderet: nam ſi naturæ via actum id fuiſſet, hodie quoque eorum opinione ſieret, & tamen quam plurimos id tentaſſe affirmant, & nihil ſimile vnquam contigiſſe: quare nihil ad generationem,quantum ad prolis ſimilitudinem,& ſexum imaginationem conferre ſibi perſuadent; de quorum numero fuit Leonardus Vairus Beneuentanus *lib.* 2. *de faſcino, cap.*7. cuius argumenta quum citati auctores expenderint, ingenuè, & ſolidè,non eſt modò cur noſtram cenſuram in eorum ſolutione exponamus.

Neque enim negamus illud *Geneſis*, à Iacob factum, myſterij cauſa Deum Optimum Maximum eius medio feciſſe; attamen certum eſt Omnipotentem, vim talem imaginatrici brutorum virtuti tribuiſſe, vt poſitis virgis,

gis, variis coloribus depictis, & iis in imaginatione ſuſceptis coloribus, & facta in ſanguine impreſſione, ſemen ſic affectum in coïtu emitterent. Quòd autem hodie talia non fieri dicunt, à ratione alienum eſt: nam hoc tempore, qui artem paſtoritiam exercent, columbarumque ſunt ingenui dilectores, ponũt pulcherrimas columbas iiſdem in locis, quibus illæ verſantur, quò videlicet rapiente viſu ſimiles generent. Denique & hoc ipſum equorum magiſtri obſeruant: nam in equarum grege, generoſos obiicunt equos viſibus concipientium, quò ſimiles eorum concipere, ac creare poſſint. Hoc confirmat Iſidorus *lib.12. etymologiar. in fin. cap.1.* Lege Delrium *lib.1. diſquiſit. magicar. cap.3. quæſt.3.*

Denique pluribus argumentis deprehenſum eſt, parentum imaginationem ad temperamentum, & ad vim formatricem modificandam mobilem vim habere: prout notarunt Algezar, citatus à Gentili *in com. cap. 14. fen. 21. 3. doct. 1.* Ariſt. 10. *probl.* 7. Iuuenalis *ſatyr* 6. Maphæus Vegius *lib.2. de educat. liberor. cap.9.* Alexand. Alenſis 2. *part. quæſt.89. memb.4.* Abulenſis *in c.30. Geneſis.* Cælius Rhodiginus *lib.20. lect. antiq. cap.15.* Ionſtonus *claſſe* 10. *thaumatographiæ, cap.7. art.2.* Leonardus Vairus *lib.1. de faſcino, cap.2.*

Quid mirandum? nonne alienam, & planè peregrinam rei cogitatæ formam, aliquando materiæ induci experientia comprobatum eſt? Sic accidit, vt ex vtroque parente albo ater filius generetur, quòd mater Æthiopem, quem in cubiculo depictum habebat, imaginatione verſaret. Quinimò gallinam, quæ inter concipiendum aſpectu milui territa fuit, pullum miluino capite excluſiſſe citati referunt auctores. Hæc de cauſa fœminæ monſtroſos pariunt fœtus, quoniam in cubiculo in quo conuenerant, monſtrorum aderat pictura. Sic refert Marcus Damaſcenus, in loco quodam, Petra ſancta vocato, mulierem peperiſſe puellam ſylueſtrem, pilis camelorum ſimilibus vndique circumſeptam, idque ea de cauſa eueniſſe tradit, quòd mater imaginem ſimilem in thalamo fuerit contemplata, & ſic ſimilem infantem peperit. Paræus *lib. de monſt. 24. cap. 27.* deſcribit effigiem virginis, quo ob parentum imaginationem, piloſa, informis, & nigra nata eſt.

Scribit Scaliger *lib. de ſubtilit. aduerſ. Cardan. exercit.* 14. *num.* 2. alterius hiſtoriam, qui pilis candidis tectus erat, quòd mater dum concepit, piloſum quoddam fuerat imaginata. De hoc inſtituto, miras, raraſque proponunt hiſtorias Cornelius Gemma *lib.1. de admirand. ſpectacul. cap.* 6. Mathæus Villanus *lib.5. hiſtor. cap.12.* Guainerius *lib. de peſte.* Leuinus Lemnius *lib.1. de occult. natur. miracul. cap.4.* Petrus Pomponat. *lib. de immortalit. animæ*, Gaudentius Merula *lib.4. de memorabil. c.14.* Retulit mihi Doctor Valle Luſitanus, Medicus eximius, & expertus, ſe vidiſſe fœminam, quæ plures infantes pepererat pallore vultus ita infectos, vt cadaueris imaginem referrent, quòd illa inter coëundum, infantem mortuum in lecto ante oculos depictum intueretur, quo remoto alios deinceps peperit viuidos, formoſos, & rubicundos, Ob hanc cauſam nolebat Heſiodus Philoſophus præclarus, coniuges dare operam liberis, dum è funere redirent, ſed è conuiuiis, & ludis; probátque Themiſtius *lib.3. de anim. cap.68.* Thomas Eraſthus *lib. de occultis pharmacor. proprietatib. c.34.* refert, mulierem adulterij ſuſpicione non carentem, eo quòd infantem enixa eſſet marito nullo modo ſimilem, ſe ſe hac arte liberaſſe, quòd picturam infanti ſimilem in cubiculo habuerit. De quo argumento plures extant apud Iuriſperitos quæſtiones. Legat qui velit, Iuſtinianum *de verbor. ſignification. L. quæret, cum gloſſa, Barthol. cum Doctor. in L. Gallus, ff. de liberis, & poſthumis.*

Ampliùs. Res eſt peruulgata, & experientia communi comprobatur, ſæpè ex forti matrum imaginatione infantibus varias rerum formas induci, næuos, lentigines, verrucas, lituras, ſpecies aliquando, & figuras fructuum, maculas, & ſimilia imprimi. Refert doctiſſimus Gregorius Horſtius, apud Fabricium Hildanum *lib.3. centur. chirurg. obſ.55. Pragæ monſtroſum partum accidiſſe, & puerum fuiſſe natum, cui iecur, inteſtina, & lien cùm meſenterij maxima parte extra vmbilicum propendebant, qui horas paucas viuens, vitam ſat miſerè cùm morte mox commutauit. Huius corpus præſente ſpectatorum Medicorum, & Ioãnis Kepleri, Mathematici Cæſarei, & Peripateticorum principis corona diſſectum eſt. Interiùs in infimo ventre paruus inueniebatur iecoris lobus, ex quo vena caua ſurſum, ac deorſum progrediebatur, qui continuis erat cum iecore externo, & peculiaribus membranis circundatus per vmbilici foramen eidem iungebatur. Externum iecur plenariam iecoris formam habebat, venam portam ex meſenterio externo recipiebat, &c.* ſubdit: *Sed ſi cauſam huius deformitatis ſcire geſtis, externam ex relatione matris tibi refero, quæ cùm interrogaretur, num fortè partui huic occaſionem præbuiſſet, cum lachrymis reſpondit, quòd tribus menſibus ante partum, vitulum mactandum præter voluntatem detinere coacta, eóque partim aperto procidentibus illicò viſceribus ex abdomine, quodammodò commota fuiſſet. Tantum poteſt imaginatio, quam ego partus huius monſtroſi cauſam primariam fuiſſe ſtatuo.*

Mirabilius eſt quod refert idem auctor, *in eodem loco, infrà:* dicit enim filium Dn. Kepleri natum eſſe præputio ferè inciſo, & inuerſo, propter cogitationem vehementiorem matris; quia hoſpitem quendam peregrinum tunc temporis obſeruabat, qui quomodo matutinis illis horis circumciſionem Iudaicam Pragæ peractam viderit, referebat. De quo argumento in ſequenti obſeruatione plura propoſuit exempla Fabricius: necnon ipſe Gregorius Horſtius, vir eruditiſſimus *lib.7. de hiſtor. mirabili, apud Marcellum Donatum, cap.3.*

Inſuper idem Hildanus *lib.4. centur. chirurg. obſer.55. & 56.* binas prægnantes deſcribit morbillis correptas, quæ infantes pepererunt eiſdem morbillis contaminatos. Lege apud eundem auctorem binas, at memorabiles obſeruationes, *in reſponſione ad Epiſtolam cultiſſimam Michaëlis Doringij Medici nobiliſſimi, de rara, & noua partus Cæſarei hiſtoria.* Prima eſt grauidæ, quæ cùm duos inter ſe confligentes videret, & ex iis vnus gladio perfoſſus in terram rueret, ſupra modum perterrefacta, & perturbata exclamans, & inuocans nomen Domini, manu dextra oculos obuelauit: eadémque die doloribus partus concuſſa, fœtũ mortuum eſt enixa, cui caput ab oculo ipſo, ad occipitium vſque perfoſſum erat. Altera eſt grauidæ, quæ ob incendium terrefacta, poſt triduum, infantem viuum vndique maculis igneis contaminatum edidit. Hoc modo ob prauam imaginationem monſtra produci probat Ioan. Remellinus *lib.2. catoptri microcoſmi, in fin.* Hildanus *lib.2. obſ. chirurg.* 25. hominem cornutum ſe vidiſſe refert, cui in medio frontis, cornu ſimile arietino retortum ad futuram coronalem ſupernè ad verticem in vtero natum eſt; num tamen fuerit exortum ob matris imaginationem, ibi non explicat. Lege exemplum admirandum hominis cornuti, hoc eſt habentis in fronte cornu, ex deprauata matris imaginatione inter coëundum enatum, quod *lib.3. de praxi admiranda, obſ.9.* propoſuimus.

Demum tanta eſt imaginationis poteſtas, vt Auic. 21.3. *tract.3. cap.2. & 14. & lib. de anim. ſect. 4. cap. 4.* pronunciet, ipſam alienum corpus immutare poſſe; in *animar. cap.4.* Chriſtoph. à Vega *lib.2. art. med. ſect.6. cap.* quem acerrimè inuehuntur Ficinus *lib. 11. de immortalit. vlt.* Thomas à Veiga *in com. cap.84. art. medic. Galeni.* Marcel. Donatus *lib. de hiſtor. mirabil. cap.1.* Carrerius *in fen.11. Auic. doct.7. ſum.1. cap.2. diſput.37.* qui omnes imaginationis varios proponunt effectus. Vtrùm autem imaginatio valeat inuehere morbos, explicat eleganter Santorellus *lib.2. antepraxis, cap.13.*

⁂

HIST. XIII. GALENI, *Fœmina vtero gerens, ſanguine miſſo ex vena non ſemper abortit.*

*IAm etiam * propter ſanguinis miſſionem, & ſanguinis ex vulnere eruptionem, aut ex nimia hæmorrhoïde quædam abortierunt. Galen.* lib. 3. epid ſect. 2. com. 8.

QVÆSTIO XXII.

Vtrùm è grauidis in talo aliquando mittendus ſit ſanguis, vt contra meam ſententiam acriter interdicunt Plempius, Fontanus, & Bruſchius, Medici eximij?

PARAPHRASIS.

SAnguinis miſſionem.] Nullus eſt auctor, qui ad doctrinæ Hippocraticæ ſplendorem proximiùs accedat, quàm Galenus, eò maximè, quoniam vberrimus eſt diuini auctoris interpres; idcircò eum lego auidè, & iucundè. In hac ergo hiſtoria ſunt duo, quæ merentur admirationem, apud eos qui huius auctoris dicta inceſſanter luſtrant. Primum, tempore Galeni conſueuiſſe Medicos in grauidis ſanguinem emittere, & niſi ipſe hanc rem hoc exemplo faceret manifeſtam, nullus eſſet, arte medica licèt apprimè imbutus, qui iuraret in verba magiſtri; præſertim cum oraculum Hippocraticum huic methodo contrarium ſit, & repugnans, latum *lib. 5. aph.* 30. quo quadam veluti lege ſancito eos deteſtatur, qui vtero gerentibus ſanguinem imperant emittendum: *Vtero gerens ſanguine miſſo abortit, & magis ſi fœtus ſit maior.*

Secundum, non omnes facta venæ ſectione abortum feciſſe, vt videas quo in errore verſentur, qui phlebotomiam in grauidis celebratam ex ſe abortum concitare aſſeuerant; quod quàm aduerſum ſit menti Galeni, videbit qui eius mentem penſauerit ad vnguem, dicentis eas ſolùm abortum feciſſe, quæ ex nimia hæmorrhoïde emanante, vel ex vulnere nimis ſauguifluo, aut ex vena ſecta copiosè, reſolutis ſic viribus, & exhauſto ſanguine, nec retinere, nec alere fœtum potuerunt, quarum quædam ob ſummam debilitatem abortum fecerunt.

Quare in multis ſecandas eſſe venas „ permittentibus viribus, poſtulante affectu, res eſt freqnentiſſimo experimento confirmata. Hippocratem, Medicorum tutelarem Deum, hoc auxilium omnium primum docuiſſe, propoſuimus contra communem Medicorum ſententiam *lib. 1. in com. hiſt.* 32. Ille enim *lib. 2. epid. ſect. 2. in med.* Læciam vtero gerentem prope partum lienis inflammatione laborantem vena ſecta curare conatur. Cui ſententiæ addidimus & alias momenti magni, quibus ratum ſit, in illis parcè eſſe venæ ſectionem exercendam: neque vnquam ex hoc præſidio, tempeſtiuè, & pro morbi ratione celebrato vidimus, quampiam abortum fuiſſe perpeſſam. Quod ſi aliquando contingit, non huic auxilio ſalutifero, ſed aut vi morbi, eiuſdem cacoëthiæ fœtum corrumpenti, febris vehementiæ ipſum occidenti, ex Gal. 5. *aph.* 30. aut alicui graui ſymptomáti ſuperuenienti, aut animi pathemati, quo frequentiùs ipſæ vexari ſolent, imputandum eſt, vt ſcitè notauit Sennertus *lib. 5. inſtit. cap.* 7.

Vere ſunt hæc omnia, & ex ſummorum Medicorum monumentis exhauſta. Vtrùm autem in vltimis menſibus, pro grauiſſimorum morborum curatione, qui ab vtero originem ducunt, ſit in talo ſecanda vena, nempe epilepſia ſæua, vteri ſuffocatione vehementi, aut truculenta apoplexia, experimento diuturno muniti, præclariſque grauiſſimorum Medicorum ſententiis freti, firmauimus eam eſſe ſalubrem, tutam, & vtilem; & ex inferis partibus celebratam, ad præcauendum abortum ſummo eſſe ex vſu, poſtea *lib. 2. de praxi medica admiranda, obſ.* 160. comprobauimus.

Sed cùm poſt primum librum, in cuius *hiſtoria* 32. conſcripta eſt diſceptatio hæc, plures doctiſſimi viri in me fuerint per literas veluti ſtomachati, quòd hoc auxilium, aut potiùs paradoxum vulgarem, ex quo tantùm abeſt vt miſeræ fœminæ tanto agone prehenſæ iuuentur, vt potiùs certum ex eo abortus periculum immineat: placuit in veritatis gratiam, præſertim in re momenti tanti, meam induſtriam cum illis exercere, licèt ij ingenij ſui perſpicacitate, & rerum medicarum ſcientia inſigni antecellant. Neque reprehenſiones metuo, quia nullus imminētium iudicorum expectationem exhaurire queat; namque ego, non quid multi, ſed quid boni iudicent, exquiro. Mihi verò hoc ſatis eſt, neminem me voluiſſe lædere. Obteſtor tamen te, humaniſſime Lector, per candorem animi tui, ne hæc in deteriorem accipias partem; aut putes maledicentiæ igniculis agitatum, à qua longè abeſt animus meus, in palæſtram literariam deſcendere: nam ſicut ex mutuo ſilicis, & ferri attritu elicitur ignis, ſic ex diutina concertatione, in profundis tenebris plerumque ſepulta eruitur veritas.

Enimuerò cùm tres ſint viri peritiſſimi, qui meam ſententiam ex toto ſubuertere conati ſunt, eorum ſcripta ſeriatim proponam. Extat in primis Fortunatus Plempius, meritiſſimus Scholæ Louanienſis Profeſſor, vir ſubtiliſſimi ingenij. Secundus eſt Nicolaus Fontanus, Medicus Amſtelodamenſis perdoctus, *qui in florilegio ſuo* facundo, & docto, *quæſt.* 51. plura ſpicula in me coniecit, veritatis amore potiùs, quàm meum nomen lacerandi ſtudio impulſus, Tertius appellatur Antonius Bruſchius Gallus, in Academia Andegauenſi Profeſſor celeberrimus, illuſtris Medicus, & egregiè in Galeni doctrina verſatus. Ergo meæ tam repugnantibus opinionibus, non obruor, ſeb efferor, quos hoc ordine deſcriptas audire ne pigeat, quum ad huius præſidij exequutionem conferant apprimè:

Excultiſſimo Viro, Zacuto Luſitano, Medico percelebri, Fontanus Plempius Scholæ Louanienſis Profeſſor.

Quòd in vtero gerentibus venæ ſectio ex talo non ſit ex vſu.

HOc nempe Philoſophi eſt, omnium ſanè mortalium liberrimi, nulli ſacramentū dare, immò verò eò dirigere ſtudia ſua, vt factiones, ac ſectæ penitus extinguantur. Quàm eſſet expetendum, ſi viciſſim abſque contentione, ſed humanè, atque liberaliter vnuſquiſque conferret remedium quod haberet, ad litterariæ Reipublicæ incrementum! Quid enim nobis poteſt eſſe beatius quàm ſcire? diſcendum verò, vt ſciamus. Ego quidem ſapientiæ ambitum, tanquam animi noſtri ærarium ſemper iudicaui, in quod communia commentationum noſtrarum vectigalia referenda cenſeo, ſed proba, vnde ſibi ſuum quiſque in vſum ſumat, ſine inuidia, atque ſimultate. Vnū enim corpus ſumus, vnúſque ſpiritus huius corporis, qui à Deo profectus pro communi excubet vtilitate. Porrò non vanè vereris, aduersùs hæc tua ſcripta otioſorum loquutuleiorum ſimultates, atque obtrectationes. Ita eſt hoc noſtrum ſæculum, vt pro curioſis damnet peritiores veritatis indagatores, & nihilo ſeciùs de quacunque re propoſita, tum diſputare, tum iudicium facere audeat. Certè ambitio vbi acceſſit ad ignauiam, arrogantiam parit ex inſcitia. Hominum genus hoc in marcido otio ſuo negotioſiſſimum, dum faſtidit omnia, ſemper aliud agens, ſui quiſque dux exiſtit. Quid ergo? ab hiſce nebulis doctiſſimæ lectiſſimorum virorum lucubrationes obſcurentur? diſcuatiant potiùs illas, atque diſpergant, quò denuò toti orbi clariùs illuceſcant. Sed mittamus hoſce rabulas, qui, vt comicè iocemur, ſolentes inſolenter faciunt.

Quanto cum applauſu accepta fuerit apud peritos totius Europæ Profeſſores diſceptatio tua conſcripta in *primo lib.de Medicor.Princip.Hiſtor.in com.hiſt.*32. & quanto gaudio eam exceperim, verbis referre nequeo, iſque demùm probè nôrit,cui compertum fuerit, quanto eius habendæ flagrarim deſiderio,aliquot enim abhinc menſibus iam eam exoptabam, vt huius paradoxæ opinionis mihi panderetur veritas. Recepi tamen librum, vidi, legi, relegi,imò penè deuoraui: ita fermenti ſimilem, aut etiam fermentatam tuam reperio eruditionem: quoquò enim me confero,turget vndequaque auctoritatibus. An verò mihi liceat inter vos heroës, ac præſides veritatis quidpiam balbutire?ſanè etſi nihil ad haſce ſubtilitates,& firmatiſſimas rationes addi poſſe videatur, tamen haud tanquam iudex, ſed perinde ac dubitator audiendus ſim forſan, quod mediantem ipſe me impuliſti, dum publicè profiteris, te lætari gratis, & vtilibus diſceptationibus, quas certè quilibet cordatus affectat ſapientiæ cultor. Itaque eò audentior factus, in tuis hiſce exercere me volui, vt quæ ad expurgandam veritatis arcem videbaris,& ſtudiosè molitus eſſe,& laboriosè ſtabiliuiſſe, viciſſim mutuo alluſu impeteremus; non enim contradicendi, aut contendendi ambitione motus, ſed communi omnibus ſapientibus iure adactus, hæc produxi coram te maximo Medicinæ Myſta iudicanda: quæ nonniſi tua opera mihi eſſe plana poſſint. Quamobrem qui hæc videas,quaſi tuo ſeſe ſubiugare patrocinio: haud committes confido, vt vel animi noſtri candorem negligas, vel deſpicias contemplationem. Age igitur exerceamus nos.

Ne tamen omnia in hac quæſtione à te propoſita percurrere videar, referam ea in compendium, quæ potiora expugnanda mihi viſa ſunt, & ex quibus concluſionem tuam firmare videris, nempe in vtero gerentibus interdum in talo eſſe venam ſecandam, quando acutiſſimis, & lethalibus morbis premi ſolent, qui ab vtero, tanquam ex primario fonte ſcaturiunt. Sic enim *primo loco* habes. *Si fœmina ſit in ſeptimo, octauo, aut nono menſe, & ſuffocante apoplexia, acutiſſima epilepſia ab vtero ortis, immò truculentiſſima vteri ſtrãgulatione corripiatur, quis ſuperiores venas tundere audebit?* Audebunt plurimi,immò ſic fieri debere contendent, maximè in ſeptimo & octauo menſe, ſuppoſita, (vt ſemper ſupponis) maſſæ ſanguineæ in corpore muliebri plethora, quæ per ſuperioris venæ ſectionem, citiùs, & ſecuriùs, tutiúſque tollitur, quàm per inferiorem venarum apertionem, quippe ex qua abortus imminet. Si enim Dictator noſter, mulierem vtero gerentem quauis ſecta vena abortire pronunciat, quantò veriùs eſt eius oraculum diuiſis inferis venis?

Firmas ſecundò. *At nullum iuuamentum ab illis conſequitur.* Immò verò maius, quàm ſi infernæ tunderentur: citiùs enim, & celeriùs per ſupernas exoneratur nimia ſanguinis moles, ſub qua mulierem fatiſcere ex hypotheſi ſtatuimus;ſed ex inferioribus non niſi pedetentim,& ſenſim exhauritur plenitudo, nec niſi copioſiſſimo euacuato ſanguine reuulſio poteſt fieri à capite, loco nempe à pedibus remotiſſimo. Atqui in allegatis caſibus, morbis ſcilicet acutiſſimis,periculum in mora eſt, extremóque opus habent remedio. Vis rationi huic auctoritatem adiici? & ipſam ratione circumſeptam? Petrus Salius, quem ego, & multi docti viri maximi faciunt *lib.de affect.particularib. lib.* 23. in puerpera morbo aliquo particulari acuto correpta,ſi grauis is ſit,valdéque inſtet, & indicet de ſectione venæ, ſiue expurgetur ab vtero ſufficienter, ſiue non, ſtatim deuenit ad ſectionem venarum ſuperiorum è directo loci affecti exiſtentium, & ei proximorum; quoniam ita à loco affecto euacuans,morbum faciliùs ſe ſubiaturum confidit, imò *inferiores ſecans (*inquit,*) virtutem ex euacuatione labefactabo,& materiam in particulari in loco conculcatam non minuam.* Exemplo ſit veſtra apoplexia grauidæ, in qua ſi inferiores ſecueris,vel totum ferè ſanguinem educes ad reuellendum,& euacuandum materiam ſuffocantem, vel ex ſectione adeò tarda ſuccedet vtilitas, vt priùs mulier ex apoplexia ea extincta ſit, quàm perſentiat reuulſam eſſe materiam. Hanc maximam huius Medici ſententiam pleniſſimo ſemper proſecutus ſum

A aſſenſu, tuentúrque omnes genuini rationalis medicationis aſſertores. Itaque ſic inſto: Si in morbo acuto puerperæ, proueniente ex retento naturæ debito fluxu, rectè, ac methodicè ſuperiores ſecantur venæ, rectiſſimè, ſummáque cum methodo,immò neceſſariò in veſtris allegatis acutis affectibus venæ ſuperiores ſcindi debebunt. Probatur conſequentia, quia ſi indicatio incidendi ſuperiores venas præualet fluxui illi naturali contra-indicanti, præualebit maximè in veſtris caſibus, vtpote in quibus nullum adſit contra-indicans.

Dicis tertiò. *Ad occaſionẽ neceſſe eſt deuenire,& occaſionis initium,*vt monuit Gal.*lib.de ven.ſect.aduerſ. Eraſiſt.c.*5.*& lib.de rigore, cap.*8. ne verbum quidem de occaſione. Ita autem occaſio reſpicienda eſt, vt tamen vrgentioribus ſemper indicantibus obtemperemus. Galenus *loco cit.* B Hippocratem laudat, quòd occaſionem animaduertit in ſecando venas tali,& meritò, me iudice, ſic enim & materiæ morbificæ proſpiciebat,& cohibitam reuocabat fluxionem. At quid hoc ad veſtros caſus, quum in iis non debeat cieri tale profluuium? Non inquam, niſi cum fœtus certa pernicie. Sed & ſuperiores ſecando, ad occaſionem equidem deuenimus; nã occaſio hic eſt ſanguinis exundãtia,quæ non tã in vtero,quàm in toto eſt corpore, quippe qui copioſior eſt,quàm vt fœtus poſſit conficere. Igitur ſuperiores diuidendo venas,& maximũ iuuamentũ conſequimur, & ad occaſionem nihilominùs deuenimus.

Epilepſiam ab vtero fieri poſſe, nemo Medicus ibit inficias, & ante veſtros adductos Recentiores, effatus fuerat Hipp. tum *in Coacis tum* 2. *de morb.mulier.* Ex tota verò auctorum ſtrue apoplexiam ſanguineam aſſerentium, nullus vterinæ meminit. Si mihi inter doctos gliſcere li- C cet, apoplexiam à te ſuppoſitam, non à ſanguine ex parte determinata, vtero ſcilicet, eleuato procreari exiſtimarem, ſed à ſanguine in toto corpore reſtagnãte cerebrum opprimi, atque oppleri; cuius occaſionem eatenus dedit vterus,quatenus eius contentum,embryo inquam ſuperabundantem nequiit digerere ſuccum. Vteri ſuffocationem in grauidis contingere poſſe, diu ante Mercurialem docuit Hipp. *lib.*1. *de morb. mulier.*

Quartò ſic probas. *Quare ſatius eſt fœminas, tot tantiſque malis obſitas, tali venis ſciſſis moderatè, ab orci faucibus liberare, quam omni ſpe adempta,vnà fœtum, & matrẽ perire*; Malo nodo, ma'us cuneus: magno morbo,magnũ debetur remedium. An putas moderata ſanguinis miſſione affectus illos ceſſuros,quos non ſolùm acutos, ſed acutiſſimos cõſtituis: Moderata tua illa malleoli ſectione,ne guttula qui- D dem de cerebro reuelletur. Longè aliter Hipp. nos erudit oraculum, quod non ſolùm extremis morbis extrema adhibẽda eſſe auxilia iubet,ſed & exquiſitè extrema. Quod ſi hîc exquiſitè extremam per talum euacuationem moliaris, ægrotantem in maius longè diſcrimen præcipitas; laborem labori addendo, quippe abortum concitando.

Quintò confirmas. *Neque talis phlebotomia ex ſe abortiua eſt; nam quod poteſt timeri,infantis eſt emiſſio,quæ,cùm naturalis ſit,partus,& non abortus vocari,cenſeriq; debet.* Quid hoc? omnis infantis emiſſio eſt naturalis? omnis infantis emiſſio eſt partus? (nam indefinita æquiualet vniuerſali) credo irato Apolline te id commentatum eſſe. Longè plura ad eſſentialem partus delineationem requiruntur. Itaque partum definimus, emiſſionem infantis in caput tempeſtiuè factam ab expulſione vteri, concurrentibus E infante,& matre,& cum vtriuſque ſalute, propter ſpeciei conſeruationem. An quia in vltimis menſibus expulſio fieret, ideò partus cenſeri debet; ſanè ſeptimo, & octauo, immò & in principio noni poteſt fieri abortus,dummodò intempeſtiuè fiat expulſio. Porrò Hipp. *lib.de morb. mulier.* ſic inquit: *Mulier ſi ſit iuuenis,robuſta,& multi ſanguinis, & grauiùs laboret in partu, prodeſt miſſus ſanguis è malleolo,vt tota natura concurrat,& expellat fœtum.* Laudandum Hipp. actũ,& imitandum,vt qui non in grauidis ſanguinis inſtituit detractionem,ſed tantùm ad partum faciliorem. Quare inſtante partu talem vacuationem machinabimur, minimè autem quouis vltimorum trium menſium tempore.

Sextò tuam opinionem ſtrenuè munis, & defendis; dum

dum ſic arguis. *Et tantùm abeſt, vt facta venæ ſectione ex talo abortus ſequi poſſit, vt potiùs dempta plenitudine, qua fœtus non indiget, hic vegetior fiat, & robuſtior.* Vegetior fiet, ſi ſuperiores ſecueris: ſi enim inferiores ferias, deorſum trahis, vt ſimul concurrat, & fœtum expellat. Othæi auctoritas iubentis ſecare in grauidis venas in talo, non tanta eſt, vt nos ad imitationem cogat; & quamuis tanti valeret, tamen ſub finem ita nos anxios reddit ipſe, vt meritò ab incœpto deterreamur: tam cautè, & maturè dicit hoc præſidium eſſe celebrandum.

Septimò ſic ratiocinaris. *Vt videas quòd nullo pacto ſanguinis miſſio ex talo in grauidis obeſſe poteſt, argumẽto eſt, quòd obſeruatum eſt malas quaſdam fœminas, vt celarẽt vteri geſtationem, bis, ter, immò pluries ſanguinis miſſionem ex talo procuraſſe citra abortum.* Quid tum, quaſdam hoc factitaſſe? an propterea nos tutò ſemper in talo grauidas tundemus? inefficax ſanè argumentũ, ab inductione omnimodè imperfecta depromptum. Seca in centum prægnãtibus, copiosè ſatis educendo, talum, vix quinque non abortient. Atque hæc omnibus monſtra ſunt, miracula ſunt. Quòd ſi hoc egerint, vt peccatum ſuum celarent, tamen iuſto Dei ſupplicio non conſequuntur intentum; rara non ſunt artis.

Octauò ſic arguis. *Quotidiano experimento compertum eſt, grauidas plenitudinis morbis vexatas, ſanguinis fluore per nares & hæmorrhoïdas citra fœtus periculum fuiſſe liberatas.* Per nares ſæpiſſimè, & cõmodiſſimè, & tutiſſimè; nã venæ ſuperiores ſunt: per hemorrhoïdas rariſſimè. Neque ſẽper, & vbique, & in omnibus eſt nobis imitãda natura. Habet ea ſapientiſſima Hera ſecretiores receſſus, profundiora adyta, & occultiores impetus, quam vt nos aſſequi valeamus. Eò ruit quandoque in ſalutem ægri, quò ſi vi morbi, aut remedij trahatur, certa laboranti impendet nex: nos tunc ſolùm ipſam ducemus, quum aliquo piã eam vergere videbimus. Atqui in veſtris allegatis caſibus non vergit deorſum natura, immò ſi vergeret, ipſam retraheremus. Quorſum igitur infernæ ſecandæ venæ? Porrò de hæmorrhoïdibus hoc accipe. Cùm eæ duplices ſint, externæ, & internæ; per haſce expurgari grauidas tutò etiã poſſe exiſtimo, eo quòd à ramo meſenterico, atque adeò à vena portæ ſuam ducant originem, cùm qua vterus nullam habet communionem, vtpote qui à venæ cauæ ſurculis nutriatur: non tutò autem ſecatur vena tali, quia ex caua educis ſanguinem, adeóque ipſum vterum euacuas.

Nonò ita concludis. *Si ergo grauida acutiſſimo morbo laboret, & ſit in vltimis menſibus, nullum aliud poteſt ſalubrius excogitari auxilium tali ſectione.* Ex quibus præmiſſis hanc elicis conſequentiam? ex antepoſito auctorum agmine? enimverò nullus ex congeſta illic à te Scriptorum caterua, tali in grauidis ſectionem ſomniat, nedum in actum deducit. Vide ergo bellam ſequelam: Omnes præfati auctores quandoque in grauidis ſectionem venæ comprobant: ergo nihil in grauidis ſalubrius, quàm ſectio tali. Sanè omnes illi prolati Neoterici nihil tibi fauent. Quis enim in praxi medica vel mediocriter verſatus, in prægnantibus interdum vtiliter ſanguinem mitti reclamet? ſectio venæ in vtero gerentibus iam inde à temporibus Celſi deſiit reformidari; at venæ, per Deum immortalem, ſuperioris; niſi ipſo præſente, aut inſtante partus legitimo tempore, vt antè notaui.

Decimò ex Hipp. auctoritate ſic inſurgis. *In primis menſibus grauidæ menſtruas habent purgationes citra abortus diſcrimen, docente ſic Hipp.* Tantùm abeſt, vt hoc nos doceat Hipp. vt potiùs contrarium ex ipſo eliciatur. Inquit enim *l. 5. Aph. text. 60. Si menſtruæ purgationes prægnanti eant, impoſſibile eſt fœtum eſſe ſanum.* Iam verò ad debilem fœtum quid magis conſectarium, quàm abortus? vt optimè indicauit Aphoriſmorum optimus commentator Hollerius *in com.* Id ipſum Auic. inculcat. 1 3. 3. *tract. 2. cap. 10. Quando menſtrua, inquit, fluunt, timetur in eis quòd abortum faciant.* Nolo hîc innumeros alios idem repetentes conuocare, ne chartam auctoribus citandis infarcire videar. Solenander, quem adducis, duas ſolùm aduertit, earúmque exempla inter rariſſimarum ſuarum obſeruationum numerum retulit. Indéne effatum vniuerſale eruemus? rara artis limitibus non circumſcribuntur.

A Vndecimò ſic colligis. *Si Hipp. 4. lib. aph. 1. turgente materia cathartica grauidis propinanda iubet, cur nos non imperabimus venæ ſectionem ex talo, cùm ſanguinis miſſio tutius auxilium ſit purgatione ipſa, ac naturam minùs præcipitet?* Quo tempore id iubeat Hipp. cùm reticeas, patefaciam ego. *Quadrimeſtres* (inquit) *purgabis ad ſeptimum vſque menſem: à minore, aut grandiore fœtu abſtinebis.* Vbi omnes commentatores: In prioribus, & poſterioribus menſibus purgare religio ſit. Quid igitur hic pro te Hipp. Si in vltimis menſibus abſtinendum à pharmacis, vtique potiori iure cauendum à ſectione tali. Equidem ita ſentio, cæterorum omnium paritate ſeruata, multò promptiùs ſectionem tali abortum ciere, quàm propinatum catharticum: hoc enim cùm prauos educat humores, fœtum ſuo non defraudat genio. Neque citatus à te Valleſius ad-
B uerſatur mihi; ipſe enim cum medicamento comparat venæ ſectionem in brachio, quàm ſecuriùs eſſe auxilium medicamenti exhibitione, planè aſſentior. Quid hoc ad noſtram rem?

Magis demiror, quòd Matthæum Gradium in tuam ſententiã coneris detorquere, quũ verbis conceptis phlebotomiam in grauidis ſe non laudare aſſerat, eò quòd ſit prouocatiua abortus, *niſi*, inquit *in tempore proximo partui.* Quod tempus tu ad latitudinem trium menſium extendis, præter, & contra auctoris mentem, qui cum ſuo Hipp. inſtantem mox partum intelligit, tunc enim eiuſmodi iuuabit ſectio, quippe quæ & curabit affectum, & tempeſtiuè educet fœtum. Eodem modo audiendus alter auctor Magninus, mihíne de nomine quidem antehac notus.

De Rondeletio quod ais, ipſum applicare in grauidis cucurbitulas in inguinibus, *cap. de epilepſia grauidarum,*
C quanquam ipſas infirmius remedium eſſe rear, quàm vt abortum cauſent, maximè in robuſtioribus: attamen mihi locum allegatum attentiùs perpendenti, hoc tandem viſum eſt. Vltimum illud peſſarium, & cucurbitulas præſcriptas pertinere ad caput præcedens, quod inſcribitur, curatio epilepſiæ ab affectibus vteri, quòd me moueat, eſt hoc, quia in huius capitis fine iubet ſemen corruptum, & ſecundinas eiici, nec tamen ad hoc præſcribit remedium; atqui ad id ipſum præſtandum efficax eſt, quod in ſequenti (quod tu citas) legitur capite, peſſarium, in illo ſanè modo grauidis adhibendum, vtpote certiſſimè & occidens, & deturbans fœtum. Præterea in priori capite non meminit cucurbitularum, quibus tamen in caſu ſibi propoſito nihil ſalubrius. Cæterùm hic error facilè admitti potuit, quum ipſius opera fruſtillatim à diſci-
D pulis conſcripta, edita ſint. Itaque Rondeletius nequidquam pro te.

Duodecimò ſic argumentaris. *Nónne in vtero gerentibus bubone peſtifero in inguine correptis, è talo mittendus eſt ſanguis?* Cordato, ac religioſo Medico nefas eſt illud agere, ob quod magni mali magnum timetur periculum. Itaque non dubito, quin quilibet Hippoc. doctrina nutritus tali ſectionem in eo caſu abhorrebit, & ſolis validioribus epiſpaſticis auxiliis rem aggreditur. Ad vapores peſtiferos euocandos tot ad manum ſunt antidota. Nolim itaque prægnantem tanto exponi periculo, cum quo fortè ſolùm curari poſſit, quandoquidem ſine illo non minùs fortè reſtitueretur.

Decimotertiò ſic diſſertas. *Nónne iiſdem bubone Gallico in inguine afflictis, è ſaphena mittendus eſt ſanguis?*
E Dicam quod à Profeſſoribus meis, maximis, Italiæ practicis ſuxi, in qua regione cùm plurimi ſint eo tabo ſordidi, maximam quoque habent eius amoliendi exercitationem. Statuunt illi in bubone Gallico, quoad totius procurationem, neque venam ſecandam, neque purgans adhibendum, neque diætam ordinandam, ſed ſinendos eſſe patientes vti conſueto victu. Id Aquapendens retulit in commentariis ſuis *lib. 1. de tumorib. præter nat. cap.* 24. Igitur ſi in iis à venæ ſectione abſtinendum, in quibus tutiſſimè ſecari aliàs poſſet, quanto ampliùs in grauidis ab opere iſto ſuperſedebimus?

Itaque nulla tua ratio tam efficax, nullum tam adigens argumentum, nulla tam firma, inducénſque auctoritas,

quæ

quæ nos ad periculoſam adeò vrgerent operationem, nedum impellerent. Porrò vnus reſtat prægnantis affectus, in quo an talus diuidi debeat, multi, & iure merito dubitabunt, qui quoniam à te adductus non fuit, efferam illam ego, quò nihil in hac diſquiſitione ſit prætermiſſum. Oborta ſit phlegmone in vtero grauidæ. Quid tunc? an ad ſaphænam confugiendum? Galenus profectò pluribus locis nos docet, affecto vtero ſemper inferiores partes ſecandas eſſe. Nihilominus ſi hunc caſum ſibi præfixiſſet, non dubito, quin Hippocraticæ doctrinæ fidus expoſitor inferiores deſeruiſſet, quod Paulus *lib.3.cap.64.* & Aëtius *lib.16.cap.83.* in hoc caſu in non grauida iubent, ſed in grauida,non eſt cur eam attentemus.

Hæc erant, verſatiſſime Zacute, quæ in tuam ſententiam mihi dicenda occurrebant, in quibus ſi quid vrbaniuſculè luſum eſt,da hoc æſtui,& Enthuſiaſmo literario. Teſtor nobis communem Apollinem, non clariſſimum tuum nomen mea craſſiuſcula Minerua obſcurandi ſtudio hæc ſum commentatus,ſed ſolo ſcientiæ amore impulſus, quo omnes docti p.uriunt,vt non fucata veritatis agnoſcatur integritas. Vale.

Clariſſimo D. Doctori Fortunato Plempio, Louanienſis medicæ Scholæ Profeſſori eminentiſſimo, Zacutus Luſitanus, Medicus S.P.D.

Epiſtolam tuam, ſcientiſſimè Plempi, ſumma refertam eruditione potiùs deuoraui, quàm legi. Ea neſcio pluſne mihi voluptatis, an doloris attulerit: nam & gaudiis mirificè ſum res eas, quibus hominum ſalus, vitáque continetur à te eſſe agitatas, quem quidem ego ſemper ingenij, diſciplinarúmque merito plurimi fecerim,& maximè poſtquam à te in lucem eſt emiſſus liber de Ophthalmographia, in quo ingenuè, doctè, acutè, & vt grauem Medicum, & philoſophum decet, de oculi fabrica, etſi contra receptiſſimam Peripateticam doctrinam diceptaſti. Indolui rurſus,quòd meam ſententiam circa ſectionem tali in grauidis, non fueris amplexus: etſi enim ego in hoc argumento primus laborioſè inſudarim,tamen erudiuit me,diuturnum experimentum per tot annorum curricula, in quibus in ampliſſimis Europæ ciuitatibus actuoſam medicinam exercens, plurimas (teſtis mihi eſt Deus, quòd non mentior) truculentis dictis affectibus ab vtero ortis miſerrimè concuſſas, facta,immò repetita in vltimis menſibus ſaphænæ ſectione, ab orci faucibus liberaui.

At modò parùm abfuit, quin tuis validis argumentis quaſi proſtratus manus dederim,iiſque ac pedibus in tuã venerim ſententiam, palinodiam recantans, ac meam firmatam ſententiam, fido, proferóque euentu ſtabilitam deſerens, niſi me deterreret veneranda Magiſtri antiquitas, & ad hæc vſque ſæcula quaſi per manus tradita ſententia,*in lib.6.epid.ſect.2.com.25.* monentis, vt non temerè, nec Hipp.dictis fidem adhibeamus,ſed priùs verúmne ſit,an falſum obſeruemus: nam qui ſe vnius auctoris doctrinæ veluti ſeruos, aut libertinos addixerunt, ſimulatque ab eo ſcriptum aliquod inuenerunt, inconſideratè, ac temerè credunt. Nam *incredibile eſt quòd probatione caret*,ex Gal.*lib.1.epid.ſect.1.com.19.*& *maiorem fidem accipiunt quæ comprobàtur*,ex Galen.*lib.1.epid.ſect.1.in præfatione.* Tuas ergo argutulas rationes, licèt alta mente perpendam, eas non conuincere mihi perſuadeo;quo pacto illis, eo ordine quo propoſuiſti, ſigillatim ſatisfaciam.

In prima ergo obiectione ſuppoſuis, me in ſuffocante apoplexia, acutiſſima epilepſia ab vtero ortis, immò truculentiſſima vteri ſuffocatione,ſanguinem è talo emittendum, ſemper maſſæ ſanguineæ in corpore muliebri (ſic enim loqueris plethoram ſupponere, quum contrarium expreſſerim ſemper, dixerímque nihil obſtare,quominùs aura quædam venenoſa, ab vtero ex ſanguine menſtruo eleuata, cerebróque infenſa, hos affectus committere

A poſſit, (nullo de apparatu morboſo, in genere venoſo, facta commemoratione) quam per ſuperiorum venarum ſectionem tolli non poſſe, quum malum ab vtero ſcaturiat, foueatur & inceſſanter vexet, dubitat nemo. Quum enim plenitudo particularis vterum infeſtet, à quo tanquam à prima radice epilepſia emanat, quis vel in medicinæ principiis leuiter initiatus, ſanguinem ſecta gibberi vena, nulla adſtante vniuerſali plenitudine ſurſum reuellet,& auocabit? Si enim hoc auxilium celebretur in cubito,attracto ad ſuperas partes ſanguine,malóque duplicato, & ſucceſſionibus crebrioribus, & ſæuioribus infeſtantibus,aut ex epilepſia fiet apoplexia,aut ex hac,mors ſubita eueniet, prout ſæpe mihi repugnantibus Medicis contingere notaui. Contra plures vixere, quibus tempeſtiuè,& intrepidè ſecta eſt vena poplitis interna, hæmorrhoïdes hirudinibus apertæ, & non ita liberalibus viri-
B bus exiſtentibus,crurum ſcarificationes celebratæ.

Poſſe autem inferioribus venis ſectis particularem vteri plenitudinem exhauriri, fatentur omnes: nam vteri venas grandiſſimas habent, ex Gal. *6. epid. ſect. 1. com. 2.* immò vniuerſalem deponi, probat Galenus *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap. 18. §. Plenitudines omnes ex ſuppreſſis menſibus ortas omnino per crura vacuabis, &c.* Ab hirudinibus hæmorrhoïdalibus venis admotis idem beneficium præſtari poſſe, conſtanter monet Auic.*4.1.cap.21.§. Extractio ſanguinis quæ fit cum ſanguiſugis,profundior eſt extractione quæ fit cum ventoſis.* Quòd autem crurum ſcarificatio, ſi vires ſint debiles, plenitudinem minuat, conſtat ex Gal. *2. aph. 17. §. At verò quæ fit per tibiarum ſcarificationem, proxima eſt venæ ſe-
C ctioni, &c.* Et *lib. 2. ad Glauc. cap. 7.* quo profundas ſcarificationes,aut ſaltem mediocres plenitudinem leuare inculcat.

Quamuis autem, vt ingenuè inſtas, qualibet vena ſecta totum corpus exhauriatur, ex Gal. *2.acut. com. 11.* tamen cùm ingens plethora fœminam diuexat, citiùs, tutiùs, & ſecuriùs hæc, ſuperioribus diſſectis venis tollitur, quàm inferioribus, ex quarum ſectione imminet abortus. Hoc verum eſt,ſi eam in toto adeſſe ſupponeremus; & licèt ita eſſet, præſtaret ad originem fluxionis reuellere, quàm ſpreta ex inferna parte phlebotomia, in ſæuiora damna ægram deduci. Oportet ergo ab vtero reuellere, & vacuare, qui horum malorum fons eſt & ſcaturigo.

Neque timeas abortum: nam præterquam quòd detracta copia fœtus reuiuiſcit, ex exhauſto humore, quo
D non indiget, alacrior fit, & vegetior, & etiamſi contingat abortus, ſatius eſt fœtum,quàm hunc,& matrem vnà certò perire. Neque enim Dictator ſummus grauidam quauis vena ſecta abortire pronuntiat certiſſimè, ſed cautos nos reddit, ne intempeſtiuè, & ſolùm maxima vrgente neceſſitate ſanguinem emittamus: nam alioqui mendacij eſſet arguendus Senex *5.aph.30.& 31.* grauidis mortem ex acuto morbo, & ex venæ ſectione præſagiens, cum ſæpiſſimè ab acuto morbo ipſis citra mortem liberari, & phlebotomia celebrari cum vtilitate contingat. Eſt ergo harum propoſitionum ſenſus, vt ab vteri geſtatione maxima ſumatur indicatio, ad prohibendam venæ ſectionem, & vt ſit grauidis morbus acutus magna ex parte lethalis: nam veritatis Hippocraticæ perpetuitatem non notant, ſed frequentiam, vt perbel-
E lè docuit Hipp.*2.aph.43.& 6. aph. 58.* Ergo grauida non ſemper vena ſecta facit abortum, vt Galenus *hiſtoria hac* ſatis confirmat.

Ad ſecundam obiectionem,Petrus Salius,tuo,& peritiſſimorum calculo doctiſſimus (Æſculapius ipſe meus) loco à te citato, in apoplexia poſt partum, ſiue lochia rectè procedant, ſiue non, cubiti venam ſecari;quod præceptum commendant Fernelius *lib.2.meth.cap. 8.* Valleriola *5.obſ.10.* Rodericus à Caſtro *lib.4.de morb. mulier. cap.16.* Mercatus *lib.4.de puerper. affectib. cap. 11.* Moxius *lib. 1. de morb. mulier. cap. 36.* éſtne igitur ob hæc confirmanda contra me argumentatio tua? minimè quidem, nam hi de apoplexia facta, confirmata, perpetuò affligente; in qua tota cerebri cauitas obſtructa eſt, ſunt intelli-
gendi,

gendi; in qua è talo ſanguinem mittere, ob certũ ex dilatatione periculum, nefas eſt, cùm è brachij, immò naſi, frótiſque venulis, & ex aliqua viciniori parte, vt ſyncipite, occipite, temporibus affixis cucurbitulis, aut hirudinibus, citra moram ſanguis ſit extrahendus, nulla de vtero conſideratione facta. Nos autem de periodica apoplexia; per interualla repetéte verba facimus, quæ à ſanguine ab vtero aſcendente ad cerebrum periodicè ortum ducit. Neque tibi durũ, aut impoſſibile videatur concedere apoplexiam periodicam, quum hæc vel ſubitò interficiat, vel in paralyſim finiatur, nam eam concedit Auic. 1. 3. *tract.* 5. *c.* 12. §. *Verùm apoplexiæ periodicæ cum acceptione medicinarũ calidarum, eſt feſtinatio faciens humores tardos velociter moueri: periodorum autem apoplexiæ iam dixmus, &c.* Hac ratione Gal. *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. c.* 7. Sanguinis miſſione præſeruat eos, qui promptè in apoplexiam incurrũt. B Et *lib.* 6. *aph. com.* 47. Apoplexiam facit diuturnã affectionem. Lege Auic interpretes *loco cit.* Gentilem ſcilicet, & Iacobum de partibus, qui hunc locum eleganter explanant.

Ad tertiam. Nulli eſt non manifeſtum, immò in dictis te eſſe implicitum quiſpiam fatebitur, dum in toto corpore ſanguinis copiam facis epilepſiæ occaſionem, ſi ab vtero contingere ſupponimus, & in genere venoſo in noſtra hypotheſi abundantiam ſanguinis non reperiri, ex mea ſerie dilucidè patet. Ex tot auctorum ſtrue apoplexiam ſanguinem aſſerentium, de quorum numero ſunt Salius *cit. loc.* Iacchinus 9. *ad Almanſ.* Mercatus 1. *de morb. intern.* 13. Carrerius *diſp.* 8. *ad libros de locis affectis, cap.* 3. Fernel. *lib.* 2. *de abdit.* 13. & alij, nullum vterinæ apoplexiæ meminiſſe pro certo ſupponis. Vide quid dicas: nam contra te C habeo argumentum firmum, quod eſt huiſmodi. Apoplexia ſideratio dicitur ab Aëtio, *tetrab.* 2. *ſerm.* 2. *cap.* 29. ob multas cauſas, ſed ex menſtruis retentis, & ab vtero ſideratio gignitur, eodem auctore *tetrab.* 4. *ſerm.* 2. *cap.* 52. ergo apoplexia ab vtero oriri poteſt. Rurſus. Si à flatibus, nebuloſóque ſpiritu concitatur, qui motu errabundo in cerebrum ſublatus, venas, & arterias carotidas, plerúmque retiformem intercipit, teſte Douyneto *lib.* 3. *Apolog. cap.* 1. & ſic ex carbonum fumo originem ducit, vt non minùs eleganter, quàm doctè ex iuniorũ decretis ſcribit Marcellus Donatus *lib.* 2. *de hiſtor. mirabili, c.* 6. cur à ſanguine melancholico in vtero impacto, & in cerebrum elato non gignetur? Quare ſi nõ ita clarè de apoplexia hyſterica meminerunt auctores, in cauſa fuit, quoniam ea quæ nota ſunt, & omnibus patent, prætermittenda, vt probat Galenus *lib.* 2. *de dif. reſpirat. cap.* 7. *&* *lib.* 6. *epid. ſect.* 2. *com.* 40. D *&* 4. *acut. com.* 72. Frequens autem eſt ex retentis menſtruis, ſicut alios plurimos cerebri lethales affectus, vt Epilepſiam (de cuius cauſis, & curatione præter Gynæciorum auctores, ſolidè eligit, & doctè Didacus Moranus Medicus peritiſſimus *in Apologia* 3. *de epilepſia hyſterica*) ſic apoplexiam oriri, vt latè confirmat Galenus *lib. de venæ ſect. aduerſus Eraſiſtratum, cap.* 5. & eam aliquando infeſtare vtero gerẽtes proprio exemplo notauit interpres Hollerij *ad cap.* 6. *lib.* 2. *de morbis internis.* Quando ergo hæc euenerit, ſecta vena in malleolo, recurrendo ad originem, nempe vterum, erit perſananda; quia à ſanguine in vtero retento, & ad cerebrum, cum quo maximè conſentit, eleuato, originem ducit.

Ad quartam. Grauidas acutiſſimis licèt morbis implicitas, parcè & moderatè per ſectionem venæ eſſe va- E cuandas docuere omnes, qui facundiſſimam illam, germanámque medendi methodum, ex limpidiſſimis Galeni fontibus exhauſtam combibere ſolent. Quæris cauſam? hanc tibi protulit Celſus *lib.* 2. *cap.* 40. §. *Mulieri quoque prægnanti poſt curationem viribus opus eſt, non tantùm ad ſe, ſed etiam ad partum ſuſtinendum, &c.* maximè cùm vtero gerens habeat auxilium internum, nempe fœtum, qui abſumendò ſanguinem, etiam euacuat. Quare rectiſſimè Galenus notauit *lib.* 1. *de ven. ſect. aduerſus Eraſiſt. cap.* 5. *fœturam eſſe ſpeciem euacuationis.* Si ergo epilepſia grauidam corripiat, intentio Medici non eſt, humorem ex cerebro reuellere, & euacuare, ſed ab vtero, à quo eleuatur aura, quæ lancinans, & feriens neruos, cere-

A brúmque concutiens, epilepſiam concitat, quam ſympathicam Medici vocare conſueuerunt, in qua cerebrum non laborat per primariam affectionem, ſed per conſenſum. In hoc ergo difficili Euripo ſi verſetur Medicus, fruſtra ad cubiti venas recurret, quum iis ſectis nulla ſequatur vtilitas, immò ex ſuperioribus partibus celebrata phlebotomia citra morbi leuamen vires deiicit. Ergo nihil refert, ſi è cerebro nec guttulam ſanguinis exhauriamus; cùm pars mandans vterus ſit, à quo teter hic vapor eleuatur, epilepſiam paraturus.

Ad quintam. In vltimis tribus menſibus, in quibus debet è talo exerceri phlebotomia, fieri partus ferè vitales, res eſt apud omnes Medicos confirmata: nam partus eſt perfecti fœtus in vtero editio, ſiue vitalis exeat, ſiue non; adeò vt quocunque menſe, die, ac hora, exeat fœtus per- B fectus, ea editio verè & propriè partus dici poſſit. Sed cùm ad eam perfectionem non ſolùm requiratur partium dearticulatio (hoc enim modo quadrimeſtris editio, partus vocaretur) ſed etiam earundem robur, & corpulentia, quam cùm ante ſeptimum menſem non aſſequatur puellus, nullam ante hunc menſem fœtus excluſionem, partum appellare licet; quæ omnia nî tædioſus eſſem, ex ſenis ſcripto *lib. de natur. pueri* comprobare poſſem. Vides, vt omnis infantis emiſſio in his tribus poſtremis menſibus ſit naturalis; quoniam eſt facta in tempore à natura determinato, & ſic omnis in hoc tempore fœtus excluſio, partus, & non abortus, aut effluxus dici debet: nam ſeptimeſtres partus vitales ſunt, vt inter omnes probat Laurentius *lib. de re anatomic. quæſt.* 19. & priùs prædixit Hippocr. *lib. de ſeptimeſtri partu.* Oportet ergo minuere è talo, vt fœtus vegetior fiat: neque timeas humoris C præcipitium, quum in noſtra hypotheſi in toto non adſit plenitudo.

Ad ſextam. Si claſſicorum experimento ſtandum eſt, vt certè fieri debet, quia iudicium Medici docti magni faciendum eſt, quum ſit dignum conſideratione, ex Gal. 1. *epid. ſect.* 3. *com.* 1. explicat Valleſius *in com.* Ipſe Othæi, viri doctiſſimi ſententiam ſicco pede pertranſis, vel inexplicatam relinquis, qui expreſsè in grauidis venæ ſectionem ex talo adminiſtrat. Et ſi huic, nec mihi fidem adhibes, qui ſępè cum vtilitate maxima in his diris morbis grauidarum, è talo venam ſecuimus, lege Schenkium *lib.* 1. *obſeruat. tit. de epilepſia grauidarum*, quo loco in hanc rem mirabiles hiſtorias expertiſſimis auctoribus inuenies decerptas, quibus lectis animus tuus huius ſectionis timore perculſus conquieſcet. Si verò Othæus cautè, & D maturè in hac parte phlebotomiam celebrare iubeat, ea eſt cauſa, quia in poſtremis menſibus vires ſunt debiles, & fœtus ſenior maiori indiget alimento; quare ſumma cum præmeditatione, & vrgente neceſſitate ſanguis debet emitti.

Ad ſeptimam. Ab his quæ ſæpè ſine damno fiunt, ſummi aliquando auxilij indicationem, res eſt apud proceres medicæ certiſſima, redditque Medicos in celebrandis auxiliis audaciores: quum enim plurimæ ſint, in quibus, vt celarent vteri geſtationem, hoc præſidium ſæpiùs ex talo repetitum, abortum non concitauerit, & aliæ non fecerint abortum, in quibus ex naribus, & vel ex ipſo vtero larga ſequuta eſt hæmorrhagia, quia fœtus non tantam ſanguinis copiam conterere potuit, fit vt alacriori animo, imitando naturam, ad tali ſectionem accedamus. Non nego E artis opera à naturalibus differre, ob multas cauſas; attamen ipſam rectè operantem nos debere imitari, priſci vnanimiter docuere.

Ad octauam. Plurimæ, emanante copioſo ſanguine per hæmorrhoïdas in quinto, ſexto, & vltimis menſibus, à ſæuis euaſere morbis. Ergo cùm hi recurrerint; impoſitis ſuper internas hæmorrhoïdas hirudinibus, ipſas ab illis vendicabimus: non (vt aſſeris) quoniam extrahitur illarum ope ſanguis, per ramum meſentericum, & venam portæ, quia hæ venæ à vena caua originem ducunt, vt latè probat Altomarius *lib.* 1. *de curand. human. corp. affect. cap.* 76. Et licèt rami meſenterici diſtributio internas pariat hæmorrhoïdas, cùm illæ in deſcendentis venæ cauæ ramum, qui vterum etiam perreptat, infinitos propemodum

ſurculos

ſurculos ex ſe promat, fit vt ab vtero, cùm quo habet ramus meſentericus communionem, etiam euacuet, vt notauit Andreas Laurentius *lib. 7. de re anatomic. quæſt.* 11. Quare robuſtæ copioſo fluxu per hæmorrhoïdes, vel etiam in vltimis menſibus, à periculoſus morbis liberantur.

Ad nonam. Affers exemplum de ſectione cubiti in grauidis celebranda, de qua nullus hæſitauit vnquam, & de ea non eſt dubitatio noſtra. Negas auctores ex talo celebraſſe: iam citaui Othæum, & Schenkium, qui ex ſua, & aliorum mente id confirmant.

Ad decimam. In primis menſibus grauidæ menſtruas habent purgationes citra abortus periculum, firmæ, & robuſtæ: nam ſi debilibus purgationes eant, impoſſibile eſt fœtum eſſe ſanum: ſunt enim plurimæ ita ſucculentæ, & gignendi ſanguinis feraces, vt à primis menſibus ad vltimos, ſanguinis excretionem per vterum patiantur citra damnum vllum; alioqui timor eſt ne ſuffocetur fœtus: in iis, ſi vrgentibus dictis morbis, & aliis, quibus venæ turgent cocto ſanguine plenæ, ſanguinem ex talo non emittas, ſymptomatum ſæuitie preſſæ occumbunt. Solenander id confirmat, duáſque ſolùm aduertit, & licèt inter raras obſeruationes connumeret, id verum eſt: nam rarò accidit etiam vt gignantur hi morbi truculenti, pro quorum medela venæ ſectio è talo adminiſtrari debeat.

Ad vndecimam. Hip. turgente materia, à quarto menſe vſque ad ſeptimum, purgationem conceſſiſſe nôrunt omnes: ſed hic auctor de cura ordinaria, & humore turgente intelligendus eſt, nec renuit in Aphoriſmo, vt in extremis morbis, in vltimis menſibus purgationem neceſſitate cogente concedamus. Quare ſi omnes auctores in morbi præſentis anguſtia, in vltimis menſibus purgationem conſulunt, cur ex talo phlebotomia interdicetur, quæ minùs perturbat, & exagitat?

Ad iuniores accedamus, quorum voto ſtare promittis, & licèt eorum mentem in tuam opinionem ad libitum detorqueas, non tamen effugies. Quare ſi per tempus proximum partui, iam inſtantem intelligis, tunc contrà. Si in tempore viciniore partui, in quo fœtus maiori & copioſiori indiget alimento, ſanguis è talo, ex Matthæi de Gradi ſe ntentia, (quam tu in hoc ſenſu approbas) eſt emittendus, cur in cæteris, ex hac parte celebrata phlebotomia impedietur, cùm fœtus minor ſit, & non ita copioſo indigeat alimento? Si inſuper reluctêris, hunc auctorem ad prouocandum difficilem partum è talo vacuaſſe, non rectè ſoluis: nam ille loquitur de vteri pruritu, & ſic ad euacuandam cauſam coniunctam è ſaphæna minuit. Magninum ſiles: qui auctor floruit Conciliatoris tempore, qui *lib. 2. de regimine prægnantiũ*, ſic habet: *Ampliùs euitare debes phlebotomiam, ſpecialiter de ſaphænis, niſi in caſu magnæ neceſſitatis, &c.* hoc eſt, quando vehemens morbus ab vtero ortus, ad celebrandum hoc auxilium nos compulerit.

Inſuper non bene te extricas ab argumento ſtrenuo Rondeletij, imponentis cucurbitulas in inguinibus, *cap. de epilepſia grauidarum.* Licèt enim infirmius ſit remedium phlebotomia ipſa; tamẽ auctor conatur ſolùm ad originem fluxionis, nempe vterum reuellere, audaces nos faciens, vt non ſolùm hoc, ſed aliis potentioribus vtamur auxiliis in partibus inferis, & vel phlebotomia ipſa quando malum non ſuccumbat. Neque cucurbitulæ pertinent ad caput præcedens; in quo agit auctor de Epilepſia ab affectibus vteri.

Ad duodecimam. Licet cordato, & religioſo Medico, ad euocandum venenum ad partes infernas, ad quas natura detrudere conatur, ſanguinem è talo emittere, quando bubo peſtifer & lethalis in inguine eſt: ita ſentiunt illi, quos citaui, qui in curanda peſtilentia primas tenent. Quamuis autem ad vapores peſtiferos euacuandos plura ſint auxilia, ſunt minùs efficacia minutione ipſa, quando vapor venenatus à copioſo ſanguine in vaſis maximis contento eleuatur, & cor premens, ipſum proſternit, ſpiritúſque reſoluit, & extinguit. Ergo in peſte cum charactere veneni ſanguis eſt emittendus, quando à plenitudine, & putredine, & non ſolùm à maligna, & venenata qualitate ortum ducit, vt notat Manardus *lib. 5. epiſt. 3.* edoctus ab Auenzoare *l. 3. Theizir, tract. 3. c. 1.* & Gal. *lib. de ſcarificat. c. 4.* qui ſibi ipſi peſtilentia affecto, & plenitudine correpto ſanguinem emiſit ex crure, cum vtilitate multa, & omnes qui hoc auxilio vſi ſunt, eodem morbo tentati, euaſere. Vtrùm autem apparente bubone peſtifero ſit ſecanda vena, & num ſanguinis miſſione recurrat humor ad intimas ſedes, diſſerui *lib. 3. de praxi admir. obſ.* 123.

Ad decimam tertiam. In bubone Gallico mittendum eſſe ſanguinem certius eſt, quàm vt probari ſit opus. Obſtrepant licèt Fallop. & Aquapendens: nam vt ait Galen. *lib. 2. de vſu part. c. 5. quando vnus diſcordat, & plures conſentiunt, rationabilius eſt exiſtimare vnum potiùs deerrare, quàm omnes alios.* Nam è talo venam ſecant in hoc tumore Fernelius *lib. 2. meth. cap. 7.* Ludouic. Mercat. 1. *indicat.* 4. Valleſius *lib. 5. epid. in com. ſent. 7.* Vergeſacus *lib. 1. Enchirid. cap. 50. de bubone venereo.* Putáſne hoc auxilio tumorem ad interiores ſedes poſſe recurrere? abſit hoc à mente tua: detracta copia natura potentiùs excernit ad extrà, & virulentum humorem ad infimas, minúſque præcipuas detrudit corporis partes.

Quod verò de vteri inflammatione in grauidis affers exemplum, extra noſtrum inſtitutum eſt: nam hic morbus ab vtero non emanat, ſed ex ſanguine à toto in vterum confluente, & inflammante ſcaturit. Quare ſi eueniat in vtero gerente, baſilica tundenda: nam hanc inflammationem comitatur febris ardentiſſima, ex humore feruido in vaſis ebulliente pronata, cui cubiti vena ſecta mirificè ſuccurrit. Si verò vtero affecto venam tali tundendam alibi docet Gal. id facit, prout maior, vel minor eſt in toto corpore, vel vtero plenitudo. Explicant perdoctè Mercur. *lib. 4. de morb. mulier. c.* 18. Mercat. Altimar. Holler. Heurn. *prop. cap. de vteri inflammat.*

Hæc ſunt (vir eruditiſſimè) quæ pro veritatis tutela habui dicenda, quæ ſi tibi placuerint, gaudebo nimis: ſin minùs, tu venis accuſandus qui periiſti, non ego qui tibi ſcientiſſimo obtemperaui, ardentibus tui ingenij radiis hæc minutula opponens. Expecto tamen quid ad hæc noſtra qualiacunque reſpondeas: nam ſi omni ſepoſito affectu, non tanquam tui patronus, ſed potiùs meæ ſententiæ iudex, hanc penſites, eam facilè approbaturum ſpero.

EPISTOLA.

Nicolai Fontani Medici, Ioan. Filij, Zacuto Luſitano Medico incomparabili.

SCripta tua, Zacute Clariſſime, quibus Medicorum ignorantiam redarguis, docéſque iuniores, quanta in caligine verſentur, quòd in ſæuiſſimis affectibus ab vtero ortis, in grauidis è talo ſanguinem non fundant, attenta mentis acie dum contemplor, ingenium tuum demiror, vt qui in re noua tantos conuocaueris patronos, quorum votum amplectendum eſt. maximè cùm hæc methodus à te, diutino (vt ais) exp erimento ſit firmata, qui aleæ Galenicæ es Dux, & Primipilus, ob quas arduas quæſtiones ſpero, vt tibi immortalem gloriam parias, & omnibus verè hactenus mortalibus ægris, vitam, ſalutémque concilies. Sed ſicut tua opera mihi ariſere ſemper, in hac quæſtione, vt liberè agam, & amicè, longè à te diſſentio, nec enim verebor contrariæ ſententiæ patrocinium ſuſcipere audacter, quando aduerſus te, hoc eſt eminentiſſimum Medicum, cui nihil veritate ipſa debeat eſſe antiquius, diſſero. Quare ſic primò inſurgo.

Si in vtero gerentibus, apoplexia grauiſſima, epilepſia ſæua, truculenta vteri ſtrangulatione correptis, phlebotomia eſt celebranda, debet eſſe ex parte magis tuta, & ex vena, qua ſecta vires minùs exhauriuntur. Sed phlebotomia ex brachio habet has commoditates. Ergo cubiti vena ferienda ſemper. Maior eſt Gal. 2. *acut. com.* 11. Minorem probat Auic. 4. 1. c. 20. §. *Et ſcias quòd venæ ſectio tali plus debilitat quàm baſilica, &c.*

Secundò. Ex illa parte debet fieri ſanguinis miſſio, ex qua non poteſt timeri abortus. Sed ex ſaphenæ ſectione ſequitur periculum abortus. Ergo. Maior patet ex Hip. 6.

*aph.*31.mirror probatur, quia ſectio ex parte inferiori celebrata, concurrente affatim ſanguine ad infernas ſedes, & vterum ſubitò occupante, hic fœtum ſuffocat; accedit balneum, frictio, vinculum, quorum ope venæ ſectio celebratur, quæ fœtum præcipitant, & naturam irritant ad excernendum natura ſuapte.

Tertiò. Ex illa parte debet fieri ſanguinis miſſio, ex qua vacuetur cauſa morbi, ſed in vaſis maximis maior copia ſanguinis adeſt in vterum confluxura, quàm adſit in ipſo vtero. Ergo non è talo, ſed à cubito longiùs eſt detrahendus.

Quartò ex ea parte mittendus eſt ſanguis in affectibus his, vbi cómuniter vena ſecari ſolet. Solet in cubito Hip. feriendam eſſe venam imperat. Ergo. Patet hoc ex Hip.4. *acut.*23.*quòd ſiquis repetè obtumeſcat, id venarũ occluſiones, interceptionéſque faciunt, ſi ſano abſque occaſione, vel forti alia de cauſa id contingat: venam igitur brachij dextri ſecare oportet, &c.* Nam vt Gal. firmat *in com. hæc velociſſimè, & plurimùm ex iis quà principes ſunt partibus, corpus euacuat, atque ob id in acutiſſimis morbis ad eam ſe confert, &c.*

Clariſſimo Domino Doctori, Nicolao Fontano. Suus Zacutus Luſitanus.

Vix dici poteſt (Vir amiciſſime, & doctiſſime) ſi quidquam mihi magis in mente eſt; quàm eruditorũ virorum vtilis diſceptatio: nã homo ſum, & fallere & falli poſſum. Vt verò hæc à corde meo auertantur, ad diſcendum in vita à peritis viris operam colloco, in quorum catalogo te iamdiu repoſui, maximè cùm Gal. monumenta nocturna verſes manu, verſéſque diurna, ſiſque ſumma eruditione exornatus. Ego ſanè, etſi nihil me eſſe ſciã, tuæ tamen orationis perſuaſione, ac lepore ductus, aliquod iam nomen, ac decus poſſidere cenſeo. Immò à mea ſententia ipſe planè diſcedere vellem, quando te in ea cerno mihi aduerſum, qui ſemper fuiſti erga me maximè pronus, hoc eſt mei honoris, ac ſtudiorum acerrimus defenſor. Sed quia veritatem ipſam in obſcuro iacere non pateris, idcircò vt ea elucèſcat, argumenta tua in veritatis gratiam, & mei nominis tutelam, ita ſoluenda puto.

Dic ad primum. Saphænæ ſectionem eſſe tutiſſimam, quum vires valent, minúſque corpus debilitare, quàm ſi ſuperior vena ſecetur; nam ex hac ſpirituoſus, ac magis defæcatus ſanguis exhauritur, ac ſpirituum copia refertus; ex talo, craſſus, & penè turbidus. Si verò Auic. aſſerit, tali ſectionem plus debilitare, de partibus infernis explanandus eſt, quia hæ cùm exangues ſint, & remotæ à fonte caloris, penuriam ſanguinis magis perſentiſcunt. Ad ſecundum. Tantùm abeſt, vt ex ſaphænæ ſectione ſequatur periculum abortus, vt potiùs deonerata natura, & vacuata particulari vteri plenitudine fœtus alacrior fiat, dummodò vtero gerens firmas ſortiatur vires, in quarum præſentia hoc præſidium celebrandum eſt. Quòd ſi frictionis, balnei, & vinculi ratione, ſanguis ad vterum à toto concurrit, deinde venæ ſectionis ope vacuatur. Inſuper, vt ad tertium accedamus, cauſa morbi in noſtra hypotheſi, non eſt ſita in vaſis maximis, ſed in vtero: quare hæc ſaphænæ ſectione commodè eliditur. Neque nego adſtante plenitudine in vaſis ſuperis communiter ſecandam eſſe baſilicam, vt Hip. monuit: quando tamen in vteri cauitate ſanguis copioſus ſtabulatur, à quo aura tetra in cerebrum excurrit, epilepſiam, aut vteri ſtrangulationem effectura; aut ſubſtantia ſua conuolat in cerebrum, vnde apoplexia, tunc in talo ferienda vena. Ex quibus ad quartum argumentũ ſolutio patet. Hæc diligentiùs perpendere, atque examinare velis, enixè rogo, & ea (ni fallor) firma inuenies, & tu in eodẽ erga me amore firmus perſiſtas, expoſtulo: cùm enim vitæ cuſtos ſit amor, ſi vis amari, ama. Vale, & me tui obſeruatorem, amatorem, admiratorem ſuſcipe.

Accedamus ad doctiſſimum Bruſchium qui humaniter ſimilis argumentis me adortus eſt, adiiciens vnum fortiſſimum telum. Miror (inquit) acutiſſime Zacute, quòd cùm iunior ſis, licèt nimis emunctæ naris vir, ita contra priſcos hanc de venæ ſectione tali ſententiam in vtero gerentibus celebranda, tuearis ac defendas, quum illi ne verbum quidem de hoc auxilio tam periculoſo protulerint. Quare recedis ab omni antiquitate, quum ad eam propiùs deberes accedere? quippe veterum Medicorum, & Principum noſtræ artis ſententias, & hiſtorias apprimè interpretari gloriaris.

Doleo, atque vehementer doleo, vir famigeratiſſime, quòd in ea obdurueris hæreſi, vt me, aduerſus Principes, & Veteranos Duces, quos ſummoperè veneror, & explano, aliqua promulgaſſe arbitreris: nam cùm illi homines eſſent, & ſuo tẽpore adhuc inchoata eſſet Medicina, plura prætermiſerunt, quæ Medicorum ſolertià poſtea ſunt inuẽta. Quid commemorẽ aromatũ Indicorũ numeroſã copiã, quorũ illi nec nomina callebãt, vſus, & facultates miras ignorabãt. Sileo plurimos, eóſque intricatiſſimos morbos, quorum curationẽ Claſſici diſertiſſimè deſcripſerũt. Taceo infinitas propemodum, eáſque rariſſimas, & incognitas variorum morborum obſeruationes; quas illi etſi exercitatiſſimi nec per ſomnium cognouerũt. Antiquitùs nefas erat ſanguinem mittere in grauidis, hodie nullus eſt ex infima ſorte Medicus, qui ſæpius in omnibus mẽſibus ſanguinem non effundat, & cathartica, licèt materia non turgeat, audacter propinet. Dat ſiquidem meliora dies, & omnia præſidia ſedula Medicorum opera ſunt inuenta.

Quod verò me, vt iuniorem taxas, valdè miror, cùm hoc virtuti eſſet condonandum: nam labor, & ingenium ſupplet tempus, & ætatem: licèt enim ſexagenarius ſim, reſpectu illorum, iunior poſſim, & debeam appellari, qui longo artis vſu conſenuerunt, tamen vt Auſonius ait:

> *Non quia mille annos viuit Gangeticus ales,*
> *Vincit centum oculos regia pauo tuos.*
> *Cedimus ingenio, quantùm præcedimus æuo.*

Explanat luculentiſſimè Omniſcius Tiraquellus *in præfatione de iure primogeniorum, fol.*45 4.*n.*210. Sed ne mihi vitio vertatur, quòd in hoc argumento tam multus ſim, licèt habeam excuſationem in promptu bonam, quòd in eo ieiuna adhuc eſt lectio auctorum: tamen ad ſequentem quæſtionem iam accedo, dummodò me inter eruditionis, & nominis tui admiratores, & æſtimatores poſthàc numeres.

QVÆSTIO XXIII.

Vtrùm venæ ſectio in grauidis, ſit periculoſior in vltimis menſibus, quàm in primis, & mediis, vt prædixit Hippocrates.

COMMENTARIVM.

P*Ropter ſanguinis miſſionem.*] Siquidem ad vtero gerentium curationem per venæ ſectionem celebrandam acceſſimus, & miſcellaneam pro hiſtoriarum expoſitione in his libris doctrinam confectamur, operæpretium me facturum opinatus ſum, ſi flores aliquot commaticè ex iuniorum amœnioribus hortulis præcerpſerimus, quibus candidatorum exhilarentur obtutus, & rerum fragrantia nonnihil afficiatur anima. Igitur Galenus inquit *lib.*5.*aph.com.*31. ex eo grauidas miſſo ſanguine pati abortum, quoniam ſubtrahitur alimentum fœtui, & vt notat Laconicus paraphraſtes Heurnius *in com.* quia defraudatur fœtus paſtu ſuo; quapropter hoc auxilium periculoſum eſt, quod non negamus: ſed exercendum cogente neceſſitate, vt monuit Auic. 4.1.*cap.*20.§. *Prægnans verò non minuatur, niſi propter maximam neceſſitatem: nam maior vtilitas noxæ ſemper præferenda eſt*, ex Galen. *lib.* 1. *aph.*24. maximè *cùm nihil ſit quod tam inſigniter proſit, quod aliqua ex parte non noceat*, monente magiſtro *lib.*11. *meth. cap.*11. Quare ſi in morbo ſæuo, acuto, ſua vehementia periculum minante, celebretur, valde conferet, ſi vires adſint: quoniam *vehementi malo, ſolùm vehemens auxilium ſuccurrit*, ex Celſo *lib.*2.*cap.*11. *Si* enim *via vna eſt, eáque dubia, eſt* (*licèt cum periculo*) *tentanda*, quoniam *ſatius eſt aliquid cum periculo agere, quàm ægrum ſpe ademptà certò perire*, vt rectè docebat Galenus *lib.* 10. *meth. cap.* 10.

Quapropter

Quapropter ſi venæ ſectio eſt periculoſum auxilium, quoniam ſanguinem euacuat,cuius ope, & alimonia fœtus nutritur, videtur periculoſior in vltimis menſibus, quàm in primis,& mediis: fœtus enim tunc maior eſt,& ideò copioſiori indiget alimento: & hoc vult ſignificare Hip.*cit.loco Aph.*dicens : *& magis ſi fœtus ſit grandior.*

Ex altera parte videtur aduerſari Ariſtoteles *lib. 4. de generat. animal.cap.*8. dum ſic ait:*Sed cùm fœtus magis magiſque perficiatur,plus excremēti ſupereſt,minùs enim abſumitur,idque dulcius eſt,cùm non æquè detrahatur,quod bene concoctum ſit:non enim inſuper ad fœtus informationem conſumitur,ſed ad incrementum mediocre,quaſi iā fœtus conſtet adeptus finem ſuum.*Quare ſi fœtus quò maior eſt, minùs abſumit, & plus ſanguinis ſupereſt, minùs tunc in vltimis menſibus læditur grauida ſanguine miſſo.

Verùm hoc non obſtante,ſtandum eſt doctrinæ Hip.& Galeni,dicendúmque maius verti periculum aborſus ſanguine miſſo in poſtremis menſibus,quàm in aliis : & hoc ex ratione Aphoriſmi ; & ratione Galeni *in com* : apertè colligitur : nam quò maior eſt fœtus,copioſiore eget alimento:quòd ſi eo tempore exhaurias,impensè nocebis,& abortum concitabis. Ariſt.verò locus licèt difficilem habeat explicationem, & plures in eius expoſitione inſudarint,vt notarunt Santorellus *lib.*19.*antepraxis,cap.*6.Moxius *lib.*2.*de morb. mulier.cap.* 24. *in med.* ita explanandus eſt. Dic ergo in primis, & mediis menſibus, fœtum pro corporis mole plus accreſcere, & plus ſanguinis abſumere,quàm in vltimis:verùm cùm hoc tempore multò maior ſit,& ſic minùs accreſcat,nihilominùs ad mediocre illud incrementum,& ad ſui nutritionem propter maiorem corporis quantitatem, plus ſanguinis abſumit in prioribus menſibus;& propter hanc rationem non plus ſanguinis ſupereſt in poſtremis menſibus,quàm in antecedentibus. Ariſt.autem *loco citato* inquirit cauſam, quare lac in vltimis menſibus creſcere incipiat, & reiicit eam in maiorem copiam ſanguinis, qui iam tunc incipit confluere ad mamillas : quod quidem verum eſt, ſed hoc non accidit, quoniam tunc fœtus minus ſanguinis abſumat, ſed quia ex intentione naturæ tunc in maiori quātitate confluit in mammas,vt ibi in lac conuerſus, præſtet alimentum fœtui in lucem edito : hic autem confluxus adiuuatur etiam , quia in vltimis menſibus ſanguis ille , qui ad vterum ex partibus ſuperioribus confluebat,in vaſis contentus,quæ communia ſunt vtero, & mammis,incipit ad has regurgitare , propter compreſſionem factam à fœtu grandiori, vt docet Galen.*lib.* 14. *de vſu part. cap.*8. & ſic quamuis in vltimis menſibus minus ſanguinis in vtero redundet, nihil mirum ſi plus illius tunc feratur ad mammas.Lege doctiſſimum Santorellum *lib.*19.*anteprax. cap.* 11.& Iacchinum *tract.de curat.morb.acut.rubric.*7.

QVÆSTIO XXIV.

Vtrùm venæ ſectio periculoſior ſit in mediis menſibus, quàm in primis, vt contrà Hippocr, Fernelius voluit.

POſtea verò quàm, nen temerè quidem, ſed conſilio certo huc perducti ſumus,vt grauiſſimorum Medicorum inter ſe litigantium ſententias perpendamus,nequeo temperare mihi,quin ex ipſorum ſacratiis in medium afferā dubium perutile, quod in curatione grauidarum ſæpe ab illis proponi ſolet:quare perſcrutandum,num venæ ſectio ſit periculoſior in mediis menſibus, quàm in primis:dubium ſanè ſeduló,ac ſeriò expendendum. Inuictiſſimus Græcorum Coryphæus repente, & Laconicè dubium explicuit,dicens *cit.*5.*aph.* 31. ſanguinis miſſionem eſſe periculoſiorem in mediis, quàm in primis : quod abſolutè colligitur ex vi Aphoriſmi,ibi(*& magis ſi fœtus ſit maior.*)

Hippocratis ſententiam confirmat Fernelius *lib.* 2. *de ven.ſect.cap.*12.ſequitur Amatus Luſitanus *lib.*1.*cent.* 57. ſubſcribit Augenius *l.de ſang.miſ.cap.* 3. Rationes Fernelij proponam: Nam fœtus minori indiget alimento, quia

A tenellus eſt ; & ſic prioribus menſibus maior copia ſanguinis in corpore redundat , quam viriliter natura excernit vt ſuperfluam,ſæpe per nares , os, hæmorrhoïdes , & non rarò per vterum expurgat:nam cùm per priores illos menſes genitura exigua indigeat ſanguinis copia ad ſui nutritionem , redundabit in matre omne ferè illud, quod per typicas periodos excernendum erat , in reliquis verò menſibus contrà aucto fœtu,qui copioſiore quàm nullus eger alimento.

Sed hæc opinio, licèt plurimis aliis expoſitoribus arrideat,qui Aphoriſmos Hip.interpretati ſunt,& balantum more Fernelium ſunt ſequuti, mihi haudquaquam placere poteſt : Quoniam cùm membrum oppoſitum vel illi cum Galeno conſtituant;ſanguinis miſſionem, & purga- B tionem , videtur quod ſicut Hip. à quarto vſque ad ſeptimum concedit purgationem , vt minùs periculoſam , ſic etiam concedit in hoc tempore ſanguinis miſſionem: maximè cùm medium tempus ſit illud ; in quo fœtus magis reſiſtit,& robuſtus eſt:at in primis eſt tenellus , & flaccidus, & vincula quibus vndequaque alligatur, valde ſunt fragilia propter mollitiem : quod probat Gal. *lib.* 4. *aph. com.*1.poſito exemplo in arborum fructibus,qui in prima generatione,& cùm iam perfecti ſunt,facilè decidunt; at verò medio tempore firmiùs hærent.Hoc nomine Hip.in grauidis admittit purgationem mediis menſibus, non tamen in primis,& vltimis.

Sed breuiter expedienda eſt obiectio quædam,qua prædicta doctrina infirmari videtur : cùm enim venæ ſectio ſit cauſa abortus,quia ſubtrahit alimentum fœtui ; purgatio verò ob commotionem factam à medicamentis pur- C gantibus eum concitet, ſed non ita breuiter,quia peccantem humorem educit ; phlebotomia ſanguinem & ſpiritum : videtur quòd purgatio meliùs à natura toleretur in menſibus mediis , quia tunc acetabula firmiora ſunt ; & ſanguinis miſſio in primis , quoniam tunc fœtus pauco alimento indiget. Sed hæc redargui facilè poteſt : nam ſanguinis miſſio non ſolùm eſt cauſa abortus, ſubtrahendo alimentum fœtui, ſed etiam agitando , & commouendo : nam ex mente Auic. 4.1.c.20. *Phlebotomia eſt conturbans,donec quieſcat.*Fœtus autem in primis menſibus adeò tenellus eſt,vt ex quacunque commotione poſſit periclitari : quare meliùs in mediis,quàm in primis venæ ſectionem tolerabit. Audi Halyabbatē Arabicæ familiæ primarium ducem *in lib.*1.*pract.c.*19.*& lib.*9.*theoric.c.* 39.*Si prægnans aliquo tempore ſanguinem eget minui , aut cathartico* D *purgari, propter aliquam paſſionem, non oportet hoc accelerare in primordiis,donec ſit menſium quatuor, &c.* Videas, vt hic tantus auctor non timeat in primis menſibus ſanguinis defectum ex venæ ſectione, ſed ſolùm commotionem, & agitationem, quæ ex hac vacuatione oriri conſueuit.

Cæterùm cùm maior noxa ſequatur , ex commotione facta à venæ ſectione in primis menſibus,quàm ſit ea quę ſequitur ex defectu alimenti , quia in tertio , aut quarto fœtus adhuc paruus eſt, & pauco eget alimento , & meliùs tolerat agitationem à venæ ſectione inductam, idcircò tutior eſt phlebotomia in mediis quàm in primis. Hac ratione increpandi ſunt vehementer Medici, qui ad præſeruationem aborſus ſanguinem mittentes , hanc in primo,& ſecundo menſe exercent ; quum adhuc fœtus tenellus ſit,& facilè commoueatur, neque tanta in corpore tunc ſuccreſcat ſanguinis copia. Et hoc maiorem verita- E tem habet in illis fœminis , quæ à venæ ſectione commouentur valde, & leui de cauſa abortum facere ſolent, in quibus vſque ad quartum menſem ampliùs commotionem,quàm ſanguinis defectum vereri debemus.

Sed quid non reſpondebimus Hip.ſuadenti contrariū in loco dicto ibi:*& magis quò fœtus ſit maior* ? nam ibi agit Hip.de abortu,qui fit à venæ ſectione, tantùm ob alimēti defectum,non verò ob commotionem ab ea inductam:& ſic verum eſt,ob aliquem defectum,venæ ſectionē magis abortum parere,quò fœtus eſt maior;licèt ob commotionem,magis ab ea contingat in menſibus primis.

Rationes Fernelij , & aliorum ſic extrica. Nam prima ficulnea eſt : licèt enim concedamus in prioribus menſibus minori egere fœtum alimento , & per conſequens

maiorem tunc redundare ſanguinis molem; tamen non inde ſequitur tutiùs tunc ſanguinem hauriri: quoniam virium robur non adeſt, cùm tunc flacceſcat fœtus, minùs firmiter hæreat, facilè à leui cauſa decidat, & abortiatur. Quare quantum ad hoc auxilium exequendum ſuadet ſanguinis copia maior, tantùm diſſuadet lenis coalitus, & teneritas fœtus; quæ cùm adſint ambo menſibus mediis, idcircò in iis opportuniùs, & minore cum periculo celebranda venæ ſectio eſt.

Neque ſolùm (vt ad ſecundam rationem accedamus) ſub primis menſibus viriliter natura redundantẽ ſanguinem deponit per nares, & regiones multas; ſed ſub mediis tutò & ſecurè, vt aſſiduo experimento certum eſt. Si verò contrarium accidit, ea eſt cauſa, quoniam poſt priores menſes eſt iam retentioni aſſueta; aut grandiori exiſtente fætu, maiori iam indiget alimento, & in excernendo fit auara. Lege Rodericum à Caſtro, Medicum percelebrem *part.2.de morb.mulier.lib.3.cap.21.*

QVÆSTIO XXV.

Vtrùm trimeſtris fœtus iniuriis, magis reſiſtat, & citiùs ſeruetur, vt voluit Galenus.

EXplicuimus quæſtiones duas, pro fœtarum morbis curandis vtiles valde. Altera mox excipit, quæ hanc proximam quæſtionem prorſus illuſtrat. Si enim trimeſtris fœtus magis iniuriis reſiſtit, & citiùs ſeruatur, cur in tertio tutior non erit venæ ſectio quam in primis? Audi Galenum *lib.1.epid.ſect.3.com.3.iam illud quoque meminiſſe par eſt, fœtum trimeſtrem præ aliis, iniuriis maximè reſiſtere, ac citiùs ſeruari, &c.*

Iuniorum clariſſimi accuſare Galenum non deſiſtunt, quòd tanquam ſui immemor, varia & repugnantia de hac re proferat, aut contra Hippocratem (quem tantoperè ſemper colit & reueretur) ſeſe è directo opponat. Ille enim in ſuis Aphoriſticis oraculis, à quarto vſque ad ſeptimum purgationem conſuluit, tertium menſem excludens: Galenus verò à tertio vſque ad ſeptimum, vacuationem in fœtis imperandam monet, quia trimeſtris fœtus validior tunc eſt, & magis præ robore tunc reſiſtit.

Hac tanta antinomia perterriti plures, qui Galenicam doctrinam multi faciunt, ipſam hoc modo cum Hippoc. conciliare conati ſunt. Ludouicus Mercatus in ſuis elegantiſſimis de morbis mulierum libris, *in c.vlt.3.l.* ſic perſoluit, vt Hip. de purgatione, Galen. de ſanguinis miſſione ſit intelligendus. Facilè reiicitur: nam Galen. nunquam de venæ ſectione in grauidis exercenda quicquam pronunciat, provt ille cum Neotericis confirmat.

Horatius Augenius, vir perdoctus, & elegans, *tom.2. epiſt.lib.12.epiſt.4.mihi fol.675.* ſubtiliùs nodum extricare intendit, dùm Galenum de fœtu qui ſeptimo menſe eſt futurus, intelligit. Hippocrates verò boni artificis munere regulam ponit vniuerſalem, quum partus in nono menſe frequentiùs contingant. Si verò ex illo quæras, an coniectura aliqua diiudicare poſſit qui ſit futurus ſeptimeſtris, an nonimeſtris, reſpondet aliam non eſſe, quam quæ à formatione fœtus deſumitur, quam motus illius manifeſtè demonſtrat. Licèt enim hæc ſolutio eleganti ſtilo ab illo latè proponatur, vera tamen non eſt, cùm nullam, aut certè incertam de formatione fœtus poſſimus habere coniecturam.

Manardus, neruoſiſſimus auctor *lib.15.epiſt.1.iuxta fin* multis vltrò citróque allatis rationibus probabilibus, quibus tamẽ eius intellectus minimè acquieſcit, & ſolùm (vt ipſe inquit) in clamoroſis diſputationibus defendi poſſunt, vltimò proponens ſententiam ſuam, ſic concludit: aut tertium menſem *in Aphoriſmis* non rectè prætermiſſum; aut *in lib.epid.* temerè, tacitis quinto & ſexto, laudatum. Sed licèt illi videatur arguta reſponſio, non tamen eſt vera; nam dum Hippocratem tueri conatur, ipſum, & Galenum apertè reprehendit.

Nicolaus Rorarius, vir in principum Medicorum contradictionibus conciliandis verſatiſſimus, & qui plures, licèt non omnes contradictiones in illorum monumentis repertas propoſuit, & ingenuè explicuit, *in contradict.60. Galen.* loca repugnantia attulit, & ſic explicuit trimeſtres magis iniuriis reſiſtere, quoniam à nutrimento deficiente, atque interno aliquo corporis vitio minùs patiuntur; paruuli enim cùm ſint, exiguo egent alimento. Sed non rectè explicuit: nam præterquam quòd auctores non conciliat, rem non emedullat: quoniam hoc modo trimeſtris aptior eſſet ad venæ ſectionem perferendam, quàm cæteri, quod eſt falſum; nam in omnibus vacuationibus iuniores veteri oportet.

Chriſtophorus à Vega *in com.ſent.1. lib.4. Aph.* poſtquam plurimas de hac re recenſuit Medicorum opiniones, ſuam ſic pandit, dicens: illud trimeſtre *Epidemion*, non eſſe intelligendum ad ferendas commotiones pharmacorum, aut venæ ſectionis; quoniam tunc fœtus mollis eſt, & vincula, quibus vtero alligatur, tenella, ſed ad tolerandas iniurias morbi. Acuta quidem reſponſio, ſed non firma: nam ſi fœtus morbi labores faciliùs fert, cur cathartici aut venæ ſectionis labores non tolerabit?

Hæc cùm meditarer, & pro expoſitione harum Hiſtoriarum, doctorum virorum ſententiam de hac re perpenderem, quando animus meus æſtui iuuenilis ætatis impulſus, totus ſtudio litterarum conflagrabat, inueni ſolutionem rectam, ni fallor, tantis ambagibus conformem: nam pro tertio menſe finito & abſoluto, intelligendum eſt quarti principium, quoniam finis vnius menſis eſt principium alterius, vt rectè notabat Galenus *lib. 4. acut. com.1.* & retulit etiam *lib.1.de temp.c.4.* Patet apertè: nam Galenus *cit.de morb.vulgarib. libro*, ad ſuæ rationis confirmationem, Hippocratis Aphoriſmum adducens, nec verbum quidem de tertio menſe loquutus eſt, quod non feciſſet niſi ſub tertio menſe quartum intelligeret. Hanc poſtquam conſcripſiſſem, vidi appunxiſſe clariſſimum Mercurialem, qui *in com. cit. Hiſtor. epidemic.* ſic inquit: *Quod autem ait Galenus in com. grauidas menſe tertio multò difficiliùs pati, quàm aliis menſibus, videtur eſſe contra ipſum Hipp. qui quarto Aph.1. ſcripſit, à quarto mẽſe vſque ad ſeptimum poſſe remediis tractari, ob fortitudinem: ante verò, & poſt hos menſes magis formidandum, eáſque verendas. Et certè niſi dicamus, pro tertio menſe Galenum intelligere ipſum iam finitum atque abſolutum, quomodo tueri ipſum valeamus haud facilè intueor, &c.* Hoc modo, non citato Mercuriali, à quo ſolutionem hauſit, ſoluit elegantiſſimus Moxius, qui *lib.2. de curand. muliebrib. per venæ ſectionem, cap.* 22. de hoc argumento grauiter diſceptat: & priùs prædixit doctiſſimus Petrus de Peramato, *lib.de vacuandi, rat.cap.16.*

QVÆSTIO XXVI.

Vtrùm venæ ſectio in grauidis nullo præſente morbo, ſolùm ad præcautionem aborſus ſit celebranda, vt monent iuniores? Contra Donatum Antonium ab Altomari, Medicum Galenicum peritiſſimum.

VT abſoluta, omnique ex parte perfecta ſit doctrina hæc, quam pro curatione grauidarum circa ſanguinis miſſionem propoſuimus, liceat exactiori calculo hanc quæſtionem rimari, qua quæri ſolet: Vtrùm in grauidis nullo morbo præſente, ſolùm ad præſeruationem aborſus ſit ſecanda vena. Donatus Antonius ab Altomari, vir eruditiſſimus, & in doctrina Galenica percelebris, *peculiari tractatu de hac re*, multis rationibus contendit probare, in grauidis ad præſeruationem abortus phlebotomiam non poſſe eſſe ex vſu. Cuius rationes hæ ſunt præcipuæ.

Prima. Si venæ ſectio pro præſeruatione abortus eſſet vtilis, eſſet in menſibus primis, in quibus ſanguinis copia maior in corpore redundat. Sed quando grauidæ abortum patiuntur in primis menſibus, id contingit quia acetabula ſunt plena mucoribus, ob quam cauſam ipſa diſrumpuntur, neque poſſunt fœtum continere, ex Hip. *lib.5.Aph.45.* at prædicta excrementa non poteſt vacuare venæ ſectio. Ergo nec poterit præſeruare ab abortu.

Secunda. Si venæ ſectio poſſet præſeruare ab abortu, eſſet

eſſet quia abortus poſſet contingere; vel propter ſanguinis redundantiam, vel ob ſanguinem vitioſum. Sed primo modo non contingit. Ergo. Nam diuerſo modo ſanguis fertur ad vterum, fœmina vtero gerente, & non gerente: nam dum non gerit, ſanguis in vterum fertur à reliquis partibus expulſus, vtero ad illius delationem non conferente, vt docet Gal.*lib.5.ſimpl.*22. Quando verò vtero gerit, fœtus ſanguinem ſenſim attrahit, quantum ſibi neceſſarium eſt, ex Gal.1.*de ſympt.cauſ.cap.*7.§.*At primis duobus menſibus, &c.* Quare licèt vtero gerens plena ſit ſanguine, non videtur poſſe periclitari fœtum ex plenitudine matris, nec ex vitioſo ſanguine, nam ex eo non attrahit fœtus, niſi dulciſſimum, vt docet Hipp.*lib. de natur.puer.n.*4. & ex eo retulit Gal.5.*aph.*32.& *lib.de atra bile, cap.* 8. *in princip.*

B Tertia. Omne id quod per ſe facit abortum, nequit ab eo præſeruare. Sed phlebotomia eſt huiuſmodi. Ergo. Maior eſt nota, & ſenſuum ratiocinio ſatis conſpicua: nam auxilium quodpiam non parit morbum, ſi ab eo præſeruat. Minorem probat Hip.5.*aph.*31.

Quarta. Ex quacunque cauſa fœtus per ſe deſtruitur, ab eadem non poteſt conſeruari. Sed ex venæ ſectione, extracto alimento fœtus per ſe deſtruitur Ergo.

Quinta. Si de quo minùs videtur ineſſe, ineſt, ergo de quo magis. Sed minor noxa videtur inferri ex inedia, & tamen hæc inter cauſas abortus recenſetur à Gal. 5. *aph.* 31.*&* 37. Ergo cū maior noxa inferatur ex venæ ſectione, magis citiùs, & frequentiùs ex ipſa ſequetur abortus.

Sexta. Si ex alui profluuio, vacuationis ſolùm ratione fœminæ in abortum incurrunt, *cit.lib.*5.*aph.*34. quæ cæterorum humorum à ſanguine vacuatio eſt; quantò magis C & efficaciùs ſequetur ex ſanguinis vacuatione, in quo calor noſter perſeuerantiam obtinet.

Septima. In copia ſuccorum crudorum, inutilis eſt venæ ſectio, ex Gal.*lib.de curand.rat.per ſang. miſ. cap.* 20. & *l.9.meth.cap.*5. Sed in vtero gerentibus huiuſmodi humores redundant ſemper, ex quorum humorum congerie propullulant Anorexia, & Pica, quæ ſymptomata cùm ſequatur inedia, fœtus detracto alimento imbellis redditur.

Octaua. Si venæ ſectio ab abortu grauidas præſeruaret, iuniores vſu dexterrimi literis conſignaſſent, præſertim Græci, in ſanguine mittendo audaciſſimi. Quare cùm hoc auxilium ſilentio inuoluerint, exiſtimandum eſt, illis pro præſeruatione non poſſe eſſe ex vſu.

Cæterùm experientia, rerum omnium magiſtra, Medicos edocuit, eas hoc celebrato auxilio ab abortu præſer- D uari: ad quod tentadū videtur ex eo inducti, quia aliquando ſanguine miſſo propter morbum aliquem in primis menſibus, vſque ad felicem partum fuit ſeruatus fœtus, in aliquibus grauidis, quæ antea iiſdem menſibus ſemper abortum facere conſueuerant, quo proſpero euentu freti, id præſidium citra morbum præſentem tentare ſunt auſi.

Si rationes quæris, hæ ſunt firmiſſimæ. Nam Auic. 21. 3.*tract.*2.*cap.*8. *iuxta principium*, ingentem plenitudinem vnam eſſe ex cauſis abortus euidenter pronuntiat. Hæc autem nullo auxilio meliùs, & promptiùs educitur, quàm ſanguinis vacuatione, cùm alia remedia multò periculoſiùs adhibeantur illis, vt patet de balneo, exercitatione, frictione, inedia, & purgatione, quæ licèt totum corpus poſſint euacuare, ex Gal.4.*aph.*2. tamen non ita celeriter, tutò, atque ſecurè.

Si inſtes, plenitudinem non eſſe cauſam abortus, falſa E propones: ſicuti enim alimenti defectus fœtum interimit, ita & redundantia eum ſuffocare poterit, vel ſaltem acetabula diſrumpere, vnde contingit abortus. Si adhuc inſiſtas, Galenum nō admiſiſſe multitudinem ſanguinis inter cauſas abortus, nihil concludis: nam licèt diuinus fuerit Galenus, homo tamen fuit, & multa prætermiſit, quæ monumentis literarum cæteri poſtea tradiderunt; & vel Hippocrates plurima omiſit, quæ deinde vberiori ſtilo, & eleganti facundia poliuit, auxit, locupletauit Galen. Inſcitiæ ergo hi, aut ignorantiæ arguendi ſunt; minimè: nam artes omnes, atque ſcientiæ per gradus, & additamenta perfectionem ſunt adeptæ: neque enim ſolùm fœtus multitudine, aut copia ſanguinis obruitur; quia attrahit alimen-

A tum copioſum, ſed quoniam ex eo copioſo retento, & in vtero adaucto, vel ad illum expulſo, & obruente copia ſua, fœtus ſuffocatur; quam ſæpe in primis menſibus natura, vt fœtum & matrem tueatur incolumem, expurgare tentat per nares, os, hæmorrhoïdes, & vterum, & multoties per cutem, ſubortis rubris maculis, & efflorеſcentiis, & per vniuerſum corporis habitum pruritu excitato, qui bilioſus ſanguis nî ad has partes reſtagnet, & ad vterum confluat, acri vi ſua pungit, irritat, & laceſſit naturam, vt fœtum intempeſtiuè detrudat; nam labefactata retentrix officio ſuo non fungitur.

Hunc ergo feruidum & bilioſum ſanguinem, ſi exhibitis frigoriferis temperare coneris, & eius feruorem compeſcere ſtudeas, licèt ex arte facias, iuuabis nihil: ſunt B enim fœminæ multæ in gignendo ſanguine adeò feraces, natura, ætate, aut viuendi modo, vt niſi ſanguinem aperto vaſe per interualla exhaurias, patiantur abortum. Hanc methodum longo annorum decurſu in quæſtuoſa medicina ſæpiſſimè obſeruaui, in iuuenculis, quadratis, ſucculentis, carnoſis, & quibus turgebant venæ calido ſanguine plenæ, benè educatis, rubro colore ſuffuſis, aſſuetis ſanguinem excernere per nares: has, multoties ob ſanguinis nimiam copiam fœtum ſuffocantem feciſſe abortum, in primis, & mediis menſibus frequentiſſimè ſum expertus, quæ extracto ſanguine feliciſſimè ſunt præſeruatæ. Alias priùs miſſo ſanguine, ab abortu præcauit natura expulſo per vterū, & nares cruore multo, quem illa phlebotomiæ beneficio leuata, tanquā reſiduum, & inutilē foràs eduxit.

Si enim omnes vacuationum differentias rimeris, ex iis damnum potiùs, quàm noxam euenire vtero gerenti- C bus inuenies. Nec enim balneum vlla ratione illis conuenit: nam laxat, emollitque vincula quibus fœtus alligatur, & vterum eneruat. Exercitatio vtilis non eſt: quoniam laborantibus partibus inferioribus, & valdè cōmotis, præcipitatur fœtus. Frictio licèt ſit loco exercitij, tamen longo temporis ſpatio, ſicut & inedia ſanguinem abſumit. Purgatio verò non eſt admodum tuta, & ſolum in humore turgente ab Hip. conceditur: ſed quo interuallo diſtet à ſanguinis miſſione ſequenti capite explicabitur; nam iſta tutius eſt auxilium, & ſanguinem copia ſua redundantem promptè educit, & ſurſum trahit; purgantia verò fœtum præcipitant, aborſúmque concitant. Secanda ergo eſt vena in vtero gerentibus pro præſeruatione aborſus; ſiquidem eſt ratio curationis, & præcautionis, Galeno auctore *lib.de curand.rat.per ſang.miſ.cap.*9.

D Rationes Altimari ſic ſunt ſoluendæ. Dic ad primam, quòd quando in primis menſibus abortus contingit ob mucoſa excremēta in acetabulis vteri imbibita, vt inſinuat Hip.5.*aph.*25. abortus præſeruatio non in venæ ſectione, ſed in purgatione, & reſolutione illorum excrementorū conſiſtit: contrà tamen ſi plenitudo fuerit cauſa abortus, tunc ſanguinis miſſio neceſſaria eſt, quæ celeriter, & tutò plenitudinem demit, neque fœtui alimentum ſubtrahit; nam plurima copia ſanguinis in corpore redundat.

Ad ſecundam. Licèt, quando fœmina vtero gerit, fœtus attrahat ſanguinem menſtruum ad ſui nutritionem, & incrementum; & partes omnes ſimul, pro conſuetudine & lege naturæ, ſanguinem redundantem ad vterum tranſmittant: tamen etſi ex attractione, fœtui periculum non eueniat, contingit tamen, quia reliquæ partes in vterum ſeſe exonerant, & ſic ſanguinis copioſi ad vterum E confluxu, fœtus ſuffocatur, & acetabula diſrumpuntur: maximè quoniā quamuis fœtus attrahat dulciſſimum, & ſibi familiare alimentum; reliquæ partes expellunt vitioſum, redundantem, probum, qui fœtum interimit.

Ad tertiam. Venæ ſectio ex ſe abortiuum auxilium non eſt: id verò per accidens aliquando fieri contingit, quando immodica ſit, & citra virium robur celebrata. Sic venæ ſectio ad animi deliquium à priſcis tantopere laudatur 1.*aph.*23.*&* 9.*meth.*4.*&* 5. & alibi: ex qua intēpeſtiuè celebrata plures perierunt, vt notat Gal.*lib.de curand. rat. per ſang.miſ.cap.*12.

Ad quartam. Ex venæ ſectione fœtus non deſtruitur, immò conſeruatur: nam ſi fœtus plurima ſanguinis copia obruatur, perit & emoritur. Vt enim ex multa lignorum

ſtrue ignis extinguitur; ſi verò copiam demas, fulget & relucet: ſic ex confluxu ſanguinis multi & vitioſi, fœtus ſuffocatur, immò detracta copia floret, & reuiuiſcit.

Ad quintam. Inedia multò infenſior eſt grauidis quàm venæ ſectio: nam illam non ferunt ipſæ, quoniam ob aſſiduum ſuctionis ſenſum in ventriculi orificio excitatum, aſſiduè alimenta aſſumere coguntur; aliter enim animo deficerent. Deinde inedia moroſè plenitudinem exhaurit, vt *ſuprà* notauimus.

Ad ſextam. Ex nimio alui fluore concitari abortum, Hippocrates firmat *in aphor. dicto*: nam concitat humores ad vterum, agitat, perturbat, tormina excitat, implacabiles nixus, & ſurgendi frequentiam mouet; ob quam cauſam partes vtero vicinæ commouentur, & demum fœtus defraudatur genio ſuo, viréſque ſummè languēt, & cùm inteſtinis incumbat vterus, à tetro excrementorum vapore fœtus extinguitur. Sectio autem venæ tutò, celeriter, & ſecurè ſanguinem exhaurit. Et ſicut præſente alui fluxu, qualibet alia vacuatione, aut ſymptomate vires proſternente, in minori quantitate ſanguis eſt detrahendus, quia aliquid ſympomati eſt relinquendum, vt bellè *lib. 1. ad Glauc. cap.* 14. prædixit Gal. ſic in vtero gerentibus parcè celebranda eſt; nam aliquid relinquendum eſt fœturæ, quæ eſt ſpecies vacuationis, vt *lib. de ven. ſect. aduerſ. Eraſiſtratum, in cap.* 5. aduertit Galenus.

Ad ſeptimam. Si humores in vtero gerentibus adſunt crudi, iique exuperent, cane & angue peiùs vitanda venæ ſectio eſt, nam tunc purgàtione pugnandum: aliter ſi feceris, in diſcrimen matrem ipſam adduces; nam phlebotomia bonum ſanguinem rapiet, qui paratior eſt euacuationi, malum relinquet, & præterquam quòd exhauſto ſpiritu imbecillitatur mater, abſumpto pabulo perit fœtus, orbatus paſtu ſuo. Si verò exuperet sāguis, & omnia adſint quæ venæ ſectionē dehortantur, vt temperamētum, ætas, regio, & victus præcedens, tunc intrepidè vena ſecanda.

Ad vltimam. Hip. Appollineæ ſcientiæ celebris gloria, *in limine aph.* artem longam eſſe prædixit, adeò vt vitam hominis longo ſuperet interuallo. Quare Hip. licèt ſenex *ad medicinæ finem nō peruenit*, vt de ſeipſo teſtatur *in Epiſtolis*, & omnia videre non potuit, quæ à poſteris ſedula diligentia, induſtria mira, & labore indefeſſo fuerunt inuenta. Si adhuc pertinaciter inſiſtas, & aſſeras priſcos doctiſſimos omnia calluiſſe, contra te in propatulum proponam auxilia mira ab Arabibus inuenta, exotica, & peregrina ex Indiis aromatum præſidia, quæ ipſi nec per vmbram agnouere. Plura ſunt in anatome reperta à Veſalio, Fallopio, Siluio, & aliis peritis anatomicis, quæ priſcos ſine dubio latuerunt. Primus omnium Hip. diuino afflatus lumine, multa quæ ad artem Anatomicam ſpectabant, publicis conſignauit monumentis. Galenus poliuit, auxit, locupletauit verè, doctè, ſolidè, Ariſtoteles breuiter illuſtrauit. Hoc argumentum veterum ſcientiſſimi exornarunt. Iuniores elegantes & docti, in frequenti corporum humanorum ſuctione ſatis verſati, plurima ſumma cum laude addiderunt. Quare ſi hæc vera ſunt, cur phlebotomiam pro præſeruatione abortus non admittemus, à Claſſicis tantopere commendatam, etſi à Græcis fuerit prætermiſſa? Si quæras auctores, eos, renuas licèt, numeroſa ſerie recitabo. Offert ſeſe in primis eloquentiſſimus ille Orator Fernelius, iuniorum Coryphæus *lib. 2. meth. c. 2. §. Multæ, niſi venæ circiter quartum menſē referentur, abortiunt; fœtus enim copia obruitur, &c.* Sequuntur Syluius *tract. de mēſibus mulier. in init.* Frambeſar. *lib. 1. canon. medicinal.* Peramat. *l. de vacuandi rat.* 15. & *lib. de regimine prægnantium, c.* 2. ex Rondeletij, & Sauonarolæ mente. Eugubius *circa fin. part. 1. tract. de vſu lactis*, Anton. Maria Bettus *in com. c.* 20. 4. 1. *Auic.* Amatus *centur.* 49. Sennertus, Salius, Claudinus, Augenius, Moxius, & plures alij, & nuper proprio exemplo firmauit perdoctus Santorellus *lib.* 19. *Antepraxis, cap.* 10.

QVÆSTIO XXVII.

Vtrùm venæ ſectio in grauidis ſit periculoſior purgatione.

PRopter maximam præſtantiam, & vtilitatem, quam ſortitur venæ ſectio in grauidis, liceat modò hanc quæſtionem retexere, ob plurimos qui contrariam ſententiam defendere ſunt conati. Hip. enim videtur horum partes libenter tueri: nam prohibet omnino venæ ſectionem, *in lib. 5. aph.* 31. purgationem verò ſuis medicamentis factam conſtanter admittit, *lib. 4. aph.* 1. quoniam ſanguinis miſſio detrahit alimentū fœtui; purgatio vitioſos humores euacuat: accedit quòd purgatio minùs debilitat, quàm ſanguinis miſſio; & ob hanc cauſam hæc maius virtutis robur requirit, vt colligitur ex Gal. *l. 4. de ſanit. c.* 4. dicente: *In ægris, qui propter debilitatem, aut timiditatē, ſanguinis miſſionem recuſant, largiùs aluum ſoluendum eſſe.* Ergo vtero gerentes meliùs tolerabunt purgationem, quàm ſanguinis miſſionem.

Pro parte contraria, multæ obſtant, eæque irrefragabiles rationes. Nam remedium illud quod abſolutè magis periculoſum eſt, erit & magis periculoſum in grauidis. Sed purgatio magis periculoſa eſt, ex Gal. 2. *acut.* 11. quia ſanguinis miſſio, licèt minus auxilium, tutius tamen remedium eſt; quoniam, vt inquit Gal. *lib. de venæ ſect. aduerſ. Eraſiſtratum, c.* 7. ſi ſanguis nimiùm profluat, aut linquatur animo æger, poſſumus ſiſtere ſanguinē impoſito digito in vulnere; at quod ſemel deuoratum eſt, ampliùs extrahi non poteſt, neque poſſumus partem oblati auferre, vt *lib. de ſang. miſ.* 12. notabat Gal. Dēmum ex purgatione ſequuntur pericula plura, quæ *in cap. ſequenti* proponūtur.

Quare ſi vtriuſque remedij neceſſitas adeſt, venæ ſectio vt tutior eſt eligenda: nam præterquam quòd leuat naturam ſarcina depoſita, diſponit ad purgationem, quia vacuando cauſam, vias deobſtruit, per quas humor peccans vacuari debet, vt ait Gal. *lib. de ren. dignot. & curat. cap.* 4. vnde ſemper præferenda venit, ex Hip. 4. *acut. text.* 21. & Gal. 6. *epid. ſect.* 1. *com.* 6. *ante fin.* Audi aurea verba Fernelij *lib. 2. meth. cap.* 4. dum ſic profatur: *In omni igitur impura plenitudine à ſecta vena auſpicanda eſt vacuatio, ſine qua vix tutò purgatio decernatur, etenim medicamentum quod præſertim validius eſt, tum calore, tū trahendi facultate humores exagitans, perturbánſque plethoricum corpus, in grauius id diſcrimen adducit: In vniuerſum autem, plenis, turgentibúſque venis, ſi non proſit, obeſſe tamen non poteſt moderata ſanguinis miſſio.*

Conciliator *dif.* 166. reſpondet ad quæſtionem, in primis menſibus purgationem eſſe periculoſiorem venæ ſectione? in intermediis, & vltimis è conuerſo. De primo non videtur dubium. Secundum oſtenditur: quoniam in mediis menſibus propter firmitudinem acetabulorū maximè eſt tuta purgatio; in vltimis menſibus propter magnitudinem fœtus eſt maximè periculoſa venæ ſectio: ergo in mediis, & vltimis menſibus tutior erit purgatio. At hæc ratio ſolùm oſtendit, in mediis menſibus purgationem eſſe tutiorem, quàm in primis, & vltimis.

Licèt autem Horatius Augenius *tom. 2. epiſt. lib.* 12. eandem ſententiam confirmet: (quicquid *lib. 6. de ſang. miſ. cap. 2. &* 12. oppoſitum ſentiat) cum Amato 1. *centur.* 51. tamen huic quæſtioni aptè reſpondere oportet, ſecuriorem eſſe venæ ſectionem purgatione, ſi par neceſſitas adſit; tum ob rationes latas, tum quia diuturnum experimentum id confirmat.

Sed ſatisfaciendum eſt obiectis aduerſantibus, quæ remoratur multos. Ad primum, licèt Hip. concedat purgationem in mediis menſibus, non tamen prohibet ſanguinis miſſionem omnino, ſed reddit nos cautos in ea exercenda, ne ſcilicet tantum ſanguinis emittamus, quantum exigit diſpoſitio, quoniam aliquid ſanguinis relinquendum fœtui, vt eo deinceps poſſit nutriri. Deinde Hip. non vetat ſanguinis miſſionem in brachio celebratam, ſed eam quæ in partibus inferioribus fieri ſolet, & ſic Aphoriſmus facit hunc ſenſum: Mulier ſanguine miſſo ex ſaphæna abortit, & magis ſi fœtus ſit maior: nam ex hac parte facta phlebotomia è propinquiori loco ſanguinem exhaurit, & promptiùs alimentum fœtus detrahit, maximè quoniam præcipitatur fœtus humoribus deorſum conuerſis.

Ad ſecundum, In vtero gerentibus phlebotomia extrahit ſanguinem vitioſum & inutilem, eo modo quo in purgatione humor peccās educitur, & ſic in vtroque auxilio ſolùm nocui vacuātur humores: hoc tamē eſt diſcrimē,

nam

nam venæ ſectio citra agitationem; purgatio verò cum maxima perturbatione, & cum periculo abortus id præſtat.

Ad tertium. Omne auxilium Medicum, vt debitè adminiſtretur duplici conſtat ſcopo, nempe morbo poſtulante,& virtute permittente, vt colligitur ex Galen.*lib.de optim.ſecta ad Thraſybul.* 38. & ſic ſcopi venæ ſectionis ſunt morbi magnitudo, & virium robur, ex Galen.*lib.*4. *meth.*6. & 4. *acut*.19. & cùm auxilia medica cum magnitudine, qua iam ſunt coniuncta, vt ipſe inquit *lib.ad Thraſybul.c.*34. ad illa toleranda robur virium eſt neceſſarium, maius, aut minus, provt auxilia maiora ſunt, vel minora: quare ad clyſteris vſum exoptat Hipp.1.*acut*.45. validam vim: ſed non idem virium robur ad omnia auxilia requiritur. Quare cùm purgatio maiorem habeat in virium robore latitudinem, debiliori virtute exiſtente poterit celebrari: ſed hoc non tollit quin in grauidis tutior ſit venæ ſectio purgatione; nam intelligimus, ſi virtus conſtet ad ferendum vtrumque auxilium, & æqualis vtriuſque remedij neceſſitas adſit.

HIST. XIV. AVENZOARIS, De grauidatione.

Grauida per errorem cathartico expurgata, citra fœtus, vel ipſius incommodum, feliciter peperit.

*VOlo dicere in hoc loco, quod mihi ſucceſſit cùm eſſem in carceribus de Haly. Vxor mea erat prægnans, & hoc ignorabam, & ipſa infirmata fuit * tali paſſione, quòd neceſſe fuit * dare ei medicinã laxatiuam, quæ fuit talis, quòd nullus poſſet æſtimare, quòd aliqua prægnans etiam ex aſſumptione modicæ quantitatis, fœtus in ea poſſet remanere: & poſtea declarata fuit impragnatio eius, & me pœnituit valde de errore quem feceram, quare miſericordiam quæſiui ab Altiſſimo Creatore de eodem, & peperit filium maſculum, quem mecum habeo, &c. Auenzoar.* lib.2.Theïzir.tract.3.cap.1.

QVÆSTIO XXVIII.

Vtrùm detur aliquod certum, & infallibile conceptionis ſignum, vt Fernelius, Ioëlius, Varandæus, & alij Claſſici arbitrantur,

PARAPHRASIS.

CIrca explicationem contextus, ampliſſima nobis ſeſe oſtentat diſputationis ſylua, quæ vel cogitatione animum, quantumuis difficultatibus obluctantem, etſi non fatigare, at ſolicitum, anxiúmque efficere ſaltem poteſt. Verumtamen haud dubitandum: nam & dij facientes adiuuant. Illud ergo inextricabile apud Medicos eſt dubium, quod de notis certis conceptionis quæri ſolet. In conſultationibus enim ad rauim Medici inter ſeſe depugnant, dum quidam ob alias cauſas menſtruis ſuppreſſis, in morbis acutis fœminarum, è brachio ſanguinem hauriendum ſuadent, falſa grauidatione decepti; poplitis enim venas ſcindere pertimeſcunt, ne deorſum præcipiti lapſu ruentibus humoribus abortus concitari queat. Contra ſæpiſſimè ſanguinem exhauriunt à ſaphæna, aut purgationem inſtituunt, certam conceptionem ignorantes. Quo factum eſt, vt dexterrimi Medici in hoc difficillimo negotio ſæpe vacillent, vt doctè probauit Santorus Sanctorius *lib.*1.*meth.vitandor. error.cap.*28.

Quare ne mireris Auenzoarem, Medicum licèt expertiſſimum in cognoſcenda conceptione vxoris ſuæ deerraſſe, cùm res hæc plena ſit ambiguitatis, & fallaciæ, quoniam Medici ſcientiſſimi ſæpe deerrant, vt *lib.*1. *in com. hiſt.*79. latè prædiximus: cùm *ſupra captum hominis ſit nunquam errare*; ex Gal.3.*prog.*41. quoniam *aliquando, licèt rarò* A *Medicus optimus deerrat*, 2.*aph.*29.& alibi. In hoc ergo dubitationis labyrinthio verſati alij peritiſſimi, multoties naufragium fecerunt, raráſque hiſtorias proponunt, ne poſteri eodem modo decipiantur, quo ipſi decepti ſunt. Conſule Auic.21.3.*tract.*2.*cap.*8. Rhaſium *lib.*9.*ad Alm. cap.*39. Matthæum Gradium *in com.* Amat.1.*cent.*27. Paſchal. *lib.*1.*de curand.morb.cap.*58. Valleriol.1.*obſ.*1. & 10. Foreſt.*lib.*28.*de morb.mulier.obſ.*6. Leonẽ Roganum *lib.*2. *de cauſ.vrinar. cap.*15. Nam in vtero plura gigni poſſunt, quæ veram grauidationem Medicis doctiſſimis falsò perſuadeant, vt Mola, aqua, flatus, mucus, lenta viſcidáque pituita, caloriſque vi indurata: de qua re legat qui velit rara quæ propoſuimus exempla *lib.*2.*de praxi medic.admiranda ab obſ.*150.*vſque ad* 156. firmat Dodonæus *lib.obſ.*49.

Dubia ergo ſunt, & incerta conceptionis ſigna; maximè cùm priſci illi, horúmque anteſignanus Hippocrates nul- B lum de hac re certum ſignum per multas ſententias diſcurrens conſcriptum reliquerit, etſi huius rei dignoſcendæ fuerit ſtudioſiſſimus: nam in Aphoriſmis fuſiùs quam pro ſuo more agnoſcere docet, an mulier vtero gerat, quod venatur ex ſuppreſſione menſtrui, faſtidio, nauſea, torminibus. De vrina autem, quam certi quidpiam demonſtrare poſſe experimentatores conſtanter affirmant, non fecit commemorationem vllam, neque enim hæc in vtero fit, aut locis vtero vicinis, neque per illa commeat, ſed eſt ſolùm ſignum affectuum partium in quibus fit, & per quas meat, vt eruditè confirmat Iacobus Fontanus *part.*1.*vniuerſ. medicin.cap.*11.

Auic.2.1.*doct.*3.*cap.*3.& 21.3.*tr.*2.*cap.*11. *prægnantium vrinam, turbulentam eſſe, malo vino, aut aquæ ciceris ſimillimã* aſſeuerat; & *in grauidationis initio apparere vrinam claram, & puram, ſupra quam eſt aliquid ſimile nubibus*, manifeſtè C oſtendit. Sed ne tanto auctori calumniam inuramus, ipſum ex aliorum mente loquutum fuiſſe aſſeremus, quod patet ex verbo, *& quidam dicunt:* quidquid huius ſigni ab Auic. propoſiti peculiarem conentur reddere rationem Varandæus *lib.*2.*de affect. mulier.cap.*2. Franciſcus Ioëlius *t.*1.*vniuerſ.medicin. lib.*4.*ſect.*3.*de vrinar.ſignificationibus.*

At inquires, cur Fernelius 6.*patholog.*17. proferat grauidarum vrinam, citreo, aut ſubliuido eſſe colore, craſſam, turbidam; quæ leniter concuſſa bullulas, ſeu granula è ſumma corona demittit, in qua quod ſubſidet, & innatat, craſſum eſt, & malè cohærens, carptæ lanæ haud abſimile. Sed cùm hæ notæ in gerentibus molam, aut in iis quibus retenta ſunt menſtrua, apparere poſſint, idcircò dicendum eſt, Fernelij coniecturam nullam eſſe. Adi Valleſ.3. *cont. cap.*28. Foreſt. *lib. de incerto vrinar. iudicio.* D Santorel. *lib.*8.*anteprax.c.*8. Roderic. à Caſtro *l.*3.*de morb. mulier.part.*1.*cap.*7.

Deinde ſi alia ſigna, quæ certam conceptionis ſpem polliceri videntur, attentè rimeris, ea irrita eſſe, & prorſus nulla, fatearis eſt neceſſe: nam conceptionem deprehendere, difficillimum iudicauit Ariſtot. *lib.*7.*de hiſtor.animal. cap.*4. Quapropter excuſandus Auenzoar, qui in re ardua, & perplexa, & quæ non certò, ſed probabiliter præcognoſci poteſt deceptus eſt, vt notat Laurent. *lib.*8.*anatom. cap.*4.*in fin.* Codronch. *in ſuo meth. teſtif. cap.*12. Varand. *lib.*2.*de morb.mulier. cap.*2.

Ventris tumor, à Medicis ſignum conceptionis dicitur eſſe certum, & ita probat Sacra pagina *lib.Geneſis, cap.*38. *verſ.*24. *Fornicata eſt Thamar nurus tua, & videtur vterus illius intumeſcere.* Sed cùm hic tumor in plurimis ex aliquo E morbo, & præcipuè ex menſtruorum retentione euenire poſſit, vel ex hydrope, aut flatu, idcircò ex tumore certò conceptio prædici non poteſt, maximè cùm vterus ferè poſt quartum menſem in tumorem increſcat.

Lac in mammillis, cùm earum tumore apparens, non eſt certum conceptionis ſignum: nam citra grauidationem lac in mammis ſæpe innaſcitur, aſſerente Hipp.5.*aph.*39. *Si mulier lac in mammis habet, neque grauida eſt, neque peperit huic menſtrua defecerunt.* Deinde lac in mammis poſt aliquos menſes colligi ſolet, ex Galen.5.*aph.*32.& apparet ſæpe in virginibus adhuc virum non expertis: firmant Ioubertus *lib.*5.*error. popul.cap.*3. Laurent. *lib.*8. *anatom. quæſt.*2. Neque dicas lac in virginibus, viris, & iis quæ

nec conceperunt, nec pepererunt, non eſſe album, neque conſiſtens, & optimi lactis conditione deſtitutum: nam in grauidis lac prauæ eſt qualitatis,& quantitate paucum, miniméque aptum nutritioni cenſetur, ex Gal. *lib.2. de ſanit. tuend.cap.9.*

Menſtruorum retentio non eſt veridicum conceptionis ſignum: nam plures grauidæ menſtrua ſtatis periodis experiuntur, & plurimæ citra ea conceperunt, vt ex priſcorum, & iuniorum mente eleganter probat Marcel. Donatus *lib.4. de medic. hiſtor. mirabil. cap.23.* & multo antea prædixerat Hippocr.5. *epid.num.5.* dum de vxore Gorgiæ verba faciens, eam quatuor annis menſtruorum retentione laborantem, tandem concepiſſe refert: ſubſcribit Ariſt. *lib.7.de hiſtor.animal.cap.2.* immò lactentes mulieres concipere quotidie comperimus, in quibus menſtrua diu fuerunt ſuppreſſa.

Maculæ in facie etiam conceptionem certò non indicant.Has deſcripſit Hip. *lib.de ſterilit.n.7.* dum ſic ait. *Quæ vtero gerunt in facie maculam habent, quam Ephelim vocant, &c.* Et *paulò infrà*, tales maculas habentes, fœmellas geſtare teſtatur. Sed hoc ſignum fallaciſſimum eſt: nam præterquam quod plures grauidæ eas non habent, etiam non grauidæ iis deturpantur, præſertim quæ febri alba ex menſtrui retentione laborant,quarum facies, fœdo, pallido, & viroſo inficitur colore. Hip. autem maculas ferè in vtero gerentibus apparere, in facie affirmat.

Pica,hoc eſt,extrauearum rerum appetitus, conceptionis certæ cenſetur eſſe ſignum,ſed non eſt; quum in non grauidis aliquando reperiatur, vt *infrà* patebit manifeſtè; neque in grauidis perpetuus ſit, ſed ad tertium, aut quartum menſem tantummodò perduret, à ſecundo incipiens, vt Galen.1. *de cauſ.ſympt.7.* Alexand.3. *probl.74.* Auicen. 13. 3. *tract.* 2. *cap.* 10. affirmarunt. Neque enim hoc ſignum omnibus grauidis eſt commune, ſed iis præſertim familiare, quæ vel primiparæ ſunt, vel in quibus vitioſi humoris in ventriculo cumulantur, vt 5.*aph.61.* Galenus aſſeruit.

Motus in vtero, ab omnibus iudicatur ſignum conceptionis certiſſimum, ſed falluntur: nam motus ille ex humoribus, flatu, & mola concitari poteſt, qui vel expertas fœminas, prudentes obſtetrices,peritos Medicos decipere ſolet, vt manifeſtè teſtatur Hipp. *lib.2 prædiction.num.*34. §. *Quæcunque in vtero ſe concepiſſe putant,& non conceperunt, & per multos menſes falluntur, menſtruis purgationibus non apparentibus, & ventres augeri,& moueri vident,&c.* Et hoc præſertim accidit in mola, cuius motum ſimilem eſſe motui embryonis, tradit Auic.21.5. *tract.2.cap.18.*

Denique experimenta ad explorandam grauidationem, quæ à Medicis proponuntur, ſunt fallacia, & ambigua. Ex quibus vnum eſt ab Hip.propoſitum *lib.4.aph.*51. dum ſic ait. *Si velis ſcire an conceperit mulier, quum dormitura eſt, ei aquam mulſam potandam da, & ſi alui tormina patiatur, concepit; ſin minùs,non concepit.* Quod ſignum dubium eſt, quia in non aſſuetis, & obſtructis facillimè tormina excitat,& eſt periculoſum; nam oblato hoc remedio, & ſubortis torminibus abortus facilè ſequi poteſt:maximè cùm mulſa menſtrua prouocet,& vrinam,ex Hip.*lib.3.acut.*11. Eandem fallaciam, & incommoda afferunt alia experimenta,Ariſtolochiæ, Galbani,aut huiuſmodi medicamentorum appoſitio, quæ afferunt Hip. *lib.de ſterilib.* & Auic. 21.3.*tract.2.cap.*14.Ex his conſtat,quàm coniecturalia,ac dubia ſint conceptionis ſigna:nam nullum ſignum reperitur in grauidis, quod ab aliqua præternaturali cauſa originem non ducat,nec vllum tam certum, & indubitatum experimentum, cui indubitatam fidem præſtare poſſimus.

Quum ergo tam arduum, & difficile ſit, conceptionis notitiam habere, & facilè Medici, obſtetrices peritæ, & quicumque alij decipiantur: neceſſarium mihi viſum eſt omnes notas apponere, quibus coniectura quadam artificioſa poſſimus huius rei cognitionem habere. In primis ergo mulieris ætas, temperamentum, vterique ferendi conſuetudo contemplanda: quædam enim faciliùs in vna ætate, ac in certo temperamento clariora ſunt. Sic in iuuenculis vtero ferendo non aſſuetis, ea ſymptomata &

A numero plura, & euidentiora apparent, & longiori tempore durant, & maiorem multò moleſtiam afferunt, quæ omnia in adultis, & aſſuetis contrario modo eueniunt: quoniam & pauciora ſunt, toleratu faciliora, & minori tempore eas vexare ſolent.

In calido temperamento diuerſa apparent ſigna, quàm in frigido. In illo adeſt oris amaritudo, cephalalgia, oculorum obtenebrationes, ſyncope,cardiogmos,bilis vomitus,ſitis intenſa.In frigido apparent ructus acidus, nauſea, ſubuerſio ventriculi, pigritia,corporis languor, oſcitatio, torpor, capitis grauedo, vomitus pituitoſus.

Perſcrutandum deinceps eſt, quot menſibus ipſa videatur ſibi in vtero habere;cùm quædam ſigna in primis menſibus, quædam in intermediis, alia in poſterioribus appareant.Recentioris conceptus hæc ſunt potiſſima, in coitu multa, maiorque quàm antea percepta delectatio, ſuctio ſeminis virilis ab ipſa fœmina percepta; maximè ſi vel illicò à coïtu,vel poſtridie perhorreſcat, atque vterum in ſemetipſum contrahi percipiat; ſi dolor leuis inter vmbilicum, & pudendum illam vexet; ſi concubitus faſtidium acceſſerit. Hæc ſi ita contigerint, non paruam conceptionis ſpem præbere poſſunt.

Addiderim fœminas quæ conceperunt, illicò moroſas euadere, ac tetricas, & quauis de cauſa facilè excandeſcunt, præſertim ſi melancholico ſint præditæ temperamento, & ſanguinem erant conſuetæ emittere per menſtrua fœculentum, & nigrum:in his enim apparet angor, inſolita triſtitia, & metus, adſunt inſomnia vaga, eas comitantur torpor, pigritia,& cibi faſtidium,nauſea, vomitus, malacia.

Menſtrua ſi apparere debent, vel exitum remorantur,
C vel omnino ſupprimuntur, iuxta Senis oraculum *lib.5. aph.61.Si mulieri ceſſent purgationes,neque febri,neque rigore ſuperueniente, & faſtidia cibi incidant, indica ipſam in vtero habere.* Nam fœminæ experientia ipſa edoctæ, quum menſtrua ſupprimuntur, & faſtidium experiuntur, putant certè in vtero habere. Quapropter menſtrua in grauidis ſtillant, & in modica quantitate exeunt, colore ſubalbida, citra lumborum dolorem, aut grauamen vllum. Hæc ſigna nonnullis intra menſem, aut vſque ad ſecundùm apparent. Quòd ſi fœminæ iam vtero geſtauerint, fuerintque aſſuetæ vterum ferre, hæc ſigna ſunt certiora: nam poſt concubitum illicò contrahi vterum perſentiſcunt, vt ait Hippocrat. *lib.5.aph.51. Quæ vtero gerunt, iis vteri os comprimitur*: quoniam,vt Galen.ait *in com. Maximum eſt mulieris quæ concepit indicium; ſi obſtetrix potuerit*
D *immiſſo digito os vteri tangere. Statim enim cùm ſemen intra ſeipſum acceperit, totam ſuam capacitatem contrahit, & claudit, &c.*

Prouectioris conceptus ſigna multa ſunt: nam quædam ex parte matris, alia ex parte vteri & ventris, alia ex aliquibus ſymptomatibus, aut affectibus eliciuntur. Ex matre hæc ſeſe primò offerunt: facies colore ſolito pallidior, ac magis extenuata citra euidentem cauſam, vt prægreſſum morbum, inediam, ieiunium, vigiliam, tremorem, triſtitiam. In fronte adſunt maculæ liuidæ, vel aliquo externo colore cutem fœdantes. Oculi fiunt conſueto contractiores, ac magis caui, quorum album ad liuidum, aut citrinum declinat colorem; cui ſigno plurimum fidit Hip.*lib.de ſuperfœtat.& lib.de ſterilib.*Oculorum pupillæ multò clariores euadunt, præſertim in iis quæ
E mares, aut fœtus robuſtos geſtant.

In tertio,vel quarto menſe, mammæ dolore incipiunt, & paulatim intumeſcunt,quarum venæ patentiores fiunt, craſſiores,& colore liuidæ, vel citrinæ apparent. Arteriæ iugulum perceptantes vel ex modico exercitio plus ſolito pulſant, & cor aliquando palpitatione afficitur. Mamillarum papillæ denigrantur, vergúntque ſurſum, ſi fœmina gerat maſculum:deorſum verò inclinant,ſi fœmellam, ex Hip.*in lib.de ſterilibus,num.7.* & circa papillas circulus colore nigriuſculus, & magis conſueto fuſcus animaduertitur, & lac emanat, licèt ſeroſum, & tenue.

Hoc tempore cibi faſtidium accedit, quod comitatur oris ventriculi morſus, vomitus, nauſea, ac ieiunium, os frequēti ſaliua madeſcit. Adeſt eructatio aceroſa, incoctio ciborum,

ciborum, infeſtat pica, cum ſyncope ſæpe, vel animi deliquio coniuncta, præſertim in iis quæ prauis humoribus ſcatent: licèt pleriſque rerum acerbarum, ſalſarum, acidarum, fructuum immaturorum, ac præcocium irrationale, ac inexplebile deſiderium oboriatur. Demum grauidationis ſigna omnia varia ſunt, ita vt plures, cibos qui antea illis erant ſuauiſſimi, auerſentur; aliæ amplectantur illos, quos antea ſummopere abhorrebant.

Venter in dies magis ac magis intumeſcit, ac conſueto magis calens percipitur. Tumor nec durus, nec laxus apparet, immò cum leni quadam renitentia mollis percipitur. Dolor leuis inter vmbilicum, & pectinem aliqualiter excruciat: ac procedente tempore motus quidam ſuauis, ac ordinatus tangenti perſentitur. Os vteri in conceptionis principio facilè tangenti, & abſque manifeſta duritie conniuere videtur; hoc enim maximum eſt mulieris quæ concepit indicium, apud Gal. 3. *de facult.* 3. & 6. *de loc.c.*5. & 6. *aph.*58. Menſtrua retinentur: ſuperuenit hæmorrhagia recurrente menſtruo ſanguine ad partes ſuperas, quare aliquando vomitu reiicitur.

Ex vniuerſo corpore plura depromuntur ſigna. Habitus corporis ad citrinum, vel liuidum vergit colorem, præſertim in iis quæ fœmellas gerunt, ex Hip. 5. *aph.*42. Accedit grauitas corporis cum pigritia coniuncta, ex Ariſt. *lib.*7. *de hiſtor. animal. cap.*4. Tumores adſunt in cruribus œdematoſi, ab aquoſo humore pronati. Venæ in toto corpore incraſſantur, & liuent. Infeſtat grauedo, vertigo, oculorum obtenebrationes. Pili ex conſuetis locis defluunt, & in non conſuetis repullulant, ex Ariſt. *vbi ſuprà.* Hæc ſigna ſi in vnum aceruum colligantur, ſimul iuncta, fallacia non erunt, immò certiora euadunt, ex quibus Medicus veluti manu ductus, conceptionem certò præſagire poterit. Reliqua lege apud Hip. *l. de genitur. ſuperfœtat. n.*8. *quæſt.*10. *ſterilib.* Auic. 21. 3. *tract.*1. *cap.*13. Aëtium *tetrab.*4. *ſerm.*4. *cap.*8. Raſium 22. *continent. tract.*6. *cap.*1. quorum mentem explicant Marinellus *lib.*3. *de medic. mulieb. cap.*2. Mercurial. *lib.*1. *de morb. mulier. cap.*1. Mercatus *lib.*3. *de morb. mulier. cap.*6.

Sed cùm duo ſint affectus, qui ſimilia grauidationi ex ſe præbent ſymptomata: menſtruorum retentio frequentiùs; mola verò rariùs. idcircò hæc inter ſe diſtinguenda ſunt. Menſtruorum defectum præceſſit morbus, craſſus cibus, frigidæ potus intempeſtiuus, & alia, ex quibus exoritur obſtructio. Sequitur horror inæqualis cum febri, vteri grauitate, ac dolore coniunctus, præſertim cùm imminet menſtruationis tempus; quæ omnia in grauida remittuntur ſenſim, in non grauidis exaſperantur, in quibus maculæ in facie poſt longum tempus apparent; nam in grauida illicò adueniunt; quoniam fœtus meliori parte ſanguinis nutritur, cuius deteriorem in ambitum corporis detrudit. Demum in vtero gerente, vna mamma magis quàm alia tumet, gracileſcit, dolet, prout fœtus in dextra, aut læua parte commoratur: in non menſtrua vtraque mamma æqualiter dolet. Grauida abhorret concubitum: quæ menſtruis deſtituitur ob aliam cauſam, eius deſiderio flagrat. In hac tumor illicò non apparet: in grauida ſenſim increſcit, qui nec durus eſt, nec protenſus, nec ſonum, ſi percutiatur, edit. Si verò percuſſeris non menſtruatæ ventrem, ob collectum flatum, ſonum intus exaudies, & murmur.

Molam ab vteri geſtatione diſtingues: nam ſi fœmina ad alterum latus conuertatur, ſimul cum mola pondus veluti inhærens prolabitur. Lac ſi apparet, eſt pauciſſimum, & colore liuidum. Mola magis quàm fœtus grauat, cuius tumor durus eſt, & magis renitens, & ſi illum comprimas, manum effugiet. Molam deprehendes, ſi fœmina ſterilis ſit, annoſa, vir valetudinarius, aut longo morbo confectus; ex his enim paucum ſemen, ac morboſum decidi, eſt neceſſe. Molam etiam coniicies, ſi conſtet virum ſua natura ſterilem extitiſſe; mulierem autem fœcundam, ac calidi temperamenti: viuida enim natura potiùs aliquem conceptum, quàm nullum procreare ſtudet.

A

QVÆSTIO XXIX.

Vtrùm purgatio citra turgentiam vtero gerenti commoda, vt contra Galenum, Salius, Mercat. & alij confirmant?

COMMENTARIVM.

D*Are medicinam laxatiuam.*] Inter Æſculapicæ familiæ viros, qui celebre apud Medicos nomen ſunt adepti, vnus egregiè memoratur Hip. prædictionibus multis ſanè illuſtris. Is ergo diuinus vir, diuino veluti ſpiritu afflatus, vt mortalium languoribus opem ferret, oraculum propè diuinum eſt profatus *lib.*1. *ſuor. Aph. text.*1. dum ſic ait: *Vtero gerentes ſunt medicandæ, ſi materia turget, quarto menſe, & vſque ad ſeptimum: ſed hæ minùs. A iuniore autem fœtu,*
B *& ſeniore abſtinere oportet, &c.* repetit *lib.*5. *aph.*29. Vberrimus interpres, vt Hippocratis mentem, quem tantopere veneratur, exponat, appoſitiſſimo exemplo rem totam ſic emedullat. *Cùm vtero fœtuum connexus, eandem habent proportionem, quam fructus cum plantis. Hi ſiquidem in prima generatione debilioribus pediculis continentur, & ideò facilè decidunt, quando vehementior ventus ipſos concuſſerit: poſtea verò aucti difficilem habent à plantis diſſolutionem: ſicuti rurſus cùm perfecti ſunt, ſine vi extrinſeca decidunt. Eodem modo & conceptus, in primo quidem tempore à feminis iniectione, ſiquando ſaltare contigerit mulierem, aut in lubrico cadere, ſiue quouis alio modo, vel ſecundum animam, vel ſecundum corpus moueri vehementiùs, facillimè abrumpuntur. Sic etiam quando iam perfecti ſunt. Tempore verò intermedio firmiorem habent coalitum, quare mulier vtero gerens poteſt fortiores motus ſuſtinere ſine fœtus offenſione. Quæ omnia Hip. noſcens, rectè inquit: Vtero*
C *gerentes ſunt medicandæ, ſi materia turget, quarto menſe, & vſque ad ſeptimum,* nempe à tertio completo, vſque ad ſeptimum inchoatum, ſeu (vt alij loquuntur) à quarto incluſiuè, vſque ad ſeptimum excluſiuè: nam tunc coalitus firmiores, nempe vincula denſiora ſunt, & firmiora, non fragilia aut laxa, vt erant in principio, & fœtus eſt robuſtior.

Purganda ergo eſt mulier grauida à quarto vſque ad ſeptimum, ſi materia turget: cùm enim turgens humor ſit mobilis, tenuis, & irrequieto motu per corpus agitetur, ex Gal. *lib.*1. *aph.*22. & 4. *aph.*1. & alibi paſſim irritet naturam, & ad ſui excretionem, naturam incitet, fit vt facillimo negotio; leuiſſimóque expurgante medicamento è corpore vacuetur, & eum vt ſubtilem natura, citra commotionem fœtus, & matris, per aluum propellat.
D Ita aſſerit Gal. 4. *aph.*1. §. *Nam quum ſuperabundantes humores mouentur, & per totum corpus feruntur, nondum in aliqua parte firmati, tunc ad eos expellendos natura incitatur, & aliquo indiget manum porrigente, & hunc humorum motum ad aluum deducente.*

Hanc curandi methodum tam veterum quàm iuniorum ſententia confirmat, ſed vnum excipiunt Auerrhoëm qui *lib.*7. *colliget, cap.*4. ſic inquit: *Pharmacia ad bonum finem peruenire nequit, quoniam in ſe habet ſubſtantiam venenoſam, & fortaſſe faciet malos humores fluere ad embryonē, vt ipſum lædant; propterea quod medicinæ purgantes ſunt medicinæ prouocantes vrinam, & quod prouocat vrinam eſt de genere prouocantium menſtrua, & quod prouocat menſtrua, abortire facit, &c.* Ex quibus verbis conſtat manifeſtè, Auerhoëm
E Hip. contradicere, qui à quarto vſque ad ſeptimum in grauidis purgationem concedit. Probat ergo tribus rationibus Auerrhoës, eam in vtero gerentibus celebratam, nocuam eſſe, & nullius vſus.

P[illegible]ma. Medicamenta purgantia ſunt nobis aduerſa, & venenoſa, ex Gal. 2. *acut.*11. §. *Purgantium omnium natura, corporum quæ purgantur naturis contraria eſt, atque vt quiſpiam dixerit, lethalis & deleteria, &c.* Sunt natura calida, febrem accendunt, ex Galen. 4. *acut.*7. & idcircò *lib. de medicament. purgantib. num.* 4. ea in ardentibus interdicit.

Secunda. Medicamenta purgantia mouent humores ad vterum, perturbant, alterant, exagitant, & mille in morbis acutis pariunt offenſas, ex Gal. *lib. de curand. rat. per*

ſang.

*ſang.miſ.cap.*12. explicat eleganter *lib.de venæ ſect.aduerſus Eraſiſtratum , cap.5.*

Tertia. Medicamenta purgantia prouocant menſes quoniam ſanguinem fundunt , liquant , attenuant, & ſic menſes prouocantur , & ſubtrahitur alimentum fœtui; maximè quia vrinam mouent.Præter iſtas rationes,adiungendæ & aliæ.

Quarta. Vel medicamenta grauidis exhibenda , ſunt fortia,vel lenia: illa non eſſe offerenda,ſuprà prædiximus; hæc laxant , emolliunt vincula, quæ cotyledones , acetabula , ſeu meatus appellant , quæ carnea cùm ſint , non oſſea, & ſint ſatis fragilia , relaxationi ſunt obnoxia : quo pacto pulpa caſiæ fiſtulæ , tamarindi , ſyrupi ex multiplici roſar.aut violar. infuſione , manna, & ſiquæ alia, hoc nomine videntur inepta.

Quinta. Si aliquod medicamentum eſt huic vſui proficuum,eſt Rhabarbarum,quod retinet fœtum,roborat ſiccitate ſua,& ſuauiter euacuat,aut Aloë,quæ leniter ſoluit, viſcera firmat, & euacuat cum aſtrictione?ob quas cauſas ab omnibus hæc ferè conceduntur , quum tutò grauidas expurgare eſt in animo , & Agaricùm. Sed hæc medicamenta ſunt amara ; hæc autem fœtum interimunt,ex Gal. *lib.*8.*ſimpl. cap.de cucumere agreſti , §.Cucumis agreſtis, tum fructus ipſius ſuccus,quem vocant elaterium, tum non minimè radicis, & foliorum , ad medicationes perutilis eſt. Elaterium itaque menſes ciet,& fœtum interimit appoſitũ,ceu alia omnia amara,& ſubtilium partium,maximè ſiquam habent caliditatem,&c.* confirmat deinde Gal. *lib.*4.*ſimpl.cap.*9.& 20.

Sexta.Purgantia,ſpiritus, humores, & vterum conturbant,acetabuláque diſſoluunt : quare Hipp.5. *aph.*34. ſic dixit : *Mulieri vtero gerenti,ſi aluus plurimùm profluat, periculum eſt ne abortiat :* & *aph.*60. ſic ait : *Si mulieri vtero gerenti purgationes procedant , impoſſibile eſt fœtum eſſe ſanum:* & *l.*7.*aph.*27. *Mulieri vtero gerenti,ſi teneſmus ſuperuenerit, facit abortum.* Nam non ſolùm ob immodicam vacuationem , exhauſtis ſpiritibus concitatur abortus , ſed ob maximum conſenſum vteri cum inteſtinis , cuius ratione totum corpus laborat : *nihil autem mirum , ſi propter vehementes , atque frequentes exſurrectiones conceptus abortitur, quando & ex aliis omnibus fortibus motibus , atque doloribus mulieres grauidæ ſolent abortire.*

Sed harum rationum non eſt multùm operoſa explicatio. Nec enim omnia medicamenta expurgantia deleteria ſunt,ac venenoſa;nam Galenus 3.*ſimpl.*24. triplicem facit claſſem medicamentorum : quædam ſunt valida & effrænia , quæ ſi non expurgant , & fine ſuo fruſtrantur , vehementer alterant ; & in humorem vertuntur veneno finitimum,vt peplium, elleborus, turbith, ſcammonium, tithymalus , euphorbium , agaricus niger , colocynthis. Alia ſunt leuia,ſuauia, quibus etiam antiquitas vtebatur, quicquid (perperam tamen) contradicant plures , quæ ſi non purgant , in alimentum abeunt , ob eam quam cum corpore habent familiaritatem, vt ſunt ſerum lactis, ptiſſana , lac in magna copia exhibitum , & præſertim aſininum,manna,quod mel aëreum dicitur à Galen. 3.*aliment.* 39.pulpæ caſiæ interaneus liquor,ex Actuario *lib.de compoſit. medicam. ad initium , tit.de potionibus medicamentariis aduersùs affectus qui febres comitantur.* Roſarum ſuccus,fumariæ decoctum,& alia.Nam Dioſcorides *lib.*1.*cap.*42. de oleo roſaceo notauit,quòd potum ſoluit aluum.Inter hæc ſunt quædam priſcis nota, quæ ſi fruſtrantur opere ſuo,in humorem conuertuntur , quem attrahere debebant, quum illi ſint valde ſimilia : hæc non dicuntur medicinales cibi , ſed verè medicamenta tantùm appellantur , non tamen habent permixtam vim venenoſam , vt ſunt rhabarb.cognitum Paulo *l.*7.*cap.*11.*in fin.* in tribus illis compoſitionibus , quas aduerſus podagram ſcribit , quarum primam vocat Diacorallum , ſecundam Antidotum Agapeti , tertiam Antidotum atacton : in quibus compoſitionibus ipſius meminit , de quo etiam eum facere verba credendum eſt *lib.*1. *cap.*43. quando offerens terebinthinam dormituris ad deiiciendam aluum,ſubdit: *At cùm magis ſubducere eam cogitamus, Rheu momentum admiſcebimus.* Hæc ſunt loca , quæ ſibi monſtrari petit Manardus *lib.*9. *epiſt.vlt.* ſcribens quòd poſt multiplicem Pauli lectionem non inuenerit : cuius certè cauſa fuit, quod ipſum locum corruptè legerat *lib.*6.*epiſt.*2. Hæc ergo ſi non expurgant peccantem humorem , in eum conuertuntur , vt 3. *meth. cap.*4.Fernelius docuit eleganter : licèt Auicenna videatur Galeno contrarius 4.1. *cap.*4. & Gal. ſibiipſi , qui *lib.*1.*de facult.naturalib.cap.*18. Aſclepiadem redarguit,quòd dixerit à pharmacis ipſis purgantibus vacuatorum quodque tale fieri. Ex quo loco anſam arripuit Valleriol. *de conſt. art.medic.Gal.in com.c.*18. vt morderet Galenum, & multi alij temerè eum reprehendere auſi ſunt , quorum rationes ſolutas legat qui velit apud doctiſſimum Ioan. Brauum Petrafitan. *lib.*1.*de curand.rat.per medicam. purgans,cap.vl.* De horum cenſu eſt etiam Agaricum, cognitum Gal.*lib.*6. *ſimp.cap.*8.& eo vtitur pro purganda pituita.Polypodium cognouit Galenus 13.*meth. cap.* 15. Vrticam etiam, epithymum , & Mercurialem. Vt hinc conſtet priſcos illos vetuſtiſſimos, & iuniores Græcos medicamenta benigna ſatis agnouiſſe , quibus ſecurè vtero gerentes expurgari queunt.

Deinde Auerrhoës non contradicit Hip. vt hactenus Medici ſunt opinati , de quorum numero ſunt Valleſius *lib.*7.*controu.cap.*7. Muſa *lib.*4.*Aph.com.*1. Conciliator *dif.* 166. Moxius *lib.*2. *de morb. mulier. cap.*26. & plures alij, quum hoc ab huius auctoris mente ſit valde alienum: nam hic ſolùm vetat pharmaca violenta, effrænia . & deleteria , quæ venenoſa ſunt , & fœtum interimunt : nam ipſe ſi hoc modo non intelligatur , ſecum conſentire non poteſt,qui *lib.*5.*collig.cap.de Rabet*, ſic ſcribit : *Et Galenus, & alij Medici dicunt, quod conſtringit ventrem , & nos videmus quòd purgat , & eſt mirabilior aliis medicinis purgatiuis, quia frænum ſuum eſt cum eo;quoniam nulla medicinarum purgatiuarum eſt ſine veneno aliquo in aliqua parte ſui , ipſa excepta, eò quia confortat omnia membra corporis, ideò poſſumus dando ipſam pro purgatiuo , refrænare alias per ipſam medicinas,&c.* Quare vel ipſo auctore non omnia purgantia ſunt venenoſa , & licèt eſſent, ea erant offerenda ad maius periculum euitandum, nam *melior eſt noxa, quàm mors*, ex Gal. *lib.*12.*meth.cap.*1. explicat Galen.1.*aph.*24.Etſi enim vxor Antimachi exhibito catapotio ex elaterio mortua fuerit, vt conſtat ex Hippocr.*lib.*5.*epid.num.*9.erat tamen grauida ſecundi menſis , & non ex pharmaco, ſed ex vi morbi occubuit , nam igni correpta eſt , & aliis ſymptomatis grauibus oppreſſa.

Secundæ rationis ex his quæ diximus , robur infringitur , nam medicamenta non attrahunt ad vterum, ſed ab eo trahunt ad aluum : & ſi leuia ſunt , & clementia, vt ſunt quæ ſuprà citauimus , medicamina, citra agitationem ſuum opus complent , & licèt commoueant , & aliquantulum alterent maiori commoditate minor noxa eſt redimenda , maximè cùm *nihil ſit , quod tam magnificè proſit , quod aliqua ex parte non noceat* , ex Gal. *lib.*11.*meth. cap.*11.

Tertia ſoluenda eſt hoc modo. Non omnia medicamenta prouocant menſes , licèt vrinam prouocent : nam quæ mouent menſtrua , vrinam prouocant , non tamen è conuerſo , vt colligitur ex Gal. *lib.*5.*ſimpl. cap.*22.*in fin. §.Proinde ea peculiariter dicuntur vretica,ſiue vrinam mouentia , non quia ſolùm moueant vrinas, ſed quia ſolas , abſque vt etiam menſes , aut lac , &c.* Præterea,non omnia quæ menſes mouent, abortum faciunt ; multis enim copioſè menſtrua fluunt citra abortum,immò ſeruato in tempus commodum fœtu , quod ſæpius obſeruaui, vegeto ac viuido, feliciter pariunt : maximè quum benigna medicamenta non prouocent vrinam: hæc enim ex acrium genere ſunt, ex Gal. *lib.*5.*cap.*13.

Quartam explicabis in hunc modum. Hippocrates valida purgantia negat prægnantibus : nam Philotheus *l.*4. *Aph.com.*1. aduertit , medicamentum ab ipſo prolatum, non quoduis purgans,ſed ſolùm validum deſignare ; lenitiua verò tantùm abeſt vt relaxent, quin vacuato humore noxio firmiora reddant corpora : quapropter mannam, & caſiam præbemus , quibus potentius medicamentum exhiberi non poteſt,nempe vtero gerẽtibus,vt Actuarius aduertit *lib.de compoſitione medicamentor.tit.de myrobalanor. generib.*ita ſentiunt Meſuës & Auic.*cap.prop.* Rhaſius *l.*3.

*ad almanſ.cap.*15. Haly 2.*practic.cap.*38.Auer. *lib.*5.*collect.*
*cap.*55.Serap.*lib.de ſimpl tract.*1.*cap.*12.Tamarindi imper-
mixti rarò offerendi; nam & vterus acetoſis malè habet,
quia hæc illum dolore afficiunt ex Hipp.3.*acut.*39. & ob
magnam doſim qua propinantur ſine vomitu, anxietate,
& horrore vtero gerentes rarò poſſunt ebibere: eſt enim
apud Meſuëm doſis ab vnciis duabus vſque ad quinque,
quare media erit, vnciæ tres. Auicenna vberiùs propinat,
& inquit: *ſit potio ex decoctione eorum propinqua mediæ libræ.*
Serapio exhibet libras quinque, ſed nimius videtur; quare
librarum loco legendæ ſunt vnciæ, vt cum Meſuë conue-
niat. Quapropter meliùs eſt vt cum caſia, roſarum ſucco,
aut manna permiſceantur.

Quintam dilues ſi dicas, non omnia amara fœtum in-
terimere, ſed ea quæ exquiſitam amaritudinem ſortiuntur
Hoc manifeſtè ſignificauit Auerrhoës *lib.*5.*collect.cap.*27.
dicens: *In aqua maris, quæ eſt multùm amara, non poteſt vi-
uere aliquod animal, propterea quia amaritudo eſt in extremo,
nutrimento animalium aduerſa, & eſt dulcedini contraria pro-
pter ſiccitatem ſolùm: ob idque interficit infantes, quando mul-
tum ea vtuntur, eo quòd ſunt in vltimo humiditatis, & vni-
uerſaliter non ingreditur natura amaritudinis in re cibali, quia
illa non eſt niſi medicinalis; & dulcis ingreditur in cibos, &
medicinas.* Hactenus Auerrhoës. Exactè ergo amara inter-
ficiunt fœtum, tùm quia nutritioni ſunt inepta, tum
quia naturæ contraria, maximéque quòd ſubtilium par-
tium, & caliditatem habeant multam, aperiant, & menſes
moueant. Has rationes veriſſimas eſſe inuenies, ſi Galeni
loca exactè perpendas, in quibus de amari ſaporis gene-
ratione, viribus, & efficacia pulchra conſcripſit, 4 *ſimpl.*9.
20.*&* 21.*& lib.*6.*eiuſdem operis, tit.de Abrotano*, 3.*ſec.loc.*
*cap.*1. & alibi paſſim. Sequuntur Aëtius *tetrab.*1.*ſerm.*1.
*cap.*9.Auic.*l.*2.*tract.*1.*cap.*3. Explicant luculenter Syluati-
cus *controuerſ.*85. Montanus *part.*3.*vniuerſæ medicinæ, tit.de
dif.ſapor.* Ioan. Brauus in ſuo eleganti *de ſapor.dif.lib cap.*7.
Valleriol.*lib.*1.*enarrat.*4.& alij. Alia verò quæ non exactè
ſunt amara cùm partes habeant frigidas, aliquando frigida
ſunt, vt roſa, intybus, amygdalæ amaræ, quas inter ea quę ad
frigiditatem inclinant, Galenus repoſuit, 3.*ſec.loc.cap.nuper
citato*, quæ quanta cum vtilitate grauidis propinentur, ſi
nauſeabundæ fuerint, ac flatuoſis ventris doloribus ten-
tentur, cuique eſt manifeſtum: nonne in Diamargaritone
vtroque plura amara continentur, quorum ratione plu-
rimæ grauidarum ægritudines mirificè iuuantur? nonne
Auicen.21.3.*tract.*2.*cap.*10. vtero gerenti pilulas fœtidas
propinat, in quas colocynthis, Aloë, & alia amara ingre-
diuntur, ſi Meſuë, & Auicen. compoſitionem percurras.
Quare licèt amarus ſapor à calore oriatur, vt *loc.cit.* aſſe-
ruit Gal. tamen cum amaro ſapore, alias adeſſe euincentes
frigidas qualitates, à quibus medicamentum denomina-
tur frigidum, non negamus cum Gal.*l.*4.*ſimpl.c.*7.§.*Quin
etiam nonnulla ex iis, quæ qualitatibus mixta erant, nempe quæ
modicè dulcia, aut amara, aut acria, apertè quoque refrigeran-
tia reperi, ſcilicet cùm in eis adſtringendi refrigerandique fa-
cultates ita vincerent, vt alias obſcurarent, &c.* Et Galenus
roſam in exemplum aſſumpſit. Quando ergo Galenus,
amara fœtum enecare ſcripſit, 8.*ſimpl. cap. de cucumere
agreſti*, de iis quæ ſummè, ſimpliciterque amara ſunt, eſt in-
telligendus, vt Myrrha, Cedrea.

Hoc modo non eſt deteſtandum Rhabarbarum, quod
in grauidarum morbis ſummo eſt ex vſu, ex Meſuë, firmat
Muſa, 4.*aph.*1. quoniam materiam peccantem educit,
fœtum roborat in vtero, & acetabula firmat, quæ quia
mucoribus ſæpe impleri conſueuerunt, abortus occaſio-
nem præbent, ex Hip.5.*aph.*45. Renuit Arnaldus *cap.*61.
ſpeculi ſui, quia vis aperiens quæ eſt in ipſo, ducit aſtrin-
gentem, vt expreſſione eiiciat fœtum: ſed facili argu-
mento conuictus, à recta medendi norma receſſit. Primò,
nam ſicut Rhab. non adſtringit, niſi poſt purgationem hu-
moris, ita non deberet adſtringere, niſi poſt expulſionem
fœtus: ſicque adſtrictionem ſemper deberet præcedere
abortus, non eam ſequi. Secundò, non pari facilitate ex-
pellitur fœtus, ac humor, vt perperam *lib.*4. *Aph.com.*1.
ſibi perſuaſit Fuchſius. Tertiò, licèt adſtrictio iuuet ex-
purgationem Rharbarbari, purgatio à partibus acribus,
A non adſtringentibus prodit: nam aliter non eligeret hu-
morem purgandum, ſed quemuis obuium vacuaret; nec
etiam per aſſationem imminueret vim purgantem; ſi ergo
purgatio non fit ab aſtringente parte, ſed ab acri, fruſtrà
timet adſtringentem, cuius vi expellendum fœtum ratus
eſt. Idem dicendum de myrobalanis: nam cardiaci ſunt,
adſtringunt, firmant fœtum, & ſic ſecurè grauidis concedi
poſſunt, licèt inefficaciùs purgent. Agaricum, medica-
mentum ſanè cardiacum, familiare, ſalubre, & innoxium,
neque exactè amarum, quum primo guſtu ſit dulce, quis
prægnantibus morbis grauiſſimis correptis negare aude-
bit, & maximè permixtum aliis quæ illius vim infrænent,
vt notat Conciliator *dif. cit.* neque Aloë præſertim lota,
& mixta adſtringentibus eſt illis interdicenda, nec enim,
vt falsò multi opinantur, potentiſſimè prouocat menſes,
quum ad eos reprimendos, ſimúlque ad nimium compe-
B ſcendum ex hæmorrhoïdibus profluuium, à priſcis pro-
pinatur, quia non aperit ora venarum, vt Varandæus exi-
ſtimat *lib.*2.*de morb.mulier.cap.*4.& idcircò eam vtero ge-
rentibus denegat, vt doctè probat Valleſius *lib.*9. & nos
plurimis exemplis palam facimus *lib.*2.*in com.hiſt.*42.

Sexta nullius eſt momenti. Nam immodicus, & diu-
turnus alui fluxus in grauidis, ob citatas rationes debi-
litat vires, exhaurit ſpiritus, & ſanguinem hac ratione
minuit, detrahitque alimentum fœtui, vterum contur-
bat, & concitat abortum. Expurgantia verò benigna
non agitant, nec alterant, immò roborant & firmant,
citráque moleſtiam peccantem humorem ad aluum de-
trudunt.

Ea ergo in grauidarum morbis ſunt admittenda, qui-
bus etiam vtebantur priſci, correctis, & permixtis iis, quæ
illorum malitiam redarguerent, & aliis quæ cùm ſint boni
C odoris, & ſuauia, ventriculum, fœtúmque roborarent,
& ſuperbibita ptiſſana quæ acrimoniam illorum retun-
deret, vt prædixit Hipp.2.*acut.*12. dum in pleuritide Pe-
plium exhibuit. His ergo vtendum eſt, quando morbus
grauis grauidas occupauerit, & ſua pernicie periculum
minabitur, quorum minor quantitas offerenda, quàm affe-
ctus plenitudo deſiderant: nam fœtura loco accidentis ha-
benda eſt, quod vires comminuere poteſt: grauidatio enim
purgationem prohibet, non tanquam ex ſcopis qui eam
omnino dehortantur, ſed eſt ex illorum numero, qui
coindicantes, à Medicis vocari ſolent. Quemadmodum
enim cùm datur ſymptoma vires debilitans, cum neceſſi-
tate vacuationis, cum maiori cautela, & in minori quan-
titate vacuamus, vt *l.*1.*ad Glauc.*14. & alibi prædixit Gal.
ſic quando mulier vtero gerit, & ſæuo morbo corripitur,
D cautè expurgatio celebranda. Hanc non ſolùm in mediis,
ſed aliis menſibus eſſe exercendam morbi vrgentia expo-
ſtulat manifeſtè, ſed à quarto vſque ad ſeptimum appoſuit
Hip. vt doceret nos, quo menſe ſecuriùs purgantibus me-
dicamentis vti poſſemus. Licèt enim tribus primis menſi-
bus, ac duobus vltimis, ſit periculoſum aggredi purgatio-
nem, etſi minùs inconueniens ſit in ſeptimo, tamen *quando
ſalutis via eſt, eáque vnica & dubia, tunc ea etſi cum periculo
tentanda, ne ægri omne ſpe adempta certò pereant*, vt notauit
Gal.10 *meth.cap.*10.

Sed inſurget hoc loco quiſpiam, & quæret, vtrùm ſo-
lùm in humore turgente medicamenta porrigenda graui-
dis? Hip. annuit *loc.cit.* approbant eius mentem Petrus Sa-
lius *cap.*22.*de affectib.particular.* quo loco de morbis acutis
mulierum vtero gerentium egit eximiè, ſequuntur Mer-
E catus *lib.*3.*de morb.mulier.cap.*22. Roderic. à Caſtro *part.*2.
*lib.*2.*de morb.mulier.cap.ſuprà cit.* qui ſolùm in materia tur-
gente approbant purgationem. Sed eorum votum non
amplector, quum detur occaſio curandi morbos grauida-
rum, qui à quieto, multóque humore originem ducunt,
eóque præſertim qui eſt iuxta membrum princeps, aut
vehementi ſuborta inflammatione illud vexat, & occu-
pat, venenoſáque qualitate fatigat. Cùm enim rarò tur-
geant humores, ex Hip.1.*aph.*22. & frequenter grauidæ
morbis acutis corripiãtur, quia deterioris ſunt habitus, vi-
ribus non conſtant, pallidæ ſunt, decolores, & plurima de-
terrima excrementa aceruant, quid faciendum ſi humor
non turget? licétne à curatione abſtinere? minimè quidem.
Petrus

Petrus Salius, plurimis ingeniis poſſe educi peccantes humores citra expurgationem, aſſeuerat. Adſunt præparantia humores, victus ratio, clyſteria lenia, & alia quæ materias ad vias ductuum deducunt, quibus vſus eſt ſolùm Galenus, pro curatione febrium pharmaco relicto. At hæc noxa non carent,neque morbum celerem,& acutum,vt efflagitat illius vehementia, leniunt aut eradicant. Si enim adſit ſæua inflammatio interna, dolor ſit ingens, & febris vehementia increſcat, quid faciendum, niſi auxilia magna adhibere? nam *non poteſt vehementi morbo niſi vehemens auxilium ſuccurrere*,ex Celſo *lib.2.cap.*11.ea enim *quæ celeritatem deſiderant, celeriter adimplere oportet*,vt aduertit Gal.*l.1.acut.com.* Diæta præterquam quòd non poteſt præſcribi in grauidis exactè, quia perditur fœtus, ex Gal.*lib.1.epid.ſect.3.com.8.penult.*eſt moroſa euacuatio, & non ita citò vrgentiæ morbi ſuccurrit. Præparantia alterant, non euacuant. Clyſteria lenia attrahunt ad vterum, neque cauſam morbi coniunctam eradicant.Falſum autem eſt, venoſi generis morbos clyſteribus, & aliis auxiliis, ſpreto pharmaco,à Galeno fuiſſe curatos, vt contra plurium opinionem,allatis in medium ſententiis Galeni, probauimus *in lib.1.in com.hiſt.6 3.*

Verùm, vt ad inſtitutum accedamus, dicendum eſt, etiam non turgente materia grauidas eſſe expurgandas leuibus medicamentis dictis. Hoc clariſſimè appoſuit Gal. *in com.cit.Aph.*cùm dicit.*Non tamen omnes,quæ hoc tempore indigent purgatione, permittit purgari; ſed ſi materia turget, hoc eſt, vrget, & premit.* Vides quomodo Galenus ſub turgentia includit vrgentiam, ſciens frequenter vrgentibus morbis vtero gerentes premi, quas ſi ſolùm habito reſpectu ad turgentiam perſanare velimus, nihil præter victum inſtituentes, eas in certam ruinam deferemus: nam Hipp. boni Legiſlatoris munere,pro exemplo poſuit humorem turgentem, quia hic facillimè ob tenuitatem educitur, & tanquam moleſtus à natura irritata illicò expellitur. Et licèt plures legant textum ſub alio codice, in quo locus iſte ita legitur: *ſed ſi materia turget, hoc eſt,cogat accelerare:*tamen ego aliam lectionem magis probo,quum magis medicinalis ſit, & ad curandos morbos frequentes grauidarum vtilior; quicquid eam reprobet Santorellus *lib.20. antepraxis, cap.8.*

Eam confirmat Galenus *lib.5.aph.55.* quo loco reddens cauſam, quare vtero gerentes febre detentæ, vel abortiunt,vel cum periculo pariunt,inquit,*quòd hæ mulieres corripiantur febribus adeò vehementibus, vt ex neceſſitate abortiant;aliquando tamen corripiuntur febribus mediocribus, in quibus cùm à Medicis non purgentur ſufficienter,aliquid ſupereſt reliquiarum humorum in corpore vitioſorum, ex quibus febres conſtiterant, vnde vel abortiunt, vel difficulter pariunt, vtpote non potentibus Medicis mulieri grauidæ aliquod validum auxilium adhibere.* Ex quo loco patet in grauidis citra turgentiam lenes purgationes admittere, vbi febris eſt mediocris, humor non turget; nam turgens humor acutiem inducit. Ergo Galenus lenia medicamenta in illis approbat, fortia, & valida contemnit. Reſpondet Petrus Salius *loc. cit.* ex hoc contextu contrarium ſenſum elici poſſe: quoniam Galenus clariſſimè excludit pharmacum per ea verba, dum habet: *Mulieri grauidæ nullum validum auxilium adhiberi poſſe*, validum autem auxilium eſt pharmacia.Cùm autem inquit,*quòd mulieres vtero gerentes in febribus mediocribus non ſufficienter purgantur*,confirmat in his excludendum eſſe pharmacum: non enim purgantur ſufficienter, quoniam in eis illa tantùm purgatio adhiberi poteſt, quam docuit *lib.2.meth.cap.9.* in febribus putridis adminiſtrandam eſſe,per medicamenta prouocantia ſudorem,vomitum,& clyſteres,quorum vi leniter humor trudatur ad aluum.

Verùm hæc interpretatio eſt ad libitum prolata: nam Galenus non renuit pharmaca in grauidis, verùm dicit ipſa non ſufficienter purgari; quoniam medicamenta lenia etiamſi propinentur, offerri nequeunt in copia tanta, vt eradicare queant peccantem ſuccum, quia ſemper illis pharmaca exhibenda ſunt in minori quantitate,quàm expoſtulat plenitudo, quum aliquid fœturæ ſit relinquendum, quæ ſpecies vacuationis eſſe cenſetur,& hoc modo

A nullum validum auxilium adhiberi poteſt, quod totam materiam peccantem ſemel exhauriat.Deinde,vt diximus, falſum eſt in febribus, & acutis morbis Galenum medicamentis purgantibus non fuiſſe vſum, quum expreſsè contrarium doceat *lib.1.aph.24.& lib.quos quib.& quando,* & monuit Hipp. *lib. 1. aph. 22.* cocta medicanda aſſeuerans,hoc eſt, vti medicamento expurgante cum Galen. *in com.*imperans,in omnibus acutis morbis, in quibus id eſt vtiliſſimum,ſi conuenienti tempore adminiſtretur,hoc eſt in remiſſione febris, & coctione peracta, vt *lib. de med. purgantib.num.4.* notauit Hip.

Quapropter fidiſſimo experimento compertum eſt, non ſolùm in materia turgente, ſed quieta & firma, ſi neceſſitas cogit,in omnibus menſibus purgationem clementem eſſe vtiliſſimam. Hoc peculiari elogio decantat Fernelius *l.3.meth.c.11.§.Prægnans quoque integris viribus licèt*
B *purgantiũ vim tolerare poſſit,quia tamen illi qui intus geritur, quę ſeruare volumus,vehemẽter obſunt,benignis ſolis eſt expurganda, &c.* Qui tantus auctor tempus nõ determinat: nam ſi ligamenta vtque adeò valida ſint, vt nunquam abortierit fœmina, vel ſuapte natura ſit fortis & robuſta, quouis menſe expurgari poteſt, & Hip.præceptum vt plurimùm, ſicut cætera omnia aphoriſtica oracula ſeruare oportet. Si verò ligamenta adeò laxa ſint, vt leui de cauſa diſrumpantur,& fœmina ſit debilis,hæc nec in menſibus ab Hip. præſcriptis eſt expurganda: licèt tunc fœtus reliquorum menſium collatione facta videatur eſſe validior. Ita adſtruit Auicen.21.3. *tract.2.cap.* 10. dum ſic profatur: *Et pharmacum quidem ſolutiuum eſt de ſumma illarum cauſarum: quare oportet vt caueatur eius diſpoſitio ante menſem quartum, & poſt ſeptimum, & in eo, quod eſt intra illa iterum; verum-*
C *tamen in eo quod eſt inter illa eſt ſalubrius, ad ipſum peruenitur, quum neceſſarium eſt; & fortaſſe non erit excuſatio in quibuſdam harum horarum,quin ſoluatur,& mundificetur ſanguis eius,vt non corrumpat embryonem,propter malitiam complexionis: quare oportet vt fiat cum facilitate, & ſubtilitate, &c.* Cenſet ergo Auic. medicamentum etſi periculoſum, cogente tamen neceſſitate in quouis tempore, licèt ſalubriùs in mediis menſibus, poſſe concedi: quem locum vberrimè exponunt Gentilis, & Iacobus de partibus *in com.* Syluaticus *controu.85.*

Ex iis diſces, grauidas morbo acuto, vel chronico detentas leuibus pharmacis eſſe expurgandas, turgente, vel concocta materia, quando ob cacochymiam maius imminet periculum,quàm ex agitatione, & inſuauitate medicamentorum ſequi poſſit. Tædio eſſem omnibus,ſi obſerua-
D tiones, & conſilia Medicorum illuſtrium in propatulum ponerem, qui in grauiſſimis morbis acutis, chronicis, & Gallico præſertim,in omni menſe, curandas eſſe grauidas expurgantibus ſibi perſuadent, ſicque non ſolùm catharctica propinant, immò vnguenta ex hydrargyrio admouent,quæ in aliis,& vel in robuſtis hominibus eſſe nocua plures rati ſunt. Poteſt itaque Medicus, vtiliter illa vſurpare in grauidis,purgationi potiſſimùm aſſuetis,quocumque grauidationis menſe,ſecuriùs tamen mediis, vt doctè admonuit noſter Coüs.

Sed proſequentes cœptam de purgatione in grauidis tractationem, quæramus aliqua ex multis, quæ in calce ſeſe offerunt; non citra vtilitatem diſcutienda, & primò ſic.Si morituri ſolis præſagiis ſunt relinquendi, ne præſidia inſano conſilio infamentur, & grauidæ morbo acuto
E oppreſſæ, (in quo ſolo materia turget,) lethaliter laborant, 5.*aph.*30. cur in iis fruſtra vtimur purgante pharmaco? Dic, valde diſtat lethale à deplorato: nam hic dicitur; cui nulla ſalutis elucet ſpes, ſed certò ex eo æger eſt moriturus: ex lethali verò plurimi, licèt cum magno mortis periculo, euadunt: nam lethale apud Gal.5.*aph.*2. ſumitur pro eo qui admodum crebrò,non tamen ex neceſſitate mortem inducit: & interdum cum maligno confunditur, ex Gal.3.*prog.*1.*& lib.de bonit.& vitio ſuccor.cap.*1.à maligno autem morbo plures euadunt. Ergo lethali morbo correpti non omnes occumbunt.Sic Meto cum vrina, & ſuſpenſione nigra ſanus euaſit, apud Hip.1. *epid.ſect.3. com.*24. Sic iuuenis Smyrnæ, cui vulnus in cerebrum penetrans fuit illatum, ſanitatem recuperauit, vt conſtat

ex

ex Gal. *lib.8.de vſu part. cap.*12. Sic vtero gerentes acutis morbis vexatæ, etiamſi lethaliter habeant, in ſummóque vitæ diſcrimine verſentur, non ſunt deploratæ, immò artis beneficio adiutæ conualeſcunt.

Secundò. Si humor turgens primis, & vltimis menſibus etiam exacerbatur, & inualeſcit, & timor eſt ne ex eo febris caliditas augeatur, vel dolor partis increſcat, vel ad aliquam principem, vel in ipſum etiam fœtum poſſit decumbere, quæ pericula timuit Galen. 4. *aph.*10. cur expurgatio in primis, & poſtremis non eſt celebranda? Dic. Antiqui in primis, & vltimis, etiamſi humor turgeret, ferè non expurgabant, quoniam fœtum tenerrimum ob fragilia vincula, & maturum iam ad exitum properantem, pharmaci agitationem ferre non poſſe exiſtimabant, & ſic conſultiùs fortunæ humoris turgentis ſe committere, quàm certum ex medicamento abortum ob cauſas dictas expectare, rati ſunt. At nos frequenti experimento nixi, clementes purgationes in omnibus menſibus, vrgente neceſſitate fœliciter propinamus. Sic *veteres*, dicebat Celſus *lib.* 2. *cap.* 10. *ſibi perſuaſerant, grauidam, in qua ſanguis mitteretur, abortum eſſe facturam: poſtea verò vſus oſtendit, nihil ex his eſſe perpetuum; nam non intereſt quid in corpore intus geratur, ſed quæ vires ſint; quare grauida mulier valens tutò per venæ ſectionem curatur.* Sic Hippocrat. & priſci tantoperè in illis purgationem renuerunt, hoc eſt monuerunt, & cautos nos fecerunt, ne hoc auxilium citra præſentem neceſſitatem celebremus; at poſtea vſus oſtendit, nihil ex his eſſe perpetuum, aliáſque potiores obſeruationes eſſe adhibendas, ad quas dirigi curantis conſilium debeat. Ergo ſi vires ſint, & morbus vrgens adſit, qui ex humore oritur, in quo purgatio ſit neceſſaria, eam concedunt iuniores omnes in menſibus aliis, vſu multiplici edocti: nam monet Galen. *lib.*1. *epidem. ſect.*3. *com.*1. *vt iudicium Medici docti magni faciendum ſit.* Quare quod hi grauiſſimi viri ratione, & experientia compararunt, & ego indies magis ac magis obſeruo, præmiſſa phlebotomia parca, id citra timorem amplectendum eſt: nam experientiæ, & rationi plurimùm eſt fidendum, vt infrà ex præclara Galeni doctrina *in comment. hiſtor.*37. dilucidabimus.

Tertiò. Humor coctus, & à natura deuictus meliùs paret pharmaco, quàm turgens. Ergo hic etiam citra turgentiam vacuandus. Dic, licèt dubium grauiſſimum excitari poſſit, à paucis agitatum, num humor coctus meliùs cedat medicamento expurganti, quàm turgens, tum quia edomitus per coctionem euaſit, tum quia eſt quietus, nec ſtimulat naturam acrimonia ſua; turgens verò eſt tenuis, irrequietus, irritat, lancinat, & prouocat naturam ad ſui expulſionem: tamen cùm *vacuatio fiat natura expellente, medicamento attrahente*, ex Galen. *lib.*1. *aph.*22. illa autem magis excitetur ad expellendum coctum, quàm turgentem, ex Galen. *lib.*2. *Aph. comment.*22. idcircò coctus humor, licèt craſſior, magis obedit, & naturæ, & pharmaco, quàm turgens: ſed non eſt ita celeriter purgandus, ex antiquorum mente, quoniam nullum periculum anteuertimus in expurgatione cocti, ſicuti in expurgatione turgentis.

Quartò. Sanguis poteſt turgere, & acrimonia ſua irritare naturam, furibundóſque motus edere: ſi ergo hic turgeat, quid faciendum? Expurgatio reproba eſt, nam ſanguinis efferueſcentia ſanguinis miſſione curatur, ex Galen. *lib.de curand. rat.per ſang.miſ.cap.*12.*lib.*13. *meth. cap.*6. & alibi paſſim. Sed hæc in turgente humore non eſt amplectenda, ex priſcorum mente, vt latè probat Hippocrat. cum Galen. 4. *aph.*1. *&* 10. Si tamen vtero gerentem tantis malis obſitam citra remedium relinquas, prudentis Medici officium non exequeris, nec Galeni præcepta obſeruabis, qui generoſum Medicum, non debere perterreri, ſed imminentibus malis obuiam ire, illiſque vehementer reluctari, *in lib. de criſib. in præſag.* non ſemel prædixit. Dic, in præſentia turgentis ſanguinis, ſanguinem eſſe mittendum; quoniam minori cum periculo ſuſcipitur venæ ſectio, vt *ſuprà* oſtendimus: nam ſæpè alia vrgentia ſymptomata, ex hoc ſanguine ebulliente ſuccreſcunt, vt ſitis, vigilia, capitis dolor, quæ vi ſua, & atrocitate ad ſanguinem mittendum nos compellunt. In cacochymia autem ob multas cauſas poſſe vtiliter, & ſecundùm mentem Galeni, ſanguinem emitti, res eſt confeſſa: eas ad plenum allatis plurimis priſcorum teſtimoniis referunt Peramatus *l.de vacuand.rat. cap.*6. Augenius *lib.*4.*de ſang.miſſione, cap.*4.

Quintò. Videtur Hippocrat. in oraculo ſuo eſſe obſcurus, & dubius: nam quartum menſem videtur excludere, cùm dicit, *à quarto menſe*; & ſeptimum includere, cùm dicit, *vſque ad ſeptimum*; & cum ſubdit: *Minus verò has* (ſcilicet quæ ſeptimum agunt) *purgare oportet.* Cùm tamen quartus menſis ſit firmiſſimum tempus fœtationis, & ſeptimus ſit ex poſtremis, in quo maturi partus exeunt in lucem. Dic, in hoc dubio hæſitant multi: quoniam non videtur ſatis explicuiſſe Hippocrat. an à quarto incluſiuè, an excluſiuè, ad ſeptimum vſque excluſiuè, an incluſiuè ſunt grauidæ medicandæ. Conciliator, *loc.cit.* Mercurialis 4. *aph.*1. & alij plures, includunt ſeptimum, commoti ratione dicta. Fuchſius, Valleſius, Chriſtoph. à Vega, negant ſeptimeſtres purgandas eſſe. Sed falluntur illi, quoniam quartus menſis non eſt excludendus. Septimum verò excluſit Hippocrat. Primò, nam vſque ad illum, non in illo purgare præcepit. Secundò, eſt extra medium tempus fœtationis, ſi partitio æqualis ſit futura. Tertiò, quoniam trimeſtres quæ iniuriis magis reſiſtunt, non licet purgare, ex ratione Aphoriſmi. Ergo multò minùs ſeptimeſtres, quæ minùs reſiſtunt. Accedit, quòd plurimi partus in ſeptimo menſe fiunt. Nec obſtat, quòd Hippocrat. addat, *ſed has minùs*. Non enim per ea verba concedit purgationem minorem in menſe ſeptimo, ſed potiùs vult vtero gerentes, media fœtatione, & turgente materia minùs eſſe purgandas, quàm ſi non geſtarent vtero, vt aliquid ſemper grauidationi tribuamus. Si verò omnem vis auferre controuerſiam, lege ſicut eſt notatum in Græcis codicibus, & ita ſonat textus: *Vtero gerentes ſunt medicandæ, à quarto vſque ad ſeptimum, nequaquam verò has: Iuniores autem, & ſeniores abſtinere oportet.* Quo pacto Hippocrat. quartum incluſit, ſeptimum excluſit. Si verò ſcire cupis, quo menſe abortus ſit ſecuriſſimus ex ſe, pro vita matris, ſi abortiat, & pro vtroque, numerum proponit Cardanus *in com. cit. ſent.* & retulit Mercatus *loco ſuprà citato*. Pro abortu ſecuriſſimus eſt quintus, & ſexti initium, quartus, & ſexti finis: ſeptimus: tertius: ſecundus: primus: nonus: octauus: decimus. Pro vita matris, primus: ſecundus: tertius: quartus: quintus: ſextus: ſeptimus: nonus: decimus: octauus. Generaliter pro vtroque, quartus: quintus: ſextus: primus: ſecundus: tertius: ſeptimus: decimus: nonus: octauus.

Sextò. Sermo de acetabulis fictitius videtur, nam ſi ea eſſent, cur poſtremis menſibus non erunt firmiora, ſi ab initio ſiccantur, & dureſcunt magis? quo tempore ob hanc cauſam feliciùs multò purgatio eſſet celebranda. Dic, ligamenta primis menſibus geſtationis tenerrima ſunt ob mollitiem, & humiditatem ſpermaticam, quam ab initio magis ac magis deponunt, & ſolidiora redduntur adeò, vt integram firmitudinem media fœtatione acquirant: magis verò exſiccata vltimis menſibus eam amittunt, & defectu humiditatis continuantis, fragilia & friabilia redduntur, adeò vt ſponte ſua citra vim extrinſecam decidant. Habent ſanè ligamenta, ſicut & cuncta viuentia, ætates ſuas, adoleſcunt, & ſex primis menſibus vigent; ſeneſcunt, & tandem obeũt tribus vltimis, in quibus cùm fœtus ſit maior, & pluri indigeat alimento, non relinquit ligamentis tantam alimenti copiam, ac antè. Quare nutritionis etiam defectu, vltimis menſibus imbecilliora redduntur, & fœtus ipſe grauior factus, calcitrat, & ſine vi extrinſeca, ipſa ligamenta diſrumpit. Tu verò de ligamentorum, quibus fœtus vtero alligatur, generatione, & incremento, lege Fabricium ab aqua pendente *l. de formato fœtu, cap.*3. Ioan. Riolan. Filium *l. Antrhopograph. c.*2. qui præexcellenti ſtilo, eximia doctrina, & facundia mira de cotyledon. compoſ. & natur. inter omnes ſubtiliùs diſceptauit, dignus vt cùm priſcis doctiſſimis comparetur.

QVÆSTIO XXX.

Vtrùm in pica,ſimilia, an diſſimilia edulia appetantur, vt contra Auicennam Valleſius probat.

COMMENTARIVM.

T*Ali paſſione.*] Verùm, vt incudem eandem ſubinde quod dicitur, porrò tundere pergamus, notabimus Auenzoarem nec verbum quidem de morbo, quo fuerat oppreſſa ſua vxor, protuliſſe. Sed cùm omnes auctores hanc paſſim citent hiſtoriam,in hac re deſcribenda, mandragoram mihi videntur bibiſſe,qui velut aſpide icti ſomniculoſa,nimis deſides,eam rimati non ſunt: & ne ego in eodem luto hærere videar, codices Arabicos conſulere cœpi; vt ex iis aliquam lucem haurirem, tandémque inueni fuiſſe illum affectum,quem picam, malaciam,ſeu cittam Medicorum ſchola nuncupauit; nomen enim Arabicum *Staet*,hoc ipſum ſignificat ſolùm.Sic enim politiores Arabes diuerſorum alimentorum appetitum varium vocare conſueuerunt.

Sed illicò te video obiicientem hoc modo.Si pica ſolet euenire vtero gerentibus præſertim, & vſque ad quartum menſem durat; & virginibus quibus ſupprimuntur menſtrua, aut viris, quando os ventriculi prauo aliquo excremento eſt imbutum, & tunc adeſt concupiſcentia quædam vitioſarum qualitatum ciborum, quæ omnia cùm eſſent ſponte ſuapte, partim quòd vomitione vitiati humores expurgentur, coquantur,& eorum copia,augeſcente fœtu,minuatur, quid auctorem noſtrum coëgit,vt in leui morbo tam effræne medicamentum porrigeret? Dic,humores viſcoſos aliquando ita tenaciter impingi in tunicis ventriculi, vt difficillimo negotio eradicari queant; & licèt in ventriculi morbis, ne lædatur partis præſtantia, néve humor medicamenti attractione valida ad affectam partem conuocetur,clementia medicamenta ſint offerenda, tamen morbi rebellis, & contumacis natura aliud ſæpè celebrandum monet; ſi enim ita non feceris, & malum inſoleſcat, accidit vt ſi res deſiderata negetur, fœtus emoriatur,& mater de vita periclitetur.Lege Langium *lib.*2. *epiſt.*12.

Deinde in prægnantibus ita aliquando hoc malum excreſcit, vt langueſcat ventriculus, eneruentur partes naturales continuis vomitionibus, crebra nauſea, ſpuitionéque vexatæ,& tandem proſtratis viribus,denegato alimento perit fœtus, vel mater difficulter parit. Habemus exemplum apud Hip.*lib.*4. *epid.num.*58. Filiæ ædilis apud Tecomæum, quæ cùm in ventre habere ſine ſigno cœpiſſet, ſecundo menſe vomitus pituitoſus, aliquando autem bilioſus fluebat,difficulter peperit.Inſuper pica,imaginationem, animúmque ita perturbat, vt niſi appetitui ſatisfiat, ſæpe eueniant animi deliquium, ſyncope, abortus, & mors.

Nominis cauſa diuerſa à diuerſis traditur: Ariſtoteles *lib.*7.*de hiſtor. animal.cap.*4. nomen huic morbo, ſcilicet ab aue quæ pica dicitur,aſſignat: exponit Alexand. *lib.*2. *probl.quæſt.*73.vel quia glebam ſemper comedit, vel quia diuerſorum eſt colorum. Vocatur malacia, vel citta, vel ciſſa,à Dioſcoride *lib.*1.*c.*136.& firmant Ariſtophanes *in fabula, cui titulus eſt Veſpæ*, & Marcellus Virgilius *in com.* quæ nominis notiones cur illi ſint attributæ, explicat Amatus *lib.*3. *centur.*86. & alij.

De cauſa Gal. *lib.*1.*de ſympt.cauſ.cap.*7. ſic pronuntiat: *Prauas autem qualitates appetunt hi,quibus ventriculi tunicæ,prauo aliquo excremento ſunt imbutæ. Atque conſueuit quidem huiuſmodi affectus mulieres vitioſis humoribus refertas infeſtare, ídque cùm vterum geſtant: vocatur pathos pica.* Explicant Altimarus *lib.de curand.morb.cap.*62.Peramatus *tract.de regimin. prægnant.cap.*5.*de pica.*

Hoc affectu correptos, varia, eáque monſtroſa edulia appetere certum eſt, & probat Marcellus Donatus *lib.*4. *de medic. hiſtor. mirabil. cap.*1. nam alij appetunt terram, carbones,calcem viuam, tartarum, lanam, goſſipium, farinam, cicera, ſalem, niuem, piſces crudos, carnem

A humanam. Sed circa hoc negotium inſurgunt rerum medicarum exploratores ſeduli, & inter eos Mercurialis *lib.*3.*de morb. internis, cap.*6.*de pica*: iudicat enim difficillimum, & admirandum eſſe aſſeuerat, explicare, vnde oriatur appetitus rerum adeò alienarum, vt ſcilicet aliæ mulieres appetant carbones, aliæ gypſum, aliæ calcem, &c. & propoſitis variis ſententiis,tanta antinomia veluti perterritus, nihil de hac re certi affirmare auſus eſt; quare ad ſacram anchoram occultarum refugiens qualitatum, hos mirabiles, deprauatóſque appetitus oriri ab occulta qualitate humorum exortorum in corporibus, & ſtomacho prægnantium aſſeruit; quam opinionem ſequutus eſt Ionſtonus *ſect.*10. *Thaumatograph.cap.*2.*art.*2. qui cauſam huius inſoliti appetitus ſatiùs putat occultæ tribuere qualitati, quàm in manifeſtis committere abſurdum. B Sed cùm ratio ſufficiens problematis huius poſſit aſſignari, ad occultas confugere qualitates,Medico eſt indecorum,vt bellè notabat Galen.*lib.*3.*de præſagit.ex pulſib. cap.*5.

Dic ergo, & fortaſſe meliùs, varia à grauidis appeti edulia, inſolita, peregrina, quoniam corrupti humores, & terra labe fœdati, in tunicis ventriculi impacti, maiorem cum hoc, vel illo reprobo alimento habent familiaritatem, vnde natura cibaria peſſima appetit, ſimilia illis, quæ in ſuis ſinibus reſeruat. Hæc eſt concors omnium Medicorum ſententia, qui de hoc dubio rectiùs ratiocinantur.

Sed ex hac ſolutione emanat dubitatio alia penè inextricabilis, quam licèt acutè proponat Valleſius inter omnes *lib.* 5. *controuerſ. cap.* 7. eam ad plenum non ſoluit. Addubitat enim vir iſte doctiſſimus hoc modo: cùm C in huiuſmodi affectione, pro varietate vitioſi humoris in ventriculo redundantis, varia edulia appetantur, & ea quæ præter naturam ſunt, quia medelam, & ſui remotionem expoſtulant, ad contraria potiùs, quàm ſimilia prouocant; quomodo in ſimilia his quæ præternaturaliter ſe habent, ventriculus ipſe feretur, ſi verum eſt quod dicit Galen. *lib. art. med. cap.*63. ventriculum in ſua natura diſpoſitione exiſtentem perpetuò ſimilia appetere, præternaturaliter autem affectum, contraria?

Ergo primò proponit aliorum ſolutionem aſſerentium præternaturales intemperies factas, & habituales, tanquam naturales ſimilia appetere; factam verò iam eſſe illam, quæ in picam deducit. Non placet Valleſio ſolutio: nam magna ex parte grauidæ protinùs à conceptio- D nis initio vſque ad ſecundum, vel tertium menſem hoc appetitu deprauato infeſtantur, à quarto ſubitò liberantur,vt Aëtius,Paulus, & Gal.1.*de cauſ.ſympt.*7. affirmant, maximè cùm non tam ſubitò fieri, tollíque poſſit facta intemperies; quare appetitus ſimilium in pica, ad illam referri non poteſt.

Valleſius ſic ratiocinatur,causámque putat ſucci redundantiam in ventriculi tunicis admodum impacti, quia ſubitò imbibi, ſubitóque auferri poteſt: & licèt noxius & præternaturalis, prouocaret appetentiam ad abſurda, ſibíque ſimilia edulia;eo quòd vbi humor iam totas tunicas penetrauit, quietus exiſtit, nullam iam moleſtiam, & alterationem inferens, atque ideò non eſt cur ad contrarium, ſuique expulſionem excitet appetitum, non aliter quàm in hectica, & quouis alio habituali affectu ex- E perimur, à quibus nec dolor, nec moleſtia incutitur, quoniam hæc cùm in fieri, motúque conſiſtant, non adſunt, niſi quandiu durat alteratio.Dictum verò Galeni *in arte medica* reſtringit ad nudas,immaterialéſque intemperies; in illis enim quæ cum ſuccorum redundantia fiunt, quantumuis præter naturam ingeſti ſint, ſimilia potiùs ſuccis ipſis appetuntur. Addit denique, ſuccum denuò aduenientem, quia ſimilis eſt ei qui totam anteà tunicam imbuebat, nihil immutare, ſed përinde afficere, ac ſi de nouo non adueniret. Quòd ſi diſſimilis, & contrarius accedat, cùm agitet & moueat eum qui quietus præexiſtebat, dolorem excitat, quem natura abhorret, atque adeò tale alimentum. Si verò quæras, vnde ergo quamprimùm faſtidiunt ſimile illud quo delectantur,

quodque

quodque paulò antè appetebant? Reſpondet, quia fortè iam excedit: nam & intemperatæ etiam naturæ, quamuis ſibi paria appetant, primóque occurſu illorum viu delectentur, *lib. art. med. cap.60.* eò quòd ab illis conſeruari expetant, ea tamen faſtidiunt, vbi moram excedunt, quia ab eiſdem offenduntur, propter quod licèt contraria reſpuant, meliùs, & tutiùs per ea gubernantur.

Cæterùm ſi humor ille præter naturam morbosè infarctus eſt, & vt talis grauat, moleſtatque ventriculum ipſum quin & fientem affectionem inducit, qualis pica eſt, cur inſtar aliarum affectionum præter naturam, ad oppoſita, ſuique inanitionem quam exigit, 1.*aph.17.& 22.* non prouebit appetitum, ſed ad ſimilia, quibus potiùs augetur? præſertim cùm Gal. de omni aſcititia, & præternaturali diſpoſitione, (dummodò in habitum conuerſa non ſit) ſiue nuda, ſiue cum materiæ affluxu vniuerſaliter pronuntiarit, contraria omnino appetere. Lege Franciſcum Ranchinum *lib. de virginum morbis, ſect.3.c.2. de virgin. pica.*

Videtur ergo dicendum, quòd licèt vitiatis excrementis imbibitis in ventris tunicis, fiat deprauata hæc cibariorum appetentia, (de qua, præter Galen. 1. *de cauſ. ſympt.7. lib. de ſinit. medic. prope finem, 5. aph.61. & 1. de compoſ. ſec. loc. cap.4. & 5. de loc. cap.6.* meminit Hippocr. *lib. de ſuperfœt. num.8. §. Si quæ prægnans terram edere concupiſcat, aut carbones, &c.*) & alienæ illæ quæ appetuntur, qualitates, quatenus vitioſæ, & præter naturam, cum humoribus ipſis, huius peſſimi appetitus cauſa, videantur conuenire; illis tamen omnino, & propriè contrariæ ſunt, atque in eorum remedium, & expulſionem expetuntur, provt ex Galen. colligitur *lib.1. de cauſ. ſympt. cap.7.* & docet Auicen. 13.3. *tract.2. cap.10.* dum clariſſimis verbis rem ſic determinat. §. *Quando in ſtomacho aggregatur humor malus, diuerſus à conſueto in qualitate ſua, naturâ tunc requirit aliquid ei contrarium diuerſum à conſueto. Fugantia namque ſunt extrema, & è contrario, quapropter accidit quibuſdam appetitus luti, immò carbonum, & terræ, & gipſi, & rerum huius generis, propter qualitatem quæ in eis eſt, exſiccantem, aut incidentem contrariam qualitati humorum, &c.* Quam ſententiam luculentiſſimè explanant ibi Gentilis, & Iacobus de Partibus, adeóque hoc eſt verum, vt in medelam, deſiderata ipſa, lutum, carbones, lapides, & ſimilia concedantur, non aliter quàm in canina fame (quæ alia eſt deprauatæ appetentiæ ſpecies, in cibi, potúſque immoderantia excedens) concupita quantitas ſæpe offertur, quamuis tutiùs remotione cauſæ curentur.

At ſi illa contraria ſunt, & ad ſtatum naturalem reducunt, in quo vitæ ſuauitas continetur, inſuper & expetuntur, cur non delectabunt potiùs; quàm faſtidium ſubitò inducent, recreant enim expetita etiam praua, & ſui fruitione augent voluptatem; nedum ſimul iuuantia? Dic, plenùs, maléque affectus ventriculus, deprauatè appetens, etiam in eo aberrat, quòd concupita conſeſtim abhorreat; vel cùm ex proprietate mali appetitus in obuia omnia, & ad varia ſimul feratur, neque omnibus ſimul quæ cupit, potiatur, neceſſe fit oblatum faſtidire, & obuium, vel aliud diuerſum ſtatim concupiſcere: variis enim ſimul, vt diximus, in huiuſmodi affectione duplicatur, appetitus, non ſecus quàm pica auis, colorum, ac picturæ varietate induitur, ad cuius ſimilitudinem nomenclaturam morbus accepit, vel quia eo eadem auicula ſæpiſſimè laborat, vt Paulus *lib.1. cap.1.* confirmauit. Si de picæ curatione plura ſcire aues, conſule Trall. *lib.4. cap.6.* Mercatum *lib.3. de morb. mulier. c.10.* quod malum etiam viros infeſtare ſolet; narrat enim Ioan. Agricola Ammonius *in com. cap.5. lib.5. de loc. affect. Gal.* Medicum quendam fuiſſe, qui caſeos vaccinos purulentos, & grauiſſimè cadauerum inſtar putreſcentium olentes, omnibus turdis, perdicibus, attagenis, & phaſianis, quoad vixit, præponere fuit ſolitus, ſed hoc rarum eſt.

Quapropter *pica*, vt ait Gal. *l.1. de cauſ. ſympt. cit. eſt affectio propria vtero gerentium, quæ in primis menſibus ſunt conſtituta; appetunt enim hoc ipſo tempore acida, acerba, interdum vel cimoliam terram, vel teſtas, vel extinctos carbones, aut alios huiuſmodi cibos abſurdos. Et complures earum hoc*

A *vitio laborant vſque ad ſecundum, & tertiū menſem, in quarto verò quieſcunt, partim quòd vomitione vitioſi humores expurgentur, partim quòd in hoc tempore concoquuntur, vtpotè exiguum cibi, ob faſtidium, tum ſumente muliere, partim etiam quòd multitudo ſit euacuata. Quippe primis duobus menſibus fœtus paucum ad ſe ſanguinem attrahit, eo quòd minimus adhuc ſit, quando ne fœtus quidem hoc tempore nominari debeat, ſed potiùs conceptus. Maior autem iam factus, tum plurimò indiget alimento, ideòque non ſolùm quod optimum eſt è venis, vt antea allicit, verùm quia maior, aliquid vitioſi attrahit, vnde corpus minùs vitioſis humoribus vexatur.*

HISTOR. XV. AETII, De mola.

B

Mola ſanguinea, prouocantibus menſtrua expellitur.

Philoſophus verò, detentis, inquit, vxoris amici cuiuſdam menſibus, arbitrabar primò ipſam concepiſſe, poſtea auctò ampliùs tumore hydropem ſuſpectum habui, quia totum corpus, ac pedes tumeſcere videbam. At vbi tandem id affectionis genus eſſe deprehēdi, quòd alij laterem, alij molam vocant, rutam, & anethum in vino veteri fuluo odorato coxi, & abiectis herbis, vinum calidum bibendum dedi, & fermè aquæ loco exhibui, ſtatimque mulier excreta ſanguinis copia ſalutem adepta eſt. Aëtius tetrab.4. ſerm.4. cap.80.

C

PARAPHRASIS.

De generatione molæ, cauſis, ſignis, prognoſi, & curatione, tam multa veterum, & iuniorum clariſſimi memoriæ commendarunt, vt ſi eorum de hac re varias opiniones penſes ad vnguem, in immenſum accreſcat oratio. Legat qui velit practicos inſignes, *proprio, cap. de mola*, & præſertim Mercatum *lib.3. de morb. mulier. cap.8.* Iacob. Ruffum *lib.5. de conceptu, cap.1. & 2.* Altimar. Holler. Trincauel. *cap. prop.* Moxium *lib.2. de morb. muliebrib. ſanandis per venæ ſect. c.26.* Iacob. Segarram *in lib.1. Hip. de natur. hum. com.9.* & alios.

Mola, dicente Aëtio hoc loco, ſic vocata à grauitate, & pondere, quòd tanquam moles quædam, grauiſſimi pon-
D deris inſtar, prægnantes grauat. Eſt hic affectus, vt habemus apud Moſchionem, Hip. *l.1. de morb. & lib. de ſterilib.* Gal. *lib.14. meth.13. & 14. de vſu part. cap.7. poſt. med.* Auic. 21.3. *tract.2. cap.19.* Ariſt. 4. *de generat. animal. cap.7.* Paul. *lib.3. c.69.* caro quædam inutilis, informis, inarticulata, dura, in vtero mulieris genita, inſtar veri conceptus, & variarum figurarum ab vtero excreta.

De cauſa vtrinque certatum apud Recentiores: cùm enim molam ſola mulier concipiat, auctore Alberto Magno *lib.10. de animal. tract.2. cap.2.* quia ipſa ſola abundat copia menſtruorum, vt Auerrhoës firmat *in comment. cap.4. lib.6. de generat. animal.* & priùs prædixit Ariſtoteles *lib.6. de hiſtor. animal. cap.18.* tamen materia eſt ſemen, & ſanguis; vtrumque enim miſcetur vnà, & in carnem duratur, ex eo quòd vitioſi ſunt menſes, aut ineptius, debile, & frigidinſculum viri ſemen ad effor-
E mandum fœtum. Num verò virile ſemen ad molæ generationem requiratur ſemper, ita vt citra viri commercium gigni non poſſit? reſpondet Mercurialis *lib. 1. de morb. mulier. cap.3.* affirmatiuè, nam mola cùm ſit caro, non habet aliam generationem, quam habet ipſa caro, quæ fit ex ſanguine: ergo ex calore ipſius, ſanguis iſte conglobatur, deinceps addito ſanguine pedetentim fit nutritio, accretio, & augmentum. Si verò Hippoc. *locis citat.* citra virum concipi molas negauerit, concilia cum doctiſſimo Marcello Donato *l.4. de hiſt. mirab. c.25.* qui molam nullam, quæ ſenſum aut motum habeat, ſine viri cum fœmina coitu vllo pacto generari poſſe, ſicuti motu & ſenſu carentem ſine maris ſemine poſſe procreari aſſeuerat. Conſule Paulum Zacchiam *lib.1. tit.3.*

quæſt.medico-legalium,q.6. qui doctè ſimul, & copioſè, ex omnium auctorum penu, de hoc argumento diſceptauit.

Signa proponuntur ab Hipp. *loco cit.* nam adeſt tumor durus circa vteri partes, corporis gracilitas, partium ſuperiacentium contractio, proſtratio appetitus, coloris vitium, menſtruorum ſuppreſſio, mamillarum tumor, ſubuerſio ſtomachi, lumborum grauitas. Hæc primis menſibus conceptus ſuſpicionem ex ſe præbent: verùm temporis progreſſu diſtinguuntur; nam molam comitatur punctionis dolor, deeſt motus ille qui in vteri conceptu percipitur, & cùm manibus comprimitur, mouetur, & quum mulier de latere in latus vertitur, pondus illud etiã mouetur: & licèt toto corpore imminuto, ac ventre ampliato,tumor,hydropis imaginem præ ſe ferat,diſcernitur tamen,quia in hydrope ſi venter pulſetur,tympani ſonum edit,fluctuatio intus ſentitur,& tumor ad digitorum pulſationem cedit, quæ omnia contrà accidunt in mola; vt rectè inter omnes notauit Antonius Guainerius *com. de de ægritudinib.matricis,cap.32.de mola:*& horum ſignorum cauſas doctè propoſuit Valleriola *lib.1.obſ.1.*

Vtcumque ſit, molæ ſigna ſunt fallacia, illuſoria, & ambigua, quum mulier poſſit geſtare lentam, mucoſámque pituitam, maſſas informes ex tenaci ſucco conflatas, putridas membranas, puris copiam caloris vi induratam, monſtra, belluas, quæ omnia vterum eleuaſſe, & falſam mentita fuiſſe conceptionem, auctores fidiſſimi conteſtantur, quorum numerum poſt Marcel. *loc.cit.* Ioan. Schenckius refert *lib.4.obſ. de molis:*tamen efficacius omnes putant ſignum,ſi poſt menſem decimum,qui eſt verus terminus partus humani, adhuc intumeſcat venter, nec vlla hydropis pareant indicia.

Molarum multæ ſunt ſpecies. Prima eſt *aquoſa.* Audi C vnam mirabilem deſcriptam à Veſalio *lib.5. de fabric. cap.9.* refert enim ſe ſecuiſſe mulierem; in cuius vtero ſeroſæ aquæ nonaginta libræ inuentæ ſunt. Alia eſt *carnoſa*, quando carneum quoddam fruſtum per vterum excernitur, de qua molæ ſpecie plures hiſtorias narrant auctores,vt Ariſt.4.*de generat.animal.c.7.* Aëtius *tetrab.4. ſerm.3.c.8.* Matthæus de Gradi, & Gattinaria *in com.cap. penult.lib.9.Rhaſ.ad Amanſ.* Alexand. Benedict. *lib.15. de curand.morb.cap.14.* Amat.7.*cent.*54. Alia eſt *membranoſa*, ex membranis compacta, quam vidit Hollerius *lib.obſ. propriar.num.*10. Ad hanc poteſt reduci & illa, quam *pulmentariam* vocat Harculanus *in com.Rhaſ.in 9.ad Almanſ. c. de mola*, & ab humore craſſo pituitoſo originem ducere, ibidem inculcat, & ita appellari ad ſimilitudinem pultis, factæ per ſuperfluam milij decoctionem in aqua, arbitratur.

Alia eſt mola *ventoſa*, ſeu flatulenta, de qua, ſicut de eius curatione, aliiſque ſpeciebus molarum elegantes fecimus obſeruationes *lib.2.de praxi admiranda, ad obſ.*150. *vſque ad obſ.* 156. Ventoſam obſeruauit Valleſcus Tarentinus *l.6.philon.ſui,c.5.*viderunt Auic.21.3.*tract.2.cap.*18. Matthæus *in com.Rhaſ.ad Almanſ.cap.de mola,*Paræus *lib.* 25.c.34. Dodonæus *cap.49. obſ.medicinal.* Marcel. Donat. *lib.4.de hiſt.mirabil.c.25.* Alexand.Benedict. *l.26. de morb. cap.34.* Thaddæus Dunus *lib.miſcellan.cap.8.* Iaſon. *lib. de pariente, & partu, cap.2.* & alij.

Alia eſt *mola ſanguinea*, de qua in hac hiſtoria Aëtius agit. Hanc concedit Auic. 21. 3. *tract.2. c.18.* quam fieri ex plurimo menſtruo ſanguine retento in vtero, *ibi* inculcat. Illam ſe obſeruaſſe tradit Alexander Benedictus *lib.4.cap.36.*Cùm ergo primò Aëtius hydropem eſſet ſuſpicatus, deinde ſignis dictis molam adeſſe deprehenderet,qua premebatur fœmina iſta, vinum vetus, fuluum, odoratum bibendum dedit, in quo priùs ferbuerant ruta, & anethum.

Hæc cùm calida ſint,tenuium partium,carnem compactam incidunt,attenuant,& commouent:nam vinum quò vetuſtius, eò calidius, & magis ſi ſit odoratum, & fuluum, quod ex Gal.7. *meth.6.* & 3. *acut.*18. & alibi calore polleat vehementi. Hoc modo Hippocr. *lib. de ſterilibus, num.* 20. dictamnum creticum cum vino bibendum cenſet. Ruta humorem lentum, ſanguinémque concretum extenuat, aperit obſtructiones, menſtrua mouet, ex Dio-

A ſcoride *lib.3.cap.43.* quam facultatem etiam habere anethum, eſt in confeſſo.

Hæcque omnia ab Auctore celebrata fuiſſe exiſtima, euacuationibus vniuerſalibus præmiſſis. Ergo primo corpus purgare oportet,quo facto, ſi ferat,vena tali ſecanda, Pubi cucurbitulæ cum multa flamma adhibendæ,& omnia ſunt peragenda, quæ auctores ad prouocandos menſes, fœtum mortuum educendum, extrahendas ſecundinas, imperantur, vt notat inter omnes Iacchinus *in com. Rhaſ. cap.de mola.*

HIST. XVI. AVENZOARIS, De ſterilitate.

B

Sterilitas præ calore eueniens, frigidorum vſu perſanatur.

Et ego cùm eſſem iuuenis,vſus ſum regimine calido, & nõ generabam,& neſciebã cauſam. Demum habui cauſum,& vſus fui cucurbitis,& odorabar nenuphar,& camphoram cum pomis,& cum à febre fui liberatus, genui filios quos habeo,& alios præter ipſos,plures. Et ſic habes curã huius ſcilicet quia ſeruare debes iſtud regimen, & dare debes ad comedendum ei cucurbitã decoctã cum portulacis,& cũ pane benè fermentato, conſiderando quod modica quantitas harum rerum confert ei multùm, &c. Auenzoar.* lib.2. Theïzir, tract.3. cap.1.

PARAPHRASIS.

Cvm ſingularia omnia à ſummo naturæ opifice creata, principia in ſe habeant corruptioni obnoxia, ſublunaria ſaltem, in quibus elementa in ſe inuicem pugnantia ſunt coniuncta, idcircò hæc omnia cunctis certam quandam præſagiunt ruinam. At ſapientiſſimus orbis gubernator, admirabili quadam arte,ne ſuo fruſtraretur opere, rerum omnium ſpecies propagatione ineffabili,vt docet Ariſtot. *lib.2. de generat. animal. cap.1.* æternitati addixit,& ſic in nobiliori perfectorum animalium ſpecie duplicem conſtituit ſexum: in qualibet autem illarum hos ſexus diſtinxit ita, vt maris extra, fœminæ verò in proprio vteri clauſtro germinet. Denique vterque horum animalium ſexus venereis quibuſdam concitati illecebris, & velut turgentes ab igniculis, commoti, D mutuo appetitu ſe inuicem aggrediuntur,quo inſigni artificio conceptio fit.

Quamobrem artifex ille diuinus, Veneris vſu confecto ſenio animali, cunctorum perfectorum animalium ſpecies conſeruat, dum nouos iterum emittit partus ad auras. Venus enim,quam ab ſpuma maris natam fabulantur Poëtæ, tanquam Dea præeſt apud homines, generationi, & parum honeſtis amoribus. Huius ope,homo, diuinum animal, operum ſummi artificis periocha, & perfectiſſimarum eius actionum extremum, tanquam totius vniuerſi decus, mutuis animi, & corporis nexibus exornatum, in lucem exit.

Nec dubites è mari eſſe exortam Venerem:nam concupiſcentia ex humore prodit, ex qua humidos incontinentes vocamus: nam ex humida conſtitutione corpo- E rum, naſcitur cupido miſcendorum, licèt alteram cauſam aſſignet naturalem Diog. Apolloniata apud Clementem Alexandr. *lib.1. ſui pedagogi, c.6.* quòd ſeminis ſubſtantia ſpuma eſt ſanguinis, qui innato maſculi calore in coniunctione cum fœmina turbatus, & agitatus in vaſis ſeminariis ſpumeſcit, atque reponitur, à quo fortè mutuatur Ariſt. *lib. de generat. animal.cap.2.* ſemen eſſe natura ſpumoſum aſſeuerans. Lege Octauium Horatianum *lib.3. ad Victoriam, cap.3.*

Veneris ergo medio, Omnipotens inter reliqua beneficia, hoc conſeruationis donum per propagationem cunctis viuentibus, & præſertim hominibus communicauit, cùm ſub matrimonij fœdere, mutuus ille diuerſorum ſexuum amplexus,magno, & indiſſolubili nodo ſanciuerit;

quo rato, maréve fœminam ingrediente, prolifica effundentibus ſemina, homo generatur nouus, reparatúrque nunquam his naturæ legibus deficientibus, occultatio, & ſpeciei humanæ mortalitas. Hoc modo diuinus ille Architectus, quandam inclinationem, propenſionémque ad generis ſui propagationem cuique indidit, ne breui temporis ſpatio corrueret. Quare noua prole factà, omnia quotidiana generatione, quæ eſt omnium operationum perfectiſſima, indies propagantur, Veneris, & conceptionis adminiculo; hæc autem nihil eſt aliud, quàm attracti ab vtero ſeminis commixtio in ſanguinis menſtrui puriori parte, in quam calor natiuus ita agit, vt viuificato ſeminis genitalis calore, demum fœtus generatio ſequatur.

Si igitur tot ſunt conceptionis commoda, cur Auic. 21. 3. *tract.* 2. *cap.* 17. aliquando ſterilitatem inducendam eſſe conſuluit? Cùm enim ſint plures, quæ ob conformationis vitium non poſſunt abſque manifeſto vitæ periculo fœtum vſque ad maturitatis tempus conſeruare, *neceſſe eſt vt his ſterilitas inducatur, in his videlicet quæ ſunt paruæ, & exiguam obtinent corporis molem, & in ea in cuius matrice eſt ægritudo, & in ea in cuius veſica eſt debilitas.* Reſponde cum Moxio *lib.* 1. *de curandis morb. muliebrib. acutis per venæ ſectionem, cap.* 16. dicente, in dictis exemplis licere Medico ſterilitatem inducere, ad euitandam fœminæ perniciem, quaſi neceſſariò iuxta moralem certitudinem conſequuturam. De qua re lege eruditiſſimum Caſtrenſem Luſitanum *lib.* 4. *opuſcul. quæ ex quibus, c.* 4.

A multis cauſis in viris ſterilitatem concitari; manifeſtis, docuere ex veterum mente Mercatus *lib.* 1. *de morb. mulier. à c.* 1. *vſque ad* 4. Mercurialis *lib.* 1. *de morb. mulier. cap.* 2. Sennertus *lib.* 9. *de curand. morb. ſect.* 3. *part.* 2. *cap.* 1. Capiuacius *lib.* 4. *de vteri affectibus, c.* 5. *&* 6. Iacob. Ruef. *lib.* 6. *de conceptu & generat. homin. à c.* 1. *vſque ad* 7. Nicol. Rocheus *lib. de morb. mulier. c.* 20. Akakia *lib.* 2. *de morb. mulier. cap.* 16. Ambroſ. Paræus *lib. de hom. generat. cap.* 37. *&* 38. & alij licèt virorum ſterilitas non ita frequens ſit, ac mulierum, quæ facilè ſterilitate tentantur: nam in illis vna tantùm ratione contingit, ſpermatis nempe vitio; in fœminis verò ab innumeris ferè cauſis, nempè vtero, ſemine, menſtruo, vteriniſque ſæuiſſimis morbis ortum ducit. Accedit, quòd illæ ſunt frigidiores viris, & ſic temperamenti ratione ſterilitatem ſæpiſſimè patiuntur.

Manifeſtæ ergo qualitates eandem inferre natæ ſunt: nam *lib.* 5. *aph.* 62. poſtquam dixit Hippocrat. fœminas habentes vteros ſiccos, & præcalidos, propter defectum alimenti non concipere, hæc proportionabiliter ad viros accommodanda eſſe, cenſet vberrimus interpres *in com.* dum ſic ait: *Quare cùm teſtium temperatura nimio excedit calore, ſemen eſt paucum, & aduritur, fitque toſto ſimile, & ob ſiccitatem quando primò excedit in vterum, extendi non poteſt, quod maximè eſt neceſſarium, ſi mulier debeat concipere: oſtenſum namque eſt in ſermone de ſemine, niſi per vteri cauitatem parte plurima ſemen extendatur, mulierem non concipere, &c.*

Quapropter ſicut viri ob temperaturæ frigiditatem ſteriles fiunt, quia ſemen non benè concoquitur, aquoſius, & ſeroſius eſt, & generationi inutile: ſic ob temperaturæ caliditatem aduritur ſemen, aſſatur, & fit toſto ſimile, & abſumpto genitali ſpiritu, fit inhabile: nam vt ait Fernelius *lib.* 6. *pathol. cap.* 13. virilitas extinguitur ex cauſis omnibus, quæ inſitum ſpiritum, robúrque diſſoluunt, inter quas numerari immodicum calorem enucleat Gal. *lib.* 5. *aph.* 63.

Ex his liquidò patet, Auenzoarem caſu fuiſſe curatum: cùm enim in iuuentute, quæ ætas ſuapte natura calidiſſima eſt, calido vteretur regimine, quo ſanguis areſcit, & ſiccatur ſemen, & hac de cauſa ſterilis eſſet, cauſa correptus, & frigida humidáque ad auferendam febrim aſſumens, refrigerato ſanguine, & magis hoc modo attemperato ſemine, fœcundus euaſit. Quo pacto, quando ſterilitas ex intemperie calida oritur, & ſicca, tunc refrigerantia ſunt ex vſu, ſed in quantitate modica ea propina: nam in immodica ſi offerantur, tantùm abeſt vt proſint, quin nocere poſſint: nimia enim frigiditate calorem extinguunt, genitales partes debilitant, ſpiritus cogunt, & incraſſant, ſeménque expreſſa primigenia humiditate exſiccant.

Moderatam frigiditatem obtinere cucurbitam, poma, nenuphar, portulacam, omnibus compertum eſſe reor: odor enim nenupharis, camphoræ, & pomorum redolentium cùm nutriat ſpiritus, eos etiam frigida qualitate afficit, qui ſic affecti, ſanguinem, & totum corpus alterant, & ad contrarium ſtatum permutant. Portulaca verò, ad incendium internum mitigandum præſtantiſſima, & licèt ex Dioſcoride *lib.* 1. *c.* 116. veneris impetus exſoluat, quia minuit ſemen, & ſic ſteriles reddit, cùm frigida ſit in exceſſu tertio, ex Paulo *lib.* 7. *tit. de portulaca*, hoc de cruda eſt intelligendum; coctione enim eius frigefactoria vis corrigitur. De camphora maior eſt hæſitatio, quæ licèt frigida ſit apud Arabes, multæ tamen eſſe participem caliditatis, rationes probare videntur, quas *infrà* leges *in com. hiſt.* 20.

At cur panem benè fermentatum cum his frigidis alimentis aſſumptum commendet, meritò rogabis? Dic, quoniam panis cùm ſit alimentum, cum quo cætera alimenta eduntur, ſitque ad nutriendum ſaluberrimum, benè fermentatus, hoc eſt, vbi fermenti quod ſat eſt habuerit, promptiùs à natura amplexatur, meliùs coquitur, & tenuitate ſua, ac ſubtilitate eſt in cauſa, vt reliqua alimenta citiùs coquantur, & anguſtiſſimas penetrent corporis partes, vt auctor eſt Auerrhoës *lib.* 5. *collig. c.* 26. firmat Rhaſis *lib.* 3. *ad Almanſ.* 3. edoctus à Gal. *lib.* 3. *alimentor.* 26. De qua re pulchra diximus *lib.* 2. *in com. hiſt.* 32.

Addiderim, ſine fermento reprobum eſſe, & vel in exigua quantitate exhibitum, grauem, ponderoſum, & difficilis coctionis: quamuis autem multa alia reperiantur edulia concoctu faciliora, celeriùs roborantia, & ſanguinis copiam augentia, in propoſito caſu exiguus panis obtinet principatum, ex Galen. *lib.* 1. *de ſanit. tuenda, cap.* 6. & Auicen. 3. 1. *doct.* 2. *cap.* 7. Trall. *lib.* 1. *cap. de epilepſia.* Vnde panis fermentatus cùm ſit conſuetus, & ſimillimus naturæ noſtræ, promptiùs concoquitur, faciliùs aſſimilatur, & citiùs nutrit, ex Auer. 5. *collig.* 31. Rhaſ. 3. *ad Almanſ.* Auic. 3. 1. *doct.* 2. *cap.* 7. Celſo *lib.* 2. *cap.* 18. quare Gal. 1. *acut.* 18. in prandio gladiatoribus panem offert, in cœna carnem, quia hæc difficiliùs pane coquitur, & ſic noctu ob ſomnum, & vberiorem calorem meliùs conficitur, & 1. *de ſanit. tuend.* 20. infantibus poſt lactis vſum exhibet panem.

Sed hic obiter quæres, cur vſus carnis actu calidæ laudatur, & panis calidus recenter è furno extractus nocet, apud Auic. 3. 1. *cap.* 7. Dic, quia caro cùm difficiliùs coquatur pane, indiget actuali calore quò coqui poſſit: panis verò calidus ponderoſior eſt, & inflammat; frigidus verò, licèt durior, eſt rarior, quoniam ſecedentibus vaporibus, pori inanes fiunt. Lege doctiſſimum Ludouicum Nonnium *lib.* 1. *de re cibaria, c.* 1. Syluatic. *cont.* 6.

Rurſus ex contraria cauſa, nempe frigiditate oriri ſterilitatem in viris frequenter, auctores tradunt: nam frigiditas innatum ſeminis calorem extinguit, ſanguinem efficit aquoſum, ſemen fluidum, & ſpiritum implantatum abſumit. Demum frigiditas crudos, pituitoſos, & aquoſos humores generat, quorum copia ſemen ſuffocatum minuitur, & refrigeratur, ſpiritúſque prolificus abſumitur.

QVÆSTIO XXXI.

Vtrùm faſcinatio ſterilitatem inducat, vt Theologi Iuriſconſulti, Medici, & Philoſophi confirmant?

COMMENTARIVM.

E*T non generabam.*] Relictis iis obſcurioribus inuigilemus, diuertamúſque in ea vireta, vbi inenarrabili varietate floribus paſſim niteſcentibus, coronamenta nobis compingamus, quæ opellam hanc rudem non ornent modò, ſed halitu fragrantiore, & ſucculentia quodammodo

alant,impleántqueanimos lectorum ratione mira.Sterilitatis cauſas communes plurimi ſcitè ſunt rimati. De occulta verò,& abdita,quam vi faſcinationis præſtari firmarunt Medici,hoc loco agendum nobis eſt,quærendúmque primò. An ſit faſcinatio naturalis. Secundò,quid ſit. Tertiò, qualis ſit. Quartò, quæ eius differentiæ. Quintò, an aliqui natura faſcinatores naſcantur. Sextò, qui faſcino magis obnoxij. Septimò,an ſint remedia faſcinationi contraria. Vltimò, an detur faſcinatio pacto dæmonum celebrata,an hæc,ſterilitatem, alióſque mirandos effectus inducat. A primo ergo exordium ſumamus.

Quæſitum à doctioribus naturæ arcana rimantibus, poſſitne faſcinatio ſterilitatem inducere : nam nonnulli acutè admodum, ac ſcitè de hoc argumento agentes, in varias diſperſi ſunt ſententias, quas antequam in medium proferamus, Faſcinationis natura priùs eſt explicanda. A faſce, vel faſcia videri poteſt dicta faſcinatio, faſcinus, faſcinum,quia ligat, & quaſi faſciat quem læſit; nec deſunt qui à fando velint deriuare; nam & oratione faſcinatio fit.

Faſcinatio duobus modis contingit, animali virtute vno; cacodæmonis maleficio altero. Illam dari, recentiorum communis ferè comprobauit opinio : non enim Græci ſolùm,ſed Latini,& Arabes,dari faſcinum in rerum natura, argumentis euidentiſſimis coacti conſtanter aſſeruere : Plinius enim *lib.7.c.2.* in Africa familias quaſdam eſſe faſcinantium,affirmat,hoc tradente Iſigono,& Nymphodoro, quarum laudatione intereant probata, areſcant arbores,emoriantur infantes.Idem Plinius tradit *eo in loco*, eiuſdem generis eſſe in Tribalis, atque Illyriis, qui viſu quoque effaſcinent,interimántque quos diutiùs intueantur, iratis præcipuè oculis, quod eorum malum faciliùs ſentire puberes : itaque hi oculo; illi faſcinabant lingua. Idem narrat *lib 9. cap.4.* Hoc faſcinandi maleficio præcipuè fœminæ pollent, duplices in oculis pupillas habentes, vt *lib.7.cit.* Plinius commemorat.

Eandem ſententiam Plutarch. *lib.5. ſympoſ.quæſt.7.* ex Philarcho narrat,Thibios,gentem Ponticam faſcino obeſſe,non pueris modò,verùm etiam adultis,ac viris : aſpectum enim,& reſpirationem,& linguam ipſorum adferre mortem,& mercatores qui admiſiſſent ſeruos ab illis emptos,tabefieri,& ægrotare.Et licèt tactu,lingua,atque aliis membris fiat faſcinatio, tamen præcipuum faſcinationis organum,eſt oculus:nam ab oculis animalium,noxij quidam, ac maligni afflatus vibrantur, ſiue prodeunt ad res quæ videntur : non quia apprehenſio vnius immediatè vi imaginationis corpus immutet alterius,vt plurimis viſum eſt,ſed per motum cordis,cuius immutatio tranſit ad oculum, à quo infici poteſt aliquid extrinſecum, præſertim mutationi facilè obnoxium : quemadmodum menſtruatæ mulieris oculus inficit ſpeculum, maculiſque aſpergit: eodem modo infecti,& tabidi, quorum oculis aër inquinatur,flores corrumpuntur, & beſtiolæ quædam aut enecantur, aut vehementer offenduntur.

Quapropter Tral. Alexand. *lib.2.probl.quæſt.7.* Ariſtot. pluribus locis de faſcino meminere, & faſcinationem oculis ſiue aſpectu, & anima ſiue halitu fieri voluerunt: nam animæ imaginatione ſpiritus immutatur corporis coniuncti, quæ quidem ſpirituum immutatio maximè in oculis fit, ad quos ſubtiliores ſpiritus perueniunt. Itaque Arabes iure affirmant, mulieres menſtruatas ſolo aſpectu præſertim intento,infantes,tenerioréſque pueros, puberes, adultos, maximéque pulchros valdè lædere. Oculis autem maximè faſcinatio fit,quòd quæ venenum habent, magna ex parte in extremis geſtant,quæ morſu feriunt,in capite,vt cherſydrus, hæmorrhoïs, muræna, vipera, &c. quæ ictu in cauda, vt ſcorpius. Deinde quia faciliùs conceptum venenum intenti ad nocendum ex oculis eiaculantur, quod ſine cute ſint. Lege Ramirum Pratenſem elegantiſſimum *in ſuo Pentecontarcho, cap. 31.*

Faſcinatio ergo morbus eſt, qui ex ſpiritu faſcinantis per oculos faſcinati, ad cor ipſius ingreſſo peruenit : qui quidē ſpiritus à calore puriore ex ſanguine progignitur; & hic quidem huiuſmodi ſpiritus eſt,cuiuſmodi eſt in nobis ſanguinis humor, qui ſimiles ſibi radios per oculos quaſi per vitreas feneſtras emittit. Suo enim quodam motu perpetuo cor proximum ſibi agitans, ſanguinem diffuſis in corpus ſpiritibus quaſi ſcintillas quaſdam luminum per membra diſpergit, & verò maximè per oculos,ad altiſſimas partes,quòd leuiſſimus,properans,quódque oculi maximè perſpicui, & nitidi ſunt.Eſſe autem lumen aliquod in oculis,ex eo patet, quòd quarundam animantium oculi in tenebris micant; & Oct. Auguſt.Suetonio referente *in eius vita*, adeò perſpicua fuerit oculorum luce,vt quum acriùs quempiam intueretur, cogeret eum quaſi ad Solis iubar oculos ſubmittere : & auctor eſt idem Tranquillus, in tenebris vidiſſe Tiberium, & legiſſe, præſertim cùm ſomno primùm excitatus eſſet. Adde perſpicuum eſſe, radium ab oculo emiſſum ſecum vaporem quendam ſpiritalem ducere, qui & ſanguinem attrahat: nam lippi, rubentéſque oculi, radij ſui emiſſione, ſæpè quos mortales vident, eodem morbo laborare cogunt: quod ſanè indicat, ad obuios illos porrigi, & cum radio vnà corrupti ſanguinis vaporem emanare,atque ea contagione oculos ſpectantis infici. Huius argumentum quod iam retulimus ex Ariſt. quòd mulieres menſtruo affectæ ſanguineis guttis ſpeculum ſæpe fœdent.Eſt enim vapor ſanguinis tenuiſſimi,qui aſpectum fugit oculorum, qui in ſpeculi ſuperficie craſſior factus apparet : cùm in rariore,aut minùs terſa materia non appareat : éſtque vt violentus aculeus, ſanguineus ille vapor, quem ſpiritum nominamus,qui oculos diuerberat,& cum à percutientis incitatur corde,percuſſi præcordia quaſi ſedem propriam repetit,& cor repercutit, & vt peregrinus ſanguis, atque alienus proprium faſcinati inficit ſanguinem,vnde ægrotatio faſcinationis,quæ idcircò teneriorem ætatem magis lædit, quòd molliore ſit corpore, & minùs ferienti queat reſiſtere.

Quare faſcinationem naturalem concedit Sacra pagina *in lib. Sapientiæ*, & multis locis, & *ibi* interpretes *in com.* Abulenſis, Richardus *quodlibet.3. quæſt.13.c.16.* & Rabbini,qui eam dari allatis plurimis locis, & hiſtoriis vberrimè confirmant. Rabbi Aqueda *tract. 24. in Geneſin. fol.61.* Rabbi Raſis *in com.Geneſ.c.48.* Rabenus Salomon Ephraën *in Geneſin, fol.33.* & alij. Ita ſentit Olaus Magnus, Dionyſius Carthuſianus *lib.1.de venenis, c.17.* Fracaſtor.*lib.de ſympath.& antipath.* Valleſius *lib.4 cont.c.vlt.* & *in lib.de ſacra philoſoph.in com.c.68.* Hucher.*lib.4.de ſterilit.c.1.* Ioan. Brauus *lib.de Pſyllis,& Marſis,fol.81.* Mercurialis *lib.1.de morb.puerор.c.3.in med.*qui ex mente Varronis id confirmat. Valleriol. *lib.2.obſ.4.§. Sic & faſcinatrices mulieres ſolo obtutu in quempiam vehementiùs intento, emiſſitiis oculis plures faſcinare (pueros præſertim, quibus mollior caro eſt,& ad mala excipienda pronior) conſpicimus, &c.*Explicat elegantiſſimè *eodem lib.obſ.7.* Probant eruditiſſimè Antonius Carthaginenſis *lib. de faſcinatione, ferè per totum.*Thomas à Veiga *lib.1.de dif.feb.cap.4.*Muretus *lib.1.variar.cap.3.* Paulus Zacchias *l.2.quæſt. medicolegal. tract.2.quæſt.6.*Obſtrepant licèt Fernel.*lib.2.de abdit.c.16.* Chriſtoph. à Vega *lib.2.de art.medend.ſect.6.c.vlt.* Santorellus *lib.2. anteprax.cap.14.* Fortunatus Plempius *lib. de ophthalmographia,problemat.7.* quorum rationes proponit Rodericus à Caſtro *lib.de medic. politic. c.1.de faſcinat.* & contrarias ex aliorum mente perſoluit.Quæ opinatio philoſophis aduerſatur penè omnibus:nam faſcinationis naturalis auctores præter citatos habemus Ariſt. 20. *probl.* 34. Albert.Magnum *lib.22.de animal.c.5.* Ægidium *contra errores philoſophorum*,Cælium Rhodig.*in antiquis lectionib.* plurib. in loc. præſertim *lib.20. c.15.* Si tamen aduerſæ factionis ſolutas legere concupiſcis,lege Marſil.Ficin. *in com. conuiuij Platon. orat.7. c.41.*

Ad ſecundum. Faſcinatio eſt perniciosa quædam qualitas, intenſa imaginatione, viſúve, propter odium, vel amorē inflicta.Quanta ſit vis imaginationis,*ſuprà in com. hiſt.12.* retulimus, & manifeſtiſſimis exemplis probant Cardanus *lib.2.contrad.tract.2.cont.7.* & Pomponatius *in ſuo de incantationibus libro.*Quod verò viſu præcipuè faſcinatio fiat, *ſuprà* docuimus : nam ſicut cerebrum eſt humani corporis arx,ſic rex ſenſuum eſt viſus,& animæ noſtræ familiariſſimus : animi enim affectus euidentiſſimè

demon

demonſtrant oculi,ſiquidem mœſtitia ſuffuſi,animi dolorem non diſſimulant; contrà gaudente animo hilares ſubrident; metu inualeſcente turbantur; ira flagrante exaſperantur,& rubeſcunt; in audacia proſiliunt; in reuerentia ſubſident; in amore blandiuntur; in odio efferantur; denique omnes animi affectus mirè exprimunt: de quorum excellentia mira lege apud Cælium Rhodigin. *lib.3. lect.antiq.cap.26.* Leuinum Lemnium *lib.4. de occult.nat. miracul. cap.6.* Denique in ſanitate ex oculorum obtutu, animi propenſionem, mentiſque indicia eliciunt Medic.: ſunt enim oculi animi indices; nam internos affectus,cogitata, conceptus, etiamſi lingua ceſſet, foris produnt. Quapropter Hip.*lib.6.epid.ſect.4.ſent.28.* ſic dicit: *Vt oculi valent, ita & totum corpus*: nam ex oculis eliciuntur ſtotæ phyſiognomicæ, & totius corporis temperamentum arguitur,vt *in cap.25.26.27.art.med.* Gal.edocuit, & Hip. priùs ſignificauit *lib.2. epid. ſect.6. in init.* Horum oculorum gratia, lucem rerum omnium præſtantiſſimam Deus Opt.Max.creauit, quia ſine luce videri non poteſt,vt firmat Philo *in lib.de confuſione linguar.* nam illi ſunt animi fidiſſimi duces, nam hoc gaudente, oculi hilariter ſubridaent, eodem mœrente ipſi quoque hebetantur, ac languefcunt; grauiori premente moleſtia, lacrhymas exprimunt; per iram tumeſcunt; in manſuetudine remittuntur; in contemplatione hærent; denique omnibus animi affectibus ſtatim reſpondent. Ita Galenus *lib. 16. de vſu part.cap.3.* oculos vocat diuina membra, & viſum omnibus ſenſibus præſtare affirmat: de qua re eruditiſſimè conſcripſit Veronenſis Gabriel *in lib.1. Ariſt. de prima philoſ. quæſt. 6.*

Si ergo oculi variis mutationibus naturalem quandam animi cognationem declarant,manifeſtum fit,quòd ſi faſcinum, per imaginationem (quæ eſt animi vis) fiat, per oculos quoque, qui animi miniſtri, & affines ſunt, fieri poteſt. Ex quibus radij quidam emittuntur, qui veluti iacula,ac ſagittæ ad effaſcinandorum corda deferuntur, totúmque corpus inficiunt, atque ita nulla interpoſita mora, arbores, ſegetes, bruta, & homines perniciosa qualitate conſpurcant; vnde pecudes partu, & lacte priuantur, equi contabeſcunt, ſegetes vruntur, areſcunt arbores, ac tandem omnia ruunt in interitum. Conſule Gregorium *in præfat. ad lib.de venenis.*

Ad tertium. Faſcinum omne pernicioſa qualitate prædirum eſſe, ex definitione ſatis patet, quæ quidem qualitas ad veneni naturam proximè accedit: nam ſicut venenum totum quod inuaſit ad ſui virulentam naturam conuertit, ita quæcunque corpora faſcino correpta ſunt, in venenatam, & corruptam tranſeunt ſubſtantiam. Qualitas in faſcinatione duplex eſt, alia occulta, quam internam vocamus, alia manifeſta, quæ in primis quatuor qualitatibus ſedem habet. Calida vel calefaciendo corrodit, & vſque ad cor penetrans, corpus diſſoluit; vel inflammat, & paulatim tabefacit. Frigida ſtuporem inducit, cor immobile reddit, viſcera obſtruit, & refrigerat. Sicca humiditatem abſumit: Humida, per putredinem, partem à parte ſeparat. Ex quibus omnibus ad quartum ſolutio patet.

Ad quintum. Enaſci aliquos à natiuitate faſcinatores, apud me dubium non eſt: nam præter Plinij auctoritatem *lib.7. cap.2.* dicentis in Africa familias quaſdam eſſe faſcinantium,quorum obtutu peſſimo animalia emoriantur. Ratio dictat: nam ſicut reperiuntur plures homines qui ingenita facultate,& natiua quadam contrarietate ferarum morſibus obſiſtunt,earúmque venena infringunt: & ſicut in herbis, lapidibus, & animantibus inueniuntur admirabiles virtutes ſanandi; ſic in aliquibus hominibus, malefica & noxia qualitas nocendi à natiuitate eſt ingenita, vt viſu & aſpectu nocere poſſint; in quibus, vt ait Plin.*cit.loc.* in oculis,& eorum corpore toto venena gignuntur, è quibus (vt notat Heliodorus *lib.3.hiſt. Æthiopica, parum ante med.*) eleuatur vapor nobis circumfuſus, per oculos, nares,anhelitum, & alios meatus intrò penetrans, & vnà ſecum exteriores qualitates, quibus imbutus eſt ferens,qualis influxerit,qui talem quoque affectum iis qui illum acceperint, inſeminat. Nam ſi ſunt homines

A & pleraque in rerum natura,quæ viſu, atque intuitu tantoperè proſunt, erunt & alij qui ſimili modo poſſunt nocere; nam Philoſophorum omnium concurs eſt aſſertio, ſi in natura rerum reperitur vnum contrarium,debere dari reliquum.

Quod verò reperiantur Pſylli, & Marſi, quibus gratia iuuandi, & benefaciendi à Deo eſt conceſſa, probauimus *lib.1.in com.hiſt.vlt.* Refert Plin.*lib.6.cap.2.* in Helleſponto circa Parum genus hominum fuiſſe,Ophiogenes vocatos,ſerpentum ictus contactu leuare ſolitos, & manu impoſita venena extrahere è corpore. Hanc Pſyllorum vim naturalem morbos ſanandi, & reſiſtendi venenis, confirmat Ælianus *lib.1.de hiſt.animal.cap.27.& cap.28.* ex Calliæ monumentis recenſet,moriui Ceraſtis ſerpentis peſtiferi, à quo non beſtiæ tantum,ſed & homines intereunt,

B nihil æquè ſuccurrere poſſe, ac Lybicum natione Pſyllum. *Hic namque, vt ille ait, initio plagam ſaliua fouebat, atque curabat: denique malo increſcente multam intra dentes aquam hauriens, eâque os ſuum colluens, eiectam in poculum vulnerato abſorbendam tradebat. Quod ſi fortè veneni acerbitas inualeſceret acriùs,nudus ipſe nudo ægrotanti accubans, proprio ſuo corpore morbi vim ita debilitabat, atque frangebat, vt in totum hominem liberaret, &c.* Omitto multa, quæ à Plinio, & ab aliis pro confirmanda benefica vi Pſyllorum ſunt conſcripta: nam Matthiolus *lib.6. in Dioſcorid. cap.40.* nouit complures, qui ſimpliciter, nullo artificio, nuliſque verbis, Aſpides, viperas prorſumſcitra incommodum capiebant, quamuis ſerpentes ipſos pedibus calcarent,& manibus comprimerent,aut diutiùs in nudo pectore geſtarent.

C Non eſt igitur mirum,ſi aliqui homines ingenitam ſanandi facultatem ſint adepti; neque eſt cur nos eorum ſaliuæ, aut corporis contactus admiranda virtus attonitos teneat, cùm multò maiora, magiſque ſtupenda quotidie euenire cernamus. Punctis ab ſcorpione ſcorpium ipſum qui ictum inflixit tritum,& percuſſo loco impoſitum, ſuæ plagæ ob cæcam quandam naturę proprietatem remedium eſſe,*lib.66.cap.44.* docuit Dioſcorides. Sic tritus mus araneus contra ſuos ictus commodè bibitur, ex Dioſcor. *eod. lib. cap. 46.* Sic dens ille qui caninus dicitur, à cane qui momordit exemptus, aquæ pauores arcet, ex Dioſocorid. *lib.2.cap.39.* ſi folliculo indatur,pro amuletóque brachio annectatur. Sic iecur canis,qui rabie exagitatur, toſtum, & in cibo à demorſis ſumptum, ne aquæ pauore tenentur, tueri,eo loco prædixit Dioſcorid.Quare ſi hæc mira-

D cula inueniuntur in natura,cur in hominibus ſimiles vires iuuandi,& nocendi non reperientur,ipſis à ntura inſitæ? Non ergo negandum, in natura inueniri Pſyllos, & alios natura faſcinatores enatos.

Ad ſextum. Apud Ariſt.*in lib.de anima,*& Gal.*1.de dif. feb.cap.5.* axioma eſt inuiolabile,*nullum agens ſine patientis aptitudine agere poſſe; alioquin omnes,qui ſub ſole verſantur, febrirent, & cum peſtilentibus conuerſantes, peſte afficerentur.* Vnum certum eſt, tenuem ſubſtantiam faciliùs alterari, quàm craſſam,ex Gal. *lib.1.de feb.c.1.* quare rara corpora promptiùs faſcinationi ſunt obnoxia; nam per meatuum raritatem facilè pernicioſa qualitas penetrare poteſt; ſolida verò corpora ob contrarias cauſas difficillimè à faſcinatione læduntur. Calida humida, frigidis corporibus ſiccis, faciliùs faſcinatione inquinantur: nam promptiùs vnà cum aëre inſpirato malignum vaporem attra-

E hunt.Hoc modo tenelli, rara contextura præditi pueri citiùs inficiuntur; qui quò venuſtiores, & pulchriores, in faſcinationem celeriùs incurrunt; ſicut ingenio,& natura diuites; fœminæ decoræ aſpectu, opimæ pecudes,equi toroſi, & viſu delectabiles, lætæ ſegetes, luxuriantes arbores.

Ad ſeptimum.Plura eſſe antidota,quæ faſcinationi naturali aduerſentur, Dioſcorides aſſeuerat *lib.3. cap.87.* de Alyſſo; nam hæc herba domibus appenſa ſalutaris eſſe creditur, & hominibus, atque animalibus faſcini amuletum, vt probat Ruellius *lib.3.de natur. ſtirp. cap.38.* qui faſcinationem dari diſertè multis allatis exemplis confirmat. Hoc modo Angelicam valere contra faſcinationes affirmant, quis ſi eam ſecum geſtarit. Si ruta faſci-

 nationis

nationis remedium eſt, ex Ariſt.20.*probl.* 34. Varro morem fuiſſe veterum prodit, ad omnes faſcinationes auertendas, de infantium collo res turpes ſuſpendendi. Mercurialis *loc.cit.*pro re turpi intelligit quamcunque rem turpem, & hoc non ſine ratione erat factum; quia ſi vlla ſit faſcinatio in infantibus, ſecundùm Medicos, & Philoſophos ea eſt,quæ fit per oculos,quotieſcunque aut viri venenati, aut mulieres attentè intuentur ipſos infantes. Veteres ergo illi ſapientiſſimi, vt auerterent oculos iſtorum ab aſpiciendis infantibus, iure voluerunt res turpes appendi collo ipſorum,vt hæc fœda, & turpia ſpectra facerent, ſicque mulieres attentè non aſpicerent.

Plin.*lib.*14.*c.*4.palmarum quarundam oſſeum,lunatúmque lignum contra faſcinantes valere ſcribit, dente tamen religione polito nihil ſuperſtitioſius.Nec illud credibilius quod refert *lib.*28.*cap.*8.frontis hyænæ pellem faſcinationibus reſiſtere; & quod *eiuſd.lib.cap.*4. ſaliua hominis ieiuni arceri faſcinationes, & *cap.*2.vſitatum Romanis,peculiaris adoratio Græcam Nemeſin innocentibus. Illud multò eſt naturæ conuenientius *lib.*26.*cap.*10.faſcinis vtilem eſſe radicem illius Satyrij, quæ Orchis dicitur, ſed videtur confudiſſe Ruellius cum teſticulis,qui dicuntur canis, vt facilè ex iis conſtat, quæ Matthiolus *in Dioſcorid.* ſcripſit *lib.*3. *à cap.* 135. *vſque ad cap.* 139. Serenus cùm emaciantur pueri, ſi faſcinatione id putetur accidiſſe, tradit allium maximè prodeſſe,ex collo appenſum, quia faſcinationes arcet,vt & ſapphirus,& carbunculus.Mulieribus non deſunt peculiares ipſarum medicinæ, verbi gratia vſus ſuffumigationis ex cypero,cariophyllis,cinnamomo,ligno aloës, frequentiſſimè thure. Conſule Cardan. *lib.*3.*de venen.cap.*15.

Ad vltimum. Dæmones ab antiquis vocari Lemures, Faunos, Satyros, Laruas, Manes,Penates, Nymphas,Semideos,Muſas,& Genios,latè ex iuniorum Hiſtoriis probant Paul Grillandus *tract.de Sortilegiis,quæſt.*3.*n.*19.Bapt. Codronchius *lib.*3.*cap.*6.*de morb. venefic. ac benefic.* Ioan. Hucher. *lib.*4.*de maleficiis.* Vvierus *lib.*3.*de præſtigiis dæm. cap.*18. Horum commercio, & pacto fieri faſcinum, maleficia,incantationes, præſtigiaturas,ligari homines, fieri impotentes, philtris, poculis amatoriis, verbis prolatis, orationibus, appenſis, geſtatis, figuris, coniurationibus, characteribus, & aliis mille modis, mille doctus experimentis,ac teſtimoniis certiſſimis confirmatus, verum eſſe non dubito.

Horum omnium dæmon eſt auctor, aut adiutor, pactis nempè, conuentis inter cacodæmones, & præſtigiatrices, ſeu faſcinatores. Tanta enim iſtorum vis eſt,quantam nullis in corporibus ſcimus ineſſe, quam flatui, oculi radio, cæteris membris, verbis eam tribuunt per incantationes, id eſt,certas verborum,aut geſtuum formulas; inde naſci morbos trans naturam, probant Gemma *lib.* 2. *de diuinis characteriſmis,cap.*4. Langius *lib.*1.*epiſt.*38. & *lib.*2. *epiſt.* 34. Fernel.*lib.*6.*patholog.*13.& *lib.*2.*de abdit.cap.*16. Cardanus *lib.*2.*contrad.tract.*2.*cont.*7.Santorel.*lib.*2.*antepræx.* 15. & 16.

Has artes dæmonum pacto exercere maleficas quaſdam mulieres, quas lamias, ſeu ſtriges vocant, aut veneficos homines, quos ſtrigónes dicimus, ligare mortales, impotentes facere maleficiis,& præſtigiis,teſtantur euidentiſſimis exemplis,ex noſtris Marcel.Donat.*lib.*2.*de medic.hiſt. mirabil.cap.*1. Carrerius,*diſput.*37.*ad libros de loc.affect.* ex alienis teſtes ſunt Paul. Æmilius *lib.*2.*hiſtor.Franciæ*, Martinus Cromerus *lib.*8. *de reb. Polonis*, Ioan. Criſpianus *in Cæſarib. in Anaſtaſio*, Franciſc. Venetus *lib.*1. *probl.ſacræ Scripturæ*, 216.228. Trithemius *lib.*1. *breuiarij Annalium Francor.*28. Plin.*lib.*9. *hiſtor. natural.c.*3. Caſſiodor. *lib.*4. *variar.epiſtol.*23.

Deinde ſi amor induci poteſt magicis artibus, incantamentis,carminibus,vt firmāt Nicephor.Caliſtus *lib.*5.*hiſt. Eccleſiaſt.c.*27.Theocritus *in pharmaceutria, Idyllio* 2. cur iiſdem artibus non poterunt ligari homines, vt cum propria vxore non concumbant,cum aliis maximè; & ſi cum propria miſceri poſſint,ſteriles fiant? Sic magi,ſagæ,ſortilegæ,multos pene priuant, alios in virilium imbecillitatem cum vitium languore ſumo deducunt, vt ad venerem inertes remaneant, quos ſolæ, quæ afflixerant, precibus, & muneribus reſtituere queunt. De quo argumento legendus Matthias Vntzerus *lib.*1. *de peſte,cap.*17. Victor de bona gentibus *lib. de febre peſtilenti, tractat.*2. *cap.*1.

Inſuper ſi poculis amatoriis incendi poteſt libido, elementa magicis artibus mutari,aqua de cœlo incantamentis pluere, venti leniri, vt ex multorum ſenſu auctorum teſtantur Lilius Gyrald.*ſyntagm.*13.*de idolis gent.*Polydor. Virgil.*lib.*23.*hiſtor. Anglic.* Ioan.Gothius *lib.*6.*hiſt. Gothic. cap.*24.cur his artibus ſterilitas non inducetur? Denique, ſi aër, & ſidera mutantur, homines in alia corpora tranſponuntur,magicis præſtigiis, vt teſtantur vberrimè Petr. Toloſanus Iuriſconſultus eximius *lib.*34.*ſyntagm.vniuerſi, cap.*14. Abulenſis *in cap.* 21. *Numeror.* & ex Theologica magis,quàm naturali penu auctor eius operis qui dicitur *malleus maleficarum*, Cardan. *loc. cit.* cur iiſdem maleficis cærimoniis ſteriles non fient homines, & ad venerem ineptiſſimi? Num verò maleficarum imaginatio à dæmonibus moueatur, & agitetur, non quidem nouam formam in organa imprimendo, ſed formas in ſenſuum organis receptas localiter, ad vim apprehenſiuam tranſmutando, vt inde tales apparitiones, ac viſa in ſomnis fiant, quales ab illis deſiderantur,& dæmonibus inferuntur,Theologis diſputandum relinquo. Interim de remediis contra faſcinationem dæmonum pacto celebratam, conſule Ioan.Hagium *lib.* 5. *de paſſionibus mulier. tit. de concumbendi impotentia.* Vtrum verò homines in veros lupos, & beſtias vi dæmonum transformari poſſint, latè explicat Caſmanus *lib.*2.*pſycolog.diſtinct.*3.*quæſt.*8.

HISTOR. XVII. ALBVCASIS, De fœtu mortuo.

Fœtus mortuus, & putridus, aliquandiu geſtatus, & putreſcente vtero, circa vmbilicum tumorem excitans;ex quo ſponte, vel arte ſuppurato, putridus fœtus cum oſſibus eſt exemptus, & conſolidato vlcere mulier abſque ſterilitatis noxa conualuit.

Vidi mulierem, fœtum mortuum etiam vtero gerentem nihilominùs denuò impragnatam, eundémque fœtum ex ſecundo conceptu genitum, mortuum. Huic multo tempore poſt apoſtema in vmbilico obortum, & inflatum ſuppuratum eſt. Vocatus itaque ad curationem, diu eiuſdem medicationi inſtiti, neque tamen ad conſolidationem vlcus deduci potuit. Itaque emplaſtra vehementer attrahentia adhibui, quorum beneficio paucis poſt diebus oſſicula prodierunt. Admiratione igitur ductus, quum ventrem oſſibus carere ſcirem, rem diligentius & multifariàm expendi,deprehendique oſſicula illa, noniſi ex fœtuum mortuorum cadaueribus proueniſſe. Cauſa itaque morbi certò cognita, medendique ratione inuenta, oſſicula plurima per interualla ex apoſtemate eduxi, muliere in dies meliùs habente, quæ poſtmodum diu adhuc ſuperuixit; vlcus verò ſubinde nonnihil putrilaginis ex ſeſe remiſit,&c. Albucaſis lib.2.chirurg.cap.76.

PARAPHRASIS.

Quanta ex fœtu mortuo in vtero retento, & impacto, dum eum imbellis vteri vis expellere ſatagit, oriantur ſymptomata horrenda, metus & terroris plena, cùm ſuo vapore tetro & maligno,à ſanguine etiam menſtruo ſuppreſſo, & in vteri ergaſtulo coërcito, eleuato, partéſque ſuperas, cum quibus ſummam obtinet ſympathiam, & conſenſum, premente, lancinante, & propter nente labe dira, nec mente concipi, nec verbis explicari poteſt. Quapropter licèt Hippocrates, Medicorum anti

antiquiſſimus magiſter, *in lib. de morb. mulier.* Gal. & claſſici illorum filij, de fœtus mortui curatione caput accuratè conſcripſerint, nos omnia in anguſtam redigemus ſummam, plura addentes, quæ vtilitatem afferent non aſpernabilem.

Miſeret profectò, vt cum Plinio loquar, *lib.7. cap.7.* quàm friuola ſit animalium ſuperbiſſimi origo; quum plerumque abortus cauſa ſit odor è lucernarum intinctarum fumo exhalans. Quæ enim miſeria maior, aut magis miſeranda ſors, quàm vt in ipſo vitæ limine, naſcens, & pariens miſerabili voce Medicorum opem implorent! Sed hæc eſt muliebris naturæ conditio, vt cum dolore pariat, & in partu de vita ſæpè periclitetur: nam ſi inſtante partu naturali, ſæuiſſimis oppreſſæ ſymptomatis fœminę, metuunt, pauent, mœrore conficiuntur, lancinantur, tabeſcunt, exſoluuntur, quantò magis in violento, ac præter naturam, in quo ipſæ in agone poſitæ, ad mortis fauces deductæ, exanimantur, & de ſalute ſua deſperant, vigiliis, nixu frequenti, torminibus diris vexatæ, & proinde debiles, & fœtus motu deſtitutæ, qui ad felicem partum ſummè conducit, quoniam, vt bellè dictabat Gal. *lib.5. aph.55. ad partum, roborare matris, & fœtus opus eſt*: hic enim calcitrans, & diſrumpens membranas, ad excretionem viam parat.

Cauſa fœtus mortui multiplex eſt. Emoritur enim ob alimenti penuriam, malitiam, plethoram ingentem, nimiam ſanguinis copiam, ob quam, vt ignis multa lignorum congerie ſuffocatur, fœtus obruitur, & extinguitur. Perit ſolutis acetabulis, ob ſaltum, tuſſim, ictum, ſternutamentum, vel humiditatem ſuperfluam laxatis, ex nimia inedia, ingenti hæmorrhagia, alui fluxu diuturno, 5. *aph.* 32. phlebotomia intempeſtiua, medicamento valido expurgante oblato, prouocantibus menſtrua exhibitis amaris, morbo incendioſo, & acuto; hic enim abſumit pabulum, ſanguinem comminuit, vires eneruat, & tandem fœtum occidit 5. *aph.* 31. Moritur ob partus difficultatem, vt diſertè monuit Auic. 21. 3. *tract.* 2. *cap.* 21. quæ ad fœtum ſæpè eſt reducenda: ſi enim imbecillis ſit, & neque vincula diſrumpere poſſit, neque ad exitum vehementer eniti, laborioſus partus ſubſequitur.

Difficilis deinde partus ex multiplici cauſa emanans, fœtus mortui eſt cauſa. Fit difficilis, vt toties *lib. de natur. puer. & de morb. mulieb.* Hipp. prædixit, vel quia debitum tempus anteuertit, tunc enim potiùs abortus, quàm partus dicendus eſt; vel ex mœrore, timore, triſtitia diuturna, lætitia immodica, vigilia, pauore, terrore horribilium ſpectrorum. Ex parte fœtus difficilis fit partus, ſi exeat deprauata figura, in manus, pedes, cum altera manu, vel pede, in ventrem, in latus, obliquus, contortus; ex quibus omnibus periculoſiſſimis figuris deſcriptis ab Hipp. *in lib. de morb. mulier.* partus difficultas contingit.

Perit fœtus ex parte matris; nam ſi ex longo morbo, labore multo, ingenti vacuatione eſt exhauſta, nec fœtum retinere, nec in enixu ſeipſam iuuare poteſt, maximè ſi gibboſa ſit: huius enim ſortis fœminæ anheloſæ ſunt, difficulter ſpirant, ex Hippocrate *lib.6. aph* 55. & ſic ſpiritum cohibere nequeunt, opus alioqui ad partum ſummoperè neceſſarium. Hoc malum quoque affert mala vteri, ac vicinarum partium conſtitutio, veluti eſt vteri magna diſtentio ipſius ſtrictura, nimia omenti obeſitas, vlcus in partibus genitalibus relictum, tumentes hæmorrhoïdes: excrementa dura & diu retenta hanc etiam cladem afferunt; nam comprimunt vterum, & fœtum exire impediunt.

Extinguitur fœtus ex parte acetabulorum, quoniam ſi ſint plena mucore, & laxata, fœtum retinere nequeunt; nam debilia ſunt, & retentrix gaudet ſiccitate, ex Hipp. 5. *aph.* 45, Sicca etiam ligamenta, chordæ exſiccatæ inſtar, diſrumpuntur. Corpus nimis gracile, aut excarne facit abortum, ex Hip. 5. *aph.* 44. Ex parte membranarum difficilis fit partus: quia ob craſſitiem non dehiſcunt, ob tenuitatem intempeſtiuè diuelluntur, & ob hanc occaſionem, humore vacuato partus ob ſiccitatem redditur difficilior, quòd fœtus per collum vteri difficulter elabitur. Humorem autem hunc prodeſſe viis lubricandis, dilatando vterum, quum à prædicto humore ipſius collum humectatur, & mollius redditur, & facilitando partum; teſtis eſt locupletiſſimus Gal. *lib.15. de vſu part. c.5.* Cur autem ſola mulier inter cætera animalia partus difficultate laboret, explicat variæ lectionis vir Mercurial. *lib.2. de morb. mulier. cap.3.*

Signa fœtus mortui, ſunt priuatio, & defectus motus ipſius infantis, venter matris frigeſcit, dolor grauis adeſt iuxta vmbilicum, labiorum color liueſcit, oculi obſtupeſcunt, naſus horret. Decumbente fœtu in latus, in id reuoluitur, ac decidit puer, mammillæ extenuantur, humiditates ab vtero emanant, fœmina fit inepta ad motum, eius corpus cum virore albicat, languet, molleſcit, caput dolet, oris fœtor ſentitur, obtenebratur viſus, inflantur palpebræ, inappetentia contingit. Putreſcente fœtu, ichores ab vtero emanant, tempora pulſant, malæ rubent, excitantur febres, inſomnia fiunt turbulenta: his enim ſignis fœtum mortuum cognoſcere docet Hipp. *lib.1. de morb. mulier.* & refert Aëtius *tetrab.4. ſerm.4. c.*11. lege Franciſcum Portum *lib.4. decadis medicæ, cap.*25.

De præſagio quid dicendum? Hoc eſſe funeſtum, & mortem extemplò minitans, plures oſtendunt irrefragabiles rationes; cùm enim per totum conceptionis tempus fœtus dulciſſimo ſanguine alatur, impuriorem reſpuat, vt Hip. docuit *lib. de natur. pueri, num.*39. & firmat Galenus *lib.3. epid. ſect.3. com.*73. ob hanc cauſam maxima in vniuerſo mulieris corpore, prauorum, & craſſorum exuberat ſuccorum colluuies, qui diu in vteri cauernula, tanquam in ſentina retenti, in maleficam abeuntes naturam, cor, viſceráque præcipua fœdant & inquinant, & vniuerſo corpori ſuam cacoëthen impertiuntur vim. Hinc grauis ſopor, epilepſia, conuulſio, animi deliquium, virium reſolutio, cardialgia, ſyncope, & ex humiditatibus retentis, fœtúſque putreſcente febris non ignaua exoritur, quę ipſas ad necem citiſſimè deducit. Deinde licèt fœtus à natura, vel arte expellatur, remanet tamen vterus tanta labe fœdatus, vt vix corrigi deinceps, & emendari poſſit, quum ex demortuo fœtu vterus inſignem contrahat frigiditatem, ob quam varia deinde & ſæua oriuntur ſymptomata, Si verò fœminas aliquando fœtum mortuum per multa annorum curricula geſtaſſe, eúmque naturam ſenſim, fruſtillatimque excreuiſſe, auctores non contemnendi, vt Albucaſis hoc loco, & alij commemorant, id tanquam moſtroſum, limites naturæ excedens, eſt recipiendum.

Mira enim ſunt, vt ad hiſtoriæ explicationem accedamus naturæ opera, quæ quotidie circa fœtum mortuum obſeruantur. Plurimæ enim fuere grauidæ, in quibus vel ob partus difficultatem, vel caſum aliquem, morbum acutum, aut alias cauſas ſuprà citatas, fœtus eſt emortuus, & aliquandiu etiam putreſcēte vtero geſtatus, qui circa vmbilicum, abdomen, imum ventrem, & inguina, tumores, aut veſicas excitauit; ex quibus vel ſponte, vel arte ſuppuratis, apertiſque, putridus fœtus cum oſſibus exemptus, conſolidatiſque vlceribus, mater abſque ſterilitatis noxa conualuit. Hoc ita eſſe fidiſſimi, peritiſſimique Medici confirmarunt, Gregor. Horſtius *lib.6. de medic. hiſt. mirabil. apud Marcel. Donat. cap.2. & vltim.* Immò ipſe Marcellus *lib.4. eiuſd. operis, cap.*22. hoc ita eſſe variis allatis hiſtoriis conteſtatur: ſubſcribunt Alexand. Benedict. *lib.25. de curand. mob. cap.* 33. Rouſſetus 21. *part. de partu Cæſareo, ſect.4. cap.4. hiſtor.6.* Gaſpar Bauhinus *in appendice ad partum Cæſareum Rouſſeti,* Rondeletius *in method. curand. morbos, cap.*65. Matthias Cornax *citatus à Marcello,* Langius *lib.2. epiſtol.*30. Marſilius Cognatus *lib.4. variar. obſeruat. cap.9.*

De curatione nonnihil commaticè dicam, in qua perficienda, quum neceſſitas vrgeat, non debet Medicus perterreri, etſi ſymptomata adſint horrenda, & fera. Quare aggredienda eſt curatio in conclamatis morbis, & in ſalutis ſpe dubia aduerſus ſæuientia pericula potentibus præſidiis bellum gerendum, vt bellè docuit Galenus *lib.* 10. *meth. cap.*10. nam *multi citra ſpem mirabiliter ſanantur,* vt monuit Auicenna 44. *tract.2. cap.* 10. & Celſus *lib.5. cap.*26. Quo fit vt in hoc deſperato caſu, non leuia, ſed

fortia

fortia illicò ſint adminiſtranda, maximè cùm ſolùm à matre expellente habeamus auxilium, quoniam fœtus cùm ſit mortuus non calcitrat, nec membranas diſrumpit, nec quærit exitum: extrema ergo ſint, & violenta eſt neceſſe.

Gal. *lib. 2. de cauſ. ſympt. 3.* docet medicamenta quę viuos fœtus excludunt, etiam expellere mortuos: nam ad vtrunque fœtum excludendum, facultatis expultricis ope indigemus. Quare cum in mortuo fœtu facultas magis ſit ſopita, quoniam ille non motu ſuo, ſed ſolùm pondere naturam ſtimulat, idcircò matris vires augere debemus cardiacis, vel theriaca, mithridatio, confect. alchermes, hyacinth. Proſunt mirè lapis Belzaar, puluis diambræ, & alia, quæ vaporis tetri ab vtero exhalantis malitiam retundunt. Exhibenda ſunt alimenta electa, quæ in parua quantitate multùm nutriunt, vt vinum, quod vires collapſas citiſſimè omnium refocillat, oua recentia, hepata gallinarum contuſa, ex præſtantiſſimis carnibus extracta. Fœmina leniter deambulet: nimius ſomnus illi interdicendus; nam fœtum retinet.

Euocant fœtum, quæ irritandi vires habent. Omnium maximè iuuant ſternutationes, ex Senis edicto *lib. 5. aph. 35.* dicentis: *Mulieri quæ vterinis moleſtatur, aut difficulter parit, ſuperueniens ſternutatio, bonum:* nam, vt ait fidus interpres *in com. hic motus vehementiori concuſſu, atque feruore, partim quidem naturam excitat, partim verò excernit, quæ partibus corporis firmiter infixa adhærent.* Parentur ſternutationes ex caſtorio, elleboro, pyrethro, pipere, ſinapi, aſſa fœtida, & nicotiana. Frictiones optimæ ſunt in partibus inferioribus celebratæ, fortes, & aſperæ, cum ſale, & aceto calido adminiſtratæ. Fiant ligaturæ dolorificæ in cruribus, pollice, & minimo digito. Cucurbitulæ ſiccæ in femore in parte domeſtica iterum atque iterum repetantur: quia potentiſſimè attrahunt, ex Gal. *lib. 7. aph. 1.* prouocant menſtrua, & naturam ad inferiores partes præcipitant, ex Gal. *lib. de ſang. miſ. cap. 11.* Hac ratione ad extrudendum lapidem deorſum, vtitur hoc auxilio *lib. de renum dignot. cap. 4.* Nec diſplicet venæ ſectio in talo celebrata, ſi vires adſint: Si enim ſanguinis copia, & craſſitie vterus prematur, & per vaſa obſtructa fœtus deſcendere nequeat, tunc commodiſſimam opem præſtat venæ ſectio, maximè ſi fœmina fuerit aſſueta tempore grauidationis ſecare venam, qua omiſſa, aut fortè extracto ſanguine in minori copia, fit vt ob eam ſuffocatus emoriatur fœtus; quapropter hic adſtante in vtero copia percolare non poteſt, niſi priùs particularis vteri plenitudo dematur; inanitæ enim venę vteri, ac vicinæ aliæ, concidunt & locum fœtui egredienti cedunt; & natura exonerata ad eius excluſionem redditur potentior.

Vtero apponenda ſunt, & inferiori ventri, vnguenta quæ calefaciunt, vias aperiunt, & dilatant; nam ſic faciliùs fœtus exire poteſt. Hæc parantur ex calidis oleis, vt caſtorij, rutæ, lilior. albor. lumbricor. ex quibus cum vnguento Agrip. Marciat. & ſucco rutæ, aut colocynthidis, fiat vnguentum. Vel impone vnguentum Arthanit. maioris cum mirrha permixtum, quod mirum in modum fœtum præcipitat. De horum claſſe ſunt fomenta, inceſſus, lauacra, quibus partes infra vmbilicum foueri poſſunt: fiunt ex decocto myrrhæ, rubiæ, matricariæ, artemiſ. ſabin. puleg. thymi, calamenthi, lauri, lupinor. althææ, ſem. lin. parietar. melilot. ariſtoloch. cyclamin. elebor. flor. chamæmel.

Hydrelæum optimum eſt: nam vaſa dilatat, vias emollit: fit ex herbis, & medicamentis dictis, & aliis quę ſuapte vi menſtrua prouocare nata ſunt, vt inter omnes proprio experimento probat Thaddæus Dunus *lib. miſcellan. cap. 21.* præſertim ſi ſit cum oleo paratum; hoc enim, aut eius fæce calente, pubem, vicináſque partes foueri, mirum, eſt præſidium: ab oleo namque collum vteri humectatur ac molliùs redditur; quo auxilio, molas detrudi, facilitari partus, & mortuum fœtum excludi in propria vxore magna celebritate ſe obſeruaſſe gloriatur Valleriola *lib. 1. obſ. 1.* & poſt fotum, vel balneum, vnguentum imponendum.

Poſt hæc, exequenda ſuffumigia, quæ vteri vim expultricem irritant, & ipſam cogunt fœtum expellere, viáſque dilatant, aperiunt, potenter attrahunt, fiúntque hoc modo ℞ *thymiamat. ameos, opopanac. galbani, ſulphur. viuiocaſtor. cinnamom.* an. ʒ. j. *myrrhæ* ʒ. ß. *veratri nigri* ℈. ij. *ſucci cucumer. aſinin.* ℥. j. ß. *fellis taurini, quod ſit ſat.* Vt fiant formulę ceerales, ex quibus ad ardentes prunas elatus vapor per infundibulum in vterum recipiatur.

Inſuper exhibita in potum, optima ſunt, ſiue in forma ſolida; ſiue liquida offerantur. Hoc decoctum vtile eſt, ℞ *ſabinæ, artemiſ.* an. m. ij. *dictamni, adianthi,* an. m. 2. *cinnamom. fœnugræc.* an. ℥. j. ß. Cum ʒ. j. trochiſcor. de myrrha, & ℥. iij. ſyrup. de artemiſia, & gr. iiij. croci, fiat potus.

Pulueres hi ſi in vino exhibeantur, prodeſſe valdè poterunt. ℞ *myrrhæ, caſtor. aſſæ fœtid. galbani, dauci, dictamni,* an. ʒ. ß. qui etiam in iure, vel aliquo decocto aperienti oblati, valde prodeſſe queunt.

Si verò fœtus excerni non poſſit, inferenda eſt vis naturæ, & violenta medicamenta tentanda: nam vt *lib. 5. meth. cap. 15.* notabat Gal. *vbi ſemel moriendum eſt, à leuibus inchoare præſidiis eſt inutile,* quoniam vt Hipp. ait, *lib. 1. aph. 6. extremis morbis extrema remedia optima ſunt,* quapropter pilulæ tres, aut quatuor ter in die offerendæ, quæ potentiſſimè fœtum mortuum expelluut.

℞ *myrrhæ, caſtor. aſſæ fœtid. galbani, dictamni,* an. ℈. ß. *euphorbij.* ʒ. j. *Scammonij,* ʒ. ß. *trochiſc. albandal.* ʒ. ß. *ammoniac. opopanac. ellebor. nigri,* an. ℈. ß. *pulp. colocinthidis* ℈. j. Cum ſucco allij, & felle tauri fiant pilulæ ad modum ciceris. Peſſaria fortia in vterum indita ſummo ſunt ex vſu, facta ex nuper dictis medicamentis ſecundum artem.

Balſamum in hunc vſum, optimum eſt, ex Dioſcoride *lib. 1. cap. 18.* chryſocolla, admirabilis (Boracem officinæ dicunt) quam ſi in quantitate drachmæ vnius exhibeas cum vnciis tribus aquæ ſtillatitiæ ſabinæ, artemiſiæ, aut generoſi vini, iuuabis vehementer.

Neotericorum clariſſimi hæc fortia, & violenta auxilia aſpernantur, fortè quod calida ſint, acria, febrem accendant caliditate ſua, laceſſant naturam. Quamobrem vt vterus minimè vitietur, & poſteà ſemen poſſit admittere, & retinere, alia via ingenioſa incedunt, ſola manuum ſolertia & induſtria, ſiue chirurgicis auxiliis, inſtrumentiſve muniti, qua confiſi, fœminas prope deſperatas, & ab obſtetricum ope inani deſtitutas, fœtum mortuum gloriantur extraxiſſe Carolus Stephanus doctiſſimus *lib. 3. de diſſect. corp. hum. cap. 2.* Gaſpar Bauhinus, ex Ioan. Bauhini mente: nam manum oleo delibutam ſenſim in vterum immittunt, & fœtum ipſa apprehendentes, ipſum leniter extrahunt.

Si verò res eò miſeriæ deueniat, vt medicamenta non iuuent, & mulier in agone ſit, & ad orci fauces deducta, quam in tam obſcuro, & intricato labyrintho certam Medicus aggredietur viam? Certè res diuino indiget auxilio. Hinc medentium tot dimanant opiniones, tot in conſultationibus Medicorum doctiſſimorum, latè longéque diſcrepantes ſententiæ, tot inextricabiles controuerſiæ, dum ſinguli probabili, ac coniecturali quadam ratione, ob rei grauitatem, ac difficultatem incomprehenſibilem, votum ſuum tueri contendunt.

His preſſus anguſtiis matrem ſic iubet redimere Hipp. medicæ facultatis vnicum ornamentum, & ſic hanc controuerſiam reſcindendam putat: nam fœtum iubet amputare ferro, vt ſic in minimas partes diſſectum in vtero, vel Medici minutim educant, vel eum natura faciliùs poſſit extrudere. Sic enim ait *lib. 1. de morb. mulieb. num. 27. Quicunque verò fœtus mortui, aut crus, aut manum foras protendunt, eos optimum quidem fuerit, ſi id fieri poſſet, intrò retrudere, & ambas has partes in caput vertere: Si verò hoc fieri non potuerit, verùm intumeſcit, ſecare hoc modo. Diſſectum per ſcalpellum caput, cum contuſorio inſtrumento, vt ne in ramenta findatur, contundito, & oſſa per oſſium volſellam, aut tractorium inſtrumentum, iuxta clauiculam immiſſum, prout habuerint extrahito, non multis ſimul, ſed paulatim exemptis, ac rurſus ablatis. Quum verò hæc foras extraxeris, & in ipſis humeris fueris, ambas manus in articulis cum ipſis humeris ſecato. Et vbi hæc extraxeris, ſiquidem fieri*

potuerit

potuerit vt exeant, etiam reliqua facilè extrahito: ſi verò non obediant, totum pectus vſque ad iugulum findito. Verùm caueto ne ventrem ſeces, & aliquid de inteſtinis denudes, &c. Vides, vt peritiſſimus auctor modum inciſionis, & inſtrumentorum formam ſolerter deſcribat.

Si verò hoc opus tibi videatur inhumanum, & multis calamitatibus, dolorúmque rigoribus obnoxium, quoniam longo temporis ſpatio perficitur, & vires ex nimia hæmorrhagia iam proſtratæ ampliùs exſoluuntur; neque fœminæ tantum remedium poſſint admittere, neque artifex huic operi perficiendo dexterrimus inueniatur: tutiſſimum eſt, ſi adſint vires, & omnia alia reperiantur, quę Paul. *lib.6. cap.74.* & Celſus *lib.7. cap.29.* prærequirunt, nempè vnco fœtum extrahere; quod opus in plurimis in agone poſitis fœliciſſimè ſum expertus. Huius præſidij auctores extant Aëtius, *tetrab.4. ſerm.4. cap.23.* Celſus & Paulus *loc.cit.* Auic. 21.3. *tract.1. cap.14.* confirmant Beniuenius *lib.1. de abdit.* 29. Paræus *lib.* 23. *cap.* 26. Vidus Vidius *lib.11. de curat. membrat. cap.34. prop. fin.* Mercat. *lib.4. de morb. mulier. cap.5.* Banderonus *lib. praxis, cap.80.* Aquapendens *part.1. chirurg. cap.86.* Foreſt. *lib.28. obſ.78.* Capiuac. *lib.12. de curand. morb. cap.9.* Roderic. à Caſtro *lib.4. de morb. mulier. cap.2.* Iacobus Rueff. *lib.6. de homin. generat.* & proprio experimento obſeruauit Valleriol. *lib.1. obſ.2.*

Sed ne quid indeciſum pro hiſtorię explicatione remaneat, notanda ſunt verba in principio hiſtoriæ allata: dicit enim *ſe vidiſſe mulierem, fœtum mortuum etiam vtero gerentem, nihilominus denuò impragnatam.* Quibus verbis ſuperfœtationem concedere, eſt manifeſtum. Hanc dari fatetur expreſsè Hip. *lib. de ſuperfœtat. num.1.* qui liber Hip. eſſe videtur, vt notat Gal. *lib.6. epid. ſect.7. com.27.* qui enim in eo continentur, in aliis germanis ipſius libris Hip. reperiuntur. Deinde vxor Gorgiæ in Lariſſa apud Hip. 5. *epid. num.5.* ſuperfœtauit; concepit enim fœmellam, & cùm iam inſtaret tempus partus, ſuperfœtauit. Auic. hoc confirmat 21.3. *tract.1. cap.17.* cum Ariſt. 4. *de generat. animal. cap.5. & 7. de hiſt. animal. cap.4.* Auerrhoës *lib.4. de gener. animal. cap.7.* Rhaſis 22. *cont. tract.6. cap.1.* Plin. *lib.7. c.11.* Solinus *de ſitu orbis, cap.3.* Approbant Fernel. *lib.7. phyſiolog. cap.11. in fin.* Bonaciolus *in ennead. mulier. cap.3.* Maſſa *epiſt.25.* Syluaticus *controu.* 81. Paræus *lib.23. cap.52.* Rouſſet. *de part. Cæſar. ſect.6. cap.7.* Bauhinus *in dict. tract. Rouſſet.* Ioubert. *lib.3. error. popular. cap.1.* Pereda *in Schol. ad Paſchal. de curand. morb. lib.1. cap.55.* Martinel. *lib.3. de medicin. mulier. cap.4.* Andreas Laurent. *lib.8. quæſt.22.* & alij quàm plurimi, quos refert Schenkius *lib.4. obſ. tit. de ſuperfœt.* apud quos pulchra leges ſuperfœtationis exempla, & cur ſola mulier grauida coïtum admittat, & frequentiùs ſuperfœtet animalibus cæteris: nam multi cum Fernelio canem ſuperfœtare affirmant. Lege quæ diximus *ſuprà, in com. hiſt.5. in fin.*

Loquimur de ſuperfœtatione vera & propria, vt notat Mercurialis *lib.3. de morb. mulier. cap.6. in fin.* quando videlicet vno conceptu iam facto, ſecundus proximè ſequutus, denuò nouam domum ſibi parat: nam impropria dicitur, quando plures fœtus vno concubitu generantur, quoniam ſuperfœtatio vera non fit ex vno coïtu, cui non eſt deſtinatum certum dierum ſpatium poſt priorem conceptionem, ſed ferè hoc tempus intelligi debet pro termino quadraginta dierum, licèt etiam ad ſexaginta extendi poſſit, vt citati confirmant auctores.

Superfœtationem ergo dari nouum non eſt, vt communis Medicorum confirmat opinio. Contra hos grauiſſimos auctores, quorum indubitata eſt fides, inſurgit acriter Valuerda *lib.3. de re anatomic. cap.14. in fin.* ridiculos vocans, qui ſuperfœtationem dari arbitrantur, & nixus quibuſdam argumentis, ſuperfœtationem, commentitium quid eſſe aſſeuerat. Primò, quoniam vterus recepto ſemine ſuprà illud ita recolligitur, idque ita validè amplexatur, vt vacuus in eius cauitate locus nullus relinquatur. Secundò, os vteri poſt conceptúm ſemen ita comprimitur, & conniuet, vt ne ſpecilli quidem tenuiſſimi mucronem admittat, ex Gal. *lib.5. aph.51. & 15. de vſu part.7. & 2. de ſympt. cauſ. c.3.* Iungit dictis argumentis exemplum, quod ipſi appoſitiſſimum videtur: nam ſicut in ſpicis, ex vno eodémque tritici grano emergentibus, vna celeriùs altera matùreſcit, ſic in fœtibus accidit; hi enim licèt in vno eodémque veneris congreſſu, & vno eodémque ſemine fiant, tamen vnus altero celeriùs ad perfectionem peruenit, & celeriùs etiam naſcitur.

Sed abeat cum ſuo commento Valuerda, qui in hoc condendo dogmate aliena increpat, & ab aliis diſcrepat, cuius argutias, ineptáſque nugas ad Cynoſarges abire iubeo. Dic ad primum, ſagaciſſimam naturam nouo conceptui alendo locum reſeruare ſemper, ne fœtura de nouo accedens, alterius præexiſtentis onere ſuffocetur. Secundum explicat Laurentius, dum ex mente Hip. *lib. de ſuperfœtat.* poſt ſecundum, aut tertium conceptionis menſem poſſe os vteri aperiri aſſeuerat, dum ſic ait: *Superfœtant autem mulieres, quarum vteri os poſt primum conceptum non exquiſitè clauditur.* Vterus enim libidinis œſtro percitus, denuò aperiri poteſt, vt ſemen excipiat, nec tamen prior conceptus iam conformatus, & grandior excludetur, ſi ſana ſit mulier, & fœtus validus, quoniam firmiter adhæret, & adhuc exitum non quærit. Tertium, quo ipſe conuictus à præfata Medicorum doctrina diſcedere cogitur, eſt irritum; nam diſpar in ſimilitudine ratio: quoniam cùm plures ſpicæ ex vno eodémque grano pullulant, non poteſt omnibus æqualiter ab ipſo grano alimentum ſubminiſtrari, quo fit vt quædam ſpicæ citò, aliæ tardè ad maturitatem perueniant, non quia defecit à terra alimentum, ſed à ſemine ipſo. In exemplo autem noſtro terræ proportione reſpondet ipſa mater; ſemen verò in plures partes diuiſum granis tritici, & non vni tantùm, ita vt quemadmodum vnum tritici granum ſeorſim pullulans, non impedit aliud granum, quò minùs ſuas ſpicas ad maturitatem perducat, quia terra quantum eſt ex ſe, vnicuique ſufficiens alimentum ſuppeditat, ſic etiam & in matris vtero ſemen, quod in vno partu conceptum fuerit, aliud adoleſcere minimè prohibet: nam mater vtriſque ſufficiens poteſt præbere alimentum, quod quotidiano patet experimento: nam vbi fœtus in vtero manet, totus ſanguis qui ſingulis menſibus ab vtero emanabat, retinetur.

Immò verò contra Valuerdam tela retorque hoc modo. Si alter ex conceptibus vniuerſum matris ſanguinem in ſui alimentum abſumit, & ſic fortior conceptus alium adoleſcere non permitteret, hoc veritatem haberet vbi gemelli ſexu diſpares eſſent: cùm enim mas calidior ſit fœmina, ac plerumque fortior, omne alimentum ad ſe alliceret; ſed cùm ferè gemelli ſexu diſtincti naſcantur, fœmina inabſoluta in lucem exiret, quum contrarium quotidiana comprobetur experientia, nam gemelli pariter abſoluti exeunt in lucem. At hæc ſolùm pro Valuerdæ opinione impugnanda ſatis ſint. Lege Dodonæum *in ſchol. cap.91. Beniuen.* Cardan. *lib.5. aph.36.* Roderic. à Caſtro *part.1. lib.3. cap.13. de morb. mulier.* Gordonium *cap.2. particul.7.* Nicol. *ſerm.6. tract.1. cap.22.* Marcel. Donat. *lib.4. de medic. hiſt. mirabil. cap.16.* Ioan. Colle *in ſuo elucidario anatomico, cap.60. de ſuperfœtatione.*

HISTORIA XVIII. AETII,
De ignauis partibus genitalibus.

In coïtu non ſemen, ſed ventris crepitus aliquando excernitur.

*ADoleſcens quiſpiam ad nos acceſſit, & ſe vehementer coïtum appetere confeſſus eſt: verùm vbi commiſceretur, * ſemen emittere non poſſe, ſed flatus plurimos ſibi per ſedem erumpere. In hoc itaque coniecturam feci, vaſorum ſeminariorum ſiccitatem adeſſe, quod ipſum etiam adepta ſanitas demonſtrauit: nam poſtquam humida, & boni ſucci diæta eſſet vſus, ſemen emiſit. Aëtius* tetrab.3. ſerm.3. cap.vlt.

PARAPHRASIS.

DE ſeminis natura, præſtantia, ac viribus hoc loco diſſerendum non eſt, quum de hoc inſtituto ſat plura veteres & iuniores ferè omnes literis promulgarint, & nuper de hoc argumento conſcripſerit Ioan. Gallego de la Serna, *lib. de principiis generationis, in principio.* Semen enim eſt elementum, tam actiuum, quàm paſſiuum corporis humani, ex parte ſanguinis aërea, oleoſa, & pingui, vi teſtium in ſe, & ſeminariis vaſis elaboratum, & tanquam excrementum quantitate, & non qualitate grauans expulſum, intercedente concubitu, à mare, & fœmina eiaculatum, vim habens tale quidpiam generandi, quale eſt à quo deciditur, ad ſpeciei propagationem. Vel ſi mauis breuiùs definire, dic quòd ſemen eſt ſanguis in venis exquiſitè confectus, & elaboratus in teſtibus ac vaſis ſeminariis.

Vaſa autem ſeminaria ſunt venæ, arteriæ, nerui, quòd ex his tanqaam riuis diffluant in omnes corporis partes ſanguis, calor, ſpiritus, vita, nutritio, motus, ſenſus; proptereà ab Hip. *lib. de corde*, vocantur flumina, quibus totum corpus irrigatur. Seminalia vaſa duplicia ſunt: nam alia materiam ad teſticulos deferunt, ex qua ſemen elaboratur, dicuntúrque præparantia, quæ in viris quatuor ſunt, duæ venæ, totidémque arteriæ, quorum exortus in vtroque ſexu ſimilis eſt. Alia duo ſunt deferentia ſemen, quæ à præparantibus oriuntur, & eiaculatoria etiam dicuntur, vt doctè notarunt Columbus *lib.* 11. *de anatomia, cap.* 13. Veſal. 5. *fabric.* 19. & alij.

Cùm ſemen ſit calidum & humidum, multóque conſtet humido primigenio, & ſpiritu implantato abundet, conſtat manifeſtè à calore moderato fieri, ac elaborari, vt inter omnes probant Fernel. *lib.* 7. *phyſiolog. cap.* 5. *&* 6. Leuinus Lemnus *lib.* 4. *de occult. natur. miracul. c.* 23. edocti à Gal. *in lib. de ſemine.* multis enim conditionibus debet eſſe præditum, vt perfectionis gradum adipiſcatur, qualem deſcribit Ariſt. *de hiſt. animal. cap.* 22. nam debet eſſe album, ſplendidum, globoſum, florum ſambuci modo odorum, quod in aquam iniectum, fundum petat.

Quare non mirabimur hunc iuuenem natura ſua frigidum, imbellem, vt ſunt, qui totius corporis molliſſima carne, & multa pinguedine conſtant, quæ effœminatam reddit neruoſam pudendi ſubſtantiam, ſemine plurimo & craſſo carentem, ob flatus copiam fiſtuloſum neruum diſtendentem, coïtum licèt appetentem, arrecto virili, loco ſeminis, quod ob penuriam innati caloris gignere non poterat, excreto flatu per inteſtina, hymenæum citra delectationem celebraſſe, fuiſséque ſterilem, quales ſenes ſunt, quibus protinus pudendum detumeſcit excreto flatu: quoniam cùm comprimeretur à flatu in recto inteſtino, exire non poterat ſpiritus ex pudendo, & ſic perſtabat tentigo, quòd locus redderetur anguſtior, quo dilatato tenſio ceſſat.

Coëuntibus nonnullis etiam ventris crepitus emitti, primus omnium memoriæ prodidit Hip. *lib.* 6. *epid. ſect.* 3. *text.* 12. *&* 26. quum in hunc modum profatur: *Aliquibus cùm venere vtuntur, inflatur venter, vt Damagoræ: Aliquibus verò in eo ſtrepitus: Arceſilao tumebat.* Quæ omnia à debili viſcerum interiorum calore, à teſtium, vaſorúmque ſeminalium imbecillitate, & ſiccitate originem ducere certum eſt: nam hi, loco ſeminis, quod ex debilitate generare nequeunt, flatus creant: at deterior diſpoſitio dependet à tumore ventris à coïtu, quam excretione flatus in ipſo coïtu: illa enim craſſiorem flatum, & debiliorem expultricem; hæc, contrarium ſignificat; atque ita crepitus in ipſo congreſſu, leuior eſt paſſio ventris tumeſcentia, vt notauit Valleſius *in com.*

Hi, de quorum numero æger eſt in hiſtoria noſtra propoſitus, flatu abundant, in venerémque proni ſunt, vt ſunt hypochondriaci, & melancholici, qui cùm natiua ſorte hac de cauſa ſint libidinoſi, ob frigiditatem tamen ſemen non generant, ſed tanta flatuum copia in ventre redundant, & multitudine pituitæ craſſæ inferiori inteſtino hærente, vasáque ſeminalia coarctante ſcatent, vt hæc vncum flatu, motu, ac concuſſione corporis vehementi in coïtu facta, in flatus vertatur, qui craſſi cùm ſint, & nebuloſi, facilè acquiſita caliditate ex motu tenuantur, & abeunt in ſtrepitum, vt *in com.* Fucſius doctè explicuit.

Vtcunque ſit, adoleſcens debilis erat, & pituitæ tenacis copia, flatibus in vaſis ſeminariis, partibúſque circa anum erat refertus, quos à calore debili originem ducere mouet Gal. *lib.* 3. *de cauſ. ſympt. cap.* 2. nam flatum cum ſtrepitu, ſonitu, aut bombo exire, non eſt bonum, apud Hip. *lib.* 2. *prog. text.* 24. quoniam, vt Heurnius, arte medica clariſſimus, interpretatur *in com.* craſſiorem materiam cum meatuum anguſtia præſupponit, quæ à debili calore vix ſolui poteſt.

De curatione antequam faciamus verba, illud primò præfari licet, datorem omnium rerum, & naturæ vniuerſæ opificem ſummum, rebus ſingulis ita prouidiſſe, vt perpetuò ſupereſſent; quocirca cuique rei vim generatricem conceſſit, vt habeant ſua ſemina ad ſuę ſpeciei conſeruationem in ſemetipſis benè diſpoſitis: ſic perpetuæ res factæ per progationem, & ſimilium ſubrogationem; nam omnia quæ radiis Lunæ ſubiiciuntur, corruptioni ſunt obnoxia, & mutationi, ſicque corrumpi ſolent, quum mouentur, teſte Philoſopho *ſect.* 22. *probl.* 4. Et ſicut in plantis ſemen, ſic & animalibus conſeruandi ſui generis cauſa indita eſt cupiditas congreſſus, atque in omnibus neceſſaria maris & fœminæ coniunctio, cuius terminus eſt, vt ſibi immortalitatem procurent: nam vt ait Plato *in conuiuio*, ad perpetuitatem nobis parandam incredibile eſt naturale ſtudium, quód ſolùm conſequimur coniunctione, qua gignimus nobis conſimiles, ex Ariſt. *lib.* 1. *politic. cap.* 1.

Hoc bonum vt aſſequamur, neceſſe eſt noſſe cauſas, ob quas ignauia partium euenire ſolet, quas *in ſchol.* fusè referemus. Sed cùm in noſtro ægro ex debilitate caloris innati impotentia originem duceret, meritò Aëtius humida, & boni ſucci diæta vſus eſt, qua cùm ſemen copioſum gigneret, roboratis viribus, in concubitu deinde ſemen emiſit. Hac commoda victus ratione ſe impotentem perſuaſſe gloriatur Chriſtoph. à Vega *lib. art. medic. ſect.* 10. *cap.* 50. Purgato ergo corpore, & roboratis partibus præcipuis, de victu inſtituendo ſis ſollicitus. Viſcera fiunt robuſtiora tabellis, conſeruis, & aliis medicamentis quæ flatus diſcutiunt, & frigidam genitalium partium intemperiem corrigunt atque emendant, quorum copiam legat qui velit apud Mercat. Holler. & cæteros, qui de impotentia coëundi ſcripſerunt: & nos ea Laconicè conſcripſimus *lib.* 2. *de praxi admirand. ab obſ.* 120. *vſque ad obſ.* 125.

Sed præcipuè iuuant, quæ ſemen generant alimenta, quæ calida ſunt & humida, optimè nutriunt, ſanguinem generant, ſpiritus adaugent, tótiſque viribus naturæ noſtræ familiaria ſunt, dummodò ſiccitatis nihil obtineant, & flatuoſa ſint, ex Gal. 4. *ſimpl. cap.* 22. vt vinum, lac, butyrum, dactyli, vitella ouorum, carnes columbarum, turturis, perdicis, lingua anſeris, teſtes gallorum, piſtacia, cerebra paſſerum, cicer, bulbi, fabæ, nux pinea, amygdalæ dulces, ſaccharum, mel, vuæ recentes, aſparagus, napus, aniſum, fœniculum, concharum genera, erucæ ſemen, rapa, oryza, & ſiquæ alia, quæ per otium lege apud Auic. *tr.* 1. *cap.* 18. Paul. *lib.* 1. *cap.* 36. Fonſec. 1. *conſult.* 10. *&* *lib.* 2. *conſult.* 47.

A proprietate ſemen augent, vim genitalem robuſtiorem efficiunt, flatus diſcutiunt, naſturtium, ſcincus, ſemen napi, bauciæ; vrticæ, erucæ, piperis genera, pyrethrum, priapus tauri, piſtacia, lingua auis, zingiber, been album, & rubrum, cepa, & eiusſemen, porrum, ſcariola, cinnamomum, ambarum, agallochum, zibettum, moſchus odoratus, teſticuli vulpis; ex quibus parari poſſunt conſeruæ ad excitandam tentiginem, generandúmque ſemen præſtantiſſimè. Conſule Holler. *obſ.* 22. quibus addas oleum formicarum, caryophylla, cubebas, puluerem penis ceruini, boracem, aſparagum, auellanas, napum, nucem Indicam, oryzam cum lacte coctam, horminum, oua recentia, & alia.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXXII.

Vtrùm ſint plures cauſæ in viris impedientes coïtum, & generationem.

COMMENTARIVM.

SEmen emittere non poſſe.] Legebamus nuper auctores, qui de genitalium membrorum vitiis conſcripſerunt, antequam inde digrederemur, ſummopere quum alia, tum, illud quoque non eſt viſum omninò incurioſum argumentum, quod circa cauſas impedientes coïtum, & generatione verſatur, in quibus cognoſcendis, & auertendis Medicus ſollicitus eſſe debet, vt homini omnium animalium nobiliſſimo, cui præcipuè generandi ratio incumbit, opem ferat. Sed cùm cauſæ impedientes coïtum, & generationem, ſint in viris propemodum infinitæ, & ab auctoribus perplexè proponantur, eas ego in compendium Laconicè redigam.

Coïtus eſt applicatio maris, & fœminæ in membris generationis, qua ſuperfluum expellitur, quantum ad finem ſpeciei, vel indiuidui ordinata, ex Auic. 21.3.*c*.1. explicat Sauonarola *in practica magna, tract*.2.*cap*.1. Impotentia verò generandi vitium eſt naturale, vel accidentale, quo quis legitimo, vel naturali coïtu vtens, inhabilis eſt ad ſui ſimilis generationem.

Impotentia ergo coëundi, vel ex cauſa accidit connaturali, vel accidentali. Naturalis cauſa vel ex parte totius eſt, vel ex vitio partium oriri ſolet. Illo modo accidit, quoniam vir frigido pollet temperamento, & hic cùm ſemine calido, & pruriente careat, ad Venerem non irritatur. Si ſit ex defectu vel partium principum, cordis, hepatis, cerebri, & teſtium, vel genitalis, cognoſces, quoniam viſcera frigida intemperie laborant, ex qua ſanguis aquoſus, & ſemen fluidum gigni ſolet; & membrum virile eſt nimis magnum, paruum, oblongum, obtortum, breue; maximè ſi teſtes ſint flaccidi, non ſeruent naturalem ſitum, vel nimis extuberent, aut omninò deſint.

Accidentalis cauſa, alia eſt intrinſeca, alia extrinſeca. Illa, ſunt humores ſuperflui, calidi, frigidi, ſicci, humidi. Calidi, innatum calorem reſoluunt, ſpiritus diſſipant. Frigidi partium calorem extinguunt: Sicci humidum primigenium exprimunt, & abſumunt. Humidi relaxant, calorem ſuffocant, virtutem obtundunt. Externa cauſa eſt aër, quando videlicet in actiuis præcipuè qualitatibus excedit. Et licèt frigiditas aëris, viſcera refrigerando, innatum calorem ampliùs debilitare queat, & idcircò videatur quòd vigente bruma corpore veneri ſint magis inepta: tamen hoc tempore collecto ad interiores ſedes calore internæ partes optimè valent, ſomni ſunt lõgiſſimi, ſanguis in commoda quantitate generatur, & coctiones integrè fiunt, & ſeminis copia exuberat; æſtate calor ad externa expaditur, apertis cutis ſpiraculis ſpiritus reſoluuntur, vires ſunt debiles, & ob exuperantem ſiccitatem ſemen abſumitur. Quo pacto viri æſtate ad ludum Venereum ſunt imbecilliores, fœminæ hoc tẽpore ſalaciſſimæ, & in Venerem magis pronæ, cùm enim natura ſua ſint humidiores, ſanguine acutiore per æſtus, & ſiccitatem tunc abundant, qui cùm bilioſus ſit & acris, titillat, & eas ad coïtum ampliùs ſtimulat, vt probat Ariſt. *prob*.26.

Inter extrinſecas cauſas numerantur animi paſſiones: nam mœror, & triſtitia ſpiritus mortificant, ſanguinem congelant. Ira diſtrahit, & reſoluit. Inaſſuetudo concumbendi, viros pigros facit, & ad coïtum inertes. Alimenta etiam hanc facultatem habent; nam plurima ſemen à proprietate extinguunt, vt *infrà* dicetur. Huc ſpectant vacuationes immodicæ tam ſanguinis, quàm aliorum humorum, ex quibus ſanguis minuitur, ſpiritus reſoluuntur, & viſcera debilitantur atque flacceſcunt. In muliere. à Medicis ſolùm cauſa ſtatuitur clauſura, ſeu anguſtia oris externi, & ceruicis ipſius vteri, vt rectè notauit Augenius *lib*.10. *epiſt. med. conſil*.2. *cap*.4.

Cauſæ impedientes generationem ſunt plures, præter eas quas commemorauimus: nam quę coïtum impediunt, generationi etiam contrariæ ſunt, quum generãdi ſpes ex coïtu habeatur, quas latè connumerat Mercatus *lib*.3. *cap*. 5. *de mulier. morb.* nam ad generationem inepti ſunt ob genitalium partium ignauiam, aut propter vitiatam figuram, ſeminis vitium aliquod, aut ob vitium excretionis, aut ob totius, vel genitalium intemperamentum, vt teſtatur Mercurialis *lib*. 2. *de morb. mulier. cap*. 2.

Ætas etiam impedit generationem: nam pueri neque ad coëundum, neque ad generandum ſunt apti, quia ſemẽ non emittunt perfectum, & ad generationem aptũ; quod demùm generant, ex mente Ariſt. 7. *de hiſt. animal. cap*. 1. anno bis ſeptimo peracto: ſi verò aliqui citra tempus pubertati conſtitutum, & coïuerint, & generauerint, hoc accidit extra vniuerſalem ordinem naturæ, & rarum eſt, vt probat pluribus in medium allatis hiſtoriis Marcel. Donatus *l*. 4. *de medica hiſt. mirabili, c*. 4. Sicut ſi viri generent poſt ſexageſimum quintum, monſtroſum eſt.

Rursùs vitium naturale impedit coïtum, & generationem. Hoc in viris ſæpè oculis conſpicuum eſt; nam apparet membrum nimis craſſum, flaccidum, rugoſum, aut colore deterrimo fœdatum. Teſtes quoque aut nulli, aut exigui, aut ſitũ naturalem non ſeruantes. Aliquando hoc vitium non apparet, vt ſi ex aliqua interna cauſa habeat ortum. Huc ſpectat, ſi vir vino impensè indulgeat, à cuius copia multa calor obruitur natiuus, & ſuccorum crudorum copia emanat, & ſemen extinguitur, fitque fluidum & aquoſum; vnde ebrij, & vinolenti infœcundi apud Ariſt. *ſect*. 3. *probl*. 4. 11. 33. quare modicus vini potus ſi quis alius, ad coïtum, & generationem ſummè conducit, vt *lib*. 2. *in com. hiſt*. 72. prædiximus, *& infrà, in hoc lib. in com. hiſtor. penult.* referemus. Idcircò abſtemij, quòd gelidæ potu frigidam temperaturam ſemini concilient ferè ſunt infœcundi: ſi verò Tiraquellus Iuriſconſultus grauiſſimus, & vir omniſcius, cùm abſtemius eſſet, triginta tamen liberos ex legitimis nuptiis ſuſcepit, vt refert Commanus *de miracul. viror. tit. de parent. multos liberos habentibus* hoc rarum eſt.

Morbi etiam numerantur inter cauſas, quæ impediunt coïtum, & generationem. Licèt enim non inficiemur morbos nonnullos eſſe, qui homines reddunt pronos ad venerem, vt ſatyriaſis, & priapiſmus, in quibus effrænatũ adeſt, licet inuoluntarium concumbendi deſiderium, & calculus renum, in quo partes genitales calefiunt, & podagra, vt notant Leuinus Lemnius *lib*. 2. *de occult. cap*. 45. immò febris ſuperueniens frigidæ intẽperiei, vnde coïtus impotentia oriebatur, & frigida intemperies ſuperueniẽs calidæ, vt de ſe ipſo teſtatur Auenzoar *ſuprà, in hiſtoria* 16. qui cùm eſſet vſus in iuuentute regimine calido, generare non poterat; qui deinceps cauſo correptus, frigida victus ratione vſus, fœcundus factus eſt: tamen cùm morbus ſit res præter naturam, ipſique naturæ è directo cõtraria, eius operationes deſtruit & labefactat, & præſertim eas, quæ robuſtiorem calorem, & meliorem animantis conſtitutionem prærequirunt, inter quas præcipua eſt generatio. Quapropter febres ardentes, acutæ, malignæ, peſtilentes, colliquantes, coïtum, & generationem impediunt, quoniã immodicus febrium calor, & venenata qualitas ſpiritus ſubſtantiam depopulatur, facultates eneruat, viſcera labefactat, ſemen minuit: nam vt dicit Auic. 1. 4. *tract*. 2. *cap*. 2. *ab ægritudine ſæua non fit euaſio abſque contractione membri.* Denique morbi partium genitaliũ impediunt generationem, vt gonorrhœa, Demùm qui partium principum tẽperiem labefactant, vt maraſmus, cachexia, hydrops, & alij chronici, ex quibus viſcerum temperamentum euertitur.

Frigidi, & maleficiati etiam ſunt inepti ad coïtum, & generationem (ita vocant Medici Latino-Barbari illos qui ſunt ad concubitum impotentes. Frigidi ergo ſunt, qui in ætate habili, ad venerem exercendam ſunt omninò inepti: nam neque pueri, neque decrepiti, dicendi verè, & propriè frigidi. Hæc frigiditas & à natura, & à morbo aliquando contrahitur. Qui à natura huiuſmodi vitium patiuntur, nunquam, aut rarò vſum venereorum experiuntur: qui autem à morbo, aut alia accidentali cauſa, anteà ad coïtum erant aptiſſimi, mox ab eius cauſæ aduentu ad concubitum fiunt inepti.

Maleficiati ſunt, qui vel ob malorum medicamento-

rum applicationem, per ſe, vel arte, & dæmonis auxilio adiuncto, ad Venerem redduntur inhabiles, de quibus *ſuprà, in com. hiſt.* 16. cur autem viri ſolùm, aut frequentiùs maleficio tententur, vt notauit Delrius *lib.* 3. *diſquiſit. magicar. quæſt.* 4. *ſect.* 8. ea eſt cauſa: quoniam viri pluribus de cauſis ad Venerem impotentes redduntur, dæmon iis ſolummodò cauſis vtens, multifariàm eos illaqueare ſolet, mulieres nequaquam, aut rarò, quia eæ ex parte ſua ſemper ad coïtum promptæ ſunt, & ſolùm ex coarctatione vuluæ ad coïtum fiunt ineptæ.

Diſtinguitur frigidus à maleficiato, ex Augenio *lib.* 10. *epiſt. medicinal. cap.* 7. *tom.* 2. nam frigidi ſemen non generant, neque arrigunt. Frigiditatem venaberis ex carentia pilorum in pube, & barba, ex membri virilis exiguitate, mollitie. Maleficiatus verò ſemen emittit, & habet alia ſigna, per quæ à frigido diſtinguitur.

Spadones etiam ſunt inepti ad coïtum, & generationem: ſunt enim ij quibus viæ ſeminis adeò inuerſæ, atque inflexæ ſunt, vt illud emittere non valeant; quod propter vinculum quod ad virgam habent, & penem contorquens, illis euenit; verbum enim *ſpao*, conuellere ſignificat, atque inde dici certum eſt ſpadones, quòd illis virilia conuellantur.

Eunuchi ad Venerem ſunt inhabiles. Alij natura ſunt eunuchi, qui ſine teſticulis nati ſunt, vel cum vno ſolùm; hos commemorant Rhodiginus *lib.* 4. *lect. antiq. cap.* 7. & Holler. *l.* 7. *aph.* 28. hi ſteriles ſunt, vt probat Andreas Laurentius *conſil.* 11. Alij arte fiunt eunuchi, quibus in manibus obſtetricum contorti ſunt teſtes, & huius ſortis homines, dicuntur Thlibiæ. Ariſtoteles 3. *de hiſtor. animal. cap.* 1. & Paulus *lib.* 6. *cap.* 68. alium modum tradunt, quo eunuchi fiunt, nempe exciſione: nam aliquando vnus tantùm teſtis, aliquando ambo præciduntur. Frequens modus eſt apud Turcas, ſed atrox & crudelis: nam non modò teſtes, & ſcrotum, ſed colem præcidunt, & ne ex tam graui vulnere perire poſſint, caſtrandis multam copiam opij offerunt, vt ſic profundiſſimo ſomno correpti doloris acerbitatem euitent, vt refert Luithprandus *l.* 6. *de rebus per Europam geſtis, c.* 3. Et hi ad ſeruandas regias concubinas in pretio habentur: nam eunuchi ſunt lecti cuſtodes. Alij voluptatis cauſa pueros faciebant eunuchos, vt Nero Sporum. Alij fidei gratia, illi enim corpus regium fide cuſtodiebant: ſic Rex Ægypti habebat eunuchos, vt conſtat ex ſacra pagina, *cap.* 30. & 40. Geneſ. Sic Iuliano Imperatori erat eunuchus ſpado, eximiæ fidei præfectus cubicularius, vt refert Marcell. *lib.* 16. *hiſt. cap.* 11.

Caſtrati ad coïtum ſunt inepti: Caſtrare dicitur amputare, ſeu recidere. Sunt ergo caſtrati, quibus teſtis vnus, vel ambo ſunt amputati, vel ipſe colis eſt exectus, vt notat Mercurialis *lib.* 1. *de morb. mulier. cap.* 1. Caſtratione homines plurimam virilis vigoris iacturam faciunt, & in muliebrem naturam degenerant, ex Ariſtot. 3. *de generat. animal. cap.* 3. & 7. & 10. *ſect. probl.* 38. Galeno 6. *aph.* 18. & 1. *de ſem. cap.* 15. nam animal redditur frigidius, flacceſcit quoque robur, non ſecus ac ſeneſcentibus, venæ coarctantur, ſanguinis flos hebeſcit, minuuntur arteriæ, pulſus elangueſcit; ad hæc glabro ſunt corpore, venereorum reſtinguitur appetentia, teſte Cælio Rhodigino *lib.* 4. *lect. antiquar. cap.* 7. Caſtrantur etiam mulieres: refert enim Xanthus, vt tradit Cælius Rhodigin. *lib.* 20. *lect. antiq. cap.* 14. Andromitem Lydorum regem primum fœminas caſtraſſe, & conſtat ex Gal. *lib. cit. de ſem.* qui fœminam exectis teſtibus mari caſtrato ſimilem eſſe affirmat, fœminas camelorum caſtrari, ex Ariſtot. & Plinio tradit Æmilius, *de ruminat. nat. ſynt.* 3. Quo tamen modo operatlonis poſſint fœminæ caſtrari, licèt in iis hoc opus magis operoſum ſit, quàm in viris, ob teſtium poſitionem, explicat Ioannes Riolanus Filius breuiter, & ornatè *lib.* 2. *Anthropographiæ, cap.* 34.

HISTOR. XIX. AETII, De impotentia venerea.

In coïtu ſemine deſtituti ob gonorrhœam in ſomno.

*Adoleſcens domeſticus miniſter confeſſus eſt, quando cum muliere rem haberet, ſemen effundere non poſſe; cùm verò dormiret, plurimum ei ſemen prodire * citra voluptatem. Viſum itaque mihi eſt, vaſa eius ſeminaria, propter humiditatem vnà cum frigiditate calefieri non poſſe, propterea quòd caliditas in coëundo ad corporis ſuperficiem diffunderetur: in ſomnis verò ampliùs calefieret, propterea quòd ſomni interna calefaciunt, & refrigerant exteriora. Quare hunc infernas partes exercere iuſſi, atque id maximè per equitationem. Caſtorium etiam bibendum præbui, & diætam omnem calidam, & ſiccam conſtitui, &c. Aëtius.* tetrab. 3. ſerm. 3. cap. vlt.

PARAPHRASIS.

Medicorum ſcientiſſimus *lib. de genitura, num.* 2. ex eo per ſomnum ſeminis effuſioné ſequi affirmat; quoniam ſemen effuſum, & excalfactum dum ſecernitur, coïtus imaginem repræſentat: in iis enim qui temperamento ſunt frigidiore, & ſemen plus iuſto frigidius eſt, in coïtu, debilitato calore, & ad exteriores partes ob caloré expanſo, effuſis ſpiritibus multis, internæ partes frigeſcunt, & ſemen motui fit ineptum: contrà accidit in ſomno; atque manuum exercitio: in illo enim ampliùs viſcera caleſcunt, & redacto ad interiores ſedes calore, & minimè debilitatis viribus, hæ reddũtur robuſtiores, ſicque liquatur ſemen, & calefactis vaſis ſeminariis ad motum fit habile. Hunc calorem acquirere teſtes, ac vaſa ſeminaria, ex aſſidua manuum confricatione, membro virili incaleſcéte, miniorique ſpirituum copia deperdita, dilucidè liquet.

Auicenna inter Arabes primæ notæ auctor, & qui Græcorum Principum monumenta perluſtrauit ad vnguem; hoc modo Aëtium interpretatur 20. 3. *tract.* 1. *c.* 15. dum ſic profatur: *Et quandoque propter paucitatem motus ſpermatis & defectum eius à mordicatione excitante, ita vt quandoque fiat in quibuſdam ſperma plurimum, & cùm coëunt, non deſcendit propter congelationem ſuam, & polluuntur cum hoc in nocte, quoniam vaſa ſpermatis calefiunt in eis in nocte, quare calefit ſperma, & ſubtiliatur, &c.* Quare in ſomno, ex decubitu, concalfacto corpore, præſertim circa renes, ſemen hic æger noctu effundebet.

Cùm ergo hic eſſet temperamenti frigidi, inermis, fragili ſanguine & ſpiritu viuifico veluti deſtitutus, ſemen gignebat aqueum, frigidum, minimè ſpirituoſum, quod cùm ſpiritus copia non ſit refertum, non titillat, nec ad venerem irritat. Quare huic ſimiles ad concubitum inepti, ſi fortè concumbunt, diſſolutis ob motum & laborem viribus, & calido innato ob patentes poros reſoluto, & expanſo in concubitu, marceſcente & contracto pudendo, in opere languent, & ſemen eiaculari nequeunt. Lege pulchra de coïtus ſymptomatis admirandis, apud Marcel. *lib.* 4. *de medic. hiſtor. mirabili, cap.* 18.

Meritò ergo huic Aëtius victum calidum & ſiccum præſcripſit, qui ſiccaret, calefaceret, nimiam humiditatem abſumeret. Partes infernas exercendas eſſe conſuluit, illarúmque calefactioni attentus, equitationem præcipuè imperauit: nam curſus, ſaltatio, pilæ ludus,, & alia inferiorum partium exrcitia; accito ob motum calore, agitato ſanguine, commotis ſpiritibus, has partes calefaciunt, & roborant, corpúſque firmant: nam, vt dicebat Hipp. *lib.* 6. *epid. ſect.* 5. *text.* 19. *labor articulis & carnibus, cibus, ſomnus, viſceribus.* Labor enim, & motus articulos roborat, & delato ſanguine per vniuerſam corporis molem, calefacit, & carnem auget; ex caloris augemento omnes naturales functiones feliciùs perficiuntur, attractio præcipuè, concoctio, nutritio: ſpiritu verò vehemétiùs cócitato pelluntur excrementa frigida, quæ anteà copia ſua

ſemen

ſemen obtundebant; quare ſemen calidiuſculum euadit, meatúſque dilatantur, per quos ſemen eiaculari debet.

Partium ſuperiorum exercitatio calorem à partibus genitalibus atrahit, vt lucta pancratium, pugilatus,armorum ſtrepitus, diſci iactus,& alia exercitationum genera; de quarum vſu poſt priſcos, eleganter egit clariſſimus Mercurialis *in ſuo ornatiſſimo de arte gymnaſtica libro*: In his exercitiis, quum ſuperæ, & inferæ partes multùm laborent, corpus diſſoluitur: quare ob hoc equitationem inter cætera exercitia imperauit,in qua & ſpina erecta tenetur, & lumbi laborant, ſicuti & cruris muſculi,quibus coſtis equi corpus affigimus,mouetur quoque totum crus, & viſcera omnia agitantur,& concutiuntur, & ſanguis in totum deducitur corpus. Hac ratione probata eſt ab ipſo equitatio, non valida,nec inæqualis, ſed lenis,& in equo ſuauiter progrediente peracta;hæc enim vel ambulatione leni commodior eſt, quoniam minùs corpus debilitat & reſoluit. Inſuper partes genitales inter equitandum veluti attritæ & fricatæ, calorem & robur acquirunt. Denique equitatio,ex mente Antylli apud Oribaſ. *l.1.collect. cap.*24. inter omnes exercitationes,totum corpus,& præſertim ſtomachum firmat.

Attenuato humore frigido,& roboratis partibus,equitationis, & regiminis calidi ope, ad expurgandum humorem pituitoſum acceſſit, quod opus exequutus eſt oblato Caſtorio cum ratione ſumma: nam hoc medicamentum, Caſtoris, ſeu Fibri teſtes ſunt; & ſicut vnum membrum, aliud adiuuat ſibi ſimile, vt pulmo vulpis pulmonem humanum roborat in potum aſſumptus; cranium humanum pro roborando cerebro primas tenet,quare Andernacus, & Rubeus oleum ex cranio humano aduerſus comitialem morbum ſummè laudant;& ſicut oſſium humanorum puluis oblatus, oſſa flaccida roborat, & ſic articulariis morbis remedio eſt,ex Gal.11.*ſimpl.tit.de oſſibus*: ſic Fibri teſtes (hoc eſt Caſtorium) teſtes humanos firmant ac roborant:nam præterquam quòd hoc medicamentum calefacit, flatus diſcutit, frigidis & humidis internarum partium vitiis remedio eſt; quia, vt inquit Trallianus *lib.1.cap.14.corpus quod perfrixit, & prope eſt vt emoriatur, recalfacit, fouétque*: & ſic è priſcis, Galenoque paſſim, contra inclementem opij, aliorumque frigidiſſimorum medicamentorum,vt hyoſcyami,mandragoræque frigiditatem,innatū calorem extinguentem eſt celebratiſſimum: etiam pituitoſum humorem expurgat, qui huius morbi frequens ſolet eſſe cauſa.De cuius mirabili vi pro curàdis frigidis affectibus,ſat multa diximus *lib.1.in com.hiſt.16.*

Addiderim, Caſtorium aluum ſoluere, &pituitoſos humores è diſtantiſſimis partibus vacuare:quo pacto in frigidis cerebri,& neruorum morbis curandis primas tenet, ex Plin. *lib.32.cap.3.*quod etiam voluit Gal. *lib.de theriac. ad Piſon.cap.9.* dicens: *Caſtorij teſticuli poti, conuulſionem ſanant.*Et *lib.de ven.ſec.aduerſ. Eraſiſtratum, cap.3.* ſic ait: *Catapotia ex caſtorio aluum ſoluunt.* Cui ſententiæ adſtipulatur Serapio *cap.135.* inquiens, *ob id illud conuulſioni ex repletione mederi,quia euacuat,& purgat neruos ab eo,quod in eis præter naturam continetur.* In hunc vſum fiunt pilulæ de Caſtorio,quæ in dictos vſus ſunt mirabiles,vtero etiā conferunt, & impeditas menſtruas purgationes eliciunt. Eligi debent, Dioſcorid. teſtimonio *lib.2.cap.22.* qui ex vno ortu connexi ſunt; fieri enim poteſt, eo auctore, vt gemini folliculi in vna membrana coniuncti reperiantur. Præditi intus liquore veluti ſeroſo,odore graui,& virus redolente,guſtu acri,mordente,ac friabili,naturalibus tunicis circumdato. Cætera verò præſidia ad genitale ſemen corroborandum,lege apud Valleriol *lib.5.enarrat.*

QVÆSTIO XXXIII.

Vtrùm inter cauſas voluptatis in coitu, præcipua ſit, repentinus reditus ad naturalem ſtatum,vt contra Galenum firmat Turiſanus.

COMMENTARIVM.

Citra voluptatem.] Cùm apud amicū quendam Medicum, non ſolùm doctrina conſpicuum,ſed ingenuis

A moribus illuſtrē, cum doctis meæ profeſſionis viris, multa hactenus nondum animaduerſa, ex variis, abditioribúſque locis extracta, quibus poſſem ruinoſam medicinam erigere, pronunciarem, caſu incidi in bibliothecæ libros veteres Medicos, & ſemiroſos, in quibus reperi codicem antiquiſſimum Aëtij Græco-latinum: legi capita aliquot: poſtremum arripui, in quo erat ſcripta hiſtoria hæc; in qua ſecundum verſionem Cornarij, expunguntur verba illa (*citra voluptatem*,) quæ in hoc codice ſumma cum ratione erant repoſita: nam ſemen quod per gonorrhœam profundi ſolet, voluptatem nullam parit. Huius ergo rei ſciendæ, cùm illi flagrarent deſiderio, rogarunt, vt hunc campum ſalebris vndique reſperſum, planum redderem: non enim, inquiunt illi, huc acceſſimus, audituri quid alij, ſed quid tu ſentires.

B Quare ſtimulis illorum agitatus,rem ſic ſum aggreſſus, & quod illi expoſtulabant de cauſis voluptatis in congreſſu venereo, ad Gal. mentem argumentum paulo attentiùs ſum rimatus.

De cauſa voluptatis in coïtu,varij varia literis promulgarunt. At ſecundum Ariſt. 4.*probl.15. & 14.de vſu part. cap.9.*ita ferè poteſt aſſignari:Cùm vniuerſa ſuauitas animantibus comparetur, vbi ab exceſſibus ad moderantiam protrahuntur,quia(vt etiam inquit Ariſtot.)ſuauis eſt via omnis pertinens ad naturam, idque non ſolùm ſumptione neceſſarij ad reparationem deficientis, (quo pacto delectatur fameſcens,ſumens alimentum, ſitiens, aut febricitans,vbi potant;calens,frigidi aëris inſpiratu)ſed expulſione excrementorū: niſi enim in excretionibus voluptas etiam foret annexa, valde periclitarentur animalia,torperent ſiquidem eo in opere, ac ſubinde ex retētis in calido

C humido loco,qualis ferè eſt totius corporis,ac per moram putrefactis fæcibus,frequēter ægrotarent. Cúmque à natura cautiſſimè prouiſum ſit, vt tam vterus & ſeminalia vaſa in fœminis, quàm in viris teſtes,alimoniam exciperent multo quàm egerent vberiore,quò ſemen viris quidem potiſſimùm in fœtus procreandos cederet; fœminis verò præter ſemen, ſanguis & lac in alendos: vbi copia illa ſeminis redundans non exhauritur,ſeu quantitate grauans, ſeu iam per moram qualitate noxia, cruciat, & moleſtat: contrà quando euacuatur, inſtar reliquorum excrementorum, deonerat,dolore liberat,& oblectat.

Sed cur maiori ſuauitate procedit, quàm aliorum excremētorum vacuationes? Ariſt,*cit.probl.& 1.de generat.8.* & Gal. *cit. de vſu part.& de cauſ.ſympt.* referunt ad quantitatem, qualitatémve materiæ, feſtinum motum ipſius,

D conſtitutionem, & ſenſibilitatem viarum. Turgens enim ſemen, & ſuapte natura calidum, ſpirituoſum, mordax, & pruriginoſum, non ſolùm quantitate diſtendit; tenſionéque, & dolore cruciat, ſed qualitate moleſtat, irritátque ad ſui expulſionem; cúmque propter anguſtiam, & inflexionem vaſorum protinus non excernatur, quin ſic iuſtituente natura, frictione quadam moroſa partium attenuetur,& in flatum, vaporémve conuertatur, ſpumat & intumeſcit, magíſque diſtendit partes ad generationem pertinentes, nec patentes inueniens meatus, liberúmve exitum, titillationem & pruritum inducit in membris per quæ tranſit, atque adeò voluptatem, & tantò maiorem, quantò maior eſt copia humoris, magíſque prurientis;magíſque confertim facta,quàm omnium excrementorum vacuatio.Reliqua verò vbi ſua copia vel

E grauant, vel mordent, confertim inſurgente expultrice per amplos canales expelluntur,non ita tamen repentè,ac ſemen; huius enim intumeſcentia diſtendens cum dolore partis, & moleſtans acrimonia tam inſita, quàm per moram & frictionem, ac vrinæ mixtione contracta,ſicut repentinè fit, ita & ipſius excretio ſubitò, & confertim; vnde & maior delectatio, quæ in celeriori reditu ad naturam conſiſtit.

Contrà tamen inſtat acutiſſimus Turiſanus *lib.3. art. medicin. comm.* 17. contendens, propoſitæ oblectationis cauſam non eſſe repentinum reditum genitalium membrorum ad naturalem ſtatum, vel excretionem moleſti in illis lotis percepti. Primò, quia pro ratione doloris ac moleſtiæ, ſeu lapſus à natura, ita ſequitur excretio

magis aut minùs velox rei noxiæ, citiórque aut tardior reditus ad naturam. Sed nulla ferè ſenſatio moleſtiæ, aut doloris præcedit actum venereum, nullúſque aut perexiguus lapſus. Ergo minimus fit reditus ad naturam, & per conſequens ſi ex hoc oritur voluptas, illa perexigua futura foret; cúmque omnium maxima aſſeratur, alia cauſa quærenda eſt. Quòd verò nulla moleſtia præcedat, Galenus ipſe fatetur *lib.* 1. *de ſympt. cauſ. cap.* 6. tum quia ſemen ſicut paulatim aceruatur, ita ſenſim imprimit, non ſubitò, & confertim, quod ad dolorem inducendum requiritur; tum quia vtilis ſuperfluitas cùm ſit, dum colligitur, ſola quantitate moleſtat, qualitate autem non contriſtat, aut lædit, inſtar aliarum ſuperfluitatum.

Secundò. Cùm multò maior copia vrinæ excernatur, & materiæ quidem acrioris, magiſque moleſtantis, atque adeò celeriori expulſione, nec per diſſimiles vias, maior & celerior erit reditus ad naturam in mictu, ac proinde maiorem voluptatem inducet vrinæ, quàm ſeminis excretio. Inſuper ſi eſt exigua vrinæ portio ſemini permixta, tantam efficit delectationem, cur ſimilem ſaltem non efficiet multa confertim, & ſimul exiens?

Tertiò. Qui coïtu immodico vtuntur, tantum abeſt vt ſemine in genitalibus abundent, quin eo deficiente, pro ſemine ſanguinem effundant. Sed ij in exceſſu etiam oblectantur. Cauſa igitur non eſt abundantis excretio, & huius interuentu reductio ad naturam.

Quartò. Licèt ex euacuatione ſuperflui ſequatur reditus ad naturam, & interdum etiam voluptas; hæc tamen tunc inde oritur, cùm percipit ſenſus ſe ab illis deonerari quibus aggrauatur. Atqui emittentes per ſomnum ſemen, etiam delectantur torpente ſenſu ob vinculum primi ſenſorij. Igitur delitij venerei cauſa non eſt reditus ab innaturali ad naturalem ſtatum, ſed potiùs (vt inquit Auicenna, & cum eo multi) apprehenſio, ſeu perceptio obiecti ſuauiſſimi, quale ſemen dicitur: ſicut enim perfectis ſenſibilibus ſenſus alij delectantur; oculus, pulchris ſpectaculis; auditus, ſuauitate harmoniæ; guſtus, dulcedine ſaporis; olfactus, odoris iucunditate; ita tactus genitalium, ſemine: quod conſonum etiam videtur Ariſtoteli, dum *lib.* 10. *ethic. cap.* 4. voluptatem definiuit operationem perfectam cognoſcentis potentiæ non impeditæ, hoc eſt, perfectionem conuenientis in ſuo genere obiecti à bene affecto inſtrumento; atque adeò requirit ad voluptatem, non ſolùm obiecti præſtantiam, ſed & apprehedentis potentiæ incolumitatem.

Verùm Ariſt. ipſe *lib.* 1. *de generat. animal.* & 4. *probl. citat.* ſpecialem huius voluptatis cauſam refert ad pruritum, & titillationem (quæ mulcebris quidam tactus eſt) ortam ex multi ſpiritus in vaſis ſeminariis incluſi tardo motu, & diſſolutione, tandem feſtina, ſimultaneáque ſeminis emiſſione, quam potiſſimum comitatur voluptas, hoc eſt, in congreſſus fine, 1. *de generat. animal. cit.* nam quòd lentus ſpiritus motus, ſoláque effuſio non exigua afficiat voluptate, oſtendit quòd titillatio earum partium, in quibus multus ſpiritus, qui non reſoluitur: deliteſcit, vt in mento, ſub alis, pedum plantis ſuauis eſt; & puerulis, quibus nondum ſemen excedit, redundat, aut emittitur, delectabilis etiam eſt frictio genitalium; immò & natu grandioribus, & eunuchis, & iis qui ſemen emittere incipiunt, ſuauiſſima etiam eſt Venus, quia ob viarum anguſtiam ſeminis vapor, ſeu ſpiritus magis lentè mouetur, magiſque prurit: contrà verò parum delectantur: qui citiſſimè emittunt, (atque ideò fortè laſciuus poëta tarditatem expetit: *Crede mihi veneris non eſt properanda voluptas*:) & (vt inquit Ariſt. 1. *de generat. animal.* & Auic. *lib.* 9. *animal. cap.* 5.) qui frequenter coëunt, tum quia ex nimio congreſſu viæ ampliantur, parúmque immoratur ſpiritus, atque adeò delitiarum cauſa minuitur, tum quia parum coctum, minúſque prolificum fit ſemen: vnde aſſiduus vſus generationem impedit.

Adiicitur etiam cauſa alia nec contemnenda huius voluptatis, vis ſcilicet indita à natura membris ipſis genitalibus mutui congreſſus appetentiſſima, cum maxima delectatione, ob germinationem animalium: niſi enim ſumma cum voluptate coïrent propter turpitudinem actus, & ſuſequens tædium, poſſent abſtinere, cum magno, vel totali generationis detrimento. Argumento autem eſt huius ardoris, ſeu appetitus ad congreſſum inditi partibus illis, etiam citra peculiarem vſum ſanationis, aut noxij excernendi, vel redeundi ad natiuam, priſtinámque conſtitutionem, ſed ſobolis propagandæ gratia, & voluptatis congreſſui annexæ, quòd cum maiori damno magis oblectat, & allicit; plus enim debilitat eos, inquit Auic 20. 3. *cap.* 11. qui plus delectationis habent: & quòd ſingula animalia ſumma voluptate, & impetu feruntur ad ſui generis animalia, licèt viſu turpia & fœda ſint, licétve multa interim occurrant fœminei generis animantia multò pulchriora. Quòd auium fœminæ ouis incubant, ventrem nudantes, & à cibo abſtinentes, quò pullos excludant. Quòd piſces mares, fœminas ſequantur, vt ſemen fœmineum iam excluſum inſpergant, & fœcundum reddant, quia enim intra aluum maternam profundi maſculinum ſemen non poterat (eo quòd nec intra ſe fœminæ plurimos fœtus concipere queunt, quos ſimul à piſcibus edi voluit natura,) ſummo impetu, & voluptate ad fœminas accedunt, vbi primùm illæ ſuos edunt partus, vt velut incubantes fœcundent. Demum & quòd bruta, vbi primùm in lucem prodeunt, veluti ſpeciei magis quàm propriæ conſeruationis ſollicita, quamprimùm in congreſſum rapiuntur, ac ſi primus ille, & magis ſtimulans appetitus foret inditus natura, quem etiam in plantis, elementis, & mixtis omnibus experimur: tantus eſt in omnibus ad ſui ſimilia, vnionis, & coniunctionis amor, non tam ob propriam conſeruationem quàm propter germinationem, multiplicationem, & incrementum; tantuſque in parentibus ad liberorum educationem affectus, citra peculiarem vtilitatem, vt credere par ſit vim illam generandi, vires ſuas, & efficaciam præ aliis habere; ſummúmque illum amorem, & congreſſus appetitum, fuiſſe generationis inſtrumentis à natura inditum, quô etiam citra proprium vſum ſanitatis, aut ſe à ſuperfluo deonerandi, auidiſſimè, & voluptuoſiſſimè in coïtum ferantur.

Cæterùm licèt prædictas cauſas etiam admittamus, non proinde tamen illa Galeni *lib.* 1. *de cauſ. ſympt. cap.* 8. ab excretione noxij, ſeu ſuperflui, & reditu ex innaturali ad naturalem ſtatum, reiicienda: nec enim ita vrgent adducta Turiſani obiecta, vt ſolui nequeant. Ad primum reſpondetur cum Galeno ipſo *cit. de cauſ. ſympt.* quòd licèt noxia cauſa non ſentiatur aliquando, propterea quod paulatim aceruetur, ſenſimque imprimat innaturalem affectum; non tollit tamen hoc, quòd conferta ſit, & ſuauiſſima illius excretio: nam ſi dolore non afficit, quia celeritate caruit imprimendo, cur celeritate expulſionis voluptatem non inducet? ex vacuatione ſcilicet, celeriter & ſimul facta, velocique reditu ad naturam, cuius celeritati magis reſpondet delectationis vehementia, quàm magnitudinis reditus, iunctis aliis de quibus ſuprà, exitu nempè tardo valdè prurientis materiæ, anguſtia, & ſenſibilitate viarum, feſtino eiaculatu per exiguos, ac ſenſibiles meatus, &c. Fit autem iſta velox excretio, tum ob validiſſimas, expultricem ſeminalium vaſorum accedente etiam ope muſculi circumdantis teſtes, & tractricem vteri; tum ob ſeminis acrimoniam, & ſpirituum copiam ex frictione auctam, vehementer ſtimulantium ad excretionem, nec diſſimiliter mouentium, quàm ignis in bellico tormento ad puluerem ſulphureum admotus. Adde quòd cùm ex frictione, vt diximus, ſpumante ſemine partes illæ genitales nimiùm extendantur, non mediocris dolor, & moleſtia in illis concitatur, idque non ſola copia, ſed mordicante etiam qualitate; quia verò ſequente celeri excretione ſanantur, & ad priſtinam conſtitutionem ſubitò reducuntur, pro ratione antecedentis doloris voluptas magna conciliatur.

Ad ſecundum. Diuerſiſſima ratio eſt in vrina, quantumuis

tumuis repentè, & confertim excreta: non enim in amplà veſicæ capacitate contenta ità turget, nec inter exeundum per liberos meatus ſine mora, & retentione, cum voluptate titillat, vt eam conciliare poſſit ſuauitatem, quam ſemen ex adductis cauſis. Nec verò exigua illa vrinæ portio, quæ ex conſulto naturæ à renibus ad teſtes deſcendit, & cum ſemine permiſcetur, potiſſima eſt delitiarum cauſa,etſi etiam pruriat,& nonnihil ſtimulet, immò nec in vſum augendæ illecebræ principaliter data,ſed magis ad frigefaciendum ſemen in ſiniſtro teſte, 14. *de vſu part.citat.* & ad facilem ſeminis exitum per anguſtos meatus.

Ad tertium. Etiam in libidinoſis, qui Veneri immòdicè indulgent, exiguum ſemen ſpumeſcens diſtendit, ſitque ſuperfluum, & turgere facit genitalia corpore libet exhauſto; dum verò funditur, erumpit,& pro ratione doloris ſequitur voluptas, præſertim cùm truditur ad colis anguſtiam, qua parte ſuperfluum fit grauans, & pungitiuum. Verùm quia in illis ſemen nec copia ſatis diſtendit, nec per moram qualitate moleſta vitiatur, qua excitet ad celerem expulſionem, vnde oblectatio, multò minùs delectantur.

Ad quartum. Quæ in ſeminis emiſſione in ſomniis percipitur voluptas,non exterior is eſt ſenſus, quum omnes tum temporis ligentur,ſed imaginationis: hæc enim imaginata venere, & colis erectionem, & eam vacuationem promouet, atque in ſe oblectatur, & interdum multò magis quàm fieri ſoleat in congreſſu; ſolet enim & per ſomnia, & delirantibus plus veri fingere, multòque maiora proponere obiecta, quàm ipſa ſint, ex cauſis aliunde petendis.

Verùm, vt in recentiorum diuertamus hortulos, qui de hac re plura literis prodidere, placet pro Hippocratis tutela controuerſiolam componere: *Vter magis in coitu delectetur, vir, an mulier?* Hic enim auctor *lib. de genitur. num. 6. in fin.* minorem voluptatem concedit fœminæ, maiorem viro. *Cæterùm multò minus delectatur fœmina, quam vir in coitu, & vir etiam tempore longiore.* Nam fœminæ ſemen eſt aquoſius, tenuius, minùs coctum, & minùs titillat; viri autem ſemen eſt calidius, craſſius, amplius, perfectius, atque ideò magis pruriens; rursùs & per plures, longiores, anguſtiores, & magis inuolutos meatus tranſit, vnde & tardiori motu. Deniꝗ; que & velociùs, & magis confertim excernitur, ob validiſſimum eiaculatum robuſtioris expultricis virorum, & tractricis vteri, quæ omnes ſunt immenſæ voluptatis cauſæ, iuncta etiam maiori exſolutione quæ datur in viris.

Sed obſtat grauiſſimorum virorum auctoritas, nam Iſhac *lib.6.theoric.cap.17.* contrarium ſentit: ſequitur Leuinus Lemnius *lib.de occultis natur. miracul. cap.6.* dum ſic profatur: *Quæ mihi potiſſima cauſa viſa eſt, quòd mulier in complexu, mutuóque amplexu ſemen conferat,& viro plus voluptatis concipiat. Cùm enim natura comparatum ſit,vt genitalis ſeminis excretionem,propter turgidi ſpiritus eruptionem, neruorúmque tentiginem ingens comitetur voluptas, ipſaque mulier geminum munus obeat, atque vtroque modo patiatur (elicit enim virile ſemen,ſuúmque cum eo permiſcet) veriſimile eſt illam plus geſtire, ac voluptatis concipere perfundique affluentiùs,&c.* Quoniam mulier ex frictione,intromiſſione membri virilis,emiſſione tardiori proprij ſeminis,receptione virilis in coitu,ampliùs quàm vir oblectari videtur.

Andreas Laurentius *lib. 8. de re anatom. quæſt. 7.* hanc quæſtionem ridiculam putat, ſed immeritò, nam Hippocratem accuſat,qui,vt ſcribit *Gal.l.6.aph.17. nihil ſcripſit temerè*, niſi velis librum de genitura, Hippocrati Theſſali filio adſcribere: nam Gal. *lib.6. de morb. vulgarib. ſect.1. com.29.* ex ſententia Dioſcoridis, vult librum de morbis eſſe Hipp. Theſſali filij: quòd ſi hoc verum eſt, liber de genitura, huius quoque Hippocratis erit, hoc ſanè argumento,quòd veluti *in l.4.de morbis*,enumerantur quatuor humores iis nominibus,ſanguis,bilis,aqua; & pituita, ſic & *in lib. de genitura* referuntur, vt nomine aquæ quæ in ſplene continetur, melancholia intelligatur: nam Hipp. hunc humorem non ſolet hoc nomine appellare,vt conLib. III.

A ſtat *ex lib.1. de natur.human.* & ex illo *libello Galeni*, quem inſcripſit, *Breuis denotatio dogmatum Hippocratis*, veluti refert Stobæus *ſerm.101.* Ergo ſi liber quartus de morbis,à magno Hipp.fuit conſcriptus,ſeu potiùs ab Hip.Theſſali filio,qui fuit in arte peritiſſimus, liber quoque de genitura eſt laudandus, nec eius præcepta temnenda.

Concilia ergo hos auctores hoc modo: nam mulieris voluptas maiori temporis ſpatio durat; viri autem intenſior eſt,& vehementior, ob cauſas dictas, quidquid poëta effrænatam dixerit,fortiorem, & magis inſatiabilem earũ libidinem: intelligendus enim eſt de coëundi appetentia, quæ vehementiſſima vtero eſt, atque ideò ſemper ſitiens nuncupatur,ſed non proinde maiorem ſuſcipiunt ex congreſſu ſuauitatem, & voluptatem,quanquam non ita citò ſatientur; voluptas enim magis ad obiectum, & modum recipiendi, vel expellendi,quàm ad deſiderium conſequitur, intenſior, vel remiſſior: quamuis ad oblectationem non parum etiam faciat rei fruendæ voluntas,ſeu appetitus. Conſule ſi placet, Auic. 21. 3. *cap.* 2. Aponenſem *dif.3. & 4. probl.15.* Thom. à Veiga *lib.6. de loc. affect. in com. cap.6.* Marcel. Donat. *lib.4. de medic.hiſtor. mirabil.cap.17.* Galeot.Mart.*lib. de promiſcua diſciplin.c.18.* Rorar. *in ſuis contradict. Hipp. num.14.* His adde nouiſſimum Paulum Zacchiam, Medicorum Romanorum decus, qui *lib.3. quæſt. Medico-legal. tract.1.quæſt.7.* de hoc argumento inter omnes ingenioſiſſimè diſſeruit.

HISTORIA XX. RHASII, De minuendo coitu.

C Coitus aſſiduus, camphoræ vſu minuitur.

Phlegmaticus quidam ſumpſit ter in potu in quindecim diebus aur. pondus ſex de camphora, & eo inciſa fuit luxuria ipſius penitus,tamen debilitatus eſt ſtomachus ipſius,ità quòd digerebatur cibarium ipſius per menſes; deinde corrupta fuit ipſius complexio, & aliud malum præter hoc non fuit paſſus, ſed deinde curatus eſt cum calidis, &c. Rhaſius* lib. 24. continent. tract. 3. cap. 1.

PARAPHRASIS.

Ab immodico & frequenti veneris vſu plurima; eaque irreparabilia mala oriri, latè diximus *lib. 1. in com. hiſtor. 73. & in hoc lib. in com. hiſtor. 9.* probántque D Auicenna 19. 3. *tract.1.cap.11.* Paulus *lib.1.cap.37.* Celſus *lib.1.cap.1.* Nam corpus rarius,frigidius, debiliúſque reddit, ſpiritum & ſanguinem reſoluit, virtutes mortificat, & ſubſtantia nobiliſſima corpus defraudat, adeóque hoc verum eſt, vt ſæpè plures in ipſo concubitus actu, exhauſtis viribus, expanſo ad externas partes calore animam efflaſſe, veterum, & iuniorum ſcientiſſimi memoriæ promulgarint: de quorum claſſe ſunt Galenus *lib. 1. de ſem. cap. 16.* Valerius Maximus *lib. 9. cap. 11.* Plinius *lib.7. cap.53.* Alexand. Benedict. *lib.24. de curand. morb. cap.22.* Fulgoſius *lib.9. cap.12.* & alij, quos citat Rauiſius Textor *in officina ſua; tit. de iis qui in venereo actu mortui ſunt.*

E Huius rei cauſa licèt ſit manifeſta, illuſtratur tamen ab Hipp.*lib.de genitur.num.2.* dum ſic ait: *Sic autem in homine ab humido ſpumeſcente,id quod robuſtiſſimum eſt,& pinguiſſimum ſecernitur,&c.* Ex hoc loco apertè colligitur,valentiſſimum, hoc eſt, ſemen in venere excerni,hoc enim ex robuſtiſſimis ſubſtantiis,ſanguine nimirùm valdè elaborato, ſeminali humiditate, ſpiritúque impłantato ritè conficitur, in quibus corporis robur, vigor, & firmitudo conſiſtunt. Quo pacto ſpiritu multo vacuato plures animo deficiunt poſt venerem, præſertim qui in coitu nimiùm oblectantur, vt notauit Auic. 20. 3. *tract. 1. cap. 11. & 21. tract. 3. cap. 15.* Aſſiduus enim concubitus viſcera eneruat,cerebrum exhaurit,ſpiritus ſuaptè natura tenuiſſimos reſoluit,& ventriculum ſuaptè natura neruoſum, & frigidum debilitat.

Hoc quoque probat Galenus *lib.1. de ſem. cap.16.* hoc modo. *Omnes animalis partes non tam ſeroſo humore, quàm vitali etiam ſpiritu priuantur; ſiquidem hic quoque ex arteriis vnà cum genitali humiditate excernitur: nihil igitur miran-dum eſt, ſi ij qui immoderatiùs coïtu vtuntur, imbecilliores euadant, quum & vniuerſum corpus vtrorumque horum pu-riſſima parte fraudetur, & accedat etiam voluptas, quæ vel ſo-la idonea eſt ad vitales vires diſſoluendas, vt nonnulli etiam nimia voluptate affecti interierint, &c.*

Non immeritò ergo auctor noſter, ad minuendum coïtum auxilia præbuit in phlegmatico, qui cum ob co-piam pituitoſi, & ſeroſi humoris flatu turgeret, hac de cauſa ad concubitum erat procliuis. Quare ne ex ſuper-fluo veneris vſu, vires exhauſto humido primigenio, & reſolutis ſpiritibus euaneſcerent; & ſic huius puriſſimæ ſuſtantiæ abſentiam perſentiſcens, in deteriora, eáque ſæ-uiſſima vitia laberetur iſta de cauſa contracta, illi ad mi-nuendam concubitus appetentiam auxilia apta præſcri-pſit. Huius enim ſortis homines quum ſint caloris innati inopes, à frequenti concubitu extremè læduntur. *Mul-titudo* enim *deſiderij*, inquit Auic. 20.3.*tract. 1. cap. 25. quando eſt cum fortitudine corporis, & ſanguineitate, & ſa-nitate complexionis, & adoleſcentia ætatis, & potentia ſuper coïtum, abſque ſucceſſione debilitatis, non eſt neceſſarium, vt occupatio ſit in regimine eius, & fractione ipſius, &c.* Con-trà, ſi debiles ſint, & frigidi, ex frequenti concubitu læ-duntur valdè.

Camphoram elegit inter cætera: nam cùm ſit frigida & ſicca in tertio gradu, ex Auic. *lib.2. tract. 2. cap. 133.* ſeminaria vaſa refrigerat, ſemen cogit ac inſpiſſat, & ſic abſcindit coïtum: quare teſtibus & lumbis illita, Vene-ris ſtimulos coërcet, & extinguit. Hoc medicamentum ter per interualla exhibuit, timens, ſi continuis diebus exhiberet, ne viſcera læderentur. Propinauit autem qua-libet vice aureos duos, hoc eſt, octo ſcrupulos, quoniam aureus licèt ſit pondus drachmæ vnius cum dimidia apud Saladinum *part. 3. de ponderibus, & menſuris*, & Alexand. Maſſar. Vicentinum *eodem tract.* tamen ego ſextam vn-ciæ partem, hoc eſt, ſcrupulos quatuor pendere arbi-tror, cum clariſſimo Nicol. Fontano, Medico Amſtelo-damenſi, *qui in ſuo eximio lib. inſtitut. pharmaceutic. ſect. 1. cap. 1.* aureum à ſolido, hexagio, & ſextula ſolùm nomine differre admonuit.

Hic, camphora exhibita, cùm eſſet pituitoſus natura ſuapte, poſtea de debilitate ventriculi eſt conqueſtus, ita vt coctiones non ita eſſent proſperæ, & fauſtæ: nam ex frigiditate medicamenti ventriculus læſionem contraxit: cùm enim natura animalibus vice terræ ventriculum, velut promptuarium cibi fabrefecerit, ex Gal. *lib. 2. de cauſ. ſympt. cap. 3.* & vniuerſum alimentum excipiat, il-lud accuratè elaboret, & quod in eo excrementitium & inutile eſt, infernè pellat, benignum verò & vtile, per venas, quæ tum ad ipſum ventriculum, tum ad inteſtina perueniunt, diſtribuat, & Gal, *lib. 4. de vſu part. cap. 1.* ci-bóſquetotus complectatur, ex Gal. *l. 3. de facult. naturalib. cap. 4.* & alimentum concoquat, cur mirabimur, ſi ex cam-phoræ frigiditate nimia ventriculus frigiditatem contra-hat, & ad coctionem reddatur ineptus, ſi coctio perficitur calore, ex Ariſt. *lib. 4. meteor. cap. 2.*

Huic malo occurrens Rhaſius, frigidum ventriculi in-temperamentum correxit, medicamentis (vt par erat) contrariis, calidis nempe, & roborantibus, edoctus à Gal. *lib. 7. meth. cap. 6. & 7.* docente, ventriculi intemperan-tias eſſe corrigendas contrariis; quo loco plura recen-ſet, quæ ventriculum firmant, ac roborant: ea ſunt oleum maſtichinum, opobalſamum cum purpura, nardinum vnguentum. Per os verò adminiſtrat vinum, & mel. Et ſi fortè cruditas adſit ex debili coctione orta ſtomacho apponit vnguenta, emplaſtra ex aloë, maſtiche, oleo nar-dino, & purpura, & *lib. 8. meth. cap. 5. & 1. ad Glauc. 14.* va-ria exhibet in potum medicamenta, quæ robur ventricu-lo conciliant.

Frigida & humida intemperies, calefacientibus, & exſiccantibus curanda eſt; hæc enim præterquam quòd naturæ ſunt familiaria, quia hæc meliùs ſuſtinet calo-rem, etiam ventriculum roborant, ac firmant. Sed cùm multa ſint in hunc vſum inuenta auxilia, potiora in com-pendium redigam, quæ ſi priùs purgato corpore exequa-ris, erunt vtiliora.

Vinum refrigerato ventriculo eſt antidotum præſtan-tiſſimum, inflationes enim præcordiorum diſcutit: vt mul-tis exemplis confirmat Ruellius *lib. 23. de nat. ſtirp. cap. 9.* vnde iulapia ex vino naturam noſtram roborant, vitam conſeruant, atque producunt, teſte Quercetano *lib. 1. diætet. tit. de vino.*

Iuuat aqua abſinth, fœnicul. origan. cinnamomi, ſer-pilli, calendulæ, aniſi, caryophyllor. menthæ, meliſſæ, hyſſopi, anethi, betonicæ, & radicis Angelicæ, quarum aquarum vncias quatuor ieiuno ventre exhibens, obla-ta priùs tabella vna aromatici roſati, diarrhod. diagalang. diacinnamom. aut theriaca antiqua, aut conſerua ex flori-bus ſtœchados, roriſmarini, aut betonicæ.

Vtilia ſunt artificialia vina, vt hyſſopi, abſinth, aniſi, fœ-niculi, paſſularum, roriſmarini, origani, euphraſiæ, nucis moſchatæ, guaiacinum, paſſulatum, cuius conditionis ſunt vinum Hipocraticum. His adde aquam vitæ, vel aniſi cum ſaccharo. Varia clareta etiam ſunt ſaluberrima, quo-rum vnum, aut alterum cochleare, vt ait Quercetan. ventriculum roborat, eiúſque cruditates, & flatulentam materiam tollit.

Decocta præſtant parata ex pauco aniſo, cumino, caruo, flor. chamomil, abſint. galanga, cinnam. cubebis, caryo-phyl. ligno aloës, radice chin. ſmilac. aſper. eberro, maſtich. & radice vocata ſaſſafras.

Fomenta cum ſpongia imponuntur ſumma cum vti-litate ſtomacho, quæ flatus diſcutiunt, coctionem iuuant, & flaccidi ventriculi vires collapſas firmant: fiunt ex de-cocto melilot. abſinth. calament. nardi, aniſi, cumini, fœ-nicul. caryophyl. menth. puleg. origan. calaminth. ſerpil. aneth. roſar. rubear. galang. zedoar. calam. aromat. maſtich. lign. aloës, coral. rubri, nucis moſchat. rha-pont. Decoctum autem in vino parari poteſt, quod collapſas ventriculi vires ſtrenuè refocillat, cuius vſus in ablutionibus, extractis, odoribus, & aliis quæ ex vino conficiuntur, atque propinantur, eſt vtiliſſimus: nam medicinæ, quæ tardæ ſunt operationis, ſi in vinum infundantur, vigorem ſumunt, acuuntúrque, vt ait Al-phonſus Ferreus *cap. 1. de vini exhibit.* quare nec cibus, nec medicina vino vnquam priuari debent, nam eſt ſimi-le calori noſtro, & medicamenta penetrare facit vt Aui-cenna inquit, *3.1. cap. 2. de regim. aq.*

Olea etiam roborandi ventriculum vires habent, vt oleum menth. abſinth. nard. maſtich. aniſi, fœnicul. ca-ryophyl. nucis moſchat. cinnam. balſam. ſulphur. croc. coſti, ebeni, terebinth. naphæ, belzoini, maceris, piperis, de corticib. malor. arantior.

Pulueres offeruntur in vino, aut è iure gallinæ, aut ex-trà apponuntur in ſacculis; nam calefaciunt ventricu-lum, exſiccant, & roborant. Præcipui ſunt roſar. abſinth. coriand. aniſi, fœnicul. cinnamom. zingiber. caryophyll. nucis moſchat. macis, galang. cubebar. calam. aromatic. gentian. zedoar. maſtich. radic. tormentillæ, galliæ moſ-chat. ligni aloës, moſch. ambar. piper. origan. pulegij, cy-min. carui, myrtil. coral. rubri.

Electuaria etiam calefacientia ventriculum roborant, vt ſunt aromaticum roſar. aromat. caryophyllarum, dian-thos, diaxyloaloës, diagalanga, dianiſum, diacyminum, diacinnam. diazingib. dioſpoliticum, diatrion pipereon. electuar. ex citro, roſata nouella, diarrhod. diamargarit. calidum: ex quibus ſpeciebus cum miua citonior. cum aromate, & ſyrupo de corticibus citri, aut rhodomelite, poſſunt parari antidota ventriculo roborando vtiliſſima.

Vnguenta ex dictis oleis & pulueribus cum cera con-ſtrui poſſunt, quæ cum euidenti vtilitate ventriculo impo-nuntur. Ex his poſſunt parari emplaſtra, ſeu cataplaſmata, quæ ori ventriculi admoueri queunt. Roborat ventricu-lum calor manus eiuſdem laborantis, vel alterius homi-nis ſani, vel catulus, aut puerulus ventri admotus; quo-modo autem à calore externo caliditas interna iuuetur, & foueatur, lege *hiſt. 66. lib. 2.*

Cùm

Cùm autem ex immodico Veneris vſu ſæua damna propullulent, immò adueniat tabes, & mors,meritò hæc præcauere ſatius putauit, exhibito medicamento frigidiſſimo, ex cuius vſu licèt ventriculi calor minueretur,tamen ampliùs optanda eſt noxa, quàm mors, vt rectè dicebat Gal. 12. *meth.cap.* 1.& *minus damnum maiori vtilitate eſt redimendum*, ex Gal. *lib.*1.*aph.*24.

QVÆSTIO XXXIV.

Vtrùm camphora ſit frigida, an calida, vt contra Auicennam Matthiolus ſenſit.

COMMENTARIVM.

DE *Camphora.*] A ſapientiſſimis medicorũ,diu & importunè quæſitum,num camphora ſit frigida,vel calida. Sed in hac dirimenda lite ſunt ancipites; nam pro vtraque parte æqualia videntur eſſe momenta rationum. Eius frigiditatem arguit adſtrictio, congelatio, quoniam capitis dolores mulcet illitu, incandeſcentes inflammationes reſtinguit, iecoris ardorem compeſcit, ſanguinem cogit, renes, & ſeminaria vaſa refrigerat, & venerem ſic extinguit, eryſipelata mitigat, aduerſus gonorrhœam, & alba vteri purgamenta efficax eſt. Idem præſtat pubi,ſeu imo ventri, teſtibus, renibúſque admota; ſanguinem è naribus profluentem ſiſtit, collyriis ad calidas oculorum ægritudines vtiliter imponitur, corpora à putredine ſua frigiditate præſeruat,diarrhœæ opitulatur,febribus remedio eſt, ſomnum conciliat, ex Auic. 3. 1. *tract.*2. *cap.*10. quo pacto eſt frigida, & ſicca in ordine tertio, ex mente Auic. *lib.*2.*c.*133. ſubſcribunt Serapio,& Platearius *cap. prop. de camphor.* Garzias ab Horto, *lib. de aromat. quæ ex India adſportantur, colloq.* 32. Chriſtoph. à Coſta, *eodem tract.cap.*25. Andreas Lacuna *lib.*1.*in Dioſcorid.cap.*75.& Patres *in Meſuem, in com.trochiſcor.de camphora.* Hos trochiſcos, ſicut & oleum eius conferre ad febres ardentes monuit Meſuē; compeſcunt enim ſanguinis feruorem, ventriculi, & hepatis calidam intemperiem corrigunt,ſitim mitigant,hecticæ,& phthiſi conferunt.

Contrà faciunt multa, quæ eius caliditatem arguunt manifeſtè, guſtus, qualitas, odoris acrimonia, aërea ſubſtantia, pondus, raritas, & ſiccitas. Inſuper ſi ſententiæ Galeni ſtandum eſt *lib.*4. *de vſu part. cap.* 9. dicentis nullum frigidum promptè comburi, videtur camphora calida eſſe & ſicca, nam igni impoſita ardet, & in flammam citiſſimè conuertitur. Audi *loc.cit.* Galenum, dum de pinguedine loquitur: *Quæ certè quòd calida res ſit, dignoſcitur & ſenſu ipſo, vtentibus ea nobis vice olei: indicat autem id non minimum, quòd facilè in flammam tranſmutetur, tanquam ad flammæ naturam proximè accedat: nihil enim frigidum promptè comburitur, &c.* repetit *lib.* 3. *de temp. cap.*5. §. *Verbi gratia ſi oleum calidum eſt, non id inde ſpectabitur, quòd glutinoſum, aut pallidum, aut leue eſt, ſed quòd facilè inflammatur: id namque erat illi calidum poteſtate eſſe,quòd celeriter in energia calidum mutatur,&c.* Quare Pandectarius, *cap.*119. & Proprietarius ſuperioris ſæculi Medici eruditi, calidam & ſiccam in ſecundo ordine proponunt.

Vidit iſtam controuerſiam Matthiolus *l.*1.*in Dioſcorid. cap.*71.*de Lentiſco*, argumentorúmque difficultate perterritus, camphoram eſſe calidam & ſiccam arbitratur, codicéſque Auicennæ eſſe mendoſos ſibi perſuaſit. Sed errat, nam in antiquis Auicennæ codicibus, & in germana verſione legitur, quòd camphora ſit frigida & ſicca in gradu tertio.

Doctiſſimus Renodæus *lib.* 1.*de materia medica, ſect.*9. *cap.*2.*de Camphora*,rectiùs dubitationem explicuit,dicens: camphoram diuerſis conſtare partibus, nam cùm mixtæ ſit facultatis, frigidis & ſiccis partibus conſtat, & ſic cogit, retinet, inſpiſſat, & contemperat: odore verò, ſpirituum tenuitate, & partium aërearum ope calefacit, & ſic ſubtilibus partibus conſtans, repoſita in auram euaneſcit, & ardet, vt notat Scaliger *exercit.* 104. *num.* 8. *in Cardanum.* Nec dubites: plura enim ſunt, quæ cùm

A variis partibus prædita ſint, varias, & longè contrarias ex ſe promunt vires. Sic opium frigidum eſt, licet amariſſimum ſit,& ita acre, vt linguæ impoſitum exulceret. Argentum viuum frigidiſſimum eſt, quum in perpetuo ſit motu ob tenuiſſimas partes, quibus conſtat, quarum merito róſoluit, calefacit, penetrat, viſcidam, tenacémque pituitam attenuat, incidit, & per ſputum, aluum, ſudoremque expurgat, & eam firmiter adhæreſcentem è diſtantiſſimis partibus attrahit. Sic alia quamplurima, ob diuerſas quibus pollent, vires, varios effectus producunt, vt lentes, aloë,rhabarb. pſyllium: ferrum, chalybs, roſa, lac, &c. Solue ſecundò cum Manardo *in com. Trochiſcor. de Camphor.* Legitima Camphora eſt frigida; factitia, quæ præſertim ad nos ex India adulterata affertur, & bitumine infecta, calida eſt. De
B Camphoræ electione, lege Matthiol. *loc. cit.* Medicos Colonienſes *in com. Meſuæ, tit. de Throchiſc. Camphor.* & elegantiſſimum Cronemburgium *lib.*6.*de compoſ.medicam.in com. Trochiſ. de Camphora*, Abhenguefit Arabem, qui *in ſuo de ſimplic. medicinarum libro*, de Caphura rectè conſcripſit. Iuberam *in reformatione medicamentor. cap.*95. & nuper Tobias Aldinus propoſuit *in ſuo lib. de plantis horti Romani.*

HISTOR. XXI. GALENI, *De colis palpitatione.*

Colis palpitatio, Carminantibus auxiliis curata.

C IN *illo enim cui aſſiduè colis palpitatio præceſſerat, cauſa erat* * *ſpiritus flatuoſus, ad quem cùm omnem curationem conuertiſſem, hominem ſanaui, &c.* Galenus lib. 6. de loc. affect. cap. vlt.

PARAPHRASIS.

MIſerabilis profectò eſt colis ignauia,& ad congreſſum venereum impotentia: miſerabilior ob labores, & pericula multa, eiuſdem partis contraria conſtitutio, hoc eſt immoderata diſtentio citra appetentiam veneris contingens: cùm enim Paulus *lib.* 3. *cap.* 56. Satyriaſim, naturalium palpitationem eſſe proferat, quæ va-
D ſorum ſeminariorum inflammatoriæ diſpoſitioni ſuperuenit, vt firmat Auic. 20.3.*tract.*1.*cap.*37. eueniátque ob genitalium partium feruorem nimium, vt ex priſcorum mente explicant Mercurialis *lib.*4.*de morb. mulier.cap.*10. & Mercatus *lib.* 2. *de morb. mulier. cap.* 10. hunc ægrum priapiſmo laboraſſe mihi perſuadeo, de quo affectu latius infrà: nam, vt *cit. loc.* notauit Paulus, ſatyriaſis ex phlegmonoſa ſeminalium vaſorum diſpoſitione ortum ducit,in languorem, & reſolutionem eorundem vaſorum migrat, & neruorum diſtentionem, conuulſionémque minatur. Accedit quòd morbus rarus eſt, & ſæpe cum alui fluore; & frigido ſudore interficit. At verò Galenus hunc carminantibus oblatis perſanauit.

Hoc manifeſtè aſſerit Aurelianus *lib.* 3. *tardar. paſſion. cap.* 18. qui ſatyriaſim à priapiſmo diſtinguit, licèt hi
E affectus conueniant in rigida, & inuoluntaria penis tenſione; quoniam Satyriaſis, acutum malum eſt ex conuulſione ortum, breui hominem conſumens cum immenſa veneris libidine, cui mors ferè ſuperuenire ſolet. Priapiſmus verò tarda paſſio; ex plurimo flatu, nec facilè ſolubili, intra fiſtuloſum neruum contento; Hoc ergo affectu laboraſſe hunc ægrum firmat Thomas à Veiga *in com.huius loci, num.* 6. dicens: *Frigida affectio eſt palpitatio, quare non ab arteriarum ſpiritu, ſed à flatu in fiſtuloſo neruo, & genito, & denſato.* Explanata namque cauſa naturalis erectionis, de qua eleganter agit Laurentius *lib.* 7. *de re anatomic. quæſt.* 6. inueſtigat Galenus morboſam, quam magis in fiſtuloſo neruo, quàm in arteriis eſſe conſtat.

Neruum hunc, quem colem dicimus, multis nominibus antiquitas decorauit: nam multoties penem, haſtam, mutonem, caulem, virgam, faſcinum virilem, ſcapum, veretrum, verpam, mentulam, caudam ſalacem, neruum fiſtularem, genitale, aut membrum virile nuncuparunt, vt *cit. loc.* prædixit Laurentius, & pluribus nominibus inſigniri, ab otioſis, pronis in venerem, meretriculis, lenonibus teſtatur Columbus *lib.* 11. *anatom. cap.* 15. ob quam cauſam ab amantibus priapus dici ſolet, de cuius etymologia plurima priſci poëticè fabulantur, vt notant Euſtathius *in lib.* 2. *Iliad. cap.* 22. Athen. *lib.* 1. *cap.* 27. Diodor. Sicul. *lib.* 4. *cap.* 2. & de eius apud Ægyptios ſimulachro, pulchrè, & ad naturæ vires conſentaneè diſputat Suidas.

Virile ergo membrum, corpus eſt neruoſum ex pubis oſſibus ortum, cui ſimile in toto corpore non inuenies, & cui venæ, & magnæ arteriæ inſeruntur. Inſuper hoc nec tenſum ſemper eſſe oportuit propter moleſtiam, & periculum; nec perpetuò laxum, quòd foret omnino inutile; ſed viciſſim flacceſcere, contrahi, & quieſcere, & pro vſibus tendi, dilatari, ac moueri opus fuit: Naturalis erectionis cauſam docet eſſe innatam pudendi facultatem, quæ ſui muneris non ignara, inſtar aliarum corporis faculttaum, vbi primùm animal ad coïtum incitatur, ex inſita doctrina penem diſtendit, aptéque ad congreſſum diſponit; licèt enim operis inſcia, & indocta natura ſit, hoc eſt, carens omni externa diſciplina, omnium tamen opifex eſt, 3. *art. med.* 87 & ſponte ſuas inuenit, atque exequitur motiones, vt ſolerter dictauit Gal. *lib.* 6. *de loc. cap. vlt.* & prædixit *Hipp.* 6. *epid. ſect.* 5. *text.* 2. quicquid Aſclepiades, ſcribente Gal. 3. *criſ.* 8. affirmauerit naturam eſſe inertem, quum vniuerſa illius opera, vtpote mirabili induſtria, & ſummo artificio pleniſſima admirentur ſapientes; de quo paſſim Gal. *in lib. de vſu part.* præſertim *lib.* 1. *cap.* 3. & *lib.* 3. *cap.* 10. & 15. Plinius *lib.* 11. *cap.* 2.

Quamuis autem à flatuoſo ſpiritu per arterias influente turgeat etiam pudendum, dilatetur, atque in tumorem attollatur, præcipua tamen naturalis tenſionis cauſa in neruo fiſtuloſo conſiſtit: tum quia actiones à propriis partium eſſentiis oriuntur; tum quia arteriæ quantumuis preſſæ, exprimere non poſſunt flatùm in fiſtuloſum neruum, niſi is diſtenderetur; ideò namque repletur, quia diſtenditur, non è conuerſo, quod ſimiliter in pectoris, cordis, & arteriarum motibus agnoſcimus, ad quarum partium diſtentiones ſequitur aëris ingreſſus, & repletio.

Cùm ergo neruus fuerit diſtentus, ſequitur ex arteriis ſpiritus, quemadmodum pulmo thoracem ſequitur, ob eam quam habet ad motum ipſius ſequelam, Diſtenditur autem ſponte neruus, aut ſtimulãte deſiderio, vt diximus, ex meditata venere, vel mordicatione, aut acquiſito calore; irruente deinde ſpiritu vaporoſo impletur. rigidúſque fit, & inſigniter intumeſcit; eodem verò diſſoluto, contrahitur rurſus, concidit, & flacceſcit: nam ab ſpiritu, non humore inflari indicat celer eleuatio, & ſubſidentia. Cæterùm longè aliter contingit in morboſa erectione; huius enim cauſa, flatus cùm ſit ventoſus ex craſſis, & viſcoſis humoribus cum mediocri calore genitus, 3. *de ſympt. cauſ.* 2. & 9. *ſec. loc. cap.* 9. vnde Paulus, Aëtius, & omnes ſua hauſere, magis in arteriis quàm neruo ipſo exiſtit: facilius namque eſt illis apertis, ſpiritus flatuoſos, quibus arteriæ turgent, in corpus fiſtuloſum effundi, quàm in hoc ipſo gigni, quod etiam euentus crebritate confirmat Galenus. Dignoſces verò ex præcedenti palpitatione, oriri priapiſmum à genito, & denſato flatu in fiſtuloſo neruo: palpitatio enim cùm frigida affectio ſit, vtpote cauſam habens materiam ventoſam, à calido arteriarum ſpiritu fieri non poteſt.

Cur colis, oſſeus, ſolidus; ex arteria ſola conſtructus non fuerit, explicat Veſalius *lib.* 5. *fabric.* 24. Penem enim ita fabrefecit natura, ſpiritu repletum, vt inſigniter urgere poſſit, & rurſus eodem ſpiritu diſſoluto concidere: nam hoc modo ad venereos congreſſus, ſeminis eiaculationem, & libidinis ſtimulos ſummus rerum opifex creauit, atque conſtituit. Is ergo neruus cauernoſus, & fiſtulæ modo excauatus, conſtat ex duobus neruis cauis, meatu vnico membranoſo, ſemini & vrinæ cõmuni, quatuor muſculis, venis arteriis, & neruis plurimis, membrana neruoſa, & cute miro artificio fabricata, vt Galenus 14. *de vſu part.* 13. edocuit manifeſtè: explicat eruditiſſimus Spigelius *lib.* 8. *de fab. corporis humani, cap.* 27.

Huius affectus cauſam eſſe vaporoſum, flatuoſúmve ſpiritum firmat Gal. 14. *meth. cap.* 7. & *lib.* 3. *de cauſ. ſympt. cap.* 2. & 9. *de compoſit. medic. ſec. loc. c.* 9. qui ex humoribus viſcoſis, ac craſſis per moderatam caliditatem gigni ſolet. Verùm vbi in eodem fiſtuloſo neruo flatuoſus ſpiritus fuerit genitus, ex continua eiuſdem, quæ præceſſit, palpitatione dignoſces: quemadmodum è diuerſo, vbi ſupra modum arteriarum ora, quæ ad pudendum deueniunt, fuerint patefacta, ac propterea affatim ſpiritus multitudo ad ipſum colem affluat, nullum tale ſymptoma præcedere ſolet. Ex quibus conſtat affectum hunc à vaporoſo, nebulosóque flatu in hoc neruo genito originem duxiſſe. De hoc argumento conſule Fernel. *lib.* 6. *pathol. cap.* 13. Altimar. *lib. de curand. human. corpor. malis, cap.* 105. Chriſtoph. à Vega *lib.* 3. *art. medic. ſect.* 10. *cap.* 4. Vidum Vidium *lib.* 11. *de curat. membran. cap.* 12.

Plurimæ ſunt cauſæ, quæ calorem noſtrum imbecillitant, à cuius debilitate flatuum copia gigni ſolet in corpore noſtro. Cauſa efficiens, primaria, & immediata eſt debilitas natiui caloris. Secundaria, & remota, eſt humidum quoduis; ex quo, cùm viſcidum fuerit, & craſſum debilis calor flatus eleuat, quos præ impotentia diſcutere nequit. Ad horum ergo reſolutionem cùm Galenus omnem curationem cónuertiſſet, ægrum perſanaſſe gloriatur. Sed quæ præſidia adhibuerit, non explicat. Dic. Spiritus flatuoſi cauſa, eſt humor craſſus, & lentus, ex Gal. *loc. cit.* Offerenda ergo ſunt alimenta boni ſucci, facilis coctionis, nam hæc vel à remiſſiori calore facilè ſuperantur: maximè ſi ſint aromatis condita, quæ natiuum calorem egregiè reſtituunt, flatúſque abſumunt. Hunc vſum complet optimi mellis vſus, quod auctore Galeno 7. *meth. cap.* 7. & alibi, in naturis frigidioribus probum ſuccum gignit, & leniter calefaciendo nonnihil detergit, & cruda excrementa concoquit, & per aluum expellit.

Pro potu prodeſt vinum antiquũ, odorum, generoſum, in quo præſertim abſinthium, & aromata calida infundantur. Aqua ſit cocta cinnamomo, aniſo, aur radice chinæ. Aër ſit calidus ſiccus. Humorem pituitoſum Galenus imperat vacuandum per vomitum, cum Paulo *lib.* 3. *cap.* 56. timens ne ex præcipiti lapſu humorum in infernas partes geminetur malum: at de violenter vacuantibus eſt intelligendus, vel quando purgatio initiante fluxione celebratur. Quapropter ex vſu ſunt clementia, quæ ſuauiter humores per aluum deriuent, velut ſunt agaricum, mechoaca, pruna ſennata, ſyrup. ex multiplici infuſ. roſ. perſic. ſyrup. de ſen. epithym. polypod. quæ ſi cum carminaribus miſceãtur, ſtrenuè proderunt; dummodò flatus reſoluentia non ſint nimis intenſa, nam ſic flatu pluſquam oportet attenuato, maior inflatio, & grauiores dolores propullulant; quod præceptum in omnibus flatulentis affectibus, præſertim inteſtinorum, eſt obſeruandum.

Mandantis quoque partis ratio eſt habenda, quæ ſæpe ventriculus eſſe ſolet, interdum lien, aliquando hepar, quæ viſcera cùm intemperie frigida laborant, flatus creant, quos ex ructu, rugitu, fluctuatione, & dolore circa has partes percepto facilè venaberis: maximè ſi adſint cruditas, tarda, difficiliſque concoctio, inflatio ventriculi, nauſea, vomitus; ex quibus cauſis flatus ſuboriri certiſſimum eſt.

Oportet ergo officinas coctionis roborare, & flatus genitos abſumere. Hoc opus efficiunt clyſteres ipſi, qui parantur ex oleis, ac decoctis digerentibus, & carminantibus, vt ex ſemine aniſi, carui, dauci, fœniculi, an. ℥ß. ſem. apij, & aneth. an. ʒ iij. flor. chamæmel. melilot. ſambuci, rut. anthos, an. P. ij. & facta decoctione in aq. & vino cretico, cum aq. vitæ ℥ij. & ℥ij. mellis anthoſati, & ℥ij. olei

olei rutac.& ℥. ß. hier. fiat clyſter,qui calidus iniectus, & diutiſſimè in ventre retentus, mirè flatus diſcutit. Hunc ſi partes ex iure galli veteris, cum iiſdem medicamentis priùs decocti, adiectis ℥iij. vrinæ pueri impubis, & ℥j. fermenti acris, erit præſtantior.

Ex iis medicamentis cum ſaccharo, adiecta nuce moſchata, & caryophyllis, poſſunt fieri pulueres, tabellæ: & cum conſerua flor.anth. & ſaluiæ, parantur electuaria, quæ potenter diſcutiunt. Linimenta fiunt,emplaſtra,culcitræ, fomenta, ex plurimis roborantibus medicamentis, quorum ſyluam in ſuperiori hiſtoria deſcripſimus. Iuuant ſudorifica ex ebeno, ſmilace aſpera,& radice chinæ: Balnea thermalia ſummo ſunt ex vſu, & cætera quæ partes naturales tuentur, & roborant,

QVÆSTIO XXXV.

Vtrùm flatuum generatio oriatur à debilitate caloris innati, vt opinatur Galenus.

COMMENTARIVM.

Spiritus flatuoſus.] Non cenſebitur à medica facultate alienum, vt Galenica ingreſſi pomœria, per tranſennam licèt, præſcribamus, quæ huius flatuoſi ſpiritus cauſa ſit primaria: nam de antecedente ſuprà oſtendimus, eſſe humorem craſſum,viſcidum,qui num à debili,moderato, aut immodico calore vertatur in flatus, nunc enodandum. Artis medicæ fulgentiſſimum iubar rem ſic determinat *lib.3.de ſympt.cauſ.cap.2.* dum ſic ait: *Eſt autem & horum generatio in ipſis,quæ in ventre ſunt,locis,ſuccis quibuſdam pituitoſis,vel cibis imibi à deficiente calore in halitum ſolutis: quippè ſyncera frigiditas prorsùs halitum non facit, quod ſcilicet ea nec attenuat,nec conficit, nec alimentum diſſoluit: fortis verò calor,cùm longo interuallo nutrimentum ſuperet, ampliùs quàm pro halitu generando id attenuat, niſi tamen flatuoſum ſit natura: tunc enim gignitur ſpiritus quidam turbidus,ac,vt ſic dicam,nebuloſus, cæterum exiguus, & breuis temporis, ita vt vno,vel altero ructu vacuetur. At calor qui in cibos agit,cæterùm diminutè,in eos quodammodo diſſoluit,non tamen prorsùs conficit,atque hinc oritur flatuoſus ſpiritus.* Explicat ingenuè Valleriola *in com.* & exponit Ludouicus Lemoſius affabrè *in com.cap.8.lib.12.meth.Gal.diſp.4.*

Sicut enim,inquit Galenus ibi,*extrinſecùs tum frigidiſſimi ſtatus ſunt ſereni, ſoléntque maximè flante borea fieri; tum calidiſſimi, qui æſtatis tempore incidunt, ambientem aëra purum reddunt: qui verò inter hos ſunt, nebulam gignunt: ita in animalibus, neque in caloris ſumma imbecillitate, nec cùm idem nimiùm eſt vehemens, ſed in iis, qui inter hos ſunt ſtatibus, flatuoſum excrementum gignitur. Atque id cùm per os excernitur, ructum creat: cùm per ſedem, ſonorum, ſilentémve flatum: cùm verò neutra parte emittitur, ſymptoma creat, quod inflatio vocatur. Iam ij flatus in tenuibus gignuntur inteſtinis, & in iis quæ circa ieiunum ſunt locis, maximè conſiſtunt.*

Deinde Galenus *lib.4. acut. com. 42.* de flatuum generatione verba faciens, ſic ratiocinatur. *Conatur ſiquidem caliditas natiua corporis humores tum diſſoluere,tum effundere, ſed tenuare ipſos, per inuiſibilia foramina excernere non poteſt. Cùm verò perfectè languet,neque ſoluere incipit, atque ob id ſpiritus flatuoſus non à ſummè languente natiua caliditate ortum habet,&c.* probat *lib.4.acut.com.11.& lib.6.epid. ſect.3.com.12.* §. *Prorsùs enim flatu repleri,ab ingeniti caloris debilitate prouenit: eo namque rectè valente, horum nihil exoritur, &c.* firmat *lib.6. aph.1. & 5. com.vlt.* ſequuntur Paulus *lib.3. cap.38.* Oribaſ. *lib. 9. ſynopſ.cap.11.* Auic. 13.3. *tract.5. cap.1.* Auerrhoës *lib. 3. collig. cap. 16.* Meſuë *tract.de ægritudinib. ſtomachi, cap. 11.* Serap. *tract. 2. cap.18.* & omnes propemodum recentiores ſatis confirmant, nix Ariſt. doctrina, *2.meteor.cap.2.* qui flatus non à calido vehementi,ſicut nec à frigido,ſed à languido calore gigni aſſeuerat.

Sed hæc ſententia patitur obiectiones plures. Cùm enim calor à multis cauſis debilitetur, plurimæ quoque erunt inflationis cauſæ: Primò,calor à frigore per ſe minuitur, tanquam à verè contrario, quo nomine frigida epota flatus generat,& hydropem accerſit,apud Gal.*lib.6. de loc. cap.1.* Secundò, à prohibita tranſpiratione, qua ſponte marceſcit calor omnis. Tertiò,à defectu materiæ, qua denegata innatum ignem perire eſt neceſſe. Quartò, ab ineptitudine materiæ, quam, ob craſſitiem calor conficere nequit, ſed in flatus vertit. Quintò, à ſuffocante copia, ob quam obruitur innatus ignis, & extinguitur. Sextò,à nimia ſiccitate, humidum, caloris pabulum abſumente. Septimò, ab ignea caliditate, vt accidit in priapiſmo, ex Gal. 14.*meth. cap. 7.* imponente in hoc affectu frigida lumbis, venámque refrigerij cauſa ſecandam imperante; & in mirachiali, flatuosáque melancholia experimur manifeſtè, cum Galeno *lib.3. de loc. affect. cap.7.* in qua flatus imminui oblatis refrigerantibus, refracto immodico pylori calore, *inibi* ex Dioclis ſententia aſſeuerat. Quo pacto aliquando ſpiritum calidum flatuoſum in corpore gigni teſtis eſt Galenus *lib.4.acut. com.42.* §. *Verùm cùm ſpiritus calidus, flatuoſúſque ad caput fertur ob humorum prauitatem,&c.*

Hæc verò facilè ſolues, ſi priùs aduertas quòd ſicut in magno mundo, ſolis, & ſtellarum actione duplex exhalationis genus eleuatur, auctore Ariſtot. *lib.2.meteor.cap. citato,* alterum humidum, pluuiæ materia; ſiccum aliud, ex quo venti,& ignitæ impreſſiones oriuntur: ſic in animalis corpore, actione caloris, duplex recrementorum genus eleuatur, alterum humidum, & vaporoſum,inſenſibiliter per cutis ſpiracula effumans, aut ſenſibiliter per ſudorem erumpens; aliud eſt ſiccum, & fuliginoſum, ex quo pili,vngues, ſordes generantur,ex Gal. *lib.1. de ſanit. tuend.cap.12.* Præter hæc ſunt recrementa flatuoſa, quæ Galenus flatum, aut ſpiritum flatuoſum appellat quem vbique generari,præſertim in locis ad ventrem pertinentibus, *lib.2.ad Glauc.cap.6.* teſtatur Galenus: Auic. 1. 3. *tract.2. cap.5.* hunc diſtinguit à vapore,quia hic ex omni humore; flatum verò ex pituita, & atra bile generari prædixit.

Flatum ergo oriri à debilitate caloris innati, exempla demonſtrant: nam fructus qui non integrè maturuerunt, Sol Martij, & lumen Lunæ idcircò noxia ſunt, quia flatus generant. Deinde pars refrigerata flatibus diſtenditur, quoniam diminutus calor partis, agens in ſuccum ſubfrigidum, craſſum, glutinoſum, ſæpè eſt cauſa flatuum diuturnorum; quam cauſam commendat Gal. 12. *meth. cap. 1. & 8.* tanquam Medico curaturo ſummè neceſſariam. Inſuper flatus ſub membranis, muſculis, circa inteſtina, ventrem, & partes frigidas generantur, qui illas rumpendo frangunt,vt ait Auic.2.1. *doct.3.cap.9.* nam ex magna vaporoſæ materiæ copia, vel craſſi flatus abundantia, in caluariæ cauitatibus contenta, & vehementi motu expultricis facultatis, ipſam aliquando rumpi teſtatur Andreas à Cruce *lib.1.chirurg. cap.2.* lege Albucaſim *lib.2.cap.25.* Nicol.*ſerm.7.tract.3.ſum.2.c.45.* Beuiuen. *cap.40. & 81.*

Cauſas plures aſſignari calorem noſtrum debilitantes, non negamus; hæ autem non ſunt immediatæ, primariæ,& efficientes, ſed remotæ, ſecundariæ, & ex accidenti: nam calor adurens flatus non eleuat,ſi agat in humidum quodvis, at verò debilis calor in quodvis agens, eos generat, quos attenuare ob imbecillitatem nequit. Curat autem frigidis priapiſmum *in methodo,* vt ſic igneus calor miteſcat, & temperetur. Sanat autem venæ ſectione in iuuene robuſto, vt reuellatur humor in colem inflatum,& dolorificum delapſurus. Quo pacto debilis calor innatus flatus generat, qui ſi immodicus,& excedens ſit, vt in melancholicis hypochondriacis ſæpè reperitur, debilis etiam eſt, quoniam ab antiqua temperie deflexit, & non eſt commodum naturæ operantis inſtrumentum: immò ab eo calor inſitus debilitatur,coctio vitiatur, ſuccreſcunt cruditates, & flatuum copia popullulat: hoc modo ab igneo calore innatum depopulante fiunt frigidi affectus, immò oritur hydrops ex acutis morbis. Lege Coſtæum *in com.cit.loc.* Auic.& Sennertum *lib.2.inſtit.medic.part.2.cap.7.*

De flatuũ nominibus,ac differentiis conſule Chiſtoph.à

Vegas

Vega; & Ioan. Brauum *in com. ſentent.* 24. *lib.* 2. *progn.* Mercurialem *lib.* 2. *de excrementis, cap.* 5. *poſt med.* Nam ſi per os excernantur, faciunt ructum: ſi per anum, vel ſunt ſilentes, & minimè ſonori, vel exeunt cum ſtrepitu, bombo, ſono; quorum cauſas citati ex Galeno retulere auctores: & eas luculenter protulit Ioan.Fienus *lib.prop. de flatibus humanum corpus moleſtantibus*: in quo flatuum natura, cauſæ, & ſymptomata deſcribuntur, eorúmque remedia facili, & expedita methodo indicantur.

HISTOR. XXII. GALENI, De priapiſmo.

Priapiſmo laborantes, vena ſecta, & frigidis ſuper lumbos impoſitis, ſanantur.

Acciderat autem cuidam, vt mali ſucci alimentis, acribúſque vteretur. Aliq etiam, vt duobus menſibus præcinctus peregrè proficiſceretur, quum ante nunquam cingi conſueuiſſet. Coniecimus itaque arteriarum ora nimis patefacta, aliis quidē ob humorum vitia, & acrimoniam; aliis verò ob flatuoſum ſpiritum generatum, & ſine ordine; & vehementer commotum. Scio enim ipſe quendam è me curatum, tribus diebus naturalem habitum recepiſſe, ſanguine primum miſſo, deinde medicamento hoc adhibito. Ceratum ex ſimplici roſaceo factum ita liquidum, ſicut ad fracturas vti ſolemus, aqua frigida imbuens, ac ſimul cum ea ſubigens, (nam æſtatis initium erat) pudendo, ac lumbis impoſui, atque ita quidem hunc percuraui. Simili modo & alium, qui poſt miſſum ſanguinem; humido medicamento quod ex chamæmelo conficitur, eſt vſus, &c. Galen. lib. de loc. affect. cap. vlt. & 14. meth. cap. 7.

PARAPHRASIS.

Qvemadmodum Gonorrhœa, ſymptoma eſt ſeminalium inſtrumentorum, ita & colis priapiſmus, hoc eſt, rigida, & inuoluntaria penis tenſio, tumeſcentia, & inflatio, ex Gal. *lib.* 6. *de loc. cap.* 5. & 3. *de cauſ. ſympt. cap.* 4. ſeu ſtabilis pudendi auctio in longitudinem, ac orbem tumefacti, citra rei venereæ appetentiam, 9. *ſec. loc. cap.* 9. & 14. *meth. cap.* 7. Vnde Paulus *lib.* 3. *cap.* 37. inquit: *Priapiſmus eſt firmum genitalis incrementum, quod in longum, latúmque intumeſcit citra veneris appetentiam.* Ita ferè Aëtius, Trallianus, & omnes. Apud Aurelian. *l.* 5. *tardar. paſſion. cap.* 9. ſine vlla fit coëundi voluntate, in quo diſcernitur à ſatyriaſi (quæ præternaturalis etiam eſt erectio veretri, 2. *meth.* 2. ſed immenſo cum libidinis ardore, deducto affectus nomine à ſatyris, *lib. de tumor. præter natur. cap.* 14. propter impudentem, ac inexplebilem veneris appetitum:) inſuper & quia in ſatyriaſi ſemen cum voluptate emittitur, *lib. finit. medic.* & poſt coïtum detumeſcit virga, cæterùm non proinde diminuitur deſiderium, quia inſatiabile, & ardentiſſimum, adeò vt ad mentis turbationem, & tabem perueniat, ita referente Sorano apud Aëtium. Addit Aurelianus, præceps eſſe malum, & acutum, immò verò interdum hominem breuiter conſumere, & corpus vniuerſum conuellere; priapiſmum verò tardam eſſe paſſionem, neque vſque adeò affligentem, quanquam & non parùm moleſtam, ex Auic. 20. 3. *cap. prop.*

Licèt auctores omnes, hunc affectum ex flatuoſo ſpiritu, qui particulam in tumorem attollit, ex humoribus craſſis & viſcidis, modici caloris ope procreato, oriri aſſeuerent, alias tamen cauſas ſortiri 6. *de loc. cit.* confirmat Galenus: Nam à ſeminis copia, & turgentia aliquando originem ducere probat, adducta hiſtoria cuiuſdam amici ſui, cui præter eam quam antea habuerat conſuetudinem, omnino à concubitu abſtinenti, rigidus adeò, tumidúſque factus eſt penis, vt Galeno tale quid manifeſtare coactus fuerit. Cuius explicationem quære *ſuprà in comm. hiſtor.* 9. dum quartam eo loco hiſtoriam ſumus interpretati.

In huius ergo rei confirmationem, aliam affert hiſtoriam cuiuſdam, qui cùm praui ſucci alimentis, acribúſque vteretur, in eum incidit affectum. Huius euentus multiplices cauſas aſſignant citati auctores cum Auicen. *loc. cit. cap.* 37. nam aliæ ſunt procatarcticæ, antecedentes aliæ, quædam coniunctæ, & aliæ efficientes. Procatarcticæ ſunt lumborum excalfactio, ex ſupino decubitu præſertim ſuborta. De hac cauſa loquutus eſt Galen. 6. *de loc.* §. *Calefactis lumbis par eſt, vt arteriæ calidiores reddantur, & magis etiam pateant ipſorum ora: quamobrem non exiguam tunc ſpiritus quantitatem in fiſtuloſum neruum effundant, qui paulatim impletus, colem intendit, &c.* & Auic. *loc. cit.* ſic ait: *Multitudo dormitionis ſuper lumbos, ex qua liqueſit ſperma, & conuertitur in ventoſitatem priapiſmi cauſa eſt, &c.*

Alia eſt cauſa, ſuccus prauus, viſcoſus, & craſſus, qui vel acrimonia ſua dilatat arteriarum ora, vel ſenſim, leuéve excalfactus in flatum vertitur. Cauſa coniuncta, flatuoſus eſt ſpiritus, qui fiſtuloſum neruum diſtendens, ipſum tumefacit, & erigit. Ab hac cauſa oriri perſæpè hunc aff. ctum probat Galenus, quoniam penis celeriter admodum intumeſcit, & reſidet. Efficiens cauſa eſt immodica caliditas, vitioſos humores in halitus vertens.

Quapropter priapiſmum ab his tribus cauſarum differentiis, ſuæ generationis ortum ducere, eſt affirmandum. Nam in primo ægro morbus ex cauſa antecedente, nempe ex vitioſo ſucco ortum duxit. Secundus, qui duobus menſibus præcinctus, & peregrè proficiſcens in hunc affectum incidit, ex cauſa primitiua ægrotauit: Nam lumborum præcinctus non anteà aſſuetus, longo tempore geſtatus, lumbos calefacit, & venarum orificia dilatat. Sic enim ait Auic. *cit. loc. Strictura lumborum duorum, ſeu iliorum, cum corrigiis, aut inſtitis, quare dilatantur orificia venarum. In aliis verò in quibus flatuoſus ſpiritus, & vehementer commotus morbum fecit, cauſa propinqua multitudinis tenſionis virgæ, eſt multitudo ventoſitatis groſſæ in partibus membrorum coitus, &c.* In eo verò, in quo ob caloris exceſſum lentos ſuccos in halitus verteritis, hic affectus eſt ortus: cauſa efficiens, calor erat. Hanc præter alias etiam Auic. *loc. cit.* doctè adiunxit, dum dixit: *Et quandoque adiuuant cauſam materialem, & efficientem cauſa inſtrumentales, &c.* Lege Hieronym. Fabric. ab aq. pendente *lib.* 1. *chirurg. cap.* 10. *de tumore flatuoſo.*

Accedamus ad curationem vniuſcuiuſque ægri. Quantum oporteat ad huius affectus curationem Medicos eſſe ſollicitos, docuit Aëtius *tetrab.* 3. *ſerm.* 3. *cap.* 22. Namque diu non poteſt æger cum eo vitam traducere; ſiquidem cùm moleſtam neruorum diſtentionem ſæpræſentet, vbi diutiùs parſeuerat, vires admodum conuellit ac proſternit, & ſuperueniente frigido ſudore, & ſyncope, celerrimè interdum hominem abripit. Malum enim inſolens eſt, teſte Fernelio 6. *patholog. cap.* 13. ex quo præcipiti caſu perire ſolent, niſi confeſtim eis auxilium feratur.

His ergo inſtituendus eſt victus, ex citatis auctoribus, & Tral. *lib.* 9. *cap.* 12. qui flatui aduerſetur, & ſiccet. Vitanda edulia calidiora: hæc enim humorem in ſpiritum vertunt, pudendíque arterias dilatant. Cauenda acria, viſcoſa, craſſa. In latus decumbant. Venereas narrationes auerſentur: necnon alimenta ſemen generantia, turpes conſuetudines, laſciuas amicitias, ſpectacula quæ ad libidinem concitant; nam his ad Venerem concitantur ægri: nullique horum veneris imaginatio prodeſt, niſi quibus ex huius abſtinentia ſemen abundare coniicimus, vt Paulus inquit.

Primum ægrum, acribus, prauíque ſucci alimentis nutritum, ex quo praui generātur humores, craſſi, & viſcidi, purgatione eſſe curandum, omnibus compertū eſſe reor. Hanc per vomitum eſſe celebrandam, vnanimiter confirmant cuncti. *Quòd ſi euacuatione vti licet, adminiſtretur per vomitum,* inquit Gal. *lib.* 9. *cit. ſec. loc.* & Paulus ſic ait. *Si vacuatione vti liceat, per vomitum id facies, &c.* Cauſa autem, ob quam omittenda ſunt per infernas partes purgantia, *loc. cit.* aſſert Auic. §. *Canon verò curationis priapiſmi eſt euacuatio cum vomitu, propterea quòd timetur, quòd ventris*

ventris ſolutio deſcendere faciat materias deſuper, &c. Sed cùm vomitoria violenta plerumque ſint, præſertim quæ à partibus, à viis communibus remotis, humores tenaces attrahere debent, & calore ſuo moueant, exagitent, & attenuent, ſicque flatus pariant, quid faciendum?

Aëtius rem ſic determinat, nempe in hoc affectu abſtinendum eſſe à fortioribus, & efficacioribus pharmacis, eligendáque mediocriter expurgantia, quæ ſenſim, lentéque humorem noxium per aluum deturbent; quapropter hac leni purgatione celebrata humores in partem affectam præcipiti lapſu non ruunt. Dic tu cum Galeno 13. *meth.cap.* 11. in initio affectus partium inferiorum, medicamenta purgantia eſſe interdicenda: cùm verò malum præterierit ſtatum, irruentiſque in partem affectam humoris impetus conquieuerit, tunc citra noxam medicamenta ſunt ex vſu. Audi ipſum *loc. nuper cit. Hac itaque ratione, nec ſi ventriculum, aut inteſtina phlegmone occupare iam cœperit, medicamine quod aluum deiiciat, vti conueniet. Eandem cum his indicationem ſortitur vterus, ſicuti cum vrinæ vaſis pudenda. At vomitu vti pudibundis laborantibus, in diuerſa reuellens auxilium eſt. Siquidem longiſſimè à tentata fluxione arte, quod redundat reuellere, nequaquam ad eam trahere conuenit, &c.* Ex quo loco clariſſimè patet, pudibundis læſis, initiante affectu, Galenum reprobaſſe expurgantia: nam ſi quis id facere in iecinore tentaret, quum phlegmone laborare incipit, maximam excitabit phlegmonen. Quoniam ſi in hepatis inflammatione expurgat per aluum declinante malo, & fluxionis impetu iam ſedato, vtitúrque cnico, vrtica, Mercuriali, epithymo, polypodio, filicula, & nigri veratri cortice, 13.*meth. cap.*15. quia timet humorum confluxum ad infernas partes, cur pudendo affecto, maiori iure in initio ea non erunt interdicenda?

Conſulendus Gal.*lib.*4.*meth.*6. qui pudibundis partibus affectis, expurgantia per aluum ſummoperè vetat. §.*Neque igitur cùm vel circa ſedem, vel aliquam vicinam partem initium phlegmones incidit, aluum deiicies, neque cùm in veſica, vel cole, vel renibus eſt cœpta, pharmaca dabis quæ vrinas prouocent, ſed ad partes quæ maximè longinquæ ſint, ſemper reuulſionem facies, æſtimata ſcilicet tum phlegmones magnitudine, tum corporis totius ſtatu.* Quare initiante affectu, fluentibúſque humoribus, retractio medela eſt, ait Hipp. *lib.*1.*de humorib.num.*1. explicat eius mentem Gal.*lib.*2.*ad Glauc.cap.*2.*in med. & lib.*1. *de humorib.ſect.*1.*com.*4. dum ſic ait. *Quare ſi vehementer fluxio feratur, eam ad contrarium reuellemus, vt ſi in ſuperioribus vlcus ſit, per inferna purgemus; ſi in inferioribus conſiſtat, ſuperiorem ventrem vacuemus. Quòd ſi fluxio ipſa ceſſauerit, & in membro fixa ſit, deriuare fuerit melius, eò quòd tranſlatio ſit in propinquiora, & quod tunc attractio è vicina parte promptior medicamento purgante ſuppeditetur, &c.* Ex quibus verbis Gal. totam litem euaneſcere putamus.

Secundus æger paſſus priapiſmum ob flatum multum, vehementer commotum, quomodo ſit curandus, diximus in præcedenti hiſtoria latè.

Tertius æger à Gal. deſcriptus, iuuenis fortè erat: Nam poſtquam dixit, *incidit verò vitium hoc ſanè multis, ſed iuuenibus magis, quàm aliis ætatibus*, ſubiungit: *Scio enim ipſe quendam à me curatum, tribus diebus naturalem habitum recepiſſe, ſanguine primùm miſſo, deinde medicamento hoc adhibito.* Cùm enim iuuenes calidiſſimi ſint, & innato calore polleant robuſtiſſimo, ob quam cauſam bilioſis morbis ſunt obnoxij, quoniam flaua bilis, humor inter omnes humores calidiſſimus, ex Gal.*lib.*10.*ſimpl.tit. de felle*, hac ætate ſuperabundat, 3. *aph.* 29. idcircò aggregatis etiam cruditatibus ob errorem victus, ex Gal. *citat. nuper Aph.* auctior, & immoderatior illorum calor, glutinoſum craſſúmque ſuccum vertit in halitum turbidum, & nebuloſum.

Ob hæc, ad compeſcendum viſcerum cauma, ad ventilandum iecur, ad reuellendum ab affecta parte, ne ſcilicet humores commoti, & ab adurente calore agitati præcipiti lapſu in partes naturales ruant; ſaluberrima cenſetur venæ ſectio, cuius ope pars inflammata præſeruari ſolet: præſertim ſi corpus ſit carnoſum, multo ſanguine abundet tempus anni ſit ver, & aliqua conſueta vacuatio ſit ſuppreſſa, aut exercitium dimiſſum, & ægri præter conſuetudinem à venere abſtineant, tunc audacter cruor exhauriendus.

Secanda dextri cubiti interna vena: nam hæc, partes inter alas, & inguina, vbi maxima vaſa continentur, ex Gal.9.*meth.* 3. promptiſſimè euacuat, ſi fides eſt adhibenda Magiſtro *lib.*2.*acut.*11. & 4. *eiuſd.* 24. & 4. *de ſanitat. tuend.*4. & *lib. de curand. rat. per ſang. miſ.* 16. quæ ſectio præterquam quòd ab inferioribus reuellit, partes internas, phlogoſi & incendio affectas leuat, & refrigerat, quia vaporoſum ſanguinem exhaurit; ex Gal.10.*meth.*10. Hoc modo ad ſedandum feruorem internum ſummè commendatur à Gal *lib.* 3.*de loc. affect. cap.* 7. in hypochondriaca, mirachialique melancholia, quando ſcilicet pylorus calore æſtuat, & phlogoſi tentatur, hoc eſt caloris ardoriſque exceſſu opprimitur: nam apud Galenum 1.*ad Glauc. cap.* 1. & *lib.* 14. *meth. cap.* 1. aliquando inflammatio pro ſola phlogoſi accipitur: id colligitur ex Galen. 5. *aph.* 65. §. *Quamuis hoc ipſum nomen inflammationis, antiqui omnes magnis inflammationibus quæ ſine vllo ſunt tumore adaptabant.*

Deinde ſi Gal. *lib. cit. de loc.* non ſolùm ob hanc cauſam, ſed ob pulſationem valde magnam in meſenterio, ex calore adaucto ſubortam, ſanguinem emitti, cur in epalpitante cole hac de cauſa commodiſſimè non adminiſtrabitur? Si non adſit baſilica, vel vires ſint debiles, & æger iteratam ſanguinis miſſionem ferre nequeat, tunc ſaluatella ferienda, quæ in feruore compeſcendo ſummoperè iuuat; quidquid alij velint, quorum opinionem, vtpote Priſcorum dictis valde aduerſam refutauimus *lib.* 1. *in Cum.hiſt.*54.

Hoc modo in palpitatione cordis mirificè iuuat venæ ſectio, è gibbero celebrata, auctore Galeno *lib.* 5. *de loc. affect. cap.* 2. licèt enim hic affectus ex frigidiore ſanguine, vnà cum flatuoſi ſpiritus copia oriatur, tamen naturam leuat, cor melancholici humoris ſarcina onuſtum deonerat, & peccantem hunc humorem reuellit, & euacuat. Ob has cauſas, vel in merè frigida cauſa, nempe potu gelidæ poſt exercitium validum, quando calor internus minuitur, & veluti extinguitur, præſentaneum auxilium eſt ſanguinis miſſio, apud Dioſcorid. *lib.* 6.*cap.*34. Paul. *lib.*5.*cap.vlt.* Auic. 6.4.*tract.*1.*fen.*1.*cap.vlt.* & *fen.*2. *cap.*31. licèt enim venæ ſectio educendo calidam ſubſtantiam refrigeret, & calorem noſtrum debilem ex aquæ frigiditate, videatur ampliùs extinguere; tamen vt partes principes deonerentur, & copia, quæcunque ea ſit, citò dematur, ſaluberrima eſt venæ ſectio; nam etſi noceat, magis prodeſt: ſi enim aliter feceris, & aliis præſidiis ægrum curare tentaueris, ipſe ſtrangulatus citò occumbet,

Vacuato corpore, & detracta copia, & æſtu interno attemperato, extrà frigorifera applicuit, inter omnia vnguentum liquidum ex cera, & ſimplici roſaceo factum (ceratum Græci dicunt,) priùs frigida ſubactum prout ſuum refrigerans parabat vnguentum Gal.*lib.*10. *meth.*9. & *lib.*1.*ſimpl. cap.*6. pudendo, & lumbis impoſuit, vt harum partium ardor miteſceret, & ſi deinceps quum modicè coïuerit ipſum, totum vas in quo continetur, in aquam frigidiſſimam immittas, ex arte facies: & ſi illud niue circumdes: optimum deinde, ac magis refrigerans euadet; cuius penuria ſi adfuerit, ſub dio illud exponendum prædixit Galenus *lib.*2. *ſec. loc. tit. de capitis dolore ex ardore*, & eſſe obuertendum per noctem integram, ad auræ alicuius afflatum, *inibi* inculcat.

Huius vnguenti loco alia ſubſtitui poſſunt, quæ epithematum inſtar hoc opus efficaciſſimè complent, veluti eſt ſolanum, portulaca, hyoſcyamus, ſemperuiuum, nymphæa, roſa, viola, intybus, ex quorum ſuccis, aquis, & oleis, linimenta & fomenta parari poſſunt, quæ partibus affectis admota, illarum incendium mitigant; præſertim ſi intercapedo inter anum, & pudendum iis illinatur. In potum exhibenda ſunt quæ refrigerant, & affectui huic à tota ſubſtantia proſunt, vt eſt nymphææ ſemen, & radix, ſemen agni caſti, ac etiam rutæ, lactuc. portulac. aneth.

cucumer.

cucumer. hyoſciam. coriandri. lumbis lamina plumbea perforata admouenda: nam Veneris ſtimulos vehementer cohibet. Demùm plura ſunt, quæ ſqualidos,ac igneos renes demulcent, quorum ſyluam exaratam lege inter omnes, apud Mercatum, *in phyſiolog. quæſt.*247.

Quartus æger ſanguinis miſſionis ope etiam euaſit, adhibito etiam cerato ex chamæmelo, & cera confecto; fortè quoniam in hoc, ob dictas cauſas, maior erat flatus diſcutiendi neceſſitas à calore adurente eleuatos, & in neruo fiſtuloſo imbibitos; quod opus perficiendum eſt iis, quæ ſine calefactione vehementi eos diſſoluunt. *Et poſt minorationem materiei ventoſitatis,oportet vt adminiſtretur quod ſubtiliat ſine calefactione vehementi, ſicut ſunt embrochæ camomillæ*,dicebat Auic. *loc.cit.* nam chamæmelum ſuaui quodam calore attenuat lentum ſuccum,& in halitum vertit; ſi fidem præbemus Galeno *lib.*3. *ſimpl. cap.*9. *& lib.*6. *eiuſd. tit.de chamæmel.* Paulo *lib.*7. *eodem tit.* Auic. *lib.*2.*tract.*2. *cap.*120. Gal. *lib.*3. *ſimpl.* ſic ait. *Eſt & chamæmelum tenuitate quidem Roſæ perſimile, calore verò ad olei vires magis accedens, homini tum familiares,tum temperatas; quo pacto laſſitudini, vt ſiquid aliud,imprimis confert, doloréſque ſedat, tenſa remittit,& laxat,mediocriter dura emollit, conſtipatáque rarefacit,diſcutit, diſſoluit, & digerit,deſiccat, & calefacit in primo ordine,éſtque tenuium partium, &c.* vt de eo ſcripſerunt auctores omnes: quare ad diſcutiendos citra vehementiam flatus, eſt præſtantiſſimum. De priapiſmi curatione, vide Vidum Vidium *lib.* 11. *de curation. membrat.cap.*12. De reſoluentium præſidiorum vſu, conſule Mercat. *lib.*2. *indicat. cap.*10.

HIST. XXIII. CÆLII AVREL. De priapiſmo.

Ex priapiſmo ſenex quidam,veretrum, cornu inſtar, intenſum aliquot menſibus ſuſtinuit, nihil proficientibus medicamentis.

*Ius eſt memor in libro ſignorum Demetrius Attalæus,dicens, quod hoc in quodam viderit ſene. Tenſionem autem fuiſſe nimiam veretri cum paruo dolore, *vt cornu putaretur, & ita perſeueraſſe multis menſibus, nulli quoque adiutorio medicinali ceſſiſſe; ſed tardo, atque longo tempore acquieuiſſe. Cælius Aurelianus* lib.3.acut.paſſion. cap.18.

PARAPHRASIS.

A Flatu craſſo & nebuloſo, in pene retento & genito, vel aliunde tranſmiſſo,ipſum veretrum tendi,auctores confirmant: nam ſi flatus non ita contumax eſt, ſed facilè diſſolubilis, priapiſmum creat; ſi rebellis, turbulentus,& craſſus, difficultérque reſoluitur, pudendum ita cum duritie tendit, vt cornu inſtar appareat. Quare hunc morbum fuiſſe tumorem flatuoſum, à flatulenta materia in neruo fiſtuloſo copiosè collecta, & præ craſſitie tenaciter impacta, pudendum in tumorem eleuante, meritò quis dicere poterit: de quo tumore egere Gal. *lib.*3.*meth.*4. *& lib.*14.*cap.*7.*& lib.*2.*ad Glauc.cap.*6. Paul. *lib.* 4. 28. explicat Aquapendens *lib.* 1. *de tumorib. præter natur. cap.*10.

Hoc malum ſæuum eſt, & cum ex habituali partium intemperie oriatur,ex qua continuò flatulentus vapor regenitus confluit in pudendum, difficile remedium habet, & maximè in ſenibus, qui ob caloris debilitatem, ſuccorum crudorum copiam coaceruant. Quod ſi omnia præſidia expurgantia,roborantia,& reſoluẽtia tententur, quæ proprio exemplo notaui *lib.* 2. *de praxi medic.admiranda, obſ.*115. vt ſunt ſudorifica ex ebeno, chyna; fomenta,& vnguenta ex herbis,medicamentis,& oleis conflata, & non proſint; tunc aliquando quieſcere oportet, iuxta Aëtij mentem, *tetrab.* 2. *ſerm.* 1.*cap.* 10.*de melancholia:* Si aliter feceris, debilitas calorem, & inſolefcit malum, quo biduò iugulatum quendam fuiſſe, & ab exceſſu è vita, intentum rigidúmque habuiſſe penem teſtatur Fernelius *lib.* 6. *patholog. cap.*13. Hic morbus ad priapiſmum reduci poteſt. Et ſi inflatus coles dictis auxiliis, quæ priapiſmo auxiliantur, non ſuccumbat, timor eſt ne ægri conuulſione prehenſi, ex præcipiti occumbant.

Hoc malo, vt puto, obiit Heraclius Imperator, qui nouo cladis genere eſt peremptus, teſte Pomponio Læto *in compendio hiſtoriæ Romanæ:* habebat enim teſtium folliculum ſurſum verſum, ſimul cum virili membro, & ſemper tenſo, adeò vt quoties meieret, niſi tabula vmbilico admota prohibente, vultum lotio ſparſiſſet. Aliquando penis duriries, ac rigor ad veneris abſtinentiam ſequitur, ex Gal. *lib.*6.*de loc.cap.vlt.* cuius cauſam *in com.hiſt.*9. *ſuprà* tradidimus. Interdum penis non ſecundùm ſe totum, ſed ſecundùm partem induratur, & ad glandulæ ſpeciem conuertitur; de cuius tumoris curatione lege eruditiſſimum Varolium Arantium, *lib. de tumorib. præter natur. cap.* 50. Horum omnium tumorum cauſa eſt craſſus, lentus,pituitosúſque ſuccus, à quo eleuatur flatuoſus ſpiritus, nebuloſus, & turbidus, qui virile membrum diſtendit,& in priapiſmum deducit.

QVÆSTIO XXXIV.

Vtrùm ſpiritus turbidus ſit admittendus, vt voluit Hippocrates

COMMENTARIVM.

VT cornu putaretur.] Dum hæc verſabamus,exciderat à mente, de ſpiritu turbido, huius mali cauſa, perpulchra Galeni diſceptatio, quam olim dilucidandam propoſuit Ioannes Antonides Vander Linden, Medicus Amſtelodamenſis eruditiſſimus, nunc illuſtris Academiæ Franckeranæ Profeſſor eximius, ex qua velut ex facundiſſima penu depromi poteſt arduum dubium, quo Medicorum ſupellex inſtructior fiet. Habet Hipp. inter ſummorum Medicorum phœnices anteſignanus, *lib.* 1. *de humorib.ſect.*2.*text.*24. hæc verba: *Deiectionem,ſiccitatem, ſi corpus non concidit, ſpiritum turbidum expectabis, &c,* repetit *lib.*1.*prorrhetìcor. ſect.*2. *text.*4. & *in Coacis præſagiis, num.*49. Quid autem intelligat Hipp. per ſpiritum turbidum,nec Galenus,nec alij exponere tentarunt. Ille enim *in com. ad hæc loca* hanc dictionem *ſpiritus turbidus*, inter obſcura collocandam eſſe retur,immò ab alio,operi interiectam, maximè cùm ipſe in nullo legitimo libro huius vocis meminerit: nam *nullus dicit* (inquit Galenus) *ſpiritum turbidum, ſeu aërem turbidum, ſicut dicit aquam turbidam, vrinam turbidam.*

Quatuor in hoc intricato dubio quæri poſſunt. Primum. Quid ſit ſpiritus turbidus? Secundum, Cur Galenus Hippocraticam ſententiam ita perfricta fronte temnat, & reſpuat, ſi eius interpretem ſe eſſe fatetur vbique? Tertium. Cur aſſerat in nullo germano libro Hippocratem appellaſſe ſpiritum turbidum, ſi *in libro de humoribus,* ab Hipp. magno conſcripto, ex Gal. *lib.* 3. *epid. ſect.* 2. *in præfat.* illius, *vt ſuprà* notatum eſt, expreſſam facit commemorationem? Quartum. Cur proferat aërem à nemine vocari turbidum, ſi *lib.*2.*progn.*47. contrarium aſſeuerat? §. *Tum aër turbulentus, ac nebuloſus,&c.*

Ad primum. Spiritus turbidus in præternaturali ſtatu frequenter reperitur in corporibus noſtris: ſi enim ſpiritus naturam, cuiuſcunque fortis ille ſit, & proprietatem adamuſſim perpendas, inuenies, illum vtpote conflatum ex nitidiori, ac magis perſpicua & pura, ſanguinis,& ſeminis parte, ex Gal. *lib.*5. *ſimpl. cap.*9. *lib.aduerſ. Lycum, cap.*7.*lib.*6. *de vſu part. cap.*17.*lib.*11. *meth. cap.*3. & alibi paſſim, debere eſſe peſpicuum, lucidum, nitidum, clarum, purum, cùm ſit animæ inſtrumentum, ex Gal. *lib.*7. *de placit.cap.*4.*&* 7. Si ergo ſpiritus omnis debet eſſe fulgidus, & tranſparens, vt inter omnes probat Altimarus *tract. de ſpiritu naturali*, cur huic contrarius, & aduerſus non reperietur in corpore in ſtatu morboſo, confuſus, caliginoſus,

cailginoſus, nebuloſus, tenebricoſus, opacus, obſcurus, ater, teter, & turbidus; his enim nominibus tenebroſum ſpiritum appellat Galenus.

Huius copia qui laborant, triſtes, & melancholici eſſe conſueuerunt: ſicuti enim externæ tenebræ pauorem homini inducunt, ſic atræ bilis color (qua redundante ſpiritus nigri propullulant, qui mentis ſedem tenebris offuſcant, & timorem incutiunt) mœſtitiam concitat, ex Gal. 3. *de loc. cap.* 7. Si enim ob multas cauſas mutetur ſpiritus ſplendidus ad tenebras, ſuóque lumine & perſpicuitate priuetur, colore ſuo agit, & per ſe immutat principium functionum organa, licèt ſimpliciter & abſolutè actiua qualitas non dicatur, quidquid Auer. 3. *collect.* 40. Galeni ſententiam irrideat, cuius tela ſuo loco actiùs infringemus. Interim lege Valleſ, *lib.* 5. *contr. cap.* 14.

Hi turbidi ſpiritus vehementer inſoleſcunt in virginibus, præſertim quibus menſtrua retinentur, vnde angor, formido, deſperatio, & alia ſuccreſcunt ſymptomata fera, & terroris plena, quæ ex profeſſo retulit Hipp. *lib. de virg. morb. ferè per totum.*

Hic ſpiritus vexat melancholicos, hypochondriacos, & quibus lien atri humoris copia turgeſcit, maximè ſi ſit ſuppreſſa aliqua vacuatio per hæmorrhoïdes, cuius ope, triſtis nigérque ſanguis per interualla manabat. Ex hoc tanquam ex fonte perenni ſcaturit pulſatio illa hypochondriorum, quæ circa lienem animaduertitur in illis, ex hoc tetro, turbidóque ſpiritu pronata; in quem ſenſum protulit Hippocrates hæc verba. *lib.* 2. *progn. Pulſus in hypochondrio delirium ſignificat*: nam hic tenebroſus ſpiritus diſtendit ilia, & ſic variè agitatus, & commotus ad cerebrum, actiones principes vitiat, & excitat deliria. Hic turbidus, & nebuloſus ſpiritus opprimit cor, & palpitationem creat, ex Galen. *lib. de rigor.* & *palpitat. cap.* 5. & *lib.* 5. & *loc. cap.* 2. & 3. *de cauſ. ſympt. cap.* 2. Explicant eleganter Fuchſius, & Valleriola *in comm.*

Ad ſecundum. Hollerius magni nominis auctor, *in com. ſent. cit. Coacar.* ſic Hippocratem interpretatur, vt per ſpiritum turbidum intelligamus reſpirationem, vel graueolentem, vel magnam, vel vaporis plenam. Sed menti Hipp. non conſonat explicatio hæc, nam dum Hippocratem tuetur, Galenum deſerit. Quare ſi per ſpiritum, intelligit reſpirationem, vera loquitur, cùm paſſim Galenus nomine reſpirationis ſignificet ſpiritum, & è contra, vt aduertit Gal. 1. *de rat. vict.* 31. Hinc ipſe dixit *lib.* 6. *epid. ſect.* 8. *text.* 3. *ſpiritus irrumpentes, intrantes, exeuntes*, vbi ſpiritum intrantem, exeuntem, nihil aliud vocat, quàm inſpirationem, & expirationem, quòd ſcilicet in inſpiratione aër intret, in expiratione aër exeat, vt ſolerter admodum aduertit Fuchſius *in com* cum perdocto Ludouico Lemoſio *lib.* 3. *de optima prædicendi ratione, cap.* 12. & ſic interpretatur Galen. Hippocratem *in com.* & hæc interpretatio magis quadrat menti Hipp. quàm Valleſij, qui per ſpiritum, ventum intelligit, quum magis Medico neceſſarium ſit conſiderare aërem, qui continuò per inſpirationem hauritur, ſitne calidus, aut frigidus, quàm ventum. Deinde ſi vera eſſet explanatio Hollerij; quare tam ceruicosè Galenus Hippocraticam ſententiam, vt notham excludit?

Dic tu, Galenum, magni ſemper feciſſe Hippocratem, noſtræ artis legiſlatorem ſummum: huncenim tanquam numen quoddam reueretur, & colit, 9. *meth. cap.* 8. & *lib.* 1. *cap.* 2. & *lib.* 2. *cap.* 6. & *lib.* 1. *de facult. natural.* 13. & *lib. de theriac. ad Piſon. cap.* 28. & *lib. de comat. cap.* 4. & *lib. quòd anim. mores, cap.* 9. Si ergò Galenus Hipp. edicta, veluti à Delphico tripode prædiuinante, ac prædicente prolata, ceu ab ipſamet loquente natura aſſerta multi facit, *lib.* 1. *de ſem.* 9. & *lib.* 1. *de element.* 16. quibus locis parentem medicinæ, diuinum, ſummum Medicum, & philoſophandi ſcientia clarum prædicat, quem nec fallere, nec falli poſſe, Macrobius firmat *lib.* 6. *in ſomn. Scipion. cap.* 2. cur illius ſententias peierare audebit? Præſertim cùm ille Hippocraticas dictiones illuſtraſſe, & illius ſemina, bonorum agricolarum inſtar, coluiſſe, auxiſſe, perfeciſſe glorietur, *lib.* 7. *meth. cap.* 2. quem ante eum nullus fuerit amplexatus, ſed corruperit, nam omnes in eo interpretando lapſi ſunt, vt ipſe refert. *lib.* 3. *epid. ſect.* 2. *com.* 4. *poſt med.*

Quamobrem ſtatuendum eſt, vera & legitima præcepta à magno Hipp. edita, nunquam Galenum reprobaſſe, fremat licèt Valleriola *lib.* 5. *enarrat.* 2. Si verò multis locis refutaſſe Hippocratem viſus eſt, ea eſt cauſa, quòd viderit plures poſt magnum Hippocratem, fuiſſe eo nomine appellatos. Habuit enim vir hic eximius nepotes duos ex filiis, Theſſalo, & Dracone, qui Hipp. nomine erant inſigniti, vt refert Gal. *lib.* 1. *de humorib. com.* 1. & *lib.* 2. *prorrhetic. com.* 8. & *lib.* 2. *de dif. reſpirat. cap.* 8. & *lib.* 2. *de natur. hum. com.* 1. & ſic paſſim plurima, lacera, inutilia, nec Hipp. digna ſub ipſius nomine circunferuntur, immò ridicula, ſtulta, falſa, ex Gal. *lib. quòd anim. mor. cap.* 4. Cælio Rhodig. *lib.* 15. *lect. antiq.* 26. alia deprauata, mutila, mendoſa ipſis monumentis ſunt inſerta, ex Gal. *lib.* 6. *epid. ſect.* 2. *com.* 41. & *ſect.* 3. *com.* 19. Cùm ergo multa ſint adulterina, & notha, à diſcipulis adiecta, vt teſtatur Mercurialis *in lib. illo aureo, de iudicio operum magni Hipp. in præfat.* prorrhetica, & Coacas prænotiones, in quibus nomen ſpiritus turbidi eſt repoſitum, eiuſdem ſortis eſſe arbitraberis: magni enim Hipp. non ſunt, ſed Draconis, Theſſali, aut nepotum, qui Hipp. nomine decorabantur. Nam hæ ſententiæ ſunt erroribus plenæ, ex Galen. *lib.* 2. *prorrhet. com.* 8. & 59. & *lib.* 3. *eiuſd.* 12. & *lib. de præcognit. ad Poſth. cap.* 4. & *lib.* 3. *epid. ſect.* 2. *in præfat.* §. *Si verò omnia quæ ſunt in prædictionum libro ſcripta, quis accipiat pro generalibus, longè hunc latéque erraturum. Huius etiam generis eſſe partem eorum plurimam, quæ in Coacis præſagiis ſunt prodita, demonſtrabam, commixta cum quibuſdam, quæ in Aphoriſmis dicta, vel in præſagiis ſunt: cum quibuſdam item quæ in libris de vulgaribus morbis, quæ profectò illorum, quæ libri illi habent vera ſunt ſola: quæ reliqua ſunt in prædictionibus, & Coacis præſagiis, erroribus ſunt plena, &c.* Ne ergo mireris Galenum, auctorem horum librorum obiurgaſſe de ſpiritu turbido loquutum.

Inſtabis, & meritò ſanè, hoc nomen (*ſpiritus turbidus*) licèt ſit poſitum ab alio, à Dioſcorid. tamen eſſe adiectum, vt Gal. affirmat *in com. ſent. de humorib.* qui auctor quanti ſit faciendus, & eius auctoritas quo elogio, & honore ſit celebranda, non eſt operoſum demonſtrare. Dic. Galenus non ſtatuit hoc nomen à Dioſc. fuiſſe interiectum, nam dubitanter loquitur, vt patet ex verbis contextus, nam dicit *fortaſſe* ab ipſomet interiectum. Solue ſecundò. Licèt Dioſcorides plantarum hiſtoriam accuratiſſimè tradiderit, vt de eo ſæpe prodidit Galenus, tamen in medica materia deſcribenda illi non multùm tribuit, immò eum ſuggillat, *lib.* 2. *ſimp. cap.* 34. & *lib.* 8. *eiuſd. tit. de cinere.* Ex quibus conſtat, hoc nomen ab Hipp. non eſſe adiectum, ſed ab aliis, ipſius operibus inſertum.

Ad tertium. Quamuis dubitet Galenus, an liber de humoribus genuinus ſit, & non deſint qui hunc à Theſſalo Hippi filio, aut Polybo, eius genero conſcriptum eſſe affirment: tamen eum, veluti proprium, & germanũ citat Galenus, & laudat, tum *l.* 3. *epid. ſect.* 2. *in præfat.* tum alibi. At in hoc, veluti aliis à magno Hipp. conſcriptis multa eſſe inſerta negabimus? Patet apertè in Aphoriſmis, qui vt refert Gal. 3. *de dif. reſpirat. cap.* 1. & 13. ob eximiam, & reconditam doctrinam, apud Græcos, ex ſtudioſiſſima Hipp. Coï opera, & ſollicita indagine inclaruerunt. Sed ſi in his plurima ab aliis ſunt interiecta, vt teſtatur Gal. *lib.* 4. *de rat. vict. in proœmio*, cur in libro de humoribus plurima ſpuria non inuenientur? In Aphoriſmis hoc ipſum reperies manifeſtè; nam in fine *lib.* 7. nonnulli nothi adiecti ſunt, vt *in lib.* 5. *aph.* 62. 63. & *in lib.* 6. *aph.* 26. 44. & *in lib.* 7. *aph.* 47. 63. Quamobrem in ſententiis germanis, latis *in lib. de humoribus*, nec verbum quidem de ſpiritu turbido eſt prolatum, ſed proceſſu temporis, librariorum, ſeu tranſcriptorum vitio, qui libros Hipp. peruerterunt, fuit adiectum, quod conqueritur Galenus *lib.* 1. *de morb. vulgarib. ſect.* 2. *com.* 83. & *lib.* 3. *de humorib.* 29. & *lib. de libris prop. cap.* 1. §. *Nam libros Hipp. multi multifariam laſerunt, alij in aliis gentibus legentes, quædam tum demendo, tum addendo, tum immutando, &c.*

Ad quartum dic. In vtriſque locis ſibi non contradicit Galenus; quando enim profert aërem à nemine vocari turbidum, ex aliorum ſententia loquitur, ex verbo *(à nemine.) Lib.* verò 2.*progn.* ex ſua mente aſſeuerat. Dic Secundò. In *libro de humoribus* aërem vocat turbidum, hoc eſt confuſum, opacum, vapore plenum, in *lib.* verò *progn.*appellat turbulentum, hoc eſt irrequietum, commotum, & variè agitatum, vt ex Galeni contextu apparet euidenter. Ex quibus ad obiecta expedita eſt reſponſio: in quorum explanatione ſi fortè defecerim, tardo meo parcas ingenio, quod vltra metas actiuitatis ſuæ agere non poteſt, præſertim in iis quæ ſcientificam expoſitionem non admittunt, auctore Gal. *lib.6.epiſ.ſect.3.com.3.*

HIST. XXIV. RHASIS ET GAL.
De gonorrhœa.

Gonorrhœa nocturna, balneo & aliis remediis perſanata.

*QVidam conqueſtus eſt, quòd patiebatur fluxum ſpermatis in ſomno vehementer, & in æſtate ceſſabat penes abundantiam ſudoris: vnde feci ipſum ſequi balneum, & ceſſauit quod in eo nociuum erat, * & feci poſt ſanitatem perfectam aſſiduare bonam diætam: & in totum curatus eſt à gonorrhœa, &c. Rhaſis* lib.24.continent.tract.3.cap.1.

Horum cùm quidam mordax, præcalidúmque ſemen inter emittendum ſentire non ſolùm ſe, ſed etiam mulieres, cum quibus rem haberet, refert: ſuaſi homini, abſtineret à cibis, qui ſemen genitale augerent: ſumeret autem non cibos modò, verùm etiam medicamenta, quæ id extinguerent, (quorum tradita à nobis materia eſt in iis libris, quos de alimentis, itémque quos de ſimplicibus medicamentis conſcripſimus) tum verò exercitationibus vteretur, quæ ſupernas partes potiùs exercerent, cuiuſmodi eſt quæ parua pila, & quæ folle fit & quæ per halteres: à balneo verò lumbos totos vngeret vnctione quapiam frigida. Talia ſunt & crudum & acerbum oleum, quod ὠμοτριβὲς & omphacinum vocant, & roſaceum, & melinum, vtique quod ex eiuſmodi fit oleo. Ipſe verò craſſioris ſubſtantiæ vnctiones nonnullis compono, ne facilè à corpore defluant. Eſt autem compoſitio earum ex cera, & aliquo eorum quæ refrigerant. Primùm autem vbi Ceratum, quod à Medicis Græcè, κηρελαῖον dicitur, feceris; dein in mortario manibus affatim ſubegeris, infundes refrigerantem ſuccum, quem etiam quàm maximè cum cera ſic permiſcebis, vt vnitas fiat. Succorum verò id genus deſcriptam materiam habes in ſimplicium medicamentorum libris: Quorum obuij maximè, facilliméque parabiles ſunt, & ſemperuiui, & ſolani, & vmbilici Veneris, & pſyllij, & polygoni, & tribuli, & portulacæ. Hæc verò ſuccum non remittit, niſi dum in mortario tunditur, affuſum ſit humoris quippiam, qui tenuis, aquoſæque, non lentæ, & craſſæ ſubſtantiæ ſit, qualis vuæ immaturæ eſt, & roſarum. Verùm hi æſtate, reliquorum non pauci etiam aliis temporibus habentur, veluti lactuca, qui ipſe quoque ex refrigerantibus eſt. Quinetiam lini ſemen, ſi in aqua coquas, refrigerantem cremorem efficit. Porrò gymnaſtarum quempiam vidimus, ex iis qui athletis præfuerat, qui athletæ cuiuſdam renibus plumbi laminam ſuperpoſuit, quò nocturnis imaginibus careret. Idque cùm è plebe cuidam, qui ſic eſſet affectus, indicarem, adiutus gratias egit. Alter verò cui carnis natura imbecillior erat, non tulit plumbi duritiam: Huic ergo ſuaſi, earum quas ſuprà dixi, herbarum reliquas ſuſternere, ac cum ipſis molles amerinæ frondes, & rutæ: ſenſitque illicò ex his fructum, itaque vſus deinceps adhuc eſt. Quin vbi amerinæ ſemine aſſiduè veſci ſuaſi, etiam ob id gratias egit, ſicut etiam pro ruta. Galenus lib.6. de ſanitat. tuend. cap.1.

PARAPHRASIS.

GOnorrhœa, quam Barbari gomorrhœam vocant, eſt affectio, viris, ac fœminis communis, grauis illa ſanè, & quæ viam multis ad paralyſim ſtrauit, teſte Aretæo *lib.2.de diuturn.morb.cap.5.* quin & ad interitum non ſolùm indiuidui, ſed etiam ſpeciei ipſius: nam cùm geniture profluuium ſit, quod gonorrhœæ nomen inſinuat, ex Galen. *lib.6.de loc.6.* definiatúrque inuoluntaria ſeminis excretio, & ea quidem aſſidua, ſeu, vt loquitur Aretæus, continens profuſio, fit vt ſi diu duret, hominem tabe conſumat, auctore Celſo *lib.4.cap.21.* neque enim, inquit Aurelianus *lib.1. chronicon, cap.3.* quicunque ſeminis lapſus gonorrhœam importat, niſi iugiter, & cum corporis incommoditate fuerit effectus, prout Galenus *lib. definit.Medic. aſſeuerat.*

Accidit ergo hæc nimia ſeminis emiſſio, ſine imaginatione, ſine concitatione veneris, qualibet hora exercens ægros, in quo à nocturna pollutione diſtinguitur. Malum ſæuum, & quod ſenſim, ac ſine ſenſu homines ad tabitudinem deducit, quia virilitas, animoſitas, robur, audacia in genitura continentur; quod monſtrant continentes athletæ, qui quia ſemine turgent, hirſuti ſunt, piloſi, robuſti, & audaces, nec feras expaueſcentes; alij contrà debiles, imberbes, effœminati, & vocis acutæ. Quare nihil mirum ſi reſoluto, infrigidatóque corporis habitu per gonorrhœam, paralyſis inducatur, tabes, defœdatio coloris, & alia vitia ſæua repullulent.

Porrò vt conſtet de loco affecto, quem potiſſimum *6. de loc.cit.* inueſtigat Gal. duas vacuationis, quam illa importat, differentias memorat, totidémque retentionis; naturalem ſcilicet, & præternaturalem, ſiue ſymptomaticam. Naturalis tunc fit excretio, cùm ſibi conſtans natura, ſuperflua & noxia tempeſtiuè excernit, aperto expulſionis meatu, reliqua autem capacitate contracta, & ad illum propellente. Præternaturalis verò, vbi nihil agente natura, contenta excrementa ſponte effluunt ob retentricis imbecillitatem continere non potentis, *3. de cauſ.ſympt.cap.4.* vel propter aliquem lapſum morboſum, qui non ſecus quàm naturalis ipſa facultas expellit, vt accidit in epilepſia, vel conuulſione aliqua, in qua violenter vaſa ſeminalia contrahuntur, & ſequitur profuſio ſeminis: quarum ſpecierum etiam meminit Gal. *2. de cauſ.ſympt.cap.2.* vbi indicia tradit, quibus gonorrhœam ab vna, vel altera cauſa dignoſcamus.

Tertium ſymptomaticæ vacuationis genus elicitur ex *3.criſ.7.& 4.aph.22.* vbi nempe quidpiam vacuatur ab irritata, turbatáque natura, nec leges ſuas, conſtitutúmque operandi ordinem ſeruante. Ergo ſicut vrinæ incontinentia fit retentrice veſicæ infirmata, aut ſphinctere reſoluto, ita vaſorum ſeminalium imbecillitate, vel conuulſione ſequitur gonorrhœa, ſeu inuita ſeminis effluxio, vt interim pateat in huiuſmedi affectione ſola ipſa ſpermatica membra affici, non penem, quod *6.de loc.cit. & 14.de vſu part.cap.*10. docuit Galenus.

Sed contra dicta obiiciuntur duo. Primum. Si voluptaria eſt ſeminis excretio in corpore ſano, quomodo inter naturales functiones numeratur, cùm *1.de placit.vlt.*multis contendat omnem motum arbitrarium per muſculos fieri, & hos quidem non niſi à facultate animali moueri, immó *lib.de diſſect.inſtrument.vocal. cap.2.* ex voluntario colligit animale, ita vt ſi aliquid ſecundùm noſtram voluntatem fiat, id omninò ſanè facultatis animalis fuerit, & è conuerſo.

Secundùm. Licet reſoluta veſica ſtillicidium vrinæ ſequatur, gonorrhœa tamen ex reſolutione nequaquam poteſt accidere. Igitur perperam Galenus *6. de loc.6.* ſibi ferè contradicens aſſeruit, interdum oriri hoc malum reſoluta facultate ſeminis contentrice: nam cùm vrinæ retentio, opus animale ſit, ex Gal. *lib.1.de loc.cap.1.& 6. eiuſd. cap.4.* ſoliuſque animalis facultatis ablationem reſolutio importet; hæc quidem vitiabit retentionem veſicæ, & vrinæ profluuium concitabit, ſeminis verò non, niſi etiam velit à virtute animali ſemen contineri, cuius oppoſitum paulo antè docuerat.

Dic

Dic ad primum. Voluntariam eſſe ſeminis excretionem in ſanitate, ex eo conſtat, quoniam ſicut in vrinæ excretione voluntas locum habet ad ſphincteris otium, qui pro arbitrio noſtro, & quieſcit, & operatur, ita in excernendo ſemine ad viarum amplificationem, ex teſtium eleuatione, & colis tenſione, quæ voluntariæ ſunt, & muſculis factæ, *lib. de diſſect. muſculor. cap.* 27. *&* 29. & ad ſtimulantis ſeminis tenuitatem ex mora, & tarda frictione; denique & quia muſculi contractione teſtes circumdantis excretio ſeminis efficitur. Nec obſtat, quòd apertè 6. *de loc.* 6. naturale munus dicatur: nam de expulſione loquitur, quæ ab expultrice naturali vaſorum fit, quæque principale agens eſt, nulla habita conſideratione de muſculi inhærentis ope: ita enim merè naturalem dixit tam retentionem, quàm excretionem partium omnium; quamuis vrina ab ſphinctere potiſſimùm contineatur, vel illius retentio animale opus omnino fit, & meiendi officium etiamſi voluntarium, non tamen omnino animale, ſicut nec ad ſolam naturam referendum. Quòd ſi *lib. de diſſect. muſculor. vocal.* ex voluntario colligit animale, & è conuerſo, ita vt mutuò reciprocentur, confudit illa, & pro eodem accepit ſignificato. Sicut enim multi ſunt motus, quos conſtat eſſe animales, vt dormientium locutiones, greſſus, &c. nec tamen voluntarij, (cùm nulla ſit dormientibus voluntas, ſicut nec aliæ principum facultatum functiones) ita & arbitrarij nonnulli abſque eo quòd animales, aut per muſculos facti, vt ex imaginato vomitu, contractio ventriculi ad vomitum, & multi alij etiam locales, licèt imperfecti, & animalium imperfectorum. Iam verò 1. *de placit.* de perfectis motibus animalium perfectorum intelligendus eſt: maximè quòd etiam virtutis animalis ingreſſum, & muſculorum opem in emiſſione ſeminis voluntaria concedimus.

Quomodo verò, vt ad ſecundum pateat ſolutio, ſequitur gonorrhœa, hoc eſt, inuoluntarium ſeminis profluuium, quum valde diſſimilis ſit retentio ſeminis, & vrinæ; hæc enim à virtute animali per muſculum, illud à naturali continetur; ac proinde ex reſolutione muſculi nequaquam poſſit aboleri ſpermatis retentio, immò potius excretio? Dic nomine reſolutionis, *cit. loc.* imbecillitatem eſſe intelligendam: nam quemadmodum laborante retentrice veſicæ inuoluntariè profluit vrina, ſic & ſemen imbecillitata contentrice vaſorum ſeminalium. Kurſus & ſicut reſoluto muſculo in veſica, ita & reſoluto in teſtibus, ſic vt analogia quadam ſibi reſpondeant inuoluntaria ſeminis, hoc eſt, ſine cupiditate, & ſine arbitrio, & vrinæ excretio; ſed non vt in omnibus ſibi conueniant.

His prælibatis ad hiſtoriæ explanationem accedamus. Non raró ab inundante in vniuerſo corporis ambitu humiditate, gonorrhœam concitari, laxatis, & imbecillioribus factis prædictis vaſculis ſeminariis, ſuprà dictum eſt: nam humiditate multa, vi calidi ambientis æſtate vacuata per ſudorem, quæ in teſtes promanabat, ceſſauit effluxus: cùm verò hæc ſeminis excretio ex retentricis debilitate conſequatur, quæ ſiccitate roboratur, ex Gal. 3. *de facult. naturalib. cap.* 3. *&* 4. fit vt à redundante humiditate, ad vaſaque ſeminaria confluente, hæc relaxata retinere nequeant.

Enimverò cùm humiditas illa, cauſa mali, apertis ſpiraculis cutis, ad ſuperficiem, totúmque corporis habitum æſtiui caloris ope atracta, abiret in ſudorem, cum vtilitate, & leuamine ægri, per eandem regionem, ipſam vacuare excrementitiam humiditatem ſtuduit. Et cùm multa ſint, quæ hoc opus efficere ſunt apta, & tenuem ſubſtantiam perſpiratu digerunt, aperiendo, extenuando humores, ſudorem prouocando, vt frictio, exercitium, euaporationes, laconica, æſtuaria, balneo tanquam tutiori, & magis accommodo auxilio vſus eſt; nam frictio ſi lenis eſt, & moderata, attrahit, non digerit; dura, abſumpta humiditate meatus conniuentes reddit, & poros occludit; mediocris, cùm extremis participet, eaſdem vires obtinet, neque ſuperfluam humiditatem vacuare nata eſt, vt teſtatur Paulus *lib.* 1. *cap.* 18. Exercitium licèt humores extenuet, molliat, colliquet, diffundat, diſſoluat, cutis poros la-

A xet, ductus omnes reſeret, & oborto ſudore copioſo ſuperfluam humiditatem ad extimas partes excernat; tamen non ægrotantium, ſed bene valentium eſt, quæ exercitatione fit, ſudorum eruptio, vt Fernelius inquit *lib.* 2. *de purgat. cap.* 20. Euaporationes; laconica, æſtuaria, licèt ad cutem euocent, nimis inflammant. Balneum ſuauius eſt, & cùm non ſolùm à partis extimis, ſed intimis regionibus peccantem humorem exhauriat, idcircò totum corpus euacuat, ex Gal. 4. *aph.* 2.

Balneum abſolutè prolatum ſignificat dulcis aquæ lauacrum, ex Gal. *lib.* 11. *meth. c.* 9. *& lib.* 7. *ſec. loc. cap.* 1. *in med.* ſic enim ait *in methodo* Gal. *Quòd ſi appoſitum aliquando in dictione vocabulum dulcis non ſit, vtique id ſubaudire debebis, certò ſciens de eo nos in febricitantibus lauacro dulcis aquæ ſemper loqui, non bituminoſo, aut ſulphureo, aut aluminoſo, aut* B *calchantoſo, aut ex marina ipſa, &c.* Sed cùm dulcis aquæ balneum eneruet, relaxet, & ſic humiditate ſua retentricem debilitet, qua de cauſa Hippoc. 3. *acut.* 59. id interdicit debilibus, & Gal. 11. *meth.* 20. in partium inferiorum imbecillitate denegat, quia mouet, liquat humores, & aptiores reddit, vt in partem debilem procumbant; quo pacto Rhaſius balneum conſuluerit, penſandum eſt.

Dic primò, intelligendum eſſe Rhaſium de gonorrhœa orta ex ſeminis vitio in vaſis contracto; cùm enim ſemen vitioſum acre eſt, calidum, & mordax, tunc vaſa excitat ad expulſionem, & corpus colliquat, cuius calorem mirum in modum balneum attemperat, & humorum feruorem compeſcit.

Dic ſecundò, Rhaſium conſuluiſſe balnea naturalia, quę fluxiones retinent, 1. *ad Glauc.* 14. roborant, nimiam humiditatem abſumunt, & adſtringunt, auctore Gal. *lib.* 1. *de* C *ſanit.* 7. *& lib. de tremor. cap.* 5. *& lib.* 1. *ſimpl.* 7. & præſertim aluminoſa, ex Gal. 4. *ſec. gener. cap.* 5. *&* 6. His proxima ſunt ferrea, nitroſa, *ex* 4. *ſimpl.* 20. *&* 22. Paulo *l.* 1. *cap.* 52. Auic. 2. 1. *doct.* 2. *cap.* 119. De quorum efficacia conſulle Fallop. *tract. de thermis*, Mercat. *l.* 5. *indicat. cap.* 3. Balneorum loco, ſudorifica ex ebeno, ſmilace aſpera, & radice chinæ ſunt ex vſu. De curatione verò inter omnes latè deſcribit remedia ſelecta Andreas Laurentius *lib. conſil. conſil.* 10.

His explicatis, Hiſtoriæ Galeni ſunt interpretandæ. Pollutiones nocturnas diſtingui à gonorrhœa certum eſt: nam in hac continuò ſemen inuitè per genitalia excurrit; in illa, noctu ſolùm. Immodica ſeminis exuberantia, ex copia ſeminis, vitio, acredine, & coniunctis flatibus, vaſorúmque ſeminalium debilitate ſcaturit, & ab eiſdem cauſis, à quibus gonorrhœã oriri ſuprà prædiximus, vt Auic. D 20. 3. *tract.* 1. *c.* 25. aſſeuerat. Malum graue, præſertim ſi diu duret: ex eo enim vacuata elaboratiſſima ſubſtantia, corpus redditur pigrum, molle effœminatum, tumidum, incuruum, & imbelle. Curatur iiſdem remediis, quibus gonorrhœa. In hunc vſum proſunt, quæ ſemen exſiccant & extingunt. Vitanda quæ ſeminis copiam in corpore adaugent, quorum ſyiuam ſuprà *Hiſtor.* 20. protulimus, & exarauit Auic. *loc. cit. à cap.* 20. *vſque ad* 30.

Sanguis eſt detrahendus: huius enim præſidij ope vacuato ſanguine, materia ſeminis minuitur, refrigerantur viſcera, renes attemperantur. Purgatio clementibus medicamentis celebranda. Victus parcus, iſque frigidus imperandus. Renes refrigerantibus fouendi. Lectus violis, roſis, & floribus nymphææ aſpergendus. Summè opitulantur inſeſſus, balnea, & lauacra, quæ ſimilem refrigerandi E ſortiantur facultatem. Lamina quoque plumbea multis in locis perforata, lumbis alliganda. Subſcribit Auic. *loco cit. cap.* 33. dum ſit ait: *Et ſtrinctura lamina plumbi ſuper dorſum, eſt impreſſio magna: Verùm quandoque nocet renibus, quare oportet vt attendatur hoc in eo iterum, & ſimiliter ſternere in lecto infrigidantia, & dormire ſuper folia ſalicis, & ſimilia, &c.* Lege Chriſtophorum à Veiga *lib.* 3. *de art. med. ſect.* 10. *cap.* 3.

QVÆSTIO XXXV.

Vtrùm ſani debeant obſeruare varium ordinem in aſſumendo cibo, vt opinantur Græci.

COMMENTARIVM.

E*Tpoſt perfectam ſanitaoem aſſiduare bonam diatam.*]Corpora ſana, & temperata, vt conſeruentur egere præſide, qui rectam victus rationem præſcribat, partemque artis conſeruatricem eſſe vtilem, allatis plurimis Galeni, & priſcorum ſententiis, & argumentis fusè confirmat inſignis Thomas à Veiga, *in com.cap.*85. & diſputant latè Valleriola *lib.* 4. *enarrat.*1. *&* 2. Thomas Eraſtus *epiſt.*1. agentes, num commodius ſit mortalibus, ad producendam vitam, vti naturæ impulſu, quàm Medicis præſidiis gubernari. Nec enim plebeij, & rurales homines, ſordido, vili, B prauóque vtentes cibo, inſalubriùs degunt magnatibus, quorum alimentum ſelectum eſt, & viuendi ratio exactiſſima; nam ij ſani viuunt ſine Medico, ſed non ſine medicina, hoc eſt exercitio, quod ad conſeruationem vitæ, abigendóſque morbos eſt accommodum valde, vt oraculo quodam cecinit Hipp:6. *epid.ſect.*4. *tex.*22.*homo edens ſanus eſſe non poteſt; niſi laboret*,& Ariſt. 1 *probl.*46.ad ſanitatis tutelam, optimum conſilium eſſe ait, *imminuere cibum, & augere laborem.*

Nec in contrariam abeas ſententiam, quòd videas Celſum *lib.*1.*cap.*1. reprobantem illos, qui cùm bene valentes ſint, Medicis præceptis obtemperant: ſic enim ait. *Sanus homo, qui & bene valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debet, ac neque Medico, neque atralipta egere: hunc oportet varium habere vitæ genus: modò ruri eſſe, modò in vrbe, ſæpiúſque in agro, nauigare, venari, quieſcere interdum, ſed frequentiùs ſe exercere.* At Celſus monet, ne medicinæ quiſpiam debeat eſſe adſtrictus, ne conſuetudo contrahatur: Nam Hipp. 2. *aph.*50. ad inſueta iubet homines tranſire; quia *vniformis conſuetudo eſt periculoſa*, vt notat Gal. *in com. quum omnes homines inopinatis rerum ſortibus ſubiiciantur; ne igitur aliquando derepente incidentes in nobis inſueta, magnopere lædamur, ſatius eſt omnia tentare. Fiet autem hoc, non inhærentibus nobis ſemper in iis quibus aſſueuimus, ſed & nonnunquam contraria tentantibus.*

Inſuper. Natura ſingulis animantibus tribuit appetitum, & guſtum ad ciborum electionem & facultatem, quin ſomnum, & reliqua non naturalia præſcribit: hæc ergo non indiget Medicis præſidiis; quamobrem rectè appellatur *natura docta ſine doctore* ab Hipp. *lib.de aliment. num.*4. *&* 6.*epid. ſect.*5.*text.*1. & probat Galen. ex Hipp. *lib.*5. *de loc. cap.*6. Sed licèt hæc vera ſint, & natura proprio impetu in ſimilia feratur, non tamen debitam quantitatem præſcribere poteſt, præſertim cùm ab animi accidentibus moderetur.

Deinde. Non vrget edictum Hipp.2. *aph.*38. dicentis præferendum eſſe alimentum guſtui gratum, etſi deterius; nec enim dixit ſimpliciter deterius, ſed parum deterius. Sic eſt interpretandus Auicenna 1. 3. *doct.*2.*cap.*7. §.*Oporiet prætereate ſcire, quòd nutriens melius eſt quod meliùs ſapit, &c.* nam hoc præſtantius eſt, ſi ex toto reprobum non ſit. Ex his apparet, pro conſeruanda ſanitate tutius eſſe Medicis præceptis obtemperare, quàm naturæ impulſu gubernari.

Oportet ergo qui ſanitati ſuæ conſulere debet, vt præceptis Medici obediat, qui exactam alimenti rationem præſcribat. Sed cùm alimentum variè ſit offerendum, penes calorem coquentem, ætatem, anni tempus, regionem, & ægri temperamentum, quomodo Medicus certam viuendi normam prœponere poſſit, nunc explicandum. Pro quantitate caloris cibum eſſe exhibendum patet: nam Galen. *lib.*1. *aph.*15. *& lib. de marcor. cap.*3. ad vnam indicationem reducit, nempe quantitatem coctuti: ſicut enim igni ligna debent reſpondere, alioqui vel ſuffocabitur flamma, vel extinguetur, ſic alimentum innato calori: ſi enim eſt plurimum, licèt calidum, vt vinum, frigidos morbos generat, 3. *de temp. cap.*4. minus moderatum, ob defectum alimenti ſemper infrigidat:

A ſolum moderatum quamuis frigidum, vt lactuca, calefacit, ex Gal. *cit,ioc.*

Sed hæc vna indicatio non videtur ſufficiens, tum quia ipſe addit, niſi immineat periculum plenitudinis, tum quia ex fine alitionis debet variari quantitas exhibendas nam *lib.*3.*de ſanit.tuenda*, 12. minus alimentum dandum eſt, vel quia non eget, vel quia non coquit: ergo multum dandum eſt, vel quia eget, vel quia poteſt coquere.

Porrò Galenus quandoque addit indicationes ab ætate, ab anni tempore, ac conſuetudine, quas tamen reducit ad illas priores. Videntur ergo omnes indicationes per ſe, & immediatè eam moderantiam demonſtrare, tres quidem ex parte corporis, nempè copia calidi innati, vſus alitionis, diſpoſitio facultatum alentium, & multæ aliæ ex parte circumſtantium, quæ præcedunt, aut ſequuntur cibationem. Eſt ergo prima indicatio in ſanis, copia caloB ris in officinis coctionis: nam quò alimentum plus auget ſpiritus, & membra, eò eſt præſtantius, ſi fidem adhibemus Gal.*lib.*12.*meth.*13.dicenti, corporis robur non ſolùm conſtare ex temperie humorum cum ſpiritibus, ſed & eſſe auctam quantitatem humorum, carnis, & ſolidorum. Id manifeſtè patet in Athletis, in quibus per valida, & continua exercitia, plurimùm innatus calor augetur, quoniam alimentum eſt craſſum, multum, & calori coquenti proportionatum valde; vnde robur, rubor in vniuerſo corpore, & pulchritudo. Sed Hipp. & Gal, quibus ſcopus eſt ſanitas, hunc bonum corporis habitum non recipiunt, quia obnoxium apoplexiæ, hæmoptoiſi, & ſynochis, vt 2.*aph* 3. retulit Gal. ij enim in eodem ſtatu quieſcere non poſſunt, quia cùm copioſum aſſumant alimentum, ob validam appetentem vim, quæ in illis, ſicut aliæ, valida eſt, non poſſunt proficere in melius, non enim iam C eſt locus diſtentioni valorum, vnde reliquum eſt, vt decidant in deterius, id eſt ægrotent; & vſque adeò non laudatur ea victus ratio, vt doceat illam illicò eſſe curandam vacuatione. Sumenda eſt ergo indicatio exhibendi cibum in ſanis à copia innati caloris, prima & maxima, quantum poſſunt conficere, dummodò plenitudinis vel præſentis, vel imminentis periculum non adſit.

Secunda indicatio ſumitur ex alimenti vſu, qui quadruplex eſt. Primus, abſumpti reparatio. Secundus, perfectio eius quod deficit in prima formatione. Tertius, correctio cacochymiæ. Quartus, repugnantia diſſolutioni internæ, cui addi poteſt repugnantia externo frigori. De primo vſu. Cùm conſtemus multis contrariis, quæ perpetuò diſſoluuntur, conſequitur alimenti indigentia, magis in viuentibus, quorum eſſentia conſiſtit in calido D & humido, ex Philoſopho, *lib.de mort.& vit.* & inter ea magis in animalibus, quæ pollent calore actuali, non potentiali, vt ſtirpes multæ 3.*ſimpl.*6.& inter animalia præcipuè homo: quia animalium calidiſſimus, ex Ariſt. 10. *probl.*55. ideò alimentum ſumit magis humidum, quàm ſiccum, contra reliquorum animalium inſtitutum. Secundò, quoniam habet cutem tenuiſſimis foraminibus plenam, ex Ariſt. 3.*de hiſtor.animal.*22. vnde perpetua euaporatio, & diſſolutio; ex eo Hipp. *lib. de ſalubri diæta* 26. præſcribit rara cute præditis alimentum magis alens. Tertiò, ſicut conceſſa eſt à natura immodica appetentia alimenti ſuibus, ob obeſitatem; ſic hominibus, ob copiam ſpirituum, & ſanguinis tenuiſſimi vbertatem, ad animi opera; quæ continuò ob ſubtilitatem, & motum perpetuum reſoluuntur. Quartò, quoniam homines, præſertim E decrepiti debilem habent facultatem retentricem, 1.*aph.* 13.& idcircò continua refectione indigent. Quintò, huc facit labor immodicus, aut continentis calor. Increſcente ergo reſolutione à quauis harum cauſarum, cibus augendus eſt, ſumpta indicatione à reſolutione.

Secundus vſus alimenti, eſt perfectio eius quod defecit in prima formatione, vt in adoleſcentibus, aut quod corruptum eſt per morbum in conualeſcentibus. Tertius vſus, eſt correctio cacochymiæ: ſumpto enim probi ſucci alimento, migrat cacochymia in probum ſuccum; ſicut enim menſes in fœtis, per mixtionem ſanguinis mamillarum vertuntur in lac, aut ſicut alimenta vitioſa, permixtione panis, & vini ſalubria euadunt, ſic *corruptio*

indiget

indiget contemperamento,ex Galen.1.*aph*.17. hoc eſt, cibis boni ſucci,qui corrupti humoris,acris,& mordacis prauitatem corrigant, atque infrænent,ex Auic.4.1.*cap*.3.§.*Et ſcias quòd non omnis repletio, nec complexionis malitia ſuo medicatur contrario, ſed ſæpè ſufficit multa regiminis bonitas,&c.* & 1.4.*tract*.2.*cap*.7. ſic ait. *Et eſt neceſſe vt ille in cuius corpore mali ſunt humores, bonam rem largiter bibat*: de qua re plura diximus *lib*.2.*in com hiſt*.91.

Quartus vſus alimenti, vt repugnet diſſolutioni profectæ ab interno calore, ſicut aqua affunditur ſaccharo ad ignem, quod ſignificauit Hipp. 1. *aph*. 14.*alioqui corpus abſumitur*. Quintus vſus, vt repugnet externo frigori; ideò enim dicente Gal. *in com.cit*. qui per hyemem ieiuni laborant,perfrigerantur.Ergo increſcente quouis vſu alimenti ex quinque relatis, augendum eſt; diminuto, minuendum.

Tertia indicatio ad quantitatem alimenti, ſumitur è ſtatu facultatum naturalium trahentium; ſi enim quis ſit edax natura, ſiue conſuetudine, copioſiùs eſt nutriendus. Vltra has tres indicationes, ſumptas ex diſpoſitione cibandi, indicant etiam per ſe, ea quæ præceſſerunt cibationem, & quæ ſequutura ſunt. Si enim præceſſit labor modicus, augendum eſt alimentum: ſi immodicus minuẽdum,vt in purgatis,2.*acut*.13.& in lapſis,4.*de ſanit*.4. nam purgati plurimam alimoniam tolerare, nec conficere poſſunt, quoniam natura ab expurgantibus medicamentis eſt labefactata,& ex motu,ebullitione,& ſurgendi frequentia diſſoluta, ita dicit Auic.1.4.*cap*.3.*vt vacuatus non feſtinet ad cibos multos capiendos, ne natura eos incoctos trahat*. Itaque quod etiam docuit Meſuës *lib*.1. *de re medic. theoremat*.4. *cap*.1.principio pauci dandi ſunt, quanti ſcilicet ventriculum non ſunt grauaturi, gradatímque augendi, donec ad conſuetam ventriculo quantitatem peruentum ſit; quod meliùs aſſequetur adoleſcens, quàm puer, quoniam, vt Celſus ait *in præfat.prope fin.famem faciliùs fert adoleſcẽs,quàm puer,& facilius adhuc in denſo cælo, quàm in tenui*. Conualeſcentes parcè ſunt nutriendi: nam ob præſidia vacuantia, vigilias immodicas, inedias, debili pollent calore innato; quare pauco, eóque minimè oneroſo alimento ſunt reficiendi. Qui ſecus faciunt, errant contra artis præcepta: in iis ergo commodè qualitas alimentoſa augetur, licèt diminuta quantitate. Ab iis verò quæ ſequutura ſunt, etiam ſumitur indicatio ad nutriendum: ſi ſequuturus eſt ſomnus. abundantiùs exhibeatur, quia ſomnus coquit,roborat,reficit: ſi labor quiuis plurimus, vt iter agentibus, parciùs offeratur, quia labor reſoluit, diſtrahit, perturbat, apud Auic.3.1. *doct*.2.*cap*.17. Raſium *lib*.3.*cap.de iter agentibus*.

Enimverò licèt hæc indicent in ſanis alimenti moderantiam: multa alia illorum interuentu indicant, nempe anni tempus, ætas, temperatura, quæ quomodo ad illa reducantur, explicandum eſt. Primò, cibus diuerſimodè exhibetur iuxta anni tempora; nam ex ſententia Gal. 3. *de cauſ. pulſ*.5. in vere vires noſtræ ſunt robuſtiſſimæ, ſicut & corpus temperatiſſimum. Autumnus ſecundum locum obtinet, aut propè parem temperiem ſeruat, niſi quod quidam in eo recedunt debiliores, 1. *aph*. 18. & 3.*aph*.9. videlicet qui prauo vtuntur victu per æſtatem, & nonnulli graciles, qui ampliùs læduntur inæqualitate autumni, quàm iuuentur temperamento eius. Tertium locum roboris habet hyems. Imbecillimi ſumus per æſtatem, reſoluto ſpiritu per patentes poros, & auocato calore innato ad cutem, & officinas coctionis deſerente.

Ex iis non rectè inferunt plures,non eſſe ſtandum opinioni Auerrhois, 2. *collect. vlt.* aſſerentis, vires autumni tempore eſſe minùs robuſtas, nec Raſio 10.*ad Almanſ*.33. affirmanti, in autumno fieri pulſum minùs velocem, non tamen robuſtiorem: nam hi auctores ſunt intelligendi facta collatione ad hyemem, & ver, in quibus vires ſunt robuſtiores. Quod autem pertinet ad alimentum conueniens, quatuor anni temporibus exhibendum, ſcribit Hipp.1.*aph*.15.& 18. plurimum alimentum eſſe offerendum hyeme; ſecundò, vere;tertiò, autumno: minimum, per æſtatem: nam in illis primis temporibus calor noſter eſt fortis. Cur autem in iis æquè innatus calor ſit robuſtus, ſi ver & hyems à ſe inuicem longè temperie diſtent, explicat Martinus Rulandus filius *lib*. 1. *probl. Medico-phyſic*.150.

Contra mentem Hippocratis,non obſtat primò, quòd in vere vis eſt robuſtior, & homo temperatior, quibus de cauſis videbatur eſſe conueniens alimentum amplius: nam concurrunt ex parte hyemis rationes plures, quoniam tunc vnitus calor innatus ſubiectum ſuum abſumit, ſicut quoduis aliud combuſtibile, ex Ariſt. *lib.de vita, & morte, cap*.3. Si autem Galenus *lib.de marcore, cap*.3. dixit innatum calorem reparare humidum, non diſſipare: dic, verum quidem eſſe, ſi adeſt copia alimenti, qua deficiente, ab innato calore corpus abſumitur. Deinde, in hyeme eſt neceſſitas repugnandi externo frigori, maximè quum non immineat periculum reſolutionis virium propter circumſtans frigus, & ſic valentes vires alimentum copioſum conterunt.

Nec obſtat ſecundò, quòd reſolutio hyemis minor eſt, quare minor alimenti neceſſitas. Hæc obiectio difficillima eſt Medicis illis, qui (vt refert Gal. *lib. de tremore, ad fin.*) opinabantur calorem actualem hominum non eſſe ante noſtram formationem; ſed ſequi pòſt,ad motum cordis,& arteriarum,qui nos calefacit.Galenus facilè reſpondet 1.*aph*.15. Hippocratica doctrina inſtructus, innatum nempe calidum ante noſtram formationem, omniúmque naturalium functionem eſſe inſtrumentum aſſeuerans; quod quia per hyemem intùs copioſum eſt, ideò à nobis multo alimento conſeruari debet, ita enim copioſum ſanguinem per hyemem giguit: argumento eſt, quoniam hyems excipit corpora exanguia, & tradit illa veri plethorica, ita vt accedente verè plures exple- nitudine laborent,& æſtatis initio, niſi hanc ruinam, ſibi, & iumentis miſſo ſanguine, & ſic vacuata plenitudine præcauerent. Conſule doctiſſimum Ambroſium Nonnium *lib*.1.*Aph.com*.15.

Nec obſtat tertiò. Ver, & autumnus reſpondent ſibi in temperamento, & ſtatu caloris innati, maximè ſi conferatur initium veris cum fine autumni, & finis veris comparetur cum initio autumni. Ergo ſi offerenda eſt alimonia iuxta proportionem caloris coquentis, æqualis eſt in autumno,& vere exhibenda.Dic,autumnus corpus excipit gracillimum ex æſtate, & ſic non poteſt habere copioſum innatum calidum in viſceribus, ſicut ver excipiens ex hyeme corpus plenum.

Nec obſtat quartò ſententia Auic. 31: *doct*. 3. *cap*.1. §.*In veris quidem principio nutriens eſt ſubtiliandum,cibo quoque non repleatur quis,immò ipſum partiatur,&c.*Fauet Galenus *lib*.1.*aph*.17.§.*Vere autem adhuc medio exiſtente, atque adhuc magis æſtati proximo, paucis, & ex longo interuallo nutriemus: nam tempus id periclitatur, ac proximè accedat ad plethoricam diſpoſitionem,propter humorũ; qui hyberni temporis frigore concreuere, fuſionem,&c.*Et *in regimine Salernitano* legitur: *Temporibus veris modicum brandere iubebis*. Aliqui interpretes difficilem hunc Auic. locum explanantes, aſſeuerant, in vere non eſſe partiendum alimentum, quoniam nulla cauſa concurrit infrà dicenda, vt diuidatur alimentum: ſi verò ſubtiliandum eſſe hoc tempore imperauit, falſam eſſe illius ſententiam rentur ipſi: nam victus ſubtilis,& tenuis, eſt calidus ſiccus, augens feruorem ſanguinis. Sed ſolue hoc modo,ſubtilius alimentum porrigendum in vere,ob præſentem copiam innati calidi, ne ebullitio increſcat multa oblata alimonia, & ſic diuidendum, non abſolutè, ſed præcedentis hyemis collatione facta. Arnaldus autem *de regimine, part*.2.*text*.10. intelligit Hipp.de alimento, quòd ventriculus in hyeme tolerat Auic. verò de eo quod in lapſis conuenit ad præcautionem: ſicut intemperati poſſunt per ſimilia conſeruari, ſed præſtat quòd præſeruentur per contraria.

Nec obſtat quintò, 1.4.*tract*.2.*cap*.8.quo loco in æſtate auget cibum,ſic enim ait: *Et æſtas quidem propter ſuam reſolutionem indiget additione cibationis, &c.* Multi explicant, quòd in æſtate conuenit additio cibi, contra ſuprà tradita: ſed dicendum cum Gentili, verum id eſſe,ſi de prima æſtatis parte intelligatur Auicenna, nam hæc coincidit

cum vltima veris,ex Gal.4. *acut.com.*1. Lege elegantiſſimum Rorarium, *in contradict.*1 3. *Auic.*

De ætatibus,calida humida,molliſque temperatura non tolerat, vt pueritia 1. *aph.*16. & 4.*de artic.*24. quæ eſt ineptiſſima ieiunio, ſicut ſenectus aptiſſima, intermediæ ætates, mediocriter: nam pueri abundant multo calore valde reſoluente; conſtant multa, & molli humiditate carnium facilè reſolubili, & egent alimento; non ſolius nutritionis gratia,ſed augmenti: contrariæ verò rationes concurrunt in ſene. Si verò obiicias, iuuenes difficiliùs pueris tolerare inediam, quoniam habent calidum acutius: Dic, iuuenes minùs reſolui: nam calidum illud eſt minus quantitate, & illi ſunt pueris robuſtiores, reſoluentibúſque cauſis ampliùs repugnant. Si iterum inſtes, ex Gal. 1. *aph.*1 3. Senes ieiunium innoxiè non ferre. Dic Vel ieiunium dicit paucitatem alimenti cum dilatione eius, vel ſolam paucitatem: ſi in hoc ſecundo ſignificato intelligatur Hipp. verus eſt Aphoriſmus; vel in primo explana Hipp. de ſenibus non vltimis: nam decrepiti licèt habeant eaſdem cauſas tolerantiæ, nempe frigiditatem & ſiccitatem, illorum tamen retentrix eſt imbecillima,& idcircò corpora ipſorum citiſſimè extenuantur, ex Gal.2. *aph.*28.

Obiicies contrà.Si decrepitus minùs tolerat quàm primùs ſenex, & hic magis reliquis ætatibus, ergo aliquis decrepitus æquabiliter cum vergente. Dic. Primi ſenes cùm ſani ſunt, plus vergente tolerant, in fine autem primæ ſenectæ æqualiter: decrepiti minùs, in primo ſignificato ieiunij.

Obiicies ſecundò. Humidum amplius facit ad longitudinem vitæ, ex Ariſt.*lib.de longitud. vit.cap.*2. ergo non ad velocem reſolutionem. Dic. Abundantia calidi cum humido pingui ideò facit ad durationem, quia reparat multum alimentum: nam ſimpliciter copia calidi & humidi, ſi prohibeatur alimentum apponendum, facit ad multam reſolutionem.

Obiicies tertiò. Homines latorum vaſorum cùm minore noxa ieiunium ferunt, ex Gal.2. *de temper.*9. hi autem ſunt ſanguinei, quia humidi. Dic. Galen. *ibi* ſumit indicationem à ſola copia ſanguinis, quæ poteſt conuenire cum vario temperamento membrorum, 2. *de temper.*2.

Obiicies quartò. Ventriculus frigidus bene appetit, ex Gal. *lib.art. medic. cap.*62. Senibus hic ventriculus eſt naturalis. Ergo plus fameſcent. Dic. Licèt à multis dicatur, quòd frigidus ventriculus meliùs appetat, quàm concoquat; tamen non ſimpliciter bene appetit: & ſi hoc concedamus, intelligendum eſt ſi facultas appetendi eſt robuſta, ſi verò debilis,vt in ſenibus,non ſufficit ad appetentiam multam; quare ſenes debiliter appetunt, coquunt, diſtribuunt.

De numero cibationis dubitandum, num exhibenda ſit ſimultanea, an partita? reſpondet Galenus *lib.*1. *aph.*1 3. & 17. vt debiles, & qui habent imbellem virtutem coctricem, per interualla alimentum aſſumant. Sicut enim robuſtus pondus licèt magnum benè defert, & librat; debilis verò nec partitum ſuſtinet: ſic ventriculus fortis plurimam conficit alimoniam, debilis vel minimam vix conterere valet. Deinde in quibus continua adeſt diſſolutio membrorum,oportet vt per interualla accedat nouus ros ad membra, eorum prohibens exſiccationem. Hoc pacto in pueris, decrepitis, naturis calidis, & humidis multiplicandus eſt cibandi numerus. Inſuper Celſus *lib.* 1. *cap.*3. ſumit à natura alui indicationem ad multiplicandum cibum: nam durus venter requirit numeroſiorem cibationem, vt non exſiccetur immodicè cibus ſemel aſſumptus. Deinde poſt longum ieiunium, famem, prolixum morbum, immodicam euacuationem factam per ventrem, hæmorrhagiam, ſudorem, maximè cauenda eſt ſimultanea alimenti oblatio: nam ventriculus ob nimiam vacuationem exhauſtus, & debilis, totum ſemel oblatum alimentum coquere nequit.Sic ſaturitas poſt tranſactam famem nocentiſſima,ex Auicen.3. 1. *doct.*2. *cap.*7. de quo argumento plura lege *lib.* 2.*in com.hiſtor.*7 2. vaſa enim, & eorum cauitates con-

A niuentes,non molliuntur copioſo alimento,ſed valde partito; ſicut arida terra exiguis pluuiis ſæpe repetitis commodè humectatur.]Conſule Ioan. Pincierum *lib.*4.*variar, meditation. cap.*7.

De tempore aſſumendi alimentum, maximè definiendum eſt ex coctione ventriculi peracta: eſt enim vniuerſalior nota, quàm ſumpta ex fame præſenti, & ſic plures rentur aſſeueraſſe Auicennam 2.1. *doct.*2. *cap.*7. illa enim ſolùm habet locum in ſanis temperatis; faſtidioſi verò non fameſcunt etiam peracta coctione ventriculi; pueri verò, & conualeſcentes ante eam fameſcunt. Deinde Auic. *loc.cit.* concludit, nihil eſſe deterius quàm ſumere crudum ſuper incoctum. Obiicit Ishac *lib. diatar. vniuerſalium, cap.*4.ſicut in vna menſa, præcedente ſubtili, ſi ſequatur craſſum,non perturbatur coctio,quia tenue præcedens deſcendit, ſequitur craſſum: ſic idem ſequetur,

B vbi crudum ſumetur ſuper incoctum.Reſponde, non eſſe eandem rationem in ſimilitudine; nam ex crudo,& ſemicocto generatur craſſus humor, quod non accidit in craſſo, & tenui. Si inſtes, ſaltem tunc licere ſumere craſſum ſupra ſemicoctum, quia hoc multò tenuius eſt: Reſponde negatiuè; nam ex hac alimonia diſtrahitur ventriculus ab opere vniendi, & aſſimilandi, & ex hac permixtione licet aliquid deſcendat,remanet tamen multa portio corrupti alimenti in ventriculo, crudi, ex quo damna non contemnenda ſequi ſolent. Quòd ſi adhuc inſtes, hoc dato nunquam ciborum varietatem admitti poſſe. Dic, nunquam conuenire, niſi gratia medicamenti, videlicet exiguum lubricum in initio ad molliendam aluum, & exiguum auſteri in fine menſæ ad promouendum deſcenſum, aut in alios vſus, quos latè explicuimus *lib.*2.*in com.hiſt.*80.

C Si verò perconteris, quis ſtatuendus ſit numerus cibationis in die. Ficinus *lib.*1. *de triplic. vita, cap.*7. quaque hora edendum præcipit, ſed præſertim ſtudioſis. Celſus *lib.*1.*cap.*3. conſulit pluribus bis in die edere. Arabes in duobus diebus ter præbent alimentum, videlicet decima ſexta quaque hora. Ita Rhaſius *lib.*4. *ad Almanſor. cap.* 4. Halyab. *lib.*1.*pract.*1 3. Alzaharauius *lib.*1. *theoric. tract.*2. *cap.*1. Auic.3 .1.*doct.*2.*cap.*3. Verùm iudicium variandum eſt penes ætates, temperaturas, tempora anni, & dies. Penes ætates quidem: quoniam pueri, & ſenes ter cibandi ſunt; vltimi autem ſenes, & primi pueri, quater; mediæ ætatis, bis. Iuxta temperaturam autem: humidis bis offerre cibum, nocet, ſicut iuuat graciles: iuxta oraculum Senis, 7.*aph.*60. dicentis. *Corporibus carnes humidas habentibus famem adhibere conuenit, fames enim corpora ſic-*

D *cat*, &c. Et affirmat 2.*acut.*29. Iuxta tempora: apud Celſum *loc. cit.* per hyemem non eſt prandendum, niſi quis ventrem habeat validè aſtrictum; in reliquis temporibus bis cibus offerendus. Iuxta vires: Antiquis robuſtioribus ferè erat ſatis ſemel in die edere; nobis debilioribus bis in die comedere eſt neceſſe. Menſura illa Arabum media: recipienda erat pluribus hominibus, niſi quòd habet moleſtiam ex varietate horæ cibandi, dum vna die bis, altera ſemel cibus ſumitur. Prætereà habet noxam, quia iuxta varietatem vigiliæ, & motus, oportet ſecundam cibationem accelerari magis, vel retardari: quare non perpetuò ſeruanda eſt hora decima ſexta pluribus. Ergo nobis conueniet bis in die comedere. Conſule Valleriol. *lib.* 3.*loc.com. cap.*1 3. Gulielmum Inſulanum *lib.de ratione victus ſalubris, cap.*39.

E De proportione autem prandij ad cœnam, hoc ſit præceptum vtile,vt exercitandi ad noctem, minùs cœnent,& exercitandi ad diem, minùs prandeant: ita docuere Gal. *lib.*1.*aliment.*2. Rhaſis 1.*ad Almanſ.*1 1. Haly 1.*theoric.*1 3. quoniam ex labore ſequente alimentum copioſum, hoc intempeſtiuè rapitur crudum ad venas. Lege Mercurial. *lib.*5. *variar. cap.*21. & M. Ant. Muret. *lib.*4. *variar. lect. cap.*1 2. Cardanum *lib.*1 .*com.tract.*5 .*com.*1 8. Vtrùm autem in ſanis cœna debeat eſſe liberalior, reſpondet Galen. 1. *acut.* 1 8. dicens, exercitatos ſolùm panem comedere in prandio, in cœna carnes, quapropter prandium parcius ſit, cœna vberior; nam quies, quàm motus magis concoctioni prodeſt: ſic frigidus aër, magis quàm calidus, quoniam

quoniam ob noctis frigiditatem retrocedit calor ad interna; calor autem diurnus attrahit innatum ad extima, & reſoluit. Deinde ſomnus concoquit, vigilia digerit: maximè quum maius ſpatium intercedat à cœna ad prandium, quàm à prandio ad cœnam. Ergò lautiùs cœnandū, quàm prandendum: ita ſentiunt Auicenna 3. 1. *doct.* 2. *cap.* 3. & 6. Auerrhoës 1. *part. canticor. comment.* 122. & 2. *canticor. com.* 20. Rhaſius 4. *ad Almanſ. cap.* & 4. Halyab. 1. *pract.* 1. immò Galenus *lib.* 7. *meth. cap.* 6. præcipit validiores cibos in cœna commedendos; quem morem non ratione tantùm, ſed longo experimento Athletas comprobaſſe aſſeuerat: Nec eſt dicendum, quod multi affirmant, quòd prandij & cœnæ nomine, aliud ab Hippoc. & Gal. ſignificatur, quàm vulgò à nobis intelligitur; nam eos doctè refutat Bernardus Paternus *epiſtola ſua de prandio, & cœna.*

Nec obſtat Ariſtoteles, 32. *probl.* 3. qui concubituris præcipit copioſum prădium, & parcam cœnam. Id ipſum mulieri virum admiſſuræ Hipp. edicit *lib. de ſuperfœtat. num* 11. *mulier ſine cibo ſit, vir item, ſed paulò diſſimilius, ne ſcilicet ebrius ſit, & commodo, & ſalubri vſus ſit cibo:* id enim monet tum ob dictam cauſam, ne tum ex motu ſubſequente attrahatur intempeſtiuè nimium alimentum ad venas: nam labor debet præcedere cibum, non è contra. Idem etiam firmat Celſus *lib.* 1. *de re medic. cap.* 3. dum ſic ait. *Si prandet aliquis, vtilius eſt exiguum aliquid, & ipſum ſiccum, ſine carne: ſine potione ſumere, &c.* Et æſtate, *in eodem loco* prandere quidem iubet, parcius tamen. Sed quoniam hanc de proportione prandij ad cœnam, controuerſiam in ſanis, latiùs diſceptabimus *in ſequenti libro, in com. hiſtor.* 6. hæc pro complemento quæſtionis noſtræ nunc ſint ſatis. Interim de veterum comedendi more, & varietate cœnarum conſule Hadrianum Turnebum *lib.* 8. *aduerſar. cap.* 11. Alexand. ab Alexand. *lib.* 3. *c.* 11. & *lib.* 5. *cap.* 21. & nos fusè *cit. loc.* patefaciemus.

HISTOR. XXV. GALENI, De herpete in malleolo.

Fœmina herpete in malleolo laborans, topicis applicitis exacerbata, purgatione tandem adhibita conualuit.

ETenim Romæ mulier quædam illuſtris, quum herpetem in malleolo haberet, primò quidem medicamento quod algam recipit, eſt vſa. Hoc cùm protinus cicatrix induceretur, proxima illi cutis eſt excoriata, veluti eſt deſquamatis. Cui cùm deinde ſuperpoſitum medicamentum eſt, rurſus illi continua eſt exulcerata: idque ita aſſiduè perrexit, donec ad genu exulceratio perueniret; quum interim quiduis potiùs pati, quàm medicamento quod bilē traheret, purgari parata eſſet. Itaque etiam (quod fieri in talibus aſſueuit, quoniam plerique culpant non culpāda) damnato ex alga medicamento, aliud admoueri iuſſit. Deinceps igitur quod ex ſandice componitur, vtebamur. Et verò id quoque quod exulceratum iam fuerat, ſanauit: quod verò nunc exulcerabatur, non inhibuit, ſed iam ad bubones vſque vitium aſcenderat, ipſa neceſſitate coacta, ſerum ſe lactis ſumpturam annuit. Immittentes igitur clanculum minimum ſcammoniæ, inuitam purgauimus, atque ſanauimus, &c. Galenus lib. 14. meth. cap. 17.

PARAPHRASIS.

FRequenter quidem exemplum hoc in arte contingit, & eſt ad praxim ſummopere neceſſarium, quo docemur, quàm parui, & ferè nullius ſit momenti, topica citra vniuerſalium auxiliorum adminiſtrationem adhibere. Herpes ergò dicitur ſic à ſymptomate, quia ſerpit, ex Gal. 2. *meth.* 1. Auic. 3. 4. *tract.* 1. *cap.* 6. Formicam vocat. Si ergo humor bilioſus præter naturā calidior, tenuior, acrior,

A & mordacior reddatur, herpes fit vocatus exedēs à Celſo *lib.* 5. *cap.* 28. *tit. de igne ſacro.* Auicenna appellat Formicam corroſiuam, quoniam corrodendo ſemper ſerpit. Si tamen bilioſo humori admixta ſit portio pituitæ, herpes generatur, qui excitat puſtulas quaſdam in cute ſumma milio ſimillimas, & herpes miliaris vocatur, de quarum inflammationum cauſa ſat multa dixere Vigo *l.* 2. *de apoſtemat. cap.* 6. & 8. Aquapendens *lib.* 1. *de tumorib. cap.* 20. Fallop. Andreas à Cruce, & alij, qui in chirurgica facultate primas tenent.

Miliari color ineſt ex rubro, & pallido permixtus, vt Gal. *lib.* 2. *ad Glauc. cap.* 1. edocuit, cum Paulo *lib.* 4. *cap.* 20. ex cuius puſtulis ruptis effluit medium quid inter ſaniem, & pus, ex Gal. 14. *meth. cap.* 11. Vlcus ſerpit cum cutis exulceratione, altum, ſubliuidum, inæquale; hoc verò
B herpetis exedentis nomen habet: nam tantùm cutem erodit; quo laboraſſe hanc fœminam, ex contextu patet manifeſtè, quùm à genu ad bubones vlcus ſerpendo peruenerit.

Cùm herpetis cauſa ſit bilis flaua in parte quapiam impacta, hunc affectum cholagogis eſſe curandum docuit Gal. *lib.* 4. *meth. cap.* 7. Sed antequam bilis expurgetur, videbis Medicos in harum inflammationum, aliarúmque puſtularum curatione ſæpe deluſos. Illicò enim ad adſtringentia medicamina tanquam ad ſacram anchoram confugiunt, ſed quanta ægrorum pernicie, oſtendit *hoc loc.* Gal. nam licèt curetur vlcus, puſtulæque exſiccentur, & inducatur cicatrix, aliud in alia parte repullulat vitium, adſtringentium vi coërcito humore, & ad interiores ſedes repulſo; quare febres, & interna vlcera excitantur.

C Hoc ita eſſe priſcorum doctiſſimi ſatis confirmant, Auicenna enim 3. 4. *tract.* 1. *cap.* 7. ſic inquit. *Cùm non incipis in ea, cum euacuatione humoris ſecundùm quod oportet, immò medicaris vlcus cum eo quod ſanat, redit ex alio loco propinquo, & ex loco ipſo, & non ceſſat corrodere cutem corroſione poſt corroſionem, &c.* Nam, vt inquit Aëtius *tetrab.* 4. *ſerm.* 2. *cap.* 6. *qui cuti ſolidandæ ſtatim à principio intentus eſt, hanc quidem ſanabit, verùm humorem influentem non prohibebit, ſed etiam prioribus vlceribus ſolidatis, contigua cutis rurſus velut prior in ſuperficie erodetur, &c.* Idem ſentit Oribaſius *lib.* 7. *ſynopſ. cap.* 33. §. *Ergo qui priùs totum corpus purgat, deinde repellentia particulis affectis admouet, is herpetem, vt par eſt, curat. At qui ſtatim vtitur iis quæ cuticulæ cicatricem inducunt, is cuticulam quidem ſanat, cæterùm non prohibet, quin de integro priori ſimilis affectus exoriatur, &c.* Quoniam vt rectè dictabat Hipp. *lib. de vlceribus, num.* 4.
D *Purgatio per aluum plurimis vlcerum prodeſt.* repetit Gal. 4. *meth.* 5. & 6.

Ne ergo ad curanda vlcera feſtines, neque ſis de illorum numero, qui intempeſtiuè adſtringentibus humorem coërcent, atque hinc euenit, vt non ſolùm corpus, ſed ipſa vlcera in peius ruant, maléque exerceant ægrotantes. Lege Rabbi Moiſem de Ægypto *particul.* 4. *aph, ſent.* 115. §. *Non refrigeres, neque reprimas eryſipelam, niſi purgatum corpus ſit per ſolutionem ventris priùs cum medicina purgante choleram, quia ſi permittis refrigerationem, & repercuſſionem ante vacuationem; ſit fortis expulſio à membro habente eryſipelam, ad membrum nobile nobilitatis magnæ.*

Operoſum eſſet recenſere numerum eorum, qui neglectis vacuationibus vniuerſalibus, ad topica indiſtinctè
E acceſſere, quod huic Romanæ fœminæ accidit: nam à medicamento exſiccante conſolidatum eſt vlcus, deinde maiori cum inſultu depaſcendo recruduit. Medicamentum autem impoſitum fuit Alga marina, refrigerans ſanè, & exſiccans, ex Dioſcoride *lib.* 4. *cap.* 101. à Latinis dicitur Fucus marinus, de cuius viribus inter omnes eleganter agit Conſtantinus Amati interpres, *ad citatum Dioſcorid. locum.*

Hoc medicamentum adſtringit: habet enim quidpiam acerbum, vt Galenus eſt auctor *lib.* 8. *ſimpl. tit. de Phyco,* quare inflammationes cataplaſmatis modo arcet. Sed cùm citra totius vacuationem eſſet impoſitum, mirum non eſt ſi reuerteretur malum, cauſa antecedente non vacuata. Quamobrem illud ex Alga paratum condemnatur; & aliud illius loco ex ſandice compoſitum imponitur: eſt

enim ſandix, ceruſa vſta,ſi fides eſt adhibenda Dioſcoridi *lib.5.cap.63.* qui ibi vrendi modum exactè docuit. Sandix ergo emplaſtica eſt, refrigerat, occludit, emollit, explet, & excreſcentia leuiter reprimit. Hac ergo impoſita ita ob dictam cauſam inualuit malum, vt vſque ad bubones,hoc eſt, glandulas inguinis aſcenderit. Tandem ipſa, cogente neceſſitate, vitio in vitium mutato, inuita purgantia admiſit.

Purgatio inſtituenda iis,quæ vnà iecur refrigerant, roborant,& bilioſos humores educere nata ſunt. Sed inter hæc meritò elegit lactis ſerum,in quo priùs ſcammonium ſit infuſum.Illud enim refrigerat, humectat, 4. *ſimpl.* 17. & nitroſa qua pollet virtute,retoridum,bilioſùmque humorem ſuauiter expurgat; quare bilioſis, & melancholicis affectibus remedio eſt. De cuius vi, temperamento, præparatione, vtendi modo, ex veterum, & iuniorum mente,tam multa diximus, *lib.2.in com.hiſt.* 110. De medicamentis verò ad ignem ſacrum accommodatis, egregiè diſceptat Trincauellius *lib.1.de compoſit.medicā. c.* 21. Sed in affectu calido ſerum lactis mitiſſimum eſt, & clementer expurgat:de cuius vi lege eruditiſſimum Caſtrenſem Luſitanum *tract.de lactis ſero*,Ludouic.Nonnium peritiſſimum *lib.2.de re cibaria,cap.*29.

Superſunt tamen diſſoluenda plura, quæ contra Galeni traditam curationem obiici poſſunt. Primum. Cur rebellem affectum ſola purgatione leui curaſſe gloriatur, ſi ille non niſi forti ſuccumbit? Dic bilioſos humores, cùm ſint tenues, & fluidi, vnica purgatione poſſe educi, vt firmat Gal.2.*aph.*2.nam(vt ipſe docet *lib.hoc, & cap.in quo ſcripta eſt hiſtoria hæc) flauæ bilis vacuatio eſt facilis,pituitæ verè,& potiſſimùm eius,quæ craſſior,glutinoſiorque eſt;itémque nigræ bilis difficilior* & magis à medicamento attrahente, multæque actiuitatis, quod ſuapte natura, vel in parua quantitate exhibitum multùm purgat.De correctione intemperiei Galenus non meminit,tutius eſſe ratus vitioſos humores expurgare, licèt intemperies calida partium, à qua ipſi originem ducunt, eſſet tantiſper adaucta. Audi ipſum *lib.1.aph.*24. *Non igitur ob igneam febris caliditatē, purgationem adhibemus(hanc enim ſcimus ſui ratione nocituram,)ſed propter humores illam efficientes. Quare maiorem oportet ex noxiorum humorū vacuatione fieri vtilitatem,quàm id quod neceſſariò conſequitur ex medicinis purgantibus detrimentum. Eſt autem vtilitas maior, ſi abſque moleſtia omnis infeſtans,ac moleſtans humor ſit euacuatus,&c.*Intemperiem ergo,oblato ſcammonio,medicamento calido, quadantenus ob maiorem ex vacuato humore ſequutam vtilitatem,neglexit: maximè quoniam intemperiem corrigere, potiùs ad præſeruationem, quàm curationem pertinet, de qua ſolùm agebat hoc loco Galenus. Licèt ergo intemperies hæc remaneret, ſero lactis emendari deinceps poterat, quam etiam corrigit ſcammonium ablata cauſa: Nam hoc modo ſanguinis miſſio, calidam ſubſtantiam extrahendo refrigerat,*lib.*10.*meth.cap.*10. & *l.quòd animi mores,cap.*3.

Secundum. Cur in affectu calidiſſimo maximè diuertendi cauſa ſanguinem non emiſit,ſi Paulus *lib.4.cap.*21. in eryſipelate venam ſecat?§. *Quod ſimulac fuerit deprehenſum,protinus ab initio vena in cubito præſertim humeraria debet incidi:ſin autem hæc non appareat, ea quæ ſe conſpectui obiicit.*Dic,ex mente Galeni,in herpete,eryſipelate,alióve bilioſo tumore ſanguinis miſſionem non eſſe celebrandam,quoniam calefacit euacuādo ſanguinem,qui eſt frænum bilis; quoniam melius eſt ſeligente pharmaco eum vacuare, quàm exhauſto ſanguine puriori,qui facilior eſt euacuationi, biléque reliqua intra corpus, vires debilitare. Hoc pacto in affectu bilioſo reprobat phlebotomiam, & in eryſipelate præſertim *l.*1.*ad Glauc.cap.*2.& 14.*meth. cap.*2.ſic in tertiana non emiſit ſanguinem Galenus,*lib.*1. *ad Glauc. cap.*9. quoniam bilis non ſanguinis miſſione, ſed purgatione educenda eſt, vt latè ex priſcorum mente retulimus *lib.1.in com. hiſtor.* 63. Paulus autem de eryſipelate cerebri, aut à tenui, feruentiſſimóque ſanguine concitato eſt intelligendus; nam tunc quoniam affectus occupat partem præſtantem, illicò reuulſionis cauſa ſanguis eſt emittēdus, vel ſi Galenum de eryſipelate externo, Paulum de interno intelligas, rectè perſolues: nam in hoc venam ſecuit Paulus *lib.3.cap.*8. præſertim ſi bilis in præſentia ſanguinis abundet, cum illoque ſit exactè permixta,ex Gal.*lib.4.de ſanit.tuend.cap.*4.

Tertium. Cur in affectu partium inferiorum, & iuxta ſedem ſuborto, purgationem per aluum conſuluit, contra præcepta reuulſionis, lata *lib.4. meth. cap.* 6. §. *Quare nunc quoque, ſi etiamnum fluxio valenter irruat, reuellere ad contraria ſtudebimus:itaque ſi in ſuperioribus vlcus conſiſtat, per inferna purgantes: ſi autem inferioribus ſit, ſuperiorem ventrem vacuantes, &c.* Nam ex præſcripto Galeni 13. *meth.*7.& 11. *longiſſimè à parte tentata fluxione reuellendus humor,nequaquam ad eam trahendus: nam nec cùm vel citra ſedem,vel aliquam vicinaa partem phlegmone incidit, aluum deiicies.* Dic, malum in hac fœmina fuiſſe inueteratum, in quo per proximam partem vacuare conuenit,ſic enim loquitur *lib.4.meth. cap. cit. At ſi iam fluxio reſtitit, atque in membro inhæſit, deriuare per vicina magis expedit, quum & in propinquiora tranſlatio ſit, & purganti medicamento promptior tum acceſſus, tum attractus à vicino detur: nam in affectu inueterato ceſſat fluxionis impetus,& doloris vehementia conquieſcit, &c.* Et maximè cùm ſerum leniter expellat humores ad aluum: de cuius efficacia plura diximus *lib.2.hiſtor.*109.

Quartum. Cur in affectu cutaneo purgationem exercuit, ſi hæc à circumferentia ad centrum attrahit humores noxios, & viſcera fœda colluuie conſpurcat? Dic, in affectibus ſuperficiem corporis occupantibus, vt ſcabie, pruritu, inflammationibus externis, ſaluberrimam eſſe purgationem, ob multas cauſas: nam humor à cute reuellitur ad partem contrariam,& ſic expurgatur cauſa antecedens continuò affectum fouens, & natura potentior reddita humorem in cute impactum diſcutit, & abſumit. Deinde purgatio cauſam coniunctam euacuat: nam ſi humor extra venas poſitus,& in diſtantiſſima parte impactus,actu oculorum inflammationem committens, poteſt purgatione vacuari, vt proprio exemplo notauit Galenus *lib.13.meth.cap.*11. cur purgationis beneficio non vacuabitur humor in cute infixus? ſic in Simone latis puſtulis oppreſſo,purgationem concedit Gal.*lib.6.epid.ſect.2. com.* 30.Hoc opus celebrandum eſſe in cutaneis affectibus elogio quodam commendat Gal.2.*aph.*15.dicens, tuberculis exiſtentibus in cute, ſi natura totam ſuperfluitatem ad cutem non tranſmiſit,tutiſſimam eſſe purgationem. Audi Gal.*lib.nuper cit.epid. Sed forſan me dicere putabitis,nunquā purgatione per aluum in talibus vtendum eſſe:ego verò non id dico,nam in lib.de art.curandi,in quibus corporibus permulta humorum copia, iis vtiles eſſe purgationes didiciſti, &c.* De herpetis curatione, ex priſcorum mente, conſule Foreſtum *lib.2.de tumorib.præter naturam*, qui Galeni curationem maximè commendat.

HISTOR. XXVI. RHASIS, De teſticulorum Inflammatione.

Teſticulorum inflammatio, vomitu curata.

*Ego paſſus ſum apoſtema in teſticulo dextro, & vtendo * vomitu,ſentiebam ipſum diminui penes vomitum manifeſtè:tamen non finaliter tollebatur, verumtamen non dolebat, & frequenter faciendo eum pluries extirpaui cum eo* cauſam continentem,nempe radicem ipſius, & non vidi aliquid magis perfecti,& velocis,& manifeſtioris iuuamenti quàm eſt iſtud, &c.Rhaſis* 24.continent.tract. 3.cap.1.

PARAPHRASIS.

Quanti ſint faciendi morbi qui teſtes infeſtant, demonſtrat eorum præſtantia, maxima in immutando corpore efficacia,admirabilis vſus,& excellens cum cæteris partibus ſympathia: nam ſemen conſiciunt,quidquid contrà

contrà ſentiat Ariſt.3.*de hiſt.animal.cap.*1.*& *1.*de generat. animal.cap.* 4. cuius rationes ſoluunt ſubtiliter Thomas à Veiga *in com.cap.*45.*lib.art.medic.Gal.* Andreas Laurent. *lib.*7.*de hiſt.anatomic. quaſt.* 2. quo pacto ad ſolius ſpeciei propagationem, ſeu ad procreationem, quæ ſemine perficitur, neceſſarij quidem ſunt, & inter principes partes numerantur à Galeno, *in lib. de ſemin. & in art. parua.* de quo argumento conſule Argenter. Ioan. Tuilium *in com. cit.cap.Gal.in art.medic.*Columb.*lib.*11.*de re anatom.c.*14. Quare autem corde præſtantiores eos faciat Gal. *lib.*1. *de ſem.*15.*in med.*Laurentius *lib.*1. *de re anatom. quaſt.* 4. reprehendit Gal. quià ſine teſtibus viuit animal, nemo ſine corde: ſed immeritò ipſum accuſat, quem excuſat Valleriola 3.*enarrat.vlt.*dicens,teſtes eſſe corde nobiliores non ſimpliciter,ſed in ſua actione,id eſt,procreatione virtutis genitricis,& ſeminis.

B Hanc penè incredibilem vim facilè negaret Ariſtoteles. 1. *de generat. cit.* exiſtimans teſtes non eſſe neceſſarios; cuius opinionem Peripateticorum cœtus pluri-mis machinis tuetur. Primò. Quia in omnibus animalibus inuenirentur. Secundò. Quoniam viſa ſunt animalia coëuntia habere meatus plenos ſemine. Tertiò. Taurus à caſtratione iniens impleuit vaccam. 3. *de hiſtor. animal.*1. Quare vſus teſtium primus eſt, vt tempore coïtus ſuo pondere aperiant vaſa ſeminaria, vt lapides in telis, quia vaſa ſeminaria per ambitum circum teſtes tardiùs excernunt ſemen, neque impetu effundunt. Secundus, vt virga tendatur ex pondere teſtium, vti fit in machinis, 24.*probl.* 4. Tertius, vt cor tenſum à teſtibus, euadat robuſtius.

C Primum vſum refellit Gal. 1. *de ſemin.* 12. nam non poſſunt teſtium pondere ampliora vaſa reddi, cùm ſint miro artificio intorta, & labyrinthæis anfractibus implicita. Secundus,inutilis eſt: quoniam verus vſus eſt,vt ſanguis in teſtium gyris aliquantulum moratus, & præparatus, in verum, & elaboratum ſemen conuertatur, maximè quia teſtes tempore coïtus magis aſcendunt, & adhærent peni, vnde potiùs ipſum penem deprimunt, quàm tendunt. Tertium reprobat Gal. *lib. cit. de ſemin. cap.*12.Teſtes ergo ſunt neceſſarij ad generationem: nam exſectis teſtibus, ita vt vaſa ſeminaria remaneant, animal priuatur facultate ſeminis generatrice, & fit infœcūdum.

Secundò,quia pars,qua abſciſſa aufertur incitamentum ad coïtum,ſine dubio eſt origo ſucceſſionis generis: tales autem ſunt teſtes. Veſalius, qui ſemper laborauit prauitu mordendi Galenum,ſic huius rationem refellit, 5.*feb.* 13. D ideò quia ligatis vaſis ex per tonæo deſcendentibus ad teſtes,animal manet infœcundum:igitur illa vaſa ſunt principium, & origo facultatis generatr.cis.Dic,vaſa ligata auferunt coïtum,ſcilicet quia demunt materiam coïtus;non tamen aūferunt incitamentum ad coïtum, quæ erat ratio Galeni.

Tertiò. Vnumquodque tranſmutat in ſuam ſubſtantiam, nihil autem teſtibus ſimilius eſt ſemine. Quartò. In animalibus à coïtu temperantibus teſtes viſuntur ſemine pleni, vti in coëuntibus inaniti.Quintò. Teſtibus ablatis remittitur robur,virilitas,pulſus eſt vti fœminarum,venæ anguſtæ,pulſus obſcurus:ſubſcribit ſententiæ Galeni tanquam veriſſimæ,Auer.2.*collig.*10.& Auic.25.*anim.*1.

E Nunc ad obiecta dicendum, & ad primum quidem, quòd animalia imperfecta vti non fiunt ex ſemine exquiſito, ſed imperfecto, ſic neque teſtibus egueruut. Ad ſecundum.Coïtus eſt veluti exercitamentum teſtium, vnde potiùs opplet, quàm inaniat, niſi fuerit valdè continuus. Ad tertium. Poſt ablationem remanſit aliquid ſeminis in meatu deferente ſemen, à quo concepit vacca: nam ad grauidationem pauciſſimum ſemen ſufficit.Sed cur iniuit? Dic,propter conſuetudinem,qua phātaſia mouebatur ſpecta vacca ante caſtrationem. Lege Mercurialem *tract. de homin.generatione,c.*12. acriter contra Ariſt.diſputantē.

Deinde, quid commemorem indicibilem mutationem ex caſtratura? nam ſiue auferantur teſtes, ſiue rumpantur, ſiue intorqueantur ſeminalia vaſa teſtes ingredientia,pili non ampliùs naſcuntur,ſiue in mento, aliaue corporis parte,carnes molleſcunt, labuntur vires, animoſitas

A ceſſat, ſegnia, & timida redduntur, vox acutà fit, caro ſuauis pro nidoroſa, pingueſcunt, frigida fiunt, & humida, demùm tota in fœmineam naturam tranſmutantur. Cur autem tam ſubita mutatio fiat in caſtratis, quære per otium apud Laurentium *lib. cit. quaſt.* 1. & latè probant Philip.Ingraſſias *com.*52.*in art.med.Galen.fol.*261.Fernel. *lib.*7.*phyſiol.cap.*3.

Ob hæc teſtibus affectis auxiliares manus adhibere oportet.Inflammari ſæpè eos ſine ſcroto, apud omnes in-confeſſo eſt, Paulum *lib.*3.*cap.* 54. Celſum *lib.* 7. *cap.* 19. Auic.20.3.*tract.*2.*cap.*1. Vidum Vidium *lib.* 11. *de curat. membrat.cap.*2.Chriſtoph.à Vega *lib.* 3. *art. med. ſect.* 10. *cap.*1.Si ergo calidus,tenuiſque humor in teſtes confluat, tunc intumeſcunt,ac dolent;acri enim, & exquiſito ſenſu præditi ſunt: dolor hic lancinans eſt, & leui contactu exacuitur, teſte Fernelio 6.*patholog.*14.Si verò immoderata ſanguinis copia ad eos fuerit delapſa, aderit tumor durus,cum calore,& rubore coniunctus,febris eſt aſſidua; nam vt *citato loco* docuit Auic.teſtis eſt membrum nobile continuatum cum corde:& licèt teſtes extra inguina ſint; ſtatim tamen febres propter vicinitatem accendunt, vt notabat Gal.4.*de praſag.ex pulſ.cap.* 10. Huius inflammationis curationem proponunt citati auctores, & ampliſicant Ioannes Vigonius *lib.*2.*de apoſtem. cap.* 1. Fallopius *tract.*9.*de tumorib.cap.*36.

Auctorem autem noſtrum non fuiſſe paſſum inflammationem ex tenui,calidóque ſanguine ſubortam, ex cōtextus ſerie dilucidè patet:nam adfuit dolor; immò defuit febris, & alia ſigna non apparuere quæ illam ſignificabant. Quapropter hanc inflammationem,quam Arabes vſitato vocabulo apoſtema vocant, ex craſſo humore originem duxiſſe, in ſubſtantia, tunicis, & vaſis teſtium impacto, certa res eſt.

Teſtibus ergo humore,aut inflammatione tentatis illicò opitulari opus eſt;nam malè curata inflammatio,à quocunque humore eueniat, in morbos peſſimos, duritiémque immedicabilem commigrat: cùm enim ſint poſiti inter duo receptiua membra ſuperfluitatum, ſcilicet inter virgam, & anum, & ſint ſiti in parte decliui, vt Nicolus explicuit *ſerm.*7.*tract.*5.*ſum.*2. *cap.* 26. fit vt omnem partium ſuperiorum colluuiem exhauriant; ſunt enim ſpongioſi, rari mammiſque in omnibus ſimillimi, vt monuit Gal.*lib.* 1.*de ſem.cap.*15.*& lib.*14.*de vſu part.cap.*10.

Cui malo occurrens,humoremque noxium ad contraria, longinquáſque partes auertere ſatagens, non venæ ſectione,in præsētia humoris calidi ſolùm neceſſaria vſus eſt; ne extracto ſanguine vires fatiſcerent,humor craſſus recrudeſceret magis, & ſpiritu exhauſto coctioni rebellior euaderet:non cucurbitulis in ſuperiori corporis parte adhibitis;nam hæ licèt attrahant, peccantem tamē humorem,vt decet, non euacuant. Hoc modo purgationem per aluum non inſtituit: nam inferioribus partibus laborantibus per ſuperiora vacuandus eſt humor;ex Galen.4. *meth.*6.*&* 13.*meth.cap.*11.

Quare vacuatio antecedentis cauſæ morbum fouentis, immò & coniunctæ nullo alio præſtantiori poterat celebrari præſidio, quàm vomitu,*cuius attractio, & eradicatio pracipua eſt ab inferioribus*,monente Auic.4.1.*cap.*11.Huius ope humor non ſolùm in prima regione ſitus, cava iecoris parte, pancreate, omento ſuperuacuus, ſyncerus elicitur promptiſſimè, quem plerumque nec hiera, nec aliud vehementiſſimum vllum,etiam frequens pharmacū in aluum exturbare poteſt,vt doctè Fernelius notat *lib.*3. *methodi,cap.*2.ſed à longiſſimis, maximéque remotis particulis,vt artubus,pedibus, cerebro exhauritur.

Nam morbi in quibus vomitus eſt ex vſu,ſunt chronici, & à craſſis humoribus ſuborti.Audi Paulum *l.*7.*c.*10.*At medicamentis vomitū facientibus neque ſani, neque acuta ægritudine occupati,vti permittatur, ſed in longis profunt affectibus,& præſertim induratis, quæ validā cōmotionē deſiderant, qualis eſt podagra, morbus comitialis à ſtomacho originem ducens,elephantia,aqua inter cutem,melancholia,&c.* Auic. *loc. cit.*ſic inquit.*Et ægritudines quidem quæ ſunt digniores eo,vt in eis fiat vomitus,ſunt chronica,ſicut hydropiſis.& epilepſia, & melancholia,& lepra,& podagra,& ſciatica,&c.*

Sed

Sed hoc mihi de veritate ſemper fuit ſuſpectum : nam humores craſſi, ex quibus oriuntur morbi diuturni, ſunt graues , & per inferiora commodiſſimè vacuantur ; contrà verò humores tenues , bilioſi , è quibus morbi acuti emanant , facillimè per ſuperiora à natura excernuntur, vt conſtat 4. *aph.* 4. & 9. Ergo vomitus plus conuenit acutis, quàm diuturnis morbis. Dic , licèt ratione humoris peccantis , in morbis acutis maximè conuenit vomitus ; ratione tamen febris, & noxæ quæ poteſt inferri, timoroſus eſt : calefacit enim corpus,agitat,& bilis acrimonia ſua mordet ventriculum , quod in morbis diuturnis non contingit. Hippocratem tamen de curatione intellige , nam in præſeruatione humores calidi , bilioſi aptiſſimi ſunt, vt per vomitum vacuentur : contrà verò melancholici & pituitoſi per aluum.

Maxima ergo eſt vomitus ad diuturnos morbos curandos,& præſeruandos poteſtas : nam pituitoſi humores in ventriculo impacti, qui eſt ſentina omnis impuritatis, & parati committere prauos morbos,vomitus ope foras excernuntur. *Quo pacto veteres Medici,*inquit Gal. 5. *de vſu part.c.*4 *prope ſin.inter multa præcepta ſalutaria, vomitum à cibis in ſingulos menſes repeti præcipiebant,alij quidem ſemel, alij verò bis : omnes tamen qualitates ipſas eo caſu comedendorum acres, atque abſterſorias deligere conſulebant, vt pituita omnis è ventriculo purgaretur,neque prauo ſucco corpus afficeretur. Benè igitur & ab illis ſine totius noxa , ventriculi purgatio eſt præſcripta,& à natura ipſa præcognita fuit.*

Atſi vomitoria periculoſa ſunt , & deiectoria periculo vacāt,quum fiant per partem à natura deſtinatam,& conſuetam,at *lib.*5 *.de vſu part.cit.*contrarium protulit , dum dixit. *Ventriculi quidem purgatio eſt facillima , inteſtinorum autem,tum difficilis, tum etiam noxia nonnihil.*Solue dupliciter.Primò cum Celſo *lib.*1*.cap.*3. Vomitum eſſe facillimum , ſi leuibus medicamentis prouocetur : cætera enim quæ antiqui Medici præceperunt, ſtomachum infeſtant, in quibus propinandis Gal.fuit timidiuſculus. Dic ſecundò. Inteſtinorum vacuatio difficilis eſt,ventriculi facilis, quando craſſi humores in ore ventriculi continentur; hoc enim eo loco probabat Gal.nam vt dicebat Hip.4.*aph.*17. *Si cui in febre faſtidium , & morſus oris ventriculi, & vertigo ſit,& os amarū, purgatione per ſuperiora indigere ſignificat.*

Auctor noſter quum vomitorij formam nō præſcribat, eam fuiſſe exiſtimo, quæ humorem tenaciter in teſticulorum tunicis impactum electiuè vacuare poſſet, nam pars hæc erat à viis ductuum valde remota. Paratur ergo ex medicamentis variis, vt geniſtæ floribus , bulbo vomitorio , ſambuci, aut ebuli foliis , ſylueſtris raphani radice, ſemine cepæ, & naſturtij,radice cyclamini, & ſucco, puluere herbæ eupatorij Meſuæ,vulgò gratiola dicta,agarico pro concitando vomitu celeberrimo, veratro albo, veteribus pro hoc complendo opere vſitatiſſimo. His enim cùm fortè vſus eſſet , à morbo immunis euaſit : idcircô enim tantopere iuuit vomitus,quoniam malum à ſuperis partibus etiam fouebatur, & conſequutione quadam humor actu committens inflammationem, vomitus ope fuit eradicatus,quod explicat per verbum, *& extirpaui cum eo cauſam continentem,hoc eſt,radicem eius.*

Licèt autem hoc verum ſit, præſtat tamen lenibus medicamentis vomitum tentare : eſt enim hæc vacuatio periculoſa, & vacuatio per aluum eſt magis conſueta,& naturæ manifeſta, vt docuit Auerrhoës *lib.6. collect.c.*11. & ideò ſi fieri poteſt ſemper eligenda: nam *humores ſua grauitate deſcendunt ad inteſtina faciliùs, quàm conſcendant ad ventriculum;ſúntque multò plures,latioréſque meſaraicæ venæ à porta ad inteſtina,quàm ad ventriculum delatæ:tum inteſtina natura ipſa excrementorum ſuſceptioni parauit ; cúmque ſint membra ventriculo ignobiliora , incolumiùs eò deferentur noxia:adde quòd breuior eſt via à corporis mole per meſaraica vaſa ad inteſtina,quàm ad ventriculum.vt Thomæ à Veiga verbis vtar,in com.cap.*94*.art.med.Gal.*

Sic Hipp. 7. *aph.* 63. robuſtiorem naturam expoſtulat ad vomitum , quàm ad deiectionem , dum ſic inquit. *Adducere igitur oportet,robuſto quidem ſupernè , debili verò infernè.* Quare ſi Galenus ſæculo ſuo cautus erat in exhibendis vomitoriis,quum homines tunc temperantiùs viuerent , cur noſtro non erimus nos,qui illorum reſpectu intemperantiores ſumus ? Audi ipſum *lib.* 2. *de fractur. com.*27.hoc modo profantem. *Hippocratis ſæculo veratrum album fortaſſe tutò ſumebatur ob rationem victus eorum hominum qui curabantur,qui vitæ genus non otioſum ſequebantur ; aut intemperans , ſed laborioſum , pauciſque alimentis erant contenti , ſic vt craſſos nulla ratione contraherent, neque enim nos latet fieri hos cum otio, & abundantia. Quòd ſi vim æſtimaueris corporum eius ſæculi , quàm ex eiuſmodi victu comparabant, magis adhuc dari veratrum permiſeris, quum quæ vomitus affert incommoda,ferre homines illi facilè potuerint,&c.*

Cauendum ergo eſt à fortibus vomitoriis , quibus agyrtæ , & circulatores corpora exagitant , vt elaterio, chryſocolla , ære vſto , ricini ſemine , ſtibio in copioſa quantitate exhibito , præcipitato, & aliis violentis : eorum enim vſu corpora debilitantur,caput concutitur,febris ſuperuenit, vigiliæ infeſtant , langueſcit appetentia, nauſea fatigat , & ruptis vaſis ex vomitus vehementia ſanguinis ſputum emanare ſolet, & aliquando rapto humore ad caput , ſuborta apoplexia mors occupat : nam ruſticus cùm ſaniùs valeret,aſſumptis ad vomendum granis decem cataputiæ, ſuborto vomitu enormi , apoplexia oppreſſus, intra ſeptem horas occubuit:vt ter in robuſtis colonis ſum expertus.

Sed multa ſunt quæ explicationem deſiderant. Primum. Quod fuerit medicamentum , quo Rhaſius ad vomendum vſus eſt?Dic. Multa ſunt, quibus priſci ad prouocandum vomitum vtebantur,ſed nullum fuiſſe elleboro magis vſitatum,ex ipſorum doctrina patet apertè.Nam præterquam quòd hoc contumacibus morbis remedio eſt, vt *lib.*2*.in com.hiſt.*92. ex veterum mente demonſtrauimus,quo loco huius medicamenti ope gloriatur Oribaſius *lib.* 7. *collect. cap. vlt.* vlcus cancroſum vacuato nigro humore perſanaſſe,Hipp.*lib.ſuo,de veratro,& lib.*4*.aph.*13. & 14.in hunc vſum illud ſummopere laudat,& alibi paſſim:& Gal.*in com.*& *in lib.quos purgare conueniat, cap.*4.& aliis multis in locis,docet modum quo debet corpus præparari , antequam ad aſſumendum elleborum ſe accingat, & poſt eum docuere Principes , præſertim Paulus *lib.* 7. *cap.*10.& Oribaſ.*loc.cit.*

Nam primò aſſueſaciendum eſt vomitioni leuioribus medicamentis celebratæ : corpora ſunt perhumectanda priùs quiete, & cibo : ſic enim corpus humidius factum, ab imminenti conuulſione redditur immune , cui ex ellebori potu erat obnoxium,teſte Hipp.5.*aph.* 1. Secundò, iubet vt offeratur alimentis commixtum , vt ſic minore cum violentia corpus alteret , & ſic malo cotoneo permixtum propinat,vel radiculas oxymelite infuſas, vbi elleborus maduerit,præbendas docet: vt iubent Dioſcorid. *lib.*4*.cap.*134.Plin.*lib.*25*.cap.*5 .Paul.*lib.*7*.cap.* 10. Aëtius *tetrab.*1 *.ſerm.*1*.cap.*120. & eleganter firmat Ludouicus de Ouiedo *lib.*2*.meth. cap.* 12. Neque enim nouum eſt apud Galenum , medicamenta offerenda eſſe ægris , cibis permixta ; ita docuit Hipp. *lib.de aliment.num.*4. dicens : *medicamentum in alimento optimum.*Sequitur Galen.13. *meth. cap.*15 . polypodium, & veratri corticem alimentis commixta propinans:idem facit Trall. *lib.* 12*. cap.* 7. Paulus *lib.*3*.cap.*14. qui melancholicis expurgantia medicamenta alimentis obuoluta præbere non dubitarunt.

Nec obſtat huic doctrinæ elegans Hipp. contextus, ex ipſo *lib. de alimento* , infrà , dicentis : *medicamentum in alimento malum.* Neque Paulus *lib.* 7. *cap.* 4. *in princip.* §. *Aloës drachma cum aqua mulſa manè datur : qui veſperi eam exhibent , aut ſecundùm cibum , noxam inferunt, quippe alimentum in membra digerit, &c.* Hoc eſt , vt notat Ianus Cornarius *in com.* corrumpit alimentum, vel hoc crudum adhuc & incoctum, in corpus diſtribuit. Nec obſtat tertiò Auicen. 4. 1. *cap.* 5. medicamenta ieiuno ventre aſſumenda imperans. Nam approbat medicamenta cibis permixta iam vacuata cauſa , alioqui imperisè nocent, quoniam conuertuntur in cacochymiam : *cibus* enim *vt ſano robur,ſic ægrotanti morbus,*dicebat Hipp.*lib.*7*.aph.*67. Deinde alimentum crudum in corpus diſtribui nequit, ſi enim cum medicamentis ſimul deuoretur , cum illis

concoquetur.

concoquetur. Auic. verò meritò non paſto ventriculo iubet aſſumenda medicamenta, ne ex adueniente pharmaco alimentum præexiſtens conſpurcetur. Conſule de hac re Donatum Santorum *lib.3.epiſt.*4.

Demum cùm periculoſum ſit, citra præparationem corporis elleborum exhibere, vt docuit Gal.6. *epid.ſect.*1. *com.*6. *& lib.*2. *de fract.com.*27. eam imperabat Hipp. quiete,& cibo; illa enim ex accidenti, hic per ſe humectandi vires obtinet. Si verò Aëtius *tetrab.*1. *ſerm.*3. *cap.*119. attenuante victu præparat corpus, quam ſententiam videtur confirmare Gal.2. *de fract.cit.* dicens, *antiquis fuiſſe tutiſſimum ellebori vſũ, quia cibi parſimoniâ, & victu tenui vtebantur*: Dic, hunc eſſe offerendum, ſi ex craſſitie,& multitudine humorum innatus calor ſuffocetur, & extinctionis periculum immineat. De vario modo præparandi corpus ad aſſumptionem ellebori,& de huius correctione, legendus Dioſcorides *lib.*4. *cap.*55.

Secundò quæres. Qui ſint inepti ad vomitum? Reſpondet Auic. 4.1. *cap.*11. multos eſſe, qui ex vomitu maximum incommodum perſentiunt. Habentes enim ſtrictum pectus, ex vomitu in grauiſſimos morbos incurrũt, ſicut ægrè ſpirantes, ceruice gracili præditi, proni ad ſanguinis reiectationẽ, gutturis inflammationibus obnoxij, nam ij ſunt paratiſſimi ad phthiſim, ex Hipp.1. *epid.ſect.*1. *text.*18. Et ſic per vomitum non debent euacuari, 4. *aph.*8. firmat Oribaſius 7. *collect.* 23. vomitus enim cùm ſit actio naturæ ventriculi contraria, ex Meſuë *in canonib. vniuerſal. intent.*1. *cap.*2. & contra illius inſtitutum celebrata,& fortior alui deiectione, & in qua ipſe ventriculus ſimul cum muſculis intercoſtalibus vehementi motu moueatur, ſeptum tranſuerſum grauiſſimè opprimit, quo dilatato, ruptionis vaſorum periculũ imminet: vt hinc pateat ineptè expoſitores Auic.4. 1. *cap.* 11. aſſeueraſſe, huius euentus referendam eſſe cauſam ad gulæ dilatationem, quoniam hæc non ita diſtendi poteſt. Gutturis verò inflammationibus expoſitis, vomitu ſunt interdicendi, quoniam ob vomitum diſtenditur pulmo, qui venam cauam, & magnam arteriam comprimit, è quibus quaſi expreſſus ſanguis, in partes ſuperas, vt debiles promptè excurrit, & angina ſuperuenire ſolet; argumento eſt, quòd poſt vomitum faciei color in rubrum permutatur, & caput grauatur, quare poſt vomitum, crurum frictio ad reuellendum ſalubris eſt.

Stomacho imbecilles, à vomitu prohibendi: nam ex hoc vehementi motu ventriculus valde oblæditur. Sed hoc videtur impugnare Auic. 4. 1. *cap.* 4. quo loco docet medicamentum ſolutiuum fieri vomitorium, propter ventriculi imbecillitatem: ergo ſtomacho debiles facilè vomunt, nec ad illum inepti apparent. Dic, aliud eſſe promptitudinem, & facilitatem ad vomendum; aliud ex vomitu noxam contrahere; quare ventriculo debiles facilè vomunt, de qua cauſa intelligendus Auicen. *cap.*4. de alia *cap.*11.

Num autem graciles, an obeſi ſint aptiores ad vomitum, diſſidium eſt apud auctores. Celſus *lib.*1. *cap.* 3. inutilem docuit eſſe vomitum gracilibus: contrà Hip.4. *aph.* 6. gracilibus vtilem eſſe aſſeuerat. Dic, obeſos eſſe ineptos ad vomitum; nam & habent exilia: & anguſta vaſa, quæ facilè ob motos humores abrumpi poſſunt, & ſcatent humoribus crudis, qui hac vacuatione excerni poſſunt. Celſi verò ſententia explicanda eſt de gracilitate morboſa, Hipp. autem de ſana, eſt interpretanda. Neque obſtat, quòd *ibi* Celſus tradat documenta ſanorum: nam gracilitas illa morboſa intra limites ſanitatis etiam conſiſtere poteſt. Reſponde ſecundò cum Braſauolo *in expoſitione ſent. Hipp.* Celſum eſſe intelligendum de gracilitate melancholica, qua ratione dictabat Hipp. *aph.* 9. ſequenti, *melancholicos pleniùs eſſe vacuandos per inferiora.* Hipp. verò exponendum eſſe de gracilitate bilioſa; & ſic graciles per ſuperiora vacuari debent, non quia graciles, ſed quia bilioſi: poſuit autem Hipp. verbum *graciles*, vt vnico verbo, ſignum, & naturam corporum bilioſorum comprehenderet. Solue tertiò, quòd cùm Hipp. ſuprà 2. *aph.* 35. aſſeueret purgationem per vomitum deteriorem eſſe in gracilibus, quàm alui deiectionem ne aliquis arbitraretur nunquam eſſe in bilioſis vacuationem per vomitum celebrandam, adiecit; *ſi facilè vomant.* Celſus verò transfert Hipp. *lib. de ſalubri diæta, text.*15.

Hipp. 4. *aph.* 6. facilè vomentes purgandos ſuperiùs aſſeuerat, quoniam facilitas ad vomendum maximè optanda. Si contra Hipp. obiicias Auicennam; qui 4. 1. *cap.*3. in parato ad Diarrhœam, non conuenire alui fluxum confirmat, & ſic eadem ratione neque in facilè vomentibus purgatio per vomitum videtur exercenda Dic; Auic. voluiſſe, Diarrhœæ obnoxios, cautè & clementibus medicamentis eſſe vacuandos, quod præceptum obſeruari debet etiam, in iis qui facilè vomunt. Solue ſecundò,& fortaſſe meliùs, ſi dicas, aptitudinem illam eſſe duplicem: alia enim eſt morboſa, in qua ſemper purgatio per aluum prohibetur, ex Auic.1.3. *tract.*4. *cap.* 20. Celſo *lib.* 1. *cap.* 3. alia eſt aptitudo ſana, quæ potius promptitudo,& facilitas dici meretur, quam Medicus in omni purgatione contemplari debet, ex Hipp. *lib. de medicam. purgantibus, num* 3. dicente, ægrum ſemper eſſe interrogandum de facilitate purgationis.

Ex qua doctrina conſtat, oraculum Hippocraticum veriſſimum eſſe, quo monet, difficulter vomentes purgandos eſſe per inferiora: nam ij vomitoriis exhibitis in grauius diſcrimen frequenter incurrunt. Sed cur mediocriter carnoſos prohibet à vomitu *cit.loc.* Hipp. Dicunt plures cum Brachelio,& aliis in expoſitione illius ſententiæ, per modicè carnoſos, intelligendos eſſe modicè pituitoſos, id eſt frigidos & humidos, in quibus caro mediocriter accreſcit. Falluntur tamen: nam intelligendi ſunt eucrati, id eſt, temperati, ſicut verbum ſonat, ſic affirmante Gal. *in com.* hi enim licèt per vtramque partem poſſint vacuari, commodiùs tamen per inferiorem ventrem vacuantur, ob ineptitudinem quam habent ad vomendum. Vgo enim *in explanatione illius aphoriſmi* eleganter, plurimas cauſas affert, ob quas fiant homines inepti ad vomitum. Prima, eſt ventriculi craſſities, & robur. Secunda, debilitas expultricis. Tertia, pectoris anguſtia. Quarta, colli longitudo. Quinta, gracilitas venarum pectoris, & pulmonis. Vltima, diſſuetudo.

Vtrùm autem pueri, ſenes, & alij frigido temperamento præditi, & qui licèt ſano conſtent corpore, multa ſanguinis copia redundant, à vomitu ſint arcendi, vt voluere Aëtius *tetrab.* 1. *ſerm.* 3. *cap.* 124. Paulus *lib.* 7. *cap.*6. & num æſtate vtilior ſit vomitus quàm hyeme; vt Celſus docuit: & num hora matutina ſit aptior vomitioni: & quæ præcepta ſint obſeruanda poſt vomitionem, conſule Cælium Rhodigin. *lib.*21. *antiq.lect.cap.* 9. Chriſtoph. à Veiga *lib.*2. *art.medic.ſect.*2. *cap.* 3. Mercat. 1. *indicat.*9. Santorellum doctiſſimum *lib.*22. *anteprax. à cap.*1. *vſque ad* 5. & intepretes Auic. *in locis dictis.*

QVÆSTIO XXXVI.

Vtrùm vomitus ſalubris ſit, & an ſit motus naturalis, animalis, an præter naturam, vt docuit Valleſius.

COMMENTARIVM.

VOmitu.] Non erit arbitror indignum ſcitu, ſi ex vitetis diuerſiſſimis auctorum, præcepta aliquot de vomitu inſpergamus, quò floridiùs commentaria noſtra arrideant: nam ſummus Medicinæ Antiſtes *lib.* 5. *de vſu part. cap.*4. ſummè extollit vomitum, quoniam ventriculus non habet à natura aliquid, quod eum ad pituitæ excretionem ſtimulet, ſicut inteſtina, ad quæ continuò confluit bilis, quæ acrimonia ſua ad fæcalium recrementorum expulſionem ipſa proritat: maximè cùm ventriculus ſit mucoſi humoris ſedes, ac domicilium, in quo plurima recrementa naturaliter aceruari ſolent. Conuenientiſſimus ergo fuerit vomitus vſus, ſingulis quibuſque menſibus celebratus. Neque Celſus *lib.* 1. *cap.*3. eum condemnat, dicens: *commoneo tamen, ne quis, qui valere & ſeneſcere volet, hoc quotidianum habeat.* Nam frequentem eius vſum condemnat, ne illi aſſueta natura, per alias

ignobiliores

gnobiliores corporis regiones excrementitiũ hunc humorem emittere obliuiſcatur. Sic *in eod.cap.infrà*, purgationes frequentes condemnat,dicens:*Sed purgationes quoque, vt interdum neceſſariæ ſunt,ſic vbi frequentes ſunt, periculum afferunt. Aſſueſcit enim non ali corpus,& ob hoc infirmum erit,cùm omnibus morbis obnoxia maximè infirmitas ſit.* Præcautionis ergo ratione vómitus eſt vtiliſſimus: nam humidioribus ter in menſe, ſiccioribus verò bis vomere conſuluit Hipp.*lib. de diæta*: eius enim vſu ab omni immunditie exoneratur ventriculus, qui ſentina eſt omnis impuritatis, vt *lib.2.in com.hiſt.*5 3.ſatè notauimus.

Nec obiicias, quomodo ad tuendam valetudinem tantoperè in ſimpliciter ſanis, à Galeno, priſciſque auctoribus, commendatur vomitus, ſi temperati, quum tantum concoquant, quantum appetunt, excrementa vacuanda per vomitum non accumulent? Dic. Pauci temperati reperiuntur,& licèt inueniantur, ſæpe recta victus ratione non vtuntur, neque præcepta ſex rerum non naturalium commodè obſeruant; quare in iis ſenſim, ac ſine ſenſu humor recrementitius in ventriculo excreſcit, qui vacuationem per vomitum prærequirit:quamuis autem alantur victu ſelectiſſimo, hic tamen omni ex parte inculpatus non eſt, nec vniuſmodi, ſed partibus conſtat diuerſis, quarum quædam terreſtriores cùm ſint, vomitu ſunt expurgandæ.

Dubitabis ſecundò. Cur frequenter per vomitum, bilis,aut pituita vacuantur,non ſanguis, aut melancholicus humor? Nimirum vel bilis ſua leuitate aſcendit, vel in ventriculo regenita facillimè vomitu reiicitur. Sanguis verò per gulam non excernitur, immò *ipſum ſuprà ferri, malum*, 4.*aph*.25.eum enim ſuperfluum,& nimia copia in corpore redundantem natura per hæmorrhagiam, mariſcáſve euacuat; ſi verò in modica copia exiſtat, eum tenaciter ad ſui nutritionem reſeruat.

Sed cur melancholia vomitu non cuacuatur, præſertim quæ à liene in ventriculum eructatur, ad retinendum alimentum,ex Gal.5.*de vſu part. cap*.4. ad iuuandam coctionem,ex Auic. 1.3.*tract*.2.*cap*.1. ad excitandam famem,ex Paulo *lib*.3.*cap*.49.cùm enim frigida & ſicca ſit, aſtrictione ſua contrahit ventriculum, cogitque alimentum amplecti,& acerbitate corrugat os ventriculi, & appetentiam mouet:nam quod ars ſalſamentis acerbis præſtat ad excitandam appetentiam, id natura compenſat, dum eructat à liene melancholiam in ventriculum: explicat Valleſius *lib*. 1. *controuerſ*.20. Laurent. *lib*. 6. *de hiſtor. anatomic. cap*. 26. Vnde ſi canalis obſtruatur, & melancholiæ demandatio impediatur, faſtidium ſequitur; ſicuti ſi in magna quantitate eructet, in ventriculóque abundet, vt in affectibus melancholicis, fames & appetentia augetur. 13.3.*tract*.2.*cap*.7. Dic, quia ſua grauitate deorſum tendit: in paruiſſima quantitate in corpore abundat: & in minima portione à liene ad fundum ventriculi eructatur.

Quæres tertiò. An vomitus ſit vacuatio naturalis, vel præter naturam. Galen.enim 2.*de ſympt.cauſ*. 4. vomitiones,& tuſſes inter ſymptomata refert, hæc autem præter naturam ſunt, Secundò. Galen.3.*de ſympt. cauſ*.2. aſſerit, ventriculum cùm ſecundùm naturam ſe habet,à ſupernis partibus ad ſeſe trahere, ac per inferiores deiicere; ex quo patet, vacuationem per ſuperiora,quæ per vomitum fit, eſſe ventriculo præternaturalem. Tertiò.Gal. 5. *meth*. 11.docet,ventriculum vtrinque expurgari poſſe, ſurſum per vomitum, deorſum ſecundùm naturam: ergo vacuatio ſurſum per vomitum facta, non eſt ſecundum naturam. Vltimò. Plurimi hominesinnoxiè viuunt citra vomitum; id quod neutiquam facere poſſent citrà incommodum, ſi vacuatio naturalis eſſet. Ergo.

Pars oppoſita ſuadetur hoc modo. Vnicuique membro naturale eſt expellere noxium, quod fit per vomitum. Secundò. Gula habet duos vſus à natura, ex Gal.5. *de loc*. 3. alterum deuorandi, alterum vomendi; & pro his vſibus duo habet inſtrumenta à natura affabrè conceſſa,vt *cit.locis*,& 3.*de facult.natural*.8.retulit Galenus.

Et ſi in hac controuerſia plura afferant argumenta iuniorum peritiſſimi; & Valleſius 5.*controu*.1. in iis proponendis multus ſit, arbitretúrque ſolutis vtriuſque partis argumentis problematicè poſſe defendi: tamen commodiùs eam ſic dirimendam puto. Si naturale accipiatur pro vtili, quemadmodum *lib.de diff.feb.vlt.*& 14.*meth*.14. aut pro eo quod opponitur artificiali,vt 1.*aph*. 2. accepit Galenus, vomitus poteſt dici vacuatio naturalis. Si verò naturale, dicat vſum partis potiſſimum à natura intentum, vomitus eſt euacuatio præternaturalis: præcipuus verò vſus à natura inſtitutus, eſt attrahere per villos rectos tunicæ internæ, & expellere deorſum per villos tranſuerſos tunicæ externæ.

Sed vt videas quàm ſint varia auctorum & ingenia,& iudicia, plures ſolerter ſe extricaſſe rentur dubium, dum affirmant,in vomitione duo animaduerti,& actionem, & id quod actione excernitur: actio quidem naturalis eſt, vtpote ab expultrice ventriculi facultate emanans, quæ
B vna ex naturalibus eſt, 2.*de ſympt.cauſ*. 4. & paſſim alibi, & propter hanc actionem,Auctores vomitum naturalem appellarunt, vt doctè inter Latino-barbaros firmauit Nicolus *ſerm*.5.*tract*. 4. *cap*. 51. modò effrænis non ſit, aut quantitate immodicus, & in hoc ſignificato dicebat Gal. *lib.de ſect.ad eos qui introducuntur*; *c*. 18. *ſudoris, vrina, & quidquid per aluũ,aut vomitũ ruit; genus quidem non præter naturam eſt, multitudo tamen nonnunquam*. Si verò id quod excernitur, conſideretur, præternaturalis dicenda eſt; in hoc ſenſu dicit Galen.2.*de ſympt.cauſ*.4. *Vomitiones ad illud ſymptomatum genus eſſe referendas,in quibus cauſa præter naturam,ad huiuſmodi functiones naturam irritat.*

At ſi actio hæc accipiatur pro opere à natura intento, vtili, & corpori accommodo, vomitus dici poteſt actio naturalis: nam vt notat Ioann. Brauus doctiſſimus *lib*. 2. *progn*. 38. vomitus eſt vacuatio præter naturam ratione
C opificiorum quibus peragitur, eo quòd os, gula, & reliquæ partes ſupernæ, ad ingerendum fuere à natura fabricatæ,infernæ verò ad egerendum.

Neque obſtat, quòd 5.*de loc.*& 3.*natural.cit*. aſſeritur, ventriculum habere etiam vſum vomendi, cui tunica interna inſeruit villos tranſuerſos habens: nam huius potiſſimus vſus eſt,vt per inferiores partes expellat. Simpliciter itaque vomitus eſt vacuatio præter naturam, licèt fiat operante natura: nam hæc non operatur liberè, ſed coactè, ab aliqua cauſa præternaturali irritata; & ſic actio hæc eſt præter naturam, ex Gal.2.*de cauſ.ſympt*. 3. *circa fin*. & *cap*.3 *in princip*.

Altioris negotij eſt diſcutere, an vomitus ſit motus voluntarius:nam multi pro imperio voluntatis euomunt, de iis loquitur Gal.*lib.de motu liquidor.cap*.6. & hoc ſuffi-
D cit, vt aliquis motus voluntarius dicatur, vt conſtat ex 1.*de motu muſculor.c*.7.& *lib*.10.*de vſu part*.9. Oppoſitum ſuadetur, quia nullus eſt muſculus à quo fiat vomitus: omnis autem motus voluntarius operante muſculo fit, ex Gal.1.*de motu muſcul*.4.& 1.*de placit.vlt.*& 1.*de loc.vlt*. & ſic Auic.1.1.*doct*.5.*c*.14.vt doceat motum linguæ quo foràs pellitur, eſſe voluntarium, aſſignat muſculum quendam,per quem fiat. Addidit Fernel.*lib.de part.human. corpor.deſcript.c*.5. præter muſculos linguæ octo, nonum dari, qui linguam contrahit, atque reducit, & qui laxatus atque porrectus eam exerat, & foràs expellat, quod cæterorum muſculorum nulli datum eſt, vt motuum ſit opifex contrariorum. Hæc tamen ſententia recipienda non eſt: nam ope vnius muſculi lingua extrorſum, & introrſum non mouetur, quoniam his contrariis motibus,
E duo adſunt muſculi ab anteriore mento pronati, vt probat Laurentius *lib*.5.*de hiſtor.anatomic.c*.18. repetit *lib*. 9. *cap*.18. cuius opinionem multò antea firmauerat Galenus 10.*de vſu part*.9.& 12.*eiuſd.c*.8. *lib*. 1.*de motu muſculor*.3. docens partes voluntario motu præditas duobus ad minimum egere muſculis ſibiipſis oppoſitis, altero extendente, flectente altero. Deinde ex Galen. *ſuprà citatis locis*, operatio muſculi eſt contractio verſus ſuam originem: ergo idem muſculus non poteſt linguam contrariis motibus mouere.

Vgo *lib*.1.*aphor*.2.concedit quoſdam vomere voluntariè,ſed non vomere operante ventriculo, ſed operante iis bus muſculis abdominis ventriculum comprimentibus.

Dic,

Dic etiam in his qui videntur liberè, & voluntariè vo- mere, vomitum non eſſe motum voluntarium, nec eſſe operationem facultatis animalis; licet enim ob concep- tam præcedentem imaginationem ad vomitum prouo- centur, & illa facultas animalis ſit; tamen quatenus ad cauſam coniunctam attinet vacuationis illius, vomitus nunquam erit motus facultatis animalis, ſed naturalis: nam perpetuò emanat à facultate aliqua irritata, vel ab aliquo prauo humore in ventriculo contento, vel ob ali- quam conceptam imaginationem,quę moleſtare,& inter- turbare ventriculum nata eſt, quod ſæpè contingit. Qui itaque voluntariè videntur vomere, mediam conſtitutio- nen ſeruant, inter illos qui perpetuò vomunt, nihil in ventriculo retinere potentes, & illos qui nunquam vo- munt.

QVÆSTIO XXXVII.

Vtrùm ſecundùm Gal.doctrinam, in morbis ſit conſti- tuenda cauſa continens, vt contra eum Curtius, Leonicenus, Fuchſius, & alij confirmant.

COMMENTARIVM.

Cauſam continentem.] Celeberrima quæſtio eſt, in qua explicanda non adhuc capit diſſenſio finem: Vtrùm in morbis ſecundùm Gal. doctrinam ſit aſſignanda cauſa continens. Video enim in eius explicationem Neoterico- rum Anteſignanos longè diſcordes. Concedunt Valleriola *lib.6.enarrat.1.& 3.loc.commun.3.* Argenter.*lib.1.de cauſ. morbor. cap.9.* Fetnel.*lib.1.patholog.11.* Contrà opinantur Matthæus Curtius, Leonicen. & alij,quos refert Marcus Anton.*in ſuis quæſtionib.à quæſt.5.vſque ad 9.*quorum vo- tum amplectitur Fuchſius *lib.de cauſ.morbor. cap.*?. *in fin. & lib.2.paradoxor.1.* Alij cauſam continentem in morbis concedunt,qui in generatione ſuam eſſentiam habent,in permanentibus autem negandam eſſe aſſeuerant, de quo- rum numero ſunt Cardan.*lib.1.contradict. tract.4.com.14.* Ioan. Langius *lib.1. epiſt.15.* Muſa *lib.7.aph.30.* Thom.à Veiga *lib. 1.de loc. in com. cap.3.* Sed Auctorum ſententiis relictis,partem affirmatiuam confirmabo, difficilem viam aggreſſus, quum poſt tot celebres viros meam promere ſententiam audeam, quare litus potiùs legens,ac ac op- tans,elephantum more (qui etſi omnibus delectentur im- pensè, eos temerè non ingrediuntur, ceu natandi inſcij) hanc cautè arduam proſequar nauigationem.

Et primò ſic. Non ſolùm morbi, ſed omnia quæ apud nos ſunt, ſuæ generationis, ortúſque cauſam obtinent. Sed continens cauſa eſt illa,quæ in rei generatione ſuam eſſentiam habet, ex Gal. *lib. aduerſus Iulian.cap. 6.* Ergo non ſolùm morbis,ſed rebus omnibus genitis cauſa con- tinens tribuenda videtur, & maximè ſi per continentem, cauſam formalem intelligamus; propriè enim forma eſt quæ rem ipſam continet, & cuius ablatione confeſtim tollitur.

Secundò. Si de efficiente cauſa ſermo ſit, minùs etiam negari poteſt: nam continens cauſa, quidquid illa ſit, ea- dem omninò eſt,ac coniuncta,*lib.1.de ſympt.cauſ.5.*Sed in vnaquaque re producta datur proxima,& coniuncta cau- ſa ſine medio producens: alias enim daretur cauſarum proceſſus in infinitum. Ergo & in morbis, & in reliquis omnibus continens admittenda eſt.

Tertiò. Vrinæ ſuppreſſio, meatus obſtructio, ex *lib.de diſ.morb. cap.7.* ægritudo eſt; ſextus digitus ſimiliter, in numero addito: ceſſant tamen ablato humore, lapide ob- ſtruente, & ſexto digito ſuperabundante; & putrida fe- bris ſublato ex toto humore non ampliùs durat. Neque enim concipi, aut intelligi poteſt, quòd febris remaneat, & cuius ſpeciei illa ſit, vbi vniuerſus putridus humor (in cuius putredine, & calefacto eſt putrida ipſa febris con- ſiſtit) fuerit euacuatus. Confirmatúrque, quoniam cùm ſæpè putrida febris finiatur criſi, & hæc repentina ſit ad ſalutem, vel mortem mutatiò,repentè purgato per criſim humore, ceſſabit confeſtim febris, & conſequenter ſani- tas conſequetur. Ergo.

Quartò. Nonnulli morbi fientes,& qui per conſenſum fiunt, ſolius cauſæ remotione, & curatione earum par- tium cui conſentiunt,ſanantur,vt conſtat ex Galen.*lib. 1. de loc.affect. cap. 2.* quia ſaltem ij morbi habent cauſam continentem.

Quintò. Galenus *lib. 1.de cauſ.pulſ.cap.1.* non ſolùm in pulſu, ſed & in omnibus rebus continentem cauſam agnoſcit,& in morbis quidem *lib.definit.& lib.1. de cauſ. ſympt.cap.1.*de ſtupore agens, dicit cauſam continentem ſtuporis eſſe morboſum affectum, vel obſtructionem. Et *1.de cauſ.ſympt.cap.2.2.aph.22.& 2.prog.44.& lib. 7.aph. 30.& lib.aduerſ.Iulianum, cap.6.* quibus ſubſcribit Celſus *in proœmio.*

Sed vt in hac explananda antinomia optatum conſe- quaris finem, obſeruare debes primò cauſæ continentis nomen,prout refert Gal.*contra Iulian.ſuprà relatū,& com. pend. de pulſibus*, Stoïcorum fuiſſe inuentum, quorum Princeps fuit Zeno, duas rerum omnium cauſas conſti- tuens, materiam ſcilicet, & Deum per omnia permean- tem, & omnia penetrantem, quem ipſum eſſe propriam rerum cauſam continentem aſſerebat,quòd ſupera omnia contineret, gigneret, augeret, perficerétque. Hinc Ariſt. *lib.de mundo ad Alexandrum: Vetus*, inquit, *fama eſt, & hæreditaria,vniuerſa à Deo,& per Deum nobis eſſe conſtituta.* Vnde dicebant veteres omnia eſſe Deorum plena, nimi- rum quoniam opinabantur nihil poſſe in orbe propria forma conſtare, ſed eſſe neceſſarium ab aliis ſuſtineri, ac conſeruari.

Alij verò eiuſdem ſectæ ad inferiores cauſas deſcen- dentes, craſſa corpora ab aliis tenuioribus illa occupanti- bus, & permeantibus conſeruari, & contineri exiſtima- bant, quibus continentis cauſæ nomen imponebant. Sic aquam,terram,& reliquas mundi denſas, craſsáſque par- tes, per ſe totas ab igne, & aëre penetrari credebant, & ita ab illis occupatas manere, & durare, tanquam à ſua continente,& conſeruante cauſa; & non aliter ignem,& aërem ab æthereo quodam longè tenuiſſimo ſpiritu. Sed cùm huiuſmodi corporum penetratio à nullo ſapientum admittatur, non eſt cur in refutanda opinione Stoïcorum immoremur.

Alij Herophili dictis, de quo Galen.*lib. de plenitudine, cap.3.*perſuaſi,contendebant neceſſarium eſſe,dari aliquid quod contineat, diuerſum à ſuo contento: ſed quid illud eſſet,ignorare fatebantur:quoddam tamen cauſæ ge- nus dari affirmabant in quibuſdam apparentibus rebus, quæ tantam cohærentiam, & affinitatem cum ſuo effectu haberent, vt data quacunque in cauſa mutatione, confe- ſtim effectus ipſe mutetur,ita vt eâ poſitâ ſtatim ponatur, & ſublatâ auferatur effectus, quo pacto ſe habet lumino- ſum corpus ad lucem.

Arabes Auic. ſequuti, qui vltra antecedentes febrium cauſas,alias coniunctas poſuit,continentem cum coniun- cta confuderunt, appellantes cauſam communem ſine medio producentem coniunctam, vel continenté:de quo argumento legendus eruditiſſimus Santorell.*lib.2. Ante- prax.cap.6.*Licet verò Gal.*lib.1.de cauſ.ſympt.lib. 5.* idem ſentire videatur;longè tamen diuerſæ cenſendæ ſunt con- tinens,& coniuncta,vt paulò *infrà* conſtabit, & notat Pe- trus à Fonſeca,Philoſophus eximius *lib.5.metaphyſ.cap.2.*

Obſerua ſecundò, non ſatis inter Medicos conſtare,in quo cauſæ continentis ratio & eſſentia conſiſtat. Pluri- mi exiſtimant in eius eſſentia duo hæc includi,vt ea præ- ſente ponantur, & definente euaneſcant effectus, prout definitur *lib. finition.medicar.& lib.introduct. cap. 8.* idém- que ex eo colligunt, quoniam ſi cauſa continens in ge- neratione ſuam eſſentiam habet,hoc eſt,in agendo,& ge- nerando,prout ex Galen.dictum eſt *lib.aduerſ. Iulian c. 6. & compendio de pulſibus*,planè vbi illa adfuerint,effectum adeſſe neceſſe eſt, & è contrà; alioquin actio ſine ter- mino daretur. Idem expreſsè videtur ab ipſo Galeno ſignificari, *prædicto lib. aduerſ. Iulian. cap. vlt.* vbi ait, nullam aliam continentis cauſæ rationem poſſe reperiri, quàm quòd ab ea aliquid fiat, & cum ea pariter ceſſet: ídque ipſum colligere nituntur ex Galen.1. *de loc. cap. 1.* quo loco cauſam continenté definiiſſe credunt,dum dixit,

id quo tangente tangimur, & quo ſeparato ſtatim ceſſat effectus, cauſam eſſe, apud omnes in confeſſo eſt.

Sed non videntur duo illa neceſſaria ad cauſę continentis rationem, ſed alterum tantùm, nimirum vt ea ablata effectus auferatur, ita vt nec momento temporis poſſit perdurare: id quod confirmari poteſt, quoniam, vt ex Gal. conſtat, 1.*de cauſ.pulſ.cap*.1. facultas, vſus, & inſtrumentum, tres ſunt continentes cauſæ pulſus, & tamen vnaquaque illarum poſita non ſtatim ponitur pulſus, quoniam vt fiat, neceſſe eſt omnes tres illas cauſas coïre; quacunque tamen ablata ceſſat: ergo, &c.

Nec aduerſantur Gal.loca in contrarium adducta: nam *lib.dif.& introd.* (præterquam quòd cum quibuſdam poteſt dici non eſſe Galeni) latiùs accipitur cauſæ continentis nomen, quàm propriè vſurpatur; quemadmodum latè etiam vſurpauit Celſus, quamcunque cauſam abditam, continentem appellans, quum tamen ſtrictè ſumpta illud tantùm importet quod diximus. Habere autem ſuam eſſentiam in generatione, nihil aliud eſt quàm neceſſariam eſſe, & requiſitam ad hoc vt affectus generetur. *Cap*.verò *vlt.aduerſ.Iulian.* dum inquit de ratione continentis eſſe, quòd ab ea aliquid fiat, no ponit neceſſitatem effectus ad cauſæ abſentiam, ſed potiùs ablationem ipſius effectus ad cauſæ abſentiam: perinde enim eſt, ac ſi dixiſſet, cauſa continens eſt cauſa in qua pariter tollitur effectus: cauſæ verò definitio eſt quòd ab ea aliquid fiat; idque Gal. voluit ſignificare *lib.*1.*de loc.affect.cap.*1. & non cauſæ continentis, ſed cauſæ in communi notionem explicare: quamuis enim continens cauſa ſit id à quo aliquid fiat, & in generatione ſuam habeat eſſentiam, & ea ablata auferatur res, falsò tamen dicitur, quòd cauſa poſita neceſſariò ponatur effectus: nam vitalis facultas pulſum efficit, & ad eius generationem concurrit, demùm & cum ea ſimul tollitur pulſus ipſe, nec tamen neceſſariò ponitur, ipſa facultate poſita. Quapropter ea tantùm dicenda eſt cauſa continens, qua ablata effectus auferatur, nec ampliùs duret, exiſtátve.

At obiicies contrà ſententiam Gal. qui *in compendio de pulſib.cap*.9. cauſas à ſe dictas continentes, generationis, non ſubſiſtentiæ cauſas eſſe aſſeuerat. Ergo magis videtur eſſe de ratione cauſæ continentis, vt ea præſente effectus detur, quàm vt ipſa abſente auferatur; quæ quidem res per generationem producuntur, & ſunt, & non deſinunt exiſtere ad abſentiam illius, quod ſuæ exiſtentiæ non eſt cauſa. Dic, Gal.tantùm velle continentem cauſam, licèt cauſa efficiens ſit generationis, non dare tamen ſemper exiſtentiam ſimpliciter, quoniam eam non habent illa quibus ipſa continens conuenit? ſed tanùm exiſtere, & eſſentiam poſſidere dicuntur, dum fiunt & generantur. Producuntur itaque res, & ſunt per generationem, eo modo quo illarum conditio, & natura patitur: quæ verò ſint hæ, ſubſequenter explicabitur.

Obſerua tertiò, quod licèt omnia quæ apud nos reperiuntur, cauſam aliquam ſui ortus, generationiſve habeant, ſuámque eſſentiam aliunde obtineant, iuxta illud vulgare, *nihil ſine cauſa fit:* poſtquam tamen à ſuis cauſis eſſe receperunt, per ſeipſa conſtitutione ſua ſe tuentur & conſeruāt, nec cauſæ à qua producta fuerunt, auxilio opéve indigent, ad hoc vt conſeruentur, & durent. Alia verò è contra, non modò in generando aliunde manant, & pendent, ſed tam fragili, fluxa, & caduca natura ſunt prædita, vt niſi à ſua cauſa perpetuò influxum recipiant, protinus aboleantur, deſinántque eſſe: Ex quibus priora appellantur permanentia, poſteriora ſucceſſiua. Succeſſiuorum verò duo ſunt genera; quædam enim ſuam eſſentiam, ſuáſque partes iunctas ſimul obtinent, & earum integritate fruuntur: alia non, ſed illas ſucceſſiuè tantùm, hoc eſt, vnam poſt aliam recipiunt, & poſſident: hæc cùm conſtent partibus quæ iunctæ non dantur, ſed aliæ aliis ſuccedunt, continua egent cauſæ actione; quoniam quandiu illa agit, producendo ſemper partes de nouo, quæ ſimul dari non poſſunt, in hoc genere earum durant ipſæ, pereunt verò & abolentur ceſſante cauſa, huiuſmodi ſunt motus omnes, tempus, locutio, deambulatio, &c. Demùm & omnia quæ tantùm, dum fiunt & generantur, eſſentiam ſuam poſſident, de quibus Gal. ſæpè relato *libello compend. de pulſ.*9. Illa autem priora, licèt partes omnes ſuas iunctas habeant, tam fragili tamen natura, & conditione conſtant, vt nullo tempore permaneant, & durent ad ſuarum cauſarum abſentiam.

His præhabitis, ſit prima concluſio. Nulla res permanens cauſam habet continentem. Succeſſiuæ tamen tam primi, quam ſecundi generis habent. Hæc ex primo præmiſſo ſatis manifeſta eſt, & paulò poſt magis confirmabitur. Secunda concluſio. Cùm inter morbos, quidam permanentes res ſint, alij ſucceſſiuæ, in permanentibus cauſa continens non datur, in ſucceſſiuis autem ſic. Secunda pars, ex prima concluſione apertè deducitur. Prima verò in hunc modum explicatur. Nihil poteſt ſimpliciter denominari, niſi ab eo quod factum eſt iam, & eſſentiam ſuam habet productam, ſuiſque partibus conſtantem, ex Ariſt.*lib*.5.*phyſicor.cap*.1.non verò ab eo quod fit, & quandiu non eſt, 4.*topicor.cap.vlt.* Sed morbus eſt affectus quidam, ſeu diſpoſitio ſecundùm ſuam eſſentiam corpus denominans: calidum enim, vel frigidum, humidum, vel ſiccum iuxta ægritudinis ſpeciem denominatur, & denominari debet ægrum corpus, 2.*topic*.5. Ergo morbus de genere eſt illarum rerum, quæ ſuam eſſentiam productam habent, & minimè quoad fieri à cauſa pendentem. At cùm non omnia quæ ſuas partes iunctas habent, ſuámque eſſentiam productam, per ſeipſa ſe tueantur & conſeruent, quod proprium eſt permanentium, vt diximus; ſed quædam propter fragilem, & caducam quam habent naturam, continuò producentis cauſæ influxu indigeant, & hoc ipſum inter morbos reperiatur, fit vt morboroum quidam, permanentes ſint res, alij verò ſucceſſiuæ, ſecundi quidem non primi generis ſucceſſiuarum: nam cùm primùm in nullo inſtanti eſſentiam ſuam integram habeant, & completam, non poſſunt denominationem corpori dare, quod ad morbum requiritur.

Dari veró vtrumque morborum genus, colligitur primò ex Gal.*lib*.1.*de loc.cap*.2. dicente, *in morbis ablata cauſa adhuc diſpoſitionem permanentem dari, quæ morbus eſt:* quod tamen de omnibus intelligi non poteſt, ſed de his quæ de genere permanentium ſunt. Idem innuit *lib.art.medic.cap*.89.*&* 2.*aph*.22.*&* 8.*meth*.1.*& lib*.11.*cap*.4. vbi in febrium putridarum curatione cauſam iubet auferre, deinde intemperiem curare, nimirum quoniam cùm putridæ febres morbi ſint in genere permanentium, remota ablatáque cauſa adhuc durant, & perſeuerant.

Eſſe autem morbos nonnullos de numero ſucceſſiuarum rerum, conſtat: Galenus ſiquidem *lib. de dif. morb. cap*.7.obſtructionem appellat morbum, pupillæ dilatationem, manus extenſionem, & flexionem, quæ tamen omnia per ſe non durant, ſed ad cauſarum præſentiam; quantumuis producta ſint, & ſuam eſſentiam integrè poſſideant. Nec obſtat quòd Galenus 1.*meth*.3.*& de dif.ſympt.cap*.1.*& lib. de loc.affect.cap*.3. ſignificare videtur, morbum omnem de genere eſſe permanentium; illud enim conſtituit diſcrimen inter paſſionem, & morbum, quòd paſſio cùm motus rei ſit, tunc ſolùm habet eſſe, cùm fit, alteratur, & mutatur; ac propterea fluxum quidpiam eſt, mobile, & imperfectum, ac veluti ad affectum via: morbus autem permanens quoddam, fixum, ſtabile, perfectum, & paſſionis finis. Non (inquam) obſtat, quoniam tantùm ſignificat paſſionem, cùm motus ſit, ſolùm durare dum res mouetur, & alteratur: at verò morbum, cùm terminus ſit paſſionis, ea ceſſante permanere adhuc, ſiue illud habeat eſſe, quod proprium eſt permanentium rerum; ſiue ad cauſæ præſentiam, quæ ſucceſſiuarum. Itaque cùm permanentiam ad morbum, vel ſanitatem vult, durationem intelligit. Quòd verò morbi illi, quos inter permanentes numeramus, continentem cauſam non habeant, conſtat ex Gal. *loc.ſup.adductis*, vbi cauſa ablata iubet ad remanentem morbum reſpicere: & patet in diaria febre, quæ independens eſt à cauſa producente; & in hectica, quæ ex ſe fixa eſt, & habituata: quidquid verò permanet ſua cauſa ſubtracta, cauſam continentem non habet; ſiquidem illa eſt, ad cuius remotionem aboleſcit, & perit effectus.

Deinde

Deinde, nulla res quæ per motum producitur, poteſt repentè, & momento temporis corrumpi ad alterius rei corruptionem. Sed morbi v.g. intemperiei, quos permanentes nos dicimus, motu, & alteratione acquiruntur. Ergo ad ſuarum cauſarum ablationem, ceſſationemve repente non auferuntur, & ex conſequenti cauſam continentem non habent. Cùm verò alij morbi inſtar ſucceſſiuorum primi generis, abſque alia ſui corruptione, ad remotionem cauſæ euaneſcant, meritò illis cauſa continens tribuitur. Ergo ſumendo febrem pro materiali, id eſt, pro calore, vt à Medico accipitur, nullam hebet continentem cauſam, ſicut nec frigidi morbi, nec ſolutio continui: habent verò extenſio, vel flexio manus, pupillæ dilatatio, tumefactio membri, obſtructio à lapide, additio ſexti digiti, &c. Nimirum quoniam cauſarum ablatione, auferuntur repentè, & ceſſant morbi illi, abſque alia ſui ratione. Idem etiam dici poteſt de febribus, & omnibus aliis morbis, ſi non materialiter, ſed formaliter ſumantur, id eſt, pro diſpoſitione primæ ſpeciei qualitatis, reſultante ex calore, vel frigore aucto, vt morbus à Philoſophis accipitur; tunc enim omnibus liberè cauſa continens concedi poteſt.

Sed contra hanc doctrinam obiicies hoc modo. Cauſa continens in generatione tantùm ſuam habet eſſentiam, tantúmque illis rebus conuenit, quæ exiſtere dicuntur dum fiunt. Sed ſucceſſiua illa primi generis, fientia non ſunt, ſed facta & ſecundum ſe tota producta, nec ſucceſſiuè generantur. Ergo licèt inter morbos nonnulli reperiantur, qui res ſucceſſiuæ ſint illius generis, nullus tamen habet cauſam continentem. Dic, quòd licèt ſucceſſiua primi generis, in ſua generatione eſſentiam ſuam ſimul, partéſque ex quibus illa integratur, iunctas conſequantur, ac propterea in quadam ſignificatione factum quidpiam dicantur, quia ſcilicet ſecundùm ſe tota producta ſunt; cùm tamen non dicantur eſſe ſimpliciter, & abſolutè, vt aliquando per ſe conſiſtentiam habeant, ſed ita à ſuis cauſis oriantur, & pendeant, vt iis ablatis confeſtim ceſſent, meritò & maximè propriè poſtquam ſunt, fientia dicuntur, quemadmodum illa quæ ſucceſſiuè gignuntur, de quibus Galenus *lib. 1. de loc. affect. cap. 4. &* 8. *meth.* 1. dicens: *at ſi in generatione febris eſt, ſolius cauſæ ablatione ceſſat.*

Ex quibus ita conſtitutis, non erit operoſum ſoluere argumenta, in limine quæſtionis adducta. Ad primum admiſſa maiori dicendum eſt, quòd licèt continens cauſa ſit generationis, ac propterea ex Gal. *compendio de pulſib.* nulla alia detur prior; vt ex eo tamen ibidem conſtat, non quidquid generationis eſt cauſa, illud etiam continens eſt: vnde licèt omnia quæ apud nos ſunt, ſui ortus obtineant cauſam, non ſequitur proinde omnia continentem habere, haberent tamen ſi per eam, formalem intelligeremus, cuius ablatione res ipſa procul dubio tollitur: verùm nobis de efficiente eſt ſermo.

Ad ſecundum. Si eadem eſſet continens, & coniuncta cauſa; non modò in morbis, ſed in rebus omnibus, illa concedenda foret: neceſſe ſiquidem eſt cuiuſque rei cauſam proximam quandam, & coniunctam dari, à qua ſine medio producatur, ne cauſarum proceſſus trahatur in infinitum. Eſſe verò diuerſas diuiſiones coniunctæ, & continentis cauſæ, vel ex eo conſtabit, quòd cùm in omnibus coniunctam, immediatámque cauſam admittamus, pauciſſimis continentem tribuimus. Nec aduerſatur Gal. 1. *de cauſ. ſympt. cit.* vbi aſſeruiſſe videtur, eandem omninò eſſe coniunctam & continentem cauſam: cùm enim ibi ageret de cauſa cuiuſdam ſymptomatis, torporis ſcilicet, ſeu ſtuporis, procul dubio continentem habet, abſentiam, ſcilicet ſenſificæ facultatis, & ſpirituum animalium: Cúmque cauſa quæ eſt continens, eademmet ſit coniuncta, placuit aut coniunctam, aut continentem dicere.

Ad tertium. Nihil mirum ſi vrinæ ſuppreſſio, meatus obſtructio à lapide, ſexti digiti additio cauſam habeant continentem; ſiquidem de numero rerum ſunt ſucceſſiuarum, in quibus illam concedimus: in putrida verò denegamus, qui morbus eſt ex permanentium numero, quique cauſa ablata adhuc permanet, & durat, vt patet ex *cap.* 89. *lib. art. medic. & aliis locis ſuprà citatis.* Pro cuius maiori explicatione ſciendum eſt, in febri putrida, quæ morbus fiens dicitur, quoniam partem factam habet, partem verò futuram fieri, tria poſſe conſiderari, præter putridum ipſum humorem: intemperamentum ſcilicet factum & productum, quod quidem verè morbus eſt; deinde futurum fieri, quod durans & ſtabile non eſt, ſed motus quidam & paſſio; tandem & putridi adiectio. Sublato ergo ex toto putrido humore, futurus ipſe fieri confeſtim euaneſcit, ſimul & adductio putridi, quoniam paſſiones quędam erant, & quidpiam ſucceſſiuum, à pudrido humore, tanquam à cauſa continente dependens. At verò calidum intemperamentum factum & productum, hoc eſt febris ipſa, quæ permanens eſt diſpoſitio, quantumuis auferatur humor, manet, & perſeuerat, nec cauſam habet continentem: continetur verò huiuſmodi febris ſub putrida, licèt iam non adſit putredo, nec humor putridus; quoniam vt putrida dicatur, ſufficit quod à putredine ortum, dependentiámque habuerit (dummodo iam aliud febris genus non conſtituat: hectica enim à putrida orta, putrida non eſt dicenda) quemadmodum etſi ros, vel aliqua ex humiditatibus ab Arabibus inuentis, ex diaria febri ebulliant, ſub diaria continetur; ſi ex putrida, ſub putrida; propter quod dixit Auerrhoës, 3. *collect. cap.* 4. duplices eſſe putridas febres, quaſdam ex humoribus, alias ex tertiæ coctionis humiditatibus.

Sed meritò dubitari poteſt, quomodo remanere queat humoralis febris, humore ex toto euacuato, vel alia quæcunque: nam ſi ratio humoralis febris conſiſtit in calefacto eſſe humorum, procul dubio illis ablatis auferetur etiam calor in ipſis exiſtens: atqui non poteſt intelligi, quòd remaneat genus aliquod febris, niſi concedamus dari ſemper febrium complicationem, quarum vna ablata alia remaneat. Dic, quòd licèt, vt detur febris, requiratur aliquid contentorum in corde, poſitum in calefacto eſſe, quoniam alioqui non dabitur calor durans in corpore, ipſum tamen calefactum ſpirituum, vel humorum, non eſt febris ipſa, ſed aliquid reale lædens functiones, diſtinctum ab humore, & ſpiritu calefactis, ſcilicet calor immodicus membrorum, cui conuenit nomen morbi, quique permanet & durat: & ſublatis humoribus calefactis, quoniam calor res permanens eſt, cúmque in eo febris ipſa conſiſtit, quæ calida eſt diſpoſitio totius, vltra humoris vacuationem, peculiarem requirit prouidentiam.

Quinimò aduerte, quòd licèt febris conſiſteret in calefacto eſſe ſpirituum, vel humorum: & huiuſmodi eſſet febris ſubiectum; non ſequeretur adhuc febrem habere cauſam continentem, quantumuis ad illorum remotionem confeſtim ceſſaret, quoniam non aufertur ad ablationem cauſæ efficientis, de qua loquitur; ſed ad definitionem ſubiecti, quo pacto pereunt, & euaneſcunt omnia accidentia, & de genere permanentium, & quæ cauſas continentes non habent.

Minùs obſtat, quòd purgato per criſim humore confeſtim ceſſat febris; nam illud confeſtim non ita accipiendum eſt, quaſi ſubitò, & temporis momento euacuato humore deſinat febris, ſed intra vnum, plus minúſve diem, ex Gal. 2 *prorrhet. text.* 17. ac proinde non ſequitur habere cauſam continentem: nam vbi illa datur, ita cum effectu cohæret, & è conuerſo, vt ne momento quidem temporis diuelli patiantur, quemadmodum ſe habet fulgor ad ſolem, ad cuius abſentiam nullo tempore manet, licèt aliquando permaneat calor ab ipſomet ſole productus, vt ait Gal. *lib. 7. de placit. cap. 9.*

Ad quartum. Non conſideratur à Medico tanquam morbus, id quod particularem prouidentiam non requirit: quare cùm effectus illi per conſenſum, adhuc à cauſa pendeant quoad fieri, & ea ablata ceſſent, morbi non dicuntur, ſed paſſiones, quibus continentem cauſam non negamus. Denique ad Galen. 1. *de cauſ. pulſ.* dic, illum non aſſeruiſſe in omnibus rebus, cuiuſcunque generis illæ ſint, prædictam cauſam inueniri, ſed in omnibus aliis pulſui (de quo ibi) ſimilibus, id eſt ſucceſſiuis, quod poteſt intelligi *lib. finit. & in lib. introduct. & lib. de ſect. cap. 7.* vel quòd cauſam continentem latè accipit,

per eam intelligens antecedentem, quæ nonnunquam ab antiquis confundebantur,& continens ipſa impropriè,& latè accipiebatur,quemadmodum à Celſo relato. Quòd ſi Gal.ipſe *2.meth.3*.tumores, quos diximus eſſe de numero rerum ſucceſſiuarum,& cauſam habere continentem, numerat inter res permanentes, in quibus prædicta cauſa non datur, illud eſt, quoniam in tumoribus conſiderari poſſunt intemperamentum,ſolutio continui,ſimul & tenſio ipſa; cùm verò intemperamentum, & ſolutio continui de numero permanentium ſint, ratione illorum dicitur tumor nonnunquam res permanens; aliquando verò ſucceſſiua,vt *lib.aduerſ.Iulian.*ratione tenſionis, quæ à replente humore pendet. De quo argumento ſi fortè plura requiris, adi Valleſ. *4.cont.3*. Suarium *part.1. metaphyſic. quæſt.17. ſect.1.* qui de cauſarum differentiis inter omnes elegantiſſimè diſceptauit.

HISTORIA XXVII. AETII, De ſphincteris reſolutione.

Sphincteris reſolutio curatur,ob quam alui excrementa inuitè fluebant.

I*N teſtino recto reſoluto omninò, inuoluntariè ſtercora excernuntur. Ego verò etiam aliquando acopon (laſſitudinẽ eximens) ex euphorbio paratum dilutum, per clyſterem cum fœnugræci decocto immiſi,& benè ſucceſſit,&c. Aëtius* tetrab.2. ſerm.2.cap.36.de inteſtini recti reſolutione.

PARAPHRASIS.

QVàm neceſſarium ſit ad curationem morborum,eorum præſertim qui per conſenſum fiunt,locum primariò laborantem cognoſcere, docet Gal. *lib.1.de loc.c.6. & 4. de loc. 5.* & hiſtoriis appoſitis confirmat, quas nos *lib.1.hiſt.*48. & *lib.2.hiſt.*147. explanauimus, & hoc loco vberiùs explanabimus. Hoc ipſum ex præſenti hiſtoria expreſsè colligi poteſt: nam nemo exactam notitiam poteſt comparare, niſi in anatomica diſciplina ſit apprimè exercitatus,& maximè in muſculorum,neruorúmque diſſectione,vt locum affectum agnoſcere poſſit; ſolus enim hic accuratè callebit cuiuſnam muſculi, neruíque actio fuerit deperdita in parte, nulla interim noxa ipſam infeſtante,& tantùm ob ſpiritualem, incorporeámve facultatem mutatam. Accidit enim plerumque vt muſculi actio pereat,ſine eo quòd eius corporalis eſſentia aliquo morbo vexetur;ſed tantùm quia per neruum vis non accedit, ac proinde neceſſe eſt cognitos habere ex diſſectione neruos ſingulis partibus inſeruientes, & illorum origines, vt ſedem primariò affectam venemur, & ſic poſſit illi applicari auxilium.

Ergo cùm fæces in hoc ægro inuoluntariè excernerentur, reſolutis muſculis inteſtini recti,fortè ob obſtructionem ex humore craſſo,& pituitoſo pronatam,vel intemperamentum frigidum ex refrigeratione aliqua externa inductum,vt balneo frigido, ſubmerſione in frigida aqua, vt ſæpè natatoribus contingit, & ſic influxum à cerebro non reciperent, impedita videlicet via,per quam defertur facultas ad ſentiendi, mouendique organa factum eſt vt medicamentis calidis malum conſaneſceret.

Ex tribus muſculis ani, vnum eſſe orbicularem qui ſphincter appellatur, in extremo recti inteſtini poſitum, latum potiùs quàm craſſum,fibris tranſuerſis conſtantem, peritiſſimi anatomici docuere. Hic fæces detinet,ne nobis exeant inuitis, conſtrictórque appellatur, & cùm ſpinæ iunctus ſit, nec ab interna ſolùm cauſa poſſit reſolui, fit vt frequenter præcedat externa aliqua occaſio;vt ictus,refrigeratio. Quæ occaſiones dignoſcuntur etiam referente ægro,& ex eo quòd vbi ex ictu noxa accidit,non vnica tantùm pars offenditur, ſed plures, quoniam ſcilicet cùm ictus ad profunda penetret, in quibus plures nerui ſimul coniuncti ſunt,& diſſeminati, & non vnicus tantùm, ſed plurium muſculorum,multos ſimul contundit & offendit: vulneratus verò muſculus ex eo reſoluitur, hoc eſt, mouendi actione priuatur, quoniam ad ictum generatur phlegmone,ex qua poſteà in ſcirrhum mutata,ſequitur in neruo obſtructio, & in muſculo reſolutio.

At verò vbi externa cauſa eſt refrigeratio, cui nerui ſuapte natura frigidi obnoxij ſunt, vna tantùm, non plures partes ſimul læduntur, quoniam cùm frigus non ita penetret,ſed tantùm muſculos cuti viciniores potiſſimùm attingat, ſequitur noxa ſolùm in illo, qui magis ſublimis eſt,magiſque cuti propinquus,cui potiſſimùm accedit frigiditas, atque ita ex varietate læſarum partium, non mediocris elicitur etiam coniectura, ad mali cauſam diſcernendam: nempè ſi vnica tantùm læſa appareat, ſuſpicio incidit refrigerationis, dummodo ea vniuerſale principium non occupauerit.

Cùm ergo frigus lædere ſoleat muſculos, qui potiſſimùm in corporis ſuperficie ſunt, & quibuſdam ægris, quos Gal. *loc.cit.* retulit, reſolutus ſit à frigiditate muſculus, qui extremam recti inteſtini ſedem ambit,vt huic ægro etiam contigit, de quo ſcripta eſt hiſtoria hæc, fit vt frigidam intemperiem contrariis remediis corrigere ſit neceſſe, de quibus infrà.

Sed dubitabis,quo pacto reſoluto inteſtino recto, alui excrementa excernantur inuitè, ſi hæc generantur in inteſtinis tenuibus, ex Gal. *3.de facult.natural.cap.7.*vbi diſputans aduerſus Aſclepiadem, qui putabat nullam fieri in ventriculo coctionem, hac ratione vſus eſt, quod fieri non poſſit, vt panis niſi concoquatur in ventriculo, fiat ſubitò in inteſtinis tenuibus ſtercus. Idem videtur voluiſſe *eod.lib.cap.22.ad fin.* Patet, quoniam ſi hæc recrementa non generarentur in tenuibus inteſtinis, ſed in ventriculo,eadem ſymptomata efficerent quæ efficiunt in lethalibus volulis,in quibus dicit Gal. *lib.7.aph.com.*11. ſtercus aſcendere ad ſtomachum; quare quotidie homines fierent ileoſi,ſingultirent,& vomerent, quod abſurdum eſt. Præterea ſi generarentur in ventriculo, non eſſet neceſſarium quod de ileo ſcribit Gal. *3.de facult.natural.cap.13.* nempè in hoc morbo non poſſe ſtercus exire per os, niſi priùs tranſeat totum tenue inteſtinum, pylorum, ventriculum,ac gulam: nam ſi in ventriculo generaretur, poſſet illicò per ventriculum excerni: non generatur ergo niſi in inteſtinis.

Verùm & Galeno, & rationi magis conſonum videtur aſſerere,in corpore naturaliter diſpoſito,ſtercoris formam ſubſtantialem acquiri in ventriculo,licèt ſeparatio illius à chylo fiat in inteſtinis, ſimul cum aquoſitate accidentalium diſpoſitionum,nempe coloris,odoris, & figuræ,quibus ſtercus à chylo diſcernitur.Hæc poſterior pars ab omnibus conceditur, vt explicat Valleriola *lib.3.loc. com.c.2.* Prior auctoritate Gal.fulcitur, *4.de vſu part.c.1.* vbi docet in ventriculo fieri ſeparationem partium nutritioni ineptarum,à partibus benignis,& alendo idoneis.Prætereà illud etiam habet expreſsè Auic.16.3.*tract.1. cap.1.parum poſt princip.* §. *Penetrans autem in inteſtino primo patitur à duabus virtutibus, quarum vna eſt expulſiua, quæ eſt in ſtomacho, & altera attractiua, quæ eſt in inteſtino, & adiuuat eam fæx, quæ prouenit propter ſummam cibi, & fit facilis propter illud expulſio eius per viam temperatæ amplitudinis, &c.* quibus verbis docet, facere ad facilem deſcenſum chyli in ventriculo, permixtas etiam cum ipſo chylo fæces, quæ attrahuntur ab inteſtinis: putat ergo generari eas in ventriculo.

Deinde ſic validiſſimè inſurgo. Idem agens tribuit formam vtili, & ſuperfluo.Sed tribuens formam vtili, nempe chylo, eſt ventriculus. Ergo ipſe præſtabit formam ſuperfluo, nempe recrementis ipſius. Maior conſtat ex Galeno *lib.1.de ſanit.tuend.cap.3.* dicente,in omni coctione neceſſariò ſequi excrementa, quæ per ipſam ſeparantur, ab eadem formam recipiunt, quod patet manifeſtè in iecore, quod non ſolùm formam tribuit ſanguini, ſed etiam ipſius recrementis, vtrique ſcilicet bili, & vrinæ. Tandem ſi in ventriculo non ſuſciperetur forma ſubſtantialis ſtercoris, ex illo non ſumeremus indicium de affectibus ventriculi, cuius contrarium ſuſcipit Galenus *in princip.cap.11. lib.1. de criſib.* nam vt illic ait,

cuiuſque

cuiuſque partis ſuperfluitas eam quæ illi ineſt diſpoſitionem oſtendit, &c.

Ad Gal. verò *lib.3.de facult.natural.* dic ſolùm ibi velle, cibos aliquam recipere coctionem in ventriculo, ex eo quòd ſtatim in tenuibus inteſtinis appareat ſtercus, vbi à ſubſtantia vtili ſeparatur, nec aliud vult *cap.12.* ſequenti. Ad rationes dic, quòd ſtercus licèt in ventriculo recipiat ſubſtantialem formam, cum ſubſtantia tamen vtili ibi confuſum eſt, nec fœtorem, nec putredinem concipit in inteſtinis; vnde antequam ad ea deſcendat, non poteſt ea ſymptomata efficere, quæ in ileoſis conſpiciuntur, immò oportet quòd poſt deſcenſum cum chylo, iterum aſcendat putridum & fœtidum ad ventriculum, vt euomatur. Et hæc aſſertio de loco generationis excrementorum, confirmatur à multis, qui in interpretando Auicenna primas tenent, quidquid contra ſentiat Valleſius *lib.6. cont. cap.10.* Num autem chylus à ventriculo ſolùm in inteſtina propellatur, an verò etiam ab inteſtinis ipſis trahatur, controuertit Mercurialis *lib. 2. de excrement. cap.3.*

Vnum ſolùm conſtat, generationem excrementorum quæ per aluum excernuntur, ineuitabilem eſſe: nullus enim etſi temperatus, optimis, ſelectiſque vtens alimentis, vitæque exactum regimen obſeruans, ab harum ſuperfluitatum generatione immunis eſſe poteſt; quoniam vt conſtat ex Gal.1. *de ſanit.tuend. cap.2. & 3.* animantis natura perpetuò digeritur, & diſſoluitur, tum ab interno, natiuóque calore, tum etiam ab aëre externo, aliiſque exteriùs occurſantibus occaſionibus; quod etiam innuit Gal. 1.*aph.1.* cui incommodo volens natura ſuccurrere, inſtituit, vt non animalibus ſolùm, verùm etiam ſtirpibus inſitæ quædam vires, deficientis, ac deſiderati ſemper appetentes ab initio ſtatim tribuerentur; nen enim veſci, bibere, aut reſpirare à quouis vſquam diſcimus, ſed ſtatim à principio facultates in nobis habemus, quæ hæc omnia citra docentem perficiant. Cibo igitur quidquid ſiccioris ſubſtantiæ effluxerit, reſtituimus, potione quidquid humidioris. Ita aëreæ, igneæque ſubſtantiæ modum reſpiratu, arteriarúmque pulſu tuemur. Et *infrà* ſubdit ipſe Gal. *Cùm enim quotidie propter inſitum ipſis calorem, cunctis animalibus nonnulla ſubſtantiæ portio defluat, & hæc reparetur, cibi, potionis, reſpirationis, & arteriarum motus ope, neceſſe eſt ex his contrahi excrementorum prouentum: nam ſi quale erat ipſum quod defluxit, tale prorſus animal iungere, agglutinaréque ei per totum liceret, optmum id, ſaluberrimúmque planè eſſet. Verùm id quod ſingulis particulis defluit tale natura eſt, qualis ipſa eſt particula; nihil autem horum quæ eduntur, bibuntúrve, eiuſmodi prorſus eſt: neceſſarium itaque naturæ fuit, priùs ea mutare, & concoquere, ac efficere corpori alendo reſtituendóque ſimilia:* & ſtatim infert: *cùm igitur eſſe, & bibere animantibus neceſſaria ſint, idcircò has res ſubſequitur excrementorum generatio.* Hinc colliges, aluina excrementa eſſe neceſſaria, quæ neceſſitate quadam materiæ in ipſis animantibus generantur, ſiue bene valeant, ſiue ægrotent; ſiue polleant optimo temperamento, ſiue prauo: quæ excrementa citra morboſam cauſam ſemper ortum habent.

Sed aduertere debes, quòd licèt inteſtinorum corpus vnum ſit, & continuum, ab imo ventriculo ad anum vſque protenſum, cùm tamen in varios ac multiplices, figuráque differentes anfractus, ſpiráſque circumducantur, neque omni ex parte eandem ſitus, ſubſtantiæ, & formæ naturam ſortiantur, ac denique alia alij hominis parti contigua efficiantur, neque præcipuus omnium vſus par ſit, idcircò periti Medici hæc ceu plura enumerant, de quorum numero eſt Gal.*lib.6.de anatom. adminiſt. cap.10. & 5.de vſu part.3.* & Auic.16.3.*tract.1.cap.1.* Gentilis, & Iacobus, *ibid.* Halyabbas 3.*theoric. cap.26.* Nicol.Florent. *ſerm.5.tract.8.cap.1.* Columb.*lib.11.de re anatomic.cap.5.* eleganter Andreas Laurent. *lib.14.cap.13. & 14.* Fernel. *lib.1.de part.hum.corp.deſcript.cap.7.* Bauhinus *lib.1.theat. anatomic.cap.17.*

Diuiduntur ergo in tenuia, & craſſiora. Ex illis primum eſt *duodenum*, ita nuncupatum, quia duodecim digitorum longitudinem habet, ex quo pars chyloſa attrahitur à iecore per venas meſeraïcas, & quod remanet, deſcendit ad ſecundum inteſtinum, *ieiunum* nuncupatum, in quo pars maior ſeparatur à deiectionibus, propter meſaraïcarum multitudinem, eò à iecore prouenientium; appellatur verò *ieiunum*, quia ferè inuenitur ſubſtantia chyloſa vacuum, & ob venarum ſugentium copiam, & ſuum quem recipit cremorem ocyſſimè tranſmittit, quippe dum bilis adhuc cremori non mixta inteſtini lateribus affluit, acrimonia ſua id ampliùs ſtimulans, ad ea quæ continentur velociùs propellenda: deſcendit enim bilis à duodeno in ieiunum, & ob viciniam impermixta fluit. Vnde colliges erraſſe interpretes Auic. aſſerentes meatum bilem deferentem, ad ieiunum terminari, cùm contrarium aſſerat Gal. *5.de vſu part. cap.4. & 2. de temp. cap.8.* vbi meatum bilem euomentem, duodeno non ieiuno inſertum eſſe tradit. Fortè errori huic occaſionem præbuit Gal.13.*meth.cap.13.* nam in curatione inflammationis iecoris docet, priùs excernendam eſſe flauam bilem, deinde ſaniem ex phlegmone reſudantem, id verò fieri non poſſe, niſi vaſa quæ ſunt in viſcere detergantur, & meatus qui in ieiunum bilem demittit, ſit apertus: quoniam locus hic non probat meatum deferentem ieiuno inſeri, ſed ſolùm bilem ieiuno ſuppeditare, licèt duodeno inſeratur, vt optimè aduertit Fuchſius *lib.3.ſuæ epitom.cap.5. & 6.* & probauit latè 3.*paradox. cap.3.*

Tertium inteſtinum appellatur tenue, aut gracile, in ſinus, varióſque flexuoſos orbes, perinde atque ieiunum implicitum, dicitúrque *Ileon*; in quo grauiſſimus morbus gignitur, à quo pauci euadunt, voluulus, & iliaca paſſio nominatus, ad quem lethalia ſubſequuntur ſymptomata, vomitus, ſingultus, deſipientia, conuulſio: ex Hip.7.*aph.10.* in quo, ſi vehementiùs diſtorqueantur ægri, ſtercus per os excernitur, vt Gal. ait *in com. & lib. de loc.cap.2.* Sed cur hæc duo inteſtina tenuia in orbes & anfractus rediguntur, & à natura ita ſunt conſtituta? Dic, vt quidquid alimenti concoctum eſſet, ad vnguem diſtribueretur, ne ſcilicet alimento celeriter permeante, atque ſubinde exeunte, corpus extemplò fame vrgente, in neceſſitatem ſumendi de nouo alimentum adigeretur, atque ideò ſemper animum in patinis habentes (vt Plaut. inquit) homines vitam ducerent: nam animantia, quibus nullus eſt anfractus, ſed inteſtinum à ventriculo vſque ad anum ſimplex, ac rectà protenſum habent, inſatiabilia, ac guloſa, & in perpetua edendi cupiditate viuunt, vt Ariſtot. 3. *de part. animal.14 prope fin.* aſſeruit. De qua re lege Gal. 4. *de vſu part.17.* Fuchſium *lib.3.ſuæ epitom.cap.6.*

Quartum inteſtinum poſt tenuia collocatum eſt craſſorum primum, *cæcum* ideò dixere veteres, quòd vno ſit tantùm ore donatum; quo pacto ab Auic. & recentioribus orbum nominatur, & monoculum, licèt non deſint qui duo orificia cæco attribuunt, è quorum numero eſt Fernelius *loc.ſup.cit. §. Cæcum idcircò dixere, quòd egreſſui introitum aduerſum non acceperit, ſed hos vicinos adeò, vt plerumque in vnum coïre videantur, &c.* Dicuntur craſſa, quia craſſas habent tunicas, & craſſiorem chyli partem continent. Cur natura ea machinata fuerit inteſtina, Galenus reſpondet *lib.4.de vſu part.cap.18.* quem ſequuntur Fernel. Fuchſ.*loc.cit.* Gueuara *in tract. ſuo de erroribus Veſalij*, qui Galenum à Veſalio defendit: licèt enim ea ad ſuccorum diſtributionem conducant, peculiariter tamen quia maior eſt illorum amplitudo, adeóque multa colligere poſſunt, eò conferunt, ne continuò, ſed per longa interualla egeramus; hæc enim tanquam venter aliquis ſiccis excrementis ſubiiciuntur, ne egererentur aſſiduè, vt longa ſerie probauit *cit.loco* Gal. & meritò quidem hoc fuit à natura inſtitutum, nam ſicuti indecens erat hominem animal perfectiſſimum, gulæ, & inſaturabili abdomini ſubiugari, idcircò quòd tunc hominis vita, & à Muſis, & ab ſtudio Philoſophiæ eſſet aliena, ſic indecentius multò foret, ſi ſordido deiiciendi crebriùs miniſterio, indignæ hominis dignitate ſeruituti, mortales natura manciparet.

Quintum inteſtinum, & ſecundum ex craſſis, *colon* dicitur, in quo fiunt truculenti, & atroces dolores adeò vt patientes torqueri videantur, vbi mucoſa, lentáque

pituita, albuminea, vel vitrea multo flatu reſperſa ipſum occupat; nam humoris crudi eſt veluti officina, quæ ob coli amplitudinem refrigerata, lethales dolores parit: licèt aliquando dolor colicus ex calido, mordaci, & acri humore concitari poſſit, vt communis tenet medicorum opinio, qui docti à Magiſtro ſuo *lib.12.meth.cap.7.*& alibi, ex bilioſo humore, & vitioſo ſucco hunc affectum emanare poſſe non denegarunt: de qua re egimus latè *lib.2.hiſtor.* 91.92.93. Sed hic euentus non ita eſt frequens: nam hoc inteſtinum per iecoris caua primò obrepit, vbi folliculum bilis attingens, luteum colorem contrahit; vnde nonnulli putarunt, vt refert Fuchſius *loco cit.*colon peculiarem meatum è bilis veſica prodeuntem excipere, falsò tamen, vt ſuperiores anatomici confirmant. Idem inteſtinum paululum exurgens ventriculi fundo inſternitur, quò noxius humor teſte Gal. *2.de loc.3.* ſi ventriculum in conſenſum rapiat, appetentiam, & concoctionem deteriorem efficiat: hinc ad ſiniſtrum hypochondrium contendens lieni accumbit, mox in poſteriora demergitur, cohærétque reni ſiniſtro, quem cùm pertingat, nihil mirum ſi dolorem nephriticum Medicis imponat; & contrà renum cruciatum aliquando hi colo attribuant; vt perbellè docuit Gal. *6.de loc. cap.2.* licèt in ſemetipſo, laborante colico dolore fuiſſe deceptum, ingenuè fateatur *lib. 2. de loc. cap.5.* Cùm enim ilium dolore premeretur, & putaret eſſe nephriticum, iniecto oleo rutaceo per clyſterem, doloréque ſedato ad vitreæ pituitæ excretionem, conſtitit fuiſſe colicum dolorem, & malo calculum non præſtitiſſe cauſam; quare operoſum eſt renalem dolorem à colico diſtinguere, vt latè prædiximus *lib.2.quæſt.51. & in com. hiſt.94.*

Sextum eſt omnium infimum inteſtinum, quod *rectum* dicitur, & *longaon.* Dicitur rectum, quia nullis orbibus eſt implicitum. Ad hoc ex colo, in quo fæces figurantur, excrementa deſcendunt, ibique tanquam in aluo capaciore, quemadmodum vrina in veſica tantiſper detinentur, dum laxato muſculo qui podicem ambit, ea iubeat extrudere. Sed quorſum in deſcribendis inteſtinis me macero, quando habent Medici fontem perenniſſimum, Riolanum nempe filium, ex cuius limpidiſſimis aquis, riuuli vbertim profluunt in Medicorum ſcholam, ex quibus ſaluberrimum liquorem haurire poſſunt? Conſulamus ergo hunc grauiſſimum Medicum, & peritiſſimum anatomicum, qui *lib.2. Anthropograph. cap.12.* in eorum deſcriptione emicat inter omnes, veluti inter ignes Luna minores.

Si ergo nimia frigiditate denſante ſpiritus animales, & canales, aut neruos, per quos deferuntur ſpiritus & facultates, muſculus afficiatur, & fibræ neruorum quibus muſculus hic intertexitur, frigido humore inundentur, tunc nerui ſpiritu influente deſtituuntur, & ſenſu priuatur pars, ac reſoluitur: nam neruus motui non fit aptus, quia hoc opus ſiccitate perficitur; neque illuſtratio liberè fieri poteſt: quare relaxatis hac de cauſa muſculis, excrementa retineri nequeunt.

Curabis hoc malum præmiſſa vniuerſali vacuatione, illis auxiliis quæ paralyſi vtilia auctores docuere, inter quos palmam præripuit Valleriola *lib.1.obſ.23.* & *lib. 2. obſ.4. & lib.4. obſ.4.* & graphicè propoſuit Reinerus Solenander *lib.2. conſil.13.* ſimul cum Trincauellio *lib. 4. de compoſit. medicament. cap. 7. de aptis medicamentis neruoſis partibus imponendis.* His factis ad particularia auxilia deueniendum eſt, quæ partem reſpiciant, roboréntque, vt ſunt inſeſſus, fomenta, lauacra, vnguenta, ex calidis medicamentis parata, quæ calefaciant, exſiccent, & ſuperfluam humiditatem abſumant, quorum ſyluam latè exaratam legat qui velit apud Rondeletium, *cap. de paralyſi,* Mercat. *lib.1.de morb.internis, cap.14.* Amat. *2.centur.7.*

Aëtius relictis iis aut fortè priùs celebratis, acopon ex euphorbio paratum cum fœnugræci decocto per clyſterem immittendum curauit, hócque auxilium plurimùm profuiſſe affirmat: intellige tamen, factis priùs vacuationibus vniuerſalibus, citra quas non erat ex arte tam forte medicamentum adhibere: ſed vniueſalia auxilia ſiluit, tanquam manifeſta; quæ enim nota ſunt, ea prætermittenda, ex Gal. *2.de dif.reſpirat.c.7.* obſcura enim ſolùm ſunt repetenda, *lib.10.meth.cap.5*

Ergo euphorbium ad frigidos neruorum affectus curandos confert eximiè: cùm enim ſubtilem, adurentémque ſortiatur vim, ex Dioſcorid. *lib.3.c.78.* & Paulo *lib.7. tit.de Euphob.* partem reſolutam calefacit, & viſcidam tenacémque pituitam, ſeu epotum, ſeu infuſum expurgat, ex Actuario *lib.de compoſit. medicam. tit.de ſimpl. medic.in fin.* Paul. *lib.7. cap.4. tit.de medicam. quæ aquam ducunt. §. Quare educit ſoluendo phlegma viſcoſum retentum in vtriſque anchis, & dorſo, & inteſtinis, &c.* Sequuntur Auicen. *lib.2. tract.2. cap. 235.* Serapio *cap. 343.* Meſuë *lib.1. de medic. purgantib. tit. de Euphorbio.* Sed cùm medicamentum calidum ſit, & ſiccum in quarto gradu, & omnium lachrymarum tenuiſſimum, vrit, rubrificat, vlcerat, penetrat, tergit, & tam violenter agit, vt præ anguſtia, & labore ſyncopen, & ſudorem frigidum accerſat: nam vehementer conturbat, & ſitim maximè mouet: quapropter ei permiſcere eſt neceſſe odorata ſemina, vt ventriculum, & inteſtina ab eius noxis tueantur: vtile eſt etiam cum melle cocto id in catapotia redigere. Manard. *in com. Meſuë,* id cum maſtiche, & tragacantho coctum in pane dedit, in Gallicis artuum doloribus, & ſine manifeſto nocumento iuuit; cùm enim mordaci flatu ventriculum opprimat, carminantia permixta, & infuſa cum eo valdè proſunt. Hoc probè callens Aëtius, id cum fœnugræci decocto per clyſterem indidit; cùm fœnugræcum lentore quo pollet, ex Paulo *lib.7. tit.de Fœnugræco,* eius acrimoniam obtundat, & moderato calore leniat, & ad vacuandos vitioſos humores qui in inteſtinis ſunt immerſi, ſit accommodum, vt monuere Gal. *1.alim.24.* Auicen. *lib.2. tract.2. cap.250.*

Ex euphorbio poteſt fieri vnguentum, quod acopon nuncupatur Græcè, auctore Gal. *lib.3.ſec.gener.tit.de medicament. ex euphorbio confectis.* Acopon autem pariter, & vnguentum, & medicamentum eſt, teſte Plin. *lib.29.cap.3.* vocabantur autem acopa, medicamenta laſſitudines, & fatigationes leuantia, vt ait Paulus *lib.3. cap.58. §. Communiter igitur medicamentis, quæ à laſſitudinibus reficiendis acopa dicuntur, ad reſolutionem inſcriptis, hîc quoque vtendum eſt, &c.* Copos enim dicitur Græcè laſſitudo, ex Paulo *lib.7. cap.19.* de acopis, quo loco varias deſcribit acoporum formas. *Alia enim,* inquit, *calefaciendi vim habent, alia lancinandi. Quæ calefaciunt, pipere, pyrethro, ſemine roriſmarini, & conſimilibus conſtant, neruorum vitiis, perfrictionibus validis, & quæ vix vllo calore poſſunt euinci, accommodata. At lancinantibus, quæ adarce, ſemine roriſmarini, euphorbio, cocco gnidio, & id genus aliis componuntur, in diuturnis affectibus, & qui ægrè poſſunt elidi, quibus etiam ſinapiſmus congruit, vtimur, &c.* Lege Gal. *lib.7.ſec.gener. cap.vlt.* qui varias acoporum differentias ibi deſcribit.

QVÆSTIO XXXVIII.

Vtrùm muſculus, præcipuum ſit, & immediatum motus voluntarij inſtrumentum, vt contra Galenum ſtatuit Auerrhoës.

EXaminanda eſt hoc loco illuſtris controuerſia, de primo motus voluntarij inſtrumento, vtrùm ſit muſculus, neruus, cerebrum, an tendo: nam Gal. in hac dirimenda lite varius fuiſſe videtur, ob varia quæ ſcripſit in locis multis: & licèt inter omnes, tria coruſcantia Medicinæ lumina de hoc argumento ſcripſerint doctè, ac ſolidæ, inſignis nempe Thomas à Veiga *lib.1. de loc.affect. in com.cap.6.* Valleriola *lib.4.enarrat.cap.9.* Andreas Laurentius *lib.5.de hiſt.anatomic.quæſt.1.* attamen tantorum virorum pace aliqua ſunt addenda, quæ doctrinam Gal. intimiùs illuſtrent; quæ ad huius hiſtoriæ explanationem ſummè conducunt.

Porrò cùm ad motum voluntarium, præter obiectum mouens ad ſui proſequutionem, vel fugam, concurrat virtus quædam imperans motum, nempe voluntas ſequens rationis iudicium; alia quæ motum ipſum imperatum

exequitur

exequitur, mediante organo ad illud munus deſtinato: ſupereſt enodare, quodnam ſit hoc mouendi organum, primum & immediatum, & quod vltimum: non enim ſufficit anima, quæ primum mouens & principale eſt; nec motrix facultas; ſed requiritur præterea corporeum inſtrumentum, quod eiuſdem ordinis ſit cum corpore mouendo, vt colligitur ex Gal.*l.*1.*de vſu part.*3.& Auerrhoës quidem 3.*collect. c.*18. ita muſculum conſtituit mouendi organum, vt omnium primum eſſe arbitretur, nec alium admittat priorem motorem corporeum, ſiue ille neruus ſit, ſiue cerebrum à quo muſculus moueatur; nimirum quoniam ſi à cerebro, vel neruo muſculus moueretur, neceſſe eſſet illa ab alio corpore ſimiliter moueri, vt conſtat ex 7.*Phyſic.cap.*3. Atqui cerebrum, & nerui prorſus immobilia ſunt, nec eſt corpus à quo moueantur, alioqui res in infinitum procederet. Ergo non poſſunt muſculum, vel alia membra mouere.

Præterea ad voluntarium motum non quoduis, & vulgare robur, ſed validiſſimum requiri, cum Ariſt. fatetur Gal. *lib.*1. *de placit.cap.vlt.* Sed cerebrum vtpotè molliſſimum, & nerui ab eo exorti, membra quædam ſunt valdè debilia. Ergo, &c. Quòd ſi primum Auerrhoïs fundamentum in muſculum retorqueas, ſcilicet quòd ſi muſculus corps quoddam ſit, & corpus moueat, neceſſariò ſimiliter ſequeretur, & quòd habeat aliud à quo moueatur, atque ita in infinitum non minùs res procederet, quàm ſi afferamus muſculum à neruo moueri. Reſpondet, propter hoc ipſum non eſſe admittendum, muſculum à neruo, vel cerebro moueri, quoniam conuinceret quidem ratio, ſi motus fuiſſet à corpore, ſed non, ſi ab ipſa virtute motiua in ipſo muſculo contenta, quæ cùm non ſit corpus, ita muſculum mouet, vt non ſit neceſſe ipſam moueri. Huius autem virtutis, quam primum motorem appellat, cor eſſe principium, & originem affirmat, cum Ariſtotele, & Peripateticis.

Cæterùm non obtinet Auerrhoës, quantumuis conetur euertere Galeni mentem, & Medicorum opinantium primum organum mouendi voluntariè cerebrum, deinde neruum, tertiò muſculum, vltimò tendinem, quem Galenus 12. *de vſu part. cap.*3. tradit eſſe immediatum motorem mobili cohærentem. Quòd autem cerebrum ſit primum arbitrarij motus principium, ex eo conſtat, quod cùm motus ille fiat mediante ſpiritu animali in cerebro, & facultate ab eo per neruos emanante, cur illi tanquam principio non tribuetur, neruo autem vt deferenti virtutem ſimul & ſpiritum?

Deinde in motu voluntario, iungitur imaginationis imperium ad proſecutionem, vel fugam obiecti, & contractio membri exequentis imperatum motum: cùm ergo oporteat imperium præcedere, & illud præſtet cerebrum per neruum, planè negari non poteſt, cerebri, neruique actionem præcedere actionem muſculi, vel cuiuſque alterius organi, & ex conſequenti cerebrum eſſe primum mouens. Nec obſtat quòd non mouentur cerebrum, & neruus, immò apparent quieſcere moto quouis membro. Illud Ariſtotel. omne quod mouet, & ipſum moueri eſt neceſſe, de corporibus impellentibus eſt intelligendum, non autem de eo quod mouens appellatur, propterea quòd motricis facultatis origo eſt, vel delator, quo nomine cerebrum, & neruus mouentia dicuntur: atque in eis non requiritur robur illud, quod ad motum voluntarium exigitur; ſed à cerebro vt eum largiatur, & imperium; à neruo autem vt deferat: quorum primum recte poteſt præſtare cerebrum, quod motricis virtutis fons eſt atque origo, quódque exactè cogitat, & iudicat de quouis obiecto, ſitne proſequendum, an magis fugiendum. Cerebrum ergo tanquam primum organum vim, & imperium largitur; muſculus tanquam inſtrumentum exequitur motum in imperata parte.

Fuiſſe verò neceſſarium muſculum, vt eo omnis voluntarius motus fieret, innumeris ferè in locis aſſerit Galenus, præſertim 1. *de motu muſcul. c.*1.4.7.& 10. *de placit. vlt.*& 1.*de vſu part. cap.*10. & alibi ſæpè, ſequuntúrque omnes. Ita verò neceſſe fuit muſculum fabricari, & oſſi connecti, vt aliter motus progreſſiuus fieri non poſſet,

A 12. *de vſu part. cit.* neruus enim licèt vim motoriam deferat, cùm mollis ſit, & à molli, tenero, & infirmo cerebro originem trahat, imbecillior eſt, quàm vt artus mouere, transferréque poſſit. Ligamentum quamuis robur obtineat, vtpotè à duriſſimo oſſe exortum, motorium tamen inſtrumentum ex ſe eſſe non poterat, cùm à principio animal mouente non oriatur, deſtituatúrque mouendi facultate, 1. *de vſu part.*17. *& lib.* 12. *cap.*3. *&* 1. *de motu muſculor. cap. vlt.* Oportuit ergo infirmum neruum qui motor futurus erat, iuxta mouenda oſſa, cum duro validóque ligamento iungi, vt mutuas vires compararent; neruus quidem robur, & fortitudinem; vim autem motiuam, ligamentum, quod cùm in diuerſas fibras, villóſque partiatur, conueniens fuit illorum inanitates interficiente carne repleri, inſerique venas, & arterias.

B Ex his ergo compoſitum appellamus muſculum, arbitrarij motus auctorem, 12.*de vſu part.cit.& lib.art.med.*50. Auicen.1.1.*doct.*5.*ſerm.*5.quæ quidem partes cùm omnes muſculi compoſitionem ingrediantur, & ex illis prædictum organum tanquam ex ſimilaribus componatur, ſolet definiri, quod ſit *pars inſtrumentalis, ex neruo, ligamento, carne, venis, & arteriis compoſita, & organum peculiare motus voluntarij*: cuius reſpectu cùm potiſſimùm conſideretur muſculus, & ad motum ipſum ſoli nerui faciant, & ligamenta, vel ſaltem potiſſimùm, reliquas partes à muſculi finitione nonnunquam reiicit Gal. *in art.medic.cit.* quantumuis arteriæ ad illius vitam, venæ ad nutritionem magis faciant.

Num autem muſculus ſit immediatus, proximúſque motor mobili cohærens, an verò adhuc mediante alio

C motum efficiat, valdè controuerti poteſt, ob loca Galen. inter ſe pugnantia, *lib.* enim 1. *de vſu part. c.*10. ſcripſit muſculum proximum eſſe motorem: at *lib.*2.*cap.*3. affirmat tendinem eſſe, qui citra medium mouet, muſculum autem antecedere. Nec ſanè dici poteſt, 1. *de vſu part.* locutum fuiſſe Galen. de toto organo motus; *lib.*verò 12. de parte eius principe: atque ita ſine repugnantia poſſe appellari muſculum, immediatum proximúmque motorem, ſimiliter & tendinem; non ſecus ac oculum dicimus proximum videndi organum, loquentes de organo totali, & ſine errore etiam proximum, & immediatum appellamus cryſtalloïdem, qui pars eſt in oculo principalior, cui actio illa videndi refertur. Non inquam recipi poteſt ſolutio, tum quia tendo muſculi pars non eſt, ſed particula quædam ab eo longè diuerſa, conflata ex nerui ligamen-

D tique fibris inter ſe coëuntibus, & commixtis: tum quia operationes habet longè diuerſas; muſculus quidem ligamenti contractione mouet oſſa, tendo autem mouentes muſculos, mouendis oſſibus colligat, licèt etiam aliquando moueat, 1.*de vſu part.*17.*& lib.*12.*c.*3. Licèt enim hæc loca videantur inter ſe contraria, tamen aptè ita conciliańda ſunt, dicendúmque *in initio lib. de vſu part.* cùm non ſingulas muſculi partes, nec illas quæ ab illo oriuntur, recenſuerit, craſsè confuséque muſculum deſcripſiſſe, proximum & immediatum mouendi organum, etſi ſæpè immediatè non moueat, ſed tendonis interuentu: cùm verò proceſſu operis muſculi partes explicaſſet, &c *cap.*17.*eiuſd.lib.* tendonis naturam, & originem declaraſſet, exactiùs poſteà *lib.*11. proximum, & ſine medio mo-

E torem dicit eſſe tendinem: nimirum quoniam cùm ſæpè ſine ipſo muſculus non attingat mouenda oſſa, neceſſe eſt priùs tendinis actionem magis immediatam eſſe, tendinémque proximum motorem; id quod Gal. *lib.*1.*de loc. c.*6. expoſuit, dicens muſculum nonnunquam manifeſtè, ſæpè tendinis interuentu mouere, quod etiam placuit Auerrhoï, 2.*collect.cit.* licèt falſum eſſe ſtatuat, quod Galenus vniuerſaliter docet, omni motui voluntario paratum eſſe à natura muſculum, omnémque muſculorum motum fieri voluntate imperante.

Sed debilibus ſanè argumentis Galeni placita nititur euertere, firmiſſimis fundamentis, & rationibus innixa: cùm enim neruus, vt diximus, præ ſui debilitate ſufficiens non ſit ad transferendam molem partis mouendæ, quæ ſuo pondere, & grauitate à loco mutari reſiſtit, neceſſum

 fuit

fuit vires, quibus deſtituebatur, aliunde comparare, quúmque meliùs ab alio præſtari non poſſent, quàm à craſſa carne, duróque ligamento, hæc ſimul natura coniunxit neruo in partibus omnibus mouendis, ad quas neruus ipſe accedit, vt illorum acceſſu, craſſitie, & firmitudine, ad mouendi munus præficeret; atque neceſſe fuit omni motui progreſſiuo, voluntarióque, parari à natura muſculum.

Nec obſtat quod obiicit Auerrhoës, de imperfectis quibuſdam animalibus, quæ ſuos motus arbitrarios ſolis neruis faciunt, nullo muſculo auctore: nam in illis poteſt quidem neruus debilis mouere, quoniam debilia ſunt muſculis deſtituta, & ſine illis ſtabilia, illorúmque motus imperfecti, quemadmodum & ſenſus. At verò in perfectis, ad quorum motus plus roboris requirebatur, quique perfectiores longè erant futuri, oportuit plura, validioráque excogitari inſtrumenta: quemadmodum enim natura exactiùs elaborat, perfectiorémque tribuit formam, vbi opus exoptat perfectum; ita & nonnunquam cumulum etiam addit inſtrumentorum.

Multò minùs vrget adductis virgæ, ac ventriculi motibus, qui in animalibus perfectis citra muſculos fiunt, & tamen voluntarij ſunt, ſequentes imaginationem, & appetitum; ad venerem enim imaginatam, & concupitam, colis inflatur: ad turpis obiecti imaginationem, præcedente appetitu, ventriculus quamprimùm excitatur ad vomendum. Negamus namque motus illos arbitrarios eſſe, qui magis imaginationem, quàm voluntatem ſequuntur, imò & ſine hac ſæpè fiunt, & vel inuito homine, venere tantùm imaginata, vel horrido conſpectu; nempè ita edocente natura membra illa ad excernenda, quibus quæque corpori poſſunt noxam inferre: quare cùm motus illi voluntarij non ſint, muſculis non indiguerunt.

Quòd ſi deglutitionis motum, & veſicæ excretionem obiicias, quibus, cùm voluntate fiant, nulli tamen muſculi inſunt. Reſpondemus, actiones illas cum naturales ſint, muſculis non fieri, ſed ſolis villis, deglutitionem quidem, quæ tractio quædam eſt alimenti, oblongas, ſiue rectas internæ membranæ gulæ fibras; vrinæ excretionem potiſſimùm tranſuerſis veſicæ villis: licèt verò animalis appetentia deglutitionem antecedat, 1. *de cauſ. ſympt. cap.* 7. nec fiat naturalis vrinæ excretio, niſi præcedat voluntas, non ideò tamen motus voluntarij ſunt, nec de genere eorum, quibus exercendis natura muſculos parauit. Nam quamuis in ſano, temperatóque corpore non ſit alimentum debitè ſumendum, niſi præſente vero, naturalique appetitu: cùm tamen eiuſmodi appetitus animalis in abſentem, externúmque cibum feratur, motus ille ad quem primò concitat, vt diſtans quæratur alimentum, animalis eſt, progreſſiuus, & voluntarius, ac proinde per muſculos factus: non verò deglutitio, quæ naturalis eſt, & fit tantùm circa præſens obiectum, nec eo præſente vnquam ceſſat, quantumuis non detur appetitus. Itaque tractio alimenti propriè non eſt voluntarius motus, quemadmodum nec vrinæ excretio, vt apertè Galen. *lib.* 1. *de loc. cap.* 1. edocuit, & nos latè firmauimus *lib.2.in com.hiſt.vlt.* quantumuis vt fiat, prærequiratur voluntas, quia illius imperio non obſequitur veſica, ſed muſculus qui eius collum conſtringens prohibet exitum vrinæ, ac proinde laxari eſt neceſſe, vt ipſa vrina prodeat, quam veſica excernit ſua vi naturali, quia à copia grauatur, non quia voluntas imperat. Sicut ergo non omnis actio, motúſve, in quem modo aliquo ingreſſum habet animalis appetitus, aut voluntas, ſimpliciter voluntarius eſt; ita non omnis muſculum habet auctorem, ſed illi tantùm quos voluntate imperante, exequitur animalis facultas motrix per neruos diffuſa, cuius operatio ne temeraria foret, & ad inutile noxiúmque tenderet, inſtituit natura, vt præcedente rationis iudicio, voluntatis arbitrio ſubeſſet, & per muſculos fieret.

Non diſſimiliter verò inſtituit etiam natura, ne mouerentur muſculi, niſi quando imperaſſet voluntas, ne ſuo appetitu temerè ducerentur, ſed pro voluntatis arbitrio: ob prædictam cauſam, vt ait Galenus 1. *de loc. cap.* 1. & 2. *de motu muſculor. cap.* 3. & 8. quod quidem niſi de neceſſitate eſſet obſeruandum, à cerebro neruum non reciperet muſculus: nec enim alia de cauſa videntur nerui ad muſculos deducti, niſi quia oportebat illos influxum, & imperium à cerebro, virtutis, iudicij, & appetentiæ auctore expectare.

Porrò aduertendum hîc eſt, quòd cùm duobus modis poſſit aliquid dici voluntarium, primò, quia vt fiat, neceſſariò expectat præcedens voluntatis imperium. Secundò, quia in illud poteſt habere ingreſſum voluntas, ad accelerandum, vel retardandum, vel omninò cohibendum. Si poſteriori hoc modo voluntarium ſumatur, dubium non eſt voluntati ſubiectos eſſe omnes muſculorum motus: priori autem voluntarij ſignificatione, negat Auerrhoës *lib. præcit. cap.* 19. obiiciens oculorum, palpebrarúmque motus, & dormientium reſpirationes: immò verò addi poſſunt eorum locutiones, & deambulationes, & vrinæ retentio, qui motus per muſculos fiunt nulla præcedente meditatione, aut voluntate; tum quia hæc dormientibus non adeſt, tum quia eam imperare ſentiremus, aut ſaltem recordaremur poſteà, conſcij cùm ſimus eorum quæ ſponte voluntariè facimus; quinimmò & vigilantium reſpirationes non pro voluntate, ſed pro neceſſitate fiunt, & de illis locus Galeni intelligendus.

Pro quo aduerte vltimò, quòd quemadmodum inter muſculorum motus, quidam faciliores, crebrioréſque ſunt, & magis conſueti in nobis; quidam verò in loci, ſitúſque mutationem tendunt ad proſecutionem, vel fugam; alij autem non ſic, ſed quieſcente, & immoto animali fiunt: ſic ad quoſdam maior intentio, maiórque conſideratio, & promptius, euidentiúſque voluntatis imperium requiritur; ad alios ſufficit obſcurum, tenuéque, ac non ita promptum. Cùm ergo motus illi frequentiſſimi in nobis ſint facillimi, & conſueti, nihil mirum ſi obſcura, & nos prorsùs fugiens voluntas ſufficiat vt fiant, ac propterea eius imperium non ſentimus, nec recordamur, licèt reuera imperauerit. Nec etiam mirandum eſt, reſpirationem variari pro vſu, & neceſſitate naturali; cùm animales motus etiam vſibus naturalibus inſeruiant, de quo Gal. 1. *de motu muſculor. c.* 6. Cætera verò argumenta, quæ pro Auerrhoë contra Galenum obiici poſſunt, legat qui velit apud Andream Laurentium *loco ſuprà cit.* Num autem neruus, tendo, aut caro, quæ ſunt tres partes motui inſeruientes, ex quibus componitur muſculus, ſit pars præcipua motus, tradunt eleganter Thomas à Veiga *in com. cap.* 50. *lib. art. medic. Galen.* & idem Laurentius *lib.* 5. *de re anatomica, quæſt.* 2.

HIST. XXVIII. RHASIS,
De iſchiade.

Iſchiaticus dolor tempeſtiuo enematum acrium vſu, & ſinapiſmo perſanatur.

*Quidam de magnatibus patiebatur * dolorem Iſchiaticum, & Medicus ſuus exhibuit pilulas fœtidas, quia vrina eius erat alba, corpus eius plethoricum, & vſus fuerat groſſo regimine, & ex hac cura augmentatus, & fortificatus eſt morbus, ita quòd non poterat ſedere, nec mouere ſe. Tunc me conſuluit, & prouocaui ſibi vomitum pluries, & poſt hoc emplaſtraui Iſchiaticam cum ſinapi, vſque quò locus fuerit ampullatus, & ex hoc dolor eſt alleuiatus; deinde clyſteriſaui eum cum clyſteribus acutis, & liberatus eſt, &c. Rhaſis* in lib. de mirabilibus curis.

PARAPHRASIS.

A Fœminarum morbis ad articulorum morbos deſcendimus, (Guttam communi vocabulo appellant, quia humor guttatim veluti in artus diſtillat) qui quàm difficiles ſint ad curandum, & Medicos ſæpè deludant, experimento omnium comprobatur, ita vt Fernelius *lib. 6. patholog. cap.* 18. Guttam Medicorum opprobrium vocet.

vocet. Ex hoc conſtat nimis glorioſulum fuiſſe non ignobilem Medicum, Amatum Luſitanum, qui *lib.4. centur. in præfat.* allata in medium epiſtola Ambroſij Nicandri, podagricos ſe perfectè poſſe ſanare profitetur, contra Ouidij carmen: nam articulares morbi, diri ſunt, violenti, atroces, rebelles, & feri, qui auxiliis Medicis vix ſuccumbunt, præſertim ſi habitualis, & hectica articulorum debilitas adſit.

Huius euentus plures ſunt cauſæ. Prima. Vbi ſemel in his coarticulationibus infigitur humor, difficulter eluitur. Secunda. In partibus frigidis, craſſus mucoſúſque humor nec coquitur, nec reſoluitur. Tertia. Inter articulares dolores, iſchiaticus durat, & ampliùs affligit: nam longus eſt, ex Gal. 1. *criſ.* 4. Aurel. *lib. 5. tardar. paſſion. c.* 1. cùm enim vtrique coxendici prægrande acetabulum inſit, nexu validiſſimo copulatum, & os coxæ ſit maximum quod eſt in corpore, ex Auicen. 1. 1. *doct.* 5. *cap.* 27. & continuò moueatur: ob motum, & ob cauitatis magnitudinem, totam à ſuperis partibus humorum colluuiem attrahit, maximè cùm ſit poſitum in medio ſordium confluxu, & ob viciniam vaſorum promptiſſimè fluxionem ſuſceptet, auctore Galen. 2. *de vſu part. c.* 9. §. *In coxa ſunt venæ magnæ, quibus læſis vix animal viuit, &c.*

De arthritidis origine, & cauſis latiùs *infrà* agemus. Nunc ad hiſtoriæ explanationem accedamus. Tutum non eſt, licèt crudi exuperent ſucci, in initio iſchiatici doloris aluum ducere, & maximè ſi vacuatio medicamentis ſit celebrata, vt pilulis fœtidis, in quarum compoſitionem ingrediuntur turbith, ſcammonium, & colocynthis: horum enim medicamentorum violentâ vi, humores præcipiti, & irrequieto motu in inferiores labuntur artus. Hinc factum eſt, vt humore ſuopte impetu delapſo in partem debilem, augeretur dolor, ita vt nec ſedere, nec ſe mouere poſſet.

Cùm ergo humor longiſſimè ad contrariam partem ſit auocandus, meritò frequens vomitus eſt imperatus, quod præſidium eſſe potentiſſimum teſtatur Galenus *lib. de remed. paratu facilibus, c.* 23. *de coxendicum dolore.* §. *Cæterùm coxendicum dolore affectos, vomitus, quàm alui deiectio iuuat magis, quòd humorum ad inferiores partes defluxum retrahat: prouocandus autem in initio vomitus ab accepto cibo, &c.* repetit *lib.* 10 *ſec. loc. cap.* 2. firmat Auic. 23. 3. *tract.* 1. *cap.* 24. Alzaharauius *lib.* 11. *pract. c.* 5. Oribaſius *lib.* 9. *ſynopſ. c.* 38. de cuius præſidij præſtantia plura diximus *ſuprà, in com. hiſt.* 26. & probat Trincauellius *lib. 1. de compoſ. medicam. cap. vlt.*

At cùm morbus iis non cederet auxiliis, quoniam ex intemperie partium habituali continuò ad partem debilem confluit humor, qui in hac parte tenaciſſimè impactus difficulter reſoluitur, tunc ad fortiora accedere neceſſitas cogit: quare vacuato exquiſitè iam corpore catharticis, & vomitu, ad eradicandum, & attrahendum humorem ad partes externas, medicamentis vſus eſt calidis, attrahentibus, quæ ex ſinapi parari ſolent (Medici ſinapiſmos vocant,) quæ parti appoſuit cum vtilitate ſumma. Sed antequam hæc parti apponantur, vtendum eſt priùs fomentis, lauacris, vnguentis, emplaſtris, & aliis attrahentibus auxiliis.

Si ergo hæc non proſint, rubrificantia medicamenta principatum obtinent, quæ ex ſinapi, & aliis calidiſſimis medicamentis componuntur, vt ait Paulus *lib. 7. cap.* 19. Hæc abſumunt humorem lentum, & craſſum, & nimio calore parte in feruorem adacta, excitantur puſtulæ, per quas nocuus humor, virulentique ichores emanant, & vacuata cauſa conquieſcit dolor. Hæc ergo eò debent eſſe fortiora, quò humor profundiùs fuerit immerſus, vt Galen. ait *lib. de conſt. art. med. cap.* 13. §. *Quæ latent in profundo, tantò acriora requirunt medicamenta, quantùm ab exterioribus receſſerunt, &c.*

Vt hæc promptiùs operentur, priùs cucurbitam ſuper ancham admouere oportet, præſertim ſi humor acrium medicamentorum vi fuerit ſpiſſior redditus, & ſic reſolutioni ſit valdè rebellis, vt *cit. loc.* Galen. admonuit. Galen. *lib. 10. ſec. loc. cap.* 2. ſic formam deſcribit. ℞. *piper. caſtor. euphorbij, an.* ʒ.j. ß. *pyrethri* ʒ.iij. *olei* ℥.j. Miſce.

Vel hoc modo. ℞. *ſterc. columb. ſylueſt.* ℥.ß. Miſce cum lacte pro delicatis: pro robuſtis cum aceto. Vel ſic:

℞. *Ceræ* ℥.iiij. *terebinth. ammoniac. an.* ℥.j. *ſucci tapſiæ* ℥.j.ß. *olei* ℥.vj. Miſce.

Galenus *lib. 7. ſecund. genera,* aliud deſcribit. ℞. *olei com. olei lilior. albor. ol. baccar. lauri, ceræ, an.* ℥.iij. *terebinth. piper. euphorb. caſtor. opoponac. galban. an.* ℥.j. *ammoniac.* ℥.j.ß. Miſce.

Gal. 7. *ſimpl. tit. de calaminth.* & Paulus *lib. 7. eod. tit.* hanc herbam emplaſtri modo applicitam efficaciſſimum eſſe contra coxendicem præſidium affirmant. Sic enim ait Paulus. *Nepeta tertio ordine calida & ſicca temperamento eſt, tenuis, acriſque, mentha longè valentior, ſiquidem eſt veluti ſylueſtris mentha. Facilè igitur quæ altè hærent ad ſe trahit, rigoréſque finit, extrinſecus cum oleo infricata ſtrenuè. Quin etiam ad coxarum dolores ab inferioribus iniicitur, & vitioſos humores in cutem erumpentes abſtergit, &c.* Conſule Douynetum, ex multorum mente *lib. 4. apolog. cap.* 5.

Apuleius Madaurenſis *lib. de virtutibus herbarum, c.* 50. *&* 92. Pulegium cum pipere ſummoperè probat, ſi iis mixtis fricetur. Dioſcorides *lib. 2. cap.* 14. approbat folia iberidis, aut lepidij, quod ſylueſtre naſturtium appellant. Hoc auxilium attrahit potenter humorem ad partes externas, ſed excitat tumorem cum ardore graui, & rubore coniunctum; quare neceſſe eſt vt poſt hoc auxilium balneum ſequatur: nam & humoris acrimoniam lenit, & à centro attrahit ad circumferentiam, vt notat Actuarius *lib. 4. cap.* 6.

Hippocr. *lib. de loc. in homine, num.* 19. laudat cucurbitulam parti impoſitam. §. *Cùm coxendicum morbus à fluxione fiat, cucurbitulam modicam affigere oportet, & foràs trahere, &c.* hoc enim auxilio humor in profundo tenaciter impactus extrà elicitur: nam hoc præſidium potentiſſimè attrahit, ex Gal. 7. *aph.* 1. *& lib.* 12. *meth. cap. vlt.* & ampliùs ſi ſit cum multa flamma admota, & cum profunda ſcarificatione impoſita, vt Paulus *cit. loc.* edocuit: firmat Auicen. 22. 3. *tract.* 2. *c.* 4. *&* 4. 1. *c.* 20. Eius loco hirudines impoſitæ mirè iuuant: nam ſuctu validiſſimo craſſum, terreſtrémque humorem extrà alliciunt. Quanta autem ſit vomitus efficacia, & pro iſchiatico dolore, cæteriſque inferiorum partium affectibus curandis mira poteſtas, ſuprà *hiſt.* 26. expoſuimus. Acutos autem clyſteres, quorum vſu coxendicis dolorem, hic auctor curaſſe affirmat, articulorum doloribus mirificè auxiliari; infrà *in com. hiſt.* 30. *&* 34. exponemus fusè.

QVÆSTIO XXXIX.

Vtrum dolor ſit ſenſatio triſtis, an ſenſibile, vt contra Galenum tenet Conciliator.

COMMENTARIVM.

D*Olorem iſchiaticum.*] Dum de dolore argumentum arduum contemplor, illius difficultate perterritus, hæreo, contremiſco, immò horret mens, ſtupefit animus, cerebrum vacillat. Quare ſi eius explicationem aggredior, deterrent me Philoſophorum, & Medicorum de hoc inſtituto ſcripta, inter quos palmam præripuere, inſignis Thomas à Veiga *lib. 2. de loc. affectis, in com. cap.* 1. 2. *&* 3. clariſſimus Montaltus Luſitanus *in Archipathologia ſua, tract. 1. à cap. 1. vſque ad* 16. Valleſius *lib. 5. cont. cap.* 5. *&* 6. Valleriola *lib. 3. enarrat.* 2. Conciliator *diff.* 77. Argéterius *lib. de cauſ. ſympt. cap.* 14. 15. 16. 17. Cardanus, & alij, qui de capitis dolore, eruditè conſcripſerunt, & Galen. *lib. 2. de loc. &* 12. *meth.* luculenter explanarunt. Ex altera parte cerno viginti duas ſubſequentes hiſtorias, quæ adiutricem interpretis manum expoſtulant; nam in omnibus de dolore agitur, quæ ſine eius cognitione explicari haud queunt. In vaſtiſſimum ergo hunc campum ſi ſemel deſcendamus, vndique ſalebris, immò aculeis aſperis reſperſum, eum licèt ſpatioſiſſimum, inueniemus plenum litibus, & controuerſiis, quæ hactenus malè torſerunt Medicorum primarios etſi doctiſſimos. Sed me alacriori animo præditum ita dicentem exaudi; nam rationes eorũ

afferam

afferam in medium, & aliqua etiam addam, vt ſtabiliora, & firmiora ſint omnia: maximè cùm non ſit neganda laus Quinto Curtio, quòd ante illum Clitarchus, Polyćtatus, Antigenes, Ariſtobulus, Plutarchus, Ptolemæus, & alij de geſtis ſcripſerint Alexandri; neque etiam probro dabitur mihi, quòd poſtremus eandem telam retexam. Licèt enim labyrinthus hic diuerticulis innumerabilibus ſit ſectus, vt ſemel quis ingreſſus, exitum inueniat nunquam, tamen hanc rem inexplicabilem explicare me poſſe confido. Sed quia iamdudum huius contemplationis efferor deſiderio, rem ſic aggredior.

Quatnor circa doloris eſſentiam occurrunt inter ſeſe differentes ſententiæ. Prima eſt Conciliatoris *dif.* 77. exiſtimantis dolorem rem eſſe ſenſui ſubiectam, id eſt, ſenſibile quoddam, non verò ſenſus actionem. Ea verò his potiſſimùm nititur fundamentis. Illud eſt verè ſenſibile, quod à bene diſpoſito organo perficitur. Sed dolor rectè habente homine ſentitur in parte dolente, vt colligitur ex Galen. 2. *aph.* 6. Igitur eſt de genere ſenſibilium. Secundò. Qui parte aliqua dolet, acutiſſimè, & vehementiſſimè ſentit; & nihil aliud percipit quàm dolorem. Igitur nihil aliud ſentitur quàm dolor, & in illum ſenſatio terminatur: nam ſi cauſa alia eliciatur ſubiecta ſenſui, procul dubio ab ipſo ſenſu agnoſceretur, nec eum lateret, quum debitè approximatum ſenſibile agnoſcat, nec circa illud poſſit errare. Tertiò. Impreſſiones, & alterationes ſunt ſenſuum obiecta; patiendo enim, & alterando immutantur organa, prodeúntque in actiones. Sed dolor eſt quædam violenta impreſſio, contrariáque, ac ſubitò facta alteratio. Ergo. Quartò. Senſus dati ſunt propter ſalutem, & conſeruationem ad contraria dignoſcenda, fugiendáque. Sed dolor, quædam res eſt moleſtiſſima, & naturæ noſtræ aduerſiſſima. Igitur poterit ab aliquo ſenſu dignoſci, percipique, vt illum tanquam ſummum malum declinare poſſet; alioquin accuſanda natura eſſet, vt potè quæ de minoribus ſollicita, frigori, calorique percipiendo ſenſum tribuit, grauiora verò contemnens nullum dolori. Quare, &c.

Verùm licèt huius ſententiæ fundamenta ſatis efficacia non ſint, nec illa quibus ſolet impugnari, adeò vrgeant, vt prorſus euincant, tamen ex fortioribus vnum ſubiungam. Primum. Si dolor eſſet ſenſibile, inter propria, vel communia numeraretur. Ad nullum autem poteſt referri genus, quoniam 2. *de anima, c.* 6. agens Philoſophus de communibus ſenſibilibus, doloris non meminit; nec ſimiliter cùm de propriis ſingulorum ſenſuum ageret: præterquàm quòd ſenſibile proprium illud dicitur, quod ab vno tantùm, & non ab alio ſenſu poteſt ſentiri, & circa quod errare ſenſus nequit; dolor autem ſenſibus omnibus communis eſt, ex Galen. *lib.* 1. *de cauſ. ſympt. c.* 6. & ſæpè ſenſus circa illum errat; non enim ſentitur intra corpus exiſtens, vbi mens ægrotat, 2. *aph.* 6. Igitur. Secundò. Si ſenſibile in ipſo ſenſorio ponatur, nequaquam vel languidè ſentitur, 2. *de anim. cap.* 7. 9. & 11. Atqui dolore intra ſenſus inſtrumentum latente validiſſima ſenſatio fit. Igitur nec eſt alicuius ſenſus obiectum: præſertim cùm ſenſibile omne antecedat perceptionem ſenſus, imaginari verò non poteſt, vbi præfuerit dolor antequam ſentiretur. Tertiò. Neceſſariæ eſſent ſenſationes duæ eiuſdem ad dolorem percipiendum eiuſdem ſenſus, prima quando cauſa doloris ſentiretur, altera quando dolor; alioqui non daretur operatio ſenſus circa ſuum obiectum debitè, conuenientérque approximatum. Denique nullus ſenſus exterior poteſt percipere ſuam, vel alterius actionem, 3. *de anima, cap.* 2. Ergo non erit dolor de numero ſenſibilium, ſiquidem à grauiſſimis auctoribus ſenſatio quædam moleſtia aſſeritur, quod ſubſequenter inquirendum eſt.

Eam verò fuiſſe mentem Galeni, vt exiſtimaret dolorem eſſe quandam ſenſus ſpeciem, id eſt, ſenſationem exterioris ſenſus & ſub forma contriſtantis, manifeſtè conſtat ex Galen. *lib.* 2. *de loc. affect. c.* 2. & 1. *de cauſ. ſympt. cap.* 5. 6. & 7. *de placitis, cap.* 6. Sequuntur Auic. 2. 1. *doct.* 2. *cap.* 19. Auerr. 3. *collect. c.* 51. vbi dolor appellatur moleſtus ſenſus, qui tunc demum fit, cùm aliquid præter naturam affatim, repentéque corrumpens ſentitur. Tria itaque, inquiunt, ad dolorem requiruntur, membrum ſenſibile, immutatio ad contrarium naturæ ſuæ, & quòd ſubita ſit talis immutatio, vnde licet dolor ſenſatio dicatur, non omnis tamen ſenſatio eſt dolor, ſed ſola ſenſatio rei contrariæ affatim mutantis: ideò autem triſtitia, & moleſtia fit, quia natura à re obiecta ſubitò corrumpitur; & *lib.* 1. *de cauſis ſymptomatum*, & *lib. de inæqual. intemper. cit.* dicit, quòd violenta paſſio, alteratióve, quæ præter naturam eſt, vbi multa ſimul, & celeriter fit, ſenſum illum efficit moleſtum, quem dolorem dicit eſſe.

Nec rationes deſunt, quibus hoc ipſum confirmetur: nam quemadmodum recreantur ſenſus, vbi conueniens, & perpetuum, & immediatum obiectum percipiunt; ita moleſtari neceſſe eſt ad violenti, immoderatique perceptionem ſubitam. Sed ipſa recreatio poſita eſt in ſenſationis modo. In eo igitur ſimiliter dolor conſiſtit. Minor probatur, quoniam cùm ſingulis ſenſibus ſingulæ tantùm ſint actiones, quæcunque paſſiones illis aduenerint, penès ipſas actiones contingent. Secundò. Senſus faciunt apprehenſiones ſuas, prout ab obiectis immutantur. Ergo ſi impreſſio fuerit violenta, multáque, & ſubitò facta à re corrumpente, fiet apprehenſio correſpondens tali alterationi, vel impreſſioni, ſenſationi nimirum rei contrariæ ſubitò alterantis; hoc autem dolor vocatur, 7. *de placit. cit.* Igitur, &c. Tertiò. Senſibilia cognoſcuntur à ſenſibus, qualia ipſa ex ſe ſunt. Ergo ſi inimica, & contraria fuerint, talia à ſenſibus percipientur. Sed perceptio rei contrariæ moleſtans eſt, & contriſtans. Ergo in ipſamet ſenſatione, doloris eſſentia conſiſtit.

Conciliatoris verò argumenta ſic diluas. Ad primum namque, negamus dolorem in parte dolente ſentiri, quoniam ſi ſenſatio eſt, modúſve ſentiendi, quomodo ab ipſo ſenſu externo percipi, ſentirive poterit? 2. verò *Aph.* per dolorem, cauſa intelligitur, qui modus loquendi Hippocrati eſt conſuetus, vt admonuit Galenus *in illius textus com.* Idem ergo eſt ac ſi dixiſſet, quicunque dolentes, hoc eſt, cauſam doloris intra corpus habentes, dolorem non ſentiunt, hoc eſt, cauſam ipſam non percipiunt, his mens ægrotat: in quo ſanè innuit, dolorem tanquam obiectum ad exteriorem ſenſum non pertinere. Atque ideò licet fateamur, acutiſſimè dolorem ſentire illos, qui aliqua parte dolent, non tamen ſenſu exteriore, ſed interno, communique, cuius obiecta ſunt ſenſuum omnium ſenſibilia, & apprehenſiones. Iam verò externum ſenſorium, quamuis cauſam doloris percipiat & ſentiat, cùm tamen vis ſentiens ſæpè ad exactam cognitionem non accedat, nihil mirum ſi illam aliquando perfectè non diſcernat, nec ille qui dolet, ſciat quid ſentiat exprimere, maximè dolore præſente, qui adeò ſentientem potentiam ſtimulat & laceſſit, vt cauſæ ſenſationem prorſus obſcuret, non aliter quàm vehemens dolor minorem obſcurare ſolet.

Quòd ſi adhuc inſiſtas, dolorem eſſe potiùs ſenſibile, quàm actum ſenſus, quoniam fieri non poteſt, vt percipiatur moleſta illa, adeóque expreſſa ſenſatio, quæ dolor dicitur, niſi cognita cauſa & percepta, vt contraria naturæ. Ergo ſi deliteſcit, & non ſentitur, non erit cauſa illius triſtis ſenſationis, quin potiùs dolor ipſe erit id quod ſentitur, & in quem fertur ſenſatio. Dic, quòd quamuis cauſa moleſtans, exactam & indiuiduam obiecti formam non exprimat, nec eam ſenſus exactè aſſequatur, vt quòd frigida ſit, vel calida; rectè tamen poteſt vt aduerſa iudicari & percipi, & vt talis moleſtiam inferre, doloriſque cauſa exiſtere; quemadmodum enim color eminùs apparens, etiamſi ſatis non percipiatur, ſitus tamen, & figuræ cognitionem præſtat; ita cauſa doloris licèt non diſtinctè, ſed confusè agnoſcatur, ſub ratione contriſtantis ſentiri poteſt.

Ad tertium. Neganda eſt minor: non enim dolor eſt ipſamet alteratio, vel impreſſio violenta, ſed alterationis perceptio, vt expreſſit Galenus *lib.* 7. *de placit. cap. cit.* Ad quartum. Si dolor eſt actio, neceſſarium non erat deſtinari à natura ſenſum aliquem, quo perciperetur, ad hoc vt

vt vitiari poſſit, quoniam cognitio obiecti non lædit, nec eſt aduerſa naturæ, ſed ipſamet obiecti malitia, ac proinde ſatis fuerat ſenſoria creari ad obiecta ipſa percipienda, ac dignoſcenda; maximè quod nec in eo defecit natura, quinimò potentiam deſtinauit qua dolor perciperetur, ſed non illam quidem externam, vt paulo pòſt conſtabit, cum ab ea non percipiantur actus, ſed obiecta exteriora.

Enimuerò licèt omnes ferè Medici Galeni ſententiæ acquieuerint, exiſtimantes dolorem reuerà eſſe ſenſus actionem, multa tamen ab ea deterrent, & illud primò. Omnis ſenſatio tanquam actus, potentiam perficit à qua elicitur, illámque reddit meliorem. Sed nullus dolor ſenſum perficit, quin potiùs corrumpit. Igitur non poteſt ad ſenſationem referri. Secundò. Senſuum actio tranſiens eſt, & ferè momentanea, ac repentè mutans. Atqui dolor ſæpe durat, & diutiſſimè permanet. Ergo nullo modo poteſt eſſe ſenſatio. Tertiò. Si dolor ſenſus actio eſſet, cùm ea fit præter naturam, ad aliquod trium ſymptomatum actionis læſæ referretur. Sed non pertinet ad illud diminutæ actionis, quia ſenſibilitas eſt vehemens, & acuta; nec ſimiliter dici poteſt actio ablata, vt patet; nec corrupta, quia tunc verè, & non corruptè fit ſenſatio, quoniam per eam fit iudicatio rei, qualis ipſa eſt. Cùm ergo cauſa doloris vt nocua iudicetur, procul dubio talis actio non erit dicenda corrupta, & ex conſequenti. Ergo, &c. Quartò. Dolor non fit in nobis niſi percepto obiecto, ſub ratione mali aduerſi, & contriſtantis, ex Auicen. 2. 1. *cit. de cauſ.* 15. *doloris.* Sed ſenſus externi non percipiunt obiectum ſub tali forma. Igitur non poteſt dolor eſſe alicuius ſenſus actio. Minor patet, quia potentiæ ſentientes in verum, & falſum, tanquam in proprias naturas, & non in bonum, & malum feruntur. Quintò. Si dolor eſſet ſenſatio triſtis, prout à Galeno aſſeritur, duo hæc in ſe includeret, triſtitiam nempe, & ſenſationem: tunc ſic. Ergo lætitia, quæ dolori contraria eſt iuxta præceptum oppoſitorum, duo ſimiliter complectetur, ſenſationem ſcilicet, & lætitiam triſtitiæ oppoſitam. Atqui hoc manifeſtam arguit contradictionem, quia lætitia eſſet totum, & pars ſui ipſius. Igitur, &c. Vltimò. Dolor vnam tantùm actionem, vnámque ſimplicem animi affectionem ſignificat. Sentire autem, & triſtari ſunt res valde diuerſæ. Ergo non poteſt dolor duo illa ſimul comprehendere, nec vnus ſenſus externus ſentire ſimul, & dolere. Quare alterius potentiæ munus, eſt huiuſmodi paſſio: nec enim credendum eſt duas res inter ſeſe adeò, & fortè genere diſtinctas (quales nimirum ſunt ſenſatio, & dolor) paſſiones, ab vna animæ vi fieri; quum duæ facultates conſtituantur ad colorum, & ſonorum ſenſationes perficiendas, quæ tantùm ſpecie differunt.

Cùm igitur dolor ſit affectio quædam ſenſus, motúſve animæ, qui interuentu alicuius facultatis fit in nobis, non pertinet ad vegetatiuam, quam plantæ nec volupta-te, nec dolore afficiantur; nec ad rationalem, quia etiam bruta delectantur, & dolent; nec ſimiliter ad locomotiuam, quoniam fuga licèt ſæpe ad dolorem ſequatur, non eſt tamen idem cum dolore, vt patet. Superſunt ex animi potentiis ſolæ illæ, ſentiens videlicet, & appetens, quarum functio cenſeri poſſit; cúmque ex paulò antè adductis conſtet, non poſſe inter ſenſuum externorum actiones numerari, videndum eſt num interni alicuius ſit, aut potiùs appetentis facultatis.

Vgo inter Latino-barbaros non infimæ notæ Medicus, 2. *aph.* 6. arbitratur dolorem eſſe operationem phantaſiæ ſenſui exteriori coniunctæ. Pro cuius confirmatione ſupponit imaginatiuam virtutem, ſimul & appetitiuam, per organa ſentiendi extenſas eſſe, & coniunctas cum ſenſibus ipſis, ex Ariſtot. 2. *de anim. text.* 20. §. *Quòd vbi ſenſus, ibi contriſtans, & delectans*: & expreſſiùs *lib.* 3. *de anim. cap.* 11. idque confirmari poteſt exemplo lacertæ, cuius cauda præciſa dolet, & nititur dolorem excutere. Deinde ſtabilit ſententiam ſuam hoc modo. Dolor exiſtit in organo ſenſus exterioris, quia ibi dolet. Igitur fit ab aliqua virtute inibi exiſtente. Cùm verò non ſit operatio ipſius

A met externi ſenſus, nec phantaſia imperfecta, qualis eſt illa quæ in membris reperitur, quæ mouere appetitum poſſit, ſupereſt vt ad phantaſiam referatur, cuius munus dicit eſſe, percipere rem ſub forma conuenientis, aut diſconuenientis.

Verùm quamuis ad imaginationem pertineat iudicium ferre ſupra rem ſenſatam, non percipit tamen res ipſas, niſi ſub ratione veri vel falſi, eo quòd cognitiua quædam eſt potentia. Sed affectio hæc quam quærimus, fit in nobis percepto obiecto ſub forma mali & aduerſi. Ergo non ad imaginantem vim referenda videtur, ſed potiùs ad appetentem, quæ in bonum vel malum fertur, & ex bono quidem, voluptatem: ex malo, dolorem contrahit. Ab appetitiua igitur potentia dolor emanat, illique tri-

B buendus eſt, tanquam peculiaris operatio, non quaſi ſit ipſa appetitus apprehenſio, ſed paſſio quædam, motúſve conſequens in appetitu, ad rem in ipſo apprehenſam; quam ſanè ſententiam Peripatetici ferè omnes ſequuntur tanquam magis conſonam Philoſophi doctrinæ, 2. & 3. *lib. de anim. cit. & 2. ethicor. cap.* 9.

Nec ideò improbandus eſt Galen. cum Medicis aſſerentibus, dolorem eſſe ſenſus ſenſationem, hoc eſt, ſenſus externi actionem. Quamuis enim dolor formalis actio non ſit, cùm tamen ſit quiddam conſequens ad ſenſationem rei præternaturalis, ſubitò, & vehementer imprimentis, conſtat, rectè per ſenſationem, tanquam ſui cauſam poſſe definiri; quemadmodum febris apud Medicos, per conuerſionem innati caloris ad igneam naturam, licèt febris non ſit ipſamet mutatio, ſed tantùm per eam generetur. Quòd autem dolor à rei præternaturalis ſenſatione

C oriatur, etiam philoſophis ipſis in confeſſo eſt, quoniam ex eo conſtare poteſt. Sicut ad delectationem requiritur boni coniunctio, ita & perceptio alicuius mali ad dolorem. Atqui malum non poteſt à parte dolente percipi, niſi interuentu ſenſus. Igitur neceſſariò ad dolorem prærequiritur exterior ſenſatio. Quoniam tamen externus ſenſus, boni & mali ſpeciem non format, quia hæc ſub illum non cadunt, nec ſui imaginem ſenſibus imprimunt, neceſſaria eſt inſuper imaginationis actio, qua obiectum ipſum vt aduerſum iudicetur; cùm tamen in illum ſub tali ratione feratur appetitus ipſe, ſequitur in eo motus ille moleſtus, quem dolorem appellamus, qui quidem propria ipſius appetitus paſſio dicendus eſt, quamuis trium ſimul facultatum opera interueniant, ſenſus nimirum externi dolorem, v.g. percipientis; imaginationis iudicantis aduerſum, & naturæ inimicum; demum & appetentis fa-

D cultatis, quæ auctor eſt huius paſſionis, ſicut & cuiuſcúmque alterius ſequentis ad apprehenſionem.

Rectè igitur definietur Dolor, actio, motus, vel paſſio quædam moleſta appetitus ſenſitiui. Diximus moleſta, non verò triſtis; quoniam latiùs patet dolor, quàm triſtitia, immò de hac dicitur tanquam de parte ſibi ſubiecta: triſtitia enim appellatur dolor ille, qui ab exteriori apprehenſione emanat, quique ad intellectualem pertinet appetitum, cuius etiam eſt propria paſſio; nam gaudium minùs opponitur triſtitiæ, quàm delectatio dolori; ratione cuius ad appetitum pertinet ſenſitiuum, non autem ad naturalem, quia inclinatio, ſeu motus appetitus naturalis non conſequitur.

Iuxta hæc, facilè ſoluentur rationes, quibus ſuaderi videbatur, dolorem eſſe formalem ſenſationem; & ad pri-

E mam dicendum. Quemadmodum ſenſuum delectatio, eſt actio appetitus in organo exiſtentis, ſimul cum imaginatione coniuncta, ex Ariſtot. 3. *de anim. cap.* 119. Ita & dolor ab ipſomet appetitu fit, præcedente ſenſatione. Ad ſecundam. Similis ferè eſt reſponſio: cùm enim ſenſibilia non percipiantur à ſenſibus externis, niſi ſecundùm imagines quas imprimunt; non imprimant autem boni aut mali, aduerſi vel familiaris, planè non fiet ſenſatio ſupra rem vt aduerſam aut moleſtiam, atque ideò non erit ſenſus externi actio.

Ne tamen à Galen. & Medicorum ferè omnium ſententia, tanquam omnino improbabili receſſiſſe videamur, aduertendum ducimus, rectè etiam ſuſtineri poſſe, dolorem eſſe formaliter actionem ſenſus, fieríque cum percipitur

pitur aliqua res affatim,repentéque corrumpens naturam, vt diximus : ex eo enim quòd immoderatum obiectum ad membrum accedit, illúdque ſubitò, & præternaturaliter immutat, abſque eo quòd ſub forma mali percipiatur, ſenſitiua virtus actionem illam faciet moleſtam, quam dolorem Medici appellant, quæque vna ſimplex actio dici poteſt : ex tali verò ſenſationis modo imaginatio in ipſomet organo coniuncta ſpeciem format, & iudicium habet; appetitiua autem fugam appetit, & percipit.

Ad rationes verò quibus dicta ſententia impugnabatur, in hunc modum reſpondetur. Ad primam. Licèt doloris cauſa præter naturam organum corrumpat,actio tamen ipſa licèt perfecta non ſit, adhuc tamen habet potentiam ipſam perficiendi, melioremque reddendi, & quia per eam ad actum reducitur, & in cauſa eſt, vt res ipſa corrumpens declinetur, ſiquidem niſi cum tali modo ſentiretur, fuga non appeteretur : vel aliter dici poteſt, non ab omni actione potentiam perfici, ſed tantùm ab ea quæ moderata eſt; immoderata ſiquidem, & valdè excedens lædit, & aliquando deſtruit. Ad ſecundam. Dolor ſiquidem repentè fit; ſi autem permanet & durat, eſt ob cauſam quæ manet, vt in aliis ſenſationibus contingit.

Ad tertiam. Cùm in dolore membrum læditur à re præternaturali, neceſſe eſt actionem fieri læſam. Sed quo genere læſæ actionis comprehendatur dolor, controuerſum eſt. Dicendum tamen, ad deprauatam actionem referri poſſe. Pro quo aduerte, quòd ſicut ad veram, & incorruptam ſenſationem duo requiruntur, nempè ſanum, benéque affectum ſenſus organum, & moderatum, debitéque proportionatum obiectum; ita ex cuiuſcumque defectu deprauata euadet ſenſatio. Quamuis ergo ad perceptionem immodici, v.g. caloris, ſubitò, & violenter imprimentis hanc moleſtam ſenſationem, ſentiat obiectum,quale ipſum eſt,non tollit hoc, actionem illam eſſe de genere actionum deprauatarum,propter ipſius obiecti immoderantiam.

Ad quartam. Si hac via inſiſtimus, neganda eſt maior, dicendúmque eſt,ſufficere,quòd res contraria percipiatur, non quidem ſub ratione mali, ſed tantùm quòd immoderata ſit, & naturam corrumpat, eo modo quo dictum eſt; idque ſignificaſſe videtur Auicenna dicens,quòd dolor eſt ſenſibilitas rei contrariæ. Ad quintam. Negandum ſimiliter eſt; dolorem includere duo illa, ſenſationem ſcilicet, & triſtitiam, quum triſtitia potiùs dicatur interna quædam animi affectio, dolor autem motus ſentiendi: quædam verò externi ſenſus actio moleſta, & ea ſanè vna & ſimplex, ac proinde ab vna tantùm potentia dependens : ex quo ſextæ, & vltimæ rationis ſolutio patet. Lege Nicolaum Kleinfeldium *lib. 2. patholog. c.8.*

QVÆSTIO XL.

Vtrùm dolor, & voluptas in motione conſiſtant, vt acriter contra Ariſtot. contendit Galenus?

Acutiſſimus Argenterius *lib. de cauſis ſymptomat. cap.14.* difficilem iudicat huius rei explicationem, eo potiſſimùm argumento ductus, quòd nec inter Philoſophos, nec inter Medicos conueniat, quænam, & quot ſint doloris, voluptatiſque cauſæ : & hac ratione, accuſat Platonem, & plura congerit argumenta, quæ eius opinionem voto ſuo refellunt. Ariſtotelem arguit, vt diminutum; Auicennam, & Auerrhoëm tanquam ſuperfluos condemnat; Galenum reprehendit, qui toties ſententiam mutat de cauſis doloris, quoties de illis agit. Sed abeat Argenterius ſuperbus, & arrogans, qui ſibi licere putat iniuſtè proceres conuellere, leuiculis argumentis innixus. Quo pacto nos excutiamus ſingula, ex quorum explicatione Galenica veritas illuſtrior euadet.

Etſi voluntatis remedia non quærimus,tamen cùm doloribus mederi ſtudeamus,plurimùm intereſt cognoſcere, quid voluptatem parere, aut dolorem excitare poſ-

A ſit; ſic enim quæ grata ſunt naturæ auxilia eligemus, alia verò euitabimus,quæ nouam moleſtiam inferre ſunt apta. Siue ergo doloris eſſentiam, iuxta Galenum, & Medicos, in ſenſatione conſtituas; vel iuxta Peripateticos, magis placeat eſſe appetitus actionem,quam ſenſatio antecedit: illud ab omnibus fermè receptiſſimum eſt, non poſſe fieri in nobis affectionem hanc moleſtam,niſi repentina detur, violentáque rei præternaturalis impreſſio, repente, & ſubitò ducens ad ſtatum contrarium.

Quòd verò tam dolor,quàm voluptas per alterationem in nobis generentur, magiſque in motu, quàm in mutato eſſe,& termino conſiſtant, ſintque veluti ſucceſſiua, non permanentia, vt Plato *in Timæo*, & poſt eum Galen. *lib.1. de cauſ.ſympt.cap.6.& lib.de tremor.cap.6. & 7.* & ſuadetur ex eo, quoniam non datur in nobis, niſi quandiu durat

B pugna, & alteratio,vt patet in putrida febre,quæ dolorifica eſt ob eam cauſam;hectica verò indolens,ob pugnæ, & alterationis defectum : ſic etiam ſitiens, aut febricitans tunc ſolùm delectatur, quum potat;fameſcens, cùm alimentum ſumit;algens,cùm calefit : vbi verò ab opere deſtiterunt, non iam ampliùs percipitur voluptas. Igitur ea in ipſa mutatione ad bonum, non in mutato eſſe; dolor autem in motu conſiſtit ad malum.

Hinc dici ſolet voluptas, quidam præceps motus, mutabilis, & parùm durans, vtpotè quæ ens quoddam ſucceſſiuum ſit,in perpetua mutatione conſtitutum, nec firmam,ſtabilémve eſſentiam habens.Vnde communiter definitur : reditus quidam à ſtatu præter naturam, ad ſtatum ſecundùm naturam.Dolor è contra,à naturali ſtatu ad præter naturam : non quaſi vnaquæque paſſio harum ſit ipſemet reditus,aut alteratio, ſed quòd ab illa,tanquam imme-

C diata, continentéque cauſa oriatur : cùm verò paulatim, ſenſimque facta ſenſum effugiat, nec percipiatur, ex Gal. *lib.de tremore, c.6.* non ſufficit quæcumque alteratio, impreſſióve, ſed illa quæ celeriter, cum impetu,& affatim accedens, ſenſum mouet, & dolorem quidem excitat, ſi naturam ad corruptionem, vel morbum ducat; voluptatem verò, ſi ad ſanitatem, vel perfectionem : quemadmodum enim dixit Hipp. *lib.de loc.in homin.* relatus à Gal. *l.de cauſ. ſympt.cit. Dum alteraſcit,ac corrumpitur natura,dolores fiunt: dum reditur ad naturam, voluptates.*

Communis hæc Medicorum reſolutio, de doloris, & voluptatis generatione, multis ſubiicitur difficultatibus, & quòd in ipſo reditu, motionéve non conſiſtant, oſtenditur. Primò.Quia illa quæ à motu, alteratione've dependent,paulatim,ac per partes acquiruntur, & ſimultaneam

D naturam non habent. Atqui dolor,& voluptas ſimul ſunt, à quocunque obiecto percipiantur, ab ipſo ſenſationis initio. Ergo.

Secundò. Senſibus omnibus externis ſuus ineſt dolor & voluptas. Sed hæc cùm oculis percipitur à conſpectu pulcherrimi obiecti,auribus,auditu ſuauiſſimi concentus, nón ducitur corpus ad naturalem habitum,cùm ſæpe non præceſſerit innatural s; nec ſimiliter cùm dolent, ab immoderatis tantùm obiectis natura ſenſuum corrumpitur. Ergo non conſiſtit voluptas in reditu eo ab innaturali ad naturalem habitum; nec dolor in mutatione à naturali ad præter naturam.

Tertiò.Qui præ frigore vehementer rigent,ſi ad ignem accedant,& repentè velocitérque calefiant,à præternaturali ſtatu ad naturalem ſubitò reducuntur. Sed hi tum

E temporis magis dolent.Ergo non oritur voluptas à ſubita doloris mutatione ad naturam; nec dolor ab oppoſito, id quod expreſsè aſſeruiſſe videtur Galen.1 2.*meth.cap.7.* vbi apertiſſimè teſtatur, quòd reditus velox & repentinus ad naturalem, ab eo qui præter naturam eſt, dolorem, & non voluptatem facit; immò verò, ſi non minùs ſenſum effugiunt illa, quæ velociſſimè fiunt, quàm quæ ſenſim & paulatinè, quomodo ſubito, & repentino motu paſſiones hæ fient, ſi vel ſenſuum actiones, vel ab illis antecedentibus oriuntur?

Ad primum.Controuerſum eſt,num dolor,& voluptas à motu, tanquam cauſa continente dependeant, an verò ab ipſius motus termino, hoc eſt, num fiant in nobis huiuſmodi paſſiones ſolùm cùm immutamur, an potiùs

in

in ipſo mutato eſſe, in quo quidem diffident Plato cum Galeno ex vna parte, Ariſtoteles cum Peripateticis ex altera. Plato enim *in Timæo* arbitratur, continentem cauſam harum paſſionum eſſe motiones, idémque Galenus dicit *lib. de inæqual. intemper. cap.* 3. quòd cùm mutata temperies iam eſt, ſeu in ipſo mutato eſſe, non dolemus, ſed cùm mutamur, & 1. *de cauſ. ſympt. cit.* in ipſo reditu ab extranea affectione ad naturalem, & moderatam, collocat voluptatis cauſam; doloris autem, in mutatione naturalis, & moderatæ ad extraneam.

Ariſtoteles verò 7. *ethic. cap.* 14. *& lib.* 10. *cap.* 4. contrà opinatur, non conſiſtere voluptatis, aut doloris rationem in ipſo reditu, vel mutatione, nec ab ipſo motu pendere, ſed potiùs ab operatione animalis circa moderatum, vel immoderatum obiectum apprehenſum, vel poſſeſſum. Sentit ergo quòd quemadmodum ſanitatem, & bonum habitum ſequitur pulchritudo ſanitatem perficiens; ita voluptas operationem animalis optimam, & perfectam, quæ ſcilicet apprehendit naturale, & conueniens obiectum, à ſana, & non impedita potentia; vnde definitur voluptas ab Ariſtotele, operatio naturalis non impedita: nimirum quoniam ad eam ſequitur, & cohæret cum ea operatione, quæ fit circa aptum, & conueniens obiectum, à benè affecto ſentiendi inſtrumento; dolet verò è contra.

Non ſequi autem voluptatem (id quod de dolore etiam intelligendum eſt) ad motum, tanquam ad continentem cauſam, ſed potiùs ad apprehenſionem obiecti perfecti, moderatique, validiſſimis argumentis contendit, ex quibus vltra ea quæ ſuprà adduximus, illud eſt efficaciſſimum, ex 10. *ethicor. cap.* 4. Quemadmodum motus omnis in tempore, nullus in inſtanti perficitur, ita quæ à motu dependent, momento non fiunt, nec dantur. Sed is qui voluptatem percipit, per vnius horæ ſpatium, ex pulcherrimo v. g. aſpectu, in quouis horæ momento voluptatem ſentit; & ſimiliter qui dolet: cum tamen qui per horam mouetur, nullo illius inſtanti moueatur. Ergo non conſiſtit doloris, aut voluptatis ratio in motu.

Deinde quæ per motum acquiruntur, ſimul non ſunt, ſed per partes, vt diximus, & motu durante perficiuntur magis, & increſcunt. Sed voluptas confeſtim ſimul tota eſt, & perfecta, non aliter ac viſio, & tempore magis exſolui ac langueſcere videtur, quàm increſcere & perfici. Ergo non ſequitur ad motum. Adde quòd res non parit voluptatem, vel dolorem, niſi nobis coniungatur, vel ſecundùm eſſe reale, vel obiectiuum; velut bona & conueniens, vel è contra apprehendatur. Sed non poteſt nobis coniungi, niſi in quantum habita, vel facta. Ergo quatenus talis delectabilis eſt, vel doloroſa, & ex conſequenti à mutato eſſe, potiùs quàm à motu dolor, & voluptas pendent, ſimul & ab operatione qua bonum præſentialiter acquiſitum comprehenditur, vt cùm delectamur viſione pulchri obiecti, harmoniæ perceptione, & fragrantia odorũ, vel ex oppoſitis dolemus. Si verò dum immutamur adhuc, in ipſomet motu aliquando delectamur, eſt ratione illius quod iam productum eſt & factum: quoniam licèt id quod mouetur, nondum habeat perfectè id ad quod mouetur, iam tamen incipit habere aliquid illius, ratione cuius, prout iam factum eſt & habitum, motus eſt cauſa delectationis.

Quòd ſi obiicias, magis nos in ipſo motu, quàm mutato eſſe delectari, ac dolere, quod cùm ad ſalutem, vel morbum ducimur, magis ſentiamus quàm reducti: immò ſicut mala iam facta & conſtituta, vt hectica febris, dolorem nobis non inferunt; ita nec bona præſentia voluptatem aliquam inducunt, vt ſanitas antiqua iam, & vita ipſa, vnde magis in acquiſitione, quàm in acquiſito eſſe, dolor, & voluptas conſiſtere videntur; alioqui præſente bono vel malo ſemper delectaremur, & doleremus, contra experimentum.

Reſpondet Ariſtoteles, duplicem eſſe cauſam, propter quam continuò non delectamur, nec dolemus, præſente ſcilicet delectabili, vel contriſtabili obiecto. Prima, quoniam cùm huiuſmodi paſſiones ab operationibus proficiſcantur, voluptas à boni, dolor à mali perceptione, humana autem operatio continua eſſe non poſſit, immò limitibus ſit circumſcripta, neceſſe ſit, vt non durent in nobis, nec permaneant prædictæ affectiones, quámuis adſint obiecta delectabilia, vel contriſtantia, ſed in dies minuantur, ſuccedente operandi defatigatione, & exceſſu. Altera cauſa, nouus acceſſus rei conuenienis & bonæ, vel malæ & aduerſæ, nouitate ſua mentem allicit, & incitat ad operandum: cùm verò per moram ceſſante nouitatis illecebra minùs intenti ſimus, & languidior operatio fiat, diminuitur voluptas, & dolor, quæ ab operationibus dependent; hinc ſit vt magis in reditu ipſo ad ſalutem, quàm reducti delectemur. Hinc & omnis humana natura præceps eſt, parúmque conſtans, & in dies minuitur, ac intercipitur, immò in dolorem, ac moleſtiam conuertitur; nimirum quoniam in operatione conſiſtit, ad quam animales ſpiritus conſumuntur; ad illorum autem diſſolutionem operum minutio ſequitur, & fatigatio, quæ dolor quidam eſt, & moleſtia.

Sentit ergo Ariſtoteles, quòd à mutato eſſe, non à motu, hoc eſt, à bono, vel malo, facto iam & conſtituto, conſecutiuè, & vt tali apprehenſo, dolor, & voluptas in nobis oriantur: atque ideò voluptatem, tanquam per ſuam cauſam definiens, dicit eſſe operationem perfectam cognoſcentis potentiæ non impeditæ: perfectam vocans illam, quâ apprehenditur naturale, & conueniens obiectum; non impeditam autem, quà ſentiens inſtrumentum benè affectum eſt, vt diximus. Requirit igitur voluptas, ſicut obiecti nobilitatem, & perfectionem; ita agnoſcentis potentiæ incolumitatem, & præſtantiam: & quò hæc nobiliora, præſtantioráque fuerint, ita augebitur voluptas, maiórque erit, quò nobilior fuerit potentia, obiectúmque præſtantius & conuenientius; quemadmodum & dolor, ex poſitis.

Sed non habere locum Ariſtotelis ſententiam in omni voluptate, multis oſtendi poteſt. Et primò ſic. Ex multis comparatur voluptas in nobis, quæ non ſunt operationes noſtræ. Ergo operatio non eſt perpetua voluptatis cauſa. Probatur antecedens, quoniam cùm eſuriens delectatur ex cibo, ſitiens ex potu, refrigeratus ex igne, nulla adeſt operatio, ad quam ſequatur percepta voluptas: non enim ſequitur ad maſticandi, aut deglutiendi opus, ſiquidem ex eo ſæpè dolemus, & affligimur, quum tamen ex deglutito delectemur; & dum refrigeratus calefit, patitur potiùs, quàm agat; quemadmodum pruriens dum ſcalpitur: quare in propoſitis exemplis, non ſequitur voluptas ad operationem, quâ acquiritur. nec verò dici poteſt oblectationem ibi ſequi ad operationem ſequentem, quoniam ſcilicet cibatus, & refrigeratus operari poſſunt, quæ anteà non poterant; nam cùm ea operatio præſens non ſit in memoria, nullo modo erit oblectationis cauſa. Quòd ſi adhuc aliquis contendat, in dictis voluptatibus locum habere operationem noſtram, nimirum apprehenſionem boni quod acquirimus: Redarguitur ex eo, quòd ſæpiſſimè refrigeratus delectatur ex igne, ſitiens ex aqua, nullo formato conceptu de operatione aliqua. Quare ad nullam operationem ſequuntur tales delectationes, & ex conſequenti, &c.

Secundò. Otium, & quies fatigatos oblectant. Sed qui otiatur, & quieſcit; non operatur, quum illa potiùs importent ceſſationem ab opere, quàm opus. Ergo non omnis voluptas in operatione conſiſtit.

Tertiò. Gelidæ potus ſitienti valdè eſt ſuauis, plurimùm etiam delectatur intemperatus homo in tepidum balneum ingreſſus, & non minùs etiam refrigeratus ex percepto calore. Sed in illis potentiæ operantes impeditæ ſunt, nec benè diſpoſitæ, & obiecta immoderata; nempè in operatione potandi, os ventriculi aridum, & objectum tactu ventriculi valdè frigidũ humidum, & ſic in aliis. Ergo non eſt vna oblectationis cauſa, optima diſpoſitio operatis potentiæ, cum obiecti præſtantia, & moderatione.

Quartò. Paſſiones hæ inditæ ſunt animalibus ad durationem, & tutelam, nempè vt illis tanquam ſtimulis quibuſdam vrgerentur ad neceſſaria, ac conuenientia quærenda, & fugienda aduerſa. Sed maximè conuenit ad vitam, immoderatum obiectum intemperatæ po-

tentiæ, vt ita reducatur ad medium, in quo ſanitas, & vita conſiſtit. Ergo non percipitur ſolùm voluptas ex opperatione moderatæ potentiæ circa naturale, moderatumque obiectum, & hoc præſens ſemper, & conſtitutum, nec dolor è contra ex facto tantùm, & conſecuto malo: potus ſiquidem ſitienti, aër reſpiranti, cibus fameſcenti ſuauiſſima ſunt dum appetuntur, & trahuntur, non ſic verò attracta, & acquiſita iam: corpus item dum alteratur, dolet, nempe in ipſa mali acquſitione, non autem eo iam facto, & acquiſito.

Quare cùm aliunde etiam nobis voluptas comparetur, quàm ex operatione circa moderatum obiectum, à benè affecta potentia, nempe ex mutatione ad melius, dolor autem è contra: dicendum videtur, non fuiſſe locutum Ariſtotelem de omni voluptate, & dolore, ſed de illis tantùm quæ magis ex ſenſu, & intellectu oriuntur, quæque magis propriæ ſunt alterius vitæ ſtatus, quàm huius humani, & elementarij: in illo enim cùm nulla iam detur immutatio à bono, vel malo, ex ſola apprehenſione boni vel mali, facti iam & præſentis, oriuntur voluptas & dolor: in corruptibili, mutabilíque ſtatu magis ex acquiſitione boni vel mali, quàm ex illis iam factis, & acquiſitis.

Ex triplici autem fonte colligunt Philoſophorum peritiſſimi, Platonici præſertim, magis delectabiles nobis eſſe in hac vita mutationes, quàm mutata eſſe. Prima cauſa, ex parte naturæ noſtræ, cui quia mutabilis eſt, magis proportionatæ ſunt traſmutationes, & ex eo quòd mutata iam non delectatur, immò dolet, eo quòd paulo antè delectabatur, cùm ratione mutationis iam aliud requirat. Secunda cauſa deſumitur ex parte obiecti: nam cùm agentis actio continuata effectum augeat, accidit vt tractu temporis præſens obiectum aſſimilet ſibi corpus, & intemperet, fiátque dolorificum, quantumuis à principio fuerit delectabile, remotio autem talis exceſſus, qua quædam mutatio efficitur, iucunda ſit. Tertia demum cauſa elici poteſt, tam ex modo acquiſitionis boni, quàm ex apprehenſione ipſius, nam cùm totum bonum exoptemus, nec acquirere ſemper ſimul poſſimus, delectat tranſmutatio, vt vna parte comparata alia ſuccedat: ſic ſimiliter cùm apprehenſio boni, vel mali ad voluptatem, & dolorem, requiſita, ita ſæpe fieri non poſſit, ſed ſucceſſiuè, non aliter quàm dictionis pronuntiatio, in qua ſyllaba poſt ſyllabam tranſit, neceſſaria eſt aliquando ſucceſſio, & motus, vt in nobis generentur prædictæ affectiones. Demum, cùm illæ datæ ſint ad tutelam, & conſeruationem, vt diximus, magis autem conueniat proſequi anxilia, lapſum corpus ad natiuum habitum reducentia, amiſſámque recuperantia ſanitatem, quàm ea habita, & præſente quærere temperata media, planè oportuit ſummam voluptatem nobis in via naſci, ex reditu ad naturalem habitum, ex mutatione autem ad præternaturalem, ſummum dolorem, vt eo ſtimulati vitemus frequentia mala, tanquam dolorifica, & magis lædentia, quàm facta iam, & impreſſa, quæ quia fortè in naturam verſa ſunt, multò minus lædunt. Harum ergo inſignium, & manifeſtarum paſſionum originem Galenus inquirens, eas ad mutationes, non ad mutata eſſe retulit, nimirum quoniam tunc vel delectamur, cùm à morbo ad ſanitatem reducimur, & à moleſtiis exceſſibúſque leuamur, quibus in hoc ſæculo continuò ferè vrgemur, & affligimur, dolemus verò vel maximè cum à naturali habitu ad præternaturalem ducimur, vt eloquenter docuit ex Platone Marſilius Ficinus *lib. de voluptate, à cap. 1. vſque ad 12.*

De altero autem voluptatis genere natura ſua perfectiſſimæ, quæ in opperatione perfecta circa moderatum, conueniénſque obiectum, & factum iam conſiſtit, Ariſtoteles tanquam Philoſophus egit. Hanc verò licèt in nobis aliquando etiam ſentiamus in ſuo perfectionis gradu, vt cùm ſuauia percipimus viſu, guſtu, reliquíſque ſenſibus, vix eam tamen priorem magis experimur, ac propterea de ea Galen. cum Hip. Platone locutus eſt tanquam Medicus; cuius eſt illa propriè tractare, & inquirere, quæ frequentiora ſunt, ſenſuíque magis manifeſta. Vtraque autem voluptas, vt obiter dictum ſit, in miſero hoc vitæ curſu imperfecta eſt, nullius permanentiæ ac ſtabilitatis & illa quidem quæ ab apprehenſione perfecti, moderatíque obiecti pendet, tum qui ſenſibilia ferè omnia, immoderata ſunt, & imperfecta, ſenſoria intemperata, maléque affecta, & exactam rerum cognitionem non aſſequentia, tum quia cùm in opere conſiſtat, in quo reſoluuntur ſpiritus, ſuccedente fatigatione minuitur, & in dolorem abit. Altera verò quæ nobis ſenſibilior eſt, & optatior, voluptatis nomine digna videbitur ſana mente iudicanti, ſiquidem antecedentem dolorem ſemper ferè habet permixtum, & conſequentem: antecedentem quidem, quoniam malum ſupponit, à quo redditur permixtum, quia reditus ille voluptatis cauſa tandiu durat, quamdiu malum ipſum, ceſsátque prorſus à ceſſatione moleſtiæ: demum & conſequentem quoniam neceſſariò ſubſequitur fatigatio ad reditum illum, ſeu motum, in quo continetur ratio huius voluptatis, de qua Galenus.

Nec verò raiones Ariſtotelis aliud euincunt, quàm voluptatem aliquam non eſſe motum, quod planè non diffitemur; de omni tamen non probat, quum nonnulla ita à motu tanquam à cauſa continente oriatur, vt eo deſinente pereat, quantumuis remaneat terminus vel mutatum eſſe: hanc autem non dicimus dari in quouis acquiſitionis momento, ſed motus conditionem ſequi, & eo durante perfici, quamdiu tamen ſit iuxta menſuram proportionatam, & conuenientem naturæ; ſi enim illam excedat, non iam voluptatis, ſed, doloris cauſa erit. Porrò illud exiſtimo, quamuis contradicant plurimi, nullius generis voluptatem aut dolorem, in nobis poſſe generari, abſque apprehenſione, operationéve noſtra: nam ſi dictæ paſſiones ſunt formaliter ſenſationes, quemadmodum multi cum Galeno putarunt, manifeſtum illud eſt. Si iuxta Peripateticos, appetitus motiones dicamus, cùm ille non operetur niſi præcedente phantaſia, & aliquando ſenſus externi apprehenſione, planè negari non poteſt, requiri actionem noſtram ad voluptatem, & dolorem. Quare dicendum, quòd cùm oblectantur ex motu, aut quiete, fameſcens ex cibi deglutitione, ſitiens ex frigido potu, algens ex calefactione, licèt patiantur, agunt apprehendendo bonum, vnde & voluptatem contrahunt, vel dolorem apprehenſione mali. Quamuis autem huiuſmodi apprehenſio operatióque noſtra, ſit circa illud vel de illo quod per motum producitur adhuc, tamen dolor & voluptas, dicentur potiùs ab acqniſitione & motu, quàm ab acquiſito, & mutato eſſe dependere, motu & alteratione ceſſante non ampliùs ſentiuntur.

Iam verò, vt ad ſecundum ſoluendum argumentum accedamus, ſi aliquando ſenſibus noſtris omnibus percipiatur voluptas ex ſuauibus, moderatíſque obiectis, abſque eo quòd præternaturalis ſtatus præceſſerit; ſimiliter & ſi contrahitur nonnunquam dolor ex improportionatis, abſque corruptione; euerſionéque naturæ, non repugnat iis quæ hactenus reſoluimus, cùm ex duplici occaſione huiuſmodi paſſiones in nobis fieri aſſeramus, nempe ex apprehenſione moderati obiecti à bene affecta potentia, & è contra cum Ariſtotele: vel cum Galeno voluptatem ex reditu à præternaturali ſtatu ad naturalem, ab hoc ad præter naturam, dolorem; & à reditu quidem, non quocunque, ſed eo qui cum celeritate, & feſtinatione fit, ita vt niſi ſubita fiat, & repentina mutatio, nec delectatio, nec dolor efficiantur, *1. de cauſ. ſympt. lib. de inæqual. intemp. l. de tremor. lib. 7. de placitis, 2. de rat. vict. 1.* Vbi ad vtriuſque naturæ id præcipuum eſſe vult, vt violenta fiat immutatio: nimirū quòd quemadmodum illud quod ſenſim, paulatímque fit remiſſam habet & languidam motionem, qua vehementer afficere non poſſit, ſic ferè ſenſu non percipitur. Adde quòd cùm inditæ ſint huiuſmodi paſſiones, vt diximus, ad tutelam & conſeruationem, ne in malis torperemus, & tandem adhiberemus remedium, voluit natura in reditus celeritate rationē voluptatis & doloris conſiſtere, vt ſine cunctatione incitaremur ad quærenda auxilia reducentia ad natiuū habitum, & ad fugienda celeriter moleſtantia, & dolorifica.

Sed cùm *12. meth. 7. ſuprà cit.* ſcripſerit ipſemet Galenus, adeò in paulatino, gradatímque facto progreſſu volu-

ptater

ptatem ſitam eſſe, vt etiam ad naturam regreſſus, ſi ſubitò, confertim, & affatim fiat, cruciatus potiùs & doloris, quàm voluptatis ſit cauſa; arbitrantur multi in manifeſtam de eadem re repugnantiam incidiſſe, & ad eam quidem ſedandam, vendicandúmque Galenum à contradictionis calumnia plura excogitarunt, quibus ita diſſidentes loci ad concordiam poſſent reduci: at omiſſo illo conciliandi modo, Galenum, dum *1. de cauſ. ſympt.* aſſeruit, repentinum ad naturalem habitum regreſſum, voluptátis eſſe cauſam, non ex ſua, ſed Platonis ſententia fuiſſe locutum, cùm illa paulò pòſt, & plurimis aliis in locis ſcripſerit, quatuor potiſſimùm occurrunt qui recipi poſſint; & primus ex Platone elicitur, à quo videtur Galenus omnia de voluptatis, & doloris natura, & cauſa mutuaſſe. Cùm ergo docuiſſet Plato, coniunctam eſſe voluptatem dolori, & è contra, cauſam reddit cur id fiat, dicens, quòd natura, vbi moleſto quopiam, ac præternaturali affectu vexatur, cùm illum remoueri cupiat, & ad natiuum habitum reduci, contrarium vehementer appetit, & deſiderat, à quo illius exceſſus remotio, corruptióque ſperatur; cúmque contrarium accedens, nitatur è ſubiecto pellere, funditúſque corrumpere præexiſtens, hoc autem ſimiliter maximé illud adueniens, neque id ſine pugna aliquo pacto fieri poſſit, neceſſe eſt vtriuſque in eodem tempore ſimul ſenſum percipere, vnius videlicet moleſtiam inferentis, quia oppoſitione, & vicinitate ſui contrarij vehementiùs inſurgit, alterius item moleſtiam pellentis, vnde dolor & voluptas ſimul ſentiuntur: ſed voluptas quidem perpetuò expulſione contrarij moleſtantis, reditúque in naturalem ſtatum, ſi affatim, & celeriter fiat; dolor autem per accidens ſequitur, ob contrariorum pugnam, quæ in illo reditu datur. Adde quòd acceſſu vehementis, & repentini contrarij, aliud in corpore præexiſtens aliquando in ſe colligitur, & fortificatur, maiorémque infert dolorem. qui tamen ſedatur poſtquam adplicitum remedium contrarium debellauit, vnde in reditu, mutationeque ad ſalutem, dolor contingit, ſed tamen per accidens: in quo ſenſu intelligi poteſt Galenus *12. meth.* aſſerens, ex regreſſu ad natiuum habitum confertim facto dolorem creari, nempe vel ob contrariorum pugnam ſeſe mutuò corrumpere conantium, vel quia præexiſtens aliquando augetur, vbi vehemens, & repentinum oppoſitum occurrit. Poteſt etiam hæc cauſa reddi, cur valde refrigeratus, ad ignem copiosè, & repentè accedens magis doleat, nempe quoniam ignis approximatione magis vnitur frigus, magíſque introrſum ad vnguium radices vergit, vbi vehementiores, grauioréſque infert dolores.

Alij pugnantes illos locos conciliare conantur, aſſerentes voluptatem non comparari à nobis ex mutatione quacunque, reditúve ad ſalutem, ſed ex eo tantùm qui nec, propter moram, tarditatémque ſenſum effugit, nec præ celeritate terret, ſed moderatus eſt, ſeruátque in progreſſu modum: cùm verò modus iſte, ſeu ipſe conſtitutus ſit in medio extremorum, nempe velocis, & tardi, & vtriuſque appellationem ſubire poſſit, nihil mirum, ſi *in lib. de cauſ. ſympt.* expetiuerit feſtinum reditum ad ſalutem, *in meth.* autem tardum & moroſum, abſque vlla repugnantia: vtroque enim modum illum requirit.

Tertiò ſoluunt quidam dicentes, lapſus omnes mediocres, vel exiguos, quò velociùs, eò ſuauiùs ſanari, ſolos eximios, & extremos velocitate ſuæ curationis, dolores & cruciatus parere, nempe quoniam requirunt vehementia, contraria, quæ ſimul applicita partem etiam intemperant, & dolorem ingeminant; de iis autem (inquiunt) loquutus fuit Gal. *in meth.* de primis *in aliis locis*, vbi docuit parari voluptatem ex feſtino ad ſalutem regreſſu. Hi tamen ſupponunt contrarium, dum exceſſum aliquem corrumpit & emendat, contrarium inducere intemperamentum, quod placitum à communi Medicorum ſchola non recipitur,

Solue tu facilius, & fortaſſe meliùs, nam ex Galeni verbis colligitur, ex repentino, confertímque facto etiam ad ſalutem reditu dolorem inferri, vbi violentia, & noxa naturæ infertur, non ex intemperamento præcedente acuto, A ſed ex ipſamet veloci & feſtina mutatione, quod tunc fit, cùm à malis iam factis, & per conſuetudinem, in naturam, habitúmque conuerſis fit immutatio: horum enim mutationes cùm natura grauiſſimè ferat, non poteſt non dolere, & moleſtari cùm fiunt, ac proinde non niſi lentè & paulatim, in ſimilibus malis faciendas eſſe mutationes, admonuit Hip. *2. aph. 51.* quòd non niſi de illis ſit intelligendus, conſtat ex ſerie præcedentis textus, vbi de conſuetis ait, quòd minùs moleſtant, licèt deteriora ſint, illud verò expreſſit *6. epid. ſect. 3. text. 27.* & colligitur ex *tex. 7. lib. 2. aph.* Quòd ſi recentiora mala fuerint, nec naturam adhuc immutarint, ſed fiant nunc, & immutent, nihil erit naturæ iucundius, quàm velociſſima mutatio. De horum ergo mutatione loquitur *lib. de cauſ. ſympt.* de illorum autem mutatione *in meth.*

B Hinc ſolutio elici poteſt illius quod quærebatur, cur valde rigentes ad ignem repentè approximati magis doleant, nempe quoniam valde fixum cùm frigus iam ſit, non patitur natura ſemel, ſed per partes abigi, tunc verò delectatur, cùm paulatim à leni, blandóque calore pellitur. Quòd ſi obiicias, manum in ſinum immiſſam, & à miti pectoris calore tepefactam ampliùs dolere: reſponderi ſolet, ideò dolere quia ex pectoris calore temperiem comparauit, qua ſentit frigiditatem, quam antea non ſentiebat; non aliter ac ſtupidum crus, quòd licèt cùm iam mouetur, minùs frigeat, magis tamen dolet, ob reparatam ad ſentiendum temperiem. Sic & ſanè ambuſtus digitus in frigidam merſus, grauiùs moleſtatur, quia aquæ frigiditate temperatur calor, qui temperatus ſentiendi inſtru- C mentum cùm ſit, ſentire tunc facit ignis caloris exceſſum. Ariſtoteles etiam prædicta problemata ſoluit: videlicet tepefacta manus magis dolet, quoniam nerui antea denſati, calore autem pectoris rarefacti, ſpiritum recipiunt ſenſificum, quem antea non ſuſcipiebant. Similiter cùm ſtupidum crus mouetur, conatu illo mouendi per anguſtias neruorum pellitur ſpiritus, quo membri ſtupidi frigus, & labor ſentitur, vnde fit dolor. Demum ambuſtus digitus aquæ frigidæ contactu magis dolet, quia denſatur cutis, nec calidus vapor exire permittitur, intus autem coërcitus magis exacerbatur, & moleſtat vnde multò melius eſt, quemadmodum fieri ſolet, vt magis rarefiat cutis, & caloris ignis ope, calidus vapor extrorſum trahatur, Hæc de voluptatis, & doloris eſſentia, & occaſione, qua prædictæ paſſiones in nobis oriuntur, ſatis ſint. Deinceps proſequamur cætera. Lege Ioan. Philip. Ingraſſiam *in com.* D *cap. 75. art. med. Galen.*

QVÆSTIO XLI.

Vtrùm intemperies ſola, citra ſolutionem continuitatis ſit immediata cauſa doloris, vt contra Galenum Auerrhoës, & Cardanus aſſeuerant.

DE natura doloris, etiamſi abundè multa recenſuimus ſuprà, nihilominus ſuperſunt plura, quæ Galeni ope, vel Delio (vt aiunt) natatore indigere videntur. Cogitaui enim diu mecum, cur Galenus Philoſophus eximius, & Medicus præclarus, quum de doloris cauſis agit, duas præmittit, nempe continui ſolutionem, & intemperiem. Cùm enim *cap. 5. lib. 2. de loc. affectis*, de do- E loris cauſis diſceptauerit diffusè, earúmque differentias fuerit exactè rimatus, præoccupauit priùs quod ſibi obiici poterat: referens enim illo loco varios doloris modos, ſibi videbatur repugnare cum aliis locis ibi referendis; nam tenſionem dolorem efficere ibi affirmat, At non ſibi contradicit: tenſio enim dolorem efficit non alia de cauſa, quàm quòd partis quæ tenditur continuitas ſoluitur, quia diſtrahitur ac ſegregatur eius ſubſtantia, quoniam dum comprimitur, in ſeipſam cedit: neutrum verò ſine continui ſolutione fieri poſſe conſtat: vulneratio autem ſiue à re pungente, ſeu erodente, ipſamet continuitatis ſolutio eſt; in eo tamen diuerſa ab illa quæ intenſione, ſiue compreſſione fiat, quia mordens, ſolutionem præſtat pungendo ad acus ſimilitudinem, extendens autem rumpendo. Intemperies verò cauſa eſt

diuerſiſſima doloris, & illum efficiens abſque continui ſolutione, quod in præſenti accuratè examinandum.

Sed priùs inquirendum, quomodo ex ſolò inæquali, & fiente intemperamento in nobis gignatur dolor, quod Gal. *loc. cit. de loc. affect.* & alibi ſæpè edocuit, non verò ex facto, & æquali: ratio dubitandi eſt, quòd ſi dolor (vt ſuprà diximus) dirigitur ad præcautionem mali, multò autem periculoſiora ſũt facta, & inæqualia intemperaměta, quàm inæqualia, & fientia, cur ſimiliter, & multò magis ex illis non dolebimus? Deinde, cùm varia membra corporis oppoſita inter ſe, per totius vitæ decurſum ſeſe mutuò inæqualiter intemperent, perpetuò doleremus, & in perpetua moleſtia dum viuimus, verſaremur, ſi inæquali fientique intemperiei dolor fuiſſet annexus.

Dic ad primum. Præter ea quæ ſupra dicta ſunt vbi de doloris eſſentia egimus, cur ad facta iam, conſtituta, & æqualia mala dolor ſequatur, nulla ratio eſt, quoniam nec poſſibile ſit, nec neceſſarium: immò incommodum magnum fuiſſet, ſi illa cum dolore ſentirentur. Et primum quidem conſtat, ex eo, quoniam vbi intemperamentum iam factum eſt, & æquale, vnum tantùm adeſt, quod omnes partes corporis noſtri occupat, quòdque operantis naturæ inſtrumentum eſt. Sed id quod ſentitur, oportet eſſe diuerſum à ſentiente. Non potuit ergo præſtare natura, vt ſentiretur intemperies quæ abiit iam in factam, & æqualem. Et licèt quidem poſſet, incommodaret valdè ſi præſtitiſſet; ſi enim infixum iam, & inæquale intemperamentum dolorem inferret, doleret perpetuò bilioſus percepto ſuo calore, & ſuo frigore pituitoſus; Germanus, & Indus in ſuis partibus; & piſcis in aqua, & calidá animalia in calidis tractibus: cuius contrarium, præterquam quòd expertum ſit, ſi ita eueniret, nihil in vita moleſtius, & ærumnoſius contingeret, quàm ab iis quæ propria iam ſunt, & radicata, dolere. Adde quòd facta iam, & æqualia temperamenta, quum veluti naturalia ſint, potiùs illa fouere tanquam amica, quàm expellere conatur natura.

Ad ſecundum. Inæqualitas illa intemperamenti, quæ fit in membris ſeſe mutuò alterantibus, exigua admodum eſt; vnde nihil mirum ſi indolorifica: quamuis enim continua videatur variorum membrorum inter ſe mutua alteratio quandiu durat vita, cúm tamen natura, formáque ſubſtantialis totius, illam temperamenti varietatem in variis partibus requirat, proprium cuiuſcumque quoad poteſt, tuetur; & ſi in totum non aſſequitur, prohibet ſaltem ne eo immutetur, néve cum dolore fiat alteratio; præſertim quòd perpetua alitio quæ in parte fit, confeſtim reſtituit quidquid immutatum fuit de natiuo temperamento. Fit itaque dolor non à facta iam, & æquali, ſed à fiente, & inæquali intemperie.

Sed num ea per ſe abſque continui ſolutione dolorem valeat efficere, maixmè controuerſum eſt: & plurimi quidem, non fieri niſi ſolutionis interuentu, eamque perpetuò eſſe doloris cauſam proximam, & immediatam, hancque fuiſſe Galeni ſententiam, conſtanter affirmant; cuius meminiſſe videtur *lib. 1. de cauſ. ſymt. cap. 6.* vbi poſtquam docuit in ſenſibus omnibus dolorem contingere, concludit, dolere omnes quidem, & triſtari cùm à ſuis ſenſatis diuelluntur: at manifeſtum eſt per diuulſionem continuum ſolui. Apertiùs tamen *lib. de inæquali intemp. c. 6.* vbi ex Hip. docente 3. *de fract.* 34 morbum omnem vlcus eſſe, monſtrat non priùs intemperiem, dolorem efficere, quàm continuum ſoluat. Idem teſtatur 4. *ſimpl. cap.* 2. dicens, *frigidi proprium eſſe condenſare, fundere verò, ac liquare, calidi; vtriuſque verò commune, mordicare* quod quædam eſt ſolutio continui. In eo itaque ſitam eſſe putat doloris cauſam proximam, & per ſe: id quod ſentire viſus fuit Ariſtoteles, dum *lib. 6. topicor. cap. 3.* dolorem appellat ſeparationem partium cum violentia.

Nec verò rationes deſunt, quibus firmari poſſit prædicta opinio. Sicque primò. Non omnis intemperies dolorem efficit, nec enim humida, vt infrà patebit, aut remiſſa. Ergo non poteſt intemperies eſſe per ſe, & immediata cauſa doloris. Probatur conſequentia, quia omnis cauſa per ſe eſt etiam de omni.

Secundò. Illa quæ ſunt cauſa vnius, & non ſunt ex eodem genere, ordinem quendam habent inter ſeſe, ita vt vnum vel ſit cauſa alterius, vel ambo vnum efficiant, à quo effectus reſultet, v.g. ſi ignis ab igne, motu, & ſole producitur, eſt quia calor à quo ignis fit, omnibus illis communis eſt. Cùm ergo à ſolutione, & intemperie dolor aſſeritur oriri, credendum eſt vnum ex his eſſe alterius cauſam, vnúmque eſſe proximum, & immediatum doloris, ſolutionem ſcilicet, quam intemperies valida fecit.

Tertiò. In febre ardentiſſima adeſt maxima intemperies, ſimilitérque in ingenti aëris æſtu. Atqui non ideò dolorem percipimus, quemadmodum à minima cutis diuiſione. Diuiſio ergo ſeu continui ſolutio, proxima eſt ea doloris cauſa.

Quartò. Non alia ratione calor dolorem facit, quàm quòd partium ſubſtantiam ſegregando, & diſſoluendo incidit; frigus autem, quòd denſando eas quas attingit, ab aliis diuellit. Sed tam diuellere, quàm ſegregare, eſt ipſum continuum ſoluere. Ergo non excitat dolorem intemperies, niſi mediante ſolutione.

Contrà tamen omninò ſentit Auerrhoës *lib. 3. collect. cap. 31.* vbi ſolam intemperiem putat eſſe immediatam doloris cauſam, nec fieri à continui ſolutione per ſe, & immediatè, ſed à mala qualitate, intemperiéque quæ ſequitur ad ſolutionem ipſam, ratione motus quem habet annexum. His verò fundamentis Auerrhois ſententia à multis recepta, potiſſimùm nititur, quoniam ſicuti delectantur ſenſus ad moderantiam ſuorum ſenſibilium, ita dolent & triſtantur ad illorum immoderationem, vt oculi à vehementi luce, ſplendoréque, aures ab acuto ſonitu, &c. Atqui qualitates primæ ſunt propria, per ſe, & immediata tactus ſenſibilia. Ergo vbi modum, & commenſurationem exceſſerint, per ſe, & immediatè dolorem in tactu excitabunt. Quòd verò & ſolùm per ſe, probatur, quoniam ſola propria ſenſibilia per ſe, & immediatè à ſenſibus ſentiuntur, reliqua nonniſi illorum interuentu: cùm verò continui ſolutio proprium ſenſibile non ſit, non poterit per ſe ſenſum immutare, nec dolorem facere, abſque qualitatum interuentu, in quibus conſiſtit intemperies.

Deinde continui ſolutio priuatio quædam eſt. Sed ſenſus per ſe, & primò circa priuationes non operantur, ſicut nec ab illis immutantur. Ergo non poteſt fieri triſtis illa ſenſatio, à qua doloris ratio dependet, ab ipſa ſolutione, ſaltem primò & per ſe maximè, quia dolor non magis in tactu, quàm in reliquis omnibus ſenſibus contingit, licèt in ipſo maior. Sed vnum, idèmque ſenſibile non poteſt eſſe omnibus ſenſibus proprium. Ergo non poteſt fieri dolor in omnibus ſenſibus à continui ſolutione, tanquam à propria, ſolàque cauſa. Adiungunt. Durante continui ſolutione ſæpiſſimè non datur dolor. Ergo non dependet ab illa, tanquam à ſua, proximáque cauſa; hæc enim ſi fuiſſet, perſeueraret dolor ipſe quandiu ſolutio duraret. Dicendum ergo videtur, gigni potiùs ab intemperie, eáque ceſſante euaneſcere dolorem, nec dari in parte aliqua antequàm intemperetur: non enim ratio alia poteſt aſſignari, cur multi vulnerari non ſentiant ſe vulneratos, niſi quia nondum intemperiem contraxerunt, doloris efficientem, immediatámque cauſam.

Ex prædictis rationibus in vtramque partem adductis, cenſent plurimi, ab vtraque cauſa, ſolutione nempè, & intemperie, poſſe dolorem proximè, & immediatè generari, cuius ſententiæ fuit Auic. cum aſſeclis, 2. 1. *doct.* 2. *cap.* 19. Quæ quidem confirmari poteſt ex eo, quoniam tunc ſenſatio triſtis, dolórque fit, quum aliquid occurrit, ſubitò, & affatim naturam corrumpens, ducènſque à naturali ad præternaturalem ſtatum. Sed non minùs natura noſtra corrumpitur vehementi alteratione, quàm continui ſolutione. Ergo credendum eſt ab vtraque cauſa poſſe dolorem excitari. Minor manifeſta eſt, ſiquidem & temperamento, & vnione conſtat natura noſtra, ac propterea vbi aliquid inciderit alterutrum eorum euertens, dolebimus, & triſtabimur, licèt alterum remaneat illæſum. Hoc ipſum verò exiſtimaſſe Galenum, (licèt Auicenna & Auerrhoës contendant, eum ſolùm voluiſſe ſolutionem continui eſſe immediatam cauſam doloris)

ex multis locis elicitur, vbi non vnius, ſed duplicis illius cauſæ mem nit: expreſſè namque *in l.2.de ſloc.affect.* vnam, & alteram commemorat, 1.*de cauſ. ſympt.6 2.de rat.vict. text.* 1.*lib.art.med.cap.*80.12.*meth.*7. *& lib.de inæqual.intemper.c.*5.vbi referens dictum Hip.*l.de loc.in homine*.apertis verbis teſtatur, tam intemperiem, quàm ſolutionem efficere dolorem: verùm num vnaquæque immediate ſit, aut non ſufficiat niſi alicuius interuentu, non, ſatis expreſſit; vnde tota oritur controuerſia.

Qui primam ſententiam ſequuntur, affirmant alterantia efficere dolorem, quia continuum diſſoluunt,& ex ſola continui ſolutione dolorem oriri. Galenum verò his paulo antè aductis aſſerẽtem aut ex ſolutione, aut alteratione fieri, intelligendum putant, ac ſi diceret, fieri quidem ſemper ex ſolutione ſola, ſed ea aut per ſe facta, aut ex alteratione, nimirum quoniam ipſa continui ſolutio aliquando per ſe aduenit, vt cùm inciſio fit; aliquando ex magna, & violenta alteratione. Hi tamen fateri coguntur propter argumenta Auerrhois, continui ſolutionem proprium eſſe tactus ſenſibile, licèt 2.*de anima*, *& l. de ſenſu, & ſenſibili*,ab Ariſtotele non fuerit expreſſum quum ſenſibilia communia per ſe non percipiantur. Deinde dolorem eſſe ſolius tactus ſymptoma, nec in aliis ſenſibus ſentiri, niſi ratione tactus per omnes diſperſi, nempe quia ſi ſola continui ſolutio immediata eſt doloris cauſa,& proprium tactus obiectum aſſeritur, alio ſenſu ſentiri non poterit, nec niſi ratione illius dolor in aliis fieri, id quod à Gal. diſſonum non eſt, cùm expreſsè doceat 1. *de cauſ. ſympt.* ea quæ viſum, odoratum, auditum, & guſtatum mutant, cùm excedentia ſunt, dolorem efficere continui ſolutione, quæ quia naturam corrumpit, & violenter immutat cum moleſtia & dolore ſentitur.

Iam verò non ſentiri dolorem tanto tempore, quo ſolutio durat, non valdè vrget à prædicta ratione recedere, nam cùm dolor à fieri potiùs, mutationeque quàm à facto eſſe, & mutato dependeat, nihil mirum dicent, ſi vbi aliquid ruptum iam, diuisùmque eſt, dolor ſemper non adſit: quòd ſi is aliquando ſequitur, facto iam, & inflicto, aut durante vulnere fit, propter ſuperuenientem cauſam continuum de nouo ſoluentem, humorem ſcilicet acrem, mordentem, vel vlcerantem partem, phlegmonem diſtendentem, vel quodcunque aliud potens continuum ſoluere.

Denique ſi obiicias validam intemperiem immediatè, & per ſe corrumpere naturam,atque adeò dolorem facere, admittent quidem, ſed non proximè, & immediatè: nam cùm intemperies morbifica continui ſolutionem quam efficit,habeat annexam, vt conſtat ex Hip. Galeno.relato *cap.6.de inæqual intemperie*, vbicumque violenta adfuerit intemperies, & ſubita, aderit etiam ipſa ſolutio, doloris cauſa immediata. Nec verò neceſſum eſt, quod per ſe, & nullius interuentu, ſubitò, & affatim naturam corrumpit, per ſe, & immediatè dolorem efficiat, quoniam etiam nec omnia quæ per ſe ad aliquid concurrunt, per ſe etiam ſunt cauſa omnium effectuum, vt innumeris ferè argumentis poteſt confirmari.

Cardanus *lib. 2.contradict.tract.3.cont.*1.arbitratur ſolutionem, & intemperiem ſimul ſumptas eſſe doloris cauſam;nec ab vna ſine altera fieri poſſe in ſenſu tactus, ſemperque in dolore ait ſolutionem intemperiei coniungi, & è cõtra,& vnam ab alia nonnunquam produci:ſed ita ab his duabus cauſis ſimul concurentibus dolorem fieri putat, vt à ſolutione tanquam à cauſa proxima, ideſt adæquata fiat vt ipſe explicat, in eo differens à priori ſententia,quòd neceſſariò vtramque cauſam requirat ſimul. Cogitur verò ita exiſtimare ex eo, quoniam cùm dolor(vt ille retur)ſit quidam ſentiendi modus, duóque in ſe comprehendat, ſenſationem,& modum, nec ſine proprio obiecto fiat ſenſatio, planè fit vt hæc in tactu detur intemperies, maláve & diſconueniens qualitas, qua ad præternaturalem ſtatum mutetur, atque adeò omnino requiri videtur ſimul & continui ſolutio, tanquam proxima cauſa illius modi ſentiendi, non ſolùm in tactu, ſed & in reliquis omonibus ſenſibus; vnde commune quoddam dicitur obiectum, & ſine quo dolor nequaquam fit.

A Quoniam verò ſolutio hæc continui quandoque intemperiei cauſa eſt, nonnunquam autem ipſa intemperies ſolutionis, ac proinde alterum modò proximius altero, modò remotius videtur, ideò Galenus continui ſolutionem,& intemperiem ex æquo quaſi ſtatuit cauſam doloris in ſenſu tactus, licèt ipſa continui ſolutio ſemper ſit adæquata, & proxima, quamuis nonnunquam antecedat intemperiẽ, ipſamque producat. Nec mirum ſi intemperies mediante ſolutione producatur, ob vehementem motum cum quo ſolutio fit:apparet enim vel ex leui duorum lapidum colliſione ignem nonnunquam excitari;immo & aliquando ex ſola fricatione lignorum hederæ,& lauri: & pueri cùm flagellantur, manifeſtam ſentiunt caliditatem, & etiam poſtquam vapularunt, ingentem dolorem,ob ſolutionem à contracta intemperie de nouo generata.

B Adiungit autem Cardanus, ideò magnum adeſſe dolorem, vbi qualitas eſt intenſa, quia hac præſente magna datur continui ſolutio, quamuis non è contra;quoniam licèt nunquam detur mala qualitas efficiens dolorem ſine ſolutione continui, nec abſque mala qualitate dolorifica: ſolutio hæc tamen rectè poteſt eſſe magna, vt cùm ſenſim fit, & qualitas ipſa eſt remiſſa;& hinc fieri inquit, vt ſæpè dolentes qualitatem non percipiamus, quamuis ea adſit, & reuera ibi ſentiatur, ſed obſcura; aliter enim dolor non fieret, quia deeſſet ſenſatio admodum requiſita, in quo doloris eſſentia conſiſtit,ac præterea à duabus illis cauſis ſimul concurrentibus, ſolutione ſcilicet,ac intemperie dolorem dependere ait, & nequaquam dari ad cuiuſcunque defectum; ideóque vulneratum aliquando non ſentire, nec dolere, propterea quòd deeſt intemperies, quam nondum contraxit.

C Verùm licèt artificioſa ſit Cardani interpretatio ad propoſitam difficultatem, quòd tamen vtraque cauſa ſimul, tanquam efficiens, non requiratur ad dolorem, ſed alterutra ſufficiat, multis comprobari poteſt;& eo maximè quoniam non minùs intemperies poteſt naturam ſubitò, & affatim corrumpere, quàm continui ſolutio.Ergo vna ſine alia poterit dolorem efficere.Deinde dolor, vel eſt ſenſus moleſtus, vel quædam appetitus paſſio ſequens ad rei contrariæ ſenſum; ſed cauſa ipſa ſenſationis cuiuſcumque eſt ipſum obiectum: cùm ergo intemperies ſit proprium tactus ſenſibile, per ſeipſam efficiet ſenſationem moleſtam, aut nullius alterius interuentu cauſa erit paſſionis in appetitu.

Nec verò obſtat, quod ex ſententia Galeni *loc. in initio*
D *adductis*,obiicitur:*&* 12.*meth.*7.*Intemperies quæ dolorẽ facit,continuum ſoluit,nec aliter poteſt eſſe dolorifica,quàm ſi ſolutionem habeat annexã m*:nam licèt illud fateamur, non euincit perpetuò ſolutionem interuenire, tanquam cauſam efficientem: quod manifeſtè oſtenditur, quia ſi cauſa ſubitò, & vehementer refrigerans, aut vehementer calefaciens continuum non ſolueret, procul dubiò tamen dolorem excitaret, corrumperet enim naturam. Ergo non requiritur ſolutio continuitatis tanquam cauſa neceſariò efficiens, licèt ſemper ſit coniuncta intemperiei dolorificæ, idque ſolùm credi poteſt voluiſſe Galenum *prædictis in locis*, non quòd, vt efficiens in dolore ſemper cõcurrat: immò verò aliquando à ſolutione, nonnunquam ab intemperie per ſe euenire, ſignificaſſe videtur, quum vtramque cauſam doloris diſiunctiuè appoſuit.

Ergo licèt cum intemperie efficiente in tactu dolorem,
E neceſſariò iuncta ſit continui ſolutio, ea tamen non concurrit neceſſariò ad omnem dolorem tactus. Dicimus neceſſariò, quoniam ſi ſolutio ſemper intemperiem dolorificam comitatur, & cauſa etiam eſt generatiua doloris,planè negari non poteſt eam in omni tactus dolore effectiuè concurrere, ſaltem partialiter,licèt non neceſſariò,cùm intemperies ipſa poſſit dolorem efficere, vt diximus: verùm quoniam ſolutio tam exigua eſt, vt nequaquam ſentiatur, ſine errore dici poteſt à Medico, illam non ſemper in tactus dolore dari, nec ſemper eſſe cauſam efficientem illius, ſed aliquando ſolam intemperiem per ſe, quemadmodum Auicenna & eius interpretes affirmant.

Sed quæres, num quemadmodum in tactu primæ qualitates, proprium illius obiectum, vbi excedunt, & fiunt

improportionatæ naturæ, per ſe dolorem efficiunt abſque cótinui ſolutione, poſſint etiam aliorum ſenſuum obiecta ſimiliter immoderata, ipſos deſtruere, nulla interueniente continui ſolutione? Multi affirmant dolere auditum, qua auditus eſt, ex acuto ſono, viſum ex fulgore, & ſic reliquos ſenſus à ſuis qualitatibus excedentibus; quia vbi valde excedunt, fiunt ſenſuum naturæ improportionatæ, & diſconuenientes: quatenus verò habent tactum coniunctum, dolere à continui ſolutione; idque ex Galeno colligi putant 1. *de cauſ. ſympt. cap.* 6. dicente, in reliquis ſenſibus à tactu, dolorem generari à familiaribus ſenſibilibus, & duplices in ſingulis dolores accidere, quoſdam affecto in illis proprio ſenſu, quoſdam affecto tactu.

Alij negant, aſſerentes non aliter amara guſtum triſtare, quàm quia rodunt; adſtringentia, quia comprimunt; ſplendida, & candida, quia diſgregant; nigerrima, quia congregant; acutum ſonum quia diſrumpit auditus organum; atque ita ſemper in doloribus reliquorum ſenſuum à tactu, neceſſario interuenire ſolutionem continui, tamquam cauſam efficientem, quoniam non aliter poſſunt illorum obiecta quamuis immoderata naturam corrumpere, quàm continuum ſolúendo, quod teſtatiſſimis verbis Galenus expreſſit *cit. de cauſ. ſympt. lib.* Quamuis autem dolor in auditu, viſu, guſtu, odoratu, non fiat per ſe à ſuis obiectis quantumuis immoderatis, niſi quatenus continuum ſoluunt, non ideò tamen aſſerendum eſt, prædictos ſenſus dolere ſolùm ratione tactus; nec enim continui diuiſionem proprium tactus obiectum eſſe aſſerimus, ſed potiùs omnibus commune ac proinde ſi ea in vnoquoque ſenſu ad proprij obiecti immoderationem ſequatur, dolorem efficiet vnicuique ſenſui proprium.

Inſtabis ſequi ex dictis, non ſoli tactui dolores vehementes accidere, nec reliquos ſenſus dolere poſſe, & ad tactus paſſionem, & ad propriam, contra ea quæ à Galeno docentur *prædicto loco de cauſis ſymptomat.* Nam ſi continui diuiſio aliis ſenſibus ratione ſui etiam contingit, & ea grauiſſimorum dolorum eſt cauſa, planè in aliis etiam fient acerbiſſimi dolores, immò verò acerbiores aliquando quàm in tactu prout vnuſquiſque perfectior fuerit, acriúſque ſentiens. Deinde nulla relinquitur cauſa, ob quam doleant affecto tactu, vel ſaltem ad continui ſolutionem tactui contingentem, ſi illam ex ſe habeant.

Dic, quòd licèt continui ſolutio ſenſibus omnibus communis ſit, magis tamen in tactu, quàm in cæteris percipitur; & quia cauſæ illam potiſſimùm efficientes, vt aſperum, acutum, durum, excedentes qualitates propriæ ſunt tactus; & quia ab eo cùm præcipuè dependeat vitæ conſeruatio, magis propriè percipiet & ſentiet cauſas corrumpentes, ac proinde nihil mirum ſi grauiores dolores in tactu contingant: eò maximè, quòd cùm duo illa intemperies nempe, & ſolutio continui ſeſe mutuò vt plurimum comitentur, & ad inuicem ſequantur, neceſſe ſit dolores in tactu augeri, fierique acerbiores.

Ad ſecundum. Afficiuntur ſenſus proprio dolore, quoniam ſolutio fit à propriis obiectis immoderatis: quando verò ſequitur ad tactus obiectum, dolent ratione tactus; quemadmodum etiam quatenus illo præditi reliqui ſenſus, dolebant ad intemperiem, &c. Lege alios ſoluendi modos apud Fernel. *lib. 1. patholog. cap. 7.* Scaliger. *exercitat. 299. aduerſus Cardan. num. 2.*

Illud verò hac ſententia retenta vrget potiſſimùm, quomodo continui ſolutio per ſe poſſit dolorem efficere, ſi obiectum commune eſt, quod nunquam per ſe ſine proprio ſentiri poteſt, iuxta Philoſophorum placita. Nec ſatisfacit quod quidam aſſerunt, cauſam ſcilicet ſoluentem ſentiri, ſolutionem autem triſtare; eſſet enim in Cardani opinionem incidere, aſſerentis dolorem in ſenſu tactus à ſolutione ſolùm fieri non poſſe. Præterea cùm dolor in ſui ratione includat ſenſationem rei contrariæ corrumpentis naturam, vel ad illam ſequatur, ſi ſolutio nullo interueniente dolorem facit, videtur quòd ſola ſine alio ſentiri poteſt.

Dic, quòd licèt ſenſibilia communia primo, & per ſe ſenſus non immutent, ſed ratione propriorum, quia ſunt qualitates potentes immutare organa ſenſuum, nihil tamen inconuenit ſentiri aliquando commune obiectum, proprio non ſentito, quando ſcilicet hoc propter ſui exiguitatem, aut diſtantiam exactam ſui formam organo non imprimit, aut proter aliquod interueniens impedimentum non ſentitur: atque ideò quamuis continui ſolutio non accidat ad ſenſum abſque cauſa ſoluente, ſæpè tamen ſentitur; & dolorem facit cauſa non ſentita: quemadmodum è contra nonnunquam euenit, fieri ſcilicet dolorem ab intemperie, ſine eo quod ſentiatur ſolutio, quamuis ſæpè comitetur dolorificam intemperiem.

Ex his patebit ſolutio argumentorum, quibus cum Auerrhoë pugnant multi, ex ſola intemperie produci poſſe dolorem. Ad primum namque dicendum, quòd licèt qualitates primæ conſtituentes intemperiem, immediatè, & per ſe tactum moueant, quemadmodum & reliqua propria obiecta ſuos ſenſus: ſolutio autem continui, tanquam ſenſibile commune, nonniſi proprij interuentu, rectè tamen ſentiri poteſt, & moleſtare cauſa non percepta, vt diximus. Quamuis autem priuatio ſit, cùm naturæ corruptionem importet, oritur in nobis ex ea moleſta illa ſenſatio, & dolor.

Ad ſecundum. Cùm non aſſeramus continui ſolutionem eſſe ſenſibile proprium, nec ab ea ſola fieri dolorem non euincit argumentum. Denique quamuis à diuſione continui etiam fiat, non eſt neceſſe vt ſemper dolemus durante ſolutione, ob cauſam ſuprà aſſignatam; doleamus enim dum ſoluitur continuum, licèt non adſit adhuc intemperies. Quòd ſi vulnus dum fit, aliquando non ſentimus, eſt quia nonnunquam ita velociſſimè & inopinatò infligitur, vt ſenſus non ſentiat, nec mens aduertat: paulo pòſt verò dolemus vulnere iam inflicto, ob ſuperuenientem humorem, vel intemperantem, vel erodentem vlceratam partem: verùm hoc non tollit, ipſam ſolutionem etiam per ſe dolorem poſſe inferre, quemadmodum ſine ſolutione intemperiem ipſam.

Argumenta verò in initio adducta pro prima opinione aſſerente ſolam continui ſolutionem eſſe cauſam immediatam doloris, ſic ſunt ſoluenda. Licèt hoc aſſeramus in propriis ſenſibilibus à tactu, in hoc tamen etiam ab intemperie fieri, efficaciter monſtratum eſt. Nec Galenus aduerſatur *lib. de cauſ. ſympt. cit.* ſolùm enim ibi docet, dolere viſum, guſtum, auditum, & odoratum, cùm à ſuis obiectis immoderatis diuelluntur, hoc eſt, continui ſolutionem patiuntur, quod non diffitemur. *Capite* autem 6. *de inæquali intemperie*, referens Hipp. dictum, & in reliquis locis adductis, tantùm vult intempetiem morboſam, & dolorificam, ſemper habere annexam continui ſolutionem: verùm quamuis ita ſit, non ideò concludit etiam, ab intemperie ſine ſolutione dolorem per ſe non fieri, cùm per ſé ſola ſit ſufficiens naturam corrumpere. Minùs obſtat, quòd non omnis intemperies dolorifica eſt, ac proinde per ſe non erit cauſa doloris: nam ſolùm id quod per ſe, id eſt, eſſentialiter conuenit, de omni dicitur, non verò id quod non per ſe, id eſt, ſine interuentu alterius. Num autem omnis intemperies poſſit dolorem efficere, *infrà* dicetur.

Ad ſecundum dic, quòd cùm non requiratur ſubordinatio inter ſolutionem, & intemperiem, ad hoc vt dolorem efficiant, ſed vnaquæque per ſe poſſit, non eſt neceſſarium vnam ſemper eſſe cauſam alterius, vel alteram immediatam alteri. Ad tertium. Negari non poteſt, dolere laborantes ardenti febre, ratione intemperiei, & ſolutionis continui annexæ, dummodò mens non ægrotet.

Ad quartum. Quamuis excedens calor ſegregando, & frigus denſando, atque, ita continuum ſoluendo dolorem efficiant, etiam intemperando moleſtant dolorificè, quia corrumpunt euertendo temperamentum quo potiſſimùm natura conſtat. Quare negari non poteſt ab vnaquaque cauſa, per ſe ſine alia, intemperie ſcilicet, & ſolutione, poſſe dolorem inferri, quemadmodum docuit Hipp. citatus *c. 3. lib. de inæquali intemperie*, dicens *fieri dolores, dum alteratur, vel corrumpitur natura*, intemperiem intelligens, per verbum alteratur, ſolutionem autem, in verbo corrumpitur: ab vtraque enim fit naturæ

immuta

immutatio, & corruptio; & propterea definiens dolorem, dixit eſſe violentam partium naturalium ſeparationem, in quo ſanè vtramque cauſam comprehendit: ſi quidem non minùs ſeparatur, immutatúrve res à ſuo naturali ſtatu, ducitúrque ad violentum, & præternaturalem, amittens naturalem temperiem, quàm partium vnionem & continuitatem, quibus natura integratur & conſtat. Conſule pro maiori explicatione Conciliator. *diſ. 73.* & Iul'u n Guaſtauinum *lib. de loc. medicin. ſelectis, cap. 1. & 2.*

QVÆSTIO XLII.

Vtrùm ab omnium qualitatum intemperie dolor concitari poſſit.

QVoniam paulo ante doloris mentionem fecimus, ſed breuiter admodum, ac magis conciſè, quàm arduum hoc argumentum exoptabat, modò adnectemus alia, quæ indagatione varia ſunt deprehenſa à nobis. Cùm enim ratum ſit, poſſe validam, immoderatámque intemperiem per ſe in ſenſu tactus dolorem efficere: ſupereſt inquirere, num ab omnium qualitatum intemperie concitari poſſit, aut à qua non: quæ ſanè difficultas non minùs controuerſa eſt, quàm præcedens, ob varia quæ à Galeno ſcripta reperiuntur.

Si enim eius loca attentè rimeris, mecum ita ſenties: *Lib. ſiquidem de inæqual. intemper cap. 3.* ab omnibus qualitatibus dolorem procreari aſſeruit, nam *dolor fit, quum alteratur, aut corrumpitur, vel calefit, vel frigefit, vel ſiccatur, vel humefit,* dixit Hip. Idem docuit *lib. art. med. cap. 80. & 2. acut. 1* dicens fieri dolorem, quum immutantur corpora, immutatíque quandoque ad calidum, frigidum, ſiccum, & humidum, & *lib. de nat. hum. text. 6.* apertè teſtatur, quòd ea quæ vehementer calefaciunt, infrigidant, ſiccant, atque humectant, ſuapte natura dolores excitant. Sequitur Auerrhoës *lib. 3. collig. cap. 31. & lib. 4. cap. 46.*

At verò ipſemet Galenus *12. meth. cap. 7.* duas tantùm qualitates expreſſit, (dum ibi cauſas doloris exponit ex profeſſo) à quibus generatur dolor, calorem nempe, & frigiditatem, nullam de humiditate, & ſiccitate faciens commemorationem, ac ſi per ſe ab illis generari non poſſit: idque ſenſiſſe creditur *1. de cauſ. ſympt. cap. 6.* dicens, *has qualitates, quia citra violentiam corpus contingunt, dolorem non inferre abſque frigore aut calore;* & *lib. 2. de compoſ. med. ſec. loc. 1* ſcripſit, quòd calidam, & frigidam intemperiem vehementiſſimi capitis dolores ſequuntur; ſiccam, moderati, humidam, nulli omninò: quam ſententiam ſequitur Auic. *2. 1. doct. 2. ſum. 2. cap. 19. & 1. 3. tract. 2. cap. 10.*

Quidam ex dictis ſuprà, antinomiam ſoluunt hoc modo, & duplex conſtituunt genus doloris, magni ſcilicet ad ſe curam trahentis, & leuis exiguíque, qui ad ſe curam non trahit. Tunc ex qualitatibus ſolas actiuas per ſe cauſam eſſe doloris arbitrantur, illius verò qui mediocris eſt, & paruus, etiam paſſiuas, licèt minor ab humiditate generetur, propter eius tarditatem in agendo. Adiungunt etiam, quòd licèt humiditas ex ſe poſſet acutum dolorem procreare, quia tamen nunquam ad inſignem intenſionem peruenit, (cùm iuxta Meſuè ſententiam, *cap. de pſyllio*, gradum ſecundum non excedat) dolorem nunquam procreat. Cùm ergo aſſeruit Galenus, fieri dolorem, vbi ſubita contingit mutatio, & hanc à calido, ſicco, humido, frigido fieri; comprehendit (inquiunt) cauſas doloris per ſe, quales ſunt omnes qualitates, quamuis humiditas eum non efficiat, quia deſtituitur exceſſu illo, qui ad dolorem inferendum requiritur; propter quod *2 ſec. loc. cit.* Gal. & Auic. aſſeuerant, nullum dolorem fieri ab humiditate, quem tamen ex ſe efficeret, ſi augeretur. Quòd ſi *12. meth.* caloris, & frigoris ſolùm meminit, de dolore agebat curam ad ſe trahente. *1.* autem *de cauſ. ſympt. cit.* ſentit tantùm, qualitates paſſiuas non poſſe per ſe grauem dolorem efficere ſine actiuarum coniunctione, quod non diffitetur.

At licèt hæc opinio defendi poſſit, multò probabilius A eſt exiſtimare, conſiderando intemperiem nudè, hoc eſt, ſine materia, à ſolo calore, vel frigore poſſe dolorem per ſe generari, à ſiccitate autem, & humiditate nonniſi per accidens, aut alterius interuentu, caliditatis nempe, aut frigiditatis. Suadetur, quoniam illæ tantùm qualitates per ſe dolorem inferre poſſunt, quæ nullius adminiculo, ita violenter, ſubditò. & affatim alterant, vt naturam corrumpant: Sed caliditas & frigiditas illud ſolùm efficere valent; reliquæ enim, ſiccitas, & humiditas, etſi non omnino actionis ſint expertes, non tamen niſi ſenſim, tardè, & paulatim alterant & immutant. Ergo, &c.

Confirmari hoc ipſum videtur ex Gal. *12. meth. 7.* vbi ex profeſſo agens de cauſis doloris, actiuarum tantùm meminit, & *1. de cauſ. ſymp.* ſæpè relato, vbi docet ſiccitatem, & humiditatem, ſi abſint calefactio, & refrigeratio, B citra violentiam corpus contingere; ac proinde innuens, ex ſe dolorem non inferre, niſi aliqua ex actiuis qualitatibus interueniat, aut quidpiam aliud.

Nec ſanè difficile erit, reliqua Galeni loca in hanc ſententiam reducere, nihil enim ei aduerſum continent. Non diffitemur enim ab omnibus primis qualitibus alterari, aut corrumpi naturam, quemadmodum ipſe docuit *cit. de inæqual. intemp.* Verùm quoniam non omnes violenter, & ſubitò immutant, id quod ad dolorem inferendum requiritur, non ab omnibus per ſe induci aſſerendum eſt.

Quòd ſi *lib. de rat. vict. com.* profert, ſiccitatem & humiditatem, confertim, & ſubitò immutare, atque ideò dolorem ex ſe facere, perinde ac caliditatem & frigiditatem: non ita intelligendus eſt, ac ſi de hu- C miditate, & ſiccitate nudè ſumptis, hoc eſt, ſine materia loquatur, ſed de illis provt cum materia, & humore coniunguntur; agebat enim de pleuritide, quæ ex nuda qualitate non fit, ſed ab humore influente; vnde dolor: qui hic viget, propriè loquendo, potiùs humori diſtendenti, & cotinuum ſoluenti, quàm paſſiuis qualitatibus adſcribendus.

Denique, ſi *2. ſec. loc. 1.* de nudis qualitatibus loquens, teſtatur mediocres dolores ex ſiccitate generari: non per per ſe intelligendum eſt, ſed per accidens, nempe ratione tenſionis, quæ immodicam ſequitur ſiccitatem; cúmque tenſio ipſa ſit quædam continui ſolutio, ad eam potiùs per ſe, quàm ad ſiccitatem dolor referendus eſt. Vel aliter explicare poſſumus, loqui ibi de ſiccitate, quæ fuit à calore inducta, à qua nihil mirum ſi dolor per ſe infe- D ratur; quoniam vbi ſiccitas à calore producitur, poteſt repentè ingruere, & ſubitò corpus alterare, immutaréque violenter, ac proinde dolorem per ſe inferre, licèt ipſamet ſiccitas à calore producatur. Et de doloris natura, & cauſis hæc ſint ſatis.

De eius verò differentiis plurima explanant interpretes, ad citatum *lib. 2. de loc. affect. Galeni.* Eas collegit *cit. loco* Galenus contra Archigenem, & ſunt numero quindecim, vt Auicenna retur, *1. doct. 2. ſum. 2. c. 20.* Prima eſt dolor ſtupidus, qui non eſt verus dolor, de cuius natura, cauſis, & generatione, *lib. 7. Praxis hiſtoriarum, cap. 10.* fusè diſceptabimus. II. differentia dicitur dolor pulſatorius, inflammationibus proprius. III. exaſperatorius, vt in tuſſi, & immoderata vociferatione, quando aſpera arteria inæqualis reddita eſt. IV. pruriginoſus, vt in ſcabie, & pruritu. V. mordicatiuus, vt quando partes humore acri E mordentur. VI. frangens, in oſſibus, & quando inter perioſtium flatus retinentur. VII. perforans, vt in colico dolore, & eſt proprius inteſtinorum craſſorum. VIII. acualis, vt quando inteſtinum velut acu pertunditur, & eſt proprius gracilium inteſtinorum, differtque hic à ſuperiori, remiſſione ſola. IX. fatigatorius, vt quando partes ex cauſa manifeſta, aut ex labore dolent. X. relaxatiuus, vt quando ſtomachus relaxatur, & dolet. XI. compreſſiuus, vt quando partes comprimuntur. XII. tenſiuus, vt quando partes inflammatæ tenduntur. XIII. vlceroſus, quando partes vlcere tentantur. XIV. grauans, quando ex nimia copia humoris grauantur partes. XV. punctorius, vt in pleuritide contingere ſolet. Sed quia in his recitandis multus fui, habenas calamo.

HISTOR. XXIX. AETII, Vſtio, Iſchiadicis vtiliſsima.

NOuimus * *Iſchiadicos, inquit Archigenes, qui ex prædictis vſtionibus opem ſenſerunt, &c. Aëtius* tetrab.3. ſer.4. cap.3.

PARAPHRASIS.

CVm affectus hic rebellis ſit, humórque craſſus & contumax lateat in profundo, & immani dolore corpus excruciet, debilitet, & ſæpè interficiat, vt ait Celſus *lib. 4. cap.* 22. tunc ſi remedia non proſunt, veſicatoria & rubrificantia parti adhibere oportet, vt eorum ope humor lentus liqueſcat, & ad ſuperficiem attrahatur. At cùm ex iis nullum ſæpè ſequatur leuamen, ad cauteria accedere oportet (priſci vſtiones vocant:) præſtantior enim eſt cauteriorum vſus, quoniam citiùs perurunt, vt monuit Aëtius *tetrab.3.ſerm.4.c.25.* Quare, inquit Paulus *lib.3.c.77. cùm vitium longiùs ſe prorogat, articulum, tribus quatuórve locis adurere oportet, vt in chirurgia dicetur, ac pluſculis diebus vlcera adaperta ſine cicatrice ſeruare, &c.* & *lib 6.c.76.* ſic ait. *Quemadmodum humerus, ſic etiã coxa propter humiditatis copiam nonnullis excidens vſtionem poſtulat, &c.* Hippocrates hunc curandi modum omniũ primus edocuit *lib.6.aph.60.* dicens. *Quibuſcunque à coxendicum dolore moleſtatis diutino excidit coxa, iis crus tabeſcit, & claudicant ſi non vrantur:* & Galenus *in com.* ſic interpretatur: *Hippocrates ſuadet aduri coxam, vt id quod mucoſum eſt, abſumatur, & laxitas cutis, ad quam articulus lubricabat, magis ex vſtione contracta, arctet, & prohibeat articulum tranſponi, &c.* nam, vt *in com.* firmat eruditiſſimus Heurn. *Vredo madorem exhaurit, & laxitatem cõtrahit: foràs trahit materiam etiã phœnigmus. Cauteria diu aperta fluant: tribus locis admoue: caue à tẽdinibus, & neruis, &c.* Celſus *l.c.* ſic inquit. *Vltimum eſt, & in veteribus quoque morbis efficaciſſimum, tribus aut quatuor locis ſuper coxam, cutẽ candentibus ferramentis exulcerare, &c.*

Duplex eſt vrendi modus. Primus, quando profundè cauterizamus, & hoc opus vocatur vſtio: Secundus, quando hoc opus ſuperficie tenus exequimur, dicitúrque inuſtio. Primo cauterio vtimur quando humor profundiùs latet. Secundum celebramus ſine penetratione vlla, cuius operationis beneficio humorem peccantem ad externas partes tranſmittit natura, pars mucoris copia imbuta, & laxior facta roboratur, & fluxio intercipitur: nam poſt cicatricem inductam pars rugoſior, & durior euadit: de hac vſtione intelligendus eſt Hip. *lib.6.aph.cit.* Lege eundem *lib. de loc. aëre, & aquis, num.* 47. & elegantiſſimum Septalium *in com.*

Ancham cauterizandi multiplex eſt modns, quem propoſuit Albucaſis *lib.1.c.41. &* 42. quo autem loco cauteria ſint affigenda docuit Dioſcorides *lib.2.c.72. Vtilem Iſchiadicis vſtionem hoc modo accipiunt: in eo interſtitio vbi pollex brachiali committitur, caua veluti lacuna ſubſidet, in qua lana oleo imbuta ſubſternitur, deinde ſigillatim ſtercoris caprini feruentes pilulæ imprimuntur, dum per brachium ad coxam vapor ſentiatur peruenire, & coxendicis dolorem mitigare, aduſtio id genus Arabica appellatur, &c.* licèt quod ad Iſchiadicorum vſtionem pertinet, rectiùs loquatur Plinius *lib.28.c.10.* ſub his verbis. *Quin & Iſchiadicos vbi ſub pollicibus pedum eo fimo feruente vtiliſſimè tradunt, &c.* Nam, vt ſcitè notauit eo loco Marcellus Virgilius: *hæc vſtio præſtantior eſt, & magis vtilis. Siquidem faciliùs à pede per totum crus caloris ſenſus ad coxendicem, quàm à manu per brachium peruenire poteſt. A coxendice prætereà per femora, genua, tibiáſque ad infimos talos perueniens coxendicis dolor eſt, quod in ſuperiore hominis parte non fit, &c.* Sed Græci, Paulus, Celſus, aliíque, aliter vri in eo malo hominem voluerunt, vt *ſuprà* ex eorum mente comprobauimus. Monet tamen Celſus, vt vlcera diu aperta ſeruentur. Sic enim ait: *Cùm verò ſæpe aliquid exulcerandum candenti ferramento ſit, vt materia inutilis euocetur, illud perpetuum eſt, non vt primùm fieri poteſt huius generis vlcera ſanare, ſed ea trahere, donec id vitium, cui per hæc opitulamur, conquieſcat, &c.*

Ex his locis patet manifeſtè, in iſchiadicis vtiliſſimam eſſe vſtionem: de cuius efficacia, & vſu conſule Doüyner *lib.4.apolog.c.2.* Eraſt *part.4.diſputat.Paracelſ.* Arculan. *in lib.9.ad Almanſ.* Rom. *cap. de dolorib. iunctur.* Nicol. *ſer.4. tract.2.c.14.* Alcacarem *lib.5.de morb.Gallic.cap.3.in fin.* Benedict. Victor. *lib. empiric. cap. vlt.* Vidum Vidium Iunior. *lib.5.de curat.morbor. cap.3.* Paſchal. *lib. de curand. morb.c.60.* & inter omnes elegantiſſimè Hollerius *lib.3. inſtit.chirurgic.cap.5.* de hoc negotio diſceptat,

Vſtio præſertim exercenda eſt, ſi materia malignitatis ſit particeps, horrendos terrificóſque paroxyſmos excitans; quam eſſe præſtantiſſimam, grauiſſimis exemplis confirmat Paræus *lib.17.cap.2.de Arthritide*: Hic enim venenatus, malignus, occultus, & in profundo ſubmerſus humor, vi ignis refrænatur ſolùm, & ad externas partes euocari ſolet. Licèt autem hoc auxilium ſit efficaciſſimum, non defuere tamen qui illud improbare auſi ſunt, quoniam candens ferrum denſat, & conſtrictione facta venenum reprimit, ac intra cutem cohibet, & ne foràs ſpiret, impedimento eſt: eſchara enim, & cruſta genita craſſitudine ſua virulentum humorem retinet.

At ij cæcutiunt manifeſtè, nam cauteria calore, & dolore, versùs partem vſtam deleterium, aut quemuis alium humorem foras euocant, cui diflationi, & ſpirationi exigua illa denſitas non obſiſtit. Adde veterum teſtimonio, ignis actionem alia qualibet eſſe valentiorem. Quapropter ignis vi ſua efficaciſſima cùm venenum abſumat, hoc refrænat, vaſtat, atque profligat, quoniam, vt inquit Cicero *lib.1.de natur.Deor. Hic noſter ignis, quem vſus vitæ requirit, confector eſt, & conſumptor omnium, idémque quocumque inuaſit, cuncta diſturbat, atque diſſipat, &c.* ſubſcribit Galen. *lib.1.ſimplic.15.* dicens. *Ignis, vt qui omnium eſt tenuiſſimus ſimul, & calidiſſimus, & in profundum facilè permeat, & comminuit, vincit, extenuat, atque tranſmutat, ac in ſuam denique naturam conuertit, vndique ſcilicèt cõtingens, & quod contingit exuperans.* Quæ omnia in virulento humore optima ſunt. Accedit alia non vulgaris vtilitas, quòd pars ignem experta, manere diutiùs apertam exulcerationem facit; nam id ſummoperè eſt ſtudendum, ne citò vlcera coaleſcant, & cicatrice obducantur, ſed ad multos dies ſordida, & manantia prorogentur, in quibus deleterij humoris venenum egredi queat.

Hoc præceptum obſeruat Galenus *lib. 2. de antidot. cap.11. & lib. de theriac. ad Piſon. cap.* 16. cui adſtipulatur Auic.6.4.*tract.4.c.9.* Carnis cicatricem remorantur allium ſylueſtre detritum, cœpæ ſuccus, tritici grana, tam manſa, quàm integra: hæc enim vlceris humore imbuta, & tumefacta oras eius dilatant. Vſtam partem etiam vellicare, & reſerare poteſt medicamen deſcriptum à Gal. *lib.3.ſec. gener.c.5.* ex pice, aceto quam acerrimo, & opoponace conſtans. Oleum vetus, aut balſamum idem præſtant. Alij partem ebuli oleo fouent. Alij veſicas excitant poſt inductum cauterium.

Si verò quiſpiam delicatiorem cutem habeat, vel ob timiditatem cauteria admittere recuſet, ſepticis, & exurentibus medicamentis vtendum eſt, cuiuſmodi ſunt puluis præcipitatus, vitriolum, argentum ſublimatum, quod in hac re maximè probatur, quoniam non ſolùm valentiſſimè inurit, ſed exuſta ab eo caro, obductáque cruſta citò decidit, quod in omnibus cauſticis ſumnoperè eſt curandum, quò veneno facilior pateat exitus: quippe ea diu in vulnere retenta omnes obducit meatus, magno ægrorum incommodo. Hoc vtor feliciter, loco cauterij.

℞. *galbani, ſagapen. opopanac.* an.℥.ß. *euphorbij* ʒ.j. *iridis, ariſtolog. gentian.* an. ʒ.j. *nitri, ſulphur.* an.ʒ.ij. *ceræ quod ſit ſatis, vt fiat vnguentum.*

Denique ſi hæc non ferat ægrotans, vtere aliquo vnguento ex diſcuſſoriis, vt irino, amaricino, aut cyprino, quorum deſcriptionem *cit.lib.ſec.gener.* apud Galenum inuenies. Vnum tamen aduertas, vt ſemper vtaris cauterio;

nam

nam ignis eſt ſimplex, & ſolum empyreuma in parte relinquit; at ſeptica venenatam, qua pollent, imprimunt qualitatem, & ſpiritum reſoluunt, tardè agunt, & diu excruciant,& ſic lenta actione, dolore, & fluxione partem debilitant.

Sed de vſtione pro coxæ dolore perſanando,offert ſeſe Hippocratis ſententia, ſingulari digna admiratione; ſic enim habet ſcientiſſimus auctor *lib. 6. epid. ſect.5 .text.22. Cùm adſunt fluxiones,venæ in auribus poſteriores ſcindendæ ſunt, &c.* Quo eloquio, non venas capillares,ſed ſectionem grandiorum venarum intelligit, quia ſcarificatione externæ cutis aurium,inopinabile eſt aliquid emolumenti capi poſſe, quoniam exiguum erit, quod ex parte extrema, excarni, & frigida vacuari poteſt. Licèt autem hoc auxilium rariſſimè exequamur, vt Valleſius docet *in com.* tamen ſecare venas retrò aures non erit abs re, quando fluxio à cerebro ortum ducit, cùm enim hoc ſit frigidum, friabile, & exangue, pituitæque metropolis, & domicilium, *in epiſt. ad Demetrium,num.*40.copiam excrementorum plurimam ad inferiores partes detrudit ex Gal. *lib.6. de ſanit.tuend. cap. 9.& lib. 2.de d ff feb.cap.*11.& affectus non ſolùm in inferis partibus radicatos fouet,ſed in ſplene, hepate, aliiſque remotioribus locis generat, auget, ac per circuitum exacerbat; vt explicat luculenter Fernelius *5.patholog.* 4.nam & Hipp. *lib.2.epid.ſect.1.* ſic ait. *Si caput doleat, ad pectus deſcendit, ad præcordia, poſteà ad coxam, &c.*

Cerebrum cùm ſit in altiſſima parte locatum, ſitque tectum domus calidæ,ex Gal. *lib. 9.de vſu part.cap.*1.ſicut ex toto corpore vapores abſorbet,ſic ob debilitatem crudos humores generat, quos cùm non poſſit abſumere, ad inferiores partes, ad coxam, & ad extremos pedum articulos depellit. Licèt enim Fernelij opinio generaliter accepta reproba ſit, vt *infrà* notabimus, ſtatuentis à capite omnem articularem dolorem per defluxum concitari: quando tamen fluxio ab hac parte originem ducit, non erit abs re vrere venas retrò aures, vel eas ſcarificare, vt ferè aſſeruit Mercatus *lib.1. indicat num. vlt.*

Hoc ipſum manifeſtè edocuit Hippoc. *lib.de glandulis, num.*10. *Aliàs morbus oritur ex defluxione capitis per venas in ſpinalem medullam,inde autē in ſacrum os impetū facit, quo medulla ipſa fluxionem perducit,& in coxendicum acetabula,ſeu iuncturas deponit,&c.*firmat *lib.de loc.in homin. num.*19.*Si autem modicus fluxus fuerit,*(loquebatur de ſeptem defluxionibus quæ à capite fiunt) *coxendicum, & articulorum diuturnam affectionem facit,&c* Ergo ſi aliquem coxæ dolor, manante ex capite fluxu,corripuerit,aliquam ex venis quæ poſt aures ſunt, incidere oportet, & quum earum tres ſint numero, vna cæteris magis conſpicua eſt, quam ſanè præ aliis ſecare oportet, vt Fuchiſius *in com. 21. ſent. lib. 6. ſect.* 5.monuit.

Quod verò coxæ dolori harum venarum ſectio auxiliū præſtet, manifeſtè edocuit Hip. *lib. de loc.aëre, & aqua, n.*50. ſic enim inquit. *Ab equitatione ipſa defluxus eos in coxam corripiunt, nimirū propendētibus ſemper ex equis eorum cruribus,deinde claudi fiunt, contrahunturq́; coxarum vertebræ,quum inualuerit morbus. Medicantur autem ſibi ipſis hoc modo. A principio morbi vtráque venam retrò aures incidunt, quo ſanguine multo promanante, ſomnus eos corripit præ imbecillitate, ſicque obdormiſcunt,quorū quidē aliqui depulſo ſomno ſani exurgunt,aliqui verò minimè &c.* Vſtio ergo aut ſectio venarum retrò aures, intercepta via per quam humor à capite ad coxam decurrit, coxendicum dolores leuat; ſed hoc auxilium poſtea homines infœcundos reddit, & hoc dicebat Hip. *cit.de loc.infrà. Mihi ſanè videntur ea medicatione ſe ipſis perdere:venæ enim poſt aures ſunt,quas ſi quis ſecet, ſterilitatem infert his quibus ſecantur, &c.*

Hanc ſententiam approbat Hip. *lib. de genitura,num.3.* ſub his verbis. *Quibuſcumque retrò aures venæ ſectæ ſunt,hi coëunt quidem,& genituram amittūt, verùm modicā & debilem,& infœcundam:nam plurima genituræ pars à capite iuxta aures in ſpinalem medullam procedit; ipſe autem trāſitus cicatrice ſectione inducta conſolidatus eſt, &c.* Nec dubites: nam hæc Hip. ſententia experimento eſt confirmata: licèt enim ſemen materialiter ex cerebro non deſcendat, defluit tamen formaliter: nam vt ſemen fœcundum ſit, oportet à cerebro, & multis principiis plurimam ſpirituum quantitatem tranſmitti: ſpiritus enim genitiuus, qui eſt inſtrumentum facultatis formatricis, omni ſpirituum genere conſtat, & ſic ſequuta ſanguinis effuſione debilitatur cerebrum, & ſpiritui animali, facta cicatrice tranſitus impeditur. Lege Mercat. *lib. 3.de morb. mulier c.5* Langium *lib.1.epiſt.* 10. Num autem ſectio venarum retrò aures ſterilitatem inducat, explicat Gentilis *in Auic. 4. 1.doct.5.cap.20.24.3.tract.1.cap.3.* Septalius *ad cit.loc.Hip. lib.de loc.aër.& aq.*Andreas Laurent. *lib.8. de hiſt anatomic quæſt.*4.qui alias cauſas ſterilitatis Scytharum rimatus, neque equitationem, coxendicum dolorem, ſanguinis fluxum, ab Hip. doctrina recedere cogitur, ſed quam debilibus nixus rationibus opinionem ſuam tueatur, probat eruditiſſimus Caſtrenſis Luſitanus *lib.4.opuſcul. quæ ex quibus, cap. 5. de ſterilitate,quæ venarum ſectione inducitur*, nobis ſat ſit monſtraſſe locum.

QVÆSTIO XLIII.

Vtrùm vna ſit Arthritidis cauſa coniuncta, & efficiens, vt contra Gal. aſſeuerat Fernelius.

COMMENTARIVM.

Iſchiadicos.] Quoniam verò de arthritico dolore mentio nobis in ſequentibus plurima eſt,in cuius cauſa rimanda Iuniorum clariſſimi decertant, ſæpius veritatem inuoluentes, corollarium adiiciamus illud: Fernelium communia priſcorum decreta perturbaſſe, exilibus rationibus, ne dicam nugis permunitum. Sed audiamus eius inuentum, cuius ignoratione, iactabundus, & glorioſus opinatur, hactenus dolorem articularem pro immedicabili eſſe relictum, opprobriúmque Medicorum nuncupari.

De coniuncta cauſa, hactenus vnanimis Medicorum comprobauit opinio,edocta à ſuo magiſtro Galen. *lib.10. ſec. loc. cap.* 2. eam interdum eſſe ſanguinem,vt plurimùm verò pituitoſum, aut ex pituitoſo, & bilioſo mixtum. Quòd ſiquis bilance rem trutinare velit, non pituitoſum humorem, ſed qui propriè crudus appellatur,vt plurimùm circa articulos prædominari dixerit: nam ab humoribus mixtis, frigido ſæpè ſuperante calidum, interdum (licèt non ita crebrò) calido frigidum, euenire hunc dolorem teſtatur Galenus: immò *6.epid.ſect. 6.com.*4.articulorum dolores nonnunquam contingere affirmat, in quibus fluxio tum bilioſa, tum calida eſt, eiſque infrigidatione mederi docet.

Fernelius *lib. 6. patholog.* 18. aliter opinatur, cenſétque non tam variam cauſam coniunctam eſſe aſſignandum,vt Medici tradunt: non enim à ſanguine, aut pituita, aut melancholia dolor hic originem ducit, ſed perpetuò à pituita, & ſeroſo humore. Hinc deducit nullam calidam eſſe arthritidem, cùm omnis frigida ſit, & ex frigido humore ſuborta. Quòd ſi rubor aut calor, præſertim in chiragra, podagráve cernitur, is non ex morbi eſſentia, ſed ex doloris vehementia concitatur, qui ruborem,calorem, & nonnunquam febrem accerſit.

Sed miſerè labitur Fernelius, dum limpidiſſimos ſynceræ Medicinæ fontes perturbare conatur: nam nec ex calore, rubore, aut febre peritus Medicus calidum eſſe dolorem arguet, hæc enim exuperantis caloris ſymptomata,calidæ arthritidis perpetua ſunt, propria, magiſque intenſa; frigidæ verò longè remiſſiora, accidentaria, & temporaria,ita vt contingat, rubore, aut calore ſublatis, adhuc affectionem vigere. Qui percurrere cupit ſignorum diſtinguentium notitiam exactam, legat Auic. 24.3. *tract. 1. cap.* 4. ibique, ſi vacat, Mathæum fuſiſſimè cuncta hæc ſuis commentariis illuſtrantem.

Deinde ſi dolor arthriticus à pituitoſo humore ſemper emanaret, non eſſent dolores intenſi, quia illi non fiunt à frigida cauſa, nam humor pituitoſus ſuapte natura iners eſt, neque duram ſubſtantiam articulorum penetrare

penetrare poteſt. Lege Mercat.*lib.4.de morb. intern.c.*18. Andream Laurentium *tract.de arthritide.* Frambeſar.*lib.6. conſult.canon.*6.Alzarium à Cruce,*centur.*1.*de quæſitis per epiſtolam, fol.* 81.

De loco affecto nouiſſimam idem Fernelius adſtruxit opinionem, humano generi infeſtam valde; ſtatuit enim caput eſſe arthritidis originem, à quo ſanè pituitoſus humor, iſque tenuis profluit in articulos: non quidem cerebrum, aut anteriores eius ventriculi, in quibus pituitoſum excrementum cumulari ſolet (hoc enim foras, vel per nares, palatum, in aſperam arteriam, aut in ventriculum, interioréſque ſedes illabitur (ſed partes capitis externæ, aut extra caluam poſitæ, origo ſunt arthritidis, é quibus ſuperuacaneus humor per ſumma corporis ſubcute deorſum decurrit.

Hac opinione irretitus, retur omnes deerrare, qui ex intimis partibus per venas vitioſum humorem in articulos confluere putant. Quomodo enim ex viſceribus, interniſque ſedibus poteſt humor ſyncerus ſine ſanguine per venas deferri, & qui ſanguine permixtus erat humor, illinc per ora venarum in artus purus excidere? Inſuper, ſi etiam cum humore ſanguis emanat, cur in articulis collectus phlegmonem non excitat? Deinde ſi crudus humor per alios ductus internos in articulis arthritidem facit, cur in cachexia à viſceribus in pedes decumbens, podagram non facit?

Corruit ridiculum eius inuentum. Primò, ſi tam manifeſta in hoc affectu pars influens foret, cur eius medela alioqui difficilis, non facilè abſolueretur, cute nimirum capitis præciſa? Secundò. Si à capitis partibus externis, craſſiſſimus ſuccus per ſumma corporis ſuopte impetu deorſum decurrit in artus, cur æquè per eandem viam, tenuis & ſeroſus in hydrocephalo, in artus non irruit, cùm tenuior ſit? aut cur arthritis non contingit in œdematoſo tumore, qui muſculos cutis capitis infeſtat? Tertió. Articuli cum externis capitis partibus nullam obtinent ſympathiam. Quartò. Si tanta copia lenti ſucci ab externa capitis parte deorſum ruit, cur in arthritide, aut ante eam, quum humor ibi cumulatur, dolor capitis externus non adeſt, aut tumor œdematoſus partes illas capitis non inuadit? Sextò. Vteri dolores in coxam finiuntur, ex Hip.*6.epid.ſect.*1.*text.*1.& colicus dolor in coxam finitur, ex Hip.*6.epid.ſect.4.text.*3.dicente: *Cui inteſtinum à dextra parte, cùm articulorum morbo laboraret, erat quietior poſtquam verò id curatum fuit, erat dolentior.* Subſcribit Actuarius *lib.*1.*cap.*21. Probat Laurentius *lib.* 4.*de hiſtor.anatomic.quæſt.*9.& appoſita hiſtoria confirmat Valleſius *in comm.cit.loc.Hip.*Immò ex acutis morbis, articularis dolor emanat, ex Auerr. 7.*collector.cap.*3.Ergo non ſemper à capite arthritis emanat. Septimò. Si ipſius opinio eſſet vera, ſemper ante inuaſionem doloris, præire deberent capitis ſymptomata, grauamen; ſomnolentia, dolor. Sed arthritici nullo capitis affectu occupantur ſæpe. Octauò. Sequeretur non poſſe arthritidem curari, niſi per auxilia capiti adhibita; quod quàm falſum ſit probat experimentum, & quiuis nouit vel parùm in arte verſatus.

Amplectendum ergo eſt Galeni, priſcorúmque Medicorum decretum, qui humorem noxium per venas, naturaléſque ductus internos, in imbecilles artus defluere aſſeuerant: quare efficiens arthritidis cauſa aliquando colligitur in intima, ſæpe in exitima parte capitis, interdum in intimis viſceribus, ſed plerumque in iecore, & ventriculo; cum enim frequentior cauſa arthritidis ſit pituita, & bilis, hæc in iecore, illa ferè in ventriculo, & capite colligitur.

Miratur Fernelius, quomodo cum ſanguine permixtus in venis humor; per ora venarum in articulos excidere poſſit: ſed non expendit, arthritidem decretoriè febribus ſuperuenientem acutis, diturnioribus ſæpiùs, è quibus ſolùm è venis nocuus humor decumbit in artus, non nunquam magis bilioſus quàm pituitoſus, interdum è contra, & quandoque etiam cum iis ſanguis emanat, qui phlegmonem in articulis excitat, vt *lib.6. aph.* 49.Hip. & Gal. memoriæ prodiderunt. Demùm pro coronide legenda eſt non incelebris hiſtoria Auerrhoïs, qui *lib. 7. collect. cap.* 31. refert ſe febre fortiſſima laboraſſe, quæ criſi facta ad teſtes, & articulos arthritidem, & podagram diuturnam excitauit: de cuius hiſtoriæ explicatione diſceptabimus *lib. ſequen. quarto, in hiſt.*14. Non ergo ſemper ex capite, ſed ex venoſo genere humor noxius decumbit in artus, arthritidem effecturus. Contemne ergo Fernelij illud admirabile inuentum, quod vt ludicrum haud dubiè parui faciendum eſt; neque enim ego illius falſitatem infringerem, nî ille nimia petulantia nouarum, peregrinarúmque opinionum amore ineſcatus, omnes Medicos vt falſitatis reos libenter coargueret. Lege contra Fernelium Mercurialem, Mercatum, & alios *proprio cap. de arthritide.*

HIST. XXX. RHASIS,
De dolore anchæ.

An dolor, clyſtere ex muria parato, curatur.

SOror cuiuſdam facientis chartas bombacinas patiebatur dolorem anchæ, & quærebat ſumere medicinam laxatiuam, & ego feci ipſam clyſteriſari cum aqua piſcium ſalitorum, & ex hoc prouocata eſt dyſenteria, & liberata eſt. Rhaſis lib. de mirabilibus curis.

PARAPHRASIS.

ANcha dicitur à Plinio *lib.20.cap.3.& 9.* articulus ille, in quo oſſis femoris caput cum coxendice oſſe appellato alligatur, ab aliis vocatur iunctura, éſtque omnium maximus, varias prominentias habens, perforationes. Is cum oſſe ſacro coniungitur per ſymphyſim. Cùm verò in hoc affectu patiatur coarticulatio hæc, quæ ancha nominatur, meritò ab Arabibus dolor anchæ dici conſueuit. Sic enim ait Aui. 2 3.3.*tract.*12.*cap.*5, *Iſchiatica verò eſt de ſumma doloris iuncturarum & eſt dolor, qui incipit à iunctura anchæ, & deſcendit retrò coxam, & quandoque extenditur vſque ad genua, & ad calcaneum, &c.* Articulus hic ſæpè dolore tentatur, & ipſum coxæ os, & illi hærentes carnes, quia profundiſſimus eſt, & aſperitatem quandam habet, & interiùs quaſi in centro ligamentum quoddam, quod fluxionem quam ob magnitudinem articulus ipſe recipit, imbibit.

Affectus hic ob diuturnos dolores, vires eneruat, vigilias excitat, facultates proſternit, vt notat Celſus *lib.*4. *cap.* 22. *Quoſdam non dimittit: eóque id genus difficillimè curatur.* multoties fluxio in pus abit, quod ni tempeſtiuè educatur, ſponte extrà erumpens, fiſtulas eo loco facit, aut interiùs manens, acerbiùs excruciat; nam febriculæ propullulant, ex quibus nî citò liberentur, tabeſcunt ægri, & pereunt marcore detenti, vt accidit Eupolemo, cuius hiſtoriam deſcribit Hip.*lib.*5.*epid.num.*3.qui ex coxa ſuppurata tabidus occubuit, vocatùrque Phthiſis Iſchiadica, ſeu tabes coxaria, cuius illuſtre exemplum propoſuimus *lib.*1.*de praxi medica admiranda, hiſt.*35.

Cùm humor frigidus, & pituitoſus, qui ferè eſt huius mali cauſa, in hanc coarticulationem incidit, difficulter eluitur ob dictas cauſas. Et ſi anodyna non iuuent, roborantia intus, & extrà oblata, tunc vacuatio humoris craſſi per aluum eſt neceſſaria. Sed cùm æger aut ex ſuo, aut alicuius Medici conſilio vellet aſſumere medicamentum laxatiuum, hoc eſt, per aluum ventrem expurgans, & humorem pituitoſum euacuans, id interdixit, & meritò ſanè: nam cùm vitioſus humor à ventriculo, aut ſplene in coxam decumbat, tutius eſt eum per clyſterem vacuare, quàm pharmaco præcipitare naturam, humorémque ad affectam partem deorſum ſubitò attrahere: clyſter autem non ita violenter deturbat, licèt ſit acutus: quare medicamentum purgans inclinante maximè affectu porrigendum.

Clyſter ergo medicamen eſt nobile, vt ait Auic. 4.1.

c.17.

c. 17. Et licèt enema propriè ſignificet decoctionem quæ inÿcitur, & clyſter inſtrumentum per quod decoctio intromittitur, ex Gal. 4. *meth. cap. vlt.* tamen hæc duo vocabula communiter confunduntur. Clyſterem igitur, vt refert Galen. *lib. de ven. ſect. aduerſ. Eraſiſtrat. cap. 6.* ciconiæ referunt acceptum, quæ aqua collecta maris, aduncum collo procero roſtrum podici aptando excrementa expurgat, & ſic viſcera abluit; licèt Plinius aliam cauſam referat *lib. 3. cap. 27.* Cùm itaque plurima incommoda ex alui ſuppreſſione contingant, & tractu temporis prolixiora, atque pernicioſiora reddantur, hæc omnia clyſteris vſu remouentur; eſt enim remedium ad varios vſus adinuentum, omnibúſque morbis ſummè proficuum, ac neceſſarium; in quibus enim venter ægrè deſcendit, ac ſtomachus imbecillis medicamenta ad ſubducendam aluum efficacia non ſubſtinet, clyſteria optima ſunt, vt inquit Paulus *lib. 1. cap. 44.*

Plurima enim mala, quæ in animalis perniciem generantur, propinat ventris retentio. ſequuntur enim ad ventris ſupreſſionem capitis grauitas, vertigo, ſtomachi ſubuerſio, lancinatio, vomitus, nauſea proſtratus appetitus, oris ſiccitas, amaritudo, ructus iniucundi, ac viroſi, ſpiritus graueolens, obſtructiones, ſomni ſuſpenſi, inflationes, tormina, voluuli: generátque pleuritides, articulares, podagricóſque morbos: nam, vt ait Celſus *lib. 1. c. 8. ex ventre ſuppreſſo oriuntur inflammationes, caligines, capitis dolores, aliáque ſuperioris partis mala increſcunt.*

Tam neceſſarium eſt homini excrementa quotidie deponere, vt glorioſus Auenzoar *in proœmio ſui operis*, in hæc verba prorumpat. *Conuenerunt omnes Medici, quòd in habendo ventrem mollem, conſeruatur ſanitas nutu Dei. &c.* In hunc ſenſum dixit Plin. *lib. 26. c. 8.* magnam eſſe alui neceſſitatem, cuius cauſa, ac beneficio maior pars mortalium viuit; nam cibum capit, continet, conficit, & expurgamentum alimenti, in coctione conſummata diſcretum, & inutilem, terreſtrémque cibi partem magno cum mortalium commodo excernit. Quapropter ſapientes Ægyptij, teſte Herodoto *in Euterpe*, ſingulis menſibus gratia conſeruandæ ſanitatis triduò inteſtina clyſtere abluebant; vt notauit eleganter Langius *lib. 1. epiſt. 80. de clyſterum vſu.*

Clyſter in vitiis inteſtinorum præſertim craſſorum eſt vtiliſſimus, eò enim integris viribus pertingit: quot ergo ſunt inteſtinorum vitia, tot clyſterum genera ſunt. Alij dolores leniunt, alij morſus & humorum acrimoniam compeſcunt, alij vlcera detergunt, aut ſiccant, alij fluxiones cohibent, alij euocant & expurgant: horum rurſus alij flatus diſcutiunt, alij fæces emolliunt, alij alterant, alij nutriunt: de horum vſu plurima diximus *lib. 2. in com. hiſt.* De illorum vario parandi modo latè agit Mercatus *lib. 1. indicat cap. 3.* quo loco plures alias differentias inuenies: nam alij carnem generant, cicatrice obducunt, lumbricos necant, cruſtam inducunt, ſomnum conciliant, & venenis reſiſtunt.

Rurſus clyſter aut eſt mollis & leuis; aut acutus & acris. Ille fæces emollit, attemperat, ſomnum conciliat, nutrit, & circa virium diſpendium, ea quæ in primis viis continentur extrahit. Acris, fortis eſt, & ex medicamentis valdè attrahentibus paratur, quo vtimur quando adeſt aliquod ſymptoma, ad quod curantis conſilium ſolùm dirigi debet, aut quando ex profundo corporis attrahere, aut conſopitam facultatem excitare opus eſt. Hic maximè inflammat, perturbat, humores agitat, hepar debilitat, & ad febrem perducit, ex Auic. 4. 1. *cap. 17.* vnde illius vſum periculoſum eſſe monuit Hip. *lib. 1. de medic. purg. in fin.* nam purgationis vicem ſupplet; quare ad eius adminiſtrationem vires validas prærequirit, *lib. 1. acut. text. 45.* dicens. *At ſi nuper cibato cibus prior non deſcenderit, viríſque, valida fuerit, & floruerit ætas, ſubluere oportet, &c.* Et qua ſententia notabis, quàm cautus ſit Hip. & quàm longè abſit à temeritate, qui ad clyſteris vſum exigit, vt facultas ſit fortis, & ætas firma. Certè veteres fortioribus clyſteribus vti conſueuerant, & longè plus quàm nunc, infundere illis mos erat; proinde vires robuſtas expoſtulabant, & illis vt potentiori auxilio fidebant: nam priſci in difficillimis morbis ad hoc præſidium libenter confugiebant, ad quod hodierni Medici ſolùm in morbi vrgentia accedere conſueuere: nam etſi nihil acre, aut malignum in ſe habeant, ſatis tamen virtutem exſoluunt, & debilitant, ità vt animi deliquium inducant, ex Galen. 1. *ad Glauc. c. 14.* Sed iis vtendum eſt in longis morbis, qui ferè à craſſis humoribus oriuntur.

Dubitant auctores, vtrùm clyſter debeat præcedere phlebotomiam: Reſpondet Auenz. *lib. 1 tract. 8. c. 18.* vt clyſter non infundatur, niſi vacuata ſint priùs excrementa: & Auic. 4. 1. *cap.* 20 ſic ait. *Caue ne phlebotomes fæce ſicca exiſtente in inteſtinis, ne deferatur in partes principes, & poſtquam fæx humida eſt magis parata fluxui, non phlebotomes, donec natura ſit exonerata vtroque excremento.* Contrariam ſententiam firmat Hipp. 4. *acut.* 75. dum inquit: *poſt copioſam phlebotomiam clyſterem poſtea exhibebis* Et Auic. 1. 4. *tract. 2. c. 7.* facta phlebotomia clyſterem infundendum monet, & 1. 3. *tract. 2. cap. 3.* iubet vt poſt phlebotomiam vtantur Medici clyſtere valdè leni. Nec obſtat, quod Dinus explicat ibi Auicennam, non de clyſtere lenitiuo, ſed de vacuante proprium humorem, quoniam ex exemplis Auic oppoſitum conſtat. Dic ergo clyſterem ſemper eſſe neceſſarium ante phlebotomiam, dummodò aliquid non adſit, quod cogat nos ad venæ ſectionem properare: nam acumen mali moram non concedit, vt ingenioſè explicat Heurnius *lib. cit. acut.* nam ob procraſtinationem phlebotomiæ ſæpè ſequitur ſiccitas alui: natura enim deonerata humores aliquos excrementitios ad inteſtina detrudit, ad quos expurgandos vtilis eſt clyſter; & hoc modo *in com.* explanat Gal. dicens: *Si non ſponte deiecerit aluus.* Si ergo morbus eſt ſaluber, & minimè periculoſus, præſtat vt præcedat clyſter venæ ſectionem, ne venæ inanitæ ab inteſtinis excrementa, & prauos humores exhauriant. Hoc modo dicebat Paulus *lib. 2. cap. 21.* cum Auerrhoë *lib. 7. collig. 1.* ne fiat ſanguinis miſſio niſi poſt corporis mundificationem. Si verò morbus ſæuiat, ſuique acutie periculum minetur, vt pleuritis, angina, cæteræque internæ inflammationes, tunc poſt phlebotomiam rectè infundi poteſt. De clyſterum vſu, quantitate, qualitate, differentiis, tempore, & modo, conſule inter omnes Trincauellium *lib. 1. de compoſ. medicament. c. 20.*

Parauit autem ex muria facta ex aqua piſcium ſalitorum, quoniam cùm calida & acris ſit, ex Gal. 1. *ſimpl. c. 4.* validam habet attrahendi vim, cùm enim ex ſale, & aqua conficiatur, abſtergit, incidit, attenuat, ex Gal. *lib. de attenuant. vict. rat. cap. 11.* & demùm ſalis effectus præſtat, ex Dioſcoride *loc. cit.* nam ſi acris ſit, & cuti imponatur, eam exulcerat, ex Gal. 3. *de temp. 3.* Quamobrem vbi dolor vrget, & cætera non proſunt, enemata acria infundere oportet; nam craſſum humorem ab ancha electiue expurgant, & eradicant. Hunc vſum complet muria: nam pungit, irritat, aperitque ora venarum, & ad dyſenteriam ducit. Audi Dioſcoridem *lib. 5. cap. 6. infunditur Iſchiadicis veteribus*: & Paulus *lib. 7. tit. de muria*, ſic ait: *At ſalitorum piſcium, & oliuarum colymbadum muria valentiùs abſtergit, contra inteſtinorum tormina, & coxendicum dolores clyſtere infunditur, &c.* Auic. ſic habet *lib. 2. tract 2. c. 493. confert dolori anchæ, & Iſchiaticæ, &c.* Ex his collige, petulanter nimis Dalechampium, virum alioqui perdoctum, vocaſſe Plinium ineptum, qui *lib. 31. cap. 8.* muriam eſſe pharmacum, ac medicinam arbitratur, dum ſic inquit. *Muria, ſiue illa ſalſugo, ſpiſſat, mordet, attenuat, ſiccat, dyſentericis vtilis eſt, etiamſi nome inteſtina corripit, Iſchadicis, & cœliacis veteribus infunditur, fotu quoque apud mediterraneos aquæ marinæ vicem præſtat, &c.* nam Plinius tranſtulit priſcorum verba, quare muria medicamentum eſt.

Ergo ſi dolor inualeſcat, & ex eo vires fatiſcant, quia ob illius acumen, & diuturnitatem ægri in animi deliquia incurrrunt, exaniméſque fiunt, ex Galen. 2 *acut.* 48. neceſſe eſt vt illi opitulemur, euacuato humore qui eſt doloris cauſa; quare non conferentibus cæteris, ad clyſterem ex muria accedere neceſſitas cogit, quem humorem à coxa potenter attrahere notauimus *ſuprà*. Nam ſi Galen. clyſterem parat ex muria acerrima, pro contumaci

dyſenteria

dyſenteria curanda, 12.*meth.cap.*1 quæ à mordaci, calidóque humore ortum ducit: quam curandi methodum ipſe probat *lib.*1.*de humorib. com.* 12. *in fin.* ſubſcribunt Paulus *lib.*3.*cap.*42.Celſ. *lib.*4.*cap.*15 ,Aëtius *tetrab.*3.*ſerm.*1. *cap.*45.cur in Iſchiade, quæ ab humore frigido ortum ferè habet, hunc clyſterem ſecuriſſimè non adminiſtrabimus; quoniam licèt noceat, melior eſt noxa quàm mors, & maior eſt vtilitas noxa quæ illi eſt poſtponenda, 1.*aph.* 24.*meth.*1. Hoc modo in ſæua, & periculoſa dyſenteria cauſtica per ſedem infundenda, vt *lib.*2. notauimus, *in com.hiſt.*85.

Si verò quæras, quid ſit muria, quis conficiendi modus, quæ huius nominis notio. Dic, Muria Catoni *lib.de re ruſtic.cap.*38.eſt ſalſilago,ſalſugo, aqua ſalſa:neſcio an rectè ſalſedo poſſit verti. Quidam liquorem ex ſale reſolutum interpretantur; quem ab aqua ſalſa ſeparat Columella *lib.*12.*de re ruſtic.cap.*25. Muriæ conficiendæ modus eſt aquæ ſalſæ non primæ quidem,natiuæ,ſed arte factæ,ſiue reſolutus ex ſale liquor; neque enim aqua marina dicitur muria. Ita Iſidorus *lib. etymolog.*50.dicit. *Muria, quam ſalmuriam, ſiue ſalis muriam vocant, propriè dicitur aqua ſale commixta, effectáque guſtu in modum ſalis,in qua aliquid maceratur, ſiue ſeruatur.Secundo modo ſumitur,& fit ex iure ſiue liquamine,aut liquore ex piſcium mixtione,& vocatur ius piſcium,*vnde Plinius *lib.* 32. *c.*4. *monet,Polypum ex ſeſe muriam emittere.*

Ex his omnibus colligitur, duplicem eſſe muriam, alteram viliorem, quæ ex aqua marina fit; alteram nobiliorem, quæ ex piſcibus conſtabat, & aqua ſalſa,in quam tamen inderentur varia condimenta ex odoratis herbis,& aromatis. Et quæ ex piſcium iure conficiebatur, gradibus ſuis differebat: nam quæ ex thynno erat magis abjecta, quæ ex ſcombro præſtantior, vt refert Martialis *lib.* 13. *epigram.* 109. Hæc fortè thunina eſt, quam Columel.*lib.* 12.*c* 60.duram muriam appellat, quæ coacta etiam dicitur.Hæc non ſolùm ex thynno, ſed aliis piſcibus fieri ſolet,teſte Horatio *lib.*2.*ſermon.Satyr.*4.

Quare cùm muria ex piſcibus, herbis odoris, & ſuccis conficeretur, fit vt non modò eſculentum quid ſit, ſed etiam pharmacum. Ita laudatur muria capparis: & oleam albam, & portulacam ex dura muria, & quàm aſperrima concedi ægrotantibus,imperat Celſus *lib.*2.*cap.*23 Muria verò liquida eſt,qua olus ſiccum aſpergitur. Alia eſt muria acida, ſiue acetum ſalſum, & quæ thynno condiebatur,& eſt confectio medica,apud Dioſcoridem,*lib.*1.*c.*21. & deſcribit factam ex thynno, aceto, auctore Columel. *lib.*21.*c.*28.Plutarch.*lib.*6.*ſympoſ.quæſt.*2.Si verò hæc omnia penitiùs emedullare aues, conſule Marcel. Virgil. *in com.c.*76.*lib.*5. *Dioſcorid.* Hermol. Barbar. 2. *corollario in Dioſcorid.c.*234.Lang.*lib.*1.*epiſt.*46.& elegantiſſimum Ludouic.Nonnium *lib.*5.*de re cibar.c.*42.

Iuuit ergo clyſter ex muria paratus, quoniam prouocata eſt dyſenteria, & ſanguis craſſus & fæculentus ab ancha attractus, per inteſtina fuit euacuatus: nam dyſenteria lato modo ſumpta,quamlibet ex inteſtinis proluuiem deſignat, ex Gal. 4.*de articul. com.* 4. & *lib.* 3. *de cauſ. ſympt.cap.* 2. Hoc enim modo furorem ſanat difficultas inteſtinorum, hydrops, aut mentis alienatio,apud Hip.7. *aph.*5. Sic morbos plures ex copia ſanguinis retenti ſubortos, qui accidunt in iis quibus artuum aliquis eſt abſciſſus, vel exercitationem dimiſerunt, dyſenteria ſanat, hoc eſt, larga ſanguinis excretio per inteſtina, apud Galen 5.*de loc.cap.*7. Porrò non eſt nouum in doctrina Galeni, morbos morbis curari, qui vel illis ſuperueniunt, cum cõmoditate ſumma à natura excitati, vel ab arte inducti. Hoc pacto rigor febrem ardentem ſoluit, ex Hip. 4. *aph.*58.Morbus regius tollit febrem, 4.*acut.* 27. Conuulſionem febris ſuperueniens ſanat, 4. *aph.* 59. Sic quartana eſt illius remedium 5.*aph.*70. Sic alui fluxus lippitudinem curat; 6.*aph.* 17. Sic liénteria ſanat apoſtema lateris,2.1.*doct.*2.*cap.vlt.*Deinde morbi ab arte excitati, præexiſtentes curant. Hac ratione febris arte inducta frigidos morbos ſanat, 4. *aph. com.*51. & nos *lib.*1.fusè agitauimus *in com. hiſt.* 34 Sic morbi ex ſolutione continui morbos alios curant. Sic punctum neruum totum præſcindimus, quia ex punctione conuulſio timetur. Sic arteriam totam abſcindimus, vt ſanguis ab ea impetuosè effluens compeſcatur. Sic hydropicum ſecamus; vrimus empyematicum; cauteria,& fonticulos ad varios affectus curandos in variis partibus corporis excitamus cum emolumento maximo. Sic alij morbi aliis à natura, vel arte excitatis perbellè curantur, quorum numerum patefacit Valleſius eruditè, vt ſolet ſemper, *lib.* 8. *cont.c.*10.& poſt eum gtaphicè propoſuit Caſtrenſis Luſitanus *in ſuo eleganti opuſculo,Quæ ex quibus,lib.*4.*c.*8.& 9.

HIST. XXXI. RHASIS, De coxendicis dolore.

Coxendicis dolor, colocynthidis vſu curatur.

Filius ſignificatoris claudicabat propter Iſchiaticam, & noluit clyſteriZari,ſumpſit tamen de pulpa colocynthidis. & quia Iſchiatica erat proportionata;liberatus eſt.Rhaſius* in lib.de mirabilius curis.

PARAPHRASIS.

Licèt in initio doloris Iſchiatici purgatio ſuſpecta ſit, quoniam impetu, & ebullitione medicamenti humores in partes inferiores debiles decurrunt, quod firmat Gal. *lib.*10.*ſec.loc.cap.*2, & *lib. de medic. paratu facilibus c.*23.§.*Cæterùm coxendicum dolore affectos vomitus, quàm alui deiectio iuuat magis: quòd humorem ad inferiora defluxum retrahat,&c.*quod firmat Auic.22.3.*tract.*2.*c.*7.*in init.*tamen declinante malo,& miteſcente dolore tutò medicamentum purgans exhiberi poteſt,vt notat Symphorianus Campegius *lib.de omnibus morbor.different.tit.de dolore coxæ.*

Si tamen hic ſit contumax, leuibúſque auxiliis non ſuccumbat,tnnc vel fortia adminiſtranda, vt Auic.*cit.loc.* edocuit. Hanc priſcorum methodum ſequutus eſt Rhaſius in curatione hac, dum pro curatione coxendicis,colocynthide vſus eſt (peculiare piſcorum medicamentum) quæ à Meſuë proprio capite dicitur cucurbita ſylueſtris, ab aliis fel terræ, ab Arabibus mors plantarum nuncupatur, eò quòd herbas ſibi vicinas,veneni modo interficit,& licèt immenſa amaritudine polleat, hæc cæterorum amarorum ritu, à natura non perſentitur; illicò enim, & velociter per aluum expellitur, vt notarunt Galenus *lib.* 5. *ſimpl.tit.de colocynthide.*Auic. *lib.*2.*tract.*2.*c.*130. nam ſic dicit. *Et propter velocitatem ſui exitus ex inteſtinis, non vltimantur impreſſiones eius, quæ expectantur ex amaritudine ſua.*

Immatura peſſima. Venenoſiſſima, quæ ſola naſcitur in planta ſua; etſi enim abradat inteſtina; vaſorum ora aperiat, fauces, guttur vehementi incendio vexet, corpus vniuerſum inflammet, ventriculem magno dolore vexet, ſingultum excitet, continuas alui egeſtiones moueat, vniuerſum perturbet corpus, tormina dira inducat, & cruentam deiectionem moliatur, vt referunt auctores omnes *proprio cap.de colocynth.*quam ob cauſam Curtius, & Marinellus aſſeuerant *lib.*2.*de vera methodo præparandorum pharmacor.com.*8.*de trochiſcis Alhandal:*fugiendos eſſe hos trochiſcos, quoniam hoc medicamentum deferunt in quantitate magna: tamen ſi non ſola, ſed correcta ſumatur, eiúſque malefica vis refrænetur mixtura cum aliis cardiacis, quæ non ſolùm eius malitiam retundere nata ſunt, ſed lentore glutinandi vim habent eiúſque furioſos impetus coërcent, vt maſtiche, & Gallia moſchata; vt Meſuë docuit, & Manardus firmat *in com.* plurimis morbis diuturnis, & deſperatis remedio eſt.

Hoc enim medicamentum auctoritate Actuarij *lib.*5. *de compoſ.medicam. tit. de colocynthide*, pituitam, bilem, humorem mucoſum expurgat, & in neruoſis partibus tenaciter

tenaciter impactum peculiariter exhaurit. Propinatur in A omnibus quæ caput obſident incommodis, coli coxæque cruciatibus, orthopnoïcis, conuulſis, & omnibus frigidis thoracis affectibus commodiſſimè auxiliatur. Auic. *loc. cit.* ſic ait: *ſolutione educit phlegma groſſum ex iuncturis, & neruis propriè, & ſoluit etiam choleram, & confert colicæ humidæ, &c.* Inditur, Dioſcoridis teſtimonio *lib. 4. cap. 158.* clyſteribus & balanis. Frequentior eius hodie eſt vſus in hiera Diacolocynthidos, & ſi præparetur, vt decet, & docet Aëtius *tetrab. 1. ſerm. 1. cap. 84.* potentiſſimè humores etiam nigros, & terreſtres educit, & ſic morbis melancholicis remedio eſt, & adeò perturbat; vt non ſolùm per os ſumpta, verùm naribus admota immodicè ventrem conturbet, quod Braſauolo contigit coram matre, & ſorore eam manibus tractante: nam ipſum ex ſolo attactu, illas ex ſolo odore adeò ſolutas fuiſſe ſcribit, vt nullus illorum fuerit, cui decies venter magna perturbatione non deiecerit.

Priſci plurimis violenter expurgantibus medicamentis vſi ſunt, non quòd mitibus carerent, vt multi opinantur falsò, vt ſuprà *in com. hiſt. 14.* notauimus, ſed vt morbos rebelles, qui aliis clementibus curari non poſſunt, fortibus auxiliis perſanarent; extremis enim morbis extrema remedia congruunt: de horum claſſe ſunt elleborus, ſcammonium, cucumis ſylueſtris, thlaſpis, euphorbium, catāputia, elaterium, & alia; ſed in curandis morbis pertinacibus articulorum excellit cætera colocynthis, quoniam pituitam, & bilem euacuat: qui humores in hoc ſæuo morbo redundant: craſſus humor compactam articulorum ſubſtantiam penetrare nequit ſine bile, quæ vt vehiculum, viam ad remotiſſimos, & denſiſſimos artus aperit: quare cùm pharmaca in hoc affectu accommoda, neceſſe ſit vt bilem, & pituitam euacuent, idcircò præſtat colocynthis. Hoc perbellè monuit Auic. 22. 3. *tract. cap. 8. in initio*, dum ſic inquit. *Oportet vt in eis non educant phlegma ſolùm, immò cum cholera: nam cùm iis ſolùm phlegma ſolutione educitur, iuuantur ſtatim, & redit cholera, & facit currere ad membrum phlegma vice alia, &c.* Qua cauſa Epiphanius *in ſua empirica chymica, litera C.* in anchæ dolore expurgantia approbat, parata ex iis medicamentis, quæ bilem, pituitam euacuant; & hoc conſilium communis Medicorum ſententia probat.

Colocynthis eligenda, fœmina, magna, exactè matura, alba, læuis ſeu glabra; quò enim leuior, eò melior; collecta autumno, ex agro laxo, arenoſo, libero, quum langueſcente virore cœperit in luteum mutari colorem, & conſtet medulla interiore albiſſima, rara, leui.

De quantitate, qua debet exhiberi, variant auctores. Meſuës exhibet à ſiliquis ſex ad decem; Actuarius ſolius ſcrupuli quantitatem offert. Dioſcorides quatuor obolorum pondere porrigendam cenſet.

De trituratione aliquid addendum. Cùm vtendi tempus inſtat, vel aliis medicamentis eſt permiſcenda, ab interaneis granulis, & exteriore cortice expurgetur, ſic vt pulpa pura relinquatur: ita docuit Serapio *cap. 272.* Meſuës, & Actuarius tenuiſſimè triturandam præcipiunt, vt, eius vis malefica, dum multum in puluerem euolat, obtundatur, & permeet citiùs per inteſtina. Si enim portiones eius craſſiores fibris ventriculi & ſpiris inteſtinorum adhæreant, fauces exulcerant, quod Paulus aſſeruit *lib. 7. cap. 4.* Audi Auic. *loc. cit. Et oportet vt in eius triturâtione ad ſummũ perueniatur, & ne decipiatur aliquis credendo, quòd ipſa ſit valdè trita, pars enim minima eius in ſenſu, cùm inuenit humiditatem, inflatur, & adhæret parietibus ſtomachi & inuolutionibus inteſtinorum, & apoſtemat. Quare oportet vt cùm teritur, hydromel infundatur, deinde ſiccetur. & conteratur, &c.* De colocynthidis efficacia, & viribus, conſule Fallopium *tract. de medic. purgantib. cap. 51.* Maſſariam *eodem tract. cap. 26.* Coſtæum *in Meſuëm.* Mathiol *ad cit. cap. Dioſcorid.* Nicolaum Fontanum Medicum eximium *in ſuis inſtit. phamaceuticis, in com. trochiſc. albandal, ſect. 10. c. 3.*

* * *

QVÆSTIO XLIV.

Vtrùm morbi improportionati ſint periculoſiores proportionatis, vt prædixit Hippocrates.

COMMENTARIVM.

PRoportionata.] Eſſe morbos ſimiles diſſimilibus ſecuriores, vniuerſus Medicorum chorus, in quorum ore nullum eſt frequentius axioma, cum ſuo Magiſtro Hipp. conſtanter aſſeuerat: ſubſcribunt Græci, Arabes, & Rhaſis in hoc loco confirmat; licèt renuant multi pluribus argumentis muniti, quæ referunt Gentilis *in extrauagantib. quæſt. 50.* Conciliator *in appendice, dif. 74.* & expoſitores *in* B *cap. 8. fen. 2. 1. doct. 1. Auic.* & interpretes *ad aph. 34. lib. 2. Aph. Hipp.* explicuit etiam Valleſius *lib. vlt. cont. cap. vlt.* ſed illi ita perplexè & confusè, hic ita ſuccinctè & breuiter, provt arduum negotium & neceſſarium expoſtulat, vt niſi plura alia firmiſſima in propatulum referamus, timeam ne Hippocratica ſententia abſurdiſſima videatur, & minimè omnium demonſtrari poſſit, vt ſcitè notauit Heurnius acutiſſimus *in com. citati Aph.*

Ergo audi ſcientiſſimum Senem, qui ſic loquitur: *In morbis minùs periclitantur, quorum naturæ, aut ætati, aut conſuetudini, aut anni tempori magis conuenit morbus, quàm vbi nulli iſtorum congruit.* Probat & explicat eleganter hoc pronuntiatum Gal. *lib. 7. meth. cap. vlt. & lib. 1. prog. 7. & lib. 3. prog. 39.* nam morbi proportionales ex minori cauſa generantur: ſic dicebat Gal. *3. de cauſ. pulſ. cap. 4. ante* C *med. qui habitu ſunt valenti, & verò in morbos inciderunt. ſi incidant in morbos, periclitantur.* Ex hoc loco deſumpſit Auic. 1. 4. *tract. cap. 28. §. Et ſcias quòd quando infirmantur ſani pauca infirmitatis, ſignificat mortem.* Idem docuit Ariſt. *lib. 1. probl. 28. §. Quod idem in athletis, & in iis qui ſecunda valetudine eſſe ſolent, licet perſpicere; aut enim nullo modo premuntur, aut preſſi celeriter è vita deducunt; quippe qui niſi magna cum cauſa ægrotare nequeant.* Explicant *in com.* Guaſtauinius & Septalius vbertim. Nec obſtat, quòd *lib. 5. probl. 22.* aſſerat corpora commenſurata faciliùs ægrotare, quoniam loquitur *eo loco* de corporibus mollibus, raris, & delicatis. Hoc modo febres acutæ in ſenibus ſunt periculoſæ valdè, ex Hipp. *lib. 1. aph. 14.* & Galenus *in com.* ſic ratiocinatur. *Ob hanc igitur cauſam neque ſenes magna ex parte febricitant acutas febres, ſicuti iuniores, & ſi quando, quamuis rarenter, talis iis accidat* D *febris, qualis iuuenibus, omninò hæc ad interitum ægrotantis terminatur. Indicio enim eſt, immenſam quandam eſſe cauſæ febrem facientis magnitudinem.* Pari ratione in hyeme febris ſi accidat, periculoſior eſt, quam in æſtate, ex Ariſtot. *1. probl. cit.*

Sed contra hanc doctrinam primò ſic inſurgo. Corpora impura, & quæ obſtructionibus ſcatent, facilè incidunt in peſtilentem febrem, & difficulter ab ea ſanantur; contrà corpora pura difficilè corripiuntur à peſtilenti febre, & ab ea facilè liberantur vt conſtat ex Gal. *lib. 1. de dif. feb. 4.* Sed febris peſtilens eſt proportionalis impuris corporibus, & in iis difficiliùs curatur, quàm in puris, quibus eſt improportionalis. Ergo morbi improportionales non ſunt proportionatis periculoſiores.

Secundò. Conuulſio ſicca, eſt proportionalis iuueni, E qui ſiccus eſt, & improportionalis puero qui eſt humidus. Sed in iuuene eſt periculoſior quàm in puero, qui ab ea ſolet liberari: in iuuene verò eſt lethalis, ex *3. prog. 14.* Auic. *2. 3. tract. 1. cap. 2.* ergo, &c.

Tertiò Pulmonia bilioſa magis eſt proportionalis pulmoni, quàm pituoſa, quia pulmo pars calida eſt, & ex ſanguine ſubtili, ſpumoſo, & bilioſo nutritur. Sed bilioſa eſt periculoſior pituitoſa. Ergo. Maior eſt certa. Minorem probat Auic. *11. 3. tract. 4. cap. 10.* nam in bilioſa pulmonia adeſt maior febris, vrgent vehementia ſymptomata. Confirmatur ampliùs, quoniam inflammatio calida magis eſt proportionalis cordi, quàm frigida, & velociùs interficit, vt docuit Auic. *11. 3. tract. 1. cap. 1.*

Quartò. Apoplexia morbus eſt hyemalis, ſed hæc

citiùs internecat hyeme, quàm in æſtate. Ergo. Minor probatur: nam apoplexia necat ſuffocando, & frigiditas hyemalis coarctando canales, per quos ſpiritus ad partes ſentientes deferri debent.

Quintò. Quartana eſt morbus proportionalis autumno, & improportionalis æſtati, ex Gal. 2.*criſ.cap.*4. & alibi paſſim. Sed quartana æſtiua meliùs curatur quàm autumnalis, ex Hip. *lib.*2.*aph.*25. *æſtiuæ quartanæ magna ex parte breues, autumnales longæ, & maximè quæ hyemem attingunt.* Igitur morbus ſimilis, & proportionalis deterior eſt, & difficiliùs curatur.

Sextò. Morbi frigidi partibus frigidis ſunt ſimiles, & tamen deteriores ſunt quàm calidi: nam frigiditas partibus frigidis eſt inimica; caliditas autem vtilis, & amica, ex Hipp. *hip.*5.18. Igitur.

Septimò. In natura calida morbus calidus facilè, & promptè generatur. Igitur difficulter curabitur, & deterior erit. Patet ſequela: nam quidpiam cùm vnico motu facilè mouetur contrario motu difficulter mouetur: ita grauia quia facilè deſcendunt, difficulter aſcendunt, contrà leuia. Igitur ſi partes calidæ, quia promptè incaleſcunt, facilè incidunt in morbos calidos, difficulter auxiliis frigidis curantur. Ob hanc cauſam morbi calidi dfficilem curationem habent. Confirmatur, quia bilioſo, & pituitoſo æqualiter febricitantibus, frigidiora præſidia conueniunt bilioſo, quàm pituitoſo propter reſiſtentiam maiorem. Igitur morbi ſimiles, & difficiliùs curantur, & ſunt deteriores.

Octauò. Sicut morbus calidus eſt proportionalis naturæ calidæ, ſic & frigidus; & ſicut frigidus eſt improportionalis, ſic & calidus. Igitur ratio maioris, aut minoris periculi, non eſt petenda ex ſimilitudine, aut diſſimilitudine cum natura. Patet antecedens: nam ſanitas naturæ calidæ conſiſtit in mediocritate quadam, quæ ſicut corrumpitur per exceſſum caloris, & ſit morbus calidus, ſic cortumpitur per remiſſionem caloris, & exceſſum frigoris. Igitur & morbi frigidi, & calidi eadem eſt ratio, quoniam vterque æqualiter corrumpit naturam: & ſicut in morbo calido natura redit ad priſtinum ſtatum ſic in frigido. Ergo in proportione, & improportione æquails eſt ratio.

Nonò. Raucedo, & grauedo ſenibus ſimilis eſt, & in illis non curatur ex Hipp. 2.*aph.*40. & inuenibus eſt diſſimilis & tamen in illis curatur. Ergo.

Decimò. Tabes eſt proportionata tabidis. Sed in illis plus habet periculi. Ergo. Sic enim habet Hipp. *lib.* 1. *epid ſect.*1.*com.*18. *Maximè verò moriebantur, quorum natura vergebat ad tabem.*

Vndecimò. Acciditas in naturis calidis & ſiccis, rariſſimè accidit, & minùs nocet, licèt ſit diſſimilis, ex Gal. *lib.* 8. *meth. cap.* 5.

Duodecimò. Febris ardens in Indo, & Æthiope eſt multò periculoſior, quàm in Anglo quoniam illi ſunt debilis virtutis. Angli verò fortes. Sed illis vtpote calidioribus eſt proportionalis. Ergo

Hæc tamen fortiſſima tela vt extricare poſſis, notabis primò: Vocari morbum proportionalem dupliciter, vno modo formaliter, ſic morbus calidus naturæ eſt proportionalis. Dicitur alio modo virtualiter, quando videlicet ratione alicuius diſpoſitionis facilè generatur; veluti conuulſio ſicca pueris eſt proportionalis, non formaliter, ſed virtualiter, quia eorum ſubſtantia eſt tenella, & mollis. Nota ſecundò: Morbum proportionalem poſſe eſſe æqualem improportionali, vel ſecundùm ſenſum, vel ſecundùm rei naturam. Nota tertiò: Hanc quæſtionem intelligendam eſſe, ſeruata in omnibus paritate, præterquam in ſola proportione, vel improportione, in qua ſit comparatio: hæc enim eſt lex comparationis, vt in omnibus paritas obſeruetur, præterquam in eo in quo cómparantur, vt aſſerit Galenus *lib.* 2. *de temper. cap.* 2. agens de calore pueri, & iuuenis, & 3. *de alim.facult. cap.*2. agens de carnibus, & eas inter ſe comparans. Nota quartò: Morbum aut eſſe materialem, aut immaterialem: Ille eſt qui pendet ex materia, tanquam ex cauſa efficiente, & non tanquam ex cauſa materiali; quia

A morbus eſt accidens, & cùm ſit accidens, eſt forma ſimplex carens cauſa materiali, & ſolùm habet mareriam ſubiectiuam cui inhæret, vt Galenus docuit *lib.*7 *meth.cap.*8. Immaterialis eſt, qui non pendet ex materia, ſed ſolùm qualitas eſt, partibus tanquam ſubiecto inhærens. Vltimò nota: Morbum vocari periculoſum, aut quia ſua magnitudine, vel malignitate periculum vitæ minatur, aut quia difficulter curatur: difficultas autem curationis accidit, vel quia morbus eſt in habitu, vel propter imbecillitatem virtutis, quæ adæquata remedia non tolerat, vel complicationem contrarij affectus, qui curationem impedire ſolet.

His præhabitis ſit prima concluſio. *Morbus improportionalis materialis, ſeruata paritate in robore virtutis, in*
B *magnitudine, in malignitate, plus habet periculi, quàm proportionalis.* Hæc concluſio explicatur per ſuas partes. Dictum eſt quòd debet ſeruari paritas in robore virtutis, quoniam morbus proportionalis cum virtute languida periculoſior eſt, quàm cum robuſta: nam ob virtutis debilitatem, quilibet morbus tam proportionalis, quàm improportionalis, periculoſior eſt, vt firmat Auic. 2.1. *doct.* 2. *cap.*4. Debet ſeruari paritas in magnitudine, & malignitate, quoniam ſine dubio tertiana vehementiſſima, acutiſſima, & maligna, periculoſior eſt in homine bilioſo, cui eſt proportionalis, quàm tertiana remiſſa, & mitis in homine pituitoſo, cui eſt improportionalis Et conuulſio ſicca in iuuene, & reſpectu neruorum, eſt proportionalis, & eſt deterior, ac periculoſior conuulſione humida, ex natura ſua.

C Deinde prædictæ concluſionis ratio in eo conſiſtit, quòd morbus improportionalis materialis difficiliùs ſoluitur, & maiorem habet cauſam quàm proportionalis, quia ſi vterque morbus ſit æqualis ſecundùm ſenſum, improportionalis multò maior exiſtit, cùm in eo multò maior ſit receſſus à naturali ſtatu; & quantus eſt receſſus, tanta debet eſſe reductio ad priſtinam naturam, ſi morbus curari debet, vt aduertit Galenus *lib.*7. *meth. cap. vlt. in princip.* nam curatio nihil aliud eſt, quàm affectus præter naturam præſentis in naturalem habitum mutatio, auctore Gal. *lib.*9. *meth. cap.*4. maiori igitur, & diuturniori alteratione curabitur. Et quando non eſt æqualis ſecundùm ſenſum, ſed ſecundùm rei naturam, ita vt æqualiter ab ſtatu naturali recedat, tunc non proportionalis habet maiorem & efficaciorem cauſam, quia morbus proportionalis promptè generatur à cauſa morboſa; nam multa, aut exigua eſt reſiſtentia, quæ ex leui, & parua cauſa po-
D terit generari: contrà verò morbus improportionalis non generatur promptè, quia eſt magna reſiſtentia, & maiorem, & efficaciorem cauſam prærequirit; ideò morbus improportionalis habet plus periculi.

Hæc doctrina non ſolùm veritatem habet in morbis vt ſeruant proportionem, vel improportionem cum natura, ætate, anni tempore, regione, & corporis habitu, ſed etiam in ſymptomatibus, & aliis quàm plurimis. Symptomata enim quando ſunt ptoportionalia, minùs ſunt periculoſa, improportionalia verò deteriora. Sic in homine compoſito, & modeſto iracundia, & ferocitas eſt peſſima; quia ſignificat delirium: & in taciturno, loquacitas eſt periculoſa, quia improportionalis. Contrà verò in iracundo, & loquaci, modeſtia, & tacirurnitas, mala: ſic notat Hipp. 2.*prog.*9. & 1.*epid. ſect.* 3.*text.* 1. dum explicat quomodo morbi ſint cognoſcendi ex ægrotante.

E Sic in febre ardenti ſitis vehementia, quum illi ſit proportionalis, paruum habet periculum; illius verò defectus, & priuatio, reproba valde; nam vel mentis læſionem, vel facultatis extinctionem portendit, ex *lib.* 2. *prorrhet.text.*22. *ſuis in acutis non ex ratione leuans, mala:* & *lib.* 3. *epid.ſect.*1.*text.*5. in hiſtoria Hermocratis, & *ſect.* 2.*text.*3. in hiſtoria filiæ *Euryanactis*, modò tuſſis non adſit leuiter irritans, ex Hipp. 4.*aph.*54. Sic facies cadaueroſa, quam deſcribit Hipp. 1.*prog. text.*5. in iuuene acutè febriente, & in principio morbi, peſſima; in ſene verò extenuato, ex morbi magnitudine, diuturnitate, alui fluxu, vigilia immoderata, minùs periculoſa, vt bellè notabat Gal. 12. *meth. cap.* 6. Sic morbi conſueti minus

habent

habent periculi, & minùs lædunt, diſſueti ob cauſas contrarias, periculoſiores, ex Auic. 16. 3. *tract.* 1.2. *prope fin.* dum aſſuetos paſſionis cholericæ minùs periclitari affirmat. §. *Et illa cholerica paſſio, cuius cauſa eſt corruptio cibi, incolumior eſt ea, cuius eſt frequentia corruptionis poſt corruptionem, &c.* Sic primiparæ ob inaſſuetudinem magis læduntur, vt docet Hipp. *lib. de natur. pueri, num.* 11. §. *Cæterùm maximè laborant, ac dolent in partu, & partus purgationibus, mulieres primiparæ; & quæ rariùs pariunt, magis dolent, quàm quæ ſæpius, &c.* Similiter illi qui dolorem colicum, nephriticum, arthriticum, aut alterius partis frequenter experiuntur, minùs dolent & læduntur, illis qui de nouo experiuntur dolores. Cur autem morbi conſueti minus graues ſint, explicant Argenterius *lib.* 2. *aph.* 49. Valleſius *lib.* 8. *cont. cap.* 5.

Secunda concluſio. *Morbus proportionalis alicui diſpoſitioni præter naturam, plus habet periculi, quàm improportionalis.* Iuxta hanc doctrinam febris peſtilens in impuris corporibus plus habet periculi, etiamſi illis ſit proportionalis; & tabes in iis quorum natura vergit ad tabem, eſt periculoſior; & vlcera in hydropicis difficiliùs curantur, licèt ſint illis proportionalia. Probatur concluſio: quia ſicut morbus facilè generatur propter diſpoſitionem illam præter naturam, ſic difficiliùs ſoluitur; quia diſpoſitio illa manet, & non habet virtutem corrumpendi morbum, ſed fouendi, & augendi: & hoc inſinuauit Galenus 2. *aph.* 33. vbi docet Hippocraticam ſententiam eſſe intelligendam de natura, vt dicit temperiem, & non vt ſignificat conformationem; quoniam vitioſa conformatio manet, fouens & augens morbum; at verò temperatura non manet, quia immutatur in ægritudine, & in reditu ad ſanitatem, & temperies habet virtutem corrumpendi morbum; cùm enim conſiſtat in omnium qualitatum mediocritate, eſt cauſa vniuerſalis curationis omnium morborum, & ideò Hipp. *lib.* 6. *epid. ſect.* 5. *text.* 1. naturam vocat morborum medicatricem, quia tanquam aduerſatrix omni morbo opponitur ex Gal. *lib.* 11. *meth. cap.* 3. hæc eſt cauſa, ob quam alij morbi citra externorum præſidiorum opem ſoluuntur, vt monuit Gal. 11. *meth. cap.* 1. dum aſſeruit fortunam, artem, & artificem operari mediante materia præſidiorum, naturam verò per ſe operari, licèt ars ſæpè illi opem ferat, dum remedia medica adaptat. Sicuti enim aqua calida redit ſponte ad frigiditatem priſtinam remota calefaciente cauſa, ſic partes tam ex morbo calido, quàm frigido ad priſtinam naturam redire ſolent ab intrinſeco, remota alterante cauſa, quam ſæpe natura remouere ſolet.

Tertia concluſio. *Morbus immaterialis proportionalis plus habet periculi, & difficiliùs ſoluitur, quàm improportionalis.* Patet concluſio: nam febris hectica primæ ſpeciei, quæ ſæpè ſolet curari, meliùs ſoluitur in hyeme, quàm in æſtate: in morbo enim immateriali, ratio difficilis curationis non eſt petenda à magnitudine cauſæ, nam ea caret; neque ex magnitudine, quoniam tam morbus improportionalis, quàm proportionalis debet ſeruare paritatem in magnitudine, vt dictum eſt; ſed difficultas curationis emanat ex eo, quòd morbi ſicuti ad ſimilia benè ſe habent in generatione, ſic malè in ſolutione: contrà tamen aliqui ad contraria malè ſe habent in generatione, hoc eſt, difficulter generantur, & benè ſe habent in ſolutione, quia facilè curantur: nam vnumquodque à ſimili conſeruatur & augetur, à contrario corrumpitur, *vt lib.* 3. *Aph. com.* 3. monebat Galenus.

Modò argumenta ſoluenda, quorum explicatio ex dictis facilè conſtat. Ad primum, reſponde ex ſecunda concluſione, febrem peſtilentem proportionalem eſſe impuris corporibus, & ſicuti propter impuritatem, quæ diſpoſitio eſt præter naturam, facilè in illis generatur, ſic difficulter ſoluitur.

Ad ſecundum. Conuulſio ſicca proportionalis eſt pueris, non formaliter, ſed virtualiter, & iuuenibus improportionalis exiſtit, licèt denominatiuè proportionalis appareat: nam puerorum ſubſtantia cùm calida & humida ſit, tenella, & mollis, facilè reſoluitur, & exſiccatur: contrà iuuenum ſubſtantia cùm ſit compacta, & ſolida ac reſolutioni reſiſtens, difficiliùs exſiccatur, & conuellitur, quia conuulſio ſicca ſiccitatem conſequitur, quæ ad euacuationem ſubſtantiæ neruorum ſubitò introducitur. Deinde conuulſio ſicca ineptè cum humida comparatur, quia natura ſua eſt deterior, & periculoſior, & ſic non ſeruatur paritas, quam eſſe obſeruandam ſuprà retulimus, quando morbus proportionalis, & improportionalis comparantur in magnitudine, & malignitate; qua ratione perperam in homine bilioſo comparatur febris ardens cùm febre pituitoſa, quum impares ſint magnitudine, & periculo: nec enim debent comparari duo morbi impares cum vna natura, ſed vnus ac idem morbus debet comparari cùm diuerſis naturis; ideò febris ardens in homine bilioſo, & pituitoſo conferri debet, & febris ſimiliter pituitoſa in homine bilioſo, & pituitoſo; hoc enim inſinuabat Gal. *lib.* 2. *aph.* 34. & notarunt *ibi* Brachelius, & Vega *in com. lib.* 3. *progn.* 39.

Ad tertium. Hoc modo pulmonia bilioſa non eſt comparanda cum pituitoſa, quia eſt deterior, & periculoſior, grauioráque infert ſymptomata; ſed ſolùm pulmonia bilioſa conferenda eſt in pulmone calido, vel frigido: & pituitoſa non eſt comparanda cum bilioſa, ſed in pulmone calido, vel frigido. Eodem modo inflammatio calida cordis non debet comparari cum inflammatione frigida ipſius, quia acutior eſt, & velociùs interficit; ſed ſolùm inflammatio calida debet comparari in corde calido, & in corde frigido; in illo enim non ita velociter interficit.

Ad quartum. Ex dictis apparet, quomodo argumentum de apoplexia nihil concludat: nam apoplexia velociùs interficit æſtate, quàm hyeme, quoniam cùm interneceat ob reſpirationis defectum, & in æſtate vſus ſit magis adauctus reſpirationis, ita minùs durant Apoplectici, & citiùs moriuntur: nam ex vehementia læſionis reſpirationis, colligit Galenus magnitudinem affectus, 2. *aph.* 41. & 3. *de loc. affect. cap.* 7.

Ad quintum. Obiectio illa de quartana, nulla eſt: quoniam febris quartana proportionalis eſt æſtati: humor enim melancholicus ex quo generatur, efficitur etiam per modum aduſtionis à calore immodico: ideò ob aduſtionem flauæ bilis & ſanguinis, æſtate inualeſcere, & generari ſolet: & quia faciliùs concoquitur, & euacuatur humor melancholicus genitus per aduſtionem, quàm ille qui producitur per ſubſidentiam, ex eo æſtiuæ quartanæ faciliùs ſoluuntur. Accedit etiam temporis natura, quæ maximè iuuat reſolutionem humoris, caliditas nimirum humorem craſſum extenuans, pororum cutis apertio, maior corporis difflatio; ob quas cauſas tranſpirat natura & diſcutitur humor.

Ad ſextum dic. In partibus frigidis duplex temperamentum reperitur, alterum natiuum, contractum ex primordiis generationis, & hoc frigidum eſt; alterum eſt influens, ob præſentiam ſanguinis, ſpiritus, & humidi natiui, quo actu calent. Vtrumque temperamentum ſeruari debet calidis actu; frigidis potentia: nam ſi actu frigida adhibeas, exiguum calorem partium extingues; vnde morbus frigidus non abſolutè proportionalis dicitur partibus frigidis, nec morbus calidus improportionalis: & quia difficile eſt excogitare materias, per quas actus iſte perficiatur, ideò Reſponde de ſecundo modo, neruum & reliquas partes frigidas non eſſe conſeruandas per ſimilia, ſed potiùs præſeruandas, & corrigendas contrariorum vſu; ex ſimilium enim vſu periclitantur ne congelentur, & parua earum caliditas euaneſcat, & exhalet. Tertiò ſolue, quòd ſicuti quando concurrunt contrariæ indicationes, via media curationem inſtituere debemus, vtrique condonando, licèt vrgentioris habeamus rationem, altero non neglecto; ſic quia in partibus frigidis contrariæ indicationes concurrunt, & ad conſeruationem vitæ, functionéſque obeundas caliditas actualis magis neceſſaria ſit, ideò frigidis partibus non admouemus frigida, neque temperata, ſed quæ modicè calida ſunt. Quòd ſi aliquando vehementer calida applicamus, eſt cauſa, vt illa tenuitate ſua partium

frigidarum ſubſtantiam ſolidam, & compactam penetrare queant.

Ad ſeptimum dic. Quòd quando primus motus eſt naturalis, & contrarius eſt violentus, tunc res quæ facilè vnico motu mouetur, difficulter mouetur motu contrario, vt conſtat in grauibus, & leuibus. Verùm ſi primus motus eſt violentus, & contrarius naturalis, ſicuti difficilè primò mouetur, ſic facilè contrario motu ſolet moueri. Tunc ſic, quando natura calida, quia promptè incaleſcit, facilè incidit in morbum calidum, quando refrigeratur, vt redeat ad naturalem ſtatum, hic motus non eſt violentus, ſed naturalis. Igitur ſicut facilè corripitur morbo calido, ſic facilè ab eo ſanari ſolet. Sed hæc ſolutio non videtur eſſe congrua menti Galeni: nam hic 3. *aph.* 3. dicit morbos ad ſimilia in generatione bene ſe habere, in ſolutione verò malè, hoc eſt, morbos facilè generari, difficulter reſolui. At verò male ſe habere in generatione, & bene in ſolutione, hoc eſt, tunc difficilè generari, & facilè ſolui, quia vnum quodque à ſuo ſimili incitatur, & conſeruatur, & à contrario augetur. Igitur morbus calidus in natura calida, in tempore calido facilè generatur, & difficulter curatur: contrà tamen morbus frigidus difficulter generatur in illis, & facile curatur. Hæc erat obiectio Dioclis, quam adducit Galenus 2. *aph.* 33. vbi docet, Dioclem, & alios fuiſſe deceptos, exiſtimantes hac ratione febrem ardentem hyeme generatam faciliùs ſanari, quam eam quæ fit æſtate, ignorantes febrem ardentem hoc tempore factam, maiorem, & vehementiorem habere cauſam: nam ſi temporis contrarietas non potuit vincere cauſam, neque impedire generationem febris ardentis, malto minùs poterit febrem iam factam ſoluere. ſi enim febris ardens generetur æſtate, & fiat ſubitò deinceps mutatio ad conſtitutionem frigidam, tunc vtraque conſtitutio vtilis eſt, prima velut ſignum, quia ſignificat ex minori cauſa ortam fuiſſe, ſecunda vtilis eſt, veluti cauſa curatoria febrem corrigens.

Hæc doctrina non videtur omni ex parte ſatisfacere obiectioni: nam ſi in morbo proportionali minor eſt cauſa, ſi hæc ſemper augetur, difficiliorem habebit curationem; at verò morbus improportionalis, etiamſi maiorem habeat cauſam, hæc aliunde corrigi poteſt. Quo pacto dicendum eſt, vt rectè Hipp. & Galeni intelligatur doctrina, hos auctores 3. *aph.* 3. tantùm agere de habitudine naturarum, ætatum, & morborum ad anni tempora, regiones, & victus rationem. Et intemperatæ naturæ in contrario tempore, contraria regione, & victus ratione contraria, rectè ſe habent; at verò in ſimilibus, quoniam intemperantia intenditur, malè viuunt, & ægrotant: ſola temperata & ſymmetra natura, & ætas ſimilibus bene afficitur; nam hæc ſolùm ſui conſeruationem deſiderat: reliquæ verò naturæ intemperatæ potiùs ſunt præſeruandæ, & reducendæ, quàm conſeruandæ. Sic etiam morbi ad contraria tempora, & loca, & victus genera malè ſe habent in generatione, quia raró & difficulter accidunt, & bene ſe habent in ſolutione, quia magis ac magis intenduntur: at verò in generatione bene ſe habent: nam facilè ſolent generari, quia ſimiles ſunt. Non agit ibi Hipp. de habitudine morborum ad naturas, & ætates, quoniam de hac egerat ſuprà *lib.* 2. *aph.* 34. in quibus morbi ſimiles ſicuti facilè generantur, ſic facilè ſoluuntur; natura enim morbum iam genitum non incitat, immò cùm expetat redire ad naturalem ſtatum, & ſe conſeruare, morbum, ſiue ſit ſimilis, ſiue diſſimilis, corrumpere contendit.

Inſuper aduerte, quòd morbus ſimilis tempori, aut regioni minus habet periculi, & faciliùs curatur, modò legitima, & recta curatio adminiſtretur, in qua ſemper aër ambiens debet eſſe contrarius, & diſſimilis morbo: nam, vt Galenus docet *lib.* 9. *meth. cap.* 14. quando concors & ſimilis eſt morbo, ſemper eſt cauſa morbifica augens morbum, & quando diſcors & diſſimilis, ex præſidiorum numero vnus eſt; quare præcipit ſemper aërem immutare, *lib.* 10. *meth. cap.* 8.

Ad octauum. Natura calida non minùs corrumpitur morbo calido, quàm frigido; & ſicuti natura contendit corrigere morbum frigidum, ſic etiam calidum: nam dum egreditur natura extra proprios limites, ſiue excedente calore, ſiue adaucto frigore, ſemper appetit reditum ad naturalem ſtatum: morbus tamen frigidus in natura calida, quia improportionalis eſt, difficiliùs curatur, non quia minor ſit propenſio naturæ in morbo frigido, quam in calido, ſed quoniam inſinuat maiorem cauſam calefacientem propter maiorem reſiſtentiam: quando enim morbus calidus, æqualis ſecundùm rei naturam, producitur in natura calida, & natura frigida, ſine dubio eſt maior cauſa in natura frigida, quàm in calida, & maior reſiſtentia non poteſt vinci, niſi à maiori cauſa.

Ad nonum. Reſpondet Gal. 2. *aph. cit.* dicendo, quòd aliud eſt raucedines, & grauedines, eſſe periculoſas, aliud non concoqui. Dic ſecundò, quòd non ſeruatur paritas in virtute, & ideò dicit Hipp. in valde ſenibus, in quibus ob imbecillitatem virtutis morbi omnes ſunt periculoſiſſimi, quoniam, vt dicit Auic. 2. 1. *doct.* 2. *cap.* 4. *in initio: In valde debili proportionale, & improportionale lædit.*

Ad decimum dic, quòd ibi Hipp. per naturam, intelligit temperiem, non verò conformationem, aut habitudinem corporis: nam conformatio, ſicuti eſt cauſa vt morbus ſimilis generetur, ſic etiam eſt cauſa conſeruationis illius: & noſtra quæſtio ſolùm reducenda eſt ad morbos in temperamento; nam morbi in conformatione etiamſi magnitudine ſint æquales, ſemper tamen difficiliùs curatur proportionalis, vt conſtat in tabe, cuius curatio debet fieri ſpuitione, quæ difficilior eſt in his quorum natura vergit ad tabem, ob thoracis debilitatem, & anguſtiam. Ex iis patet, Valleſium *loco cit.* ſedulò reprehendentem Galenum, & infrà petulanter nimis, Brachelium, (hunc enim tacitè citat) eſſe dignum reprehenſione: nam Galenum vocat immemorem, falſum; Hipp. interpretem, non diligentem. Non taxo illius ingenium, ſed, ſuperbiam. Licèt enim ſit perdoctus, in exprimenda mente Galeni cæcutit, & ſub mandragora obdormiuit: neque enim Galenus ineptè, vt ipſe falsò ſibi perſuaſit, Hipp. textum adduxit: quoniam Hipp. eo loco non ſolùm aſſerit in ea tempeſtate frequenter tabem accidiſſe, & in his præcipuè quorum natura vergebat ad tabem, ſed, vt *textu* 19. addit, maximè moriebantur illi quorum natura vergebat ad tabem.

Ad vndecimum dic, cruditatem acidam interdum fieri ob intemperiem ventriculi, ſæpe ob alimenti malitiam. Galenus autem *eo loco* non loquitur de aciditate illa quæ ſit vitio ventriculi, ſed ex vitio alimenti, ob ipſius immodicam quantitatem, aut qualitatem, in qua ſolùm cauſa nocens conſideratur, & non ſimilitudo, aut diſſimilitudo morbi. Ob hanc cauſam ſuccus acidus plus nocet in naturis calidis & ſiccis, quàm ſuccus amarus, quoniam corpora lapſa à ſimilibus plus læduntur, ex Gal. *lib. art. med. cap.* 63.

Ad vltimum dic, in Indis, Æthiopibus, & Anglis non ſeruari paritatem in virtute, quod ad veritatem quæſtionis neceſſarium eſt, vt ſuprà in notabili tertio monuimus. Hoc modo intelligendus Auic. 2. 3. *cap.* 11. *in fin.* dicens: *tremorem lateris ſiniſtri eſſe peruerſum*: & 22. 3. *tract. cap.* 24. *ante med.* aſſerens, Iſchiaticam in latere ſiniſtro eſſe difficiliorem, quàm in dextro, licèt morbus ſit magis proportionalis partibus ſiniſtris, vtpote debilioribus; tamen in virtute, & robore non ſeruatur paritas, quoniam partes dextræ ſunt robuſtiores ſiniſtris. Idem iudicium ferendum eſt de Hemicrania, Angina, colico dolore, nephritico, podagra, paralyſi, & aliis qui latus vtrumque infeſtare ſolent: nam orti in parte ſiniſtra ſunt difficiliores. Lege Santorellum doctiſſimum *lib.* 10. *antepraxis, cap.* 19.

HISTOR.

HISTOR. XXXII. GALENI, De iſchiadico dolore.

Coxendicis dolor à ſanguine ortus vena ſecta curatur.

Memini me iſchiadas, ſiue coxendices vno die facta ex crure euacuatione curaſſe, nimirum vbi non ex frigore, ſed impletis ſanguine, quæ in coxa ſunt, venis prouenìſſent, &c. Galenus lib. de curand. rat. per ſang. miſ. c. 18. in fin.

Excitatus eſt in quodam vicino meo, cuius complexio erat cholerica, dolor anchæ: & facta minutione in vna manu mitigatus eſt dolor ipſius, & excitatus eſt in ancha alia: & ſic poſt quatriduum facta minutione de manu, mitigata eſt pars maior doloris, tamen per biduum conualuit perfectè. Rhaſ. 26. continent. tract. 1. cap. 2.

PARAPHRASIS.

ORiri quandoque coxendicis dolorem à ſanguine in hanc coarticulationem delapſo, ſuprà citati auctores memoriæ prodiderunt. Auic. *loco cit. c. 5.* ſic ait. *Materiæ verò ſunt ſanguis ſingularis, aut ſanguis phlegmaticus, aut ſanguis cholericus, aut ſanguis melancholicus, &c.* Accepit à Gal. *lib. 10. ſec. loc. c. 2. de Iſchiade, §. Aliquando quidē igitur irruens humor ſanguineus eſt, vt plurimùm verò pituitoſus, aut ex pituitoſo, & bilioſo mixtus, aut etiam ſanguine cum ipſis permixto, &c.* Patet ampliùs euidenter ex Aëtio *loc. cit. §. Generant autem hunc affectum hæmorrhoïdes ſuppreſſæ, & vomendi conſuetudo intermiſſa, & purgationes menſtruæ, &c.* Ita Hipp. *lib. 5. epid.* inquit. *Polemarchi vxori in morbo articulari coxæ dolor quidam vehemens, cauſa erat quod menſes non prodirent.* Si ergo ſanguinis copia irruat in coxam, aut aliquis humor cum ſanguine permixtus dolorem excitet, reuulſionis, & vacuationis cauſa, eſt ferienda vena, hoc enim præſidio etiam præſeruatur pars ab inflammatione: nam ob dolorem attrahentem, in debilem partem irruunt ſucci, & impetu quodam in eam furioſè veluti decumbentes, vel inflammationem de nouo regenerant, vel adaugent.

Sed circa contextum plurima ſunt difficilia, quæ expedire oportet. Primum eſt. Num in coxæ dolore ſolùm redundante ſanguine, non aliis humoribus, mittendus ſit ſanguis? Dic. Articularium affectuum curationem graphicè propoſuerunt priſci, & iuniores omnes, fecit etiam Trallianus *lib. toto. 11.* elegantiſſimè. Omnes in ſanguinis miſſione celebranda conſentiunt. Ita Auic. *l. c. cit. c. 7. & ſi fuerit ſanguinea, aut cum dominio ſanguinis oportet vt adminiſtres phlebotomiā, &c.* hanc methodum priùs patefecit Gal. *lib. 10. ſec. loc. cit. §. Tanquam igitur maximam vim ad affectionis curationem habeat totius corporis euacuatio, ab ipſa incipiendum eſt, non ſolùm à cruribus, ſed etiam à cubito primùm ſanguinis detractione facta, &c.* Paulus *lib. 3. c. 77.* in pituitoſa etiam, & melancholica protinùs venæ ſectionem exercet. Sic etiam Aëtius. Neque hi auctores aduerſantur Auicen. ſolùm in ſanguineo coxendicis dolore hoc præſidium admittenti: nam Auic. eam exercet vacuationis cauſa, cæteri reuulſionis gratia eam celebrant: in omni enim recenti dolore, præſertim intenſo, præſeruationis cauſa ſanguis eſt emittendus, & magis in præſentia ſanguinis, iuxta oraculum Galeni 4. *de ſanit. tuend. cap. 4. §. Vbi paululum vel citra ſanguinem reſtitum, vel vtra proceſſum eſt, audacter ſanguis mittendus eſt. Vbi plus conſideratius agendum. Vbi plurimùm, in his nullus omninò mittendus eſt, &c.*

Solue ſecundò. In iis omnibus, qui tunc primùm id morbi genus experiuntur, vena eſt ſecanda. In iis verò quos fluxio frequenter infeſtat, ſolùm in ſanguinea, vt ait Auicenna. Hoc edocuit, Paulus *loco cit. §. Statim igitur cùm quis morbum experiri primùm cœperit, ſanguinis miſſio erit tentāda: nam quos fluxio frequenter infeſtauerit, ij plus inde noxæ, quàm auxilij ſentiunt; præſertim quibus*

A *corpus natura frigidius eſt, aut imbecillius, &c.* Explicant dilucidè Mercatus *lib. 4. de morb. intern. cap. 20.* Septalius *lib. 8. cantion. num.* 179. Quapropter ſi vel tranſactum ſit initium morbi, quo tempore reuellere ampliùs non licet; vel alij humores ſanguinem ſuperent; aut illi qualitate potiùs, quàm plethora premant, tunc laudatiſſima Auicen. ſententia amplectenda, vt probant Gentilis, & Iacobbus *in com.* Galenus hoc loco ſanguinis miſſionem ſummoperè probat ob cauſas dictas; pro cuius maiori explicatione; lege Menam, Fuchſium, & Hieronymum Nonnium, vberrimos huius loci interpretes.

Quæro ſecundò. Vtrùm ex oppoſito latere vena ſit ſecanda? Reſpondet Auic. *loc. cit. §. Oportet vt adminiſtres phlebotomiam ex parte contraria.* fauet Celſus *lib. 2. cap. 10.*
B qui venam ſecat ab humero ad humerum. Hoc modo Galen. 13. *meth. cap. 5. manu laborante, ſcarificat crura altero crurum malè habente, reliquum crus.* Dic. ex eodem latere in coxæ, cæteriſque articulariis doloribus ſecandam eſſe venam, vt Aëtius monuit *loc. cit §. Secanda autem vena ex directo cruris fluxione infeſtati, in brachio interna. Quod ſi hæc non appareat, media. Quòd ſi manus dextra dolore infeſtetur, venam in dextro crure ſecabis.* Nam magni ſemper Galenus fecit rectitudinem, & ampliùs hanc amat, quàm vaſorum communitatem. Hoc tibi fiet manifeſtum, ſi expendas mentem Galeni, qui 13. *meth.* 11. non apparente interna, mediam eiuſdem lateris ſecat, & hac non apparente cephalicam. Ex quo colligis, rectitudinem communitati prætuliſſe. Si verò Auicenna, ex contraria parte ſanguinem emittit per hanc, non in-
C telligas oppoſitam ſecundùm corporis latitudinem; ſed longitudinem; quo pacto laborante dextro pede, dextrum cubitum ſecamus, & ſiniſtro, ſiniſtrum. Celſum verò de præſeruatione explica, quando ex aduerſo latere fluxio emanat Ita interpretandus Galenus 13. *meth.* quando in annuis, & per circuitum recurrentibus manuum affectibus, præcautionis gratia à diſtantiſſimis partibus, à parte tentata fluxione valdè remotis, ſanguinem exhaurit, vt ſcilicet aſſueſcat natura ſanguinem ad alias partes tranſmittere. Quo pacto autem in hac venæ pedis ſectione, alio pede dolorem patiente, ſeruetur Hipp. decretum vbique ab eo prolatum, dicentis ſecundùm rectum debere ſemper fieri euacuationes, præterquam quòd intelligendus eſt Hipp. de curatione, cæteri verò de præſeruatione, vt monuimus *lib. 2. in com.*
D *hiſtor. 19. in fin.* non eſt huius loci demonſtrare. Lege pro ſoluendo hoc dubio momenti tanti, quod multorum hactenus malè torſit ingenia, Manar. 14. *epiſt.* 1. Menam *in com. Gal. lib. de curand. rat. per ſang. miſ. c. 18. fol. 121.* Briſſotum, Trincauel Acaxiam, Turinum, Curtium, qui *in tract. de ſecanda vena in pleuritide*, hoc argumentum vbertim explanarunt.

Quæro Tertio. Num in coxendicis dolore, ex talo, an gibbero ſit hauriendus ſanguis? Hæ repugnantes in his hiſtoriis, Galeni, & Rhaſis ſententiæ, interpretem reddunt dubium, & ambiguum: nam in coxæ dolore ex ſanguine orto venam ſecat in crure Galenus: & in eodem affectu ab eadem cauſa concitato, Rhaſis è manu ſanguinem exhaurit: per manum autem non intelligit ſummam manum, ſed totum illud quod ab humero ad ſummos digitos protenditur, vt 13. *meth. c. 5. §. Manu laborante ſca-*
E *rificabis crura*: & infrà, *in cap. 11.* per venas manus, brachij venas intelligit: firmat Auincenna, 4. 1. *cap. 20. in fin. §. Venæ prætereà manus, quæ phlebotomantur, &c.*

Sed ſi methodum horum auctorum (quam multi multùm celebrant) attenta mente rimetis, eius vim maximam; & vſum præſtantem commendabis, partes Galeni tutatus: Primò eſt Hipp. *lib. 6. de natur. human. text. 8.* è poplite celebrandam eſſe docens: repetit *lib. 5. epid.* in Eupolemi curatione, dicens. *Huic ſanguis detractus eſt è talo multus, valde, niger, ac craſſus.* Explicat Valleſius *in com.* ſic dicens: *Nam ob partes hypochondriis humiliores, ex crure eiuſdē lateris vacuare oportet; velut ob ſuperiores, ex brachio. Itaque & ob nephritim, & ob Iſchiadem, & ob inflammatas hæmorrhoïdas, & bubonum tumores, oportet ex*

crure affecti lateris ſanguinem mitti. Ita Auic. 4.1.*cap.*20. ex talo venam ſecat: firmant Actuarius *lib.*3.*meth.cap.*1. Audi Galenum *lib.*6. *aph. com.* 36. dum exponit mentem Hipp. dicentis, *difficultatem vrinæ venæ ſectio ſoluit, ſecare verò interiores,* adiecit: *Quod autem dicitur, ſecare verò interiores, ſi de venis manuum dicitur, caret veritate, neque conſentaneum eſt Hippocrati: videtur ſiquidem in omnibus libris ſuis, in partibus, quæ ſupra hepar ſunt, ex manibus ſanguinem mittere, in inferioribus verò venas quæ in poplite, & malleolo ſunt, ſecari iubet, &c.* Si autem inquiras quæ ſint partes inferiores, reſpondet Galenus in hunc modum *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap.*18. §. *Porrò quemadmodum dictæ omnes partes in cubito ſecta vena iuuantur; ſic quæ his inferiores ſunt, illis quæ per poplites, & malleolos decurrunt. Sunt autem dictis inferiores, coxendix, vterus, veſica, &c.* firmat *lib. de conſt. art. medic. cap.*17.

Rhaſis ſententiam firmat Cælius Aurelianus *lib.*5. *tardar. paſſion. cap.*1. §. *Item plurimi ex talo, atque ancha eiuſdem partis, quæ fuerit paſſione poſſeſſa, venam diuidentes, ſãguinẽ detraxerunt, ſed magis partes impletæ grauantur, &c.* Ob hanc cauſam dicebat Auic. 22. *tract. cap.*24. *& non fiat phlebotomia ex pede, niſi poſt phlebotomiam ex manu:* ſubſcribunt Alzaharauius *lib. pract. tract.*18. *cap.*6. Idem firmat Rhaſius *lib. de ægritudinibus iuncturarum, cap.*19. *&* 29. Exponit Guainerius *tract. de ægritudinibus iunctur.*

Certum ſit in dolore recenti, in cubito: in inueterato autem in talo venæ ſectionem eſſe celebrandam; nam in initio maior eſt dolor, repletio maior, quare ſi tunc in talo venam ſeces, totus humor præcipiti lapſu ruit in affectam partem, & geminatur dolor: quando autem corpus multo ſanguine non eſt refertum, ſed ſolùm coxæ craſſo ſanguine ibi impacto premuntur, tunc inueterato dolori venæ ſectio é talo ſummoperè prodeſt: ita nos docuit faciendum Galenus 2. *ad Glauc. c.*2. poſito exemplo in genu tumore tentato, dum ſic inquit. *Veluti in ea, de qua nunc agitur, diſpoſitione fluxio ad genu deferatur, atque hoc ſubitò plurimùm attollatur, tibi verò totum corpus ſanguine repletum appareat, valida laborantis vis, tempus autẽ anni ſit ver, regio tẽperata, æger verò ſit adoleſcens, aut iuuenis: is ſanguinis vacuatione ex ſuperioribus partibus indiget, oportetq; incidere eius in cubito venam, aut ſcilicet interiorẽ, aut mediam. Si verò aliqua pars ſuperior pateretur, per inferiora ſanguis eſt educendus, ſemper enim fluxionis motum ad contraria trahere expedit, &c.* Quare hoc modo intelligendus Galenus, qui 10. *ſec. loc. cap. cit.* primò è cubito, vt fecit Rhaſius, deinde è talo ſanguinem euacuat. Conſule Altimarum *lib. de medendi human. corpor. malis, cap. penult* Vtrùm verò in hoc affectu, lumborúmque morbis ſit venæ ſectio celebranda à talo interno, an externo, quæſtio eſt ad praxim vtilis valdè: eam lege *lib.*2. *in com. hiſtor.*126.

Redundantis ſanguinis indicia ſunt totius corporis plenitudo, cum cutis tumore, rubore, & venarum pulſatione coniuncta, pulſus adeſt in alto inflammationis mediocris. Vrinæ fuluæ ſunt, & mediocri craſſitudine præditæ. Ætas generando ſanguini eſt accommoda, ab adoleſcentia vſque ad ætatem vigoris. Præceſſit vita lauta, cibis nutrientibus, & vini potui aſſueta. Tempus anni, ver: regio temperata. Suppreſſa eſt aliqua euacuatio conſueta. Ex iis ſanguinem redundantem coniectabis, & magis ſi febris accedat; quæ omnia proponit Gal. *lib. de medic. parat facilibus cap.*23. Trallian. *lib.*11. *cap.*1. *&* 10. *ſec. loc. cap.*2. Quomodo autem vnuſquiſque humor in corpore redundans ſit cognoſcendus, explicat Ioan. Brauus *lib.*2. *de purgation. cap.* 7.

HISTOR. XXXIII. AETII.
De genu tumore.

Genu tumor antiquus, emplaſtro ex ſtercore caprino parato, curatur.

STercoris caprini vſus frequentiſſimus eſt: acrem, & diſcuſſoriam vim habet: induratis tumoribus conuenit, A *non lienis tantùm, ſed aliarum partium. Itaque ego in genuum tumore inueterato, & ægrè ſolubili, ipſo vſus ſum ex poſca, cataplaſmate parato ex hordeacea farina ſtercori admixta; & qui curabatur homo, mirificè adiutus eſt, &c.* *Aëtius* tetrab. 1. ſerm. 2. cap. 94.

PARAPHRASIS.

GEnu articulus plurima ligamenta habet, ex Galen. *lib.*2. *de anatomic. adminiſt. cap.*10. Cùm enim quatuor ſint regiones circa genu, anterior, poſterior, dextra, ſiniſtra, vt auctor eſt Galenus *lib.* 3. *de vſu part. cap.*15. in his partibus robuſtum adeſt ligamentum, adſunt muſculi, & aliæ partes duræ, oſſeæ, neruoſæ, quæ facilè ab humoribus frigidis infeſtantur; in quas cùm humor ſemel B decumbit, & in hac coarticulatione imbibitur vix reſolui poteſt, ob partium duritiem, ſoliditatem, & motum frequentem, qui excrementa continuò, accito calore, ad partem ſuapte natura decliuem attrahit, in quam humor grauitate ſua facilè inclinat.

Et hac de cauſa in hac parte accidunt tumores, præſertim ventoſi, à flatu nebuloſo & craſſo ſuborti, accidit cutis denſitas, & meatuum adſtrictio. Ità dixit Auic. 4. 1. *c.*25. *cauſa in apoſtematibus inflatis eſt ventoſitatis craſſities, & pororum clauſura, &c.* & 4.1. *tract.*2. *cap.*19. ſic ait. *Et ventoſitas remanet, & retinetur propter ſpiſſitudinem ſuam, & propter groſſitiem ſuam, & propter ſpiſſitudinem eius quod continet eam, & conſtrictionem inſignem, &c.* & priùs prædixit Gal. *lib.*2. *ad Glauc. cap.*6. *adiuuat autem ne huiuſcemodi ſpiritus difflet, etiam denſitas corporum.* Subſcribit C Paulus *lib.*4. *c.*28. §. *Membrorum autem denſitas, tum ſpiritus ſimul craſſities efficit, vt idem ſpiritus non diſſipetur.* Eleuantur flatus ab humoribus craſſis, pituitoſis, & lentis, qui à debili calore vertuntur in flatum; hunc autem generari à diminutione caloris innati, ex Galeni mente ſuprà ſatis explicuimus.

Hic tumor cognoſcitur primò ex tactu: nam ſi manu tangas, ac comprimas, intùs murmur ſentitur, & ſonus: ita dicit Paulus *loc. cit.* & Auic. 3.4. *tract.* 2. *cap.* 10. §. *Et fortaſſe cauſat ſonitum percuſſio ipſius cum manu.* Deinde palpitatio ſentitur: itaque: Gal. 1. *prorhet. ſect.*1. *com.*13. *Palpitationem ergo à flatuoſo ſpiritu proficiſci demonſtrauimus.* Diſtingues ab œdemate; nam ſi hunc tumorem comprimas, fit fouea, in tumore ventoſo minimè. Audi Galen. 14. *meth. cap.*7. *Differunt quoque ab œdemate, quod* D *& preſſa digitis non retinent veſtigium, & ſonitum velut, tympanum reddunt.* Denique cognoſcere hunc tumorem in genu ſubortum, eſt facillimum; ſicut difficillimum, an intus aqua, flatus, aut pus contineantur, diſtinguere: id quod perbellè ſignificauit Auic. 3. 4. *tract.* 2. *cap.* 10. §. *Et quandoque exiſtimat homo, quòd ſuper membrum eius ſicut genu ſit apoſtema indigens perforatione, quare perforat ipſum, & egreditur ventoſitas tantùm, &c.* & nos notabili exemplo etiam firmauimus *lib.* 2. *de praxi admiranda, obſ.* 172.

De prognoſi quid proferendum? Reſpondet. Galenus *lib.*2. *ad Glaucon. cap.* 6. §. *Quæ longiori tempore durat, ac tum præcipuè quum fuerit articulationi vicina, &c.* Quare hi tumores diuturni ſunt ob cauſas dictas, & licèt reſoluá- E tur flatus medicamentis aptis, remanet tamen quædam habitualis intemperies ex qua de nouo regenerantur & ad partem debilem confluentes, malum fouent, & augent. Denique hi tumores ægros excarnificant, & remedia medica deludunt, vt inquit Aëtius *loc. cit.* §. *Suntque huiuſmodi muſculorum affectiones difficiles, quoniam in omnes ferè muſculi partes flatuoſus ſpiritus diſpergitur conſtringiturque, ac intercluditur ambientibus pelliculis, & plurimis aliis corpuſculis vſque ad cutem protenſis.*

Curabitur hoc vitium, licèt ægrè & difficulter, exſiccante victu, vacuato humore ex quo flatuoſus hic ſpiritus eleuatur. Ita cenſuit Gal. 13. *meth. c.*22. §. *Atque extenſiones ſcilicet ex flatuoſo ſpiritu curabimus, vacuato priùs in his quoque toto corpore, & humorũ momento deorſũ auerſo, &c.* Auic. 4.1. *cap.*25. ſic inquit. *Studium quoque eſt adhibendum prohibendo materiam, ex quà ventoſus prouenit vapor &c.*

Nec

Nec obſtat Hipp. locus *ex lib.4.acnt.text.* 15. qui flatuoſis non eſſe medicamentum porrigendum aſſeruit, nam loquitur de cauſa coniuncta ipſius tumoris, quæ ſolùm reſoluentibus flatus perficitur.

Vacuato ergo benè corpore, iis quæ pituitoſos humores expurgare nata ſunt, & aliis quæ roborandi viſcera, & reſoluendi flatus vim habent, vt ſunt ſudorifica ex ſmilace aſpera, & ebeno parata, balnea ſulphurea, ad reſoluendum flatum in tumore contentum, accedere opus eſt: ita aſſeruit Galen. *lib.* 14. *meth.cap.*7. dum ſic loquitur: *Communis indicatio eſt, vt euacuetur, quod ibi continetur. Propria verò poſt hanc, vt tenuiſſimis, & calidis medicamentis pori cutis rarefiant per quos ſpiritus facilè exhalare poſſit, &c.* Sed ita ſuauia ſint, neque mordacia, vt dolorē leniant, neque irritent, vt aduertit Gal. 2. *ad Glauc.*6. §. *Curatio autem communis omnibus per ſubtiliorem ſubſtantiam, & quando paſſioni dolor adiunctus ſit, talem habentem naturā, vt dolorē queat ſedare. &c.* Trāſtulit Auic. 3.4. *tract.*2. *c.*20. *Quod ſi fuerit illic dolor ex principio, tunc adminiſtrentur de ſuper olea, in quibus eſt ſedatio doloris. &c.* Auxilia autē ſint quæ laxent, & ad extra euocent: ita docuit Gal. 13. *meth. c.* 22. § *Mox localibus remedis vtendum, non tamen medicamentis his quæ repercutiant, ac reprimant, immò his quæ euocant, &c.* & 2. *ad Glauc.*6. ſic inquit: *Quare huiuſmodi curatio vnam communem habebit intentionem, ad laxanda ea quæ ſtricta ſunt corpora, atque ad craſſos ſpiritus extenuandos.* Si medicamentorum materiam ſcire aues, conſule Gal. Paul. Aëtium, Auic. *l.c.* & doctiſſimos Hieron. Fabricium ab aqua pendente, *lib.*1. *de apoſtemat.c.* 11. Foreſt. ex multorum mente, *lib.*4. *de tumorib. præter natur. c.* 1. & 2. Vidum Vidium *lib. de curat. membrat.* Euſtachium Rudium, Andream à Cruce, *proprio c. de tumore ventoſo.*

Sed cùm in diuturno hoc affectu plurima citra leuamen tententur, vt par eſt in morbo rebelli celebraſſe Aëtium, meritò ad hoc ex ſtercore caprino auxilium acceſſit cum vtilitate ſumma. Et licèt nihil ſit in hac mundi machina tam pulchra, tam concinna, à quo tantopere abhorreant ſenſus, quod faſtidioſius refugiant ipſi, quàm ſtercora, & lotia viuentium: iis tamen ineſt ſuum munus, ſua operatio, & virtus ponderoſa. Stercus bubulum, præterquam quòd prærogatiua fœcundandi terram, præſtans eſt, & laudabile, ex Varrone *lib.*1. *de re ruſtica.c.* 38. quam efficaciam humano attribuit Columella *lib.* 2. *c.*15. quoniam eſt naturæ feruentioris, & terram fermentat, etiam Galenus illi maximam attribuit facultatem; 5. *ſimpl.* 17. quoniam ob putrefactionem vehementi pollet attrahendi vi, & ſic quæ ſunt in alto tenaciter impacta, promptè foràs euocat: nam ſtercus humanum omnium peſſimè olet, apud Alexand. 1. *probl.*29. quoniam homo veſcitur eduliis variis, & multis, & illa reprobè coquit, & calido humido conſtat temperamento; vnde inodora ſtercora fiunt à ſiccitate, ex Philoſopho 13. *probl.* 1. quoniam calida & humida corpora putredini ſunt valdè obnoxia, ex Gal. 11. *meth.* 11. & alibi: quare fæces hominum illicò fœtent; fœtor enim ex putrefactione oritur, 1. *progn. vlt.* 1. *criſ.* 11. explicant Auerrh. 1. *part. canticor. text.* 333. Andreas Laurentius *lib.6. de hiſtor. anatom. quæſt.*15. Rodericus à Fonſeca *lib.2. de excrement. c.* 5. Quapropter humanum ſtercus gutturis tumores exſiccat, & Anginæ ſtrenuè medetur, prout celebri hiſtoria confirmat ipſe Galenus, 10. *ſimpl. tit. de ſtercore humano:* cuius explicationem lege *lib.* 1. *in com. hiſt.*18. Panthera enim vbi faucium dolore vexatur, ſibi humano ſtercore medetur, ex Plinio *lib.*8. *c.* 27. Inſuper humanum, venenorum eſt tutiſſimum alexipharmacum, ex Ariſt. *lib.*9 *de hiſt. animal. c.*6. & Auic. 6. 4. *tract.* 1. *cap.*11. De cuius admiranda efficacia lege Danielem Becherum Medicum omnium ſcientiarum genere ornatiſſimum, *in ſua ſpagyrica Microcoſmi, cap.* 10. *de ſtercore humano.*

Stercus lupinum inſigne leuamen affert colicis cruciatibus, & baſaniſmos lancinantes artuum mitigat. Suilli recens egeſti fœtor, & odor profluenti impetuosè ſanguini è naribus remedio eſt. Anginam curat ſpurcus, & luto velut glutine obſitus nidus hirundinum, & canum fæx exſiccata g utturi per fiſtulam inſufflata, ſi excepta fuerit eo anni tempore, in cuius medio caniculam exoriri contingit: de cuius vi eximia pro curandis multis morbis plura diximus *lib.*1. *in com. hiſt.*82. Aſininum hæmorrhagiam cohibet. Columbinum impensè calefacit, & reſoluit. Demùm omnia ſuam obtinent facultatem ex Dioſcoride *lib.*2. *cap.*73. Gal. *lib.* 10. *ſimpl.* Paul. *lib.*7. *tit. de ſtercore* Auic. *lib.*2. *tract.*2. *cap.*613.

Quapropter ſtercora omnia excalfaciunt, vt Galenus edocuit *loc. cit. de ſterc. lupino.* Cæterùm caprillum digerentis eſt facultatis, & acris adeò, vt induratis ſcirrhoſis tumoribus non lienis modò, ſed etiam aliarum partium vnicè auxilietur. Digerit, reſoluit, abſtergit; quo pacto prodeſt Hydropi, & diuturnis bubonibus remedio eſt, vt citati omnes prodiderunt auctores, & Galenus edocuit *loc. cit. de ſtercore caprillo.* Crematum valentiùs abſtergit, & extenuat, & miſcetur digerentibus emplaſtris, quæ diſſoluendis tumoribus craſſis vtilia ſunt.

Miraberis, cur Aëtius diſſoluerit ſtercus in poſca; cùm hæc ex aceto, & aqua ſimul mixtis conſtet, ex ipſo, *tetrab.*1. *ſerm.* 1. *cap.* 1. & acetum adſtringentis facultatis particeps ſit, ex Galen. 1. *de ſimpl.* 18. quare videtur poſca induratis tumoribus inepta: nam adſtrictione quadam arctat humorem, excernique prohibet. Dic, acetum eſſe acidum prorſus, acida verò quatenus acida minimè adſtringunt: licèt enim acidus ſapor vincente ſemper interna frigiditate oriatur; quum tamen ex putredine fiat, caloris præter naturam energiam reſeruat: etſi enim vinoſæ partes, dum ipſum in acetum tranſit, refrigerentur, aqueum tamen excrementum adſcititiam obtinet caliditatem, veluti cætera omnia quæ putreſcunt, quæ ſanè cuncta, ſi Galeno fides eſt adhibenda, *lib. de cauſ. morbor. cap.* 2. & 1. *de dif. feb. cap.* 7. ob putredinem calidiora redduntur. Hinc fit vt acetum, reliquorum acidorum modo, penetret, aperiat, incidat, diuidat, tenuet, tergat, calorémque extinguat: nam has qualitates ſortiuntur acida, ex Gal. 2. *de facul. natural. cap.* 12. & Meſuë *lib.*1. *theorem.* 1. quoniam ſapor acidus frigidus eſt, ſimul & tenuium partium, ex Gal. 4. *ſimpl. cap.* 3. 7. & 8. & maximè ſi ſtercus aceto ſubactum miſcueris cum farina hordeacea, quæ diſcutit, & exſiccat, ex Gal. 2. *ad Glauc. c.*7. §. *Nam farina triticea maximè ad ſuppurationem valet, hordeacea verò plurimùm reſoluit, &c.* quoniam hordeum exſiccat, vt ex tam multis Galeni locis probant; Iulius Alexandrinus apud Matthiol. *lib.*1. *epiſt.*2. & 3. Valleriola 1. *enarrat.*6.

Hoc ergo modo paratum emplaſtrum, ad ſcirrhoſos tumores attenuandos eſt nulli ſecundùm. Id ſummè laudat Ioannes Vigonius *lib.*2. *de apoſtematib. tract.*8. *c.* 3. *de tumore genu,* cuius deſcriptio hæc eſt.

℞. *Farinæ fabar. farinæ hord.* an. ℥. iiij. *furfur. benè triturati* M. ij. *ſtercor. caprin. benè triturat.* ℔. ß. *chamomil. melilot. triturat.* an. M. j. *olei chamomil. olei anethini,* an. ℥. ij. cum lixiuio, & ſapa fiat emplaſtrum.

Hoc mirabiliter tumorem ventoſum reſoluit, & dolored ſedat: cuius laudes decantant citati auctores, & extollit maximè Gulielmus Varignana *tract.*19. *de diſpoſitionibus iuncturarum. cap.* 3. Nec mirum: nam ſtercus caprarum ex mente Dioſcoridis *loc. cit.* præſertim in montibus degentium, potum in vino, regium morbum emendat, menſes mouet cum odoramentis hauſtum, & partus euocat: tritum in farinam, & impoſitum lanis cum thure, fœminarum profluuia ſiſtit, cæteróſque ſanguinis impetus ex aceto cohibet: medetur Alopeciis exuſtum, & cum aceto, aut oxymelite illitum: cum axungia verò impoſitum his qui podagra tentantur, auxilio eſt, &c. Quæ omnia explanant Matthiol. & Amatus, *in com.* & luculenter huius ſtercoris vires eximias, ex priſcorum, & iuniorum mente retulit Conradus Geſnerus, *lib. de quadrupedic. cap. de capra, tit. de ſtercore.*

* * *

HIST. XXXIV. RHASIS,
De genuum dolore.

Genuum dolor diuturnus,acuto enemate, & prouocantibus vrinam,perſanatur.

*QVidam laborans genuum dolore antiquo ſumpſit medicinas multas. At clyſtere vſus eſt cum Centaurea, non ſolum vna vice. Cui conſului quòd * habitet in domo calida, & frequenter vtatur medicamentis attenuatiuis, prouocantibus vrinam, eo quòd complexionis erat frigidæ, & humidæ.Raſius* lib.26.continent.tract.2.cap.2.

PARAPHRASIS.

GEnua dolere præſertim à frigiditate,& flatu in cauitate huius coarticulationis incluſo, probat Auicenna 22. 3. *tract.* 2. *cap.* 25. Hunc dolorem eſſe diuturnum ob cauſas ſuprà dictas firmat ipſe auctor hoc loco, dum ſic profatur. *Dolorum huius partis curatio difficilis fit in frigore, & tempore frigido,& in pingui,& in parte ſiniſtra eſt difficilior, &c.* Maximè ſi partium ſuperiorum habitualis intemperies adſit, quæ crudum, & flatu plenum humorem generando, eum ad dolentem, debilémque partem excernere ſoleat.

Auicenna intimiùs hanc curationem abſoluit, *loc.cit. in princip.*dum ſic inquit.*Cura quæ magis propria eſt doloribus genuum fixis,eſt, quòd opportet,vt redeatur in curatione eorum,ad canones vniuerſales in doloribus iuncturarum. Et tu quidem ſcis, quòd ipſi differunt ab aliis doloribus iuncturarum: nam repercuſſio in principio nocet eis quandoque nocumento vehementi:quoniam materia profunda eſt, & repercuſſio retinet eam illic, & ponit eam taliter,quòd difficilis fit eius reſolutio,& præparat eam ad hoc vt diſlocet iuncturas abſque reprehenſione ſimiliter. Immò oportet ſi volueris ſedationem dolorum in principio,vt ſedes eos cum molificatiuis, & lenificatibus,&c.*Idem confirmat Vigo *lib.* 2. *de apoſtematibus, c.* 2.

Neceſſaria ergo ſunt tam vniuerſalia, quàm peculiaria, & topica auxilia, quæ in coxendicis dolore à cauſa frigida concitato auctores celebranda monent, vt ſunt venæ ſectio, expurgantia, roborantia, ſuperfluam humiditatem abſumentia, calefacientia,quæ parantur ex decocto ebeni, ſimilacis aſperæ, radicis chinæ.Balnea naturalia, præſertim ſulphurea, aluminoſa ſummo ſunt auxilio. Topica parti imponenda fiant ex anodynis temperatis,abſumentibus flatus; quorum copiam legat qui velit apud Vigonem *loc. cit.* vt ſunt fomenta,lauacra, vnguenta, emplaſtra; & cætera quæ latè proponit. Vidus *lib.* 5. *de curat. membrat. cap.* 2. Sed cùm omnia eſſent ab auctore noſtro celebrata,quod patet ex verbis(*ſumpſit medicinas multas*)clyſteribus vſus eſt acutis, quorum vſus in coxæ, genuúmque diuturnis doloribus ſummè prodeſt, prout *ſupra,in com. hiſtor.* 30. monuimus; hæc enim clyſteria acuta potenter humorem tenaciſſimè impactum exhauriunt ex iuncturis, humorémque ventoſum reſoluunt, & abſumunt. Inter cætera tamen quæ proficua ſunt, eſt illud quod ex Centaurea paratur. Hæc duplex eſt apud Dioſcoridem *lib.*3. *cap.*6. & 7. maior, vel minor. Vtraque calida & ſicca eſt in gradu tertio,abſtergens, exſiccans; quare ad craſſos humores, bilémque craſſam educendam in partibus neruoſis impactam eſt efficaciſſima,& coli coxæque affectibus ſummoperè auxiliatur, ex Auic. *lib.*2. *tract.*2. *cap.*161. Huius decoctum in iuncturarum doloribus per clyſterem infuſum eſſe vtiliſſimum Paulus edocuit *lib.*7. *tit. de centaurea.* Quando ergo vacuantia per aluum ſatis non ſunt, ad acuta clyſteria ex centaurea, & aliis fortiſſimis medicamentis parata accedere,morbi diuturni,& diri conditio expoſtulat, quibus non ſemel vtendum eſt: cùm enim humor viſcidus ſit,ac tenax, vnica vacuatione educi non poteſt; quare paulatim eſt præparandus, & paulatim per clyſteres vacuandus, vt 9.*meth. c.* 11. admonuit Galenus.

A Quod autem medicamentum ſit centaurea, & quæ illius electio,& vires,explicuit Matthiol. *in com.cit.loc.Dioſcor.* & priùs edocuit Meſues,& eius interpretes, *c. de centaur.*

Si hæc non profint,optimum conſilium eſt vti medicamentis attenuantibus,prouocantibus vrinam; quæ iuncturarum doloribus mirificè auxiliari, teſtantur Guido *tract.* 6.*doct.*1. *de arthritide* ex mente Rhaſis *lib. de ægritudinibus iuncturar.c.*22.Auicenna ſic habet 22. 3.*tract.*2.*c.*7.*in med. Verumtamen plures habentium dolores iuncturarum frigidos,& complexiones humidas, non vacuantur cum ſolutione plurima,facta potione,& clyſtere, & cum medicinis cum diureticis ſanantur,&c.*Diuretica enim ſi vera ſunt, acria,vehementérque calida ſicca,ſanguinem incidunt diſcernúntque à craſſioribus partibus eas quæ aqueæ ſunt, tenues,ac ſeroſæ,quas renes attrahentes in vrinam conuer- B tunt.Hanc vacuationem commendat Gal. 3.*progn.com.*25. ſi craſſis ſuccis abundent,ſic enim ait. *Sapè enim dictum iam eſt, vt humores corporis calidiores, tenuioréſque paratiſſimi ſint ad excretionem:crudis verò,& craſſis aut per abſceſſum,aut per concoctionem natura medeatur.Porro id ipſum vt per concoctionẽ medeatur,excretio quædam eſt, quæ vrina magna ex parte,rarò per aluum efficiatur;&c.* Verè diuretica in morbis diuturnis exhibita, non ſolùm humorem craſſum,& viſcidum præparant,& coquunt,ſed attenuatum per vrinam expellunt,& demùm frigidis omnibus affectibus,diuturnis, & qui paulatim finiri debent, valdè congruunt.Plurimos enim morbos finiri vacuatione facta per vrinæ vias locupletiſſimè firmat Hippocrates in locis multis,præſertim *lib.*3. *epidem.ſect.*3.*text.*61. dum ſic ait: C *Vrinæ multæ erant.neque erant illæ ex potu ingeſto, ſed illum excedebant:multúmque etiam vitioſæ erãt vrinæ redditæ,neque enim inerat craſſitudo,vel concoctio,vel purgatio proba. Nam purgationes per veſicam commodæ bonum multis portendebant, &c.* Hinc factum eſt,vt vniuerſalis fiat vacuatio per vrinam: quare quandò celebrem facit Galænus ſæpè commemorationem vacuationum, quæ totum corpus expurgant,nempè per ventrem,vomitum,ſudorem,hæmorrhoïdas,vterum, ſanguinis profluuium per nares,poſſe quoque per vrinam vniuerſum corpus expurgari non it inficias. Diureticorum enim vſus multorum morborũ curationes rectè facit.Licèt enim diuturni morbi extra venas ſedem habeant,vnde vrina non diſtillat,tamen cùm illi cauſam antecedentem in venis habeant, quæ velut radix fouet cauſam continentem,idcircò plurima, copioſáque vrina ſolui poſſunt.Quæ autem dicantur prouo- D care vrinam, & quot eorum differentiæ, explicant Paulus *lib.*1.*cap.*44.Mercatus *lib.*1.*indicat.cap.*10.

QVÆSTIO XLV.

Vtrùm commoda ægri habitatio ad morborum curationem ſit neceſſaria.

COMMENTARIVM.

E*T habitet in domo calida.*]Quanta ſit ad cõſeruationẽ vitæ,curandóſque morbos aëris nos ambientis neceſſitas,& in corporis noſtri alteratione efficacia mira,diuino oraculo ſignificauit Hippocrat. *lib. de flatibus, n.* 6. dum E ſententiam memorabilem profatus ſic inquit. *Mortalibus autem vitæ,& morborum ægrotis ſolus aër eſt auctor.Tantaque omnibus corporibus ſpiritus neceſſitas extat,vt ſiquidem omnibus aliis abſtineat homo,neque cibum ſumat,neque potum,poſſit tamen dies duos,vel tres, & plures ducere:ſi cui verò ſpiritus in corpus viæ intercipiãtur,in breui parte vnius diei intereat,vt vel hinc quãto vſui ſpiritus corpori ſit,liceat æſtimare. Amplius autem ab omnibus operibus aliquando immunes quieſcũt homines,verùm ab hoc opere nulla omnibus mortalibus animãtibus requies contingit,vt ceſſent ſpiritũ adducere,ac rurſum exhalare.*Hactenus Hippocrates.

Nec immeritò:nam aërem continuò inſpiramus, & illius vſu viuimus,ita vt ſi deſit attractio illius,illicò animal occumbat: quoniam *adeò reſpiratio ad vitam eſt neceſſaria,vt viuentem,non reſpirare, & reſpirantem non viuere ſit impoſſibile,*ex Galen.*lib.*6.*de loc.affect. cap.* 5. neceſſitas

enim

enim aëris ſumma eſt, quũ vſui ſit multis modis proficuus, & commoditate longo interuallo reliquas res non naturales ſuperet: nam calor cordis exæſtuans illius refrigerio attemperatur, & ipſe eſt idonea ſpirituum materia, vt mille in locis prædixit Galenus, quos legat qui velit, *l.1.in com. hiſt.9*.quo loco ſpiritus aëre nutriri prædiximus.

Deinde aër nos ineuitabiliter alterat, quin *lib. 1. de ſanit. tuend.cap.3*. dum inquirit, quamobrem ſeneſcimus, & perimus: propterea (ait) quòd aër variè immutat ſanitatis noſtæ ſtatum, modò quidem ſiccans, modò humectans, & ſimiliter in actiuis efficiens: reliquæ res non naturales per interualla in corpus operantur, aër continuò agit, tum per inſpirationem. tum per tranſpirationem attractus, & penitiſſimè irruens, corporis penetralia velociſſimè ſubit, & deinde alimenta, & potus ſibi attemperat. Demùm, non ſolùm in acutis morbis curandis, ſed in diuturnis ſummè præſtat, vt monuit Hipp. *6.epid.ſect.5.text.5*.dicens: *ſolum vertere in morbis longis conuenit.*

Hæc ſi vera ſunt, verè plurimam indicationem ab aëris ſtatu Medicus deſumat eſt neceſſe, vt monuit Galenus *lib.8.mteh.7*. vt commodam habitationem, & congruam curando morbo conſulat ægrotis. Hæc probè expendet, ſi priùs rectè agnoſcat; quibus aër immutetur: nam aër moderatus, cordis, & cutis, membrorúmque omnium temperiem tuetur: mutua enim viciſſitudine, complexúque attracti aëris, & expulſi, vita noſtra ab iniuriis vindicatur, & ſanum corpus effloreſcit, & viget. Lege Fernel. *lib.1. patholop.c.13*.

Ergo immutatur aër ex varietate climatis, ventorum, maris, ſitus eius, fluminum, ſitus terræ, cubationis, temporum anni, quæ aërem reddunt noxium & ſuſpectum, aut ſalubrem & ſalutarem. De omnibus ſigillatim agendum. Mutatur aër maximè ex varietate climatis, id eſt, paralleli, Galenus *3.aph.14*. opinatur, temperatiſſimum eſſe quartum, in quo ſita eſt Coos, Hippocratis patria. Auerrhoës *lib.2.collect.22*. præfert quintum, in quo ſita eſt Corduba patria ſua. Manardus *l.7.epiſt.1*.extollit ſextum, in quo Ferraria patria ſua. Sed verè temperamentum loci multa alia faciunt, ſicut ſitus, venti, quatuor anni tempora, & plura alia præter Solem particulatim mutant. Experimento autem quartum, & quintum, complectentia ferè Hiſpaniam, & Luſitaniam, temperatiſſima ſunt. Quod autem ſcribitur *in lib.de aëre, & aqua*, in Aſia minori loca eſſe temperatiora Coo, intelligit ob particulares circumſtantias loci: neque quod legitur apud Auerrhoëm *2. collig. cit.* temperatam ſcilicet regionem eſſe, cuius ver prolixum eſt, autumnus breuiſſimus, non omnino conſentit cum vulgari finitione, deſcribente temperantiam loci, ex remiſſa frigiditate hyemis, & modico calore æſtatis. Si verò conditiones, loci adamuſſim explicatas ſcire deſideras, lege *loc.cit.* Auerrhoëm, & Mercatum *lib. 1.part.1.phyſiolog.claſ.4.de temperament.quæſt.56*- Valleriol. *lib. 1. loc. com.c.10.in med.*

Sumit aër magnam varietatem ex ventorum flatu: & cùm ventorum alij ſint, particulares, alij vniuerſales; hi ſalubriores, qui in longa via depurantur, ſicut aqua fluminis quò remotior eſt ab origine, eò purior. Inter vniuerſales autem Boreas ſaluberrimus eſt, ob vehementiam autem flandi minùs ſuauis: Zephyrus ab Occidente minùs ſalubris, ſed ob lenitatem ſuauiſſimus. Praui ſunt. & vehementes Euri ab Ortu. Auſtri vehementes, & caput grauantes.

De temperamento ventorum, illud eſt certum, quòd omnis ventus infrigidat & ſiccat quatenus tollit vaporem calidum humidum cuti proximum: licèt alia miſceantur ventis, quæ illorum temperiem mutare queant, vnde frigidi ſicci euaſerunt Aquilonares, quia ad nos accedunt à nebuloſis partibus poli Arctici, & quia impetuosè efflant, & à Septentrione minimum mare interiacet. Auſtri calidi humidi, quia ad nos accedunt ab aduſta Zona, & quia ad meridiem plurimum mare eſt. Recipienda autem ſunt hæc tanquam frequentia: nam Auſter aliquando nos refrigerat & ſiccat, ex Gal. *3.epid.ſect.3.com.3.& 2.meteor.cap.5*. ſed parùm durat, & ferè initio veris appellatur Leuconotus; quia eius flatu albet aër, & Ornithias, quia flat aduentantibus auibus: verùm quia hoc eſt rarum, & ſemper eſt auſter, minùs Aquilone refrigerat; ideò ſolet dicere Hipp. *in epidemiis*, flatus auſtrinus, id eſt, calidus humidus. Ita eſt recipienda ſententia in Hiſpania, vbi à meridie pulrimum eſt mare: nam aliis quibus eſt ad Septentrionem mare; contrà accidit, & illis qui incolunt partes poli antarctici, nam hos auſter perpetuò refrigerat, vtpote flans ab antarctico. Lege Rhodigin. *lib.15.lect.antiq.c.7*. Conſule Libertum Fromondum, Philoſophum inſignem, *in com. c.5.lib.4. Meteoror. Ariſtot.*

Deinde recipiendum eſt quod habet: Auſtrum flare à Zona torrida incolentibus climata ſeptentrionalia: vniuerſaliter enim agens de ventis perflantibus totam terram, dixit *cap.4.meteor.* Auſtrum ſpirare ab antarctico polo, ſicut Boream ab arctico, & ſic liberatur à calumnia quam illi pertexuit Valleriola *l.5.enarrat. c. 1*. Orientales autem, & Occidentales Hiſpanis ſunt temperatiores ſuperioribus, quia cauſis immodici intemperamenti deſtituuntur. Inter eos blandiſſimus eſt Zephyrus, vehementiſſimus Eurus. Cauſa lenitatis Zephyri duplex aſſignatur à Philoſopho. Prima. Venti ferè ſequuntur Solem; ideò frequentiores ſunt interdiu: cùm ergo Zephyrus intercedat Boream, & Auſtrum, illorum impetus vehementiſſimos ſedans, iudicatur leniſſimus. Eurus verò flans oriente Sole matutinam tempeſtatem non ſedat, & Sol inferiùs non ſolet nobis excitare ventos. *Altera* cauſa, quia ad occidentem adeſt plurimum mare, quare Zephyrus caret montium obicibus, augentibns eius impetum. Ob duo contraria Eurus eſt vehementiſſimus apud Aëtium, excitans morbos ex ſiccitate: maximè enim humores mouet, vnde arboribus fœcundus eſt, & piſcium capturæ accommodus, & arthriticos morbos præſagit.

Apud Celſum *lib.2.cap.1.optimi dies hyeme, qui omni vento carent; æſtate, quibus perflant Fauonij.* Nec obſtat quòd hyems ſit ſecundùm naturam ventoſa; quia alia eſt moderantia debita toti tempori, alia diei, nempe recreare moderantiam totius temporis, quare ordo ſalubritatis ventorum relatus ab Aëtio præferendus videtur ordini Auicennæ, numeranti Boream, Eurum, Zephyrum, Auſtrum. De temperie autem horum duorum, licèt neuter recedat à temperamento, calidior videtur Eurus, quoniam ferè flat oriente ſole à quo calorem ſuſceptum conſeruat, quum tota die eo fruatur; tamen quia per mediterranea accedit ad nos, in hyeme valdè friget, in æſtate valde calet: eſt etiam ſiccior, quia Oriens mari caret. Ob duas cauſas contrarias, recedit parum Fauonius ad frigidum humidum, quia incipiens flare veſperi, eum calorem non ſeruat.

Ex parte viciniæ, qui à campis ſpirant, boni ſunt, ex Oribaſio, *lib.9.collect.c.9*. Qui à mari, ſalubriores hyeme, & vere; æſtate calidiores quàm par ſit, maximè propter repercuſſum Solis ab arenis ardentiſſimum. Ex fluuio contrà æſtate boni, hyeme praui. In paludibus autem vel prauis locis, vel antris, vel mineralibus, vel thermis, vel occluſis domibus, peſſimi. Conſule de ventorum natura, & cauſa, Scaliger. *exercit.285*. Cardan. *in lib.3.Aph.in com. ſent.5. & in lib.de varietate.* Et vt breuiter, ſic politè, & ornatè diſſeruit Caſtrenſis Luſitanus *l.4.de meteor. microcoſm.c 9.* nec non ſtupendæ eruditionis vir, Clariſſimus Claudius Salmaſius *in com.c.56.in Solinum.*

Mutatur etiam aër ex mari: aër enim inducit varietatem loco: primò in ratione maris, ſecundò in ratione ſitus maris, tertiò in ratione ſitus terræ. In ratione maris, ob quatuor cauſas, apud Auerr. *lib.2.meteor.cap.2*. eſt ſalubris habitatio maritima. Primò ſalſugine renititur putredini. Secundò humiditate producit vitam. Tertiò, purgatur aër per frequentes flatus è mari. Quartò, modica craſſities aëris ex communicato vapore aquæ prohibet immodicum calorem æſtatis, & immodicum frigus hyemis. Sicut enim aqua tenuis citò calefit, & citò refrigeratur, craſſa verò è conuerſo: ſic tenuitas aëris mediterranei vtramque immoderantiam facilè ſuſcipit; craſſities verò maritimi aliqualiter renititur.

quare

quare temperata habet vtraque tempora. Nec obſtat primò, quòd oporteret damnari aërem maritimum, ceu craſſum: nam craſſities aquæ ſalſæ minùs noxia eſt propter mixtam ſalſuginem, adhuc minùs, quia continuis ventis tenuatur, ac purgatur. Non obſtat ſecundò etiam, quod in Ponto hyemes ſint frigidiſſimæ, ex Ariſt. 21. *probl.6.* æſtates verò feruentiſſimæ, ob aëris craſſitiem, quia quod *ibi* Ariſt. inſinuat,craſſities multa iuncta cum longitudine noctium, facit vt per breues dies non deponatur frigiditas multa nocturnæ hyemis; & prolixitas diei in æſtate, non deponit per exiguam noctem feruentiſſimum calorem diei. Nec obſtat tertiò, quòd afferatur producere vitam per humiditatem, apud Gal. *lib.* 1. *de dieb.decretor.cap.*3.apud Oribaſium autem *loc.cit.* contrà conferre neruis, & morbis propter ſiccitatem, quia ea eſt natura mixti ex contrariis vt effectus ſequantur contrarij pro varietate paſſi, & temporis; quare vapor maris humectat, & facit facies lenes, & benè coloratas maritima loca incolentibus, quod eſt indicium aëris humidi; & tamen propter ſalſuginem tuetur à febribus putridis, & chronicis morbis. Nec obſtat quartò, quod legitur apud Ariſtotelem 24. *probl.* 39. natantes in mari graciſceſcere, ob vaporem maris calidum ſiccum exſiccantem: nam intelligendum eſt de aqua ipſa maris, non de vapore aëri communicato,aliàs non produceret vitam,& corporis cutem leniret.

Mutat etiam nos maximè mare, in ratione ſitus eius apud Alzaharauium *lib.*1.*theoric.c.*3.nam regio ſi habet mare à Septentrione, frigidior redditur, quoniam ingrediuntur vapores maris habitationes flante Borea:ſi verò ab Auſtro,calidior eſt, propter oppoſitam cauſam. Eſt etiam ſecundò ex parte ſitus maris conſideratio: nam ſi mare vel flumen meat inter ſolem, & regionem, matutini radij inferunt vapores per noctem concretos capitibus incolarum, quare redditur habitatio catarrhoſa, cerebri diſtillationibus obnoxia, vnde tabes, phthiſis, & cæteræ defluxiones.

Mare mutat in ratione ſitus terræ: nam loca Septentrionalia cùm ſint omnia frigida, maritima tamen in illis ſunt temperatiora, quoniam auctore Galeno *lib.* 3. *aph.* 14. maritima loca ſunt humidiora mediterraneis; & ita flatibus Aquilonaribus minùs obnoxia. Poterat etiam afferri ſupradicta cauſa, quia mare vtramque intemperiem remittit. Addit Oribaſius *loc. cit.* maritima accommodatiora eſſe curandis diuturnis malis, quia calefaciunt, deobſtruunt, neruis proſunt; mediterranea autem acutis. Conſule Chriſtoph.à Vega *l.*2.*de art.medend.ſect.* 1.*cap.*1.

Aër immutatur à præterlabente flumine: nam ſi moderatum eſt, inundationibus carens, & terra ſicca eſt, ſaluberrimum reddit aërem; ſi contrà,peſſimum,& magis ſi aqua ſtagnat, quoniam multa humiditas corpus humectans parit putredinem, & fructus ob immodicam humiditatem non maturantur, & cùm hæc terra ſit arboribus conſita, addit hoc ad craſſitiem aëris. Poſtremò ob exhalationes fluuiorum matutinas, & veſpertinas, in illis diei partibus valdè friget aër, & meridie ob aëris craſſitiem valdè calet, quare habitatio inſtar autumni morbida euadit. Terræ verò citra mare, & flumen aridæ,aërem habent tenuiorem, ſicut & fructus magis matureſcentes. Terra verò ipſa ſi argilloſa eſt,ſicca,& magis rubra,optima eſt; nigra peſſima; ſic paludoſa,quia putrens.

Agnoſcitur gleba terræ apud Oribaſium *loc.cit.*his notis. Primò odorata ſit,ſiue exploretur ex defluentibus autumnalibus pluuiis,ſiue ex vaſis figulinis ex ea paratis. Si verò terra praua eſt,madefacta pluuia,ſpirat ex ſe fumum, qui à carbone extincto exhalat,ſicut ſalubris gleba ſuauem auram efflat.Secundò.Si quis in ea humi cubet, lætior excitatur,& cibum magis appetens;ſomnus ſuper eam ſuauis eſt,& citra perturbantia ſomnia.Tertiò.Plantæ omnes ſuauiter vireſcunt,ſuo colore ſaturæ,placidæ,benè nutritæ,citò matureſcentibus fructibus,& odoratis turgẽtes.Quartò. Infantes,& catuli floridi ſunt,viuidi,benè colorati. Quintò. Fructus,legumina,frumenta repoſita diu durant. Vide Leuinum Lemnium *lib.*1.*de natur.miracul.c.*18.

Immutatur aër ex ſitu loci.Primò penes ſublimitatem, & humilitatem: Sublimiora enim loca frigidiora ſunt, quia radiorum reflexionibus carent, & quia tenuiori aëre gaudent, propter facilem ventorum vndique perflatum; idcircò ſublimis habitatio eſt ſalubrior, ſed in hyeme morbis ex frigiditate eſt obnoxia. Contrà habet humilis, id eſt,in parte ima oppidi, & maximè caua; quare ſenibus, & ſyncopen patientibus confert, pro reliquis præfertur ſublimis. Secundò mutatur ex plantis: regio enim plantis conſita hyemem perfrigidam habet, propter Solis inopiam, æſtate conſtantem, propter recurſum eius: quare deteriorem efficit habitationem. Ex varietate autem plantarum, quæ fructum ferunt odoratum, aut flores, aut folia, aut vim habent tenuantem, aërem purificant, & reddunt familiarem ſpiritibus noſtris, vt arbores pomiferæ, laurus,ruta, thymum,roſmarinus, meliſſa, meliſſophyllum: quæ verò his dotibus carent, reprobantur. Ex oleandro, & cicuta prauus aër exurgit: noxius etiam ex nucibus, & ficubus: ex oleribus etiam propter fimum, & facilem corruptionem, vt notabat Galenus *lib.* 11.*meth. cap.*5. Olíueta, & adhuc magis pineta aërem incraſſant, propter flatum oleoſum, & reſinoſum; & ita Plinius *lib.*17.*cap.*12.omnem arborem, cuius folia adeò denſa ſunt,vt vmbram opacam reddant, condemnat, nam eius vmbra noxia eſt, vt iuglandis, pineæ, piceæ: neque exiſtimo vmbram ipſam nocere poſſe, vt notat Cardanus *lib.*1.*de venen.c.*16.cùm ſola ſit carentia luminis; ſed vapores ex arbore peſtilentes,qui caput grauant,& ſua humiditate lenta feriunt,& concutiunt.

Deinde vbi multi bufones creantur, vel ranæ cum pluuia deſcendunt, tunc vapor terræ noxius aëri communicatus, capiti & oculis eſt infeſtus valdè. Plurimùm nocet aër ſegnis, maximè ex ſuffocatis carbonibus, præſertim ſi non habuerit exitum:nam ex illo vapore craſſo & nebuloſo,aër inſpiratus,ſubitò ſuffocat ſpiritus vias, vnde cor non ſufficienter ventilatum, fuliginum copia obrutum marceſcit,& animal perit: & ita firmat Galenus *lib. de vtilitate reſpirat.c.*4.

Laudatur aër punicorum, vinearum, arborum medicarum, propter perpetuum foliorum odorem. Inſuper ſi pars Septentrionalis oppidi vergit in ſublime, reddit oppidum calidius, quia tuetur à flatu Aquilonio; ſi verò deorſum, frigidius. Si planus eſt locus, minùs infrigidat, parùm verò ad Auſtrum vergens, è contrario. Loci inclinantes ad Orientem, & Occidentem minùs mutant aëris temperiem: Regio ſpectans Auſtrum, optima eſt: Septentrionem, contra.Lege Valleriol. *lib.* 2. *loc.com.c.*5.

Variat aër ex decubitu. Primò, ex Oribaſio *loc.cit.*Cubatio in domo ſubterranea, nocturnus aër, & diurnus nubibus obſitus valdè noxij ſunt, quia incraſſant, & turbidum ſpiritum reddunt; quare oportet tunc intra domum ſe continere. Optima conſtitutio eſt ſerena;minùs pluuia,peſſima nubila, ait Celſus *loc.ſuprà cit.* quare 3. *epidemion, in initio*, ſtatus anni in totum à ventis ſilens peſti corpora parat;ventus enim longiorem aëris fruitionem nobis exhibet,motu ſuo introducens aërem: non tamen ſit violentus;nam is ſæpiùs humores turbat, & caput etiam replet.

Secundò. Terreſtres domus conueniunt iis qui refrigerio indigent, vel viribus ſunt debilibus, hæmoptoicis, & cephalalgicis:reliquis meliora ſunt tabulata, maximè inter duo ſolaria,quia tuta ſunt etiam à ſupernis exceſſibus. Tertiò. Magna domus præſtat, vbi materia multa diſcutienda eſt, & in æſtate: in contrariis ſtatibus, parua. Quartò, ſublimes domus reſpirationem facilem efficiunt, & caput leuant: humiles reprobantur.Quintò ex feneſtrarum ſitu:quæ reſpiciunt meridiem, optimæ ſunt, vbi calefactione opus eſt,toto enim die ſole illuſtrantur:in illis qui egent refrigeratione, præſtant Aquilonares, ſecundo loco Orientales,peſſimæ Occidentales ſunt, quia manè quando lux ſuauiſſima eſt,ea carent,& veſperas cum nocte, præſertim æſtate,æſtuoſiſſimas habent.

Sextò. Ex parietibus præſtant craſſi: nam tenues intemperantiis continuis patent. Parietes ex lateribus

mitiores ſunt, minùs frigidi quam ex lapidibus. Pauimenta ex lateribus valdè frigida. Parietes calce illiti ſplendore viſum tentant; ornati vero picturis, vel tapetibus non valdè tinctis viſum fouent. Domus recenter calce aut gypſo illitæ, valde noxiæ, quoniam turbidum reddunt aerem, & aſthma parit earum vapor, & mortem ſubitam, ex Gal. 7. *de vſu part. cap.* 8. Septimò. Decubitus ſuper terram iniucundus eſt, & corpus flatu replet. Supra lectum magis immunis à ſordibus, aptiórque confabulationi, & ſurrectioni. In tabulato aliquando eligitur propter mutationem, & quia pondere ſtragulorum minùs grauat.. Octauó. Lectica humilis exhalationi terræ obnoxia eſt: excelſa, timoris plena, quaſi pendens: opportuna eſt modicè alta. Sic parua moleſta eſt, nimis magna laſſat, optima mediæ magnitudinis.

Sit lectica firma, & non vacillans; laſſat enim, & turbat ſomnum: & ſi funibus ſubſtrata eſt, intenti ſint. Non ſit admodum mollis, quia valde calefacit, & in vtramque partem conuerſionem æger habebit difficilem. Modicè mollis conuenit ſenibus, & debilibus. Eſt autem mollis ex culcitris duabus laneis: molliſſima ex plumaceis, ſubſtratis funibus. Subſtrata linteamini coria, licèt ſtatim refrigerent, paulo pòſt valde calefaciunt. Stragula ſplendida, aut valde tincta feriunt ſenſus; figurata mentem debilem perturbant.

Ceruicalia in febribus non plumacea ſint ſed lanea: frigidiora verò ſunt, & odora ex roſis ſiccis minutim inciſis. Situs longitudinis lecti planus ferè vtilior eſt, quia non laſſat corpus: quod facit ſublimis ad caput; licèt hic morbis capitis conferat, & fluxiones vterinas promoueat; quare parientibus aptus, ſuppoſitis capiti multis ceruicalibus: ita Oribaſius *lib. 6. collectan. cap. 1.* ex Antyllo. Figura autem decubitus eorum quibus caput laborat, in ſublime vergat, præterquam in phreniticis; quoniam in iis humilem, atque inclinatum decubitum volumus, quia decubitus in ſublime elatus quodammodo eos perturbat: quare figura decubitus eleuata laborantibus ſalutaris, quoniam (vt notat Conciliator, *dif.* 123.) in hoc decubitu ſuperflua ad partes viliores decumbunt. Qunmodo verò ſit conciliandus Auicenn. 5. 3. *tract.* 1. *cap. vlt.* qui iubet catarrhoſis, vt dormiant capite minimè eleuato, ſed potiùs demiſſo. §. *Et oportet ſecundum omnem diſpoſitionem, vt aſſiduet demiſſionem capitis, & teneat decliue puluinar, vel capitale*: Lege Matthæum Gradium *in lib. 9. ad. Almanſ. c. de catarrho*, Gentilem *in com.* Mercurial 2. *variar lection. c.* 15. Iulium Guaſtauinium *lib. 1. de locis medicin ſelectis, c.* 8.

Æger habitet in lecto & dormiat ore clauſo, cohibitiſque labris: nam hiante, apertóque ore dormire, ſaluti eſt incommodum, quoniam aër turbidus, qui ſub noctē ferè infeſtat, per inſpirationem hauſtus, meatus ſpiritus ſpirandi imbuit, raucam efficit vocē & obtuſam, & ſpiritalia membra refrigerat; & ſic ex frigiditate fuligines retentæ inflammant cor, exaſperant fauces, & ſitis ſuperuenit intenſa. Occluſo verò ore dormiendo, ſenſim, & non confertim, aër per nares anfractuoſas rapitur in viſcera, cordis calorem attemperans, vt eleganter docuit Leuinus Lemnius *lib. de occultis nat. miraculis, cap.* 27.

Linteamina, & interulæ mundæ ſint: ſed ſiccitate ſua mouent ſanguinem introrſum, quod experiuntur menſtruantes fœminæ, nam earum vſu prouocantur menſtrua; vnde in febri puncticulari, morbillis; & variolis ſuſpectæ; nam exanthematum eruptionem impediunt; quare noxiæ ſæpe, nam ſudorem impediunt. Quare in iis morbis, in quibus ad cutem expectantur abceſſus, valde munda induſia, reproba: in aliis morbis contraria optima ſunt; & ſic mutanda, & renouanda, vt ingenuè probat inter omnes Leuinus Lemninus *lib. 4. de occultis. c.* 8.

Tegumenta in debili membro, ſiue à natura, ſiue à tempore, ea ſint oportet, vt corpus ab aëris intemperantia tueantur, non ea copia vt rarefaciant, aut trahant, aut effœminent, aut grauent, aut prouocent ſudorem, & debilitent.

Aër ſuſpectus vitandus, præſentiſſimo emolumento ſummorum malorum: & ſi non poteſt fieri reditus ad patrium aërem, paretur arte ſimilis: Ita infantes ſi non poſſunt nutriri materno lacte; cui inſueuerunt, optimè aluntur ſaltem ſimili materno; quod enim circunferunt, lac puellæ commodius eſſe puero, & è conuerſo, non eſt verum in conſeruatione, ſed in curandis affectibus exigentibus contrarium: ſaltem fiat ad aliam regionem mutatio, vel vicum, vel cubiculum, quia tractu temporis inficitur habitatio ægri. Addit Celſus *lib. 1. cap.* 3. à prauo aëre ad ſalubrem mutatio fiat per æſtatem, à ſalubri ad prauum, non niſi hyeme, propter incolumitatem hyemis, & perexiguam eo tempore perſpirationem.

De aëris electione in natura ſua optima vltimò agendum. Eſto, ſicut & aqua, puriſſimus. Præſtans puritatem lux, flatus, abſentia externæ mixtionis: ideò loca aprica meliora ſunt vmbroſis, & aër diurnus nocturno; ob quam cauſam ægri noctu ampliùs affliguntur, & aër villæ præſtat aëri vrbis: inanit enim corpus, & meatus fluxiles facit, vnde augentur appetitus ad cibum, coctio, & ſenſatio: vrbis verò aëre multò eſt craſſior, quia non ſimiliter agitatur ventorum flatibus; quoniam vmbroſus eſt, & mixtas habet vrbis exhalationes. In villa, potiſſimùm offendit aër noxius membra debilium, propter facilem impreſſionem continentis; & ita læduntur cutis, pectus, cerebrum. Vtilis eſt autem aër ſalubris in longis morbis; ij enim vt motu ſunt tardi, ita & tarda exigunt medicamenta; hæc autem velociter imprimunt, aëre autem tardè.

De ſalubritate aëris ex parte anni explicandum eſt primò, num præſtet totum annum eſſe æqualis temperamenti, deinde ſi inæqualis, qua proportione erit ſaluberrimus. De primo dic, facilè fuiſſe Creatori noſtro indere toti orbi cœleſti influxum, vniuerſum terræ ambitum perpetuò æqualiter temperantem, ſole modò accedente ad nos, modò recedente à terra ſuperna, & illuſtrante hemiſphærium noſtrum; ſed placuit ita condere, eò quòd in orbe ſublunari, omnia tanquam peritura, quadam contrarietate conſtent, diſcordia enim elementorum in omnibus viſitur; in elementis quidem ſeparatim, in mixtis autem iunctim, & cùm homo mixtis ſimiliter conſtet quatuor elementis, ſi Ariſtoteli, & Peripatericis ſtandum eſt, vel tribus, & loco ignis, Sole, vt probauimus *lib. 2. in com. hiſt.* 63. & ex ſacris eloquiis nuper confirmauit Rabbi Menaſſech. Ben. Iſraël. *lib. de creat, mundi, probl.* 14. proportione quadam coëuntibus; oportet quatuor anni tempora variè temperata eſſe, in quibus porportione mutua illa augeantur. Præterea per hyemen creſcunt ſtirpium radices, per æſtatem fructus. & ſic ex his mutationibus temporum anni, fit terra fertiliſſima; & viciſſitudine hæc, diei & noctis, ſomni & vigiliæ proportio fit commodiſſima, quæ omnia magnam commoditatem mortalibus pariunt.

Ergo ſumma aëris bonitas in tribus conſtituitur. Primò, quando iam annus etiam ſaluberrimus, includit in ſe exceſſus frigoris & caloris, dummodò non ſint immodici, quod maximè reperitur in quarto, & quinto climate, quando annus eſt temperatus, vel legitimus; nam etiam in iis ipſis climatibus, quando non ſeruatur lex quatuor temporum anni, ſequuntur morbi plurimi, & grauiſſimi. Reliquorum autem climatum aër improbatur: in Septentrionalibus propter excellentiam frigoris hyemalis; in Orientalibus propter exceſſum caloris æſtiui. Et adhuc magis reproba eſt habitatio extra climata; nam ſub Septentrione craſſiſſimus aër, cum longitudine diei æſtiui durantis horas viginti, reddit feruentiſſimam æſtatem & eadem craſſities in nocte hyberna, durat viginti horas, reddit algidiſſimam hyemem. Sub æquinoctiali autem demonſtrauit experientia, nec recipiendam eſſe priſcorum ſententiam, opinantium habitari non poſſe propter ſummum calorem; nec aliorum, eſſe temperatiſſimam; habitatur enim, ſed cum inſalubritate magna, & calore. Licèt enim aliquid poſſit ad temperiem æqualitas illa perpetua diei & noctis & remiſſio caloris, quæ paratur ex duplici hyeme in quouis anno; vel vicinitas illa perpetua ſolis, & directio, quæ faciunt eam regionem eximiè calidam; tamen Sol ex circumdante mari attrahit perpetuam nubium copiam, ad locum æquinoctiali ſubditum, &

ſic

ſic redditur morboſiſſima habitatio, ob pluuiarum,& nubium continuitatem cum multo calore ſociatam,& ſic hic ſtatus putredini, & febrib. peſtiferis valdè eſt obnoxius. Lege Guliel.Inſulanum *tract.de rat.vict.ſalubris,c.5. & 6.*

Eſt alia conditio ſalubris aëris in toto anno, vt non ſit validus exceſſus, aut hyemis, aut æſtatis; propter quam cauſam Hipp.*lib.de aëre loc & aquis*,præfert Aſiam minorem, & aërem ſuæ patriæ.Altera eſt, vt duo illa tempora diu non durent: nam qualitas etiam moderata per moram immodicè inremperat, non minùs, quàm ſi in qualitate excederet. Vnde fit vt præſtet, vnicuique quadræ anni interponi dies aliquot contrarios naturæ temporis, vt naturam noſtram incipientem labefactari refocillent, & ab imminenti morbo tueantur dummodò ſint pauci, qui debitam temperiem non euertant: & non ſint inſignes mutationes; nam illæ propter repentinum acceſſum lædunt.3.*aph.1.& 2.aph.51. & lib.6.epid.ſect. 3.text.27.*Ex hac ratione pendet, quòd Celſus laudat dies hyemales ſine ventis,& æſtiuos cum Fauoniis:Ex eadem intelligitur doctrina Auic.3. 1.*doct.2.cap.de natura tempor.* dicentis: *in multitudine pluuiarum conſiſtit ſanitas*, ſi ſint moderatæ; nam hæc interpoſitio maximè neceſſaria eſt, quoniam intemperies durat per quadras duas, vt ſiccitas per totam æſtatem, & autumnum. Vel intelligatur Auic. de ſalubritate ipſius autumni, non de ſalubritate totius anni: nam autumnus dicatus augmento melancholiæ, ſiccitatem aëris requirit: quare non videtur recipiendum, quod Brachelius ait *in com.cit.Aph. Hipp.* quòd vnumquodque tempus anni eò ſit temperatius, quò magis ad temperiem veris acceſſerit. Conſule Valleſium *lib.1.meth. cap.17.*

Tertia,& poſtrema conditio aëris ad anni ſalubritatem eſt vt reſpondeant ſibi proportione æſtas,& hyems: ſiquidem æqualis illa proportio, ſanitas eſt. Refertur autem legitimus annus, *lib.* 1.*epid.in initio,& lib.de aëre,& aquis*, & Plinio *lib.2.cap.*47.Initio autumni pluit,& venti frigidi ſpirant: ſequitur hyems nec valdè procelloſa, nec ſerena: in vere aliqualiter pluuia deſcendit, & adeſt aëris moderatio, & temperies: æſtate calor, & ſiccitas abundè creſcunt: ſed ante canem dies octo efflant Auſtri vocati percurrentes: circiter diem duodecimum Iunij ſequuntur Aquilonares vocati anniuerſarij,qui ferè perpetuò comitantur caniculares dies, pluuiæ reſpondentes proportione anniuerſariis. Cauſam refert Auerrhoës, 2. *meteor.cap.* 5. eo quòd poſt ſolſtitium æſtiuum, Sol magis poteſt quàm in ſolſtitio æſtiuo,glacies Aquilonares liquare, & ventos excitare: ſicut calor pomeridianus plus poſt quàm meridianus: eo fit vt noctes canicularium feruentiores ſint diebus, propterea quòd per noctem deſiciunt Aquilones ij deficiente Sole. In hoc igitur anno ſaluberrimè degunt homines, 3.*aph.*8. Si autem totus annus declinat ad vnam ex quatuor qualitatibus, Hipp. habet, deterrimam eſſe conſtitutionem humidam, 3.*aph.*13. & 16. tam in aëre, quàm in corpore ipſo, 3.*aph.* 2. Licèt autem actiuæ qualitates per ſe ſint efficaciores in mutando, paſſiuæ magis imprimunt pet accidens, quoniam mutant humorum copiam, ex qua mutatione potiſſimùm emanat ſanitas, aut morbus. Adde quòd actiuæ qualitates magis mutant, ſecundùm varietatem climatum.Hipp. verò ſupponens vnum clima, primum locum ſalubritatis, & inſalubritatis tribuit paſſiuis;Lege Cardanum *lib.2.cont. tract.1.cont.9.*

Cur autem humida tempeſtas fit morboſa,& humidæ temperaturæ homines morbis ſint obnoxij cauſa eſt, quia illa abundant copia humorum, quæ eſt origo omnium morborũ:copia enim illa difficulter exhauritur exercitio; inſufficienter balneo, quoniam balneum externas tantùm partes inanit; purgatione autem periculosè, quia omnis purgatio nocet membris præcipuis, quare purgantibus Hipp. miſcet odorata; 2.*acut.* 12. altera cauſa, quia 3.1.*doct.2.cap.1.omne purgans, purgat & inueterat:* deinde nocet, quoniam debilitat vacuando ſpiritum: nam ſimul cum inutili, vtilis ſpirituum portio excernitur, 6.*aph.*27. Neque obſtat, quod deſcribit Meſuës, quò d *plura expurgantia faciunt reiuueneſcere*, vt de Elleboro, ſena,tryphera,& aliis; hoc enim eſt per accidens; in illis qui propter copiam melancholiæ ante tempus ſeneſcunt.Tertia cauſa apud Galenum eſt, quia inducitur mala conſuetudo,ſicut ex frequentia clyſterum,4.1.*c.*11.*de enemate* Huc ſpectat celebris ſententia Celſi *lib.* 1. *c.* 3.§. *Sed purgationes quoque vt interdum neceſſariæ ſunt,ſic vbi frequentes ſunt,periculum afferunt; aſſueſcit enim non ali corpus,& ob hoc infirmum erit, cùm omnibus morbis obnoxia maximè infirmitas ſit, &c.* Cur ita? Reſpondet Brachelius, quòd crebra purgatio facit concidere poros, vt poſteà natura non poſſit fæces expurgare: quæ hominis imaginatio non admittenda;nec enim conniuent pori,niſi propter ingentem vacuationem, quæ hic locum non habet.Adde quartam cauſam noxæ frequentis purgationis, ex Celſo *lib.1.c.4.*quòd tales non habent quò confugiant, cùm ægrotauerint.

Cùm igitur aëris ſit neceſſitas tanta, cùm in eo ſemper verſemur,comedamus, bibamus, vigilemus, dormiamus, eúmque continuò nos ambientem,ad æſtuantis cordis incendium, & totius compeſcendum, & alendos ſpiritus, cùm per inſpirationem, tum per tranſpirationem hauriamus, vt Gal.9.*meth.* 14. & *in art.medic.*85.& alibi edocuit;neceſſe eſt vt pro ſanitatis cuſtodia,& morborum curatione, ſit lucidus, clarus,temperatus, mundus, exquiſitè ſyncerus, purus, nullis vaporibus inquinatus, minimè fœtidus,neque craſſus,aut nebuloſus; nam ille eſt vitæ ſalutaris, benignus, & ſpirituum commoda materia, ac appoſitiſſimum pabulumq:uem à tot ſuprà numeratis immutari iam prædixi. De aëris electione conſule Gal. *lib.* 1.*de ſanit.tuend.c.*16. & inter omnes chariſſimum Montanum *part.2.medicin.vniuerſ.titulo, de ſignis quibus bonitas, aut malitia aëris æſtimari debet.*Ludouicum Septalium doctiſſimum *in com.* 1.*lib. Hipp.de aëre, & aq. & in oratione inaugurali ad libros de cœlo*, propoſuit Belgicus Varro, Caſpar Barlæus, omnium ſcientiarum vetus, nouáque bibliotheca eloquenter,*à textu* 2.*vſque ad* 9.

HISTOR. XXXV. GALENI, De genu rigore.

Genu rigor ex frigore ortus, cauſtico medicamento curatus.

*Profectus ad me quiſpiam hyeme vehementi,oſtendénſque genu,facilè,dicebat,rigore id affici,ſtatim verò calefacientibus iuuari. Rogabat igitur huiuſmodi aliquod medicamentum darent, vt qui profectus in * frigore inalgeret, doleretque vehementiùs, quam aliàs. Nunc igitur,inquit, loturus diſcedo, mittam autem ex balneo, qui medicamentum accipiat. Hæc cùm dixiſſet,abiit. At ego cùm tale nullum medicamentum ad manus haberem,Euphorbium cum oleo triui, & cera liquefactum immiſcui. Cùm verò pharmaco ferendo puerum miſiſſet,exhibui, dolore protinùs ceſſante,&c. Galenus* lib. 3. de compoſ. medicament. ſec. gen.cap.2. poſt princip.

PARAPHRASIS.

Cum humor contumax,excluſus è venis, in aliquam partem debilem, ſcilicet genu articulationem magnam decubuit, in ea parte frigida & exangui minùs coquetur, qui in calidiori concoqui non potuit: eſt enim huiuſmodi articulus; quia oſſe multo,& neruo conſtat,natura frigidus. Hic ergo coaceruatus, magíſque præ frigore condenſante impactus, in genu rigorem,hoc eſt, conuulſionem concitabat.Hoc modo dicitur à Celſo *lib.4.c.* 3. rigor neruorum,qui modò caput ſcapulis, modò mentum pectori annectit,modò rectam & immobilem ceruicem reddit. Vel ſi de rigore facto ab externo frigore intelligas, non de eo qui agnoſcit cauſam internam ſui effectricem non errabis.De multiplici rigoris ſignificato,lege eruditiſſimum Marcellum Virgilium *lib.1.in Dioſcor. in com.cap.2.& 46.*

Genu refrigerato calefacientia medicamenta, vngmenta

vnguenta, lauacra, fomenta, & emplaſtra, & alia eſſe imponenda, quæ tum frigiditatem arcerent, & flatuoſum ſpiritum diſcuterent, & partem roborarent, *ſuprà* ſatis oſtendimus. Hæc omnia vſus euphorbij extra appoſiti, rectè priùs (vt par eſt) purgato corpore, manifeſtè complet: nam *calefacit, abſtergit, & confert Iſchiadicis, & inungitur ex eo paralyſis, & ſtupor, & confert valdè*, vt *lib.2. tract.2.cap.235.* prædixit Auicenna: de cuius vi ſat plura diximus *in com. hiſtor.27.*

Inſuper extrà appoſitum, humorem potentiſſimè euocat ad extrà, quum ſit calidiſſimum medicamentum, apud Paulum *lib.7.tit.de Euphorbio*: quoniam adurentem ſortitur vim, cauſticique medicamenti inſtar à centro ad circumferentiam peccantem ſuccum deducit. Aliquando enim in hoc affectu, vt *ſuprà* notauimus, cogit neceſſitas ad veſicatoria deuenire, quando affectus rebellis eſt, & aliis præſidiis non ſuccumbit: quo auxilio ſolertiſſimus in chirurgica facultate Hildanus *lib. 3. centuriar. chirurgic. obſ.98.* dolorem in calce pedis immaniſſimum perſanaſſe gloriatur: de quo auxilio conſule Michaëlem Ioan. Paſchal. *lib.1. meth. curand. morbos, cap.61.* Cardan. *lib. de curat. admirand. num.17.* Douynet. *lib.4. apolog. cap.15.* & alios proprio capite de arthritide, Leonardum Fuchſium *lib.1. de hiſtor. plantar. tit. de euphorbio.*

Galenus euphorbio, vt puto, ad refrigeratum genu refouendum, calefaciendúmque vſus eſt: & cùm hic dolor à cauſa fortè primitiua & externa, citra apparatum morboſum duxerit ortum, idcircò hoc auxilio citra totius purgationem vſus eſt. Nam in perfrictionibus vſitatum erat Galenò cerotum, dieuphorbium appellatum, factum ex oleo tenui & calido, adiecta cera cum recenti euphorbio, vt ipſe auctor eſt, *lib.3 ſec. gener. titulo, de medicamentis ex euphorbio paratis.* Eius compoſitionem tradidit Paulus *l.7. cap.19. de acopis, dropacibus, & ſinapiſmis, tit. de euphorbio,* in hunc modum.

℞. *opopanac.* ℥ j. *ceræ tyrrhenicæ* ℔ j. *euphorb. caſtor. piper. albi, an.* ℥ ij. *medul. ceruin.* ℥ iij. *œſypi* ℥ iiij. *adarces* ℥ ß. *olei ſtyracin. laurin. irini, amaracin. an.* ℥ vj. *olei veteris* ℔ ij. *reſin. terebinth.* ℔ ij. & ß. *galbani* ℥ j. *ſtillæ ammoniac.* ℥ ij. *hedycroi* ℥ vj. fiat ceratum.

Hoc mirabile eſt pro dolore coxæ, cæteráſque partes dolentes mirificè iuuat. Si non ſufficiat, ad ignem accedere doloris inclementia nos compellit. De pyroticis, phœnignis, ſepticis, cauſticiſque medicamentis, conſule Hollerium, ſtrenuum Chirurgiæ ducem, *lib.3. inſtit. Chirurgic. cap.5.*

QVÆSTIO XLVI.

Vtrùm frigus alicui functioni ſit ex vſu, vt contra Recentiores firmat Conciliator.

COMMENTARIVM.

F*Rigore inalgeret.*] Celebratiſſima quæſtio eſt, & à priſcorum ſcientiſſimis agitata, vtrùm frigus alicui functioni poſſit eſſe ex vſu. Gal. *lib.3. de cauſ. ſymptom. c.3. in fin.* ſic ſuam expendit ſententiam. *Calor adauctus valentiùs alterat, modò tamen non eò incrementi perueniat, vt iam colliquet, tum namque ad omnia eſt inutilis. Frigus verò nulli functioni eſt ex vſu.* Subſcribit Auic. *1.1. doct. 6. c.3. §. Et frigus non intrat in ſeruitium harum virtutum, niſi per accidens. Si enim in ipſum ingrederetur, operationibus noceret, & motiones debilitaret, &c.* nam natiuus calor in omnibus operationibus primus eſt auctor, & præcipuum agens nũcupatur ab Ariſt, *lib.4. meteor, c.2.* ſic enim ait: *Atque perfectionis exordium à natiuo calore prouenit, &c.* Itaque calor naturalis primò, & per ſe coctionem operatur, quandoquidem docente Gal. omnium operationum quæ in corpore fiunt, ipſe auctor eſt & cauſa, ex *lib.1. aph.3. & 15.* & *lib. de art. medic. conſt. c.12. & 6. epid. ſect.4. com.13. & 25.* Viuentia enim calore operantur, & viuunt, omnéſque ſuas exequuntur functiones. Frigus prohibet vaporum reſolutionem in corpore, putrefacit, debilitat viſcera, extinguit calorem innatum, denique cùm vita conſiſtat in calido & humido, frigus valdè nocebit corporis operationibus, quum ſit calori ex diametro contrarium.

Conciliator *different. 61.* multis conatur oſtendere, frigus plurimis functionibus eſſe ex vſu; & nos aliquas addemus rationes firmiſſimas: Nam ſi calor, & frigus miſcent in coctione, & ſunt actiuæ qualitates, cur operationes non tribuentur vtrique? quare coctio rectè poteſt definiri, perfectio natiui frigoris. Sed definitur per calorem, tanquam per digniorem qualitatem.

Secundò. Coctio in hyeme eſt felicior, non tam ob magis vnitum in viſceribus, ob circumſtans frigus calorem; quàm quia frigus, immodicum illum & ardentem in intimis partibus calorem attemperat, & modificat. Hoc modo hyeme ventres calidiſſimi, ſomni longiſſimi, appetentia maior, nutritio melior, ex Gal. *lib.1. aph.1.* Audi Auic. *lib. de remouendis nocumentis, quæ accidunt in regimine ſanitatis, cap 2. Et frigus quidem quando operatur inſpirationem, ſolùm quæ non fuerit multum diſtans ab eo cauſat prohibitionem vaporum à reſolutione; ſed in corporibus mundis inſpiratio moderata cauſat retentionē, vel retractionem caloris innati ad interiora; quare aggregatur caliditas innata, & fortificatur, vnde reperitur in eis digeſtio cibi, & maturatio humorum plurima, & magis completa, &c.* Ergo frigus promouet coctiones, & ingreditur opus, & vſum naturæ.

Tertiò. Frigus, ſicut reliquæ facultates, eſt cauſa temperamenti agentis. Ergo erit cauſa actionis à temperamento prodeuntis: nam quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati.

Quartò. Putredo fit à peregrina frigiditate, ex Ariſt. *lib.2. meteor. cap.2.* Ergo concoctio putredini contraria, fiet à moderato frigore: nam frigus coctionem attingit, vt efficiens cauſa: ad coctionem enim non ſolùm eſt neceſſarium, vt vtilis materia coquatur, ſed ſimul vt aliæ partes rerum quæ conquuntur denſentur, coagulentur, vniantur, quæ operationes à frigore præſtantur. Ergo neceſſe eſt, vt ſicut calidum, ſic frigidum in opus incumbat in generatione noſtra, & humorem ac ſiccitatem miſceant, ac gubernent. Ergo frigus alicui functioni naturali eſt ex vſu.

Quintò. Coctio fit à calore, non abſoluto quidem, nec igneo (nam ſi ab hoc fieret, teſtimonio Gal. *lib.8. de placit. Hip. & Platon. c.7.* multò citiùs, & meliùs in febrientibus abſolueretur,) ſed à moderato, benigno, & halituoſo, qui in pueris copioſiſſimus eſt, ex Gal. *lib. de ſimpl. medic. facult. c.9.* & omnes facultates adauget. Ergo quæcumque refrigerando in febribus ardentibus, ingentem illum calorem remittunt, & de eius intenſione detrahunt, faciunt vt natiuus noſter calor moderationem conſequatur. Sed hoc facit per ſe frigus infrigidando. Ergo per ſe in operationes vitæ ingreditur.

Sextò. Propter putredinem coctio impeditur, quum illa huic ſit contraria. Sed frigida ſicca putredinem arcent, & coctioni opem ferunt, non vt ſicca, & excrementitiam humiditatem abſumentia, ſed quia calori extraneo reluctantur, vnde putredo. Ergo frigidum coctioni adminiculatur, & per conſequens, &c.

Septimò Reſpiratio eſt opus ad vitam maximè neceſſarium, & ita dicitur cum vita ad conuertentiam, vt *viuentem non reſpirare, & reſpirantem non viuere ſit impoſſibile,* ex Gal. *lib. de loc. affect. cap.5.* Sed ſine aëre frigido inſpirato, caloris noſtris ſymmetria non durat; nec temporis momento æſtuans cor conſeruari poteſt. Ergo, &c. Quare cùm inſitus calor noſter moderato frigore per reſpirationem attracto ſeruetur, ac foueatur, illi non eſt contrarium, vt eloquenter probat Valleriola *lib.1. de loc. com. cap.15. in med.*

Octauò. Non quicumque calor eſt naturæ operantis inſtrumentum, ſed ille qui proportionatus eſt, & commenſuratus, ex Gal. Sed non poteſt attemperari, niſi à frigore moderato, vt obeundis functionibus commodus exiſtat. Ergo, &c.

Nonò Niſi intercederet frigoris operatio, natiui noſtri caloris, ne exorbitet, æſtum compeſcens, ignis internus, cùm ſit flamma ardens, liquaret, immò vreret. Ergo frigus per ſe agit. Hæc eſt cauſa, cur tantoperè iuuat contra-operantia illa mutua membrorum inter ſe, quàm ſummè extollit Galenus in locis multis, vt ſcilicet partes

partes frigidæ actionem calidarum retundant, & infrænent.

Decimò. In plantis, & animalibus non minora operà videntur in æſtate, quàm in hyeme, ita Hip.3.*aphor.*1. *Mutationes temporum potiſſimùm pariunt morbos,& præſertim inſignes mutationes frigoris, aut æſtus*; quia frigus excedens, & ſæuiens calor mutant ventos, nubes, nebulas; & aërem, cúmque diuerſimodè alterant. Ergo ſicut calor excedens, & frigus, externa immutant; ſic ſi temperiem feruent in corpore, plurimis functionibus ſunt ex vſu.

Vndecimò. Adeps calore ſoluitur. Ergo frigore concreuit: nam vt ait Ariſt.4. *meteor. cap.* 3. quæ à calore liquantur, frigore concreuere. vt tam multis contendit Laurentius pro Galeni tutela, *lib.6. de hiſtor. anatomic. quæſt.*5. Sed adipis vſus multus eſt in corpore: nam iuuat coctionem,humectat corpus, & arida oſſa lenit, ne exſiccentur in motu. Ergo frigus concreſcens alicui functioni eſt ex vſu.

Duodecimò.Frigus facit ad retentionem,quatenus conſtringit villos omnes; & iuuat ad expulſionem, quando conſtringit circulares.Sed retentio,& expulſio fæcum v.g. aut vrinæ eſt actio à natura intenta,qui effectus per ſe ſunt frigiditatis.Ergo.

Vltimò. Frigus immodicum caninam appetentiam excitat, vt conſtat ex Gal.2.*aphor.*21 Ergo modicum famem naturalem excitabit. Sed appetentia eſt functio intenta à natura. Ergo frigus ſicut generat aliquas partes, vt calor, etiam per ſe, ſe habet ad conſeruationem mixti. Nam docente Ariſt. 2. *de generat. animal. cap.* 4. actiones partium à frigore, & à calore ſunt. Hæc ſunt potiſſima argumenta, quibus conuictus Conciliatoris ſententiam amplector,qui *loc.cit.*noſtras partes tutatus eſt acerrimè.

Renuunt Chriſtophorus à Vega *lib.* 1.*art.med.ſect.* 1. *cap.* 5. Doctiſſimus Veiga *lib.* 1.*art. medic. in com.c.*62. Valleſius 4. *controu.*11 Dicunt ergo omnes, tam retentionem, quàm appetentiam à frigiditate iuuari, ſed ex accidenti tantùm, hoc eſt,media corrugatione, adſtrictione, & diuulſione: ex quo intelligitur, non eſſe appetentis facultatis miniſtram frigiditatem, ſed præparare tantùm os ventriculi ſenſuræ facultati, quia ſcilicet denſat, cogitque partes ventriculi,& ſecundùm partem ſuperiorem, cui appetentia ineſt, arctat, & diuellit.Quare calor ſolùm eſſentiâ ſuâ per ſe functiones naturales ingreditur.Sed hæc ſolutio eſt ficulnea, & tantis viris indigna. Ita enim calor non aget per ſe,quia frigus per ſe non agit,ſed alterius interuentu. Quare liceat argumentum colligere in hunc modum. Frigus non agit per ſe, ſed ſecundariò, hoc eſt, conſtringendo,condenſando,contrahẽdo partem cui ineſt. Ergo calor per ſe non agit niſi inaniendo, & diſſipando; ſi verum eſt contrariorum eandem eſſe legem, aut quod vni illorum conuenit eius contrarium ſimiliter,ac eodem modo alteri debeat conuenire.

Quæ verò obiicit Valleſius, & ſic demonſtratione quadam putat concludere, nihil vrgent, ſolùm probant adaucto frigore, & intenſiore facto, ad portionem actiones minui; quod nòs non negamus, qui non loquimur de intenſo,ſed de moderato, cuius præſentiâ actiones perficiuntur: quemadmodum cum eo concedimus, creſcente frigore non corrumpi actiones, quia natura noſtra magis accedit calori extremo, quàm extremo frigori:quo pacto non eſt dubium, quod à frigore excedente tot damna ſcaturiant,quæ Auicenna retulit, quæ ex modico frigore non oriuntur,cuius vſus ad vitæ conſeruationem per ſe etiam eſt neceſſarius.

Neque ob hoc damnandus eſt Galenus aut Auicenna, qui frigus nulli functioni eſſe ex vſu prædixerint: quos auctores non erit multum operoſum in noſtram amicitiam admittere, (quod obnixè Valleſius à Conciliatore expoſtulat) nam frigus nulli functioni ita promptè ut calor eſt ex vſu, quia caliditas eſt qualitas magis amica naturæ,& à partibus auidè amplexatur.In hunc modum intelligendus Hip.5.*aph.*18.dicens: *frigidum eſſe inimicum dentibus,oſſibus,neruis,cerebro, ſpinali medullæ*, adde tu, tendonibus, ligamentis, & aliis partibus exanguibus: nam hæ frigidæ partes, vt nerui, modico frigoris vſu ad ſui conſeruationem indigent, licet cùm ſunt lapſæ, calidis actu,& facultate gaudeant, quarum intemperantiis calor remedio eſt. Ergo cùm omnes ferè operationes naturales cum motu diſpenſentur, celeriùs calore, qui motionis auctor eſt,perficiuntur; quare calore magis, quàm frigiditate, aut qualitatibus cæteris,tanquam potiſſimo inſtrumento, ad obeundas functiones vtitur natura. Vel dicas, frigus adauctum nulli functioni eſſe ex vſu: nam vt dicit eo loco Gal.caliditas adaucta carnem, & ſanguinem colliquat:ſic frigus immobilitatem facit, ſtuporémque inducit, & vt ſummatim dicam, de per ſe omnes actiones impedit; vt algorem fecit in ægro de quo eſt ſcripta hiſtoria hæc: ſicut moderatum eas mirum in modum promouet, atque excitat.Conſule Carrerium doctiſſimum *in com.c.*1.*ſen.*1.*Auic.*qui *doct.*7.*c.*3. acutè, at fusè pro more ſuo,hoc argumentum emedullat.

HIST. XXXVI. GALENI, *De articulorum dolore.*

Dolore articulorum laborantes quidam, oſſium humanorum puluere aſſumpto curantur.

N*Oui noſtratium quoſdam oſſa potui exhibuiſſe, haud ſcientibus quidnam ebibiſſent, ne videlicet auerſarentur;ac multorum arthritidem curaſſe, &c. Gal.* lib.11. ſimpl.tit.de oſſibus.

PARAPHRASIS.

AVicenna 22.3.*tract.*2.*cap.*9.ſic inquit:*Et exiſtimauerunt quidam,quod de expertis,quæ non diuerſificantur omninò eſt vt in potu dentur oſſa hominis aduſta, & iã quidem vſi fuerunt eis quidam de famoſis,& ſanati ſunt ex podagra,& doloribus iuncturarum omninò, &c.* Idem firmat Paulus *lib.*7.*tit. de oſſibus.*Hoc præſidium prodeſſe confirmant,quoniam oſſa digerentem, exſiccantémque vim ſortita ſunt.Hac ratione Aubertus *exercit.* 50. *in abdit. Fernelij*,feliciſſimo euentu ea in puluerem redacta, cum conſerua roriſmarini,& betonicæ commixta, non paucis arthriticis exhibuiſſe refert.

Hac de cauſa Crato *lib.* 8. in catarrho frigido ſiſtendo puluerem ex oſſibus humanis in fornace combuſtis, & in læuorem redactis maximè probat. Ita Donzellinus *conſil.*52.puluerem oſſium humanorum paralyſi eſſe firmat ſalutarem valdè.Plurima vnguenta parat Petræus ex oſſibus humanis,pro variis morbis curandis,in Noſol.*tract.*1.*pag.* 151.Crollius facit antipodagricum ex iis, *lib.* 2. *fol.*243. Quapropter Euonymus *in antidotario ſuo*, mirum in modum laudat oleum ex oſſibus humanis extractum:nam ex oſſibus mortuorum fruſtulatim conciſis, & poſitis in igne,quò excandeſcant,extinctíſque in oleo vetuſtiſſimo, & contuſis,diſtillat oleum ad omnes iuncturarum dolores efficaciſſimum. Deinde in dolorificis alui profluuiis,nec non hæmorrhagia compeſcenda, cum aquis aut decoctis exhibita,quantitate drachmæ vnius,valdè iuuant.

Quæris cauſam? Galenus ad manifeſtas qualitates confugit,nempè ad exſiccantem qualitatem, cuius ope excrementitia humiditas, quæ ferè in diuturnis affectibus exuperat, abſumitur, & partes roborantur. Sed ſi quiſpiam ad ſympathiam recurrat, quâ vnum membrum adiuuat aliud, vera proponet. Sic multæ partes cum aliis ſibi ſimilibus mutuum obtinent conſenſum. Omentum veruecinum natiua quadam proprietate ſimul cum mulcebri calore, humani omenti dolorem, qui ventriculum & inteſtina opprimit vehementer, recenter ab animali extractum, & parti dolenti impoſitum, lenit atque contemperat: quare in diarrhœa, & dyſenteria ſummo eſt auxilio, vt experimento fidiſſimo experimur, & notauit Amatus *lib.* 6. *centur.* 2. Pulmo vulpinus humani pulmonis vires collapſas reſtituit, quare Aſthmaticos iuuat

iuuat, ex Galen.*lib.* 11.*ſimpl.tit.de pulmone* : quo factum eſt, vt Meſuë, cæteríque Arabicæ familiæ proceres ſcientiſſimi, loco de pulmone vulpis tot celebrent laudibus, & encomiis pro roborando pulmone, abſtergendis pectoris cauitatibus, & vlceribus pulmonis conſolidandis. Sic oſſa cranij humani ab omnibus ad præſeruationem, & curationem epilepſiæ collaudantur. Nam vnum membrum, ſibi ſimile ſympathia quadam, & tacito naturæ conſenſu reſpicit, & roborat. Si verò pro leniendis doloribus articulorum præſidia quæris, vnum proferam eximium, & eſt lapis Nephriticus, quem ſi parti topho oppreſſæ imponas, mirum ex tempore leuamen ſenties: nam ſicut hic lapis renales delores lenit, ſic omnem cruciatum abdita quadam proprietate mitigare, fidiſſimo experimento adinueni in Prorege Orientalis Indiæ, qui diuerſarum partium doloribus ſæuis tentatus, ſolo hoc conualuit ſemper: de cuius efficacia mirabili pulchra conſcripſit Augerius Clutius, Medicus Amſtelodamenſis celeberrimus, & ſecretorum naturalium acerrimus indagator, in ſuo eleganti *de lapide Nephritico libello.*

HIST. XXXVII. GALENI, De tophis articulorum.

Articulorum tophi, caſeo acri in cruris ſuilli ſalſi decocto macerato diſcuſſi.

*CVm mihi olim caſeus allatus eſſet bubulus, quem ex odore grauem eſſe coniiciebam, abieci, & iam à famulis abſumptum putabam. Cæterùm illi talia ſeruare ſoliti, longo pòſt tempore ex promptuario afferentes, quidnam de illo fieri iuberem, rogabant. Cùm igitur edendo non eſſet propter acrimoniam, ludicrum nobis problema extitit, proponentibus cui rei quis illum poſſet accommodare. Interea cum ad me arthriticus quiſpiam in curru conuectus eſſet, tophos, quos Græci poros vocant, in articulis habens, ſubiit mihi crure ſuillo ſalſo decocto, caſeum eo decocto macerare, ac probè in mortario ſubigendo vnitum tophis imponere. Et ſanè arthriticus ab hoc medicamento mirificè adiutus eſt: nam rupta ſponte ſua cute, abſque inciſione videlicet, effluxere quotidie citra dolorem tophorum particulæ. Vbi verò totus qui apud me erat caſeus fuiſſet abſumptus, talem ſibi alium comparans arthriticus in poſterum ſeruauit, & poſteà rurſum vſus eſt inueterato: atque vbi tunc quoque idem percepit commodum, ſæpiùs deinceps vti perſeuerabat, & quoſdam amicorum ſimiliter affectorum docuit. Atque id quidem nos excogitauimus, cæterum * comprobauit experientia, &c.* Galenus lib.10.de ſimpl.medic.facult.cap.9. de Caſeo.

PARAPHRASIS.

FRequentiſſimo experimento conſtat, pleróſque quibus dolores articulorum diu durant, & malum diuturnitate temporis fit habituale, tophos deinde in manibus, & pedibus pati. Eſt autem tophus, tumor durus præter naturam, ex craſſo, terreſtríque humore pronatus. Hic aut ſtatim tumoris initio talis exiſtit, vt cùm vel gypſea pituita, vel naturalis melancholia in parte aliqua congeſta eſt; aut propter immoderatum diſcutientium, reſiccantiúmque medicamentorum vſum, reſoluta tenui portione, reliqua magis craſſa remanente, & ad immedicabilem duritiem degenerante.

Deinde in tantam duritiem ſæpè conuertitur humor, vt concreſcat in lapides, quos exemptos eſſe à podagricorum iuncturis teſtatur Muſa *lib.*4.*aph. in com.ſent.*79. Ioan.Kentmannus *lib.de calculis*, Vvierus *lib.de præſtig. dæmon. cap.*15.Iulius Alexandr. *lib.*14.*meth.cap.*13. Pituita enim in corpore noſtro reperitur muco ſimilis, quæ ſi caloris vi, & appulſu (inquit Fernelius *lib. 6. phyſiol. cap.9.*) tantam adipiſcatur craſſitudinem, vt iam partibus concluſa poſſit adhæreſcere, vitrea appellabitur, quæ ex concretione ita dureſcit, vt à lapidis, aut gypſi natura non procul abſit. Hanc ſæpè deprehendiſſe refert in pulmonibus, & in digitorum articulis, accepto quidem ex deſtillatione principio, tandem in extremam tophi, aut calculi duritiem euaſiſſe.

Hunc humorem induratum priùs medicamentis, vt faciliùs cedat, emollire oportet: ſin autem tophacea durities perſeueret, malam figuram affectæ partes adipiſcuntur, ita vt diſtortis, & thromboſis digitis vix incedere poſſint: & adeò hæc materia eſt tenaciter in articulis impacta, vt neceſſe ſit ſæpiùs cutem incidere, & ſubiectum humorem radere, vel vrere, paulatimque ferramento extrahere; ſed ſecurius eſt medicamentis emollire, quò faciliùs cedat, à carnoſáque ſubſtantia ſeparetur.

Emollientium, & diſcutientium varios eſſe gradus cenſet Galenus 2.*ad Glauc.*4.*&* 5.*& lib.*14.*method.cap.*4. vt ex Galeni doctrina probat Mercatus *lib. indicat. c.*6. Hæc concretum humorem fundunt; & ſenſim per halitum reſoluunt. Inter hæc optimum iudicauit medicamen, caſeum vetuſtum, qui ſi in cruris ſuilli ſalſi decocto macceretur, & particulis affectis imponatur, pro eradicandis poris eſt præſidium præſtantiſſimum, auctore Paulo *lib.* 3 *cap.* 78.*rubric.*4.*tit.de tophis, quos Græci poros vocant*: quod auxilium eſſe potentiſſimum ad tophorum particulas ſine ferro detrahendas, & ſanandas, tradit Hollerius *lib.*1.*inſtit.Chirurgic.cap.*4.*de emollientibus, in med.*

Omnis caſeus acris eſt, apud Paulum *lib.* 1. *cap.*89. & Galen. *lib.* 3. *de alimentor.facult.* Nam dum paratur, aſſumit ab iniecto coagulo acrimoniam, humiditatémque omnem deponit, vt aſſeruit Galenus *loc. cit.* Nam coagula omnia ſunt ſicca, ignea ex Auic.*lib.*2.*tract.*2.*cap.*118. & vetuſtior, acrior eſt, ex Auic. & Galen. *loc. cit.* Hic ergo ſi ſit bubulus, cùm craſſior ſit, adſtringit, & firmat, & eò ampliùs ſi ſalſo decocto ſit maceratus: nam præter adſtrictionem, ſalſedine ampliùs exſiccat, ex Galen. 4. *aphor.* 13. & ſiccitate qua pollet, ratione ſalis 2. *acut.* 6. humiditatem abſumit, ex Galen. *lib.* 6. *epid. ſect.* 6. *com.*5.

Elegit autem crus ſuillum ad decoctum, quoniam pinguius eſt, & viſcoſius: nam eo nomine etiam adipes vetuſti emolliunt, quoniam viſcoſitate adhærentes meliùs operantur. Hac ratione caſeus bubulus plus prodeſt, quia pinguior, ex Galen.*lib.de bonit.& vitio ſuccor.cap.*4. Galeni experimentum laudarunt poſteà Trallianus *lib.* 11. *cap.* 1. Auic. *loc. cit.* Oribaſ. *lib.*9.*ſynopſ. cap.* 59. hoc enim medicamentum maximè penetrat, & acrimonia, ardore, caliditate rumpit cutem, & tophum exhaurit: nam vt Paulus inquit *loc.cit.ſua ſponte topho dehiſcente, humor qui intùs coierat, eructatur.* Hoc auxilio ſe vſque ad miraculum vſum fuiſſe, refert Petrus Bayrus *lib.*4. *de daritie, & nodoſit. iuncturar. tit.de tophis.* Ambroſius Paræus *lib.*17. *cap.*20.*de nodis, ſeu tophis qui in articulis concreſcunt*, addit pyrethrum, ſulphur, & miſcet euphorbium, vt efficacius ruptorium paretur. Quo præſidio, vnà cum pyritæ vſti ſcobe, rupta cute ex podagricorum iuncturis plurimos tophos extraxiſſe duritie inuictos, gloriatur Scaliger, *exercit.*108. *ad lib.de ſubtilit.Cardani.* Quæ autem deinceps tophorum generationem impediant, docet Paulus *cit.loc.rubric.*2. Explanat eloquenter Franciſcus India Veronenſis, *lib.*1.*de Gutta, cap.*4.

QVÆSTIO XLVII.

Vtrùm rationi citra experimentum magis, quàm experimento citra rationem fidendum ſit, vt hactenus Medici ſunt opinati.

COMMENTARIVM.

C*Omprobauit experientia.*] Quum de ratione, & experientia, qua celebratum eſt hoc tam proficuum, pro rebelli morbo curando, auxilium, in hac hiſtoria facta

ſit mentio, placet nobis Principum hiſtorias enarrantibus per amœniſſimos medicæ facultatis campos diſcurrere; præſertim in quæſtione hac, quam ieiunè & Galenicæ doctrinæ obliti ventilarunt iuniores, quos honoris cauſa in propatulum non referam, ne ſemper vt iniurius eorum doctrinam conuellere videar. Expendamus ergo, vtrum horum principiorum quibus conſtituitur ars noſtra, præcipuum ſit experimentum, an potiùs ratio; cui ſcilicet magis fidendum. Et firmius quidem eſſe experimentum ſuaderi poteſt hoc modo.

Experimentalis cognitio vſque adeò certa euidénſque eſt, vt vel ea ſola prima artium principia agnoſcantur, reliqua ex illis deducta confirmentur, ita vt ab experimento fiduciam, & certitudinem accipiant. Igitur illud præferendum eſt rationi.

Secundo. Licèt vna ſit veritas rei de qua agitur, cùm eius tamen inuentio difficillima ſit, & valdè abſcondita, frequenter labatur intellectus noſter in ea indaganda, atque ſenſus in ſuis ſenſibilibus cognoſcendis errorem non committat. Igitur nec experimentum à ſenſationibus deductum, fallax ac incertum erit, & ex conſequenti, &c.

Tertiò. Modus cognoſcendi qui à ſenſibus procedit, magis proportionatus eſt nobis, quandiu in corpore ſumus. Ergo illi maiorem fidem præſtabimus, quàm rationibus ab intellectu inuentis, ſi ſenſui, & experimento repugnent.

Quartò. Communia artium præcepta ratiocinatione, & diſcurſu inuenta, ſæpè in indiuiduis deficiunt, ob particulares eorum naturas, & proprietates, ex Auer. *lib. 6. collig. cap.* 1. Igitur potiùs ſequendum eſt illud, quod in vnoquoque experimur, quàm quod ratio in communi dictat.

Vltimò. Senſualis artifex magis ſenſu, & experimento, quàm intellectu mouetur. Cùm igitur Medicus ſit artifex ſenſualis, magis ſecundùm ſenſum, & experientiam, quàm ſecundùm rationem, illi iudicandum eſt, quemadmodum apertis verbis firmauit Gal. *lib. art. medic. c.* 88. præſertim cùm experientia ipſa, fidiſſima ſit omnium iudicatrix, 1. *ſimpl. c. vlt. &* 6. *epid. ſect.* 3. *com.* 19. & ſit index eorum quæ iuuant & proſunt, 9. *de placit.* 6. & vſque adeò certa, vt quæ ipſa comprobat, ſine cauſa nouiſſe ſufficiat, 2. *aph.* 24. ſintque aliis ſtabiliora, 5. *de compoſ. med. ſec. loc. c.* 1. *prope fin.* nec diſtinctione indigeant, 4. *ſimp.* 18. atque vbi ratio pugnat, experimentum ſequendum, 3. 1. *doct.* 2. *c.* 7. *&* 4. 1. *c.* 20. nam illi qui ratiocinantur, falſa pro veris frequenter accipiunt, 1. *ſimpl. cit.* & ſophiſticum eſſe ait, propter apparentium rationum ſimilitudinem ſenſibus fidem abrogare: & 1. *de natural. facul.* 13. Aſclepiadem delirare aſſerit, qui illis prohibet fidem habendam.

Ob hanc cauſam Auenzoar *lib. 2. tract. 2. cap.* 5. ſcribit: *ſe experientia iuuari, & ſaluari tam in vita, quàm in morte, factis, & ſcriptis, eo quòd iuſta ſit, & æqualis ſtatera, libráque & id à quo ratio ipſa fidem accipit,* 5. *de ſanit. tuend.* 1. *& lib.* 6. *c.* 14. *&* 2. *criſ. c.* 8. ita vt rationi experimento deſtitutæ nullatenus credendum ſit; quod innuere videtur Hip. 2. *aph.* 7. probationem addens ab ipſo experimento, & Galenus apertè docet, *in proœm. epid. ad fin.* Quare, &c.

Denique medicina incepit ab experimento. Nam Medicorum diligentiſſimus Hippocrates Cous, hoc modo mediciam à tenebris in lucem reuocauit, & quodam veluti partu genuit, per omnia membra aluit, educauit, veſtiuit, atque ornauit. Cùm enim tunc mos fuiſſet liberatos morbis ſcribere in templo eius Dei qui auxiliatus eſſet, remedia, vt poſteà ſimilitudo proficeret, ea experimento inuenta ſcripſiſſe traditur: ex quibus hanc artem excepiſſe refert Plinius *lib.* 3. *c.* 27. *& lib.* 26. *c.* 3. firmat *lib.* 29. *c.* 1.

Pluris verò eſſe faciendam rationem, non leuioribus argumentis contendi poteſt. Et primò ſic. Artificioſa ratio, qua iudicatur taliter, aut taliter operandum, vel demonſtratio eſt, vel vſque adeò probabilis diſcurſus, vt ad eam proximè accedat. Sed qualiſcunque fuerit, ſcientiam, & certitudinem gignit ſecundùm plurimum, vt *paulo ſupra* Galenus docuit: experimentum autem cùm non rarò fallax ſit, plerumque inducit errorem. Igitur illi præferenda eſt ratio.

Secundò. Agendi methodus, quæ ex corporum naturis, morbis, eorum cauſis, remediorum facultatibus elicitur, magis accurata, eſt, quàm experimentalis, vt *ſupra* oſtenſum eſt, & colligitur ex Ariſt. 1. *metaphyſ.* 1. Atqui illa diſcurſu, & ratiocinatione acquiritur. Ergo his magis fidendum, quàm experimento.

Tertiò. Illa quæ ratione in artibus inueniuntur, vt certò ſciantur, experimento non indigent. Sed experimentum ratione deſtitutum, vel nullum eſt, 2. *meth.* 6. vel ſaltem infirmum, parúmque tutum & fidele, 9. *de placit.* 6. igitur multò præſtantior eſt ratio. Maior conſtat, quia quæ in vnaquaque arte reperiuntur, principia ſunt, & concluſiones: ad illorum verò ſcientiam comparandam, ſufficit cognitio terminorum, ex quibus conſtant principia ipſa: his autem euidenter cognitis, & rectè applicatis, abſque alio requiſito, protinùs intellectus iudicat alterum extremum alteri conuenire, & ſcientiam illius aſſequitur.

Quartò. Non minùs ſenſibilium multa ſenſum effugiunt, quàm rationabilium rationem ipſam, ex Gal. *lib. an ſanguis in arteriis contineatur? c.* 5. Sed magis aptus eſt, magiſque perſpicax intellectus ad rationabilia, & occulta indaganda, inueniendáque, quàm ſenſus ad ſua ſenſibilia; cùm hic ſola præſentia, & manifeſta agnoſcat, ſæpéque labatur, vbi planè non ſunt manifeſta. Igitur.

Vltimò. Non ſolùm maior medicamentorum copia methodo rationali comparatur, ſed ea quæ ratione inueniuntur, præſtant experientia inuentis, 6. *de compoſ. med. ſec. loc. &* 3. *ſec. gener. c.* 2. *&* 3. *de loc. affect. cap.* 2. Dubium ergo non videtur, ſequendum potiùs rationis dictamen, poſthabito ſenſu, & experimento, præſertim cùm multò certior ſit demonſtratio inductione, etiam teſtante Galeno *lib.* 4. *ſimpl. c.* 7. *ad initium.*

Cæterùm ambo hæc eſſe neceſſaria, & vnum ſine alio eſſe inutile, firmat in hac hiſtoria Galenus, *in fine §. Atque id quidem nos excogitauimus. ceterùm comprobauit experientia*, quaſi diceret: hoc auxilium ex caſeo acri nos ratione inuenimus, & firmauit experimentum, & meritò ſanè: nam experientia, & ratio duo inſtrumenta ſunt ad artes inueniendas neceſſaria, & veluti crura quædam quibus illæ firmantur ex Hip. 1. *aph.* 1. *&* 8. *ſec. loc.* 1. *&* 7. *&* 1. *meth.* 3. *& lib.* 2. *c.* 1. *& lib.* 9. *c.* 6. *& lib. num ſanguis in arteriis contineatur, c.* 5. & innumeris ferè aliis in locis: non omnia tamen, aut ſola experientia, au ratione inueniri poſſe teſtatur 3. *meth.* 1. Verùm etiamſi quædam ſola ratio excogitet, alia experimentum inueniat, *lib. de theriac. ad Piſon. cap.* 3. ſemper tamen quoad fieri poteſt, experientia, & ratio iungenda: ita vt in medicinis, vel theorematis ratione exploratis experimentum ſequatur; ratio autem in illis quæ ſunt experimento inuenta, 2. *meth. cap.* 6. *&* 6. *de ſanit. tuend.* 14. Sic enim illa connectuntur, vt mutuò inter ſeſe firmentur, mutuámque fidem viciſſim accipiant: nec poſſit dari vera ratio, quæ oppoſitum habeat artificioſum experimentum, nec è contra: ambo ſiquidem vera ſunt, quæ ſunt ab illis rectè excogitata, 2. *aph.* 17. quare firmiter ſequendum id quod vnum inuenerit, aliud confirmauerit. Vbi verò illa pugnauerint, neceſſe eſt aut inartificioſum eſſe experimentum, aut oppoſitas rationes tantùm apparenter veras, quibus ſtandum non eſt, nec propter eas à ſenſibus, & experimento recedendum, id quod fundamenta in principio adducta confirmant. Ergo hæc duo medicinæ crura omnino neceſſaria ſunt, & cuilibet ſoli non fidendum, quia experientia citra rationem eſt inualida; & hæc citra illam fallax & captioſa. Quare vtriuſque partis rationes ſunt ſoluendæ, & percurrendæ, ne omninò conuincere videantur.

Primum verò argumentum, quod ſuadebat magis eſſe fidendum experimento, rectè concludit, præferendam videlicet eſſe experientiam aduerſanti rationi, quia ſcientifica non erit, nec demonſtratio: & ab euidenter cognitis recedere non oportet, ob ea quæ dubia ſunt, & nondum comperta, *cit. lib. & c. num ſanguis in arter. contineatur.*

Ad

Ad ſecundum. Negari non poteſt difficultas veritatis per intellectum, & rationem inueniendæ; inde ſiquidem errores, ſectæ, variæque in ſcientiis diſcordiæ, 1.*aph*.1.*&* 9.*de placit*. 6. ſed cùm non minùs etiam ſenſus decipiantur frequenter, præſtat quidquid ſenſu, & experimento aſſequimur, ratione firmari,

Ad tertium. Licèt anima noſtra quandiu corpori immergitur, ita ſenſibus corporeis alligata exiſtat, vt illorum interuentu intelligat, non ideò tamen ſenſuum cognitio nobis etiam inuia magis, vel ſola propria eſt, quàm rationis; ac proinde ſenſibus ſolis, brutorum inſtar, moueri non debemus.

Ad quartum. Experimentum etiam circa indiuidua quædam acquiſitum, deficere poteſt in aliis, ob non omnimodam ſimilitudinem, vel occultas proprietates: vnde quamuis in ſe ambiguum non ſit, & incertum, quemadmodum nec ſunt artium theoremata; relatione tamen ad operationem fallax eſſe poteſt, & timoroſa eius operatio, ac proinde in ſingulis firmandum, iuncta tamen ratione.

Ad quintum. Non conſiderat ſolùm Medicus illa quæ ſenſibus ſubiecta ſunt: cùm innumera ferè alia contempletur, & ratiocinando aſſequatur; nec minùs vera, & ſcientifica ratione mouetur, quàm experimento, quibus medica ars integratur. Artifices verò reliquarum artium, quæ multo ſenſuum habitu, pauca tamen theorematum cognitione conſtant ſolo ſenſu, vel magis ducuntur. Medico verò perpetuò iungenda eſt intellectus ratio. Vbi tamen ea repugnauerint, ſenſuum euidentia, & experientia ſequenda; quia vera ſi ſit, & multo vſu acquiſita, contradicentem demonſtrationem non habebit, propter quod dixit Galenus 2. *aph*. 24. quæ ipſa comprobat, ſine cauſa nouiſſe ſufficit: nempè quoniam licèt non occurrat, ſaltem non repugnabit vera ratio; nec omnino neceſſaria eſt in euidenti experimento, cui ipſa conformis erit, quod ſignificauit Galenus 4. *ſimpl*. 18. dicens, demonſtratione non indigere: quamuis firmius tutiúſque ſit, experimentum ratione firmari, à qua maiorem euidentiam, nec minorem fidem recipit, quàm ab eo ratio ipſa.

Quòd ſi Auicen. 3. 1. *doct*. 1. *cap*. 7. de regimine eius quod comeditur, & bibitur, ſcripſit recipiendum experimentum, vel poſthabita ratione, cam non omninò contemnit, ſed præfert illud rationi quæ ab aſſuetudine deſumitur, indicationíve ex natiua complexione deſumptæ. Iam verò 4.1.*cap*.*de phlebotomia*, ſi in Iſchiatica, vel ſaphæna ſecanda, neglecta ratione ſequi iubet experimentum, dixit quia ibi ratio completa non eſt, ſed deficiens; quia quamuis conſiderata origine venarum, æquale iuuamentum ſequi videatur in coxendicis dolore, ex Iſchiatica, vel ſaphæna ſciſſa, experimentum tamen fortiori, & integra ratione, ex rectitudine Iſchiaticæ cum affecto loco, demonſtrat maioris eſſe iuuamenti Iſchiaticæ ſectionem.

Denique in aliis adductis locis, tantùm ſuadetur non eſſe fidem abrogandam ſenſibus, & experimento ob apparentes rationes, quod non diffitendum, licèt tutius ſit experimentum, cui ſimul cum ratione coniuncto fidendum, nam altero deficiente non omninò certum iudicium ſit. Medicinam verò incepiſſe ab experimentis, verum eſt, ex quibus non nudis, ſed cum ratione coniunctis, noſtra medicina ac magis magis inclaruit.

Eodem tenore reſpondendum eſt ad argumenta, quibus oſtendi videbatur, pluris eſſe faciendam rationem, nec curandum experimentum. Et ad primum dicendum, quòd quemadmodum ſcientifica ratio, certa & infallibilis eſt, ſic artificioſum experimentum, nequit inter ſeſe mutuò aduerſari, atque ideò vno illorum dato, tanquam ſuſpectum habendum eſt alterum repugnans.

Ad ſecundum. Fatemur magis accuratam eſſe rationalem methodum, quàm empiricam & experimentalem, vt *infrà* dicemus: ſed illa ratione quidem inuenitur, & experimento firmatur, quod non minorem etiam vim habet, & certitudinem in iis quæ ſolo ſenſu, & experientia inueniuntur, quàm ratio in rationibus.

A Ad tertium. Sicut ea quæ experimento inuenta ſunt, firmari oportet ratione; ita ratiocinatione, & iudicio excogitata, experimento probanda ſunt, antequam in vſum trahantur: Nec argumentum euincit, plurima ſiquidem principia communia in aliis artibus, præter terminorum notitiam, indigent aliquando experimento, vt illis fides præſtetur; & multò frequentiùs concluſiones ab illis, & in bona conſequentia deductæ, quibus ſæpe nun aſſentimur, antequam euentu confirmentur; quod ſanè maiore cum ratione in Medicina obſeruandum, ne circa nobiliſſimum ſubiectum operatio fiat cum damno irreparabili.

Ad quartum, & quintum, Quamuis ratione, & ſenſu omnia comprehendantur, quæ in cognitionem veniunt, B ratióque multis nominibus ſenſu ſit præſtantior; quum tamen ſæpe erret, & labatur in rationalibus cognoſcendis, ſtandum illi omnino non eſt, nec eius inuentis acquieſcendum, citra ſenſus iudicium, & experimentum, maximè in medicamentis ratione exploratis, à quorum vſu multis in locis Galenus ipſe nos deterret, antequam experta ſint, ob ſuprà aſſignatas cauſas. Nec obſtat, multa eſſe ratione inuenta, ſiquidem multa etiam illam ſubterfugiunt, ſo lóque ſenſu illa dignoſcuntur; ſed vtriuſque inuentum mutuo alterius iudicio confirmari oportet. Si tamen non coëant, omittendum non eſt id quod ſæpe ſenſu cognitum fuerit ob contradicentem rationem; quoniam ſi demonſtratio eſſet, minimè contradiceret. Nec mirum, ſi 4. *ſimpl*. *cit*. Galenus demonſtrationem, tanquam certiorem, prætulerit inductioni; hæc namque C experimentum non eſt, & ob aliquod indiuiduorum incognitum, à quibus ad vniuerſale progreditur, peccare poteſt: non ſic autem vera demonſtratio, licèt etiam in particulari deficere poſſit, ob peculiarem alicuius indiuidui proprietatem, atque adeò præter illius certitudinem. Non immeritò ergo Dogmatici Medici ſenſus euidentiam requirunt, & è conuerſo intellectus rationem in experimenti inuentis, quoniam duobus illis cruribus, & artes, & artifices proficiuntur. Ergo rationi non fidendum citra experimentum, nec huic citra rationem aſſentiendum. De experientiæ neceſſitate appoſitè conſcripſit Ieannes Baptiſta Perſona *colloquio* 31. *&* 32. *in ſuis noctibus ſolitariis, ſiue de iis quæ ſcripta ſunt ſcientificè ab Homero in Odyſſea*.

Illud etiam conſequenter exponendum, Vtrùm ab experimento, an à ratione potiùs in artibus inchoandum D ſit: in qua diſcutienda antinomia inuenio Galenum, & Ariſtotelem fuiſſe diſcordes. Hic enim *lib*. 1. *metaphyſ*. 1. experientiam priorem facit, aſſerens ab ea principio artes manaſſe, & rationem ſubſequutam compleuiſſe. Galenus contrà rationem vult anteire, iubens 6. *de ſanit. tuend*. *cap*. 14. vt ea vniuerſum inueniat, de inuentis iudicium ferat experimentum: & 10. *ſimpl*. 1. neceſſarium eſſe ait ad confirmationem eorum quæ ratio inuenit, 6. *meth*. 2. Sed in hunc modum conciliandi ſunt. Aliud eſt conſtituere artem, aliud ſecundùm artem operari: artium quidem conſtituendarum initium experientia fecit, à ſingularium enim experientiis vniuerſalia theoremata, atque adeò ars ipſa incepit, ideóque illius ſtatuendæ origo, experientia dicenda eſt, quo pacto intelligendus Ariſtot. E Quòd ſi ſermo ſit, vnde agendi principium ſumendum, quum quæritur quid circa corpus ægrum agendum, quídve circa ſanum, dubium non eſt, quod Galenus voluit, iudicium primò ex ratione ſumendum eſſe iuxta artis præcepta, ſed ob ſuprà allatas rationes non audacter illi fidendum, antequam confirmet experimentum verum huius principium, illóque prior eſt ſermone expreſſa doctrina, vel ſaltem librorum lectione acquiſita, qua integrè valere oportet Medicum, vt docet Galen 3. *criſ*. 8. antequam ad medicinam faciendam accedat; cuius loco, vſu & exercitatione perficietur; exercitatio enim diſciplinas confirmat, & abſoluit, nec ſine ea poteſt quiſpiam appellari eruditus, quantumuis in librorum lectione ſit ſatis verſatus. Vtrùm autem dogmaticus præſtet empirico, & doctus paràm exercitatus, minus docto, ſatis tamen in curationibus verſato, ex ſuperioribus

ſuperioribus ſatis patere arbitror, & explicant Hugo, & Turiſanus, *in com. cap.* 5 *.lib.* 3 *.de loc. affect. Gal.*

HIST. XXXVIII. TRALL.
De tophis articulorum.

Antidotum ad curandum, & præſeruandum à tophis, præſtantiſſimum.

AT quibus non adeſt calida intemperies, ſed frigidiores, craſſiores, crudioréſque potiùs humores in articulis inſeruntur, his omnia quæ extenuare, & calfacere poſſunt, opitulantur: & ſi quis ipſis vti velit, hic etiam natos iam lapillos conſumere, & ne alij renaſcantur, prohibere poterit. Ego ſanè noui quendam magnos tophos in articulis habentem conſenuiſſe, adeò vt etiam citra impedimentum incederet, eò quòd antidotum continuò aſſumeret. Antidotum verò quod per totum annum ebibebat, hoc eſt.

℞. *Centaurij* ℥.v. *chamædr.* ℥.ix. *hyperici, totidem: Ariſtoloch. rotund. gentian. petroſel. agarici, phu dulcis, mei*, an. ℥. iij. *ſpicæ nardi* ℥.j. *Excipito melle, datóque ex aqua dulci. Trallianus* lib. 11. cap. 1. titulo, de remediis quæ locis inflammatis imponuntur.

At alium noui, qui cùm tophos habere incepiſſet, non alios ampliùs naſci permiſit, eò quòd decoctum biberet, cruda, craſſáque recrementa extenuans. Erat autem decoctum quod bibebat, ex eiuſmodi herbis compoſitum, origano, & chamæpity: quarum neutra calido, & bilioſo recremento præditis confert, &c. Trallianus in eodem lib. cap. & titul.

PARAPHRASIS.

NVllus eſt morbus, in cuius curatione maiorem Medici curam impendant, quàm in eradicandis tophis podagricorum: nam ſi ſemel humor ex frequenti defluxione, in parte conculcatus neruoſa, frigida, exangui, in duritiem commigret. immedicabilis profectò reddetur affectus: tunc enim articulis diſtortis & incuruis, pereunte motu, fruſtrà deinde medicamina tentantur, incaſſumqne imperantur purgationes, vomitus, clyſteria, fomenta, vnguenta, emplaſtra, lauacra, euaporationes, & aliæ medicamentorum formulæ quæ parti imponi conſueuerunt, vt cauſtica, cauterium, ſcarificationes, hirudines, quorum vſu & efficacia hic pertinax, & reſiccatus humor abſumi, & exhauriri ſolet, quæ pro hoc miſerabili leuando morbo, priſcorum, & recentiorum ſolertia adinuenit.

Horum quædam ſunt vniuerſalia, particularia alia. In illis deſcribendis operam omnem impoſuit Paulus *lib.* 3. *cap.* 78 *.rubric.* 2. *&* 4. plurima recenſens quæ tophos concreſcere prohibent. Ea ſunt expurgantia valida, quæ non ſolùm humorem in venis, ſuperioribúſque partibus impactum, & reſtagnantem, ſed actu facientem tophum educere nata ſunt: *nam* (vt inquit Auic. 4. 1 *.cap.* 3 *.in fin.*) *purgatio à ſuperioribus euacuat, ab inferioribus eradicat*: fortia enim medicamenta, violenta attractione in corporibus præſertim frigidis exhibita, craſſos, frigidos, & terreſtres humores è longinquo natiua quadam proprietate attrahunt, vt pilulæ arthriticæ, de hermodactylis maiores, & alia medicamenta expurgantia, quæ efficaciſſimè hunc rebellem humorem à iuncturis exhauriunt.

Quid dubitandum: nonne talpæ gallicanæ, tophi, nodi ex tenaci gypſeáque pituita pronati, & in remotiſſimis partibus impacti, validiſſimis expurgantibus, vt ſtibij, aut præcipitati efficacia euaneſcunt? Horum enim morborum cauſa, etiam ſi tenaciſſimè infixa, violenter tamen attracta, ſputo, vomitu, ſeceſſu, & ſudore vacuatur.

In hunc vſum Trallianus hîc, ad expurgandam craſſam, viſcidamque pituitam, hæc præſidia proponit, ex quibus cum melle poteſt fieri electuarium ad expurgandos craſſos humores, ſimúlque roborandos articulos præſtantiſſimum; poſt cuius aſſumptionem exhibere oportet aquam dulcē, hoc eſt mulſam, vel cū ſacchato concinnatam: nam hoc modo ob dulcedinem melius electuarium amplexabitur ventriculus, & ob mel citius liquabitur, & in penitiſſimas partes diſtribuetur medicamenti vis; hoc modo mel tantoperè commendat Gal, 4. *ſecund. loc.* 5. commixtum cum medicamentis expectorantibus, vt ſcilicet ſit vehiculum eorum, quæ ab ſtomacho ad partes ſpiritales accedere debent.

Primum medicamentum eſt centaurium, quod ſi ſit minus, ex Dioſcoridis mente *lib.* 3 *.cap.* 7. bilem, craſſoſque humores per aluum expurgat, & Iſchiadicis conuenientiſſimè infunditur; attrahit enim ſanguinem, & dolorem leuat. Chamædrys, aliis chamædrops, Latinis triſſago, recens in aqua decocta in potum exhibita, tuſſibus, indurato lieni, incipienti hydropi, tophis & articulorum doloribus auxiliatur, auctore Dioſcoride *lib.* 4 *.cap.* 94. cùm ſit tertio ordine calida, Paulo *lib.* 7 *.tit. de chamædry.*

Hypericum, alij chamæpityn vocant: calefacit ex Gal. *lib.* 8 *.ſimpl. tit. de chamæpity*, & Dioſcorid, *lib.* 3 *.cap.* 150. in gradu ſecundo, & ſiccat tertio. Huius ſemen quadraginta diebus hauſtum, Iſchiadicis medetur: nam præter tantas falcultates, quas illi omnes attribuunt, quas inter omnes deſcribit Ruellius *lib.* 3 *.de natur. ſtirp. c.* 15. ſanguinem denſatum, craſſóſque humores potentiſſimè attrahit, ex Auic. *lib.* 2 *.tract.* 2 *.c.* 135. §. *Confert Iſchiaticæ & propriè quando bibitur cum aqua mellis; & dixerunt quidam, quòd quando bibitur cum hydromelite quadraginta diebus, ſanat Iſchiaticam, & reſoluit duritiem podagræ, &c.*

Ariſtolochiæ ſpecies omnes, quas deſcribit peritiſſimus Dodonæus, calefaciūt, & exſiccant ad tertium caliditatis, & ſiccitatis gradum, incidunt, attenuant, craſſos humores educunt, ex Gal. *lib.* 6 *.ſimp. tit. de Ariſtoloch.* Matthiolo *in com. c.* 4. *lib.* 3. *Dioſcorid.* Gentiana calefacit, & neruorum doloribus frigidis opitulatur ex Dioſcoride *lib.* 3 *.c.* 3 Auic. *lib.* 3 *.tract.* 2 *.c.* 278. Petroſelinum, origanum, ſpica nardi, præterquam quòd roborant, humorem craſſum, lentúmque præparant, vt faciliùs, promptiúſque ab expurgantibus educi poſſit.

Agaricum pituitam craſſam clementer expurgat, præcipuè in vtero, thorace, cerebro, neruoſiſque partibus tenaciter impactam, vt Cræci, & Arabes fusè tradiderunt, Phu Officinæ Valerianam vocant, Dioſcoridis teſtimonio *lib.* 1 *.c.* 10. excalefacit, humores craſſos expurgat, & frigidis neruoſarum partium affectibus remedio eſt; de cuius viribus lege Ruellium *lib.* 2. *de natur. ſtirp. c.* 9. Méum à Græcis vocatum, herbarij anethum dicunt ſylueſtre; de cuius viribus Dioſcorides *lib.* 1 *.de natur. ſtirp. c.* 3. Hoc potum ex aqua vrinam mouet, inflationes ſtomachi mirè diſcutit, tormina, vuluarúmque noxas tritum illinctu ſiſtit, & cùm calidum ſit & ſiccum in tertio ordine, frigidis & humidis vitiis eſt ex vſu. De quorum facultatibus lege citatos auctores, & alios Dioſcoridis interpretes doctiſſimos.

Ex his potio facta, craſſam: mucoſam viſcidámque pituitam à toto, articuliſque ipſis firmiter adhæreſcentem attrahit. Caue ne febri præſenti, aut in calida viſcerum intemperie eam propines: nam partes internæ excandeſcunt, humor calidorum vi exaſſatus ampliùs dureſcit, & abſumpta tenuiore parte in tophaceam naturam priore duriorem commigrat. Pro eradicandis tophis, & vacuanda cauſa antecedente, quæ malum continuò fouet conſule Mercurialem, Maſſariam, *prop. cap. de arthritide.*

De medicamentis topicis plures conſcripſerunt, & vnuſquiſque ſuum pro fœlici euentu iactat experimentum. Matthiolus *lib.* 1 *.cap.* 87. balneum è Iuniperi ligno ſummoperè laudat. Altimarus *tract. de vinaceis*, horum vires, & vſus admirandos ad iſchiadem, podagram, articulorum tumores, & dolores memorabilibus hiſtoriis decantat. Sauoranola *tract. de balneis*, mineralia, & ſulphurea laudat, Oleum ceræ præfert Crato. Oleum ex mace paratum extollit Foëſius *libi* 1 *.pharmacop. fol.* 149. Oleum axungiæ humanæ comprobat Duretus. Oleum ex ſemine nicotianæ expreſſum expertum eſſe tradit Porta *lib.* 8 *.magiæ cap.* 11, Manardus *lib.* 7. *epiſt.* 4. pro-

contumacibus

contumacibus podagricorum poris, & diuturnis articulorum doloribus, miris encomiis celebrat ſemen, & folia vrticæ cum adipe vrſi commixta. Oleum vulpinum, ſtercus caprinum cum farina hordei permixtum, & aceto ſubactum. Radicem Althææ coctam cum adipe anatis. Rapam in iure pingui benè coctam. Sacculum ſale contrito plenum in vino ebulliente ſæpè calefactum. Stercus bouinum calidum, vt exit, aut cum oleo irino permixtum. Decoctum ſalicis, & medij corticis ſambuci. Chamæpityn in vino coctam, ſi ex vino locus dolens abluatur, & herba ipſa calida ligetur.

Ergo, vt verum fatear, omnibus his tentatis, ſolo vnguento ebulorum dolorem ex tophis contractum, ſicut articularem, & coxendicum ſæpè leuaui, cuius auctor fuit Andreas Lacuna *lib.4.in Dioſcorid. cap.155.de Ebulis.* cuius deſcriptio eſto hæc. ℞. *ſucci radic. ebulor* ℥.ij *olei chamomil.* ℥.j. Coque quouſque abſumatur ſuccus. Adde *aceti, aut vini quod ſit ſatis, cum cera* fiat vguentum. Hoc eſt nobile, & tutum vnguentum, præſertim ſi præcedat fomentum factum ex decocto ebulorum, & foliorum ſambuci.

Iis ferè omnibus præſtantius eſt vnguentum pro leniendis podagricorum doloribus, quod ex Aëtio affert Petrus Vaëzius Luſitanus, Medicus doctiſſimus *lib.2. compendij medicamentorum*, & ego feliciſſimè in thophis emolliendis, & eradicandis expertus ſum. Sic deſcribit Aëtius *tetrab.3.ſerm.4.cap.36.* ℞ *galban. thuris, an.* ℥.ij. *aceti* ʒ vj. *croc.* ʒ.j. *ammoniac. thymiamat.* ʒ iij. *picis aridæ* ʒ.v. *roſ.* ℥.j. *ceræ* ʒ.vj. Ceram, picem roſaceum lento igne liquefacta excolato: Galbanum, crocum ammoniacum, & thus cum aceto terito, & ad liquefacta ab igne ablata adiicito.

Cæterùm valdè præſtat pro emolliendis tophis, & ſedandis doloribus articulorum, decoctum ſmilacis aſperæ, & radicis chinarum, ad multos dies excitato ſudore, aſſumere; ex cuius decocti ſpuma ſoleo facere vnguentum in hos vſus mirabile. ℞. *ſpumæ decoct. radic. chinar. & ſmilac. aſper. an. cochlearia duo: Olei vulpin.* ℥.ij. *ſtiracis liquid.* ℥.j. *olei laurin.* ℥.ß. *pingued. vrſi* ℥.j. *axungiæ humanæ* ℥.ß. *Ceræ quod ſit ſatis*, vt fiat. vnguent. Si verò particularem medicamentorum ab auctore deſcriptorum naturam, vires, & efficaciam ſcire cupis, conſule Ioan. Bodæum *in Theophraſtum de hiſtor. & cauſis plantar.* qui acri ſuo ingenio artis botanicæ callentiſſimus, in hunc auctorem locupletiſſima, & elaboratiſſima commentaria conſcripſit, dignus, vt cum priſcis illis comparetur.

HIST. XXXIX. GALENI, De articulorum doloribus.

Quidam gracili corpore præditus, calidiſſimis medicamentis ab Empiricis ſiccatus, & in vehementiſſimos dolores, & tophos incidens, Galeni induſtria liberatur.

AD aliam inæqualem compoſitionem tranſire par eſt, in qua renes calculum gignunt, aut tophos, quos Græci poros vocant: totius verò corporis habitus gracilis eſt. Hi namque medicamenta, victúmque quæ extenuare poſſint, requirunt. At ea gracili corpori ſunt inimiciſſima, adeò vt quidam, qui propter renum vitium vſus his fuerat, vbi digitos moueri deteriùs, ſentiréque ſenſit, communicauit rem Medicis. Hi tanquam eo affectu laboraret, qui paralyſim, id eſt, neruorum reſolutionem minaretur, medicamentis, quæ ex euphorbio, & limneſi conſtant, vtebantur. Vt autem affectus ei deteriùs ceſſit, & ſymptomata cum vehementi dolore ad ſuperiores partes ſemper aſcenderent: mihi, qui id temporis in Campania fortè eram, rem indicauit, opémque rogauit. Ego verò eum, ex iis medicamentis quæ memoraui ſiccatum in hunc affectum veniſſe intellexi: quærentique qua maximè victus ratione ſiccitati ſuæ citra renum noxam mederi quis poſſet, ptiſſanæ cremorem excogitaui, & piſces
A *tum ſaxatiles, tum qui in alto mari degunt, alióſque, in quibus nihil eſſet glutinoſum. Lac verò ſic affectus reliquorum quidem animalium eſt prohibendum: vnum tamen aſininum concedendum, propterea quòd cæteris omnibus eſt tenuius, &c. Galenus* lib.6. de ſanit. tuenda, cap.11.

PARAPHRASIS.

EXemplum proponit Galenus de gracili corpore tophis correpto, in quo ſi medicamentis calidiſſimis, quæ ferè in articulariis doloribus ad craſſi humoris reſolutionem exhiberi ſolent, vtaris, non modò totum corpus, ſed etiam pedes ipſos, interim verò & manus in grauiſſimum ſtatum ſiccando perduces, quum hæc medicamenta attenuent, ſiccent, calefaciant: & ſi accedat na-
B turalis, vel adſcititia corporis gracilitas, quæ excedentis caliditatis eſt indicium, ob caloris exceſſum, coadunata fluxione, & in tophum commigrante, in difficilem motum, & ſenſum incidit æger. Ex his manifeſtè colliges, hos Medicos in exhibendis, & admouendis pharmacis vrentibus inſiſtentes, in grauiſſima mala, immò in mortem præcipitem hominem hunc daturos fuiſſe, nî Galeni ſolertia eum ab Orci faucibus liberaſſet.

Gracilitatem non ſolùm præternaturalem, ſed naturalem, plerumque comitari temperaturam calidam & ſiccam plurimis in locis oſtendit Galenus. Huius ſignum inter alia eſt carentia pinguedinis, & gracilitas, vt docet Galen. *cap.36. lib. art. med. & lib.2. de temp. cap.4.* dum ſic ait. *Quibus namque in corporis temperatura ſiccum præualet humido, & calidum frigido, his corporis habitus gracilis,*
C *hirſutus, & nigrior eſt, & reliquis tribus intemperamentis, quæ hoc ſunt minùs calida, tactu calidior aduertitur; plurima his quoque flaua eſt bilis, vrináque, ac deiectio bili ſatura, & pulſus magni, & ſomni leues, & pauci, & animi impetus vehemens, &c.* Idem firmat *9. meth. cap.15. §. Si namque gracilis natura, temperatura autem calida & ſicca, maximè euacuationibus offenditur.* Confirmat *lib.10. cap.2. & lib.1. ad Glauc. cap.2.*

Cùm ergo in corpore calido & ſicco, medicamenta hæc extenuantia parti imponerent Empirici, in deteriorem ſortem ægrum duxerunt. Quamobrem vt corpus exſiccatum humectaret, lapsúmque ſiccitatis, qui ferè immedicabilis eſt, corrigeret, vrgentiori ſuccurrens, ptiſanæ cremorem in hunc vſum, laudatiſſimum ſanè medicamentum, & alimentum humiditatem deperditam reſtaurans,
D renéſque contemperans, illicò offerre conatus eſt. Has enim vires præſtare ptiſanam, probat cum Galeno Hip. *lib.1. acut.18.* per multas ſententias: quare eam inter commodiſſima alimenta, calidis ſiccíſque naturis vtiliſſima *lib.8. meth.2.* ſummis laudibus extollit De cuius vi, & facultate tam multa priſci protulere, & iuniores omnes, quorum loca vide citata per otium *lib.2. in com. hiſt.23.* Piſces verò ſaxatiles, ſiccum ſqualidúmque corpus humectare, probúmque ſuccum præbere, latè confirmat Galen. *8. meth. 2. & lib.1. ad Glaucon. c.9. & 4. de ſanit. tuend 8. & 2. ad Glauc. 12. & 3. alim.25.* de quorum inculpato nutrimento plura notauimus *lib.1. in com. hiſt. 28.*

Sed cur exhibuerit lac tam contrarium tophis cùm craſſi ſucci ſit, & viſcidi, ex Gal. *lib.3. de alim. facult. cap.15.* meritò inquires? Dic, ob gracilitatem, ne ſcilicet ſicca-
E tum corpus, & excarne in tabem incideret: multoties enim licet ſpernere vnam indicationem, ob aliam vrgentiorem. Hoc monet expreſsè Galen. *lib.10. meth. cap.1.* quo loco præſente inflammatione interna, in cuius præſentia gelidæ potus ad ſatietatem vſque reprobus eſt. *9. meth.5. & lib.11. cap.9. & 4. acut.12.* ob timorem febris hecticæ, ipſum concedit, dum ſic ait. *Sanè plerũque cauſæ maior eſt vis, fieri tamen aliquando poteſt, vt ea ſit febris magnitudo, quæ præſentem perniciem, niſi occurras, afferat. Quo caſu oportebit hac priùs ſubmota, deinde ad cauſam ſubmouendam accedere, &c.* ex quo loco tranſtulit Auicen. 1. 3. *tract.1. cap.7. in init.* dum dicit. *Et ſcias quòd febris quandoque eſt tantæ vehementiæ, & acuitatis, quòd non licet vti regimine cauſæ, immò indiget infrigidatione multa, &c.* & Galen. manifeſtè edocuit *10. meth. c.6. §. Oportet autem quamprimùm ptiſanæ*

cremore & ſorbitione ex alica nutritum,panéque pòſt oblato, frigidæ potione hominem cures, quippe protinus extinguitur, ac ceſſat omnino febris,modò (vt dictum eſt) nec phlegmone aliqua ei ſit adiuncta,nec putredo humorum; nam ſi horum vtrumuis ſit, attendere diligenter oportet,ac diſcernere, quo primùm tempore dare homini frigidam ſit audendum. Ego enim talium quoque non paucis dedi, tutius eſſe ratus phlegmonas in præſens augere, quàm ſinere hominem hecticam febrem incurrere. Quare vrgentiori ſuccurens Galenus, lac exhibuit,vt ſiccitatis lapſum futurum anteuerteret.Solue ſecundò,ſi dicas,Galenum exhibuiſſe lac aſininum,quod cæteris eſt tenuius, ex Gal.*lib.7.meth.c.6.& 10.ſimpl.tit de lacte,& lib.4.acut. text.*109.Num autem aſininum camelino, aut equino ſit tenuius,conſule Manardum *lib.6.epiſt.*5.Rorarium *incontradict. Gal. contradict.* 89.Ioannē Brauum Petraſitan.*lib.2.de ſimpl.medicam.delect.c.*19.*de lacte.*

HISTOR. XL. GALENI, De podagra.

Podagricus mediocriter incedens, Medici imperitia, medicamento applicito, in totum ſine motu remanſit.

EXtitit *Medicus,qui temerè, ac citra diſtinctionem medicamento podagrico vtebatur, quùmque ille huius medicamenti mirificam laudem iactaſſet, atque etiam num loquente forte fortuna aduenisſet podagricus quidam, qui tam mediocriter laborabat, vt incedere etiam poſſet,noſque iuſſiſſemus in illo primùm præbere experimentum, ille acquieſcens,pedi pharmacum appoſuit. At vir ille totam noctem inſomnem egit,ac poſtero die tantùm abeſt,vt commodè ſicut antea incederet,vt ne geſtari quidem poſſet. Adeò citra vllam explorationem,ac temerè, tum aliis quidem fidem habent, tum alios alij ſcientes, ac ſponte fallere gaudent, &c. Galenus* lib.1.de ſimplic.medic.facult.cap.27.

PARAPHRASIS.

QVantum intèrſit inter doctum Medicum, & indoctum, in hac hiſtoria explicat Galenus: nam ille ratione ductus, veràque fretus methodo, pro more maiorum adinuenit præſidia, quæ deinceps cum morbi leuamine vtilia eſſe confirmat experimentum: hic verò citra rationem, empiricorum more,applicat auxilia cum detrimento multo, perinde ac illi qui aleam iaciunt, quorum adminiſtratio magnum affert ægrotis incommodum, docente Galeno *lib.* 1.*epid. ſect.* 3. *com.* 50.*Nihil itaque*(inquit ipſe *loc.cit.*) *vnquam inſtitui, quin apud me priùs periculum facerem,ne quid,ſi votum non obtinerem, offenderem ægrum.* Cuius edicti immemor hic Medicus, omnes eodem calopodio calceabat, quod ſummè deteſtatur Galenus *lib.*10.*meth.cap.*16.

Sed rogabis, quod fuerit medicamentum parti impoſitum, ex quo tanta noxa eſt ſequuta? Dic, fuiſſe nimis calidum, quod circulatores, & Chymici admouere ſolent, ignorantes arthriticos dolores à cauſa calida, immò ex ſiccitate poſſe quandoque oriri, provt Galenus in pluribus locis aſſeruit, & explicuit Petrus Salius *lib.de affectibus particularibus, cap.* 16. *de Iſchiade,& articulari morbo à morbo bilioſo ſuborto.*

Quapropter medicamentum vel poterat eſſe frigidum, vel calidum. Si illud,refrigerauit articulos, & craſſum impegit humorem. Si calidum nimis, innatum partis calorem reſoluit,& vehementer attraxit, vnde in corpore præſertim debili, & dolore vexato, ſubiti, & repentini fiunt humorum confluxus ad debilem, & dolore oppreſſam particulam. Quapropter cùm hoc ab Empirico, & irrationali nebulone eſſet inculcatum præſidium, citra præuia vniuerſalia præſidia, nil mirum ſi confluentibus humoribus ad artus, inſoleſceret malum.

Peſtem hanc ſemper habuit, & habebit ars medica, nempe hos Chymicos,qui ſua ſecreta, quintas(vt vocant,) eſſentias, magiſteria,& elixir vitæ, contra morbos circumferunt, & tot laudibus prædicant, ac inſtantaneam ſanitatem pollicentur, non ſine maximo ægrotantium damno, nonnunquam etiam cum ſumma virium iactura. Neque verò reprehendas Galenum, quòd permiſerit ignaro medicamentum imponere: nam multoties ægri vel temeria remedia amplectuntur ſalutis ſuæ auidiſſimi, qua nihil eſt pretioſius in vita, auctore Galeno *lib.* 7. *meth. cap.* 6.Adde, licere multoties,ad confundendos hos circumforaneos, experimenta eorum permitti: & eò magis quia multùm præſtat noxa vnius hominis, plurimorum, qui in illorum manus poſſunt incidere, vitam redimere.

Narrat doctiſſimus Hildanus *l.*4. *centur.chirurg.obſ.*82. exemplum nobilis cuiuſdam, qui varia expertus auxilia cùm podagra eſſet affectus, iuſſu cuiuſdam Empirici Mercurio vnctus, in ſæua ſymptomata eſt delapſus, & vix vnxerat artus, quando ſequuta faucium, linguæ, gingiuarum, totiúſque corporis tumefactione, & exulceratione, cum ſumma virium iactura occubuit. Mercurij enim vi, pituitoſus, lentúſque humor, ex omnibus corporis partibus impetuosè delatus ad artus, ingraueſcunte dolore, & reſoluto ſpiritu, innatum ignem extinxit. Idem quoque idem Hildanus ſcribit *lib.*3. *centur.chirurg. obſeru.* 82. de quodam, cui cùm ob podagram ex fluxu humoris, tumor ſcirrhoſus in tibia propullaret in parte interna, ab Empirico reciſo tumore, in ipſa operatione animam efflauit. De Chymicorum inſcitia, temeritate, & arrogantia, legendus elegantiſſimus Rodericus à Caſtro *lib.*1.*de Medico Politico, cap.* 6.

HISTOR. XLI. PAVLI, De arthritide.

Arthriticus Hermodactylorum ope curatus.

N*Otus mihi eſt, qui non hermodactyli ſubſtantiam, neque aliquod ex ea compoſitum medicamentum, ſed herbæ ipſius decoctum cum aliquo conſueto medicamine,vtpote aniſò, vel apio decoquens, ipſum potui exhibuerit,ac mirum eſt quàm reſoluta ſæpè aluo defluxionem ſedaret.Verùm quia ſtomacho inimicum eſt, iis poſtea quæ ſtomachum confirmant, viréſque eius recolligunt, mediocri calfactione os ventriculi corrigere oportet, &c. Paulus* lib.3.cap.78. rubric.2.

PARAPHRASIS.

VT notiſſima radix eſt ea, quam Officinæ Hermodactylum vocant; ita ignotum, obſcurúmque eſt quo nomine ſit apud antiquos recitata,& quam rem voluerint ipſi Hermodactyli nomine ſignificare, vt ait Manardus *in com.cap.*6.*Meſuæ lib.de medicament.violenter puogantibus*:nam adhuc ſub iudice lis eſt. Alij Colchicum & Ephemerum eſſe Græcorum aſſeuerant: negat Ruellius *lib.*3. *de natur. ſtirp.cap.* 115. Vtcumque ſit, eligitur Hermodactylus,candidus corpulentus, plenus,grauis, non carioſus. Naſcitur in montibus, colligitur vere,ſiccatur in vmbra, & conſeruatur per annos tres; pituitam craſſam attrahit, & à iuncturis eradicat;ob id podagræ, & aliis vitiis articulorum à Paulo, Serapione, cæteriſque Arabibus conceditur.Vnde Auic. 22.3.*tract.*2.*cap.*8. ex ſua, & aliorum mente affirmat, eſſe vtilitatis maximæ, licèt debilitet ſtomachum, ſic enim ait; *Verùm Hermodactyli ſunt nocui ſtomacho:quare oportet vt miſceantur cum eis quæ ſunt,ſicut piper, Zingiber, & cyminum, & quandoque ea quæ ſunt ſicut aloe, &c.*

Et licet roborent, euacuent humorem frigidum à iuncturis, & prohibeant ne ad affectus confluant articulos redundantes ſucci, tamen noxa non carent debilitandi ventriculum,quæ facilè aromatis corrigitur,& ſic correcti valenter

valenter operantur, & ex iis parat Meſuë pilulas, quas maiores vocat, ad vacuandum humorem tenacem, in partibus remotiſſimis vehementer infixum, mirabiles. Et quamuis Coſtæus *ſuper Auicen.* & Manardus *loc. cit.* ab hoc medicamento abſtineant, cuius origo incertiſſima eſt; tamen ex eo nullam noxam conſpexi, immò frequenter obtuli in decoctis, apozematibus, expurgantibus, & cum ſaccharo ex eius puluere tabellas, & electuaria paro, & pro morbis frigidis cerebri, Gallico præſertim, ſummam ſemper ſenſi vtilitatem: nam ægri largiter per aluum vacuato humore citra moleſtiam, à morbo mirificè ſunt leuati, maximè ſi cum puluere Mechoacæ, fol. ſen. aniſi, cinnamom. radic. chinar. ſmilacis aſper. & ſacchar. ſit permixtum, & de ſuper aſſumatur decoctum ſmilacis. De cuius medicamenti vtilitate, lege Iacob. Fontan. *lib.4.pharmac. general. cap.* 8.

HISTOR. XLII. GALENI, De femoris ſcirrho.

Femoris tumor durus ex Eryſipelate malè curato ſubortus, emollientibus, & reſoluentibus curatus.

*IDcircò tibi in memoriam reuocanda ſunt, quæ inuicem commentabamur, quando Cercilij puerulum curabam, cui ex * Eryſipelate nimis * infrigidato, atque aſtricto tumor ſcirrhoſus in toto femore relinquebatur. Exiſtimamus enim medicamenta, quæ ipſum curare deberent, tenuia eſſe oportere: quare femur oleo perfundebam, in profundam peluim poſito puero, quæ multum Sabini olei continebat, eo quòd omniũ tenuiſſimum ipſum eſſe ſciebam. A balneo verò abſtinebam, niſi in longo interuallo dierum, totius corporis curandi gratia. Poſtquam verò partem fouimus, medicamenta ex prædictis medullis, & adipibus confecta adhibuimus, miſcendo nonnunquam bdellium Scythicum, maſtichem Ægyptiam, atque ammoniacum thymiama vocatum, quod pingue, & non vetuſtum eſſet: ſimiliter, & chalbanum. Et poſtquam per hæc præparatum fuerat, ſoluens ammoniacum pinguiſſimum in aceto acerrimo, circumliniui totum femur circumcirca: deinde per aliquot dies opopanacem pinguiſſimum miſcui aceto acerrimo, & huius videlicet exſoluẽs id, quod recens erat, alioqui pinguis non permaneret, quemadmodum nec bdelliũ, nec ammoniacum, nec chalbanum. Iuſsique puerum alteri cruri innixum ſaltare, vt plus cibi ad illud ferretur. Poſteà vbi repulſus erat iam ſcirrhoſus tumor, timens ne eius reſiduum maneret, omnia è contrario facere aggreſſus ſum, femur ex aliquo medicamento eorum, quæ pice conſtant, perungens. Manifeſtè itaque clarebat, quòd ex aceto linimenta egregiè tumorem comminuerant: laxatiua autem molliorem reddiderant, minorem autem nequaquam: viciſſim tamen eis vtendo, adhibito conuenienti moderamine puerulum curaui. Nam ſi altero duntaxat medicamentorum genere quis curationem attentaſſet, nihil ad ſcirrhi ſolutionem profeciſſet, &c. Galenus* lib. 2. ad Glauc. cap. 4.

PARAPHRASIS.

SOlertiſſimus Medicorum Magiſter exemplum propoſuit ſcirrhoſi tumoris, qui eſt contumax ſanè, & rebellis: nam ſi exquiſitus ſit, incurabilis prorſus exiſtit; quum enim pars priuetur ſenſu, & facultas per neruos non influat, medicamenta non operantur, quoniam à facultatibus ſuppetiæ non feruntur. Si durus eſt factus, medicamentis non cedit: nam mitia nihil efficiunt, fortia plus indurant. Non exquiſitus, quum à terreſtri oriatur humore, difficulter curationem ſuſceptat, ex Galen. 3.*acut.* 12. & 2.*progn. com.* 46. & 2 *ad Glaucon.* 4. & 7.*ſec. gener. cap.* à Paulo *lib.4.cap.*32. Auicen. 2.5.*tract.2.cap.*11. Rhaſio 27. *continent. tract.2 cap.2.* Guidon. *tract. 2. doct. 1. cap. 5.* Alzaharau. *lib pract. tract.39. cap.* 15. Explicant eleganter Hieronym. Fabricius ab aq. pendente *lib.1.de tumorib. præter natur. cap.*11. Vidus Vidius *lib. 5. de curat. generat. cap.*10.

A Hic ergo pertinax tumor ex glutinoſo, terreſtri, & exſiccato humore generatus, difficilis eſt curationis: & ſi curandus eſt, oportet vt totum quod in parte affecta tenaciter impactum eſt, vacuetur, ex Gal. 14.*meth.cap.*5.

Hoc opus perfici non poteſt, niſi emolliatur durities, & attenuetur; quod præſtant calefacientia & exſiccantia; ſed vtraque non debent eſſe valida, quoniam violenter digerentia, ſuperfluitatem reliquam omnem exſiccant; & ſic pars ad ſummam duritiem deuenit. Frigida humorem incraſſant, incrudant, impingunt, & tenaciorem reddunt, vt accidit huic puero, cui eryſipelate tentato cùm nimis infrigidantia ſuper partem inflammatam eſſent applicita, humor craſſior eſt factus, & ad ſcirrhoſam naturam conuerſus.

B Vt tamen curatio ordine ſuo procedat, humórque cedat, & per halitum digeratur, primò emolliendus eſt iis quæ tenuia ſunt, partem intimiùs penetrant, humorem concretum fundunt, liquant, & tandem reſoluunt. Hoc monuit Galen. *lib. 8.ſec.loc.cap.*8. dum ſic ait. *Quæ verò ob frigidos, & viſcoſos humores in ſolidis corporis partibus imbutos indurantur, ex neceſſitate frigidam habent affectionem; quare calefacientibus; ſimúlque tenuium partium pharmacis opus habent: hæc enim ſufficientia ſunt, ad viſcoſitatem humorum, in induratis particulis infarctorum extergendam; & ad ſecandam craſſitudinem, & ad diſſoluendos humores ita extenuatos, &c.*

Audi Galenum *lib. 14.meth.cap.4.* de curando ſcirrho: *Siquidem humor vnde eiuſmodi vitium naſcitur, aut glutinoſus eſt, aut craſſus, vtriuſque rationis particeps: Curandi* C *verò eius communis indicatio eſt, vt quod præter naturam in particula eſt, totum vacuetur. Modus autem eius vacuationis proprius eſt: nam detergere id vbi contumaciter inhæret, oportebit. Quod ſi quis iis, quæ vehementer trahunt, digeruntque medicamentis vacuare tentet, nec iis quæ humectent, & excalfaciant, molliat, ac liquet, huic paucis primis diebus egregiè proceſſiſſe curatio videbitur: cæterùm quod de affectu reſtabit, veluti lapidoſa concretio linquetur. Quippe etiam qui in articulari morbo viſuntur pori, ex humore craſſo, glutinosóque proueniunt, quando is non paulatim eſt digeſtus, ſed violentis medicamentis totus ſimul ſiccatus. Ad eundem modum, & calculi generantur in renibus, aſſo ſcilicet in his craſſo, glutinosóque ſucco. Hac igitur de cauſa ad ſcirrhoſos affectus nullum vehementer excalfaciens, ſiccánſve medicamentum eſt aptum, ſed ea tantùm, quæ eum molliendo digerere queunt, &c.*

Hanc eximiam curandi methodum poſt Galenum, omD nes Principes obſeruant. Aëtius *tetrab.4.ſerm.3.cap.3.* Paulus *lib.3.cap.*31. Auic. 3.4. *tract.2 cap.*12. Quare oleum Sabinum cùm hac facultate pollere aſſerat Galenus *lib.1. ſec. loc. cap.2.* & 10. *method. cap.9.* immò ipſum tenuiſſimum eſſe dicat ſi ſit bimum, trimúmve *lib.6.meth.cap.* 2. & facilè penetret, ex Paulo *lib.7.tit.de oleo*, relaxat, emollit, & reſoluit, ex Gal. *lib.3.de ſanit.tuend.cap.6.* & *lib.4.eiuſd. cap.6.* quo pacto partem inflammatam, vt rectè oleo perfunderetur, in peluim immitti iuſſit, & ægrum à conſueto balneo abſtinere; hoc enim ex Gal. *lib.1.ad Glaucon.cap.9.* & alibi paſſim, potentia refrigerat, & craſſum humorem incrudat. Sed ob conſuetudinem, ne eius abſtinentia aliquod afferret detrimentum, id conſuluit. Poſt olei vſum, emollientia imperauit ex adipibus, & medullis confecta. Hæ quò recentiores fuerint, debiliùs emolliunt, vetuſtiores fortiùs. Quoniam verò adipes, axungiæ, & E medullæ porum emolliunt, gradatim ad fortiora peruenire, ſalubre iudicauit, & ſic adiecit bdellium, maſtichem, amoniacum pingue non vetuſtum; hæc enim validiùs emolliunt, & in robuſtis corporibus, aut inueterata duritie proſunt, vt retulit Galenus *lib.7 ſec.gener. cap.3.*

His celebratis, ad aceti applicationem acceſſit, quoniam femur neruis caret; ob quam cauſam in tendonibus, & ligamentis vtitur aceti vapore, *lib. 4.meth.cap.6.* quare quando particulæ neruis ſunt orbatæ, aut exiguo ſenſu pollent, vt iecur, ſplen, & carnoſæ muſculi partes, tunc tutior eſt aceti vſus: nam penetrat, incidit, & craſſum humorem citra moleſtiam extenuat, & eò ampliùs ſi ſit amoniaco diſſolutum. Quare in vteri duritie, & ea

quæ

quæ ventriculi os attingit, acetum renuit. Auxilia in dies viciſſim mutauit, ne aſſidua mollitione, & digeſtione tumor dureſceret magis. Altero cruri innixum puerum ſaltare iuſſit, vt ob motum, calore excitato, plus cibi ad illud deferretur: nam cùm pars eſt malè affecta, quantò minus ſanguinis, & nutrimenti ad eam tranſmittitur, citiùs ſanatur.

Poſt emollitionem repulſo tumore ſcirrhoſo, ne eius reſiduum remaneret, contrariam methodum obſeruauit, medicamentis ex pice conſtantibus partem perungens, vt graciles partes nutrirentur. Quantam autem partes,appoſitis medicamentis ex pice, ſeu picatione, ſuſcipiant vtilitatem, & attracto cibo ratione caloris, ad partem debilem & excarnem, ſic feliciùs nutriantur, docuit Galenus 7. *meth*.7.*&* 14.*cap*. 16. *&* *lib*. 3.*de officin. medic. cap*. 32. & alibi. Si enim alio medicamenti genere vſus eſſet, nimiúmque exſicaſſet, & emollientia non præmiſiſſet, vel inuerſo ordine eis vſus eſſet, vtique vel nihil profeciſſet, vel in immedicabilem duritiem, tumorem perduxiſſet. Hæc eſt ſuccincta, breuiſque huius hiſtoriæ explanatio.

Rogabis, quæ fuerit cauſa, cur ex Eryſipelate nimis infrigidato, atque adſtricto ſcirrhoſus propullulauerit tumor? Reſpondet Galenus *lib*. 2. *ad Glauc.cap*. 1.quoniam humoris bilioſi pars craſſior adſtringentium vi coërcita in duritiem abiit. Adde tu, quoniam repellentium vſu ſuperfluo pars tenuior fuit expreſſa & vacuata, remanente terreſtri aduſta, & craſſa. Repellentia autem cùm frigida & ſicca ſint, adſtrictione ſua poſſe repellere, & vacuare humorem in parte inflammata contentum, appoſitiſſimè probat Galenus *lib*.13.*meth. cap*.6.§.*Vacuatur autem quod impletum eſt, non modò medicamentis iis quæ digerunt; ſed etiam quæ adſtringunt & refrigerant,&c*.Probat Gal. *in art. medic.cap*. 95. explanant grahpicè Andreas Planerus *in com. cit.cap. Gal*. & Valleriola *lib*.1.*enarrat*.5.

QVÆSTIO XLVIII.

Vtrùm in celebranda phlebotomia in Eryſipelate poſito inter duas cutes, errauerit Auicenna, vt firmat Valleriola.

COMMENTARIVM.

E*Ryſipelate*.]De Eryſipelatis natura, cauſis,& curatione, veterum, & iuniorum doctiſſimi ſatis multa ſcriptis promulgarunt. Illud hinc non ita cenſebitur abiundum, quod Arabum, & præſertim Auicennæ,Medici eximij ingreſſi pomœria præcerpſimus: Cur tantus auctor ſanguinem emiſerit liberaliùs in Eriſipelate poſito inter duas cutes: & in profundo, ab ea abſtinuerit. Ita enim habet Auicen. 3. 4. *tract*. 1.*cap*. 5. *Et phlebotomia quidem non multum confert, niſi quando materia eſt inter duas cutes; ſi autem profunda fuerit, tunc eius iuuamentum minoratur, & fortaſſe attrahit*.

Sed hæc ſententia maximas patitur difficultates. Nam in Eryſipelate ſanguis mittendus non eſt, quia à ſola ſyncera bile oritur, ex Gal. 13.*meth.cap*.21. *&* 3.*de loc*.7.*&* *lib*.1. *prorrhet*.1.*&* 6.*aph*.33.*&* 2.*feb*.3.Paulo *lib*. 3.*cap*.6. quare Galenus *lib*.2. *ad Glauc*. 3.*&* 14.*meth.cap*.4.in Eryſipelate renuit venæ ſectionem.§.*Porrò in talibus ſanguis mittendus non eſt, ſed ventrem tantùm expurgare ſufficit: dandū autem medicamentum quod bilem flauam educat,&c*. Cùm enim cacochymia bilioſa in habitu corporis redundat, alieniſſima venæ ſectio eſt;nam ducitur æger ad cholericorum ebullitionem, quod tantopere timuit Auicenna 4.1. *cap*.20. Hanc methodum ſecuti ſunt Paulus *lib*. 2.*cap*. 21.Aëtius *tetrab.ſerm*.1.*cap*. 80.Trallianus *lib*.12. *cap*.6. Haly 3. *pract. cap*. 12.Rhaſis 7.*continent cap*. 3.

Deinde cur concedit venæ ſectionem in Eryſipelate poſito inter duas cutes, & renuit in eo qui eſt in profundo; ſiquidem phlebotomia promptiùs euacuat humorem, qui in trunco corporis redundat, quoniam magis efficax, neceſſaria, & vtilior cenſetur ſanguinis miſſio, quando interiores partes phlegmone infeſtat: cur ergo à ſi hoc auxilium peccantem humorem ex profundis corporis partibus promptiùs euacuat, tunc ſecuriùs non adminiſtrabitur?

Valleriola non incelebris auctor *lib. enarrat* 4. Auicennam erroris inſimulat, eiúſque edicta temnit, & damnat, falsúmque inflatis buccis appellare non erubeſcit: nam Eryſipelas in habitu corporis propullulans, à tenuiori oritur humore, & bilioſo, in cuius præſentia ſanguinis miſſio eſt inutilis, quia tunc Eryſipelas eſt exquiſitum.

Andreas à Cruce, Chirurgus famigeratiſſimus *lib*. 1.*de tumorib.choleric.tract*.3.*cap*.2.varias pro huius tenebricoſæ ſententiæ ſenſu affert expoſitiones, tandémque iis relictis, contextum Auic. eſſe corruptum, tollendámque particu-

B lam(*niſi*)aſſeuerat.Coſtæus *in com*.legit:*quando materia eſt inter duas cutes*: & dum dicit Auicenna, *ſi autem eſt profunda*,vertit ille *pura*.Sed hi miſerè decipiuntur;nam prior nullo habito reſpectu de tanti viri fama, aut dignitate, balantum more ſequutus Manardum, & Leonicenum, qui perfricta fronte Arabes tot iniuriis laceſſunt, eum erraſſe, veram tanti loci conciliationem ignorans aſſeuerat. Alij ad libitum veteres ſcripturas permutant, quas tantoperè eſſe obſeruandas Galenus commendat, *epid. ſect*.3.*com*.31.§.*Cæterùm ego veteres ſcripturas, etſi difficilius explanentur, ſemper eligo, &c*.

Solue tu hoc modo. Eryſipelas aliud eſt exquiſitum, à ſola bile ſyncera pronatum; aliud, cùm flaua ipſa bilis ſanguini feruentiſſimo, tenuiſſimo permiſcetur, quod non ſimpliciter Eryſipelas, ſed cum addito phlegmono-

C ſum appellatur à Gal. 4.*meth*.3.*&* *lib*. 2.*ad Glauc.cap*.1. *&* 2.*&* *lib.de tumorib.prater natur.cap*.7.in vtroque præſtant ſanguinis miſſio, & purgatio. Sed in tanto feruore quis audebit citra præuiam phlebotomiam, iſtam exercere, ob hepatis & viſcerum feruorem, & ob agitionem, quam vel benigna pharmaca inferre ſolent? Nam ſanguinis miſſio reuellit à parte fluxione tentata, euacuat, tranſpirat, & bilioſum ſanguinem, vt iacet in venis, promptiſſimè educit.

Neque enim ſola pura bilis, aut ſeparata in totum à ſanguine, concurrit ad partem, ſed dicitur ſyncera, & pura, quòd minimum alterius humoris admittat, ex Gal.2.*prog*.38. *&* *lib.de diſ.morbor*.12.Audi Auenzoarem *lib*.1.*theizir, tract*.3.*cap*.5.dum agit de eryſipelate cerebri. *Et ſcias quod non generatur apoſtema in hoc panniculo nec, in alio loco, ex vno ſimplici humore, cui etiam alius humor non ſit adiunctus, ſed denominatio fit à maiori:v.g.quando*

D *dicimus quòd eſt ex cholera,non intelligas quòd eſt ex cholera pura,ſed cum aliis humoribus mixta:ſed eam choleram nominamus, quia aliis humoribus prævalet in quantitate,virtute, & natura, &c*.

Ceſſent ergo infamare Auicennam, cuius ſalutaria præcepta tam multis fuere ſaluti. Concedit ergo hic auctor venæ ſectionem, tam in materia poſita inter duas cutes, quàm in profunda: ſed non tantam in iſta, quàm in alia vtilitatem afferre, ex contextus ſerie patet manifeſtè, quia materia eſt profunda; & per hoc verbum *profundum*, non intelligit quòd ſit in profunda corporis parte repoſita, quia tunc maius commodum afferret,ſed intelligit quòd profundetur in membro, ipsúmque exulceret, & aliùs penetret, quia eſt bilioſa, craſſa, atque aduſta; nam ſi ſubtilis eſſet, non aduſta, & naturæ ſan-

E guinis valdè propinqua, non profundaretur, nec altiùs penetraret, ſed aliam inflammationem faceret, quam inter duas cutes, nempè cutem, & cuticulam ipſe appellat, in qua phlebotomia eſt vtilis; in profunda non tantam affert vtilitatem, quoniam bilis in maiori copia redundat, in cuius præſentia ſanguinis miſſionem non ita eſſe proficuam aſſeuerat; quoniam vacuato ſanguine, qui eſt frænum bilis, hæc furit & excandeſcit, & ab extimis ſedibus ad intimas attracta venæ ſectionis vi, febris exaſperatur, & fit cholericorum ebullitio, quod explicat per verbum (*&* *fortaſſe attrahit*) vt fusè diximus *lib*. 1. *in com. hiſt*. 63. Lege Gentilem, & Dinum, acutiſſimos Auicennæ interpretes, qui de hoc argumento appoſitè diſceptarunt.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XLIX.

Vtrùm in imponendis topicis in Eriſipelate, frigidis & ſiccis, Auicenna fuerit deceptus, vt retur Valleriola.

V*Ehementer infrigidato, atque adſtricto.*] Verum enimverò, quia veterum Medicorum ſcita, de topicorum adminiſtratione in Eryſipelate patefacimus, placet parumper, ſepoſitis aliis, in eaſdem excurrere amœnitates Dum enim Galenus cauſam ſcirrhoſi huius tumoris aſſignat, eam fuiſſe potiſſimùm refert, quòd ſuper partem Eryſipelate affect um nimis adſtringentia eſſent applicita, cenſens nimirum in initio affectus huius, repellentia propriè dicta reproba eſſe, & nullius vſus, frigida nempè & ſicca, quæ adſtrictione ſua impensè infrigidant, & cohibent exhalationem vaporis mordacis, & acris, qui ex feruida bile in inflammata parte contenta retentus, prohibitus difflari, cùm ſit calidiſſimus & ſicciſſimus, innati caloris ſubſtantiam reſoluit, ſpiritus abſumit, erodit, vlcerat, atque ita natiuo partis calore depopulato corrumpitur pars, & ſequuntur liuores, nigroréſque, magnum certè, & irreparabile eryſipelatibus malum, ex Gal *lib.* 1.*ſec. gener. cap.* 4.

Quapropter prudenter Galenus *lib.* 2. *ad Glauc.* 2. illa pro Eryſipelatis curatione amplectitur, quæ ſine forti adſtrictione infrigidant. Sequuntur Dioſcorides *lib.* 5. *cap.* 54. Aëtius *tetrab.* 4. *ſerm.* 2. *cap.* 59. Oribaſ. 7. *ſynopſ. cap.* 32. Rhaſis *lib. de diuiſion. cap.* 126. Alzaharau. *lib. pract. tract.* 39. *cap.* 5. Paulus *lib.* 4. *cap.* 21. Hæc eſt concors omnium Medicorum, & Chirurgorum ſententia, ab vſu ipſo edocta. Nec diſſuadet ratio, quoniam bilis eſt calidiſſimus & ſicciſſimus humor omnium qui ſunt in corpore, ex Gal. 10. *ſimpl. tit. de felle*: quare cùm feruet, & ebullit, contrariis, frigidis & humidis eſt infrænandus.

Sed quid reſpondebimus Auicennæ, aſſerenti ex diametro contrarium, dum 3. 4. *tract.* 1. *cap.* 5. ſic profatur. *Et oportet vt ſit infrigidatio eius in principio fortis ſtipticitatis, ad hoc vt forſitan augmentetur eius ſtipticitas ſuper ipſius frigus vehementius ſtipticitate ſua, &c.* & *infrà* ſic ait *Et ſi fuerit Eryſipelas ſuper cutem, curetur ex ſcoria plumbi, cum vino pontico ebullito cum foliis ſiclæ bullitæ cum vino, & curetur cum eo in quo eſt reſolutio, & exſiccatio fortis cum infrigidatione, &c.*

Vidit iſtam controuerſiam Valleriola *lib.* 5. *enarrat.* 4. qui vltrò, citróque diſcurſans, Auicennam deſerere, quàm interpretari maluit Andreas à Cruce *lib.* 1. *de tumorib. cholericis, tract.* 3. *cap.* 12 mutando contextum, Auicennam conciliare conatur, & legit verba (*fortis ſtipticitatis*) ita vt ſonent (*fortis exulcerationis* :) ſed cùm textus citra neceſſitatem non ſint inuertendi, illius ſolutioni acquieſcere non poſſum; & licèt rectè eſſent tranſlata verba, ſecunda Auicennæ ſententia adhuc inſoluta manet, nec minimùm ſtare poteſt cum Galeni mente; nam infrà ſic ait: *& curetur cum eo, in quo eſt reſolutio, & exſiccatio fortis cum infrigidatione.*

Solue tu dupliciter. Primò cum doctiſſimo Coſtæo, qui *in com. cit. cap. Auic.* hunc auctorem de Eryſipelate vlcerato intelligendum putat. Cuius explanationem allata Vigonis ſententia ſic confirmo: hic enim *lib.* 2. *de apoſtematibus, cap.* 5. *in fin.* ſic nodum ſoluit. *Repercuſſiuum itaque apoſtematis cholerici, teſtem adducendo Rhaſim, debet eſſe frigidæ & humidæ complexionis, niſi Eryſipelas reperiatur cum vlcere; quia licèt ratione materiæ, ipſa medicina deberet eſſe frigidæ & humidæ complexionis, ratione tamen vlceris debet eſſe frigida, & ſicca.* Quapropter de Eryſipelate ſimplici Galenus eſt intelligendus, Auicenna de vlcerato explanandus. Lege Petrum Pigræum *lib. de tumorib. præter natur. cap.* 10. *de eryſipelate.*

Solue ſecundò, cum eruditiſſimo Dionyſio Daca *lib.* 2. *de apoſtemat. cap.* 2. nam Auicen. imponit medicamenta fortis ſtipticitatis, non ea quidem ſola, ſed cum maiori humectantium copia permixta: hæc enim roborant, repellunt, & bilioſum humorem contemperant. Ita intelligendus eſt Celſus, qui *lib.* 5. *cap.* 26. in hoc affectu impo-

A nit repercutientia. Accedit, quòd ſi Auicennæ mens eſſet, in ſimplici eryſipelate ſola ſtiptica adhibere impermixta, non tantoperè in huius tumoris curatione, humoris retroceſſum ad partes internas pertimeſceret, quem recurſum valdè formidat Hip. *lib.* 6. *aph.* 25. Nec inſtes, Galenum 14. *meth. cap.* 3. in eryſipelate, poſt totius corporis euacuationem repellentibus fuiſſe vſum: nam per ea intelligit frigida & humida, vt ſunt malua, viola, & alia, quæ contemperando calorem innatum, & bilioſi humoris acrimoniam retundendo, latè repellere dicuntur, quæ in Eryſipelate ſummo eſſe ex vſu, ob dictas cauſas, *ſuprà* monuimus.

HIST. XLIII. TRALLIANI,

B

De œdemate pedum.

Pedum œdema, ſalis fomento curatum.

S*I laxi tumores ſint, in quibus humor qui influxit, neque craſſus & terreſtris exiſtit, ſed laxus & mollis, tangentibus ſtatim digitis cedens, ſpiritum flatuoſum, & pituitam humidam aquoſámque fluere ſuſpicamur. In his conueniunt potiſſimum, & ceratum quod ex ſale paratur, & inunctiones. In quibus autem illitus, aut inunctiones nihil proficiunt, his etiam fomenta ex ſale torrefacto frequentiùs mutata, aptè accommodantur. Etenim ab ipſis non modò leniuntur, ſed etiam plurimùm adiuuantur. Ego ſanè noui Romæ virum quendam longè clariſſimum, qui fomento ex ſale ſemper* C *vteretur, atque hinc valdè mitigaretur. Quòd autem hoc opituletur, omnibus manifeſtum eſt: nunquam enim læſionem aliquam articulorum, neque tophum excitaſſe viſum eſt, &c. Trallianus* lib. 11. cap. 1. tit ſi pedes tumoribus pituitoſis, laxíſque infeſtentur.

PARAPHRASIS.

PEdes, extremáſque corporis partes ſæpè pituitoſis, laxíſque tumoribus infeſtari, res eſt manifeſta. Cùm enim hæ remotæ ſint à fonte caloris, frigidæ ſint, oſſeæ, exangues, præ natiui caloris inopia crudum, aquoſúmque humorem generant, & flatus multos, quos præ debilitate abſumere nequeunt. Accedit quòd in febribus chronicis, frigidiſque morbis, natura criſi quadam pituitoſa excrementa ad eas, tanquam ignobiles, & à viſceribus lon- D gè remotas detrudit, vt Hipp. 2. *progn.* 3. ſcitè edocuit.

Hinc factum eſt, vt proferat Ariſtoteles *lib.* 2. *probl.* 26. pedes minimè omnium ſudare, quoniam cùm oſſibus, venis, atque aliis partibus duris conſtent, humorem influxum elidere nequeunt. Qua ratione ſæpè ceſſante morbo, & deletis ſymptomatis, dolores pedum diutiſſimè durant, vt monuit Gal. *lib.* 3. *epid. ſect.* 3. *com.* 78. in hiſtoria Virginis Abderitanæ, quæ cùm à cauſo euaſiſſet, pedum dolores diu ſuſtinuit. Cùm ergo humor aquoſus eſt, ex partium frigido intemperamento, hepatiſque debilitate genitus, vt in hydrope, & conualeſcentibus accidere ſolet, vel in aliis partibus, vt in capite, & ſcroto, iſque flatu plenus, in pedes, aut alias imbecilles partes confluit, fit mollis, laxúſque tumor, ex Galen. *lib.* 10. *ſec. loc. cap.* 2. qui tangentibus digitis facilè cedit, foueámque E facit, & vocatur à Galeno œdema, 10. *meth. cap.* 4. & 2. *ad Glauc. & lib. de tumorib. præter nat. cap.* 11. Aëtio *tetrab.* 3. *ſerm.* 4. *cap.* 16.

Pro hoc tumore curando licèt plurima parentur auxilia, quæ latè priſci, & iuniores deſcripſerunt, nullum eſt commodiùs, quàm quod ex ſalis fomento paratur. De ſale ſolùm hiſtoriam retexere eſt opus, tanquam re in plurimos vſus laudabili: nam ſymbolum eſt ſapientiæ in ſacris literis; & prophani ſcriptores eandem ſapientiam, ac prudentiam ſalis nomine afficiunt, vt teſtatur Valleſ. *lib. de ſacra philoſoph. c.* 16. & 34. & priùs dixit Rhodiginus *lib.* 6. *lect. antiq.* 1. qui ſale, & Sole nihil vtiliùs eſſet corporibus aſſeruit.

De effectibus ſalis ſat plura prædixere Dioſcoridis interpretes, *in com. c.* 80. *lib.* 5. Sed præcipuus eſt, vt eius vſu

corpora

corpora à putredine præſeruentur :nam vt ait Gal. *lib. 5. ſimpl.4.c.26.ſalſum contrahit,conſtringit,condiendo ſeruat, & deſiccat, citra apertam, aut caliditatem,aut frigiditatem.*Auicenna ſimiliter *lib.2.tract.1.c.3. Operationes ſalſedinis sũt,abſterſio,ablutio & exſiccatio,& putrefactionis prohibitio,nam quæ putreſcunt, excrementitiũ continent humorem,ſubſtantiámque minimè compactam. Quibus ergo corporibus nulla prorſus eſt humiditas ſuperflua,ceu melli optimo,aut corpus ſolidum eſt,atque compactum,ceu lapidibus, ea à putredine aliena ſunt omnino, ac proinde in his ſalis non probatur vſus,ſed in iis quibus ſuſpecta eſt putredo.* Alteram iſtarum cauſarum protulit Ariſtot.*lib.21.probl.5.*dum quærit,cur panes non ſaliti plus ponderent, quàm ſaliti, cùm contrarium ſit veriſimilius,cùm ſal adiiciatur & grauior ſit quam aqua.Reſpondet,quia ſal exſiccare poteſt, ex quo incorrupta ſeruantur,quæ condita ſale reponuntur; abſumitur enim à ſale,reſiccatúrque humor, qui ex calore putreſcit:in pane igitur humor à ſale conſumitur,extráque efflatur.Quocirca panes poſtquam refrixerunt, leuiores, quàm calidi ſunt:contra iis qui ſale vacant,humor largior inſidens, efficit grauiores. Hanc prærogatiuam ſalis contra putredinem,Ægyptiorum comprobant inſtituta, quibus mortuos ſale condire moris fuiſſe planè Herodoto credimus,teſtante Cœlio Rhodigino *loc. nuper. cit.* ſed ne te ſuſpenſum teneam,in deſcribendis ſalis effectibus, conſule Leuinum Lemnium,qui *lib.3.de occultis natur.miracul.c.9.* de ſalis conficiendi modo,natura,effectu,& viribus,vſu,& differentiis egit eloquenter.

Cæterùm rectiùs feceримus,ſi hiſce noſtris commentationibus aliquid de nutrimento ſalis inſeramus:nam aliqui vſu ſalis tabeſcere corpora, alij pingueſcere aſſeuerant. Primum mihi ſemper arriſit plurimùm, quoniam hoc eſt veriſſimum Medicorum pronuntiatum. Quindi? cùm alimentum ſuppeditetur ex dulci.ex Ariſt.Deinde ſal pinguiores partes, quà ſiccus,& acer, rodit: ideòque neceſſe eſt gracileſcant membra : acribus enim & ſalſis humoribus in thoracem confluentibus, & erodentibus pulmonem, tabefieri corpora docet Cornelius Celſus *lib. 3. cap.22.*

Tertiò. Animantes ſicco nutriuntur & humido, ſi credendum Ariſtot *2.de partib.animal.c.3.*Sal verò ſiccus eſt, parui autem humoris,mox vt calore reſoluatur, vt ait Ariſtot.11 *ſect.probl.* 26. hanc rationem aſſignans, cur in ignem eiectus edat crepitum;neque tamen ſal omnis hoc patitur:nam ignium patientem eſſe Agrigentinum teſtatur Plin.*lib.*31.*c.*7.

Accedit,quòd alimentum reſtituit eas partes quæ quotidie abſumuntur. Sal verò ineptus eſt reſtituendo, nam potiùs aufert. Igitur extenuatur corpus. Inde Plinius *loc. cit. Omnis locus in quo reperitur ſal, ſterilis eſt, ita in arenis plantæ non ſunt ob exuperantem ſalſedinem* : quare ſapor ſalſus edendo idoneus non eſt, ex Theophraſt.*lib.6. de cauſ.plantar.c.*14.Sal enim, vt inquit Plato *in Timæo*, fit ex mixtione aquæ,ſed parua; ſed ita eſt terreſtris, vt ſit maximè ſiccus cum acrimonia; ita impeditur ex eo nutritio.

Obiicies primò.Piſces mari nutriuntur. Sed hoc verum non eſt, nam in mari nutriuntur, non mari,id eſt aqua ſalſa, ſuccis non omninò ſalſis, ſed dulcibus;nam piſcium eſca ſunt piſces,& ſordes maris,cœnum,limus,& alia præter ſodes.

Obiicies ſecundò,Plinius *l.*31.*cap.*7.pecudes, armenta, iumenta ſale maximè ſollicitantur ad paſtum.Plut.3. *& 4. quæſt. natural.* huius rei quærit cauſam, & reddit, multorum ſententia ampliùs nutriri, & pingueſcere, quòd cibi appetentiam ſal acuit, & poris aperiendis digeſtionem iuuat: ſic Apollonius Herophili diſcipulus dulcibus veſci animantia vetabat,ſed ſalſamentis, & ſalſioribus cibis vti iubebat, vt pingueſcerent. Huic dubio aptè reſpondet Marcellus Virgilius *in com. cit. Dioſcorid.* quoniam ſalis acrimoniâ excitatur auiditas cibi, & alimentum in membra ipſa, partéſque corporis defert, vt ſit quaſi vehiculum, & cuneus deuehendi commodiùs. Adde quòd ſalſa guſtui ſaporoſiora ſunt, & ſic promptiùs amplexata à ventriculo, & feliciùs coquuntur,faciliùs diſtribuuntur, & citiùs nutriunt.Deinde armentarij, & paſtores pecori ſuo ſal cum aqua delibutum lambendum proponunt, vt minuatur pinguedinis copia, quæ pecori morboſa eſt, quoniam ſal, & ſalſa abſumunt,& propter ſiccam intemperiem,vel acrem ſiccitatem radunt.Quòd ſi rei pecuariæ magiſtri, armentis ſalem in cibis, vel aquam apponunt, vt fiant fœcundiora id efficiunt. Hac de cauſa mare terrâ fœcundius, animalibus plenius, & diuerſorum magis generum, ac formarum; quamobrem non inſcitè veteres Poëtæ, ſalaciores finxerunt marinos Deos, vnde Ariſt. *6. de hiſtor. animal. cap. vlt.* mures affirmat impleri abſque coïtu, ſalem lingendo : enim verò libidinem irritat, vim ſeminalem excitando, opinor,quia calefacit,acuit, & penetrat acrimonia ſua : Ita Venus dicitur ſalax; & libidinoſi vocantur ſalaces, quibus ſalacium nomen à ſale impoſitum. Hæc cauſa fuit, cur apud Ægyptios Sacerdotes ſal non erat in vſu,eúmque auerſarentur ipſi,ac ſi Typhonis eſſet ſpuma, neque menſæ, ac cibis adhiberent, cùm tamen in ſacrificiis vterentur; non quidem è mari, ſed è fonte quodam Ammonis petito,vt auctor eſt Plutarch. *lib.de Iſid.& Oſir.qui lib.5.ſympoſ.q.*10. tradit Ægyptiorum ſacerdotes caſtiſſimos abſtinere à ſale, adeò vt pane etiam ſine ſale veſcantur. Quantus verò ſemper fuerit in vita hominum ſalis vſus, habes à Plut.eruditè explicatum *quæſt.8.lib.8 ſympoſ.*

At ne longior de ſale oratio inſulſa videatur,de eo agamus tanquam medicamento multis morbis, & præſertim œdemati valdè proficuo.

Galenus enim *lib.4.meth.cap.4.* & *2.ad Glauc.3.* oleo ſalem admiſcet ad diſcutiendum,quod auxillium huic vſui eſſe præſtantiſſimum, tenet Aëtius *tetrab.3.ſerm.4.cap.16.* Horum ſuaſu monitus Hildanus *centur. 1. epiſt.* 35. Vnguentum parat ex ſale ad roborandos artus vtiliſſimum, cuius ope ac efficacia podagram ſanaſſe gloriatur, & eſt huiuſmodi. ℞. *ſalis marini in furno exſiccati, & tenuiſſimè pulueriſati* ℥. ij.*olei lumbric. olei vulpin. ana.* ℥.iij. Miſce diligenter,& in mortario marmoreo fiat vnguentum.

Hunc vſum complet Oleum ſalis, cuius deſcriptionem proponunt Andernacus,Rubeus, Quercetanus, & Septalius *lib.7.caution.medic.n.*184. quod dolores podagricos egregiè ſedat,tophóſque diſcutit.

Nam fotu ſalis inſitus partis calor roboratur, noxius diſcutitur humor, abſumuntur excrementa, reſoluuntur flatus,affecta membra robuſtiora fiunt, & maximè ſi ſacculi pleni ſale benè triturato coquantur priùs vino, & ſic madefacti actu calidi parti imponantur,quod auxilium in frigida fluxione, humoréque pituitoſiore exiſtente nunquam me fefellit. Quo pacto Paulo *lib.3. c. 87. tit. de tophis*, inter cætera præſidia diſcutientia, fomentum ex ſale connumerat ; nam calore ſuo craſſum humorem extenuat, & adſtrictione particulam firmat, ex Galen.*lib. 3. aliment.cap.21.& lib.6.ſecund.gener.cap.2.tit.de emplaſtro ex ſcilla.*

Hæc eſt cauſa, cur contra Hydropicorum tumores tantoperè ſal laudetur à Dioſcoride *loc. cit.* & Auicen. *lib.2.tract.2.cap.623.* ex ipſo cum farina & melle parat emplaſtrum podagræ vtiliſſimum. Galen. *lib.6. per gener. cap. 9.* ex ſale fieri emplaſtrum aſſeuerat quod valdè digerat; & *in eodem lib. cap. 7.* ex eo plurima emplaſtra diſcuſſoria proponit. Quapropter *lib. 2. acut. 6.* fomentum ex ſale ad dolorem lateris ex flatu plurimùm laudat : nam auctore Auicen. *loc. citat. Sal eſt calefactiuus, reſolutiuus, carminatiuus, & roborans* : explicat Ioannes Sphronius *in ſua anatomia vitali cap. 37. de morbis ſulphureis.*

Ob has facultates, balneum ex ſale ſummè commendatur à Medicis, cuius admirandas vires confirmant Gabucinus *lib. de podagra, cap.*40. Sauonarola *tract.de balneis, rubric.* 3. Mercat. *lib.1.indicat.c.*13. Sic balnea ex aqua marina, ſalſuginoſa vocata, ſalis vi profunt aquæ intercuti, tumoribus laxis, & pituitoſis, ex Galen. *lib.14.meth.cap.15.& 1.ſimpl.4.& 3. aliment.*31. Paulo *lib.1.c.*52.Aëtio *lib.1.ſerm.3.c.*168.Auicen. 2.1.*doct 2. cap.29.*ſi deſit aqua marina, fiat artificiale, iniecto ſale

in

in aquam, quouſque lignum innatet; quod ſimiles naturali balneo ſalſo vires habere, *in meth.cit. loc.* Galenus inculcat.

Vltimò laxis tumoribus ſalis fomentum optimum, vt partem à putredine præſeruet; nam humor hic frigidus lentus facilè putreſcit, & copia ſua innatum calorem ſuffocans, mortificat: quapropter prudenter Galen. 2. *ad Glauc. c.9. de gangræna*, medicamentis contra putredinem ſalem commiſcet; quare ad partes nimia humiditate grauatas, fidiſſimo experimento compertum habeo emplaſtrum hoc, quod ad exſiccandum, & præſeruandum à corruptione, eſt nulli ſecundum. ℞. *ſalis minutiſſimè triturati* ℥.ij. *aluminis pulueriſat.* ℥.j. *ſtercor. caprini* ℥ ß. *ſtercor. columbini* ℥.ij. *farin. orobi, farin. lupinor. an.* ℥ ß. cum aceto pauco, melle, & lixiuio ſarmentorum fiat Cataplaſma. Cætera verò præſidia ſelecta pro œdemate curando, lege apud Dionyſium Dacam chirurgum celeberrimum Hiſpanum *lib.2. de apoſtematib. c.59.* Vtrùm autem ſalſa adſtringant, an deiiciant, lege diſputationem non incelebrem apud Septalium *com.3. lib. Hip. de aëre & aq. text.* 15. An verò ſal, & ſalita cibaria à febrientium menſa ſint ableganda, vt ſuperſtitioſi autumant, controuertit Alzarius à Cruce eleganter, *centur.3. quæſt. fol.* 250.

HISTOR. XLIV. AETII De podagra.

Podagricus, frigido balneo, leuatus.

Vidi etiam alium hac affectione occupatũ, qui immiſſis in frigidam aquam pedibus, & aliquandiu in ea detentis præclaram opem tulit, &c. Aëtius tetrab.3. ſerm.4. c.28.

PARAPHRASIS.

A Bilioſo humore arthriticum dolorem originem, ducere, certa res eſt, & firmat Galen. *lib.1 c. ſecund. loc. cap.* 1. & cæteri Principes *loc. ſuprà. cit.* confirmant: explicat ingenuè Chalmethæus Vergeſacus *lib.4. chirurgic. enchirid. c.3.* de arthritide à cauſa calida. Redundante bilioſo humore dolor eſt accerrimus: & pungitiuo ſimilis, exacerbationes alternis diebus ſæuiùs recurrunt, præceſſit victus calidus & ſiccus, exercitia valida, adeſt habitus gracilis, temperatura bilioſa, ætas iuuenilis, regio, & tempus calidum, dolorà calefacientibus exaſperatur, anteceſſit bilioſi humoris ſoliti vacuari ſuppreſſio, ſitis vrget, & febris premit.

Abundante ergo bile, ad reuulſionem, & corrigendam hepatis calidam à imtemperiem ſecetur vena, adminiſtrentur declinante affectu cholagoga, Infundantur clementia enemata, quæ bilioſum humorem contemperent, eúmque ſuauiter per infernam aluum propellant, lenientia topica imponantur, poſtremò applicentur lauacra, inunctiones, fomenta leuiter diſcutientia. Demùm omnia adminiſtrentur, quæ intemperiem calidam corrigant, & humoris bilioſi generationem impedire nata ſint.

Si verò his malum non conſaneſcat, quid faciendum? A Medicis peritiſſimis obſeruatum legimus, vt frigida aqua loco affecto admoueatur, quando ea vbertate bilis in artubus redundat, vt copia lædat, qualitatéque acri & mordaci dolores immanes excitet: nam Galenus *lib.6. epidem. ſect. 6. com.* 4. articulorum dolores nonnunquam euenire inculcat, in quibus flnxio bilioſa, calida eſt, eíſque infrigidatione mederi docet: firmat Auicen. 22. 3. *tract.2. c.7. §. Et ſi poſſibile eſt, vt ceſſes ab euacuatione vſque ad maturationem, & ſit contentus embrochis cum aqua frigida, &c.* Bilis enim calidiſſimæ fluxio ſolius gelidæ affuſione miteſcit: nam frigidæ balneum, præterquam quòd apud Paulum eſt ſecuriſſimum *lib.3. c.78.* & Trallian. *lib.11. cap.* 1. quoniam lenit dolorem, etiam bilis ſicciſſimæ qualitatem refrænat, vt proprio experimento firmauit Hollerius *lib. 5. aph.* 25. Sicuti enim in bilioſiſſima febre balnei frigidi vſus, & in hectica eſt ſaluberrimus, vt *in lib.4. in com hiſt.* 47. latiùs confirmabimus; ſic in affectu particulari eſt mirificus.

Hoc tamen cautè vtaris conſulo, neque in eo diutiùs inſiſtas, quàm vt doloris vehementiam dumtaxat lenias: alioqui plus uocebis, quàm iuuabis: quoniam impactam bilem in atticulis impinges ita, vt in topheccam naturam craſſior facta concreſcat; & pars ob dolorem debilis, frigidæ lauacro ad motum plerumque inepta euadit, & languidus partis affectæ calor ita debilirstur, vt contingat mortificatio, quem accidiſſe cuidam, qui incaleſcente corpore ob exercitium, quum corpus frigida perfudiſſet, ſuborto ſpacelo in tibia occubuit, vt refert Hildanus *l.* 3. *centur. chirurg.* 46. & *obſ.* 50. *eiuſd. lib.* exemplum narrat alterius, qui immerſione corporis calefacti in frigidam, eſt emortuus. De balneo frigido lactu non indigna conſcripſit Ioannes Franciſcus Brancaleo Neapolitanus *in ſuo eleganti Diagolo de Balneis, aduerſus Medicos retentiores.*

HISTORIA XLV. AETII, De podagra.

Podagricus, opiatis applicatis, curatur.

Alium etiam vidi, qui oſtreorum carnibus cum argenti ſpuma, & viridibus Hyoſcyami foliis, ac oleo veteri diligenter tritis vtebatur, & tum illinendo; tum imponendo ea, probè reſtitutus eſt, &c. Aëtius tetrab.3. ſerm.4. c.28. de his, qui ob bilis influxum laborant.

PARAPHRASIS.

Dolor ſi leuis eſt, & mediocris, non attrahit ad ſe curationem totam, quoniam ſymptomati, vt ſymptoma eſt, curatio non debetur; ſed ſoli morbo, quo remoto aufertur ſymptoma, ex Galen. 11. *meth. c.* 12. & 12. *meth. cap.* 1. Dolor vehemens ſemper leniri debet: nam ſiue ſit ſymptoma alterius morbi, ſiue diſtinctum quidpiam ab illo, tunc attrahit ad ſe curationem totam, quoniam vires exſoluit; cùm enim natura ſpiritum vitalem ad partem dolentem tranſmittat, cor relinquit ſpiritu priuatum. Deinde animalis facultas tam eſt intenta dolori, vt conuerſa ad partem dolentem, & ad ſenſum vehementes conſtriſtantis, ceſſet ab omni functione, ita vt neque ſentiat, neque moueat; & ob irrequietum motum humorum, plurima humoris portio ad partem affectam concurrit, quo pacto dolor habet rationem cauſæ, ſine qua alter affectus curari non poteſt: ſic docet Auicen. 4. 1. *cap.* 20. §. *Quæcumque ægritudo dolori coniuncta fuerit, aut cauſa ipſius eſt dolor, aut ægritudo eſt cauſa doloris; ſicut eſt percuſſio, aut caſus: incipies ſedare dolorem, &c.* Si verò Auicenna contrarium aſſerere videatur 1. 4. *tract.* 2. *c.*7. quo loco febre, & dolore vnà affligentibus, illius curationem eſſe digniorem præſcripſit, de leui dolore intelligendus eſt.

Sed notabis primò, ſedantia dolorem in triplici eſſe differentia; cùm enim in dolore concurrat affectus morboſus dolorem efficiens, & dolor ipſe, & ſenſus percipiens cauſam dolorificam, quouis illorum extincto dolor ceſſat: tamen quæ euacuant cauſam morboſam, & quæ ſtupefaciendo ſenſum partis dolentis auferunt, ex accidenti dolorem ſedant, nec propriè anodyna vocantur; ſola autem verè anodyna cenſeri debent, quæ calida ſunt in gradu primo, & ſimul tenuium partium, vt docet Gal. *lib.5. ſimpl.* 19.

Obiicies primò. Si ſimile non agit in ſimile, quomodo ea quæ nobiſcum eiuſdem temperamenti ſunt, verò anodyna, id eſt, ſedantia dolorem eſſe poſſunt? Dic; temperata tripliciter poſſunt ſedare dolorem. Primò, quia licèt habeant idem temperamentum cum cute, tamen cùm hæc ex aëre ambiente denſetur, appoſitione temperati rareſit, & ita ſedatur dolor. Secundò, quia temperata augent calidum innatum, quod ad noxij expulſionem, & ad leniendum dolorem multùm iuuat. Tertiò, quia

temperata attrahunt ſpiritus extrorſum, quo impetu noxia tranſpirant,& diſſipantur.

Obiicies ſecundò Quomodo anodyna aſſeruntur eſſe certæ temperaturæ,cùm dolor ortus à ſolutione continui, ſolùm per vnientia conſaneſcat, & ex intemperamento immateriali ſanetur per intemperamentum contrarium, & ortus ab humore frigido per euacuantia, cum calore; Dic,frequentiſſimi dolores oriuntur à vapore,vel humore noxio retento, quare commodè ſanantur per ea quæ modicè calida ſunt, & tenuium partium,ex Auer. 5.*collig.* 13. eo quòd membrum dolens ex reſolutione refrigeratum eſt, quare indiget medicamento inclinante ad calidum, vt ſic per calorem intenſiuum, reparetur defectus quantitatiuus innati caloris. Solue Secundò,& videtur certior ratio,quia quæ modicè calida ſunt,& tenuium partium, rarefaciunt membrum, & attenuant humorem, ita vt facilè diſſipetur, ad quod opus doloris ceſſatio ſequitur.

Obiicies tertiò. Quomodo Galenus determinat anodyna ad certum temperamentum, ſcilicet calidum in primo, quum ea debeant eſſe diuerſa pro varietate temperamenti humoris, & ægri? Dic. Anodyna explicantur à Gal. collatione facta ad temperatum tantùm,quod etiam fecit agens de primis qualitatibus: anodyna igitur vera, collatione facta ad humorem temperatum, & corpus temperatum,debent eſſe calida in primo.

Alia verò anodyna, quæ opiata, ſeu ſtupefacientia dicuntur, & narcotica, ſunt quæ immodicè refrigerant, extinguunt partis calorem, & comprimunt neruos, obſtruúntque vias per quas ſpiritus ad partes ſentientes peruenire ſolet, & ſuo valido frigore ſenſum auferunt,& ſic dolorem ſedant: hæc ſolùm neceſſitate vrgente, ob magnum euitandum periculum, ſunt intùs porrigenda,vt 12. *meth.* 1. *& vlt.* 6. *aph.* 31. *&* 2. *ſec.loc.c.* 1-*rubric.* 5. *& lib.* 9. *eiuſd.c.*4. Galenus admonuit. Vtrùm in cauſa calida,an frigida liberaliùs concedantur,ex Gal.mente diſcuſſimus *lib.* 1. *in com.hiſt.* 61.

Nec inſtes, dicendo narcotica eſſe propriè anodyna, quum auferant dolorem citra ablationem cauſæ. Deinde, quæ calida ſunt in primo, & tenuium partium, cùm auferant dolorem, propter ablationem cauſæ doloris, non eſſe propriè anodyna; hæc enim diuerſa ſunt ab illis, quæ dant dolorem auferendo eius cauſam, vt conſtat ex Galen. 5. *ſimpl.cit.* Dic. Narcotica ex Galen. non eſſe anodyna,quia non auferunt dolorem ipſum, ſed ſolùm vim ſentiendi dolorem: Ea autem quæ calida ſunt in primo, & tenuium partium, peculiariter auferre dolorem,quia diſſipant immediatam doloris cauſam, ſcilicet noxium retentum, licèt eorum vi quandoque augeatur morbus ipſe; vnde in initio defluxionum, propria ſedatio doloris fit per laxantia calida,curatio verò per adſtringentia frigida. Tu verò de anodynorum vſu, pulchra lege apud Mercatum *lib.* 1. *indicat.*

Meritò ergo feciſſe Aëtium iudicabis, qui in præſentis doloris anguſtia, præſertim à cauſa calida concitati, ſtupefacientia parti appoſuit, quoniam præterquam quòd bilis calidiſſimæ acrimoniam contemperant,& frigiditate ſua eius dolorem infrænant, etiam ſtuporem inducunt, & dolorem ſedant; quam Aëtij ſententiam confirmant Paulus, Trallianus, & Auicen. *loc. citat.* Eligit autem Hyoſcyamum, tanqum magis incolumem, qui pedum, cæterarúmque partium neruoſarum dolores ſedat,ex Auicen. 12. *tract.* 2. *cap.* 7. *& in cap.* 15. cum pſyllio, opio, acacia, & lacte vaccino emplaſtrum parat. Refert clariſſimus Duretus *in ſuis eruditiſſimis enarrationib.ad c.* 63. *lib.* 1. *de morb.internis Holleriȷ*, ſe curaſſe quendam ægrum ſæua arthritide correptum, ex affluxu humoris bilioſi enata, phlebotomia, clyſteribus, abſtinentia vini,qui his non conferentibus, cataplaſmate admoto ex foliis Hyoſcyami coctis in lacte, à tormento euaſit. Hoc enim auxilium eſt anodynum,& humorem acrem incraſſat, ac ſummam ſuam refrigerandi vim coctione amittit. Conſule Gulielmum Budæum *lib.de curandis articularibus morbis, fol.* 15. & Dioſcoridem *lib.*4.*c.* 59. qui Hyoſcyamum ad omnes calidas defluxiones, & partium dolores ex tenui humore pronatos eſſe ſaluberrimum aſſeuerat. Explicat eius naturam Ferdinandus Pintianus, illuſtris Plinij interpres, *lib.* 27. *c.* 11. qui pro arthritide eius vſum extollit vehementer.

Quoniam tamen horum medicamentorum vſus in partibus frigidis,neruoſis, & exanguibns ſuſpectus eſſe ſolet, iis correctoria admiſcere oportet, ne aliàs in poſterum lædere poſſe contingat. Quare Aëtius cum Hyoſcyamo oleum vetus miſcuit: nam hoc etiam eſt anodynum,& moderatè calefacit, apud Galenum *l.* 2. *ſimpl.c.* 21. & Paul. *l.* 7. *tit.de Oleo.* Argenti autem ſpuma roborat,& ſic ad collyria eſt aptiſſima,vt retulit Dioſcorides *l.* 5. *c.* 53. *in fin.* carnem oſtreorum adiecit, iis enim ineſt ſalſus ſuccus, qui partem roborat,& calefacit: qua ratione eorum caro valentiùs ſubducit,apud Gal. *lib.* 3. *alimentor.c.* 53. *& l.* 11. *ſimpl. tit.de oſtreis.* Sedato dolore,confeſtim partes hæ neruoſæ, & debiles,ne in poſterum ſenſu,& motu orbari contingat, foueantur iis quæ roborare,& modicè calefacere nata ſunt, vt citati monuere auctores.

HISTOR. XLVI. GALENI, De articulorum dolore.

Aſininum lac, ad arthritidis præſeruationem, vtiliſſimum.

QVidam etiam cùm aſinino lacte epoto ſe aluiſſent, in perpetuum hoc malum euaſerunt, &c. Celſus lib. 4. cap. 24.

PARAPHRASIS.

NOn ſolùm à craſſo frigido,ſed etiam ſubtili calidóque humore arthritidem concitari, ſuprà diximus, firmátque luculenter Petrus Salius *lib.de affectib.particularib.c.*16. Pro huius humoris expurgatione, nullum poterat lacte aſinino præſtantius parari medicamen: nam præterquam quòd iecur refrigerat, à parte reuellit; expurgata copia,quæ ex humoris intemperie, & calore quotidie generari ſolet,etiam humoris acrimoniam retundit; corpus ex dolore, vigiliíſque exhauſtum reficit,& inſtaurat, & ita alimoniæ,& remedij vicem ſupplet. De cuius ſaluberrimo alimento prò renutriendis phthiſicis,plura ex Galeni mente diximus *l.* 2. *in com.hiſt* 35. & de eius varia differentia ex tempore partus,corporis habitu,anni tempore,ætate,paſtu, non indigna ſcitu proferemus *lib.*4. *in com. hiſt.* 44. Nunc de illius expurgante vi breuiter diſſerendum.

Lac aluum mouet, liquidius quidem magis, craſſius autem minùs. Hanc expurgandi vim habere lac ratione ſeri, notum eſt.& firmat Galen. *in loc.multis*,& præſertim *lib.* 3. *de alimentor.facult.cap.* 15. quo loco ad retinendam aluum vtitur lacte benè chalybeato, quoúſque ignis vi tota ſeroſa pars quæ aluum mouet, ſit abſumpta. Sic enim ait. *Iniectis verò lapillis ignitis, tantiſper dum ſerum omne conſumatur, præterquam quòd ſic paratum aluum non ſubducit, contrarium etiam efficit, ipsúmque iis exhibemus, quibus venter acrium excrementorum demorſu infectatur: id ipſum autem efficiunt lapilli, aut etiam efficacius ferrei orbiculi igniti, &c.* Quare ſerum nitroſa, qua pollet qualitate, non ſolùm bilioſum & tenuem, ſed aduſtum & retorridum humorem, immò frigidum & tenacem expurgat, vt Meſuë *cap. de ſero lactis*, affirmat, & nos ad priſcorum mentem tam multa diximus *lib.* 2. *in comment. hiſtor.* 109. Hinc fit vt lactis aſinini potores,iis expurgatis excrementis, à cruciatu arthritico reddantur immunes, quia hoc lac ſeroſiſſimum, & liquidiſſimum eſt, auctore Galen. 6. *alim.cit. &* 7. *meth.* 6. quod ſi deſit, camelinum, equinum, ouinum, ſero cùm abundent, hanc etiam præſtant commoditatem. In hunc vſum,priſci aſinino vtebantur in magna quantitate,ad expurgandam aluum, vt conſtat ex Hippocrat. 7. *epid.num.* 4. ibi. *Eratolei filio bibenti lactis aſinini excocti quaſi nouem cotylas Atticas, duobus diebus bilioſa purgatio vehemens oborta eſt,*

*&c.*probat *lib.acut.4.text.19.& 109.§.Verùm ſi dolor non ceſſauerit,aſinæ lac bibendum,vt purgetur,dabis* : & Galen. *in com.*ſic inquit: *Lacte aſinæ vtendum præcipit, quòd purgantia inter medicamenta omnia, mitius, tranquilliúſque exiſtat,&c.*

Sic Plinius *lib.28.c.9.*refert, plurimos aſinini lactis vſu ab articulari morbo fuiſſe liberatos: quare veteribus creditum eſt lac aſinæ arthriticis ſalutare, auctore Hollerio *lib. 5. Aph. in com.ſent.64.*nam bilioſum humorem expurgat,vires fouet,& ſic articulariis morbis mirificè ſuccurrit,vt ait Douynetus *lib.4.apolog.cap.2.*Hoc modo ſerum caprinum tantæ efficaciæ eſt in hoc præſeruando morbo, vt eo vtentes,ab illo in poſterum immunes euadant,vt notauit Amatus *lib. 5. centur. 29.* Quod auxilium miris celebrat encomiis Stephanus Laureus apud Schenckium *lib.4. obſ.de arthritide.*Conſule Vlyſſem Aldroandum *lib. 1. de quadrupedibus,c.2.de Aſino,tit.vſus in medicina.*

Sed ſi hoc verum eſt,& lac omne ratione ſeri expurgat, ita monente Auicen.*lib.2.tract.2.c.441.§. Aqueitas lactis eſt ſubtiliatiua,lauatiua,& ſolutiua:*cur Hippoc.*4.acut.7. & 109.*lacte aſinæ decocto vtitur ad expurgandum, quod firmat Aëtius *tetrab.1.ſerm.2.c.30.de carbunculo*, ſi per decoctionem abſumpto ſero,lac minùs ſubducit? Dic cum Mercuriali *lib.4.acut.in com.ſent.29.*duplicem eſſe coctionem, aliam inſignem, mediocrem aliam. Illam reprobat Hippocrat.eius enim vi aquoſa humiditas abſumitur, hanc probat:nam ea ſeroſam lactis partem non exſoluit, quin potiùs eſt in cauſa,vt lac ex ignis commercio acrimoniam aliquam acquirat. Hæc ſolutio menti Galeni eſt conſona: nam(vt ipſe *3.alim.cit.*prædixit) *Si quis lac priùs elixando, ſerum omne conſumpſerit,nihil prorſus ſubducit.* Lege Rotar.*contradict.30. Hipp.*Demùm aſinini lactis vſus, tutior eſt in articulari dolore,qui à calido humore ortum ducit: nam lac omne cùm craſſi ſucci ſit, & ſerum frigidum, craſſum generat humorem & intemperiem frigidam auget. Si de lactis aſinini facultate plura ſcire aues, lege Gulielmum Ballonium *lib.1.conſilior.medicinal. 50.*

HISTOR. XLVII. CELSI, De articulorum dolore.

Quidam abſtinentia vini, & veneris, in perpetuum à cruciatu arthritico præſeruati.

QVidam cùm toto anno à vino,& venere ſibi temperaſſent,ſecuritatē totius vitæ conſequuti ſunt,& c. Celſus lib.4.cap.24.

PARAPHRASIS.

LIcèt vinum modicè ſumptum plurimas ſecum afferat vtilitates, quas ex veterum, & iuniorum mente propoſuimus *lib.2.in com.hiſt.61.*& refert inter omnes omniſcius Canonherius in ſuo eloquentiſſimo *primo de vini miraculis libro cap. 3.* tamen ſi cum modo non ebibatur, grauiſſimos, cóſque irreparabiles morbos excitare ſolet, ex quorum genere præcipuus, podagra eſt,& fusè notatimus *lib.2.in com.hiſt.72.* quo pacto prudenter monuit Auic.22.3.*tract.2.c.7. in fin.* vt in hoc affectu ab eo abſtineamus,dum ſic fatur. *Et oportet vt dimittat vinum omnino, vſque quo ſanetur ex eo ſanatione integra, & veniant ſuper ipſum quatuor tempora, &c.* quod conſilium approbat Trallianus *lib.11.c.1.*immò huius abſtinentia ſe vidiſſe aliquos, & ſanatos,& præſeruatos refert:nam vinum neruos emollit, ferit, penetrat, percellit; quare inter cauſas podagricæ affectionis præcipuè connumerat Gal.vini potum *lib.6.Aph.com.20.*neruos enim facilè replet, vtpotè calidum temperamento, tale ſiquidem promptè penetrat omnia,præſertim ſi non ita craſſis partibus conſtet,&c.

Nec mirum: nam vinum diſſoluit vires, artus debilitat,cruditates parit,frigidos morbos gignit, vt Galen. au-

Lib. III.

A ctor eſt *lib.3.ſimp.c.4.*vnde incertus auctor *Anthol. epigr. lib.2.*podagram hoc epitheto exornat,hoc diſticho, quo podagræ exponit originem.

Membra reſoluentum Bacchi, Venériſque podagra
Corpora diſſoluens filia iure vocor.

Opinor, quia priuat eorum vſu membrorum,atque articulorum quos inuadit.Alius ita reddidit.

Soluere membra ſolet Bacchus,ſolet & Venus ipſa;
Soluere & ex illis nata podagra ſolet.

Ob camdem cauſam vinum, ſeu Bacchus appellatur, vt etiam Lyſius; & Lyæus; nam ex eo non niſi vacillatio, ac tremor: ſic & Venus, ex quo & Amorem eodem epitheto affecit Sappho,illis qui apud Hephæſtionem leguntur,verſiculis.

B *Amor rurſus me membra ſoluens*
Dulciter,inexpugnabile reptile.

Vnde plures à vino penitus abſtinent, quia turbat mentem, & inſtigat ad venerem. Quare Poëtæ vinum vocarunt fel terræ, principem tenebrarum; vitem dicentes è ſemine diaboli in ſpecie ſerpentis germinaſſe, cuius acini velut veneni guttæ ſunt,quæ de vino nimiùm ſumpto ſunt intelligenda,vt notant Diotimus 2. *epigram.lib.tit.6.* Theopompus *lib.26.ſuar.hiſt.ferè per totum.*Conſule omniſcium Tiraquellum *lib.15.leg.connub.gloſſ.1.p.15 num.20. 23. & 24.*

Contrà aqua eſt ſaluberrima,vt docuit Gal. *lib. 1.ſimpl. c.4 in princ.§.Et conuenientiſſima omnibus hominibus, tam ſanis,quàm ægrotis, & ad vitam maximè neceſſaria; &c.* Ideóque primi illi parentes,800.900.annos vixerunt,quòd C hoc ſolo ſalutifero potu vterentur,idque ex ſacra pagina liquet manifeſtè,nam qui poſt vitem à Noë plantatam vixerunt,breuiùs vitam cum morte commutarunt.Lege Plutarchum *in lib.qui inſcribitur,Vtrùm aqua,an ignis ſit vtilior:*& nos plura notauimus *in lib.2.in com.hiſt.54.*& diſſerit eloquentiſſimus Ludouicus Nonnius *lib. 4. de re cibaria,c.1.* & maximè ſi in immoderata ſumatur quantitate, quia remanet incoctum,& frigidos morbos parit, tentat artus, & vires eneruat. Quo pacto prudenter aſſeruit Vallesius *in com.c.29.lib.de ſacra Philoſoph. in fin.§. Iam verò nihil arbitror ſtultius,quàm ſenibus caloris augendi gratia vinum abundanter, meracum præcipuè indulgere. Quanto enim vinum calidius eſt per ſeſe, tantò maiori ventris, ac viſcerum omnium calore opus eſt, vt ſuperetur, alioqui à minori aceſcit, crudúmque ſuccum auget, vnde & calorem naturalem ſuffocat, & morbos innumeros parit, mortem properat. Quare vinum eſſe lac ſenum non valde* D *probo: cenſeo enim potiùs ſenibus ſenſim eſſe dandum dilutius, vſque dum in extremo ſenio conſtitutis, toto vino detracto, detur pro eo mulſa, aut decocta aqua. Satius enim eſt permittere calori naturali ſenſim venire ad naturalem interitum, quàm vino obruere, & ſenectam facere miſerabiliorem, & breuiorem.* Hactenus Vallesius.Vt videas,quot noxas pariat vinum immodicum, vel etiam in ſenibus,quibus ab omnibus iudicatur ſalutare valdè.

Quidni? nonne tempore Galeni eunuchi podagra vexabantur ſæpiùs,qui Hippocr. ſæculo ea non laborabant? Audi ipſum *lib. 6. Aph. com. 28.* hæc verba profantem. *Nocent autem & potus multorum, & fortium vinorum; præſertim cùm aliquis ea ieiunus potauerit: hæc enim neruoſam ſubſtantiam promptiſſimè offendunt, ſicuti & coitus.* E *Ætate quidem Hippocratis, pauci quidam podagra laborabant, propter vitæ moderantiam: noſtris vero temporibus vſque adeò auctis eduliis, vt nihil eis addi poſſe videatur, infinita eſt podagrarum multitudo; quum nonnulli ſint qui nihil exercitentur, & cruditatibus, atque ebrietatibus offendantur, & ante cibum aſſumptum bibant vina potentia,venereis vtantur immoderatis,&c.*De cuius potus varia differentia penes colorem,odorem, ſaporem, modum ſubſtantiæ,latè proferemus multa *lib. 4. in com. hiſt.28.*

Quare ad generandos morbos articulorum vinum ſtrenuè iuuat; cuius potus magna eſt vis ad venerem, quoniam parit libidines, & alios turbulentos affectus excitat, vt legitur apud Eccleſiaſticum *c.31. & 39.* Deinde vino-

lentia concitat furorem, & iram, ex quibus irrequieto motu agitati humores in articulos debiles decumbunt. Ita autem ſæuos procreari affectus corpus diuerſimodè agitantes diximus *lib. 2. in com. hiſt.* 13. & teſtis eſt locu-pletiſſimus Ioannes Gerardus Voſſius, auctor ſanè incom-parabilis, ſcientiſſimus, & dicendi facundia clarus *lib. 2. inſtit. oratoriar*, *cap. 7. de Ira.*

Inſuper tumulentia cum Venere plurimùm conſentit, ita vt vinolenti ſint laſciui, ob multas cauſas citatas à Tiraquello *loc. cit.* Hæc vitia ſi copulentur vnà, morbi pro-pullulant exitiales, truculenti, funeſti: exemplum habe-mus apud Hip. *lib. 3. epid. ſect. 3. text. 81. & 82. Nicodemi, & adoleſcentis Melibœa*, qui ex nimia venere, & p oculis multis ægrotarunt, & ex illis vnus igni oppreſſus euaſit. Nam, vt Galenus ait, *in com. multa quidem pocula neruis nocent, & origini eorum cerebro*, vt Valleſius explanat lu-culenter *in com.* Quare ex hoc perenniſſimo fonte, morbi præſertim neruoſarum partium, perculſis, & debilitatis neruis, ſcaturire ſolent, dummodò excipias ventriculo de-biles: nam ſi illis parcè non exhibeas tenue vinum durare nequeunt, vt notat Solenander. *ſect. 4. conſ. 24.*

Deinde Veneris vſus exhauſto ſpiritu diſſipato interno igne, excreta elaboratiſſima ſubſtantia artus eneruat; qua-re ex eius immodico vſu corporis vacillatio, ac tremor. Venerem ſequuntur concuſſio, motus & concalefactio articulorum, quibus de cauſis crudus, & noxius ſuccus in artus decumbit, vt notarunt Amat. *1. cent. 99.* Crato *lib. 1. conſil. 17.* quo pacto vſu crebriore veneris debilitas oritur in corpore: nam vacuatur nobiliſſima ſubſtantia quæ ex ſanguine fit optimè decocto, confecto, ac digeſto; nam ex omni corporis parte verè, & formaliter ſecernitur ſe-men, ex Ariſtot. 4. *ſect. probl.* 22. ex qua ſententia ſumitur explicandi ratio, cur morbi quidam ſint hæreditarij quos videlicet parentes in liberos generatione transfundunt, quales cenſentur phthiſis, epilepſia, ſplenis affectus, po-dagra, calculus renum, ſurditas, & alij propoſiti ab Hip-pocrat. *lib. de morb. ſacro*, quòd bona pars ſeminis à cere-bro deriuetur. Ob hæc execranda damna ex Veneris immo-derato vſu, monet Ariſtot. *lib. 7. politic. cap. 16.* iuuencu-las non eſſe elocandas, & firmat elegantiſſimus Paraphra-ſtes Daniel Heinſius, noſtri æui phœnix *in com.*

Hac de cauſa vini, & veneris abſtinentia à podagra plurimos fuiſſe præſeruatos, exemplis illuſtrant Trinca-uellius *lib. 12. de curand. morb. c. 2. & lib. 3. conſil. 37.* Guai-nerius *lib. de ægritudinib. iunctur. c. 27.* Legimus (inquit Rhodiginus *lib. 13. antiq. cap. 25.*) quoſdam morbo arti-culari & podagra vexatos, proſcriptione bonorum, ad ſim-plicem menſam, & pauperes cibos redactos conualuiſſe: nam diuites podagrici, luxu, deliciis atque otio affluentes, vino libidinique dediti, à vino, venereque abſtinentes, à podagra fuiſſe vendicatos memoriæ prodiderunt, Por-phyrius *in vita Plotini*, Franciſcus Alexander *in Apolli-nis radio primo, in deſcriptione electuarij Diacorallij.* Vtrùm autem in articulorum affectionibus aliquando porrigen-dum diſceptant Conciliat. *diff. 185.* Matthæus *in com. c. 7. tract. 2. Auic. 22. 3. in §. Et oportet vt dimittat vinum, vſque quò ſanetur ex eo ſanatione integra, & veniant ſupra ipſum quatuor tempora.* Pro cuius ſententiæ explicatione, varia proponit, contra Amat. *1. cent. 92.* Petrus Vaëzius Luſita-nus Doctiſſimus *in com. medic. cap. 8. in fin.* lege Cardan. *lib. 1. contradict. tract. 4. contradict. 2.*

HIST. VLT. RHASIS ET GAL. De podagra.

Podagrici, repetitis euacuationibus, & attenuante victu, perſanati.

Erat quidam obeſus, frequentis quietis, & ſuperabun-dantis comeſtionis, qui paſſus eſt ex motu dolorem arti-culorum, cui præcepi quòd in quibuſlibet nonaginta diebus faceret minutionem, & in qualibet hebdomada purgationẽ leuem, facientem aſſellare quater, aut quinquies, & in qui-buſlibet duobus menſibus laxationem, potentiorem laxatio-ne illa, & procederet in temporibus interpellatim cum mi-nutione, & laxatione; quibus ſequutis alleuiata eſt paſſio eius, appropinquando ſanitati, ita tamen quòd nullo vta-tur balneo, &c. Rhaſis lib. 20. continent tract. 1. c. 2.

*Siquidem etiam podagricos, & arthriticos, & omnes ve-ris initio vacuabis, exhibito videlicet aut medicamento purgante, aut ſanguinis miſſione. Equidem complures ipſe ſanaui, qui tribus quatuórve annis per interualla laboraſ-ſent tumoribus, exundante humore, * veris initio vacuato, aut ſanguine miſſo, & Galen.* lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap. 7.

Sed & podagram, & morbum articularem adhuc inci-pientem, & nondum poros circa articulos facientem, ex tali vacuatione multis iam annis fieri prohibuimus, &c. Gale-nus lib. 6. Aph. com. 47.

Vidi etiam non paucas arthritidas; alias quidem hac victus ratione in totum perſanatas, alias mitiores fuiſſe red-ditas, &c. Galenus lib. de attenuante victus rat. cap. 1.

PARAPHRASIS.

De præcautoria euacuatione eſt in hoc loco ſermo, cuius ope, & efficacia, mortales vacuato noxio ſuc-co, qui ex partium debilitate, vel præpoſtero viuendi or-dine progignitur, pacatam, tranquillámque vitam tradu-cunt. Hi enim præſertim ſi ſint pingues, & obeſi, & præ frigiditate crudos humores aceruent, ſunt præſeruandi: nam pinguedo, & obeſitas frigidioris, & humidioris tem-peraturæ eſt indicium, *lib. art. med. cap. 58.* ob quam ſuc-creſcit cruditas, quæ eſt omnium morborum radix, atque origo, ex Gal. *lib. de ſuccor. bonit. & vit. cap. 5.*

Hæc damna patiuntur præcipuè inexercitati, & qui ob otium, & quietem, excrementorum copiam non re-ſoluunt, quæ ex multiplici coctione fuliginoſa, vaporo-ſa, & craſſa relinqui ſolent; exercitatio enim calorem adauget, & dilatat vias, coctionis inſtrumenta viuificat, ob-ſtructos referat meatus, ex Galen. *2. de ſanit. tuend. cap. 2.* & Auicen. *3. 1. doct. 2. cap. 1.* quare *homo edens, ſanus eſſe non poteſt niſi laboret*, dicebat Hip. *lib. 1. de diet. num. 1.* nam *otio tabeſcunt corpora, firmantur labore*, apud Celſum *lib. 1. cap. 1.* probat Ariſtot. *1. probl. 46.*

Deinde hic cùm eſſet gulæ, ingluuieíque deditus, plu-rimam excrementorum copiam congeſſit, quæ in dies magis ac magis aucta, in debiles artus confluens, articu-lorum generauit dolores. Quantum autem noceat cibo-rum varietas, propoſuit Gal. *1. acut. 16.* firmat Plutarchus *4. ſympt. 1.* Accedit, quòd doloribus articulorum occa-ſionem dedit motus, qui ſi ſit poſt nimiam alimenti copiam celebratus, noxas inemendabiles facit. Audi Galen. *lib. de ſuccor. bonit. & vit. cap. 3. quemadmodum enim omnium maximè commendatur ad ſanitatem exer-citatio ante cibos, ſic à cibis motus vnuſquiſque vel im-primis damnatur, eo quòd à ventre alimentum ante con-coctionem diſtribuatur, crudorúmque ita humorum vis col-ligatur in venis, vnde genus omne morborum progigni ſoleat, niſi priùs aut laboribus pluribus diſſipentur ipſi, aut con-coquantur, inque ſanguinem vertantur, à iecoris, vena-rúmque facultate, &c.* Hoc ipſum docet Auicen. *lib. de remouendis nocumentis, quæ accidunt in regimine ſanitatis, tract. 4. cap. 25.* Fortis ergo motus, & exercitium nimium poſt cibum nocet impensè, quia diſtrahit naturam à co-ctione, & intempeſtiuè attrahit alimentum à ventriculo ſemicoctum ad membra; præſertímque ad artus ex motu concalefactos, qui crudus cùm ſit, articularis doloris deinceps cauſa exiſtit. Si verò Hipp. *2. acut. 23.* & Galen. *ibi, & lib. de diſſolut. continua, cap. 1.* Auicen. *doct. 2. cap. 1.* motum conſulunt poſt cibum, de paruo, & leui motu ſunt intelligendi.

Hanc crudi humoris copiam in corpore congeſtam, antequam rueret in artus, vacuandam eſſe conſuluit ſan-guinis miſſione & purgatione; quæ vacuationes ex in-teruallis factæ vacuata copia ita naturam leuarunt, vt æger alacriùs viuens, ſanorum munia veluti perageret.

Vacuatio

Vacuationem autem per aluum æſtimauit ampliùs, quia nullum vitium erat in artubus, nam ſi dolor actu vrgeret, à forti deiectione abſtineret prorſus: nam eius vi humores præcipiti lapſu confluunt in dolentem partem. Abſtinuit etiam à vomitoriis, nam hæc vacuatio minùs eſt familiaris, & violenta magis.

Cæterùm multis videbitur difficile, cur in podagrico obeſo, crudis ſuccis referto, natiua forte frigido, quater in anno phlebotomiam conſuluerit; ſi hæc ſpiritu reſoluto, caloréque exhauſto, artus exangues debilitat, & eneruat? Auget dubitationem locus Galen. *lib.2.aph.44.* dicentis, obeſos paucum omninò ſanguinem habere, cùm totum alimentum vertatur in pinguedinem. Inſuper obſtructionibus facillimè tentantur, & frigidis vitiis ſunt obnoxij, quæ ex profeſſo citant Haly. *lib. 1. pract.cap. 16.* Auicen.*7.4.tract.4.cap. 6. in med.* vt ſunt Paralyſis, Apoplexia, Aſthma, Syncope, & mors ſubita, quæ omnia in tenui corpore vix eueniunt, ex Celſo *lib. 2. cap. 1.* nam plurima ſanguinis copia redundat, ex Galen.*6.epidem. ſect. 3. comment. 29.* Quare ſi articuli venæ ſectione debilitantur, & ad eos imbelles fluxio decumbit, & venæ ſectio corpora diſponit ad ægritudines frigidas, ex Rhaſi *4.ad. Almanſ.cap.4.* cur ea, præſertim in obeſis, pro præſeruatione tam frequenter repetita adminiſtrabitur? Adde, quòd hic morbus diuturnus eſt, nec ex ſua natura periculoſus, vt aſſiduo experimento comprobatum eſt; & notauit Mercatus *lib.4.de.morb.internis,c.vlt.* denegato hoc auxilio, corpora difficiliùs in hunc morbum incidere: quod priſci monuere in locis multis, maximè Paulus *lib. 3.cap. 78. rubric.2.§.Statim igitur quum quis morbum experiri primum cœperit, ſanguinis miſſio erit tentanda: nam quos iam fluxio frequenter infeſtarit, ij plus inde noxæ, quàm auxilij ſentiunt, præſertim quibus corpus eſt natura frigidius, aut, etiam imbecillius, &c.*

Huius argumentationis tenebras diſcute hoc modo. Verum quidem eſt, hæc ſalutaria circa venæ ſectionem præcepta pro præſeruatione podagræ generaliter eſſe obſeruanda: ſed cùm non curetur homo in communi, ſed vnuſquiſque noſtrum aliud temperamentum habens, vt diſertè potuit Galenus *lib.3.meth.cap. 8.* quum cuiuſque naturæ proprietas ineffabilis ſit, nec exacta ſcientia comprehenſibilis, fit vt præcautio facta in hoc ægro, à communi degeneret. Erat enim gulæ deditus, otioſus, crudis ſuccis refertus. Hæc omnia, vt ille aſſerit, frequentem expoſtulant vacuationem; hæc vt proſperè eueniat, citra præuiam phlebotomiam celebrari nequit; quæ cùm ſit ex interuallis facta, non ita debilitat, quia vires in ſpatio intermedio refocillantur. Hoc monuit Galenus *lib.de ren.dignot.cap. 4.* & notauit Fernelius *lib. 2. de ven. ſect. 4.* dum ſic ait. *In omni igitur impura plenitudine, à ſecta vena auſpicanda vacuatio eſt, ſine qua vix tutò purgatio decernatur. Etenim medicamentum, quod præſertim validius ſit, tum calore, tum trahendi facultate humores exagitans purturbánſque, plethoricum corpus in grauius diſcrimen adducit, &c.* Vt verò fauſta fieret purgatio hæc toties repetita in homine obeſo, cui anguſtæ ſunt venæ & arteriæ, ad fluidum faciendum corpus neceſſaria fuit præuia phlebotomia, & maximè in homine lautè viuente, in quo nimia ſanguinis copia redundat; nam tunc ad præſeruandum à podagra ſummè laudatur, vt aduertit Septalius *lib.7.caution.n. 178.*

Obiicies ſecundò. Cur Auctor interdicit ægrum ab omni balneo, ſi Auicen. Arabicæque familiæ proceres ſcientiſſimi, in articulariis morbis vt ſaluberrimum concedant, vt Auicen.22.3.*tract.2.cap.7.§.Et non fiat balneatio niſi in aqua thermarum?* Dic quòd balneum ſimpliciter prolatum ſignificat dulcis aquæ lauacrum, ex Galen. *11.meth.6.& lib.7.ſec.loc.c.1.* Hoc reprobat Auctor, tanquam Mauritanis hominibus aſſuetú, quia neruos emollit, relaxat, debilitat, ex mente Galen. *lib. 11. meth.cap.20.* vnde Auicen. *loc. citat. cap. 25.* ſic ait. *Et minorentur in balneationibus, quoniam ipſæ liquefaciunt humores, & faciunt eos recurrere ad iuncturas, &c.* Ærea verò, ferrea, aluminoſa, articulorum morbis frigidis ſummo ſunt ex vſu; nam roborant, reſoluunt, frigidam intemperiem ſanant,

A ex Paulo *lib. 1. cap.62.* Aëtio *tetrab.1.ſerm.3.c.176.* Oribaſ. *lib.1 ſynop.cap. 29.* explicant Cardanus *lib.2.contrad. tract.4.cont.3.* Fallop.*tract.de aquis thermalib.in princ.* Langius *lib.2.epid.52.*

Thermarum verò aquas ab Auicen. vocari balnea naturalia, præterquam quòd nomen ipſum oſtendit manifeſtè, Gentilis, & Iacob. de partibus etiam teſtantur, *in com.* Sunt autem Thermæ, aut balnearia, ea loca, quæ aut calentibus aquis, aut ipſo ſine fornace igne calefacta, lauandi, ſudandive vſibus ſunt deſtinata. Ea vocat Seneca *in epiſtolis* ſudatoria, vt notat Antonius Nebriſſenſis, Cicero Hiſpanus, *in ſuo Latino dictionario, litera T.* conſule Senecam *lib. 3. quæſt.natural.cap. 24. & in epiſt.90.lib.de tranquillit.cap.9.* Plin. *lib. 28. cap. 12. &*
B *lib.3. cap. 4.* Antiqui etiam vocabant vnctuarium, hypocauſtum, vaporarium, & aliis nominibus, nempè præfurnij, piſcinæque inſigniebant; de quorum apparatu, etymologia, & vſu lege non aſpernanda apud Mercurialem, Medicum præſtantiſſimum *in lib. de art. gymnaſtica,* in qua, de vngendi ratione poſt thermas, ex veteribus colliges ſcitu digniſſima. De conditionibus verò ad balnea neceſſariis, citati auctores diligentiſſimè conſcripſerunt. Interim conſule elegantiſſimum Septalium *in com. 3.lib.Hippocr.de aër. & aqu. tex.15.* Cardanum *lib.2.cont. tract.4.cont.3.*& Gabrielem Fraſcatum *lib. 2.de. aquis Returbienſibus,c.vlt.*

Ad ſecundæ & tertiæ hiſtoriæ explanationem accedamus. Podagram non confirmatam, & nondum tophos habentem ſanari poſſe, hoc exemplo docuit Galenus;
C cum enim in corpore paulatim eſt congeſtus humor, præ debilitate partium genitus, eum antequam in artus decumbat, vel venæ ſectione, ſi ſanguis abundet, vel purgatione, ſi alij humores exuperent, extra corpus vacuare oportet. Vere hanc præcautoriam vacuationem eſſe celebrandam monuit Galen. *6.aphor. 47.* ob plures cauſas citatas *libro 1. in comment. hiſtor. 39.* & infrà *in comment. huius hiſtoriæ* latiùs referemus: nam humores ſunt fuſi, & vires rectè valent, & ver eſt tempus ſaluberrimum.

Pro quartæ hiſtoriæ interpretatione aſſero, plurimas, eáſque non contemnendas vtilitates ex attenuante victu comparari: nam nullum tam efficax remedium Medicina habet, quod ſolidum auxilium afferre queat, ſi ratio victus ei non cooperetur; & eo plus, ſi ſit attenuans, quàm plurimis, iiſque diuturnis morbis præſidio fuiſſe, eo loco
D Galenus inculcat. Cibus enim attenuans incidit, aperit, deobſtruit, penetrat, craſſos ſecat humores, exſiccat, lentos coquit, terreſtres diuidit, eóſque tenuatos, per vrinam, aluum, & alias corporis regiones natura alacrior facta, & ab humoris excrementitij copia libera detrudit; quo pacto diuturnis morbis confert eximiè, Arthritidi, Dyſpnœæ, lienis tumoribus, hepatis ſcirrho, obſtructionibus internis, aquoſis tumoribus, comitiali morbo, & demùm omnibus frigidis morbis remedio eſt. Victum attenuantem ab omni alimentorum materia deſumi poſſe, latè oſtendit Galenus *lib.de attenuante victus ratione, per totum.* De cuius præſtantia, & efficacia, ſi meliora legere concupiſcis, adi Ludouic. Lemoſium Luſitanum, virum in Galeni doctrina verſatiſſimum, *in com.c.15.l.11.meth.me-*
E *dendi Galen.diſp.8.*

De curatione, & præcautione ab articulariis doloribus, conſule per otium, quæ ex facunda veterum, & iuniorum penu proponunt Nicolaus Abrahamus Frambeſarius *lib.6.canon.& conſult.medic. tract.de arthritid.* Demetrius Pepagomenus, Gulielmus Budæus *prop.tract.de arthritid.* Ioannes Hagius *eod.tit.* Lobera, ab Hiſpanica lingua in Latinam conuerſus, *lib.de quatuor ægritudinibus aulicis,* Foreſtus, Spigelius, Claudinus, Andreas Laurentius, Æmiliùs Campolongus, Gualtherus Bruellius, Henricus Garetus, Ioannes Bochelius, Fabius Summerus, Gabriel Fraſcatus. Nicolaus Dortomanus, Conradus Geſnerus, & alij propemodum innumeri, qui de arthritidis medela conſcripſerunt. Nos pro hiſtoriarum interpretatione epilogum facimus, non tractatum, per varios Medicinæ campos amœniſſimos diſcurrendi occaſionem nacti.

QVÆSTIO VLTIMA.

Vtrùm in Veris initio, aut fine, vacuatio præcautoria celebranda, vt voluit Galenus.

COMMENTARIVM.

VEris initio.] Etſi *libro primo, in comment.hiſtor.* 39. de præcautoria vacuatione in vere celebrãda, obſcura (vt reor) facta à nobis mentio ſit; quia tamen non ambigimus rem multis forè obſcuriorem, quàm vt facilè illius aſſequantur intellectum : iam hinc, vt quis ſatisfactum omnibus velimus, attexere pergamus argumentum, vnde nubilum doctrinæ Galenicæ diſcutiatur. Ex eo enim coniectatio erit facillima, quoniam inter anni tempora, ver ad præcautoriam euacuationem tempus eſt aptiſſimum, iuxta Hippocrat.*6.aphor.47.& 7. aphor. 53. & lib. 5. de loc.* 2. & alibi, quam ſententiam omnes confirmant, nec immeritò : nam opportuna cenſetur vacuandi occaſio ad præſeruandum, in qua nondum conſiſtente morbo humores abundant, inſuper & mobiles exiſtunt, nec aëris temperamentum, aut natura quidquam reſiſtit. Sed in vere abundant ſucci, quos hyems antecedens produxit, ob innatum calorem tunc temporis redundantem, & coctiones pluſquam in reliquis promouentem; ver ipſum fuſione auget, ebullitione mouet, nec ſuo temperamento aduerſatur, quia omni ex parte iuuat, & feliciorem reddit vacuationem, quam robuſtæ tunc vires ferunt. Ergo conuenientiſſima eſt occaſio præcauendi à morbis, per vacuationem verno tempore celebratam, antequam morbus ſequatur ex humorum abundantia, æſtatis fuſione multò magis aucta, & viribus debilioribus factis.

Deinde vires conſeruantur in vere robuſtiſſimæ, (quod pulſus vehementia monſtrat, 3. *de cauſ.pulſ.6.*) & temperatiſſimum intrà, & extrà eſt corpus, quod ſua temperie mulcebri æqualiter diſponit, vnde ſalubre redditur, & ſucculentum; ſecùs quàm in aliis anni temporibus, in quibus ob diminutionem, vel exceſſum corpora debilia euadunt. Quo pacto in reliquis anni quadris, hyeme, & æſtate, prædictæ commoditates cùm non dentur ad euacuationem præſeruantem, inde conſtat, quia hyeme innatus calor, quem naturæ opera temperatum exigunt, frigeſcit qualitate, & intenſione ſuperatur; æſtate in qualitate excedit, quantitate deficit, atque ita vires deficiunt notabiliter.

Rurſus hyemale frigus humores ad interiora trudens, in viſcera adigens, incraſſans, meatus anguſtans, corpus vacuationi reddit ineptiſſimum; fluidum namque eſſe oportet, 2. *aph.9.* & fluidos vacuandos humores. Contrà æſtas corporis diſſolutione, & valido humorum tractu ad cutem, purgationi repugnat, ſimul & temperie ſua calidiſſima omni vacuationis generi reſiſtit, quod ſignificauit Hip.*4.aph.* 5. vnde aëris temperiem docent obſeruandam omnes, & in immodica abſtinendum, ipſius Hip conſilio, 1.*aph.2.& 9.meth.vlt.& 1,ad Glauc.*14. & alibi, Auic.4. 1.*c*.3.20.& alibi.

Inſuper præter dictas rationes, peculiares quædam concurrunt, ver eſſe eligendum ad vacuationem corporum, quæ moram patiuntur ob morbum nondum præſentem : quarum prime aëris diſpoſitio, plethoræ ſimilis propter humorum fuſionem, 1. *Aph. com.* 17. Atqui in plethora, etiamſi morbus non adſit, vacuatio neceſſaria eſt, *lib. de ſang. miſ.* 7. & alibi. Igitur & in vere expedit vacuare, ſaltem his quibus ex ſuccorum redundantia morbus timetur, quique ex ea ægrotare ſolent. Secunda. Ver eſt medium inter hyemem humores augentem, & æſtatem ita fundentem ipſos, vt in vaſis contineri non poſſint citra putredinem, aut ſaltem cutaneorum morborum generationem. Igitur antequam æſtate liquentur, & periculosè augeantur, minuendi ſunt in vere, vt ab imminentibus præcaueatur morbis. Tertia. In vere extrorſum mouetur quieſcens per hyemem humor. Ergo ne cum noxa decumbat ad partem illam imbecillem ad

A quam fluere ſolebat, commodè tunc temporis vacuationis artificio ad organa vacuationis deducetur, atque inde extra corpus.

Porrò quoniam plerumque ex vna non ſufficit vacuatio, & ob magnam, & frequentem ægrotandi occaſionem, & vehementiam cauſæ, res amplius vrget, exigitque bis, aut pluries vacuationem in anno, vt prudenter auctor noſter huic ægro conſuluit; vel ſecta vena, vt in plethorico vitio; vel purgatione, vt in cacochymia; eam potiùs in autumno, quàm æſtate, aut hyeme exequendam auctores tradiderunt omnes, cum Hipp. 6. *aph.* 46. præſertim ſi melancholia abundet, cuius ferax eſt autumnus.

Cur verò autumnus illis duobus temporibus præferendus, partim ex virum robore deſumitur, partim ex
B mediocritate, quibus veri ferè aſſimilatur, vt auctor eſt Gal. *cit.de cauſis pulſ.* Licèt enim autumnus vires reddat debiliores, 1. *aphor.* 18.& 3. *aphor.* 9. his qui per autumnum fructibus implentur, & qui ob immodicam gracilitatem, magis inæqualitate huius temporis offenduntur, quàm temperamento iuuentur, tales tamen perpauci ſunt : atque ideò à multis reprehenditur Auerrhoës 2.*collect.vlt.* aſſerens vniuerſaliter cum Rhaſio 3.*ad Almanſ.* 33. vires in autumno ſummè debilitari, immò & per illud tempus, quàm in reliquo anno infirmiores eſſe : nam quamuis inæquale dicatur autumni intemperamentum, & in eo frigiditas & ſiccitas dominentur, vitæ noſtræ principiis aduerſæ, qua ratione mouebatur Auerrhoës, exceſſus tamen ſuper temperamentum minor
C eſt, quàm vt vires vniuerſaliter labefactet, licèt è quibuſdam, vt diximus cum Galen.3.*aphor.*9. pariter ac in æſtate gracilibus videlicet, parùm abſtinentibus, & in victu intemperantibus, debiles ſeruentur,

Conueniens ergo videbitur occaſio vacuandi, in qua vitioſi humores intrò ſe ad viſcera, nobiliáque loca incipiunt recipere, nempè vt ad exteriora, ignobiliáque trahantur. Sed in autumno humores per æſtatem vitiati, ſimul & quos ipſe ex prauis alimentis gignit, ad interiora trahuntur, 1. *aphor.*18.*& aphor.* 9. internos, ac periculoſos generaturi morbos. Ergo præſtat eos tunc temporis vacuante remedio ad exteriora ciere. Prætereà in cacochymiæ morbis opportuniſſima eſt purgatio. Atqui autumnus morbis ex cacochymia aſſimilatur, 7.*aphor.*17. Igitur in autumno aptiſſima erat vacuatio, maximè per purgationem.

D Cæterùm quamuis dictæ commoditates ad vacuandum in autumno inuitent, & concurrente ſimul neceſſitate cogant; quoad fieri tamen poteſt, excuſanda tunc temporis vacuatio, præſertim per venæ ſectionem, id quod admonuit Auicen. 3. 1.*doct.*5.*c.*1.*de regimine temporum*, & multa, nec contemnenda incommoda ſuadent. Primum, quòd autumnus æſtatem ſequatur, exhaurientem vires ſimul cum humorum copia. Secundum, quòd humores non auget fuſione, quin potius concretione minuit, præ frigore cogens ad viſcera. Tertium, introrſum mouet humores, 1. *Aph. & 3.cit.* pharmacum extra corpus trahit, vnde ſi exhibeatur, parùm feliciter natura repugnante tentabitur vacuatio, & medicamenti ope miſcentis, ſi quid in corpore relictum eſt ſanum, & incolume, exuſti commer-
E cio vitiatur, & ſimul corrumpitur. Quartum, humor per autumnum redundans, tum ex aduſtione præcedente, tum concretione frigoris autumnalis, vt plurimùm craſſus eſt; is cùm non cedat leui medicamento, validum requirit, à quo magis aduritur, & inflammatur; præterquam quòd pharmacum forte, vires, quas autumnus excepit ab æſtate diſſolutas, non patiuntur.

Iam verò quantum phlebotomia in autumno verenda ſit, oſtendit paucitas ſanguinis per æſtatem exhauſti, necdum in autumno ipſo reparati; inſuper & aëris inæqualitas offendens imbecillum corpus; denique & frigida, & ſicca intemperatura temporis, temperiei ſanguinis omninò aduerſa, atque eius generationi inepta : quare licèt pluſquam hyeme, & æſtate concedatur vacuatio autumno, quoad fieri tamen poteſt vitanda, nec niſi re valdè vrgente, & cautè celebranda, poſt pluuiæ deſcenſum

quo

quod ſignificat Auicen. *vbi ſuprà*, virtute aliquantulum A roborata, nec priuſquam deponatur humoris ariditas, & meatus laxentur; ver autem tanquam accommodatius eligendum.

Nec obſtat quod anteà obiiciebatur, hyeme nempè atque autumno inuadere morbos internos, ac proinde tunc temporis, vel ſaltem in æſtate ab illis eſſe præcauendum, opportuna ſiquidem eſt proximè ante morbum præcautio, quemadmodum opportuna imminente acceſſione, per vacuationem reuulſio, vt notauit Auerrhoës *6. collect.* 15. quando iam aliquod ſignum ægritudinis ſeſe oſtendit: nam licèt autumnales, hyemaléſque morbi maiori ex parte interni ſint, ob humorum recurſum ad viſcera, & interiora corporis, ſint è contra plurimi eorum qui vere, & æſtate accidunt, exteriores, propter humorum tractum ad exteriora, & cutem, atque B ideò tunc curari oporteat, non expectato vllo anni circuitu: præcaueri tamen tunc per euacuationem non debent, nec commodè poſſunt, ex cauſis ſuprà adductis, & commoditatum defectu quibus ver præ omnibus pollet, atque ideó autumnum etiam timemus ad euacuandum, etiam præſente cacochymia, prauorum humorum copia, & ægrotandi periculo.

Hæc ita recipienda ſunt, vt intelligantur de his, quæ vtplurimùm obſeuari oportet, (nam vt plurimùm etiam morbi per interualla aggredientes, in vere pullulare ſolent 6. *aph.* 55.) non perpetuò, & ſemper, ſi fortè in aliis temporibus morbus per interualla, ac frequenter adoriatur, non ſemel tantùm in anno per ver, ſed & per autumnum etiam, immò & ſi res ampliùs vrgeat, pluries, & C quocumque tempore vacuandum provt exigit neceſſitas, cui aliæ leges ſuccumbunt. Licèt enim requiſitæ conditiones in aliis temporibus non dentur æqualiter, nec omninò opportunæ ad purgandum, vel ſanguinem mittendum, ipſa tamen neceſſitas eas operationes quouis tempore facit opportunas; quin & opportuna, tempeſtiuáque cenſetur morbi per vacuationem cautio, quæ ægrotaturo iam homini, & aucto humori ad generationem adhibetur, ſicut imminente acceſſione conueniens etiam per euacuationem cenſebatur reuulſio. Vnde non contemnendum, ſed recipiendum potiùs, & in opere obſeruandum iudicium Auerrhois *6. collect.* 14. exiſtimantis ferè annorum hebdomadas, vel dimidias, præcautionis gratia, non ſemel, aut bis tantùm in anno, vacuandos illos qui frequenter ægrotare ſolent videlicet quia rarum (inquit) eſt vt quis quotannis ægrotet, fre- D quens vt per annorum hebdomadas, ſaltem ij, qui cùm ad morbos ſint procliues, intemperanter viuunt, exactam regiminis rationem negligentes; reliqui non ita frequenter ægrotare ſoliti, ſanitatis tempore contenti ſint vna vacuatione, eáque in vere celebrata. Conſule de argumento hoc inter omnes Ioannem Brauum Petraſitanum, celeberrimæ Salmanticenſis Scholæ Profeſſorem eximium *lib. 2. de purgand. rat. cap.* 4.

Sed quænam potiſſimùm veris pars eligenda, dubitatio eſt non exigua apud Hip. interpretes, *6. aph.* 48. Sed inter omnes, recitanda eſt primò Galeni ſententia, dum *eo loco* docet, veris initium accommodum eſſe, tam ad ſanguinem mittendum, quàm ad pituitoſos melancholicóſque humores expurgandos; ſolùm tamen in bilio- E ſis finem præfert. Cauſa vna eſt, quoniam tunc cùm abundant, nec deeſt ſufficiens præparatio, vacuandi ſunt humores. Sed melancholici, pituitoſi, & ſanguinei humores multiplicantur, & augentur per hyemem; præparantur, & funduntur ſufficienter veris initio. Igitur tunc commodè ſunt vacuandi. Bilis autem è contra, cùm pauciſſima generetur in hyeme, accreſcat autem veris progreſſu, in illius fine purganda, antequam per æſtatem nimis aucta ſolitos morbos inducat. Altera cauſa. Tempeſtiuè fit (vt diximus) per euacuationem cautio proximè ante morbi inuaſionem. Atqui pituitoſi morbi, & melancholici poſt primam veris fuſionem eueniunt, ſanguinei paulo pòſt, biliosi ad æſtatis initium. Igitur hos ad veris finem, illos ad initium opportunè cauebimus vacuando.

Nec obſtat, quòd *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap.* 7. vniuerſim in omnibus ſiue purgandum ſit, ſiue ſanguis mittendus, veris principium eligit: nam ibi frequentem occaſionem docet; *in aph.* autem vnamquamque ſeorſim exactiùs definit. Quòd ſi obiicias, humorem craſſum longiori attenuatione per veris calorem indigere, ad hoc vt commodè vacuari poſſit, atque adeò ſeriùs quàm bilioſos, purgandos eſſe melancholicos humores & pituitoſos. Dic, hos magis attenuari, magiſque paratos reddi proceſſu veris: ſed quia maior eſt ea quæ ſumitur ab imminente morbo indicatio, vacuantur in initio ante morbi euentum; nam tunc iam ſunt ſufficienter fuſi, & commodè parati. Bilis autem purgatio non differtur in finem, vt maior attenuatio expectetur, ſed illius generatio, pauciſſima ſiquidem in hyeme multiplicatur, quod ſi aliquando multa hoc tempore aceruetur, (fieri namque poteſt, 4. *aph.* 4.) atque eius attenuatione, & augmento, morbus ineunte vere timeatur, opportunè etiam tunc expurgatur.

Nec obſtat ſecundò, ſi opponas Galeni ſententiam, *lib.* 1. *aph.* 15. referentis, vulgus ſibi, & iumentis ſanguinem in fine veris detrahere, ad cauendum periculum, ne æſtate fundantur ſucci. Quamuis enim in iumentis id vtiliter obſeruetur, propter ebullientem tunc ex viridi paſtu ſeroſum, & tenuem ſanguinem: perperam tamen homines obſeruant, venam ad finem veris ſecantes, iumentorum exemplo deluſi.

Nec obſtat tertiò, quòd veris initium ſimile ſit hyemis fini, 4. *acut.* 1. & prohibeantur ab Hip. tam *in epid.* quàm *in lib. de aëre & aqua*, cauteria, & purgationes in duobus æquinoctiis: nam ſat erit duos, vel tres dies obſeruare, in quibus non moueamns, ob exiguitatem mutationis in æquinoctio; licèt Auic. non cauerit, immò præcipiat, quòd ſi per autumnum vacuandum eſt, fiat vel in æquinoctio, vel proximè: quod recipiendum, dummodò neceſſitas vrgeat, quia eius indicatio fortior eſt, vt doctè explicuit Valleſius *lib. 7. cont. vlt.* & ſcitu non indigna protulit Cardanus *lib. 2. contradict. tract. 5. cont.* 5.

Porrò cùm præcautio ante morbum conueniat, & ſanis debeatur, vt illius beneficio impendentes morbi prohibeantur, quærendum eſt quibuſnam ſanis conueniat vacuatio, & à Gal. quidem in explicatione *cit. aph. & lib. curand. rat. per. ſang. miſ. cap.* 7. quadruplex recenſetur differentia ſanorum, qui per ſanitatem vacuari poſtulant. Primi ſunt, quos aliquot iam retrò anni morbus aliquis per interualla corripuit, arthritis, podagra, comitialis, pleuritis, &c mirè enim in talibus anteuertens per ſanitatem vacuatio morbum prohibet, & vetat generari. Secundi ſunt, quos inſignis, & metuendus morbus tentauit, vt elephantiaſis; ſed propter adhibitam curationem firmatus non eſt: verum licèt à præcipiti immedicabilis morbi periculo euaſerint, niſi tempeſtiuis vacuationibus impetum humoris aliò diuertamus, & ſeminaria mali extra corpus pellamus non leue periculum eſt, ne denuò inuadens occupet, & obtineat. Tertij, nec morbo aliquo ſæpè correpti ſunt, nec magno aut immedicabili tentati, aliquo tamen habitu ſunt ad morbum appoſito, quia hæreditate contraxerunt ſeminaria articularis v. g. morbi, phthiſis, vel comitialis, aut ipſa corporis ſtructura, aut valida cuiuſpiam partis intemperatura eos conſtituit morbis obnoxios, & pati faciles: atque in his quidem cauendi, timendique ſunt lapſus, qui in prioribus experimentis viſi ſunt. Quartò, ſanorum genere comprehenduntur illi, quibus ſuppreſſa eſt conſueta aliqua vacuatio menſium, hæmorrhoidum, aut diuturni vlceris; vel reſtitit ſolitus fluxus; vel inſigne membrum eſt abſciſſum: par enim eſt, vt retenta abundantia decumbens in partem aliquam corporis inſigniter offendat.

Quæ quatuor hominum genera, ſi incolumitati, vitæque ſuæ conſultum volunt, dum adhuc ſani ſunt, impendentes morbos anteuertere oportet, & cauere ne fiant, expectando tamen aliquod plenitudinis, vel morbi ſymptoma, quod monent Galenus *cit. de ſang. miſ.* 7. & Auer. *6. collect.* 15. Adde præter ſanos, quatuor dictis

generibus comprehenſos, vacuatione etiam aliquando tractandos; qui licèt incolumi, & robuſta valetudine fruantur, tamen oſtendunt in ſe modò, vel plethoræ, vel cacochymiæ indicia, ex Hip. 1. *aph.* 3. *& cit. loc.* & alibi paſſim.

Num verò & illi, qui integra omninò inculpatáque fruuntur ſanitate, non ſoliti incidere in periodicum morbum; non tentati inſigni, atque immedicabili; non procliues à natura ad morbum; non aſſuetam vacuationem intermittentes, ſed integra & totius, & partium valetudine præditi, non hæreditario iure contrahentes latens A morbi ſeminarium; denique neque cacochymiæ, aut plenitudinis vitia oſtentantes, num (inquam) tales per quædam annorum ſpatia expediat vacuare, erat conſequenter differendum: ſed quoniam tibi, Lector optime, nimis iam ſum fortaſſe moleſtus, idcircò ab hac quæſtione explicanda ſuperſedeo. Qualiacunque tamen ſint ludicra hæc, velim diligenter explores, quorum (ni fallor) dulci ſapore delinitus, animum tuum recrea, foue, refocilla: nam ego ad quarti libri hiſtorias explanandas iam accedo, in quibus de febrium eſſentia, differentiis, cauſis, ſignis, præſagio, & curatione apprimè diſſerto.

FINIS LIBRI TERTII.

ZACVTI

ZACVTI LVSITANI, DE MEDICORVM PRINCIPVM HISTORIA,

LIBER QVARTVS.

De febrium eſſentia, differentiis, cauſis, ſignis, prognoſi, & curatione.

PROLOQVIVM.

INTER plurimas affectiones quibus ſubſunt mixta, frequentiſſimus morbus, febris eſt, omníque ætati, regioni, morbo, tempori, ſexui, complexioni valdè familiaris, vt eleganter *lib.* 3. *ſui operis*, *cap.* 3. Cornelius firmat, immò hoſtis infeſtiſſimus, diligens, irrequietus, audax, temerarius, vitæque fontis auidus, per vniuerſum corpus ſæuiens, nemini parcens, abdita & abſtruſa clauſtra penetrans, & adeò humanam compagem depopulans, vt huic ſoli priſci inter morbos reliquos, diuinos ac ſacros tribuerent honores, & ceu numini cuidam placabiles hoſtias immolarent aſſiduè, vt ab eius tyrannide vindicarentur. Hæc, ex Galeno 6. *epid. ſect.* 1. *n.*29. non ſecundùm Hippocratem modò, verùm ſecundùm omnium hominum intelligentiam, eſt præter naturam caliditas, in totum animal extenſa; ſin minùs, in plurimis, & maximè in præcipuis partibus eueniens: & *lib.* 1. *aph.* 16. & 1. *de rat. vict. com.* 18. febrem ait eſſe conuerſionem natiui caloris in igneam naturam: & *lib.* 8. *meth.* 1. febrem vocat, quum adeò immodicè calor auctus eſt, vt hominem offendat, & actiones lædat: & *lib. de cauſ. morb.* 2. calorem in totum ſparſum, appellat febrem: & *lib.* 4. *de cauſ. pulſ. cap.* 2. calorem immodicum, totum corpus occupantem, febrem dici, diſertiſſimè inculcat. Ariſtoteles *lib.* 1. *probl.* 2. totius corporis ſuperantem calorem, appellat febrem. Auicen 1.4. *tract.* 1. *cap.* 1. rectè definit, *quòd ſit calor extraneus accenſus in corde, ab eo procedens, mediante ſpiritu, & ſanguine per venas, & arterias in totum corpus.*

Cùm ergo calor præter naturam cordis vitalem firmitudinem lædens, cum omnibus morbis complicetur, & maximè cum acutis, quorum vi plures occumbunt, 1. *acut.* 8. fit meritò, vt poſt omnes affectus, qui humanum corpus infeſtant, de eo dignam celebremus commemorationem. Quo pacto quartum hoc volumen à febribus exorſi, ſingula eo ordine, quo paulò anteà recenſuimus, proſequi conſilium eſt. Et licèt non ignoremus vniuerſales morbos particularibus, lege methodi, haud poſtponi debere, viſum tamen eſt mihi auctorum ordinem ſequi, argumentum hoc poſt reliquorum morborum tractatus, proponentium. Deinde in febribus varia hiſtoriarum illuſtrium exempla, & plura alia admirabilia contingunt, vt ſi hæc in rectum artis vſum contempleris, plurimam lucem tuis medicationibus afferas, & his munitus, debellantium, ſæuorum, malignorúmque morborum impetus, cum quibus ferè ſemper complicatur febris, præeſt aut ſuperuenit, coërcere, & inſilientium ſymptomatum effrænes vires retundere, illorum furioſam efficaciam refrænare, atque mira ſagacia & dexteritate Principum facunda doctrina inſtructus, auertere poſſis.

Nam

Nam excellens omninò fuit priſcorum Medicorum ingenium, ex quorum monumentis hiſtoriæ, pro ſalute mortalium pari excellentiæ laude digniſſimæ, exierunt in lucem; ex quibus ingenioſis, breuibus, argutis ſummam hauries vtilitatem, ex tam multis, quæ illi expertiſſimi auctores per hiſtorias aut fecere ſcribenda, aut ſcripſere legenda. Ergo, chariſſime Lector, non ceſſes ad illius opem confugere: nam præterquàm quod eſt gratiſſima, & iucunda, eſt etiam Medicis vſibus apprimè vtilis, & perneceſſaria.

HISTORIA I. CELSI, DE FEBRI DIARIA.

Diaria febris ex ebrietate orta, aquæ frigidæ potu, ſanata.

ERgo *etiam ingenioſiſſimus ſæculi noſtri Medicus (quem nuper vidimus) Caſſius * febricitanti cuidam, & magna ſiti affecto, quum poſt ebrietatem eum premi cœpiſſe cognoſceret, aquam frigidam ingeſſit: quia illa epota, cùm enim vini miſcendo fregiſſet, protinus febrem ſomno, & ſudore diſcuſſit, &c. Cornelius Celſus*, in præfat. ad libros de re medica ſuos, iuxta finem.

PARAPHRASIS.

EXecrandam eſſe ebrietatem, ex qua omnis morborum farrago ſcaturire ſolet, latè ex veterum, & iuniorum mente prædiximus *lib. 2. in com. hiſt.* 72. Ex nimia enim potatione non ſolùm omnis generis febres, ſed grauiſſimos affectus ſuboriri, docuit Hippoc. *lib.7.aph.7.* Nam non ſolùm capite oppleto multo ſanguine, ac ſpiritu calido, ſed toto corpore efferueſcente, febriunt ægri, & deinceps (vt explicat ſcitè Heurnius *in com.*) ſi reuiuiſcant, morbis frigidis tentantur ægri, obruto nimia copia calore natiuo, vnde conuulſio, ſtupiditas, & alia damna emergunt, quorum ſyluam legat qui velit apud Ariſt. *lib.3.probl. ferè per totum*, explicant Laconicè Hollerius, & Duretus *lib. 1.de morb. intern. cap. 3.* fuſiſſimè, & appoſitiſſimè Canonherius peritiſſimus *lib. 3.de admirandis virtutibus vini, ferè per totum.*

Hoc enim vitium eſt tam nefarium, vt potentias omnes conturbet, cerebrum concutiat, & vaporibus continua fuligine ex repleto ventriculo exhalantibus vellicet, ac feriat, vnde ſpiritus animalis turbatur, vitalis ebullit & efferueſcit. Hinc vagabundi, & inſtabiles cogitationum motus ſine iudicio, ſine ordine ſcaturiunt, impediuntúrque omnium ſenſuum, & membrorum actiones? quare nec oculus, nec manus ſuum munus exercent. Quapropter non eſt denegandum, multis modis præcludi, crudis illis, denſíſque fumis, quos membra nutritioni ſeruientia à nimio potu exhalant, quominùs ad partes inferiores tranſmittantur; ex eo temulentia, cerebri, naturalium, & animalium partium firmitudinem labefactat.

Hæc multis firmare poſſem, quæ licèt à ſummis illis Philoſophis ſint agitata, modò ea Laconicè perſtringam: nam Stromateus *lib. 2. pædag. cap.* 2. neceſſarium potum naturalem ac ſobrium, aquam eſſe tradit, vino vtendum temperatiſſimo ſtatuit, denique hic author grauiſſimis verbis inuehitur in ebrietatem; nam aqua eſt conceſſa ob neceſſitatem; vinum, iuuandi corporis gratia, quare Barbari, hoc eſt Thraces, Celtæ, Iberi, Scythæ, nationes efferæ ac bellatrices vehementer abhorrent vinum. Ebrietas enim fatuos reddit, & inſanos; quare Plutarchus *lib.de garrulit.* inſaniæ contubernalem vocat ebrietatem: vnde ſapienter apud Chinas vetitum iudicibus eſſe, antequam cauſas audiant, vel definiant, vel guttam vini abſque Regis imperio bibere, refert *hiſtor. Chinenſ. lib.3. cap.*10. explicant Plut. *lib.2.ſympoſ.quæſt.*1. Cyrus *lib.pædag.* 1. Samius *lib. hiſt.*7. apud Athen. *lib.*10.*cap.*11. Dionyſius Areopagita *epiſt. quadam ad Titum, non valdè longè à fine.* Menander apud Athen. *lib.* 10. *c.* 14 Anacharſis *lib.de ebrietate*, Nonnus *lib.*13. *de vinolentia.* Sed quid plura conſector, ac colligo, quando ex ebrietate morbi contingunt funeſti, exitiales, & qui citiſſimam opem Medici expoſtulant. Quamobrem ſapienter Calliſthenes apud Plut. 1. *decad.quæſt.6.ſymp.& lib.de frænand.ira. & lib.* 10. *cap.*11. Athen. cùm ei poculo grandi meracum in Alexandri conuiuio ordine ſuo bibendum offerretur, recuſauit hac ratione, nolo in Medicorum per temulentiam manus incidere, aut nolo Æſculapio indigere, ô Alexander; denique nullus eſſet finis orationi noſtræ, ſi omnia quæ ab auctoribus de noxis ebrietatis ſunt prolata, narrare aggrediar. Quare velut te manu duco ad *lib.* 2. elegantiſſimum Pauli Zacchiæ Medici omnium calculis doctiſſimi, *quæſt.* 11. *medic. legal.* & Arnaldum *in regimine Salernitano, cap.*15.*de incommodis nimiæ vini potationis.*

Hanc ergo febrim fuiſſe diariam ex duobus patet apertè, & quòd à cauſa primitiua, & externa ortum duxit, à qua diarias oriri *infrà*, ex Galeni mente confirmabimus, *in com hiſt.* 6. & quòd citò alterantibus ceſſauerit. Et licèt Cornelius Celſus *lib.* 3. *c.*5. exiſtimet diarias, vtpotè ſimpliſſicimas, vix dicendas eſſe morbos, quoniam ſponte ſua & vel nullo adhibito præſidio ceſſant, quia ſpiritus ſuapte natura tenuiſſimi, qui in hac febre accenduntur, facillimè reſoluuntur: tamen magna diligentia eſſe curandas, ne in corporibus præſertim impuris & calidis, in putridam, vel hecticam tranſeant, monuit Galen. *in lib.*8. *meth.* & alibi ſæpe, & omnes auctores eius mentem vnanimiter confirmant.

Plura ſunt auxilia ad curandam ebrietatem, quæ à Medicis præſcribi ſolent: ſed aduertere primò debes, crapulam diſtingui ab ebrietate, ex Galen. *lib.* 4. *acut. com.* 90. nam etſi confundantur inter ſe multoties, tamen ebrietas ſignificat eam turbationem, quæ vno tantùm die durat, crapula quæ pluribus premere ſolet. Rurſus ebrietas eſt duplex, alia in qua neque animus, neque corpus quicquam operari poteſt, & de hac intelligendus Hipp. 5. *aph.* 5. alia eſt, in qua licèt animus ſit ſopitus, corpus tamen aliquid operatur de qua intelligendi Ariſt. 3. *probl.* 2. & 28. & Plut. 3. *quæſt. conuiual. c.* 8.

Ex his omnibus ſolet oriri diaria, eo quòd calore à vino inducto, ita ſpiritus incaleſcunt, vt febris concitetur. Curatur, vt inquit Auic. 1.4. *tract.* 2. *cap.* 42. clyſteri, vomitu, phlebotomia, ſomno, fame, quiete, & corporis tranquillitate, lenientibus aluum, & prouocantibus vrinam. Sed Auicen. 1.3. *tract.* 2. *cap.* 24. de ſoda, ex

ebrietate

ebrietate, ſi adeſt incendium internum, ſanguinis miſſionem laudat, ad attemperandum cauma internum. Caſſius, vt refert hoc loco Celſus incendium in viſceribus perſentiens, nullo alio potuit citiùs, & promptiùs ſuccurrere auxilio, quàm aquæ potu: & meritò ſanè: nam ſi poſt aquam ſubitò hauſtam, & lethales dolores efficientem, meri potus ſalubris eſt, ex Dioſcoride *lib. 6. cap.* 3 Auic. 6.4.*tract.* 1.*ſum.*1.*cap.vlt.* Sic poſt copioſum vini potum. frigida eſt ex vſu. Ita Paulus *lib.*1. *cap.* 33. ad ebrietatem, aquæ liberalem potum ſuperbibere iubet, & *lib.*3.*cap.* 4. *rubric.* 6. idem confirmat. Ita Galen. *lib.*2.*ſec.loc.cap.*1.*tit. de iis quæ Apollonius ad capitis dolorem ex ebrietate & meri potu ſcripſit*, aquæ potum vehementer extollit, quoniam ſua frigiditate febrilis æſtus ardorem compeſcit, & ſic refocillat naturam, quæ roborata vel ſuperabundantem copiam vini per vomitum expellit, vel eius tenuiorem partem per ſudorem detrudit.

Multa ſunt quæ præſeruant ab ebrietate, vel occulta vi, vel qualitatibus manifeſtis, vt braſſica, hederæ ramuli, roſaceæ, laureæ, myrteæ, & hederaceæ coronæ, quæ vim habent vapores reprimendi, quia mitis aura florum naribus hauſta ſuccurrit, capútque ab ebrietate propugnaculi vice tutatur; nam ſi calidi ſint, laxant ſpiracula, à quibus vinoſus euadit vapor; ſi frigidi, noxios halitus repellunt, ſomnos mulcebres alliciunt, & ad placidam quietem potos perducunt. Puluis pumicis, cremor abſinthij, portulaca, crocus, lactuca, folia lauri, amygdalæ amaræ, (quarum ope, multa vini copia ingeſta, madidos arcere ebrietatem, Plutarchus Chæroneus putauit *lib.* 1.*ſymp.quæſt.* 7. qui apud Druſum Tiberij Cæſaris filium, quendam Medicum comeſſari ſolitum retulit, qui omnes bibendi certamine prouocabat, neminique cedebat in vini potu. Is tandem deprehenſus eſt antequam biberet, quina, ſenáve amara comeſſe amygdala, quominùs tumulentia tentaretur: porrò cum deuorare vetuiſſent, ne pauxillum quidem in huiuſcemodi potu reſiſtebat. Nam hoc auxilium amaritudinis vi deſiccat, & humorem abſumit, (vt Athenæus putat *lib. dipnoſoph.* 2. *pag.* 41.) betonica: quæ omnia præſeruare ab ebrietate, protulit Ariſt. *ſect.*3. *probl.* 17.

Deinde ebrietatem inductam plura ſunt quæ perſanant, quorum ope, ac beneficio ebrij commodè ad ſobrietatem reducuntur: ex horum numero eſt oxycratum, hoc eſt, acetum aqua mixtum, quæ à Latinis poſca, Græcis recentioribus phuſca appellatur; quæ ſi ſimplici ratione conſtruatur, refrigerat, & humectat, frigidum natura cerebrum, ab ardore & incendio vini, tuetur ac defendit. Radix ari ebrietatem diſcutit, & alia quæ paſſim à Medicis deſcribuntur. Conſule Iaſon. Pratenſem *lib.de morb. cerebri*, & Ioan. Ionſtonum *claſſe* 10. *thaumatograph. art.* 5.

De braſſica vulgaris fama eſt, ab antiquiſſimis Medicis deducta, quòd ſummo cibo ſumpta crapulam diſcutiat, & vini noxam reſtinguat: hoc ita eſſe primus omnium prædixit Dioſcorides *lib.*2. *cap.*112. quoniam vitis, & braſſica tanta laborant diſcordia, vt ſi agris olus hoc affixum viti proſiliat, vel ipſa confeſtim emarceſcat, vel certè ſarmenta eius clangueſcentia contabeſcant. Si braſſica fuerit vicina viti, luxuriantes eius palmites potiùs repandi curuabuntur, quàm recti velint propiùs accedere. Similiter ſi quis ferueſcenti in olla braſſicæ vini paululum guttatim inſtillauerit, ne ampliùs quidem excoquetur, ſed ſuis viribus defuncta ad perniciem trahetur: quare qui multum hauriunt vini, vt qui certamine potandi ſe prouocant, ne tumulentia tententur, braſſicam crudam cibis anteponunt. Sunt etiam qui frequenti ſyrupotuntur ex braſſicæ ſucco cum ſaccharo parato.

Quæris cauſam? Adi Ariſt qui 3.*ſect.probl.* 17. rationem ſubdidit, *quòd dulcem ſuccum, diſcutientémque contineat: eáque in plenum excocta, & expurgato caule refrigerata, Medici vehementes ventris deiectiones moliuntur; quo fit vt iis qui crapula tentantur ſuccus humores in aluum eliciat. Crudis etiam hominibus, temulentiſque ſuprà in ventriculo remanens, corpus refrigerat, fitque vt humores per vrinarios meatus euadentes ad veſicam delabantur: qui cùm vtrinque abigantur, refrigerato corpore, eos liberari crapula conſpicuum eſt, præſertim cùm ſequax vini vapor, humoribus deorſum conuerſis deuocetur, & præceps ad ima deuoluatur; qui ſeſe efferens in caput mentis arcem obſidet, & temulentiam, grauitatémque creat.* Lege Vilanouanum *in Schola Salernitana, cap.*57.

Porrò licèt hæc ſint vera contra ebrietatem amethyſta, quando ſcilicet merum caput occuparit, artémque ſenſuum obſederit, & ſic mirum in modum conturbatur homo, quia ab eis expirat lenis aura, ac blandum odoris effluuium, quo in temulentorum corporibus inæqualitates obortæ, aſperitudinéſque ſenſim diſſipantur, ac ita excernuntur, vt conciliata tranquillitate crapula retundatur, ac excoquatur; tamen aqua frigida ſuperbibita furentes vapores in cerebrum elatos compeſcit, cauma internum mitigat, & ſomnum placidum inducit, cuius ope recreata natura ſuperfluum vaporem per ſudorem eliminat. Audi Dioſcoridem *lib.*5.*cap.*6. *Noxia omnis ebrietas, præſertimque continuata; cedunt enim nerui, quotidiana velut obſidione laborantes: ingenerátque copioſus quotidie vini potus acutorum morborum principia. Oportet tamen poſt vinoſitatem hanc aquam bibere, ab ea enim veluti contraria curatione, auxilij ratio aliqua quærenda eſt, &c.* & vt doctè exponit Marcellus Virgilius *in com. poſt vinoſitatem ſuperbibita aqua, & ea quidem copioſa, ſummum remedium eſt, vt vomitu quamplurima reiiciamus, & eroſiones ſtomachi ea ratione hebetemus.* Si tamen de curatione ebrietatis, vitiis ab ea ſubortis, plura legere aues, lege quæ proponunt Iacobus Othæus, *in obſeruationibus propriis, cap. de ebrietate.* Langius *lib.*3.*epiſt.*30. Holler, & Duret. *lib.*1.*de morb. intern.cap.*3.

Sed his prælibatis, plura ſunt, quæ explanationem deſiderant. Primum, quo ſigno ductus Caſſius, hunc ægrum ex ebrietate febrire cognouerit? Dic, multa eſſe quæ ebrietatem oſtendunt, vt citati protulere auctores. Ea ſunt ſudor longè conſueto copioſior, reſpiratio difficilis, corporis grauedo, cephalalgia, tremor, vertigo, viſus geminatio, vt Ariſt. recitat *in probl.* 10. *ſect.* 3. lachrymæ inuoluntariæ, linguæ incontinentia, balbuties, in riſum procliuitas, importuna locutio, inflatio venarum capitis, oculorum rubedo, propenſio in ſomnum, deſidia, ſtupiditas, frequens oſcitatio, febris, delirium, & alia, quæ omnia varia in variis apparent, ſecundùm temperamentum, humorum qualitatem, copiam, ætatem, tumulentiæ gradum, vini quantitatem, qualitatem, ebrij naturam, conſuetudinem, ſtomachi debilitatem, ac robur. Lege Cælium Rhodiginum *lib.*28. *lect.antiquar. cap.*33.

Secundò quæro. Num ſicut vir hic tentatus ebrietate, in febrim incidit, poſſit etiam fœmina inebriari? Reſpondet Macrobius *lib.*7.*Saturnal.c.*6. Ariſtotelem *voluiſſe in libro de ebrietate mulieres raro ebrietate tẽtari, crebrò ſenes: nam contrariam naturam ſortita ſunt muliebre corpus, & ſenile. Mulier humectiſſimo eſt corpore, quod lauitas cutis, ſplendor, aſſiduæ purgationes, ſuperfluo exonerantes corpus humore oſtendunt manifeſtè. Cùm ergo vinum in tam largum humorem ceciderit, edomitum, vim ſuam exuit, & fit dilutius, nec facilè cerebri ſedem ferit, deuicto, & prorſus extincto eius vigore. Demùm fœmineum corpus pluribus conſertum foraminibus, vias præbet vapori vini celeriter ſic euaneſcenti. Senes autem omnium minimè copiam ferunt; cum enim arido ſint corpore, atque exſucco, caloréque debili, largiore vini potu offenduntur, & ſic hauſtum vinum ſenile corpus non expirat, ſed ad ipſam mentis arcem aſcendit; quare ſenes vitiis ebriorum laborant, membrorum tremore, linguæ titubatu, obliuione, loquacíque garrulitate, quibus tam ſubiacent iuuenes ebrij, quàm ſenes ſobrij. Si ergo leuem pertulerint impulſum vini, non accipiunt hæc mala, ſed incitant, quibus ætatis ratione iam capti ſunt.* Sed pace tanti viri, hæc ſolutio à veritate abeſt: nam etiam ſenes crudis ſuccis ſcatent, & redundant pituitæ copia, cuius humiditate dilui poteſt vinum. Deinde ebrietas concitatur à vino, quia ſua caliditate, tenuitate, & euaporatione cerebrum perreptat, quæ in ſenibus non ita facilè contingunt: nam præ debilitate innati caloris non ita vinum ebullit in ſtomacho,

nec

nec halitus in cerebrum emittit, & hæc ratio ſuperat aliam, quæ ex debilitate cerebri, in ſenibus facilè vapores recipientis, à Macrobio pro firmiſſima habetur. Quapropter aſſerendum eſt, fœminas vini potui aſſuetas, faciliùs ſenibus ebrietate tentari, quia calidiores: nec vapor vini, per raram corporis contexturam, ita citò exhalat, vt ſimul ſurſum in cerebrum non penetret. Ergo contrarium aſſerit Philoſophus, naturalem mulierum conſuetudinem reſpiciens: nam eæ parùm, aut minùs bibunt, quàm viri. Lege Foreſt. *lib.9. obſ.* 28. *in ſchol.* Tiraquel *de Legib. connubial. gloſ.* 1. *part.* 9. *num.* 210. Canonherium elegantiſſimum *lib.* 3. *de vini facult. admirand. cap.* 1. *num.* 17. qui aliis machinis contra Macrobium inuehitur.

Tertiò quæro. Si diaria, eſt febris veluti immaterialis, & habet pro materia ſpiritus tenues, calidos, ſiccos, qui ob ſubtilitatem reſoluuntur, & ob ſiccitatem, humoris ſunt exortes, cur calor diu durat in illis, cùm facilè euaneſcant? Dic, ſumpto altiùs dicendi exordio. Licèt multiplex ſit febrium differentia ab accidentibus deſumpta, quas Galenus commemorat eleganter *lib.* 6. *epid. ſect.* 1. *com.* 29. differentiam à materia deſumptam omnium eſſe celeberrimam, & vſitatiſſimam, eo loco, & 1. *feb.* 1. cum Auic. 1. 4. *tract. cap.* 1. inculcat. Quare cùm tria ſint, quæ noſtrum corpus conſtituunt, ex Hip. 6. *epid. ſect.* 8. *text.* 8. vt *citato de dif. feb. loc.* retulit Gal. *continentia, contenta, & impetum facientia,* hoc eſt, ſolidæ partes, humores, & ſpiritus; ſic erunt tria febrium genera, in his tribus ſubſtantiis accenſa: nam ſi immodicus, ac præternaturalis calor in ſpiritibus accendatur, fit diaria; ſi in humoribus, putrida; ſi in ſolidis, excitatur hectica. Et hæ ſunt propriæ, & eſſentiales febrium differentiæ, immediatæ, proximæ, & principales: aliæ verò ſi dantur, à calore in aliis partibus accenſo deſumptæ mediatæ ſunt, remotæ, ſecundariæ, & ad cæteras febres reducendæ, vt illa quæ concitatur à calore præter naturam, vel putredine lactis, ſeminis, ichoroſæ ſubſtantiæ, puris, ſtercoris, vermium, grumi, vrinæ, membri putrentis, quatuor humiditatum quas inuexit Auicenna 1. 1. *doct.* 3. *cap.* 1. Conſule Gentilem *in extrauagantib. quæſt.* 10.

Diaria ergo dicitur, quia vno die durat; appellatur etiam ephemera, à ſimilitudine cuiuſdam animalis ephemeri vocati, cuius meminit Ariſt. *lib.* 5. *de hiſt. animal. c.* 19. eſt animal volucre, & quadrupes, à quibuſdam veluti folliculis erumpens, quod in pomeridianum vſque tempus diei viuit, & volat, mox deſcendente ſole marceſcit, & occidente languet, & emoritur. Aſſimilatur hæc febris vento calido vtri incluſo; vt enim ille vtrem, qui includitur, calefacit: ſic ſpiritus plus iuſto excalefactus, vniuerſum corpus, in quo continetur, accendit; & cùm ſit ſubtilis, & in opere reſoluatur, alios de nouo genitos tandem inflammat, & ſic vna die calorem ſuſtinent durantem, & fixum, qui ad rationem febris huius ſatis eſt.

Quartò quæro. Si febris eſt paſſio viuentis, quomodo illa poteſt accendi in ſpiritibus, ſi hi non viuunt? Siquidem verum eſt, in carentibus vitâ impoſſibile eſſe fieri ſanitatem, & morbum, prout protulit Philoſophus *lib. de ſenſu, & iis quæ ſentiuntur, cap.* 1. Spiritus autem viuere non poſſe conſtat, quia nullam ex ſe depromunt virtutem, ſed tanquam delatores facultatum, vires ad membra deferunt, excepto tantùm genitiuo, ſeu implantato, quem alente vita viuere affirmat Ariſt. *lib.* 2. *de generat. animal. cap.* 3. ob id quòd vim habeat generandi, & iam genitas partes nutriendi, & augendi. Dic, quòd licèt ſpiritus non viuant, dicuntur tamen ſubiectum inhæſionis, quamuis ſubiectum dominationis partes ſolidæ conſtituantur.

Quintò quæro. Cur ex calore vini, & efferueſcentia interna potiùs ſpiritus ſunt inflammati, & orta diaria, quàm humores, vnde febris humoralis originem ducit? Dic, quòd licèt febris humoralis, & hectica, in intio poſſint incipere nulla præcedente diaria, quia hæ ſubſtantiæ aptiſſimæ ſunt ad ſuſcipiendum incendium, & nullum agens ſine paſſi aptitudine agere poteſt, ex Gal. *lib.* 1. feb. cap. 4. tamen ferè ſemper præcedit diaria: nam priùs calefiunt ſpiritus, quia tenuiores, & promptiùs alterantur: *omnis* ſiquidem *ſubſtantia tenuis, faciliùs alteratur, quam craſſa,* ex Gal. *lib.* 1. *feb. cap.* 1. Deinde quicquid calidum eſt natura, primò à quouis calefaciente caleſit, ex Galen. *lib. de inæqual. intemper. cap.* 4. Quare diaria excitata eſt potiùs in hoc ægro, quia à calefaciente cauſa ſpiritus citiſſimè calorem concipiunt, ob rationes dictas.

QVÆSTIO I.

Vtrùm febris poßit dari abſque calore, vt contra Galenum arbitratur Fernelius.

COMMENTARIVM.

F*Ebricitanti.*] Quoniam Medicorum principum hiſtorias, illarúmque interpretationem, tuo fauore, beneuolentia, & auſpiciis, accuratiſſime Lector, quotidie proſequor, & crebrioribus, longioribus, & (nî fallor) vtilioribus argumentis, quantum res ipſa poſtulát, explano: idcircò cùm nuper ad argumentum de febribus, tantopere Medico vſui neceſſarium, perueniſſem, placuit illud aliquanto latiùs explicare, præſertim cùm in eo plurimæ ſint controuerſiæ arduæ, & ſcitu dignæ, quæ in theoria, & praxi Medicum inſtruunt apprimè.

Et vt à primà exordium ſumam, difficile ſemper mihi viſum fuit, quod Auicenna (qui præ omnibus febrim rectiùs definiiſſe viſus eſt) 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 1. à Galeno mutuatus protulit, febrim eſſe calorem, quum febris eſſentia à calore videatur aliena. Primò Auicenna 1. 4. *tract.* 1. *cap.* 1. *in fin.* ſic ait. *Febres aliæ ſunt frigidæ, habentes rigorem, &c.* Ergo exceſſus caloris, non eſt ſemper de ratione febris.

Secundò. Febris ex omnium Medicorum conſenſu, morbus eſt. Igitur & mala corporis diſpoſitio (definitur namque morbus, per diſpoſitionem præter naturam, quæ functiones ſenſibiliter lædit;) diſpoſitio autem ad primam pertinet qualitatis ſpeciem, quæ definitur qualitas bene aut male afficiens ſubiectum; & huiuſmodi eſt febris, & quiuis alius etiam morboſus affectus. Calor autem, cùm patibilis ſit qualitas quæ ſenſum apta ſit mouere, ad tertiam pertinet qualitatis ſpeciem. Vnde non rectè ab Auicenna, febris per calorem definitur.

Tertiò. Datur febris abſque calore, immò cum caloris penuria & defectu. Ergo febris eſſentia in calore non conſiſtit. Aſſumptum ſuadetur ex colliquante febre, in qua datur caloris defectus cuius ratione vinum, & oua exhibemus, quæ calorem adaugere nata ſunt.

Quartò. Moriens ex febri, verè febrit, quia patitur maiorem calorem, quàm in ſtatu naturali, in partibus internis & externis; & tamen frigida cordis, & corporis intemperie laborat, ex Hip. 6. *epid. ſect.* 4. *text. penult.* Vnde expiratio prope mortem frigida, 4. *aph.* 48. & 2. *prog.* 24. Ergo.

Quintò. Si calor eſſet de eſſentia febris, numquam ab ea ſeparaaretur. Sed in principio quartanarum, & tertianarum, tantum adeſt frigus, vt omnes corporis partes rigeant. Ergo. Confirmatur ex Auic 1. 4. *tract.* 1. *cap.* 3. §. *E principium quidem eſt hora, &c.* vbi docet quòd principium eſt tempus, in quo caliditas naturalis ſuffocatur. Ergo calor non eſt de eſſentia febris.

Sextò. Sunt quamplurimæ febres, in quibus partes vnà calent, & frigent, vt in epiala, & lipyria, ex Gal. *lib. de inæqual. intemper. cap.* 8. Ergo datur febris ſine calore.

Septimò. Febres plures auxiliis calidis curantur. Ergo frigidæ ſunt: ſi verum eſt illud axioma, contraria contrariis curantur, vt 8. *meth. cap.* & alibi prædixit Galenus.

Octauò. Febris ſyncopalis, verè febris eſt. Sed in ea multoties neque in interioribus, neque exterioribus caliditas percipitur, vt conſtat ex tarditate, raritate, & paruitate pulſus. Ergo.

Verùm ſententia Galeni, cæterorúmque Medicorum eſt amplectenda, qui communi conſenſu febrem per calorem eſſe definiendam comprobarunt; quare Græci illam appellarunt pyreton, ac ſæpius pyrexiam. Sic Hip. *epidemi*

epidemiis vocauit ignem: & etymologia nominis id apertè demonſtrat; dicta namque eſt febris à feruore. Hæc fuit cauſa, ob quam Galenus. *lib.* 1. *feb. cap.* 1. priùs diuiſit febrem quàm definiit, quoniam manifeſtum erat, eam in calore conſiſtere.

Quæ verò propoſita ſunt, & aduerſæ parti fauere videntur, nihil vrgent. Dic ad primum. Auicenna vocat aliquas febres frigidas, ratione cauſæ, id eſt humoris à quo originem ducunt; qui antequam putreſcat, frigidus eſt, poſtquam verò putruerit, calidus.

Ad ſecundum Communior ad praxim videtur reſponſio, febrem ab Auic. non definiri pro formalitate ſua, & iuxta nudam, abſolutámque veritatis conſiderationem, vt Philoſophi rentur; qua ratione febris verè diſpoſitio eſt, prima ſcilicet qualitatis ſpecies: vt quiuis alius morbus meritò cenſebitur, vt colligitur ex Gal. doctrina *lib.* 1. *meth. cap.* 7. *&* 2. *meth. cap.* 7. *iuxta finem*, Auic. 2. 1. *doct.* 1. *cap.* 2. Ariſt. 5. *phyſicor.* 7. *&* 7. *phyſicor. cap.* 3. Sed definitur febris eſſentia à Medicis per materiam, in qua febris ipſa conſiſtit, cuiuſmodi eſt calor, & iuxta quam patitur ſenſibiles in morbi progreſſu mutationes, in humani corporis vtilitatem aut perniciem, ſanitatem aut morbum, bonum vel malum euentum, quæ ſunt iuxta curationis munus contemplabiles ad operantem Medicum paſſiones, quemadmodum calor (ſi ipſam ſpectes caloris formam) qui cùm ſpecies infima à Medicis, & Philoſophis cenſeatur, nullámque patiatur ſpecificam diuiſionem; in plures tamen diuiditur caloris febrilis ſpecies, & à Galeno, & ab omnibus medicinæ Profeſſoribus vnanimiter conſentientibus, iuxta materiæ varietatem, in qua calor ipſe conſiſtit, & ad cuius mutationem varios ſubit intenſionis, malitiæ, rebellionis, acutiei, magnitudinis terminos, diuerſa temperamenta, dubióſque euentus. Quare cùm febris non formaliter quidem, ſed per materiam, in qua veluti ſua baſi conſiſtit, conſultò, ad medendi opus definiatur, nihil mirum ſi ad primam qualitatis ſpeciem non pertineat, ſed ad tertiam, in qua materia per quam definitur, habet locum; hæc enim ſolùm à Medicis neceſſariò inquiritur, ſub qua duntaxat ratione, variam ſubit febris ipſa in opere curationem.

Ad tertium. Dic. in colliquante dari quidem calorem, ad quem ipſa colliquationis conſumptio eſt referenda: vnde falſum eſt argumenti antecedens, quòd ſcilicet detur febris abſque calore. Ad probationem verò neganda eſt conſequentia: nec enim rectè infertur, ex eo quòd in quantitate deficiat, deficere etiam in intenſione, & qualitate: non enim pari commenſurantur gradu caloris quantitas eiuſdémque qualitas, ita vt ex vnius accretione, aut defectu, alterius etiam inferatur accretio, & augmentum; cùm vtraque ſuam peculiarem, longéque diſtinctam ſequatur viam atque legem, vt in præſenti cernitur exemplo, vbi caloris intenſio, & in qualitate augmentum, cum quantitatis inopia, & defectu concurrit: vnde duplex datur morboſus affectus, & caloris in intenſione qualitatéve augmentum, in qua febris conſiſtit; & defectus in quantitate, ratione cuius vinum, & oua exhibentur. Quare non ſequitur, quòd ex quantitatis abſentia qualitas etiam neceſſariò deficiat.

Ad quartum. Dic ex eodem Hipp. citata auctoritate, morientem non febrire eo tempore, quo vltimo moritur, ſiquidem verum eſt, quòd ex frigido corporis intemperamento vita finitur, ex Hipp. *cit.* ſed dicitur ex febri tunc temporis perire, quia ex febre, ante interitum ſua actione prædominante, perit æger, ex eo quòd totum cordis calorem naturalem, præcedente illo tempore, conſumpſerit, quemadmodum dicitur hydrops ex calida iecoris intemperie ſæpè proficiſci, cùm non à caliditate proximè, ſed ab ipſius potiùs frigiditate ortum habeat, ex Gal. 2. *de natural. facult.* 7. *&* *de loc. affect. cap.* 2. *&* *lib. introduct. cap.* 13. Dicitur tamen hydrops ex caliditate iecoris oriri, eo quòd calor antecedenter, & diſpoſitiuè cauſa ſit ſequentis hydropis quatenus ſcilicet frigiditatem hepati parauerit per caloris naturalis priuationem: eſt tamen frigiditas proxima, & immediata hydropis cauſa.

A Ad quintum. Fernel. *lib.* 4. *patholog. c.* 1. *in princ.* reſpondet, rigorem, ſiue horrorem eſſe febris principium, non tamen ægrotantes eo tempore febrire. Sed hæc ſolutio eſt contra Gal. *lib. de dif. feb. c.* 11. *multò poſt med.* §. *Oſtendimus, vbicumque accenditur, & augetur caliditas; iſthuc ab aliis partibus ſanguinem ſolere confluere. Quo verò tempore confluit, illas quidem refrigerari priuatas ſanguine, eſt neceſſarium: quod verò patitur membrum, grauari, ac diſtendi, ac ſanguinem ipſum confluentem alterari: hoc quoque duplici ex cauſa, & quia aliis quæ putreſcunt ſuperfluitatibus permiſcetur, & quia intruſum diſſlari non poteſt: quo fit vt inſtar lignorum humidorum, quæ paucam ſuper flammam vniuerſim proiiciuntur, ſuccendatur, atque hoc tēpus acceſſionis principium nuncupatur, &c.* Quo pacto eam acriter impugnant Donatus Anton. ab Alto mari *part.* 1. *de feb. cap.* 5. *in*
B *med.* Dic ergo, quòd licèt in exterioribus frigiditas adſit; ſufficit tamē ad febris eſſentiam, quòd in interioribus immoderata caliditas vigeat. Non nego tamen, interdum rigorem ſine febri contingere poſſe, ex Gal. *l. de inæqual. intemp. c.* 8. *poſt med.* & nos infrà *in com. hiſtor.* 22. agitabimus. Eodem modo ad confirmationem Auic. reſpondendum eſt.

Ad ſextum. Dic. Intemperies frigida in his febribus cum calida permixta eſt. At in Lipyria viſcera vruntur, cor incaleſcit, corpus exardeſcit. In Epiala verò, quæ fit ex pituita vitrea putreſcente, calida intemperies vincit frigidam, vt probant Valleſius *lib.* 5. *contr. cap.* 24. Mercatus *lib.* 6. *de feb cap. de febre Epiala, & Lipyria:* Fonſeca *lib. de curat. feb. quas Iacchimus omiſit, cap. de Epiala*, & alij.

Ad ſeptimum. Dic, licèt remedia calida interdum in febribus exhibeantur, ea offerri ratione cauſæ, & non fe-
C bris: nam hæc, præſidia frigida ſemper expoſtulat: cùm enim ſint febres ex ſuccis putridis, & craſſis, obſtructionéque viſcerum ſubortæ, calida præſidia, extenuantia, aperientia efflagitant, vt monuit Auic. 4. 1. *cap.* 24. & frequenti experimento compertum eſt, in curatione morbi virginei, retenti menſtrui, ſcirrhi lienis, duritiei hepatis, in productis venoſi generis morbis, ac quartanis, in quibus morbis, vt humorem lentum vacuemus, à quo febris ſcaturit, vtimur diureticis, & aliis, quæ cum ad aluum, & vrinam detrudunt.

Ad vltimum. Dic, quòd ſufficit ad febris eſſentiam, adeſſe calorem ſuprà moderatum, tametſi non euidenter ſentiatur, ob frigidorum humorum commercium, ex acrimonia tamen tactus cognoſcitur. Deinde ſi pulſus exactiſſimè perpendatur, calidior erit magis quàm naturalis tem-
D peries requirit. Lege Argenterium *in lib. de febrib. ad Glaucon. cap.* 1. *fol. mihi* 2186. Melchiorem Sebizium *tract. de febrib. diſp.* 1. Vidum Vidium *lib.* 1. *de febrib. cap.* 2.

HISTOR. II. GALENI,
De febri diaria.

Diariæ ex meatuum conſtipatione curatio & Hiſtoria illuſtris, contra Diatritarios.

Ego namque reliquis omnibus omiſſis, eum tibi in memoriam reuocabo, qui in aquis aluminoſis, quæ Albula vocant, lauerat: ac ex eo cute denſata, poſt cœperat febri-*
E *citare: quippè ſatisfaciet is pro claritate ſermonis noſtri, veluti exemplum. Sanè hominem inuiſebant Medici: quidam non incelebres, alter Eraſiſtratius, alter Methodicus. Viſum autem eſt ambobus hominem à cibo continere: Quod tamen nos, cùm poſt illos egreſſos ſuperuenimus, non permiſimus, ſed ſtatim in balneum perductum, & tēpenti oleo largiſſimè perfuſum, tum blandiſſimè perfrictum, quamplurimum temporis in calidi ſolij aqua verſari iuſſimus. Mox egreſſo, ac frigida ex conſuetudine vſo, tum ſindone cooperto, conſidere paululum, ad vires recreandas præcepimus. Poſteà denuò in balneum perducto, ac rurſus ſimiliter tum vncto, tam perfricto, ac in calida morari iuſſo; dein rurſus educto, ac frigida merſo, deterſóque, exhibuimus cibum: protinus quidem, vt egreſſus eſt, atque aquam bibit, ptiſſanæ cremorē: dein paruo interuallo lactucam: ac poſt hanc ex ſimplici alba*

iure piſcium aliquid eorum qui molli ſunt carne; cuiuſmodi ſaxatiles ſunt omnes, & aſelli quos vocant. Porrò non alienum ſit, quò nihil narrationi deſit, omnia recenſere. Tempus anni erat quo hæc agebantur, paululũ poſt caniculares, quos vocant dies. Homo ipſe circiter quinque & triginta annorum, calore nigello, & habitu corporis gracili, atque hirto: tum qui tangentibus, etiam cùm valeret, manifeſtè calorem exhiberet mordentem. Vrinas quoque habebat abundè flauas; ac ſi pluſculum à cibo abſtineret, etiam mordentes. Aluus aſſiduè ſicca erat. Tũ quæ excernebat, exigua, acriáque & ſicca. Mores animi ad iram, & cogitationem propenſi. Ipſe pauci omninò ſomni, & qui perpetuò de vigiliis quereretur. Hic quodam loco, quò negotiorũ gratia conceſſerat, Albulis (quæ haud longè aberant) eſt vſus, ſeptima (vt aiebat) diei hora: ac ter quatérque ſe lauit, ſalubriter ſibi conſuluiſſe ratus. Hinc quoque vbi rurſus in agrum ſe recepiſſet, ac cibum ſumpſiſſet, & paululum indormiiſſet, venit ad vrbem fere veſpere: vbi deſtitutus idoneo balneo, noctе febricitauit. Cum autem tertia ferè diei hora, contemplati eum Medici eſſent, iuſſerunt non eum modò diem, verùm etiam poſterum totum, per inediam tranſigere, quo tertiæ diei noctem obſeruarent, atque his dictis abierunt. Nos tum lauato, tum (vt prædictum eſt) cibato, miniſtris præcepimus, ſi Medici veſperi venirent, quieſcere hominem dicerent: eóſque ſtatim remitterent, ac poſtridie manè redire iuberent Vt verò abierunt, rurſus hominem ſimili modo lauatum, ac cibatum, iis ipſis quæ egimus, dormire probè fecimus. Accedentes autem manè poſtridie Medici, cenſuerunt etiã eo die cibo illi abſtinendum, etiamſi quàm maximè ſine febri prorſus eſſet. Illi verò promittente ſe facturum quod iuberent, ſcis quantus illis digreſſis riſus ſit excitatus, quem nos paulo poſt ſuperuenientes deprehendimus. Non fugit verò, nec quomodo cum laborante ipſo ſit actum: nam quoniam (inquã) cùm valeres, bis lauare ſolebas, ac Medici tibi omninò cibum circumcîdunt: nec illi iure in totam obſequendum eſſe, & aliquid eorum, quibus per ſanitatem es vſus, immutandum arbitror. Eo verò putante me ſibi ſuadere, vt lauaret quidem, ſed non bis: tum paratum ſe affirmante quicquid iuſſerim exequi. Ego (inquam) neque inediam tolerabis; neque lauabis bis; ſiquidem & laboraſſe mihi videris iam triduo, & calefactus vehementiùs à ſole fuiſſe. Propter igitur laborem, & vſtionem, vnam te adiicere lauationem ad duas oportet, ac ter mihi audientem lauari: quoniam id mihi te facturum pollicitus es. Ille ſubridẽs: Dura (inquit) imperas, caterùm quoniam ſtare pactis eſt iuſtum, faciam quæ iubes. Quæ verò Medici poſt hæc egere, noſtri planè, quanto erant digna riſu. Bis iam lauatus fuerat, pranſúſque dormierat, cum circa occaſum ſolis, miniſtrorum quiſpiam adeſſe Medicos denuntiat. Hic verò febricitare ſe ſimulat: ac veſte circumdatus, inuolutúſque, quo minus bibiſſe vinum ab ipſis deprehenderetur, amico cuidam mandat, Medicis, ſi quis percontetur, pro ſe reſpondeat. Erant autem de more, vbi inuolutum curioſè hominem, etiam cum capite viderent, primum illud ſolenne ipſi rogatur, quota hora acceſſio inuaſiſſet. Cùm autem amicus reſpondiſſet, fermè ne vnam quidem integram, ex quo cœpiſſet, interceſſiſſe horam; cùm horroréne, an frigore cœpiſſet, rogant. Et cum horrore reſpondente, tangunt hominem, iam corpore, propter riſum & operimentum madentem. Itaque vbi hominem laudaſſent, quòd ſibi obtemperaſſet, nec quicquam ante tertiæ diei acceſſionem deliquiſſet: ob id ipſum (inquiunt) nunc te deſeruit horror, éſtque ſudoris indicium, ac multa humiditas circa cutem: quæ haudquaquam eueniſſent, niſi inediã toleraſſes, & triduum tranſmiſiſſes. Iuſſis igitur propinquis, ſiquæ guttulæ illi manarent, deligenter detergerent, ne frigore afficeretur: tum manè ſe redituros præfati diſcedunt, ne tum quidem poſt ſudores iuſſo homine nutriri. Viſæ namque ſunt illis noctes eo tempore breues, vtiliúſque eſſe poſtridie manè nutrire. Digreſſis igitur illis, perfuſus ſudore iuuenis, ita vt inuolutus veſtibus fuerat, in balneum cucurrit, ac tertiò lauit, & ſimiliter eſt cibatus. Poſtridie priuſquam aduentarent Medici, egreſſus domo dedita opera eſt, ne ſe deprehenderent. Itaque cùm paulo pòſt venirent, & egreſſum intelligerent, mirati inter ſe ſunt, quid tandẽ hominẽ egredi ſubegiſſet, iam bidui paſſum inediam, &c. Gal. lib. 8. meth. c. 2. in med.

Similem hiſtoriam affert Galenus lib. de cauſis procatarcticis, cap. 1. *Menandri, qui poſt certamen exiens, æſtu fatigatus, dolore capitis, & febri diaria correptus; oleo roſaceo ſincipiti admoto, & balnei vſu, contra Diatritariorum votum, curatus eſt.*

PARAPHRASIS.

MIrari ſubit Galeni acutum ingenium, vt qui in confutandis pſeudomedicorum erroribus tempus conſumat; id tamen conſultò ab ipſo factum exiſtima, in re tam ſeria, in qua Diatritariorum Medicorum inſcitiam redarguit luculenter; qui ægros tridui inedia excruciabant, febri etſi valida prehenſos. Hanc ergo præpoſteram curandi normam, vt nocentiſſimam condemnat: nam ſi diatritaria lege obſeruata ægri gubernentur, & præſertim qui ſunt calido ſicco temperamento, habitu ſqualido præditi, facilè in hecticam febrem, aut maraſmum incident, quoniam, ipſo auctore *lib. 10. meth. cap. 5. calidis & ſiccis naturis aduerſiſſima res inedia eſt, & febrium paratiſſima cauſa*: fames enim corpora exſiccat, ex Hipp. 7. *aph.* 59. quare denegato alimento corpora exareſcunt, & ob pororum exceſſum, & amplitudinem, ſanguinis tenuitatem, ſpiritus ſubtilitatem citiſſimè reſoluuntur, ita vt vix deinceps refici poſſint.

Præfatus ergo æger, in diariam incidit, ex meatuum conſtipatione ſubortam, cui balneum aquarum aluminoſarum originem dedit, quas in Italia dicit vocari Albulas Galenus 1. *ſimpl.* 17. ſuapté natura calefacientes, & adſtringentes aluminis inſtar, ex Dioſcoride *lib. 5. cap.* 82. quarum lauacrum multoties febrem concitare, immò ad putredinem perducere, docet Auic. 1. 4. *tract. 2. cap.* 39. *de febre orta ex aquis ſtipticis.* Cùm enim cutis noſtra ſit foraminulenta, & cribri inſtar meatibus ſit circumtexta, per quos fumida fuligo continuò exhalat, & aër ingreditur, innati caloris ſymetriam conſeruans, fit vt denſata cute, acribúſque fuliginibus retentis, natiuus ignis, cohibito effluuio, excardeſcat.

Hoc veritatem ſi obtinet in ſubiecto omni, quantò magis in calido ſicco? maximè quoniam id quod tranſpirabat, mordax erat acre, & fuligin oſum, vtpote ex corpore bilioſo eleuatum; nam retentum maiorem acrimoniam acquirit.

Hæc omnia ita eſſe, ſigna quæ bilioſam naturam comitantur, oſtendebant ſatis: nam tempus erat paulò poſt caniculares dies, quo tempore corpus eſt exſuccum nimis, tum ob ambientis conditionem, tum ob multæ humiditatis defectum, ob calorem temporis præcedentis reſolutæ. Nec enim te latet, quantoperè Sirius ardor noſtra corpora alteret, & exagitet, quando canis ſæuit; cùm enim in cœlo ſint duæ ſtellarum conſtellationes, vnam canem maiorem, alteram minorem vocant: maiorem canem ex 29. ſtellis conſtare, minorem ex duabus duntaxat, Rex Alphonſus memoriæ prodidit. Maior, ſtellam habet in mandibula, quam caniculam Latini vocant, vt ex Galeno conſtat *lib. 1. epid. ſect. 1. com.* 1. Ab hoc ſidere dies caniculares dicuntur, qui ſecundùm Gal. opinionem *lib. 2. de alim facult. in initio, & lib de puero epileptic. prope finem,* 40. ſunt, viginti quidem antè, totidémque poſt caniculæ exortum. Oritur hoc ſidus, teſte Plinio, 18. *c.* 28. ardentiſſimo æſtatis tempore, Sole primam leonis partem ingrediente; quanquam pro varietate locorum, hic exortus, à quibuſdam varias conſtituatur. Quantam verò illud rebus ſublunaribus afferat mutationem, probat Plinius *lib. 2. cap. cap.* 4. nam *hoc exoriente feruent maria, accenduntur ſolis vapores, fluctuant in cellis vina, mouentur ſtagna, canes etiam eo tempore maximè aguntur in rabiem.* Quo pacto *hoc tempore ingentiſſimi æſtus infeſtant, & corpora ad modum calida ſunt,* vt Gal. protulit 6. *epid. ſect.* 4. *com.* 44. Vnde *in eodem. lib. ſect. 2. com.* 7. hoc tempore, ſemper vigere febres ardentes aſſeuerat, & 5. *aph.* 62. ſub cane ſemina iacta non naſci, ob caliditatis, exceſſum ſcriptum reliquit: exuritur enim eo tempore natura, vt Manardus notat, 6. *epiſt. in med.* non quòd ſtella, canis vocata, adurendi aliquam vim habeat, ſed quia, dum illa oritur, Sol & vertici noſtro magis appropinquat, & in

noſtro

noſtro hemiſphærio longiorem moram trahit. De cuius ſideris efficacia in hæc inferiora, lege Manilium *lib.* 1. *aſtronom. circa finem.* Pierium Valerian. *lib. hier.* 44. Perſ. *init.* 3. *ſatyr.* Proclum, *ad Heſiodum, in operibus, & diebus.* Iul. Firmic. *lib.* 8. *cap.* 9. Pontan. *in ſua Vrania ſiue de ſtellis lib.* 3. & ex noſtris Lang. *lib.* 1. *epiſt.* 13.

Inſuper erat iuuenis, ſiccus & excarnis, nam carentia pinguedinis, caliditatis ſignum eſt manifeſtum, ex Gal. *in art. med. cap.* 76. Tempore ſanitatis tactum habebat mordacem, vrinas flauas, quæ omnia bilioſi humoris prouentum apertè oſtendunt: Deinde ſi à cibo abſtinebat, hæ erant mordentes: quoniam denegato alimento, iecur hac de cauſa nimis retorridum, & igneum humorem acrem generat, cuius naturam ſerum repreſentat: bilioſis enim naturis impranſis hoc accidit, vt calidum mingant, & virede, ex Hipp. 2. *acut.* 24. & 29. & *in com.* 29. *ſententiæ eiuſdem lib.* aſſerit Gal. in his enim naturis calor ad igneum vertitur: quoniam non oblato humido nutrimentali exareſcunt partes.

Ob hanc cauſam abſumpta humiditate, & ob retorridum calorem ſcybalis combuſtis, excrementa ſiccantur, & caprarum ſtercori ſimilia apparent, ex Gal. 4. *acut.* 4. & 13. & Auic. firmat 16. 3. *tract.* 3. *cap.* 6. & maximè ſi cogitationibus vexetur homo, quæ ſanguinem cum ſpiritu reſoluunt, & abſumunt: nam vſtione nimia bilis flaua in atram tranſit, vnde cùm corpus ſuapte natura eſſet nimis calidum, feruidum, & ad iram propenſum, & ex ſanguinis, & ſpiritus vehementi agitatione, & motu concuteretur, fit ratum, vt ille eſſet pauci ſomni, & vigilare ſæpe cogeretur, ſi verum eſt, ſomnum fieri cerebro humectato, & vtili vaporum copia irrigato: at vigilia præſente totum corpus ſicceſcit, quum ſanguis non ita generetur, nec coctiones fiant; quæ, quæ opera tempore ſomni affluentiùs perficiuntur.

Pro cuius curatione cùm duo eſſent Medici vocati, vtrique viſum eſt, ipſum à cibo eſſe abſtinendum, altero cenſente Galeno, poſt ipſos ad curationem accerſito: qui cùm cerneret ægrum ex pororum ſtipatione & ſic prohibito effluuio febricitaſſe, eum in balneum perduxit, tepenti oleo perfudit, ac molliter perfricuit, vt ſic per cutis patentes meatus, fuligines interiùs congeſtæ reſoluerentur; vbi enim vehemens cauſa condenſando cutem, prædictos meatus occludit, ſæpe plethoram inducit, præſertim quibus vaporoſa materia priùs effluebat, acris & mordax; nam hoc modo refrigerans aër nec intrò attrahitur, nec corpus tranſpirat, vt *lib.* 1. *de diff. feb. cap.* 4. & *lib. de cauſis morbor. cap.* 3. notabat Galenus: qua de cauſa frigidiſſimum aërem abdicat Galenus febrientibus, quoniam cùm exteriùs ægrum contingit, denſat arctátque cutem, ac calidorum vaporum exhalationem cohibet. Quo pacto autem prohibitum effluuium poſſit febrem concitare, protulimus *l.* 2. *in com. hiſt. cap.* 77.

Ob hanc cauſam Galenus eum ad balneum deduxit; & febris ratione, victu frigido, cremore ptiſſanæ, lactuca, & piſcibus ſaxatilibus in ſimplici albo iure decoctis nutriendum imperauit. Nam vt piſces ſaxatiles prætercam, quorum vſus in febribus à Galeno conceditur in locis plurimis, ob multas cauſas allatas *lib.* 1. *in com. hiſt.* 28. & ptiſſanam, bilioſis calidis & ſiccis corporibus vtiliſſimam, lactuca, & præſertim cruda eſt accommoda valdè, ex Gal. *lib. de aliment. facult. cap.* 40. ſua enim frigiditate & humiditate, bilis feruorem retundit, & infrænat. Parum autem & ſæpe illum nutriuit, quoniam ſemel oblatum alimentum vires debiles ſuperare non poterant. Ex quo exemplo conſtat manifeſtè, quantopere neceſſarium ſit, vel in primæ acceſſionis inſultu, ægros ſiccos, bilioſos, & excarnes nutrire, vt Paulus edocuit *lib.* 2. *cap.* 16. aliter ſi feceris, & inedia ipſos macerare coneris, in hecticam febrim promptiſſimè commigrant, *vt infrà* appoſito celebri exemplo Galenus confirmat. Lege excellentiſſimum Capiuacium *l. de febrib. cap.* 14. *de curanda diaria ex adſtrictione.*

* Quæro primò, pro hiſtoriæ explicatione, Cur Galenus hunc ægrum poſt balneum calidæ aquæ, iuſſit in frigidum balneum immergere, contra præceptum Hipp. 3. *Lib. IV. acut.* 7. & 54. quo loco ſanos à balneo calido debere protinus immergi in frigidum aſſeuerat, nequaquam ægros?

Dic, Galenum hoc loco per balneum calidum, non prorſus calidum intelligere, ſed tepidum, maximè cùm ille diaria laboraret, ac firmas vires haberet; de cuius balnei vtilitate lege *infrà, in com. hiſt.* 25.

Quæro ſecundò. Cur protinus à balneo cibum exhibuit, ſi Hipp. & Gal. *lib.* 3. *acut.* 56. cibum, & potum poſt balneum reprobant? Sic enim ait Hipp. *Neque confeſtim à balneo ſorbendum, neque bibendum, &c.* Non offerendus potus, quoniam expanſo ad exteriores partes calore, innatus à potu oblato offenditur. Non cibus, quoniam diſtracto ad ſuperficiem calore, internus puſillus alimentum non rectè conficit. Addit Gal. *in com. ſedata, quæ ex balneo eſt, turbatione, tum eſſe, tum bibere meliùs eſt, veluti, & compoſita ea, quæ ab exercitatione oritur. Nam cibum protinus vel potum ſumere, caput replet, deuoratúmque ſuperfluitates facit, &c.* Dic, præceptum Hippocraticum eſſe intelligendum in ſanis, vel in robuſtis ægris, qui poſt balneum ſine cibo per aliquod temporis ſpatium perdurare poſſunt citra virium diſpendium vllum. At verò in noſtro ægro calido ſicco, excarni, attendenda erat maior vtilitas ex conceſſo cibo, quàm damnum: ſi enim in areſacto corpore cibum non propines, ex diaria, hectica conſurget, & magis, ſi non ſit alimentum refrigerans, & humectans. Hanc methodum obſeruat Gal. *lib.* 7. *cap.* 6. de curanda ſiccitate & hectica febri, dum ſic ait: *Ab eiuſmodi lauacro ſtatim aſininum exhibui lac, &c.* Quare, ſi in hoc reſoluto ægro differretur cibus, plurima damna euenire erat neceſſarium.

Quæro tertiò. Quid ſit ius album, quo hunc ægrum nutriendum imperat, quis parandi modus, quis illius vſus? Dic, quòd ius album, apud Gal. *lib.* 7. *meth. cap.* 6. & *lib.* 3. *de alim. facult. cap.* 30. conficitur ex copioſiori aqua, oleo ſufficiente, ſale, pauco anethi, & porro. Hoc ius ægrotis maximè eſt accommodum, ex Gal. 4. *ſanit.* 10. & 12. *meth. cap. vlt.* & 1. *ad Glauc.* 13. & 1. *acut.* 27. quibus locis, præter ſalem, marrubium, & oxymel, adiicit piper. Præparat autem in albo iure piſces, vt calidorum mixtione frigiditas & humiditas piſcium emendetur, meliùs ipſi coquantur; faciliùs ſecedant, fiant ſuauiores, ſtomacho gratiores, & minùs noxij, vt *cit. de alim. loco* prædixit Gal. §. *Qui enim condimentum accipiunt, meliùs coquuntur, & deiectio nihil eis deterius procedit, cuius potiſſimùm gratia ex vino, & garo quidam frixos piſces mandunt, pleriſque piper immittentibus, paucis oleum: nonnulli autem ex memoratis piſcibus, cùm frixi fuerint, pauco ſale inſperſi, in cibo ſunt ſuauiſſimi; prætereà ad coquendum ſunt meliores, ac ſtomacho vtiliores, quàm ſi quouis alio modo eſſent apparati, &c.* In quem ſenſum dixit Auic. *lib.* 2. *tract.* 2. *c.* 553 meliores eſſe illos, qui ſunt conditi cum aceto, & cum rebus condientibus cibaria: quod etiam legitur *in regimine Salernitano,* quo loco Anguillam coctam cum vino eſſe minùs noxiam, aſſeuerat Villanouanus *in com.* nam vinum frigidiorum cibariorum malitiam corrigit, inſtrumenta coctionis roborat, craſſos & viſcoſos humores extenuat; quare Auic. 3. 1. *doct.* 2. *cap.* 7. *prope finem,* frigidorum nutrientium impedimenta remouet cum Diacymino. Ex quibus patet variam eſſe iuris albi præparandi rationem: variè enim Galenus id præparat, ob diuerſas ad plurimos morbos intentiones. Sic pro victu extenuante piperis meminit; ad penetrationem acetum apponit; hoc non admittit in pleuritide, vt contrarium pectori, & neruis. Erat quoque antiquis Medicis in frequenti vſu eius nigrum, quod ex ſapa, vel defruto conficiebatur, adiectis ſanguine hœdi, aut alterius quadrupedis, melle, aceto, lacte, caſeo, cumino, laſerpitio, vt notat Hermolaus ex mente Iulij Pollucis. *lib.* 2. *corollar. in Dioſcoridem, cap.* 298. Lege Platinam *lib.* 6. *de honeſta voluptate,* quo loco diuerſa proponit iuris albi conficiendi artificia.

QVÆSTIO II.

Vtrùm ad ˘-bris eſſentiam, neceſſaria ſit caloris naturalis intenſio, vt contra Galenum, Gentilis, Vega & Vgo aſſeuerant.

COMMENTARIVM.

F*Ebricitare cœperat.*] Inter ea quæ diſſertatione multiiuga, ingenióque excuſſo, ab Auicennæ interpretibus, & à Claſſicis tractari ſolent, illud non eſt neglectum, Vtrùm febris calor ſit extraneus, hoc eſt, excedens, immoderatus, intenſus: ſic enim videtur, in ea quidem ſententia, in explicanda illa particula, *extraneus*, explanandus Auicenna, quoad præſentem attinet intentionem, auctoríſve inſtitutum, ſi propriam vniuſcuiuſque naturam ſpectes: duobus namque modis quæuis dicitur caliditas extranea, quemadmodum & quæuis alia qualitatis ſpecies; vel provt ſumitur pro caliditate à vitæ functionibus omnino aliena, quæ nulla in re ſit naturæ operum inſtrumentum: huiuſmodi caliditas ignea, ſolaris, aut quæuis alia externa, reſpectu corporis noſtri nullam habet in ſuis actionibus à corpore, ſed à cauſa externa dependentiam, & radicem; qua ratione non dicitur calor febrilis, quoad præſens attinet opus, extraneus, quum naturales nonnunquam ingrediatur operationes, ſitque aliqua ex parte naturæ inſtrumentum, vt infrà patebit. Dicitur ergo & alia ratione extraneus, quia ſolet naturalis caloris limites tranſcendere, terminóſque ad naturæ opera neceſſarios, ſua intenſione excellere.

De huiuſmodi ergo intenſione dubitandum, vtrùm ad febris eſſentiam ſit neceſſaria caloris intenſio? Quòd verò non requiratur, ſuadetur primò ex Gal. *lib.3.de præſag. ex pulſib.cap.2.* vbi docet: quòd ſi cum hectica febre iunguntur frigidi notabiles humores, non ſentitur tunc temporis caloris excellentia vlla, & intenſio. Ergo abſque febris intenſione febris manifeſtè reperitur. Nam ſi in pulſu non apparet caloris exceſſus, nec in corde dari eſt impoſſibile, ac per conſequens datur in corde febris abſque caloris intenſione. Non abſimile etiam poteſt inferri argumentum de febre ſyncopali, ex frigidis humoribus concitata, in qua ex mente Gal. 12.*meth. cap.* 3. pulſus eſt tardior, & rarior naturali. Ergo in hac febre non datur caloris intenſio in corde. Quare, ſi abſque caloris intenſione in corde datur febris, dari etiam in vniuerſo corpore rectè infertur.

Secundò. Febris, ex Gal. auctoritate *lib.1.aph.* 16. & 1. *acut. com.*18 eſt caloris natiui ad igneam naturam conuerſio; per conuerſionem autem non intelligit terminum conuerſionis vltimum, in quo ſolùm vera, & integra conſiſtit caloris intenſio: nam ſi terminum intellexiſſet, ſequeretur omnem febrem eſſe hecticam, vt inter omnes notauit Turiſanus *lib.art.med.cap.*89. cùm febris ſit motus & via, cuius terminus, hectica, & maraſmus conſtituitur: ſignificauit ergo per conuerſionem, conuerſionis motum & viam. Sed hæc non patitur caloris intenſionem, quia in conuerſionis actione calor non eſt verſus in igneam naturam, neque eſt factus igneus, quia in facto termino non conſiſtit. Ergo abſque caloris intenſione febris conſiſtere poteſt.

Tertiò. Calor in febricitantibus non eſt aptus lædere virtutum operationes. Ergo nec habet in febre intenſionem naturali calore maiorem. Patet conſequentia, quia nec calor, nec aliud quodcunque præternaturale agens, aptum eſt actiones in eo gradu impedire, niſi ſub ratione exceſſus ſupra naturæ requiſitum moderamen, ratione cuius agens ipſum dicatur extraneum, & naturæ infeſtum. Non habet autem aliud quippiam calor extraneum, quàm intenſionem. Ergo ſi non lædit, non eſt intenſior priſtino, & antea præhabito calore. Antecedens ſuadetur: nam febris non habet quippiam, per quod apta ſit minuere naturæ actiones, præterquam humoralem materiam, in qua febris ipſa ſubiectatur: ſi namque ratione alicuius ſymptomatis aduenientis, videatur læſio in morbifico corpore aduenire, id contingit

A ratione materiæ, quam ipſum ſymptoma in morbo concomitatur. Ergo febris, ratione ſolùm materiæ, actiones naturales apta eſt impedire: quod & ipſa teſtatur manifeſtè experientia, docétque frequentiſſimus medentium vſus, qui in morborum propria medela, aptáque medicamentorum adminiſtratione, per euacuationem, ægritudinum curationem integrè, & exactè perficere conantur. Vacuatio autem nonniſi in excedente noxiæ materiæ quantitate habet locum, iuxta illud Hipp. aphoriſticum principium *lib.2. aph.* 22. *Quicunque morbi ex repletione fiunt, curat euacuatio, &c.* Suadetur ex eo, quoniam in morbis immaterialibus nullum datur à calore in actionibus naturalibus impedimentum: nam in febribus hecticis operationes naturales integrè fiunt. Igi- B tur ſi non impedit calor in hectica laborantibus coctiones, aliáſque naturæ actiones, optimè inde poteris inferre, quòd actiones in corpore lædere ex ſe nequaquam eſt potens.

Quartò. Probant Vgo *in com. Auic.* 1.4.*tract.*1.*cap.*1. Gentilis *in extrauagantib.quæſt.*2.*& in* 2. 1.*doct.*1.*cap.*2. ad eſſentiam febris ſufficere, quòd calor non vt naturalis operetur, hoc eſt, à natura in opere gubernatus, eiuſdemque aptum inſtrumentum; ſed vt igneus, extraneus, vel (quod idem eſt) qualitatiuus, & elementalis, iuxta opus, quod ſecundùm ſuam naturam exequi perpetuò aſſueuit. Licèt autem communiter & frequenter, calor eiuſmodi ſortiatur igneam naturam, elementalémque operationem, per additam maioris, priſtini, & naturalis caloris intenſionem: plurima tamen verè ex illorum C ſententia exiſtunt, ratione quorum eam poteſt ſubire calor naturam, & quæ naturali calori adiuncta poſſunt abſque intenſione efficere, vt calor non vt naturalis, & ſub dominantis naturæ imperio, ſed vt qualitatiuus, elementalis, & præternaturalis in corpore operetur. Eiuſmodi poteſt eſſe ſiccitas aliqua duntaxat citra intenſionem calori adiuncta; praua in humoribus, aut in corpore vniuerſo, vel ſpeciatim membro exiſtens qualitatis proprietas, venenum, aut malitia; vapor aliquis ad cor aſcendens, putridus, fœtidus, tenuis, acer, ſalſus, aut quacunque alia affectus qualitate, virtute, diſpoſitione; quoduis tandem in principali membro lædens ſymptoma, & id genus alia.

Hanc ergo contendunt fuiſſe Galeni mentem, 1.*aph.*16. & *cit.de rat.vict.* quibus in locis febrim definiuit per conuerſionem caloris naturalis in igneam naturam: vbi non D ſolùm voluit intelligere caloris intenſionem; nam ſi hoc vellet, poterat ſic definire: calor naturalis intenſus, non verò calor naturalis conuerſus in igneum. Quare ſi Galeno placuit hoc modo definire, & calor naturalis verti in igneum, ab alio, præterquam ab inteſione, poſſit, ſequitur quod non in ſola intenſione febris natura eſt conſtituẽda.

Sed inter varias opinantium ambiguitates, ſatius eſt ſequi magiſtrum Galenũ, è cuius perenni fonte Claſſici ferè omnes hauriunt concluſionem, quæ operis exercitio, & rectæ curandi methodo eſt conſona valdè, nempe, febrem in eſſentia ſua includere caloris intenſionem, naturali calore antea in corpore præexiſtente, maiorem.

Suadetur hæc concluſio ex ipſa nominis proprietate & etymologia; dicitur namque febris à feruore, ſicut Græcè pyretos ab igne. Deinde, quia ipſo Galeno auctore, E 4. *de dif. pulſ. cap.* 2. nominis definitio, & etymologia, teſtimonium debent habere à vulgari hominum aſſuetudine, à quibus nomen eſt rebus, iuxta ipſorum naturam, non ſine ratione impoſitum. Ex communi autem hominum conſenſu, febrem nominauit Gal. *lib.6.epid.ſect.*1. *com.*29. calorem immodicum, aut totius, aut viſcerum, hoc eſt, membrorum principalium, per hæc verba: *Eſſentia verò febrium, eſt non ſecundùm Hipp. modò, atque præclariſſimos Medicos, ſed etiam ſecundùm communẽ omnium hominũ notionem, præter naturam caliditas, &c.* Idem aſſerit 1. *prorrhet.com.*7. ex Hipp. conſenſu magis febrire eum qui immodicè in ſolis viſceribus calet, quàm in toto: & *lib. de dif.morb. cap.*5. febrem definit per calidam intemperiem, quæ caloris intenſionem manifeſtè includit & *lib.* 8.*meth.c.*1. *Eſt*, inquit, *febrilis intemperantia exceſſu*

in

in caloris abundantia ; huic ergo ad temperamentum via erit, per id quod refrigeret, ex ciuſdem tradita doctrina *lib. de maraſmo, cap.* 5. Ex quibus colligitur manifeſtè, quòd ſi æger in tactu, pulſu, reſpiratione, caloris excellentiam non demonſtrat, non febrit: nam, vt 2. *de natural. facult. cap.* 8. & multis aliis locis confirmat Galen. febrim eſſe immodicum calorem, adeò manifeſtum eſt, vt nullo rationum robore, nulláque argumenti vi indigere videatur.

Sed præſtat aduerſariorum argumentis reſpondere, vt ſic Galeni placitum firmum maneat, & inconcuſſum. Dic ad primam Gal. auctoritatem, 3. *de præſag. ex pulſib.* in febre hectica, frigidis humoribus copulata, non iudicari, vel ſentiri calorem excedentem in pulſu, quoniam caloris immoderantia impeditur, in corde exiſtens, à copia humorum illam caloris excellentiam occultante, & ſuffocante ; & ſic ſenſibiliter non iudicatur : ex eo autem non proinde inferas, non dari in corde caloris exceſſum, qui tangenti minimè ſentiatur. Ad probationem dic neceſſariò in pulſu deprehendi calorem in corde reſidentem, nî aliunde adueniat impedimentum : illa enim frigida in corde ſuperabundans materia, præternaturalis caloris, ibi verè exiſtens, ſenſationem, in pulſúque notitiam, & apparentiam impedit, & idcircò in ſyncopali febri hac de cauſa efficitur pulſus rarus, & tardus : nam frigidi ſucci motum arteriarum impediunt copia ſua, vſumque minuunt.

Ad ſecundum Galenus locis citatis, per conuerſionem non intelligit viam, atque medium in intenſionem, ſed terminum motus, conuerſioniſque finem, quo ſcilicet calor dicitur intenſus ſimpliciter, factúſque igneus. Neque ideò ſequitur, quod infert Turiſanus *cit. loc.* omnem ſcilicet febrem, ſi ita Galenus intelligatur ; eſſe hecticam : nam aliud omnino, diſtinctúmque nimis eſt, factum igneum, & intenſum ; aliud factum hecticæ, quem vltimum caloris in febricitantibus terminum conſtituit Galenus *lib. de inæqual. intemp. cap.* 5. cùm factum igneum, vt ex ipſius doctrina colligitur, ſolùm dicat receſſum à naturali calore, & exuperantiam in tali actione terminatam : factum verò hecticæ, notat excellentis caloris æqualem in membris expanſionem, occupatis ſcilicet adeò omnibus, & ſingulis corporis partibus illo caloris exceſſu, vt nulla maneat pars caloris expers, & libera, nec vlla corporis pars habeat maiorem, aut minorem caloris intenſionem, ſed omnes æquè caloris immoderantiam participent, ideóque à Medicis æquale, & factum intemperamentum nuncupatur : in reliquis namque ab hectica febribus, partium quædam calefactæ exiſtunt, quædam notabiliter intenſum calorem participant, quædam mediocrem, aliæ minimum, aliæ tamen à calore liberæ, & prorſus immunes euadunt : Quæ eſt cauſa cur quodcunque febrilis caloris genus, præter hecticam, ab intrinſeco curari poſſit. Ob quam caloris in partibus ſingulis diuerſitatem, inæqualémque in membris intenſionem, quæuis febris ab hectica ſpecies, fiens ſolet à Medicis nuncupari. Sub hac fientis caloris conſideratione, appellatur à Gal. *lib. de inæqual. intemp. cap.* 5. hectica febris aliarum febrium terminus : reliquæ autem febres, mediæ in huiuſmodi terminum ab eodem Galeno conſtituuntur : hecticus autem calor factus, & ob dictam in membris æqualitatem, æqualis, atque ideò æqualis membrorum morbus, atque habitus à medicis appellatur, difficilémque ideò curationem in corpore patitur. Cùm igitur aliud omnino ſit factum hecticæ, qui vltimus eſt reliquarum febrium terminus ; & factum igneum, quod ſolummodò caloris intenſionem, verſionémque naturalis caloris in igneum ſupponit, in quo febris eſſentia conſiſtit, facile tibi erit huic argumento reſpondere. Lege Valleriolam *in appendice locor. com. cap.* 1.

Ad tertium. Negandum eſt antecedens : & ad confirmationem de morbis quotidianis, reſpondendum, quòd ideò in morbis materialibus, in quibus febris coniungitur, nitimur expellere, è corpore febrilem materiam, quia ad materiæ defectum, febrilem calorem deficere conſultò exiſtimamus, iuxta illud Gal. *lib.* 6. *de ſanit. tuend. omne medicamentum inducit corpori contrariam intemperiem humori, quem educere eſt aptum.* Ad ſecundam verò, de morbis immaterialibus obiectionem, oppoſitámque de hecticis inſtantiam, dic, non minùs dari in hecticis, à febrili calore læſionem operationum ; ac in aliis febribus vt experienti patebit manifeſtè, licèt illud in naturalibus operationibus non adeò manifeſtè, ac in aliis appareat, propter habitualem iam, & veluti naturalem in hecticis calorem febrilem, vt frequens eſt Medicorum vſus : non tamen eſt omnino in hecticis naturalium actionum abneganda læſio, licèt non tam ſenſibilis, ac in aliis febrilibus paſſionibus appareat.

Ad quartum dic. Requiri ad eſſentiam febris, quòd calor operetur in corpore, vt igneus, & elementalis, non tamen vt naturalis, ſecundùm ſuam naturam reſoluentem, igneam, elementalémque vim, à qua perpetuò deficimus, in exitúmque aſſidua tendimus humiditatis exſiccatione : Verùm non ſufficere huiuſmodi elementalis caloris opus, ad propriam febris abſque intenſione conſtitutionem ; vnde nec agens vllum calori adiunctum, potens erit calorem vertere in paſſionem febrilem, ſine eo quòd illum naturali intenſiorem reddat, licèt alios innumeros ægritudinis affectus variique generis morbos parere poſſit. Nec quidquam aliud voluit Galenus *lib.* 1. *aph.* 16. & 1. *de rat. vict.* 18. per igneum, & Auic. *cit. loc.* per extraneum, naturali intenſiorem, vt ex ſuprà citatis locis patet manifeſtè : alioqui ſequeretur omnes homines perpetuò febrire, cùm ſortiantur calorem elementalem ; ſi Philoſopho & Peripateticis fidem adhibemus, qui calorem noſtrum eſſe elementalem arbitrantur, à quo continuò exſiccamur, & reſoluimur, iuxta illud *de maraſmo cap.* 4. *idem calor qui nos generat, nos perimit.* Inſuper ſequeretur, iuuenes ſemper febricitare, habent enim cum calore ſiccitatem coniunctam. Deinde ſequeretur, corpus quoduis quod comburitur febricitare, vrentémque calorem, febrem exiſtimari, quod valdè à ratione alienum eſt.

Dic ſecundò, quòd licèt ſiccitas, venenum, fœtor, acrimonia, aut quodcunque aliud calori adiunctum poſſit calorem reddere præternaturalem, & febrilem, non tamen calor ille febris iure appellabitur, quum non ſit permanens, & independens in ſuo eſſe, & conſeruari, cùm ab adiuncta illa, quæcumque ſit cauſa, dependeat : permanentiam autem ad morbum eſſe neceſſariam, omnibus compertum eſſe reor. Conſule Chriſtoph. à Vega *lib.* 1. *de different. feb. cap.* 1. Mercatum *lib.* 1. *de feb. in princip.* quorum argumenta exactè ſoluit Cardanus *lib.* 2. *contradict. tract.* 5. *cont.* 18.

HISTORIA III. GALENI, De febri diaria.

Premigenes Mitylenæus, à balneo abſtinens, febricitabat.

*Nam de Premigene cùm audirem, niſi lauaret omninò * febricitare : collegi ratione, eum fumida excrementa gignere, quæ tranſpiratu emitti poſtularent : cæterum cùm denſior cutis eſſet, quàm vt ea tranſmitti omnia ſineret, collecta ſub cute calorem excitare. Itaque etiam balneū eiuſmodi naturis vtiliſſimum eſſe, non ob id modò quod fumidū euocet, ſed etiam quòd humectet, ídque dulci humore. Ergo placuit, explicata quoque manu Premigenis thoraci iniecta, cuiuſmodi eſſet caloris qualitas, explorare. Vt verò acrem, mordacémque comperi, non diſſimilem calori illorum, qui cepas ampliter comediſſent ; multò adhuc magis euentus cauſam probè coniectaſſe mihi perſuadens, percontabar, ecquid ſudoris illi citra balneum incideret : negantéque id, iam firmiorem habere me notitiam affectus eius mihi perſuaſi. Quinetiam alios quoſdam vidimus, quibus mordax calor erat ſimiliter, vt huic : non tamen hi vna balnei intermiſſione febricitabant, propterea quòd per ſudores excre-*

*menta vacuabantur. Premigeni præter naturalem habitum, etiam victus ratio,vel ſemel intermiſſo balneo febricitandi occaſio erat. Nam plurimùm domi verſabatur, ibique ſcribens,vel legens perſeuerabat, propterea quòd Peripateticæ doctrinæ incumbebat. Itaque etiam alteri cuidam,cui æquè, atque illi, mordax calor erat,tametſi balneum vno die intermitteret,contigit non febrire : propterea quòd nec ſtudiis deditus erat, & negotia ſua per vrbem inambulans obibat, emens,vendénſque multa,etiam pugnans ſubinde : in quibus ſudare coactus eſt,&c.Gal.*lib.5.de ſanit.tuend.c.11.in med.

PARAPHRASIS.

FEbrem diariam ex prohibito effluuio in cutis denitate concitari,res eſt manifeſta,& firmaui *in ſuperiori hiſtoria.* Cùm enim neceſſarium ſit,vt libera ſint cutis ſpiracula, per quorum patentes meatus, fuligines aduſtæ interiùs congeſtæ debent expurgari, quas natura excoquente calore, ad cutem continuò tranſmittit, ſi hæc fumida recrementa retineantur, calorem exacuunt internum, & interdicto ingreſſu aëris ad partes internas, viſcera non ventilantur, nec tranſpirant, immò denegato refrigerio gliſcunt, & excandeſcunt : maximè ſi corpus ſit cruis, & ſtudiis deditum; nam curæ exſiccant corpus, primigeniam humiditatem abſumunt, & ſic febribus paratiſſimum reddunt.

Quapropter licèt Galenus, huius Philoſophi vitæ inſtitutum agnoſceret, tamen vt exactè magis huius rei certitudinem exploraret, thoraci manum impoſuit, num fortè occurreret tactus ſuauis, an mordax, ex quo caloris acrimoniam, ex fuliginoſis recrementis contractam, percipere poſſet : nam promptiùs hoc experimentum fit in thorace, qua parte ſunt ſpiritalia membra, & fornacis internæ, caloriſque natiui efficacia viget. Quum ergo caloris qualitatem mordacen reperiret, ſimilem illorum calori, qui cepas largiter comederunt; certior eſt factus,fuligines interiùs aduſtas eſſe congeſtas, quæ balnei ope quotidiani expurgabantur foràs.

Sola ergo ſoluenda dubitatio, cur aſſimilet Galenus calorem acrem, in cute perceptum, illorum calori, qui cepas largiter comederunt? Dic : cepas præſtare alimentum calidum, attenuans, ex quo ſanguis acris progignitur, & vapor eleuatur ad cutem fumoſus,& acris,qui manum inſuauiter mordet : nam cepæ ſunt acres, ex Dioſcorid. *lib.2.cap.* 145. maximè ſi ſint longæ, flauæ, ſiccæ, crudæ, ſale conditæ, ex Paulo *lib.6. cap. 76.* Oribaſ. *lib,2. collect. cap.* 27. quapropter ſi hæmorrhoidibus apponantur, aperiunt, ex Gal. *lib.5. ſimpl. cap. prop.* Oribaſio *lib. 5.de natura ſimp.cap.prop.* nam ex hoc reprobo cibo generatur vitioſus humor, qui delatus in cutem,non ſolùm eam reddit ſqualidam, & exulcerat, ſed variis bilioſis & melancholicis vlceribus conſpurcat, vt *3. de temp.3.*docuit Gal.

Sed quia in hunc locum incidimus, non diſſimulanda eſt calumnia, quam prætexere tentat Galeno Cardanus *lib.2. de valetud. tuend.cap.* 12. Cur nempe cepæ ſint ab eo, in quarto excalefacientium ordine repoſitæ? *l.7.ſimpl. cap. prop.* cùm tamen opinione ſua vix ſecundum ordinem attingant, ſi guſtum, effectus, & noxas quas producunt, reſpiciamus : *librum* (inquit) *ceparum deuorare licet,piperis verò neque ſemunciam ſine noxa.* Nam lachrymas excitant. Appoſitæ hæmorrhoïdes aperiunt, ſi præſertim aceto fuerint imbibitæ. Alopeciis tritæ pilos alcyonio citiùs reſtituunt, qui effectus eorum non ſunt medicamentorum, quæ in quarto caliditatis gradu conſtituta deurunt.

Obiecto reproba, & tanto viro indigna, quam multò antea præſenſit Galenus *lib. 3.de temper cap.3.* dum lata oratione contendit, & probat, plurima foris impoſita exulcerare; intùs verò aſſumpta non nocere, quia mutantur, alterantur, coquuntur, in vno loco non permanent, ſuccis, & cibis in ventriculo contentis miſcentur; & eorum partes ſeparantur, ita vt quod conueniens eſt,aſſimiletur; quod ſuperuacuum & acre, per aluum, vrinas, & ſudorem expellatur : propter hæc (inquam) omnia, quæ foris impoſita exulcerant, ea comeſta non exulcerant. Ex qua doctrina Galeni conſtat manifeſtè,cur cepæ in quarto excalfacientium ordine exiſtentes, ſi comedantur, non vrant internas partes : ſi verò hoc efficiunt nonnulla, in eodem caliditatis gradu exiſtentia, eſt,quia nullam habent partem nutrientem, & cùm nullo alio cibo aſſumuntur.

Vt verò de cauſa morbi certior eſſet,num ſudaret,percontatus eſt; quum verò hanc per ſudorem vacuationem negaſſet, cuius ope excrementitia humiditas expurgatur,ex intermiſſo balneo in febrim incidiſſe coniectauit: nam balneum humectat, fuligines expurgat, aperit meatus, ventilat viſcera, corpus præ febrili calore ſiccum, madefacit,& alias ſecum affert vtilitates, quas ex profeſſo proponit Gal. *lib.de marcore, cap.6.lib.11. meth.20. & lib.3.acut* per multas ſententias. Explicat diligenter Fernelius *lib.2. de venæ ſectione cap.vlt.* Licèt enim exercitatio, & validus motus ſudorem proliciat, & balnei vices gerat : tamen balneum cutis ſpiracula potentiùs laxat remollítque, humores calefacit, extenuat, fluxóſque colliquat. Curatio autem febris, quæ exercebat Primigenem, facilem habebat expeditionem, ſi ad priſtinam balnei conſuetudinem reuerteretur : cùm enim *ſuppreſſio alicuius vacuationis eſt cauſa febris, reuerſio illius ſecundùm plurimùm ei medicabitur*,auctore Auicenna, 4.1.*cap.3.in fin.* Sed quoniam de balneorum differentiis, & vtilitate plura dicenda ſunt *infrà*, quum de febri hectica ſermonem inſtituemus, idcircò ab eorum commodis deſcribendis ſuperſedemus.

QVÆSTIO III.

Vtrùm caloris intenſio ad febrem requiſita, ad aliquod ex quatuor temperamentis ſit referenda.

COMMENTARIVM.

F*Ebricitare.*] Quamuis affatim paulo antè,ac multo ſermonis axiomate ', de caloris intenſione ad febris eſſentiam neceſſaria tractauimus,adiici non inſcit ètamen & iſta poſſunt, quæ hoc argumentum arduum explanant luculenter. A pauciſſimis ergo agitatum inuenio, quænam ſit illa caloris naturalis menſura, & mediocritas, ad quam eiuſmodi intenſio ſit à Medicis conferenda : nam exceſſus in quo febrilis paſſio verè conſiſtit, alicuius rei exceſſus eſt æſtimandus : cùm ergo naturalis calor in certo conſiſtat moderamine, ſub quo aptum eſt naturæ in ſuis operationibus inſtrumentum : temperamentum autem non vnum,ſed varium in diuerſis exiſtat naturis; idcircò quærendum, nec immeritò, ad quod ex quatuor temperamentis, quæ humanum corpus ex prima ſui formatione ſortitur, bilioſo ſcilicet, pituitoſo, melancholico, & temperato, ſit hæc febrilis intenſio referenda.

Quod ergo ad naturalem temperati duntaxat hominis calorem, ſit febrilis intenſio commenſuranda, poteſt & in primis ſuaderi ex Gal.doctrina *3.de ſimpl.med.facult. cap.7.*qui optimam præcipit adiudicare temperiem cuiuſcunque medicamenti, ſi ſimilem habeat medicamentum mediæ naturæ complexionem; media autem temperatura non niſi in temperato homine reperitur,ex Galen. *lib.3.ſimpl.ferè per totum,* Auic.1.1.*doct.3.cap.1.* Deinde Gal.3.*ſimpl.*13. medicamentorum vires, & temperaturas ad hominem temperatum eſſe commenſurandas aſſeuerat : quare ad eundem ſcopum eſt morbus, ſeu cuiuſque generis præternaturalis affectus referendus, ad quem medicamentum ipſum commenſuratur, proprium ſcilicet morboſæ affectionis remedium : nam hoc ex ipſa colligitur Galeni doctrina, 3.*ſimp.cap.12.§.Vt autem vno verbo exprimam, tantò abeſſe à medio quod medebitur, quantò ipſum cui medela adhibetur,oportet nimirum cùm in cōtrarium vtriuſque vergat exceſſus, &c.* Cùm orgo medicina ad mediam hominis temperiem, quæ optima eſt,referatur, & quæ in homine ſolùm temperato reperitur,ſequitur vt

&

& intenſio, in qua febrilem calorem conſiſtere aſſeruimus, quæ morbus eſt, ad mediam temperiem conſultò referatur.

Secundò. Intemperies quæuis: & cuiuſque affectus immoderantia, non ad aliud, præterquam ad ſimplicem moderantiam, & temperiem eſt referenda: nam ex omnium Medicorum, & Philoſophantium conſenſu, intemperamentum non conſiſtit niſi in exceſſu, & immoderantia ſupra temperatum. Atqui febris intenſio ſupra naturalem calorem, in intemperamento manifeſtè exiſtit. Ergo non ad aliud, præterquam ad temperiem eſt eiuſmodi intenſio conſultò commenſuranda.

Tertiò. Febris hæc intenſio, non poteſt referri ad bilioſum, pituitoſum, aut melancholicum hominem. Ergo ad temperatum eſt reducenda. Probatur antecedens: nam ſi ad bilioſum conferas, ſequitur nullum prorſus cuiuſque complexionis hominem poſſe per vnum gradum febrire, præterquam ipſummet bilioſum: ſiquidem temperatus à ſuo naturali recedens temperamento per vnum caloris gradum, ſub bilioſi hominis naturali temperie manet, in qua, facta ſuppoſitione, non datur febris. Pituitoſus autem ſimiliter, ſi per vnum caloris gradum, à ſuo naturali excedat temperamento, ſub temperati hominis complexionem cadit, ſub qua febrem nequaquam dari non eſt obſcurum. Deinde, ſi ad pituitoſum febris intenſio referatur, apertè ſequitur, & temperatum, & bilioſum perpetuò febrire, cùm in ſua quiſque naturali diſpoſitione perpetuò à frigida pituitoſi natura per calorem, manifeſtè, licèt inæqualiter recedant, vt diſcurrenti facilè patebit. Si verò ad ſuperiora argumenta animum aduertas, ſimiliter de melancholica natura pronunciabis.

Quartò. Niſi ad temperatum hominem fieret comparatio, ſequeretur complexiones omnes, præter ipſam ſolùm, ad quam talis relatio fiat, perpetuò aut vno, aut altero morbi genere ægrotare. Sequela probatur: ſi namque ad bilioſum, aut ſanguineum, temperatus, pituitoſus & melancholicus perpetuò frigiditatis ægritudinem patiantur, cùm à bilioſi, ſanguineique natura calida, per frigiditatem manifeſtè recedant: etenim quidquid ab optima ſymmetria recedit, morbus eſt. Si verò ad pituitoſum febris ipſa referatur, reliqua temperamenta, pituitoſo excepto, morboſos patientur continuò caloris affectus: per calorem namque, à pituitoſi frigida natura manifeſtè deflectunt.

Vltimò. Similis hæc febris intenſio, non niſi rectè iudicante hominis tactu percipitur, ita vt quidquid à tactus temperie recedit, intenſum, & intemperatum iudicetur. Sed ad perfectam, & nequaquam fallacem æſtimationem neceſſum eſt, vt tactus optima, media, & inculpata conſtet temperie, quam in homine temperato duntaxat, tactus ſortiri eſt aptus. Ergo per temperatum ſolùm hominem, apta fit & inculpata, iuxta febrem, commenſuratio.

Sed antequam noſtram proferamus ſententiam, in re momenti tanti, & ad curandum ſummoperè neceſſaria, aliqua memoria comprehendere debes, quæ ad huius quæſtionis explanationem conducere videntur: quorum primum eſt, duplicem dari in naturalibus complexionibus exceſſum; alterum naturalem, & intra ſanitatis ſtatum; alterum morboſum, & extra debitæ ſanitatis terminos conſtitutum. Illa complexio dicitur pati naturalem exceſſum, quæ in ipſo integræ ſanitatis ſtatu recedit ab optima, mediáque temperie, quæ homini temperato ita debetur, vt ſub illa duntaxat temperatus reperiatur homo. Huiuſmodi lapſum temperamentum, ſeu recedens ab optima complexione temperies, ideò intemperamentum à Medicis appellatur, & exceſſus ſimpliciter cenſetur, quia in hoc aut illò, deflectit ab optimo medióque temperamento, in quo ſolummodò conſiſtit perfecta ſimpliciter, & debita humanæ naturæ temperies, & quæ ſola media ſimpliciter, & optima appellatur; & quod ab ea deflectit, intemperamentum, exceſſus, intemperies, & lapſus ſimpliciter appellatur, temperamentum autem non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid. Dicitur verò eiuſmodi lapſus naturalis, quia ſub eodem dantur quamplures in ſua optima ſanitate complexiones, cum quo permanent, viuunt. benè habent, & quoad ſuæ natnræ proprias, & debitas operationes conſeruantur; extra verò illum lapſum, infirmantur & ægrotant, eo quòd lapſus ille, immoderantia, & exceſſus; ſua eſt cuiuſque propria natura & ſanitas, ideóque naturale appellatur in eiſdem intemperamentum. Huiuſmodi eſt complexio bilioſa, & pituitoſa: vtraque namque ab optima & media recedit temperie, hæc per vnum frigiditatis, illa per vnum caliditatis gradum, ſub qua cuiuſque intemperie, integra conſiſtit bilioſi & pituitoſi hominis natura; & ſic idem erit de reliquis, ſinguliſque complexionibus ferendum iudicium. Illa autem complexio dicitur pati morboſum exceſſum, ægritudiniſque immoderatum ſtatum, quæ à ſua naturali ſanáque temperie, in hanc vel illam immoderantiam recedit, tantúſque iure cenſebitur exceſſus & morbus, quantus fuerit à naturali cuiuſque hominis temperie receſſus. Ideò autem lapſus is morboſus nuncupatur, quia ſub eodem ſanitas vlla nequit conſiſtere, immò perpetuò ſecum concomitanter excitat ægritudinis affectus & paſſiones, adeò vt ipſummet intemperamentum, à Medicis morbus conſultò iudicetur. Primus ergo naturalis exceſſus, ad mediam optimámque temperiem, ſeu ad temperatum hominem, in quo ſolùm optima temperies reperitur, erit referendus. Secundus verò, hoc eſt morboſus, ad ipſiuſmet ægrotantis naturalem temperiem erit demetiendus, & in ſua magnitudine aut paruitate commenſurandus: nam quidquid extra naturalem cuiuſque temperiem in corpore ipſo exiſtit, morbus eſt; quidquid autem extra optimam temperiem in corpore humano extiterit, exceſſus, non tamen morboſus dicendus eſt.

Nota ſecundò. Longè aliud eſt, magis aut minùs ad tactum incaleſcere, ac magis aut minùs febrire: in vno namque temperamento, datur ſæpenumerò maior cum minori caliditate febris, vt patet in pituitoſo homine; in quo, cum minori multò caliditate, datur magis intenſa febris, quàm in bilioſo, cum maiori ad tactum calore: febrire enim vnumquemque hominem, dicit excedere naturalem ſuum ſanitatis in calore ſtatum, atque ita morboſum importat, ac præternaturalem caliditatis exceſſum: calere autem ſolùm, dicit in calore receſſum à medio, moderatóque temperato, abſque vlla morbi ratione; poteſt enim ſub tali caloris receſſu à media temperie, integra & perfecta corporis alicuius ſanitas conſiſtere; vt in bilioſo homine contingit, qui per vnum caliditatis gradum, ab optima mediáque temperie, in ſua ſanitate deflectens, ſub eodem caloris gradu viuit, & in ſanitate ſua conſeruatur, quod ſimiliter de aliis temperamentis ferendum iudicium eſt. Ex his fit manifeſtum duos poſſe homines æqualiter febrire, & ſimul inæqualiter ad tactum caleſcere, vel vice verſa, quod in prædicto bilioſi & pituitoſi hominis exemplo ſatis patet: nam pituitoſus calidus vt duo (ad tactum ſcilicet,) febricitat verè vt tria, quia per tres gradus caloris à ſua naturali temperie diſtat: bilioſus autem ſub iiſdem duobus ad tactum gradibus, vt vnum ſolùm febricitat, per vnum namque tantummodò caliditatis gradum, à ſuo naturali, & ſanitatis ſtatu recedit, calido ſcilicet vt vnum. Si verò vice verſa, duo hi homines æqualiter febricitent, & ita vnuſquiſque febricitet. v. g. vt duo, inæqualiter inter ſe ſe ad tactum incaleſcent: cùm pituitoſus febricitans vt duo, vt vnum tantùm ad tactum incaleſcat: bilioſus autem ſimiliter vt duo febricitans, incaleſcit ad tactum, vt tria. Ex quo manifeſtè patet: duos homines poſſe æqualiter febrire, & inæqualiter ad tactum incaleſcere, vel è contra. Vnde cùm tactus ſolummodò ſit tanti vel tanti præcisè caloris iudex, ſub quo poſſunt diuerſi febrilis intenſionis gradus in diuerſis complexionibus conſiſtere, fit vt tactus non ſit verus, ac firmus huius febrilis intenſionis iudex: poteſt namque ſæpenumerò falli, iudicans ſcilicet ſuo modo caloris quemcumque gradum, febrem, & morbum in corpore humano exiſtere, quod à veritate eſt alienum valde, vt vt exemplis adductis dilucidè patet.

Nota tertiò. Licet ex Ariſt. & Philoſophantium ſententia,

tentia, viuentia omnia per exceſſum calida ſint, atque ita perpetuò in homine, ea ratione qua viuens eſt, immoderata & excedens caliditas vigeat, ob quam cauſam aſſeritur homo, omnium animalium calidiſſimus, ab Ariſt.10. *probl.*55. vnde non videtur dari tactui locus,iudicandi moderatam, & intenſam caliditatem, quum prædictum caliditatis exceſſum moderatus calor non patiatur, quem poſſit tactus ſentire; nihilominus tamen Philoſophorum ſententia eſt intelligenda de actuali ſolùm calore, qualitatiuo, & influente, qui in viuentibus reperitur, qui aut à corde influit, & membris communicatur,vt in perfectis animalibus; aut ab aliquo deriuatur, quod cordis vicem ſubeat, vt in imperfectis animalibus, plantis, herbis, & aliis huius generis viuentibus inſenſibilibus: influens namque caliditas,excedens quidem eſt, & vt ſic ad tactum intenſa, ſub actualique eiuſdem caliditatis opere & influxu, omnimoda conſiſtit viuentis operatio, vitæque permanentia; vnde ſolet à Phyſicis vita definiri, permanentia caloris in humido; in qua definitione, per calorem,calor intelligitur actualis, qualitatiuus,& à corde continuò influens & emanans.

Ariſt. autem 10. *problem. cit.*cùm hominem animalium omnium determinat calidiſſimum, de caloris ſolummodò quantitate, ſeu calidi innati materia, ſanguine ſcilicet, & ſpiritu eſt intelligendus. Sic Gal. cùm iuuenem calidiorem eſſe puero pronuntiat, 6.*epid. com.* 5. de ſola qualitate,actualive calore eſt intelligendus:cùm verò 3.*ſimpl.* 2.& 1.*aph.*14.puerum iuuene determinat calidiorem, de quantitatiuo ſolummodò calore recipitur. Sic interiora corporis membra, propriæque caloris officinæ, vere & hyeme, cum Hipp. 1.*aph.* 15. calidiſſimæ à Medicis quantitatiuè cenſentur; æſtiuo autem tempore qualitatiuè calidiores iudicantur. Sic cor calidius hepate, quoad qualitatem, caloríſve intenſionem. Sic pars dextra quantitate, ſiniſtra verò qualitate calidior exiſtit. Demum plura ſunt exempla, quæ confirmant, eundem hominem poſſe dici ſimul habere moderatum, & excedentem calorem, iuxta variam caloris habitudinem, & ſignificatum.

Nota quartò. Triplex datur in humanis corporibus temperamentum. Primum, innatum membrorum ex componentibus elementis, ratione cuius hominis corpus dicitur frigidum, & terreum: in omnibus namque, ex vnico Philoſohorum conſenſu, quæ apud nos ſunt, vincit terra, & pondere, & mole. Secundum, influens & actuale, à corde communicatum, cuius reſpectu homo dicitur calidus per exceſſum, cunctáque in animalibus viuentia. Tertium, compoſitum ex vtroque, natiuo ſcilicet, & influente, quod appellatur naturale temperamentum, ratione cuius dicitur homo in temperamento optimus, & medius inter animalia cætera, inter ſubſtantias generabiles & corruptibiles, & ratione cuius dicitur humana temperatura moderatum habere inter reliquas ſubſtantias calorem. Iuxta variam autem horum temperamentorum in corpore vnionem, & concurſum, quo mediante tertium conſtituunt naturale temperamentum, varias ſortitur natura humana naturales complexiones, bilioſam, pituitoſam, temperatam, &c. Ita vt temperamentum quod quiſque homo ex huiuſmodi duorum principiorum coniunctione ſit ſortitus, propria ſit ſui ipſius, & naturalis complexio, in qua eiuſdemmet ſanitas perfectè conſiſtit, & à qua ſuam ſubit vnuſquiſque homo naturalem ſimpliciter denominationem, iſque de nominatur temperatus, aut bilioſus homo, ille pituitoſus, aut ſanguineus. Quemadmodum ergo in ſola temperata complexione, optima temperies, & perfecta ſimpliciter reperitur, quæque ſola temperies ſimpliciter ſolet à Medicis appellari, quam ponderalem temperiem, ſeu quoad pondus nuncupant: in reliquis verò naturis non ſimpliciter temperies inuenitur, ſed temperies ſecundùm quid, hoc eſt illius tantùm naturæ determinatè, quam temperamentum iuſtitiale, ſeu quoad iuſtitiam vocant: Sic moderatus ſimpliciter calor in perfecta ſolùm & optima complexione reperitur, & in eadem tantummodò, ſolet tactus moderatum præcisè calorem experiri; in reliquis verò immoderatis complexionibus, non ſimpliciter moderatus exiſtit calor, ſed moderatus ſecundùm quid,hoc eſt, ipſius particularis complexionis duntaxat, & naturæ reſpectu. Licet autem tactus temperati ſolùm hominis calorem moderatum ſoleat iudicare, reliquorum autem hominum immoderatum, & excedentem; nihilominùs propter ſuauitatem, & veluti cum tactu ipſo familiaritatem, quam ipſe tactus in intemperatis complexionibus certo quodam modo in calore conſequitur, in ſanitatis ſcilicet ſtatu, quia nimirum naturalis exiſtit calor ille, & ſub tali intenſione, aut remiſſione,ſanitati congruens; certa quadam ratione tactus eundem calorem moderatum cenſet, licèt non tam verè atque perfectè, atque in homine temperato. Quare illud ſit firmum, quòd in omnibus naturalibus tam temperatis, quàm intemperatis complexionibus, moderatus calor habet locum, licèt diuerſo in quauis complexione modo, atque reſpectu.

Nota vltimò. Duobus modis poteſt dici tactum ſuper caloris mediocritatem, aut intenſionem diiudicare, vel ſimpliciter, & ratione ſui proprij muneris, vel concurrente ſimul intellectione, & diſcurſu in iudicando: Primo modo, ſolet tactus per cutem, proprium ſcilicet ſuum tangibilium qualitatum inſtrumentum, ſui proprias efficere in corpore ſenſationes: qua ratione, tanti, vel tanti præcisè caloris, aut frigiditatis, verus & firmus eſt iudex, & qui non mentitur, iuxta illud Philoſophorum axioma, *ſenſus circa proprium ſenſibile non errat*:Secundo modo, poteſt tactus, præſente ſcilicet in opere intellectu, non paruum ferre de ſenſibilibus qualitatibus iudicium, ſub naturalis, aut præternaturalis ratione, licèt & illud opus ſub vario intellectus auxilio diuerſimodè efficiat: duobus namque modis, iuuante intellectu, ſuper morboſos qualitatis affectus, tactus iudicare poteſt; vel mediante cute, vel mediante pulſatione, in quibus diuerſum requirit ab intellectu concurrente auxilium: etenim multò maius exigit tactus intellectionis ſubſidium, ad hoc quod poſſit eiuſmodi ferre ſuo modo iudicium de morbificis paſſionibus per pulſationem, quàm per cutis ſenſationem, quum celeritas, frequentia, magnitudo, vel his oppoſitæ in pulſatione differentiæ intellectui magis, quàm tactui propriè ſint perceptibiles. Verùm vtroque modo huiuſmodi præbendi iudicij opus tactui adſcribunt, eo quòd magna ſit tactus ſimilis perceptionis pars, & in eodem opere ſeſe offerens agens, concurrénſque principium; quare ſolent febres æquales ad tactum in diuerſis ſubiectis vendicare, quodcunque ex his duobus modis iudicium ad tactum ſimul cum intellectu præbeatur: nunquam tamen ſolent febrium petere æqualitatem, aut inæqualitatem à tactu, ſuo ſimpliciter modo, & ratione, abſque intellectus concurſu iudicante: ſub qua ſolummodò conſideratione volunt plures, iique non infirmæ notæ Medici, febres, in diuerſis complexionibus æquales, aut inæquales, mediante tactu ſolùm commenſurari. In quo ſanè longè à veritate aberrant, nec poterunt aſſiduam in iudicando fallaciam ſubterfugere.

Denique pro coronide addo: ſolum temperatum tactum (qualis eſt ille, qui in temperato ſolum homine reperitur) poſſe aptè; ſimpliciter, & perfectè circa quaſcunque qualitates vera ſenſatione iudicare: quo pacto ille tactus iudicat perfectiùs, qui propiùs ad temperatum accedit. Dicitur autem temperatus, non ſolùm qui in homine duntaxat temperato reperitur, ſed qui naturalis, & ſanæ debetur cuiuſque hominis complexioni. Sano ergo, & naturali tactui, adiuuante ſimul intellectu, con credere oportet: nam non paruam ad curationis methodum fidem præſtat.

His iactis fundamentis; concludendum hoc modo eſt de quæſtione propoſita. Caloris intenſio in qua febris eſſentia conſiſtit, quemadmodum & cuiuſque generis morbus, tam vniuerſalis, id eſt, totius, quàm particularis,hoc eſt, cuiuſque ſpeciatim membri, non ad temperatum ſimpliciter corpus, aut membrum, ſed ad ſuum cuiuſque ægrotantis corporis, aut membri naturalem temperiem, ſanitatiſve

ſanitatiſve ſtatum eſt referendus, & ad eundem tam abſo-lutè, quàm quoad gradus commenſurandus.

Hæc ſententia poterit in primis ex communi practi-cantium vſu, ſeruatáque optima inter eos aſſuetudine confirmari, qui aliud quicquam in medendi rectè ordi-ne præſcripto non intendunt, præterquam ægrotantis regreſſum ad ſuum naturalem, priſtinum, & deperditum ſanitatis ſtatum, qualiſcunque æger in ſua ſanitate ex-titerit, reducere. Fauet deinde Galeni doctrina *lib.* 8. *meth. cap.*9. vbi curatrices indicationes deſumendas præ-cipit à morbo, aëre, & naturali ægri temperamento, qualecunque illud temperamentum in ægrotante extite-rit, ſiue temperatum, ſiue intemperatum:*nam naturale*,in-quit, *temperamentum baſis eſt,à qua & ſanitas,& morbus veniunt conſideranda.*

Inſuper idem Galenus 9.*meth.* 14. morbi quantitatem auſpicari præcipit ex collatione morbi cum naturali ha-bitu patientis; nam quantum æger à naturali habitu re-ceſſerit, tantum opus eſt eum refrigeres, & humectes. Deinde colligitur ex Gal.qui *lib.*3.*&* 4.*de ſanit.tuend.*va-ria tradit documenta, quorum ope naturalis ſeruetur in-tegrè cuiuſque habitus, qualemcunque ſit homo in ſua temperie ſortitus, in eo enim ſolummodò ſanitatem ægrotantis conſiſtere auſpicatur, & extra illum, quem-cunque ſtatum morboſum Galenus arbitratur.

Idem etiam non inconcinnè poteſt firmari ex Gal. *in lib. de morb. & ſympt.* quo loco, morbi eſſentiam, in cu-iuſque generis extra naturalem habitum egreſſu conſtituit. Hoc conſpiciens Gal.*in libris de facult.natural.*docet,cor-poris aut cuiuſque membri actionem atque munus, ab integro & naturali corporis, aut membri ſtatu proficiſci, qualiſcunque ille in ſua natura exiſtit.

Ad hæc Hipp.& Gal. 3. *aph.* 2. hoc confirmant mani-feſtè, quum pro conſeruando naturali lapſu in intempera-tis naturis, hyemem bilioſis naturis, pituitoſis verò æſta-tem ſanabilem conſtituunt: ſic enim meliùs vtriuſque tem-peramenti naturalis habitus ſeruatur, in quo ſolum ex eo-rum mente ſanitas conſiſtit. Ex quo patet, à naturali ha-bitu ſolummodò, morboſam cuiuſque generis dyſcraſiam, & intemperiem eſſe petendam. Quare morbus quiuis in receſſu extra naturalem habitum conſiſtit, & ab eodem naturali habitu morbi quantitas, & qualitas eſt coniectan-da. Ita Hipp.2.*aph*.34. & Galenus *in com.* proportionales morbos minores improportionalibus prædixerunt, quia maiorem hi arguunt à naturali habitu receſſum.

Enimuerò hoc non obſcurè probatur ab Auic. 1. 1. *doct.* 3. qui *in tribus capitibus*, varia tradens in humano corpore, & in quouis etiam ſpeciatim membro tempera-menta,iuxta varias cuiuſque corporis, aut membri comple-xiones; ætates, domicilia, tempora, regiones, aëris tandem influentias, & concurſus; particulares proponit cuiuſque complexionis, ætatis, regionis naturales ſtatus,ſub quibus integra, & perfecta ſanitas conſiſtit: docétque peculia-rem cuiuſque ſanitatem ita in ſuo particulari ſtatu, qua-liſcumque ſit, naturalique habitu conſiſtere, vt ſiquis ab illo in quemcumque alium licèt meliorem immutetur, neceſſariò ſit ægrotaturus, dicítque, *ſi corpus inde fiat qua-le eſt ſclaui,aut infirmabitur, aut morietur.* Inde colliges, morbum quemuis & in quantitate, & in qualitate:eſſe à naturali præſentis ægrotantis habitu metiendum.

Si verò deinde febris definitionem exactè rimeris, ab ipſo Auic. propoſitam, hoc ita eſſe inuenies: nam in-flammatur in eo inflammatione quæ nocet operationi-bus naturalibus, quoniam naturales operationes in natu-rali habitu iuxta perfectionem ſuam conſiſtunt: nec po-teſt quicquam naturales cuiuſque corporis, aut mem-bri actiones lædere, niſi priùs illud à ſuo naturali habitu in præternaturalem ſtatum immutet. Patrocinantur huic expoſitioni Auic. interpretes, & præſertim Nicolus Flo-rentinus *ſerm.*2.*tract.*2.*ſum.*1.*de generalib.conſiderat.cir-ca feb. cap.* 12. *iuxta fin.*qui per operationum læſionem definitione Auic. intelligunt læſionem independentem à cauſa externa, & ratione ſui in corpore permanentem, & à naturali habitu egreſſum. Igitur morbus cuiuſcun-que generis ſit, & in quouis temperamento reperiatur, ad naturalem temperiem, ſanitatiſque ſtatum eſt commenſu-randus. Ita enim 7. *meth. cap.* 3. dirimit hanc litem Gale-nus dum ſic ait: *Semper enim pro eo quod exuperat, indu-cendum eò vſque contrarium eſt, quoad particulam in ſy-metriam,& naturalem habitum vindicaueris.*

Sed relictis aliis auctoritatibus, ad rationes acceda-mus. Inde eſt petendus morbus, vnde ſanitas, & inte-gra ſalus expectatur. Sed ab habitu naturali eſt ſanitas expectanda, & in eo conſiſtit integer ſanitatis ſtatus; Ergo ab eodem naturali habitu eſt morbus in corpore coniectandus, & in qualitate, & quantitate commen-ſurandus. Conſequentia legitima eſt. Minor ſatis patet ex ſuprà allatis rationibus, & auctoritatibus: nam ſi ſa-nitas in actionum perfectione conſiſtit; perfectio au-tem operationem ab integra, & optimè conſtante na-tura proficiſcitur, colligitur apertè, ſanitatem in con-ſtanti, integro, & optimo naturæ habitu conſiſtere; Maior ex comuni deducitur Medicorum principio, eſt-que illud inter eos receptiſſimum, videlicet contrario-rum eandem eſſe ſcientiam, eandem perſecrutationem, eandem in acquirenda diſciplina notitiam: nam mor-bus conſiſtit in naturalis temperamenti, propriique ha-bitus alteratione; ſanitas è contrario, in integro natura-lis habitus & temperamenti ſtatu, abſque vlla in quem-cunque exitum immutatione, & deflexu. Hoc ita eſſe conteſtantur ſigna ſanitatis, & morbi, licèt ſub vario bo-nitatis, vel malitiæ reſpectu,vt probat Gal *lib.*1.*ad Glauc.* 2. nam pulſus, & vrina ſignificant, ſi bona ſunt, ſupra na-turalem habitum; ita ſi mala, ſupra præternaturalem ſta-tum demonſtrant, & eiuſdem corporis, aut membri paſſionem oſtendunt.

Secundò. Sanitas, & ægritudo de eodem vicìſſim cor-pore, aut membro, à quo ſeſe mutuò de more contrario-rum expellunt, dicuntur; ratione ſcilicet boni, aut mali corporis habitus, & diſpoſitionis; ſub quo bono, vel ma-lo habitu in eodem corpore, aut membro recipiuntur, & ab eodem expelluntur. Igitur & ſanitas, & ægritudo ab eodem expectantur, & in eſſentia ſua, quantitatéue, & qualitate commenſurantur.

Sed ſatisfaciendum eſt obiectis aduerſantibus, quæ lectorem remorari poſſunt. Dic ad primum. Galenus 3. *ſimpl. cit.* per mediam temperiem ſignificat optimam ſimpliciter, qualis eſt ſolùm illa, quæ in homine tem-perato reperitur. Neque ex hoc inferas, ad hanc ſolam eſſe commenſuranda reliqua, quæ à Medico in menden-di opere conſiderantur: neque enim commendauit me-dicamentorum temperamenta iudicare, ſi ſimilem ha-beant mediæ temperaturæ temperiem, quòd exiſtimarit in ſola media, & optima temperie humanam ſanitatem integrè conſiſtere: ſed quòd media temperies optima ſit inter reliquas, atque ideò quæcumque medicamenta ſimile habent mediæ temperiei temperamentum, illa optima, & temperata medicamenta cenſeri. Ad 2. Gal. auctoritatem. Dic. medicamentorum facultates ad tempe-ratum hominem eſſe commenſurandas: non tamen rectè inferri,ad eumdem etiam temperatum hominem eſſe mor-boſam paſſionem metiendam. Et ad vltimam Galeni au-ctoritatem, ex *cap.* 12. *ſimpl.* Dic primò: per medium in præſenti doctrina intellexiſſe Galenum, naturalem habi-tum, ſanitatiſue ſtatum, quem ideò medium appellauit, quòd medium verè ſit inter ægritudinem, & medica-mentum. Solue ſecundò. Licèt per medium *cit. loc.* Ga-lenus intellexerit optimam, & mediam temperiem illam, id fecit, non quòd in optima ſolùm, & media tempe-rie hominis ſanitatem conſiſtere arbitretur, ſed quòd per allatum in media temperie exemplum, cætera ab optimi Medici æſtimatione perpendantur. Solue tertiò. Longè aliud eſt inquirere cuiuſuis medicamenti vires, in ordine ad curationis munus, vt ſcilicet cognoſca-tur quiſnam effectus ex quauis medicamenti in corpus humanum applicatione ſperetur; aliud verò examina-re, quale, & quantum conueniat in quolibet curatio-nis actu medicamentum, ad integram peculiaris mor-bi expulſionem, præſentíſque affectionis medelam: cùm namque diuerſæ ſint in opere ipſo intentiones, diuerſi

diuerſi ægritudinis & ſanitatis ſtatus, diuerſus ſcopus diuerſúmque medium, diuerſa etiam ea à quibus eiuſmodi conſiderationes gubernantur, & dependent: quare non rectè infertur, ex eo quod Galenus doceat, medicamentorum vires ad temperatum hominem in ſanitatis ſtatu referri, quòd inde iubeat in morboſo ſtatu, curationiſve actu & progreſſu, medicamentorum effectus ad eundem commenſurari.

Ad ſecundum. Fatemur intemperiem, quæ ſimpliciter naturalis aliquando dicitur, eò quòd ſub ipſa humani corporis ſanitas integrè conſeruatur, ad optimam, mediámque temperiem referri; non tamen inde infertur intemperiem morboſam & præternaturalem, ad eandem ſcilicet temperiem eſſe referendam, ſed ad ipſius ægrotantis naturale temperamentum.

Ad tertium. Dic conceſſo antecedente neganda eſt conſequentia, dicendúmque febrilem intenſionem, & quemcunque etiam morbum, ad ſanam quidem, & naturalem humani corporis temperiem eſſe coniectandam, verùm indeterminatè, hoc eſt, ad ſanitaté, naturalémve ægri corporis habitudinem, quod medẽdum actualiter offertur, quodcunque illud in ſua natura & ſanitate, quoad ſuum naturale temperamentum exiſtat.

Ad quartum. Non concludit argumentum: nam eodem modo poteſt fieri ſimilis ratio, ſi ad temperatum huiuſmodi fiat menſura, atque ſi ad intemperatum: nec enim aliter ſequitur, ſi ad temperatum ſolum commenſuretur morbus; eò quòd in ſolo temperato datur ſanitas, in reliquis verò nequaquam. Ad confirmationem reſponde: ſequi quidem omnes homines perpetuò ægrotare, præter illum ad quem fiat commenſuratio, ſi determinatè fiat ad vnam temperiem, qualiſcunque illa exiſtat; ſi verò indeterminatè ad quamcunque fiat menſuræ iudicium, falſam eſſe omnino ſequelam pronuntiabis.

Ad vltimum dic. Licèt verum ſit, quòd ſolùm temperatus ſimpliciter tactus, & qui in homine tantummodò temperato reperitur, poſſit exactum, verum, & perfectum ferre circa quamcunque moderantiam iudicium; nihilominùs intemperatus, dummodò naturalis ſanus, hoc eſt in ſano corpore exiſtat, intellectus ope, & concurſu potens erit, ſufficienter, & ad medendi rationem congruè, morboſam intemperiem in humano corpore notare, quam per ſe, & citra intellectus iuuamen iudicare non poterat, & hoc iudicium de cæteris ſenſibus eſt ferendum. Quapropter diſtinguenda tibi erit maior argumentationis propoſitio: neque enim vera eſt, ſi ſolùm de tactu ſimpliciter abſque vllo intellectus ſubſidio intelligatur: tactus namque in ſe ſimpliciter ſpectatus, non eſt verus morboſæ, aut ſanæ & naturalis qualitatis iudex, licèt ſupra tangibilis cuiuſque qualitatis ſimplicem intenſionem, aut remiſſionem propriè iudicare poſſit, iuxta illud citatum Philoſophorum axioma: *ſenſus circa proprium ſenſibile non errat*: ſi autem propoſitio de tactu intelligatur, non ſecundùm ſe ſolùm, ſed ab intellectu concurrente docto, & illuſtrato, veram fateberis eſſe maiorem. Similiter minorem propoſitionem explicabis: ſi dicas verum eſſe, quòd ad perfectam, & exactam omnino menſuram, tactus requiratur exactus, & optima inculpatáque temperie præditus: verùm menſura hæc, & ponderatio inartificioſa eſt, & ad curationis opus impertinens: cùm namque rariſſimus ſit, & ferè impoſſibilis exactus in optima temperie tactus, rariſſimè etiam poterit exacta ſimpliciter menſuratio contingere: medicina autem non eſt de raris, ſed de iis quæ ſæpius contingunt: nam *frequentia pro perpetuis habentur*: vt monuit Gal. *lib. de fœtus formatione, cap.6.& lib.6.aph.*58. Verùm ſi ad congruum, & exactum curationis finem ordinatè fiat menſura, ſufficit intemperatus tactus, dummodò ſub ſana & naturali intemperie exiſtat, & ab intellectu, vt diximus, adiutus ſit.

Ex iis deducere poteris corollaria plura, ad Medicos vſus vtilia valde, quorum primum eſt. Quando Medici contendunt febrem eſſe calorem intenſiorem moderato, per hunc non intelligunt moderatum ſimpliciter, & qui in optima ſimpliciter temperie reperitur; ſed calorem naturalem ægri intelligere debent, qui ſub naturali & ſana temperie continetur, quæcunque ea ſit: qui ideò moderatus appellatur, quia cuiuſque temperamenti verum, & ad ſuas perfectiones commodum moderamen conſtituit.

Secundum corollarium. Quemadmodum febris, & quicunque calidus morbus, ad naturalem ægrotantis calorem eſt commenſurandus: ita frigidus, ad naturalem ægri frigiditatem, ſiccus ad naturalem ſiccitatem, &c. & quiuis in vniuerſum morbus, ſiue in intemperie, ſiue in compoſitione, ſiue in vnitate, ad ægrotantis corporis, ſanitatiſve naturalem habitum referendus.

Tertium corollarium. Sicut tactus ad morboſam tangibilis qualitatis intenſionem, & remiſſionem iudicandam, opus habet intellectu, ſine quo non eſt potens, verum & exactum præbere circa morboſas paſſiones iudicium: ita reliqui ſenſus non poterunt per ſe abſque intellectus concurſu & ope, ſupra ſuas ſenſibiles qualitates, verè in ratione naturæ, aut præter naturam iudicare, licèt eaſdem per ſe ſimpliciter, & abſolutè valeant infallibiliter agnoſcere, veluti ſuum proprium, & à natura ſenſibile conſtitutum.

Quartum corollarium. Per temperatum tactum, ſicut & per aliquas temperatas à corpore dependentes potentias, intelligendæ ſunt non ſimpliciter temperatæ, ſed temperatæ ſecundùm corporum naturas quibus inſunt, & ſub naturali eorum temperie, licèt in ſe corpora ipſa cum ſuis potentiis intemperata ſimpliciter exiſtant, hoc eſt, in ordine ad optimam & mediam temperiem conferendo, iuxta quam ſolùm corpora ſimpliciter temperata nuncupantur.

Quintum corollarium. Vnum & idem corpus, ſub eodem numero temperamento, poteſt ſimul verè & artificiosè temperatum, & intemperatum nuncupari, ſub diuerſo tamen temperiei, & intemperiei reſpectu & conſideratione: qua ratione intemperata corpora omnia, ſimpliciter intemperata nuncupantur, ad ſimpliciter temperatas naturas collatione facta: eadem tamen temperata appellantur, in ordine ad ſuam cuiuſque naturam, & temperiem. Ex his colligitur, non eſſe redarguendos Medicos, qui ſolent intemperata naturaliter corpora, modò temperata, modò intemperata nuncupare, quum temperata ideò iudicent, quia ſana, intemperata autem, quoniam ab optima temperie recedunt. Concludo ergo, vt ex ſuprà tradita doctrina fit manifeſtum, morboſam intemperiem ad quamcunque temperiem, ſub qua humana ſanitas ſit apta conſeruari, optimè, artificiosè, & accommodè ad medicinæ praxin eſſe commenſurandum.

HISTOR. IV. GALENI,
De febri diaria.

In calidis naturis exercitij intermiſſio, febrem accendit.

*EQuidem quoſdam noui, qui ſi triduo ab exercitatione ſe abſtinebant, protinus * febriebant. Alios in perpetua quiete degentes, tamen ſecundam valetudinem tueri, &c.* *Galenus*, lib.5. de ſanit. tuenda, cap.11.

PARAPHRASIS.

PRopoſuerat Galenus capite, in quo eſt deſcripta hiſtoria hæc, præſcribere victus rationem, quæ cuilibet intemperiei corrigendæ ſit vtilis. Sed quoniam contrarij inter ſe multorum hominum corporis ſunt ſtatus, nihil mirum ſi ab iiſdem plures vtilitatem, detrimentúmque accipiant: quo pacto Medicus vnam omnibus vitæ ſpeciem exhibere non poteſt. Ita alij abundè quotidie exercitantur, alij in quiete vitam tranſigunt, quidam in balneum deſcendunt, plures ab eo abſtinent, & ita in cibi, potúſque vario ordine tutiſſimè viuunt. Quare Premigenes, de quo ſuprà facta eſt mentio,

abſtinens à balneo, febricitabat. Alij ab exercitio iuuantur, alij ſummè læduntur.

Iuuantur frigidi, humidi, voraces, gulæ dediti, & qui ob caloris debilitatem, & ingluuiem, plurimam ſuccorum copiam coaceruant: nam exercitatio attenuat, calefacit, reſoluit, excrementitiam humiditatem abſumit, quæ ſi retineatur, non gubernata à natura morbos concitat, & corpus ad putridas præſertim febres reddit paratum. Quocirca *dimittens exercitium incidit in hecticam*, dicebat Auic. 3.1.*doct.* 2.*cap.* 1. hoc eſt, in atrophiam, & extenuationem: nam calor inſitus partium à copia crudorum humorum obrutus, non poteſt alimentum ſibi commiſſum coquere, neque ipſam per anguſtos, & minimè patentes meatus, vias, & poros commodè pertranſire, aut aſſimilari poteſt, & ſic denegato alimento partes tabeſcunt, ſpiritus influentis, & viuifici ſanguinis illuſtratione priuatæ. Hæc reſpicientes priſcorum doctiſſimi, pro auertendis morbis exercitium ſummoperè commendarunt: vt Hipp. 6.*epid.ſect.* 4.*text.* 22. & multis locis, quos ex profeſſo *lib.* 1.*in com.hiſt.* 28. propoſui. Demùm ab intermiſſa exercitatione, grauiſſimos morbos, immò & dyſenteriam concitari, probat Gal, 1.*feb.* 11. *&* 3.*de ſympt.cauſ.* 2. *& lib.* 1.*articul.com.* 40.

Sed ſi hæc vera ſunt, & exercitium tot ex ſe præſtat vtilitates, cur alij in quiete degentes, ſaniſſimè viuunt; Dic: quia calidi & ſicci ſunt, & ſic ob motum & exercitium inflammantur, excandeſcunt, & in febrim promptiſſimè incurrunt. Hos enim impensè calidos in quiete eſſe continendos, miniméque exercendos, & reſoluendos, illuſtri oraculo docuit Gal. *l.* 9.*meth.* 15.§. *Si namque natura gracilis, temperatura autem calida & ſicca, maximè euacuationibus offenditur, &c.* Exercitium autem vnam eſſe ex vacuationum numero, probat Gal. 2.*aph.* 17. *&* 4. *aph.* 2. hæc enim corpora propter caloris copiam, & meatuum laxitatem, ſanguinis, & ſpirituum tenuitatem, promptiſſimè ob exercitium reſoluuntur, & ad humiditatis abſumptionem ſiccitas acuitur magis, & corpora hoc modo in febrem & ſæpè in hecticam labuntur.

Calidæ ergo & ſiccæ naturæ quiete ſunt conſeruandæ: hæc enim difflari corpora non permittit & naturalem calorem minimè diſſipat; contrà motus immoderatior attenuat, & reſoluit. Deinde quies hac de cauſa humectat. Quapropter Hipp. *lib.* 6. *epid.ſect.* 3.*text.* 33. ſic ait, *ſiti carentem, os claudere, tacere, ventum cum potu frigido introducere, &c.* & ſic in febrientibus, & in aliis qui calidi natura ſunt, frigidum potum conſuluit, qui humectat, & ſqualidum corpus irrigat. Si enim quiſpiam premitur affectu aliquo ſiticuloſo, & calidum eſt temperamentum ſortitus, præſertim ſi adſit æſtiuum tempus, hic domi ſe contineat, quieſcat in cubiculo temperato, taceat; nam ſermo excitat in oris partibus caliditatem magnam; claudat os, quo occluſo humectantur facies, cum oris ſaliua conſeruetur meliùs, quæ loquendo plurimùm diſſipatur. Sic aër inſpiratus ſit frigidus, vel per ſe, vel arte paratus.

Porrò, ſi tantam cautionem expoſcit Hipp. ad moderandam ſitim in corpore calido & ſicco, cur ſimilis temperaturæ homines ab exercitio non abſtinebimus, maximè quod tum corporis, tum humorum pertubatione abſumit, reſoluit, calefacit, incendit, ſanguinem acriorem reddit, ſpiritus inflammat, & tandem exſiccat, febrémque accendit?

QVÆSTIO IV.

Vtrùm febrilis calor ſit idem cum naturali, vt contra Galenum Gentilis aſſeuerat.

COMMENTARIVM.

F*Ebricitabant.*] Ampliſſimi ſeſe oſtentant dubitationum fluctus: vaſtiſſimus controuerſiarum Oceanus, vada ſeſe offerunt impenetrabilia; in quæ ſi ſemel ingrediatur quiſpiam, etſi ingenio Pyiloſophico, lectionéque multiiuga ſit præditus, vereor ne tantis irretitus labyrinthis, ab his ſalebris, euadere nequeat. Multa quidem à Latino-barbaris abundè ſunt congeſta de quæſtione hac, plurima ſatis ſupérque à Hhiloſophis; & recentioribus Medicis prolata: ſed illorum placita hodie veluti ſqualore obſita iacent: horum dogmata ità ſunt tenebricoſis diſſenſionum ænigmatis obſcurata, vt ex iis vel mediocrem doctrinam haurire vix poſſis. Ea omnia nitori ſuo pro tempore conabimur reſtituere, in Medicorum, & Philoſophorum pomœria ingreſſi, variis doctrinæ floſculis ornata, & peramœna.

Neque putes leuiculam eſſe diſceptationem hanc, vt rentur plures: cùm enim dupliciter ſumatur febris, vno modo pro formali, altero pro materiali; ſi illo modo febrem contempleris; non ita vtilis eſt tractatio hæc: nam febris pro formali accepta, & ſecundùm ſuam propriam & formalem eſſentiam, non eſt calor, ſed diſpoſitio & intemperies, quæ ad illum excedentem gradum caloris conſequitur; cuius cognitio non ad Medicinæ, ſed Dialectices perſcrutationem conducit, cùm Logici ſit nudam, & abſolutam veritatem rimari: Medicus autem non abſolutè veritatem perſcrutatur ſolùm, ſed in ordine ad curationis opus: quare diuerſi ſunt vtriuſque fines, diuerſa circa quodcunque quod in ſpeculationem venit, conſideratio, diuerſus contemplationis modus.

Cùm ergo febris, ſecundùm ſuam propriam & formalem eſſentiam, ſit diſpoſitio qua corpus humanum ægrè afficitur, quæ ex diametro naturali diſpoſitioni aduerſatur; & cùm hæc ſit conſtans & permanens qualitas, à qua ſubiectum ad ſuas debitas operationes aptè afficitur; quæ ſanitas nuncupatur: patet manifeſtè, naturalem, aut præternaturalem diſpoſitionem, in qua ſanitas, & febris conſiſtunt, ſi ſecundùm ſuas proprias formas accipiantur, diuerſas eſſe omninò, & contrarias qualitates in ſe includere.

Sed hæc conſideratio parùm, aut nihil prorſus ad medendi rationem conducit; quo pacto ſi hoc modo febrem accipiamus, idcircò de febrilis caloris identitate Medici parùm ſunt ſolliciti. Si tamen febris pro materiali, id eſt, pro materia in qua febrilis paſſio conſiſtit, & per quam febris eſſentia ſolet definiri, accipiatur, tunc hæc quæſtio eſt plurimæ vtilitatis, & multi vſus, cùm ſolùm Medicus illam è corpore remouere conetur: maximè quòd varietas in materia varietatem in opere exigit, licèt vna, aut diuerſa ſit affectionis forma, atque eſſentia. Hoc præſuppoſito ad reliqua accedamus.

Acutiſſimus Gentilis *in extrauagantibus, quæſt.* 4. proponit quæſtionem ventilandam, multiſque machinis probare contendit, calorem febrilem ſpecie diſtare à naturali, quæ omnia in medium proponam, allatis aliis quæ eius placitum confirmant. Et primò facit pro illo Galenus in multis locis, vt *in lib.* 6.*epid.ſect.* 4.*comm.* 17.§. *Quandoquidem caloris in corpore humano duplex genus eſt, vnum familiare & congenitũ, alterum præter naturam, &c.* Deinde 2.*aph.* 47. puris generationem refert eſſe opus medium inter calorem naturalem, & præternaturalem: nam *pus neque à ſolo calore extra naturam, nec à ſolo ſecundum naturam conficitur, ſed ab vtroque, cùm mixtus ſit inflammationis calor.* Inſuper 4.*aph.* 37. eos calores apertè facit diſtinctos, dum ſic ait: *Dari aliquando in corpus humorum multitudinem, tantam habentium frigiditatem, vt neque à calore natiuo, neque à febrili calefiant.*

Hæc ſententia ſuadetur primò. Diuerſæ operationes non poſſunt iuxta Philoſophorum decreta, ab vna agente cauſa proficiſci, Atqui operationes ab his duobus caloribus euenientes, diuerſæ penitùs exiſtunt. Igitur diuerſi erunt cenſendi calores, à quibus proueniunt. Maior patet, quia diuerſæ actiones diuerſa formæ requirunt temperamenta. Minor facilè probatur, ſi vtriuſque caloris opera contempleris: nam naturalis, vtpote mitis, ſalutaris, vitalis concoqui, ex Gal. *lib.* 1.*progn.comm. vlt*, conſeruat, roborat, generat, ex Gal. *lib.* 11.*meth. cap.* 8. immò nutrit, humiditatis ſubſtantificæ incrementum promouet, naturales actiones perficit, & intendit: præternaturalis verò putrefacit, deſtruit, debilitat, corrumpit, tabefacit, & actiones

deterior

deteriores reddit. Ergo ſpecie differunt. Quapropter cùm calor naturalis, & præter naturam contrarientur inter ſe, ex Gal.*lib.de inæquali intemper.cap.* 3. & contraria differant ſpecie, ex Ariſt.*cap. de oppoſitis*, fit vt calores hi ſpec differant: quod firmat Galen. 3. *de præſag. ex pulſib.cap.2.§.cordis calor, &c.* Ergo, ſi diuerſi actus diuerſas arguunt potentias, quia potentiæ per ſuos actus diſtinguuntur, ignes, & calores inter ſe erunt diuerſi.

Secundò. Diuerſi ſunt inter ſe febriles calores, qui in humoribus, ſpiritibus, & membris recipiuntur (immò cæleſtes quatuor, vt placuit Cardano *lib.2.de ſubtilit.*) ex Gal. *lib. de dif. feb.* 1. quo loco diuerſas febris differentias, & ſpecies conſtituit, penes varias materias, in quibus calor febrilis accenditur. Ergo ſunt omnino diſtincti inter ſe calores, & calor qui datur in humoribus, erit ſpecie diſtinctus ab illo, qui accenditur in ſpiritibus.

Tertiò. Sic ſe habet calor febrilis ad calorem naturalem, & morbus vniuerſim calidus ad caliditatem antea ſecundùm naturam in corpore præexiſtentem, vt frigidus morbus ad frigiditatem naturalem, & morbus in compoſitione præter naturam ad naturalem corporis compoſitionem, & morbus denique in ſoluta continuitate ad congruam, & requiſitam naturaliter corporis vnitatem, & ſic de reliquis morbis. Sed nullus horum morborum eſt idem cum naturali antea præexiſtente. Igitur nec febrilis calor poteſt eſſe idem cum præhabito in corpore calore. Maior patet, quia nulla datur maior ratio in vno quàm in alio morbi genere, ad hoc quòd morbus ſeruet realem cum naturali habitudine identitatem, aut diſtinctionem. Minor ſuadetur, quia vnitatis ſolutio eadem dici non poteſt cum ipſa integra, naturaliter debita vnitate; frigiditas præternaturalis, & morboſa (cuius proprium eſt naturalem calorem ſuffocare, & extinguere) non eſt eadem cum naturali, & congrua corporis frigiditate, quæ ipſum calorem naturalem aptè moderari, & contemperare valet. Ergo ſi nulla eſt maior in vno, quàm in alio morbo ratio, ſequitur quòd nec febris eſt eiuſdem ſpeciei cum calore naturali.

Quartò. Calor febrilis, & naturalis, à diuerſis pendent omnino in ſua cuiuſque generatione principiis, tam in cauſa, quàm in effectu. Ergo diſtincti erunt calores. Naturalis enim, intrinſecus, eiuſdémque viuentis calor, in ipſis naturæ primordiis, primóque ſui ortu & formatione, generatur & coaleſcit, ex ſanguine & ſpiritu, aptè ad generati corporis vitam coëuntibus, & optimè ſecundùm quantitatem, & qualitatem diſpoſitis: febris autem à putrida, corrupta, & extra naturæ requiſitum moderamen affecta, & indiſpoſita materia ſuum habet ortum.

Quintò. Calor ſolaris, à quo cuncta mixta producuntur, ſpecie diſtat à calore elementali, ſiue igneo, ſiue extraneo, ex Ariſt. 2.*de generat.animal.cap.*3. probat Thomas à Veiga *lib.1.de dif.feb.c.1.quæſt.*3. Igitur febrilis, & naturalis calor maiori cum ratione ſpecie diſtinguuntur. Patet quia multo minùs diſtant calor ſolaris, & elementalis, quàm calor naturalis, & præter naturam, quum ſæpenumerò illi ad mixtorum generationem concurrant, ſi fides eſt habenda Philoſophis, qui cum ſuo Magiſtro Ariſtotele elementum ignis concedunt; de quo negotio ſatis multa protulimus *lib.2.in com.hiſt.66.*

Sextò. Si calor febrilis vnus eſſet cum innato, & non tantùm aduentitium, ſed vniuerſum calorem dicas febrem, omnis febris eſſet habitualis, nulláque ab intrinſeco ſanabilis, quia ſanitas reſtitui debet mediantibus actionibus ſecundùm naturam, at eæ ſunt vitiatæ, quia calor factus eſt præter naturam, & non eſt principium à quo ſanari poſſit laborans, aut ad priſtinam ſanitatem reſtitui.

Septimò. Calor naturalis, & præter naturam in eodem ſubiecto ſe inuicem corrumpunt; experimento enim compertum eſt, plurimas febres à ſolo calore naturali citra aliquod externum præſidium fuiſſe perſanatas.

A Sed antequam hanc dirimamus litem, aliqua adnotare libet, quæ ad quæſtionis explanationem ſummè conducunt, & plurimam doctrinam inuoluunt, ad argumentum de febribus valdè neceſſariam. Et primò quod ad medicam ſpeculationem attinet, duobus potiſſimùm modis dicuntur duo vel plura diſtingui, vel eſſentialiter, vel accidentaliter: eſſentialiter differunt, quæ ſecundùm ſuas proprias & eſſentiales formas, re, & eſſentia, verè & abſolutè ſunt diſtinctæ: ſiue ipſæ ſint ſubſtantiæ, ſiue accidentia, & hæc nulla ratione eadem eſſe poſſunt. Accidentaliter diſtinguuntur, quæ ob ſuorum accidentium varietatem ita ſunt diſtincta, vt nullam in ſuo eſſe mutationem, ſed aliquam, immò variam à variis accidentibus ſubeant mutationem, iuxta illam à Philoſophis latam ſententiam: *accidens eſt, quod adeſt, & abeſt ſine ſubiecti corruptione*, hoc eſt,
B ſine ſubiecti eſſentiali alteratione.

Nota ſecundò. Quæſtio quam frequenter Medici iactant, vtrùm calor febrilis, & naturalis diſtinguantur, multiplicem poteſt habere ſenſum. Primum, vtrùm diuerſæ illæ (vt ita dicam) naturalitatis, & præternaturalitatis formæ, aptæ ſint, & ſufficientes, duos conſtituere, diuersóſque re ipſa calores. Secundum, vtrùm accidentales illæ caloris formæ, & qualitates, in calore ipſo diſtinguantur, aut illum faciant re ipſa, quà naturalis eſt, aut præter naturam, diſtinctum. Tertium, vtrùm illum faciant calorem & in ſe, & in ſuis operationibus diſtinctum, hoc eſt, illum reddant diuerſimodè affectum. Quartum vtrum calor febrilis, & naturalis ſint vnicum naturæ inſtrumentum, aut duo diuerſa in opere (naturalis, & præternaturalis ratione) inſtrumenta reddantur.

C Nota tertiò. Licèt verum ſit, febris eſſentiam conſiſtere in caloris extra naturam intenſione, vt ſuprà firmaui, hoſt eſt, in gradu, aut gradibus naturalis caloris requiſitam menſuram, & mediocritatem excedentibus: attamen non illa ſolùm determinatè gradus, (vnus ſcilicet, aut plures) qui additus ſit antea in corpore præexiſtentibus, & corpori de nouo ſuperueniens, eſt febris. Deinde nec omnis habiti caloris in corpore gradus, ſed vnuſquiſque, & quiuis indeterminatè ex his omnibus, in corpore tunc temporis habitis, gradus indifferenter conſideratur, vt additus, eſt præternaturalis, & febris. Si namque ſolùm ille indeterminatè gradus, qui naturalibus in corpore præexiſtentibus de nouo additur, eſſet febris, ſequeretur quòd ſi alius à corpore, & non ille determinatus auferretur, qui de nouo eſt additus, caloris gradus, nequaquam per illius gradus ablationem ſanaretur, æger,
D ſed duplici morbi genere premeretur, exceſſu præternaturalis caloris per illum ſupperadditum gradum adhuc in corpore remanentem; & defectu naturalis caloris per gradum illum caloris antea in corpore præexiſtentis extinctum; quod non ita, ſed aliter contingit, vt aſſidua teſtatur experientia: nam quocunque caliditatis gradu, ex omnibus qui in corpore pro illo nunc reperiuntur, ablato & extincto, in ſuum priſtinum ſtatum ægrum corpus reducitur: quod manifeſtum ſanè eſt indicium, quòd non in vno determinatè illo ſupperadito de nouo caliditatis gradu, ſed in quolibet indeterminatè conſiſtat.

Inſuper non obſcurè hoc poteſt ſuaderi: nam ſi ſanitas corporis conſiſtat v.g.in duobus caloris gradibus in corpore exiſtentibus. Si ergo addatur tertius, iam verè aderit morbus, quum iam plures adſint caloris gradus quàm
E duo, ad integram corporis ſanitatem requiſiti. Atqui per quemlibet caloris gradum à corpore ablatum, ſiue ille ſit qui de nouo ſuperuenit, ſiue quiuis alius ex his qui in corpore præextiterint, manet corpus à tertio caloris gradu excedente liberum, manétque cum duobus solummodò caloris gradibus, in quibus perfecta eiuſdem ſanitas conſiſtit; ac proinde per cuiuſuis gradus extinctionem corpus in naturalem ſtatum reſtituitur. Igitur febrilis morbus, non in vno determinato caloris excedente gradu, ſed in quouis indifferenter conſiſtit.

Huc facit & illud: nam ſi omnes tam naturalis, quàm præternaturalis caloris gradus, qui in febriente calore reperiuntur, eſſent febris; in qua ſententia videtur eſſe

Auerrhoë

Auerrhoës 3. *collect. cap.*3. definiens febrem, per calorem compoſitum ex calore naturali, & extraneo putredinali, ſequeretur quòd priùs extingueretur vita, quam quæuis poſſet febris integrè curari. Cùm namque integra cuiuſque morbi curatio ab omnimoda morbi extinctione, eiúſque in corpore abſentia dependeat, iuxta. Gal.3.*ſimpl. cap.*12. non poterit perfectè & integrè febris curari, niſi omnes caloris gradus, in quibus febris conſiſtit, extinguantur & euaneſcant. Si ergo tam naturales, quàm præter naturales gradus, qui in febriente corpore reperiuntur, eſſent febriles, eſſent quidem ad febrientis corporis ſanitatem, & naturales, & præternaturales gradus è corpore omnino expellendi; quod opus ſuperſtite vita fieri non poteſt. Igitur non in omnibus habitis in febriente corpore caloris gradibus conſiſtit febris, ſed in gradu, aut gradibus de nouo in corpore additis, & ſuperuenientibus.

Hoc modo intelligendi ſunt auctores, cum doctiſſimo Thoma à Veiga *loc. cit.* aſſerentes, febrilem intenſionem fieri per maiorem caloris fixionem in ſubiecto illius indiuiſibilis qualitatis. Sic etiam intelligendus eſt ſubtiliſſimus Auerrhoës *lib.*3.*collect.cap.cit.* vbi febrem conſtituit, calorem compoſitum ex calore naturali, & præter naturam: etenim cùm omnis, quiuis indifferenter gradus poſſit dici naturalis, & præternaturalis, in quo quædam videtur cerni compoſitio, poterit cum Auerrhoë totus ille calor, omnes, & ſingulos continens gradus, quodammodo compoſitus appellari: quo pacto Auerrhoës à communi, & noſtra non diſcedit opinione; opinentur alij vt velint, qui in varios ſenſus huius auctoris mentem diſtrahunt more ſuo.

Ex hac doctrina patet explicatio ad alium obſcurum locum eiuſdem auctoris, qui 7. *collect. cap.* 2, docet, *febrilem calorem à naturali ramificari*, hoc eſt, ad omnes, & ſolas partes febrem communicari, ad quas calor naturalis ſe extendit: indéque in omnibus, & ſingulis partibus, in quibus febris reperitur, coniungi ſimul & coïre naturalem calorem, febrilem, in quo certa quadammodo videtur dari vtriuſque caloris compoſitio: licet plurimi interpretum, Auerrhoëm *loc. cit.* de caloris intenſione, non autem de extenſione intelligant: aſſerunt enim quòd febrilis calor, in vnoquoque corpore, aut membro, pro naturalis caloris quantitate aut intenſione, tantus vel tantus accendatur, & magis aut minùs in ſua intenſione efferueſcat; aſſerúntque Gal. auctoritatem *lib.*1.*aph.*14. qui ſic fatur. *Verùm tantam euenire ſenibus conuerſionem, vt æqua ſit ei quæ iunioribus accidit, vix fieri poteſt. Multum enim calidum promptè in immenſum atollitur; paucum verò non facilè, ſed maximam exigit cauſam quæ cogat ad hoc. &c.* Iacobus de Forliuio *ſupra cit.aph.* ſic ait. *Si enim febris nihil aliud eſt, quàm calor in igneum mutatus, conſtat hunc non tantùm mutari in ſenibus, quantum in iuuenibus, in quibus multitudo caloris facilè ad vltimitatem deuenit, &c.* Hugo Senenſis *cit.* quem ibi refert Hieremias Brachelius, hanc Auerrhois exponens ſententiã, ſic aſſeruit, *quod calor præter naturam ideò ex Auerrhois ſententia, menſuratur calori naturali; membra naturaliter calidiora aliis partibus ab æquali cauſa vtrorumque calefactiua, plus caleſiunt.*

Verùm quocunque modo velis Auerrhoëm intelligere, illius mens & intentio *locis citatis* non eſt alia, quam ita febrilem calorem, & naturalem in febriente corpore vniri, coniungi, & ad compoſitionis modum coïre, vt vnus & idem calor ſub diuerſis gradidus, poſſit naturalis, & febrilis cenſeri; immò vnus & idem gradus, naturalis, & præternaturalis, ſub diuerſa conſideratione dici poſſit: hoc eſt, ſi vt additus vnus gradus conſideretur, verè iudicetur febris; ſi autem idem, vt moderatus percipiatur; & intra debitos naturæ terminos atque fines, naturalis cenſeatur. Non eſt ergo exponendus Auerhoës circa febris eſſentiam, quaſi velit febrem conſtituere in vera caloris naturalis, & præternaturalis compoſitione, ſeu in aggregato ex his duobus caloribus, quod idem eſt ferè; ſed de gradu, ſeu gradibus caloris ſuprà explicatis.

His iactis accedo ad negotium. Calor febrilis, & naturalis, vnus eſt penitus calor, vna & eadem eſſentia, vnica forma, ſingularíſue qualitas, nec vllam recipit à naturali, & præternaturali; natiuo, & extraneo; temperato, & intemperato; intenſo, & remiſſo, in ſua eſſentia differentiam, & mutationem. Eiuſmodi verò formæ, maximè temperies & intemperies, naturalitas & præternaturalitas, quæ ad noſtræ quæſtionis explanationem præcipuè conducunt, etſi caloris eſſentiam nequaquam immutent, diuerſos verè, & re ipſa diſtinctos in vno calore gradus præſupponunt; quare calorem in accidentibus diuerſum, hoc eſt, diuerſimodè affectum (accidentaliter ſcilicet) diuersóque modo, & ratione operantem reddunt; & ſic diuerſa conſtituunt naturæ ad ſuas operationes in calore inſtrumenta.

Si teſtes pro huius aſſertionis confirmatione legere cupis extant imprimis bracteatæ venerandi Gal. ſententiæ, ab omni Medicorum cœtu vnanimiter receptæ, *in lib.*1.*aph.*16. *&* 1.*acut.*18. *&* 8.*meth.c.*1. *&* 2.*meth.cap.*7. *& lib.de cauſ.morb.cap.*2. & aliis in locis *ſuprà cit.* in quibus definit febrem, per calorem naturalem in igneum mutatum; calor autem naturalis non vertitur in igneum, niſi mediante intenſione, ſeu (quod idem eſt) per gradum de nouo corpori ſuperuenientem, & additum præexiſtenti. Quæ Auicennæ definitio de caloris augmento, & intenſione eſt explicanda: nam Galenus *loc. cit.* aliquando calorem naturalem auctum, vocat accenſum, intenſum, immodicum. Si ergo febris ſolùm per intenſionem à calore naturali differt, & non arguit diuerſam caloris formam, eſſentiámque diſtinctam; ita nec calor febrilis, & naturalis vllam patientur in caloris eſſentia diſtinctionem.

Secundò. Ea conueniunt ſpecie, quibus vna eſt differentia eſſentialis. Sed hoc modo ſe habent calor naturalis, & præter naturam. Ergo. Maior patet ex Ariſt. *l.*2.*de generat.hap.*2.§. *Calidum eſt quod congregat homogenea, & diſgregat heterogenea*: Sed hæc proprietas conuenit vtrique calori, vt conſtat in ligno quando aduritur; & in calore noſtri corporis, quando humores generantur; & in calore ſeminis, diuerſas portiones pro diuerſis partibus ad generationem ſeparante. Ergo conueniunt ſpecie, ſiquidem hi duo calores ſolùm differunt ſecundùm magis & miùs.

Tertiò. Si calores differrent ſpecie, ſequeretur quòd neceſſariò conſideranda eſſent duo frigora, ſpecie etiam differentia, quæ illis duobus caloribus ex æquo eſſent contraria. Sed hoc dicendum non eſt, quia frigus opponitur calori naturali, & extraneo. Ergo nec illud.

Quartò. Febris oritur, ex mente Gal. 1. *feb.*3. ob prohibitam ventilationem calore naturali intenſiori reddito: ſimiliter ex ira, & exercitio ſequitur febris, quoniam, vt *ſuprà* diximus, caliditas naturalis præexiſtens intenditur, Sed per intenſionem non reſultat noua ſpecies caloris à præcedente differens. Ergo.

Quintò. Calor naturalis, & febrilis in eodem ſubiecto cùm vnum intenſius efficiant, omnes effectus pariter inducant, ſunt eiuſdem ſpeciei: nam calefaciunt, comburunt, attenuant, liquant, reſoluunt, aperiunt, frigus corrumpunt. Ergo.

Sextò. Mixtum redditur calidius ex approximatione ad ſolem, & ignem. Ergo ſuus innatus calor fit vnus intenſior cum cæleſti, & igneo, ac proinde omnes ſunt eiuſdem ſpeciei: quæ enim diuerſa ſunt, vniti nequaquam poſſunt, nec ſe in opere iuuare, opopoſitum cùm diuerſa intendant, & vnumquódque ſibi ſimile producere conetur, vnde alterum omnino impedit, & quod præualet in mixtione, operatur.

Septimò Specifica calorum vnitas per effectuum identitatem arguitur. quia naturalis deſiccat, 1. *aph.*1. quod opus præſtare igneum, nulli eſt non manifeſtum Deinde ſol per ſe calefacit animalia, plantas producit etiam calidiſſima, in quibus igneus calor viget ab ipſo ſole productus. Neque hanc ſententiam parum confirmat, experimentum ignis geniti à ſolari luce in cauo ſpeculo, dum ad eius centrum ſtupam comburit, & flammam

concitat: manifeſtum indicium calorem ſolarem ab alio non differre. Ergo calor naturalis,& febrilis eiuſdem ſunt ſpeciei,& in eodem ſubiecto, ritu aliorum accidentium quæ ſolo numero differunt, vnum intenſius efficiunt, & ſeſe mutuò in opere vniunt,& iuuant.

Nunc, vt hæc firmiora euadant, ſoluendæ ſunt obiectiones. Dic ad auctoritates, ſolum velle Galenum, calorem naturalem, & febrilem diuerſos eſſe in actione, non autem in eſſentia ſua, hoc eſt, diuerſa eſſe agentia, non autem diuerſas formas: neque ex illa validiori prima auctoritate infertur rectè, duos eſſe diſtinctos in ſua eſſentia calores, diſtinctáſque formas, ſed ſolùm eſſe diuerſa in actione inſtrumenta. Solue ſecundò. Galenus per alienum calorem & præternaturalem, extraneum ſeu aſcititium calorem intelligit, non verò febrilem: per congenitum autem, eum intelligit calorem, qui in ipſo formationis principio in viuente congeneratur: neque hoc tollit, quo minùs acquiſitus calor cum naturali, & congenito in corpore coniungatur, vt vna prorſus caloris forma ex extraneo, & naturali corpore conſtituatur, licèt in actione diuerſi quodammodò videantur calores. Galeni verò *lib.* 2. *aph.* 47. auctoritas non aliud concludit, præterquam quòd naturalis, & febrilis calor ſint diuerſa inſtrumentalia agentia, quod libenter fatemur. Tertia verò auctoritas, ex 4.*aph.* 37. de frigido, ſudore ſolùm probat calorem præternaturalem, eſſe maioris actiuitatis, quàm naturalem, quod non negamus: cùm enim febrilis calor per caloris additionem in corpore generetur, additus autem calor in opere fortior reddatur, ſatis patet febrilem calorem maioris eſſe efficaciæ, quàm naturalem.

Ad primum argumentum, dic, maiorem non eſſe veram: fieri namque poteſt, diuerſas, immò & oppoſitas actiones ab vnico agente, vnicáque forma ſub diuerſis diſpoſitionibus proficiſci; hoc namque nos docet quotidianum experimentum: vnus namque aër, aut aqua ſub variis diſpoſitionibus verè corpora noſtra immutat: immò vnica aëris, aut aquæ caliditas, ſeu frigiditas, iuxta varias intenſionis, aut remiſſionis diſpoſitiones, humiditatis, aut ſiccitatis conſortium, aliáſque quotquot poteſt ſubire varietates, diuerſas imprimit in corpore noſtro affectiones.

Deinde: Vnus & idem calor iuxta maiorem aut minorem diſtantiam, maiorem vel minorem lucem, iuxta rectitudinem aut obliquitatem, aliáſque multas differentias, potentiam viſiuam variè afficit. Vnus calor modicè calefaciendo, concoquit, & humectat; immodica autem calefactione comburit, extinguit, & exſiccat. Vnica lux iuxta varias receptas affectiones, ſubſtantiam vnam reddit ignitam, aliam nimis calidam, aliam nimis tepidam, aliam ſolummodò lucidam, & ſic de reliquis. Vel dic. Eſto, quòd diſtinctæ operationes non poſſint ab vnica prodire cauſa, hoc de prima, & immediata cauſa, non de remota eſt intelligendum, cuiuſmodi eſt calor in ordine ad prædictas actiones: mediatè enim & remotè ab vna ſolummodò cauſa diuerſi poſſunt prodire effectus: ſic ſe habet concoctio, & putredo; conſeruatio, & interitus ad calorem. Quare minor propoſitio eſt inualida.

Ad ſecundum, dic. Actus primarij ſunt, qui diſtinctionem, aut vnitatem arguunt in potentiis, non autem ſecundarij: primus autem, & immediatus caloris vniuerſi actus vnica eſt calefactio; reliqui verò qui ad calefactionem conſequuntur, generatio ſcilicet & corruptio, concoctio & putredo, ſecundarij & remoti exiſtunt, qui licèt diuerſi, tamen diſtinctionem caloris à quo ſecundariò emanant, nequaquam inducunt.

Ad tertium. Conceſſa maiori, neganda eſt minor, & ad confirmationem reſpondendum, verum quidem eſſe ſolutionem, & vnitatem in vno corpore, particularíve membro varias eſſe diſpoſitiones, diuersáque accidentia; nihilominùs non eſſe verum, naturalem habitudinem ſanam, quæ in vnitate conſiſtit, aliam eſſe à ſua forma & eſſentia, ab habitudine quæ datur in corpore, aut morboſo membro, ratione aduenientis ſolutionis: idem namque eſt cum ſanitate, & ſolutione corporis, aut membri habitus, ſecundùm ſuam propriam, & formalem eſſentiam: eſt tamen diuerſus accidentaliter, id eſt, bonus vel malus, ſanus vel æger, naturalis, vel præternaturalis, & idem de frigiditate, cæteríſque cuiuſque generis affectionibus morboſis eſt ferendum iudicium.

Ad quartum dic. Verum eſſe, illa quæ à diuerſis efficientibus principiis dependent, diuerſa eſſe: non tamen ita differre, quæ à diuerſis in generatione ſua materialibus principiis proficiſcuntur: nam materia non eſt apta moliri in rebus quibuſcunque diſtinctionem, aut vnitatem, quum ſe habeat ex parte paſſi, ſitque nudum, & receptiuum principium: calor verò naturalis & præternaturalis, à diuerſis dependent in ſua generatione materialibus, non verò efficientibus principiis: ſanguis enim, & ſpiritus ſub optimo, & quantitatis, & qualitatis moderamine, probíque & inculpati humores, & benigna materia ſunt caloris naturalis ſubiectum receptiuum: putridi namque, excedentes, & vitioſi humores, propria febrilis caloris materia, non ſunt generantes cauſæ, efficientiáque principia naturalis, & præternaturalis caloris, ſed ſolùm materialia ſuo quouis modo ſubiecta, in quibus febrilis, & naturalis calor recipiuntur, & ſic in pluribus diſtinctis materialibus ſubiectis vnum poteſt accidens, vnáque ſpecifica natura, & forma recipi. Quapropter diſtinguendum eſt antecedens: nam verum eſt ſi propoſitionis ſenſus ſit, quòd naturalis, & febrilis calor à diuerſis materialibus principiis dependent, & ſic conſequentia falſa: ſi verò de principiis efficientibus intelligatur, illud eſt negandum.

Ad quintum. Negandum antecedens: neque enim ſolaris calor, & igneus diuerſas includunt caloris ſpecies, & naturas: nam vnica eſt vtriuſque caloris natura, vnica ſpecies, forma, & eſſentia vna. Ad confirmationem dic, diuerſas ſpecie naturas, ſiue materiam, ſiue formam, ſiue compoſitum ex vtroque, non neceſſariò arguere diuerſas efficientes in ſpecie cauſas, diuersóſque producentes effectus: & licèt hoc aliquando accidat, non tamen ex naturæ neceſſitate contingit, quod quotidiano experimento rarum eſt; quoniam mures, & cuiuſcunque generis vermes, & alia quamplurima eadem in ſpecie, à diuerſis omninò ſpecie, & genere formis procreantur. Deinde experimur vnam, & eandem frigiditatem in ſpecie, ab aëre, aqua, & quamplurimis mixtis corporibus noſtris induci; vnum & eundem ſpecie ex inferioribus calorem à variis cauſis congenerari, & produci; ab igne namque propriè calor tanquam à ſua propria forma generatur, vt omnibus Philoſophis eſt in confeſſo: deinde à motu, & fricatione, colliſionéque, duorum corporum inter ſe, calor producitur. Quare calor ſolaris, & igneus licèt in materia, forma, & compoſitione à diuerſis cauſis oriantur, non ideò ſunt diuerſi ſpecie, atque natura. Philoſophus autem *2. de generat. animal. cap* 3 natura diuerſos appellauit calorem igneum, & cœleſtem, ſeu animalibus naturalem, quia diuerſos habent generationis modos, à diuerſis natura cauſis, & formis productos, quum diuerſos nonnunquam, iuxta varia quibus iunguntur, fines attingant.

Ad ſextum. Non ex eo quòd calor febrilis, & naturalis eiuſdem ſint ſpeciei, rectè infertur, omnem febrem eſſe habitualem, nullámque ab intrinſeco, ſanabilem: non enim in omni febre vniuerſæ, & ſingulæ partes ponuntur in calefacto eſſe, nec perinde totus calor factus eſt igneus: Deinde non omnis eſt ab intrinſeco inſanabilis, quum adhuc remaneat calor naturalis, & non totus ſit factus præter naturam, & aliquæ remaneant partes frigidæ, quæ in calidas agere, & corpus ad priſtinam naturam deducere poſſunt.

Ad ſeptimum. Dic in febribus quæ hecticæ non ſunt, licèt totum corpus denominetur calidum, tamen calor non occupat inhæſiuè omnes, & ſingulas corporis partes, quare in quibuſdam eius partibus permanet ſolus naturalis calor: qui cùm temperatus ſit, & ita frigidus, collatione ad calorem præter naturam & febrilem, qui intemperatus eſt, diutina actione hunc tanquam ſibi contrarium

&

& aduerſam , vincit, & corrumpit, adiuuante præſertim forma, & natura febrientis, quæ calorem naturalem conſeruare nititur, & extraneum expellere, à quo ipſa deſtruitur. Neque obiicias, tunc non adeſſe vires, nam habes contra te Galenum 3. *de præſag. ex pulſ.cap.*2. qui pulſus excitari magnos aſſeuerat, quando cor nimis incaleſcit: licèt enim cor tunc ſit intemperatum, non eſt tamen factum intemperamentum, ſed fiens, cum quo virium robur poteſt conſiſtere; vires enim ab intemperamento facto debilitantur ſolùm vehementer.

Hæc ſunt potiora argumenta, quibus aduerſarij nituntur confirmare opinionem ſuam, quæ vt vidiſti nihil concludunt. Si tamen alios auctores de hoc argumento legere concupiſcis, conſule ex Medicis Conciliator. *dif.* 59.Cardanum *lib.*2 .*contrad.tract.*5 .*cont.*18.doctiſſimum Caſtrenſem Luſitanum *lib.* 3. *di meteor. microcoſm. cap.*7. Ioan. Brauum, & Chriſtoph. à Vega *l.* 1.*de dif. feb. in com.cap.* Mercatum *lib.*1.*de feb.in init.* Carrerium *in Auic.* & alios. Ex Philoſophis Marcel.*lib.* 2.*de anim. text.*143. Bartholom. Anglic. *lib.* 3.*de propriet. rerum,* 1. Niphum *lib* 1.*metheor. com.*35 .*quæſt.* 2. Ægidium, *ad text.*41. *lib.*2. *de anim.*Albert. Magnum, *lib.* 20. *de animal. tract.* 2.*cap.* 4. Bonauentur. *in* 2.*diſtinct.* 17.*quæſt.*2.Marſil.*lib.*2.*de generat. quæſt.* 4. Saxoniam *quæſt.*5 .Achillinum *lib* 3.*de element. dub.* 10.& alios, qui fusè quæſtionem hanc ſunt ſpeculati:ſed maior & melior horum auctorum pars noſtram ſententiam approbat, & confirmat:nam naturale, & innaturale addita calori, non dicunt entia realia varia, ſed ſolas relationes, vel intenſionem gradualem caloris important; quare cùm iidem calores in ſubiecto vnum faciant intenſius, & varietas, quam alij fingunt, nec iudicetur tactu, nec intellectu, conſonum eſt rationi, ac Philoſophiæ, & Medico vſui eſt valdè conforme, vt calor febrilis, & naturalis ſint eiuſdem ſpeciei. Quare cùm hoc ita ſit, non curabimus quid nouatores quidam perperam, & longè ab Ariſt. Hip. & ſummorum Medicorum mente interpretentur, quorum argumenta ſi refricare velim, in infinitum procedet oratio: quæ omnia ex dictis facilè ſolui poſſunt.

HISTORIA V. GALENI, De febri diaria.

Diariæ febris ex motu, & exercitio ſubortæ, balnei ope curatio.

*NEc obliuioni præterea mandauerat Menander, ea quæ peracta erant, quando iuuenis ille qui ex motu, & labore * febricitauerat, balneis adhibitis, reclamantibus tamen Medicis aliis, confeſtim integritati reſtitutus eſt, &c.* *Galenus* lib. de cauſ.procatarctic. cap. 1. poſt init.

PARAPHRASIS.

GAlenus *ſuprà in hiſtoria ſecunda*, vt conuinceret Medicos Diatritarios, attulit in medium hiſtoriam Menandri, qui cùm ex æſtu capitis dolore laboraret, in febrim incidit diariam, & neglecta diatrito, roſaceóque capiti impoſito conualuit. Hic autem æger præbuit fidem Galeno, quòd priùs de ingenio eius, rectáque curandi methodo factus fuiſſet conſcius, habita curatione in iuuene ex motu & labore, ſeu exercitio febri correpto, quem cibo, & balneo ad ſanitatem perduxerat:nam *malum febriculoſum eſt inimicum fami,* vt dicebat Hipp.*lib.*6. *epid. ſect.*3.*text.* 22. quia *fames corpora exſiccat*, ex ipſo *lib.*7.*aph.* 59. diæta enim, & omnimoda cibi abſtinentia, ſicuti corporibus humidis conferunt valde, ſic extenuatis, ac laborioſis impensè nocent:nam calorem natiuum acriorem reddunt, & inflammant hepar:alimento enim denegato viſcera vruntur, & exſiccatur corpus:febris ergo curationem totam repones cum Gal. in humectante victu, & balnei vſu, de cuius laudibus pro ſiccis humectandis corporibus, ibi ab eo multa dicta ſunt ſatis.

Illud dubitationem facit maximam, cur labore, motu, & exercitio febris concitetur, ſi motus non eſt cauſa caloris: nam cùm ſit formaliter calidus, vt ignis? neque eminenter, vt ſol; neque potentia, vt piper, calefacere non poteſt. Adde iuſcula, & quælibet alia liquida calidiſſima tantò magis refrigerari, quantò plus mouentur. Deinde. Aquæ ſtagnantes, & immotæ plùs ſolent calefieri, quàm velociter decurrentes.

Dīt quinque eſſe cauſas caloris, vt teſtis eſt locupletiſſimus Galenus, tum *lib.*1.*de dif. feb.c.*2. tum *lib.de cauſ. morb.cap.* 2. à quo deſumpſit Auic.2. 1.*doct.*1. *cap.*1. ſuntque motus putredo, prohibitum effluuium, vicinia rei calidæ, eiuſdem rei calidæ permixtio. De motu hoc loco agendum eſt. De putredine, *in hoc libro, infrà* agemus, & *in lib.* 1. *in com.hiſt.* 84 diſceptauimus. De prohibito effluuio, & reliquis cauſis caloris, plura diximus *lib.*2.*in com. hiſt.* 78. & *infrà* latiùs peragemus.

De motu autem, neganda foret propoſitio illa Ariſtotelica, niſi certiſſimis, manifeſtiſſimis, frequentiſſimíſque exemplis ſuis certitudinem, euidentiámque exhiberet, vt eſt illud de ſerra inflammata inter ſecanda ligna, de igne à ferro, & ſilice excuſſo, vel quauis mole ferrea ad lapidem, vel quodlibet aliud duriſſimum corpus colliſa; quibus experimentis allatis ab ipſo *lib.*5.*probl.*13. *&* 14. *& lib.* 2.*de cœlo, cap.*1.*text.*42. *& lib.* 1.*meteor.cap.* 3. motum non ſolùm natura comburere, verùm etiam ignire ligna, lapides, & ferrum apertiſſimè confirmat; quæ omnia exemplo ſagittæ patent manifeſtè, quæ per aërem delata in motu ſic ignitur, vt plumbeus mucro liquefiat.

Cauſam ob quam motus calorem generet, rimatur ſolertiſſimè Scaliger *exercit.* 17.*aduerſus Cardanum*, & in ea veſtiganda ita Philoſophi ſunt diſcordes, vt illorum ſolutio nihil aliud ſapiat quàm rixas. Inter plures hi ſunt potiſſimi. Quidam ex attritione illa inter dura ignem concitari putant, quoniam partes igneæ intus deliteſcentes foras extrahuntur: ita ſentit Thomas Garbius *in ſum. med. lib.* 2.*tract.* 2.*quæſt.*6. Corruit ſolutio:nam hæ partes non ita è corporibus ſolidis, & compactis extrahuntur: aut enim per eas intelligunt eum ignem qui in partibus mixti internis permixtus eſt cum elementis cæteris, aut ſolùm caliditatem: ſi primum, ſequitur mixtionem ignis cum aliis elementis in intimis partibus ſolidi corporis moti, ac colliſi diſſolui, igne ab ipſis ſecedente; & hoc ſtare non poteſt, quia ignis non actu, ſed potentia in mixtis manet. Si tamen caliditatem ſic extrahi dicant, id eſt impoſſibile, quum qualitas de ſubiecto in ſubiectum migrare non poſſit. Deinde ex motu nòn poſſet calor generari, niſi adeſſet confrictio vehemens; nam ex Ariſt. ſagitta per aërem impulſa citra attritionem incaleſcit.

Alij ſic philoſophantur. Motus cùm omnium motuum ſit præcipuus, potiſſimam gignit qualitatem primam, quæ calor eſt. Explicatio hæc Philoſophorum placitis maximè repugnat: ſic enim ſimili ratione diceremus, motum generare dulcedinem, quoniam hæc eſt prima qualitas guſtabilium.

Quidam ratiocinantur hoc modo: nam ex tali corporum confrictione aër intermedius rareſit, ad quam rarefactionem, calorem ſequi opinantur. Ratio inualida:raritas enim cùm ſit qualitas ſecunda, & de genere agentium minimè ſit, primam qualitatem generare nequit.

Motus ergo calefacit, quia ſic extenuat, & rarefacit aërem, vt ſub propria forma conſeruari non poſſit, quare corrupto aëre generari ignem eſt neceſſe: licèt enim raritas, & tenuitas non ſint qualitates actiuæ, quæ calorem producere poſſint, vt ignis ignem; attamen ex diſpoſitione materiæ ſine cauſa vniuoca, & particulari generantur animalia ex putredine, quoniam diſpoſita materia, cauſa vniuerſalis ſubit vicem cauſæ particularis, dicitúrque generatio ex accidenti. Conſule Valleſium *lib.* 4. *controu.* 3.

Hoc modo motus, etſi non ſit calidus, calorem generat: maximè cùm quæſtio ſit intelligenda de motu, qui ſit inter corpora ſolida, & dura; ex quo patet reſponſio

ad ſecundum argumentum. Deinde liquida motu refrigerantur, quoniam partes calidæ euolant, & rarefiunt, & remanentes ad frigiditatem externam recipiendam redduntur promptiſſimæ. Aquæ autem immotæ motis citiùs incaleſcunt, quoniam radij ſolares in eis ampliùs reflectuntur.

Inſuper animata corpora vno è duobus modis ex motu calefieri comperio: tum quoniam ſanguis, & ſpiritus motu ebullientes ab intimis partibus ad extimas expelluntur, & per totum corpus ob ſui tenuitatem permeantes, cæteras partes concalfaciunt; tum quia ſolida articulorum oſſa confricantur.

Neque ſolùm corporis, ſed animi motus febrem excitant manifeſtè: nam irâ feruet ſanguis, ſpiritus inflammantur, accenduntur humores irrequieto motu agitati, vt *lib. 2. in com. hiſt.* 13. latè ex veterum, & iuniorum mente firmauimus.

Iræ proximum eſt gaudium, ex quo febrem oriri certum eſt: licèt enim in eo non ita ſanguis, & ſpiritus velociter ac in ira moueantur, nec introrſum, ac extrorſum ebulliant, ac incaleſcant, hoc ſolùm arguit quòd gaudium rarò febrem concitare poſſit, vt docuit Auic. 1.4.*tract.*1.*c.* 21. nam ſi immodicum ſit vel mortem inducit: Ex nimio quippe gaudio, præſertim puſillanimes vitam cum morte commutarunt, haud aliter quàm timentes, vt 2. *de cauſ. ſympt.c.*5. docuit Gal. quod variis antiquorum teſtimoniis probat Plinius *lib.*7.*c.*32.*&* 33.

Poſt gaudium ſequuntur mœror, triſtitia, timor, quæ animi pathemata, febrem concitare conſcripſimus, *lib.* 2. *in com.hiſt.*110. Sed cùm in illis non ita ſanguis, & ſpiritus ebulliant, vt in iratis; & hi animi affectus potiùs quietem, quàm motum inducant: ita ab illis non ita frequenter, ac ex ira concitatur febris: nam ira, præſertim cùm bilioſas naturas corripit, acutas febres facit: cum hoc concedendum, has animi paſſiones diu perſeuerantes ſymptomata admiranda parere, & ſæpe mortem, vt referunt Valerius Maximus *lib.*9.*tract.*11.*de morte non vulgari*, Aulus Gellius *lib.*3 *noct. Atticar.cap.* 15. Plin. *lib.* 7. *cap.* 57. & Valleriola *lib.*5. *de morb. & ſympt. cap.* 5. *in med.* appoſitis hiſtoriis, ex priſcorum mente ſatis confirmat.

QVÆSTIO V.

Vtrùm febris ſit intemperantia ſimplex calida, an compoſita ex calore, & ſiccitate; vt contra Galenum voluit Altimarus?

COMMENTARIVM.

FEbricitauerat.] Hippocraticæ doctrinæ ſtudioſi nullã de febrium curatione notitiam haberi poſſe aſſeuerant, niſi ipſiuſmet eſſentia intimiùs agnoſcatur; immò Galenus inter Medicos veteres ſummè celebris, hoc etiam confirmat in locis multis: quo pacto operæ pretium me facturum opinor, ne in argumento de febribus quippiam maneat indeciſum, ſi nos hîc, quæ ex multis (quod dicitur) magiſtris didicimus, in medium attulerimus, vt labores noſtri proficiant omnibus, eò ferè ampliùs, quoniam pro vtraque parte, in hac quæſtione Medici ad rauim vſque decertant.

Quòd verò ad propriam eſſentiam febris, excedens, & immoderata ſiccitas cum excedente calore iungatur, poteſt ſuaderi in primis ex communi medentium vſu, ritu, & conſuetudine, qui vulgarem, & aſſiduam in febrium curatione normam, per humectantia, & refrigerantia medicamenta præſcribunt, quæ ſolùm ſicco, & calido affectui aduerſa, omnibus compertum eſſe reor. Deinde Galen. 1. *aph.* 16. *&* 1. *acut.* 18. febrem & acutos morbos, quos febris continua conſequitur, in ignea conſtituit natura: & Hip. *in lib.epid.* febrem ignem vocat, & definit per conuerſionem caloris in igneam naturam, quæ calida & ſicca eſt. Hoc firmat *lib.*1.*meth.cap.*6.*&* 8.*& meth.cap.*9. *& lib.*9.*cap.*14.*& lib.*1.*de temp.c.*3.*& lib.*2.*acut.com.* 22. quo loco coctionem fieri à calore vaporoſo & humido

A aſſeuerat, non verò ſqualente & ſicco qui in febribus reperitur.

Secundò. Nulla in inferioribus corporibus datur ſubſtantia, quæ vnica tantùm qualitate in ſui conſtitutione formetur, vnicáque in ſui eſſentia contineatur: nam neque elementa, quæ omnium ſubſtantiarum ſimpliciſſima ſunt vnicam ſolùm, ſed duplicem ſibi vendicant qualitatem: cuicunque enim elemento, vnica ex Philoſophorum decreto debetur qualitatum combinatio, ſine qua elementi forma nequit conſiſtere, & naturaliter permanere. Igitur nec mixta corpora poſſunt vnica tantùm qualitate conſeruari. Conſequentia legitima eſt: nam quò corpora ſimpliciora ſunt, eò paucioribus in ſuo eſſe conſiſtunt. Si ergo ſimplicia elementa non poſſunt vna ſolùm qualitate iuxta ſuam propriam naturam permane- B re, optimè inde infertur, quòd nec mixta, quæ maiori ad ſui integram naturam egènt compoſitione, perſiſtere queant. Atqui febrientis corporis mixta eſt, & compoſita ex elementis ſubſtantia. Ergo vna ſolùm qualitate conſiſtere nequit. Neque hanc rationem conuellas, quòd in exemplo hoc non detur paritas; quoniam febris, non corpus, ſed paſſio corporis exiſtit: nam idem poteſt fieri argumentum de paſſionibus tam ſimplicium elementorum, quàm mixtorum corporum, in quibus perfecta, & abſoluta mixtio conſpicitur. Ergo qualitas febri adiuncta, nulla alia eſt quàm ſiccitas, quæ cum excedente calore ad febrem requiritur.

Tertiò. Propria, & naturalis virtus caloris, propriumque eiuſdem munus eſt reſolutio, & exſiccatio: ideò namque naturaliter aſſeritur mors viuenti contingere, quo- C niam humidum primigenium, quo neceſſariò viuit, abſumitur. Ergo nulla ratione poteſt in ſubiecto aliquo reperiri calor, quin ſiccitas ad eius propriam actionem neceſſariò ſequatur. At qui primùm calor in quouis ſubiecto recipitur, non poteſt non operari: eſt namque naturalis virtus & potentia, quæ ita de neceſſitate naturæ agit, vt actionem ſuam retinere, & aliqua ex parte retardare nequeat. Ergo neceſſariò ſiccitas ad calorem immòdicum, qualis in febriente reperitur, conſequentur.

Quartò. Calor non poteſt operari, niſi in ſubiecto & materia, in qua ſiccitas humiditati præualet, & quæ iuxta ſuperantem ſiccitatem, ſicca apta ſit denominari. Ergo nec poteſt exiſtere aut permanere, niſi in ſicco ſimiliter ſubiecto, exſiccatáque materia. Patet: neque enim calor D reperiri poteſt in ſubiecto aliquo, in quo non poſſit iuxta ſuas vires operari; ideò namque ex omnium Medicorum ſententia, qui in ſubſtantifica, & radicali humiditate calor exiſtit, durat, & ad vitæ permanentiam conſeruatur, quia in illam perpetuò humiditatem operatur, quàm continuò depaſcitur, & ex qua nutritur, iuxta illud Medicorum, & Philoſophorum axioma, *humidum eſt pabulum caloris*; quo pacto vita definitur, quòd ſit caloris in humido permanſio, Ergo ſi calor non poteſt operari, niſi in ſubiectum in quo dominatur ſiccitas; ſic permanere nequit niſi in ſubiecto, quod ſiccum poſſit denominari. Antecedens aſſiduo firmatur experimento: nam ignis in lignis ſiccis ardet, viridibus ſuffocatur, & obruitur: ſiccitas caloris actionem diri- E git, & acuit, iuxta Philoſophorum placitum, *ſiccitas eſt lima caloris*; humiditas coërcet, hebetat, & infrænat: ita aquæ potores ſunt viuaciores, quoniam ab aquæ humiditate moroſa, caloris actio retardatur, & impeditur.

Quintò, Cauſæ quæ aſſiduè, & magis frequenter febrem in corpore generare ſolent, aptæ ſunt ſiccitatem ſimul cum calore inducere; immò non poſſunt calorem corpori inferre, quin ſimul ſiccitatem in excalfacta materia congenerent. Ergo vtraque qualitate ſimul reddetur affectum, corpus febrili calore correptum. Antecedens ex Galen. doctrina ſuadetur *lib.* 2. *de dif. feb.*2.3.*&* 4. vbi tam interiores, quàm externas recenſens cauſas, concludit, ideò febrem producere, quia ipſum inflammant, & aliquam ex contentis in eo ſubſtantiis excalfactam incendunt: nulla autem poteſt accedi, quin ab

eademmet

eademmet accedente cauſa exſiccetur. Ergo cauſæ indu- A centes ſiccitatem in febrienti corpore, cum febrili calore ipſam neceſſariò producunt, & congenerant. neque iſtes dari poſſe febres cum excedente humiditate, in quarum numero humorales, putridæ reponendæ, quæ ab exuperante humore ſcaturiunt: ita Ariſt. 1. *probl.* 23. febres in auſtrina tempeſtate ſubortas, à caliditatis, & humiditatis exceſſu generari affirmat; nam licèt hæ à quantitate humidæ materiæ ortum ducant, tamen hæc qualitate ſiccior eſt reddita; & in dies magis ac magis ſiccior euadit, quoniam calor exſiccat.Ergo, &c.

Vltimò. Cuiuſcumque febris communis, apta, & conueniens curatio ſolùm humiditate incohatur, & perficitur, minimè verò ſiccitate quæ nullum habet in febrium curatione locum. Ita Hippocrates admirandus *lib.* 1.*aph.* B 16. victum humidum febrientibus præſcribit, tanquam ſiccitati, quæ neceſſariò in omni febre reperitur, contrarium.Ergo ſi ab humiditate corrumpitur febris, & in omnibus, & ſingulis febricitantibus humiditatis beneficio extinguitur & reſoluitur; conſequens eſt vt à ſiccitate perpetuò conſeruetur. Ergo, &c.

Tu verò, vtramlibet opinionem amplectaris, ſemper febris curatio humidis eſt celebranda; ſed probabilius, & vſui magis conueniens eſt, arbitrari poſſe febrem in humano corpore generari, diùque permanere, abſque vllo ſiccitatis exceſſu. Immò cum humiditate qualitatiuè, & intensè excedente conſiſtere, ſuadetur primò. Etſi caloris proprium ſit (vt argumenta propoſita ſuadent) non ſolùm calefacere, ſed etiam exſiccare, poteſt tamen nonnunquam ex ipſa caloris actione, non ſicci- C tas, ſed humiditas in corpore permanere, ſiue illud caloris beneficio, ſiue per accidens in corpore contingat: parum enim Medicos reddit ſollicitos, permanens in cuiuſque actionis fine affectus, quicunque ille ſit, ſiue directè & per ſe, ſiue per accidens & indirectè ab agente ſit productus, dummodò poſt abſolutam actionem firmus, & durans in corpore perſiſtat. Manere autem humiditatem, oſtendit illud firmiſſimum argumentum, quòd calor poſſit humores craſſos, & lentos in corpore exuperantes liquare, & attenuare ad cuius liquefactionis opus ſequi humectationem, licèt per accidens, nullus Medicorum it inficias. Hoc modo calor in æſtate, liquando tenues humiditates, ſomnum mouet: ſic balneum attenuatis caloris ope, quoſcunque inuenit, humoribus, corpus reddit humidius. Hac de cauſa ſolaris calor poſt gelu, niuem, grandinem, craſſamque ne- D bulam, humentem reddit terram. Sic calor maximus licèt comburat, & exſiccet, moderatus tamen conquit, & humectat. Sic oleum à frigore concretum, & aliquantulum exſiccatum, ad ignem liqueſcit; humidiùſque in opere euadit, quod ſimiliter in quouis gummi generc palam fit.

Secundò Si febris eſſet intemperies calida ſicca, ſemper in ea reperiretur ſiccitas. Sed contrarium accidit in febri, quæ exſiccatur in natura pituitoſa,& frigida. ergo. Nam tantùm abeſt, vt febris excedentem ſiccitatem importet, vt potiùs ad gradum ſiccitatis mediocrem corpus deducat:quare tunc humiditas non erit febris aptum medicamen, ſed per ſiccitatem caloris beneficio acquiſitam, integra & abſoluta curatio perficietur. Explicat Thomas à E Veiga *lib.* 1. *de dif.feb.cap.* 1. ſatis doctè & ingenuè.

Tertiò. Humorales febres, ob quantitatiuum humiditatis exceſſum, ſolent in copore generari. Ergo non repugnat dari febrem cum humiditate in qualitate excedente: nam quòd corpus, & membrum eſt in quantitate humidius, eò humidiorem in ſe aceruat materiam, & humidiores parit in qualitate effectus, vt conſtat de febribus humidis, quas perpetuò ſudor comitatur, quæ typhodes appellantur, *lib.aduerſus Lycum*, *cap.* 2.

Quartò. Durities in pulſu verum eſt, & perpetuum excedentis in corpore ſiccitatis teſtimonium, ex Gal. *lib.* 1. *de dif. feb. cap.*9.*&* 5.*ſimpl. cap.*8.Sed in omni febre non reperitur in arteria durities,vt firmat Gal.1.*feb.cit.*Ergo non ſemper ſiccitas febrim comitatur;ac proinde febris ſolùm in caloris intenſione, & immoderantia conſiſtit.

Quintò. Si febris etiam in ſiccitate conſiſteret, difficilem ſaltem,aut impoſſibilem haberet curationem: nam ſiccitas valde reſiſtit, & corrigitur per humiditatem, quæ iners eſt & in agendo pigra: ſi autem conſummata ſit,immedicabilis eſt, ex Gal. *lib.*7. *meth. cap.*6. Sed quamplurimæ febres facillimè curantur. Ergo.

Sextò Si febris conſiſteret in ſiccitate, ineptè Galen. *lib.*1.*aph.*14.*ad fin.*pronũtiaret,in ſenibus difficulter febrim accendi: nam etiamſi ratione exigui caloris rarius in febrem incidant, ob ſiccitatem tamen illa corriperentur faciliùs, quàm pueri; quod quam falſum ſit, nemo non videt.

Vltimò. Naturalis, & prædominans in quouis ſubiecto caliditas, non perpetuò cum prædominante iungitur ſiccitate. Ergo nec excedens caliditas & præter naturam, ſecum habet admixtam excellentem ſiccitatem. Conſequentia eſt vera: nam ratio propter quam aliqui primam opinionem ſequuntur, non eſt alia, quàm quod calor non operatur niſi exſiccando, hoc eſt, non poteſt non ſua calefactione exſiccare corpus in quo reſidet, & operatur. Ergo illatio optima eſt. Patet ampliùs exemplis multis: nam in plurimis tam mixtis, quàm ſimplicibus, elementalibúſque corporibus, caliditas cum prædominante humiditate poteſt conſiſtere, vt aëre, ſanguine, ſanguinea temperatura, ætate adoleſcentiæ, temperata regione, vere. Ergo non repugnat, in quouis ſubiecto caliditatem vincentem cum prædominante humiditate exiſtere; ac per conſequens non perpetuò in febri caliditas cum ſiccitate coniungitur.

Hanc ſententiam amplexus eſt Galenus, in locis multis, in quibus febrem intemperantiam ſimplicem vocat, vt *lib. de dif. morbor. cap.* 5. *& lib. de cauſ.morbor.cap.*2. *&* 1. *de dif. feb. cap.*3.*&* 8.*meth.cap.*1.*&* 6.*aph.*5.*ad fin.* ſequitur Auic. 1. *part.canticor. num.* 159.firmant luculentur eximij Medicinæ Profeſſores, Valleſius 5. *cont.*18. Chriſtoph.à Vega,1.*de dif. feb. in com. cap.*3. Cardan.*lib.* 2.*cont.tract.*5.*cont.*15.dummodò tamen intelligas,ferè ſemper ſiccitatem comitari febrem; intemperies enim ſimplex numquam diu durat, quin illicò ſibi adſciſcat ſociam qualitatem, ex Gal.6. *de ſanit. cap.*2. Auic. 1.1.*doct.* 3. *cap.* 1. *ad fin.*§.*Caliditas. namque maior,&c.*Quare omnis febris per ſe, & ratione ſuæ caliditatis, eſſentialiter importat, perpetuò reddit corpus calidius & ſiccius, quàm antè; & ob eam cauſam Galen.8.*meth vlt.* febrem ſemper indurare affirmat.

Contrariæ verò factionis argumentis ita ſatisfaciendum eſt. Dic ad primum. Humectantia à Medicis commendantur, quoniam ſiccitas ſuſpecta eſt: nam in febribus ſemel introducta, difficulter expelli poteſt, vt in hecticis,melancholicis,immò ſcirrhoſis diſpoſitionibus demonſtrat experimentum: Galenus verò & alij auctores, non ideò febrem appellant calidam & ſiccam paſſionem, quaſi caliditatem & ſiccitatem morboſam, ad febris eſſentiam requiſitam arbitrentur, ſed quòd has qualitates in febri vincere, & prædominari putent. Hip verò febrem vocat ignem, quoniam corpus calidum & ſiccum reddit, ignis inſtar: quare febrilem calorem,igneum hac de cauſa veteres nuncuparunt.

Ad ſecundum. Licèt quodcunque tam ſimplex, quàm mixtum corpus,non vnica,ſed duplici qualitate contineatur, non inde ſequitur, vtramque in febre qualitatem præternaturalem, & excedentem eſſe neceſſariam: ſatis namque eſt quòd febris bina qualitate contineatur, quemadmodum & quodcumque naturale corpus, ſeu paſſio, quæ excellentia ſua potens eſt denominare ſubiectum in quo recipitur: febris in caliditate præternaturali conſiſtit, non quia affectus ſit compoſitus, ſed cùm morboſus ſit,in eius immoderantia & exceſſu reponitur.

Ad tertium.Etſi calor neceſſariò exſiccet corpus, & febris ſiccitatem corpori inducat, non idcircò ſiccitas à febri inſeparabilis eſt:quamuis enim concedamus febrem ſua actione maiorem excitare in corpore ſiccitatem, quàm antea; non tamen morboſam, & quæ apta ſit actiones corporis lædere, & vires labefactare.

Ad quartum. Eſto concedamus calorem non poſſe operari, nec exiſtere, niſi in corpore in quo detur prædominans, validior ſibi contraria humiditate ſiccitas (quod modò non controuerto) non tamen inde ſequitur, illam ſiccitatem fore morboſam, & quæ operationes perturbare queat.

Ad quintum. Fatemur cauſas febrem generantes, ſiccitatem etiam in febriente corpore comproducere, ſimul cum caliditate, & vtramque ſimul in febrili corpore reperiri: verùm nõn ſicut caliditatem morboſam producunt, ita etiam ſiccitatem intenſam, quæ operationibus nocere poſſit. Ad inſtantiam dic, quòd licèt poſſit reperiri in corpore materia in quantitate, & qualitate humidior, quàm par ſit, quæ ob huiuſmodi exceſſum præternaturalis facta, apta ſit febrem recipere, & conſeruare: cum hac tamen nunquam poteſt ſiccitas excedens, & morboſa in corpore compati; ad vnius namque contrarij exceſſum, & furorem in quóuis ſubiecto, alterum deficere & refringi eſt neceſſarium: nam contraria mutuò à ſubiecto ſe expellunt, quia videlicet nequaquam aliter increſcere poſſunt.

Ad vltimum. Idcircò humiditas tantopere commendatur in febribus ab Hip. quia præcauet à ſiccitatis lapſu. quæ ſi ſemel introducitur, difficilè eradicatur. Dic ſecundò, Hip. humidi, & non frigidi fecit commemorationem, quoniam licèt hoc ratione febris ſemper conueniat, ex Gal. *lib.* 8. *meth. cap.* 1. tamen frigida obſtructiones pariunt, humores incraſſant, & natiuum calorem à præternaturali depopulatum minuunt. Dic tertiò. Humiditas conſtrictos ex febrili calore meatus emollit, apperit, per quos patẽtiores promptiùs penetrat alimentum, & perfectiùs humectatur, fœliciúſque corpus nutriri ſolet. Ex quibus fit manifeſtum, quo interuallo à Galeni mente, immò veritate ipſa, reccedat Donatus Antonius ab altomari, qui *in prima parte de febribus, cap.* 10. *ad initium*, febris eſſentiam in caliditate, & ſiccitate eſſe reponendam, dictis argumentis conuictus pertinaciter contendit.

HISTORIA. VI. GALENI, De febri diaria.

Caſus febrientis ex copioſa cœna.

NVper enim è plebe quidam, qui in ſplendida cœna prolixiùs ſibi epulis, potúque indulſiſſet, venit domum errabundus, & manu deductus. Cùm autem ea quibus grauabatur, in ventriculo eius fluitarent, omnia ea euomuit, & per noctem quidem febricitauit. Dormiuit autẽ in magnam partem ſequentis diei. Poſtea ſurgens, ac paululum inambulans, lauit, riſitque eum qui ſibi diatriton inediam ſuaſerat: illo namque auctore etiam poſtero die inediam tolerare debuiſſet. Vt autem (res ipſa monebat, & ipſe ſua ſponte faciebat) lotus, & modicè cibatus, pòſt ſomno deditus, eoque inoffensè fruens, manè ſurrexiſſet, ad conſuetáque rediiſſet, etiam in ipſa diatrito, in qua eum tolerare inediam oportuiſſet, ſi diatritariis Medicis paruiſſet, &c. Galenus lib. 8. meth. cap, 6.

PARAPHRASIS.

DE febre diaria ex ſatietate & crapula agit hoc loco Galenus; ex quibus cauſis, inflammatis ſpiritibus, concalfacto corpore febrem concitari teſtatur Auic. 1. 4. *tract.* 1. *cap.* 34. cuius curationem ibi docet doctiſſimè, & explicat Mercatus inter omnes *lib.* 4. *de feb. num.* 68. Curatur vomitu redundantis materiæ, excretione per aluum, ſomno, inedia moderata, roborantibus ſtomachum, & probam coctionem procurantibus. Noſter verò æger ſomni, vomitus, & balnei ope euaſit, inediam trium dierum non expectans: nam in calidis naturis hæc viuendi forma periculoſa eſt, & plurimis morbis reddit corpus obnoxium, vt *infrà in com. hiſtor.* 10. proferemus.

Quia verò de cœna mentio nobis eſt facta, placet de eius vocabulo, vſu, ordine, & varietate tantiſper diſceptare; quare priùs commonendi ſumus, quod interpretes Medicinæ memoriæ mandarunt, ſuper Galenum in locis variis: & primò ſic. Si cœna in ſtatu naturali debet eſſe maior prandio, cur copioſa cœna excitauit febrim? Primam quæſiti partem grauiſſimi teſtes confirmant, quibus non aſſentiri nefas eſt; nam poſt cœnam ſequitur quies, ſomnus, & tempus longius, quæ omnia ad exactam ciborum concoctionem ſummè conducunt: exemplo ſunt athletæ; hi enim cùm corporis robur ſolùm ſeruare ſtuderent, ſolo pane manè veſcebantur, veſperi verò in cœna, carne ſuilla, & craſſioribus cibis vtebantur, vt docuit Gal. *lib.* 2. *acut.* 18. *ante fin.*

Deinde Gal. *lib.* 6. *de ſanit. tuend. cap.* 7. de ſene, & aliis verba faciens, ipſos in prandio ſolo pane, aut obſonio vſos, veſperi verò pleniùs comedentes, longæuam vitam protraxiſſe affirmat; Hip. *lib. acut.* 25. manè potionem, veſperi verò ſorbitionem præbere præcipit. Nec diſſuadet ratio: nam alimentum debet eſſe proportionatum calori coquenti, ex Hip. & Galeni doctrina *lib.* 1. *aph.* 25. Sed veſperi, & noctu fortior eſt caliditas naturalis, vtpote magis vnita, & retracta in viſceribus, ob noctis frigiditatem, tenebras & ſomnum. Ergo tunc copioſiora alimenta exhibenda. Ob hanc cauſam *lib.* 1. *de cauſ. ſympt.* 8. *&* 3. *de cauſ. pulſ. cap.* 9. ſomni tempore non ſolùm in intimis partibus, ſed in corporis habitu fieri perfectiores coctiones aſſeuerat, vt colligitur ex Hip. *l.* 6. *epid. ſect.* 5. *text.* 10. Accedit quòd veſperi, & noctu maior eſt reſolutio, ob ampliorem calorem coquentem. Si verò cœna febrim excitauit, in cauſa fuit, quia copioſiùs alimenta ſunt ingeſta ſimul cum potu multo.

Sed quæres primò, cur apud Galen. 5. *de Sanit. tuend. cap.* 4. *in fine* Telephus Grammaticus diutiſſimè vixit, qui in prandio veſcebatur piſcibus ſaxatilibus, & carne; quæ viuendi ratio à recta norma valde recedit; veſperi verò ſolùm vtebatur pane cum vino? Dic, quia erat aſſuetus tenuiſſimè viuere in cœna, & conſuetudo ſemper eſt ſeruanda, quæcunque ea fuerit: nam leuis mutatio in ſenibus, noxas inemendabiles facit, vt *inibi* docet Galenus. Dic. ſecundò, Senes parciùs cibum debent accipere noctu, quoniam ob ſolis abſentiam, eorum calor languidus minùs concoquere poteſt: nam ex Galeno *lib.* 1. *aph.* 15. ſenes hyeme aut torpent, aut pereunt; ita nocte, quæ hyemi reſpondet, ſunt inualidi.

Quæres ſecundò. Si matutino tempore ob ſolis aduentum, & quia tempore longiori in viſceribus vnitus, factáque maiori regeneratione ſanguinis, & ſpiritus, calor noſter factus eſt vigoroſior, cur eo tempore copioſior cibus non eſt propinandus? Dic, aſſumptum verum eſſe, ſed quò dies magis procedit; magis ac magis diſſoluitur ac diſtrahitur natura: contrà accidit in nocte; nam quò nox magis procedit, eò ampliùs in viſceribus augetur calor, & perfectiores fiunt concoctiones.

Quæres tertiò. Si homines interdiu laborant, & noctu quieſcunt, cur ad reficiendum corpus copioſiùs non debent prandere, quàm cœnare, ſi verum eſt illud oraculum Hip. *lib.* 2 *aph.* 16. *vbi fames, laborandum non eſt?* Huic obiectioni facilè reſponderet Conciliator *dif.* 121. qui poſtquam varias retulit ſententias antiquorum de hac re, & propoſitiones propoſuit, firmat laboribus aſſiduis diſſolutos, vt foſſores, meſſores, & alios qui victum labore quærunt, lautiùs debere prandere, quam cœnare, vt poſſint laboribus ſufficere: nam alimentum non ſolùm ad reparandam ſubſtantiam deperditam exhibetur, ſed vt humectet, irroret, prohibeátque reſolutionem, quæ ex labore, & vehementi motu concitari ſolet. Sed non rectè diſtinguit controuerſiam hanc, quoniam hi, ob motum diſtracto calore ſunt debiles, & copioſam alimoniam concoquere nequeunt: parciùs ergo ſunt interdiu cibandi, & copioſiùs noctu, vt ſic ob dictas cauſas feliciùs alimentum concoquant, vt notauit Fuchſius *lib.* 2. *paradox.* 21. Hip. autem intelligendus eſt de corporibus, quæ fameſcunt cum inanitione totius, in quibus poſt exercitationem, cibum ſubſequi eſt neceſſe: ſi verò cibus non ſit accipiendus, vt in ieiunantibus,

non

non conuenit exercitium ; quoniam corpus vehementer exſiccat.

Quæres quartò. Si vigilia digerit, ſicut ſomnus concoquit, ex Gal. 12. *meth. cap.* 3. cur tempore vigiliæ, ſicut tempore ſomni copioſiùs non edendum, quia vigilia edax, ex Hippocr, *lib.* 6. *epid. ſect.* 4. *text.* 20. & per eam alimentum aptiùs diſtribuitur? Dic, vigiliam diſtributionem iuuare, euocando ſanguinem, & calorem ad partes extimas : verùm hæc diſtributio ſolum poſt coctionem commodè perficitur, cui potiſſimùm debemus eſſe attenti : & quia hæc præcipuè fit, & magis fauſta, ratione ſomni, & diſtributio in die propter vigiliam, idcircò liberaliùs cœnandum, parciùs prandendum. Vtrùm verò in ægrotantibus ſit copioſior conſulenda cœna, quàm prandium diſceptant Conciliator *loc. citat.* Langius *lib.* 2. *epiſt.* 35. Valleſius *lib.* 6. *cont. c.* 7. & eleganter Santorellus *lib.* 14. *ante-praxis, c* 9.

His iactis, ampliùs perſcrutandum ; quoties in die veteres comederint : neque enim Medicis hoc dubium inutile eſſe reor, qui eos imitati variam ſanis poterunt præſcribere viuendi normam. Perſuaſum eſt apud omnes, veteres olim Græcos, & Romanos, ſolitos in die ſemel tantùm comedere. Sed hanc opinionem vanam eſſe déprehendit Athenæus *lib.* 1. *cap.* 4. qui antiquis varia fuiſſe in die comedendi tempora adſtruit : nam erant qui pauciora habebant, erant qui plura. Qui enim vitam agebant contemplationi addictam, vt ſtudioſi, parciùs comedebant, ne multa cibi copia ventriculus obrueretur : qui verò laborioſam ducebant, copioſiori cibo vtebantur, vt negotiatores, agricolæ, milites, & ſic plures morem habebant edendi ientaculo, prandio, merenda, & cœna, vt apud Athenæum notauit Philemo. Ita Strabo *lib.* 15. docet, non vnam omnibus cœnandi, & prandendi horam fuiſſe, ſed vt cuique erat libitum, cùm tamen victu frugaliſſimo vterentur, ac ſimpliciſſimo.

Hoc ex Hipp. patet manifeſtè : nam *lib.* 2. *acut. text.* 12. & per alias multas ſententias præſcribit, quibus ſemel, quibus bis, aut etiam ſæpius ſumendus cibus ; ex differentia ætatum, exercitationum, conſtitutionum corporis, naturæ locorum in quibus viuitur, temporum quoque, & varietatis anni, quia certus omnibus modus nequit præſcribi ; nam grauia pati ſolent qui prandent non ſoliti ; vel ſoliti, ſi non prandeant, vt probat Ariſt. *lib.* 3. *probl.* 32.

Prandiſſe autem veteres, & Græcos, & Romanos, conſtat ex eo quod narrat. Apoll. *in mir. hiſt.* ex Ariſtot. *in phyſicis quæſt.* qui ſemel edunt, acerbioribus eſſe moribus, quàm qui bis : & Plin. *lib.* 17. *c.* 5. ex Hippocr. affirmat non prandentium exta celeriùs ſeneſcere ; & Celſus *lib.* 1. *c.* 3. aſſueti bis comedere, ſi ſemel ſolùm cibis impleantur, aluum adſtringi. Auctorem ſanè vterque habet Hip. *lib. de diæta : ſemel in die comedere, attenuat, & exſiccat.* Quanquam veteres prandium temperatius ſumebant. Cicero, de priuato prandio *lib.* 5. *ad Att. epiſt.* 1. *prandimus in Arcano.* Mox : *anteceſſerat Statius, vt prandium nobis videret, &c. lib.* 2. *in Ver. quid ego iſtius prandia, & cœnas commemorem?* & 2. *Phil. apparatus prandiorum.* De publicis item prandiis, *pro L. Muræna.* Probant Horatius *lib.* 2. *ſerm. ſat.* 3. Senec. *epiſt.* 123. Sed quid opus eſt longiùs progredi, vt demonſtremus bis veſci ſolitos fuiſſe priſcos, quum eſſent tamen, qui vel ſemel, vel ter, & quater ederent?

Sic Hebræi bis die, potu, cibóque reficiebantur ; *Tob.* 6. *Daniel.* 4. quem morem ſumendi cibum obſeruaſſe Medos, Perſas, Aſſyrios, probant Valerius Maximus *lib.* 2. *cap.* 1. Macrob. *lib.* 3. *Saturnal. cap.* 17. Cur autem tantopere increpauerit Plato, referente Cicerone *lib.* 5. *Tuſculan.* bis in die comedere (dum ſic ait : *Quo cùm veniſſem, vita illa beata quæ ferebatur ; plena Italicarum, Syracuſiarúmque menſarum, nullo modo mihi placuit, bis in die ſaturum fieri,*) explicant eleganter Cælius Rhodiginus *lib.* 7. *lect. antiq. c.* 9. & ingenioſiſſimus Mercurialis *lib.* 5. *variar. c.* 11.

Accedamus ad reliqua, & aliqua, antiquitatis loca, obſcura ſatis explicemus. Cœnæ vocabulum non ipſam modò ſolidam cœnam ſignificat, id eſt, fundum cœnæ, & fundamentum, vt Agell. nominat, *lib.* 17. *c.* 8. hoc eſt totum apparatum ; ſed etiam miſſus, & fercula ipſa ſolidæ cœnæ, vt miſſus piſcium, cœna piſcium ; miſſus auium, cœna dicebatur ex Varrone *l.* 3. *de re ruſtica. c.* 5. Deindè cœna tripartitò diuiditur ; in antecœnam, cœnam, & bellaria : ita Martialis 11. *epigram.* 32.

Has prima feret, alteráve cœna ;
Has cœna tibi tertia reponet.

Prima cœna guſtus erat ; in qua apponebantur lactucæ ; oliuæ, echini, oſtreæ, & alia minutiora. Secunda cœna, quæ caput cœnæ, ſeu flos dicitur, in qua carnes, piſces. Tertia cœna, in qua bellaria, caſeus, placentæ ; mazæ, dulciaria, & id genus cupediæ.

Locum vbi cœnatur, vocabant veteres cœnationem ; ſeu cœnaculum, ex Plin. *lib.* 12. *cap.* 1. Valla diſtinguit *lib.* 4. *eleg. cap.* 22. ita vt cœnaculum ſit locus ad cœnandum in loco ſuperiori, cœnatio in inferiori. Sed cœnaculum dicitur magis vniuersè, locus ad quem ſcalis aſcenditur, id eſt, locus ſublimis à terra : ita Martialis *lib.* 1. *epigram.* 162.

Et ſcalis habito tribus, ſed altis.

Quinetiam Plautus *Amphitr. act.* 3. *ſcen.* 1. cœnaculum partem vocat cœli ſupremam.

Cœnarum multiplex eſt varietas : Alia dicitur aduentitia, ſeu aduentoria, ſiue exceptitia. Ita nominatur, quia aduentanti amico, aut Principi erat parata ; quæ & viatica dicta Plauto, quia peregrè venientes conuiuio excipiebantur ab amicis. Ita Suetonius *in Vitel. c.* 13. *famoſiſſima ſuper cæteras fuit cœna aduentitia ei datæ à fratre, in qua* 2000. *lectiſſimorum piſcium,* 700. *auium appoſita traduntur.*

Eſt & ambulatoria cœna ; ſiue ambulans. Hinc Martialis *lib.* 7. *epigram.* 47. ſic ait.

Non offendimur ambulante cœna.

In qua nihil ferè poteſt comedi, propter miniſtrorum velocitatem, inferentium portiones in lancibus ; & mox auferentium.

Cœna adiicialis ſacerdotum erat propria, quæ & pontificalis dicta, Cicero *lib.* 7. *familiar.* auguralem vocat. Varro *lib.* 3. *de re ruſtic. c.* 6. & Plin. *lib.* 29. *c.* 20. & 41. ita appellari putant, quòd extra ordinem multa, & vltra iuſta fercula adiicerentur.

Adipalis, cuius erat multus in ſacrificiis vſus ; ſiue quia erat valde pinguis, vncta, & delicata ; qualem deſcribit *lib.* 3. *Saturnal. c.* 13. Macrob. & Horatius *lib.* 1. *Ode* 14. quaſi cœnam ditiſſimorum, & potentiſſimorum eam celebrat, cuius fuerunt immenſi, & non credendi luxus, à præcellentibus galieonibus inuenti ; de quibus Martialis 12. *epigram.* 48. & *lib.* 3. *epigr.* 22. Conſule Plinium *lib.* 9. *c.* 17. & *lib.* 10. 48. Senecam *lib. de conſolat. ad Heluiam Albinam*, Budæum *lib. de aſſe.* 2.

Vitellianæ, à duobus Vitelliis patruo & nepote ambobus Aulis inuentæ. De patruo, ita Suetonius *cap.* 2. *ſui Vitellij. Aulus famoſus cœnarum magnificentia.* De nepote, qui Auguſtus fuit, idem, *c.* 13. de cuius extrema lautitia Plinius ſcribit, *lib.* 35. *c.* 12. earum pretia collegit maximi iudicij, & doctrinæ vir Budæus *lib.* 2. *de aſſe.*

Centenariæ cœnæ, id eſt frugales, in quibus non plus quam centum aſſes impendebantur, qui nummi erant ex ære breues ; de quibus Petrus Crinitus *lib.* 14. *de honeſt. diſcipl. c.* 6.

Cereales cœnæ, quæ lautæ atque opiparæ, & multis ferculis onuſtæ, ſimiles adiicialibus ; ſed illæ Cerealibus feriis agitatæ, quum veteres illi populariter genio liberiùs indulgerent, & ſacra facerent, ante meſſem epulantes Cereri ; quæ vt nutrix, educatríxque mortalium, alma eſt Virgilio, cæteríſque Poëtis. Terentius dubiam cœnam vocat, *ſcen.* 1. *act.* 2. eſt variis epulis inſtructa. Horat. *ſerm.* 2. *ſat.* 2.

——*Vides, vt pallidus omnis*
Cœna deſurgat dubia? ——

Lege erudiſſimum Matthæum Raderum *in huius loci expoſitione, ferè per totum.*

Cœna exequialis, quòd in exequiis daretur mortuorum : eadem etiam copioſa, quòd exciperetur eorum

multitudo,

multitudo, qui cadauer ſequebantur. Funebris dicitur à Perſio *ſat.6.*

——— *Sed cœnam funeris hæres.*
Negliget iratus. ———

Iuuenalis vocat feralem, *ſat.8.*

Ponitur exigua feralis cœna patella.

A morte, quam feram veteres appellarunt. Conſule *Syntagma* 17.*de diis gentium*, *Giraldi Ferrarienſ.* Feſtus Pomp. *lib.6.* ſilicernium vocat funebre conuiuium. Cur autem? vel quòd iſtud ſilentes vmbræ cernerent, vel quòd qui inferebant, cernerent tantùm, non deguſtarent.

Cœna popularis, quòd populo daretur; vocatur etiam publica, ex Plaut. *trin.act.2 ſerm.4.*

Cœna recta vocabatur ea, quæ Auguſti inſtituto dabatur à diuitibus, quæ magnæ erat liberalitatis, & impenſæ, ex Sueton. *c.19.§.Conuiuabatur aſſiduè, ac ſæpius rectè, ac dapſilè*: vbi vides per vocem dapſilè, explicari vocem rectè; rectè enim viuere, eſt viue delicatè & lautè, & rectus apparatus ſumptuoſus. Seneca *epiſt.* 123. de cœnis luxurioſis. *Hanc petunt omnes iſti, qui, vt ita dicam, rectè viuunt.*

Saliares cœnæ, ſiue dapes in prouerbium abierunt, pro lautis, & magnificis conuiuiis. Vocantur & pontificales, ſed in Saliaribus maior erat apparatus, maior & gula, ex Varrone *lib.6.de ling.Latin.* Turnebo *lib.* 11. *aduerſ.c.7.*

Cœna terreſtris, in qua olera, & alia quæ è terra naſcuntur, offeruntur, ex Plaut. *cap.act.2.ſcen.2.*

Cœna in ferina, qua humanæ inferuntur carnes, ex Martiali *lib.3.epigr.45.*

Cœna Deorum, hoc eſt, modeſtæ & frugales, ſed iucundæ & ſuaues, apud Horat. *ſat: 6.lib.1.ſerm.*

O noctes, cœnæque Deum!

Quas anteponit nocturnis, & opiparis: epulæ enim in honorem Deorum olim Romæ in templis appoſitæ erant tenues, & parabiles, vt ex priſcorum mente docet Turnebus *lib.*13.*aduerſ.c.*17. quomodo & Lambinus *in Horat.* ſumit: at Cælius *lib.27.c.24.antiq.* pro lautiſſimis accipit, in quibus non ambroſia deſit, non nectar.

Cœna etiam vocatur pura, ita credo appellatam, quòd eſſet ſimplex, & frugalitatis antiquæ laude inſignis, ſed propriè cœna Iudæorum pura dicitur, vt notat Tertullian. *lib. 5.aduerſ.Marcionem, c.4.dies obſeruatis, tempora, & annos, & ſabbata cœnas puras, & dies magnos. Et maximè in Paſchate, quandò ad Veſperam primò incipiunt azyma comedere.* Cur ita? quia puro pane ipſi puri, hoc eſt abſque fermento, quod impuritatis eſt ſymbolum, veſcuntur.

Cœna etiam dicitur canina, à Varr. *in Menipp.* apud Agell. *lib.*13.*c.vlt.* in qua nihil potatur, quoniam canis vino caret. Si de pluribus antiquarum generibus cœnarum legere plura aues, docet multas Athenæus *ſuis dipnoſoph.libris*, qui manibus verſantur eruditorum.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm Galenus Ephemeræ ſigna rectè deſcripſerit, vt contra eum exiſtimant Harculanus, Vega, Brauus, Mercatus, Iacobus, & alij Medici doctiſſimi.

COMMENTARIVM.

Febricitauit.] Non ceſſant plures, iique non infimæ notæ Medici accuſare Galenum, quòd prolixus fuerit, & multa citra neceſſitatem ſæpe repetat, qui dicendi ſtilus potiùs parit lectoribus obſcuritatem, quam lucem: nam libri de criſibus eandem habent doctrinam cum libris de diebus decretoriis: libri de locis affectis, cum libris de ſymptomatum cauſis: libri prorrheticorum, cum prognoſticis: libri de bonitate, & vitio ſuccorum, cum libris de alimentorum facultatibus. Et vt videas quantopere hæc opinio vera ſit, propoſita de febre diaria ſigna attentè rimator: quorum ſeries tum *lib.2.criſ.cap.vlt.* & *lib.1.de diff feb.c.7.* tum *lib.1.ad Glauc.c.2.* proponit. Sed

A ſi hæc omnia penſites exactè, in bonam partem eſſe referenda arbitraberis: cùm enim Hippocrates oracula ſua ænigmatis velaret, & in omnibus ſuæ doctrinæ operibus Laconicè præcepta referret, aut ipſo Hippocrate, aut Galeno explanatore opus erat, qui ni vberrimus eſſet, & in dicendo fuſus, quo pacto illius mens obſcuriſſima intelligeretur, vix percipere queo: maximè cum balbutiens tunc eſſet medicina, & eloquia Hippocratica plures in varios ſenſus diſtorquerent.

Hic ergo fœcundus auctor, dilucidè, facundè, & perſpicuè, totam artem firmiſſimis rationibus tunc orbam fulciuit, & ſummi dictatoris recondita ſenſa aperuit. Quare locis citatis inter ſigna Ephemeræ primum numerat, quòd omnis febris diaria perpetuò habeat ortum à cauſa externa, quam iuniores procatarcticam, ſiue primi-

B tiuam, ſeu præincipientem vocant. Hoc ſignum à diariis eſt inſeparabile, adeò vt nulla ſit diaria febris, quæ à cauſa manifeſta non excitetur. Firmat *lib.1. ad Glauc. cit.* Auicen. etiam 14.*tract.*1.*c.*5.explicat inter omnes Argenterius *lib.2.de cauſ.morb.cap.2.* non tamen ſoli illi eſt proprium: nam ab eadem hecticæ, & putridæ peſtilentes originem ducunt.

Sed contra hanc doctrinam obiicies primò. Diaria oritur à bubone 4.*aph.*55. catarrho, obſtructione, inedia, vigilia, dolore. Sed hæc & ſimilia, intra corpus conſiſtunt, & tamen ab illis diariæ febres concitantur. Igitur, &c. Harculanus 1.4.*tract.* 1. *cap.* 5. his rationibus victus, confirmat diarias ex bubone, aut obſtructione ſubortas non eſſe verè diarias. Primo, quoniam ex his

C cauſis pronatæ ſæpe vltra vnum diem extenduntur, cùm tamen vera diaria ratione ſui vnico tantùm die duret. Secundò, quoniam in curatione dictarum febrium habetur intentio ad cauſam, quam in vera diaria non obſeruamus.

Sed eius opinio reiicienda, quoniam Galenus 9.*meth. cap.* 4. concedit diarias ex bubonibus ortas vnica tantùm die durare ratione ſui, niſi quid delinquat ægrotans. Deinde diaria orta ex denſitate cutis, & ex obſtructione meatuum, in prima die perſanatur, & vera diaria appellatur, vt *citat.9.meth.* docuit Galenus. Secunda verò ratio eiuſdem, manifeſtè refellitur, ex Galen. 10. *meth. cap.*1. docente, in febribus diariis quando præſens eſt cauſa, illius eſſe habendam rationem; ſecus verò quando cauſa abeſt.

Vt tamen huius dubij poſſis aſſequi ſolutionem, dic

D cauſas morbificas quaſdam in corpore gigni, quaſdà verò extrinſecùs aduenire. Rurſus, earum quæ in corpore gignuntur, alias abditas eſſe, & antecedentes vocari; alias manifeſtas, quas Galenus etiam procatarcticas vocat, de quarum numero ſunt qnæ extrinſecùs occurrunt, vt colligitur ex Gal. *lib.1.ad Glauc.c.2.* quas Auicenna 1. 4.*cit.* primitiuas appellat: per has non intelligit ſolùm externas, ſed & manifeſtas, ſiue in corpore, ſiue extra corpus conſiſtant, & ſic nomine cauſæ primitiuæ, externas etiam inflammationes comprehendit.

Hoc modo bubones, vigilia, inedia, & ſimilia, & in cauſarum manifeſtarum numero ſunt reponenda, atque ſub procatarcticis numeranda. Quare mirum videri non debet, ſi ab illis febres diariæ, ex mente Galeni generen-

E tur; adeò enim manifeſtæ ſunt, vt extrinſecùs aduenire videantur.

Neque hanc doctrinam euertit, quòd aliqua ſit diaria, quia nec à cauſa externa, nec à manifeſta oriatur, nempe obſtructione, quæ nobis manifeſta non eſt, ſed intus in corpore latet: nam, relicta eorum ſententia, qui diariam ortam ex obſtructione, non eſſe veram diariam affirmant, quum vltra diem extendatur, concedendum eſt obſtructionem eſſe cauſam internam, & ab ea diariam oriri poſſe: quo pacto ad Galen. reſpondendum, quòd licèt diaria à cauſa primitiua, & manifeſta ferè originem ducat, interdum, etſi rariſſimè, contingat veram diariam à cauſa externa non oriri: quare Auic.1.4. *cit.* poſtquam vniuerſaliter protulit, omnem diariam a cauſa primitiua concitari, ſubiungit aliquando etiam oriri ab obſtructione, & hanc à cauſa primitiua non produci.

Secundum

Secundum diariaru n ſignum, quòd ſtatim prima die concoctio in vrina appareat, nihil aut minimum ab integra ſanitate diſtans: cùm enim hæc febris omne vitium humorale excludat, à quo inquinari poſſit, ſtatim prima, vel ſecunda die excernitur in ea, vrina cocta, colore ſubrufa, ſubſtantia mediocris, & quod in ea ſubſidet, album eſt, læue, & æquale, quæ omnes conditiones optimam coctionem oſtendunt, ex Galen. 1. *criſ*, 12. *&* 2. *prog.* 26. quod quidem indicium, proprium eſt, & inſeparabile diariarum: cùm in nulla alia febre ſtatim prima die hæc vrina appareat: & ita Galenus *lib.* 1. *feb.* 7. ſic ait. *Inſeparabile verò, ac proprium eſt coctio in vrina, ſtatim prima die, &c.*

Sed hæc doctrina dubiis patet ob multas cauſas: Nam vrinæ ſanorum ſæpe non ſunt boni coloris, nec ſedimentum habent; quare ſi accedat febris diaria, erunt crudiores: Deinde vt ex Galen. 1. *criſ*, 12. & experimento conſtat, in diaria orta ex cruditate vrinæ apparent ſubalbidæ, & in ortis ex ira rufæ, qui calores præternaturales ſunt. Dic, hoc ſignum dici inſeparabile, quia conuenit omni diariæ, ratione ſui, & per ſe: nam coctio perficitur à membris, & id quod coquitur, ſunt humores; quare cùm diaria neutrum horum occupet, fit vt per ſe non lædat coctionem; per accidens tamen contingit, vt vrina praué cocta ſit, & colorata, vt propter affectus præexiſtentes in ſanitate: vtcunque tamen ſit; in febre diaria ratione ſui, nulla fit mutatio in colore, nec in coctione vrinæ ob cauſam dictam. & hoc ſolùm ſignificat Galenus, dum coctionem vrinæ ſtatim prima die apparentem diariæ eſſe ſignum inſeparabile pronuntiauit, niſi ex cruditate oriatur; quoniam tunc apparebit alba, cruditatis quidem indicium certum, rufiores verò conſpiciuntur, quando ex affectibus animi, præſertimque ex gaudio, & ira generantur: nam ob bilis agitationem, humores inflammantur, & ſpiritus igneſcunt, quoniam, vt dicebat Galen. *lib.* 1. *de ſanit. tuend. cap.* 1. ſicut moderati animi affectus ad conſeruandam ſanitatem maximè conducunt; ſic immoderati incendunt corpus, & excalfaciunt humores.

Obiicies ſecundò. Multi morbi ſtatim in primo die ad ſtatum perueniunt, & cum ſignis perfectæ coctionis finiuntur; in quibus in prima die vrinam coctam apparere par eſt, & docuit Galen. *lib.* 1. *criſ.* 17. cum Auicen. 1. 4. *tract.* 1. *cap.* Ergo hoc ſignum ſolius diariæ non eſt proprium, ſed aliis etiam febribus conuenit. Dic, licèt in ægritudinibus dictis vrina appareat probè concocta, non tamen hoc contingit in primo morbi inſultu, ſed in proceſſu primi diei, in quo iam ægritudo finito vero principio peruenit ad ſtatum; cùm tamen in diaria ſtatim in primo die, id eſt, in primo inſultu febris, & in toto illius proceſſu, vrina apparet optimè cocta. Quòd ſi in febribus putridis aliquando ſtatim in primo inſultu vrina cum ſedimento conſpicitur, hoc non eſt verum ſedimentum, ſed humor crudus ſedimento ſimilis.

Obiicies tertiò. In prima inuaſione febris peſtilentis, ſæpe apparet vrina bene colorata, & cum ſedimento. Dic ex Galen. 1. *feb. cit.* ſolam coctionem integram, & abſolutam in primo die apparentem, dici ſignum proprium diariæ: nam ipſe fatetur initio putridarum, vrinam apparere debiliter coctam. Sic in peſtilentibus initio, non eſt perfectè, ſed tenuiter cocta: natura enim veneni vi oppreſſa, ad plenum concoquere non poteſt.

Obiicies quartò. in Anaxione rediit febris, & ſtatim vrina habuit optimum ſedimentum, vt referunt Hip. 3. *epid. ſect.* 3. *text.* 79. Galenus *lib.* 1. *criſ.* 18. Dic omiſſis aliorum interpretationibus, tunc temporis fuit ſtatus totius morbi; licèt fuerit principium recidiuæ, vt eius hiſtoriam intuenti facilè patebit.

Obiicies quintò. In febre putrida, facta ex permutatione diariæ, in pricipio apparet magnum, aut effatu dignum coctionis ſignum, vt firmant Galenus, & Auic. 1. 4. *tract.* 1. *cap.* 8. Dic, varij variè reſpondent: prætermiſſis tamen illorum ſententiis, verior eſt ſolutio quæ affirmat, tunc reperiri poſſe ſigna coctionis copioſa, tum ob benignitatem humoris, qui tunc nondum eſt valdè putrefactus; tum quia obſtructiones adhuc in vaſis non vigent: attamen hoc ſedimentum perfectum non eſt, quemadmodum in ſanitate, quod eſt proprium febris diariæ: non enim ob conceptam putredinem humor tam integrè poteſt coqui, ſicut antea.

Tertium diariarum ſignum. pulſus æqualitas & liberum incrementum in calore: quippe in diariis neque humorum abundantia, neque obſtructio exiſtunt, tanta ſaltem quæ motum remoretur; neque tanta arteriæ durities, quam valida facultas vſu efflagitante non niſi magna vi diſtendere queat. In diariis ergo pulſus exquiſitè ſeruat æqualitatem ſecundùm naturam, atque mollitiem, & ordinem: nam vt 2. *criſ. vlt. &* 1. *ad Glaucon.* 2. inquit Galenus, *paucæ admodum ex illis, eam quæ ſecundùm vnam percuſſionem eſt, inequalitatem oſtendunt, &c.* quod additum puto propter aliquas diarias, quæ pulſum quodammodo permutant, veluti putridæ; cuiuſmodi ſunt ortæ ex bubonibus, & obſtructione. Quoniam igitur omnibus diariis communis eſt pulſus æqualitas, proinde *lib.* 1. *feb.* 7. dictum eſt pulſus inæqualitatem eſſe ſignum proprium febrium putridarum.

Sed contra obiicies quod Galenus aſſerit, 1. *ad Glauc.* 5. quandam pulſus inæqualitatem propriam febrium eſſe; & *cap.* 6. *eiuſdem lib.* inquit: *omnibus febribus communis eſt inæqualitas in vno pulſus arteriæ.* Dic, quod ad præſens attinet (nam de hoc argumento latiùs egimus *lib.* 2. *in com. hiſt.* 12.) duplicem eſſe pulſus inæqualitatem, collectiuam aliam; alteram verò in vno arteriæ ictu, quam propriam febrium appellant. Illa in eo cernitur, quòd prima pulſatio differat à proximè ſequentibus in magnitudine, vel celeritate, vel frequentia, quod contingit propter arteriarum obſtructionem, aut compreſſionem, aut duritiem, vel propter humoris multitudinem, aut arteriarum, & cordis inæquale intemperamentum, vt docet Gal. 2. *de cauſ. pulſ. cap.* 2. Altera pulſus inæqualitas in eo conſiſtit, quòd vnica dilatatio arteriæ, in principio & fine celeriùs fiat, quàm medio; quod fit quia vrgente ſtatim in principio neceſſitate, arteria velociter mouetur; in medio tardiùs, quia natura à copia humorum virtutem mouentium impeditur, vel multitudine vaporum, aut humorum obſtruentium, & ita aëris ingreſſum impedientium, & tandem in fine, vrgente nimis neceſſitate velociùs dilatatur. Quod verò hæc ſit inæqualitas, quam Galenus *locis citatis* propriam febrium, & omnibus communem appellat, conſtat, ex Galen. *lib.* 1. *ad Glaucon. cap.* 6. cùm de ſignis quartanæ agens, inquit. *Nam quæ omnibus communis eſt febribus pulſus inæqualitas, in quartana manifeſtiſſimè comprehenditur; multò enim velocius principium, & finem motus inuenis, quàm medium, &c.* Idem colligitur ex 4. *de cauſ. pulſ. cap.* 14. *de pulſu phreniticorum*, cùm inquit *Etenim febrium proprium celeritatis ſymptoma hic obtinent clariſſimè, in vtroque termino diſtentionis, præcipuè externo.*

Quare diaria nullam ex dictis habet inæqualitatem; non collectiuam, nam vt Galen. ait 2. *de cauſ. pulſ.* 2. ex ſola vſus alteratione non poteſt in pulſibus collectiua inæqualitas conſtitui: cùm igitur in diaria ratione ſui, ſolus vſus ob auctam caliditatem immutetur, patet in ea hanc inæqualitatem non reperiri; ſicut nec ſecundam, quam propriam febrium diximus appellari, quoniam cauſæ eam efficientes non adſunt. Secundò, quia 9. *meth.* 3. *&* 4. in ſynocho pulſus aſſertiur æqualis, & *lib.* 1. *ad Glauc. c.* 5. in tertiana exquiſita nulla adeſt in vno motu arteriæ inæqualitas, nec in collectione plurium. Si ergo in humoralibus non reperitur ſenſilis inæqualitas, multo minùs reperietur in diaria, quæ à ſimplici oritur intemperamento: & idcircò Gal. 2. *criſ. vlt.* aſſeuerat, harum febrium pulſus exquiſitè ſeruare eam inæqualitatem, quæ ſecundùm naturam eſt.

Si verò quæras, cur *locis citatis* Galenus aſſeruit, quandam pulſus inæqualitatem propriam febrium eſſe, & omnibus communem; Reſponde, ipſum de febribus putridis eſſe intelligendum, in quibus fuliginum, aut humorum copia eam ſolet efficere, vt ſuprà explicuimus, licèt in tertianis adeò exigua ſit, vt fermè ſenſum effugiat; in diariis autem nulla reperitur, quam ſi velis concedere, ea cùm

ferè

ferè inſenſilis fit, neque doctrinam habet, neque me-dicæ conſiderationis eſt, vt 2. *de cauſ.pulſ. cap.*1. docuit Galenus.

Auicenna inter omnes intimiùs diariarum ex pulſu ſigna propoſuit, 1.4.*tract.* 1. *cap.*6. & de hac re ſtatuit propoſitiones quinque, quarum prima eſt. In diariis pulſus mutatur ad ſpiſſitudinem, fortitudinem, & magnitudinem, id eſt, fit frequens, vehemens, & magnus. Velox eſt ſaltem ſecundùm dilatationem, vt aduertit Galenus 1.*feb.*7.& 2.*criſ.vlt.*& 7.*de præſag.ex pulſib.cap.*7.Quæ propoſitio ſi non intelligatur, dummodò febris diaria à cauſis vires debilitantibus non oriatur, veritatem habere non poteſt, in quarum numero reponendæ ſunt curæ, vigiliæ, triſtitia, immodicum exercitium reſoluens, & nimia fames, vt dicebat Gal. 3. *de præſ. ex pulſ. cit.*Quòd ſi cum febre diaria alius affectus concurrat, mixtam eſſe in pulſu mutationem ex illo, & ex febre iudicabis,& 2.*criſ. cit.* inquit: *pulſum in diaria nonnunquam eſſe magnum, aliquando paruum.*

Explicabis propoſitionem hoc modo, quia cùm in febre diaria vſus ſit auctus, inſtrumentum obediens, facultas non ſit debilis, eò quòd febris diaria natura ſua vires non debilitat, pulſus mutabitur in magnitudinem, & velocitatem. Quòd verò ait pulſum eſſe frequentem, non eſt intelligendum ſecundùm quietem externam, nam non eſt frequentior momentaneè moderato; ſed ſecundùm internam, quia ſecundùm eam augetur frequentia: quod propterea fit, quia cùm motus contractionis in pulſu non ſit momentaneè velocior moderato, dilatatio verò ſit velocior, neceſſe erit vt quies antecedens contractionem, nempe externa, non ſit minor naturali; antecedens verò dilatationem, nempe interna, ſit minor; & ſic pulſus diariæ erit frequens ſecundùm internam quietem, non verò ſecundùm externam. Quare quando Galenus ait 1.*feb.*7.*ad initium*, in pulſu diariarum frequentiam à proportione deficere ſecundùm quietem externam, vult pulſum diariarum non ſeruare proportionem in frequentia, quia quoad internam quietem eſt frequentior, quoad externam verò frequentior non eſt. Huius rei ratio petenda ex Galen. *lib.*1.*de difficult. reſpirat.* 24. vbi docet quòd quælibet quies in reſpiratione (quod etiam intelligendum eſt in pulſu: cùm pulſus,& reſpiratio inter ſe mutuò conſentiant) inſequitur mutationem illius motus quem præcedit: nam vtrum ex motibus, inquit ille *ad finem capitis*, ipſa vtilitas vrgebit,is præcedentem ceſſationem cunctari non permittit: & ſic cùm in diaria neceſſitas dilatationis vrgeat,minimè verò contractionis,quies interna breuis erit, ac proinde quoad eam pulſus fiet frequens, quæ expoſitio conformis eſt menti Galeni. explicat inſignis Thomas à Veiga *in com.cap.*7.*lib.*1.*de dif.feb. Gal. ſect.* 3. §. *Cauſas autem.*

Secunda propoſitio. in febribus diariis pulſus non eſt diuerſus, id eſt, inæqualis; & ſi eſt inæqualis, ſemper eſt inordinatus, & ſi inæqualis eſt, hoc non contingit propter febrim, ſed propter cauſam aliam antecedentem febrem, aut aſſociatam ei, vel his ſimilia. Auicenna autem cauſam internam non intelligit, quia hæc febris ab ea ortum non ducit. Intelligit ergo cauſam euenientem ante febrem, vt ſunt vehemens labor, & fortis mordicatio, quæ poſſunt etiam eſſe cauſæ aſſociatæ ei. Per ſimilia his, intelligit anguſtiam, & animi paſſiones, in quibus ſpiritus, & humores variis motibus agitantur, & ſic fiunt pulſus inæquales.

Tertia propoſitio. Quandoque dilatatio pulſus eſt velocior, & contractio minimè.Hoc ſignum tradit Galenus 1.*feb.*7.§.*Et ſi autem magis inſeparabile,& proprium,quòd nullo modo ad celeritatem,ea pars pulſus quæ ſyſtole dicitur, tendit:& ſi aliquando contingit,hoc minimum,ac vix perceptibile exiſtit,parùmque à naturali tenore mutatum.* Huius rei cauſa reddit Auic.quoniam in diaria vrget neceſſitas dilatationis,aucto ſcilicet illius vſu,non ſic neceſſitas contractionis. Quare augmentum celeritatis fit in dilatatione, manente contractione naturali, quod diuerſo modo fit in principiis acceſſionum febrium putridarum; nam in his inuadente acceſſione, & paulò ante ipſam, manente adhuc

A dilatatione naturali, vel etiam diminuta velocitate, contractio eſt velocior quàm ſolebat; quo ſigno ſolo 3. *de præſag.ex pulſ.* 7. principium febris putridæ diſtinguitur ab aliis affectibus conſimilibus, vt frigiditate totius corporis, affectione oris, ventriculi delatione ſanguinis in profundum, præ mœrore, metu, vel alia cauſa, quia in his omnibus affectibus ſimilis tarditas eſt in pulſu, & in dilatatione, & contractione: at verò in inuaſione acceſſionis febris putridæ, ſemper contractionis velocitas augetur.

Verùm vt hoc ſignum,etſi vtiliſſimum agnoſcas,magna artis exercitatione opus eſt, vt aſſeuerat Galenus *lib.de morbor. temporib.cap.*7.*poſt med.*& licèt Galenus conetur exercere generoſum Medicum ad ſenſationem eius, 3. *de*
B *præſag. ex pulſib. cit.*raro tamen hoc percipitur: quoniam cùm celeritas, & tarditas contractionis ſolùm in pulſu vehementi, vel in pulſu moderato in vehementia, & languore percipiatur, ex Gal.*lib.* 2.*de dignoſcend.pulſib.cap.*5. & in principiis acceſſionis, propter frigus & humorem obruentem vires, ferè pulſus fit paruus & languidus, rariſſimè in principiis acceſſionum febrium putridarum hoc percipietur ſignum.

At contra hanc propoſitionem obiicies primò, ex Gal. *lib.*3.*de præſag. ex pulſib.cap.* 7.dicente, in febre hectica, quamuis augeatur celeritas in dilatatione, non augeri tamen in contractione. Ergo hoc ſignum non eſt proprium diariarum. Secundò Galenus *lib.*1. *de dif.reſpirat.cap.*24. tradit notam ſeparandi calorem innatum auctum ab externeo, videlicet quòd aucto calore naturali, in dilatatio-
C ne velocitas augetur; at verò calore extraneo aucto, velocitas in contractione augetur: Sed febris diaria, calor eſt extraneus. Ergo in ea augebitur contractionis velocitas, ac proinde defectus celeritatis in contractione, non erit ſignum proprium diariæ.

Sed hæc ita ſolues. Dic primò hoc ſignum tradi, ad dignoſcendas febres incipientes: cùm autem inter febres diarias, & hecticas, ſolæ diariæ fiant incipiendo, ideò hoc ſignum diariarum erit proprium; licèt autem hecticæ in primo inſultu generari queant, hoc rariſſimè contingit, & frequentia pro perpetuis habentur, in medicina, vt probat Galenus *lib.* 6.*aph.* 18.20. & 58. Dic ſecundò, Defectum celeritatis in contractione eſſe ſignum proprium diariarum, non ſimpliciter, ſed ſimul cum magnitudine copulatum, quod ſignificauit Gal. 1.*de dif. reſpirat.* 7. *in princ.* quod ſignum in hecticis non reperitur, quoniam
D etiamſi in illis cum defectu celeritatis in contractione, augeretur celeritas dilatationis, non augetur tamen magnitudo, immò ob virium debilitatem minuitur. Ad ſecundum dic, Galenum per calorem extraneum, non quemuis calorem extraneum intelligere, ſed putredinoſum,vt ex contextus ſerie patet manifeſtè;ait enim, *abundantia verò caloris præter naturam, & fumoſi, &c.* At in diaria fumoſus calor non datur. Quare in ea celer contractio non reperitur.

Quarta propoſitio. Quando pulſus difficulter cognoſcitur, tunc reſpiratio conſiderari debet, quia inter ſe proportionantur, nam *parum abeſt.* (inquit Galenus *lib.*1. *de dif.reſpirat. c.*7.) *quin omnis reſpiratio ad pulſuum proportionem. proprietatem habeat:*& tam pulſus, quàm reſpira-
E tio, ex iiſdem cauſis vſum variantibus, ſimiles mutationes accipiunt, auctore Gal. *lib. de vſu pulſ.cap.*1.explanat eloquenter Valleſius *lib.*3.*cont.cap.*1.

Vltima propoſitio. poſt. diariæ eradicationem pulſus ad ſuam reuertitur naturam, quod in nulla alia febre contingit, ex Gal. *lib.*1. *ad Glauc.cap.* 2.*ante med.*quare Auic. *cit.loc.* concludit: *quando pulſus eſt bonus, & vrina bona, tunc neceſſariò febris illa eſt Ephemera.*Exponit inter omnes Thomas Garbius *in com. cit. loc. Auic.*

Neque obſtat quòd etiam in putridis intermittentibus, ceſſante paroxyſmo, nulla relinquatur febris, vt experimento conſtat, & ex Hip.& Gal.4.*aph* 63.& 1.*ad Glauc.* 4.vbi aſſeritur, cùm in quartana febris ceſſauerit, pulſum reddi tardiorem, rariorem naturali; quæ verba oſtendunt, in interuallo quartanæ non modò non relinqui febrem, ſed etiam nullum eius veſtigium: id enim oſtendit pulſus

pulſus tardior, & rarior naturali, qui non calorem, ſed frigiditatem excedere demonſtrat. Dic. In interuallo febris putridæ, licèt nulla relinquatur febris, in pulſu tamen aliquod eius veſtigium manet, quod docet 1. *ad Glauc.* 2. hoc tamen exceſſum aliquem caloris non importat, vt 1. *ad Glauc.* 6. docuit Galenus, ſed ſolùm quia quies externa eſt frequentior naturali, & ſyſtole velocior: nam in interuallo febrium intermittentium, vaporum putridorum reliquiæ adhuc manent, ad quorum expulſionem ſequitur celeritas contractionis, & frequentia quietis externæ. Proprium igitur aſſeritur febris diariæ, quòd ad integram infebricitationem finiatur, quia illius acceſſione ceſſante, arteriarum motus omnino aſſimilatur ei qui in ſanis deprehenditur, cùm tamen in nulla alia febre ad naturalem habitum reuertatur, etiamſi multum temporis intercedat inter primæ acceſſionis finem, & ſecundæ principium, quemadmodum in tertiana, & quartana, quod apertè docet Galen. 1. *ad Glauc. cap. 2. in med.*

Quartum diariarum ſignum: caliditas ad tactum ſuauis & vaporoſa, non acris & mordax, qualis apparet in exercitatis, & ebriis. Sed hoc ſignum non videtur eſſe veridicum: nam primò obſtat Galenus 6. *epid. ſect. 1. com. 29. §. Febrilis igitur caliditas febricitantia corpora tangentibus acrem mordacémque, aut mediocriter moleſtam ſeſe offert: ſuaue enim illud, atque familiare, quale calori naturali ineſt, nequaquam habet, &c.* Calor ergo diariæ non poteſt eſſe ſuauis. Secundò Galenus 2. *criſ. vlt.* ſic inquit: *adeſt autem iis quidem, qui ob triſtitiam febricitant, acritudo potius, quàm multitudo caloris, &c.* Ergo, &c.

Dic ad obiectionem primam, caloris ſuauitatem ſolùm in ſanis temperatis reperiri: bilioſi enim per ſanitatem, calorem habent aliquantulum mordentem; verùm ſanis omnibus magis mordacem habent, qui diariam patiuntur; & magis qui ex ſanguine putrido febricitant, & magis qui ex pituita, & melancholia putreſcentibus, & omnium maximè qui ex bile: & ſic calor laborantis febre diaria acris eſt & mordax, facta collatione ad ſanos; per comparationem verò ad reliquos febrientes, ſuauis eſt, & vaporoſus. Ad ſecundam dic. Significare ibi Galenum ex triſtitia febrientes, comparatione ad eos qui ex ira febricitant, acrimoniam repræſentare, id eſt, minorem ſuauitatem. Nam ſuauitas caloris in omnibus diariis reperitur; maior tamen, vel minor in variis ſpeciebus perſentitur.

Sed non grauabitur Galenicæ doctrinæ ſtudioſus percontari, cur febris ex triſtitia habet calorem acriorem & parciorem, quàm febris ex ira? Dic cauſam eſſe, quia triſtitia abſumpta corporis humiditate, illud reddit ſiccius: calor autem in ſubiecto ſicco tangenti occurrit parcior & acrior, quàm ſi in ſubiecto humido repræſentaretur, quod de calore pueri & iuuenis docuit Galenus 2. *de temp.* 7. Ira autem cùm importet feruorem ſanguinis circa cor, calorem copioſiorem, & ſuauiorem facit. Omnis itaque febris habet calorem acrem & mordacem; hic tamen minimus reperitur in diariis, maximus in putridis, & hecticis, in putridis quidem, quia ab eis non ſolùm prodit calor, ſed tactui ſeſe offerunt vapores putridi, qui ſuapte natura acres ſunt & mordaces: in hecticis autem, ob ſiccitatem ſubiecti, quæ efficit vt calor magis moleſtus, & acrior ſentiatur, iuxta doctrinam Gal. 2. *de temp. cap. cit.*

Quintum diariarum ſignum: mitities, ſeu lenitas vigoris, hoc eſt, defectus ſymptomatum: cùm enim in aliis morbis hæc ſint fortiora, ex Hippocr. 2. *aph. 25. & 30.* in ſtatu diariæ non ſunt vehementia, neque intenſione, neque numero; vel maligna, ex Galen. *lib. 2. criſ. vlt. & 1. feb. 7.* neque dolores valdè moleſtant. Quòd ſi aliquando ea contingant, cum febre ipſa ſedantur, ex Galen. *lib. 2. ad Glauc.* 2. Hoc modo principium diariarum eſt leue, & toleratur facilè; calor enim in iis à materia non opprimitur, ſed augetur ſolùm, ſicut in balneo contingit, vt docet Trallianus *lib. 12. cap. 1. rubric. 2.* Augmentum ſimiliter breue eſt, ſubſtantia enim ſpiritus ſubtiliſſima cùm ſit, facillimè inflammatur, & reſoluitur.

Sextum ſignum diariarum, eſt deſumptum ab experimento, & proponitur *loc. cit.* ab Aui. & Gal. *l. 1. ad Glauc. cap. 2. in med.* Si enim aliquis febre laborans balneum ingrediatur, & horrorem ſentiat, febris diaria non eſt; ſi verò non ſentiat, febris diaria eſt. Ratio eſt, quia cùm in febre putrida humores balnei calore fundantur, membriſque ſentientibus vapores acres eleuati communicentur, horror ſolet accidere: in febre verò diaria minimè, quoniam in ea humor non redundat. Hoc tamen ſignum intelligendum eſt cum limitatione quadam, quam *citato loco* propoſuit Auicen. dum appoſuit verbum (*non conſuetum*) quoniam in aliquibus ſtatim dum balneum ingrediuntur, horror vel propter repentinam mutationem, vel humoris motum, vel acutiſſimum cutis ſenſum concitari ſolet.

Septimum ſignum diariarum, eſt quòd non incipiant cum rigore, pulſus coarctatione, nec cum aliis quæ rigorem antecedere ſolent, aut comitari: cùm enim rigor impetuoſum humoris motum, aut vaporis per muſculos requirat, extra humorales febres non reperietur, vt infrà latiùs patebit, cùm de ſignis febrium putridarum ſermonem inſtituemus. Et licèt aliquando poſſint incipere cum ſimilitudine rigoris, aut frigoris, id eſt, cum leui frigore, & rigore; tamen hoc in ea contingit, quæ ex obſtructione ortum ducit; præſertim ſi corpus ſit cacochymum, in quo ob denſatam cutem detenti vapores acres & mordaces, & per muſculos impetuosè delati, leues rigores efficiunt, qui facilè propter ipſorum vaporum tenuitatem ſoluuntur. Aliquando etiam verus rigor accidere ſolet, ex accidenti tamen, & rariſſimè, quum maxima mordacium vaporum copia adeſt, qui incipiente diaria mouentur, à quibus verus rigor concitari poteſt. Conſule Vidum Vidium *lib. 2. de feb. cap. 5.*

Vltimum ſignum, & in praxi frequentiſſimè obſeruatum eſt, quòd ſoluatur cum ſudore, madore, aut aliquo bono rore, dummodò ſudor ſimilis ſit naturali, hoc eſt, illi qui fit in exercitio temperato; neque ſit multus, cris, aut naturam alicuius humoris redolens: nam hic non in diaria, ſed in humorali febri frequenter reperitur. Et hoc ſignum ita à diariis eſt inſeparabile, vt aſſerat Auicenna 1. 4. *tract. 1. cap.* 8. diariam abſque huiuſmodi ſudore declinantem, in alias febres tranſire. Sed hoc ſignum non videtur eſſe proprium diariæ: qui enim fieri poteſt, vt hæc febris immaterialis veluti cùm ſit, per ſudorem finiatur? Deinde ſi ſudor fit, humiditate ad cutem tranſmiſſa, ex Galen. *aph. 38. & 56.* quo pacto in diaria eueniet ſudor, ſi habet pro cauſa ſpiritus, qui ſunt calidi ſicci, facilè reſolubiles, & minimè apti, vt poſſint conuerti in ſudorem?

Viderunt iſtam dubitationem Stephanus Athenienſis, & Acakia *in com. lib. cit. ad Glauc.* Chriſtophor à Vega; & Ioan. Brauus *in com. lib. 1. de dif. febr. cap. 7.* Thadæus, & Iacobus de partibus *in cit. loc. Auic.* & eam hoc modo ſoluere conantur: nam vehemens calor in ſpiritibus ſemel ebulliens, humiditates in membris colliquans, expultricis beneficio ad partes extimas detrudit, quæ, iuxta cutem denſatæ in formam ſudoris erumpunt, non ſecus ac in ſanis, & inculpatis corporibus: quemadmodum enim in his ab immodico exercitio vniuerſo corpore incaleſcente, liquantur intus humores, qui euocati ad cutem ſudorem generant; ita ab ſpiritibus calefactis in arterioſo & venoſo genere, corpus & humores incaleſcunt, attenuantur, propulſantur, & concitatur ſudor. Hanc ſolutionem affert etiam Ludouicus Mercatus *lib. 4. de feb. num. 63.*

Sed illa falſo nititur fundamento: nam febris ſoluitur ad ſolutionem cauſæ: quid ergo oportet liquari humiditates corporis, & iuxta cutem condenſatas in modum ſudoris abire, vt hac vacuatione diaria remitti poſſit, ſi eius materia non eſt humiditas in ſudorem conuerſa? Galenus enim laudat diariam cum ſudore declinantem, quia ſoluitur ex toto, ea ſoluta, & extrà pulſa cauſa, à qua ipſa diaria ortum ducebat. Rectiùs ergo ſolues hoc modo: Nam ſpiritus licèt ſicci ſint, humiditatem participant, in ſudorémque verti poſſunt: nec mirum; nam ex tenuiſſima parte ſanguinis, & ſubtiliſſimi aëris inſpirati portione ſut fabrefacti, humiditatémque primigeniam in ſe continent, ab eáque non ſunt exuti & ſpoliati; quare in ſudorem abeunt

abeunt,vt ipſe ſanguis, ſi ſubtiliores, in rorem; craſſiuſculi,in ſudorem.De quo argumento conſule Gentilem *in com.cap.6. Auic.1.4.tract.1.dub.10.* & Ludouicum Lemoſium, *in com.cap.4.Gal.l.8.meth.*Carrerium *in com.14. tract.1.c.6.de ſignis diariæ*,qui etſi doctiſſimi,vltrò,citròq; diſcurſantes, tantum dubium diſſoluere non potuerunt.

HISTOR. VII. GALENI,
De febri diaria.

Galenus ex laſſitudine in diariam febrim incurrit.

ITa cùm à cauillantibus obiicitur:*aliis medens,at ipſe vlceribus ſcatens,hoc imputant Medici æſtui,frigori, laſſitudini,& aliis occaſionibus:ſi ita ſit,illos vindicare à culpa decet;ſin alia qualibet,minimè.Quippe nec ipſi omninò ſine febri exegimus, immò ex laſſitudine nonnunquam * febricitauimus, nullum aliàs morbum multis iam annis experti. Quinetiam percuſſis certis corporis partibus,vnde alij phlegmonis,bubonibúſque contractis febricitarunt,ipſe nunquam phlegmonem,bubonémve ſenſi,nec febri laboraui:non aliunde certè quàm ex ſeruandæ ſanitatis arte, tanta commoda conſecutus: quum alio qui nec ſalubrem corporis ſtatum ab ortu ipſo ſim nactus,nec vitam planè liberam ſortitus, ſed in qua tum artis officiis ſeruierim,tum amicis, cognatis, & ciuibus in pluribus inſeruierim: tum plurimam noctium partem, nonnunquam ægrotantium ipſorum cauſa, ſemper autem dulcedinis ſtudiorum gratia peruigilauerim: nec tamen vllo ſenſi me eorum,qui è corpore originem ducunt morbo tentatum multis iam annis, excepta (vt dixi) diaria quandoque febri,quæ tamen & rariſſimè,nec niſi ex laſſitudine incidit,&c. Galenus* lib.5.de ſanit. tuend.cap.1.

PARAPHRASIS.

PRouerbium eſt grauiſſimum, & vetuſtiſſimum, *Aliis mederis,cùm ipſe vlceribus ſcateas*,vnde abiit in ſcomma, *Medice, cura te ipſum:* ad quod illuſtrandum, ex veteribus multa concinnator adagiorum doctè traduxit: nam ſi morbis in Medicis ex intemperato vitæ regimine naſcantur, hoc turpe eſt, & illis indecorum. Si verò ex laſſitudine, labore, æſtu, frigore, aliáve occaſione externa oriantur, tunc hoc reprehenſionem nullam meretur.

Vt ergo demonſtret Galenus, quantopere vitioſum ſit, Medicum ex gula, ingluuie, comeſſationibus,in morbos incurrere,cum pluribus animi, & corporis dotibus debeat eſſe inſtructus, vt latè propoſuit Hippocr.*lib.de Medico*, & illuſtrat Septalius *l.1.caution.fere per totum*,& ipſe Galenus hæc vitia nimiùm deteſtatus eſt in locis multis, præſertim *lib.1.meth.cap.1.& lib.de præcognit.ad Poſthum.* idcircò ſe diaria ſæpè laboraſſe ex labore inuiſendi ægros, laſſitudine, ſtudio,vigiliis; & ſic concalfactis ſpiritibus in eam incidiſſe affirmat.

Sciens ergo conſeruatricis artis ope homines à morbis immunes fieri, ideò ille cùm eſſet Medicus ſingularis, præceptis Medicinæ obtemperans, ita ſanum ſe præſeruauit, vt nullo morbo tentaretur, qui à cauſa interna ortum ducit,& ſic tanta in cibo,& potu abſtinentia eſt vſus, vt ad ſatietatem nunquam comederit, biberítve, nec crudum quicquam guſtarit, vnde eſt factum vt odoriferum ſemper anhelitum ſpiraret, & citra vllam omninò affectionem,longæuam vitam traducens, ſola defecerit ſenectute,quod eſt in humanis rariſſimum, vt probat Cælius Rhodiginus *lib.30. lect.antiq.cap.12.*

Et licèt in pueritia,& adoleſcentia in magnos morbos inciderit, tamen poſt annum vigeſimum octauum, cùm exploratum illi eſſet, ſanitatis eſſe artem aliquam, cuius præceptis quis vtens,à morbis cuſtodiretur immunis,morbos declinauit, excepta diaria,quæ ex labore,& laſſitudine erat ſuborta. Quamuis autem valetudo Galeni plurima eſſet,ita vt adagium obreperet, vt Galeni valetudinem dicamus, pro ea quæ vltra humanum captum nimis ſit proſpera, nimiſque inoffenſa:attamen aliquibus morbis, etſi rarò eſt prehenſus, vt conſtat ex *3.de loc.5 & l.3.de alim. facult.& lib. de curand. rat. per ſang.miſ.* quibus locis ſe paſsū fuiſſe alios morbos præter diariam palàm profitetur.

Concludit ergo, hanc febrem ex laſſitudine fuiſſe progenitá,ſed quæ fuerit laſſitudo,non explicat.At cùm triplex ſit laſſitudinis ſpecies, ex Galen. 2. *aph. 5. & de ſanit. cap.5.*tenſiua vlceroſa, inflammatoria(licèt Auic.2.1.*doct. 2. cap. 2.* aliam addat, quæ neque vlceris, tenſionis, aut phlemones refert affectum, & vocat arefactiuam) vlceroſa correptum fuiſſe eum ,ratio dictat:nam tenſiua eſt in qua corpus diſtenditur, cuius cauſa eſt plethora;vlceroſa fit à labore, ex qua qui eam incurrunt, in ſuperficie corporis tactus vlcerum ſimilitudinem ſentiunt, & hæc fit ab exercitio, æſtu, motu, &c.

Laſſitudo ergo eſt affectio corporis, in qua ſi vel minimum quis moueatur, ſenſio quædam excitatur, phlegmonoſa, aut vlceroſa, aut tenſiua, de cuius cauſis,& differentiis lege Auic.*cit.loc.* Gal. *4.de ſanit. 2.& 7.meth.12.& 2. de ſympt. cauſ. cap. 2.& 4.aph.31.* Chriſtoph. à Vega *l.1. art. medic. ſect.2.cap. vltimo*, Valleſ.*lib.6.cont.11.*

Sed inquires,quonam auxilio ſibi ipſi opem tulerit? Dic balneo,cuius vis apud Romanos in curandis febribus,præſertimque diariis erat maxima. Hoc modo ſtrenuè iuuant quies, vnctio ex hydrelæo, mollis frictio, cibus reficiens,ſi nempe exercitium validum fuit. Ita monent celebrandum Gal.*loc.cit.de ſanit.tuend.*& Paulus *lib.1.cap.20.*Explanant luculenter Auic. interpretes *ad cap.5.Auic. 1.4.tract.1.* & omnes qui de curatione febris Ephemeræ diſceptarunt.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm poſsit ab aliquo principali corporis membro, præterquam à corde, febrilis caliditas proficiſci, vt contra Medicinæ proceres Ioannes Brauus contendit.

COMMENTARIVM.

F*Ebricitauimus.*] Auicennam inter omnes auctores rectiùs,& vſui Medico accommodatiùs febris definitionem propoſuiſſe, ab eminentiſſimis viris proditum eſt qui vnanimi voto confirmant, febrim eſſe calorem extraneum, accenſum in corde, ſed ita, vt à ſolo corde habeat febrilis paſſio originem ſuam, propriámque in ſuo actuali eſſe dependentiam, & conſeruationem. Q10 pacto febris in ſui generatione, & conſeruatione à ſolo corde, primò, & immediatè progignitur, nec ab aliquo membro præterquam à corde, poteſt calor in corpore, ſub duratione, & permanentia perſiſtere, in quó natura febris, & eſſentia conſiſtit.

Hanc ſententiam hauſit Auicen. à Galeno *lib. 1.feb.1. & 3.* quibus locis febris radicem in aliqua cordis ſubſtantia calefacta conſtituit, & iuxta variam illius ſubſtantiam inflammatam varias febris differentias enumerat; quare febris eſſencia peculiaris in hoc conſiſtit,quòd calor præter naturam in corde accendatur: probat etiam *lib de inæqual. intemper. cap. 4.& lib.10. meth.c.8.& 7. meth. cap. 8.*

Galeni votum amplectuntur Fernelius *lib. 4. patholog. cap.1.* Thomas à Veiga *lib.1.de dif.feb.in com.cap.4.* Chriſtoph.à Vega *in cit.cap. com.*Donatus ab Alto mari *part.1. de medend.feb.cap.5.* Valleſius *lib. 7.cont. 18.* Conciliator *dif.87.* Thom. Garbius. *de dif.feb.c.1.*Hugo Senenſis,Dinus, Harculanus, Gentilis *in cit.cap.Auic.*Nicol.Florent. *ſerm.1. tract.2.ſum.1.cap.2.& 3.*Auerrhoës *lib.3.collig.cap. 3.* & alij, quos citat Carrerius *in Auic. in principio.*

Quæ ſententia ſenſui manifeſtior, rationique conſentiens magis, ſic probatur primò. Inde procedit morbus, à quo ſanitas proficiſcitur.Sed ſanitas quæ in calore conſiſtit à ſolo corde ſcaturit. Igitur à ſolo corde emanat morbus, qui in calore continetur. Maior eſt manifeſta, quia ſanitas, & morbus quatenus termini oppoſiti ſunt, in vna eadémque qualitate conſiſtunt, ſub temperamenti

intempera

intemperatiuè ratione, ita vt ſanitas, prout à calore dependet, in optimo caloris temperamento, iuſtitialique æqualitatis perfectione conſiſtat, morbus autem à calore ſubortus, ab eadem caliditate extranea ſuboriatur. Sed ab eodem emergit principio cuiuſque qualitatis intemperies, à quo eiuſdem qualitatis temperies. Ergo ab eodem proficiſcitur morbus, à quo ſanitas eidem oppoſita. Minor ſuadetur ex eo, quia integra & abſoluta caloris perfectio, in qua ſanitas caloris conſiſtit, à corde perpetuò influit, dependet, conſeruatur, vt docuit Trallianus *lib.12.c.1*. Quare Medici calorem à corde in ſingula corporis membra deriuatum, temperamentum naturale appellare conſueuerunt: ea ſolùm ducti ratione, quoniam membrorum adæquata & perfecta ſanitas, maximè & præcipuè ab illo influente conſeruatur, qui natiuum membrorum calorem auget, tuetur, & perficit. Ergo ſi à ſolo corde ſingulorum membrorum ſanitas emanat, ab eodem & morbus, &c.

Secundò. Ex omnium Medicorum ſententia, febris dicitur propria, & peculiaris cordis affectio, & non aliorum membrorum. Ergo aliquid diuerſum habet à membris, cuius merito febris illius paſſio nuncupatur. Hoc autem non fit ex eo, quòd cor ſit proprium inhæſionis, & denominationis febris ſubiectum, hoc enim habet cum reliquis membris commune. Ergo eiuſmodi peculiarem denominationem ſortitum eſt cor, extra cuiuſuis alterius membri morem, quòd ſit febrilis affectionis principium, opifex, & origo, & ſic nulli alteri membro, excepto corde, hoc munus conceditur. Ergo neceſſe eſt ad perfectam conſtitutionem febris, vt caliditas illa primò in corde accendatur: quare in febre hectica in cordis corpore accenſa eſt, in putrida in humoribus, in diaria in ſpiritibus. In hunc ſenſum dicit *5. de loc. cap. 2.* quòd quemadmodum totius corporis ſanitas ex cordis temperamento dependet, ſic vniuerſalis morbus omnes corporis actiones lædens, veluti febris, debet primò occupare cor: nec immeritò, nam hoc viſcus cùm ſit calidiſſimum, *1. de temper. cap. vlt.* illicò accenditur, & cùm toti corpori calorem communicet, ſtatim vniuerſis corporis partibus, ſpirituum vitalium ope, extraneum, præternaturalémve calorem impertitur. Hoc probat *lib. de maraſm. c.1.* dicens: *nullum affectum vniuerſum corpus afficere poſſe, niſi priùs cor occupetur.*

Ex his vide, quàm inepto fundamento innixa ſit Ioannis Braui opinio, *lib. 1. de dif. feb. c. 3.* qui ex eo Auicennæ definitionem reprehendit, quòd in febribus ſymptomaticis calor in foco, vel inflammata particula accendatur, & febris concitetur. Sed non aduertit vir eruditiſſimus, quòd tunc, licèt calor adſit immodicus, febris non denominabitur, quin cor prehendat, & aduſta vel putrefacta fuligo, vel calor alteratione continua cordi communicetur, & id ponat in calefacto eſſe.

Tertio. Si totius ſenſus, aut motus læditur, læſio eſt in cerebro: ſi deficit nutritio in toto, vitium eſt in hepate, à quo paruum alimentum gigni ſolet. Ergo ſi temperies totius læditur, vt in febri, cor eſt læſum. Nec aliud ſignificauit Galenus *l. de ſang. miſ. cap. 5.* docens caliditatem, aut frigiditatem non poſſe in totum corpus extendi; quin priùs immutent cor.

Vidiſti quo pacto neceſſe ſit, vt febris denominetur, quòd calor accendatur priùs in corde, membro natura ſua æſtuante valde, immò calidiore, quàm pro ſui conſeruatione eſſet opus; quare indita eſt à natura perpetua inſpiratio, cuius beneficio, aëre nempe attracto, excedens illa & intenſa caliditas coërceretur, ne videlicet membrum ipſum corrueret, & extra naturam ab ipſa ſua caliditate excandeſceret: eſt enim naturalis cordis caliditas, velut flamma, ita docente Magiſtro *lib. de vſu. pulſ. cap. 2.* Quo pacto cor eſt actualis caloris radix & principium, à quo primo velut à perpetuo, perenníque fonte aſſiduè deriuatur. Quamuis autem hepar, cerebrum, & quodcunque aliud corporis membrum, naturaliter ſit calidiſſimum, nunquam tamen cor, quantumuis frigidiſſimum, ſua caliditate ſuperabit, ita aſſerente Galeno *lib. art. med. cap. 28. §. Vtcunque enim extiterit cor natura frigidius, multo ſanè calidiorem naturam poſſidebit calidiſſimo cerebro, &c.*

Demum, cùm nullum membrum ſit calidius corde, nec citius à quauis cauſa inflammetur, & immodicum calorem toti communicet, fit vt febris meritò paſſio cordis ſit aſſignanda.

Sed ne temporis iacturam ſub inutili ſilentio faciamus, liceat mihi diſputationem hanc in epilogum colligere, & multis, efficacibúſque argumentis traditæ doctrinæ reluctari. Et primò videtur, quòd poſſit calor præter naturam in corpore durare, qui ab alio præterquam à corde originem ducat: nam Galen. *in art. med. cap. 37.* ex calidiori hepate colligit vniuerſi corporis excedentem caliditatem, niſi cor frigiditate obſtiterit, hoc eſt, niſi cor frigidius ſit natura ſuapte. Ergo iecur calidum ſanguinis ab eo geniti calidiſſimi ope, poterit partibus vniuerſis, quæ eo nutriuntur, citra læſionem cordis, calorem immodicum; & permanentem communicare ad eſſentiam febris requiſitum: nam vt ſcitè notat Thomas à Veiga, illuſtris huius loci explanator, hepar immutat totum corpus, quia tangit ſingula membra inſtrumento à ſe, demandato, & ſi tenuitate ſanguinis ſui, meatus omnes membrorum penetrat, & quia alimentum à ſe genitum tranſit in membra omnia corporis.

Secundò. Hydrops ab hepatis frigida intemperie ortum dicit, ex Gal. *5. de loc. 7.* & alibi ſæpe: quare in hoc affectu, hepar vniuerſo corpori frigiditatem communicat, vt patet in anaſarca, in quo ob refrigerationem corporis, habitus ſubalbidus apparet; & in aſcite, & tympanite membra ob defectum facultatis ſanguificæ extenuantur. Ergo ſi hepar permanentem, & morboſam frigiditatem corpori communicat, à fortiori communicabit caliditatem, ſi igneum ſit; nam hæc agilior eſt, & promptiùs penetrat.

Tertiò. Cerebrum in ſtatu naturali immittit virtutem animalem mediante ſpiritu in corpus vniuerſum: ſicut cor per arterias vim vitalem toti communicat. Ergo cerebrum præternaturaliter calefactum, caliditatem ſuam per membra diſtribuet citiſſimè, durantem, & lædentem actiones, quia ſpiritus animalis eſt tenuior vitali. Hoc modo in paralyſi vniuerſali totum corpus redditur frigidum & torpidum quia ſenſitiua virtus, ob cerebri læſionem in corpore vniuerſo deficit, quæ ab eodem cerebro originem habet. Igitur ſicut cor præternaturales affectiones corpori diſpenſat, ſic & cerebrum.

Quartò. Omnis febris à corde non deriuatur ſemper. Ergo non ſemper ab eo originem habet. Patet maior in hectica febri: nam ſi febris non poteſt à corde procedere, niſi mediante ſpiritu & ſanguine, in quibus veluti in proprio inhæſionis ſubiecto conſiſtit; & ſpiritus, & ſanguis, conſtituunt diariam, & humoralem, fit manifeſtum ab alio principio præterquam à corde, hecticam generari.

Quintò. Febris eſt affectus lædens naturales operationes. Sed non poteſt illud nocumentum præſtare, niſi originem ipſam lædat, à qua naturales operationes veluti à radice emanant. Ergo febris eſt paſſio hepatis, quod eſt naturalium actionum principium, atque origo.

Sextò. Inde morbus expectatur, vnde ſanitas procedit. Sed corporis ſanitas non ſolùm à corde proficiſcitur, ſed à cerebro, hepate, ventriculo, pulmone, & à pluribus corporis membris: Ergo febris non ſolùm oritur à corde. Nam à ſano cerebro, in ſenſu & motu integritas emergit: ab illæſo hepate, perfecta hæmatoſis, in qua membrorum ſalus, & viuacitas conſiſtunt: à ventriculo bene affecto, totius corporis harmonia dependet. Ergo membrorum ſanitas, & morbus ab aliis partibus emanant.

Sed hæc licèt prima facie fortia videantur, facilè tamen ſolui poſſunt. Dic ad primum. Licèt poſſit hepar ſuam naturalem caliditatem reliquis membris infundere, quia illam permanentem habet, fixam, & durantem, non inde ſequitur præternaturalem poſſe impertiri, quia eam non habet, quæ videlicet poſſit actiones lædere. Adde quòd calidam hepatis intemperiem,

ſanum cor illicò corrigit, atque emendat:nam cor actioni à calido hepate profectæ vehementer reluctatur, & hoc eſt quod firmabat Galenus dicens[*niſi cor obſtiterit.*] Demum cor immutat totum corpus inſtrumenti ſui ope,hoc eſt ſpiritus vitalis adminiculo, qui cùm ſit tenuior,& ſanguine, & ſpiritu naturali, celerrimè per totum corpus oberrat: hepatis autem influxus, moroſus, & paulatinus exiſtit.

Ad ſecundum dic. Quemadmodum incipientis hydropis iecur eſt ſedes atque origo: ſic febris referenda eſt membro omnium calidiſſimo quale eſt cor. Adde frigiditatem illam in hoc affectu repertam,(etſi primò,& immediatè ex hepatis vitio oriatur,) ex aſſiduo nutritionis defectu, ex prauo ſanguine ab hepate confluente, ex vitioſo habitu ob hepar malè affectum contracto, in aliis membris regenerari, poſtquam illam ab aliquo vniuerſali ſuſceperint principio. Dicitur ergo hydrops hepatis propria affectio, quia hæc pars ſanguificæ facultatis, nutrimentaliſque ſanguinis eſt principium.

Ad tertium dic. Paralyſis, & quicumque alius affectus ex ſenſus, aut motus priuatione ſubortus, non ideò contingit, quia à cerebro aliqua vitioſa qualitas emanat, ſed quoniam animalis illa virtus in vnoquoque membro, in quod à cerebro influit, deficit; cuius ratione in membris morboſa affectio generatur, vt epilepſia, morbus attonitus, &c. Neque refert quòd cerebrum poſſit caliditatem membris impertiri, mediante ſpiritu per neruos omnibus partibus communicato: nam cor poſitiuam, fixam,& durantem ſicut diſtribuit per totum corpus ſanitatis tempore caliditatem, ſic in ſtatu morboſo præternaturalem diffundit, quæ cum hac eadem eſt, in intenſione duntaxat diuerſa.

Ad quartum dic.Hectica febris non minùs à corde,mediante ſanguine,& ſpiritu deriuatur, quàm reliquæ febres. Neque enim Galenus 1.*feb.* 1.conſtituit varias febris differẽtias penès varia caloris ſubiecta, vt ſpiritus,humores & ſolida membra,quæ in variis noſtri corporis partibus ſunt repoſita, ſed penes has ſubſtantias,ad excalfactũ eſſe cordis deductas:quæuis enim ſubſtantia, ex quibus cor componitur,poſita in excalfacto eſſe,propria cauſa eſt,& radix præternaturalis caloris permanentis in corpore, qui ad febris naturam, & eſſentiam ſequitur neceſſariò.

Ad quintum dic. Auicennam per naturales operationes, non ſolùm naturales operationes intellexiſſe, quæ animalibus, & vitalibus opponũtur;ſed naturæ actiones in vniuerſum, ſub quo nomine vitales & animales etiam comprehenduntur, & quæcumque aliæ quæ in vtilitatem, & conſeruationem totius à natura ſunt inſtitutæ.

Ad ſextum dic. Maiorem eſſe falſam, nam ſanitas quæ in calore conſiſtit, non ab alio membro præterquam à corde primò deriuatur,licèt ab aliis, remore tamẽ, poſſit originem ducere. Et de hac quæſtione ſatis.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm ad integram febris eſſentiam requiratur immodica caliditas in toto, an ſufficiat in corde.

ARgumentum de febribus eximium, vtile, vel inenarrabile potiùs, contemplari mihi ſubit quandoque; quare exiſtimo digniſſimum, vt in eo explicando docti induſtriam ſuam imponant. Ergo exactiùs penſitare id totum cùm hoc libro profitear, quo hæ præſtantes hiſtoriæ proponuntur, idcircò illud, interpretis officio fungens, emedullare cogor. Proxima ergo his dubitatio eſt, quæ non iniuria inueſtiganda: Vtrùm præternaturalis caliditas, quæ priuatim in corde reperitur, quin vniuerſo corpori communicetur,iure poſſit dici febris;aut ſola illa mereatur nomen febris, quæ per vniuerſum corpus, aut eiuſdem ſingula membra ſit ab eodem corde diffuſa, & communicata.

Conſtans eſt ſententia Galeni *lib.* 1. *feb. cap.*1. qui penes triplicem cordis ſubſtantiam, triplicem febris differentiam conſtituit; ex qua doctrina colligitur ad perfectam febris eſſentiam ſufficere, quòd cor præternaturali caliditare dicatur affectum: nam nulla facta mentione de excedenti in totum corpus caliditate, in ſolà & nuda cordis ſubſtantia integram febris eſſentiam reponit. Deinde *in cap.* 3. *lib.*1.*feb.* definit febrem, quando calor præter naturam in corde accenditur: & *lib.* 7. *meth. cap.* 8. febrem deſcripſit in calida affectione, quæ vel in toto animali, vel in corde reperitur: & *lib.de inæqual. intemper. cap.* 4. docet calorem qui in vnoquoque, vel pluribus membris præternaturaliter reperitur, nequaquam febris ſubire rationem, niſi in cor tanquam in febris radicem tranſmittatur: & *lib.* 6. *epidem. ſect.* 1. *com.* 29. aſſerit, febrem eſſe caliditatem immodicam totius, aut viſcerum. Similiter 1. *prorrhetic. comment.* 7. firmat, magis febrire eos qui immodicè calent in ſolis viſceribus, quoniam deteriùs febriunt: cor autem internum membrum, principaléque viſcus exiſtere, nullus vnquam dubitauit. Et *lib.de maraſmo,cap.*4.aſſeruit,quòd ſi æger in pulſu, & reſpiratione, non monſtret exceſſum caloris, non febrit, quaſi dicat, caloris excellentiam cognitam per pulſum, & reſpirationem, integram febris rationem, eſſentiam, eiúſque actualem in corpore exiſtentiam ſignificare. Cùm ergo pulſus, & reſpiratio, ſint febrilis caloris, & cuiuſque affectus in corde exiſtentis teſtimonia manifeſta (orta namque ſuis principiis atteſtantur;) fit vt, ſiquidem Galenus ex pulſu, & anhelitu, caloris exceſſum iudicat, quæ ſolius cordis affectiones denotare ſolent, nos exiſtimemus,excedentem in corde calorem, ad integram & completam febris eſſentiam ſufficere, quin corpori eiuſmodi caloris excellentia communicetur.

Nec deſunt rationes, quibus hæc ſententia corroboretur. Et primò ſic. Cor recipit in ſe naturalem calorem, abſque eo quòd quicquam caloris corpori communicetur. Ergo & febrilem calorem poterit recipere, illúmque in ſuo eſſe conſeruare, abſque vlla eiuſdem caloris in corpus communicatione. Conſequentia patet: nam fundamentum, & principium febrilis caloris, eſt naturalis ipſe calor, quoniam vterque calor, febrilis ſcilicet, & naturalis eundem ſeruant in corpore ordinem, eandem formam retinent, atque legem; neque poteſt dari calor febrilis, niſi in corpore, aut membro in quo calor naturalis reperiatur, ita vt quoduis corpus naturali calore deſtitutum, ad febrim recipiendam ineptum cenſeatur, iuxta illud axioma Auerrhoïs *lib.* 7.*collig.c.* 2. exiſtimantis *calorem febrilem ramificari ad proportionem caloris innati*; quoniam febris viuentis ſolius paſſio eſt: ſola enim viuentia naturalem recipiunt calorem, quo mediante viuere dicuntur. Ergo ſi cor poteſt calorem naturalem recipere abſque corporis communicatione, eodem poteſt conſequenter modo febrilem caliditatem admittere, licet hæc nequaquam in corpus extendatur. Maior patet, ex communi Medicorum, & Philoſophorum ſententia: nam cor dicitur principium vitæ, quia Primò inter reliqua membra naturali calore mediante viuit. Ergo illo tempore quo primò viuit, in ſe calorem naturalem recipit, qui naturalis verè & propriè appellatur, quin in corpus extendatur; ac proinde febrilis caliditas in corde, abſque eiuſdem in membra diſtributione eſt concedenda.

Secundò. Immodica, & præter naturam caliditas, quæ in corde poteſt dari, antequam reliqua membra viuant, calorémve participent naturalem, verè morbus eſt. Igitur febris non dicit actualem caliditatis in vniuerſum corpus communicationem, ſed ſufficit quòd eiuſmodi immodica caliditas in corde reſideat, ſiue corpori communicetur, ſiue non.

Tertiò. Moriens ex febre, eo tempore quo viuit,verè dicitur febrire: nullus tamen tunc datur in vniuerſo corpore calor,immò omnia, & ſingula membra frigent, excepto corde.Ergo datur febris abſque caliditate per corpus, ſeu membra diffuſa.

Quartò. In quocumque particulari membro poteſt cuiuſque generis morbus reperiri, vt diutino conſtat experimento. Ergo & in corde poteſt quælibet morboſa

affectio

affectio peculiariter conſiſtere, abſque vlla in reliqua membra communicatione.

Quintò. Hipp.& Galenus,cæterique Medicinæ Duces, febrim vocant propriam, & ſpecialem cordis paſſionem; quod non feciſſent,nî in corde ſolùm poſſe perfectè, & integrè febrilem affectum efformari, citra vllam in reliqua membra diſpenſationem,intelligerent.

Vt tamen huius quæſtionis veritas pateſiat, aduerte, morbum eſſe affectionem notabiliter, diu, permanenter, & manifeſtè operationes lædentem, ex Gal.*lib.1. de dif. morbor.cap.1.& 2.de natural. facult. cap.9.& 1.meth.c.3.* in cuius cœtu reponendam eſſe febrim, nullus ignorat. At hæc nequaquam eiuſmodi poteſt ſortiri munus. Patet, cùm non ſit permanens qualitas, ſed de genere ſucceſſiuorum à Philoſophis numeretur: quare non poteſt per ſe independenter conſeruari citra cordis calorem,qui febris rationem ingreditur, eiuſdémque formam attingit; qui adhuc integram febris conſtitutionem & eſſentiam non attingit, niſi eodem temporis momento membris communicetur, niſi aliquod adſit impedimentum, quod eius per corpus expanſionem impediat. Hoc modo in lipyriâ febre, rigore, febribus malignis, extrema frigent. In hecticâ, in primo inſultu inuadente, calor ob temporis anguſtiam ad omnes non expanditur corporis partes, ſed in ſolo cordis corpore conſiſtit: nam definitiones potentiam notant, & aptitudinem: quare febris dicitur calor procedens à corde vel aptus procedere. Sufficit enim quòd calor immodicus præter naturam adſit in corde, & deinde ſublato impedimento poſſit toti communicari. Sic in lipyria impedimentum eſt calor inflammationis in viſceribus vigens, quæ ritu cucurbitulæ à toto corporis ambitu calorem ad ſe attrahit, quo pacto frigēt extrema,vt docet Hip.4.*aph.*48.& 7.*eiuſd.*1. Sic in rigoris initio,in febribus intermittentibus,& malignis,calor ad externas partes non expanditur,quoniam in profundo corporis,veluti in foco,eſt coërcitus,& vnitus.

Verum ergo ſit, ad eſſentiam febris, cùm ſit morbus vniuerſalis, neceſſariò requiri, quòd calor præter naturam in quo febris conſiſtit, corpus totum vniuerſaliter afficiat; nec ſufficit quòd peculiare aliquod membrum lædat, aut cor tantummodò calore præternaturali corripiat, niſi corpus eadem excedente caliditate vnà cum corde patiatur. Ita aſſerit Auicen. *loco cit.* cùm febrim definiuit, & explicant interpretes *in com.* Hoc Galenus *lib.de cauſ.morbor.c.2.*confirmat,dum ſic ait. *At ſi in totū extenſa fuerit corpus aliena caliditas,tunc eiuſmodi affectus febris nuncupatur,quæ eſt quædam totius corporis immoderata caliditas,&c.*& 2.*meth.cap.7.* ſic fatur. *Deinde calorem ipſum,qui adeò auctus ſit, vt occaſione eius corpus laboret,nec probè perfungi actione poſſit,permittite volenti appellare febrem,ſiquidem omnes homines eum,qui ita ſit calidus,febricitare dicunt.* Quo pacto Medici febrem,vniuerſalem corporis affectum vocare, conſueuerunt non ignorantes ſingularem calorem præter naturam in quouis particulari membro, ad febris eſſentiam non ſufficere. Ergo tam in corde, quàm in corpore febris formalis eſſentia, atque ſedes eſt conſtituenda.

Neque difficilis eſt ad oppoſitas rationes reſponſio. Nam Galenus *in citatis locis*, ideò febris eſſentiam in excalfacta conſtituit cordis ſubſtantia (iuxta quam triplicem aſſignat febris differentiam, nulla facta de corpore, reliquíſque membris mentione,) quoniam certum erat neceſſariò dari in corpore calorem præter naturam,vbi primùm ob aliquam calefactam ſubſtantiam in corde generatur.

Ad primam rationem dic, Cor illo tempore quo primò reliqua membra in ſua generatione præcedit non propriè dici vitæ principium, caloríſque naturalis originem, quum nec generet naturalem calorem pro toto, immò eundem participet: ideóque, eſto,ſit febrilis caloris capax,non eſt tamen potens vt calorem præternaturalem, aut naturalem pro reliquis membris generare queat; nec enim adhuc proprio cordis vtitur officio, cùm non ſit actuale viuentis membrum, ſed matris vtero gerentis; quo pacto non actu cor, ſed potentia ſolet appellari.

Ad ſecundam dic. Calorem præter naturam, qui in corde ante membrorum generationem datur, eſſe quidem febrem communicatam ab vtero gerentis corde, in membrum illud quod potentia eſt cor.

Ad tertiam dic. Dari in moriente ex febri, tempore mortis febrem, & in corde, & in membris; ob defectum tamen caloris naturalis in toto, in membris non ſentiri. Dic ſecundò, nullam dari tunc in corpore febrem; quoniam in omnibus partibus, & in corde frigida intemperies reperitur: quoniam animantia frigida cordis intemperie occupata moriuntur.

Ad quartam dic. Non poſſe dari calidam in corde paſſionem, ſub ratione facti caloris, quin ſtatim corpori communicetur; vel ſi adeſt calida affectio in corde, eſſe quidem morbum, verùm non eſſe febrem.

Ad vltimam dic. Ideò febrem appellari proprium cordis affectum, quia in corde primò efformatur, & in eo primam ſui exiſtentiam refert, indéque per vniuerſa corporis membra diffunditur: quare cordi ſolùm febrilis paſſio non debetur, inibique duntaxat inhæret, illudque peculiariter denominat, licèt durans & permanens calor à corde, tanquam origine & radice, conſeruetur; aliàs ſtatim euaneſcet, nec permanebit, vt febris nomen ſortiri queat.

HISTOR. VIII. GALENI, *De ſynocho imputri.*

Synochus imputris, ſola ſanguinis miſſione vſque ad animi deliquium, perſanatur.

*Ergo qui palæſtræ peritus iuuenis erat, vbi febricitare hora prima noctis cœpiſſet, poſtridie eum manè circiter horam diei tertiam vidimus. Cùm autem inueniſſem febrem admodum calidam, ſed * pulſus æquales, & maximos, & celeres,& frequentes,& vehementes, tum caloris qualitatem quæ tactum minimè morderet, iam verò & vrinas, tum craſſitudine, tum colore à naturali habitu non multum alienas. Audiens præterea hominem circiter triginta dies exercitationis conſuetudinem intermiſiſſe, pridie tamen exercitaſſe ſe vehementiùs, cæterùm non multum: ſumpſiſſe autem ſolitos cibos, atque eos concoxiſſe, quamuis tardè & ægrè, vtpote cùm febris veſpere occupaſſet: cùm interim rubicundus, plenúſque homo appareret, atque etiam plenitudinis ſenſum ſe percipere diceret: faciente interim quodam eorum qui aderant, de vena ſecanda mentionem, viſus nobis eſt eius auxilij conſiderationem in aliud tempus remittere, ſimul vt certiùs ſciremus, cuius generis febris eſſet, ſimul neceſſariò propter eam quæ præceſſerat concoctionis tarditatem. Cùm autem veſperi ſimilem vigorem tueri febris eſt viſa, ceu nihil ſenſibiliter remittens, ſuſpicio iam erat, Synochon eſſe, háncque ex obſtructione, & ſanguinis abundantia, & præ carnis copia, ſtipatione. At cùm parem magnitudinem per totam noctem febris ſeruaret, poſtero die viſum eſt Medicis omnibus, qui eum inuiſerant, ſanguinem eſſe mittendū. Diſcordia verò orta de tempore: & vincentibus, qui id in ſequentem diem differendum ſuaderent, febris per totum eum diem euidenter viſa eſt vigorem ſuum augere. Mox tertia ſequenti nocte, alia quidem acceſſio minimè incidit, quæ primæ ad proportionem reſponderet: erat tamen æſtus ipſe laboranti intolerabilis; vigebátque cùm tenſio totius corporis vtpote repleti, tum capitis pulſatio, atque ob hæc grauis vigilia, iuuene in aliam atque aliam ſe figuram iactante. Itaque cùm vltrà ferre non poſſet, hora noctis circiter octaua mittit ad me miniſtrum, rogátque ad ſe ocyùs veniam. Ipſe annuo, atque abeo: inuenióque febrem calidiſſimam, pulsúmque, qualem prædixi. Quoniam autem nec in hoc, nec in lotio, nec in ipſa caloris qualitate indicium aliquod humorum putreſcentium apparuit, optimum factu viſum eſt venam incidere, antequam putredo incideret: Aufero itaque ab homine eò vſque de induſtria ſanguinem,*

quoad animo linqueretur : maximum planè vbi valentes vires ſunt, continentis febris remedium, id quod tum ratione, tum experientia didici. Primùm namque in contrarium ſtatum agitur corpus, celerrimè ex animi defectu refrigeratũ : hoc verò nemo inuenire poteſt, neque quod ipſis ægris, neque quod naturæ quæ animantes gubernat, iucundius, vtiliúſve ſit. Poſtmodum in huiuſmodi corporibus neceſſariò ſuperuenit alui deiectio, nonnunquam etiam bilis vomitio, quas res ſtatim à toto corpore madores, ſudoréſve excipiunt: quæ nimirum omnia cùm huic quoque contigiſſent, protinus febrim extinxerunt: vt quidam ex iis qui aderant, iugulaſſe me febrem per iocum dicerent, vnde omnes riſimus. Verùm quò narrationem omnem abſoluam, nihil mali erit paucula addidiſſe. Poſt duas namque à ſanguinis miſſione horas paulo nutrimenti dato, ac iuſſo quieſcere, diſceſſi. Quinta verò hora reuerſus, tam profundo ſomno indormientem inueni, vt tangentem me prorſus non ſentiret. Cùm verò & miniſtri adeò illi altum ſomnum fuiſſe dicerent, vt nec cùm madores eius abſtergerent, expergiſceretur : ſuaſi ita facerent ; eſſe namque hominem iam prorſus à febri liberum. Reuerſus autem & decima rurſus hora, etiam tunc dormientem inueni. Egreſſus autem iterum ad alios viſendos ægros, redeo hora prima noctis, non tamen vt antè tacens, ſed voce de induſtria ſublata, quò ægrum à ſomno excitarem. Quod cùm ita accidiſſet, vbi ſolo ptiſſanæ cremore ipſum nutriui, abij. Cuius modum poſtero die augens, tertio lauatum dimiſi. Ac quæ ad hunc pertinent ægrum, ita ſunt geſta, &c. Galenus lib.9.meth.cap.4.

PARAPHRASIS.

GRauiſſima eſt hiſtoria hæc, quoniam grauem in ea obſeruo doctrinam : continet enim in ſe continentis febris citra putredinem ſigna, cauſas, & curationem appoſitè delineatam à Galeno, qui pro hoc iuuene libero ſanando, plurima diligentia vſus eſt. Vocatur Synochos, vna acceſſio, quæ ab initio ad finem perpetuò manens, in multos dies porrigitur, quam febrem, continentem Medeci appellare conſueuerunt, Arabes inflatiuam dicunt, quoniam ſanguis multitudine ſua efferueſcens venas inflat ; aut quia pars tenuior copioſum vaporem emittens, inflationem repræſentat. In hac in magnis vaſis, & cordi proximis accenditur ſanguis, ſiue id ex ſuppreſſa vacuatione eueniat, ſiue ex immoderato calefacientium alimentorum vſu contingat ; qua de cauſa præ copia denegato refrigerio, & commoda ventilatione prohibita, ſanguis ſponte gliſcit & efferueſcens, ſynochum imputrem concitat.

Hac febre iuuenem hunc fuiſſe correptum dubitari minimè poteſt, quam fuiſſe de illarum natura, quas Græci homotonas vocant, Galenus *9.meth.cap.3.* aſſeruit: nam ſemper ſimilem tenorem ſeruare viſa eſt. Huic intermiſſa exercitatio præbuit occaſionem : cùm enim exercitationi vehementiſſimæ eſſet aſſuetus, & craſſioris ſucci cibis veſceretur, vt corpus palæſtritarum more in magno robore conſeruaretur, factum fuit, vt ipſe ætate florens ſanguinis ſaburram congereret, quam intermiſſo exercitio roſoluere non potuit, quæ in vaſis maximis ſtabulans, febri continenti materiam ſuppeditauit conuenientem. Hos autem palæſtritas, hoc eſt, exercitatorio in ludo verſatos, habuiſſe morem, varios, eóſque valentis materiæ cibos edendi, teſtatur Galenus *lib.1.de aliment.facult.cap.2.* Sic Athletæ, Pancratiaſtæ, Pugiles, omnifariis palæſtræ exercitiis, craſſioris alimenti victu, obeſiorem corporis habitum, & robur ſibi comparare ſtudebant, & in cœna liberaliùs genio indulgebant, & præcipuè carne ſuilla, quæ copioſè nutrit, vtebantur.

Febrim fuiſſe validam, & ex ſanguine copioſo ſubortam, ſigna à Galeno propoſita oſtendunt manifeſtè : nam pulſus celeres & frequentes, ſanguis ſuperabundantis excalfacti quantitatem nimiam, natiui caloris incendium maximum ſignificant, ex Gal. *lib.de vſu pulſ.cap.1.* Sed erant æquales : cùm enim hæc in genere diariarum reponatur, ex Gal. *9. meth.cit.* pulſum in magnitudinem,

A celeritatem, & crebritatem mutat, diariæ inſtar, ex Gal. 3. *de præſag. ex pulſ. cap.7.* contrario modo febres putridæ in vigore vtrumque habent motum celerem, & diſtentionis, & contractionis, & ex æquo crebritatem mutant, tam in interna, quam externa quiete, vt *in com. ſequentis hiſtoriæ* latiùs diſceptabimus, cùm de ſignis putridarum ſermonem inſtituemus.

Deinde huius febris naturam apertè demonſtrabat calor minimè mordax, & inſuauis, qui ſeſe tactui repræſentabat : nam ſanguis copiâ ſolâ abundans, & alienam qualitatem non induens, mitis eſt, & eius vapor ſuauis, & non acris. Sic & vrina à ſtatu naturali non multùm diſtabat, cùm ſanguis ſolùm eſſet excalfactus, & non putris, vt Galenus *lib.1.ad Glauc. 2.& 3.& 1.de diſ.feb.7.* aſſeruit. B Quare in craſſitie, & colore non vehementer excedebat : aliquantiſper enim craſſam, & rubram fuiſſe iure merito quis dicere poterit, qui contenta ex humore ſuperabundante generari non negauerit cum Gal. *lib.1.criſ.cap.12.* & hoc modo vrina erat craſſa, ex craſſo ſanguine generata; & ab excalfacto, rubra, vt probat Gal. *6.epid ſect.1.com.19.§.Rubra autem à ſanguine.&c.* & *ſect.5.com.14.* Quare ſi in venis ebulliunt humores, eis vrinam reſpondere eſt neceſſe.

Ex hoc ſanguine craſſo, inflammato, igneum calorem adepto, elati ſunt vapores, qui cerebri membranis communicati, & è vaſis exilientes, oberrantéſque per corpus totum, concitarunt vigilias, inquietudinem, capitis pulſationem, æſtum, calorem ingentem, quæ omnia ſimultaneæ phlebotomiæ ope, leuatáque natura à copia, C qua velut ſarcina, & onere magno premebatur, fuiſſe diſcuſſa, craſſa parte humoris vacuata per aluum, & per vomitum ; tenuiori per ſudorem, & per inſenſilem tranſpirationem, ex ſerie contextus dilucidè patet. De cuius venæ ſectionis mira vtilitate tam multa diximus *lib.1. in com.hiſtor. 9.* & referunt Græci, Arabes, & Claſſici ferè omnes. Lege Auic. interpretes *in com. cap.3.fen.4.lib.1. & 14.tract.2. cap.43.* Conciliator. *diſ.164.* Card. *lib.1. cont. tract.4. cont.13.* Valleſ. *7.cont.8.* Iacchin. *in methodo feb.cap.16.* & alios præſtantiſſimos viros.

Sed plurima ſunt in hac hiſtoria dubia, & valde controuerſa, quæ expedire oportet, cùm ea poſſint lectorem ingenuum remorari. Et primo quæro. Si omnis intemperies deiicit actum virtutis, vnde languet virtus, & fit pulſus paruus, cur in hac febre adfuit pulſus vehemens? Dic primò cum Gal *3.de præſag.ex pulſib.cap.2.* tunc fieri pulſum magnum in febribus, quum humores incale- D ſcunt ; tunc paruum, quando ſubſtantia cordis incaluit quam ventriculi continent, quoniam tunc adeſt debilitas facultatis : ita intelligendus eſt Galenus *1. de præſag. ex pulſ. & 1.de cauſ.pulſ.7.* dicens, calidorum affectuum proprios eſſe magnos pulſus, & quamuis in febriente virtus debilior ſit, quàm antè, tamen ob magnum conatum aucta neceſſitate refrigerandi robuſtior reddita, facit magnum pulſum: ita iratorum pulſus eſt vehementiſſimus, *4.de cauſ.pulſ.cap.2.* Solue ſecundò. Licèt dicatur pulſus vehemens, non abſolutè id eſt intelligendum, ſed reſpectiuè ad alias febres, & maximè ad hecticam, in qua maior debilitas adeſt : ſimpliciter enim pulſus vehemens in ſanitate ſolummodò viſitur.

Quæro ſecundò. Cur manifeſtiſſimis ſignis iam propoſitis Galenus ductus, prima die febrim continentem non cognouit ? quod feciſſe ſæpiùs, gloriatur *1.feb.7. & 10.* E qui febris ſpeciem, & cum aliis complicationem primis diebus ſe agnouiſſe enarrat. Sic enim habet *lib.1.criſ.1.* *Et quoniam eas ex multis fieri demonſtrauimus, quorum vnum eſt, ipſius ægritudinis natura: quo pacto & hanc optimè quiſpiam poſſit internoſcere, ad hunc ſecundum librũ tradere diſtuli. Itaque ſi quiſpiam nobiſcum affuit in curatione ægrotantium, ex prima acceſſione, & quotidianã febrẽ, & tertianã, & quartanam, & ſemitertianã, & eã quæ ab ardore cauſos vocatur, plurimoſq́ alios morbos præcognoſcentibus, ex ipſo opere huius contemplationis habuit experientiã, &c.* Dic, non ſemper Medicus prima die febris ſpeciem cognoſcere tenetur : quoniam *ſi prima ſtatim die hoc fieri non poteſt* (inquit ipſe *lib.1. ad Glaucon. cap.4.*) *in ſecundo ſaltem*

formam

*formam inuenire eſt tentandum;quòd ſi nec in hoc aliquid firmum ſciatur, in tertio manifeſtius apparebit:*quod & *lib. de typis,cap.*2. affirmat.Solue ſecundò. Galenus certus erat de genere febris, ſed prudenter certiorem deſiderabat cognitionem, quam in alio ſequenti veſpere, obſeruatis certioribus ſignis eſt aſſecutus, quia habebat ſocios qui eius doctrinam carpebant vehementer, & fortè erant de illorum numero, qui ſpreta venæ ſectione, triduana inedia ægros cruciabant, de quibus ſuprà egimus; & ſic cautè ſe geſſit Galenus, ne fortè celebrata phlebotomia copioſa, quæ vnicum huius febris remedium erat, ægro in peius ruente, ſiniſter euentus, aut mors illius adſcriberentur errori.

Quæro tertiò. Si Galenus non erat ita certus de ſpecie febris, quare illam ſanguinis miſſione curauit? nonne rectius erat ſequi conſilium Auic.4.1.*cap.* 1.& 1.4.*tract.*2. *cap.* 7. dum monet,ne curetur febris, niſi priùs cognoſcatur;Sic enim ait. *Et caue ne cures febrem, niſi cognoueris eam:quòd ſi non cognoueris, ſubtilia regimen: nam natura aut curabit eam,aut manifeſtabit:*quoniam cùm inedia,aut victus tenuis adhibetur, quum non diſtrahatur natura à coctione, & ſit ſpecies euacuationis ex accidenti, 4.*aph.*2. concocta, & diſſoluta materia morbifica, aut ſuperatur morbus, aut ſit manifeſtior: & humor qui eſt morbi cauſa alimenti benignitate deſtitutus, ſyncerior redditur, & ſui vim euidentiùs demonſtrat,vt Fernelius eleganter notat *lib.* 1. *patholog.* 14. Quare quando morbus ſecundùm ſpeciem non cognoſcitur, vt ſi v.g.cognoſcatur quòd ſit febris putrida, ignoramus tamen an ſit bilioſa, vel pituitoſa, victum tenuem præſcribere oportet. Quod præceptum omnibus morbis eſt commune: nam, vt Galen. docet 9.*meth.cap.*1 4.medicatoriæ indicationes à morbo ipſo deſumuntur: quoniam, vt ipſe dicebat *lib.* 1. *de aliment.facult.cap.* 1.*ad fin.affectuũ cognitio eſt remediorum materia,*& *lib.*3 .*meth. cap.*7.*in init.*monuit,remediorum inueniendorum initium ex morbi natura deſumi, quum abſurdum ſit aliud eſſe quod curatur, & aliud quod curationem præſcribit. Hoc pacto docet *lib.* 2. *meth.cap.*4.*ad fin.*exemplo propoſito in affectibus ventriculi, dicens, quòd niſi priùs inueniatur ventriculi affectus, fieri non poteſt, vt remediorum ſis compos: & 1.*acut. comment.* 3.*ante med.* profert, quòd priùs cognoſcere oportet, quiſnam ſit morbus, deinde verò ipſius aggredi curationem: quod placitum hac ratione poteſt deduci. Morbus ad ſui curationem contrarium requirit. Sed impoſſibile eſt vnum contrarium cognoſci, quin alterum cognoſcatur. Ergo impoſſibile eſt cognoſcere remedium contrarium, quin morbus ipſe cognoſcatur. Quapropter ſequendum eſt Auicen. præceptum 1.4.*tract.* 2. *cap.* 9.*poſt med.* cùm monet. *Et cùm ambiguum ſit tibi diſpoſitio in ægritudine, & non cognoſcis eam,tunc vt declines ad ſubtiliationem eſt melius, quàm vt declines ad additionem,* &c.

Dic. Vera ſunt hæc, & ex recta curandi methodo deſumpta, ſed in procraſtinatione erat periculum; maximè cùm ſigna manifeſtæ plenitudinis adeſſent, & inedia ſit moroſa vacuatio, & ſolùm ſenſim plenitudinem exhauriat, & non ita celeriter, vt morbi acuties efflagitat.Dic ſecundò Medicus, antequam exquiſitè innoteſcat morbi ſpecies, vti poteſt auxiliis aliis communibus, quod opere ipſo exercuit Galen. *lib.* 2. *de loc.*5. §.*Porrò memini mihi ipſi,*&*c.* qui cùm ex doloris ſpecie exiſtimaret ſe habere lapidem in altero vreterum impactum, tunc oleo rutaceo cum vtilitate vſus eſt per clyſterem iniecto, quia doloris colici,& nephritici præſidia communia ſunt, & quidem calorifica omnia, ſiue intus, ſiue extra ſint applicita:nam hi duo affectus, antequam in initio exquiſitè internoſcantur, ſimilibus præſidiis leuantur .Hoc modo antequam certius eſſet de plenitudine totius, 6. *aph.* 3 1.& 2. *acut.* 1. in ophthalmia, & pleuritide vtitur fomentis.Sic in præſentia humoris calidiſſimi in iuuene hoc, ſanguinem vſque ad animi deliquium emiſit, licèt de exquiſita ſpecie febris certus non eſſet. Vtrùm verò morbo ignoraro quicquam Medicus agere debeat, agitat Syluaticus eleganter *controu.*16.

Quæro quartò. Cur oculatiſſimus Galenus, præſente tam manifeſta plethora, omiſerit venæ ſectionem, & in ſequentem diem diſtulerit, huic febri tantopere neceſſariam? Reſpondebit quiſpiam Galenicæ doctrinæ amantiſſimus, quoniam præceſſerat concoctionis tarditas, & cibus adhuc præexiſtebat in ventre, quo tempore ſi venam ſeces, alimentum ſemicrudum intempeſtiuè attrahes ad venas,loco illius quod euacuaſti, quod cauet Auicen.4.1. *cap.* 20. explicant Dinus *in com.*Santorellus *lib.*1 9.*anteprax.cap.*2 1.ſic enim iubet Hippocrat.4.*acut. text.* 36. *ſi febris hominem prehenderit, vtere excremento deſcendente,vel nuper cibatum,ſiue eum lateris dolore, ſiue non, is quieti tantiſper permittendus, donec cibus ad ventrem imum primùm deſcẽderit,*&*c.*Sed hac ſolutione tantùm abeſt,vt tueamur Galenum,vt potiùs eum condemnemus.nam vt notabat grauiſſimus auctor Aëtius *tetrab.* 3. *ſerm.*4.*cap.* 23.ſi cibus in ventriculo continetur,qui nequit clyſtere vacuari,non debet venæ ſectio differri, ſed præcipiendus eſt vomitus, & poſt vomitum vena eſt ſecanda: quo pacto nullam videtur habere excuſationem Galenus, qui in hoc iuuene plethorico, & in quo timor erat, ne præ copia craſſi ſanguinis ignis ſuffocaretur internus, in tertium diem phlebotomiam differendam imperauit, quoniam cibum ob febrim prauè concoxerat; nec enim hoc ad periculoſam dilationem videtur ſufficiens, quum cibus in ventriculo, vel inteſtinis contentus incipiente febre vomitu vel enemate poſſet expelli, & ita confeſtim ad venæ ſectionem accedere. Deinde quando quis cadit ab alto, percuſſus eſt, aut vehementi dolore opprimitur, in omni diei hora vena ſecari poteſt. Ergo ſi affectus vrget à ſanguinis copia excitatus; mox debet aperiri vena: ſic enim monet Galenus *lib. de curandi rat.per ſang.miſ.cap.* 12.§.*Vbi efferueſcentis ſanguinis copia ineſt, acutiſſimam febrim accendens, ſubitò & confeſtim expedit ducere,*&*c.* Hoc erat faciendum in hoc iuuene in die prima,ne poſtea intempeſtiuè ob nimiam afferueſcentiam, & implacabilem æſtum cogeretur ſanguinem emittere.Si tamen hiſtoriæ ſeriem attentè contemplemur, ſolùm vnico die eius voto fuiſſe dilatam venæ ſectionem inueniemus, in febri præſertim miti, & quam nulla putredinis comitabantur ſigna, & cuius genus adhuc notum non erat. Aliorum tamen Medicorum conſilio, qui cum Galeno ad curationem ſunt vocati, in tertium diem venæ ſectionem fuiſſe dilatam, patet ex verbis, & *vincentibus, qui id in ſequentem diem differendum ſuaderent.* Non ergo redarguas Galenum cum Augenio *lib.*8. *de ſang.miſ. cap.*23.qui ſi explicetur hoc modo, cum ſeipſo valde conſentit.

Quæro quintò. Cur obſtructio vnà cum ſanguinis abundantia non excitauerit putredinem, ſi illa huius eſt potiſſima cauſa,ex Gal. *in meth.* & *l.de feb. dif.* & locis multis, & ſanguis eſt calidus & humidus, & erat in loco calido & humido conſtitutus? Nam pori cutis præ carnis copia erant ſtipati,& in vaſorum internorum ſinibus,inter alas & inguina exiſtentium,in quibus tranſpiratione impedita conculcatus ſanguis incaluit multùm, febrimque excitauit,aderant obſtructiones,quas par eſt à ſanguinis craſſitie,lentore,& copia fuiſſe ſubortas;firmat Galenus *lib.*8. *meth.*4.& *lib.*9.*meth.cap.*1.& 1 1.*meth.cap.*4.quibus locis continentium febrium cauſas inquirit. Dic in hoc ægro obſtructiones non fuiſſe magnas, neque ſanguinis craſſitiem inſignem, quum hæc febris intra diariarum fines conſtiterit: Nam ſi magna eſſet obſtructio,ex neceſſitate humorum putredo eueniret: hanc enim timens Galenus, idcircò ſanguinem copioſiſſimè emiſit, antequam putredo inciperet.

Quæro ſextò.Cur ex pulſu venatur concoctionem,aut putredinem, ſi hic ſolùm eſt ſignum facultatis vitalis? Dic,pulſus primò & per ſe indicat de facultate vitali, ſecundò de naturali; ſi enim eſt robuſta vitalis, quæ eſt norma,& regula cæterarum,ex Gal.*lib.*7.*meth.vlt.*& *lib.*5. *de loc.affect.cap.*1 .naturalis etiam conſtat,à qua proba concoctio. Dic ſecundò. Coctio ex pulſu ſignificatur priuatiuè, quia videlicet non adſunt putredinis indicia, nec velocitas contractionis magis quam dilationis augetur,

augetur, quia non ſunt interiùs putridæ fuligines expellendæ, ſed dilatatio eſt maior contractione, vſus enim maioris refrigerij cauſa vrget magis; quod ſignum Ephemeræ, aut imputris febris ſanguineæ eſt indicium. Conſule Gal. 4. *de præſag. ex pulſib. cap. vlt.* & Ioannem Lupum *lib. 4. de pulſib. ad tyrones, dialog. 9.*

Quæro ſeptimò. Si in febri imputri ſanguis calidiſſimus in vaſis redundat, ſola copioſa, confertímque facta venæ ſectione auferendus, ad quam ſubſequitur aliqua tenuiſſimi humoris excretio à natura celebrata, vt per ſudorem, vomitum, hæmorrhagiam, cur exoptat alui profluuium, ſi per inferiorem ventrem craſſi ſolùm humores, & non ſanguis efferueſcens vacuari ſolet? Dic, ſanguinem licèt tenuiſſimum etiam ſuam habere fæcem, cùm in eo, velut in lacte, terrea, & lenta humoris melancholici, & pituitoſi pars ſit commixta, vt patet in ſanguine per venam extracto, in quo ſubſidet lutulentum, innatat pituitoſum, & bilioſum. Quare non eſt mirum, ſi venæ ſectionis beneficio deonerata natura, ſpirituoſum, & feruidum ſanguinem per nares quandoque, interdum per ſudorem eliminet cum ægrotantis commodo; ſæpè rumpatur aluus, craſſiore eius parte per infernam regionem expulſa; multoties ſubſequatur vomitus, exonerante ſeſe natura, & excernente ſanguinis tenuiorem partem; quæ ad bilis naturam proximè accedit. Quare in febri ſanguinea primò poſt factam phlebotomiam mouetur aliqua vacuatio, per quam ſanguis foràs extruditur, vt per nares, vomitum vterum, mariſcas, vrinam cruentam; ſecundariò verò cæteras per diuerſas partes victrix natura vacuationes promouet.

Quæro octauò. Cur poſt duas à ſanguinis miſſione horas exhibuit cibum, ſi virtus tantoperè erat ex præcedenti venæ ſectione exhauſta, quæ oblata alimonia illicò erat reparanda? Dic, quoniam vires ex præcedenti venæ ſectione debiliores factæ alimentum concoquere nequeunt: hoc enim ſi exhibeas, id vaſa inanita intempeſtiuè à ventriculo rapiunt, antequam concoquatur, vt Galenus retulit 4. *de ſanit tuend cap. vlt.* probat Rhaſius *lib.7. ad Almanſor. cap. de phlebotom.* Hæc methodus deducitur ex ſimili doctrina Hippocrat. 2. *acut.* 13 vbi inquit *at vbi purgatio deſierit, tunc ſorbitio detur*, ſed *conſueta minor, deinde liberaliùs perpetuò exhibeatur.* Sed contra obiicies, quod 1. *aph.* 18 ſcribitur, virtutem debilem indicare nutriendum eſſe parùm, & frequenter; quod verò poſt phlebotomiam vtile ſit copioſius alimentum, colligitur ex Hippocrat. 2. *aph.* 10. dicente: *impura corpora quantò magis nutris, tantò magis lædis.* Ergo à contrario ſenſu, corpora pura, & iam rectè vacuata per phlebotomiam: quantò magis nutriuntur, magis iuuantur. Hæc ſolùm oſtendunt poſt purgationem, & copioſam phlebotomiam exhibendam eſſe quantitatem cibi diſcretam, & ampliorem, & vtilem eſſe cibum magis alentem, tamen in quantitate minori. Sed ſi ita eſt, quomodo Hippocrat. *cit.* 2. *acut.* poſt purgationem non mutat qualitatem cibi, & minuit quantitatem illius? Dic cauſam eſſe, quia plurimùm fidit maximo robori virtutis ſui temporis, quo conſtabant tunc homines, ob rationes quas affert Galenus *lib. 2. de fract. com. 27. §. Hippocratis ſæculo veratrum album fortaſsè tutò ſumebatur, ob rationem victus eorum hominum qui curabantur, qui vitæ genus non otioſum ſequebantur, aut intemperans, ſed laborioſum, paucíſque alimentis erant contenti, ſic vt craſſos ſuccos nulla ratione contraherent, neque enim nos latet fieri hos, tum otio, tum abundántia. Quod ſi vim æſtimaueris corporum eius ſæculi, quam ex eiuſmodi victu comparabant, magis adhuc dari veratrum permiſeris, quum, quæ vomitus affert incommodá, ferre homines illi facilè potuerint.* Repetit *lib. 6. Aph. com.* 28. Quapropter rectiſſimè feciſſe Gal. arbitrator, qui poſt phlebotomiam paucum alimentum offerendum imperauit, quod firmat Auic. 4. 1. *c.* 20. *poſt princip. §. Et oportet ne phlebotomatus in ſe replendo ſit audax, ſed ſecũdum ordinem nutriatur, & cibum primò ſubtiliet, &c.* Nam, vt *cit. 4. de ſanit.* dicebat Gal. *nec venter externa. quæ ſumpſit, exactè concoquit; nec venæ hæc quæ à ventre excipiunt: ſed nec carnes, quæ ex venis, vbi probè antè non ſunt confectæ, atque interim excrementi copiam in corpore prouenire eſt neceſſe, &c.*

Quæro nonò. Si ſomnus in declinatione valde iuuat, quoniam ſcilicet debilis facta natura ex reſolutione, & ex ſtatu febris prægreſſo ratione ſomni reficitur, & roboratur, immò non nocet apud ſtatum, ex Gal. 2. *aph.* 1. §. *Nam aliquando etiam conſiſtente morbo ſomnus manifeſtam attulit vtilitatem, quandoque etiam in extremis partibus augmenti, quæ ad conſiſtentiã copulantur, &c.* cur Galenus hunc ægrum iam à febri liberum, è ſomno de induſtria excitauit? Dic: Auic. 1. 4. *tract. 2. cap. 7.* ſic habet. *Et prohibe eum à ſomno in principio febris, &c.* & præcipuè quando adeſt rigor, vel horror, vel frigus, ſomnúmque nocere triplici de cauſa affirmat, quas deſumpſit ex Gal. 2. *Aph. cit.* Prima, quia rigor, horror, & frigus per ſomnum protrahuntur, ſanguine & ſpiritu ad interiora collecto, qua ratione non ita citò occupatur materia febris à natiuo calore; quare Galen. dixit. *Et propterea ſi in principiis dormierint, caſus illi protrahuntur, & vix febres ad conſiſtentiam perueniunt, &c.* Secunda cauſa, quia ſomnus adiuuat materias, ſi fuerint commotæ ad quædam viſcera: nam ſi aliqua in viſceribus inflammatio adeſt, vt in iecore, ventriculo, & ſimilibus, fluxio retrocedente ſanguine, & calore ad internas ſedes per ſomnum, magis augetur. Tertia, quoniam humorum concoctio prohibetur; ex concurſu enim ſanguinis ad intima calor ſuffocatur, ad externáſque impeditur expandi corporis partes.

Sed ſententia hæc Gal. & Auic. videtur redarguenda: nam hic ipſe 2. 1. *tract. 1. cap. 49.* videtur oppoſitum ſentire, §. *In principio vero paroxyſmi multoties fit, & non nocet.* Deinde 1. 4 *tract. 2. c. 12. §. Et in agarico eſt iuuamentum, &c.* In rigore vehementi commendat agaricum permixtum cum opio, ad conciliandum ſomnum. Tertiò quoniam per ſomnum omnes operationes naturales roborantur, vnito calore in partibus interioribus, & ſic alimenta, & humores perfectiùs concoquuntur. Ergo ſomnus in nullo putridarum febrium tempore debet prohiberi.

Ad primam rationem dic: Auicennam ibi velle, læſionem, quæ in principis acceſſionum ex ſomno aduenit, non eſſe maximè pertimeſcendã, ſi contingat; de ea enim profert Galenus 2. *Aph. cit. Illa enim neque, mortem neque aliud graue ſignificat, quum naturam temporis conſequatur, &c.* & ſi ratione ſigni deterior eſt læſio, quæ ex ſomno contingit in aliis temporibus, quàm quæ in principio acceſſionis accidere ſolet. Ad ſecundam rationem dic: quòd in principio aliquando conceditur ſomnus, ob vtilitatem quæ ex mitigatione rigoris ſequi ſolet, non tamen quia non noceat. Ad tertiam dic: quòd ſomnus roborat omnes operationes naturales, quandò naturalis eſt: in principiis verò acceſſionum non eſt ſecundùm naturam, & ex eo actiones naturales non roborantur, immò impediuntur, quoniam ex facto ſpirituum, & ſanguinis ad interiora motu, calor natiuus ſuffocatur: hinc *cit. Aph.* dicebat Galenus: *ſicque humores aliqui ad ventrem confluant, non vt in aliis ſomnis concoquuntur, ſed multò plures fiunt cocti permanentes, &c.*

His iactis: Galenus in huius iuuenis curatione, poſt exhibitum cibũ, quinta hora reuerſus, à profundo ſomno eum non excitauit, non ignorans ex ſomno plures vtilitates ſequuturas, nam reliquiæ humorum partim coctione, & inſenſili tranſpiratione, partim per ſudorem reſoluuntur; vacuatio enim in ſomno fit præſtantior: licèt enim hic omnes vacuationes cohibeat, tamen ſudorem magis prouocat, auctore Auicen. 2. 1. *doct.* 2. *cap.* 1 3. & 2. 4. *tract.* 1. *cap.* 68. ob rationes plures præſertim quia ſit maior coctio, & multus vapor ex alimenti coctione fertur ad cutem, qui tranſit in ſudorem, & ſic factum eſt vt ob ſomnum prouocaretur ſudor. At verò rediens hora prima noctis ſomnum interdixit, quoniam longus iam erat, & profundus, & timor erat ne in corpore ex copioſa phlebotomia debiliori facto poſſet nocere, & ſic impedita expanſione caloris ad partes extimas, tota corporis moles flacceſceret: nam ex Gal. & Auicen. *locis citatis*, ſomnus in ſtatu multoties nocet, quia à magna cauſa concitari ſolet; tunc enim ob vehementiam caloris

caloris expanſi per corpus, æger multo minùs proclitiùs eſt ad ſomnum.

Quæro vltimò. Si *maxima continentium febrium remedia duo ſunt, detractio ſanguinis, & potio frigida*, vt notat Galenus *lib.9.meth. c. 5.* cur frigidam non exhibuit? Dic: quoniam ſanguinis miſſio in hac febri anteponenda eſt frigidæ potui: cùm enim plenitudo vacuationem expoſtulet, ſi iis quæ refrigerent vtaris, copiam intra corpus coërcebis, quare frigida non eſt exhibenda, venæ ſectione neglecta: Sin aliter feceris, & vaſa non tranſpires, veſtileſque præuia phlebotomia, innatus ignis à ſanguinis multi, & craſſi copia retenta obrutus, & ſuffocatus extinguetur prorſus.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm aucto, aut minuto vſu, aliquis ſeruetur ordo, in pulſuum differentiis comparandis, & omittendis, vt contra Galenum plurimi Barbarorum cum Fernelio opinantur.

COMMENTARIVM.

PVlſus *& maximos, & celeres, & frequentes, & vehementes.*] Plurima ardua, & in intimis veræ medicinæ ſacrariis recondita poterant in hac hiſtoria controuerti: ſed quia ea in ſequenti ad vnguem ſunt exponenda, idcircò modò ea conſultò prætermittimus. Hoc loco agitanda eſt illuſtris antinomia, quæ hactenus ſcribentes plurimùm torquet, atque fatigat: Vtrùm ſcilicèt vna ex differentiis pulſuum immutata, aliæ duæ quæ ſequuntur, neceſſariò immutentur: vel quo ordine acquirantur. Quod dubium grauiſſimum eſt, & à pauciſſimis iuniotum adamuſſim agitatum.

Magnitudini enim ſemper velocitatem, crebritatémque accedere, quidam Barbarorum arbitrantur: alij vel nullum ordinem ſeruari in dictis differentiis comparandis, & omittendis: vel increſcente calore, primò crebritatem acquiri: diminuto, paruitatem, ſibi perſuadent. Horum ſententias, eo quo proponuntur ordine, ſuis fundamentis firmare conabimur. Et primam ſic.

Natura vrgenti neceſſitati non modò ſuccurrit, ſed quoad fieri poteſt meliùs, & celeriùs. Atqui excedenti calori, tribus illis differentiis ſimul immutatis commodiùs, & celeriùs ſuccurritur. Igitur ex neceſſitate ſimul omnes augebuntur.

Præterea vis pulſifica merè naturalis eſt; reſpiratoria licèt animalis ſecundùm exigentiam, & tanquam merè naturalis, agit. Ergo vbi primùm vrgente vſu operantur, ſecundùm vltimum quoad poſſunt operabuntur, & ex conſequenti, &c.

Deinde, ſi vna & eadem eſt cauſa à principio, quæ & poſteriùs, & aliquando tandem omnes differentias ſimul auget, cur non ſemper augebit; aut qua cognitione pulſifica vis irrationalis, & ſimiliter reſpirationis agens, quæ illi aucto vſu conformatur, ſuorum motuum ſpecies poterunt modò cohibere, modò minuere, aliquando augere, non ſemel edere?

Inſuper crebritas tam in pulſu, quàm in reſpiratione, reperiri nunquam poteſt ſine magnitudine, & velocitate, ſi virtus ſit conſtans, & inſtrumentum obediens, ex Gal. paſſim, & præſertim *lib.de pulſ.diſ.* & Auic. 11. *doct.3. cap. 6.* Sed aucto vſu neceſſariò fit immutatio ad frequentiam. Igitur & ad alias ſimul differentias, ſine quibus illa dari nequit. Probatur minor, quia ſi vſus refrigerij increſcat, corde & arteriis internè quieſcentibus; conſeſtim; & citiùs quàm antea incipient dilatari ad frigidi aëris raptum; & rurſus ob copiam fuliginum, à multo calore feſtinabunt contrahi: idque tamdiu efficient, quamdiu durauerit neceſſitas; quare minor erit quies inter ſyſtolen & diaſtolen media, & ex conſequenti maior frequentia, quæ ex tempore minoris quietis deſumitur. Igitur, &c.

Denique, Vſus ex cauſis continentibus reſpirationis, & pulſus vna eſt, & ad quam aliæ ordinantur, ex Galen.

A *lib.1.de cauſ.pulſ. 1.* & illius gratia omnes differentiæ immutantur. Ergo facta mutatione in vſu, fiet & in differentiis, & ex conſequenti vſu aucto omnes differentiæ quæ illi inſeruiunt, ſimul augebuntur, magnitudo, velocitas & crebritas. Nec ita putare, alienum exiſtimant à Galeni doctrina, cùm ipſe *lib.art.medic.c.26. & 33.* tria illa calido cordi perpetua faciat, etiam in diſpoſitione naturali; vnde à fortiori inferunt, in ſtatu præternaturaliter calido, nunquam vnam differentiam ſine aliis poſſe reperiri ſed ſecundùm omnes, ſimul reſpirationem, & pulſum immutari.

In eiuſdem confirmationem adducitur etiam locus ex *1.de cauſ.pulſ.c.5.* vbi inquit, aucto calore, opus eſſe tum reſpiratione, tum pulſu maioribus, & quia maioribus, B continuò etiam celerioribus, & crebrioribus: ac ſi inſeparabiles ſint prædictæ differentiæ, idque ſitientium exemplo ibidem confirmat, non modò multum, ſed celeriter, & crebrò potantium.

Nec minùs etiam facit pro prædicta opinione quod ſcribit *1.de diſ.reſpirat.c.22.& 24.* dicens, abundantiam caloris magnam reddere, & denſam reſpirationem; & vt magnam effici, ita & præcedentem ceſſationem breuis temporis reddi, hoc eſt, frequentem, ac ſi nunquam vna ſimplex differentia reperiatur. Quòd ſi aſſerit ſentiri primò magnitudinem, non inficiatur omnes ſimul acquiri, ſed illã veluti ſuperiorem, magis inſignem percipi, reliquas in initio occultari.

Et videtur confirmari ex *1. præſag. ex pul. paulò poſt princip.§. At verò ſi paruus fiat à natura flexus ob vſum,* C *ſola perſpicua erit magnitudo, nondum autem celeritas: ſi maior, increſcet magis magnitudo, & clarè celeritas apparebit. Si amplificetur adhuc, magnitudo, celeritáſque augebuntur, atque accedet crebritas;* euidenter ſcilicet, quaſi omnes tres differentiæ ſimul compararentur, ſed duæ primum non appareant.

Cæterùm licèt Iacobus de Forliuio *lib. 2. art. medic. quæſt. 25.* dictam opinionem cum multis Barbarorum ſequatur, tanquam probabiliorem, licèt minus communem dicat: contraria tamen verior eſt, & communior; etiam inter Arabes ipſos, vel præcipuos, ex Auic. *2.1.doct.1. de pulſib c.6.& 10.3.tract.1.c.20.* & Auerrhoë *4. collect.18.* cum aliis: quæ affirmat non omnes tres differentias ſimul acquiri, ſed acquiri pro neceſſitate. Firmat Galenus expreſsè in multis locis, *1.de præſag. ex pulſib. 1.* ſcribens quod iam alibi dixerat, vſu non multùm mutato, maiorem dun- D taxat fieri: & *lib.3.eiuſd.operis, c.2. Si calor* (inquit) *ſolus increuerit, & in naturali ſtatu maneat facultas, inſtrumentúque, cùm mutatio eſt parua, magnitudo tantùm in pulſu augetur; cùm maior, etiam celeritas; cùm inſignis iam, etiam crebritas.*

Ratione verò ſuadetur ita. Natura eo modò pro vſu, & neceſſitate ſua applicat inſtrumenta, & variat actiones, vt quoad fieri poteſt, nec in opere deficiat, nec accedat. Sed modico caloris augmento ſupra naturalem, vel moderatum, ſufficit plerumque ſola magnitudo. Igitur penes illam tantùm immutabit natura pulſum: penes duas, vel omnes ſimul, vbi nimis adaucto vſu requiruntur agit ſiquidem pro ratione indigentiæ. Quæ ſententia ex ſolutione argumentorum firmior euadet.

Dic ad primùm. Naturam quidem bonum ſemper in- E tendere, & in malis ſubuenire cum celeritate: verùm ex eo non proinde ſequitur, per omnia illa cuiuis augmento perpetuò occurrere; excederet enim in opere; quod non minùs abhorret, quàm deeſſe; & licèt celeriùs nõn æquè benè, aut tutò; maximè quòd ſicut non patitur, ita nec ſubitas mutationes ſolet efficere, ſed paulatim procedere, & pauciori-bus inſtrumentis, quia ita meliùs, præcipuè ſi non vrget neceſſitas, cui ſuas functiones accommodat.

Neque obſtat, quòd actio pulſandi merè naturalis dicatur; reſpirandi autem ad modum illius pro indigentia fiat, & ambæ ad neceſſitatem pariter ordinentur: quia licèt pulſatio à natura ſit, & operatio quædam de genere vegetabilium, non ita tamen veluti illa plantis ſimul, & animalibus communis, purè naturalis dicitur, ſed media quædam inter hanc, & animalem; videlicet, quia cum

naturali conuenit in eo, quòd ſine cognitione fiat à virtute pulſatili; cum animali, quia non ſemper ſecundùm vltimum, ſed pro vſu varietur, quandoque ad magnitudinem, nonnunquam ad celeritatem etiam, & ſic de aliis. Lege Conciliat.*dif.* 57. Ad tertium, ſequitur Forliuius, vbi *ſupra* ad ſolutionem ſecundi: reſpirationem autem, quamuis vſibus naturæ inſeruiat, euidentiſſimum eſt ex mera neceſſitate non naſci, quum pro arbitrio inchoari, terminari, accelerari, tardari, & ideò retineri poſſit: atque ideò,&c.

Secundò, etiamſi operationes illas merè naturales diceremus, non magis mirabimur vſui, & tempori inſeruire, quàm plures alias, quæ à virtutibus naturalibus in corpore efficiuntur, ſtata tempora ſuarum actionum obſeruantibus, ſe mutuò inter agendum non impedientibus quandiu conſtant, nec ſecundùm vltimum ſemper operantibus, ſed pro ratione indigentiæ: nec enim ſe totam applicat expultrix, niſi opportunè, & valde ſtimulatur; naturaliter mouentur grauia, & leuia, non ſemper quàm celerrimè poſſunt, ſed in fine ſuorùm naturalium motuum celeriùs, quàm in initio, & ſic de multis.

Minùs vrget, quòd ſi aliquando in ſubſidium aucti caloris tres dictæ differentiæ ſimul comparantur, perpetuò comparantur: natura ſiquidem licèt plura habeat ad eundem finem parata auxilia, non ſemper vtitur omnibus ſimul, ſed ex multis vnum eligit quod ſufficiat, poſsitque præſenti neceſſitati ſuccurrere. Sic naturalem reſpirationem ſolo ſepto exequitur: vbi maior requiritur, intercoſtalibus etiam muſculis: in neceſſitate extrema, ſuperioribus quoque, imò & narium pinnis. Verùm non perinde æquum eſt, vt omnibus vbique vtatur, modum enim excederet, & ſibi conſtans vltra intentionem ageret, & deſtruendo potiùs, quàm fouendo calorem innatum.

Ad aliud: num prima mutatio in pulſu, & reſpiratione, aliquando fiat ad crebritatem? paulo pòſt videbitur: ſed licèt admittamus, quòd conſtante virtute, & obediente inſtrumento huiuſmodi differentia ab aliis ſeparari non poſſit, non proinde euincit argumentum omnes ſimul comparari: negamus enim in propoſito caſu, naturam neceſſariò feſtinare ad diſtentionem, & contractionem: vel quia interim dum cor à motu quieſcit, tam ſubito non oritur neceſſitas, (cùm calor ſenſim, & paulatim increſcat) quæ cogat ad intermedias quietes, ſaltem ſenſibiliter abbreuiandas; vel quia quouis vſu aucto non ſtatim moueri ſatagit, cogitúrque ſuarum quietum tempora interrumpere; vt patet in calido corde, quod quamuis etiam quieſcens, calidus ſit temperato pariter quieſcente, non tamen neceſſaria quietis tempora anteuertit. Nec verò ex hoc ſequitur, aut cauſa continente mutata nullam dari in pulſu mutationem, aut penes crebritatem fieri, quæ ſola cordi, & arteriis quieſcentibus accidit: nam præterquam quòd non oportet confeſtim naturam mala naſcentia, & quæ nondum conſtiterunt emendare, ſuo tempore per magnitudinem ſubuenit aucto vſui,de quo paulo pòſt.

Ad vltimum, negamus conſequentiam: vſus namque licèt vna ſit ex continentibus cauſis pulſus, quem tres memoratæ differentiæ complent; ſicut tamen non omnes ſimul cuiuis inſeruiunt, ita vſu ipſo immutato non omnes ſimul neceſſariò immutantur:quanquam neceſſariò fiat vna ex illis; omnes, vbi nimis creuit calor, neque ſola vſui magnitudo ſat eſt, ſiue calor ipſe adauctus præternaturalis ſit,ſiue ſecundùm naturam.

Ideò *lib.art:medic.cit.* omnes illas calido cordi perpetuas fecit licèt, vt explicant alij ibidem, in corde ab ortu excedenter calido non eſt ſolus vſus auctus, ſed & facultas ob contractam intemperiem imbecilla, atque adeò in opere deficiens, immò & inſtrumentum ex ſiccitate inobediens: vnde cùm ſufficiens magnitudo fieri non poſſit, reliquis duabus differentiis compenſatur, iunguntúrque celeritas, & crebritas, quia magni ſimpliciter pulſus non fiunt, tales enim præter calorem copioſum poſtulant facultatem validam, & mollia inſtru-

A menta,vt ipſe Galenus ſcribit, 1.*de cauſ.pulſ.* 4. & 5.

Quòd ſi ibidem, ſine diſtinctione celeritatem, frequentiam, & magnitudinem familiares facit aucto calori, de plurimo loquitur, à quo omnes exiguntur, nec vna ſufficit differentia, vt ex contextus ſerie euidenter conſtat,&c. confirmat ſitientium exemplo, nonniſi cùm vehementi ſiti vrgentur,magno hauſtu, celeriter, & crebrò potantium: vel vt alij. interpretantur, in initio tractationis illius, quum nondum exactam traderet doctrinam, omnes differentias aucto vſui inſeruientes ſimul appoſuit; paulo pòſt verò eam abſoluens, docet ordinem quo ſingulæ acquirantur.

Adductus autem locus ex *primo de dif. reſpirat.* huiuſmodi ſententiæ non repugnat, quum enim Galenus *ibi* nihil aliud intendat, quàm diſcrimen tradere, quo au-
B ctus calor innatus ab extraneo excedente ſeparetur, hoc vnum potiſſimùm, & ex profeſſo ſuadere conatur, docens, naturali aucto magnam fieri inſpirationem, ob aëris copiam neceſſariam in multi ſpiritus alimoniam; præternaturali autem redundante, increſcere explicationem, ut retentas fuligines purgandas; & vltra intentionem, quanquam minùs elaboratè, adiungit quietem antecedentem vtrumuis motum, ſtatim breuem euadere, ſignificans parum durare magnitudinem citra frequentiam; quod quidem fatemur, dummodò vſus ipſe duret, ac magis increſcat; omnes tamen ſimul comparari inficiamur.

Nec admittenda eſt ſolutio illorum, tres ſimul ab initio quamprimùm acquiri, ſed ſolam magnitudinem per-
C cipi: nam ſi aliæ ſenſibus dilitefcunt, vnde ſenſualis artifex adeſſe indicabit; aut ſi mutatio in velocitate,& crebritate ab initio occultatur, quamuis iam detur, & ſola ſe magnitudo profert, quomodo ſtare poterit,quod Galenus toties affirmat,& demonſtrat experimentum ſenſu acquiſitum,vſu diminuto primùm crebritatem minui, deinde celeritatem, tandem magnitudinem? quod inferius latiùs oſtendemus.

Ex eo autem, quòd *lib. de præſag. ex pulſib.* doceat, in paruo receſſu per calorem, ſolam conſpici magnitudinem; deinde vſu magis adaucto celeritatem apparere, &c.potiùs inferes differentias illas ſimul non acquiri, nec Medicis cenſendas naſci,niſi quia percipiuntur, cùm ex iis quæ ſeſe offerunt ſenſibus Medicus iudicet, reliqua, ac ſi non eſſent, arbitretur. Corruit ergo Barbarorum opinio, aſſerentium perpetuò magnitudini celeritatem, &
D crebritatem accedere.

Sed quo ordine eiuſmodi differentiæ comparentur, magis controuerſa eſt quæſtio quàm prima, in qua ſoluenda veteres, & iuniores ſtrenuè inſudant. Et Galenus quidem cenſet, vt conſtat ex 1.*de dif.reſpirat.cap.*7.& 1. *de vſu pul.cap.*3. & 1.*de præſag.ex pulſib.cit.*creſcente vſu, primùm magnitudinem acquiri; deinde, vbi ea non ſufficit, celeritatem; vltimò crebritatem; dummodò cum aucto vſu cauſæ aliæ inuariatæ permaneant, facultas nempe, & inſtrumentum, hoc autem ſiue vſus ipſe auctus ſit & ſpiritus animalis exhauſtus, quod in fatigatis euenit, ſiue auctus calor, quod in diariis; ſiue purganda fuligo quod in putridis febribus.

Suadetur hæc ſententia. Natura inter agendum ab eo primùm exorditur, quo meliùs & citiùs propoſitæ ne-
E ceſſitati ſubuenitur, & ſua opera minùs euertuntur. Atqui ita contingit per magnitudinem. Igitur prima mutatio in pulſu, vſu imminuto, fiet penès illam.Probatur minor, quia màgnæ diſtentionis ope maior aëris copia attrahitur, in exhauſti ſpiritus reparationem, & excedentis caloris refrigerium; magna contractione, plures fuligines meliùs expurgantur.

Rurſus. Spirituum concoctio quietem deſiderans, vſque adeò per magnitudinem non impeditur, nec vis defatigatis, aut pellitur ſpiritus frigidior quàm oporteat, nec edomitus ad cor,ſicut per celeritatem,& frequentiam. Igitur,&c.

Deinde. Viri ad fœminas collati, & omnes ferè per ver collatione ad alia tempora, ob vſum auctum pulſus habent maiores, non neceſſariò celeriores, aut frequentiores.

tiores. Ergo veriſimile eſt naturam ſæpe, ſola magnitudine increſcente, calori primum ſatisfacere.

Denique. Quod neceſſitatis tempore in motu voluntario experimur, probabiliter credendum eſt in aliis ſimiliter fieri. Sed vbi vrgente neceſſitate feſtinare eſt animus, primùm paſſus prolongamus; ſi id non videtur ſatis, acceleramus etiam; vbi maior eſt cauſa nequaquam in itinere quieſcimus, quantumuis defatigati. Igitur, &c. Lege Montan. *part. 2. medicin. in fin. tract. de pulſibus.*

Fernelius, quoniam iurauit in omnibus Galeno contradicere, in hoc dogmate ab illius mente valdè diſſentit, dum *lib. 3. patholog. cap. 5. de cauſis pulſuum*, opinatur aucto calore primò augeri crebritatem, ſecundò celeritatem, tandem magnitudinem: ſic enim ait. *Quum vſu & neceſſitate cor laceſſitur, ſtimulatum id, primùm quidem pulſum edit crebrum, idque ſiue valida, ſiue imbecilla ſit facultas: creber, enim omnium primus eſt, quia facillimus. Si neceſſitati non ſatisfaciat crebritas, huic etiam celeritas accedet: atque etiam ſi ne duo illa quidem ſatis ſint, addetur & magnitudo, modò non imbecilla ſit facultas; tum quippe totis hæc opitulatur viribus. Ita quidem artis vſu, & exercitatione obſeruamus, per febres omnes, frequentem, nec non celerem pulſum edi, at non perpetuò magnum, &c.*

Cæterùm non aduertit cauſam, ob quam ſæpe in febribus non reperiatur pulſus magnus, eſſe virium debilitatem propter inediam, & vacuationes; quare febrientes vim habent quàm ſani imbecilliorem, ideò non ſola magnitudine ſuccurrit natura, ſed magis celeritate, & frequentia. Neque miretur Galenum, quaſi aſſerentem, primam pulſus mutationem aucto calore, in magnitudinē fieri, idque ſiue robuſta, ſiue debilis ſit facultas: Hoc enim vltimum nuſquam pronunciauit Galenus, immò *1. de cauſ. pulſ. 3. & 3. de præſag. ex pulſib. 2. & lib. de vſu pulſ. circa finem*, docuit contrarium, aucto ſcilicet calore augeri pulſus magnitudinem, dummodò robuſta ſit facultas, & inſtrumentum obediens.

Neque inſtes pro Fernelio, quòd Galenus *lib. de typis, cap. 30.* ſcribat tertiana laborantibus pulſum frequentem, ſed exiguum ſuperuenire: & *cap. 5.* docet pulſum tertianæ eſſe minorem pulſu quotidianæ. Cæterum hæc intelligenda ſunt, non præſente iam febre, ſed in acceſſionis initio, vt conſtat ex Gal. *2. feb.* 4. cùm inquit: *quotidianam febrem paruos, & debiles pulſus efficere, quum primùm febris inuadit:* & ſtatim ſubiungit. *Fieri itaque in bilioſa febri in acceſſionis initio, dicta circa pulſus ſymptomata, ſcilicet paruitatem, & debilitatem, ſed ſtatim ſedari:* Quòd autem prædicta ſententia non poſſit intelligi præſente febre patet, quoniam experimento videmus quod tradit Galenus *lib. 1 ad Glauc. c. 7.* in putridis febribus maximum eſſe pulſum tertianæ, minimum quotidianæ, mediocrem quartanæ.

Sed rectis opinionibus, ne in tractatum quæſtio excreſcat, in medium afferamus rationes, quibus victi plures, ſanam Galeni mentem interturbant: & primò ſic. Natura perpetuo, & naturali ordine ſemper à facilioribus, & minoribus incipit, atque ex iis ad difficiliora procedit, nec contrà inſurgit, niſi perturbata, & coacta. Sed multùm pulſare, multúmque reſpirare eſt maius opus, & difficilius, quàm celeriter, aut crebrò. Igitur aucto vſu non apponet natura magnitudinem, prius quam aliquam ex aliis differentiis. Minor oſtenditur, quoniam magnitudine plus aëris attrahitur, maiúſque paratur refrigerium. Rurſus maius exigitur virtutis robur, proinde enim éo deficiente ad celeritatem recurrit natura, deinde ad frequentiam, quæ inter alias facillima eſt, & debili facultati familiaris.

Secundò. Si vrgeat vſus tempore diſtentionis, aut contractionis, non poteſt non immutari pulſus penes celeritatem ante magnitudinem, cùm hæc non detur niſi arteria progrediatur ante conſuetum terminum, necdum ad eam perueniat quandiu mouetur, ſaltem in initio, aut medio. Si verò increſcat calor, arteria quieſcente, ſola crebritas poteſt comparari, quæ ex quietis breuitate deſumitur: cùm igitur aut motus, aut quietis tempore, neceſſariò vſus incipiat augeri, & eo aucto quamprimùm oporteat vſum immutari, non videtur magnitudo alias mutationes antecedere. Addunt, ſi in prima parte dilatationis calor ſubitò creſcat, & in altera medietate minuatur, prodire non poteſt magnus, cùm toto diſtentionis tempore neceſſitas non durauerit; ſupereſt igitur, quòd in prima medietate pulſus fuerit velocior, & ex conſequenti, &c.

Tertiò. Si pulſus conſtituatur magnitudine mediocris, tardior autem aut rarior moderato, calore increſcente, prima mutatio fiet ad celeritatem, deinde ad frequentiam, vltimò ad magnitudinem: ſi verò magnitudine, & celeritate mediocris exiſtat, & cùm hoc rarior, primùm ad crebritatem mutabitur. Igitur. Probatur antecedens, quia naturales, & perfectiores differentiæ quam maximè à natura retinentur, & ſeruantur, nec immutari patitur, antequam reliquæ mediocritatem attingant. Igitur, &c.

Quartò. Si crebritas compararetur vltimò, videlicèt poſtquam vſus nimiùm increuit, maius ad refrigerandum auxilium, quàm aliæ differentiæ afferret, extremis ſiquidem extrema, & magnis magna proportionantur. Atqui ex nulla minus paratur refrigerium, quàm ex crebritate. Igitur hæc priùs, non poſteriùs adhiberur. In cuius confirmationem quidam ſuum iactant, & febrientium experimentum, quo ſibi perſuadent primò monſtrari frequentiam, poſteriùs reliqua. Alij nullam certam, & determinatam differentiam primò acquiri, ſed pro naturali varietate modò ab vna, modò ab alia exordium ſumi, vſu increſcente, idque progreſſiui motus comparatione ſatis confirmari putant: ſicut enim (aiunt) quidam longum iter etiam lentè nequaquam facere poſſunt; breue autem facillimè, licèt celeriter: alij contrà celerem motum non patiuntur, tardum autem ſic, quantumuis longum: alij breuium quietum potiùs, quàm longi itineris, aut breuis cum celeritate ſunt patientes: ita de vitali motu exiſtimant iudicandum.

Cæterùm parum vrgent rationes dictæ. Ad primam enim fatemur, plus quidem magnitudinem p[illegible] reliquis attemperare, inſuper & crebritatem eſſe faciliorem, celeritatem mediam inter illam, & magnitudinem; ſed non proinde ſequitur à crebritate, aut velocitate inchoandum, quoniam ita natura ſolet à facilioribus & leuioribus exordiri, vt meliora, & propoſito vſui neceſſaria non poſtponat: agit enim ſecundum rationem exigentiæ, vt *ſupra* diximus, & eorum quæ poteſt ſemper optimum in ordine ad neceſſitatem: cùm verò non ſolùm maior, ſed & melior fiat per magnitudinem attemperatio, & parato refrigerio, & fuliginum expurgatione, nihil mirum, ſi conſtans natura, vſu aucto, & aliis cauſis inuariatis, primò magnitudinem efficiat.

Ad ſecundam, ex dictis ſuprà ferè conſtat, quid ſit dicendum: non enim tam repentè poteſt calor creſcere in vna quiete, vnáve dilatatione, vt vſum ſenſibiliter augeat, & aliquam pulſus differentiam, ſaltem quæ ſentiri queat, efficiat: quòd ſi tantùm incipiat vſus ipſe augeri, cùm nondum vigeat, nec cogitur naturæ quietem interrumpere, nec motum accelerare. Si verò iam ad notabile incrementum perueniat, & maioris refrigerij, vel excernendarum fuliginum neceſſitas adſit, paulo pòſt ei ſatisfaciet natura per magnitudinem, qua meliùs, & commodiùs aucto vſui paratur ſubſidium, ea deficiente ad reliqua properatur. Nec mirum commodiorem agendi occaſionem naturam expectare, quum id paſſim in illius operibus experiamur, maximè quòd licèt cor cùm mouetur, adhuc ad iuſtum dilatationis terminum non peruenerit, nedum vltrà (quod ad magnum pulſum requiritur:) quamprimùm tamen vſu vrgente magnitudinem tentare videamus, latiùs, & altiùs ſeipſum extendendo. Si autem calor in medio itinere ceſſet, longius non progredietur, ſed tentatam magnitudinem intermittet.

Ad tertiam. Putant aliqui in propoſitis caſibus, ad velocitatem, aut frequentiam fieri primam mutationem, & præſcriptum à Galeno ordinem comparandi dictas differentias,

rentias, ſolùm habere locum, cùm vel omnes naturales ſunt, vel omnes præter naturam. Sed non placet limitatio, quoniam cùm magnitudo multò meliùs, & commodiùs aucto vſui ſubueniat, deinde celeritas, & eorum quæ poteſt ſemper optimum agat natura, vt diximus, quandiu conſtiterit, magnitudinem ante celeritatem, & hanc priùs quàm crebritatem apponet. Nec obſtat, quod ea quæ naturalia ſunt, & perfectiora plus retinet, vtpote ſibi magis dilecta, & à celeritate, aut crebritate incipiens differentiam naturalem retinet, & alias ad mediocritatem reducit: nam cùm naturæ actiones pro exigentia regulentur, nec ita benè velocitas, aut crebritas attemperet, cogitur natura illam priùs immutare, à qua melius vrgente neceſſitate ſubſidium ſperat, cuius gratia à naturali ſymmetria ad non naturalem ſecedit, paulo pòſt ad natiuam debito parato refrigerio reditura.

Ad vltimam. Negamus ſequelam: non enim vltimò crebritas adhibetur, quaſi potentiſſimum afferat ad refrigerandum auxilium, ſed quaſi prioribus ſuperuenieus, aliud etiam iuuatura, non ſecus ac narium pinnæ in extremis agitantur, à quibus vel nullus ferè, vel exiguus aër attrahatur. Minùs vrgent ſuo, & febricitantium teſtimonio, quo exactiſſimum Galeni iudicium contemnunt; fallax enim putandum eſt, nec Galeni iudicio anteponendum: cùm conſtet hunc auctorem feliciſſimo, & acutiſſimo ſenſu præditum: nam in febricitantibus ſi quandoque ſimul velocitas, vel crebritas percipiuntur, vel ante magnitudinem fiet, aut quia ſola hæc non ſufficiet ob vehementem calorem, quem habent, aut quia iungitur virium imbecillitas. Denique animalis cum vitali motu comparatio valdè aliena eſt; animali ſiquidem poteſt quis aſſueſcere, vt volet, minimè autem vitali, quia cùm naturalis ſit pulſandi actio, non à conſuetudine, ſed à natura eſt, nec aliter fieri poteſt.

Prætereà elaborandum nobis eſt, ne hoc argumentum indeciſum maneat, num tres illæ differentiæ vſui nimis aucto inſeruientes, eo decreſcente ſimul minuantur; vel ſi vna tantùm aliis immotis, quo ordine incipiant deperdi, & oppoſitæ ſuccedere. Multi opinantur (ſiue vſus decreſcat in eo, cuius naturalis calor fuerat auctus, ſiue in ſano, temperatóque homine, quia fortè præternaturaliter infrigidetur) primùm magnitudinem amitti, ſecundò celeritatem, denique frequentiam, &c. Simili ordine oppoſitas comparari, paruitatem primò, deinde tarditatem, vltimò raritatem.

Mouentur potiſſimùm, quia calor auctus, vt oſtenſum eſt, pulſus magnitudinem primùm omnium auget. Igitur diminutus remittet, & inducet paruitatem. Probant conſequentiam, quia ſi vnum extremum aliquid in obiectum operatur, contrarium illius in idem obiectum inducit oppoſitum, ſic albedo diſgregat, nigredo congregat, &c.

Deinde, ſi ex tribus cauſis ad pulſum magnum requiſitis, de quibus 1. *de cauſ. pulſ.* 5. & alibi plus poteſt ad magnificandum neceſſitas aucta, cur illius priuatio non faciet ad paruiſaciendum? præſertim cùm pulſu, & reſpiratione, mutationes omnes pro fine regulentur.

Tertiò. Pauco, diminutóve calori paucum debetur refrigerium. Atqui hoc non meliùs quàm paruitate comparatur. Igitur hæc vſu decreſcente primum acquiritur. Obiiciunt & fœminas, quæ cum viris collatæ pulſus habent celeres ac frequentiores, ſimul & paruos, ob minorem, quo conſtant, calorem. Igitur, &c. Denique Galenum adducunt *lib. 1. de cauſ. pulſ. cap. 6.* vbi calore decreſcente primum locum paruitati concedit, ſecundum tarditati, poſtremum raritati. Et *lib. art. med. cap.* 30. quo loco frigido cordi paruum pulſum addixit. Igitur paruitas videtur eſſe peculiaris differentia vſus diminuti.

Cæterùm primùm crebritatem amitti, deinde velocitatem, tandem cum magno defectu, aut omnimodo magnitudinem, fierique vſu deficiente primùm pulſus rariores, ſecundò tardiores, vltimò minores, doctrinæ Galeni magis conſonum eſt. Nam, 1. *de dif. reſpirat. cap.* 7. inſigniorem aliis docet fieri raritatem calore diminuto, ac ſi in ea prima fiat, & potiſſima immutatio. Idem etiam

A colligitur, ex 1. *de cauſ. pulſ.* paſſim, & 4. maximè *cap. 6. quia frigidus eſt affectus, adiuncta eſt raritas*, quaſi ſit peculiaris, & prima pauci caloris; quod paulo pòſt *cap. ſubſequenti* explicat, loquens de frigidis affectibus, *quia enim*, inquit, *frigidi ſunt, pulſum habent rarum: nam diſſoluto vſu talem gigni oſtendemus, &c.* Idem expreſsè aſſerit Auic. 2. 1. *de pulſib. cap. 6. & 10. 3. tract. 1. cap. 20.*

Confirmatur, quia illud natura, deficiente neceſſitate primum relinquet, quod in defectu aliorum ſubierat, & à quo plurimùm lædebatur: è contra verò illud retinebit diutius, & quandiu durauerit neceſſitas, quod illius gratia tanquam melius, & conuenientius aſſumpſerat. Sed mutatio ad crebritatem fit in neceſſitate extrema, vbi aliæ differentiæ non ſufficiunt, vel in illarum defectu, *lib. de dif. reſpirat. cit. & 4. de cauſ. pulſ.* 20. nam vires nimium
B diſſoluit, non patiens quieſcere; magnitudo autem melioris vſus gratia primùm comparatur, nec vſque adeò fatigat. Ergo hæc vltimò deponetur à natura, illa priùs, ſecundo loco celeritas, & tali ordine acquirentur oppoſitæ.

Deinde, dum tentatum iter moderari placet ob diminutam neceſſitatem, quæ antea vrgens cogebat properare (vt progreſſiui motus exemplo non ſemel vtamur) non confeſtim paſſus contrahimus, aut lentiùs progredimur, ſed paululum in diuerſorio moramur. Igitur probabiliter credendum eſt, idem ſimiliter efficere naturam, diminuto vſu, in cordis arteriarúmque motu, priúſque ſui quietem longiorem parere, relicta frequentia à qua magis debilitabatur. Atqui ita fieri par erat: quoniam ſicut calor ex ſibi inſeruientibus differentiis (quæ omnes vires debilitant) illam priùs inducit quæ meliùs
C attemperat, & minùs diſſoluit, ita conueniebat eam primò euerti, à qua maius damnum, maiorémque fatigationem percipiebat natura: quúmque illa ſit crebritas, vt diximus, hanc primò perimet, quamuis vltimò fuerit adhibita, tandémque magnitudinem minuet, licèt primò acquiſitam. Nec mirum: quia ſic plantæ fructus quos vltimò comparant, primò deponunt, ſegetes ariſtas.

Nec verò rationes aduerſæ hanc ſententiam euertunt. Ad primam. Non negamus oppoſitos affectus, ab agentibus in idem ſubiectum contrariis poſſe produci, paruitatem, tarditatem, & raritatem à calore diminuto, oppoſita tribus illis, magnitudini, celeritati, & frequentiæ, quæ ab aucto inducuntur; quòd ſi in ordine agendi diſ-
D ſidere etiam conuenit, in eo magis pugnare conſpiciuntur, ſi primùm perimat frigus, quod calor vltimò induxit.

Ad ſecundam. Quemadmodum ob vſum adauctum, ad magnitudinem immutatur pulſus; ita ob diminutum ad paruitatem, licèt non primò, aut præcipuè, quia paruitas magis virtutem debilem, quàm diminutum vſum conſequitur. Cur verò perinde ac magnitudo ad neceſſitatem potiſſimùm non referatur, aliunde commodiùs petendum. Lege Gentilem 2. 1. *doct.* 3. *cap.* 6 *de pulſib. dub.* 3.

Ad tertiam. Etiam minus paratur refrigerium depoſita crebritate, quanquam magis proportionabiliter ex paruitate: ſed cùm ſit neceſſe adhuc remanenti ſatis fieri,
E meliúſque per reſiduas alias ſuccurratur, oportuit eas diutiùs ſeruari, & ad vltimam magnitudinem.

Ad poſtremam. In fœminis, & frigido corde, per vſum diminutum datur etiam virium defectus, quo præſente quamprimùm ceſſat magnitudo. Sermo autem nobis eſt de vſu diminuto, aliis inuariatis cauſis: atque ita Galenus *ex arte medica*.

Pro explicatione verò alterius loci, *ex 1. de cauſ. pulſ.* 6. vbi paruitas, & tarditas raritati anteponuntur, aduertendum in his collocandis differentiis duplicem conſiderari ordinem, naturæ ſcilicet, & operis; & ſi illarum quidem naturam ſpectes, negari non poteſt, vſui diminuto primùm reſpondere paruitatem, deinde tarditatem, remotiùs & vltimò raritatem: cuius ratio eſt, quia minori, diminutóque vſui paucum refrigerium debetur, quod primò & per ſe, pauco aëre, paruo, tardóque pulſu paratur;

raro

rarò per accidens, & ſecundariò, quatenus ſcilicet per rarum pulſum paucus aër accedit parùm infrigidans. Verùm in opere res aliter ſe habet, quoniam antecedit raritas, priúſque acquiritur ob rationes aſſignatas. Cùm verò Gal. *cit. loc.* naturæ ordinem in huiuſmodi differentiis indagaſſet, primò paruitatem fecit familiarem deficienti calori, poſteriùs raritatem, cui tamen in opere priorem locum conceſſit. Si verò aliorum opiniones in hac quæſtione controuerſa ſcire affectas, conſule Valleſium 3. *controu.* 10. Mercat. *lib. 2. de pulſib. tract. 3. cap. 3.* qui etſi plura proponant, à tantis ſalebris extricare ſeſe non potuerunt.

HISTOR. IX. GALENI,
De ſynocho cum putredine.

Synochus putris, venæ ſectione vſque ad animi deliquium curatur.

QVæ verò ad alterum *(infirmum pertinent) nunc dicam. Is cùm toto die multùm laboraſſet, deinde lauatus paucula comediſſet, cœpit nocte febricitare, totum etiam continuans ſequentem diem. Hunc nos poſt ſecundam noctẽ vidimus in cæteris quidem omnibus iam dicto iuueni ſimiliter affectum; verùm* putreſcentium humorum* euidentes præbentem notas. Itaque vena quoque huic protinus inciſa, vſque ad animi deliquium vacuauimus. Poſt id, idoneo interpoſito ſpatio, cibauimus primùm mulſa, deinde vna interpoſita hora, ptiſſanæ cremore. Atque hæc omnia intra quintam acta ſunt horam. Cùm autem ſimilis ſibi perſeueraret febris, ſynochon eam fore ex putredine expectauimus: atque ita accidit. Quippè cùm eam ſecunda noctis hora pari magnitudine cerneremus, tertiæ diei acceſſionem, futurá-ne eſſet, an ſecus, diligenter obſeruare volebamus; cuius in ſeptimam horam noctis ſuſpicio erat. Itaque cùm ſummo manè ſuperueniſſem, inueni quod expectaueram.* Nam nec tertiana inciderat acceſſio, febríſque remiſſior paululò quàm veſperi fuerat, apparuit. Vt autem rurſus hominem meridiè vidi, erátque iam certiſſimum & febrem decreuiſſe, & ſynochon febrem eſſe, ſed quæ aſſiduè decreſceret: ſatius viſũ eſt, tum quoque hominem ſimiliter nutrire. Quarta verò exacta nocte, manifeſtè minor etiam quarto die erat. Quo rurſus quoque ad eundem modum homine cibato, aduertimus, tum die illo toto, tum quæ hunc ſequuta eſt quinta nocte magnitudinẽ remittere, ſic vt quinto die liquidò planè appareret, minor eſſe febris quàm ante Itaque ad portionem minuentis ſe febris, vrinæ quoque concoctio proceſſerat; erátque haud obſcurum, ſeptimo (id quod factum eſt) finiendam. Hanc igitur continentem ex humorum putredine febrem, & quæ aſſiduè decreſceret, vidimus, &c. Gal.* lib, 9. meth. cap. 4.

PARAPHRASIS.

NVlla eſt febris, quæ frequentiùs premat mortales, quàm ſynochus cum putredine: nam imputris rarò accidit, & ſi corripit, parùm durat; quoniam ſanguis licèt ſit theſaurus naturæ, & filius eius dilectus, cùm ſit mitiſſimus, benigniſſimus, & familiariſſimus humor, ex Gal. *lib. 3. ſimpl. 27.* tamen cùm humidus ſit & calidus, ſi copia abundet, craſſitie, & lentore obſtruat, arctat canales; quare non ventilatus facillimè conſpurcatur, & in deteriorem abit labem, & corruptionem, vt notat Galenus *lib. 11 meth. cap. 8.* Quare ſolertiſſimè ipſe in ſuperiori hiſtoria hoc aduertens, ſanguinem tam copioſè emiſit, antequam putredo inciperet. Ergo ne mireris, ſi hanc hiſtoriam vſui tam neceſſariam lentè fuerim interpretatus, & alia propoſuerim de putredinis natura, cauſis, loco, ſignis, & curatione in generali, quæ ad illius explicationem pertinent apprimè: nam febres frequenter ex putreſcentibus humoribus generantur, licèt perperam arbitretur Ioubertus 2. *paradox. 1.* nullam dari febrem ex putredine ſanguinis, ſed omnes ex humoribus efferueſcentibus, vel exuſtis oriri contendens; cuius rationes repulit Bruno Seidelius, accerrimo vir ingenio, *proprio de hac re contra Ioubertum tractatu,* & multò anteà præmeditatus fuerat Galenus 1. *feb. 7.* & doctiſſimi illius interpretes *in com.*

In ea agit de ſynocho cum putredine, éſtque ſecunda febrium differentia, dicta humoralis, & aſſimilatur aquæ calidæ vaſi alicui infuſæ; vt enim hæc, vas cui infunditur, calefacit, ita & humores calefacti corpus inflammant; qui ſi putredine cor ponant in calefacto eſſe, humoralis putrida concitatur, cuius tripex conſtituitur differentia: vel enim eſt ſemper accreſcens, quæ Græcè dicitur epacmaſtica, vel anabatica; vel eſt ſemper decreſcens, quæ vocatur paracmaſtica; vel ſemper eodem modo perſeuerat, quæ acmaſtica. ſeu homotona nuncupatur, ex Gal. 2, *feb. 2. & 2. criſ. 6. & 9. meth. 3.* quæ diuiſio non ſolùm febribus ardentibus, ſed etiam ſynochis conuenit, quæ ardentes quantitate caloris dici ſolent, vt optimè notat Chriſtoph. Vega *lib. 1. de dif. feb. cap. 2.* de quibus intelligendus eſt Gal. 1. *aph,* 23. dum in ardentiſſimis febribus ſanguinem vſque ad animi deliquium imperat emittendum.

Ratio verò huius diuiſionis, ſic à Galeno *cit. lib. meth.* conſtituitur. Quando calor continetur in vaſis maximis, hæc febris continens manifeſtis circuitibus carens concitatur, quoniam materia aliundè non confluit, ſed in iis locis accenditur, ob putridas fuligines cordi continuò communicatas, in quas materia, putredine, & vſtione accenſa extenuatur, ita tamen vt non tota ſimul accendatur, vt accidit in inflammatione; ſed potiùs cùm vna pars eſt putris & accenſa, ſtatim altera incipit accendi; quod quia aliquando fit æqualiter, hoc eſt, tantum reſoluitur partis putridæ, quantùm additur materiæ quæ putreſcit, tunc febris æqualem magnitudinem ſeruat, & dicitur febris homotona, hoc eſt, ſeruans eundem tenorem. Quando verò propter diſpoſitionem humoris vitioſi, inæqualiter procedit putredo, ita vt quod additur ſit plus quàm id quod eſt reſolutum, tunc febris ſemper accreſcit, quia illius cauſa ſemper augetur, & tunc febris fit acmaſtica, ſiue ſemper accreſcens. Quando tamen contrario modo accidit, tunc febris ſemper decreſcit, quia cauſa illius ſemper minuitur, paracmaſticáque appellatur.

Videns ergo Galenus febrim, in qua magnus erat feruor, & incendium maximum in vaſis internis erat excitatum, ad ſanguinis miſſionem tam copioſam accedere auſus eſt: quoniam vt ipſe refert *lib. de curand. rat per ſanguinis miſſionem, cap. 12. cùm efferueſcentis ſanguinis copia ineſt, acutiſſimam febrem accendens, ſubitò ac confertim expedit emittere.* Explicant. Gal. *lib. 4. de ſanit. tuend. cap.* 4. Ferdinandus Mena & Fuchſius *in com. cit. lib. Gal. de ſang. miſ.*

Nobis autem ſingula hæc, omnia paulò diligentiùs contemplãtibus, eorum aliqua propter obſcuritatem, alia ob difficultatem: certiùs & lucidiùs eſſe explananda viſa ſunt. Illud ergo primò dubitationem facit maximam, cur ſanguinem miſerit vſque ad animi deliquium, in febre ex ſanguinis putredine orta, ſi ea vires ſunt debiles, quæ vacuationem tam ſubitò factam ferre minimè queunt, ſi verum eſt putredinem fieri à debilitate caloris innati: cùm enim imbecillis eſt, patibiléſque qualitates gubernare nequit, humidum diſſoluitur à ſicco, & ſubiectum à calore extraneo occupatur, & hoc modo concitatur putredo; quare ſi vis non eſt robuſta, in principio tantùm ſanguinis detrahendum eſt quod ſit ſatis; deinde quod deeſt, iteratione ſupplere oportet. Dic. Licèt maiori cum fiducia accedendum ſit ad ſanguinis miſſionem vſque ad animi deliquium, in ſynocho imputri, quoniam vires ſunt valentes, vt in *ſuprà citata hiſtoria* Galenus prædixit, ſanguis enim tunc integer eſt, & nulla putredinis labe fœdatus: tamen in ſynocho cum putredine, ĩn initio, quum ſanguis ſolùm leuiter putreſcere incipit, & ſeruat ſuam formam, & poteſt actione naturæ ad benignam priſtinámque naturam reduci, vt probat Galenus 2. *aph.* 17. viréſque adſunt fortes, quæ largam hanc vacuationem poſſunt ſuſtinere, illam eſſe celebrandam non eo inficias, maximè cum ex corrupto ſanguine ſumatur indicatio ad ſanguin m mittendum,

dum, vt *lib.2. in com.hiſtor.19.*

Secundò. Illud obſcurum eſt enucleandum, cur in febre putrida ita audacter ſanguinem emiſerit, ſi putredo ſanguinis miſſione non curatur, vt ipſe Galenus admonuit *lib.11.meth. cap.14.* ex quo loco patet, neque in ſynocho putri, neque in omnibus aliis febribus putridis vtilem eſſe venæ ſectionem. Et Auic. iubet 1. 4. *tract.2. cap,56. §. Et quoties videris vrinam groſſam, &c.* in febre pituitoſa ſanguinem non eſſe mittendum, niſi quando vrina fuerit rubra & craſſa. Ergo non conuenit in putridis omnibus ſanguinis miſſio, præſertim tam copioſa. Deinde Galen. *lib. de vena ſectione aduerſus Eraſiſtrat.6. ad init.* monet maximè ægros offendi ab illis Medicis, qui omnes febres in principio venæ ſectione indigere putabant. Ergo ſi in principio non conuenit in omnibus venæ ſectio, multo minùs in aliis febribus conueniet; maximè cum doceat Hip. *2.aph.19. ſi quid tibi videtur mouendum, moue.* Rurſus *lib.12.meth.cap.3.* in febre syncopali, orta ex ſuccis crudis, ſanguinis miſſionem prohibet: & *1. ad Glaucon. cap. de teritianæ exquiſitæ curatione,* ſanguinem non mittit, & *cap.20.* ſequenti, agens de tertiana notha dicit: *quòd ſi ſanguinem mittere oporteat, neque hoc eſſe omittendum* ſignificans in omnibus venæ ſectionem vtilem non eſſe: quod poteſt etiam deduci ex eodem, *lib. de conſtit.art. medic. cap. 19.ad fin.* firmante, ſolam plenitudinem ſanguinis miſſione curari, reliquos verò humores coctione, & vacuatione. Vltimò, ſi ſanguinis miſſio in omnibus febribus haberet locum, vel id eſſet ratione febris, vel ratione putredinis: non ratione febris, nam huic ſolùm debetur refrigeratio, ex Gal. 10 *meth.cap.10.* aliàs in diariis, & hecticis poſſet celebrari, quod eſt abſurdum: non conuenit etiam ratione putredinis, quoniam hæc, vt *ſuprà* diximus, venæ ſectione non curatur. Ergo in febribus putridis ſanguinis miſſio non ſemper neceſſaria eſt.

Sed obſtat celeberrima Galeni auctoritas *lib.11.meth. cap.15.* monentis, in omnibus putridis ſanguinem eſſe emittendum. Idem etiam firmat. *lib.de curand.rat.per ſang. miſ.cap.8.& 9.* probat Auic.4.1.*cap.20.* dicens: *Multoties phlebtomia in febribus, licèt neceſſaria non ſit, efficit vt natura fortis fiat ſupra materiam, propterea quod eam efficit paucam, &c.*

Antiqui Auic. interpretes, & Horatius Augenius inter omnes *lib.4.de ſanguin. miſ.cap.9. & 10.* affirmant, in omnibus febribus putridis neceſſariam eſſe ſanguinis miſſionem, id eſt, in omni ſpecie febris putridæ, non tamen in omnibus febribus putridis ſigillatim, niſi cum ſanguinis adfuerit redundantia, & ſic intelligunt Galenum 11. *meth.cit.* vt patet *cap. 19. in fin.* nam hoc pro hypotheſi ſumere Galenum aſſeuerant, in verbo, *vt prædiximus* Locum autem Auic. 4.1. *cap. 20.* ita explicandum arbitrantur, quando febris eſt bilioſa, vel pituitoſa, aut melancholia redundat; tunc enim non extrahitur ſanguis, neque ratione febris, neque ratione cauſæ, cui potiùs expurgatio conuenit; ſed ſolùm fit, vt leuata natura à plenitudine qua grauabatur, propriam febris cauſam magis deuincat. Conſule Clementium Clementinum *tract. de febrib. tit.de phlebotomia.*

Verùm hæc ſententia minimè eſt recipienda, quare vt huius quæſiti intimiùs naturam perdendas (in cuius enodatione, cum Augenio tantopere digladiatur Maſſaria, *tract.proprio de ſanguinis miſſione* & alij ſtrenuam operam nauarunt:) notabis cum Galeno *lib.11. meth. cap.10.* febrem putridam non eſſe ſimplicem affectum, ſed compoſitum ex febri, & putredine, & ideò in febri putrida duæ conſurgunt indicationes, altera ex febre, altera ex putredine. Illa dupliciter diuiditur, prima vt febris portio quæ iam genita eſt, ſanetur; altera, vt id quod eſt in generatione, prohibeatur: ſimiliter à putredine duæ indicationes ſumuntur, altera, vt id quod factum eſt, ſanetur; altera, vt id quod eſt in generatione, ſiſtatur: & cùm id quod eſt in generatione, ex prohibita tranſpiratione dependeat, rurſus ab hac aliæ duæ emanant indicationes, primo vt id quod factum eſt, curetur, id eſt, retentum euacuetur; altera vt id quod retinendum eſt, prohibeatur: hoc autem fit præſidiis quæ obſtructionem auferunt, cuius etiam ſunt duæ aliæ indicationes, altera vt id quod factum eſt, per medicamenta deobſtruentia vacuetur; altera, vt id quod futurum eſt, inhibeatur, quod fit ſi effluxum obſtruentium ſuccorum compeſcamus: de quarum indicationum vſu, & neceſſitate, lege doctiſſimum Ludouicum Colladum *lib. de indicationibus, cap. 23.*

Quo pacto coarguendus eſt Augenius, qui prociduo argumento munitus, ſibi perſuaſit, in febribus putridis, ab inutili & vitioſo ſanguine ſubortis, venam non eſſe ſecandam, nî plenitudo adſit; nam *lib.11.meth.cap.8.* docet curare, & euacuare quæ putruerunt, nulla ſectionis venæ mentione facta: & *cap. 9.* monet, expellenda eſſe quæ putruerunt, per vrinas, aluum, ſudores, & aliquando per vomitum. Sed hoc mihi ridiculum argumentum videtur, (licèt alij aliter reſpondeant) quippe in præſenti contextu tacet in particulari venæ ſectionem ad vacuationem putridi, & corrupti ſanguinis, quam ſatis ſuperque iam in ſuperioribus commendauerat, *lib. 9. cap. 10. & 11.8. meth. 4.* quo loco ad vacuandum corruptum, iubet vacuationem eſſe celebrandam? vacuationum autem potiſſimam eſſe ſanguinis detractionem, ambigit nemo, & ipſe Galenus eam ſummis laudum encomiis prædicat. Speciatim autem meminit vacuationis per vrinas, ſeceſſum, vomitum, & per ſudorem, quoniam de iis hactenus mentionem non fecerat, & vt latenter inſinuaret non ſolam ſanguinis detractionem ſuperiùs laudatam, ſufficere ad euacuanda quæ putruerunt, ſed aliis etiam opus eſſe. Deinde *n. cap. 89. art. medic.* priori loco refert venæ ſectionem, gratia vacuandi ea quæ putrida ſunt. Addit inſuper Augenius aliud ficulneum argumentum, quòd venæ ſectio euacuet vtile, & inutile; ac ſi purgatio ſynceros, & vtiles cum putridis non vacuaret; & tamen maius ſequitur commodum ex purgatione putridi, quàm ex euacuatione innoxij, & ſpirituum diſſipatione detrimentum, vt rectè monebat Magiſter, *lib. 1. aph.com. 24.*

Ex ſuperioribus indicationibus conſtat apertè, maximè eſſe laudandos, qui methodum hanc reſolutiuam obſeruantes, ab vltima indicatione curationem incipiunt, antequam ad purgationem, coctionem, attenuationem, & alia præſidia accedant, quæ medicamentis calidis perficiuntur: quare purgationem, vt valde ſuſpectam condemnat Galenus *8.meth. 4.* cùm ante eam deobſtruentibus vti non liceat, & tunc ſanguinis miſſio neceſſariò præmittenda eſt, vt fiat humorum obſtruentium reuulſio, & vt tutò auxiliis deobſtruentibus vti poſſimus; cùm enim obſtructio ex humorum multitudine, vel craſſitie, vel viſciditate generetur, vt toties Galenus *in methodo* prædixit: prima, ſanguinis miſſione demitur: craſſities, & viſciditas attenuantia, & incidentia præſidia expoſtulant; quibus ſi quis ante venæ ſectionem vti conetur, attenuatus, & calefactus ſanguis, & alij humores ampliùs inflammati ad partes obſtructas fluent, & hoc modo obſtructiones augebuntur.

Si verò contra hanc doctrinam obiicias Galenum *lib. 10. meth.cap. 2.ad fin. §. Iam verò obſtructionum, &c.* quo loco docet obſtructiones ex plenitudine ortas ſanguinis miſſione curari, ex craſſis verò, & viſcidis ſuccis generatas, attenuantibus curandas eſſe auxiliis. Dic, Gal. *ibi* de remediis propriè curatiuis obſtructionum fuiſſe loquutum quæ indicantur ab eo quod ex obſtructionibus factum eſt; non verò de remediis præcautoriis, quæ indicantur ab eo quod futurum eſt obſtructionum. Quare quod eſt factum in obſtructione orta ex plenitudine, ſanguinis miſſione curatur; quod verò factum eſt in aliis obſtructionibus, præſidiis attenuantibus curari debet. Cum hoc tamen ſtat, in his febribus ſanguinis miſſionem, reuulſionis cauſa multo eſſe ex vſu, ad cohibendum id quod futurum eſt, in obſtructionibus à craſſis ſuccis ſubortis; licèt gratia illius quod factum eſt, remediorum attenuantium vſus præferatur ſemper.

Quapropter

Quapropter in omnibus putridis febribus ; etiamſi plenitudo non adſit, vtilis eſt ſanguinis miſſio, ratione obſtructionis, reuulſionis, præcautionis, & refrigerationis, vtque corruptus ſanguis educatur, & qui corrumpitur, alteretur ; quæ duæ indicationes humoris putreſcentibus ſunt communes, ex Gal. *lib. art. medic. cap.* 89. §. *eſto enim ſi ita contigerit, &c.* Deinde venæ ſectio fluidum reddit corpus, quia humorem euacuat, quo vaſorum cauitates infarciuntur, quare ad medicamenti purgantis operationem vtilis eſt : nam medicamentum ex venis, aut plenioribus, aut obſtructis nihil attrahere ſine nocumento poterit. Quæ omnia intelligi debent, dummodò nec ætas, nec vires prohibeant, nec aliud ex iis quæ venæ ſectionem remorari ſolent, vt notauit Syluatic. *cont.* 40.

Idcircò Galenus 11. *meth.* monet putredinem non ſola ſanguinis miſſione curari, quoniam aliis indiget remediis abſtergentibus, & euacuantibus. Idem verò *lib. aduerſ. Eraſiſt.* reprehendit Medicos, qui omnes febres in principio venæ ſectione copioſa indigere putabant, quum ſæpe parca vtilis ſit. *Lib.* autem 12. *meth. & cit. ad Glauc.* cur non mittat ſanguinem in ſyncopali, & in notha tertiana, in ſequentibus hiſtoriis explanabimus. Num autem ratione febris, an cauſæ eius ſit celebranda phlebotomia, infra inueſtigabimus *in hoc capite*. De quo argumento lege latè differentem Moxium, *in ſpicilegio, de curandi ratione per venæ ſectionem, febres quas humor putreſcens accendit*, & nuperrimè agitauit *in* 1.4. *tract.* 2. 6.7. Ioannes Mata Moros, Medicus doctiſſimus Hiſpanus, qui librum de febribus à Petro Garcia Carrerio in Auic. conſcriptum, in compendium redegit, & ex ſuo ingenuo Marte plura addidit ſcitu digniſſima.

Tertiò illud difficillimum ſemper mihi viſum eſt, cur Gal. ſicut in ſanguine efferueſcente celebrauit ſanguinis miſſionem vſque ad animi deliquium, ſic in putridi & vitioſi ſanguinis abundantia ſumma, non exercuit purgationem vſque ad animi deliquium, quam *lib.* 1. *aph.* 23. concedit Hipp. nam ipſum loquutum de purgatione, patet per verba (*talia, qualia:*) ſic enim inquit. *Deiectiones non multitudine ſunt æſtimandæ, ſed ſi talia deiiciantur, qualia deiici oportet, confert, & leuiter ferunt : & vſque ad animi deliquium faciendum, ſi æger poſſit tolerare.* Arduum dubium, & in quo ambiguus videtur Galenus : nam cùm Hippocrates de euacuatione per aluum loquatur, ipſe exponit de ſectione venæ, vt notat Cardanus *in huius loci commento* : maximè cùm ipſe *lib.* 2. *de humorib.* 17. Hippocratem loquutum fuiſſe de deiectione aſſeueret.

Dic. Galenus non eſt anceps in expoſitione Hippocraticæ ſententiæ : neque enim ibi Senex de alui deiectione ſolùm, ſed de alia omni vacuatione, tam per venæ ſectionem, quàm per aliam regionem facta, eſt intelligendus, perperam contra Galenum ſomniauit Cardanus, & aduertit acutiſſimus Argenterius *in com.* In hoc autem ægro ſynocho putri laborante purgationem vſque ad animi deliquium non adminiſtrauit, quoniam ſanguis putreſcere incipiebat, neque erat inſigniter in alios humores mutatus ; aliàs illam ſine dubio exerceret. Et licèt ex immoderata, copioſáque purgatione, irreparabilia pericula ſubſequantur, quæ *lib. de venæ ſectione aduerſus Eraſiſtratum, cap.* 7. *&* 2. *acut.* 11. *& lib. de ſang. miſ. cap.* 12. ipſe refert luculenter, & firmauit Meſuës *theoremat.* 3. *de re medica* : explicat Santorellus *lib.* 18. *antepraxis, cap.* 4. tamen in pluribus morbis eſſe imperandam non negamus, quoniam *acutus & periculoſus morbus multa cogit moliri temerè*, auctore Celſo *lib.* 2. *cap.* 9. in quo *melius eſt anceps remedium experiri, quàm nullum*, ex Gal. 10. *meth. cap.* 10. Nec enim in omnibus morbis hoc tantum præſidium exequendum : nam in longis nulla conuenit effuſa vacuatio, cùm potiùs iteratam optemus, cùm in iis nimia deiectio citra morbi leuamen vires proſternat, quas firmas ſeruare oportet. Ergo in acutis ſolùm erit neceſſaria : neque in omnibus, quoniam in apoplexia, & morbo comitiali, ea vti non licet, ſed duntatat in calidis merè, atque iis præſertim, in quibus eſt copia humorum vberior, & vires magis liberales : ſubito enim & extremo morbo, ſubitum & extremum præſidium vtile eſt. Lege Brachelium *in com. ſent.* 23. *lib.* 1. *Aph.* Horat. Augenium *tom.* 2. *epiſt. lib.* 8. *epiſt.* 50. qui noſtras partes acriter tuentur, quidquid ſuperioribus argumentis munitus Valleſius contradicat *lib.* 7. *cont. cap.* 8. neque enim contextus Galeni corrigendus eſt, vt aliqui falsò opinantur.

Quartò dubitandum eſt. Cur in altero iuuene, poſt ſanguinis miſſionem ſuperuenere vtiliter vomitus, & alui fluxus, ſi ſanguis peccabat inflammatus, tenuis, & efferueſcens, qui potiùs ſudore, aut hæmorrhagia excernitur à natura ? Et cur in ſeruo non ſequuta eſt vacuatio per vomitum, aluum, ſudorem, ſicut in libero? Dic. Sanguis venarum non eſt ſimplex, & vniuſmodi, ſed ex pituitæ, vtriuſque bilis ac puri ſanguinis permixtione conflatus. Quare nihil mirum, ſi deonerata natura venæ ſectionis ope, tenuis pars per ſudorem, & vomitum, craſſior per infernam aluum fuerit euacuata. In ſeruo non contigerunt hæc, quoniam ſanguis erat magis lentus, & craſſus, qui cum putridus eſſet, erat ad motum ineptus, expulſioníque minùs paratus ; hunc autem adfuiſſe, ex putredinis natura colligere licet, quæ cùm ab obſtructione oriatur, & hæc à craſſo, lento, & multo ſucco, is non poteſt ita facilè extra corpus expelli : nam *tenuis humoris vacuatio eſt facillima ; craſſioris verò, & lenti, difficillima*, vt monuit Galenus 14 *meth.* 17.

Quintò. Videtur reprehendendus Galenus, quòd in febris validæ præſentia mulſam obtulerit, quæ calida eſt, & bilioſis naturis inutilis : nam facilè vertitur in bilem, ex Hipp. 3. *acut. text.* 9. Dic. Galenus exhibuit mulſam dilutiorem ; nam ſyncera ratione mellis maximam habet vim generandi bilem ; quare diluta, quia habet multam portionem aquæ, magis humectat, æſtúmque compeſcit, neque eſt ſiticuloſa, neque bilem generat, neque caput ferit, ex Hipp. 3. *acut. cit. &* 13. quin penetrat, ac obſtructiones aufert. Si verò quæras, cur ante ptiſſanæ ſorbitionem, mulſam propinet ? Reſpondet Mercurialis *lib.* 3. *acut. in com. ſentent.* 22. *fol. mihi* 478. quoniam perpetuò priùs ingerenda ſunt, quæ faciliùs coquuntur, & ſubducuntur, poſteriùs verò contraria : ptiſſana autem difficiliùs concoquitur, & tardiùs deſcendit. Accedit, quòd ſi ptiſſanæ miſceatur mulſa, fit repletio, quoniam hæc ab illius viſciditate retenta obruit calorem, flatus eleuat, inflat hippocondria. Hæc eſt cauſa apud Ariſt. 24. *probl.* 19. cur potiones dulces ſi miſceantur farinæ, dulciores percipiantur, quoniam illæ, farinæ lentore in ore detentæ, dulcedinem linguæ communicant. Deinde mulſa ſola exhibita, etſi diluta acrimonia aliquali irritat, & prouocat deiectiones. Ob has cauſas Hipp. *lib.* 2. *de morbis*, dolorem capitis à bile factum curaturus, mulſam propinat dilutam. De mulſæ viribus, differentiis, & conficiendi modo, præter Dioſcoridis interpretes *lib.* 5. *cap.* 9. ſcitu digna profert Mercurialis.

Sextò. Illud eſt inueſtigandum. Si febris ipſa curationem indicat, cur poſt ſanguinis miſſionem alteratione non eſt vſus ; & remedia non obtulit, quæ ventilarent, coquerent, refrigerarent, quod monuit Gal. *in art. medic. cap.* 89. Ex natura morbi ſumi indicationem curatoriam, verum eſt, & eſt illius remotio ; & eſt principium à quo emanat ea indicatio quæ contrarietatem præſcribit, ſumpta ex peculiari natura morbi, qua inueniuntur ea quæ conferunt. Quòd autem hæc indicatio curatoria ſumatur ex morbo, conſtat, quia remotio cauſæ, ſiue aliquid actu efficiat, ſiue parata ſit efficere, præſeruatio eſt, auctore Galeno 4. *meth. cap.* 3. *ad fin. &* 11. *meth. cap.* 2. quia præcautio fit ablatione cauſæ, quemadmodum vera curatio ſoli morbo debetur, & hæc ſolùm morbis factis vtilis eſt. Si verò *lib. de optima ſecta ad Thraſib. cap.* 23. 24. 25. contra Methodicos contendit, morbos non indicare curationem : illud non negauit, ſed ſolùm illos reprehendit, qui communiſſima morbi indicatione, quæ illius ablationem indicat, erant contenti. Dic, omnes indicationes facta phlebotomia compleuiſſe Galenum : nam ſanguinis miſſio ventilat detrahendo copiam, & calidam ſubſtantiam vacuando refrigerat ; qua deonerata natura putridos

humores excernit, ſemiputridos verò coquit, & ad medio critatem reducit.

Septimò. Ex hac dubitatione, alia non minoris momenti inſurgit, cui nempe potiſſimum conueniat curatio, febrine, an cauſæ: nam Galenus *lib. 8. meth. cap. 4.* agens de febre ex obſtructione: docet, priùs cauſam, hoc eſt, obſtructionem eſſe auferendam, & ſic priùs vtendum eſſe reſerantibus: & *lib. 10. meth. cap. 1.* ait in febribus quæ originis ſuæ cauſam intus habent, primam indicationem ab ipſa cauſa ſumendam eſſe, ac proinde priùs putredinem eſſe ſanandam, habendam tamen eſſe rationem ipſius febris. Idem docet *5. meth. 14.* dum vlcus in pulmone exſiccantibus eſſe curandum præcepit, quæ febris contraria ſunt: & ſic *lib. 7. meth. 11. & 12.* monet, priùs eſſe expurgandos humores in ventriculo contentos, quam intemperies tollatur. Huc alludit commune illud pronunciatum, ex *c. 89. lib. art. medicinal.* vt *vnamquamque priùs quæ efficit cauſam reſcindamus, deinde ad illam, quæ ab eadem cauſa facta eſt, ægritudinem accedamus.*

Pro parte contraria videtur eſſe Galenus *lib. 8. meth. cap. vltim.* dicens indicationem à febre deſumptam eſſe digniorem, & cæteras obſcurare: & Auic. *1. 4. tract. 2. cap. 7. in princip.* idem affirmat. §. *Et quandoque febris eſt tantæ vehementiæ & acuitatis, vt non liceat vti regimine cauſæ, ſed neceſſe eſt vti infrigidatione multa.*

Tu autem huic quæſtioni breuiter reſponde: in cura ordinaria, & legitima, à cauſa eſſe incipiendum; in cura tamen coacta, & extraordinaria, interdum à febre, & ſic omnia quæ adducta ſunt, facilè conſentiunt. Quando tamen Galenus inquit *8. meth. vlt.* febris indicationem eſſe digniorem, intelligit facta comparatione cum ætate, natura, & conſuetudine, de quibus *ibi* loquitur, non tamen facta collatione cum cauſa. Quòd ſi quæras, quo pacto febri, & cauſæ, quando ſunt contraria poſſumus occurrere? eleganter reſpondet Galenus *lib. 8. meth. cap. 4.* agens de oxymelite; & Auic. *1. 4. tract. 2. cap. 7.* §. *Multoties quidem inuenitur res, &c.* Quòd ſi rurſus quæras, quo pacto febris poſſit eſſe intenſa, ſi cauſa contrariatur? num acutiſſima febris ſolùm ex humoribus calidis, & ſiccis videtur poſſe generari, non ex frigidis; ac proinde nunquam febris, & cauſa habebunt indicationes contrarias, ſed ſemper idem expoſtulabit febris, & cauſa. Dic interdum contingere febrem & cauſam ſibi aduerſari, vt accidit in cauſo notho, & hemitritæo. Dic ſecundò, quòd licèt cauſa conueniat in qualitate cum febre, gratia tamen demendæ obſtructionis, & euacuationis ſenſilis, & inſenſilis, remedia infrigidantia valde minimè conueniunt vt patet in inflammatione, & eryſipelate, quæ licèt ab humore calido fiant, calidis tamen præſidiis reſoluuntur, & admotis frigidis indurantur.

Octauò. Admiratione non caret, cur in valida febris acceſſione, & augmento, remiſſionem non expectans Galenus, ita copiosè ſanguinem emiſerit? maximè cum febris eſſet de genere earum quæ aſſiduè decreſcunt, & Hipp. in acceſſione ab omni auxilio abſtinendum eſſe imperauerit; firmat Gal. *lib. de curand. ration. per ſang. miſ. cap. 21.* quo loco in continuis, ad ſanguinis miſſionem, tempus remiſſionis expectat. Dic hoc præceptum obſeruandum eſſe in cura methodica, & legitima: in coacta verò, & illegitima, in qua prohibitorium non attenditur, in acceſſione ipſa poteſt ſanguis emitti, vt in inflammationibus internis, vehementi dolore, febri periculoſa, in quibus ſi ſpreta phlebotomia nullum præſidium conſulas, vel dolor partis augebitur, vel caliditas febris intendetur; vel ad aliquam partem principem decumbent ij, qui per corpus vagantur humores; vel ex copia multa, ſuffocatus innatus ignis, & obſtructis canalibus non ventilatus, peribit ſubitò, & extinguetur. Ita in tantæ plethoræ præſentia extemplò huic iuueni opem tulit Galenus, & ſaluberrimo phlebotomiæ antidoto, vel in feruore febris celebratæ, à mortis faucibus liberauit

Nonò poſſet quærere non incuriosè aliquis, hoc modo. Si putredo ſola ſanguinis miſſione non curatur, ex Gal. *11. meth. 14.* ſiforte febris putrida phlebotomiæ præſidio non ſuccumbat, quod deinceps auxilium faciendum? Galenus reſpondet in multis ſuæ doctrinæ locis hoc modo, imprimis *lib. 11. meth. cap. 9.* dum de febribus putridis curandis ſermonem attexuit, ſic ait. *Ergo à corporibus, quæ ſic afficiuntur, expellenda quæ putruerunt, per vrinas, & aluum, & ſudorem ſunt: quòd ſi ad os ventriculi aliquando ſua ſponte impetum capiant, etiam per vomitiones, &c.* Auicenna *1. 4. tract. 2. cap. 7. de curatione febrium putridarum, in princip.* ſic ait. *Quòd ſi fuerit virtus fortis, & fuerit illud quod vincit ſanguis, aut cum humore qui vincit, ſanguis, tunc phlebotomia eſt magis conueniens; & propriè cùm vrina eſt rubra, groſſa. Deinde fac ſequi phlebotomiam, ſolutionem ventris ſubtilem, propriè ſi fuerit ibi ſiccitas, &c.* Et ad leuiter ſoluendum, approbat aquam hordei, mannam, (vocat *ſiracoſt*) ſyrupum acetoſum, & violaceum: Aqua hordei, id eſt, ptiſſana, eſt ſuauis, lubrica, & ventrem emolliens, ex Hipp. *1. acut. 18. 28. 29. & 30.* Manna, non eſt purgamentum thuris, quod manna thuris vocauit Gal. *5. meth. cap. 4. & 13. meth. cap. 6.* Paul *lib. 7.* explicat Manardus *lib. 1. epiſt. 5.* ſed eſt mel aëreum, de quo *lib. 2. de aliment. facult. cap. 39.* ipſe diſſeruit, & Arabes, præſertim Meſuë, de manna purgatrice rectiùs ratiocinati ſunt. Tertium medicameutum eſt ſyrupus acetoſus. Quartum eſt ſyrupus violaceus, ex violis recentibus paratus, vel ex pluribus infuſionibus earum: hoc enim modo paratus, ampliùs refrigerat & lenit, & febribus ardentibus miro eſt auxillio.

At cum plurima ſint medicamenta, quæ humores peccantes è corpore excernunt, & alia primam corporis regionem exonerent, neque iecur tranſcendant; alia ex partibus longinquis, & venoſo genere attrahant, de illis intelligendum eſſe Auicennam eo loco, interpretes firmant. Vtrum verò in febribus putridis, illa ſint exhibenda per os, an ſolum clyſteres, acriter contra Thomam à Veiga contendimus *lib. 1. in com. hiſt. 63.* quo loco in febribus tam acutis, quàm chronicis, purgantia medicamenta ex Galeni mente eſſe propinanda, non ſolùm lenientia, ſed quæ ſoluendo euacuant, determinauimus. Nam præter plurimas auctoritates eo loco recitatas, Galenus *lib. 13. meth. cap. 15.* in inflammatione iecoris, quam febris comitari ſolet, purgat vrtica, mercuriali, cnico, polypodio, & cortice veratri. Deinde, ſi in affectibus à calidiſſimo bilioſóque humore concitatis, vtitur medicamentis purgantibus, cur in febribus ea non imperabit, lenia, & quæ ſuauiter retorridam, & excandeſcentem bilem euacuent? Hanc methodum proprio exemplo notauit *14. meth. cap. 17.* quando in muliere. Romana, quæ herpetem in malleolo patiebatur, ſcammonio vſus eſt; & in eryſipelate medicamentum conſulit quod bilē attrahat, *lib. 14. meth. c. 3. & 2. ad Glauc. c. 2. poſt princ.*

Decimò. Quæri etiam poſſe arbitror; Num licitum ſit in principio febrium putridarum, ante ſyrupos aperientes, & phlebotomiam, medicamentis lenientibus vti per os aſſumptis, etiamſi humor crudus ſit, quam purgationem minoratiuam, ſeu minorantem vocant Iuniores, moniti oraculo Hipp. *lib. 2. aph. 29.* dicentis: *cùm morbi inchoant, ſiquid mouendum videtur, moue: cùm verò conſiſtunt, ac vigent, melius eſt quietem habere.* Quam ſententiā explanans Gal. ſic inquit. *Circa initia verò illorum morborum, in quibus ſperatur ægrotus conualiturus, tentanda maiora ſunt remedia, de quibus Hipp. dixit, ſiquid videtur mouendum, moue. Sunt autem hæc præcipuè quidem venæ ſectio, nonnunquam verò & purgatio, quorū neutrum oportet morbo iam conſiſtente adhibere: vt enim in libro de criſibus manifeſtauimus, coctiones morborum tunc maximè fiunt. Vt igitur hæc citiùs eueniāt, melius eſt circa principia euacuare, quò minorem iā factam materiā faciliùs natura concoquere poſſit, &c.* firmat Auic, *2. 4. tract. 2. c. 7.* §. *Et ſimiliter ſi times victoriam humoris, magis neceſſaria cautela eſt euacuatio, & non moueas niſi in principio, &c.* approbat Auerrhoës *lib. 7. collig. cap. 1.* docens pleuriticos phlebotomatos à Rhaſio in hoſpitali, ſine hac lenitione, omnes interiiſſe: & Auic. *loc. cit.* purgantia exhibet ſtatim in initio febrium, ante aperientia, prouocantia vrinam, & ſudorem: & *c. 55. de cura quotidianæ,* §. *Et omnes eius ſpecies cōmunicāt*

in

in hora principij in tribus rebus, in neceſſitate lenificationis æqualis: & Auenzoar *lib.3.theiſir. tract.1.cap.14.* non ſolùm ante vſum aperientium, ſed ante phlebotomiam in feſte ſanguinea medicamenta per os adminiſtrat. Et Gal. *8. meth.4.* ante ſyrupos deobſtruentes purgantia propinat, nam ſi illi primò offerantur, obſtructiones augentur. Itaque humor crudus, & multus minuendus eſt, vt natura à multitudine leuata, exonerataque facilius concoquat, & ne humor incoctus derelictus à regimine naturæ, deterióri labe & putredine inquinetur, & præ copia calorem obruat. Ita ſentit Manardus 13. *epiſt.1.* hoſtiliter contra recentiores dimicans, qui contrarium aſſerere auſi ſunt: cùm ex hac minorante purgatione, clementibus medicamentis celebrata, nullum vnquam ſequutum fuiſſe incommodum firmiter aſſeueret.

Ex diametro diſſertat Antonius Muſa *in com.lib.1.aph. com. 22.* pluribus rationibus fretus. Nam Hipp. *4.acut.43.* ſic ait. *Quòd ſi vrinæ inter initia tenues fuerint, tales non purgabis: at ſi videatur, clyſterem exhibebis:* & *lib.4.acut.22.in initio*, vſum medicamentorum purgantium ſummopere reprobat: & ea ſolùm approbat *lib.de medicament. purgantib.in fin.* quando remiſerit febris: nam ſi ea exhibeas in principio, magna vis infertur naturæ, liquatur caro, & ſanguis: quoniam *purgato fit mendicamento attrahente, natura verò expellente*, ex Gal.1. *aph. 22.* & natura non excernit in principio, ſed poſt coctionem, quæ in ſtatu fit ex Gal. *3.criſ.10.& 4.aph. 2.* omnis enim excretio quæ naturæ lege perficitur, coctionem ſequitur, vt bellè dictabat Galenus *lib. 4.de præſag. ex pulſib. cap. vlt.* Scio quid contrariæ partis defenſores aſſeuerent: Hippoc. & Gal. *in com. & 8.ſecund. loc. cap.5.* & alibi paſſim, reprobaſſe medicamenta electiua, calida, fortia, vehementia, & quæ à venoſo genere intempeſtiuè attrahere humores nata ſunt, & magnam vim corpori inferunt, quum perturbent, exagitent, & corpus inflamment, quæ ſuo tempore erant in vſu: non verò lenientia, & clementia pharmaca, quæ materias in prima corporis regione adhæreſcentes ſine vlla perturbatione euacuant, qualia ſunt Manna, Pulpæ caſſiæ atramentum, ſyrupus roſ. & violac. ex plurib. infuſ. Cathol. & cætera mitiſſima electuaria, quæ citra motum, virium diſpendium, & agitationem vllam, peccantes humores ex prima regione exhauriunt? quibus ſi in principio febrium non vtaris, & fomentum morbi non extrahas, damna irreparabilia ſubſequentur: nam humores hi putredinem concipientes, & in ſtatu morbi efferueſcentes, furunt & ebulliunt, fiùntque cauſa morbi, & eum ſæuiorem pariunt, quàm ex natura ſua eſſe deberet.

His, & aliis quamplurimis argumentis irretiti iuniores, huc illùcque Euripi modo agitati, inter ſeſe digladiantur; de quorum numero præter Manardum, & Braſauolum, cæteróſque Auicennæ, & Galeni celeberrimos veteres interpretes, extant Augenius *lib. 1. epiſt. tom.1. epiſt.2.* Valleſ. *lib.7.controu.13* Salius Sclanus *lib.1. aph.22.* Cardoſus *lib.de ſex reb.non natural.quæſt.5.* Altimarus *cap.prop.tract.de purgatione.* Ioan Brauus *lib.1.de purgand.rat.cap.8.* Mercatus *lib.1.indicat.cap.6.* Trincauellius *epiſtol.* Santorellus *lib.20.antepraxis,cap.14.* Syluaticus, *controu.19.* & alij. Sed maxima admiratione dignum eſt, quòd tam generoſum, & præſentaneum vitæ humanæ præſidium, tantis obſcuritatum labyrinthis inuoluatur, pluribus hoſtibus oppugnetur, tandémque tam variis cenſuris, Neoterici ſcriptores de eo hactenus iudicarint. Sed cùm infinitum propemodum ſit, recitare quæ illi pro vtraque parte in ſui ſubſidium afferunt, aliquando ineptè, immò diſtortè Galenicam ſententiam interpretantes, idcircò ne auctum agere videar, animoſa veritate cogente, vt tantis ſedulò præuideam incommodis, methodum tradam breuiter exactam, qua febres putridæ hoc præſtantiſſimo præſidio aliquando ſint curandæ, & quo ſpreto feliciter earum curatio abſoluatur ſæpe: & ſic inextricabiles Mæandri, duriſſimi nodi patefient, & diſſoluentur, quos ſi rectè perpendiſſet Garzias Lopius *lib. de variæ rei medicæ lectione, c.15.* non ita minorantium pharmacorum vtilitatem redargueret.

A Falſiſſimum ergo eſt exiſtimare, in omnibus febribus putridis in principio eſſe hanc minorantem purgationem offerendam: licèt veriſſimum ſit, in aliquibus non vtiliter tantùm, ſed neceſſariò eſſe propinandam, & ſic inter hos auctores ſoluta eſt rixa, & pax oborta. Quando enim in ventriculo, inteſtinis, vel vicinis partibus, ea eſt recrementorum, vel vitioſorum humorum redundantia, quæ clyſtere demi non poteſt, tunc medicamenta lenientia per os ſunt exhibenda, nulla facta per ſyrupos, vel phlebotomiam vacuatione. Hoc modo Hipp. *4.acut. 6.* in curatione febris ardentis, ſi os amarum fuerit, hoc eſt, ſi bilis in ventre redundauerit, eam per vomitum, & clyſterem euacuat. Et *textu ſequenti* ſic inquit. *Verùm ſi adhuc non ſoluatur, lacte aſinæ*

B *cocto purgabis, &c.* quibus verbis innuit, quòd ſi ea ſit bilis redundantia in ventre, quæ vomitibus, & clyſteribus extrahi non poſſit, tunc medicamentum leniens per os exhibendum eſſe. Elegit autem lac, aſinæ, quoniam ſeroſum eſt, & ſic inteſtina abluit, & ratione ſeri expurgat. Quare ſi bilis copia in ventriculo, & primis venis adeſt, aut crudi hoc loco in multa quantitate redundant ſucci, tunc à pharmaco leniente incipiendum eſt, vt in tertiana exquiſita ſæpe contingit. Hoc ita eſſe oſtendunt magnus oris amaricatus, vomitus biliosus, nauſea, ventriculi vel inteſtinorum morſus, & murmur, maximè ſi hæc extra acceſſionem infeſtant. Hoc etiam obſeruandum eſt in tertiana notha, & quotidiana; quare Galenus *lib.1. ad Glaucon. cap. de cura quoti-*

C *diana,* primò humores in primis venis poſitos expurgat: ſi verò plenitudinis ſeſe oſtentent ſigna, tunc à phlebotomia inchoanda curatio eſt. Quare ne omnes vno calcees calopodio, quod maximè deteſtatur Galenus *lib.9. meth. cap. 16. & lib. 5.de ſanit. cap.1.* neque indiſcriminatim, nulla morborum habita ratione, nec ab apparatu corporis, aut humoris indicatione deſumpta, quarta die, quadam veluti ſancita lege, cum auctore *lib. 4.acut.text. 76.* expurges: Nam ſæpe prima die, vt Galenus admonuit *in com.* aliquando nonniſi concocta materia, & tranſacto ſtatu, purgante medicamento vti opus eſt. Lege Valleſium *lib. meth. cap. 2. in med.* & Vidum Vidium *lib. 4.de febrib.cap. 5.* de quo argumento luculenter Maſſaria *tract.de purgat. in initio morborum celebranda.* Cardanus *lib.1.contradict. tract.6.cont.16.*

Vltimo percontaberis. Si hæc non ſatis ſint, vt febris putrida eradicetur, quid reſtat peragendum? Reſpondet Gal. *lib.11.meth.cap.9.* humores putreſcentes vacuandos eſſe per aluum, vrinam, ſudorem, & vomitum. Ita *cit.loc.*

D firmat Auic. dum humorem ad ventriculum vergentem, per eam regionem eſſe vacuandum aſſeuerat, neque naturam eſſe diuerſificandam, id eſt, non eſſe illius motum impediendum, ſed imitandum. Vomitus autem lenibus medicamentis eſt prouocandus, vt eſt ſyrupus acetoſus cum aqua tepida; nam tepidum ventrem laxat, ex Galen. *8.meth.7. §. Eſto autem abundè calens, quodcunque ventriculo imponitur; quæ enim tepida ſunt, ventriculi firmitudinem diſſoluunt, &c.* Confirmat Auic. *1.4.tract.1. cap.26.* Vomitum eſſe prouocandum, ſignificant nauſea, ſubuerſio ventriculi, & alia ſigna propoſita à Gal. & Hipp. *4.aph.17.* cuius vacuationis quanta ſit præſtantia, & vſus leges *lib.3.in com. hiſt.27.*

Galenus *lib. 11.cap. 8.* docet non poſſe curari febrem ex putredine ortam, niſi priùs putredo remoueatur. Hæc au-

E tem corrigi debet, inquit Gal. veluti ſolet emendari in corporibus putridis non viuentibus, in quibus id quod putruit, incidimus; id verò quod ſemiputre eſt, vt ad naturalem redeat ſymmetriam, in aërem frigidum defertur: ſic in viuentibus exequendum eſt, nam putre vacuandum; ſemiputre, mediocri motu, & tranſpiratione refrigerante caſtigandum. Et *cap. 13.* inquit, quòd quemadmodum recluſioni opponitur obſtructio; ſic putredini, excretio ventilatio, refrigeratio, & coctio. Et *in art.medic.cap.89.* docet, in curanda febre accenſa ex putridis humoribus, duplicem eſſe habendam intentionem; alteram, quæ ex toto corpore materiam educat: aliam quæ dicitur altera-; tio; quæ manente ſubſtantia putredinem finit.

Sed dubitabis, qua ratione refrigerantia, ventilantia, & concoquentia putredinem ſiſtant? Dic. Putrefactio ex actione caloris extranei, & debilitate innati emanat: refrigerantia ergo illius exceſſum corrigunt; ventilantia, & concoquentia natiuum roborant calorem. Et quamuis coctio à calore naturali fiat, & non à medico, aut medicamentis, auctore Gal. *lib. de conſtit. art. med. c.* 12. tamen medicus, quatenus diſponit materiam, vt facultas alteratrix poſſit conquere, & fouet, augétque calorem naturalem, iuuat coctionem: ſic febrilis calor concoquit, quia humores craſſos extenuat, & hac ratione ad coctionem diſponit. Sic frigida humores bilioſos coquunt, quoniam remouent ea quibus eorum coctio impeditur. Sic Gal. *lib.* 5 *ſimp.* 6. *&* 7. *meth.* 7. coctionem ventriculi ab extrinſeco calore iuuari affirmat. Hoc modo apud Gal. 5. *ſimpl.* 9. ſuppurantia concoquunt, quia quantitatem caloris adaugent. Hac ratione, calore ſolari maturantur fructus, muſtum feruet, & fit vinum, non ſolùm ex ingenito, ſed ex acquiſito à ſole calore, ex Gal. 4. *ſimpl. cap.* 11. Ita fomentum, balneum, vnctio, quies moderata, frictio, exercitium, vſus cibi boni ſucci, vini modici potus, iuuant coctionem, quoniam calorem naturalem adaugent, & facultatem roborant, à quibus potiſſimùm coctiones fiunt, ſic monente Gal. *lib.* 1. *epid. ſect.* 2. *com.* 44. *&* *lib.* 4. *acut com.* 44.

Poſt hæc Galenus, & Auic, humores putridos deturbandos eſſe per vrinam aſſeuerant: nam hæc vacuatio eſt vniuerſalis, qua non ſolùm veſicam, renes, & partem ſimam iecoris euacuat, ſed conſequutione quadam omnes venas, & totum corpus exhaurit; quapropter pars ſeroſa ſanguinis ſuperflua, & ſimul cum ea vitioſi humores, tam à natura, quàm ab arte hac via expurgari ſolent.

Hæc medicamenta ſolùm poſt vniuerſales vacuationes exhiberi debent, ne ſcilicicet ex primis venis, inteſtinis, & corpore vniuerſo confluentes ſucci ad anguſtas vrinæ vias, eas obſtruant: ita docuit Gal. 7. *meth. c. vlt.* quare Auic. 1. 4. *tract.* 2 *c.* 7. *poſt med.* docuit: *in curatione febris putridæ fac ſequi phlebotomiam, deinde lenificationem ventris, poſtea exhibe quæ vrinam prouocant*, &c. Hæc vacuatio paulatina eſt, & moroſa vt aſſeruit Gal. 4. *aph.* 14. *&* 3. *prog.* 23. quare ſolùm in chronicis morbis, & febribus productis eſt tẽtanda, & non in acutis, quæ præſidiis citò, & celeriter operantibus indigent.

Porrò prouocantia vrinam in triplici ſunt differentia: quædam acria, exſiccantia, extenuantia, & quæ coaguli inſtar partem ſeroſam à ſanguine ſecernunt, & pituitam, cæteróſque humores liquant, partíque ſeroſæ permiſcent, de quibus agit Gal. 5. *ſimpl.* 22. Alia augent ſeri quantitatem, vt vinum aquoſum; aut ad vias vrinæ humores deferunt, vt Rhab. Alia quæ vias vrinæ abſtergunt, vt terebinthina, ſemina frigida. In acutis morbis his frigidis vtimur; in productis, ad humorum reliquias expurgandas, concedenda ſunt propriè diuretica, quæ humores craſſos extenuant, liquant, & obſtructiones auferunt, à quibus febris foueri ſolet. De quorum vſu, & efficacia, conſule Mercat. *lib.* 1. *indicat. c.* 10.

Quando verò febris his præſidiis non ſuccumbit, prædicti auctores ſudorem prouocandum conſulunt, vt ſi aliqua ſeroſi humoris quantitas in corporis poroſitatibus fuerit relicta, ſudore euacuetur, Auic. *cit. loc.* tripliciter ſudorem mouere docuit: primò, cum inũnctione ex oleo chamomillæ, & fricatione. Secundò, cum vino albo, aquoſo, ebibito. Tertiò, cum aqua dulci tepida, qua æger abluatur, vel foueatur. Quæ ſententia ad Galeni mentem eſt exponenda, 11. *meth. c.* 9. *in princ.* vbi ita inquit: *ſanè totum corpus priuſquam vacuaueris, rarefacere non expedit. Vbi vacuatum eſt, vtique licebit id medicamento aliquo, cui calor tepidus inſit, rarefacias, cuiuſmodi eſt quod ex chamæmelo conficitur. In hoc tempore, ſi vinum quoque aquoſum bibatur, id omnes vacuationes promouerit. idem faciet & temperatum dulcis aquæ lauacrum*, &c. Quibus præſidiis vt tutò vti poſſimus, totum corpus debet eſſe exquiſitè euacuatum, non ſolùm ſanguinis miſſione, ſed & purgatione, ſi ea opus ſit: ſi enim aliter feceris, humores ſubitò ad cutem irruentes, eius anguſtos obſtruunt meatus: neque febris debet eſſe intenſa, vt *loc. cit.* aduertit Galenus dicens. *Cæterum vbi magnitudo febris obſtat, ſicut in continentibus, nec vino eſt vtendum, nec lauacro, nec iis quæ habitum rarefaciunt vnctionibus*, &c.

Hæc vacuatio quæ per ſudorem celebrari ſolet, licèt immediatè habitum corporis euacuet, & ideò nota ſit ſuccorum, qui in ambitu, & ſuperficie conſiſtunt, vt ait Galenus *lib.* 4. *de ſanit. tuend. cap.* 4. *in med.* mediatè tamen, & conſequutione quadam, venas & reliquas corporis partes inanit, & ideò vniuerſalis eſt vacuatio, cuius ope febres ſoluuntur, vt ait Gal. 4. *acut.* 10. & alibi paſſim, *in criſ. libris, & prognoſt.* quibus locis notas tradit, quibus vtilem & optimum ſudorem internoſcere poſſimus, nam non ſolùm ea pars ſeri, quæ vehiculi inſtar alimentum ad ſingulas partes deduxit, & functa eſt officio ſuo, per ſudorem expellitur, vt ait Gal. *lib. de ſanit. tuend. c.* 12. ſed ſimul cum ſero, tam à natura, quàm ab arte reliqui humores expurgari ſolent, neceſſe tamen eſt, vt priùs ſerum, & humores cæteri à calore extenuentur, vt ſic in halitus conuerſi ad partes extimas deferantur, in quibus ob cutis denſitatem, aut ambientis frigiditatem, in formam ſudoris erumpunt.

Si vltrà expoſtules: quare medicamenta, quæ ſudorem mouent, debeant eſſe fortiora his quæ vrinam prouocant? Dic, quia multò difficilius eſt humores in halitus tranſmutare, quàm eoſdem extenuare, & à ſanguine partem ſeroſam ſeparare. Præterea materia vrinæ attrahitur à renibus; ſudoris autem materia non attrahitur, ſed impellitur verſus cutem. Simili ratione dicebat Gal. 5. *ſimpl.* 22. medicamenta quæ menſes prouocant efficaciora ſunt iis quæ lac mouent, quoniam menſes non attrahuntur ab vtero, ſed feruntur; at ſanguis ex quo fit lac, non ſolùm ad mammillas fertur, ſed ab eiſdem attrahitur. Accidit tamen pro varia inclinatione naturæ, vt quæ mouent vrinam, prouocent ſudorem: ſi enim natura ad cutem vergat, à diureticis medicamentis prouocatur ſudor; ſi ad vias vrinæ, ab iis quæ mouent ſudorem, vrina multiplicatur: raro enim vnum medicamentum à virtute alterius exuitur.

Sudorifica, alia intùs exhibentur, alia extrà cuti admouentur. Illa, quorum ſyluam tam in acutis, quàm chronicis morbis variè deſcribunt auctores, ieiuno ventriculo aſſumi debent, vt monuit Ariſt. 2. *ſect. probl.* 25. ne fortè alimenta cruda & ſemicocta, ſimul cum medicamentis ex ventriculo diſtribuantur. Tu verò de ordine exhibendi ſudorifica, conſule Mercat. inter omnes, *lib. indicat. c.* 12.

Quòd ſi interroges: vtrùm prouocantia vrinam debeant præcedere prouocantia ſudorem; Dic, quòd aliquando ſine prouocatione vrinæ poteſt ſudor prouocari, præſertim quando humor ſolùm in vaſis extremis continetur, ſed ſecurius multò eſt, vt medicamenta diuretica præcedant. Primò, quoniam medico certò non conſtat, vtrùm humores ſeroſi in vaſis maioribus retineantur, an ſolùm in extremis. Secundò, quoniam facilius eſt vrinam prouocare quàm ſudorem, & ſemper à facilioribus eſt inchoandum; & hoc modo intelligendus Galenus 11. *meth. cit.* qui non ſolùm poſt ſanguinis miſſionem, & purgationem, ſed poſt vrinam prouocantia, ſudorifica propinanda conſuluit. Si ergo naturam rectè operantem medicus imitari debet, ſudorem prouocabit; nam ipſa onere grauata hanc vacuationem promouet cum emolumento ſummo. Illa liberatus eſt Pericles igni oppreſſus *lib.* 3. *epidem. ſect.* 2. *text.* 77. Anaxion quoque ſudauit vigeſima, & remiſit febris. Deinde Nicodemus, & illa mulier quæ in Thaſo decumbebat: & *lib.* 1. *eiuſdem operis* Herophon, Cleonactides, Meton, & alij, qui in iudicatoriis ſudarunt, & à febri facti ſunt immunes: Hinc optimè dixit Hip. *lib.* 4. *Aph.* 36. *ſudores bonos eſſe, euenientes in tertio die, &* 5. 7. 9. 11. 14. 17. 21. 27. 31. *&* 34. hi enim ſudores iudicant morbos. Quæ verò conditiones ad ſudorem optimum ſint neceſſariæ, explicat Gal. 3. *criſ.* 3. edoctus ab Hip. *lib.* 1. *prog.* 22. Cuius mentem explanat luculenter Chriſtoph. à Vega *in com.*

Si verò vacuationibus vniuerſalibus, & aliis præſidiis quæ ventilant, concoquunt, refrigerant, reſerant, aperiunt, prouocant ſudorem, & vrinam, febris putrida non remittatur, monet Auic. *loc. cit.* vt ſi febris ſit multæ caliditatis, corpus diſſoluens, & perducens ad hecticam, inunctiones, & embrochationes fiant cum rebus frigidis, v.g. ſupra iecur. Et licèt Bellunenſis in nouis codicibus affirmatiuè legat: quòd quando febris fuerit valdè acuta, non conceditur aliquid ex inunctionibus, & embrochationibus, ſcilicet ſudorem prouocantibus, & poros aperientibus, quale eſt oleum chamæmelinum, & cætera cutem rarefacientia: tamen prior lectio magis amplectenda eſt, quæ cum Galeni mente ampliùs conſentit, qui in æſtuoſis, vel productis febribus, iecur & cor occupata incendio: refrigerantibus epithematis, & roborantibus medicamentis extrà applicitis attemperanda eſſe docet, tum *lib. 11. meth. cap.* 15. tum 13. *eiuſdem*, 15. in quem vſum ſuum parabat refrigerans vnguentum *lib.* 10. *meth. cap.* 8. & *lib.* 1. *ſimpl. cap.* 6. quando in febribus ardentibus totum corpus exardeſcit, & viſcera excandeſcunt. Quare ſi membra hæc calidiſſima non refrigeres, hecticus ſuperueniet marcor, & vel abſumpta humiditate primigenia extinguetur innatus ignis, vel febris in longum protrahetur tempus, ad quam retorrida ſubſequetur febris: nam ſcitum eſt in Galeni doctrina *lib.* 3. *progn.* 23. quòd triplex eſt cauſa prorogationis febrium, aut propter aliquam partem affectam curatu difficilem; aut ptopter humores craſſos, crudos, incoctóſque; aut propter aliquod commiſſum. Vocat autem partem curatu difficilem *in com.* Chriſtophorus à Vega, illuſtris *librorum prognoſticon* explanator, iecur inflammatum, à cuius intenſo calore febres excitantur; vel alias partes principes intemperie calida affectas, à qua febres originem ducunt. In hunc vſum ad temperandum cauma internum, optimum conſilium eſt dorſum, per quam partem arteria magna perreptat, vnguentis refrigerare, quorum copiam leges apud Mercatum, *tom.* 1. *quæſt.* 217. Sed cùm febris, qua iuuenis hic premebatur, paracmaſtica eſſet & decreſcens, & quarto, & quinto die manifeſtè magnitudinem remittere viſa fuiſſet, & præceſſiſſet concoctio in vrina, aliis præſidiis præter ſanguinis miſſionem opus non fuit, quoniam in ſeptimo finita eſt, iuxta oraculum Senis *lib.* 4. *aph.* 71. dicentis: *Quibus ſeptimo die fit criſis, iis nubecula rubra quarto die in vrina apparet, & alia ex ratione*; nam leuata natura venæ ſectionis ope, humorem reſiduum per inſenſilem halitum exercuit. Si tamen generalia, & peculiaria præſidia pro curanda putredine, & ſymptomatibus ab ea ortis memoria retinere vis, adi Vidum Vidium *lib.* 4. *de feb. c.* 7. & 8.

QVÆSTIO X.

Vtrùm putredo ab Ariſtotele, & Galeno rectè definiatur, vt contra eos Argenter. Thomas à Veiga, & alij peritiſſimi opinantur.

COMMENTARIVM.

PVtreſcentium humorum.] Quia ex hac hiſtoria promi plurima poterant, quæ ad curandas febres putridas neceſſaria ſunt, & hæ recta methodo curari nequeunt, niſi putredinis eſſentia, natura, & cauſæ examinentur ad vnguem, placet hoc argumento Laconicè diſſerere, ex tam multis quæ Philoſophorum, & Medicorum primarij controuertunt, ad *cap.* 1. *lib.* 4. *meteor.* & *lib.* 1. *de feb. cap.* 6. & *in medendi methodo, & arte medica*: ſicut clariſſimi Auic. interpretes *ad c.* 7. *tract.* 2. 1. 4. & alibi.

Adnotemus ergo illud loco primo, doctiuſculè prolatum à Philoſopho 4. *meteor.* 1. quòd *putredo eſt natiui caloris in humido exiſtentis ab extranea caliditate corruptio*. Quæ definitio non per corruptionis terminum, ſeu finem, ſed viam tradita eſt, de qua Galen. 2. *acut.* 44. & *in art. med.* 89. loquutus fuit, dicẽs: *coctio facit ceſſare putredinem*. De completa verò, & in termino, fecit commemorationem ipſe Gal. 11. *meth. c.* 8. cùm inquit: *Putredo eſt totius putreſcentis ſubſtantiæ ab extranea caliditate corruptio*: de qua 5. *ſimpl.* 14. quam inſignis fœtor comitatur, putredinis manifeſtum indicium 1. *prog. vlt.* nam quò plus putredo intenditur, eo maior, & deterior fœtor arguitur: hic enim ab humido exuperanti contingit, à natura non regulato, nec cum ſicco exactè permixto.

Loco generis in definitione ponitur (*corruptio.*) Traditur per materialem cauſam, nempe (*calor innatus*,) cùm enim hic ſolùs, aut ſaltem præcipuus ſit generationis auctor, ita corruptio ab illius defectu dependet. Traditur & per efficientem cauſam, nempe (*calor extraneus*;) hic enim natiuum calorem ad ſuperficiem attrahendo, eſt in cauſa, quòd patibiles ſeparentur qualitates, & accidat putredo.

Deinde putredinis natura altiùs eſt indaganda, & primò ſic. Si vtraque qualitas generationis, & coctionis cauſa eſt efficiens, cur putredo, etiam frigoris non dicetur corruptio? Sed cum calor innatus ſolus ſit actiuior, præſtantior, & ſolus mixtionem conſeruet, nihil mirum ſi per illius defectum definiatur putredo; quod in hac definitione intelligi par eſt, illius ſcilicet moderati, qui anteà in mixtione præexiſtebat: partes enim calidæ, auctore Philoſopho *cit. loc.* cùm diminuto calore natiuo infrigidentur, & frigidæ præternaturaliter incaleſcant, conſtat frigiditatem illam moderatam etiam diminui & corrumpi. Lege de hoc dubio Simonem Simonium, *diſputatione, de putredine, contra Thomam Eraſtum, ferè per totum*.

Secundò. Si ſiccum etiam in coctione miſcetur, & diſſoluitur ab humido in putredine, cur ſolius humidi fecit commemorationem Philoſophus, cùm in ſicco etiam calor contineatur, & non minùs in hoc, quàm in illo operetur, quum ambo pariter permiſceat? Dic: caloris energia, & vis ampliùs in humido apparet, quàm in ſicco: licèt enim hoc, vniendo generationis, coctioníſque ſit materia, præcipua tamen eſt humidum, non ſolùm quia aptius eſt ebullitioni, cuius ope fit commoda permixtio, ſed quoniam in ipſo notatur quod definitum, aut indefinitum ſit. Adde humidum eſſe ignis, caloríſque propriam materiam, ambo enim proſiliunt in humidum, in quo concipiuntur facilè, & conſeruantur, fugiunt à merè ſiccis. Conſule Duncanum Liddelium *lib.* 2. *de feb. c.* 1. *de de putredinis eſſentia, & natura*.

Tertiò. Aduſtio, putrefactio eſt: nam res quæ comburitur, ſui innati caloris corruptionem patitur ab extraneo, & tamen in definitione non comprehenditur. Ergo hæc totum non comprehendit definitum. Dic, Plurimis modis putredo ab aduſtione ſeparatur: primò, quia per aduſtionem calor innatus propriè non corrumpitur, ſed abſumpto humido intenditur, atque adeò potiùs, calefactionem & exſiccationem, quàm corruptionem, effuſionémve caloris & humidi importat. Secundò. Putrefactio, non defectum humidi, ſed ipſius ſeparationem oſtendit, in qua ratiò putredinis conſiſtit. Tertiò. Putrefactio dicit prohibitam ventilationem, ſine qua nunquam fit interna putredo. Quartò. In putrefactione apparent omnia humidiora; in aduſtione, ſicca & combuſta. Quintò. In aduſtis non poſſunt generari vermes; in putredine maximè. Sextò. In putrentibus adeſt inſignis fœtor, ob humidum non regulatum; in aduſtis, leuis. Septimò. Putrefactio eſt à calore humido; vſtio à calore ſicco. Octauò. In aduſtis fit carbo, & verus cinis: in putredine autem puluerulentia excitatur. Vide Valleſium *lib.* 4. *meteor. in com c. cit.*

Quartò. Non videtur definitio omnem putrefactionis modum comprehendere: cùm ſuppuratio. quæ etiam eſt putrefactio, in ea non contineatur. Hanc autem actionem, putrefactionem eſſe, conſtat ex Gal. 1. *prog. vlt.* Deinde puris confectio valde aſſimilatur ſedimenti generationi, ex Gal. *nuper. cit.* quum ergo ſedimentum ex putrentis humoris portione generetur, quæ per inſenſiles poros præ craſſiori modo ſubſtantiæ à natura excerni non potuit: ex Gal. 1. *feb.* 6. meritò ſuppuratio,

putrefactio erit: & maximè cùm Gal. *lib.3. meth.5.* Hippocratis ſententiam *l.de vulnerib.c.*confirmans, aſſeueret, carnem cæſam ac telo contuſam quamprimùm ſuppurantibus eſſe putrefaciendam,vt in pus verſa liquetur, & alia de nouo generetur,apertè ſignificans ſuppurationem putrefactionem eſſe, quod 2.*aph.*47. ipſe teſtatur, quoniam in pure adſunt præternaturalis caloris veſtigia,nempe fœtor, qui putredinem ſemper comitatur.

Dic. Hac de cauſa ſuppurationem quodammodo ſub putredinis natura contineri, licèt in ſuppuratione vterque calor concurrat: mixtus enim eſt calor inflammationis, ex Gal. 2.*aph. cit.* & 5.*ſimpl.* 15. Quare non eſt negandum, agens effectiuum, & principale ſolum eſſe calorem naturalem, vnde fit vt Gal. 5. *ſimpl.* aſſerat, idem eſſe agens coctionis, & ſuppurationis; & ea dicenda ſint ſuppurantia, quæ vim habent augendi operationem caloris innati; calor enim præternaturalis habet ingreſſum in ſuppuratione, id eſt, non quia ſuppurat,ſed quia vitiat, & putrefacit materiam, quam calor innatus concoquit, ſine quo materiæ vitio ſuppuratio non fit:nam quemadmodum docet Galenus *lib.1.epid.ſect.2.comm.44.* coctio, & putrefactio diſtinguuntur penes materiam in quam agunt, quia coctio operatur circa materiam benignam; ſuppuratio verò circa vitioſam,& ineptam vt tranſmutetur in naturam membri. Quare licèt in vtriſque idem ſit agens, ſcilicet calor naturalis, & idem finis intentus, ſcilicet nutritio, hanc tamen aſſequitur natura in coctione; in ſuppuratione verò minimè. Denique ſi materia circa quam verſatur ſuppuratio eſſet benigna, quemadmodum illa in quam operatur coctio, non ſequeretur puris generatio,ſed potiùs vera coctio, & nutritio.

Quòd ſi in ſuppuratione ſolùm requiritur calor extraneus, & putredinalis: tanquam vitians materiam, quum hæc poſſit eſſe excrementitia,& vitioſa ſine calore putredinali,videtur ſine hoc poſſe fieri ſuppurationem. Dic, licèt ad ſuppurationem ſolùm requiratur caloris naturalis coquentis actio in materiam non benignam, id eſt, vitiatam;tamen hanc neceſſariò putrere,cùm agitetur à dicto calore coquente, ab hócque in loco humido contenta non rectè obtineatur, ob quam cauſam fit vt calor extraneus ſemper habeat ingreſſum in ſuppuratione.

Sed vnus ſupereſt ſcrupulus, quo pacto eadem materia,à calore innato, & à præternaturali ſimul poſſit alterari, quum quidpiam motibus contrariis moueri non poſſit. Cæterùm cùm ambo agentia in eadem materia non operentur, nihil mirum ſi vterque calor agat.Et licèt in eadem materia operarentur,diuerſo tamen tempore agunt: qua de cauſa ob horum agentium varietatem, pus, & ſedimentum interdum optimas notas habent, interdum putrefactionis ſigna oſtendunt. Num autem coctio, & putrefactio in humore ſimul intendantur, differit acutiſſimè,vt ſolet, Thomas à Veiga,*lib.1.de dif.feb.Gal.in com. cap.6* Lege Valleſium *lib.5.com.cap.4.*Mercat.*lib.2.indicat. cap.11.*

Quintò. Philoſophus *loc. cit.* putreſcentia primò fieri humidiora, deinde ſicciora aſſeuerat. Hoc videtur rationi diſſonum. Nam aër, & aqua putreſcunt. At hæc non poſſunt fieri ſicciora, quia ſemper humida manent. Ergo. Dic.Putredo propria & exquiſita, licèt omnibus rebus natura conſtantibus communis ſit,ſolùm tamen mixtis perfectis conuenit vt ſunt cadauera; in quibus ob mixtionis perfectionem dominium qualitatum actiuarum in paſſiuas reperitur ſolum. Elementa, & metalla corrumpuntur, non per putredinem exquiſitam, quia in illis diſſolutio humidi à ſicco non reperitur, ſed ſolùm veluti infectio, & per vapores ſuſceptos vſque ad penitiſſimas partes inquinatio. Sic metalla quando rubiginem contrahunt, impropriè dicuntur putreſcere; nam alia putrefactio in illis non animaduertitur. Hoc dicebat Ariſt. *loc.cit. propriè putredo fit in his, quæ ex parte intereunt, & à natura ſunt diſtracta*, vt ſunt cadauera, quæ dicuntur ſecundùm partem corrumpi quoniam viuentia anima conſtant & corpore, & ſeparata anima cadauer relinquitur, quod eſt corpus. Idcircò omnia poſſunt putreſcere,quia hanc partium diſtractionem pati poſſunt. Aqua ſanè,aër, & terra,

A quia in ſuis naturis impura ſunt,putreſcere poſſunt,ratione mixtionis quam participant: nam ſi elementa pura eſſent, putredine non afficerentur; quoniam hæc propria eſt mixtorum paſſio: maximè quia in illis eſt calor,qui obtinetur ab extraneo. Excepit autem ignem,quoniam omnem humiditatem depaſcitur alienam,& propria caret,& ob alias rationes quas eloquenter proponit Buccaferreus *in com. c.* 1.*lib.4.meteor. Ariſt.*

Sextò. Inueſtigandum: An putredo per corruptionem, an potiùs per alterationem ſit definienda? Nam putredo eſt actio caloris præter naturam, ſitque ab extranea caliditate, & eſt paſſio caloris natiui. Ergo corruptio eſſe non poteſt, cùm non ſit mutatio ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſecundùm qualitatem. Deinde Gal. 5.*ſimpl.c.6.* inter alterationes putrefactionem reponit; vnde *cap.*15. ſequen-

B ti dicit, medicamenta putrefacientia eſſe calefacientia & humectantia; & quæ putredini reſiſtunt, eſſe frigida & ſicca: & hoc modo conſtitutio calida & humida,eſt peſtilens,& putredinoſa, apud Gal. *lib.1.de temp.c.4.poſt med.* quo etiam pacto Gal. 3. *epid.ſect.3.com.1.ad fin.* caliditatem & humiditatem, cauſas eſſe putredinis efficientem, & materialem aſſeruit: Ergo putredo per alterationem definiri debet, non per corruptionem, aut totius ſubſtantiæ mutationem.

Pro parte contraria habemus Ariſtotelem, & Galenum qui eam per corruptionem, & per mutationem totius ſubſtantiæ corporis putreſcentis definiunt.Dicendum ergo rationem putrefactionis non in ſola alteratione conſiſtere, quia interdum humores putridi euacuatione indigent, quoniam nequeunt ad priſtinum ſtatum redire,

C auctore Galen. 2.*aph.*17. *ad fin.* & ſi ſolùm aliqua qualitate eſſent intemperati, alteratione per contraria corrigi poſſent: quia tamen ſunt præter temperiem immutati ſecundùm ſubſtantiam, ideò ſola alteratione corrigi non poſſunt. Sic partes putridæ indigent ſectione: vnde præter intemperiem, ad putredinem mutatio totius putreſcentis ſubſtantiæ ad corruptelam neceſſaria eſt; ideò Gal. 11.*meth.cap.8.* & Auic.1.4.*tract.*1. *cap.*43.putredinem eſſe corruptionem non in via, ſed in termino aſſeuerant: quapropter in definitione Gal. per mutationem ſubſtantiæ, non debemus intelligere mutationem formæ ſubſtantialis, nec totius compoſiti penes formam ſubſtantialem: cùm enim non recipiat magis aut minùs, ſucceſſiuè immutari non poteſt: res autem quan-

D do putreſcit, ſucceſſiuè immutatur: non ergo immutatur ſecundùm formam. Hoc firmari poteſt doctrina Galeni 2.*aph. com.cit.* quo loco ſanguinem putreſcentem, eſſe ſanguinem aſſeruit. Ergo putrefactio non eſt mutatio formæ. Ideò permutationem intelligere debemus non ſolùm ſecundùm primas qualitates, ſed etiam ſecundas, & modum ſubſtantiæ: per putredinem enim neceſſariò fit ſeparatio partium humidarum à partibus ſiccis, in qua puttedinis eſſentia conſiſtit: quare quæ putreſcunt, non ſolùm calefiunt, & humectantur, ſed etiam in colore, odore, ſapore, & aliis qualitatibus immutationem ſuſcipiunt, quæ proximè ad rei ſubſtantiam accedunt; & idcircò putredo per corruptionem, & mutationem totius ſubſtantiæ definitur.

E Ex iis patet, non eſſe recipiendam illorum interpretationem, qui aſſeruere idcircò putredinem ab Ariſt. dici corruptionem caloris proprij & natiui, quia per calorem natiuum intelligit ſpiritum, & calidum innatum, ſubſtantiam ſcilicet calidam & humidam, quam firmat in putrefactione corrumpi; qua ratione putredo dicitur corruptio caloris, id eſt ſubſtantiæ calidæ.

Sed hæc interpretatio defendi non poteſt: nam Ariſt. non appellat putredinem, corruptionem calidi natiui, ſed caliditatis natiuæ: quemadmodum autem calidum de ſubſtātia calida dicitur,*l.1.aph.*14.ita caliditas eſt ſolam qualitatem ſignificat. Deinde fruſtrà addidiſſet verbum [*in vnoquoque humido.*] Inſuper quia cadauera, & plantæ iam demortuæ, & reliqua mixta inanimata non putreſcerent,cùm calido innato deſtituantur.

Dicendum ergo eſt: Ariſtotelem per calorem naturalem intelligere calorem contractum ab elementis, mixtum

mixtum reliquis qualitatibus elementalibus, proportionatum, & attemperatum, vt conuenit formæ mixti, qui calor frigiditate commodè attemperatus, agens mixtionis eſt. Nam cùm mixta fiant commodè permixtis qualitatibus paſſiuis, humido ſcilicet, & ſicco, dum ſcilicet elementa in minima diuiduntur, & diuiſa, certa quantitate, qualitate, & ordine vniuntur & miſcentur, ſequitur vt illud ſit proprius mixtionis opifex, quod has diuidendi, & vniendi operationes efficit; & quoniam diuiſio, & vnio citra motum non fiunt, nec motus citra calorem, conſtat quòd immediatum mixtionis agens non ſit frigus, ſed calor frigore determinatus, qui calor natiuus dicitur.

Denique ſicut hic, quando fit mixtio, pro indigentia formæ mixti patibiles qualitates permiſcet, & eam mixtionem conſeruat; ſic etiam quando improportionatur, neque reliquis qualitatibus attemperatur vt decet, & fit extraneus, humidum à ſicco ſeparari incipit, & per putrefactionem diſſoluitur mixtum, & ad corruptionem vergit. Vt igitur Ariſtoteles iſtam neceſſariam conſequutionem explicaret, definit putredinem per corruptionem naturalis caloris; ſiquidem ad eius corruptionem mixtionis ſequitur diſſolutio, & ex ea totius corrupio: calor tamen non dicitur propriè corruptus, aut putrefactus, ſed ſolùm compoſitum: dicitur tamen calor vitiatus, qui ſeparat, diſſoluit, & putrefacit. Ex quibus conſtat, qua ratione putrefactio dicatur corruptio.

Septimò. Etiam videtur difficillimum, ſitne hæc corruptio naturalis, an præter naturam: quoniam Ariſtoteles *loc. cit.* inquit, putrefactionem eſſe contrariam ſimplici generationi; & ſenectutem, & ariditatem ad eam ducere, & eſſe naturalem finem omnium natura conſtantium, ni violenter corrumpantur. Ex qua doctrina conſtat, putredinem eſſe naturalem corruptionem, & mixta omnia naturaliter per putredinem deſinere.

Hæc tamen doctrina nec rationi, nec Ariſtoteli, aut Galeno videtur conſentanea. Primò, animata morte naturali pereunt, quæ tamen putrefactio non eſt. Ergo putrefactio non eſt finis omnium natura conſtantium. Patet: nam quæ putreſcunt, id à calore extraneo patiuntur; quæ autem ſeneſcunt, & naturaliter deſinunt, à calore naturali, & proprio patiuntur: nam ſicut calor natiuus fuit principium actiuum generationis, ſic eſt principium ſenectutis, & mortis, vt colligitur ex Gal. *lib. de marcore, cap. 3.* Deinde Ariſt. *lib. de reſpirat. cap.* 10. in eo diſtinguit mortem naturalem à violenta, quòd huius principium extrinſecum ſit; illius verò intrinſecum, & in ipſomet animali. Sed principium putredinis extrinſecum eſt, quum fiat à calore alieno, & præter naturam. Ergo putredo non eſt corruptio naturalis.

Vt verò hæc fiant manifeſta, aduertas ſimplicem generationem appellari ab Ariſt. *loc. cit.* eam per quam mixta ex elementis immediatè generantur: cum autem ea ſit mutatio à paſſiuis ſeiunctis ad coniuncta; putrefactio verò contrà à paſſiuis coniunctis ad diuiſa, ſiue ſeiuncta, erunt mutationes contrariæ, vtpote à contrariis terminis in contrarios; vnde meritò vocat Ariſt. putrefactionem, contrarium maximè commune generationi mixti, quoniam per putredinem mixtio diſſoluitur, & mixtum in elementa ſoluitur. Conſule Matthiam Flacium *in ſuis diſputa. Medicophyſicis, diſt. 2. de Putredine.*

Deinde notabis, putrefactionem aliquando naturalem eſſe, aliquando violentam: illa dicitur naturalis, quæ rebus non antè accidit, quàm calor natiuus ita ſeipſum temporis proceſſu debilitarit, vt corruptus ab extraneo, ad conſeruandam mixtionem impotens fiat. Violenta illa nuncupatur, quæ vitiato calore proprio ante legitimum tempus à natura præfinitum contingit.

De priori intelligendus eſt Ariſtoteles, dum aſſeruit putrefactionem eſſe finem omnium naturæ conſtantium, & ſimplici generationi contrarium eſſe commune. Hac ratione definunt plantæ: & animalia poſt paulatinam arefactionem naturaliter intereunt. Dicitur autem naturalis, etiamſi fiat à caliditate præter naturam, & principio extrinſeco, quoniam propter debilitatem caloris naturaliter contingentem, accidere ſolet; & quia ad operationes naturæ conſequitur, quo nomine etiam nuncupari poteſt naturalis, ex Gal. *lib. de marcore, cap.* 2. Lege Argenterium, *tom. 1. in art. medic. fol. mihi* 602.

Ad obiecta verò dicendum eſt, animata perire morte naturali, quæ non eſt putrefactio: nam ea mors eſt corruptio animati quatenus animatum, non verò quatenus mixtum, quod poſt mortem naturalem per putrefactionem deſinit; & ſic eſt intelligendum, quod ait Ariſt. *cit.* arefactionem, ſenectutem, & corruptionem ad putredinem ducere, quoniam videlicet poſt interitum animatorum ſequitur putredo.

Octauò. Dubitandum eſt: vtrùm putredo à caliditate ambientis oriatur ſemper? Contrarium enim videtur conſonum Ariſtoteli, 4. *meteor. cit.* qui quærens, quare per hyemem res minùs, quàm per æſtatem & calorem putreſcant; reſpondet, quia tum temporis calor in aëre, & in aqua paucior eſt. Ergo non oritur ſolùm putredo à calore aëris ambientis, ſed etiam à calore aquæ imò & terræ. Deinde, putredo quæ fit per contactum putridi corporis, vera putredo eſt; & tamen non fit à calore aëris ambientis. Ergo non ſemper ab aëre oritur putredo. Inſuper, quando à frigiditate aëris ambientis prohibita tranſpiratio putredinem inducit, hæc à caliditate aëris non emanat. Non eſt ergo ſemper caliditas ambientis efficiens cauſa putredinis.

Dic. Ariſtoteles vocat calorem ambientis ſiue continentis, omnem qui proprius & inſitus non eſt, ſed alienus & extraneus, ſiue is ſit aëris, ſiue aquæ, aut terræ, vel cuiuſcunque alterius rei. Immò quando putredo ab vna parte eiuſdem rei in aliam ſerpit, à calore ambientis fit, quoniam non fit à calore inſito & proprio, ſed à calore alieno. Philoſophus autem exemplum in caliditate ambientis propoſuit, quoniam hæc eſt maximè corruptiua; vel quia quæcunque res calorem inſitum reddit extraneum, habet ſe reſpectu illius, inſtar ambientis externi, quum illi ſit extrinſeca; denique omnia quæ continent; & ambiunt rem quæ putreſit, nomine continentis intelligit Philoſophus. Ita putrent metalla, carnes, piſces, fructus. Ex quo ad primum, & ſecundum argumentum ſolutio patet. Tertium dilues ſi dicas, in aëre frigido putredinem ex prohibita tranſpiratione, non ab ipſius aëris frigore, ſed à fuliginum calore, quæ à frigiditate conſtipante detinentur induci: illæ autem nomine ambientis in definitione putredinis, etiam comprehenduntur. Lege Euſtachium Rudium, *lib. 3. de feb. cap.* 11.

Vltimò. Non minùs controuerſum eſt apud Philoſophos, & Medicos; An calor extraneus ſit perpetua putredinis cauſa, vt Ariſt. & Gal. aſſeruere. Primò. Obſtat ipſe Ariſt. qui 4. *meteor. cit.* aſſeruit putredinem eſſe frigiditatis propriæ, & caliditatis alienæ communem affectionem. Secundò. Renuere videtur Gal. 2. *de loc.* 2. vbi à frigore corruptos fuiſſe, & putruiſſe pedes manifeſtè affirmat. Tertiò. Sequeretur, res in temporibus, locis frigidis nulla ratione putreſcere, quod eſt contra experimentum. Quartò vrget & illud. Si cauſa immediata putredinis eſt debilitas caloris innati, cur à frigore potiùs non orietur putredo, quàm à calore extraneo, ſi ampliùs innatus calor à frigore, quàm à calore debilitatur, & ad patibiles qualitates regendas redditur ineptus? debilitari etiam calorem inſitum ab humidi copia, inopia, & ineptitudine, certum eſt. Vltimò. Omnes febres eſſent putridæ quum omnes præternaturalem extrancúmve calorem ſecum important: quod falſum eſſe nemo non videt.

Viderunt iſtam controuerſiam inter alios Argenterius *lib. 3. art. med.* 338. & Thomas à Veiga *in com. cap. 3. lib. 1. de dif. feb. Gal.* ille his conuictus, non ſemper à caliditate extranea putredinem proficiſci arbitratur, hic liberum relinquit vnicuique quod velit opinari. Sed ſtandum ſententiæ Philoſophi, & Gal. arbitrantium, cauſam efficientem putredinis, ſemper eſſe calorem excedentem, & præter naturam, vt ex vtraque definitione colligi poteſt, & docet Gal. 3 *epid ſect. 3. com. 1. ad fin.* dicens: *& videtur putredo omnis ex materia quidem gigni humida; ex cauſa verò efficiente, extraneo, & præter naturâ calore, &c.*

Hic calor naturalem calorem educit, quoniam proprium humidum continere nequit, in quo conſiſtit: res enim putreſcens caliditate extranea funditur, & ebullit; & calor naturalis propter feruorem exſolutus ſecum educit humidum: ob quam cauſam res putreſcentes exteriùs humidiores apparent,interiùs ſicciores, humido cum ipſo calore à centro ad circumferentiam attracto; quo nomine putreſcentia etſi in principio reddantur humidiora, tandem in ſimum,& cinerem ſoluuntur,ex Ariſt.4.*meteor. cap.*1.

Ex iis manifeſtè patet, quid ad auctoritatem Ariſt. ſit reſpondendum: nam Gal. 2.*de temp.cap.*6.aſſeuerat, illa quæ putreſcunt, quamuis alieno calore calida ſint, proprio tamen eſſe frigida: ideò Ariſt. nihil aliud eo loco aſſeuerat, quàm in rebus putreſcentibus concurrere debilitatem caloris natiui, & exceſſum caloris extranei. Ad ſecundum reſpondet Valleſius *loc. cit.* frigus ambientis per ſe non deduxiſſe pedes ad putredinem, ſed ex accidenti, refrigeratione enecante membra,vel cutis meatus conſtipante; quare innata ventilatione prohibita ſubiectum putredine occupatur. Hoc modo cadauera ſub terra ſepulta putreſcunt, licèt citra calorem continentis, ſuo tamen facto alieno, & extraneo, quo occupata primò defluunt tabo,pòſt in terram abeunt cum fœtore eximio,& planè cadauerali. Ad tertium. In temporibus, & locis frigidis, res à frigiditate non putreſcunt, ſed ab exceſſu caloris extranei, reperti vel in vaporibus, & fuliginibus detentis, vel in aëre exiſtente in poroſitatibus rei putreſcentis. Ad quartum. Eſſentia putredinis conſiſtit in ſeparatione humidi à ſicco,& eius ad circumferentiam attractione, præcedente feruore, & ebullitione humidi. Sed ſeparatio, extractio,& ebullitio non poſſunt fieri à frigore, ſed à calore. Ergo. Et licèt frigus magis aduerſetur innato calori, quàm extraneus calor, prius tamen eſt paſſiuas qualitates ſeparari,ac humidum attrahi ad extrà, quàm debilitari calorem. Quamuis autem plurimæ cauſæ adſint, quæ natiuum calorem debilitant, hæ ſunt mediatæ, & ſecundariæ. Nec inde omnes febres appellabis putridas: nam calor diariæ, & hecticæ eſt ſiccus, humoralium verò,& putridarum, humidus. Conſule Santorellum *lib.poſtpraxis,ſol.*127. qui hoc argumentum ingenuè agitauit.

Solus ergo extraneus calor eſt primaria, immediata, & perpetua cauſa putredinis. Nam coctio fit à colore naturali; putrefactio à frigiditate propria rei putreſcentis,hoc eſt, minutione & debilitate natiui caloris, & exceſſu extranei: putredinem autem coctioni eſſe contrariam probauimus *lib.* 2. *in com hiſt.* 66. Nam cùm res putreſcunt, partes frigidæ præter naturam incaleſcunt, partes natura calidæ diſſipatione calidi innati refrigerantur: vt cùm ex vino acetum fit, pars aquea, & frigida,putredinis calorem comparat; vinoſæ verò,& calidæ extincto calore frigidæ manent. Sed cùm calor extraneus ebulliat, efferueſcat,& inſiliat in humidum,omnia putreſcentia, antequam in cineres redacta ſint, calent præter naturam: putredinem autem eſſe cauſam caloris, manifeſtis exemplis patefecimus *lib.*1.*in com.hiſtor. vlt.* Sed de putredinis definitione hæc ſint ſatis, modò de eius cauſis diſputemus. Conſule pro explicanda putredinis definitione, Thomam Eraſtum *diſputat. de putredine*, & Argenterium *in com.cap.*89.*art. medic. Galeni*: de quo argumento elegantiſſimè diſceptauit Petrus Æneas Caprillius, Medicus Ferrarienſis doctiſſimus,*lib.*1.*de febrib.putridis,in med.*

QVÆSTIO XI.

Vtrùm putredo præter varias cauſas, perpetuò à prohibita tranſpiratione oriatur, vt contra Gal.aſſeuerant Gentilis, Dinus, Vgo, Harculanus, Leonoſius, Valleſius, Thomas à Veiga,& alij Medici ſcientiſſimi.

Arduum eſt poſt tot, támque celeberrimos viros, de putredinis cauſis promere ſententiam, ſed quia A cogente ſtilo noſtram proferre eſt neceſſe, aduertimus, poſt doctiſſimum Galenum, qui abundè in *lib.meth.* & *de dif.feb.* hanc exſoluit difficultatum, nullum auctorem magis concinnè, & appoſitè eas decripſiſſe quam Auicennam: hic enim facundus auctor 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 1. numeroſas febrium putridarum cauſas enarrat, quarum prima eſt cauſa efficiens, nempe calor extraneus vel præter naturam, qui vt ipſe inquit 2. 1. *doct. ſum.* 2. *cap.* 1. *in med.* calorem innatum ad exteriores partes educit, quare debilis innatus paſſiuas regere non poteſt, & ſic ſeparatur humidum à ſicco, & ſubiectum in exteriori parte redditur humidius, & non ceſſante putrefactione in cinerem conuertitur: quod ferè intelligendum eſt, nam metalla quum putreſcunt, potiùs carioſa fiunt, & rubiginoſa. Ex iis conſtat, multò minùs putreſcere res B in locis, & temporibus frigidis quàm in calidis. Certum eſt etiam, quòd ea quæ ex ſua natura calida ſunt, multò difficiliùs putreſcunt, veluti piper, zingiber, cinnamomum, & alia huiuſmodi. Verum etiam eſt, magnas res difficulter putredinem contrahere, quia virtus vnita fortior eſt.

Secunda cauſa eſt humiditas, & pro materiali cauſa ab omnibus conſtituitur, nihil enim ſine humiditate putreſcere poteſt, & ideò putredo quiete augetur: motu enim, & exercitio ampliùs illa abſumitur, monente Galeno *lib.*3.*epid.ſect.*3.*com. vlt.* quoniam quod omni ex parte ſiccum eſt, putreſcere nequit, vt experientia conſtat & Ariſtoteles firmat *lib.* 4. *meteor. cap.*1.*cit.* vbi docet omnia putreſcere, excepto igne: neque obſtat quod *lib.*26. *probl.* 20. etiam aërem non putreſcere aſſerat: nam etiamſi C Chriſtoph. à Vega *lib.* 1. *de dif. feb. in com cap.*6.*part.* 2. aſſerat hanc ſententiam non eſſe Ariſtotelis: tamen errat: nam loquitur de aëre ſyncero, & puro,qui putreſcere non poteſt. Hinc conſtat, corpora quò ſunt humidiora, eò putredini ampliùs eſſe obnoxia, maximè ſi humiditas illa calori ſit coniuncta,vt voluit Gal.8.*meth.cap.*7.& *lib.*1.*de dif.feb.cap.* 3.*poſt. med.*& *lib. art. medic. cap.*57.& inductione probat Gal.*lib.*1.*de temp.cap.*4.*poſt.med.*qua etiam ratione 4.*ſimpl.cap.* 14.docet, vinum,& muſtum propter humiditatem ſuperfluam facillimè putreſcere, præſertim ſi aëri, aut vento calido exponantur:quo etiam pacto nihil à frigido; vel à ſicco putreſcere poſſe, exemplo poſito in carnibus *cit. de temperam.*Gal.confirmat.

Cauſa formalis putredinis, eſt ipſa corruptio, monen- D te Galeno *lib.*2.*de dif.feb.cap.*9.Finalis cauſa eſt incineratio:quæ enim putreſcunt, ſimus & cinis fiunt; huc enim putredo dirigitur, licèt enim in combuſtione, quæ fit à calore vehementi & forti, qui ſimul alterat, & corrumpit, incineratio accidat, ex Ariſt.4. *metheor. cap.* 3. & Aphrodiſ. 2. *probl.* 64. tamen illa quæ euenit in putredine eſt remiſſa: quia quæ putredinem efficiunt, pigrè & moroſè agunt. Ex his conſtat cauſam fœtoris in putredine, eſſe humidum à calore non rectè gubernatum; quare contraria ratione flores ſuauiter olent, quoniam humidum exactè à calore obtinetur.

Porrò Auicenna *loc.cit.*præter has vniuerſales putredinis cauſas, alias conſtituit, quarum primam profert cibum, ſeu alimentum, de quo probat ſeptem modis putre- E dinis cauſam, eſſe poſſe, quos *infrà in com. hiſtor.*13. tanquam in commodiori loco explicamus. Secunda putredinis cauſa, eſt obſtructio, ex Gal.*lib.*1.*de dif. feb. cap.*3. *poſt. med.* & 11. *meth.* 4. quæ vel eſt anguſtia meatuum, quum pori redduntur anguſtiores, & propriè dicitur ſtipatio, ſiue conſtipatio, ſiue adſtrictio; vel eſt infarctus, ſeu plenitudo meatus,vel pori ab aliquo replente, & verè vocatur obſtructio. Latiùs tamen de vtraque affectione dicitur obſtructio, vt quando diuiditur in coarctatoriam, & attenuatoriam. Obſtructio ergo latè ſumpta, cauſa eſt putredinis, quoniam ventilationem prohibet: diſflatur autem duplici modo corpus, auctore Gal. *lib.* 1. *de dif.feb. cap.* 3. effuſis ad exteriora vaporoſis, ac fuliginoſis recrementis, ac rurſum intrò attracta refrigerante aërea ſubſtantia, cuius ope calor innatus tranſpirat: qua ratione duplici modo prohibita diſflatio contingit, & calor extraneus augetur, quoniam naturali

naturalis non rectè attemperatur, fuligines non expurgantur, & ſic cor, viſceráque gliſcunt, excandeſcunt, ad quorum calidam intemperiem ſequitur putredo. Deinde calor innatus, cùm ob obſtructionem prohibeatur difflari, minuitur & debilior fit, & ſic non potens regere humidum cum ſicco, ſubiectum à calore extraneo obtinetur, & ſequitur putredo. Inſuper intemperies ab obſtructione ſuborta humores vitioſos generat, qui citiſſimè putreſcunt.

Tertia putredinis cauſa eſt aër, qui dupliciter inquinari poteſt, ex Gal. *lib. art. medic. cap.* 85. vel ſecundùm qualitates, vel ſecundùm ſubſtantiam. In ſubſtantia dicitur immutari, cùm putreſcit, vel acquirit deleteriam, aut malignam, à cælo, vel aliunde communicatam qualitatem; putreſcit autem aër ob plures cauſas inter quas aſſignandæ ſunt prauarum rerum exhalationes, quæ cum ipſo permiſceri ſolent, vt ex aquis ſtagnantibus, & rebus quæ in aquis macerantur, vt probat Baptiſta Theodoſius *epiſtol.* 53. à vaporibus eleuatis à terra, & aqua; ab iis quæ per ipſum aërem deferuntur, cuiuſmodi ſunt grandines, pluuiæ, pruinæ, ventorum varia genera, nubes, tonitrua, fulgura, hiatus, ardores, ſtellæ currentes, voragines, necnon ab iis quæ oculis noſtris conſpicua videntur, vt Iris, Halo, Area, Virga, ex quibus aër ipſe inficitur, ac redditur impurus: ſicut à cadaueribus, corruptis frugibus, leguminibus, oleribus, paludibus, barathris, & ab aliis putridis exhalationibus: qua ex profeſſo numerat Montanus *part. 2. vniuerſ. medic. tit de aëris bonitate, aut malitia:* & Galen. priùs propoſuit *lib. 9. meth. cap.* 5.

Deinde Aër corrumpitur à cæli influxu, vt communi Aſtrologorum, & Medicorum conſenſu ratum eſt, hoc eſt, à maligno, & occulto ſiderum, & planetarum omnium aſpectu; vel ab eius mutatione ſecundùm qualitates manifeſtas, vt in ortu caniculæ, vigente maximo æſtu frequenter conſpicimus. Sed quid reſpondebimus Philoſopho *lib.* 25. *probl.* 20. aërem non putrere aſſerenti? Dic. Aër provt ſumitur pro elemento puro, non putreſcit, quia putredo mixtorum eſt paſſio: ſi verò corrumpitur, id accidit ratione mixtionis, cuius eſt particeps.

Quarta putredinis cauſa, ſumitur ex parte humorum, à quibus fit obſtructio, à qua emanat putredo. Obſtructionis cauſa triplex eſt, humorum multitudo, craſſities, lentor, ex Gal. 9. *meth.* 1. *&* 11. *meth. cap.* 8. *& lib. de cauſ. morbor. cap.* 7. Auic. 1. 4. *tract.* 1. *cap.* 33. *&* 2. 1. *doct.* 1. *ſum.* 2. *cap* 6. Obſtructio prout conſtipationem ſignificat, ab aliis etiam cauſis emanat, ex frigore ambientis, balnei, rebus exſiccantibus, tumoribus præter naturam, vel aliqua re adnata, vt callo, carne, calculo, vt firmat Gal. *lib.* 1. *de loc. affect. cap.* 1. poſito exemplo in retentione vrinæ.

Deinde diuerſitas putredinis deſumitur ex varietate quatuor humorum, qui putreſcere poſſunt, quorum putredo cognoſcitur ex vaporibus eleuatis, qui naturam redolent humorum à quibus eleuantur: numerantur autem humores ſolùm, licèt alia etiam putreſcere poſſint, vt vermes, ſtercus, pus, membrum, chylus, excrementa tertiæ coctionis; & ſpiritus, quia frequentiùs putredine occupantur, maximè cùm febres ab aliis ſubſtantiis exortæ, ad putridas ſint reducendæ.

Inſuper diuerſitas putredinis ex parte loci eſt deſumenda auctore Auicenna 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 1. nam putredo quandoque eſt communis vniuerſo corpori, quandoque in vno membro determinato reperitur. Apppellatur autem communis, non quòd in toto corpore, & in vnaquaque parte reperiatur, ſed quòd exiſtat in venis omnibus, vel in maximis, & præcipuis, vt docuit Gal. *lib.* 11. *meth. cap.* 4. §. *quoniam putredo vel inæqualiter in omnibus ſubſiſtit vaſis, vel in maximis, maximéque principalibus, ea porrò ſunt inter alas, & inguina; vel in vna quapiam particula, quæ vel phlegomonen in ſe habet, vel etiam citra phlegmonen principium febris in ſe continet, &c.* Quo pacto eſt intelligenda doctrina ipſius *cap.* 8. ſequenti *ad fin.*

Putredinem verò quæ in aliqua parte conſiſtit, vt in febribus intermittentibus, & tumoribus præter natu-

A ram quatuor de cauſis accidere certum eſt. Prima, ob partium debilitatem, cuius ratione partes excrementa aliarum partium corporis recipiunt, vt docet Gal. *lib. de ſang. miſ. cap.* 18. *& lib. de cauſ. morbor. cap.* 6. *poſt med.* quare imbecilles partes excrementitios humores in ipſis receptos à ſe expellere nequeunt, & tunc per paulatinam congeſtionem excitatur putredo. Accidit etiam, quoniam pars debilis alimentum ſibi commiſſum concoquere nequit, quare ſemicrudum relictum à regimine naturæ putreſcit. Secunda, ob caloris exuberantiam, cuius ratione partes immodicè attrahunt: nam calor attrahit, ex Galen. 6. *de vſu part. cap.* 15. & alibi. Tertia, ob caloris acrimoniam, vt quando cum calore coniungitur ſiccitas, cuius cauſa calor mordacior fit, & B magis attrahit. Quarta cauſa dolor eſt, ob quem pars debilis vehementer attrahit, ex Gal. 2. *de dif. feb. cap. vlt. &* 5. *aph.* 53. & alibi.

Ampliùs varietas febrium putridarum ex parte humoris putreſcentis deſumenda eſt: nam ex bile generatur tertiana; ex pituita, quotidiana; ex melancholia, quartana; ex ſanguine verò gignitur concluſa, vt *loc. cit.* firmauit Auicenna: quod etiam docuit Gal. *lib.* 2. *de dif. feb. cap.* 1. Ex dictis colligitur deceptum fuiſe Ioubertum, fruſtrà contra maiorum placita debacchantem, qui 2. *paradox.* 3. nullas febres ſalubres ex putreſcentibus humoribus, ſed efferueſcentibus, & aduſtis concitari; immò C *paradox.* 3. omnes febres putridas ex bile potiſſimùm generari aſſeuerat: cuius argumenta eleganter diſſoluit Thomas Eraſtus, *diſputat. de febrib. part.* 1. *&.* 2.

Neceſſarium pariter, & inexcuſandum argumentum eſt, & ad curationem febrium putridarum vtiliſſimum: poſsítne putredo citra prohibitam tranſpirationem generari. Galenus 11. *meth. cap.* 4. eam ſemper à prohibita tranſpiratione oriri pronunciat. §. *Ergo oſtenſum eſt, vbi morborum cauſas reddidimus, illa tantùm putreſcere corpora, quæ cùm calida humidáque natura ſint, neque perflata, neque vẽtilata, in calido & humido loco manent, &c.* Similiter etiam *lib.* 1. *feb.* 3. docet putredinem à prohibita ventilatione ſemper habere ortum: & 5. *ſimpl. cap.* 15. aſſerit, non omnem corruptionem eſſe putredinem, ſed corruptionem cum fœtore: & 1. *prog. vlt.* graueolentiam ſignum eſſe putredinis confirmat: Sed fœtor ſolùm à prohibita difflatione contingit, auctore Ariſt. *lib.* 13. *probl.* 8. *&* 10. dum enim quærit, quare inter omnes corporis partes axillæ magis fœteant, & cur gibboſi expirationem grauiter D olentem reddant; reſpondet, quia habent impeditam tranſpirationem. Eandem ſententiam videtur confirmare Gal. *lib. 9. meth. cap.* 4.

Pro parte contraria plurima ſunt, eáque validiſſima argumenta. Extat imprimis celebris Galeni locus, *ex lib. de inæquali intemperie, cap.* 7. dicentis: *neque enim ea ſolùm quæ conculcata ſunt, & perſpiratu prohibita putreſcunt, verùm celerrimè ea, maximéque; cæterùm putreſcunt & alia multa, quæ putredini ſunt opportuna, &c.* & *lib.* 2. *feb. cap.* 9. inquit: ſanguinem putreſcere, aut quia non difflatur, aut quia non gubernatur à natura, & *lib.* 1. *feb.* 3. aſſerit, in plenitudine quoad vires citiſſimè putredinem euenire, quia vis quæ regit inualida eſt: & *cap.* 4. ſequenti docet, corpora quæ adſtrictionibus, & obſtructionibus carent, & bene difflantur, raṙò in febrem peſtilentem incidere. Ergo præter prohibitam tranſpirationem, alia cauſa putredinis eſt aſſignanda. Et *lib. de cauſ. morb. cap.* 8. non ſolùm putreſcere E quæ non tranſpirant, ſed putredinem à medicamentis putrefacientibus oriri affirmat.

Deinde, ſi putredo ſemper oriretur à prohibita tranſpiratione, inepté Galenus *lib. de cauſ. morb. cap.* 2. & *lib.* 1. *de dif. feb. cap.* 3. putredinem à prohibita difflatione diſtingueret.

Secundò, Si prohibita tranſpiratio eſſet perpetua cauſa putredinis, includeretur in definitione putredinis, ab Ariſt. & Gal. propoſita. Ergo, &c.

Tertiò, Putrefactio eſt naturalis corruptio mixti, ex Ariſt. *loc. cit.* Sed mixta plurima poſſunt prohiberi à mala difflatione. Ergo ſi ſola prohibita difflatio eſſet cauſa putredinis, poſſet euitari naturalis corruptio mixti.

Quartò

Quartò. Putredo eſt corruptio innati caloris ab extraneo. Sed poteſt hæc corruptio à calore extraneo contingere multis aliis de cauſis, præterquàm à prohibita diffla-tione, auctore Auic. 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 2. Ergo. Nam à contactu rei putridæ emanat, vt in vuis, pyris, & aliis fructibus experimur, deinde oritur ab aëre putrido, & peſtilente inſpirato.

Quintò. Res ſolidæ externæ, quæ magis reſiſtunt putredini, bene ventilatæ citra prohibitam difflationem putreſcunt. Ergo interni humores ſimiliter etiam putreſcere poſſunt.

Sextò. Non ſolùm in plenitudine quoad vaſa, ſed etiam in plenitudine quoad vires putredo contingit: in illa propter prohibitam difflationem, in hac minimè, quia non includit obſtructionem, ſed ob debilitatem innati caloris, humorem gubernare non potentis. Ergo, &c.

Septimò. Ventilatio idcircò præſeruat à putredine, quia calorem naturalem moderata ſua frigiditate conſeruat, & eius prohibet corruptionem ab extraneo calore: ſed carnes piſces, & alia putreſcunt, quando ventilantur ab auſtro, vento calido & humido, ex Gal. 4. *ſimpl.* 13. *&* 14. & non ſolùm in cerealibus, fructibus, herbis, imò & in omnibus aliis obſeruare præcipit Matthiolus *lib.* 1. *in Dioſc. in proœmio:* & tempore peſtis generatur in corporibus putredo. At tunc temporis reſpiratio eſt libera. Ergo.

Octauò Plures ſunt cauſæ conſeruandi calorem, quàm perſpiratio. Ergo plures erunt cauſæ putredinis, quàm prohibita ventilatio. Maior patet; nam medicamentum mediocriter calidum, aut tegumentum ventriculo impoſitum coctionem iuuat, & calorem naturalem roborat.

Vltimò. Corpora latorum pororum, & contexturæ raræ, ſi à caliditate aëris ambientis ſuperentur, in febres incidunt putridas, & tamen in his corporibus non prohibetur tranſpiratio. Ergo.

Hæc tam repugnantia argumenta auctores cùm rimarentur, varios excogitarunt ſoluendi modos, Dinus Harculanus, Vgo, & veteres Auicennæ interpretes *loc. cit.* quos ſequitur, & explicat Valleſius *lib.* 5. *cont. cap.* 26. Galenum aſſerentem putredinem perpetuò oriri ob prohibitam tranſpirationem, interpretantur de putredine humorum, quæ oritur à cauſa interna, quaſi ab hac non poſſint humores putrefieri aut in toto, aut in parte corporis, quin adſit prohibita tranſpiratio. Sed hæc explanatio recipienda non eſt: nam putredinis humorum cauſa etiam aſſeritur plenitudo quoad vires, in qua citra obſtructionem, aut prohibitam difflationem humores putreſiunt, ea ſolùm de cauſa, quoniam non bene à natura reguntur: plenitudinem autem quoad vires, efficientem putredinem, eſſe cauſam internam, nullus ignorat.

Gentilis *cit. loco* aliter interpretatur Galenum aſſerens prohibitam difflationem dici perpetuam cauſam putredinis, non quia huius ſit ſemper efficiens cauſa, ſed quia ſemper concurrit cum ea, vt communicans, vel coagens, id eſt, quia etiamſi putredo fiat non præcedente prohibita difflatione, tamen humor ex putredine redditus calidior incógruè difflatur, quoniam attractus aër eum ſicut oportet non attemperat, quare cum non ſufficiat difflatio, vt calor auctus refrigerari queat, ad humorum putredinem coagens eſt: quia cùm putredo oriatur à calore alieno, & calor dum agit in ſubſtantiam humidam ſemper eleuet fumos & vapores, qui meatus internos, & externos obſtruunt, & prohibent tranſpirationem, fit vt putredo tam à cauſa interna; quàm externa, citra prohibitam tranſpirationem concitari poſſit, nunquam tamen citra ipſam reperiatur quia ad calorem putridum neceſſariò prohibita tranſpiratio conſequitur. Hanc opinionem omnes Latino-barbari poſtea ſunt ſequuti.

Sed non ſatisfacit viri alioqui doctiſſimi interpretatio hæc: nam præterquam quòd peruertit ſignificationes verborum, repugnat manifeſtè Galeno *in lib.* 1. *de dif. feb. cap.* 4. vbi ait quòd *ea corpora quæ adſtrictionibus, & obſtructionibus carent, & pura ſunt, difficulter incidunt in febrem peſtilentem, & cum incidunt, facilè ſanantur, quia bene ne difflantur* quare ſicuti putredo febris peſtilentis citra prohibitam tranſpirationem concitatur, ſic hæc ſecum non compatitur. Præterea quando alimentum putreſcit in ventriculo, vel propter intemperantiam calidam, vel quoniam eſt putrefactioni idoneum, ea putredo ſine prohibita tranſpiratione incipit, neque deinceps ob capacitatem ventriculi prohibita difflatio ſequitur. Deinde, quando in dolium vini ſemiplenum res putris proiicitur, ob illius rei contactum vinum putreſcit citra prohibitam tranſpirationem, neque hæc deinceps impeditur. Ergo.

Thomas à Veiga *lib.* 1. *de dif. feb. in com. cap.* 5. arbitratur, prohibitam tranſpirationem non eſſe perpetuam cauſam putredinis, ſed frequentem, ita vt in generatione putredinis obtineat rationem cauſæ ſine qua non; & ita Galenus non affirmat, putredinem habere perpetuò pro cauſa prohibitam ventilationem, ſed ſolùm aſſerit, putredinem maxime, frequenter, & facillimè ab illa concitari, & hanc ab obſtructione; quæ vel eſt in re quæ putreſcit, vel in loco vbi putreſcit. Sed huius opinio non eſt vndequaque vera: Nam ſtante ſubſolano vinum in doliis citra aliquam obſtructionem putreſcit; & hæc in vino aſſignari non poteſt, quoniam tenuius multò, & rarius efficitur, quum aceſcit, & acetum tenuius eſt vino. Rurſus in dolio, ſiue pleno, ſiue ſemipleno, vinum aceſcit, ſi eſt languidum. Ita experimur ſanguinem putrem multò magis eſſe fuſum, quàm antea, ita vt ex venis extractus concreſcere nequeat. Ergo obſtructio pro generanda putredine neceſſaria non eſt, neque in re putri, neque in loco vbi putreſcit.

Sed relictis aliorum expoſitionibus, me Græcorum candore illuſtratum audias rogo, qui illorum Mineruæ ingenuæ minimè reluctor: nam ſemper putredinem cum illis, à prohibita tranſpiratione concitari affirmo. At vt meam mentem rectè percipias, aduerte tria. Primum quòd per difflationem, intelligimus eam ventilationem, quæ fit attracta aërea ſubſtantia frigida, & expurgatione fuliginum, quæ non ſolùm à facultate vitali, ſed etiam à naturali expultrice perficitur. Secundum, quòd per impeditam diſtlationem, intelligendum non eſt, vt ceſſet omnino, aut quòd minor quàm ſanitatis tempore ſit; nam interdum multò maior eſt: ſed quòd ad naturam corporis non ſufficiat, aut humoris, aut ſpiritus, qui in ipſo continentur; debet enim eſſe corpus fluxile, & tranſpirabile, vt Hipp. retulit *lib. de aliment. n.* 4. & non minùs humores, & ſpiritus, quàm corpus difflationem, vt conſeruentur, expoſtulant. Vltimùm, quòd prohibita difflatio, & tranſpiratio non ſolùm oritur ex obſtructione, ſed etiam ex adſtrictione, & denſitate cutis, copia humoris qui facultatem vitalem, aut naturalem opprimit, ſiccitate arteriarum, dilatationem & contractionem impediente, augmento caloris, fuliginum copia, ex quibus prohiberi tranſpiratum, Galenus *locis citatis* manifeſtè edocuit.

Porrò rationem meæ aſſertionis ita perpende. Calor præter naturam, qui principium eſt putrefaciendi, non putrefacit quia imminuitur, ita vt hac ratione aſſeratur putredo, affectio propria frigiditatis, id eſt, remiſſi caloris; nam quamuis verum ſit, in fine putredinis diminui calorem, ob humidi abſumptionem; & finita putredine calorem extingui, ſeparato humido à ſicco, & euaneſcente; toto eo tempore quo fit putredo, & viget, non imminuitur caliditas, ſed potiùs intenditur, vt oſtendunt febres putridæ, inflammationes quando ad ſuppurationem vergunt, putreſcentia ſtercora, in quibus propter putredinem accenditur caliditas. Hic calor non putrefacit, quia intenſior eſt: nam hac ratione caliditas ignis, aut feruentis ſolis, febris diariæ, hecticæ, medicamentorum vrentium, quæ ſeptica vocantur, putreface-ret; quod eſt falſum, quia nunquam darentur hæ febres ſine putredine. Putrefacit ergo hic calor, quia vitiatur, & impurior redditur; quod contingit, quia ſubſtantia cui inhæret, nebuloſa, vaporoſa, aut maligna qualitate & recrementitia humiditate inficitur: quum enim adiunctam habet ſiccitatem, liberè permeat, & non impeditur, tunc non putrefacit, ſed potiùs à putredine præſeruat; & ſi corrumpit, quia modum excedit, illud facit exſiccando, comburendo; nam prohibita difflatio non ſolùm intendit calorem, quia hic attracta aërea ſubſtantia

commodè

commodè non attemperatur,ſed etiam impedita purgatione fuliginum,illius vitiat qualitatem.

Ex hac doctrina dilucidè conſtat, quomodo contactus rei putris vim habeat putrefaciendi, quia communicantur vapores putridi, qui cùm ſint calidi, & humidi, non ſolùm augent calorem rei quæ putreſcit; ſed eius qualitatem vitiant,& inficiunt; quare ob impeditam tranſpirationem, tum à vaporibus externis meatibus rei adhæreſcentibus, tum etiam ab his, qui actione caloris naturalis eleuantur, caliditas rei non ita vt antea difflari poteſt.Eodem modo humoris copia virtutem opprimens, vim habet putrefaciendi,quando tanta eſt, vt neque tranſmutari,neque expelli poſſit: tunc enim fuligines remanentes cùm commodè non expurgentur, tranſpirationem impediendo,qualitatem caloris vitiare natæ ſunt.

Si ergo iis inſtructus, argumenta contempleris attentè,ea facilè ſolues.Nam Galenus quando diſtinguit putredinem à prohibita tranſpiratione,eſt, quando hæc ex obſtructione,& cutis denſitate emanat.Neque ille intelligendus de prohibita tranſpiratione vniuerſali, ſed particulari qua putredo ſolet diſtingui, quia non ſemper ab illa oritur.Quando verò affirmat, non ſolùm putreſcere quæ non tranſpirant, ſed aliis modis, ita explicandus eſt: Non ſolùm res putreſcũt,quãdo continentur in locis, in quibus non difflantur,ſed etiam propter rei putris contactum, aut facultatis imbecillitatem, etiamſi loca in quibus ſunt optimè difflentur: quia caliditas quæ inhæret rei, non rectè ventilatur.

Ex iis patet ſolutio illius problematis, quod proponit Philoſophus *lib.4.metaph.cap.1.iuxta fin.* quòd mota minùs putreſcunt, quàm ea quæ quieſcunt: nam ſoluit Ariſt. quia motus qui excitatur à calore ambientis, minor eſt illo qui eſt in re quæ mouetur. Quæ verba duplicem ſenſum habere videntur; alter, quòd ſit maior calor in re quæ mouetur, quàm in ambiente; ſed non explicat mentem auctoris; quoniam ſæpe multò maior caliditas eſt in re quæ mouetur, vt conſtat per æſtatem, & quando exercitatio eſt moderata. Præterea multa ſunt, quæ ex motu calorem acquirunt, vt patet in aëre, & aqua. Secundus ſenſus, eſt quòd res quæ mouetur, minùs patitur ab impreſſione aëris ambientis, quàm res quieſcens propter moram: & hic licèt verus ſit, omnino tamen problemati non ſatisfacit; multa enim citra impreſſionem aëris ambientis putreſcunt. Dic ergo, fortaſſe meliùs, quoniam quæ mouentur, commodiùs difflantur, & à ſuis recrementis purgantur. Hæc reſponſio firmatur experimento: veſtes enim agitatione, & concuſſione facta cum virga, ſolent à putredine præſeruari,quia ſic à puluere,& aliis ſuperfluis ſolent repurgari, quæ tranſpirationem impedire nata ſunt.

Quòd ſi poſt motum ſequatur putredo,vt accidit quando poſt laborem, aut exercitationem conſequitur febris putrida,non contingit ſolùm propter intenſionem caloris, niſi ſimul prohibita tranſpiratio accedat,vt experimur in iis qui poſt laborem incaleſcentes aëri frigido ſe exponunt, aut manent in loco frigido, bibunt gelidam, aut tunicam ſudore infectam non mutant,aut ſi illorum corpus humoribus ſit repletum,qui extrorſum commoti cutaneos meatus obſtruunt.

Nihil verò te moueat, quod idem Ariſtoteles profert *22. probl. 4. & 25. probl. 16.* quærens, quare ea quæ in vtribus, & vaſis plenis obturatis continentur, non ſolent putreſcere. Nam reſpondet, quia manent immota, & ea quæ putreſcunt,neceſſe eſt moueri. Igitur ea quæ mouentur, magis putreſcunt. Soluit, dicendo duplicem eſſe motum, localem & alterationis: ea quæ mouentur motu locali, minùs ſolent putreſcere; motus verò alterationis putredini eſt neceſſarius, ita vt omnia quæ putreſcunt, neceſſe ſit priùs alterari: quare cùm in vaſis plenis obturatis non pateat aëri ingreſſus, à quo poſſint res alterari, non ſolent putreſcere, quia manent immotæ, hoc eſt, inalteratæ. Contrà autem in vaſis ſemiplenis aëri datur ingreſſus, & ſic res contentæ alterantur, ſed cùm neque ingreſſus, neque egreſſus liber ſit, prohibetur earum difflatio,& putreſcunt.Lege Chriſtoph.à Vega *lib. 1. de dif.feb.Galeni,in com.c.3.part.1.*Argenter.*l.3.art. medic. Gal.fol.mihi 603*.qui prohibitam tranſpirationem perpetuam eſſe cauſam putredinis conſtanter affirmant. Hoc modo aluina excrementa grauiùs fœtent,quàm vrina,quoniam inteſtinorum ſubſtantia craſſior eſt,& ob eorum reuolutiones, & ſinus liberè moueri nequeunt; nec tranſpirant. Si verò de hoc argumento plura legere deſideras, conſule Ludou.Lemoſium *in lib. 11.meth.Gal.c.8. diſp. 3:* Gaſparum Lupium *in lib.1.Gal.de temper.in com.c.9.*Fridericum Schroterum,*tract.de putredine,prope fin.*

Cæterùm priuſquam ab hiſce digrediamur, non ineptè videmur facturi, ſi quæpiam adhuc ex veterum Philoſophorum theſauris, delibatim carptimque deguſtemus, & explicemus quanta ſit ventilationis neceſſitas, primò in igne cuius ope conſeruatur purus:ſecundò in animalibus: tertiò in plantis: poſtremò in ſolidis corporibus, qualia ſunt lapides,metalla,&c.

Ergo conſeruando igni faciunt quatuor; nempe refrigeratio, ventilatio, continuum alimentum, & aptum ellychnium. Refrigeratio quidem, quia cùm ignis per ſe coërceri non poſſit, duratio eius, eſt perpetua alterius ſubſtitutio, generatióque, non aliter quàm in fluminis alueo. Et quia ignis generatio ex materia licèt apta, moram requirit qua attenuetur, igniatúrque materia, niſi modica illa complectentis aëris refrigeratione detineatur, euolabit leuitate ſua qua pollet, ante nouæ flammæ generationem, quod flammæ extinctionem vocamus. Huius refrigerij inopia, faces, vel ardentes prunæ ad radios ſolis marceſcunt, quoniam citiùs à continentis calore flamma diſſipatur,quàm noua ſubſtituatur. Oportet autem refrigerationem tantam eſſe,quæ reſpondeat igni conſeruando, non quæ ſuperet & extinguat, ſed retineat tantùm, & retardet: ideò exiguam candelam obiecto tegumento velamus; ideò etiam paucas prunas per hyemales noctes ignem conſeruaturas cinere obducunt mulierculæ,cineris raritati fidentes,per quam portio aëris ingrediatur, quæ ſufficiat refrigerare,non extinguere.

Ventilatio, ob quinque cauſas conſeruando igni commoda eſt.Prima: niſi flammula continuò aſcendens, ventilatione diſſipetur & minuatur, ſubiectæ materiæ vaporem ignitioni aptum in fuliginem vertit, nouæ flammæ ſubſtitutioni ineptam: hinc fit vt flamma in cucurbitula, vel quouis alio vaſe, licèt adeò increſcat, vt vniuerſum vaſis ſpatium occupet, tamen ſtatim tota deficiat,pereátque exuſto, & in fuliginem verſo vapore ignitioni apto. Eo etiam fit, vt ſi candelæ extinctæ faſtigium in mediam magnam flammam admoueatur, non accendatur, ſed ſi accedat tantùm ad ignis latus, ita vt flammæ vis ellychnium attingat, non exuat contentum in ellychnio vaporem.

Secunda ventilationis commoditas, qua ignis vim ad inflammandam materiam impellit, vt tantò citiùs attenuet & inflammet, quantò viciniùs ad eam accedit. Eo fit vt candela etiam nuper extincta igniatur, & carbo totus promptè ardeat, ſi è valida flamma exiens inſufletur, & introrſum aëris impetu pellatur.

Tertius ventilationis in inflammis vſus,nec contemnenſus, eſt expurgatio viti vaporis, quem vocamus fuliginem; cùm enim hæc, terrea, exuſta, humoríſque expers ſit, ignem concipere non poſſit, & ocupet ignienti vaporis locum, nec duorum corporum idem locus capax eſſe queat, fit vt niſi quidquid flammatum vi exuſtum eſt, ventilatione purgetur, locus nouæ flammæ nullus ſuperſit, oppletus ſcilicet fuliginum copia. In hunc finem mulieres fornacibus ſuis foramen expirandæ fuligini retrò moliuntur. In eundem figuli ſuis amplis quibus figulina vaſa coquunt, aut lapides calcinant: Architecti caminis aperta relinquunt faſtigia: omnia ſcilicet huic ventilationi, expurgationíque fuliginum parata, quæ ſi ſemel obturentur,vniuerſum ignem perire, extinguíque videmus.

Quarta ventilationis vtilitas eſt,ne ignis exiens in circumfuſo aëre aceruetur, adeò vt non ſit naturalis rei vnde exit, ſed extraneus & præter naturam; ob quam cauſam innatam rei calorem, ipſamque rem putrefieri

non

non erit mirum. Hinc fit, vt domus occluſæ carie obducantur, & citò veſtes intra arcam reconditæ, niſi per interualla inſolentur, tineæ occupentur; & carnes, ni aëri exponantur, putreant; & partes noſtræ cauæ, intra quas exiens flamma moratur, quoniam ventilationem ſufficientem non excipiunt, moleſtum odorem concipiant, vt alæ, & interfeminea.

Poſtremus etiam addi poteſt ventilationis vſus: eſt enim admodum veroſimile, flammæ, & innato calori alimentum ſuppeditari, non ex ſolo ſubiecto vapore, ſed adiecta etiam aliqua aëris portione, ex qua ſimul cum vapore alimentum, & materia præſtetur. Eam aëris, & vaporis permixtionem ad ignitionem, ventilatio præſtat: argumentum eſt, quòd arbores vento expoſitæ fœcundiores ſurgunt; immò & agricolis receptum eſt Subſolanum, quoniam eſt ventorum violentiſſimus, plurimùm promouere plantarum incrementum. Eſt & illud non leue argumentum, quòd vbi ignis vaſe quopiam incluſus eſt, datur rima per quam multo impetu aër ingreditur, quaſi vi flammæ ad alitionem trahatur, non ſecus quàm ex ellychnio oleum.

De refrigeratione, & ventilatione dictum iam eſt, ſupereſt vt videamus quid flammis conferant alimentum, & ellychnium, cùm flamma omnis ex mixtis habeat ſubſtitutionem, quæ in ignem citiſſimè transferantur, alimenta eligi oportere certum eſt, non quidem terrea, vt lapides, & metalla, nam quæ exactè ſicca ſunt, ignem non concipiunt: argumentum eſt, quòd cinis, & exuſta quæuis, admoto licèt crebro igne, inflammari nequeunt. Deinde non aqua; cùm enim aqua vtraque qualitate repugnet igni, facilè, & ſine medio in ignem tranſmutari nequit. Non aërea; nam etſi aër in ignem facilè tranſmutari queat, tamen quia lentoris omnino expers eſt, pari celeritate labitur, defluitque, & ideo ignem diu retinere non poteſt. Eligenda ergo eſt materia aërea, aquæ vehementer permixta, ita vt huius permixtionis beneficio lentorem plurimum obtineat, quo veloci reſolutioni renitatur valde. Hæc ſunt pinguia, oleoſa, reſinoſa. Adeóque hoc verum eſt, vt etiam inter animalium alimenta, ea potentiùs dicantur alere, quæ huiuſmodi naturam habent, vt triticum, & ſuilla: hoc enim manſum ſi tangatur, ſummopere glutinoſum eſt; & inter carnes, ſuilla.

Ellychnium verò ideò igni conſeruando confert, & lampadibus, & cereis candelis neceſſitate quadam accedit, quoniam proxima & immediata flammæ gignendæ materia, eſt vapor ex humido lento attenuatus. Is vapor non minus periclitatur diſpergi, quàm flamma ipſa euolare: & quemadmodum flammæ, ne citiùs euolet, refrigeratione ſuccurrimus; ita vapori ne diſpergatur, carbone, ligno, & ellychnio, hoc enim eſt ſolida quædam materia, ſed intus rara, cauernoſa, & foraminulenta. Oportuit autem talem eſſe, vt interna raritate exhalantem vaporem ſuſciperet inflammari aptum, & ſoliditate ſua vſque ad ignitionem retineret. Hinc fit, vt bombax, aptiſſima ſit ellychnij materia, habet enim internam raritatem cum externa aliqua ſoliditate. Stupæ, lintea attrita, quò ſunt vetuſtiora, rariora euadunt. Ideò verò ellychnium per interualla reſecamus, quia quod exuſtum eſt, caret humore, ac proinde ignitioni ineptum eſſe iudicatur. Deinde quæ vehementer rara ſunt, vt aër, quia non retinent vaporem; & quæ immodicè denſa, vt lapides, metalla, quia non facilè ſoluuntur in halitum, non igniuntur, niſi longa, mora in calcinatione.

Conſequens eſt, vt animalia, & aquatilia ſecundo loco propoſita in medium afferantur, & in illis explorandum, ſimilibúſne an variis ingeniis vita conſeruetur, quídque illis vtilitatis ex reſpiratione accedat. Nam animalium vita ſimilibus remediis; vtpote refrigeratione, & ventilatione; quamuis minoribus ac ignis purus, conſeruatur; alimento verò per quædam temporum interualla ſumpto. Nam inter omnia mixta, nullibi tanta ignis copia aceruata eſt, quantum in animalibus videmus: piper enim, & ſulphur, licèt habeant flammeas quaſdam intermixtas portiones, quæ vbi ab illis ſe-

A parantur, & animalibus approximantur, eorum carnes deurunt; nihilominùs tamen tam multis terreis conſtant, vt tota ipſa mixta ſi extrà tangas, ſiue integra, ſiue trita, & puluerata, frigida ſentias, non feruentia, aut calida. At verò animalium caro, ſanguis, & ſpiritus non ſolùm intùs ebulliunt, ſed extrà adeò calent, vt facilè tangi nequeant: tantò eſt amplior animalium calor, quàm ille qui vel ſtirpibus datus eſt, vel ſeminibus, vel ſolidis quibuſuis, aut corporibus, aut metallis; aliàs diu citra eam opem durare non poſſent, quare multo eguerunt calore ad operationes ſuas, nempe vegetabilia ad ſui nutritionem, & reparationem; animalia ad ſenſationes, & motus perpetuos, quibus operibus omnibus multa caloris copia neceſſaria abſumitur; & maximè in hominibus,

B quippe qui alias exercens actiones nobiliores, vt ſunt meditationes, cogitationes, & ratiocinia, in quibus ſpiritus plurimi reſoluuntur.

Inſuper minoribus remediis animalium vita conſeruatur, quàm purus ignis, quantò calore ab igni animalia deficiunt; ob quam cauſam aër, & aqua, ex quibus refrigeratio animalibus accidit, per reſpirationem, & membrorum pulſum, priùs in pectore, & membrorum meatibus temperantur, & à ſuo frigore miteſcunt, vt tantò moderatiora accedant animalibus, quantò ipſa in calore flammæ, ſeu igni puro cedunt; ad cuius refrigerium durationémque, purus & minimè refractus aër eſt neceſſarius.

Sicut ignis quatuor modis præſertim conſeruatur, ſic animalium vita. Refrigeratio prædicto modo eam con-

C ſeruat, & tuetur. Ventilatio verò per exiguos meatus animali accedit, ſuctione, non exufflatione vlla externa comparata. Alimentum, non vt in flamma continuum, ſed per longa ſpatia ſumitur. Ellychnij verò vſum quarto loco relatum, corpus ipſum præbet vaporem ſanguinis, & aëtem per inſpirationem attractum, ad ſpiritus & innati ignis nutritionem.

Cæterùm quæret aliquis, cur natura aquatilibus, quorum minor eſt temperies, parauerit refrigerium ex aqua, tantò aëre frigidiore, quum exigat ratio, vt calidiori animanti ex aqua, minùs calido ex aëre refrigeratio comparetur? Dic, aërem potentiùs aqua refrigerare, licèt aqua in ſe frigidior ſit; quia aër ſubſtantia ſua, & mole

D cum ſpiritu noſtro conuerſatur: non ſic autem aqua cum piſcibus, ſed ſolum qualitate, & inſenſili halitu eorum calorem refrigerat, quum accedat tantùm ad locum quendam branchiarum communem, cuíque vicinum non verò intrò mittatur.

Vltra has rationes vniuerſales de neceſſitate reſpirandi addit Galenus *lib. de cauſis morbor. cap.* 3. duas alias particulares, quæ in vnam coëunt, nempe cordis ventilationem; quare membra pulſu refrigerantur; cor reſpiratione; ignis ventilatione promouente motum, modò inferne, modò ſurſum. Ideò vtroque modo confert exufflatio igni tam deorſum, quàm ſurſum per interualla. Hinc fit vt lucerna operta denigret vas, & corda præfocatorum, combuſta appareant; quia defuit ventilatio, nec proinde conſumptus eſt in totum vapor, aptus calefieri, &

E inflammari. Sic à magna face minor extinguitur, & extincta lucerna miſſa in magnam flammam non extrahitur inflammata, quòd multus calor continentis, in his omnibus diſſipat materiam, quæ ſubſtituenda erat aſcendenti flammæ. Demum, quod Gal. ait *lib. de vſu reſpirat.* cùm flamma requirat viciſſim motum ſurſum, & deorſum, deficiente alterutro ex illis, neceſſariò extinguitur.

Hæc cordis ventilatio, inſpiratione perficitur, attracto aëre frigido ad nutritionem animalis ſpiritus, & contemperamentum vitalis; ac expiratione, ad expurgandas fuligines: fuligo enim cùm ſit fumus ex aduſtione ſicca, cineris inſtar, calorem continere non poteſt, ideò occupans locum flammæ, extinguitur: fit autem fuliginum purgatio expiratione, conferente etiam non parum inſpiratione: ſicut enim ſordes abluto linteo facilè euaneſcunt, ita fuligines permixtióve inſpirati aëris purgantur: nam id quod aqua pollet in expurgando linteo, idem confert permixtio aëris puri, expurgando aëri fumoſo intra cor contento.

Patitur

Patitur tamen inſtantias hæc doctrina. Prima: Si conſeruatio omnium requirit ſimilia, cur ventilatio facit ad conſeruationem? Dic, ventilatio vtilis eſt ad durationem ignis ſpecificam, per continuam ſucceſſionem: quemadmodum autem calor æſtatis primò calefacit omnia, deinde per moram ſiccat, & extinguit; ſic innatus calor in omni mixto citò per moram conſumeret humidum, niſi ventilatione moderata immodica illa mora impediretur.

Secunda. Si cor creatum eſt cum ſuà illà quam exigit temperie, non ſecus quàm cerebrum, & reliqua membra, cur in eius tutelam parauit reſpirationem, ſi illud refrigerio non indiget? Dic, quòd natura refrigerio reſpirationis, non conatur remittere, ac minuere cordis calorem, ſed dum circumſtans refrigerium prohibet velocem ignis diſceſſum, conſeruat, & in officio retinet, vſque ad ſequentis ignis ex apto vapore ſubſtitutionem; quare non parat innato calori in corde diminutionem, ſed durationem.

Tertia. Reſpiratio non ſemper vtilis eſt, aut neceſſaria refrigerando cordi, cur ergo à natura intenta? Hoc patet experimento, in eo affectu; in quo ægri frigidum ex ore, & naribus exſufflant cum periculo ſummo, ex Hip. *lib.* 2. *prog.* Tunc enim cordis conditio calefactionem magis, quàm refrigerationem exigebat, quæ per reſpirationem paratur. Dic, id facit attractio aëris frigidi, ad eum qui frigidum expirat, quod facit in exiguo foco flabellatio, & modica refrigeratio; retinet enim modicum illud ne euolet, & expiret, quo præſidio abeuntem animam natura remoratur, vt in omnibus morientibus eſt manifeſtum.

Accedamus ad plantas, in quibus etiam reſpiratio locum habet. Illæ ſimilibus conſeruantur remediis ac animalia, nihilominùs tamen languidioribus, quantum earum calor ab animalium calore recedit. Ergo refrigeratio, & alimentum ſimiliter faciunt ad plantarum vitam conſeruandam: cæterùm hæc minùs potentia ſunt: nam refrigeratio, & ventilatio parte tantum externa accedunt, non intrò per os, bronchia, aut cutem attrahunt, ſicut in animalibus. Deinde alimenta rariora accedunt plantis, & per maiora temporum interualla, quàm in animalibus: nam ſolari calore, licèt ferè per æſtatem fruantur, tamen hyeme raro, & exiguo: pluuia contrà hyeme ſæpe, raròæſtate. Inſuper terræ quàm exiguum abſumunt, quod indicat ſubſtratæ terræ moles non detumeſcens, aut in ſe ſubſidens; cùm animalia nec die quidem integra, citra cibum, & potum tranſeant.

Quòd verò ventilatio, & refrigeratio nonnihil ad plantarum faciat conſeruationem, compertum eſt. Nam quæ in opacis, & conuallibus adoleſcunt, minore proceritate ſurgunt, quàm quæ in apricis, & aëri expoſitis locis. Deinde lapidoſi terrarum tractus fœcundiores ſunt. Denique radicibus, lapidum frequentia vtilem refrigerationem conciliamus. Si verò interroges, quomodo lapides frigiditate ſua fœcunditatem, & durationem promoueant, ſi ſegetum, & arborum radicibus ſtercora applicantur, & aquam calidam affundunt olitores, accelerandis, maturandíſque fructibus? Dic, illa calida benefacere, dum caloris natiui quantitatem augent; frigida verò circumſtantia, natiui ignis halitum remorantia, vitam tuentur, diuturnioremque efficiunt. Sic enim ligna alunt pinguia, & ventilatio, quorum alterum calidum, alterum verò frigidum eſt.

Nunc ad ſolida duráque corpora. Quædam vegetabili principio pollent, vt ſemina, quæ partes plantarum dicuntur; alia verò illo carent, vt lapides, & metalla. In iis ſola ſufficit refrigeratio exigua, quoniam omnium minimam igneæ permixtionis portionem obtinuerunt, ſiquidem omni motu carent. Eam autem refrigerationem iis quæ ſuper terram ſunt circumfuſus aër præbet; illis verò quæ intra adyta terræ, aut maris viſcera latent, aperte, aut terræ, aut aquæ commeatus. In ſeminibus autem non ſolùm refrigeratio, ſed etiam ventilatio requiritur: ſemina enim cùm partes plantarum ſint, ampliori igne reliquis duris prædita ſunt: quo fit vt niſi per interualla

A quædam agitentur, & boream excipiant, igniantur, vitientur, & intereant.

Ex hac doctrina conſtat, igni puro conſeruandò quatuor illa facere, refrigerationem, ventilationem, alimentum, & ellychnium. Animalibus tria priora, eáque vehementia. Stirpibus totidem tria, ſed languidiora. Duris, & vegetabili principio abundantibus, duo tantùm, refrigerationem, & ventilationem. Duris verò, omnis animæ, & vegetabilis principij expertibus, ſolam ſufficere refrigerationem. Et hæc eſt potior de neceſſitate ventilationis explicatio, quàm interpretum *ad artem medicam Gal. in com. cap.* 33. *& lib. de cauſ. morbor. cap.* 3. Lege Laurentium *lib.* 9. *de re anatomic. quæſt.* 19.

QVÆSTIO XII.

B *Vtrùm Galenus, & Auicenna, ſigna febrium putridarum rectè proponant.*

E*Videntes præbentem notas.*] Galenus Pergamenus, Medicorum Princeps, cuius operam, ingenium, ac prudentiam in medendo, non raro Roma Antonino Pio imperante experta eſt, poſtquam *lib.* 1. *de differentiis febrium*, febris eſſentiam, cauſas, & differentis, propoſuit, de ſignis febrium putridarum elegantem ſermonem *lib.* 1. *cap.* 7. inſtituit: Hunc poſt Græcos æmulatus eſt Auicenna, Arabum Princeps, qui *fen.* 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 2. illorum ſeriem exactè deſcripſit, quo loco non ſolùm ſigna, quæ ſequuntur febres putridas, ſed quæ ipſas antecedunt, affabrè C delineauit.

Primum ergo eſt, non tamen inſeparabile, quòd nullà earum quæ præincipientes cauſæ dicuntur, eas antecedat. Dicitur hoc ſignum proprium, quia ſolis putridis conuenit, non tamen eſt inſeparabile; quia non conuenit omnibus: poſſunt enim febres putridæ generari à cauſis procatarcticis, nulla alia febre præcedente; vt conſtat ex Galeno, 1. *epid. ſect.* 3. *com.* 19. quandò videlicet corpus eſt morbis opportunum, morboſúſque præeſt apparatus. Deinde, ſi febris hectica poteſt fieri, incipiendo à cauſà procatarctica, ob agentis robur, ex Galen. 3. *de præſag. ex pulſ. cap.* 4. cur non humoralis; cùm humores faciliùs alterentur, quàm ſolida? Inſuper poteſt eſſe externa cauſa putrefaciens, vt aër, cui vitio ſunt multò magis obnoxij humores, quam ſpiritus. Denique, quoniam ex errore victus aliquandò ſtatim ſequitur putrida febris, ita D Trallianus *lib.* 12. *cap.* 2. febres putredinis non ſolùm ex cauſa prægreſſà, ſed ex diariarum genere oriri admonuit. Vltimò, ab inflammatione externa putridà concitatur, ex Hip. 4. *aph.* 55. Sed hoc eſt rarum, putridas nempe febres à cauſa primitiua generari, quum ferè ab interna oriantur. Solue ſecundò, febres putridæ à cauſa interna immediatè; ab externa autem mediatè originem ducunt.

Secundum ſignum eſt, velocitas pulſus, & reſpirationis in contractione, magis quàm in dilatatione: nam neceſſitas expellendi fuligines maior eſt in hac febre, quàm ſit in diaria refrigerij; quod ſignum eſt proprium, & inſeparabile, debétque intelligi facta comparatione ad dilatationem in eadem febre, vel ad contractionem in aliis febribus, vel ad ſtatum naturalem, vt docent interpretes *in com.* Hæc velocitas contractionis, in argumento acceſ-E ſionum manifeſta eſt; in principio, & ſtatu non admodum obſcura: eam neceſſario conſequitur externæ quietis frequentia. Hoc ſignum conſtituit Gal. 3. *de præſag. ex pulſ. cap.* 7. *non multùm poſt principium*, dicens eſſe perpetuum, & præ cæteris proprium inuaſioni febris putridæ, ob dictam cauſam.

Sed à quibuſdam non recipitur hoc ſignum. Primò: nam fruſtraneum eſt, quum contractio ſit imperceptibilis, ex Galen. *lib.* 1. *de præſag. ex pulſib. cap.* 3. *&* 5. adeò vt hic eius cognitionem impoſſibilem iudicauerit, & ſolùm in vehementi, magnóque pulſu poſſe deprehendi arbitretur. Dic, licèt árduum & difficile ſit, pulſus ſyſtolen per tactum percipere, cognoſci tamen poſſe non imus inficias, tum propter defectum dilatationis, tum quoniam

affectus imprimitur tactui, modò arteriæ non leui, ſed forti impreſſione tangantur, quam ſolam in paruo pulſu difficilem agnouit Gal.egeréque diuturna exercitatione ipſe prædixit. Melius enim eſt hoc modo Galenum tueri, quàm deſerere cum Cardano, *lib.2.cont. tract. 2.cont.9.*

Secundò aduerſatur ſibi Galenus: nam 12.*meth.cap.3.* affirmat, in febre ſyncopali orta ex crudis ſuccis, pulſum eſſe tardum, paruum, & rarum. Ergo in putridis aliquando velocitas contractionis non apparet Galenus eo loco perſentiens difficultatem, dupliciter reſpondet, aſſerítque experientia eſſe compertum, in his acceſſionibus ſyncopalibus pulſus eſſe tardiores, quàm in ſtatu naturali; ex quo patet in febribus putridis velocitatem contractionis non reperiri, in omni tempore febrilis acceſſionis, ſed ſolùm quando humores incenduntur, vt monuit Galen. 3. *de præſag. ex pulſib. cap.7.poſt. med.§. Ac in declinationibus,&c.* Quando verò non incenduntur, fumum non edunt, ac proinde non accelerabitur contractio, quo pacto loquitur Galenus, 12. *meth. cit.* quoniam in primo inſultu humor non incenditur, præſertim ſi fuerit frigidus, & craſſus, eo enim tempore ſanguis ad interiora recurrit, & calor opprimitur, velut ignis ſtrue lignorum viridium obrui ſolet. At verò cùm febris accenditur, ſtatim pulſus velocitatem acquirit in contractione, vt ait Galen. *loc.cit.de præſag.ex pulſib.§. Clariſſimè enim recedit, &c.* & parum infrà, §. *in ſolis enim inuaſionibus &c.* Quare ex mente Galeni, celeritas contractionis eſt ſignum proprium, & inſeparabile febrium putridarum quod omni tempore acceſſionis adeſt, quum primùm humores incenduntur. Reſpondet ſecundo Galenus, pulſus eſſe tardos, paruos, & raros, facta comparatione ipſorum, acceſſione iam tranſacta, ad alios febricitantes, quum ſunt extra acceſſionem: ex quibus nulla inter hæc loca Galeni eſt contradictio.

Tertium ſignum eſt, quòd caliditas putridarum in tactu ſit acris, inſuauis, & mordax, ob caloris, & fuliginum aduſtarum copiam. Hoc modo perſentitur, primò ratione intenſionis; ſecundò, quia velociùs imprimitur: tertiò, propter denſitatem ſubiecti: quartò, quia coniungitur ſiccitati. Hoc ſignum illis non eſt proprium, quum hecticis etiam conueniat, in quibus ob ſiccitatem calor exurens redditur; nec eſt inſeparabile, quum non in omni tempore, ſed in augmento, & vigore conſpicia-tur: nam in principiis acceſſionum, ob retroceſſum caloris ad internas ſedes, tactum immorari oportet, vt caloris acrimonia ſentiatur.

Quartum ſignum ex Auic. *loc.cit.* quòd febres putridas antecedit *Almeliletu*: & ſtatim explicuit Auic. quid ſit, dicens eſſe diſpoſitionem cui admiſcetur caliditas, non perueniens ad hoc vt ſit febris, & aſſociantur accidentia plura, quæ Galenus enarrat *lib. 1. de dieb.decretor.cap. 6. in init.& 2. de ſympt. cauſ. cap.5. in princ. §.Præterea incipientibus morbis, &c.*

Primum ſymptoma, quod concurrit cum Almeliletu, eſt laſſitudo ſpontanea, ex Hip. 2. *aph.5.* Secundum fractio membrorum, & pigritia ratione laſſitudinis. Tertium, alycæ, id eſt, pandiculationes, ob vapores expultricem membrorum irritantes. Quartum, ſaltus, id eſt, palpitatio. Quintum, commotio ſomni, & vigiliæ, id eſt, permutatio eorum à diſpoſitione naturali. Sextum difficultas anhelitus, vel ex humorum craſſitie, vel plenitudine ſuborta: qua etiam ratione ſit ſeptimum, tumor venarum; & octauum, tumor hypochondriorum. Nonum, & decimum ſunt dolor capitis, atque pulſatio eius, ratione humorum ſeu vaporum ad caput aſcendentium. Deinde, ſi hæc diſpoſitio producitur, ſignificat febrem putridam, & Auicenna in contextu alia ſymptomata receſet, quæ iſtam dipoſitionem comitantur, vt debilitas, coloris citrinitas, nauſea, vrinæ copia, deiectio putrida, grauitas capitis, & *Tebegi*, hoc eſt, tumefactio quædam, vt in oculis ex nimio ſomno, vel quæ alia quauis de cauſa contingere ſolet.

Quoniam verò iſtam diſpoſitionem antecedentem ſubſequitur febris, aduertit Auic. *loc. cit.* quòd vnicum eſt ſignum, diſtinguens eam à principio acceſſionis febrilis,

A nempe coarctatio pulſus, per quam intelligit ſubmerſionem, & paruitatem diuerſam, id eſt, inæqualem, in qua accidunt pulſationes magnæ, fortes, & non eſt velocitas eius fortis. Hoc ſignum ſcribit Galen. 1. *feb. 7. ante med. §. Sicut & pulſuum afflictatio, ſeu compreſſio, (ſic enim nominant, quando incipiente acceſſione ſatis paruos, & inæquales habent:)* quo loco hanc coarctationem, pulſus compreſſionem vocat; & ſic febres quæ cum hac pulſus ſubmerſione incipiunt, cum annotatione compreſſa inuadere dicuntur; quemadmodum quæ ſine ea incipiunt, dicuntur inuadere cum annotatione incompreſſa.

Hæc pulſus coarctatio febrium putridarum ſignum eſt proprium, nam illis ſolis in initio acceſſionis, ſui ratione conuenit: non tamen eſt inſeparabile, quia illis non
B conuenit ſemper, nec omnibus; nam ex Gal. *lib.3.de præſag.ex pulſib.c.6. aliquæ ſunt febres quæ incompreſſas habent acceſſiones, in quibus* (inquit) *prima permutatio in magnitudinem, & celeritatẽ ſit, mox his ſuccedit angeſcentibus crebritas*: in quibus calor cum humoribus ad interiora non recurrit, nec hac de cauſa ſuffocatur internus ignis, neque inſtrumentum præ humorum copia eſt inobediens, neque facultas debilis adeſt, & ſic acceſſio fit incompreſſa, & febres ſine pulſus, & caloris compreſſione excitantur, cuiuſmodi ſunt illæ quæ à tenuibus, & facilè inflammabilibus humoribus ortum ducunt; quæ omnia cùm in principio acceſſionis, in aliis febribus contrario
C modo eueniant, ob imbecillitatem virtutis, humorem grauantem, & obſtruentem arterias, idcircò apparet pulſus paruus, inæqualis.

Ex quibus notabis, Galenum, *lib.3.de præſag.ex pulſib.7. §. Nam ſi laboranti tale nihil acciderit, &c.* vera pronuntiare, dum aſſerit, pulſum in principiis acceſſionum aliquando eſſe velocem, nonnunquam tardum: nam ſi magis augetur calor ob putredinem confluentis humoris, quàm præ copia, & frigiditate ſuffocetur., ſit pulſus velox; ſi verò maior eſt ſuffocatio, ob plenitudinem, ſit paruus.

Deinde colliges, id quod habet Auic. *loc. cit.* in pulſu coarctato accidere pulſationes magnas, fortes, non eſſe ita intelligendum, quaſi ſolùm tales in eo reperiantur; nam ita ſibi contradiceret, affirmanti pulſum coarctatum eſſe paruum, & inæqualem. Sed cùm pulſus in principiis acceſſionum ſit inæqualis, ob debilitatem ex aggrauatione, aliquæ pulſationes paruæ ſunt & languidæ, aliquæ magnæ & vehementes. In eo enim, inquit Gal.3.*de cauſ.*
D *pulſ.cap.16.in med.§. Atque hoc ſcilicet ipſum,&c.* diſtinguitur pulſus facultatis debilis per aggrauationem, à debili per reſolutionem, quia in hoc pulſus ſunt parui & languidi, æquales tamen, quia illis non permiſcentur pulſationes aliquæ magnæ, & vehementes At verò in debili per aggrauationem, pulſus ſunt inæquales; aliæ enim ſunt pulſationes paruæ & languidæ, aliæ magnæ & vehementes.

Ex iis intelliges locum obſcurum Galeni, qui *lib. 1. feb.7.in med.* aſſeuerat, putridarum febrium initio pulſum adeſſe paruum, & velocem: quæ ſententia non ita ſimpliciter recipienda eſt: nam conſtat aliquando eſſe tardum, licèt ſæpe ſit velox: vel ſi eum intelligas de contractione, quæ ſemper eſt velocior diſtentione, Galenum à calumnia liberabis. In hunc ſenſum dicebat Auic. *loc.cit.*
E agens de pulſu principij acceſſionis: *& non eſt velocitas eius fortis*, cùm aliquando eo tempore pulſus ſit velox, interdum tardus, vt *ſuprà* prædiximus.

Quintum ſignum. Pulſus in principio, & augmento putridarum eſt diuerſus, & inæqualis. Hoc ſignum propoſuit Galenus *lib.1.feb.c.6.& 3.de præſag.ex pulſib. cit.* Pulſus inæqualis eſt, quia virtus maximè ſuffocatur, & grauatur in augmento, quia etiam humor non vniformiter calefit; & ſic in tertiana hæc inæqualis minor eſt propter humoris tenuitatem, virtus parum grauatur, & humor citò vniformiter calefit.

Galenus hoc ſignum refert eſſe proprium putridarum, quia nulli alteri generi febrium conuenit: nam hæc inæqualitas conſurgit, vel propter multitudinem quorad vires, vel obſtructiones, vel ob inæqualem cordis intemperiem

intemperiem,ex intemperie calida,& frigida, conſtantem, quorum nullum in diariis, aut hecticis reperitur, illarum ſcilicet ratione; licèt ob aliquod ſymptoma poſſit hæc inæqualitas in diariis inueniri, vt ex acrimonia humoris ad os ventriculi decumbentis : cùm enim oris ventriculi cum corde maximus ſit conſenſus ex Galen.1.*de ſympt. cauſis, cap.7. & 5.de loc. affect.cap. 6.* nihil mirum ſi illo affecto cor etiam afficiatur, & ſic pulſus immutetur, & propter humoris mordacitatem os ventriculi lædentis, immutetur ad inæqualitatem, quia facultas pulſum magnum efficere conatur; quare grauata deſiſtit, & ſic fit inæqualis.

Hæc inæqualitas tam eſt collectiua, id eſt, in pluribus pulſationibus, quàm in vnica pulſatione: cùm enim aucti caloris vſus vrgeat,accelerat natura principium v. g. diſtentionis; in medio autem ob vapores, vel grauantes humores, aut obſtruentes, motum remoratur : quæ rurſus irritata ab vſu, diſtentionis finem accelerat. Eodem modo fit in multis pulſationibus, quoniam ob eaſdem cauſas vna fit velocior,& altera tardior.

Quo pacto autem diſtinguantur pulſus paruus & inæqualis, qui fit in principiis acceſſionum, à pulſu paruo & inæquali, qui fit ratione alicuius ſymptomatis, docet Gal. *lib.1.de præſag.ex pulſib.c.7.ante medium, §. Nam cæteris quidem omnibus, &c.* Hæc pulſus inæqualitas eſt ſignum proprium febrium putridarum, quia ſolis putridis conuenit ratione ſui, ex Gal.*lib.1.de dif.feb.cit.* quod vt verum ſit,de magna inæqualitate intelligi debet: nam parua pulſus inæqualitas, omnis febris commune eſt ſignum,vt docet Galen.*lib.1.ad Glauc.c.6.in med.* Verùm euidens inæqualitas in ſolis putridis reperitur : immò ex putridis, tertianæ pulſus æqualis dicitur à Gal. 2. *criſ.* 3. *propè fin.* & pulſus ſynochi. *9.meth.3.in fin.& 4.ante med.* quod collatione facta ad alias putridas intelligi debet: nam ſi conferantur ad pulſum diariarum, vel pulſum ſanum, omnes illi pulſus inæquales ſunt. Solis ergo putridis conuenit hoc ſignum, non tamen eſt inſeparabile, quia non conuenit omnibus, de quarum genere ſunt illæ,quarum principium habet annotationem incompreſſam,in quibus minima inæqualitas apparet,ex Gal. *3.de præſag. ex pulſib. c. 7.§.Verùm his neque rigor,&c.*

Sextum ſignum eſt euacuatio primæ periodi, ſudoris, & humectationis. Id eſt, quòd non finiatur prima periodus cum ſudore, aut rore, vt in diaria contingit. Hoc ſignum propoſuit Auic. *loc.cit.* excipit tamen tertianam, in qua ob humoris tenuitatem, in prima acceſſione ſolet adeſſe ſudor;niſi quia tertianæ augmentum eſt promiſſum, non proportionatum, non ſimile : vbi per promiſſum,intelligit longum, per non proportionatum,quòd non gradatim in calore aſcendat; per non ſimile, quòd non ſit vniforme. Tertiana ergo, facta comparatione ad diariam, habet augmentum magis prolixum, minùs proportionatum,& minùs vniforme.

Septimum ſignum eſt productio augmenti, & non eſt veluti diariæ, qmod duas horas non tranſcendit. Sed ſignum augmenti eſt augmentum in magnitudine pulſus : nam increſcente calore augetur, vſus; quo aucto, ſi inſtrumentum obediens eſt,& facultas valet, prima differentia pulſus, eſt magnitudo. Lege Richardum *lib. de ſignis febrium,c.5.*

Octauum ſignum. Febris putrida, vel eſt intermittens, velcontinua : illa incipit cum horrore, vel rigore, vel frigore, & finiturper ſudorem, & ſic repetit per periodos. Hæ ſigna ſimul in nulla diaria, aut hectica reperiri poſſunt. Si febris eſt continua, vel eſt proportionalis, vel continens, & tunc conſtituit nonum ſignum Auicenna, dicens quòd diſtinguitur primò à diaria in vrina: nam, vt Galenus docet, 1.*feb.*7. in diaria, vrina parum à naturali ſtatu recedit, in putrida verò multum. Secundò in pulſu, quoniam in diaria pulſu non eſt paruus, nec inæqualis. Tertiò, quia licèt febres continuæ imminuantur, non tamen omninò ceſſant, quemadmodum diaria. Quartò, quia in hac ſymptomata penitùs conquieſcunt, non ſic in remiſſione continuatum.

Decimum ſignum ſumitur à ſymptomatis, quoniam plura in putridis in ſtatu contingunt, vt prædixit Hip. 2. *aph.* 30. quæ omnia ex conatu naturæ, pugna, humoris ebullitione emanare, Galenus prædixit *in com.* quæ in quocunque tempore ſi appareant, eandem ſignificationem ex ſe præbent. Primum ſymptoma eſt ſitis, quæ ex fuligine acuta & aduſta, ex pulmone & corde, ad fauces & linguam eleuata oritur. Secundum, dolor capitis. Tertium, linguæ nigredo, quæ ex eiſdem cauſis oriuntur. Quartum, & quintum ſunt inquietudo, & anguſtia,id eſt, cordis oppreſſio. Quid autem ſit anxietas, docet Galen. *7. aph.56.& 4.acut.47.* Hæc omnia vim morbi ſequuntur,& ſi natura victrix euadit, pulſus fit vehemens; ſin contrà ſuperat humor,fit paruus, languidus. Hoc ſignum licèt ſit proprium febrium putridarum, non tamen eſt inſeparabile: nam aliquæ febres putridæ ſine his ſyptomatis conſtant. Alicui tamen ſpeciei febris putridæ hoc ſignum eſt proprium, & inſeparabile, vt patet in febre ardenti exquiſita, cuius ſigna pathognomonica ſunt ſitis intenſa, & calor immodicus, vt monet Galen. 3. *epid.ſect.3. com.* 34.

Vndecimum ſignum ſumitur ex pulſu duro, qui in febribus putridis aliquando reperitur. De hoc ſigno aſſerit Auic. *cit.loc.*quod non eſt proprium febrium putridarum: accidit tamen aliquando propter cauſas quas Auic. recenſet, & docuit 2.1 *.doct.3.ſum.1.cap.6* & accipit à Gal. *lib.1.de dif.feb.c.7.& lib.1.de cauſ.pulſ.cap.9.& 1.de præſag.ex pulſ.cap.4.*Galenus *lib.1.de dif.feb.cit.*reprobat Archigenem, quòd pulſum durum metaphoricè vocarit ſuauem, & moleſtum, in qua ſignificatione omnis febrientis pulſus durus erit, reprehenditque ipſum hac ratione: nam durities propriè eſt obiectum tactus, & ſic ptopria ſignificatione pulſus durus dicetur, cui tactus cedit, docente Galen. 1.*ſimp. cap.* 4. Secundò pulſus durus nulli febri conuenit: quoniam hæc ſolùm includit calorem, cuiuſcunque generis illa ſit; ſiccitas verò accedit ex accidenti, quia licèt cum calore coniungatur,non tamen tanta eſt, vt arterias, & reliquas corporis partes exſiccet, & induret. Si verò aliquando in hecticis durities in pulſu conſpicitur, id accidit quando maraſmo hectici ſunt oppreſſi. Notum enim eſt in doctrina Gal.1,*de præſag. ex pul. cap*,4. tripliciter arterias fieri duras,vel proprer congelationem, vel propter ſiccitatem, vel tenſionem.Concretio exſiccat, tenſio parit renitentiam, 5.*ſimpl.*5.Concretio fit ex vehementi frigiditate: tenſio ex inflammatione, vel ſcirrho, vel aliqua diſpoſitione neruorum, vt accidit in epilepſia, conuulſione, tetano. Siccitas ex multis cauſis emanat, ex immodicis vacuationibus, febribus ardentibus, & ſimilibus. Hæc ergo omnia, vel ſingula, in omnibus febribus fieri cùm poſſint, idcircò pulſus durus aliquando in febribus putridis poteſt reperiri.

Duodecimum ſignum addit Auic, *loc. cit.* nempè quòd quandiu pulſus non eſt fortis,nec fit velox in contractione,adhuc febris diaria non permutatur in putridam. Sed dubitabis,quomodo ſine fortitudine pulſus,diaria non permutatur in putridam,ſi in diaria virtus fortior eſt? Dic, legendum eſſe contextum Auic.affirmatiuè [*& dum pulſus eſt fortis,&c.*] Vel dic,in tranſitu diariæ in putridam, plerumque calorem augeri,quo aucto pulſus apparet magnus, velox,& fortis.

Vltimum eſt cruditas in vrina : cùm enim illa ab imbecillo oriatur calore,in putridis eſt manifeſtior,quæ à debilitate generantur caloris innati: quod ſignum illis non videtur proprium,quùm hecticis etiam conueniat, in quibus ſolida membra, à quibus fiunt coctiones, vehementer ſint labefactata.Vrina in putridis non eſt cocta,ſed debiliter cocta,ex Gal.*lib.1.feb.7.*qualis autem ſit vrina debiliter cocta,explicat Gal.*lib.1.de criſ.c.17.ad fin.§.Debilis autem coctio,&c.*Auic.*loc.cit.*addit,quòd vrina ſit acuta,pungens, mordicans,quoniam cum ſero aliqua humoris calidiſſimi portio permiſcetur.

Vltra ſigna à Galen.*lib.1.de dif.feb.*citata, aduertit Auicenna, alia duo eſſe adiungenda putridis febribus, ex quibus certior harum notitia poteſt deſumi. Primum eſt paruus, & fœtidus odor febrientis, ex Galen.*6.epid. ſect.4.*

ſect.4.com.9.in fin. cùm enim fœtoris cauſa vniuerſalis ſit putrefactio, oris fœtor ex vapore putrido per expirationem è viſceribus, pulmone ventriculo elatus, febris putridæ erit ſignum certiſſimum; quare Gal.4.*de præſag.ex. pulſib.cap.*3.halitum fœtere in peſtilentibus febribus, ob ſpiritus putrefactos aſſeuerat, vt notant Mercurialis, *lib. de decorat.cap.*29.Fernel.*lib.*4,*patholog.c.*17. *de febre peſtilenti.* Cui ſigno adiungit & aliud, nempe inæqualitatem ſubſidentiæ vrinæ, propter virtutis oppreſſionem, quæ ex copia, & varietate humoris putreſcentis emanat.

QVÆSTIO XIII.

Vtrùm ex ſanguine putreſcente generetur febris ſanguinea, diſtincta à pituitoſa, bilioſa, & melancholica, vt contra Galenum Turiſanus, Conciliator. Fernel.Valleſ.Veiga, & alij arbitrantur.

NAm *nec tertiana inciderat acceſſio.*] Satis ſupérque à Claſſicis agitata quæſtio eſt, num detur febris ex putredine ſanguinis, an verò ſit pituitoſa, bilioſa, aut melancholica. Quæ controuerſia maximi eſt ad curationem momenti; in qua illi variè tanquam varium interpretantur Galenum, immò multiplicibus telis inſtructi reprehendunt. & accuſant. Nam *lib.*2.*criſ.c.*12.ſic ait *Liquet autem quòd cùm is putrefit, non ampliùs bonus remanet; pars enim tenuis vertitur in flauam bilem, & pars craſſa, in melancholiam.* & *lib.*2.*de diſ feb. cap.* 9. poſtquam affirmauit ſanguinem in vaſis, & extra vaſa putreſcere, putat febrem ortam ex ſanguine putreſcenti bilioſam eſſe, & aſſumere acceſſiones circuitibus tertianariis maximè ſimiles: nam cùm ſanguis putreſcit, pars tenuis conuertitur in bilem, craſſa verò in melancholiam.

E diametro pugnat ſibi ipſi in hiſtoria hac, dum in hôc adoleſcente ſynochum, ſeu febrem ſanguineam, cùm manifeſtis putredinis notis curaturus, ſanguinem emiſit vſque ad animi deliquium: quod auxilium non celebraret, ſi non eſſet febris ſanguinea, ſine eo quòd aſſumeret acceſſiones in circuitu tertiano. Iudicium certum, ſanguinem putreſcentem, ex quo febris illa habuit ortum, non fuiſſe verſum in bilem, ſed adhuc remanſiſſe ſub propria ſanguinis forma. His tam diuerſis Galeni auctoritatibus conuictus Auerrhoës *lib.*4.*collig.c.*31.ipſum varium fuiſſe, aſſerere non debitauit.

Nos quid medicinæ heroës, ac præſides, de hac quæſtione fuerint commentati, primò proferemus in lucem. Deinde Galeni mentem interpretabimur eo modo, vt deinceps iuniorum calumnias effugiat, qui eius ſana doctrina ſit munitus. Auicenna 1.4.*tract.*2.*cap.*42.*de febre ſanguinea*, latè videtur refellere Gal.*loc.cit.*aſſerentem non dari febrem ex putredine ſanguinis, quia ſanguis cùm putrefit, fit bilis, & non remanet ſanguis, quare febris ex putredine ſanguinis orta, bilioſa, & non ſanguinea eſt dicenda. Et licèt hæc Galeni ratio duplicem ſenſum poſſit habere; in vtroque ſenſu illam impugnat.

Primus ſenſus illius ſententiæ, *ſanguinis dum putrefit, fit bilis*, id eſt, ſanguis poſtquam putrefactus eſt, manet bilis. Secundus ſenſus eſt. *Sanguis dum putrefit, fit bilis*, id eſt, cùm primùm incipit putrefieri, & ſimul incipit conuerſio illius in bilem, ita vt illo tempore quo ſanguis eſt in putrefieri, verum iam ſit eſſe bilem (illud enim ſic intelligendum eſt.) Primam igitur expoſitionem tripliciter damnat, primò quia ſanguis per putredinem omnino in bilem non vertitur, ſed ſecundùm partem tenuem: nam ſecundùm craſſam conuertitur in melancholiam; quare febris ex ſanguinis putredine orta, inter bilioſas non eſt connumeranda. Secundò, quia ſi ſanguis poſt putredinem, fit bilis, ſequitur quòd illo tempore quo putrefit, & adhuc non eſt conuerſus in bilem, faciat febrem putridam, quæ tamen bilioſa non erit. Tertiò: dato quòd ſanguis poſt putredinem vertatur in bilem, tamen non eſt neceſſe eam bilem genitam ex putredine ſanguinis, putrere: plurima enim ex re putrida genita, non putrent,

A vt patet in aceto ex vino putreſcenti generato, & in vermibus, qui ex putredine terræ, & putridis recrementis generantur, qui tamen putridi non ſunt. Ergo ea bilis quæ ex putredine ſanguinis gignitur, non erit neceſſariò putris neque bilioſam febrem putridam accendet. Quare concludit [*hoc igitur eſt illud.*] quaſi dicat, hæc ſunt incommoda, quæ ex Galeni ſententia conſequuntur, iuxta primum illum ſenſum.

Io ſecundo verò ſenſu, tripliciter Galeni doctrinam euertit. Primò. Putredo eſt via ad corruptionem; quare ſequitur quòd ſanguis dum putrefit, tendit ad corruptionem. At non eſt adhuc corruptus, vnde non erit iam bilis, quum hæc per ſanguinis corruptionem generetur. Secundò, Putredo fit in inſtanti. At conuerſio ſanguinis
B in bilem fit in tempore. Quare putredo ſanguinis non erit conuerſio illius in bilem. Aliqui hanc rationem, vt debilem redarguunt: nam eo modo quo putredo fit in inſtanti, ſic etiam conuerſio ſanguinis in bilem in inſtanti fit, & ſicut hæc in tempore, ſic etiam illa, Tertiò. Sicut pituitæ, & melancholiæ accidit putredo, his ſuam formam ſeruantibus, ſimiliter putredo poterit accidere ſanguini, manente eo ſub propria forma.

Conciliator *dif.*89. Auicennam non ſufficienter percepiſſe mentem Galeni, & citra rationem illum reprehendere aſſeuerat: nam mens Gal. eſt, ſanguinem cùm incipit putreſcere, non amittere formam, & aliam acquirere, ſed quòd putreſcens febrem ſanguineam accendat; nam ante ſui corruptionem, febrem bilioſam non concitat, ſed dum putreſcit febrem accendit, quia prima,
C & immediata cauſa febris, eſt putredo: nihilominus multam putredinem non patitur, nec diu illam tolerare poteſt, ſicut reliqui humores, qui maximam putredinem concipere poſſunt, & diuturno tempore ſeruare, quia in alterius ſpeciei ſubſtantiam degenerent, quoniam ſunt intemperati, & imperfecti; & ideò ſub maiori latitudine eas conſeruant, nam ad ſui conſeruationem minorem diſpoſitionem requirunt. Contrà tamen ſanguis, leuiùs putreſcit, & non tantam, nec tam diuturnam patitur putredinem; perfectior enim eſt, & magis attemperatus, & à moderato calore exquiſitè conficitur, ex Galen.8.*de placit.cap.*4.*ante fin.* & quia illius forma adeò exactam diſpoſitionem requirit ad ſui conſeruationem, ſub minori latitudine, & anguſtioribus terminis putreſcit; & ita quin in alios humores degeneret, diu putre-
D dinem non ſuſtinet; atque ideò quando aſſeritur, ſanguinem cùm incipit putreſcere, febrem ſanguineam concitare, intelligendum eſt, quando leuiter putreſcit. Secùs autem pronunciandum de reliquis humoribus, qui ob cauſam aſſignatam, non ſolùm leuiter, ſed vehementer putreſcunt. Quare licèt ſanguis putreſcens poſt putredinem vertatur in bilem, & melancholiam, non tamen inde ſequitur febrem illam eſſe compoſitam, ſed ſolùm bilioſam: nam pars craſſa, & terreſtris quæ permutatur in atram bilem, & exigua eſſe ſolet, vt docet Galen. 2.*feb. vlt.* quæ à copia humoris bilioſi obſcuratur, & ſic febris bilioſa remanebit.

At reſponſio hæc non ſatisfacit, quoniam ſanguis poſt putredinem non ſemper vertitur in bilem, ſed ſæpenu-
E merò tam in venis, quàm extra venas in pus tranſmutatur; vndè poſt putredinem non concitabit febrem bilioſam, ſed vel adhuc erit ſanguinea, vel alterius generis, contra Galenum. Deinde propoſitæ difficultati non reſpondet, quia Gal. 2.*feb.* 9. manifeſtè videtur infinuare, ſanguinem quum primùm putreſcit, mutari in flauam bilem, & febrem accendere bilioſam, vt accidit in pleuritide ſanguinea, in qua, eo tempore quo ſputum rubrum educitur, febris orta ex putredine ſanguinis, acceſſiones circuitus tertiani aſſumit.

Turiſanus 3.*art. med.com.* 38.affirmat, febrem ſanguineam non concitari ex putredine ſanguinis, vt dicit quartam ſubſtantiam à reliquis humoribus diſtinctam: aſſerit enim non reperiri ſanguinem pro quarto humore, qui materia ſit diuerſus à reliquis tribus, ſed ſola forma: nam ſanguis nihil eſt aliud quàm aggregatum trium humorum, & cùm putreſcit, diſſoluitur vnio in humores tres, ex

ex quibus conſtabat: ſicut enim lac ex tribus ſubſtantiis componitur, butyroſa, caſeoſa; & ſeroſa; ſic etiam ſanguis ex tribus illis humoribus. Secundò Si daretur ſanguis pro quarto humore, aſſignaretur medicamentum attrahens ipſum, ſicut ſunt plura quæ reliquos humores attrahunt. Tertiò. Si eſſet hæc febris ſanguinea conſtituenda, daretur quartum genus febrium ſimplicium, ex ſanguine nimis putreſcente ſubortum, contra Gal. Vltimò, Si eſſet febris ſanguinea, habere aliquem circuitum, ſicuti reliqui humores dum putreſcunt.

Hæc opinio reiicienda eſt, & præter varia argumenta quibus munitus eam impugnat Mercatus *tom.1.quæſt.67.* multò antea refutauerat Hipp. *lib.1.de natur.hum.text.*8. 20.25. *&* 26, vbi docet quatuor humores, colore, virtute, ſpecie & quantitate diſtinctos, pro materia generationis noſtræ, & conditionis animalium, in corpore reperiri. Hoc affirmat Gal. *lib.2.de element. per totum*, 8. *de placit. & 6. epid.ſect. 2.com.38. & ſect.4.com.29.* docet ſanguinem dici bifariàm; de mole & maſſa ſanguinea, quæ quidem ſanguis dicitur, quia ſua multitudine, & colore reliquos obſcurat; & dici de quarta ſubſtantia à reliquis humoribus ſeiuncta.

Inſuper, ſi ſanguis eſſet aggregatum trium humorum, eſſet frigidus, & ſiccus; in eo namque humores frigidi, & ſicci exuperant. Præterea non eſſet rubeus, nec eſſet dulcis; nam ex inſipido, qualis pituita eſt, & amaro, veluti flaua bilis; & auſtero, vt melancholia, permixtis, non emanat ſapor dulcis. Deinde in maſſa ſanguinea datur ſuccus melancholicus, qui frigidus & ſiccus eſt. Ergo debet aſſignari humor calidus, qualis ſanguis eſt, qui bili contra opponatur, nam poſito vno contrario, debet poni & alterum. Inſuper, humores conficiuntur actione iecoris, à qua emanat aliquid diminutè coctum, & aliquid ſupra modũ coctum, vt eſt flaua bilis. Ergo debet dari aliquid modicè coctum, quod eſt ſanguis: aliàs fruſtraretur agens actione ſua. Ad hæc, fuerunt neceſſarij quatuor humores, quia diuerſa ſubſtantia, & natura conſtant animalis partes; quare neceſſe eſt, vt quælibet ſuo familiari alimento nutriatur vt Gal. *lib. 2.de element.c.vlt.* edocuit. Porrò, pituita per vlteriorem elaborationẽ fit ſanguis. Igitur ſi is eſſet aggregatum trium humorum, pituita in ſeipſam verteretur, aut flauã bilem, aut atram, quod eſt abſurdum. Rurſus in ſanguine reperiuntur quatuor humores: hoc probari poteſt in lacte, in quo diuerſæ quatuor ſubſtantiæ reperiuntur, ex Galen. 4.*ſimpl.*3. Vltimò confirmari poteſt: nam ſicut datur medicamentum cholagogum, phlegmagogum, & melanagogum, ſic datur medicamentum ſanguinem euacuans, vt appoſita hiſtoria confirmat Gal. *lib.de medicam. purgantib. cap.* 4. in cuius interpretatione plura diximus *lib.* 2, *in com.hiſt.* 11.

Eius verò argumenta ficulnea ſunt: nam ad id quod addit, quia ſequeretur ſi huiuſmodi febris eſſet ſanguinea, dari quartum genus febris ſimplicis, patet reſponſio ex ſuprà dictis. Ad vltimum deductum ex Auic. 1. 4. *tract.4.cap.de febri apoſtematum*, pronuntiante vnicuique humori ſuam ineſſe periodum: dicendum, omnes humores ſuum obſeruare circuitum, excepto ſanguine, qui continuò, & continenter propter illius multitudinem, & vniformem ſubſtantiam, continentem febrem concitat; quæ licèt non repetat per circuitum, eſt tamen vnica acceſſio ab initio vſque ad finem, vel ſemper accreſcens, vel ſemper decreſcens, vel ſemper ſeruans eundem tenorem, ex Galen. 9.*meth.*3. Vel dic, febrem illam propriè non eſſe periodicam, quia periodicatio non eſt tantùm tribuenda naturæ humoris, ſed potiùs diſpoſitioni partis mandantis, aut recipientis: quare cùm ſanguis per interualla ad aliquam corporis partem non demandetur, ſed ſemper intra vaſa putrefactus contineatur, hinc eſt quod continuò, & perpetuò affligat, & continuam, continentémve concitet febrem, quæ licèt ſuas exacerbationes habeat, non tamen periodica eſt. Lege Cardanum *lib.*1. *contradict.tract.4.cont.*14. qui Turiſani argumenta multiplicibus telis oppugnat.

Fernelius *lib.4.de feb. cap.*5. hac diſtinctione ſe ſoluiſſe controuerſiam arbitratur: aſſerit enim ſanguinem duobus modis putreſcere poſſe. Primò generaliori modò, quum vi caloris præternaturalis ſeparantur quæ in eo ſunt ſubſtantiæ diſſimiles, & bilis flaua ac tenuis, ſecernitur ab atra terreſtri, & craſſa, quæ quidem degeneratio veriùs corruptio, quàm putredo cenſeri debet? quare ſi ſanguis hoc modo putreſcat, accendatúrque febris, ea non ſynochus ſed building biliosa vel melancholica euadet. Alio modo verè, & propriè ſanguis putreſcit, quum citra partium diremptum, totus corrumpitur cum fœtore magno & graueolentia: (poſſe autem hoc modo in venis maioribus putreſcere, Fernelius ipſe *loc.cit.* eleganti ſimilitudine demonſtrat) tunc febris ex hac putredine accenſa, eſt ſynochus, ab aliis tribus diuerſa, & diſtincta.

Hæc ſolutio non diſſoluit difficultatem: oportebat enim illum explicare, quomodo Galenus *loc.citatis* dixerit, tria tantum eſſe genera febrium putridarum, quum tamen, vt ex hac ſolutione conſtat, quarta ſpecies ſit addenda ex ſanguine putrefacto, ab aliis verè diuerſa. Secundò non oſtendit, quare ſanguis dum putreſcit, degeneret in flauam bilem, aut atram, & interdum in pus. Præterea, ſicuti ſanguis putreſcens, quando degenerat in flauam bilem, non concitat febrem ſanguineam, ſed bilioſam; ſic quando tranſmutatur in pus, (quia degenerat in aliam ſubſtantiam diſtinctam) non concitabit febrem ſanguineam, & ſicuti concitat febrem ſanguineam, antequam tranſmutetur in pus; ſic etiam antequam tranſmutetur in bilem, febrem ſanguineam generabit.

Valleſius *lib.5. cont.cap.19. in fin.* ex ſanguine putreſcente febrem ſanguineam non generari affirmat, quia cùm primùm incipit putreſcere, corrumpitur, & in alium humorem vertitur: nam ſanguis, inquit, limites naturæ egreditur, vel quia peccat quantitate, aut qualitate: & hoc dupliciter, vel alterius humoris mixtione, vel quia frigidior, calidior, ſiccior, aut humidior redditur, quin in ſubſtantia mutetur: nam cùm ſecundùm ipſam mutari incipit, ob eius æqualitatem, & perfectionem corrumpitur. Sic ſaluatur triplex genus febrium putridarum: nam hæc febris eſt compoſita ex ſanguine ebulliente, & ex flaua bile ex putreſcente ſanguine orta: & ſic intelligit locum Galeni, quando inquit *lib. 2.de criſ.* 12. hanc febrem quodammodò eſſe bilioſam. Verùm hæc opinio amplectenda non eſt, tum quia putredinem cum corruptione confundit, tum quoniam eſt contraria Galeno; nam *in 2.de dif. feb.cap.9.* latè confirmat, in laterum inflammatione ſanguinem putreſcere, & febrem accendere, quo tempore cruentum expuunt ægri. Igitur ſanguis ſub forma putreſcens febrem concitat. Denique, ſicut ſanguis dum putrefit, ſecundùm partem tenuem & pinguem vertitur in flauam bilem; ſic etiam ſecundùm craſſam, quæ veluti fæx eſt, vertitur in melancholiam, ex Galen. 2. *criſ.cit.* Ergo non ſolùm febris illa ſanguinea, & bilioſa dicetur, vt Valleſius retur, ſed etiam melancholica.

Doctiſſimus Thomas à Veiga *in cit. cap. lib. 2. de dif. feb.* aliter ſoluit, dicens: Cùm Galenus aſſerit, tres tantùm eſſe ſpecies febrium putridarum, non intelligere de febribus ſimplicibus; febrem autem ex ſanguinis putredine ſimplicem non eſſe, ſed compoſitam ex febre ſanguinis adhuc non putrefacti, & ex febre bilis genitæ ex putredine ſanguinis. Nam in huius putrefactione intra venas, terminus ad quem, eſt bilis; & propterea quia tranſmutatur, partim eſt in termino à quo, partim in termino ad quem: proinde ſanguis dum putrefit, ſecundùm partem, eſt in termino à quo, qui eſt verè ſanguis; & ſecundùm partem, eſt in termino ad quem, qui eſt bilis: quo pacto febris ex ſanguinis, putredine orta, ſimplex non erit, ſed ex duabus traditis compoſita, & aliquando etiam ex melancholica, ob partes ſanguinis craſſas in melancholiam conuerſas. Sed hæc interpretatio dubium non enedullat. Primò, quoniam apud Galenum numquam fuit facta huius compoſitionis mentio, quæ tamen prætermitenda non erat. Secundò quia adhuc oportet concedere, per aliquod tempus dari febrem ex ſanguine putrido, ſine bilioſa: nec enim cùm primùm ſanguis

ſanguis putret, ſtatim ſimultaneè tanta bilis generatur; quæ bilioſam febrem producere ſufficiat. Tertiò, quia non concludit febrem compoſitam eſſe, ſed humorem ſolùm, quoniam compoſitio febris non attenditur tantùm penès multitudinem humorum, ex quibus componitur, ſed ex complicatione febris.

Hæc non potui diſſimulare ſilentio, quæ non infimæ claſſis Medici, immò florentes huius æui doctores de hoc argumento protulerunt: quin plura contra Galenum moliuntur Altimarus, Argenterius, Augenius, Trincauellius, Chriſtoph. à Vega. AcaKia, Capiuacius, Mercatus, Simon Simonius, Eraſtus, Carrerius Matamoros, & alij celebres viri, qui illum verbigerant, & cachinnantur, quorum opiniones referrem in propatulum, & exploderem, nî lectori tædio futurus eſſem & illis inimicitiæ: quare me in mea mœnia vertam, neque amampliùs vrgebo, ſed ad huius controuerſiæ enodationem accedam.

Dupliciter ergo illam explicari poſſe video. Nempe Gal. 2.*feb.&* 2.*criſ.cit*.cùm aſſerit tres tantum eſſe formas, ſiue tria tantùm eſſe genera ſimplicium febrium putridarum, bilioſam nempe, pituitoſam, & melancholicam, non velle febrem ex putredine ſanguinis ab illis diuerſam non eſſe, ſed eam ſub febre bilioſa comprehendere, etſi enim verè bilioſa non ſit, maximè tamen illi aſſimilatur. Hanc fuiſſe mentem Galeni, apertè colligitur ex eodem, *lib.* 2.*criſ.cap.* 12.§.*Liquet autem quod cùm ſanguis putreſcere cœperit, non amplius bonus remanet, ſed iam ad amaræ bilis naturam tranſit: atque in hoc illud ſeruatur triplex eſſe genus vniuerſum febrium ſimplicium, quæ enim ex ſanguinis putredine fit iam quodammodo bilioſa eſt, &c*.quibus verbis vltimis apertè ſignificat, non eſſe verè bilioſam, ſed ei aſſimilari valde: maximè cùm ſanguis per putredinem multùm excalfactus, valde diſponatur, vt per partes ſuas tenues in bilem tranſmutetur, vnde aſſumit periodum bilioſæ febris, 2.*feb.* 9.& ex eadem cauſa ſub febre bilioſa comprehenditur: quod ſimiliter fecit Galenus in febre ſanguinis non putrentis, illam ſub ephemera comprehendens, 9. *meth.*1.*&* 2.*feb.*9. quare vniuerſaliter profert, tres tantùm eſſe febrium ſpecies, diariam ſcilicet, putridam, & hecticam, quum tamen vltra illas, detur febris ex ſanguine inflammato, ab illis verè diuerſa. Licèt autem Galenus *locis citatis* febrem putrentis ſanguinis ſub bilioſa comprehendat, ob dictam cauſam. tamen cùm methodum curatoriam illarum proſequitur, eas inter ſe diſtinguit; & ſic 9.*meth.*3.4.*&* 5.*cap.*cùm agit de ſynocho putri, ſeparatim a febribus bilioſis, docet in illa febre, ſanguinis miſſionem vſque ad animi deliquium ſummo eſſe ex vſu, quod tamen auxilium in febre verè bilioſa nemo concedet. Atque in hoc ſenſu, cùm Auicenna Galenum non interpretetur, idcircò illum reprobare auſus eſt.

Si verò hanc controuerſiam hoc modo reſcindis, ipſum cum Galeno, & hunc cum cæteris iunioribus rectè conciliabis. Dic ergo ſanguinem aut eſſe putrem, aut putreſcentem, aut ſemiputreſcentem. Putris vocatur, quando non ſeruat ſuam formam, ſed iam corruptus eſt. Quando verò mutatur ſecundùm qualitates primas, & accidentia, quæ inſeparabiliter formam comitantur, ob proprij caloris remiſſionem, putreſcens dicitur. Quando verò mutatur ſecundùm qualitates primas, & leuiter ſecundùm prædicta accidentia, eſt ſemiputreſcens; qui vel naturæ, vel artis actione ad priſtinam naturam redire ſolet, vt exemplo vini Galenus confirmat *lib.* 2.*aph. com.*17. *in fin.*

Deinde, reperitur ſanguis bilioſus, melancholicus, pituitoſus, temperatus, & inculpatus, in quo nullus humor exuperat. Quando bilioſus eſt, & putreſcit, magna illius pars in bilem tranſit, exigua verò in melancholiam; quia cùm hic ſanguis ſit calidiſſimus, tenuiſſimus, & naturæ bilis flauæ valde proximus, promptè in ipſam vertitur. Quando ſanguis eſt melancholicus, & putreſcit, magna eius pars tranſit in atram bilem, exigua in flauam, vt in carbunculo accidere ſolet. Quando verò pituitoſus, aut temperatus eſt, ob repugnantiam quam habet vt

A tranſeat in prædictos humores, in pus putredine affectus mutari ſolet.

His præſuppoſitis. Dic primò. Ex ſanguine putreſcenti generatur febris ſanguinea putrida, diſtincta ab aliis tribus, bilioſa ſcilicet, pituitoſa, & melancholica. Patet, quoniam ſanguis non mutat formam ante ſui corruptionem, & toto illo tempore quo putreſcit, non eſt corruptus. Putredo namque res eſt diſtincta à corruptione: hæc enim mixti eſt, aut formæ mixti, & fit in inſtanti; putrefactio verò ad qualitates pertinet, inter alterationes reponitur, & fit ſucceſſiuè, & in tempore. Igitur cùm ſanguis dum putreſcit, ſeruat adhùc propriam formam toto illo tempore quo non eſt corruptus, febrem ſanguineam generabit, ab aliis tribus diſtinctam. In hoc ſenſu intelligendus eſt Gal. *in hiſtoria hac*, dum febrem B ſanguineam putridam ſanguinis miſſione vſque ad animi deliquium perſanat.

Dic ſecundò. Ex ſanguine putri, & omnino corrupto non generatur febris ſanguinea, ſed vel bilioſa, vel melancholica. Nam ſanguis ob putredinem, & omnimodam corruptionem, non ſeruans ſuam propriam formam, in aliam ſubſtantiam degenerat bilioſam, vel melancholicam, quapropter Gal. 2.*feb.* 9. dixit febrem ex ſanguine putreſcente bilioſam eſſe, & aſſumere acceſſiones circuitus tertianarij inſtar, & in hoc ſeruari triplex genus febrium putridarum: quaſi velit aſſerere, quòd ſanguis cùm omnino corrumpitur, non poteſt febrem ſanguineam generare, ſed vel bilioſam, vel melancholicam. Et quia Auicenna intellexit, Galenum fuiſſe loquutum de febre orta ex ſanguine putreſcente, idcircò eum redarguere auſus eſt, cùm Galenus de ea quæ ex putri ſangui-C ne fit, ſermonem inſtituat, quum aſſerit bilioſam eſſe: nam ſanguis non cùm primùm putrefit, ſed poſt putredinem in aliam ſubſtantiam degenerat, & tunc febris alterius generis conſtituitur. Hæc eſt cauſa, quare in hac febre poſt ſeptimum timetur phlebotomia, quia plenitudo eſt mutata in cacochymiam. Quare poſt ſanguinis miſſionem, optimum conſilium eſt in hac febre medicamentum expurgans exhibere: nam ſanguis ob ſui æqualitatem, magnam non patitur putredinem, quin in aliam ſubſtantiam diſtinctam commigret, vt notat Auer. 3.*collig.c.*8.

Dic tertiò. Ex ſanguine ſemiputreſcente non fit febris ſanguinea putrida, nec etiam bilioſa, nec melancholica: generatur tamen ſanguinea non putrida, cum diſpoſitionibus ad putredinem, (vt diximus) ſub diaria com-D prehendi poteſt: nam in leuitate ſymptomatum, & mitie caloris illi valde eſt ſimilis.

Huius hiſtoriæ dignitas, & vſus neceſſarius expoſtulat, vt diſſeramus de periculo huius febris, facta collatione ad eam quæ ex putreſcente bile concitari ſolet, vtra acutior, aut ſimplicior ſit cenſenda. Nam in hac explicanda quæſtione multus fuit Valleriola *lib.* 2. *enarrat.* 2. exiſtimans contra Hieronymum Lopium, ſynochum eſſe ardente febri acutiorem. Nam quælibet ſubſtantia quò perfectior eſt, quum putreſcit, deteriori putredinis labe inficitur, hoc conſtat in ſemine, lacte, & cæteris ſubſtantiis valde elaboratis. Igitur cùm ſanguis ſit perfectior flaua bile, dum putreſcit, prauiorem febrem concitabit: exemplo ſit grumus, in quem ſi ſanguis extra venas effuſus, & corruptus conuertatur, grauiſſima, & deleteria ex-E citabuntur ſymptomata, quæ refert Gal. *lib. de cibis boni& mali ſucci cap.* 4. *& lib.* 6. *de loc. cap.* 4. quoniam ſequuntur anxietas, pulſus paruus, ſyncope, exſolutio, mortificatio partium, atque putredo.

Ex altera parte obſtat Galen 2.*prog.*46.docens: pro diſcrimine humorum exuperantium, morbos mitiores fieri, aut maligniores: quo pacto morbi à ſanguine, aut pituita geniti cæteris ſunt leniores, & benigniores, nam qui ex flaua, aut atra bile generantur ſunt deteriores: Ita *lib.* 6. *epid. ſect.* 2. *com* 38. ageus de ſeris humorum, ſanguinis ſerum eſſe mitiſſimum aſſeuerat, deinde pituitæ, poſteà flauæ bilis, poſtremò atræ. Igitur cùm ſanguis ſit mitior flaua bile, febris ſanguinis erit mitior ea, quæ ex flaua bile generatur: & *lib* 2. *de dif.feb. cap.*9. agens de febre bilioſa, quæ ex ſanguine putreſcente oritur,

oritur, aſſerit non ſolùm qualitate caloris, ſed in omnibus aliis febribus bilioſis eſſe mitiorem, quia eius cauſa eſt ex ſanguine orta. Simili ratione *lib. de atra bile, cap.3. & 6. aph.35.* agẽs de atre bile, profert multò mitiorem eſſe eam quæ fit ex ſanguine, quàm quæ ex bile generatur: quia in hac frequentiùs adſunt incendium, vigilia, furor, ſitis, linguæ ſiccitas, anguſtia, ſyncope, & alia mortifera & lethalia pænè ſymptomata, quæ omnia à bilis maiori acrimonia, tenuitate, ſiccitate, celerique motu euenire certum eſt. Quare ſanguinei morbi bilioſis ſunt ſimpliciores, & mitiores, ex Gal.3.*aph.7.* & 16. nam à ſanguine, mitiſſimo, humido, & naturæ familiari, lenis eleuatur vapor, & benignus valde. Quare illius calor, ardentis calore mitior erit.

Solue tu dubium hoc modo. Vel ſimplex ſumitur vt diſtinguitur contra compoſitum, vel contra malignum. Si primo modo, ſecundùm rei naturam, febris ex ſanguine putreſcenti compoſita eſt, quocunque modo ſanguis ſumatur: quoad ſenſum tamen ſimplex apparet, à ſanguinis enim multitudine alij humores obſcurantur, ita vt neque eorum circuitus, neque ſymptomata ſentiantur. Si ſecundo modo ſumatur, ſimplex eſt, non ſimpliciter & in ſe conſiderata, ſed facta collatione ad bilioſas febres, quæ & calorem acriorem, & vehementiora ſymptomata habent, quia bilis magis naturam irritat.

Ad contrariæ verò partis argumentum dic, ſanguinem minùs, rariùs putreſcere; nam magis reſiſtit, & ſeruatur à natura: quando verò ab eius regimine derclinquitur, celeriter, & maximè corrumpitur, & ob cauſæ magnitudinem putreſcit vehementer: reliqui verò humores ob contrarias cauſas frequentiùs corrumpuntur. Quare agens detur æqualiter agens, & corrumpens, magis quàm ſanguis corrumpi ſolent, vt affectus ferinos perpendenti liquet manifeſtè, qui ex bile vtraque putrefacta ſcaturire ſolent. Conſule de hæc quæſtione Valleſium *lib. 5. cont. cap. 22.* Carrerium *in Auic. 1.4. tract. 2. cap. 4.*

QVÆSTIO XIV.

Vtrùm tempora morborum, penès eſſentiam, ſymptomata, & coctionem perpetuò ſimul concurrant.

S*Eptimo, id quod factum eſt, finiendam*] Poſtquam ſaltuatim vtiles, & arduas quæſtiones propoſuimus, quæ ad febris ſanguineæ naturam indagandam ſunt vtiliſſimæ, pergamus porrò ſubnectere, quæ ex magnis, claſſiciſque auctoribus comperta ſunt nobis, Græcorum copiam multiplicem, variámque, ac reconditam doctrinam in noſtra arua transferentes. Galenus enim in hiſtoria hac, quum videret coctionem in die quinta, in ſeptima finiendam hanc febrem rectè prædixit. Ita cecinit Hippocr. *lib. 2. aph.24. & lib. 4. aph.* nam penès coctionem diſtingui tempora morborum, apud omnes in confeſſo eſt, vt patet ex Galen. *lib. de totius morbi temporib. cap.3. & in lib. de criſ. & dieb. decretoriis*, ipſe latè explicuit. Si verò Auicen. *1.4. tract. 2. cap. 3.* per coctionem, & putredinem ea diſtingui affirmat, nulla eſt inter eum, & Galenum diſſenſio: nam hic ſolùm de ſalubribus, ille tam de iis, quàm de lethalibus venit intelligendus.

Inſuper. Morbos omnes ſalubres materiales percurrere quatuor tempora, nulli eſt non manifeſtum, explanant luculenter Thom. à Veiga *lib. 2. de dif. feb. in com. cap. 11.* Valleſ. 10. *cont. 7.* interpretes apud Gal. *lia. 1. criſ. cap. 2.* & apud Auic. 1.4. *tract. 2. cap. 3.* Inter hos conuenit, tripliciter hæc tempora conſiderari, tribúſve modis ab eiſdem auctoribus diſtingui. Primò penès ipſius affectionis magnitudinem ſimplicem, ſeu quod idem eſt, penès morbi eſſentiam; & ita tempora hæc propria, & eſſentialia appellantur, vt varietates morborum, ſecundùm magnitudinem & eſſentiam conſtituant. Quando ergo iuxta ſuam magnitudinem nulla ratione morbus increſcit, principium proprium morbi rectè vocatur: quum verò iam fuerit, & augetur, dicitur incrementum: quum conſiſtit, ſtatus, &c. Conſiderantur ſecundò morbi tempora penès ſymptomata & accidentia, quæ in morbis contingere ſolent, & ſecundùm ſuam varietatem varia tempora conſtituunt. Tertiò penès coctionem, aut putredinem materiæ, quæ ſit morbi radix, aut principium. Quæ quidem varia temporum conſideratio, diuerſáque eorundem acceptio ab omnibus vnanimiter recipitur.

Vtrùm verò hæc omnia, iuxta diuerſas conſiderationes conſtituta, & determinata tempora ſimul in morborum proceſſu perpetuò concurrant, & in eodem morbi die neceſſariò coëant, aut potiùs poſſint ſeſe aliquando antecedere, aut ſubſequi, atque ita in diuerſis morbi diebus contingere, & in ſua exiſtentia differre, non parua eſt inter medicinæ doctores controuerſia; nec enim omnes vnanimiter iuxta præſentem ſententiam ſunt concordes.

Sed antequam propoſitam quæſtionem enodandam aggrediamur, dubius eſt animus, & in lubrico poſitus, ſed tentanda ſemel eſt via in argumento vtili, vt iſta auctorum, huc illcúque impellentium opinionum iactatio tantiſper conquieſcat; quare non pigebit tantulum laboris ſuſcipere. Quòd autem tempora hæc non perpetuò in morbis coniungantur, ſed magnam ſortiantur differentiam atque diſcrimen, ex Hippcrat. auctoritate in primis colligitur, 2. *aph.47. Dum pus conficitur, &c.* Vbi Hipp. ſtatum inflammationis penès ſymptomata determinat; in augmento eiuſdem inflammationis, penès concoctionem: puris namque generatio nihil aliud eſt, quàm concoctionis & putredinis accretio, quæ in membro inflammato perficitur, & augetur, quod Galenus apertè ſignificauit *in com.* dicens, quòd pus eſt quiuis affectus calori naturali, & præternaturali ſuperueniens, atque ita compoſitum eſſe affectum ex concoctione, & putredine: nam à calore naturali, concoctio; à præternaturali verò putredo intenditur, & perficitur: vnde ex Gal. ſententia, puris generatio concoctionem, & putredinem fientem importat. Quando autem putredo, aut concoctio fiunt; tunc temporis augentur, & perficiuntur. Igitur in puris generatione accreſcit ſimul concoctio, & putredo in affecta parte; augmentum autem coctionis nihil aliud importat, præterquam eiuſdem concoctionis intenſionem, & incrementum. Quare tunc eſt augmentum concoctionis & putredinis; quando putredo & concoctio generantur. Cùm ergo ex Hippocrate quandoque coctio, & putredo in puris generatione intenduntur, dolores & febres maximè contingant, ſequitur ex Hippocrat. doctrina, quòd augmentum morbi penès concoctionem, & putredinem, concurrit cum eiuſdem morbi ſtatu penès ſymptomata; nam tunc eſt ſtatus penès ſymptomata, quando eadem maxima, & vehementiſſima exiſtunt: dolores autem, & febres verè ſymtomata à Medicis appellari ſolent.

Non abſimilem videtur Auic. tradere ſententiam, 3.4. *tract. 1. cap. 24* dicens, quòd *quando materia fit ſanies, quieſcit calefactio fortis, & inflammatio in viſcerum, ſeu membrorum internorum apoſtemate, & quantò magis appropinquat ſtatus, tantò magis minuuntur dolores, quum in principio vehementiores exiſtant, &c.* Ex hac ſententia patet manifeſtè, non concurrere ſtatum ſymptomatum in inflammationibus membrorum internorum, cum ſtatu concoctionis aut putredinis. Si namque per ſaniem factam ex materia intelligit Auic. factam concoctionem aut putredinem, aut generatum pus, ex conſequenti morbi ſtatum penè, concoctionem aut putredinem; in præcedentem Hippocratis coincidit ſententiam. Si verò per mutationem materiæ in ſaniem, intelligit puris generationem, indéque fientem concoctionem aut putredinem, licèt ab Hippoc. ſententia aliquantulum ſit diuerſa, cùm Hippocr. in puri generatione conſtituat ſtatum, & vehementiam ſymptomatum, Auicenna verò declinationem: in hoc tamen hi duo principes auctores conueniunt, quòd diuerſum faciant ſtatum, augmentum, & reliqua morbi tempora in inflammatione, penès concoctionem, & penès ſymptomata. Si autem per mutationem materiæ in ſaniem, intelligit

ligit Auic puris generationem, quæ in augmento concoctionis perficitur, & tunc docet ceſſare & decreſcere ſymptomata, (ille enim intelligit per calefactionem fortem, inflammationem, & dolores) apertè concludit, ſymptomatum declinationem coniungi in internis inflammationibus cum morbi augmento,penes concoctionem conſiderato.

Idem docet Auicenna 10.3.*tract*.4. *cap*. 5. affirmans tunc eſſe ſtatum in pleuritide, quum æger excernit ſputum plurimum, & concoctum, & dolor eſt leuis. Quibus verbis apertè coniungit ſtatum doloris, & ſymptomatum cum ſtatu concoctionis: nam per plurimum, & concoctum ſputum, ſummam coctionem intelligunt interpretes, quæ in ſtatu duntaxat perficitur, ex Gal. 3.*criſ*.2. & alibi. Per leuem, autem dolorem, huius, & ſymptomatum declinationem intelligit.

Denique Gal.*lib*.3.*de morb.acut.com. vlt.ſtatim in princip*.affirmat vigorem ſæpe in morbis cum coctionis conſiſtentia coniungi: iuxta quam ſententiam ſatis videtur crediſſe Galenus, non perpetuam eſſe eiuſmodi temporum conformationem, & vnionem, ſed poſſe hæc tempora diuerſis morbi diebus contingere.

Nec minùs adſtipulatur ratio auctoritatibus: quarum prima eſt. In plurimis cuiuſque generis morbis, paulatina fit morbificæ materiæ expulſio, à principio ſtatim morbi vſque ad vltimam eiuſdem reſolutionem, atque terminum; in iis autem neceſſariò morbus minuitur, & aliqua ex parte deficit ad morboſæ materiæ inanitionem, & defectum: tunc in ſtatu penès concoctionem morbus minor eſt, quia materia non retinetur, ſed paulatim à morbi principio euacuatur. Ergo in his omnibus, concurrit morbi ſtatus iuxta concoctionem conſideratus cum eiuſdem morbi declinatione, penès ſui naturam & eſſentiam, & fortè penès ſymptomata: nam ad materiæ minutionem, dolores, febres, anguſtiæ, & vigiliæ ceſſant.

Secunda. In morbis ſalubribus, qui ſcilicet integram ſanitatem finiuntur, perpetuò in proceſſu morbi, hic à natura refringitur, & coërcetur:toto namque morbi curſu natura in morboſam operatur affectionem; & in ſtatu,in quo perfecta apparet concoctio, iam natura ſuperato humore morbifico ſuperior euaſit, illúmque in magnitudine, intenſione,& quantitate reddidit minorem: quare à multis tunc morbus iudicatur mitior, benigior, & minor.Atqui non poteſt talis euadere morbus,quin priùs minutionem, & decrementum patiatur. Igitur in ſtatu concoctionis ſalubrium morborum, iam morbus paſſus eſt declinationem, aut ſaltem eſt in vltima declinationis parte, ac proinde cum incremento & ſtatu cococtionis, concurrit declinatio & decrementum morbi.

Tertia. In ſynocho decreſcente, in qua iuxta omnium Medicorum ſententiam, datur à principio vſque ad vltimam morbi reſolutionem, febrilis paſſionis declinatio, datur in eodem morbo augmentum, ſtatus, & reliqua morbi tempora cum eiuſdem febrilis morbi declinatione ſumpta, ſcilicet penès ſuam eſſentiam, ſimplicémque magnitudinem. Ergo omnia & ſingula in prædicto morbo tempora penès coctionem ſpectata, concurrunt cum temporibus eiuſdem morbi penès eſſentiam. Aſſumptum ſuadetur: nam ex decreſcente ſynocho poteſt æger periclitari, & mortis periculum pati. Hoc autem in vera, & totali declinatione contingere nequit. Ergo cum ipſa febris declinatione, reliqua morbi tempora iuxta diuerſam conſiderationem concurrunt. Deinde in decreſcente febre datur cauſæ morbificæ cruditas, poſtea concoctio maior, accreſcens, & tandem perfecta, iuxta quam concoctionis varietatem in morbis tempora diſtinguuntur. Igitur, &c.

Quarta. Nulla poſſunt ratione morbi incrementum penès eſſentiam, & penès ſymptomata & concoctionem, in eodem morbo coniungi, & coire. Ergo duo hæc ſaltem tempora non poſſunt non in eodem morbo iuxta ſuum concurſum diſſidere. Antecedens ſuadetur: quoniam quando concoctio accreſcit, morbus neceſſariò, & iuxta ſuam eſſentiam, & iuxta ſymptomata minuitur: cùm namque concoctio ſit naturæ victoria ſuper morbum,nil aliud præterquam morbi refractionem prorſus ſignificat, ita vt quò minor ſit cauſæ morbificæ ſupra naturam potentia,minor morbus exiſtat. Ergo in incremento morbi penès concoctionem, minor neceſſariò morbus euadit, & quò magis concoctio increſcit,eo magis morbus minoratur ac decreſcit, ſimilitérque ſymptomata, & concomitantia accidentia, ad morbi minutionem neceſſariò minuuntur, & hebetantur, vt patet in morbis acutis, & malignis. Ergo ſymptomata & morbus, cum concoctionis incremento decreſcunt; ac proinde morbus quum eſt in ſtatu quoad coctionem, eſt in principio quoad ſymptomata.

Quinta. Si tempora omnia, quoad triplicem conſiderationem accepta, ſimul in morbis concurrerent, nulla poſſet dari certa ſalutis prænotio ex conco ctione, nulláque poſſet haberi fides de ſignis indicantibus ſalutem. Atqui ex Hip. & Gal. & reliquorum doctrina,certam auſpicantur Medici ſalutem ex ſignis concoctionis. Ergo ex eorundem mente, non ſimul in morbis concurrunt omnia hæc, iuxta variam conſiderationem, tempora. Antecedens ſuadetur: nec enim alia ratione concoctionis ſigna, & quæcumque in morbis ad fidem neceſſaria admittuntur, poſſunt ſalutem atteſtari, niſi quia ſignificant morbum iam mitiorem euadere in intenſione ſua, magnitudine, & malitia quam antea habebat. Sed ſi ſimul accreſcit morbus cum ſymptomatibus, & maiori concoctione coniunctus, non mitior, ſed vehementior, non benignior, ſed malignior, non melioris ſed deterioris conditionis iudicabitur. Si ergo ſimul cum accreſcente concoctione,aut in ſuo vigore conſiſtente,morbus ſimul, eiuſdémque ſymptomata accreſcunt, nullam ex ſignis coctionis poſſumus ægrotanti ſalutem coniectari. Ergo vel fruſtra eiuſmodi in morbis euentus ex concoctione prædicimus; vel tempora hæc non æquè ſimul in cuiuſque morbi proceſſu, & varietate concurrunt.

Vltima. Morbi quidam ſalubres ſunt quidam lethales; & inter eoſdem ,alij maximè, quidam vero minimè,alij magis, alij minus lethales,aut ſalubres euadunt. Salubres verò ideò tales iudicantur, quia ſalubria ſigna in eiſdem, plura & maiora apparent, quàm lethalia; contra accidit, ſi exitioſa,& mortifera ſigna adſint: quare iuxta plura vel pauciora,maiora vel minora,ſalubria aut deterrima ſigna, ſalubriores aut inſalubriores morboſæ affectiones conſtituuntur, táléſque à Medicis nuncupantur. Qua facta ſuppoſitione, ſi in ſalubribus morbis eiuſmodi tempora concurrunt; ergo non in lethalibus: ſi in lethalibus; ergo non in ſalubribus. Igitur non neceſſariò tempora hæc in omnibus morbis coincidunt. Sequela probatur: nam lethales morbi diuerſo longè à ſalubribus ordine procedunt; ex eo namque ſalubres, vel exitioſi dicuntur, quia ſalutē, aut mortem in ſuo ordine,terminis,atque proceſſu pollicentur: ſi verò concurrant ſimul in vtriſque morbis tempora, eodem neceſſariò ordine, eadémque via procedunt: igitur nequaquam poſſunt tempora hæc in ſalubribus, & exitioſis morbis pariter concurrere.

Sed priuſquam noſtram propalemus ſententiam, notabis primò dupliciter poſſe duo aliqua,aut plura in morbis, quocunque ſucceſſionis motu æqualiter concurrere, hoc eſt,æqualiter accreſcere, decreſcere, conſiſtere,aut aliqua cuiuſque generis alteratione moueri, & quieſcere. Dicuntur namque, duo vel plura æqualiter moueri, quæ eodem temporis ſpatio mouentur, licèt magis, aut minus alterum moueatur, celeriùs, aut tardiùs in maiorem tendat perfectionem, intenſioniſve gradum. Dicuntur ſecundò duo aliqua, tria, ſeu plura æqualiter moueri, quæ eodem prorſus celeritatis aut moræ, intenſionis aut remiſſionis, & cuiuſque demum perfectionis gradu increſcunt, conſiſtunt, & minuuntur. Licèt autem putredo, & concoctio in morbis, & quæ ad illa ſequuntur lethalia,aut ſalubria ſigna,poſſint primo modo æqualiter in morborum proceſſu incipere,augeri; & quieſcere;non tamē inde rectè poteris inferre,ſigna ſalubria,& lethalia, ſimul, paritérque in intenſione perfectionéve formæ increſcere, diminui, & conſiſtere;quod idem poteris ferre

iudicium

indicium de concoctione,in ordine ad ſymptomata, morbiue eſſentiam & magnitudinem : licèt namque ſimul hæc omnia,pariterque in morbis augeantur,& decreſcant, Id eſt, eodem tempore, inde ſequitur æquali motu, curſu, & perfectione perpetuò moueri.

Nota ſecundò. Licèt,morbus à principio ſui,ad ſtatum vſque & conſiſtentiam, hebetetur & refringatur , ſiue ab operante natura, ſiue ab exhibitis medicamentis, non tamen inde rectè infertur, morbum in ſtatu eſſe minorem, quàm in principio : etſi verè affirmandum ſit, minorem multò reddi morbum in ſtatu , agente natura à medicamento adiuta, quàm ſi morbus nullam in ſui proceſſu actionem patiatur : aliàs magis ſæuiret morbus, & fureret, ni à Medico,& ab ea coërceatur, & infrænetur, quorum beneficio multò mitior euadit, & benignior.

Cum hoc ſtat, morbum ſuapte natura increſcere, & ſic maiorem & vrgentiorem fieri in ſtatu, quam in principio. Hoc quotidiano confirmatur experimento : quamplurima enim dantur in rerum natura, quæ aliqua ex parte non parum refracta, aſſiduíſque actionibus diminuta, tandem maiora multò, quàm in ſuis principiis euadunt,quod in plantis, animalibus , & aliis palàm fit:

Ratio autem idipſum concludit : Nam etſi natura artis beneficio nonnunquam perficiatur , aliquando etiam diminuatur , artificiali denique correctione emendetur; non tamen in totum poterit natura, quoad ſuas virtutes,aptitudinem, inclinationem , & operationes in totum proſterni & euerti, naturali ſubiecto manente, in quo natura ipſa poſſit , quoad ſuas naturales actiones , reuiuiſcere & vigere. Morbus autem ex ſe hoc ſibi vendicat munus, quemadmodum & omnia quæ ſucceſſionis motu incipiunt, & finiuntur, vt ſcilicet in ſui naturali proceſſu, & concurſu, poſtquam incœperint,accreſcant, conſiſtant, & finiantur, vt ex ſupra dictis patet manifeſtè. Ergo nequaquam poteſt morbus ab aliquo externo,valido etſi agente, in totum quod ſuum naturalem curſum detineri, hoc eſt, impediri, quominùs morbus ipſe , iuxta ſuam naturalem inclinationem & aptitudinem , vigeat & accreſcat , niſi morbus ipſe omninò euertatur,& euaneſcat.

Ob hanc rationem Auicennæ interpretes aſſeuerant, omnem morbum ſalubrem, hoc eſt, ante ſuum naturalem curſum non extinctum, omnia quatuor tempora neceſſariò percurrere. Quamuis verum ſit,quòd & artis,& cuiuſque etiam naturæ actionis munere , poſſit quoad aliquam ſui partem coërceri & refringi , atque ita non tantùm increſcere , quantùm ſuæ naturæ relictus morbus accreſceret , & fureret : nec aliud præſtant medicinæ appoſita medicamina , artificioſáque præcepta ab auctoribus tradita , præterquam ita morbum reprimere , vt non tantùm inſoleſcat , quantum naturæ ſuæ debetur; quod non exiguum , paruúque faciendum ægrotanti auxilium.

Neque obiicias hoc modo.Naturæ vires , artíſque inſtrumenta poſſunt nonnunquam morbum , eiuſque naturalem curſum impedire , immò nonnunquam euertere, antequam ad augmentum, ſtatum, & declinationem perueniat. Ergo poterunt eiuſdem naturalem aptitudinem & inclinationem non ſolùm in partem , verùm etiam in totum perdere, & proſternere : ſic intelligendum eſt commune Medicorum eloquium , pronuntiantium morbum ſalubrem percurrere quatuor tempora , niſi à natura , vel ab arte præpediatur. Dic & , ſi verum fatearis, (quod mea ſanè ſententia dubium maximum videtur) poſſe morbum ab arte nonnunquam finiri , antequam quatuor ſibi debitas partes , ſeu tempora percurrat ? illud tamen nequaquam poterit ſine magno naturæ diſpendio contingere , & cum maximo vitæ diſcrimine à Medico tentari. Quare cùm Medici primum munus, non ſolùm ſit naturam conſeruare, ſed & morbum reprimere,ideò artificioſa coniectura inſtructus , vtilia & accommoda præſidia , ad curationis opus perſcrutatur. Quare cùm illa quæ ex toto morbum euertunt, antequam ſuum naturalem curſum morbus perficiat, periculoſa ſint valde , & perniciosa vitæ, à medicinæ conſideratione ſunt aliena; quapropter licèt concedatur aſſumptum , minimè tamen

A doctrinæ traditæ fundamentum euertit : magis enim arduum eſt naturales cuiuſque obiecti potentias omnino proſternere manente ſubiecto , quam idem ſubiectum penitus extinguere, & euertere.

Nota tertiò. Inter ſymptomata quæ in morbis ſolent contingere , quædam ſunt vniuerſalia , alia particularia. Deinde tam illa quàm hæc,duplici de cauſa talia dicuntur: vniuerſalia enim dicuntur,quia in ſtatu eſſe augentur,& minuuntur : nam ſequuntur morbi cum natura conflictum, & tanta taliáve ſunt in qualitate , magnitudine , & paruitate, qualis & quantus conflictus exiſtit , ſicque appellantur quia vniuerſalem morbi cauſam ſequuntur , de quibus eſt intelligendus Hippocrates ſententia 30.*lib.2. Aph.* dum dixit:*circa initia & fines , omnia mitiora ; dum verò conſiſtunt ac vigent,fortiora*:& Gal.*in com.*interpretatus eſt

B caſus omnes, id eſt, vniuerſalia ſymptomata:explicat ſcitè Brachelius *in com.* eiuſmodi ſunt inquietationes, anguſtiæ, dolores , ſitis, caloris acrimonia, vehementior febris.Dicuntur ſecundo modo ſymptomata vniuerſalia , quia non vni tantùm morbi ſpeciei ſunt addicta , ſed plurimis affectionibus communia ; eiuſmodi ſunt plenitudo, putredo, malignitas , cruditas , concoctio , quamplurimi dolores pulſus , & reſpirationis inæqualitas,celeritas, &c. ſitis,vigilia , faſtidium , &c.

Particularia etiam ſymptomata ſub duplici etiam à Medicis conſiderantur differentia , vel enim talia dicuntur, quia particularem morbi cauſam ſequuntur , qualis eſt cuiuſque morbi ſpecies , & conſtitutio : nam ſicut quæ conflictum ſequuntur vniuerſalem, vniuerſalia dicuntur, ſic quæ naturam , particularia. Vocantur ſecundo modo,

C quæ vni duntaxat morbo, & non multis conueniunt, quæ quidem non de vno ſymptomate eſt intelligenda propoſitio , quaſi expectetur vnum dari numero ſymptoma, quod vni tantùm morbo,& non alij conueniat, ſed de pluribus ſimul ſumptis ſymptomatis eſt neceſſariò dictio hæc interpretanda.

Sufficit tamen communis hæc ſupra vnum ſymptoma conuenientia , ad hoc vt vnum poſſit per ſe proprium & peculiare morbo appellari : vt dolor punctorius,tuſſis, crebra ſeu impedita reſpiratio, pulſus ſerrinus , febris acuta, ſimul ſumpta , firma ſunt & certa pleuritidis ſigna, ideóque peculiaria huic morbo appellantur, licèt vnumquodque per ſe poſſit aliam morbi à pleuritide ſpeciem concomitari; quia tamen ſimul ſumpta, vni tantum morbo , pleuritidi ſcilicet conueniunt , vnámque ſolam pleuritidem, & non alium morbum denuntiant, idcircò par-

D ticularia pleuritidi appellantur tam omnia ſimul ſumpta, quam vnumquodque ſeparatim per ſe ; vnde paſſim ex Medicorum communi ſermone inuenies ſigna in morbis, ſeu ſymptomata pathognomonica,quæ de huiuſmodi particularibus ſignis tam ſimul ſumptis, quàm de vnoquoque ſigillatim intelligenda putant.

Particularia deinde ſymptomata,quæ ex eo particularia dicuntur quia morbi naturam, veluti peculiarem cauſam conſequuntur , multiplicia , & varia ſunt : Nam quædam morbum à principio vſque ad finem pariter comitantur, ita vt æqualiter, id eſt,eodem tempore & motu ſimul cum morbo accreſcant , diminuantur , & conſiſtant : quædam eodem tempore accretionis, & decretionis motu mouentur , verùm non pariter in eodem motu, ſed in celeritate, magnitudine, & intentione inæqualia euadunt,ita vt mor-

E bus magis increſcat , quàm ſymptomata , vel vice verſa, morbus minùs augeatur , ſymptomata verò magis. Alia ideò dicuntur morbi eſſentiam concomitari quia communiter , hoc eſt perpetuò aut frequenter in tali morbo reperiuntur , ſiue antea, ſiue ſimul cum morbo finiantur,inter quæ plurima dantur , quæ diminuuntur accreſcente morbo, & concoctione; & aut ante ſtatum morbi finiuntur , aut in ſtatu minores ſunt.

Ex iis plures perſuaſere(falsò tamen) ſibi, valde diuerſum eſſe ſtatum ſymptomatum , à ſtatu cococtionis , & ſtatu morbi : arbitrantur enim priſcorum doctrinam de his particularibus eſſe intelligendam , quòd nempe in ſtatu ſymptomata ſint fortiſſima:nam experiuntur quamplurima ex his particularibus ſymptomata, in ſtatu morbi,

&

&concoctionis, aut multò minora eſſe, aut extincta prorſus.

Falluntur ſecundò, commenſurantes naturam morbi & eſſentiam, quoad eiuſdem intenſionem & remiſſionem, magnitudinem & paruitatem, benignitatem & malitiam, per magnitudinem, incrementum, & diminutionem horum particularium ſymptomatum: quare reluctantur valde aduerſúſque Galeni ſententiam aſſeuerant, quòd morbus ſit maior in ſtatu, quàm in principio in morbis ſalubribus; quod in lethalibus, & inſalubribus morbis verum eſſe arbitrantur; quoniam in his ſymptomata omnia, & accidentia perpetuò cum morbo increſcunt, nunquam verò declinant, atque miteſcunt; quum lethales morbi declinationem minimè patiantur, immò in ſtatu ſymptomata ſint vehementiſſima.

B Ideò communem propoſitionem, quòd in ſtatu ſymptomata ſint fortiſſima, recipiunt de ſtatu ſymptomatum ſolùm non verò morbi, aut concoctionis: quæ opinio Galeni decretis maximè repugnat, qui Hippocraticam ſententiam non ſolùm de ſtatu ſyptomatum, ſed morbi, & concoctionis interpretandam eſſe confirmat vt infra latè: ſymptomata autem, quæ neceſſariò maxima in prædicto ſtatu exiſtunt, ſunt vniuerſalia tantummodò, hoc eſt, ſequentia pugnam & conflictum, non verò particularia, quæ eſſentiam & naturam morbi ſpectant: hæc enim aliquando in ſtatu poſſunt eſſe maxima, ſæpe minima, multoties minora, aliquando enim ſimul cum morbo, & concoctione, & putredine accreſcunt; interdum verò accreſcente morbo decreſcunt, & minuuntur, atque ideò in ſtatu apparent minora, aut minima, aut potiùs extinguuntur, & ceſſant: vniuerſalia autem perpetuò, & neceſſariò ex vi naturæ, vehementiſſima in ſtatu morbi exiſtunt, quare de illis eſt propoſitio intelligenda. Vtùm autem morbus in ſtatu ſit maior, conſule Thomam à Veiga *lib. 1. de dif. feb. in com. cap. 8.*

C His præhabitis, quæſtioni reſpondebis hoc modo, Tempora omnia, ſcilicet morbi, coctionis, & ſymptomatum, perpetuò in morbis concurrunt, nec aliter poſſunt contingere, ita vt vnicus tantùm detur in morbis ſtatus, vnicum augmentum, vnicum principium, atque declinatio, quæ ſint coctionis, morbi, & ſymptomatum. Hæc ſententia colligitur imprimis auctoritate Hippocrat. *lib. 2. aph. 47.* dicentis *Dum pus conficitur, dolores, ac febres accidunt magis, quàm in confecto.* hoc eſt: quando fit puris generatio, increſcit concoctio, & putredo, ac creſcunt etiam & intenduntur dolores, & febres, quæ ſunt ſymptomata, quæ pugnam inter naturam coquentem, & morbum conſequuntur. Colligitur ſecundò ex 4, *aph. 30. Circa initia & fines, omnia debiliora, circa ſtatum, verò fortiora.*

D Hæc ſententia non eſt intelligenda de ſtatu morbi, coctionis, & ſymptomatum, facta collactione ad ſeipſa in principio, vt ſenſus ſit, coctio in ſtatu fortior eſt, quàm in principio: aut morbus & ſymptomata, maiora in ſtatu ſui ſunt, quàm in ſui principio: nam hoc modo ſententia Hippocratica eſſet nugatoria, minimè ſcientifica, & tanto auctore indigna: ſatis namque patet, vnumquodque in fine ſui augmenti maius neceſſario euadere, antequam increſcat. Eſt ergo Hippocrat. mens, in morbi ſtatu cognito per ſuam coctionem, ſymptomata vniuerſalia eſſe vehementiſſima, quaſi dicat, ſtatus morbi, coctionis, & ſymptomatum, ſimùl & eodem tempore concurrunt.

E Colligitur tertiò ex Hippcrat. 1. *aph. 7. Vbi morbus peracutus eſt, ſtatim extremos habet labores & 2. aph. 13. Quibuſcunque criſis id eſt, iudicatio ſit, his nox grauis ante acceſſionem.* Quam ſententiam recepit *lib. 6. epidem. ſect. 2. text. 23.* de his ſcilicet, qui tertiana legitima corripiuntur Quibus locis non obſcurè docet Galenus, ſtatum morbi, coctionis ſymptomatum æquè in morbis coire, quemadmodum & reliqua tempora: grauis enim nox non aliter antecedit, niſi quia ſymptomata grauia, & maxima in ſuo vigore exiſtunt. Eſſe autem morbum, & concoctionem tunc temporis in vigore ſuo, patet, quia criſis fit

A ſolùm, quando morbus eſt in ſtatu, & morbifica materia eſt ſummè concocta.

Idem docnit. Hippocrat *lib. 1. cit. aph. 7.* nam ideò dixit, quòd peracutus morbus ſtatim extremos habet labores, id eſt, ſymptomata vniuerſalia ſtatim habet, vt Galenus explicat *in com.* quia ad ſuum vigorem, & conſiſtentiam ſtatim peruenit, in qua caſus omnes, ſeu ſymptomata vniuerſalia vehementiſſima exiſtunt. Nec aliud voluit Galenus 1. *criſ. 3. & 10.* quum morbi augmentum per magnitudinem morbi auctam, accreſcentem concoctionem, & ſymptomatum incrementum docet agnoſcere; ſtatum autem cognoſcendum eſſe aſſeruit per vehementiam vtriuſque ex his tribus, ita vt ſtatus per hæc tria demonſtretur tanquam per vera eiuſdem ſtatus teſtimonia ſcilicet per omnia ſimul, & præſertim per illa, quæ magis, & clariùs ſenſibus offeruntur.

Colligitur quartò; ex Auic. 1. 4. *tract. 1. cap. 4.* per hæc verba. *Et ſimiliter cognoſcitur diſpoſitio horarū ex augmēto accidentium febris, & ſtatione eorum, & declinatione rerum, &c.* Quibus verbis non obſcurè ſignificat Auicenna, morbi tempora augmentum, ſtatum, & declinationem per augmentum ſymptomatum, eorumdémque ſtatum, & declinationem eſſe collligenda. Et hæc doctrina præcipuo nititur fundamento, quòd ſcilicet tempora hæc omnia ſimul in morbis concurrant, alioqui vana eſſet ſententia vt aduertenti facilè patebit.

Nunc rationibus aduerſariorum ſatisfaciendum. Non vrget prima, deſumpta 2. *aph. 47.* immò noſtram potiùs, quam oppoſitam roborat ſententiam: neque enim ibi intelligit Hippocrat. quòd quando pus eſt in via, ſunt accidentia in ſtatu; ſed quòd accreſcunt febres, & dolores, ſimul cum addita generatione puris, ita vt quò magis in perfectionem tendit pus, eò magis dolores, & febres accreſcant, confecto namque iam in totum pure incipit declinatio, ac proinde non eſt mirum febres & ſymptomata ex Hip. auctoritate diminui.

Ad ſecundam auctoritatem ex Auic. 3. 4. *tract. 1. c. 24.* apertè reſponde, illum non eſſe intelligendum de calefactione, & doloribus qui fiunt gratia conflictus morbi; qui ſicuti reliqua eiuſmodi accidentia, vniuerſalia à Medicis ſolent nuncupari; ſed de forti calefactione, & doloribus qui fiunt ex diſtentione, & ruptione partium, vt ipſe ſtatim explicuit; quare non concludit, quemadmodum nec idem Auic. 10. 3. *tract. 4. cap. 5.* de dolore in ſtatu pleuritidis diminuto, eiuſmodi namque dolor, particulare, & non vniuerſale cenſendum eſt ſymptoma.

Ad vltimam Galeni auctoritatem. 3. *de rat. vict. in morbis acutis, com. vlt.* Dic. Galenum ſignificare optimam ſimpliciter, & exactā concoctionem, aliquando in morbis reperiri, quæ quidem in ſtatu, & non in alio morbi tempore contingere ſolet; & quia morbi ſtatus non perfectam ſimpliciter dicit concoctionē, ſed collatione facta ad alia eiuſdem morbi tempora, non verò ad reliquos morbos, quia poterit in quibuſdam morbis perfecta concoctio apparere, in aliis verò perfectior, in aliis perfectiſſima, propterea dixit Galenus, &c.

Ad primam, & ſecundam rationem, patet quid reſpondendum ſit, ex notabili ſecundo. Ad tertiam dic, febrem in ſynocho non debere commenſurari, quoad ſui tempora, penès ſui intenſionem aut remiſſionem, eo quòd eiuſmodi ſymptomata, particularia, & propria in hac febre exiſtunt ſed penès illa, quæ vniuerſaliter morbi contentionem ſequuntur, quæ vniuerſalia vocantur, vt anxietas, ſitis, dolor, delirium, vigilia, infeſtus ſapor, amaritudo linguæ, & reliqua huius generis, quæ cum coctione, & cauſa morbi, quoad ſuas varietates concurrunt. Quare nihil concludit argumentum.

Ad quartum dic. Per coctionem non minorati ſimpliciter morbum, ſed ex coctione ſignificari morbum in ſanitatem vergere, foréque à naturæ viribus ſuo tempore ſuperandum, & licèt aliqua ex parte mitior fiat, poterit alia ex cauſa augeri, ac proinde non ſequitur, quod quò magis concoctio accreſcit, eò magis morbus ſimpliciter minor fit.

Ad quintam neganda eſt ſequela: & ad probationem dicendum,

dicendum, non ideò ex finis concoctionis ſanitatem pronuntiari, quia illa ſignificent morbum iam in totum eſſe ſuperatum, ſed quia demonſtrant poſſe à natura morbum ſuò determinato tempore deuinci. Nec aliud vult Hippocrat. *cit. loc. epid.* qui ſolùm monet, vt ſemper coctioni ſimus valde attenti, ex qua certam ſalutem polliceri poſſumus, nam coctionis ſigna, non præsẽtem, ſed futuram procul dubio vaticinantur ſanitatem, licèt non ſit negandum; ex iis aliquam morbi refractionem ſignificari. Quare coctio morbum ſimpliciter minorem non reddit, ſed minorem, quàm ſi natura non eſſet operata in eum.

Ad poſtremam conceſſa, & ex vtraque parte recepta ſuppoſitione, videlicet, quòd morborum quidã ſalubres, quidam vero lethales dicuntur, & ex iis quidam magis, alij minus ſalubres habentur, quorum iudicium per ſalubria, aut lethalia ſigna profertur & acquiritur, neganda eſt ſequela: & ad confirmationem dicendum, quòd diuerſo longè ordine procedunt morbi ſalubres, & inſalubres: negandum tamen eſt ſequi ex eo, quòd ſi tempora in morbis quoad coctionem & reliqua concurrant, non diuerſo prorſus, ſed eodem ordine procedant morbi ſalubres, & inſalubres: neque enim malitia morbi, & magnitudo, furioſáque accreſcentia cum coctione ſymptomata, ſigna ſunt, quæ lethalia à Galeno, aliíſque peritis Medicis appellari ſolent, quoniam hæc in omnibus reperiuntur morbis neceſſariò, licèt in quibuſdam magis, in aliis minus appareant. Sed lethalia ſigna ſunt, quæ putredinem, cruditatem, aut malitiam, quam morbus habet ex ſe, conſequuntur; eiuſmodi enim ſunt illa, quæ ſimul cum concoctione accreſcunt, incipiunt, & quieſcunt, quæ vniuerſalia vocantur: reliqua verò particularia, quæ ſcilicet à morbi natura, & conſtitutione oriuntur, bonum, vel malum euentum in morbis præſagiunt.

Ex iis ſatis patere arbitror quàm tenuis ſit argumentatio hæc; ex eo ſcilicet quòd tempora coctionis ſimul cum temporibus ſymptomatum, & eſſentia morbi concurrant, ſequi ſalubria, & inſalubria ſigna ſimul neceſſariò accreſcere, & conſiſtere, &c. ideóque eodem prorſus ordine procedere ſalubres & inſalubres morbos, nec poſſe vllam haberi circa ſalutem, aut mortem in morbis prænotionem: nam ſigna quorum vi hæc agnitio acquiritur, non ſunt quæ cum morbi temporibus concurrunt, quæ vniuerſalia vocantur, ſed quæ particularia dicuntur, quæ ſcilicet morbi naturam, conditionem, & morem conſequuntur. Hoc modo vltimam inſtantiam facilè ſolues. Quomodo verò diſtinguantur vniuerſalia morborum tempora, *infrà* lege, *in com. hiſt. penult.* Tu verò ſi plura in hac difficili, & intricata quæſtione ſcire aues, conſule præter antiquos Auicen. interpretes, *1.4. tract. 1. cap. 3.* & apud Galenum. *lib. 1. criſ. cap. 2.* Valleſium 10 *cont. cap. 6.* Mercat. *tom. 1. lib. 3. part. 2. claſ. 4. quæſt. 201.* Carrerium *1.4. tract. 1. cap. 4. quæſt. 6.*

HISTORIA X. GALENI, De febre ardenti.

Cauſus in corpore calido ſicco, aſſumpto cibo in acceſſione, contra Diatritariorum errorem, à Galeno curatur.

** ERgo iuuenis qui febri eſt correptus, annos natus erat quinque & viginti, gracili corpore & muſculoſo, veluti carnis, tum ſicco calidóque omnino temperamento. Iam idem exercitatione quodammodò delectabatur, & alioquin cogitabundus, & induſtrius erat. Is peregrè agens, quum nuncium parum gratum accepiſſet, & triſtatus eſt, & properè ſe accingens ad vrbem feſtinauit. Ac priori quidem die, & laborauit modicè, & lotus, cœna iúſque in quodam diuerſorio quieuit, ſed maxima ex parte ſine ſomno. Poſtera die etiam magis feſtinauit, ac longa via, & ſabuloſa; & ſqualente, tum ſub feruente ſole confecta hora propè ſeptima & ſemiſſe peruenit ad vrbem. Ibi, cùm ea, quorum cauſa maturaſſet, meliora audiret, in gymnaſium lauaturus proficiſ-*

A *citur, dein vnctus, vnà cum quodam eorum qui aderant iuuene, perfrictus eſt. A quo cùm, vt paululum dimoueret, prouocaretur, orta inter eos contentione (qualia ſæpè accidunt iis qui exercitationibus indulgent) plus iuſto eſt exercitatus, erátque iam immodicè ſiccus. Egreſſus verò gymnaſium inuenit amicorum quoſdam pugnantes, quos dum dirimit, imprudens in aliam exercitationem non leuem incidit, dum alios eorum diuellit, alios impellit, alios complectitur medios, alios vt iniurios increpat, ac pro iis qui iniuriis affecti eſſent, iraſcitur, adeò vt domum ſe in ſumma ſiccitate reciperet, laſſitudinem; inæqualitatémque ſentiens. Aquam igitur ex conſuetudine bibens, vbi nihilo ſe leuatum, ſed inæqualitatem ſibi intendi ſentit, hanc quidem vomuit. Ratus autem vtilius adhuc cibo abſtinere, accubuit,* B *ac quieti ſe dedit hora fermè diei vndecima: quod cùm feciſſet, ac nocte tota febre diuexatus vigilaſſet, poſtridie quoque quieuit vſque ad meridiem, ſperans ſe ſomni aliquid conſequuturũ. Quo tempore cùm eũ Medici quidam diatriton colentes inuiſerent, tum quidem homini ſatis magnam eſſe febrem aiebant, veſperi autem ſe illum reuiſuros. Itaque & veſperi cùm redirent, ac febrim inclinatam cernerent, ne tum quidem nutriendum cenſuerunt: quamuis etiam id alius quidam Medicus ſuaderet; immò ſtrenuè reſtiterunt, adiicientes, ſi quidem ſine febri eſſet, fortaſſe cibum daturos, febricitãte autem adhuc minimè id facturos. Quinetiã cùm tertio die manè redirent, eam tertiæ diei acceſſionem tranſmittendam cenſuerunt. Erat autem, vt priùs dictũ eſt, ſuſpecta hora illius diei vndecima. Ergo digreſſis illis, ipſe acceſſi ac faciem iuuenis contẽplatus, vidi talem eſſe qualem in prognoſticis Hippocrat. depingit his verbis. Naſus* C *acutus, concaui oculi, ac reliqua quæ deinceps ab eo dicta ſcimus. Itaque cùm omnino mihi perſuaderem, fore, vt tum in hecticam febrim, tum quam maraſmodem vocant, homo niſi cibaretur, incideret, ſorbitionem ex alica quam primùm paro, atque exhibeo. Et tamen quamuis hac ſumpta, cùm acceſſio ſuo tempore circa vndecimam inuaderet, ſic extremis partibus perfrixit, vt calefieri hæ vix poſſent; & pulſus illi paruus, imbecilliſque maximè fuit. Qua ex cauſa illi etiam quarto die, tum manè, tum veſperi cibum dedi, quò ſcilicet & vires repararem, & corpus humectarem; erat namque cutis eius, ceu corium arida. Vbi autem febris tenuis, & ſimilis perſeuerauit, ſtatui deinde quinto die, non ſimplici ſorbitione hominem cibare, vt antè, ſed alica ex aqua calida, citráque conditurам, iniectis in eam mali punici granis. Eſt namque is optimus cibus bilioſo ſtomacho: nam & roborat hunc malum punicum, & alica, cùm diu-* D *tiſſimè in ventriculo citra corruptionem maneat, ſenſim concoquitur, nec aceſcens, nec innatans; quæ vitia accedere ſorbitionibus aliquando ſolent. Incidit verò & in ipſo quinto principium acceſſionis ſimile. Itémque cùm & ſexto, & ſeptimo eũ ſimili ratione cibaſſem, in octauo rurſus ſimile principiũ præcedentibus fuit. Vbi nimirũ vel amentiã, vel pertinaciam, vel haud ſcio quid dicam, eorum qui in principio hominem tranſmittere tertiæ diei acceſſionem ſine cibo iuſſerant, prorſus intelligere licebat. Nam cùm cunctis euidenter appareret, nunquam peruenturum eum ad quartum fuiſſe, ſi nutritus ante acceſſionem tertij non fuiſſet: illi & tum eum, & ſecutis etiam diebus non rectè nutritum aiebant. Cæterùm committendum non erat, vt eorum redarguendi ſtudio, ægrum quis non exhibito in ipſo acceſſionis die* E *cibo proderet. Igitur nono die ſimiliter hominem nutriens, cernénſque in acceſſione pulſum eius redditum, quàm priùs erat, firmiorem, cæterùm imbecillitatẽ illam adhuc præferentem cum extremarum partium frigore, non potui ſuſtinere illorum Medicorum meras nugas; ſed vndecimo die præfatus priùs ægrotantis amicis, fore vt ipſo die intelligerent hominũ hactenus noſtra opera fuiſſe ſeruatum, permiſimus illi præterire acceſſionis horas. Ergo cùm & ſine pulſu omnino in ipſis eſſet, & frigus eum vehementiùs totius corporis premeret, ſic vt nec loqueretur ampliùs, & vix impellentem ſentiret, conuocati in vnum Medici omnes qui ab initio videramus, ab ægrotantis propinquis propemodum ſumus diſcerpti. Ego quidem, quod ob pertinaciam vltrò ægri ſalutem prodidiſſem: qui verò diatriton colebant, propter ignorantiam, & ſtupiditatem. Ac illi quidem pallidiores,*

lidiores, frigidioréſque quàm ipſe æger,conſilium quoddam fugæ captabant : quod ego proſpiciens,aulæ oſtium obſerari iuſſeram,& ſimul amico cuidam clauem ſeruare. Pòſt medius eorum ſtans,iam,inquam,vobis conſtare planè arbitror, quis hactenus hominem ſeruarit: ſeruabitur autem & nunc noſtra opera. Neque enim, ſi periturum omnino in hac acceſſione putaſſem, à cibatione deſtitiſſem : ſed quoniam ex præcedenti iam victu tantum illi roboris ſupereſſe noueram, vt tolerare acceſſionem poſſet,permiſi acceſſionis horas ſine cibo tranſmittere. Ac ſatius quidem fuiſſet multò antè hominem nutrire:verùm quò & iſtos redarguam,& quibuſdam his auſcultantium,qui confici à nobis iuuenem, quòd illam occaſionem omiſerim, dicunt, perſuadeam,nunc illis oſtendam,vel in acceſſione ipſa ægrotantes quoſdam nutriri debere, nedum ante hanc. His dictis, ac diductis hominis maxillis,infundo ex anguſti oris vaſculo,cremoris ptiſſanæ cyathos tres : paulò autem pòſt albi & tenuis vini,modicéque calida diluti duos cyathos. Poſt quos & ſuſtulit oculos, & tum audire,tum loqui, tum præſentes noſſe cœpit:quum ante velut lignum aridum porrectus ſine voce , ac ſenſu iaceret. Rurſus itaque dato ex vino,quo dixi modo,diluto,pane ad comedendum exiguo,prorſus hominem reuocaui.Quem vt rurſum ad inſtitutam ab initio victus rationem reduxi, & tertij decimi diei acceſſionem facilè tolerare vidi: in quartodecimo rurſus manè cibaui : ac pòſt circiter horam octauã laui. Deinde rurſus liberaliùs cibaui,ac mox vinum bibendum exhibui. Idem verò & in duodecimo,& tertio decimo feceram. In quinto autem decimo rurſum cibaui manè. Cùm verò faciliùs tum quoque acceſſionem ferret,in ſextodecimo denuò laui,cateráque circa hominem peregi,ſicut in præcedentibus diebus. At vbi in decimo ſeptimo minimè grauis, paruáque acceſſio fuit,audacter hominem de cætero ſub conualeſcentium victus ratione habui,&c.Galenus lib. 10.meth.cap.3.& lib.de cauſ.procatarctic.cap.1.in initio.

PARAPHRASIS.

NVlla eſt hiſtoria, ex qua maior vtilitas compararetur Medicis,quàm ex hac : quum enim nihil frequentius in ore habeant quàm oraculum illud Hipp.*l.1.aph.*11. quo monet ægros à cibo in acceſſione eſſe abſtinendos, tamen aliquando in ea eſſe nutriendos,vel ante ipſam,hoc exemplo fit manifeſtum:nam dictiones Hippocraticæ frequentiam notant,non perpetuitatem,ex Galen.*lib.de fœt.format. cap.2.& lib.6.aph.*58.Cùm enim Galenus rationalem ſectam inſtitueret,& ſpeudomedicorum tunc Romæ degentium irrationalem curandi methodum deſtruere conaretur, qui ſibi licere putabant, impunè ægros triduana inedia interficere,idcircò vt ſuam famam tueretur , & ab illorum calumnia vindicaret, qui iuuenem illum ab eo occidi prædicabant, quia illius nutriendi opportunam occaſionem omiſiſſet, dum ægro, ob interdictum cibum in ſiccitatem omnimodam redacto opem ferret,hanc hiſtoriam ita fusè recitat,inuentúmque ſuum feſtiuè celebrat,quod ante eum ab aliis non erat obſeruatum , ægros ſcilicet in ipſa acceſſione, & nonnunquam tribus, duabúſve horis ante ipſam eſſe cibandos,cùm videlicet debiles ſunt,graciles, ſicci,ad hecticam, & tabem paratiſſimi, ad cuius imitationem proponit Aëtius, ex Philagrij mente, alias elegantes hiſtorias, *tetrab. 2.ſerm.1.cap. 9.&* 91.

Proponit ergo iuuenem calidum ſiccum,bilioſum,ex nimia inedia febrientem,qui ab aliis Medicis exſiccatus,& in extremum periculum adactus , humido alimento vel in ipſa acceſſione nutritus, Galeni induſtria euaſit.Nam Hipp. 1.*acut*.46.& Galenus *lib.de morb.temporib.cap.6.*ægros in acceſſione à cibo eſſe arcendos aſſeuerant,cùm eo tempore natura circa morbi materiam negotietur,& alimentum diſtracta concoquere nequeat; quare crudum relictum fit deinceps materia morbi,Nam coctio fit quiete;natura autem in acceſſione dimicat , & contra cauſam morbificam veluti decertat, & cùm in excernendo noxio humore per varias regiones: ſudorem nempe vomitum , & aluum ſit intenta,coctionis officinas deſerit:Deinde cùm circa oblatũ alimentum aliquantulũ ſit occupata,ab humoris noxij coctione auertitur.Inſuper,ſi in acceſſione,refluentibus humoribus ad corporis centrum,caloréque ob copiam oppreſſo, cibum propines,in impuritatem ille abit,ac diſtentis hypochondriis opprimitur pectus , anxia fit reſpiratio,& calor cordis intenditur. Hoc ſignificauit perbellè Hippocrat. *lib. 4. acut.* 39. dicens.*Cum autem purgaueris, ſorbitionibus vtitor, obſeruatis ita febrium acceſſionibus,vt nunquam cùm adſunt, neque cùm futuræ ſunt,ſed vel cùm ceſſant, vel quieuerunt,& maximè à principio receſſerunt. Frigentibus ergo pedibus, neque potum, neque ſorbitionem, neque aliud quidpiam huiuſmodi dabis, niſi cùm calor ad pedes deſcenderit, currítque vrina, & omnia ceſſant, quo tempore ſorbitionem dare expedit : nam aliàs pernicioſa exiſtit, &c.* explicat ſcitè Mercurialis *in com.*

Hoc tamen intelligendum eſt,ni aliud adſit maximè vrgens,in quod curantis conſilium dirigi debeat , vt eſt calida ſiccáque temperies , tum naturalis, tum acquiſita, præſertímque ſi corpus ſit ſqualidum, humórque acris in corpore redundet , cum mordaci vapore coniunctus, ſit æſtas , & febris ex æſtu , labore , ira , ſole , & inedia concitetur : æger debilis , excarnis , & ob has cauſas in conuulſionem ex ſiccitate , ſyncopem , aut tabem incidere ſit paratus : tunc antequam corpus ocyſſimè reſoluatur , alimonia ante acceſſionem,vel in ipſa eſt exhibenda: Nam æger citra eam vſque ad exactam acceſſionis declinationem ſine euidenti periculo durare non poteſt.

Id ſignificauit Auicenna 1.4.*tract.2.cap.*8. dum in hæc verba prorũpit.*Et de corporibus ſunt corpora cholerica,quæ requirunt regimen diuerſum ab illo quod diximus,& propriè quando ſunt aſſueta comeſtioni plurimæ:ipſi enim cùm cibantur, ſaltem in ipſo principio febris, immò in hora quæ eſt prauior ea, & eſt hora ſtatus. Nam vacuæ ſunt diſpoſitiones earum à duabus rebus, quoniam cùm ipſi ſint debilium virtutum, ſuperuenit eis ſyncope, & moriuntur in paroxyſmo; & ſi ſint fortium virtutum, cadunt in extenuationem, & apparent ſuper eos ſigna cruditatis; & extenuatione naſi, aut profunditate oculorum, & quòd tempora ſunt depreſſa; & fortaſſe ſuperuenit eis ſyncope ante illud, propter id quod effunditur ad ſtomachum de cholera mordicatiua.* Hæc Auicenna.

Ex iis patere arbitror, gracile,ſiccúmque corpus febrili calore occupatum, denegato alimento arefieri. Nam Hip. 6.*epid.ſect.3.text.*31 ſic inquit *malum febriculoſum inimicum fami,quoniam fames*(hoc eſt,omnimoda diæta)*corpora exſicat,* ex Hip.7.*aph.*59. Quapropter calida ſicca corpora in ipſo vigore ſunt cibo humectanda,in quibus ad alimentum exhibendum nunquam declinatio expectari debet: ex prohibita enim,vel retardata alimonia plurima mala oriri eſt neceſſe,cùm denegato humido nutrimentali corpora exareſcant,maximè cùm ob meatuum amplitudinem, ſubtilitatem ſanguinis,& continuam ſpirituum agitationẽ facilè reſoluantur;quare iis virium robur adeſſe non poteſt.

Porrò iuuenis erat pinguedine carens , gracilis, manifeſtum calidæ ſiccæ temperaturæ indicium, ex Gal.*in art. medic.cap.*56.*& lib.2.de temp.*4.Erat inſuper exercitationibus deditus quæ ſanguinem attenuant, calefaciunt, debilitant , extenuant, maximéque ſi corpus triſtitia antea ſit confectum. Non ergo eſt mirum , ſi hic in febrim inciderit , adiectionéque cibi fuerit deinceps refectus, & ab imminenti febre hectica præſeruatus.

Nec ſigna à maraſmode febri erant aliena : nam faciem, exhauſto primigenio humore , reſolutis viribus , abſumpto ſanguine , minuto innato calore , Hippocraticam habebat , quam ipſe *lib. 1. prognoſt. text.* 3. ſic deſcribit. *Oculi caui,tempora collapſa,aures frigidæ , & contractæ , ac lobi earum inuerſi , & cutis circa frontem dura,circumtenſa,& arida exiſtens,& calor totius faciei chlorus;vel niger, aut liuidus , aut plumbeus.* Et licèt huius cadaueroſæ faciei plures cauſas Galenus , Chriſtoph. à Vega , Mercurialis , & Heurnius proponant , *in com.* tamen oculi caui fiunt ob partium mollium , & carnoſarum in illis exiſtentium , à vehementi calore conſumptionem : fit autem maiori ex parte extenuatio in oculis potiùs , quàm in aliis faciei partibus , quia molliores ſunt , & humidiores ; quare accedente cauſa diſſipante , febrilis caloris vi facilè abſumuntur ; ex qua cauſa adſtricta ſunt tempora. Aures frigidæ , ob natiui caloris inopiam , qui

cùm

ùm puſillus ſit ad partes extremas expandi nequit. Fi-
brarum inuerſio , cutis dura ac intenta , peſſima eſt ; con-
uulſionem enim vel præſentem ſignificat , vel imminen-
tem portendit : hæc ſi ſemel hominem apprehendit , im-
medicabilis eſt , ex Gal 2. *aph.* 2.7.*meth.*7.*&* 12.*eiuſd. c.*
vlt. Viridis color , ob virium debilitatem apparet:in facie
autem , ob eius laxitatem, & mollitiem ampliùs conſpici-
tur:cùm enim natura viuidum , roſeúmque colorem cuti
indidiſſet, qui ſanguinis optimi copiam , ſpirituum ſplen-
dorem , & natiui caloris vbertatem præoſtendit , quid
mirabimur,ſi ob contrarias cauſas , color niger plumbeúſ-
que appareat, intermorientis facultatis apertum indicium?
ex Galeno.

Quare hunc ægrum tot oppreſſum anguſtiis, & præ ni-
mia imbecillitate iam morti propinquum, nutrire in ipſa
acceſſione ſibi perſuaſit, oblata alica ,iniectis in eam mali
punici granis. Nam alica cibus ſtomacho bilioſo eſt vtilis,
humectat , ſenſim concoquitur, non aceſcit,neque inna-
tat, & vbertim nutrit , ex Gal *de alim.* 13.*&* 2.*aph.*18.*&*
4.*de ſanit. cap.*4.de cuius apparatu, & vſu plura diximus
*lib.*2.*in com.*92.Punicum autem,præſertim acidum,æſtuã-
ti ventriculo & bilioſis naturis eſſe accommodatum, pro-
bat Gal.*lib.* 3.*acut.* 2 de cuius præſtantia lege quæ notaui-
mus *lib.* 2.*in com. hiſt.* 5.& refert Mundella *epiſt.*3.

Denique hoc alimento recreatis, & refocillatis viribus,
cùm ſine cibo data opera eum Galenus tranſigere permi-
ſiſſet , (nam celerrimè eius exhauſtas vires reſarciri poſſe
coniecit, cùm eſſent ex præcedenti victu iam leuatæ) &
ipſe in acceſſione à cibo priuatus velut lignum aridum
iaceret , mortiferam faciem repreſentans , exhibitis vini
albi , tenuis , modicéque calida diluti cyathis duobus ad
vitam eſt reuocatus. Vinum obtulit , licèt febris adeſſet,
quia cùm ſit album , manifeſtè non calefacit, ex Galen.
*lib.*12.*meth.cap.*4.*&* 3.*acut.*6.vt explicat Amatus 1.*cent.*
28.& cùm eſſet in modica duorum cyathorum quantita-
te exhibitum, nocere non poterat, maximè cùm febrienti-
bus ipſum concedat Galen. 3.*acut.*8.§.*Quod ſcilicet fe-*
brientibus maximè idoneum aquoſum ſit,& ſupra *in com.*
hiſt. 18.latè protulimus.

Romani hac menſura ad curandos ſuos ægros erant
contenti. Sextarius duas heminas continet , & reſpondet
ferè dimidiæ menſuræ vini metræ Germanicæ ; continet
autem cyathos duodecim, in quos Romani, tãquam aſſem
in vncias , diſtribuerunt. Sextans duos cyathos,id eſt,duas
vncias pendebat. Chœnix duos ſextarios. Congius ſexta-
rios ſex.Chus quatuor ſextarios.Metreta, vel Cadus(quod
idem eſt)decem congios habet .Modius ambit decem ſex-
tarios. Amphora tres modios continet. Medimnus tres
modios complectitur.Cyathus ergo habet drachmas duo-
decim,ex Oribaſio *lib.*2.*collect.cap.*58.Paulo *lib.* 7.*cap.vlt.*
Lege Manardum *lib.* 12.*epiſt.* 1. Hoc modò bini cyathi
continent vncias tres.

Sed miraberis , cur ad recreandas vires , & firmanda
viſcera tantoperè ab omnimoda diæta , & febri exhauſta,
vinum dilutum obtulerit , ſi hoc , ventris tonum & robur
diſſoluit ? Sic enim ait Galenus *lib.* 2.*acut. com.* 28. *Dilu-*
*tum enim,ventris tonum,ſeu robur exſoluit, &c.*Dic.maxi-
mum fuiſſe vſum, & morem apud veteres ſanitatis tempo-
re vinum diluendi,vt ſic,huius calor frigiditate aquæ tem-
peretur , & miteſcat. Hunc modum obſeruarunt priſci,
qui vino , maris præſertim aquam eſſe affudendam iudi-
cabant,quòd ipſius quaſi præſidio,purius ac firmius vinum
efficeretur:Nam, vt ait Plinius *lib.*14.*cap.*8.*ſuaue vinum*
*eſt infuſa maris aqua.*Ideóque veteres Bacco Delphinum
appingebant,quod vinum aqua maris dilutum faciliùs, ac
diutiùs conſeruaretur , id quod ſe ab agricola paruo Co-
lumella hauſiſſe fatetur, *lib.*12.*cap.*21.*&* 22.de quo &
Cato *cap.*24.*&* 106. *de re ruſtica*, & Dioſcorides *lib* 5.*c.*
20.Athenæus verò ſic loquitur, ad Euſtarb.*lib.*1.*c.*41.vina
diligentiùs mixta aqua maris,crapulam impediunt,ventrem
ſoluunt, mordicant ventriculum, nec inflationes efficiunt,
& conferunt ad nutritionem , & ſic vino ſaporis gratia
conciliatur, vt probat Plutarch. *lib.* 10. *quæſt. natural.*

Quapropter Plutarchus *lib. de rat,tuend.ſanit.*pruden-
ter & doctè vinum diluere docuit;aut ſi inter vina diluta per

A ſe ſola bibatur aqua , vtiliorem efficit vini diluti potio-
nem, & maximè ſi præcedat labor,ira,æſtus:nam tūc aqua
eſt aptior ad refocillandam ſenſim , recreandamque natu-
ram;vehementi enim, & veloci efficacitate vini meri cor-
pus facilius commouetur,& agitatur Hinc Plutarchus 3.
*ſympt.quæſt.*9 plures Baccho aſſignari nutrices tradit, quia
pluribus lympharum menſuris eſt manſuefaciendus , hoc
eſt vinum diluendum , laudans , citatum Platonis dictum,
& eleganter , atque ingenioſè accomodans Reipublicæ
gubernationi ex prudentia ſeniorum , & ardore iunio-
rum temperatæ : Videntur etiam veteres duas quidem
Ioui nutrices attribuiſſe , Baccho autem plures , quòd
hunc Diuum pluribus aquæ menſuris cicurare , & quo-
dammodò inſtituere mitiorem ipſum , & prudentiorem
B efficere opporteat.

Patet ob quas cauſas vinum ſit diluendum : Nam aqua
vini calorem remittit, & præſertim in febribus,in quarum
curatione frigida potione opus eſt. Quo pacto maximè
laudauero Galenum, qui vinum dilutum huic ægro æſtuo-
ſo, & inedia macerato , ſumméque exſiccato obtulerit:
Nam vires reficit , humectat , non inflammat. Si verò
dilutum debilitare ventriculum aſſeuerat , quoniam hu-
miditatem , flatuúmque copiam in ſuperiori ventre re-
generat , vt probat 2.*acut.* 34. intelligendus , ſi propine-
tur illis qui frigidiorem ventriculum ſortiuntur , vel dic,
quod Galenus reſpexit ad vaſa innanita , in quibus corpo-
ribus vinum citò rapitur ad venas , & ſic crudum rema-
net , ineptè nutrit , & vires deiicit. Sed cur calida diluit,
ſi 1. *ad Glaucon.*13. pro curanda ſyncope , frigida tempe-
rat, ea eſt cauſa , quoniam *lib.ad Glauc.*requirit repulſio-
C nem, quæ ob frigiditatem per moram fit, in hoc ægro ci-
tiſſimam exoptet penetrationem , & nutritionem quæ ca-
lore præſtatur.

Requirit hic locus, vt perſcrutemur ad quam differen-
tiam pertineat febris qua iuuenis hic laborauit ; Non
enim fuit diaria, quia eius terminum eſt prætergreſſa; non
putrida , quoniam ex aduſta , & non putrente bile fuit
concitata ; non hectica nam habuit ſigna ab ea longè di-
uerſa. Dic fuiſſe continentem bilioſam abſque putredine,
quam dari ex hac hiſtoria manifeſtè colligi poteſt ; cùm
enim ex bile inflammata , non putrida eſſet exorta
idcircò cibus ſummo fuit auxilio , qui valdè obeſſet, ſi
vel ex copia , obſtructione , phlegmone , vel putredine
conſiſteret. Poſſe autem hanc contingere firmat Galenus
*lib.*2.*epidem. ſect.*2.*comment.*20.qui ardentes febres ex bile
D in genere carnoſo congeſta oriri ſibi perſuadet ; ſubſcri-
bunt Aëtius *tetrab.* 2.*ſerm.*1. *cap*,9 Auerrhoës *lib.*3.*cap.*4.
qui non omnem calorem præter naturam eſſe putredina-
lem , ſed alium eſſe adurentem , & aſſantem aſſeuerant,vt
videas humoralem febrem, & putridam non dici ad con-
uertentiam : Nam illa citra putredinem datur aliquando,
quod perperam voluit negare Alzarius à Cruce *cent.*3.
quæſitorum fol. 340.

Deinde ſi agens putredinoſum non ſit , ſed valdè cali-
dum ſiccum, humores exaſſabit, aduret,inflammabit,atque
febrem potiùs excitabit humoralem , quàm putridam,
præſertim in materia bilioſa , ad combuſtionem ampliùs,
quàm ad putredinem apta : cùm enim in ſubiecto adeſt
humidi inopia,ſi hoc excedat, quod eſt putrefactionis ma-
teria , febris orietur putredinoſa. Quare ſi bilis accenda-
E tur in vaſorum cauitatibus , febris bilioſa excitabitur , ex
Gal. 1.*epid.ſect.com.*72.

Continentis bilioſæ citra putredinem cauſæ euiden-
tes non aliæ ſunt,quàm quæ Ephemeram mouent,vt *lib.*4.
*de feb. cap.*4. doctè Fernelius docet, de harum cœtu ſunt
cruciatus ſummus , qualis nephritici , aut parturientis
eſt , exercitatio , labórque immodicus , balneorum in-
tempeſtiuus vſus , animi excandeſcentia. In has nullæ
putredinis notæ in pulſu aut in vrinis cernuntur , ve-
rumtamen os amareſcit , deiicitur appetentia , ſitis ex-
cruciat , capitis dolor, ac vigilia vrgent, & in cute arida
calor acer ferit.Hæc ſoluitur ex mente Galeni 4.*acut.* 12.
quando humor bilioſus vel perfectè euacuatur , vel ex-
tinguitur. Hæc auctoritas noſtræ ſolutioni patrocinatur
valde : Nam ſi hæc febris fieret ex bile putrefacta solùm,

ſola bilioſi humoris extinctio non ſufficeret,ſed neceſſaria eſſet euacuatio.Si verò Galenus *lib* 1.*feb*.5.*in princip*.profert ex antiquorum mente,omnes febres ex putredine fieri, magna ex parte intelligendum eſt.

Quapropter ex efferueſcentia bilis citra putredinem febris concitatur, neque humorale cum putrido dicitur ad conuertentiam, vt ſcitè aduertit Thomas à Veiga 1. *feb*.1. *verbo, caloris autem, &c.* Etſi enim diuerſa res ſit combuſtio, & putrefactio, quia tamen in vtriſque calor eſt inſuauis, & mordax, ideò hæc ad putridam reduci poteſt. Hoc modo 2. *ſimpl*. 14. vrentia vocat putrefacientia ob ſymptomatis ſimilitudinem. Quòd autem vſtio faciat febrem,probant perdoctè Valleſius 5.*com*.19. Ludouic.Lemoſius *lib*.9.*meth.cap*.3.*dtſt*.2.Si verò pulchra de hoc dubio legere deſideras,,conſule Mercurialem *lib*.4. *acut.com.ſent*.1.

QVÆSTIO XV.

Vtrùm in conſtituendo temperamento magis parato ad febres,Galenus,& Auicenna ſint concordes, vt perperam plures Auicennæ interpretes opinantur,

COMMENTARIVM.

ERgo *iuuenis qui febri eſt corruptus.*] Auicennam,ſummum Arabum principem, adeò Galenicæ doctrinæ auidum, & ſolertem fuiſſe indagatorem,omnes aſſeuerant, vt ex huius monumentis vniuerſos ſuos canones exornarit. Hic cùm Galeni interpretem ſe eſſe fateatur, in multis ab eo diſſentire cogitur, cuius edicta ni commodè explanentur, à Galeni mente diſſona videntur. Cùm enim 1.4. *tract*.1.*cap*.2.*de corporibus ad febres præparatis*,ſermonem inſtituit,hunc ordinem ſeruat.

Primum locum adſcribit corporibus calidis, & humidis, & quamuis hoc non ex propria videatur aſſerere ſententia,quod prima capitis verba ſignificant, [*& dixerunt quidam*] illam tamen ſtatim & recipit,& explicat.Docet ergo calida, & humida corpora febribus eſſe paratiſſima. Secundo loco, calida,& ſicca. Tertiò,in paſſiuis,humiditate ſcilicet, ſiccitate temperata, in ſola autem caliditate exuperantia. Quartò in actiuis temperata, Frigida tamen ſicca: & frigida humida, ad recipiendum febrilem calorem, omnium eſſe ineptiſſima aſſeuerat.

Galenus inuerſo ordine enumerat *lib*. 8. *meth*.8. Nam primum locum concedit temperaturæ calidæ ſiccæ, & meritò: ob magnam enim conuenientiam quam habet cum febri, huic eſt maximè obnoxia. Cùm enim tria ſint febrium genera,hectica,diaria,& humoralis,calida ſicca ad hecticas,diarias,& aliquas humorales, bilioſas nempe eſt paratiſſima. Secundum locum concedit calidæ, & humidæ.Tertium calidæ tantùm. Quartum,ſiccæ tantùm.Quintum, temperatæ. Alias quatuor temperaturas non proponit,ſed ita ſunt referendæ,vt ſextus locus concedatur humidæ tantùm. Septimus, frigidæ,& ſiccæ.Octauus,frigidæ tantùm.Nonus,frigidæ & humidæ.

Si tamen horum auctorum mentem attentè contempleris, in iis nullam adeſſe diſſenſionem reperies:nam illi iuxta diuerſam conſiderationem,& reſpectum in prædictis corporibus promptitudinem, & difficultatem incurrendi in febres diiudicant, penes quam rationem Galenus ad febres in vniuerſum corpora calida & ſicca eſſe paratiora aſſeuerat,quoniam febris,calida,& ſicca paſſio eſt,1.*aph*.16. Auicenna verò materiam reſpexit,quæ ad putredinem, & ebullitionem magis eſt parata, quare corpora calida, & humida putridis febribus plus eſſe obnoxia ſtatuit, quæ febres frequentiùs inuadunt, & de quibus Medici ampliùs debent eſſe ſolliciti, quod videtur ſignificaſſe Galenus *loc.cit*.cùm dixit,*Et propriè cum humiditas eſt fortior caliditate* : quæ verba ipſum de febribus materialibus fuiſſe loquutum, manifeſtè oſtendunt, quum præualens humiditas minori calori coniuncta proprium ſit putredinis principium, vt ait Galenus 1. *de dif.feb.cap*.3.*& in art.med.cap*.19.34.42.57.*& lib*.1.*de temp.c*.4.*poſt med*.

Ideóque ſtatim ſubdit Auicen. quia iſti ſunt fœtidi ſudoris, vrinæ, & egeſtionis. Quare corpora calida humida febribus putridis paratiora ſunt, vt voluit Auic.in quibus frequenter accidunt bubones,& tumores præter naturam, & febres peſtilentes, ex Gal. 8.*meth.cit*. corpora verò calida ſicca, bilioſis, & acutis febribus magis ſunt parata. Lege Maſſariam.*lib*.5.*de febrib.c*.2. Mercurialem *tract. de febrib.c*.3.

Sed hoc dubio explicato, explananda eſt doctrina Galeni ſuperiùs tradita, patet enim obiectionibus non paucis, quarum prima eſt.Si corpus temperatum operationes habet perfectiores, & omnibus morbis magis reſiſtit, ex Galen. *lib.art.medic.cap*.5.& non virtute, ſed & viribus reliquis præſtet, 1.*de temper.cap*.5.probat Ariſt.5.*probl*.21. quomodo hanc ponit in quinto loco? Dic, temperatum collectiuè omnes operationes perfectiores habet, & ſimiliter omnibus morbis magis reſiſtit: cæterùm diſtributiuè minùs reſiſtit aliquibus morbis, quàm intemperatum corpus, ex Galen. *lib.de opt.corp.conſt.cap*. 6. Quòd enim non habeat ſingulas operationes perfectiores,oſtenditur, quia inter ætates (de his enim eadem ratio eſt, ac de complexionibus) adoleſcentia temperatiſſima eſt, 9.*de ſanit*. 2. tamen in operationibus naturalibus à pueritia ſuperatur, vt ibi docet Galen. *& 3.de cauſ.ſympt*.8.& non modò in illis, ſed etiam in vitalibus ſuperatur, 3.*prog*. 34. *& 3.de ſympt. cauſ. cit*.temperies calida, & humida inter omnes optimam coctionem, & nutritionem habet, & melancholici omnium ſapientiſſimi ſunt 30.*probl*.1,explanat eloquenter Valleriola 6.*enarrat.vltima*,& hæc potior ſolutio quàm interpretum ibi, Thom. de Garbo *ſum*. 4. *tract*.2.*quæſt*.9.Cardani *lib*.2.*com.tract*.6. *quæſt*. 14. Lege Thomam à Veiga *in com.c*.8.*cit.loc.art.med. Gal.* Valleſ. 1.*cont*.11.Mercatum *tom*.1.*part*.1.*quæſt*.52.

Plurimi Auic. interpretes aliter reſpondent Galenum 8.*meth.cit*. aſſignare ordinem facilitatis incidendi in febres, indicatione tantùm deſumpta à familiaritate temperamenti, ratione cuius temperatus faciliùs febre corripitur, quia ſcilicet habet temperamentum magis familiare, & conueniens cum intemperamento febrili: tamen indicatione ſumpta à robore virium, quæ multo eſt præſtantior,& potentior ad reſiſtendum, quàm contrarietas intemperamentis temperatum, febribus,& aliis morbis magis reſiſtere quouis intemperato arbitrantur.

Hæc ſententia recipienda non eſt.Primò, quia ſi Galenus *cit.loc*.tantùm adſcriberet temperaturas ratione maioris, aut minoris ſimilitudinis quam habent cum febri, ſecundum locum concedere calidæ ſimplici, hæc enim non intemperamento febrili maiorem ſimilitudinem habet, quàm temperatura calida humida,vt patet. Secundò Quia ad reſiſtendum plus poteſt contrarietas temperamenti, quàm robur virtutis, vt apertè conſtat 9.*meth.c*.16.quo loco ſic argumentatur Galenus: Frigidæ potus non lædit hominem ſanum, ergo nec lædet eundem hominem iam febrientem,quod non valeret,ſi robur virium plus poſſet ad reſiſtendum, quàm contrarietas temperamenti: vt enim patet, ſanus vires robuſtiores habet, quàm febriens. Tertiò. Quoniam Galenus 8.*meth. cit*. inueſtigat quænam temperamenta faciliùs febriant, & ab inedia magis lædantur ad exercitium operis curatorij, vt ſcilicet eos magis à febri, & inedia præſeruemus: Quare ſi temperata natura virium robore magis reſiſtit, ſimpliciter a Galeno dicendum erat temperatum febri, & inediæ magis reſiſtere: aliàs enim doctrina eius in opere curatorio falſa eſſet, cùm ſimpliciter aſſerat temperatum magis reſiſtere febri, quàm frigidum, quod tamen in opere,& à parte rei ex illorum ſententia falſum eſt.

Neque obſtat quod obiiciunt, temperatum debere habere operationes perfectiores, & debere magis reſiſtere omnibus cauſis morbificis, quia habet temperiem omnium maximè proportionatam formæ agenti. Nam temperata complexio dicitur maximè proportionata formæ agenti, ſolùm eo, quia ad omnes operationes accommodata eſt, ita vt ad nullam ſit valdè inepta, & ita Galenus *lib. art. med. cap*. 13.cerebrum temperatum omnia moderata habere affirmat, quibus verbis inſinuat

non

non omnes operationes perfectiſſimas habere. Similiter A
2. de temp 1. in fin. temperatus omnes tum naturales, tum animales virtutes inculpatas habet: intemperatus autem licèt ad aliquas operationes accommodatior ſit, ad alias tamen eſt valdè ineptus Eadem etiam ratione temperata complexio dicitur maximè proportionata formæ viuentis ad reſiſtendum morbis, collectiuè tantùm, quia ſcilicet nullus eſt morbus, cui licèt valdè parum non reſiſtat, tamen diſtributiuè ad reſiſtendum ſingulis morbis magis proportionata eſt intemperata complexio, vt apertè conſtat ex *lib. de opt. corp. conſtit. cap. 6.* Verbi gratia, frigida magis proportionata eſt formæ viuentis ad reſiſtendum cauſis calefacientibus, quam temperata, & ſic de aliis.

Secunda obiectio. Cur Galenus ad facilè incidendum B in febrem, calidam humidam temperaturam præfert humidæ tantùm; Oppoſitum enim ſuadetur: nam ex Auic. 1. 4. *cap. cit.* calida humida temperatura eò eſt magis parata ad febrem, quò humiditas magis ſuperat calorem: cùm igitur in humida tantùm, humiditas magis ſuperet calorem, quàm in calida humida, vt conſtat, erit illa ad facilè incidendum in febres magis parata. Dic, eadem ratione ſequeretur magis paratam eſſe ad febrem temperaturam frigidam humidam (quod nemo concedet) in hac enim humiditas magis calorem ſuperat, quàm in temperatura calida, & humida. Ad obiectionem dic ſolùm exceſſum humiditatis non præparare ad facilè incidendum in febres, & putredinem; ſed ſi iungatur exceſſui caloris: quibus duabus qualitatibus ſimul excedentibus, quò humiditas fuerit amplior calore, eò faciliùs in febres corpora C incidunt, quod *loc. cit.* ſignificat Auicenna. Conſule eruditiſſimum Carrerium *in Auic. 1. 4. tract. 1. cap. 2.*

HIST. XI. GAL. ET RAS.
De febri ardenti.

Febris ardens gelidæ potu ſanatur.

*QVi enim in feruoribus ſub Canicula ex ira febricitauit (iuuenis autem hic erat ſiccus, & calidus) vbi in prima acceſſione * duas frigidæ heminas bibiſſet, ſtatim quidem vomuit flauiſſimam bilem: non multò autem poſt etiam deorſum excreuit. Deinde cùm aqua circiter heminam ſimiliter ſumpſiſſet, iam febricitare deſiit, &c. Galenus* lib. 10. meth. cap. 5.

Quidam iuuenis febricitauit diebus canicularibus, & D *potauit hora inſultus aquam frigidam in quantitate vnius cocoli, & euomuit incontinenti choleram rubeam, & aſſelauit ſæpè, & poſt cibum ſumpſit aquæ frigidæ cocolos duos, & febris ceſſauit, &c. Raſius* lib. 3. continent. tract. 1. c. 2.

PARAPHRASIS.

INſtitutum proſequitur Galenus poſitò exemplo in iuuene calido ſicco, qui frigida epota, flauiſſima bile euomita conualuit, vt ſcias hæc corpora eſſe refrigeranda, & humectanda. Licèt autem Galenus, vt par eſt, pluribus eſſet vſus auxilis, tamen hoc ſolùm ſanitati fuit reſtitutus æger: Nam membra calore exſiccata, frigidæ potu refocillata, peccantem humorem per vomitum, & aluum expellere potuerunt, quod auxilium ad mitigandas ex ar- E dore ingenti febres, ſummum eſſe, veteres edocti à Galeno *lib. 9. meth. 4. 5. & 11. eiuſdem cap. 9.* & alibi vnanimiter confirmarunt, cuius ope natura alacrior facta, vtiles humores retinet, inutiles expellit per aluum, vrinam, vomitum, & ſudorem. De cuius potus vtilitate ſat plura diximus *lib. 2. in com. hiſt. 54.*

Sed quæres qui ſint dies caniculares, de quibus apud veteres, & iuniores celebris facta eſt mentio, & à quorum efficacia tot mutationes in corporibus humanis fieri experimento cognoſcimus? Hipqocrates *lib. 5. Aph. ſent. 4.* ſic ait. *Sub cane, & ante canem diffi i'es ſunt purgationes.* In cuius explicatione varij varia pronunciant, ſed *omni-ſcium* primò audiamus Galenum *lib. 1. epid. ſect. 1. com. 1. §. Canicula ſtella eſt illuſtriſſima, cuius ortus in æſtatem incidit, & hoc itidem aliqui nomine abutentes totius ſideris, canem etiam nominant, atque vniuerſo ſideri canis eſt nomen: ſtella verò quæ in eius eſt mandibula caniculæ, quam antecanem, non canem appelles, &c.* Ab hoc ſidere dies caniculares ſunt dicti, qui ſecundùm Galeni opinionem *lib. 2. de aliment. facult. in initio, & lib. de documento pueri epileptici, cap. 4. in fin.* ſunt viginti quidem ante, totidémque poſt caniculæ exortum.

Exoritur ſidus hoc ex Plin, *lib. 18. cap. 28.* tempore æſtatis ardentiſſimo, ſole primam leonis partem ingrediente, quanquam pro varietate locorum hic exortus à quibuſdam varius conſtituatur. Et licèt ab omnibus canicula dicatur, quum calor furibundus exæſtuat; tamen canis, & canicula, non vnum, atque idem eſt ſidus, ſiue aſtrum, ſed duo ſidera, ſeu duæ ſtellarum conſtellationes, vnam canem maiorem, alteram minorem appellant. Maiorem canem ex 29. ſtellis conſtare, minorem ex duabus ſolùm Rex Alphoſus, Principum Luſitanorum ſapientiſſimus, & mathematicus inſignis memoriæ commendauit.

Vtrumque aſtrum dicitur Sirius, & Plinius caniculam vocat maius aſtrum, *lib. 2. cap. 40. & 47. & lib. 9. cap. 6.* Idem firmant Iulius Firmicus *lib. 8. cap. 9.* Ioan. Potan. *in ſua vrania, ſiue de ſtellis lib. 3.* Galeotus Martius *lib. de promiſcua doctrina, cap. 36.* Cælius Rhodigin. *lib. 17. antiq lect. cap. 27.* Et nuper Petrus Winſemius *libello* de ſirio, metro 35. eloquenter.

Quantam ex his ſideribus ſublunaria ſentiant mutationem ſupra citati auctores vnanimiter retulerunt: Nam vt Plinius *cit. loc.* aſſeuerat, in horum exortu feruens materia, accenduntur ſolis vapores, fluctuant in cellis vina, mouentur ſtagna, canes maximè in rabiem aguntur. Quapropter meritò Galenus etiam vigere febres ardentes confirmat, *lib. 1. epidem. ſect. 2. com. 7.* quoniam ſidus hoc corpora vehementiſſimè calefacit, & adeò ingentiſſimi hoc tempore æſtus vigent, vt ſemina iacta non naſci ob caliditatis, & ſiccitatis exceſſum ſcriptum reliquerit.

Hoc ita eſſe experimentum teſtatiſſimam fidem facit: Nam aridum eſt corpus præ æſtu, quoniam feruidus ſirius, ignis ardentes immittit vicinior flammas, hinc illud Virgilij *Georg. 2.*

Atque vbi hiulca ſiti fundit canis æſtifer arua.

Et Æneid. 3.

Tum ſteriles exurere ſirius agros.
Arebant herbæ, & victum ſeges ægra negabat.

Et Æneid. 10.

Ille ſitim, morbòſque ferens mortalibus ægris
Naſcitur, & læuo contriſtat lumine cælum.

Quare Horatius *Illiad. 22.* ſic ait. *Lucidiſſimus quidem canis, ſed malum ſignum perficit, & multam febrim adfert miſeris mortalibus.* C. Tib. *lib. 1. el. 4.*

Et canis arenti torreat arua ſiti.

Perſius initio. 3. *ſat.*

Siccas inſana canicula meſſes
Iam dudum coquit, & patula pecus omne ſub vlmo eſt

Sic & Horatius *lib. 3. carm. Od. 13.*

Te flagrantis atrox hora caniculæ.

Et Od. 29.

Iam procyon furit, & ſtella veſani leonis,
Sole dies referente ſiccos.

Ouidius *lib. 5. Faſtor.* poſt ortum caniculæ

Tota ſitit tellus, perüritúrque ſeges.

Martialis *lib. 4. epigram. 66.*

Nec nocuit tectis ignis, nec ſirius agris.

Silius Italicus Annibalis pertinaciam deſcribens ita canit.

Nec puluere feſſum.
Agminis ardenti labefecit.
Flammiferis tellus radiis cùm exuſta dehiſcit,
Candentiq; globo medius coquit æthera feruor.

Auienus in Arato ſuo.

Liber veſtigia ſirius ardet, &c.
Cui plurimus ardor

Æſtuat in mento, multus rubor imbuit ora,
Stridet anhelanti face, peſtifer aëra motu
Torret, & immodici terras coquit ignibus aſtri.

Aratus latinè conuerſus ſic ſonat.

Ora canis ſumma accendit graue ſidus, & acri
Igne micat ſplendens, quo nomine ſirius audit.

Senec. *Oedip. act.* 1.

Non Zephyri leues
Spirant, ſed ignes auget æſtiferi canis,
Titan leonis terga Nemæi premens
Deſeruit annes humor, atque herbas color.

Valerius Flac. *lib. Argon.* 1.

Et Calabri populator ſirius arui.

Lucan. *lib.* 10. *Pharſ.*

Rapidos qua ſirius ignes —— Exerit.

Manilius ita cecinit *lib. Aſtron.* 1. *circa fin.*

Nunquam futilibus excanduit ignibus æther,
Squallidaq́ elusi deplorant arua coloni,
Et ſteriles inter ſulcos defeſſus arator
Ad iuga inhærenteis cogit fruſtrata iuuencos,
Aut grauibus morbis, & lenta corpora tabe,
Corripit exuſtis lethalis flamma medullis,
Labenteſq́ rapit populos, totaſq́ per vrbes,
Publica ſuſpenſis peraguntur fata ſepulchris.

Hinc fit vt præ æſtu, & calore ſub hoc aſtro canes concipiant rabiem: Nam mortalium, & mutorum animantium corpora extenuantur ob copioſum ſudorem, diffluùntque, ac penè exanimantur, ipſæ quoque plantæ corrumpuntur, neque enim humorem ex arido, planèque vſtulato ſolo, quo viuunt, haurire poſſunt. Tu verò de ſirij ortu, & effectibus lege Claudium Salmaſium immenſæ lectionis virum *in com. cap.* 32. *Solini.*

Ex iis liquet manifeſtè, quàm prudenter in huius iuuenis curatione ſe geſſerit Galenus, qui his rationibus ductus, in biliosa febri nec ſanguinem emiſerit, neque medicamentum purgans exhibuerit. Nam tempora quæ ſunt propè canis ortum admodum ſunt calida, atque ob id in eis à ſanguinis miſſione cauere præcipit, *lib.* 6 *epid. ſect.* 4. *com.* 44. vires enim debiles ſunt, & corpora flaccida valdè, nimis exuſta, & ſi tunc venæ ſectionem celebres, impensè nocebis, ita docuit Galenus 9. *meth. cap.* 15. §. *Temperatura calida ſicca maximè euacuationibus offenditur, &c.* hæc enim corpora cùm febricitant, facilimè reſoluuntur, nam ob caloris exceſſum, pororum amplitudinem, & tenuitatem ſanguinis, & ſpirituum prompſſimè deficiunt; quia illis virinm robur non adeſt, ex Gal. 10. *meth. cap.* 5. quare ſi iis venæ ſectionem exerceas, animo linquuntur, & vix refici poſſunt. Ita intelligendas eſt Gal. 1. *ad Glanc. cap.* 14. *in principio*, dicens. *Ob hæc igitur neque in locis ſupra modum calidis ſanguinem mittere audemus, ſed ſi regio ipſa, & temporis ſtatus conſentiunt, omnino abſtinemus.* Hoc modo alloquitur 11. *meth. cap.* 14. §. *Et omnino non mittes in tempore æſtatis, & regione æſtuoſa, & cæli ſtatu calido, & ſicco.* Ex iis edoctus Auic. 4 ... *c.* 20. ſic pronuntiat, & *caue tibi à ſectione in regione, aut complexione vehementis caliditatis, &c.*

Qnantum autem incommodum afferat purgatio hoc tempore celebrata docuit Hippoc. *cit. loc.* non quòd per ſe ſidus hoc purgationibus aduerſetur, vt arbitratur Manardus *lib.* 15. *epiſt.* 5. *in init.* ſed ob ingentem calorem, qui eo tempore fatigat: quoniam, vt Gal. ait *in com. exuſta eo tempore natura noſtra, purgantis medicamenti non acritudinem ſuſtinet.* Exuritur autem eo tempore natura, eiuſdem Manardi ſententia, non quòd ſtella canis vocata adurendi vim aliquam habeat, ſed ex accidenti noſtro aëri contingere, quia dum illa oritur, ſol & vertici noſtro magis propinquat, & in noſtro hemiſphærio longiorem moram trahit: Nam ſi à propria ſirij vi fieret, iis qui ad antarcticum polum eadem qua nos ad arcticum vergunt inclinatione, eos quos nobis calores iacularetur, quum tamen eodem tempore iidem maximè algeant, quo nos maximé æſtuamus.

Cauſa ergo ob quam exoriente ſirio laborioſæ fiant purgationes, ad immodicum aëris calorem eſt referenda: ſunt namque purgantia medicamenta cuncta Galeni teſtimonio, potentia calida, quare exuſta ab ambientis æſtu natura illorum calorem ferre non poterit, & ſic humores ebullientes furiunt, & febrem accendunt. Deinde natura ex vehementia caloris, imbecillis reddita, ampliùs ex purgatione diſſoluitur. Inſuper aëris calor attrahit ad partem externam, medicamentum ad internam, quo fit vt purgatio difficilis reddatur. Hoc voluit ſiguificare Auic. 4. 1. *cap.* 3. *Ad hæc regio meridionalis admodùm calida non parum obſtat, quum etiam purgantia medicamenta maiori ex parte ſint acria, & calida, coniunctio autem duorum calorum intolerabilis eſt; nam & vires in eiuſmodi regionibus ſunt imbecillæ, & laxæ, & calor exterior humores è corpore foras euocat, medicamentum verò intrò trahit, quare varia fiet attractio, & veluti quadam pugna, &c.*

Hæc ſatis ſint ad probandum meritò Galenum in curatione huius iuuenis non fuiſſe exequutum præſidia magna, ſed ſola alteratione vſum, illum ad ſanitatem perduxiſſe. Cùm enim ex ira febricitaret, & corpus tempore caniculæ eſſet incenſum nimis, refrigerationem, optimam eſſe ſibi perſuaſit, quam aquæ potu citiſſimè perfici, nullus ignorat. Exhibuit autem heminas tres, quæ menſura apud varias nationes varia eſt: hemina enim Attica, vt docet Galenus *lib.* 6. *ſec. gener. cap.* 10. capit vncias menſurales, quibuſdam nouem, quibuſdam duodecim, Arabibus verò plures: cuius potu natura recreata flauam bilem, febris cauſam, vtpote tenuem per ſuperiorem regionem excreuit.

QVÆSTIO XVI.

Vtrùm in bilioſis febribus, aquæ potus, ſenſim, aut aſſatim ſit concedendus.

COMMENTARIVM.

D*Vas frigidæ heminas bibiſſet.*] Celeberimus Medicinæ magiſter *lib.* 9. *meth. cap.* 5. tantam in frigido aquæ potu pro curandis continentibus ſpem collocat, vt has ſolo hoc præſidio, & venæ ſectione vſque ad animi deliquium eſſe curandas arbitretur. Sic enim inquiut. *Maxima verò continentium febrium remedia, hæc duo ſunt, detractio ſanguinis, & potio frigida &c.* De cuius vtilitate in ægris *lib.* 2. *in com. hiſt.* 54 & In ſanis *lib* 1. *in com. hiſt.* 66 aliqua laconicè licèt ſimus commentati, tamen hoc loco clariùs de eius vſu, conditionibus, & exhibendi modo diſſeremus.

Frigidæ potionis in febribus plurimos eſſe, eòſque non contemnendos vſus *lib.* 2. demonſtrauimus. Eius tamen potum reprobum eſſe, minimèque in bilioſis febribus concedendum firmat Hipp. *lib.* 3. *acut. text.* 40. quia ſitim non ſedat, immò amareſcit; & Gal. *in com.* ſic ait. *Hæc igitur quanquam optima ſit, multò tamen tempore in ventriculo manet fluctuationéſque plurimum parit, quo fit, vt cùm bilioſus ventriculus fuerit, corrumpatur & illa.* Idem etiam docet parum infrà, §. *Nam ſincera, puráque, &c.* & Hip. 3. *de fractur. text.* 49. manifeſtè in bilioſis aquam prohibet.

In contrarium tamen eſt Auicenna 1. 4. *tract.* 2. *c.* 7. dicens in febribus non eſſe prohibendam aquam frigidam, & illius interuentu humorem bilioſum Incraſſari, & concoqui. Hos autem auctores concordes reddes, ſi dicas primò ex Tralliano *lib.* 6. *cap.* 1. aquam idcircò dicendam bilioſam, quia non nutrit, & ſic calefaciendo, & exſiccando ſanguinem, inedia, bilem auget, quare exhibita in copia multa, præſertim in bilioſis, generatur bilis.

Solue ſecundò, ex Auic. 1. 4. *tract.* 4. *cap.* 4. quo loco docet hic auctor aquam frigidam ſubitò multa quantitate oblatam eſſe iuuatiuam valdè, quia ſcilicet febrim extinguit, cùm potentior ſit febri ipſa, contra tamen quando in pauca quantitate aſſumitur, & aſſidué corpus æſtuat, non enim ſuperatur illius caliditas, ſed per antiperiſtaſim roboratur, & intenditur, quare ipſa inflammatur, & igneſcit, qui modus explicandi ex eo quod apparet in fornace, confirmatur ſatis.

Tertio modo ſoluunt plures cum Hugone Senenſi *in con. c.* 7. 1. *tract.* 2. Auic. qui arbitratur aquam in bilioſis bilioſam eſſe, non quod corrumpatur, & tranſeat in

naturam

naturam bilis, nam hoc putat illi repugnare ob ſimplicitatem eius, & quia licèt exactè ſimplex non ſit, non tamē apta eſt conuerti in humorem aliquem, qua ratione non nutrit in bilioſis tamen fit bilioſa, quia quando bilis redundat, in ventriculo, aut in partibus vicinis, aut in venis, aqua ob ſui tenuitatem attenuat, & fundit bilem, & cum ea permiſcetur, & diſſoluitur, & quia omnis ſaporis, & coloris expers eſt, bilis etiam qualitates acquirit, & fit bilioſa, & bilis ab ea augeri dicitur, tum quoad phantaſiam, tum etiam quia ad corporis læſionem perinde eſt, ac ſi bilis aucta fuiſſet.

Quamuis autem hæc expoſitio à multis recipiatur, eſt tamen apertè contraria Hip. & Gal. decretis. Ille enim eam reprobat in acutis, quia in bilioſis bilioſa eſt, id eſt quia bilem auget, non ad ſenſum tantùm, ſed verè, alias in bilioſis non reprobaretur, quia calorem, & amaritudinem bilis remitteret. Galenus verò expreſsè *in com.* docet eam in ventriculo bilioſo corrumpi, per corruption. m autem non ſolùm qualitates mutat, ſed & formam, & ſic verè in bilem conuertitur.

Dic ergo & magis propriè ad Hip. mentem, aquam in bilem conuerti in bilioſis febribus, nempe quando ſola ſumitur, vt in acutiſſimis, in quibus ægros ſine cibo vſque ad ſtatum ſeruabat Hip. nam ita ſe explicat; *3. acut. cit*, dicens *eam neque tuſſim ſedare, neque ſputum educere, ſi quis aquæ potione prorſus vtatur*, id eſt ſi quis ſola aqua vtatur, & parum infra inquit, *Aqua & peſſima, bilioſiſſimáque eſt, & vires maximè labefactat vbi in vacuitatem venerit*, per quæ verba intelligit Muſa *in com.* ventriculi vacuitatem, hoc eſt, quando ventriculus fuerit vacuus Meliùs tamen explicat Galenus *lib. 3, acut. 49.* dicens; *aquā bilem facere, & vires conuellere, cùm ab inani corpore ſumitur*: Cùm ergo in morbis acutiſſimis prorſus ſumatur ſola, ab intenſiſſima bilis præxiſtentis caliditate ob ſuæ ſubſtantiæ puritatem, & moram in viſceribus, in bilem vertitur. Neque hoc illius ſimplicitati repugnat; nam licèt propter hanc nequeat ſola in humorem verti, ſicut & ſola nutrire non poteſt, poteſt tamen conuerti bili permixta, quemadmodum cum ſucco alimentitio in ſanguinem verti poteſt. Conſule Mercurialem. *lib. 2. variar. cap. 22.*

Reprobat ergo eam Hip. *cit. loco* ſolam: nam in medio alimentorum, & medicamentorum eam concedit, vt inter oxymel, & mulſam. Ita intelligendus eſt Hip. *6. epid. ſect. 4. com. 15. Percalido natura refrigeratio conuenit, potus aquæ, quieſcere.* Nam Auic. 1.4. *cap. cit.* eius potum in febribus putridis non interdicit. Qua ratione Gal. 31. *acut. 42.* reprobat Eraſiſtratum, qui Hippocratem accuſat, tanquam ægros excruciantem ſiti, quod quàm falſum ſit, patet ex ipſo Hip. qui *lib. 4. de morbis in fin.* ſitientibus non ſolùm multam aquam, ſed valdè multam quouſque ſudarent, & vomerent, propinat; & Gal. *lib. de cauſis procatarct. c. 12.* Gorgiam adducit teſtem ad comprobandum magna cum vtilitate ſæpè id feciſſe, & *lib. de conſuetud. in princ.* & *lib. 4. acut. 12.* præcipuam curationis ſpem in potione aquæ frigidæ repoſitam eſſe aſſeuerat, modò non pernicioſè ægrotet, qui febri ardenti corripitur.

Quoniam verò intempeſtiuè exhibita grauiſſimas ſolet afferre noxas, ideò, vt cum magna vtilitate, & citra noxam propinetur, aliquas conditiones obſeruare oportet, quarum prima eſt, ne ſit humor crudus, & craſſus, quæ conditio nondebet intelligi diſiunctiuè, ſed copulatiuè: Nam etiam ſi humor crudus ſit; non tamen aqua frigida eſt prohibenda, quando tenuis eſt, & calidus, quoniam illius interuentu concoquitur, vt docet Auicen. *1.4. tract. 2. cap. 7. §. Et aqua quidem frigida facit illud, &c.* Similiter, etiam, etſi humor craſſus ſit, quando iam eſt concoctus non eſt prohibenda aqua frigida, vt patebit. Circa quam conditionem notandum eſt, non ſolùm prohiberi aquam quando humor crudus, & craſſus, eſt propria febris materia, ſed ſimul etiam quando in corpore reperiuntur humores crudi, & craſſi, licèt febris ex humoribus tenuibus oriatur.

Secunda conditio prohibens aquam frigidam eſt ventriculus debilis vel iecur imbecille, ſub qua conditione quæcumque membri nobilis, aut principalis debilitas in-

A telligenda eſt; & ſic nec in thorace, nec in ventre debet eſſe aliqua debilitas natiua, vel morboſa; tunc enim aqua frigida partes reddit languidas, & ad proprias actiones valdè ineptas, grauiſſimaque deinde excitat ſymptomata, aliquando gula ita afficitur, vt impediatur omnino deglutitio, quod viro quadragenario contigiſſe ſcribit Galenus *lib. 7. meth. 8.* quare Auic. *4.1. cap. 1. poſt. med. §. Et ſecunda quidem ſemita, &c.* in febribus cùm ventriculi debilitate, vehementis frigiditatis aquam prohibet. Et licèt hæc conditio de quacumque debilitate poſſit intelligi, magis tamen propriè de illa, quæ pororum laxitatem ſequi ſolet, eſt intelligenda; de qua Auicen. *2.1. doct. 2. cap. vlt. ad fin. §. Amplitudo quoque pororum, &c.*

Tertia conditio eſt, quando ventriculus frigidus eſt, aut hepar, ſi enim pars frigida ſit, ex gelidæ potu valdè lædi
B ſolet, ſiue frigiditas ſit naturalis ratione ætatis, & temperamenti, ſiue ſit morboſa, & præter naturam. Si ergo frigido exiſtente ventriculo frigidam propines, frigida illius partis intemperies intenditur, & illius operationes impediuntur vt *lib. 7. meth. cap. 8.* notauit Galenus.

Quarta conditio eſt, quando inflammatio in viſceribus adeſt, vt in ventriculo, inteſtinis, iecore, liene, & ſimilibus: Nam frigiditate ſua hic potus humorem concoqui, & excerni prohibet: obſtruit enim, & humoris reſolutionem impedit. Aëtius *tetrab. 4. ſerm. 1. c. 72.* addit ſacrum ignem, id eſt eryſipelas. Sed ipſe ſibi contradicit manifeſtè, qui *tetrab. 2. ſerm. 1. cap. 89. de febri lipyria*, hoc eſt de ignis ſacri circa viſcera affectione, in hoc affectu gelidæ potu cum vtilitate ſe vſum fuiſſe appoſita hiſtoria gloria-
C tur. Deinde reluctatur Galeno, hic enim *lib. 9. meth. cap. 5.* purū eryſipelas non aliter, quàm potu frigidæ poſſe ſanari contendit. Dic, prohibet Aëtius *gelidæ potum ante coctionis notas*, cum Tralliano *lib. 12. cap. 4.* & Celſo *lib. 3. cap. 17.* qui in febri peſtilenti quando maximè viget, gelidæ potum non propinat ante diem quartum, ſed in incremento ſummo, Galenus verò cum ſignis coctionis concedit: Dic ſecundò. Si ignis ſacer in viſceribus non valdè opprimit, intercidendus frigidæ potus, vt *tetrab. 4.* Aëtius docet? ſi verò febris eſt ardentiſſima, vruntur viſcera; tunc citiſſimè exhibendus ob imminens febris hecticæ periculum; nam tunc maior eſt vtilitas quæ ex febris intenſiſſimæ remiſſione ſequi ſolet, quàm ſit noxa ex impedita reſolutione humoris ſuborta, quod confirmat Galenus in locis
D multis à me *lib. 2*, recitatis.

Quinta conditio eſt, quando eſt dolor in neruis, hoc eſt quando in genere neruoſo, vel in cerebro debilitas adeſt, quod firmat Hip. *5. aph, 18.* dicens *Frigidum inimicum oſſibus, dentibus, neruis, cerebro, & ſpinali medullæ, calidum verò amicum.* Hanc conditionem propoſuit Auicen. 1. 2. *tract. 2. c. 7.* ſed verus interpres legit alio modo, (*aut ſit in viſceribus dolor*] id eſt ſi fuerit dolor aliquis collicus, aut iliacus, qui cùm ab humoribus frigidis, vel flatibus ſæpè oriatur; ex frigidæ potu exacerbatur valdè: ni ex calido, & tenui humore oriatur, tunc enim gelidæ potio ſummo eſt auxilio vt cum artis gloria experti ſunt Amatus *lib. 1. centur. 2.* & 58. Alexander Benedict. *lib. 20. c. 3.* quam etiam frigidam actu emplaſtri modo applicitam inteſtinorum tormenta perſanaſſe referunt Valleſcus Tarentanus *lib. 4. Phi-*
E *lon. cap. 28.* Ioannes Crato *lib. 4. epiſt.* ad Thomam Iordanum *fol. 398.*

Sexta conditio eſt, temperamentum pauci ſanguinis: ſic enim *cit. loc.* loquitur Auicen. quia tunc calor eſt debilis, & ſic partes à calore naturali deſtitutæ à frigidæ potu valdè læduntur, ſiue paucitas ſanguinis ex prolixa ægritudine, ſiue alia ex cauſa ortum ducat. Sic eſt intelligendus textus Galeni *lib. 7. meth. cap. 9.* docentis in corpore calido, & ſicco cum maiori metu, & cautela aquam frigidam concedendam eſſe, quàm in calido, & humido: illud enim minùs de ſanguine habet, quare *lib. 9. ſequenti cap. 5. ad fin.* dicebat, *Ideòque minus tuta his qui exiguum ſanguinem, carnemque obtinent, frigida potio eſt: celeriter namque ad ſolidas animalis partes peruenit, nulli quod eius vim frangat occurrens, &c.*

Septima conditio eſt debilitas caloris innati, hæc autem latiùs patet quàm ſuperior: calor enim naturalis

non ſolum ex ſanguinis, ſed ſpirituum inopiâ debilitatur. Deinde flaccеſcit in opere, & minuitur ex raritate totius corporis, vel partium principalium, vel ex mixtionis modo, vel ratione proprietatis occultæ, quæ duæ vltimæ cauſæ non niſi per experientiam cognoſcuntur.

Octaua conditio eſt diſſuetudo potandi aquam frigidam: nam, vt colligitur ex Galen. *aph.*50. conſuetudo duo facit, primum, vt alteratio minor ſit, ſecundum vt faciliùs, & minori cum periculo ſentiatur, & hoc modo inſueti potare frigidam, ex ipſius potione aliquando in grauiſſimas affectiones incidunt, & moriuntur ſæpè, vt contigit Philoſopho cuidam, cuius hiſtoriam refert Galenus *lib. de conſuetud cap.*1 qui febri licèt correptus, cum eſſet frigidæ inaſſuetus, Medicorum voto coactus, aſſumpta ipſa interiit.

Nona conditio, quòd æger ſit boni habitus, carnoſus, viribus valens, ſanguine, ſpiritu abundans, vt occurſum frigidæ citra noxam tolerare queat: Nam in iis qui exiguum ſanguinem, carnemque habent; minus tuta frigidæ potio eſt, Galen. 9, *meth. cap.*5. quoniam vbi corpus exangue, & parum carnoſum eſt, frigida ſumpta apta eſt extinguere innatum ignem. Quo pacto rectè pronuntiauit Auicen. 3. 1.*doct.cap.*8. aquam frigidam ventriculo ieiuno aſſumptam venenum eſſe. Inde etiam fit, vt febris hectica conſummata quamuis magna ſit, tamen non admittat copioſum frigidæ potum, ad quem requiritur craſſities carnis, & ſanguinis abundantia, quia hæc remoratur, & temperat aquam, antequam ad ſolidas partes perueniat, atque perinde ſecurior eſt dictus potus in ſanguineo, quàm in bilioſo.

Vltima conditio eſt, vt non adſit humorum cruditas, craſſities, aut putredo, hæc enim curatur partim coctione, partim vacuatione, quæ duo impediuntur potu frigidæ, quare in principio putridarum non conuenit. His de cauſis Paulus *lib.*2.*cap,*30.& Aëtius *tetrab.*2.*ſerm.*1.*cap.*72. in cauſo pendente à bile, quæ tenuiſſima eſt, non concedunt in initio dictum potum, ob obſtructionem, & putredinem, quæ tunc adſunt. Si autem cauſus oriatur ex ſola inflammatione bilis, negandum non eſt ſtatim à principio illius potum ſummo eſſe ex vſu, maximè cum Gal.6.*meth.* 5.in eryſipelate puro non expectet coctionis ſigna, & in principio ſynochi imputris hunc concedit potum. Vbi igitur adeſt obſtructio, aut humorum craſſities, coctio expectanda eſt, ſi non integra, ſaltem manifeſta vt conſtat ex Galen. 11. *meth. cap.*5. & 6. quò fit vt etiam in augmento hic potus vtilis ſit, licet Aëtius *cit loc.* in ſtatu concedat.

Sed rogabis, cur ad potum frigidæ expectatur humorum concoctio? Dic: quoniam ille potus ad ſequentes vacuationes maximè iuuat, quæ multò meliùs fiunt poſt, coctionem, tunc enim natura adminiculatur euacuationi, è contra verò ei valdè renititur, quando humores omnino ſunt crudi: tunc enim intendens eorum coctioni, illos valdè retinet, vt *lib.*1. *aph.* 22. probauit Galenus *Vtrum verò aliquando ante coctionem ſit exhibenda, lib.*2. *loc.cit.* prædiximus.

Licèt autem noſtro æuo ab vſu Medico hoc auxilium receſſerit, tamen cum aqua paulatim exhibita in febribus magni ſoleat eſſe momenti, idcircò addenda ſunt aliqua ſcitu digna, & apud Medicos controuerſa. Et primum de aquæ quantitate: *an paulatim, vel ſubito exhibenda.* Hippoc.*lib.*1.*acut.*43. tantam exhibet potionem, quantam quiſpiam vno hauſtu haurire poſſit, & 4.*acut.text.*5. propinat quantam æger voluerit, hoc loco duas heminas exhibet, & tertiam adiicit: & Galen.*lib.* 6.*meth.*5.& *lib.*11. *cap.*9. audacter, & vſque ad ſatietatem eam præbet. Auic. 1.4.*tract.*2.*cap.*7. heminam cum dimidia offert, docetque tantam eſſe bibendam, quouſque mutetur color, & æger tremat. Celſus *lib.*3. *c.*7. §.*Sed ipſa aqua frigida tantum ad ſatietatem data pro medicamento vtuntur. Vbi vtrumlibet factum eſt, multa veſte operiendus eſt, & collocandus vt dormiat. Ferèque poſt longam ſitim, & vigiliam, poſt multam ſatietatem poſt infractam calorem plenus ſomnus venit, per quem ingens ſudor effunditur, idque præſentiſſimum auxilium eſt. Sed in his tamen, in quibus præter ardorem, nulli dolores, nullus præcordiorum tumor, nihil prohibens vel in thorace, vel pulmone, vel faucibus, non vlcus, non deiectio, non profluuium alui fuit, &c.*

Hæ ſententiæ licet ſint variæ, poſſunt tamen hoc modo conciliari. Quando omnes conditiones conueniunt, tunc ad extinguendam febrim, & vt natura omnem cauſam morbificam prorſus expellat, aqua frigida ſumenda eſt vſque ad ſatietatem, & vltra etiam, quouſque æger rigeat, & immutetur color, hæc enim ſunt ſigna extinctionis febris, & contingunt, quoniam ex vehementi & ſubita refrigeratione partes circa ventriculum feriuntur, & ſpiritus ad interna retrocedunt, & refrigerantur. Hæc autem ſigna non ſemper ſunt expectanda, quia ſæpè periculoſa ſunt, & ſic ſufficit caloris, & ſitis extinctio, quæ ab aqua ſumpta vſque ad ſatietatem inducitur, ſiue vnico hauſtu citra anhelationem, ſiue pluribus bibatur, & ſæpè ſufficit quod ſumatur quantum vnica inſpiratione bibi poſſit: etſi enim ob febris caliditatem reſpiratio crebra ſit, & videantur non poſſe multum aquæ ſumere quin reſpirent, tamen propter actualem frigiditatem, quæ dum bibitur, thoraci & cordi communicatur, illis tunc crebra reſpiratio non ſit, quare accidit, vt ſæpè vnico hauſtu citra reſpirationem, ſufficientem aquæ quantitatem ſumere queant. Si verò propter difficilem reſpirationem non poteſt æger vnica vice multum bibere, tunc multis vicibus bibendum eſt ad ſatietatem vſque. Si verò deſunt aliquæ conditiones, tunc in minori quantitate propinanda, & cum ea cyathus aquæ calidæ permiſcendus, ex Aëtij mente *tetrab.* 2. *ſerm* 1. *cap.* 78. vel adiicienda olei roſacei, vel melini quantitas ad roboranda viſcera, ſic enim ob lubricitatem olei facilius aqua deſcendit. Noſtri loco olei, vel cum frigida, vel diſtillatitiis, ſyrupum roſaceum, vel violaceum permiſcent, vel cogunt ægros priùs ſumere ſaccharum album, vel roſaceum, vel tabellas diamargaritonis frigidi.

Sed magna, & contentionis pleniſſima eſt ambiguitas apud eos qui Auicennam interpretantur, quomodo auctor hic *citato loco* aſſeuerat, quod potione aquæ frigidæ febris bilioſa, vel ſanguinea tranſit in pituitoſam? quod placitum falſum apparet, quia ſequeretur ſanguinem, & bilem poſſe conuerti in pituitam, hoc enim fieri non poteſt, cum coctum non poſſit incrudari, & aſſum nequeat reuerti ad elixum, ex Auer. 3. *collect.cap.*4.

Admittenda tamen eſt doctrina Auic. quæ Galeni decretis minimè repugnat: Nam *lib.* 6.*epid.ſect.* 6. *com.vlt.* phreniti dem mutari aliquando in lethargum arbitratur, & hoc tribus modis poſſe fieri certum eſt. Primò quando propter intenſam refrigerationem ad curationem febris bilioſæ neceſſariam, refrigerato ventriculo, iecore, & venis, multa pituitæ & crudorum humorum copia coaceruatur, qui cùm putreſcant, ceſſante febre bilioſa vel ſanguinea, febrem pituitoſam committunt, ſed tunc potiùs dicemus febrem pituitoſam bilioſæ, vel ſanguineæ ſuperuenire, quàm hanc in illam conuerti.

Secundo modo fieri hæc tranſmutatio poteſt, quando in febre bilioſa ſimul abundat pituita cum flaua bile, & accenditur prius febris in bile, quia tenuior eſt, & calidior. Quare potu aquæ bilis caliditas extinguitur, vel ipſa reſoluitur, aut concoquitur, & remanet putredo in pituita, & tunc videtur quòd febris bilioſa mutetur in pituitoſã.

Tertio modo hoc poteſt accidere quãdo ſola flaua bilis redundat, quæ frigidæ potu immodicè refrigeratur, & humectatur: tunc enim licèt verè, & eſſentialiter in pituitam non tranſeat, mutat tamen temperamentum, & pituitæ qualitates, & conditiones, & ex vehemẽti refrigeratione craſſitudinem, & frigiditatem acquirit, & amittit calorem, & acrimoniam exuit. Et ita intelligendus eſt Galenus, dum phrenitidem mutari in lethargum affirmat: Nam ex præſidiis frigidis aſſumptis bilis refrigeratur, craſſior, & crudior redditur, & quamuis non mutetur in pituitam (hoc enim eſt impoſſibile) pituitæ qualitates induit, quo fit, vt ſicut antea calore, & acrimonia facultatem animalem excitabat, ſic contrariis qualitatibus eam conſopire valet, & hoc modo eſt exponendus

exponendus Auicenna. Ad rationem verò in contrarium allatam dicendum eſt, coctum verè incrudari non poſſe, ſed cum liquidius, frigidius, & humidius qualitatiuè redditur, aliquo modo incrudatur. De hoc argumento legendus Alzarius à Cruce *centur. 4. quæſitor. fol. 361.*

HIST. XII. TRALLIANI, de febri ardenti.

Febris ardens, purgatione curata.

NOui autem me etiam acuta laborantem febri purgaſſe: verum hoc, multâ diligentémque notationem requirit, & Medicum qui animo fuerit confidenti. Noui autem purgaſſe me medicamento quod ex malis cotoneis paratur, & horum penuria ſolùm vſum ſcammonio, quod enim ipſo non modo bilem, ſed pituitam meliùs attrahit, manifeſtum eſt, &c. Trallianus* lib. 12. cap. 3.

PARAPHRASIS.

QVantùm oporteat Medicos eſſe ſollicitos in exhibendis pharmacis pro acutarum febrium curatione, hoc exemplo monuit Trallianus, cùm enim expurgantia ferè calida ſint, ex Galen. 2 *acut.* 1. & *lib de curand. rat. per ſang. miſ. cap.* 12. & præſertim ea quibus vtebantur priſci, & febris ſit paſſio calida ſicca, fit vt cathartica febrem augeant, intemperiem calidam exaſperent, & iecur ſqualidum inflamment, 4. *acut.* 7. hac ratione 8. *meth. cap.* 4. aſſerit in febribus, oxymel, & aquam mulſam eſſe fugienda, in quibus medicamenta calida fuerint decocta, veluti origanum, hyſſopus, ſerpillum, & alia huiuſmodi, quia febrem accendunt ſiccitate, & caliditate ſua. Et *lib.* 1. *aph.* 24. in morbis acutis ſolùm concedit medicamenta purgantia quando humor turget, corpus eſt diſpoſitum euacuationi, & maior vtilitas quàm noxa ex purgatione ſequatur, quæ omnia rariſſimè conueniunt. His commotus Celſus *lib.* 5. *cap.* 1. refert Aſclepiadem propter iſtas cauſas medicamentorum purgantium vſum ſuſtuliſſe.

Licèt autem hæc cautum reddant Medicum in propinandis medicamentis expurgantibus, tamen ea in febribus putridis, acutis, chronicis, & in inflammationibus tam internis, quàm externis eſſe concedenda acriter contra doctiſſimum Thomam à Veiga contendimus, *lib.* 1. *in com. hiſt.* 63. & præter alias auctoritates quas eo loco adduximus, eſt alia eximia apud Galenum, qui 13. *meth. c.* 15. in inflammatione iecoris non ſolùm vrtica, mercuriali, cnico, polypodio, ſed cortice veratri nigri vtitur, & *lib.* 14. *meth. cap.* 19 *in medio*, in muliere illa Romana, quæ herpetem in malleolo patiebatur, vſus eſt ſcammonio.

Quapropter prudenter monuit Medicos Trallianus hoc in loco, vt in curandis febribus maxima conſideratione vtantur in propinandis pharmacis, & maximè ſi ſint continuæ, & vehementes: Nam tunc ad offerenda expurgantia Medicus debet eſſe generoſus, & arte Hippocratica dignus, ne febrilis caloris excandeſcentia perterritus, ruſticóve timore ductus ea exhibere vereatur, & ſic non vacuata morbi cauſa miſerè æger occumbat.

Audacter ergo & confidenti animo in febribus acutis medicamenta purgatoria exhibere oportet, in quorum numero ab antiquis erat repoſitum ſcammonium, ex malis cotoneis paratum, de cuius præparatione ad Galeni, & Meſuës mentem plurima diximus *lib. 2. in com. hiſt.* 92. Si tamen febris acuta ex ingenti ſanguinis, aut bilis feruore fuerit concitata, tunc exequendum eſt conſilium Auic. 1. 4. *tract. 2. cap. 7.* §. *Et magis dilectum eſt apud me adminiſtratio clyſteriorum, &c.* Intellige in ea menſura, ſeu virtute qua indigemus, quoniam lenientia exhibita per os magis nocent infuſis per clyſteres. Primò, quia inteſtina craſſa, in quibus materia clyſteris recipitur, ſunt ignobi-

A lia & difficilis ſubſtantiæ ad patiendum, ex quo minùs debilitantur vires, & corpus minori temporis ſpatio commouetur, quoniam ſi ſit lenis, ſuauiter abſtergit emollit, & febri nullatenus nocet.

Sed dubitabis, cur Trallianus, ſolo, hoc eſt incorrecto fuerit vſus ſcammonio, cùm hoc medicamentum fraudulentam habeat vim, & partes malitia ſua nimium fatiget? Dic: propinandum eſſe in parua quantitate; nam ſic exhibitum plus prodeſt vacuando cauſam, quàm nocet inflammatione ſua. Dic ſecundò, Trallianum incorrectum obtuliſſe ſcamonium, non per ſe ſolum exhibitum, ſed cùm aliis medicamentis permixtum in compoſitionibus à quibus, ſatis, ſupérque retunditur; & infræna-
B tur, vt in examine diaphœniconis optimè animaduertit Muſa. Sic incorrectum apponunt ſæpè auctores, & cùm innuere volunt præparatum, diagridion, vel ſcammonium coctum in pomo enuntiant. Hoc multoties aſtruunt Nicolaus Alexandrinus, & Meſuë in compoſitione pilularum aggregatiuarum, & de lapide armeno, & electuario de pſyllio, & Indo maiori, & in hiera, cui titulus eſt ex inuentione noſtra.

Deinde rogabis, quo pacto ſcammonium meliùs, hoc eſt priùs attrahat, euacuétque pituitam, quàm bilem vt hoc loco retur Trallianus, edoctus à Dioſcoride *lib.* 4. *cap.* 152. ſi Meſuë *tract. de ſimplicib. de ſcammonio*, cholagogum eſſe confirmat? Dic: ſententiam Dioſcoridis, & Tralliani maxima conſideratione eſſe explanandam: Nam licèt pituitæ hoc medicamentum aliquid euacuet, præſertim tamen bilem attrahere certum eſt pituitam verò
C non niſi tenuem, & paucam, ac eam fortè, quæ in inteſtinis tantùm abundat: alioqui ſi pituitam ex vniuerſo corpore alliceret, certè ducendæ pituitæ magis, aut ſaltem æquè aptum medicamentum exiſteret; quod falſum eſt, & priſcorum, recentiúmque Medicorum decretis aduerſum, vt tam multis eorum teſtimoniis probari poterat. Conſule Mathiolum *in com. Dioſcorid.* Dic vltimò, hoc modo explanandum eſſe Tralliani contextum, ac ſi dicat, *Quod ipſa non modo bilem melius, ſed pituitam attrahit.*

QVÆSTIO XVII.

Vtrùm plura dentur vera attractionum genera à facultate vacuo, calore, dolore, & ſiccitate, vt contra Galenum ventur Puteanus, & Valleſius: & contra me grauiter decertant Francatianus, Galindus, & Lopius Medici præclari.
D

COMMENTARIVM.

ATtrahit.] Multa ſatis, nì fallor, ſcitu digna, de facultate, ſeu proprietate medicamentorum expurgantium, certos, & ſimiles humores *lib. 1. in com. hiſt.* 25. & *lib. 2. in com.* 115. protulimus. Sed cùm poſt excuſos hos tomos, plurimi, iique non imi ſubſellij viri, plurima, fortiſſima tela, in me per literas coniecerint, ea in ſtudioſorum gratiam in propatulum reponere non grauabor, ſiquidem in hoc de tractionum differentiis argumentum ex profeſſo enucleandum incidimus.

E Medicamenta à proprietate purgantia, propter ſimilitudinem in ſubſtantia, hoc eſt ob ſimlitudinem in temperamento occulto, quod conſiſtit in quadam elementorum componentium proportione, attrahere humores, certa res eſt, ad quod genus pertinet attractio aliorum omnium, quæ certum aliquid trahunt, hoc eſt vim habent trahendi vnum, & non alterum, quo modo plantæ, & animalia, & ſingulæ partes animalium certa ſibi alimenta attrahunt.

Sed hoc placitum paulò obſcurius eſt. Primò. Si ſimilitudo purgantis eſſet cauſa purgationis, pharmacum aſſuetum ob maiorem ſimilitudinem contractam magis purgaret; contra experimentum; nam medicamenta conſueta fruſtrantur purgatione, ex Galeno *lib. 5. de ſanit. tuend. cap.* 11. aſſueti enim vſui veratri, ab hoc parùm, aut

nihil mouentur, ex Theophraſt. 9.*de hiſt. plantar.*18.Dic In purgatione vltra vim pharmaci magna cauſa eſt expultricis facultatis operatio orta ob irritationem pharmaci, quæ in aſſueto ob ſimilitudinem ceſſat. Dic ſecundò. Medicamenta conſueta non purgant, quia non ſolùm humoribus, ſed partibus ſunt ſimilia, ob quam ſimilitudinem à partibus tranſmutantur, & vim purgatricem amittunt; quia de potentia ad actum non reducuntur.

Secundò. Si ſimilitudo purgantis cum humore purgando eſſet cauſa purgationis, cur in ſuperpurgatione omnes humores vacuantur? Dic. In ſuperpurgatione vacuari omnes humores non propter vim pharmaci purgantis, ſed ob alias cauſas, ſcilicet dilatationem vaſorum, morſum irritantem expultricem, & debilitatem retentricis, quæ omnia à violentia maligni medicamenti conſequuntur. Sed adhuc inſtabis, ſaltem oportere quandiu in corpore manet portio aliqua humoris ſimilis cum pharmaco purgante, debere fieri illius attractionem quovſque in totum vacuetur. Dic: Purgationem efficit non ſola attractio medicamennti,ſed etiam expulſio naturæ,iuxta axioma Galeni *purgatio fit medicamento attrahente, natura verò expellente*.Vbi igitur in corpore minimum continetur de humore ſimili, non trahitur à pharmaco, quia plurimum renititur natura. Ob eandem cauſam accidit, vt in principio morbi in quo humor crudus eſt,& valdè retinetur à natura; feliciter purgatio non adminiſtretur.

Tertiò. Ex principio Geometrico conſtat, Quæcunque ſunt ſimilia vni tertio, eadem eſſe ſimilia inter ſe, ſi igitur pharmaca ſunt ſimilia humoribus quos attrahunt, cùm etiam membra corporis ſint ſimilia eiſdem humoribus, quum ab eis nutriantur, ſequitur pharmaca,& membra inter ſe ſimilia eſſe contra Gal. 2.*acut.*12.Dic. Principium illud Geometricum ſolùm notat neceſſitatem in his quæ eadem ſunt, perpetuò enim quæ eadem ſunt vni tertio, ſunt etiam eadem inter ſe. ſed non quæcunque ſunt ſimilia vni tertio, ſunt ſimilia inter ſe, quia ad ſimilitudinem non requiritur conuenientia in omnibus & ita fieri poteſt, vt aliquid ſit ſimile vni tertio propter conuenientiam quam cum illo habet in aliquibus, & alterum ſit etiam ſimile eidem tertio ob conuenientiam quam cum illo habet in aliis, quò ſit vt aliquando quæ ſimilia ſunt vni tertio, non ſint ſimilia inter ſe. Dic ſecundò. Non valet conſequutio, eadem enim ratione ſequeretur omnes cibos humanos ſimiles eſſe inter ſe. Dic tertiò. Pharmaca dicuntur aduerſa naturæ noſtræ, non quia habent modum mixtionis planè diuerſum à nobis ſed quia naturalem humorum conſtitutionem violenter ſeparant.

Quartò. Vnicum medicamentum ſimplex ſæpè trahit plures,& diuerſos humores, cum quibus omnibus ob ſimplicitatem ſuam non videtur habere poſſe ſimilitudinem, nam elleborus euacuat pituitam, & ſuccum melancholicum, igitur vel pituita, & ſuccus melancholicus habent eandem formam, vel elleborus habet duas formas, neutrum eſt dicendum: nam hoc aſſerere abſurdum eſt, quoniam vnius rei vnica eſt forma. Dic proprietatem temperamenti non eſſe formam ſubſtantialem, ſed accidentalem, quæ in ſpecie diuerſis ſimilis poteſt reperiri, quia nullum eſt mixtum, quod licèt ſimplex ad ſenſum appareat, & homogeneum, non ſit heterogeneum, & contrarias habeat facultates, ob varietatem partium ex quibus conſtat, ex Galen. 3.*ſimpl.* 14. quare impoſſibile non eſt idem medicamentum attrahere poſſe diuerſos humores, & diuerſa medicamenta eundem humorem. Sicut enim in alimento vno variæ reperiuntur facultates ob partium varietatem ex quibus componitur, ita etiam vnum pharmacum poteſt habere ſimiliudinem ſubſtantiæ ad varios humores attrahendos, ob diuerſitatem partium ex quibus conſtat.

Quintò. Si medicamenta purgantia attrahunt humores certos ob ſimilitudinem quam cum illis habent, cur non ſtatim poſtquam ſumpta ſunt attrahunt illos, & cur extra impoſita eos non attrahunt, ſicut magnes attrahit

A ferrum? Dic, vt medicamenta operentur, neceſſe eſt, vt actuentur à calore noſtro, cuius ope ſimilitudo à qua habent vim attrahendi, in actum prodit. Hinc ſit vt piper extra appoſitum non calefaciat: Nam ad eius qualitatiuam operationem requiritur, quòd intus aſſumptum à calore noſtro actuetur.

Sextò. Multa ſimilia ſe non trahunt, igitur ſimilitudo non eſt cauſa attractionis. Dic. Ad attractionem requiritur non quæuis, ſed certa quædam ſimilitudo. Dic ſecundò. Non dicimus omnia ſimilia ſe trahere, ſed omnia à proprietate attrahentia ſimilitudinem mutuam habere cum illis quæ trahunt.

Septimò. Medicamenta potiùs attrahunt diſſimiles humores ergo non ſimiles: nam agaricus attrahit pituitam, & euphorbium humorem aquoſum, qui humores

B ſunt frigidi, & humidi,medicamenta autem calida, & ſicca. Dic: non rectè inferri medicamenta ſimilia in modo ſubſtantiæ quæ ſequitur modum mixtionis, eſſe ſimilia in temperamento, quia hæc totius rei ſubſtantia, non ſolùm eſt elementalis, ſed ex influxu cæleſti etiam naſcitur, & non participatur ſemper ab eodem modo mixtionis elementorum, nec ab eadem præparatione materiæ: Nam ſicuti hominis forma non ſemper requirit eandem temperaturam in materia, neque eundem modum mixtionis, ſed ſolùm conuenientem qualiſcumque ſit: ſic proprietas iſta temperamenti requirit conuenientem præparationem in materia, licèt non ſemper eadem ſit, ideò poſſunt eſſe ſimilia in temperamento, & in omnibus qualitatibus, & diſſimilia in modo mixtionis elementorum.

C Octauò. Si medicamenta à ſimilitudine, & familiaritate attraherent humores, alimenta etiam eos attraherent, cum ſint magis familiaria, ex Gal. 3. *de ſanit.* 3. *&* 3. *de temp.* 2.Dic: Alimenta vinci & immutari à corpore, & ſic ſuperata attrahere nequeunt.Et ſi remaneant incocta, & cruda, non attrahunt humores, quia non ſunt actu ſimilia, ſed potentia.

Nonò. Attractio facta à vacuo extenditur vſque ad remota, facta verò à proprietate ſubſtantiæ, vſque ad propinqua, vt docet Galenus *lib.3, de natural. facult.cap.vlt.* Sic magnes non attrahit ferrum, niſi in diſtantia propinqua, atqui pharmaca contenta in ventriculo ſæpe trahunt non modò à vicinis, ſed etiam à remotis, & extremis corporis partibus, igitur attractio non ſit à ſimilitudine, ſiue proprietate ſubſtantiæ. Dic: Non negat Gal.

D *loc. cit.* trahentia à proprietate poſſe trahere à partibus remotis, ſed ſolùm docet tractionem à vacuo cùm ſit vehementior, ad remota extendi, & longiùs quam tractionem à proprietate, quod veriſſimum eſt.

Decimò. Si ſimilitudo purgantis cum humore vacuando eſt cauſa attractionis, cur pharmacum attrahit humores, & ij non attrahunt medicamentum? Reſpondet Galenus *lib.* 3. *ſimpl.*2 5. dicens *Verum eſſe purgantia medicamẽta eſſe quidem trahendis humoribus familiaria, verùm quæ trahunt,quodam modo eſſe efficaciora valentioràque,ſicut magnes lapis ferro;quippe qui ad ferri naturã accedat, inque ferri metallis reperiatur,eique magnoperè ſpecie perſimilis ſit,verum fortior eſt quodammodo,vt trahere ſit aptior quàm trahi,&c.*Interpretantur multi,ac ſi ille dicat pharmaca eſſe fortiora,&potentiora humoribus quos trahunt, ob annexum calorem; ſed hoc eſt falſum, nam inde ſeque-

E retur bilem attrahere violas, & tamarindos, quoniam hæc frigida ſunt, bilis verò calida, cuius contrarium demonſtrat experientia. Deinde bilis calidiſſima, & inflammata nimis attraheret rhabarbarum, vel aliud medicamentum calidum cholagogum, igitur proprietas peculiarem humorem expurgandi in calore non continetur, ſed ex intimis principiis emanat, ac defluit. Neque negandum eſt tractricem facultatem plurimùm iuuari calore quoniam hic motum promouet, cuius ope facultates cunctæ ad agendum vtuntur (ſic ſuccinum fricatum potentiùs trahit paleas) *lib.*3. *ſimpl. cap.*3.& Auic.1.1.*doct.6. cap.*3.§.*Caliditas omnibus virtutibus inſeruit, ſed tractrici magis, &c.* Dic ergo, ex eo bilem non attrahere rhabarbarum, quia in illa eſt vis paſſiua vt trahatur, in hoc eſt

vis actiua vt bilem attrahat.

Vndecimò. Si ſimilitudo eſſet cauſa attractionis, ſequeretur ſcammonium attrahere rhabarbarum, quia vtrumque eſt ſimile humori bilioſo, igitur ſi ſcammonium eſt ſimile rhabarbaro, & potentius illo, neceſſariò ipſum attrahet. Reſpondent plures, ſcammonium extra corpus non attrahere rhabarbarum, quia non ſunt actu ſimilia; ſed potentiâ: Nam ſi eſſent intra corpus aſſumpta, & reducta iam ad actum, & diſtarent, non eſſet inconueniens ſcammonium attrahere rhabarbarum. Inepta ſolutio, quia rhabarbaro non eſt diſpoſitio patiens vt trahatur, eo quod trahere non trahi ſit aptum. Firmat Auic. 1.4. *tract.4.cap. 1.§. Agens ſolùm cùm peruenit, & in patiente non eſt præparatio, non accidunt actio, & paſſio, &c.* Quare licèt hæc duo expurgantia, vni tertio, nempè bili, ſimilia ſint non eſt neceſſe vt inuicem ſimilia habeantur, ea videlicet ſimilitudine quæ ad attractionem exigitur, ad quam efficiendam oportet vt vnum ſit veluti agens, & mouens aliud veluti patiens, & motum, ac trahenti cedens quale certè rhabarbarum non eſt, vtpote totum agendi virtute præditum.

Duodecimò. Hæc proprietas attrahendi humores, ſeu ſimilitudo, proportio quædam eſt, ex Auer. *lib. 5. collect. cap. 22.* Sed hæc, cùm relatio ſit, non eſt de numero eorum quæ aliquid agunt, ex Ariſt. 5. *metaph. cap.* 15. Igitur, &c. Dic in omni attractione quæ fit á facultate attractrice multa conſiderari, nempè formam ſubſtantialem trahentis, huius formæ facultatem, & inſtrumentum quo facultas ad propriam obeundam operationem vtitur, & cauſa ſine qua non, & finis, ſeu cauſa finalis. Ita rhabarbarum à forma ſpecifica bilem attrahit, ſed hoc facit ſimilitudinis interuentu, quæ eſt cauſa ſine qua attractio fieri nequit. Sic in expulſione diſſimilitudo eſt cauſa ſine qua non expulſio fit, cauſa autem exercens poſt ſubſtantialem formam virtus expultrix eſt, quæ temperamento, tanquam inſtrumento ad excernendum id quod infeſtat vtitur, excernit enim hoc, & non illud, quia non ei aduerſum, & diſſimile, eſt & non illud. Ad eundem modum contrarium venenum antipathia, & inſita contrarietate (quæ relatio quædam eſt) agit tanquam cauſa ſine qua non.

Hæc ſunt validiſſima argumenta quibus Nicolaus Francatianus Venetus, Emanuël Gallindus Matricenſis, Antonius Lopius Olyſſiponenſis Medici præſtantes, commoti cum Putaneo *lib 1. de purgantib. medic. cap. vlt.* Galeni ſententiam irrident, exiſtimantis medicamenta attrahere humores ob ſimilitudinem ſubſtantiæ quam cum illis habent, quibus etſi difficillimis apprimè ſatisfecimus. Igitur rhabarbarum ſimilitudine & familiaritate ſubſtantiæ, & veluti ſympathia quadam, tacitóque naturæ conſenſu, qui ex modo mixtionis emanat, bilem expurgat, ita magnes attrahit ferrum, & alij fiunt admirandi effectus, quos priſci, & iuniores agentes de conſenſu, & diſſenſu rerum retulerunt.

Vacuum eſſe alteram cauſam attractionis, docuit Galenus *lib. 6. de vſu part. cap. 15. & 3. de naturalib. facut. cap.* 15. firmat Auic. 1. 1. *doct. 6. cap.* 1. negant aliqui: Nam vacuum non dari, nec illius eſſe actionis cauſam aſſeuerant, quum in rerum natura non exiſtat; cæterùm ij à veritate aberrant: non enim intelligunt res moueri, aut trahi, non quidem à vacuo, ſed ne illud detur, ſuccedunt enim ad implendnm id quod euacuatur, ne vacuum conſiſtat: abhorret ſummoperè natura vacuum, & conatu perpetuò arcere, vt rerum continuitas ſeruetur, vt conſtat in folle, cuius ſi cuncta foramina obſtruantur, nulla vis naturalis poterit aſſerem vnum ab alio ſeparare, niſi alicubi fiat ruptura, per quam aër ingredi ad locum implendum poſſit: Obeſt enim rebus omnibus vacuum docente Ariſt. 1. *metheor. cap.* 2.

Alij res moueri ad vacuum implendum concedunt, putant tamen motum hunc violentum eſſe, idque pluribus, rationibus confirmant, quas legat qui velit apud Scaligerum *in Cardanum de ſubtil. exercit.* 5. ferè per totam. Sed quod aqua v. g. per fiſtulam ſuctu attracta ſine impulſu, aut violentia, ſed naturaliter aſcendat ad im- A plendum vacuum, hoc argumento conuinci poteſt. Aqua non deſcendit naturaliter; ſed quieſcit, nullo corpore deſcenſum impediente, ne detur vacuum, ergo eadem propter ipſum finem, & vt non amittatur rerum continuitas, naturaliter aſcendit. Aſſumptum experimento conſtat, in clepſydra aqua plena, cuius ſuperius orificium ſi obturetur, per inferiora foramina aqna non profluet; ſed ibidem retenta manebit; quidquid aliter opinetur Chriſtoph. à Vega *lib. 2. de art. med. ſect. 5. c. 3. tit. de tractionum cauſis.*

Sed in hac tractione à vacuo valdè dubium eſt quodnam ſit mouens: Nam quòd non ſit vacuum ipſum, patet, quia cùm nihil ſit, agere non poteſt. Gentilis apud Auic. *loc. cit.* aſſerit in attractione à vacuo agens eſſe vim mo- B uentem vniuerſaliter inditam rebus: Cùm enim hæc inferiora duplici egeant conſeruatione, altera quæ paratur ex influxu cæleſti, altera, quæ à ſuo loco naturali, conſtant, vt inquit, duplici vi motrice, altera vniuerſali, per quam conantur prohibere vacuum, vt participent influxum cæleſtem; altera particulari, qua deferuntur in proprium locum, quòd ſi hæ duæ facultates inter ſe pugnant, ſuperat vniuerſalis, & ita aſcendit aqua, ex illa natura vniuerſali præualente particulari.

Contrà obiicit Vgo *cit. in Auic. loco*, & primò ſic. Sequeretur tractum ſurſùm, non eſſe laborioſum: ſicut enim aſcenſus olei ſuper aquam ſponte ſua, & ſine labore fit; quia pars aërea olei vincit, licet pars terrea eiuſdem huic aſcenſui renitatur, ſic in aqua cùm vis vniuerſalis ſurſùm ferens præualeat particulari deorſum ferenti; ſine vllo C labore conſcendit aqua, & ob eandem rationem in tractione à vacuo, non eſſet difficilius trahere ſurſùm multam aquam, quàm trahere paucam, contra quotidianum experimentum.

Secundò. In tractione à vacuo præſentíque aqua, & lapide, non eſſet maior ratio, quare priùs attrahatur aqua quàm lapis, nam etiam in lapide eſt principium illud motiuum vniuerſale, quod in tractione à vacuo vincit grauitatem lapidis.

Dic ad primum. In tractione à vacuo aqua ſine labore conſcendit, poſtquam per ſuctum vniuerſus aër extractus eſt, ſuctioni tamen reſiſtit aquæ grauitate ſua, & ideò ſuctio laborioſa eſt, & eo magis quò plus aquæ trahendum eſt.

Ad ſecundum dic. In motu à vacuo vniuerſalis natura conatur quàm maximè poteſt, ita prohibere vacuum, vt tamen ſeruetur ordo naturalis leuium ſuper grauia. Ideò in clepſydra, præſentibus aëre, aqua, & luto, pri- D mò quidem attrahitur aër, ſecundò aqua, poſtremò lutum.

Porrò licèt hæc videantur ſatisfacere rationibus Vgonis, & aliorum Philoſophorum, probabilior tamen videtur illius ſententia, aſſerens in tractione à vacuo motum grauium ſurſum non fieri effectiuè ab aliquo principio intrinſeco ipſis grauibus; quemadmodum Gentilis opinatur, ſed effectiuè prodire à principio extrinſeco mouente corpus contiguum grauibus attrahendis, fugam autem vacui, & appetitum quem habent corpora ad continuationem non eſſe cauſam effectiuam quare grauia aſcendant ſurſum, ſed eſſe cauſam ſine qua non; eadem planè ratione, qua qui violenter trahit lignum, trahit etiam ferrum infixum illi, fixio tamen ferri in ligno non eſt aſſerenda cauſa effectiua ſui motus, ſed tantum cauſa E ſine qua non.

Calorem eſſe cauſam attractionis pluribus in locis confirmat Galenus, *lib. 6. de vſu part.* 15. & 5. *ſimpl.* 17. & 13. *meth. cap. 3. §. Quæ attrahunt, ea morboſo calore attrahunt*, &c. & 7. *aph.* 1. & *lib. 2. de dif. feb. cap.* 13. Vtrùm verò calor verè dicatur trahere, an ſuſcipere. Galenus iis locis non explicat, Auicenna 2. 1. *doct. 6. cap.* 3. putat calorem non attrahere ratione ſui, ſed gratiâ vacui, ſic tractio olei ab igne lucernæ, ad vacuum reducenda eſt, quia diſſipato humido contento in poris vicinis, ſequitur ad replendam inanitatem humiditas diſtantior. Hoc modo inflammata pars excrementa ad ſe attrahit. Hac ratione fomenta in corpore pleno attrahunt ad affectam partem,

partem, 1.*acut.* 1.*& 6.aph.* 31.

Valleſius etſi doctiſſimus in hac dirimenda lite in luto hærere videtur dum *lib.* 7.*controu. cap.* 3. tractionem factam à calore àd eam quæ fit ratione vacui reducendam non eſſe affirmat. Primò quòd dicat Galenus *loc. cit.* quædam calore attrahere, vt ſtercora, & alia quæ vehementem obtinent calorem. Deinde ſi foueamus partem aliquam iuxta ignem fricemus, & vngamus reſina modicè calida, attolli cutem citra vacui periculum certum eſt. Eodem modo ſi quampiam partem thaphiſia illinamus, pars intumeſcet. Præthereà frigus per ſe materiam repercutit: ergo calor illi contrarius, per ſe attrahet. Denique ſucceſſione eius quod vacuatur, nunquam confluit magis, quàm vacuatum eſt: quum tamen ad partem phlegmone obſeſſam magis confluat, quàm quod vacuatum eſt, alioqui in tumorem non attolleretur pars. Vltimò ſuccinum calefactum potentiùs attrahit, & medicamenta quò calidiora, vehementiùs expurgant. Ergo attractio quæ fit à calore ad eam quæ fit ratione eius quod euacuatur, redigi non debet.

Sed hæc non valdè vrgere videntur. Neque enim nos cum Galeno negamus calorem attrahere, ſed per ſe, & propriè potentiam habere attrahendi inficiamur. Vel dic Galenum non ſimpliciter colligere calorem trahendi eſſe cauſam, ſed vel trahere, vel ſuſcipere: Nam ob calorem pars ampliùs quàm par eſt calefit, & ſic rarior, & parentior efficitur, & ad ſuſcipiendos humores redditur aptiſſima.

Altera verò ratio, qua ipſe velut Herculeo clypeo ſe munit, tantùm abeſt vt ſuam, quin noſtram confirmet ſententiam, & in ipſum retorqueri poſſit hoc modo. Frigus per ſe non repellit, ſed ſecundariò, & alterius interuentu, conſtringendo, & condenſando, vt patet ex Gal. 13. *met. cap.* 6. §. *Vacuatur autem quod impletum eſt non ſolùm iis quæ calefaciunt, ſed iis quæ refrigerant, & adſtringunt, &c.* quod probat Galenus *lib. de inæqual. intemper. cap.* 6. Ergo ſicut calor attrahit media reſolutione; ſic frigus mediante conſtrictione repellit.

Inſuper mirandum non eſt, cùm affectus caloris ſimplex non ſit quòd ad partem affectam plus attrahatur, quàm quod à calore diſſipatum eſt? hócque ob plures occaſiones accidere *ſuprà* docuimus. Demùm fatendum eſt calorem, tanquam inſtrumentum facultati attractrici inſeruire, ſic magnes, & ſuccinum ſi perfricentur potentiùs attrahunt, eò quod ſibi auxiliarem adiunxerunt calorem, calor enim pluſquam frigiditas tractrici facultati opitulatur, ex Auicen. 1.1. *doct.* 6.*cap.* 3. calore enim mouentur omnia, conſeruantur, perficiuntur, frigore mortificantur, immò immobilia fiunt, ex Galen. *lib.* 13. *meth. cap.* 21. Ergo calor per ſe non attrahit, ſed ratione vacui.

Dolorem eſſe cauſam attractionis vbique fatetur Galenus, præſertim *lib. de ſang. miſ. cap.* 8. *&* 2. *de diſ. feb cap.* 15. §. *Ita igitur dolor attrahit in affectas dolore partes fluxionem &c.* Id quod in dentium dolore, & arthritide quotidie experimur, in principio quorum ſæpè frigidus humor ac tenuis articulorum vincula, membranas, tendonéſque implens dolorem infert vehementem, ex quo, attracto ſanguine, tumor, rubor, atque calor in parte affecta conſpiciuntur.

Verùm hæc non probant, dolorem vnam eſſe ex attractionis cauſis. Neque Galenus id voluit vnquam, qui pluribus locis, dolorem fluxiones commouere, atque irritáre aſſeruit manifeſtè, vt 5.*aph.* 23. *& in art. med. cap.* 95. §. *Omnis præterea dolor fluxiones commouet, &c.* & 5.*meth. cap.* 4. *Vitandum*, ait, *ne dolor incidat, ac rurſus profluuium excitet, cùm nihil ſit quod ſanguinis profluuium magis quàm dolor proritet, ac phlegmonas augeat, &c.*

Huius rei prima ſit cauſa, quam Galenus profert *lib.* 11. *meth. cap.* 20. *&* 3. *de criſib. cap.* 10. Nam ex dolore partes imbecilles redduntur, & ſic ad ſuſcipiendos humores promptiſſimæ fiunt, quo pacto illi in dolentes partes potiùs decumbunt, quàm ab ipſis attrahuntur. Sed cur per dolorem in affectam partem humores confluant, explicat perbellè Galenus *lib.* 13. *meth. cap.* 3. Nam natura dolorem, vt triſte aliquod ſentiens, ídque ſolicita de animantis comodo, magno conatu expellere ſatagens, aliquid ex vicinis partibus, & extremis in affectam exprimit, atque eo confluente partem attolli in tumorem eſt neceſſe. Hoc docuit Galenus 5.*aph.* 53. dicens, *hæc enim eſt quædam ratio communis in iis quæ natura aliquid violenter excernit, vt ſanguinis, & ſpiritus impetus eò feratur, quibus duobus velut inſtrumentis natura vtens, ea quæ infeſtant per vim expellit. Hac ratione igitur & dolentibus partibus inflammationes adueniunt, natura excernere, atque expellere cauſam doloris properante.* Ergo dolor per ſe non attrahit. Lege Syluaticum *controuerſ.* 22.

Vtrùm autem ſiccitas à proprietate attrahat, quidam reſpondent cum Hip. affirmatiuè, hic enim 4.*acut.* 1. aſſeuerat *cauſum, id eſt febrem ardentem fieri cùm venulæ tempore æſtiuo exſiccatæ acres, & biliosas, quæ tenues ſunt trahunt ad ſe humiditates, quas ichoras vocant.* Deinde ſicca, & rara attrahunt, vt pannus, & funes, & ligna ſicca, & ripæ fluuiorum. Inſuper lana contorta humidum ad ſe corpus allicit, ita vt vaſis in quo altera pars immergitur, totam exhauriat aquam. Idem faciunt ſaccharum, & ſpongia, & alia huiuſmodi ſicca, quæ ex parte immerſa aquæ, tota replentur aqua.

Sed ij non ſatisfaciunt: Nam quæ à proprietate trahunt, propter ſimilitudinem ſubſtantiæ cum rebus attrahendis id efficiunt, ſicca autem cum aqua ſimilitudinem non habent. Gentilis *in extrauagantib. quæſt.* 22. ſoluit, affirmans ſicca attrahere aquam ob huius fluxibilitatem. Sed reiicitur, nam aqua non fluit ad ſuperiora. Nec etiam quadrat quod alij proponunt, denſari aërem ſpongiæ à frigiditate aquæ, & proinde aſcendere aquam ad replendam illam inanitatem. Nam contra facit, primò quia ſic potiùs ad replendam dictam inanitatem traheret aër ambiens ſpongiam; cùm multò tenuior ſit quàm aqua. Secundò, quia ſpongia non modo ſi immergatur aquæ frigidæ, ſed etiamſi ex parte mergitur in aqua calida, tota repletur aqua.

Quare dicendum videtur, non quæuis ſicca trahere ſurſum aquam, ſed ſolùm ea quæ valdè laxa, & poroſa ſunt. Vbi igitur hæc ex parte immerguntur aquæ, aër in poris contentus ſubmerſus intra aquam ex natura ſua aſcendit, & cogit conſcendere aquam ſupra poſitam, & ita in hoc exemplo aqua non trahitur ſurſum, ſed potiùs impellitur. In panno autem, quo fit deſtillatio, madefacto, & expreſſo, aqua ob grauitatem defluit ex ore pendente per internos poros, quare neceſſitate vacui conſequitur pars tenuis liquoris deſtillandi, quia magis eſt naturale aquæ graui deſcendere, quàm ſit contra naturam parti tenuiſſimæ liquoris aſcendere, & ita clareſcit aqua turbida, & omphacium.

Si verò velis exactiùs ſententiam Hip. interpretari, dicentis venas exſiccatas attrahere, intellige per exſiccatas, inanitas, vt ita velit venas euacuatas, ichoroſas humiditates ad ſe trahere: cùm enim tunc naturali appetitu impleti deſiderent, alliciunt ad ſe humiditates, vt ſe impleant, acres, & bilioſas, quæ æſtiuo tempore in corpore redundant. Ad aliud verò dicendum, contortam lanam non attrahere ad ſe aquam, ſed hanc potiùs per illam aſcendere, hócque facit appetitu naturali, quo nititur vt aridum ſubiectum, humidum, ac ſibi ſimile efficiat, quod aſſequitur dum ſenſim per poros ſpongiæ, aut lanæ, aut calcis aſcendens ſingulas horum partes humectauerit. Lege de hoc inſtituto acutiſſimum Ioubertum *lib.* 2. *paradox.* 7.

HIST. XIII. GALENI.
de febri ardenti.

Galenus, acutam, putridámque febrem ex fugacium fructuum vſu expertus, vena ſecta curatur.

Pater meus omnibus artibus apprimè inſtructus, præſcripta victus ratione me puerum à morbis intactũ ſeruauit.

Adoleſcens

Adoleſcens deinde factus cùm eſſem, in agro toto caniculæ tempore cùm fugacibus fructibus me impleuiſſem, in morbum incidi acutum, ſic vt ſanguinem mittere neceſſe mihi fuerit. Quumque, monente patre, ſequenti anno viuendi rationem obſeruarem, & de fugacibus fructibus niſi modicè attingerem, incolumis euaſi. At cùm ſequenti anno obiiſſet pater, liberaliter vnà in victu fructibus vſus, morbum incurri priori non diſſimilem, vt tunc quoque vena mihi neceſſariò ſecanda fuerit: ſed cùm ſequentibus annis ſemper ægrotarem ad annum vigeſimum octauum, quo tempore cum periculum adiiſſem, ne qua parte ſepto tranſuerſo iecur adhæret, abſceſſus eſſet, mihi ipſi vſum interdixi fugacium omnium, præterquam ficuum, vuarúmque exactè maturarum, hiſque ipſis, non immodicè ſicut anteà, ſed moderatè adhibitis, & adhibita diligenti de exercitatione cura, tum ne quid cruditate laborarem, immunis hactenus à morbo perſeueraui annorum multorum ſpatio, &c. Galenus lib. de ſuccor. bonit. & vitio, cap. 2. in fin.

Ego autem rigorem tertianarium ſum expertus, vt qui in iuuentute quater tertiana febri laborauerim, cauſo autem ſemel. Galenus lib. de tremor. rigor, & palpit. cap. 7. in fin.

PARAPHRASIS.

Galenum cæterorum mortalium inſtar morbis fuiſſe obnoxium, præſertim in pueritia, & iuuentute ob incautam victus rationem, ex hac hiſtoria fit manifeſtum. Nam animalia à principiis internis corripiuntur morbis, & maximè homines ob plures cauſas, quas perbellè tradidit Ariſt. in locis multis. Prima, quia homo eſt animalium medium, auctore Gal. 1. *de temp. in fin.* Sicut ergo inter homines, temperatus ægrotat frequentiùs, ſed citiùs conualeſcit, ex Ariſt. 5. *probl.* 22. ſiue ob conſenſum mutuum membrorum, quod Ariſtoteles ait, ſiue ob id, quia temperatum non admodum recedit ab omni extremo, & vitio, palam eſt parem eſſe vtrobique rationem. Secunda, quia homo inter animalia, inermis eſt, & debilis dempto capite, ex Ariſt. 2. *de hiſtor. animal. cap.* 1. & cutem habet proportione corporis tenuiſſimam, ex Ariſt. 3. *de hiſtor. animal.* 11. quare externis iniuriis crebriùs afficitur. Tertia, quòd omnium ſit ſanguine refertiſſimus, & ideò cadiſſimus, & idcircò ſolus patitur hæmorrhagias, ex Ariſt. 10. *probl.* 2. Nam habet venas craſſas, iecur magnum, 1. *de hiſt. animal. cap.* 17. calor autem, & humiditas humorum citiſſimè putrent, quare internis morbis frequentiùs corripitur, & febrit ex putredine, quapropter ſtercus humanum, & cadauer peſſimè omnium fœtent. Quarta ratio, & potiſſima, immodicus eſus, & varius, cum parciſſimo exercitio, quæ duo morbis occaſionem præſtant apud Hip. 6. *epid. ſect.* 3. *text.* 21. & apud Ariſt. 1. *probl.* 46.

Sed oportet appingere aliqua de varietate morborum iuxta varias hominum conditiones: Nam hominum ſtatus ſunt tres. Primi, diuites, vrbani, ij ferè viuunt valetudinarij ſecundùm aliquod membrum imbecillimum, ob voluptuoſum victum, & laboris inopiam, quorum inualitudines, ſicut & mollities incurabiles ſunt, ægrotant frequenter internis morbis, non admodum malignis, caducis, aut diuturnis; ratio conſideranti aperta eſt. Horum curatio, exercitium, cibi parcitas, & vbi res eſt vrgentior, ſanguinis miſſio, ex Raſio, 4. *ad Almanſ.* Purgandi ſunt parciſſimè. Primò, quia parum accumulant cacochymiæ ob delicatum victum. Secundò, quia in plethora, quæ plerumque abundat, purgans medicamentum inflammationem inducit, & ebullitionem. Tertiò, quia vires habent imbecilles, ob crudos humores copia opprimentes.

Secundi generis ſunt pauperes, labore tamen ſibi ſufficientes: his ſimiles ſunt ruſtici, mechanici, horum habitus iter homines optimus eſt, inculpata enim ſanitate fruuntur, rarò ægrotant, morbis tamen magis externis, eóque ex frigore maximè ortis, non valdè malignis: victus enim eorum magis ſimplex eſt. Hos Galenus temperatos vocat 5. *de ſanit. tuend. ad fin.* quòd ergo 3. *ſimpl.* 3. & 1. *epid. ſect.* 3. *com.* 1. appellauit eos bilioſos, intelligendum eſt de temperamento per laborem acquiſito, ſuperior autem locus explanetur de temperamento natiuo, illi ergo temperati ſunt: nam plus valet ad ſanitatem ſimplex victus cum exercitio, licèt prauior, quàm multò melior, ſed varius cum otio. Exemplum patet in his duobus ſtatibus hominum. Immò plus valet ſimplicitas, & ordo victus, quàm facultatis coquentis robur, ex Gal. 3. *prog.* 35. In hoc ſtatu hominum rarò exercetur phlebotomia, tum quia parum accumulant, tum quia labori committendi ſunt, 2. *aph.* 16.

Tertij generis ſunt mendici pauperrimi, qui prauiſſimis morbis, & diuturnis ægrotant, comitialibus abſceſſibus, vlceribus: Nam prauus victus, humi cubatio, immodicæ continuatio intemperantiæ plurimos morbos in illis exitant, 2. *aph.* 45. partim ob prauiſſimos cibos, partim ob imbecillem vim, quæ nec cohibere, nec corrigere malitiam poteſt. Ij omninò phlebotomandi non ſunt, ob debilitatem, & cacochymiam, parcè tamen purgandi, & ſic Galenus. 6. *de ſanit. tuend. cap.* 6. ex interuallis aluum ſubducit: Nam prauo vtuntur cibo, 2. *aph.* 36. quare bono victu paulatim fouendi.

Si verò diligenter inquiras, ad quam claſſem hominum ſit reducendus Galenus noſter? Dic ad primam: Nam ſe fructibus immodicè implebat, & otioſus erat. Deinde verò cùm ex reprobi alimenti copia, aquoſi, & putredini maximé parati in febrem putridam, & acutam incideret, ſecta vena curatus eſt, quod auxilium ad putridas febres curandas eſſe præſtantiſſimum, nulli puto non manifeſtum, & *ſupra* in Paraphraſi *hiſt.* 9. latè prædiximus. Deinde verò cùm ex fructuum fugacium eſu copioſo eadem febre eſſet oppreſſus, cum hepatis inflammationis periculo, quia in eam partem tantiſper decubuerat humor, cui ſanguinis miſſione eſt occurſum, (ſic enim abſceſſum vocauit Gal. 6. *aph.* 43.) tunc optimo in poſterum vitæ regimine, & exercitio vſus, immunis à morbo perſeuerauit.

Equidem conſideranti mihi amplius cauſam, ob quam cibus, putredinem gignere queat, multiplex occurrit, quam inter omnes Auicenna, laudatiſſimus auctor protulit, 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 1. quarum prima eſt propter malitiam ſuæ ſubſtantiæ, ratione cuius humor qui ex eo generatur, putredini eſt obnoxius, de quibus alimentis agit Galenus *lib. de cibis boni, & mali ſucci, cap.* 8. *ad fin, &* 1. *de diſ. feb. cap.* 3. §. *Voco autem praua cibaria, &c.* quo loco recenſet allia, cepas, naſturtium, porrum, braſſicam, vrticam, & quæcunque alia agreſtia.

Secunda cauſa eſt, quia licèt cibus ſit probi ſucci in natura ſua conſideratus, & ſecundùm familiaritatem quam habet cum corpore humano, nihilominùs tamen propter facilitatem corruptionis ſuæ, facillimè ſuccos gignit qui citò putredinem concipiunt: & affert in exemplum, lac, quod cùm ſit probi ſucci, facilè tamen alteratur, & corrumpitur, vt ſcribit Auic. 13. 3. *tract.* 3. *cap.* 2. *ad princ.* & 16. 3. *tract.* 1. *cap.* 2. *in fin.* quod depromſit ex Galen, 5. *aph.* 64. Idem accidit ouis ſorbilibus, piſcibus ſaxatilibus, & inter fructus horarios, moris, ex Galen. 2. *de alim facult. cap.* 11. quæ alimenta, etſi probi ſint ſucci, ſæpiſſimè tamen, quia promptè alterantur, & corrumpuntur, corpus cacochymia replent.

Quapropter ne ſumentibus noceant, tres obſeruari conditiones debent. Prima, quod corpus ſumens non ſit immundum ſecundùm vaſa, & multò minus ſecundùm ventriculum: ſicut enim in corpore mundo ſuperata à calore noſtro laudabiles humores conuertuntur, ita obtenta à cacochymia citò in vitioſos humores tranſmutantur. Secunda conditio eſt, ne miſceantur alimentis tardè coctilibus: Nam ob moram in coctionis officinis retenta ſimul cum illis vitiantur, vnde fit, vt Monachi qui ſolis piſcibus veſcuntur, rariùs morbis infeſtentur, quàm illi qui carnes anteponunt: & infantes ſolo lacte nutriri iubentur, quandiu lactantur, & ſimiliter laudantur hœdi, & vituli lactentes quando prohibentur à paſtu. Quo nomine etiam reprobatur mixtio carnium cum piſcibus, & multò magis mixtio duorum facilè corruptibilium, vt piſcium cum lacte, vel ouis ſorbilibus. Tertia conditio, quòd hæc recentiſſima ſumantur, & ferè nihil à contingente paſſa, quia facillimè etiam extrà alterantur, ſic à

tribus

tribus vitiantur: ab aëre, ab immundo corpore, à mixto alimento.

Tertia cauſa ob quam cibus putredinem parit, eſt quando eſt aquoſus, & mali nutrimenti, quales ſunt fugaces, & horarij fructus; cùm enim abundent aqueo ſucco ob paucam moram ſub ſole, ſeroſum ſanguinem generant, qui facilè de cauſa ebullit, & putreſcit, quod etiam extra in ſuccis herbarum non in ſolatis accidere comperimus. Nam præterquam quòd fructus omnes humidum habent aqueum, minimè lentum, & glutinoſum, quod partibus nutriendis minimè adhæret, & ſic derelictum à regimine naturæ, & putreſcens, morbos grauiſſimos concitat, quoniam ſua copia diſtendunt, frigiditate debililtant os ventriculi, humiditate relaxant: tamen fugaces prauioris eſſe ſucci teſtatur Galenus 2.*de alim. facult. cap.* 2.firmat Auic.3. 1.*doct.*2.*cap.*7. de quorum malitia,& noxis legendi Chriſtoph.à Vega *lib.*2.*art.medic.cap. de fructib.arborum.* Mercat. *tom.*1. *ſuor.operum lib.*2.*claſ.* 2.*quæſt.*164.*num.*65.*&* 66.quare illi qui per æſtatem his fructibus ſe ingurgitant, in febres putridas ſæpiſſimè incidunt, vt ſibi accidiſſe in hac hiſtoria retulit Galenus: Nam hi fructus ſanguinem generant ex facili occaſione ebullientem, nam ab illis ſanguis genitus, aqueus, & ſeroſus eſt. Hoc modo aſſerit Auic. 14.3. *tract.*1.*cap.*6.in homine hepatis frigidi, quoniam ſanguis eſt ſubtilis,& aquoſus, multoties febres accidere.

Quarta cauſa ob quam alimentum eſt cauſa putredinis, eſt quando non conuertitur in optimum ſanguinem, ſed ex eo humor frigidus generatur, cui cùm calor naturalis non dominetur, neceſſariò corripitur ab extraneo,& putreſcit. Affert Auic. 1.4. *tract.*2. *cap.* 1.in exemplum citrulos, cucumeres, & pyra. Differt autem modus iſte à primo, quia hic propter frigiditatem ſucci, primus verò ob prauitatem,& malitiam ſuæ ſubſtantiæ putredinem generat. Ob quam cauſam à cucumeribus Galenus abſtinendum cenſet. *lib.* 2.*de alim. facult. cap.*6. licèt bellè coquantur: nam frigidus ex ipſis ſuccus in venis progignitur, qui longo temporis tractu putreſcens noxas inemendabiles facit.

Quinta cauſa ob quam alimentum putredinem parit eſt, ob deprauatam præparationem,vt quando piſces cum lacte miſcentur, vel coquuntur in vaſe immundo, vel aqua putrefacta, vel friguntur in vaſe æneo aliquid æruginis habente, aut cum oleo rancido, axungia antiqua, butyro corrupto, vetuſto. Tunc enim non benè cibus à ventriculo amplexatur, ſed crudus remanens à natura non gubernatur, immò putreſcit, & febres putridas ferè progignit.

Sexta cauſa propter horam,veluti ſi intempeſtiuo tẽpore alimentũ ſumatur,vt ſi ſumatur quando prius acceptũ, coctum adhuc non eſt: Nam,vt dicebat Auic. 3.1. *doct.*2. *cap.* 7. *quod in corpore eſt deterius, eſt nutriens ſupra nutriens, quod non eſt digeſtum, mittere*: quam etiam cauſam affert, 13.3.*tract.*3. *cap.*2. quod etiam contingit ſi ſumatur cibus hora non conſueta, præſertim mutata repente conſuetudine, quod maximè reprobat Hip.2. *acut. text.*20. Hoc etiam contingit quando ſumitur multus cibus, poſt quem ſequatur exercitium, ſiue labor: Nam tunc crudum alimentum rapitur ad venas,ex Gal.1.*de alim.facult.cap.*2. dicens. *Carnes enim inanitæ rapiunt ex ventre ſuccum non modo ſemicoctum, ſed nonnunquam etiam crudum, aut incoctum,quum cibo ſumpto operibus ſe tradiderit,ob eamque cauſam hi grauiſſimis morbis poſteà prehenduntur. & ante ſenectam intereũt.*Idem etiam contingit,ſi poſt alimentum copioſum ſomnus ſequatur,nam non ſolùm capitis repletio, & fatigatio, ſed cruditas conſequuntur.

Septima, & vltima, cauſa, cibus putredinem gignit, quando in ipſius aſſumptione debitus ordo non ſeruatur, vt ſi præcedat craſſum, & ſequatur ſubtile, vt Auic.docet, 4.1.*cap.* 1.*ante med.* §.*Et nos quidem à nutriente terremur, &c.* Aduertendum tamen alimẽntum etiam eſſe putredinis cauſam ob quantitatem, quam natura neque tolerare, neque gubernare poteſt.

Sed quæres, cur ſpretis aliis fugacibus fructibus ſolùm deinde vſus eſt ficubus,& vuis; cùm illæ obſtruant, inflament, morbos cutaneos generent:vuæ autem, etſi dulces, & maturæ, tardè coquantur, & in bilem vertantur? Dic: quoniam inter autumnales fructus, ficus magis præſtant; nam valdè nutriunt,abſtergunt pituitam à ventriculo,ventrem proritant, facilè exeunt, quare ſi ſint maturæ,nihil omninò lædunt, maximè ſi parcè quiſpiam eis vtatur, vt faciebat Galenus: ſi quis enim eas largiùs eſitauerit, effatu dignam noxam perſentiſcet: Nam ſanguinem non admodum probum gignunt,quò fit vt ex ipſarum vſu cutanei repullulent affectus, & pediculorum copia in ambitu corporis ſuccreſcat: vuæ autem maturæ, hoc eſt dulces,& recentes, ſicut & ficus, inter autumnales fructus principatum obtinent, & fugacibus omnibus magis nutriunt, minimúmque praui ſucci habent, argumento ſunt vinearum cuſtodes, qui cùm duos menſes ſolis vuis,ac ficubus veſcantur, corpulenti admodum fiunt, robuſti, & viuidi, & maximè ſi vuæ ſint penſiles, & quæ hyeme recondi ſolent: Nam hæ humiditatem excrementitiam magis abſumptam habent, & membranulam exteriorem magis tenuem ſortiuntur, quapropter faciliùs à calore ſuperantur, de qua re lege Gal.*lib.* 2.*de aliment.facult.cap.*9.

HIST. XIV. AVERRHOIS.

Valida febris materia noxia ad artus tranſmiſſa, ſanatur.

*Icut mihi accidit quando ægrotaui cum febre fortiſſima, & * criticaui ex illa per apoſtema in teſticulis, eo quod mihi neceſſaria adminiſtrata non fuerunt, quare remanſi arthriticus, & podagricus,&c. Auerrhoës* lib. 7.collig. cap.31.

PARAPHRASIS.

*Atura repugnante irrita ſunt omnia,*dicebat Hip.*lib. de lege, num.*2.cùm ipſa ſit morborum præcipua medicatrix. Adeóque hoc verum eſt, vt ipſa ſi non poſſit per amplos canales, conſpicuóſque ductus humorem peccantem expellere,per oſtium meditullium vacuare, & ad ignobiles partes, vt teſticulos, & artus excernere contendat, & præſertim ſi ſit robuſta,& valida, hæc enim lethales morbos contemnit, vt monuit Galenus *lib.* 10. *meth. cap.*4. ſic experimento fidiſſimo compertum eſt ardentes febres,immò tertianas, eáſque maximè productas, in artuum dolores deſinere: Nam in febribus longis tubercula, & dolores ad articulos expectare oportet, ex Hip.4. *aph.* 44. hócque fieri ſola naturæ ope certum eſt, quæ eſt morborum medicatrix, ex Hip,6.*epid. ſext.*5.*text* 1.quæ ſuis ſemper viribus vſa, vtilia ſeruat, noxia expellit,ex Galen. 1. *feb.* 5. & ſapientiſſima cùm ſit, malum ſentiens,mederi ſummoperè geſtit, & ſudore,vomitu, ſoluta aluo, & reliquis vacuationibus hominem ſanat, & plura alia facit in animantis commodum, de cuius prudentia, & prouidentia multa conſcripſit eleganter Ioubertus *lib.* 1. *paradox.*6.

Hoc modo ex variis morbis in varios fieri metaptoſim probat Hip. 6. *epid.ſect.* 6.*text.* 8. *qua ex quibus,* aut vt alij codices legunt,*quæ ex quibus, in quos,&* 1.*epid.ſect.*2. *text.* 10.*ſed his alia pro aliis.* Sic *abſceſſus, & fiſtulæ aliorum medela ſunt,* ex Hip.6. *epid. ſect.* 3.*text.*20. Et licèt tranſmutatio vnius morbi ad alium, abeunte priore aliquando ſit in ſolutionem,interdum in perniciem:tamen in auctore noſtro à prauis ad bona tranſmutatio facta eſt: Nam podagra minus eſt periculoſus morbus, quàm febris valida, & teſticulorum inflammatio non tantum periculum portendit, quum ſit in parte remota à corde, & fonte caloris,quàm cauſus, ex cuius ſæuitie alia emanant pathemata dira, quæ vires cordis, & viſcerum firmitudinem exſoluere queunt.

Sic metaſtaſis à membro nobili ad ignobile,bona: Nam tunc natura viribus ſuis vtens, quod alienum eſt expellere nouit, vt *lib.*1.*de diſ.feb.cap.* 5. monuit Gal. ſagax enim &

& prouida, principes partes, vt cor, hepar, in quibus fe-brilis caloris inſolentia efferatur, ſummis facultatibus or-nat, multis quaſi ſatellitibus circumpoſitis munit, eaſ-démque innato robore ad morborum inſultus tolerandos tuetur, ac defendit. Si verò non poteſt totam materiam peccantem deuincere, eam in ignobiles partes tranſmit-tit, quare priore ceſſante morbo, ſuperuenit alter. Hoc manifeſtè conſpicimus in Apoplexia, cui, ſi euadit æger, ſuperuenit paralyſis, vt docent Gal. 4. *de loc. cap.* 2. Auic. 1. 3. *tract.* 5. *cap.* 8. Eraſtus *lib.* 4. *diſput. contra Paracelſum,* Salius *ad cap.* 19. *Altomarij*; Amat. 4. *centur.* 22. & alij. Sic in fine intermittentium febrium bile flaua in ſpinam dor-ſi & neruorum origines effuſa, accidit paralyſis, monen-te Fernelio *lib.* 5. *patholog. cap.* 3.

Sed rogabis, quo pacto hæc febris dici poterat valida, & fortis, ſi fuit producta, & per abſceſſus ſoluta: nam acutæ febres iudicantur ſudore, hæmorrhagia, alui deie-ctione, & excretione per vrinam, diuturnæ verò per abſceſſus: nam vt ait Gal. 3. *aph.* 36. in longis morbis hu-mor tenuis eſt diſſolutus, remanet craſſus, quem ad in-fernas partes expellit natura, & ille grauitate ſua, pro-prióque momento deorſum vergit, vt ait Gal. 2. *prog.* 34. quare in acutis abſceſſus in ſuperioribus partibus, in chronicis morbis in inferioribus excitantur, ex Hipp. & Gal. 3. *prog.* 45. & 2. *eiuſd.* 62. tenuis enim humor leuita-te ſua aſcendit ſurſum. Dic: vocauit validam febrim, ve-hementem, per quam, febrim magni feruoris intelligere poſſumus, in qua ob collapſas vires, minuto calore in-terno, à febre vires proſternente, in proceſſu morbi ge-nerantur obſtructiones, cruditates, & craſſorum humo-rum copia repullulat, quos ad artus, partéſque inferiores criſi quadam tranſmiſit. Hoc modo ex ardentibus febri-bus hydrôps excitatur, ex phrenitide lethargus, & alij frigidi morbi ſuperueniunt.

Hanc autem tranſmutationem, criſim appellat, loquen-tibus nobis in latiori criſis ſignificato, & ſumentibus hoc nomen criſis pro ſolutione qualibet facta à natura: cùm ſola ſubita ad ſanitatem mutatio, criſis nomen mereatur, ex Gal. 3. *criſ. cap.* 2. Nam varia eſt criſis acceptio, & ſex modis fieri dicitur, vt docuit Gal. 2. *criſ.* 5. & 3. *eiuſd. c.* 1. de quo argumento lege pulchra apud Laurentium *lib.* 1. *de criſ. c.* 2. Ludou. Lemo. *lib.* 3. *de optim. prædicend. ration. c.* 1. & 2.

QVÆSTIO XVIII.

Vtrùm nomen criſis, iudicium ſignificet, an ſeparatio-nem humoris, & excretionem, vt contra Galenum Langius opinatur.

COMMENTARIVM.

CRiticam.] Licèt de criſi, criticis diebus, eorúmque cauſis, accuratè, & copioſè ſimus *lib.* 6. *in com. hiſt.* 17. verba facturi, tamen optima ratione à nobis *in com.* huius hiſtoriæ eſt conſtitutum, quod de criſis etymolo-gia diſſeramus: video enim plurimas criſis apud Galenum ſignificationes, quæ ambiguum reddunt Medicum, & ſi non rectè explicentur, in intelligendis libris de criſibus, & de diebus decretoriis valdè perplexum, cùm ad rerum cognitionem nominum diſtinctio valdè ſit vtilis, vt probat Gal. 3. *ſimpl.* 3. explicat Manardus *lib.* 2. *epiſt.* 1.

Criſis, ſeu iudicij vox eſt ambigua: nam variè ſolet definiri à Galeno *lib. enim* 2. *aph.* 13. & 23. & 3. *progn.* 1. & 1. *epid. ſect.* 3. *com.* 16. docet criſim eſſe ſubitam in morbo mutationem ad ſalutem, vel mortem, ad melius, vel ad peius. Sumitur etiam à Gal. 1. *de dieb. decretor. cap.* 1. *ad fin.* pro turbatione, quæ abſceſſus, & excretio-nes ſolet antecedere, quibus prædicta ſiue ad ſalutem, ſiue ad mortem ſuperuenit mutatio: nam, vt *lib.* 3. *cap.* 2. *de dieb. decret.* Galenus oſtendit, priuſquam morbus per abſceſſus, vel excretiones iudicetur, non mediocris in ægro corpore perturbatio efficitur, ſeparante natura à bonis mala, & ad excretionem properante, 2. *aph.* 13. Sumitur tertio modo criſis pro ſola ſubita morbi ſolutio-

A ne, ex Gal. 1. *de dieb decretor. c.* 9. & ex eodem 1. *acut.* 25. quo loco Galenus per criſim intellexit vel perfectam morbi ſolutionem, vel mutationem eam, quæ vſque adeò inſignis eſt, vt æger periculum omne euaſerit. Sumitur vltimò, vt vtrumque complectatur, & turbationem præ-cedentem, & ſolutionem repentinam, vt *lib.* 2. *c.* 11. *criſ.* ipſe pronunciat. §. *Eas igitur quæ cum magno, & repentino certa-mine fiunt morborum ſolutiones, quas præcipuè criſis nomi-naui, febrium earum quæ ex calidis humoribus accenditur proprias eſſe, eſt exiſtimandum, &c.*

Ex iis nominis criſis ſignificatis, ſolam repentinam ad ſanitatem mutationem, criſis nomen adipiſci dicendum eſt cum Galeno *lib.* 3. *criſ. c.* 2. & 1. *de dieb. decretor. c.* 9. & 3. *prog. com.* 1. quæ autem repentè hominem interficit, non ſimpliciter criſis, ſed mala criſis nuncupatur, ex Gal. 4. *acut.*

B 43. Illa verò acceptio nominis criſis, ſeu iudicij, ſecundùm quam quæuis morbi ſolutio, criſis appellatur, quomodo diariæ febres criſi ſolui dicuntur, & morbi etiam qui paulatim ſoluuntur 1. *de dieb. decretor. c.* 9 & 2. *eiuſd. c.* 5. ſed hæc criſis eſt impropria, ex Gal. *lib.* 2. *de dieb. decre-tor. c.* 11.

Inſuper vox *criſis* idem Græcis ſignificat quod Latinis iudicium. Dicitur à κρίνω verbo Græco, quod iudico, ſeu decerno ſignificat. Tranſlata verò eſt vox criſis à iudiciali foro ad morbos ex Gal. *lib.* 3. *de diebus decretor. cap.* 2. & 3. *progn. com. vlt.* & Auic. 2. 4. *tract.* 1. *cap.* 2. *ad finem,* & ſic inditum fuit nomen criſis ab analogia, ſeu ſimilitudine externi iudicij, quia quemadmodum in hoc datur pugna inter actorem, & reum, ita etiam hîc adeſt pugna inter morbum, & naturam, & fuit inuentum hominis vulgaris, vt inquit Galenus *lib.* 3. *de criſib. cap.* 2. qui cum ſympto-

C matis criticis, ſeu iudicatoriis adeſſet, ipſe re cogente pro-nuntiauit, quod iudicium tunc de vita ægrotantis agere-tur: nec enim Medicorum aliquis inuenit hoc nomen, ſed neceſſarium fuit, vt qui præſens adeſſet, conturbaretur, atque ideò exclamaret, & criſim, id eſt iudicium, rem ipſam appellaret.

Quia autem in criſi tria conueniunt, turbatio præce-dens, media excretio, ſeu vacuatio, poſtrema morbi ſolu-tio, controuerti poteſt, de quo ex tribus dicatur nomen criſis, quando videlicet diſtribuuntur in varios dies. Et li-cèt quæſtio ſit de nomine, Galenus tamen nomine criſis, magis perturbationem, quàm morbi ſolutionem appel-landam cenſet, cùm ita inquit, *lib.* 1. *criſ. c.* 2. §. *Et multò ma-gis adhuc eam agitationem quæ ipſam præcedit, nempe ſolu-tionem ita appellare conſueui, &c.* Ratio eſt in promptu:

D nam ſolutio citra perturbationem nunquam fit, quare ex ea criſis nomen inuenit, vt notat Gal. *lib.* 3. *c.* 2. firmat Aëtius *tetrab.* 2. *ſerm.* 2. *c.* 23.

Sed accedamus ad Langium acutiſſimum, qui *lib.* 1. *epiſtol.* 37. contendit criſim non ſignificare iudicium, ſed potiùs ſeparationem humoris, & ipſius expulſionem. Suum placitum triplici medio probare conatur. Primò, ex Galeno dicente, 2. *aph. com.* 17. *Fit autem criſis natura ſeparante à bonis mala, & ad excretionem properante, &c.* ſimiliter ex 4. *aph. com.* 22. quo loco Galenus aſſeruit ad bonam criſim requiri, quod præcedente concoctione, fiat, & poſtea ſequatur expulſio. Secundò, probat ex ipſa vocis ſignificatione: κρίνω enim verbum Græcum Latinis ſigni-ficat ſeparo, diuido, diſcerno. Tertiò, confirmat ex Gal. *l.* 3. *criſ. c.* 12. §. *Et quiſpiam homo vulgaris, cum iſtis adeſſet, ipſa re cogente ita pronunciauit, quod iudicium tunc de vita bo-minis ageretur, &c.* Quo loco inuentum fuiſſe hoc nomen

E non à Medico, aut Philoſopho docto, ſed à vulgari, aut idiota aſſeuerat Galenus. Concludit ergo in criſibus deſi-derari iudicem, qui in foro contentioſo adeſt: nec enim natura dicetur agere perſonam iudicis, ſed potiùs rei: nec Medicus iudex dicetur, cùm procuratoris, & patroni vi-cem gerat.

Porrò cùm Langius receptiſſimam verbi ſignifica-tionem euertere conetur, idcircò eius opinio admit-tenda non eſt, nec eius argumenta quicquam conclu-dunt. Dic ad primum, Galenum 2. *aph.* 17. *cit.* ſolam explicare cauſam perturbationis præcedentis criſim, di-centem cauſam perturbationis eſſe ſeparationem prauorū humorum

humorum à bonis. *Quarto vero aph.cit.* ſolùm explicat cauſam futuræ bonæ criſis, ſed in vtroque loco nunquam vocauit criſim, ſeparationem ipſam.

Ad ſecundum, Dic, κρίνω verbum Græcum ſimiliter ſignificat iudico: nam in iudicio fit etiam ſeparatio, quemadmodum optimè interpretatur Auic. 2.4. *tract.* 1. *cap.* 2. *in princip.* dicens: *Criſis contentio eſt, & ſeparatio in altercationibus, &c.* quod magis interpretatur in fine capitis. *§. Et ſcias quòd nomen criſis ſecundùm quod dixit ille cuius ſermoni creditur eſt deriuatum à ſeparatione prolocutionis quæ eſt vni duorum diſputantium, aut contendentium apud indices ſuprà aliud, quaſi ſit ſeparatio, aut exitus ab altercatione.* Quibus verbis Auic. apertè demonſtrat criſim, ſeu iudicium eſſe ſententiam prolatam, per quam ſeparatur ſubitò, non humor, ſed potiùs ægritudo, aut vita, quæ inuicem certabant.

Ad tertium. Dic: ob id addidiſſe Galenum *in lib.* 3. *c.* 2. *cit. ipſa re cogente*, ac ſi diceret rem ipſam coëgiſſe idiotam, vulgarem, nedum doctum, & Philoſophum Medicum vt ſic vocaret: Nec in hoc certamine deſideratur aliquid, quod in iudicio externo, & foro contentioſo adſit: nam morbus, actor eſt, Reus, natura, teſtes ſigna, Medicus, naturæ patronus, ſeu procurator. Criſis incompleta ſeu imperfecta, ſententia interlocutoria: criſis completa, ſeu perfecta, ſententia definitiua. Iudex, dies ipſe in quo fit criſis: nam dies ob hanc cauſam dicuntur critici, decretorij, ſeu iudicatorij. Et hoc modo Gal. 1. *de dieb. decretor. cap.* 4. comparat diem ſeptimum Regi clementiſſimo, diem verò ſextum tyranno crudeliſſimo. Ex his fit manifeſtè longè à Galeni mente aberraſſe Langium: nam ille non ſeparationem humoris, ſed ſubitam in morbo tranſmutationem, criſim vocat.

Si verò petas cum Conciliatore *dif.* 103. & Valleſio 10. *cont. cap.* 11. vtrùm criſes nocturnæ ſint frequentiores, & ſalubriores diurnis? Dic: perturbationes præcedentes euacuationem non ſolùm ſunt manifeſtiores noctu, quia interrumpitur ſomnus, vt inquit Gal. 2. *aph.* 13. ſed frequentiores, quia eo tempore potentiùs operatur natura. ex Gal. *lib.* 1. *de cauſ. ſympt. cap. vlt.* & quia commotiones humorum præſertim in acutis morbis magis fiunt noctu, quo tempore luna vehementiùs operatur, & ſic inundationes, terræ motus, & ſimilia frequentiùs in magno mundo noctu contingunt, ita Galenus *lib.* 3. *de diebus decretoriis cap.* 1. 2. & 3. cauſam dierum criticorum ad lunam eſſe referendam longa oratione contendit. At verò ſalubritas criſis non ex nocte, aut die colligenda eſt, ſed ex aliis quæ affert Galenus 1. *aph.* 20. ſunt autem indicia optimæ criſis ſummatim à Galeno ibi deſcripta, numero ſex. Primum ſi ſit per euacuationem. 2. Si ſit humoris noxij. 3. Si fiat ſecundùm rectum. 4. Si ſit cum tolerantia. 5. Si præceſſit exacta concoctio. 6. Si fuit facta in die decretorio.

HISTORIA XV. AETII,

Febris ardens, vigente bruma, citra coctionem, & viribus infirmis, lethalis.

NAm ſi aliquando contigerit, vt frigido exiſtente ambiẽte æger fortiter à febre exuratur, modicam ſalutis ſpem de ipſo habere oportet Si verò neque * *cõcoctionis ſigna affuerint in tali aëris ſtatu, neque vires fortes habere apparuerit, talem ſeruari impoſſibile eſt. Quare neque lauabis ipſum, neque inunges rarefacientibus medicamentis, neque vinum dabis, neque frigidam. In quibus enim deſperata eſt ſalus, vanum eſt auxilia multos ſeruantia imperitorum calũniis exponere. Proinde ego Medicos quoſdam noui methodi ignaros, qui imitati ſunt ea quæ à nobis fieri ſolent, & vſi ſunt iis auxiliis, in iis qui penitus mortui fuerunt, & neque quicquam profeciſſe, & opportunum ipſorum vſum ſuſpectum, ac horrendum feciſſe. At nos, & temporum occaſiones, & auxilia deſcribimus in iis qui ſeruari poſſunt: nam qui incurabiles ſunt ægri, iis neque occaſio, neque auxilia commodant, &c.* *Aetius* tetrab. 2. ſerm. 1. cap. 78.

PARAPHRASIS.

DIxerat priùs Aëtius febribus ardentibus duo eſſe præſidia vtiliſſima, & balneum, & chamæmeli decoctum. Illud enim humorem peccantem per totum corporis habitum, tum reſoluit, tum viſcera refrigerat, & igneum calorem valdè contemperat, fuliginoſa excrementa educens, vt *lib.* 11. *meth. cap.* 20. & *lib.* 3. *acut.* firmauit Galenus. Hoc tepida caliditate prouocat ſudorem. Sed hæc duabus conditionibus præhabitis adminiſtrari debent, vt docuit Galenus *in hoc lib. cap.* 9. *§. Sanè totũ corpus prius, quã id vacuaueris, rarefacere non expedit. vbi vacuatum eſt, vtique licebit id medicamento aliquo, cui calor tepidus inſit, rarefacias, cuiuſmodi eſt quod ex chamæmelo conficitur, &c.* Sed hæc auxilia duabus conditionibus celebrari debent. Prima vt adſit coctio in vrina, ſecunda vt vires ſint fortes, & robuſtæ: nam ad balneum neceſſaria concoctio eſt, vt ibi *in cap.* 20. Galenus affirmat. *§. Balnea in febribus adminiſtrabis quando multitudo crudorum humorum, in primis venis non continetur: nam ex eo horum copia in totum corpus digeritur, &c.*

Sed in hac re dubium eſt maximum, cur nempe Galenus non concedit balneum niſi poſt coctionem, ſi balneum coquit ex Galeno *lib.* 1. *epid. ſect.* 2. *com.* 44. Dic. Galenus balneum miniſtrat poſt vacuationem non omnimodam, patet ex verbis Galeni, *balneóque, cùm in remiſſione febris adhibetur, corpore iam mediocriter tranſſpirante, non exiguum affert commodum, &c.* Quapropter balneum in remiſſione febris eſt conſulendum, vt reſiduus humor coqui poſſit.

Deinde ſi vires non ſunt alacres, balneum eſt inutile: nam balneum ſpiracula cutis relaxat, ſudorem prouocat, ſanguinem, & ſpiritum reſoluit, & ſic euacuat, totúmque corporis habitum exhaurit & vires minuit, vt *lib.* 4. *aph.* 2. monuit Galenus. Quare Hipp. 3. *acut.* 59. illud in ſumma imbecillitate vehementer negat: *quoniam viribus reſolutos amplius euertit*, vt Galen. inquit. *in com.*

Si ergo febris ardens incocto humore, vires validas apprehenderit, tunc nec vinum dabis, neque frigidam offeres: hæc enim citra coctionem offerenda non eſt, neque cùm vires ſunt inualidæ, vt latè *in com. hiſtor.* 2. ſuprà notauimus. Illud, ſi ſit aquoſum, crudos humores intempeſtiuè in totum deferet corpus: ſi ſit vinoſum & nimis calidum, inflammabit viſcera. Id præcepit Galenus *lib.* 1. *ad Glauc. cap.* 14. *in med.* dum ſic inquit, *Sed aduertendum eſt, an aliquid ſit quod prohibeat huiuſmodi exhibitionem: velut ſi aliquod vnũ ex viſceribus inflammationem patiatur, aut caput vehementiùs doluerit, aut paſſio aliqua quæ delirare cogat, aut febris incendens in morbo crudo: magna enim, & quaſi inſanabilia ex potu vini in huiuſmodi affectibus nocumenta proueniunt, &c.*

De ſecunda conditione quæ vires reſpicit, illud ſciendum eſt, quod ſi in febre ardenti incoctus ſit humor, & vires ſint debiles, tunc iam in malis eſſe ægrum eſt exiſtimandum; quum enim concoctio à valido calore perficiatur, ſi hic puſillus eſt, & remiſſus materiam peccantem concoquere haud poterit: nam vires in calore, hoc eſt ſanguine, & ſpiritu permanentiam obtinent, vt docet Gal. *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap.* 9. quare ad curationem omnium morborum exigit Gal. vitalis, animalis facultatis robur, *lib.* 7. *meth. cap. vlt.* & 11. *meth. cap.* 9. ad febrium putridarum curationem, naturales vires firmas prærequirit, nec citra rationem: illarum enim curatio, coctione, ſeparatione, & excretione perficitur, quæ facultatis naturalis ope perficiuntur.

Porrò adeò vires neceſſariæ ſunt in omni morbo, vt eas fortes, & lethales morbos contemnere aſſeueret 10. *meth. c.* 4. vt ex earum firmitudine, & robore, ægri ſalutem, & victoriam morbi ſolum expectet *l.* 10. *meth. c.* 5. nec mirum; nam vita nihil aliud eſt quàm ipſæ vires, aut earum actiones; ita monente Gal. *lib.* 9. *meth cap.* 10. *in princip.*

Quare

Quare in coctione humoris, & virium firmitudine totius ſalutis ſpes repoſita eſt, quia coctiones iudicij celeritatem pollicentur, ex Hipp. 1. *epid. ſect.* 2. *text.* 45. ita vt morbi qui ſine coctione finiuntur, maligniùs retrocedant, 3. *criſ.* 4. *&* 2. *aph.* 27. præſertim ſi vires ſint inualidæ, quarum auxilio humor concoqui, & excerni debet.

Hæc omnia ſummum periculum portendunt, maximè ſi febris hyeme contingat, quæ hoc tempore inualeſcens, deterior eſt, quàm ſi fieret æſtate, contra Dioclis ſententiam, qui refert Galenus 2. *aph.* 34. putabat cum aliis febrem ardentem factam hyemali tempore faciliùs ſanari, quàm ea quæ fit in æſtate, cùm contrarium maximè ſit verum: quoniam febris hyeme generata, maiorem, & vehementiorem cauſam arguit: ſi enim temporis contrarietas non potuit vincere cauſam, neque febris ardentis generationem impedire, cùm ſanitatem haberet ſuffragantem cum virium robore, quæ cauſis morbificis repugnat, multò minùs poterit febrem iam factam ſoluere, deficiente ſanitate, & virium robore.

Hæc omnia ſi vni ægro aduenian, hunc ſeruari, inquit Aëtius, impoſſibile eſt; quod ita intelligi debet, vt licèt ex vi morbi mors prædicenda ſit, tamen aliquando euadere contingit; neque enim lethalia ſigna ſemper neceſſariò, ſed magna ex parte mortem afferunt, ex Gal. 5. *aph. com.* 2. ſic vtero gerentem capi acuto morbo, lethale, hoc eſt impoſſibile eſt, vt euadat, quum tamen plures grauidas acutiſſimis morbis prehenſas citra auxiliorum opem, ſed ſolo naturæ ductu ſaluari quotidiano experimento ratum ſit, vt probant Valleriola. *lib.* 4. *obſ.* 1. *& lib.* 6. *obſ.* 6. Hollerius *lib.* 5. *aph.* 30. Foreſtus *lib. de feb. obſ.* 27. *& lib.* 15. *obſ.* 22.

Quod ſi hæc omnia funeſta ſint, nihil nos agere oportet, ſed morbi finem prædicere, nam deploratos non oportet attingere, ne infamemus præſidia, quæ multis fuere ſaluti, vt prædixit Hipp. *lib. de art. num.* 4. & Galen. 1. *aph.* 8. *&* 2. *aph.* 29. quoniam tamen præfato mortis præſagio licet auxilia, vel grauiſſima in conclamato morbo adhibere. Medicus enim præſagiens culpa vacabit 1. *prog.* 4. & Celſo *lib.* 5. *cap.* 26. & multi citra ſpem mirabiliter ſanantur, ex Auic. 4. 4. *tract.* 2. *cap.* 10. Idcircò habito priùs præſagio de morte, aliqua non ſolùm in gratiam aſſiſtentium, ſed ægri ſunt celebranda, quoniam plures ſanantur, de quibus Medicus deſperat, vt ſcitè docuit Celſus *lib.* 2. *cap.* 6. Lege quæ diximus *lib.* 4. *in com. hiſt.* 63. & Galenum *lib.* 12. *meth. cap.* 3.

QVÆSTIO XIX.

Vtrùm coctio rectè à Philoſopho finiatur, vt contra eum voluere Argenterius, & Manardus, & an ſit dicenda alteratio ſecundùm qualitates, an ſecundùm ſubſtantiam?

COMMENTARIVM.

COncoctionis ſigna.] Argumentum de coctione, putredine, ad febres, omnéſque morbos curandos eſſe vtiliſſimum, affirmant omnes, qui in explicando argumento de febribus palmarium fecerunt: has alterationes eſſe inter ſe contrarias diximus *lib.* 2. *in com, hiſt.* 66. De putredinis natura ſat multa in hoc libro ſupra *in comm. hiſt.* 9. Modò coctionis natura altiùs inueſtiganda cum Philoſopho, qui inter omnes eius eſſentiam intimiùs explicuit *lib.* 4. *meteor. cap.* 2.

Concoctio eſt perfectio, quæ à naturali, proprióque calore fit ex oppoſitis paſſiuis, quæ ſua cuique materies exiſtunt. Hanc finitionem recipiunt omnes, vno excepto Argenterio *in com. cap.* 89. *lib. art. medic.* Gal. ſed immeritò, quia plenius omnes cauſas coctionis emedullat. Cauſa formalis illius eſt perfectio, & per perfectionem, non intelligit terminum, & finem alterationis, vt placuit Auerrhoi, ſed ipsā alterationem. Primò, quia ita explicat Gal. 1. *de natural. facult. cap.* 2. dicens: *coctionem; digeſtionem. & ſanguificationem eſſe actiones.* Secundò, quia idem Ariſtoteles diſtin-

A guit coctionem à fine coctionis, & *cap. ſequenti* diſtinguit maturationem à maturitate. Tertiò, quoniam verba illa, vt elixatio, aſſatio, coctio, alteratio motum ſignificant.

Intelligitur ergo per motum alteratio, ſiue tranſmutatio ducens ad eſſe perfectum: per hoc autem perfectior forma non intelligitur, quia hæc, ope illius, perfectior non acquiritur, vt quando lac ſumitur à puerpera, ex quo per coctiones plures aliud lac in vberibus generatur, quod non habet perfectiorem formam eſſentialem, quàm aſſumptum: ſimiliter etiam per ſuppurationem, quæ muturatio eſt, & ſpecies coctionis, acquiritur forma puris, quæ non eſt perfectior forma ſanguinis ex quo fuit generatum. Nec etiam per coctio-

B nem acquiritur perfectius eſſe, id eſt, mixtio maior, quia ex carne aſſumpta fit per coctionem chylus, qui non habet maiorem mixtionem, quàm caro. Dicitur ergo concoctio, perfectio, quia eſt tranſmutatio per quam aliqua perfectio vtilis ad aliquod opus, vt alitionem, vel ad aliud, comparatur.

Sed occurrit hoc loco in propoſita definitione dubitatio non inutilis. Vtrùm hæc mutatio ſit ſecundùm qualitates, an ſecundùm ſubſtantiam. Et quod ſit mutatio ſecundùm qualitates tantùm, apparet. Primò, quia definitur alteratio à Galeno, & eſt operatio facultatis alteratricis. ſed alteratio eſt motus ſecundùm qualitates, ergo coctio, mutatio eſt. Secundò, definitur à Galeno *lib. art. med. cap.* 89. eſt alteratio faciens ceſſare putredinem manente ſubſtantia, ergo etiamſi res cocta mutetur ſecundùm qualitates, eadem tamen ſubſtantia manet. Tertiò, bilis cruda, & flaua admodum eſt acris, & malè olens,

C cocta autem, & pallidior, & minimum malè olens, auctore Galeno 2. *acut,* 44. & in fructibus tunc maturatio, ſiue concoctio perfecta eſt, cùm ſemina quæ in eis ſunt aliud eiuſmodi quale ipſum eſt efficere valent, ex Ariſt. 4. *meteor.* 3. ſed iſta ſolùm mutantur ſecundùm qualitates, vt patet, ergo coctio non mutat ſecundùm ſubſtantiam, & formam.

Pro altera parte validiſſimæ ſunt rationes, quas præſtat auctorum firmare ſententiis, & oſtendere hanc fuiſſe Ariſt. & Galeni mentem. Primò, quia alimenta per coctionem non mutantur ſecundùm qualitates ſolùm, ſed etiam ſecundùm ſubſtantiam, & formam, vt cōſtat in coctione ventriculi, in qua alimenta non mutant ſolùm qualitates, ſed etiam ſubſtantiam, & formam, & in ſecunda coctione chylus mutat qualitates, ſubſtantiam, & for-

D mam, & in humores conuertitur, alioqui incideremus in opinionem eorum quos impugnat Gal. 2. *de natur. facult. cap.* 8. *ad fin.* afferentium extrinſecùs in cibis humores conſiſtere, & in corpore non generari.

Secundò. Coctio eſt oppoſita putredini, ſed putredo nō ſolùm mutat qualitates, ſed ſubſtantiam, & patet, quia definitur ab Ariſt. 4. *meteor.* 2. eſt corruptio, &c & à Gal. 11. *meth.* 8. *eſt mutatio totius putreſcentis corporis ſubſtantiæ ad corruptelam à calore extraneo,* ergo ſimiliter coctio eſt mutatio ſubſtantiæ, & confirmatur, quia coctio putredinem emendat, & finit *lib. art. med. cit.* ſed putridi humores præter intemperiem, & vitium in qualitatibus, ſunt etiam immutati ſecundùm ſubſtantiam, alioqui ſola alteratione per contrarias qualitates corrigeretur putredo. Non eſt ergo coctio mutatio ſolùm ſecundùm qualitates.

Tertiò, etiamſi coctio definiatur per alterationem, & ſit actio facultatis alteratricis, non perpetua eſt ſolùm

E mutatio ſecundùm qualitates, quia ſimiliter etiam nutritio quæ eſt mutatio ſecundùm formam, dicitur ſpecies alterationis à Gal. 3. *de ſympt. cauſ. cap.* 2. *poſt princip.* § *Naturalium actionū prima, ac propemodum maximè neceſſaria nutritio eſt, quæ alteratricis actionis quædam eſt ſpecies, &c.*

Quartò. Licèt Galenus dicat coctionem eſſe alterationem in ſimilem qualitatem eius quod nutritur, per qualitatem intelligit ſubſtantiam, & formam, ſiue ſpeciem, & hoc ſignificauit 1. *epid. ſect.* 2. *com.* 44. cùm dixit coctionem eſſe deductionem eius quod concoquitur in concoquentis ſubſtantiam: qualitatem autem apud Galenum quamplurimis locis ſumi pro ſubſtantia, forma, &

& eſſentia rei, eſt manifeſtum: nam 1. *aphor. 2. in princip.* aſſerit purgationem eſſe humorum, qui ſua qualitate moleſtant vacuationem, & *lib. 1. de facult. natural.* 10. aſſeuerat fieri non poſſe, vt aſſimilentur, mutentúrque inter ſe vlla, niſi ſocietatem aliquam, cognationémque in qualitatibus habeant; & 5. *de vſu part. cap.* 10. *poſt. med.* agens de partibus quæ ſanguinem expurgant ab excrementis, inquit, *neque enim trahere huiuſmodi excremẽta potuiſſent, niſi qualitatis communitas quædam cum excrementis ipſis interceſſiſſet*, & 3. *ſimpl. c. 25. in princ. Determinatum*, inquit, *eſt pleraſque perfici attractiones qualitatum familiaritate*, &c. Quibus locis per qualitatem non intelligit Galenus primas, aut ſecundas qualitates, ſed rei ſubſtantiam. Ergo ſimiliter intelligit, quando coctionem eſſe alterationem in ſimilem qualitatem definiuit.

At priuſquam dubitatio ſoluatur, notabis coctionem ſemper eſſe tranſmutationem ad perfectius eſſe, vt dictum eſt, & illius finis, inquit Ariſt. *loc. cit. meteor.* aliis natura exiſtit, natura autem eſt, quam veluti formam, eſſentiámque dicimus: aliis ad quandam formam contendi, id eſt terminus, & finis actionis, aliquando eſt noua forma, & ſubſtantia, ſæpè eſt eadem ſubſtantia, & forma, in eſſe tamen perfectiori,

Quare reſpondendum ad quæſtionem, per coctionem aliquando mutari rem ſecundùm formam, aliquando minimè, acquirere tamen perfectius eſſe in ordine ad aliquod opus. Aquiritur noua forma in coctione ventriculi, & iecoris, & per eas alimenta mutantur ſecundùm formam; in maturatione verò fructuum, & in coctione recrementorum, & humorum putridorum, ferè non acquiritur noua forma, acquiruntur tamen qualitates naturæ conuenientiores: cum hoc tamen ſtat, coctionem non eſſe ſimplicem alterationem ſecundùm qualitates primas; nam ſi talis alteratio eſſet, naturæ, & caloris natiui operatio eſſe non poſſet, res enim ſic ab extrinſeco alteraretur. Quò fit vt per coctionem non ſolùm res ſecundùm qualitates primas, , ſed etiam ſecundas immutentur, quia ſemper magis permiſcetur humidum cum ſicco, quare licèt non mutentur ſemper ſecundùm formam, tamen ſecundùm ſubſtantiam mutari dicuntur, quia vel acquirunt craſſitiem, vel tenuitatem, vel diuerſum odorem, & alias qualitates, quæ ad ſubſtantiam rei proximè accedunt.

Ex iis argumenta propoſita iam ſolui poterant, verùm quia contendunt probare coctionem ſemper eſſe mutationem ſolùm ſecundùm qualitates, alia verò eſſe ſemper mutationem ſecundùm formam, ſigillatim ea diluenda ſunt. Et ad primum dicendum eſt, quod quemadmodum Galenus Medicum agens in elementis non agnoſcit aliam formam vltra qualitates primas, ita etiam in mixtis non agnoſcit aliam formam vltra temperamentum, quo pacto etiam 5. *de loc. affect. c. 7. ante medium. §. Porrò omnium facultatum eſſentiam*, &c. dicebat, eſſentiam facultatum in temperamento conſiſtere, & 3. *de ſympt. cauſ. c.* 1. facultatem lædi in ſua ſubſtantia vitiato temperamento aſſeruit, quare quando affirmat coctionem eſſe alterationem in qualitatem ſimilem, nihil aliud vult, quàm eſſe mutationem in ſubſtantiam, vel formam ſimilem.

Ad ſecundum dicendum eſt: verum quidem eſſe in humoribus putridis, quando per coctionem corriguntur, non mutari formam, mutari tamen eos ad ſubſtantiam ſimilem rei concoquenti, quando autem Galenus *cit.* inquit coctionem eſſe alterationem, quæ putredinem finit manente ſubſtantia, ſolùm vult in febre putrida duo præſidia eſſe ex vſu, nempe humoribus putridis coctionem, quæ illud quod ſemiputridum eſt emendet, & ad benignum reducat manente ſubſtantia, id eſt, ſubſtantia non vacuata, ſed intra corpus remanente, & proficuam etiam vacuationem eſſe quæ extra corpus educat quod omninò putridum eſt, nec poteſt ad benignum reduci.

Ad tertium dicendum eſt, bilem putridam, & fructus immaturos per coctionem non mutare formam, mutare tamen qualitates etiam ſecundas, nempe odorem, ſaporem, & conſiſtentiam, quæ ad ſubſtantiam rei proximè accedunt. Alia verò hoc modo ſoluenda ſunt: neque enim nos negamus in coctione ventriculi, iecoris, mammarum, & teſtium, alimenta formam mutare: & hæc eſt cauſa ob quam veterum nonnulli coctionem ventriculi putrefactionem, & corruptionem appellabant, vt refert Gal. 6. *aph. com.* 1. & ventriculum aſſerebant concoquere putrefaciendo, quia forma præcedens corrumpitur, & alia de nouo acquiritur: Verùm quia id fit perfectiori modo, corruptionis nomen non meretur, præſertim cùm fiat à calore naturali, & intendatur à natura. Ad ſecundum. Dic: rem, dum putreſcit, formam ſeruare; etiamſi mutetur ſecundùm qualitates primas, & ſecundas, vt *ſuprà in com. hiſt.* 9. ſatis confirmaui, quare ſi coctio putredinem tollat, & finiat, & non neceſſariò formam mutabit. Tertium, & quartum conuincunt, coctionem eſſe mutationem ad ſubſtantiam, quod non negamus.

Actum eſt de formali cauſa, quæ eſt perfectio ad eſſe perfectum. Cauſa efficiens eſt calor proprius, & naturalis, licèt, ſi exquiſitè loquendum eſt, præcipua cauſa efficiens ſit anima mediante facultate concoctrice, calor autem naturalis tantùm inſtrumentum eſt, non ſolùm quà calor, ſed quà vim naturæ, ſeu animæ retinet, & ab ea dirigitur: & hæc eſt cauſa, ob quam ſtruthiocamelus concoquit ferrum, quod ignis conterere nequit, & aues paruiſſimæ ſemina duriſſima concoquunt, quæ robuſta, & calidiſſima animalia frangere, nec minuere queunt, quidquid hunc euentum à cauſa manifeſta, & non à proprietate accidere contendat Ioubertus 1. *parad.* 7. Et quia calor hic eſt temperatus, vt natura cuiuſque viuentis, vel partis requirit non ſemper eſt ſimilis, ſed in quibuſdam intenſior, in aliis remiſſior, & in quibuſdam vincit frigiditatem, in aliis à frigiditate ſuperatur, vt conſtat in mammis, oſſibus, plantis, & animalibus frigidis, & aliquando vincit calorem rei coquendæ, quia intenſiſſimus eſt, vt in corde, & ventriculo calido, qui dura alimenta optimè coquit, interdum ab eo vincitur: tamen in efficacia, & actione coctionis ſemper vincit.

Hic calor ſi eſt humidus, coctioni magis eſt aptus, vt Galenus explicat 3. *de cauſ. ſympt. cap.* 3. argumento eſt quòd naturæ calidæ humidæ, ætates, & partes ſimilis temperamenti feliciùs concoquunt, & nutriuntur. Quoniam verò calor natiuus duplex eſt, alius inſitus ſingulis membris, alius à corde influens, neuter per ſe ſolus ad coctiones obeundas eſt ſufficiens: nam inſitus, debilis eſt, & veluti in potentia, & ſic oportet quòd ab influenti ad actum reducatur, hæc eſt cauſa quare per ſomnum viſcera faciliùs concoquunt: tunc enim influens calor totus ad interiora defertur.

Inſuper licèt concoctio à calore naturali rei concoquentis proficiſcatur, cùm hic ſit naturæ inſtrumentum, à calore tamen rei concoquendæ adiuuatur: hic enim ſolùm excitat, & calorem natiuum fouet, & hac ratione concoquere dicitur. Hoc modo corticem citri, etſi concoctu difficilem, coctioni tamen conferre aſſeuerat Galenus 2. *de alimentor. facult. c.* 37. Nam calor naturalis ab extrinſeco iuuatur, & ſic magis fauſta coctio celebratur, ex Ariſt. 4. *meteor.* 2. Gal. 5. *ſimpl.* 6. & 7. *meth.* 7. & *lib. de conſt. art. med.* 12. *ad fin.* & *c.* 19. *ad fin.* & 1. *epid. ſect.* 2. *com.* 44. & 4. *acut.* 44. Sic coctio iuuatur à medicamentis, fomentis, vnguentis, balneis, quiete, exercitio, potu vini, calore pueri: quoniam hæc modicè calefaciunt, & coctiones iuuant. Quomodo autem hæc quantitatem caloris adaugeant, explicuimus *lib. 2. in com. hiſt.* 66.

Deinde non ſolùm quæ modicè calefaciunt, & humectant, coctionem iuuant, & calorem naturalem refocillant, ſed illa quæ ipſum roborant: hæc autem non ſolùm ſunt calida, ſed frigida: cùm enim innatus ignis ob exceſſum debilis eſt (calor enim aptus functionibus obeundis, debet eſſe mitis, & temperatus) à frigidis coërcetur, & infrænatur. Hoc aperte inſinuat Gal. 9. *meth.* 5. qui in ſynochis febribus aquæ potu naturam roborari affirmat.

Similiter etiam dicuntur naturam roborare, quæ tollunt impedimentum coctionis, illud autem non vnum

eſt

eſt, ſed multiplex: impeditur enim coctio propter humoris craſſitiem, lentorem, frigiditatem, caliditatem, acrimoniam, multitudinem. Hac ratione ſyrupi omnes poſſunt concoquere humores. Sic ſanguinis miſſio, & purgatio coctionem iuuare cenſentur 2. *aph.* 29. *&* 11. *meth. cap.* 15. Nam natura deonerata venæ ſectionis ope peccantem humorem concoquit. Sicut enim generatio carnis, & agglutinatio à ſola natura fiunt, reperiuntur tamen medicamenta carnem generantia, & agglutinantia, quæ ſubmouent ea quæ actioni naturæ reſiſtunt, vt docuit Gal. 3. *meth. cap.* 6. Sic licèt coctio fiat à ſola natura, & à calore natiuo, dicuntur tamen medicamenta concoquentia illa, quæ impedimentum coctionis tollere nata ſunt. Sic Gal. *lib. de conſt. art. med. cap.* 12 *in fin.* affirmat, quod etiamſi ſola natura poſſit vlcus carne implere, & ſemicocta concoquere, attamen Medici induſtria naturæ poteſt eſſe ex vſu, dum vlcus purum reddit, & offert ea quæ calefacere poſſunt.

Cauſa materialis aſſignatur in verbo [*ex oppoſitis paſſiuis*] explicat Aphrodiſæus in paſſiuis, vel paſſiuarum, ita vt coctio ſit perfectio paſſiuarum, vel in paſſiuis à calore natiuo procedens. Per oppoſita paſſiua intelligit Ariſt. humidum, & ſiccum in concreto. id eſt, partes humidas, & ſiccas: hæ enim per coctionem patiuntur, & miſcentur inter ſe. Vocat autem paſſiua oppoſita, vel quia ſunt oppoſita inter ſe, nempe humidum ſicco, vel quia ambo ſunt oppoſita calori: licèt enim verè non ſint contraria calori, quatenus tamen calor agit in humidum, & illud cum ſicco permiſcet, dicuntur oppoſita, quia agens opponitur paſſo: nec enim datur actio, vbi non eſt contrarietas. Aphrodiſæus per oppoſita paſſiua, intelligit alimenta, quæ ſunt paſſiua, quia in coctione patiuntur à calore natiuo & ſunt oppoſita: nam initio ſunt diſſimilia, in fine verò coctionis ſimilia euadunt, ex Ariſt. 2 *de anim.* 4. Sed hæc expoſitio non eſt conſona Ariſt. menti: nam arctat coctionis definitionem ad ſolam eam quæ fit in alimentis, quum Ariſt. eam etiam ad ipſa excrementa extendat.

Cauſa finalis eſt ſpecies ad quam res quæ concoquitur tendit: quædam enim perfecta eſt, quæ exprimit finem coctionis, vt in coctione ventriculi, forma chyli, in coctione iecoris, forma ſanguinis, in ſuppuratione tuberculi, forma puris, in coctione fæcis, & vrinæ, & aliorum recrementorum, forma eorum perfecta eſt, quæ oſtendit calorem ſuperaſſe, quatenus eorum materia patitur.

Ex dictis patet, quod quando Ariſt. 4. *meteor.* 2. proponit tres coctionis ſpecies, maturationem, elixationem, & aſſationem, de ea coctione agit quæ conſideratur in viuentibus, & animalibus: nam etiamſi elixatio, & aſſatio ſint coctiones quæ fiunt ab igneo calore propter aliquem vſum, affectiones etiam ſunt, quæ conſiderantur in animalibus. vt inquit Ariſtot. *cap. cit. verſus fin.* & propriè coctiones dicuntur, quia à calore naturali prodeunt: illæ verò quæ in externis fiunt, quoniam ab igneo calore emanant, non ſunt propriè coctiones, ſed per ſimilitudinem quandam: quemadmodum enim in nobis à natura mediante calore natiuo ad aliquam perfectionem coctiones fiunt, ita elixatio, & aſſatio in externis fiunt mediante igneo calore ab arte, quæ naturæ æmula exiſtit. Verùm licèt externæ non ſint propriè coctiones, propriè tamen dicuntur aſſatio, & elixatio, ſpecies verò coctionum quæ in nobis fiunt, in nominum penuriam, artificialium coctionum appellationem ſubeunt, & ſic ea coctiò quæ fit à calore natiuo, humido, & vaporoſo, elixationis nomen ſubit, qualis illa eſt quæ fit in ventriculo, in iecore, & in carnibus, quare Gal. 3. *de facult. naturał. cap.* 7. *poſt med.* docet coctionem quæ fit in ventriculo eſſe ſimilem elixationi, quod ſimiliter docet 2. *acut.* 22. *ad fin.* Vt enim coctio ventriculi fiat, humiditatem propriam, & adſcititiam requirit, qua deficiente, concoctio non celebratur, ſed cibus exuritur, & corrumpitur. Aſſatio verò dicitur illa coctio quæ in nobis fit à calore ſicco, qualis eſt illa quæ fit in oſſibus, & cartilaginibus ſiccis. Hoc modo coctiò quæ fit in pueris poteſt appellari elixatio, quæ verò in iuuenibus, aſſationis nomen mereri poteſt.

Ex iis liquet manifeſtè, ſummoperè errare eos qui Ariſtotelicam definitionem impugnant, quod elixatio, & aſſatio cùm ſint ſpecies coctionis, fiant à calore igneo, & extraneo: nam hæ per ſimilitudinem dicendæ ſunt coctiones, vt ſuprà notauimus. Nec magis audiendi ſunt, qui Philoſophum reprehendunt, quòd coctionem ſemper à calido oriri arbitretur, quum à frigido emanare rationi conſonum ſit: nam ſicut calor miſcet, ſic etiam frigus, cùm per ſe, & actiuè agat in coctione. Sed non aduertunt, quod Philoſophus definit per id quod perfectius eſt, & nobilius, vt eſt calor natiuus, obeundarum functionum potiſſimum eſt inſtrumentum.

Ad hæc grauiſſimè peccant qui Ariſtotelem calumniantur, quod inter patibiles qualitates, ſolùm mentionem fecerit de humido, cùm ſiccum etiam miſceri debeat: nam ob id fecit, quoniam actio caloris ampliùs elucet in humido, & fugit à merè ſiccis Deinde etſi coctionis materia, humidum, & ſiccum ſit, tamen coctio magis eſt humidi, quam ſicci, quia quod definitum, aut indefinitum eſt, in humido notatur.

Explicata definitione Ariſtotelica, notandum eſt varias fuiſſe ſententias de coctione: nonnulli enim aſſerunt eſſe ſeparationem boni à malo; nam in coctione conueniens cum conueniente permiſceri, & in conueniens ſeparari arbitrantur, Hæc ſententia falſa eſt: etſi enim verum ſit poſt coctionem dari ſeparationem, vt in coctione ventriculi, & iecoris conſtat, tamen ſeparatio eſt res diſtincta à coctione: Galenus firmat, 4. *aph.* 22. quo loco coctionem à ſeparatione, ſeu diſcretione diſtinguit; § *ſiquidem oportet præire coctionem, ſubſequi diſcretionem, & poſtea vacuationem, vt bona ſit criſis, atque iudicium* Secũdò confirmatur, quia ſeparatio non eſt actio facultatis coctricis, ſed ſeparatricis, quam conſtituit Auerrhoës, 3. *collect.* 16. iuxta finem, §. *Et iſtius virtutis non fuit memor Galenus, &c.* Vel potiùs dicendum, ſeparationem eſſe operationem communem facultati tractrici & expultrici, iuxta doctrinam Auic. 14. 3. *tract.* 4. *cap.* 5. §. *Cauſa itaque qua eſt in virtute ſeparatiua, eſt quoniam ſeparatio eſt communis inter virtutem expulſiuam in hepate, & virtutem attractiuam in renibus*, vt eleganter explicat Fernelius 5. *phyſiolog. cap.* 5. *in fin.* ſemper enim ſeparatio fit vna parte trahente id, quod ſibi vtile eſt, & alia expellente tanquam inutile. Tertiò, ſi coctio eſſet ſeparatio, non eſſet perfectio: nam ſeparatio proxima eſt corruptioni, & via ad ipſam, Quartò. Per coctionem permiſcetur humidum cum ſicco, & omnia ſub determinata forma vniuntur; non ergo eſt ſeparatio. Vltimò. Coctio aſſimilat rem coctam coquenti, & ſic definitur à Gal. 3. *de facult. natural. cap.* 7. mutatio enim ſimilitudinem, ſeparatio verò diſſimilitudinem parit: hæc enim eſt cauſa quare humores ſeparati excernuntur, quia nulllam habent ſimilitudinem.

Alij coctionem eſſe humoris præparationem ad expurgationem aſſeuerant, quæ ſententia ſolùm habet locum in humoribus peccantibus, & eſt falſa. Primò quia Hipp. 1. *aph.* 22, docet humores non eſſe purgandos ante coctionem, & *lib.* 2. *ſentent.* 9. docet humores eſſe præparandos ad purgationem. Si ergo præparatio humoris eſſet coctio, eadem eſſet vtriuſque Aphoriſmi ſententia, & confunderentur Aphoriſmi inter ſe, quod non eſt dicendum. Secundò. Quia Auicen. 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7. *in med.* probat contra Rhaſium humorem bilioſum non eſſe ex natura ſua coctum in principio morbi: humor autem biloſus ſtatim in principio præparatus eſt, quum ſuapte natura ſit tenuis: nam humoris præparatio conſiſtit in extenuatione, & inciſione ipſius, ex Gal 2. *aph.* 9. Ergo ſi præparatio eſſet coctio, humor bilioſus in principio coctus eſſet, & poſſet, expurgari. Tertiò: Coctio incraſſat humores, vt infrà patebit, ſed ad præparationem humores debent incidi, & extenuari, Ergo. Vltimò. Humor interdum eſt coctus, & non eſt præparatus expulſioni, quia craſſitudinem, & lentorem

habet 2. *prog.6 7.* igitur præparatio humoris quæ in extenuatione conſiſtit, res eſt diſtincta à coctione: coctio enim à natura,& non ab arte fit, præparatio verò ab arte potius, quam ab ipſa natura: Nam vtriuſque finis eſt diuerſus,præparat enim Medicus, vt euacuet,natura vt retineat ſibique commodum nutrimentum paret,quod cùm non poſſit ob ineptitudinem materiæ, à commutatione deſiſtit, ad expulſionémque conuertitur, vt ſcitè probant Donatus ab Altomari *tract.de præparat.*& Ioannes Brauus *lib.2.prog.* 16.contra Valleriolam.

Manardus doctiſſimus 13. *epid* 1. quem plurimi ſequuntur, arbitratur non vnam eſſe in omnibus quæ concoquuntur coctionis rationem, & naturam, & ſic non poſſe coctionem vnica definitione finiri, quia ea quæ coquuntur,multiplicia ſunt: ná vel ſunt alimenta,vel humores ſemiputridi; in alimentis coctio eſt alteratio in ſimilitudinem,in humoribus putridis eſt alteratio faciens ceſſare putredinem, in ſemiputridis eſt reductio ad benignum.

Sed hæc ſententia recipienda non eſt, quoniam propter diuerſitatem eorum quæ concoquuntur diuerſæ eſſent coctiones conſtituendæ, diuerſæ etiam eſſent attractiones, & diuerſæ expulſiones in noſtro corpore, quia diuerſa ſunt ea quæ attrahuntur, & expelluntur.Præterea quia in quauis coctione facultas alteratrix eadem eſt, & idem inſtrumentum, nempe calor natiuus, & idem finis: nam ſemper cùm facultas aſſimilatrix agit, intendit aſſimilare ſibi paſſum, ex Gal. 2.*feb.*5. & cùm ſit agens naturale, ſemper eodem modo agit vſque ad vltimum potentiæ: materia etiam coctionis, ſiue obiectum concoctricis, provt coctile eſt, ſemper idem eſt, nempe humidum, & ſiccum: licèt autem non ſemper idem effectus in eodem appareat, non eſt quia facultas mutat finem, nam operaretur ex electione, & non eſſet agens naturale: illa tamen varietas ex varia materiæ diſpoſitione contingit, ob quam maior, aut minor actio apparet: omnium ergo quæ concoquuntur vna eſt ratio, natura, ac proinde vna etiam definitio. Et ſic Fernelius *lib.3.meth.cap.*12. affert definitionem omni coctioni communem, dum ſic ait, *Concoctio eſt ſubſtantiæ in naturæ conuenientiorem ſtatum caloris vi facta mutatio.*

Sed accedamus ad Galenum, qui variis locis varias aſſignat coctionis definitiones. Nam *lib.2. natural. facult. cap.4.in princ.& lib.3.cap.7.poſt med.* affirmat coctionem eſſe alterationem in propriam eius quod nutritur qualitatem *lib.3.de cauſ.ſympt.cap.*1. *in princ. &* 1.*epid.ſect.2. comm.*44. coctionem eſſe ait deductionem quandam eius quod concoquitur in concoquentis ſubſtantiam, *&* 8.*ſecund.loc.cap.7.parum poſt med.*Coctionem vocari affirmat eam alterationem, qua alimentum in ſimilitudinem partis quæ nutritur,tranſmutatur, *&* 2.*acut. comm.*43. aſſerit eſſe victoriam naturæ, quod etiam ſcribit 3. *criſ.*5. & 1.*epid.ſect.1.com.6.* At verò *lib.art.med.cap.86.* Coctionem dicit eſſe alterationem quæ facit ceſſare putredinem manente ſubſtantia.*&* 6 *epid.ſect.5.com.6.* ait eſſe reductionem ad mediocre temperamentum: qua ratione 5.*aph.*70. humorem facientem conuulſionem calore febrili quartanæ concoqui aſſeuerat,*&* 6.*epid ſect.3.com.*10. febrem raucedini,& grauedini ſuperuenientem,ipſas concoquere docet.

Rurſus coctio in Galeni doctrina eſt mutatio eius quod concoquitur in naturam ſimilem coquentis, quando autem id quod concoquitur, familiare eſt, & vtile, totum, aut plurimum illius tranſmutatur, & ſimile redditur in natura, & in qualitatibus, & minimum eius manet ſemicoctum, quando verò id quod concoquitur,alienum, & inutile, exiguum eſt quod tranſit in ſubſtantiam concoquentis, & plurimum eſt quod manet ſemicoctum, & inutile.

Hæc coctio quæ circa inutilia verſatur,vocatur maturatio ab Hipp. 1.*epid. ſect.2. text.*44. Sicut enim fructus qui non habent perfectionem ſuam, crudi appellantur, quando verò eam habent maturi appellantur, ſic ea omnia quæ cruda vocamus quando concoquuntur, maturari dicuntur, cuius enim eſt cruditas, eiuſdem eſt maturatio,vt inquit Ariſt.4. *meteor.cap.*3.

Humor crudus dupliciter dicitur, vno modo quando minorem coctionem habuit quàm ſanguis, & pituita eſt, quæ alimentum ex dimidio coctum vocatur, ex Gal.2. *de natural. facult. cap.vlt. ante fin.* & ideo per vlteriorem coctionem vertitur in ſanguinem, ex Gal.2.*acut.*30.*&* 44. Verùm inter ſpecies pituitæ reperitur quædam, quæ propriè ſuccus crudus vocatur, & dicitur à Gal.*lib. de plenitud.cap.vlt. ante fin.* humor craſſior, quàm alia pituita,& minus flatulentus, quare grauis eſt & ſubſidet in vrinis edacium, & otioſorum, & puri ſimilis eſt in craſſitie, & albedine, non tamen in fœtore, & lentore, vt docet Gal. 1. *de aliment.facult. cap. 2.ad fin.* quæ pituita habet lentorem, vitrea nuncupatur, vt monet Gal. 4. *de ſanit* 4. *in med.* Pituita enim naturalis plerumque lentorem non habet.

Non quæuis ſpecies pituitæ per vlteriorem elaborationem poteſt verti in ſanguinem, ſed ſolùm naturalis, & dulcis, & ea quæ modicè calida eſt, vt ait Galenus *lib.de conſt.art. med.cap.* 19. *ad fin.* reliquæ verò ſpecies ad naturam ſanguinis nullo modo peruenire poſſunt, nec nutrire queunt, quare eas vacuandas præcipit *lib. de conſtit. art.med.cit.* qualis eſt pituita ſalſa, vitrea, mucilaginoſa, & quæ immodicè acida eſt.

Altero modo crudum dicitur, & in generaliori ſignificato illud quod non eſt victum à natura, & à calore naturali, quando reperitur diſſimilitudo in ſubſtantia, & qualitatibus inter partes coquentes, & humores tunc crudi dicuntur. Quando verò actione partium redduntur ſimiles, non in ſubſtantia, quia vtiles nutritioni eſſe non poſſunt; ſed in qualitatibus, tunc dicuntur cocti, quia ſunt victi à natura, & à calore naturali eo modoquo potuerunt ſuperari, hæc concoctio, victoria naturæ appellatur, qua ratione excrementum, ichores, ſaniem, & humores putridos vocat Galenus concoctos, etſi nutrire nequeant. Hoc modo rectè Auerrhoës negat, 3.*collect. cap.*4.flauam bilem concoqui, quia coctum incrudari non poteſt: nam agentia naturalia non trahunt actiones ſuas, & hæc coctio quæ debetur humoribus putridis,omnino putredinem non excludit, quum ſit concoctio putredinis particeps,vt ait Galenus 1.*feb.*6. Sed putredinem coërcet, ne ad intenſiſſimum gradum perueniat, & corruptionem,quæ eſt terminus illius, & ſic poterit intelligi Galenus *in art.med.cap.*89. quum definit putredinem, ſi hæc definitio humori putrido adaptari poteſt.

Quando humores ſemiputreſcentes concoquuntur, redeunt ad antiquam naturam, fiunt benigni, nutritioni vtiles, & relinquuntur ſimiles ſecundùm ſubſtantiam, & qualitates, vt Galen. inſinuat 2.*aph.*17. *in fin. &* 11. *meth.cap.*8.§.*Tanquam igitur in iis corporibus quæ non viuunt,&c.* & *cap.9 ad med.* §.*Nunc cum in viuente corpore,&c.* & tunc coctio verè facit ceſſare putredinem, & eam omnino excludit, & manet eadem ſubſtantia in corpore nutritioni vtilis,& ideo illa definitio Gal.*in art.med.* coctioni humoris, ſemiputridi debetur, qui ad priſtinam naturam redit, quia ſolùm incipit calefieri, & præter naturam humectari, & non eſt facta ſeparatio humidi à ſicco, & ob humidi reſolutionem, quantumuis alterentur, & concoquuntur, non poſſunt fieri benigna, & vtilia nutritioni. Verùm quando ea quæ ſemiputreſcunt, non ſolùm principium putredinis concipiunt,hoc eſt caliditatem, & humiditatem extraneam, ſed etiam leuiter ſecundùm aliquas partes putrent, tunc non ſolam alterationem, ſed aliquam etiam coctionem requirunt, vt inſinuat Galenus *lib.2.aph.*17.

Ex dictis conſtat, quod etiamſi coctio à facultate concoctrice, & calore naturali celebretur, poteſt tamen adiuuari ab extrinſeco, & à medicamentis, quæ ſunt vel ſimilia calori naturali illúmque fouent, & in quantitate adaugent, vel tollunt impedimenta coctionis; contemperando, extenuando, incidendo, reſerando, & in iis applicandis iubet Auic.1.4.*tract.2. cap.*7. vt Medicus ſedulam operam impendat. Quapropter etſi Galenica coctionis definitio ſit optima, Ariſtotelica tamen multò eſt præſtantior, vt quæ ipſius naturam intimiùs explanat. Conſule de hoc argumento elegantiſſimos Thomam à

Veiga *lib.1.de dif.feb.cap.5* .& Thomam Eraſtum, qui proprio libro de coctione vbertim diſceptauit.

QVÆSTIO XX.

Vtrùm omnia per coctionem fiant craſsiora, calidiora, ſuauiora, & dulciora, vt contra Ariſtotelem, Conciliator, Gentilis, & Garbius opinantur.

INter alia quæ diſertiſſimè apud Ariſt. *loc. cit. meteor.* & ſcientiſſimè apud Gal. 2.*prog.* 33. à Neotericis agitari ſolent, dubium eſt præcipuum, Vtrùm omnia quæ coquuntur, craſſiora, calidiora, & ſuauiora euadant. Philoſophus ſic ait. *Neceſſe eſt cocta craſſiora, & calidiora eſſe*, & infra *in cap.3.§. Ea quæ matureſcunt omnia, ex aëreis aquea, & ex aqueis terrea cōſiſtendo fieri. Alexander in com.9.* eam recipit §.*Vniuerſaliter quæcūque pepanſin paſſa, ex tenuibus craſſiora redduntur.* Approbat Galenus *cit.progn.* §.*Concoctio craſſiorem reddit, non, ſolùm vrinā, ſed etiam deiectionē, item ſcreationem, atque etiam pituitam per diſtillationes, & grauedines nec non per lippitudinem, & pus quoque in vlceribus, &c.* Repetit *lib.de totius morb. temp.cap.3.&* 1. *epid. ſect.1.com.25.& 4. acut.com.4.* Cùm enim concoctio proficiſcatur à calore, actionéque eius permiſcentis humidum cum ſicco celebretur, & humidum à calido extenuetur, & reſoluatur, neceſſe eſt id quod concoquitur partibus tenuioribus reſolutis, & diſſipatis, craſſius euadere. Sola aqua, inquit Ariſt. *eodem.cap.parum infra* poſt elixationem non craſſeſcit. Ratio eſt, quia cùm ſit corpus ſimplex, & non habeat ſuccum terreum, poteſt humidum diſſolui, & diminui, non tamen ipſa craſſeſcere, quod eleganter explicat Auic. 2.1.*doct.2.cap.16.de diſpoſitionib. aquar.* poſt princip. §.*Et torpidi quidam Medicorum, &c.*

Verùm hæc doctrina plures patitur difficultates, & videtur falſa. Primò. Animalis ſpiritus generatur ex vitali magis concocto, ex Gal.7.*de placit.cap.3.ante fin.* ſpiritus tamen animalis eſt tenuior vitali ex omnium ſententia. Rurſus vitalis generatur in corde, & arteriis ex ſanguinis euaporatione per coctionem, qui tenuior eſt euaporatione ſanguinis. Sic etiam ſanguis generatur ex chylo, & chylus ex pane, & carne, ſanguis tamen tenuior eſt chylo, & chylus tenuior pane, & carne. Igitur coctio non omnia cogit incraſsátque.

Secundò. Plerique fructus quando ſunt crudi, ſunt duri, & compacti, quando verò matureſcunt ſunt molliores, & tenuiores. Igitur, &c. Tertiò. Vrina non ſolùm cruda eſt, quando eſt tenuis, & aquoſa, ſed quando craſſa exiſtit: nam quæ cocta eſt, debet habere mediocrem ſubſtantiam ergo coctio vrinam craſſam attenuat, & non incraſſat.

Quartò. Galenus *lib.de conſt. art.med. cap.19.* agens de coctione qua humores redeunt ad naturalem ſtatum, dicit humores craſſos debere attenuari? Vltimò. Ex Gal. 1.*ſimpl.* 4. de pinguedine, & adipe, vinum, oleum, mel, & adeps per antiquitatem redduntur non ſolùm calidiora, & acriora, ſed etiam tenuium partium, hæc autem in dies magis patiuntur à calore, & magis concoquuntur, vel ſaltem recipiunt alterationem coctioni ſimillimam. Ergo, &c.

Multi apud Gentilem 1.4.*tract.2.cap.7.§. Et cùm adminiſtraueris canones, &c.* conati ſunt diſoluere difficultatem hanc, dicentes coctionem in iuuatiuo (hoc enim modo loquuntur) ſemper procedere incraſſando, in nocitiuo aliquando procedere extenuando, interdum incraſſando. Sed hæc reſponſio falſa eſt, & contra Ariſt. & Galeni mentem: ſiue enim fiat in humore beniguo, aut putrido, ſemper fit actione caloris qui neceſſariò reſoluit id quod tenue, & humidum eſt, igitur id quod coquitur, vel ſit vtile, vel inutile, ſemper abſumpta parte tenuiori craſſius euadit.

Conciliator *dif.50.* docet coctionem in iuuatiuo quando ordinatur in reſtaurationem craſſi, procedere incraſſando, vt quando ſanguis ad membrorum nutritionem A concoquitur, quando verò ordinatur in reſtaurationem tenuis, procedere attenuando, vt quando per coctionem ex ſanguine ſit ſpiritus vitalis, & ex vitali animalis. Sed errat bonus Conciliator: nam vniuerſaliter Ariſt. & Galenus coctionem incraſſare aſſeuerant. Præterea falſum eſt coctionem quæ dirigetur ad reſtaurationem craſſi, procedere incraſſando, quia chylus tenuior eſt pane & carne, & ſanguis tenuior chylo.

Gentilis acutiſſimus *in com.cit.loc*, *Auic.* reſpondet coctionem ſemper procedere incraſſando, quia ſemper humidum per coctionem admixto ſicco terreo craſſius redditur, humido autem debetur concoctio, quod per eā terminatur termino alieno: Si verò ſpectetur ſiccum terreum cui humidum permiſcetur, procedere coctionem attenuando. Sed fallitur: nam quando Ariſt. & Galenus aſ- B ſerunt cocta reddi craſſiora, illud de toto cocto pronuntiant, non de humido tantùm, quia materia coctionis non eſt ſolum humidum, ſed etiam ſiccum, vt dictum eſt, immò totum compoſitum eſt illud quod coquitur, & per illam tranſmutationem quæ fit à calore, partes tenuiores deperdit, & remanet craſſius

Thomas de Garbo *in ſua medicinali ſumma lib.1.tract.5.quæſt.61.* Opinatur rem propriè ſubiectam coctioni, non eſſe eam, quam communi ſermone coctam dicimus, vt panem, carnem, & ſimilia, ſed partes illius humidas, quare cùm hæ per coctionem cum craſſis miſceantur, fit vt quod propriè coctionem accipit, craſſeſcat perpetuò, res tamen quæ coquitur, modò craſſeſcit, vt cùm ex medulla C fit os, modò attenuatur, vt cùm ex ſanguine fit ſpiritus.

Sed hæc opinio meritò eſt reiicienda: nam materia coctionis, non ſolùm eſt humidum, ſed ſiccum, & definitio Ariſt. oſtendit manifeſtè, quam hic auctor non benè perpendiſſe viſus eſt; quoniam Ariſt. ipſam definit perfectionem ab innato, proprióque calore ex oppoſitis paſſiuis, quæ dicit eſſe propriam materiam coctionis in quam agit calor, patibilia autem ſunt humidum, & ſiccum.

Dic ergo coctionem perpetuò incraſſare, conſiderato ſcilicet effectu caloris coquentis in re cocta ſimpliciter. Ex accidenti tamen cocta redduntur aliquando tenuiora propter aliquas diſpoſitiones; vel actiones, quæ coctionem antecedunt, vel ſubſequuntur, quæ coctioni non tribuuntur, veluti eſt fuſio, extenuatio, contritio, & attractio humidæ ſubſtantiæ, & expurgatio recremento- D rum. effectus autem rari qui ex accidenti contingunt pronuntiati vniuerſalis veritatem non tollunt, quod per ſe ſemper eſt verum. Hic autem modus loquendi non eſt præter Hipp. & Galeni mentem, 1. *aph.* 16. Victum humîdum omnibus febricitantibus conferre, quum tamen victus humidus febricitantibus hydropicis ſit inutilis: nam reſpondet Galenus *in com.* ſatis eſſe ad veritatem ſententiæ Hippocraticæ, quod febris ipſa per ſe ſola conſiderata victu humido adiuuetur. Sic Ariſt. & Gal. calorem coquentem omnia craſſiora reddere ſemper docuere, ſi illius operatio per ſe ſola expendatur, ſi verò conſiderentur quæ aliquando inter coquendum ſecedunt, coctum aliquando tenuius euadit.

His poſitis ſolues argumenta aduerſa. Dic ad primum. Spiritum animalem tenuiorem eſſe vitali, quia excrementa fuliginoſa ſeparanrur, & repurgantur, & ob hanc E cauſam, vitalis ſanguinis euaporatione tenuior eſt, & quia non ſolùm ex hac conficitur, ſed etiam ex aëre, vtraque autem ſubſtantia ſimul tenuior eſt ſpiritu vitali, & ſanguis non eſt tenuior chylo, nec chylus pane, & carne, niſi poſtquam recrementa ſunt ſeparata. Hinc fit vt craſſiſſimus humor dum à naturali calore concoquitur, reddatur per accidens minus craſſus, quia inter coquendum ſecedit portio craſſiſſima, quare non eſt mirum ſi coctum muſtum, tenuius ſit ſe ipſo crudo, quia actione caloris partes craſſæ ſubſident.

Ad ſecundum. Dic: ſolùm humiditatem ex aqua, & terra confectam concoqui, & ſemper craſſeſcere; fructus verò ſolùm nutriri, & augeri humiditate illa intus ſuſcepta. Dic ſecundò. Fructus plures ante maturitatem craſſiores, poſtea tenuiores eſſe ex accidenti, nam è terra ſemper humidam ſubſtantiam attrahunt, quæ

cum ſicco permixta; fructus reddit humidiores, & te-nuiores.

Ad tertium. Dic: vtinam craſſam per coctionem exte-nuari, non ratione coctionis, ſed ſeparationis quarundam partium craſſarum, quæ cum re coquenda erant confuſæ, quæ cum fæculentæ ſint, rei quæ coquitur, partes non ſunt. Lege Ioan. Brauum, 2.*prog.in com. ſent.*16. Vel hoc contingit, vt notat Thomas à Veiga *lib.*1.*feb.cap.*6. quia priùs trahitur terreum, quam aqueum.

Ad quartum. Dic: humorem craſſum coctione non poſſe attenuari, ſed quia propter craſſitiem coctioni re-ſiſtit, attenuandum eſſe medicamentis. Sic humores craſſi aliquando per coctionem attenuantur, non ratione co-ctionis, ſed quia partes inter coquendum ſeparantur, & diſſoluuntur.

Ad vltimum. Dic: non eſſe idem aliquid eſſe tenue, & eſſe tenuium partium, aut eſſe craſſum, aut craſſarum partium, vt colligitur ex Gal.4.*ſimpl. cap.*3. poſſunt enim aliqua, actione caloris reſoluentis partes aqueas, euade-re craſſiora, & tenuium partium, hoc eſt habere par-tes aliquas craſſiores, per calorem videlicet attenuatas: idem enim calor dum reſoluit illas, reddit aliquas te-nuiores, quàm anteà, & ſic licèt vinum, oleum, mel, & adeps temporis diuturnitate reddantur craſſiora, ſiunt tamen tenuium partium, ob id magis penetrant, & poten-tiùs agunt.

Sed adhuc ſuperſunt ſoluendæ obiectiones arduæ, qua-rum prima eſt, ſi coctio omnia incraſſat, cur aër, & aqua tenuantur calore, gelantur verò frigore, & craſſeſcunt? Dic: In ſimplicibus corporibus calor ſuaptè natura rare-facit, non incraſſat, in mixtis verò per accidens ſiccat, & denſat, dum ad reſolutionem humidi aërei, & aquei, par-tes reſiduæ terreæ, denſitatem, maiorémque craſſitiem in mixto repræſentant.

Secundo. Si coctio perpetuò incraſſat, cur Medici hu-mori attenuando ſunt intenti, muniti oraculo Senis, *lib.*2. *aph.* 10. Dic. Medicus præparat, vt fluidum fiat corpus, & humores tenuiores fiant attenuantibus vtitur: natura coquit, incraſſat, vt retineat, & ſic parat ſibi ali-mentum optimum, & humorem reddit ſibi adminiculan-tem magis.

Inſtabis, ſi natura coquit, & Medicus præparationis eſt auctor, & tam coctio, quàm præparatio calidis per-ficitur, & quò plus coquitur humor ampliùs incraſſatur, & expulſioni fit ineptus magis, cur attennuantibus, & coquentibus Medici ante expurgationem vtuntur? Dic: Licèt humor craſſior reddatur, tamen incidentium ope in minutiſſimas ſecatur particulas, & hoc modo fit ex-cretioni magis Idoneus. Dic ſecundò: Pituitam, ac ſuc-cum melancholicum poſt coctionem craſſiores fieri, ne-que tamen ob id expulſioni valentiùs reniti, atque aduer-ſari: nam ſi natura eos concoquit, neceſſum eſt vt euin-cat; & expellat, nec ea craſſities quam à calido innato acquirunt; ineptos eos reddit expulſioni, velut ea quæ à frigido, ſeu calore immodico præſtatur: quinimò humo-res victi, quum nutrire nequeant, naturæ obedientes facti ocyùs ſecernuntur: adde quòd natura eos alterat, non vt craſſiores reddat, ſed vt ſeparet ab eis qui familia-res ſunt, & è corpore excernat: Conſule Donatum ab Alto mari *tract. de concoctione poſt med.* Cardanum *lib.*1. *cont.tract.*6. *cont.*13.

His præfatis ad ſecundam dubitationem accedamus, *Verum per coctionem omnia fiant calidiora.* Nam coctio per ſe, & ratione ſui reddit omnia cocta calidiora, cùm enim fiat actione caloris, ea quæ coquuntur calefieri de-bent, & quantò actio diuturnior fuerit, tantò magis im-primitur calor. Sic vina vetera calidiora ſunt recentibus, quia diutiùs concocta ſunt in doliis. Quòd ſi ex vino re-centi plures oriuntur morbi calidi, vt febres ardentes pleu-ritides, & phrenitides, id accidit quia hæc minùs abeunt in vrinas, & inſenſilem vaporem ob craſſitiem, cuius cau-ſa detenta in ventriculo, & viſceribus incocta ebulliunt, & feruent, & vitia concitant calidiſſima. Sed obſtant contra hanc ſententiam plura, quoniam ſpiritus anima-lis eſt frigidior vitali, ex quo per coctionem efficitur. Lac

A eſt frigidius ſanguine ex quo fit. Cocta bilis euadit frigi-dior ſe ipſa cruda.

Sed verè propoſitio Ariſtotelis eſt intelligenda: per ſe enim coctione res quæ concoquuntur fiunt calidiores, ex accidenti tamen aliquando cocta redduntur frigidiora, quia videlicet inter coquendum ſeparatur pars calidior à re cocta, vel quando in coquente remiſſior eſt, quàm in re quæ concoquitur, quare bilis cocta frigidior eſt ſe ipſa cruda, 2.*acut.*44. & ſpiritus animalis frigidior vitali, concoquitur enim, & in cerebro pro operationibus ani-malibus, quæ temperiem requirunt, attemperatur. Sic lac tantò frigidius eſt ſanguine, quantò partes adenoſæ carne iecoris ſunt frigidiores; vt Galenus monet 4. *aph. com.* 40.

B Coctione omnia fieri ſuauiora ac magis odora, res eſt manifeſta, hoc in fructibus ferè omnibus palàm fit, qui dum matureſcunt, odoratiores, & ſuauiores redduntur, ex coctione enim gratus, ſeu aromaticus odor progi-gnitur: ſicut enim in putredine & ſeparato humido à ſic-co, & foras euaporante moleſtus, & viroſus odor, quem fœtorem vocamus, odoratum afficit: ita ex coctione, quæ putredini contraria, eſt ſuauis, ac gratus, ob eiuſdem hu-midi cum ſicco mixtionem, reſurgit: nam in coctione humidum aqueum, aëreúmque ſemper cum ſucco terreo permiſcetur, & vnitur, quemadmodum in putredine hu-midum à ſicco ſeparatur. Huius rei cauſa eſt, quia in pu-tredine humidum nec vincitur nec à calore ſuperatur, ſed idem prædominans, ab ipſo regulari non poteſt, at

C in coctione cùm natiuus calor ſuperior ſit, humidum euincit, & ſuperat, & illud probè moderatur, ac regit, & ſicco vnit, atque permiſcet.

Vltimò. Coctione omnia fieri dulciora firmauit Ariſt. *lib.*5.*de generat. animal.cap.*6. §.*Concoctione enim dulce efficitur, concoctio autem calore, &c.* Nam dulcis ſapor fit ex aquoſa humiditate ampliùs cocta, & elaborata, ex-purgatis per coctionem ab eodem calore coquente par-tibus amaris: idcircò fructus immaturi frigidi ſunt, & interdum amaris quibuſdam partibus præditi, quæ dum matureſcunt, tanquam excrementitiæ excernuntur: ſiquidem ea ratione qua peponis, aut cucumeris calor fortis eſt ad ſubſtantiam illam dulcem reddendam, eſt etiam potens ad partes excrementitias expurgandas, quas pepo, & cucumis habent, quibus ſapor amarus adhæ-

D ret. Quapropter in ſimilibus fructibus ſapor dulcis ex amaro non fit, ſed per coctionem fructus hi reddun-tur dulces, expurgatis ipſorum partibus amaris, & ela-boratis aquoſis, & humidis: aut partes eædem amaræ, fructibus ipſis per coctionem humidioribus redditis amittunt ariditatem, quam deponentes, ſimul & amari-tudinem exuunt. Quia cùm amarus ſapor ex calore, & ſiccitate emanet, fit, vt qualibet depoſita qualitate, remit-ti, aut aboleri poſſit.

Deinde argumento ſunt fructus, qui initio acerbi cùm eſſent, tempore matureſcentes dulceſcunt, auctore Galeno 4.*ſimp. cap.*7. in quo ſequi ait, dulcedinem ipſis à calore prouenire: nam ſi dulcedo maturatione acquiri-tur, & maturatio coctio quædam eſt, ſequitur dulcedi-nem calore etiam acquiri, ſi verum eſt coctionem à calo-

E re proficiſci.

Quòd autem fructus omnes à calido matureſcant, con-coquantur, & dulceſcant, cunctis cùm Philoſophis, tum Medicis perſuaſum eſt: cúmque id ipſum duplex ſit, alte-rum proprium, & cuique ingenitum, alterum externum à ſole videlicet, vel ab igne, ſed tamen naturæ ipſorum conueniens, ac familiare: quare minimè mirandum eſt quoſdam eſſe, qui non in arboribus, ſed poſteà cùm de-cerpti, conditíque aliquandiu fuerint coctionis comple-mentum nanciſcantur, & dulcedinem aſſumant, dulceſ-cunt enim adſcititio calore omnia ea quæ ab igne præpa-rantur, ac proinde, vt Galenus ait, 4.*ſimpl.* 11.dum calida ſunt, ſuauiora iis quibus nutritione eſt opus, apparent.

Hæc doctrina veritatem obtinet, dummodò dulcia mo-dicè coquantur: nam ſi immoderatam coctionem patiun-tur, fiunt amara, & ſalſa, qua ratione pituita dum conco-quitur, fit ſanguis, & ſanguis vlterius calefactus, bileſcit,

ex

ex Hip. 2, *acut.* 30. & maximè in calidis naturis, in quibus dulcia omnia, & pinguia facilè fiunt bilis, ob quam cauſam ſitim excitant, quia multas partes aëreas habent, quæ facilè in bilem degenerant; quemadmodum aër promptè fit ignis, ob mutuum naturarum ſymbolum.

QVÆSTIO XI.

Vtrùm humor noxius, medicamentis calidis attenuantibus, vt voluere Græci; an frigidis, incraſſantibus, ſit præparandus, & concoquendus, vt Arabes confirmant.

Arduam de coctionis natura explanationem proſequor, & breuioribus diſtinctionibus, & argumentis, quantum res ipſa poſtulat, interpretor. Itaque cùm ad vmbilicum perduxiſſem, incidi in quæſtionem maximè controuerſam de ſyrupis præparantibus humores, in qua dilucidanda cùm medicinæ proceres cernam inter ſe diſcordes, placuit rem tantam aliquantò latiùs explicare, præſertim quia Auicenna Arabum primus, à plurimis, iiſque primæ notæ viris in hoc dogmate recipitur, cuius ſententia vt commodè percipi poſſit, altiorem indaginem prærequirit.

Apud auctores omnes receptiſſimum eſt, humores noxios non ſtatim eſſe expurgandos, ſed ante euacuationem, præparationem eſſe neceſſariam. Qualis tamen eſſe oporteat, & ex quibus medicamentis fieri debeat, inter ſe rixantur iuniores. Pro cuius difficultatis enodatione aduertendum eſt, præparationem requiſitam ante purgationem duplicem eſſe, alteram artificialem, naturalem alteram, quæ in humorum coctione conſiſtit. Illa igitur poſita eſt in attenuatione humoris, & apertione viarum per quas vacuatio fieri debet, actore Galeno 2. *aph.* 9. & *lib. quos, quib. & quand. cap.* 3. & 5. Præparatio viarum requirit primò, quod canales, per quos debet fieri vacuatio humorum, deobſtruantur, quod adeò ad felicitatem purgandi exoptat Gal. vt *lib. cit. cap.* 5. ſine eo, etiam turgente materia, purgationem non concedat. Secundò, quòd venter tum alimentis, tum clyſteribus humectetur, & leniatur, quò fit vt purgandis exhibeantur decocta, & iura, & clyſteres ſine ſale: hi enim cùm diutiùs immorentur in inteſtinis, exquiſitiùs operantur. Incommoda autem quæ ſequuntur omiſſa dicta præparatione, ſunt plurima tradita à Gal. *cit. loc.* vt tormina, vertigo, faſtidium, pulſus diuerſus, diſſolutio, ſiue torius corporis laſſitudo, difficilis purgatio & cum grauibus ſymptomatis eueniens, immò ſuperpurgatio.

Sed maior dubitatio eſt ex parte humoris: reddatúrne aptior ad euacuationem quò magis attenuatur. Auicenna in ea eſt firmus opinione 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 7. vt putet tunc humores optimè ad euacuationem præparari, quum ad mediocritatem reducuntur, ad quam reductionem conſtat craſſa attenuari, & tenuia craſſeſcere, cuius doctrinam tota Barbarorum Schola libenter amplectitur. Nec eis deſunt rationes validæ quibus hoc placitum queat roborari. Primò Medicus debet imitari naturam 4. *aph.* 2. Atqui natura tenues humores per coctionem reddit craſſiores, & ita illi euadunt paratiores vacuationi. Ergo & nos ad eius imitationem debemus humores tenues, craſſiores facere.

Secundò. Galenus *lib.* 1. *ſimpl.* 24. ſic inquit, *quod planè tenue eſt, medicamenti vim effugiens præterlabitur.* Tertiò. Quòd humor tenuis non commodè exeat, probari poteſt ex Galeno 4. *de ſanit. tuend. cap.* 4. Nam vbi abundant humores calidi, à ſanguine plurimùm recedentes, quales ſunt tenues, omnino reprobat phlebotomiam, relictis enim humoribus tenuibus euacuatur ſanguis. Quartò, ſi humor valdè tenuis ampliùs attenuetur, periculum imminet ne imbibatur in poris tunicarum, ac proinde difficiliùs vacuetur. Quintò, ex Auic. 1. 4. *cit. humores ſubtiles imbibiti in membris, & craſſi in eis infixi, & viſcoſi adhærentes, omnes ſunt inepti ad facilem expulſionem, immò neceſſe eſt, vt ſubtiles inſpiſſentur.*

Sextò. Si ſubtilitas eſt vltimum quod intenditur ad A digeſtionem, & in principio morbi qui oritur ab humore tenui humor magis tenuis eſt, & per conſequens; magis digeſtus, cur in dictorum morborum principiis non expellitur ſedimentum laudabile, quod nihil eſt aliud quam portio humoris morbifici iam concocti? Inſuper cur non euacuat ſtatim in principio humores noxios, cum tunc tenuiores ſint, ſed expectat ſtatum?

Sed ſi ardenter veritas à nobis eſt inquirenda in re momenti tanti, niſi Auicennæ doctrina commodè explicetur, non video quo pacto cum Galeni ſententia conciliari poſſit: ſi enim huius monumenta attenta mente reuoluas, eum docentem inuenies humores ad euacuationem attenuandos eſſe ſemper, nunquam verò incraſſandos, etſi tenues valdè exiſtant.

Primò. Quia humores, quò tenuiores, eò ſunt fluxi- B biliores, vt patet in ſuperpurgatione, in qua humores tenues priùs vacuantur, poſteriùs verò craſſi, ex Gal. 1. *de natur. human. com.* 31. Secundò Quoniam medicamenta purgantia attrahunt humores à proprietate ſubſtantiæ, hæc autem atractio meliùs fit in tenuiori, vt conſtat in atractione magnetis, & ſuccini. Tertiò. Quia prouocatio ſudoris per attenuantia perficitur, ergo & purgatio.

Auicenna verò intelligendus eſt de iis medicamentis quæ ad morbos thoracis imperantur: nam vacuatio quæ fit ex thoraco, vi aëris impellentis præſtatur, quæ requirit reſiſtentiam paſſi aëri impellenti reſpondentem, & nec in humore tenui, nec in craſſo recte perficitur, quare humor, vt commodè vacuetur, ad mediocritatem reduci debet. Hinc fit, vt eclegmata ſputum promouentia modò ſint attenuantia, modò incraſſantia, pro C ratione humoris vacuandi, cùm tamen ſyrupi præparantes humores ad euacuationem, perpetuò ſint attenuantes.

Neque hæc doctrina aliena eſt à mente Galeni, qui inter tuſſiendum pauca vacuari, tum ob tenuitatem humoris, tum ob craſſitiem aſſeuerat. Sic enim ait *lib.* 4. *de loc. cap.* 8. *quippe bifariam accidere poteſt, vt vehementer tuſſiendo pauca quis expuat, aliquando ob craſſitiem humoris, aliquando ob tenuitatem: ſiquidem tenuis humor cùm ſubleuatur inter tuſſiendum, à ſpiritu diuulſus refluit, lentus verò, & valdè craſſus difficulter effertur,* & *lib.* 2. *criſ. cap.* 10. ſic loquitur. *Tuſſiet igitur ſtatim homo, non tamen omnino ſtatim ſpuet: ſed ſiquidem multum, ac craſſum ab inflammatione defluxerit, cum tuſſi expuet: ſi verò paucum, & tenue, irritabitur quidem neceſſariò, ita vt tuſſis moueatur,* D *non tamen expuet, antequam collectum ſimul, atque concoctum ad multitudinem, craſſitudinémque peruenerit, &c.* repetit 2. *de cauſ. ſympt. cap.* 4. *ante med.* §. *talia ſunt, & c.* 2 *prog.* 43. ex quò colligitur manifeſtè naturam tenuem, irritantémque humorem in thorace contentum non excernere, niſi poſtquam ad craſſitudinem deductus ſit. Quo pacto humor ſemper ad euacuationem eſt attenuandus, niſi in iis morbis qui ad thoracem pertinent ob dictas cauſas.

Quare argumenta quæ vniuerſaliter probant humorem quandoque in vaſis contentum eſſe incraſſandum, ſi tenuis ſit, nihil concludunt. Dic ad primum. Humor tenuis per coctionem redditus craſſior, non efficitur aptior vacuationi, quia craſſior, ſed quia coctus: ſic enim natura deſiſtens ab eius retentione, eum prorſus vacuare contendit. Quando autem aſſeritur, quod Medicus debet imitari naturam, intelligendum eſt, ſi ambo propter eundem finem agant, quod in exemplo propoſito non E contingit: nam Medicus ante purgationem præparat humores, vt eos euacuet: natura verò non ſimiliter, ſed ſolùm vt eos retineat, & concoquat, & ſic ex illis commodum alimentum eliciat, poſt quod ex accidenti ſequitur illorum expulſio: quia ſcilicet cùm natura non poſſit eos vertere in naturam membrorum, eoſdem, veluti excrementum inutile, expellit.

Ad ſecundum. Dic: Galenum ibi non agere de vacuantibus per proprietatem, ſed repellentibus per denſitatem pororum, quæ denſitas ſi non fuerit magna, non prohibet tranſire humorem valdè tenuem, ſed ſolum craſſum: Ille enim cùm ſit tenuiſſimus, per vaſa, quæ non

non prorſus ſunt occluſa, & conſtricta à reprimentibus impoſitis, facilè permeat,& hęc eſt præterlabi vim horum medicamentorum.

Ad tertium. Humor valdè tenuis cùm non ſit benè commixtus ſanguini, ideò ſimul cum illo non exit,optimè tamen à pharmacis purgantibus attrahitur, de quibus hîc. Dic præterea, in hoc exemplo prohibetur à Galeno phlebotomia, quia ſanguis ad coctionem humoris valdè tenuis, & valdè craſſi eſt neceſſarius.

Ad quartum. Dic: propterea quando humor eſt valdè tenuis, non eſt neceſſarium quòd magis attenuetur ad purgationem, ſed ſufficit præparatio ex parte viarum: ſed in morbis in quibus non expectatur coctio,ſtatim vacuatur.Sic Galenus *lib.quos, & quando* 4.humores tenues,& aquoſos ſtatim in principio euacuat, in craſſis coctionem expectat.

Ad quintum. Humores ſubtiles imbibiti inepti ſunt ad vacuationem, non quia tenues, ſed quia imbibiti, & ij ſi incraſſentur, quò craſſiores, eò difficiliùs vacuantur, quare ineptè Auicennæ interpretes generatim eos incraſſandos arbitrantur.

Ad ſextum. Subtilitas eſt vltimum quod intenditur ad digeſtionem, id eſt, ad artificialem]præparationem, per quam humor reddatur aptior ad euacuationem, non autem ad digeſtionem, id eſt, concoctionem naturalem factam à natura, quod falſò Auic. expoſitores ſupponunt. Licèt igitur in principio humor tenuior ſit, non tamen vacuatur,quia natura expectans, & intendens coctionem, non vacuat ante illam,niſi valdè irritetur.Deinde in principio non apparet ſedimentum, quia hoc eſt effectus coctionis quæ in principio non adeſt.

Summa igitur huius controuerſiæ eſt, humores craſſos, & tenaces perpetuò attenuantibus ad exitum eſſe præparandos, tenues verò ex parte ſui non expoſcere aliquam artificialem vacuationem.Et licèt hoc verum ſit in omnibus ferè morbis, ante purgationem ſyrupi attenuantes, & deobſtruentes vtiles ſunt. Primò, quia noſtris temporibus ob ingluuiem ferè omnes morbi ab humoribus craſſis ortum ducunt. Secundò. Quoniam etſi aliqui morbi ab initio ab humoribus tenuibus oriantur; hi tamen procedente morbo, partibus tenuioribus tum per ſudorem, tum per inſenſilem tranſpirationem reſolutis, obſtructionem faciunt, & attenuationem, vt commodè vacuentur, expoſtulant.

Poſſet tamen quis hîc dubitare hoc modo, ſi humores ad vacuationem perpetuò attenuantibus præparandi ſunt, quomodo Medici ſæpè vtuntur ſyrupis infrigidantibus,& incraſſantibus? Dic:ſyrupi incraſſantes in plurimis morbis maximo ſunt ex vſu, non vt præparent humores ad euacuationem, ſed ad varios vſus,vel vt immodicas euacuationes cohibeant, vel vt humores mordaces contemperent, & eorum acrimoniam retundant, hoc enim modo victi, ac ſuperati, & coctioni,& expulſioni aptiores,redduntur.

Ex iis notabis ex Manardo 13. *epiſt.* 1. corollarium vnum ad praxim maximè neceſſarium, ſyrupos habere vim concoquendi, qui moderato calore, odore, & adſtringendi vi natiuo noſtro calori adminiculantur.Quare ſicut ij calidum natiuum languidum ob caloris remiſſionem,& defectum roborant, ſic quando calor ob ardoris exuperantiam debilis eſt, frigida ad mediocritatem redigunt, ac eum firmant. Neque dubium eſt apud eos qui Galeni ſenſa perluſtrant, medicamenta frigida, natiuum calorem cùm ſupra modum ardet, & propter caloris exceſſum à propria temperie plurimùm exorbitat, fortiorem reddere poſſe: Nam 9. *meth.cap.*5. aſſeuerat in febribus ſynochis naturam aquæ frigidæ potu roboratam, prætenuatos iam humores aggredi,eóſque qui vtiles ſunt,& ad nutriendum habiles, hos quidem ad ſe trahere, inutiles verò vel per ventrem, vel per cutem excernere: ſi namque,docente Galeno 3.*de præſag.ex pulſib.cap.*3. robur facultatis temperiem ſequitur, & eiuſdem imbecillitas intemperiem, ſequi par eſt, refrigerantia remedia noſtri corporis partes roborare, quando illas ſupra modum calefactas, & ardore nimio occupatas attemperant, & ad

A mediocritatem reducunt, vt egregiè notauit Cardanus *lib.* 1.*cont. tract.*6. *cont.* 14.

Deinde ſi coctio ſit à calore non abſoluto, nec igneo (nam ſi ab hoc fieret, multò citiùs, & meliùs in febrientibus abſolueretur, ita docente Galen.8.*de placit.cap.*7.) ſed à moderato, benigno, & halituoſo, quippe hic in pueris copioſiſſimus exiſtens omnes actiones naturales adauget, *lib.*5 *ſimpl. cap.*9. Ergo quæcumque refrigerando in ardentibus febribus vehementem illum calorem remittunt: & de eius intenſione detrahunt, faciúntque vt moderationem natiuus calor ſeruet, coctionem iuuare dicentur.

Inſuper exhibendi ſyrupi frigidi, vt humoris calidiſſimi acrimonia infrænetur, ex cuius coctione maior ſequitur vtilitas, quàm ſit noxa quæ ex aliquantula incraſſa-
B tione ſequi ſolet.Deinde vt viæ fiant laxiores, quæ ob caliditatem, & ſiccitatem contrahuntur. Ad hæc vt minus ab aſſante calore aduratur, & craſſeſcat humor: nam quæ calore concreſcunt, frigidis ſoluuntur, vt docet Ariſtot. 4.*meteor.cap.*6.ſequitur Auic.*lib.*2.*tract.*1.*c.*3.*poſt princip.* §.*Et res quarum proprium eſt in calore congelari,&c.*quod etiam colligitur ex Galen. 5.*ſimpl.cap.*5.§.*Sed illud tamen moneo,&c.*probat luculenter Gal. 2. *progn.* 59.dicens,*quia & ſynceri humores craſſiores exiſtunt, pituitoſus quidem propter frigiditatem, bilioſus verò propter exuperantiam caloris euaporatus, & tanquam aſſatus,&c.*

Ex his arripuit anſam Trallianus *lib.*5. *cap.*4. calumniandi Galenum, quòd *lib.*4.*de loc.affect. cap. vlt.*in ægris tuſſi vehementi vexatis, & grandinoſa corpuſcula per tuſſim excernentibus medicamenta calida & attenuantia
C exhibuerit, vt Theriacam, Ambroſiam, Athanaſiam, & alia, quum ex his humores neceſſariò exurantur, & incraſſentur: licèt enim Galenus recta methodo fuerit vſus, vt latè pro eius tutela diximus *lib.*2.*in com.hiſt.* 36. tamen Alexandri conſilium eſt amplectendum: nec enim ſemper attenuatio calidis perfici debet, ſed aliquando frigidis, quæ vim attenuandi habent: nam præterquam quod attenuatione ſua præparant corpus ad euacuationem, ob alias etiam cauſas valdè iuuant. Primò, quia partem humoris quæ adhuc non putret, putrere prohibent, & eam quæ iam putret, prohibent à maiori calore, & putredine. Secundò, quia ſatisfaciunt indicationi ſumptæ à cauſa requirente attenuationem ad euacuationem, & ſimul reſpiciunt indicationem ſumptam à febre, quæ eſt ad infrigidandum. Hac ratione, præſente craſſitie humoris, à calore excedente
D oborta, in diariis ex obſtructione, vtitur Trallianus *lib.* 12. *cap.* 1.decoctis non excalfacientibus, quæ aduerſiſſima ſunt febri, cuius magna ratio eſt habenda; ſed frigidis attenuantibus, in quem vſum maximè commendat oxymel, non tamen perpetuò. Si enim craſſities obſtruentis humoris oriatur à ſiccitate, vel calore, quemadmodum in rebus plus æquo coctis, aut nimium aſſis fieri cernimus; ab oxymeli abſtinendum docet, nam etſi non multùm calefacit, tamen ſiccando humores,eos craſſiores efficit. Hactenus de præparatione artificiali neceſſaria ad vacuationem,tum ex parte humoris vacuandi,tum ex parte viarum per quas humor debet vacuari. Nunc de præparatione naturali,quam in coctione humoris vacuãdi conſiſtere diximus, agendum eſt, & primis quærendum quid ſit concoctio in humore noxio.

E Auicenna, Medicus grauiſſimus 1. 1. *doct.*6.*cap.*3.*&* 1.4.*tract.*2.*cap.*6. opinatur coctionem in humoribus noxiis nihil aliud eſſe quàm præparationem eorum ad vacuationem factam à calore innato, quando craſſus humor attenuatur, & tenuis incraſſatur. Sed niſi, vt diximus ſuprà de humore contento in thorace explicetur, à Galeni doctrina maximè diſſentit. Primò, quia pus ſit per coctionem ex ſanguine, & poſtquàm coctum eſt, redditur magis lentum, & craſſum, & difficiliùs expellitur, quàm ſanguis, quod vltra experimentum, conſtat ex Gal. 2. *prog.* 60. Igitur ſanguis cùm per coctionem vertebatur in pus, non acquirebat dictam præparationem ad expulſionem. Secundò. Si coctio in humore noxio nihil aliud eſſet quàm dicta præparatio ad expulſionem,

non

non oporteret ad illam expectare morbi ſtatum: nam ea præparatio multò celeriùs perfici poteſt. Tertiò, quia in humore noxio per coctionem acquiruntur membri concoquentis qualitates, & quò coctio magis intenditur, eò perfectiores apparent, quod manifeſtè demonſtrat membra coquentia humores noxios ſolùm conari illos in ſui naturam tranſmutare.

Si verò vlteriùs pergas, & huius difficultatis explanationem ſcire concupiſcas, ex Galeno notabis *2. acut. 44. & 1. epid. ſect. 2. com.* 44. duplicem eſſe coctionem, perfectam vnam, imperfectam alteram. Illa dicitur operatio facultatis naturalis in materiam benignam, quæ tota, vel ſecundùm maximam ſui partem in ſubſtantiam corporis vertitur, minima eius portione ſemicocta remanente. In qua ſignificatione & pituita naturalis recipit coctionem: ea enim per vlteriorem elaborationem facultatis concoquentis in ſanguinem verſa corpus nutrit, ob quam cauſam nullum à natura tributum eſt receptaculum ad expurgandum ſanguinem à pituita, ſicut datum eſt ad expurgandam bilem, melancholiam, & ſubſtantiam fecoſam, vt docuit Gal. *lib. de atra bile cap. 9. & 2. de facult. naturalib. cap. vlt.*

Secunda coctio definitur operatio facultatis naturalis in humore non benigno, cuius vel nulla pars, vel tantùm exigua in naturam coquentis verti poteſt. In hac ſignificatione, pus, bilioſi humores, & alia excrementa vitioſa coqui dicuntur, docente Gal. 2. *acut. cit.* In vtraque coctione idem eſt agens, ſcilicet innatus calor concoquens; & idem eſt finis à natura intentus, videlicèt nutritio membri, vt *cit. loc.* monuit Galenus.

Licèt autem hoc ita ſit; tamen ob indiſpoſitionem materiæ fit, vt natura in ſecunda coctione dictum non aſſequatur finem. In vniuerſaliori igitur coctionis ſignificato coctionem definiemus ex Gal. 2. *acut. cit.* quum natura cauſis fortior ſit eáſque permutauerit robore ſuo. Quare humor noxius tunc dicetur coctus, cùm à natura deuictus fuerit, & ſuperatus, quæ eum quoad poteſt in aptum membrorum alimentum vertere conatur, quod ſi ob materiæ ineptitudinem aſſequi non poteſt, ad eius expulſionem conuertitur.

Natura autem & Medicus hanc victoriam naturæ ante vacuationem expectant, primò, quia per coctionem natura eligit partem vtilem ad ſui nutritionem, & reliquam ſecernit, atque expellit, quare tunc temporis habemus naturam adminiculantem vacuationi, 1. *aph.* 22. Secundò quia naturales facultates ſeruant ordinem in agendo, iuxta quem non operatur expultrix, antequam perficiat opus ſuum concoctrix: Quare cùm in purgatione, per pharmacum non modò ſequatur vacuatio humoris noxij, pharmaci purgantis ope, ſed facultatis expellentis vi, eſt neceſſe vt Medicus ad ſimilem purgationem, coctionem naturæ expectet. Tertiò, quia natura agens in vnumquemque humorem perpetuò in nutritionem, tanquam in primum ſcopum collimat, quare primò retinet humorem, vt eo per concoctionem partem aliquam auferat nutritioni accommodam, & poſtea ad expellendum inutile inſurgit.

Sed cur expectatur concoctio ante vacuationem in omnibus febribus humoralibus, ſi multi humores incoctiles ſunt, quod patet de bile, & melancholia, quæ cùm expellantur, & ſeparentur à natura in generatione ſanguinis, tanquam excrementa inutilia ad recipiendam coctionem, manifeſtum videtur ampliùs concoqui non poſſe? Dic: vtramque bilem ſanguini permixtam poſſe quidem nutrire, ac propriè concoqui, ex Gal. *lib. de atra bile, cap.* 7. bilem tamen ſynceram, licèt nutrire non poſſit, ac proinde perfectam coctionem recipere nequeat, tamen concoqui, hoc eſt ſuperari, loquentibus nobis in ſecundo coctionis ſignificato.

Ob hæc refutandi meritò ſunt Manardus 13. *epiſt.* 1. & Valleriola apud Gal. *lib. de conſt. art. medic. in com. cap.* 21. qui fortè nixi auctoritate Auerrhoïs *lib.* 7. *collect. cap.* 9. & Rhaſij 16. *continent. cap.* 2. quem reprehendit Auic. 1.4. *tract.* 2. *cap.* 7. §. *Et tu non auſcultes virum, &c.* Contendunt bilem flauam, tenuem, non turgentem poſſe expurgari in principio non expectata coctione, quam non eſt apta recipere. Primò, quia cùm tenuis ſit, & calida, prompta eſt ad euacuationem, ex Gal. 3. *ſimpl.* 27. *& prog.* 23. *& 3. de natural. facult.* 14. Secundò quia id ipſum monuit Galenus *lib. quos, quib. & quando, cap.* 4. dicens tenues, & aquoſos humores inter initia morbi illicò eſſe expurgandos.

Licèt enim humores quò tenuiores, eò faciliùs expellantur, id intelligendum eſt, dummodò concocti ſint, nec aliqualis craſſities quæ per coctionem comparatur, eorum expurgationem remoretur. Quo pacto bilioſi humores ante coctionem expurgandi non ſunt: id enim voluit Galenus *lib.* 1. *de art. curat. ad Glaucon. cap. de curat. tertian. exquiſitæ*, quo loco abſinthium non exhibet (quod certè modicè purgat) nec lauacrum, nec vinum tenue, aquoſum, & paucum, niſi poſtquam ſigna coctionis apparuerint. Deinde Auicenna 1.4. *tract.* 2. in curatione tertianæ puræ, ægrotantem à purgatione arcet ante coctioné. §. *Quod ſi conſequatur criſis, & videris digeſtionem in vrina, & ſedimen laudabile quod cognouiſti, tunc ſi excuſat benè eſt; & ſi non, tunc cura cum eo quo iuuatur natura ex prouocatione vrinæ, aut ſolutione ventris, aut vomitu, aut fluxu ſanguinis narium, & non agas contra ipſam in hoc, &c.* & paulò inferiùs ſubdit, *non ſumat in potu de ſolutiuis in principio, nec approximent alicui eorum, niſi eis quæ ſunt ſicut ſyrupus violarum, & aquæ fructuum; & non vtatur niſi clyſteribus lenibus, &c.*

Ad ſecundum argumentum, ex celebri Galeni auctoritate deſumptum, quo illi interturbantur: Reſpondet Cardanus *lib.* 1. *cont. tract.* 6. 14. humorem bilioſum tenuem eſſe vacuandum in principio quoad opus artis, quia non debet eum Medicus præparare attenuando: non debet tamen eum euacuare in principio quoad opus naturæ, quia debet ipſius coctionem expectare, nempe victoriam naturæ, quod diuerſimodè faciendum eſt in humoribus craſſis, quia ij nec quoad opus naturæ, nec quoad opus artis ſunt in principio vacuandi: ſunt enim priùs & à Medico præparandi, & attenuandi, & à natura concoquendi. Sed hæc interpretatio non videtur conſona menti Galeni, quia id quod concedit Galenus humoribus craſſis, & viſcidis, illud denegat tenuibus: ſed in craſſis expectat coctionem quæ eſt naturæ operatio, ergo vult eam non eſſe expectandam in tenuibus.

Ioannes Brauus doctiſſimus, & in Galeni doctrina verſatiſſimus *in fin. cap. 8. lib. 2. de purgand. rat.* explicat Galenum, aſſerens per tenues, & aqueos humores non intelligere humorem bilioſum tenuem, ſed eos qui ſimul tenues ſunt, & aquei, ſiue ſeroſi, quos cenſet Galenus non expectata coctione eſſe expurgandos, non ſolùm quia tenuiſſimi ſunt, & ad fluendum paratiſſimi, ſed quia ſeparati, & ſecreti ab aliis exiſtunt.

Verùm quia humoribus craſſis, & viſcidis oppoſuit tenues, & aqueos, videtur hos generaliùs ſumpſiſſe, & ſic non videtur ſolùm intelligere tenues aqueos, ſed tenues quoſuis, ita vt humorem bilioſum etiam comprehendat. Quapropter videtur interpretanda prædicta ſententia iuxta ea quæ docuit 1. *aph.* 24. in morbis longis ſemper oportere expectare coctionem affirmans, in acutis verò contingere aliquando vtiliter circa initia purgare. Monet ergo *lib. quos, quib. & quando*, in humoribus craſſis, qualis eſt pituita, & melancholia, à quibus præcipuè morbi oriuntur longi, ſemper expectandam eſſe coctionem: tenues verò à quibus acuti emanant, circa initia eſſe euacuandos, hoc eſt licere: circa initia vacuare, quia in his ſolùm neceſſaria eſt purgatio in principio. Lege Donatum ab Alto mari, qui de hoc inſtituto elegantiſſimè diſſeruit *tract. de concoctione.* Et hæc de coctione ſatis, nam nos epilogum facimus, non tractatum. Si verò plura de coctionis natura ſcire deſideras, conſule Carrerium 1.4. *tract.* 1. *à cap.* 1. *vſque ad* 12.

* * *

HISTO

HISTOR. XVI. RHASII,
De febri ardenti.

Cauſo correptus, expulſo humore ad partes extremas, ſanatur, facta tamen deinceps phlebotomia intempeſtiua, emoritur.

ALchaſcim oſtiarius incidit vno die ſubitò in morbum vehementem calidum, & incontinenti fluxit ſuperfluitas ad eius manus, pedes & putrefacta eſt, & hac de cauſa ceſſauit febris. Et aliquis Medicorũ fecit phlebotomare eum, & recidiuauit in morbum alicuius caliditatis, & acuitatis, & fuit diſſoluta virtus eius, & poſt tertium diem mortuus eſt, &c. Rhaſius in libro de mirabilibus curationibus.

PARAPHRASIS.

VVlgare admodum eſt, & à priſcis ſcientiſſimis inculcatum, morbos materiales tum vacuatione, tum permutatione iudicari: nam ſi ſine vacuatione quieuerint, maligniùs retrocedunt, minantúrque recidiuam, ex Gal. 3. *criſ.* 4. quod experimento patet in hoc ægro, in quo, cùm eſſet ab igne correptus, ſic enim intelligo per morbum vehementem calidum; nam in febri ardenti, quam ignem ſæpè vocat Hipp. vehemens caliditas adeſt 4. *acut.* 1.) excrementa ſubtilia, & craſſa ad manus, & pedes à natura ſunt expulſa; tenuia ad ſuperas partes, ad quas ob leũitatem conuolant ſponte ſua, grauia verò ad partes inferas, quæ ſuo pondere ad imas præſertim vergunt corporis partes.

Quæ autem eſſet ſuperfluitas, non explicat; at cùm varia ſint ſuperflua quæ à natura excernuntur ad regiones diuerſas, tumores, abſceſſus, puſtulæ, &c. Exiſtimo has potiùs fuiſſe, quàm abſceſſus: quoniam his morbi præſertim chronici iudicantur, vt conſtat ex Galeno. Nec mirum. Narrat enim Auic. 1. *part. canticor. à tex.* 476. *vſque ad fin.* morbos quamplures, quorum aduentu priores curantur, quare ait ipſe. *Et puſtulæ narium, aut labiorum in tertiana eſt ſignum ſalutis prognoſticum.* Et licèt ſit hoc excrementum in parua copia expulſum; tamen hac portione excreta leuatur natura, & ſupra reſiduum inſurgens, noxios, peccantéſque ſuccos deinceps per manifeſtos ductus, aut inconſpicuos meatus validè excernit. Quapropter puſtulis ipſis in ſuppurationem verſis, hoc eſt putrefactis, nam ſuppuratio, putrefactio eſt 2. *aph.* 47.) vel emiſſo humore per ipſas puſtulas putrefacto, hoc eſt concocto: (nam antiqui concocta vocabant putrefacta 6. *Aph.* 1.) ceſſauit febris.

Sed cùm ob phlogoſim internam adhuc ſupereſſent ſigna ardoris opprimentis viſcera, & eſſet neceſſarium ſanguinem exhaurire, ad ventilandum hepar; nam venæ ſectio extrahendo calidam ſubſtantiam, refrigerat, 10. *meth.* 10. factum eſt, vt ea celebrata, diminuto calore natiuo, reſolutis ſpiritibus, attractóque à partibus extremis, manibus, & pedibus humore, ad quas cum vtilitate eum expulit natura, in febrim, ebullientibus de nouo humoribus inciderit, & ob nimiam debilitatem exhauſtus occubuerit.

Ex hoc exemplo coniectare licèt, quantis periculis ſe exponant, qui Medicos imperitos, & inſcios ad ſui curationem vocant, qui, vt inquit Hipp. 3. *articul. text.* 27. ſine vllo profectu magnam ſolent adhibere turbam, magnum ſpectaculum polliceri, & multa verba facere, quorum ignorantiam elleboro dignam patefecimus *lib.* 1. *in com. hiſt.* 64. & explicat Rodericus à Caſtro *lib.* 3. *de medic. politic. cap.* 23. *&* 24.

Hæc eſt ſuccincta breuíſque hiſtoriæ explanatio. Sed licèt Rhaſius culpam mortis in alium Medicum reiiciat, qui intempeſtiuè exercens phlebotomiam, vires extracto ſanguine mirum in modum reſoluens, ægrum in perniciem præcipitauit: tamen ſanguinis miſſionem, occaſionem ſolùm morti non dediſſe patere poteſt. Primò, quoniam morbus fuit malignus, & ex venenata qualitate humoréque intus deliteſcente recidiua fuit concitata. Secundò, quia morbus abſque concoctione quieuit, & euacuationi citra coctionem non eſt fidendum, ex Hipp 2. *aph.* 27. dicente *iis quæ ſine ratione leuant fidere non oportet.* Argumento eſt quod excrementa in primo die natura ad manus, pedes expulit, à malitia humoris, & copia grauante irritata, *& hoc tempore euacuationes factæ, ſunt caſus præter naturam earum quæ ſunt in corpore diſpoſitionum: nam oportet præire coctionem, ſubſequi diſcretionem, & tandem euacuationem, vt bona ſit criſis, atque iudicium,* vt bellè dictauit Gal. 4. *Aph. com.* 22. Cùm enim tertio die mortuus eſſet, in primo euacuatio facta eſt, quo tempore ſi eueniat, inutilis eſt, & reproba, cùm hæc ſolùm fiat in ſtatu 3. *criſ.* 5. *Nam oportet concoctum eſſe morbum, & excerni rectè materiam per locum conuenientem,* vt ait Galen. 2. *prog.* 67, quare in principiò non fit criſis, niſi pernicioſa, quæ ex debilitate retentricis humores ob copiam retinere non potentis, & praua eorum qualitate expultricem irritantium ſcaturit, quare ſi criſis anticipet ſtatum, timenda eſt; vel enim ex ea mortis periculum imminet, vel ſaltem ſi ægritudo omninò ſalubris ſit, vetendum eſt ne criſis imperfecta ſit, aut cum prauis ſymptomatis fiat, aut eam ſequatur recidiua. Tantam enim vim habent coctiones, in morbi ſtatu celebratæ, vt nulla criſis præcedens perfecta eſſe poſſit. Quo pacto recidiua, & mors humori intus derelicto, crudo, & incocto, iterùm ebullienti potiùs, quàm inſcitiæ Medici adſcribi debeant.

Sed rogabis, cur tantoperè laudantur vacuationes ſi præcedat coctio? Dic illas laudauit Hipp. *lib.* 1. *epid.* cùm inquit. *Abſceſſus optimi ſunt ſi maximè deorſum, & quàm longiſſimè ab ægrotatione diſtent, magis verò ſi concoctione pariter erumpant, &c.* Nam omnibus vacuationibus commune eſt, vt cum ſignis coctionis, plus, abſque illis minus conferant, vt colligitur 4. *aph.* 22. quoniam naturam ſibi conſtare, & ſic criticè factos eſſe abſceſſus demonſtrant.

HISTOR. XVII. RHASII,
De febri ardenti.

Febris ardens ex humore turgenti originem ducens phlebotomiæ ope curatur.

QVidam nomine Abet paſſus eſt morbum calidum, & hic morbus mutabatur de loco in locum, & vrina apparuit tincta per plures dies, & aliqua hora ſentiebat ſe grauem, & aliqua leuem, & cum hoc tota vrina non remittebatur in ſuo colore, nec febris ex ea eradicabatur, ſed reuertebatur, & præcepi poſt paruum tempus quòd phlebotomaretur ex baſilica, & ſubtraxi minuto de ſanguine vltra quam volueris, & eius vrina rediit bona, & liberatus eſt, &c. Rhaſius* in lib. de mirabilibus curis.

PARAPHRASIS.

EX humore turgente fuiſſe hanc febrem concitatam, ex textus ſerie facilè deduci poteſt, quum dicat auctor morbum mutatum fuiſſe de loco in locum, quæ mutatio irrequieta, proprium eſt humoris turgentis ſignum, vt 4. *aph.* 1. *& lib.* 1. *criſ.* 9. *& lib.* 1. *aph.* 22. & alibi paſſim explicuit Galenus.

Hic ergo bilioſus, & tenuis humor febrim excitauit continuam, quæ licèt eſſet vehemens, & eradicari ex toto videretur, tamen ferociter deinde inſiliebat, quam vrina tincta, hoc eſt ignea, flammea, rubea, ſeu crocea pura comitabatur, quæ copiam ſanguinis bilioſi, ſynceri, & calidiſſimi, excedentémque hepatis calorem ſignificat, vt docuere Galenus *lib.* 3. *prog.* 34. & Actuarius *lib.* 1. *de præuidentiis vrinarum.*

Sed inquires, ſi hæc vrina rubra nimiam hepatis caliditatem

caliditatem, & ſanguinis copiam oſtendit, cur hic euaſit? Dic, quoniam hæc vrina morbum ſalubrem, diuturniorem tamen ſignificat, ex Hipp. 2.*prog*.27. ſalutaris eſt inquit Galenus *in com. quia materia benigna eſt, nec humida nimis, aut acris, aut putrida, aut tenuis aut aquea, aut craſſa ſed ad ſãguinis, ideam in quo ſibi benè natura complacet, proximè accedat. Igitur quia integerrimi humoris exuperantia eſt, idcircò ſine periculo eſt. Sed quia humidioris, & tem ſeroſioris, eget concoctione, &c.* Lege Chriſtoph. à Vega *in com.*

Si ergo hæc vera ſunt, cur Hermocrates *lib.3.epid.ſect.1. text.5.* cum hac vrina periit? Reſpondet Galenus in hunc modum. *Rubræ verò ſpatio longo laboraturum hominem, non tamẽ planè moriturum, arguunt, vt in commentariis in librũ præſagiorum, & prædictionum planum fecimus, vbi eius libri reprehendimus auctorem. Nam quæ alia de occaſione ægrotãtibus acciderunt, quia ad illud refert, errat. Iam in iis commentariis prolixiùs ſumus tum phrenitidis peculiaria ſigna perſecuti, tum quòd in libris Hipp. citra controuerſiam germanis, de quibus præſagia ſunt, vniuſcuiuſque facultates ſigni exactè, & ſigillatim explanauit, at de rubris, & prærubris vrinis verbum nullum fecit, ſed de ſubrubra vrina cum mentionem facit, ſimul prærubrarũ vim indicauit, atque adeò de ſubrubris vrinis hæc præcripſit verba. Si vrina fuerit ſubrubra, ac ſubrubrum quod ſubſidet, diuturniorem hæc quidem morbum, quam prima ſignificat; ſed admodum tamen ſalubris eſt. Cùm ergo ſit ſubrubra, præter cæteras ſalubris quidem, longiùs tamen quàm prædicta trahat, quas ocyùs dixit morbum exſoluere, quæ magnoperè ſunt rubra, longius ſignificabunt ſpatium, cæterùm non mortem, quantum ex ſe ipſis, neque delirium, &c.*

In hoc incendio interno, ab hepatis caliditate excedenti ſuborto, quod remedium excogitari poterat efficacius ſanguinis miſſione? Nam humores omnes furentes, & feruidos promptè ex venis euacuat, viſcera contemperat, & exonerat naturam, vt potentior reddita ſeparet vtile ab inutili, & deinceps hoc maximo cum ægri commodo eliminet, maximè ſi ex baſilica extrahatur ſanguis: Nam hæc vena ex vaſis maximis velociſſimè euacuat apud Gal. 4. *acut*.23. & 4. *de ſanit. tuend. c.4. & lib. de curãd. rat. per ſang miſ. cap.16. & 2. acut*.11. Quare copioſa facta phlebotomia, ad naturalẽ colorẽ vrina rediit, & ipſe à morbo liberatus eſt.

Miraberis in bilioſo morbo, à furioſo, turgentíque humore pronato, ita ſanguinem copioſè extraxiſſe, cùm in febribus bilioſis parcè ſit ſecanda vena, ex Auic. 4.1, *c*.20. §. *Caue ne ægrum ad vnam duarum rerum perducas, ſcilicet cholericorum ebullitionem, &c.* & in turgente humore nullo modo ſit phlebotomia celebranda; ſed medicamentum purgans offerendum, ex Hip. 1.*aph*. 4.*aph*.1. & 10. Dic, in bilioſis febribus quando bilis eſt aliquantulum permixta cum ſanguine, & humor non eſt exquiſitè turgens, vtilis eſt ſæpè phlebotomia ad ventilandum, refrigerandum, & vacuandum, vt latè *lib.* 1.*in com. hiſt*.3. comprobauimus, & firmat Gentilis, 1.4. *tract.* 2.*c*.7.*dub*.48. In humoris autem turgentis præſentia plura ſunt quæ purgationem aliquando impediunt, ex Gal. 1. *aph*. 24. primùm quando hypochondria ſunt ignita & inflammata; nam tunc ſi exardeſcant viſcera, commoda eſt phlebotomia ob cauſas dictas, maximè ſi humor noxius, ſit ſanguis tenuis, & feruidus, qui cùm acris ſit, & mobilis turgere poteſt, poſt quam vacuationem alia ſunt exequenda præſidia, quæ internas partes refrigerent, & turgentem humorem demulcere queant, vt *infrà in com.* patebit manifeſtè, & notat Santorellus *lib.* 20. *antepraxis, cap.* 13.

QVÆSTIO XXII.

Vtrùm humores turgeant, & ante coctionem expurgandi ſint, vt contra Hipp. & Galenum aſſerunt, Mercatus, Toreus, & Cardanus, Medici præſtantiſſimi.

COMMENTARIVM.

M*Vtabatur de loco in locum.*] Et quia de febribus agimus, in quibus humor furioſus, & turgens frequenter viget, de eius natura tantiſper diſſeremus: Nec illud in hoc argumento ambiguitate caret; vtrùm humores turgeant; ſiquidem plurimi noſtræ ætatis Medici longè doctiſſimi, naturam, non humores propriè turgere opinantur, quum contrarium & Hipp. & Galenus aſſeuerent.

Ludouicus Mercatus *lib.*1.*indicat. cap.*6. & Ludouicus Toreus *lib. ſuo de febre puncticulari*, hoc placitum ſic confirmant. Nam Theophraſtus *lib.*1.*de hiſt. plantar.* 6 probat plantas turgere ad partum, id eſt, vere ineunte habere appetitum ſeu impetum naturalem germinandi, & producendi fructus ex materia quam hyeme contraxerunt. Deinde Ariſt. *lib.* 6.*de hiſt. animal. cap*.28. loquens de quadrupedum fœminis, ad concubitum eas turgere affirmat, ſumpta ad id cognitione ex prominentia genitalium partium, nec non ex frequenti mictu, vnde etiam apud Ariſt. etiam turgere naturale ſignificat deſiderium, & inſitum appetitum, quo fœminæ ad propagandam ſobolem concubitum quærunt. Inſuper id ipſum Hip. teſtimonio cõprobatur, 3.*de fract.* 18. dicentis *pus copioſum ex vlcere manat, turgeréque pars affecta videtur*. In cuius ſententiæ enarratione Galenus partem turgere aſſeruit. §. *Turgere, eſt ad excretionem feſtinare.*

Porrò actuarius id docet manifeſtè *lib.*1.*meth. cap.* 20. §. *Si quando facultas expultrix turget, qui tum poſtea?* Hoc modo partes quæ irritatæ humores noxios expellere feſtinant, turgere dicuntur. Ergo humores propriè non turgent, ſed natura, quia in illis nec reperitur naturalis appetentia, & potentia aliqua, qua extra corpus pellantur, aut huc, illúcque moueantur, ſed hoc ex natura irritata potiùs contingit? quare impropriè, & per ſimilitudinem humores turgere dicuntur. Hoc modo ægritudines appellantur turgentes, quando velociter properant ad ſtatum, vt *lib.*1. *criſ. cap.*9. Galenus affirmat.

At hæc indigna ſunt tantis viris, minúſque lectorem mouere poſſunt: cùm totam Medicorum ſcholam ſibi aduerſam habeant, qui turgentiam ad humores pertinere vnanimiter aſſeuerant. Hippocrates enim Medicorum ſummus *lib.*4.*aph.*1. ſic ait. *Vtero gerentes ſunt medicandæ ſi materia turget à quarto menſe, & vſque ad ſeptimum.* Et rurſus *aph*.10. ſequenti ſic inquit. *Medicari in valdè acutis ſi materia turget, eadem die.* Et Galenus *in com.* turgentiam ad humores refert, quod etiam facit *l. quos quib. & quando, &* 8.*ſec. loc. cap*.3. dũ turgere dixit, ad excretionem moueri, & nondum ad certam ſedem impetum habere, aut conſiſtentiam. Quæ verba non de aliis, quàm de humoribus debent intelligi, ſiquidem hi ſunt, qui ad excretionem mouentur, non partes hæ namque humores ad excretionem mouent. Hanc ſententiam ſequitur Auic. 4. 1. *cap.* 1. *poſt. princip.* dum inquit. *Ægritudo quoque ſi multæ furioſæ materiæ fuerit, in principio eam euacuabis non expectans vacuationem.*

Turgere interdum de natura dicitur, & facultate, ergo impropriè, inquiunt, dicitur de corporibus, & humoribus. At neganda eſt conſequentia: Nam hoc verbum *turgere* apud Claſſicos auctores propriè duplicem ſignificationem habet, ad motum concitari, & moueri ad expulſionem, & ſic propriè dicitur de natura, ſignificat enim propriiſſimè idem quod inflari, ſeu tumere, & tunc propriè dicitur de mari, & de humoribus, & de aliis ſubſtantiis corporeis: per ſimilitudinem verò in iſto ſignificato dicitur de animo ſuperbo, & de natura Cicero *lib.*3.*Tuſculanar. quæſt.*

Córque meum penitùs turgeſcit triſtibus iris;
Cum decore atque omni orbatum laude recordor.

Num manus affecta rectè eſt, quum in tumore eſt? aut num aliud quodpiam membrum tumidum, aut turgidum non vitioſè ſe habet? Sic igitur inflatus, & tumens animus in vitio eſt, ſapientis autem animus ſemper vacat vitio, nunquam turgeſcit, nunquam inflatur. Quo pacto de ſolidis corporibus turgentia dicitur, vt manus turget, facies turget, id eſt inflatur. Liquida autem corpora tunc turgent, quando concitato motu mouentur, & impelluntur, vt in maris euripo cernere eſt.

Sed quid dubitandum turgentiam humoribus poſſe

adiungi, paritérque priſcos, vocem hanc ab animalibus ad humores tranſtuliſſe, cum eademmet de oratione, aliiſque pleriſque enuncietur. Cicero namque *lib.4.ad Herennium non longè à principio*, ſic ait. *Vt corporis bonam habitudinem tumor imitatur ſæpè, ita grauis oratio ſæpè imperitis videtur ea quæ turget, & inflata eſt.* Huic ſententiæ adſtipulatur Vitruuius *lib. 8.architectur. c.3.* dicens. *In Italia, & Alpibus eſſe genus aquæ, quam qui bibunt, turgidis gutturibus efficiuntur*; quo loco turgidis pro tumidis vſus eſt, vt apud Iuuenalem videre licet.

Quis tumidum guttur miratur in Alpibus?

In qua ſignificatione dictio turgere ſumitur à Gal. *6.epid. ſect. 2 com.* 30. vbi de tuberculis verba faciens, inquit. *Iam & de phymatis anteà didiciſti, quæ in acutum faſtigiantur, ac veluti turgent, calidorum humorum ſobolem eſſe, contraria verò frigidorum.*

Quòd ſi Galen. 1.*aph.* 22. ſcribit verbum turgere tranſlatum eſſe de animalibus concitatis ad coitum, ad humores, id non arguit impropriè dici de humoribus, nam, ait, ſicuti illa animalia ſtare loco neſciunt, titillatione quadam impulſa, & quaſi æſtro concitata, ſic & humores plerumque in motu vehementiori, & transfluxu ab vna parte ad aliam in morbi principio hominem infeſtant. Num hæc ſimilitudo reddit ſignificationem impropriam? minimè. Præterea ex ex incerto motu iſto humores vagantes tument quodammodo, & inflantur, & ſic etiam propriè turgere dicuntur: Nam in externis aqua vehementer commota inflatur impulſu, tumet, turget. Qui ergo improprij ſermonis hac in re Hippocratem carpunt, & Galenum notant, ſuam palàm propriam produnt inſcitiam, quorum rationes aduerſas ſoluere ex dictis operoſum non eſt. Conſule Caſtrenſem Luſitanum, qui doctè, & ingenioſè de hoc argumento diſſeruit *tract. de complexu morbor. cap.* 17.

Proximum his videtur, vt de natura turgentis humoris aliqua ediſſeramus, ac primum quidem æſtimatione dignum eſt perſcrutari. *An humores turgentes tenues ſint, an craſſi.* Quod autem craſſi ſint, patet ex Gal. 1.*aph.* 24. & *lib. quos, quib. & quando ante fin.* quo loco ad præparationem turgentium humorum, decoctum extenuans propinat Sic enim habet. *Verùm in acutis morbis circa principia, ſtatim circa primum videlicet diem, vel non vltra ſecundum ſi ſumus vſuri purgantibus medicamentis, quando turgent humores, non datur facultas iſtos præparandi, niſi quis fortè arripiat occaſionem propinandi melicratum, in quo decoctum ſit aliquid hyſſopi, vel origani, vel tragorigani, vel thymi, vel pulegij, ſiue quid huiuſmodi vim habens humores extenuandi &c.* Ergo turgentes humores craſſi ſunt, cùm extenuationem deſiderent.

Ex altera parte. Humor turgens debet eſſe valdè acris ſed acrimonia ſolùm videtur reperiri in materia calida, & craſſa. Ergo: Nam illud contingit membris quæ moleſtantur ab humoribus, quod contingit illis qui manu flammam, aut carbonem tangunt, carbonis enim caliditatem nec momento temporis ob eius craſſitiem ferre poſſunt, flammæ verò longè diutiùs ob eius tenuitatem: ita membra nec per minimum ſpatium humoris craſſi, & calidi acrimoniam tolerant.

Deinde, ſi naturam turgentis humoris penſites ad vnguem, qui valdè mobilis eſt, & irrequieto motu mouetur, eum nimis tenuem eſſe affirmabis: Quoniam conditiones requiſitæ ad turgentiam à craſſitie humorum nimis ſunt alienæ. Nam prima conditio eſt, vt ſit mobilis ex natura ſua careátque lentore, & craſſitudine, qua de cauſa ſola flaua bilis, aut ſanguis bilioſus dicitur turgere, atra bilis etiamſi valdè ſit maligna, non turget ob craſſitiem, pituita non turget ob lentorem & quia acrimoniam non ſortitur, qua naturam irritare queat. Vapores calidi non turgent: Nam celeriter reſoluuntur. Flatus turgere Poſſunt, quia motu inordinato moueri poſſunt; & hoc inſinuauit Gal. 1. *criſ.9. in fin.* Secunda eſt, vt naturam irritet, & de loco in locum inordinato motu moueatur & habeat caliditatem acrem, exurentem, aut qualitatem malignam, ita affirmat Gal. 4.*aph.* 1. & 10 & Auic. 1.4.*tract.* 2. *cap.7.* rectè explicuit agens de materia turgenti, quam ipſe furioſam vocat, hanc eſſe multam, mobilem, & permutabilem de loco in locum aſſeuerat. Vltima eſt, vt ſic moueatur humor à parte in partem, vt certam inclinationem non habeat, quare quando humor mouetur ad determinatum locum, vt in arthritide, & tertiana, non turget, quia habet certum locum ad quem mouetur.

Ad obiecta verò ita reſpondendum eſt, Galenum ſcilicet non præcipere exhibenda eſſe decocta extenuantia turgentes humores, ſed humores craſſos, & viſcidos, ſi qui ſimul in viis ductuum reperiuntur, quia alij in venis maioribus turgent, qui plerumque tenues, calidi, & fluxiles ſunt, neque medicamentis calidis extenuationem deſiderant, ſed frigidis contemperari poſtulant. Dic ſecundò: Galenum propinare decocta calefacientia in humoribus turgentibus, non vt iis extenuentur, quia tenues ſunt natura ſuapte, ſed vt pori, & meatus per quos debet fieri expurgatio, aperiantur. Ad ſecundam obiectionem dic; in humoribus tenuibus acrimoniam non deficere, quæ ad turgentiam requiritur, quia ipſorum tenuitas tanta eſſe non poteſt, vt acrimoniam impediat, quum flammæ tenuitatem non æquet.

Quæres ſecundò, quænam ſit qualitas quæ humores turgere facit? Reſpondent plures, in quibuſdam ſemper turgentiam, ad calorem, & acrimoniam, in aliis verò ſolùm ſequi ad malignitatem, & malum morem humoris: ab alterutro enim natura irritata, infeſtantem humorem protinus expellere cogitur, & ſic in aliquibus membris facit humores turgere caliditas, & acrimonia, in aliis mala qualitas, & certa humorum malignitas, aliquando citra vehementem caliditatem copulata. Sed cùm ferè in ardentibus, bilioſiſque febribus, quæ à tenuiſſimo, & caliđiſſimo humore originem ducunt, humores citra malignitatem irrequieto motu moueantur, irritent naturam, eámque quieſcere non permittant, approbanda eſt ampliùs ſententia Manardi, qui 13.*epiſt.1.* ſoli calori eſſe attribuendam cauſam turgentiæ aſſeuerat, quia adeò ſit vehemens, & acris humor, vt à nullo ferè membro recipiatur. Quo nomine non ſemper in febre ardente bilis turget, quia licèt caliditas ſemper vehemens ſit, non tamen bilis ſemper habet eam acrimoniam, ob quam à nullo ferè membro recipiatur.

Quæres tertiò. An ex humore turgenti inflammatio interna poſſit concitari? Dic: Si generatio inflammationis prærequirit, quòd humor in parte aliqua firmetur, non videtur quod ex humore turgente inflammatio gigni poſſit, quum hoc illius naturæ maximè repugnet, perpetuò enim à loco in locum mouetur, irritando, pungendo, & vellicando naturam. Quo pacto toto cœlo errare eos puto, qui pleuritidem, aliáſque inflammationes internas ab humore turgente oriri aſſeuerant: Nam licèt in his inflammationibus moueantur humores ab vna ad aliam partem, dolorem & titillationem inferendo, tamen vel in determinatum locum mouentur, vel deinde in certo loco ſunt infixi, vt ſuperioribus locis firmauit Galenus.

Quæres quartò. An humores intra venas, & extra eas turgere poſſint? Nam intra venas non turgent, quoniam ibi neque dolorem, neque titillationem efficere queunt, quum venæ ſenſus ſint expertes vt monuit Gal. 16. *de vſu part. cap.* 12. dũ ſic ait. *Arteriæ enim & venæ partis cuiuſque, ſenſus omnino ſunt expertes, ſiue illas frangere velis, ſiue vrere, ſiue incidere, ſiue laqueis excipere, &c.* & quamuis ſenſus participes eſſent, humores intra eas neque dolorem, neque moleſtiam inferre poſſunt: acris enim eorum qualitas benignitate ſanguinis obſcuratur. Hac de cauſa flaua bilis intra venas contẽta, etiãmſi mordax ſit, laſſitudinem, inæqualitatem, horrorem, aut rigorem efficere non poteſt, ex Gal. 4.*de ſanit. tuend. cap.* 2. Hac ratione dicebat Gal. *lib.2. feb. cap. 8. continuarum proprium eſſe, neque rigere, neque horrere*, quia in febribus continuis humor continetur intra venas. Extra venas non turgent, quia, turgentia humoris non poteſt inueniri niſi in febribus continuis, & acutis, in quibus humor intra venas continetur. Adde quod propter meatuum anguſtiam, & denſitatem humor celeriter non poteſt moueri de parte in partem.

Quæſito

Quæſito reſponde hoc modo. Humor poteſt turgere intra venas, & extra venas. Nam venæ licèt ratione ſui ſenſu non polleant, tamen ratione fibrarum neruorum quæ illis implantantur, ſentiunt. Et non ſolùm hac ratione dolorem inferunt, ſed quia vehementer commoti partibus ſentientibus vapores acres communicant,qui dolorem, & titillationem inferre queunt. Et quia per febres continuas acutas ſolet expelli humor ex venis extra venas, hic in corporis habitu, celeriter, & violenter commotus turgere poteſt: neque obſtat meatuum adſtrictio: nam in viuentibus ob caloris copiam, ampliores ſunt, & latiores, quàm in cadauere apparent, vt notauit Galenus *lib.3.de facult.natural.c.vlt.*in quo ob caloris abſentiam, & refrigerationem latere ſolent.

Sed reſidua eſt illa adhuc dubitatio:*Verùm turgentes humores ante coctionem ſtatim expurgandi*? Dic cum Hipp.4. *aphor.* 10. hanc purgationem ſtatim prima die eſſe celebrandam, vel vt adnotauit Gal. 1.*aph.*24.non vltra ſecundam. Galenus *in com.4.aph.*& Auic.1.4.*tract.*2.*cap.*7.plures rationes reddunt. Nam ſi eam non exequaris, dolor partis augetur, febris caliditas increſcit, & ad aliquam partem principem decumbunt ij, qui per corpus vagantur humores, diſſoluitur virtus ab eorum acrimonia agitata. Deinde ij humores in motu poſiti ſunt, & natura incitatur eos extra corpus pellere: Nam ab eorum copia obruitur, & à malitia lancinatur,quare cùm non ſint in aliqua parte firmati, & ad eos expellendos irritetur natura, paruo indiget negotio, vt expurgentur. Inſuper humor turgens non poteſt concoqui, quum valdè mobilis ſit,& irrequieto motu agitetur, coctio autem perficitur quiete, ex Gal.*lib.4.acut.*44.

Hæc eſt cauſa cur tantoperè Hip. & Galenus monent; vt in principio reuulſiua purgatio adminiſtretur, ne fortè ij humores vagantes,& furibundi, in cor, cerebrum, thoracem, & aliquam ex præcipuis partibus decumbant: Quocirca prudenter Galenus 14.*meth.cap.*8. cùm veſpere hora diei ferè decima ad ægrotum quendam qui ſexagenarius iam erat, linguam tumidam ita habentem, vt ore eam continere non poſſet, acceſſiſſet: ei protinus abſque alia præparatione pilulas ex aloë,ſcammonio,& colocynthide conſtantes exhibuit, quibus humoribus ad inferna reuulſis, hominem à ſuffocationis periculo tutum ſeruauit.

Trallianus etiam *lib.4.*² *cap.1.tit.de ſang. miſ.* anginoſo cuidam vrgente valde affectione, veſpere ex cremore ptiſanæ, lachrymam ſcammonij, omni prorſus præparatione omiſſa, exhibuit, & alium ſimili malo preſſum poſt duorum brachiorum venarum ſectiones, liquore tithymali ex herba ipſa expreſſo, trium ſiliquarum pondere: eodem die purgauit, ſequente non expectato. Itaque humorem turgentem antequam in partem aliquam illabatur confeſtim reuellere oportet.

Ita Galenus *lib.* 4. *meth.cap.* 6. in eryſipelate vlceri ſuperueniente, purgatione ad contraria reuellere monet, qua maximè parte vlceri conducit, ſiue id per ſuperna, ſiue per inferna celebretur. Hoc modo *lib.* 13.*meth.c.*11. ſcribit ipſe, nonnullos quibus oculi tentari phlegmone cœperant, ſola purgatione per aluum vna die ſanatos vidiſſe,& *lib.2.acut.*11.in humore ad præcordia deſcendente ventrem nigro veratro purgare imperauit. Sic *lib.* 4. *acut.*37.& 76. prima die pharmacum propinaſſe refert, antequam humores errabundi in partem aliquam decumbant.

Inſtabis primò. Cur ex humore turgente augebitur febris; ſi hic mouetur ad partes diſtantes à corde remotas, quare tunc potiùs, remittetur febris, quàm intendetur. Dic: quando humor turget, non tota humoris quantitas huc mouetur, & illuc, ſed magna portio illius manet in venis maximis, febrem conſeruans, & augens. Dic ſecundò,quòd licèt hic humor moueatur ad partes à corde remotas,celeriter tamen ad interiora recurrit.

Obiicies ſecundò. Cur humor turgens purgatione educendus eſt, ſi ex eius vacuatione inflammatur iecur? Cùm enim per aluum excerni non poſſint niſi ad iecur recurrant, ex hoc decubitu incend. iecur eſt neceſſe: Nam nulla eſt via per quam eiuſmodi humor ex venis, & ex ipſo corporis habitu in aluum duci poſſit, niſi iecur; ita docente Galeno *lib.2.prog.* 13. quia venter per iecur omnibus partibus copulatur, & per illud recipit excrementa illarum; & *in com.*14. omne corpus per iecur purgari ſcribit. Dic:diuerſo modo humores in iecur incidunt quum ſuo impetu in id prolabuntur, atque cùm à medicamento purgante attrahuntur: Nam cum ſuo impetu confluunt, ibi morantur: cæterùm quum à medicamentis purgantibus ad inteſtina attrahuntur, nullam prorſus moram in iecore faciunt, ſed illicò excernuntur: poſſe enim aliquem humorem per viſcus aliquod etſi præſtantiſſimum ſine noxa pertranſire, ſi huiuſmodi tranſitus velociſſimè fiat,teſtimonio ſunt ea quæ de fracta pulmonis vomica *lib.* 6.*de loc. affect.* Galenus inculcat, cuius pus per læues arterias, & ſiniſtrum cordis ventriculum, in renes, & veſicam deferri, & tandem per vrinam expurgari admonuit. Ergò turgentes humores non decumbunt in iecur, ſed per illud innoxiè expurgantur.

Sed vtrùm humores turgentes ſemper ſint expurgandi,reſpondet Cardan *lib.*1.*contr.tract.*6.*cont.*15.non ſemper humorem turgentem eſſe purgandum: Nam plura ſunt quæ illius expurgationem impediunt: videlicet aſſidua cruditas, aſſumptio ciborum qui craſſi, & tenaces ſunt, obſtructio, tenſio viſcerum, hypochondriorum ardor,& inflatio, viſcerum inflammatio: nam omnes ij haudquaquam ſunt apti ad expurgationem, vt notauit Galen.*lib.*1. *aph.* 24. quoniam ij citra præuiam præparationem, aut commodam attemperationem expurgandi non ſunt. Si enim in febri acuta, præſente incendio interno medicamenta purgantia offeras, maior accenditur febris, & viſcera exardeſcent, vt monuit Hippocrates *lib. de med. purgantibus, num.*4.*&* 2.*acut.*11.*&* 4. *aphoriſm.*5. Tunc iubet Hip.*eodem lib.de medicam.* vtendum eſſe infuſis per clyſterem,& hoc conſilium exequendum docet 4. *acut.* 43. quando humores craſſi in primis viis continentur, & vrinæ tenues ſunt. Quapropter tunc præſtantior eſt phlebotomia,& vtiliora ſunt quæ humores tenues contemperant, & eorum caliditatem retundunt.

Hæc tamen ſententia videtur repugnare veritati, & Hip.Galeni, & aliorum ſummorum Medicorum doctrinæ valdè eſt aduerſa, qui humorem turgentem ſtatim citra coctionem expurgandum eſſe aſſeuerant: Nam purgationis procraſtinatio vitæ periculum portendit, & tunc in acceleranda purgatione ſpes tota ſalutis repoſita eſt. Neque Galenus *in com.cit.aph.* quem Cardanus in ſui ſubſidium adducit, vllam de humore turgente facit commemorationem, quum ſolùm in acutis morbis raro, & in morborum principio medicinis purgantibus vtendum ſit. Si tamen morbus maximè vrgeat, & vitæ periculum minetur, tunc ſi adſit copia humoris crudi in viis primis, vigeat cauma internum, premat inflammatio, non indiſtinctè, ſed maxima cum præmeditatione purgatio celebranda. Secus ſi turgeat humor, tunc confeſtim expurgandus æger: Nam læſio quæ ex purgantibus imminet, potiùs eligenda eſt, quàm mors, vt 12.*meth.*1.præcepit Gal.Lege elegantiſſimum Manardum *lib.*13.*epiſt.*1.

HISTOR. XVIII. GALENI, de febri ardente.

Puer mero epoto acutè febricitans,ſuborto delirio, & vigiliis interiit.

Grammaticus ſingulis diebus balneum petens, vnū ex pueris ſecum ducebat, altero domi relicto qui rem familiarē ſeruaret,atque ea quæ ad victū eſſent neceſſaria pararet.Puer itaque domum cuſtodiens cùm vehemēti ſiti cruciaretur,nec eſſet ei aqua domi copia, vinum antiquum liberaliter potauit,atque ex reliquo tempore vigil omnino permanſit,poſteà correptus febri,vnà cum vigiliis oborto delirio periit, &c. Galenus lib.2,de loc. affectis, cap. vlt.

PARAPHRASIS.

QVot damna vinum afferat pueris exhibitum, hoc exemplo oſtendit Galenus, quum enim hæc ætas caloris copia exæſtuet, illos valdè inflammat, & calefacit, licèt vini potus moderati ſit fomes ingenij, confirmet vires, corpus mirum in modum ſuſtineat, animum alacriorem reddat, ſit laborum omnium medicina, infantes nutriat, ſit fortitudinis calcar, dolores à corpore pellat, ſit triſtitiæ, & curarum antidotum, ſanitatem cuſtodiat, veri ſit gaudij theſaurus, & humanæ vitæ ſolatium, naturale ventriculi temperamentum tueatur, appetitum alimentorum excitet, à morbo conualeſcentibus proſit, & non ſolùm frigidis, ſed calidis, immò peſtiferis, & venenaris opem ferat, quum ſit venenorum ſecuriſſimum alexipharmacum, vt docuit Dioſcorides, & nos *lib.2.in com.hiſt.61.* protulimus, ob quas miras vtilitates Medici præſtantiſſimi parant julapia, ſyrupos, & clareta ex vino, vt Quercetanus, Crollius, Libauius, quorum vſu, & efficacia roboratur ventriculus, abſumuntur flatus, facultates firmiores fiunt, & frigidi omnium partium morbi perſanantur. Denique vina fiunt purgantia, pro curandis diuerſis morbis vtiliſſima. Neque mireris, inquit Quercetanus *in diætico* de tantis, & inexplicabilibus facultatibus vini: Nam abundat ſpirituum vitalium copia, & eſt præterea aliorum medicamentorum, ac ipſorum quoque purgantium vehiculum, cuius virtute, & correctione operationes illorum, promptiores, & tutiores euadunt, & tanquam ab alexipharmaco quodam malignæ ipſorum qualitates, ſi quæ ſunt, corriguntur, & tolluntur: eſt enim vinum, gratus, iucundus, citúſque delator ad partes humani corporis minimas: Nam obuiis quaſi vlnis mira voluptate excipitur abſque vllo horrore, aut metu.

Prætermitto vſum vini in fomentationibus, ablutionibus, lue venerea, antidotis, extractis, odoribus, & infinita propemodum, quæ ex vino parari conſueuerunt. Neque immeritò pronuntiauit Albitizar, nec cibum, nec medicinam vino vnquam priuari debere: vinum enim ſimile eſt, caloríque innato maximè conuenit. *Quapropter* inquit Ianus Cornarius *lib.de re vinitoria, comtemplari debemus conſiderationem prouidentiæ, quæ ſi vllibi in rerum è terra naſcentium ſerie, hic certè illuſtriſſimo ſe documento oſtendit, dum in vno hoc liquore tot ſalutaria remedia tantis morbis opponenda ſubminiſtrat: quidquid enim ſaluberrimarum virium natura cæteris plantis indidit, illud omne facillima participatione, vino, & in vino homini ad diuerſiſſima inualetudinum genera communicari poteſt.* Hunc pretioſum potum tantoperè cómendat Salomon *in Prouerbiis*, dicens, *date vinum iis qui amaro ſunt animo, bibant, & obliuiſcentur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordentur ampliùs.*

Denique ſi vini commoditates, & efficaciam pro arcenda peſte, peſtiferis morbis curandis, & fugandis venenis recitare incipiam, in immenſum euadet oratio, lege ſcitu non indigna apud Laurentium Gryllum *lib.1. de ſapore dulci, & amaro*; Andream Baccium *lib.3.de natur.vini, cap.10.vſque ad 16.* Anton.Fumanel.*lib.de natur. vini, & facultat. cap. 6.* Fracaſtor.*lib.de vini temperat.* & alios quos citat Petrus Andreas Canonherius eloquentiſſimus *in ſuo lib.1.de admirand.vini facult.cap. 3. à num. 1.vſque ad 67.* & nobilis, inſigniſque Poëta Marcus Antonius Flaminius eius vires eleganti carmine deſcripſit.

O vinum tenue, aureum, ſuaue!
Inſtar nectaris! ô merum Deorum,
Vitæ præſidium meæ fugacis;
Cedant Pæonij tibi liquores,
Et quidquid remediis ſalubribus
Oſtendit medicæ repertor artis,
Iacebant lateris dolore membra
Semimortua, febris æſtuabat
Vt fornacibus ignis, ipſe plantas
Lethi limina dura transferebam,
Cùm tu languidulos fluens in artus
Cœlectis liquor, & leuas dolorem,
Et vitam mihi reddis, &c.

A Lege Sauanarolam *lib. de conficienda aqua vitæ*, & Augenium *tom.3.epiſt.medicinal.epiſt.3.* Valleſ.*lib.de ſacra Philoſoph.c.27.* Ruel.*lib.1.de nat.ſtirp.* 143.

Sed ſi tot facultates habet admirandas vinum, cur pueris tantoperè nocet, vt Galenus hac hiſtoria demonſtrat? Dic: quod præterquam quod inflammat, & ignefacit illorum corpora, natura ſua calidiſſima, etiam tentat caput, quod ſuapte natura imbecillum eſt, vt probat Themiſtius ex Ariſtotelis *de ſomno, & vigilia libro*, quum enim puerorum caput, veluti temulentorum vaporibus flatulentis, & pituita ſit repletum, quod mole vacillet humorum, quibus meatibus ſpiritus, & animæ infarctis, neceſſe eſt vt ſontico, vel diuino Herculis morbo conuellatur: temperandum igitur eſt iis à vino præcipuè veteri, quod caliditate ſua vrit viſcera, neruos præſertim puerorum emol-
B lit, *5.aph.5.* & ſemicrudos humores ad caput defert, ex Auic.3.1.*doct.2.cap.7.* Hoc modo Plato *lib.2.de legibus*, pueris vinum vſque ad annum duodeuigeſimum, ne ignis addatur igni, interdicit, cum Ariſt. *lib. de ſomn. & vigil. cap.3.* & membra molliſſima vim vini non tolerant, ſed reſoluuntur. Conſule Langium *lib.2.epiſt.* 51. Rhodigin. *lib.15.lect.antiq.28.* & 29. Cardan. *lib.1.cont.tract.2.contrad.9.*

Porrò excutiamus tradita à Galeno. Si vinum antiquum melius, & ſalubrius eſt nouo, & ob calorem vberiorem, promptiùs reſoluitur per ſudorem antequam nocere poſſit, cur febrim, & delirium, illius excitauit potus? Rurſus ſi vinum vetus maiori cum voluptate à natura amplectitur ob ſuauitatem, & faciliùs coquitur, & ſecedit per ventrem, & vrinam, cur mors ex eius potu ſequuta? Dic. Vinum vetus eſt iucundius, id probat ſacra pagina
C Eccleſiaſtic.*c.9.Vinum nouum, amicus nouus, veteraſcet, & eum ſuauitate bibes illud.* Quare Homerus *lib.Vlix.* vinum vetus potionem vocauit diuinam.

Intus autem dolia vini veteris dulcis ad potandum
Erant, meracum, diuinam potionem intus habentia.

Idem præfert Pindarus *in Olymp.od. 9.* & Horatius 3. *lib. carmin.od.* 21. Conſule Tullo factum. Et Ouidius *lib.2.de art.amandi.*

Qui properant, noua muſta bibant, mihi fundat auitum,
Conſulibus priſcis condita teſta merum.

Et Plautus in Caſina *in prologo, ſapientes ſunt, qui veteri vino vtuntur.* Hæc etſi vera ſunt, tamen plura in pueris damna oboriuntur ex meri potu, quod calorem innatum in feruorem deducit, ex Gal.4.*acut.*406. & in calidis naturis condemnatur, ex Galen.*lib.de bonit.& vitio ſuccorum,*
D *cap.19.* præſertim ſi liberaliùs aſſumatur: tunc enim præcopia concoqui nequit, & febrilem æſtum concitat, Quare vinum antiquum vigilias facit copiosè ſumptum, nouum verò vberius hauſtum, frigidos morbos parit, ex Gal.3.*de temp.c.5.& lib.de cauſ.morb.3.& 2.prorrhet.19. & 1.de cauſ.ſympt.7.* vt carum, profundum ſomnum, apoplexiam, & comitialem morbum, quia ſemicrudos humores generat.

Dic ſecundò. Merum calefacit, & exſiccat, ſpititus inflammat & vigilias parit. Dilutum aquoſum, humectat, cerebrum emollit, & meatus, per quos vis animalis communicari debet, obturat, & ſomnum gignit. Hoc non ita nocere pueris, cum modo ebibitum, immò illis poſſe
E concedi teſtatur Alphonſus Luperius *lib.de vini commoditatibus*, quoniam benè dilutum non ferocire faciet genuinum calorem, immò illum tutabitur, ſuppeditabítque humorem alimoniæ, & augmento, quo pueri egent decentiſſimum, pituitosáſque humiditates vacuabit. Hinc fit vt ex potu vini iuuenes faciliùs in ſæuiora damna incurrant, quàm pueri. Quare auctor *de ſalubri diæta* vinum pueris non interdicit, ſubſcribit Galenus *in com.* & firmat Aëtius *terrab.3.ſerm.1.cap.28.* Neque hoc tibi videatur mirum: Nam Galenus, cæteríque Græci vinum in febribus concedunt in declinatione, poſt coctionem & euacuationem, vt ex plurimis eorum auctoritatibus confirmat, Syluatic.*cont.* 12.

* * *

QVÆSTIO XXIII.

Vtrùm vinorum plures ſint differentiæ.

COMMENTARIVM.

Vinum antiquum.] Quoniam Priſci, iuniores, immò Poëtæ illuſtres plurimi, fabuloſè vino diuinos honores, immò illi iconas, ac ſimulacra dicarunt, nos ab eis ſupercedentes, ea agitabimus quæ intra medicinæ aream ſolent diſceptari. Compertum illud in primis eſt vino vti Medicos ad ſedandam ſitim, elixandos cibos in ventriculo, horum diſtributionem promouendam, reficiendas vires: Nam facillimé tranſmutatur, auctore Galeno, 3*.de temper cap. 2.in princip.* Ideò Gal *lib.7.meth.cap.6.* pro intemperie ſicca ventriculi vtitur vino,& *in 12. meth. cap.5.* pro curanda ſyncope vinum propinat,& alibi ſæpè.

Sed vt intelligamus quale vinum ſit quod auctores in morbis exhibere conſulunt, notãdum eſt, ex Gal. 3*.de rat. vict.* 1.plurimas eſſe vinorum differentias. Prima ſumitur ex colore: nam vinum aut eſt album, aut fuluum, aut rubrum, aut nigrum,vt tradit Plinius *lib.4.natural.hiſt.c. 9.* Galenus *loc. cit.&* 5*.de ſanit. tuend.* 5. addit flauum,& ea quæ medios colores retinent inter album,& flauum. Alii addunt giluum,rutilum, pellucidum, & vermiculare, qui colores ſub quatuor primis continentur,,vel ex illis ſunt compoſiti, vel ſunt qualitates à coloribus diſtinctæ, illis tamen adiunctæ.

Album dicitur, non ſicuti lac, aut nix quoniam beneficio naturæ, aut ſponte nullum tale exiſtit. Vocatur ergo album, quod colore aquæ ſimile eſt, præſertim quando tenuem ſubſtantiam habet. Pallidum ſequitur, cui annumerandum ſubpallidum, quod ex pallido albicans vocatur à Galeno 5*.de ſanit tuend. cit.* ſubflauum appellat ex pallido flauum. Ab hoc rufum, & fuluum ſola intenſione, & remiſſione diſtinguntur, & quando hi colores ſubſtantiæ tenui, & perſpicuæ coniunguntur, rutilum, & pellucidum conſtituunt, cuius, meminit Galenus *lib.de bonit. & vit. ſuccor. cap.* 11.

De rubro etiam *locis citatis* egit Galenus, ſub quo remiſſo giluum, & vermiculare continetur. Vltimum eſt nigrum, & non vocatur ita, quia eſt ſicut atramentum, ſed quia eſt rubrum obſcurum, quale in Aſia erat theræum, & ſcibelites, apud Romanos falernum. Vtrùm hoc tantis laudum encomiis à Galeno laudatum, inter alias vinorum differentias ſit præſtantius, luculenter, & doctè diſceptat Canonherius clariſſimus ex multorum mente *lib 1. de admirand.vini virtutibus cap.7.*

Secunda differentia ſumitur ex ſapore vini. Nam eſt dulce, aut auſterum, aut medium inter hæc, vel per participationem, vel per negationem extremorum, aut eſt acre. Verùm vt hæc illuſtriora reddantur, notanda eſt doctrina Galeni, 1*.ſimpl.* 36*.&* 37.docentis ſaporum ſpecies certo numero comprehendi non poſſe, poſſunt tamen in numerum redigi, vt ipſe ex mente Platonis *in Timæo* conatur oſtendere, quum de ſenſibilibus linguæ diſſeruit, quo loco,ſicut & 4*.ſimpl.*vniuſcuiuſque ſaporis naturam exactè propoſuit, & poſteà Meſuë *theoremate* 1. & inter omnes perdoctus Ioannes Brauus ex Galeni mente affabrè explicuit *in aureo libello de ſaporibus.*

At dubitabis, cur Gal. 3*.acut.* 1. opponit dulce auſtero, & non amaro? Dic: hos ſapores eſſe contrarios ſecundùm effectus quos imprimunt, & ſecundùm qualitates à quibus dimanant, 2*.ad Glaucon. cap.8.in med* nec immeritò: Nam auſtera qualitas ſua ipſius virtute refrigerat, & exſiccat ex Gal.7*.meth cap.7.&* 4*.ſimpl.cap.* 7.quare adſtringentia terrena ſunt & craſſa,ex Auic. *lib.2.tract.1.cap.* Sapor autem dulcis ex caliditate mediocri, & ſubſtantia non admodum craſſa ortum ducit, exGal. 5*.ſimpl.cap.*26, Rhaſio 3*.ad Almanſ.cap.* 1.

Deinde dubitabis, quare Galenus dum de vini ſaporibus diſſerit, prætermittit acidum, ſalſum,& amarum? Dic: non dari vinum acidum, quia iam ex Galeno *lib.aduerſus Lycum, cap.4.in fin.*eſt acetum; nec ſalſum, niſi quando aqua ſalſa permiſcetur; & quando eſt amarum, iam potui eſt ineptum, & non ſolùm iniucundum, ſed ſuccum laudabilem amiſit,vt Gal. docet 12*.meth cap.8.in princip.* quæ enim exactè ſunt amara, nutrire nequeunt, vt 4*. ſimpl.* 9*.* & 10 monuit Gal. quoniam amarum omnibus tum hominibus, tum plantis eſt inimicum, firmant Auic. 2*.canon tract. 2. cap. 3.* & Auerrhoës 5*.collig. cap.* 25.

Tertia differentia colligitur ex conſiſtentia vini, quia vinum aut eſt tenue, aut craſſum, aut mediocre, licèt omnibus vinis pro modo craſſitiei, parciùs, aut copioſiùs, & pro modo tenuitatis, magis aut minùs alimentorum iuuent diſtributionem,vt *lib.de bonit. & vitio ſuccor cap.* 12. Gal. edocuit.

Quarta differentia ſumitur ex odore: Nam vinum aut eſt boni odoris, aut mali, aut inodorum,vt aqua. Odor in vino ſemper virtutem, & robur ſignificat, contra autem odoris priuatio ſignum eſt frigiditatis, & debilitatis, vt inquit Galen. 3*.acut com.*20.quo loco huius rei propoſuit cauſam, quia quando lignum vitis aſſumit multum aquoſæ ſubſtantiæ, & parum ſubſtantiæ calidæ, & in eo leuis fit alteratio, tunc vina frigida, & inodora euadunt, caliditas enim, & odor in vinis ob plurimam alterationem, & ſubſtantiæ calidæ permixtionem comparantur. Ex hac doctrina intelligi poteſt quod affirmat Galenus *eod.lib.* 3*. acut.com.* 8. in feruidis regionibus rarò vina tenuia & inodora reperiri, ſed magna ex parte vinoſa, & odora, in frigidis verò regionibus contrarium accidere affirmat.

Odor in vinis facit ad ſucci bonitatem, graueolentia verò, præcipuè quando craſſitiei, & auſteritati eſt adiuncta, ſucorum vitium progignit, ex Galen. *lib. de bonit.& vitio ſuccor. cap.* 2. Vina odorata, quia calidiſſima ſunt, bilioſis corporibus ſiue ex natura, ſiue ex ætate, ſiue ex quacunque alia cauſa,valdè nocent,non quòd prauum ſanguinem generent, ſed quia hæc corpora humoribus abundant, qui refrigerari potiùs, quàm calefieri deſiderant: contra tamen pituitoſis corporibus, in regione frigida, & tempore frigido ob contrariam cauſam ſunt vtilia, vt *loco citato* notauit Galenus. Inſuper odorata vina, quia caput tentant, feriunt, & replent, capitis etiam frigidis affectibus nocua ſunt thoracis tamen, & pulmonis morbos diuturnos, qui citra febrem infeſtant, iuuant, quoniam humores crudos, & craſſos concoquunt, & extenuant, & ſi dulcia ſunt, craſſa ſua humiditate, per ſputum expurgationem promouent, ex Galen. *lib. de attenuante victu, cap. vlt* Vina verò inodora tenuia, & aquoſa, præſertim ſi leuiter adſtringant leues capitis affectus, ob conſenſum ventriculi ſubortos, humores contemperando & roborando, corrigere ſolent.

Quinta differentia ex vini facultate deſumitur: nam vinum aut eſt potens, aut imbecillum, aut mediocre, Potens illud dicitur, ex Galen. 3*.acut.com.*1. quod vehementer &, celeriter corpus calefacit, capútque ferit,& vinoſum dicitur, quia in eo id in quo aquam euincit, vehementiſſimum eſt,qui locus videtur difficilis, nam quando vinum purum eſt, & nullam habet aquam permixtam, videtur intellectu difficile quomodo tunc vincat aquam. At tripliciter poſſe explicari ſententiam hanc mihi perſuadeo, & primo modo, ſic. Vinum aquæ diſſimile eſt ſapore, odore, conſiſtentia,& facultate, quantò igitur, hæc vehementiora habet, tantò magis potens, & magis vinoſum dicitur, cùm ea in quibus aquam vincit, habeat intenſiora. Vinum tamen aquoſum, quia in omnibus ferè eſt ſimile aquæ propterea aquoſum vocatur; & dicitur parum euincere aquam. Dic ſecundò. Vites nec nutriri, nec fructum ferre poſſunt, niſi ex terra aqueam humiditatem alliciant, quæ interdum in ligno vitis tranſmutatur multum,& tunc fit vinoſum, interdum parum tranſmutatur, & fit vinum aquoſum. Dic. tertiò, ex Galen. 3. *acut* 20.quòd vinum potens ad benè temperatam mixtioem multùm aquæ ſuſtinere poteſt, quare polyphorum, id eſt multiferum appellatur, contrà verò aquoſum dicitur, quando exigua aqua permixta ita diluitur, vt bibi non poſſit, & parùm aquæ tolerat, & vocatur oligophoron, id eſt, pauciferum.

Poſtrema differentia ſumitur ex tempore, & ætate,nam aut nouum eſt,aut mediæ ætatis, aut antiquum, quæ differentia extrinſeca eſt: quia vina non iuuant, aut lædunt ob tempora, ſed ob mutationem quæ in dictis differentiis fit,cuius menſura, & ſignum eſt tempus, & quando illis non immutantur, neque antiquum, neque nouum vocatur, & mutationem iſtam non acquirit ex tempore, ſed ex interno calore, qui paulatim partes aqueas concoquit, & aëreas ignitas reddit. Quare rectè traditum eſt, omnia vina antiquitate fieri acriora, & calidiora, vt firmat Gal.*lib.* 1. *de antidot.cap.* 3.& 4. *ſimpl.* 11.&12. *meth.* 4.Illa tamen antiqua ſententia quæ ponitur à Gal. 1.*de antidot.cap. cit. in fin.*omnia ſeneſcere præter vinum,intelligenda eſt, vt longiſſimo tempore incorrupta durent, quæ vſque ad certum tempus vetuſtate fiunt fortiora, deinde paulatim exoluuntur: nam partes, quas continent neceſſariò, tractu temporis debent diſſolui, & experimentum hoc confirmat: & quemadmodum in facultate mutationem accipiunt, ita & in calore, & ſapore.

Vina alba, & aquoſa ſicuti citò aceſcunt, ita etiam citò inueteraſcunt: quando enim ſunt nouella, imbecilliora, & aquoſiora exiſtunt,& excrementitia, quòd ſi ſimul fuerint auſtera, & rubra,omninò ſunt fugienda, quia facilè aceſcunt in ventriculo, neque coctionem, neque diſtributionem iuuant, neque aliquam vacuationem promouent. ſolùm nouella, quæ alba, & aquoſa ſunt bibi poſſunt, vt præcipit Galenus *lib.de cibis boni & mali ſucci,cap.* 11.*poſt.med.* Quando iam ſunt antiqua, vtimur illis magis pro medicamento quàm pro alimento. Ea ſolùm quæ ſunt mediæ ætatis, aut modicè calida debent eſſe in vſu, vt inſinuat Auic. 3. 1. *doct.* 2. *cap.*8. *de regimine aquæ, & vini.*

Galenus *lib.* 7.*meth.cap.*6.*& lib.*4.*ſec.gener.cap.*5.Vinum nouum dicit eſſe vſque ad quintum annum, ab octauo in decimum, eſt mediæ ætatis. Poſt decimum, antiquum eſt. Vinum nouum eſt ex primo ordine calefacientium, mediæ ætatis ex ſecundo, antiquum tertij eſſe ordinis. Modus mixtionis debet eſſe pro natura vini, & prout vnuſquiſque obſeruauit experientia talem modum ſibi fore vtilem, quare vniuerſim intelligenda eſt doctrina Hip. 7. *aph.* 56.dicentis vinum æquali portione aquæ eſſe attemperandum. Galenus 3.*acut*, 40.docet aliam eſſe ſymmetriam mixtionis aquæ cum vino voluptatis gratia, & aliã eſſe quæ fit ad opem ferendam in ſanis hominibus. In illa ſic vinum temperatur, vt aquam ſapore, & odore ſemper deuinciat. In ægrotis fit ad corrigendam aquæ malitiam, cruditatem, & frigiditatem, quia præ frigore quantumuis optima ſit, incoctilis eſt, & ægrè diſtribuitur.

Breuiter vini boni proprietates deſcribendæ: Vinum neque debet eſſe vetulum, neque torculari vicinum, ſed medium, quod colore fit vermiculum, optimi odoris, non acerbum, ſeu dulce, non acutum,aut fortitudine vincens, ſed æquale, natum in terra libera, à vente perflata, non nimis plana, ſed lapidoſis montibus, non ad meridiem ſita, ſed Phœbo ſurgenti contermina regionis, neque calore nimio æſtuantis, neque frigore nimium torpentis. Auerrhoës *lib.*5.*collect.* 16. his conditionibus probat vinum.*Et vinum quod melius reperitur eſt aromaticum, cuius caliditas penetrare poteſt per totum corpus, quod ſi, ſine amaritudine,& ſtipticitate,& eſt illud vinum quod eſt vinoſum, pungitiuum in principio; & poſt delectabile ſine aliqua amaritudine & ponticitate.*

Sed,vt Laconicè vini proprietates complectamur, pro iis deſcribendis carmina illa Arnaldi Villanouani mihi arriſere ſemper, recitata *in ſchola Salernitana.*

Vina probantur odore, ſapore, nitore, colore,
Si bona vina cupis,quinque hæc laudantur in illis,
Fortia, formoſa, & fragantia, frigida, priſca.

Odor in vino,aromatis inſtar,optimam coctionem præoſtendit, quare alimentum corpori ſuppeditat non mediocre, ſuccum gignit laudabilem, facultates principes corroborat, exhilarat, ſpiritus reſtaurat:Nam ſolo halitu, lipothymia, aut, ſyncope languentibus mirè ſuccurrit. Contra fœtidum, aut aliquo graui odore præditum, ſpiri-

A tus proſternit, facultates labefactat, reprobum ſuccum generat, & vaporem tetrum capiti tranſmittit, qui capitis dolorem infert promtiſſimè.

Sapor in vino maximè expetitur: Nam cum voluptate aſſumptum auidiùs à ventriculo attrahitur, perfectiùs concoquitur, & promptiſſimè diſtribuitur. Nitor, ſeu ſplendor, quòd ſanè ſi pellucidum ſit, non ſolùm vini tenuitatem arguit, ſed ſpirituum, qui ex eo gigni debent, ſubtilitatem præſagit.

Color etiam eſt neceſſarius. Rubicunda potentiùs nutriunt, quàm alba,illa frigidis naturis, hæc calidis magis conueniunt. Vinum debet eſſe forte, vt ſic plurimùm nutriat, & non exiguam ſpiritus copiam progignat. Formoſum, ſiue pulchrum maiori cum iucunditate aſſumitur,
B meliùs coquitur, citiùs à partibus attrahitur. Fragrans, ſiue ſuauiter olens, vires roborat, tenues gignit ſpiritus. Frigidum actu aſſumi debet: Nam calidum inflammat, tepidum, ventriculum eneruat, vomitum concitat. Priſcum ſit ſeu leue: quoniam perfectiùs coquitur, penetrat, nutrit. Denique debet eſſe clarum, vt perſpicuos gignat ſpiritus. Vetuſtum quoniam nouum ſiue muſtum faciliùs inebriat, tormina gignit, inflat ventrem, febres ardentes gignit, cõcitat cephalalgiam. Maturum eſt optimum, non auſterum, nec ſtipticum. Si alias conditiones ſcire cupis, quibus vinum probandum eſt, adi Matthiol. *lib.*5. *in Dioſcorid. cap.*6,Conſtantin. African.*lib.* 3. *theoric cap.* 20.Iulium Alexandrin.*lib.*17.*Salubrium,cap.*6.Cardan.*lib.* 6. *de varies,cap* 24.Gratarolum *lib.de vini natur.cap.* 12. & alios qui de vini natura conſcripſerunt.

Num verò omne vinum calidum ſit, etiam addubitant
C Iuniores, & videtur in pluribus locis probare Galenus omne vinum eſſe calidum: Nam 8.*ſimpl.tit.de vino, &* 3. *acut.* 106. *&* 4.*ſimpl.* 11. docet vinum omne calefacere, quoniam ex ſolis calore, & vite calorem contraxit, quam doctrinam accepit ab Hip.*lib.* 2.*de diæta.* Obſtat tamen Galenus *lib.*12.*meth.cap.* 4.§.*Nullum enim ex alborum genere vidi calidum,&c.*repetit *lib.*5.*de ſanit. tuend.cap.*5.*& lib. de bonit. & vit.ſuccor cap.*11.

Dic,omne vinum calidum eſſe, licèt Macrobius *lib.*7. *Saturn. cap.*6.ipſum natura ſua frigidum eſſe plurimis argumentis contendat quorum ſolutionem lege apud clariſſimum Ludouicum Nonnium *lib.*2. *diætetic. cap.* 5. Hoc modo vinum flauum eſt caliſſimum, fuluum, rubrum, &c. album parum calidum. Ita Galenus nullum vidit ex alborum genere multum calidum. Hoc modo ſe-
D ipſum explicat Gal.*lib.* 3.*acut. com.* 6.§.*Nempe ex vinis albis nullũ valenter calefacere poteſt,quod enim ſummè calidum eſt,id continuò & flauum exiſtit,veluti & quod ab ipſo eſt fuluum mox ab his rubrum,& deinde dulce. Album autẽ minus quidem his omnibus calefacit, &c.*Quare etſi vinum aquoſum, colore, ſapore,& odore aquæ ſimillimum ſit, quia in ligno vitis leuem ſuſcepit tranſmutationem,aëreas tamen partes ſortitur ratione quarum aliqualiter calefacit. Neque refert quòd Gal. 4 *ſimpl.* 9.*&* 11.vinum auſterum, & acidum frigidum eſſe aſſeuerat, nam hi ſapores à frigiditate fiunt,quare Galen.2.*ſimpl.* 21.acerba vina non calefacere affirmat,tamen acidus ſapor tenuium eſt partium,quoniam acidum penetrat, aperit, incidit, diuidit, tenuat, ex Gal.4.*ſimpl.*7. *&* 23.Meſuè *lib.* 1. *theoremat.* 1.Et vinum auſterum, non eſt ita frigidum, nec partibus craſſis,& ter-
E renis conſtat, vt cæterorum ſtipticorum inſtar infrigidet, & exſiccet.

Neque ob id putes vinum non eſſe in febribus offerendum: Nam caliditas eius non eſt tanta, vt inflammare poſſit, & contrarium docuit Galenus, qui vinum aquoſum in diariis, & acutis eſſe porrigendum non ſemel inculcat: quoniam hoc, vini, & aquæ damna effugit 3. *acut.* 8. aqua enim etſi optima, cruda eſt,flatuoſa, & difficulter permeat, 3. *acut.*40.Vinum vinoſum calefacit, caput tentat, ferit neruos, fluxiones mouet, perturbat corpus: aquoſum autem omnia naturalia inſtrumenta roborat, coctionem iuuat, omnes naturales excretiones adauget, non tentat caput, nec lædit neruos, nec calefacit. Ita ex auctoritate Hip.in acutis id concedit,8.*meth.*2.*&* 4. *acut.*4. *&* 8.*&* 7.*meth.*6. illud ſine noxa in hectica febri offerri

offerri poſſe aſſeuerat, & Auic. 1.4 *tract. 2.cap.*in febribus tunc eſſe exhibendum quando febris eſt in declinatione, corpus vacuatum, & ſigna coctionis apparuerint, quam doctrinam exhauſit ex Gal.a 1.*meth.cap.9. §. At ſi mediocris eſt febris, &c.* quia quando febris eſt vehementiſſima, & in ſummo vigore conſiſtit, vinum ſolet febrem adaugere: quamuis enim aquoſum ſit, propter partes aëreas, & igneas quas habet, facilè ſolet inflammari, ſic etiam quando humor crudus eſt,aut multus, vini ratione agitari ſolet, & ſic obſtructiones, & putredinen auget, vt notat Iacchinus *in methodo curandar. feb.cap.* 33. *de curatione tertianæ interpolatæ.* Conceditur etiam, & prohibetur in febribus ratione ſymptomatum, nam quando adeſt delirium, dolor captis, vel inflammatio, vel eryſipelas,vel intemperies admodum calida alicuius partis, negandum eſt, etſi ſit aquoſum, quia ab eius potu mala inſanabilia eueniunt, vt 1.*ad Glauc.* 14.& 8.*ſec.loc.cap.7.poſt princip.*docuit Galenus. Deinde in moderata copia offerri poteſt, ſi vires ſint reſolutæ, immodica vigilia adſit, inappetentia, deprauata concoctio, ſuſpicio veneni, vel maligna qualitas inſoleſcat,vt in febribus peſtiferis, & malignis ſæpè contingit: Vinum enim veneno vehementer reſiſtit, ex Dioſcorid. *lib.5.cap.7.& lib.6.cap.1.* putredinem arcet,ex Gal. 3.*ſec.loc.cap.7.*& peſti reluctatur; referunt enim Arrianus, & Simplicius *in prædicamento qualitatis*, ſuo tempore peſtem fuiſſe graſſatam, quæ præter oleum, & vinum, quibus omnes ſanabantur, cætera præſidia reſpuebat; probant Iul. Palmarius *lib. de feb. peſtil. cap.14.* Alexand. Benedict.*lib.1.de peſte, cap.14.*Foreſtus *lib.6.de feb.obſ.* 23. Ergo aquoſum vinum in omnibus febribus poſt coctionem concedi poteſt, vt appoſitis tam multis ſententiis probant. Amatus *lib.* 1. *centur.* 28. Siluaticus *controuerſ.*16. Vtrùm autem in paſſiuis qualitatibus ſit ſiccum, vel humidum, differunt Manardus 14. *epiſt.* 3. Valleſius *lib.9. cont. 6.* Si verò de vinorum differentiis plura ſcire tentas,lege Mercurialem *in com. Hip. lib. 3.de rat.vict.in morbis acutis.*

HISTOR. XIX. GALENI, De febri ardenti.

Quidam ob copioſum vini potum, alij ob ſalſorum eſum, æſtum, exercitium, iram, vigilias, in cauſum inciderunt.

Scio equidem nonnullos ob liberam vini, quod tethalaſſomenon vocant,potionem, cauſo fuiſſe correptos:veluti & alios ob ſalſamentorum,ſalſarúmque, carnium, atque aliorum quorundam ſalſorum vſum immoderatum. Alius ex ambulatione,& æſtu veniens, primum quidem lauit ſe,deinde domum perductus vini mixti plus bibit, cœpitque protinus affici cauſo. Alius autem ob iram, & alius ob vigilias cauſum incurrerunt, &c. Galenus lib. 4. de ratione vict. in morb. acut. com.4.

PARAPHRASIS.

LIcèt verum ſit febrem non poſſe concitari humoralem ex cauſa externa, non præcedente diaria,quoniam ſpiritus tenuiores ſunt, quàm humores, & faciliùs ob caliditatem, & ſiccitatem flammam concipiunt; tamen ſi in humoribus maior adſit diſpoſitio quàm in ſpiritibus ad recipiendum calorem febrilem, priùs generabitur putrida, quàm diaria: Nam agens non poteſt introduci niſi in paſſo benè diſpoſito, vt eleganter docuit Galenus *lib. 1. feb. cap.4.* Accedit etiam quòd calor in ſpiritibus ob eorum raritatem diu conſeruari non poſſit, quare inducetur continens bilioſa, ex aduſta, & non putrente bile, quam poſſe fieri *ſuprà in com. hiſt.* 9.latè prædiximus,& maximè ex vini potentis meraciori, & copioſo potu, quod incendit bilem, & adurit, de cuius effectibus plura protulimus ſuprà.

Salſorum eſum etiam inflammare corpus,notum eſt: A Nam ea calida ſunt, ex Ariſt. *lib.2 3.probl.30.*Auerrhoë *l.3. collect.27.*Galen.*lib.5.ſimpl.26.*Auicen.*lib.2.tract.1.cap.3.* Iſhaac *lib. diætar vniuerſal.cap.12.* probat Manardus 18. *epiſt.* 5. quare ſanguinem & bilem adurunt, & ardentibus febribus occaſionem præbent; de cuius effectibus ſat plura diximus *lib.2. in com.hiſt.73.*

Similiter febrem ardentem ab exercitio, magnóque feruore externo gigni non eſt dubitandum, quoniam exercitio nimio incaleſcit corpus, attenuatur ſanguis, inflammatur bilis, præſertim in calidis temperaturis, & æſtatis tempore, de cuius vi lege *lib.1.in com.hiſt.*28. Æſtum calefacere corpus, & febrem concitare, vbique *in lib.epid.*& *de dif feb.*protulit Gal. Nam inſpiratus aër calidiſſimus, & attractus per tranſpirationem, bonum non parat cordi refrigerium, quare hoc inceditur, & exardeſcit, & calo- B rem concitat febrilem,nam ex vicinia rei calidæ oriri febrem, demoſtrauit Gal.*lib.1.feb.cap.7.* de quo argumento ſatis *lib.2. in com.hiſt.79.*

Ex ira, efferueſcente ſanguine, ebullientibus ſpiritibus, omnis generis febres excitari, nullus dubitabit, qui huius pathematis effectus perpenderit: vehementer enim calefacit, & inflammat cor, quia illæ ſubſtantiæ incompoſitè per totum corpus mouentur; quare ſi adſit diſpotio in humoribus, & corpus ſit calidum,& ſiccum, non ſolùm diaria febris, ſed ardens generatur.Quoniam verò plura protulimus de ira *lib.2.in com.hiſt.*13.ad cum locum te remitto.

Vigiliam eodem modo febres accendere,quia ſanguine reſoluto, & aduſto, reſiccatur corpus,præſertim excarne, C immò maiora mala, & conuulſionem, areſcente corpore, firmauit præclaro elogio Hip.*lib.7.aph.*18.dicens,ex vigiliis,conuulſio, & deſipientia,malum.Reddit cauſam Galenus *in com.* quia in longis vigiliis bilioſior redditur ſanguis. Idque maximè, vt ait Galen.6. *epid.ſect.* 1. *com.6.* quoniam ob vigilias corrumpitur ſanguis illis quibus præſertim corpus inedia eſt maceratum. Ab iis enim cauſis ſi cauſus acciderit, curabitur iuxta cauſam à qua originem duxerit.

HISTOR. XX. GALENI, De febri acuta.

D Quibus artibus Cyrillum, Boëthi filium, clam cibum ſumere deprehenderit Galenus in febre.

CVm itaque ægrotaſſet alter filiorum Boëthi, & liber à morbo factus rurſus in morbum incidiſſet, deindéque ſoluta febri denuò febriret, & quæ palam offerebantur, & qualitate idonea,& quantitate congrua eſſent, puerum aliquid clam comedere,Galenus confidenter aſſeuerauit. Re autem à Boëtho audita,cuſtos adhibitus fuit,qui tota die,circa puerum ſederet, nec ad eum quemquam accedere ſineret, noctúque cubiculum in quo dormiebat,diligenter clauderet, rurſus non poſſe poſthac puerum quidpiam clam comedere, atque ideò cum quatuor diebus puer ita ſeruatus, noctu incaluiſſet, indignabundus Boëthus in thalamum pueri, Galenum manu apprehenſum duxit,ſubſequentibus quicunque E *in via eis obuiam ſiebant, vt ab ipſius pueri matre, eum, illa diligentia, diebus illis cuſtoditum fuiſſe, intelligeret,vt nihil in victu aberratum eſſet,túncque an febricitaret,determineret. At Galenus pueri pulſu explorato,nullo quidē pacto eum febricitare faſſus eſt: erratum tamen adhuc in victu fuiſſe,& puerū aliquid clam comediſſe,conſtanter affirmauit: in cella immò illa, quidpiam ad comedendum etiam nunc abſconditum eſſe, dixit vt quando mater ad balneum itura domum claudebat, & ſecuritatis cauſa, clauem in loculum coniectam obſignabat (quod interdum facere eam Galenus ſciebat) id filius comederet. Quibus auditis ſtatim Galenus ſurrexit, arreptúmque puerum in cubile matris tranſtulit, puerique lectum inſterni, & agitari, & quæ ſuper imponebantur, ſubſternebantúrque veſtes, excuti, & ſellam attolli iuſſit, an quidpiam in eis abſconditum eſſet, vt videret, quod idem in cubili matris, fecit*

fecit, quod totum excuti, & denuò inſterni voluit. Miratus itaque fuit Galenus nihil occultum ibi fuiſſe repertum, ſurrexit, & exiguum matris velum ſellæ impoſitum, quod ſolum intactum fuerat, excuſſit, ex quo commoto panis fruſtum cum cecidiſſet, clamorem magnum omnes ſuſtulerunt, atque cum Boëtho ſimul omnes riſerunt, & Galenum, à Romanis Medicis vatem vocatum laudarunt, &c. Galenus lib. de præcognit. ad Poſthum. cap. 7.

PARAPHRASIS.

CYrilli Boëthi filium clam cibum ſumere, ex artis præceptis, fuiſſe Galenum aſſequutum, ille affirmabit qui Hip. ſenſa perluſtrat. Is enim *lib. 2. aph. 8.* ſic prædixit. *Si a morbo cibum aſſumens quis non corroboratur, pluri alimento corpus vti ſignificatur: quod ſi non aſſumenti cibum hoc accidat, ſcire oportet quod indiget euacuatione.* Huic ergo cùm in quantitate, & qualitate moderata Galenus alimentum conſuleret, & palam non offerretur, erat neceſſe, vt clam aſſumeretur; ſed quî fieri poteſt, vt hoc ratiocinio inductus huius recidiuam fuerit aſſequutus? nonne ex humoribus relictis in corpore, & denuò recrudeſcentibus poterat oriri recidiua? Minimè quidem: nam Gal. pueri illius corpus nulla egere vacuatione in hiſtoriæ initio adſtruxit, ſignum profectò maximum non ex relicta humoris portione, non ex apparatu morboſo iterum paſſum fuiſſe puerum recidiuam.

Exactum autem Galeni iudicium mirari licet, qui modum quo puer clam aſſumeret alimentum adinuenit. Cùm enim mater in balneum proficiſceretur; ille eſcam aſſumebat: Nam pueri ſuapte natura edaciſſimi ſunt, vt docuit Gal. & experimentum ſatis confirmat, & quum ob vehementiam caliditatis multum conficiant, & idcircò plurimo indigeant alimento, victus rationem exactam ſeruare haud queunt, ſed vario, & inordinato, & de induſtria quæſito vtentes cibo ſæpiſſimè ſolent pati recidiuas, adauctis crudis ſuccis, quorum copia ſcatent. Quare mira ſolertia ſolum hunc modum recidiuæ reſpexit Galenus, propriam puerorum naturam exactè contemplans, quare in eam deuenit ſententiam, vt crederet illum à cibo qualitate inidoneo, & quantitate immoderato iterum in morbum reincidiſſe: maximè cùm debilis eſſet, & conualeſcens, *quoniam vbi cibus præter naturam ingeſtus eſt, is morbum facit*, vt monuit Hip. 2. *aph.* 17. Nam alimentum debet eſſe proportionatum calori coquenti, quare in conualeſcentibus alimonia parum, & ſæpè offerenda, vt *in com.* animaduertit Galenus. Si enim aliter feceris, non cocto, neque gubernato cibo ſuccreſcet cruditas, à qua omnis morbi ſcaturigo emanat, vt retulit Galenus *lib. de cib. boni, & mali ſucci, cap.* 4. præſertim ſi alimentum ſit craſſum, & terreſtre, & ſuccum generet lentum, vt panis ſine obſonio, qui cùm ſit lenti ſucci, obſtruit, difficulter coquitur, vt notauit Galen. *lib. 1. de alimentor. facult. cap. 5.* & recidiuas facere conſueuit.

HISTOR. XXI. GALENI,
De febri acuta.

Recidiuæ febris præcognitio, & illius per ſudorem diſceſſus, hiſtoria.

SExtus in morbum incidit acutum, adeò vt ſeptimum diem euadere non poſſet quin iudicaretur. Correpto itaq; Sexto à febri acuta, de futuro euentu Gal. ſententiam quæſiuit Pitholaus cubicularius. Huic ſubridens Gal. non poſſe morbum vltra diem ſeptimum extendi: Verū ſeptimo, vel ſexto die iudicatum iri, quod ſi ſexto die iudicium contigiſſet, reuerſurum illum, ſin ſeptimo, optimam fore iudicationem, eámque per ſudorem ex neceſſitate euenturam. Sexto itaque die morbi iudicatio euenit, & cum ſupra modum contentioſus eſſet Sextus, vt Galenum febre non redeunte, redargueret, quotidie quidem lauari concedebat, ſed neque vinum bibebat, neque quicquam aliud ſumebat præter ptiſſanam, vel A *ſolam, vel cum panis micis: interdúmque ſolo pane in aqua macerato contentus erat, quæ cùm ad duodecimum diem obſeruaſſet, Galeni prædictionem ſe viciſſe iactabat. Sed cùm decimo die aquoſi vini pauxillum bibiſſet, ac parumper copioſiorem cibum quàm anteà, tenuem tamen adhuc accepiſſet; ſequenti die qui à primo decubitus tempore decimus quartus erat, febrire cœpit. Sed ne quis id Galeno renuntiaret, magnopere vetuit, exiſtimans eam febrem neque vehementem fore, neque vltra diem vnum progreſſuram. Procedente verò die, quum febris aſſiduè plus augeretur, & ob concertationis ſtudium, Galenum non reuocaret Sextus; re à Claudio Seuero, vicino, & amico intellecta, ſtatim Galenus vocatus fuit, qui poſt tres dies, ſeptimo nimirum, ſi quis à primo decubitus die eos enumeraſſet, febrem iudicium ſuſcepturam, & diſceſſuram, hominémque ſanum remanſurum,* B *prædixit, ſudore erumpente hora noctis ſecunda decimi illius ſeptimi diei, quod euenit, Seuero id planè non credente. Viſa hæc res eſt admirabilis Seuero, & vulgaribus quibuſdam Medicis: minimè tamen iis admirabilis, qui quæ ſcripſit Galenus commentaria* in lib. Hip. & epid. & lib. de criſibus *didicerunt. Quo pacto ſicuti modo narrabam, hæc prædicere quamuis vulgaribus iſtis Medicis admirabilis res videatur, re vera tamen admiratione digna non eſt, &c. Galenus* lib. de præcognit. ad Poſthum. cap. 10.

PARAPHRASIS.

PLurima ſunt quæ admirationem merentur in hiſtoria hac, ſed cùm mirabilis fuerit Galenus, & diuini Hip. mentem calluerit apprimè, mirum non eſt quod in præ- C dictionibus ita ſit verax, & certus. Sed ſi hoc ita eſt, rogabit aliquis ex iis qui contra hunc diuinum auctorem plura machinantur, cur ipſe dubitanter fuerit loquutus, dum dixit quod in ſeptimo, vel ſexto die morbus eſſet iudicaturus? Nam vel vidit ſigna coctionis, vel non. Si primum, perfecta debebat eſſe criſis, minimèque reuerſurum morbum poterat præſagire. Sin contra, malum erat pronuntiandum. Sed hæc facili negotio diſſolui poſſunt. Quum enim in quarto ſigna bonæ coctionis non viderit, duos dies comprehendit, ne falſus deprehenderetur, eò maximè quum morbus non eſſet peracutus qui ad ſeptimum terminatur, 2. criſ. 12. Quare cùm morbus hunc terminum excedere non poſſet, ad ſextum iudicium neceſſariò ferebatur.

Reuerſurum autem morbum ſtatuit ſi ſexto iudicetur nam hic dies non ſimpliciter, & abſolutè, ſed cum addito D decretorius malus nuncupatur, quoniam cum periculo, infidè, obſcurè, imperfectè iudicat: contrà ſeptimus dies, decretorium omnium primus, iudicat ſecurè, fidè, perfectè, & hoc adeò verum eſt, vt ferè omnes in ſeptimo iudicati viuant, pereant contrà qui in ſexto iudicantur, quia cum difficilibus ſymptomatibus, & periculo maximo, ſine notis, & ad malum hic dies iudicare ſolet, vt toties monuit Gal. 1. *ad Glauc.* 15. & 4. *Aph. com.* 29. & 3. *prog. com.* 1. & propterea iudicantem hunc diem tyranno aſſimilandum cenſuit *lib. 1. de dieb. decretor. cap.* 4. Ex eo fit, vt qui in quarto ad peiorem ſtatum recidunt, plerique ſexto moriantur. Ita Hippocrat 1. *epidem. ſect. 2. text.* 76. omnes tempeſtate illa tertia ægrotantes ſexta die periiſſe affirmat.

Sed longè difficilius eſt quod ſcribit Hip. *in epid.* Virgi- E nem quæ Lariſſæ habitabat, *lib. 3. de morb. vulgarib. ſect. 3. text.* 83. ſexto die per fluorem ſanguinis narium fuiſſe liberatam. Deinde vnus ex fratribus Epigenis ſexto fuit iudicatus, vt refert Hip. 1. *epid. ſect. 2. text.* 83. & Auic 2. 4. *ſect. 1. c. 6.* docet plàne poſſe dari criſim optimam ſexto. Et Hip. *l. 4. de morb. vulgaribus*, plurimos ægros ſexta die iudicatos fuiſſe ſcribit, At hoc contingebat, quia febres paribus repetebant, alias criſis in eo nunquam fit bona. Quod ſi aliquando contingat vacuationem in eo fieri quæ ægro conferat, impoſſibile eſt quin pòſt ſequatur fortis ægri labor, & magnus timor, neque æger eſt ſecurus, quin aliquid ex materia ægritudinis remanſerit, ex quo ægritudo faciet recidiuam, vt ſcitè notauit Rhaſius *lib. 10. ad Almanſ. cap.* 29. Conſule Amatū *tract. de diebus decretoriis, tit. de ſexto die.*

Ergo reuerſurum morbum prædixit, quia ſigna coctionis non aderant, nam iis quæ non ex ratione leuant, fidere non oportet, 2.*aph*.27.*&* 3.*prog*.22. *&* 2.*prorrheticor*.17. ſi crudi humores relicti iterum putreſcentes febrem reaccendere queunt, vtpote relicti à regimine naturæ, neque nutritioni accommodi. Iudicandum tamen illum aſſeuerauit, quoniam ſymptomata ab initio concomitantia ſecura erant, ſalutaria, & hæc ad bonum ſoluendum morbum ſignificant. Sed quibus indiciis cognouerit febrim eſſe finiendam per ſudorem, ipſe non explicuit. Dic tu, plura adfuiſſe ſigna quæ ſudorem futurum inditabant; affirmabimus autem quia humores tenues ſuapte natura conuertuntur in ſudorem.

His accedunt alia firmiſſima ſigna, quæ ſudorem euenturum præſagire queunt, vt vrinæ ſuppreſſio, vt monuit Hip. 6.*epid.ſect*.1.*text*.5. quòd autem hæc ſuppreſſio, ſudoris ſit prænuntia, ea eſt ratio, quoniam vrinæ, & ſudoris eadem eſt materia. Si ergo ſeroſi humoris fiat in vniuerſum corporis habitum tranſlatio, aut ſupprimetur vrina, aut certè exigua erit illius quantitas, quare qui multum ſudant, parùm meïunt, & è contrà.

Alterum futuri ſudoris ſignum, eſt rigor, qui à ſeri acrimonia oritur, panniculum neruoſum exquiſitiſſimi ſenſus vellicante, quem rigorem tandem ſequitur ſudor, vt Hip. 4.*aph*.58. manifeſtè edocuit. His addunt alij pulſum mollem, fluctuantem & vndoſum, vt Gal.3.*criſ*.11. edocuit: Nam hic pulſus ex humiditate arteriæ, & facultate modicè affecta oritur, ex Gal. 2.*præſag.ex pulſib. cap*. 9. Extima omnia his calent, facies rubeſcit, calidus, copioſuſque vapor è corpore ſentitur efferri, vt cum Gal.*loc.cit. criſ*. Auic. 2.4.*tract*.1.*cap*.7. pronuntiauit.

Si verò perconteris, num hic ſudor quo iudicata fuit hæc febris fuerit optimus, vel bonus, dic fuiſſe optimum: Nam Hipp. 2.*prog*. 26. duo eſſe genera ſudorum prædixit. *Sudor optimus*, inquit *per omnes acutos morbos, ſi per diem euenit decretorium, & integrè ſedat febrem*. Quare cùm in decimo ſeptimo ſudor euenerit, & perfectè ſedauerit febrem, in optimorum numero connumerandum eſſe dubitat nemo. Hunc iudicantem ſudorem paſſus eſt Pericles *lib*.3.*epid. ſect*.3.*text*.77 & cum illo iudicati ſunt Anaxion, Nicodemus, & illa mulier quæ in Thaſo decumbebat, & *in l*.1.*eiuſdem operis* Herophon, Nicodemus, Cleonactides, Meton, & alij qui diebus decretoriis ſudarunt; & à febribus ſunt liberati: Quare optimè dixit Hip. 4.*aph*.36. *Sudores febricitanti ſi inceperint, boni, tertio die, & quinto, & ſeptimo, & nono, & vndecimo, & quarto decimo, & decimo ſeptimo, & vigeſimoprimo, & vigeſimo ſeptimo, & trigeſimo primo, & trigeſimo quarto*. Quapropter non eſt mirum ſi Medici Romani non obſeruantes Hip. mentem, & doctrinam ſæpiùs repetitam, neque contemplantes dies, Galenũ, deluſorem, atque vatem appellarint, & ab illius methodo recedentes ita miſerrimè fuerint decepti.

HISTOR. XXII. GALENI,
De rigore ſine febri.

Rigor ſine febri à craſſis eduliis ſubortus, medicamentorum calefacientium ope ſublatus.

COgnoui adoleſcenti cuidam ex condiſcipulis noſtris in Alexandria accidiſſe, quando primum in ipſã nauigaui initio autumni. Ingeſſerat autem hic pluribus ex ordine diebus palmarum glandes multas, teneras, ac recentes, & à balneis, & ante ipſas. Erant autem plures earum non exactè maturæ. Accidit itaque ei, vt primũ poſt exercitium, & balneũ à vehementi inciperet horrore, propter quem & opinatus ſe febricitaturum, decubuit, & veſtimentis contectus conquieuit. Cùm autem tota nocte tranſacta febri careret, ſurrexit manè, ad conſueta opera reuertens, horrorem interea ſentiens iterum decubuit, quieuitque vſque ad balnei horam ac cùm ad balneum rurſus ſurrexiſſet vehementior inuaſit, eratque accidens rigor quoque iam exiguus, tunc igitur febricitaturum ſe arbitratus, multò adhuc magis in quiete ſe continuit. Cum autem toto die, noctéque in ſequenti experiundo deprehenderet ſe ob mediocres motus horrere, ſi quando largius moueretur, rigere: conſilio noſtro de iis quæ fieri expediebat vſus eſt. Ego itaque memorans huiuſmodi quiddam in Aſia noſtra accidiſſe, familiarem & metu liberaui, & hortatus ſum, vt cibis, potionibus, & medicamentis vteretur, quæ & calefacerent, & craſſitiem humorum diſſecarent. Ille igitur hoc pacto cõualuit, & deinde dedi medicamentum ex triplici pipere deinde noſtrum diacalamithes, poſteà ex liquore cyrenaïco, & caſtorio compoſitum, quod etiam quartanariis circuitibus eſt vtiliſſimum. Galen.*lib. de tremore, palpit. conuulſ. & rigore, cap. 7.

PARAPHRASIS.

RIgorem ſine febri conatur hac hiſtoria perſanare Galenus, de quo non ita expreſſam habuit Hippocr. notitiam. vt conſtat ex ipſo *lib. epid ſect*. 3. *text*. 22. in hiſtoria vxoris Epicratis, & *lib*.1.*prorrhet.ſect*.2. *text*. 31. Nam ex aliorum ſententia, & velut aliud agens rigoris non recaleſcentis ex debilitate orti ſolùm meminiſſe videtur, quia ad rigorem neceſſariò febris conſequitur, nam ob agitationem incaleſcunt humores, ex quibus febris accenditur, vt notat Hip.1.*de morb.num*.7 *&* 79. Galenum eum expreſsè cognouiſſe conſtat ex hoc loco, & l*ib. de inæqual.intemper.c*.8. *& lib.de dif.morbor.c*. 5. Subſcribunt Auic. 1.4.*tract*. 2.*cap*. 6. Rhaſius 30.*continent.tract*.1.*cap*.1. In illis ergo locis ad contraria reſpondet Galenus, firmans quòd tempore Hip. non fuit viſus rigor ſine febre ob tẽperantiam vitæ: veteres enim victu parco contenti erant, neque tantam cacochymiam in corpore ſeruabant: contrario verò modo noſtris temporibus ob ingluuiem, & otioſam vitam viſus fuit, vt obſeruarunt Iacob. OEthæus *lib.de obſeruationibus propriis*, & Caſparus Wolphius *eod. tit*. quos refert SchenKius *lib* 6.*de febrib*. Sic Hipp. tẽpore fœminæ, eunuchi, & pueri ob frugalitatem non corripiebantur podagra, quum tamen tempore Galeni ea frequenter vexarentur, vt notat Gal.*lib*. 6. *aph*.27.*&* 28.

Audi Galenum *lib*.2.*de cauſ.ſympt.cap*.5. *Ac vetus quidem ſermo eſt rigori ſemper febrem ſuccedere, non tamen eſt in totum vetus, etiam ſi quis eum cõmodè determinet. Verùm nec ſic quidẽ verus ſermo eſt, nec ſi determinãs dixeris. Qui citra externam occaſionem ex corpore noſtro concutientes rigores oriuntur, hos febris neceſſariò ſequitur: Quippe non nobis modo, ſed etiam multis Medicis qui nos præceſſerunt iã viſi ſunt cõcutientes rigores citra febrem, nõ tamen ita validi, ac qui legitimas tertianas, quartanáſve præcedunt, aut qui ardentes febres finiunt. Solent ſanè eiuſmodi rigores vitioſam ſequi victus rationẽ quum homines in deſidia ſe repleuerunt, ac ſæpè à cibo ſe lauarunt: Cùm verò ipſæ ciborũ qualitates frigidioris ſæpè, a pituitoſioris tẽperamẽti ſint promptiſſimè qui ſic ſunt affecti, rigoribus qui ægrè recalſiant, capiũtur. Nihil igitur miri eſt, antiquos Medicos nullum eiuſmodi rigorem vidiſſe, hominibus qui tunc viuebant, nihil perinde ac qui nunc viuunt, in ſalubri victu peccantibus, ſed nec balneorum vſu tam frequenti, &c.*

Sed cùm inter humores crudos præcipuum locum obtineat pituita vitrea, quid obſtat vt hæc vel alius craſſus, lentus, aut glutinoſus humor exuperet in corpore, & ob craſſitiem, & frigiditatem nec accendi, nec putreſcere poſſit, & ſic rigorem ſine febri committat, qui nonnullis ſemel accidat, aliis per circuitum pluribus diebus, vel continuis ab initio vſque ad finem? Hinc diſces quare aliquando ad rigorem ſequatur febris, interdum ſine febre contingat: neque enim eſt vna, & eadem ratio craſſitiei, & frigiditatis, nec eadem laborantis virtus, nec eadem cauſa putredinis, nec eadem multitudo humoris, nec idem locus per quem mouetur, & in quo redundat, & ſi poſt rigorem ſuperuenit febris, ob dictas cauſas non eſt æquè intenſa, licèt ad genus quotidianæ ſemper reducenda ſit, & cùm hæc pituita humor admodum ſit frigidus, non putrens, per membra ſentientia delata rigores non concitat, ſed horrores. Conſule de rigore ſine febri

Gentilem,

Gentilem, & Iacobum de partibus *in com.cit. cap. Auicen.* Valleſ.5. *controu.*13. Simon. *lib.de humoral. feb. natura* & ex Iuniorum mente plura retulit Carrerius *in com.Auic.*1.4. *tract.* 2. *cap.* 6.

Rigorem hunc ſine febri ex copia alimentorum craſſorum, & frigidorum, ex quibus pituitoſus, & lentus humor eſt generatus, in hoc adoleſcente emanaſſe, præcedés victus, quo ſe affatim repleuit, demonſtrat manifeſtè: Nam veſcebatur fructibus immaturis, qui cùm ſint pleni ſemicoctæ humiditatis, craſſos humores in corpore gignunt, vt 2.*de alim.facult. cap.*2. notauit Galenus,& maximè palmarum glandes in copia multa, virides, & recentes, quod alimentum flatulentum eſt, concoctu difficile, praui ſucci, & ob lentorem tardè permeat, mucoſúmque ſuccum gignit, vt ſcitè dictabat Galenus *lib.*2.*de aliment. facult.cap.*26.*§.Palmæ glandes difficiles ſunt concoctu, ſi largiùs ſumantur. Succus, autem qui ab ipſis in corpus diſtribuitur craſſus quidem omnino eſt, habet autem, & lentoris quidpiam, quum palma ipſa pinguis fuerit: quum autem dulcedo tali ſucco mixta fuerit, celerrimè quidem hepar ab ipſa obſtruitur, læditur autẽ maximè ab ipſorum eſu, quãdo aut inflammatione, aut ſcirrho obſidetur: pòſt autẽ lien obſtruitur, & læditur. Multò autem palmæ virides, ſi paulò largiùs ſumantur, ad omnia ſunt noxiæ, &c.* repetit *lib.de ſuccor.bonit. & vitio, cap.*4.*in fin.* Explicant diligenter Marcel.Virgilius, Hermolaus Barbarus, Matthiolus, & Lacuna *in comment. cap.* 125. *lib.*1.*Dioſcorid.*

Quòd ſi fructus craſſi ſuapte natura obſtruunt, & frigidum, lentum, crudúmque humorem gignunt, quantò magis ſi intempeſtiuè, hoc eſt ante, & poſt balneum aſſumantur: Nam ſi ante balneum edulium offeras, balnei vi, crudum adhuc, & ſemicoctum alimentum rapitur ad viſcera; & obſtructiones parit: ſi verò poſt balneum aliquid aſſumas, attracto ob balnei calorem, innato calido ad externas partes, ventriculus debilis alimentum coquere nequit, vt monuit Gal. *lib.de ſuccor. bonit. & vitio, cap.*3.*in fin.* & repetit Auic. 3.1.*doct.*2.*cap.* 7.

Quum ergo rigor hic ad quem non eſt ſequuta recaleſcentia, à frigidis, & craſſis ſuccis ortum duceret, meritò non ſolùm ad curationem, ſed ad præſeruationem, cibos, potiones, & medicamenta conſuluit Galenus, quæ huius rigoris caũſæ aduerſarentur. Inter medicamenta præſtat celebre illud quod ex tribus piperis generibus parari ſolet, quod Diatrium pipereon à Galeno appellatur, & ad crudos coquendos humores in ventriculo pertinaciter impactos eſt vtile valdè, quoniam illius refrigerationi opitulatur, confert acido ructui, quartanis, reſolutis, iecinoroſis, & inflationibus auxiliatur, cuius laudem propoſuit Gal. *lib.*8.*meth. cap.*5. *in med.* & compoſitionem deſcribit 4.*de ſanit, cap.*5. ℞ *piperis nigri, albi, longi, an.*ʒ.j. *aniſi, thymi. Zingiber. an.*ʒ.j. Mellis quod ſit ſatis vt fiat electuarium.

Meſuès verò *lib.*3.*de antidot.* aliam compoſitionem affert, additis ſpica, amomo, cinamomo, ſeſeleos, aſaro, & rad. enulæ. Nicolaus aliud facit medicamentoſius ob additum melanopiper, leucopiper, macropiper, marathrum, hyſſopum, crocum, trochiſcos hedicroos, betonicam, rutam, vt interim ponderum varietatem omittam.

Hoc medicamentum optimum eſt, ſed huic facultate ferè par eſt, quod vocat Diacalamithon, quod auxiliatur iis quos cibi faſtidium vrget, appetentiam reuocans, ægrè ſpirantibus remedio eſt, ventriculi frigiditatem curat, flatus abſumit, & cruditatibus remouendis opem fert eximiam, eiúſque compoſitionem proponit *lib.* 4.*de ſanit. tuend. c.* 7. hunc in modum ℞. *calaminth. montan. calaminth. campeſtris, ſileris montani, petroſelini, an.*ʒ. vj. *Zingiber.* ʒ. iij. *ſem. ampij comar. thymi, an.*ʒ ij. *liguſtici* ʒ.vj. *piperis nigri* ʒ. xij. Mellis quantum ſufficit, vt fiat electuarium.

Et cùm æger ſæpè vnum abhorreat præſidium, & amplectatur aliud, vel multoties hoc non iuuet, vtile ſit aliud, mutare auxilia aliquando eſt opus ob cauſas multas, quas *lib.*1 *in com.hiſt.*3. latè ex veterum mente monuimus. Hoc modo confectionem ex liquore cyrenaico (officinæ laſerpitium vocant) de cuius viribus Dioſcorid.*l.*3.*c* 76. Gal.8. *ſimpl.tit.de laſerpitio.* Auic.*lib.*2.*cap.*9. obtulit in hos vſus, cuius deſcriptionem inuenies apud Aëtiũ *tetrab.*2.*ſerm.* 1. *c.*84. & ad rigores ſummè commendat Gal.*lib.*1.*ad Glauc. cap.* 11. non diſimilem habet virtutem medicamentum ex caſtorio paratum, quod priſci Diacaſtorium appellabant, & compoſitionem tradit Nicolaus, quæ ex plurimis medicamentis calidis paratur, quæ flatus diſcutere, craſſos humores attenuare, viſcidos incidere nata ſunt, vt eleganter docuit Oribaſius *lib.*8.*Synopſeos, cap.*15. de rigore qui calefieri non poteſt, de quo legendi Iacobus OEthæus *lib. de obſer. propriis*, & Caſparus Wolfius *eod.tit.* citati ab SchencKio *lib.* 4. *de febrib. tit. de rigore.*

QVÆSTIO XXIV.

Vtrùm in rigore moueatur humor per partes internas vel externas; & an hic à flatibus vel humoribus ortum ducat, vt contra Galenum, Fernelius, & Thomas à Veiga aſſeuerant.

COMMENTARIVM.

Accidens rigor.] Retexo materiam arduam, argumentum vtile, & multi vſus. Ad pugnam me prouocat peritiſſimus Luſitanus, qui etſi in omnibus ſpiritu Galenico ſit afflatus, neſcio quo malo genio inductus ab illius mente in hac quæſtione deflectit. De Fernelio nihil loquor, quem in multis aduerſum fuiſſe Galeno, nôrunt omnes. Sed antequam ad illius opinionem impugnandam accedamus, de rigoris natura paucula quædam prælibare oportet, ex tam multis quæ interpretes *ad cap.lib.*2. *de dif. feb. Galen. & ad cap.* 6.*Auicen. fen.*1.4.*tract.*2. eloquenter diſſeruere.

Plurimùm ergo conſentiunt inter ſe horripilatio, fractio, frigus, & rigor, vt notauit Auic. *loc.cit.* quoniam horripilatio eſt diſpoſitio in qua inuenit corpus diuerſitatem in frigore, id eſt, in qua percipit frigoris delationem, & aliqualem punctionem non vniformem, ſed inæqualem in cute, & lacertis (per lacertos intelligit muſculos) & antecedit eam pigritia, id eſt difficultas ad motũ, & fractio, id eſt laſſitudo præcipuè vlceroſa. Fractio eſt quaſi ſpecies eius, ac ſi dicat laſſitudo eſt via in horrorem, quia cauſa quæ efficit laſſitudinem vlceroſam, ſi augeatur, & moueatur, efficiet horripilationem, ſiue horrorem: in laſſitudine enim vlceroſa materia immobilis eſt, & ferè illius eſt tantùm ſenſus; at verò in horrore materia mouetur, ex Gal. 2.*de cauſ. ſympt. in init.* Frigus definit Auicenna, quando ſentitur in membris ſuis, & dorſis lacertorum frigus purum, & per membra ſua intelligit extrema, per dorſa lacertorum, intelligit partes carnoſas muſculorum: per frigus purum, intelligit frigus ſine commixtione alterius diſpoſitionis, v. g. punctionis, aut motus conuulſiui, vt contingit in horrore, & rigore. Rigor verò eſt vt non poſſit continere membra ſua ex commotione, & tremore eueniente in eis, & motibus inuoluntariis, id eſt rigor eſt diſpoſitio in qua laborantes non poſſunt continere membra à conuulſione, & à commotione, & tremore, id eſt concuſſione.

Notabis tamen nos non agere hîc de rigore quatenus ſolã corporis perfrictionem ſignificat, nec etiam quatenus quandam conuulſionis ſpeciem denotat, quæ à Græcis tetanos, à Latinis diſtentio, & rigor vocatur à Celſo *lib.* 4. *cap.* 3. de qua agit Hippocr. 5. *aph.*6. Sed ſolùm agimus de rigore, qui in aliquarum febrium principiis contingere ſolet.

Notabis ſecundò ex Gal. *lib.* 2.*de cauſ.ſympt.cap.*5.*poſt. princip.*§.*Quòd ſi augeantur ſymptomata, &c.* & poſt med. §.*Primum enim quod ex vitioſis*, & *lib.*10.*meth.cap.*4. & 1. *epid.ſect.*2.*com.*25.§.*At enim paruus rigor, &c.* harum quatuor diſpoſitiones, fractionem ſcilicet, id eſt laſſitudinem vlceroſam, frigus, horrorem, & rigorem ſolùm differre intenſione, & remiſſione, quod etiam innuit Auicen.1.4.*tract.* 2.*cap.* 6.§.*Et materia quæ fecit laſſitudinem per paucitatem ſuam, facit rigorem per ſuam multitudinem, & ſic non ſeparatur aliquando rigor ab horrore*, vt fit apud Gal.1.*ad Glauc.*5. quo loco monet Galenus, quotidianam, quartanam, & continuas poſſe cum paruo rigore incipere,

incipere id eſt cum horrore, quum paruus rigor ab horrore non differat.

Verùm iis videtur aduerſari quod profert Galenus *l. de tremor.c.6.ante med.§.Ita cum quis cum nulla concuſſione, &c.* vbi docet differre frigus horrorem, & rigorem quoniam in frigore datur ſola perfrictio ſine aliquò motu concuſſiuo, nec cutis quidem; in horrore verò datur motus concuſſiuus ſolius cutis, in rigore motus concuſſiuus totius corporis, & ſic horror ſolius cutis, rigor verò totius corporis affectus dicitur. Quare ſi hæc vera ſunt, non videtur dicendum horrorem, & rigorem ſolùm ſecundùm magis, & minùs differre, quod videtur innuere Auic. *loc.cit.* cùm horrorem appellat non ſolius cutis, ſed etiam lacertorum, hoc eſt muſculorũ diſpoſitionem. Dic horrorem & rigorem exquiſitè loquendo eſſe earundem partium affectiones, quum fiant ab eadem cauſa per eaſdem partes mota, differre tamen quod in horrore paruus motus concuſſiuus datur, in rigore verò vehementior, quare in illo in ſola cute ſit magis manifeſtus, & ſic à Galeno, horror, ſolius cutis affectus dicitur, licèt eædem partes afficiantur, & moueantur quæ in rigore.

Conſequens eſt, vt definitio rigoris ſummatim tradatur, quam *lib.de rigore,c.6.* propoſuit Galenus, *eſt perfrictio dolorifica cum quadam inæqualitate, totius corporis concuſſione, agitationéque.* Hoc ergo loco docet rigorem eſſe perfrictionem, quia ab omnibus in confeſſo eſt rigorem eſſe affectum caloris natiui, quum in rigore detur ipſius caloris natiui perfrictio. Porrò in eodem loco Galenus affirmat caloris natiui perfrictionem, qui, quemadmodũ & ignis quatuor modis perire poteſt, vel à flamma maiori, quo pacto parua candela in magno, & ſplendido ſole contabeſcit, Secundò à defectu materiæ. Tertiò per ſuffocationem. Quartò à contrario extinguente, ex quibus modis primi tres paulatim refrigerant, vltimus, nempe adhibitio contrarij: vt aqua perfuſa, repentè refrigerat.

In principiis ergo acceſſionum cùm per habitum corporis mandetur humor calori natiuo contrarius, tum quia mordax eſt, tum quia victus non eſt, ſequitur repentina refrigeratio: quia verò repentè etiam refrigerantur æſtuantes, quando frigida perfunduntur, & tamen rigorem non patiuntur, quia ad habitum naturalem reducuntur, addendum erit definitioni rigoris, quod perfrictio ſit ſubita, & violenta, ſiue dolorifica, id eſt, corpus extra naturalem habitum deducens. Repentè autem corpus refrigeratur, quia calidum innatum hoc eſt ſanguis, & ſpiritus fugiens contrarium, nempe humorem mordacem per habitum corporis delatum, ſubitò intro recurrit, vbi quieſcere non poteſt, cùm ſit igneus, & aëreus, extrorſum, & introrſum mouetur ſemper, ita vt vnus illius motus alium inceſſanter ſequatur, & excipiat, cuius perpetuæ mobilitatis cauſam aſſignat Galenus *loc. cit.* quia ſi intus permaneret, otioſus perſiſteret; ſi extra quieſceret, à cōtinenti frigido corrumperetur, & ſic in interioribus, reconditus, vnitus, & fortior factus, & ſuffocari incipiens, rurſus ad expulſionem recrementorum in extima fertur, à quo calido partes refectæ mordacem humorem iterum agitant, & ſic rurſus dolor facit calidum intrò recurrere.

Ex hoc apparet ſententiam Auic. *loc.cit. §.Et ſanguis ſubmergitur cum rigore ad interiora, &c.* intelligendam eſſe quòd mutuò etiam redit ad exteriora, ex mente Galeni. Quo pacto hæc refrigeratio quæ datur in rigore non dicit quamuis refrigerationem, ſed eam quæ eſt propria paſſio calidi innati per ſe; quoniam in rigore calidum innatum, id eſt ſpiritus ex natura ſua ſubit eam paſſionem, & ſic aliæ refrigerationes; ſunt paſſiones membrorum, hæc autem refrigeratio primò eſt ſpiritus, per conſenſum autem membrorum.

Ab hoc reciproca duorum motuum caloris innati viciſſitudine docuit Galenus ſequi & perfrictionem in exterioribus & motum totius corporis concuſſiuum in rigore, ſolius cutis in horrore, durat verò hæc motuum reciprocatio, & corporis concuſſio, donec calor natiuus excrementum ſuperauerit, & intemperies illa frigida vincatur, & ſequatur febris, aut vice verſa vincente hu-

A more calor ſuffocetur, & pereat homo:

Hinc concludit Galenus: quare poſt rigorem corpus maximè calet, & ſequitur febris: Nam calor in profundo corporis antea collectus, & vnitus valde intenditur. Deinde cùm antea intus moraretur, ne diu membra ſpiritu priuarentur, magno impetu ad extimas ruit corporis partes, ad quem caloris ſubſequitur augmentum. Inſuper per motum corporis concuſſiuum augetur calor, cuius vi lapides, & ligna inflammantur. Potiſſima verò huius quæſiti cauſa vt optimè aduertit Thomas à Veiga *lib.2. feb. cap.1.* eſt materia quæ per rigorem expellitur ad focum in quo putreſcit, quæ calorem febrilem excitat: Nam intenſio febris non reſpondet intenſioni rigoris, quum quandoque ad paruum rigorem ſequatur magna febris, quandoque è conuerſo.

B Vt autem vlterius cauſam huius motus inquiramus, expendendum eſt cum Galeno *lib.de tremore, cap. cit.* eam in motu viciſſitudinario calidi natiui introrſũ, & extrorſum poſitam eſſe, ſed alia potior aſſignanda eſt cum eo 2. *de cauſ. ſympt. cap.5. ante med.§.Nec mirum corpus cum excrementa quieſcunt, &c.* docente motum hunc concuſſiuum propterea fieri in rigore, quoniam excrementa mota per membra ſentientia, partes ipſas pungunt; quare vnaquæque ipſarum irritata maximo conatu noxium humorem expellere nititur, quod vt faciant, particulæ ipſæ ſeſe contrahunt, atque conſtringunt, ad quarum conſtrictionem, totius corporis ſequitur concuſſio, atque vibratio: cum enim muſculi contrahantur, & concutiantur, neceſſe eſt articulos quibus muſculi inſeruntur, concuti etiam, atque vibrari, & ſic totum corpus. Quapropter cum Galeno concludendum eſt, cauſam huius coucuſſiui C motus, facultatem particularem expultricem eſſe conſtituendam, vt luculenter *cit.2.de cauſis ſymptomat.* ipſe confirmat. *§.Verum vbi mordens aliquid, &c.* Motus iſte concuſſiuus inæqualis eſt, tum quia humor mordax non æqualiter per omnes muſculos diffunditur, tum etiam quia non omnes æquè offenduntur, & ſic non æquè concutiuntur.

Sed circa definitionem rigoris plura quærenda ſunt ſcitu non indigna, & primò dubitari poteſt in quo magis conſiſtat eſſentia rigoris, in perfrictione, an in motu cōcuſſiuo: quia in hoc dogmate varia videtur protuliſſe Galen. nam *lib.de tremor.cap.cit.* eum per perfrictionem definiuit, *lib.* verò *de ſympt.cauſ.cit.&.10.meth.cap.4.ad.init* potiùs per motum concuſſiuum definire videtur, quod facit etiam D *lib.4.de ſanit.tuend.cap. 2.poſt.med.* dicens, *appello nunc rigorem nec illum vehementis frigoris ſenſum; nec duritiem, ſed inæqualem totius concuſſum, & turbationē.* Dic. rigorem non eſſe ſolam refrigerationem, nec ſolam concuſſionem, ſed ambo ſimul, quia tamen Galenus *lib. de tremor. cit.* cauſam aſſignauit reciprocum motum calidi natiui, ad cuius motum introrſum primò, & per ſe ſequitur perfrictio, ſecundariò verò motus concuſſiuus, ideò loco citato eum definiuit per perfrictionem in recto, per motum verò concuſſiuum in obliquo: quia verò 2.*de cauſ. ſympt. cit.* & aliis locis cauſam rigoris aſſignauit facultatem membrorum expulſiuam; ad cuius actionem primò ſequitur particularum conſtrictio, & membrorum concuſſio, ideò eo loco rigorem definiuit per motum con- E cuſſiuum in recto, per refrigerationem in obliquo. Verùm cùm vehementia rigoris potiùs vehementia motus concuſſiui, quàm intenſione frigoris ſpectetur, potiùs eſſentia rigoris in motu concuſſiuo, quàm in frigore dicetur conſiſtere. Conſule doctiſſimum Santorellum *lib.3. antepraxis, cap. 3.tit. de rigore,* qui pulchrè de hoc argumento diſceptauit.

Dubitari etiam poteſt, vtrùm rigor ſit motus voluntarius. Galenus *lib. de tremor.cap.6.ad princip.* in hoc diſtinguit rigorem à tremore, quia motus in rigentibus citra mouendi partes voluntatem omnino inuitus eſt, in tremoribus non citra mouendi arbitrium, quod etiam ſcribit *2.de.cauſ.ſympt.6.ad med.* vbi docet in rigore agitatis muſculis quaſdam extenſiones, inflexionéſque præter voluntatem accidere. Præterea rigor fit à facultate expultrice conante expellere noxium humorem, cuius motus

cùm

cum fit naturalis, non videtur dicendus voluntarius.

Ex altera parte reſpiratio etiamſi non fiat præcedente imperio voluntatis, voluntarius tamen motus dicitur à Gal. *l.2.de motu muſcular,cap.6.* quia hic motus accelerari, & retardari ex arbitrio poteſt quare ſimiliter rigor videtur poſſe dici motus voluntarius. Dic. Rigor poteſt dici motus voluntarius, quia non expectat imperium voluntatis, & fit nobis inuitis, nec ſiſtimus ab eo quando volumus, nec mouemus, quando volumus. Poteſt etiam dici inuoluntarius, quia in eo poteſt habere ingreſſum voluntas ad accelerandum, & retardandum, quemadmodum in reſpiratione, & tuſſi, quarum vtraque fit à muſculis thoracis, & ſepti, qui voluntariè operantur.

Illud etiam dubitatione carere non videtur, vtrùm ſit motus animalis. Naturalem eſſe ex eo probari poteſt, quia fit à facultate expultrice: Sed videtur dicendum, habere etiam in eo ingreſſum facultatem animalem, quum ſit motus qui fit per muſculos, & in eo fiant membrorum extenſiones, & inflexiones, ex Galen. *2.de cauſ ſympt cap. cit.* vbi etiam docet eſſe motum ſimilem tuſſi, in qua etiam facultas animalis locum habet, cum validiſſima, & celerrima thoracis conſtrictione fiat, ex Galen. *5.de loc.cap. 3. ad fin.* In rigore ergo facultas etiam animalis operatur, quia data ſenſatione dolorifica non ſolùm facultas expultrix irritatur, ſed animalis muſculos contrahit ad expellendum.

Iam de cauſis vehementiæ rigoris dubitant nonnulli, vtrùm in valida facultate fortior fiat rigor, quàm in debili. Quomodo enim conſtabit Auicennæ ſententia 1.4. *tract. 2. cap. 6.§. Et de cauſis vehementiæ rigoris eſt vehementia virtutis expulſiuæ in lacertis,&c.* Quare robur facultatis expultricis eſt cauſa magnitudinis rigoris: quæ Auic. opinio poterit probari hoc modo. Rigor eò eſt vehementior, quò motus humorum per membra fuerit velocior, atqui quantò virtus expultrix fuerit fortior, tantò cum maiori celeritate mouebit humores per membra, igitur cæteris paribus rigor eò erit maior, quò facultas expultrix rigentis maior fuerit. Nec ita intelligas Auicennam, quòd exiſtimet ad magnitudinem rigoris requiri facultatem expultricem in ſua eſſentia robuſtam, quia, vt conſtat experimento, & patet ex Hippocrat *4.aph.46.* ſæpè in virium debilium præſentia, & iuxta mortem rigor vehemens incidit, ad quod ſæpè ſufficit magnus conatus quem adhibet facultas in operando, licèt ipſa in ſe ſit valdè debilis, vt docet Gal.*4.de cauſ.pulſ. cap.1. de pulſu iræ.* Itaque ad magnitudinem rigoris plurimùm facit vehemens operatio facultatis expellentis, ſiue ipſa facultas in ſua eſſentia robuſta, ſiue debilis exiſtat, & ob magnum quem adhibet conatum, vehementer expellat.

Pro contraria parte eſt textus non incelebris Galeni *in lib. 10.meth.cap. 4.&.2. de cauſ.ſympt.cap.5.* docentis vnam ex cauſis fortitudinis rigoris eſſe debilitatem virtutis, rationémque ſubiungit, quia vbi vires valentes ſunt, omnia contemnunt, & tolerant, vbi verò infirmæ ſunt redditæ, vel à quouis offenduntur. Gentilis *in cit. loc. Auicen.* ſic hos auctores conciliare intendit, dicens fortitudinem virtutis eſſe duplicem, alteram ſimpliciter talem, quæ excrementa inſenſibiliter expellit, per quam non fit rigor: alteram verò fortitudinem virtutis eſſe reſpectu ſuperfluitatum ſenſibiliter expellendarum, quæ collatione facta ad primam fortitudinem poteſt dici debilitas: quare virtus primo modo fortis, cum omnia contemnat, ac toleret, rigorem non efficit; at verò quæ ſecundo modo fortior fuerit, eò vehementiorem rigorem efficiet. De prima fortitudine intelligit Galenum in *10.meth.* de ſecunda explanandum Auicennam retur.

Harculanus hanc ſolutionem primò reprobat, aliámque proponit, affirmans Galenum de facultate ſentiente muſculorum eſſe interpretandum, quæ quantò fortior fuerit, tantò magis cauſam rigoris contemnet, & ſic minor ſequetur concuſſio: quantò verò debilior fuerit, tantò maiorem rigorem efficiet, quia magis irritabitur, & maiorem adhibebit conatum. Hæc tamen ſolutio minimè ſuſtineri poteſt: falſum enim eſt facultatem validam

A ſentientem magis contemnere cauſam rigoris, quàm debilem: nam ſequeretur indicationem à ſenſu partis deſumptam nullam eſſe, quod eſt contra Gal. 2. *ad Glauc. cap.2.ante finem,§.in medicatione autem quæ habetur ex virtute,&c.* vbi docet quod partes, quæ inter ſe ſentiunt, non tolerant humores, & medicamenta acria. Præterea impropriè appellaret Galenus facultatem ſentientem robuſtam illam quæ omnia contemnit, quoniam ſic robuſtiſſima diceretur quæ nihil ſentiret, & nullo pacto exerceret operationem ſuam, quod nemo firmabit, cùm habeat contra ſe Galenum in locis multis, & præſertim *in lib.de curand.rat.per ſang. miſ.cap.6.* qui facultatum robur, aut debilitatem ex propriis functionibus deprehendi aſſeuerat.

B Cum Vgone verò hanc controuerſiam ſedare operæ precium duxi, hic enim *in com. cit.cap. Auic.* hunc auctorem exponit de facultate expultrice, Galenum verò de debilitate caloris naturalis, hoc eſt facultatis vitalis, cuius imbecillitas ad magnitudinem rigoris plurimum facit, vt experimento patet in iis, in quibus defectus ſanguinis, ſpiritus, & carnis inuenitur, quod deducitur ex Hippocrat. *5.aph. 69.* docente rigores ferè incipere per dorſum, & lumbos, quoniam hæ partes propter debilitatem caloris facillimè patiuntur, & alterantur, citiùſque in fœminis contingere aſſeuerat, qnoniam, vt inquit Galenus, fœmina eſt natura frigidior, & imbecillior, quod docuit etiam *6. epid. ſect. 3. text. 19. Rigores,* inqnit, *incipiunt mulieribus quidem magis à lumbis,& per dorſum,& tunc in caput: Verùm & viris poſteriùs magis, quàm à priore parte. Horrent exteriora magis, quàm inte-* C *riora corporis,vt cubitorum, femorum,ſed etiam cutis rara, id verò pilus indicat &c.* Hoc nomine dicebat Aphrodiſæus *ſect.2.probl.24.* partes corporis poſteriores magis rigere, & Ariſtot.*8.probl.5.* affirmat craſſos, & pingues magis, & ex minori cauſa rigere, quare rigor eò euadit maior, quò moleſtia percepta maior eſt, qui verò habent calorem innatum debilem, à quauis cauſa facilè, & multum moleſtantur: ex quo conſtat debilitatem calidi innati ad magnitudinem rigoris plurimum facere, vt apparet in fœminis, delicatis, & conualeſcentibus, qui omnes à quauis cauſa externa, etiam leuiſſima valdè læduntur, & in rigorem incurrunt: contra verò qui habent calorem innatum robuſtum, non ſic facilè, ſed ſolùm à vehementi cauſa offenduntur, virtus enim fortis omnia D contemnit, vt conſpicimus in ruſticis, athletis, & aliis huiuſmodi. Hoc modo retulit Galenus *2. de ſympt. cauſ.5. ad fin.* in agonia, verecundia, timore, & ſimilibus animi affectibus magis rigere imbelles, & timidos, quàm robuſtos, & hæc eſt potior ſolutio, quàm Valleſij *lib. 5. cont. 17. prope fin.* qui in his conciliandis auctoribus tantoperè ſe excruciat.

Sed ordo exigit, vt de ſequenti quæſtione agamus, quæramúſque vtrùm humor mordax, qui eſt rigoris materialis cauſa, violenter per habitum corporis & membra ſentientia moueatur. Fernelius, vir grauiſſimus, cùm opinetur *l.4.pathol.cap. 9.& 10. & 2.de abdit.rerum cauſ cap. 13.* intermittentium febrium mineram non in habitu corporis, ſed in prima corporis regione eſſe conſtituendam, quod placitum infrà *in com. hiſt,32.* refutabimus, cogitur aſſerere materiam rigoris contingentis in principio fe- E brium intermittentium non moueri per corporis habitum, ſed ſolùm per primam corporis regionem, vt per partes circa ventriculum, præcordia, diaphragma, caua iecoris, lienem, omentum, & pancreas, quæ partes membranis obuoluuntur, quæ cùm neruos à cerebri ſexta coniugatione recipiant, eximio ſenſu præditæ ſunt, quare tunc reliquæ partes ob conſenſum attrahuntur.

Nec Fernelij ſententia ratione caret, immò validiſſimo argumento poteſt confirmari. Si rigor fieret delata materia per corporis habitum, & membra ſentientia, non verò per primam corporis regionem, & partes internas, potiùs in eo ſanguis & ſpiritus ad habitum corporis ferrentur, quàm intrò ſecederent, quod vel hac ratione fieri erat neceſſarium, quòd doleant partes ſentientes, nam ad locum doloris ſanguis, & ſpiritus decumbunt, ex Gal.

lib. 13

lib.13.meth.cap.3. cuius rationem tradit *lib.5.aph.53.in med.* quum autem in rigore ſanguis,& ſpiritus ad interiora decumbant, videtur potiùs dicendum per partes internas moueri materiam rigoris, quàm per externas.

Enim verò ſi ad mentem Galeni veritas eſt penſanda, hæc Fernelij ſententia defendi non poteſt, licèt enim aliquando contingat rigorem ita fieri, non tamen dicendum eſt in vniuerſum humores efficientes rigorem euenientem in principio febrium intermittentium, per partes internas tantùm moueri. Primò, quia rigor ardenti febri superueniens, ſudore febrem non ſolueret, ſed vel vomitu, vel deiectione bilis, quod eſt contra Galenum *lib. 4.aph.58.* Secundò. Si ex ſolo conſenſu partes externæ rigerent, non afficerentur vt partes, quæ à ſagittis acutiſſimis,& tenuiſſimus transfiguntur, vt proprio in ſe ipſo facto experimento docuit *lib.de tremor. cap.7. ad fin. §. Nam in quartanis, &c.* Nec etiam in tertiana partes in rigore veluti pungi, & vulnerari viderentur, quod fieri etiam affirmat *2. criſ 3. ad med.* Deinde in febribus continuis, & hepatis inflammatione mordaciſſima bilis ad ventriculi os ſolet deferri, firmante Galeno *5. de loc.cap.7.* non tamen adeſt totius corporis rigor. Quare concludendum eſt, materiam rigoris per corporis habitum ferri, vt plurimis Gal. locis demonſtrabimus infrà.

Ad argumentum verò Fernelij reſpondet Hieremias Brachelius *in com. ſent. 58 lib. 3. Apph. Hipp.* dicens dolores euenientes partibus noſtri corporis, vel eſſe mediocres, & tunc ſpiritum,& ſanguinem ad ſe euocare, vel vehementes qui ad cor pertingant,& tunc in corde ſanguinē & ſpiritum colligi, vnde aliquando in magno dolore animi deliquium contingit: non ſolùm autē in magno dolore docet ſāguinem, & ſpiritus in corde colligi, ſed etiā in mediocri, valdè ſubito, qualis contingit in rigore: nam tunc calor veluti mutatus ex eo dolore impetu vehementi ſimul cum ſanguine ad interiora confugit,& præcipuè ad cor, vt in ſuo principio collectus, & fortior factus maiori cum impetu ad partes dolore affectas poſtea reuertatur, niſi impediatur, vt eo tanquam proprio inſtrumento natura vtatur, quæ doctrina deſumpta eſt ex Gal. *2. de cauſ.ſympt. c. 5. ad fin.*

Maior verò eſt controuerſia, an à cauſa calida fortiores fiāt rigores, quàm à frigida. Sed antequam ad quæſtionem ventilandam accedamus, notabis rigorem tam à cauſa calida, quàm à frigida oriri, ex Gal. *2. de cauſ.ſympt.c.5. §. Quod autem omnis mordax, &c,* de cauſa calida apertè conſtat in cauſone,& tertiana, *4.aph.58.* & in affuſione aquæ feruentis ſupra corpus, & ex appoſitione medicamenti cauſtici in parte vlcerata. De frigida patet in illis qui cruditatibus laborant, qui ſi balneum ingrediantur, vel moderato vtantur exercitio, rigore corripiuntur, docente Galeno *12.meth. cap. 3. & 10.meth. c. 10. ad init.* hoc etiam colligitur, ſi aquam gelidam ſuper corpus affundas.

Verùm dubium inſurgit maximum, ex doctrina Ariſtotel. deſumptum *lib.8.probl.7.* Cur nempe ex occaſionibus maximè contrariis idem ſymptoma accidat, præſertim cùm contrariarum cauſarū contrarij ſint effectus, vt idem monuit Ariſtotel. *5, politicor.cap.8.* & caliditas,& frigiditas ſint contraria *lib. 2. de generat. & corrupt. cap.3.* Hanc quæſtionem mouet Galenus *lib. 2. de cauſ.ſymp.cap.5. ante med.* ſoluítque dicens, hoc referendum eſſe in facultatem expultricem, rigorem efficientem, quæ, tam cauſam calidam, quàm frigidam expellit, ex quibus oritur rigor: & ſic non ſunt contrariæ cauſæ rigoris, ſed vna duntaxat facultas expultrix, quæ ab illis contrariis cauſis poteſt ſtimulari. Cuius etiam rationem videtur tradere Galenus *lib.de tremor.c.10.* vbi latiſſimè demonſtrat calidum innatum eſſe attemperatum, & veluti ex frigore, & calore permixtum & ſic non eſſe admirandum quod ab vtroque patiatur. Dic ſecundò cum Gal. *4 ſimpl. 2.* quod calidum ſoluendo, & pungendo, frigidum verò conſtringendo continuum ſoluit, vnde fit dolor,& rigor excitatur: nam frigiditas rigores efficit, & mordax eſt, ex Hip. *5. aph. 17. & 20.*

Inſuper hæſitant plures, iíque Gal. & Auicennæ non contemnendi interpretes, quos citat Carrerius *loc. cit. in Auic. l. 4. tract. 1. cap. 6.* Vtrùm à cauſa frigida vehementior rigor fiat, quàm à calida; & primò deducitur, quia quantò cauſa rigoris difficiliùs expellitur, tantò maior eſt concuſſio, & rigor vehementior: cauſa verò frigida difficiliùs expellitur, quia magis viſcida, maior ergo ab ea ſequetur rigor, quod etiam poteſt deduci ex Auic. *2.1. doct. 2. ſum. 2. cap. 13.* vbi docet rigorem fieri à cauſa frigida, horrorem verò à cauſa mordaci, ſiue calida. Et in eo loco affirmat Auicen. rigorem eò eſſe vehementiorem, quò cauſa eius viſcoſior eſt.

Secundò. Eadem ratio debet eſſe de cauſa rigoris externa, & interna, ex Auerrhoë *3. collect. c. 30.* ſed cauſa externa frigida maiorem facit rigorem, quàm calida, vt ſi quis vento frigido ſe exponat, magis riget, quàm ſi calido exponatur ergo ſimiliter de cauſa interna erit dicendum.

Tertiò Rigor fit impedito motu calidi innati, ex Auer. *loc. cit.* ſed magis impeditur à cauſa frigida, quàm à calida, ergo. Aſſumptum patet quia cauſa frigida non ſolùm conſtipando caloris motum impedit, ſed frigiditate ſua contraria calorem intercludit: cauſa verò calida neque obſtruit, neque calorem concludit. Accedit & quarta ratio, nam ſimiles motus ſunt rigor,& tuſſis, ex Gal. *2. de ſympt. cauſ. cap. 5.* ſed tuſſis vehementior fit à cauſa frigida, ex Gal. *2. de ſympt. cauſ. cap. 4. ante med.* ergo & rigor.

Contrariam tamen ſententiam veram eſſe firmat Gal. *2. de ſympt. cauſ. cap. 5. poſt med. §. Hic rigor à frigidis ſuccis nunquam creatur, omnino enim eiuſmodi ſucci præ craſſitudine ſuo concitato motu non mouentur. Quod ſi aliquando attenuantur, rigorem quidem excitant, non tamen vehementem: neque enim eandem poteſt recipere tenuitatem attenuata pituita, quàm attenuata recipit bilis, &c.* Quare quò humor eſt calidior,& tenuior, eò maiorem moleſtiam inducit, & ſic ex eo vehementior rigor concitatur. Idem docet Galenus *lib. 10, meth. cap. 4. & 2 criſ. 13.* exemplo poſito in tertiana,& quartana, docens diſtinguere harum febrium rigores in acceſſionibus primis, & probat *2. feb. cap. 1. & lib. de rigor. cap. 7.*

Dic ergo, quod licèt à cauſa frigida poſſit fieri rigor longior, & diuturnior ob maiorem cauſæ craſſitiem, & lentorem, & cum maiori ſenſu frigiditatis: propter frigiditatem humoris poſitiuam: à cauſa tamen calida vehementior fit, quia vehementia rigoris, magnitudinem doloris conſequitur, ſicut magnitudo doloris magnitudinem morſus ſequitur: humor autem calidus, ſicut bilis, tam acrimonia, quàm tenuitate magis mordet, & citiùs penetrat, vnde vehementior concitatur rigor.

Neque inſtes cum Gal. *2. criſ. 3.* in quartana ſæpè fieri rigorem vehementem à melancholia, quæ tamen craſſa eſt, & frigida: Nam id non contingit in principio quartanæ, ſed in proceſſu illius, quo tempore iam eſt attenuata, & reddita calidior: quia tamen nunquam peruenit ad tenuitatem,& caliditatem bilis, proinde nunquam faciet rigorem adeò vehementem, ſicut bilis, vt *cit. de cauſ. ſympt.* docuit Gal Si verò adhuc inſiſtas, & arguas plurium celebrium Medicorum experimento munitus, in quartana ſæpè vehementiorem rigorem apparere, quàm in tertiana: reſpondet Harculanus *in 1. 4. cit. cap. Auic.* hoc contingere quando quartana à maiori copia humoris oritur quàm tertiana,& præcipuè ſi cum hoc ortū habeat ex melancholia genita ex aduſtione bilis, nam aliàs poſita vtrobique pari quantitate, rigorem tertianæ vehementiorē perpetuò fore, quàm quartanæ. Dic ſecundò, rigorem in quartana in ſe nō eſſe vehementiorem, ſed ita apparere ob vehementiam ſymptomatum, & longam durationem, quæ ægros valdè torquere ſolent. Ob hanc cauſam dicebat Rhaſius *10. ad Almanſ. cap. 8.* quartanam cum tam violento motu inchoare, vt dentes conſtringat, & concutiat.

Neque obiicias ſecundò, hoc modo. Velocitas motus humoris per muſculos non facit ad magnitudinem rigoris, nam ille humor non facit rigorem, niſi ob læſionem, quam in membris inducit. Si autem valdè velociter moueatur, nec ſuam læſionem poterit imprimere, nec ea à membris percipietur, ſimiliter atque contingit dum alicui repentè vulnus infligitur. Dic ſi humor tardè,& paulatim per membra moueatur, nō imprimit in

illis noxam dolorificam , maximè verò illam inducit , ſi velociter moueatur , nec poteſt adeò velociter per anguſtos meatus membrorum moueri, vt ſenſum effugiat.

Argumenta verò in principio propoſita nihil nos mouere debent.Dic ad primum,quod quantò cauſa rigoris difficiliùs expellitur , tantò rigor eſt diuturnior , non tamen vehementior , & ſic licèt cauſa frigida,& craſſa difficulter expellatur , quia tamen non vehementer mordet , non ita ſtimulatur facultas, quare magnum conatum non adhibet, & ſic non fit vehemens rigor. Ad auctoritatem ex *fen.*2.1. dicendum eſt, quod ibi per rigorem,intelligit frigus,alioqui illius ſententia eſſet falſa. Ad alteram verò auctoritatem licèt aliqui interpretentur eum locum de vehementia rigoris ſecundùm durationem,tamen fruſtrà in hac explananda ſententia torquentur , quoniam per [*viſcoſior*] quod in textu antiquo legebatur, legendum ex Bellunenſi [*mordacior*] & hoc modo inter Gal.& Auic.nulla eſt contradictio.Ad ſecundum dic : diſſimilem eſſe rationem,quia intra corpus plerumque non reperitur humor frigidus, & mordax,ſicut calidus. Ad tertium dic:multò magis impediri motum calidi innati facta irritatione à cauſa calida , quàm à frigida . Nam cùm potiſſima cauſa rigoris ſit conatus expultricis,præcedente triſti,ac doloroſa ſenſatione, multò maior ſenſatio fit à cauſa calida,quàm à frigida.Ad quartum dic , quod ferè à cauſa frigida fiunt diuturniores tuſſes,non tamen intenſiores.De hac re videndus Coſtæus *in com c 6.loc.cit. Auic.*

Proximum his videtur,vt illius quæſtionis diſputationem aggrediamur , contemplemúrque nouum illud , & ſubtiliſſimum inuentum inſignis Thomæ à Veiga , qui 2. *feb.vlt.*contra Galenum, & vniuerſam Medicorum ſcholam arbitratur , in acceſſionibus cauſam rigoris non eſſe motum humorum per membra , ſed eſſe ſolùm vaporem qui exhalat ab humore contento in minera , quando agitatur à natura in eadem minera perſiſtens, quod placitum difficile videtur , & habet contra ſe irrefragabiles obiectiones multas.

Prima,quia licèt ſolus vapor, ſine humore tranſiens per corpus horrorem excitet, & aliquando rigorem,nunquam tamen poterit efficere vehementiſſimum illum rigorem , eúmque diu durantem,qui ſæpè in inuaſionibus febris tertianæ,& quartanæ apparet.

Secunda , quia qui ita affecti ſunt , vt à ſolo vapore tranſeunte per membra , horrore, & rigore corripiantur, nec ſudant , nec vomunt , quum illa quæ expultricem facultatem irritant, acria ſint, vt docet Galenus 3.*de ſympt. cauſ.c.*5.*poſt.med.* Cùm igitur in multis acceſſionibus videamus poſt rigorem ſequi copioſum vomitum,ſudorem, & deiectionem alui , vt monuit Hip. 4.*aph.* 58. credibile non eſt eum rigorem à ſolo vapore,& non ab humore delato per membra oriri.

Tertia, quia nulla aſſignatur cauſa , quare in febribus intermittentibus ceſſante rigore ſtatim ſequatur febris : Nam ſi rigor in dictis febribus fit,quia agitato humore in foco eleuantur vapores moleſtantes membra , ſequitur quandiu humor agitatur , tandiu durare rigorem , vnde igitur poſtea ſequitur febris ?

Quarta,quare rigor ex bile inuadet de tertio in tertium, & pituita ſingulis diebus ? Nam ſi in ſingulis acceſſionibus humor ſemper permanet in foco, nec alius aceruatur de nouo, & ſolùm ab eo agitatus in dicta minera, communicato inde vapore moleſtat membra , ſequitur rigor;citiùs adueniet rigor ex bile contenta in minera , quàm ex pituita, quia illa ob caliditatem , & tenuitatem ſuæ ſubſtantiæ,agilior eſt quàm pituita,& magis moleſtat naturam , quàm hæc. Vltima, vnde habet pituita, quod contenta,& permanens in minera agitetur ſingulis diebus, bilis de tertio in tertium,melancholia de quarto in quartum ?

Cauſa ergo rigoris ſecundùm Galeni mentem, eſt delatio humoris per membra , qui in vnaquaque acceſſione conſumitur, & de nouo aceruatur alter in minera,ſequentem acceſſionem effecturus. In aliis tamen affectibus periodicis concedendum eſt, ſemper cauſam repetitionis non eſſe nouam congeſtionem humoris in minera , ſed ſolam agitationem illius communicantem prauum vaporem membris,vt fit in epilepſia, & ſuffocatione vteri,in quibus cùm videamus acceſſiones , ſiue ſymptomata in die, creberrimè , & aliquando centies repetere , credibile non eſt adeò frequentem repetitionem acceſſionum , oriri à noua congeſtione humoris in quauis acceſſione multiplicata , ſed concedendum eſt à vapore communicato ſcaturire. Sic igitur in ſuffocatione vteri agitatum ſemen vapore ſuo inducit Apnœam , Aphoniam , & corporis immobilitatem, & in epilepſia ſæpè ſolus vapor eleuatus, fontem ſenſus,& motus valdè lædens, totius corporis vehementem concuſſionem efficit. Nec ſimilis cauſa reddi poteſt de concuſſione totius apparente in rigore ; ſic enim omnis rigor annexum haberet capitis dolorem , quem non obſeruamus.

Vltimò videamus quanti momenti ſint argumenta, quibus Galeni ſententiam nititur euertere. Et licèt in eo capite plura afferat, quæ probant repetitionis febrium cauſam non eſſe illam vulgatam quam Medici imaginantur , de qua infrà ; ſed conatum naturæ aggredientis expellere humorem per interualla certa , de qua re infrà latè *in com. hiſt.*3 2.tamen his quinque probare contendit cauſam rigoris non eſſe effuſionem bilis extra vaſa , ſed vaporem eius motum ab innato calore.

Primò. Si motus humor ſupra membra ſentientia rigorem efficit, ſiue calidus, ſiue frigidus, cur à pituita non fit rigor notabilis ? Dic : quia pituita etſi putris , & ob putredinem acris, non ita pungit,ac ſtimulat naturam,neque ob lentorem celeriter per membra ſentientia mouetur,& ſic non concitat rigorem.

Secundò. Si cauſa rigoris eſſet effuſio bilis extra vaſa , maximè funditur in ſudore critico, vomitu, fluxu , ictericia,in quibus vel nunquam,vel rariſſimè accidit rigor, ſed ſemper in initio acceſſionum maximè, quia bilis craſſitie ſua non ita penetrat membra, ſed vapor eius motus ab innato calore. Dic : Non adeſt rigor in ſudore critico,quia bilis, quæ à natura excernitur in bilioſis febribus, non eſt ſeparata ab humiditate multa, cuius commercio retunditur. Deinde in ſudore critico bilis eſt cocta , & edomita, magis craſſa,& minùs acris.In vomitu bilioſo non accidit rigor,nam à pituitæ lentore, & mulcebri humiditate bilis acrimonia hebetatur , ſicut in fluxu bilioſo , quoniam inteſtina aſſueta bilem recipere , non patiuntur. Secundò, quia inteſtina hebetiori ſenſu prædita ſunt , ne ex acrimonia bilis ad ipſa decumbentis in perpetuo dolore eſſet animal , quare interiorem tunicam, pingui , concretóque humore natura obliniuit,qui craſſitie , & lentore ſuo bilis acrimoniam prohiberet,vt Galenus auctor eſt *lib.*5 *.de vſu part.cap.*4. In ictero flauo non viſitur rigor : quia in hoc affectu bilis poroſas partes occupat. Secundò,non putreſcit ; nam per corpus expanſa tranſpirat,& ventilatur.Tertiò , non ſubitò excernitur,& craſſior eſt ea quæ in febribus redundat. Neque vrget inſtantia vltima,quia falſum eſt affirmare bilem in tertiana, v. g. exquiſita eſſe craſſam , cùm tenuiſſima ſit, & ferueutiſſima, vt ait Gal.& ita ſudore ſæpè euaneſcit.

Tertiò. Si flueret in quauis acceſſione ad partem inflammatam bilis , cùm inflammatio ſit extra vaſa , oporteret vt rigerent ægri in quauis periodo ophthalmiæ , & pleuritidis.Dic : in ophthalmia, & pleuritide non adeſt rigor,quia bilis ad partem determinatam, & in pauca copia detruditur , præſertim cum ſanguine commixta , cuius humiditate hebetatur : Nam ſi in magna quantitate effundatur , aliquando pleuritici rigent , & phrenitici , in quibus affectibus ſæpè circuitus tertianarij contingunt, ex Gal.1.*aph.*1 2.

Quartò. Apparet eſſe ex fuga bilis introrſum rigorem illum, quia illis aluus ſoluitur , ſicut & timentibus. Dic : Alui fluxus in initio acceſſionum ex dicta cauſa non contingit : ſequitur enim ex copia bilis, quam natura magno impetu , tam ad habitum corporis,quàm ad inteſtina protrudit,quæ acrimonia ſua irritat ad excretionem : ſicut ſæpè confluit in ventriculum,vnde bilioſus vomitus.

Quintò.Ad quamcumque partem fluit humor, ſymptomata adſunt manifeſta recipientis membri, calor,tumor , & dolor , quæ non apparent in periodicis febribus. Dic :

In

In externis inflammationibus confluit humor ad partem determinatam, in qua circunſcriptus, & conculcatus diſtendit, concitat dolorem, & prohibitus difflari incaleſcit, inflammat partem, eamque in tumorem eleuat: in periodicis verò febribus hæc non apparent, quoniam humor per totum corporis habitum diſſeminatus ſolum rigorem facit, qui cum non ſit vnitus, nec in aliqua certa parte retentus, ſymptomata illa non excitat: Ergo ſolus vapor citra humorem rigoris cauſa eſſe non poteſt, vt perperam fuit opinatus Veiga, cuius rationes hactenus inſolutæ plurimis errandi anſam præbuerunt.

HIST. XVIII. ORIBASII

De exacerbatione febris.

Febris exacerbatio, balneis naturalibus curata.

IN exacerbationibus accuratè omnis hæc facienda eſt præparatio: Nam qui plurimas partes dolent, hi accedentes, toti introeant: ſi verò aliquas laborantes habeant, madefiant, labore ſedato eos deducemus, deinde cùm rurſus acceſſio redierit, * *vt in aquam deſcendant imperabimus, aquis vtentes non ſecus quam fomentis extrinſecus adhibitis. Noui ego quoſdam quum per totum diem hoc curationis genere viterentur, mirum in modum adiutos fuiſſe: nam exacerbatio quæ priùs longa, & ad ſoluendum difficilis erat facta, ceſſauit, &c. Oribaſius* lib. 10. collectaneor. cap. 5. de aquis ſponte naſcentibus.

PARAPRHASIS.

LIcèt aquarum ſponte naſcentium multiplex ſit differentia, natura, vis, atque poteſtas, vt monuere priſci, & iuniores fatentur, vt Fallopius, Baccius, Solenander, & alij qui de illorum efficacia, & admirandis viribus diligenter pertractarunt: Nam alia ſunt nitroſa, ſulphurea, bituminoſa, chanlcãthoſa, aluminoſa, &c. ferè tamen hæc omnia calida ſunt, aperiunt, attenuant, reſoluũt, digerunt craſſos ſuccos, eóſque contumaces ſecant, & incidunt, quare mirum non eſt ſi febrium incrementum ex crudis, craſsíſque humoribus ortum, ipſæ aquæ balnei modo adhibitæ, vel prohibeant, aut ſaltem ex toto eradicent, & maximè ſi morbus ſit in declinatione, quo tempore vtiles, & præſẽtaneæ eſſe cenſentur, quoniam in retorridis, & bilioſis febribus eas ſummoperè vetat Gal. *lib. 1. ad Glauc. cap.* 8. de tertiana exquiſita, quòd plus calefaciendo noceant, quàm vacuatione proſint. In quotidianæ autem, tertianæque nothæ curatione earum vſus improbandus non eſt, ſi vires adſint; quandoquidem humentiori pituitæ, viſcoſíſque humoribus exiccandis, & reſoluendis præſidio ſunt; vt *lib. 1. cap.* 52. Paulus edocuit, & in ſe ipſo tertiana primò, deinde continua correpto thermarum hauſtum felici euentu fuiſſe expertum narrat Symphorianus Campegius *lib. 3. in Galeni campos, hiſt. 7.*

Sed hoc videtur & rationi, & Galeni ſententiæ repugnare: ſunt enim omnibus febribus balnea calida incommoda. Deinde, ſi hæc, ad reſoluendum humores imperantur, cur ſunt admittenda in febribus, in quibus liberas, & patentes vias eſſe oportet, ſi nimio calore abſumpta humiditate tenues meatus conſtringunt, & denſant; Dic: febris quatenus febris eſt, calida præſidia renuit, & frigida poſtulat: at cùm eius cauſæ vtpote pituitæ conſulere volumus, oppoſitæ nobis indicationes ſeſe offerunt, quare ſi cauſa eſt remouenda, tunc interdicenda frigorifica: nam humorem magis arctant, & impingunt, offerenda calorifica, & aliis reſoluentibus, immò & balneis naturalibus vtemur, quæ licèt primo occurſu aliqualiter corrugatione facta denſent; deinde calore ſuo actuali aperiunt, relaxant, & dilatant, maximè ſi aqua balnei temperata ſit, quæ emollit, humectat, & quidquid fuliginoſum, vel fumidum eſt in viſceribus non ſolum euacuat, ſed humores qui circa cutẽ ſunt expurgat, vt ſcitè notauit Galenus *lib.* 10. A *met. cap. 10. & 11. eiuſdem cap. 20. & 3. lib. acut.* per multas ſententias, & alibi paſſim.

QVÆSTIO XXV.

Vtrùm in putridis febribus balneum poſſit eſſe ex vſu.

COMMENTARIVM.

V*T in aquam deſcendant imperabimus.*] Miratus ſum aliquando, nec priùs deſij animo fluctuare, quum Galeni ſacraria hinc inde adortus eſſem, quo pacto tantus auctor tam varia de balneorum adminiſtratione pro curatione febrium putridarum promeret in lucem: nam in aliis febribus, nempe diaria id concedit 8. *meth. cap. 3. in princ. & 7. aph.* 42. & in hectica vbique paſſim miniſtrat 7. B *meth. 6. & 10. eiuſd. cap. 10. &* 11. Immò in putrida poſito exemplo, in multis ægris celebrandum imperat *lib.* 11. *meth. 9. &* 20. quoniam illud remedium in putridis febribus ſaluberrimum eſt, quod febrilem calorem extinguit, & cauſam eius reſoluit, & attemperat, vniuerſum corpus refrigerat, calidam intemperiem ſanat, fuliginoſa excrementa, tum fumida educit. At vacuatio excrementorum omni febri putridæ vtilis eſt; ſicut exiguorum meatuum rarefactio, & eorum quæ in corpore ſunt liquatio; quæ omnia à balneo præſtari nullus ignorat; & exemplo firmat Gal. 10. *meth.* 3. ergo; &c.

Oppoſita ſententia plurimos habet patronos; quorum primus eſt Gal. qui illi fauere videtur, qui *lib. 10. meth. c.* 10. balnea in febre hectica conſuluit, modò cum putrida febre non complicetur, quoniam ſi actu calida ſunt, febrem, & C calorem intendunt, viſcera magis inflammant: ſi frigida, ampliùs obſtruunt. Hoc pacto Trall. *lib. 5. c.* 22. ſolùm in hectica febri balnea conferre aſſeuerat; quemadmodum è diuerſo eos, qui ob commixtos, & putridos humores putridam febrem patiuntur, non modò non iuuant, ſed vehementer lædunt. Hoc pacto Auic. 2. 1. nocumenta balnei ſic colligit. *Facit,* inquit, *ſuperfluitates ad membra in quibus eſt debilitas leuiter deſcendere; & laxat corpus, & impedit neruos, & reſoluit calorem innatum, & comedendi deſiderium deiicit, & coëundi debilitat virtutẽ, facit ſyncopem, nauſeã, humores quietos mouet, eos præparat ad putrefactionẽ,* & 1. 4. *cap. de cura tertianæ nothæ,* in ea prohibet balneũ, quia facit deſcende phlegma indigeſtum; & permiſcet humorem malum cum putrido; reſoluit ſubtile, & facit remanere craſſum, & Raſis *in diuiſionibus, cap. de tertiana,* præcepit, D vt in eius curatione à balneo Medicus prorſus abſtineat.

Pro ſolutione huius quæſtionis dic: balneum in febribus putridis vtile eſſe, poſitis tamen conditionibus requiſitis: & pro balneo intelligendum eſt quod ex aqua potabili paratur, ex Gal. *lib. 7. ſec. loc. cap.* 1. aqua autem debet eſſe fontana, aut fluuiatilis, aut pluuialis, & hoc balneum, auctore Galeno 3. *de ſanit.* 8. aut eſt calidum, ita ſcilicet vt ferueat vi ignis; aut eſt actu frigidum, aut eſt tepidum, quod caliditatem habet temperatam, quæ à manu, & à corpore ſine moleſtia percipi poteſt, ex Gal. *lib. 3. de officio Medici, text.* 15.

Deinde, balnei aquæ dulcis frequens erat tempore Galeni vſus, & non ſolum pro deliciis, & conſeruatione valetudinis, ſed etiam pro curatione morborum eo vtebantur priſci, & ſic pro his balneis ſumptuoſa ædificia erant fabricata, & in omni palæſtra, & domibus particularibus E magnificè erant inſtructa. Balneorum quatuor aſſignantur partes ſiue domus à Gal. 10. *meth. c.* 10. & hæ præter apodyterium, quod erat locus in quo denudabantur, prima pars erat calidarium, ſeu ſudatorium; quod veteres hypocauſtum, ſeu laconicum vocabant, conſtabátque aëre calido. Secunda dicebatur tepidarium, in quo erat piſcina, ſiue vas quoddam magnum aqua tepida plenum. Tertia dicebatur frigidarium, in quo erat vas aquæ frigidæ. Quarta dicebatur vnctuarium, in quo vngebantur.

Tempore Hip. non erat ita frequens balneorum vſus, vt ex eo colligitur 2. *acut.* 44. & à Galen. 1. *de officio Medici, com.* 6. nec enim idonei aderant miniſtri, nec idonea loca, nec vaſa neceſſaria, & ſic antiquis non erat balneum in frequenti vſu, vt docet Gal. 2. *de ſympt. cauſ. c. 5. poſt med.*

quando autem non benè parantur, prodeſſe non poſſunt, imò qui lauantur, non mediocrem noxam incurrunt, vt inquit Hip. *3.acut. cit.*

Balneum ergo aquæ temperatæ, vel tepidæ in omni ſpecie febris prodeſſe poteſt, & ſic in curatione febris diariæ, vel hecticæ eſt vtiliſſimum. In febre putrida ſummoperè iuuat adhibitis conditionibus multis quarum prima eſt, vt febris ſit mediocris, & in declinatione ſecunda, quod corpus ſit vacuatum, & ſigna coctionis appareant. Tertia eſt, vt adminiſtretur citra horrorem: Nam horror qui tunc accidit, humorum multitudinem ſignificat, & febrem auget, vel ſi non adeſt, eam de nouo generat. Quarta, quod imbecillitas alicuius viſceris non adſit: Nam imbecilles partes, humores vi balnei liquatos promptè recipiunt, quando tamen eſt imbecilitas alicuius partis ignobilis, tunc ampliùs nocere ſolet, ex Gal. 11.*meth*.20. & conſtat in iis qui podagræ, & arthritidi ſunt obnoxij, quoniam tunc tota ſalutis ſpes eſt ſi humores noxij à partibus nobilibus ad ignobiles transferantur. Vltima conditio eſt, quod in prima regione humorum crudorum copia non adſit, quoniam balnei vi per corpus diſtribuuntur, in quorum præſentia non ſolùm balnea, ſed frictiones, & exercitia reprobat Galenus *lib. 4.de ſanit.tuend. cap.*5. quando videlicet humores crudi in prima corporis regione abundant. Quare balneum in febrium putridarum declinatione, cum ſignis coctionis, eſt celebrandum, præſertim ſi viſcera ſint robuſta, & in prima regione crudi ſucci non exuperent.

Aduerſus hæc nonnulla obſtare videntur, primò, æſtuantibus quibuſdam febribus balneum ſummè auxiliatur, vt ex Hip. mente docet 3. *acut.* 58. non oportet ergo quod febris mitis ſit, vt balneum conueniat. Secundò. Balneum remedium euacuatorium eſt, & inter vniuerſales vacuationes numeratur à Galen. 4.*meth*.6. *&* 2.*aph.com*.17.*&* 4.*aph*.2.& plethora tum ſanguinis miſſione, tum balneo curatur, ex Gal. 13. *meth.cap*.6. Igitur in febribus putridis non oportet quod corpus ſit euacuatum, ipſo enim euacuabitur. Tertiò. Ante ſanguinis miſſionem, & purgationem Hipp. & Galenus 6.*epid.ſect*.5. *text*. 29. iubent vti balneo, vt fluxiles humores reddantur, & ad euacutionem paratiores. Quartò. 1.*ad Glauc. c*. 9. *&* 3. *acut.com.vlt*. Galenus in febre ardenti, & in tertiana exquiſita ante ſigna coctionis balneum concedit. Vltimò: Si balneum non conueniret in febribus putridis, quando alicuius viſceris imbecillitas adeſt, minimè eſſet vtile quando pars aliqua interna eſſet inflammata, quo nomine Galenus 10.*meth*. 10. firmat, quod quando adeſt phlegmone aut affectio aliqua phlegmonæ ſimilis, nocet balneum, quia inflammationem auget, humores enim vi balnei liquati in affectam partem promptiſſimè confluunt. Ob eandem etiam cauſam *lib.de maraſmo.cap*.8. in hectica, in qua eryſipelatodes affectio adeſt, à balneo prorſus abſtinendum cenſet. Similiter Auic. 3.1. *doct.2.cap.5.ante finem*. dicebat, quod ille qui febrem habet & ſolutionem continuitatis patitur, aut apoſtema, à balneo ſe cuſtodire debet, Hip. tamen contrarium docet 3.*acut*.58. vbi in pleuritide, & peripneumonia dicit magis prodeſſe balneum quàm in febre ardente, ſed in febre ardente prodeſt, ergo etiam in internis inflammationibus.

Antequam has obiectiones, extricare coneris aduerte quod balneum aquæ temperatæ per ſe humectat, & actu calefacit, licèt potentia infrigidet ex Gal. *lib*.1.*ad. Glauc. cap*. 9. emollit & laxat cutem, detergit ſordes, aperit meatus, corroborat, concoquit, ad partes extimas cõuocat calorem, ſuperflua euacuat, ex Galen. 3.*de ſanit.cap*.4.*&* 10.*met. cap*.10. *ante med*. & inter vniuerſales vacuationes reponitur à Gal. *loc. cit*. explicat inter omnes Fernel. *lib*.2. *de ven. ſect. cap*.20.

Neque inſtes cum Galen. 3.*aph*.15. dicente vacuationem quæ fit per balneas, paruam eſſe, & ferè ſolùm cutem euacuare, & non ſuperfluitates quæ ſunt per carnes & partes ſolidiores diſperſæ: nam intelligendus eſt de balneo in quo homines immorantur breuiter, quando enim longiori tempore in eo verſantur, non tantùm cutem euacuat, ſed etiam partes ſolidas, viſcera, & venas, præſertim ſi ſulphurea ſint, aut bituminoſa.

Quum balneum per poros cutis, & vias anguſtas euacuet, ſi humor multus ſit, aut crudus, aut craſſus, & lentus, periculum eſt quod non commode vacuetur, immò obſtruantur pori, & ſic dicebat Galenus *lib*.13. *meth*.6. quod ſi plurima ſit ſuccorum abundantia, nec balneo, nec exercitatione vtendum eſt ſine periculo: ſi vero exigua ſit, per hæc vacuare licet: quare quando adeſt cacochymia, vel plenitudo quoad vaſa, vel quoad vires, balneum eſt inimiciſſimum, ex Gal. *meth*.10. *ante med.&* 7.*Aph.com*.46. confirmat, quod plethorica diſpoſitio balneum non admittit, vel ſine magna noxa, vinum: ſi enim priùs non euacuas humores liqueſcunt, & fluxiones pariunt, quia agitantur, & putreſcunt, 3.*acut. com.vlt.*

Quæ verò oppoſita ſunt, nihil vrgent. Dic ad primum: balneum eſſe vtile in æſtuoſis febribus in declinatione, quando iam mites ſunt, neque Galenus 10.*meth*. 10. per mititiem febris ad balneum requiſitam; intelligit, quod febris ex natura ſua mitem habeat calorem, ſed quod ſit iam in tempore in quo calor ſit mitis, & remiſſus, nimirum in declinatione. Ad ſecundum dic: balneum eſſe quidem remedium vacuatorium, verùm corpore toto antè vacuato adhibitum, vacuatoriam habere facultatem, ex Gal. 3.*acut.vlt*. & ſi æger febricitet, non licet abundantiam tollere exercitatione, frictione, nec balneo, ex ipſo 13. *meth*, *cap*.6.

Ad tertium dic: quod quando ſanguis, & reliqui humores craſſi ſunt, & viſcidi, & plenitudo eſt exigua, balneum in quo æger breui tempore immoretur, ante ſanguinis miſſionem, & purgationem poteſt eſſe vtile, & hoc conceditur ab Auic. 1.4.*tract*.2.*cap*.63. omni die, morbo etiam exiſtente crudo: Nam balneum remedium concoctorium eſt, ex Gal. 1.*epid.ſect*.2.*com*.44. & ſic poteſt eſſe præſidium ante purgationem, quæ optimè confert, ſi corpus priùs fluidum fiat, ex Hippocr. 2.*aph*.9. hoc eſt, vt explicat Gal. *in com*. ſi omnes meatus reſerentur, & humores craſſi extenuentur, quod opus balneo fieri poſſe, patet, quoniam eius ope humores ſine agitatione liquantur, & euacuantur. In hunc ſenſum intelligendus eſt Auicen 4.1.*cap*.10. non longè ab initio. §. *Si vero mali humores craſſi fuerint, antiqui præceperunt, vt æger balneetur, & in ſuis miniſteriis moueatur*. Deinde non ſolùm in dictis exemplis balneum eſt vtile ante euacuationem, ſed etiam in incipiente melancholia: quoniam huiuſmodi morbum hoc auxilio ſe curaſſe refert Gal. 3. *de loc.cap*.7. *poſt med*. §. *Interim monendi ſunt mihi amici mei, &c.* quod de melancholia, in qua melancholicus humor cerebrum occupat, intelligendum eſt, iuxta mentem Pauli *lib*.3. *cap*.14. & Aëtij *tetrab*.2.*ſerm*.2.*cap*.10.

Ad quartum dic: quod in febribus bilioſis quando humor non peccat putredine, craſſitie, aut lentore, ſed ſola efferueſcentia ante coctionis ſigna balneum prodeſſe poteſt, non propter vacuationem, ſed ſolùm ad bilis acrimoniam temperandam, eiúſque ebullitionem compeſcendam: poſt ſigna tamen coctionis in his febribus ſalutare eſt valdè: nec enim tantùm narratas vtilitates præſtat, ſed bilem etiam euacuat, quæ ob ſui tenuitatem per cutem facilè poteſt vacuari: contra tamen ſe habent humor pituitoſus, & melancholicus 3.*acut.com.vlt*. quapropter in febribus melancholicis, & pituitoſis balneum ſolummodò confert, vt recrementa fuliginoſa tranſpirent, non verò vt humor vacuetur.

Ad vltimum dic: quod in inflammationibus præſertim thoracis, balneum vtile eſt, quoniam ſedat dolorem, coctionem adiuuat, ſputum promouet, ſed illud in principio, quando humores fluunt, adhibendum non eſt, quoniam tunc corpus eſt plenum, quare poſt vacuationem, ceſſante fluxione & quando humor cœpit concoqui, conſulendum, ex Galen. 3.*acut*.61. Videndi Conciliator de hac re *different*. 173. *in fin*. Donatus Santorus *lib*.7. *epiſt*.1.

HIST.

HIST. XXIV. TRALLIANI, De febri ardenti.

Febris ardentis acceſſio, ſucco peponum curata.

EGo ſanè noui me frequenter ægros ne ampliùs acceſſione febris infeſtarentur, impediuiſſe, quum pepones probè refrigeratos vna hora ante acceſſionem morbi aſſumere iuſſiſſem, & rurſus aquam temperatam copioſam, quantam peponi ſuperbibere percepiſſem. Sequutus eſt itaque non multò poſt aquam epotam, aliquibus ſanè ſudor, aliis copioſa bilis per aluum. Trallianus lib. 12. cap. 6.

PARAPHRASIS.

NVllus eſt auctor in cuius ſcriptis maiorem debeant impendere Medici curam ad mentem eius percipiendam, quàm in Tralliano. Licèt enim inter Principes primatum obtineat; tamen in porrigendo victu ægrotantibus liberalis eſt, & licentioſus nimis: etſi enim laborantibus gratiæ ſint cencedendæ, vt monuit Hip. *lib. 6. epid. ſect. 4. text.* 8. tamen non ita larga manu propinanda ſunt alimenta reproba, quoniam in variis ſuæ doctrinæ locis offert ægrotantibus, chronicis, & acutis morbis detentis, oſtrea, cochleas, bulbos, pedes bubulos, ſuillos, vuas dulces, perſica cocta, & cruda, pomareos fructus, & reliqua eduſia, quæ negotium ventriculo, vel etiam robuſto faceſſere ſolent, quum craſſi ſint ſucci, tardè diſtribuantur, corrumpantur facilè, & noxas pariant inemendabiles, viſcerum obſtructiones, omnis generis febres, ex quarum ſæuitie plures occumbunt.

A fructibus ergo, & praui ſucci alimentis interdicendi ſunt ægri, nam ratione alimenti febricitantibus nocent manifeſtè, quoniam ob ebullitionem facilè inflammantur, & eorum ſuccus cum aqueus ſit à partibus non retinetur & ſic derelictus à regimine naturæ putreſcit, & febres accendit, præſertim in ventriculo, qui in febricitantibus ſolet eſſe impurus. Gratia tamen medicamenti aliquando prodeſſe ſolent: acidi enim fructus non ita prohibentur, nam præter ſuccum ebullitioni ineptum, qualitatem quandam medicamentoſam ſortiuntur, cuius ratione refrigerant, calori febrili reſiſtunt, & interuentu aciditatis humores incidunt. Deinde oportet habere rationem conſuetudinis, ſunt enim plurimi, qui audito nomine ptiſſanæ: ſtatim nauſea, & vomitu prehenduntur, quibus etiamſi exquiſita tertiana laborent concedit Gal. 1. *ad Glauc. cap. prop.* cerebrum ſuillum, & 1. *acut* 17. in pleuritide, piſces ſaxatiles, ſi ptiſſanam faſtidiuerint. Qua etiam ratione fructus febrientibus offerri poſſunt excitandæ appetentiæ gratia, & in illis qui eis delectantur valdè, iuxta Senis, oraculum, 2. *aph.* 8. tunc enim minùs nocere ſolent, quorum iucunditate recreata naturas, eos amplectens, & concoquens, ſuperfluum humorem præparat, & per varias rationes excernit cum animantis commodo, & licèt Auic. 1. 4. *tract. 2. c. 7. in princip.* §. *Et omnes fructus nocent febricitantibus cum ebullitione ſua, & corruptione ſua in ſtomacho, &c.* fructus reprobet, tamen iucunditatis cauſa concedi poſſunt.

Ex his conſtat qua ratione fructus hîc qui à Græcis Pepo, ab Arabibus Melon Indus, à Recentioribus Anguria appellatur, ante acceſſionem oblatus, eam poſſit impedire: Nam frigiditate ſua bilem ad os ventriculi confluentem contemperat, & copioſa aqua ſuperbibita tepida, cogitur natura vel per vomitum, aluum, vel ſudorem excernere. Si enim craſſa eſt, grauitate ſua deorſum ruens per ſedem expellitur: ſi tenuis, per vomitum, ſi tenuiſſima per ſudorem detrudi ſolet.

Hoc præceptum deſumpſit ex Auicenna Trallianus ille enim *cit. loco*, dum ſic ait. *Et fortaſſe contrarium eſt illud quod cõuenit febri de infrigidatione cum eis quæ ſũt ſicut batech Indi,* (hoc eſt melones Indi) *& reliqua olera, ei quod*

A *conuenit de materiei minoratione, &c.* quaſi dicat quod licèt fructus noceant frigiditate ſua: quia humoris reſolutionem impediunt, eúmque excretioni contumacem reddunt: tamen ratione febris vtiles ſunt, refrigerant enim, & humectant. Quare in febribus humoris expertibus, vt diaria, & hectica vtiliter conceduntur; vel in febribus acutis, & putridis, quæ à ſanguinis feruore, vel bilis acrimonia ſcaturiunt, quoniam humectant, ducunt vrinam, molliunt aluum, quare ſub canis æſtu non poſſumus maius commodum habere, quàm ab hoc pomo, vt notauit doctiſſimus Iacchinus *in methodo curand. febrium, cap. 33. de tertiana interpolata.*

Hoc modo præbet Auic. *loc. cit.* aquam fructuum poſt hebdomadam, hoc eſt poſt coctionem humoris, (licèt ob febris feruorem ante coctionem ſit exhibenda.)
B Quamuis autem aqua fructuum variè paretur ab auctoribus, vt apud Meſuëm *in antidotario diſtinct. 7. tit. de aqua fructuum,* qui eam conficiendam docet ex decocto rerum infrigidantium, & lenientium, vt prunor. iuiubar. violar. tamarindor. cum manna, & caſſia, quæ aqua bilis caliditatem retundit, & clementer educit, & apud alios conficiatur ex ſuccis acidis, vt granatorum, citri, limonum, & ſimilium, cuius meminit Auicen. 1. 4. *tract. 1. c. 32.* tamen aqua fructuum illa propriè dicitur, quæ fit ex decoctione, vel expreſſione, vel ex diſtillatione rerum frigidarum, vt cucumeris, cucurbitæ, melonum, & peponis, hæc enim aqua humorum acrimoniam infrænat, caliditatem attemperat, & eorum furibundos motus coërcet.
C Si de peponis natura, & viribus plura legere affectas, ea adamuſſim exarata inuenies *lib. 1. in com. hiſt.* 38. & de eorum natura luculenter egere Hieronymus Rubeus *proprio tract.* de *melonibus, &* Sebaſtianus Iozzius citatus ab Alzario à Cruce *centur 2. quæſitorum, fol.* 122. Conſule de eodem argumento Baccium Baldinium *prop. tract. de cucumerib. & peponibus.*

D

HISTOR. XXV. GALENI, De tertiana.

Annua tertiana, ſola præcautoria purgatione, ſanata.

QVidam æſtiuo tempore ſemper tertiana corripi ſolitus, iam annos multos febrem non eſt expertus, bile pallida per nos ſub veris finem præpurgata, tunc enim tales vacuare multo præſtat, &c. Galenus* lib. 6. aph. 47.

PARAPHRASIS.

TErtianam exquiſitam ab humore bilioſo generari per partes ſentientes extra vaſa delato Medicorum ſchola vnanimiter firmat; probat Galenus variis in locis, præſertim *lib. 2. prorrhet. com. 7. & lib. de tremor. c. 7.* Hoc ita eſſe ſigna ſatis teſtantur propoſita à Galeno 2. *criſ. 3. & 1. ad Glauc. c. 5. & 2. de dif. feb. c. 3.* validus rigor ab acri, bilioſóque humore concitatus, vomitus bilioſos, vrina
E ignea, ſitis intenſa, deiectio bilioſa, ſudor copioſus, calor exurens, vigilia, quæ omnia à tenuiſſimo, & calidiſſimo humore euenire certum eſt.

Quum magna in copia bilis aceruatur in corpore, tertiana exquiſita fit, ſi eam extra venas emittat natura: ſi verò intra venas ſtabuletur, cauſus concitatur: quoniam, vt inquit Galenus *lib. 4. aph. 59. tertiana febris, ab ea quæ ardens nominatur, humore faciente non differt, vtraque enim à bile flaua fit. Differunt autem, quoniã febris ardens habet in venis vna cum ſanguine flauam bilem plurimam ebullientem: tertiana verò eandem naturam habet in toto corpore, euntem ac motam, &c.*

Quando hominis temperamentum, & ætas ad generandam bilem inclinant, eſtque natura ſquallida, ſicca, exuſta, bilioſa, accedúntque curæ, vigiliæ, inædiæ, mœrores, exercitia, tunc corpus vt tempore æſtiuo incidat in

tertianam,eſt paratum,id ſignificauit Gal.4.*Aph.com. nuper cit.*dum ſic ait *Exquiſita igitur tertiana erit,quæ ſuam naturā ſeruat puram,atque ſynceram.Seruat autem vbi flauā bilem habet ſuperabundantem,ac delatam, & præterea tempus æſtiuum,& locum tempori ſimilem,calidum ſcilicet, ac ſiccum, & hominis ætatem & temperaturam ſimilem, &c.*hæc omnia augentur, & inſoleſcunt, ſi alimentorum calidorum vſus ſit continuus, aut immódicus generoſi vini potus, & vrgeant animi pathemata, præſertim ira, ex qua exardeſcere corpus certum eſt.

Ergo ſi corpus ſimilem ſortiatur temperaturam, bili gignendæ accommodam, ne tertiana ſingulis annis recurrat, aut alij bilioſi morbi generentur,vt cauſus, pleuritis, phrenitis, & cæteri qui bilioſi humoris germina eſſe cenſentur, neceſſe eſt hæc mala applicitis remediis anteuertere, quoniam, vt bellè monebat Galen.*lib.2. de naturalib.facult.cap.8.longè ſatius eſt prohibere ab initio ne multa gignatur, quàm ſollicitos,& occupatos eſſe de vacuanda bile.* Quapropter ſub finem veris, quando hic humor aduentante æſtate incipit ebullire, illum redundantem in corpore educere oportet,nam hoc tempus huic vacuationi eſt vtile valdè,prout ex Galeni mente probauimus *lib.3. in com. hiſt. vlt.*

In hunc vſum corpus, intus adhibitis, & extra appoſitis frigidis, & humidis auxiliis præſeruabis,& medicamentum quod pallidam bilem euacuet exhibebis. Ita monuit Gal.13.*meth.cap.6.§.Vbi enim æquabiliter inter ſe ſucci ſūt adaucti, id & Plethos,& Plethoram Græci vocant,nos plenitudinem,& ſuccorum redundantiam dixerimus.Vbi enim vel flaua bile,vel nigra,vel pituita,vel ſeroſis humoribus refertum corpus iam fuerit, eū habitum cacochymiā(quaſi ſuccorum vitium dicas)non plethoram nominant.Ergo plethora tum ſanguinis miſſione curatur,tum frequenti balneo, tum, exercitatione, tum frictione, præterea digerentibus medicamentis,& præter hæc omnia inedia:ſuccorum autem vitium, purgatione,quæ cuique ſuperanti ſucco ſit accōmodata,corrigitur, &c.*Quare cùm bilioſus humor in corpore redundat tutiſſima eſt purgatio.Vtrùm autem in tertiana exquiſita mittendus ſit ſanguis, & quo tempore ſit celebranda, in commentario diſſeremus.

QVÆSTIO XXVI.

Vtrùm in tertiana exquiſita,ante tres acceſſiones vena ſit ſecanda, vt cōtra mentē Galeni,& Auicennæ opinantur Fernelius, Vidus Vidius, Hollerius, Paſchalius, Euſtachius, Brauus, & alij Medici præſtantiſſimi.

COMMENTARIVM.

V*Acuare multo præſtat.*] Difficilem prouinciam aggredior, quam vt ingrediar, ſemitam per vmbram, vix agnoſco:ea tamen licèt cum periculo tentanda,nam & in arduis ſat eſt voluntas ſola. Conabor tamen in hac de ſanguinis miſſione in curatione tertianæ quæſtione vtili fallaces opiniones refellere, quibus intricati plures, iique haud vulgares Medici ſanguinem non eſſe mittendum in ea aſſeuerant.

Fernelius *in methodo generali curādi febres,cap.*11.Vidus Vidius *lib. 5.de feb.cap.*4.Hollerius *lib.2.de morb. internis cap.de tertiana exquiſita.*Paſchalius *eodē cap.*in ea ſanguinem non eſſe mittendum contendunt, his fortè rationibus nixi. Primò, quoniam illa oritur ex ſimplici bilioſa cacochymia, nempe ex bilioſo humore putreſcente, per membra ſentientia delato,quod vitium purgatione remouetur. Secundò, Galenus 2.*ad Glaucon*.2:in eryſipelate,& herpete ſanguinis miſſionem non eſſe neceſſariam aſſeruit, ſed loco illius purgationem vt ſalubriorem iudicauit. Hoc modo in herpete medicamento purgante vſus eſt 14.*meth. cap.*3,Tertiò,quod Galenus *cit.lib.ad Glauc.* ex profeſſo de illius curatione diſceptans, venæ ſectionem ſilentio prætermiſit, quum tamen eam exercendam doceat *cit. loco*,in curatione quartanæ, dum inquit,*venam verò ſecare oportet vel interiorem, vel mediā ſiniſtri cubiti:* & in curatione tertianæ nothæ ait.*Quod ſi ſanguinem mittere oportet, nec hoc quoque omittendū,ſed ab initio ſtatim adhibita earum rerum quas ſcis diſtinctione,tantum mittendum quantum præſens exigit ſtatus.*Quare mòrbis in bilioſis ſanguinis miſſio reprobanda eſt,Galeni doctrinam amplectuntur Paulus *lib.*1,*cap.*21.Aëtius *tetrab.2.ſerm.*1.*cap.*80.Trallianus *lib.*12.*cap.*6.Hali Ab.3.*pract.cap.*12. Iſhaac 3.*pract.cap.* 31. Auerrhoës 3.*collig.cap.*11.Raſius *lib.*15.*continent. cap.*3.Serapio *tract.*3.*cap.*13.

Secandam tamen eſſe venam in tertiana pura iuxta doctrinam Galeni multæ ſuadent validæ rationes, quas ex Actuario depromptas *lib.* 3.*ſuæ.methodi, cap.* 19.recitare non erit abs re. Prima, quia cùm ſanguis poſt ſpiritum primum feruorem excipiat, & totum corpus afficiat, ſi eius quidpiam effluxerit, multum caloris vnà detrahet. Secunda, quod quāquam è flaua bile febris oriatur, attamen ſanguis propriè ſuccenditur, eíque materiam ſubminiſtrat. Tertia, quoniam cùm per vniuerſum permeet corpus, vniuerſum quoque calefacit, quare ſi quid eius euacuatur, multa quoque febris portio vnà difflabitur: Nam ſi ex latentibus, & materiæ expertibus perſpirationibus febrientes opem ſentire eſt perſuaſum, febrémque, adſtricta, & denſata cute, vehementiùs accendi conſtat: an non quæſo multo meliùs ægri degent, ſi humoris qui eam in vniuerſum corpus defert, ſenſilis fiat euacuatio? Quapropter ſi vires valeant, permittat ætas, adſit plenitudo, vel hæc cacochymiæ bilioſæ ſit adiuncta, tunc ſecanda vena: ſin perperam, immò purgatio imperanda. Deinde plenitudo ſola demitur ſanguinis miſſione, febris verò eam expoſtulat, quia hæc calidam ſubſtantiam educit, & refrigerat ex Galen, 10.*meth.*10. & ſanguinis inflammationem, ac feruorem compeſcit & bilem ipſam cum calido ſanguine permixtam detrahit, & hunc ebullientem iam, & citiſſimè conuertendum in bilem promptiſſimè detrahit, ventilat iecur, reuellit à corde, & eius ope viſcera detracta copia tranſpirant, maximéque hoc generoſum præſidium in hac febre exequendum, ſi rubor multo plus quàm conueniat naturæ; adſit, & maior quàm pro conſuetudine totius corporis tumor, & venæ appareant eminentes, & latæ: leuata namque eo tempore natura, exoneratáque eo, quo, veluti ſarcina premebatur, haud ægrè quod reliquum eſt vincet. Hanc ſententiam defendunt inter omnes Ludouicus Mercatus *lib. 6. de febrib. tit. de tertiana exquiſita.* Mercurialis *lib. 5. praxis. cap.*9.& alij viri peritiſſimi.

Quare argumenta ſupra allata quæ noſtram poſitionem labefactare conabantur, ita ſunt reiicienda: Nam in tertiana ſi plenitudo adeſt, huius habita ratione venam ſecamus, qua non præſente eam celebramus, non ad euacuandum, ſed ad reuellendum, refrigerandum, & ventilandum. Deinde bilis non ita exacta, & impermixta redundat in corpore, vt ſanguinis miſſionem impediat.

Quid verò ſit reſpondendum ad Galenum, qui prorſus contrariam videtur proferre aſſertionem, ſunt qui hoc modo hanc litem diſſoluant; aſſerunt enim idcircò ſanguinem non emiſiſſe Galenum, quoniam tertiana exquiſita non eſt morbus magnus, ita ſoluit Trincauellius *lib.*1.*ad Glauc. de tertian. exquiſita.* Inepta ſolutio, quoniam quælibet putrida febris eſt morbus magnus, qua ratione in omni putrida febre ſanguinem eſſe emittendum docuit Galenus *lib.* 11.*meth.cap.* 15.

Donatus Antonius 3.*part. de feb.* 3.*in fin.*ex eo firmat Galenum non fuiſſe recordatum venæ ſectionis, quia tertiana exquiſita eſt ſine periculo, citò iudicatur, nî accedat error Medici, aut ægri, & ideo non errabit Medicus, inquit ipſe ſi in ea ſanguinem non emittat. Quæ opinio falſa eſt, & ſuperiori ratione improbatur, quoniam putrida febris periculo non caret.Hoc modo ipſe 8. *meth.* 4. in diaria, quæ bilioſa febri mitior eſt, ſanguinem vacuandum imperat, ne in aliam deteriorem ſpeciem febris tranſmutetur. Lege Alzarium à Cruce *centur.* 4. *quæſitor. per epiſtolam fol.* 357.

Alij

Alij ex eo non miſiſſe ſanguinem aſſeuerant, quia in tertiana exquiſita non reperitur plenitudo, quorum ſententia etſi probabilis ſit, defendi non poteſt: quia non emittere ſanguinem in ea, Galeni, Auicennæ, ſummorúmque Medicorum placitis maximè repugnat, maximè cum ob alias indicationes venæ ſectio ſit celebranda.

Euſtachius Rudius doctiſſimus *lib. 3. de feb. cap. 28.* exiſtimat prætermiſſam fuiſſe à Galeno venæ ſectionem, quia loquitur de exquiſitiſſima tertiana, in qua ætas, regio, temperamentum, anni tempus, victus ratio, & alia omnia ad calidum, & ſiccum vergunt, nam tunc vires non poſſunt eſſe valentes, iuxta Galeni mentem *10. meth. cap. 5.* quoniam ſi hæc omnia conſentiant, omnino à ſanguinis miſſione abſtinendum eſt, vt monuit Gal. *lib. 1. ad Glauc. c. 14.* Quæ ſententia vniuerſim prolata, Galeno, & Auicennæ aduerſatur, quoniam in exquiſitiſſima tertiana ſanguis etſi parcè mittendus ſit moderata tamen venæ ſectio iuuat, & nocere nequit.

Solue primò. Galenus venæ ſectionem omiſit, quia eam tanquam claram præſuppoſuit ex præcepto generali, & ea quæ patent, repetenda non ſunt, ex Galen. *lib. 2. de dif. reſpirat. c. 7.* Sed obſcura, ex ipſo, *lib. 10. meth. c. 5. §. Nam quæ maximè ſunt ad curationem neceſſaria, eadémque maximè ignorata, nec Hippocrates ipſe identidem repetere grauatur, &c.*

Solue ſecundò. Argumentum ab auctoritate negatiua nihil probat, quare licèt eo loco Galenus venæ ſectionis non recordetur, non ideò ſequitur ſanguinem in ea non eſſe emittendum, quum huius ſanguinis miſſionis exercendæ in qualibet febre putrida recordetur, *11. meth. cit.* Nec obſtat, quod hoc præſidium proponat *c. 10.* ſequenti de tertiana notha: Nam in hac venæ ſectio magis dubia eſt, quoniam in ea tantus feruor internus non adeſt, plurimáque pituitoſi, crudique humoris copia redundat, quæ hoc auxilium remoratur, ex Gal. *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. c. 10.*

Solue tertiò cum Iacchino *tract. de. febrib. c. 33.* de curatione tertianæ exquiſitæ, Galenum venæ ſectionem omiſiſſe, quia ibi non ſunt omnia remedia exarata, quoniam librum hunc dicauit viro illuſtri Glauconi & non tradidit in vulgus. Sœpè enim cogimur hac de cauſa plurima ex aliis eius operibus emendicare: occupatiſſimus enim vir in facienda Romæ medicina non potuit vſquam argumentum ſemel aſſumptum ad exitum perducere, & omnibus ſuis numeris abſoluere, quapropter neceſſe eſt minus elaborata, ex alio eiuſdem auctoris elaboratiore loco ſupplere, vt conueniat ſecum Galenus, & ſingularum rerum doctrina, quæ per diuerſos locos diſperſa mutila erat, in vnum locum congeſta, perfecta ſit, & abſoluta, vt *in præfatione in art. medic. Gal.* non inſcitè protulit Thomas à Veiga.

Solue quartò. Galenus vt *lib. ad Glaucon.* tantum verba facit de cauſa coniuncta tertianæ exquiſitæ, cuius ratione venæ ſectio facienda non, eſt, nam eam eſſe vacuandam monet per vomitum, alui fluxum, ſudorem. Ratione verò cauſæ antecedentis, venæ ſectionem celebrare conuenit, ſi cætera quæ retulimus conſentiant. Si verò in prima corporis regione cacochymia bilioſa reperiatur, in primis venis, iuxta vias, & canales communes, quod ex vomitu, & alui fluxu bilioſo, mordicatione ventriculi, & inteſtinorum, oris amaritudine coniicies, maximè ſi præceſſit corruptela nidoroſa ex vſu ciborum praui ſucci pronata: tunc enim medicamentum purgans ante ſanguinis miſſionem concedendum, & hoc tranſacta prima acceſſione, etſi plenitudo ſanguinis reperiatur, eſt exequendum, aliter ſi feceris, ægrum ad cholericornm ebullitionem deduces, quod ſummè timet Auic. 4. 1. *cap. 20.* attrahitur enim ad venas inanitas humor bilioſus à prima corporis regione, qui in ſanguine parit ebullitionem, & hac ratione ſæpe ex ſimplici tertiana fit duplex, vel continua. Quod ita eſſe præterquam quod ratio dictat, experimento fidiſſimo cognoui, maximè ſi adſit æſtiuum tempus, in quo hic humor abundat, & inſoleſcit. Et hæc ſolutio eſt potior quàm interpretum ibi, quæ etiam ſummoperè placuit excellentiſſimo Doctori Rumſio, ſereniſſimi Principis Auraici archiatro, viro omnium diſciplinarum cognitione prædito, & ob acutiſſimum ingenium, feliciſſimam curandi methodum, Medicorum totius Belgij decori, & ornamento; qui in quadam tranſmiſſa epiſtola, eandem explanationem ſatis confirmat.

Num autem ſecundùm Auic. mentem in tertiana exquiſita ante tres acceſſiones, an poſt eas venæ ſectio ſit celebranda, non conueniunt auctores, qui in varias diſperſi ſunt claſſes, quidam Auicennam, 1. 4. *tract. 2. cap. 39.* interpretantur ſic dicentem, *& quando eſt poſſibile, vt non phlebotomes vſque ad tres periodos, fac,* putántque ante tres periodos venam non eſſe ſecandam. Hanc opinionem tuentur Euſtachius Rudius *loc. cit.* Gordonius *part. 1. de feb. cap. 4.* Valleſcus Tarantanus *cap. da tertiana exquiſita.* Auguſtin. Vaſquius *in ſuis quæſtionib. tit. de febre tertiana* Ioan. Brauus *lib. 2. de curand. rat. cap. 2.* expectant enim vt cum ſanguine bilis permiſceatur, & in prioribus acceſſionibus per vomitum vacuetur: ſi enim initio vena ſecetur, timor eſt ne cacochymia bilioſa ex prima regione ad venas attrahatur, & ſic ex ſimplici tertiana duplex efficiatur. Hoc modo Nicolaus *ſerm. 2. tract. 2. ſum. 4. diſt. 31. cap. 6.* vt damna anteuerteret ex venæ ſectione in principio celebrata, legit hoc modo Auic. contextum, dicens, quod vbi habet litera, vt phlebotomes vſque ad tres periodos, debet legi, vt euacues materiam peccantem minoratiuè vel lenitiuè, quaſi velit quod in principio debemus ventrem lenire, humorem minorando ſuperabundantem, & non phlebotomare.

Contrariam lectionem vt veriorem amplector, & probo, *& quando poſſibile eſt, vt phlebotomes, vſque ad tres periodos, fac;* eam defendunt Gentilis, & Iacobus de partib. *in com. Auic.* quem variè interpretantur Harculanus, 1. 4. *tract. 2. c. 3. & 39.* Trincauel. *lib. 1. ad Glauc. c. 9.* Mercatus, & Donatus *loc. cit.* Piſo *tract. de feb. c. 8.* Dionyſius Fontanonus *lib. 4. c. 5.* Petrus Mercatus *tract. 7. de feb. c. 61.* Guainerius *tract. 2. de febrib. c. 1.* Coſtæus *in com. Auic.* Amatus *cent. 1. curat. 91.* Rondeletius, & Pereda *prop. c.* Chriſtoph. Baſilius *tract. de feb. tit. de tertiana interpolata.* Anton. de Gradis *tract. de feb. c. 9.*

Patet hæc ſententia manifeſtè. Quando in aliquibus morbis ſanguis mittendus eſt ad exonerandam naturam, & imminuendam cauſam morbificam, illud debet fieri in principio, ex Hip. *2. aph. 29.* quando copia eſt maior, & vires magis robuſtæ, ſed poſt tres acceſſiones in tertiana exquiſita conſtituitur ſtatus, ex Gal. *lib. criſ. cap. 3.* quo tempore neque ſanguis mittendus, neque purgatio adminiſtranda. *2. aph. cit.* ergo in tertiana exquiſita in principio ante tres acceſſiones ſanguis eſt mittendus. Scitum enim eſt apud eos qui Galeni monumenta perluſtrant, primam tertianæ acceſſionem eſſe leuem, ſecundam, maiorem, tertiam, maiorem, quartam, maximam, & hoc fortè inſinuant Hip. 4. *aph. 59.* docens tertianam exquiſitam ſeptem circuitibus terminari. Quinta acceſſio eſt mitior. Sexta remiſſior. Septima, vel omnino deficit, vel eſt leuiſſima. Quapropter cùm in quarta acceſſione conſtituatur ſtatus, in quo ea non eſt vtilis, ipſa debet fieri potiùs in principio, quàm in augmento, vel ſtatu.

Nec refert ſi aſſeras hoc non eſſe intelligendum in febribus intermittentibus, ſed in continuis: cùm enim in illis in die intermiſſionis hoc auxilium celebretur, ex eo vis non infertur naturæ, neque ruina vlla imminere poteſt: Nam præterquam quod ſiue vena ſecetur ante tres periodos, ſiue poſt illas, ſemper ſecatur in die intermiſſionis, & hac ratione æqualis eſt ratio vtriuſque. Adde quod venæ ſectio in principio fit ad deonerandam naturam, minuendámque cauſam antecedentem, vt melius ipſam in ſtatu poſſit deuincere: at verò quando repetitur quarta acceſſio, iam eſt ſtatus vniuerſalis tertianæ, & materia eſt quaſi deuicta, & tunc ſi ſecetur vena, deiicit vires, & citra morbi leuamen naturam à coctione diſturbat. Cætera verò de phlebotomiæ factæ in bilioſis febribus vtilitate, & quando ex ea cholericorum ebullitio ſit timenda, latè pro Auicennæ tutela retulimus *lib. 1. in com. hiſtor. 63.* Conſule Gulielmum Ballonium *lib. 1. conſil. 43.* & eruditiſſimum Andream Antonium, olim excel-

lentiſſimi Ducis Brigantini primarium Medicum, nunc eiuſdem Sereniſſimi Luſitanorum Regis electi, Ioannis huius nominis IV. Archiatrum, qui *lib.3. de febrib. cap. de teriana exquiſita,* de hoc argumento appoſitè conſcripſit.

HIST. XXVI. TRALLIANI, De tertiana exquiſita.

Exemplum illuſtre ſenis exquiſita tertiana laborantis, frigido, & humido victu contra aliorum opinionem perſanati.

EGo ſanè oculis meis hæc in ſene quodam conſpexi, qui flauam bilem euomeret, & vehementer febricitaret. At acceſſio valido rigore eum inuadebat, ac declinatio multis ſudoribus accedebat. Detinebatur autem acceſſione horis ferè decem, aut duodecim. Huius alij ſanè familiares, eo quod ſenex eſſet, decoctum ei bibere præcipiebant, ac omnia illi facere quæ falſis tertianis, vt aiunt, idonea exiſtunt, feréque interiiſſet æger decoctis ex hyſſopo, origano, & pulegio aſſumptis, niſi quis ſedulò ipſum ex periculo ſubtraxiſſet, iubens eum, etiam pepones, & lactucas, & ptiſſanam, quæ nihil curioſum habent, operoſúmque, ac omnem alium victum qui humectaret, & refrigeraret, vt in tertiana exquiſita, non deceptus ætate, quod ſenex eſſet, tum potiùs toto temperamento, &c. Trallianus lib.12.cap.6.

PARAPRHASIS.

MEmorabilis eſt hiſtoria hæc, & omnibus veram curandi methodum affectantibus vtiliſſima, Quippe quæ docet in omnibus ætatibus, & temperamentis diuerſos, & maximè contrarios morbos poſſe renaſci. Licèt enim ſenibus febres non ita acutæ fiant ob innati caloris inopiam, 1.*aph.* 14. & calor extraneus ramificetur ad proportionem caloris innati, vt bellè dictauit Auerrhoës *lib.* 7. *collig.* 2. tamen illis ob errorem victus, & potentiæ deblitatem aduenire febres acutas, & ex bilioſo plerumque humore pr●natas non eſt dubitandum: quoniam ſicuti ob peccata quæ in victu committuntur, morbi fiunt, vt dicebat Hip. 3.*aph.*19 omnes quidem in omnibus temporibus, plures verò in ſingulis naturæ temporis accommodati, ſic in omni ætate ob eandem cauſam omnes morbi eueniunt. Adde quod etſi nulli in ætate ſenili conſtituto virium robur ineſſe poſſit. ex Gal. *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap.* 9. Sunt tamen aliqui, ait ipſe *cit. loco*, vel ſeptuagenarii, qui in hac ætate multo abundant ſanguine, vires habent robuſtas, iecur calidum, & bilioſi humoris ferax.

Hunc ergo ſenem tertiana exquiſita laboraſſe, ipſe firmabit, qui ſigna attentè perpenderit, quibus fuerit oppreſſus: quoniam vehemens febris, bilis per ſuperiorem, & inferiorem ventrem excretio, validus rigor, ſudor multus in declinatione adueniens, tempus breue durationis acceſſionis, hoc ita eſſe teſtantur explicita à Galen. 1. *ad Glauc.* 5: *&* 2. *feb*, 3. *&.* 2. *criſ.* 3. quæ omnia à bilioſo humore, ab hepate, & locis in quibus bilis ſtabulatur, expulſo, eueniſſe liquet apertè, & Auic. 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 36. doctè inculcat.

Verùm obſtat Galenus, 4. *aph.* 59. *&* 2. *feb.* 3. dicentis ad generationem tertianæ exquiſitæ neceſſarium eſſe concurſum omnium cauſarum bilem efficientium, nempe tempus æſtiuum, locum tempori ſimilem, hominis ætatem, temperaturam eandem, & in ſenili ætate plura deficiant, maximè cùm in hac difficilis ſit conuerſio natiua caliditatis in igneam naturam, non tamen impoſſibilis, quare in hac generari poſſe exquiſitam tertianam, in aliis verò naturis, in quibus nulla cauſa deficit, exquiſitiſſimam generari, non ibo inficias: Nam in exquiſita etſi vi cauſæ contrariæ poſſit generari alterius humoris portio, quam tamen hæc ſit exigua, & naturam febris non præuertat, non ob id notha, aut ſpuria tertiana cenſeri debet: aliàs nunquam fieret in ſenibus, nec alia regione, & alio tempore anni quàm in calidis ſiccis, contra experimentum, & Hip. 3. *aph.* 19. aſſerentem morbos omnes in omnibus temporibus fieri. Quapropter rectè Trallian. tertianã exquiſitam eſſe ex tactu, breuitate acceſſionis, & ab excretis iudicauit. Neque ob id accuſandus Gal. *cit, loc. &* 2. *criſ.* 3. quia ibi non proponit concurſum ſignorum, quæ ad productionem tertianæ exquiſitæ requiruntur, ſed ſolùm ea ſigna enumerat, quæ vt plurimùm concurrunt, & cum quibus ſi fiat aliqua tertiana, eam exquiſitam eſſe iudicare poſſimus.

Illud ratum ſit, febrem acutam, aut aliam quampiam ex bilioſo humore concitatam periculoſiùs ſenibus accidere, quàm iuuenibus, aut pueris; nam quæ in ſenili ætate accidit, funeſta eſt & periculo plena, indicium enim præbet vehementem eſſe magnitudinem cauſæ febrem facientis, quare apud. Auic. 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 41. omnino eſt lethalis, nam cauſæ immanitatem denunciat, quæ frigidum corpus in flammam abripit, & eorum effœtas vires puſillúmque innatum calorem illicò reſoluit, vt notanter aduertit Heurnius *lib.* 1. *aph.* 18. *num.* 8.

Sed mirum cenſeri debet cur in tanta biloſi humoris copia, & apparatu morboſo, nec ſanguinem emiſerit, aut medicamentum purgans exhibuerit vtrumque enim videbatur exequendum, quum vehemens calor intus vrgeret, cuius attemperandi gratia venæ ſectio ſummo eſt ex vſu, & in ſenibus ſæpiſſimè celebranda, auctore Galeno *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. c.* 3. Celſo *lib.* 2. *cap.* 10 explicat proprio exemplo Valleriola, 6. *obſ.* 7 *& vlt.* Purgatio autem valdè vtilis eſt, quoniam citra virium diſpendium. peccantem humorem educit. Dic; In ſenibus morbo acuto oppreſſis ſumma cum præmeditatione ſanguinis miſſio exercenda; id explicuit Auic. 4. 1. *cap.* 20. §. *Et caue in ætate ſenum quantò magis poteris, &c.* quantò magis ſi occupentur tertiana, quæ ſuapte natura ſalutifera eſt, mitiſſima, & neminem iugulat, ex Galeno, 1. *ad. Glauc. cap.* 8 *&* 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 8. *&* 4. *aph.* 43. Deinde non aderant vires, quæ ex copioſo ſudore, continuo bilis vomitu, valido rigore, febri intenſa erant deiectæ nimis, ob quam cauſam purgationem non conſulit: quoniam ſenile corpus purgatione exoluitur, & ampliùs ſi decrepitum ſit, in qua ætate ſolidorum humiditas conſumitur, ex Galen. 3. *de ſanit.* 2. *&* 5. *eiuſd. cap.* 12. *&* 6. *eiuſd. cap.* 4. *&* 1. *aph.* 13. *&* 3. *aph.* 30. *& lib. de maraſmo cap.* 3. *&* 5. *de generat. animal. cap.* 3. *&* 4. Quo pacto in hac ætate iuuat humorem bilioſum per vrinam, & ſudorem excernere, ſeu, vt alij legunt apud Gal. *loc. cit.* per inferiores partes expurgare, & mollibus clyſteribus exinanire.

Etenim cum bilis flauæ humor inter omnes qui in noſtro corpore ſunt humores, calidiſſimus ſit, & ſicciſſimus, vt *cit. ad Glauc.* monuit Galen. idcircò offerenda quæ refrigerent, & humectent. In hunc vſum ptiſana eſt præſtantiſſima: Nam hæc præter has dotes, ſi quid excerni oportet, facilè abluit, abſtergit, & clementer bilioſum humorem per deiectionem propellit, vt 1. *acut.* 18. Galenus inculcat. Quapropter cùm morbus eſſet mitis, breuis, & in quo ob acceſſionum breuitatem, & raritatem magis leuantur vires, ſumpta indicatione ab intemperie, quæ calida eſt, & ſicca, omnem poſuit in refrigeratione, & humectatione induſtriam, ob ætatem, non curans alteram quæ à materia deſumitur, indicationem: cùm enim hæc febris qualitate ampliùs peccaret, in extinctione caloris extranei totam eſſe reponendam curationem ſibi perſuaſit, & relictis illis quæ calefacere poſſunt.

Ergo frigidus & humidus victus bilioſis febribus eſt vtiliſſimus, ex Paulo, *lib.* 2. *cap.* 2. Auic. *loc. cit. & cap.* 42. *de febri ardenti.*

* * *

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXVII.

Vtrùm ſeni, & iuueni æqualiter febrientibus, ſeni minus frigida remedia offerenda, vt voluit Auerrhoës.

COMMENTARIVM.

QVod ſenex eſſet.] Quoniam hîc de ſenum febrientium victu, & auxiliis à nobis facta eſt mentio, ſubnotabimus protinus nonnulla ex ſupellectile medica, quæ qui curioſius inſpexerit, nos non de ludicris, ſed ſeriis agere affirmabit. Nam maximam inuoluit difficultatem, quod adeo frigidum victum huic ſeni Trallianus concesſerit, vt lactucas & pepones, ſeu angurias, quæ ſunt frigidæ, & humidæ in gradu ſecundo. Licèt enim vniuerſa peponum natura frigidior ſit cum humiditate copioſa, ex Gal. *lib.* 2. *de alim.c.*4. & hac ratione bilioſi humoris ſiccitatem contemperet, & eius furibundos motus retardet, & interna illius pars febricitantium ſitim leuet, ex Auic. 1.4. *tract.* 2. *cap.*42. & eius ſuccus bilioſis febribus, & æſtiuis vtilis ſit, ex Auerrhoë, *lib.*7. *collig. cap.*12. tamen hic fructus ſenes nimium refrigerat, & flaccidas eorum vires, puſillúmque calorem innatum extinguit.

Auget dubitationem communis medentium vſus, ratione firmatus, qui in ſene æqualiter febricitante cum iuuene, non æqualia infrigidantia propinant: Nam etſi æqualia morbo ſint applicanda contraria, tamen ob virtutis debilitatem ſunt adhibenda remiſſiora. Si enim iuueni æqualiter febricitanti medicamenta frigida propines vltra ſuum naturale temperamentum, ei non nocent, immò tum ob ætatem, tùm ob febrim prodeſſe ſolent, quum eorum vis fortis exiſtat, & idcircò ad gradum corrumpendi naturam non perueniunt, immò ipſam ad mediocritatem perducunt, quod ſenibus ob radicalium frigiditatem euenire non poteſt. Ob hanc cauſam gelidam iuuenibus dare expedit, ſenibus verò nequaquam, 9. *meth.*5. & 11. *einſd.*9. & 10. quoniam in auxiliorum applicatione, ſiue alterantia ſint, ſiue vacuantia, non ſolùm morbi magnitudinem attendere oportet qui præſidium expoſtulat, verùm virtutem reſpicere eſt neceſſe, quæ ipſum debet tolerare. Si ergo vires ob debilitatem tantum auxilium non ferunt, quantum morbus efflagitat, minus hac de cauſa applicandum, quàm morbi cauſa deſiderat, quare ſeni febricitanti exhibebis, quæ præterquam quod morbo auxilientur, vires etiam infirmas lædere nequeant, etſi cum iuuene æqualiter febricitet, illi vt debiliori frigida, & humida auxilia, remiſſiora ſunt concedenda. Si enim Auic. 1.4. *tract.*2. *cap.*39. in tertiana timet refrigerationem vltimam, quantò magis in ſene, quia frigidus eſt natura ſuapte?

Hæc facilè admitteret Auerrhoës, qui *lib.*7. *colliget.c.*2. exiſtimat, bilioſo, & pituitoſo, ſene, & iuuene æqualiter febrientibus, frigidiora remedia requirere iuuenem, & bilioſum, quàm ſenem, & pituitoſum, quoniam vbi maior eſt reſiſtentia ad cauſas refrigerantes, magis refrigerandum eſt, ſed in iuuene maior eſt reſiſtentia ob abundantiam ſanguinis, & ſpiritus, igitur iuuenis, & bilioſus, maiori refrigerio egent. Et hæc eſt cauſa, inquit, ob quam in iuuene vtimur aqua cucumeris, & camphoræ, potu aquæ frigidæ ad ſatietatem vſque, & balneo aquæ frigidæ, & non in ſene.

Nec deſunt illi argumenta, quibus intentum ſuum facilè collegiſſe putat. Primum. Senex non poteſt febricitare, ſicut iuuenis, quia calor febrilis ramificatur à naturali, & pro modo caloris naturalis ſolet intendi, & ad gradum extraneum eleuari, igitur cùm calor in ſene minor ſit, ſemper febris erit minor, & minori egebit refrigeratione. Hoc ſatis firmauit Hipp. *lib.* 1. *aph.*14. dicens *Senes non ſimiliter incidere in febres acutas.*

Secundum. Iuuenis eget refrigeratione pro curanda febre, & pro corrigenda intemperantia ætatis: Nam hæc cum intemperata eſt, qualis eſt iuuenilis, ad ſimilia malè ſe habet, ad contraria benè, ex 3. *aph.*2. 18. Senex verò A ſolùm eget refrigeratione pro curanda febre; quia pro corrigenda intemperantia ætatis, calefacientibus, & humectantibus eget. ex Galen. 5. *de ſanit. cap.*2. *in princ.* Auic. 3. *doct.* 3. *cap.* 1. Igitur in iuuene magis refrigerandum eſt.

Tertium. Senis membra radicalia frigida ſunt: igitur cum febrit, non requirit remedia vehementer frigida; quoniam hæc ſenis temperamentum euertunt à moderato plurimum recedens per frigiditatem.

Quartum Corpora frigida quando calido morbo laborant, naturalem habent propenſionem, & principium quò ſe reducant ad priſtinam naturam, igitur vt redeant non tanta egent refrigeratione, ſicuti corpora calida quæ hoc principio carent.

Verùm etſi Auerrohoës excuſandus ſit, quoniam ſenes B natiuo temperamento frigidi ſunt, exangues, debiles, & frigiditatem nimiam remediorum ferre non poſſunt, & ſic pro vnica applicatione vehementiùs frigida ſolùm conueniunt iuueni: Nam ſi aliter feceris, timor eſt, ne ob virtutis imbecillitatem, & caloris inopiam, eorum vires poſſint diſſolui; tamen corpora frigida, & ſenilia maiori egent ſenſim, & paulatim facta refrigeratione, quia in eis maior eſt lapſus.

Probatur ex Gal. 3. *met.* 3. *ante medium* quum inquit. *Si qua vlcera ſunt quibus par eſt humiditas, ea maiori egent exiccatione* quæ ſunt in ſicciore parte, quia egent exſiccatione pro curatione vlceris, & pro conſeruatione naturæ partis, quæ vſu ſimilium ſolùm perficitur, quam ſententiam defendit Auic. 4.1. *cap.* 1. §. *Ergo menſura quantitatis, &c.*

C Galenus hoc negotium adamuſſim explicuit, dum 8. *meth.* 9. ab iis quæ naturaliter inſunt, cuiuſmodi ſunt proprium temperamentum, & ætas, indicationem non ad contraria, ſed ad ſimilia ſumendam eſſe pronunciat, quod non ita intelligendum eſt, quaſi ſignificet à proprio temperamento ita ſumi indicationem ad ſimilia, vt ſi bilioſus febriat, remedia calida expoſcat, ſed ſolùm ſignificat, v.g. homini calido ſi febriat, remedia tantò minus frigida conuenire, quantò ipſe eſt calidior moderato, indicatione ſcilicet ſumpta ab illius intemperie ſana calida, quæ ſui conſeruationem requirit.

Hæ intemperies, aut quæuis alia tempore morbi, expellenda non eſt, ſed conſeruanda, vt conſtat ex Galen. 8. *meth. cit.* & *lib.* 11. *einſd.cap* 3. & 5. *de ſanit.tuend.cap.* 11. & *in art.med.*86. Licèt enim magna, & contentionis pleniſſima ſit quæſtio, quo modo naturæ intemperatæ ſint D gubernandæ, an ſimilibus, vel contrariis ſint conſeruandæ, vt notat Thom. à Veiga *in com. cap.* 86. *art. medic Galeni*, de hoc argumento fusè contra morem ſuum diſceptans, & varias auctorum opiniones referant Conciliator *diſ.* 116. Cardanus *lib.*1. *contrad. tract.* 6. *cap.*3. Valleriola, 4. *enarrat.* 4. Valleſius 6. *cont.*2. Chriſtoph. à Vega. *lib.*2. *de arte medendi, ſect.*1. tamen omnes conueniunt in hoc, quod quando homines ægrotant, aut ſibi diſplicent, & ſunt in neutra diſpoſitione, vel iter agunt, aliiſque negotiis, & vitæ occupationibus ſunt impediti, non licet naturas intemperatas mutare, aut ad meliorem naturam reducere.

Huius autem poſitionis ea ratio reddi poteſt, quia temperamentum ſanum, ſiue prauum ſit, ſiue bonum, præſentem morbum expellere conatur, vt conſtat ex 6. *epid. ſect.* 5. *text* 1. quare illud tempore morbi qualecumque E fuerit, erit conſeruandum. Deinde præſente morbo nihil aliud intendimus, quàm priſtinam ſanitatem recuperare, quod fit conſeruando intemperiem ſanam proximè antecedentem morbum, in hac enim licèt mala ſit, illius indiuidui conſiſtebat ſanitas. Nec rationi conueniens eſt, quo tempore natura à morbo labefactatur, tunc conari in meliorem ſtatum reducere, ſi enim id intendas, vires amplus deiicies. Tempus igitur conuenientiſſimum ad intemperiem ſanam vitioſam corrigendam eſt, quando corpus à morbis, negotiiſque eſt immune, quod ſolùm ſignificauit Galenus *locis citatis.* Nec credendum eſt omnino velle per morbos, & vitæ occupationem nunquam licere intemperiem ſanam modicè contrariis aliqua ex parte in meliorem reducere, quare immerito

ritò refellitur ab Argenterio *lib.1.de officiis Medici,c.5.ad fin.* Ex iis concludе, ſenem,& pituitoſum, iuuenem, & bilioſum æqualiter febrientes, frigidiora remedia requirere ſenem, & pituitoſum, quum in his proprium temperamentum ſit conſeruandum,& maior intemperies morboſa corrumpenda,quàm in iuuene, & bilioſo.

Tu verò ſuperiora argumenta hoc modo diſſolue. Dic ad primum,negandum eſſe maiorem: Nam etſi verum ſit, quòd ex qualicumque cauſa calefaciente magis accendatur caliditas in iuuene, quàm in ſene,tamen quantò vehementior eſt cauſa calefaciens in ſene,quàm in iuuene, ita ex æquo, & multò magis ſolet accendi caliditas febrilis in ſene quàm in iuuene,vt docuit Galenus *lib.1.aph.14.ad fin.*

Ad ſecundum dic: in morborum curatione naturam intemperatam non eſſe corrigendam, ſed ſeruandam: Nam hæc qualiſcunque ſit, eſt curationis principium, & ad ipſam æger reducendus eſt, vt 8.*meth.vlt.* monuit Galenus. Neque vſu ſimilium ſemper eſt conſeruanda, niſi conſentiente conſuetudine, vt eodem loco Galenus edocuit.

Ad tertium dic. remedia frigidiora quæ ſeni febrienti adhibentur, ſolùm ſufficiunt refrigerare calorem febrilem illius, intemperiem autem frigidam ſanam non immutant, ſed expellendo febrem, illam in priſtino ſtatu conſeruant.

Ad quartum dic: tam in corporibus frigidis,quàm calidis, ſiue morbo ſimili, ſiue diſſimili laborent, reperiri principium, & naturalem propenſionem, vt redant ad priſtinum ſtatum, & ideò argumentum non concludit.Et hæc eſt potior & breuior huius dubij explicatio, quàm Gentilis *in extrauagantibus quæſt.21.* Conciliatoris *dif.173.* Cardani *lib.1.contrad.tract.5.contradict.28.* qui eam multis verborum ambagibus obſcurarunt.

QVÆSTIO XXVIII.

Vtrùm tertiana exquiſita ſit morbus ſalubris, & acutus, vt vetur Altimarus.

Arabum Princeps Auicenna in commentatione de febribus, gradum parans ad diluendam Hip. ſententiam,1.4.*tract.2.c.4.* de tertiana exquiſita ſic præfatur.*Tertiana pura eſt ſalutifera,propterea quod cholera eſt leuis ſuper naturam, & quoniam ipſa facit quietem.* Hippocrates ſic prædixit, 1.*epid.ſect.3.text.8.Tertiana exquiſita citò iudicatur,nec eſt lethalis.* Galenus illorum ſententiam approbat *lib.4.aph.43.* dum ſic inquit. *Solæ enim illæ quæ in quietem febre vacantem deſinunt periculo carent,etiam vehementiſſimam,& valdè longam habuerint acceſſionē. Si enim adeò breuis fuerit,vt in tertianis exquiſitis, minori duodenis horis tempore circumſcripta,non modò ſine periculo talis eſt febris, ſed etiam citò iudicatur,*& 1.*ad Glaucon.c.8.* ex intermittentibus tertianam eſſe breuiſſimam, & mitiſſimam aſſeuerat: tempore enim intermiſſionis reficitur natura, & cauſa eius eſt bilis,tenuis,calida,quæ ſponte ſua inſenſibiliter reſoluitur.

At hoc axioma ſemper mihi ambiguum viſum eſt.Nam ſi tertiana exquiſita oritur à ſyncera bile,cur erit leuiſſima ſi ex Hip. 2.*prog.*38. ſyncerus vomitus, peſſimus eſt, permixtus,autem,leuis,in cuius *com.*Galenus,bilioſum humorem ſyncerum dicit reprobari,quia multam caliditatem: pituitoſum verò, quia multam frigiditatem ſignificat, ex frigiditate autem remanet veluti concretus, bilioſus verò ob exuperantiam caloris torrefit,& 2.*prog.45.* ſic ait *Antea enim iam dictum eſt ſalubrius eſſe permiſceri materias quodammodo inter ſe quæ euacuantur*,& *com. 47.* inquit, *præter ſanguinem quiuis alius humor ſi ſyncerus fuerit,prauam indicat affectionem*,& *lib.1.prorrhet.text.28.* vomitiones ſynceras,& implacidas,malas vocat,in cuius *com.*Gal. non ſolùm vomitiones ſynceras, & implacidas, malas eſſe docet; ſed deiectiones,ſputa,vrinas, & quiduis aliud ſyncerum,reprobum eſſe aſſeuerat.

Inſuper confirmari poteſt hæc ſententia ex Tralliano, qui *l.12.cap.6.* ex tertiana exquiſita in grauiores morbos fieri tranſmutationem aſſeuerat,& Galenus *l.1.ad Glaucon. cap.9.* ex ea ſubortam fuiſſe maciem enarrat.Hoc ita eſſe confirmauit Mercatus *lib.6.de febribus*, qui tertianæ perniciosæ varias eleganti ſtilo deſcribens ſpecies,eas eſſe lethales edocuit. Deinde non omnes intermittentes periculo vacant,nam ex Rhaſio 10.*ad Alm.*22. quotidiana non eſt ſine periculo,& tertiana notha,eſt periculoſa, & quartana ſæpè perducit ad hydropem,ex Gal. 1.*epid ſect.3.com.*4.& Auic.1.4.*tract.2.c.62.*

Licèt autem non leuem nobis dubitandi anſam præbeant adductæ rationes, tamen dicendum, eſt tertianam exquiſitam, quantum ex ſe eſt, & rectè tractatam à Medico, & ab ipſo ægro, eſſe breuem, facilis curationis, & ſalutiferam ob rationes dictas. Vt verò irretientes veritatis obices commodè explodas, aduerte duobus modis humores appellari poſſe ſynceros. Primo, quando alterius humoris ſenſibilem permixtionem non habent, quo pacto humor bilioſus dicitur ſyncerus, quia miſcellam alterius humoris non habet, cum quo in ſua naturali diſpoſitione non eſt permixtus. Altero modo dicuntur humores ſynceri. quoniam in ſuo naturali ſeroſam humiditatem permixtam non habent Hoc modo humor bilioſus dicitur ſyncerus; quia in eo ob exceſſum caloris aquoſa humiditas eſt abſumpta, quæ ipſum diluens, mitiorem reddebat, ita bilem ſynceram appellauit Galenus, 7.*aph.6.& 23.& lib. 1. ſect. 1. com. 25.* quo loco ſynceras deiectiones vocat, quæ ſunt aquoſæ humiditati impermixtæ: Nam quando eſt permixta, colore quidem pallida apparet, conſiſtentia autem tenuis, & humida. Si verò ſeroſa humiditate priuatur, fit ſyncera, colore quidem flaua, vel vitellina, & ſubſtantia craſſa, & exuſta.

Hoc ergo ſuppoſito, dic tertianam exquiſitam fieri quidem à bile ſyncera, cui non eſt permixtus alius humor generis alterius, quæ tamen aquoſam humiditatem habet permixtam, ratione cuius, etiam non ſyncera dicitur.Bilis ergo,ex qua tertiana exquiſita oritur, ſyncera eſt, id eſt impermixta: non eſt tamen ſyncera,id eſt ſuæ aquoſæ humiditati impermixta. Sola autem bilis ſyncera,ſynceráque excretio,quæ ſeroſa humiditate priuatur, ab Hip. reprobatur,reſpectu illius quæ propria humiditate ſeroſa non caret, ita explicat doctiſſimus Vgo inter alios 1.4. *tract.2.c.4.*

Deinde, tertiana exquiſita in graues morbos tranſmutatur ſæpè, ſi non, vt decet à Medico, vel ab ægro tractetur. Ita æger quidam inſanus hac febri correptus; balneis naturalibus vſus, extenuato corpore ad tantam peruenit perniciem, calefacto balneorum vi iecore, & rorida abſumpta humiditate,vt tabe conſumptus interierit, vt hiſtoria quadam firmauit Galenus *lib.1.ad Glaucon.cap.9.* quam nos infrà in hiſtoria 41.exponemus. Tertiana ergo exquiſita non eſt de genere earum, quas deſcribit Mercatus: Nam hæ ſunt nothæ, quæ, vt ille refert, perniciosæ eſſe poſſunt, vel ex defluxu humoris tempore acceſſionis ad aliquod membrum princeps, vel ex praua humoris natura, vel ob aliquod accidens quod ſuperuenit,vel humoris malignitatem, qui delitеſcens in corpore, tempore iudicij, vel purgationis commotus, & exagitatus, & ad aliam partem principem delatus ſubitò interficit. Tertiana ergo ratione ſui ſalubris eſt, quia bilis ſuapte natura reſolutioni eſt paratiſſima, & in pauca quantitate exuperans naturam non ita excitat ad expulſionem. Cæteræ intermittentes periculo vacant apud Hip. collatione facta ad cæteras febres, in quibus maius periculum adeſt.

Maioris verò negocij eſt exquirere, vtrùm tertiana exquiſita, ſit acutus morbus, quoniam patrocinatur auctoritas Altimari *proprio tractatu de hoc argumento*,ex profeſſo diſceptantis,in quo tertianam exquiſitam in genere acutorum morborum eſſe reponendam ſibi perſuaſit, quod placitum multis probare contendit. Primò, ex Auic.1.4. *tract. 2.cap.4.de tract.1.c.4. §. Spaſmus ſiccus, epilepſia, apoplexia,& ſchiatica erat ex acutis valdè:tertiana verò & cauſon ſunt de acutis non valde.* Deinde Hip. 3.*prog.*32. illam dicit ſolui vomitibus bilioſis, & in hoc opere Hip. ſolùm

ſolum agit de morbis acutis : Nam *lib.1. ſent.5.* inquit, *conſiderare oportet per morbos acutos, &c.*& *lib.3.ſent.36.* inquit, *hac autem intelligo de morbis acutis*.Inſuper Galen. *lib.3.aph.29.* reddens cauſam quare tertiana exquiſita, & febris ardens plurimum iuuenibus accidant, dicit quod hæ inter acutas febres ſunt bilioſiſſimæ. Sic enim inquit, *ſed ex acutis tertianas maximè, & febres ardentes,&c.*Idē confirmat *lib*.8.de *placit. c.7. ad princ.* aſſerens acutiſſimas ſcilicet, & vehementiſſimas febres à flaua bile oriri, & tertianam ex ardentium genere eſſe,& *lib.de tremor.cap.7.*

Secundò. Acutus morbus ille dicitur qui in quatuordecim diebus terminatur, ex Hipp. 2.*aph.23.* ſed tertiana exquiſita in quatuordecim diebus terminatur, ex Hipp.4. *aph.59.*Nam quod in continuis eſt vna dies, id in intermittentibus acceſſio eſt.

Tertiò. Morbus acutus ille dicitur, qui cum magnitudine ſymptomatum celeriter properat ad ſtatum, ex Galen.2.*aph.19.&* 23.ſed tertiana citò iudicatur, & in illa adſunt vehementia ſymptomata, vt validus rigor,ſitis inexhauſta,febris intenſa, cardialgia, vomitus,anxietudines, cephalalgia, & alia quæ grauiter moleſtare ſolent,ergo, &c.

Verùm oppoſita ſententia eſt probabilior. Primò,quoniam Galenus 1.*de dieb.decretor.12.* ybi exactiùs morbum acutum definiuit ex ſua, & Archigenis ſententia, acutum morbum eum appellat,qui cum velocitate periculoſus eſt: cùm autem tertiana exquiſita ſit ſalutifera,ex Auic.& Hip. *loc.ſuprà citatis*, non poterit morbus acutus cenſeri.

Prætereà acutus morbus ſi febrilis ſit, inquit Galen. 5.*aph.com.30.* neceſſe eſt vt habeat febres continuas, in quem ſenſum intelligendus eſt Galen.1.*aph.1.ad med.* dicens,*febres à morbis acutis eſſe inſeparabiles*, quia videlicet ſi morbus febrilis ſit,febris debet eſſe continua, quod etiam ſcripſit 1.*acut.8.* quum ergo tertiana febris continua non ſit, ideò nec acuta erit.

Deinde. Tertiana exquiſita nulla ratione eſt morbus magnus, ergo nulla ratione eſt morbus acutus : Nam ſi triplicem magnitudinis differentiam perquiras latam 4. *meth.6.*in nulla magnitudinem tertianæ exquiſitæ contineri perſpicies. Nec inſtes,eſſe morbum magnum ratione particularium acceſſionum, quia in ea magna reperiuntur ſymptomata, quia tunc non erit morbus magnus in eſſentia ſua.

Oppoſitas verò rationes hac ratione ſolue : Auicenna tertianam morbum acutum appellauit non purè, & exquiſitè, ſed impropriè, ſcilicet ſecundùm terminationem, quo pacto forte Hip.& Gal.acutam appellant, ita explanat Mercurialis *lib.5.de febrib.cap.9.* Dic ſecundò. Citati auctores de tertiana intermittente non loquuntur, ſed de continua. Ad id verò quod adducitur, ex 1.*aph.19. &* 23. dicendum eſt per magnum intelligi periculoſum, vt deducitur ex 2.*de dieb.decret.cit.* & hoc modo in acutis debet dari ea magnitudo, quæ periculum adiunctum habeat:quæ cum in exquiſita tertiana non detur,inter acutos morbos non eſt reponenda.

HIST. XXVII. GALENI, De tertiana notha.

Febris tertianæ memorabile exemplum.

*ERat anni tempus medium inter occaſum Pleiadum, & æquinoctium antecedens. Inceperat autem febris cum horrore adoleſcenti circa auroram ferè, vt neque in caliditate ſimilis tertianæ videretur, neque in pulſibus, ſed neque vomitus bilis ſubſequutus eſt, neque ſudor ſufficiens, præterquam quod in die ſecundo tantummodò circa horam tertiam quidam pauci humidi vapores exierunt, ex quibus febris quidem tranſpirabat, vt vix circa veſperam expers febris videretur : Nam febris ſignum ſatis manifeſtum in pulſibus manſerat : in reliquis verò circa veſperam ſatis benè ſe habebat,& per totam pariter noctem. Rurſus verò circa tertiæ diei auroram ſecunda acceſſio facta eſt omnino, præterquam in tempore, ſimilis primæ : Nam nocte ſuperueniente paululum ante diem vapores humidi exhalarunt, ac circa quartæ diei auroram febris ceſſauit, ac reliquo deinceps autũni tempore,atque hyemis,quo ægrotauit, alia omnia, & hora acceſſionis,& ſolutionis febris eundem modum ſeruauerunt. Agebat autem adoleſcens circuter decimum octauum ætatis annum, albus aſpectu,& pinguis, qui ſæpè antè in ocio degerat, & crapulis, balneiſque plurimis, & repletionibus vſus erat,quare neque benè cibos concoquebat. Simul autem aduenit ei durus pulſus, in prima quidem die atque ſecunda mediocriter,in tertia autem,& quarta, atque ſequentibus vſque ad ſeptimam ad tantam peruenit duritiem,vt quiſpiam,qui ſoli credere pulſui * multorum ferè menſium ægritudinem iudicaret. Talis autem perdurauit vſque ad tertium æquinoctium,in quo cœpit molleſcere, & rurſus poſtea quadrageſimo die omninò æger à tertiana eſt liberatus; tendente paulatim ad mollitiem pulſu, ac minori quotidie fiente acceſſione, vriniſque bonam habentibus ſubſidentiam. Etenim hæ quoque in priore tempore erant admodum crudæ. Talis quidem eſt tertiana, quæ alteri exquiſitæ maximè contraria exiſtit, &c. Galenus* lib.1.ad Glaucon. cap.8.

PARAPRHASIS.

GAlenus docturus modum quo exquiſitam tertianam à notha poſſimus diſtinguere, huius ſigna exactè deſcribit poſito exemplo in adoleſcente hoc, in quo etſi ex æſtate præcedente eſſet in corpore bilis relicta, eiúſque ætas bilioſis febribus obnoxia,ex Hipp.*aph.29.*& Gal. *in com.* §.*Sed ex tertianis maximè, & febres ardentes:hæ enim præ cæteris febribus ſunt bilioſiſſimæ,& multis iuuenibus accidunt,quoniam & bilis flaua hac ipſa ſuperabundat ætate, &c.* tamen reliquæ cauſæ ad generandam pituitam erant efficaciores.

Hoc ita eſſe inuenies, ſi temperamentum eius, & anteactam vitam ad vnguem rimeris, quoniam albo erat præditus colore, quod ſignum frigiditatis eſt indicium, ex Galen. 8. *meth.2. & in art. medic.cap.58.§.Frigidior autem ac humidior temperatura, ſi parum quidem vtraque augetur, pilis nuda eſt,& alba,& mollis, & craſſa, & pinguis; &c.*explicant eleganter Thomas à Veiga,& Argenterius *in com.*Quoniam carentia pinguedinis, & gracilitas, temperamentum calidum, ſicut habitus pinguis, frigidum ſignificat, ex ipſo *lib.10. meth.cap.3.* licèt temperamenta ad vnguem agnoſcere difficile ſit, & laborioſum, ea tamen ex ætate, anteacta vita, exercitio, regione, anni tempore, & corporis habitu eſſe venanda monet ipſe Galenus *lib, 9. meth.15.* Si enim in deſidia vixerit homo, frigidis cibis, humidis potionibus, balneis intempeſtiuis, gulæ crapulæ, ſomno multo fuerit aſſetus, habitet in regione frigida, & humida, humorum frigidorum & crudorum copiam in corpore redundare non eſt denegandum.

Hac de cauſa ea omnia Galenus recenſuit, quæ pituitoſi humoris collecti putredinem arguebant. Tempus enim in quo febricitare cœpit, erat medium inter occaſum Pleiadum, & æquinoctium antecedens, in vltima autumni parte, circa hyemis initium, ex Gal.3.*aph.14.* quas ab initio autumni diebus circiter quinquaginta occidere docuit,1. *epidem.tempeſt.1.in initio*, qui cum ocioſus eſſet plurimam pituitæ copiam accumulauit, nam ocium eneruat vires, minuit calorem,ex Celſo *lib.1.cap.1.*non digerit,cruditates parit, ex Galen.4. *de ſanit. tuend.cap.4. &* 2.*de natur.human.com.1.*quas facere crapulam, hoc eſt capitis noxam ex vino contractam 5. *aph.5.* ſicut & longiores ſomnos,omnibus compertum eſſe reor Ætas ergo, temperies, præcedens victus, tempus, craſſos humores cum genuerint, longiorem morbi conſtitutionem effecerunt,cuius rei rationem quære ex Gal.1.*aph.12.*

Morbi longitudinem oſtendebat durities in pulſu in primis acceſſionibus perſeuerans, quæ in proceſſu morbi ita aucta eſt, vt citra dubium morbum multorum fore menſium iudicares, cum multo ſpatio opus ſit,vt crudi humores, frigidíque flatus, arteriam tendentes, &

indurante concoquantur: hæc enim eſt vna cauſa duri pulſus tradita à Galeno *lib.1.feb.cap.7.* & aucta ab ipſo *lib.5.ſimpl.cap.8.*

Sed dubitationem facit maximam, quod tanta pulſus durities ab initio huius febris fuerit facta, auctáque deinceps, & vere aduentante ſenſim emollita, ſi ipſe Galenus l.1.*feb. cit.* aſſerat in febribus ea ratione qua febres ſunt, nunquam fieri pulſum durum, neque in ephemeris, neque in iis quæ ex humorum putredine accenduntur, niſi in corpore adſit aliqua congelatio ex frigore,vel ſiccitas, vel tenſio,vel inflammatio, vel durus tumor,quem Græci ſcirrhon vocant. Congelationem vehementes algores efficiunt, tenſionem inflammationes, duri tumores & neruorum diſpoſitio inflammationi correſpondens, ſiccitatem diuturnæ euacuationes, quæ vel ex ventris profluuio, vel inteſtinorum læuitate, aut dyſenteria, aut diuturno vomitu, aut tali alia cauſa proueniunt, & longi temporis fames, & febres ardentes longæ, demum quæcunque ſolidas animalis partes vehementer exiccant, vt hecticæ febres, &c. Ex quibus patet, nullam cauſarum dictarum in initio in hoc adoleſcente apparuiſſe, ob quam durus pulſus excitari poſſet.

Huic ergo tam arduæ difficultati hoc modo reſponde cum Galeno, 1.*de præſag.ex pulſib.cap.*4.dicente in putridis febribus duros pulſus fieri ex pituitæ frigidæ copia, quam poma intempeſtiuè ingeſta generarunt, & eſus quorundam arborum fructuum immodicus, vt ipſe 1. *feb.cit.* fatetur apertè. Quare cùm conſtet ex hiſtoria adoleſcentem hunc crudis ſuccis abundaſſe, ob crapulas, otium, deprauatam concoctionem, & caloris natiui inopiam, ex proprio frigidiori temperamento contractam: nulla deinceps remanebit dubitandi occaſio, cum ij humores pituitoſi tendant arteriam, indurent, & ſic mediocris in primis duabus acceſſionibus facta fuit durities, non potente adhuc febrili calore humorem illum vitreum exſiccare, maiori deinceps duritie aucta,humore illo à calore putredinoſo magis exſiccato,quæ pulſus conditio vſque ad æquinoctium vernale perſeuerauit, quouſque veram concoctionem incipiente natura, emolliri, & humectari pulſus cœperunt, procedentéque in melius coctione, & demum perfectiori facta, tota durities euanuit.

Nec mirum tanto tempore humores crudos coxiſſe naturam: cùm ij eſſent valde crudi, lenti, acceſſerint in victus ratione errata, hyems fuerit frigida, adfuerint lienis tumor, præcordiorum diſtentio, mali habitus crurum, & faciei, quæ omnia ex humoribus craſſis, obſtructionibus internis,flatuum copia eueniſſe certa res eſt. Hanc fuiſſe huius morbi euidentiſſimam, & potentiſſimam cauſam ille iudicabit, qui reliqua tertianæ nothæ, & illegitimæ fuerit contemplatus: quoniam in hac omnia ſymptomata tertianæ exquiſitæ minorantur, vt ait Auic. 1.4.*tract.* 2. *cap.* 37. hoc eſt mitiora fiunt: in exquiſita enim bilis,in ſpuria pituita redundat, & hoc modo ea incipit cum horrore,miti ad tactum calore, pulſu minori tardiori, & rariori,cum vomitu pituitoſo, vrina cruda, acceſſione longiore.

Galenus verò vt diſtingueret notham terianam ab exquiſita,hoc protulit in medium exemplum, quo Medicus certior factus poſſit vtramque exactè dignoſcere: quoniam ſigna tertianæ puræ ſunt plura, nempe vehemens rigor, breuitas paroxyſmi, ob tenuitatem bilis quæ citò reſoluitur,ob quam cauſam citò peruenit ad ſtatum, calor vaporoſus, primo tactu acris,qui paulo poſt mitior apparet, æqualitas caloris in vniuerſo corpore, ſudor copioſus in ſtatu, aut declinatione paroxyſmi, facilis expurgatio bilis per deiectionem, vomitum & ſudorem.Pulſus æqualitas, tam in vnica pulſatione, quàm in collectione plurium. Pulſus inuadente acceſſione non adeò paruus, reſpectu aliorum paroxyſmorum, in ſtatu ob ebullitionem bilis, maximus, celerrimus, crebertimus,vrina valdè bilioſa: Concurſus rerum non naturalium augentium bilem.Quæ omnia proponuntur à Gal.2*feb.*3.*&* 2.*criſ.*3.& vera eſſe reperies, præſertim ſi eo tempore tertianæ exquiſitæ vagentur.

Sed inquires, quæ fuerint maiora remedia, quibus ad lenienda ſymptomata quæ adoleſcentem malè oppreſſerant,víurus erat,ni morbus aliis ſuccumberet auxiliis. Nã hoc modo in eodem capite ſic fatur Gal. *Vidi quandoque cum in autumno incepiſſet, in vere deſinere,deinde vero in tempore adeò longo, tum quia ægrotus Medici præceptis parere noluiſſet, ſed in aliquo deliquiſſet,tum quia ex hyeme læſus eſſet: lien valdè intumuit, & præcordia flatibus ſunt oppleta, ita vt ſubtumida quædam eſſet decoloratio in facie, ac præſertim circa crura,adeò vt nobis de iuuene dubitare cõtigerit,ac maioribus vti remediis fuerit neceſſariũ.*

Hæc maiora præſidia, ſunt valida deobſtruentia, flatus diſcutientia,viſcera interna roborantia, calefacientia,quæ pro contumacibus, interaneiſque tenaciter adhærefcentibus obſtructionibus à Medicis vſurpantur, quorum multiplicem ſyluam alibi proponemus. Has dotes duo complent medicamenta ab antiquis, & iunioribus maximè celebrata,videlicet aloë,& theriaca: quoniam aloë roborat,calefacit,exiccat,attenuat, ventrem clementer mouet, vt 8.*ſec. loc. cap.*2. latè monuit Gal. quas dotes habere theriacam pro febribus longis curandis docuit ipſe *lib. de theriac.ad Piſon.ferè per totum*,& Neoterici omnes pleno ore confirmant.

Illis vehementibus auxiliis vtendum eſt, quando ſymptomata nimium ingraueſcunt, & acceſſio vſque ad 30. vel 40.horas extenditur,vt 2.*feb.*8.*&* 6.*epid.ſect.*2.*com.*23. retulit Gal. quibus locis ita acceſſionem dicit prorogari, vt æger ad infebricitationem non perueniat, & ſic conſtituitur tertiana continua per ſubingreſſum acceſſionum, quæ febres dicuntur adauctæ, extenſæ, & ſufficienter productæ, vt 2.4.*tract.*2.*cap.*37. firmat Auicenna. Quarum acceſſionum longitudo totius conſtitutionis longitudinem portendit,vt 1.4.*tract.*2.*cap.*45. voluit Auicenna. Tunc ne lienis ſcirrhus, aut hepatis pertinax ſuccreſcat obſtructio, hydropem præſagiens, à leuibus inchoare auxiliis eſt inutile, ſicque maioribus remediis pugnare oportet. Sed multoties rebellis, & contumax humor vim remediorum contemnit, & reſpuit, & ſic tertianæ in longum tempus producuntur: Nam viſa eſt tertiana triginta annis perdurans,vt refert Baldinus Ronſſeus *epiſt.*15. Conſule Henricum Smetium *diſputatione de febre tertiana intermittente.*

QVÆSTIO XXIX.

Vtrum neceſſarium ſit Medico breuitatem, & longitudinem morbi præcognoſcere, vt docent Galenus, & Auicenna.

COMMENTARIVM.

Multorum fore menſium ægritudinem iudicaret.]Galenus ditiſſimus medicinæ Oceanus veriùs appellandus,rationalem methodum,cuius prima tantùm ſemina iecit Hippocrates, numeris omnibus abſolutam poſteritati reliquit. Quapropter ab omnibus ſummis laudum præconiis commendatur. Hæc proſpiciens Leonardus Iacchinus ſuperioris æui Medicus illuſtris, ita de eo ſcribit *lib.*9.*Rhaſis cap.*1. Huic diſciplinæ poſt multos celebres viros Galenus ſummam manum impoſuit, atque ita effecit,vt poſteris omnem gloriæ anſam adimeret,priores verò luce ſua obſcuriores reddidit,vt de eo facilè dici poſſit, quod de Epicuro Lucretius.

Omnes reſtinxit ſtellas velut æthereus ſol.

Huius ergo virtutes præcipuæ ſunt ſex, eloquentia, multarum rerum peritia,ſtudium,methodus pulchra, veritatis amor indefeſſus, & iudicium in medendi arte ſingulare. *Eſt nobis*, inquit ſcientiſſimus Valleſius *in præfat. ad controuerſias, ab initio Hippocrates vnus inſtar mille auctorum, & vnus Galenus pro innumeris explanatoribus: nulla enim eſt artis medicæ pars,quam ille non inuenerit, neque quam hic ad ſummum non excoluerit.*

Hic ergo auctor incomparabilis *lib.*2.*feb.vlt.&* 1.*aph.* 12.*&* 1.*criſ.*6. Medicum inſtruit, & certis ſignis veluti manu ducit ad morbi ſtatum breuem, aut longum præ-cognoſcen

cognoſcendum. Nec immeritò: nam vt dicebat Gal. 1. *ad Glauc. c. 8. ab initio ſtatim ad vniuerſum ægritudinis tempus reſpicientes, rationem victus inſtituemus: nam ægritudinibus quæ acutæ ſunt, ac celeriter ad ſtatum veniunt, etſi valdè tenuem victum exhibueris, haud magnum afferes detrimentum. Quæ verò ſunt diuturniores, niſi ab initio grandiori cibo reficias, hominem cum morbo pariter perimes, aut intempeſtinè victus modum cõmutabis: neque enim oportet ſtatu aduentante grandiorem, quàm prius, cibum offerre. ſed contra potius tenuiſſimum victum, qui in toto morbo exhibeatur, ad ſtatum reſeruare.*

Deinde non parum facit ad perfectam cuiuſuis morbi medelam, tam in ratione victus inſtituenda, quàm in medicamentorum, aliorúmque auxiliorum oblatione, morbi, eiuſdemque temporum longitudinem, aut breuitatem agnoſcere, ſiquidem varia hæc tempora, veluti integrantes morborum partes, varium, Medicis omnibus conſentientibus, & medicandi, & nutriendi ordinem præbent.

Huius præcognitionis neceſſitatem poſt Galenum perpendens Auicenna, illius facunda doctrina imbutus, mira diligentia, ſtudio ſummo, & exacto artificio, ſigna omnia tradere conatur 1.4.*tract.* 1. *c.* 4. quibus Medicus ductus in cognitionem, & notitiam breuitatis, aut longitudinis temporum circa quaſcunque ægritudines poſſit deuenire. Horum ſignorum primum eſt morbi ſpecies. In huius ergo doctrinæ confirmationem proponit morbos acutos, & cronicos, epilepſiam numerat, apoplexiam, & anginam, quos valdè acutos, appellat, quod citiſſimè finiantur breuiſſimámque contineant ſui temporis durationem.

Auicennam autem *loc. cit.* non intelligas, ac ſi de propria, & vera morborum acutie loquatur, quæ ex caliditate, & tenuitate humoris ortum ducit, ſed de citiſſima morborum terminatione, quæ acutiem refert ob ſimilitudinem quam habet cum morbis acutis, in velocitate celerique motu, ſiue huiuſmodi morbi à tenui, calida, vel craſſa, frigida materia generentur, vt conuulſio ex inanitione, apoplexia, epilepſia, & angina, quos morbos affert in exemplum, quia citiſſimè finiuntur. Per epilepſiam autem, non integrum morbum, ſed eius inuaſionem ſignificat. In exemplum autem acutorum reponit febrem ardentem, & tertianam exquiſitam, ſcilicet continuam: neque enim acutus morbus febrem intermittentem, ſed continuam ferè admittit. In numero cronicorum morborum, quartanam, & paralyſim comprehendit. Cognita ergo cuiuſque morbi natura, & ſpecie, non erit difficile præcognoſcere num longiora, aut breuiora ſint eiuſmodi morbi tempora futura.

Secundum ſignum quo munitus Medicus debet longitudinem, vel breuitatem morbi præcognoſcere, eſt motus ægritudinis, ex cuius maiori, vel minori impetu, vehementi, aut magis remiſſo, morbi tempora longa, aut breuia futura auſpicatur: ſi namque morbus cum vehementia ſymptomatum, intenſione, celeri motu, & concurſu ſtatim ab initio inuadit, morbum fore breuem, eiuſdemque tempora futura breuia pollicetur. Si verò pigro & moroſo gradu progrediatur, totum morbum longum fore poterit Medicus audacter præſagire.

Nec placet interpretum quorundam expoſitio, vt Vgonis, Iacobi, & aliorum, qui Auicennam tantummodò de morbis habentibus paroxyſmos intelligunt, non verò de iis qui omnino periodis carent, qui licèt verbis Auicennæ commoti id adſtruant, non rectè tamen illius mentem percipiunt. Sic enim ait *loc. cit.* Auic. *Nam ſi paroxyſmi ſint breues, ſignificant quod ſtatus eſt propinquus, &c.* Sed exempla clarioris doctrinæ gratia ab auctoribus ſolent adduci, ſunt enim addiſcentibus magis perſpicua, maximè cùm non ſit obſcurum ex hoc, vel illo morbi impetu, celeri, vel remiſſo; mititie, aut vehementia ſymptomatum, longum, vel breuem morbum coniectare abſque vlla habita paroxyſmorum ratione.

Sed contra Auicennam *loc. cit.* eſt ſatis obſcurus Galeni locus ex diametro pugnans, quia 1. *criſ.* 3. *&* 1. *aph.* 1. ex longitudine paroxyſmi præcipit aduenientem proximè ſtatum coniectare, Auicenna verò *loc. cit.* ex paroxyſmorum breuitate ſtatus celeritatem pronunciat. Dic. Galen.

A confert vnius, & eiuſdem morbi paroxyſmos inter ſe ſe quo modo verum eſt longiores paroxyſmos quàm principio ſignificare morbum propè iam accedere ad ſtatum, quò enim longiores paroxyſmi exiſtunt, eò magis ſtatus appropinquat. Auicenna verò non vnius, ſed diuerſorum morborum paroxyſmos nititur conferre, & ita verum eſt, quod quò paroxyſmi in morbi principio breuiores exiſtunt, eò totus morbus breuior eſt, quoniam paroxyſmorum breuitas materiam morbi paucam, tenuem, calidam, & facilè reſolubilem, longitudo verò, craſſam, & nimis rebellem ſignificat.

Tertium ſignum ex ægri perſpecta forma, aut figura deſumitur, vt colore, compoſitione, vultu, accidentibus, & ſimilibus vt ſi totum corpus fiat magis pingue aut tumidum, quàm antea: vel potius magis gracile, & ſiccum, di-

B rectum, tenſum, torum, conuulſum, viuidum, pulchrum gracile, languidum, agile, præceps, pigrum, torpidum, rubrum, pallidum, nigrum, viride, plumbeum, &c Ex vultu, ſi facies natura ſit ſimilis, aut diſſimilis, conformis in ſe, & proportionata, difformis, aut malè compoſita, ſi tumeat aut rubeſcat; ſi tota facies, vel pars naturali colore, aut præternaturali afficiatur. Similiter ex accidentibus, vt ſi eodem modo ſe habeat æger, atque in ſanitate, vt ſi lætus, hilaris, vel potiùs mœſtus, & melancholicus, ſi faſtidioſus, aut è contra ſi placidus, aut furioſus, & iratus.

Hæc doctrina à mente Hipp. non eſt aliena, qui 1. *progn.* 8.9.10 ex ægrotantis facie, morbi acutiem, periculum, ſecuritatem, & ex conſequenti breuitatem, & longitudinem temporum morbi iudicauit. Colligitur etiam ex 2. *aph.* 28. *Febricitantium non omnino leuiter permanere corpus, & ni-*

C *hil minus, vel etiam pluſquam ratio poſtulat contabeſcere, malum, illud enim morbi longitudinẽ, hoc verò imbecillitatẽ ſignificat.* Vt Hipp. eo quod æger non leuetur, & eius corpus ſimul non minuatur, aut totum, aut pars, in ſolita, & naturali forma, & eadem qua ſanitatis tempore fruebatur, permaneat, longum fore morbum certò pronuntiat, ſignum enim eſt quod natura quieſcit, & morbi cauſa immobilis ferè exiſtit. Lege Coſtæum *in com. cit. loc. Auic.*

Quartum ſignum ex forti, aut debili ægrotantis virtute colligitur, ita firmat Gal 2. *febr. vlt.* §. *Et potentia quidẽ robur, minus diuturnas facit acceſſiones, imbecillitas autem in longius tempus producit: Nam quo potentia vegetior extiterit, eo promptiùs omne alienum à ſe depellit,* & infra ſic ait, *Longiſſima quidem ob materiæ inutilis multitudinẽ, craſſitudinem, atque lentorẽ, potentiæ imbecillitatẽ, ac meatuum an-*

D *guſtiã: breuiſſima autem propter materiæ inutilis ſubtilitatem, paucitatẽ, & potentiæ vigorem, ac meatuum laxitatem.*

Sed Galenicæ ſententiæ aduerſatur Auic. 1.4. *tract.* 1. *c.* 4. *in princip.* §. *Et quandoque eſt ex virtute ægri, cui velociter aduenit debilitas, quare eſt ægritudo acuta, aut non apparet illud, & eſt ægritudo non acuta, &c.* qui contra Galenum, ex ægrotantis virium robore, morborum breuitatem, ex debili verò ægrotantis virtute, longitudinem pronuntiat. Coſtæus *in com.* breuibus conciliare conatur, etſi enim inquit, facultatis imbecillitas morbi cauſa eſt longioris, non tamen iudicium. Non placet ſolutio, quoniam Auicenna, virtutis debilitatem, vt cauſam, & vt ſignum, breuem morbum facere affirmat.

Auicennæ interpretes, inter quos primus eſt Gentilis, aſſerũt virtutis robur ſalubres morbos reddere breuiores, inſalubres autem longos efficere, è contra verò virtutis

E debilitatem, morbos ſalubres facere longiores, inſalubres autem, quàm breuiſſimos, & hoc modo Galenum loquutum de morbis ſalubribus, Auicennam de inſalubribus, & lethalibus intelligunt. Hæc expoſitio auctorum menti non ſatisfacit, maximè cùm medentiũ experimento compertum ſit cum viriũ vigore, plures ſaluberrimos morbos fieri longos, eorúmque tempora vniuerſalia longiſſima.

Meliùs ergo ſolues, ſi aſſeras Galenum eſſe intelligendum de naturali virtutis robore, & debilitate, quæ in ægrotante ſanitatis tempore præxiſtebat, cnm qua incipit morbus. Hinc eſt quod robuſti in magnos incidant morbos, debiles verò in remiſſos, iuxta Hipp. 1. *aph.* 14. docentem, ſenes non ſimiliter ægrotare ac corripi acutis morbis, ac iuuenes: robuſta namque virtus

non niſi à magna cauſa,ſuccumbit,debilis verò à quacunque leui præternaturaliter afficitur , *vt in com. cit. Aph.* eleganter docuit Braſauolus. Accedit quod naturalis virium fortitudo multò fortius operatur ,·quàm virtus debilis,quæ morbum facit longiorem; nam debiliter,& pigrè commouens humorem,parum contra morbum inſurgit.Auicennam autem explana de debilitate virtutis , quæ poſt morbi principium velociter ſuperuenit , hæc enim morbi vehementiam notat,morbum futurum breuem , citóque increſcere præoſtendit.Virtutis autem robur ſi poſt morbi inſultum in ægrotante appareat;breuitatem morbi, moram,& quietem ſignificat manifeſtè.

Quintum ſignum longitudinis,& breuitatis morbi depromitur ex ægrotantis ætate,tempore,regione,cœli ſtatu, in quibus ægritudines contingunt. Ætas calida,& cætera calida morbos pariunt acutos, è contra tēpora,& reliqua frigida,morbos frigidos & diuturnos cōſtituunt.Quoniam licèt morbi omnes in omnibus tēporibus fiant 3. *aph.* 19. tamen orti in regione , ætate, tempore, calidis breuiores ſunt,& acutiores.Hoc modo æſtiuæ quartanæ, breuiores, autumnales, & hyemales, longiores 2.*aph.*25.quoniam, vt inquit Gal. *in com.non ſolùm quartanæ æſtate fiunt breuiores,ſed aliæ ægritudines,propterea quod humores excremētoſi funduntur,& per totum corpus feruntur,atque difflantur.*

Sextum ſignum ex pulſu, & eius differentiis colligitur: ex magnitudine enim, velocitate , & frequentia,morbi acutiem, & breuitatem arguere oportet, ex paruitate,raritate,& mora,longitu dinem. Ratio huius ſigni ſic oſtenditur : quoniam magna,velox, & frequens pulſatio,caloris non paruum notat incrementum , atque incendium, calor autem neceſſariò morbum quàm breuiſſimum reddit : iuxta enim maiorem vſum, & neceſſitatem in prædictas differentias augetur pulſus, vt Gal.1.*ad Glauc.*2.*&* 1. *de cauſ.pulſ.* 4. confirmat. Oppoſitæ verò pulſationis ſigna, contraria ex ſe præbent teſtimonia.

Septimum ſignum ex rigoris breuitate , aut longitudine, cum quo paroxyſmus inuadit, deſumitur : quoniam ſi rigor eſt breuis, totus morbus erit breuis, ſi ſit prolixus, morbus erit productus. Per rigorem autem non ſolùm intelligas rigorem propriè , & preſsè ſumptum , ſed lato modo, provt quòdcunque paroxyſmi initium comprehendit. Acceſſiones enim initium habent interdum à frigore , horripilatione, laſſitudine,nota, vel occulta, &c.quæ omnia ſymptomata ſi moroſa ſint,craſſam in corpore latitare materiam atteſtantur,ex Gal.10.*meth.*9.breuis verò rigor, frigus, & reliqua ſymptomata , calidam ſignificant materiam , tenuem, & facilè reſolubilem.

Octauum ſignum & ad methodum maximè neceſſarium quo breuitas in morbis futura colligenda eſt,ex paroxyſmorum anticipatione deſumitur , Igitur Auicenna ingenuè, & artificioſè ſatis ex anticipatione acceſſionis colligit morbum eſſe in augmento , & ex poſtpoſitione, morbum eſſe in declinatione.Et ex eo quod ſeruat horam vnam,id eſt, quod eadem hora inuadat, morbi longitudinem venatur , quod vltimum apertè docuit Hippoc. 4. *aph.*30.dicens , *quibuſcunque acceſſiones fiunt quacunque hora febris dimiſerit,ſi eadem cras occupauerit,iudiciū habent difficile.* Et ſecundùm hunc ſenſum reprobat *Conciliator,dif.*88.Auerrhoëm dicentem 4.*collig .c.* 27. prauum eſſe quod in acceſſionibus mutetur inuaſionis hora , ſed ſi Auerrhoës intelligatur , quando morbus eſt crudus, à calumnia fiet immunis.

Multa quidem fusè ſatis in huius ſigni propoſiti ab Auic. explanatione proferunt antiqui illius expoſitores, quin Gal. *cit.feb. & Aph.loco* interpretes , vt Thomas à Veiga , Chriſtoph. à Vega, Trincauellius,Brauus, Argenterius,Cardanus, & alij; nos in hoc argumento vtili rem totam de acceſſionum anticipatione, poſtpoſitione,æqualitate,duplatione,& varietate,ſeu incerto, & erroneo inuadendi modo perſtringemus breuiter.

Dic primò Anticipatio acceſſionis notat augmentum, quia in hoc inſurgit natura ad coctionem,& humor magis funditur, & efferueſcit , quare natura ob eam cauſam citiùs irritata quàm ante, citiùs etiam mouet humorem, atque ita anticipat horam aſſuetam , & ob contrariam cauſam in declinatione acceſſio poſtponit,quia ſi acceſſio cauſam in horam ſeruat, morbum adhuc in principio eſſe ſignificat,& cauſam illius fixam eſſe,& inconcuſſam,quare iudicium erit difficile, & vt interpretatur Gal. *in com. aph.cit.* morbus erit difficulter ſolubilis.

Dic ſecundò ex Gal.1.*criſ.*3. anticipationem acceſſionis non eſſe certum ſignum augmenti , nec poſtpoſitionem declinationis, quia aliquæ ſunt febres , quæ ob naturam humoris,& cauſas traditas à Gentile 1.4.*tract.*1.*c.*4. procedunt anticipando , & aliquæ poſtponendo. Quare ſimpliciter ex anticipatione febris non poſſumus colligere augmentum , ſic nec ex poſtpoſitione , declinationem, ſed ad horum temporum cognitionem oportet ſimul aduertere ad longitudinem , magnitudinem , & acceſſionis morem , his enim ſimul auctis anticipatio indicat augmentum,ſicut & poſtpoſitio cum illis diminutis indicat declinationem. Vtrùm autem anticipatio fiat ratione augmenti,an ex natura humoris , intelligetur , quia hæc ab initio morbi fit,illa verò poſteriùs accedit.

Dic tertiò etiam in febribus ex natura humoris anticipantibus:aut poſtponentibus dignoſci poſſe augmentum, & declinátionem,ex anticipatione , & poſtpoſitione ſcilicet excedentibus vltra ſolitum, quod ſignificauit Galenus 1.*criſ*3.cum dixit,*ſed in his pluſquam proportio exigit,&c.* & ob eam cauſam Auicenna 1.4 .*tract.*2.*cap.*3. non affert pro ſigno augmenti ſimpliciter anticipationem,ſed hanc ſuperfluentem, id eſt, non ſeruantem proportionem cum anticipatione præcedente : hæc enim notat naturam iam mouiſſe humorem , & aggredi pugnam cum morbo , & hanc iam eſſe in augmento.

Ex iis duo corollaria inferes ad curationem vtilia valdè. Primum non modo quando acceſſiones inuadunt ab initio eadem hora ſignificare morbum fore longum, vt docuit Hip.4. *aph.* 30. ſed etiam quando acceſſiones certam ſeruant proportionem , quam ab initio obtinuerant in anticipatione,vel poſtpoſitione , in vtroque enim caſu cernere licet cauſam morbi fixam eſſe , & permanentem, ideſt , non agitatam à natura , & morbum ipſum adhuc eſſe in principio , ac proinde fore productum.

Inferes ſecundò cauſam eſſe aſſignandam , quare ſæpe duplatio acceſſionum abbreuiet earum durationem, quam obſeruationem ante Thomam à Veiga 2. *feb, vlt.* experimentis pluribus à ſe confirmatam commendauit expertiſſimus Nicolaus *ſerm.*2. *tract.*2.*ſum.*4.*doct.*3. *c.*5. duplatio igitur tertianæ, vel quartanæ, eius durationem breuiorem facit tum in ratione ſigni , tum in ratione cauſæ; nam ſignum eſt naturam iam mouiſſe humorem, & cauſam morbi non ita ſtabilem,& durantem;in ratione autem cauſæ, quia partitus humor faciliùs ſuperatur à natura. Hæc intelligantur dummodo antecedant ſigna concoctionis , & quælibet acceſſio ex duplatis minor ſit quàm erat ante duplationem : aliàs enim duplatio illa magnam eſſe humoris peccantis copiam ſignificabit.

In febribus itaque in quibus à principio acceſſio eadem hora inuadit , anticipatio horæ ſolitæ denotat augmentum , & poſtpoſitio, declinationem. Non ſimiliter autem contingit in his quæ ab initio procedunt anticipando,vel poſtponendo, ſed in anticipantibus anticipatio maior ſolita denotat augmentum , & anticipatio minor ſolita , declinationem notat. Neque enim oportet in declinatione harum febrium acceſſionem ſimpliciter poſtponere horam ſolitam. In poſtponentibus verò minor poſtpoſitio ſolita notat augmentum,& minor ſolita, declinationem.

De quarto ſigna tradita,ſcilicet anticipationem acceſſionis,longitudinem illius, magnitudinem , &c. non eſſe ſigna infallibilia augmenti : nam ſæpe contingunt in principio morbi ob influxum aſtrorum , & errorem in victu , & in aliis rebus non naturalibus , ſi enim ſit aliquod aſtrum inimicum temperamento ægri , facit magnam acceſſionem, & ſi ſua vi incitat naturam,facit anticipare acceſſionem. Quare ex dictis ſignis non debemus illicò colligere morbum eſſe in augmento , ſed ſolùm cùm nobis conſtet in dictis cauſis varietatem nullam contigiſſe.

Dic

Dic quintò. Cauſam quare inter febres quædam ab initio procedant anticipando, quædam poſtponendo, eſſe quia verbi gratia acceſſio tertianæ inuadit de tertio in tertium, ob certam quantitatem, & certum modum ſubſtantiæ, & temperamentum bilis à qua pendet, quæ in dicto ſpatio aceruatur ſufficiens ad irritandam naturam, & inducendam acceſſionem. Cæterùm cùm intemperamentum, modus ſubſtantiæ, & quantitas bilis efficientia acceſſionem, & de tertio in tertium repetentia in puncto indiuiſibili non conſiſtant, ſed latitudinem habeant, fit, vt pro ratione illorum varietur hora acceſſionis, etſi ſemper repetat de tertio in tertium.

Ita igitur ſi in aliqua tertiana intemperamentum, modus ſubſtantiæ, & quantitas bilis certo modo ſe habuerint, acceſſio ſingulis 48. horis adueniet, quia in hoc ſpatio aceruabitur bilis ſufficiens ad inducendam acceſſionem, & ita acceſſio inuadet eadem hora. Cæterùm ſi bilis calidior ſit, & tenuior aut in maiori copia aceruetur, atque ob eam cauſam citiùs ſtimulet naturam, acceſſio ante 48. horas adueniet, & ita procedet anticipando: è contra autem ſi bilis ſit minus calida, & craſſior, & in minori copia aceruetur, ac proinde tardiùs irritet plus temporis requiret ad mouendam acceſſionem, quàm dictas 48. horas, & ita huiuſmodi tertiana procedet poſtponendo.

Vltra dictas cauſas facientes ad anticipationem, aut poſtpoſitionem acceſſionum, oportet etiam addere ſenſum acutum, & obtuſum, tum membrorum demandantium humorem ad focum, ſeu mineram putredinis; tum ipſius mineræ: nam cæteris paribus ſenſus acutus citiùs percipiens noxam, ac proinde citiùs irritans facultatem ad expellendum, facit anticipare acceſſionem: ſenſus verò obtuſus ob contrariam cauſam facit poſtponere acceſſionem. Nec recipiendum cum Thadeo *in com. cit. cap. Auic.* & aliis, cauſam quare ex febribus, aliæ procedant anticipando, aliæ poſtponendo, eſſe inæqualitatem humoris in tenuitate, & craſſitie: vt ſi primò putrefiat portio humoris ſubtilior, & ſucceſſiuè craſſior, acceſſiones procedant poſtponendo, etſi priùs putrefiat pars humoris craſſior, & deinde tenuior, acceſſiones procedant anticipando: nam hæc cauſa vniuerſaliter recipienda non eſt, quoniam quemadmodum 1.4.*tract.*1.*cap.*4.*in Auicennam* docuit Gentilis, experimento conſtat aliquas tertianas exquiſitas ab humore æquali, & vniformi ſubortas procedere anticipando, & alias poſtponendo.

Dic ſextò. Cauſa quare in febribus ſæpè acceſſiones intra ſuam periodum nullum ordinem ſeruant, ſed erroneæ, modò anticipant, modò poſtponunt, eſt diuerſitas humoris in craſſitie, & tenuitate, acrimonia, & calore, & ob maiorem fixionem humoris contenti in minera, ita vt aliquæ acceſſiones fiant, à parte tenuiori, aut acriori, aut calidiori, & ſic anticipant. Si autem à parte craſſiore, minus acri, minus calida, poſtponunt. In iis nulla hora inuaſionis cognoſci poteſt.

Vltimum ſignum, quo longitudinem, & breuitatem morbi colligere oportet, ſunt excrementa, quæ per ſolitas in paroxyſmis euacuationes excernuntur: ſudorem videlicet, alui fluxum, vomitum quæ nomine exeuntium *cit. loc.* ſignificat Auicenna: neque per illas intelligas, quæ à Medicis talia ſolent appellari, cuiuſmodi ſunt vrina, fæces, ſputum, pus, de quibus Hipp. 1. *Aph.*12. ſed illæ quæ per has tres prædictas, & aſſiduas in paroxyſmis vacuationes excernuntur, ſudorem, alui fluxum, & vomitum.

Hæc doctrina ab Hipp.. mente non eſt aliena, quoniam ille 4.*aph.*51. *in febribus abſceſſus qui ad primas indicationes non ſoluunt, longitudinē morbi ſignificare*, affirmat, quo loco Hippocrates docere intendit abſceſſus, hoc eſt fluxiones, & recurſus materiæ in partem, abſque morbi ſolutione contingentes, huius longitudinem præſagire, & aliquando licèt rariùs mortem, iuxta aliam eiuſdem Hipp. ſententiam latam 2.*prorrhet.*33. *&* 34. *&* 3. *eiuſdem* 35. *decretoria nō decernentia, aut lethalia ſūt, aut difficilis indicationis*, repetit. Galenus 1.*aph.*12. *&* 1.*criſ.*14. quo loco ſigna decretoria infida appellat, quia pro varietate temporis morbi in quo apparent, aliquando bona ſunt, interdum mala: ſigna autem coctionis ſemper firmam, & ſtabilem poteſtatem habent, perpetuò enim optima ſunt,

Sed quæres, quomodo cognoſcemus quando hæc reproba ſigna ſignificant mortem, & quando difficile iudicium? Dic: id explicatur à Gal. 3.*prorrhet.*35. ita vt quæ nihil iuuant, ſint difficilis iudicij: quæ verò vltra quod nihil leuant, in contrarium repunt, ſint lethalia, id eſt deducant ægrum in maximum vitæ periculum. Hoc patet in ſudore, vt affirmat Galenus 2.*prorrhetic.* 23. qui enim in febribus continuis non ſoluit febrem, ſi frequens ſit, & non copioſus, producit morbum, non tamen eſt lethalis. At ſi frequens ſit, & multus, & exitialis, citò enim virtutem exoluendam præoſtendit, quæ, omnia de aliis vacuationibus non conferentibus ſunt intelligenda. Superior doctrina etiam conſentit cum alia quam protulit Hip. 4 *aph.* 56. *Febricitanti ſudor ſuperueniens, febre non deficiente, malum: prorogatur enim morbus, & multam ſignificat humiditatem.* Quæ ſententia licèt ex mente Senis in continuis præcipuum locum habeat, nihilominus tamen de intermittentibus poteſt intelligi, ſi per periodos, & acceſſiones computatio fiat.

Ex varietate igitur eorum quæ per eiuſmodi euacuationes in paroxyſmis excernuntur, iuxta quantitatem, formam, ſeu ſubſtantiam, cum qualitate, & reliquis in morbis penès longitudinem, & breuitatem varietas colligitur. Si namque ſudor, alui fluor, & vomitio in paroxyſmis, ſit humoris facientis morbum, & ſit in quantitate, & qualitate reſpondente ad materiæ morbificæ ſuſpectam à Medico copiam, ſeu qualitatem, hoc eſt caliditatem, frigiditatem, putredinem, malignitatem, acrimoniam, &c. eiuſmodique euacuatio per conferentia loca intenta cum reliquis ſignis conueniat, hanc vacuationem eſſe vtilem, & à natura conſtanter operante factam, cuius ope neceſſariò minuetur morbus, poterit Medicus certò prædicere, iuxta illud Hipp. 1.*aph.*2. *In perturbationibus ventris, & vomitibus ſpontinis, ſi talia purgētur, qualia purgari oportet: confert, & leuiter ferunt: ſin minus contra, & aph.*23. *&* 4. *aph.*3. *Si qualia oportet purgari, purgentur, confert, & leuiter ferunt: contraria verò grauiter*, quæ de materiæ morbificæ qualitate ſunt intelligenda. Si autem hæc vacuatio fiat à natura irritante, minimeque conſtante virtute, & citra morbi leuamen, morbi longitudinem ſignificat. Quare quò morbus ex prædictis vacuationibus factis in paroxyſmis magis minuitur, eò breuior exiſtit, quò vero magis accreſcit, aut in priſtino ſtatu perſiſtit, eò longior euadit, quod præſagium deſumitur ex doctrina Hipp. & Gal. 1.*progn.*22. *Sudores optimi quidē ſunt in omnibus acutis morbis quicumque in diebus decretoriis fiunt, & integrè febrē ſedāt. Boni verò quicunque ex toto corpore procedentes fecerint, vt homo faciliùs morbūm ferret: ſi verò nihil horum fecerint, inutiles ſunt. Peſſimi verò ſūt frigidi, & circa caput tantùm & vultū, & ceruicem facti: hi enim cum febre acuta mortem: cum leuiori verò morbi longitudinem ſignificant*, & 4.*aph.*56. *&* 1.*prorrh. com.*2.*text.*33. *&* 47. quoniam eiuſmodi vacuationes, multitudinem, craſſitiem, & frigiditatem humorum naturam grauantium, & virium debilitatem ſignificant. Multa namque craſſa, rebelliſque materia non niſi difficile, & longo temporis ſpatio reſoluitur: naturæ verò debilitas moroſè, & tardè humorem reſoluit. Si verò contrà, cum optimo prædictorum ſignorum concurſu eueniant, fortem naturam, humoriſque aptitudinem, & obedientiam præoſtendunt, ideóque morbum fore breuem atteſtantur.

Denique breuitas, & longitudo cuiuſque morbi ex coctione, & cruditate cognoſcitur in iis excrementis quæ à Medicis exeuntia vocantur, quod conſilium ad praxim exercendam ſaluberrimum eſt: ſi namque illa cruditatem in humoribus morbum facientibus oſtendant, longitudinem ſignificant: ſi verò coctionem, breuitatem morbi pollicentur. Hoc ſignum à ſuperiori differt: ſiquidem ſupra de excrementis egere auctores, & præſertim *loc. cit.* Auic. non prout ſunt coctionis reſidua, ſed prout in paroxyſmis hoc, vel illo modo excernuntur: ex iis verò longitudinem, aut breuitatem morbi colligere licet, prout cruda, cocta, aut putrida expelluntur, & ſunt ſuperflua,

decifa ex humoribus, quæ hoc, vel illo modo in morbis concoquuntur, & putreſcunt.

Rationes præſentis ſententiæ adeò ſunt vulgares, & à Medicis receptæ, vt in eis proferendis tempus non conſumam. Verùm vnam veluti præcipuam, & qua cæteræ vt è fonte emanant, ex immenſa Galeni doctrina *in lib. de criſib. feb. morb. temp.* & multis locis in medium referam, videlicèt quòd concoctio, aut putredo effectus ſunt actionis, quæ inter morbum, & naturam intercedit, ideóque quum euidentiùs apparent, maiorem arguunt actionem: atque ita ſi ſola, aut maior putredo adſit in morbo quouis, maiorem morbum ſignificat, eundèmque in opere dominantem, & vincentem pronuntiat, ſi verò vice verſa, concoctio, aut maior, aut ſola appareat, validum præſagit, & triumphans naturæ opus portendit. Cùm ergo occulta concoctio, atque putredo, hoc eſt minimè ſenſibilis, nullam, aut occultam ſignificent inter morbum, & naturam, actionem: manifeſtè autem, aut ſenſibilis concoctio, atque putredo, notabilem indicent actionem, & quò magis harum quæuis in morbi proceſſu accreſcit, eò maius præſagit actionis incrementum: ſequitur quod accreſcens, aut in vigore conſiſtens concoctio, ſeu eidem contraria putredo, ex eo quod robuſtam ſignificent actionem, quæ inter morbum, & naturam intercedit, eadem augmentum, aut ſtatum morbi, indéque & reliqua morbi tempora quam veriſſimè ſignificent: quare occulta concoctio, morbi principium, manifeſta, & accreſcens, augmentum; conſiſtens autem, & ſumma, morbi ſtatum oſtendit. Conſultò ergo Hipp. Galenus, & Auicenna, immò artificiosè nimis præcipiunt, ex coctione, aut putredine, tempora morborum auſpicari, illorúmque breuitatem, aut longitudinem futuram prædicere.

HIST. XXVIII. GALENI, De tertiana.

Hiſtoria adoleſcentis triplici tertiana laborantis.

ADoleſcens qui circa autumni finem, cùm in prima die circa quintam horam cœpiſſet febricitare, vna cum rigore breui, deinde cùm paululum ſudaſſet, multo veſpere, mox circa horam ſeptimam noctis, priuſquam exactè febris deſiſteret, febricitare rurſus incepit cum rigore breui, deinde paululum ſudauit. In ſecunda die, ac circa decimã horam iterum ſimiliter acceſſionem habuit, & ſtatim ſimiliter ſudauit in nocte. Deinde tertia die, hora ſecunda cœpit febricitare ſimul cum rigore, antequam prioris diei declinatio in quietem deſineret. Nobis igitur omnem febris formam diligenter conſiderantibus, viſa fuit trium complicatio tertianarum: nam quæ primo die cœperat hora quinta, & ſequenti nocte rurſus hora ſeptima, & quæ in ſecunda die hora decima, & pulſus, & caliditatem omnia propria tertianis habebant, ſicut etiam rigores, & ſudores: nulla verò ex eis ad quietem perueniebat, quoniam ſequentis ipſam tertianæ acceſſionis principium anticipabat, ſicuti ſi nulla alia febris ſucceſſiſſet, horis tribus, aut quatuor homo ſine febri perſtitiſſet. Trium verò tertianarum complicatio in ſecundo ſtatim die nobis viſa eſt manifeſtè. Quòd autem anticipando acceſſiones facerent, tertio die primum cognouimus: nam hora ſecunda febris inuaſit, non quinta, quemadmodum in primo. Tertiani verò circuitus indicia omnia, iis quæ in primo die apparuerant, attulit manifeſtiora. Ab hoc verò die deinceps obſeruantes, omnes inuenimus acceſſiones duabus, aut tribus horis anticipantes, quare & illa quæ primæ proportioni reſpondebat in circuitus ſucceſſione, quinto die oriente ſole facta eſt, ſeptimo verò multò celerius, veluti circa horam noctis nonam, deinde quæ poſt hanc, ſecundùm eandem proportionem in hora noctis ſeptima, & quæ ſequuta eſt, hora quarta, & quæ poſt hanc, quinta, deinde iterum ſexta, deinde octaua hora, decima à principio acceſſio facta A *eſt. Secundum verò ſimilem huic proportionem, ſimiléſque modos, & aliæ duæ poſt ſeptimam periodum, non ſolùm non anticiparunt, ſed etiam tardiùs aduenerunt, quando & mihi, & reliquis omnibus manifeſtè apparuit, qui ſemitertianam febrim eſſe putarunt, quantùm ſua opinione aberraſſent.* * *Nam acceſſionum prolixitas ad octo horas contracta, ipſóque acceſſionis inſultu non ampliùs anticipante, ſed potius retardante duabus iam horis, tunc acceſſiones ad infebricitationem deuenerant, & iam paulatim à longitudine dementes ceſſauerunt. Primùm quidem quæ leuiſſima erat, deinceps, quæ magnitudine ſecunda erat, & tertia vehementiſſima inter ipſas, quod & ipſum non mediocre fuit iudicium, quod ſtatim ab initio tres tertianæ extitiſſent, &c. Galenus* lib. 2. de criſibus, cap. 9.

B

PARAPRHASIS.

COmplicari febres nouum non eſt, id aſſeruit Galenus *lib. 2. criſ. cap. 7.* Hæc permixtio multifariam fit. Quædam enim fit per commixtionem diuerſorum generum, vt quando continua commiſcetur cum intermittente, & hectica cum putrida; alia fit per permixtionem variarum ſpecierum, vt quando tertiana permiſcetur cum quotidiana. Altera fit per commixtionem variorum indiuiduorum eiuſdem ſpeciei, vt tertiana cùm altera tertiana, & quartana cum alia quartana, adeò vt per hanc permixtionem detur tertiana, vel quartana triplex, quam complicationem tradit Galenus *lib. de typis, cap. 3.* & Auic. 1. 4. *tract. 4. cap. 16.* poſſunt autem tres tertianæ duobus modis ſimul connecti, vel C quando eadem die febris ter inuadit, & vna die integra eſt, ita tamen vt tertia quaque die tres illæ acceſſiones ſibi reſpondeant: vel fiunt tres tertianæ, quaado qualibet die febris inuadit, ita tamen vt tertia quaque die tres illæ acceſſiones ſibi reſpondeant.

Triplex tertiana euadit, vel quod copioſior ſit humor, quem natura ſemel expellere nequit, vel quod plures ſint putredinis mineræ, vel quod diuerſimodè pituita cum flaua bile, vel melancholia permiſceatur: quare ex hac miſcella varia, mira tertianarum varietas contingit, diuerſis ſymptomatibus inſignita, ex quibus accedit plurium membrorum læſio, vt iecoris, lienis, & meſaræi, quoniam hæ partes recrementa præſtant, quæ bilioſo humori adiuncta in acceſſionem triplicem commigrant.

D Vt ergo hanc veritatem tertianarum poſſimus internoſcere, oportet omnes ſimplices diſpoſitiones agnoſcere, & earum ſigna rimari. Hipp. verò præceptis certior factus Galenus triplicem adeſſe tertianam iudicauit contra aliorum votum, qui ſemitertianam eſſe perſuaſere ſibi, & certè aberant à cognitione veri, nam aderant ſigna quæ tertianam oſtendunt manifeſtè, propoſita à Gal. 1. *ad Glauc. cap. 5. & 2. de dif. feb. cap. 3. & 2. de criſib. cap. 3.* quorum primum eſt rigor, cum quo adoleſcens hic cœpit febricitare, íſque fuit breuis, ab humore acri, ſed tenui, qui celeriter extra venas per membra ſentientia commotus rigorem fecit, ſed ob humoris ſubtilitatem durantem parùm. Secundum fuit ſudor in declinatione, qui tertianis proprius eſt, quæ ab humore tenui generantur. Deinde pulſus erat qualis in tertianis apparet, inuadente E paroxyſmo non adeò prauus, ſicut in inuaſionibus aliorum paroxyſmorum, deinde in ſtatu paroxyſmi ob vehementem caliditatem, & ebullitionem bilis fit maximus, celerrimus, & creberrimus. Iis omnibus ſignis erat adiunctum aliud, quod ex calore deſumitur: quoniam aderat eius æqualtas in vniuerſo corpore, qui ob deobſtructos meatus illicò percipitur. Quæ omnia ſigna quàm longè abſint à ſignis ſemitertianæ, in ſequenti hiſtoria palam facit Galenus.

Sed non erit iniucundum ſcitu, immò ad curatiuam methodum, præſentiſque hiſtoriæ explanationem valde neceſſarium perſcrutari quæ ſit cauſa varietatis acceſſionum, tam in hora acceſſionis, quàm in longitudine, & breuitate ipſarum, quam Galenus 2. *feb. vlt.* §. *Nec eſt illud mirandũ, quod non ſtatutis temporibus, &c.* ad naturam ægrotantis,

habitum

habitum corporis, & ad humorem referendam eſſe docuit, de quibus ſeorſim agendum.

Ex parte quidem naturæ circuitus euariant, quoniam natura robuſta celeriùs expellit, imbellis verò tardiùs, & ſegniùs: quare non ſolum anticipatio acceſſionum, ſed etiam maior vehementia, & longitudo ipſarum fiunt à virtute valente, ſicut poſtpoſitio eſt ſignum imbellis naturæ, ita rigor fortior fit à firma virtute, vt notat Auic. 1.5. *tract.2.cap.6.*

Ex parte diſpoſitionis corporis ſimiliter ſolent variare acceſſiones: nam quemadmodum fiunt longiores, aut breuiores propter varios corporis habitus vt colligitur ex Gal. 2.*aph.*25. *& 1.de dif.feb.c.vlt.§.Nam ſi quod corpus rarius extiterit, breuiores ſui ratione reddit acceſſiones, &c.* quo loco concludit in obſtructis, & conſtipatis morbos, & acceſſiones eſſe longiores: in raris verò, & deobſtructis, breuiores: quare multum confert ad curationem acceſſionum, quod prius obſtructiones auferantur. Ob hanc cauſam 11. *meth. cap.*15. ſaluberrimum iudicat in omnibus febribus ſanguinem emittere; quod intelligas velim, dummodo putredo ex obſtructione propter ſanguinis copiam oriatur, vt optimè interpretatur Trallianus *lib.*12.*cap.*1.

Ex parte humoris euariant acceſſiones, vt eum Gal. 2. *feb.cit.* firmat Auicenna 1.4.*tract.2.cap.7.§.Et iſtæ quidem febres quibus ſunt paroxyſmi, &c.* quibus locis cauſam varietatis eſſe diſſimilitudinem humoris conteſtatur: quoniam in multa, aut pauca quantitate, craſſus, aut tenuis incipit fluere, & putreſcere, non enim totus ſimul confluit, & putret, ſed per partes, vt 4.*collig.*27. Auerrhoës docet. Quando ergo humor qui futurus eſt materia acceſſionis, & fluit ad mineram, ſecundùm omnes ſui partes eſt vniformis temperamento, & modo ſubſtantiæ, ſeruatur eadem inuaſionis hora: ſi autem eſt difformis, non ſeruatur eadem hora; & ſic ſi incipit mandari ad focum à parte craſſiori, ita vt in dies in omnibus acceſſionibus ſequentibus mandetur portio humoris tenuior, & calidior, erunt ſemper acceſſiones anticipantes: ſi verò incipiat mandari à parte tenuiori, ita vt in dies humor craſſior, & ſegnior ad motum mandetur, procedent acceſſiones poſtponendo; ſeruabitur verò in ſequentibus acceſſionibus proportio primarum in anticipando, & poſtponendo, quando humor ad focum fluet vniformiter difformis: non ſeruabitur verò proportio ſi vniformitas in difformitate non ſeruetur, vt ſi fluat in prima acceſſione pars craſſior, in ſecunda tenuior, in tertia rurſus craſſior: in ſecunda acceſſio anticipabit, tertia verò poſtponet.

Deinde poteſt accidere varietas in acceſſionibus ratione humoris, quando videlicet tranſmutatur in aliam naturam, vt apparet in ſanguine, cuius pars tenuis putreſcens mutatur in bilem, craſſa in melancholiam, aſſumens ſecundum proportioné mutationis circuitus tertianarios, vel quartanarios, vt docet Gal. 2.*de dif.feb.cap.*10.

Contingit varietas etiam, præcipuè anticipatio, ob errorem in victu: quia, vt inquit Galenus 2. *feb.vlt.* ſi ipſis ſanis victus deprauatus ægrotandi attulit occaſionem, eodem, vt arbitror, modo, vel etiam magis ægrotantibus ex erroribus admiſſis, fient acceſſiones: & ſicut auxilium Medicum eſt cauſa retardationis, ita error ægri eſt cauſa anticipationis.

Ex parte humoris, vel à toto, vel aliqua parte fluente, qui fluere non ſolebat, accidit etiam varietas in acceſſionibus: Latent enim interdum humores in corpore, qui progrediente morbo ſuſcitantur, & fluunt, cum magno nonnunquam ægrorum diſcrimine, vocat vulgus materias latitantes. Varietas autem, & mutatio ob hanc cauſam eueniens reprobanda eſt, & in hoc ſenſu amplectenda eſt ſententia Auerrhoïs 4. *collig.*27. reprobantis in acceſſionibus mutationes.

Ex parte complicationis aliarum febrium accidere etiam ſolet, vt *cap.vlt.cit.* Galenus aduertit, dicens: *ſæpè verò ob circuituum complicationem quæ à Medicis ignoratur, videntur abſque ordine acceſſiones in ægrotantibus fieri.*

De curatione nihil à nobis agendum, quoniam hoc ſolùm exemplum propoſuit Galenus, vt Medici deinceps edocti duplicatas acceſſiones internoſcere, & remediorum conuenientem ordinem offerre poſſint: certum enim eſt humorem ſuperfluum eſſe expurgandum, ita vt ſi cum bile flaua, craſſi, pituitoſi, & melancholici humores redũdent, qui vnica vice excerni nequeant: ij cautè, & maxima cum præmeditatione ſint vacuandi, roboranda viſcera, intus, & extra adhibitis. Demum deobſtruentia offerenda, & cætera quæ in tertiana notha Medicorum periti̇ſſimi celebranda conſulunt: nam huius febris natura eadem eſt cum tertiana duplici, aut triplici: ſolùm diſſident in duobus. Primò, quia in notha vnica tantùm eſt minera putredinis: in duplici, aut triplici, duplex, aut triplex eſſe cõtingit. Secundò, quoniam ſimplex à minori, triplex à maiori humoris copia ſcaturit, quare maiorem expoſtulat vacuationem. De duplicis, & triplicis tertianæ curatione proprium faciemus caput in praxi Hiſtoriarum, proprio libro de febrib. quam ad omnes de Medicorum Principum Hiſtoria libros paratam habemus; Interim lege expertiſſimum Ludouicum Mercatum *lib.6. de febribus, cap. de notha, & duplici tertiana.*

QVÆSTIO XXX.

Vtrùm tertiana notha ſit longior quotidiana, vt contra Galeni, & Auicennæ mentem, Vega, Brauus, Gentilis, & alij arbitrantur.

COMMENTARIVM.

N*Am acceſſionum prolixitas ad octo horas contracta.*] Vt omnia quæ hactenus de acceſſionum anticipatione, poſtpoſitione, breuitate, longitudine, duplatione, & varietate diximus inter ſe cohæreant, vehementer facit quod ſummus auctor Auicenna ad hunc ferè modum prodidit. Dum enim comparationem faceret intra longitudinem acceſſionis tertianæ nothæ, & quotidianæ ſic loquitur 1.4. *tract.2. cap.* 47. de febre phlegmatica; *& eius eradicatio in pluribus eſt intra quadraginta dies, &c.* Tertiana verò notha durat vltra medietatem anni, ex ipſo 1.4. *tract. 2.cap.*45. *Et hæc quidem non pura quandoque prolongatur tempore longo, & circiter medietatẽ anni, &c.* Deinde tertianæ nothæ acceſſio longior eſt acceſſione quotidianæ: quoniam huius acceſſio ad 18. horas extenditur, vt ait Auicen. 1. 4. *tract. 2.cap.*47. §. *Et ſunt ei horæ ſicut reliquis febribus, & minor horarum ſui principij ſecundùm plurimum eſt decima octaua, &c.* & tertianæ nothæ acceſſio extenditur ad 40. & 48. horas, vt 2. *feb.* 8. *poſt med.* probauit Galenus, & firmat Auicen. 1. 4. *tract. 2. cap.* 37. §. *Et in non pura, prolongatur paroxyſmus, vt perueniat ad viginti quatuor horas, aut triginta horas vſque ad horam ſuam, & tepeſcit donec complentur* 48 *horæ, &c.* Ex quibus omnibus fit manifeſtum, tam in temporibus vniuerſalibus, quam particularibus tertianam notham eſſe longiorem quotidiana.

Ex altera parte video argumentum fortiſſimum, ex præclara Galeni doctrina deſumptum. Is enim ſtrennus dux 2 *feb.8.ante med.* de hemitritæo verba faciens docet, quod quando miſcetur flaua bilis cum pituita, ſicut pituita reprimit celeritatem bilis, eiuſque acrimoniam, & calorem remittit: ita bilis, pituitæ tarditatem accelerat, & hoc modo pituita ob miſcellam bilis, redditur minus frigida, lenta, aut craſſa: flaua autem bilis ex pituitæ mixtione, minus calida fit, magis craſſa, & difficilius concoquitur. Si hanc doctrinam penſites ad vnguem, tertiana notha breuior tibi videbitur quotidiana, quia tertiana notha fit ex humore minus craſſo, & magis calido. In hunc ſenſum dicebat Auic. 1.4.*tract.4.cap.*18. ſtatum ſemitertianæ eſſe velociorem ſtatu quotidianæ.

Vt verò hunc tantum nodum extricare queas, longitudinis, & breuitatis acceſſionum, & temporum vniuerſalium cauſas cum Gal. 2. *feb. vlt.* in compendium redigas velim: quoniam breuiores fiunt acceſſiones, vel ratione humorum, vel ratione virtutis, vel ratione corporis. Craſſities enim, lentor, aut humorum copia,

acceſſiones longiores, & tempora vniuerſalia morborum faciunt longiora, vt in quotidiana,& quartana ſatis patet: multitudo enim materiæ ſuffocat, vix accenditur, tardè reſoluitur vt patet in combuſtione plurium lignorum: contra tenuitas, & parua quantitas ſunt breuitatis cauſa. Facultas robuſta, breuiores; debilis, longiores conſtituit acceſſiones. Corpus rarum, tranſpirabile, abbreuiat,denſum producit acceſſiones. Similiter tempus frigidum, regio frigida, longos generat morbos, & prolixas gignit acceſſiones, tempus autem calidum, abbreuiat.

His iactis inſurgit Chriſtoph. à Vega, Medicus præclarus, *in com.lib. 2.de dif.feb. Gal. cap. 9.* tertianam notham minus longam eſſe in temporibus vniuerſalibus ea febre quæ fit ex ſola pituita, dummodo aggregatum ex bile, & pituita non excedat pituitam ſolam: nam ſi maior quantitas humoris reperitur in tertiana notha, nil mirum ſi ipſa quotidiana longior exiſtat. Sed quoad primam partem, miror doctiſſimum virum ita contra Galenum depugnaſſe, quoniam apud eius doctrinam ratum eſt, tempora particularia valdè eſſe proportionata temporibus vniuerſalibus: ſed tempora particularia tertianæ nothæ longiora ſunt temporibus particularibus quotidianæ, vt ſupra ex Gal.& Auic. mente comprobauimus, ergo & tempora vniuerſalia erunt longiora.

Secunda pars, quæ probat tertianam notham eſſe longiorem ratione maioris quantitatis materiæ,& defenditur à Ioanne Brauo, viro in Galeni monumentis verſatiſſimo *in com. cap. 9.lib.2.de dif. feb.Galeni*, hoc modo impugnatur,quia ſi maior quantitas materiæ id efficeret, maximè eſſet, quia poſſet coniungi tota materia pituitoſa, quæ efficit quotidianam,& tota materia bilioſa quæ conſtituit tertianam exquiſitam; ſed ſi hoc concedas, acceſſio ſolum poteſt extendi ad 30. horas, cum quotidiana ad 18.horas,& exquiſita ad 12.extendatur;ergo cum ſæpe tertiana notha extendatur ad 40. & 48. horas, ratione quantitatis materiæ, temporum vniuerſalium, vel particularium in tertiana notha prorogatio contingere nequit.

Omnes propemodum conſentiunt poſita paritate in copia humoris, diſpoſitione virtutis, & corporis, & in reliquis, de quantitate.& ſubſtantia humoris ſolum conſideratione facta, quotidianam eſſe longiorem tertiana notha, & ſemitertiana: ſi verò paritas hæc non ſeruetur, non eſſe extra rationem, reſpondent, tertianam notham eſſe quotidiana longiorem. Sed hæc ſolutio defendi non poteſt; nam præterquam facta æqualitate in omnibus intelligenda ſit quæſtio, aduerſatur plane priſcorum decretis,& ſuperiori argumento contra Vegam poſito facilè redarguitur.

Neque inſtes, cauſam longitudinis oriri non ex maiori cauſa, aut duplicatione eius, ſed ex miſcella humorum, qua ratione Galenus *2. prog.23. & 1. criſ. 11. & 4. cap.40.* morbos ex variis cauſis concitatos tanquam difficiles,& diuturnos reprobat,magis quam ſimplices:nam natura cum multis pugnatura, imbellis fit, & ſic longo tempore vincit. Hæc reſponſio facilè reiicitur, quoniam tertiana notha ex humoribus diuerſis non pendet, ſed ex vitellina bile. Licet enim ad eius generationem ſupponantur diuerſi humores, iam ipſi non permanent, alioqui conſtituerent hemitritæum: ſed ſolum permanet humor ille bilioſus præter naturam, qui tertianam notham conſtituit.

Alij, vt refert Gentilis *in extrauagantibus,quæſt.14.*ſic ſoluunt dubitationem. Sumpta indicatione à ſubſtantia, & qualitatibus humorum,licèt tertiana notha debeat eſſe breuior, attamen ratione noxæ quam partes in ea patiuntur, cuius cauſa à ſuis actionibus diſtractæ, peccantem humorem nec coquunt, nec reſoluunt, idcircò tertiana notha longior eſſe ſolet: etenim reſolutio non ſolùm fit à calore febrili, ſed naturali. Si autem ab illis inquiras quæ ſit cauſa maioris læſionis in tertiana notha, reſpondent, quia bilis vitellina, habet ſe veluti caliditas inhærens materiæ denſæ, & craſſæ, & ideo diu, & importunè ſtimulans, & naturam premens, vehementer tranſmutat, & grauia ſymptomata excitat, caliditas verò

A quotidianæ eſt in pituita veluti conſopita, & idcircò vniuerſa cauſa quæ facit tertianam notham ob læſionem partium,& nouum humorem ex earum debilitate regenitum, tardiùs reſoluitur.

Hæc expoſitio licèt vera ſit, & diutino medentium experimento firmata, non reddit tamen cauſam ob quam tertiana notha, in qua bilis vitellina componitur ex tota materia febris quotidianæ,& ex tota materia tertianæ exquiſitæ, duret longiori tempore, quàm duraret vtraque febris per ſe. Deinde etſi verum ſit magis lædi partes à calore recepto in bile vitellina,quàm à calore recepto in pituita:hac ratione tertiana exquiſita eſſet longior, tertiana notha,quia à calore bilis flauæ ampliùs partes læduntur,quã à calore bilis vitellinæ,quia illa tenuior eſt,calidor,acrior, & magis irritat: vitellina verò eſt ſufficienter craſſa, ſed
B hoc non eſt dicendum, ergo nec illud.

Ergo, vt ſemel concludam, cauſa longitudinis tertianæ nothæ,poſita paritate in omnibus,præter quam in humoribus,ea eſt dicenda,quod bilis vitellina,cùm tenuior ſit pituita, ob mixtionem flauæ bilis, remotiſſimas partes ampliùs penetrat, in quarum meatibus ita infigitur, vt vix educi,aut reſolui queat.Cum verò pituita ob craſſitiem,& lentorem neque penetrare, neque adhærere poris partium poſſit,ex eo tertiana longior eſt in temporibus vniuerſalibus & particularibus,quàm quotidiana, maximè quoniam in tertiana notha adſunt obſtructiones internæ viſceribus contumaciter adhæreſcentes,quæ quantum faciant ad longitudinem,omnibus compertum eſſe reor,& firmauit ſupra citato exemplo Galenus.

C
HIST. XXIX. GALENI, De ſemitertiana.

Exquiſitæ ſemitertianæ,hiſtoria celebris.

NVper quædam muliercula in paribus diebus horridam habebat acceſſionẽ, ſemitertianæ exquiſitæ propriam; in imparibus manè alteram quandam; ea quæ præceſſerat lõge minorẽ,vt altera die ſemitertianæ febris acceſſio ſupra acceſſionem aduenire videretur,quod in tali febre fieri conſueuit circa octauã verò horã diei altera inuadebat acceſſio cum rigore vehementi, omnia tertianæ febris indicia exqui-
D *ſitè afferens. Iam verò hac contracta ſudoribus ac bilis vomitionibus hora tertia noctis,mox extendebatur ad diei paris horam ſecundam, & cum iam infebricitationi appropinquaret, rurſus horrida, atque inæqualis acceſſio ſuccedebat quam in paribus diebus fieri diximus, deinde per totum diem malignè compreſſa, ac deinceps adaucta,vix occidente ſole ad ſtatum perueniebat, ac declinare incipiebat hora quarta noctis, deinde mane rurſus ex abundantibus reliquiis augmentum non valdè inæquale vſque ad octauam horam intendebatur,& cum iam manifeſtè ſtatum obtinere febris videretur, iam, febrem hanc altera febris exquiſitæ tertianæ acceſſio excipiebat. Hanc nos febrem ſtatim die ſecunda ex complicatione ſemitertianæ febris,atque tertianæ factam agnouimus. Longè verò certiorem tertius dies præbuit cognitionem, atque in ſpem venimus alterum tertianæ febris circuitum citò finem habiturum, alterum in longiũ tem-*
E *pus debere protendi; quod etiam contigit, & tunc apertè viſum eſt in reliqua parte ægritudinis ſolam ſupereſſe ſemitertianam,quæ principium quidem totius circuitus in pari die faciebat, in die verò impari ſuperaccendebatur. Tales quidem mixtiones non eſt vniuſcuiuſque dignoſcere, &c. Galenus* lib.2.de criſib.9.

PARAPHRASIS.

GAlenus poſtquam hoc libro in antecedentibus capitibus de febribus compoſitis diſſeruit,has diuiſit in eas quæ fiunt per confuſionem,& in eas quæ fiunt per complicationem. Hæ ſunt quando eodem tempore, ſed diuerſis horis inuadit, cuiuſmodi ſunt tertiana duplex, & ſubintrans,

ſubintrans, quæ licèt variis horis repetant, vnam tamen febrem compoſitam efficiunt: nam duplex tertiana quotidie ſuas facit acceſſiones, ita tamen vt de tertio in tertium ſibi reſpondeant: tertiana verò ſubintrans tertio quoque die ſuas habet acceſſiones, cæterùm antequam vna finiatur alia ſuccedit. Per confuſionem autem ſunt, quæ vno eodémque tempore laborantem aggrediuntur, vt eſt hemitritæus.

De hac febre tam priſci, quam juniores peculiarem fecerunt commemorationem, & præſertim Hipp. *in epidemiis*, & Galenus *hoc loco*, *&* 2.*feb.* 8. Hemitritæus ergo ex Galeni, & Auic. ſententia 1.4.*tract.* 4. *cap.* 17. eſt febris compoſita ex duabus febribus, quarum vna eſt bilioſa, & altera eſt phlegmatica, & fit in vno die paroxyſmus tertianæ, & quotidianæ ſimul. Quamuis autem multiplex fit huius febris compoſitio, ob varias complicationes quæ ex tertiana, & quotidiana fieri poſſunt, quas citatis locis retulit Galenus, tamen exquiſita ſemitertiana fit duntaxat, quando componitur tertiana intermittens cum quotidiana continua, & in ea humor æqualiter dominatur, & eodem tempore, licèt diuerſis horis acceſſionem habet.

Hanc paſſum fuiſſe hunc adoleſcentem ex hiſtoria conſtat manifeſtè. Hæc quadrupliciter componitur, videlicet tertiana continua cum quotidiana continua, tertiana intermittens cum quotidiana intermittente, tertiana continua cum quotidiana intermittente, tertiana intermittens cum quotidiana continua.

Sed ſuperiùs dicta exquiſita eſt facta ex quotidiana continua cum tertiana intermittente, quarum vtraque ſimul inuadit, & altero die vnicam tantùm habet acceſſionem, altero verò die duas efficit; ſi pares ambo ſint humores, exquiſita fit: ſi tamen bilis exuperet, ardentior fit, & tertianæ magis affinis: ſi pituita, mitior, magiſque quotidianæ particeps.

Semitertiana, ex mente Hipp. 1. *epid ſect.* 1. *text.* 23. *eſt horrifica, continua, acuta, non omnino intermittens, vno die leuior, altero inuadens grauius, & in ſumma in dies acutior*, addit 1.*epid. ſect.*3.*text.* 4.*maximè lethalis*. Non dicitur horrida, quia incipit cum horrore, ſed quoniam per totam ferè acceſſionem producitur horror.

Eſt continua, quia ex duabus intermittentibus fieri non poteſt, ſed ex altera intermittente, altera continua. Ita firmauit Galenus *lib.* 1. *epid. ſect.* 3. *com.* 5. eiuſdem opinionis Hippocratem fuiſſe affirmans. Sed cur ille *in l. introduct. cap.* 13. & *in lib. de typis c.* 4. hanc febrem non ſolùm inter continuas, ſed & intermittentes numerauerit? Reſpondent Anutius Foëſius *in œconomia librorum Hipp.* & Ioannes Gorræus *lib. definit. medicar.* textum eſſe corruptum, immò libellum de typis non eſſe Galeni, ſed Agathini. Sed non eſt approbanda ſolutio, quoniam citra neceſſitatem mendam arguit in ſententia quæ commodam patitur explicationem. Dic tu in vtroque loco vera pronuntiare Galenum, nam in in libro de typis loquitur de non exquiſita, quo pacto explanandus Celſus *lib.* 1. *cap.* 3. qui eam facit intermittentem; *in epid.* de exquiſita eſt intelligendus.

Eſt acuta, & periculoſa, immò valdè lethalis: morbi enim acuti, vt Archigenes ait referente Galeno, cum velocitate ſunt periculoſi, 3.*de dieb. decretor.* 13.*&* 1.*acut.* 8. Sed quid reſpondebimus Hippocrati 1. *epid. ſect.* 3. *text.* 5. qui eam morbis longis annumerat, dum de ſemitertiana loquitur? *Tabidi, & qui longis morbis detinentur, hac præcipuè ægrotant*: Reſpondet Valleſius perdoctus *in com.* febrem hanc morbum longum non eſſe, ſed longis ſuperuenire: cùm enim hæc febris, variis, & periculoſis ſymptomatibus ſtipata, vigiliis, delirio, ſyncope, cataphora & aliis prolatis à Galeno *lib. de typis, cap.* 4. ægros premat, facultatéſque omnes labefactet, non poteſt non eſſe morbus acutus, ſed longis morbis ſuperuenit, infirmata facultate, auctis cruditatibus, aduſto ſanguine, & adaucta bile, quæ omnia & quotidianæ, & tertianæ fomentum præſtant. Deinde præcipuis membris debilibus factis pituitoſi, & bilioſi humoris in corpore copia accreſcit. Quæ omnia cum

A exacto iudicio Galenus perpenderet, ſemitertianam eſſe iudicauit.

QVÆSTIO XXXI.

Vtrùm febres continuæ rectè ab intermittentibus à Galeno, & Auicenna diſtinguantur.

COMMENTARIVM.

Tertianæ febris circuitum.] Galenum medicorum ſummum, quem vt diuinum virum ſuſpicit, & admiratur Græcia, ea fuiſſe prudentia legimus, ea mentis acie, nunquam non collimante, inſuper & ingenij promptitudine, vt diſcipulos ſuos toto animi affectu docens, illis ſalubria
B forent monita, ab eius fore vbertim, doctéque prolata, in multis locis, præſertim *lib.* 2.*criſ.* 3. febrem continuam ab intermittente diſtinguit, quoniam in hac humor extra vaſa defertur, non autem intra ea continetur: in continuis autem modo contrario hæc contingunt; quoniam humor intra venas eſt, à quo ob viciniam cum corde eleuantur fuligines putridæ, quæ febrem non intermittentem faciunt, ſed continuam. Quapropter 2.*feb.* 1. *&* 3. *&* 2.*criſ.* 6. probat febrem ardentem non diſtingui à tertiana exquiſita, niſi quia illa habet cauſam extra venas, illa intra, 4. *aph.* 59.*&* 63.

Sed ſi hæc vera ſunt, cur Galenus 2. *criſ.* 6. confundit tertianam cum exquiſito cauſo, vtraſque febres complectens nomine febris ardentis cuius duo inſeparabilia ſigna traduntur à Galeno 3.*epid. ſect.* 3.*com.* 30.*&* 4.*acut. com.* 1. ſcilicet ſitis intenſa, & deurens calor? Dic: Galeni
C num de tertiana continua eſſe intelligendum; Arabes tamen eas tripliciter diſtinguunt. Primò, quia in tertiana continua notabiles exacerbationes de tertio in tertium reperiuntur: at in cauſo non ſimiliter, contingit ob ingentem inflammationem bilis. Secundò humores in tertiana continua continentur in vaſis totius, in cauſo autem iuxta cor. Tertiò, quia cauſus maximam hebet inflammationem bilis, tertiana verò continua fit à magna copia bilis, ſed non tantùm inflammata, cum magis à corde diſtet, quare in cauſo maior refrigeratio eſt neceſſaria, quam in illa.

Inſuper hæc doctrina Gal. lata 2. *criſ.* 6. *&* 2. *feb.* 1, quòd intermittentes diſtinguantur à continuis; quia hæ habent humorem intra vaſa, ſecus illæ; intelligenda non eſt de febribus ſymptomaticis, quales ſtatuuntur, quæ
D ab inflammatione alicuius membri principalis ortum ducunt: hæc enim etſi generentur ab humore extra vaſa contento, tamen continuæ ſunt, quia aſſiduè à membro inflammato putridæ fuligines eleuantur, quæ in propria ſubſtantia excalfacientes cor, febrem continuam conſtituunt. Cur igitur Galenus *locis citatis* ſimpliciter aſſerit febrem continuam generari ab humoribus intra vaſa contentis? Dic: cauſam eſſe quia ibi ſolùm Galenus de febribus ſimplicibus ſermonem inſtituit, in quibus eius doctrina eſt veriſſima: nam febris ſimplex non fit continua, niſi putrida fuligo accedat ad cor, quod in febribus ſimplicibus ſolùm fit, quando humor morboſus intra vaſa continetur.

Verùm rogabis, ſi inflammationibus, ſiue febribus ſymptomaticis humor côtentus extra vaſa poteſt efficere febrem continuam, cur etiam in interpolatis humor contentus extra vaſa eandem continuam non gignet? Dic:
E cauſam eſſe, quia in inflammatione humor circumſcriptus & vnitus, continuò euaporat ad cor, nec diſſipatur, quemadmodum humor acceſſionem faciens, qui per ambitum corporis diſperſus, tum magis tranſpirat, minus calet, & ebullit, nec ita continuum vaporem ex ſe emittit.

Deinde febres continuæ ab intermittentibus diſtinguuntur penès periculum: quoniam continuæ maximè ſunt periculoſæ, 4. *aph.* 43. ita vt aſſerat Hipp. 1. *epid. ſect.* 3. *text.* 3. in continua febre morbos eſſe acutiſſimos, maximos, & grauiſſimos, ac præ cæteris lethales, febres autem intermittentes periculo vacant, ex Hipp. 4. *Aph. cit.* quod intelligatur penès naturam morbi: nam ex natura

humoris maligni,& peſtilentis etiam tertiana interpolata interimit. Adde, ſententiam Hippocraticam non eſſe ſimpliciter intelligendam, ſed collatione facta ad febres continuas: nec omnes interpolatæ periculo carent, nam quotidiana longa eſt,& periculoſa, ex Rhaſio 10.*ad Almanſ.*22.& tertiana notha eſt febris mala, & periculoſa, vt ibidem docet. Si autem quæras ordinem periculi in intermittentibus. Dic: magis periculoſam eſſe quotidianam, tum ob frequentiam acceſſionum; tum ob earum longitudinem, tum ob membrorum naturalium, ſcilicet iecoris, & ventriculi læſionem concomitantem hanc febrem, tum ob curationis contrarietatem: febris enim requirit auxilia frigida & humida, & cauſa illius, nempe pituita expoſtulat præſidia calida ſicca. Secundum locum periculi videtur obtinere febris tertiana, præſertim ſi fuerit notha: quoniam pura multò ſalubrior eſt 4. *aph.* 59. & 1. *epid. ſect.* 3. *text.* 8. Vltimum locum ſibi vendicat quartana, hæc enim ex ſe omnium eſt ſaluberrima, adeò vt Hipp. 1. *epid. ſect.* 3. *text.* 4. eam appellet omnium febrium ſecuriſſimam,& facillimam.

Si vltrà expoſtules, quomodo febres intermittentes inter ſe diſtinguantur penes longitudinem dic ex Gal. 1. *ad Glauc.* 8. & 2. *criſ.* 11. inter omnes febres intermittentes, breuiſſimam eſſe tertianam, ſecundo loco quotidianam, & omnium longiſſimam eſſe quartanam. Nec inſtes quod à quibuſdam aſſeritur, acceſſionem quotidianæ longiorem eſſe quartanæ: licèt enim id concedatur, non tamen inde ſequitur, quotidianam longiorem fore quartana: quoniam longitudo cuiuſque acceſſionis ortum habet ex eo quod humor faciens febrem diutiùs febrilem calorem conſeruet, quare cùm pituita ob humiditatem quam habet diutiùs illũ retineat, quam melancholia, ſequitur vt febris pituitoſæ acceſſio longior ſit quàm febris melancholicæ. Longitudo autem totius morbi in intermittentibus ex alia cauſa emanat, nempe ex portione humoris relicti in putredinis foco, qui nouam concitat acceſſionem, quouſque attenuatus integrè expurgetur: & quoniam inter omnes humores melancholia ob ſummam craſſitiem quam habet, longiori tempore durat in dicta minera, antequam tenuior facta reſoluatur proinde facit febrem longiorem, quàm alij humores, adeò vt ex Auicenna 1.4. *tract.* 2. *cap.* 61. quando non accidit in ea error, durat per integrum annum, & quandoque durat duodecim annis, & ex Gal. 2. *de dieb. decretor. cap.* 10. in tot annos incidit, quot alia diebus iudicata eſt, id eſt, in 14. annos incidit, ſicut febris acuta in 14. dies.

Differunt etiam ex Galeno 2. *criſ. cap.* 6. quia intermittentes incipiunt cum rigore, aut horrore, & intermittunt, ſiue deſinunt in quietem cum vomitu, aut ſudore: continuas verò non antecedit rigor, ex Auic. 1.4. *tract.* 2. *cap.* 3. quod intelligendum eſt de rigore magno, & periodico, qualis in ſolis febribus intermittentibus reperitur, vt conſtat ex 4. *aph.* 63. paruus tamen rigor aliquando incidit in principio febris continuæ, vt teſtatur experimentum, & Galenus 1. *ad Glauc.* 5. cuius effectus duplex cauſa traditur. Prima quia venæ per quarum cauitatem humor mouetur ſenſum participant, 6. *aph.* 5. Sed ea ratio non videtur recipienda, quia, vt conſtat ex Gal. 16. *de vſu part.* 12. *venæ, & arteriæ cuiuſcũq; partis omnino ſunt ſenſus expertes, ſiue illas frãgere velis, ſiue laqueis excipere*; quod igitur Galenus aſſerit, aliis partibus quæ ſunt in rene nempe arteriis, & venis patientibus dolorem ſentiri acutum, non ſignificat arterias ipſas in ſe,,& venas ſentire, & dolere, ſed ob ipſarum affectum ſequi dolorem, vitio ſcilicet parti ſentienti communicato, nempe membranis ipſas arterias & venas parte externa ſuccingentibus. Altera cauſa certior eſt, quia licèt humores intra vaſa moueantur, vapores tamen muſculis communicati aliquem poſſunt dolorem inducere, maximè ſi acres ſint., & mordaces, qui in bilioſis febribus cùm redundent, partium rigorem excitare queunt.

Itaque in febre intermittente apparet momentaneus rigor: continuæ verò, ex Auic 1.4. *tract.* 2, *cap.* 1. nec cum rigore, aut notabili horrore, inuadunt, in quam ſententiam ipſe 1. 4. *tract.* 4. *cap.* 16. *ad fin.* ſcribit, quod ſi ap-

A pareat euidens rigor, aut frigus extremorum, ſignificatur adeſſe etiam intermittentem, & ſic febrem eſſe compoſitam. Quo pacto Galenus 2. *feb.* 8. *ad med.* §. *Nam cum omnis febris continua, &c.* continuarum proprium eſſe non horrere, nec rigere affirmat, quæ ſententia de frigore, rigore, aut horrore periodico eſt interpretanda: poteſt enim febris continua cum frigore, rigore aut horrore in primo inſultu inuadere.

Si tamen, inquit Auic. *loco nuper citato*, paroxyſmi continuarum cum frigore incipiunt, hoc ex duplici cauſa euenire profert, vel ob virtutis imbecillitatem, *ex* 4. *aph.* 46. aut ob retroceſſum caloris innati 7. *aph.* 1. non tamen recipiendum eſt in febribus continuis poſſe dari frigus, vel rigorem in primo earum inſultu, niſi ob cauſas dictas. Id ſignificauit Galenus 2. *prog. com.* 4. dicens: *At verò per*
B *morbos acutos annotatio interdum cum rigore prehendit, aut frigore, nõ ſolùm extremas corporis partes, ſed etiã cutẽ circa coſtas, ac ventrẽ, frigidum reddens.* Hoc pacto eſt explanandus Auicenna 1.4. *tract.* 2. *cap.* 6. *ad fin.* dum ait. *Sed parum de ambobus eſt in concluſa,* hoc eſt parum de frigore, & rigore, quoniam hæc ambo remiſſa in principiis acceſſionum febrium continuarum apparere poſſunt.

Igitur propter debilitatem virtutis, aut propter retroceſſum caloris ad interiora, poſſunt continuæ ſuas inchoare acceſſiones, quo pacto contingit in intermittentibus: differunt tamen, quod in continuis per horrorem humor extra vaſa non demandatur ad partes ſentientes, ſed ad vaſa minora quæ obtuſo ſenſu prædita ſunt. Propter debilitatem virtutis contingit frigus, ſiue horror in principiis acceſſionum febrium continuarum, quia
C natura in principio ſingularum acceſſionum ob ſenſatam humoris malitiam ſe exonerare, & extra vaſa maiorem humoris partem pellere conatur: illa tamen ob virtutis debilitatem intra vaſa remanet, quæ continuitatem ſeruat. Quare apud Hip. 4. *aph.* 46. in febre non intermittente contingit rigor febre non deficiente, ægro iam debili. Idcircò ob hanc cauſam rigor eueniens, eſt ſignum malum, ex Auic 1.4. *tract.* 2. *cap.* 1.

Ob hanc cauſam experimento fidiſſimo compertum eſt, quam plurimos ex tertiana continua decedere, afferente tertio quoque die rigorem manifeſtum, qui pleriſque ex tertiana notha ſubintrante perire iudicantur, quum potiùs hæ febres tertianæ ſint, continuæ ſimplices, & exitiales ob dictam cauſam. Ita febres puncticulares, & illæ in quibus minutæ apparent vacuationes, vt ſudor exiguus, ſtilla ſanguinis è naribus, cum rigore, vel
D horrore ſuas inchoant acceſſiones, & ferè ſunt mortiferæ, & ex toto prauitatem denunciant, ex Hipp. 2. *prorrhet* 47. quoniam hæ vacuationes ſunt decretoria non decernentia, quæ lethalia ſunt, aut difficilis iudicationis. Hæ febres naturam ſemitertianarum æmulantur, quæ horrificæ appellantur ab Hippoc. 1. *epid. ſect.* 1. *text.* 23. dicente. *Infeſtabant pleroſque febres horrificæ, continuæ, occultæ, omnino nõ intermittẽtes, modus autẽ ſemitertianus, &c.*

Rurſus Auicenna 1.4. *tract.* 2. *cap.* 3. addit alia indicia quibus febris continua ab interpolata dignoſcitur. Primum ſumit ex pulſus, dicens quod in eo diuerſitas, id eſt, inæqualitas eſt valdè apparens ſecundùm febrem, ad differentiam aliarum inæqualitatum quæ ex cauſis accidentalibus contingere poſſunt, & ad differentiam inæqualitatis ratione paroxyſmi, quæ in intermitentibus eſt maior.
E Eſt etiam pulſus vt plurimum inordinatus in continuis, & ſine ordine, id eſt, ſine rythmo, non ſeruans proportionem, & conſonantiam. Huius euentus cauſa aſſignari poteſt, quia materia intra vaſa multò magis virtutem grauat, quam extra vaſa exiſtens.

Aliud ſignum eſt continuitas, & vehementia diuerſitatis, id eſt inæqualitatis ipſius febris in augmento, quod ſignum affert Galenus *lib.* 1. *ad Glauc.* *cap.* 8. *in princip.* §. *Si verò inæquale habuerit incrementum,* &c. Dicitur autem inæquale fieri augmentum, quum nõ æqualiter, & vniformiter ſemper increſcit febris donec conſiſtat, ſed aliquando increſcere, poſtea verò conſiſtere, & quaſi inclinare videtur, & paulo pòſt iterum increſcit: & hoc eſt quod innuit Auic. 1. 4. *tract.* 2. *c.* 3. dicens: *minuitur enim*

enim quandoque augetur vice alia. Hoc ſignum non tantum indicat, quod febris ſit continua, ſed quod etiam futura ſit diuturnior, ex Gal.*loc.nuper citato*; quia putreſcentium humorum diuerſitatem fortè ſignificat, & cùm hæc varietas, ſeu inæqualitas in continuis potius, quàm in intermittentibus reperiatur, ob id hoc ſignum febrem continuam ſignificat.

HIST. XXX. RHASIS, *De ſemitertiana.*

Semitertiana maligna, & diuturna, ptiſana, & aliis commodis auxiliis, ſanata.

Filius Anohoc monoculus paſſus eſt deteriorem, & maligniorem ſpeciem hemitritæi, quæ erat multæ acuitatis, & cronicata eſt, & Medicus eius aſſueſcebat dare ei trochiſcos de ſpodio, & conſului ei quod acciperet ptiſanam per duas horas poſt ſyrupum acetoſum, & quod tardaret cibum ſuum quolibet die, quouſque alleuiatus eſſet à febre, & quod hora paroxyſmi prouocaret vomitum: & cum regulatus eſt iſto regimine ſatis, fuit viſum ſibi difficile, & petebat aliud regimen melius, dixique: ignoro pro te melius, & conuenientius regimen, & diſceſſi ab eius cura, & poſt decem dies inueni ipſum ambulantem per villam, & liberatus eſt omnino, &c. Rhaſius in lib de mirabilibus curis quas ipſe expertus eſt.

PARAPHRASIS.

Febrim ſemitertianam eſſe feram, periculóque pleniſſimam, horridáque ſymptomata in acceſſione excitare Galenus auctor eſt *lib. de typis, cap. 4.* quippe quæ non ſolùm ventriculum, & neruoſas partes, ſed cor vehementer lædit, atque profligat; nam delirium, ſyncopem, vigiliámque affert importunam, quare lingua exuritur, anima deficit, viſcera agone premuntur, feruent humores, ſpiritus excandeſcunt, ſanguis ebullit. Demum periculoſiſſimus hic typus eſt, horridus, ferinus, lethalis, & rigoribus aſſiduis continuè naturam laceſſens & premens.

Sed ſoluenda eſt dubitatio quæ ex dictis Galeni depromitur: nam ſi ſemitertiana componitur ex quotidiana continua, & tertiana intermittente, & harum vtraque non ita eſt lethalis, cur ex his compoſita febris erit illis deterior, maximè quia pituitæ lentorem bilis calor attenuat, & eius pigrum motum accelerat, & acrimoniam bilis; pituitæ humiditas contemperat. Hoc modo Hipp.2. *prog.*38. vomitum ſyncerum reprobat, laudat permixtum ex pituita, & bile. Ita ipſe acceſſum contrarij morbi ad præcedentem laudat, vt febrem ſuperuenientem conuulſioni 2.*aph*.26.*&* 4.*aph*.57.*&* 5.*eiuſdem* 5.ebrietati & 6.*lib.aph*.40.dolori circa hypochondrium, & *eodem l.*1. *aph.* 31. Apoplexiæ & 6.*epid.text.* 3. *text.* 10. Epilepſiæ. Igitur morbi compoſiti minus ſunt deteriores ſimplicibus, & ex conſequenti hemitritæus minus periculoſus eſt, quàm quælibet ex componentibus febribus.

Dic tu hoc modo. Morbus compoſitus, & longior, & deterior eſt vnoquoque ſimplici componente, ſi compoſitio fiat ex contrariis affectibus, quorum vnuſquiſque propriam curationem requirat. Hoc modo Hipp.2.*prog.* 23.*&* 40.& Galenus *ibidem*, *&* 4.*aph*.21.*in fin.&* 40. & Celſus *lib.2.c.6.* maximè reprobant deiectiones variegatas, id eſt, habentes varios colores: hæ enim, vt *lib.1.criſ. c.11. in fin.* corpus variis affectibus obnoxium ſignificant, & produnt longum, & malignum fore morbum præoſtendunt.

Ratio eſt in promptu, quia ſi curatio fiat à natura, hæc contraria tam aduerſa, & inuicem pugnantia ſuperare nequit, aut ſaltem longo temporis ſpatio id efficit, vno ſolùm moderato calore vtens, quod eſt ipſius primum inſtrumentum. Si fiat ab arte, Medicus ægrè, ac difficulter tam varios, & complicatos affectus curare non poterit. Remedia enim quæ alteri ex illis proſunt, aliis nocent, quare merito hemitritæus multò periculoſior eſt tertiana, & quotidiana ex quibus componitur, & ſic meritò vocatur ab Hipp.lethalis 1.*epid.ſect.* 3.*text*.5.

A Ex eadem cauſa compoſitæ febres reprobantur valdè, quia ex maiori humoris copia emanant, maximè ſi ex acuta, & chronica conflentur, vt febris continua cum quartana; quoniam acuta febris diu non poteſt durare, chronica verò citò non poteſt curari. Ob hanc cauſam hydrops cum febre lethalis eſt 2.*prog.* 1. & deiectio verſicolor reprobatur, ex Hipp. *eodem lib.com.*27. & vomitus varij, *eodem lib. text.* 40. quoniam varias humorum ſortes intra corpus contineri indicant. Hoc pacto quiuis lapſus inæqualis deterior cenſetur æquali, ex Gal. 6. *de ſanit.*9. contraria enim intemperamenta reddunt corpus maximè inſalubre. Hoc modo varia aëris conſtitutio damnatur 3.*aph*.1. Nam vires mirandum in modum labefa-
B ctat, atque eneruat: & hac cauſa autumnus, ferinus cenſetur, & lethalis ab Hipp. 3.*aph*.9. & in eadem menſa ciborum varietas condemnatur 1. *acut.* 18. *&* 3. 1.*doct.* 1. *cap.* 3. quoniam nec facilè, nec benè à natura concoqui, nec ſuperari queunt.

Si tamen compoſitio ita fiat ex variis affectibus, vt alter alterius vitium emendet, neque propriam curationem requirat, hæc compoſitio laudabilis eſt, & omnino reddit morbum ſalubriorem, & breuiorem, & ſic laudatur febris conuulſioni ſuperueniens 2. *aph.* 26. *&*. 4. *aph*.57. & in aliis morbis 6.*aph.* 40. & vtiliter in morbis frigidis 2. *prorhetic.* 50. & in ebriis 5.*aph*.50. dummodò tamen hæc febris non maneat propriam curationem ex-
C poſtulans, ſed ſolum affectum contrarium cui ſuperuenit, emendet. Similiter laudatur eſus contrariorum ciborum, ſi alter illorum in pauca quantitate aſſumatur, gratia corrigendi alterius intemperamentum 3.1. *doct.* 2. *cap.* 7. ita laudantur condimenta alimentorum, quia intemperamentum alimenti aſſumpti corrigunt. Eodem modo in febre quotidiana laudatur commixtio bilis cum pituita, & pituitoſa pura orta ex permixtione bilis, malitiam pituitæ emendantis, eſt minus periculoſa illa quæ ex pituita pura ortum ducit. Conſule elegantiſſimum Caſtrenſem Luſitanum *tract. de complexu morborum, cap.*8.

Cùm ergo hemitritæus ob exuperantem pituitam diuturnior interdum exiſtat, & ſecum graues morbos acceſſat, & periculoſos, & temporis decurſu officinis de-
D bilitatis alij repullulent morbi qui difficilem habent correctionem, & ſæpè ob copiam prædominantis bilis, acutiſſimus ſit, vt Paulus inquit *lib.* 2.*cap*.34. Idcircò neceſſe eſt huic febri illicò auxiliares manus adhibere. Et licèt ob exuperantiam contrariorum humorum incerta medendi ratio ſuccreſcat, & Medicus ſæuiſſimis ſymptomatis, ex variis cauſis enatis perterritus curationem aggredi vereatur; tamen neceſſe eſt aduerſus pericula ire, & obuiantibus malis ſeſe opponere.

Quare ſi calor vrgentiſſimus ſit, corpus calidum, & exuſtum, frigidis attemperantibus vtaris tam in victu quã in cæteris: ſi ſanguinis præſentia adſit, viréſque permittant, ſanguinem, parcè tamen emittere oportet, humores præparandi, attenuanda pituita, coquenda, attemperanda bilis, exuperantes deinde humores propriis pharmacis
E expurgandi, qui ſi mixti fuerint, alternatim, & paulatim vacuandi: pituitoſi tamen humoris expurgatione in aliud tempus reſeruata, cùm ob ſui craſſitiem difficiliùs concoqui poſſit.

Rhaſius ad præſidia magna non acceſſit, fortè ob contemperantibus vſus minutum virium robur; ſed ſolùm contemperantibus vſus eſt, quum febris eſſet acuitatis multæ, & ex bilioſo, acutóque humore ortum duceret, & idcircò reiectis trochiſcis de ſpodio, quia nimis adſtringunt, ad alia remedia acceſſit. Horum compoſitionem tradit Meſuë, *tract.de trochiſcis*; & Nicolaus Pontanus Medicus, non minus elegans, quàm doctus explanat luculẽter in ſuis inſtitutionibus pharmaceuticis, *ſect.*10.*de trochiſcis, c.*13. Scis autem in febribus longis, qualis fuit hæc, quod explicat per verbũ *Cronicata eſt*, in quibus ferè adſunt obſtructiones internæ, in pituitoſo humore etiam prædominante concitatæ, adſtringentia non eſſe ex vſu, quia obſtructiones adaugent. Id equidem obſeruat

obſeruat Auic. 1.4.*tract.2.cap.*7. adſtringentia in initio febrium interdicens, vt ſunt trochiſci de roſis, ſpodio: nam adſtrictione reſolutionem, & euacuationem impediunt, 1.*acut.* 18.

In quem vſum ptiſana ſummè iuuat: nam furentis humoris acrimoniam retundit, pituitam abſtergit, quas operationes excellentiori modo præſtare probat Auicenna 1.4.*tract.*2.*c.*7.dicens: *quod interdum vna & eadem res confert febri, & cauſæ, veluti ſyrupus acetoſus ſimplex, qui componitur ex aqua, aceto, & ſaccharo.* quod firmat infra *in. c.* 9. conferre febri, quia ratione aquæ, & aceti infrigidat, & ſic complet indicationem quæ ſumitur à febri. Deinde ratione aceti incidit, & craſſos, viſcidóſque humores attenuat, & ob ſaccharum abſtergit, & hoc modo indicationem quæ à materia deſumitur, complet, nempe coctionem, & quodammodo etiam vacuationem. Conſule Vidum Vidium *lib.6.de febrib.c.4.de Hemitritæo.*

Qua de cauſa optimo viuendi ordine præſcripto, quod ſcilicet in hora acceſſionis abſtineret à cibo, ob cauſas relatas ab Hipp.*lib.*1.*aph.*11 ne ſcilicet diſtrahatur natura à coctione humoris, néve alimentum oblatum corrumpatur, tandem vomitu in hora acceſſionis prouocato, à morbo conualuit, quoniam vomitus in febribus productis, quando videlicet materia mali in primis venis copioſior ſtabulatur, eſt efficaciſſimus, hoc animaduerſo, vt ſi velis materiam antecedentem vomitu expurgare, in die quietis cum celebrare oportet: ſi verò gratia inſtantis acceſſionis cum exercere coneris, ad vacuandum humorem qui fieri debet futura cauſa morbi, mox ante acceſſionem imperabis: mite illud quidem ſit vomitorium, quod ſuauiter peccantem humorem ex ventriculo, primíſque venis exhauriat. Vomitus mouendus eſt tepida, oxyſaccharo, oxymelite cum aqua tepida, vel raphani decocto, aut ſeminis eius. Lenis vomitorij, & mediocris formam lege *lib.* 3.*in com.hiſt.* 26.

HIST. XXXI. GALENI, De quotidiana.

A quotidiana, calidæ, & ſiccæ temperaturæ ſunt immunes.

N*Am iuuenem, bilioſa, ac ſicca temperatura præditum nunquam vidi * huiuſcemodi corripi febre, &c. Gal.* lib.1. ad Glauconem c.7.

PARAPHRASIS.

INter plurima quotidianæ ſigna quæ à Gal.2.*criſ.*3.Auicenna 1.4.*tract.2.cap.*47.& aliis proponuntur, illud eſt non infimum, cuius vi ad illius cognitionem accedimus, quum ſcilicet temperaturam paratam ad hanc febrem in promptu cognitam habeamus: Dicit ergo Galenus *in cap.* in quo eſt propoſitum exemplum hoc, quod pueri, paruuli, pituitoſi, craſſi, otioſi, crapulis dediti, ebrietatibus, balneis poſt cibum, à quotidianis facilè capiuntur, nequaquam calidi iuuenes, graciles, exercitati, abſtemij, tempeſtiuis balneis vtentes, ab ea apprehenduntur. Iuuat conſuetudo, anni tempus, regio, & aliæ res non naturales augentes pituitam, quibus omnibus concurrentibus, præcipuè ſi eo tempore quotidiana plures inuadat, tunc febrem pituitoſam fore certè Medicus poterit prædicere, quæ omnia in praxi Hiſtoriarum, *lib.de febrib.tit.de quotidiana,* examinabimus diligenter.

QVÆSTIO XXXII.

Vtrùm cauſa circuituum in febribus intermittentibus, & aliis morbis referenda ſit ad motum lunæ, planetarum, occultam proprietatem, actionem naturæ, an ad multiplicatam humoris congeſtionem, vt contra Galenum opinantur Conciliator, Gentilis, Garbius, Fernelius, Veiga, Valleriola, & alÿ Medici præſtantiſſimi.

A

COMMENTARIVM.

H*Viuſcemodi corripi febre.*] Diſcordia nullum eſſe perniciosius vitium humanis ingenitum mentibus, à magnis proditum auctoribus ſcimus: ſiquidem dum quidam ad veritatis indaginem acuunt ingenium, variæ tunc exoriuntur rerum formæ, quæ veritatis ſpeciem oſtentantes, animis noſtris fallaciarum nubila obiectant, & ſic falſis opinionibus irretiti non ſolùm alios perſuadere conantur, ſed Magiſtros ſuos multiplicibus telis laceſſunt, ac premunt. Quo pacto cogimur in hac contemplatione paulò acrius, grauiúſque incumbere, vt eius obſcuritate diſcuſſa veritas eluceſcat, & à legentibus fructus percipiatur vberior.

B Dubium eſt arduum, & plurimis difficultatum labyrinthis intricatum, vtrùm cauſa circuituum in intermittentibus, ſit referenda ad corpora cœleſtia, occultam proprietatem, naturam noſtram, vt Claſſici putant; an ad multiplicatam humoris congeſtionem, vt Galenus ſibi perſuaſit; de qua quæſtione varij varia protulere, de quorum numero ſunt Galeni interpretes *ad c.vlt.Gal.lib.* 2. *de dif. feb. & ad c.*7.Auic.1.4.*tract.* 2. & Gentilis *in extrauagantibus quæſt.*2.Conciliator *dif.* 88. Turiſanus 3. *art. medic. com.*38.Nicolus *ſerm.2.tract.2.ſum.4.c.*18.Argenter. 3.*de cauſ.morbor.c* 7.Valleſius 5.*cont.*25.Altimarus 2. *part. de febrib.c.*10.Fernel.*lib.4.patholog.c.*22. Valleriola *in appendic.loc.com.c.1.ad fin.*Caſtrenſis Luſitanus *lib.*3 *de meteoris microcoſmi, c.*17.Cardanus *lib.2.cont.tract.2.cont.*13.Ludouicus Mercatus *lib.*3.*de febrium cauſis.*Carrerius, Petrus Mercatus, & alij viri peritiſſimi.

C Hanc quæſtionem ad curationem facere plurimum, præter ſententiam Gal.2 *feb.vlt.§.Nam vt reliqua omnia ſilentio prætercam, &c.* etiam euidenter conſtat: neque enim reditus acceſſionum impediri poterunt, niſi cauſa propter quam redeunt, intelligatur: quoniam vt 6. *aph.* 31. probauit Galenus, neque dolores oculorum poterunt perſanari, niſi cauſa à qua generantur, cognoſcatur, quæ cùm varia ſit, variis præſidiis indiget.

Quapropter nos argumentum hoc ad mentem Galeni, & Auic. *locis citatis* agitabimus breuiter, diuerſas proferentes iuniorum opiniones, vt iis reiectis, priſcorum doctrina ſtabilis maneat, & inconcuſſa. Febris ergo non ceſſat, quia calor putredinoſus agit in humorem putridum, donec ipſum diſſoluat, atque ipſius humidum abſumat, & fiat omnimoda eius reſolutio, quod exactè docue-D rat Galenus 2. *feb. vlt.* §. *Reſtat nunc ergo, &c.* Vbi docet quod ſicuti ſe habent ligna ad ignem, ſic humor putreſcens ad calorem, qui ex ipſo accenditur: nam ſicuti ligna eo vſque exuruntur, & ignem conſeruant, quouſque aliquid habent natiui humoris, qui vbi eſt abſumptus, ligna in cineres vertuntur, & non manet ignis. Hoc idem obſeruatur in humore putreſcente.

His ſic conſtitutis docent Galenus, & Auicenna *locis citatis*, remiſſionem febris tunc contingere, quando humores non omninò diſſoluuntur, & tranſpirant: ſi verò omninò diſſoluuntur, quia non remanet ſubſtantia aliqua quæ calorem conſeruet, intermittit febris, quouſque alia materia de nouo accendatur, & ſic reuertitur alia acceſſio: accenditur verò alia materia de nouo, quia ſẽper in minera putredinis, humoris putridi & caloris remanet veſtigium E quoddam, & quædam veluti incineratio, & exuſtio, ex priori putrefactione relicta, cuius ratione iterum in eodem loco alius putreſcit humor, & hoc eſt quod ait Auic. 1.4. *tract.2.c.1.*& remanet cinereitas eius, & ipſius terreitas, & infra ſubdit, *& iam remanſerunt in eo reliquiæ caliditatis ex putredine prima, quamuis non remaneat materia, &c.*

Ex hac ergo vſtione relicta principium ſumit alterius acceſſionis reditus, & hoc voluit etiã ſignicare Hip. 2.*aph.* 12.dicens, *quæ reliquuntur in morbis, recidiuas facere conſueuerunt.* Et idem ſignificauit Gal.4.*aph.*63. docens *relinqui in corpore diſpoſitionem præter naturam à qua ſecundùm circuitum febres reuertuntur.* Vnde colligitur, meritò dixiſſe Auicennam in quotidianis intermittentibus omnimodam, & exquiſitam intermiſſionem non reperiri, *in* §. *Quamuis phlegmatica non eradicetur quin ibi ſint reliquiæ occultæ,*

occultæ, quòd etiam adnotauit Galenus 2.*feb.* 4. quia videlicet ex h umore, craſſo, frigido, & humido, magna fuliginum, & vſtionis copia relinquitur, quæ cùm multò minor ſit in tertianis, & quartanis, fit, vt ipſarum interuallum magis à febre ſit immune.

Vtrùm autem humor acceſſionem aliam effecturus de nouo accedat, vel ibi generetur, *loc. cit.* non explicuit Auic. quòd priùs docuit Gal. 2.*feb. vlt.* duo priùs præſupponens, primũ quod in qualibet parte corporis quatuor reperiuntur facultates, attractio ſcilicet, &c. vt conſtat ex Gal. *lib. de natur. facult.* paſſim. Supponit ſecundó quod in quouis viuente duo ſunt extranea, ſiue recrementa, alterum quantitate, alterum qualitate grauans, & ſic quando partes ſunt robuſtæ, & viæ patent, benè ſe habet corpus; quando verò pars aliqua debilis eſt, excrementa generat in quantitate, multa, quæ ſi commodè expurgari poſſunt, extra corpus pelluntur, vt ibi poſito exemplo in ventriculò ipſe edocuit, qui per vomitum, ac per aluum ſuperflua expurgare ſolet, quando verò hæc excrementa generantur in partibus, in quibus expulſioni extra corpus viæ non patent, tunc ex naturæ ordine expelluntur ad alias imbecilliores partes, donec ad imbecilimas peruentum ſit, in quibus humores, reſidentes, quum deficiat virtus, vel non adſint viæ per quas vacuentur, ibi putreſcunt, & hac ratione quamplurimæ fluxiones in corpore excitantur, ſed hæ ratione partis ſuſcipientis interdum eueniunt; quando ſcilicet debilis eſt, vel plus iuſtò calidior, vel aliqua affectione dolorifica laborat. Ob hanc ergo rationem aggregatur in loco putredinis alia materia de nouo, quæ nouam facit acceſſionem. Intelligendum tamen eſt humorem prædictæ fluxionis, vel putredini paratum non ſimul ſecundùm ſe totum fluere, vel putreſcere, ſed paulatim, ſecundùm partes, quòd ſcripſit Auerrhoës 4.*collig. c7.* dicens: *& cauſa propter quas habent circuitus, eſt quia humor qui putrefieri debet ſimul, & ſemel non putrefit.*

Plurimi de quorum numero eſt Conciliator *dif.* 88. interpolatarum ordinatos circuitus Lunæ eſſe tribuẽdos aſſeuerant: nam hac de cauſa menſtruæ purgationes certo quodam, & inuariabili ordine recurrunt. Sed hi facilè reiiciuntur, quia ſolùm alicuius circuitus cauſas docent, non tamen circuituum febrilium tradunt occaſionem.

Alij verò cauſam circuituum ad Lunæ motum non referunt, ſed aſſerunt, quod quemadmodum motus pituitæ tribuitur lunæ, ſic motùs melancholiæ tribuitur Saturno, & motus bilis, Marti, ac proinde hos humores moueri ſecundùm illos planetarum motus aſſeuerant. Verumtamen hæc opinio nulla ratione defendi poteſt, & eam reprobant Aphrodiſæus 1. *aph.* 12.*fol.* 104. Argenterius 3.*de cauſ. morbor. c.*7. Donatus ab alto-mari. 2.*part. de febrib. cap.* 10.*ad med.* Primò, quoniam hæc cauſa communiſſima eſt, de qua in præſenti non eſt ſermo, ſed de particulari, quoniam ſidera, & orbes cœleſtes, non primò, & per ſe, ſed aliquo mediante in nos operantur, quare hoc modo, non magis huius rei, quàm aliarum omnium rerum cauſas, quæ in noſtro corpore peraguntur, ad ſuperiorum vim, & prouidentiam reuocare poſſemus. Secundò, quoniam ex hac opinione ſolùm colligitur quare aliquis humor tardiùs, alius citiùs ebulliat & inſoleſcat, non tamen intelligimus quare circuitus in febribus ſint ordinati. Tertiò, ſequeretur quòd perpetuò acceſſionibus cruciaremur, quum humores in noſtro corpore contineantur ſemper. Vltimò etiam ſanguini ſuus etiam circuitus eſſet tribuendus, contra Gal. 2.*de dif. feb. vlt.* nam motus illius etiam tribuitur Ioui.

Tertia opinio famatiſſima eſt, quam tuentur obnixè Gentilis, Fernelius, & Valeriola *loc. cit.* aſſeuerántque cauſam reditus ordinati acceſſionum, eſſe proprietatem occultam, ſiue formam ſpecificam vniuſcuiuſque humoris Si verò ab eis quæras, quid ſit proprietas, reſpondent cum Auic. 2. 1.*ſum.* 1.*c.* 15. eſſe formam ſubſtantialem, qua ratione *in libro de medicinis cordialibus, tract.* 1.*c.* 10. *ad fin.* dicebat, *eſt natura inuenta in mixtis corporibus procedens ab eis*, & ſic quando aliqua actio à nulla agentis qualitate procedit, proprietati tribuitur, quæ interdum ad actiones vtitur inſtrumentis, vt ignis in calefaciendo vtitur calore.

Hæc ſententia confirmatur, quia motus v.g. bilis, quo facit periodum, de tertio in tertium certus eſt, & ordinatus, ergo certam aliquam cauſam debet habere, qualis eſſe non poteſt quantitas, aut qualitas humotis hæ enim valde euariant pro varietate victus, temporis, intemperamenti ipſius ægri, denique leui quocumque humore interturbantur.

At hæc opinio reproba eſt ob cauſas multas, & meritò refutatur ab Argẽterio, Donato, Aphrodiſæo, Herculano, & Hugone *in* 1.4.*Auic. tract.* 2.*cap.* 1. Cardano *loc. cit.* qui argumenta Gentilis apprimè diſſoluunt. Primò, quia hoc modo omnia quæſita diſſoluere eſſet facile. Secundò, hoc non eſt quæſtionem explicare, ſed effugere. Tertió, proprietas hæc non ineſt niſi rebus perfectis & animatis; ſed humores non ſunt perfecti, nec animati, quomodo igitur poterunt habere motum à proprietate?

Quartò. Multi homines ſolent aluum expurgare ſingulis diebus, certis horis, & ordinatim, quod ad proprietatem fæcum referri non poteſt. Patet ampliùs, quia fœminis ſingulis menſibus menſtruæ purgationes ordinatim fluunt, cuius ordinis cauſa eſſe non poteſt proprietas, ſiue forma ſubſtantialis humoris qui vacuatur; hic enim quandoque ichoroſus eſt, aliquando ſanguineus, ſæpè melancholicus.

Quintò. Si ordo circuituum febrium contingeret propter proprietatem, & formam ſpecificam humoris facientis febrem, numerus dictorum circuituum reſponderet numero humorum, quod falſum eſt; nam humores qui per circuitus mouentur, tres tantum ſunt, pituita, bilis, & melancholia, multò autem plures ſunt circuitus: nec enim ſolùm datur quotidianus, tertianus, quartanus, ſed etiam quintanus, ſeptimanus, & nonanus, vt docet Hipp. 1 *epid. ſect.* 3.*text.* 2.7.9. multis auctorum teſtimoniis palam fecimus *lib.* 1.*in com. hiſt.* 30.

Sextò. Non modo febres, ſed etiam ophthalmiæ, aurium, & capitis dolores, podagra, & arthritis per certa interualla, & ſtatutis temporibus exacerbantur, vt experimento conſtat, & docet Galenus 2.*feb.* 11. in quibus proprietas occulta ſeu forma ſpecifica humoris à quo fiunt, aſſignanda non eſt: nam capitis dolor, podagra & arthritis ab eadem ſpecie humoris exorta ſæpè in variis hominibus ſecundùm varias periodos exacerbantur.

Illorum verò præcipuum fundamentum corruit, quoniam licèt bilis habeat perpetuum, & conſtantem ordinem inuadendi de tertio in tertium, variata tamen quantitate, aut qualitate humoris ob aliquem errorem commiſſum etiam ille ordo interturbatur aliquando per decem, ſæpè per plures horas, anticipando, aut poſtponendo (etiamſi ſemper inuadat de tertio in tertium) quod fieri non poſſet, ſi ordo inuadendi fieret propter proprietatem & formam ſpecificam humoris. Conſule Mercurialem *lib.* 5. *de feb. c.* 8. *de feb. putridis.*

Summus medicinæ magiſter 2.*feb. vlt.* vt ſuprà ex eius mente delineauimus in febribus putridis, certæ periodi, quam habent, cauſam eſſe ſimilem aceruationem humoris in minera, quantitate, ſua, vel qualitate, vel vtraque ſimul lædentem; & ita excitantem expultricem ad expellendum. In ſingulis itaque diebus aecruatur pituita in ea quantitate, & qualitate quæ ſufficiat irritare naturam ad excernendum, bilis die tertio, melancholia die quarto cuius cauſa ſumitur partim ex varia quantitate humorum in vaſis, in his enim plurimum continetur pituitæ, minus de bile, minimum de melancholia.

Altera cauſa ſumitur ex modo ſubſtantiæ in hunc modum. In paroxyſmo febris pituitoſæ, ob lentorem, craſſitiem, & frigiditatem pituitæ, plurimum huius relinquitur in minera, quod accedentem humorem citò inficit, & ob putredinem, & calorem contractum multum, & velociter attrahit. Cõtra autem in paroxyſmo febris melancholicæ, tota ferè melancholia in minera cõtenta expellitur, quia lentore caret, & licèt ob craſſitiem ſuam plus adhuc illius in minera relinquatur, quàm bilis in paroxyſmo febrisillioſæ, tamen quia melancholia ob frigiditatem,

ſuam

ſuam, & ſiccitatem vehementer putredini reluctatur, fit vt fomes quartanæ minus attrahat in minera, & tardiùs adueniens alimentum inficiat, quàm fomes relictus in minera tertianæ, quare hæc reuertetur citiùs quàm quartana. Ergo pituita citiùs facit periodum in vnaquaque die, bilis in tertia, melancholia in quarta, quoniam experimentum docet quantitatem pituitæ ſufficientem irritare expultricem citiùs, tardiùs bilem, tardiſſimè melancholiam. Hoc modo experientia cognoſcimus tertianam exquiſitam ſeptem circuitibus terminari; & morbos acutos quatuordecim.

Nunc ad oppoſita quibus plures Galeni doctrinam lancinant, & temnunt. Et primò ſic, ſi bilis eſt acrior, & ampliùs irritat expultricem, quàm pituita; cur citiùs non concitat acceſſionem, aut ſaltem æquè citò, quàm hæc. Dic: quia pituita magis, & citiùs moleſtat ob nimiam multitudinem ſuam, quàm bilis ob maiorem acrimoniam quam habet, & præcipuè ob conceptam putredinem, quàm magis, & citiùs contrahit, quàm bilis.

Secundò, Cur in minera febris quotidie aceruatur potiùs pituita, quàm alij humores? Si enim humor aceruatur in minera, quia ab ea trahitur, trahentur præcipuè humores contenti in vaſis, non pituita ſola, immò potiùs attrahetur humor tenuior, & mobilior, qualis eſt bilis. Si verò aceruatur quia à membro expulſus, eò mandatur, cum illud à quouis noxio irritetur, non ſolùm pituitam, ſed alios humores expellet, & ſimiliter in aliis febribus non aceruabitur in foco humor vnius ſpeciei, ſed promiſcuè, & indifferenter humor in vaſis contentus.

In hoc difficili Euripo fluctuant plures. Quidam reſpondent, ſi cauſa aceruandi eſt tractus à foco, quod trahitur reddi ſimile fomiti præexiſtenti in dicta minera: ſi verò cauſa eſt in membro mandante, quum in hoc reperiatur vitium inficiens alimentun, ſimili qualitate inficietur, id quod confluere debet. Sed non videtur ſatisfacere, quia fermentum in minera febris pituitoſæ; eſt portio pituitæ, vt dictum eſt, quod autem attrahitur, ſi ſit bilis aut ſanguis, aut melancholia, non poteſt verti in pituitam, nec videtur credibile bilem tractam adeò breuiter verti in pituitam ob fomitem in minèra relictum.

Dic ergo, in febri pituitoſa pituitam in toto redundare, & proinde à minera potiſſimùm trahi: licèt enim ex modo ſuæ ſubſtantiæ ampliùs tractioni renitatur, quàm bilis, tamen cùm ſupeflua eſt, non adeò à membris retinetur, quemadmodum alij humores cùm præ copia ſunt naturæ infenſi, & oneroſi, atque ita minera in febre pituitoſa, à vaſis trahens potiſſimum pituitam attrahit, quia hæc cùm ſuperflua ſit, non adeò à natura retinetur, non ſimiliter verò trahit alios humores; quia cùm hi non excedant, multò magis à natura retinentur, & ob eam cauſam tractioni renituntur; licèt ex modo ſuæ ſubſtantiæ ſint multò aptiores vt trahantur. Quod ſi humor aceruatur in minera, quia eò mandantur à membro mandante, dic in febre pituitoſa mandari ſolam pituitam, & non alios humores, quia illa ſola excedit, & noxia eſt, quare ſola membri expultricem irritat in quo continetur. Cæterùm ferè ſimul cum pituita attrahitur etiam, & demandatur bilis ob ſuæ ſubſtantiæ tenuitatem, ob quam cauſam contingit, cur rariſſimè febres pituitoſæ exquiſitæ reperiantur.

Tertiò. Bilis faciens paroxyſmum poteſt mandari à paruo membro, ſicut à magno, & in illo multò minor copia bilis ſufficiet ad irritandam expultricem, & ita ad inducendam acceſſionem, quàm in magno: igitur febris bilioſæ circuitus maximè variabitur penes illam varietatem membri mandantis, & eadem ratione penes varietatem magnitudinis, & paruitatis mineræ, in qua aceruatur humor. Dic. Cùm in dicta minera aceruatur humor, adeſt in illa aliqua cauſa corrumpens adueniens alimentum, qualis eſt coctricis imbecillitas, vel vitium alimenti, vel obſtructio meatuum, vel fomentum in minera relictum: quare in tempore æquali membrum paruum aceruabit excrementum irritans expultricem ſuam, & membrum magnum aceruabit multum excrementum, irritans ſuam; atque ita ſeruabitur eadem periodus, ſolùm eo diſtans,

A quia quando membrum recipiens, aut mandans eſt magnum, multum durabit paroxyſmus, contra verò ſi membrum ſit paruum, acceſſio breuis erit, quum à minori copia humoris oriatur. Itaque iuxta varietatem magnitudinis, aut paruitatis membri in quo aceruatur humor, acceſſionis duratio variabit; eadem tamen ſemper periodus ſeruabitur. Dic præterea, illam varietatem non variare ſpeciem periodi, ſed ſolùm efficere anticipationem, aut poſtpoſitionem paroxyſmi.

Quartò, Aceruatio humoris in minera ſufficiens moleſtare naturam, & irritare expultricem, plurimùm variatur, tum penès victum, tum penès diſpoſitionem membri & humoris, & penès alia de quibus diximus ſuprà cùm de cauſis anticipationis, & poſtpoſitionis verba fecimus: igitur cùm horum varietas immodica fuerit, variabitur
B periodus. Dic: ſufficit quòd periodus intra ſuos terminos magnam aliquam mutationem in anticipatione, aut poſtpoſitione penès dictorum varietatem ſuſcipiat: quod ſi illa varietas immodica fuerit, tunc licèt ferè nunquam id contingat, tamen fieri poteſt, vt periodus varietur, & bilis de quarto in quartum inuadat, & pituita de tertio, in tertium, quod aliquando contigiſſe teſtatur Hugo *in 1.4. Auic. tract. 2. cap. 1. ad finem*, & colligitur ex Auic. *eodem loco c.67.* & ſic melancholia facit periodum quartanam, & quintanam, & ſextanam, & nonanam, qua omnes ab Auic. *loc. cit.* & ab auctoribus à melancholia fieri cenſentur.

Quapropter cauſam circuituum cum Galeno, & Halyabbate *8. theoriæ. cap. 3.* ad velocem vel tardam humoris aggregationem, ad facilitatem, vel difficultatem putreſcendi, & ad velocem, vel tardam humoris putreſcentis ex-
C pulſionem eſſe referendam concludendum eſt; & ſic hi circuitus determinati pendent ex quantitate, qualitate, modo ſubſtantiæ humorum, & ex loco in quo continentur; & ad quem propelluntur. Quò factum eſt vt pituita ex parte quantitatis, qualitatis & modi ſubſtantiæ crebriores habeat acceſſiones, nam oportuit eam poſt ſanguinem magis abundare in corpore, quum magis peccet defectu, quàm malitia, deinde bilem, pauciſſimam eſſe melancholiam, vt quæ vtraque qualitate vitæ ſit oppoſita. Quare cùm ex alimento citiùs colligatur copia pituitæ ſufficiens ad putreſcendum, quæ putredo illicò irritat naturam ad expulſionem, tardiſſimè melancholia, bilis medio modo, fit vt pituita ſingulis diebus acceſſiones efficiat, melancholia quarto quoque die, bilis medio modo. Hoc etiam contingit, quia pituita propter humiditatem
D manens in foco citiùs putredinem concipit, ſecundo loco bilis propter calorem ſine humiditate, tardiſſimè melancholia, quia ſiccitate, & frigiditate putredini valdè reſiſtit. Ita explicant Hugo, Valleſius, Altimarus, & Argenterius *loc. ſuprà citatis.*

Verùm Fernelius *loc. cit.* dubio quodam commotus à præfata Galeni doctrina diſcedere non erubeſcit, *quî enim fieri poteſt*, inquit ille, *vt non poſſint reddere auctores rationem, Galeni ſententiam tuentes, quî fieri poſſit, cur pituita etiamſi pauca putreſcat, quotidie tamen acceſſionem efficiat, non verò tertio quóque die, vtraque verò bilis etiamſi in pauca quantitate in vno loco putreſcat, non frequentiùs quàm tertio, vel quarto die faciat acceſſiones?* Dic: Miror Fernelij ingenium ſagaciſſimum, vt qui in re non ita obſcura hoc fultus argumento Galeni placita contemnat, & damnet: nam ſola quantitas non ſufficit, ſed ſunt ſimul alia adiungenda, & licèt pituitam redundare in pauca quantitate
E concedamus, tamen ob ſuas qualitates, & modum ſubſtātiæ crebriùs putreſcit, quàm bilis, & melancholia etiam in multa quantitate excedens. Quod ſi dicamus bilem in tertiana duplici, & melancholiam in quartana ſimplici propter redundantiam ſingulis diebus ſuas facere acceſſiones: reſpondendum eſt in tertiana duplici duas eſſe conſtituendas mineras putredinis, & in quartana triplici. tres, ex quibus in locum putredinis humores per vices demandantur: quod deducitur ex eo, quia in tertiana duplici primis acceſſionibus proportione reſpondent, tertiæ, & ſecundis, quartæ, quod etiam in quartana triplici; quando verò ex vno loco demandatur bilis, & melancholia

melancholia, illa ſemper de tertio in tertium,hæc de quarto in quartum ſuas facit acceſſiones.

Sed iam tempus eſt, vt ad eas refrigerandas rationes accedamus, quibus inſignis Thomas à Veiga perſuaſus, à Galenica doctrina diſcedere cogitur,& contra has periodorum cauſas à Galeno, Auicenna, & plerìſque receptas inſurgit, *lib. 2. de dif. feb. cap. vlt.* multiplicationem acceſſionum, nec in febribus, nec extra febres pendere à multiplicata humoris congeſtione in quauis acceſſione, ſed ab opere naturæ aggredientis per certa interualla humorem iam contentum in minera,ad coctionem ſemi-mali, & ad expulſionem integrè mali, ex pluribus potiores rationes in medium afferemus,quibus ſolutis aliæ quas ibi affert minoris momenti explicantur.

Prima. In febribus continuis proportionalibus materia febris quæ efficit ſecundam, & reliquas acceſſiones, non generatur poſt primam acceſſionem, ſed ante eam præerat in vaſis, ergo ſimiliter in febribu s intermittentibus humor efficiens ſecundam, & reliquas acceſſiones præexiſtebat etiam extra venas, & non fuit à vaſis demandatus. Dic: In continuis proportionalibus in quauis acceſſione demandari etiam materiam febris ad locum putredinis,in quo licet non omnino abſumatur in fine cuiuſcunque acceſſionis, reſoluitur tamen ſecundùm aliquam partem, vt vt patet ex notabili remiſſione febris.

Secunda.Si acceſſio tertianæ v.g, penderet ab expulſione bilis ad locum putredinis, ſequeretur in declinatione potius acceſſiones inuadere per quartum, aut quintum, quàm per tertium quia ea bilis copia quæ ante declinationem membri mandantis expultricem irritabat, iam in declinatione longius tempus requirit, vt aceruetur;ergo non pendet ſecunda acceſſio ex eo quod humor iterum demandetur à parte mandante ad ſuſcipientem. Dic: In declinatione tertianæ licèt acceſſiones non inuadant per quartum,aut quintum, ſed per tertium, vt in aliis temporibus, poſtponere in eadem die notabiliter propter minorem copiam bilis:poſtpoſitio enim in acceſſionibus comitatur declinationem vniuerſalem, vt colligitur ex Gal. 1. *criſ.* 3.

Tertia. Repetitio plurimarum acceſſionum intermittentium pendet ex ſola agitatione humoris noxij, & non ab expulſione ipſius in aliquam partem, ergo ſimiliter in febribus nouæ acceſſiones pendebunt ex ſola noua humoris agitatione in loco putredinis, quin ille in quauis acceſſione ad locum putredinis demandetur, & abſumatur. Antecedens patet in morbis multis, quoniam in omnibus inflammationibus, tam externis, quàm internis. in quibus per declinationem quando iam ceſſat in totum fluxio, reperiuntur etiam certæ acceſſiones, ſiue exacerbationes, quæ ex noua defluxione oriri non poſſunt,ergo ex ſola agitatione humoris in parte inflammata oriuntur. Patet ſecundò in epilepticis, qui intra diem vnam centum habent acceſſiones, in quibus omnibus non videtur humor quamlibet acceſſionem efficiens ad partem laborantem demandari, præſertim cùm in ipſis diſſectis appareat intra caluariam pauciſſima aqua, vel humor perniciofus per interualla agitatus. Patet tertiò in hyſtericis acceſſionibus, in quibus non videtur in quauis acceſſione demandari copiam ſeminis, vel menſium corruptorum ad locum putredinis, quum aliquando creberrimè repetat acceſſio in die,ergo ſola agitatio eiuſdem humoris ſufficiens eſt generare plures acceſſiones in affectibus intermittentibus, & ſic non oportet in quauis eatum humorem ipſum abſumi, & alium de nouo aceruari.

Dic: quod licèt concedatur in aliquibus affectionibus intermittentibus acceſſiones, & repetentias pendere ex ſola humoris agitatione ſine noua humoris demandatione, in febribus tamen illud non propterea concedetur,in quibus in acceſſione quauis nouæ defluxionis ſigna apparent, vt conſtat ex rigore, ſudore, vomitu, alui deiectione, & aliis. Deinde id quod aſſumit argumentum vndequaque verum eſt. Ad probationem dicendum eſt in ipſa inflammationum declinatione pendere acceſſiones ex fluxione nouæ materiæ, quia adhuc in eo tempore aliquid fluit, licèt in quantitate, parua, vt colligitur ex Gal. *lib. 1. de compoſ. medicament. per genera, cap. 4.* dum ſic ait.

Lib. IV.

A *Itaque propterea chalcitidem & palmã digerentibus admiſcui, nõ ignarus paucas omnino phlegmonas diuturnas exiſtere quibus nihil influat: Nam ob humores in eas confluentes diutina eſſe ſolent.* In epilepſia autem etiam acceſſiones per notabilia interualla ex noua demandatione,vel aceruatione humoris contingunt,quum maior ipſius pars in vnaquaque acceſſione abſumatur,vt patet ex ſpuma per quam finitur acceſſio, licèt rariſſimè contrarium eueniat, quando videlicèt acceſſiones rariſſimæ ſunt quod ſimiliter de acceſſi onibus hyſtericis eſt affirmandum.

Quarta. Si materia febrium intermittentium in quauis acceſſione flueret à vaſis ad putredinis locum,ſemper vrina in illis intra vaſa exiſtentibus indicaret vitium ipſius, atqui ſæpè in iis vrina bona eſt; ergo materia febriũ intermittentium non demandatur à vaſis in quauis acceſſione.

B Dic: vrinam in febribus intermittentibus non eſſe ſemper bonam, quia humores qui in vaſis conſiſtunt notabile vitium habeſit:nec enim oportet in febribus vrinam ſemper vitium oſtendere, niſi quando materia coniuncta febris in vaſis continetur: in intermittentibus autem ſola cauſa antecedens in vaſis exiſtit,quæ aliquando non eſt ſufficiens vitiare vrinam, vt per ſtatum, & declinationem continuarum etiam contingit.

Quinta Quartana continua rariſſima eſt, intermittens verò frequens, hoc autem accidit, quia ob malitiam atræ bilis ea non aceruatur intra vaſa,ſed extra; ergo in quartana intermittente non demandatur atra bilis in quauis, acceſſione, à vaſis ad putredinis locum extra vaſa,ſed ibi aceruatur. Dic: quartanam non ex eo rarò continuam eſſe, quia humor ex quo generatur, propter paucitatem non aceruatur in vaſis, ſed extra: Nam hic humor non ita

C prauus, eſt quum morbum adeò ſalubrem efficiat:non fit enim quartana ab atra bile, ſed à melancholia putrefacta, quæ eſt in confinio atræ bilis: fit verò rarò quartana continua, quia propter exiguitatem illius facilè humor poteſt pelli extra vaſa.

Sexta. In tertiana intermittente ſalubri ſæpæ excernitur prauiſſima bilis, quæ in vaſis non niſi lethaliter generatur, ergo dicendum eſt eam extra vaſa aceruari, non verò eò demandari ab ipſis vaſis. Dic:mirum non eſſe eam bilem excerni à vaſis in tertiana intermittente, quum per alios morbos ſalubres, immò in ipſa tertiana non admodũ diſſimilis ab ipſis vaſis excernatur,vt patet in ſuperpurgationibus in quibus tanta bilis quantitas non poteſt educi niſi ab ipſis vaſis. Firma ergo,& conſtãs manet cauſa circuituum febrium in generali, quam admirabili ordine

D Galenus, & poſt eum Auicenna diligentiſſimè expoſuit.

Adde quod quemadmodum natura docta ſine doctore, ex Hipp. *l. de alimento num* 8. in variis morbis varios eligit dies ad pugnam,quos criticos vocant; ſic etiam iuxta variam neceſſitatem in variis humoribus febrem facientibus, breui tempore, aut diutiùs quieſcit ante ſuam pugnam. In quotidiana, quia ex præcedente actione propter lenitatem ſymptomatum, & febris, non ita debilis euaſit, non eget tam ampla quiete, quare quotidie inuadit, In tertiana verò ob magnitudinem rigoris, & febris, manet magis defeſſa; vino interpoſitto die quietis, tertio quoque die redit. In quartana verò propter magnitudinem febris cum longitudine rigoris vehementer defatigata exiſtit, quarto quoque die reuertitur. Hanc opinionem habuit Thomas à à Veiga *loco ſupra citato*, quam cum ſuperiori concurrere nullus ignorat, nam cauſam circuituum ad opus naturæ, eiúſque innatam doctrinam referre

E videtur, & firmari poteſt ex Hippocrat. 1. *aph.* 9. qui acceſſiones, criſes, ſiue iudicationes appellat, quod non alia ratione feciſſe videtur, niſi quia quemadmodum criſis, ſiue iudicium fit à natura ſeparante à bonis mala, & ad excernendum properante, 2. *aph.* 13. ita & acceſſio à natura ipſa pugnante fit, quæ certos habet dies determinatos, vt in illis acceſſiones queat excitare. Verùm licèt hæc opinio non ſit omnino inepta, quum ad mouendas acceſſiones natura plurimum iuuet: non eſt tamen hæc cauſa, vt totalis recipienda,quum aliæ etiam præter opus naturæ à Gal. doctè, & ingenioſè nimis proponantur, vt ſupra ex eius mente

PPp palam

palam fecimus. Conſule de hoc argumento Amatum 7. *cen ur.*Peramatum *lib.de humorib.cap.* 3 3.

HIST. XXXII. TRALIANI, Auenzoaris,& Rhaſis,de quartana,

Quartana, purgatione curata.

EGo itaque noui quendam ex his qui quartana ex terreſtri,& frigido humore laboraret,ita huius victus rationis vſu laboratum, vt etiam per aluum humorem ſuperantem excreuerit. Erat autem id quod excreuerat adeò valdè nigrum, vt nonnullis Medicorum metum induceret,non modo ob colorem, ſed etiam propter copiam euacuatam. Verùm quod æger paulo poſt,morbum faciliùs ferre inceperit,& quod lien,qui anteà maximus erat,paruus euaſerit,effecit,vt omnes bene ſperarent,& nihil ampliùs mutuerent, &c. Trallianus lib.12.cap.8.tit.de vomitu.

PARAPHRASIS.

QVartanarios non ſemper calfacientibus egere, hac hiſtoria conatur Trallianus patefacere: Cùm enim multiplex ſit quartanæ ſpecies, & alia qua ex flaua bile nimium aduſta, altera, quæ ex fæculento ſanguine oritur, ita curationis modus eſt diuerſus: Nam hæc calfacientibus, & humectantibus; illa refrigerantibus, & humectantibus eget. *Mihi itaque ſubit mirari*, inquit hoc loco Trallianus, *quomodo diuiniſſimus Galenus in omnibus non alium quendam victum, quam qui calfacere ipſos, & exſiccare poſſit,præcipere videatur; præbet enim ipſis antidotum diatrion pipereon,& quod dioſpolites dicitur; item liquorem cyrenaïcum & piper,& in vniuerſum præcipit abſtinere ab iis quæ refrigerant, & humectant, quod humor morbum faciens frigidus ſit. Verùm etſi humor melancholicus calefacientia deſideret,non tamen neceſſariò etiam ſiccantibus indiget,ſiquidem quia frigidus eſt,& ſiccus,calefacientibus,& humectantibus opus habet: nam humida febri conferunt, terrenum humorem emolliunt; calida enim ſiccant,aſſant humorem,& craſſiorem reddunt, & abſumpta humiditate magis terreſtrem faciunt,*

Quapropter frigido victu hic æger gubernatus, & eius ope remiſſo feruore, eum ita deuictum, natura alacrior facta, vt grauem per inferiorem regionem excreuit. At ſi inquiras,vtrùm ab omnibus calefacientibus ſint abſtinendi quartanarij, vt Trallianus voluit,an illis contra curandi,vt Gal.affirmat? Dic: auctores in huius dubij explicatione eſſe diſcordes. Galenum ſequuntur Aëtius *tetrab. ſerm.*1.*c.*84,Oribaſ.*lib.*1.*ſynopſ.*13.Auer.7,*collig.*14. Eum carpunt Trallianus hic, & Auic.1.4.*tract.*2.*cap.*64.

Viderunt hanc controuerſiam Andernacus, Altimarus, Acakia, & Trincauellius *in com.cap.*11.*lib.*1. *Galeni ad Glauc.* quo loco ſcribit Gal. quartana correptos abſtinendos eſſe à frigefacientibus, & humectantibus, omnéſque cum Leoniceno deprauatum eſſe contextum aſſeuerant,legendúmque potius ipſos ab omnibus frigefacientibus & exſiccantibus eſſe interdicendos.Sed qua ratione hoc proponant,ignoro prorſus,cùm antiqui,& manuſcripti Græci codices,& citati auctores fidè Gal.verba transferentes contrarium affirment,& Stephanus Athenienſis, huius loci eruditiſſimus interpres appoſuit: licèt enim frigida & humida proſint ratione humiditatis,frigiditatis tamen cauſa plurimùm obeſſe queunt.Hos ergo concilia hoc modo. Si quartana ex flaua bile aduſta oriatur, frigida, & humida offerenda: ſi ex limoſo ſanguine,calida,& humida ſunt ex vſu.Conſule Mercurial.*lib.*5.*de feb.cap.*11.

Hoc modo curatio à Tralliano præſcripta ſummo remedio fuit. Quia nigerrimus humor, bilis aſſatione, ſanguinis fæx redditus, ſi ſignis coctionis præcedentibus excernatur, iuuat: quando enim poſt morbi coctionem aliquis humor vitioſus excernitur, tunc corpus à natura expurgatur, & propterea atra bilis, & alius omnis huiuſmodi humor, vbi ſigna coctionis in morbi proceſſu apparuerint, bonam ſignificat euacuationem, vt monuit Galenus, 4.*aph.* 22. ſic plurimis deiectiones nigras in peſtilenti morbo apparuiſſe, *cit.loc.aph.& lib.de atra bile cap.*4.retulit Galenus.Quare deiectio nigra etſi in aphoriſmis, & prognoſticis reprobetur, ſi tamen cum ſignis coctionis vacuetur, morbum leuat, provt *lib.*2.*in com.hiſt.* 78. latè protulimus.

Hiſtoria ſecunda. *Pater meus curauit quendam ex quartana tali modo, ſcilicet quod præcepit infirmo, vt quælibet die comedere deberet tria nuclea perſicorum,mundata cum aqua calida vſque ad decem dies, & poſtea purgauit eum ſufficienter cum medicamento laxatiuo educente illum humorem, & ſic liberatus fuit perfecte,&c. AuenZoar* lib.3. theizir. tract.2.cap. vlt.

Cùm quartana ex frigido, terreſtrique humore originem ſuam habeat, neceſſe eſt medicamenta calida exhibere, quorum ope frigidus humor coqui, craſsúſque attenuari queat. In hunc vſum ex nucleis perſicorum parat auxilium,quod vtiliſſimum eſſe, in hoc morbo, & erraticis febribus ter iam ſum expertus, nec diſſuadet ratio. Nam perſicorum nuclei amaritudine ſua infarctus expediunt, craſſa attenuant, lentáque incîdunt & partes mirandum in modum roborant, & adſtrictione ſua ſatis firmant.Ita Galenus 11. *meth.cap.*16. abſinthium Ponticum in iecinoris,& ventriculi inflammatione plurimùm laudat,firmat Meſuë *in canonibus vniuerſalibus theoremat.*1.*&* probat Manardus 19.*epiſt.*2. Inſuper pituitam, craſſóſque humores, in hoc morbo ex debilitate partium naturalium regenitos, ventriculóque tenaciter hærentes abſque alterius adminiculo abſtergunt, & expurgant. Ita nuclei amygdalarum amararum deobſtruunt, & abſtergunt, ex Gal. 2. *de alim.c.*29.Exhibuit ea mundata,hoc eſt extracta pellicula exteriori, quæ cùm craſſa ſit, ventriculo negotium faceſſit, & licèt in alio codice legatur [*abluta cum aqua calida*]priorem lectionem magis probo:Nam ablutione vis illa amara deperditur,cuius vi attenuant, & incidunt: plura enim inueniuntur amaritudinem non exiguam præ ſe ferentia, vt virides nuces,quæ per aſſiduam ablutionem, ſeu macerationem, aqua ipſa ſingulis permutata diebus, omnem amaritudinem exuunt, & inſipida fiunt.

Huius ergo præſidij vi, attenuato & vacuato humore craſſo, terreno, & melancholico conualuit. Notabis tamen ipſum exhibuiſſe laxatiuum medicamentum, lene illud quidem, & non violentum, quod in curatione quartanæ eſt reprobum valdè: quoniam quartanas ab initio blandè tractare oportet, nullum forte medicamen acre propinantes: Nam melancholicus humor ferinam habet naturam, naturæ noſtræ admodum infenſam, & vtriſque qualitatibus aduerſam, quare ad coctionem difficilis eſt, & difficilior ad euacuationem,quàm ſi cum medicamentis calidis, & acribus vel præparare, vel vacuare coneris; partes tenuiores diſcutiuntur, & craſſæ ſicciores redduntur, & ſic humore tenaciori reddito diuturnior fit,& contumacior. Quæ autem ſint purgantium leuiorum formulæ, tibi indicabit Ludouicus Mercatus *lib.*6.*de febrib.cap. de quartana.*

Hiſtoria tertia. *Vidi ego quartanarium. qui paucos paroxyſmos habebat, & ſumpſit in potu catholicum, & laxatus eſt quindecim vicibus,nec redit febris omnino, &c. Rhaſius lib.*3.*continent.tract.*9.*cap.*2. Quartana longiſſima eſt,nam terreſtris humor medicamentis cedit difficulter, quia ſiccitate ſua valdè reſiſtit, & hæc corrigitur per humiditatem, quæ minus actiua eſt, pigra in agendo. Hanc autem febrem,legitimam fuiſſe,& exquiſitam,ex eo coniectandum eſt,quoniam vel leuiſſimo expurganti, quale eſt catholicum, ſuccubuit, quoniam à naturali melancholia citra alterius humoris admixtionem originē ducebat,quæ minori negotio à natura, & medicamentis curatur,quàm quæ à melancholia aduſta,aut flaua bile ſuperaſſata, quæ in atram commigrat, oriri conſueuit.

Meritò autem catholicum obtulit, quippe quod medicamentum eſt benignum, & familiare, & citra moleſtiam omnes humores euacuans, ſi Meſuæ fidem adhibemus *tract.de electuariis,tit de catholico*: Nam in præſentia humoris

humoris melancholici benignis ſolùm pugnandum eſt. Si verò Galenus *lib. de atra bile cap. vlt.* ſtrenuè expurgat in initio affectus, qui à melancholico humore originem ducit, de præſeruatione eſt intelligendus: & *in lib. ad Glauc.* de curatione interpretandus.

QVÆSTIO XXXIII.

Vtrùm in quartanæ acceſſione ſit aliquando purgatio celebranda, vt Hippocrates voluit.

COMMENTARIVM.

ET *ſumpſit in potu catholicon.*] Occurrit in propoſita dubitatione controuerſia non exigua, vtrùm aliquando in quartana in die acceſſionis, vel in ipſa acceſſione ſit purgatio imperanda. Pro parte affirmatiua habemus ſtrenuum ducem Hippocratem, qui *lib. de affectionibus n.* 17. ſic præfatur. *Si verò quartana apprehenderit, ſi quidem impurgatus fuerit, primum caput purgato, & interpoſitis tribus, aut quatuor diebus pharmacum ſurſum verſus purgans dato in ipſa apprehenſione, &c.* Idem conſuluit faciendum Aëtius, *tetrab.* 1. *ſerm.* 3. *cap.* 125. probant proprio experimento Amatus, 1. *centur.* 8. Harculanus, *c. de febre quartana*, & colligitur ex Auic. 1. 4. *tract.* 2. *c.* 12.

Secundò in duplici tertiana, quartana triplici, quotidiana, & in febribus continuis per ſubingreſſum in die acceſſionis vacuandum eſt. Idem etiam fit in ſynocho putri, cauſo legitimo, in quibus exacerbationes ſenſum latent. Ergo ſi in his morbis, etſi paroxyſmus ſingulis diebus inuadat, purgatio celebratur, multò magis in paroxyſmo quartanæ eſt imperanda.

Tertiò. Quo tempore humores mouentur, magis apti ſunt vacuationi, ſed in die acceſſionis mouentur, tunc ergo à Medico ſunt vacuandi. Maior eſt manifeſta, minor probatur, quia ſi Medicus debet imitari naturam rectè operantem, 1. *aph.* 2. *& lib. de ven. ſectione aduerſ. Eraſiſtrat. cap.* 5. & natura ſæpè finit morbum vacuationibus magnis factis in tempore paroxyſmi, immò criſis perpetuò fit in paroxyſmo, 3. *criſ.* 4. §. *Oportet enim criſim in idem tempus incidere cum acceſſione, &c. &* 4. *aph.* 36. *&* 3. *de dieb. decretor.* 8. ergo in eiuſmodi tempore debet Medicus vacuationem exercere.

Quartò. Quò natura vergit, eò ducere oportet, 1. *aph.* 21. ſed ſæpe in acceſſionibus humor vergit ad os ventriculi, & inteſtina, vomitum concitans, & alui fluxum, ergo hic motus debet à Medico adiuuari. Ita faciendum Auic. præcipit, 1. 4. *tract.* 2. *c.* 12. offerens in acceſſione agaricum, diaphœnicum, & alia.

Pro parte negatiua facit textus eximius Auicennæ, 1. 4. *tract.* 2. *c.* 7. §. *Et ne moueas in die paroxyſmi quantum tibi poſſibile eſt, neque cures febrem, &* 4. 1. *c.* 20. §. *Phlebotomia quoque, nec vacuatio ventris non fiat in die motus ægritudinis.* Ratio vulgatis, quia afflicto non eſt danda afflictio, quare vltra illam afflictionem, aut perturbationem naturæ quam præſtat paroxyſmus, non eſt vtile aliam adiungere, quam purgatio præſtat. Hoc modo imperat faciendum, 1. 4. *tract.* 2. *c.* 7. §. *Cum ergo exerces vacuationem, tunc conſidera horam interpolationis, aut horam ipſius temporis, aut frigidiorem horam quæ eſt in die, & non euacues per fluxum ventris in die periodi, &c.* Audi inter multos Sauanarolam *c.* 15. *rubric.* 2. *de cura quartan. Quidam dederunt in principio acceſſionis medicinas fortiſſimas educentes melancholiã, quos non ſequaris, quamuis ſibi aliquando benè ſucceſſerit: eſt enim rectum ab errore, nec caret reprehenſione, ſicut dux errans quamuis ſibi benè ſuccedat, &c.* Conſule Petrum Mercatum *tract. de febrib. c. de quartana.*

Hanc doctrinam plures confirmant rationes. Prima; quia natura acceſſionum violentia perturbata, nec probè medicamentum in actum deducere, nec regulare poteſt. Secunda, quia vires ex acceſſione imbecilles, ex medicamento, & euacuatione debiliores redduntur, ita vt concidere poſſint. Tertia, quia per acceſſionem intenſio febris maior eſt, quàm in aliis circuitus partibus, & tunc à caliditate medicamentorum febricitantes in immodicam intemperiem labuntur. Quarta, quia in die acceſſionis mouetur humor è centro ad circumferentiam: medicamentum verò diuerſo motu humorem attrahit, quare perturbatur natura, impeditur purgatio, vel cum difficillimis ſymptomatibus celebratur. Vltima, quia in die acceſſionis, ſeu exacerbationis ſolet criſis contingere, at in diebus criticis non licet vacuationem moliri: Nam ſi aliter feceris, vel diſtrahes naturam, vel eam præcipitem reddes.

Thadæus, & Gentilis, 1. 4. *tract.* 2. *c.* 7. aliam, nec minorem aſſignant cauſam: Nam vel in die paroxyſmi vacuanda eſt materia coniuncta, vel antecedens: non illa, quia tempore paroxyſmi extra venas ad partes externas mouetur, & ſic non conuenienter medicamento educitur: non antecedens, hæc enim in die quietis, & in die paroxyſmi, quieſcit, quare tutius in die quietis vacuabitur, in quo virtus robuſtior exiſtit, nec adeò à medicamento purgante redditur imbecillis.

His iactis dubium diſſolue, ſi dicas, de cura regulari non eſſe vacuationem faciendam in paroxyſmo, & reſponde ad primam rationem, librum non eſſe Hip. nec ea doctrina Hipp. eſt digna, quum ibi curationem quartanæ incipiat à capitis purgatione, quod conſilium à recta methodo eſt alienum. Immò, 6. *aphor.* 1. Galenus ambigit num hic liber ſit Hip. an Polybi eius diſcipuli. Aëtius verò non loquitur de vacuatione per aluum, ſed per vomitum, & forte, non ex ſua, ſed aliorum opinione id facit. Si verò aliqui quartanarios ſe curaſſe gloriantur exhibito medicamento in acceſſionis die, vt ſcilicet motus humoris qui fit in die acceſſionis, craſſum, & terreum humorem attenuaret, faciliorémque faceret ad expurgationem: ita explicandi ſunt cum auctore *lib. de morbis*, vt fiat purgatio in quartana quinque aut ſex horis ante aduentum acceſſionis, quo tempore adhuc non adeſt moleſtia paroxyſmi, & humor iam commotus eſt, & ita paratior ad euacuationem, qui ad eam ex natura ſua ob craſſitiem, & tenacitatem erat ineptiſſimus. Quare licèt in die quietis natura ſit magis robuſta, & ad ferendam ex vacuatione agitationem magis capax: tamen quia hoc tempore hic contumax, & rebellis humor valdè quieſcit, fit vt non adeò commoda ſit purgatio vt in die paroxyſmi, quod ſimiliter de tertiana notha, & longis aliis febribus eſt proferendum; nam ſi hæ producantur, vel quartana duplicetur, & timor ſit ne ob copiam humoris natura ſuffocetur, vel ob ſymptomatum ferocitatem vires diſſoluantur: tunc de cura coacta, in die acceſſionis, non in ipſa apprehenſione, vt auctor *lib. de affectionibus* imperat faciendum, purgatio offerenda: quo tempore ſi ob vrgens periculum morbi præſentis ſanguinis miſſio ſæpe vtiliter exercetur, vt in exitu ſanguinis ab ore, ſuffoccationis periculo, aut interna inflammatione; cur etiam purgatio non adminiſtrabitur? Hoc voluit ſignificare Auic. 1. 4. *tract.* 2. *c.* 7. dicens, *ne moueas in die paroxyſmi quantum tibi poſſibile eſt*, quia aliquando Medicus purgationem eo tempore moliri cogitur.

Ad ſecundam dic: in illis febribus vacuationes faciendas eſſe tempore remiſſionis, quum non poſſint fieri extra acceſſiones.

Ad tertiam dic: quod licèt humores tempore acceſſionis moueantur, motus tamen ille eſt maximè moleſtus naturæ, ac proinde non eſt illi alia commotio adiungenda, ne ſcilicet duo validi motus in vno die contingant, naturæ mouentis ad extra, & medicamenti trahentis ad intra, quo pacto vel impeditur purgatio, vel hæc effrænis fit, ac moleſta valdè.

Ad quartam dic: criſim fieri in tempore paroxyſmi, & in exarcerbatione febris, non quia hoc tempus magis conueniens ſit ad vacuationem, ſed quia in eo natura maximè oppreſſa, & agitata à morbo, quaſi coacta, aduerſus morbum inſurgens, cauſam morbificam expellere tentat: & tunc in hunc vſum præbet Auic. agaricum ad iuuandum vomitum, quæ pugna non fit ſimiliter in die quietis: nec enim eo tempore irritatur valdè, quare cùm artificialis vacuatio Medici non fiat propter pugnam naturæ aduerſus cauſam morbi, commodior fiet in die quietis, quo tempore virtus firmior eſt. Quod igitur

aſſeritur Medicum debere imitari naturam rectè operantem, intelligatur penes genus operationis, non autem penès horam illius. Quare licèt in die paroxyſmi ferè medicamentum purgans non ſit propinandum, tamen in quartana aliquando poſſe concedi vtiliter, affirmamus: nam axiomata medica, & cautelæ Auicennæ non ſignificãt perpetuitatem, ſed frequentiam. Hoc modo ſanguinis miſſio in die acceſſionis interdicitur, quæ interdum eo tempore ſalubriter euitandi maioris morbi, aut periculi auertendi gratia, celebratur. Sic in acceſſione à cibo abſtinere optimum eſt, vt præcepit Hip. 1. *aph.* 11. cùm ſæpe in hoc tempore alimonia oblata ſummo ſit ex vſu, vt docuit Gal. *lib.* 10. *meth. c.* 4.

HIST. XXXIII. GALENI, De quartana.

Quartanam theriaca ſanat.

QVa de cauſa theriaca quartanis etiam febribus optimè conuenit: quum enim febris ab atra bile conſurgat, facilè ſumpta theriaca diſcedit, modò quis ipſa ſeruatis medicæ artis præceptis vtatur. Ego namque multos quartana laborantes hac vſus artis ſemita facillimè à morbo vindicaui. Primum enim cum cœnaſſent, vt euomerent feci, deinde ſequente die ſuccum abſinthij bibendum tradidi, quo bilem contemperarem, ac veluti edulcorarem. Poſtremo duabus horis ante inuaſionem antidotum exhibui, atque ita cum omnium admiratione voti compos euaſi, cùm celeriter, is qui theriacam ſumpſerat, liber ab inuaſione maneret. Galenus* lib. de theriaca ad Piſon. c. 15.

PARAPHRASIS.

MIra eſt theriacæ aduerſus morbos chronicos, & acutos efficacia, atque poteſtas: quorum amplam ſyluam ſi numerare intendam, timeo ne in ipſo limine potius obruaris, quàm optatum finem attingere poſſis, & præſertim cùm *in l. de theriaca ad Piſon.* eorum catalogum latiſſimè proponat Galenus, & nos de eius admirandis virtutibus fusè *infrà* referemus. In quartana autem prodeſt, quoniam melancholicum humorem attenuat, coquit, & ad euacuationem paratum reddit, & ita illius ope roborata natura per varias regiones humorem peccantem excernit.

Cur autem ante antidotum, prius conſuluit vomitum, & ſuccum abſinthij obtulit, ea eſt ratio, vt ſcilicet deobſtructis viis medicamentum promptiùs penetraret, tenacémque humorem educeret. Vomitus ergo beneficio, primas vias, craſſi, lentíque ſucci ſarcinâ obrutas, & infarctas leuauit: deinde ad maiorem præparationem ſuccum obtulit abſinthij, vt ſtomachum ex vomitu concuſſum firmaret, & ad ferendum deinceps antidotum redderet robuſtiorem. His peractis, duabus horis ante acceſſionem theriacam obtulit, antiquam intellige: Nam hæc cùm in poſtrema ſua ætate eſt, rigoriferos febrium inſultus mitigat, & humorem attenuatum per varias regiones expellit, vt teſtantur Aëtius *tetrab.* 4. *ſerm.* 1. *c.* 9. Paulus *lib.* 7. *c.* 10. quo autem tempore ſit theriaca propinanda, in ſequenti hiſtoria late narrat Galenus.

QVÆSTIO XXXIV.

Vtrùm minera febrium intermittentium perpetuò ſit conſtituenda in prima corporis regione, vt contra Galenum opinantur Fernelius, Mercatus, & Thomas à Veiga; an in habitu corporis, vt docuit Galenus; an aliquando in aliis partibus poſſit reperiri.

COMMENTARIVM.

I*Nuaſionem.*] Tam anceps, difficilis, & à variis agitata eſt quæſtio hæc, tot auctorum opinionibus inuoluta, & tantis, iiſque probabilibus rationibus à peritiſſimis auctoribus munita, vt quam partem ipſe ſequar, prorſus ignorem, quo pacto in tanta diſcordia, quid ſentiendum ſit arduum videtur. Et ſic cum doctiſſimo Coſtæo *in com. cap.* 1. *fen.* 1 4. *tract.* 2. *Auicenna*, rectè omnes de intermittentium & continuarum febrium loco arbitrari, ſed non perpetuò id eſſe quod ſinguli aſſerunt, mihi perſuadeo. Sed priuſquam de propoſita quæſtione inter has variè opinantium claſſes, meam apponam: Aſſeuero omnes vnanimiter concedere, conſtituendum eſſe locum in febribus putridis, in quo humores cumulantur, & in eo putreſcentes, ſunt cauſa acceſſionis, & rigoris. Hunc locum Barbari mineram, Latiniores focum, ſeu fomitem putredinis vocant. Auic. 1. 4. *tract.* 2. *c.* 1. §. *Cholera autem, & phlegma, & melãcholia, &c.* in intermittentibus febribus humores putrere extra vaſa, in continuis verò intra vaſa manifeſtè edocuit, quam doctrinam exhauſit à Galen. 2. *feb.* 1. §. *Vbi etiam generis febrium diximus differentiam, &c.* Quapropter Galenus 2. *feb. vlt. ad fin.* §. *Reliquum eſt vt febrium genus, &c.* colligit rationem ob quam aliæ febres habeant circuitus, & aliæ ſine circuitu vnica finiantur acceſſione: & ſic *lib.* 2. *c.* 2. duplex eſſe genus continuarum febrium aſſeruit, alterum earum quæ à continuo feruore ſynochæ appellatur, alterum earum quæ per circuitus intermittentium inſtar repetere ſolent. Idem confirmat, 2. *criſ.* 6. § *Nam exquiſita febris ardens, &c.*

Praxagoras diſcriminis cauſam eſſe aſſerebat, quia in continentibus putrecebat humor in vena caua. Quam opinionem referens Galenus, 2. *feb. vlt. ad fin.* inquit, *quanquã abſolutior, ac verior ſermo hunc in modum diceretur, quæcũque ægritudinum per circuitus acceſſiones faciunt, ex membrorum diſpoſitionibus ortum habent, quæ ſcilicet membra vel mittunt, vel ſuſcipiunt, vel generant, vel attrahunt ſuperfluitates eo quo nuper diximus modo. Sed quæ circuitum non habent, in iis nulla eſt corporis pars, quæ præcipuè ſit offenſa, ſed qui in venis, & arteriis omnibus continentur humores.*

Hanc ſententiam optimè interpretatur Auic. 1. 4. *tract.* 2. *c.* 1. dicens, *& quando eſt intrinſeca, communis ſuper venas omnes, aut ſuper plurimum earum quæ vicinantur cordi, tunc non ſunt forſitan additiones, & remiſſiones apparentes, cum autem eſt ſecundum contrarium eius, apparent alterationes manifeſtæ, &c.* vbi per verbum [*ſecundum contrarium eius,*] intelligit in aliis continuis putreſcere humores non in omnibus vaſis, neque in magnis, ſed in paruis, vel remotis à corde. Ex quibus conſtat apertè mineram putredinis in febribus continentibus eſſe in omnibus vaſis, vel in plurimis cordi propinquis: in continuis verò per circuitus repetentibus, in aliis, non quidem maximis nec cordi propinquis, in intermittentibus autem extra vaſa.

Sed hæc Galeni, & Auic. de cauſa continuitatis febrium, & intermittentiæ ſententia non videtur perpetuò vera: Nam durum, & creditu difficile eſt, in continuis contineri humorem intra venas, in intermittentibus verò ſemper extra. Primò, quia febres illæ quæ ſubintrantes appellantur, continuæ ſunt, quum non intermittant: intermittere enim dicuntur, quæ in quietem febre vacantem deſinunt, ex Gal. 2. *feb.* 1. & 4. *aph.* 43. & tamen in ſubintrantibus putreſcit humor extra vaſa, quod ex eo apparet, quia earum ſingulæ acceſſiones cum rigore inuadunt, & procedente morbo manifeſta intermittentia apparet. Non ſemper ergo in febribus continuis putreſcit humor intra vaſa.

Secundò. In inflammationibus externis, in empyemate, & in lumbricis putreſcentibus dantur febres continuæ, & tamen in his putredo eſt extra vaſa. Ergo, &c.

Tertiò. In ſanguine extracto quorundam ſcabioſorum apparet putredo intra vaſa, & hi ſæpè non febriunt, aut ſi febricitant, febre intermittente occupantur, ergo non ſemper putredo intra vaſa contenta eſt cauſa continuitatis febris.

Vltimò probatur ex Gal. 4. *aph.* 43. dicente *febrem fieri continuam ex maligna humorum putredine*, ſed maligna putredo ſicut & intra vaſa, ita & extra concitari poteſt. Ergo ex putredine extra vaſa febris continua excitari poterit.

Sed

Sed antequam hos nodos diſſoluas, aduertes cauſam continuitatis febrium eſſe continuam delationem fuliginum aduſtarum, & putridarum à loco putredinis ad cor: quia verò quando materia febris eſt intra vaſa, facilis eſt commeatus à vaſis exiguis per magna ad cor. difficilis autem à locis extra vaſa: ideò fere focus materiæ in febribus continuis eſt intra vaſa, in intermittentibus verò extra ea. Auicenna 1.4.*tract.*2.§.*Cum autem putredo eſt intra venas, &c.* tres aſſignat cauſas, quare febres ortæ ex putredine humorum intra vaſa difficulter ſoluantur, tum propter craſſitiem, & denſitatem tunicarum vaſorum, tum quia humor intra vaſa, eſt collectus in vno loco, & non ita facilè reſoluitur: quando verò conſiſtit extra vaſa, per poros carneos diſperſus, citiùs, & faciliùs abſumitur. Secunda, quoniam putredo continuitate quadam à venis in venas ſerpit: non ſic autem quando extra vaſa affligit. Tertia, quoniam humor intra vaſa ſtabulatus faciliùs cordi ſuas fuligines per manifeſtas cauitates, non autem per meatus anguſtos, & exiles, ſicuti quando eſt extra vaſa, cordi communicat.

Verùm licèt cauſæ ab Auic. & Galeno propoſitæ faciant humorum putreſcentium reſolutionem difficilem, ita non impoſſibilem; quare horum auctorum determinatio de cauſa continuitatis, & intermittentiæ etiam febrium putridarum, tanquam frequentiſſima, non tamen perpetua recipienda eſt: cùm contingere poſſit, etſi rariſſimè, vt humor intra vaſa impactus ob ſui paucitatem & tenuitatem, febrem concitet intermittentem: quemadmodum aliquando ob copiam, & craſſitiem extra vaſa putreſcens, continuam faciat, vt in continuis per ſubintrantiam palam fit, & in hoc conueniunt, prima, ſecunda, & tertia ratio contra Auic. ſententiam.

Ad quartam dic: malignam putredinem ferè nunquam à natura expelli extra vaſa; ſi enim natura humorem putreſcentem extra vaſa potuit detrudere, non eſt valdè maligna putredo. Ex iis patet meritò contemnendam eſſe Iouberti opinionem aſſerentis, 2.*decad.paradox* 4. materiam febrium continuarum, & intermittentium, ſede, & loco non differre, ſed in omnibus in corde contineri; in qua refellenda tempus non abſumam, cùm eam multo ante tempore refutauerint ingenioſiſſimus Eraſtus *diſput. de febrib. part.*3 & ſolertiſſimus Mercurialis *lib.*5.*de feb.c.*8.*de feb. putridis*. Firmum ergo ſit, locum putredinis in febribus continuis eſſe intra vaſa, in intermittentibus verò extra ea eſſe conſtituendum.

Sed his iactis, ne in materia de febribus aliquid indeciſum ſuperſit, ſpeculandum, quis ſit in febribus intermittentibus putredinis locus extra vaſa. Eum lata oratione docuit Galenus, 1.*epid.ſect.*2.*com.* 20. dum ſic inquit *Tertianæ fiunt cùm in totum corporis carnibus dominatur flaua bilis. Proinde ſpiraculis impeditis eorum, qui natura bilioſa ſunt, quantum bilis in carnoſo congeſtum genere anteà vacuabatur, in hoc ſtatu non vacuatum, tertianas generauit ardentibus frequentiores, &c.* Hoc etiam confirmat, 2.*feb.* 2. *ad princip.* dicens, *namque ex flaua bile per ſenſibiles corporis partes delata oritur febris, quæ cum rigore vehementi inuadit, &c.* & c.4. de quotidiana. ſic ait, *eſt & altera exquiſitæ ſimplicitatis febris, quæ ex pituita putredinoſa ortum habet, per ſentientes corporis partes à natura detruſa, &c.* Eandem refert ſententiam 4.*aph.*51.*in init.* tradens diſcrimen inter febres ardentes, & tertianam, & 2.*criſ.c.*3.*&* 4.*aph.*63. *&* 2.*de cauſ.ſympt.c.*5.*ante med.* referens Hip. ſententiam, 4.*aph.*58. probat Trallianus, *lib.*12.*c.*2. Concludit ergo Galenus, humorem peccantem in intermittentibus febribus putreſcere in habitu corporis, quoniam à vaſis maioribus ad minora truditur, & ex his expellitur ad corporis habitudinem, cuius ratione excitatur rigor, quoniam hic humor per membra ſentientia delatus, vellicat, ſtimulat, pungit, & impetu quodam per partes ſentientes delatus rigorem concitat: Nam hoc commoto, partes humorem noxium expellere conantur.

Hæc eſt Galeni, Auic. omniúmque ferè voto de minera febrium intermittentium receptiſſima ſententia, quam ego quoque libenter amplector, cùm frequentiſſima ſit, & idcircò recipienda: nam quæ frequentia ſunt, pro perpetuis habentur in Medicina, ex ipſo Gal. 2.*aph.*43.*& lib. de fœtus format. c.*2.*&* 8.*aph.*58. Verùm non eſſe perpetuam aſſerere cogor, quoniam multæ obſtant contra eam rationes grauiſſimæ, quas propoſuit doctiſſimus Fernelius *lib.*4.*pathol.c.*9.*&* 10.*& lib.*2.*de abdit.rer.cauſ.cap.*13. & poſt eum Thomas à Veiga 2.*feb.vlt.fol.*145.*propoſ.*5. Ludouicus Mercatus *lib.*6.*de febrib. in princip.* in ea quæſtione qua quærit: An in febribus interpolatis humor intrà vaſa, putreſcat. Fernelij ergo rationes proponemus ſolùm, exiſtimantis omnium intermittentium ſedem, atque mineram in prima corporis regione conſiſtere, circa præcordia, ventriculum, diaphragma, iecoris cauum, meſenterium, lienem, pancreas, aut omentum: in has enim partes ſolet natura excrementa ſua, tanquam in publicam corporis ſentinam, detrudere; ergo abſurdum eſt exiſtimare humores qui morborum cauſæ exiſtunt, ſemper contineri in venis quoniam in ſuperioribus partibus putreſcentes, febres excitant.

Secunda. Acerbum auditu aſt immò creditu difficilius, quod humor ſanguini permixtus, præſertim pituita craſſa, lenta, & valdè inepta ad motum, & bilis atra, terrena, & grauis, quartanum circuitum effectura, à vaſis excidat, ac per anguſtiſſima carnis, ac ſentientium partium foramina permeet, & poſt inſenſibiliter adeò breui tempore attenuetur, & abeat in habitum.

Tertia. Si humor in intermittentibus febribus excernitur à vaſis ad mineram, cur etiam non excernitur in continuis, quum hæ aliquando etiam incipiant cum rigore?

Quarta. Febris tertiana nunquam fit ſine vitio iecoris, neque quotidiana ſine noxa ventriculi, neque quartana ſine læſione lienis, ex Gal. 1.*ad Glauc.* 5. ergo in partibus interioribus minera intermittentium eſt conſtituenda.

Quinta. Si in habitu corporis, generéque carnoſo eſſet minera putredinis reponenda, & ibi humores à vaſis delati putrefierent, aliquod in ea parte appareret veſtigium illatæ læſionis, aliquódque in carne eluceret damnum vigente aut ceſſante febre: nam ſi paruiſſima bilis copia, quæ eryſipelas concitat, vel quiuis alius humor tumorem excitans, antequam reſoluatur, aut ſuppuret, dolores ingentes creat: cur bilioſi humoris, acrioris, & ibi putreſcentis copia, maiora damna non procreabit? Sed ex rigore, & tranſmiſſione humoris ad partes externas nullum ſequi demonſtrat experimentum. Ergo in hac parte non putreſcit humor, ac per conſequens in hoc loco non eſt minera putredinis collocanda.

Sexta. Vrgentiùs argumentatur. In prnicipio acceſſionis apparet vrina cruda, tenuis ſcilicet, & alba; & alia accidunt ſymptomata, quæ oſtendunt humorem potiùs in prima corporis regione contineri, quàm ad carnes, & ambitum corporis propelli: ea ſunt ſuffocatio, tuſſis ſicca, ſitis, hypochondriorum diſtentio, ventriculi dolor, morſus, nauſea, vomitus, anxietas; quare vbi dolor eſt, ibi morbus, 4.*aph.*38.*&* 39. Nam ex prima, & ſecunda coctione remanent excrementa, & humores vitioſi, qui ibi quieti, & prohibiti tranſpirari putreſcunt, & ſimilia concitant ſymptomata.

Septima. Sæpè in intermittentibus febribus vrina apparet laudabilis, colore, ſubſtantia, & ſedimento, ergo in illis humor noxius, & morbificus intra venas non continetur, nec ab eis in habitum corporis propellitur.

Octaua. In tertiana exquiſita miti ſæpè non apparet, rigor, ſed leue frigus, vel horror. Sed frigus ab humore calido per venas externas demandato fieri non poteſt, nam hic non poteſt habitum corporis refrigerare; ergo initio acceſſionis per habitum corporis non demandatur.

Nona. Si ſententia Galeni eſſet vera, tunc compoſitarum febrium cauſa reddi non poſſet; nec enim dicendum eſt. tertianam duplicem ſolùm ex immodica bilis quantitate generari: alioqui omnis ſimplex tertiana vehemens, fieret duplex, & idem accideret in quartana.

Decima. Si antecedens cauſa intermittentium in venis contineretur, facta ſanguinis miſſione protinus ceſſarent, conſequens eſt contra experimentum, ergo & antecedens falſum: Nam intermittentes, vt tertiana notha, &

quartana,non cedunt vacuationibus vaſorum; facta phle-botomia, & purgatione,quoniam in iis humor morbificus non continetur, ſed extra vaſa ſtabulatur: quare cum illa craſſa ſit, & lenta, non poteſt recurrere ad vaſa, & hoc modo his auxiliis vacuari nequit. Demum hoc ipſum demonſtrat hiſtoria quadam hominis à ſe diſſecti, in quo repertam fuiſſe ait circa iecoris cauum copiam bilis, quæ præcedentis tertianæ cauſa erat.

Hæc eſt opinio Fernelij, quam plurimi,iique non poſtremæ notæ viri laudant, & ſequuntur. Sed quoniam Fernelius legiſlatorum more, eam vt perpetuam, ſpreta doctrina Galeni, nobis propoſuit: aſſerere cogor,mineram putredinis non ſemper, ſed frequenter, & magna ex parte in prima corporis regione eſſe conſtituendam, vt ſibi perſuaſit Fernelius.

B Si enim Fernelianum dogma eſſet perpetuò verum, falſa eſſent Gal. Auic. Aliorúmque peritiſſimorum Medicorum teſtimonia, qui in genere carnoſo reponendam eſſe ſedem febrium intermittentium aſſeuerant, quorum numerum longum eſſet recenſere, quos legat qui velit apud Trincauellium *lib.1.epiſt.penult.& vltima ad Horatium Faroldum.*

Deinde non poteſt eſſe perpetua doctrina Fernelij: nam tollit vniuerſam doctrinam de rigore traditam à Galeno, & Auic. Tertiò non poteſt defendi, quia ſi in illis locis materia putreſceret, febris potius continens, vel ſaltem continua generaretur, quàm intermittens, tum ob harum partium cum corde propinquitatem, & medianti-bus vaſis conſenſum: tum quia ob craſſitiem membrorum, quibus prima corporis regio obuoluitur,difficillima eſſet humorum putreſcentium reſolutio, quare conti-C nuis febribus locus hic magis eſſet accommodatus, Ad hæ ſequeretur in omni febre interpolata ſemper ſymptomata ſæuiſſima debere apparere, ſi circa viſcera humores putreſcerent, quæ in omnibus intermittentibus non obſeruamus.

Inſuper ſi materia febrium intermittentium ſemper in prima corporis regione circa illas partes continetur: vel per locum circum illas partes intelligit ſpatium extra illas, vel illaſmet partes. Non eſt dicendum primum, quia extra illas partes in ea regione non datur locus in quo poſſint humores contineri, & putreſcere, nec putandum illud voluiſſe Fernelium. Si continetur in ipſis partibus, vel intra vaſa earum, vel extra. Non eſt dicendum primum, quoniam ex ipſomet Fernelio conſtat humorem in febribus intermittentibus extra vaſa putrere: ſi intra D vaſa illarum partium putreſceret, efficeret febres ardentiſſimas,vt Gal. notauit,*lib.1.epid.ſect.2.com.20.* dicens, *ardentes febres fieri abundante bile in venis iecoris, & ventris,& calore in vaſis,& viſceribus aucto*, & dilucida oratione probat *in com.73.ſequenti*,dicens, *nam cum in vaſorum capedinibus vna cum ſanguine continetur flaua bilis, vtcumque accendatur,contingit febres ardentes prodire,præcipuè verò vbi in ventris, aut iecoris, aut pulmonis venis bilis efferueſcat,&c.* Et Fernelius ipſe non inficiatur *4. pathol.c.7.*dum cauſas febrium intermittentium propoſuit, ergo in febribus intermittentibus non putreſcit ſemper humor in vaſis prædictarum partium.

Si autem aſſeras putreſcere extra vaſa illarum partium, tunc ex humore præſertim bilioſo orietur eryſipelas, ac proinde febris ardentiſſima, hæc enim ex eryſipelate ha-E rum partium generari ſolet. Quod ſi adhuc inſtes, poſſe bilem acerrimam, qualis in tertiana exquiſita putreſcit, contineri in eo loco putredini valdè obnoxio citra particulæ inflammationem,vel eryſipelas: non poteris inficiari ex ea ſolùm generari diſpoſitionem eryſipelati ſimilem, & ſic ſaltem fieri febrem continuam, non intermittentem: nam ſi ex eryſipelate notabili partium externarum, & adenoſarum oritur febris putrida continua, ob putredinis communicationem,ex Gal.*2.feb.c.5.*quantò magis ex bile efferueſcente,& in interiori corporis parte putreſcente,iuxta venam cauam, ventriculum,ſeptum tranſuerſum, & ſimiles partes, quibus in locis excrementorum copia adeſt,vel potius humorum redundantia,qui facilè poſſunt labem contrahere.

A Illud verò quod aſſerit, intermittentium febrium materiam, non à venis in habitum corporis propelli, ſed in prima corporis regione contineri,ex eo redarguitur, quia ſi in ea regione materia tertianæ febris v.g.exiſteret, valdè noxium eſſet in hac febre ſanguinem emittere, cacochymia per venæ ſectionem,in iecur,& vaſa maiora euocata, ſed nonnunquam ſola venæ inciſione tertiana febris prorſus ceſſat, ac funditus extirpatur; ergo cauſa non conſiſtebat in prima regione corporis; ſed in venis deliteſcebat.

Quod verò aſſerit febres intermittentes differre à continuis,non ſolùm loco,ſed etiam materia,quia inquit, *humores febrium intermittentium non ſunt bilis, nec pituita, nec melancholia,ſed ex illorum generibus*, prædicta ratione non ſolùm conuincitur, ſed noſtrorum placitis valdè aduerſus eſt,& præſertim Galeno *4.aph. 59.*dicenti, *tertiana febris ab ea quæ ardens nominatur, humore febrem faciente non differt,&c.*

Deinde experiētia demonſtrat in tertiana exquiſita talem excerni bilem, qualis in febre ardente apparet, cuius rei etiam ſignum eſt ſæpè continuas febres in intermittentes tranſire, & è conuerſo intermittentes reddi continuas. Hoc autem nulla alia ratione fieri videtur, niſi quia materia quæ aliquando ſolita eſt in venis putreſcere, reddita magis naturæ obediens; vel quia parcior, magis concocta incipiat à natura in corporis habitum expelli: & ſic dicebat idem Fernelius *4.pathol.c.vlt.*rigorem qui in continua febre interdum apparet, aut commutationis, aut ſolutionis eſſe indicem: permutari verò intermittentes in continuas,ideò contingit,quia humores qui anteà à natura melius gubernati extra venas propellebantur,modò vel propter aliquos commiſſos errores, vel alia de cauſa excerni non poſſunt,ſed intra putreſcunt.

Quapropter Fernelij ſententia perpetuò veritatem non habet, & ideò hoc modo eum refutat Ioan. Riolanus *in com.c.13,lib.2.de abdit.rer.cauſ.*licèt ſit in eius fidiſſimus interpres.Ne tamen Ferneliani de Galeno, communi medicinæ Magiſtro,videantur victoriam reportare,argumenta propoſita ſunt ſoluenda.

Dic ad primum. Verum eſt humores morbum generantes non ſemper contineri in venis, quum ſæpè in meſenterio, omento, cæteriſque vicinis partibus redundent, in quibus putreſcentes concitabunt febres: ſed hæ intermittentes non ſunt, immò continuæ, vel continentes debent eſſe.

Ad ſecundum dic: multò maiorem eſſe naturæ vim in humore noxio extra corpus expellendo, quemadmodum ex plurimis eius operibus facilè demonſtrari poteſt. Id in criſibus ſæpiſſimè apparet, in quibus humores vitioſos ad diſtantiſſimas regiones ipſa vel ſubito deponit. Ita rigor febrem ardentem ſoluit *4.aph. 58. hoc modo viam ſemper materiebus inuenit natura,quando valida fuerit,etſi illæ ſint craſſiores,& per anguſta foramina debeant permeare,quando & per oſſa fiunt abſceſſus*,inquit Galenus *lib. 7. aph.54.* Adde iſtam ſeparationem ſubitò nonfieri,quemadmodum apparet in multis acceſſionibus, quas præcedere ſolet inquietatio,& moleſtia,vt notat Hip. *6.epid.ſect.2.text.23.* dicens,*quæcunque tertianæ naturam habent, his nox ante acceſſionem moleſta eſt*,ob eandem ſcilicet rationem,quam retulit *2.aph.13.quibuſcumque criſis fit, iis nox grauis ante acceſſionem: quæ verò ſubſequitur, magna ex parte leuior exiſtit.* Neque ſubitò excernitur ſemper humor ad mineram puttedinis,quod facilè ex varietate rigoris, & frigoris acceſſionum probari poteſt: rigor enim euariat ex parte humoris, quatenus velociter,vel inæqualiter à natura ſoleт expelli.

Ad tertium dic cum Aëtio *tetrab.1.ſerm.1.c.74*, in intermittentibus excerni à vaſis humorem ad mineram, quia in iis ferè adeſt humorum craſſorum, & viſcidorum copia multa. Adde hoc etiam contingere ob vaſorum obſtructionem, conſtipationem,& naturæ imbecillitatem,& alia ſimilia,quod ſi aliquæ continuæ incipiant cum rigore, ex Gal. *1.ad Glauc.5.*hic non eſt periodicus, qualis in intermittentibus fieri conſueuit: illè namque in initio febris continuæ à natura excitatur humorum expulſionem tentante,

tentante,extra venas aliquali portione eius excreta, maiori tamen parte intus remanente, quæ febris continuitatem, continuare valet.

Ad quartum dic: rarò in tertiana iecur à noxa abſolui, nec in quotidiana ventriculum, nec in quartana lienem quia hæ partes ſunt loca vbi humores generantur, vel redundant, & inde ad vaſa, & poſtea ad mineram putredinis truduntur, quo nomine potiùs dicuntur partes mandantes, quàm ſuſcipientes: ſi enim in illis humores putreſcerent, non fierent febres intermittentes, ſed potiùs continuæ, vel continentes. Adde etiam mineram putredinis communem eſſe, & non diſtinctam in febribus intermittentibus, vel ex ipſo Fernelio, quod prædictæ auctoritati repugnat, & ſic idem Fernelius 4.*pathol.cit.* nullam huius auctoritatis facit mentionem, ſciens eam placito ſuo eſſe aduerſam valdè.

Ad quintum dic: duplici de cauſa ex humore, etſi billioſo,& acri,à vaſis ad corporis ambitum delato, non apparere damni, aut læſionis veſtigium in cute, velut conſpicimus in cutaneis affectibus, aut alio quouis humore ad extimam corporis ſuperficiem tranſmiſſo: quia ſi tenuis eſt, motu illo reciproco innati caloris ab extimis partibus ad intimas, & ab his ad illas reſoluitur, & euaneſcit. Si craſſus ,tum eodem motu attenuatur, & abſumitur,tum per vniuerſam molem ſparſus,tranſpirat,& paulatim acrimoniam exuit: qui humor in tumore collectus, circunſcriptus, prohibitúſque difflari, acrior redditur, & maiora damna ſæpiſſimè concitat.

Ad ſextum dic: ſymptomata à Fernelio numerata non concurrere omnia ſimul in acceſſione vna, ſed varia iuxta varietatem humoris, & motus naturæ, quorum omnium cauſam aſſignare non eſt difficile,aſſerentibus in intermittentibus in ambitu corporis mineram eſſe conſtituendam. Percurramus ſingula. Vrina apparet initio acceſſionum cruda,quia tunc ad partes externas propellitur, & natura ad aliam auertitur partem.Suffocatio fit ob caloris naturalis quandam veluti compreſſionem, & ipſius ad partes externas fugam,quo nomine initio acceſſionis extrema frigent, vngues liueſcunt: Oſcitatio verò,& tuſſis ſunt operationes facultatis expultricis 2.*de cauſ.ſympt.c.*1. *&* 6.excitantur autem eo tempore,vel ex rigoris concuſſione exprimente portionem humoris ad illas partes, vel ex fuliginoſo vapore,pulmonem, & eas partes pertingente: quæ omnia procedente acceſſione,& præſertim in declinatione, miteſcunt,quoniam natura iam ſuperat,& per ſudorem humorem vniuerſum propellere ſatagit.Deinde ex motu illo rigorifero, & concuſſione totius corporis dolorifica eleuantur ad ventriculum vapores fuliginoſi,qui hanc partem diuerſimodè proſternunt,& ſic ventriculus debilis retinere nequit,vnde nauſea,vomitus,qui verſicolor eſt,quia aliqua humoris portio ad eam partem confluere conſueuit, ſicut irruere ſæpè ſolet in artus, cerebrum, & alias partes: & hoc modo intolerabiles excitantur dolores, & grauiſſimi morbi repullulant.

Ad ſeptimum dic: in initio febrium intermittentium vrinam apparere crudam,& illaudabilem:ſi verò oppoſitum contingat,illud eſt,quoniam humores non putreſcunt ſaltem notabiliter intra venas,ſed poſtquam extra pelluntur; vrina verò venoſi generis nota eſt.

Ad Octauum dic: frigus in febribus intermittentibus ab humore calido in partibus externis non concitari per ſe,ſed ex accidenti,fit enim ex ſpirituum,& caloris naturalis retroceſſu ad interna loca.

Ad nonum dic: immodicam bilis copiam non eſſe ſolam cauſam tertianæ duplicis,ſed duplicem eſſe, quia ex variis, & diuerſis mineris humores demandantur, & ſic duplicantur,& triplicantur acceſſiones.

Ad decimum dic: non ſufficere ad prohibendum acceſſionum reditum, quod antecedens cauſa auferatur,ſed eſt neceſſe vt nulla remaneat intemperies, nec ſimilis cauſa, aut diſpoſitio in parte mandante,aut recipiente, vt diſertè notauit Auic. 1.4.*tract.*2.*cap.* 7. maximè cùm non poſſit vniuerſus humor peccans ſemper ſanguinis miſſione vacuari. Neque hiſtoria eius quicquam concludit: Nam in tertiana producta, licèt focus putredinis non ſit in prima corporis regione, ſemper iecur excandeſcit; & inceditur, & flauæ bilis copiam iuxta ſua vaſa accumulat. Cùm ergo argumenta Fernelij facili negotio reſoluantur, non erat cur vir doctiſſimus à frequentiſsima doctrina Galeni ſic recederet.

Demum, licèt in prima, & tertia corporis regione minera febrium intermittentium poſsit reponi, vt Galenus, & Fernelius confirmant; tamen rationi, &. ipſius Galeni doctrinæ conſentaneum eſt aſſerere,focum putredinis non ſemper eſſe eandem partem:nam aliquando eſt in prima corporis regione,interdum in genere carnoſo,ſæpè in vtero,multoties in renibus,& in capite.

Quamuis autem 2.*criſ.*3. *& loc. ſuprà citatis*, videatur vniuerſaliter inſinuare intermittentis febris materiam intra venas contineri, & inde per ſingulos paroxyſmos in totum corpus deferri, & eo dictas febres à continuis diſtingui, quia in his humor à vaſis in quibus continetur, non demandatur extra: tamen 2.*feb.vlt.*maturiori iudicio ſtatuit ſedem, ac fomitem cuiuſuis febris intermittentis, eſſe partem illam corporis in qua excrementa aceruantur, partis illius vitio, vel imbecillitate, vel alterius mittentis robore.Vnde conſtat etiam iuxta Galeni ſententiam, febris intermittentis ſedem, atque fomitem etiam extra vaſa contineri. Neque ob id varium fuiſſe in hac enodanda quæſtione Galenum aſſeueres,vt contra eum falsò effutit Mercatus, quoniam 2.*feb.vlt.* de hac cauſa meminit tanquam magis frequenti: in alio loco illam vt minus frequentem approbat, cùm tamen nulla perpetua ſit; & inuariabilis, quum in omnibus noſtri corporis partibus minera putredinis poſſit conſiſtere, immò Hugo auctor grauiſſimus artificioſa coniectura ex duobus Hip. Aphoriſmis 38.*&* 39.*lib.*4.*Aph.*ſcribit elici poſſe indicium de minera putredinis in febribus, eámque eſſe partem illam, quæ frequentiùs ſudat,aut calet,aut dolet.

Si verò quæras, vtrùm ex arteriis ad corporis habitum poſſit aliquando humor ad ſentientes partes demandari, ſicut truditur à venis? Dic affirmatiuè, & ea fortaſſe cauſa eſt quare aliquando febres contumaciſſimæ ſint,& diutiſſimè durent, & contemnant vacuationes vaſorum quæ per phlebotomiam, & purgationem celebrantur: Nam humor difficiliùs attrahitur ex arteriis, quàm ex venis: frequentiùs tamen cauſa antecedens eſt in venis,quàm in arteriis: illarum enim ſanguis craſſior eſt, magis flatulentus, minúſque difflatur, ac tranſpirat; quare promptiùs concipit putredinem, quàm arterialis. Neque obiicias contra ſententiam Galeni *lib.de vſu pulſ.cap.*6. humorem contentum in arteriis per venas vacuari: quoniam id non eſt perpetuum: Si enim craſſus ſit, non poterit ad eas ſine difficultate commeare.

HIST. XXXIV. GALENI, De quartana.

Admirandum Galeni circa duplicem quartanam præſagium.

COEpit Eudemum quodam die, poſtquam lotus fuerat, quædā pulſus inæqualitas vexare,& ab vna horâ horror, ob quam cauſam ſine cœna manere coactus eſt. Poſtridie tutius eſſe indicauit ſi octauam horam ſine cibo tranſgrederetur. Sed cùm ad horam nonam incœnatus perſeueraſſet, ablutus poſtea modicum cœnauit. Tertio die nos conuenit. Securitatis tamen gratia, viſum eſt ipſi illa quoque die ſuſpectam ſine cibo horam præterire, quamobrem tranſacta nona lotus cibum abundanter ſumpſit. Quarto die quum nos conueniſſet, iturus ad balneum quæſiuit, tutiusne eſſet octauam horam tranſgredi, an ad lauandum concedere? At Medici nihil mali ei ſuperuenturum opinantes, eum ad balneum dimittendum eſſe conſtituerunt. Solus ego tacebam. Percunctatúſque cur tacerem, reſpondi, eum diem mihi ſuſpicione vacuum prorſus non videri: Nam eo quo pulſum Eudemi tetigi, quartani circuitus initium extitiſſe ſuſpicatus ſum.

Sed id non affirmaui certò, quia naturalis eius pulſus cognitionem antea non habueram, quo ignoto fieri non poteſt vt exiguæ eius mutationes præter naturam agnoſcantur: quare pulſu iterum obſeruato, eandem ſuſpicionem me habere dixi. Quare domi præſtituto die ſe continens, lauit ſe, & cibum accepit, Medicis multis ipſum eſſe ſine febre affirmantibus, ſed ego quartani cuiuſdam circuitus longiſſimi principium inſtare affirmaui. Lotus igitur cibum ſumpſit Eudemus, nec multò poſt, toto corpore calorem percepit, quem tamen ob potum eueniſſe putauit, antiquum enim id vinum fuerat, quod & alij Medici affirmarunt. At quarto die ex quo calorem ſenſerat, quum ſe Philoſophus lauaſſet de more, cœnauit: verùm febrire paulò poſt apertè iam incipiens, credidit demum quartanæ periodum illam eſſe, & me de exquiſita pulſuum notitia commendare cœpit. Quum autem febris exacerbatio maior in die efficeretur, optimos quoſque vrbis Medicos, vt conſultarent, quo pacto morbus ſanari poſſet, conuocari Eudemus iuſſit. Sed ego ad contentiones euitandas de induſtria abfui eo die quo expectabatur acceſſio quartanæ. At Medici primo die vt biberet theriacam, iuſſerunt. Sed ego reuerſus ad Eudemum, & interrogatus quidnam ex vſu theriacæ ſperarem; non modo illi eam non profuturam, reſpondi, ſed febrem eſſe duplicaturam affirmaui, quia morbus tunc erat crudus, at theriaca humores tum malos, tum crudos, in principio præſertim hyemis, agitat quidem, non tamen exactè concoquit. Hæc nos tum Eudemo prædiximus. Sequenti die primo mane cùm nondum ego aduenisſem, conuenerunt Medici, ſenique theriacam exhibent verenti, licèt enixè medicinam non parum profuturam pollicerentur Medici. Hac aſſumpta febris, non expectato ſequentis acceſſionis tempore, poſtridie hora octaua ex improuiſo ſenem inuaſit, vehementior multò, quàm pridie fuerat. Sed aduenientes Medici vnanimiter theriacam denuò exhibuerunt, eo die qui primo paroxyſmo reſpondebat, & abiere. Sed vna acceſſio, primæ correſpondens, & altera illi quæ ſuperuenerat ſimilis, plurimum vexauit. Quocirca veſperi me percontatus eſt Eudemus quidnam fore expectarem. Cui ego, vt ſcis, explorato priùs arteriarum motu, nihil me certi quid reſponderem, tunc habere dixi, ſed manè forſitan habiturum, ſi quod noctu minxeris, inſpexero, quod & factum eſt: nam ſub ortum ſolis accedens matulam conſpexi, & ſi quid interim meieret, ſeruaretur iuſſi, me enim hora quarta rediturum. Reuerſus igitur, vrinis inſpectis, pulsúque diligenter examinato tertiam quartanæ acceſſionem hora conſueta affore, dixi, atque diſceſſi, aduenitque illa eadem hora, qua & cætera venerant, &c. Galenus lib. de præcognit. ad Poſthum. cap. 2.

PARAPHRASIS.

PLurima continet hiſtoria hæc celebris, non ſolum ad quartanæ, morbi ſanè contumaciſſimi; & ad omnium i ntermittentium curationem, neceſſaria: ſed & alia pronit, quæ Medicis glorioſum nomen conciliare ſolent, felicem videlicet morbi euentum, certam morbi cognitionem, & veram futurorum prædictionem: Nam ab initio futuram quartanam cognouit, eandem ex intempeſtiuo theriacæ vſu triplicem euaſuram enuntiauit, rectæque curationis inſtitutæ medio ſanitatem Eudemo promiſit, & qua die diſceſſura eſſet febris, etiam cum ſua, & artis medicæ gloria præſagiuit.

Sed quæres primò, quis fuerit pulſus qui quartani circuitus initium Galeno ſignificauit? Dic: plurima rimatum fuiſſe Galenum, in pulſuum notitia verſatiſſimum, vt initium quartanarij circuitus præſagiret, quæ ex profeſſo propoſuit *lib. 2. criſ. c. 4. & 1. ad Glauc. c. 6*. Primò debebat contemplari res non naturales augentes melancholiam, cuiuſmodi ſunt tempus anni autumnale, in quo quartanæ inſoleſcere ſolent *3. aph. 22*. ægri temperies frigida ſicca, regionis conditio, morbi populariter vagantes, & anteacta victus ratio, quæ omnia in Eudemo conuenerant. Erat ſenex Eudemus annum agens tertium ſupra ſexageſimum, qua ætate melancholici humores abundant, erat hyems, quo tempore collecti in autumno humores adhuc non ſunt abſumpti.

Deinde debebat Galenus animaduertere pulſum, quem cùm inueniret tardum, & rarum, quartani circuitus initium adeſſe manifeſtè collegit: nam quartanæ adeò eſt familiaris tarditas, paruitas, & raritas pulſus, vt ex ſola pulſus mutatione agnoſcatur acceſſio quartanæ, *2. criſ. 4*. Rhaſio 10. *ad Almanſ. c. 8.* audi Galenũ *loc. cit. Si enim cognoueris pulſum ægrotantis naturalem, vel in altero ipſius morbo per initia acceſſionis affueris, nihil ampliùs expectabis quin febrem inuadentem, quartanam eſſe pronuncies: Nam eximia quædam ad tarditatem, & raritatem conuerſio fit. Ego quidem nonnullos meos familiares, quorum pulſus exquiſitè cognoueram, iam ingruente acceſſione contemplatus, quod tale principium nullius alterius quam quartanæ febris fore contingeret, pronunciaui, atque id euenit, &c.* Raritatis, & tarditatis cauſam refrigerationi, & facultatis imbecillitati quæ à ſucci craſſitie grauatur, aſſignandam, eſſe certum eſt: Nam melancholicus humor ob frigiditatem difficulter accenditur, & cùm non adſit refrigerij neceſſitas, fit pulſus rarus: & cùm ex humore terreſtri, & nebuloſo vapores eleuentur craſſi, virtutem opprimentes, fit pulſus tardus.

Adde quòd licèt in ſtatu paroxyſmi pulſus euadat maior, celerior, & frequentior, quàm ante: tamen eſt minor quàm in tertiana, & maior, quàm in quotidiana, quia in hac & calor eſt minor, & virtus debilior: celeritas verò pulſus minor eſt in quartana, quam in tertiana, ſed tamen ita æqualis eſt, atque in quotidiana; ratio eſt, quia licèt in quartana maior ſit calor quàm in quotidiana, tamen in hac pulſus ob debilitatem adeò fit paruus, vt requirat augmentum celeritatis, per quam ſuccurratur refrigerationi caloris. Frequentia pulſus minor eſt in quartana, quàm in quotidiana: quia in illa, magnitudine, & celeritate pulſus exceſſui caloris natura ſatisfacit, at in quotidiana non ſimiliter contingit: Nam cùm in hac febre ob virtutis debilitatem non poſſit adeſſe pulſus adeò magnus, & celer quemadmodum pro abundantia caloris erat neceſſarium, id natura, aucta pulſus crebritate, reſarcit, & hoc ſignificauit Galenus 1. *ad Glauc.* 7. Et igitur pulſus in quartana præſente iam febre, minor, tardior, & rarior, quàm in tertiana: ſed collatione facta ad quotidianam, maior eſt, & æquè celer, ſed tamen rarior: quia natura in quartana robuſtior cùm ſit quàm in quotidiana, excedenti calori ſuccurrit magnitudine, & celeritate pulſus citra frequentiæ incrementum. In quotidiana autem cùm ob virtutis imbecillitatem pulſus non poſſit fieri adeò magnus, & celer quantum erat neceſſarium, natura magnitudinis defectum frequentia ſupplet.

Quæres ſecundò? cur ex pulſus inæqualitate initium quartanarij circuitus præſagiuit? Dic: quòd febrilis inæqualitas licèt omnibus febribus ſit communis, tamen in quartana eſt maximè nota, id manifeſtè aſſerit Gal. 1. *ad Glauc. c. 6. de ſignis quartanæ. §. Et ipſius vnius motus inæqualitas in quartana febre eius formam oſtendit: Nam quæ omnibus communis eſt febribus in vno pulſu arteriæ inæqualitas, in hac manifeſtiſſimè licet comprehendere; multò enim velocius principium, finémque motus inuenies, quàm medium, &c.* Ob hanc cauſam illicò in initio hanc inæqualitatem in quartana deprehendes: Nam pulſus quartanarũ ſunt maximè tardi, obſcuri, parui, rarique adeò in inuaſionibus, ſicut in nulla alia diſpoſitione: Quia in quartanarum principiis videbitur tibi arteria quodammodo eſſe alligata, atque ad interiora retracta: cùm verò quartanæ febres inuadunt, quamuis ægrotus iuuenis fuerit, talis fit motus arteriæ, qualis in ætate decrepita: quum autem conſiſtit febris, aut etiam augetur, neceſſe eſt veloces fiant, atque frequentes: ſeruatur tamen etiam tunc propria ipſius tarditas, ac raritas, ſi additam velocitatem, atque frequentiam acceſſionis ratione perpendas, ex Gal, *cit. ad. Glauc. in princ.* Si enim id quod additum eſt febris animaduertas, pulſum tardum, ac rarum ſemper intelliges: at cùm febris ceſſauerit pulſus tardiores, ac rariores fiunt. Cùm itaque in quartana pulſus ſemper ſit tardus, facilè hæc inæqualitas diſcerni poteſt: cùm enim pulſus eſt velox, non tam diuerſa eſt extremorum velocitas à medij velocitate, vt percipiatur facilè, & ideò *2. criſ. 3. §. Ac præterea, &c.* dicit tertianæ pulſus carere inæqualitate.

Obiicies ſecundò, ſi pulſus quotidianæ eſt inæqualis 2.*feb*.4.*in princip*. & æquè tardus atque in quartana 1. *ad Glauc.c*.7. cur vtrobique non erit manifeſta inæqualitas? Dic: notanda eſt ex Gal.*cit.ad Glauc.in princip*.differentia inter magnitudinem, celeritatem, & crebritatem pulſus quotidianæ, tertianæ, & quartanæ: & primò magnitudo quæ in quartana magis ſuperat quotidianam, quàm ſuperetur à tertiana: tarditas verò in quotidiana, & quartana, eodem modo ſe habet,tardior tamen vtraque,quàm in tertiana:in raritate verò tantùm excedit pulſus quartanæ, pulſum quotidianæ, quantum pulſus quotidianæ, pulſum tertianæ. Quartanæ itaque omnis pulſus excedit raritate, (ſatisfacit enim vſui magnitudo,& celeritas) & magnitudine quotidianam,(nam in hac plurima adeſt pituitæ copia facultatem multis de cauſis debilitans.)Quare licèt in quotidiana, & quartana pulſus ſit æquè tardus, & vtrobique inæqualitas adſit, hæc tamen non eſt adeò manifeſta in quotidiana ob pulſus paruitatem.Si enim pulſus quiete interrupti duæ partes animaduerti non poſſunt, ſi pulſus ſit paruus 2.*de cauſ. pulſ. c*. 4. *in princip*. longè difficiliùs in motu continuo eius differentias percipies.

Quæres tertiò. Cur in hoc ægro ab initio ſequutus eſt horror,ſi 2.*criſ*.4.Galenus aſſerit ſignum quartanæ eſſe rigorem inferentem ſenſum,ac ſi oſſa frangantur,ac caro contundatur? Dic: quòd per horrorem,intelligenda eſt refrigeratio horrifica,quod ſignum deſumitur ex Gal.2.*feb*.5.& 2.*criſ*.4.ita cenſent Scrapio,Halyabbas,Auenzoar *c*. 6. *de quartana*,dicentes; qui quartanæ rigorem incurrit ſentit frigus magnum horrificum vt oſſa videantur confringi,ac ſi eſſent percuſſa veluti grandinibus. Cauſam ſenſationis huius referunt nonnulli,teſte Thoma de Garbio 2.*feb*. 5. ad melancholiam oſſa nutrientem: humor enim qui quartanam creat,melancholia eſt quæ cùm ſit oſſium alimẽtum, in cauſa eſt,vt hic ſenſus in oſſibus oriatur ob conſenſum quem habet melancholia cum ipſis. At hæc ſolutio non placet,quoniam materia quæ eſt oſſium nutrimentum,non eſt materia quæ in quartana putreſcit.Deinde nutrimentum mediatum eſt ſanguis cùm portione melancholiæ; immediatum verò eſt ipſa medulla,vt Hip.docet *lib.de alim.n*.4. firmat Galenus*lib*.1.*de facult.naturalib. c*. 10. & nos latè probauimus *l*.2.*in com.hiſt*.4. Certior tamen cauſa eſt,quia humor faciens quartanam quum in principio paroxyſmi defertur per membra,ob craſſitiem ſuam,& terreſtrem naturam non poteſt verſus cutem expelli,immò cùm in profundo remaneat nimium aggrauans membra, læſionem circa oſſa imprimit mediantibus eorum panniculis: nec enim dolent quia non ſentiunt,vt inter omnes probat Thomas à Veiga 2.*de loc.c*.10.

An verò quartana incipiat cum paruo rigore dubium eſt:Nam Rhaſius *lib*.10.*ad Almanſ.c*.8.eam cum tam violento motu inchoare affirmat, vt dentes conſtringat, & concutiat.Oppoſitum tamen conſtat ex Gal,2.*criſ*.4.& 2. *feb*.5.& Auic.1.4.*tract*.2.*c*.6 & 62.Dic: verba Rhaſij non eſſe intelligenda de principio vniuerſali quartanæ, ſed de principio paroxyſmi,in quo procedente morbo,& ſic humore per putredinem excalfacto, & attenuato fit vehemens rigor;quum tamen melancholia non poſſit peruenire ad tenuitatem bilis,inde fit,vt nunquam poſſit efficere adeò vehementem rigorem,quemadmodum bilis, vt conſtat ex Galeno 2 *de ſympt.cauſ.c*.5.Quòd ſi aliquando in quartana vehementior rigor appareat,quàm in tertiana,id eueniet, quando illa à maiori humoris copia orietur, & maximè ſi ex melancholia orta ex bilis aduſtione generetur.

Quæres quartò.An huius ægri quartana fuerit continua, ant intermittens,nec enim hoc Galenus adiunxit?Dic:licèt ex ductu hiſtoriæ non conſtet fuiſſe intermittentem, quoniam in primo inſultu, ſolius meminerit inæqualitatis, & rigoris, cuius per totum morbi decurſum non eſt facta mentio,maximè cùm Medici febrim illam periculoſam eſſe eſſeuerarent,quia debebat eſſe continua, quam eſſe lethalem firmat 2.*ad Glauc. cap*. 11. cùm intermittens periculo vacet 2.*aph*. 43. tamen eam fuiſſe intermittentem ex eo poteſt conuinci, quoniam Galenus ſanatum iri Eudemum ſemper conſtanter affirmauit,id minimè facturus, ſi continua fuiſſet. Deinde acceſſiones inuadebant de quarto in quartum,& Medici dubitabant num eſſet reditura febris.

Quæres quintò,cur longiſſimum circuitum quartanum fore prædixit? Dic: quia ferè ſi exquiſita eſt,fit ab humore craſſo, & terreno, quare longiſſima dicitur ab Hipp. *lib*.1.*epid.ſect*.3.*text*.4.ſi verò notha, & ſpuria,id eſt,cum permixtione bilis, breuior erit: ſi cum permixtione pituitæ, longior. Sed ſi hoc verum eſt,cur 2.*feb*.5.quartanæ acceſſionem ſimilem eſſe tertianæ acceſſioni pronuntiauit; quare ſi tertiana durat ſpatio duodecim horarum, quartana etiam id ſpatium peragrabit. Plures reſpondent,duplicem eſſe melancholiam,alteram naturalem, præternaturalem aliam, quæ fit ex bile, & ſanguine aduſto: ex qua melancholia quartana ſi oriatur, æquali tempore durat cum paroxyſmo tertianæ,de qua intelligendus Gal.*loc.cit*. ſi tamen quartana oriatur à melancholia naturali paroxyſmum longiorem excitat quàm tertiana. Hæc ſolutio impugnatur, quia quiuis humor quartanæ craſſior eſt, magíſque terrenus, quàm qui tertianam producit, quare difficiliùs reſoluetur, longiorémque efficiet paroxyſmum; quàm qui tertianam producit.

Dic ergò ex Gal. 2.*feb.cit*. cauſas breuioris,aut longioris acceſſionis quartanæ eaſdem eſſe, quæ tertianæ; huius enim paroxyſmus longiori tempore durat,ſi concurrant cauſæ tres quas Galenus 2.*feb*.3.propoſuit,& repetit *cap*.5.nempe quando paroxyſmus pendet à multa copia bilis. Secundò ſi æger affectus tertiana, debilis ſit. Tertiò ſi habeat poros denſos. Ob contrarias cauſas paroxyſmus tertianæ redditur breuior. ſimiliter in quartana varia duratio,pro copia humoris,robore,vel imbecillitate virtutis denique pro raritate, vel denſitate corporis. Has cauſas cenſemus ampliandas eſſe ad omnes morbos materiales, in quibus pro varietate harum cauſarum,breuior,aut longior eſt eorum terminus.

Neque dicas, quotidianam maioris durationis eſſe debere, quandoquidem plurimùm de pituita in corpore aceruatur, minùs autem de melancholia. Dupliciter reſpondemus. Primò quia malitia humoris in quartana facit longam durationem paroxyſmi, quamuis melancholia in parua quantitate aceruetur, argumentum autem valet data paritate in malitia, & benignitate vtriuſque humoris. Secundò fieri poteſt, vt maior copia ſit ea quæ facit paroxyſmum quartanæ, quàm quæ quotidianæ, quoniam in quatuor diebus plus melancholiæ,quàm vnica die pituitæ in corpore aceruari poteſt.

Quæres ſextò, cur ex pulſu quartanum circuitum longiſſimum fore præſenſerit? Dic: non ſolùm ex pulſus raritate, & tarditate inſigni longitudinem præſagiiſſe Galenum,ſed ex vrinarum cruditate nimia. Licèt enim in quartana vrina appareat alba, tenuis & aquoſa, tamen in hoc ſigno erat extremè alba,obſtructiones internas oſtendens; præſertim in ſene, aduentante hyeme, quæ ſolùm ab humore craſſiſſimo & difficulter reſolubili ortum ducunt. Licèt in ſtatu quartanæ vrina certum colorem non habeat, ſed euariet pro varietate humoris ex quo fit melancholia. In declinatione nigrior eſt ob humorem per vrinam euacuatum, ex Auic.1.4.*tract*.2.*cap*.7. Cur verò intempeſtiuus theriacæ vſus triplicem quartanam effecerit; & tempeſtiuus eam eradicauerit; & quo auxilio fuerit Galenus vſus,an ſolo præſagio fretus naturæ totam curationem committens,in ſequenti hiſtoria palam fiet?

HIST. XXXV. GALENI, De quartana.

Quo pacto Galenus Eudemi curatione ſuſcepta prædixerit quo die à tribus quartanis liberaretur.

AD Eudemum nunc redeo, qui cùm à tribus quartanis affligeretur,deſperatus à Medicis in lecto iacebat,hyeme ferè media. Antigenes vnus ex Quinti diſcipulis,qui cũ Martiano verſatus etiã fuerat,& inter Medicos vrbis pri-

mitta

mum locum tenere videbatur, dicebat hiſce, qui me laudabant, irridens, poſtmodum agnoſcetis quem laudatis, quando videbitis Eudemum efferri, ea potiſſimum ratione fretus, quod ſexageſimum tertium annum agens, tribus quartanis affectus in media hyeme eſſet. Tu verò, mi Poſthume, & quæ poſtea de Eudemo prædixerim, quo pacto ipſum ſanarim paſſim diuulgaſti: Nam ex tribus quartanis, quæ prima inceperat eo die, quo prædixeram, cùm abiiſſet, admirari omnes cœperunt: vbi verò & de ſecundæ diſceſſu verax extiti, multò magis obſtupuerunt, ac iccircò de tertia ſaltem falli me, deos precabantur. Sed & illa, quo die prædixeram cùm deſiuiſſet, non ſolum in præcognoſcendo, ſed in ſanando haud paruum nomen adeptus ſum. Sed referam quod poſtremo penès Eudemum contigit, quum dies adueniſſet, in quo tertiæ quartanæ diſceſſum fore prædixeram. Accedens Martianus hora nona, & multò vehementiorem præcedente acceſſione præſentem exacerbationem cùm eſſe dixiſſet, abiit ſtatim, hilari vultu planè lætitiam præ ſe ferens, me mea prædictione fruſtratum iri intelligens. Interea Eudemus febrem vehementem qualem nondum ſenſerat, ſentiens quamuis me non deceptum iri conſideret, alterius tamẽ Medici aduentũ expectabat. Cùm itaque nõ vnus, ſed & duo, & tres aduenisſẽt, obſeruabant enim omnes quo modo prædictio noſtra caderet, optabántque ne ſaltem in huiuſce tertiæ quartanæ diſceſſu, néve in ſanando Eudemo compos fierem; Eudemus quid de ſe, ipſis videretur, cunctos interrogabat, audiénſque ea à ſingulis quæ Martianus reſpõderat, aduerténſque ipſos gaudio affici, me ſtatim accerſitum miſit, volens à nobis quoq; febris magnitudinẽ dijudicari. Vt igitur affui, ne ſedere me quidẽ paſſus eſt, ſed brachium porrigens, vt pulſum tangerem iuſſit, & percunctari cœpit quid annuntiarem. Cui ego ſubridens quid aliud, quàm bonum? At ille, hoc bonum ſpeciatim expone? Audi igitur, dixi ego, & lætaberis. Liberaberis hac nocte ab omni diſpoſitione morboſa, qua ſoluta, ſymptomatũ quoque omnium, tũ quæ ſuperuenerũt, tum quæ ſuperuenire debebãt ſolutio ſubſequetur, atque hoc nobis ſugeſſit facultas, quæ corpus tuũ regit, & per pulſũ nobis ſignificauit: excitata enim, & cõmota eſt, vt è tuo corpore quidquid in humoribus praui reperitur, foras eiiciat. Tum ille, quomodo dicis naturã tibi meam ſignificaſſe? Neque enim verbis id elocuta eſt, quia inquam in mouendo arteriam ipſam plus extulit, quàm vtrique dimenſioni conueniat, quod facere ſemper aſſueuit, quoties aggreditur, id quod corpus lædit, eiicere. Et quoniam multæ ſunt viæ, quas natura excrementis expellendis aperuit, vt per vomitum, ſudorem, ventris profluuium, hæmorrhagiam, apertionem venarum ani: tamen cùm nulla ſigna adſint, quæ alias vacuationes præſagiant, reliquũ eſt vt ſperemus per alui profluuium in te morbũ ſolutum iri. At cùm hoc eueniſſet, Eudemus alta voce clamabat, vaticinari Pythium Apollinẽ ægrotantibus voluiſſe per os Galeni. Me ſenẽ, hyemis tempore tribus quartanis laborantem ex intempeſtiua potione theriacæ, liberauit eadem ſuo tempore data, &c Galenus lib. de præcognit. ad Poſthum. cap. 4.

Noui autem Medicum, qui auſus eſt homini, qui triplici quartana laborabat, medicamen ex viperis exhibere, quando nondum morbus in ſtatu eſſet, deinde (vt par eſt) auctis omnibus febris continua ſubſecuta hominem occidit, &c. Galenus lib. 1. ad Glauc. cap. 11.

PARAPRHASIS.

Medicorum Romæ degentium mores detegit in hac hiſtoria Galenus, qui neglecta morbi cognitione, intempeſtiuis medicamentis, & in cruditate humorum exhibitis miſeros ægros excarnificabant, & quod peius eſt, inuidia obcæcati, in Galenum, ſummum medicinæ Magiſtrum petulanter ſæuientes, quòd oraculis diuini Senis inſtructus, non ſine ſui nominis, artíſque gloria, Eudemum Philoſophum peripateticum, in vrbe magnæ exiſtimationis, & ad quem ægrotantem acceſſerunt viſuri, Sergius, Paulus, Flauius, prætores, & conſules, immò Boëthus, & Barbarus, Imperatoris Lucij auunculus, ipſa theriaca tempeſtiuè oblata, à tribus quartanis prehenſum liberauerit, quem eadem citra ordinem exhibita Romani medicaſtri interficere inſcienter tentabant. Neque putes hanc hiſtoriam falsò conſcripſiſſe Galenum, vt huius diuini viri calumniatores augurantur, qui ex pulſu, qua die, & hora ſoluendos eſſe morbos, non poſſe præcognoſci pertinaciter contendunt, de horum fæce, & ſtrue eſſe noſtro æuo chymicos certum eſt, qui ſpreta doctrina Hippocratis, totum ſalutis humanæ cardinem, in arte chymica chymicíſque auxiliis, & quas illi tantopere iactant eſſentiis quintis eſſe repoſitum impudenter effutire non erubeſcunt, quorum vana, & præſtigioſa remedia à ſuo magiſtro Paracelſo, mago, temerè, & citra vllam methodum inuenta, ſemper in nugas abeunt, & in fumum à quo emanant, vt contra blaterones, inter omnes duobus libris ex profeſſo doctiſſimus exclamat Eraſtus.

Quare cùm idiotæ illi in tertiæ quartanæ diſceſſu, febris vehementia decepti, ipſius vigorem contemplarentur, in plurima mala Eudemum delapſum iri ſunt arbitrati, non aduertentes illud pronuntiatum Hippocratis 2. *aph.* 13. quibus criſis futura eſt, iis nox grauis ante acceſſionem, hoc eſt, ante criſim, atque iudicium: tunc enim formidanda adſunt ſymptomata, quæ ipſe latè *in libris de criſibus, & de diebus decretoriis*, propoſuit, & in compendium redegit *lib. 1. Aph. com. 12. prope finem, § Alia porro ſunt ſignorum genera, quæ criſima, id eſt, iudicatoria ab ipſo nominantur. Sunt autem hæc ſudores, ſanguinis fluxus, & rigores, multum alui profluuium, & ſimilis vomitus, dolor capitis repentè inuadens, difficultas ſpirandi præter rationẽ, & vehemens, vel cordis morſus, hypochondria citra dolorẽ extenta, vigiliæ plurimæ, delirium, & nox abſque ratione moleſta, & acceſſio anticipans, & lachrymæ inuoluntariæ nihil patiẽtibus oculis, neque ex triſtitia proueniętes, rubor faciei, & labrum inferius agitatũ, lucida, vel obſcura, & tenebroſa quædam ante oculos obſeruantia, & hallucinationes quædã, & naſus, vel malæ repentè rubeſcentes parotides, aut omnino abſceſſus alicuius in articulum decumbentis generatio. Hæc igitur omnia, & præter hæc alia multa huiuſcemodi ſecundum propriam eorum ſubſtantiam ſymptomata nominata; quatenus verò ſubitam mutationem oſtendunt, ſigna criſima, id eſt, iudicatoria appellata, duplicem tibi præſtabũt præcognitionem; ſi quidem morbo iam cocto ſuperuenerint. futuram ſtatim ſanitatem denutiant: ſi verò crudo adhuc morbo, iudicationem non bonam, quæ ſcilicet aut ad perniciem agat, aut in longum tempus morbum producat.*

Quo pacto cùm hi inſcij ſtatum morbi non præcognoſcerent, ſuborta maiori febre obſtupuere, & ægrum in malis eſſe moriturúmque eſſe pronunciarunt, cùm illa ex criſi, vnionéque caloris innati ad coquendum, ex maiori ebullitione humoris in ſtatu morbi contingente euenire ſæpe, vel ipſe Hippocrates nos docuit, *l. 2. aph.* 30. dicens, *circa initia, & fines omnia imbecilliora, circa ſtatũ verò fortiora.* His ergo generoſus Medicus, & arte Hippocratica dignus perterreri non debet, ſed ex iis, vt fecit Galenus, futuram, quin immò inſtantem criſim confidenter præſagire conetur. Quare cùm iſti inuidi, & maledici ſententiam latam 3. *prog.* 37. ignorarent, qua docet Hippocrates, ſoluendos, & morituros, breui, aut diuturno tempore morbum paſſuros præcognoſci ex vrinis, deiectionibus, & aliis excretis. Quare cùm hæc diſtinguere, ac eorum vires æſtimare, Medicum non poſſe putarent, præſagia prolata à Galeno, ex diuinatrice, non medica ſcientia prædici contentioſè omnibus inculcabant.

Sed quia tota præſagij Galeni circa hunc ægrotantem doctrina conſiſtit in coctione, quam debebant habere humores, ne in cruditate exhibita theriaca tantoperè noceret, aut prodeſſet præſente coctione: non immeritò dubitabis cur illa humores crudos agitauit non tamen ex toto concoxit, quum concoquendi vim habeat, & iccircò frigidis & diuturnis morbis, febribúſque contumacibus remedio ſit? Dic: Theriacam cocto morbo oblatam in quartana eſſe mirabile auxiliũ: hoc eſt in poſtrema parte ſtatus; nam licèt attenuet, & excalfaciat crudos, & frigidos humores, tamẽ periculoſus eſt illius vſus in cruditate, quia illos intempeſtiuè euacuat per vrinam, & per cutim. Galenus verò *lib. de theriac. ad. Piſon. cap.* 15. laudat theriacam, non ſolùm vt crudos humores ad coctionem diſponat, ſed vt eos iam concoctos abſumat, & euacuet,

hinc

hinc ſit vt non ſolúm quartanæ, ſed melancholicis morbis priſci Medici veteres ſaluberrimam eſſe iudicarint, dummodo coctis humoribus propinetur. Ex quo colligitur manifeſtè, quod ex intempeſtiua humorum agitatione, febris reduplicatio, & triplicatio facta fuerit, quia humores ſunt excalfacti, agitati, & moti, & inordinatè per corpus impulſi febrem de nouo exſuſcitarunt, vrinis exiſtentibus crudis, quo tempore oblata theriaca humores perturbat: coctis verò exhibita, tempeſtiuè coquit, & ſine moleſtia euacuat, antequam, par erat, Galenum vſum fuiſſe remediis abſtergentibus, attenuantibus, concoquentibus, præterea victus rationem congruam inſtituiſſe, vt humores ampliùs concocti theriacæ ope vacuarentur promptiùs.

Videamus deinde; quibus rationibus ſalutem certam Eudemo fuerit pollicitus, quàm alij eſſe deſperatam certò pronuntiabant. Dic, quod quartana erat intermittens, quam abſolutè, & in ſe citra complicationem alterius vitij eſſe ſecuriſſimam Hippocrates prædixit *lib.* 1. *epid. ſect.* 3. *text.* 4. Quartana omnium eſt ſecuriſſima, quoniam, vt ait Galenus *in com.* continuæ, quia nullam habēt vſque ad iudicium remiſſionem moleſtiarum, ſed perpetuò infeſtant, meritò graues, & dicuntur, & ſunt. In quartana, maximè vbi ſit moderata, licèt diebus, qui inter acceſſiones intercedunt, prodire, ac nonnunquam ſolita munera obire, quare quartana neminem iugulat apud Celſum *lib.* 3. *cap.* 15. Deinde licèt ſenex eſſet, habebat vitalem facultatem fortem, atque robuſtam, in cuius robore totus ſanationis cardo conſiſtit, monente ſic Galeno *lib.* 10. *meth. cap.* 5. §. *Vna ſalus eſt virium robur.* Neque dubites plurimis ſenibus adeſſe poſſe vires firmas: nam id ſcripſit *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap.* 13. §. *Itaque & ſeptuagenariis modo dicti adſint pulſus, ſi affectus iubeat, venam ſecabis: ſunt enim quidam & in hac ætate multi ſanguinis, viréſque habent robuſtas.* Et ideò mirum non eſt ſi ſenes aliquando grauiſſimos morbos, quantò magis quartanam triplicem ſuperent; probat proprio exemplo Valleriola *lib.* 6 *obſ.* 7. *& vlt.* Cùm enim viribus eſſet valentibus, & febris vehemens, ob conatum, & pugnam cum morbo natura excitata criſim adeſſe ſignificaret, aliquam euenturam vacuationem prædixit: quare cùm ſigna quæ alias vacuationes præſagiunt, non adeſſent, morbum alui profluuio finiendum iudicauit. Licet autem futuri alui fluxus aliqua ſint ſigna à Galeno prolata in libris de criſibus, prout *in lib.* 2 *in com. hiſt.* 76. oſtendimus: tamen hoc modo de hac futura vacuatione nos poſſe certò iudicium facere, ipſe edocuit 3. *criſ. vlt.* Ergo Galenus perſpectis Eudemi viribus, pulſúſque robore diligenter obſeruato, tantam adeſſe facultatum vim collegit, vt ægrum ad expugnandum morbum ſufficere poſſe intelligeret. Neque inſtes ſenes frequenter ex quartana interire: quoniam hoc non ſemper verum eſt, ſi vires adſint vt in Eudemo quæ ad ſuperandum morbum ſatis erant: aliàs iuuenes debiles vna cum quartana commoriuntur, vt firmant Foreſtus 3. *obſ.* 32. & Gregorius Horſtius *l.* 7. *de medic. hiſt. mirabili, apud Marcel. cap.* 6.

Vltimò cōtemplemur vnum difficillimum, quo pacto aut qua ſcientia medica fretus Galenus potuerit diem, & horam in quibus vnaquæque febris diſceſſura eſſet exactè cognoſcere, & prædicere, ob quod præſagium tantam admirationem, aut potiùs inuidiam aliis Medicis Eudemi curationi vnà aſſiſtentibus afferre potuerit, vt rei cauſam ignorantes, non ex medica facultate, ſed ex diuinatrice ſcientia, augurio, extiſpicio, coniectatrice, & mathematica, huiuſmodi prædictiones facere Galenum proclamarent. Sed ceſſent conuiciis laceſſere Galenum ij bardi medicaſtri, quum præcepta Hippocratica nec à primo limine deguſtarint, quibus ille velut manu ductus hæc præſagiuit, quæ etſi aliis ob ipſorum ignorantiam admiranda videantur, tamen admirationem non habent vllam, nec difficilia cognitu ſunt illis, qui legitimè artem medicam exercent, vt manifeſtè docuit Galenus *lib. de criſib. & de dieb. decret.* Nam *lib.* 3. *criſ. c.* 9. *&* 1. *de dieb. decretor.* 12. tradidit documenta ad præſagiendum ſalutis, aut mortis euentum neceſſaria. Sic enim ait 1. *de dieb. decretor.*

A *c. vlt. Oportet autem, dixit Hippocrates, eum qui ſit rectè præſēſurus ſuperſtites futuros, & morituros, & in quibus morbus pluribus diebus duraturus eſt, in quibus paucioribus, indicia ediſcendo omnia interſtinguere, æſtimando vires eorum inter ſe, quemadmodum ſcriptum eſt, tum de aliis, tum de vrinis, & ſcreationibus, vbi pariter pus, bilémque excreet.*

Sed ea animi moderatione accipiendam eſſe hanc methodum conſtituit *l.* 1. *de dieb. decret. c.* 12. vt non putemus nunquam falli nos non poſſe talia obſeruantes, ſed maiori ex parte vera eſſe: quapropter ſignorum facultates diligenter prænoſcere, & examinare oportet, & vbi hæ tutò definiri poſſunt, præſagio vtendum: ſin autem, ſequentem diem expectare oportet. Quod ſi nihil in illo præſagire firmiter poſſumus, melius eſt tacere quàm temerè pronuntiantem falli: quare caueat Medicus, ne B quid citra maximam conſiderationem præſagiat, antequam aliquod euidens ſignum eluceſcat, neque ſtatim inter morbi initia iudicium de morbo ferre audeat. Hinc factum eſt vt glorietur Galenus ſe nunquam in prædicendo aberraſſe. *Ego verò*, inquit ipſe *lib.* 1. *epid. ſect.* 3. *com.* 17. *etiam hanc ſpeculationem cùm apud Eudemum Philoſophum prædicerem, qui tribus tenebatur quartanis, primam de illis receſſuram primum, quæ certis diebus inuadebat: ac poſt totidem circuitus ab hac depulſa alteram certo die: Similique modo cum poſtea tertiam pronuntiarē, ex diuinandi arte hæc prædicere iactabant, non ex medica ſpeculatione, tametſi vates nunquam vidiſſent vera Romæ de ægris prædicentes: nam illorum qui aliis in vrbibus ſunt, nullum feci periculum. Nos, quod Deo approbante dicam, nulla vnquam re prædicenda offendimur, Atque ſi ea, quæ de iudicio ſunt expoſita mediteris, Hippocr. eris, artéque dignus, &c.* C Quapropter ne mireris, ſi contra hos Theſſalicos aſinos ita acriter contendat Galenus, cuius oracula multi facienda eſſe ex hac curatione liquet manifeſtè, quam, & alias ſumma cum laude, & nominis ſui fama effeciſſe, auctores fidiſſimi conteſtantur.

HIST. XXXVI. GALENI, De quartana.

Quartana ex liene ſuborta, ferè lethalis.

Qvandoquidē ex liene ſæpenumerò vidimus homines febre laboraſſe quartana, ac deinde collecta aqua inter D *cutem eſſe defunctos, &c Galenus* lib. 1. epid ſect, 3. com. 4.

PARAPRHASIS.

Licèt quartana, vt diximus ſuprà, ſecuriſſima, & neminem interficiat, quia duobus diebus intermediis natura recuperat vires ſuas: tamen ſi cum magnis morbis complicetur, eſt ſæpè lethalis: nam quando lien melancholici humoris copia turget, plurimam portionem extra venas emittere natura conatur, qui cùm ſit craſſus, terrenus, & melancholichus quartanam generat. Deinde ſi lien debilis ſit, & craſſum fæculentúmque humorem attrahere, neque purum ſanguinem ab hoc nigro humore ſeparare queat, ſuóque rectè officio non fungatur, aut ob infarctas à viſcido humore vias ſanguinis fæx à iecore in E lienem permeare non poſſit; hic in iecur regurgitans copia ſua, & frigiditate natiuum calorem ſuffocat, vnde hydrops, lethalis ſanè affectus, prorſus dirus: quoniam in producto morbo flacceſcunt vires, hepárque non decenter ab hoc nigro humore expurgatum, marceſcit, languet, & refrigeratur, & ſic calor natiuus humoris tenacis copia obrutus minuitur, & tandem extinguitur, quare rectè dixit Auicenna 1. 4. *tract.* 1. *c.* 6. quartana quæ euenit ex apoſtemate ſplenis, aut in qua eſt apoſtema ſplenis, multoties perducit ad hydropiſim, & perniciem. Sed quomodo tantis malis ſit opitulandum, meritò inquires? Dic: in complicatis morbis ad id quod magis vrget, dirigendum eſſe curantis conſilium; quare ſi hydropis elucent ſigna manifeſta, illi auxiliares manus præſtare oportet.

oportet. Si verò ſolùm quartana affligat cum lienis debilitate, tunc roborandus lien, expurgandum corpus, deobſtruenda viſcera, aperientia vnguenta, & emplaſtra parti affectæ apponenda.

Sed dubitabis, cur ex quartana ſubortus hydrops eſt lethalis, ſi hydrops cuiuſcunqee generis ſit, frigidus affectus eſt, & ex frigida iecoris intemperie originem ducit, & ſic quartanæ ſuperueniens, eam potiùs ſedabit, quam augebit: quare tantùm abeſt vt ſit exitialis, quin potius tanquam contrarius febri hanc perſanabit. Dices, ideò nō poſſe fieri leniorem febrem adueniente hydrope, quia febris totum occupat corpus, cùm ſit affectus vniuerſalis, hydrops autem oritur ab humore in vna parte collecto, non potente vniuerſalem intemperiem remittere, quam opinionem videtur habuiſſe Thadæus in ſuis commentariis *in l. 2. prog. in com. ſent.* 1. inquiens quòd fomes febris in arteriis eſt prope cor, aqua verò hydropicorum continetur in peritonæo: & ideò quamuis circa membra in inferiori ventre exiſtentia aliqua ratione remittatur febris, tamen circa cor, & proximas arterias remitti nequit. At hæc ratio apparens eſt, & non ex toto vera: nam ſolùm habet locum in tympanite, & aſcite, quin immò nec in his veritatem habere cenſenda eſt: etſi enim humor in vna parte contineatur, non longè tamen à corde diſtat, maximè cùm abundet in arteriis multis ortis ab ipſo corde, cuius vicinitatis ratione, & arterias, & cor ipſum refrigerare poterit, cuius feruore minuto, & extincto facilè membra ipſa refrigerantur.

Alia ergo ratio eſt aſſignanda magis congruens dicto euentui. Aqua quæ in hydropicis reperitur, licèt frigida & humida appareat, poteſtate tamen eſt humor vitioſus, & nitroſus, notante Aëtio *tetrab. 3. ſerm. 2. cap.* 20. nec expers ſalſedinis, alicuiúſque putredinis particeps, idcircò non poteſt non calefacere, & exſiccare, ob quam cauſam in hoc affectu inexhauſta excitatur ſitis, quare fit vt ſuperueniente hydrope non ſedetur febris, quod prædixit Hip. 2. *prog.* 1. §. *Aqua inter cutem omnis, ſi ex acuto morbo exiſtit, mala eſt non enim ſedat febrem.* Accedit quod labaſcente iecoris facultate humores febrem conſtituentes non concoquuntur, ſed crudi perſiſtentes febrem producunt Denique eo aceruato intus humore, augetur putredo, putridorum vaporum copia accreſcit, quibus febris ſtabilita perſeuerantiam habet, nullúmque auxilium accipit adueniente hydrope. Quamuis autem morbi morbis ſuperueniant (Græci metaptoſin vocant) vt febris conuulſioni 2. *aph.* 26. quartana conuulſioni, 5. *aph.* 70. abſceſſus erumpentes in cruribus peripneumoniæ 2. *prog.* 67. aliter ſe habet hydrops febri ſuperueniens: Nam alij præexiſtentium morborum intemperiem ſanant; hydrops verò febrem adauget ob dictam cauſam; ampliùs debilitat virtutem, cuius robore egemus ad curationem morborum materialium. Accedit quod hydrops, quartanæ accedens, quæ ex lienis præſertim duritie orta eſt, & ſuapte natura eſt morbus grauis, & ad tabem perducens, grauior efficitur, & non poteſt non in ingentem terminari ruinam, & alia periculoſiora malá, de quorum numero ſunt, alui fluxus immedicabilis, febris hectica, ad quæ tandem mors ſubſequi conſueuit, quæ omnia ex hepatis, aut lienis ſcirrho euenire latè probauimus *lib. 2. in com. hiſt.* 105.

HIST. XXXVII. AVICENNÆ, De quintana.

Quintana febris ſæpe animaduerſa.

QVintanam verò nos multoties vidimus, & non cogimur propter hoc dicere quod illic ſit humor alius, &c Auicenna 1. 4. tract. 2. cap. 68.

PARAPHRASIS.

MVlta ſatis de quintanæ cauſæ, & periculo diximus *lib. 1. in com hiſt.* 30 quo loco quintanos, ſextanos, ſeptimanos, octonanos, & nonanos circuitus, & alios lon-

A giores concedendos eſſe vel ipſe Galenus fatetur *locis ibi citatis*, qui ob triplicem rationem hos longiſſimos typos experientia ſe non adinueniſſe refert prima quòd nullus eſt in corpore humor cui hos circuitus adſcribas, deinde nullis ſignis dignoſci hi poſſint, & quod particulatim de iis Senex mentionem non faciat: cæterùm qui quintanum, & alios longiores concedunt, non propterea coguntur aſſerere alios eſſe humores præter ſanguinem, pituitam, & vtramque bilem, ſed ex iis, paucioribus tamen, & craſſioribus generari.

Quintanam febrim & alias longiſſimas periodos, concedunt Aëtius *tetrab. 2. ſerm. cap.* 14. Actuar. 2. *meth. cap.* 1. Celſus *l. 3. cap.* 3. Halyabbas 2. *pract.* 19. Rhaſius 16. & 18. *continent.* Nicolus *ſerm. 2. ſum doct. 5. cap. 9.* Valleſius *lib. 5. cont cap.* 25. Marcellus Donatus *lib. 3. de medic. hiſt. mira-*
B *bili cap. vlt.* Antonius Maria Venuſtus in conſilio pro Ioan. Heluetio, & plures alij *in lib. 1.* citati, quam ſententiam præterquam quod firmaui *l. 2. de praxi medica admiranda, obſ.* 34. poſitis octonanæ, & decimanæ hiſtoriis, nunc ampliùs confirmo, quippe qui in puero decimo quinto anno conſtante, obeſo, & pingui, quartanam febrem clariſſimè notaui, qui cùm per annum ea premeretur tandem pluribus auxiliis adiutus, ſolo decocto Eupatorij pro continuo potu ebibito conualuit.

Sed ſpeculatio ad vſum Medicum parum, aut nihil confert, quia quintana febris, & alij longiores circuitus eandem expoſtulant curandi methodum, quam quartana, vt *in cit. cap.* Auicenna edocuit. Si tamen plenam de iis productis febribus notitiam habere velis, adi Ioannem Baptiſtam Syluaticum *controuerſ.* 57.

C

HIST. XXXVIII. AETII, De febre lipyria.

Febris lipyria gelidæ potu ſanata.

VIdi mulierem ſupinam decunbentem & in terra voce deſtitutam, habentémque pulſum formicantem, vna cum manuum, ac pedum perfrictione. Putabam autem eſſe calidam affectionem: nam ſimul cum relatis peſſimis ſignis denſiorem videbam reſpirationem factam, hoc autem ſignum eſt magni doloris, ac calidi morbi in præcordiis, & thoracis partibus exiſtentis. Dixit autem quidam ex adſtantibus, ſe audiuiſſe mulierem dicere, quod arderet eius ſtomachus, &
D *frigidæ potionis magnam cupiditatem haberet, quapropter etiā in pauimēto iacet, inquit venans frigiditatem. Itaq; confiſus ipſi dedi per cochlearium aquam, frigidam, iterū, atque iterū immittens ipsā ori violenter, videbam antē labia ipſius placidè aquam intus attrahere, & ratiocinatus ipſam appetere frigidæ potum propter inſitā feruidam affectionē rurſus ampliùs exhibui, poſt hoc autem oculis annuere incepit, indicans ſic me facere debere. Accepta itaque confectione ex papaueris capitibus conſtante, (diacodion vocant) parum de ea cum vino Gnidio, & aqua frigida per cochlearium ori infudi, & ex hoc nimirum paulò poſt ſenſim loqui cœpit, quare rurſus ampliùs de hac potione dedi, vino emmeleo pro Gnidio accepto cum modica aqua. Ori item ventris ſemper vinum cum lactuca & pane, & roſaceo tritum impoſui. Frigida autem hæc adhibui propter affectionis calidi-*
E *tatem, &c. Aëtius* tetrab. 2. ſerm. 1. cap. 89. de lipyria, hoc eſt, de ignis ſacri circa viſcera affectione.

PARAPRHASIS.

DE igne ſacro circa viſcera, & partes internas, exorto agit Aëtius in præſenti, quem partes internas occupare ſæpè, viſceráque deurere, ex Galeno pluribus in locis patet apertè. Græci lipyriam vocant, quam valdè diſtare à lypiria Arabum contendimus *lib. 2. in com. hiſt.* 20. Quando ergo cum extremorum frigiditate, interna vrūtur, ac ſitim habent, tunc febris dicitur lipyria, & licèt huius febris multiplex poſſit aſſignari cauſa, de qua alibi ex profeſſo agemus, tamen quoad noſtrū inſtitutum attinet, eſt inflammatio vehemens in viſceribus inſoleſcens, ita

ita firmat Galenus 4.*aph.*48.*&* 7.*aph.*1.*&* 26.*&* 2.*prog.*4. quo loco Hippocrates ſic prædixit, *ſi caput, manus, & pedes frigidi, ventre, coſtiſque calentibus, malum.*

Sed antequam cauſas refrigerationis extremorum exponamus, aduerte partes externas omnibus aliis faciliùs, & citiùs non in ægris ſolùm, ſed & in ſanis frigere, quoniam ſunt remotiſſimæ à fonte caloris, qui quidem in viſceribus eſt, calidiſſima enim ſunt cor, & iecur, à quibus cætera omnia per ſanguinem & ſpiritum incaleſcunt, quocirca niſi admodum fortis ſit calor, non facilè eò vſque peruenire poteſt.

Cauſa verò cur extrema in morbis acutis frigeſcant, multiplex aſſignatur ex Gal. *in locis dictis*; oritur enim aliquando ex magna viſcerum inflammatione, omnem ferè ſanguinem ab extima corporis ſuperficie attrahentem, quare extremæ partes calore deſtitutæ frigent. Quamuis autem neceſſe ſit vt magna ſit inflammatio, non tamen ſemper eſt neceſſe, vt eadem ſit inflammationis magnitudo, pro cuius diuerſitate, diuerſi ſequuntur refrigerationis modi: nam ſi caput, manus ac pedes frigeſcunt, mediis partibus calidis remanentibus tam internis, quàm externis, multò minor eſt inflammatio, quàm quando non ſolum partes externæ, ſed & cutis vniuerſa, & pectoris, & ventris frigeſcit: tunc enim longè maior eſt, vtpote quæ poſſit non ſolùm ab extremis partibus, ſed ab omnibus exterioribus calorem, & ſanguinem retrahere, in qua non poteſt non in interioribus magnum ſuſcitari incendium, ac tandem ſitis, linguæque ſiccitas atque nigredo & hoc videtur voluiſſe Hippoc. 4.*aph.*48. dum habet, *in febribus nō intermittentibus ſi partes externæ frigent, interiores verò vruntur, ac ſitim habent, lethale*, quod verbum *lethale* maiorem malignitatem, quam malum ſignificat, quo verbo 2.*prog.*1.*&* 7.*aph.*1. vſus eſt.

Cùm ergo viſcera eryſipelate eſsēt oppreſſa, & igneus, flammeúſque calor vrgeret in partibus intimis, lipyria erat febris, qua fæmina hæc fuit correpta: fuit ergo febris continua, pernicioſa, & maligna valdè, in qua perurebantur interiora perfrigerata cute. Neque dubites, frigus, & calorem ſimul ſentiri non per omnes corporis partes, velut in epiala, in qua eadem parte frigus, & calor ſentiuntur. Quomodo autem poſſit contingere, vt quæcunque pars ſimul frigus ſentiat & calorem, ſubtiliter explanat Gentilis 1.5.*tract.*2.*cap.*50. dicens, hoc contingere non ſecundùm partes formales, ſed ſecundùm diuerſas, attamen adeo propinquas, vt ſenſus in iudicio de ſitu partiū decipiatur, iudicans totum eſſe calidum, & totum eſſe frigidum: & adducit exemplum de collo columbæ, & de aliis multis coloribus, de quibus affirmamus diuerſos in eiſdem partibus eſſe. Quod autem ſit impoſſibile ſecundùm eaſdem partes formales ſentiri frigus, & calorem, probatur: nam ſi in eiſdem partibus formalibus hæ duæ qualitates contrariæ imprimerentur, hæ neque calorem ſentirent, neque frigus, ſed trepiditatem quandam, quæ media ex contrariis eſt, vt ibi notauit Iacobus, quod ex definitione contrariorum etiam fit manifeſtum, de quo argumento ſat pulchra propoſuit Valleſius 5.*controuerſ.*24.

Sed dubitabis meritò, in quo differat lipyria febris ab epiala: nam nonnulli vtriuſque definitionem confundunt. Ishaac *lib. feb. partic.*5. *cap.*15. aſſerit, quod febris epiala eſt in qua corporis interiora incenduntur, & exteriora infrigidantur, ſimiliter & Serapio *tract.*6. *de feb. c.*17. quæ definitio potiùs lipyriæ conuenit, quàm epialæ, in qua frigus, & calor ſimul ſentitur in omnibus corporis partibus, ex Gal. 2.*feb.cap.*6. ſubſcribunt Paulus *lib.*2. *cap.*26. Aëtius *tetrab.* 2.*ſerm.*1.*c.*87. dicens, *in hac febre ſimul febricitant, & rigent, & vtrumque eodem tempore percipiunt in omni corporis parte.* Ita Haly 8.*theoric.cap.*6. Quid verò dicendum Auicennæ, & quomodo cum Græcis, & aliis Arabibus conciliari poſſit, 1.4.*tract.*2.*cap.*49. docuit ipſe, dum firmat epialam eſſe quando frigus adeſt in interioribus, in exterioribus verò calor ſentitur, conſule Harculanum, & Coſtæum *in com.*

Quare internam inflammationem, viſcerúmque incendium arguebant multa. Primum, aphonia, eueniens quod inſtrumenta vocis ob defectum caloris innati ab igneo depopulati languerent valdè, vel quòd à malignitate vaporis ab inflammata parte aſcendentis natiuus calor eſſet dminutus; nam hoc non in omni lipyria accidit, ſed maligna, vt 4.*aph.cit.&* 4.*acut.*16. retulit Galenus, loquentibus nobis de lipyria Græcorum quæ internas eáſque vehementiſſimas ſequitur inflammationes quæ maligna eſt 2. *criſ.*7. §. *Febris ardens maligna, vel pulmonis, vel hepatis, vel ventriculi eryſipelatibus aduenit.*

Secundum fuit pulſus formicans, qui extinctionem & ſuffocationem caloris ortam ex magnitudine inflammationis ſignificabat, ſicque etiam obrutus præ copia innatus ignis flacceſcit, præ tanto alieni caloris impetu natura fatiſcit, vt notauit Actuarius *lib.*2. *meth.*1. *in med.* quare ea tunc vitium adeſt iactura, vt Medici exiſtiment ægrotantes pulſu carere; & ita in hoc pulſu nulla inuenitur inter motus contrarios ſenſibilis quies; & ſic falſam celeritatem æmulatur: ſortiuntur enim hi pulſus nomen à formicæ tardo, & imminuto motu: eſt enim omnium minimus, tardiſſimus, & languidiſſimus, ita vt plures eum eſſe celerrimum putantes, decipiantur; quos procul dubiò fallit crebritas illa maxima quam habent: quoniam vt formica crebros, & paruos faciens gradus videtur celeriter moueri, ita pulſus paruiſſimi, & tardi, ac creberrimi, falſam celeritatis ſpeciem præ ſe ferunt; de cuius pulſus differentiam Galenus *lib.*1.*de dif.pulſ.*24. Paulus *lib.*2. *cap.* 12. latè diſſeruerunt.

Tertium quod ardorem internum ſignificabat, erat denſa reſpiratio, ſignum profectò maximum & caliditatis interiores occupantis ſedes, aut phlegmones vias coarctantis manifeſtum, vt Galenus notauit 3.*de dif. reſpirat.* *cap.* 6. Rectè autem noſtri pulſum, & reſpirationem inter ſe ſummam habere efficaciam in ſignificandis internis affectibus, quum reſpirationis vſus ſimilis ſit pulſuum vſui, & ambo maximas, & præſtantiſſimas vires habent ad prædicendum, vt eleganter probat ex priſcorum mente Valleſius *lib.* 3.*cont.*2. Denſa ergo reſpiratio fit caliditate multa in reſpirationis organis coaceruata, id quod fermè omni die in omnibus exurentibus febribus apparet, vt neminem latere poſſit: etenim quod inflammationem præter naturam phlogoſin Græcis dictam, non Hippocrates ſolùm, ſen omnes ferè alij qui ante Eraſiſtratum fuerunt, phlegmognem nominarint, & non à nobis, ſed ab omnibus Hippocratis expoſitoribus eſt oſtenſum. His itaque ſic ſtantibus, nihil amplius mirum eſt, prædictas ambas differentias Hippocratem ſimul oſtendere, cùm ait ſpiritus denſus exiſtens, dolorem, aut inflammationem ſignificat in locis ſupra ſeptum tranſuerſum. Ita meminit Hippocrates magnæ, & denſæ reſpirationis 2. *prog.*56.*&* 2.*acut.* 44.

Cauma internum, auxilium refrigeratorium citò, & celeriter expoſtulabat. Sed primò erat cogitandum de phlebotomia, quod auxilium calidam ſubſtantiam cùm euacuet, nempe humorem feruidum, & ebullientem ſanguinem, mirificè interiora refrigerat, ex Galeno 10.*meth.* 10. Si ergo has vtilitates præſtat venæ ſectio, cur eam non exercuit Aëtius? Dic: quia febris erat multæ acuitatis, vt loquitur Auic. 1.4. *tract.* 2.*cap.* 7. & neceſſitas erat maior refrigerij, quàm vacuationis, ne hectica introduceretur febris, quare pugnare aduerſus futuram ſiccitatem ſalubre fuit conſilium.

At cùm inter refrigerantia primatum obtineat potus aquæ frigidæ, ad eam auctor ſe contulit, & merito ſanè: quoniam ſitim temperat, æſtuantem calorem compeſcit, furentem bilem demulcet, feruidum ſanguinem refrænat, eiúſque furioſos motus retundit, humiditatem à calore intenſo abſumptam reſarcit, arida membra humectat, calorem innatum viuificat, leuat naturam, ſoluit aluum, & incendioſos, tenuéſque humores prolicit in ſudorem: qui potus ſi ſit cardiacis aquis permixtus, promptiſſimè calidæ diſpoſitioni auxiliatur. Quare calidis naturis aquæ potum, vt præſentaneum indicat Hipp. auxilium *lib.* 6.*epid. ſect.*4 *text.* 15. Neque dubites aquam exhibere in principio morbi citra coctionem

vllam, aut præſente inflammatione interna, quia quando febris ardens adeò immaniter vexat interiora, ſuóque calore principes partes laceſſit, ac fatigat, vt non temperetur hic calor igneus, & exurens, timor ſit ne hectica excitetur, tutò tunc ob imminens ex procraſtinatione periculum concedi poteſt: nã melius eſt febrem prorogari & pituitoſam fieri, quam ægrum frigida non exhibita, ſed calore innato ab igneo depopulato à vita decedere, & eo maximè cum non ſit ad ſatietatem vſque offerẽda, in quo exemplo eæ conditiones expetuntur: accedit quod Galenus 9.*meth.*5. verum eryſipelas non aliter quam frigidæ potu ſanandum docuit. Poſſe autem multoties citra coctionem aquæ potum ad ſatietatem vſque offerri, diximus *lib.*2.*in com. hiſtor.* 54. de cuius vtilitate ſatis multa protulimus *ſupra in hoc libro, in com. hiſt.* 21.

B Cùm autem à iuuantibus, & nocentibus maxima ſumatur indicatio, ex Gal. 10.*ſec.loc. cap.*2. & ex leuamine naturæ, oculorum erectione, & maiori vtilitati Aëtius coniectaret aquæ potum magno fuiſſe ex vſu, audaciùs frigidam offerendam eſt arbitratus, qua oblata, cum in meliorem ſtatum eſſet redacta fæmina, ad maiora auxilia acceſſit, quæ magis refrigerant, tenuem humorem incraſſant, & eius mordacitatem, & acrimoniam retundunt. In hunc vſum elegit diacodium, hoc eſt confectionem quæ ex capitibus papaueris parari ſolet, cuius deſcriptionem quære ex Galeno *lib.*7.*ſecundo loc.c.*2. & Paulo *lib.*7.*tit. de confect. ex papaueris capitibus*. Sed cum hoc medicamen ſit nimis frigidum, & calor innatus ab igneo reſolutus debilis eſſet, idcircò cum vino hanc aſſumendam iuſſit: nam vinum medicamentorum frigidorum eſt præſtantiſſimum antidotum.

Sed obiicies. Si vinum caliditate, & tenuitate ſua ſuccum papaueris penetrare facit, & eſt in cauſa vt ad cor citò permeet & frigiditate ſua cordis calorem extinguat, cur vinum cum diacodio miſcendum imperauit; Narrat enim Plinius *lib.*14. *cap.* 4. quòd ſicut vinum eſt venenum cicutæ, potatum poſt ipſam, quia illius vim hebetat, & refringit ſic cum ipſa commixtum, & citius interficit, quia liquat ſuccum cicutæ, & attenuat, & facit vt ad cor pertranſeat, ſuóque frigore illud ſtrangulet, & hæc cauſa eſt apud Ariſt. quare vinum dilutũ citius, & magis inebriet, quam merum; caput enim ob maiorem tenuitatem promptiùs penetrat. Sed diſpar in ſimilitudine eſt ratio, quoniam Plinius loquitur de ſucco cicutæ impermixto, in diacodio autem plurima calida ingrediuntur, vt myrrha, ſapa glycyrrhiza, quæ papaueris ſucci vires refringunt, antiqui enim maximè cauti fuerunt in parandis compoſitionibus, in quas ingreditur papaueris ſuccus, vt conſtat ex Gal. *in locis multis*, præſertim *lib.*8. *ſec.loc.c.*1.§. *Opio iubet admiſceri calefacientia, vt ipſum reddant innocentius, quũ corpora viuentium mortificationi ſimile quidpiã perpetiantur, ab omnium ex opio, & hyoſcyamo, & mandragora compoſitorũ medicamentorum vſu, ideoque Medicis mos eſt admiſcere piper, caſtorium, & crocum.*

Porrò cum viſcera arderent incendio, ori ventriculi refrigerantia iuſſit admouere, & quæ adſtrictione ſua illi firmitudinem conciliarent, de quorum claſſe eſſe ſemperuiuum firmant Dioſcorides *lib.*4. *cap.* 77. Paulus *lib.*7.*prop. titulo de ſemperuiuo*, cuius ſuccum cum roſaceo inflammationibus, & aliis morbi calidis, qui ſummam cutem infeſtant, eſſe imponendum docuit Gal. *lib.*6.*ſimpl. eodem titulo.*

HIST. XXXIX. TRALLIANI, De febri ſyncopali.

Quidam febri ſyncopali laborans, nimia frictione, & tenuiſſima victus ratione vſus reſolutus interiit.

*CVrandi ſunt qui ex humorum copia in ſyncopem incidunt tenui victu, atque omnibus quæ extenuare poſſunt. Quantum ad copiam attinet * vacuationem per ſectam vena* A *nam moliri, & eam iterare oportet: præſertim ſi humor ita exuperauerit, vt periculam ſit ne vires ſuffocentur, nam tunc ex copia modicum detrahere abſurdum non eſt, & grauatas ipſas leuare, præſertim ſi vires robuſtæ ſint: ſi verò, imbecilles, & cruditas multa ſubſit, frictionibus vtendum, & iis quæ extenuare, diſcutere, & concoquere poſſunt, quale eſt chamæmelum, ſed frictionibus à cruribus deorſum, per totam ſpinam, & brachia, & ab his ad inferiores partes & pedes vtendũ, ita vt virium ratio habeatur: quum enim nonnulli immoderatam magis frictionem adhibuiſſent, vires ſubitò digeſtæ, diſſolutæque fuerunt. Ego itaque quendam ex inſcitia fricantium in ſyncopem prolpſum conſpexi: iuſſerat enim ille continuè integram diem, & noctem illum perfricari, & à cibo omni vſque ad quartum diem abſtinere. Deinde cum impiè hoc ipſe faceret, æger qui non potuit* B *vtrumque, tum defatigationem, tum inediam, in alios quinque dies tolerare, ſyncope interiit, &c. Trallianus* lib. 12. cap. 3. titulo de iis qui ſyncope periclitantur.

PARAPHRASIS.

DE febri ſyncopali humoroſa agit in hoc loco Trallianus, de qua exactiſſimè Galenus ſermonem inſtituit *lib.*12.*meth.cap.*3. Vterque tamen auctor hanc febrem ex ſuccis crudis ſubortam frictionibus rarefacientibus, concoquentibus, & extenuantibus, & calore ſuo craſſum, crudúmque humorem abſumentibus, omnimodáque inedia eſſe curandam aſſeuerat: nam frictiones cum linteo C aſpero factæ calorem naturalem excitant, & cutem vniuerſam rarefaciendo, humorem noxium vertũt in halitus, præſertim ſi oleis relaxantibus, & digerentibus parentur. Tenuis victus, & inedia euacuat ex accidenti: qui enim cruditatibus ſcatent, pauciſſimo egent alimento: ſucci enim crudi per vlteriorem elaborationemin ſanguinem verſi, nutrire poſſunt, ex Gal. 2 *acut.*30. hoc tamen intelligendum eſt, dummodò vires valeant, quas firmas eſſe, ex pulſus vehementia, æqualitate, & ordine intelliges: ſi tamen tenuiſſimum victum præſente virium debilitate, cum nimia, & frequenti frictione imperes, exhauſto ſpiritu, & reſoluto calido innato exanimis æger vitam cum morte commutabit. Non ergo frictionem, & tenuem victum renuit Trallianus, ſed hunc mortuum fuiſſe ex fricantium inſcitia, ipſe refert: quoniam quando vires de- D biles ſunt, validis, & aſſiduis frictionibus ægri non ſunt defatigandi, & vires aliqantulum pleniori victu ſunt reficiendæ, vt morbum dienceps tolerare queant.

Sed antequam ad cætera accedamus, dicendum febrim ſyncopalem dici, quia cum ſyncope coniuncta eſt; appellatur humoroſa ad differentiam alterius febris ſyncopalis, quæ minuta vocatur Galeno: illam efficit copia humorum crudorum, qui calorem ſuffocare ſunt apti, hanc verò inopia; vtriuſque cauſas inuenies apud Galenum *loc.cit.* & nos *lib.*2.*in com.hiſt.*51. fusè explicuimus.

Obiicies, cur Galenus tantopere cum Tralliano hîc commendat frictiones antequam euacuet. & cur aſperas laudat, ſit hæ cutem aſtringunt, & meatus ſunt aperiendi, per quos humor exhalat? Dic: quod prius mulſa, & clyſtere aluum proluit, & deinde fricat, frictio autem trahit lentè humores ad cutem, & ad eam calorem euocat. De- E inde frictio debet eſſe media inter mollem, &, duram, quæ ſenſim aperit, & non occludit, immò vna cum inedia imperata obſtructiones impedit.

Inſuper, quoniam ex ſignificato crudi ſucci multiplici plurima de ſyncope humoroſa dubia, ad eius curationem neceſſaria explicantur, aduertere oportet, variam eſſe in doctrina Galeni, illius acceptionem. Strictè ergo, & propriè ſuccus crudus, eſt ſpecies quædam pituitæ, craſſæ, & grauis, quæ plerúmque ſubſidet in vrina edacium, maximè puerorum & otioſam vitam degentium, vt docet Galenus 1. *criſ.* 12. *circa med.* hic ſuccus à pituita differt, quia hæc minus eſt craſſa, cum habeat plurimam humiditatem ſibi commixtam, & ſpiritu ſit plena flatulento, ille vero habet ſubſtantiam ſimilem puri, & albus eſt, & craſſus, vt docet Galen. *lib.*2.*de plenitudine, cap.*21. *ante med.* & 10.*ſec.loc.c.*5.*ad med.* ab eo tamẽ differt, quoniam

necifœtet, nec lentus eſt vt pus, auctore Galeno *lib. 1. de aliment. facult. c. 3. §. Eſt ane & pituitæ ſuccus, crudus, &c.* Quod verò dicit ſuccum crudum non eſſe lentum, intelligendum eſt, quod non ſit neceſſariò lentus; alioquin enim lentus eſt, vt idem voluit *lib. 6. de ſanit. tuend. c. 6. in fin.* vbi de eo ſicco agens ſic inquit, *qui craſſus quidem omnino eſt, non tamen perpetuo glutinoſus* Hic humor propriiſſimè, & per excellentiam crudus ſuccus nuncupatur,

In ſecunda acceptione latiùs, & generalius dicitur crudus ſuccus quicunque citra ſanguinem eſt, quales ſunt omnes pituitæ ſpecies, quia omnes hi humores albi, crudique ſunt, neque ſunt percocti à natura: ita accepit Galenus *4. de ſanit. tuend. c. 4. §. Generaliter igitur eiuſmodi ſucci omnes, &c.* In tertia acceptione, & adhuc magis latè dicitur humor crudus de omni humido qui à natura euictus non eſt, ſiue frigidus, ſiue calidus ſit, ſiue etiam excrementum, in qua ſignificatione, & bilis flaua, & vrina dicitur cruda, & quicunque alius humor qui à natura non eſt euictus, vt docet latè Galenus *2. acut. 44. poſt princip. §. Bilioſa cruda ita appellauit, &c.*

QVÆSTIO XXXV.

Vtrùm in febre ſyncopali humoroſa ſanguinis miſſio, & frictiones ſint ex vſu, vt contra Galenum firmauit Trallianus.

COMMENTARIVM.

Vacuationem per venam ſectam moliri] Duriſſimum ſaxum euoluo, irrefragabilem antinomiam agito, ſalebroſam viam ingredior, quam hactenus percurrit nullus: omnes enim Galenum in ſyncopali febre humoroſa nunquam miſiſſe ſanguinem vnanimiter firmant, illius clariſſima doctrina ſuffulti, & vt ordine quàm optimo ſingula perſequar, æſtimatione dignum eſt, quid de hac re Galenus ſtatuerit *lib. 12. meth. c. 3.* quo loco ſic inquit: *Nulli talium ſanguis mitti ſine maximo diſpendio ſolet, quum tamen vacuationem deſiderent, verùm nec ſanguinis miſſionem, nec purgationem ſuſtinent, vtpote quod ſine his ſyncope facilè adoritur. Quænam igitur eſt ratio talibus medendi, qui cùm vacuari poſtulent, vacuantia præſidia non ferunt? Sanè nullam aliam his idoneam vacuationem inueni præter eam quæ ex frictione paratur, &c.*

Quæris cauſam quare hoc affirmet Galenus? Ea eſt quia in copia ſuccorum crudorum vires adeſſe non poſſunt; ſi de crudis ſuccis ſermo ſit, qui pituitoſi ſunt, & à ſanguinis natura alieni: hi enim valdè opprimunt vires, calorem natiuum frigiditate ſua extinguunt, onerant quantitate ſua, obſtruunt craſſitie, prohibent acceſſum ſanguinis ad membra, lædunt os ventriculi, quod conſortij lege maximè afficitur. Hi ergo humores ſi diutiùs in corpore morentur incocti, vtpote derelicti à regimine naturæ, amplius putreſcunt, febréſque accédunt, quare Galenus *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. c. 10. ipſis exuperantibus (ſi non adſit febris) cautè vacuandum monuit ob dictas cauſas, ſed vbi iam febris corripuerit, nequaquam eſſe imperandam phlebotomiam conſuluit*, quoniam intemperies febrilis, præexiſtenti accedens, amplius vires debilitat, vt inter omnes expoſitores notauit Ferdinandus Mena *in com.* Quare cùm rarò, aut nunquam his febribus laborantes viribus conſtent, meritò in eis venæ ſectio prohibenda eſt.

Trallianus hoc loco, quem ſequuntur Rhaſius *16. cont. c. 2.* & Auic. *7. collig. c. 2.* venam eſſe ſecandam contra Galenum conſuluit, quare omnes hactenus exiſtimarunt illum Galeno ſummè eſſe aduerſum, quorum mentem ſi attentè percipias, illos valdè eſſe concordes aſſeuerabis: Nam quando humor eſt extremè crudus, & à ſanguinis natura valdè diſtat, & vires debiles ſunt, tunc Galenus venæ ſectionem abhorret, ipsámque renuit Trallianus *hoc in loco. §. Metus enim eſt ne vires proſtratæ humorem crudum nequeant concoquere & diſtribuere. Satius igitur arbitror vt venæ ſectionem potiùs vitemus, &c.*

Si verò humor eſt ſemicoctus, & abundat cum præſentia ſanguinis, tunc ſanguis tutò poteſt emitti. Neque hoc

Lib. IV.

A dogma à Galeni mente puto alienum, quippe qui *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. c. 12.* ſic ait *Vbi ergo multa vacuatione eſt opus, verùm vires ſunt imbecilliores, in his vacuationem partiri expedit, vti nimirum & me feciſſe vidiſtis in iis quibus ſuccorum crudorum copia inerat: nam pauco ſanguine detracto protinus melicratum exhibeo probè coctum, cum incidentium medicaminum quopiam, hyſſopo, origano, & interim etiam nepeta, aut pulegio, aut certè cum melicrato oxymel, aut oxyglyci, ac ſi rurſus ſanguinem minuo, vel ipſo eodem nonnunquam die poſtero, in quo rurſum exhibito propoſitorum medicaminum quopiam iterum de ſanguine quid aufero, ac rurſus tertio die ſimiliter bis, &c.*

Eandem ſententiam firmat *lib. 4. de ſanit. tuend. c. 4.* quo loco ſi crudi ſucci parum recedunt à ſanguinis natura, ſanguinem emittit: ſi medio modo ſe habeant, mediocriter
B ſanguis mittendus eſt: ſi omninò à ſanguinis natura recedant, nullo modo eſt vena ſecanda. Et hoc eſt quod aſſeruit Trallianus, ſalubrius eſſe cenſens facta phlebotomia in febre ſyncopali leuare naturam, vt deinceps reſiduum concoquere queat. Nam ſicuti in exterioribus experimur ignem lignorum viridium copia ſuffocari, niſi aliqua ſufficiens, quantitas detrahatur, qua detracta ignis fulget, & emicat: ſic calor noſter, qui internus ignis eſt, ſi crudorum humorum congerie obruatur, ſponte ſua ſuffocatur, marceſcit, & aliquando perit. Oportet ergo ipſum detracta copia leuare, celebrata venæ ſectione, vt deinceps præexiſtentem humorem ſuperare poſſit.

Si verò valdè à natura ſanguinis recedant, ſitque ſanguis paucus, & bonus, humores autem frigidi, & crudi, præſertim in hyeme, natura, regione, & ætate frigidis, omnino
C à ſanguinis miſſione abſtinendum eſt; nam ſic deducitur æger ad frigidiorem cruditatem, ex Auic. *4. 1. c. 20.* quoniam cùm vires non adſint, extracto ſanguine in quo calor perſeuerantiam habet, humores crudiores fiunt, & affectus frigidiſſimi eueniunt, deſcripti à Gal. *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. c. 6.* ij ſunt apoplexia, epilepſia, carus, & alij à frigidis ſuccis ſuborti.

Ex iis iudicabis; quam malo fundamento iuniores contra Trallianum debacchentur, ac ſi Galeni ſententiam temnat, & damnet renuátque phlebotomiam, qui, vt vidiſti, eâ in hac febre amplectitur, & probat. Si verò Galeno aduerſari videtur, ea eſt cauſa quoniam Galenum generaliter loquutum intellexit, cùm hic auctor diſtinctionem faciat in eo humore qui crudus eſt, vel ſemicrudus, vel extremè crudus: cuius conſiderationis reſpectu ſanguinem, parum vel
D nullo modo emittit. Quod etiam faciendum monet hoc loco Trallianus, qui, ſi vires ſint ſatis robuſtæ, & copia quæ offendit ampla, ſanguinem extrahit: ſin autem vires ſint imbecilles, & cruditas nimia, eam interdicit, ſed ſolùm coctionem procurat quiete, cibo, potu, & medicamentis quæ attenuandi, & deſiccandi vim habeant.

Totam ergo curationis ſpem pro curatione huius humoralis febris Trallianus, & Galen. in frictionibus repoſitam eſſe arbitrantur, quarum ope humores crudi coquuntur, euocato per motum ad partes externas calore, quo excitato, lenti humores attenuantur, ac abſumuntur.

Sed tantorum auctorum doctrina videtur ſuſpecta, & valdè dubia: nam in redundantia crudorum humorum, ipſe Galenus *4. de ſanit. tuend. cap. 5.* non ſolùm prohibet ſanguinis miſſionem, ac purgationem, ſed etiam balneum, exercitationem, & omnem corporis motum interdicit,
E quoniam humores crudos mouent, agitant, & per corpus diſtribuunt, & ad venas habitúmque corporis attrahunt: frictio verò eaſdem vires habet, quàm exercitatio, vnde in debilibus, qui exercitationes ferre non poſſunt, harum loco frictiones ſalubres ſunt, auctore Galeno *lib. de puero epileptico. cap. 3.*

Deinde quando corpus impurum eſt, prohibet Hipp. exercitationem *6. epid. ſect. 5. text. 34.* dicens, *ſi immundus laboret, vlcera proueniunt, &c.* vt tubercula, cutanei affectus, immò obſtructiones attractis humoribus exercitationis vi à centro ad circunferentiam. Sed frictiones in corpore impuro has noxas pariunt. Ergo reprobandæ.

Inſuper videtur Galeno aduerſari Trallianus in hoc capite, in quo eſt deſcripta hiſtoria hæc. §. *Haud noui quid etiam*

etiam diuiniſſimo Galeno in mentem venerit. Quod ita faciendum eſſe præcipiat, frictionibus autem immoderatis vtendum, oleúmque ſycionium inducendum, ac inediam imperet. Nam ſi vires languent in hac febre, ægri inediam, & frictiones ferre non poterunt, quoniam, vt ait Hipp. 2. *aph.* 16. *vbi fames laborandum non eſt.*

Vltimò. In febre diaria orta ex crudis ſuccis 8. *meth.* 4. Galenus prohibet abſtergentia, & deobſtruentia: Nam magis obſtructiones impingunt, quia humores attrahunt ad cutem, & partes obſtructas, quare cùm frictiones etiam à centro ad circunferentiam eos attrahant, eo nomine videntur reiiciendæ.

At hæc non ita fortia ſunt vt euincant: nam etſi balneũ, & exercitatio cum frictionibus, in multis conueniant, in pluribus differunt, quoniam hæ plus attenuant, incendunt, & diſcutiunt humores, & ſic Galenus plenitudinem corrigit frictionibus, non balneis, aut exercitationibus, quæ plethoricam diſpoſitionem non admittunt. Quamuis autem in hac febre frictiones aliquam inducant noxam, nempe obſtructiones, auocando humorem ad partes extimas; quoniam tamen ob imbecillitatem, & timorem animi deliquij, nec ſanguinis miſſio, aut purgatio poſſunt celebrari, & totus curationis cardo ſit repoſitus, quod humores in profundo corporis exiſtentes, præcipua membra grauantes & celerem mortem minantes ad extimas partes frictionibus attrahantur: tunc eæ cum maiori vtilitate, etſi aliquali noxa celebrandæ. Galenus verò 4. *de ſanit. tuend.* agit de redundantia ſuccorum crudorum in ſanis, vel neutris corporibus, citra febrem, in quibus non ſimile periculum vertitur. Ex quibus *ad* 2, *&* 3. *argumentum* ſolutio patet.

Ad tertium dic: Trallianum ſolùm impedire frictionum immoderatum vſum; ſi enim moderatæ, & aſſiduæ fiant, & tenuem victum obſeruent ægri, tantùm abeſt vt vires langueant, quin potiùs ſuccis crudis concoctis, & in ſanguinem verſis reficiantur vires. Hipp. 2. *Aph.* de redundantia crudorum humorum non eſt loquutus.

Si verò in diaria orta ex obſtructione vtendum non eſſe deobſtruentibus Galenus aſſeuerat, ne obſtructiones augeamus, diſpar eſt ratio; licèt enim frictionibus in ſyncopali febre eæ magis increſcant, has tamen contemnimus, dummodò humores crudi ad partes extimas trahantur, quum liceat maiorem noxam minori corrigere.

HIST. XL. GALENI, De febri hectica.

Ex inflammationibus internis diuturnis, febris hectica generatur.

EGo quidem vidi ex laxioris inteſtini, (Græci colon appellant) inflammatione diuturna tabidam febrem fuiſſe ſequutam. Item ex ſimilibus ſtomachi, veſicæ, ac renum affectibus, nec minus à tali febri nonnulli ſunt capti, qui dyſenteriam patiebantur, quum ſcilicet inteſtina inflammatione laborarent. Ex læuitate etiam inteſtinorum, & longo profluuio, quum ſcilicet vel ab initio ſtatim, vel progreſſu temporis febricula inuaſerit, tabidæ febres conſequuntur, & vt ſimpliciter dicam, quando præexſiccatum cordis corpus febrilem caliditatem quæ cum difficultate amouetur, acceperit, &c. Gal.* lib. 1. de dif. feb. cap. 9. in fin.

PARAPRHASIS.

FEbris hecticæ nomen licèt Latinum videatur, à Græco tamen ſermone eſt deductum, habitúmque ſignificat, qua de cauſa ipſa febris, dicitur habitualis, hoc eſt difficulter ſolubilis, & ab aliis vocatur conſumptio, quod ſcilicet in ea humiditates corporis abſumantur. Quo pacto meritò reprehendendus eſt Galeotus Martius *lib. de promiſcua doctrina*, *cap.* 29. hecticam ab ardore nuncupari autumans: maximus autem huius febris eſt ardor, qui propter inueteratam conſuetudinem non ita ſentitur, ſicut in tertiana, vel hemitritæo.

Hoc ita eſſe ex euentu probari poteſt: nam ex ardentibus febribus oritur magna ex parte, quæ vſque adeò protrahuntur, vt longitudine temporis omnem cordis hauriant humorem: quoniam cor ellychnio lucernæ redditur perſimile, quum plurimum fuerit exuſtum, quod vt vehementer ſiccum diſſoluitur, & conteritur, & corpus arboris inſtar tabeſcit, quæ aut diuturnitate temporis, aut flammæ vicinitate areſit. Hæc vaſi calido ſimilis eſt. Vt enim hoc aquam illi infuſam calefacit, ita hectica ſolidis inhærens partibus, iíſque infixa eas calefacit.

Id etiam docet exemplo iuuenis cuiuſdam, quem ipſe curandum ſuſceperat *lib.* 10. *meth. cap* 3. *&* 6. diuerſo curationis genere quo alij Medici vtebantur dicens diarias febres in hecticas mutari, in his præſertim, quorum calidior, & aridior eſt temperatura, qui balneo frigido, & humido maximè iuuãtur, ac illi qui ardentibus febribus ſunt correpti, quia tactui habent calorem retorridum, ac ſiccum, & in illis viſcera ardent, & interno flagrant incendio: calor enim hecticus præter naturam ſemper magis, ac magis perficitur, & magis radicatur in ſubiecto.

Sed falſum eſt febrem hecticam ab ardore habere nomen. Primò, quoniam Galenus, cæterique Medici febres hecticas ab ardentibus diſtinguunt; quoniam illæ vix percipiuntur, & minus expertos Medicos fallunt, & ab ea ægroti ſe liberos quandoque putant: ardentes verò maximè ſentiuntur & non occupant ferè ſolidas, partes, quum in his accenſis febris hectica conſiſtat.

Sed quæres, cauſam, cur febris hectica cùm calorem inducat grauem & vehementem, non eam tamen laborantes ſentiant, ita vt inter loquendum ſæpiſſimè abſque vllo doloris ſenſu emoriantur? Dic: quod calor hic febrilis, ita eſt immerſus in calorem innatum, eúmque adeò penetrauit, vt penè extinguat, vicémque innati gerat, quaſi in illius naturam conuerſus. Hac ratione in ſolis hecticis febribus æqualis inuenitur, ſiue vniformis intemperies, quod æqualiter ſemper afficiat ille calor, vt contrario carens, ex contrario autem oritur dolor. Quare Galenus *lib. de inæqual. intemperie* 5. iure inquit, quum omnes particulæ ſolidæ perfectè calefiunt, hecticam febrim vocant, quæ non in humoribus, aut ſpiritibus ſedem locauit ſuam, ſed in membris, quæ habitus rationem habẽt, ſicque doloris expers eſt; quare qui ea conflictantur putant ſe liberos. Ita hecticæ peſtilentes nonnullæ æqualem ſortiuntur intemperiem, maximè hæ, in quibus retorridus, & marcidus calor cordis ſubſtantiã inuaſit, quod Galenus docet 3. *de præſag. ex pulſib cap.* 3, *&* 4. Inæqualis verò intemperies eſt quæ impuri aliquid habet, & contrarij ex quo naſci dolor poteſt.

Ex inflammationibus internis diuturnis oriri hecticam febrim experientia paſſim confirmat. Quum enim has febris continua, magni feruoris, & vehementiſſima comitetur, cùm diu duret, neceſſariò actione caloris diutina, aur vehementi membri ſolidi temperie euerſa, ipſemet calor adeò ſeſe inſinuat, vt radicatus, habitualíſque fiat. Hoc modo qui prolixam perpeſſi ſunt dyſenteriam, diuturnas, & immodicas vacuationes per aluum, & ſanguinis fluxum, ij ob humidi defectum introducta ſiccitate, & ſic colliquatis membris ſolidis, quæ ad recipiendum calorem habitualem ſunt paratiſſima, hectica febris conſurgit, quæ ſine ſiccitate fieri non poteſt. Licèt enim Galenus *lib.* 1. *de dif. feb. cap.* 9. aſſerat fieri hecticam febrem, tanquam nihil adhuc virtute perpeſſa: hoc intelligendum eſt ad alias hecticæ febris ſpecies, in quibus multum perpetitur virtus, collatione facta, quoniam in omni hectica eſt neceſſarium vt humiditas abſumatur, & ſuccreſcat ſiccitas morboſa, vt ingenuè explicant

Mercatus *lib.* 5. *de feb. cap. de febre hectica*,
Mercurialis *lib.* 5. *de feb. cap.* 7.
de hectica febri.

* * *

quoniam ſi ſint calida,profunt, quia per apertos, miniméque conuenientes "poros , bilioſum humorem ſuapte natura tenuiſſimum diſcutiunt , & humiditate ſua actuali , acrem hunc humorem contemperant , & potentia refrigerant:reprobat balneum ex aqua marina, ſalſa,nitroſa,& ſulphurea : nam præterquam , quod ex ſulphure, & nitro parata totius corporis habitum calefaciunt,ex Paulo *lib.1. cap.5 2.* Plinio *lib. 31.cap.6.*& aliis,ſalſa, & marina meatus cutaneos adſtringunt , & humorem bilioſum per cutem, & ſudorem excerni prohibent , præſertim ſi corpus ſit ſqualidum , ſiccum, & temperamento calidum: tunc enim inflammant viſcera , bilem exacuunt, hepar debilitant , corpus extenuant : non ſolùm quia calore ſuo nimio reſoluunt , & innatum calorem abſumunt , ſed quia qualitate ſua calorifica febrem adaugent. Cùm ergo tot damna in febribus maximè bilioſis ex horum balneorum vſu ſubſequantur , ſumma cum ratione vocat Galenus inſanum illum , qui ab aliis perſuaſus , vel vulgaribus, vel Medicis , illis vſus eſt, quum gracili eſſet corpore,& temperamento calidus , vel tertiana exquiſita, vel alia bilioſa febre detentus : nec enim Galenus affectum quo hic premebatur aſſignat , quem ego tertianam exquiſitam fuiſſe reor , cuius cauſa cùm bilis ſit , à balneorum naturalium calore exaſperatur , & acuitatem induens , acrior multo redditur , ac mordacior.

De balnei , affectibus in quibus conueniunt , eorum viribus, & conditionibus obſeruandis pro eorum applicatione lege Aëtium *tetrab.1.ſerm.3.cap.166.67.&.68.*Auic. *2.1.doct 2.ſum.2. cap. 19.& 3.1.doct.2. cap.3.* Fallopium, Baccium , Sauanarolam, Mercatum , Reinerum Solenandrum,& alios qui de hoc negotio eximiè pertractarunt.

Senes non ingrediantur balnea naturalia, ſicut & debiles, excarnes, quia maximè reſoluuntur,prohibentur tempore æſtatis; nam debilitant vires, febres concitant, iecoris inflammationes mouent,ſicut & tempore hyemis,quia facilè aër ambiens penetrat, humores ſunt concreti, canales adſtricti:vernale , & autumnale tempus eſt accommodatiſſimum. Denique febrientes ab eorum vſu ſunt abſtinendi : plus enim reſoluuntur , & devruntur viſcera.Idem obſeruandum ſi in tempore quo aſſumuntur balnea accidat febris : quoniam ſi ea repetas , ſuperuenit vertigo: tunc enim balnea ſunt interdicenda.Qui calidam iecoris intemperiem patiuntur,poſtquam à balneo exierint, ne renes, & hepar excalfiant,dorſum,& iecoris regionem aliquo refrigerante vnguento inungere oportet.

Porrò in his corporibus balnea, vel in morbis aliarum partium frigidis adminiſtrare haud tutum eſt , de quorum claſſe fuiſſe hunc ægrum coniectare licet , qui non ſemel, ſed ſæpè vſus his balneis , liquata humiditate primigenia, & rorida, cuius nutrimento, & pabulo viuificus calor inſitus partium recreatur , & reuiuiſcit , abſumpto, euaneſcente ſpiritu,& exhauſto ſanguine,ob feruidum balneorum calorem , in ſummam maciem eſt delapſus , deincépſque ſenſim, ac ſine ſenſu magis contabefactus occubuit.Si pro huius hiſtoriæ maiori explicatione plura videre cupis, adi Gulielmum Giſcaferium,qui *in tract.de febrium natur.*balneorum vires naturalium febrium curationi tantoperè aduerſas diligenter explicuit.

QVÆSTIO XXXVII.

Vtrùm incaleſcentia à cibo ſit febris hecticæ proprium , & inſeparabile ſignum , vt contra Galenum contendit Mercatus.

COMMENTARIVM.

T*Abe conſumptus interiret.*]Nihil aliud,inquit diuinus Plato,celeberrimas,vſuíque humano præſtantiſſimas, ac valdè neceſſarias ſcientias proſtrauit ſolo,quàm ſectarum varietas, & in tuendis variis dogmatis mira oſtentatio, dum ſpretis artium magiſtris quiſpiam propriam opinionem mordicùs tueri conatur, & mutatis priſcorum remediis, ratione, & diuturno vſu comparatis , nouam curandi morbos,& indagandi illorum cauſas methodum,ac

A legem præſcribunt. Mirabilis fuit Galenus in deſcribendis febris hecticæ ſignis,inter quæ vnum conſtituit; quod hac febre detenti poſt aſſumptum cibum duabus horis ir-incaleſcant,quem plures contemnunt,euentus cauſam damnant & eius mentem in varios ſenſus diſtorquent.

Ille enim *lib. 1.feb.9.& 2. prog.* 60.ſignum hecticarum febrium proprium, & inſeparabile eſſe ait, quod ab accepto cibo duabus horis maior ſentiatur calor, quàm antea, ita vt pulſum tangens, alteram febris acceſſionem adeſſe opinetur , & pulſus ad magnitudinem, & velocitatem ita ſit auctus, vt acceſſio incompreſſa facta eſſe videatur. Acceſſionem autem incompreſſam vocat Galenus , *in qua neque horror eſt,neque frigus extremorum,neque ſomnus,aut pigritia inſignis,vel omnino inæqualitas aliqua,vel,in caliditate,vel in pulſu apparent,neque comprimitur pulſus,facta ab extimis ad intimas partes caloris,& humorũ reuocatione, neque vſus diminuitur,calórve,aut arteria à grauante copia obſtruuntur, ac ſuffocantur,quia in hac febre non redundat humor, qui ſua copia hæc vitia efficere queat.*

Inquit ergo Galenus, *Maximum ergo tibi,ac indubitatum hoc erit ſignum, ſi cibum homini obtuleris eo tẽpore quo maximè omnes horas ſuſpectas ſubterfugiſſe videtur:ſtatim enim hora vna,aut duabus poſt acceptum cibum,quicumque ægrotantẽ tetigerint , alterã febris acceſſionẽ opinabuntur.*& infra in eodem *cap.9.lib.1.de diff.feb.* ſic ait:*Nam ſi in diuerſo tẽpore cibum illis obtuleris,caliditatem ex cibo adauctam ſenties,& pulſus alteratos:id enim in eis contingere videtur quod in calce,ac lapidibus calefactis:ſi enim aquam frigidiſſimam infuderis,multò,calidiores ſentiuntur,nutriente humida ſubſtantia aridam caliditatem.*

C Galenus huius rei cauſam perſcrutandam eſſe à ſtudioſis expoſtulat. Ab ingeſto cibo ſequitur incaleſcentia in hecticis , quia calor intensè ſiccus in humidum proſiliens ebullit, & veluti efferueſcit , quare amplius quàm anteà increſcit : maximè q uia vbi primum cibus incipit concoqui , vapores eleuantur , qui totum corpus penetrantes, calorem vberem ipſi communicant , pulſus verò in magnitudinem , & velocitatem augetur : quoniam accedente alimento , & roboratur facultas , & ex ampliore calore adaugetur vſus, & inſtrumentum eſt obediens: cum enim arteriæ ſiccæ ſint, humido vapore molliores redduntur, quod intelligendum eſt, dummodò cibus non ſit ita copioſus , vt vires grauet : tunc enim fiunt pulſus inordinati , & inæquales,ex Galeno *3.de præſag.ex pulſib. cap. 6.* Deinde hæc magnitudo abſoluta non exiſtit , ſed D facta comparatione ad præcedentem ſtatum, quia in hectica febre neque magnus , neque vehemens reperitur, *3.de præſag. ex pulſib.cap.7.*facultas enim vitalis eſſentialiter debilis eſt.

Qua tamen ratione calx infuſâ aquâ efferueſcat , nondum conſtat inter auctores. Cardanus huius euentus cauſam eſſe retur , quia ignis in calce latitans , quem in fornace acquiſiuit , exiguæ aquæ frigore intus concluditur, & tum motu tum coctione in ignem euadit , vt ineptè philoſophatur : nam quicumque liquor tepidus eundem ignem in calce excitat. Reſpondent alij , vt Scaliger, etiam ignem in calcis meatibus exiſtentem aquam effugere ac ſeſe in partes ſolidas inducere rentur, quapropter ſtipat ſeipſum atque condenſatione acuitur. Sed ſi ignis in meatibus calcis relinquitur , cur non etiam in meati-E bus carbonis ? Occurrit Thomas à Veiga , in calce propter denſitatem lapidis, quando vritur, plus ignis manere, quàm in carbone : accendi verò calcem ab aqua,quia natura inducit vim ſicco , vt imbibat humidum , calido vt tranſeat in humidum , & ideo piper non accenditur ab aqua, quia piper non trahit aquam ad intimum. Sed non videtur recipienda ſolutio : nam denſitas lapidis non eſt in cauſa, cur in calce quæ denſa non eſt, plus ignis relinquatur,neque ignis tranſit in humidum,ſi illud eſt aqueum, quoniam ſolùm amat pingue aereum , non aqueum , aut friabile.

Sunt qui dicant, quod frigida condenſando poros; per antiperiſtaſimque calorem ad interiores partes reuocando , ipſum vniat , ac intendat. Sed hi à varietate diſtant; quia ad antiperiſtaſim requiritur quod contrarium non

valdè penetret: ſic enim magis innatus calor qualitate remittitur qua de cauſa ſenes, & conualeſcentes hyeme non roborantur: quia licet frigus circunſtans calorem ad internas reuocet ſedes, quoniam tamen eſt exiguus, & debilis, ipſius qualitas refringetur. Dic ergo cum Auerrhoë 4. *collig.* 33. quod calor relictus in calce ad ſui contrarij præſentiam furit, excitatur, & ebullit, & licèt à liquore tepido ſupra calcem iniecto feruor concitetur, non eſt magnus, & vehemens, vt qui affuſa frigida excitatur. Sed cur piper non ebullit affuſo liquore, aut linguæ appoſitum, cùm habeat tantum intus calorem, quantum habet calx? Dic: quoniam non eſt, ſiccum, & eius calor ab humiditate ſaliuæ eſt edomitus.

Hoc ſignum in omni ſpecie hecticæ inueniri probat Fernelius 4.*patholog.* 6. Nam ſi incaleſcentia à cibo ſiccitem ſequitur, cur in omnibus non reperietur, quum eæ citra ſiccitatem conſiſtere nequeant? Dic: quod nec in prima, nec in tertia accidit incaleſcentia à cibo: non in illa, quia exquiſitam non obtinet ſiccitatem, & membra multo humore ſcatent, & larga achuc ſanguinis in corpore copia continetur: non in hac in qua adeſt incineratio quædam, exiguus adeſt ignis, calor innatus eſt puſillus valdè, qui ad humidi præſentiam non ebullit, nec efferueſcit, quod oſtendit exemplum ellychnij allatum à Galeno 1.*feb*, 8. Nam tunc tale aliquid cor patitur, quale lucernæ fomes cùm fuit plurimum exuſtus: nam qui ita torrefactus eſt, frangitur, atque diſſoluitur, atque ex ariditate continuitatem amittit, adeò, vt neque ſi magnam olei copiam affundas, flamma abundantior poſſit accendi: ſemper enim parua, & debilis in ipſa palpitat flamma, ac continuò fit minor, donec ex toto diſſoluatur. Quapropter ſolùm in ſecunda ſpecie hoc ſignum locum habet. Conſule Balthazar. Brunum *diſputat. de feb. hectica in fine.*

Accedamus ergo ad rationes, quibus, plures à Galenica doctrina diſcedere coguntur, inter quos eſt Ludouicus Mercatus *lib.* 5. *de feb cap. de feb. hectic.* qui modum à Galeno propoſitum non probat, quare oblato alimento calor hecticus increſcat, vt increſcit in calce viua affuſa aqua: quoniam impoſſibile eſt viuo animali tantam adeſſe caliditatem, & ſiccitatem, quæ calcis naturam æmuletur. Secundò, ſi alimentum ad partes areſactas non peruenit, niſi tranſactis ad minus ſex horis: cur hectici mox à cibo incaleſcunt, maximè cùm in tam paruo tempore conuerſio alimenti vires augentis præſtari non poſſit? Adde ſimilitudinem calcis ad aquam, ſimúlque alimenti cum membro non eſſe optimam: quia etſi calx contrarietatem habeat cum aqua, nutrimentum non habet adeò magnum cum membro, quum illi ſit familiare; quare non fiet in membro, ſuperiniecto cibo, efferueſcentia, vt fit in calce ſuperinfuſa aqua. Inſuper quis calorem in calce conſopitum à frigida, & humida aqua dicat excitari, quum hæc potiùs extinguere ignem atque abolere, quàm promouere nata ſit? Vltimò non eſt aſſignandum hoc ſignum vt proprium hecticis febribus, quum putridis etiam conueniat, in iis præſertim in quibus calor cum ſiccitate coniunctus viget, vt in bilioſis ardentibúſque febribus palàm fit, in quibus poſt ingeſtum cibum calor fit vehementior, & pulſus ad magnitudinem, & velocitatem augetur.

Sed hæc facili negotio perſolues. Dic ad primum, in febre hectica caliditatem, & ſiccitatem intenſam adeſſe, ſed ita vehementem, vt cum ea poſſit ſtare vita, & non omnis primigenius humor ſit exhauſtus, velut in calce, in qua reperitur humiditas adhuc quæ ignis latentis eſt pabulum.

Ad ſecundum dic. Cibus licèt non ſit poſt duas horas in membra conuerſus, tamen ex eo calorem augeri neceſſe eſt, quia alimenti vapor ad omnes corporis partes accedens, calorem aridum accendit, qui in humidum proſiliens multum ebullit. Nec enim eſt neceſſe, vt alimentum aſſumptum vniuerſim exeat à ventriculo: nam aliqua pars inter coquendum accedit ad membra in vaporis modum. Adde quod præexiſtens cibus in ventriculo ab ingeſto impellitur, & ſic ſucceſſione quadam ex iecore ſanguis tranſit ad partes nutriendas, & roborantur vires non tantùm ex cibo, quin ex vapore eius, ex quo ſpiritus regenerantur, quorum præſentia calor augetur, facultates robuſtiores fiunt, maximè ſi alimentum ſit coctu facile, citiſſimæ diſtributionis, vrgeátque neceſſitas. Conſule Petrum Mercatum *lib.* 4. *de febrib. c.* 2. *in ſcholio.*

Ad tertium dic: ſimilitudinem eſſe à Galeno ingenioſè appoſitam, quia ſimiliter accidit in membris hectici areſcentibus, veluti contingit in calce, in vtriſque calor continetur ſopitus, adueniente verò humore maior redditur, & magis ſeſe tactui oſtendit. Et licèt alimentum ſit ſimile, & familiare partibus nutriendis, tamen in principio cum illis habet contrarietatem, cùm principio ſit diſſimile, & contrarium, auctore Ariſt. 2. *de anima, cap.* 2.

Ad quartum dic. Quòd licèt calor in calce ſopitus, & in membris in principio accedente aqua, & alimento, ab horum frigiditate, & copia ſit minutus, & obrutus, tamen poſtea deuicta frigiditate ampliorem reddi, quod in igne obturato, & multa lignorum ſtrue obruto fit manifeſtum.

Ad vltimum dic. Corpus noſtrum poſt cibum ſemper ignoſcit, ſed magis in putridis febribus, maximè, & notabiliter in hectica febre. Sed hoc augmentum à febrium putridarum augmento diſtngues, quoniam in putridis ſigna præcedunt, non in hectica. Deinde, quia in hectica augetur ignis quacumque hora æger cibetur; putrida ſuas habet ſtatutas horas, & humorum motum ſequitur. Tertiò, quia incrementum hecticarum durat vſque ad diſtributionem alimenti, ad quod putridæ non reſpiciunt. Quartò, in putridis augetur calor ab ingeſto cibo, ſed non manifeſtè, in hecticis conſpicuè, & Medico, & ægroto pariter ſentitur. Vltimò, in putridis calor augetur cum quadam pulſus, & caloris compreſſione, in hecticis ita increſcit, vt acceſſio incompreſſa videatur, vt ex Galeni doctrina ſupra citata dilucidè conſtat. Lege contra Auerrhoëm eleganter diſputantem Chriſtoph. à Veiga *in com.* 60. *lib.* 2. *prognoſticon.*

HISTOR. XLII. GALENI, De febri hectica.

Extenuatio tabifica ex intempeſtiuo theriacæ vſu adaucta, mortem inducens.

AT pueris maximè omniũ theriacam interdico, quoniã ipſius magnitudo illorum vires plurimũ excedit: nam & puerile corpus facilè diſſoluit, & complantatum ſpiritum celeriter extinguit, non aliter atque lucernæ flammã pluſquã conueniat infuſũ oleum. Vidi ego alias puerum ab intempeſtiuo theriacæ vſu ſolutũ: febrierat enim lõgo tẽmpore fueràtque corpore valdè macilẽtò, & viribus adeò debilis, vt viuere magna cura vix poſſet: quæ cõſpicatus medica prudẽtia vetabam antidotum puero dari. Cùm autẽ quidam ipſius curam haberet, qui patrem ſe eſſe pueri dicebat, & potius imperioſa quadam iubendi licentia vteretur, quàm profectũ à ratione iudicium audiret, temerario quodã impetu, & violento coëgit theriacam puero exhibere, quam ille acceptam cõcoquere non valuit, eò quòd potentior eſſet viribus ipſius. Soluit itaque vniuerſum pueri habitum, aluúmque fluere cùm feciſſet ob datam præter rationem antidotum, ſubſequuta nocte periit, &c. Galenus lib. 1. de theriac. ad Piſon. cap. 17.

PARAPHRASIS.

DE theriacæ efficacia admirãda, eiúſque aduerſus plurimos præſertímq; venenoſos morbos facultate eximia *lib.* 5. *de venen.* proponemus plura. Hoc loco ſatis ſit dixiſſe theriacã non eſſe propinandam iis qui calido ſunt tẽperamento, & calidas incolunt regiones: iã hoc eſt, ignem igni addere, & calorem extraneũ ampliùs acuere, quo pacto pueris cum ſumma cautela eſt propinanda: cùm enim calefaciat, & exſiccet vehementer, puerorũ corpus calidiſſimum inflammat, maximè ſi præceſſit febris, & corpus ſit excarne: tunc enim ſi propinetur antidotum, excitat ingẽtes morbos, qui deinde difficilem habent correctionem.

Ne

QVÆSTIO XXXVI.

Vtrùm calor febris hecticæ ſit independens à cauſa conſeruante, vt contra Galenum Pererius, & Lemoſius opinantur, & an ea in ſpecies tres ſit diuidenda, vt contra eum firmat. Argenterius.

COMMENTARIVM.

TAbidam febrim.] Conſularis vir, Celſus, qui ante Galenum, vniuerſam artem medicam, vno paruo volumine, at eleganti, ſatis fermentato, & pinguis cremoris pleno, poſteris tradidit, & excoluit, *lib.3.cap.22.* triplicem facit ſpeciem tabis. Prima eſt qua corpus non alitur, & naturaliter ſemper aliquibus decedentibus, nullis verò in eorum locum ſubeuntibus, ſumma macies oritur, & niſi occurritur, tollit, atrophiam Græci vocant. Altera ſpecies eſt quam Græci cachexiam appellant, vbi malus corporis habitus eſt, ideóque omnia alimenta corrumpuntur. Tertia eſt, longéque periculoſiſſima, quam Græci phthiſim vocant.

Hunc autem auctorem, ſicut nec Hippocratem de febre hectica nunquam feciſſe mentionem, certa res eſt, qui ſolùm de febre tabidâ, ſeu marcida ſermonem inſtituunt. Hoc ita eſſe inuenies, ſi Hippocratis monimenta attentè contempleris: immò Celſus *l.eodem 3.à.c.5.vſque ad 17.* in quibus omnium febrium argumentum ex profeſſo proſequitur, hanc febrem nomine hecticæ non appellat, neque hanc cum phthiſi eſſe coniunctam *citato loco* aſſeuerat: niſi fortè affirmes cum Fernelio *lib. 4.patholog.c.8.* febrim quæ phthiſim comitatur hecticam non eſſe, ſed putridam, ex putreſcente pulmonum ſubſtantia ſubortam, cuius opinionem coarguerat multò antea Galenus *lib. 1. epid.ſect.3.com.3.§.Tabidi hectica febre laborant nunquam ceſſante*, vt contra Fernelium ſtrenuè diſſertat Carrerius *diſput.20.ad libros de loc.affectis,cap.12.*

Maior autem eſt lis, & controuerſia, vtrùm calor præter naturam hecticæ ſit independens à cauſa conſeruante: nam in hoc dubio explicando Medici ſummoperè contendunt. Gomezius Pererius in ſua noua medicina *columna 225.& 226.* Ludouicus Lemoſius *lib. 10.meth.c.7.diſput. 2.* in ea ſunt opinione, vt putent eum eſſe dependentem, & habere cauſam conſeruantem ſicut habet humoralium febrium calor. Hincque ſententiam vnico confirmant, eóque ſatis valido argumento.

Caliditas producta in aqua non poteſt permanere in illa ſine cauſa fouente, & conſeruante, quia caliditas formæ ſubſtantiali aquæ eſt diſconueniens, & ad corruptionem illius diſponit, quare hac cauſa conſeruante deficiente, per ſimplicem emanationem à forma aquæ ad priſtinam frigiditatem redit, & calor in ea exiſtens corrumpitur. Sed calor febris hecticæ in partibus in quibus eſt, præter naturam exiſtit, & ad corruptionem formæ ſubſtantialis diſponit, ergo hic calor in partibus ſine aliqua cauſa permanere non poterit, quæ efficienter illum conſeruet: nam hac cauſa deficiente partes ipſæ per ſimplicem emanationem à ſua forma ſubſtantiali ad priſtinam temperiem redibunt, & calor febrilis corrumpetur.

Contra tamen ſuadet communis Medicorum ſententia, quorum primarius dux extat Galenus, cuius clypeo ipſi muniti, caliditatem præter naturam quæ in hectica reperitur, eſſe independentem à cauſa, à qua in genere cauſæ efficientis conſeruetur, conſtanter aſſeuerant: ille enim *lib.8.meth. cap. vlt. in fine* ſtatuit nullam cauſam febres hecticas accendere, nec conſeruare, poſtquam ſemel ſunt productæ, & *lib.1.prorrhet.33.* docuit, quod febres hecticæ ſolidas animalis partes apprehendunt, & ex aliquo putredinoſo humore non fiunt, id eſt, non conſeruantur. Deinde *2.prorrhet.17.* affirmat, quod ſicut ligna quando ſolùm calefiunt, ab igne ipſo ſeparatis, illorum calor corrumpitur: quando verò non ſolùm calefiunt, ſed etiam inuri incipiunt, etiamſi ab igne auferantur, nihilominus inuruntur. Sic ſimiliter partes ſolidæ corporis, quando ab aliqua cauſa ſolùm in fieri alterantur, & cau-

A ſa vacuatur, partium ſolidarum qualitas per alterationem inducta breui ceſſat: quando verò partes alteratæ iam ſunt in facto eſſe, & completæ, quamuis vacuetur cauſa, quæ alterabat, qualitas in partibus producta non remouetur.

Ratione ſuadebis hoc modo. Partes ſolidæ in febre hectica non ampliùs calefiunt, ſed perfectè, & abſolutè iam ſunt excalfactæ, & intemperie calida facta ſunt affectæ, ex Gal. *lib.de inæqual.intemper.c.5.* ergo caliditas præter naturam in hecticis permanens in partibus eſt fixa, & non indiget aliqua cauſa à qua conſeruetur.

Secundò. Si caliditas febris hecticæ dependeret à cauſa præter naturam conſeruante, ea in partibus deberet eſſe inæqualis, quia partes proximiores dictæ cauſæ deberent eſſe calidiores, quàm partes magis diſtantes. Sequeretur etiam, quod hectici calorem febrilem ſentirent: nam ex alteratione caloris in partes ſibi proximas, & ex ea quam inducunt partes calidiores in minus calidas, oritur ſenſatio caloris, & dolor; ſed hecticus calor æqualis eſt ex Gal.*lib.de inæqual.intemp. 5.* & à laborantibus non præſentitur, vt Gal.*ibi* docuit, & ſupra retulimus, experientiáque confirmat; ergo caliditas hecticæ febris non dependet à conſeruante cauſa.

Tertiò. Si hecticus calor haberet conſeruantem cauſam, hæc pro curatione illius deberet remoueri per ſanguinis miſſionem, purgationem, & alia vacuantia auxilia; ſed hæc præſidia reproba ſunt, & à nullo auctore proponun-
C tur in hac febre, ergo & per conſequens.

Argumentum verò pro contraria parte oppoſitum eſt difficile, adeò vt eruditiſſimus Thomas Garbius *lib.1.de dif. feb.cap. 9.* in quæſtione qua quærit vtrùm caliditas febris hecticæ ſit maior, quàm caliditas aliarum febrium, (quam quæſtionem ad plenum poſt eum agitauit Mercatus *lib. 5. de febrib.*) aſſeuerat quod cauſa propter quam caliditas hecticæ febris eſt facta, & à cauſa independens, eſt diſpoſitio ſubiecti, séque ignorare quid ſit hæc diſpoſitio, ingenuè, liberéque confitetur.

Cæterùm vt certè percipias cauſam ob quam hecticus calor ſine cauſa conſeruante poſſit perdurare, aduerte primò partes noſtri corporis dupliciter alterari poſſe, vnó modo quando in ipſis aliqua ex primis qualitatibus alteratur, & illa alteratione proportio primarum qualitatum
D euertitur: altero modo quando non ſolùm hæc proportio, ſed modus ſubſtantiæ, & mixtionis ipſarum partium corrumpitur, & alius mixtionis modus in ipſis producitur. Primus modus alterationis reperitur in partibus quando ſola intemperie inæquali, & fiente laborant. Secundus quando intemperie æquali, facta, ſunt affectæ, vt notarunt Thomas à Veiga *lib. 1. de dif. feb. cap.8.ſect.5. propoſ. 2. & 7.* & Valleſius *lib.4.controuerſ.cap.2.* Quando ergo partes primo modo ſolùm alterantur, licèt magnam patiantur intemperiem, nihilominus facultates maximè non debilitantur, & earum actiones non valdè læduntur: quando verò ſecundo modo alterantur, tunc eſſentialis debilitas fit.

Aduerte ſecundò, quod licèt anima noſtra, quæ eſt forma ſubſtantialis partium viuentium, in omnibus hominibus ſit eadem ſecundùm ſpeciem, & in eodem homi-
E ne per diuerſas ætates, & in diuerſis partibus diſſimilaribus ſit eadem numero: nihilominus tamen hæc anima vt operetur, & conſeruetur in partibus, longè diuerſam proportionem temperamenti requirit, quam ſi habet, partes per ſimplicem emanationem ad ſe reducit: quando verò ab aliqua cauſa leuiter alterante perturbatur, hæc proportio corrumpitur: & ita videmus quod in diuerſis hominibus, diuerſas regiones incolentibus, & diuerſo victu, & diuerſo viuendi modo vtentibus, diuerſo admodum temperamento anima gaudet, & cum illo permanet. Idem etiam in diuerſis partibus diſſimilaribus eiuſdem hominis in eadem ætate obſeruatur, immò in omnibus partibus eiuſdem, & in diuerſis illius ætatibus, fit manifeſtum.

Huius diuerſitatis temperamenti, reſpectu eiuſdem animæ, nulla alia videtur poſſe aſſignari cauſa, niſi diuerſitas modi ſubſtantiæ, & mixtionis quæ in partibus

viuentibus reperitur ratione diuerſæ naturæ ipſarum partium, & diuerſarum ætatum, & aliarum rerum quas diximus, iuxta quam diuerſitatem modi ſubſtantiæ, & mixtionis eadem anima conſeruatur,& permanet in eſſe quieto cum illo modo temperamenti, qui aptus eſt manare ex certo modo ſubſtantiæ, & mixtionis, qui reperitur in partibus viuentibus, quas anima informat. Itaque in ſenectute, v.g. hominis temperati, eius anima quamuis tunc perfectè non operetur,nihilominus permanet in eſſe quieto cum maiori frigiditate,& ſiccitate partium viuentium, quàm habebat in tempore adoleſcentiæ, in quibus ætatibus perfectè anima operabatur,quia ſcilicet ex certo modo ſubſtantiæ,& mixtionis qui in ipſa ſenectute in partibus reperitur,apta ſunt emanare frigiditas, & ſiccitas in maiori intenſione,quàm in tempore adoleſcentiæ, & iuuentutis, in illis enim ætatibus diuerſus modus ſubſtantiæ in partibus reperiebatur.

Ex hoc experimento conſtat, quòd quando mixtionis modus in partibus peruertitur, tunc partes ipſæ per ſolam ſimplicem emanationem ab anima non poſſunt redire ad priſtinam temperiem quando aliqua qualitate ſunt affectæ, quibus anima ipſa ad conſeruationem, & operationem malè ſe habet.

His præmiſſis, aduerſum argumentum non eſt multò operoſum demoliri: nam calor febrilis hecticus productus in partibus viuentibus, quamuis ſit diſconueniens animæ, nihilominus tamen in ipſis permanet in eſſe quieto, ſine aliqua cauſa conſeruante, quia in febre hectica non producitur ille calor à cauſa,quæ partes viuentes tantum ſecundùm primas qualitates alteret; ſed producitur per quandam veluti vſtionem, vel putredinem partium,à quibus alterationibus modus ſubſtantiæ, & mixtionis in ipſis peruertitur, & alius de nouo producitur,à quo calor ille febrilis emanare aſt aptus, & ſic veluti naturalis in ipſis partibus efficitur. Propter hanc ergo rationem anima quæ eſt in dictis partibus, has ipſas ad priſtinam frigiditatem non reducit, & ita nec calorem illum febrilem corrumpit: in aqua verò calefacta diuerſa eſt ratio: quoniam cùm ipſa ſimplex ſit, & ideò in ea non poſſit produci modus mixtionis, à quo calor emanare queat,hinc fit vt calor in aqua nunquam poſſit eſſe habitualis, nec permanere ſine cauſa efficiente,& conſeruante.

Satis actum de quæſtione hac,nunc ad ſpecies hecticæ febris explicandas accedamus. Nam alij quas, quidam tres conſtituunt, & vtrique ſuum placitum ex Galeni doctrina roborare conantur. Penès humoris alimentitij inter ſpatia ſimilarium partium diſperſi conſumptionem, in tres diuidunt: ſi enim humor feruorem concipit, non tamen abſumitur, prima ſpecies hecticæ conſurgit; ſi verò efferueſcit, & maior illius pars abſumitur, ſecunda fit: dum autem abſumpto hoc humore partes fibroſæ, & membranoſæ à calore ſunt exſiccatæ, tertia conſtituitur. Hanc diuiſionem approbant Thomas à Veiga *lib.de diff. feb.1.cap.9*.Donatus ab Alto mari *part.1.de febrib. c.18. & 19*. Euſtachius *lib.3. praxis, cap. 34*. quæ recipienda non eſt, quoniam eſſentia febris hecticæ non in efferueſcentia ſolùm, ſed in ſiccitate conſiſtit, vt ſuprà notauimus.

Inter hos alij diligentiùs ſic dubium rimantur, aſſerúntque quod partes ſolidæ corporis quatenus ab humoribus diſtinguuntur, & ſpiritibus, ex triplici conſtant ſubſtantia, quarum prima rorida vocatur,quæ roris inſtar in ſpatiis dictarum partium eſt repoſita, & naturalis partium humiditas vocatur, ex qua nutriuntur, vt Galenus docet *lib.1.de diff.feb cap.9*.Secunda dicitur carnoſa,& adipoſa; tertia, fibroſa,& membranoſa nuncupatur, quarum facit commemorationem Gal. *7.meth.6. & 10.meth.vlt.in fin.* Quando ergo inquiunt ipſi, rorida humiditas ponitur in calefacto eſſe, reliquæ verò duæ ſubſtantiæ in calefieri, tunc fit prima: ſecunda verò quando rorida humiditas conſumpta eſt, carnoſa verò, & adipoſa poſita eſt in calefacto eſſe, fibroſa verò & membranoſa in calefieri: & tertia,quando conſumptis duabus ſubſtantiis, ſubſtantia fibroſa,& membranoſa exſiccari incipit.

Sed non aduertunt doctiſſimi viri,quod in omni febre hectica calor præter naturam debet eſſe in calefacto eſſe in partibus viuentibus cordis, in quo à diaria, cæteríſque humoralibus diſtinguitur: deinde quando aliqua ex ſecundis humiditatibus, quæ à partibus viuentibus eſt diſtincta,ſolùm ponitur in calefacto eſſe, hæc febris ad humoralem potiùs,quàm ad hecticam eſt referenda: humiditates namque ſecundæ, quæ verè non ſunt partes, potius referunt naturam humorum, quàm partium. Inſuper ſequeretur, quod prima, & ſecunda hecticæ ſpecies eſſent intemperies inæquales, & fientes, quum calor in illis non ſit æqualiter productus, ſed in quibuſdam partibus in facto eſſe, in aliis in fieri. Vltimò, ſi eſſet inæqualis intemperies, in primis duabus ſpeciebus calorem febrilem ſentirent, quoniam vna pars ab alia calefit, & alteratur.

Sed expreſsè tres ſolùm poſuit Galenus *lib. 10.method. cap.vlt.poſt med.§. Nam primum eiuſmodi febris propriam partium humiditatem,ex qua nutrimur, depaſcit:hinc verò ad carnoſum genus tranſit, quod circa tum fibroſas, tum membranoſas partes ſolidorum corporum hæret: ita deinde ipſas ſolidas depopulatur,&c.*quod etiam aſſerit *lib.de marcore,c.6*.& clariſſimè docuit *1.feb.9.in princip §.Cùm enim naturalis cordis temperies.* Ergo ex mente Galeni prima ſpecies fit ex conſumptione humidi roridi, ex quo partes immediatè nutriuntur. Secunda ex conſumptione adipis, & carnis.Tertia ex conſumptione ſubſtantiæ humidæ partium ſolidarum,veluti ſunt fibræ,& membranæ.Hanc ſententiam defendunt cum ſuo duce Auicenna *1.4.tract.3.c.1.* omnes qui in eius libris interpretandis primas tenent.Neque Galenum aſſeras eſſe intelligendum de hectica tabida,& maraſmode: quoniam ſolùm de hac ipſe eo loco loquutus eſt, quando de tertia ſpecie ſermonem inſtituit. Neque obſtat auctoritas Galeni *lib. 1.de dif. feb. cap. 9.* in initio, vbi ſolùm diuidit febrem hecticam, in exquiſitè, & non exquiſitè tabidam, quoniam ſub hoc vltimo membro primæ duæ hecticæ ſpecies comprehenduntur.

Species hæ inter ſe diſtinguuntur, quia calor præter naturam in hectica primæ ſpeciei, minùs habitualis eſt:in ſecunda ſpecie magis: in tertia, maximè, quæ maior habituatio hectici caloris in hac ſpecie, quàm in illa, ex diuturna mora in ſubiecto oritur, ratione cuius,magis partibus connaturalis factus eſt, & ita cum maiori difficultate ab ipſis remouetur, neque emanat ratione maioris intenſionis caloris, quoniam calor præter naturam in eadem intenſione, magis, vel minùs habitualis eſſe poteſt. Ex iis conſtat ineptè, vt multoties ſolet, Argenterium, inuidiæ forſan œſtro commotum,mordere Galenum *lib.art.medic. cap. 50.fol. mihi 301. in initio*; quòd tres ſpecies hecticæ conſignet, quum ipſe eandem cum Galeno ſententiam amplectatur,vt legenti manifeſtè patebit.

HIST. XLI. GALENI,
De febre hectica.

Hectica febris ex balneis naturalibus intempeſtiuè applicitis, concitata.

*Marinæ autem aquæ,& ſalſæ,& nitroſæ,atque ſulphureæ plus quidem bilis educunt,ſed multò minus quàm potabiles proſunt. Præſtat verò neque ipſas vtiles dicere, quandoquidem plus qualitate nocent, quam euacuationibus iuuent. Equidem noui quendam corrupto iudicio hiſce balneis vti perſuaſum, deinde extenuato corporis habitu ad tantam veniſſe maciem,vt tabe conſumptus interiret, &c. Galen.*lib.1.ad Glaucon.cap.9.

PARAPRHASIS.

POſtquam Galenus lib. hoc ad Glauconem, & capite in quo eſt ſcripta hiſtoria hæc,plurimas, eáſque efficaciſſimas dotes, & admirandas vires deſcripſit balneorum quæ ex dulci aqua parantur,pro curanda tertiana exquiſita,

quoniam

Ne ergo putes pueris Galenum abſolutè theriacam interdixiſſe: cùm hæc pro morbo puerili,aliiſque affectibus, quibus hæc ætas eſt obnoxia,perſanandis ſit efficaciſſima; ſed illius vſum aſſiduum prohibere, potiſſimùm ſi ſit antiqua,& in vltima ætate conſtituta, quia vehementiùs calefacit puerorum mollem, & tenellum corporis habitum abſumit,ignefacit viſcera, calorem implantatum abſumit, ſpiritus exhaurit, humidum primigenium depopulatur. De hac intelligendus eſt Aëtius *tetrab.4. ſerm.1.cap.96.* qui eam pueris denegat. Diuerſas autem eſſe ætates theriacæ,penès quarum varietatem variari eius temperamentum docent Gal. latè *lib.de theriac.ad Piſon.cap.1.* Auic. *1. 3. tract.1. cap.1.* Haliabbas *10. pract.5.* Damaſcenus *aph.49.* Iordanus *tract.de peſte, cap.7.*

Deinde Galenus tantoperè pueris theriacam propinandam recuſat,à cuius potu tot recitata mala,& mortē eueniſſe commemorat, quoniam corpus erat extenuatum nimis,& præ diuturnæ febris vehementia imbecille:quare ſi tunc propinetur, corporis habitum extenuat, ſanguinem,& carnem colliquat,& calorem ab extraneo iam reſolutum amplius extinguit, præſertim ſi exhibeatur in ea quantitate quam affectus magnitudo deſiderat. Cùm ergo puer antidotum concoquere non poſſet,ipſa,calefactione ſua inflammauit iecur, quo excandeſcente plurima bilis acris copia regenita, bilioſam diarrhœam concitauit, & ſoluta aluo, debilitato corpore, reſoluto ſpiritu,& ſanguine,exanimis puer occubuit.

HISTOR. XLIII. GALENI, De febri hectica.

Hecticæ febris cum putrida complicatio poſſibilis.

Sicut mulieri accidit,quæ autumno ex vigiliis,& triſtitia febricitare cœpit,perſeuerauit autē ad plurimū hyemis. * *Hanc quarto die,vt ſeis,vidimus,deprehendimuſq;,ſtatim hecticam eſſe febrim, cum alia quam humores excitarant coniunctam. Curatio autem vna fuerat, tum vt frigidatem peſtiuè,tum moderatè daretur,conſueta ſcilicet hanc per ſanitatem bibere: verùm alius curatio huius erat commiſſa, quare nobis ſilere eſt viſum.* Gal.lib,10.meth.c.5.in med.

Alteri verò aſſociata difficilius cognoſcitur,ſicut quæ nuper cuidam mulierculæ contigit, cuius acceſſio,non die tantùm,ſed etiam nocte manifeſtè fiebat: Latebat enim tabida febris omnes Medicos quibus eiuſdem curatio fuerat demandata, vt qui arbitrarentur neque principium aliquod ſenſibile febribus hecticis ineſſe oportere,neque incrementū, neque conſiſtentiam, tanquam non poſſit eis aſſociari altera febris ex humorum putrefactione proueniens. At nos primis diebus ſtatim in eadem muliere cognouimus: vtraque enim annotatio, & quæ interdiu, & noctu fiebat,partes quidem breues acceſſiones faciebat, & ſæpius cum rore aliquo, aut perſpiratione vaporoſa, ita manifeſtè ſoluebatur, vt corpus in temperie poſitum tangentibus appareret: ſigna autem ex arteriis accepta,de quibus paulo ante ſermo habebatur, ſemper remanebant, cum neque ſimiliter vt aliæ partes refrigerarentur, neque celeritatem, aut frequentiam motus amitterent. Gal.lib.1.feb.cap.10.

PARAPHRASIS.

Vtiliſſima eſt hiſtoria hæc,& ad praxim ſummoperè neceſſaria: nam tradit ſigna difficillimi morbi, & ad cognoſcendum intricatiſſimi, nempe febris hecticæ cum putrida complicati,quam cognoſcere non cuiuſuis Medici eſt, neque triuialis, immò arte Hippocratica digniſſimi. Quotidie enim videmus poſt ardentes febres non integrè eradicatas introduci febrem hecticam, quam ſi non cognoueris,& in auxiliis putridæ febris congruis inſiſtas, aperientia, abſtergentia, & euacuantia adminiſtres, nulla de hectico,& facto calore præmeditatione habita,contabefacto corpore miſerrimi clàm, furtimque è vita diſcedent. Hoc quotidie experimur in ſuppuratis, quorum febris hectica eſt, cum putrida febre commixta:nam præter id quod in temporis proceſſu facta permanet in membris, vapor adhuc eleuatur ex putreſcente pure, qui febrem quoque facere poteſt de genere febrium putridarum. Accedit quod antequam febris hectica adueniret, putrida aderat, quæ non habuit cauſam aliam præter humorem ſuppuratum, ac putreſcentem, qui hectica produ-cta adhuc manet, vt inter omnes explicuit elegantiſſimè Henricus Cuelhar *in com.ſent.60.lib 2.progn.*

Frequens ergo eſt hecticam cum putrida complicari, id affirmat Auic *1.4.tract.3.c.1.in fin.§.Et quandoque componitur hectica cum febribus putredinis,&c.* Sed hoc mirum videri non debet, quum poſt humorales febres illa ſubſequatur ferè. Deinde ſi diaria poteſt complicari cum hectica,cur non putrida,quæ per longius tempus durat ob craſſiorem humorum naturam, in quibus putridis calor ſubiectatur. Primum non negabis cum Iſhaac *l.de feb. particularib.tit de Ephemera c.1.§.Ephemera giguit reliquas febres,non tamen gignitur ab illis:*nam agens poſtulat moram in agendo, & paſſi identitatem,quæ duo calor in ſpiritibus non habet,quia citò reſoluuntur:hoc licèt verū ſit, tamen ſpiritus denuò reficiuntur, nec omnes reſoluuntur,ſed eorum pars aliqua accenſa remanet. At cum diaria nō duret vltra diem, quia pars ſpiritum quæ remanet calefacta,euaneſcit,idcircò hæc cum aliis febribus complicata, nō apparet, quoniam ſpiritus febricitantium febre hectica pauci ſunt, & qui non poſſunt aſpectu grauem ſuſcitare Ephemeram, & lenitas caloris quæ in diaria reperitur, aliorum calore obtūditur:quo pacto hoc modo ſi Iſhaacum intelligas,non errabis,dicentē diariam ab aliis non gigni,hoc eſt diariam ab aliis febribus genitam,perinde eſſe ac ſi nō gignatur,quia nihil aut de curatione,aut prognoſi immutat.

Hecticam cum putrida complicatam agnoſcere difficile videtur, & laborioſum, maximè ſi putrida ex continuarum genere exiſtat, ſed cùm calor eodem tenore ſemper ſimilis ſibi in eodem ſtatu neque incrementum, neque ſenſibilem aliquam remiſſionem faciens tactui ſe repræſentat, verendum eſt ne putrida in hecticam commigret:& magis ſi in vrina pinguedo appareat, aut manifeſta à cibo recaleſcentia ſentiatur: ſi verò cum intermittente complicetur, ex morbi ſpecie,& acceſſionum repetitione agnoſces.Deinde tranſacta acceſſione cæteræ corporis partes temperatiores apparent, arteriæ verò loca calidiora conſpiciuntur, ſignum profectò radicati, & fixi in ſolidis partibus caloris certiſſimum. Accedit quod laborante melius ſe habente contabeſcit corpus, & extenuatur in dies magis.

His Ergo ſignis munitus putridam cum hectica complicatam agnoſces, quas commiſceri poſſe non dubites. Quid enim obſtat quominus putredo poſſit vigere in humoribus, corpúſque cordis poſſit eſſe in calefacto eſſe: nam licèt putrida præexiſtente, calor, ſingula, & omnia corporis membra occupet,hecticus de nouo introductus eſt magis fixus,& durās, & diuturna caloris actione adeò ſeſe in ſolida inſinuat,vt habitualis citra vllam indepēndentiam fiat, quod non ſolùm in diuturnis, & ardentiſſimis febribus ob caloris vehementiſſimam actionem, conſumpta humiditate, ſed in Ephemeris ob ipſius caloris efficaciam ſæpè contingit, vt plurimis exemplis in methodo generali Galenus confirmat:in corporibus enim adūſtis, vigiliis, curiſque confectis, calor ſiccus & retorridus perpetua actione ipſam quoque cordis ſubſtantiam calefaciens facilè radicatur, & fit habitualis.

Ex quibus cauſis fœminam hanc in hecticam febrim incidiſſe cum putrida coniunctam, non eſt denegandum: nam vigiliæ diuturnæ ſpiritus reſoluunt, exſiccant corpus, humiditatem depopulantur, contabefaciunt, & innatū calorem abſumūt: quæ damna eminētiori gradu ex triſtitia diuturna emanare, certa res eſt,& nos latè plurimis variorum auctorum teſtimoniis comprobauimus *lib. 2. in com. hiſt. 114.* Si ergo corpori mœrore contabefacto cauſa calefaciens accedat, certum eſt promptiùs ſolidam ſubſtantiā calorem ſuſcepturam, quàm humores, aut ſpiritus:ingens enim mœſtitia oſſa ipſa, ne dum carnes exſiccare poteſt, quum natiuam humiditatem conterant natura ſuaptè.

Cognita

Cognita putrida cum hectica complicata, difficilis tunc curandi ratio reſtat,& intricata prorſus,quoniam hectica humectantia expoſtulat auxilia, putrida verò reſerantia & abſtergentia, & maximè ſi cum pituitoſa febre complicetur: nam diuerſæ indicationes inſurgunt; pituitoſa enim calefacientia,& exſiccantia hecticæ valdè contraria: minus periculum vertitur, ſi cum bilioſa febre complicetur hectica: quoniam vtraque iiſdem alterantibus indiget auxiliis. Conſule doctiſſimum Paulum Tuccam *l. de curat. febr. hecticarum in fine.*

De curatione quid ſupereſt dicendum? Galenus totum curationis cardinem in frigidæ, tempeſtiuè, & moderatè oblatæ potu reponit, cuius ope ſe iuuenem, ne in febrem hecticam incideret,præſeruaſſe gloriatur,*lib.10. meth.c.6. & lib. de marcore cap.* 7. dum ſic alloquitur. *At cùm primum cognitæ fuerint, aqua frigida danda eſt, quippe eo* B *tempore eſt tutiſſima, cùm & virtus valida ſit, & ſanguis copioſus in corpore contineatur: nam vbi febres moram traxerint, tunc & vires redduntur imbecilliores, & ſanguis fit paucus.* Frigidæ ergo potus vtrique febri ſuccurit, præſertim ſi corpus ſit ſqualidum: hoc enim humectatio à futura ſiccitate præſeruat, cuius lapſus difficulter corrigitur.

Curatio tamen in hunc modum inſtituenda. Putrida priùs debet curari quàm hectica, & purgatio offerenda clementiùs, quàm ſi ſola putrida adeſſet. Si vires validæ ſint, præſentiáque ſanguinis adſit, vena eſt ſcanda, viæ reſerandæ, acceſſiones ſemper obſeruandæ, ita vt cùm adſunt, vel futuræ ſunt, ab alimentis, vel medicamentis abſtineamus, ſed ſolùm propinentur, cùm vel ceſſant, vel conquieſcunt, vel longè à principio receſſerunt.

His factis ad hecticæ curationem accedendum. Lactis potus præſertim aſinini imperandus, adminiſtranda balnea, C quæ vtrique febri ſunt vtilia, vt *ſuprà in com. hiſt.* 23. latè docuimus, & probat elegantiſſimè Ludouicus Lemoſius *lib.10.meth.in com.c.* 10. *diſp.*6. dummodò tamen vires fortes exiſtant, quas validas pro hoc ferendo auxilio exoptat cum Hipp. Gal.*lib.3.acut.in com.text.*59. Cætera verò præſidia quære apud Ioan.Bapt.Theod.*ep.*35.

QVÆSTIO XXXVIII.

Vtrùm hectica in principio, nulla alia febre præcedente, inuadere poſſit.

COMMENTARIVM.

HAnc *quarto die vidimus.*] Hecticam febrim Galenus arbitratur *lib.2.criſ. cap.vlt.* in primis diebus generari non poſſe, ſed in proceſſu morbi, præcedentibus ſcilicet aliis febribus, ſic enim in fine capitis citati hic auctor protulit. *De hecticis autem non eſt præſentis temporis ſermo; nulla enim earum in primis diebus, ſed in progreſſu temporis fit.* Idem ſenſit Rhaſius 16.*cont.cap.vlt.* & ſubiungit rationem, quia non poſſunt calefieri membra, quin prius calefiant humores, & ſpiritus. Quæ ratio deſumpta eſt ex Gal. *lib.de inæqual.intemper.cap.* 4. quo loco vniuerſaliter aſſerit, facilè alterabile, aut calidum natura, à quouis excalfaciente primum excalfieri: cùm ergo ſpiritus facillimè alterentur, & tenuium ſint partium, & humores tenuiores ſint, craſſis, & ſolidis particulis, concludunt Galenus, & Rhaſius *locis citatis* nunquam fieri hecticam, quin priùs diaria, aut putrida præcedant.

In oppoſitum eſt celeberrima doctrina Galeni *lib.1. feb.8. & 3. de præſag. ex pulſib.c.4. &* 7. aſſerentis febres hecticas aliquando ſtatim à principio fieri. Ita ſentiunt Paulus *lib.2.cap.*32. *§.Duplex hecticarum febrium ſpecies eſt, prima ardentibus magna ex parte ſuperuenit, quæ prorogãtur adeò, vt tempore cordis ipſius madorem abſumant: reliqua verò eſt, quum ſtatim ab initio inuadit, primam originem diariis ſimilem, ex mœrore, ira, laſſitudine maiore, vnà cum exuſtione in ſole ſortita, &c.* adſtipulatur Auic. 1.4.*tract.*3.*cap.*1.

Quidam ſoluunt, hecticam dici à Galeno fieri incipiẽdo, vel inter initia morbi, id eſt, in tribus primis, aut quatuor diebus, ita tamen vt ante illam præcedat alia febris: A quam interpretationem deducunt ex Gal.*lib.*10. *meth.*5. Sed horum ſententia cõuincitur. Primò, quia Gal.1.*feb.cit.* aſſerit hecticam aliquando ſtatim ab initio inuadere,& ſimilem primum ſui ortum Ephemeris facere. Deinde 3. *de præſag.ex pulſib.*4. ait *nullam febrim ab initio hecticã fieri, niſi cùm oritur à cauſis procatarcticis, nẽpe triſtitia, aut ira.*

His fretus, exiſtimo Galeni ſententiam firmam eſſe, hecticam aliquando incipere nulla altera febre præcedente: ſi enim verum eſt quod concedit, hecticam nunquam à principio fieri, niſi cùm fit à cauſa procatarctica, mœrore ſcilicet, aut ira, patet illud verbum *à principio*, ſignificare principium totius ægritudinis, & non primos tres, vel quatuor dies, nam in his facilè contingit vt febris hectica fiat ex ardente, nulla ex cauſis procatarcticis præcedente. Neque obſtat quod adducunt ex Gal. *cit.meth. loco,* B in quo eſt ſcripta hiſtoria hæc; quod enim ibi aſſerit ſe deprehendiſſe quarto die mulierem correptam febre hectica, non negat eandem febrem à principio habuiſſe: ſolùm enim inquit ſe hanc fœminam quarto die vidiſſe, & ſtatim deprehendiſſe eam febre hectica laborare. Hoc modo exponit hunc locum ſubtiliſſimus Valleſius *lib.5.cont.*20.

Sed quoniam hic auctor argumenta non ſoluit, quæ aduerſam opinionem confirmant, ea ſic ſunt ſoluenda. Primum. Fiens, & remiſſus calor, qualis reperitur in diaria, ſemper debet præcedere factum, & intenſum qui febrim hecticam comitatur, ergo prius ſemper inducetur diaria. Dic: primo caliditatem fientem, præcedentem calorem factum, & hecticum, quum breuiſſimè duret, & ad hunc dirigatur tanquam ad terminum, nomine hecticæ comprehendi. Solue ſecundò cum Thoma à Veiga 1. C *feb.*8. quod licèt verum ſit calorem fientem, & remiſſum antecedere factum, & intenſum; tamen hectica incipiens cum à cauſa vehementiſſima proficiſcatur, fit vt calor in ſpiritibus accenſus non conſeruetur, quia à calidiſſimo agente attenuati, & reſoluti ad calorem ſuſcipiendum, & conſeruandum redduntur inepti.

Secundum. Quod tenuius eſt faciliùs alteratur quàm craſſum, ex Gal. 1. *feb.*1. quare aërea ſubſtantia citiùs accenditur, quàm ſolida, Gal. *lib. de inæqual. intemp. cap.*5. Sed ſpiritus ſunt tenuiores, quàm ſolida; ergo calor priùs accendetur in illis, quàm in his, ac per conſequens priùs ſemper antecedet diaria. Dic: licèt magna ex parte hoc contingat, tamen aliquando ob fortitudinem cauſæ agentis, & diſpoſionem paſſi ad recipiendum calorem fieri poteſt, vt priùs caliditas ſit facta in membris, quàm in D ſpiritibus, aut humoribus, quod conſtat de hectica peſtilenti, quam concedit Gal. 3. *præſag. ex pulſib. cap.* 4. fieri illicò in initio. Sic fulgur comburit enſem intacta vagina. Quare Aphrodiſ.4.*prob.*51. rectè aſſeuerat leuiter reſiſtentia magis effugere actionem cauſæ validiſſimæ, quàm quæ multum reſiſtunt: hoc modo vehemens ventus arbores fortiſſimas euerſit humilibus intactis fruticibus. Ob hanc cauſam, nempe ob aptitudinem paſſi, contingit, vt hectica aliquando fiat aliis non præcedentibus, vtpote ſi humores, & ſpiritus cordis ſint frigidiores & humidiores, & cordis ſubſtantia exſiccata, & ad incendiũ aptiſſima, quare accedens, hecticã, & non aliam inducet. Sed cum hic euẽtus rariſſimus ſit, idcircò Rhaſius, & Gal.*loc.cit.* hecticam nunquam à principio fieri, id eſt, rariſſimè affirmarunt.

Tertium. Varia membra reperiuntur in corpore noſtro, quæ inæqualiter cùm reſiſtant, non poſſunt vno, & eodem tempore perduci ad excalfactum eſſe; ergo quædam ex E illis habebunt calorem iam factum, aliis habentibus cum ſolùm in fieri, quare tunc temporis febris adeſt, quæ non eſt hectica: hæc enim requirit excalfactum omnium membrorum, ex Gal. *lib. de inæqual. intemper. cap.*5. Deinde hectica eſt intemperamentum æquale totius, ex Gal, *loc.cit.* Non poteſt autem æqualis caliditas ſimul imprimi in omnibus partibus ob illarum inæqualem reſiſtentiam, igitur hectica nunquam incipiet altera febre non præcedente. Dic: æqualitatem quam includit hectica, ſeruare inæqualitatem natiuam temperamenti membrorum: neque enim cutis ad æqualem caliditatem perducitur atque cor, ac proinde poſſe ſimul in omnibus

partibus

partibus acquiri, & licèt quædam membra habeant calorem iam factum, quo tempore alia habent eum ſolùm in fieri: quia tamen calor ille fiens breuiſſimo tempore durat, & vergit ad calorem factum totius, proinde tota febris ſub nomine hecticæ comprehenditur, nec enim diaria eſt, nec putrida. Si autem in hac quæſtione velis latiùs ſpatiari, adi Ludouicum Mercatum, qui more ſuo eam fusè pertractat, *lib. 5. de febrib. cap. de feb. hectica.* Nobis hæc paucula pro hiſtoriæ interpretatione dixiſſe ſit ſatis.

HISTOR. XLIV. GALENI, De maraſmo.

Quidam maraſmo laborans, lacte, balneo, & aliis humectantibus auxiliis Galeni ope reſtitutus.

VEluti quem memorauimus à Medicis ſiccatum, curauimus. Siccus & gracilis erat redditur, propterea quod ventriculus eius ex ſicca intemperie imbecillus malè concoxerat. Huic omne curationis conſilium huc tendebat, vt humectaretur tum ventriculus, tum reliquum omne corpus. Quibus autem ſigillatim agendis, quibuſque maximè materiis ſim vſus, vt voti compos eſſem, non ſit abs re dicere. † *Domum ei paraui maximè balneo vicinam, ab hac ſtatim in balneum ſuper linteis manè intuli, vtique ne, ſi ipſe ſe moueret, tum ſiccaretur, & exolueretur. Aqua eſto ad vnguem temperata: nam frigidior latenter corpori infirmo frigus inſinuat, calida ſiccat, conſtringit tenues meatus, ac denſat, quos nos laxari, ac dilatari poſtulamus. Ab eiuſmodi lauacro ſtatim aſininum exhibui lac, ſed inducta in ipſam, qua iacebat, domum, aſina. Et ſanè vtiliſſimum lac eſt cum ex ipſis mammillis quis hauſerit, cognatum enim, & optimum muliebre lac eſt, ſin minus, ſit aſininum, quum enim tenuiſſimum ſit, minimè coagulatur, & quoque verſus ocyſſimè in corpus digeritur, cui mellis tepidi ne coaguletur, pauxillum immiſcendum, & de vtriuſque bonitate maxima cura habenda eſt: nam mel ſit optimum, & lac nullam externan qualitatem, odore, guſtúve præ ſe ferat, ſit dulciſſimum, ſibi ipſi continuum, & animal à quo emungitur lac idoneis alimentis nutriatur. Poſt balneum, & frictio mollis conuenit, & vnguentum humectans: nam hæc ad renutritionem conducunt. Perfectionis terminus ſit rubor letionis, cùm calor in cute ſentitur. Nutrimentum ſit coctu facile, nutriens, miniméque glutinoſum, atque excrementoſum. Iam vini tum qualitatem, tum quantitatem, memoremus, quod maximam vim habet ad nutriendum, quo potu vtendum cenſeo, modo non febricitent; ſit aquoſum, tenue, oligophorum, non nouellum: nam aquoſius, imbecillius, ægrius coquitur, magis excrementoſum eſt, antiquius, vinoſius eſt, & vehementius. Illud cum aqua temperabis: nam hæc ſola plura damna affert, moratur in præcordiis, flatus excitat, eneruat ventriculum, & ciborum diſtributionem impedit. Potionis modus erit, vt nec in ventriculo innatet, nec fluctuationis ſenſum inuehat; ciborũ, vt ne grauent quidem. Deinde humidum radicale commoda victus ratione regignitur, ſomnus conciliandus: ſiccat namq; totum corporis habitum vigilia, & ideò infeſtiſſima eſt iis qui ex ſiccitate laborant. Demũ paulatim hæc ſunt peragẽda, & longo tempore adminiſtranda: nam quæ longo tempore extenuata ſunt corpora, ea ſegniter reficere conuenit: quæ breui, breuius, vt præcipit Hipp. & c. Gal.* lib. 7. meth. c. 6.

PARAPHRASIS.

IN nulla hiſtoria Galenus ita accuratè pro curanda ſiccitate præcepta omnia curatiua propoſuit, quàm in exemplo hoc quod ita exactè deſcribit, quantitatem, qualitatem præſidiorum renutrientium, modum, tempus, & formam graphicè præſcribens, & meritò ſanè; marcor enim eſt frequentiſſimus affectus, & qui ex frequentiſſimis morbis ſæpiſſimè ſcaturit, vt ſunt febres acutæ, inflammationes internæ, vacuationes immodicæ, & alij morbi, quorum ſæuitie depopulata & abſumpta primigenia humiditate plures contabefacti occumbunt.

Sed in primis dubitabis, cur hic humectantium præſidiorum ope reuixit, ſi ſiccatus erat, & maraſmo affectus,

A hic autem incurabilis eſt, ita vt dicat Galenus *lib. 10. meth. cap. 10. quos autem maraſmus iam occupauit, hos ſanare non tentabis?* Dic duplicem eſſe maraſmum, alius enim eſt frigidus, alius calidus: hic eſt cõſumptio omnium humiditatũ facta à calore: hic etiã habet duos gradus, vel enim ex toto primigenia humiditas eſt abſumpta, vt vires reſoluãtur, & hic à Gal. *in meth.* dicitur torridus, & vocatur ſyncopoſus: alter eſt in quo nondũ primigenia humiditas eſt exhauſta, & hic à Medicis, febris maraſmodes nũcupatur. Alius eſt maraſmus frigidus, & eſt consũptio humidi primigenij à frigido facta. Hic quoque duplex eſt, alter naturalis, alius aduẽtitius: ille eſt conſumptio humidi radicalis ſponte naturæ facta propter defectũ caloris natiui; aduentitius fit à cauſa præter naturam, natiuum calorem extinB guẽte. Tunc ſic maraſmus calidus, in quo radicalis humiditas ex toto èſt abſumpta, incurabilis eſt, ita docẽte Gal. *loc. cit. & 7. meth. 6. §. Accidit autẽ ſic affici corpus in diuturnis potiſſimũ morbis, vtique cũ natiua cuiuſque partis humiditas ex qua prima nutritur, propemodum omnis exhauſta iam eſt: nam vt ſolidarum ipſarũ ſiccitas corrigatur, id fieri omninò non poteſt ſicuti nec ſenium, veluti in libro de maraſmo docuims: hanc verò humiditatem, etiamſi omninò ſi abſumpta, regigni modo victus ratione licet.*

Gloriatur ergo ſe cõmoda victus ratione, & aliis renutrientibus auxiliis, curaſſe hunc ægrũ, qui Medicorũ incuria ad extremã ſiccitatẽ erat redactus, de quo fecerat commemorationẽ hoc libro *in c. 7.* dum ſic inquit. *Alium verò nõ pridẽ, qui iam adeo ſiccatus fuerat, vt ſimillimũ habitũ præferret iis qui maraſmo marceſcunt ſanauit, contrariis omninò exhibitis, iis quæ egregij iſti Medici ſuaſerant: quippe non* C *ex alia occaſione eò periculi venerat, quum inter initia exiguam intemperiem ex ſiccitate quæ madeſieri poſtulabat habuiſſet, quam quod ij qui eum curandum ſuſceperunt, tum abſinthio potantes, tum amaros aſparagos, ac bulbos edendos dantes, eum omnis madoris expertem reddiderunt, hunc nos ſanauimus omni ratione humectantes.*

Videns ergo Gal. primigeniam humiditatem in carnoſis partibus abſumptã, quæ actione caloris torridi in ſolidioribus partibus etiam incipit reſolui, tunc ad eam reſarciendã, iam omnino depopulatã totã curationis ſpem in humectãdo corpore repoſuit. Hoc opus multiplici perficitur præſidio, ſed præcipuè lactis potu, & humectãtibus balneis: ſunt enim ſubſtãtificè humectãtia præſidia, lac viſcera renutrit per ſe, balneũ externas partes refocillat, & ex accidẽti cõnutrit: ſicut enim lucernæ oleo ex toto conſumpto & ellyD chinio quaſi reſiccato ignis perit, ſic carnoſa, & ſolida ſubſtantia abſumpta humiditatéque reſoluta perit animal.

De lactis efficacia, vi, electione, differentiis, & vtendi modo in præſenti nihil dicẽdum, quum de hoc argumento multa ſint dicta ſatis *lib. 2. in com. hiſt. 2. & 36.* de temperamento addamus aliqua, quoniam lac eſt frequentiſſimi vſus, & eſt ſanorũ alimentum, & ægrorum medicamẽtum. Nam in hoc dubio explicando auctores diſſentiunt. Gal. *lib. 5. ſimpl. c. 21.* mediam dicit habere temperaturam inter ſanguinem, & pituitam, magiſque accedere ad ſanguinem quàm ad pituitam, cùm autẽ ſanguis temperatus ſit, & caloris mediocris, lac mõdicè calidum erit. Maximè cùm fiat ex ſanguine, vt probat Alexand. 1. *prob.* 80. aſſeuerans lac eſſe ſanguinẽ in mãmis mutatum, & dealbatum, immò lac fit ex ſanguine puriſſimo, pinguiſſimo, & dulciſſimo, ſi E Philoſopho fidem adhibemus *lib. 4. de gener. anim. c. 8.* quo pacto pro fœtu nutriendo eius generationẽ fabricauit natura 5. *aph.* 37. Tertiò, lac fit per concoctionẽ mediocrem, quia lac eſt ſanguis percoctus, & elaboratus in mammis, licèt enim hæ frigidæ ſint, glanduloſæ, exangues, & laxæ, tamen per moram coquunt, & ob viciniã cordis ita incaleſcunt, vt poſſint ſufficere coctioni: nam etſi beneficio mãmillarũ lac frigus acquirat, tamẽ ratione materiæ, quæ eſt ſanguis, caliditatẽ participat. Quartò Iſhaac in particularibus diætis lac eſſe calidũ vſque ad ſecundũ aſſeuerat. Ad hæc Gal. 3. *aph.* 24. refert lac in infantibus in ore vlcera gignere propter qualitatẽ ſuam, hoc eſt quia vertitur in mordẽtem bilem. Vltimò, temperatura lactentis eſt calida, & humida oportet igitur ali ex alimento calido, & humido.

Sed præſtat ſubſcribere doctrinæ Galeni, qui lactis naturam ad frigidum & humidũ inclinare manifeſtiſſimis

verbis

verbis aſſeuerat *lib.4.ſimpl.* dum ſic præfatur; *lac etſi guſtu ſit dulce, tamen ex ſe nunquam amarum efficitur, vincitur enim in eo à frigore magis caliditas quàm ipſa vincat, proinde etiam repoſitũ aceſcit. Ex tribus enim ſubſtãtiis qualitate diſſidentibus conſtat. Prima quidem craſſa, ex qua caſeus conficitur, altera pingui, ex qua butyrum, & tertia aquea, quod ſerum nuncupamus. Verùm in lacte pinguis quidem ſubſtantia vel maximè temperata eſt, craſſa verò paulum ab ea declinat: at excrementum illud ſeroſum frigidum, & humidum eſt. Quare lac vniuerſum à modica caliditatis corpore longo interuallo relinquitur, quapropter ex ſe aceſcit potius quam amareſcit.* Hactenus Galenus, ex cuius præclara doctrina totam dubitationẽ euaneſcere putamus. Hanc doctrinã ſequuntur Criſtoph. à Veg. *l.2.art.medic.ſect.3.c.9.tit.de lacte.* Lud. Merc. *tom.1.l.2.claſ.2.quaſt.164.n.47.*

Argumenta autem non poterunt obtinere quod tentant. Dic ad primum. Lac ea frigiditate, & humiditate gaudet, vt parum à calore recedat, & ita temperatum dici poteſt, quoniam quæ paululum in frigiditate, & humiditate excedunt, temperata apellat Gal. *lib.6.ſimpl.67.* Dic ad ſecundum, etſi lac per vlteriorem coctionem ex ſanguine fiat, tamen non omnia coctione magis ac magis fiunt calidiora, ita lac ex ſanguine genitum frigidius eſt ſanguine: ſic ſpiritus animalis ex vitali genitus, frigidior eſt vitali. Deinde quæ ſummè coquuntur, coctione fiunt calidiora, non tamen vbi mediocriter coquuntur: nam mel ſi intenſè coquitur, fit calidius, quia amareſcit: ſi coquatur mediocriter, non fit calidius, quia mel crudum acrius eſt, nam inteſtina pungit: cùm verò mediocriter coctum eſt; non ſtimulat, quoniam per moderatam coctionem partes acriores diſſipantur, quare lac eſt ſanguine frigidius, de qua re multa diximus ſuprà *in com.hiſt.15.* Ad quartum. Gentilis Galenum vult conciliare cum Auicenna *in com. cap.441. tract. 2.* aſſerítque lac eſſe calidum, quia vertitur in ſanguinem calidum, & humidum. Non placet concordia, quoniam hoc modo cuncta alimenta erunt calida. Dicerem, Iſaacum reſpexiſſe partes butyroſas, & ſeroſas lactis, quia nitroſæ ſunt, & acres, quarum cauſa Galenus ſerum numerat inter acria, & ſalſuginoſa *2 ſimpl. 12. & 3. alim. 25.* quod facit etiam Auic. *loc.cit.* & ipſum ſerum aperit, deobſtruit & expurgat apud Meſuem *tract.de ſimpl.cap.de ſero lactis.* Dic ad quintum. Lac ob qualitatem ſuam acrem non vlcerare: quoniam nulla eſt cauſa cur lac, pituitoſum alimentum, & pituitoſi humoris ferax, quum generet calculos renum, craſſos humores, & frigidis morbis valdè noceat, & in pituitoſa natura, qualis eſt puerorum, maximè lactentium verti debeat in bilem: quoniam ſi hoc verum eſſet, non ſolùm os, ſed totum corpus deberet vlcerari, ergo amplectenda eſt Galeni ſententia *in com.* reiicientis vlceris cauſam in abſterſionem adiuncti ſeri, accedente etiam cutis ſumma mollitie. Ad vltimum dic: temperiem puerorum quoad intentionem eſſe paulò frigidiorem temperato, ſicut iuuentus parùm calidior, adoleſcentia temperatiſſima, quare nil mirum ſi pueris alimentum lactis, dulce, & ſuaue ſit intenſione ſubfrigidum.

Differentiæ lactis ſumuntur ex animalium ſpecie: nec enim omnium animalium lacte vtimur, ſed eorum, quorum natura noſtræ non eſt valdè diſſimilis, & quorum carnes faſtidium non pariunt, & ideò experientia edocti vtimur lacte camelino, equino, aſinino, caprino, ouillo, vaccino. Sed licèt ita ſit, ſolùm ex caprino, ouillo, & bubulo butyrum extrahitur, & caſeus conficitur, & vt notat Gal. *10. ſimpl.tit.de lacte,* ſuillo non vtimur, quia liquidiſſimum eſt, aſinino vtimur vt medicamentoſo alimento: nam præterquam quod nutrit, ob tenuitatem ocyſſimè longiſſimas penetrat corporis partes, & valdè humectat; caprino vtimur, quia eſt mediocris conſiſtentiæ, ventriculo gratum, & in ſanorum vſus magis commendatum; ouillum craſſum eſt etiam, bubulum pinguiſſimum, & craſſiſſimum.

At hoc loco triplex inſurgit dubitatio. Prima, ſi ouillum caſeo, bubulum butyro abundat, quomodo eſt craſſiſſimum bubulum, craſſius ouillo *3.aliment.15.* cùm caſeus craſſior ſit butyro? Dic: butyrum actu eſſe craſſius caſeo: caſeus autem cum cogitur, efficitur craſſior, in lacte non eſt craſſior. Patet; nam butyrum per ſolam ſeparationem craſſius eſt recentiſſimo caſeo. Solue ſecundò, In vacca plus eſt butyri, quàm ſit in oue caſei, & ideo vaccinum craſſius.

Secunda. Cur in animali humidiore, id eſt, pecude, lac fit ſeroſius, in ſicciore, id eſt armento, pinguius? Dic: tale reddi lac per ſeparationem, quæ autem per ſeparationem excernuntur, non redolent naturam eius à quo emanant, ſed è contrario, ergo ſicut ius vaccinæ carnis eſt pinguius, ita & lac. Sic & capita piſcium ſuauiora, quoniam pinguedo plurima relinquitur ab oſſibus: Ouis autem trahit ad membra plurimum humidi, ideo relinquitur lacti permixtum ſiccum, caſeoſum; capra, quia medium habet temperamentum, inter ea moderationem habet in lacte.

Tertia. Si quò lac eſt craſſius, eò magis adſtringit, bubulum autem craſſiſſimum, ergo ſummè adſtringit, contra rationem, & experientiã: nam butyrum laxat. Dic. Lac magis nutrit, & aluum ſiſtit, eo quod magis expers ſeri, & hoc ſignificauit Gal. *lib.de ſuc.bonit.& vitio c.4.* aſſerens craſſius lac magis adſtringere, nam craſſities caſei magis retrahit, ideo ad fluxus commodius eſt ouillum vaccino, & caprino.

Sumitur etiam differentia lactis ex anni tempore; vere primo liquidiſſimum, proinde deterius; autumno, craſſiſſimum, longè deterius procedente vere, æſtate prima, optimum, in particularibus tum ob temporis temperiem, tum ob partus modicam diſtantiam; ſi verò aliqui auctores vernale commendant, de fine veris intelligendi ſunt. Itaque vernum torminoſum, laxans, parum nutriens, non boni ſucci ob aquoſos humores ex partu relictos. Initio autumni duræ coctionis, adſtringens, flatus eleuat craſſos, qui capitis dolorem, & anhelitus præfocationem inducunt, in fine autumni peſſimum, ex Ishaac *in diat.vniuerſalib, num.57.*

Sumitur etiam differentia ex tempore partus. Optimum eſt quod non minus quinque diebus diſtet à partu. Tradit Haly cauſam *5 theoric.40.* quia in geſtatione praui humores vbera implent, qui in lac ſoluuntur; vbi autem immodicè recedit à partu, non excrementitia tantùm humiditas, ſed & natiua vberum exhauritur, quare lac prauum redditur, vt doctè probat Sennertus *lib de morb.infantium c.2. de electione nutricis.* In tempore geſtationis ante ſeptimum menſem, inutile, ex Ariſt. *4. de generat.5.*

Sumitur etiam differentia ex locis vbi paſcuntur: nam alimenta mutant lac: virides enim herbæ, & recentes, aquoſius lac generant, aridiores, & duriores, craſſius. Denique diuerſus cibus lac euariare poteſt, vt oſtendit Hip. *lib. 6. epid.ſect.5.text.35.* dicens: *Mulier aut capra, elaterium, aut cucumer ſylueſtre comedentes, pueris purgatio.* Denique ſumitur differentia ex corporis habitu, temperie, ætate, calore, quæ omnia quoniam Ishaac *loco cit.* Arnaldus *in com. c.7.regiminis Salernitani,* Antonius Gazius, & Bruierynus *in ſuis libris de alimentor. facultatibus* latè agitarunt; idcircò hos auctores attentè perlege, præcipuè omniſcium Cardanum, qui *lib. 2.contradic.tract.4.cont.1.* de his omnibus latè, ac doctè diſceptauit.

Sed indaganda eſt vlteriùs altera difficultas, cur ſi lac in ægris præbet alimentum probiſſimum, & illis ſummo eſt auxilio, nempe tabidis, diuturnis febribus, & præter rationem conſumptis, ex Hipp. *3.aph.46.* cur aliquando non ſolùm ſanis, ſed ægris tantopere nocet? Dic: quia cùm ſit præſtantiſſima ſubſtantia, & elaborata, cùm corrumpitur, in deteriorem abit labem, & ſic in ſanis in ventriculo frigido aceſcit, in calidio in nidorem abit. In ægrotantibus verò plurima damna parit. Nocet itaque capite dolentibus: lac enim quantumuis optimè concoquatur in ventriculo, ſemper eſt flatuoſum, & caput tentat: quum enim ſit humidum, & pingue, actione caloris vertitur in halitus, qui caput replent, & grauant, dolorémque concitant. Hæc doctrina intelligenda eſt ſumpta indicatione ex dolore, qui partem dolentem concitata fluxione replere ſolet, & quando à vaporum, aut flatuum copia dolor concitatur: ſi enim fit ob calidam ſiccámque intemperiem ſine materia, lac intus aſſumptum, aut extrà applicitum, prodeſt, quia calidam intemperiem corrigit.

Noxam deinde affert lac febricitantibus, ſed iis non quacunque febre, ſed valida, & acuta detentis: lac enim ex modo ſubſtantiæ, & temperamenti, & ob diuerſitatem partium quibus conſtat, facilè corrumpitur, & vel in acorem, vel in nidorem vertitur: nam in ventriculo frigido non ſatis concoctum aceſcit, & in calido cùm

ſit

fit pingue, inflammatum bileſcit, & nidorem acquirit. Neque obſtat Galeni locus 4. *ſimpl.* 17. dicentis, *quod quando calor animantis eſt fortis, tantam dulcedinem lac acquirit, quantam mel deperdit*, quoniam ibi de naturali calore agit non de igneo, & exurenti: cùm igitur per febres materiales viſcera ſint excalfacta, & vitioſis humoribus redundent, corrumpitur lac, & febris cauſam adauget.

Nocet etiam quibus hypochondria ſuſpenſa murmurant: nam hæc ob diſpoſitionem inflammatoriam, ſcirrhum, œdema, vel obſtructiones ſolent diſtendi: quare tunc corrumpitur lac ob viſcerum intemperantiam, recrementorum colluuiem, viarum anguſtiam. Inſuper ob flatuoſam ſubſtantiam impactam diſtendi ſolent, vel ob eam quæ à ſuperioribus ad inferiora cum murmure commouetur, vt notauit Galenus 4. *aph.* 37. tunc enim lac epotum, etſi rectè concoquatur, flatuoſum eſt, & nocet, dummodò tamen pro alimento, aut medicamento attemperante, aut leniente aſſumatur: nam quando aſſumitur pro medicamento expurgante, ob maiorem vtilitatem concedi debet, ſic Hip. 4. *acut.* 7. *&* 19. in curatione febris ardentis vtitur lacte aſinino, & Auic. 15. 3. *tract.* 2. *cap.* 7. agens de ſcirrho lienis inquit, *omne lac lieni eſt contrarium præter lac camelarum, &* 14. 3. *tract.* 4. *cap.* 13. *in med.* §. *Et non decipiaris in hoc, &c.* in curatione hydropis vſum lactis aſinini, & caprini ſummè commendat.

Nocumentum deinde infert ſiticuloſis: ſi enim ſitis ex humoris ſalſuginoſi, aut biliosi copia, aut caloris incendio oriatur, facilè corrumpitur, quia vt notat doctè Heurnius *in com.* butyroſa pars illis in bilem vertitur, quapropter picrocholis eſt valdè incommodum. Si verò ex humidi inopia ſitis ducat originem, tunc lac illis remedio eſt.

Damnum etiam infert lac, ſi in febribus acutis bilioſæ apparent deiectiones: ſiue enim exhibeatur in febribus acutis, ſiue bilioſas deiectiones habentibus, ſemper reprobatur, quoniam ob dictas cauſas corrumpitur, vel aucta cacochymia in bilem vertitur. Si verò Galenus *lib.* 10. *ſimpl. tit. de lacte*, hoc contra mordaces fluxiones commendat, quia dolorem mitigat, acres humores attemperat, ob quam cauſam ab Auic. *lib.* 2. *cap. cit.* contra venena calida, & acria offertur, in cauſa eſt, quia maior copia humoris bilioſi eſt euacuata, tunc enim lac nocere non poteſt, vt 2. *ſimpl. cap.* 12. affirmat Galenus, de qua re lege quæ diximus *lib.* 2. *in com. hiſt.* 85.

Reprobatur etiam lac quando multi ſanguinis deiectio facta eſt, quoniam ob collapſas vires & ventrem refrigeratum coquitur difficulter; & diſtribuitur peſſimè. Sed quid reſpondebimus Galeno 3. *de aliment. facult.* 15. *&* 10. *ſimpl. cap. de lacte*, concedenti lac in cruentis deiectionibus, præſertim ſi in ipſo ferrum candens, aut lapides igniti extinguantur? quia ſiſtit fluxum, conſolidat, & lenit dolorem, quæ in dyſenteria ſunt valdè vtilia. Soluunt plurimi lac eſſe vtile quando vexant tormina, & mouetur aluus: quando verò ceſſauit fluxus, reprobum eſt: aceſcit enim, quia à ſtomacho debili, & frigido non concoquitur. Sed non explicant difficultatem, quoniam ob hanc cauſam neque in hectica ſenectutis, aut ventriculi concederetur, quod falſum eſt. Intelligendus ergo eſt Hippocrates de hepatica dyſenteria, quæ ex hepatis obſtructione, illiúſque frigida intemperantia ſcaturit, tunc enim lac nocentiſſimum eſt.

Quo pacto lac hecticis eſt appoſitiſſimum edulium, provt expertus eſt Galenus, qui eius potu iuuenem hunc perſanaſſe refert, quod intelligendum eſt, dummodò febris hectica putridam non habeat adiunctam, quoniam tabidi abſterſione, vlceris conſolidatione, & renutritione opus habent, quæ omnia perturbantur ſi in præſentia febris putridæ id propines, à maiori enim putridorum calore lac corrumpitur, & ab illius fuliginoſo vapore, & ſpurco contactu conſpurcatur lac, quod enim Auic. affirmat *lib. de virib. cord. cap* 4. *&* 2. 1. *doct.* 2. *ſum.* 1. *cap* 16. calorem hecticæ maiorem eſſe calore tertianæ, & febris acutæ, intelligendum eſt, quod eius caliditas ſit magis manſiua, vt ipſe ibi aſſeuerat, quia eſt æqualis, & facta, alioqui hecticus calor minor eſt, debilis, & puſillus, vt ait Galenus 1. *lib. de dif. pulſ. cap.* 9. *in med.*

A Porrò ne lac in ſtomacho cõcreſcat, & vt ad diſtantiſſimas poſſit permeare corporis partes, mel admiſcuit, quod ita præparatum, optimum eſſe ait Ariſt. *lib.* 4. *de hiſtor. animal. cap.* 22. Sed cùm triplex ſit genus mellis, apum, roſcidum, & mel cannæ, videndum quod mel ſit cum lacte permiſcendum? Dic quod non eſt mel roſcidum, quod 3. *alim.* 39. aëreum vocat Galenus, & Auic. *lib.* 2. *c. vlt.* appellat ſaccharum alhuſar; nos mannam dicimus; & nihil eſt aliud quàm ros, aut liquor ſuauis, qui æſtiuo tempore ſub lucanis temporibus noctis frigidate concretus ex aëre deſcendit. Hoc ergo mel cum lacte permiſceri non debet, quoniam abſtergit inteſtina, & aluum ſoluit, alui tamen fluxum in tabidis noxium eſſe firmat Hip. *lib.* 5. *aph.* 14.

Deinde licèt noſtro æuo loco mellis eligatur ſaccharum cum lacte permiſcendum, quia magis eſt temperatum, nec ob caliditatem, febrilem calorem adauget, de cuius temperemento, & electione plura proponunt Dioſcorides *lib.* 2. *cap.* 76. Gal. *lib.* 8. *meth. cap.* 4. Paulus *lib.* 3. *cap.* 7. Manardus *lib.* 2. *epiſt.* 2. *& lib.* 9. *epiſt.* 3. Matthiolus *in com. Dioſcoridis*, & alij, nóſque plura diximus *lib.* 2. *in com.* 33. tamen Galenus hoc non elegit in hunc vſum, quoniam eius ſæculo illius copia non extabat multa.

Eſt ergo mel apum, quod colligitur ex plantis, & herbis, licèt neque ſuccus ſit, fructus, aut earum pars, ſed eiuſdem generis cum rore cœli: hunc igitur rorem decidentem ſuper arbores, & herbas pro ſui nutritione apes ſugunt, cuius copia tumidæ, aliquantulum elaboratum in C ſuis alucolis reponunt, in quibus de nouo immutant. Hoc igitur eſt mel, cuius materia eſt cœli ros, qui non eſt ſaliua ſiderum, aut cœli, aëríſve ſe repurgantis ſudor, vt Plinius inquit *lib.* 11. *cap.* 12. ſed ex vaporibus fit calore ſolis eleuatis, concoctis, elaboratis, & aëris frigiditate concretis, vt 3. *de aliment. facult. cap. cit.* dicebat Galenus.

Immutatur hic ros tum ex arboribus ſuper quas decidit, à quibus aliquid boni, vel mali acquirit, quia concoctus; deinde calorem, acrimoniámque induit, eſt calidum, & ſiccum in ſecundo gradu, ex Galen. 7. *ſimpl. tit. de melle*, Paulo *lib.* 7. *eodem tit.* Auicen. 2. *Canon. cap.* 496. & quia in vnoquoque genere quæ flaua, & rubra ſunt, calidiora exiſtunt: quæ verò pallida, aut candida, frigidiora, idcircò mel flauum eſt calidius, pallidum verò, & candidum, erit minùs calidum, & temperamento magis pro- D prium. Eligitur flauum colore, odore & ſapore iucundo, acre, purum, ſyncerum, totum pellucens, tam ſibi cohærens, vt continuitatem ſuam quaſi linea longiſſima non intercifim ſeruet, ſi digito attollitur, & quod inter coquendum paucam ſpumam emittit. Hoc non ſolùm alimenti, ſed medicamenti vicem gerit, parum tamen nutrit auctore Galen. *lib.* 3. *acut.* 17. & in naturis, & ætatibus calidis in bilem vertitur, quia exuritur, & non concoquitur, contra tamen in ætatibus, & corporibus frigidis, ſiue ex morbo, ſiue ex natura, quia modicè concoquitur, optimum generat ſanguinem, vt notauit Galenus *lib.* 4. *ſimpl.* 17. de cuius generatione, electione, natura, & viribus ſat plura protulere Dioſcorid. *l.* 2. *c.* 74. Matthiolus, Marcellus, Virgilius, & Ruellius *in com.* Hermolaus Barbarus *lib.* 2. *corollar. in Dioſcorid. c.* 303. Ariſtot. *l.* 5. *de hiſt. anim. c.* 22. *& lib.* 9. *cap.* 40. Plin. *lib.* 11. *c.* 6. Theophraſt. *lib.* 6. *de* E *hiſt. plantar. cap.* 7. Cælius Rhodigin. *lib.* 28. *c.* 27. Macrob. *lib.* 7. *ſaturnal. cap.* 12 quanta autem ſit eius præſtantia in producenda vita, tradit Cælius *lib.* 22. *lect. antiq. cap.* 3.

Huius ergo, ſicut & lactis ſummam curam habendam eſſe, docet Galen. *hoc in loco*, ſi enim Veneti, & Praſini ſtudioſi ſectatores equorum ſtercora, vt intelligant quemadmodum alimenta concoxerint, odorabantur, vt *hoc loco* ſcripſit Galenus, quantò profectò magis eſt neceſſarium pro hominum ſalute omnia rimari, & proſpicere, cùm ea nihil ſit iucundius in vita noſtra? Qui autem ſint Praſini, & Veneti ſectatores, eleganter, vt ſolet, explicat Ioannes Langius *lib.* 1. *epiſt.* 68.

Accedit deinde ab balneum, cuius beneficio humiditatem deperditam, reparatam fuiſſe ipſe inculcat. Sed in eo ex Hip. mente 3. *de officina Medici, text.* 15. *&* 16 eſt conſideranda qualitas aquæ, quæ præterquã quod ſit dulcis, ita debet eſſe temperata in calore, vt ſine noxa, & labore à

manu ægrotantis poſſit tolerari. Conſideranda eſt etiam quantitas, hoc eſt ſpatium temporis, quo æger in balneo immorari debet, nam cùm primum corpus cœpit intumeſcere, tunc debet balneum ceſſare. Poſt balneum corpus eſt mediocriter fricandum, quoniam frictio lenis humectat,& replet, dura autem,& immodica contrarium facit,ex Hip.*lib.* 3.*de offic.medic. text.* 25. quam ſententiam latiſſimè enarrat Galenus 2.*de ſanit.tuend.c.* 3. *&* 4. Poſt balneum, & frictionem mollem,totum corpus vnguentis humectari debet, tum vt aridum corpus humore orbatum recreetur, tum vt ſubſtantifica humiditas deperdita reſarciatur.Vnguenta varia proponunt auctores in hunc vſum, ſed ipſe Galenus refrigerans parat vnguentum facile, vt nulli ſecundum, cuius deſcriptionem proponit *lib.*10. *meth.*9.*&* 1.*ſimpl.cap.*6.

A

His factis de lacte offerendo eſt ſolicitus, quod illicò aſſumendum iuſſit,§.*Ab eiuſmodi lauacro ſtatim aſininum exhibui lac,&c.*vt vires ex balneo, & frictione aliquantiſper debiles factæ reficerentur. Sed quæres, cur ſtatim à balneo lac præbuit, ſi hoc crudum remanet,corrumpitur, & noxam deinceps infert, ſi à debili hectico calore, vi balnei ad exteriores partes euocato concoqui non poteſt? Dic: quod in robuſtis, & ſanis hominibus cibus poſt balneum illicò oblatus non eſt vtilis, quoniam calor innatus eſt expanſus ad extra, & ſic nec alimentum amplectitur, nec concoquit. At verò in debilibus poſt balneum ad refocillandas vires poteſt citra noxam concedi, quæ ſi ſequatur, eſt minor quàm vtilitas quæ ex alimonia oblata conſequitur, quare in hunc vſum poſt balneum, nutrimentum vtiliſſimum eſt, præſertim ſi coctu ſit facile, citò diſtribuatur, optimum præſtet ſuccum, vt ius gallinæ, caponis, vitelli ouorum, lac, vinum aqua carnis, & alia, quorum natura eſt vicinior ſubſtantiæ ſanguinis, & in illum ocyſſimè conuertitur. Hoc documentum præbet Galenus *lib.* 1.*de ſanit.tuend. cap.* 10. in puellorum educatione obſeruandum. §. *Huic expedit vt cibus balneum ſequatur.*

B

C

Galenus in hoc capite in quo eſt ſcripta hiſtoria hæc, pro iuuenis huius curatione varia recenſet edulia, cuius vires,& efficaciam legat qui velit apud Ludouicum Lemoſium *in com.capitis huius*,qui eleganter eorum naturam ex priſcorum mente exponit.Vinum tamen renutritionis gratia, aquoſum, quod humectat, non inflat præcordia, immò ſi inflata ſunt, ſubſidere facit, in ventriculo moram non trahit ob caloris mediocritatem,digeſtionis vias aperit, ad celeritatem diſtributionis, in corpus alimentum deducit, eſt boni ſucci, & ad miſcenda, concoquendáque ea, quæ in ventriculo, & venis ſunt, eſt idoneum, vires organorum adauget, expellendis excrementis viam facit, vrinas mouet, & totum corpus celeriter pertranſiens,impetu curſus ſui excrementa ſecum depellit; demum aquæ vitia tollit: hæc enim in præcordiis diutiſſimè moratur, fluctuationes excitat, in flatum mutatur, & corrumpitur, ventriculi robur exoluit, ſic vt deterius deinde concoquat. Inſuper digerendo per corpus alimento aliquid magnoperè conducit. Vinum ergo offerendum tenue, aquoſum, quod poſſe tutò febricitantibus concedi ex Galeni mente ſupra prædiximus *in com. hiſt.* 18. Sed cùm hectici ventriculus ſit debilis aquæ vſu ſolius, illius robur facilè eneruatur, quo pacto vinum aqua temperare ſalubrius eſt.

D

Quæ aqua pro ſanorum conſeruatione ſit eligenda,fusè diximus *lib.*1.*in com.hiſt.*7.quo loco nullam in hunc vſum, & pro curatione morborum eſſe puriſſima pluuiali meliorem,eligendam ex veterum mente contendimus, & multò magis pro ardore hectico compeſcendo: nam tunc,vt toties, & præſertim in methodo Galenus prædixit, refrigeratione,& humectatione opus eſt,quod opus præſtare pluuiam citiùs,quàm fontanam aut fluuialem,ibi oſtendimus, in quem vſum Ludouicus Mercatus,in opere practico dexterrimus,& feliciſſimus *lib.* 5. *de febrib.c.de curatione feb. hecticæ*,dum de potu ſermonem inſtituit,ſic ait.*Nec minor potus habenda cura eſt in huiuſmodi laborantibus, cui vſui primas tenet aqua hordei, aqua ſaccharata, aqua diu in ciſterna aſſeruata, &c.*In quem vſum Galenus *lib.* 7.*meth.* *cap.* 4. pro curanda calida & ſicca ventriculi intemperie, quam Arabes hecticam ventriculi appellant, exhibet aquam, & cibos niue refrigeratos.

E

Sed vt aqua ampliùs ſuauis euadat,& citiſſimè per corpus diſtribui poſſit,puriórque fiat,conſulunt peritiſſimi auctores,vt aqua tranſcoletur & decoquatur. Sed facit pro parte negatiua illud,quod coctio mixti eſt,& non elementi,& cùm aqua non nutriat,concoqui poteſt,& eo ampliùs cum aqua coctione reddatur tenuior, & hac ratione fiat facilè putreſcibilis,denique Galenus *lib.*6.*ep.ſect.*4.*com.*10. huic opinioni fauere videtur, quo loco ex aquæ decoctione nullum fructum ex elixatione nos percipere manifeſtè pronunciat,dum ſic ait,*in quibus affectibus,aut cuius vtilitatis cauſa aquam elixare,aut quamcumque, aut vitioſam conueniat, in verbis iſtis declaratum non eſt, quamobrem neque vllum ex ipſis iuuamentum percipimus.*

Dic ergo, quod licèt aqua non nutriat,prout manifeſtiſſimis rationibus probauimus *l.*2.*in com.hiſt.* 54. concoqui tamen poteſt,quamuis autem tenuior coctione euadat(partes enim inter coquendum craſſiores ſecedunt)hac de cauſa præſtantior eſt,ſic enim tenuitate ſua diſtantiſſimas penetrat corporis partes,melius alteratur in corpore:& faciliùs deſcendit per vrinam,neque Gal.*cit.loco ep.*de aqua loquitur,ſed de verbis Hip.quæ cùm adulterina ſint,teſtante Gal. *in com.*nullum fructũ legentibus præbent Deinde coctione aqua fit tenuiſſima,dulciſſima, & ſuauiſſima. Noſtram poſitionem elegantiſſimè firmat Auicenna,2.1.*doct.*2.*c.*16.§. *Aqua enim decocta ſicut teſtificati ſunt ſapiẽtes, minoris eſt inflationis,& velocioris deſcẽſionis, & torpidi quidã Medicorum exiſtimant quod aquæ coctæ ſubtile reſoluatur, & ipſius remaneat ſpiſſum, vnde in coquendo ipsã non exiſtat iuuamentũ,quoniam ſpiſſitudinem in aqua augmentat*,ſequitur Rhaſius 3.*ad Almanſ.*4.§.*Aqua præterea decocta,quouſque minor reddatur eius ſubſtantia,minus eſt inflatiua,citiùſque deſcendit,& propter hanc cauſa infirmis & ſanis omnibus conuenientior exiſtit,& propter hoc Medici iubent aquam decoqui debere*,vt ex veterum mente allatis pluribus ſententiis probat Antonius Gazius *in ſua florida corona,c.*260.

QVÆSTIO XXXIX.

Vtrùm balneum tepidum, vel frigidum pro curanda febri hectica ſit ex vſu, vt contra Galenum, Barbari, & alij aſſeuerant.

COMMENTARIVM.

D*Omum ei paraui maximè balneo vicinam*] Balneorum apud veteres Græcos,Romanos,Barbaros luxurioſum fuiſſe apparatum inter omnes tradit bonarum artium genius mirabilis Rhodig.*l.*30.*lect.antiq.c.*19.& quamuis noſtro æuo obliuioni penè ſit traditus eorum vſus,tamen à Medicis multis hodie probatur valde.Tribus porrò conſtabant apud Romanos balnea partib.quarũ vna dicebatur caldaria,altera frigidaria,tepidaria tertia,locus videlicet ſummus aërem continebat calidum,laconicũ nominatus,reſpondet hypocauſtis noſtris:medius aquarum erat calidarum,imus,frigidarum; alij ſic explicant: prior tamen partitio Vitruuij eſt,fiebant verò rectis fornicatis,& locis concameratis, vt corpora ad ſudorem largè educendum denudarentur.Sic enim deinde meliùs ſtrigili detergi, & vngi poterant.De variis balneorum partibus legat qui velit Plin.Iunior.*l.*1.*epiſt.ad Rufum,& l.*2.*ad Gallum.* Ciceron, *lib.*14.*epiſt.*20.Senec.*epiſt.* 89.*de balneo Scipionis Africani*, Valer.Maxim.*lib.*2.*c.*1.Agel.*lib.*10.*c.*3.Mercurialem *in arte gymnaſtica*,in qua de vngendi ratione ex veteribus plurima colliges non indigna ſcitu.

Pro hecticis totam curationem humectantibus,& modicè refrigerantibus eſſe perficiendam Galenus *lib.* 10. *meth.*10.*&* 7.*cap.*6.latiſſimè edocuit. Hoc opus humectantia extrinſecè adhibita mirificè complent,ſicut epithemata, vnguenta, & alia quæ humiditatem primigeniam deperditam reſtaurare queunt. Inter hæc primum locum obtinere balnea, ſeu dulcis aquæ lauacra, millies à Galeno proditum eſt: Nam præter excellentes dotes, aliis

aliis curandis morbis mirificas,& ſalutares,in febri hectica corpus,& membra humectant,indurata reſoluunt, impinguant, calorem natiuum, & humorem augent, ſomnum conciliant,carnem,& cutem reſtituunt, naturale temperamentum conſeruant, cibum diſtribuunt, mundificant,abſtergunt, conuenientes meatus aperiunt, quibus dilatatis, & laxioribus factis,calor natiuus tranſpirat,& toti corpori vberiùs paratur refrigerium : denique attrahendo alimentum ad extimas corporis partes,extenuatum,& arefactum corpus nutrit, vt eleganter profert Galenus *l.* 11. *meth.cap.*20.*&* 14.*cap.*16.*&* 3 *acut.*62.*& lib.de marcore, c.*6. quo loco aduersùs Philippum mirabiles virtutes pro curando marcore balneis attribuit:dummodò tamen adſint conditiones , quas pro illorum vſu exoptat *lib.*3. *acut. cit.* repetunt Paulus *lib.*2.*cap.*33.Auic.1.4. *tract.*3. *cap.*6. Ludouicus Lemoſius *in com.c.*10.*lib.*10.*meth.Gal.* Mercatus *lib.*1.*indicat. c.*13. quoniam ſi vires debiles ſint , aut balneorum vſus ſit immoderatus,cordi nocet , ſyncopen inducit , appetentiam deiicit , nauſeam mouet , artus debilitat , calorem innatum reſoluit,ſiccat corpus,acuit febrem, laxat membra , humores mouet , vigiliam concitat, ſpiritum extinguit.

Sed reſtat exponenda difficultas non leuis, quare Galenus pro curanda intemperie ſicca ventriculi , & hecticis humectandis conſulit balneum aquæ dulcis, ſi aqua neque bibita,neque extrinſecus occurſans partes animalis ſolidas humectare poteſt,vt docet Galenus *lib.*4.*aph.*13. Secundò balneum euocat humiditatem ex ventriculo , & partibus interioribus ad partes externas,ergo potiùs reſoluit humiditatem,quàm auget.Tertiò balneum dilatat meatus, extenuat ſanguinem,& ſpiritum reſoluit, ergo potiùs exſiccat, quàm humectat. Quartò balneum inutile eſt quibus vires languent,ex Hip.3 .*acut.*59.ſed hectici imbelles ſunt , languidi , ergo , &c. Hac de cauſa Auic. 2. 1. *doct.*2.*cap.*19. de his quæ proueniunt ex balneatione,ſic ait. *Eſt namque quum accidit balneo, vt ſuo infrigidet aëre, propterea quod multum caloris reſoluit innati,& vt membrorum etiam ſubſtantias exſiccet , propterea quod vehementer humores reſoluit naturales,licèt extraneos augeat humores,&c.* Quare cùm balneum reſoluat humiditatem, abſumat ſpiritum,& ſic debilitet , hecticis non confert.

Sed præter rationem non eſt improbandum præſidium, quod tantoperè in ſubſidium febris hecticæ laudauit priſca vetuſtas.Audi clariſſim. m Fernelium *lib.*2. *meth.cap. vlt*. de vniuerſali quæ per habitum fit corporis vacuatione.*Vtile,& accommodatum balneum iis deprehenditur,qui ſqualidi,extenuatique ſunt, & quibus iam magna partium ſolidarum ariditas ineſt,atque iis etiam qui ex febris ardore quaſi retorridi euaſerunt,&c.*

Verùm non euertunt obiecta Galeni ſententiam ; diutino experimento , eóque firmiſſimo confirmatam.Dic ad primum,aquam qualitatiuè,& per ſe humectare,non verò ſubſtantificè , quia non nutrit, & quia in hoc ſenſu fortè. Auic.*loc.cit.* intellexit Galenum, idcircò illius mentem reprobare videtur, dum ſic ait, *& non attendenda ſunt verba illius,qui dicit quod aqua non humectat membra radicalia, quum bibitur,aut cùm ei obuiatur,&c* Neque enim Galenus hoc negauit vnquam,ſolùm monet ipſam ſubſtantificè non humectare,quod firmat 3. *acut.* 17. §. *At quæ nullo modo nutriant,vt aqua , ea virtutem neque ſummè imbecillitare, neque roborare quiſpiam verè dixerit,niſi id aliquando per accidens contingat. Aqua ſiquidem non vt alimentum vires recreat,ſed benè vt medicamentum,ad temperamenti ſymmetriam,quæ propter ipſius immoderationem imbecilla ſunt, deducens,&c.*Ergo aqua extrinſecè humectat:& ſqualidum corpus temperat, non nutrit.

Dic ad ſecundum,quod etiamſi ſiccitas partium oriatur ex ſiccitate ventriculi , partium ſiccitas auget ſiccitatem ventriculi , quatenus partes inanitæ celeriter rapiunt ſubſtantiam humidam ventriculi. Si igitur humectentur , & renutriantur , non ita velociter rapient , & ideò ex accidenti ad ventriculi iuuant humectationem , quatenus humidam ſubſtantiam ibi diutius morari permittunt.

Dic ad tertium , balneum temperatiuè adhibitum non exſiccare,neque diſſoluere,niſi ſolùm quando modum exA cedit , quia cùm primum partes incipiunt intumeſcere, ceſſandum eſt à balneo , ne videlicet ſanguis , & ſpiritus diſſoluantur : neque dilatatio pororum poteſt eſſe cauſa diſſolutionis virtutis , quia ſtatim à balneo corpus vel vngendum eſt , vel aqua frigida inſpergendum , quæ denſando, & obſtruendo poros , natiui caloris, & ſpirituum diſſolutionem prohibet. Auicennam autem loquutum fuiſſe *citato loco*, de balneo calido,ex ſerie contextus dilucidè. patet. Ad quartum dic : Hippocratem loqui de balneo euacuatorio , quod ſudorem validè mouet, quale hecticis non confert : tepidum autem quod ad calorem excedentem contemperandum exhibetur , pro hecticorum curatione eſt ſaluberrimum.

Altiorem tamen expoſtulat ſpeculationem dubium de B balneo frigido applicando in hecticis. Auicenna 1.4.*tract.* 2.*cap.*7.docet in febre calidiſſima, & in homine boni habitus & muſculoſo,poſt coctionem,& euacuationem humoris quandoque concedendum eſſe balneum aquæ frigidæ,ſic enim ait. *Immò cùm videris figuram fortem , & complexionem calidam , & ſiccam , & euacuaueris : tunc quandoque concedes infuſionem in aqua frigida apud declinationem,& apparitionem digeſtionis,& euacuationem humorum, &c.* quàm doctrinam latiùs tradit Galenus *l.* 11. *meth. cap.* 9. redditque huius rei rationem,quoniam poſt hoc balneum omnes ſudant,& aliqui bilioſa deiiciunt , & ſanantur,quod tunc præſertim faciendum eſt,quando balneo aquæ frigidæ homo ſit aſſuetus , & illud maximè cupiat.Auicenna tamen *loc.cit.*ſolùm tres conditiones notat. Prima quando figura ſit fortis,& muſculi groſſi, id eſt habitudo corporis ſit firma & carnoſa : ſecunda conditio quod temperamentum ſit calidum,& ſiccum.

C Verùm hæc conditio videtur repugnare primæ , quia habitudo corporis firma,& carnoſa non reperitur in temperamento calido,& ſicco, vt notat Galenus *lib. art.med. cap.*56.ſed in calido humido , vel ſaltem temperato , quo pacto Gal.*cit.*11.*meth.*vt hoc frigidum balneum tutò poſſit adminiſtrari , exoptat quod æger ſit optima corporis habitudine præditus.

Reſponde pro tutela Auic. quod corpus calidum & ſiccum ſi nôn valdè recedit,non eſt eximiè gracile , & ſic occurſum balnei aquæ frigidæ poterit tolerare, & idcircò Auicenna illud concedit in naturis calidis,& ſiccis, quando timet lapſum in hecticam febrim , præſertim in iis naturis,quæ ad febres retorridas ſunt magis pronæ. Galenus verò in naturis quadratis illud admittit , vt calor ad interiora reuocatus , robuſtiórque factus noxium humorem D expellere poſſit,quod caloris retroceſſus,& vnio in partibus intimis fit in carnoſis hominibus,ex Hip.& Gal.5.*aph.*21. Vel dic ; ex Gal.*cit.*11.*meth.*ex quo loco Auic.hauſit hanc doctrinam,per complexionem calidam, & ſiccam , legendum cœli ſtatum calidum , & ſiccum , quoniam in aliis temporibus hoc frigidum balneum non eſt adminiſtrandum. Tertia conditio eſt, quod præceſſerit vacuatio.Galenus *lib.*10.*meth.c.*10 *ad med* § *Iuuenis verò cui abundè ſit carnis,&c.*addit quod febris ſit in ſummo vigore, & quod nulla inflammatio in viſceribus adſit.

Hæc doctrina de balneo aquæ frigidæ videtur ſuſpecta, nec in curatione febris putridæ, aut hecticæ recipienda , quia in febribus putridis, & hecticis potiſſima ratio conſiſtit in apertione meatuum , & in reſeratione cutis,vt excrementa fuliginoſa tranſpirent, diffletur corpus , conniuentes,& adſtricti pori laxentur,aperiantur & humectentur. Sed balneum aquæ frigidæ denſat cutem, & conſtrin- E git poros,& calidum effluuium cohibet , ergo in harum febrium curatione eſt reprobandum.

Secundò. Galenus 10,*meth.cap.*8. agens de præparatione aëris pro curatione febrium , multis ingeniis aërem eſſe refrigerandum edocuit , ita tamen vt frigidus inſpiretur , non tamen ægrum extrinſecus contingat : ſic enim maximè nocet , quoniam humorum effluuium putridorum cohibet, & in hectica humorem innatum , puſillum illum quidem, & extinctioni proximum ſiccitate ſua exprimit , & reſoluit.

Tertiò.Cùm febricitans proiicitur in balneum aquæ frigidæ,proinde ſe habet ac ferrum candens cùm ſubmergitur in

in aquam frigidam,ex Gal.10.*meth*.10.*ad med*.ſed hoc non fit citra violentiam,& ſtrepitum,ergo eodem modo quando febricitans maximè febri hectica detentus vritur, balneo aquæ frigidæ,neceſſariò violentiam, & læſionē patietur;tunc enim nō ſolùm partes externæ,ſed internæ læduntur vehementer,ita vt periculum immineat caloris natiui.

Quartò. Hectici exiguum habent calorem, poterunt ergo facilè extingui ab aquæ frigiditatē.Hoc timens Auerrhoës *lib.7.collig.cap.15. de cura hecticæ*, ſic ait ex mente Rhaſij. *Sed Rhaſis ſentire videtur, quod tales infirmi non indigeant niſi balneatione aquæ tepidæ, ſed quia impoſſibile eſt vt tales quando expoliantur, eis non eueniant horripilationes,& ſpecialiter in exitu ab aqua calida:ideò neceſſe eſt vt tina,vel balneum ſit in camera temperata, quæ non excedat in caliditate,vel frigiditate,& aqua ſimiliter temperata eſſe debet,&c.*& infrà ſic inquit.*Abumeron Auenzoar autem velle videtur,quod eos in tina aquæ tepidæ ſolùm ponere debemus,&c.*

Dic tu, verum eſſe balnei aquam debere eſſe temperatiſſimam, quoniam ſi ad frigus declinat, ob carnis defectum,denſat magis: ſi vergit ad caliditatem,mordet,& ita ex ſenſata noxa calor refugit ad interna, & ſic in parte externa, extima ſuperficie frigente, maior ſequitur pororum adſtrictio, ad quam internus calor valdè intenditur. Et quia corpus hectici tam ſubitam, & repentinam mutationem à balneo calido ad frigidum non tolerat,idcircò optimum eſt, quod notauit Ludouicus Mercatus *lib.5.de febrib.c.de febre hectica*, ſinere ægrum in balneo morari, donec aqua tepeſcere,ac refrigerari incipiat; nam hoc ſufficere videtur loco balnei frigidi. Sed quoniam poſt balneum calidum moderata frigiditas hecticis eſt ſummoperè neceſſaria,in hunc vſum iubet Auic.1.4.*tract.2.c. 6.de rememoratione medicinarum humectantiū hecticos*. ægros frigida aſpergere,poſtquam à calido balneo exierint.ſic enim ait. *Et ſi poſſibile eſt vt ſubmergatur poſt tinam calidam in aquam frigidam ſubitò, abſque gradatione, eſt magis vltimum ex parte curæ,& magis forte ex parte timoris,& effuſio eius cum facilitate eſt minoris timoris,quàm ſubmerſio infirmi in ea ſubitò,&c.*

Licèt autem balneum frigidum putridis, & hecticis febribus ſumma cum præmeditatione ſit concedendum, tamen in putridis ſi adſint conditiones requiſitæ, eſt vtiliſſimum,& in febre hectica eſt ſaluberrimum,dummodò fiat, vt ait Auicenna *loc. cit.inceptio cum aqua,quæ eſt calida ad terminum,& fiat gradatio ad frigidam:& ad temperatam frigidam tolerabilem,&c.*quare ſi hectici vires non ſint ita deiectæ, frigidum balneum ſummo eſt ex vſu. Sed quia in hecticis,& in putridis aliquæ conditiones ſemper deſunt, idcircò hoc periculoſo remedio rarò vtimur, quia ſi non exactè nobis nota ſit ægrotantis diſpoſitio, maxima ex errore noxa impendet,vt 10.*meth*.protulit Galenus.

Quare aliquando valdè confert præſidium hoc. Et ſic dic ad primum argumentum, balneum aquæ frigidæ conſtipare cutim, & prohibere difflationem: quia tamen extinguit calorem febrilem, & aridum hectici corpus humectat, & ſic roborat naturam, quæ alacrior facta,ſtatim cauſam morbificam euincit, & corpus extenuatum craſſeſit, poteſt maximè prodeſſe. Dic ad ſecundum, balneum aquæ frigidæ non adhiberi ſine noxa; eſt tamen maior vtilitas, quando tempeſtiuè adhibetur:quare licèt fiat cum violentia, eſt tamen ob imminens mortis periculum exequendum, vt aduertit Vidus Vidius *lib. 7.de febrib. cap.7.* quoniam vt 10.*meth. cit.* notauit Galenus *vbi ſemel ægro moriendum eſt,à leuibus inchoare præſidiis eſt inutile,nā extremis morbis extrema remedia optima ſunt.*Et licèt hectici exiguum habeant calorem, tamen non eſt omittendum auxilium,quod etſi languidis interdicat Galenus cum Hip. 3.*acut*.59.ibi loquitur de febribus acutis, vt ſcitè notauit Pereda *ad cap.8.lib 2. Paſchal.de meden.febrib*.Auerrhoës verò,& Rhaſius balneū non interdicunt in hecticis frigidum, ſed reſpectiuè loquuntur,facta collatione cum temperato, quod præſtantius eſſe, vel ipſe Galenus fatetur apertè vel certè Medicos cautos reddunt, ne balneo frigido in omnibus vtantur,ſed in illis ſolùm quibus larga ſanguinis copia in corpore abundat, nec ita viribus languent, aut imbelles ſunt. Legendus in hanc rem Ioannes Antonius Siccus Medicus Venetus doctiſſimus, qui de balneis ex Galeno, & Hip. eloquentiſſimè conſcripſit.

HIST. XLV. GALENI,

De maraſmo ſenectutis.

Hectica ſenectutis iuuenis laborans,medicinæ auxilio, vita in longum tempus produxit.

Ergo illicò eos qui hectica febricitant omni ratione refrigeremus,antequam progreſſi in maraſmum peruenerint: quem autem maraſmus iam occupauit,hunc ſanare ne tentaueris: Nam etſi calorem eius extinxeris;attamen ſiccitas quæ relinquitur,ſenectutis ritu hominem conficiet, tantiſper nimirum victurum,quoad ſolidæ partes reniti aduerſus ſummam ſiccitatem valebūt.Atqui maluerit fortaſſe propinquorum ægrotantis aliquis, atque etiam ægrotans ipſe aliquo ſpatio in ſenis habitu viuere, quam illicò mori. Itaque curare hos quoque cum præfatione expedit,ac in alterum transferre maraſmum, quem iam nominare ſenium ex morbo conſueuimus:licebit enim his non tantùm plures dies,verùm etiam menſes viuere. Ego namque cùm iuuenem quendam qui ita laborabat ſanaſſem, reficiens deinde ad ſenilem eius imbecillitatem pro ſenum ratione tractans, non ſolùm in menſes, ſed etiam in annos viuum ſeruaui, &c. Galenus* lib. 10. meth. c. 10. prope fin.

PARAPRHASIS.

Maraſmum ſenectutis poſito exemplo in hoc iuuene exactè deſcribit Galenus, quæ paſſio licèt ſenibus ſit proportionata magis, ea tamen hanc ætatem prehendi poſſe non eſt denegandum, provt firmat Auicenna 1.4. *tract. 4.c.9.* Cauſa ſimilis eſt illis ex quibus febris hectica oriri conſueuit. Cùm enim ſit corruptio viuentis ex ſiccitate,vt *l.de marcore,cap.* 1.confirmat Galenus.in eo humiditas primigenia eſt quaſi exhauſta,& calor natiuus extinctioni eſt proximus, in quo homines excarnes, graciléſque & propè exſiccati ritu ſenum vitam degunt. Eſt ergo hectica ſenectutis, totius corporis ſicca intemperies.

In hac, cùm inſitum, & ex ſemine contractum humidum primigenium abſumptum fuerit, reſarciri nunquam poteſt, & ſic paulatim, ac ſenſim properat ad interitum; vt verò diutiùs vitam protrahat æger, neceſſe eſt iis auxiliis pugnare, quæ deperditam humiditatem recuperare queunt. Hoc opus difficillimè perficitur, tum quia ſiccitas ex ſe multum reſiſtit, tum quia per qualitatem curatur, quæ parum actiua eſt, & nullam ferè agendi vim habet, quare lacte, balneo, & aliis humectantibus præſidiis res agenda, quorum ope febrim hecticam curari in ſuperiori hiſtoria prædiximus.

Sed dubitabis meritò, num vita artis medicæ ope produci poſſit?Firmat hoc loco Galenus, dum iuuenem maraſmo affectum in multos annos commodis artis medicæ præſidiis ſeruaſſe gloriatur. Contra obſtat Seneca *l. epiſt.* 102.*ad Lucilium:Stat quidem terminus nobis,vbi illū inexorabilis fatorum neceſſitas fixit*,cui cōuenit illud Iobi *c.*14. *breues dies hominis ſunt,numerus menſium eius apud te eſt conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poſſunt.* Ergo ſi hæc vera ſunt, fruſtra medicamenta tentantur, quorum beneficio vitam Medici producendam ſperant, cuius finis, & terminus præteriri non poteſt.Idcircò Arnaldus à Villanoua *lib.de humido radicali,cap.vlt*.eos arguit,qui ſophiſticis rationibus probare nituntur mortem naturalem arte medica produci poſſe, quoniam humidum primigenium quod ſemel abſumptum eſt, quale eſt deperditum reſarciri non poteſt.

Verùm etſi ſemel moriendum ſit, ídque fixum maximè, & ſtatutum ſit, & Propheta omnium famigeratiſſimus ſic canat *Pſalmo* 88.dicens,*Quis eſt homo qui viuit,& nō videbit mortem? Et ars ſanitatē cuſtodiendi,nō ſit ars,quæ à morte nos ſecuros faciat*, vt ait Auic. 3.1.*cap.*1. tamen cùm ob

prauam victus rationem, inopinatos morborum euentus, & anxias animi curas, plurimi ad determinatū finem, decretúmque terminum non perueniant, fit vt medicinæ vi ac beneficio homines vitam producant, ſublatis impedimentis quæ ipſam breuiorem efficere debebant, quare fit vt hac de cauſa vita prorogetur, & homo naturalem terminum à Deo conſtitutum non excedat quem pertranſire nullo modo poſſumus: tamen mors quæ accidentalis eſt, & ex aliqua humorum exuperantia aduentitia, arceri, euitaríque poteſt.

Hoc firmat Raimundus Lullius, abſtruſæ doctrinæ vir *lib. de ſecret. naturalib. part.*1. dum ſic ait. *Vnicuique vitæ terminus eſt ſtatutus, quem nullo ingenio tranſgredi poſſumus, ſed intra eum terminum mortem accelerare in promptu eſt omnibus, ideò à medicina petendū remedium, quo corpus noſtrum à putredine præſeruemus, & infirmū curemus, & quod perditum eſt reſtauremus; donec veniat is poſtremus dies à Deo præſtitutus.* Lege de hoc argumento Nicol. *ferm.* 4. *tract.* 3. *ſum.*1. *cap.*8. *de vita, & morte.* Valleriol. 3. *loc. commun. cap.*19. Langiū *lib.*1. *epiſt.*79. Ludouic Lemoſium *lib* 5. *meth.*14. Valleſ. 6. *cont. c.*1. & Cardan. *lib.*2. *tract.*3. *contrad.* 9.

Quamuis autem vita noſtra, mors potiùs, quàm vita dicenda ſit, vt eloquenter probat Iacobus Pontanus *lib.* 3. *philocaliæ, cap. vlt.* cùm maximis laboribus, aſſiduiſque ærumnis eam tranſigamus, docente experientia, & præpotentis Dei execratio Geneſ. 3. commemorata facit, & de eo veterum teſtimonia extant quamplurima, vt Epicharmi, Xenophontis, & aliorum, quos operoſum eſſet referre: tamen ea nihil pretioſius, aut magis gratum mortalibus. Quapropter non nimia laus eſt attribuenda medicinæ, quod longiorem vitam præſtare poſſit: Nam eius longitudinem velut magnum virtutis præmium Deus probis promittit, & qui ipſius mandata cuſtodierint: contra vitæ breuitatem improbis, velut maximam flagitiorum pœnam pollicetur. Illis enim dixit Exod. 23. *numerum dierum tuorum implebo,* & Deuterō. 6. *timeas Deum tuum, vt cuſtodias mādata omnia, & præcepta eius, quæ ego præcipio tibi, vt prolongentur dies tui,* & cap. 5. eiuſd. *pondus habebis verū, & iuſtum, & modus æqualis, & verus erit tibi; vt multo viuas tempore,* & Pſalm. 20. *Tribuiſti ei longitudinē dierū.* Pſalmo 33. *Quis eſt homo qui vult vitam, & diligit dies videre bonos?* & in Pſalm. 90. *Longitudine dierum replebo eum,* & Prouerb. cap. 9. ſic ait Sapiens. *Principium ſapientiæ, timor Domini & ſcientia ſanctorum prudentia: per me enim multiplicabuntur dies tui, & addentur tibi anni vitæ,* & cap 10. *Timor Domini apponit dies, & anni improborum abbreuiabuntur.* De quibus profertur illud Iob cap. 12. *Iniqui ſublati ſunt ante tempus ſuum,* & Eccleſiaſt. 6. *non ſit bonum impio, nec prolongentur dies eius, ſed quaſi vmbra tranſeant;* & in Pſalmo 54. *Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos,* & Pſalm. 77. *Defecerunt in vanitate dies eorum, & anni eorum cum feſtinatione.* Quare hoc diuinum inſtitutum leges gentium imitatæ, facinoroſos, deprauatóſque homines capite plectere ſolent.

Pluris ergo facienda eſt medicina, quæ aptis remediis, commodo victus ordine, remediorúmque methodo vitæ longitudinem præſtare poteſt, quoniam exultatio viri eſt longæuitas, *Eccleſiaſtic.* 30. de quo inſtituto ex veterum, & ſummorum Medicorum mente lege per otium omniſcium Tiraquellum *lib. de nobilit. cap.* 31. *num.* 488. Vtrùm autem vitæ noſtræ terminus ita fixus, certus, immutabilis ab æterno ſit, & planè fatalis, an verò mutabilis, & qui induſtria, & Medicorum arte produci poſſit, diſceptauit nuperrimè, eloquentiſſimè Ioannes Beuerouicius, Medicus eruditiſſimus, *proprio lib. de præfixo vitæ termino,* ex ſua, & illuſtrium virorum ſententia, inter quos extat ſtrenuus omnium bonarum artium dux, & prinipilus, Belgarum decus, clariſſimus Caſpar Barlæus, literarum cultor admirabilis, literatorum amator amabilis, qui illúd opus eximiè felicitat.

QVÆSTIO XL.

Vtrùm quatuor humiditates ſecundæ abſumptæ, medicæ artis ope reparari poſſint.

Lib. IV.

COMMENTARIVM.

REficiens deinde. [Poſtulat hic locus, vt de quatuor humiditatibus ſecundis faciamus commemorationem, ex quarum explicatione dilucida fiet Galeni doctrina, quatuor ſiccitatis gradus *in hoc cap.* methodi conſtituentis, quæ ad hecticæ febris naturam intelligendam eſt vtiliſſima: Igitur Auicenna arrepta occaſione ex Galeni dictis propoſuit quatuor humiditates 1. 1. *doct.* 4. *cap.* 1. *in princip.* & 1. 4. *tract.* 3. *cap.* 1. *in princip.* & eas diuidit, ſubdiuidit, & explicat membra diuidentia, dicens quod humiditatum aliæ ſunt primæ, aliæ ſecundæ. Primæ ſunt quatuor humores, qui in iecore generantur, & tempore, & ordine præcedunt. Secundæ rurſus diuiduntur, quia vel ſunt ſuperfluitates, de quibus agit 1. 1. *cit. cap.* 2. *ad fin.* §. *Duarum verò digeſtionum, &c.* Vel non ſunt ſuperfluitates, ſed ex humoribus generationem habent, & ſunt numero quatuor, quas ſigillatim Auicenna enumerat.

Prima dicitur innominata, ſecunda, ros; tertia, cambium; quarta vocatur gluten. Prima humiditas quæ nomine caret, eſt humor in extremitatibus exilium venarum. Ros eſt humor per omnia tranſiens membra, qui in nutrimentum conuerti eſt aptus. Cambium eſt quod parum ante congelatum eſt, & nondum integrè ad ſimilitudinem completæ ſubſtantiæ tranſmutatum. Gluten eſt humor per quem partium continuitas exiſtit.

Auicennæ interpretes inuentum Auicennæ ſummè collaudant. Sed vt verum fatear, illud licèt ſit veriſſimum, nouum tamen non eſt, quum ille iuxta quatuor ſiccitatis gradus, quatuor humiditates ſolum proponat, ſic enim habet Galenus *lib.* 7. *meth. cap.* 6. *Eſt autem coſummata ſiccitas, vbi ſolida ſimplicium partium ſubſtantia reddita eſt ſiccior: Nam eſt & altera ſiccitas vtique, cum ea quorum ſubſtantia ex humore concreto conſtat, ſicut caro, & adeps, ſunt liquata: etiam tertia ante has, quum proprius humor, vnde partes nutriuntur, omnino eſt abſumptus: continetur is in omnibus animalis partibus, roris more per eas ſparſus. Altera ſiccitas eſt, quæ in propriis cuiuſque particulæ exilibus venis, & arteriis conſiſtit, prouenit hæc ex ſanguinis penuria.*

Quapropter cùm ſiccitas humori contraria ſit, & vnum vni opponatur, & plura pluribus, ex Ariſtot. *lib.* 1. *de cœlo, c.*2. *ad med.* hinc Auicenna quatuor humiditates illis contrarias conſtituit, quas etiam ad mentem Auicen. deſcribit Fernelius *lib.* 6. *phyſiolog. cap.* 7. *poſt med. & in cap.* 6 *etiam poſt med.* firmat Auicennæ doctrinam Valleſius *lib.* 1. *cont. cap. vlt.* quarum etiam meminit Galenus *lib.* 10 *meth. cap.* 11. *ad fin.* quo loco primam ſolùm excepit, quia hæc ſub ſanguine comprehenditur: *nam,* vt notat Thomas à Veiga *in com. cap.* 37. *lib. art. medic. Galeni ad fin. nihil aliud eſt quam ſanguis purior, & defæcatior, multiplicique coctione elaboratus, & aliquantulum à naturali diſpoſitione mutatus; in venis, & arteriis gracilibus exiſtens, è quibus locis reſudatione quapiam ad caua ſimilarium partium loca confluit, & per ea roris modo ſpargitur, ſpecie à ſanguine, & aliis humoribus diſtinctus, vt ex calore conſtat.*

Secundam humiditatem conſtituit ſimilarium partium nutrimentum, vt optimè docet Galenus *lib. art. med. c.* 59. *in fin.* quæ pro diuerſitate partium diuerſa eſt, & vnicuique parti nutriendæ opportuniſſima, quæ eſt vltimum alimentum quod iam nutrit, de quo intelligendus Galenus *lib.* 3. *de temp. cap.* 2. ros, ſiue inſitus humor à Galeno vocatur 7. *meth. cit. & lib.* 1. *de diſ. feb. cap.* 9. *ad initium.* §. *Dico autem tabem, &c.* quia ſimilaribus partibus inſitus eſt. Appellatur etiam exhalatio à Gal. *lib.* 1. *de ſem. cap.* 11. & *lib.* 3. *de facult. natural. c.* 9. *in intio, &* 3. *de ſympt. cauſ. cap.* 3. *ante med.* §. *Appoſitio autem fit,* quo pacto à multis reprehenditur Auicenna, quod rorem non fecerit vltimum alimentum, quoniam tertia, & quarta humiditas potiùs ſunt ſubſtantiæ partium ſimilarium noſtri corporis, quàm veræ humiditates.

Nec obſtat Ariſt. 2. *de partib. animal. c.* 3. *poſt med. & c.* 4. *ſequenti in fin. &* 1. *de generat. animal. c.* 9. *in init. & lib. de iuuentut. & ſenect. c.* 2 *in med.* quibus locis ſanguinem vocat vltimum alimentum, quod etiam ratio ſuadere videtur,

Cùm eadem ſit materia generationis, & nutritionis, ex Gal. 1. *de ſem.cap.* 16. *in fin.*ſed generatio fit ex ſanguine menſtruo, ergo etiam nutritio fit ex ſolo ſanguine, quod etiam confirmat Galenus *lib.1.de facult.naturalib.cap.*10. *ante med.*§.*Quippe caro ex ſanguine,&c.*

In contrarium eſt ratio fortiſſima: Nam cùm ſolidi membri ſubſtantia ſit craſſa, & alba ſanguis verò tenuis, fluidus, & ruber,niſi aliquæ intercedant mutationes,nulla ratione ſanguis in partis naturam poterit commutari,quoniam partes non nutriuntur immediatè ex ſanguine, ſed quædam ſemine, aliæ lacte, aliæ medulla, hæc enim partibus ipſis viciniora exiſtunt,ex Gal. 1.*de natural. facult. cit.& lib.3.cap.vlt.poſt med.*

Quare ad Ariſt. reſpondendum ex Thoma à Veiga *lib. art. med.cap.cit.*& Chriſtoph.à Vega *lib.* 1.*art.med.cap.*1. *ad fin.*Valleſio 1.*cont.*14.Mercato *tom.*1.*lib.*1.*part.*3.*claſſe* 1.*quæſt.*68 Carrerio *in* 1.1.Auic *doct.*4.*cap.*1.Coſtæo *ſupra idem caput Auic.*Peramato *lib. de humorib.cap.*2.& aliis, quod ibi Ariſtoteles non loquitur de immediato alimento, ſed de communi ad membra demandato, ad differentiam chyli, & pituitæ, quæ nutrire nequeunt niſi in ſanguinem conuertantur, quare Ariſtoteles proferens ſanguinem eſſe vltimum alimentum, ſolùm voluit ſignificare nihil poſſe nutrire niſi ſanguis non ſit, aut ex ſanguine ortum habeat; quoniam nerui craſſo, & albo alimento nutriuntur,ex Ariſt.3.*de hiſt.animal.cap.*4.pili verò, & cutis, glutine,*cap.*11.*ſequenti*;oſſa nutriuntur medulla, mammæ nutriuntur lacte, teſtes ſemine, ex Galen. 1. *de ſemine cap.* 16.quare ſolùm partes cārnoſæ,& adeps, ſanguine nutriuntur, ſpermaticæ ſanguine, per mediam tamen humiditatem quæ ros dicitur: Sic *citato libro de ſemine, cap.* 11. docens communem modum nutritionis tam in carne, quàm in aliis partibus, affirmat quamlibet partem attrahere quod ſibi familiare eſt ex ſanguine, deinde in varias partes diſſolutum exhalationis modo vndique diſtribuere, vt adiungatur, agglutinetur, aſſimiletur; igitur tam in carne,quàm in partibus ſolidis hæ mediæ ſubſtantiæ ſunt conſtituendæ, in ſolidis tamen euidentiùs,in carnoſis obſcuriùs apparent, & præſertim in viſcerum carne ob maiorem diſſimilitudinem.

Neque aſſeras, quód hæ ſubſtantiæ humidæ non differunt ſpecie à ſanguine, ſed ſolùm accidentali quadam diſpoſitione, quoniam hæc reſponſio nulla eſt, quia non eſt alia via ad dignoſcendam ſpecificam diſtinctionem humorum, & aliarum ſubſtantiarum, niſi ſecundùm colorem, modum ſubſtātiæ,& alias accidentales diſpoſitiones quæ conſequuntur formam. Si igitur in his omnibus humiditates ſecundæ differunt à ſanguine, neceſſe eſt vt differant in forma,præſertim cùm in diuerſo loco,& à diuerſo agente elaborationem ſuſcipiant, quare iuxta hanc doctrinam Galenus *lib.*3 *de ſympt cauſ.cap.*2.*ante med.*§.*Naturalium autem actionum prima,&c* tres conſtituit coctiones quæ ſpeciem mutant,prima, quæ fit in ventriculo, ſecunda in iecore, tertia in ſingulis partibus, præter quas addit aſſimilationem quæ à nutrione non differt;& ratio huius doctrinæ eſt,quia licèt ſint quatuor humiditates,prima non eſt ſpecie diſtincta à ſanguine,ſecunda differt ſpecie,& generatur per tertiā concoctionem,& in oſſibus eſt medulla, in partibus ſolidis eſt ſemen, in mammis eſt lac: tertia, & quarta humiditas cùm ex ſententia Galeni ſit caro, & adeps, & ſubſtantia humida partium ſolidarum, ſpecie diſtinguitur à ſecunda, & ſanguine, & generantur per nutritionem, quam quartam alterationem appellat Galenus. Ad rationem verò Ariſt. dic, quod ſicuti partes immediatè ex ſanguine non nutriuntur, ita nec generantur, cùm ſanguis menſtruus eaſdem in vtero mutationes ad partium formationem recipiat.

Tertia humiditas, cambium vocatur, quia loco illius quæ fuit diſſoluta ſubſequitur, & eſt ſubſtantia illa quæ iam partibus alendis cœpit vniri, & agglutinari, quam ſi pinguedinem,aut carnem recenter concretam vocaueris,à Galeno non diſcedes 7.*meth cit.&* 10.*meth. vlt.*

Quarta humiditas dicitur gluten, & eſt partium ſolidarum ſubſtantificum,& primigenium humidum,quo veluti glutine cantinuitas partium retinetur. Fuerunt neceſſariæ hæ humiditates, vt partes poſſent ſanguine nutriri: natura enim non tranſit ab extremo ad extremuum niſi per medium, ſenſim, non committens ſaltum, vt Ariſtotel. inquit *lib.*8.*de hiſt.animal.cap.*1.Cùm igitur partes præſertim ſolidæ plurimum diſtent à ſanguine, neceſſarium eſt, ſi ſanguis in eas tranſmutari debebat, id multis alterationibus fieret, vt Galenus ait *lib.*1.*de facult.*10.*& lib.*3. *cap.vlt. in fin.*Igitur mediis, his alterationibus hæ ſecundæ humidæ ſubſtantia generantur,, quas medium immediatum inter nutriens, & nutritum eſſe conſtituendas arbitramur.

Ex harum humiditatum conſumptione tres hecticæ ſpecies ſunt conſtituendæ,prima ex conſumptione primæ, & ſecundæ humiditatis: ſecunda ex conſumptione tertiæ, quando tunc plurimum per febres colliquantes decidit ad veſicam, inteſtina, vbi pinguedo, & recens concreta caro caloris vehementia liquantur, & ſic vrina, & alui excrementa pinguia redduntur. Tertia fit ex conſumptione quartæ. Qua autem ratione hecticus calor diſſipet carnes, & pinguedinem liquet, an magnitudine, an diuturnitate,diſputat eleganter Mercurialis *lib.* 5. *de febrib.c.* 7. & videtur diuturnitate hoc efficere? nam præterquam quod nulla febris hectica magna eſt, vt ait Galenus 3. *de præſag ex pulſib.cap.*4.*in principio*,hic calor nó colliquat, ſed in progreſſu.Si verò Auic. 1.1.*doct.*3.*cap* 19.*& lib. de virib. cordis, cap.* 4.dicit calorem hectici eſſe maiorem calore cauſi, & tertianæ, extenſiuè non intenſiuè intelligendus: Nam hoc modo calor febris ardentis eſt maiot calore hectici: illo verò modo hecticus calor aliarum febrium ſuperat calorem, quoniam æqualiter,& vni-formiter per omnes diffunditur,& extenditur corporis partes.

Sed dices, ſi hectica medicabilis eſt, vt frequenti experimento fit manifeſtum, & Galenus firmat *lib.*1.*feb.cap.*9. cur humiditas prima, & ſecunda, ex cuius conſumptione febris hectica conſurgit,non reſtaurabitur? Dic, vt ad quæſtionem pateat ſolutio, primam & ſecundam hecticæ ſpeciem eſſe curabilem, tertiam immedicabilem prorſus, & artis ope curari non poſſe. Hoc confirmat Galenus *lib.*1. *feb.cap.*9. per hæc verba. *Cùm enim naturalis cordis temperies primum euerti inceperit, natiua humiditas neque prorſus abolita eſt, neque virtus plurimū laborat,ſed primo fit veluti quadam efferueſcentia humiditatis,quo in tempore facillimum eſt huiuſcemodi febrem ſanare, tanquā nihil adhuc virtute perpeſſa: deinceps autem conſumptio quædam efferueſcentiam ſequitur: hácque in longum iam protracta ipſæ ſimilares particulæ quæ ſunt veluti cordis elementa. ſicciores redduntur, atque inopia alimenti, tenuiores, ac tantum virtus laborat, quantum ſiccitas,atque caliditas in ipſo corde inualuerit, quando altera exuperans, virtutem imbecilliorē reddere potuit. Huiuſmodi febris iam ad vtrāque partē declinat,ac medium obtinet locum inter eam tabidam febrim,quæ penitus curam non admittit, atque illam de qua paulo ante diximus,quæ facillimè in principio curari poteſt. Eſt verò in hac latitudo multa, quoniam diſpoſitionis ipſius multæ.in ea quod magis,ac minus, diuerſitates. Quæ igitur æqualiter diſtat ab vtraq,febre, & ea ſcilicet quæ exquiſitè tabida exiſtit, & illa, in qua nihil eſt adhuc tale, medio quodam ſe modo habet ad curationem, dubio ad partes ambas inclinans momento, quæ autem tabi eſt proximior,eſt periculo vicinior:cùm quæ calori magis adhæret nō paruam ſalutis ſpem habeat.* Hactenus diuiniſſimus Galen.

Ex cuius præclara doctrina depromi poſſunt corollaria plura. Primum euidenter ex hoc loco colligendas eſſe tres febris hecticæ ſpecies, primam non exquiſitam, tertiam exquiſitè tabidam, mediam, hoc eſt ſecūdam, æqualiter ab vtriſque recedentem. Secundum, omnem hecticam eſſe difficilis ſanationis,quia lapſus ex ſiccitate valde periculoſus eſt, quia ſiccitas reſiſtit multum, & corrigitur per aduerſam humiditatem,quæ iners,& pigra eſt in agendo. In hunc ſenſum intellige Hipp.2. *aph.* 26. affirmantem peſſimum eſſe conuulſionem febri ſuperuenire: Nam, vt inquit Galen.*in com.ſi febribus ardentibus totum corpus exſiccetur,& neruis deinde ex ſiccitate cōuulſio accidat,hoc maximū eſt malū,& pene inſanabile,quoniā longum tempus exigetur ad ſiccitatem neruorum remouendā.*Si verò

Galenis

Galenus eſſe facilis curationis eam ; quæ in primo gradu conſiſtit, aſſeuerat, intelligere reſpectu eius quæ ad ſecundum ; aut tertium gradum iam acceſſit, in quibus virtus iam multum perpeſſa eſt.

Tertium corollarium deſumi poteſt, quod ſicut prima, & ſecunda hecticæ ſpecies, quæ ſcilicet non multum receſſit à prima, eſt curabilis, ſic prima ; ſecunda, & tertia humiditas recuperari poſſunt ; tunc enim humiditas carnibus infuſa, & carnes ipſæ circumfuſæ membranis ; fibris, & neruis conſumptæ, artis medicæ ope, renutrientibus ſuccis reparari queunt. Et ſicut tertia ſpecies eſt incurabilis, aut ſecunda quæ iam ad illam proximè accedit ſic quarta humiditas, nempe gluten, ex cuius conſumptione tertia ſpecies conſurgit ; nulla arte, nec artis medicæ auxilio reſtaurari poteſt, quare quos maraſmus iam occupauit, hos ſanare ne tentaueris.

Quæris huius vltimi corollarij cauſam? Prima ſit: nam hoc humidum, eſt glutinum quoddam, ſeu vinculum ; quo partes ſolidæ, ſua natura ſiccæ tenaciſſimè coniunguntur, quare cùm abſumitur, vehementem cauſam arguit, nempe pertinacem torridum calorem, qui nulla arte emendari poteſt. Secunda, hoc humidum eſt veluti auctor vitæ, & ſubiectum, ſeu verum pabulum natiui caloris quo abſumpto, & ob hanc cauſam diminuto calido innato, debilioribúſque viribus factis, nullum poſtea æger remedium habet, quum non ſuperſit calor ; qui illud valeat reficere. Tertia cauſa eſt, quoniam hæc humiditas ſubſtantifica, & primigenia, quæ ſolida ipſa continet, ac vnit, abſumpta, reddit membra inſtar ſenij frigida ; atque ſicca, cuius diſſolutione, maraſmodes febres prodeunt : quare cùm hæc ex ſemine originem ducat, aut potius ſeminalis pars ſit, nobis à primo ortu tributa, haud ſecus quàm quæuis alia particula, ſolida, & ſpermatica ſemel deperdita, nec generatur, nec alimento, alióve artificio recreari poteſt.

QVÆSTIO XLI.

Vtrùm ſolidæ partes reſiccatæ humectari poſſint.

S*Ed etiam in annos viuum ſeruaui.*] Proxima ſuperiori pro hiſtoriæ explanatione controuerſia eſt de ſolidis partibus, an reſiccatæ artis medicæ ope humectari poſſint. Partem negatiuam ſequitur Galen. *in hoc ſexto cap. lib. 7. meth. medendi*, quod affirmat *in cap. 59. artis medic. §. Ipſæ enim ſolidæ corporis partes, quæ vere ſolidæ ſunt, ac primæ, nullo modo poſſunt effici humidiores. At ſatis eſt, ſi quis ea celerius exſiccari prohibeat, &c.* Confirmatur : nam ſi partes ſolidas humectare liceret, ſequeretur vitam in perpetuum durare ; patet ſequela, quia vita definitur per permanſionem caloris in humido ; igitur ſi humidum quod eſt caloris pabulum, tale poteſt conſeruari, vt ſimile pro eo reſarciri poſſit ; licebit perpetuò calorem conſeruare ; ſed impoſſibile eſt alimentum quod apponitur, eſſe eiuſdem ſpeciei cum eo quod effluxit, vt probat Galenus *lib. 1. de ſanit. tuenda, c. 2. & lib. de maraſmo, c. 2. & 4.* docens neceſſariò ſiccitatem in plantis, & animalibus euenire, quæ ſenij, & mortis cauſa ſit, quo pacto ſolidarum partium ſiccitas ſanari non poteſt, ex eius mente *lib. 10. meth. c. 11.*

Pro altera parte eſt idem Galenus, *lib. 1. de ſanit. tuenda, cap. 2. in fin.* quo loco aſſerit animalis ſubſtantiam in perpetuo fluore eſſe, & niſi ſimilis ſubſtantia pro ea quæ defluxit repararetur, citiſſimè abſumeretur, quare plantis, & animalibus indidit natura virtutes, quarum auxilio, id quod diſſoluitur, reſtituunt ; ergo partes ſolidas humectare licet. Et non ſolùm humidum deperditum, ſed multò perfectius recuperare poſſumus, vt conſtat in hecticis, & leproſis, in quibus poſt curationem, humidum acquiſitum multò eſt perfectius ; nam tunc perfectiores edunt operationes, & diutiùs viuunt ; & confirmatur, quia bilioſi, & melancholici poſſunt reduci ad temperiem, quia innatum temperamentum mutare licet, & poſt reductionem perfectiores edunt operationes, igitur humidum acquiſitum perfectius poteſt eſſe deperdito.

Vt verò huius quæſtionis finem, & explicationem aſſequaris, notabis duplex eſſe humidum, alterum radicale, ſeu natiuum, quod eſt contractum à primordiis generationis, & eſt propria partium ſubſtantia humida, vel humidum illud, quod ex ſanguine ; & ſemine in partium meatibus relinquitur ; alterum humidum eſt acquiſititium ; quod ex alimentis per nutritionem à ſingulis partibus loco humidi radicalis ſubſtituitur. Aduerte deinde ; quod humidum poteſt dici perfectius, vel pro operationibus, vel pro duratione vitæ ; & hoc duobus modis ; vel abſolutè, & eſt quando eſt aëreum, pingue, oleoſum ; vel quando remouetur ab eo aliqua praua qualitas, cuius ratione illud erat inquinatum.

His præfatis ſit prima concluſio. Per nutritionem poſſibile eſt humidum reſtituere perfectius pro operationibus. Probatur, quia omnes actiones tam animales, quàm vitales, & naturales moderatam ſiccitatem in inſtrumentis requirunt, excepta actione facultatis alteratricis ; hæc enim caliditatem, & humiditatem expoſtulat ; & hæc eſt cauſa, quare adoleſcentes ; & iuuenes, non ſolùm animales actiones, ſed & vitales ; & naturales, excepta alteratione habeant perfectiores ; vt Galen. inquit, *lib. 3. de cauſ. ſympt. cap. 3. in med.* quoniam in ea ætate moderatam ſiccitatem iam acquiſitam habent, ita aſſerit Auicenna ; 3. 1. *doct. 1. c. 1. poſt princip. § Verumtamen perfectio, & integritas, & potentia perficiendi actiones non eſt niſi propter ſiccitatem, quæ inceſſanter agit donec perimat.*

Secunda propoſitio. Non ſolùm pro operationibus ſed pro duratione vitæ perfectius acquiritur humidum ; non ſimpliciter ; ſed quia reſtituitur expers prauæ qualitatis, quæ impedit quo minus foueat ; ac conſeruet calorem. Patet in hecticis, & leproſis, poſtquam a morbo iam curato euaſerunt ; in quibus humidum nutritione acquiſitum, non ita inquinatum eſt, ſed in maiori copia in corpore abundat ; & ideò poſt curationem ; longiori temporis ſpatio viuunt ; & perfectiores edunt operationes. Neque tibi difficile videatur ; hecticum curatum reparari ſecundùm humidum, quum hoc non ſit intelligendum de reſtauratione quæ opponitur ſiccitati natiuæ ; id eſt conſumptioni humidi natiui ; ſed reparatione quæ ſiccitati morboſæ opponitur. Sed cur impinguantur magis radicalia in hectico curato ; quàm ſi non incideret in hecticam? Dic : verè appoſuit plus de humido, non reſtaurauit melius humidum.

Sed clarioris doctrinæ gratia percontaberis, cur humidum reparatum poſſit eſſe melius pro vita, & duratione vitæ, quàm reſolutum ; ſi ſemper non tale ; quale erat, reſtituitur? Dic : quod in aliquo ſtatu morboſo, v.g. hectica peſtilenti, 3. *præſag.* 4. humidum reſtauratum poteſt eſſe melius pro longitudine vitæ, quàm reſolutum. Ratio eſt, quia ſanguis ex quo quis nutritur ; poteſt eſſe multis numeris melior ; eo quo quis genitus eſt, vel humido reſoluto : in ſtatu tamen ſano, ſiue ſit per reductionem vnius temperamenti ad aliud ; ſiue ſecus, nunquam reparatur melius pro vita ; quia quantumcunque nutrimentum ſit bonum nunquam eſt æquè bonum, ſicut humidi radicalis portio quæ reſoluitur.

Nec obſtat ; quod humidum temperati ſit melius, quàm melancholici, igitur etiam temperati facti ex melancholicos quàm melancholici. Dic, humidum temperati ex melancholico facti non eſt melius humido reſoluto in melancholico. Nec etiam obſtat ; quod diutius viuat temperatus ex melancholico ; quia cauſa prolixioris vitæ eſt, quia humidum reſolutum in melancholico non manet in melancholico ; quare ſi humidum quod reparatur in melancholico, eſſet ſicut illud quod reſoluitur in ipſo, tunc diutius viueret melancholicus, quàm temperatus factus ex melancholico. Si iterum obiicias, quod nunquam reparatur humidum æque bonum, vel melius reſoluto pro vita ; quia tunc cùm cauſæ durationis ſint eædem ; ſemper viuet. Dic, quod reparatur tale ; ſed non tantum, & ideò moritur. Dic ſecundò & melius, licèt reparetur humidum exoluto ſimile in quantitate, & qualitate cauſa durationis vitæ ; non manet eadem ; quia humidum quod primò erat ; nec exolutum, nec acquiſi-

tum, eſt factum deterius pro vita.

Tertia propoſitio. Per nutritionem impoſſibile eſt humidum ita perfectum reſtituere ſimpliciter; nam ſemper eſt deterius, quia ſiccius, & craſſius. Duplex ratio concluſionis probatur hoc modo; quia humidum acquiſitum eſt minùs elaboratum, quàm radicale: Nam ſolum in ventriculo, iecore, & venis fuit concoctum: at humidum natiuum non ſolum in his partibus, ſed in vaſis præparantibus, teſtibus, & in ipſo vtero multiplici actione fuit concoctum, & ad ſummum perfectionis gradum deductum. Secunda ratio eſt quam Auicenna tradit, 1. 1. *doct. 3 cap. 3. §. Etſi virtus infinita foret, &c.* cum humidum reſtauratur per nutritionem, quæ eſt aſſimilatio nutrimenti ad partes quæ nutriuntur, non debet aſſimilari alimentum partibus ſub præcedenti diſpoſitione, ſed ſub ea quæ præſens eſt quando nutritur. Igitur cnm partes ſemper ſicciores reddantur, & craſſiores, neceſſe eſt vt id quod acquiritur, ſemper ſit ſiccius, & craſſius & quò ſiccius, minùs calorem conſeruat.

Ex dictis apparet, humidum radicale per actum virtutis nutrituæ eſſe repara bile, ſi per reſtaurationem intelligimus repatationem humidi exoluti, & reappoſitionem noui humidi, ſic non eſt dubium quin humidum radicale reſtauretur, 1. *de ſanit. 2. ad med.* alioqui breui duraret animans: ſi verò intelligas reſtaurationem exoluti eiuſdem prorſus naturæ, & perfectionis cum exoluto, hoc modo humidum radicale reparari nequit, 1. *aph.* 14. & 1. *de ſanit.* 2. & *lib. de marcore* 5. quia humidum nutrimentale quod cedit in locum exoluti, non poteſt eſſe tale, vti eſt illud ab ortu contractum, aliàs animal non eſſet tunc terreſtrius quàm heri, nec curreret per ætates actione caloris in humidum radicale, immò poſſent ætates quieſcere, aut retrocedere, & potuiſſet animal viuere per infinitos annos. Vltimò partes ſeminales potuiſſent regigni, & reüniri, contra præceptum Galeni *lib. art. med. cap.* 87.

Sed dubitabis primò. Si humidum radicale non reſtauratur, iuuenis, & puer non erunt in calore æquales, quia humidum radicale eſt inæquale in vtriſque. Dic: Calor non ſolùm multiplicatur ad multiplicationem humidi radicalis, ſed cuiuſlibet humidi membrorum, quod humidum ſupplet defectum radicalis in iuuene, & manent pares in calore cum latitudine quadam, id eſt ad tactum.

Dubitabis ſecundò. Cibus habet virtutem ſuam propriam, vt conuertatur ad humiditatem ſimilem radicali, & ad calorem intrinſecum ſimilem, qui eſt in nutrito, ita vt ſint idem per modum omnem. Dic: ſunt idem in ſpecie, & quoad diſpoſitiones, & calorem, quod eſt eſſe idem ſecundùm omnem modum, non tamen quod iſta ſint ſimilia præciſè, & in eadem menſura determinata: vel dicendum, non eſt inconueniens quod reparetur in eodem gradu perfectionis cum remanente.

Dubitabis tertiò. An humidum ſemper reſtauretur melius pro operationibus quàm ſit reſolutum; Dic: poteſt reſtaurari melius pro actionibus, ex Gal. *in art. medic. cap.* 21. quia cum humido quod acquirit iuuenis in proceſſu ætatiuo facit meliores operationes, quàm puer: igitur ſi humidum iuuenis reſtauratum non eſſet melius pro operationibus, quàm humidum pueri reſolutum, ſemper ab inſtanti pueritiæ vſque ad iuuentutem operationes fierent deteriores, & in quolibet momento ſignato viciniori ortui operationes eſſent perfectiores.

Sed contra obſtat primò. In ſenecta humidum reſtauratum non eſt melius pro actionibus. Dic: hoc verum eſſe vſque ad iuuentutem, quia poſt ipſam marceſcit, & extinguitur calor, & cum humido reſtaurato imperfectiores fiunt operationes. Obſtat ſecundò. Si id quod reſoluitur in puero manſiſſet in iuuene, vel id quod reſtauratur in iuuene eſſet ſicut reſolutum in puero, iuuenis faceret perfectiores operationes. Reſponde negatiuè, quia operationes meliores non fiunt à meliori humido, id eſt à magis ſubſtantifico, ſed ab humido temperato ſecundùm iuſtitiam, ad actiones relatione facta.

A Dubitabis quartò, num humidũ radicale duret ad finem vitæ; Dic affirmatiuè, licèt Fernelius *lib. 4. phyſiolog. cap.* 4. affirmet quod maior portio manet in fine vitæ: *Nam,* vt ipſe inquit, *cùm triplex ſit humor, cuius vi, & beneficio, conſtantia firmitáſque partium noſtri corporis continetur, elementaris primigenius, & alimentarius, duo quidem propriam illarum ſubſtantiam complent, tertius illis aduentitius quodammodo, & externus. Quocirca vitam etiamnum agenti animali, hic quidem abſorberi, ſiccaríque poteſt, at reliqui nunquam funditus, ſed neque maiori ex parte diſperdi poſſunt: Nam priuſquam in id diſcrimen res veniat, propria detracta materia, ſpiritus, calorque emarceſcet, & animal vitam naturæ reddet. Diſſipata enim materia, quæ ſpiritus, & caloris propria eſt ſedes, quæ ſpiritum continet, atque ſeruat, quî fieri poteſt vt ſpiritus ſub-* B *ſtantia, & calor diutius perſiſtat* & ratio pro Fernelio eſſe poteſt: quia poſt mortem partes habent continuas, quod eſt radicale. Dic quod continuitas poteſt iuuari per humidum membrorum factum ex nutrimentali. Pompanatius autem *in quæſtione de humido radicali*, exiſtimat nil manere, & humidum radicale eſſe neceſſarium ad generationem animæ, non ad conſeruationem. Sed Fernelij ſententiam libentiùs amplector.

Ad argumenta verò, quæ probabant partes ſolidas reſiccatas humectari non poſſe, dic quod quando Galenus, *lib. 7. meth. cap. 6.* affirmat intemperiem ſiccam conſummatam eſſe inſanabilem, illud eſt quia deficit virtus quæ humidam ſubſtantiam reſtituere debet, quod ſimiliter docuit *lib. 10 meth. cap. vlt. in med.*

Ad locum eiuſdem Galeni *in arte medica* dicendum C eſt partes ſolidas non poſſe humectari, non quia humidũ non reparetur, ſed quia ſemper reſtituitur ſiccius, quovſque calorem fouere, conſeruaréque non poſſit, & ideò partes exſiccatæ ſemel, non ampliùs ſubſtantificè humectantur, nam humectationem qualitatiuam non negat Galenus: ſicut enim partes ſolidæ patiuntur morbos ſiccos, ſic etiam humidos, & humidum illud quod in corporibus intemperatis acquiri ſolet, quando ad temperiem reducuntur, licèt ſit multo melius, non debet intelligi reſpectu illius humidi, quod fuit deperditum ante reductionem, quoniam ſemper peius acquiritur; ſed comparatione illius quod acquireretur in tali corpore tunc, ſi non eſſet reductum: ſimiliter dicendum eſt, quod humidum illud quod acquiritur poſt morborum curationem, non eſt ſimpliciter melius, ſed ſecundùm quid. D Hic Galeni locus difficilis eſt, nam videtur veritati repugnare, cùm inquit, ſolidas partes, quæ verè, exquiſitè, & primò tales ſunt, non poſſe humectari ſolùm: quoniam videtur inſinuare carnem, & adipem poſſe humectari, quod apparet falſum. Sicut enim humidum quod nutritione acquiritur in partibus ſolidis, ſemper eſt ſiccius; & craſſius: ſic etiam in carne debet eſſe. Igitur ſi partes ſolidæ humectari nequeunt hac ratione, ſic etiam ſentiendum de carne.

Dic ergo pro tam intricati textus expoſitione cum doctiſſimo Laurentio *lib. 1. de hiſtor. anatomica, quæſt.* 10. qui licèt ieiunè hanc quæſtionem pertractet, tamen in hoc explicando loco primas tenuit, partes ſolidas à Galeno interdum dici ſpermaticas, & carnoſas, & adipoſas, quia ſunt ſolidiores ſpiritibus, & humoribus, veluti dixi. *lib. 1. de dif. feb. cap. 7. poſt princip.* interdum appellari par- E tes ſpermaticas, vt fecit 11. *meth. cap. 1. & 3. & lib. 10. meth cap. vlt.* hæ partes dicuntur verè ſolidæ, quia duræ ſunt, compactæ, & primæ, quia primo tanquam fundamenta corporis generantur, deinde caro, & adeps, vt earum ſpatia repleant: hæ humectari non poſſunt, quia frigidæ ſunt, ſiccæ, duræ, ideò parùm reſoluuntur, & pauco alimento indigent, neque plurimum poſſunt attrahere neque ſi attraherent, concoquerent, facultate enim attractrice, neque alteratrice ob natiuam temperiem non valent. Deinde valdè humectationi reſiſtunt, alimentum eſt exiguum, & ſolum poſt varias alterationes nutrit, hoc modo paulatim humiditatem deponit, quare hoc modo partes exſiccatas humectare non poſſumus, quia non poteſt alimenti humiditas tantum addere, quantum ſolida-

rum

ram partium actio detrahit, priuſquam nutriantur, quare cùm continua actione calor fatiſcat, fibroſa partis ſubſtantia nunquam reſarciri poteſt, etſi humectari poſſe negandum non ſit.

Contra tamen in carne, quia multum diſſoluitur, alimentum copioſius accedit, & magis immediatè, & illa minus reſiſtit, minorique elaboratione eget, vt alimentum in carnem vertatur: & hæc eſt cauſa, ob quam in omni ætate,& in omni ſtatu augeatur, & diminuatur, vt firmat Galenus *lib.11. meth.cap.1.* Tranſmutatur igitur magis ab alimento,quàm partes ſolidæ, non tamen mollior, & humidior reddi poteſt ob rationem dictam, etſi ob eius copiam corpus aliquando humidius, & mollius appareat, cùm ante ob eius defectum amplius exſiccatum videretur.

Ad poſtremum argumentum dic: vitam in perpetuum prorogari non poſſe, non ſolùm ratione humidi, quod ſiccius ſemper acquiritur, ſed ratione virtutis, quæ finita eſt, & ratione caloris, qui in dies defatigatur,& acrior redditur, & ob materiam, elementorum pugnam, & aſſiduum ſubſtantiæ fluorem.

Hæc omnia perbellè ſignificauit Auic. 1. 1. *doct.3.c.3. poſt medium. §.Præterea ſciendum eſt, &c. & 2. 1. doct.2. cap.3.* quo loco varias ſenij, & mortis naturalis afferens cauſas,vt aërem qui continuò reſoluit, propter id quod in eo eſt de virtute ſolis, & ſtellarum, calorem natiuum continuò ſeipſum conſumentem, animæ, & corporis motiones, humores crudos ſua frigiditate calorem minuentes, qui in ſenectute redundant,& virtutem finitam in corpore finito: & ſic affirmat nullum hominem effugere poſſe mortem, licèt humidum radicale,neque ab externis, aut internis iniuriis exſiccaretur.

Auicenna à Galeno omnia hæc exhauſiſſe videtur, qui *lib.1.de ſanit.tuend.cap.3.*eloquenter duplicem eſſe cauſam noſtræ corruptionis conſtituens, ob hanc rationem alimentum eſſe neceſſarium aſſeuerat. Prima cauſa, quæ omni genito corpori,corruptelæ, interitúſque eſt connata neceſſitas, eſt internus ignis,ac calor, qui ſiccat, vrit, torret,humidum abſumit, corpus macilentius, gracilius, imò rugoſius reddit, vnde artus inualidi, & ad motus ſuos incerti, & inconſtantes probantur,& ſic fit ſenium, ſiccitatis exceſſu eueniens.

Altera eſt, quæ etiam in animalibus præcipuè cernitur,totius ſubſtantiæ fluor,quem inſitus calor excitat,in proprium humidum agens, ipſum temporis diuturnitate deuaſtans. Vt enim flamma ellychnij humidum abſumit, & in fumum, ac fauillam citiſſimè vertit, nì ſuppetat oleum irrigans, & conſeruans ipſum, ſic natiuum calidum intra ſeptiduum, aut citius proprium humidum abſumit, nì alimentitium humidum accedat.

Hoc loco cum Philoſophis, & Medicis quærendum, quo pacto calor noſter innatus; contraria poſſit efficere; formare nempe, nutrire, augere, & conſeruare corpus noſtrum, ſimúlque corrumpere, exſiccare, & humidum noſtrum perpetuo fluore conſumere, ita vt ſæpè ab Hip. proferatur, *calor idem nos conficit, qui nos generauit.* Dic: quod calor noſter,& natiuus calor, vt natiuus, nos format, nutrit, auget,& tunc ſimpliciter calidi naturam non exuit, cuius ratione, à paulatina exſiccatione, quæ per ætates fit, non potuit abſolui. Neque dicas cum Valleſio, *lib.6.contr.1.& 4. meteor.in com cap.1.fol.mihi 31.* calorem natiuum non conſumere, niſi in non naturalem migret: Nam contra te obiiciam Galenum *lib.2.de marcore cap.4. §. Quod autem naturæ progreſſu corpora ſiccentur,quodque innatum id calidum efficiat,vt primo de valetudine tuenda demonſtrauimus,& neceſſario nunc repetemus,eſt vndequaque verum,&c.*& *lib.7.aph.59. in vapores corpus exolui, duplici de cauſa aſſeruit, extrinſecus quidem ab aëre ambiente,intus verò à calore natiuo,*& *1.aph.15. & 17.* hoc etiam confirmat. Calidum ergo non ſolùm qua calidum, ſed qua natiuum calidum corpora noſtra exſiccat.

Sed obtrudes, quomodo natiuum calidum ſe ipſum conſumit, ſi ſe ipſo calidius non eſt, quod enim calefacit, calidius eſt calefacto? Dic: quod calor natiuus non calefacit ſe ipſum,ſed ſuum calorem ſeruando ob id exſic-

A cat, quod humidam ſubſtantiam effluere, ac euaporare facit, proinde ac feruens aqua, quæ ab igne ſeparata, ex calore in ſe concepto tandiu euaporat, quandiu calorem ſeruat.

Senium ergo,& mors euitari non poſſunt,quia partes ſolidæ verè, & ſubſtantificè humectari nequeunt. Nam multæ ſunt cauſæ mortis naturalis. Prima, innatus calor, pars terrea membrorum, & alimenti, quæ nunquam effluit, ſed ſemper permanens membra tandem reddit terrea. Parcior eſt poſt iuuentutem nutritio, tum ex parte caloris commutantis, qui declinare cœpit ſimul cum humidi radicalis exſiccatione, tum ex parte corporis nutriêdi,quod ob ſiccitatem difficilius admittit alimentum, & ſiccius ad membra, quàm anteà, è ventriculo ſemper

B allicit.Accedunt & cauſæ externæ exſiccantes,motus corporei,labores; exercitia: iræ excandeſcentiæ, metus, triſtitiæ: timores vigiliæ, vacuationes, venerea, quæ inter cæteras cauſas promptiſſimè exſiccat, alimenta; quæ citò putredinem concipiunt: recrementa quæ putreſcentia febres excitant, quarum vi corpora ſiccantur. Accedit aër,qui multipliciter nos exſiccat,vt inquit Auerrhoës *6.collig.cap.5.*

Quæ ergo erit ars,quæ naturalem vitæ terminum protrahat, dixi.Auic. *3.1.cap.1.* Nam conſeruatoria medicinæ pars de duabus rebus ſecuritatem præbet, putrefactionis prohibitione, & defenſione humiditatis ne citò reſoluatur. Alexipharmaca ob id nos à veneno defendunt, quoniam etſi vim veneni nos interlimentis ſuperent & corrumpant, ab innati tamen caloris exſiccatione tueri non poſſunt, quoniam ſi innatum calorem corrumpant,& ſuperent, mortem pro exſiccationis carentia accerſent.Quo

C pacto remedium, aut artem inuenire, quotum efficaciam ſenium, aut mortem effugere poſſimus, ſupra captum hominis eſt. Hanc artem inuenire deſperauit Galenus *lib. de marcore cap.cit. Quis enim quæ primordia generationis animalium neceſſariò ſequuntur, fieri veteri? aut quis facta infectâ reddat?*quaſi dicat, nulla eſt ars, neque potentia quæ hoc facere poſſit,& Auic.1.1.*doct.3.cap.3.*poſtquam mortis naturalis, & accidentariæ meminit, ſubdit, *Totum tamen diuino prouenit præcepto.*

Quid plura? eſt ne aliquis qui effugiat ſenium, aut mortem? eſt ne aliquod ab aliquo auctore propoſitum remedium ad euitanda hæc? nónne exſiccatio noſtri corporis ab ortu interitum, perpes, & neceſſaria eſt, & irrefragabili experimento confirmata, quo nullus vſque in hodiernum diem, quantumvis exacta viuendi ratione

D tractetur, deſiit conſeneſcere quo pacto meritò deridet Galenus *lib.de marcore,c.2.* Philoſophum quendam, qui cum quadragenarius ſcripſiſſet librum, quo pacto citra ſenium ſupereſſe liceret; poſtea verò octogenarius factus, tantà erat conſumptione, & ſenio confectus, vt riſui eſſet omnibus, quam hiſtoriam explicatam lege *lib.6.hiſt.8.* Quapropter genita omnia interire debent, quæ non eſſe interitura, fallaci, & deceptoria quadam ratione contendit Proclus, cuius ſolutionem per otium lege apud Philoponum *lib. 6.aduerſus viginti duas Procli propoſitiones, de mundi æternitate*: Nam nos Medici ſumus, non Theologi, maximè cùm diuturnitatis, aut breuitatis hominum vitæ, varietate & varietatis cauſis *lib.6.in com.hiſt.17.*latiùs ſimus acturi.

E

HIST. XLVI. GALENI, De peſte.

Peſtis horribilis.

Teſtimonium autem eius rei locuples tulerunt nobis duo rerum exempla,quæ haud ita pridem caſu quodam obtigerunt.Peſtis ſæua in ſummos pedes graſſata,& crudelitas prædonis. Peſtilentia namque putrefaciebat, prædo autem abſcindebat extremos pedes, vt ſine baculo non poſſent ambulare,qui in eiuſmodi incidiſſent infortunium,&c. Galenus lib.3. de vſu partium cap.5.

PARA

PARAPHRASIS.

QVÆSTIO XLII.

Vtrùm ſit aliquis morbus crudelior peſte.

COMMENTARIVM.

PEſtis ſana.] Cæterum, opinor, diu iam multúmque in aliis febrium hiſtoriis delineandis elaborauimus, proinde percommodum, videtur, peſtis alia exempla, qua poterimus breuitate recenſere, vt quum ſubiecta oculis omnia fuerint, agnoſcamus, quæ ſit diuinæ maieſtatis ratio in cohibenda, ac refrænanda peſtilentiæ ſæuiſſimæ populariter graſſantis poteſtate dira, de quo argumento cum tot veterum, & recentiorum elegantiſſimorum doctiſſima, & penè inexhauſta ſcripta conſidero, ea in epitomen, & ſyllogem redigere deſpero (ita ſunt fusè, latè, doctèque diſceptata) quo pacto ad hiſtoriarum noſtrarum expoſitionem me conuertam, & aliqua ab illis nondum animaduerſa, ex variis, abditioribúſque locis deprompta proponam, quibus poſſim ruinoſam medicinam erigere ac inſtaurare, quod eſt huius loci, ac temporis inſtitutum, maximè cum de peſtis natura, *lib. 2. in com. hiſt.* 89. plura prælibauerimus, pro expoſitione Pauli, & de curatione *in praxi hiſtoriarum, tomo de febrib. cap. de peſte*, hæc omnia luculenter pertractentur.

Peſtis ergo nihil aliud eſt, quàm ſubſtantiæ totius cordis primum, deinde principalium partium corruptio, ab ambientis inquinamento, totius ſubſtantiæ proprietate infenſo, inuecta, quæque contagionis perniciosiſſimæ ſeminaria in ſe continet. Vel à fine hoc modo definiri poteſt. Peſtilentia, morbus eſt peracutus, exitialis, communis, qui contagione ab vno ad alterum inſtar veneni ſerpit, immanis bellua, quæ non ſolùm multos ſimul homines interimat, ſed integras quoque ciuitates depáſcens miſerabiliter conficiat.

Quare verè peſtilentes morbi, diri ſunt, atroces, & ſemper plurimos, aut certè multos celeriùs è medio tollunt, pro venenoſæ materiæ, & humorum, qui ex ea inficiuntur, ratione; quo pacto breuius à Galeno finitur 1. *epidem. procæmio, & 1. acut.* 9. quod ſit epidemia pernicioſa, hoc eſt, peſtis eſt morbus vulgaris, multos perimens, ex Gal. 3. *epid. ſect.* 3. *com.* 20. an verò detur peſtis citra perniciem, hoc eſt, an in ſua natura contineat quod plures interimat, diximus breuiter *lib. 2. in com. hiſt.* 89. & fusè agitat Septalius *in ſuo eleganti lib. 1. de peſte, cap.* 14.

Porrò peſtis aliqua viſa eſt ita intenſæ, & effrænatæ feritatis, vt ferè omnes correptos perdat. Hoc modo ſæpè apparent defluxiones peſtilentes, quæ plurimas noſtri corporis partes miſerrimè fatigant. Sic viſæ ſunt peripneumoniæ, & anginæ, quarum truculenta vi multi veluti ſtrangulati, & denegato vitali ſpiritu reſoluti ſubitò occubuere, vt refert Vvierus *lib. rarar. obſeruat.* aliquando peripneumonia maligna ſputo ſanguinis ſequuto, peſtis horridæ inſtar, prouinciam penè vniuerſam deuaſtauit, vt narrat Andreas Gallus *lib. 4. faſciculi de peſte*, quod ſcribit etiam Dodonæus *lib. obſ. medic. cap.* 12. Interdum pleuritides peſtilentes immaniter ſæuiunt, quæ maleficentiſſimis comitatæ ſymptomatis cor occupant, & venenata aura inquinant, de quibus egere Cardanus *lib.* 3. *de venenis cap.* 25. & Iacob. Othæus *lib. de obſeruationib. propriis*. Hoc modo ſæuiit dyſenteria peſtilens, & contagioſa, de cuius natura, & curatione perdoctè egit Ioannes Colle *lib. 2. de morb. malignis, cap.* 3. Hoc modo graſſatæ ſunt phrenitides peſtilentes, hemitritæus peſtilens, de cuius curatione diſceptauit eximiè Cornelius Gemma, *tract. de hemitritæo peſtilenti.* Frequentiſſimè etiam inſoleſcit diaria peſtilens, de qua ex Iuniorum mente egimus *lib. 1. in com. hiſt. vlt.* Hoc modo genus humanũ inuadit, & proſternit pernicie ſumma hectica peſtilẽs, de cuius natura, & cauſis diſceptauit clariſſimus Caſtrenſis Luſitanus *l.* 3. *de meteoris microcoſm. cap.* 20. Multoties inuadit maleficẽtiſſimis ſtipata ſignis febris quædam horrifica, quæ certo rigore, eóque moleſto, & totum corpus laſſante tertianæ pernicioſæ ritu, de tertio in tertium repetens, homines ex improuiſo præter Medicorum opinionem è medio tollit, Poſſe autem febrem peſtilentem eſſe intermittentem probauimus *lib. 1. in com. hiſt. vlt.* Sæpiſſimè apparent mitiſſimæ, & placidæ febres in ſtatu peſtifero, quæ lenitate ſymptomatum, mititie tactus, & nullâ percepta noxa in pulſu arripiunt multos, qui à Medicis vix febricitare creduntur, & in quibus vrina eſt ſimilis ſanæ, & hi, clàm furtimque maligna ſæuiente putredine, & veneno principes partes occupante inopinatò moriuntur de quibus, & huius euentus cauſa pulchrè vt reor diſſeruimus *lib. 1. in com. hiſt. vlt.*

Aliqui ſideratorum more, ac fulmine ictorum, in terram corruunt, vt notarunt Valleriola *lib.* 3. *loc. commun. cap.* 18. Gemma *lib. 1. cap.* 17. *Coſmocrit.* Salius *lib. de peſte, cap.* 7. Sic formidabilis erat peſtis ſpecies, qua correpti circa caput, ac pectus ſudorem ſanguineum excluſerunt, vt ſcribit G. Agricola *lib. 2. de peſte.* Vidi anno 1601. quum totam ferè Luſitaniam, & dulciſſimam meam patriam Olyſipponem immanis hic morbus arriperet, ſæuiſſimam peſtis ſpeciem: Nam in morbi principio omnibus vermium rotundorum nigrorum copia per nares ſolùm emanauit, & cùm proſilirent viui, ante quam excluderentur foras, illis torminibus diris excitatis prius, quaſi rodebantur viſcera, ſudores in vultu, & thorace apparebant ſyncoptici, cum totius corporis liuore, & ſubſequuto morticinio omnes peribant. Hanc ſpeciem peſtis, ſed non ita grauem, ac pernicioſam eueniſſe in peſte Veneta prodit Angelus Bellicochus *in tractatu de peſte.*

Quid commemorem varia, terribiliáque ſymptomata, quæ in peſte contingere aſſeuerant auctores: ſed omnem fidem excedit, quod ſcribit Cardanus *lib. 2. de ſubtilit.* peſtem fuiſſe obortam Conſtantinopoli, quæ huius erat generis, vt qui laborarent, aut quibus morbus imminebat, viderentur ab alio homine cædi, & ſic hoc terrore perturbati moriebantur. Quidam etiam ob ſitim in puteos ſe præcipitabant.

Quid plura? nonne hæc immanis fera ciuitates deuaſtat, prouincias ſolo æquat, omniáque animalia profligat, & premit diu, & importunè? hinc miſerandæ clades, ocyſſimæ mortes, non tantùm ex ſæuientis veneni malitia, quin ex diuturnitate, & prolixitate huius mali ſubortæ, de cuius ingenti ſæuitie, ac tyrannide, tam veterum quam patrum noſtrorum memoria, ſæpiſſimè in miſeros mortales concitata, varij horrenda, & planè inaudita recitarunt, vt plurimis exemplis confirmat Ioan. Euuich, *lib. de officio magiſt. cap.* 10.

Procopius *lib. 11. de Bello Perſico*, ſcribit regnante Iuſtiniano Imperatore, tam atrocem Byzantij viguiſſe peſtem, vt quotidie 5000. interdum etiam (quod fidem omnem excedit) 10000. hominum ſepulturæ traderentur. Platina *in vita Clement. V I I.* annotauit olim in Italia tam ſæuam graſſatam fuiſſe peſtilentiam, quod ex milleſimo vix decimus euaſerit. Idem affirmat Michaël Scæuola *in vita Friderici I I I. Imperatoris.* Denique tanta ſæpè ſeſe oſtentat huius luis ſæuities, & atrocitas, vt nulli ſexui, ætatíve parcat, ſed indiſcriminatim in obuios quoſuis graſſetur, ac ferociam ſuam exerceat.

Si enim acutiſſimos, & diuturnos morbos cum hoc miſerando conferas, Gallicam luem, lepram, arthritidem, morbillos, variolas, & aliorum morborum tormenta varia, horum minimam eſſe ſæuitiem reſpectu huius hydræ inuenies, cuius ea eſt tyrannis inexorabilis, vt paucorum menſium ſpatio regiones integras deuaſtet, & breui tempore abſumat, vt exemplis probant Ioan Hugo Linſchottius *lib. 1. nauigat. ſuæ, cap.* 1. Zonaras *tom.* 2. ſcribit ſub Gallo, & Voluſiano Impp. peſtem ab Æthiopia exorientem, omnes Romani imperij prouincias peruaſiſſe, & per 15. continuos annos incredibiliter exhauſiſſe. Firmant plurimis hiſtoriis Paulus Oroſius, *lib. 7. cap.* 15. Bonfinius *decad. 1. lib. 8. annal.* Riolan. *lib. 2. meth. cap* 19. Euagrius *lib. 4. hiſt. Ecclleſiaſt. cap.* 29. Gulielm. Grattarolus *in deſcript. peſtis.* Nicephorus *lib. 3. hiſt. Eccleſiaſt. cap.* 11. Crucius *lib.* 11. *part.* 1. Leonclauius *in pandect. hiſt. turcic. num.* 130.

num. 130. Ioan. Wolffius *centur.* 11. *memorabil. lection.* Blondus *lib.* 7. *decad.* 2. Lipſius *lib.* 2. *de conſtant. cap.* 23. Baronius *tom.* 2. *annalium, anno* 263. *ſub Galieno Imperatore*, tantam Romæ extitiſſe peſtilentiam refert, vt vno die 5000. periret, & Fracaſtorius in Syphilide memorat anno 1348. ita diram inualuiſſe peſtem, vt vix quartam gentium partem intactam reliquerit.

Sed antequam progregiamur vltra, & finem faciamus admirari licet Plinium *lib.* 7. *natural. hiſt. cap.* 50. dicentem peſtilentiam nunquam ferè inualeſcere niſi hyeme, ita tamen vt ternos non excedat menſes, quod pronunciatum falſum eſſe non erit operoſum demonſtrare: nam in omni ferè terrarum tractu peſtiferæ ſunt quædam regiones, à quibus, aut numquam, aut raró peſtis auellitur, vnam ſolam excepit Scaliger, *exercit.* 32. quæ huius eſt expers maleficij, nempe ora illa occidentalis Æthiopiæ, quæ Nigor accolit fluuium, cùm tamen calidiſſima ſit. Deinde quædam loca ferè ſemper laborant peſte. Accedit quod multæ peſtes triennium durarunt, aliæ ſeptennium, aliæ quinquageſimum ſuperarunt annuum; vt illa quæ commemoratur ab Euagrio ſub Iuſtin. Imperat. *lib.* 4. *hiſt. Eccleſiaſt. cap.* 39. & Nicephoro *lib.* 17. *cap*, 18. totum ferè orbem depaſta, quæ nec certo, aut definito tempore graſſari cœpit, ſed alicubi ineunte hyeme, alibi æſtate, vel autumno, & interdum vere; Ticinum inuadens, occupauit, tres tantùm menſes calidiſſimos, Iulium, Auguſtum, & Septembrem, de qua Paulus Diaconus *lib.* 6. *de geſtis Longob. cap.* 2. Iiſdem argumentis, atque hiſtoriis Plinij repudiatur effatum, firmantis peſtem ternos menſes non excedere, vt ex plurium mente auctorum firmat in auctorum lectione verſatiſſimus Ionſtonus *claſ.* 2. *Thaumatograph. cap.* 2. *art.* 3.

Fallitur etiam quum profert ſenes minimè peſtilentiam ſentire: Nam in peſtibus iam commemoratis non excipiuntur ab interitu ſenes: & hoc videtur ridiculum, cùm quotidianum experimentum contrarium monſtret, & nos ſcimus multos ſenes peſte periiſſe. At cur non? an quia frigidiſſimi, & ſicciſſimi, quæ qualitates, putredini, & contagio reluctantur valde? calore autem, atque humore gigni peſtilentiam. Cur igitur hyeme incipiet? cur ſæuiente canicula maximè graſſabitur, quæ ſummè eſt ſicca? neque humiditate ſemper fit, neque calore, tolleretur enim deſiccatione, & frigore: non auferri autem præter experientiam, docuit aduerſus Cardanum breuiſſimè Scaliger *exercit.* 94. & quanquam ſicciſſimi ſint ſenes, humore carentes natiuo, atque vtili, ſunt humidiſſimi tamen, quod humiditate abundent, non bona extrinſeca, & aduentitia, quare ſenes peſte tentantur, vt probant inter multos Ianus Antonius Saracenus *tract. de peſte in med.* Ioan. Guinterius Andernacus *dialog.* 1. *de peſt. fol.* 63.

Fallitur deinde, quod putarit à meridianis partibus ad occaſum Solis peſtilentiam ſemper ire, quod Plinij pronuntiatum ab ipſomet Plinio arguitur mendacij. Narrat enim *cap. antecedenti* 37. ab Hippocrate veniente ab Illyriis peſtilentiam prædictam: non ergo peſtis à meridianis partibus ad occaſum ſemper, at cùm Illyria Epiro, & Macedoniæ finitima, ſi ratio habeatur Græciæ, in occaſu ſit, & Amm. Marcel. *lib.* 22. commemorat Seleuciæ direpto, & aperto templi adyto quodam Chaldæorum tabem exiluiſſe incurabilium morborum, qui ab ipſis Perſarum finibus ad vſque Rhenum, & Gallicis omnia fœdarit. Scimus præterea peſtem anni 1514. à foro Iulio ad finitimas regiones peruagatam, anno 1524. ab ipſa Italia natam: anno 1576. ex Germania, ſiue ab Helueticis importatam. Scribit Iacobus Meierus *in Chron. Fland.* in Belgis perpetuò pluiſſe ab idibus Octobris ad Aprilem vſque menſem, mox grauiſſimam ortam peſtilentiam, quæ magnam conſumpſit partem mortalium, vt anno 1025. natam in Germania cum fame, qua tertia pars hominum confecta, vt Io. Cuſpinus adnotauit, quæ ſanè peſtes à meridianis partibus ad Solis occaſum non incubuerunt. Quo pacto errauit Plinius, quicquid Ioan. Bodinus 5. *cap. meth. hiſtor.* fideliter non deſcripſerit ab ortu ad occaſum ferri peſtem narrans à Plinio dici. Neque

A Annibal Codretus etſi huc locum ſatis explicuerit diligenter, non tamen ab errore Plinium liberauit, ſicut Dalechampius, aut Ferdinandus Pintianus, qui Plinij verba ad libitum inuertunt. Conſule verſatiſſimum Mercurialem, *lib.* 4. *variar. cap.* 7. *in fin.*

Quid referam grauiſſima, eaque immania ſymptomata, quibus peſte oppreſſi premuntur, & diuexantur, quæ omnia quàm ſint horrenda, & in nullo reperiantur morbo perſpicies qui attentè ea contempletur: nam præter pulſum, & vrinam, & quibus in aliis morbis certum quid, & definitum coniectare licet, in hoc incertum, & prorſus fallax, quoniam cum ſignis optimis, & certam ſalutis ſpem pollicentibus ægros perire contingit. Reſpiratio eſt frequens, & graueolens, ſitis intenſa, cibi faſtidium ingens, bilis vomitus, præcordiorum diſtentiones, dolores vehementes, cordis morſus, ſudores multi, cordis palpitatio, extremorum frigiditas, ſtillæ è naribus, æſtus in thorace, linguæ aduſtio, ſcabrities, & nigrities, delirium, animi deliquium, ſyncope, vigilia importuna, animi angor, aphonia, ſopor, horrores, læuitates inteſtinorum, exulceratio, tormina, & alia quæ narrat Paulus *lib.* 2. *c.* 36.

Quid deſcribam interiorum membrorum inflammationes, oris, gingiuarum, palati, gulæ cacoëthica vlcera, quæ vſque ad pulmonis venas depaſcentia, lethales excitant hæmorrhagias, exeſis, diſruptiſque huius viſceris vaſis, & vſque ad ventriculum ſerpentia ægros cum ſingultu, anxietate exolutione, cardiogmo, vomitu, faſtidio C ſummo, anhelitus fœtore, pulſuum abolitione de repente è medio tollunt.

Si verò in medio conflictu, & pugna, natura à cauſa morbifica agitata, ſtimulatáque excretionem moliatur Sed eam irritam, & ſymptomaticam, vt non deſinat portio veneni reliqua, ſerpente, paulatímque augeſcente noxa, in cordis ſubſtantiam ipſam tandiu debacchari, tunc vel venenum internum prorſus interimit, vel natura vltimis ſuis viribus vtens, venenum ipſum ad extimas debiléſque corporis partes maximéque ad cutim excernit. Quoties igitur vnus, duo pluréſve, aut omnes humores, facillimè veluti furentes excandeſcunt, & concipiendæ venenatæ qualitati apti redduntur, tunc in cute varia tubercula, & excreſcentiæ oriri conſueuere, quæ in proceſſu morbi halitus venenoſos ex ſe fundunt, D qui communicati partibus principibus eas lancinant, & premunt.

Tunc augeſcente, vigentéque malo præter bubones in adenum locis erumpentes, de quorum natura *infrà* proponemus plura, oriuntur puſtulæ vlceroſæ, & ſiccæ, à bilioſo, acrique humore pronatæ, eſſere, ſtigmata, vibices, puncticulæ, ignis ſacer, herpes miliaris, formica phlyctænæ pruna carbunculus venenoſus, à fæculento craſſo, efferueſcente, ac præ aduſtione in bilem retorridam conuerſo excitatus: hæc omnia comitantur ſæpe eruptiones aliæ partim latæ, & humiles, colore rubræ, aut purpureæ, partim etiam ſublimes, quæ infantibus, aut pueris ſæpe, grandioribus raró, non modò extima cute effloreſcunt, ſed & viſcera, muſculos, neruos, cæteráque interiora obſident, Plinius papulas vocat, Alzarauius Algidra, & Alhaſba appellat, Arabum interpre- E tes variolas, & morbillos nuncuparunt.

Non minori cum periculo peſtilentiæ tempore per ſummam cutem expullulant puſtulæ, ſeu veſiculæ ex ſanguine ſeroſiore, pituitoſioréve, ſimul & bilioſiore parte, eadémque venenata prorumpentes, quæ Græcis Ecthymata dicuntur, colore variæ, ita vt quandoque nigræ, liuidæ, aut etiam pallidæ conſpiciantur. Pruriginoſæ quidem omnes: at modo ruptis iis in ſubiecta carne vlcuſcula ſe produnt ſanie manantia, & carbunculorum imitata naturam; quæ modo abſque vlceris nota tandem ſponte in ſquamas ſicceſcunt, & feruore, inflammatione, immanique dolore ægros excruciant. Hæc omnia quàm ſæua ſint, & diram afferant perniciem, vigente peſte, eleganti oratione oſtendit Fernelius *lib.* 4. *patholog.* 17. *&* 18. *&* 2. *de abdit.* 12. *&* 13. & Ioann. Riolanus, huius auctoris doctiſſimus paraphraſtes *in com.* explanat.

Omitto

Omitto alia ferociſſima damna, quæ in medio peſtis feruore ægros, eorumque vires labefactant, nempe tumores œdematoſos, qui in catarrhoſis defluxionibus peſtiferis in iugulo, thoracéque apparent, & tuſſi, dolore capitis, & ſubita ſuffocatione ex tempore iugulant, de quibus egit Schroterus *themate 30.& 31.de peſte.* Multoties accidit in cute liuor, ex quo extimarum partium morticinium conſequitur, ſicut ex carbunculo gangræna lethalis ſæpiſſimè oritur, aliquando partem putredine abſumit. Sic pes è tibia, & brachium à ſcapula diuulſum viſum eſt, vt refert Palmarius, *lib.de peſte, cap.27.*

Quid proponam mala, quæ ex peſte relicta miſeros mortales diuexare ſolent? Nam præter ea quæ propoſuimus *lib. 1.in com.hiſt.*41.de memoria amiſſa ex peſte ſæpè vidi in ſtatu peſtilente citra dolorem vllum, nulláque præcedente liuedine loci, crurum mortificationem, quæ ſerpente altiùs veneno ſubitò interfecit, aliquando cum crurum abſciſſione vitam ægri redimebant. Hoc modo confluente humore venenoſo ad pedum extrema, & ob ſui deleteriam vim, aut copiam, innatum partis calorem extinguente, vel ſuffocante, ſequutóque ſphacelo ſummos pedes computruiſſe in hac hiſtoria aſſeuerat Galenus, cui malo ne in ſuperiores partes ſerperet putredo, præſentaneum auxilium erat pedum abſciſſio: quo pacto Thucydidis tempore plures poſt peſtem remanſerunt, ſine virili, oculis, & pedibus, ita referente Lucretio.

Viuebant ferro priuati parte virili,
Et manibus ſine nonnulli, pedibúſque manebant
In vita tamen, & perdebant lumina partim.

Ingentis putrilaginis eſt exemplum hoc, quæ nullis vnquam auxiliis putredinem coërcentibus, ſed per abſciſſionem potuit refrænari. Hæc dira putredo cum ſumma malignitate coniuncta, puſtula nigra in talo apparente biduo mortem in Critone accelerauit, vt narrat Hip. 1. *epid.ſect.3.text.26.* quem correptum fuiſſe venenoſa febre grauiſſimi huius loci interpretes Valleſius, & Mercurialis teſtantur *in com.*

Denique vt ſemel concludam. Omnium morborum ſymptomata, extincto ægro quem opprimebant, ceſſant: at verò in cadauere peſte enecto adhuc contagium ſupereſt, tanta eſt veneni peſtiferi vis, ac efficacia, vt poſt mortem etiam inſoleſcat: Nam cadauera peſte emortua eſſe contagioſa probauimus *lib.2.in com.hiſt.*89.& firmat Foreſtus *lib.6.de febrib.ſchol.*28.quare nullus morbus ſæuior peſte, nec rabies ipſa, cuius contagioſi veneni tam maxima eſt vis, vt per multos dies, & annos non exoleſcat. Verùm rabies non tam miſerandas concitat clades, & ſolùm contactu, & fomite, eſt contagioſus morbus, & non ad diſtans, vt peſtis, cuius tenaciſſimus, ſumméque virulentus vapor longiſſimas prouincias peruadit; eleuatus ex inſigni putredine, quæ gradu, & malignitate ab aliarum putridarum febrium putredine differt, vt docuit Gal. *lib. 6.epid.ſect. 1.com.* 29. & replicat ingenuè Septalius *lib. 1.de peſte, cap. 16.*

Ex quibus clariſſimè inferri poteſt, peſtem inter omnes morbos eſſe deteriorem: nam ita eminenti quodam veneni, & contagionis modo emicat inter omnes, vt omnes ſuperet, de cuius contagij dira vi agit egregiè Theodorus Beza *tract.de peſtis contagio, & fuga.* Quare non poſſum non mirari Belgas, viros alioqui prudentiſſimos, & humaniſſimos, qui cadauera peſte emortua in templis ſpelire iubent, quem morem obnixè redarguit ob multas cauſas Andreas Riuetus, qui de peſtis contagio egit eximiè.

Igitur peſtis eſt morbus acutiſſimus, & omnes alios ſuperat atrocitate ſua, vt ex Iureconſultis teſtantur Ripa *lib.de peſte, part.1.num.5.* Maſcardus *concluſ.20. num.4. tom.* 1.ex noſtris Alexand.Benedict.*de febre peſtifer.in præfat.* Fumanel.*de peſte cap.* 1.Hucherus *lib.4.de feb. cap.* 2. quare per antonomaſiam, maiorum morborum maximus nuncupatur, vt ex plurium mente auctorum firmat Paulus Zacchias, Medicus, & Iureconſultus celeberrimus *lib.3.quæſt. medicolegalium, tit.3. quæſt. 1. num.* 20.

* *
*

HISTOR. XLVII. GALENI, De peſte.

Galenus peſte ſæua affectus, cæteríque omnes illius exemplo, cruribus ſcarificatis, ab ipſa euaſerunt.

ET ſanè dum peſtilẽtia vehemens Aſiam deprehendiſſet, multóſque perdidiſſet, méque etiam morbus attigiſſet, ſecunda morbi die, remiſſione febris facta, crus ſcarificaui, * *duáſque fere ſanguinis libras detraxi: hácque de cauſa periculum vitaui. Plerique igitur etiam alij hoc præſidio vſi ſuperſtites euaſere. Erant autem plenitudinis ſigna, illique præcipuè ſeruabantur, qui ſanguinem copioſum exhauriebant, &c. Galenus* lib.de cucurbitul. & ſcarification.&c.cap.20.

QVÆSTIO XLIII.

Vtrùm in peſte ex partibus inferioribus ſit aliquando emitttendus ſanguis, vt contra Galenum opinantur Fracaſtorius, Fernelius, Paræus, Salius, Cardanus, Palmarius, & plurimi Medici eruditiſſimi.

COMMENTARIVM.

DVáſque ferè ſanguinis libras detraxi.]Hanc de peſte hiſtoriam Apollonio putat Gadaldinus adſcribendam. Sed ego malo cùm pluribus errare, qui in ſuis de hoc morbo propoſitis libellis, hanc ex Galeno ſæpè recitant, quàm huius enarrationem prætermittere quæ in opere practico multæ eſt vtilitatis, & ſummi vſus. In ea enim proponitur obſeruandum præſidium magnum, nempe ſanguinis miſſio, quod magno morbo, & extremo, qualis eſt peſtis, ex aduerſo repugnat. Ergo ſi contrariis remediis contrarij morbi ſunt curandi, non dubitabo, nec dubitaui vnquam, immò cum feliciſſimo euentu exercui ſæpe, graſſante peſtilente lue ſanguinem emittere, maximè ſi adſint plenitudinis ſigna, vt Gal. retulit, aut morboſus in corpore adſit apparatus, ex ſanguinis, aut aliorum humorum copia congeſtus, vires valeant, ætas ſit florens, venæ ſanguine turgeant, & alia ſigna adſint quæ ſanguinis miſſionem adhortantur: quæ quæſtio non de Apollinis barba, Iunonis peplo, Veneris ceſtu, Palladis ſpeculo, aut Helenæ comis, ſed de auxilio hominum ſaluti tam neceſſario eſt inſtituta.

Hoc præſidium eſſe præſtantiſſimum, at neceſſarium, præſertim in principio adminiſtratum, ſuadet Hippocrates, *lib.6.epid.ſect.7.text.* 1.in recens occupatis, Raſario interprete. Vbi Hip.in peſtilenti aëris conſtitutione, in qua nonnullis anginæ, perineumoniæ erant peſtiferæ, aliis dolores manuum violentiſſimi, lumborum, crurum, femorum, ſurarum, qui ad reſolutionem perducebant, memoriæ tradidit, primò ſe talibus venam ſecuiſſe. Etſi ingenuè fateatur, hæc, & multa alia quæ probauerat, nullum notabile auxilium attuliſſe. Quæ illuſtris explanator Galenus ad finem commentarij exponens, ſic fatur *Atqui huiuſmodi erant præſidia, quæ ſe admonuiſſe Hipp. ſcribit, nec tamen ſuperare morbum potuerunt: nam quæ ſuperueniebant ſymptomata, maligniora erant, quàm vt remediis cederent, atque talis erat peſtilentis aëris conſtitutio,* & infrà ſubdit. *Nec id tamen culpa medicæ artis contigit, ſed quia ipſorum morborum malitia cuncta ſuperabat. Nihil enim Hippocrates non fecit, vt remediũ adhiberet. Ac ſi totum corpus eſſe plenum inueniebat, vtebatur venæ ſectione: ſi verò corpus qualitate peccantes ſuccos ad locum mandabat, purgabat, & peracta communi curatione, ad loci propriam accedebat.* Hanc ſententiam probant Rufus apud Oribaſ. *6. ſynopſ.* 25. Auenzoar *lib 2. theiZir.tract.3.c.1.* Rhaſius *3.cont. tract. 13. cap. 2.& lib.de peſtil.cap.6.*

Auicenna ſic ſuam expendit ſententiam, 1.4. *tract. 4. c.4. Summa curationis peſtilentium febrium eſt exſiccatio, &*

illud

illud cum phlebotomia, & ſolutione ventris. Et oportet vt incipiatur in ea ad euacuandum. Si autem materia vincens fuerit ſanguis, fiat phlebotomia: & ſi fuerint humores alij, euacuentur. Hanc doctrinam amplectuntur Ioan. Coſtæus, & Paulus Mongius *in com.* Ludouic. Mercatus *l. 7. de feb. c.1. de febre peſtilenti, c.1.* Ludouic. Septalius *lib.5. de peſte, c. 14.* Vaëzius *lib. de epidemia peſtil.* 14. Paſchalius, & eius Scholiaſtes Pereda *lib. 2. methodi curandi morbos c.9.* Mercurialis *lib.17. de febrib. c. 17. de febrib. malignis.* Roderic. à Fonſeca *in methodo curandar. feb. quas Iacchinus omiſit, c. de curat. malefica feb.* Ianus Anton. Saracen. *tract. de peſte, fol.* 188. Guinterius Andernacus *dialog. 2. de peſte, fol.* 98. *&* 141. Maſſar. *lib. 2. de peſte in med.*

Nec deſunt validæ rationes, quibus hoc placitum confirmetur: quoniam ſi plethoricum corpus ſit, & peſtis ex ſanguine, aut humoribus cum multo ſanguine permixtis origionem ducat, quærendum eſt auxilium quod tranſpiret corpus, & ſarcinam leuet, quale eſt phlebotomia, ex Gal. 2. *aph.* 29. *&* 1. *feb.* 4. & cum febris putrida maiori ex parte in peſte adſit, vt ex Hip. & Gal. auctoritate probarunt Oddus *de peſte cap.* 12. Rudius *lib.3. art. medic. c,* 30. Lidellius Scotus *lib. 3. de feb. cap. 9.* Diomedes Amicus *lib. de peſte, cap.* 14. Manardus 2. *epiſt.* 1. & alij, neceſſe eſt ob febrem, ardorem internum, obſtructionem ſanguinem emittere: cuius ope refrigeratur corpus, 10. *meth.* 10 & noxius humor vacuatur, 4. *de ſanit.* 10. *&* 4. *aph.* 2. *&* 8. *meth.* 4. quapropter phlebotomia cùm fomitem malignitatis, ac putredinis, ſanguinem nimirum, qui facillimè ob copiam, calorem, humiditatem, putredinis labe fœdatur, euacuet, tutiſſimè in hoc morbo erit exequenda, eius enim beneficio ne ampliùs putredo ſerpat & incrementum capeſſat, anteuertimus. Deinde cùm hæc febris copulata ſit cum abſceſſibus, carbonibus, & bubonibus, oportet à parte affecta reuellere, & euacuare, vt natura tanti auxilij poteſtate, ac vi deonerata, humorem concoquere poſſit. Hoc euidentiſſimè probat Manardus 5. *epiſt.* 3. *ad fin.* Vt ergo remedia proſint deobſtruentia, auxilientur ſudorifica, alexipharmaca præſtent vtilitatem citiſſimam, neceſſe eſt priùs ſanguinem aperta vena effundere.

Sed ex aduerſa parte obſtat grauiſſimorum auctorum ſententia, quàm acriter defendunt Fracaſtorius *lib. 2. de morb. contagioſis, c.7.* Fernel. 2. *de abdit.* 2. Paræus *lib. 21. de peſte, c. 24.* Petrus Salius *lib. de febre peſtil. c.21.* Cardan. *lib. 2. contrad. tract. 4. cont. 4.* Palmarius *de febre peſtil.* 23. Heurnius *lib. de peſte. c.9* Raymundus à Vinario, Mindererus *lib. de peſte, c.14.* Andreas Chiocchus *in com. quæſt. de febre maligna, & morbis epidemicis c. 3.* Andreas Treuiſius *lib. de cauſ. ſig. & curat. feb. peſtil.* & alij, qui nunquam in peſte eſſe feriendam venam pertinaciter contendunt.

Primò, quod venenum peſtilens ſolùm alexipharmacis poſſit deuinci, & iis quæ à proprietate occulta veneno reſiſtunt. Secundò, quod cæterorum omnium venenorum curatio minimè per phlebotomiam perficiatur: & ſic eam non conſulunt Dioſcorides, Paulus, & ſcientiſſimi Medici. Tertiò, quod ope ſanguinis miſſionis non poſſit extrahi foras venenum circa cor tenaciter adhæreſcens, Quartò, quòd effuſo ſanguine ſæpè laudabili, exhauſtiſque vitalibus ſpiritibus vires eneruentur, adeò vt ferendo deinceps morbo ſupereſſe nequeant. Quintò, quod vtilis naturæ motus per ſudorem, vomitum, hæmorrhagiam, aut per externos abſceſſus venæ ſectione diſtrahatur. Sextò, quod hac ratione omnibus pueris, grauidis, & ſenibus ſanguis ſit mittendus, quum tanto occupantur morbo, in quo ſtatu ob imbecillitatem ſanguis mitti non poteſt. Septimò. Quod vi phlebotomiæ agitantur noxij ſucci, & permixti ſpiritibus vitalibus in cor promptiſſimè irruunt. Octauò. Quod in locum vacuati ſanguinis venenum attrahatur ad inanitas venas. Nonò. Quod nec Hip. nec Galenus, aut Arabes de hoc præſidio faciant commemorationem vllam. Immò Celſus *lib.3. cap.7.* id interdicit. §. *Non facilè ſanguinem mittere, non facilè ducere aluum.* Decimò. Quod tumores in extima corporis ſuperficie geniti ad interiora recurrát. Vndecimò. Quod citati auctores hoc præſidium ſæpè noxam attuliſſe aſſeuerent: ſe enim ſedulò obſeruaſſe affirmant, omnes peſte coorreptos qui-

A bus ſanguinis miſſio fuit adhibita, periiſſe, reliquos ſolis adiutos alexipharmacis fuiſſe ſeruatos. Duodecimò. Quod in peſtilenti lue adſit diarrhœa maligna, & dyſenteria ſæua, in quibus affectibus ſanguinem non eſſe mittendum Galenus edocuit, 1. *ad Glauc.* 14. *&* 4. *acut.* 116. Decimotertiò, quod *lib. de cibis boni, & mali ſucci cap.* 1. Galenus laudet Medicos, qui in peſte pauciſſimis auſi fuerunt ſanguinem emittere. Quare multò melius cenſent pugnandum eſſe antidotis, cardiacis, & alterantibus præſidiis, quæ malignæ qualitatis efficaciam retundunt, ſpirituum, humorúmque agitationem temperant, & feruorem compeſcunt, quàm celebrata venæ ſectione, reſoluto calore natiuo, à deleteria aura depopulato ægrum exolutis viribus extingui.

B Sed hi vt ruſtico veluti timore perciti, immò ſi fas eſt dicere, inſolentes, meritò ſunt conuellendi, qui in peſte nunquam eſſe ſanguinem mittendum aſſeuerant. Idcircò ſi vires ſint validæ, ſuppreſsáque ſit aliqua vacuatio conſueta, & æger copioſo ſanguine abundet, carnoſus ſit, benè educatus, in initio poteſt tutò aliquando ſanguis emitti. Sed quia ſuis argumentis irretiti catholicum, idque perpetuum ſtatuunt theorema, cùm ſit euidenter falſum, ideò in re momenti tanti, eá ſeriatim ſunt ſoluenda.

Ad primum dic: Quando peſtis non ſolùm venenata qualitate, ſed magis intenſa putredine cor fatigat, tunc ni vniuerſalia præſidia exequaris, alexiteria parum iuuant, nam præ copia venarum ductus obſtruuntur, per quos adſtrictos, cardiaca vis, impetu maiore in viſcera, principéſque partes ſeſe inſinuare, ac vires vi morbi labefactatas, fractáſque fouere, ac tueri nequit, quo pacto neceſſe eſt priùs copiam demere.

C Ad ſecundum dic. Falſum ſupponere: nam in curatione venenorum non ſolùm cardiaca proſunt, ſed ſanguinis miſſio eſt vtilis, vt probat Auic. 6. 4. *tract.* 1. *c.* 4. *in med.* §. *Et ſi indiget phlebotomia, phlebotometur, &c.* hoc eſt, ſi ſigna repletionis apparuerint, vt explicuit Rhaſius *lib.7. ad Almanſ. cap.* 1. eſt etiam vtiliſſimum hoc præſidium, tum vt parum veneni vacuetur, tum maximè, vt pabulum ei auferatur. Quare ſi nihil prohibeat, & corpus ſit ſanguineum & venena relinquant accidentia aliqua inflammatoria, vtile, & neceſſarium eſt ſanguinem emittere, vt firmat Mercurialis *lib. 1. de morbis venenoſis cap.* 21. *&* 22. Deinde diſpar eſt ratio in hauſto veneno, & peſtilenti: illud enim in ventriculo ſtabulatum, vomitu, aut purgatione expellitur: peſtilens verò in venis impactum ſimul cum ſanguine attrahitur, quare veneno in venis exiſtente Paulus
D *lib. 5. cap.* 2. ſanguinem mittit. §. *At ſi per corpus venenum fuerit diſperſum, ſanguis ſtatim emittendus eſt.*

Ad tertium dic: nullum eſſe auxilium adeò efficax ad extrahendum foras materiam venenoſam firmiter circa cor, viſceráque præcipua adherentem, quàm phlebotomiam, quoniam apertis venarum tubis, ſanguiné omnéſque indiſcriminatim humores maligna labe fœdatos, ſucceſſiuè, paulatim, facilè, & citra violentiam vllam exhaurit. Hoc pacto ad euacuandum humorem in internis inflammationibus corporis, vel remotiſſimis impactum, vt cerebri, cordis, iecoris tantoperè ab auctoribus celebratur.

Ad quartum dic: cuilibet vacuationi annexum eſſe caſum virtutis, & maximè illi quæ fit per phlebotomiam: at verò nos vires validas præſupponimus, citra quarum præſentiam non eſt imperanda ſanguinis miſſio, quæ licèt debilitet, hoc habet cum reliquis præſidiis, quæ plus iuuant, quàm nocere poſſint. Neque timeas venæ ſectionem,
E quod laudabilis ſanguis vacuetur: quoniam cum multis de cauſis id contingat, videndum num experientia ſit bona: ſæpe enim ſanguis quantitate exuperat, & in initio præſertim morbi non eſt putrilagine infectus, aliquando latet altius putredo, & eſt in profundo corporis recondita, quare contingit perſæpè, vt prima vice exeat inculpatus, & in ſecunda vitioſus, niger, & putridus emanet.

Ad quintum dic: verum non eſſe vacuationes ſponte à natura tentatas inpediri à venæ ſectione, immò ſi aſſeris eas huius ope iuuari, vera ponunciabis: quoniam deonerata natura à ſarcina, qua opprimebatur,

excernit id quod expelli eſt habile, vt 11.*meth. cap.*15. dictauit Gal.qui *lib.9.meth.cap.4. & 5.& 1.aph.23.* ſanguinem mittit vſque ad animi deliquium in ardentiſſimis febribus, vt refrigeretur totius corporis habitus, & ſudores emanent, & rumpatur aluus, quoniam leuata natura per varias regiones peccantem humorem eliminat, cum ægrotantis commodo.

Ad textum dic: in ſenibus, grauidis,& pueris hoc morbo tentatis tutiſſimè celebrandam eſſe venæ ſectionem: nam præter inſignium auctorum experimentum Celſus vulgatiſſima, memorabili tamen confirmat ſententia,*lib.2. cap.10.de ſanguinis detractione per venas*, qui poſtquam in iis phlebotomiam eſſe vtilem, & citra noxam longa oratione ſtabiliuit, in hæc verba prorumpit. *At firmus puer,& robuſtus ſenex,& grauida mulier valens, tuto curantur*, & nos ex veterum, & claſſicorum mente ſatis probauimus *lib.1.in com.hiſt.32.*

Ad ſeptimum. Licèt vi phlebotomiæ agitentur noxij ſucci,quia maiore impetu ad locum ſectum mouentur, & natura ob dolorem, frictionem, & ligaturam furentem humorem extra corpus expellere conetur, quæ excretio citra motum, & agitationem fieri non poteſt, tamen hoc eſt in primo ſectionis impetu, deinde vacuato virulento humore, & recreata natura, & immuni facta à malo tanto, quies ſubſequitur.Sic dicebat Auic.*4.1. cap.20.& ſcias quod phlebotomia eſt conturbans donec quieſcat.* Deinde ſi ob hanc rationem repudiandum hoc auxilium eſſet,etiam cætera vacuantia præſidia eſſent inutilia, quæ cum agitatione humorem exhauriunt, vt purgatio,vomitus,clyſter,cucurbitulæ humidæ, quæ cùm approbentur, quia cum maiori vtilitate humorem attrahant, quam ſit noxa quæ ab illis inferri ſolet, idcircò iure, & neceſſitate ſunt admittenda.

Ad octuum dic: ridiculum eſſe, quod loco ſanguinis extracti ſanguis venenoſus attrahatur ad inanitas venas. Nam ſi corpus ſit plenum vitioſis humoribus, qui cum ſanguine ſint permixti, venæ inanitæ concidunt, & remanent in veteri illa ſua proportione ,quam in ſtatu naturali obtinebant, maximè cum natura leuata deleterium humorem non attrahat,ſed à ſe longè expellat, peſſimus enim eſt, & à ſui mediocritate, & perfectione alienus, quare eum vt inutilem non allicit,ſed reſpuit.

Ad nonum. Mirum eſt quod aduerſarij auctoritates non viderint tam firmas, quibus non aſſentiri nefas eſt. firmat meritò Gal aut ſi mauis Apollonius,actor grauiſſimus hic, dum ſanguinem emittit copiosè ſcarificato crure, adſtipulatur Celſus *loco iam citato*, qui dum documenta proponit, quo pacto peſtilentes febres curari debeant,ſic ait.*Si vires ſinunt, ſanguinem mittere optimũ eſt.* ſubſcribit Paulus. *2. cap. 36. §. Quibus autem ſanguis abundauerit, ſecare venam oportet.*Inſuper Gal.*lib.1.epid. ſect.3. com.26.* miratur Hippocratem, cur in Critone, cui puſtulæ nigræ ad talum eruperunt, non ſecuerit venam in initio, quem ægrum laboraſſe febre peſtilenti, & venenata, firmant Valleſius *in com.*Trincauellius *lib.de febre peſtilenti lect.110.*Mercurialis *in com.cit. hiſtor.*qui ab Hip. factam fuiſſe venæ ſectionem, ſed ip ſum eam ſiluiſſe aſſeuerat, quia res erat manifeſta in hoc morbo, venæ ſectionem eſſe ſummè neceſſariam.

Aliqui ex citatis auctoribus perfricta fronte Græcos, & Arabes erroris inſimulare non ceſſant,quod ſanguinem in peſte emiſerint: hos, tanquam peruicaces cum ſua opinione relinquamus, qui cum magiſtri ſui rectè tamen opinantis dedecore; gradum ſibi parant ad gloriam. Alij Critonem peſte non fuiſſe tentatum aſſeuerant. Sed obſtant febris vehementia, cita pedis corruptio, nigri humoris excretio intempeſtiua, inſania illicò ſuperueniens, mors veluti repentina, quæ ſigna vt deterrima ſunt, & maligniſſima, ita maleficentiſſimam febrem quarto die, aut citius interimentem manifeſtè oſtendunt, ſi Hippocrati adhibemus fidem *lib.3.prog. text.2.*

Ad decimum dic: quod tantùm abeſt, vt tumores in extima corporis ſuperficie geniti ope phlebotomiæ ad interiores partes recurrant, quin potius leuata natura, ſi valent vires, quas non eſſe deiectas præſupponimus,ad partes externas detrudat. Hoc modo in variolis, & morbillis ſanguinem euacuat Auic. *1.4.tract.4. cap.10.§.Sed quando procedunt variolæ, non oportet tunc vt adminiſtretur phlebotomia, niſi inueniatur vehementia repletionis,& dominium materiei, tunc enim phlebotometur quantitate quæ alleuiet, ſeu minoret, &c.* Deinde Auenzoar *loco cit.* emiſit ſanguinem in iuuene phlegmone peſtilenti correpto, ſciens motũ naturæ, quem imitandum priſci monuere, ab intimis ad extima non impediri:quoniam ſanguinis miſſio cùm contraria ſit purgationi, ſicut hæc à circuferentia attrahit ad centrum, ſic illa atrahit modo contrario, & extra corpus peccantem humorem eliminat.

Et vt videas quanta in caligine verſentur, audi Galenum, qui *6.epid.ſect.2.com.30.* ſic ait. *Tantum illud nouiſſe ſatis eſt, ſuccos ad cutem vrgentes per eam eſſe vacuandos:nam iterum ad intima corporis reuulſio ipſis valdè longinqua eſt, vt per aluum, aut vomitum euacuentur. Sed forſan me dicere putabis nunquam purgatione per aluũ in talibus vtendum eſſe. Ego vero non dico,nam in libris de arte curandi,in quibus corporibus permulta humorum copia ineſt,iis vtiles eſſe purgationes didiciſti:priuſquam enim ita redundantem materiam,aut venæ ſciſſione, aut purgatione quis eduxerit,ſi fouens,hoc eſt calidis vtens ipſam diſcutere conetur,plus attrahet,quàm per cutem euacuabit, &c.* Ex qua ſerie dilucidè patet Medicos rectè procedere, qui in externis abſceſſibus, aut cutaneis aliis affectibus prius ſanguinem mittunt, quos in hoc imitari Hippocratem & Galenum nullus negabit, qui horum auctorum loca penſauerit ad vnguem.

Ad vndecimum dic: non negandum eſſe experimentum peritorum, qui artis vſu nixi obſeruarunt in regione quadam, aut vrbe nocuam fuiſſe in peſte venæ ſectionem: ſed febris hæc erat, aut diaria, aut hectica peſtilens, in quibus cum vires fatiſcant, & ſpiritus vitales ſint veluti extincti, & venenata, occultáque mala qualitas altis ſit in corpore defixa radicibus, cordiſque atonia ſit labefactata nimis: quis ſanguinem mittere audebit? Nullus ſane,niſi inſanæ mentis compos:quoniam in hæc nulla ſeſe oſtentant plenitudinis ſigna, ſed adſunt deterrima. ſymptomata, quæ Medicum à tanto remedio deterrent, Pulſus ſunt languidi, parui, frequentes, celeres, inæquales, adeſt ſyncope, anxietas, exolutio, extremorum frigiditas, vrinæ ſimiles ſanis, ſitis non opprimit, febris non eſt admodum ardens, immò ægri nec ſe febricitare putant, & plerumque ſine manifeſtis putredinis ſignis, aliquando ſine ſenſus doloris inopinatò occumbunt: in hac ſi ſanguinem emiſeris, ægrum præcipitem dabis in mortem, quum hæc venenata febris belzaarticis, & cardiacis ſit debellenda. Ergo ſicut vtile eſt aliquando in peſte ſanguinem emittere, ſic aliquãdo impiũ,crudele,& temerariũ, vt perdoctè notauit Donatus Santorus *lib.1.epiſt.2.*

Ad duodecimum dic:quod ſi vires conſentiant, etiam fluente aluo licet aliquando ſanguinem educere: hic enim motus ſymptomaticus eſt, & irritata natura concitatus, quo pacto non eſt iuuandus. Si verò fluente aluo timuit Galenus venæ ſectionem, intelligendus eſt, ſi criticè fluat, cum conferentia,& tolerantia, quare cùm alui profluuium ſit in principio factum, non eſt iuuandum, Lege quæ de hoc negocio diximus pro Galeni tutela, *lib. 2. in com.hiſt. 81.*

Ad vltimum dic: Meritò in illa tempeſtate Medicos non fuiſſe auſos ſanguinem emittere, quia vires erant debiles, ex ingenti fame præcedente exhauſtæ, & corpora cacochyma ſatis, & vitioſis humoribus planè referta, & venæ ſanguine inutili, crudo,& mordaci turgebant. Et licèt tunc non adeſſet peſtilens conſtitutio, vt illi arbitrantur, tamen inutile erat ſanguinem emittere, quia humores erant à natura ſanguinis prorſus alieni, in quorum præſentia reproba eſt ſanguinis miſſio, & prorſus nulla, vt *4. de ſanit. tuend.cap. 4.* probauit Galenus, & firmat Auic.*4.1.cap.3.§. Cùm ſanguis alicuius fuerit bonus humores autem craſſi,& crudi,à phlebotomia tibi cauere debes:nam phlebotomia bonum rapit,malum relinquit.*Quare aliquãdo ex veterum & recentiorum mente in peſte eſt ſecanda vena, vt perperam alij ſunt opinati qui nunquam in illa

illa hoc auxilium eſſe celebrandum ſibi perſuaſere. A

Sed ex qua parte ſit ſanguis emittendus inquires obnixè. Dic: quod ſi vniuerſum corpus occupet affectus, nullámque natura ad partem determinatam tentauerit vacuationem, morbúſque ſit in initio, tunc citra dubium ferienda in talo eſt vena: nam reuellit, euacuat, ad ignobiles partes humorem malignum attrahit: vehementiùs enim ſic remouetur, & reuellitur ſanguis maligna qualitate infectus à corde, & cerebro. Simili modo maximam opem fert inferiorem partium ſcarificatio, crurum, femorum: Nam præterquam quod vires minus exhaurit præſidium hoc, potentiſſimè reuellit à corde, & partibus ſuperis,& minuit plenitudinem, 2.*ad Glauc.*7.*&* 2.*aph.*17. §. *Quæ verò fit per tibiarum ſcarificationem proxima eſt venæ ſectioni.* Eaſdem commoditates complent hirudines hæmorrhoïdalibus venis appoſitæ, maximè ſi ſufficienter per maiores venas ſanguis ſit extractus, aut pro maiori vacuatione vires non adſint: tunc extractio ſanguinis quæ fit per ſanguiſugas profundior eſt extractione, quæ fit per ventoſas, dicebat Auicenna 4. 1.*cap.* 20.de quorum præſidiorum vtilitatibus eximiis, cùm plura pro curatione variorum morborum, & peſtis à me ſint prolata, *lib.*1.*in com.hiſt.*4.*& lib.*2.*in com.hiſt.*89.non eſt cur modo in iis explicandis tempus abſumamus.

Sed circa hiſtoriæ expoſitionem prima, ſeſe offert difficultas. Cur in plenitudine commendauit ſcarificationem cruris, & ſectionis venæ non meminerit, quæ in morbo acuto extracto ſanguine per maiores venas plenitudinem citiſſimè deponit, quæ enim celeriter fieri debent, celeriter peragere oportet, ex Hip. 1.*acut*,8. Dic: fortè magis commendat ſcarificationem in peſte, quòd hæc, cæteris paribus, minus eneruet vires, quàm venæ ſectio. Quo pacto tutius, & ſecurius iudicauit hanc copioſam vacuationem,& vſque ad animi defectum factam exercere per ſcarificationem, quàm per venæ ſectionem, quia ſectis amplioribus venis maior ſpirituum copia exhauritur, quàm ſi capillares venæ incidantur: Semper enim ſoliciti eſſe debemus, ne vires tantoperè diſſoluantur, & maximè in peſte,in qua ipſæ abſolutè fortes eſſe non poſſunt.

Secunda difficultas. Cur ad celebrandam venæ ſectionem, remiſſionem febris expectauit, ſi in morbo acuto, ſuáque ſæuitie perniciem minante, vel etiam in augmento febris, ob imminens ex procraſtinatione periculum illicò erat exercenda? Nam in valdè acutis præſidia ſine mora ſunt peragenda, tardare enim in talibus, malum. Dic: quod licèt in peſte, quæ ob ſui magnitudinem, & malignitatem celerrimum periculum minatur, vena ſine cunctatione ſit ſecanda, ſi vires valent, & ſanguis abundat; tamen in incremento febris ſanguinem mittere non eſt rationi conſonum, ſed melius eſt remiſſionem febris expectare: & per remiſſionem febris, non intelligas declinationem particularem febris, quia ex morbi acumine,& malitia prius æger occumbet: ſed intellige tempus illud in quo æger minus à febri vexatur: quoniam natura in omni tempore à venenata aura agitata, humores diuerſimodè mouet, qui ſic commoti in horas, & furentes vehementiorem febrem concitant. Quamuis autem in acceſſione mittere ſanguinem, ſit iugulare ægrum,ex Celſo *lib.*2.*cap.*10.tamen in morbo acutiſſimo, & pernicioſo, viſceráque occupante, tantum remedium differre noxium eſt, immò neceſſitate coacta id exercere debemus, quia maior eſt vtilitas noxa. In hunc ſenſum intelligendus eſt Auic. 4.1.*cap.*20. dum ait. *Et ſcias quòd phlebotomia duas habet horas,alteram electam,alteram neceſſariam:electa,quæ ſit in lumine diei poſt ſuperfluitatum expulſionem;neceſſaria,in qua res prohibitoria non attenditur.* Quare ſi neceſſitas vrget, in omni tempore particulari tutò ſanguis poteſt emitti.

HIST. XLVIII. AVENZOAR.
De peſte.

Iuuenis phlegmone peſtifera correptus, phlebotomiæ, purgationis, & antidotorum ope liberatur.

Vidi iuuenem habentem apoſtema pernicioſum, & ſtudui circa ſalutem ipſius,& incepi primò vacuare eum cum phlebotomia, & poſui poſteà ſuper apoſtema confortantia, eò quod non erat ex vilibus membris: demum purgaui, eum ab humoribus malis,qui peccabant in eo,& propinaui,
B *& medicinis laudatis in epidemia,ſicut eſt bolum armenum, & terra ſigillata,& interdum dedi ei aliquid ex mithridatio:& ſic viſum fuit conferre ei cura,& diſſolutum fuit apoſtema, & ſic de bono in melius conualuit, donec fuit perfectè liberatus, &c. Auenzoar* lib. 3. theizir.tract.3. cap. 1.

PARAPRHASIS.

De peſte cum charactere veneni eſt in hoc loco ſermo; apparent enim anthraces,bubones,carbunculis in cute, aliquando ſine febre, ſæpe ea præcedentes, atque primario tum erumpunt,quum ſeminaria contagij viſcus inſigni virium robore pollens à ſe depellit, adeo vt minimo negotio venenum ipſum quam primum auertat,
C &ad partes viles, imbelles, laxas detrudat? hæc verò ſuapte natura ſunt ſummæ corporis partes, tum cutis extima, maximéque adenum, ſeu glandularum, quæ in partium principum emiſſariis poſitæ ſunt.

Hæ omnes inflammationes pernicioſæ ſunt, & feruorem, incendiúmque viſcerum manifeſtè oſtendunt, & malignitatem ſummam. Hoc percelebri oraculo prædixit Hip.*lib.*6 *ſect.*2.*text.*20. *Abſceſſus veluti bubones ſigna quidem ſunt germina habentium,tum aliorum,tum præcipuè viſcerum:maligni autem ſunt hi.* Cum enim viſcera malè habent,& excrementorum plurima copia adeſt in partibus præcipuis, hæ quum robore valeant, in ignobiles partes illa detrudunt, vt à ſarcina ſeſe exonerent. Præcipuè autem circa inguina fiunt hi abſceſſus, quia in illis humores noxij colliguntur. Sunt autem maligni, vt Hip. docuit 4.*aph* 55.dicens,*ex inguinum tumoribus omnes febres*
D *malæ præter diariam*, quia à membris principatum habentibus, vt eſt cerebrum,cor, & iecur ſcaturiunt: hæc enim membra cùm cæteris omnibus præſtent, & corpori maximè neceſſaria ſint, ſi in illis redundantia præter naturam fuerit, quod illorum officium intercidat, præſens ægro exitium minantur, id quod in peſtiferis bubonibus apparet,vt interpretatur Fuchſius *in com.cit. ſentent. Hip.* quem laudat Cardanus *lib.*4.*aph.*55.

Quatuor ergo auxilia pro huius diri mali curatione celebranda iuſſit: ea ſunt ſanguinis miſſio, roborantia ſuper phlegmonem venenoſam applicita, purgatio, & alexipharmaca. De primo cùm phlegmone tumor ſit præter naturam, cauſam vacuandam efflagitat: quare ſi vires valent, & ætas permittit, pro affecti loci ſitu vena incidenda eſt: ſi dolor,aut tumor in collo, aut iuxta aures conſiſtat,humeraria ſecāda,quæ quæ ſummam præbet vti-
E litatem:ſi ſecari non poſſit, feriendus eius ramus, qui inter pollicem, & primum digitum manus, vel in carpo ſitus eſt. Si ſub alis, iecoraria, aut media. Si inguina, aut inferiores partes occupet tumor, ſecanda ſaphæna. Si in vtroque latere tumor infeſtet, vel ex vtraque parte, ex dextera potius, quàm ſiniſtra ſanguis detrahatur. Hæc eſt omnium ferè Medicorum methodus, quam probat Manardus *lib.* 5. *epiſt.* 3. *in fin.* Si tumor iuxta cubitum aut in ipſo cubito repullulet, quid faciendum? nullus exemplum propoſuit. Si è parte contraria,aut talo eiuſdem partis euacues, non ſuccurris celeriter, prout morbi acuties efflagitat. Si ex cubito laborante ſanguinem exhauris, ad partem affectam humorem promptiſſimè conuocas, & timor eſt, ne corruente fluxione maligna

calor partis extinguatur, & accidat ſideratio,ſeu ſphacelus: quare ad has anguſtias Medici redacti, vel cucurbitulas adhibent ſcapulis, quarum ope commoda peccantis humoris fiat vnà cum reuulſione vacuatio, vel è talo ſecta vena ſanguinem demunt, vel ſcarificato crure,iuxta præceptum Galeni 13.*meth. cap.5.manu laborante ſcarificatis crura*.Sed cùm ego ſæpius perſpexerim vtilitatem ex ſectione venæ facta in ipſomet laborante cubito, idcirco ab hac parte emittendum impero, quam methodum feliciſſimo euentu obſeruaui, nec deſunt rationes, quibus hoc placitum confirmetur, eas lege ſub proprio exemplo *in noſtro lib.3.de praxi admiranda,obſeruat.*118.adde quod Medico rectè curaturo, non eſt animus ſanguinis detractione, aliò reuellere malignum ſuccum ad partem debilem confluentem, ſed eundem protinus vacuare, & eò ducere quò natura vergit. Adminiſtrata ergo ſemper venæ ſectioni in parte affecta, plenitudinem totius vacuamus, veneficum humorem educimus,& ad bubonis locum, & externa trahimus.

De ſecundo auxilio etiam poteſt eſſe dubitatio, quid ſanè intelligat auctor per confortantia poſita ſuper apoſtema.Dic: quod licèt axioma ſit vulgare, in omni externa inflammatione à calido humore ſuborta repellentia eſſe ex vſu, quia roborant partem adſtrictione ſua: tamen hæc in peſtiferis tumoribus non eſſe imponenda, ab omnibus eſt determinatum, & monuit ipſe Galenus 3. *ſec. loc. cap.* 2. atque id potiſſimùm faciendum, cùm neque malignum eſt quod influit, neque corpus humoribus ex æquo redundat. Si enim aliter feceris,repulſo ad internas partes humore venenoſo, viſcera conſpurcantur labe dira:hoc demonſtrat Gal. *lib.* 13.*meth.cap.*6.vbi in dolore,& ictu venenoſi humoris repellentia arcet omnino, firmat Paulus *lib.* 4. *cap.* 22. qui in bubone à materia venenoſa excitato, tempore præſertim peſtilentiæ reprimentia arcet, ne videlicet materia ad profundum recurrat. Erunt ergo confortantia, quæ venenoſo tumori appoſita, partem à veneni malitia concuſſam, & debilem factam roborant, tuentur, & à virulentæ auræ pernicie dira eam defendunt. Hæc dicuntur alexiteria, quæ natiua quadam facultate veneni impetum compeſcunt, & deleteriam cacoëthiam refrænant, ac retundunt. In hunc vſum ſummè laudatur theriaca foris buboni admota, vel cum emplaſtris permixta, aut mithridatium,aut alia quæ virulenti humoris malitiam coërcent, vt ſaluia, ſcabioſa, oleum de ſcorpionibus Matthioli, ſuccus rutæ, oleum hyperici, lapis belzaar, & alia.

De tertio præſidio, nempe purgatione, præſente tumore externo, dubium poteſt eſſe non exiguum: quoniam videtur noxia, & nullius vſus:humores enim in extima corporis ſuperficie impacti,medicamenti vi non poſſunt facilè ad aluum detrudi, & ſi poſſunt, venenoſitate ſua partes internas inficient: & à circumferentia ad centrum attracti, & reſtagnantes ſubitò perniciem afferent immedicabilem. Medicamenta quæ in lue peſtifera debent propinari, ſint leuia,& non violenta, nec vim naturæ inferant, nec motum naturæ ad partes externas impediant, vt proprio exemplo firmaui ex veterum mente *lib.* 3. *de praxi admiranda,obſeruat.*119.De alexipharmacis tam ſimplicibus, quàm compoſitis, quæ vltimo loco propoſuit Auenzoar,quæ roborant cor,principes partes firmant, & humoris noxij malignitatem arcent, in ſequentibus hiſtoriis differemus.

QVÆSTIO XLIV.

Vtrùm in peſte purgatio celebranda,vt contra Galenum tuentur Crato, Valleriola, Pareus,Foreſtus, Maſſaria, Salius, Pereda, & alij Medici præſtantiſſimi.

COMMENTARIVM.

Pvrgani eum ab humoribus malis.*]Cùm quæſtionem de purgatione in peſte celebranda agitare intendo, profundiſſimum, & turbulentum Oceanum ſulcare tento, in

A quo nauigaturus ſi ſemel vela pando, timeo ne ventorum, procellarúmque tumultu concuſſus ea non colligam: immò huc, & illuc turbinibus videor iam obrui rapidis, & voracibus, qui mentem meam in gyrum veluti circumrotant. Hi ſunt argumenta Herculea illorum, qui in peſte, peſtiferiſque febribus in initio morbi citra coctionem non eſſe medicamenta purgantia offerenda, obnixè ſibi perſuadent. Et licèt plures peritiſſimi Medici quæſtionem controuertant, aliis affirmantibus, negantibus cæteris,tamen ita indiſtinctè, & fusè, vt aliud argumentum controuertere videatur,quod ego breuiter explicabo,& dilucidè.

Negantem partem qui ſequuntur, Hippocratem in ſui ſubſidium vocant. Is enim diuinus vir, *lib.* 1.*aph.*22.concocta ſolùm medicanda eſſe docuit, non cruda, neque in principio: quo loco ſolùm excepit turgentiam, & *in*
B *lib.*4.*acut.*43.ſic ait. *Quibus in principio vrinæ,& nebuloſæ, & craſſæ exiſtunt,hos annuentibus cæteris,ſubpurgare conuenit.Quod ſi vrinæ inter initia tenues fuerint,tales non purgabis, &c.* Primò, quia medicamenta corpora frangunt,& plura ſymptomata excitant, vt animi deliquia, nauſeam, vertiginem & tormina, *lib.*2.*aph. com*·9. deinde membra colliquant, 4. *acut.*22. coctionem impediunt,obſtructiones augent commoto humore, febrem accendunt, 1.*aph.* 24. & ex Auer. 7. *collig.cap.*9.

Secundò. Purgatio fit medicamento attrahente, natura verò expellente: ſed natura non expellit niſi coctum, ergo. Maior eſt Gal. *lib.* 1.*aph.*22.quia cruda paſſio non cedit,4.*acut.*22.*&* 4.*aph.*2. Minor probatur,quia ſimilis coctio eſt quæ fit in venis illi quæ fit in inflammatis particulis, ex Gal.1.*de dif. feb. cap.* 6. *&*3. *de præſag. ex pulſib. cap.*7.*ad fin*.ergo ſicuti in principiis inflammationum non
C educitur pus,quia crudus eſt humor:ſic etiam in aliis morbis purgatio non eſt adminiſtranda niſi cocto humore.

Tertiò. Quando humores ſunt in aliqua corporis parte firmati, eos natura valdè retinet ad concoquendum, nec niſi poſt coctionem exire permittit; ergo ſi Medicus debet imitari naturam,eos ſolùm poſt coctionem vacuabit. In hunc ſenſum intelligendus eſt *lib. quos, quib. & quando cap.* 4. docens humores in aliqua parte firmatos, neque medicamentis purgantibus, neque vllo alio remedio eſſe in principio mouendos.

Quartò. Hip. *lib.de medicam.purgantib.n.*4.ſic ait *In febribus ardentibus medicamenta purgatoria dare non oportet, donec remiſerit febris,ſin minus, ſaltem intra quatuordecim die.Carnes enim ipſorū,& ventres cùm calidi ſint,medicamentum abſumunt,& nihil depurgātur,& febris maior fit,&*
D *calor euertitur,& morbi regij ſpeciem præ ſe ferunt.Commota enim bile,& nō purgata non ſorbere vult æger,neque bibere ſed omnia abominatur,& plerūque perit*.Ergo ſolùm poſt hos tranſactos limites,quando morbus concoquitur, purgantia adminiſtranda.Nam vt ait Gal. 4.*acut.* 64. morbus ante decimum quartum diem concoctus eſſe non poteſt.

Quintò.Peſtis non ſolùm à putredine ſcaturit, ſed à maligna, venenatáque aura ortum ducit,ob cuius feroci tatem, & ſæuitiem tot horrenda accidunt in hoc morbo ſymptomata; ſed venenatus vapor, alexipharmacis, & antidotis, non expurgantibus debet expugnari, ergo hæc in peſte reproba ſunt.

Sextò. Ad purgationem obeundam vires robuſtæ neceſſariæ ſunt; nam purgatio ſpiritus reſoluit vacuatione ſua,& ſic debilitat, agitat, alterat, perturbat, & eſt periculoſa in morbo, in quo vires à malefica aura tantopere lancinantur:quod enim ſemel deuoratum eſt pharmacum,
E non poſſumus rurſus educere. Quare hæc reſpiciens Celſus *lib.*2,*cap.*13.expurgantia tantoperè veretur, dum ſic inquit.*Omne eiuſmodi medicamentum quod potui datur,non ſemper ægris prodeſt,ſanis ſemper nocet*.Ergo extrema virium iactura in peſte frequentiſſima medicamentorum purgantium vſum in initio vehementer reſpuit.

Septimò. In peſte lethales accidunt dyſenteriæ, alui fluxus eueniunt colliquantes, quia humores maligni præcipites in ventrem decumbunt, quorum, vi proſternuntur vires reſolüuntur ſpiritus, innati ſpiritus copia minuitur; ergo exhibitis expurgantibus citius euenient hæc ſymptomata. Hoc modo dixit Hip. 3. *epid.ſect.*3.*text.*56.

ſtatum

ſtatum peſtilentem deſcribens dum inquit, *purgationes multos offendebant.*

Octauò. Turgens humor citrà coctionem ſolùm eſt expurgandus, ergo non peſtifer, qui minimè turget, ſed faciens carbones, anthraces, & alias inflammationes externas in aliquo loco determinato eſt firmatus, certam ſtationem habens: patet hoc ex Hip. doctrina, tum *l.* 1. *aph.* 22. & 4. *aph.* 1. & alibi, qui in pricipio excepta turgentia nunquam expurgat.

Nonò. Nunquam in principio licet expurgare in febre peſtilenti, quia ferè omnes, qui purgantur, moriuntur, & meritò: natura enim aut expulit humorem ad cutem, vel non. Si expulit, iam iuuanda eſt, neque impediendus eſt eius motus, qui ad externa fit, præſertim cùm humor hic venenatus ſit, & in motu ad interiora poſſit maximè lædere aliquod ex viſceribus. Si natura non expulit humorem, cùm crudus ſit, non poterit purgari.

Vltimò. Probatur experimento illuſtrium Medicorum, qui confirmant ex purgatione in initio in peſte oblata plures periiſſe, & ſic eam ſummè deteſtantur, & improbant, de quorum numero ſunt Aloyſius Mundella *epiſt.* 16. Palmarius *lib. de febre peſtilenti*, *cap.* 23. Paræus *lib. de peſt. c.* 24. Foreſtus *lib.* 6. *obſ.* 9. Ioan. Crato *lib. de peſte*, Valleriola *cap.* 2. *in appendic. loc. com.* Maſſaria *lib.* 2. *de peſte.* Petrus Salius *cap.* 22. *de peſte*, Cardanus *lib.* 2. *cont. tract.* 5. *cont.* 3. Pereda *lib.* 2. *in Paſchal. cap.* 9. & alij.

Sed hi omnino à mente Galeni exorbitant, ſicut à veritate ipſa: nam purgationem eſſe ſalubrem in peſte, nullus it inficias; firmant vnanimiter Medici edocti Paulo *lib.* 2. *c.* 36. Aëtio *tetrab.* 2. *ſerm.* 1. *cap.* 95. Auerrhoë *lib.* 7. *collect. cap.* 31. Oribaſ. 6. *ſynopſ.* 35. Auic. 1. 4. *tract.* 4. *cap.* 1. §. *Summa curationis peſtilentiũ febrium eſt exſiccatio, & illud cum phlebotomia, & ſolutione ventris: ſi enim materia fuerit ſanguis, fiat phlebotomia, & ſi fuerint humores alij, euacuentur.* Auer. 7. *collect.* 31. Nec te moueat Celſi auctoritas *lib.* 3. *cap.* 7. purgationem reprobantis in peſte. §. *In peſtilenti febre minimè vtile eſt aut fame, aut medicamentis vti, aut ducere aluum.* Nam ibi interdicit medicamenta effrænia, & fortia. Si enim ſint benigna, & quæ veneni naturam non ſapiant, neque calore immodico febris fervorem adaugeant, neque alui fluorem ſuperfluum excitent, concedi debent, vt aloë, agaricum, ſenna, rhabarbarum, roſa perſica, manna, caſſia, ſyrupus violatus ſolutiuus, & roſaceus ſolutiuus, tamarindi, & ſimilia, de quibus propoſita controuerſia agit. Alia enim fortia fugienda, vt ſcammonium, colocynthis, pelium, veratrum: hæc enim cùm venenoſæ qualitatis expertia non ſint, partes principes percellunt, exagitant humores, & hypercatharſim moliuntur, quod natura ſuccorum malignitate irritatur vehementer.

Sed accedamus ad inſtitutum. Ego, vt meam cenſuram interponam in re momenti tanti, in initio peſtis purgationem eſſe exercendam neceſſariò, vtiliſſimum iudico, vtpote rationi, experimento aſſiduo, & Iuniorum decretis conſentaneum. Quoniam inquietudines, anxietates, cardialgiæ, porraceæ bilis vomitus, ſubita deliria, coma, ta ex ortu exanthematum, bubonum, & carbonum ægrotantes inuadunt, hæcque omnia ſic apparent, vt de vno in aliud ſubitò, & affatim fiat tranſitus, & ob id inquietiſſimi ſunt ægri, titillatione quadam irritati, & impulſi. Hæc omnia arguunt manifeſtè humores furioſo, irrequietóque motu, huc, illúcque commoueri, qui ſtatim expurgationem expoſtulant.

Hoc confirmat Gal. *lib. quos, quib. & quando, cap.* 5. dum ſic fatur. *In iis autem qui iam ægrotant, ſi diuturnus futurus eſt morbus, expectanda ſemper eſt concoctio: ſin breui ſoluendus, inter initia, ſi modo à concitatis pendeat humoribus, purgare licet.* Quapropter pluries in conſtitutione peſtilenti obſeruaui euaſiſſe plurimos, qui primis diebus expurgari à cacochymia turgente potuerunt.

Quapropter non immeritò miratur Manardus *lib.* 13. *epiſt.* 1. Medicos ſuæ ætatis præcellentis doctrinæ, aliis perſuadentes in peſtilenti conſtitutione, benedictas, & clementes expurgationes in principio non eſſe proficuas, ſed inclinante morbo, taxantes Medicos vtentes illis.

A Ergo antequam veneficus humor viſcera labefactet, expurgandus eſt, maximè cùm coctionem non indicet, nec gratiam naturæ admittat, ſed ſemper vacuationem, Galeno auctore 4. *de ſanit tuend. c.* 3. §. *Quod omnino alienum eſt nulla fieri ratione poteſt, vt id naturæ gratiam recipiat, ſed educere id quam primum eſt tentandum.*

Enimuerò ſi cõſtitutio peſtilens inuadit præſertim corpora cacochyma, prauo ſucco referta, horum potiſſima, & adæquata medela, expurgatio eſt, qua tandem prætermiſſa, & prætermiſſo remedio deſtituti ægri, incaſſum poſtea omnibus tentatis in peius ruunt. Hoc aduertens Gal. *lib.* 1. *de dif. feb. c.* 4. in peſte hæc corpora cacochyma ſtatim initio expurgabat, & ſanabat. Rcuulſoria igitur expurgatio exercenda protinus in initio, quo tempore timor eſt ne repente humor veneficus poſſit adoriri partes principes.

B Placet verba præſtantiſſimi viri Gentilis Fulginatis *in com. cap. cit.* 1. 4. *Auic.* in propatulum afferre. *Properare debemus quantũ poſſumus, ad euacuationem malignæ materiæ, & citò. Semper enim plus ſperamus de eius corruptione, quàm de concoctione. propter hoc incipimus ad euacuandũ. Et ego vidi ſocios noſtros, viros expertos, qui in praua peſtilẽtia, prima, ſecunda, tertia, vel quarta die, quàm citiùs poterant, pharmaca vacuantia propinabant, vt rhabarbarũ, agaricũ, & vidimus plures euaſiſſe per manus iſtorũ, quàm per manus eorum qui non expurgabant niſi cum leuibus, & clyſteriis. Dicebant autem illi viri ſolennes, quod ſi in morbis furioſis ante coctionem præceptum eſt vacuari: multo magis illa vacuatio competit in materia peſtilenti, quæ dici poteſt furioſior omni materia furioſa. Sed tu dices, Si illa materia eſt ita praua, ſicut materia furioſa, quare ergo non euacuas eradicando? dicendum hoc non fieri propter caſum virtutis.* Hæc ille.

C Vltimo, vt videant quo in errore verſentur præſtat ipſiſſima Gal. verba in medium afferre, qui omnia ſic diſertè expendit *lib.* 5. *meth. c.* 12. *Qui ex peſtilentia hoc vitio laborarunt, propterea mihi facilè ſanati videntur, quod præſiccatum iis, perpurgatúmque totum corpus fuerit: quippe qui, & vomuerint ex iis nonnulli, & omnibus venter profluxerit. Atque cùm iam vacuati eſſent, iis qui euaſuri erant, puſtulæ, (quas exanthemata vocant) nigræ toto corpore conferetim multæ apparuerunt, vlceroſæ quidem plurimis, omnibus certè ſiccæ, erátque intuenti perſpicuum, reliquias eſſe ſanguinis. quas veluti cinerem quempiam natura ad cutem truſiſſet.* Hæc Gal. Ex qua verborum ſerie duo potiſſima liquent contra eos, qui aduerſam doctrinam mordicùs tuentur. Primũ, expurgationem in cacochymia eſſe vſui in peſte, ſiue arte, ſiue ſponte fiat. Alterum, ab expurgatione naturâ leuatam faciliùs poſtea ſuperuacua trudere ad externa. Hác ſententiam defendunt Valleſius 7. *cont.* 13. Manard. *loc.* Donatus ab Altomari *tract. de coct. fol. mihi* 59. Gentilis, Harculanus, Vgo apud Auic. 4. 1. *c.* 3. *in* §. *& quarta quidem eſt hora.* Ioan. Brauus *l.* 2. *de purg. rat. c.* 8. *in med.* Donatus Santorus 1. *epiſt.* 2. Conciliator. *dif.* 161. Sclanus 1. *aph.* 22. Augenius *lib.* 1. *epiſt. tom.* 1. *epiſt.* 1. Paſchalius *cit. loco*, & alij.

D Argumenta verò contraria non ita magno negocio ſunt ſoluenda. Ad primum reſpondet Brudus Luſitanus *lib.* 2. *de vict. acut. c.* 14. dicens ſententiam illam 1. *aph.* 22. pati triplicem exceptionem, primam de humoribus turgentibus, ſecundam de quibuſdam acutis, in quibus in principio diligens examinatio facienda eſt 1. *aph.* 24. ſicut E in omnibus aliis morbis, ex Paulo *lib.* 2. *cap* 2. tertiam de aliis morbis 2. *aph.* 29. & ſub turgentibus comprehendi venenoſos, certum eſt; hi enim ſua praua qualitate, ac fuligine principes partes offendunt, quæ nituntur humores illos noxios à ſe propellere, quare niſi ſtatim, nulla expectata coctione purgentur, cordi, cæteriſque viſceribus ſummam afferunt perniciem, quam ob cauſam tutius eſt dum vires in principio firmæ sũt, ſarcinã exonerare, quàm alio tempore, vbi vires languent, ſummo cum periculo id aggredi.

Solue ſecundò. Hippocrates explicandus eſt de purgatione vacuatiua, & eradicatiua, non verò de reuulſiua, & minoratiua, quam Hip. & Gal. in aliis morbis concedunt, & *ſuprà* citati auctores latè confirmant, & probat eruditiſſimus Trincauellius 1. *epiſt.* 1. Solue tertiò. Licèt illa ſententia ſit ab Hip. vniuerſaliter prolata, nullum tamen

tam inuiolabile præceptum eſt, quod alterum obſcuret, quo docemur, ſuccurrendum eſſe illi quod magis vrget, cui valdè attentus Medicus ſit oportet, non addictus præceptis tanquam legibus, vt monet Gal.*lib.1.de fractur.* 24. §.*Id autem definiuit, ne quis exiſtiemet perpetuum eſſe quod ſuprà imperauit, fracturam quamlibet vſque ad vigeſimum diē ſeruandam eſſe penitus immobilem: ſemper enim pugnare Medicus aduerſus id quod magis vrget, neque obligare ſe præceptis, tanquam legi, quam contemnere nefas ſit, quum omnia præter rationem eueniunt, &c.* Ita monuit Hip.5.*aph.19.refrigerata eſſe excalfacienda*, hoc eſt contraria contrariis eſſe curanda, iuxta axioma artis vniuerſale, *exceptis iis, quibus ſanguis fluit, aut fluxurus eſt.* Cur ita? quia etſi theorema ſit, *contrariorum contraria ſunt remedia* tamen aliud eſt theorema magis neceſſarium, illa prius eſſe curanda quæ magis vrgent, hoc eſt quæ maius periculum afferunt, ſicuti eſt nunc profluuium ſanguinis. Quapropter cùm humor peſtilens, venenatus ſit, & promptus, vt in aliquam partem irruere poſſit, ſtatim vacuandus: Nam ſi ita non feceris, hi vitioſiſſimi humores in intimis corporis partibus redundantes, & per moram detenti, cæteros inficiunt, & adeò copia, & prauitas augetur illorum, vt præcordia lancinentur, vitales vires concidant, & aliarum facultatum viuacitas proſternatur, & collabatur.

Ad auctoritatem autem Hip. reſponde, medicamenta leuia, & clementia illas noxas facere non poſſe, vt committunt illa, quibus ferè antiqui vtebantur, quæ erant fortia, & exurentia: & licèt hæc in minori quantitate in peſte offeramus, & ſymptomata aliqua ſuccreſcerent, ea amplius æſtimanda ſunt, quam mors, quæ ex veneni ſæuientis malitia certò impendet. Hoc modo Chirurgi ad maius periculum euitandum, arterias ſecant, membra notabilis magnitudinis abſcindunt, aperiunt thoracem ad extractionem puris in empyematicis pro redimenda vita, & ob hanc cauſam multa alia mala mortalium corpora patiuntur.

Ad ſecundum dic: naturam expellere humorem furioſum, & irrequietum, qui cum tenuis ſit, & ſtimulet naturam, ab ipſa citiſſimè excernitur, etſi crudus: quare cùm naturam habeamus adminiculantem, facillimo negocio hic educitur: humorem autem peſtilentem turgentiæ eſſe participem *ſupra* demonſtrauimus. In inflammationibus autem internis reuulſionis cauſa in initio purgationem eſſe exercendam, docuit Galenus, *lib.4.acut. com.7.* Hoc modo oculorum inflammationes purgatione in principio celebrata ſanantur, vt 13. *meth. cap.* 11. ipſe confirmat. Deinde fatemur ſimilem eſſe coctionem quæ fit in venis, illi, quæ fit in inflammatis particulis: quare ſicut in inflammationibus peſtilentibus coacta neceſſitate, vel crudo exiſtente humore abſceſſus aperimus: ſic etiam in morbis vaſorum ob imminens periculum euitandum, quando venenati humores aura ſua deleteria cor lancinant, & ſpiritus vitales extingunt, & ſuo motu, huc & illuc oberrantes ægrum variis, iiſque grauiſſimis ſymptomatis excruciant, & naturam quieſcere non permittunt, purgatio citra moram exercenda. Peſtilentes autem tumores ante perfectam ſuppurationem eſſe aperiendos conſtanter aſſeuerat Paulus *lib.6.c.34.* in hunc modum. *Sciendum tamen eſt, quod ante perfectam in pus mutationem, aliquando crudos adhuc tumores ſecamus, vbi vel articulis, vel principalibus partibus fuerint vicini, &c.* Nec enim nouum eſt aliquando ante ſuppuratione aperiendos eſſe abſceſſus, firmat Valleſius *lib.5.epid.com.16. in hiſtoria Hippocomi*, dum ſic ait. *Quanti vſus fuerit Hippocrati vſtio, ſæpè iā animaduertimus. Ego quoq; in parotidibus quæ ex morbis aliis non leuibus fiūt, citò, vel nulla expectata ſuppuratione, viſtione vtor in ipſo tumore: nulla enim ratione melius prouidetur ne tumor recurrat, ſed materia, per ipſum vlcus quod infligitur, expurgetur, &c.* Subſcribit Mercatus *lib.7.de feb.cap.2.de febre maligna.* §. *Quod ſi compertum fuerit, aut tantùm creſcere, aut venenoſæ eſſe naturæ, vt laborans ſuffocatione periclitetur, antequam aut diſcuſſioni aut ſuppurationi ſufficiat natura, conſultiſſimum eſt, candenti auro, aut leui aliquo ferro parotides vnico foramine aperire, vt venenivis, aut immodica humorum* A *copia facilius expiret: quæ ſanè auxilio plurimos veluti deploratos ſanitati fuiſſe reſtitutos compertum eſt, &c.* quoniam vſtio, vt aſſerit Aquapendens *lib.1.de tumorib. præter naturam cap.* 16 putredinem abſumit.

Ad tertium dic: humores firmatos non eſſe purgatione eradicatiua ante coctionem euacuandos, ſi verò in motu ſint, neque firmum locum obtineant, reuulſionis gratia eſſe ad aluum deturbandos exhibito medicamento ſuaui & leni; hoc ita exequendum natura ipſa palam facit ſæpè: nam, vt inquit Hip.3.*epid.ſect* 3.*text.* 29. *in peſtilenti ſtatu quæ per ſuppurationem, abſceſſum molita eſſet natura, aut cōmodè turbata eſſet aluus, aut bonarum vrinarū extitiſſet excretio, hinc ſoluerentur, quibus horum nihil acciderat, obſcuréque euaneſcebāt, vt lethalia eſſent, &c* deinde hic humor veneficus eſt, concoqui non poteſt, neque B gratiam naturæ recipere, ex Galen. 4.*de ſanit. tuend.cap.* 3. *in fin.* quantò enim ipſa magis contendit agere in illum, tantò ferocior redditur, & deterior. Pereda *loc ſuprà cit.* ſic explicat Galenum, vt ſenſus ſit, quod humor veneficus non coquitur pro nutritione, ſed vt ad excretionem aptus reddatur, qua etiam atram bilem vincit. Probat ex Galen.5.*meth.* 12. quo loco poſt expurgationem corporis in fine poſt coctionem natura expulit ad cutem humoris reliquias exanthematis ſubortis. Sed non ſatisfacit Nam nec quoad nutritionem, nec alterationem peſtifer humor, vtpote à tota ſubſtantia, totíſque viribus naturæ noſtræ contrarius concoqui nequit, cùm ſit humor à gremio naturæ valdè alienus. Et vt videas hanc expoſitionem menti Galeni minimè eſſe conformem, audi ipſum C *cit.loc.de ſanit.*§.*Quod igitur omninò alienum eſt, nulla fieri ratione poteſt, vt id naturæ gratiam recipiat, ſed educere id quàm primum eſt tentandum, æquè certè, vt quæ in ventre corrupta prorſus ſunt, ea vel vomitione, vel deiectione expelli profecto eſt optimum, &c.* bilis atra non ita eſt deleterius humor, ac venenatus, vt is à quo peſtis ſcaturit. Obiicies iterum, non cedet humor in principio expurgantibus, quia crudus. Dic: cedit quia eſt in motu, & non firmatus in parte, ille ſcilicet qui capacitate vaſorum continetur, & prope membra principalia: is eſt qui expurgationem deſiderat, minimè verò conculcatus, & firmatus in bubonibus, anthracibus, aut aliis abſceſſibus externis.

Ad quartum dic: medicamenta clementia, & benigna apta nō eſſe facere illas noxas ab Hip. recitatas, quoniam quocunque tempore offerantur, ſecurè mouent humo- D rem ad aluum. Si verò ex commotione humoris maligni aliqua ſubſequantur ſymptomata, illa non medicamenti motui, ſed humori furioſo, & ſua acutie ebullienti ſunt attribuenda. Et licèt contra accideret, maiori vtilitate minor noxa eſt compenſanda, vt bellè dicebat Galen. 1. *aph.*24. quoniam melior eſt noxa, quam mors, 12. *meth. vlt.* quæ ex lethali humore intus relicto imminet certò. Lege quæ fuſa, at eleganti oratione proſequitur Valleſius *lib.7.epid.in com.ſent.*77. manifeſtiſſimis rationibus confirmans, vtiliſſimum eſſe in febre pulicari, quæ frequentiſſimè accidit in peſte, expurgantia medicamenta in initio exhibere.

Ad quintum dic: purgationem in principio difficilem eſſe, & cum grauiſſimis ſymptomatibus ob renitentiam materiæ, & motum naturæ; exercendam tamen eſſe ad maius periculum euitandum. Licèt autem venenata qua- E litas alexipharmacis, & non vacuantibus refrænetur: tamen vt illa operationes ſuas exercere queant, & ad cor penetrare poſſint, neceſſe eſt prius totum corpus exinanire à vitioſis ſuccis, quibus aura venefica tenaciter adhæreſcit. Quapropter alexiteria cùm vim veneni refringant, & per ſudorem, cutaneáſque excretiones detrudant venenoſum ſuccum, quomodo id præſtare poterunt, quin prius reſerentur meatus, & viæ pharmacorum ope deobſtruantur? Sudorifica autem non eſſe aſſumenda priuſquàm totum corpus vacuatum ſit, docuit Galen. 8. *meth.*4.& 11.*meth* 9.& 10.

Ad ſextum dic; in peſte in initio vires non eſſe ita deiectas, vt lenium expurgantium vim ferre nequeant, licèt enim omnis æger debilis ſit, ex Galen. 1. *criſ.* 9. &

cuilibet

cuilibet vacuationi annexus ſit caſus virtutis; tamen nos ſupponimus eas eſſe firmas; quare melius eſt aliquid cum periculo tentare, quam ſpe omni adempta ægrum certò perire Quod ſi virtus ſit ita debilis vt ferendo pharmaco ſit inſufficiens, tunc clyſteribus pugnandum. Celſus medicamenta ægris, & ſanis interdicens, de vomitoriis fortibus, & violentis de quibus eo loco agit,eſt intelligendus, quæ periculoſa ſunt; calefaciunt, vires debilitant, & commouendo humores ſurſum contra innatam grauitatem ſuam, cor, cæteraſque partes ſpiritales lancinant, & concutiunt, quo pacto hæc ſolùm coacta neceſſitate admittenda, ſicut & illa quæ valenter per aluum euacuant, à quibus periculoſa ſymptomata emanant. De vtriſque explicandus Plato *ad finem dialogi de natura*, dum inquit: *tertia motionis ſpecies aliquando iis quos vehemens cogit neceſſitas, vtilis: aliter verò nullo modo ei qui mentem habeat ſuſcipienda Medicorum illa purgatio eſt, quæ pharmacis fit: morbi enim, niſi qui magna habent pericula, pharmacis irritandi non ſunt.*

Ad ſeptimum dic: Alui fluxus tempore Hip. in peſtilenti ſtatu contingentes, à medicamento purgante nos deterrere non debent, quod ſymptomata rarò in initio peſtis euenire ſolet: quod ſi præſens ſit aut immineat, à medicamento ſuperſedendum; ſi abſit, exhibendum, hoc enim cùm lene ſit, non prouitat fluxum immodicum, aut colliquat carnem. Inſuper plures fluxu illo excitato periere, quoniam natura irritata, onus deponere tentabat, ſed oppreſſa ſuccubuit.

Ad octauum dic: purgationem in peſte non eſſe exercendam ratione cauſæ coniunctæ, hoc eſt tumorum, & inflammationum in cute apparentium; ſed antecedentis; nam hæc ſi in corpore remaneat, & clementi pharmaco non excernatur, periculoſiſſima mala efficere poteſt, neque Hip. præcipiens ibi ſolùm turgentes humores citra coctionem eſſe expurgandos, excepit vrgentes, venenoſos, & alios qui ita copia increſcunt, vt timor ſit ne poſſint deinceps procedente morbo deuinci: quamuis autem ex ipſius Aphoriſmi vi, & figura ſolùm turgentiam exci-piat, in aliis quas citauimus ſententiis aliud pronunciauit. Quare crudi humores vrgente neceſſitate in principio aliquando ſunt expurgandi: nam vel ipſa natura hoc ita eſſe exequendum commonuit, quæ ægros peripneumonia oppreſſos, humore exiſtente crudo, excitatis abſceſſibus in cruribus, liberare ſolet, ſic enim ait Hip.*lib.2.prog.67. omnes autem abſceſſus qui fiunt in cruribus,in pulmonis vehementibus, ac periculoſis vtiles ſunt.Optimi verò qui fiunt ſputo iam in pus mutato, &c.*Licèt enim iudicatio hæc non ſit optima quia non liberatur omnino æger,tamen eſt bona,quia ſaltem à pulmonia liberabitur,vt eruditè notarunt Henricus Cuelhar, & Chriſtoph.à Vega *in com.*

Ad nonum dic:Falſum eſt,& à recta medendi methodo alienum,quod *citato loco* affirmauit Pereda, omnes ferè in peſte emortuos fuiſſe, quibus pharmacum expurgans fuit oblatum, quum contrarium quotidiana demonſtret experientia, decretis Galeni, & Hippocratis *loc. cit.*conſona valdè. Licèt enim natura expulerit humorem ad cutem, plurima tamen eius pars remanſit in venis adhuc feruẽs, atque ebulliens,quia illa in principio excernit irritata ſarcinam à ſe expellere ſatagens, quo pacto iuuanda eſt, & deoneranda, vt promptiùs expellat ad extra. Neque timeas retroceſſum humoris impacti in cute ad internas ſedes, vt ſupra docuimus: plerumque verò in iis inſufficiens eſt ſymptomaticus motus naturæ ad externa, illegitimè in principio factus, proinde cæteras curatiuas indicationes obumbrare non poteſt, vt illi falsò ſibi perſuadent.Si autem natura non expulit humorem, licèt crudus ſit expurgari debet,vt ſupra latè probauimus.

Ad vltimum dic :multoties purgationem in peſte nocere, quando ipſa ſæua ac immanis eſt, tum quia in morbo lethali nulla prorſus remedia proſunt: Nam vt inquit Galenus *lib.3. de præſag. ex pulſib. cap. 4.*quod remedium excogitari poterit vbi putredo cor occupauerit? tum quia in illa euacuantia non iuuant, quum febris hectica immaterialis veluti ſit, quæ reſtaurantibus, & cardiacis oppugnari debet, vt *cit. loc.* Fernelius docuit. Vtrùm autem hectica peſtilens ſit conſtituenda cum Galeno, & ea ex ſolida cordis ſubſtantia putrefacta, an ex humoribus in ſinibus cordis contentis originem ducat, debacchantur inter ſe Septalius doctiſſimus *lib.1.de peſt.cap.22.*& clariſſimus Trincauellius *tract. de feb peſtilenti.Et nos in praxi hiſtoriarum, tomo de febribus, cap. de curat. febris hecticæ diſceptabimus.*

HIST. XLIX. GALENI, De peſte.

Theriacæ ad peſtis tum præſeruationem, tum curationem vis mirabilis.

Eprehensáque eſt mihi ſola in peſtilenti conſtitutione languentibus poſſe ſuccurrere:cùm nullum aliud præſidium tam magno malo ac ipſa reſiſtere valeat:nec immeritò, quum peſtis ipſa ceu fera quædam venenata non paucos aliquot miſerè perdat:verùm totas ciuitates depaſcatur:immutat enim aërem malo quodam modo, vt homines interficiat, qui cùm reſpirare non poſſint,contagium miſeri euadere nequeunt:attrahunt enim ipſi aërem infectum,tanquam præſentaneum aliquod venenum.Quocirca ſummis laudibus proſequor admirandum Hippocratem, qui peſtem illam ex Æthiopia ad Græcos venientem non alio præſidio repulit, quàm aërem purum faciendo,nè ab hominibus qualis tunc erat infectus hauriretur. Præcepit itaque vt per totam ciuitatem ignis accenderetur, qui non ſolum è ſimplici materia conſtaret, ſed bene olentes coronas, & flores haberet: talia ſiquidem ignibus alimenta ſubminiſtrare conſuluit,& vt vnguenta quàm pinguiſſima infunderent, & id genus alia bonum odorē fundentia,vt hoc pacto ciues aërem purum ſpirantes ab imminenti lue tuti forent. Ad iſtum modum, & theriaca, tanquam ignis quidam purificans & ipſa eſſet, illos quidē qui adhuc ſani illam biberunt, non permittere vt peſtilentia prorſus capiantur: illos autem qui iam ægrotaſſent, ſanare poſſe tum aëris inſpiratu malignitatem commutando, tum corporis temperaturam corrumpi non ſinendo, &c.Galenus* lib de theriac. ad Piſon. cap. 16.

PARAPRHASIS.

DVplicem hiſtoriam hoc loco deſcribit Galenus, vtramque memorabilem. Prima theriacæ admirandam contra peſtem facultatem proponit. In ſecunda narrat artificium, cuius vi, & beneficio ſummus vir Hippocrates peſtem illam ſæuam,ac maximam, aëre puriori reddito depulerit. A prima ſumamus exordium. De nomine theriacæ conueniunt omnes, quod dicatur à thyro, quod vocabulum Græcè ſignificat viperam, conficitur enim illa ex carne viperina.Hoc tamen in loco non eſt ſilendus error Galeoti Martij qui *lib.5.de promiſcua diſciplina,*theriacam denominari à verbo τηρέω i.[*ſeruo*]aſſeuerat, vnde & theriaca quaſi ſeruatrix, ſicut Sotera medicamen appellatum, propter ſalutem quam affert: & ideò reprehendens Auicennam, & Conciliatorem corrumpit textū illum Plinij eo loco[*fiunt paſtilli ex viperis,*] qui theriaci dicuntur, id eſt ſeruatrices:ſed ne ab omnibus codicibus nouis, & vetuſtis auferamus literam H. ex voce theriaca, vt fiat. teriaca, vni Galeoto vnum opponamus Galenum *lib. de theriac.ad Piſon.cap.* 1. docentem nomen theriacæ ab eo acceptum,quia viperas ad medicamentum adiunxerit, non ſolùm quod morſibus ſerpentum valdè proficeret, Ignorauit deinde Arabum linguam, Arabis Auicennæ ſtudioſus homo:nam ex Græca voce deducta thyrōn,Arabibus eſt vipera.

Quomodo, inquit Galeotus, appellatur theriaca Diateſſarōn,cui nulla viperæ, aut ſerpentis admixtio. Ita eſt ſanè; eam enim inciſam lapide verſibus in limine templi Æſculapij narrat Plinius *l.20.c.vlt.*& ex quibus cōficiatur docet:nec verbulum quidem de vipera,aut vlla venenata beſtia, immò nullius animantis carne, ea magnus vteba-tur Antiochus aduerſùs omnia venena: & Mithridatis

 compoſi

compoſitio, qua magnus ille rex Ponti vtebatur quotidie vt idem narrat *l.* 23. *cap.* 18. conſtans videlicet duabus nucibus ſiccis, ficubus totidem, rutæ foliis, viginti, ſimul tritis, addito grano ſalis, quam ſi ieiunus ſummat, ab omni veneno illo die tutus euadet: theriaca tamen appellantur, quia pollent contra venena, denominatione ſumpta ab iis animantibus quæ venenum inſpergunt, aut morſu, aut tactu, aut ratione alia, licèt ipſorum animantium carnibus non conſtent, quare ſapienter Ioan. Brodæus *lib. 1. epigram. tit.* 43. theriaca definit antidota, quæ venenorum maleficiis aduerſantur. Eandem ob cauſam Plinius *lib.* 14. *cap.* 18. Vitem apud Thaſios vocat theriacem, quod eius & vinum, & vua contra ſerpentium ictus medeatur; quod & Palladius habet *lib.* 3, & rationem eius conficiendæ docet, ſi antidotus videlicet radicibus vitis infundatur, & fuſiùs *in Geop. lib.* 1 *&* 2. Florentinus, vt iam non natiua ſit ei viti vis aduersùs venena, quod tamen credit, & vt prodigioſum commemorat Plinius, ſed arte inducta, vt hi poſteriores indicant, & Cælius *lib. 6. lect. antiq.* 16. vidit nomen theriacæ etiam ad præſentanea remedia quæ non fiunt ex viperis transferri, quod & aduertit Marius Grapaldus *lib. 1. de partib. cap.* 2.

Magnam eius eſſe potentiam, & admirabilem aduerſus venena omnia poteſtatem, & tum ſanis pro præſeruatione, tum ægris pro curatione efficaciſſimas habere dotes diximus *lib.* 1. *in com. hiſt* 27. eius benè confectæ mirabilia commemorat Matthiolus *lib.* 7. *in cap.* 40. nam quæ adulterinis medicamentis deprauatur, quia legitima non eſt, hoc eſt, lege, & methodo medica compoſita, euentus infelices habet, vt idem notat *lib.* 1. *in com. cap.* 59. *Dioſcorid.* Nec omittendum quod Galenus ſcripſit *lib.* 1. *c.* 1. *de antid.* deprauari compoſitionem medicamentorum, theriacæ potiſſimum antidoti præſtātiſſimæ, tum quod qui remedium præſtant aliis petentibusde induſtria corrumpunt, tum quod alij libros deturpant vna litera in aliam facilè traducta, quæ ratio valet in numeris præcipuè, qui per notas characterum alphabeti deſcribuntur, facilis enim eſt tranſitus ex v. in 1. vel n. & contra ex o. in e. & 1. ex quo laudat Andromachum, quod de theriaca ſcripſerit verſibus, & Democratem, qui de omni re medica: ſic enim veteratores non poſſunt medicamenta præuertere: id quod vidi poſtea adnotatum à Fernelio, immò ſeruatum, quod hanc maximè compoſitionem fuerit ſequutus, vt ſcribit Gulielmus Plantius *in ſcholiis in 7. meth. med. lib. ipſius*, quia neque numerus, neque pondus facilè mutari poteſt.

Sed durum tibi videbitur, quod notauit Galenus *lib. de theriac. ad Piſon. cap.* 6. cur huic antidoto viperas potiùs admiſcuerint Medici, quàm alios ſerpentes. Reſpondet, illis minùs tabificam eſſe vim, quám aliis ſerpentibus: nam & Plinius ſcripſit *lib.* 29. *c.* 6. vſum eſſe viperarum in cibo, & nos ex variis auctoribus notauimus *lib.* 2. *in com. hiſt. vlt.* Quod ſi ita eſt, cur *venenatorum animal. nullum morſos à vipera attingit, aut lædit?* tantúmne homini à vipera demorſo alia venenata honorem deferunt? aut tam acre eſt, & peſtilens venenum viperæ in corpus hominis diffuſum? Qualis autem ſit ſerpens vipera *ſequenti libro in com. hiſt.* 1. enucleabimus.

Plurima eſſe antidota precioſa aduerſus peſtiferam luem ab omnibus eſt conceſſum, quorum deſcriptionem latè proponemus *in praxi hiſtoriarum*. Hæc ex plurimis componuntur alexipharmacis, & alexiteriis medicamentis, ſeu vt ita dicam belzarticis, quæ ita vocantur, quia mutua inimicitia, atque repugnantia, immò cæca quadam, & occulta qualitate veneno reſiſtunt, & reluctantur, & antipathia certa illius efficaces vires infrænant, & retundunt: quin certa dantur aliqua, quæ peculiari dote, & certo veneno aduerſantur. Hæc ex Gal. *ſimpl.* 8. antidota propriè dicuntur, quæ ore ſumpta internis venenis reſiſtunt, quæ ſcilicet proprietate, & familiaritate occulta aduerſus venenoſos affectus, cuiuſque generis venena, lethales ſerpentum, aliorúmque virulentorum animalium morſus mirabiliter opitulantur, quorum alia veneni virus cicurant & domant, alia è corpore venenum expellunt, extrahunt, & euocant.

Verùm miraberis quomodo fieri poſſit, vt alexiterium medicamentum tam paruo temporis ſpatio in tam parua quantitate aſſumptum, poſſit veneni vim per totum corpus diffuſam deuincere? Dic: quod alexipharmaca occulta proprietate agunt, & ſic inſtar lucis ſolis per aërem diffuſæ ſine ſolis ſubſtantia, ſpiritali actione citiſſimè ſalutarem ſuam vim corpori communicant, & inter tranſeundum veneni vires oppugnant, quare partes hac benefica aura recreatæ, & munitæ venenoſos humores extra corpus per varias corporis regiones expellunt.

Has benignas opes inter cætera, eminentiori quodam iuuandi modo præſtat theriaca Andromachi ſenioris, iucunda, ſerena, & tranquilla, quod ægros perturbatione, anxietudine, & languoribus oppreſſos, in tranquillitatis & hilaritatis portum ſecuros deferat. Hæc è regione cordis temporibus, carpis illita, aut ore ſumpta, intermortuum calorem ab aura venenata concuſſum, & penè extinctum refocillat, & inſtaurat, partes principes tuetur, venenum debellat, & citiſſimè ad partes externas detrudit putredinem arcet, obſtructiones aufert quia humores diſſoluit, glutinoſa abſtergit, lenta incidit, concoquit craſſos ſuccos, actiones robuſtiores reddit, denique nihil eſt in febre noxium peſtilenti, cui vſus theriacæ non ſuccurrat. Neque timeas febrem, quæ in peſte, peſtiferíſque febribus eſt ſæpe valdè intenſa: Nam in rabie, in qua adeſt cum febre vrente ſitis inextinguibilis, eam concedit Galenus 1. *de antidot.* 16. ſubſcribit Paulus *lib.* 7. *cap.* 11. immò commorſis à Dipſade *lib. de theriac. ad Piſon.* 14. cum Dipſadis morſum æſtus ingens comitetur, ex ipſo *lib. de theriac. ad Piſon.* 16. & deliriis phreniticorũ, ex ipſo *lib. de theriac. ad Piſon. cap.* 8. *&* 18. & ita Andromachus commendat eam in morbo regio, cholera morbo vt refert Gal. *lib de theriac. ad Piſon cap.* 13. & licèt febri videatur nocere, malignam tamen qualitatem corrumpit, & ſic maior eſt vtilitas noxa.

Neque rursùs timeas calorem theriacæ, quum ea ad vltimum caliditatis gradum non perueniat. Licèt enim viperina caro exſiccet apud Gal. 11. *ſimpl.* quæ in eius compoſitionem ingreditur, & multa medicamenta calida ſuperent in qualitate & quantitate frigida, tamen hæc in magna copia ingrediuntur, vt roſa, acacia, terra lemnia, præſertim verò ſuccus papaueris, ſiue opium, quod refrigerat in extremo ad quartum gradum, & in pondere drachmarum viginti quatuor eſt repoſitum, quare ex tanta quantitate ingredientium frigidorum neceſſe eſt vt remittatur calor in tertio gradu calefacientium, & ad ſecundum redigatur fermentata theriaca, & coctionem adepta, quod aſſequitur anno quinto, ſexto, ſeptimo, duodecimo, ita firmat Auic. *lib. de viribus cordis, tract. 2. cap.* 4. quo loco, de vſu, & vi theriacæ agens eximiè, eam non excedere finem ſecundi gradus, aut principium tertij aſſeuerat. Licèt autem hoc ita ſit, præſtabit tamen eam in vehementi febre, calido cœli ſtatu, regione æſtuoſa, temperamento frigidis permiſcere, vt acido citri, limonum, conſerua roſacea, aut violacea: contra verò offerretur impermixta, ſi febris mitis ſit, materia craſſa, ichores frigidi, quibus venenum peſtilens inhæret, adſint comatoſi affectus, tempus ſit frigidum, ætas ſenilis, & alia adſint, quæ copiam crudorum ſuccorum oſtendunt manifeſtè.

Ad ſecundam hiſtoriam accedamus. Aëris ſummam eſſe neceſſitatem pro refrigerando corde, nullus ignorat: Nam tandiu viuimus, quandiu aërem per inſpirationem haurimus, & ideò viuentem non reſpirare, nec reſpirantem non viuere eſt impoſſibile, vt notauit Galenus *lib. 6. de vſu part. cap.* 5. aër enim vocis, & imaginum quæ in ſenſus feruntur vehiculum eſt, vtilem, ac ſalubrem ſpiritum præbens animalibus, eiúſque inſpiratione ita natiuus calor indiget, vt ea inhibita confeſtim oppreſſus intereat, quare Auic. 2. 1. *doct. 2. cap.* 2. dixit, aërem noſtrorum corporum veluti pabulum eſſe, & Galenus *lib.* 9. *meth.* 4. ſine ambiente nos aëre neque morbum vllum ſolui poſſe, neque ſanitatem conſtare aſſeuerat, quin neque ipſe ignis ſine aëre durare poteſt.

Infimam aëris regionem, aquæ, & terræ vicinia alterari, ac vaporibus inde eleuatis permiſceri, ſolaribúſque radiis reflexis calefieri, nullus Philoſophorum negauit vnquam,

quare

quare Auicen. 2. 1. *doct*. 2. *cap*. 9. cùm dixiſſet eſſe putrefa-ctionem quæ accidit aëri, putredini reſtagnanti, & fœti-dæ aquæ non abſimilem,ſubdit; *nos enim cùm aërem dici-mus, nouimus intelligere aërem ſimplicem*, purum, *quippe eiuſmodi non eſt aër qui nos circundat*, & ſi fortè inuentus fuerit purus, erit alius ab iſto putreſcibili: & paulò infrà ait. *Aër hic noſter eſt corpus commixtum ex aëre puro ſim-plici, & partibus aqueis vaporoſis, & partibus terreis ele-uatis in fumo, & puluere, & partibus igneis. In ſuprema aëris regione, etiam ſimplicem & elementarem aërem non eſſe purum, immo à cœli motu diſgregatum aſſiduè rareſ-cere, & à variis cœli,aſtrorúmque lationibus, atque aſpen-ctibus immutari,certum eſt*:Nam aſtra mediante aëre com-muni illa calefaciendi facultate,& in gignendis morbis,& in reſtituenda ſanitate plurimum poſſe,vel ipſe Hippocra-tes *lib.de aëre,aq.& loc.num.*1.confirmat,qui morbos fu-turos ex ſiderum aſpectu,& ortu,& canis,Arcturi,& Ple-jadum occaſu præcognoſcendos eſſe aſſeuerat,& ipſe quo-que non inficiatur Auicenna *part*. 1. *cantic. tract*. 1. *cap*. 104.& præter hanc communem cauſam,quam calefactio-nem Philoſophi vocant, peculiarem quandam,& obſcu-ram aëri vim ab aſtris ineſſe non negauit Ptolomæus *in centiloque enunciat*. 69.*& lib. Apoteleſmatum*.3.

Quid dicam de media aëris regione quæ alterabilis eſt, vt *lib*. 1.*meteor. cap*. 12. Ariſtoteles ſentit, quæ pura, ac ſimplex non eſt, in qua mixta imperfecta gignuntur, & interdum etiam perfecta, vt ranæ, & monſtroſa quædam animalia, quibus Iouem pluere antiqui dicebant: ſed nec eum, qui ad polos propinquat, aërem, aut inter circulos Arcticum, & Antarcticum eſſe purum verum eſt: cùm enim illic elementa frigida, terra nimirum, & aqua, ab-ſentia ſolis, aut longo à perpendicularibus eius radiis re-ceſſu magis incaleſcant, & ſuas vires intenſius exerant, neceſſe eſt, vt aërem illum nimis frigefaciant, vt ex plu-rium mente virorum probant Conimbricences *in com. in lib. meteor. tract*. 1. *cap*. 2.*ad fin*.

Adde cuncta ab exhalationibus, atque vaporibus ele-uatis à terra,& aqua, & ab iis quæ per ipſum aërem defe-runtur, alterari, cuiuſmodi ſunt grandines,pluuiæ,pruinæ, ventorum varia genera, nubes, tonitrua, fulgura,hiatus, ardores, ſtellæ currentes, voragines, nec non ab iis quæ oculis noſtris conſpicua ſunt, vt iris, halo, area, virga, quæ aërem impurum reddunt.

Neque ob hæc exiſtimes in aëre neceſſario ſemper ad-eſſe intenſam putredinem ſecundùm ſubſtantiam ex cau-ſis euidentibus, quia multoties nullæ apparent: nam ſi aër ſemper eſſet corruptus, ferè cuncti eo vtentes oc-cumberent. Multoties enim aër inficitur aliqua mala qua-litate cœlitus demiſſa,& cometis,& luminarium deliquiis quæ potens eſt eos afficere qui morboſum habent appa-ratum, cæteros minimè. Cæterùm de efficacia effectuum deliquiorum ſolis, plurima aſſidua nos docet experien-tia, quæ Poëta cecinit hoc modo.

Sol tibi ſigna dabit,ſolem quis dicere falſum
Audeat? Ille etiam cæcos inſtare tumultus
Sæpe monet; fraudémque,& operta tumeſcere bella.
Ille etiam extincto miſeratus Cæſare Romam,
Cùm caput obſcura nitidum ferrugine texit,
Impiáque æternam timuerunt ſæcula noctem.

Præterea quod prauos effectus producat in iis inferiori-bus ſolis deliquium nobis argumento ſit: quoniam qui laborantem intuentur, obcæcantur facilè, vt prodidit Ga-lenus *lib*.10.*de vſu part.cap*.4.& hoc non accidere vi lucis diſgregante viſum, id enim magis fieret à ſole non labo-rante, quod eſt falſum; ergo potiùs dicendum id fieri à prauo influxu oculos intuentes obfuſcante, & offunden-te. Et licèt Auerrhoës affirmet aſtra non poſſe aliquod malum influere, ſed ſemper operari bonum: hoc tamen intelligendum eſt,ita vt influxus ſiderum ſimpliciter dici poſſit bonus: verùm pro materiæ diſpoſitæ varietate, ſal-tem,ex accidenti prauos interdum producere poteſt effe-ctus in aëre, & is inferioribus, vt eruditiſſimè probauit Valleſius *lib de ſacra Philoſophia,in com.cap*.31.*in med*.cùm enim ſint agētia naturalia, ſunt prædita virtute immutādi, & alterandi elementa,& mixta,idque operantur lumine,

A motu, & influētia,ex quibus humana corpora ad varias,& malignas affectiones pro varietate particicularis influentiæ diſponuntur. Si verò de hac re diſſertationem longiorem expoſtulas,adi Mercat. *lib*.7.*de feb.c*. 1. *tit. de cauſis peſtis*, Ludou. Septalium *lib*. 2. *de peſte*, *cap*. 2. *& lib*.1.*in com. Hip. de aër.aq. & loc.c*.10.& præſertim Lucium Bellan-tium,qui contra Picum Mirandulan, acerrimè decertat.

Quare cùm mundus hic inferior ſit contiguus ſuperio-ribus lationibus, vt inde tota eius virtus gubernetur,con-ſtanter aſſerendum eſt aërem alterari virtute cœlitus de-miſſa, vt non ſolùm ſecundùm qualitates manifeſtas ſit hominibus contrarius,verùm etiam quandoque qualitate maligna, noſtris corporibus aduerſa. Atque hanc in aëre poſſe produci, tum ex cometis præcedentibus, tum ex de-liquiis luminarium, & ſiderum errantium congreſſibus,

B probant latè Matthæus Zeiſius *in orat. de cauſ. & period. peſtil.febris*.Gregorius Toloſanus *lib*.2.*de repet.c*.7.Mat-thias Mechonius *lib*.3.*chron.cap*.26. Paulus Warnefridus *in annal.Sueuiæ*,Foreſt.*lib*.6.*obſ*.9. quidquid cōtra ſentiant Iamblichus *lib.de myſteriis*, Mirandul. *l*.4.*aduerſ. Aſtrolo-gos*,Pierius *lib*.3.*hieroglyph*. Valleriola *in appendic.loc.com cap* 2.de quo argumento lege eruditiſſimum Rodericum à Caſtro *lib*.3.*de morb.mulier.part*.2.*cap*.3.

Proinde reiicienda prorſus eſt opinio Donati Antonij ab Altomari, qui *tract.de medend. febrib.peſtilent.c*.3. aſſe-rit, in omni peſtilenti conſtitutione aërem putrefactum eſſe,& omnino corruptum ſecundùm ſubſtantiam, idque ſemper à cauſis manifeſtis, & nullo pacto ab abditis, ſeu occultis cælitus demiſſis. Ex iisdem etiam redarguenda eſt

C opinio Thomæ Iordani *tract.de peſte*, *cap*. 3.*prope finem*, qui nullam accidere dicit febrem peſtilentem abſque aëris ſubſtantiæ corruptione.

Huius dogmatis falſitatem impugnant plura. Primùm. Si in omni peſte eſſet corruptus aër ſecundùm ſubſtan-tiam, cuncta animantia vaſtaret, & perimeret. Reſpondet vir eruditiſſimus, ſic corrumpi aërem in peſte, vt à pro-prietate ſubſtantiæ totius ſit contrarius hominibus, non ita cæteris animantibus; inane ſubterfugium! nam hoc occultam proprietatem, non verò manifeſtam putredi-nem,quæ neceſſariò erit infeſta cunctis animantibus, ar-guit. Deinde fœtidus ſemper eſſet aër, talia enim ſunt omnia ſecundum ſubſtantiam putrefacta, & in termino corrupta. Inſuper deterior peſtis eſt quæ ſæuit hyeme, ex Gal.*lib.de lib.prop.cap*.2.quo tempore aër magis denudatus

D eſt à calore putrefaciente, & corrumpente. Neque nos negamus,dari poſſe peſtilentem conſtitutionem ex putre-dine, & corruptione manifeſta ſubſtantiæ aëris quæ om-nium eſt ſæuiſſima.

Cùm aëris putredo inſignis, ſit potiſſima, immediata, & communiſſima peſtilentium morborum cauſa, vt *in com*.latius patebit;atque per cōtactum apta ſit aliis com-municari, ſit vt aër circunfuſus res etiam inanimes, vt ligna, lapides, metalla ſuo contactu afficiat, & eum ſan-guinea animalia per inſpirationem, & tranſpirationem attrahunt vbertim,& aſſiduè. Duobus autem modis per-mutatur aut, in qualitatibus ſolùm immutatus, aut ſub-ſtantia putrefactus, & corruptus:illo modo in caliditate,

E aut in frigiditate,cæteriſve qualitatibus nimium excedit, quare ex diuerſa temporum mutatione: morboſa ſubſe-quitur tranſmutatio, quo pacto in calidiſſimis aëris, & temporum conſtitutionibus, aliquando in autumno plu-uioſo febres peſtilentes vagantur,vt refert Galen. 3. *epid. ſect*. 3.*com*.5 7.quo pacto immodica aëris caliditas peſtem antecedit, vt aſſerit Gal. 1. *feb*.4. Aër enim cùm non ſit purus, vt ſupra oſtendimus, ſed ſit permixtus, putrere poteſt, cùm putredo ſit mixtorum paſſio. Inficitur aër ex tetrorum, & putridorū vaporum admixtione, qui aërem craſſiorem reddunt,& humidiorem,& eum ad concipien-dam putredinem diſponunt. Eleuantur vapores ex cada-ueribus inſepultis,ex quibus graues,& pernicioſæ expira-tiones aërem inficiunt. Ipſum vicinum inquinant, cloa-carum, ſentinarum illuuies, aut ciuitatis populoſæ, aut numeroſi exercitus purgamenta. Idem præſtāt teterrimæ exhalationes ex cœnoſis locis, oleribus, herbis plantis putreſcentibus, publicis macellis, pecorum fœtore into-lerabili,

lerabili coriariarum officinarum, aliis ſterquiliniis,& ex-crementis,publicarum viarum, vaporibus lini, & canabis diu in aqua maceratorum, vaporibus eleuatis perniciofis è terræ penetralibus, ex ſepulchretis, antris, ſpecubus, voraginibus, aliiſve ſubterraneis locis, ex charoneis baratris mortiferum ſpiritum exhalantibus apud Plin.*lib.* 2. *cap.*39.& Gal.7.*de vſu part.cap.*8.ex terræ motu, aëre in cubiculo incluſo, ex puteis, diu,arctéque contectis, ex aquis peſtilentibus quæ latent in abditis terræ,ex quarum lacunis ob terræ motum apertis exhalat pernicioſiſſimus vapor aërem inficiens: ſed à nulla re externa promptiùs inficitur, atque inquinatur aër, quàm ab expiratione eorum qui peſte laborant, maximè ſi concluſo cubiculo plures contineantur. Hoc modo miſeri mortales, velint,nolint, inſpirando coguntur aërem venenoſum, & putrilagine infectum haurire.Quo modo verò hoc accidat, & an venenoſus aër inſpiratione, & tranſpiratione atrahatur, an penetret, in intimáſque ſeſe inſinuet corporis partes eáſque inficiat, & inquinet, diſſertare licuerat latiùs,ſed quia in hac exponenda hiſtoria iam ſumus longiuſculi, conſule doctiſſimum Santorellum *lib.*6. *antepraxis,c.*16. qui allatis plurium auctorum opinionibus, hoc argumentum ex profeſſo agitauit.

Cùm ergo ſolertiſſimus vir Hippocrates, aërem infectum, communiſſimam peſtis cauſam intelligeret, qui nimium humidorum vaporum putridorum corruptione erat inquinatus, eum corrigere tentauit. Et cùm duplex ſit via corrigendi aërem, altera quæ docet ne aër peſtilens euadat,aut aliunde peſtilens ad nos adferatur;alia cùm peſtilens iam eſt factus: & tunc neceſſe eſt aërem euitare, aut certè, ſi non poſſit fieri, dare operam, ne ita infectus hauriatur. Hanc ſecundam viam elegit Hippocrates, proponens ſibi aërem iam tabo inquinatum corrigere.

Quare relicta in præſenti præſeruatione, quæ ſumitur ex parte ventorum, aut ab externis cauſis, quas laconicè ſupra recitauimus, vt vapores ex fœtidis inferioribus exhalationibus eleuati, aëremque inficientes, nunc de præſeruatione quæ aëri iam infecto debetur, diſſeremus.Quo pacto Hipp ocrates ad ignem acceſſit, conflatum ex ſicciſſimis lignis, odoriferis, & aliis benè olentibus coronis, & vnguentis redolentibus, quæ caliditate ſua, & ſiccitate,odoréque ſuaui aërem puriorem,& ſuauiorem reddunt, & magis ſanum: nam quicquid humiditatis excrementitiæ,& putredinoſæ in ſe habet, in qua maligna qualitas adhæreſcit, aufert, & abſumit, & putrentes halitus diſſipat, & omninò extinguit.

Hoc modo per totam ciuitatem, immò vt par eſt per omnia cubicula iuſſit accendi ignem in hunc vſum,conflatum ex odoriferis, & ſiccis lignis, floribus, corticibus vt quercu, pinu, abiete, fraxino, iunipero, lauro,laricei létiſco,cupreſſo,myrto, ſtœchade,rore marino,aſſa dulci, ſtyrace,thure, myrrha, ladano, beizoino,ligno aloës,quæ aërem diuerſum à peſtilenti reddunt,& ad meliorem conditionem deducunt. Quod ſi vrgeat æſtas,in ignem iniicienda frigida ſunt,vt rami myrti, ſalicis, vitium,rubi, vlmi quercus,populi,ſantalorum genus omne,pyrorum,mali punici,cotoneorum,citrij mali putamia,ſemina coriandri,roſæ, violæ,flores ſambuci, præcipuè ſi aceto omnia hæc priùs irrores:nam hoc nullo non tempore eſſe auxilium vtiliſſimum, ad venenum arcendum peſtiferum, præſtantiſſimi Medici rati ſunt, vt Leuinus Lemnius *lib.*2.*de occult.cap.*9.Heurnius *lib.de peſte,cap.*8.Bartholom.Hubnerus *in diatetic.lib.*10.*cap.*3.Ioan.Henneman-nus *in idea peſtilenti*,Augenius *lib.*2.*de peſt.cap.*12.& alij. Hoc modo ex iis aromaticis in cubiculis ignis excitabitur frequens, & formulæ cicerales, vel paſtilli conficientur ſuper prunas iniiciendi:vel fumales ignes accenſis candelis ex ſimili materia parabuntur,quibus ſi addas liquidambar, ſtyracem, lignum aloës, moſchum, ambarum, zibet-tum,ladanum,roſas & alia, & cum tragacantho, & aqua roſacea, cum cera parabuntur. Tunc enim aër redditur purus, & odoriferus, & contagionis ſeminaria abſumuntur:ſuauibus enim odoribus ſpiritus recreari, & animam veluti hilariorem reddi, & vitam ipſam conſeruari, corpúſque reddi aptum, vt ampliùs à veneno fiat immune

A teſtantur Plinus *lib.*7.*cap.*2.Solinus *cap.*56.& eius interpres Salmaſius, vir ad miraculum vſque doctus, Ioan. Boëmius *lib.*2. *de moribus gentium, cap.*8. Franciſcus Petrarcha *dialog.* 22.odores eleuantur etiam ex caryophyl. nuc. moſch. dictamno,abrotan. abſinth ruta, melif.lauendul.hyſſop.polio,origan.ſaluia, ocymo, maioran.meliſſophyl. ſerpil. calendul. ſpic. maſtiche. Eadem medica arte, eodem fere tempore Acron Agrigentinus, & Empedocles à Siciliæ vrbibus peſtem depulit,vt notauit Plinius *lib.*7. *cap.*27.*& lib.*36.*cap.* 27.explicat perbellè Augenius *lib.* 2.*de peſte, cap.*3.

Nec minima laus reddenda eſt Hippocrati, qui efficaciſſimæ aëris putredini, tam contrariam, & ſummè aduerſam oppoſuit: quum enim tabo eſt infectus aër, nullum B ad putrilaginem, craſſitudinem,& ſordidam humiditatem abſumendam poteſt igne efficacius excogitari auxilium, cùm bombardarum crebras exploſiones peſtem arcere exemplo quodam firmauit Leuinus Lemnius *lib.*2. *de occultis,cap.*10.Cùm enim peſtis crudeliter exerceret Tornacenſes milites præſidiarios illius vrbis, machinas, tormentáque bellica, puluere tantùm bombardico oppleta vrbi obuertiſſe refert,eáque ſub diei, ac noctis crepuſculum exploſiſſe, quorum ſonitu violento effectum fuit, vt aëris contagio diſcuſſo, ciuitas à peſte facta fuerit immunis.

Nec dubites ignem hæc, & alia multò maiora poſſe præſtare: quoniam ignis eſt bellua auidiſſima, & inexplebilis,quæ omnia conſumit,ac deuaſtat: furibundus enim, & edax eſt illius calor,vt annuit Virgilius.

> *Scilicet ignis edax ſumma ad faſtigia vento*
> C *Voluitur: exuperant flammæ, furit æſtus ad auras.*

& Homerus *lib.*2. *Odyſſea*, ignem pernicioſum vocat, ideóque Cælius affirmat *lib.*8.*antiquar.lect.cap.*35. Perſas igni ſummos honores tribuere, non religionis gratia, ſed potius formidine rei nocentiſſimæ. Ita Medi,Sarmatæ, Macedones vt Deum coluerunt ignem,vt prodidit Clem. *lib.*1. *rer. Perſicar.* probant Nymphodorus *lib.de lege Barb.& Diuo*, & Menander ignem inter præcipua mala connumerat.

> *Ignis, & mare; & mulier, mala tria.*

quam ſententiam expreſſit Ioannes Secundus.

> *Quæ mala ſunt hominum rebus,tria maxima,ſcire*
> *Quæris? habe paucis, fœmina, flamma,fretum.*

Ignis enim omnium elementorum maximè actiuus eſt, vt Galenus ait *lib.*1. *de ſimpl.medic.facult.cap.*41. immò D citiſſimè penetrat omnia, nihílque eum poteſt cohibere, quum minutiſſimis,vt in Tim.Plato tradit,particulis conſtet: Nam raritate, leuitate, agilitate reliquis præſtat, quia,vt inquit Cicero *lib.*1. *de natur. Deorum,noſter ignis omnium confector eſt,atque conſumptor,& quodcumque inuaſit,diſturbat,& diſſipat.* Hoc pluribus locis probat Ariſtot.naturæ ſolertiſſimus indagator, quæ conſultò prætereo,quia cùm ſit omniũ tenuiſſimus, ſimul & calidiſſimus, in profundum facilè permeat.comminuit,vincit,extenuat, atque tranſmutat, ſeparat, & ſoluit: nam validiſſimus eſt, omnia in ſui naturam conuertens, vt ſubtiliter arguit Scaliger *exercit.*10. *aduerſus Cardanum*, & vt nuperrimè ſic eloquentiſſimè explicuit omniſcius Ioannes Gerardus Voſſius in Academia Amſtelodamenſi hiſtoriarum Profeſſor inſignis,*lib.*3.*de origine & progreſſu Idololariæ, cap.*7. E ferè per totum.

QVÆSTIO XLV.

Vtrùm theriaca fermentata diuerſam virtutem habeat ab actione ſimplicium quibus conſtat.

COMMENTARIVM.

D Eprehenſáque eſt mihi theriaca.] Multa vellicatim theriacæ viribus diſſeruimus, ſed oſtentat ſe dubium obſeruatione dignum, dum mutos conſalutamus magiſtros, præſertimque Arabum primarios, quod in publicam commoditatem excerpere ſatius duxi. An ſcilicet theriaca, & alia medicamenta arte compoſita habeant diuerſam

diuerſam, actionem; & virtutem ab actione ſimplicium quibus conſtant?

Sed antequam quæſtionem agitandam aggrediamur, explicandum eſt quid ſit ſimplex, & compoſitum medicamentum. Secundò an compoſitio medicamentorum ſit neceſſaria. De primò ſic. Medicamentum quoddam eſt ſimplex, compoſitum alterum: illud dicitur, quod ſecundùm naturam ſyncerum eſt, hoc eſt nulla externa mixtione concinnatum: etſi enim verum ſit, omnia propemodum medicamenta etiamſi ſimplicia appareant, natura tamen eſſe compoſita, & valdè diuerſas obtinere facultates, vt adſtringendi, aperiendi, &c. notauit Galenus *lib. 3. ſimpl. 14.* hæc tamen compoſitio non eſt de qua in præſenti agimus, cùm illa intrinſecis principiis conſtet, nos de extrinsecis loquamur. Ergo medicamentum id ſimplex erit, quod natiua pollet ſynceritate, nec alienæ ſubſtantiæ conſortio miſcetur, cuique nulla alia res Medici opera acceſſit. Compoſitum verò erit quod ex multis ſimplicibus medicamentis, arte, & induſtria admixtum eſt. Hoc modo Galenus *4. de ſanit. tuend. cap. 5.* diatrion pipereon, aliud ſimplex vocat, aliud compoſitum. Sic dicitur oxymel ſimplex, oxyſacchara, diaprunis vocatur ſimplex, & compoſitus. Simplicia medicamenta ſunt compoſitis priora, tempore, natura, & doctrina: Nam natura ſimplicia ante compoſita produxit, & ſimplicium cognitio compoſitorum cognitione priùs eſt habenda, ex Gal. *7. ſec. loc cap. 1. prope fin.* Deinde compoſitis medicamentis is ſolùm vtetur, qui ſolùm ſimplicium vires nouerit, ex Gal. *8. ſec. loc. cap. 1.*

Compoſita medicamenta improbanda eſſe ſoliſque ſimplicibus in morborum curatione eſſe vtendum arbitrantur plures, hoc videtur aſtruere Plinius *lib. 22. cap. 24. & lib. 24. cap. 1.* dum ſic ait. *Non fecit creata, malagmata, emplaſtra, collyria antidota parens illa, ac diuina rerum artifex; officinarum hæc, immo verius auaritiæ commenta ſunt, naturæ quidem opera abſoluta, atque perfecta gignuntur.* Sed hoc Plinij placitum, eſt ridiculum ob cauſas multas: Nam ſi eſſet verum, medicamentorum compoſitorum nullus eſſet vſus, vt Galenus inquit *lib. 1. ſec. gener. cap. 3.* verùm cùm plurimi morbi ſolis ſimplicibus curari nequeant, vt omnes morbi compoſiti curationem commodam eſſent adepti, idcircò compoſitio medicamentorum fuit neceſſaria: quoniam affectus ſimplex ſimplici remedio curabilis eſt, & ſi eſt compoſitus, ſimplici quidem nobis, ſed natura compoſito curatur, vt rectè notauit Sylujus *in præf. ad lib. 3. de modo miſcendi medicamenta.*

Quare triplex eſt compoſitionis ratio. Prima ſumitur ex morbo, ſecunda ex parte affecta, tertia ex ipſo medicamento: ea ſanè quæ fuit ſumpta ex morbo, fuit propter eius magnitudinem, vt quando nullum eſt remedium quod illi ex proportione reſpondeat, tunc permiſcentur medicamenta, vt debile ex permixtione fortioris validius euadat, & forte mixtione remiſſioris, aut contrarij remittatur: vel quando morbus contrarias habet indicationes, quæ à ſimplici medicamento perfici nequeunt, vel quia contrarias habet cauſas, vel affectus inter ſe complicati ſunt.

Secunda ratio componendorum medicamentorum eſt ſumpta ex parte affecta: nam quando longè diſtat vt iecur, lien, renes aut viſcus aliud, tunc miſcenda ſunt liquida, tenuia, quæ medicamenti facultatem ad partem affectam deducant, & roborent. Eadem viarum longitudo eſt in cauſa, vt in hæmoptoica paſſione, viſcoſis, & obturantibus medicamentis, calida alia, & tenuium partium congruenti menſura miſceantur, quæ vaſorum apertioni, ruptioni, & corroſioni ſunt infeſtiſſima: *miſcentur tamen diſtributionis eorum in corpus gratia: etenim aſtringentia, viſcida, ac tenacia ſibi ipſis viam præcludunt, quare opus habent facultate ipſis vias ſtruente, ac præparante.*

Poſtrema ratio deſumitur ex ipſo medicamento, quando videlicet eſt noxium, deleteriuũ, aut amaritudinem præſe fert, aut eſt horridum, & inſuaue; tunc enim permiſcemus quæ illius malitiam retundunt, aut addimus quæ grato odore, aut ſapore prædita ſunt. Sic Hip. *2. acut. 11.* veratro admiſcet daucum, aniſum, cuminum, vel aliquod

A odoriferum, nempe ſilphij ſuccum. Hanc ſententiam confirmans Galenus *lib. 3. ſec. gener. cap. 3.* ſic loquitur, *vſum quidem pharmaci purgantis eſſe oſtendit; ſed inſuauitatem eius in potu, morámque in ventriculo, condimentum requirere; multa ſiquidem quæ bibuntur pharmaca tam ſunt aſſumentibus inſuauia, vt ſtomachum ſubuertant, vomitúmque protinus cieantque dum licet paululum in ventriculo manere poſſint, poſtea tamẽ euomantur cùm prauas eructationes mouerint.* Hoc modo ſcammonio alia miſcemus frigida, craſſa adſtringentia, partes principes roborantia vt illius calori, tenuitati, & diſſolutioni partium principum occurramus. Sic opium, caſtorio, hyoſcyamum, allio, cepa, ſeminæ raphani; mandagroræ corticem, abſinthio; ſic frigida, calidis attemperamus, & deleteriam, & venenatam eorum facultatem corrigimus, admixtis iis quæ malitiam

B eorum infrænare valent. Hæ ſunt potiſſimæ cauſæ, ob quas compoſitio medicamentorum eſt ſummè neceſſaria præter alias quas ex profeſſo proponit Auic. *5. Canon. cap. 1.* & non ſiluit doctiſſimus Trincauellius *lib. 2. de compoſ. medicament. cap. 2.*

His iactis fundamentis accedamus ad quæſtionem propoſitam in qua pro parte affirmatiua habemus Galenum *lib. 5 meth. cap. 2.* qui dum doceret methodum contraria medicamenta permiſcendi, ſic inquit. *Atqui, amice, in cõmixtis ſpeciebus non ſeruatur actio ſua cuiuſque ſubſtãtiæ, ſic vt in vnaquaque corporis ſpecie adſit, quod morbo curãdo, conueniat, &c.* & *lib. de ther. ad Piſ. 10 in fin.* aſſerit, *ſimpliciũ medicamentorum virtutes non eaſdem manere in cõpoſitione, ſed diuerſam ex ipſorum confuſione conſurgere*, & Auic. *5. Canon. loc. cit.* dicit medicinas compoſitas duplex iudi-

C cium habere, alterum ex ſimplicibus, alterum ex forma compoſitionis, & maiorem eſſe vtilitatem, & virtutem in forma complexionali, quàm ſit ea quæ eſt in ſimplicibus quare inquit. *Et non reſpicias ad illud quod dicunt Medici, quod confert theriaca ad hoc propter ſpicam; & confert ad hoc propter myrrham, immò confert ita: verùm illud cui intendendum, eſt forma eius*, & infrà ſic ait. *Et ſcias quod in theriaca plurima ex compoſitis perducuntur ad corruptionem; & quadam perducuntur ad perfectionem, & operationem eius; &c.* Igitur aliam habent actionem medicamenta compoſita ab actione ſimplicium, & confirmatur, quoniam diuerſos affectus producunt medicamenta compoſita ab effectibus ſimplicium, vt conſtat in medicamento ſarcotico, theriaca, & aliis.

Pro altera parte videtur eſſe Galenus *lib. 1. antidot. cap. 5. in fin.* cùm ait, *medicamentorum vires eaſdem eſſe cũ*

D *virtute ſimpliciũ parua interueniente differentia ex componentibus,* & *lib. de theriac. ad Piſon. c. 16. ante fin.* affirmat *theriacam omnes ſuos effectus producere propter ſimplicia ex quibus fit, & maximè ob viperas.* Patet argumento hoc. Medicamenta, arte compoſita non habent aliam formam, neque aliam virtutem præter formas, & virtutes ſimplicium, ergo non poſſunt producere diuerſos effectus: probatur antecedens, quia ars non mutat intrinſecè, & ſubſtantialiter, ſed extrinſecè, & accidentaliter, vt Gal. firmat *lib. 2. de facult. natural. cap. 2.* & ſequeretur? quod artificiale non diſtingueretur à naturali ſi haberet formam, quæ actionis eſſet principium. Secundò, ſi diuerſam formã haberet compoſitum à ſimplicibus, ex quibus componitur, vel eſſet actione ſimplicium, vel à calore cœleſti; non actione ſimplicium, quia hæc non ſunt diuerſa; non à calore cœleſti, quia eſt cauſa æquiuoca, indefinita, & forma illa compoſiti cùm ſit definita, agens determinatum

E requirit.

Dic. Ergo medicamenta componi aut ex ſimilibus, quæ vel ſunt ſimilia in ſpecie, & in gradu; aut componi ex his quæ ſunt ſimilia in ſpecie, & diſſimilia in gradu? aut ex diuerſis, & contrariis. Deinde medicamenta compoſita, aut ſunt fermentata, & ſunt illa quæ facta ſunt vnum ſecundùm formam; aut non ſunt fermentata, & ſunt illa quæ facta ſunt vnum per aggregationem, vt cumulus tritici, & lapidum, & quemadmodum panem fermentatum dicimus, quando actione fermenti, & actione cœleſti acquirit quendam calorem concoquentem qui per totum permeat, cuius ſignum eſt raritas facta ſpongiæ inſtar,

inſtar, ſic quando medicamentum compoſitum à calore cœleſti, & ſimplicium, quendam calorem acquirit, qui concoquit, & permutat, & omnia in vnum redigit, tunc fermentatum dicitur.

Quapropter reſpondebis huic dubio hoc modo. Quando medicamentum componitur ex ſimilibus in ſpecie, & virtute tunc non habet medicamentum compoſitum, virtutem præter virtutem ſimplicium: quia cùm ſint omnino ſimilia, non agunt, neque patiuntur inter ſe, & ideò virtus neque remittitur, neque immutatur, & quamuis Galenus *lib. 3. meth. cap. 2.* damnet huiuſmodi modum compoſitionis ex ſimilibus, recipitur tamen à Medicis, quia etſi ſimilia ſint ſecundùm primas qualitates, diuerſa tamen ſunt in facultatibus ſecundis, & tertiis, à quibus diuerſi effectus emanant, quibus in morbis indigemus. Si tamen ſimplicia ſimilia ſint in ſpecie, diſſimilia tamen in gradu, compoſita eandem habent virtutem quam ſimplicia, aliquantulum tamen immutatam; nam ſicuti remiſſum remittit intenſum, ſic intenſum intendit remiſſum. Quando tamen componitur ex contrariis, virtutem retinet mediam, & compoſitam? modò contraria æqualia ſint in virtute: Nam quando diſparia ſunt, retinent virtutem potentiorem.

Si verò medicamentum eſt fermentatum, præter virtutem ſimplicium, retinet diuerſam naturam, quæ diuerſos effectus producit: patet, quia poſt fermentationem acquirit medicamentum formam, à formis ſimplicium diuerſam, quæ in illa corrumpuntur, & ſic diuerſam virtutem acquirit, quæ formam illam conſequitur, ſicut in mixtis naturalibus experimur. Ex iis intelligitur locus Auic. *lib. de virib. cord. tract. 2. cap. 4.* dicens, *in medicina fermentata eſſe duplum virtutis* hoc eſt, præter virtutem ſimplicium eſſe aliam virtutem quæ fermentationem conſequitur, & deinde dicit. *Quod ſi tota operatio theriacæ procederet ex parte ſimplicium, & non ex parte diſpoſitionis quam ſua complexio præbet, eſſet vtique recens efficacior, & vtilior fermentata, cuius contrarium tamen eſt: recens enim pauci iuuamenti eſt, &c.* Ex dictis conſtat, quid ſit reſpondendum ad Galen. *locis ſuprà citatis,* & quomodo difficilis illa ratio ſit ſoluenda, quia ſtatuendum eſt principium intrinſecum, actiuum, naturale, quod eſt cauſa fermentationis, & introductionis formæ de nouo. Conſule de viribus theriacæ penès eius ætates, Ioan. Baptiſtam Syluaticum *lib. ſuo de theriaca,* qui hæc omnia diligenter proſecutus eſt, & eius compoſitionem laconicè, & doctè propoſuit eruditiſſimus Nicol. Fontanus, Medicus præclarus *ſect. 8. inſtit. pharmac. cap. 3.*

QVÆSTIO XLI.

Vtrùm aër ſit frigidus aut calidus, an tam in actiuis quàm paſſiuis temperatus, vt contra Galenum aſſerunt Stoïci, Peripatetici, Brauus, Carrerius, Peramatus, Carmona, Mercatus, Conimbricenſes, & alij Neoterici præſtantiſſimi.

COMMENTARIVM.

[A*Erem infectum.*] Licèt cum Medicinæ peritis hunc totum hactenus librum ſimus negotiati, pergamus in his duabus quæſtionibus Philoſophorum ſcita contexere, in illos aciem dirigentes. Quum enim communiſſima peſtis cauſa, aër ſit, & nos variè immutet continuò, non erit indecens Medico curaturo illius temperamentum callere ad vnguem, maximè cùm Philoſophi, & Medici in hoc argumento diſcutiendo ſummoperè digladientur, quorum commentationes de hac re cùm legeris nos compertius quidpiam in literas illis deprompſiſſe arbitraberis, & maximè Valleſio qui *lib. 1. cent. cap. 3.* meam ſententiam confirmat, quam ego fortioribus machinis muniam ac defendam. Quamuis autem quæſtio apud antiquos Philoſophos, tam Stoïcos, quam Peripateticos variè ſit ventilata, vt refert Galenus *lib. 2. ſimpl. cap. 20.* quorum alij frigidum, alij calidum affirmabant, habet tamen ſpinas, & aculeos aſperrimos, acutiſſimóſque.

Seneca Stoïcorum opinionem amplexus eſt *lib. 2. natural. quæſt. cap. 10.* Cicero *lib. de natur. Deo.* ita dixit. *Aër qui natura eſt maximè frigidus,* & ſtatim ſubdit, *ipſe enim oritur ex reſpiratione aquarum & earum quaſi vapor habẽdus.* Idem firmat Philo Iudæus *in lib. de plantat. Noë,* ſubſcribit Gal. *lib. quod anim. mor. cap. 4. & 8. de vſu part. cap. 3.* vbi apertè Ariſtotelem reprehendit, qui aërem calidum ſtatuerit, & *8. de vſu part. cap. 2.* dixit aërem eſſe cerebro frigidiorem, quam opinionem validis argumentis ſic confirmo.

Primò. Medium aëris inſtertitium ſemper eſt frigidum, ſed nullum violentum eſt perpetuum, vt ait Ariſt. *lib. 1. de cœlo, cap. 3. text. 28.* ergo aër naturaliter frigidus eſt. Secundò. Vbi elementum magis à contrariis eſt ſeiunctum, & ab eorum actionibus liberatum, magis ſuas qualitates ſeruat, ſed aër in ſua regione media eſt magis à contrariis liber: Nam inferior eius pars à terra, & ab aqua alteratur, in ſuperiori autem regione alteratur ab igne, ergo cùm media eius regio ſit frigida, in ea videtur aër magis naturam ſuam ſeruare, ſed ibi eſt frigidus, ergo naturaliter frigidus eſt.

Tertiò. Aër par abſentiam ſolis qui eum alterabat, redit ad frigidam naturam, ergo frigidus eſt. Nam ea potiſſimùm de cauſa aſſerimus aquam eſſe frigidam naturaliter, & quia tactui ita oſtenditur, & quia ab igne alterata; abſente igne ad ſuam naturam redit.

Quartò. Quando violenter flabello mouemus aërem, etiamſi æſtas vigeat, & aër calore veluti excandeſcat, aër à nobis frigidus percipitur, nóſque calentes infrigidat, ſed motus hoc modo magis ſuam naturam ſeruat, ergo frigidus erit ſuapte natura. Seruare autem tunc magis naturam ſuam ex eo fit manifeſtum, quia aër per motum illum magis vnitur, pars enim aëris ad partem motu illo alliſa magis iungitur, quod ſi aër magis iunctus eſt, tunc eius virtus, & qualitates fortius debebant apparere: Nam virtus vnita fortior eſt ſe ipſa diſperſa, ſed tunc euidentius apparet frigiditas, ergo aër frigidus eſt.

Quintò. Quantò magis montium cacumina ſeſe erigũt, tantò magis in illis aër eſt frigidior, vt oſtendunt niues ibi vel æſtatis tempore concretæ: at ſi natura ſua aër eſſet calidus, quantò magis montes ad illius regioné accederent, tantò magis aër illos circundans eſſet calidus: ac proinde montes illius calore incaleſcerent, niuéſque liquarentur, vel ob aëris calorem in montibus nunquam apparerent, ſed contrarium apparet, ergo aër frigidus eſt.

Sextò. Ex primis qualitatibus nullum habemus meliorem iudicem quàm tactum, vt paſſim Ariſt. & Gal. affirmant, ſed ſi aërem moueas, quamuis tempus æſtuet, ſemper frigidus tactu percipitur, ergo aër frigidus eſt. Neque inſtes in æſtate aërem videri frigidum, quia tunc tempus æſtuat, & calor viget: Nam ſi aërem non moueas, caliditas potiùs, quàm frigiditas percipitur.

Septimò. Aqua aëri expoſita congelatur, quod aliter contingeret, ſi aër natura calidus eſſet, potiùs enim tunc liquaretur quàm concreſceret. Nec dicas cum Thoma à Veiga *lib. 1. art. medic. cap. 1.* id fieri ob vapores à ſeptentrionali mari eleuatos, aëríque mixtos: Nam ipſi vapores ab aqua ſalſuginoſa maris eleuantur, quæ non adeò frigida eſt, vt hæc noſtra. Præterea cùm à tam longinqua regione afflent, & in aëre natura calido, vt ille affirmat, recipiantur, & à calore ſolis eleuentur, eorum profectò frigiditas infringetur, & non ita frigidi erunt, vt aquam congelare queant, neque enim videtur quomodò tanta frigiditas eis remaneat, quum rari ſint, & actionis debilis, vt aquam ad gelu perducere queant. Deinde vel iſti vapores ſua frigiditate congelant aquam, vel frigiditate aëris. Primum, falſum eſt: quia illa ſeptentrionalis aqua à qua vapores iſti eleuantur, non eſt frigidior fontana noſtra, immò calidior, quum ſit ſalſuginoſa; ſecundum ſi aſſeras, iam aërem frigidum efficis, ergo, &c. Accedit, quia cùm ipſi vapores præ maxima frigiditate aquam poſſint congelare, meritò ipſi prius concreſcent, ſuam à propria forma intendendo frigiditatem, ac proinde non immeritò ipſi congelati deſcendent grandinis inſtar.

Vltimò

Vltimò. Cùm aqua aëri eſt expoſita, & congelatur, non A ſemper adeſt ventus ſeptentrionalis,& quamuis aliquando adſit,vapores illi non gelantur, nec in modum grandinis, aut niuis ſemper apparent. Ergò nunc frequentiſſimum euentum non ex vaporibus frigidis, ſed ex aëris frigidi natura contingere eſt dicendum.

Octauò. Aër ex aqua,quæ naturâ frigida eſt, perſolam rarefactionem fit,vt Ariſtot.& Cicero affirmant 2.*de nat. deor.* Ergo aër natura ſua frigidus eſt. Deinde oleum aëreum eſt natura ſua, inſidet enim aquæ, & ſuperius aſcendit: ſed oleum quauis ex cauſa denſatur, ergo frigidum eſt, ac proinde aër, cuius naturæ oleum eſt, frigidus erit natura.

Nonò. Aër non ſolùm ventilatione corpora noſtra refrigerat, ſed etiam reſpiratione attractus cordis calorem B attemperat, in quacumque parte corporis noſtri incluſus, ſiue in inteſtinis, ventriculo, aut vtero vehementis frigoris ſymptomata excitat, quæ ſolùm calorificis auxiliis euaneſcunt, ergo aër frigidus eſt.

Sed hæc opinio reprobatur ab Ariſtotele Philoſophis, & Medicis, argumentis multis, qui aërem calidum eſſe enixè comprobarunt, de quorum numero ſunt Ioannes Brauus doctiſſimus *lib.* 1. *de purgand. rat.c.*6.Carmo.*lib. de febre puncticulari in med.*Chriſtoph.à Vega*lib.*1.*art med. cap.* 1. Conciliator *dif.*14. Mercatus *tom.* 1. *part.*1.*claſ.* 4. *quæſt.*26.Argenter.*lib.art.med.cap.*8.*fol.mihi* 133.Petrus de Peramato *lib. de element.cap.*11.& primò ſic Aër generatur actione excedentis caloris, vt patet in igne cum aquam in aërem reſoluit: ergo aër natura ſua calidus eſt. Secundò. Leuitas eſt comes caloris: quare quæ calefiunt,rariora redduntur, & leuiora, ſed aër eſt leuis,ergo. Tertiò. C Niſi aër eſſet calidus, diſſolueretur harmonia illa, & concors diſcordia,quæ in elementari mũdo ex quatuor primarum qualitatũ diſtributione exoritur. Quartò. Eſſent tria elementa excellenti gradu frigida,nec ignis cum aëre,qualitate altera pugnaret, altera conueniret, ergo.Quintò Aër in abditis terræ locis frigore corrumpitur, quod ibi nimium algens craſſeſcit,& in aquam vertitur; ergo ſi à frigiditate corrumpitur, non frigidus, ſed calidus erit:nam ſi frigidus eſſet, potiùs à terræ frigiditate conſeruaretur quàm corrumperetur: etenim vnumquodque conſeruatur à ſibi ſimili, & deſtruitur à contrario.

Sed nos vtriuſque partis rationes redarguemus diligentiſſimè, ſi noſtram priùs firmemus poſitionem. Aër neque frigiditate, neque caliditate excedit, ſed potiùs in actiuis temperatus eſt. Hanc defendunt Thomas Garbius *lib.* 1. D *ſum.tract.* 1.*quæſt.*2. Valleſius *lib.*1.*cont.*3.Archangelus Piccolhominæus *in l.Gal.de humorib.fol.mihi* 32. Heurnius doctiſſimus *lib.*1 *inſtit.medic.cap.*3.Patet primò.Nam auctoritas Galeni nos non cogit aſſerere aërem eſſe frigidum, negando illum habere caliditatem, quoniam tantùm aërem infrigidare, frigiditatémque habere affirmauit, quam frigiditatem quidpiam temperatum habere poteſt, & reſpectu calidi frigidum nuncupari: hoc modo cùm æſtuantem cordis calorem contemperet, etſi temperatus, frigidus poteſt vocari.Præterea Galenus *lib.quod anim.mor. cap.*4. non pronuntiauit aërem eſſe frigidum, ſed permixtione ignei elementi eſſe temperatum! & ſi aliquando id aſſeruit, non ex propria, ſed Stoicorum mente loquutum fuiſſe intellige. Et licet aërem cerebro eſſe frigidiorem aſſeueret, non inde ſequitur aërem eſſe excellenter frigidum; cerebrum enim, & reliquæ partes,quas in viuente frigidas appellamus, actu calidæ ſunt, aëre calidiores, etiam quando æſtate excandeſcit, quare ex Galeni ſententia aër non frigidus, ſed temperatus eſt ſtatuendus.

Primò.Oleum,& cera aërea ſunt,at hæc temperata ſunt, ita,vt tam frigidorum, quàm calidorum medicamentorũm materia ſint,quia cũ quolibet medicamento,ſiue calido,ſiue frigido permixta,facilè ad illorum medicamentorum naturam tranſeunt, ergo aër in actiuis qualitatibus temperatus eſt.

Secundò. Temperata dolores mulcent, ſed hæc aërea ſunt,ergo.Maiorem & Minorem probat experientia:Nam oleum amygdalarum dulcium, & lini, dolores lenit, & aëreum, & temperatum eſt, ergo & aër, &c.

Tertiò.Quod æquè eſt ad alterutrũ extremorum tranſmutabile, illud vtriuſque extremi æquè eſt expers, vel de vtroque extremo æquè participat: hac enim de cauſa ſymmetra, & temperata corpora ſunt ad mutationes contrarias aptiora, ex Ariſt. 5. *prob.* 22.Sed aër facillimè, & ex quacumque cauſa,nunc ad frigiditatem,nunc ad caliditatem vergit, ergo aër natura temperatus eſt. Sed firmiſſima hæc ratio apud aduerſarios inualida videtur, dum rentur hanc facilem mutationem ex aëris tenuitate emanare: nam tenuis eſſentiæ corpora facilè perpetiuntur,& promptè incaleſcunt,& refrigerantur, idem affirmant Auic.2.1. *doct.*2.*ſum.cap.*23.& Auer.1.*part.cantic.com.*100.*&* 109. Huic obiectioni reſponde, Galenum, Auic. & citatos auctores de rebus eiuſdem naturæ eſſe intelligendos: non enim vapor opij facilius incaleſcit,quàm granum piperis, nec ignis, qui tenuior multò eſt aquâ, faciliùs alteratur, quàm aqua, nam ſui caloris eſt tenaciſſimus, & inter cætera elementa efficaciſſimus: hæc enim diuerſæ naturæ ſunt:quoniam ſi aquam cum aqua conferas, tenuior aqua faciliùs alterabitur, quam craſſior, hæc namque eiuſdem naturæ ſunt, quæ omnia, vt cætera bellè explicat *loc.cit.* Valleſius.

Vltimò.Aër propter nos creatus eſt,eius vſu caloris noſtri ſymmetria ſeruatur, eius interuentu viuimus, ergo ad hos vſus tem neceſſarios debuit eſſe temperatus: Nam aëris qualitates excedentes morbos pariunt,& eius excedens calor,febrem concitat,& plurimi aëris caliditate ſuffocati ſunt, & frigiditate extrema extincto vitali igne, ſubitò occubuere, vt in algidis, & niuoſis locis quotidie, hæc damna euenire experimur.

Nunc Stoicorum argumenta ſoluenda.Dic ad primum aëris mediam regionem non eſſe perpetuò frigidam ſecundùm eaſdem partes vaporum facientium illam violentam frigiditatem, ſed per ſucceſſionem: Nã ſemper aliqui eorum vaporum corrumpuntur, & de nouo aliqui ſuccedunt. Quando autem Ariſtoteles dixit,nullum violentum eſſe perpetuum, intelligitur ſecundum eaſdem partes. Solue ſecundò. Nullum violentum ſemper eſt perpetuum, dummodò non habeat perpetuam cauſam fouentem eam violentiam;at media aëris regio ſemper eſt violenter frigida:à terra enim, & aqua ſemper vapores aſcendunt illam violentam frigiditatem fouentes.

Ad ſecundum dic mediam aëris regionem etſi per ſe, & ratione loci ſit à contrariis magis libera, quam reliquæ aëris regiones,tamen per accidens à contrariis eſſe magis occurſatam,nempe à vaporibus per radios ſolares à terra in mediam illam regionem deuectis: quamuis enim hæc infima aëris regio, aquæ terræ propinquior ſit,tamen ob caliditatem in ea genitam à reflexione radiorum ſolis, à contrariis eſt magis libera: caliditate enim illa vapores è terra, & aqua eleuati abſumuntur, & aërem hunc noſtrum non ita infrigidant, ſed cum parum ibi morentur, ſtatim à ſolis radiis in mediam regionem eleuantur, ad quam nec caliditas ſolis,nec radij ipſius reflexi non accedunt, quare cum vapores non diſſipentur, idcircò media aëris regio frigidior exiſtit.

Ad tertium dic,quòd aër per abſentiam ſolis refrigeratur,quia tunc eleuâtur è terra,& aqua vapores qui aërem alterant, & cùm à ſolis calore non caleſcant,neque abſumantur, & ibi vſque ad ſolis reditum perſiſtant,aërem ad E ſuam frigidam naturam reducunt: aqua autem quæ fuit calefacta,non à re extranea,vt aëre, & vaporibus infrigidatur iterum,ſed à propria forma ad ſuam naturam redit, quare multo maior ratio eſt in aqua,quàm in aëre.

Ad quartũ dic,non reprobata hac in re opinione Ariſt. 5.*probl.*24.& Alex.5.*probl.q.*3. aërem motum flabello nos non infrigidare, quia ipſe magis vniatur, ſed quia vapores aquei, & terrei qui frigidi ſunt, ei immixti ventilatione vniuntur, & per vnionem fortiùs naturam ſuam, quæ frigida eſt,tuentur,ac proinde magis nos refrigerare valent.

Ad quintum dic:quod cùm medium aëris interſtitium ſit frigidum, ideò montes illi viciniores eſſe frigidiſſimos.

Ad ſextum patet reſponſio ex dictis:Nam aër vaporibus frigidis immixtus,dum manu mouetur, tactui ea de cauſa frigidus apparet

Ad ſeptimum dic. Aqua in fonte, vel mari contenta habet multos vapores calidos ſibi adiunctos: quia è ſinu terræ ſcaturit, quæ habet calidos vapores à ſole genitos, qui in ea derelicti non ſolùm terram calefaciunt, ſed etiam aquam, quæ terræ quaſi immixta eſt, ad calorem ducunt: terra enim cùm tenaciſſima ſit, retineatque vehementer qualitates ſibi à natura, ſole, vel quacumque alia cauſa ſemel impreſſa, illos calidos vapores exhalare non ſinit, Adde ſub terra multos ac ingentes latere ignes, qui aquas quæ à terræ cauernis erumpunt calefaciunt. Ab aqua ergo quæ à fonte extrahitur, vapores illi calidi exhalant, & cùm aliis de nouo non foueatur, & ob aëris frigidam conſtitutionem, non propriam, ſed adſcititiam ipſa aqua frigida manet, & à propria forma ita intenditur, quovſque remanentibus partibus craſſis concreſcit.

Ad octauum dic: non inde ſequi aërem eſſe frigidum, quia fit ab aqua vi caloris rarefacta, nã calore ignis aquæ qualitates corrumpuntur, & in aëre genito ex aqua non manent. Ad nonum dic. Oleum in hyeme craſſeſcere, non quòd natura frigidum ſit, ſed quia temperatum eſt, & facilè ad quoduis extremum ducitur: inſuper quia præter naturalem ſuam conſtitutionem frigore correptum, eius calore intereunte corrumpitur, & in eum modum denſatur, vt firmat Ariſt. 4. *meteor*. 7. *& lib*. 2. *de generat. cap*. 2. de quo arguméto lege Vicomercatum *in com. cit. loc. Ariſt*. Ad vltimum ex dictis ſolutio patet, nam aër non infrigidat nos niſi alteratus: deinde quia etſi temperatus ſit, noſtri caloris reſpectu frigidus poteſt vocari: nos enim dum viuimus, aëre multo ſumus calidiores, etiam in æſtate, ideoque nos poteſt infrigidare.

His ſolutis, ad Peripateticorum rationes diſſoluendas accedamus. Ad primam dic: non omnia quæ generantur à calore, eſſe calida, vt patet in cicuta, & opio. Accedit quod vapores illi ex aqua geniti non ſunt aër, ſed potius ſtatim vbi in ſupremam regionem ſunt eleuati, in imbres, niues, & grandines conuertuntur. Ad ſecundam dic: quod leuitas non eſt comes caloris, ſed potius raritatis. Deinde, non omnia quæ calefiunt, rariora euadunt, immò aliqua incraſſantur, vt patet in ſaccharo, melle, & aliis, in quibus, reſolutis à calore partibus tenuioribus, cocta, craſſiora euadunt.

Ad tertiam dic: illam concordem diſcordiam, illámque harmoniam neceſſariam non eſſe, neque rationibus phyſicis inuentam: & quamuis inter elementa dari harmoniam concedamus, hanc non in elementorum qualitatibus primis conſiſtere, ſed potius in modo ſubſtantiæ aſſerimus: quoniam in vnoquoque elementorum, vt ait Plato *in Tim*. alia eſt conuenientia, quam hiſce verbis deſcribit. *Oportet autem conſiderare in vnoquoque elemento tria, nempe ſubſtantiam, virtutem, actionẽ, vt v.g. ignis, ſubſtantia leuis, virtute actiuus, actione mobilis: aër, leuis, oblutus, mobilis aqua grauis obtuſa, mobilis: terra grauis, obtuſa, immobilis*. Quo pacto conueniunt. Nam aër conuenit cum igne, leuitate, & mobilitate: aqua cũ aëre, obtuſione, & mobilitate: terra cum aqua, eadem obtuſione, & grauitate.

Ad quartam dic: ſuperfluam eſſe illam elementorum pugnam ſtatuere. Ad illud verò de conuenientia ignis, & aëris, ex proximè dictis ſolutio patet. Quod verò non ſint tria elementa in ſupremo gradu frigida, patet apertè: nam aër non eſt frigidus, ſed temperatus. Ad vltimum dic: aërem non eſſe frigidum, ſed temperatum: quare facilè ad quoduis extremum ducitur: maximè quia terræ frigiditate eius calor corrumpitur, & terream frigiditatem acquirit, à qua alteratus, & in ſpiſſitudinem ductus in aquam migrat. Ad vltimam dic: aërea non eſſe calida, ſed temperata.

Sed proſequentes cœptam de aëris temperamento tractationem in actiuis qualitatibus, & aliam de eius temperamento in paſſiuis inquiramus. Aërem autem non eſſe ſummè humidum, ſed temperatum probari poteſt primò. Nullum habemus meliorem, & certiorem de primis qualitatibus iudicem, quàm tactum: at nullam humiditatem percipit tactus in aëre, ergo aër non eſt humidus. Si neges maiorem, confirmabo hoc modo, quoniam nullus ſenſus benè diſpoſitus obiecto debitè approximato poteſt falli circa propriũ ſenſibile. Præterea Ariſtoteles tactu vtitur: A Ad primas qualitates indagandas, elementis enim has qualitates ineſſe nullo alio euidentiori argumento demonſtrat, quàm ſenſu tactus: Senſus enim nunquam fallitur circa proprium obiectum, ſi non ſit impedimentum tam ex parte organi, quàm obiecti, vt affirmat Ariſtot. quem ſequitur Tullius *in Academicis quæſtionibus*, ſubſcribunt Mirandul. *lib*. 2. *de examine vanitatis*, Magnus Albertus *tract*. 3. *cap*. 5. Apollinaris *quæſt*. 13. probant Conimbricenſes *in lib*. 1. *Ariſt. de anima, cap*. 6. *quæſt*. 6. *art*. 2. *aſſert*. 2. & Lucretius *lib*. 1. quem citat Fernelius *lib*. 5. *de temper. cap*. 5.

Quid referemus enim; quid nobis certius ipſis
Senſibus eſſe poteſt; quo vera, ac falſa notemus?

Quoniam ſenſus optimè diſpoſitus apprehendit rem, vt ipſi in ſpecie repræſentatur, ſpecies verò talis eſt, quale obiectum ipſum in ſe, quum naturalis eius imago ſit; quò B fit, vt ſenſio reſpondeat ſpeciei, ſpecies rei cognitæ, ſicque nullus deceptioni locus relinquitur, modo ſenſus benè diſponatur, & obiectum ſit proportionatum. Nec obſtat obiectio Conimbricenſium *loc. ſuprà citato*, qui aſſerunt poſſe errare ſenſum, quum ſenſibile ita apprehendit, ac ſi haberet in ſe aliquam qualitatem, quam non habet, & ponunt exemplum in guſtu, cuius inſtrumenta, nempe palatum, & lingua bile occupantur: tunc enim aſſerunt percipere guſtum amarorem in cibo ob bilis portionem qua ſunt delibuta, cum re vera cibus amarus non ſit, ſed licèt putent concludere, non tamen euincunt: Nam in propoſito exemplo ſenſus non eſt benè diſpoſitus, quum ſit intemperatus: neque enim hoc erat neceſſarium argumentis comprobare: qui enim à ſenſibus certitudinem abſtulerit, abro- C gabit etiam omnem in ſcientiis certitudinem, vt eleganter aſſerit Fernelius *loc. ſupra cit*. qui ſequentibus Lucretij carminibus id confirmat.

Inuenies primis ab ſenſibus eſſe creatam
Notitiam veri, neque ſenſibus poſſe refelli,
Qui niſi ſint veri, ratio quoque falſa ſit omnis.

quod eo loco Fernelius alio eiuſdem auctoris poëmate etiam comprobat.

Secundò. Ideò Ignem dicimus ſummè calidum, quia ſummè, & vehementer calefacit, ſed aër ſummè non humectat, ergo non eſt ſummè humidus. Obſtabis, aërem ob tenuitatem ſubſtantiæ non humectare tantum, vt aqua: Dic: quod tenuiores ſunt milleſies radij quos emittit ſol, tenuiórque & rarior eſt ignis, & tamen impensè, tam radij, quàm ignis calfaciunt.

D Tertiò. Quod eſt ſummè humidum, non poteſt exſiccare, ſed aër ſuo afflatu terram, & corpora ſiccat, ergo: quare Auic. 1. 1. *de complexionib. cap. vlt*. aërem dicit eſſe ſiccum, ideóque mortis cauſam eſſe, & Galenus *lib. de cauſ. ſympt. cap*. 7. aërem ambientem exſiccare, & ideò famem efficere affirmat, ergo non eſt ſummè humidus.

Quartò. Si aër omnium humidiſſimus eſſet, omnium tenaciùs humiditatem retineret, ſed aqua tanaciùs humiditatem retinet, quàm aër. Maior cùm minori patet: nam difficilius humor aquæ, quàm aëris remittitur, ergo.

Quintò. Aqua tempore pluuiæ humectat aërem, at non humectaret humidum in ſummo, ergo. Sextò. Planeta qui humidiſſimus cenſetur, nempe luna, dicitur aquæ domi- E nari: ſed ſi aër humidiſſimus eſſet, aëri dominaretur: ergo aër, &c. Septimò. Probatur auctoritate Geleni *lib*. 1. *de elem. cap*. 3. *&* 1. *ſimpl. c*. 8. *&* 12. Albert. Magn. *tract*. 1. *cap*. 12. Auic. 1. 1. *doct*. 2. Garb. *in ſum. tra*. 1. *quæſt*. 2. fauet Ariſt. 4. *meteor. cap*. 4. *in med*. Aëtius *tetrab*. 1. *ſerm*. 1. *cap*. 1. ſubſcribit Ariſt. 2. *de generat. cap*. 8. *text*. 48. aſſerentis ſolam ex omnibus elementis aquam optimè terminari, quod humidiſſimi proprium eſt & *cit. meteor*. ipſe edocuit, firmans aquam maximè propriè dici humidam, & hoc experimento comprobatur: hectici enim potiùs balneis aquæ dulcis humectantur, quàm aëre.

Octauò. Quod æquè ab extremis diſtat, æqualiter de eis participat, ſed aër æqualiter diſtat ab extremis, quum æquè faciliter humectetur, & exſiccetur; ergo temperatus in humiditate eſt: nam nulla percipitur in aëre humiditas, vel paruiſſima, niſi dum pluuiis, ac nebulis obſidetur.

Nonò. Omnia quæ in hoc mundo ſunt propter hominis

nes ſecundariò ſunt creata , ita vt hic ab omnibus Philoſophis, mundi finis appelletur. Sed ad hominis conſeruationem, & tutelam melius fuit, eum in actiuis,& paſſiuis eſſe temperatum. Ergo , quoniam hic ad vitam, ſanitatémque magis conducit , intemperatus verò principiis vitæ eſt aduerſus valdè , omnia enim ad ſui conſeruationem ſimilibus gaudent, calor autem naturalis in quo vita conſiſtit , & in humido perſeuerantiam habet temperatus eſt : ſolùm enim ille eſt naturæ operantis inſtrumentum , qui proportionatus eſt , & commenſuratus, ex Gal. *lib. de inæqual. intemper.cap.*3 .Ergo aër qui calori adeò inſeruit , debet eſſe temperatus : humidus enim rheumata parit, generat comitialem morbum, paralyſim,dentium dolores , ergo, &c.

Decimò. Superflua eſſet hæc humiditas , quum aqua magis humectet , & eius humditas ſufficiat. Præterea plantæ,niſi aqua,vel pluuia irrigentur,ob humiditatis defectum ſiccеſcunt,non germinant , pereunt. At ſi aër eſſet humidus in ſummo, non exiccarentur, quia aër perpetuò plantas tangit,ac ex conſequenti humectaret, ſed non humectat, ergo non eſt humidus in ſummo. Nec inſtes aëris humiditatem non ſufficere , nam plantæ , ſicut nec alia mixta , ad ſummum humiditatis gradum peruenire non poſſunt,ſed hunc habet aër,ergo ſufficit, ac ſuperabundat eius humiditas. Inſuper aër humidus pro ſalutis tutela nõ eſt vtilis,ex Hip.3. *Aph.*15.*ſiccitates imbribus ſulubriores.*

Inſtant acerrimè contrariæ partis defenſores in principio quæſtionis citati,& præſertim Conimbricenſes *com.in lib.2.de generat.& corrupt.c.3.quæſt.*4. qui aërem ſummè humidum eſſe contendunt. Primo Humidum eſt quod facilè terminatur termino alieno,ſuo difficulter coërcetur, at hoc præ cæteris elementis aëri accomadatur , ergo. Secundo. Quæ humidiora ſunt,affluxu aëris humidiora fiunt,vt oleum, & cera. Tertio inductione probant:Nam ſumma humiditas non competit igni , alioqui cùm calor humiditate hebeſcat,non eſſet ignis,vti eſt ſummè actuoſus :non conuenit terræ , quum ſit maximè compacta, & ſolida : non , aquæ , cum non tam facilè terminis alienis claudatur. Ergo aëri.

Sed hæc parum vrgent. Dic ad primum , definitionem humiditatis noc aëri, ſed aquæ conuenire. Dic ſecundò , illam definitionem non eſſe quidditatiuam,nec propriam humiditatis,immò potius eſſe raritatis, & tenuitatis,ideóque faciliùs clauditur termino alieno aër,non propter humiditatem,ſed propter ſubſtantiæ tenuitatem, quæ magis penetrat , & faciliùs huc,& illuc ducitur. Ad ſecundum, reſponde minorem eſſe falſam,vt quotidiano experimento comprobatum eſt , quis enim non videt contrarium ? Sic corium ſiccum aëri appoſitum,euadit ſiccius,aqua tamen madefactum , humidius.

Ad vltimum dic : aquæ illam humiditatem conuenire, & ad illud quod obiicitur aquam non tam faciliter claudi termino alieno,iam reſpondimus in ſuperioris argumenti ſolutione.Ex iis patet , non rectè conciliaſſe Valleſ.*lib.*1. *cont.cap.*2. Ariſtotelem cum Galeno, dum affirmat Galenum ſtatuiſſe aquam humidiſſimam eſſe tanquam medicamentum,Ariſtotelem verò aërem humidiſſimum effeciſſè tanquam elementum: quia eadem ratione ignis eſſet ſicсior terra , & terra igni , ignis tanquam medicamentum, terra tanquam elementum. Deinde medicamenta non alia de cauſa qualitatibus præcellunt , niſi quia elementa eas qualitates habentia in illis medicamentis exuperant, & non niſi ratione elementorum talia dicuntur : Sed ſi ratione elementorum imprimunt qualitates ſuas, ſuóſque effectus fortiores producunt , elementa profectò magis ſuas qualitates imprimeut : Nam propter quod vnumquodque tale , & illud magis : ſed propter elementa humectant medicamenta, ergo elementum magis humectabit,quàm medicamentũ,ſiue id vt elementum,ſiue vt medicamentum ſumas , ſemper aqua plus humectabit. Ergo aër tam in actiuis,quàm in paſſiuis temperatus eſt, quum in medio ſit extremorum,medium autem temperatum eſt, vnde illud.

Cum media ſemper gaudebam ludere forma,
Maior enim mediis gratia rebus ineſt.
Lib. IV.

A & illud Martialis.

Illud quod medium eſt,atque inter vtrumque, probatur,
Nec volo quod cruciat , nec volo quod ſatiat.

QVÆSTIO XLVII.

Vtrùm ſolus aër,an cætera elementa peſtem generent, vt contra Hippocratem,& Galenum Septalius, & Valleriola aſſeuerant.

AErem infectum.] Elementa omnia poſſe eſſe potiſſimam cauſam peſtis, videtur à ratione alienum : indecens enim erat ea quæ ad hominis mixtionem concurrunt , putredinis cauſis eſſe obnoxia , & ad producendam peſtem paratiſſima, homo enim finis huius mundi cenſe-
B tur , vt poſt Platonem aſſeruit Ariſt. 1 . *Politicor.c.*5 : quia ſpectabilem hunc mundum hominis gratia procreauit, tum quia homo iure inſitæ nobilitatis , & eminentioris formæ prærogatiua, totam corpoream naturam ad ſe conuocat : eſt enim naturæ lege comparatum , vt quæ inferioris notæ ſunt, ad præſtantiora , ſi eis præſertim aliquo modo vſui eſſe poſſint, referantur. Quo pacto forma elementi, quæ omnium deſpicatiſſima eſt, ad formam corporis mixti proximiùs accedit, hæc, ad vegetatricem, hæc,ad ſenſus compotem,hæc denique ad animam rationalem,quæ omnium formarum numeros,& perfectionem in ſe continet:nam homo, inquit Platò *in Phædro*,ſapienter,eſt planta cœleſtis, non terrena:fuſiùs hæc docet Epictetus dicens ſapienter omnia animantia Dei eſſe opera,hominem præcipuè, omnium animalium perfectiſſimum , cuius gratia cætera illa Deum in ſe habere : vbique enim, & intra om-
C nia Deus hominem diuinæ naturæ eſſe particulam , & Deum intra ſe circumferre.

Ex iis conſtare arbitror,quàm ridicula ſit eorum Philoſophorũ opinatio,qui ex putri materia, hoc eſt terra cum putri humore incaleſcente,procreari hominis corpus opinati ſunt:confutat hoc ſolùm argumento I.C.Scaliger *de ſubtilit.exercit.*6. *hoc ſi verum eſſet, aliquando certè extitiſſet:at quibus cœlorum circumactionibus hactenus compertum ſit,ignoramus*,quem tam inſipientis ſapientiæ,támque abſurdæ opinionis auctoré multis argumentis reprehendit eximius Philoſophus Benedictus Peretius *lib.*8.*de princip. rerum natural. cap.*16. refutat etiam inanem Ariſtot. *lib.*2.*Politic.cap.* 6.Ita irridendus Hieronymus Cardanus, qui in ſuarum ſubtilitatum claſſe, hanc ſanè craſſam cenſuit reponendam; non ſolùm minuta , ſed & maiora animalia è putredine, immò omnia credendum eſſe originem
D ducere, validiſſimo vſus argumento , à minori ad maius. Mus è putredine poteſt naſci, ergo & homo poteſt. Egregia probandi ratio!eam iure ſuo riſit Scaliger *exercit.*193. Horum Philoſophorum ſententiam à Virgilio expreſſam notat Lactant.Firmian.*Errantes*,inquit,*quidam philoſophi aiunt homines cæteraque animalia ſine vllo artifice orta eſſe de terra*, vnde illud Virgilij.

Terra progenies duris caput extulit aruis.

Quapropter ſi homo ex putri materia non gignitur,quo pacto ex elementis conflabitur , quæ corruptioni ſunt prona?

Ignis putrere non poteſt , nec peſtem generare : ſic enim calidiſſimus eſt, ſicciſſimus , omnis humoris expers: putredo autem ſine humore non conſiſtit. Deinde omnia abſumit, habétque vt ſubſtratam materiem , quare apud Philoſophum 3 .*meteor. cap.*3. *omnia putreſcunt præter ig-*
E *nem.*Inſuper tam nobile elementum non decebat ita putredini eſſe paratum. Quocumque enim modo creetur, vt igne, luce , reflexione lucis, corporum colliſione, motu , fricatione, vt Plato animaduertit *in Theæt.*& exempla varia proponit ex variis auctoribus Ionſtonus *claſ.* 2 *Thaumatogr. cap.* 7. ſemper cæteris elementis antecellit.

Hoc confirmatur primò.Nobiliora ſunt quæ tenuiora, ac ſubtiliora, magis enim accedunt , vt ita dicam,ad ſpiritualitatem , atque immaterialitatem : cæteris tenuior , ac ſubtilior eſt ignis , hinc , & agilior. Secundò. Nobiliora quæ leuiora , ignis reliquis eſt leuior , ſic alta petit motu celerrimo. Tertiò veterum opinione Philoſophorũ,ignis

formam decernentium eſſe globoſam, ac rotundam, quia corpus præſtantiſſimum, qui de reliquorum figuris elementorum nihil ſtatuebat. Quartò. Lucida non lucidis præferuntur, ignis per ſe lucet, ſic Plato *in Timæo*, ſtatuit nihil igne vacuum videri. Quintò. Forma nobilior ſubiecto, ſed aër, atque ignis formæ comparantur ab Ariſtot. Sextò. Inter mouentes, qualitates nobiliſſima eſt leuitas, inter efficientes, calor, & has, vt ſibi proprias vendicat ignis. Septimò. Nobilius eſt id quod ad vitam maximè accedit, huiuſmodi eſt ignis, quem tradit *lib. de anim. 2.* Ariſt. augeri, ac nutriri, animantium penè more, & Lucius apud Plutarch. *lib. 7. ſympoſ. quæſt. 4.* nihil ſimilius eſſe dixit animato, quàm ignem, qui per ſe mouetur, & nutritur, ſubque ſplendore animæ inſtar, res omnes manifeſtas reddit, vi quadam pollet non experte vitalis principij, & dum extinguitur edit ſtrepitum, quaſi vocem morti reluctantis, vt qui necatur.

Deinde quomodo putreſcet ignis, & peſtem generabit, cuius multa eſt neceſſitas, multò maior vſus? Quàm verò præ cæteris elementis vtilis ſit, cômodus, neceſſarius, hæc maximè indicant. Primùm, animantium vita calore, & humore continetur: calor ad ignem refertur, humor ad aquam. Secundò vitam conſeruant potiſſimùm calida, & caloris interitu animantis continetur interitus, ſic Ariſt. *de iuuent. & ſenect.* Tertiò, nulla maior in parente rerum natura ſollicitudo, quam in igne conſeruando, cur autem? quia eius ope, ac præſidio eget maximè, ac præcipuè conſiſtit, ita prouidè conſuluit, vt multis modis creari ignis poſſit, vt ſuprà retulimus. Quartò. Ita ad artes plurimas eſt commodùs, vt ſit neceſſarius: his enim artibus plurima experitur hominum genus, non vtilia modò, ſed neceſſaria, cuiuſmodi artes ſunt pictorum, fictorum, fuſorum, ferrariorum, figulorum, aurificum, cuſorum, chalchymicorum, piſtorum, coquorum, metalliorum, & ferè omnium quæ chirurgicæ ſunt, & mechanicæ, vt rectè Plutarchus *lib. de vtilit. ex amico percipienda*, omnium artium inſtrumentû dixerit eſſe ignem, & Prodicus apud eundem *lib. de tuend. ſanit.* optimum eſſe condimentum, ignem affirmauit, attendens ipſius in cibis coquendis vſum. Hinc iure Tzetzes *in Lycophr. omnes artes*, inquit *ignis côſtituit*, quare Schol. Thucyd. *lib. 2.* ad verba quædam Periclis *in ſecunda orat.* eum vocat Deum inſtrumentum, ſeu cooperarium Mineruæ, ſine quibus artes illæ quibus præſidet Minerua non exerceantur, quare eſt ignis omnibus communis, vnde Ouidius *lib. 2. Triſt.*

Igne quid vilius? ſi quis tamen vrere tecta
Comparat, audaces inſtruet igne manus.

Vltimò ignis admirabilis eſt vſus, & par cum vino, ita Callimachus, & Panyaſis, Poëtæ celebres, ſic enim ille ex verſione Nat. Com.

Vita viros ingreſſa tenent par robur, & ignis.

hic verò.

Eſt cibus igni par vinum mortalibus ipſum.

Quid plura? nonne ignis vi conſiſtunt omnia, & in ignem diſſoluuntur, vt duobus expreſſit verſibus Cornelius Seuerus *in ſua Ætna.*

Et diſcet verò nihil inſuperabile ab igni,
Omnia quo rerum naturæ ſemina cocta.

Denique de ignis vi, neceſſitate, & vſu conſulendus Vitruuius, Nicephor. *lib. 14. cap. 18. & lib. 18. c. 2.* Euagrius *lib. 5. cap. 14.* Max. Tyrius *ſerm. 38.* Solinus *cap. 31.* Strabo *lib. 15.* Alex. ab Alex. *lib. 6. dier. genial. c. 4. & 2. 6.* Epiphan. *contra hæreſes, lib. 3. c. vlt.* Auctor *lib. ſapientiæ, c. 13.* Vltimò. ignis vſum eſſe in ſacris prodit Valleſius. *lib. 1. de ſacra Philoſoph. in fin. cap. 16.* maximè enim in diuinis inſeruit, quare *Deut. cap. 4.* ſic ſcribitur. *Dominus tuus ignis conſumens eſt.* Et *in Exod. 13. Dominus præcedebat eos ad oſtendendam viam per noctem, in columna ignis.* Et *cap. 19. Deſcendit Dominus ſuper montem Sinai in igne.* Et *c. 24. Exod. Erat autem ſpecies gloriæ Domini quaſi ignis ardens ſuper verticem montis, &c.* Cur ergo ignem, tot præditum vſibus, commoditatibus tantis, putredini reſiſtentem maximè, imputribilem non dicemus?

Aër ſequitur ignem, cuius eſſe ſummam neceſſitatem ad conſeruandam vitam, diximus ſuprà, nam magna eſt

A eius vis, & potentia in alterando corpore, quia continuò agit, & minimè refractus rapitur in viſcera inſpiratione, tranſpiratione, immutat alimenta, & eorum interuentu corpus noſtrum, non ſolùm qualitate ſua, ſed & ſubſtantia in ſpiritus vertitur alendos, ita aër plus quàm aqua aſſumpta alterat *1. probl. 13.* quare Auic. *4. 1. cap. 1. verſus finem*, agens de ſex rebus non naturalibus aërem in tranſmutando corpore digniorem eſſe confirmat. Annuit Hip. *lib. 6. epid. ſect. 5. text. 20. in morbis longis ſolum vertere* præcipiens. Si igitur morbi neque victu, neque medicamentis ſuperari ſolent, & mutatione aëris perſanantur, multò potentior eſt aër reliquis non naturalibus rebus: Nam ſine his per aliquot dies viuere poſſumus, ſine aëre verò nec momento temporis vitam traducimus, vt Hipp. inquit *lib de flatib. n. 5.* explanat Gal,
B *lib. 1. de diſ. reſpirat. cap. 12.* quare aër indicat curationem, quidquid contra Galenum effutiat Argenterius *lib. 2. de officiis med. cap. 6.* Ergo tam nobile elementum, cuius ope, ac miniſterio viuimus, non debet eſſe corruptioni facilè obnoxium, nec peſtis cauſa.

Aqua tanto vſu, & facultate calorem noſtrum recreans, ſine cuius beneficio animalia vitam ducere nequeunt: putredini non debet eſſe expoſita quum frigiditate ſua putredinis: & contagij ſeminaria arceat, & maximè marina, quæ ſiccior eſt, & ſalſuginis ratione putredini reſiſtit: nam ſalſa *lib. 5. ſimpl. cap. 26.* & Auic. *lib. 2. tract. 1. cap. 3.* à putredine defendunt, quidquid enim in corporibus humidum ineſt, quodammodo abſumit, & quod reliquum eſt ſubſtantiæ ſolidæ, adſtrictione defendit, vt Galenus inquit *lib. 11. ſimpl. tit. de ſale.*

Inſuper mare tantis inſignitum commoditatibus in
C humanos vſus non decebat eſſe putredini pronum; bonum enim mare eſt hoſpitium fluuiorum, fons imbrium, deriuatio illuuionum, inuectio commeatuum, quo ſibi diſtantes populi copulantur, quo præliorum remouentur pericula, quo barbaricus furor clauditur, ſubſidium in neceſſitatibus, refugium in periculis, gratia in voluptatibus, ſalubritas valetudinis, ſeparatorum coniunctio, itineris compendium, tranſfugium laborantium, ſubſidium vectigalium, ſterilitatis alimentum: ex hoc pluuia in terras, transfunditur ſiquidem ex mari aqua, radiis ſolis haurítur, & quod ſubtile eius eſt, rapitur: deinde quantò altiùs eleuatur, tantò magis etiam nubium obumbratione frigeſcit, & imber fit, qui non ſolùm terrenam temperat ſiccitatem, ſed etiam ieiuna arua fœcundat, & irrigat, quas & alias commoditates ſummas deſcribit Cælius *lib. 14.*
D *ſuarum antiq. lect. cap. 38.*

Quid referam quanti antiqui aquam æſtimarint, vt probant Alexand. ab Alex. *lib. 5. dier. genial. cap. 10.* Plinius *lib. 2. cap. 103. & lib. 31. cap. 2.* Seneca *lib. 3. natural. quæſt.* & quanti ſit facienda ſemper, & quàm infelix ſit patria quæ aqua caret, aut eam noxiam habet, ita qui aqua priuantur, ſine gladio interficiuntur, *lib. Iudic. cap. 7.* hoc probat textus *in l. final. ff. de riuis, & l. de pupillo. §. Si quis riuos, &c.* notat gloſſa *in verbo ſecuritatis. ff. de operis noui nunciatione.* Huc alludit maximè illud *Eccleſ. 39.* vbi ſic ſcribitur, *initium neceſſarium rei vitæ hominum, aqua, ignis, ſal, panis, vua veſtimentum*, explanat Theodoretus *ſerm. 2. de prouidentia*, Plutarchus *in lib. qui inſcribitur vtrum aqua, an ignis ſit vtilior.* Denique cùm aqua, teſte Gal. *lib. 1. ſimpl. cap. 4.* ſit conuenientiſſima omnibus hominibus, tum ſanis, tum ægrotis, & ad vitam maximè neceſſaria, putredinis & peſtis principia in ſe non debet obtinere.

E Terra non videtur corruptionis, & peſtis infortuniis eſſe obnoxia, quoniam frigida, & ſicca eſt, quibus qualitatibus hæc vitia quæ à calore, & humiditate manant vehementer arcet. Deinde non erat conueniens hominem animalium omnium principem ex terra formari, & conſtare. Inſuper quomodo peſtem experietur terra, cuius in producendis maxima vis ineſt, vt eorum mater à Philoſophis appelletur, vnde Virgilius *3. Æneid.*

Quæ vos à ſtirpe parentum.
Prima tulit tellus, eadem vos vbere læto
Accipiet reduces; antiquam exquirite matrem.

& *lib. Georg.* terram vocat parentem.

Salue magna parens,furgum,Saturnia tellus,
Magna virum.

Magna enim ſunt beneficia, quæ nobis perpetuò liberaliſſimè præſtat ob quæ antiqui Terræ,tanquam Deæ Deorum maximæ, ſacrificabant, vt refert Alex. ab Alex. *lib.5. dier. genial.cap.*10.Quid terræ moles?nonne ſua magnitudine,conſtantia, pulchritudine,vtilitate alia antecellit elementa? hæc eſt in medio mundi ſtabiliter ſuſpenſa, ac veluti paribus examinata ponderibus, eadem rotunda, & forma diſpar, vallibus humilis, collibus ſupina, montibus ardua, fluuiorum curſu, fontium ſcatebris irrigua, nulla ſui parte inutilis, nulla propemodum infructuoſa, interiùs gemmarum, auri, argenti, & aliorum metallorum opulentia diues, exteriùs veſtita floribus, herbis, arboribus, frugibus, quorum incredibilis multitudo inſatiabili varietate diſtinguitur.

Plinius *lib.2.de natur.hiſt.cap.6*1.eam mirum in modum ſic laudat. *Terra nos naſcentes excipit,natos alit, nouiſſimè complexa gremio tandem vt mater operiens, ſemper placida, mitis, indulgens, rarò homini iraſcitur perpetuò ad omnes illius commoditates ſeſe effingit:viſceribus enim ſuis omnium rerum nobis copiam procreat,& ſtirpium,atque herbarum genera ad animantium ſuſtentationem magna largitate fundit*, quare priſci eam iuſtiſſimam, & liberalem appellabant. Sic Virgilius *lib. 2. Georg.*

Quibus ipſa procul diſcordibus armis
Fundit humo facilem victum iuſtiſſima tellus.

& lib.1, eiuſdem operis. —— *ipſaque tellus*
Omnia liberius nullo poſcente ferebat.

Amplius terra materiam mixtis quaſi miniſtrat.Si aues inſpicias, terram præ ſe ferũt:quid enim pennæ & plumæ ſunt,quàm quædã fuliginoſa,& aduſta terræ portio? quid pili? quid niſi concretam terrã in vnguibus,&oſſibus videmus?Quid ſi faciem,vel aliquã corporis partem fricaueris, præter terram inuenies nihil?& hæc eſt cauſa,ob quã Euripides *in ſupplicibus* corpus hominis vocat terrã inſenſibilẽ.

Sinite iam terra occultari cadauera,
Nam vnde vnaquæque pars ad corpus venit,
Illuc redit, ſpiritus quidem in æthera,
Corpus verò in terram.

Idcircò terram almam,& Poëtæ celebrant,& Philoſophi, & ab eis appellatur Ceres, quaſi geres, à gerendis ſeu creandis frugibus,vt 1.& 2.*de natur. Deorum*, prodidit Cicero:quia è terra maxima capiunt emolumenta mortales:Nam omnium animantium, immò viuentium eſt capax locus,vt in Timæo Platonis Chalcidius notat,& Tertullianus *in oratione Apol.* cœlum vocat patrem,terram, matrem quia tam eſt liberalis, & munifica, neminem vt repudiet, vt refert *lib.*7. Pauſanias.

Iam verò Marcus Brutus, qui prim us hoc nomen adeptus in Iuniorum familiam intulit, vt eſt apud T.Liuium *lib.*1. *cum oraculo moniti legati fuiſſent, cæterorũ dominum futurum illum qui primus in patriam reuerſus oſculũ matri obtuliſſet,quum reliqui matres ſuas oſcularentur,ipſe humi cadens,terræ,communi omnium parenti,oſcolum infixit.* Ita intelliges illud Iobi *c.*1.*nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc*, hoc eſt ab vtero matris propriæ in ventrem matris,cómmunis,ſic Cæſarius *diſt.6.§.*77. terram vocauit æuiternam, quod probat multis exemplis M. A. Sabellicus *tom.2. Ennead. lib.* 8. Popclinerius *lib. 2. de tribus mundis.*

Iure ergo terra ſummis præconiis laudatur, & tanquam templum mundi eam celebrat Manilius *lib.1.aſtronomicôn.*

Quod niſi librato penderet pondere tellus,
Non ageret curſus mundi ſubeuntibus aſtris,
Phœbus ad occaſum,& nunquam remearet ad orus.

Denique tantam cognationem habet homo cum terra; vt verum ſit illud Prophetæ Hieremiæ verbis ter inclamantis, *Terra,Terra,Terra audi verbum Domini*:de terra enim ſumptus homo,viuit è terra, reuertitur in terram. Sed cur in terræ laudibus decantandis ſum multiloquus? Lege Cælium Rhodig. *lib.1.antiq .lect. cap.*4. Maphæum Vegium *tract.de terra,& auro*,& omniſcium ſcaliger.*com. in lib.1.Ariſt.de plantis,cap.2.& in lib.2.Theoph.de cauſ. plantar. cap.*23.Bernardum Cæſium *lib.1.de mineralibus,*

A *cap.7.ſect.*1.qui vt nuperrimè, ſic eloquentiſſimè,de vtilitate & excellentia terræ, ex veterum & iuniorum penu ſcitu digniſſima conſcripſit.

Sed ne ego vllam temporis iacturam ſub inutili ſilẽtio facere videar,liceat mihi diſputationem hanc in epilogum colligere;dum tu in elementorum vſu, & encomiis perlegendis magnam ad vnguem impendis diligentiam: Nam quæ tot vigiliis,tot ſudoribus didici, & à mutis magiſtris exhauſi, ad extremum vno omnia verbo comprobabo, ſuperioribus rationibus, & auctoritatibus alias diuerſas opponens, à ſingulis elementis initium ſumens.

Ignis putredini eſt paratus: cùm enim putredo mixtorum paſſio ſit, cur illum dicemus imputribilem, ſi permixtus eſt,& impurus?Probat hóc Galenus *lib.de element. cap.*5. dum ſic ait.*Impermixtã autem terram,neque in ani-*
B *malibus,neque in mundo inuenies, ſicut nec aquam ſynserã, omnis mixtionis expertem,neque ignem, neque aërem, &c.* Patet hoc in igne: Nam mixtus eſt, quia coloratus, color autem ex permixtione quatuor emanat qualitatum. Neque dicas eum coloratum eſſe propter vapores immixtos:Nam æſtate media dum ſol eſt in noſtro Zenith,aërque impensè eſt ſiccus, & nullos in ſe videtur habere vapores, ob vehementem ſolis calorem eos abſumentem, flammulam ignis ſurſum repere per aërem inſpicies, quæ ſolùm ratione coloris, viſum mouet, & tamen in ſe vapores admixtos non habet: nec enim ibi eſt materia à qua vapores accipiat, niſi ſolus aër quem tunc vapores non
C habere ex dictis fit manifeſtum. Quod ſi demus colorem euenire propter vapores admixtos, eum à mixtione non faciemus immunem. Multi ignem eſſe mixtum confirmarunt, quoniam illo nutriuntur animalia, & conſeruantur, vt firmant Ariſtot.5. *de hiſt. cap.*19. Plin.*lib.*11. *cap.*37.Ælianus *lib.2.cap.*30.Olympiodorus *in com.lib.4. metor.*& alij, quam opinationem eſſe vanam diximus *lib. 2.in com.hiſt.*54.

Aër putredini, & peſti paratiſſimus eſt, immò vnicus aër peſtilentiæ cauſa eſt potiſſima, & communiſſima, ſic enim ait Hippocrat.*lib. 2. de nat.hum.text.3. Quum multi homines vno corripiuntur morbo; tempore eodem, id in cauſa eſt arbitrandum,quod communiſſimum ſit,quoque omnes maximè vtimur,id verò eſt quod reſpiramus. Conſtat enim quod victus cuiuſque noſtrum cauſa minimè ſit,vbi omnes*
D *morbus ſubinde tentat,tam iuuenes,quàm ſenes, tam viros, quam fœminas, prætereáque tam eos qui vinum, quàm qui aquam bibunt, quique mazas & qui pane veſcuntur, & tam eos qui in multis ſunt, quàm qui in paucis laboribus. Non igitur, quum homines quocumque victu vſi in eundem morbum incidunt,ratio victus erit cauſanda, &c.* Ob hanc cauſam inquit Hip.*lib.de flatibus,num.6. Atque hactenus quidem quantum aër aliis commodet diximus. Mortalibus autem vitæ,& morborum ægrotis ſolus is eſt auctor,à quo non aliunde vnquam veriſimile eſt morbos euenire,ſi is aut plus aut minùs, aut cumulatior,aut morbidis ſordibus inquinatior,in corpus ſe ingerat,*& Gal.paſſim in epidemiis cauſam communem peſtis producendæ ſolum aërem conſtituit vitiatum.

Quæris rationem;Hæc ſit potiſſima,quod aër mixtus ſit,
E ex Auic.2.1.4.*tract.4.c.1.& 2.1.doct.2.cap.9.§.Nos namque cùm aërem dicimus, nolumus dicere aërem ſimplicem, nudum, quoniam ipſe non eſt aër qui nos circumdat,quare putrefieri poteſt, & nos inficere.* Id affirmat Virgilius *lib.3. Georg.* dicens.

Hic quondam morbo cœli miſeranda coorta eſt
Tempeſtas, totóque autumni incanduit æſtu,
Et genus omne necipecudum, dedit omne ferarum,
Corripuítque lacus, infecit pabula tabo,
Nec via mortis erat ſimplex.

Ita Gal. *lib.1.de ſanit. tuend. cap.*11.firmat Lucretius *lib.6.*

Primum multarum ſemina rerum
Eſſe ſupra docui, quæ ſunt vitalia nobis,
Et contra quæ ſint morbo, mortíque neceſſe eſt
Multa volare, ea cùm caſu ſint fortè coorta,
Et perturbarunt cœlum, fit morbidus aër,
Atque ea vis omnis morborum peſtilitáſque

Quod autem aër non ſolùm in ſe vehementer putrea

ſed etiam aues per ipſum volantes interficiat, videtur aſſerere Virgil. *lib.3. Georg. ad fin.* dum ſic ait.

Ipſis eſt aër auibus non aquus, & illa.
Pracipites alta vitam ſub nube relinquunt.

Immò & plantas tabo corrumpit *Eclog.7.*

Aret ager, & vitio moriens ſitit aëris herba.

Hoc firmant Plin. *lib.2.cap.38.* Ariſt. 14. *probl.3.* & 3. *de generat.cap.3.* & 11. §. *Aër, & vnumquodque eorum quæ apud nos ſunt, haudquaquam ſimplex eſt, ſed mixtum.* Subſcribit Plato *in lib. de Phædone, & in lib. de ſum. bono.*

Aqua etiam putredini ſummè eſt obnoxia, quia à Deo mixta fuit creata, & nunc mixta exiſtit; quod ſic confirmo. Aqua ſi pura creata fuiſſet, concreta eſſet, & fluere non poſſet, monente Galeno *loc. ſupra cit. de nat. human.* quod experientia firmatur quotidiana: nam aqua concreta magis infrigidat. Sed aqua quò frigidior eſt, eo magis conſeruat naturam ſuam, ergo ſi concreta frigidior percipitur, concreta magis ſeruabit naturam ſuam. Neque aſſeras aquam concretam ampliùs ob modum ſubſtantiæ infrigidare, nempe quia craſſior eſt, quoniam ipſa congelatur, quia intenſam frigiditatem eſt adepta: quando enim calida eſt, liquidiſſima apparet: ergo quando frigidiſſima eſt, & ex conſequenti magis ſeruat naturam ſuam, concreta erit.

Nec obſtat, quod plures aſſerunt aquam ob admixtionem terreæ ſubſtantiæ congelari, ſi enim propter admixtionem terream congelaretur, in vere, & in aliis temporibus, in quibus non viget frigiditas, concreſceret, cùm tanta terræ portio tunc ei ſit admixta, vt hyberno tempore; ſed aqua non congelatur niſi maxima prædominante frigiditate, ergo ratione frigiditatis, & non terreæ ſubſtantiæ congelatur. Accedit, quia quantumuis terram aquæ admiſceas, ac magis ſemper addas, nunquam illa ſine frigoris vehementis aduentu, nec tantillum gelaſcet. Nec inſtes, aquam non ſolùm propter terram, ſed ob exuperantem frigiditatem in gelu ſe conuertere: nam ſi propter immodicam frigiditatem congelatur, quantò frigidior, tantò magis concreſcet, ſed in ſua puritate frigidiſſima eſt; ergo tunc erit magis concreta.

Deinde, vel terra congelat aquam frigiditate ſua, vel ſiccitate, primum non dices, nam id eueniret, quia intenderet aquæ frigiditatem, & aliquem aquæ adderet frigiditatis gradum: ſed terra id præſtare nequit, quia aqua eſt frigida in ſummo, terra verò eſt frigida prope ſummum, & remiſſum non intendit intenſum, neque poteſt generare nouum frigiditatis gradum vltra frigiditatis latitudinem ſummam, ergo non propter ſiccitatem, nam tunc induceret ſiccitatem in aquam, illiúſque humiditatem corrumperet, quantum enim de vno contrario generatur, tantum de altero corrumpi fas eſt: ſed hoc aſſerere, eſt falſum, terra namque eſt debiliſſimæ actionis, neque poteſt aquam præcipuè frigidiſſimam corrumpere, atque exiccare. Alij reſpondent hoc modo. Aqua congelatur, quum viget aliqua conſtellatio exiccans, quæ aquam cogit, & exiccat. Abſurda ſolutio, aqua enim congelata non eſt ſicca, neque illius humiditas per conſtellationem eſt exiccata, quum videamus præſente igne ſtatim aquam fluere: ſequeretur deinde æſtate aquam magis congelari, tunc enim ſicciores conſtellationes vigent.

Ex iis manifeſtè conſtat, vera dixiſſe Galenum aquam puram debere eſſe concretam, & non poſſe fluere, vt probant Auerrhoës *lib.4. de cœlo, com.32.* Albertus 4. *tom. meteor. tract. 2. cap. 5.* ratio firmat: contrariorum enim eadem eſt ratio, ſed aqua ab igne liquatur violenter, ergo naturaliter ſeruando ſuam naturam concreſcet: quæ enim violenter eueniunt vni ſubiecto, non poſſunt eodem prorſus modo ei euenire naturaliter; ergo ſi aqua violenter liquatur, naturaliter concreſcet.

Quare ſi aqua ſeruando ſuam puritatem eſſet concreta, & fluere non poſſet; ad ſe inuicem non congregaretur, neque moueretur, vt patet in gelu; ſed aqua vbi primum fuit creata, ſtatim fluxit, & ad ſe inuicem eſt congregata, vt conſtat ex *lib. 1. Geneſ. 1.* quo loco legimus Deum congregaſſe aquas, & fuiſſe congregatas, & fluxiſſe ad ſe inuicem, & Deum congregationes aquarum vocaſſe maria, ergo iam aqua pura non eſt creata.

Præterea, ſi aqua pura daretur, in ea maximè parte eſſet, in qua ſuum ſitum, & naturalem ordinem magis ſeruaret, ſed in mari hunc ſeruat; vt colligitur ex Sacra pagina *loc. cit.* & in mari non eſt pura, immò, mixta, ſalſuginoſa, & aliquantulum calida; ergo nullibi datur aqua pura, ſed vbique mixta, in mari, & in fontibus, quoniam hi, alij ſalſi ſunt, bituminoſi alij, plures ſulphurei, multi calidi, ex Plinio *lib.3. cap.7.* quorum plurimos recitat Solenander *in ſuo eleganti de calore fontium libello.*

Deinde, vbi vnumquodque elementum magis eſt ſeiunctum à reliquis, quæ illud poſſunt alterare, purius erit, ſed aqua maris magis eſt libera à terra, quam aqua fontium, quæ ab ipſo terræ ſinu prorumpit, meritóque in terræ inuolucris ipſi terræ miſcetur; ergo illa meritò purior erit, ac ſuas qualitates tenaciùs ſeruabit fontana, ſed aqua marina mixta eſt, ergo & reliquæ, hinc euenit vt aquæ marinæ ſint fœcundiſſimæ, nam ſalſugo, niſi omnino ſit maxima, vt in mari Sodomæ, fœcunditati non officit: nullibi enim adeò luxuriatur generandi facultas, neque eſt tam multiplex generatio. Sed has, vt ſcitè retur Valleſius *cap.34. lib. de ſacra Philoſoph.* fecit ille Dei Spiritus, qui aquas incubauit initio, (qui ignis eſt) craſſas, ſalſas, atque ita multiplici rerum generationi aptiores multò, quàm dulces. Hinc factum eſt, vt in aquis viſi ignes, ex Plin. *lib.1. cap.107.* Liuio *lib.33.* Hoc modo lacus multi ignibus perpetuò ardent, ex Niceph. *lib.13. c.36.* Agricol. *lib.4. de natur. foſſilium, c.22.* Plin. *l.2. c.104.* Strabone *lib.6.* Ergo aqua mixta eſt putredinis capax, à qua cœnoſa, turbida, paluſtri, ſtagnante, immota, lacunali in aërem eleuantur halitus noxij qui illum inficiunt, inquinant, & tabo conſpurcant, vnde peſtilentia.

Terra pura non eſt, nec à principio mundi pura fuit creata: Galenus enim *loc. cit. de natur hum.* ſic ait. *Si terram prorſus frigidam & ſiccam cogites, erit adamante corpus durius: quæ ſi ſic eſſet, potius eſſet omnium nouerca, quam parens, neque germinaret ſemina, neque pullularent plantæ, ſi tam ſicca, & dura eſſet,* quod proſequitur doctiſſimus Lupeus *lib.1. ſui enchiridij, c.2.* & agitat Plinius *lib.2. de natur. hiſt. cap.16.* oſtenditque luculenta oratione Philo Iudæus *lib. de mundi opificio*; quare ſi terra eſſet pura creata, plantas non generaret, ſed terra vbi primùm fuit creata, ſtatim germinauit plantas, herbáſque virentes, vt conſtat ex 1. *cap. lib. Geneſ.* Ergo.

Deinde ſi terra alicubi pura daretur, eſſet in centro, quia ibi à contrariorum occurſu magis eſt libera, ſed in centro mixta eſt, ergo nullibi pura datur. Minorem frequens cófirmat euentus: nam quantò magis ad terræ centrum excauando accedis, tantò magis aqua permixtam inuenies, vt in altiſſimis puteis palam conſpicimus. Hoc confirmant mineralia; quantò enim inferiùs terram penetramus, tantò maiorem ſulphuris, auri, argenti copiam reperimus. Hanc ſententiam approbat Solenander *cap. 17. lib. de calore fontium,* dum ſic ait. *In hac denſa, & corpulenta mole, quam terram appellamus, multa adſunt & varia corpora, quorum compoſitione hoc totum conſtituitur: ea, vt dixi, diſparia ſunt, diuerſæ naturæ, nec non etiam qualitatum differentium, quædam calida, alia humida, nonnulla ſicca, pleraque frigida, eodẽ modo, duritie, & mollitie, denſitate & raritate, & id genus aliis qualitatibus diſcrepantia.* Hæc ille.

Hoc ita eſſe confirmant continui ignes, quos quotidie erumpere è terra videmus: multoties enim viſi ſunt fontes, & campi ſubterraneis ignibus ardere: & noſtra ætate in monte Hecla Hyberniæ, in Scotia, Italia, aliquibus Germaniæ locis, inſuper & in Campania felici Veſuuius mons ſæpè interno igne exarſit, omníſque Baianus ſinus, inſuper Ænaria inſula, quæ vulgò Iſchia appellatur, igne flagrat. Ætna inſula ignes ingentes euomit, de qua Virgil. 3. *Georgic.*

Sed horrificis iuxta tonat Ætna ruinis.
Interdumque atram prorumpit ad æthera nubem
Turbine fumantem, & candente fauilla;
Attollitque globos flammarum, & ſidera lambit.

Accedunt inſulæ nuperrimè repertæ, quæ igne aliquando exardent, vt refert Petrus Aluaradus ad Cortezium, in deſcriptione

deſcriptione harum inſularum, de quibus Pontanus his carminibus,

Latè multum tellure ſub ima
Debacchari ignem campoſque exurere opertos.

Et ſtatim ſubdit.

Inde fluit calidum referens ex igne vaporem,
Vnda fugax, tectis feruens & balnea flammis.

Mexicani regni prouincia vocata *Quahutemallan*, duo montes ſibi ad duas leucas proximi, ignem euomunt, ac tremunt, vt refert Petrus Hiſpalenſ.*part.* 5. *c.*23. Iaua maiori proxima eſt inſula, in cuius mediterraneis perpetuus ignis ardet, vt ſcribit Odoardus Barboſa noui orbis Hiſtoriographus inſignis, & plures inſulas euomentes ignem ardore multo deſcribit Antonius de Herrera, *in deſcriptione orbis occidentalis*. Hac de cauſa thermales aquæ calidiſſimæ ſcaturiunt ex terra, calore adeò intenſo vt ſi digitum fortè in aquam immittas, comburatur prorſus: nam ignis ſubterraneus, qui ſulphure, & bitumine nutritur, aquas decurrentes calefacit vehementer.

Fluuij enim ingentes in infimis terræ plagis inueniatur ſimul cum fontibus, vt metallorum foſſores paſſim confirmant, & Virgilius deſcribit hoc modo 4. *Georgic.*

Speluncisque lacus clauſos, lucoſque ſonantes
Ibat, & ingenti motu ſtupefactus aquarum,
Omnia ſub magna labentia flumina terra
Spectabat.

E terra emanant fontes, qui anteà per internos terræ mæandros oberrant, & deinde repente extra terram repullulant. Imò cùm intus vaſtum alueum habeant, externum autem foramen per quod debent exire, ſit anguſtum, maximum ſtrepitum edunt. De quorum fontium varietate legendi Abrahamus Ortelius, Saxo Grammaticus *in ſua Dania*, Vitruuius *lib.* 8. *c.*3. Iacob. Mejerus *in annal. Flandriæ*, Sebizius *lib. de accidulis diſſ.* 50. *ſect.* 1. Thomas Lydiatus Anglus *in tract. de origine fontium*, Illuſtris Thuanus *lib.* 138. Cromerus *lib.* 1. *deſcript. Polonic.* & alij, qui de fluuiorum, & fontium origine, & aliis aquarum admirandis conſcripſerunt, quos refert Simon Maiolus *colloq.* 13 1. *dierum canicularium*. Quòd verò aër ſub terra contineatur, terræ motus, qui ab aëre intus incluſo excitantur, manifeſtè oſtendunt. Ergo terra mixta eſt, & impura, & putredini obnoxia.

Quamuis rationes pro vtraque parte propoſitæ inteſtina diſcordia laborare videantur, tamen nos duabus concluſionibus totâ hanc dirimemus litem. *Elementa alia putreſcunt, & peſtem generant, prater ignem*, nam hic omnia deuaſtat, deuoràtque, & vt ſubſtratam materiam habet. Licèt enim vapores per totum eius corpus ſint permixti, ij ſicciſſimi ſunt, & ad concipiendam putredinem, & contagium ineptiſſimi. Fateor multam habere mortales aëris neceſſitatem, tamen de aliis elaboratiſſimis natura ſemper eſt ſolicita: has tamen putredine, & dira labe fœdari frequenter conſpicimus, hoc modo, ſanguis, ſemen, ſpiritus putreſcunt, imò & ipſum cor, vt latè probauimus. *lib.*1. *in com. hiſt. vlt.* Terra plurimas præſtat mortalibus vtilitates, ea tamen plurima venena generat, quæ ex plantis, animalibus, & foſſilibus deſumi ſolent. Aqua præbet commoda multa, immotam tamen vitium capitare adeò certum eſt, vt probatione non indigeat.

Secunda concluſio. *Solus aër peſtis, & communium morborum eſt potiſſima, & communiſſima cauſa*, vt Hipp. 2. *de nat. hum.* & *lib. de flatib.* prædixit. Sed contra hanc concluſionem, quæ *ſuprà* ſatis confirmata eſt, inſurgit Valleriola *lib.* 5. *enarrat.* 1. qui librum de flatibus ſpurium, & Hip. auctoritate indignum arbitratur, ſicque illi nullam eſſe adhibendam fidem plurimis allatis argumentis contra huius libri auctorem arbitratur. Sed labitur vir doctiſſimus, legitimus enim eſt, & plurima continet ſcitu digniſſima, quæ puriorem Hip. ſtilum, dicendi facundiam, & phraſim elegantiſſimam penitus redolent, vt contra eum grauiter decertat Stephanus Rodericus Caſtrenſis, *lib.* 1. *meteor. microcoſm. cap.* 10. & prius firmauit perdoctus Mercurialis *lib.* 3. *variar.* 6.

Septalius eruditiſſimus *lib.* 2. *de peſte, c.* 3. omnis peſtis cauſam in ſolum aërem non eſſe referendam conſtanter

A aſſeuerat. Nam communis cauſa non in ſolo aëre conſiſtit, ſed in cibo, & potu: vigente enim fame coguntur homines edere edulia putria, vitioſa, & bibere cœnoſam aquam. Ita dicebat Hip. 6. *epid. ſect.* 4. *text.* 14. in Æno homines fame coactos, orobum, & legumina comedentes in dolorem genuum incidiſſe, & Galen. *lib. de bonit. & vitio ſuccor. cap.* 1. ſcribit ſuo tempore peſtem fuiſſe graſſatam, quoniam plurimæ nationes ob ſterilitatem vitioſis alimentis veſcebantur, & 1. *de dif. feb. cap.* 4. febrem peſtilentem ob alimenta ſuapte natura vitioſa oriri docet.

Hanc obiectionem facillimè dilues, ſi aſſeras aërem eſſe auctorem omnium morborum, qui in generatione ægritudinum communium, ſolus eſt à ſtatu naturali im-
B mutatus: in generatione tamen morborum diſperſorum velut concauſa cum cibo, & potu concurrit: cùm enim per inſpirationem ſimul cum his attrahatur in viſcera, ea calefaciendo, refrigerando, humectando, vel exiccando alterat, coctionum organa immutat, & ad huius, vel illius humoris generationem diſponit. Dic ſecundò quod etſi præter aërem aliæ ſint cauſæ communium morborum, vt communis cibi & potus vſus, labor communis: tamen morbi ab his cauſis enati ſunt infrequentes, & facilis cognitionis: contra autem ab aëre orti ſunt frequentes, & difficilis cognitionis, præcipuè quando ab aëre emanant in ſubſtantia immutato, putri, infecto, & aliqua maligna influentia alterato, ideò Hip. 1. *progn.* 4.
C conſulit conſiderandum eſſe ſi quid diuinum eſt. Dic tertiò, febrem peſtilentem incipere ab alimentis corruptis, & praui ſucci, quia eorum ratione accenditur in plerîſque febris maligna, deleteria, contagioſa, plurimos interficiens, quæ aërem vbique corrumpit, & propter corruptionem aëris excitatur febris communis, quæ antea erat particularis. Ergo vt receptui canamus, elementa omnia putreſcunt, & peſtem generant præter ignem, & ſolus aër communium morborum cauſa eſt præcipua.

D

HISTOR. LI. GALENI, *De peſte*

Armeniæ terræ ad peſtem vis mirabilis.

Porrò in magna hac peſte, cuius etiam eadem facies fuit, atque eius quæ Thucydidis memoria graſſabatur, quotquot hoc medicamen, hoc eſt Armeniam terram biberunt, celeriter curati ſunt: at quibus non profuit, celeriter interierunt, ſcilicet cum nec alio quouis iuuarentur, vnde colligitur, quod iis duntaxat non fuerit auxilio, qui planè erant incurabiles. Cæterùm bibitur ex vino albo, conſiſtentia tenui, modicè diluto: ſi aut planè febri careat, aut leuiter ea teneatur; ſin grauius febriat, admodùm aqueo, &c. Galenus lib. 9. ſimpl. tit. de terra Samia.

E

PARAPHRASIS.

Epidemicis morbis occultum quiddam ineſſe, hoc eſt illos non niſi occulta, abdita, & nobis incognita qualitate corpora affligere, probat ſubtiliſſimè Fernelius, *lib.* 2. *de addit. rer. cauſ.* 12. 13 & 17. quibus morbis, medicamentis tacita, & occulta proprietate operantibus eſſe occurrendum eo loco auctor hic confirmat: ſicut enim repletio, inanitione; hæc, repletione, omniſque intemperis, intemperie contraria curatur: ſic totius ſubſtantiæ morbus, medicamentis profligatur totius ſubſtantiæ proprietate contrariis. Quum ergo peſtis non ſolùm putredine, ſed maligna, & peſtilenti aura cor fatiget, cæcaque qualitate viſcera labefactet, quærendum eſt præſidium quod illi ſit aduerſum, & contrarium. Has proprietates habere terram Armeniam hoc loco Galenus confirmat: nec enim ob ſiccitatem putredinem arcet; tunc enim alia ſicciora eſſent admittenda ſed ob innatam contrarietatem quam aduerſus peſtiferum venenum in

in ſe continet: cuius ope plures celeriter euaſere, quo pacto qui de peſte curanda peculiares libellos conſcripſerunt, varia ex hac terra antidota parare docent. Legendus Marſilius Facinus *in ſua epidemia antidoto, c.6.*

Hæc terra appellatur etiam bolus armena, & ab illo qui Galeno primò obtulit, dictus fuit lapis armenus: nam materiæ erat admodum ſolidæ lapidis inſtar, ſed cùm irrigetur aqua, & molleſcat, inter terras reponi debet: eligitur colore pallida, inſigni debet carere adſtrictione. Sed quæres, vtrùm hæc terra adſtrictione curet peſtem, an occulta vi? Reſpondent plures, ſi peſtis fiat ab aëre inſpirato, ipſa occludendo meatus adſtrictione ſua, aëris peſtilentis ingreſſum prohibet, ſi ab interna cauſa emanet reproba eſt, quia obſtructiones auget, & putredinem concitat maiorem. At hi adſtrictionem huius medicamenti non rectè perpendunt, quæ cùm mediocris ſit, interna vaſa obſtruere nequit. Si verò ſanat dyſenteriam, & ſanguinis ſputum cohibet, id faciat lentore ſuo, tenacitate, & viſciditate: nam multa lenta ſunt, quæ non adſtringunt, vt viſcus, & lenta pituita.

Bolus armena duorum eſt generum, alia orientalis; noſtra altera; hæc in triplici eſt differentia, quædam eſt valdè rubra, friabilis, raræ ſubſtantiæ & minimè compactæ; alia eſt colore valdè rubro prædita, ſed aliquantulum dilutiore, multum compacta, & lapidi ſimillima; tertia, quæ ad Galenicam proximè accedit, eſt pallida colore, ſimilis auro, ſubſtantia ſatis compacta, vt lapidem æmuletur, quum ſit denſa, & grauis. Portari debet ex Armenia conſermina Cappadociæ. Sed cùm bolò armeno careamus, & falſus in officinis habeatur, nec orientalis verus ſit, idcircò in peſtilenti conſtitutione oblatus nihil prodeſt: Licèt enim hic tum proprietate ſubſtantiæ, tum etiam primis, ſecundiſque qualitatibus, cunctis venenis aduerſetur: tamen vereor, ne pro legitimo, & vero ſupponatur alius, qui viribus longè eſt inferior, cuius occaſione multi Galenum carpunt, qui miris laudibus contra peſtem hoc celebrauit medicamentum, non ſic experientia ſuffragante.

Sed cùm peſtilentiæ virus cum ſpiritu hauſtum, pulmones citiſſimè, & deinde ſine ſenſu in cor penetret, non videbimur à mente Galeni, hiſtoriæque inſtituto recedere, ſi omnia medicamenta ſimplicia alexiteria ſeriatim & compendiosè numeremus, quæ deleterij humoris peſtilentis vires retundunt, occulta qualitate eius vim mortiferam proſternunt, labefactant, & à tota ſubſtantia alterant, aut è corpore euacuant. Et cùm venena à triplici fonte emanent, ex foſſilibus, animalibus, & plantis: ita ſagaciſſima natura ex triplici etiam fonte alexipharmaca, & antidota creauit, quæ in ſubſidium, & fauorem mortalium contra omnis generis venena, & ferarum noxiarum virulentos morſus, præſentaneo eſſent auxilio.

Inter foſſilia multiplex terrarum varietas numeratur. Poſt armenam, terra lemnia, quam ſigillatam vocant, numeranda venit, pro arcenda, curandáue peſtilenti lue celebratiſſima & cæteris auxiliis excellens, cuius generationem, effoſſionis modum, differentias, vires, & facultates præter Gal. *lib.9. ſimul.* cæteri Græci, & Arabes deſcripſerunt, explanant Matthiolus *lib.6. in Dioſcorid. cap.1.* Petr. Belſonius *lib.1. obſ.28.* Syluaticus *lib.1. de theriaca*, 20. Terra Samia arcendæ pariter, ac propulſandæ peſtilentiæ eſt accommodatiſſima, ex Dioſc. *lib.5. cap.94. & 95.*

Inter foſſilia numerandum aurum, de cuius vi cardiaca & alexiteria plura diximus *lib.1. in com. hiſt.36.* confirmant Iobus Fincelius *de cura peſtis*, Bernard. Pennottus *de medicam. chymic.* Chriſtoph. Hornius *in dialogo de auro.* Fanciſcus Anton. *de auro potabili.* Argentum etſi auro multò inferius, illius tamen vires quadamtenus æmulatur, cor à veneno præſeruat, melancholicis præſidio eſt, arcet peſtem, viſcera à labe peſtifera tuetur, vt teſtatur Auic. *lib.1. tract. 2. cap.65.* Stibium, antimonium dicunt, pro præſeruanda, & curanda peſtifera lue primas tenet, de cuius vi, *lib.1, in com. hiſt.36.* Margaritæ præſertim imperforatæ roborant cor, præſeruant à peſte, de quarum facultate, *l. 1. in com. hiſt.36.*

Gemmæ omnes pollent contra peſtem, quarum vſus eſt multiplex: Nam veniunt in plura pretioſa antidota, de quorum ſaluberrimo vſu, lege Stephanum Caſtrenſem, *lib.4. de meteor. microcoſm. cap.3.* Lapides pretioſi, & eorum fragmenta eadem pollent facultate, vt carbunculus, rubinus, granatus, balagius, adamas, cui in peſtifera lue domanda attribuenda auctoritas, ex Plin. *lib.27. cap.4.* qui ſiniſtro brachio ligatus omnia venena facit irrita; topazius, cuius vires decantant Vinarius, & alij; achates, ſardonius, carneola, turchina, amethyſtus, chryſolitus, ſapphirus, iaſpidis ſpecies, chalcedonius, chryſopraſus, aëtites, beryllus, de quorum proprietatibus miris pro præſeruatione, & curatione morborum epidemicorum luculenter agitarunt Franciſcus Rueus *lib. de gemmis*, Paſchaſius Balduinus eius interpres, Syluaticus *cont. 47.* & luculenter Anſelmus Boëtius *libris ſuis elegantiſſimis de lapidibus.* His adde ſmaragdum, cuius admirandas facultates pro domando veneno eſſe præſtantiſſimas, ex veterum, & iuniorum mente probauimus *lib.1. in com. hiſt.22.* cuius vires eleganter deſcripſit Ferdinandus Sepulueda *proprio de theriaca ſmaragdorum libello.*

Lapis philoſophicus contra peſtilentem luem vim quoque mirificam habere creditur: nam calorem natiuum inſtaurat, ſpiritus omnes recreat, putredinem arcet, venenum domat ac coërcet, probant Gerardus Dornæus *de tranſmut metallor. cap.14.* Iuſtus Balbianus *tract.5. roſar. abreu. circa fin.* Michaël Scottus *de natur. ſolis, & lunæ,* Richardus *ca.14.* Calid. *cap.14.* Rogerius Baccho *de mirab. pot. art. & nat.* Robertus Vallenſis, *de verit. & antiq. art. chym. cap.14.*

Oleum vitrioli ſummum eſt etiam auxilium contra peſtem: quoniam refrigerat, incendium malignum remittit, exiccat, putredinem arcet, veneno reſiſtit, & ſic peſtilentibus, & malignis febribus valdè opitulatur, firmant Matthiolus *lib.5. in Dioſcorid. cap.74.* Anton. Portus *lib.2. de peſte, cap.54.* Crollius *in Baſilic. chymic.* Ioan. Mollerus *tract. de peſte, cap.5.* Ioan. Bokelius *in regim. peſtil. part. 1. cap.20.* Eſaïas Leſchius *in diſputat. medicochym. de peſte.* Rudolphus Goclenius, *in loimogra.* Dauid Herlitius *in ſuo de peſte tract.* Andreas Starekius *tract. de peſte,* Iordanus *tract.1. de peſte, cap.19.* Augenius *tom. 2. epiſt. lib.6. epiſt.8.* & alij: quidquid contra ſentiat Syluaticus *cont.48.* de hoc argumento ex profeſſo diſceptans, cuius rationes quum non valdè vrgeant, facillimè ſolui poſſunt.

Inter mineralia reponendum ambarum, cuius generatio etſi apud auctores ſit incerta, affirmantibus nonnullis eſſe maritimum fungum in alto maris concreſcentem, qui quidem erutus inde, vel aquis tandem ſupernatet, vel immanioribus, ſæuioribúſque procellis vnà cum ſaxis in littus ipſum propellatur, quæ opinio placuit Auic. *lib.2. cap.63.* Serapioni *lib.1. ſimpl. c.196.* aliis dicentibus eſſe bituminis ſpeciem quibuſdam è fontibus, aut ex ipſo maris alueo ſcaturientis, vt probat Simeon Sethi. Alij ſtercus auium maritimarum, aut balenæ ſemen, aut maris ſpumam eſſe ſunt arbitrati. Vtcumque ſit, cordis vires proprietate quadam tuetur, reficit cerebrum, ſenſus viuificat, & odore ſuo ſuauiſſimo reficit ſpiritus, & tum olfactum, tum bibitum aëri peſtilenti egregiè auxiliatur.

Ex animalibus animaliúmue partibus, aut excrementis alexipharmaca petenda ſunt, inter quæ principatum obtinet lapis belzaar, de cuius generatione ſat plura conſcripſerunt Garzias ab Horto, Monardus, Chriſtoph. à Coſta, Bauhinus, & alij, & nos de eius temperamento, propinandi modo, & mirandis effectibus plura diximus *lib.1. in com. hiſt.36.* Legendi de hoc argumento præter ibi citatos, Diomedes Cornarius *in lib. conſ. & obſ. hiſt.22.* Claudius Richardus *in deſcriptione huius lapidis*, Rulandus *de febre vngarica, quæſt.28.* Ioachim. Schillerus *ſect.2. de peſt. Brat.* Anſelmus Boëtius *lib.2. de gem. c.193.* Gualthetus Ryffius *tr. de peſte*, Bodinus *lib.2. theat. nat.* Leonh. Rauvvolfius *in ſuo itinerar.* Antonius Foneſius *lib.1. de peſte, in med.* Diomedes Amicus *lib. de peſte, cap.45.* Gabel Kouerus *in annot. ad cap.34. Baccij de gemmis.* Ioan. Franciſcus Vlmus *lib.2. de occult. propriet. cap.5.*

Deinde meminiſſe oportet cornu rhinocerotis, oſſa, ſanguinem, cutem iſtius immanis beſtiæ aduerſus venena

maximam

maximàm vim habere. De corio, & ſanguine dicam, quod fido experimento compertum habeo. Nobiliſſimus quidam Comes, arcis Malacenſis in Orientali plaga dux maximus ſæpè mihi narrabat, ſe in bello milites in deſerto errabundos, & violentis morſibus à tygride dilaniatos, epotis granis quinque ſanguinis rhinocerotis cum aqua pluuia permixtis ad vitam iam penè animam agentes, & diris ſymptomatis, animi deliquio, diſtortione oculorum: ſudore frigido, pulſu abolito oppreſſos, ſummo Omnipotentis auxilio reuocaſſe. Hoc ita eſſe, experimento præſente m epalam fecit: oblata enim cani cuidam drachma vna arſenici ſublimati, cum caſeo inuoluti, poſtquam canis proſtratus per terram huc, & illuc veluti mortuus oberraret, gemitu miſerabili vociferans, epotauit ex aqua acetoſæ, grana quinque ſanguinis huius, qui poſt dimidiam horam obambulans, per domum claudicans, & imbellis, paulatim poſt quinque horas reuiuiſcere cœpit. Nos aquam incoctam fruſtulo eius corij duriſſimi, poſtquam in ea aurum candens extinctum fuerat, bibendam ſæpè propinauimus peſte, & febribus malignis detentis cum emolumento maximo: Nam excitato ſudore copioſo immunes euaſere.

Ceruinum cornu, & huius animalis os è corde extractum, mirabilem contra peſtem, venenoſóſque morbos habet efficaciam, de qua egimus *lib.* 1. *in com. hiſtor.* 36. *Cerui lachrymam in noſtris Muſarum theſauris habemus cariſſimam: ante centeſimum annum in ceruo nulla eſt. Poſt eam ætatem excreſcit ad oculi canthum ipſis oſſibus, atque in os protuberans concreſcit ea duritie quæ coriũ ſuperet. Qua parte prominet, rotunda eſt, inſigni nitore, caloris fului, non ſine veſtigiis atriorum venularum: tanta leuitate, vt pene tactum effugiat: ita enim ſeſe ſubtrahit, vt propemodum ſeipſam mouere videatur. Aduerſus venena remedium præſtantiſſimum. Peſte correptis datur cum vini momento, vnde tantus cietur ſudor, vt pene totum ſolui corpus credas.* Hæc I. C. Scaliger *exercit.* 112. *prope fin.* Non dubitabimus rarum hoc alexipharmacum omnium eſſe præſtantiſſimum, cuius penuria oſſe de corde cerui vti fas eſt.

Eboris quanta ſit vis pro domando veneno diximus *lib.* 1. *in com. hiſt.* 24. Sericum quoque crudum, præſertim purpureum, in tenuiſſimas particulas conciſum, aut etiam vſtum, atque tritum cardiacum eſt, & ſic in pretioſa venit antidota, vt confect. hyacinth. al Kerm. diamarg. frigid. & alia, vitæ principio robur confert, ſpiritus inſtaurat, ex Auic. *lib. de virib. cordis, tract.* 2. *tit. de ſerico.* Moſchus odoratus, & zibettum, ſuaui ſuo odore à peſte præſeruant, quia ſpiritus augent, vires imminutas reſarciunt, cardiacis affectibus remedio ſunt, de quorum generatione, ac viribus ſat multa *lib.* 1. *in com. hiſt.* 9. *in fin.* Huiuſce generis ſunt bufonis vſti cineres, ſi cordis è regione applicentur. Ranarum puluis cum cinnamomo, vrina humana, cuius potu in Syria plurimos fuiſſe à peſte præſeruatos, & curatos tradidit Gal. *lib.* 10. *ſimpl.*

Denique pulueri ſerpentum ineſſe ad præſeruandum, & curandum à peſte vim mirabilem plures confirmarunt: Nam ex colubrorum carne elota, exiccata, & tandem in alcohol redacta conflantur pulueres, quorum vi omne veneni genus domari, & ad cutem propelli firmant An-gelus Baldus *in lib. de vipera*, Conradus Kunradus *in* 2. *part. medul. diſtil. tract.* 27. Erneſtus Burggrauius *in lampade vita, & mortis.* Sicut enim ex viperarum carne trochiſci confecti, & in theriacæ compoſitionem aſſumpti, omni generis veneno maximè reſiſtunt: cur hæc virtus earum pulueri eſt deroganda? Deinde ſi vinum viperinum, in quo viperæ extinctæ ſunt venenum à corpore expellit, vt ex multorũ mente auctorum probauimus *lib.* 1. *in com. hiſt. vlt.* cur viperarum puluis, quas ſerpentes vocauit Ariſt. 8. *de hiſt. animal. cap.* 17. veneno enecando ex vſu non erit?

Alia ſunt animalia, ex quibus alexipharmaca deſumuntur quorũ catalogũ poſuimus *lib.* 2. *in com. hiſt.* 89. quæ & plura ex plantis deſumpta ſciens voléńſque prætermitto, quoniam hæc, præſtantiora, & longo vſu, multáque experientia comprobata ſemper agnoui. Modo ad tertij ordinis alexiteria ſimplicia, nempe ad plantas ipſas acceda-mus. Inter quas carduus benedictus non inferiorem locum occupat, cuius decoctum, puluis, & ſtillatitia aqua ad febres peſtilentes valde prodeſſe ſolent. Sequitur ſuccus medullæ fructus Braſilienſis vocati *Moracuiao Haſu*, cuius vires pro peſte, febribus malignis, & æſtuoſis eſſe admirabiles diximus *lib.* 3. *de praxi admiranda, obſ.* 27. & eius effigiem, naturam, & efficacim deſcribit Ioannes de Laët, auctor grauiſſimus *in ſua deſcriptione regni Occidentalis in med.* Scabioſa, ſcordium, pimpinella, biſtorta tormentilla, angelica, ſcorzonera, vincetoxicum, carlina, tuſſilago, ſantali omnes, agallochum, helenium, valeriana, acorus, galanga, cinnamomum, flores croci, citri, aurantij, roſarum, caryophyllorũ, roriſmarini, aurantia, punica, citronea, limones, ſemẽ citri, năpi ſilueſtris, aniſi, ſucci citri, aloës, myrrha, ammoniacum, belzoinũ, acetoſa, oxylapathum, ruta, trifolium, bugloſſum, borrago, & eius flores, ſonchus, hypericum, betonica, zedoaria, doronicum oriẽtale, anchuſa, gentiana, ſerpentina, allium, raphanus ſilueſtris, agaricus, dictamnus creticus, eupatorium, triſſago, origanum, geniſta, fumaria, meliſſophyllum, pulegium, lyſimachia, quæ vulgò peſtifuga appellatur, baccæ iuniperi, carui, & myrti, ribes, nux myriſtica, ceraſa acida, myrobalanorum omne genus, coriandri ſemen, ocymum, crocus, calendula, viola purpurea, nymphæa, ſtœchas, acetum, omphacium; fraxini cortex, corallum, balſamum, zingiber, & alia pretioſa ſimplicia, de quorum facultatibus ſi ſingulatim ſermonem retexam, legentibus tædium pariam: Nam in recenſenda horum magna congerie iam me fuiſſe longiorem cognoſco. Legat qui velit Matthiolum doctiſſimum, qui in ſuis in Dioſcorid. commentariis omnia hæc ad viuum deſcripſit.

Referam tamen vnum ſolum à me expertum, nouiſſimum pro peſte, malignísque febribus curandis, at tutiſſimum alexipharmacum, de cuius facultate nec veteres, nec aromatum Indiæ ſcriptores quidquam memoriæ commendarunt. Agitur trigeſimus quartus annus cùm ab India Orientali, ex inſulis vocatis Molucenſibus, in Olyſipponem, emporium totius orbis celeberrimum allata eſt magna copia coccorum paruorum, quorum virtutem eſſe mirabilem aduerſus venena, & morbos venenatos, mercatores qui eos afferebant, ſummis laudibus prædicabant. Coccus hic Molucenſis eſt rotundus, intus albiſſimus, in ſuperficie externa habet colorem cinnamomi, ſed dilutiorem, nucleus amygdalæ inſtar latet intus, guſtui dulcis, albus, durus, caret medulla, magnitudine eſt paruus, caſtaneæ modo, tota illius ſubſtantia eſt duriſſima, ita vt ſolum cultello acutiſſimo, aut lima abradi poſſit. Placuit ſæpiſſimè de illius vſu, & vi in peſte, peſtiferis febribus, malignis, & aliis ardentibus, melancholicíſque affectibus periculum facere. Quapropter eius ſcobem, tenuiſſimè trituratam pondere granorum quinque, aut ſex, aqua roſacea, aut acetoſæ, aut alio cardiaco decocto, aut iulapio exceptam ægris anxietate oppreſſis exhibui. Deus bone ſymptomata ſunt ſedata, & ferè maior pars laborantium euaſit: cuius antidoti vſu roborata natura largo alui profluuio ſequuto, & aliquando excitato ſudore copioſo venenum infrænauit. Si huius cocci ramentum dentibus validiſſimè comminuas, ſapor quidam inſipidus in lingua percipitur, ſed temperamento frigidus eſt, & ſiccus, & ſic firmat ventriculum, viſcera roborat, cardiacis ſuccurrit affectionibus, prodeſt febribus productis, quartanis, cutaneis affectibus, contagioſæ, & peſtilenti diarrhœæ, & dyſenteriæ opitulatur apprimè, & contagioſis morbis ſummo eſt auxilio. In deliciis nunc reſeruo vnum, cuius puluere quum datur occaſio vtor cum vtilitate ſumma. Sed quæres quæ ſit inter hunc, & coccum Maldiuienſem differentia? Dic, quod Molucenſis diſtat à Maldiuienſi longiſſimè, & ſic in ſolo, & cœlo multum differunt. Maldiuienſis eſt maximus, intus cineritio, extra ſubnigro eſt præditus colore, cuius deſcriptionem & vires diligenter, & eleganter propoſuit Augerius Cluſius Medicus eruditiſſimus *tract. de cocco Maldiuienſi.* Molucenſis verò contrariam ſortitur electionem.

Si tamen vltimo loco perconteris, num in natura extet aliquod verum, ac certum peſtis alexipharmacum? Dic: cum

cum Geſnero *lib.* 1. *epiſt.* 64 peſtis alexicacon à ſolo Deo eſſe cognitum, & penès illum adhuc latitare, qui flagelli huius naturam, eiuſque antidotum in peccata hominum ſibi ſoli hactenus reſeruare voluit. Sic enim habet: *Remedia aduerſus peſtem nos nulla habemus. Fortè etiam non placet Deo, vt contra flagellum peccatis noſtris debitum, vllum certum præſidium habeamus.* Crato *conſ.* 166. ſic ait *Veram peſtis antidotum Deo ſoli notam eſſe non eſt dubium.* Palmarius *lib. de febre peſtilenti, cap.* 17. ſic inquit. *Cùm peculiare peſtis remedium adhuc in naturæ ſinu deliteſcat abditum, ad communia venenorum alexiteria, & cardiaca medicamenta confugere neceſſe eſt.*

HIST. LII. ACTVARII, De febre maligna.

Febris maligna, ſignis maleficentiſſimis comitata, ſexto die interficiens.

VEluti nos iam pridem in adoleſcente vidimus; is enim corporis firmitate, & magnitudine præſtabat, ſed plurimis, atque variis vtebatur, ſine vlla viuendi ratione, eſcis Quin etiã adoleſcens interdum corripiebatur febri continua, atque incidendo in ventris fluxum liberabatur. Sed tandem captus à febre, accenſa à magna putredine, me vocauit mihique curam eius credidit. Erat dies tertia qua ad eum accitus ſum. Veni, & æger non mediocriter ſe habebat, tetigi pulſum nouique non paruam febrem à putredine humorum genitam eſſe. Deinde matulam vidi multam craſſitudinem cõtinentem, vſque adeò, vt maiorem non potuiſſet habere, cuius color erat varius, & alienus; non enim videbatur albus, neque rubeus, neque niger, neque rufus, atque omnibus his coloribus apparentibus, nihil tamen exactè ſecretum, & definitum proprio loco erat, neque valdè mixta, ſed mediocri mixtura erant, quæ omnia ex magna humorum corruptione erant. Aderant namque excretiones ventris immodicæ, grauitérque olentes, atque quædam diſſolutio corporis aderat ob vehementiam febris virtute deiecta: namque bilis pura, & veluti aquea profluebat multa, & aſſidua ſurrectione excedens mediocritatem. Et itaque die malè ſe habuit, poſtea verò etiam vrinæ excretionem continuit: tum quia totus impetus materiæ in ventrem conceſſerat, tum quia febris vehementia exſiccatus fuerat muſculus circa veſicæ collum, qui continet ne vrina intempeſtiuè efflueret: at verò vſque adeò remiſſa eſt eius virtus concoctrix à magno momento materiæ fluentis deorſum, vt iam mortificata videretur, quin etiam è naribus aliqua fruſta ſanguinis mortificati effluxere, atque per fauces expulſa ſunt. Quod vbi Medicusquidam ex iis qui frequentabant, vidit, venam incidit, quum nihil opus eſſet, arbitratus ſanguinem expelli debere ob multitudinem. Quoniam verò quarta dies iam erat ab ea qua vrinam continuit, veſica verò extumuit à multa collecta vrina, nec vllum exitum habente, & dies iam ſexta erat, atque ſpaſmus immodicus corripuit ægrotum, atque eo modo facilius proſtrata reliqua virtute ſuccubuit æger accidentibus, &c. Actuarius lib. 1. de præuidentiis vrinarum, cap. 14.

PARAPHRASIS.

ACtuarius propoſuit hoc exemplum, vt confirmet magnam eſſe habendam prouidentiam, quando æger vrinam craſſam excernit præſente acceſſione febris, quæ procedente morbo non attenuatur, neque ad meliores colores mutatur: quæ vrina virtutis debilitatem, & humorum copiam ſignificat, ita vt metus ſit ne defatigata natura ſuccumbat. Hanc admodum craſſam habebat adoleſcens quidam, qui in febrem putridam, malè tamen morigeratam lapſus eſt. Et primò dicendum, vrinam valdè craſſam, exitialem eſſe, & deterrimam, cùm ſummam cruditatem ſignificet. Ita enim dicit Hip. 2. *prognoſt.* 31. ex vrinis verò magis exitioſæ ſunt fœtidæ, & aquoſæ, & nigræ, & craſſæ.

Circa craſſam duo notat Gal. *in com.* Primum, quod per craſſam, non quamcumque intelligimus, ſed eam quæ vehementer craſſa eſt: nam ſi ſimpliciter craſſior, quàm naturalis exiſtit, non admodum exitioſa habetur: licèt enim alicuius cruditatis ſit indicium, non tamen exitij, quare longiorem potius morbum ſignificat, quàm exitialem.

Sed inſtabis dicendo Hip. non reprobaſſe vrinam abſolutè craſſam: ſed cum nigredine coniunctam. Dic, quod etſi Hip. non diſtinxerit, an ſola craſſities ſit ſufficiens indicium ad nunciandum ægrotantis interitum, an potius oporteat cum nigredine copulari: tamen Galenus ſimilium ſententiarum nullam meliorem expoſitionem adinuenit, quàm ſit ipſa experientia, ſic enim ait *in com. Cæterùm craſſa vtrum per ſe ſeorſum exitioſa cẽſenda ſit, an copulanda cum prædictis, aut nigra, dignũ conſideratione eſt. Igitur quæ ipſi nouimus diligenter obſeruando, dicemus, vt ex illis orſus ſimul ſcias veritatem, ſimúlque meliorem eligas enarrationẽ, vrinam nigram quò fuerit craſſior, eò deteriorẽ haberi obſeruauimus: at ſi colorem habeat naturalem, duplicem habet euentum, interdum ad mortem, interdum ad ſanitatẽ propinquam, quemadmodum multa præter naturam, quippe corpus per illa expurgatur. Cæterùm conſtat vt ab Hip. craſſa dicatur, quæ per nimiũ talis habeatur: quæ enim ſimpliciter craſſior, quam naturalis exiſtit, non admodum exitioſa habetur, &c.* Quare ad modum craſſa, peſſima eſt, quia craſſæ materiæ, ac denſæ agitationem à calore factam ſignificat, vt ait Gal. 4. *aph.* 70 & apud Auic. 2. 1. *doct.* 3. *c.* 3 vrina valdè craſſa vt plurimum coctionis priuationem præoſtendit.

Rogabis, vtrùm conſtituendum ſit diſcrimen inter vrinam craſſam, & perturbatam, an potiùs vrina quæ craſſa eſt, ſit etiam ſimul perturbata. Gal. *lib.* 1. *criſ. c.* 12. craſſas cum perturbatis videtur confundere, dicens vrinam quæ ſeipſa craſſior eſt, conturbatam eſſe. Idem affirmat, 1. *epid. ſect.* 1. *com* 21. & 2. *prog.* 26. appellat vrinam craſſam, quæ iumentorum vrinis ſimilis eſt, & 4. *de ſanit. tuend.* 4. vocat turbidam. Et Aëtius *tetrab.* 2. *ſerm.* 1. *c.* 34. & Paulus *lib.* 2. *c.* 14. Et hanc eſſe Galeni ſententiam, & cæterorum Græcorum aſſerit Valleſius *lib.* 3. *cont. c.* 23. Subſcribit Chriſtoph. à Vega *tract. de vrinis, c.* 2. *in princ.*

Auicenna tamen 2. 1. *doct.* 3. *cap.* 1. docet diuerſas differentias vrinæ eſſe, craſſitiem, & turbulentiam, quod aliarum rerum exemplo oſtendit: ſæpe enim multa reperiuntur quæ craſſa ſunt, & non turbulenta, immò clara, & perſpicua, cuiuſmodi ſunt albumen oui, cryſtallus, gluten piſcium liquatum, oleum, & alia ſimilia. Dic, ſimpliciter craſſitiem, & turbulentiam eſſe res impertinentes, & inter ſe diuerſas, tamen in vrinis coincidere in idem, ita vt omnis vrina craſſa præter naturam, turbulenta ſit: nam vrina quæ in ſua ſubſtantia tenuis eſt, & aquoſa, non acquirit craſſitiem niſi per commixtionem humorum craſſorum, aut multam quantitatem alicuius humoris permixti, qui ſi optimè commiſceantur per concoctionem, reddunt vrinam mediocrem in craſſitie; quod ſi perfectè non miſceantur, reddunt vrinam craſſiorem naturali, & ſimul perturbatam.

Quod ſi obiicias quod Auicenna *loc. cit. cap.* 3. aſſerit, vrinam valdè craſſam ſecundum plurimum ſignificare coctionis priuationem, ſed aliquando coctionem craſſorum humorum præoſtendere, quare tunc hæc vrina, craſſa erit, & tamen non erit turbulenta cum fiat per coctionem. Dic, hanc vrinam etiam turbulentam eſſe; nam hæc coctio non eſt perfecta omnino: aliàs non videtur ſententia Auic. admittenda, niſi fortè intelligamus eam vrinam fieri valdè craſſam per concoctionem humoris noxij craſſi, quem cum coquitur, natura per vias vrinæ expurgare ſolet, & ita tum temporis has reddit craſſas, ſed ſimul ob eandem cauſam etiam turbulentas.

Ergo adoleſcens hic robuſtus, & firmus incidit in febrem putridam, ſed ob hanc cauſam ſatis periculoſam quoniam, vt dicebat Galenus *lib.* 3. *de præſag. ex pulſ. cap.* 4. *qui habitu ſunt valenti, ſi incidant, periclitantur, quoniam fortes vires, lethales morbos contemnunt,* 10. *meth.* 4. & hæ ſi morbo ſuccumbunt, vehementiam morbi arguunt manifeſtè, & magnitudinem cauſæ præoſtendunt, iuxta textum Hip. 2. *aph.* 34. quare Auicenna 2. 4. *tract.* 1. *c.* 28. dicit, *& ſcias quod ſani paucæ infirmitatis cum ægrotant, ſignificant timorem, &c.*

Inſuper

Inſuper hic alimentis veſcebatur plurimis, ex quibus cruditates emanant: cum enim cibus debeat eſſe proportionatus calori coquenti, ſi in magna quantitate aſſumitur, nocet, cùm ſemicoctus remaneat, quare ex cruditate, quæ eſt omnium malorum ſeminarium, atque origo, vt ait Auic. 16. 3. *tract.* 3. *cap.* 21. ſcaturiunt obſtructiones mali habitus, podagræ, articulorum morbi, acutæ, & diuturnæ febres, apoplexiæ, paralyſes, conuulſiones, peripneumoniæ, ophthalmiæ, & vniuerſa prope morborum farrago ceu è fonte vberrimò oriuntur.

Quòd ſi accedat vt aſſumpta edulia ſint varia, tunc damna accidunt quæ difficilem poſtea habent correctionem: quoniam ciborum varietas reproba eſt, vt docuit Galenus 1. *acut* 18. §. *Quo fit vt qui de concoctione ſcripſerunt, ciborum varietatẽ, præſertimque vbi varijs conſtent facultatibus, nocentiſſimam dixerint, vtpote quæ ingeſta ipſa probè concoqui prohibeat. Obſeruant id maximè qui luctantur, tum qui legitimè certant prandio: ij ſiquidem panẽ duntaxat edunt, in cœna verò carnem, &c.* explicat Plutarchus 4. *probl. ſympoſ.* nam vt ait Auic. 3. 1. *doct.* 2. *cap.* 7. §. *Nihil quidẽ deterius eſt quàm diuerſa nutrientia ſimul adiungere, &c.* alij enim citius, alij difficiliùs concoquuntur. Conſule Santorellum doctiſſimum *lib.* 15. *antepraxis cap.* 12.

Deinde ſi omnibus his iungatur etiam varius, & inordinatus viuendi modus, tunc nihil deeſſe iam poteſt, vt debilitato calore ex alimenti copia eóque diſtracto, humorum in corpore accreſcat congeries, ex quibus putredo oriatur, foueatur, & increſcat: tunc autem nulla obſeruatur viuendi ratio, quando in multa quantitate, eáque varia ſumuntur alimenta, & poſtea nullus ordo obſeruetur, ſumantur frigida, & calida actu tenuia cum craſſis, & ea, C antequam coquantur talia, iterum ingurgitare, *quoniam nihil deterius eſt in corpore quàm nutriens ſuper nutriens, quod non eſt digeſtum, mittere,* vt ait Auic. 3. 1. *doct.* 2. *cap.* 7. Amplius cruditates parit, & obſtructiones, motus poſt cibum intempeſtiuus: alimentum enim à ventriculo deturbat ſemicrudum & ab officinis coctionis calorem diſtrahit, *non enim ex iis quæ comeduntur, & bibuntur, ſed ex iis quæ probe in ventriculo concoquuntur fit nutritio.* vt eleganter dicebat Gal. 11. meth. 15.

Ex iis aduertere licet, ſalubre eſſe conſilium Galeni monentis illos qui ſuæ ſalutis curam habere debent, ne virium firmitudini confiſi edulia praua eſitent, licet ea optimè concoquant, ſic enim ait, *lib.* 2. *de alimentor. facult. cap.* 6. *Ergo qui cucumeres bellè concoquunt, cum eo ipſo fiſi affatim iis ſe impleuerint, iis tandem longo temporis tractu ac-* D *cidit, vt ſuccus frigidus, ac mediocriter craſſus in venis coaceruetur, quæ in ea coctione quæ fit in venis, haud facile mutationem in probum ſanguinem recipiat. Ob eam igitur cauſá omnibus praui ſucci eduliis cenſeo abſtinendum: etiam ſi ea quibuſdam concoctu ſint facilia: nobis enim non aduertentibus prauus ſuccus ex ipſis poſt longum tempus in venis colligitur, qui poſtea exiguam ad putredinem occaſionem natus, febres malignas accendit, &c.* Tranſtuli Auicenn. 3. 1. *doct* 2. *cap.* in hunc modum *Ille verò in quo mala digeruntur nutrientia, ob hoc non decipiatur quoniam poſt dies in ipſo mali generabuntur humores ægritudines facientes, & pernecantes, &c.*

Nec enim hic viuendi reprobus ordo potuit naturam robuſtam, & validam diuertere, ne ex temporum inter- E uallis ſaburram extra corpus excitato alui profluuio cum continua febre coniuncto propelleret, qua vacuatione à febri euadebat immunis. Sed cùm in eodem victu perſeueraſſet, in dies, magis, ac magis auctis cruditatibus factum eſt, vt increſcente putredine, & corruptione in venis, quam præ copia natura non potuit excernere, ipſe tandem putri ſynocho corriperetur, ex feruore, & ebullitione putrentis ſanguinis ſuborta. Hoc vrinæ craſſiſſimæ demonſtrabant, ex recitata cauſa profectæ. Aderat etiam plenitudo, ſeu ſuccorum æqualiter ſe habentium redundantia, quam plethoram appellat Galenus *lib.* 3. *de ſanit. tuend. cap.* 9. & 4. *meth.* 4. & 13. *eiuſd. cap.* 6. Nam in hoc ægro ſucci omnes, ſeruata veteri proportione, fuerunt accumulati: quoniam vrina, quæ eſt ſerum ſanguinis, & aliorum humorum, id indicabat: neque enim erat alba,

A rubra, nigra, aut rufa, ſed aliquando hunc, interdum alium colorem repræſentabat, in qua nullum aderat ſedimen, nec ipſa coctionis futuræ ſpem de ſe præbebat.

Immò vexabat nimium alui profluuium, quod in initio morbi ſi eueniat citra leuamen vllum, eſt ſymptomaticum, & reprobum, 4. *aph.* 22. *Nihil enim in initio ad bonum euacuari eſt poſſibile, omnia enim ſunt caſus præter naturam eàrum quæ ſunt in corpore diſpoſitionum: oportet enim prius præire coctionem, ſubſequi diſcretionem, & vltimò excretionem, vt bona ſit criſis, atque indicium.* Repetit. 3. *epid. ſect.* 1. *com.* 5. quoniã iis quæ ſine ratione (hoc eſt ſine coctione) leuant fidere non oportet, ex Hip. 2. *aph.* 27. maxime cùm fœtidæ eſſent impensè, quæ intenſam putredinem intra venas contentam præoſtendunt, *ſuperans enim graueolen-* B *tia putredinis eſt, non concoctionis, ſignum,* auctore Geleno *lib.* 1. *prog. vlt. in princ.* Nam fœtor, niſi fiat à rebus fœtorem inducentibus, vt aliis, eruca, porris, ouis, quæ omnia fœtorem concitare teſtatur Auic. 7. 4. *tract.* 3. *cap.* 24. ſi vehemens eſt, ſummam putrefactionem ſignificat, ex Gal. *lib.* 1 *criſ. cap.* 11. & Auer. 21. *partic. anic. text.* 333.

Enimverò ſi hanc immodicam vacuationem conſideres, & ob hanc cauſam virium iacturam ſummam, non eſt dubium quin hic malè habuerit. Acceſſit alia huius damni cauſa, nempe confluxus materiæ ad vias vrinæ, quare iſchuria ſequuta; quæ ex obſtructione meatuum veſicæ in febribus oriri conſueuit, & firmat Paulus *lib.* 3. *cap.* 45. Non dubito etiam, quod à febris vehementia toto corpore veluti exſiccato, etiam muſculus veſicæ ceruicem claudens exiccaretur, & ſic nimium contractus, chordarum inſtar ad ſolem, vel ignem exiccatarum, laxari non poſſet ſed magis corrugatus vrinam retineret. Ob quam cauſam ſpiritibus ob nimium incendium internum diſſipatis, & reſoluto veluti calore natiuo, vires ad extremam debilitatem ſunt redactæ, ita vt ſanguinem retinere non poſſent: & ſic per nares & fauces ipſum concretum, & grumoſum excreuit, quæ vacuatio occaſionem præbuit imperitò Medico vt ſanguinem ſecta vena emitteret; quem errorem notauit inter omnes Fernelius *lib.* 2. *de ven. ſect. cap.* 4. dum ſic ait. *Neque imperitorum more, ſi vel nares ſtillant ſanguine, vel vrinæ rubræ ſeſe offerunt, protinus imperãda venæ ſectio, &c.* Hic ergo ſãguis mortificatus, hoc eſt liuidus, extremam penuriam innati caloris oſtedens; vehementem naturalis caloris arguebat imbecillitatem, quam primò cerebrum perſentiſcit, quum ſit laxum, molle, friabile, maximè cùm ſpiritus animales, quibus vt inſtrumento vtitur, à calore igneo eſſent diſſipati: quare ex vrina retenta, ac putrida eleuati acres ad ſuperas partes vapores: neruoſo generi communicati, conuulſionem excitarunt: à fœtida enim vrina exurgit aura veneroſa quæ concutit cerebrum, & neruos lancinat, & ferit & ſequitur ſpaſmus, ex quo hic vitam tandem cum morte commutauit. Hoc modo narrat Heurnius *cap.* 22. *de morbis capitis, fol. mihi* 234. mortuum fuiſſe robuſtiſſimum militem, qui cùm toto biduo vrinam non reddidiſſet, tremulum, delirum, ſequuta epilepſia, & validis conuulſionibus occubuiſſe: & ego aliquos vidi, qui iſchuria diuturna oppreſſi ſuperueniente epilepſia, & apoplexia, diſſeminato ſero per totam corporis molem, tumefacto corpore, & nimis laxo reddito, extincti ſunt.

Ex iis manifeſtè patet, hanc febrem non fuiſſe ſimpliciter putridam, ſed malignam. Primò, quia pauciſſimo tempore cor proſtrauit, & ſpiritus vitales extinxit: nam grauiſſimi morbi ſunt qui præcordia obſident, dum eis venenata qualitate infenſi ſunt, vnde cùm deleterius vapor aëri inſperſus cum ſpiritu intrò ſubiens, cor viſcus nobiliſſimum exercet, affectum valdè malignum inde procreari eſt neceſſe. Secundò, quod febris incepit à magna putredine, & deinde in magnam humorum corruptionem degenerauit: quoniam maligna febris à putredine corruptelam excitat, vt ſuis viribus ſeſe oſtendat, & in actum erumpat. Et à corruptione malignitas, quæ à putredine, caloréque ſuſcitatur, ſæuiſſima ſymptomata parit, & magis funeſta, quam ea quæ à putredine fiunt; ex illa enim facultates vitales magis concidunt, & febris magis lethalis, & pernicioſa eſt: datur enim corruptio

quæ

quæ longè differt à putredine: humores enim noſtri cor- A
poris eò corruptionis aliquando deueniunt, vt propria deſtituti natura, alienámque ſubeuntes, letalibus veneñis finitimi reddantur. Accedit alia coniectura, quod omnibus celebratis auxiliis non miteſcat, ita dicit Galenus *lib.* 1. *epid. ſect.* 3. *com.* 1. *in init.* nam morbum conſtat cacoëthem eſſe, vbi cùm omnia rectè adminiſtrentur, nihilo fiat mitior, & *l.* 3. *ſect.* 3. *com.* 7 9. §. *Reticuit autem Hip. ſicut remedia alia omnia, tamen neceſſe interdum habuit dicere, nihil eos ab iis quæ offerebantur adiutos fuiſſe, vt malignitatem ſuggereret morbi*, explicat perdoctè Ioannes Colle *lib.* 1. *de morbis malign. c.* 8. Plurima autem remedia ab Actuario, vt à Medico expertiſſimo fuiſſe celebrata non negabimus, ſed ea reticuit, vt fecit Hippocrates in Anaxione, quoniam attulit hiſtoriam ſolùm, vt probaret, vtinam admodum craſſam in febribus reprobam eſſe, & B inutilem.

HIST. LIII. AVENZOAR. De variolis.

Auenzoar correptus variolis, aſſumpto melle, & exacerbato morbo, naturæ tamen beneficio, à morte euaſit.

*Q*Voniam ſtulti vulgares dant iſtis dulcia, mel, piſces ſalſos. *Ego fui ex illis qui cecidi in illum errorē, quia* C *cùm eſſem paruulus, habui variolas, & pater meus non erat mecum, & conſilio quorundam accepi mel, & ex illa anguſtia, & labore, & fortitudine ægritudinis quam habui, mirum fuit quod euaſi. Auenzoar* lib. 2. theizir. tract. 7. c. 3.

PARAPHRASIS.

DVlcia, quia bileſcunt feruorem concitant calore ſuo, facilè inflammantur, ſicut & mel, in variolis, in quibus febris adeſt vehementiſſima, non eſſe concedenda omnibus eſt manifeſtum. De piſcibus ſalſis maior eſt hæſitatio: nam à vulgo receptiſſimum eſt illos exhibere, qui variolis, & morbillis ſunt oppreſſi. Neque hæc opinio contemnenda, quum ſit à peritiſſimis Medicorum confirmata. Brudus enim Luſitanus *lib.* 3. *de regimine fe-* D *bricitantium, c.* 23. quem ſequutus eſt Ludouicus Mercatus *lib.* 1. *indicat. in conſilio cap.* 1. piſcium ſalitorum vſum in hoc affectu vtilem eſſe aſſeuerant: Nam ratione ſalis exanthemata ad cutem faciliùs erumpunt, maximè ſi humores craſſi ſint, viæque anguſtiores: ſalſa enim penetrant, attenuant, humorem ad cutem propellunt. Sed hunc victitandi vſum non laudo: ex quo plures aucta febre, ſequutis vehementiſſimis ſymptomatis perire vidi. Nam ſalſa nocua ſunt, inflammant enim calore ſuo, exſiccant humorem, eúmque excerni prohibent, quoniam vt ait Auic. *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 3. exſiccant, & adſtrictione contrahunt, ex Gal. 11. *ſimpl. tit. de ſale.* Deinde piſces in medio febris feruore, qui in exanthematis intenſus adeſt, E oblati corrumpuntur, & humiditate ſua excrementitia humores vitioſos generant. Inſuper licèt in febribus ſaxatiles concedantur, vt latè probauimus *lib.* 1. *in com. hiſt.* 28. tamen ſaliti difficulter in ſtomacho concoquuntur, quum craſſiore ſubſtantia conſtant. Quare piſces ſalſi in exanthematis meritò reprobantur, quum plurima edulia iis prouocandis ſint accommoda magis, quorum catalogum legat qui velit apud Auic. 1. 4. *tract.* 4. *cap.* 10. & alios Arabicæ familiæ Medicos ſcientiſſimos, qui in eorum curatione cæteros antecellunt.

* *
*

HSTOR. LIV. RHASIS, De variolis.

Variolis correpti licèt in initio videantur meliùs habere, in declinatione tamen ſæpiſſimè pereunt.

*Q*Vidam paſſus fuit variolas ſatis malignas, & fuit phlebotomatus priuſquam conſtringeretur guttur eius & non remanſit aliqua medicina extinctiua, quæ non ei eſſet facta, & melioratum eſt, & elargatum eius guttur, & variolæ ſimiliter, ita quòd habuimus de eo bonam ſpem: & poſtea* in ſtatu aucta ſunt accidentia, & in declinatione euenit ei dolor vehemens in tibia, * & denigrata eſt, & intentionis meæ erat ſcarificare locum, & in eadem hora habuit caſum virtutis, & tum deſperaui de eo omnino, & deuenit ad talem ſtatum, quod ſanguis emanabat ab eius poris, & eodem die mortuus eſt. Rhaſis* lib. 30. cont. tract. 13. cap. 1.

PARAPHRASIS.

DE cauſa exanthematum ſatis ſupérque diſceptatum, *lib.* 2. *in com. hiſt.* 3. quo loco à vitio menſtrui ſanguinis oriri determinauimus. Nunc hiſtoriæ explanationem aggrediamur. Variolas eſſe malignas certum eſt, quando ante eruptionem, & poſtea contingunt ſymptomata ſæua: Nam variolæ peſtem portendunt, aut ſubſequuntur, & vehementiſſimis pathematis ægros exercent: tamen ſi anxietas adſit, tremor cordis infeſtet, febris vrgeat intenſa, conuulſiones premant ex aura venenoſa eleuatæ, quæ ferit, concutit, & partes neruoſas lancinat, & vexat: tunc maligniſſimæ ſunt: quem vaporem virulentum, & noxium cùm natura ſeparat, atque ad partes externas pellere contendit, eo ebulliente, & tetrum halitum eructante, hæc & grauiora damna accidere comperimus.

Licèt autem variolæ ex craſſiore, & minùs acri humore oriantur, quàm morbilli, tamen ex illis plures occumbunt, quoniam lentus humor contumaciter glutinis inſtar viſceribus adhæreſcit, & præ mora retentus ampliùs putreſcens, acrior fit, & mordacior, & ſic interna membra rodit, & exulcerat: hinc dyſenteriæ lethales, pulmonis, & ſpiritalium vlcera cacoëthica, tabes, totius corporis deformitas, & alia immania monſtra repullulant, quæ vix coërceri infrænaríque poſſunt.

Omnia hæc præuidens auctor noſter, quum febris adeſſet valida, & feruoris magni, quæ non ſolùm ob confluxum humoris maligni ad fauces, vt ferè ſolet; ſed ob flammeam in viſceribus latentem diſpoſitionem, reſpirationem denſam efficientem, & veluti ſuffocantem, eueniebat, ſanguinem emiſit, quod auxilium ante eruptionem exanthematum, & poſtquam erumpere incipiunt, ſi plethora vrget, & vires valent, eſſe præſtantiſſimum, faciliimum, & ſecuriſſimum, monuere Arabes, & eorum dux maximus Auicenna, quem ſequuntur vnanimiter omnes Medici, quotquot hactenus de exāthematis ſcripſēre, Hiſpani, Luſitani, Itali, Galli, Angli, Germani, exceptis iis qui medicinam exercent in noſtro Belgio, qui cùm alioquì doctiſſimi ſint, & expertiſſimi, hoc tamen auxilium in hoc morbo acriter infamant, & cane, anguéque peius aſpernantur, quod ego feliciſſimè in hoc terræ tractu, non ſolùm in Luſitanis noſtris, quos eſſe aſſuetos phlebotomiæ ipſi prædicant; ſed Belgis, cuiuſcumque ætatis, ſexùs, conditionis expertus ſum. Immò ſi ſatius non eſſet mihi calamo præſtare habenas, plures in propatulum ægros nobiles reponerem, ſequutus Galeni conſiliū *libris de venæ ſect. aduerſus Eraſiſt.* cum Medicis Romanis ſe exercentis, qui aliis auxiliis, nempe aperientibus cutaneos poros, rarefacientibus, ſudorificis, citra totius prouidentiam, miſerè ægros excarnificabant, qui ob plethoram ſummam, ſanguinem excernentes per os, nares, & ſedem, delirio prehenſi quidam; alij ob incendij interni

æſtum,

aſtum, depopulato, & reſoluto inuato igne, extinctis ſpiritibus, ſpreta phlebotomia occubuere.

Sed quid plura conſector ac colligo, & in his minutulis, & triuialibus tempus conſumo, crambénque recoctam præbere videor? Nònne Hippocratica oracula ſunt vera in Libya, regione calidiſſima? Delo, temperata? Scythia, frigidiſſima, vt cecinit Dictator ſummus *lib. prog.* 40. & peritiſſimus Chriſtophorus à Vega *in fine com.* ſic ait. *Vnde fit vt Scythia, regio ſatis frigida ſit pro maiori parte, hominéſque ferat robuſtiſſimos, & qui inuicti ſemper manſerint, neque externum dominiū admiſerint, neque ipſorum Romanorum arma ſenſerint; ferinis, ac murinis pellibus contra regionis frigiditatem muniuntur, &c.* Quare licèt in Lybia ob caloris exceſſum, vires reſoluantur, reddantúrque ad tanti præſidij adminiſtrationem ineptæ ſatis; in frigida ob rationes dictas vel etiam vigente bruma longè calidiora multò ſunt viſcera, nam ventres hyeme natura calidiſſimi 1. *aph.* 15.

Neque inſtes, ad Græcos ſolùm loquutum Hippocratem, ad ætatem ſuam collatione facta. Nam primum eſt falſum, habéſque contra te, perdoctum, & Laconicum paraphraſtem Heurnium, qui ſic præfatur, *in eodem com. num.* 9. *verbo veracia, contra eos qui hæc tantùm ad Græciæ homines pertinere putant, & ad ætatem Hippocratis: non enim natura fatiſcit. Si enim illa elangueſceret, iam ſanè diu internecione deletæ eſſent quàm plurimæ rerum ſpecies, immò homines ipſi: nec Philoſophi vllum argumentum inueniſſent, quo mundi æternitatem firmaſſent, &c.*

Ergo ſi Hippocrates & Galenus in regionibus omnibus, in cutaneis affectibus, in tumoribus, & inflammationibus exterioribus, in omni excreto ad corporis ſuperficiem, ſanguinem emittunt permittentibus viribus, retroceſſum humoris à cute ad centrum non verentes: cur in frigidis terris in parca phlebotomia, ante eruptionem exanthematum celebranda. Eraſiſtrati hæmophobi inſtar, quem tantopere Galenus obiurgat, erimus meticuloſi?

Et relictis horum auctorum locis, ne in iis ſeriatim recitandis ſim multiloquus, vnum Auicennam proponam, qui 1.4. *tract.* 4. *cap.* 10. ſic alloquitur. *Oportet in variolis vt incipiatur, & extrahatur ſanguis ſufficienter, quum conditiones fuerint, & ſimiliter ſi morbillus fuerit cum repletione ſanguinis, & ſpatium illius eſt vſque ad quartum, Sed quando procedunt variolæ, non oportet tunc vt adminiſtretur phlebotomia, niſi inueniatur vehementia repletionis, & dominium materiei: tunc enim phlebotometur quantitate quæ alleuiet, ſeu minoret, &c.* Vides ipſiſſima Auicennæ verba, ne tibi vllus ſubterfugij locus relinquatur, niſi in pectore, non in fronte oculos habueris.

Demum exercerem ingenium meum in quæſtione de mittendo ſanguine in exanthematis. Sed ea eſt tyrunculis indigna, & doctiſſimorum virorum cenſura iam penitus aboleuit. Annus agitur duodecimus, ſi rectè recordor, quo ad hanc populoſiſſimam ciuitatem Amſtelodamenſem, ſecuriſſimum tranquillitatis portum, acceſſi,

Sedes vbi fata quietas oſtendunt,

Paululum in ea moratus, ad conſilium vocor cuiuſdam vigeſimo ætatis ſuæ anno conſtituti Belgæ, cui ſumma plethora correpto apparentibus variolis, febris inerat ardentiſſima, pulſus magnus, ſitis ingens, aderat toto corpore rubor, tumebant venæ, cocto ſanguine plenæ; phlebotomiam conſulo, renuunt ſocij, & licèt contra duo nec Hercules ipſe, tamen pro veritate contendens, iterum annuentibus affinibus de ſanguine mittendo ſum ſolicitus. Sic factum, & ſic quater extracto ſanguine duobus diebus deonerata natura potentius variolas ad cutem tranſmiſit, & æger à tantò agone ſuperſtes remanſit.

Pertinaciter inſiſtebant illi, quòd expurgatio facta per variolas erat critica, & à natura intenta, & ſic celebrata phlebotomia certè naturæ ordo erat inuertendus. Sed hæc methodus non eſt recta, quoniam habet contra ſe Galenum in locis multis: nam quando incompletè agit, ſupplere nos medicando conuenit. Eſt textus celebris 2. *aph. com.* 15. *Animalium natura ex principalioribus membris humores malos euacuās, alios per vrinas, vel vomitus, vel aluū inferiorē excernit, alios ad cutē extrudit, quos quū euacuare præ craſſitudine non poſſit, ibi eos deponit, atque hoc modo tubercula naſcuntur in corpore. Tunc igitur conſiderandum eſt, eſt, & diſtinguendum, nunquid natura totam in patientibus partibus ſuperfluitatem depoſuerit, an adhuc corpus totius animalis vitioſis humoribus abundet, quod excrementa indicabunt. Nam ſi natura mota eſt ad expurgandum corpus impurum, bilioſa apparebūt patétque prius eſſe purganda, quàm nutrienda huiuſmodi corpora. Sin autem excretiones ſunt ſimiles ſanis, totum corpus ſanū eſſe iudicatur, & ſine vllo periculo nutriri poteſt. &c.* Hactenus Galeni aurea diſtinctio, luculenter docens quādo euacuatione ſit opus, quando natura humores ſuperfluos critico modo expellit ad cutē. Quod ſi Galenus expurgat in imperfecta criſi ad cutē quæ vacuatio magis à ſuperficie attrahit ad centrum; ampliùs eliget venæ ſectionem ſi illius ſcopi adſint requiſiti, quod probat Galenus *lib. epid. ſect. com.* vbi in Simone latis puſtulis correpto venā ſecat, retroceſſum humoris ad partes intimas minimè veritus, ſic enim ait. *In quibus corporibus permulta humorum copia ingeſt, iis vtiles eſſe purgationes didiciſti; priùſquam enim ita redundantem materiam, aut venæ ſectione, aut purgatione quis eduxerit, ſi fouens, hoc eſt calidis vtens, ipſam diſcutere conetur, plus attrahet.*

Iunior Medicus elapſis diebus ſtomachabundus alia argumenta in me coniecit valoris non multi, quæ lubens, & ſilens prætermitto. Sed cùm hic contemptim, & negligenter de ingenij mei penè deliteſcentis tenuitate periculum facere tentaret, & infelicis ingenij ſit nihil ex ſe parere, & aliorum veſtigiis inhærere, nullum illi, carmine ſequenti excepto, reſponſum dedi, oſtendens controuerſiam de phlebotomia in variolis triuialem eſſe, quum ab ingenuitate mea alienum ſit de ea aliquid commentari, omnibus enim, vel illis qui ſacræ Medicinæ limina prima ſalutârunt, in exanthematis ſanguinem eſſe emittendum eſt notiſſimum.

Non tam auerſus equos noſtra ſol iungit ab vrbe,
Nec mihi tam tenues ſubſiſtunt pectore ſenſus,
Quin tua non pateant, quæ tanquam oracula nobis
Proponens, pariter me, téque indigna requiris;
At ſi tantus amor laudis, ſi tanta voluptas,
Et te magnarum ſtimulant præconia rerum,
Non nodum in ſcirpo quære; aſt ænigmata ſphyngos.
In te verte manus, per te ſpeculata ferantur,
Non quæ ſunt cunctis paſſim patefacta libellis.
Ergo ſiſte gradum, téque in tua mœnia volue,
Et nos qui in tenebris, & cæco carcere vitam
Ducimus, in tenebris iterum permitte latere.

Poſſem in hoc argumento plura ex veterum, & iuniorum penu fœcunda præclara depromere, ſed ea cùm ſint quotidiano, euidentique argumento ſtabilita, ſilentio inuoluo. Quare Medicus arguens, cùm non eſſet rudis ingenij cōſiliique expers palinodiā recantauit, immò dum ſeſe offerebat occaſio, ante eruptionē exanthematū in ſucculentis, & benè educatis puellis ſanguinem interdum per ſectam venam, aliquando per ſcarificatas cucurbitas emittendum imperabat cum vtilitate multa Sed hic attendere debebat priùs, in quas anguſtias, ſe, tanquam in carceris barathrum coniecerat, dum ardentiori Medicos Belgas mouendi ſtudio hoſtes ſibi pro hæc exercenda praxi infeſtiſſimos comparauerit, & timeo *ne eum mittant in eam domum, vbi viuos homines mortui incurſant boues.* Hæc in rem præſentem ſatis ſint, ad hiſtoriam iterum accedamus.

Facta ergo phlebotomia, & celebratis omnibus auxiliis, quæ ſanguinis, & aliorum humorum feruorem temperarent, & illorum cauma extinguerent, vt ſunt cardiaca iulapia, potiones, decocta, eclegmata, ſyrupi, arteriaca; factum eſt, vt ſuffocatio illa ex humore tenaciter viis ſpiritus adhæreſcente, & infarcto, tolleretur, expurgato per ſputum humore medicaminium ope. Et eum reſpiratio eſſet magis libera; aliquam leuaminis ſpem Medicus concepit, ſed hic morbus lætos non habet exitus: Cùm enim pars craſſa veneni humoris deliteſceret in viſceribus, eam ad partes extremas natura expellere tentante, dolor excitatus in tibia, in qua aderat nigredo, ſignum veneni interni, & mortis imminentis certiſſimum: Hoc modo Silenus eum liuore extremorum

morientem in ſtatu mori, cùm tamen conſtet plurimos mori in principio,& augmento,vt infrà dicemus. Ex quibus iudicabis,quam ineptè Argenterius more ſuo rectam Galeni methodum conuellat, in cuius mente explicanda breuiores fuimus quàm barbari,& antiqui Auic.*loc.cit.*expoſitores,& Valleſius qui *lib.*10.*com.c.*6. non ita dilucidè eius doctrinam eſt interpretatus.

QVÆTIO VLTIMA.

Vtrùm in declinatione vniuerſali variolarum poſſit æger mori,vt voluit Auicenna.

ET *in declinatione.*]Etſi peritiſſimus Luſitanus *in com.c. vlt.lib.*1.*de dif.feb.Gal.*plurimis,iiſque validiſſimis machinis quæſtionem hanc explicandam fuerit aggreſſus cum Auicennæ expoſitotibus *ad c.*3.1.4.*Auic.*Conciliatore *dif.* 107.Valleſio 10.*cont.*7.Cardano & aliis iunioribus, conandum tamen poſt hos ſcientiſſimos viros pro hiſtoriæ, & textus Auicennæ interpretatione argumentum hoc tumultuario licèt ſtylo explicare, & quidem tantò impenſiùs, quantò pro venoſi generis morbis curandis eſt vtilior, & valdè neceſſaria inueſtigatio hæc.

Auicenna enim Medicus,& Philoſophus admirabilis,& qui compendioſo ſermone vniuerſam artem medicam illuſtrauit,auxit,atque perfecit 1.4.*tract.*1.*c.*3.præcepta tradens ſaluberrima,inſtruit Medicum,vt bonum,vel malum ægritudinis euentum poſſit præcognoſcere,docétque vt in principio,& augmento mobi, eiuſdémque vigore ſit vigilantiſſimus,& magis ſolicitus, quoniam ægri in his tribus temporibus pati poſſunt mortis periculum, in poſtremo autem morbi tempore, decreſcentia, ſeu declinatione, à prædicto mortis diſcrimine ægrum neceſſariò euadere immunem:nam nulla ratione in hoc vltimo morbi tempore perire poteſt.

Hanc quidem ſententiam, abſolutámque veritatem à Gal. 3.*criſ.* 5. primò prolatam, ratio, auctoritas, & experimentum vbertim confirmant. Quocunque morbi tempore æger poterit perire, quo morbus naturam omninò ſnperauerit: ſed primis his tribus morbi temporibus morbus poterit naturam euincere, nequaquam autem in poſtremo, quod iam incolumis euadat æger à primis tribus; ergo quocunqne horum trium temporum & non poſtremò poterit æger perire. Maior veriſſima eſt, & traditur ab Hipp. 4.*acut.*22.§.*Vbi autem corpus imbecille fit,morbus prænalet;vbi autē morbus corpori prænaluerit, remedium non habet, &c.* Ideò enim mors ægrotanti contingit, quia morbus naturam proſternit, & euincit. Minor ſuadetur, nam morbus in ſumma malitia conſiſtens poterit naturam labefactare,& ducere ad interitum, & antequam ad ſummam malitiam perueniat, tempore quo adhuc increſcit, tantæ poteſt eſſe magnitudinis, & potentiæ, vt omnino vires deiicere poſſit. Neque hoc putes rationi aduerſum, quoniam id docuit Hippocrates *lib.*3.*progn. text.*2.*febres maleficentiſſimæ,& ſignis firmatæ maleficentiſſimis,quarto die,aut citius interimunt.*Poſtremo autem morbi tempore, quo ſcilicet morbus notabilem omnino patitur remiſſionem,non valet morbus naturam, ſuppoſita præcedenti pugna, eo modo immutare, vt eam ad extremam debilitatem,ſummúmque interitum perducat.Igitur æger non poterit declinationis tempore morte periclitari.

Secundò. Toto morbi tempore,quo datur inter naturam,& morbum decertatio, & pugna, quo eadem accreſcit, & in ſuo vigore durat, poterit natura ſuccumbere, & ægritudinis vehementia perire: atqui tribus his prædictis temporibus, principio ſcilicet, augmento, & ſtatu; durat morbi cum natura contentio, & conflictus, nulla autem in declinatione accidit inter morbum, & naturam decertatio,& ſi aliqua datur, ea parua eſt, paruíque momenti. Igitur, &c. Maior patet, minor ſuadetur, quia ex omnium Medicorum decreto, ex ſignis varij naturæ cum morbo conflictus, varia etiam hæc tempora à Medicis colliguntur, ſiquidem ex eorum ſententia vehementiſſima ſymptomata, quæ maximum ſignificant naturæ cum morbo congreſſum, ſigna ſunt ſummi morbi vigoris,& conſiſtentiæ, quare tunc apud Hip. ſymptomta fortiora? tempore autem principij eiuſmodi ſymptomata exoriuntur: in incremento verò ad ſtatum vſque augentur; ergo his tribus temporibus durat naturæ cum morbo contentio, & in ſtatu coctio, morbi ſolutio, & iudicium contingunt, quia præcedentibus temporibus habita diſcordia finitur.Ergo,&c.

Tertiò. In morbi principio, augmento,& ſtatu lethalia ſigna in morbis apparere ſolent, in declinatione verò nunquam. Suadetur antecedens:nam lethalia ſigna terno vniuerſim numero comprehenduntur, ſunt enim ſigna, aut putredinis,aut cruditatis,aut malitiæ. Horum ſignorum nulla apparent in declinatione, nec enim æger cum huiuſmodi ſignis poterat ſtatumvnquam euadere, apparent autem in aliis præcedentibus temporibus,vt medentium vſu eſt compertum. Igitur

Quarto. Acutiſſimè arguit Valleſius *loc.cit.* Tribus de cauſis poterit ægrotantibus corporibus mors euenire, aut ſuffocatione, aut morbi violentia, aut reſolutione virium: nulla autem poteſt contingere in declinatione morbi vniuerſalis: ſed in præcedentibus illis tribus temporibus. Igitur in his, & non in declinatione vniuerſali poterit mors contingere: quare ſuffocatione poterit frequenter, & principaliter æger in principio mori,& nonnunquam, licèt rariùs, in augmento, & non propriè, id eſt, ſolius ſuffocationis cauſa, quæ videlicet ſit mortis totalis cauſa, ſed partialis, & coadiuuans morbi vehementiam, & intenſionem, à qua propriè ſolet mors in augmento contingere, & ſi qua etiam in ſtatu mors eueniat, hæc etiam frequenter à morbi vehementia, & magnitudine ſolet proficiſci, etſi aliquando, rarius tamen poſſit ex virium debilitate contingere. Priores enim hæ duæ cauſæ, videlicet ſuffocatio, & violentia, ſeu magnitudo frequentiores in morbis exiſtunt: ex debilitate vero poteſt etiam, licèt rarius, mors quouis morbi tempore euenire.

Si auctoritates ad hanc doctrinam confirmandam exoptas, præcipua eſt Gal. 1.*criſ.*2. *&* 3. *einſdem cap.* 5.*&* 9.eam ſequuntur Principes Græci, Arabes,vt Auic. *loc.cit.*Rhaſius 10.*ad Almanſ.*23.Halyabbas 10.*theoric.cap* 4.& omnes Medici hactenus amplectuntur, & vſus medentium approbat frequentiſſimus morborum euentus à principio vſque ad ſtatum ſolùm pertimeſcere conſueuere, & ſic morborum curationem prædictis temporibus, nimio, vigilantíque ſtudio attendunt:in declinatione autem nullum ſolent ægritudinis periculum formidare: hoc enim tempore, nî adſit error Medici, ægri, aut miniſtri, non contingit mors, quia iam omnia mitiora 1.*aph.* 30. ceſſante enim morbo virtus validior eſt facta.

Hæc autem intelligas velim, dummodo declinatio ſit vniuerſalis, de quá quæſtio venit explicanda:nam in particulari æger poteſt mori, ſicut etiam ſi ſit falſa: nam in vera, quæ eſt tempus illud in quo natuta ſuperat omnino morbum, & omnia iam ferè leuiora ſunt, nullus poteſt mori: falſa enim, eſt tempus in quo omnia apparent remiſſa, non propter aliquam victoriam naturæ, aut humoris vacuationem, ſed ob morbi malignitatem, & quia natura præ debilitate ſuccumbit, & ceſſat conatus, & pugna, vnde prope mortem omnia apparent ſimilima ſanis: ſic accidit Hermocrati apud Hipp. 3.*epid. ſect.*1. *text.*5. qui cùm ad vigeſimum diem ſolutus morbo videretur, vigeſima tamen ſeptima interiit. Quare in declinatione vniuerſali, & vera morbi, æger non poteſt mori ex vi morbi, ſed ex aliquo errore commiſſo.

Verum contra hanc doctrinam obiiciendum primò; nam Auic.1.4.*tract.*1.*cap.*98.ſic ait.*Et multoties moritur aliquis ex variolis in declinatione, &c.* Dic cum Thoma à Veiga *loc.cit.*hoc accidere ob frequens erratum, ex quo pereunt nonnulli etiam in vera declinatione,quia eſt nouus morbus ex errore,ſicut ſudans ſi aëri frigido ſe exponat.Dic ſecundò.Hæc declinatio falſa eſt,nam variolæ videntur declinare,& non declinant,quoniā excreto humore ad cutem leuata natura videtur ægri meliùs habere,ſed remanente in viſceribus craſſiori parte demū in pulmone

concitat

concitat phthiſim, in inteſtinis vlcera cacoëthica, in gutture lethalem anginam: nam vt ait Auic. 1. 4. *tract.* 4. *c.* 6. *Variolæ non accidunt in cute ſolum, & in eo quod ſequitur illud quod apparet, imò accidunt in omnibus membris ſimilium partium apparentibus, occultis, vt velaminibus, & neruis.* Tandem in apparente declinatione exſiccatis omninò vlceribus in cute, conuulſione, & epilepſia truculenta oppreſſi citò occumbunt: quoniam non rectè expurgatus humor ſuo tetro, & maligno vapore neruos conuellit, vel moritur æger ratione febris relictæ, vel gangrænæ. Quare in exanthematis, præſertímque variolis, violaceis, liuidis, & cum diris ſymptomatibus erumpentibus cautè præſagias, ne ſi fortè mors contingat, vel fefelliſſe, vel ignoraſſe videaris, quod monuit Celſus *lib.* 5. *cap.* 26.

Secundò obſtat Auicennæ auctoritas 2. 4. *tract.* 5. *c.* 98. §. *Mors etiam fit in declinatione, ſed eſt pauca, & rara, & plurimum illius eſt in declinatione particulari, non generali.* Quibus verbis apertè videtur ſignificare etiam in declinatione vniuerſali ægrum poſſe mori. Gentilis affirmat id non contingere ob rationem ipſius morbi declinantis, ſed propter aliquam portionem materiæ manentem intra corpus, & latitantem, qua poſtea mota in proceſſu declinationis, poteſt mors contingere. Alij ſoluunt, hanc mortem euenire ob errorem commiſſum, & dici ab Auic. paucam, & raram, & quæ rara ſunt, ab arte excluduntur. Ego autem exiſtimo ibi loqui Auicennam de ſpeciebus, ſiue modis morbi contingentis in temporibus particularibus, vt ex contextu dilucidè patet: in quo nihil aliud facit Auic. quàm tranſcribere totam ſententiam Gal. 3. *criſ.* 9. Sed, vt verum fatear, confusè, & obſcurè, quod ob Gerardi Cremonenſis & Bellunenſis malè factam ex Arabica in Latinam linguam verſionem eueniſſe puto. Poſtquam igitur docuit modos mortis in principio, & ſtatu paroxyſmi contingentis, ſubiungit tertiam eſſe mortem, id eſt, tertium modum mortis eſſe in declinatione, ſed eſſe paucam, & raram, quod etiam firmauerat Galenus 3. *criſ. cap. cit. in fin.* dicens tertium illum modum mortis in declinationibus rariſſimè accidere, ſic enim ait. *Tres ſunt omnes mortis modi iis qui ſine criſi moriuntur. Tertius accidit in reliquis declinationibus, qui rariſſimè accidit vigore ſoluto vitali, &c.* Loquutú autem fuiſſe Galenum de particulari declinatione patet, nam adiecit, *horum vero nullus contingit cum criſi.* In declinatione autem vera criſis fit ſæpiſſimè. Dic tertiò, in declinatione mortem eſſe paucam: & raram, reſpectu temporum particularium in quibus frequenter contingit.

Tertiò obſtat. In declinatione particulari contingit mors 3 *criſ.* 9. ergo & in vniuerſali. Dic; diſparem eſſe rationem in vtraque declinatione: nam in particulari adhuc cauſa morbifica non eſt concocta, ſicut in vniuerſali: in illa itaque contingit mors, quia calore naturali à medio ad extrema retrocedente, naturæ habitus diſſoluitur, qui in tribus aliis temporibus particularibus licèt valdè debilis eſſet, quia tamen erat vnitus, durabat, & conſeruabatur, vt docet Galenus; in declinatione autem vniuerſali calor innatus non ita diffunditur ad extra: cùm enim in hac humores ſint concocti & euicti, non adſunt fuligines acres & mordaces ſtimulantes, ſicut in declinatione particulari.

Quartò obſtat. Fieri poteſt vt pugil poſt partam victoriam moriatur; nam ex illa pugna adeo debilis relinquitur, vt non poſſit ampliùs permanere, igitur in morbis ſimiliter euenire poteſt. Dic: non valet conſequentia, quia in morbis poſt partam victoriam virtus roboratur cibis exhibitis. Deinde reficitur virtus durante pugna, quia humor qui coquitur, ex parte nutrit: quod ſi non offeratur cibus ad reſtaurandas vires, in declinatione poterit æger mori, cæterùm ex errore, quod aliquando euenire poſſe *cit. loc.* non negauit Galenus.

Quintò obſtat. Status colligitur per ſigna perfectæ & intergræ coctionis; atqui poſt peractam coctionem æger poteſt mori; igitur. Minor oſtenditur, quia ad ſanationem non modo requiritur coctio humoris noxij, ſed etiam eius vacuatio 2. *progn.* 67. quæ duo cùm perficiantur à duabus facultatibus diuerſis, nempe coctrice, & expultrice, fieri poteſt, vt vna ex illis valdè robuſta ſit, altera exiſtente debili; atque hoc modo humor perfectè coquetur ob coctricis robur, ſed ob debilitatem expultricis non expelletur. Dic: falſum eſſe quod obiectiò præſupponit, ſtatum morbi determinari per ſigna integræ & perfectæ coctionis, quod non ita eſt: ſtatus non ſolùm comprehendit coctionem, ſed etiam notabilem humoris cocti vacuationem, poſtquam declinatio ſequitur. Quod apertè conſtat ex Galeno 1. *aph.* 22. & 4. *aph.* 22. Nec enim fieri poteſt, vt nulla materia vacuata morbus declinet: quare ſi quiſpiam poſt peractam coctionem, retentis humoribus noxiis ob debilitatem expultricis, moriatur, is non in declinatione, ſed in ſtatu morbi mori cenſendus eſt. Nec videtur ſatisfacere, quód aliqui reſpondent, poſt peractam coctionem neminem poſſe mori ratione illius morbi, etiamſi tota materia retineatur; ſed mori, quia morbus ex retentione materiæ in deteriorem alium morbum permutatur: quare aſſerunt eum qui tunc moritur, non mori in declinatione, ſed in principio, aut augmento ſequentis morbi. Non placet reſponſio: quia ſequeretur falsò Galenum *loc. cit.* & 2. *prog.* 67. aſſeruiſſe ad ſanationem pulmoniæ, non ſolùm coctionem humoris noxij, ſed illius vacuationem eſſe neceſſariam.

Sextò obſtat. In proceſſu morborum ſæpè videmus morbo vincente, naturam reuincere ipſum. Igitur etiam è conuerſo, natura vincens morbum poterit ab hoc reuinci. Dic: quando morbus integrè vincit naturam, non ampliùs ſuperatur ab illa, ſed neceſſariò perit æger. Et ſimiliter quando integrè, & perfectè morbum ſuperat natura; quod contingit in declinatione; non ampliùs ſuperatur ab illo, ſed neceſſariò ſanitas conſequitur. Quæ doctrina intelligenda eſt ratione ipſius morbi declinantis, aliter enim, etiam in declinatione vera & vniuerſali poterit contingere mors. Quare quidam 1. *epid. ſect.* 2. *text.* 84. poſt ſuppuratas parotidas interiit, quia ſcilicet febris annexa ex cruditate humorum intra vaſa erat ſuborta, cuius ratione mors eſt ſubſequuta.

Septimò obſtat. Virtus in declinatione remanet fatigata, & debiliſſima, ob præſidia, quæ ſuaptè natura exhauriendo ſanguinem & ſpiritum, vires eneruant, ob vigilias, ob ſæuitiem morbi. Quare ex virtutis reſolutione poterit æger decretionis tempore, mortis periculum pati. Dici quod licèt natura eo tempore ſit debilior; tamen eſt magis libera in opus, minúſque à morbo impedita & urbata, & ſic in opere fortior exiſtit. Accedit quod hoc tempore natura meliùs & celeriùs, quàm aliis temporibus reficitur, quapropter natura in ordine ad morbum tunc temporis robuſtior cenſenda eſt.

HISTOR. VLT. RHASII, De variolis.

Variolarum ſymptomatibus oppreſſus quidam in declinatione, leui aſſumpta purgatione curatur.

PVella quedã fuerat conſueta bibere lac camelarũ abſque meo conſilio; & cùm ſentiebat inflationem propter lac; accipiebat de Diamuſcho corpore non purgato, nec phlebotomato, & occaſione lactis incidit in febrem continuam de ſanguine, & apparuerunt ſigna variolarum, & poſt quartum variolæ in ſuo corpore exiuerunt. In principio collyriſaui ſuos oculos, confortando eos cum antimonio diſſoluto in aqua roſarum & propter hanc curam non exiuerunt variolæ in eius oculis, & aſſiduaui ipſam aſſumere ptiſſanã, & ſimilia per aliquod tempus, & venter eius erat ſtiptieus, vt moris eſt in hoc morbo, & meliorata eſt. Remanſit tamen aliquid febris acutæ, & putaui quod eſſet reſiduum humorum non eductorum per egeſtiones, & non poterat ſubitò ſemel in totum purgari propter debilitatem virtutis eius. Feci tamen ipſam aſſiduare aquam fructuum quindecim diebus in auroras;

& ptiſanam,& aſſelabat ex hoc bis in die,& fuit mundificata perfecta mūdificatione,& poſt quadraginta dies apparuit in vrina completa digeſtio,& poſt quinquaginta fuit liberata in totum, &c.Rhaſis lib.de mirabilibus curis prope finem.

PARAPRHASIS.

LAc omne licet ſit optimi ſucci, tamen generat flatus, auctore Hipp. *lib.5. aph.64.* qui præſente murmure hypochondriorum id denegat, & maximè camelarum, quod ſuapte natura tenuius eſt, & aquoſius, ex Auic. *lib.2. tract.2. cap.44. de lacte*, quare ex lactis vſu flatus, cum ſentiret ipſa in ventriculo, ad eos abſumendos, vnaque roborandam primam officinam coctionis erat aſſueta aſſumere diamuſchum, quod ſiue ſit amarum, ſiue dulce, B ventriculum firmat, coctionem procurat, flatus reſoluit, putres ventriculi humores potenter attenuat, & ad frigidos viſcerum affectus ſine febre eſt mirabile, vt auctor eſt Meſuë *in antidotario.*

Lac in ventriculo frigido illico aceſcit, & cum ſit puriſſima ſubſtantia, quando non rectè coquitur, corrumpitur, & in maiorem abit perniciem ac putredinem, omníſque generis febrem committit, ex qua ebullitio promptè in ſanguine excitatur, ad quam reliquiæ menſtrui ſanguinis labem concipiunt, & feruorem quem inflammatum ſanguinem cum natura velit expellere, ab eius acrimonia irritata, conatu maximo, velut criſi quadam, corpus à noxio humore mundificare ſatagens, ad cutem excernit, & C generat exanthemata: qui ſi craſſiuſculus eſt, abit in variolas:, ſi bilioſior, & ſubtilior, in morbillos, quoniam vt rectè inquit Auic.1.4.*tract.4.cap.8. Morbillus omnis eſt variola cholerica.*

Deinde cum hæc puella aſſueta eſſet ſumere lac, ob hanc cauſam incidit in variolas, ita ſcribit Auic. *loc. cit. c.6. Et de cibis ſunt cibi qui faciunt cadere in variolas velociter, & propriè quando non ſunt conſueti, & adminiſtrātur ſuper eos medicinæ, & cibi calefaciētes, ſicut lac & propriè camelarum, & equarum, quum multum repletur ex eis ille, qui non aſſuetus eſt eis, deinde bibit vinum plurimum, & medicinas calidas. &c.* Quoniam ſi lac camelarum quia humidius, facilè corrumpitur vel in robuſto ventriculo, quia à naturæ regimine derelinquitur, ſicut cætera aqueam ſubſtantiam habentia, quæ non amplexa à natura promptè D putreſcunt, quoniam humidum nutrimentale debet eſſe pingue; nam hoc eſt aptum innati caloris pabulum, quantò magis ſi à debili ventriculo coquatur, in quo abit in flatus, obſtructionem, & putredinem.

Inſuper cum iam erupiſſent variolæ, & harum materia natiua quadam proprietate concutiat oculos, eos cuſtodire, ac firmare oportet refrigerantibus, & modicè adſtringentibus, quæ roborent, & confluentis in hanc partem humoris mordacitatem retundant. Inter hæc primum locum obtinet antimonium, à Græcis ſtimmi, ſeu ſtibium appellatum, quod auctore Dioſcoride *lib.5. c.49.* adſtringit, meatus obſtruit, refrigerat, & excreſcentiam in carne cohibet, vlcera ad cicatricem perducit, ſordes, & vlcera oculorum expurgat, & præcipuè oculariis collyriis miſcetur, vt docet Paulus *lib.7. tit. de ſtimm.* Nec enim priſci vim purgatricem in hoc medicamento agnouerunt quod huic vſui pro deſperatis morbis eſſe ſaluberrimum ſcripſerunt iuniores, & præcipuè Matthiolus *ad citatum* A *locum Dioſcoridis*, & nos de hac re aliqua prælibauimus *lib.1. in com. hiſt.36.*

In variolis aluum ferè eſſe adſtrictam morbi conditio indicat manifeſta; nam natura humores, & excrementa cuti deſtinat, non inteſtinis: vniuerſus enim corporis ambitus ſcatet puſtulis, tumoribus, vlceribus, quæ calore, & dolore tum diſtrahunt naturam, & eò auocant. Inſuper ob calorem febrilem, igneúmque feruorem in viſceribus excitatum, fæces redduntur veluti exuccæ, quas natura ſolùm magno conatu detrudit, maximè cùm natura bilioſum humorem, qui ſolebat proritare aluum irritando expultricem, ad corporis ſuperficiem detrudat.

Hinc fit, vt excrementa retenta ſuo tetro vapore altas partes lancinent, & deinceps fiant materia morbi. Idcircò in initio leniter aluum prouocare oportet glandibus, B clyſteribus minimè acribus, & aliis, quæ ſuauiter, & nulla facta alitione ventrem moueant, neque naturæ motum ad externas partes impediant, aut ab ambitu attrahere queant. Hoc conſilium propoſuit Auic. *loc.cit.cap.10.§. Et oportet vt ſit natura lenis in principio, & melius cum quo fit lenificatio, ſunt tamarindi, &c.* Sequitur inter omnes Mercurialis *lib.1. de morb. pueror.cap. 2. in fine.*

Sed num purgatio ſit celebranda in hoc morbo, varij varia proponunt. Dicerem ego, in declinatione ſi tota materia eſt expurgata, quod cognoſcetur ex leuamine & tolerantia ægri, totū naturæ commitendum. Si verò febris adhuc ſuperſit, feruor adſit in venis, ex craſſiore humoris parte C in corpore relicta, tuſſis adhuc infeſtet, in oculis appareat damnum: tunc cōmoda eſt purgatio clemens, vt noſter auctor conſuluit, & optimum eſt propinare ex interuallis aquam fructuum: & cùm tres reperiantur aquæ fructuum, illa ſalubrior mihi cenſetur, quam affert Meſues *in antidotario, diſtinct.7. tit. de aqua fructuum*, quæ bilis feruorem retundit, & eam ſine noxa, aut violentia vlla educit, fitque ex decoctione rerum infrigidantium, & lenientium, vt prunor. iuiubar. violar. tamarindor. cum caſſia, & manna

Licèt autem vlcera in cute omninò deleta non ſint, medicamentum clementer expurgans ſemper erit vtile, quia tunc non curamus variolas, ſed nouum morbum, qui cum à prauo humore originem ducat, ſi non expurgetur, damna poteſt committere, quæ difficilem poſtea, aut nullam admittant correctionem. Neque timeas attractio- D nem à circumferentia ad centrum: quoniam vt dictabat Galenus *lib.6. epid. ſect.2. com. 10.* ab vna parte ad aliam via eſt longinqua; ſic enim ait, *Tantùm illud monuiſſe ſatis ſit ſuccos ad cutem vergentes per eam eſſe vacuandos: nam iterum ad intima corporis reuulſio, ipſis valdè longinqua eſt, vt per aluum, & vomitum vacuentur.* Si verò veremur lapſum humoris deliteſcentis ad inteſtina, & timor ſit ne ſuperueniat dyſenteria, quæ in hoc morbo funeſta eſt: cum iis permiſce quæ roborandi vim habent, & cum leui adſtrictione aluum benignè expurgent: de quorum numero ſunt rhabarbarum, vel per ſe, vel modicè vſtulatum, vna cum corticibus myrobalanorum torrefactorum, hæc enim frænum ſecum inducunt, & ventriculum, inteſtináque mirandum in modum tuentur, & firmatn. Sed iam tempus eſt, vt hiſtoriæ, & libro coronide inducta conticeſcam, curationem febrium in ſpecie, & earum ſymptomata *in praxi hiſtoriarum* deſcripturus. Nunc ad quintum librum, in quo hiſtoriæ de venenis proponuntur, properemus.

FINIS LIBRI QVARTI.

ZACVTI LVSITANI DE MEDICORVM PRINCIPVM HISTORIA,

LIBER QVINTVS.

De venenis, morbis venenoſis, & antidotis.

EXORDIVM.

NVLLA eſt diſciplina obſcurior, nulla via ampliùs tenebricoſa, nulla denique ſcientia maioribus difficultatum inuolucris irretita, quàm illa quæ de venenis, & antidotis agit ac ratiocinatur. Quo pacto inter alias artes, eam ſemper arduam cognoui, quæ venena venenoſáque medicamenta declinare, ac præcauere præcipit: propterea quòd ij, qui huiuſmodi inſidias homini clàm machinantur, tanto id aſtu, ſolertia, ſagacitéque faciunt, vt quiſque vel peritiſſimus decipi poſſit. Ex eo factum eſt, vt ad hæc incommoda euitanda priſci illi Medicinæ parentes nihil aliud magis curæ habuerint, quàm vt hoc argumentum luculentiſſimè agitarent. Ob hanc cauſam nos, tot noctium euigilatis, emenſíſque laboribus, exhauſtis lucernarum fuliginibus, dierúmque ſudore aſſiduo in publicam ſtudioſorum vtilitatem hæc promere pergimus. Viſum autem eſt commodius poſt hiſtorias de morbis internis, & febribus, eas quæ ad morbos venenatos ſpectant, proponere, vt veterum & recentiorum morem probaremus. Cæterùm quò certiore cubito hunc libellum metiri, etiam in veſtibulo valeat vnuſquiſque, velut per teſſeram edicto itinere, operis rationem habeat, vt ſciat nos primò agere de venenis ex animalibus, deinde ex plantis, tandem ex foſſilibus, in hoc enim ſequimur Dioſcoridis ordinem, qui inter omnes auctores rectiùs de iis diſſeruit *in libro ſexto*, in cuius calce antidota deſcripſit, quæ vel præcauendis, aut arcendis venenis, cuiuſcunque ſortis illa ſint, magnificè conferunt. In his ergo dirimendis, & explanandis ſedulam imponemus operam, rimabimúrque Medicorum ſacraria: nam paſſim adhibuimus curam, vt quæ traduntur, omnia ferè claſſicis, ac maiorum gentium obfirmata, ſuffultáque auctoribus ſtarent validiùs, vt aduerſantium tela declinare poſſemus, illorum qui tumultus oſtentare magis, quàm bellum gerere ſemper conſueuere. Nobis ergo in tam læto eruditorum prouentu fuerit turpiſſimum iſta reticere.

HISTORIA I. GALENI, DE VIPERÆ MORSV.

Viperâ ictus, ſi partem commorſam abſciderit, aut ligauerit, ſanus euadet.

IN primis conferunt vincula ſuperioribus partibus indita, ab iis enim præſentaneum præſidium expectatur: id quod in viperarum, ſcorpionumque ictibus, item aſpidum quoque expertus ſum. Etenim cùm Alexādriæ eſſem, ruſticus quidam non longè ab vrbe, in vno manus digitorum ictus, eius radicem ad palmā validiſſimo vinculo ligauit, accurrénſque ad vrbem ad familiarem ſibi Medicum, totū digitum ab ipſa articuli iunctura ad palmā vſque abſcindendum præbuit, ſperans inde nihil ſe mali paſſurum: neque fruſtratus eſt ſua ſpe, quippe nihil aliud faciens, ſanus euaſit. Similiter alium noui, qui epoto ex viperis medicamento, reſciſſo prius digito, à periculo liberatus eſt. Vidi præterea ruſticū, cuius totum digitum vipera momorderat, qui falce, quam tum fortè habebat (erat enim vinitor) ab vltimo articulo ictam partem reſecans, deinde inducta vſitatis pharmacis in digito cicatrice, nullo ſumpto medicamine ſanatus eſt, &c. Gal.* lib. 3. de loc. affect. cap. 8.

PARAPHRASIS.

MVlti viperam nominatam voluerunt, quòd vi pariat, diſruptis, atque eroſis à fœtu viſceribus matris iuſta in eam vindicta, quòd ipſa mari copulata, qui in os ipſius caput inſerit ad coitum illud præ voluptatis dulcedine abſcindat. Sanè *lib.* 3. Herodotus hoc refert ad prouidentiam Dei, maris interitum vlciſcentis. Id ipſum affirmat Nicander *in theriac.* & eius interpres Horaſ. *lib* 2. Plin. *lib.* 10. *cap.* 62. Ælianus 15. *de anima, cap.* 16. quos ſequuti poſteriores, vt Apuleius *in ſua magia.* Græci Grammatici *echin* voluerunt appellari, quòd in ſe fœtum contineat vſque ad mortem.

At verò meliùs iudicarunt alij, dictam quaſi viuiparam, quòd viuum animal pariat, cùm reliqui ſerpentes oua pariant: ita apud Philoſtratum Apollonius refert, viſam viperam quæ lamberet quas excluſerat viperas; non igitur mater interierat. Firmat Amatus eius experimentum: nam 1. *centur.* 1. narrat ſe viperam incluſiſſe grauidam in pyxide, in qua fœtus edidit ſana atque integra. Quare viperas à fœtibus numeroſiſſimis erumpentibus rumpi, & interire, falſum deprehendit Scaliger, *exercit* 201. quoniam in Vincentij Camerini circulatoris lignea theca vidit enatas viperillas parente ſalua. Quo pacto Ariſt. 5. *de hiſt. animal. cap. vlt.* tradit & *lib.* 1. *cap.* 6. plures parere viginti, ſingulos ſingulis diebus, ſed poſteriores moræ impatientes, laceratis iis membranis quibus inuoluuntur: nec enim, dicit, lacerato matris vtero, aut latere, ſed membranis quæ ſecundæ nominantur. Et hic fortaſſe locus, auctor erroris fuit Plinio, cæteríſque contrarium opinantibus, enecta ſcil. matre catulos prodire ex eius aluo: ita Lucanus *lib.* 7. *Pharſal.*

Vipereo coëunt abrupto corpore nati.

De quo argumento lege Brodæum *lib.* 3. *miſcel. cap.* 11.

Nec verò videtur eſſe verum capite cum mare congredi: nam recentes, ac diligentes auctores experti ſunt, ad prolem coniungi marem, & fœminam caudis ad medium vſque corpus circumuolutis, altera ſuperiori corporis parte elata, multis oſculis mutuò datis; & mari genitale ineſt, in ea parte, in qua ſe amplexantur, intus occul-

A tum, & è directo ineſt vulua fœminæ. De quo animali plura lectu non indigna vide apud Cælium *lib.* 6. *antiq. lect. cap.* 13. & 16. & *lib.* 23. *cap.* 26.

Vipera communiter, quaſi tres palmos magnitudine corporis æquat, vt norunt vulgares, & ſenſit Dioſcorides *lib.* 6. *cap.* 44. Galenus *lib. de theriaca ad Piſon.* 2. & 3. Nicander *in theriacis.* Ælianus *lib.* 16. *cap.* 3. Sed Nimphes *lib.* 6. *de Ptolomæis Regibus Ægyptij,* refert in Troglodytide eſſe viperas decem, & ſeptem cubitorum, proceræ magnitudinis, & grandis, vbi & tegumenta teſtudinum ſex capere Atticos modios aſſerunt ipſi.

Eſt viperis duplicata vulua, ſecus ac omni animanti ineſt; intra ſe enim parit primò oua, quæ impertit ſecundæ vuluæ, & ſuſcipit poſtea ſecundus vterus, ouíſque ibidem eliſis, poſtea diebus tringinta, fœtum quem fouet, & alit, nouis membranis inuoluit, circumligat, & tenet, vl-
B tra eas quas ducit primò ouis iam diſruptis, viis naturæ, & ductibus. Suſceptus ſecundo vtero fœtus antiquas excludit ante fœturam diebus viginti ſeptem. Hæc verò circa æquinoctium vernale, à conceptu ſex menſibus, ſtructura monſtroſa, & mirabili vteri duplicati, viis naturæ vuluæ reiectis, detento fœtu, vt & menſtrua prægnantibus fluere videmus non raro ſeruata fœtura, vteri canalibus variis. Ita docent citati auctores *lib.* 11. *cap.* 37. & Ariſt. *loc cit.*

Nulli animanti nectitur vulua ſepto tranſuerſo, & cordis inuolucris, pectori, gutturi, œſophago, faucibus, viis, ductibuſque patentibus, vt illi inſeritur, ex Ariſt. 3. *de hiſt. animal. cap.* 2. quum omnibus aliis ſerpentibus infra ſeptum locetur. Immo aſſerit 3. *de hiſt. animal. cap.* 1. fœminam obtinere vterum diſtantem plus multò à corde animantibus cæteris, in ſpecie humana; viperam verò viciniorem omnibus naturæ aliis. Vterus enim fœminis,
C ex Galen. *lib. de diſſectione vuluæ, cap.* 4. è plurimis pendet partibus, aliquibus nectitur, aliis texitur, nutritur illis, communionem habet cum eis: annexus eſt oſſi ſacro, inteſtino recto, veſicæ; pendet è medulla ſpinali, lumbis, diſtans minùs à ſepto tranſuerſo: viperæ contra non longè diſſitus cordi hæret. Lege Ariſt. *lib.* 8. *de hiſt. animal. cap.* 15.

Vipera quatuor frigidiſſimis menſibus latet, nec per id tempus quidquam comedit, cæteri ſerpentes cauernas ſubeunt terræ, ſed vipera ſub ſaxis conditur. Nec obſtat Plinius *lib* 8. *cap.* 39. dicens, *Serpentium vipera ſola terra dicitur condi; cætera arborum, aut ſaxorum cauis:* de fuga enim loquitur, qua vitam ſaluare ab hoſte, ſolicitè, & anxiè tentant, & hoc modo imminentia pericula euitare ſatagunt; qua capitis robore, & potentia qua pollent, terram ſubeunt, & in cauernas fugiunt, vſque dum totæ
D ſubtus illam ruinam impendentem euaneſcant: Dum verò latitat, & fœtat vipera, ſaxis frigidis, & duris excubat, ſaxaque inhabitat adhuc hyeme, non ſolum vere æſtuante, & calente, imò & frigido hyemali latet in ſaxis; & ſic occulta placidéque viuit, quibus nec Ariſt. nec Plinius diſſentiunt in locis dictis, quum quietem agere, & ſaxis recondi, lapidibúſque viuere, vterque affirmat. Natura denique, non fuga frigidos amant lapides, & algida ſaxa, dum tamen fugiunt quæuis, immittunt ſeſe in terram, eam capitis robore ſindentes, perforantéſque omnino, quod nulli alteri ſerpentium contingit; minore enim aliæ capitis firmitudine ſunt præditæ, vt eleganter notauit Baldus, Angelus, Abbatius *lib. de admirabili viperæ natura.*

Nullum inter animantia ſalacius animal vipera, in

venerémque

venerémque procliuius nullum, vt referunt Plinius ex Ariſt. *lib. 9. cap.* 23 Ariſt. 5. *de hiſt. animal. cap. 4. & 10.* Apuleius *in magia*, Galenus *libr. de theriac. ad Piſon.* Hi omnes enarrant infames viperas ſolicitare muræṇas ad litora gurgitis ſibilo, & gannitu quaſi allicere, traheré que amantes complices, & infames pellices ſigno dato, & quod magis admirandum eſt, ipſas abluto priùs ore concumbere, vt ſic exutæ à veneno, à ſuáque degenerantes natura venefica & horrida, inficere nequeant. Adulteræ ergo viperæ has explent, ſolicitant, amant oblitæ naturæ, ſpeciei propriæ, tum ſobolis, legitimæque familiæ, ſed hoc intelligas velim, dummodò non adſit præſens maritus, cuius eſt tanta reuerentia, vt illicò venenum deponant, inferiores ſe iudicent, fateantúrque, quòd nunquam miteſcunt vſque ad mariti præſentiam, aliàs inſuperabiles, & intractabiles.

Hic ergo ſerpens, vt deſcribit Aëtius *tetrab. 4. ſerm. 1. cap.* 90. & firmat Hermolaus Barbarus *lib. 1. corollar. in Dioſcorid cap.* 218. præditus eſt colore ſubflauo, multis maculatur capilamentis, habet caudam non paulatim gracileſcentem, ſed vniuerſim, & protinus aſperam, & ſine carne, oculi ſubrubent, caput læuiuſculum, ceruix anguſtior, aluus prominula, meatus ad extrema caudæ, inceſſus quieti proximus, dentes canini quatuor. Contrà mari anguſtius caput, ceruix craſſior, corpus vniuerſum tenuius, & procerius, meat ſuperiori ventris parte feſtinantiùs, dentes canini duo totidémque vulnera, vt notauit Franciſcus Caballus *lib. de animali theriacam ingrediente, prope med.*

Laxa nimis, ſpongioſáque eſt ſubſtantia viperei oris, quæ viuo animali facilimè dilatatur, atque porrigitur, ſpiritibus, & calore, ſanguinéque vda, cuius ſuperna parte in roſtro animantis, verruca protuberat tanti roboris, vt ea terram findat, & aperiat, more capreoli. Expirat continuò tetros halitus, ore præcipuè, ipſíſque filamentis cauis & perforatis, quibus ſi vitrum contingat, aut ſpeculum ore concluſo reliquo (illis ſolùm exertis) ea nebuloſo vapore inquinat, & conſpurcat, vt inter omnes probat Gregorius Garnerus *lib. 3. de myſticis ſcripturarum, cap.* 31.

Tanta denique malitia, & venenoſa vi prædita eſt, vt ex morſu huius ſæua repullulent ſymptomata, & terroris plena: nam è vulnere excernitur ſanguis, poſtea ſanies, deinde ſanguinolenta, & oleoſa quædam materia: poſtquam verò venenum inquinauit interna, diffluit humor æruginei coloris vireſcentis. Circà morſum adeſt pallidus tumor, cutis æſtuat ampullis, deinde liuet, & denigratur. Exſiccatur os percuſſis, exoluuntur animo, algent, inhorreſcunt, bilioſa euomunt: inteſtinorum tormina patiuntur, capitis grauitates, vertigines, pallores, ſingultus, febres, anhelationes, exſudant frigidum, adſunt vrinæ, anguſtiæ, tremor & ſopor.

Eſt mirabile ſatis illud in vipera, viperarúmque progenie, illicò ac icit, & quempiam læſit, ſtatim ſitis inextinguibilis illā premit, & ſic aquas quæritat, vndíſque ſeſe ingurgitat, aquæ auidiſſima, ad quas tanquam ad ſacram anchoram, & tutiſſimum remedij aſylum confugit, quo & leuatur, & priſtinæ reuocatur ſaluti, ſi vt decet vtatur lauacro, & aquis limpidis ebibitis. Hinc fit vt ab hoc animali commorſi ſiti inexplebili crucientur: nam præterquam quòd hoc animal calidam & ſiccam ſortitur temperaturam, vt ex plurium doctrina firmauimus *lib. 2. in com. hiſt.* 72. natiua quadam ſorte ſitim concitat; quo pacto præſtantiſſima ſunt frigorifera intus oblata, vt ſic veneni calidi, feruidi, & æſtuantis natura refrænetur, viæque internæ conſtringantur, quò minus pateat in viſcera aditus, & conſtrictione expellatur venenum verſus cruorem. Proſunt etiam balnea tepentis aquæ, vt caloris ope, euocato veneno ad extrà, corpus tranſpiret.

Cùm ergo hoc animal externis ſui corporis partibus obtineat venenum, dirum, fatale, horrendum, capite inquam, & cauda, quæ in remediis arte paratis abiguntur ideò, idcircò ſolùm corporis medium inter vitioſa extrema recipitur in alexipharmacis præſidiis: ita ſentiunt Gal. 11. *ſimp. cap. 2. & 1. de ſympt. cauſ. cap. 2. & lib. de theriac. ad Piſon. cap.* 3. Paulus Ægineta *lib. 5. cap.* 13. Ni-

A cander *in theriacis, ſect. de vipera*, Micomus, Edoardus Vottonius *lib. 6. cap.* 114. Marcellus Virgilius *lib. 6. in Dioſcorid. in com. cap.* 45. Vidus Vidius *lib. 2. de curat. generat. cap. 7. in princip.* & ad plenum explicauit Conradus Geſnerus *lib. 5. de reptilibus, cap. de vipera, lit.* G. Vlyſſes Aldrouandus *lib. 5. de ſerpentibus, cap. 17. 18. & 20.* Nicolaus Leonicenus *lib. de ſerpentibus, thyro, & dipſade.*

Quare cùm huius animalis malitia ſit veluti inſuperabili, & eius vis indomita, neceſſe eſt, vt morſum locum illicò excidas, vel ſaltem validiſſimis vinculis conſtringas, vt ſic venenum intercepta via altiùs in corpus diffundi non poſſit. Caue tamen ne membrum liges vehementer nimis, ne torpeat, quod monuit Celſus *lib. 5. cap.* 27. Si verò virulenta animalis pernicies ad partes internas ſerpat, vtiliſſimum erit per os exhibere, quæ à tota ſubſtantia B venenatis beſtiarum ictibus reſiſtere ſolent: quæ autem hæc ſint, ſigillatim narrat Paræus *lib. 20. c.* 16. qui incaute à vipera ictus, in extremo indice, qua inter vnguem, carnémque hiat, ſola actiſſima ligatura ſupra vulnus, & theriaca, vna cum mitridato vulneri impoſita, curatus eſt. Denique tanta eſt vis viperei veneni; vt ſola Æſculapij virga refrænetur: ea enim erat huius ſenis in curando hoc veneno dexteritas, vt ob id priſci eum depinxerint cum baculo, quem vipera implicata circumambit, vt notauit eleganter ex veterum mente Thomas Dempſterus *lib. 2. antiquitat. Romanar. cap.* 17. Enimuerò licèt plura ſint antidota, quæ huius deleterij veneni malignitatem retundunt, quæ *lib. 1. cent.* 1. enarrat Amatus, & non ſiluere Mathiolus, & Lacuna *lib. 6. proprio cad. de vipera*, inter quæ ſuccus fraxini primas tenet, ex citatis auctoribus, & Paulo *lib. 7. tit de Fraxino*: firmat Ruellius *lib. 1. de natur ſtirp. cap.* 82. Allij eſus & C vini meraci potus, ex Dioſcoride *loc. cit.* Paulo *lib. 5. cap.* 13. Aëtio *tetrab. 4. ſerm. 1. cap.* 2. tamen ſuper omnia medicamenta alexiteria, quæ viperarum virulentis morſibus opitulantur, nullum aliud admirabilius eſt theriaca ipſa, & ſic Rhaſis *lib. 8. ad Almanſ. cap. de morſibus viperarum*, in hæc verba prorumpit. *Cùm vipera aliquem momorderit, locus qui eſt ſupra morſum viperæ, fortiſſimè eſt deligandus: quòd ſi morſus fuerit in membro paruo, fueritque morſus generis viperarum, quæ peſſimæ eſſe cognoſcuntur, de quibus non ſperatur, vt ab eius morſibus euadere poſſit, membrum illicò ſub ligatura abſcindatur. Si autem vipera talis non fuerit, patienti illicò detur theriaca de viperis facta: non enim vſque ad noſtrum tempus inuenimus, quod à viperarum morſibus magis hac medicina liberare poſſit, propriè quæ recens eſt, &c.* Idem probant Sanctius de Arduinis *lib. 6.* D *de venen. cap. 1. ad fin.* Cardanus *lib. 2. de venen. c.* 10. & cæteri citati auctores.

Sed illud notandum hoc loco, quòd veteres nullum maius æqualéue cognouere præſidium viperâ læſis, quàm muſicam: vt docet Aulus Gellius *lib. 4. noct. Atticar. cap.* 13. ex Theophraſti ſententia; nam plurimis morbis, & non ſolùm melancholiæ, immò viperarum morſibus opem ferre ſibi perſuaſit: firmant Ishaac. 2. *Viatic. cap.* 20. Halyabbas 5. *Theoric. cap vlt.* Galenus *lib. 1. de ſanit. tuend. cap.* 8. Cælius Rhodigin. *lib. 8. lect. antiq. cap.* 1. Ariſt. *lib. 8. politicor.* 3. Valleſius *lib. de ſacra Philoſoph. cap.* 28. cur autem morbis medeatur muſica, explicat Rodericus in Caſtro *lib. 4. de Medico politico, cap.* 16. ſatis politè, & doctè.

Verùm mirabilius eſt quod narrat Matthiolus *lib. 2. in Dioſcoridem, in com. cap.* 57. in agris Tarenti Apuliæ vrbis inueniri aranei genus, à quo icti ſolo tibiarum, aut alio- E rum inſtrumentorum muſicorum ſono demulcentur, & ad priſtinam ſanitatem reuocantur, vocant incolæ Tarantulam; hoc Neapoli, & omnibus proximis locis eſt notiſſimum, vbi ad muſicam, tanquam ad ſacram anchoram confugiunt læſi, qui non ſecus ac Saül citharam dum pulſabat Dauid, meliùs habebat, recedebat enim ab eo ſpiritus, 2. *Regum, cap.* 16. Sic muſicâ ij leuantur maximè, interim dum harmonia durat cruciatibus, & accidentibus aliis liberi, motúque vehementiſſimo, quo ſaltant, & tripudiant continuò inquieti, inconſtantes, vt interim ſalutaria remedia theriacæ ſuſcipiant, & alexipharmaca alia veneni correctiua adminiſtrentur, recreantur, reuocantur

in mentem, ſapiunt, quieſcunt, obtemperant, auxiliis parent; ob quam cauſam in ea regione plurimi ex arte muſicæ victum faciunt. Lege Foreſtum, *lib.*30.qui eſt de venis, *obſ.*12.

Eſt omni admiratione dignum, quod de hoc animanti in quibuſdam regionibus orto referunt auctores dicti, morſu venienti ſtridere ſono quodam per vices vario, dum venenum effundere tentat, læſos tamen non antea ſaluti reſtitui, quàm eundem concentum, tonúmque eundem muſica inueniat. Nec mireris: nam muſica harmonia, & concentu Pythagoram expuliſſe morbos plurimos, docent Alexander ab Alexandro *lib.*2. *dier. genial.cap.*25. Ficinus *lib. de epidemia antidoto*: hæc namque mulcet animos, quietat,lenit, impellit, agitat, inſtigat,triſtes reddit hilares, & feros facit manſuetos: quare Eccleſiaſt.inquit *cap.*40. *vinum,& muſica lætificant cor*, & *cap.*32. *non impedias muſicam.*

Quæris cauſam? facilis reddi poteſt: quoniam muſica ſic concitat, eleuat, animum extollit, vt temperato cerebro, ſpiritibus commotis, & purioribus factis, ſubtiliſſimis è corde aſcendentibus expurgatis, puróque è ſanguine genitis, cerebrum alteretur,prout affectus petit, ſecundùm diſpoſitionem præſentem in hunc, illúmve animi affectum,paſſionem, & motum, vt iam illi altiùs aſtruant, poëmata, iſti iraſcantur, triſtentur illi, hilares fiant alij melancholici, quieti, inconſtantes:mouent ij pedes,manus,ora,ſaltant, quieſcunt,in varióſque trahuntur affectus vna, aut diuerſa harmoniæ ratione, hoc rythmo,aut illo hac conſonantia, illáve ſeruata. Hanc verò energiam & viam agendi, ad naturam ſpirituum referendam eſſe patet, quam expoſcit animal, vt harmoniam ſeruet, percipiat concentum, quæ non ſentiuntur quouis facilè auditu, aut ſubiecto quouis, immò quaſi altiùs obiectum puriſſimo auditu, etſi muſicæ ſonum, & voces omnes percipiant, quo & ſubtiliſſimis ſpiritibus eget in totum muſica; harmonia verò quaſi ſpiritalibus, quò vocis acutæ ſunt naturæ liberæ, ioculares, inconſtantes, leues, mobiles, faciles.

Diſponit ergo maximè cerebrum muſica, viuificat, aptum facit opus quoduis, ſeſe excedere facit animantia, prout quodlibet temperatur illa, mentem erigit, vt contemplationes altiores edat intenſiùs, ſubtilioribus ſpiritibus, purioribus rerum imaginibus oblatis ſenſibus, quo interturbantur minùs actiones, fiúntque longo exceſſu viuaciores. Sentiuntur enim iis, quæ aliis ſpiritibus obſcurarentur, aut euaneſcerent. Videt & præſentit quædam in quibuſdam ſenſatis, quæ aliàs non præuideret obſcurata diſpoſitione ſpirituum, quo & ſenſatio deliteſceret. Hinc diſponitur natura, vt altiora ſuſcipiat intellectus, cum analogia ad perfectiores ſenſuum actus habita, tum vt poſtea ſenſus exequantur, quæ altiori ſuſcepit exſtaſi.Hinc Eliſæus 4.*Regum*, 3. Pſalte coram ſe canente prophetizabat, diſponebatur enim altiùs, vt ſenſus ſemel accepto Spiritu deſuper obſequerentur rationi in ſpiritu prophetico, tum diſcurreret raptu ſenſuum, aut adminiculo altiori diſtraheretur minùs circa ſemel accepta, in iis quibus prudentiæ eſt locus, & in analogia ex ſenſatis ad reliqua quæ præuidebat, ſpiritu prophetiæ ſupernaturali.

Tanta eſt muſicæ vis, atque poteſtas, & pro curandis plurimis morbis, & debellando vipereo cæterorumque animalium virulentorum veneno, efficacia. Hinc Parrhaſius pictor celeberrimus, referente Æliano *lib.* 9. *de varia hiſtor. cap.* 6. cantilenis, & modulis, laborem, & dolores, cruciatúſque omnes mitigabat, *lib.* 2. profert, Cretenſes cantilenis, & cantionibus leges condidiſſe, & promulgaſſe, vt homines in bonum publicum incitarent. Hinc Athenienſes aggreſſuri hoſtes pugna,Iouis hymnum decantabant anteà; à quibus poſtea, & reliqui Græci, ita firmante Alexandro *lib.*4.*dier.genial. cap.* 7. tum melos laconicum ad promouendos militum animos plurimùm valuiſſe Alexander eo loco inculcat, & teſtantur Polyænus ſtratagematum auctor antiquiſſimus, Laërtius *lib.* 1. Porphyrius, & plures alij? & modò in ſe

A quilibet tubam bellicam,tympana,& alia corpus mouere, & animum accendere, pedes permouere, mentem erigere, affectus efficere admirandos, experitur. Ex eo vt laborem temperemus, canimus, & animantibus adhuc ſonalia, nolas, tintinnabula, cymbala, collo appendimus,vt Muſica delectentur, & onere grauentur minùs, labores faciliùs ferant, diſtracta Muſica, recreato cerebro; quare ſic commota, onera geſtant robuſtiùs, & validiùs, vt notauit Vierus.*lib.* 2.*de faſcino,cap.*11.Immò infantes ad cunarum agitationem, & nutricum cantum à vagitu ceſſant, & dormiunt, quoniam Muſica, ſonus, & ſuaues concentus, qui viua voce, vel inſtrumentis modulatè reſonantibus, aures, animúmque ſuauitate permulcent, ſpiritus ſopitos excitant, mentémque depreſſam erigunt, vt inquit

B Leuinus Lemnius *lib.* 1. *de complexionib. cap.* 7 Nonne peſtis muſica curatur? vt ex multorum voto probat Vntzerus *lib.* 1.*antidot.peſtil.lib.*1.*part.*2.*diſtinct.*3.*med.*5. *num.* 6. & priùs prædixerat Plutarchus *lib. de Muſica in fin.* firmat perdoctus Beuerouicius *in ſua Idea Medicinæ veterum*, *part.*3, *cap.*2. & nuper Ioan. Andreas Bannus *lib. de Muſicæ origine*, *& excellentia*, mira conſcripſit.

QVÆSTIO XLIV.

Vtrùm definitio veneni, à Galeno, & Auicenna tradita, ſit optima.

COMMENTARIVM.

C *Viperarum.*] Ad adipiſcendam ſcientiam medicam,artem ſanè diuiniſſimam, multo labore opus eſt: *Quiſquis* enim *noſſe quid ſupra vulgares Medicos cupit,& debet,is ſtatim non natura modò,verùm etiam primis doctrinarum elementis multùm cæteris præſtet oportet:idē vbi iam adoleuerit, inſano veritatis teneatur amore eſt neceſſe,tum ſine vlla diei, noctíſve intermiſſione properare, ac contenre ea quæ à doctiſſimis veterum tradita ſunt addiſcere,eadémque vbi didicerit iudicare,multóque tēpore conſiderare, quæ rebus ſenſui patentibus conſentiant, quæve rurſus diſſentiant, ac ſic illa quidem, ſuſcipere hæc reſpuere*, vt bellè dictabat Galenus *lib.* 3. *de natural. facult. cap.*10. Ex hac doctrina apparet, quàm falſo fundamento arbitrentur ſcioli quidam, ſe iam ad artis finem perueniſſe, ad quem nec ipſe Hippocrates acceſſit, ex ipſo *in epiſtol. num.* 20. cùm vix quatuor literas Græcas, & Galenum optimè

D Latinè factum intelligant, venam ſecant, expurgant, alterantia propinant, & ſic argumentum hoc de venenis, inflatis (vt aiunt) buccis irrident,& damnant,quod iis infrequenter mortales premantur. Sed ij falluntur apertè: nam ea præcauere, & illorum virulentam efficaciam retundere, difficillimum eſſe plerique maiorum arbitrantur.

Ob hanc cauſam à multo tempore, Tractatum de venenis Laconicum paraui, vt fragilis ſenectutis labaſcenti memoriæ auxilio eſſet, modò plures doctiſſimi hoc inſtitutum ita eleganter ſunt proſequuti, vt in eo explicando tempus conterere videar. Sed cùm in hac ampliſſima ſcientia tam latus ſit campus, tam vaſtus Oceanus, vt cùm plurimum ſpatium te confeciſſe videaris, multò tamen plus ſuperſit, & antè in ipſo curſu obruaris, quàm expetitum illum portum attingere poſſis: ita nulli mirum videri debet, ſummis quotidie ingeniis euenire, vt quæ

E olim iuuenili quodam œſtro impulſi,ieiuniùs, frigidiúſve tractarunt, eadem prouectiores, confirmato iam multa lectione ſtudio locupletanda ſibi putent, atque auctiùs elimanda. Quotus enim quiſque tam paratus, rationibúſque omnibus tam probè ſubductis ad opus aliquod ſcribendum accedit, quin priùs multa non penſet, & rimetur, vt argumentum agitandum multò efficiat abſolutius, & copioſius? Idcircò illud per quæſita, & reſponſa in his primis hiſtoriis enucleabo, & poſtea ad alias arduas quæſtiones explicandas me conuertam, in quibus etiam ſyncerae medicinæ doctrina eluceſcet, ex qua vtilitas non aſpernabilis emanabit.

Quæro primò, quomodo definiatur venenum? Galenus *lib.3.de temperam.c.3.* ſic definit, vt ſit illud quod humani corporis temperamentum deſtruit, vincit, atque permutat. Sequitur Auicenna *lib. de virib.cordis, tract.2.cap.1.in fin. & 2.1.doct. 2.cap.11.* Venenum ergo eſt complexionis noſtræ deſtructiuum, & nihil habet niſi quod ſit humanæ naturæ aduerſum, & contrarium: ſubſcribunt Nicolus *tract.4. ſerm.4.de venenis, eap.1.* Conciliator *dif.178.& lib. de venen. cap.1.* Valleriola *lib.3.loc. communium, cap.18.* Ioubert. *decad.1.paradoxor.10.* Bacchius *prolegomenis, cap.9.art.2.* Mercurialis *lib 1.de venen.cap.5.* Cæſalpinus *lib. 3. praxis; qui eſt de venenis, cap.2.*

Quæro ſecundò. In quo differt venenum ab alimento, & medicamento? Dic, quòd cùm tria ſint quæ nos immutant, alimentum, medicamentum, & venenum, illud cùm naturæ noſtræ adſimile ſit, ſubſtanriam noſtram augere poteſt, ex Galeno *1. ſimpl. cap. vlt.* medicamentum verò eſt, quod naturam noſtram alterare poteſt, aut (vt Hipp. firmat *lib. de loc. in homin. prope fin.*) quod præſentem ſtatum tranſmouet. Sed hoc non ſimpliciter intelligendum eſt, ſed vt exponit Manardus *lib. 13.epiſt. 4* alimenta, & medicamenta in hoc conueniunt, quòd vtraque in nos agunt, & à nobis patiuntur: in hoc tamen differunt, quòd medicamenta agant quidem potiùs quàm patiantur; alimenta è contrario, magis patiantur quàm agant: quod ſignificauit Galenus *lib.3.de temp.cap.4.* dum inquit *Caſtorium, & piper agere magis in corpus noſtrum, quàm pati ab eo valent: vinum, mel, ac ptiſana pati magis, quàm agere.* Et deinde ſcribit. *Ergo hæc omnia tum agunt circa corpus aliquid, tum verò patiuntur.*

Neminem enim latere puto, quanta ſit alimentorum vis, quámque vehementer corpora noſtrà immutent; hoc enim teſtatur Philoſophus *lib.3. de hiſt.animat.cap.21.* & *lib.8, eiuſdem tract.cap.28* quibus in locis terrarum meminit, ad quas deducta pecora tum in colore tum in aliis quibuſdam, quæ ne ſenſum quidem fugiunt differentiis, mutari conſpiciuntur. Qui verò negant (inquit Galenus *3.de ſympt cauſ.cap.2.*) alitum ab alimento mutari poſſe, quòd vincentis, non victi alimentum ſit nomen: hi nec de animantium, nec de plantarum tranſmutatione quicquam ſanum dicere poſſunt, & circa literas hallucinantur. Nam hoc firmat Plinius *lib. 23. cap.9.* etenim Perſica planta quæ natali in ſolo lethalis erat, in Ægyptum tranſlata, exitioſam ſuam mutauit naturam, fructum quinimò edendo aptiſſimum produxit; hoc enim rei ruſticæ, & agriculturæ periti viri agnoſcunt rectè, Hoc modo vites quæ apud nos natæ ſunt, ſi in alienam deferantur terram, vinum longè diuerſum reddunt.

Quare alimenta in hominis corpus aliquid faciunt, ex Galen.3. *de temp.cap.4.* & licèt vna vel altera ingeſtione, nec ſenſibile prorſus, nec euidens operentur, temporis tamen diuturnitate magnopere corpora noſtra alterant, atque immutant: nam hoc modo duriſſimum lapidem aquæ gutta diu in eum diſtillans excauare poteſt: & maximè ſi ſint medicamentoſa? hæc namque ad vnam propriam qualitatem, calefaciendo, refrigerando, exiccando, vel humectando, corpus deducere queunt: zingiber enim piper, cæteráqua aromata calefaciunt; lactuca, & ſimilia olera refrigerant, & humectant, ſalſa exſiccant. Inſuper alimenta aliquid in corpus agunt, ſed ita exiguè, vt vix à Medico ſentiatur: Medicamenta verò ſenſibiliter id facere nata ſunt, vt doctiſſimè explicauit perdoctus Ludouicus Nonnius, *lib.1.de re cibaria, cap.1.*

Et licèt hoc ita ſit, síntque medicamenta nobis multò potentiora, à nobis tamen nonnihil affici, negare non poſſumus: quoniam omne agens agendo repatitur, ex Ariſt. 3. *Phyſicor. 3. & lib.1.de generat.cap.7.& lib.4. de generat.animal.cap.3.* vt quod ſecat, hebetatur ab eo quod ſecatur; quod calefacit, refrigeratur à caleſcente? denique quodcunque mouet, excepto primo motore, mouetur aliquo modo. Ita dicebat Galenus *lib. 3.ſimpl. cap. 8.* non magnoperè ſtupendam rem eſſe, ſi quidpiam eorum quæ propriè, & per ſe ſunt calida, cum calidiori aliquo commixtum, frigidius efficere ipſum queat: *Ea enim eſt* (inquit) *communis alterabilium corporum omnium natura, vt in ſe agant, & patiantur admota: quódque minus eſt calidum, à magis calido calidius euadat: quod verò magis calidũ, à minus calido contraaſſiciatur.* Agunt igitur in nos medicamenta, & itidem patiuntur, verùm plurimum eſt quòd agunt, mininimum quod patiuntur.

Venena verò ab alimento, & medicamento valde diſtant. Cùm enim toto genere, totis viribus, totáque ſubſtantia nobis ſint infenſa, atque contraria, nulla ſubſtantiæ ſuæ mutata parte, ſed tota ſeruata integra, corpus ipſum afficiunt; quare horum genus totum deleterium eſt, atque peſtiferum, vt ſcitè notauit Galenus *lib.3.de temp.c.4.* hæc qua talia corrumpunt, temperiem noſtram inquinant, vitæ aduerſantur, & principiis illius vehementer repugnant: quia cæca, & deliteſcente vi, variè nos ſymptomatnm cruciatu fatigant, & totius naturæ diſſidio vitæ noſtræ primordia demoliuntur, vt Fernelius docet *lib.2.de abditus, cap.15.* Ex his patet, venena à forma ſpecifica, ſubſtantiali, & occulta quadam proprietate corporibus eſſe infeſta. Quid autem per hanc naturam, ſeu proprietatem ſit intelligendum, legat qui velit apud eruditiſſimum Mercurialem, *lib.1.de venen.cap.8.*

Quæro tertiò. Si venena tantopere calori noſtro aduerſantur, quomodo ab ipſomet calore ad actum reducuntur, vt nocere poſſint? Dic, venena quæ ab animalibus iacalantur cùm à viuente mittanru, ſtatim, promptéque altas penetrant corporis partes, quare alio calore auxiliari minimè egent. Cætera verò per os aſſumpta, aut calore actuali priuata, aliqua vi indigere videntur, quò eorum potentia in actum dirigi poſſit, ita docuit Galenus *3.de temp.cap.5.& 3.ſimpl. cap. 18.* Quæ enim frigore, aut calore mortifera ſunt, neceſſe eſt calorem noſtrum concipiant, priuſquam nos offendant: quæcunque enim adeò calida ſunt, vt erodendi, atque adurendi vim habeant, licèt non copia, ſed toto genere aliena ſint, neque naturam noſtram mutare poſſint, & in alimentum conuerti: tamen non antè ſuum calorem nobis impertiunt, quàm noſtrum fuerint experta: quò autem diutius ab eo afficiuntur, eò deteriora euadunt, & amplius viſcera exedunt, dum cor prehendunt. Quæ autem frigore nocent, ſimiliter calore noſtro egent, quo calefacta magis penetrare poſſint. Hinc fit vt capite damnatis immixta vino propinentur, vt ab eo calefacta amplius, cor, cæteráſque intimas partes per arterias peruadant, vt auctor eſt Galenus *lib.3. ſimpl.cap. 20.* Quæ verò calore obſunt, ſi toto genere à noſtra natura ſint aliena, non tamen noxam afferunt inſignem, niſi adeò in magna quantitate propinentur vt ſenſui ſint manifeſta. Neque enim modo eorum quæ tota ſubſtantia, mortifera ſunt, ſi horum tantillum detur, pernicioſum eſt, cùm nec ſcintilla ignis, nec exigua gutta frigidiſſimi imbris ſuo contactu nos euidenter lædat, ex Gal.3. *de temp. cap. 4.* Quo pacto quæ proprietate, & tota ſubſtantia interficiunt, cùm potentiſſima vi prædita ſint, calore noſtro egent, vt tantummodo incaleſcant, & penetrare poſſint, partéſque vicinas opprimere; hæ autem læſæ venenum ad partes viciniores propellunt, quæ cùm noxam perſentiant, ad proximas venenum tranſmittunt, & ſic ad cor citiſſimè pernicies communicatur. Frigida verò in actum rediguntur, quia cum craſſa conſtent ſubſtantia, & ad motum pigra ſint, à calore attenuata, cor petunt, & deinde proſternunt, Natura enim noſtra ſagaciſſima cum ſit, conatu valido, vt partes tueatur incolumes, aduerſus venenum inſurgit, & adaucto calore per accidens liquat, & attenuat venenum, quod ob fundentem calorem dilatatis viis citiſſimè rapitur in viſcera. Hinc fit vt venena frigida citius, & facilius in corporibus calidis interimant? quare cum vino permiſcentur in hunc vſum, in parca quantitate aſſumpto: ſi enim ſit

immodicum

immodicum, parum venenum lædit; nam frigidi veneni inclementia calore vini retunditur, & hebetatur. Sed ſi hoc verum eſt, quomodo venena extrà admota, vt cuti, veſti, ſtapedibus, nocere poſſunt, & interimere, ſi ad actum non reducuntur? Dic, quòd venenum illis partibus admotum ex attritu pedum, motu corporis incaleſcit, & mittit ex ſe vapores, qui eructantur in cerebrum & cor, mortémque inferunt, pernicie ſua.

Quæro quartò. Si ſapientiſſimus rerum omnium parens, opifexque Deus, poſtremum omnium, quæ ſub aſpectum cadunt, hominem condidit, vt dominus eſſet illorum, ſuper terram imperaret, & cæteris animantibus dominaretur, ipſúmque in hoc mundi theatro conſtitutum habuit in deliciis, vt latè, & doctè probant Ioan. Beuerouicius *in ſua idea medicinæ veterum, fol.* 7. & Æmilius Campolongus *in theoremat. de humana perfectione*, cur in eius damnum & perniciem, venena produxit, quæ illi ruinam poſſunt parare, & interitum? Primum probat ſatis eruditus & ſapiens auctor Philo *lib. de opificio mundi*: vnde Ouidius *Metam.*1.

Sanctius his animal, mentiſque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet,
Natus homo eſt.

Hinc apud Moſen Deus ait, Geneſ. 1. *replete terram, & ſubiicite eam, & dominamini piſcibus, &c.* Quid aliud hoc eſt, niſi plantis, vt libet, vtimini, metallis, lapididibus, & ſub iugum ſeruitutis veſtræ animantes omnes redigite, atque adeò domini eſtote eorum, quæ in agris viuunt, & quæ per aëra volant, & in mari verſantur. Si ergo ſummus Architectus hominem creauit Dominum, cur captiuum, & veluti ſeruum illum effecit, & tot venenorum inſidiis obnoxium? vt tam multis argumentis exclamat Ianochius de Manectis, *lib.* 2. *de dignitate & excellentia hominis.* Dic, tres eſſe vtilitates, ob quas Dominus creauit venena. Prima eſt, vt eſſent adiumento artibus multis, tinctoriæ, pictoriæ, ſutoriæ, argentariorum, quæ omnes venenis vtuntur. Secunda, quoniam animalia plura aluntur venenis: nam ſturni, & capræ veſcuntur cicuta, ſues hyoſcyamo, hirudines cantharidibus, coturnices elleboro. Tertia, quia miſericors Deus non ſolùm vtilia, ſed quæ inutilia videntur, & ab humana natura longè diuerſa, ea in hominum ſalutem ſapienter procreauit. Elleborus inſaniam curat, aconitum ſcorpionis morſus, mercurius, & arſenicum, ſcabiem ferinam, & morbum Gallicum: immò Galenus 5. *meth. cap.* 6. vtitur paſtillis Andronis, & Paſionis aduerſus ſputum ſanguinis, qui parantur ex arſenico, & chalcantho, quibus, & aliis cauſticis, tum per os oblatis, tum per ſedem infuſis ſæpe fœliciter vtimur, vt *lib.* 2. *in com. hiſt.* 85. latè probauimus. Quidni? Nonne venenum veneno depellitur, prout in ſequenti commentario explicamus? Tu verò per otium lege alias cauſas apud Plin. *lib.* 2. *cap.*63. qui contra fabricatorem terræ Deum, aliam cauſam affert, licèt illam refutet *lib.*18. *cap.*1.

Quæro quintò, cur ſicut in natura producuntur venena, ſic etiam in corpore noſtro generantur; Dic, quòd licèt *lib.* 1. *in com. hiſt.* 52. hoc dubium propoſuerim, tamen ne in hoc compendio de venenis quidquam remaneat intactum, idcirco particulariùs ad propoſitam dubitationem accedam & alia denuò adiungam. Generari ergo intra corpus venenum, quod & hominem, & alios nonnunquam perimat, aut morbos inducat lethales, præter Galeni 3. *de loc.* 7. & 6. *eiuſd. cap.*5. teſtimonia eo loco citata, ratio, & experimentum confirmant. Sed hoc ſemper mihi valde dubium viſum fuit. Nam in plurimis morbis in quibus ſuſpicamur latere venenoſos humores in corpore, qui nouo quodam aggreſſu inopinatò homines apprehendunt, vt experimur in epilepſia ab aura venenoſa eleuata, vteri ſtrangulatu, qui à ſemine retento, & putrefacto, & ſanguine menſtruo oritur, & in peſtiferis febribus, vel pro ſingulis acceſſionibus venenum de nouo generatur, aut in membro mandante veluti ſopitum contine-

A tur, vel per interualla aſcendit acceſſiones facturum. Non primum, quoniam 2. *feb.* 11. acceſſionum multiplicatio, & repetitio cauſam habet primam, humoris nempe in vna parte aſſeruationem, præterquàm quòd non ſemper dabitur materia à qua denuò ſimilis generetur. Si ſecundum, quomodo intermedio tempore exiſtere poteſt intra corpus venenum ſine noxa? Quomodo vt ab eo non offendatur continens membrum, in quo diutiùs immoratur, magiſque viget qualitas maligna, ſolo acceſſu in longinquo, diſtantique tam vehementia nocumenta inducens; Rurſus, cur magis frequenter cerebrum inuadit, quàm hepar, aut cor, quibus ſunt patentiores viæ, & principalis venenorum occurſus ſit ad cor, tanquam vitæ fontem, cui illa à tota natura aduerſantur? Deinde ſi cerebrum eſt

B inſenſile, ac immobile, vnde in dictis affectibus nocumenta percipit moleſtantia, & tam vehementer agitatur, vt vniuerſas corporis partes ſecum in conſenſum trahat?

Sed multò faciliùs, & Galeno magis conſentaneum eſt aſſeuerare, venenum innaſci in corpore. Quis enim inficiabitur, poſſe alimentum aut humorem in nobis corrumpi, & tam praua putredine vitiari, vt qualitatem acquirat non minùs deleteriam, quàm cuiuſuis alterius veneni? id quod in dictis affectibus Galenus oſtendit: non enim aliunde fera illa, & ſæua ſymptomata quibus infeſtamur, vires vſque adeò proſternuntur, naturam debellant, ſenſum, motum, vocem, & curſum auferunt, conuulſiones inducunt, refrigeratio-

C nes, tremores, frigidos ſudores, & amentias, ac reliquos epoti veneni affectus, niſi quia illorum cauſa, virulenta quadam, & non minus pernicioſa qualitate ſit prædita, vt inter omnes probat Caſtrenſis Luſitanus, auctor inter claſſicos celeberrimus *lib.* 2. *de meteoris microcoſmi, cap.*12.

Neque inſtes, in corpore non poſſe reperiri tam prauum ſuccum, qui materiam præſtare poſſit ad generationem ſubſtantiæ vſque adeò deleteriæ, ipſimet corpori valde aduerſæ. Nam vel ex probis alimentis qualitas poteſt euadere venenoſa, maximè in non rectè ſanis, nec bene gubernatis corporibus, nedum ex retentis & corruptis excrementis, à quibus eleuatus vapor vim deferens malignam, vel ipſa ſine materia

D aliqua ad cerebrum perueniens, epilepticas, aut hyſtercas excitat acceſſiones, non ſecus ac ſyncopas, & alia ſymptomatum genera, pro varietate membri quod inuadit.

Nec neceſſarium eſt omnium acceſſionum materiam in membro mandante ſimul generari; ſufficit enim relinqui fomitem, à quo inficitur adueniens de nouo alimentum, quantumuis probum, & malignitate carens. Cum quo ſtat adhuc, omnium circuituum cauſam eſſe primam aſſeruationem in parte, iuxta Galenum adductum. Quinimò etiamſi totum venenum pro ſingulis paroxyſmis ſimul progenitum foret in mandante membro, per interualla inuaderet, & ſine corporis offenſa perma-

E neret. Venena enim, & multa alia morbi ſeminaria diutiſſimè poſſunt intra corpus occultari, oppreſſura poſtea, & ſæpè internecatura, etiam poſt 14. vel 20. annos, vt teſtatur Hipp. *lib. de internis affectionibus*, & rabidi canis virus, & aliud epotum venenum longo tempore tranſacto ſe prodere cum ſymptomatibus diris tradunt omnes, & docet Galenus 1. *prorrhet. ſect.* 2. *com.*17.

Quomodo verò ſine noxa tandiu occultetur venenum ſiue hauſtum, ſiue intus genitum, cauſa eſt (inquit Galen. *cit. prorrhetic.*) quoniam vbi exiſtit, ſenſim alterat, & paulatim inficit vicina, ac in malignam qualitatem commutat temperamentum, & quia quamdiu fit, necdum impreſſum eſt malum, imbecilliter mouet, toto agendi tempore nulla pernicioſi morbi ſymptomata ſpectantur: at maxima, & repentè vbi iam multa fuerit, & inſigniter alterata membri conſtitutio. Adde, ſæpè in ignobili membro contineri venenum, vbi vel paruam

paruam, vel nullam inducit offenſam; ad nobile autem commigrans inducit vehementem. Aſſuefactio etiá partis facit, vt non modò ex contento veneno non ægrotet, ſed alatur, & viuat: læditur verò recipiens etiam à minori quantitate, & quia per totum corpus iam malum effundi- tur & quia inſuetum. Inſuper cùm in dies more fermen- ti ex ingeſto alimento augeatur, ad eam magnitudinem accedit, vt ab irritata expultrice pellatur, antequam par- ticulam lædat in qua generatur, cerebrúmque aut cor aggreditur, prout maiorem habet proprietatem ad vnum, quàm ad alterum membrum, quod in plurimis venenis reperitur, vel quia in neruoſis partibus, aut arterioſis magis radicatur. Denique aut quia talis erit naturæ quæ magis parata ſit pati,& recipere,in cerebro,quod li- cèt inſenſile, naturali perceptione potuit noxá percipere, & naturali expulſiua pellere ſeipſum concutiens, & in- ſimilem concuſſionem vniuerſum trahere, cum mentis,ac ſenſuum læſione, quod ſine affecto cerebro contingere non poteſt. Non ergo negandum eſt, intra corpus poſſe naſci venenum,quod teſtantur Auerrhoës 3.*collig.* 3.Hinc fit vt ex morbo natura ſalubri quis moriatur, vel multò citius quàm ratio morbi exigebat: & mors non ſequitur ad morbum, ſed ad venenum intus genitum, cuius mo- tum morbus inſequitur. Hinc etiam fit, vt quiſpiam mo- riatur repentè, non ſumpto veneno, & pereat diris vexa- tus ſymptomatis, ſimilibus illis, quibus premuntur ij qui ſumpſerunt. Tu verò de hoc argumento couſule erudi- tiſſimum Sennertum *lib. 6. de morb.occultis,part. 2.cap.2* & Paulum Zacchiam Medicum celeberrimum *lib.2.quæſt. medicolegalium. tit.2.quæſt.5* .qui ex ſua,& multorum ſen- tentia hoc negotium diligentiſſimè explanat.

Quæro ſextò. Si venena tantopore naturæ noſtræ in- feſta ſunt, cur attrahuntur intrò, & cor petunt,ſi in ſtatu ſano ſolus adeſt innatus calor, qui omnia membra regit, ab aduerſantibus tuetur, oppoſitis reſiſtit, noxia pellit, & veneni vim diram à ſe abigit, tantum abeſt vt attra- hat? Dic: venenum non attrahitur à partibus, quoniam nihil attrahit propter ipſum attrahere, ſed vt eo quod at- trahit compos fruatur,ex Gal.3.*de.facult.naturalib.cap.7.* illud non defertur ad cor ſponte ſua, natura enim id reſpuit, ne irruat: non detruditur à partibus; hæ enim ad debiliores ferè demittunt, vt ſic principes tueantur à noxis, cor autem membrum eſt fortiſſimum. Attrahitur ergo à corde venenum, per accidens tamen: quoniam per inſpirationem, & tranſpirationem attrahitur cum aë- re permixta aura venenoſa, quæ ſemel hauſta,in pulmo- nes, & per arterias omnes quæ per corporis ambitum ſunt diſſeminatæ, attracta, cor petit, & ſua vi dira pro- ſternit, & premit, & venenoſa qualitate viſcus hoc præ- ſtantiſſimum fatigat. Conſule Cardanum *lib.1, de venenis, c.* 4,Alphonſum à Fontecha *in ſpeculo medicinæ Chriſtia- næ, luminari 2. tit.de corde venenato.*

HISTORIA II. AETII,
De morſu viperæ.

Stercus caprinum ad viperæ morſum, auxilium celeberrimum.

*Medicus certè quidam ruralis, ipſe ad * viperarum morſus, multóque magis aliarum beſtiarum vteba- tur cum aceto, & multos ſeruauit, &c. Aëtius* tetrab, 2. ſerm. 2. cap. 94. de ſtercore caprino.

PARAPRHASIS.

Nullum eſt ad venenoſarum beſtiarum morſus præ- ſtantius auxilium, quàm ſuctus, ſuctus in ea parte, qua læſit animans: huius enim præſidij ope euocatur venenum ad externas partes, quo pacto in altas, profun- dáſque remeare non poteſt. Hoc remedium præſenta-

A neum eſſe docuit Celſus *lib. 5.cap. 27. rubric. 3. §. Ergo quiſpiam exemplum Pſylli ſequutus,id vulnus exuxerit,& ipſe tutus erit & tutum hominem præſtabit,&c.*dummodò neque in gingiuis,neque in palato, neque in alia oris parte vlcus habuerit: id autem quod ſugitur,vt expuatur ſtatim eſt neceſſe, ne videlicet aliquod infortunium accidat dein- ceps, vt narrat Amatus *lib. 3.centur.* 14.contigiſſe iuueni cuidam, qui à truculenta vipera, rabido morſu percita in manu digito commorſus, citiſſimè ori digitum admouit, vt ſanguinem dentibus compreſſo digito exugeret, quo in ore detento, & vapore ſuo, calore linguæ adiuuante, ad ſpiritualia mẽbra communicato, mortuus eſt:quare ſu- gens ſit ſatur, & os eius cum vino,& oleo ſanetur,vt præ- dixit Ishaac 4.*pract.cap. 39.de morſu ſerpentis.*

B Hunc vſum complet cucurbitula, remedium ſane exi- mium ad extrahenda,quæ in alto firmiter ſunt impacta,& maximè ſi multa flamma ſit agglutinata, cuius vi vene- num foràs extrahitur,ac euocatur. Quapropter à Dioſco- ride; cæteríſque priſcis Medicis, in hoc affectu ſummo- pere commendatur: eſt enim cucurbitula, auctore Ga- leno *lib.*1 3.*meth.cap.6.iuxta finem*,inſtrumentum ad vio- lentam attractionem à Medicis excogitatum: nam cùm dixiſſet, in punctu, morsúve animalis vacuandum virus eſſe medicamentorum ope, quæ potenter attrahunt, ſubdit:*Vacuant id tum calefacientia omnia, tum quæ citra calefactionem vehementer attrahunt,veluti cucurbitulæ,& caua cornua quædam, quibus nonnulli cucurbitularum vice vtuntur.* Debet tamen cucurbitula adhiberi non ſemel,ſed iterum, atque ter, ídque cum flamma copioſa, ad hoc vt ignis naturam atque poteſtatem veneni eneruet, atque diſſoluat. Hæc ſi fuerit ænea,cùm maiorem ſuſtineat flam- C mam, multò eſt vitrea efficacior.

Si verò cum ſcarificatu adhibeatur, vt ait Paulus *lib.6. cap.* 41. *efficaciorem cauſis perſpiratum præbet, ſenſibiliter ex alto ea quæ nocent,eliciens:quippe non modò ſanguinem, ſed alios etiam humores euacuat.* Quare,vt citati auctores monuerũt,ſi locus id patitur,altioribus vlcuſculis eſt ſca- rificandus, quò pluribus quaſi canalibus, ac riuulis vitia- tus ſanguis queat exhauriri, vt ſanguinis illius corrupti copioſa vacuatio obſiſtat, ne venenum membratim cor- pori inſinuetur vniuerſo. Attrahetur enim, & foràs eua- cuabitur vnà cum ſangnine, & ſpiritu, ipſius virulentæ beſtiæ venenum. Profundioribus tamen vlcuſculis ſecari locus debet; nam ex maioribus cumulatus, copioſúſ- que ſanguis dum effunditur, aliquid quoque veneni ex- hauritur; at ex minoribus nequaquam. Quinimò à ma- D ioribus abſcedentes carnes adimendæ ſunt, & labiorum margines acie ſcalpelli præſcindendæ, & apprehenſa ha- mo caro amputanda, quum Galenus, vt ex illius ſenten- tia in ſuperiori hiſtoria notauimus, non tantùm carnem abſcindere, ſed interdum membrum mutilare iubeat, vt ſic à lethali, & virulenta fera morſum vel ictum præ- ſeruetur.

Hirudines in hunc vſum ſunt efficaciſſimæ, loco icto, vel commorſo impoſitæ, vt docuit Ishaac *lib. 4. pract. cap.*37. hæ enim trifido inflicto vulnere altiùs penetrant, venenum exugunt, & à parte iam læſa ſanguinem mani- feſtè exhauriunt, vt probauit Fernelius *lib.2.de de venæ ſect. cap.*19. *de particulari ſanguinis vacuatione*: quod auxilium maximè probo, dummodò ipſæ virus quod con- tinent exuant, vt Auic. monuit 4.1. *cap.22. quoniam in multis ex iſtis venenoſitas, præſertim in illis quæ magno ca- E pite, & nigro colore ſunt præditæ, & ex earum ſuctu pro- ueniunt apoſtemata, ſyncope, ſanguinis fluxus, febris, la- xitas, & vlcera mala.* Quocirca melius eſt, vt poſt ea- rum caſum apponatur cucurbitula, vt ipſarum malitia re- moueatur.

Vſtio etiam neceſſaria eſt; hanc enim eſſe magni mo- menti in venenatis ictibus Medici veteres prodiderunt, vbi locus hanc patitur, hoc eſt, vbi nec neruoſus, nec muſculoſus exiſtit: etſi non defuerint qui eam repro- bare ſint auſi, quoniam ignis adſtrictione ſua denſet par- tem, cutem cohibeat, & ſic venenum ad interna repri- matur; quare cruſta ab igne inducta craſſitudine ſua

immodicum, parum venenum lædit; nam frigidi veneni inclementia calore vini retunditur, & hebetatur. Sed ſi hoc verum eſt, quomodo venena extrà admota, vt cuti, veſti, ſtapedibus, nocere poſſunt, & interimere, ſi ad actum non reducuntur? Dic, quòd venenum illis partibus admotnm ex attritu pedum, motu corporis incaleſcit, & mittit ex ſe vapores, qui eructantur in cerebrum & cor, mortémque inferunt, pernicie ſua.

Quæro quartò. Si ſapientiſſimus rerum omnium parens, opifexque Deus, poſtremum omnium, quæ ſub aſpectum cadunt, hominem condidit, vt dominus eſſet illorum, ſuper terram imperaret, & cæteris animantibus dominaretur, ipſúmque in hoc mundi theatro conſtitutum habuit in deliciis, vt latè, & doctè probant Ioan. Beuerouicius *in ſua idea medicinæ veterum, fol.* 7. & Æmilius Campolongus *in theoremat. de humana perfectione*, cur in eius damnum & perniciem, venena produxit, quæ illi ruinam poſſunt parare, & interitum? Primum probat ſatis eruditus & ſapiens auctor Philo *lib. de opificio mundi*: vnde Ouidius *Metam.* 1.

Sanctius his animal, mentiſque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet,
Natus homo eſt.

Hinc apud Moſen Deus ait, Geneſ. 1. *replete terram, & ſubiicite eam, & dominamini piſcibus, &c.* Quid aliud hoc eſt, niſi plantis, vt libet, vtimini, metallis, lapidibus, & ſub iugum ſeruitutis veſtræ animantes omnes redigite, atque adeò domini eſtote eorum, quæ in agris viuunt, & quæ per aëra volant, & in mari verſantur. Si ergo ſummus Architectus hominem creauit Dominum, cur captiuum, & veluti ſeruum illum effecit, & tot venenorum inſidiis obnoxium? vt tam multis argumentis exclamat Ianochius de Manectis, *lib.* 2. *de dignitate & excellentia hominis.* Dic, tres eſſe vtilitates, ob quas Dominus creauit venena. Prima eſt, vt eſſent adiumento artibus multis, tinctoriæ, pictoriæ, ſutoriæ, argentariorum, quæ omnes venenis vtuntur. Secunda, quoniam animalia plura aluntur venenis: nam ſturni, & capræ veſcuntur cicuta, ſues hyoſcyamo, hirudines cantharidibus, coturnices elleboro. Tertia, quia miſericors Deus non ſolùm vtilia, ſed quæ inutilia videntur, & ab humana natura longè diuerſa, ea in hominum ſalutem ſapienter procreauit. Elleborus inſaniam curat, aconitum ſcorpionis morſus, mercurius, & arſenicum, ſcabiem ferinam, & morbum Gallicum: immò Galenus 5. *meth. cap.* 6. vtitur paſtillis Andronis, & Paſionis aduerſus ſputum ſanguinis, qui parantur ex arſenico, & chalcantho, quibus, & aliis cauſticis, tum per os oblatis, tum per ſedem infuſis ſæpe fœliciter vtimur, vt *lib.* 2. *in com. hiſt.* 85. latè probauimus. Quidini? Nonne venenum veneno depellitur, provt in ſequenti commentario explicamus? Tu verò per otium lege alias cauſas apud Plin. *lib.* 2. *cap.* 63. qui contra fabricatorem terræ Deum, aliam cauſam affert, licèt illam refutet *lib.* 18. *cap.* 1.

Quæro quintò, cur ſicut in natura producuntur venena, ſic etiam in corpore noſtro generantur; Dic, quòd licèt *lib.* 1. *in com. hiſt.* 52. hoc dubium propoſuerim, tamen ne in hoc compendio de venenis quidquam remaneat intactum, idcirco particulariùs ad propoſitam dubitationem accedam & alia denuò adiungam. Generari ergo intra corpus venenum, quod & hominem, & alios nonnunquam perimat, aut morbos inducat lethales, præter Galeni 3. *de loc.* 7. *&* 6. *eiuſd. cap.* 5. teſtimonia eo loco citata, ratio, & experimentum confirmant. Sed hoc ſemper mihi valde dubium viſum fuit. Nam in plurimis morbis in quibus ſuſpicamur latere venenoſos humores in corpore, qui nouo quodam aggreſſu inopinatò homines apprehendunt, vt experimur in epilepſia ab aura venenoſa eleuata, vteri ſtrangulatu, qui à ſemine retento, & putrefacto, & ſanguine menſtruo oritur, & in peſtiferis febribus, vel pro ſingulis acceſſionibus venenum de nouo generatur, aut in membro mandante veluti ſopitum continetur, vel per interualla aſcendit acceſſiones facturum. Non primum, quoniam 2. *feb.* 11. acceſſionum multiplicatio, & repetitio cauſam habet primam, humoris nempe in vna parte aſſeruationem, præterquàm quòd non ſemper dabitur materia à qua denuò ſimilis generetur. Si ſecundum, quomodo intermedio tempore exiſtere poteſt intra corpus venenum ſine noxa? Quomodo vt ab eo non offendatur continens membrum, in quo diutiùs immoratur, magíſque viget qualitas maligna, ſolo acceſſu in longinquo, diſtantique tam vehementia nocumenta inducens; Rurſus, cur magis frequenter cerebrum inuadit, quàm hepar, aut cor, quibus ſunt patentiores viæ, & principalis venenorum occurſus fit ad cor, tanquam vitæ fontem, cui illa à tota natura aduerſantur? Deinde ſi cerebrum eſt inſenſile, ac immobile, vnde in dictis affectibus nocumenta percipit moleſtantia, & tam vehementer agitatur, vt vniuerſas corporis partes ſecum in conſenſum trahat?

Sed multò faciliùs, & Galeno magis conſentaneum eſt aſſeuerare, venenum innaſci in corpore. Quis enim inficiabitur, poſſe alimentum aut humorem in nobis corrumpi, & tam praua putredine vitiari, vt qualitatem acquirat non minùs deleteriam, quàm cuiuſuis alterius veneni? id quod in dictis affectibus Galenus oſtendit: non enim aliunde fera illa, & ſæua ſymptomata quibus infeſtamur, vires vſque adeò proſternuntur, naturam debellant, ſenſum, motum, vocem, & curſum auferunt, conuulſiones inducunt, refrigerationes, tremores, frigidos ſudores, & amentias, ac reliquos cpoti veneni affectus, niſi quia illorum cauſa, virulenta quadam, & non minus pernicioſa qualitate ſit prædita, vt inter omnes probat Caſtrenſis Luſitanus, auctor inter claſſicos celebrrimus *lib.* 2. *de meteoris microcoſmi, cap.* 12.

Neque inſtes, in corpore non poſſe reperiri tam prauum ſuccum, qui materiam præſtare poſſit ad generationem ſubſtantiæ vſque adeò deleteriæ, ipſimet corpori valde aduerſæ. Nam vel ex probis alimentis qualitas poteſt euadere venenoſa, maximè in non rectè ſanis, nec bene gubernatis corporibus, nedum ex retentis & corruptis excrementis, à qnibus eleuatus vapor vim deferens malignam, vel ipſa ſine materia aliqua ad cerebrum perueniens, epilepticas, aut hyſtercas excitat acceſſiones, non ſecus ac ſyncopas, & alia ſymptomatum genera, pro varietate membri quod inuadit.

Nec neceſſarium eſt omnium acceſſionum materiam in membro mandante ſimul generari; ſufficit enim relinqui fomitem, à quo inficitur aduenieus de nouo alimentum, quantumuis probum, & malignitate carens. Cum quo ſtat adhuc, omnium circuituum cauſam eſſe primam aſſeruationem in parte, iuxta Galenum adductum. Quinimò etiamſi totum venenum pro ſingulis paroxyſmis ſimul progenitum foret in mandante membro, per interualla inuaderet, & ſine corporis offenſa permaneret. Venena enim, & multa alia morbi ſeminaria diutiſſimè poſſunt intra corpus occultari, oppreſſura poſtea, & ſæpè internecatura, etiam poſt 14. vel 20. annos, vt teſtatur Hipp. *lib. de internis affectionibus*, & rabidi canis virus, & aliud epotum venenum longo tempore tranſacto ſe prodere cum ſymptomatibus diris tradunt omnes, & docet Galenus 1. *prorrhet. ſect.* 2. *com.* 17.

Quomodo verò ſine noxa tandiu occultetur venenum ſiue hauſtum, ſiue intus genitum, cauſa eſt (inquit Galen. *cit. prorrhetic.*) qnoniam vbi exiſtit, ſenſim alterat, & paulatim inficit vicina, ac in malignam qualitatem commutat temperamentum, & quia quamdiu ſit, necdum impreſſum eſt malum, imbecilliter mouet, toto agendi tempore nulla pernicioſi morbi ſymptomata ſpectantur: at maxima, & repentè vbi iam multa fuerit, & inſigniter alterata membri conſtitutio. Adde, ſæpè in ignobili membro contineri venenum, vbi vel,

paruam

paruam, vel nullam inducit offenſam; ad nobile autem commigrans inducit vehementem. Aſſuefactio etiá partis facit, vt non modò ex contento veneno non ægrotet, ſed alatur, & viuat: lædatur verò recipiens etiam à minori quantitate, & quia per totum corpus iam malum effunditur & quia inſuetum. Inſuper cùm in dies more fermenti ex ingeſto alimento augeatur, ad eam magnitudinem accedit, vt ab irritata expultrice pellatur, antequam particulam lædat in qua generatur, cerebrúmque aut cor aggreditur, prout maiorem habet proprietatem ad vnum, quàm ad alterum membrum, quod in plurimis venenis reperitur, vel quia in neruoſis partibus, aut arterioſis magis radicatur. Denique aut quia talis erit naturæ quæ magis parata ſit pati, & recipere, in cerebro, quod licèt inſenſile, naturali perceptione potuit noxá percipere, & naturali expulſiua pellere ſeipſum concutiens, & in ſimilem concuſſionem vniuerſum trahere, cum mentis, ac ſenſuum læſione, quod ſine affecto cerebro contingere non poteſt. Non ergo negandum eſt, intra corpus poſſe naſci venenum, quod teſtantur Auerrhoës 3.*collig.* 3. Hinc fit vt ex morbo natura ſalubri quis moriatur, vel multò citius quàm ratio morbi exigebat: & mors non ſequitur ad morbum, ſed ad venenum intus genitum, cuius motum morbus inſequitur. Hinc etiam fit, vt quiſpiam moriatur repentè, non ſumpto veneno, & pereat diris vexatus ſymptomatis, ſimilibus illis, quibus premuntur ij qui ſumpſerunt. Tu verò de hoc argumento couſule erudiſſimum Sennertum *lib. 6. de morb. occultis, part.* 2.*cap.*2 & Paulum Zacchiam Medicum celeberrimum *lib.*2.*quæſt. medicolegalium, tit.*2.*quæſt.*5. qui ex ſua, & multorum ſententia hoc negotium diligentiſſimè explanat.

Quæro ſextò. Si venena tantopore naturæ noſtræ infeſta ſunt, cur attrahuntur intrò, & cor petunt, ſi in ſtatu ſano ſolus adeſt innatus calor, qui omnia membra regit, ab aduerſantibus tuetur, oppoſitis reſiſtit, noxia pellit, & veneni vim diram à ſe abigit, tantum abeſt vt attrahat? Dic: venenum non attrahitur à partibus, quoniam nihil attrahit propter ipſum attrahere, ſed vt eo quod attrahit compos fruatur, ex Gal. 3.*de facult. naturalib. cap.*7. illud non defertur ad cor ſponte ſua, natura enim id reſpuit, ne irruat: non detruditur à partibus; hæ enim ad debiliores ferè demittunt, vt ſic principes tueantur à noxis, cor autem membrum eſt fortiſſimum. Attrahitur ergo à corde venenum, per accidens tamen: quoniam per inſpirationem, & tranſpirationem attrahitur cum aëre permixta aura venenoſa, quæ ſemel hauſta, in pulmones, & per arterias omnes quæ per corporis ambitum ſunt diſſeminatæ, attracta, cor petit, & ſua vi dira proſternit, & premit, & venenoſa qualitate viſcus hoc præſtantiſſimum fatigat. Conſule Cardanum *lib.*1, *de venenis, c.* 4, Alphonſum à Fontecha *in ſpeculo medicinæ Chriſtianæ, luminari* 2. *tit. de corde venenato.*

HISTORIA II. AETII,
De morſu viperæ.

Stercus caprinum ad viperæ morſum, auxilium celeberrimum.

M*Edicus certè quidam ruralis, ipſe ad* * *viperarum morſus, multóque magis aliarum beſtiarum vtebatur cum aceto, & multos ſeruauit, &c. Aëtius* tetrab, 2. ſerm. 2. cap. 94. de ſtercore caprino.

PARAPRHASIS.

NVllum eſt ad venenoſarum beſtiarum morſus præſtantius auxilium, quàm ſuctus, factus in ea parte, qua læſit animans: huius enim præſidij ope euocatur venenum ad externas partes, quo pacto in altas, profundáſque remeare non poteſt. Hoc remedium præſentaneum eſſe docuit Celſus *lib.*5.*cap.*27.*rubric.* 3. §. *Ergo quiſpiam exemplum Pſylli ſequutus, id vulnus exuxerit, & ipſe tutus erit & tutum hominem præſtabit, &c.* dummodò neque in gingiuis, neque in palato, neque in alia oris parte vlcus habuerit: id autem quod ſugitur, vt expuatur ſtatim eſt neceſſe, ne videlicet aliquod infortunium accidat deinceps, vt narrat Amatus *lib.* 3.*centur.* 14. contigiſſe iuueni cuidam, qui à truculenta vipera, rabido morſu percita in manu digito commorſus, citiſſimè ori digitum admouit, vt ſanguinem dentibus compreſſo digito exugeret, quo in ore detento, & vapore ſuo, calore linguæ adiuuante, ad ſpiritualia mébra communicato, mortuus eſt: quare ſugens ſit ſatur, & os eius cum vino, & oleo ſanetur, vt prædixit Ishaac 4.*pract. cap.* 39.*de morſu ſerpentis.*

B Hunc vſum complet cucurbitula, remedium ſane eximium ad extrahenda, quæ in alto firmiter ſunt impacta, & maximè ſi multa flamma ſit agglutinata, cuius vi venenum foràs extrahitur, ac euocatur. Quapropter à Dioſcoride; cæteríſque priſcis Medicis, in hoc affectu ſummopere commendatur: eſt enim cucurbitula, auctore Galeno *lib.*13.*meth. cap.*6.*iuxta finem*, inſtrumentum ad violentam attractionem à Medicis excogitatum: nam cùm dixiſſet, in punctu, morsúve animalis vacuandum virus eſſe medicamentorum ope, quæ potenter attrahunt, ſubdit: *Vacuant id tum calefacientia omnia, tum quæ citra calefactionem vehementer attrahunt, veluti cucurbitulæ, & caua cornua quædam, quibus nonnulli cucurbitularum vice vtuntur.* Debet tamen cucurbitula adhiberi non ſemel, ſed iterum, atque ter, ídque cum flamma copioſa, ad hoc vt ignis naturam atque poteſtatem veneni eneruet, atque diſſoluat. Hæc ſi fuerit ænea, cùm maiorem ſuſtineat flam- C mam, multò eſt vitrea efficacior.

Si verò cum ſcarificatu adhibeatur, vt ait Paulus *lib.*6. *cap.* 41. *efficaciorem cauſis perſpiratum præbet, ſenſibiliter ex alto ea quæ nocent, eliciens: quippe non modò ſanguinem, ſed alios etiam humores euacuat.* Quare, vt citati auctores monuerũt, ſi locus id patitur, altioribus vlcuſculis eſt ſcarificandus, quò pluribus quaſi canalibus, ac riuulis vitiatus ſanguis queat exhauriri, vt ſanguinis illius corrupti copioſa vacuatio obſiſtat, ne venenum membratim corpori inſinuetur vniuerſo. Attrahetur enim, & foràs euacuabitur vnà cum ſangnine, & ſpiritu, ipſius virulentæ beſtiæ venenum. Profundioribus tamen vlcuſculis ſecari locus debet; nam ex maioribus cumulatus, copiosúſque ſanguis dum effunditur, aliquid quoque veneni exhauritur; at ex minoribus nequaquam. Quinimò à ma- D joribus abſcedentes carnes adimendæ ſunt, & labiorum margines acie ſcalpelli præſcindendæ, & apprehenſa hamo caro amputanda, quum Galenus, vt ex illius ſententia in ſuperiori hiſtoria notauimus, non tantùm carnem abſcindere, ſed interdum membrum mutilare iubeat, vt ſic à lethali, & virulenta fera morſum vel ictum præſeruetur.

Hirudines in hunc vſum ſunt efficaciſſimæ, loco icto, vel commorſo impoſitæ, vt docuit Ishaac *lib.* 4. *pract. cap.*37. hæ enim trifido inflicto vulnere altiùs penetrant, venenum exugunt, & à parte iam læſa ſanguinem manifeſtè exhauriunt, vt probauit Fernelius *lib.*2.*de de venæ ſect. cap.*19. *de particulari ſanguinis vacuatione*: quod auxilium maximè probo, dummodò ipſæ virus quod continent exuant, vt Auic. monuit 4.1. *cap.*22. *quoniam in multis ex iſtis venenoſitas, præſertim in illis quæ magno ca-* E *pite, & nigro colore ſunt præditæ, & ex earum ſuctu proueniunt apoſtemata, ſyncope, ſanguinis fluxus, febris, laxitas, & vlcera mala.* Quocirca melius eſt, vt poſt earum caſum apponatur cucurbitula, vt ipſarum malitia remoueatur.

Vſtio etiam neceſſaria eſt; hanc enim eſſe magni momenti in venenatis ictibus Medici veteres prodiderunt, vbí locus hanc patitur, hoc eſt, vbi nec neruoſus, nec muſculoſus exiſtit: etſi non defuerint qui eam reprobare ſint auſi, quoniam ignis adſtrictione ſua denſet partem, cutem cohibeat, & ſic venenum ad interna reprimatur; quare cruſta ab igne inducta craſſitudine ſua

venenatos affluxus coërcet. Sed hi non aduertunt, quòd cauteria calore, atque dolore verſus partem vſtam venenum validiſſimè attrahunt, cuius diſſlationi exigua illa denſitas non obſiſtit.

Proſunt etiam adaperta plaga auxilia, quæ vel calore, ſiue tota ſubſtantia, ſiue vtroque nomine venenum potenter euocant, inter quæ vtilis eſt pullus gallinaceus per medium ſectus, & protinus calidum ſuper vulnus impoſitus, ita vt pars interior iungatur corpori. Præterea iuuant medicamenta, quæ calore ſuo venenum ad externas partes eliciunt, vt galbanum, ſinapi, farina erui, ſcilla, folia fraxini, & ipſa contuſa, neque admota, allium cum aceto, haſtulæ regiæ folia cum pane, lauri teneræ baccæ, & folia cocta, & cum oleo trita, ebuli, & ſambuci radices in vino coctæ, cinis ex ſarmentis ex aceto ſubactis, ruta, calamenthum, & origanum. Prodeſt fomentum factum ex fæce vini, ruta, ſale, melle, muria acida, & multis aliis quæ à citatis auctoribus comprobantur. Præter hæc mira quadam efficacia ſtrenuè iuuat ſtercus caprinum: nam ſtercora omnia ob putrefactionem maximam, valida pollre attrahendi vi probat Galenus *lib. 5. ſimpl. cap. 17.* & maximè caprinum, quoniam hoc præterquam quòd venenoſum humorem attrahit ad partes externas caliditate ſua, dilatat eadem vi partem commorſam, vt virus ſic foràs expiret. Deinde proprietate quadam contra virulentorum animalium morſus auxiliatur, vt firmat Dioſcor. *lib. 2. c. 72. de fimo. §. Caprillus fimus in aceto decoctus imponitur ſerpentium morſibus, &c.* Caprinum autem ſtercus inter cætera pro hoc complendo opere primatum tenet, quia calidius: ita ſenſit Paulus *lib. 7. tit de ſtercore. §. Caprillum ſtercus, acrius, magiſque diſcutiens, &c.* Lege Iacobum de Bondis *in fin. ſui aggregatoris, tit. de remediis contra viperæ morſum venenoſum.*

Sed hoc loco quæſitu dignum videtur, cur imponat parti commorſæ acetum, ſi ex omnium Medicorum voto aſtringit, & applicita auxilia debent eſſe calida attrahentia foras venenum, meatus dilatantia? Dic, Galenus acetum repellere aſſeuerat *lib. 1. ſimpl. cap. 24.* & adſtringere firmat *lib. 1. eiuſd. cap. 18.* & ſic ad ſanguinis fluxiones velut remedium reprimens id præfert. §. *At acetū haud perinde vt cruſtam facientia medicamenta, ſed potiùs vt adſtringentia, & refrigerantia, citra cruſtam ſanguinis fluxiones cohibet: itaque hac quidem ratione non excalefacere, ſed refrigerare putetur, &c.* Sed ſi hæc Galeni verba attentè, examinentur, etſi acetum duplici facultate, calida nempè & frigida conſtare aſſeramus, hanc illam vincere apertè fatebimur, quod & ipſe Galenus confirmat manifeſtè: quoniam acetum eſt ſuapte natura acidum prorſus, & acida minimè adſtringunt; quare acetum primò, & per ſe non adſtringit, ſed incidit, eſt tenuium partium: quo nomine ad ſanguinis grumos in viſceribus incidendos, poſcam ſummopere laudat *5. meth. cap. 9.* quam ex aceto, & aqua ſimul mixtis conſtare, ſcripſit Aëtius *tetrab. 1. ſerm. 1. cap. 1.* Sapor enim acidus, etſi frigidus ſit, tenuibus tamen partibus conſtat, ex Gal. *4. ſimpl. cap. 3. 7. &* 8. Ex iis conſtat, non errare Medicos, qui acetum medicamentis penetrandi cauſa permiſcent, quoniam omnium medicamentorum vehiculum eſt: quinimò cum ſtercore caprillo ſubactum, & parti à virulento animali commorſæ impoſitum veneni malitiam refrænat, eſt enim medicamen alexiterium, vt *in com. hiſt. 6. infra* comprobabimus. Si verò Galenus id adſtringere firmat, eum reſpexiſſe partes craſſas quibus etiam conſtat, dicendum eſt. Conſule Abderamen Arabem *lib. de virtutibus medecinarum, cap. de aceto.*

QVÆSTIO II.

Vtrùm venenorum diuiſio à Dioſcoride tradita, ſit perfecta.

COMMENTARIVM.

V*Iperarum morſus.*] Dioſcoridem Anazarbæum adeò ſumma in re herbaria doctrina, in cognoſcenda aromatum natura, præcauendis, & curandis venenis, præcel- A luiſſe tradunt Græcorum ſcientiſſimi, vt vel Galenus ipſe eum ſummè laudet in locis multis, quem in ſimplicium medicamentorum inueſtigandis arcanis, metallorum proprietatibus, & viribus deſcribendis inter omnes palmam præripere neminem latere puto. Is poſtquam de hoc argumento quinque libros perfecit omnifaria eruditione refertiſſimos, librum ſextum de venenis, morbiſque venenoſis conſcripſit, & in theatrum Medicorum euulgauit, non vt hi doceant, quo pacto poſſint aliis exitium impunè comparare, & per inſidias vlciſcendæ iniuriæ, vel obeundæ hæreditatis cauſa offerri apta, ſed vt cognita partim vitiari, partim deuinci queant, id quod fieri non poteſt niſi commemorentur, & nota ſint omnibus, vt Galenus affirmat *lib. 2. de antidot. cap. 7.*

B Idcircò *in eius libri præfatione*, venena diuidit in ea quæ ſumuntur ex animalibus, plantis, & mineralibus, quam diuiſionem recipiunt omnes, & vt rectè traditam amplectuntur: licèt enim per omnes ſenſus poſſit inferri venenum, tamen ex his tribus depromitur, ex quibus variè, atque variè commixtis venefici moliuntur inſidias, & multiplici forma paratis, vtero, vmbilico, naribus, vt concitent abortum, & aliis partibus admotis, repentinam cladem machinentur.

Ex animalibus ſunt vipera, aſpis, ſcorpio, lacerta, ſcorpæna marina, canis rabidus, & ſiquæ alia animalia rabiunt, excepto cane, vt equus, mulus, boues, ſimilia, vrſi, lupi, feles, & pleráque multa, cantharides, bupreſtis, hirudines, amphisbena, ſalamandra, rana paluſtris, pinorum erucæ, lepus marinus, bufo, cerebrum felis, vrina muris, ſudor equi, ſanguis tauri, menſtruus ſanguis, phalangium, C tarantula, piſces ſuffocati, caro quadrupedis quæ fulmine percuſſa interierit, caſtorium, cerui extrema cauda, lac vbi in ventriculo concreſcit, mel venenatum, quod apes proferunt, & colligunt ex aconito herba, & ex floribus rhododendri, ligna exciſa ex cauernis ſerpentium, quibus vſtis eleuatur veneficus vapor adſtantes perimens. Virus quod à magnis ſerpentibus illiſis exprimitur, quod ſolo externarum partium contactu eſt pernicioſum, in quorum catalogo reponuntur baſiliſcus, torpedo, paſtinaca marina, dracones, ſcorpiones alati, crocodilus, cherſydros, cenchris, hæmorrhoïs ſerpens, dipſas, ceraſtes, dryinus apes, veſpæ, luporum morſus etiam non rabientium, quòd plerùmque in renibus eorum ſerpentes naſcantur. Barbi, & Lucij piſcium ouorum eſus, acontia, & alia.

D Ex iis quorum ſtirpes è terra naſcuntur, plura colliguntur venena, quæ, vel cathartica vi, vel nimio calore aut frigore, vel totius ſubſtantiæ repugnantia pernicioſa ſunt, & homini præſentaneam ruinam parere ſolent. At per plantas, quæ hanc exitioſam labem, virúſque maleficum ſortiuntur, intelligo non ſolas eas quæ in laudabile alimentum non conuertuntur, ſanguinis, & ſpirituum generationi maximè accommodum, ſed humores in corpore contentos conſpurcare ſolent, vt ſunt elleborus, colocynthis, ſcammonium, elaterium thymelæa, chamelæa, tithymalus, lathyris, bryonia, cyclaminus, braſſica marina, ſoldanella, & euphorbium. Naturam noſtram etiam proſternunt napellus, aconitum, hyoſcyamus, pſyllium, cicuta, mandragora, meconium, opocarpaſon, pineorum nucleorum malucorum eſus, thapſiæ ſuccus, ephemerum, coriandrum quod aliqui colchicum vocant; quia in Col- E chide naſcitur, ſolanum, ſardonia herba, quæ ranunculi genus eſt, corniculatum papauer, pharicum, ruta ſylueſtris, fungi, toxicum, rhododendros, ſmilax arbor, quæ & taxus dicitur, nux metellica, ixia, medullæ fructuum rancidæ; iuniperi, nucis arboris, tamarindorum, & buxi vis mortifera.

Quæ reſtant nobis ex foſſilibus longè præſentia ſunt, & exitioſa, vt gypſum, calx, ceruſſa, plumbi recrementum, ferri ſcobs, ſquama æris, argentum viuum, cinnabrium, ærugo æris, duo ſandarachæ genera, ſpuma argenti, auripigmentum, arſenicum, præcipitatum, riſagalum, antimonium, ſcobina campanarum, vitrum. Ex iis euidenter patet, quomodo omnia venena ſub his comprehendantur, & ab his deſumantur, tam quæ illitu,

illitu, contactu, odore, aut vmbra à veneficis parari con- ſueuerunt.

Rurſus venena mutipliciter diuiduntur: Primò, in ea quæ tota ſubſtantia, totis viribus, & toto genere inter- munt, & alia quæ ſuis maximè manifeſtis qualitatibus,ex Gal. 3. *de temp.*17.18,19.20.*&* 21.& Auic.6,4.*tract.* 1. *c.*2. ita ſentit Petrus Aponenſis *in tract.ſuo de venenis.* Illa enim quatuor modis naturæ noſtræ inimica ſunt, atque infeſta, vt teſtatur Auerrhoës *lib.* 5.*collect.* 25.Primo,quo- niam vi ſua deleteria ſpiritum innatum reſoluunt,& ab- ſumunt, & natiua quadam proprietate venefica, viſcera, & cor vitiant, & corrumpunt. Secundò temperamentum naturale permutant, & vniuerſum corpus labefactant. Tertiò, vehementi attractione humores quoſcunque è corpore extrahunt,vt elleborus, & alia huiuſmodi. Quar- tò, euacuant ſanguinem, in cuius perſeuerantia calor noſter conſiſtit, & ſpiritus extinguunt. Si ergo in harum ſubſtantiarum duratione vita conſiſtat, vt inter omnes probauit Cæſar Cremoninus, Peripateticus Philo- ſophus eximius *libello de calido innato, ferè per totum,* venena illa dicentur, quæ ſanguinem, & ſpiritum mor- tificant.

Inſuper, quæ qualitate manifeſta interimunt, id præ- ſtant, vel quia calida ſunt, vel quia frigida, vel quia ſic- ca. Calida æſtum mouent in ventriculo ardorem, & ſitim concitant, excoriant linguam, guttur exaſperant, febrim pariunt, membrorum genuinum humidum depaſcuntur, & hoc modo viſceribus inquinatis, & deiectis, dolori- bus, ac vigiliis oppreſſum animal occumbit. Ita venena calida tabefaciunt, putrefaciunt, erodunt; abſumunt enim ſpiritus, & ſuperfluo calore eos inflammant, quo- rum inopia mors contingit. Alia membra hac de cauſa erodunt, & dilaniant, & minuto, reſolutóque calore innato, humana membrorum compages putreſcit,eorùm- que harmania ſeparatur. Frigida ſomnum profundum concitant, & ſic retentis recrementis innatus ignis ob- ruitur, & ſuffocatur. Deinde congelant ſanguinem,& ſpi- ritus vehementer incraſſant, quibus ad motum ineptis torpet corpus, diffluunt membra,& obſtructis præ frigo- re canalibus, & viis fluxus immedicabilis ſequitur & du- cto ad imbecillitatem corpore & ob proſtratam nutri- tionem tabefacto,perit animal. Verùm autem hæc quan- titate ſolum,an genere ſint deleteria, inter omnes propo- nit Valleſius, *lib.* 9. *cont. cap.* 12. Sicca venena etiam ex tempore mortem accelerant: nam cùm ferè calida ſint, caloris inſuperabiles pariunt effectus, præterquam quòd ſiccitate ſua exprimunt humidum, calorem complanta- tum nimium abſumunt,& excitata conuulſione immedi- cabili, cerebróque in conſortium ducto interficiunt.

De veneno humido, diſſidium eſt inter auctores: ne- gant Mercurialis *lib.*1. *de venen. cap.*10.Fernel. *lib.*2.*de ab- dit.rer.cauſ.cap.*15.Bacch. *in prolegomen. de venenis,cap.*3. *art.*7.quorum votum libenter amplector:quoniam ſi hu- midum dolorem inferre non poteſt, ex Gal.*lib.* 1. *de cauſ. ſympt. cap.* 6. *&* 12.*meth.cap.*7.*&* *lib.*2.*ſec. loc.cap.*1.§. *Ad humidum nullus conſequitur dolor,&c.*cur mortis cauſa ſta- tuenda,cùm humiditas parùm actiua ſit,& inertis faculta- tis eſſe dicatur,nec ad quartum humiditatis gradum quod- piam medicamentum, aut quiduis aliud aſcendere poſſit: quoniam ſi abſint calefactio: & refrigeratio, humiditas citra violentiam corpus contingit, ob quam cauſam ſi venenum humiditatis excedentis effectus ex ſe parit, hos frigiditatis ratione euenire aſſeremus. Venenum ergo merè humidum non reperitur,vt probat euidenter Bartho- lomæus Fritzſchius *in ſua diſputatione eleganti de venenis, in med.*

Secundò,diuiduntur venena, in ea quæ ſecundùm totum venena ſunt, vt cicuta, lepus marinus; & ea quæ ſecun- dùm partem,vt felis, ſecundùm cerebrum,cenchris, ſecun- dum caudæ extremitatem.

Diuidūtur tertio venena, ex modo adminiſtratiois, nā quædā per os aſſumuntur,quædam extrà applicantur, alia communicantur morſu, vt viperæ,ſerpentum, & canis ra- bdi venenum; plura punctione,vt araneorū,& phalāgio- rum venenum; multa illitu, tactu,olfactu, viſu, & auditu

A Diuiduntur quartò venena, iuxta eorum affectus:quo- niam alia citiſſime interficiunt,alia poſt aliquam interpo- ſitam moram. De illorum genere eſt aconitum, quod in occidendo inter omnia venena eſt ocyſſimum, vt docuere Plinius *lib.*27.*cap.*2.Ruel. *lib.* 3. *de natur. ſtirp. cap* 113.& alia venena etiam reperiuntur præſentanea, quæ ſpatio quadrantis horæ interficiunt,vt firmat Ioānes Leo *part.*7. *ſuæ Africæ, in fin.* & cuiuſdam facit commemorationem Cardanus *lib.* 2. *cont.tract.*2. *cont.* 10. cuius granum inter decem homines partitum ſpatio quadrantis horæ omnes interimit. Hæc a tota ſubſtantia corruptoria nuncupan- tur, & ſunt præ cæteris vehementer noxia, & deleteria,vt fatentur Valeſcus à Taranta *in ſuo philon. cap.*29. Bertruc. *lib.* 2.*pract. tract.* 3.*cap.*1,Arduinus *lib.*1.*de venen.cap.*7. B Gorræus *in præfat.ad Nicandr. Alexipharmac.*Guainerius *cap.*1.*de venen.*Nicolus *ſum.*4.*ſerm.*4.*cap.*3.Tardiora ſunt in operando, quæ putrefaciunt, & craſſa, terrenáque ſub- ſtantia conſtant.

Diuiduntur quintò venena, in præſentanea, & tempo- ranea: illa citiſſimè interficiunt, & velociſſimè; hæc ad tempus, hoc eit poſt vnum, vel duos, vel paucos dies, menſes, vel annos. Sed dubitatio inſurgit maxima, cur venena non noceant illicò intra corpus aſſumpta,aut ex- trà applicita,ſi naturam habent cordi inimicam, & corpo- ri humano infenſam valde? Dic, quòd huius dubij du- plex poteſt eſſe ſenſus. Vnus, an dentur,vel poſſint dari ve- nena, ſiue naturalia, ſiue artificialia, quæ certo die, ac tempore pro adminiſtrantis voluntate, non antè, neque pòſt occidant. Alter, an dentur venena, quorum actio vel ex ſua natura, non illicò, ſed aliquanto, aut etiam multo C pòſt tempore appareat; vel quæ arte, ac præparatione ita retardari poſſint, vt ſi ipſa ſpatio vnius diei, aut plurium ſuſtuliſſent, ob præparationem ita tardè operentur, vt ſi multo pòſt interimant, mors non in venena,ſed in mor- bum reiici poſſit. Primo, & ſecundo modo dari venena temporanea plurimis pro vtraque parte allatis rationi- bus, & auctorum ſententiis munitus defendit clariſſimus Paulus Zacchias *lib.*2.*quæſt.medicolegal.tit.*2.*quæſt.* 10.Li- cèt enim venena naturæ noſtræ ſint aduerſa, & citò occi- dant;tamen non eſt impoſſibile, vt ſi Medicus ſit exercita- tiſſimus, cognitam habeat aſſumentis naturam, ætatem, temperamentum, conſtitutionem corpori, & alia, poſſit componere medicamentum, quod certo, & determinato tempore operetur, ſi efficaciam, & caliditatem exceden- tem vnius veneni, alterius frigiditate, aut è contra retun- D dat; & ita nec venenum à tota ſubſtantia tale citiſſimè occidet,nec frigidum tardiſſimè.Conſule Mercurial.*lib.* 1. *de venen. cap.* 7.Amat.6.*centur.* 68.*&* *lib.*4.*in Dioſcorid. cap.* 8.Valleriol.3.*loc. com.*18.

Illud quoque non ſilendum inuolucrum eſt, an vene- na, venenorum ſint remedia. Id equidem videtur teſtari Galenus, ſi de venenis extrà appoſitis ſermo ſit: nam vniuſcuiuſque caro multum prodeſt, ictui ſuo, vel morſui ſuperpoſita,ſic viperæ caro, viperarum morſibus mede- tur, & iecur rabidi canis, huius morſui auxiliatur, & ſcor- pius ſcorpionis ictui remedio eſt, vt Galenus *lib.de the- riac.ad Piſon.&* *antidot.*ſæpè pronuntiat, quoniam vene- num externum proprietate quadam, & totius ſubſtantiæ ſimilitudine attrahit internum, & ſic veneni vim refrin- git: ita cremati ſcorpionis nidore reliqui omnes protinus E fugantur, vt ex mente Diophanis teſtatur Ruellius *l.*2.*de nat. ſtirp. cap.* 45.

Si verò de venenis intrò aſſumptis loquendum ſit, tunc non quodlibet venenum veneno reluctatur, immò potiùs intendit, maximè ſi ambo idem temperamentum ſortian- tur, vt ſi poſt euphorbium propinetur auripigmentum, aut poſt mandragoram, oppium. Si autem loquamur de intus aſſumpto veneno, aliquando venenum veneno cu- ratur: cum enim venena vtraque mutuam inter ſe ha- beant antipathiam, vnum expellit aliud, & ſic in pugna commoriuntur, & quod potentius eſt, alterum deuincit: ſic ex Theop. *lib.* 9.*de hiſt. plantar.cap.*10. Plin. *lib.* 27. *cap.*2. Aconitum contra ictus ſcorpionis eximiè pollet,& mandragora proprietate quadam contra elleborum, ex Plin. *lib.* 25.*cap.* 13 Ruel. *lib.* 3. *de natur. ſtirp. cap.* 111.

Hoc modo cantharides ad canis rabioſi, & ſalamandræ morſum potenter opitulantur; ex Plin. *lib.29.cap.* 4. Raſ. *lib.*20. *diuiſion.cap.*2.Matthiol.*in præfat.ad lib.6.Dioſcorid.*& euphorbium contra ſcorpionum ictus,ex Matthiol. *loc.cit.*Ruel.*lib.*3. *cap.*53.Conſule Greuinium *lib.*1 *de venen.cap.*1.Conciliator.*lib.de venen.cap.*3.Ponzettum *lib.*1. *de venen. cap.*12.& omniſcium Tiraquellum *cap.*31.*de nobilitate ,num.* 552.

Deinde, non diſſimulandum dubium arduum, à nullo ante me animaduerſum, cur thunni priſcis caro, viperæ commorſis remedio ſit apud Dioſcoridem *lib.* 2.*cap.*29. *de thunno,*dum ſic ait:*Conditanei thunni caro,quã omotarichon vocant,ſumpta iis auxiliatur,quos vipera nomine]reſter momorderit:ſed oportet vinũ quàm plurimũ ſubinde cogantur haurire, ita vt vomitione reddatur.*Habétne caro thunni contra venena antipathiam, aut cæca quadam, & abdita qualitate contra virulentorũ animalium ictus prodeſſe creditur? Nullus interpretum Dioſcordis vidit antinomiam hanc. Cui hoc modo,aptè tamen reſponderi poſſe puto.Omotarichon(Romani ſalſamentum ſimpliciter dicunt) ſalſi thunni carò eſt quæ ex crudis thynnorum carnibus ſale maceratis fit.Ergo omotarichus in cibo iuuat morſui viperarum, non ſui cauſa,ſed ratione ſalis; hic enim defendit à putredine, & animalium venenoſorum morſibus valenter ſuccurrit, vt probat Leuinus Lemnius *lib.*3.*de occult.natur.miracul,cap.*9. quapropter ſal.acrimonia ſua vomitum concitat, quem eſſe pro veneno refrænando proficuum, nôrunt omnes: impetu enim illo violento humores virulenti tunicis ventriculi ſubmerſi vacuantur foràs. Solue ſecundò. Caro thunnina non prodeſt contra venenum: nam grauat naturam, craſſi eſt ſucci, terreni, melancholici, ex Gal. 3.*de loc. affect.cap.* 7.ſed vinum ſuperbibitum poſt carnem,veneni nocumentum retundit vehementer, vinum enim eſt venenorum vnicum alexipharmacum, ex Dioſcoride *lib.* 5. *cap.*5.§.*Faciunt vina aduerſus venena quæ exulcerando interimunt, ex oleo pota,& vomitionibus reddita, &c.*& infrà ſic ait. *Vinum potum liberaliùs, auxilio eſt contra ſerpentium morſus & omnium ictus,quæ refrigerando necant.* Probant. Auic, & Gentilis 2.1.*doct.* 3. *ſum.* 1.*cap.* 11, Fallopius *lib. de purgantib. medic. cap.* 6.*& de tumoribus præter natur. cap.* 14.

HISTOR. III. GALENI, De veneno ſerpentum.

Serpentum quorumdam pernicioſiſſimum venenum.

*Memini me in hiſtoriis legiſſe,quòd Dux magnus cum Romanis bello nauali dimicaturus,animaduertens ſe militari manu imparem, ollas multas impleuit ſerpentibus, qui confeſtim interimere ſolent. Cùm itaque teſtas opertas omnes repentè in hoſtes iaculatus fuiſſet, nec illi quid incluſum foret ſuſpicarentur, atque ideò ſibi non cauerent,breui tempore quàm plurimi * ſerpentum veneno icti cecidere &c. Galenus.* lib.de theriaca ad Piſon. cap. 5

PARAPRHASIS.

Per omnes ſenſus poſſe venenum inferri auctorum teſtimoniis compertum eſt. Tactu poſſe venenum inficere probant Ioubertus *decad.*2.*paradox.*10. Matthiol. *lib.*6.*in Dioſcoridem, in præfat.* Greuinius *lib.*1.*de venen. cap.*1. Salius *lib. de feb. peſtilent. cap.* 17.Cæſalpin.*lib.* 3. *praxis.c.*46. Nam plurimi adeò præſentaneum venenum parare ſolent, vt eo illitis domuum oſtiis, aut parietibus, plures ex contactu parietum fuerint infecti. Et Turcæ adeò efficax habent venenum, vt refert Cardanus *lib.*1.*de,venen.cap.* 8.vt eodem die ſolo contactu interficiat: & priùs prædixit Abinbitar, Medicus Arabs clariſſimus *lib.* 1.*de venen. cap.*12.

Viſu interficit baſiliſcus,de quo *infrà,* & licèt ſpiritus viſirus non adeò materialis ſit, & faciliùs ab aëre intermedio diſſipari poſſit, tamen ſi ille qui infici debet, ſit proximus inficienti, non dubito quod hoc modo poſſit communicari venenum. Auditu etiam venenum poteſt inferri: quoniam ſi parua diſtantia audiens à vociferante abſit, vt halitus venenoſi ad auditum perueniant, audientem venenari poſſe non negabimus. De guſtu nulla eſt dubitatio:quoniam calore linguæ, humiditatéque ſaliuali virtus conſopita veneni ſeſe in actum exerit, & halitus exhalat virulentus, qui per inſpirationem attractus cor inficit promptè tabe dira.

Olfactu commnicari venenum adeò eſt manifeſtum, vt probari opus non ſit: ſi enim vaporis boni odor inſpiratus cerebrum demulcet, & roborat, cur noxius vapor non corrumpet, & proſternet? vnde cordis tremor, capitis dolor, vertigo, & alia huiuſmodi ſymptomata repullulant; & homines ex certis quibuſdam tetris, immò ſuauibus odoribus exanimantur, animo linquuntur, & ſubitò pereunt; narrat enim Cromerus *lib.*8. *de rebus Polonicis,* Oliuerium Caraffam Cardinalem ſolo roſarum odore fuiſſe extinctum: firmant Amatus 2. *centur* 36. Pierius Valer. *lib.* 8.*Hieroglyph. in Scarabæo*, & alij quos refert SchencK. *lib.*7.*de idioſyncraſia* & priùs prædixere Marcellus *de hiſt. mirabil. lib.*6. *cap.* 3.Balthaz. Fabricius *lib.* 1. *phyſiolog. cap.* 12.Nonne odor nutrit, ex Galen. 2. *aph.*11. Conciliatore, *dif.* 155. & aliis,quos *lib.*1.*in com. hiſt.* 9. retuli, eleuato quodam vapore fumali,qui per inſpirationem attractus ſpiritus nutrit? nonne bufones noxio vapore à ſe expirato obuios homines ſtupefaciunt, vt probant Arduinus *lib.*4.*de venen.c.* 7.Ponzettus *lib.* 3. *de venen. cap.*12. ſic plures extincti ſunt ex fumo venenatæ lucernæ, aut facis, eius fumo in corpus admiſſo, vt notat Paræus *lib.*20.*de venen.cap.*7.Hoc modo poſt quatuor horas periit apud Luſitanos illuſtris Diuus Antonius Brigantinus, Ducis Brigantini filius, ex odore faſciculi floribus ſuauibus circumtexti, qui præſentaneo veneno erant deliburi. Non eſt ergo negandum, venenum ſolo olfactu poſſe interimere.

Ob quam cauſam ſerpentes,de quibus hoc loco fit mentio, ſuo virulento halitu exercitum totum infecerunt, & veneficum aërem, tabóque fœdatum milites inſpirantes occubuere: & maximè ſi ſint viperæ, & ſerpentes volantes, quæ tum ictu malefico, tum infecto aëre illos vſque ad mortem excruciarunt. Dari autem viperas volantes firmat Iſaias *cap.*30. dum ſic loquitur:*In terra tribulationis,& anguſtiæ ex iis regulis, & vipera volans.*Quæ verba difficultatem in ſe inuoluunt maximam, quæ vt extricetur, tum ex noſtris, tum ex Rabbinis locum illum explananibus doctrinam haurire oportet, & notare viperam continere ſub ſe,& vulgares noſtras notiſſimas, & vltrà, ſpeciem quandam dictam iaculus, quam Aëtius vocat cenchritem,& acontiam: vocatur autem à verbo, iaculor; ſic dicuntur acontiæ, ocyſſimi volàtus, quòd more iaculorum vibrentur rapidiſſimè, vt docet Plinius *lib.*2.*cap.* 25. & aconitum dicitur venenum, quòd iacula eo tingerentur mortifera. De hoc ſerpente, ſeu vipera ſic ſcriptum reliquit Aëtius *tetrab.*4.*ſerm.*1.*cap.*27. *Cenchrites ſerpens eſt magnitudine duorum cubitorũ,figura autem craſſa in tenuem abeunte, colore viridi,maximè iuxta aluum, vt milium colore referat,vnde cenchrias,id eſt,miliaris appellatur.* Aiunt etiam,inquit Aëtius, *hunc ſeipſo fortiorem fieri, dum miliũm floret,huius vireſcentis floribus manſis in terram deciſis tempore venientibus.Cæterum vbi ſe ad lædendum parat, extendit ſeipſum, ac veluti iaculum vibratum, corporibus inuolat, hocque modo verberat, à cuius morſu omnia quæ de vipera dicta ſunt, ſequntuur etſi grauiora* remediáque eadem, quæ ad viperæ morſum conſtituit, parat iaculum morſis: quibus conſtat, quum iaculi veneni accidentia, & effectus ſint eadem, & iiſdem remediis concedant, eſſe eiuſdem rationis, & formæ, cum affectibus & ſymptomatibus viperæ.

Vipera ergo, & iaculus natura onn differunt, iaculumque, cenchritem, acontiam, ſerpentem vnum eſſe conſtat, & viperam, & ſpecie viperæ contineri, iaculóque eſſe

eſſe viperas potentiores ſolùm reliquis. Hoc docent Auic. A *6.4.tract.3.c.40.& 44.*Paulus *lib.5.c.18.§ Quod ſi cenchris nocuit, morſus eius ſimilis viperæ eſt.* Ælianus *lib. 9 c.49.* Plin. *lib.8.cap.23.* Denique eſt iaculus, vipera deterior veneno, & magis noxia, & volans in aëre, tum ictu lancinat, tum vapore ſuo virulento aërem inquinat; quare *cit.cap.* Iſaias dicit, *occidit eas lingua viperæ à longinquo adhuc:* quoniam hæc vipera ex lingua ad diſtans mittit cruorem, & ſic vehementer nocet. Quod verò iaculus vipera volet, Aët. docuit his verbis. *Velut iaculum vibratum corporibus inuolat iaculus.* Lege Albericum Londinenſem *lib. de curatione veneni, c.5.*

Lucanus *lib.9.* dum miſerias, mortéſque quas paſſus eſt exercitus Catonis in Africa enarrat, venenatorúmque illius climatis morſus, quibus plurimi interiere triſtiſſima, & infelici morte venenata dinumerans, inquit. *Et ſerpens* B *vectator aquæ, iaculique volucres.* Quid clarius? Plinius *lib.8.c.23.* ſic loquitur. *Iaculus ex arborum ramis vibratur, arboréſque aſcendit, nec pedibus tantùm cauendas ſerpentes, ſed & miſſili volare tormento, more pilarum excuſſarum è bombardis, & archiducibus.* Has multoties ob ſoli, cœlíque calidam, & humidam conſtitutionem alatas vagari per aërem confirmat Ælianus, *lib.4.c.42.* & Polycletus *lib.3.c.5.* ſcorpiones alatos, angues, viperas, iaculos, aſpidas, narrat, & Megaſtenes *lib.1.c.6.* refert in India ſerpentium plurima genera alata oriri, ita Scaliger, *exerc.189.n.5.* Quid mirum? nonne Regius Pſaltes *Pſalm.* 148. inuitans creaturas, vt debitas Deo ſoluant laudes; cùm de aliis dixiſſet, ſubdit: *Beſtiæ, & vniuerſa pecora, ſerpentes, & volucres pennatæ?*

Vt aër ab horum animalium venenoſis halitibus tutus C reddatur, præſtat illum purum reddere, & à tabo corruptionéque præſeruare. Hoc natura quadam proprietate efficiunt, fugantque ſerpentes nidore ſuo, cedrus, galbanum, de quibus ſic loquitur omnis eruditionis parens Virgilius *lib.3.Georg.*

Diſce & odoratam ſtabulis incendere cedrum,
Galbaneóſque agitato graui nidore chelydros.

Hoc modo miram præbent vtilitatem, caſtorium, ſulphur, ſagapenum, amurca, hedera, cornu ceruinum, calamintha, cuius odore ſerpentes internecantur, apud Ariſtophanem fraxini folia geſtata, cuius arboris ad venefica animalia interficienda tanta eſt poteſtas, vt ipſius vmbram licèt ſpatioſam minimè ſerpens attingat: *Rei fidem facit quod expertum prodimus,* vt Plinianis vtar verbis; *lib.29.c.5. ſi fronde ea gyro claudatur ignis, & ſerpens; in ignem potiùs, quam in fraxinum fugere ſerpentē.* Mira benignitas naturæ, D priuſquàm ea prodeant, florere fraxinum, nec ante conditas folia dimittere, vt grauiſſimus auctor Ruellius probat, ex Didymi ſententia *lib.1.c.82.* Ita in hunc vſum opitulantur lapis gagates, iuniperus, ebulus, ex Arduino *lib. 5. de venen.cap.* 2. Ita naſturtium, dracunculus maior, origanum, peucedanum, polium, œnanthe, lyſimachia, vinum conyzites, ſtyrax, cuius fumus in odoriferis ſyluis ſuauiſſimis ad fugandos ſerpentes eſt frequentiſſimus. In cubili ſtratum, & ſuffitum abrotonum ſerpentes fugat, ruta, ſagapenum, euphorbium, ammoniacum, aſſa fœtida, aſter herba, vitis albæ radix. Demum ſerpentes omni fugantur auſteritate, & nocentes ſpiritus innocentia fumi graueolentis exagitat. Vtamus ergo radices lilij, vngulas capræ, & alia fœtida, ex quibus halitus horribiles eleuantur, qui nidore ſuo, & proprietate hæc animalia pernicioſa per aëra volitantia fugant, & interimunt. Cæ- E tera verò remedia pro hoc vſu ſalutifera, legat qui velit apud Conradum *lib. de ſerpentibus*, & omniſcium Salmaſium *in com.cit.c.Plin.* qui eloquenti, & lata oratione plurima præſidia parant huic vſui commodiſſima.

* * *

QVÆSTIO III.

Vtrùm homo inter cætera animalia, venenorum, & morborum inſidiis magis ſit obnoxius.

COMMENTARIVM.

S*Erpentum veneno icti interiere.*] Hominem, animalium omnium ſuperbiſſimum, ex natiua ſorte, pluribus morborum generibus eſſe obnoxium animalibus cæteris, fusè, at dilucidè, *lib.4.com.hiſt.13.* prædiximus, & infra patebit ob cauſas multas. Sed hoc à veritate alienum eſſe videtur, nam obſtant contra hanc doctrinam argumenta duo irrefragabilia, quæ ipſum à morbis, periculis, & venenorum inſidiis oſtentant magis immunem.

Primum, nonne animal hoc eſt prouidum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & conſilij? Quibus dotibus præditum euitare pericula poterit. Nonne ſummus ille Architectus hominem non ſolùm celeritate mentis ornauit, ſed ſenſus, tanquam ſatellites attribuit, ac nuncios, & illi rerum plurimarum obſcuras, & neceſſarias intelligentias inculcauit; quibus inſtructus optimò poſſet vti regimine, & ductu naturæ imminentia mala declinare? Nonne cæteras animantes abiecit ad paſtum, & tanquam diuinum animal erexit, & ad cœli, domiciliíque priſtini conſpectum excitauit, vt terreſtria auerteret? Cur ergo ſi hominem tantis donis inſigniuit; & habilem fecit vt Deum coleret, cum miſeriis, & morbis frequentiùs ſcatere aſſeuerabimus?

Hoc modo Ouidius *lib.* 1. *metam.* Hominem vocauit ſanctum, Plato *in Tim.* religioſiſſimum, Ariſtoteles, 30. *probl.* 5. tradidit, ſolum hominem Deum venerari, cui propterea ſit credendum potiùs, quàm animantibus cæteris. Et Cicero *lib* 1. *de legibus*, nullum eſſe animal præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei. Quare rectiſſimè Lact. Firmian. *lib.* 3. *de falſ. ſapien.* 10. demonſtrat non tam rationem homini eſſe propriam, quàm religionem, quod etiam perſequitur *lib.* 1. *de ora. Dei, cap.* 2. *&* 12. nam mentis eſt capacior, quod ſummus ille legiſlator, Dei numine afflatus prædixit, Geneſ. 5. *cap.* 7. *&* 8. *ad imaginem Dei fecit illum.* Lege de hominis præſtantia orationem Melchioris Fleckij elegantiſſimam, & ſynopſin de hominis excellentia Ioſephi Phauorini.

Hoc modo erecta facie hominem formauit, quæ figura nulli generi animantium, etſi nobiliſſimo, conceſſa fuit. Idem iure Ouidius *eodem lib.* decantat pulcherrimè.

Pronáque cùm ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlúmque videre
Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Quare hoc factum? Depromit cauſam Orator ſapientiſſimus, *lib.2.de nat.Deor.* vt primò hi excitati, celſi & erecti, Dei cognitionem, cœlum intuentes capere poſſent: Sunt enim è terra homines, non vt incolæ, atque habitatores, ſed quaſi ſpectatores ſuperarum rerum, atque cœleſtium, quarum ſpectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet.

Inſipiens vetus Poëta Lycurgus, qui non valde rè alia hominem differre à beſtiis ſcripſit, ſed figura, quòd pronæ in terram cæteræ, ipſe bellua eſt erecto corpore. Ariſt. *lib.2. de part.animal.c.7.* & Senec. *cap.* 11. recti hominis hanc eſſe cauſam ſcribunt, quoniam habet loca cordis, & pulmonis calidiſſima, ideò ſanguine pleniſſima: *Plurimùm*, inquit, *cerebri omnium animantium habet pro corporis mole; & mares magis, quàm fœminæ, quoniam loca circa pulmonem, & cor abundant & calore, & ſanguine: quæ etiam cauſa eſt, cur ſolus inter alias animantes ſit rectus, cum exuperans natura caloris ſuo impetu à medio ad ſuperiora efficiat incrementum.*

Hanc rationem Cæl. Lact. enucleauit *lib. 2. de orig. rer. cap.* 10. Poſtea tamen *cap.* 10. hanc etiam aſſignat,

quòd ſolus ex omnibus animantibus nobis notis, eſt particeps diuinitatis, vel quòd eius natura,& ſubſtantia eſt diuina: Officium autem Diuini eſt intelligere, & ſapere: Sapere verò non eſt facile,iis quos moles premit corporis: Grauitas enim, ac pondus tardiorem efficit,ſegniorémque mentem, ac ſenſum communem. Intellexit hanc eandem rectæ ſtaturæ rationem Iuuen. *Sat.* 15.

Cuius egent prona,& terram ſpectantia mundi,
Principio indulſit communis conditor illis
Tantùm animas: Nobis animum quoque,mutuus vt nos
Affectus petere auxilium,& præſtare iuberet.

Manil. *Aſtron. lib.* 4.

——Geniti accedimus aſtris,
An dubium eſt habitare Deum ſub pectore noſtro?
In cælúmque redire animas,cælóque venire.

Et mox ſic cecinit.

——Stetit vnus in arce
Erectus capitis, victórque ad ſidera mittit
Sidereos oculos, propiúſque aſpectat olympum,
Inquiritque Iouem, nec ſola fronte Deorum
Contentus manet, ac cælum ſcrutatur in alto,
Cognatúmque ſequens corpus ſe quærit in aſtris.

Ita Lact. *lib.6.de opific. Dei,c.8. Cùm igitur ſtatuiſſet Deus ex omnibus animalibus, ſolum hominem facere cæleſtem, cætera vniuerſa terrena: hunc ad cæli contemplationem rigidum erexit,bipedémque conſtituit.* Et *lib. de falſa ſapientia,cap.12. Idcircò enim ſoli animantium ad aſpectum cæli erecti ſumus,vt ſummum bonum noſtrum in ſummo Deo eſſe credamus,ſcilicet vt eadem ſpectaret, vnde illi origo eſt: illa verò depreſſit ad terram,vt quia nulla his immortalitatis expectatio eſt,toto corpore in humũ proiecta, ventri, pabulóque ſeruirent.* Hoc firmãt Seneca, *epiſt.92.& lib.5.quæſt. natural. c.15.* Cicero *lib. de conſol.*& expreſſit Cornelius Seuerus *in Ætna* his carminibus, ex emendatione Ioſephi Scaligeri.

Non digeſta pati,nec aceruo incondita rerum,
Sed manifeſta notis certa diſponere ſede,
Singula diuini eſt animi, ac iucunda voluptas:
Non oculis ſolùm pecudum miranda videre
More, nec effuſis in humum graue paſcere corpus.

Baptiſta Mant. *in ſomnio Rom.* ſic fatur.

Taliter humanas Deus ad cæleſtia mentes
Contemplanda vocat,terrámque infeſtat, vt altum
Æthera quæramus, ratione carentia prono
Quæ vultu paſcuntur, humum,mortalia ſupra
Nil ſperare licet, nobis domus vltima cælum.

Alias autem cauſas, ob quas homo figura incedat erecta, lege apud Galen. 3. *de vſu part.* 7. Explicant ingenuè Laurentius *lib.1.de re anatomic.cap.2.* Beuerouicius *in ſua idea medicinæ veterum, in præfat.* Si ergo homo natus eſt ad mundum contemplandum, & imitandum, & creatus erectus, vt cælum inſpiceret, cur plurimis morbis, & periculis eum facit obuium, quæ ab his operibus ipſum vehementer diſtrahunt?

Diende illud facit argumentum maximum, quod homo ſicut conſtat ex corpore,ſic & ex anima,quæ eſt æterna, nobilis,diuina: nam hominem non eſſe corpus, illud argumento eſt, quoniam hoc vtimur vt inſtrumento? neque item eſt vita corpori propria, & annexa, quando hæc nobis eſt cum brutis quoque communis, & quia huic nonnunquam ratio ipſa, per quam ipſi ſumus, aduerſatur, & imperat. Non porrò quiddam ex corpore, & eius vita propria conſurgens, hoc enim eſt animal. Non denique ex anima rationali, & viuente irrationali coniunctum, quoniam ex indiſſolubili, & diſſolubili vnum, confici nequit.

Eſt ergo homo,anima,id eſt, ſubſtantia incorporea,rationalis, ex diuino quidem intellectu exiſtens, in ſe verò conſiſtens, corpori autem non inhærens, ſed potiùs aſſiſtens, atque ipſe ſui præſentia vitam producens in corpore, ex qua,& ipſo compoſitum, animal appellatur. Anima enim, teſte Philoſopho *in lib. de anima*,eſt actus primus corporis phyſici organici potentia vitam habentis ſeu (vt alibi teſtatur) eſt principium quo viuimus,ſentimus, mouemur, & intelligimus. Quare anima in ſeipſa eſſentialiter eſt actus in corpore organico, tribuens illi eſſe formale: neque ſolùm eſt perfectio, & actus primus, ſed omnium actionum principium. Quare licet abſtruſa nimis, ſenſibúſque abdita animi eſſentia ſit, tamen ſolis operibus proditam mens noſtra eam videt, ac eius naturam perueſtigare poteſt. Quare omnium actionum quas quotidie obimus,aliqua cauſa eſſe debet,hæc eſt temperies, ſine qua anima munera ſua non profert, ſed totam vim in anima eſſe conſtat: Nam anima eſt cauſa prima omnium actionum corporis noſtri.

Anima rationalis, cæleſtis eſt, & angelicæ ſubſtantiæ, & in ea eſt diuinæ maieſtatis ſedes, eſt enim immortalis: Sicut enim corpus ex materia,& quantitate paſſiuum, inhærentem ſibi qualitatem reddit ſubiectam corruptioni; ita Deus & Angelus actiui, animam ſibi proximam, & à corpore ſegregatam diuinitate ſua efficiunt immortalem; Sed in hoc maximè immortalitas eius apparet,quòd oportet primam ipſam rerum materiam, quæ mouetur, & formatur ab anima, perpetuam eſſe.

Anima deinde eſt à Deo ſuper materiam, vt eam non attingat elementorum procella,& iniquitas certantium qualitatum. Præterea cùm indiuiſibilis ſit, diuiſibiles, & corporeas non ſuſcipit qualitates. Potiſſima inſuper conditio, eſt, cuius virtute anima ſit ſemper, ea non eſt per reſpectum aliquem ad ad corpora, quorũ adiumento non eget, ſed reſpectu ad cauſam primam vnde deſcendit, quia à Deo vnico procreatur, & ab eo accipit eſſe ſine medio, ſi relictis Plotino, & Proclo, animam fieri ab Angelo arbitrantibus ſequamur Dionyſium Areopagitam, & Origenem Platonicos excellentiſſimos: quoniam eſt eſſentia, & vita, & totum quod eſt in ea, eſt vita. Quapropter corpore eſt longè præſtantior, quia in ea diuinorum imagines refulgent,& ipſa format, continétque totam machinam corporalem, & diuina, & corporalia conciliat inuicem. Omnes ergo hæ dotes animam eſſe ſempiternam oſtendunt, quæ ſecundùm Theologos proximè ad naturam accedit Angelicam,ratione intellectus,originis, imaginis cognitionis,& beatitudinis. Quomodo ergo poterit homo eſſe ſubiectus corruptioni,ſi ipſi anima aſſiſtit,cuius vi,& ope ab omnibus iniuriis defenditur?

Si verò ex altera parte argumenteris, hominem licèt omnes mundi perfectiones in ſe vno comprehendat, vitro eſſe fragiliorem, ærumnis plenum,calamitatibus oppreſſum, & tandem in pericula, morbos, venena, exitium denique, & mortem quotidie in horas, magis ac magis ruere, & ſeſe præcipitem dare inuenies. Quamuis autem maiori ſit opus ſapientia, vt quiſque noſtrum, quibus ruinis homo pateat, perſpicere valeat, tamen in præſentia promere iam enitar, quæ mihi Medicorum magiſtra lectio ſuggerit, ex qua velut cella profuſa, miram doctrinam hauriemus.

Poſtquam in aluo mulieris ipſius ſemen, quod à toto viri corpore antè defluxerat, traxerátque ſecum formatricem vim ab anima viri, per hanc ipſam vim diebus quadraginta ſic fuit affectum, vt ſex primis diebus lac euaſerit, nouem ſequentibus ſanguis, decem aliis caro, quindecim fuerit figuratum, tunc anima creatur, atque corpori infunditur. Hæc, quæ eſt medium rerum, iuſſu Dei, qui eſt mundi centrum, in punctum cordis medium, quod eſt centrum corporis primùm infunditur, inde per vniuerſa corporis membra ſe fundit, quando curſum ſuum naturali iungit calori, per calorem ſpiritui corporis, per hunc ſpiritum immergit ſe humoribus, membris inſerit per humores. Denique per morbum ſolutis iis mediis ſtatim ſeſe colligit, refluítque in cor,vnde primum effluxerat. Cordis extincto calore,quod proprium erat illius receptaculum, cor deſerit,& aduenit mors.

Inſuper corpus generatur ex ſemine & ſanguine; omne enim quod gignitur, ex aliquo, & ab aliquo generatur. Semen principium eſt, à quo tanquam ab efficiente, & opifice fit conformatio, & ex quo velut ex materia partes ſpermaticæ generantur: ſanguis verò maternus, materiæ ſolius, & paſſiui principij rationem habet; ex eo enim carnoſæ partes, & generantur,& nutriuntur.

Partium conformationem ſi deſcriptam ſcire aues, eam Laconicè propoſitam ſic accipe. Quæ priùs in ſemine ſopita erat, & veluti intercepta generandi facultas, calore, & ingenita vteri proprietate ſuſcitata, ſtatim in actum erumpit. Tunc nobilis, & diuina illa architectrix opus ſuum aggreditur, & idoneum functionibus ſuis edendis ſibi ædificat domicilium: id autem cum ſine organo præſtare nequeat, ſpiritu, quo vndequaque ſpumoſum turget ſemen, tanquam opifice, & pictore ad ſingularum partium delineationem vtitur. Spiritus hic per totum ſeminis corpus vagatur, & quoquouerſùm ſe diffundit. Hic eſt ſpiritus, qui (vt dicebat Mercurius ille Triſmegiſtus,) omnem viuificat in mundo ſpeciem, omnia diſpenſans, & omnia veluti primum inſtrumentum gubernans.

Hic in ſeminis molem, ſenſu quidem vniformem, ſed reuerà heterogeneam dum agere incipit, diſſimiles eius partes primùm ſecernit, tenuiores quidem, nobiliores, & magis ſpirituoſas intrò recondit, craſſiores verò, frigidiores, & viſcoſiores, quas fœmineum ſemen ferè ſemper ſuppeditat, extrinſecùs obducens, ab his frigidioribus formationem inchoat, & ſic membranas effingit; mirabilíque prouidentia elaborat, quarum ope nobilior ſeminis pars obuallatur, & interni concluduntur ſpiritus, ne ob tenuitatem facilè euaneſcant. Qua ratione membranæ ſolum duæ in humano fœtu reperiuntur, prima vocatur chorion, ſecunda amnios; illa neruoſa eſt, valida, & omni ex parte fœtum ambit: hæc ſubſterniculi inſtar venas omnes, & arterias vmbilicales fulcit, & ſuſtinet: in ea, maſſa quædam carnea cotyledonum vicem gerit, ex infinitis venarum, & arteriarum ramuſculis miro artificio implicatis, & ſanguine affuſo contexta, quam placentam Recentiores vocant. Deinde ſimul iaciuntur partium fundamenta, tres bullæ, & mille filamenta. Septimo die omnium ſpermaticarum partium rudimenta conſpicua ſunt Hippocrati, qui diuino afflatus numine, primus omnium hæc omnia prodidit. Nobiliores, & magis neceſſariæ perficiuntur; vt iecur, cor, & cerebrum, & eorundem arteriæ, ac nerui: deinde ſolidiores partes, & duriores ſimul quidem figurantur, ſed non ſimul perficiuntur, vt coſtæ, gena inferior, auricularum oſſicula, claues, quæ primis diebus oſſeam acquirunt naturam; brachij, tibiæ, & femoris oſſa poſteriùs; poſtea carnoſæ partes conformantur.

Fœtus in vtero coërcitus, & in ipſo velut in proprio centro locatus, ſanguine puriſſimo nutritur, non per os, ſed per venam vmbilicalem attracto, quem mutat, & alterat concoctione vna: nam rationabilius eſt tertiam in illo fieri coctionem. Quid enim chyloſi, quid noua hæmatoſi opus eſt? quum ſanguinem maternum hauriat, eúmque elaboratum valde, & excoctum, qui in maioribus & exilioribus vaſis iterum defæcatus, ipſi fœtui alimentum præſtat ſalutare; & alendis partibus maximè idoneum, & neceſſarium, cuius beneficio accreſcit, perficitur, & ad iuſtam molem accedens, quum grandior ſit, calcitrat, & membranas diſrumpens viam ſibi parat, & in lucem exit.

Sed accedamus propiùs ad inſtitutum noſtrum, videamúſque ex quibus principiis diuinum illud animal, plenum rationis & conſilij, quem vocamus hominem, generetur. Nam elementa, ex quibus componitur inter ſe inuicem debacchantur, mutuò decertant, & corpus noſtrum diuerſimodè alterant. Aër variè immutat, quum continuò hauriatur in viſcera, ambiátque nos; quare ſi frigidus eſt, innatum ignem diminuit; ſi calidus, reſoluit; ſi ſiccus, abſumit; ſi humidus ſuffocat. Ignis internus, qui in calore viuifico conſiſtit, humidum depopulatur, & nos perimit. Aqua frigiditate ſua calori aduerſatur, eúmque extinguit. Terra, ſiccitate ſua exprimit humidum, quo abſumpto euolat calor.

Ad hæc. Quis cogitet quàm ſit peſſima menſtrui ſanguinis, ex quo generatur homo, conditio, & virulentia, quem eſſe venenoſum firmiter opinantur Plin. *lib.2.c.15. & lib 28.cap. 7.* Columel. *lib.11.de re ruſtica, cap. 11.* Elianus, Fernelius, & alij.

Contemplemur deinde, quàm laborioſa ſit eius geſtatio in vtero, quàm diris cruciatibus, & morbis ipſe dum tenellus eſt, & adultus ſæpe prematur. Hoc oſtendit diuiniſſimus Hip. *lib.de octimeſteri partu, num.2.* dum ſic ait: *quare multi iam pueri principium morbi intus nacti prodiere, & conſequenter alij perierunt, alij morbidi ſuperuixerunt, &c.* Cauſam reddit idem ſolertiſſimus magiſter *lib. illo aureo; & ineffabili de natur.puer.num.22. Alimentum autem, & augumentum puerorum fit, vbi ea quæ à matre veniunt in vteros proceſſerint, & prout mater habet iuxta ſanitatem, aut debilitatem, ſic & puer habet.* Quare cùm vtero gerens grauiſſimis vitiis, & morbis truculentis laboret, euidenter patet, ipſum, cum ſanguine materno alatur, plurimis, iíſque exitialibus affectibus in vtero premi: grauidas autem diris ægritudinibus vexari, teſtatur Hip. *lib. de morb.mulier.* paſſim, & eius mentē interpretatur doctiſſimus Mauritius Cordæus. Hi ſunt picaceus appetitus, quo tetro morbo correptæ, lutum appetunt, teſtas, carbones, calcem, arenam, ſalem, goſſipium, & alia abſurda alimenta continuò eſitant, ex quibus ſanguis generatur ſpurcus, & fœdus, qui puellum inficit labe dira. Vomitus aſſiduus eas corripit cum inappetentia coniunctus, quo fit vt ipſæ eſcâ conuenienti orbatæ, fœtus imbelles gerant, & mille calamitatibus obnoxios, maximè cùm ventris dolore, cordis ſaltu, ſyncope, tuſſi, anxietudine, ſanguinis profluuio vterino, & aliis pathematis aſſiduè vexentur.

Quid proferam occaſiones varias, præſertim externas, quarum vi, ac ſæuitie fœtus in vtero perit, & extinguitur, & concitatur abortus, vt febris vehemens, alui profluuium, ſanguinis vacuatio immodica, expurgans medicamentum, vel quoduis aliud acre & efficacius pharmacum, ſaltus, ictus, clamor, ira, triſtitia, timor, terror, inedia, ſubitus caſus, res ardenter concupitæ, & denegatæ, exercitium immodicum; tunc enim vel ſpiritus cum ſanguine vacuantur, vel ad partes internas ſubitò recurrunt, & ſic innato calore deſerente vterina vaſa, ipſa flaccida reddita fœtum continere nequeunt. Præter hæc, etiam concitant, teſte Fernelio *lib.6.pathol.cap.17.* violenta ſaltatio, durior equitatio, aut vectio, grauioris oneris geſtatio: quæ priùs prædixerat Auic. 21. 3. *tract.2. cap.8.* quod & aliquando contingit, ſubitò audito tonitru, vt probat Vidus Vidius *lib.11.de curat.membrat.cap.32.* Demum ex veſte nimis arcta, vt notat Mercurialis *lib. 1. de morb.mulier.cap.4.* Denique, quid magis funeſtum eſt, quàm vtero gerentes ad odorem extinctæ luceſcæ abortire? vt ſcribit Ariſt. *lib.8. de hiſt.animal. cap.24.*

Quid referam de fœtu, qui à ſupradictis cauſis in vtero emoritur, ex quo retento, putreſcente, & aliquando corrupto eleuantur halitus horribiles, qui in ipſo veluti in cloaca coërciti, partéſque ſuperas lancinantes, immania excitant tormenta, vnde acerbi cruciatus, anxietas ingens, delirium, & alia ferina ſymptomata propullulant, quæ ſæpe inexorabilem mortem, & vitam amaritudine plenam repræſentant.

Quid palam faciam horrenda mala, quæ fœminas in partu circundant, quot dolores, quot miſeriæ, quot anguſtiæ? Si enim in partu naturali tanti adſunt cruciatus, quantò magis in præternaturali, in quo violenter mouentur humores, exagitantur, ſpiritus delirium ſuperuenit, adſunt vigiliæ, vmbilici, pubis, & oſſis ſacri immania tormenta infeſtant, & excitata hæmorrhagia nimia vires labaſcunt, & ſæpe animi deliquium cum ſyncope coniunctum, ipſas in certam mortem præcipitat?

Quid commemorem morbos feroces, qui infantem comitantur, poſtquam creatoris auxilio hæc inenarrabilia, & ſtupenda mala priora euaſit? Ea Laconicus vir Hippocrates more ſuo propoſuit *lib.3. Aph.* per multas ſententias; dum enim narraret morbos, qui in vnaquaque ætate contingunt *ſententia* 24. ſic inquit. *Paruis, & nuper natis puerulis oris vlcera, (quæ aphthæ vocantur) vomitus, tuſſes, vigiliæ, pauores, vmbilici inflāmationes, auriū humiditates,* & *ſent. 25. In progreſſu verò cùm iam dentire incipiūt, gingiuarum prurigines, febres, conuulſiones, alui profluua,*

& maximè cum caninos edūt dentes,& iis præſertim pueri, qui craſſiſſimi ſunt,& aluos duras habent,& *ſent* 226. *Cùm verò magis adoleuerint,tonſillæ,& vertebræ,quæ eſt in occipitio,ad interiora luxationes,crebri anhelitus,*(quos Græci aſthmata vocāt)*calculi,lumbrici rotundi, aſcarides,verrucæ(quas Græci acrochordonas,vocant) ſatyriæ, ſtranguriæ, ſtrumæ,tubercula,*& *ſent.*27.*Grandioribus,& iam accedentibus ad pubertatem,plurima ex his,& febres diuturnæ magis,& ex naribus profluuia ſanguinis,* & *ſent,*29.*Iuuenibus ſanguinis ſputiones, tabes,febres acutæ, morbus comitialis, & alij,ſed præcipuè antedicti,*& *ſent.*30.*Vltra hanc ætatem progreſſis,aſthma,morbi laterales,pulmonis inflammationes lethargi,phrenitides,ardentes febres,diuturna alui profluuia, choleræ,difficultates,& læuitates inteſtinorum,hæmorrhoïdes,* & *ſent* 31.*Senibus ſpirandi difficultates , diſtillationes cum tuſſi,vrinæ ſtillicidia,vrinæ difficultates,articulorum dolores, & renum,vertigines,apoplexia,habitus corporis deprauatio, pruritus totius corporis,vigiliæ,alui, oculorum, & narium humiditates,viſus obtuſus,glaucedines,auditus graues.*Quare ſi totū vitæ humanæ ſpatium percurras,in eo miſeriarū, & truculentorum morborum turgentes fluctus reperies.

Quid conſcribam duo illa fortiſſima tela, quorum vi ac ſæuitie humanum genus immiſericorditer opprimitur, & concutitur;Primum vocatur exanthema,hoc variolas, & morbillos comprehendit: hæc mala in omni ætate,ſed frequentiùs in pueritia inuadunt, quia tunc natura ſanguinis menſtrui reliquias, à quibus oriuntur, criſi quadam ad cutem,velut ad partem debiliſſimam, excernere ſatagit, ante quorum eruptionem formidabilia accidunt ſymptomata, & quod peius eſt, ipſis iam ſicceſcentibus, & velut ad cicatricem perductis, ſuperuenit crudelis dyſenteria,ferini pullulant abſceſſus, diræ tuſſes exoriuntur tabem comitantes, & tandem vlceribus, & tabo ſuffocatus æger miſerrimè vitam finit.

Secundum eſt inhumanū illud morbi genus, immo immane, deleterium, inſuperabile, ad coërcenda hominum flagitia à Deo optimo permiſſum, quod ſeptemplicis hydræ inſtar, vt inquit Clariſſimus Manardus *lib.*17.*epiſt.*7. turbulentis, funeſtis, miſerandíſque ſymptomatis, fœdis vlceribus, talpis, dolore intolerabili, gulæ pudendíque carcinomate,febri puſilla, tabe, vigiliis, oſſium corroſione excruciat, & tandem perimit. Denique ſi omnes morbos, quorum efficacia, in hac miſerabili vita, aliiſque venenorum inſidiis ſæpiſſimè premuntur mortales, enarrare aggrediar, priùs animus, & vita deficient, quàm illorum numerum deſcribere queam.

Ex hac ergo perenni, indicibilíque morborum ſtrue, qui inceſſanter genus humanum fatigant, colligere poſſumus, quàm ſit vita noſtra miſeriis, calamitatibuſque obſita; maximis laboribus, aſſiduíſque ærumnis oppreſſa.Hoc ita eſſe experientia confirmat, & præpotentis Dei execratio facit, *Geneſis c.*5.commemorata. Quare à Philoſophis, Cicerone, Seneca, & aliorum exemplis multifariis, vita noſtra vocatur fabula & ludus,homo appellatur hiſtrio. In hunc modum, prudentiſſimus Cato *initio dialogi de ſenectute*,fabulæ partibus, vitæ noſtræ partes rectiſſimè contulit; quod argumentum eleganter, atque vtiliter Stoicus Epictetus, ſiue *in eius enchiridio* Arrianus interpretatur, *cap.* 3.Hoc egregio diſticho Pallas argutiſſimus epigrammatum ſcriptor, Epicteti ſententiam expreſſit.

Vita quid eſt? locus & ludus; vel ludere diſce,
Curis ſepoſitis, vel cruciare miſer.

Certamen plenum miſeriis eſt vita mortalium, quam præclarè declarat Menander apud Stobæum *ſerm.*120.& explicat perdoctus Nonnius Coſta Luſitanus *lib.* 2. *de quadruplici hominis ortu,prope finem.*Huc ſpectat illud priſcorum Philoſophorum elogium, aſſerentium vitam noſtram eſſe globum, ſeu rotam miſeriarum plenam, quòd omnia ſurſum, atque deorſum voluantur miſeriis, quo pacto tragœdia eſt vita noſtra, aut comœdia, aut potiùs vtrumque: Tragœdia quòd quæ nobis bona vitam beare videntur, ea tandem ſempiternæ ſint infelicitatis. Comœdia, quòd qui vagientes,& lugentes in hanc quaſi ſcenam introimus,egrediamur miſeri,& triſtes vel potiùs in hac vita Democriti perſona, & Heracliti ſit admittenda,

A ac ſi his duobus vacare nunquam poſſit hæc vita; & ſapienter ad vtrumque Græcum illud Hexaſtichon, ad ridendum humanarum rerum varietatem, & ad flendum illarum miſerias politiſſimis verſibus decantat Bartholomæus Simoneta doctus vir, in hunc modum.

Defle hominum vitam pluſquam,ô Heraclite,ſolebas,
In lacrymas totos ſolue age nunc oculos.
Concute maiori ſplenem, Democrite,riſu,
Et toto reſonans ore cachinnus hiet.
Vita fuit nunquam poſt condita ſæcula mundi,
Et riſu pariter dignior,& lachrymis.

Ergo vita noſtra ridicula fabula eſt,plena luctu,& miſeriis, immò mors,vt politiſſimus tradit Leornardus Coquæus *in com. epiſt.*24. *Senec.*Idcircò ne mireris,ſi homo, planta potius cœleſtis,& animal propè diuinum,ex anima
B præſtantiſſima compoſitum,tot morborum generibus,tot venenorum inſidiis ab intrinſeco, extrinſeco ſcaturientibus vbertim ſit expoſitus: & Galenus in hac hiſtoria confirmat,dicens,non animalia, non plantas,non victum, tam numeroſo exercitui neceſſarium, à virulenta volantium ſerpentum aura fuiſſe infecta,ſed ſolos milites earum perniciofis ictibus concuſſos, aut vapore deleterio per aërem ſparſo fœdatos,& oppreſſos occubuiſſe narrat.An verò venenoſis morbis,aliíſque ærumnis fœminæ ſint viris plus obnoxiæ, quia frigidiores,debiliores,imperfectiores,reſponderi poſſe affirmatiuè non dubito.

C
HISTOR. IV. GALENI, De Scorpionis ictu.

Ab Scorpione ictus, frigidum exſudans, debitis axuiliis, difficulter tamen, ſanatur.

PRæterea marinæ turturis,ſicuti & terreni ſcorpionis aculeus,quamuis in extremam illam accutiſſimámque partem finiatur,vbi nullum foramen eſt,per quod venenum eiiei poſſit:neceſſum tamen eſt vt excogitemus,ſubſtantiam quandam ineſſe illi, aut ſpiritalem, aut fluidam, quæ vt mole minima, ita facultate eſt quàm maxima. Siquidem cùm nuper fuiſſet quidam ictus à Scorpione,videor mihi eſſe,in-
D *quit,percuſſus grandine,eratque omnino frigidus,frigidóque ſudore perfuſus,* & ſine motu.Quippe vbi ex icta parte per totam ipſam celeriter diſtributa fuerit veneni vis,contingit eam,eodem rurſus contactu, in ſingulas ſubiectarum ei partium recipi, mox ex illis in alias continuas, donec in aliquam peruenerit principem, quo tempore mortis periculum inſtat. Ad hanc rem imprimis conferunt vincula partibus ſupernis iniecta, abſciſſióque partium venenatarum, &c. Galenus* lib. 3. de loc.affect.cap. 7.

PARAPHRASIS.

TAnta eſt pernicioſarum ferarum, quæ aculeo venenum iaculantur,efficacia,& fraudulenta poteſtas, vt ſi partem quampiam ictu ſuo venenato lancinent, illicò
E eam emori ſit neceſſe. Et licèt Scorpio ex inſectis acutum habeat aculeum, ſine foramine vllo,ita vt non videatur poſſe virus aliquod infundere,tamen mortifer eſt,grauiſſimáque ſymptomata inducit, hæcque vel ſpiritu quodam, vel tenui humiditate iniecta, vel qualitate venefica communicata; quæ primò vulneratam partem mutet, deinde proximam, quouſque ad cor accedat,ipſi exitium paratura.

Scorpij varia ſunt ſignificata:Nam dicitur ſcorpius cœleſte ſignum Zodiaci, quod Sol ingreditur 14. Calendas Nouembris, qui propter magnitudinem membrorum in duo ſigna diuiditur, quorum vnius effigiem,noſtri libram appellarunt. Dicitur ſcorpius piſcis,apud Plin.*lib.*23.*c* 11. & Ariſtot.5 *de hiſt.animal.cap.*9.Dioſcorid.*lib.*4.*cap.*194. Geſnerum *lib.*4.*de piſcib.cap.de ſcorpio.marino.*At ſcorpio animal varius eſt natura de quo Ælianus *lib.* 6.*cap.*19. Ariſt.4.*de hiſt.animal.*7.&.5.*lib.cap.*26.

Scorpij mares nocentiſſimi ſunt, fœminæ multò remiſſiores: non enim earum virus ita eſt pernicioſum. Eorum nouem facit genera Ariſt. 5. *de hiſt.animal.cap.*26.ſubſcripſit Plinius *lib.*29.*cap.*4. Album fuluum, fumoſum, nigrum, viride, ventricoſum, cancri ſimile, infeſtiſſimum quod flammeum appellant, alatum, & aliud duplici armatum aculeo, aliud quod ſeptem habet internodia; quæ omnes differentiæ ex colore colliguntur: ex quo non eſſe ſumendum varium temperamentum, vt contrà aliqui putarunt, oſtendit Auerrh. *lib.* 5. *collect. cap.*26. Quoniam color poſitus eſt in ſuperficie corporum, ex quo non eſſe ſumendas ſubſtantias remediorum, neque ipſorum temperamenta, ex Auerrhoë probat Mercurialis *lib. de morb. venenoſ. cap.* 4.

Scorpius inſectile eſt animal, ſanguineum, viuiparum, nuque oua, immò fœtus viuos in lucem edit, ex Ariſt. *loc. cit.* Sed tantæ eſt virulentiæ, & perniciei, vt mala qualitate per alterationem partium tranſmiſſa, & cor, principéſque partes vehementer immutante, & confluentibus ſanguine, & ſpiritu ad cor, cæteráſque partes internas, extrema frigeant, & ſudore frigido madeſcant, ſtupentes veluti, & emortuæ: non quòd ſcorpionum venenum frigidum ſit, quod modò non controuerto, excuſſum iam à Mercuriali *lib.de morb.venenoſ.cap.*4. Ludouic. Lemoſio *in com.cap.*3. *lib.*4.*Gal.meth.mendend. diſput.*1. qui commoti ſententia Gal.*in hoc.loc.*§.*Nam pone, ſciam ſcorpionis venenum frigida vi eſſe, ſumámque veluti à frigido, remedij indicationem, &c.* id frigidum eſſe arbitrantur; ſed quoniam aura venenoſa inſitum partium calorem veluti extinxit. Lege quæ de ſerpentium temperamento diximus *lib.*2.*in com.hiſt.*72.

Scorpionis ictum ſignificant, ex Dioſcorid. ſententia *lib.*6 *c.*4. vulnerati loci inflammatio, tumor ruber, durus, ac viciſſim dolore premitur, ac ſtupet: ſi ictus fuerit in partibus inferioribus tumeſcunt inguina; ſi in ſuperioribus, alæ; corpus frigidum, ac ſi eſſet grandine percuſſum, deinde efferueſcit. Accedunt humores, tremores, rigent pili, diſcolor fit cutis, dolor tota cute adeſt, ceu acus confoſſionibus factus. Nec mirum. Declarat hoc Petrus Aponenſis *libello de venenis, cap.*3. quum inquit. *Venenum pernicioſam, ac deſtruentem vim cordis habet: Quidquid attingit in corpore humano, hoc conuertit in ſuam ſpeciem venenoſam, & ſeipſum ita multiplicat, inficiendo humiditates noſtri corporis in venenoſam naturam, qua multiplicata augetur virtus veneni. Geometricum enim eſt axioma: Geminata quantitas exauget virtutem, vnde à pauxillo veneno abſorpto, quod transformat, quidquid attingit in ſui ſimile, augetur virtus eius: ita vt perfacilè ratione continui, cuius vltima ſunt vnum, pauxillum veneni cor ipſum attingens in venenum conuertat. Vnde vitalis ſpiritus organum non habens idoneum, & inoffenſum, in quo reſideat, cedit formæ veneni, relinquitque cor, & corpus abſque motione, id quod ipſiſſima mors eſt.*

Scorpionis ictus curatio conſiſtit, primò in dilatando plagam; quo facto deſuper medicamenta imponere oportet, quæ foris venenum extrahant, & huius veneni vires mirè refringant, ſuáque proprietate illi reluctentur, maximè ſi adſit delirium, & perpetua rerum obliuio comitetur: nam tunc ſignum eſt, quòd à nigro, & ieiuno Scorpione ictus fuit inflictus, præſertim ſi ſit tempus æſtiuum, vt firmat Dioſcorides *loc. cit.* Plin. *lib.* 21. *cap.* 25. Amat. 6. *cent.*3 1. Beniuen. *cap* 56.*de abditis*, Thaddæus Dunus *miſcellan.cap.*9. Peculiariter reſiſtunt Aſparagum in vino elixatum, aqúa raphani, de qua tot mirabilia prædicat Serapio *lib.de ſimpl.cap.de raphano*: ſubſcribit Rhaſis 20. *continent. cap.* 2. Theriaca Andromachi, & diateſſaron etiam ſtrenuè iuuant, ſicut epotum balſamum; cætera verò quæ extrà apponi ſolent, præter vincula, & partium abſciſſionem, ne altiùs vis veneni penetret, & deſcripta fuêre ſuprà *in com. hiſt.* 1. proponunt Cardanus *lib.*3. *de venen.cap.*10. & præter Geſnerum, & Aldrouandum, Thomas Moufetus doctiſſimus *lib.* 2. *de inſectis, cap.* 10.

* *
*

QVÆSTIO IV.

Vtrùm facultas vitalis, & animalis qualitate diffundantur per neruos, an cum ſubſtantia ſpiritus. Contra Valleſium, & Argenterium doctiſſimos.

COMMENTARIVM.

ET *ſine motu.*] Multa ſunt, inquit Dioſcorides *loc. cit.* & referunt ſcriptores, quæ ex ictu Scorpionis ſcaturiunt ſymptomata dira, & terroris plena, inter quæ numeratur menbri immobilitas, ſtupor, & quædam veluti mortificatio, reſoluto videlicet ſpiritu inſito, & extincto à venenata aura. Sed obiicies, ſi vis animalis influit qualitate licèt exhauſtus ſit piritus connaturalis partis, motu illicò non deſtituetur, quoniam natura ſagax mittit nouas vires irradiatione facta. Dic, venenum partis inſitum calorem, quin facultatem animalem prorſus extinxit, communicato noxio vapore, vnde totius corporis ſequuta immobilitas. Quapropter mihi temperare nequeo, quin huic potiſſimum parti appingam, quod ex hac hiſtoria ſuggeritur appoſitiſſimè, agitémque vtrùm facultas animalis qualitate tantùm influat per neruos, an cum ſubſtantia ſpiritus: In qua quidem difficultate princeps Medicorum Galenus, & magiſter ampliſſimus, etſi ſpiritum agentis animæ inſtrumentum eſſe perſæpe affirmet, & per omnia organa tranſire, omnéſque animæ operationes facere aſſeueret, vt patet 7. *de placit.*3.*&* 6. *epid.ſect.*3.*com.*5. *& lib. de vtilit. reſpirat.c.*5. manifeſtè tamen *lib.*1.*de loc.affect.c.*6 mentem aperuit, facultatem ſcilicet animalem excepta viſiua, ſola irradiatione à cerebro promanare, eámque abſque ſpiritu neruos ſuſcipere: quod ex profeſſo, & apertiùs aſſeruit *lib.* 7. *de placit.c.*4 *&* 1. *de ſem.c.*16.*& lib.de vſu pulſ. c.* 4. *ad fin.* Vbi inquit. *Vitalem etiam vim à corde non cum ſpiritu per arteriarum cauitatem, quam habent patentem, ſed per tunicas ſola illuſtratione emanare, ad modum quo lux per aërem à ſole diffunditur.*

Si verò quæras, quo fundamento in hanc ſententiam deuenerit Galenus: dic, quòd exiſtimauit neruos omnes, opticis demptis, cauitate deſtitui, per quam poſſit ſpiritus meare facultatem deferens: cùm enim exigui, tenuéſque ſint, veriſimile (inquit) non eſt, interiùs eſſe perforatos, quod tamen requirebatur, vt ſpiritus, qui corporei ſunt, & mediocris cuiuſdam craſſitiei, liberè dimanarent: quoniam verò viſorij tantùm nerui foramine ſenſui patente perforati ſunt, ſolam viſiuam virtutem exiſtimat ſpiritu ad oculum deportari, non ſic autem reliquas animales ad alia membra. Hæc autem opinio ſuadetur.

Primò. In inſtanti quo voluntas imperat; pars corporis remotiſſima mouetur, ſimúlque ad motum cordis arteriæ omnes etiam extremarum partium. Sed tam repentè non mouerentur, ſi cum ſpiritu virtutes illæ à ſuis principiis communicarentur. Ergo ſola irradiatione abſque materia aliqua influunt, ac proinde tam repentè ad longinqua, & extrema loca perueniunt: quod, non fieret ſi cum ſpiritu flueret, quoniam cùm res corporea ſit, nonniſi in manifeſto tempore ad partes illas poterat deuenire.

Secundò. Si non aliter quàm per ſpiritum virtutes ad membra deferrentur, tandiu illæ ſimul, & actiones ſeruarentur in membris, quandiu ſpirituum copia duraret. Sed ſecto vbi vis, vel ligato neruo partes infra ligaturam exiſtentes, quantumuis ſpiritu animali turgeant, repentè ſenſu, & motu deſtituuntur. Non ergo influunt facultates illæ mediantibus ſpiritibus. Quod ſimiliter de vitali exiſtimandum eſt, vt manifeſto experimēto confirmat Galenus *libro, an ſanguis in arteriis natura contineatur, cap.vlt.* Si enim in præciſam arteriam ſecundùm illius longitudinem calamum immittas, laqueóque deinde conſtringas, licèt ſpiritus cum ſanguine per calami cauitatem feratur, partes tamen quæ infrà laqueum ſunt, pulſare omnino deſinunt. Quod quidem aliunde non contingit, niſi quia pulſifica virtus non per cauitatem cum ſpiritu, ſed per arteriarum tunicas, quarum tranſitus laqueo eſt interclusus, ſola illuſtratione influit; eo maximè quod imme-

diatè

diatè poſt ſolutionem, animalis, & vitalis vis quamprimum redeant; non redirent verò adeò momentanee ſi cum ſpiritu veherentur.

Tertiò. Nulla animæ facultas recipi poteſt in re non animata: quum ergo ſpiritus ſint animæ expertes, erunt incapaces ad recipiendũ, deferendúmque virtutes. Deinde, ſi illæ cum ſpiritibus mitterētur, ſpirituum copiæ, aut penuriæ motiones reſponderent, nec validæ fierent, niſi vbi foret multitudo ſpirituum. Sed phrenitici cum pauciſſimo ſpiritu animali validiſſimè mouentur. Ergo motus potiùs ad qualitatis diffuſionem, quam ad ſpirituum copiam ſequuntur: & ex conſequenti, &c. Quam opinionem tuentur Valleſius *lib.2.cont.cap.*15. Argenterius *lib. de ſom. & vigilia, cap.*4. & alij.

Oppoſitum tamen ſequitur tota Barbarorum ſchola, cum Auicenna 1.1.*doct.6.cap.*4. affirmante, ſpiritu quidem primò virtutes recipi, & eo ad membra deferri, vnde ſpiritus ipſos vocant facultatum delatores, exiſtimántque animales ſpiritus extra cerebrum in neruos commeare, non ſecus ac vitales ſuo delationis impetu in totas arterias diffunduntur, ſecúmque deferre facultates ad ſentiendi, mouendique organa. Quæ quidem ſententia ſuadetur.

Primò. Facultas animalis ſenſuum, & motuum auctor, ex ipſo Galeno 7.*de placit.*3.6.*epid. & lib. de vtilit. reſpirat.* ſuprà relatis, vtitur ſpiritibus tanquam ſuarum actionum inſtrumentis. Ergo oportet illos ſimul cum facultate ad organa ipſa accedere. Siquidem non poteſt agens in actionem prodire, niſi debita approximata habeat inſtrumenta, & ea præcipuè à quibus magis immediatè actio dependet, cuius generis ſunt ſpiritus. Quòd ſi ipſi in cerebro exiſtentes, nec inde prodeuntes, poſſunt agere in partem remotiſſimam, cur ſimiliter non aget facultas fixa, & immobilis in ſuo principio exiſtens? Quare ſi hæc à cerebro emanat, neceſſariò ad organa accedit vt operentur, & permixti ſimul prodeunt ſpiritus, nec aliter poterunt membra operari.

Secundò. Vbi pars aliqua noſtri corporis nimis exercetur, notabilem defatigationem ſentit. Sed nulla alia cauſa poteſt excogitari, cur pars exercitata ita fatigetur, niſi quia immodica ſpirituum reſolutio facta fuit in ipſa. Ergo ſimul cum virtute accedunt ſpiritus ad membra. Nec verò referri poteſt cauſa, ad reſolutionem in cerebro factam, in quo fortè exhauriuntur ſpiritus, dum ad mouendi nerui originem demandantur: cùm enim defatigatio illa ſolùm occupet partem quæ laborauit, non autem cerebrum, in ipſa eſt facta ſpirituum diſſolutio, qui per motum abſumuntur in membris mouentibus: id quod etiam apertè confirmant exercitatorum pulſus, in quibus quidem augentur, crebreſcunt, ex Galeno 3.*de cauſ. pulſ.* 13. non propter ſolum calorem auctum, vt firmat Auicenna 2. 1.*cap. de pulſ.* ſed etiam multò magis propter reparationem ſpiritus per exercitium exhauſti.

Tertiò. Si facultas animalis non difflueret cum ſpiritu per neruorum cauitates, ligati, aut refrigerati nerui non priuarentur facultate. Sed quamprimùm illam amittunt, vbi refrigerantur aut ligantur. Ergo, &c. Oſtenditur maior, quoniam ad ligaturam, vel ad refrigerationem, nihil in neruis ſubſtantiæ commutatur, ſed tantùm meatus ſi qui aderant, anguſtantur, & denſantur. Si igitur per ſolam ſubſtantiam, & non per cauitatem recepiſſent vim animalem, non obſtante ligatura, aut refrigeratione, adhuc reciperent. Quare negari non poteſt, per cauitates deriuari ſimul cum ſpiritu: eò maximè, quia niſi ita emanarent, fruſtra videretur natura à cerebro deduxiſſe neruos in corpus vniuerſum; ſiquidem cum caro per ſe abſque alio medio vim ipſam poſſit ſuſcipere, neceſſarius non erat ductus neruorum ad ſolam facultatem deferendam. Aliud ergo intendit natura in illorum conſtitutione, videlicet delationem ſpirituum ad partes longinquas: nempe quoniam materiæ, niſi ampla dimittantur via, non poſſunt in altum corporis penetrare; quod patet in venis, & arteriis ab hepate, & corde deductis, vt alibi dixit Galenus.

Quartò. In deliquio, & timore vniuerſum corpus palleſcit, nec vis motrix ipſum poteſt ſuſtinere. Sed hoc non aliunde contingit, niſi quia animalis ſpiritus, qui corpus floridum, firmúmque, & erectum conſeruabat, ex toto corpore confluit ad cerebrum. Ergo præter virtutem, ſpiritus etiam ad membra deferuntur. Probatur minor, quoniam ſi ſola facultas ad cerebrum traheretur, ipsáque ſine ſpiritus corpus ſuſtineret, multò magis tempore deliquij influeret, corpúſque illuminaret, ſiquidem tunc multò plus in cerebro lucis à toto retractæ, & illuminantis ſpiritus continetur.

Vltimò. Vbi vtraque vis ſenſuum, & motuum effectrix per eundem neruum mandatur, fit nonnunquam vt motus amittatur ſenſu manente, non verò è contra. Cùm ergo neruus vtramque facultatem receperit, palam eſt deficere motum; quoniam ad illum maior ſpirituum copia requiritur. Negari ergo non poteſt, demandari ſpiritus ſimul cum virtute per neruos: aliàs enim cur optici obſtructio induceret cæcitatem, ſi ſubſtantia nerui incapax eſſet recipiendi viſoriam facultatem citra ſpiritum: vel ſi hæc ſpiritum requirit in organo præſentem ad operandum, cur non aliæ virtutes?

Quod verò in neruis meatus pateant, per quos ſpiritus rectè poſſint diſtribui, apertiſſimo teſtimonio compertum eſt, cerebri, dorſalis medullæ, & opticorũ, qui quidem manifeſta cauitate ſunt perforati. Cùm ergo reliqui nerui ab illis ſola quantitate differant, & idem munus habeant, credendum eſt ſimilibus meatibus, licèt minoribus, eſſe peruios: nec enim natura, inquit Galenus 6.*de vſu part. cap.*9. pro corporis magnitudine, aut paruitate diuerſas facit, aut mutat inſtrumentorum formas. Deinde fidem facit, quod ſæpe fit colicæ in paralyſin mutatio, & è contrà: nec verò poſſet frigidus, & craſſus humor per neruorum anguſtias deferri, niſi in illis media cauitas pateret.

Amplectendum ergo eſt Arabum dogma, cui etiam ſubſcribunt nonnulli eorum qui Galeni partes defendunt, inter quos extant Thomas à Veiga *lib.1.de loc. affect. cap.*6. Laurentius *lib.*4.*de hiſtoria anatomica, quæſt.*12. neque enim Galenus omnino negauit hanc facultatis diffuſionem cum ſpiritu, ſed non per omnes neruos corporeum ſpiritum tranſmitti aſſeruit.

Neque obſtat, quòd nerui perſpicuam cauitatem non habeant, qua poſſint illabi ſpiritus deferentes factulatem, vt conſtat ex 15.*de vſu part. cap.*1. *& lib.*1.*de ſem. c.*6. *&* 7.*de placit. c.*5 *&* 6. nam quamuis neruorum meatus ſenſui manifeſti non ſint propter ſui exiguitatem: non euincitur inde, neruos ipſos non eſſe perforatos: nec enim omnia quæ in corpore continentur, ſenſu aſſequimur, aut iudicamus, immò verò multa indiciis, & ratione venamur, quæ ſenſum omnino ſubterfugiunt, vt conſidaranti patebit.

Cùm ergo ſpiritus animalis, vtpote tenuiſſimus, & æthereus, patentem alueum non requirat, vt per neruos poſſit commeare, nihil mirum ſi meatus quibus fluit, anguſti ſint, exigui, & inſenſiles: hos verò apertos ſemper, & ab obſtructione immunes tota ferè vita ſeruari, nec ex leui cauſa frequentiſſimè occludi, non maiorem admirationem meretur, quàm multa alia quæ in noſtro corpore repeririuntur, & aſſiduè fiunt miro artificio pleniſſima.

Nec valde vrgent rationes pro parte Galeni adductæ, & prima quidem magis fortè vrgeret, ſi pro ſingulis motionibus tantùm vis, & ſpiritus mitterentur, ſed cùm aſſiduè profundantur, & in ſentientibus, mouentibuſque membris ſemper adſint; cùmque vno influxu plures poſſint motiones obiri, non eſt neceſſarius nouus virtutis, & ſpirituum acceſſus ad membra, vt moueantur, quoniam voluntas imperat, ac proinde in inſtanti quo ipſa iubet, rectè motus perfici poteſt, etiam in diſtante, & longinqua parte,

Ad ſecundam non eſt facile reſpondere, vtpote quæ nonnullos oppoſitæ ſententiæ addixit. Et Galenus 7.*de placit.*5. apertè ſcribit, ideò ſectis, vel laqueo interclusis arteriis, vel neruis confeſtim nos facultate priuari, quia ad ligaturam partes illæ priuantur ea communitate, quam habebant cum principiis, à quibus virtutes aſſiduam irradiationem accipiunt, luminis inſtar, à ſole in aërem deri-

uari. *Quemadmodum ergo,* inquit, *ſi ſolidum aliquod corpus in medio aëris opponamus, protinus interceptus aër lumine, & fulgore deſtituitur: ita ſi neruum præſcindas, aut liges, tota ea pars quæ à cerebri continuitate fuerit ſeparata, ſtupida redditur, quoniam prohibetur facultatis acceſſus, quæ laminis inſtar continuo influxu à cerebro affluebat, idémque de arteriis dicendum.*

Verum cum non illuſtratione, ſed defluente ſimul ſpiritu deriuentur facultates; alia quærenda eſt propoſiti argumenti ſolutio. Dicendum ergo videtur, ſeruari quidem virtutes in membris, quandiu ſpiritus in illis adſunt; atque adeo nihil mirum, ſi immediatè poſt ſolutionem, confeſtim poſſint operari, antequam virtutis, & ſpiritus de nouo influxus ſit. Cur verò non ſimiliter ſeruentur actiones, ſed illicò pereant ac ligaturam, aut ſectionem arteriarum, cauſa videtur, quoniam liberam non habent, & expeditam cum principiis, à quibus facultates recipiunt, communitatem: non quidem quia ea deficiente, deficit virtus, illuſtratióque continuò requiſita, quemadmodum opinantur illi (hæc enim præſens adeſt, vt diximus, quandiu ſpiritus adſunt;) ſed quia natura comparatum eſt, vt nerui cum cerebro, arteriæ cum corde, ſocietatem, vnitatemque per liberos canales haberent, ad hoc vt ordinatè mouerentur; nec aliter poſſunt in actionem prodire, aliàs deſtrueretur concentus, motuúmque æqualitas, quam ſeruari oportebat inter cerebrum &c, neruos, cor & arterias: propter hanc verò interclusam cum principiis communionem, ligati, vel ſecti nerui, aut arteriæ non mouentur.

Ad tertiam, *in com. hiſt. 7. infrà* explicabitur, quid ſit quod in ſpiritu recipitur, & à cerebro, & à corde influit, an animæ vis, potentiáve, aut temperamentum, aut modus ad operandum? Et ſi illud quidem animæ potentia non ſit, ſed alteratio quædam, aut modus, quo ſpiritus ſit aptum actionum inſtrumentum, & ad membra accedens ea reddit apta, vt hoc, vel illo modo operentur, nihil vrget difficultas. Quòd ſi animæ vim recipere, & deferre ad membra dicatur, recipit quidem, vt inſtrumentum, non vt ſubiectum, quoniam in ſolo viuente membro animæ potentia recipi poteſt, vt in ſubiecto, quod tantum concludit argumentum.

Ad vltimam, fatemur motus ſequi ad ſpirituum copiam, nec niſi vbi illa datur, validos fieri, & conſtantes, quales non ſunt delirantium; ſed quædam tantùm furibunda concitamenta à ſpiritu inflammato edita, in quibus tamen diu non perſeuerant, ob ſpirituum indigentiam, defectúmve. Si tamen Auicennam cum Galeno conciliare velis, dic facultatem cum ſpiritu clariſſimè ad opticos defluere, licèt non negarit ad omnes inferiores partes etiam cum ſpiritu, etſi obſcurè influere. Vtrum autem per partem externam nerui, an internam feratur cum facultate ſpiritus, agitat ſolerter Laurentius *lib. 4. de hiſt. anatomica, quæſt. 13.*

QVÆSTIO V.

Vtrùm motu ſeruato poſſit aboleri ſenſus, & è contrà, vt voluit Galenus.

S*ine motu.*] Ex aura venenoſa, & deleteria, ob ictum ſcorpionis, alteriúſve feræ virulentæ, poſſe cerebri vires reſolui, ſpiritum extingui animalem, facultatis ad organa ſenſus, & motus delatorem, & ſic aboleri motum, ſuprà prædiximus: ſed cur pereunte motu, ſenſus remaneat, ſi per eoſdem neruos ex ſpinali medulla emanantes facultas motiua, & ſenſitiua communicatur, & cauſa quæ motum abſtulit, debeat etiam ſenſum auferre, difficultas eſt ardua, & implicita, quam etſi Galenus *lib. 1. de loc. affect. c. 6. & lib. 1. de ſympt. cauſ. c. 5.* eleganter agitauerit, explicéntque Iuniores, vt Laurentius *lib. 4. de re anatomic. quæſt. 11.* Thom. à Veiga *in com. cit. de loc. affect. lib.* Valleſius *lib. 5. cont. cap. 10.* tamen obiter Galeni mentem explanant, quum hoc dubium ad paralyſis curationem conferat apprimè, & maximè ad *hiſtoriam 48.* propoſitam *lib. 1. & ad hiſt. 16. lib. 2.* quibus Galenus monſtrat, Pauſa-

A niam Syrum ſophiſtam ex vehiculo decidentem ad dorſi initium, inde in duobus digitis, & medietate medij, ſenſum illæſo motu amiſiſſe. Quo loco per tranſennam dubij huius ſolutionem appoſui, nunc maturiori calamo ad vmbilicum perducturus.

Nerui à dorſo, venarum inſtar, ita exoriuntur, vt credere qui poſſit vnunquemque apparentem, vnum eſſe, non aliter ac venam: non ita tamen eſt, ſed omnes ferè ab ipſomet initio multi ſunt conſtructi ſimul, ac veluti plures funiculi ad inuicem connexi: ratio verò ob quam natura non deduxit ſingula neruorum vna tantùm propagine, diſſeminationéque, ea eſt, quoniam cùm neruus tenuis ſit, & mollis cuiuſdam naturæ, medullaríſque conſtitutionis, ac præterea cauitatem etiam habeat, nequaquam in ſui progreſſu, deductionéque multas ſuſtinere B poterat diuiſiones, quales vaſa in corpore, & ſtirpes in terra patiuntur. Quoniam enim oportebat neruos in varias corporis partes diſſeminari, multitudini prouidit, educens mox ab intimo triginta illa neruorum paria, non vno quidem tantùm caudice ſingulos, ſed numeroſa quadam, & infinita ferè propagine, iuxta partium varietatem, ad quas neruos accedere oportebat. Ne verò in via, præ debilitate, tenuitatéque ſua rumperentur, ad inuicem alligauit ſimul multos, & tanquam funiculos quoſdam ſimul connexuit: duabus præterea vnumquemque circundedit membranis, ita vt plus roboris, & firmitatis compararet, quàm ex ſua natura habebant. Lege Galeatium à Sancta Sophia *in lib. 9. Rhaſ. ad Almanſ. cap. de paralyſi,* qui de hac re doctè conſcripſit.

C Sed cùm hoc ita ſit, non videtur poſſibile, quòd ſenſus alicuius partis perdatur, manente in ea motu; nam ſi vna tantùm eſt virtus animalis, quæ ſenſus & motus facit, & ea mediante ſpiritu in neruo primùm recipitur, qui fieri poteſt, vt ipſamet deficiat & pereat ſimúlque incolumis maneat in parte eadem? Quòd ſi duplex afferatur, cùm idem ſpiritus ſit vtriuſque vector, ambæque ſimul, & permixtæ è cerebri corpore, ſubſtantiáque emanent, *7. de placit. 3.* & in eodem recipiantur neruo, *16. de vſu part. cap. 2.* vbi docet expreſsè neruos omnes vtramque haberet facultatem, ſentiendi ſcilicet, & mouendi, & *1. de cauſ. ſympt. cap. 5. partes,* inquit, *quæ per neruum aliquem voluntariè mouentur, eadem protinus ſenſum quoque per eundem poſſident.* Quare non videtur poſſe contingere, vt maneat vnus altero pereunte; vel ſaltem ſeruari nequa- D quam poterit actio mouendi, quæ robuſtior eſt, pluréſque vires requirit, Galen. *1. de loc. 6. & 7. de placit. 5. & 1. de cauſ. ſympt. cit.* deficiente imbecilliori, nempe ſenſatione.

Vt verò hæc intimiùs aſſequaris aduerte, quòd ſenſatio non eſt ſimpliciter actio, ſed quidpiam ex ea conſtans, & magis adhuc ex paſſione, ex Galen. paulò antè citato (nihil enim aliud eſt quàm impreſſionis ab obiecto receptæ agnitio, *7. de placit. 14.*) at impreſſio quidem, ſeu paſſio multò meliùs, faciliúſque fit in molli corpore facilè ſuſcipiente prædictas formas. Oportuit ergo ſenſorios neruos, teneros, molléſque creari, vt ita facilè paterentur, alterarentúrque, quemadmodum neceſſum erat vt ſenſus fieret, *cit. de placit. c. 6.* è contra verò, cùm motus in agen- E do ſolùm conſiſtat, magis durum requirebat inſtrumentum, ac proinde motorios neruos ſenſoriis robuſtiores, nec adhuc cum eo ſufficientes ad illud munus creauit natura, hos quidem, id eſt ſenſorios, vt faciliùs paterentur, & valido ſenſu pollerent, à tenero, molliqúe cerebro maiori ex parte; illos à dorſi medulla deducens, *cit. de placit. 5.* & aliis adductis locis.

Deinde etſi ſenſorij nerui præ ſui debilitate ad motum prorſus inepti ſint, non ideò tamen motorij, qui muſculis inſeruntur, ſenſu deſtituuntur, ſaltem tactus (licèt minorem obtineant, quia propter ſui duritiem difficiliùs patiuntur.) Ad tactum etiam neruos conferre vniuerſos, præterquá quod docuit Gal. *17. de vſu part. cit.* ex eo patet, quia ſicuti tactus obiectum, terreum eſt, ita & terreæ ſubſtantiæ neruus omnis, ac proinde datur ea proportio, & familiaritas, quæ inter receptum, & recipiens requiritur, quæque inter alios ſenſus, & ſua obiecta reperitur:

terram

terram enim agnoſcimus tellure, hoc eſt terreo inſtrumento, quemadmodum ſolo igneo, & aëreo organo, viſus, & auditus obiecta percipimus, quia igneam, & aëream habent naturam, de quo pulchrè Galenus 7.*de placit.* 5. & introrſum per viſcera, internáſque partes iuxta cuiuſque exigentiam diffundit, & extrorſum per cutem ad externa occurrentia agnoſcenda, ita vt ſolius, nullius motus eſſent auctores. Demum & ab ſpinali medulla, vnde nerui omnes qui ſub capite ſunt oriuntur, 16.*de vſu part.* 2. motores deduxit, & iuxta partes mouendas muſculis inſeruit, qui propriè ſunt mouendi inſtrumenta: nec enim neruus ipſe, quantumuis durus, robur ſufficiens poterat obtinere ad oſſa mouenda, ac proinde oportuit vires aliunde comparari, muſculúmque conſtrui, vt 1.*de loc.cap.*9. euidenter Galenus demonſtrat.

B Cùm ergo diuerſa ſint ſenſus, & motus inſtrumenta, & nerui quidam ſenſum deferentes per externam cutem diſſeminentur: alij verò in profunda oſſa ad præſtandam virtutem muſculis mandentur: cúmque poſſit contingere, vt præternaturalis cauſa, modò hos, modò illos infeſtet: nihil mirum ſi pro varietate affecti nerui, aliquando perdatur ſenſus, vt reſolutis ſenſoriis neruis, motu ſeruato: nonnunquam motus incolumi ſenſu deperdatur, aut lædatur, vt cùm muſculi neruus afficitur? ita tamen, vt ſenſus deperditio manente motu, ſecundum diuerſos neruos conſideretur: non enim fieri poterit, vt in vno eodémque neruo, robuſtior actio mouendi ſeruetur, deperdita infirmiore ſentiendi: quod præterquam quòd manifeſtum eſt, aſſeruit etiam Galenus 1.*de cauſ. ſympt. cap.* 1. quòd licèt cute nudata ſubiectus muſculus immobilis appareat, rectè tamen poteſt ſentire: nunquam verò è contra deprehendetur muſculus moueri, vt idem non ſentiat.

C Nec verò huic ſolutioni obſtat adducta ratio: nam ſi vnam tantum aſſeramus eſſe animalem facultatem, quæ motus, ac ſenſuum omnium ſit auctor, vt opinantur plures, quæ ſecundum varia inſtrumenta varias exerceat operationes, & ſi in membrum quidem incidat firmum, qualis eſt muſculus, moueat; ſi in debile, vt neruum, ſentiat tantùm: quid mirum ſi modò hanc, modò illam non poſſit exercere? dummodò tamen nunquam in eodem neruo ſenſum amittat incolumi motu, licèt è contra, ob defectum copiæ ſpirituum ad motum requiſitæ. Quòd ſi diuerſas exiſtimemus prædictas facultates, nunquam diuerſarum actionum auctores, diuerſáqne organa, & inſtrumenta habentes, dici poteſt vnamquamque ſuis recipi neruis. & vtramque nonnunquam in vno eodémque, ſi ad vtriuſque actionem aptum fuerit inſtrumentum, vt neruus quiſque mouens, & mouendi & tangendi vim ſuſcipit.

D Quòd ſi Galenus 16. *de vſu part. cit.* neruos habere vtramque facultatem ſcribat, vel de omnibus collectiuè ſumptis intelligatur, non quòd vtraque in omnibus, & ſingulis reperitur, otioſa enim eſſet vis mouens in his, qui inepti ſunt ad motum, quod à natura alienum eſt. *Primo verò de cauſ. ſympt.* ſolùm affirmat, motorem neruum ad ſenſum etiam conferre, quod nos non negamus, ſiquidem ſenſu tactus eſt præditus: ac proinde duplex noxa, ſenſus ſcilicet, & motus priuatio poteſt in parte contingere eadem, ex eiuſdem nerui motoris reſolutione, quemadmodum poſſunt membra ex toto reſolui, hoc eſt, motum ſimul, & ſenſum amittere, per conſenſum communis principij, primariíque organi motionis inuoluntariæ, quod Galenus *in fine cap.6.lib. 1.de loc.affect.* edocuit,

E Vt verò hæc doctrina ampliùs ſit manifeſta, aduertes Galenum 1.*de loc.nuper cit.* duo conſtituiſſe voluntarij motus organa, principium ſcilicet, ſeu originem, & muſculum: quare deinceps videndum quo pacto motum efficiat, quóve ordine cohæreant. Sed prius ſciendum, duo hæc actionum genera, quæ in animalibus perfectis ſupra plantas potiſſimùm reperiuntur, ſenſus ſcilicet, & motus ſecundum locum, cum ad eundem finem, nempe perfectiorem vitam animalis, ipſiúſque conſeruationem ſubordinentur, ita connecti & coniungi, vt pro ſenſus

A perfectione, perfectior appareat motus, nec vnus ſine altero vnquam reperiatur. Diminutus fuiſſet omnino ſenſus, & quodammodo fruſtra datus citra motum: ſi verò hic citra ſenſum, temerarius. Quid enim proficeret ſenſu cognoſcere vtilia, & inutilia, & niſi hæc fugere, illa proſequi valeremus; quídue nocentia poſſe fugere, vtilia proſequi, niſi vtraque dignoſci poſſent? Cùm ergo moueatur animal, vt ea conſectetur, quæ boni ſpeciem præ ſe ferunt, aut declinet ea quæ aduerſa videntur, in quibus conſeruatio conſiſtit; nec hæc boni à malo diſcretio fiat, niſi communi iudicio, requiritur neceſſariò, vt illud præcedat bene ordinatus motus, quoniam interiores potentiæ pro huius vitæ ſtatu agere nequaquam poſſunt, niſi præcedente ſenſatione; vel maximè ſi ſuper ſenſibile, & externum obiectum ſit iudicium, id quod nos primùm mouet, primùmque ad motum concitat, eſt proſequendum, vel fugiendum obiectum; quod quidem immobile exiſtens, primò ſenſum mouet externum, internum deinde, & phantaſiam, ſeu imaginationem; à qua cùm primùm aſſenſus, & iudicium præſtatur iucundi aut delectabilis, vtilis aut inutilis, inſurgit confeſtim appetitio, hoc eſt, interna quædam agitatio, motúſque animæ, & proſequendi, vel fugiendi deſiderium; cuius quidem cauſa eſt quædam ſenſitiua potentia, appetitus nuncupata, ab aliis diſtincta, & omnium præſertim phantaſiæ veluti aſſecla. Vbi verò appetitus promptus & efficax eſt, confeſtim animal ad motum impetum facit, vnde rectè Ariſtotel. 3.*de anima*; *cogitationem*, inquit, *& appetitum, principia, & cauſas eſſe actionis atque progreſſionis animalium*: non quidem quaſi appetitus ipſe proximè ſit cauſa, quæ animal mouet.

Inſuper facultas mouendi admittenda eſt, ſed quoniam formato appetitu, quamprimum virtus ipſa à cerebro deriuata, & in mouendi inſtrumenta exiſtens, imaginationi, & appetitui obtemperans, exequitur motum in parte imperata moueri, niſi aliquid impediat, vt in nobis rationalis voluntas, quæ ſenſitiuos appetitus ſæpe frænat & coërcet, vtpote quæ mentis, & rationis iudicio conformata, non errantis faciliſque ſenſus, illius dumtaxat quod re ipſa, & verè bonum eſt, deſiderio capi, & deliniri poteſt, & ideò in nobis liber eſt, & proprie voluntarius motus progreſſiuus, etiam cum brutis communis; non ſic autem in illis, quoniam inſurgente appetitu circa propoſitum obiectum ſub ſpecie boni, ita effrænatè feruntur, vt motum ex ſe cohibere non poſſint. Dum itaque ad motum voluntarium, præter obiectum mouens ad ſui proſequutionem vel fugam, concurrat virtus quædam imperans motum, nempe veluntas ſequens rationis iudicium, & alia, quæ motum ipſum imperatum exequitur, mediante organo ad illud munus deſtinato, ſupereſt indagare, quodnam ſit hoc mouendi organum primum, & immediatum, & quod vltimum; cuius dubij ſolutionem, legat qui velit *lib.3.in com. hiſt.*27. & de propoſita quæſtione conſule Peramat. *lib.de animæ facultatibus noſtrum corpus diſpenſantibus, cap.*10.

HISTOR. V. AVICENNÆ,
De pernicioſo Baſiliſci veneno.

*QVi tetigerit * baſiliſcum, emoritur. At verò poſſibile eſt in quibuſdam horis, vt tangat eum cum virga, & ſecundùm plurimum qui tangit eum cum virga, moritur, & eſt mediante virga: & propter illud iam tetigit illud miles, cum lancea ſua, quare mortuus eſt miles, & animal eius: & tetigit ipſe labium equi, & mortuus eſt equus, & miles, & hic ſerpens multiplicatur in terra Turcarum. Auicenna.*6. 4.tract.3.cap.22. de morſu Baſiliſci.

PARAPHRASIS.

SImilem hiſtoriam narrat Matthiolus *in com.ad præfat. l.6.Dioſcorid.* quam in agro Tridentino accidiſſe vidit; Cum enim ruſticus quidam magnum ſerpentem haſta

confo

confodiſſet, ſubitò,vehementíque terrore correptus, non niſi theriaca aſſumpta & aliis antidotis conualuit Quam priùs notauit Plinius *lib.* 8. *cap.* 21. & retulit Scaliger *exercit.* 200. Tanta eſt huius animalis malefica ac dira vis, vt ex eo,eleuato vapore venenoſo,& per tranſpirationem cutis attracto, & alteratione per continuum facta cordi communicato, ipſum proſternat, & ex toto eius potentias interimat. Quid plura? Nonne ex ſanguine ſerpentino venenati oriuntur affectus? Narrat Bartol. Karrichterus *lib.* 2. *praxis, cap.* 7. tres hiſtorias eorum,qui enectis ſerpentibus, cùm harum ſanguine pedes, manúſque abluerent, veneno ſurſum in corpus penetrante,ita hæ partes vlceribus diris, & dolorificis fuerunt affectæ, vt illis pænè abſumptis in graue periculum immò & mortem inciderint. Ita ſcribit Stumpſius *in chronicis*, de quodam, qui horrido dracone debellato, brachium quo cruentum baculum tenebat hilaris attollens, de victoria ſibi, ac popularibus gratulabatur, ſed draconis ſanguis in corpus diſtillans, præſentem ei mortem attulit.

Quamuis autem morſui Baſiliſci, vt *loco cit.* ait Auic. non ſit curatio prorſus, quũ non interficiat ſolùm morſu, immò viſu, & auditu ſui ſibili, quod curationẽ difficiliorem facit: tamen non deſunt plura,quæ huius veneni maliciam arceant, refrænent, & obtundant, de quorum numero eſt baſilica herba, ſic vocata quòd huius venenati animalis morſibus remedio ſit; oritur autem vbi habitat baſiliſcus. Vt autem tutò eam legere poſſis fac fumum ex cornu ceruino, & lapide gagate, vt fugatis ſerpentibus innoxius euadas. Rutæ odor huic animali maximè eſt aduerſus, quare quoties muſtella cum eo, aut aliis ſerpentibus eſt dimicatura, rutam comedit teſte Ariſt. 9. *de hiſt. animal. cap.* 6. quia vt ipſe ait, *odor eius herbæ ſerpentibus infeſtus exiſtit*. Sed nõ minùs quàm ruta,alliorum odor ſerpentibus eſt inimicus; quapropter Perſæ, auctore Simeone Sethi, coquinas alliis implent, vt ipſas ab eorum conſortio tueantur. Alliis itidem perunctos, Pantheras, & Leones non attingere affirmat Plinius *lib.* 24. *cap.* 4. Baſiliſco rurſus muſtelæ virus exitio eſſe, eiuſdem Plinij teſtimonio conſtat *lib.* 8. *cap.* 21. Adeò enim naturæ nihil placuit eſſe ſine pari, iniiciunt eas cauernis facilè cognitis ſola tabe, necant illi ſimul odore, moriuntúrque ambo, & naturæ pugnam conficiunt: quam enim Baſiliſcus viſu occidere non potuit, odore interimit. Deinde ſi quis ruta viridi totus circundatus fuerit, poteſt ſecurus ad venenatum animal accedere. Auicenna *hoc cap.* ſemen papaueris vſque ad drachmam vnam, & caſtorium vſque ad drachmam vnam, huic veneno auxiliari poſſe aſſeuerat.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm reperiatur Baſiliſcus in rerum natura Contra Matthiolum, Hermolaum Barbarum, Cardanum doctiſſimos.

COMMENTARIVM.

B*Aſiliſci.*] Verùm priuſquàm ab hac hiſtoria diſcedamus,addenda ſcitu non indigna pleráque, & in hiſce commentariunculis noſtris explicanda natura Baſiliſci, quem non exiſtere in rerum natura contendunt plures, ſicque hanc hiſtoriam fabuloſam eſſe arbitrantur. Ex iis inſurgit Cardanus *lib.* 1. *de venen. c.* 16. contra Auicenaam, dicentem *loc. cit.* illum eſſe duorum palmorum,acuti capitis valde,oculorúmque rubentium. Deinde ridiculum putat,militem occubuiſſe, qui eum cum lancea tetigerit,aut quod animal tranſiens iuxta ipſum,obſtupeſcat,& pereat, aut plantæ omnes in illius circuitu emoriantur. Inſuper nugas eſſe retur, quod auis volans ſuper illius foueam, illicò concidat:Nam Galenus *lib.* 10. *de ſimpl. medic. facult. cap.* 1. negat ſe vllum tale animal vidiſſe, dum ſic ait: *Nam beſtiam ſeu feram regiam, quum vocant Baſiliſcum, ne videre quidem mihi vnquam contigit: Et ſi vera ſunt quæ de illa referuntur, periculoſum etiam eſt, vel propè accedere ad hoc animal: proinde nec ego Baſiliſcorum, aut elephantorum,*

A *aut equorum Niloticorum, neque alterius cuiuſquam, cuius ipſe, periculum non fecerim, meminero.*

Ad hæc, non videtur veriſimile, naturam procreaſſe genus animalis adeò omnibus exitiale, vt ab eo reliqua omnia extingui poſſint. Demum, ſi audiendo, & videndo illius vocem homo moritur, quis vidiſſe, aut audiuiſſe referre poteſt? Præterea Dioſcorides *lib.* 6. *cap. vlt.* cùm dixiſſet, quòd eſt beſtia, quæ rarò ſeſe offert oculis hominum, proponit effigiem morſus eius, dicens quòd plaga eſt aurei coloris, & quòd curatur caſtorio epoto pondere drachmarum trium, quare conſtat, non adeo eſſe lethiferum animal, cuius etiam vulnus curam admitti t.

Ergo hiſtoria hæc non eſt credenda prorſus, ait Mattiolus *ad cit. cap. Dioſcoridis.* Quum enim hoc animal,
B tam prauum ſit, & eius ſpiritus, ac præſentia tam exitialis, quis eam ad viuum conſiderare potuit, aut auſus eſt? Quare Arabes, & præſertim Auicenna in natura ſerpentum deſcribenda,& planè omni rerum vſu vani fuiſſe videntur, quoniam plura de illis ſordidè,& negligenter, immò plena mendaciis memoriæ commendarunt, vt inquit Hermolaus Barbarus *lib.* 2. *corollariorum in Dioſcoridem, cap.* 219.

At horum auctorum dicta ridicula eſſe nemo non videt, qui teſtimonia probatiſſimorum auctorum attentè contempletur. Nam Baſiliſcum exiſtere in rerum natura frequens memoria eſt. Eſt in primis veneranda ſacri textus auctoritas, *Pſalmo* 90. dum regius Vates ſic cecinit. *Super Aſpidem, & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem.* De Regulo, quem eſſe eundem cum
C Baſiliſco, infrà patebit, ſunt alia loca in Scriptura Sancta. Sic enim hominum ſapientiſſimus loquitur 2. *Prouerb. Ne intuearis vinum, quando flaueſcit: cùm ſplenduerit in vitro color eius, ingreditur blandè, ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet.* Iſaias 14. ſic prædixit. *Ne læteris Philiſthæa omnis tu, quoniam comminuta eſt virga percuſſoris tui; de radice enim colubri egredietur regulus, & ſemen eius abſorbens volucrem.* Cap. verò 59. ſic. *Oua Aſpidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt: qui comederit de ouis eorum, morietur, & quod confotum eſt, erumpet in regulum.* Ieremias *cap.* 8. ſic fatur. *Ecce ego mittam vobis ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio, & mordebunt vos, ait Dominus.* Firmant Rabbini non incelebres *in com.* Raſi, Dauid Kimhi, Diuus Isha k, Brabanelius, & alij

D Baſiliſcus ergo nomine, & voce magis notus eſt, quàm viſu. Eſt animal regium, dictum à Baſilica, quod nomen Græcè domum regiam ſignificat, & ſic ab auctoribus, diademate & corona in capite inſignitur: nam triplici frontis apice, quaſi alba mitrula, & planè ornatu regali condecoratur, & ab aliis Regulus, quaſi venenoſorum animalium rex paruus, regulúſve appellatur, quoniam omnium ſine dubio peſtilentiſſimum eſt animal, quod tanquam regem reliqua venerantur, & colunt, & vt potentiſſimum tyrannum fugiunt, cúmque velut immanem, & dirum auerſantur.

Sunt ergo ſynonima, Baſiliſcus, & Regulus; hic enim, regnum paruum, & regem paruum denotat. Dicitur, enim, Ioſuæ 13. cap. *Terra Chanaam diuiditur in quinque regulos Philiſtiim,* hoc eſt, in quinque regna parua, quæ
E numerantur ibi: quare idem eſt Baſiliſcum, & Regulum compellare, regémve paruum animantum: nam hæc inter ſe non diffident. Probat Plinius etymologiam hanc, *lib.* 8. *cap.* 21. ſequuntur Auicen. *hoc. loco.* Dioſcorides *lib.* 6. *c.* 21. Galenus *lib. de theriac. ad Piſon. cap.* 4. ſic ait. *Nam Baſiliſcus, bellua ſubflaua, & triplici frõtis apice munita, vel ſi cernatur tantùm aut ſibilus eius audiatur, actutum hominem perimit. Quòd ſi ex cæteris animalibus aliquod attigerit animal, à Baſiliſco extinctum ſubitò etiam exanimatur.* Subſcribunt Solinus *cap.* 4. *Polyhiſtor.* Archelaus *lib.* 2 *cap.* 9.

Audi Plinium *loc. cit. apud Heſperios Æthiopas, fons eſt Nigris, vt plerique exiſtimauere Nili caput, iuxta hũc fera appellatur Catoblepas, quaſi ſomnolenta, & pigri viſus, modica alioqui, cæteriſque mẽbris iners, caput tantùm prægraue*

ægrè ferens,idque deiectum ſemper in terram aliàs internecio humani generis,omnibus,qui oculos eius vidêre,confeſtim expirantibus. Eadem & Baſiliſci ſerpentis eſt vis.Cyrenaica hunc generat prouincia, duodecim non amplius digitorum magnitudine,candida in capite macula,vt quodam diademate inſignem,ſibilo omnes fugat ſerpentes , nec flexu multiplici, vt reliquæ,corpus impellit,ſed celſus & erectus medio incedens. Necat frutices ; non contactos modò verùm & afflatos , exurit herbas, rumpit ſaxa,tanta vis malo eſt. Creditum ex equo occiſo haſta,& per eam ſubeunte vi, non equitem modò, ſed equum quoque abſumptum, &c.

Solinus *loco adducto*, hoc animal tantæ conſtituit virulentiæ,vt emortuus adhuc,non ſolùm viuus inficiat,alites immò præuolantes halitu,vt quæ momordit, nullum animans cõtingat in poſterum.Hoc firmant Aëtius *tetrab.*4. *ſerm.*1.*cap.*29.Ælianus *lib.*7.*de hiſtor.animal.cap.*1.Albert. Magnus *lib.* 25.*de animal.tit.de Baſiliſco.*Rhodiginus *lib.* 33.*c.*21.Baſiliſcum Ægyptiis dici vræum,ſeu aureũ,quòd auri referat colorẽ tergoribus,& capite,quo pacto noſtri vnguentum baſiliſcum vocant,quòd ſit aurei coloris illud.

Baſiliſci non eſt forma vna,aut effigies,immò variant, vt ſerpentes reliqui. Eſt enim Catoblepas Baſiliſcus,Dryinus etiam Baſiliſcus eſt,figura varia.Baſiliſco acutum maximè caput eſt , breue,altum forma ; magnum verò ; rotundum,planum ſupernè Catoblepæ inſtar.Eſt Catoblepa, Harmene Arabum,diſſidens magnitudine ſolùm, reliquis eadem.Eſt Dryinus capite aſpideo:Hoc ita eſſe, probant, Dryini ſerpentis accidentia, & effectus,quibus rerum ſpecies,& ſubſtantias percallemus , communia vtriſque:nam ex ſententia Aëtij flatu adurit, viuentia enecat,rumpit ſaxa halitu tetro,noxio,mortifero,vt Nicolaus Leonicenus, vir præſtanti doctrina excellens cõfirmat *lib ſuo de ſerpentibus in med.*& priùs firmauit Gal.*l.de theriac.adPiſon.c.*4.

De hac immani fera ſic ſcribunt Aëtius *tetrab.*4.*ſerm.*1. *c.*33.Archelaus antiquiſſimus auctor,à quo,in exponenda animalium hiſtoria,plura deſumpſit Ælianus *lib.*2.*c.* 7 *In Africa multos,vel cæſos,vel citi animo deficientes pleroſque mortuos humi iacere,proiectos nouimus , ſæpéque magnam ſerpentium vim confluere ad eorum cadauera deſpacenda: eas verò Baſiliſci exaudito ſibilo ſtatim ſeſe in cauernas intrudere , aut infra arenas ſe abdere , vt ille eò profectus, vbi iacent inſepulta cadauera,in tranquilla permultæ pacis libertate prandeat ſolus:poſtea verò pranſus,ſibilo repetito, latitantibus ſerpentibus ſignum dare abſentiæ , séque iam pranſum ex cadaueribus abire.*

Ælianus ſic. *Baſiliſcus, etſi magnitudine ſit dodrantali, tamen ſerpentium maximos,ſola ſpiratione necat,& ſi baculum quem quiſpiam tenet, ille momorderit,baculi aſportator necatur.*Ita Lucanus cum his auctoribus maximè conſentit , qui *lib.* 9 ſic ait.

Sibiláque effundens cunctas terrentia peſtes,
Antè venena nocens,latè ſibi ſubmouet omne
Vulgus,& in vacua regnat Baſiliſcus arena.

Quid vltra?nonne mirabilia ſymptomata enarrat Aëtius *tetrab.* 4.*ſerm.*1.*cap.*29.quæ ad venenum huius animantis ſequuntur,dum ſic ait.*Caterùm percuſſos ab eo totius corporis ardor comitatur, itémque liuor, defluunt capilli,mors inſtantanea.Corpus eius mortuũ nullũ contingit animal,carniuorum,cùm calcent reliqua,& conculcent contingántque:cõtingens enim emoritur illicò,viſu, & auditu necat,ſibilo, & aſpectu;quare vana ſunt omnis naturæ remedia,& auxilia, & medicamina, &c.*Sed mirabilius eſt quod narrant naturæ interpretes, huius tanti animantis robur,venenum tantum,ſummam & indomitam ſtragem, virulentiá inſuperabilem, omni animali valde infeſtam,ſolo Galli gallinacei cantu exaudito exanimari , langueſcere , & omnino deficere.Hoc affirmat Ælianus *lib.* 5.*cap.*50. §.*Gallorũ cantus Leones exterret metu,Baſiliſcos exanimat,&c.*& *lib.*3.*cap.* 40.ſic ait.*Leo Gallo gallinaceo magno timore afficitur,eodem timore eſt Baſiliſcus : quum enim eum videt, tremit animo, cúmque eundem audit canentem,terrore concuſſus propemodum emoritur.*Quam rem non ignorantes qui per Africam iter faciunt, Gallum itineris comitem ſibi adiungunt , qui eos à tam peſtilenti malo Baſiliſci prohibeat.

Sed quid pluribus opus eſt,vt comprobemus dari Baſi-
A liſcum in rerum natura?hoc non ignorauit totius naturæ genius mirabilis,qui *lib* 8.*de hiſtoria animalium*,plura ſerpentum genera deſcribit , quæ ſibilo ſolùm interficiunt An illum hoc ignoraſſe dicendum eſt, cui ob admirandam rerum naturalium peritiam veteres ſtatuam erexerunt ? vt in eius vita Calliſthennes eius diſcipulus confirmat,& notauit deinde Ioann.Petrus Nanneſius, Barcinonenſis doctiſſimus *in Scholiis ad eius vitam,num.* 2.

Si enim auctores veteres,& recentes perpendas & examines,Baſiliſcum exiſtere,& auditu, & viſu interficere inuenies. Nam Eraſiſtratus *lib.*14.*c.*9.Paulus *lib.* 5.*cap.* 20. ad eius morſum laudant Caſtorij drachmas tres , aut opij ſcrupulum vino ebibitas.Subſcribunt Fracaſt. *lib.*1.*de antipath.cap.*1.*in fin.*§. *Catoblepa animal, hominem ad mille paſſus conſpectum interficit,&c.*Cæſalpin.*lib.*3.*qui eſt de ve-*
B *nenis,c.*40.Scaliger *exercit.*246.Mercurialis *lib.*1.*de morb. venenoſ. c.*21.gloriatur ſe vidiſſe cadauer Baſiliſci, in theſauris Maximiliani Imperatoris reſeruatum,Fernel. *lib.*2. *de abditis,cap.*14.*in princip.* Auicennæ hiſtoriam amplectitur. §.*Baſiliſcus tantæ perniciei ab Auicẽna deſcribitur, vt non eos modò,qui vel manu,vel alia corporis ſui parte,ſed etiam qui virga attigerint, momento nocet : quod viſu , & ſibilo efficere tradunt , &c.* Lacuna & Marcel. Vergilius *in Dioſcorid.loc.cit.*Claudius Salmaſius *in com.citati cap.Solini,fol.*370.*num.C.*Sennertus *lib.*6.*de morb.occultis, part.* 6.*c.*12.*de Baſiliſco.* Hermolaus Barbarus *in com.c.*25.*Plinij lib.* 18.Riolanus *ad lib.*2.*de abditis Fernel.cap.*15.Valleſius *cap.*48. *lib.de ſacra philoſoph.* Baſiliſcum interficere exeuntibus viſoriis radiis, cum quibus ſunt permixti va-
C pores venenoſi, aſſeuerant.

Nos, hos viros, priſcorum Medicorum exemplaria,& Iuniores omnes,noſtræ artis fortiſſimos duces proſequemur modò,qui diffusè in vaſtis ſuis libris,Baſiliſcum eſſe in rerum natura affirmarunt. Quis ergo de hac veritate ambiget?de firmitate dubitabit? De Cardano non loquor: quem in Aphoriſmis ſæpè non ſolum contra Auicennam , verùm aduerſus Galenum,Medicorum magiſtrum, plura inflatis buccis effutire , omnes norunt ſicut Hermolai Barbari rationes floccipendo , qui in ſegetem alienam, hoc eſt , ſcholam medicam, falcem immittens,ſæpe miſerè labitur,dum Plinij,& Dioſcoridis libros interpretatur. Sed dolendum maximè de Matthiolo doctiſſimo, qui in hoc difficili euripo fluctuat valde , iactatur , pro-
D celloſiſque agitur tormentis perperam : namque *in com. vlt.c.lib.*6.*Dioſcoridis*,fœdere relicto Auicennam temnit & damnat, Medicus , ſi quis alter in obſcurioribus animalium arcanis perſcrutandis ſagaciſſimus.

Horum argumenta ex profeſſo diſſoluamus , & quæ contra præceptorem Auicennam monſtra arroganter pepererunt,perdomemus. Quare Cardanus inquit quod non eſt duorum palmorum, ignorans prorſus hoc animal etſi mole minimum , eſſe ex Aëtij mente,duodecim ad maius longitudinem digitorum, aut trium palmorum magnitudinem æquare , & aliquando ad palmum accedere firmat Solinus *lib.polyhiſtor .cap.*5. quam varietatem ex diuerſo climate,vario cœli ſtatu,& terræ ortu accidere,citati docuere auctores.

Neque fabuloſum exiſtimandum eſt,militem occubuiſſe,qui Baſiliſcum cum lancea tetigerit Quod ita eſſe præter teſtimonium ipſius Matthioli *loco cit.*alij probatæ fidei
E auctores appoſitis hiſtoriis affirmarunt. Narrat Scaliger *exercit* 200.*ad ſubtilit. Cardani* , in Lombardia , & agro Ferrarienſi ſerpentum magnam copiã eſſe,in quo cùm quidam in venatione cum Hiſpanica lancea ſerpentem interfeciſſet,eũ,eiúſque equum morte fuiſſe elatos.Hoc modo cùm Iacobus Riconius ingenti venabulo anguem tranſuerberaſſet, & virus expreſſum manum eius attingeret,factum eſt,vt manus cum toto brachio,cum intolerabili dolore cutéque detracta intumeſceret,ſed tandem idoneis remediis conualuit, vt refert Vidus Vidius *ſect.*2.*lib.*2.*de curat.membrat cap.*13.Idẽ ſe obſeruaſſe affirmant Alphonſ. Ferreus *lib.*1.*de ſclopetor.vulnerib.cap.*4.Amat.1.*centur.*61. Quare non eſt dubitandum,eſſe venenorum genus , quod tactu interimat:vis enim venenata per cutis poros ad interiores meatus, & venas, arteriáſque, & tendines ocyſſimè

penetrat,

penetrat, per quas, velut per quoſdam riuulos ad nobiliora membra defertur, aliud poſt aliud inficiendo, ab eáque parte ſumpto initio, quæ primo contactu læſa eſt, donec ad ipſum cor, vti membrorum omnium nobiliſſimum peruenerit. Cuius quidem rei cauſa arteriæ ſunt, quæ ſua dilitatione ſemper attrahunt quicquid eis offertur. Venenata ergo animalia non minùs per tactum, quàm per morſum nocere queunt. Hoc modo torpedo, piſcatoris manum per medium tridentem reddit torpidam, ex Galen. *6. de loc. affect. cap. 5.* Sic ſerpens vocata Ptyas, ceruicem exporrigens, longitudinémque interualli metita, venenum corporibus inſpuit, ex Galen. *lib. de theriac. ad Piſon. cap. 4.* Hac ratione ſputum canis rabioſi ſi cutem tetigerit, in rabiem agi animal eſt neceſſe, ex Gal. *6. de loc. c. 5.* ex his enim tenuis humiditas, aut ſpiritalis aura venefica alteratione continua communicatur, quouſque partes principes concutiat, & proſternat. Ita miles qui lancea ſerpentem perfodit, occubuit. Hunc mortis modum eleganter explicuit Lucanus *lib. 9.* dum de Murone illo feroci milite verba fecit.

Quid prodeſt, miſeri, Baſiliſcus cuſpide Murro
Tranſactus? Velox currit per tela venenum,
inuaditque manum, quam protinus ille reiecto
Enſe, ferit: totóque ſimul demittit ab armo,
Exemplárque ſui ſpectans miſerabile lethi.

Neque eſt mirum, quod animal quoduis tranſiens iuxta ipſum, moriatur, aut plantæ omnes in illius circuitu marceſcant: cùm enim hoc animal virulentum vaporem ex ore, faucibúſque pernicioſis exſufflet vbertim, hæc illius aura pernicioſa velut peſtilentiſſimo vapore contaminata, ad diſtánſque infecta contabeſcunt & emoriuntur.

Si verò Galenus hoc animal non vidiſſe aſſeuerat, non ex eo id non exiſtere in rerum natura affirmabimus: omnia enim videre nõ potuit, Medicus alioquin diligentiſſimus, plura enim noſtro æuo afferuntur exotica remedia, medicamenta varia, quorum ipſe nec nomen per ſomnium agnouit, quæ poſt eum oculatiſſimi viri inuenerunt. Varia enim animalia quotidie producit Africa, America, & aliæ regiones noſtro ſæculo inuentæ. Animal ergo hoc procreari à natura, cæterorum venenoſorum animalium inſtar, non eſt cur negemus.

Ad Baſiliſci contagium acc edamus, quem viſu & ſibilo ad diſtans enecare, fatentur auctores. Cùm enim hoc virulentum animal fixo obtutu ſpiritibus veneficis, & ſanguinc motis in oculos bile, & melancholia inquinatos, liuore, & odio naturæ commotos in faciem, & externa animantis, venena tetra expellat iugiter, & continuò venenoſas exhalationes, fit vt qui inſpexerit, emoriatur, quoniam venenum ocyùs cor penetrat, quo occupato ſubitò occumbit animal. Viſu verò potiùs, quàm alio ſenſu venenum diffunditur, quòd ſanguinis, & ſpirituum copia, huic ſenſui inſit, impertiatúrque maior cæteris, cùm ſit ſenſus actionis altioris, perfectioriſque multò reliquis aliis: purioribus enim, & in maiori copia ſpiritibus eget, vt in iis perſpicuis, & lucidis rerum ſpectra eluceant, & fulgores rerum emineant, perfectiuáſque qualitates viſus organum ſuſcipiat.

Hinc clauſo vno oculo protuberat alter, & in maiorem molem inſurgit, copia ſpirituum, & ſanguinis vni commiſſa, quæ in alium confluere debebat. Quare ſi viſiui ſpiritus ſuapte natura ſunt lucentes, & ignei, & fulgurant in noctibus, qui etſi ſint aëreæ naturæ, lucent tamen, quòd ignis portiones aliquot in eis reſideant: quantò magis potentiores, actiuioréſque erunt baſiliſci ſpiritus oculorum, tenuis ſubſtantiæ, & ſubtilis, animantis ignei, & vrentis, qui exeuntes ab oculis, halitu ſpirante tetro, ad diſtans inficient, & inquinabunt præcipuè hominem contagio, ob contrarietatem, antipathiam, & repugnantiam ſummam: quare ſpirituales venefici halitus eò tendunt magis vbi conuertit aciem linea recta, plus pupilla in obiectum.

Auditu etiam, & ſibilo interimit hoc animal teterrimum ſpirante halitu, forti ſufflatione ſibilans, propiùs tamen, eo animantia inficit, alterato aëre priùs in viſceribus virulentis, corde, & præcordiis, vt elo quentiſſimè probat Paulus Zacchias *lib. 2. quæſt. medic. legal. tit. 2. q. 2. n. 16. Lib. V.*

A Refert Ælianus *lib. 5. c. 31.* Baſiliſcum cor habere in gutture, fel in inteſtinis, teſtes ad caudam, venenum oculis, & ore. Agunt quædam in magnum ſpatium, nulla ſubſtantia immiſſa, ſola virtute, luminis modo effuſa per medium, vt magnes attrahit ferrum. Hoc pacto oculi inuidorum, liueſcentium, iratorum noxam inferre valent: nam animi motus quaſi in animæ feneſtris oculis repræſentantur, ita Prouerb. 16. *omnes viæ hominis in oculis eius.* Ita *nequam eſt oculus liuidi, & auertens faciem ſuam,* Eccleſiaſt. 14.

Vltimo negandum non eſt, aliquem vidiſſe Baſiliſcum: Patet, quia Galenus loquutus *lib. de theriac. ad Piſon.* ex aliorum ſententia effigiem animalis huius propoſuit, & Paulus, edoctus ab Eraſiſtrato, & Dioſcoride, parat præſidia contra huius morſus virulenti perniciem vtiliſſima.

B Aura peſtifera eminenti quodam perdendi modo, contactu, fomite, & ad diſtans animalia interficit: attamen non omnes qui cum peſtilentibus conuerſantur, peſte inficiuntur, nec pereunt, prout eleganter protulit Galenus *lib. 1. feb. cap. 4.* quare non omnes, quos inſpicit Baſiliſcus, occumbunt, ſed aliqui ſuperſtites euadere queunt, qui huius animalis effigiem in propatulum reponant. Atque in hunc modum, hanc auctorum de Baſiliſco diſcordiam componendam puto, quam ſi politiori ſtylo ſolutam, huiúſque hiſtoriam elegantiùs delineatam legere concupiſcis, reuolue per otium, vaſtum illum *de ſerpentibus librum* Geſneri *tit. de Baſiliſco*, qui facundè, & luculenter more ſuo, de hac dira fera plura notatu digna commemorat. Vtrùm verò Baſiliſcus, ex ouo Galli gallinacei decrepiti excluſo generetur, dubium eſt: & pro parte affirmati-

C ua extat memorabilis hiſtoria, apud Ioannem Pincierum *lib. 3. ænigmat. 3.* quam per otium lege; ex qua huius feræ, & veneoſiſſimæ beſtiæ venenum præſentaneum, præſertim afflatu, & viſu illatum dignoſces, & vnà figuram, ſubſtantiam, colorem, magnitudinem, & plura alia de Baſiliſco inuenies.

Scitu tamen iucundiſſimum eſt, qua induſtria capiatur, perimatúrque, & quidem impunè; terrificus hic omnium animantium regulus & tyrannus. Scribunt Ludouicus Viues *in lib. 18. de ciuitate Dei, ad cap. 13.* Ioan. Baptiſta Porta *lib. 8. magiæ natural. c. 13.* Maiolus *colloq. 8.* & Cauſſinus *lib. 9. ſymbol. 19.* contra Baſiliſcum ſerpentem armari homines ſpeculis, vt ſerpens ipſe ſe videat: nempe ſi ſe in ſpeculo intueatur, repercuſſo in ſe halitu propriis

D telis enecatur. Porrò Baſiliſcus ad ſpeculum moriens (eſt Cauſſini apodoſis,) ſymbolum eſt inuidi & calumniatoris, qui cùm maledicta in puram iaculatur animam, ſuis inde ſagittis conficitur. Sic in eam materiam luſit aliquis ingenuæ indolis Poëta:

Acer in aduerſo dum figit lumina vitro,
Niliaca ſerpens peſtis acerba plagæ,
Obſcurat glaciale decus lethalibus auris,
In caput auctoris ſed redit omne ſcelus.
Namque repercuſſo in corpus ſpiramine, vitam
Quam dederat (mirum!) ſpiritus ipſe rapit.
Sic cum peſtiferæ torques conuitia linguæ
In puros, proprio te iugulas gladio.

E *HIST. VI. CORNELII CELSI.*
De Aſpidis veneno.

Puer ab Aſpide ictus, aceto ſuperbibito, liberatur.

HÆc aduerſus omnes ictus communia ſunt: vſus tamen ipſe edocuit, eum quem aſpis percuſſit, acetum potiùs *bibere debere, quod demonſtraſſe videtur caſus cuiuſdam pueri, qui cùm ab hac ictus eſſet, & partim ob ipſum vulnus, partim ob immodicos æſtus ſiti premeretur, ac locis ſiccis alium humorem non reperiret, acetum, quod fortè ſecum habebat, ebibit, & liberatus eſt, &c. Cornelius Celſus* lib. 5. cap. de Aſpidis ictu.

PARAPHRASIS.

Diuinus ille Hebræorum legiſlator Moſes, Philoſophus inſignis, incomparabilis Medicus, in inclytis Ægyptiorum litteratum emporiis educatus, & ſacro lumine afflatus, ſic prædixit, *Deuteronomij* 32. *Fel Draconum vinum ipſorum, & venenum Aſpidum inſanabile,* quaſi ſummus vir explicet naturam aſpidei, præpotentis veneni, quod ſuapte natura eſt dirum, immane, inſuperabile.

Dicitur ergo hoc animal à Græcis Aſpis, quòd hic ſerpens frequentiſſimus ſit in inſula dicta Aſpis, in mari Lycio, ex Plinio *lib.*1.*cap.*31. à quo auctore tres huius animalis conſtituuntur ſpecies: firmant Paulus *lib.* 5. *cap.* 19. Aëtius *tetrab.* 3.*ſerm.*1.*cap.*20. quædam ſunt terreſtres, ſeu Cherſææ dictæ; quædam chelidoniæ, quæ circa fluuiorum ripas, præſertim Nili, latibula poſſident; dictæ chelidoniæ, quòd colore hirundines aues, Græcis appellatas chelidonas imitentur, parte dorſi cærulea, & nigricante, tum quòd ventre æmulentur viride chelidoniæ virentis herbæ, quædam verò Pryades nominantur, ex Plinio *lib.* 28. *cap.*6. quòd venenum in occulos expuant, hóſque ſolùm interficere tentent, obcæcaréque antipathia, & contrarietate naturæ oculorum ſplendoribus obuerſantes, nulli enim alij conantur officere parti, præterquam altiori, & perfectiori ſenſui animantis.

Aëtius ſic eas diſtinguit. Cherſææ, ſeu tereſtres, maiores ſunt, & quandoque ad quinque cubitorum longitudinem extenduntur: Ptyades cubitales: Chelidoniæ, cubitales, & aliquantulum maiores. Ita ſentiunt Plinius, & Paulus *loc. cit.* Galenus *lib. de theriac. ad Piſon. cap.* 3. 4. *&* 5. Dioſcorides *lib.* 6. *cap.* 52. *&* 68. Rhodiginus *lib.* 25. *c.* 31. *&* 17. *cap.* 14. Auicen. 6. 4. *tract.* 3. *cap.* 21. 24. 26. Mercurialis *lib.* 1. *de morbis venenoſis. cap.* 11.

Hæc fera, igneos prótuberantéſque coniicit oculos, fulgoris plenos, linguamque exerit viperæ more, capillamentis diſſectam; natura ouiparum, non viuiparum animal, oua ſolùm excubans, aliorum ſerpentium more, conuoluta membranis, quæ fouet mas; fœmina autem de victu eſt ſolicita, quòd ſit robuſtior, ferociórque natura mari. Terræ puluerem catulis ſubortis in lucem primò ſuppeditat, quem lingunt pòſt toto vitæ decurſu, ſi deſunt reliqua, non ſecus ac reliqui ſerpentes, mures, & alia: quare Iſaias 65. ſic dixit, *Serpenti puluis panis eius.*

Communes, viperæ magnitudinem æquant. In Africa ad quatuor cubitorum magnitudinem accedunt. Amplitudinem verò dixit Nicander *in theriacis ſect. de viperis,* tantam eſſe, quantus eſt iactus ſagittæ communis, terribilis virulentiæ moles. Vario depictæ ſunt, & diuerſo colore, aliæ albicant, corpore ſqualido, dorſo virides, & maculis inſperſæ cinereæ, ardentes, ignitæ, nigræ. Huius animalis ea eſt fœcunditas, vt ſexaginta oua ſimul circumligata membranis exponat, ex Plin. *lib.* 10. *c.* 74. Æliano *lib.* 3. *cap.* 32.

Icti ab Aſpide incendio flagrant & æſtuant, poſtea verò ſpiritibus calidis reſolutis, tenuibúſque ſanguinis partibus virulagine tetra euaneſcentibus ſiſtitur ſanguis, concreſcítque frigore ſuccedènte, calidorum abſentia, ſubſtantia calida exoluta euolante, ſubita potentia veneni. Ipſa verò venenata omnia torpida, ſomnifera, grauia, mucore illo frigido vndequaque ſunt referta. Inſuper icti ab Aſpide ſentiunt ſtuporem, pallorem vultus, cordis tremorem, refrigerationem, crebros hiatus, & alia.

In huius morſus ſubſidium, Dioſcorides *lib.* 6. *cap. vlt.* protinus iubet ictam partem amputare, aut ſcalpro confeſtim circumcidere, & vſtionem facere. Ariſtolochia cumvino pota, trifolium herba, radix haſtulæ regiæ ſimiliter aſſumpta, & fructus ex omni quercus genere, & tuſæ ilicis radices, & illitæ parti ictæ auxiliantur, Optimum etiam eſt theriacam, & mythridatium exhibere, & alia quæ cardiaca ſua vi venenoſorum animalium morſibus auxiliantur. Rutæ, & centaureæ puluis, vtiliſſimus cum mero, quæ præſidia, eſſe propria contra Aſpidis morſus antidota, firmat Chriſtophorus de honeſtis *in ſuis problematibus de venenis, probl. de morſu aſpidis,* ſubſcribunt Nymphæus *lib.* 9. *de venen. c.* 10. Philadelphus *lib.* 30. *c.* 3. Sunt etiam de hac claſſe, fel muſtelæ, cimicum puluis, vrina humana, hyoſcyamus & alia tradita à Plinio *lib.* 24. *cap. de vrina.* Omnia tamen hæc & alia contra hunc virulentum Aſpidis morſum alexipharmaca, longo interuallo ſuperat aceti potus, de cuius vtilitate *in com.* plura dicemus,

Adnotatione verò dignum illud quoque eſſe debet, abſtruſa naturæ arcana indagatoribus, pertinaciſſimum duellum, magníſque auctorum elogiis concelebratum, quod ineunt Ichneumon, & Aſpis: quod odium, inimicitiam, diſſenſúmque mutuum inter has animãtes antiquiſſimus deſcrpſit Nicander; dum de horum antipathia, & pugnanti natura verba facit. Proinde ſolus Ichneumon citra noxam Aſpidis furorem fert, & cùm pugnam cum ea init, declinat, & triſtia ſerpentis oua, quæ ipſa in perniciem multorum fouet in terra planè omnia diſcerpit, & pelliculis ſuis lacerans, deuoránſque excutit, noxíſque ſuis confringit dentibus.

Plinius ſic de Aſpide *lib.* 8. *c.* 25. *Habet deinde internecinum bellum cum Ichneumone. Notum eſt animal hac gloria maximè, quod Aſpidas ſuperat, in eadem natum Ægypto: Mergit ſe limo ſæpius, ſiccátque ſole, mox vbi pluribus ſe eodem modo coriis luteis loricauit, in dimicationem pergit, in eam caudam attollens, ictus irritos auerſus excipit, donec obliquo capite ſpeculatus inuadat in fauces aſpidis venenatas, neque hoc contentus, aliud haud mitius debellat animal, Crocodilum Ichneumon.* Quam hiſtoriam Ælianus *lib.* 10. *de hiſt. animal. cap.* 48. Martialis deſcripſit *lib.* 7. *epigram.* 86. § *Delectat Marium ſi pernicioſus Ichneumon,* cuius mentem graphicè explicuit Mathæus Raderus huius Poëtæ famatiſſimus interpres.

Eſt Ichneumon, Indicus mus, magnus cuniculi inſtar, caudæ ampliſſimæ, qua ſe totum obtegit & cingit, terra genitus, & ſolis virtute, & cæterorum animantium ritu ex putrefactione ſubortus. Nilo, eiúſque oris frequentiſſimè habitat. Hermaphroditus natura, ſexúque vtriuſque particeps, qui tam maris, quàm fœminæ officium exercet; quare caloris fotu, & terræ vditate generatur, quod Ouidius indicauit *in Metamorphoſi* in hunc modum.

Quippe ibi temperiem ſumpſere humorq́, calorq́,
Concipiunt, & ab his oriuntur cuncta duobus.
Trunca vident humeris, & eodem in corpore ſæpe
Altera pars viuit, rudis eſt pars altera tellus.

Eſt autem Ichneumonis forma, qualis eſt iracundæ ictidis, ſeu muſtelæ, quæ auibus domeſticis perniciem meditatur, Parat nidum Ichneumon ſuper tabulata aliquot lignoſa, & exſucca, ne humiditate torpeſcat: fouet ſobolem continuò ſub brachiis, cuius pugna cum Aſpide eſt iuxta Ægypti florentes iuncos muſcoſos, fluuiatiles irretitos alga. Sed cùm nihil natura relinquat ſine vindice, vt homines in perpetua militia eſſe totius naturæ exemplo perſentirent,) *militia eſt vita hominis ſuper terram,* dixit Iob *c.* 7.) Ichneumonis luteis loricis munito, vndique armato, hoſti accerrimo Aſpidum, obiecit natura Aſpidem adhuc Ptyam, cuius eſt ille naturæ inſtinctus, vt virus expuat in lumina, & oculos, cum quibus ſolùm habet repugnantiam, vt eam partem, quam ſolum peruiam, immunitámque reliquit Ichneumon, periculum ſubeat; & quam videndi cauſa luto non infecit, nec vallauit, ea excidium, & mortem paret, vt qui in Aſpidas acriter inuehitur, his idem morti ſuccumbit.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm acetum virulentis animalium morſibus, aliíſque venenoſis morbis reluctetur.

Acetum.] Priſcorum Medicorũ phœnix Dioſcorides *lib.* 5. *c.* 11. *de aceto,* præter plurimas, eâſque admirabiles virtutes, & excellentias, multis curandis morbis neceſſarias, quibus acetum mirè opitulari aſſeuerat, ſic prædixit. *Acetum prodeſt contra venenatos ſerpentium ictus, qui refrigerando nocent, calidũ commodè fouetur, & frigidum iis,*

qua

qua exurens virus eiaculatur. Calidum potum, atque vomitionibus redditum aduerſus omnia venena efficax eſt, præſertim contra meconium, & hauſtam cicutam, conglobatum in ventre ſanguinem, lac coagulatum, fungos, ixiam, taxúmque cum ſale. Quam ſententiam tranſtulit Auic. *lib.* 2. *cap. de aceto.*

Hanc eximiam contra venena prærogatiuam admiratus Plin. *l.* 13. *cap. de aceto*, ipſam hiſtoriam recitat in hunc modum. *Nam neſciunt Medici quantum contra Aſpidum morſus valeat acetum: Nam nuper ab Aſpide percuſſus, vtrem aceti ferens, quoties depoſuiſſet, ſentiebat ictum, vbi verò vas illud recipiebat, dolor, & anxietas ceſſabant, &c.* Ex his diſce, acetum, validiſſimum eſſe aduerſus virulentorum animalium morſus alexipharmacum, quoniam & venenum exugentes hoc ſolùm colluere os conſueuere, & ſanitati reſtituuntur eximiè.

Sed qua de cauſa hoc auxilium huic operi tantopere proſit, Celſus reſpődet, quia etſi refrigerandi vim habeat, habet tamen etiam diſſipandi, quo fit, vt terra eo res perſa ſpumet; qua vi veriſimile eſt ſpiſſeſcẽtem intus humorem hominis ab eo diſcuti; neque ratio hæc eſt incongrua: ſed alia meo voto potior afferenda: Acetum enim ad arcendum venenum eſt apud omnes familiariſſimum, ita vt inueniantur plures, qui odorato aceto acerrimo in ſpongia imbuto, omne corrupti aëris contagium fugauerint: cùm frigiditate qua pollet, putredinẽ arceat, & grato odore ſpiritus recreet. At cur magis Aſpidum veneno, quàm alterius virulenti animalis noxis reluctetur, ea eſt cauſa, quoniam certum pro hoc debellando veneno, plus quàm cum alio obtinet conſenſum. Huius potu, cæteris etiam applicitis, fuiſſe quendam curatum, qui ab aſpide erat conmorſus, & ſine ſenſu, & voce, grauiſſimis ſymptomatibus oppreſſum, narrant Gulielmus Placentinus *lib* 3. *praxi part.* 2. *cap.* 3. Gentilis *in conſilio, pro quodam ſeruo Dei.*

Aceti vſum, pro curandis morbis, refrænando venenũ peſtiferis, maleficentiſſimiſque febribus, à veteribus fuit celebratum, priſcorum ſcientiſſimorum teſtimonia ſatis confirmant; & probat Ioan. Bochangelinus *lib.* 3. *de curat. feb. peſtilentis, cap.* 4 Vt verò hæc explicentur, aceti priùs natura & vires ſunt pẽſandæ. Ex puriſſima vini ſubſtantia, vitali, & integra, corruptione & impuritate diſturbata, violentia caloris externi humidum vini inſitum, naturæ actione, & putredine acetum fit, oritúrque ſubſtantia diuerſum, forma alterũ non ſecus ac cadauera oriũtur ex viuenti genere dum ſenia intereunt, alterantibus cauſis putrefactione ſuppoſita: quare Galen. 1. *ſimpl.* 17. mortuum vinum, vocat acetum, vinúmque patre, ita Ariſt 4. *meteor. cap.* 3. *&* 26. *probl.* 17. Columel *lib. de arborib. cap.* 4. Macrobius vocat culpatum vinum 7. *Saturnal.* 6.

Acetum diuerſis partibus conſtat, longè inter ſe diuerſis, & oppoſitis: non ſimplex, aut vnum ſubſtantia, compoſitum, immò & varium; nã etſi prædominio ſit frigidum totum, calidiſque affectibus remedio ſit, vt Galenus *lib.* 1. *ſimpl.* latè edocuit, & omnes Medici conſentiunt, & tum intus oblatum, tum extrà applicitum infrigidet: tamen cùm vinum non vniuerſum æqualiter putreat, partes plurimæ ſuperſũt calidæ vinoſi generis, refertæ humidis exhalationibus, interim dum exhalant igneæ partes, putredine diſiunctæ à frigidis, defectu frigidarum quibus temperabantur, quibus fermentat acetum, vinúmve corruptũ; quare efferueſcere facit terram ipſam, & ſpumam eleuat.

Frigidum eſſe teſtantur effectus, Nam extrà admotum adſtringit, repercutit, roborat; quare ex illo paratur oxyrrhodinum bregmati applicandum, quod in phrenitide, lethargo, cæteriſque calidis, & inflammatoriis cerebri affectibus miro eſt ex vſu, ex Galen. 12. *meth. cap.* 21. Quo pacto confert ſodæ calidæ, ex Auicen. *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 77. *de aceto.* §. *Prohibet aduentum apoſtematum, & ambulationem gangrenarum, & ſanat eryſipelam comeſtum, & bibitum, & linitum, & prohibet ambulationem apoſtematis omnis, & confert panaritio, & formicæ, & eryſipelæ, & prohibet vt non eueniat apoſtema, &c.* quo pacto ex ipſo confert aduſtioni ignis.

Intus aſſumptum refrigerat. Quare ſitim hydropicis mirificè extinguit, & ſic aqua chalybeata dilutum, oris

A ardorem compeſcit, vt ſcribit Horatius Reſcrius *in conſil. medic.* 131. & maximè ſi aqua miſceatur; tunc enim meliùs, & citiùs refrigerat, & ſitim compeſcit, ex Iulio Alexandrino *lib.* 33. *ſalubr. cap.* 21. Idcircò ſitim ex inflammatione, balnei æſtu, febriúmque ardore ſubortam lenit, ex Plutarcho 3. *Sympoſ. cap.* 5. Vtrùm autem partes vinoſæ; aquoſæ, an terreſtres, in generatione infrigidentur, diſceptat eleganter Petrus Hiſpanus *lib. diætar. partic. Isbaca. in com. tit. de aceto.*

Eius caliditatem arguunt plura, quoniam abſtergit, liquat, attenuat, diſſoluit, aperit, & penetrat. Eius vi Annibal lapides duriſſimos, inuiáſque Alpium rupes, & inacceſſos aditus fregit, rupitque aceti aſpergine, quod igne, cuius vis eſt potentiſſima, & efficaciſſima, efficere haud po-
B tuiſſet, vt narrat Plinius *lib.* 2. *cap.* 48. Hac vi in tabem, & puluerem vniones, & margaritas reſoluit. Extat apud Plinium notiſſima hiſtoria *lib.* 9. *cap.* 35. Macrob. *lib.* 3. *Saturnal. c.* 17. & refert Langius *lib.* 2. *epiſt.* 33. Cleopatræ reginæ, quæ in cœna adiiciali, & fauſtiſſima, Antonio Conſuli Romano oblata, vnionem pretij centies ſeſtertium acerrimo aceto diſſoluit. Ita ouum in aceto acerrimo triduo maceratũ, aut plus paulò, in eam teneritatẽ teſta molleſcit, vt veluti tenuis membranula per annuli anguſtiam adigatur, vt firmat inter cæteros Grataroſus *lib. de vini natur. cap.* 28. Immò ſilices aceto ſeptem dierum ſpatio in ipſo maceratos, digiti attritu in puluerem reſolui, & lapides renales comminui, firmat Crato *epiſt.* 167. & quod mirabilius eſt, plumbum ex aceto in ceruſa conteritur, vt probat Franciſcus Hildesheim *lib. de cerebri, & capitis morbis.*

Deinde acuit appetitum, quia ſuperflua, quæ in hepate
C ſunt, attenuat, vt docet Georgius Valla *in phyſicis quæſtionibus.* Potentiſſimè penetrat, ita vt Galenus *lib.* 10. *&* 14. *meth.* nullum inuenerit medicamentum refrigerans, quod partibus tenuiſſimis conſtaret, & ampliús penetraret, excepto aceto; ex quo diſtillatus liquor ita mordax, ac qualitate cauſtica imbutus, vt ne ipſi oleo vitrioli cedat, ex Quercetano *in Alexicaco.* Quo pacto facit penetrare medicamenta, ad ea loca ad quæ fortaſſe non penetrarent; & ſic cum eo maioris penetrationis cauſa abluuntur vnguenta, & miſcentur fomenta, ac cataplaſmata, quæ ad ſcirrhoſas partes emolliendas admouentur, in quo pyrites, aut molaris lapis extinctus ſit, vt docuit Galenus *lib.* 14. *meth. cap.* 4. *& lib.* 2. *ad Glaucon. cap.* 5.

Siccitatem eius oſtendunt multa, quoniam eius ope roborat, ſiſtit, adſtringit, fluxum ſanguinis, & ventrem
D compeſcit; quare emplaſtra ventri applicita aceto prius macerantur, vt inter omnes probat Petrus Creſcentius *lib.* 4. *de omnibus agriculturæ partibus. c.* 45. Fructus, vt perſica incorrupta ſeruat, ex Scaligero *exercit.* 176. Nihil putrefactioni obnoxium reliquit, ex Alexandrino *lib.* 18. *ſalubr. cap.* 8. cùm enim ſummè penetret, frigiditatem, & ſiccitatem; qualitates putredini valdè reluctantes, quibus conſtat, in profundum addicit. Facultatéſque excitat ad ſua officia exequenda, ex Baccio *lib.* 1. *cap.* 23. *de natur. vinor.* Vtrùm autem ad medicamenta vetuſtius ſit eligendum, & ad condienda alimenta, recentius, lege apud Petrum Hiſpanum *in com. lib. diætar. vniuerſ. Isbaac. tit. de ſalſamentis, in fin.*

Hac virtute mirifica, tempore peſtis, corpora ab ea præſeruat: quoniam, vt 3. 1. *doct.* 5. *cap.* 1. ait Auicenna, *aceto in cibo, & potu vti in peſtilentia, eſt nocumenti ipſius ſecura-
E tio: quare Medici præcipiũt, peſtifero exiſtẽte aëre, vti aceto in cibo, & potu.* Audi celebrem ſententiam Paræi *in ſua chirurgia, lib.* 21. 8. *Cæterùm acetum omnibus in genere venenis, ſeu calida ſint, ſeu frigida aduerſatur, & putredinẽ arcet, quia frigidum, & ſiccum: itaque in hoc cadauera, carnes, herbæ, fructus, & alia pleraque in multum tempus imputria ſeruantur. Nec verendum, ne illitum corpori frigore ſuo obſtruat: nam tenuium eſt partium, & incocta aromatica aperiendi vim habent. Qui totum corpus eo lauare moleſtum duxerit, lauet ſaltem axillas, regionem cordis, tempora, inguina, & genitalia, quibus cum viſceribus nobilibus maxima eſt, & aperta ſympathia.* Quare extrà applicitum, & maximè roſaceũ, in quo medicamenta alexiteria priùs macerentur, ad præſeruandũ à peſtilenti veneno eſt aptiſſimũ. Probant

Gratarolus *lib. de vini natura cap.*28. Sennertus *lib.* 4. *de febrib.*

Deinde alias præſtantiſſimas habet acetum virtutes, cibariorum enim inſipiditatem & nimiam dulcedinem corrigit, ac emendat, vt Carolus Stephanus *lib.*1. *de nutrimentis* ſcribit, & condimenti numeros omnes implet, ex Alexandrino 18. *ſalubr.c.* 4. Ne ergo mireris, ſi tam multa eſculenta & medicamentoſa cum aceto parentur. Ex eo diſtillantur aquæ ad multos morbos mirabiles, aqua vitæ, & theriacalis, qua felici ſucceſſu ſe vſum fuiſſe tempore peſtilentiæ, gloriatur Bauderonus. Fit acetum laxatiuum, oxymel, oxycratum, Latini poſcam vocant, ſyrupi parâtur acetati, oxyſacchara, & alia quæ plurimis morbis ſummo ſunt ex vſu, vt acetum ſcilliticum, in cuius admirandis virtutibus tam multus fuit Galenus.

In multa denique tranſit remedia acetum, faſtidia diſcutit, ſingultus cohibet, ſternutamenta olfactu ſiſtit. Lepris, furfuribus, manantibus vlceribus, canis morſibus, ſcorpionum ictibus, muris aranei, & ſcolopendrarum venenis auxiliatur, contra aculeatorum virus, & multipedum morſus remedio eſt. Tuſſim veterem inhibet, gutturis rheumatiſmos, orthopnœam, & dentium labefactationem leuat.

Non eſt prætereundum ſilentio, quoſdam graui pedum morbo conflictatos, quum dolori pares non eſſent, demerſis in acetum calidum cruribus, in acerrimo valetudinis impetu, ſoſpites euaſiſſe. Eodem inſtillato, aut mixto cum medicamentis amaris vermes necantur. Anginis vtiliter gargarizatur, gingiuas labantes collutum adſtringit, mobiles dentes firmat, quorum dolores perſanat, graues oris halitus, & putrilagines tollit.

Quapropter licèt vinum tot conſtet prærogatiuis, & dotibus miris, quas non inuenies fortè in tota natura vegetabilium, & acetum ſit vini ſoboles, ſeu potiùs quædam vini regeneratio, difficile erit diſcernere (cùm acetum, liquor ſit vino potentior) vtrum ad vitam ſit vtilius, vinum, an acetum. Si tamen de aceti virtutibus admirandis plura ſcire aues, conſule Petrum Andream Canonherium, virum omni ſcientiarum genere ornatiſſimum *lib.*1. *de admirandis vini virtutibus cap.*4. de cuius tartari viribus ſcitu digna conſcripſerunt Ruellius *lib.*1. *de natur. ſtirp.*143. Renodæus *lib.*1. *ſect.*1. *cap.*3.

HISTOR. VII. GALENI,
De Aſpidis veneno

Aſpidum venenum celeriter interficit, quod illuſtri Cleopatræ Reginæ exemplo comprobatur.

N*Am reuera ſerpentes hi celeriter interficiunt, ſicut ego in magna Alexandria ſpectaui: cùm enim aliquem hoc ſupplicij genere comdemnatum, ſine longo cruciatu, dilationéque necare volunt, Aſpides illorum * cordi, aut pectoribus admouent, ambularéque parum faciunt, atque ipſos breui perimunt. Proinde Cleopatra Ægypti regina cùm venenorum omnium vires in hominibus condemnatis experiretur, vt eo quod magis probaſſet, ſiquando ſors tuliſſet, vteretur, inuenit quidem, & didicit alia quædam venena quæ citò interimerent, mortem per dolores inferre; quæ verò indoloria eſſent, velocitatem illius actionis, qua opus eſſet, non habere, ſed demum ad Aſpidis venenum peruenit, quod ſomnos conciliando occideret, & fratrem fratri, id eſt ſomnum cum morte copularet, vt & ipſa voluntatem expleret, & ſenſu doloris priuaretur. Quamobrem cùm mortuo Antonio coniuge viuere ampliùs non decreuiſſet, & Auguſtum latere vellet, ne in illius perpetuam ſeruitutem redacta eſſet, in ciſta ficuum clanculum abductam Aſpidem, vt ſibi brachium morderet, prouocauit, & ſic ſine conuulſione, dolore, gemitu, molli vultus ſudore, & ſenſuum hebetudine, graui ſopore correpta interiit, &c. Galenus* lib. de theriac. ad Piſon. cap. 8.

PARAPHRASIS.

EX tribus illis Aſpidum ſpeciebus, Ptyade, Chelidonia, & Cherſæa, quas ſupra deſcripſimus, hanc terreſtrem, & ſubtus terram diutius viuentem, à Græcis Hypnalem appellatam, profundiſſimum inferre ſoporem, firmant præter Ælianum, & Plinium, Aëtius *tetrab.*3. *ſerm.*1. *c.*20. Paulus *lib.*5. *c.*19. nam iis, quos ſemel inuaſit, inexplebilem affert dormiendi neceſſitatem, ſic vt citra omne doloris genus diſcedant, lethargo altiſſimo, veternóque conſopiti, morbo, & ſomno inexpugnabili ſepulti, vt non ſolùm ſine dolore, & moleſtia obeant læſi, immò voluptate, blandiſſimóque excitato ſenſu, dulcedine mira, quieti, tranquilli, & placidi, vt quieſcentes exhalent animam, improuiſáque occupentur morte, & inopinatè occumbant, quoniam venenum aſpidum in occidendo ocyſſimum eſt, vt affirmat Bacchius *in prolegomen. venenor. & cap.*15. *art.*1. quapropter venenum Aſpidum vocatur inſanabile, *Deuteronom. cap.* 43. firmat Ariſt. 8. *de hiſt. animal. cap.*29.

Hoc firmant Dioſcorides *lib.*6. *cap.*52. Paulus *lib.*5. *c.*19. Solinus *in Polyhiſtor. c.*30. Neque arguas Aſpidum venenum frigidum eſſe quoniam ad huius animalis morſum ſymptomata ſubſequuntur, quæ frigiditatem arguunt manifeſtè, vt profundus ſomnus; pigritia, torpor: quoniam Aſpides ſunt calidiſſimi: at cùm reſoluant ſpiritus, retracto calore ad viſcera, ſomnus oritur.

Idcircò Cleopatra hoc Aſpidum genere ſubitò diſceſſit, vt eloquenter narrat Antonius Ludouicus Olyſipponenſis *lib.*3. *de occult. proprietatib. cap.*7. ne Mârco Antonio deuicto, victorias, & triumphos Auguſti ſubdita honeſtaret, nullus enim ictus, morſus nullus inter ſerpentes leuior, & minor eſt aſpidis morſu, ſed nullus deterior, virulétiórve in natura omni. Hac antiquitùs feriebantur morte damnati latere ſiniſtro, qui cùm per tres quatuórve ſpatij paſſus proceſſiſſent, concidebant illicò, vita poſtea illic defuncti. Cleopatra cùm apud Ægyptios hoc mortis genus expertum haberet, ſuóque iuſſu multos edicto regio, eo mortis genere damnaſſet, viriliter mortem eodem ſuſtinuit, vt infamiam euitaret, & ignominiam, triumphiſque Auguſti non intereſſet.

Hæc fera minimum infert vulnus, inſenſibile quaſi tum ictu, tum poſtea eſt minimum, magiſque acus punctura leue, minimè dolens, quin dulcedinem affectúmque voluptuoſum, & placidum afferens, immò profundo ſomno mortem infert, quò reſpiciens Lucanus *lib.*9. dixit.

Hinc quæ prima caput mouit de puluere tabes.
Aſpida ſomniferam tumida ceruice leuauit.
Plenior huic ſanguis, & craſſi gutta veneni
Decidit, in nulla plus eſt ſerpente coactum.
Ipſa caloris egens, gelidum non tranſit in orbem
Sponte ſua, Nilóque tenus metitur arenas.

Quare hæc fera vocatur ſomniculoſa, ſeu ſomnifera, quam ſibi appoſuiſſe, Cleopatram teſtantur ſupradicti auctores, quæ, vt Florus notat, ſic morte quaſi ſomno ſoluta eſt, qui proprius eſt affectus Aſpidis: ita Lucanus.

At tibi læua miſer, fixus præcordia preſſu,
Niliaca ſerpente cruor: nullóque dolore
Teſtatus morſus, ſubita caligine mortem
Accipis, & Stygias ſomno deſcendis ad vmbras.

Vocatur etiam ab Ouidio ſerpens peregrina:

Plenáque ſomniferis ſerpens peregrina venenis.

Cùm enim aliæ feræ, & cætera venena, dolorum cruciatibus, conuulſione, anguſtia, euerſione ventriculi, cordis anxietate, & aliis diris ſymptomatis corpus conficiant, Aſpis necat abſque dolore, quia interficit inducendo torporem, & ſomnum profundum, quo qui opprimitur, indolens fit. Huius vulneri inter plura ſuprà recitata antidota, theriacam diateſſaron eſſe ſtrenuum auxilium, inter omnes probat Ioannes Amſteldius *lib.*27. *encyclopædiæ medicinæ, in appendice.*

De Aſpide ex priſcorum muſæis ampliter, nunc ex hiſtoria quæ ſeſe ingerunt haud præterire poſſum. Cur nempe cordi, aut pectori veteres, Aſpides applicabant? Eſt ne in morbis venenatis cor, vera & perpetua ſedes affecta; ita vt veneni deleteria vis, hoc viſcus primò aggrediatur ſéper.

Dic

Dic cum multis, quos latè, & doctè refert Paulus Zac-chias *lib. 2. quæſt. medico-legalium, tit. 2. q. 2. num. 20.* quòd licèt plura venena ex natiua proprietate cordi non ob-ſint, quum vel cerebro, hepati, renibus, veſicæ, aut aliis partibus, primariò aduerſentur, tamen cor patitur ſem-per; cùm enim partes mutuò inter ſe conſentiant, & præſertim cordi illicò ſuas communicent noxas, fieri non poteſt, vt hoc viſcus damnum non ſentiat: de qua re le-ge Mercurial. *lib. 1. de morb. venenoſ. cap. 2.* Veteres autem vt citiſſimam mortem inferrent, pectori, in quo partes ſpiritales nobiliſſimæ, & ad vitam ſummè neceſſariæ ſunt repoſitæ, feras venenoſas applicabant, aut cordi, vt ſic ſpi-ritus vitalis à virulenta aura ſubitò extingueretur prorſus; & cor vitæ fons, flacceſceret in opere; & deficiente, vel abolita virtute pulſatili, impeditáque ſpirituum regene-ratione, animal velut laqueo ſtrangulatum, ſideratorum modo repentè corrueret.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm cor, omnium facultatum ſit principium. Con-tra Ariſtotelem, Peripateticos, & Cæſarem Cre-moninum Philoſophos eximios.

COMMENTARIVM.

Cordi.] De corde, eiúſque principatu agendum hoc loco eſt, nec citra rationem hoc factum putatnam has celebres quæſtiones ob iuſtas cauſas omiſimus *lib 2. in com. hiſt. 38. & ſequentibus.* Quoniam verò in præce-dentibus pro ingenij captu de veneno, cor tandem occu-pante, facta nobis mentio eſt, memorabile dubium hoc adiiciamus, in pugnam pro Magiſtri tutela, contra Ariſto-telem, & Peripateticos, prudenter prodeuntes: nec nos deterrent proceres, & coryphæi, licet fœcunda facundia de eodem argumento ſcribentes, rugatiore fronte armati. Catonianam induunt ſeueritatem, & facem præ ſe ferre gloriantur: nam hi ſtimulis me concitant vehementiùs, & ad capeſſendas diſciplinas incitatiùs promouent. Si enim illoru m fundamenta, & rationes penſes ad vnguem, inuenies Medicorum ingreſſum ſcholas, & vireta Philo-ſophorum iucunda, excellens me præflorare argumen-tum, & illorum placita, etſi ſubtilitate immenſa natura-lium arcena extra omnem aleam perſcrutantia, feliciùs explicaſſe.

Problema eſt admodum difficile, inquit expertiſſimus Rhaſius *6. aph. 8.* in quo Ariſtoteles, & Galenus inter ſe diſſentiunt: nam ſapientiſſimi hominum fuerunt Hippo-crates, & Plato, quibus tamen citra demonſtrationem credendum non eſt, *3. de placit. 5. in fin. 6. epid. ſect. 2. com. 25.* & *ſect. 4. com. 19.* & alibi paſſim. Quo pacto ab alia tranſeundú, ſed non antequam Galeni ſententia circa ani-mæ principatum in examen trahatur: licet enim Medici non ſit animæ eſſentiam ſpeculari, *6. epid. ſect. 5. com. 1. & 5.* eo quod illius cognitio nec ad morborum curationem, nec ad ſanitatis tutelam quicquam faciat: intereſt tamen Medicis, & magis quàm Philoſophis, cognitionem habe-re in quanam corporis parte princeps animæ facul-tas contineatur, quæ princeps dicenda ſit, & num vna tantùm principatum obtineat, vel plures ſimul, vide-licet vt in principum facultatum læſionibus ſciant ægro-tanti loco præſidia adhibere, *9. de placit. cap. 7. & 2. de loc. affect. cap. vlt.* Auerrhoës *2. collect. 9.*

Quod verò principatus vniuerſus ſoli cordi tribuen-dus ſit, quódque in eo, veluti in fonte, primáque radice & origine, princeps animæ facultas, & reliquæ omnes quæ præſides nuncupantur, animalis nempe, vitalis, & naturalis reſideant, cum Ariſtotele contendunt Peripate-tici, & alij, quorum numerum operoſum eſſet valde re-cenſere, quos ſequitur Cæſar Cremoninus, inſignis ſanè Philoſophus *lib. de calido innato*: confirmant autem his potiſſimùm fundamentis.

Primò. Anima hominis ſicut vna tantum eſt, ita vni tantum membro aſſiſtit, ex quo cætera omnia gubernat, *lib. de iuuentut. cap. 2. lib. de animal. greſſu ad fin.* Igitur in il-

A lo virtutes omnes vigebunt, ab illóque in reliqua emana-bunt: cùm autem tale membrum ſit cor, & non alia de cauſa in medio corpore à natura conſtitutum, illud ſolum erit princeps, ac virtutum ſedes, ſed & reliquorum mem-brorum nobiliſſimum, in quod omnia tendunt, & ordi-nantur, tanquam in vnum quod præeſt in humano cor-pore; non aliter ac magno mundo, ad cuius ſimilitudi-nem microcoſmos appellatur.

Secundò. Pars illa dicenda eſt prima, & reliquarum omnium princeps, cui primò inſeritur anima, & à qua vl-timo ſecedit, quæque ex ſe citra alicuius opem ſufficiens habet inſtrumentum ad principes functiones. Sed cor primò animam recipit, primoque viuit, & vltimò mori-tur, calorem inſuper habet copioſum, quem influit per totum corpus, quo tanquam inſtrumento ſingulæ partes
B operantur. Igitur omnium functionum principium di-cendum eſt.

Tertiò. Nerui virtutis animalis, ſimul & venæ altricis, naturaliſve facultatis inſtrumenta à corde originem du-cunt: videntur igitur dictæ virtutes, atque adeò omnes in corde reſidere: nec enim de vitali quiſpiam dubitat. Et quod ad neruos attinet, probatur, quia cùm duri ſint, du-róſque eſſe oporteat, præſertim motorios, commodiùs à craſſa, duráque cordis ſubſtantia, quàm ab infirmo mol-liſſimóque cerebro oriuntur, & oriri atteſtantur villi, qui-bus contextum eſt cor ipſum. Iam verò non ab hepate, ſed à corde venas deduci, probabile facit venarum acceſ-ſus ad cor illud enim vbi primùm pertingunt, ceſſant & finiuntur, tanquam in ſua radice, nec ampliùs penetrant: iecur autem non aliter recta via perforant, & penetrant,
C quàm reliqua membra ad quæ alimentum deferunt, ac ſi ab hepate ipſo initium non trahant.

Quarto. Si altrix, ſenſiliſque facultates in vno corde non locarentur, ſed locis ſeparatæ exiſterent, diſtinctæ etiam forent, diuerſæque natura, atque ita vna ſine altera daretur. At impoſſibile eſt ſenſilem ſine altrice repiriri. Igitur cum hæc in corde locata ſit, ibidem fatendum eſt conuenire omnes; licèt enim in plantis ſine ſenſu alitio detur, in animalium tamen corpore vndique ſenſibilis, ſé parari non poſſunt, atque ideò ex vno licet inferre.

Quartò. Vnus & idem numero calor nutritoriæ vi, & ſenſificæ inſeruit. Ergo in vno locandus loco ſimul cum facultatibus ipſis. Nullus autem poteſt aptior accommo-dari, quàm cor: Ergo, &c. Antecedens oſtenditur, quo-niam ſicut meditatio coctionem vitiat, ita coctio medita-tionem impedit, & interturbat, quod ſanè non eueniret,
D niſi vtriuſque virtutis, ſenſoriæ nempe, & nutritoriæ idem eſſet inſtrmentum.

Sextò: Cerebrum inſenſibile eſt, frigidum, imbecille, & molliſſimum: igitur nec ſenſus poteſt eſſe auctor, nec corporis molem mouere, nec motibus miniſt rarezillis ſi quidem repugnat innata frigiditas, quæ omnes motiones impedit. Demum membrum illud eſt recipiendum pro ſenſus, & motus origine, in quod recipitur ſenſificus, mo-tiuúſque calor, vbi externa membra ſentiendi, mouendi-que actionibus priuantur, & in quod mandatur ad eas obeundas. Sed ad cor per ſomnum calor retrahitur à cor-de, per vigiliam prodit. Illud igitur ſtatuendum, ſenſus, & motus initium: cuius non leue etiam argumentum vi-detur, quòd in ſyncope, corde ipſo affecto, & deficiente in membris vitali ſpiritu, ceſſat in illis ſenſus & motus; liga-ta ampla arteria, ſequitur reſolutio in membro, ad quod
E pertingebat arteria aliqua; & ligatis carotidibus, carus inducitur: quod quidem minimè accideret, niſi ipſa ani-malis facultas per arterias influeret à corde? quo etiam læ-ſo naturalia opera non parum etiam offenduntur. Omniũ igitur virtutum fons, cor eſt, ſolùmque inter membra principale, vtpote quod nullo indiget; omnia autem illius influxum, opémque expectant, & recipiunt, nec aliter vi-uere, conſiſtere, aut operari poſſunt. Hæc Peripatetici.

Medici verò contrà tria principalia membra conſti-tuunt, à quibus gubernatur corpus, præſidéſque virtutes oriuntur. Idem in pluribus locis aſſeruit Galenus, ſed præſertim *lib. 1. de placitis Hip. & Platon.* in quo aduerſus Ariſt. Praxagoram, Chryſippum, Zenonem, Diogenem

 Babylonium,

Babylonium, & alios hoſtiliter contendit, non eſſe ſoli cordi principatum inter membra tribuendum; ſed cerebro etiam, & hepati; neque cor omnium virtutum initiū eſſe.

Oſtenditur veritas huius ſententiæ hoc modo. Illa membra dicenda ſunt principalia quæ totius corporis ſalutem, & incolumitatem tuentur, vel facultatem mandant ad actiones obeundas neceſſariam, vel vtilem materiam ad alitionem (princeps enim definitur membrum à Gal. 6.*de placit.vlt.* quod facultatem toti, vel materiam largitur.) Sed cerebrum, animalem vim ſenſuum, & motuum auctorem toti communicat; hepar in ſe ſanguinem conficit, & per vniuerſum diſtribuit, ad membrorum omnium nutritionem. Igitur non modò principatum in corpore obtinere dicuntur, ſed fontes & origines eſſe animalis, & naturalis virtutis, huius nempe iecur, illius autem cerebrum. Hoc ſigillatim oſtenditur.

Pro cerebro ſunt euidentia argumenta. Tandiu partes noſtri corporis ſentiunt, & mouentur, quandiu neruori à cerebro delato, & ad cerebrum ipſum terminato fruuntur; quippe ex diſſectione conſtat, ex cerebro neruos, aut ſpinali medulla, quæ ab ipſo procedit, deſcendere.

Rurſus. Capite refrigerato ſomnus ſequitur, ſenſus ſcilicet & motus priuatio in organis. Similiter compreſſis cerebri ventriculis otiantur omnia, nec ſenſum, & motum recuperant, quamdiu obſtructio, compreſſióque durat: igitur in ipſo cerebro reſidet, & ab eo non verò à corde emanat animalis facultas: quod ſatis confirmat hiſtoria illa à Gal. relata. 1. *de placitis*, de victima, quæ corde auulſo per aliquot horas cucurrit, & vociferata fuit.

Deinde. Vbi intemperies, vel tumor, vel inſignis aliqua affectio præter naturam cerebrum occupat, vitiatur membrum, nec ſibi ſatis conſtat homo. Præterea auxiliis capitis admotis reſtituitur, & ſanatur. Igitur princeps animi facultas ſuum habet in capite domicilium; quod ſanè conueniens erat, quemadmodum Plato *in dialogo de natura* ſcripſit. Decebat ſiquidem ſublimem, & præ cæteris eminentem virtutem, in ſublimi & excelſo loco, non in medio collocari, & vt inquit Galenus 2.*de placit. cap.5.* in ea parte, in qua rerum notitiæ imprimuntur.

Denique. Mira cerebri ſtructura, varia formatio, artificioſa compoſitio, tot plexibus, ſinibus, ventriculis, neruis, tegentibus membranis, &c. ad magnum aliquem vſum fuiſſe formata demonſtrant. Nullus autem poteſt eſſe præſtantior, quàm principem animæ facultatem continere, & illius actiones in ſe edere. Igitur, &c.

Adde, quòd non alia de cauſa videtur natura ſenſus omnes capiti affixiſſe, niſi vt tanquam ſerui, & magni Regis ſtipatores, vt ait Galen. 8.*de vſu part.* 2. mentem in ipſo capite locatam comitarentur, & eſſent veluti illius ianuæ, per quas ingrederentur omnia ab intellectu cognoſcenda.

Vltimò. Cùm non terreſtris, ſed cœleſtis planta ſit homo, decuit in ſummo corpore radicem, hoc eſt, vim ratiocinantem habere, & vt cœleſtibus inhiaret, & ab illis traheret, & totum corpus erectum ſuſpensùmque ad cœlum, vnde prima animæ generatio prodiit, haberet; ex Gal. *lib. de conſuetudin. cap.4.* vbi Galen. refert Platonis ſententiam circa principaliſſimam animæ partem.

Eam igitur in capite maximéque in ipſius cerebri penetralibus contineri; indéque reliquis, & toti corpori præeſſe, ac in omnia membra influere, innumeris ferè locis docuit, & vltra citatos, *lib. finit. medicar. cap.5. lib.9, de vſu part. cap. 4. & lib.7. cap. penult. 2 de placit. 7. & lib.7. cap. 1. quòd animi mores cap.3. ad fin. & 1. de rat. vict. ſect. 3. com.41. & 7. aph.* 14. Quod ſanè vſque adeò certum eſt, & compertum, vt multi etiam eorum qui partes Ariſtotelis defendunt, inficiari non audeant cerebri interuentu membra frui animali facultate.

Contendunt tamen adhuc, & vel Arabicæ familiæ anteſignani, facultatis animalis radicem eſſe cor, indéque demandari ad cerebrum, & in eo manifeſtari, magíſque vigere, atque ex cerebro ipſo ad membra immediatè emanare, ſed radicaliter à corde; non aliter ac videndi facultas, iuxta Gal. ſententiam, in cerebro, tanquam in primo fonte exiſtit, ſed in oculis elucet, quia ſunt accommodum videndi inſtrumentum; hoc autem aiunt Ariſtot. voluiſſe, vt ex plurium ſententia notat Albertus Nouacampianus *in diſput. an cor, vel iecur in formatione fœtus conſiſtat priùs in fine.*

Cæterùm manifeſtè eorum interpretatio, & inuentum, redarguitur, tum quia Ariſt. 2. *de part. animal.* 7. cerebri neceſſitatem ad ſentiendi, mouendíque vſum prorſus negauit, ſolúmque gratia moderandi caloris cordis dixit fuiſſe creatum, ac proinde frigidiſſimum, & ad reliqua omnia inutile, quod Galen. apertè impugnat 8.*de vſu part. cap. 2 & 3.* Tum quia ſi animalis vis in corde radicaliter contineretur, & ab eo tanquam à prima radice ad cerebrum, & ad reliqua membra mandaretur, præciſo corde, aut illius vis obſtructis, non modò cerebrum, ſed reliqua omnia membra virtute animali priuarentur: at tantum abeſt vt id contingat, vt viderit Gal. *vbi ſuprà*, animalia multa in ſacrificiis currere, & vociferari cordibus abſciſſis. Non à corde igitur, tanquam à fonte, primoque principio emanat vis animalis.

Nec argumenti vires infringit, quod 7.*Phyſicor.* 4. Auerrhoës ſubtilier adducit, nempè fieri poſſe, quòd cor etiam auulſum auctor illius motus ſit, primúmque mouens, & virtute ab illo deriuata moueatur animal, non aliter ac moueri dicitur lapis à proiiciente, quamdiu durat præſtitus impulſus, quamuis proiiciens pereat, aut quieſcat: licèt enim in iis quæ conſequenter mouent, & mouentur, rectè quidem ſequatur, ſi vltimum non mouetur, nec primum fuiſſe motum; non tamen è conuerſo, ſi primum mouens quieſcit, neceſſe erit quieſcere ſecundum: moueri ſiquidem poterat virtute antea recepta ab ipſo primo mouente, vt patet ex adducto lapidis exemplo.

Sed quamuis illud locum habeat in effectibus permanentibus, à primo mouente productis, ſtare tamen in ſucceſſiuis non poteſt. Cùm verò vis ipſa motiua, qualitas quædam ſuceſſiua ſit luci ſolari ſimillima, impoſſibile eſt à corde emanere, tanquam à fonte, & eo ablato mouendi munus efficere: ſed oportet confeſtim aboleri, luminis & lucis inſtar, ad Solis, & cuiuſuis alterius abſentiam, à quo producuntur. Cùm ergo compreſſo, aut vitiato corde non mutetur protinus vis ipſa animalis, mouens, ſentiens, cogitans, diſcurrens, & reminiſcens; cerebro autem inſigniter affecto, manifeſtam ſui læſionem oſtendat, eoque compreſſo ceſſet in corpore vniuerſo motus & ſenſus: in cerebro reſidere, & ab eo, non à corde prodire aſſerendum eſt, nec vnicum cor in corpore principatum obtinere, ſed cerebrum etiam ipſum.

Neque obſtant Peripateticorum fundamenta, contendentium ſolum cor inter membra principale eſſe, omniúmque virtutum corpus gubernantium fontem, & originem. Dic ergo ad primum, animam vni cordi non aſſiſtere, omnibus ſiquidem ſinguliſque membris præſens adeſt: cùm enim omnia ſingula, quamdiu in corpore animato ſunt, viuant & nutriantur; ſítque anima ipſa, principium vitæ, tam eſſentialis, quam accidentalis: fit planè manifeſtum, animam, quæ vna eſt in toto, ſingulas illius partes æqualiter informare, atque adeò omnes animæ vires non in vno tantùm membro reſidere.

Nec verò Ariſt. *adductis locis de ſenect. & animalium greſſu*, de anima loquitur, quoad informationem, ſed quoad peculiarem vim quamdam, vitalem ſcilicet, ratione cuius dicitur eſſe in corde, veluti in vitæ fonte, principióque innati caloris, quem quia per vniuerſum corpus perpetuò mitti oportebat, & ſeruari, debuit cor ipſum in medio thoracis locari, vt inde innatum calorem, quo animal regitur, diſpenſaret, & pulſatione tueretur.

Quamuis autem gratia caloris quem influit, videatur habere ingreſſum, & in cerebri, & iecoris functiónibus: non ideò tamen in illis principatus eſt ei tribuendus, quum prædicta membra facultatibus propriis, non à corde mutuatis, ſua munera exequantur, & vniuerſo prouideant, in quo principatus conſiſtit. Neque inconueniens eſt, plura dari principalia membra, quemadmodum nec plures eſſe principes facultates, quibus vna anima præſit, totam agens molem, omnéſque & ſingulas tum vires, tum corporis partes gubernans.

Ad

Ad ſecundum, rectè poſſet negari maior: Licèt enim primò cor viueret, primóque animam reciperet, quod Peripatetici arbitrantur, eſsétque primum ſubiectum caloris, ſenſuum, motuum, demum & cunctarum actionum inſtrumentum, non ex eo magis ſequeretur, quam vitalem vim in eo conſiſtere, ſiue ea altrix ſit, ſiue alterius ordinis; non perinde tamen eam quæ ſenſus, & motus facit; cùm etiam ex Ariſt. & Peripateticorum ſententia, vis animalis neceſſaria non ſit in prima fœtus formatione: viuit ſiquidem primò, & diſpenſatur vita plantæ, ac proinde ſenſu, & motu non indiget, ſed tantùm altrice vi. Cùm tamen huius ſedem, & originem iecur eſſe arbitremur, illud primò viuere, primóque animam recipere aſſerendum eſt. Oportet ſiquidem fœtum hepatis beneficio priùs ali, quàm ſentire, & moueri; quod experimentum etiam confirmat, de quo præter Gal. *lib. de fœtus formatione*, videndus Hip. *lib. de natur. pueri*, cuius mentem ad vnguem interpretatur Hannibal Albertinus *tract. de membrorum principatu, in fine.*

Iam verò cor eſſe focum, & innati caloris mineram, non inficiamur: nec ſimiliter ab eo iam conſtante, & edito in lucem animali membra corporis expectare influxum, eóque deficiente diu conſiſtere, aut operari non poſſe: minus ſiquidem innati caloris habent omnia, quàm ad actiones peragendas requiratur. Cùm enim oportuiſſet cor calidiſſimum creari, & ad eius, non aliter quàm ad ſolis præſentiam in orbe, omnia calidiora eſſent euaſura, quàm naſcerentur reliqua membra corporis, decuit minori caloris copia donari, quàm ad operandum requireretur, vt influente, & inſito iuncto ſufficiens compararetur. Verùm quamuis cerebrum, & iecur ad ſua obeunda munera maximo cordis beneficio præ reliquis fruantur, principia tamen illis ſunt, non minùs quàm cor in vitalibus functionibus vt diximus. Conſule Antonium Ludouicum *lib. de corde, in initio.*

Nec ſufficit hoc principium eſſe, & fontem caloris, perpetuóque influere, vt omnium virtutum radix, & origo dicatur, principatúmque obtinere in ſanguinis confectione, diſtributionéque, ac in ſenſibus præſtandis: Nam præterquam quòd innatus, inſitúſue calor magis præcipuum eſt inſtrumentum ſingularum actionum, quam influens ille cordis vſque adeò vehemens, & intenſus, ſatis accommodatus non eſt ad animales functiones, nec inſuper ad ſanguinem venalem procreandum, quem minùs calidum eſſe oportebat; atque ideò non decuit virtutes omnes in corde locari, ſed varias in variis membris, quorum temperamenta, & ſtructuræ ſingularum functionibus pro cuiúſque exigentia inſeruirent.

Ad tertium argumentum, negandum eſt antecedens: Anatome ſiquidem diſtinctè docet, ex cerebro neruos, à iecore venas oriri: nec admittendum cor eſſe multis neruis vallatum; quum enim illi, quos in corde fingunt, ſenſu deſtituti ſint, nerui appellari non poſſunt, quoniam membra à functionibus, non ab apparente phantaſia ſibi nomen ſortiuntur; hinc enim mortuus oculus ab ipſo etiam Ariſtot. nonniſi æquiuocè oculus nuncupatur: neruos autem ſiccos, duróſve eſſe non oportuit, ſed ſenſorios quidem, teneros, molles, & qui facilè paterentur ab obiectis; motorios licèt aliquantulum robuſtiores, non tamen ſiccos, & duros ſimpliciter; atque ideò hos à dorſi medulla, illos à tenero mollique cerebro deduxit natura, 16. *de vſu part. cap. 2.* Iam verò cauam venam iecur permeare, non prohibet illud eſſe ſanguinis originem; quemadmodum nec impedit arborum truncos dici radicationis initia, etſi alimenti lacunam, ſtagnúmue non contineant, ſed tantùm fibras iuxta ſe craſſiores, quàm aſcendentes, & deſcendentes, quemadmodum in iecore etiam conſpiciuntur. Nec obſtat, cauam vbi cor contingit, quamprimùm ceſſare, nec illius ſubſtantiam permeare, quod neceſſarium erat, ſi alimentum à iecore deferret: Nam caua illa ſanguinem non deducit ad cordis alimoniam, ſed ad ardentis ſanguinis generationem pro totius corporis vſu, ac proinde, &c.

Ad quartum. Quamuis altrix facultas, & ſenſilis diſtinctis ſint locis, non ideò tamen ſenſilem damus ſine altrice, quæ reliquarum omnium materia eſt: hæc verò ipſa, ſicut in iecore vbi viget potiſſimùm, mediante illius forma, & temperamento ſanguinem procreat, ita animalem ſpiritum in cerebro, præſentibus ſenſibus, & motibus.

Ad quintum Non negamus innatum calorem vnũ eſſe, & commune omnium operationum inſtrumentũ & illius gratia ſeſe mutuò actiones impedire. Verùm cùm idem calor eodem modo ſe habens, ſimilitérque temperatus, non poſſet variis operationibus inſeruire, oportuit pro ſingulari vſu variari, ſingúláſq; partes proprium habere, & peculiare temperamentum, ſuis functionibus proportionatum; ac proinde non licuit virtutes omnes in corde locare, licèt fons ſit, & in totum influentis caloris cõmune principium.

Ad ſextum. Alibi diſputabitur commodiùs, num cerebrum ſenſu ſit præditum? ſed quantumuis eo careat, molliſſimúmque membrum dicatur, non tollit hoc poſſe eſſe ſenſus, & motus originem, quum in ſe principem animæ facultatem, imaginationem & iudicium contineat, poſſitque vim dignoſcentem ad organa ſentiendi mandare, mouentémque virtutem, imperiúmve ad muſculos ipſos arbitrarij motus inſtrumente. Nec aſſerentes cerebrum præſtare ſenſum, & motum, ſignificamus, quòd omnia ad vtrumque opus requiſita largiatur (non enim aptum eſt inſtrumentum ſenſibilibus recipiendis nec, ſufficiens habet robur ad mouendam molem partis,) ſed quòd alteram tantùm ſenſationis motioníſque partem exequatur; præſtando nempe ſenſuum organis vim, qua ſuſceptas ab obiectis impreſſiones diſcernant; muſculis autem, qua vtile proſequantur, & noxium inutiléque fugiant. Nec verò ad hoc requiritur quòd ſentiat, & arbitrariè moueatur cerebrum: quod ſi requiri contendas, eodem prorſus fundamento, excludendum venit cor à ſenſuum, & motuum principatu, quum vtroque priuatum ſit, punctum ſiquidem non dolet, niſi vel parum in membrana circumdante, & ratione accedentis nerui, nec voluntariè mouetur. Minùs obſtat, frigidum eſſe natura, atque ita aduerſum animi functionibus: nam licèt innata cerebri temperies per ſe ſumpta non ſit apta ſenſationibus, iuncta tamen calori è corde influenti, accommodata efficitur. Cur autem fuerit cerebrum frigidum creatum, hoc eſt, minùs calidum, cauſa eſt, quia ſi calidiſſimũ eſſet motus eſſent temerarij, & ſenſationes deliræ, quales ſunt phreniticorum.

Ad vltimum. Somni tempore non minùs animales ſpitus ad cerebrum, & venarum ſanguis ad iecur, quàm vitales ſpiritus ad cor retrahuntur; & proinde parum efficaciter ex retractu caloris ad cor, inferunt ab eo oriri ſentientem, & arbitrariam mouentem: ipſa enim anima, vel regitiua facultas totius, quemadmodum per vigiliam expandit calorem per ambitum corporis, quô ſenſus, & motus fiat, ita per ſomnum ad ſua principia deducit, & animales quidem ſpiritus in cerebrum, tanquam in arcem, & radicem ſenſuum, ac motionũ colligit. Si verò in ſyncope, aliiſque cordis paſſionibus concidit animalis facultas, fit propter mutuum conſenſum membrorum principalium, & communem ingreſſum cordis in animales, & reliquas omnes operationes: vnde nihil mirum, ſi corde affecto, reliqua membra conſentiant; ſi in ſyncope virtus animalis deficiat; ſi conſtrictis magnis arteriis ſequatur reſolutio, ſi legatis carotidibus ſequatur capitis refrigeratio, & ſomnus profundiſſimus: nempe quia deſtituta membra caloris influxu à corde, refrigerantur, & inepta ad motuũ, ac nonnunquam etiam ad ſenſum redduntur. Verùm ex eo non ſequitur, à corde oriri animalem vim illorum altricem, nec illud ſolùm in corde principatum obtinere: tria enim ſunt principalia membra conſtituenda, vt diximus, à quibus vita noſtra diſpenſatur, inter ſe quidem diuerſa, ſed mutuas operas deſiderantia, nec diuerſa quidem ob varias, diſtinctáſque animas: cùm vna tantùm ſit totius & ſingularum partium forma; ſed propter diuerſas facultates, quibus influunt in totum, quæque licèt ab ipſa anima profluant partes omnes informante, in illis tamen tribus reſident veluti in ſuis principiis, indéque corpus gubernant, vegetatrix, quamuis toti communis, in iecore potiſſimùm, vitalis in corde, animalis in cerebro, vnde ad ſua organa manant. Et hæc eſt potior ſolutio, & explicatio argumentorum Ariſtotelis, illa quam proponunt Valle-

ſius

ſius *lib.2. cont.13.*Laurentius *lib.1.de hiſt.anatomic. qu.2.* Thomas à Veiga,qui *lib.3.Gal.de loc.affect.in com.cap.4.* obſcuriùs more ſuo de hoc inſtituto eſt ratiocinatus,inter quos nunquam ſatis laudatus Fernel.*lib.5.phyſiolog.à c.12. vſque ad vlt.*Galenicam veritatem adamuſſim explicuit.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm vis à cerebro, & corde influens, ſit animæ potentia, temperamentum; aut modus ad operandum.

ILlud verò difficultatem inuoluit maximam,cuius ſolutionem arduam eſſe firmant Hugo Senenſis *in com.1.1. doct.6.c.4. notabili 2.* Mercat.*tom.1.ſuor. oper.lib.1.part.4.claſ.3.quæſt.*107.4.quæ, quídve ſit facultas hæc à cerebro,toti, & à corde arteriis influens? nec ex eo fit difficile, quòd ſi anima vna eſt,omnibus partibus præſens, & perpetua, eiſdem etiam aderunt ipſius animæ vires, ac proinde quidpiam aliud oportere eſſe, quod ab illis principiis communicatur: nam cùm inter potentias ab anima emanantes, quædam in corpore proximè recipiantur, atque ideò ex parte illius varias diſpoſitiones requirant, quæ in eadem parte coniungi non poſſunt, neceſſe fit diuerſas ſedes in corpore habere,nec omnes in ſingulis reperiri.

Illud valde vrget, cur inſitæ non erunt organis ſibi accommodatis,vt v.g.viſiua oculo, tangens omni corpori, mouens muſculis,pulſatilis arteriis,&c. Cúrve ab anima illis præſenti non emanabunt,ſi naturalis eſt hæc emanatio,nec poteſt cohiberi in ſubiecto capaci? Deinde ſi animæ vires vtpote quædam naturales paſſiones ab ipſa anima ſeparari non poſſunt, quomodo in ſpiritu animæ experte recipientur, & eo mediante ad membra deferentur?

Quidam arbitrantur virtutes animæ, ſiue idem omnino cum ipſa ſint, ſiue quidpiam diuerſum, vbique eſſe, dummodò totum ſit illarum capax; nec reſpectu illarum cerebrum, aut cor dici magis primum ſenſitiuum, príncépſve in aliqua functione, quàm illud quod agenti animæ aptum præparat inſtrumentum, & per corpus diſtribuit, tale autem apud quoſdam, temperamentum eſt. Quoniam verò illud quod ſenſibus, & motibus inſeruit, in cerebro paratur, & ab eo per neruos diſtribuitur; inſeruiens autem pulſationi,quia à corde per arterias appellari, inquiunt cerebrum princeps, & domicilium virtutis animalis, cor vitalis, & eas corpori largiri, quamuis ipſæ reuerà ſuis organis adſint. Nec mirum: quoniam & intellectus omnibus membris cum anima præſens, dicitur in capite peculiariter exiſtere, quia ibi ſedem habent ſenſitiuæ vires, veluti illius.inſtrumenta, ſine quibus in hac vita intelligere non poteſt.

Nec hoc aduerſari inquient, Gal. aſſerenti animalem facultatem ad ſenſus & motus, à cerebro mandari,diſtendentem & contrahentem arterias à corde; quum perſæpe facultatem ſpirituum, & nonnunquam animam ipſam appellet temperamentum.

Verum multa, nec inualida conuincunt vt credamus, vim quæ dictis principiis communicatur, non eſſe temperamentum. Et primò ſic temperamentum cùm permanens res ſit, ablata conducente cauſa durat aliquandiu. Sed ligato neruo confeſtim membrum virtute animali deſtituitur,eáque repentè fruitur ad ipſius nerui ſolutionem: ſimilitérque ligata, vel ſoluta arteria amittit,& recuperat pulſationem. Qualitas igitur alia eſt à temperamento diuerſa, quæ à cerebro per neruos, & à corde per arterias accedit.

Secundò. Neruus quicunque adeſt in parte, ſufficit ad temperandum calorem, vt fiat ſenſationibus aptus: quòd ſi neruus ipſe immodicè refrigeretur, propter ſpirituum animalium defectum,poteſt illius calor calorificis foueri. Atqui impedita nerui origine, ſenſus, & motus deperditur,quantumuis paretur temperamentum parti.Igitur,&c.

Tertiò.Multò magis intemperata fit hydropici,vel acutè febrientis manus quàm illius qui ad humerum habet

A neruum alligatum. Sed huius manus, licèt aliàs ſana, ſine ſenſu & motu iacet veluti emortua; in illis autem ſine noxa ſentit ac mouetur. Igitur virtus illa quam deducit neruus, non eſt temperies.

Quartò. Magis mutatur temperamentum ad cordis,& arteriarum mutationem, quàm cerebri, aut neruorum.At qui corde ablato victima cucurrit, & vociferata fuit; ligatis arteriis nulla ferè fit in animalibus actionibus mutatio; cerebro autem,aut neruis impeditis, maximè.Ergò inſtrumentum illud à cerebro per neruos veniens, quidpiam aliud eſt temperamento, & aliud ſimiliter vis illa quæ arteriis accedit à corde: ſi enim hæc temperamentum foret, multo promptiùs per arteriæ cauitatem cum feruente ſanguine, & ſpiritu mandaretur, quum tamen experimento illo Gal. *lib.num ſolùm ſanguis in arteriis, ad fin.* per

B membranam arteriæ diffundatur. Quare, &c.

Id ipſum ſignificauit Auic. 1.1.*doct.6 cap.*4. dicens, requiri certam complexionem ex parte ſpirituum ad virtutem recipiendam, & notauit Iacobus; ſed fortè ea difficultate motus, quòd ſpiritus inanimatus ſit: virtutes inquit, in ſpiritu non contineri formaliter, ſed virtualiter tantùm, quatenus ſcilicet à corde, & à cerebro ſpiritus vim recipiunt, ad producendum virtutes in membris illarum capacibus, non aliter ac lumen virtualiter dicitur habere calorem quem producit, & ſemen formaliter animam. Sicut verò lux productiua caloris, à corporis luminoſi præſentia dependet, ſic vis illa à principio vnde emanat, quia qualitas quædam ſucceſſiua eſt ipſi ſimilis.

Gentilis *ibidem* putat ipſammet virtutem formaliter in ſpiritu recipi, & per eum ad membra deferri: nec inconC ueniens eſſe ait, recipi animæ potentiam in non inanimato ſpiritu,quia tanquam inſtrumento recipitur, non tanquam in ſubiecto.

Cæterùm ſi anima membris aſſiſtit, cur in illis quæ apta ſunt recipere, ſuas paſſiones non producit,ſed ab ſpiritu expectabunt producente, vel deferente? Rurſus,ſi potentiæ animæ ſunt à ſubiectis animatis inſeparabiles; in ſpiritu animæ experte, etiam tanquam in inſtrumento recipi non poterunt.

Quare dicendum potiùs videtur, ipſas ſentiendi, mouendíque potentias, ſimul & pulſatilem cùm quædam paſſiones animæ ſint, ſimul cum ipſa anima ſuis organis adeſſe: ſed nec arterias pulſare citra cordis,nec citra cerebri influxum, ſentiendi, mouendíque organa poſſe in ſuas actiones prodire. Nec verò dicendum, principia illa ſolùm cum ſpiritu debitè complexionato influere, ſed ſimul

D cum vi, qualitatéve quadam lucis ſobole: & eam quidem quæ à cerebro in ſpiritu animali ad muſculos defertur, nihil aliud eſſe arbitrantur,quàm imaginationis, voluntatíſve imperium, vt debitè, & conſultò moueant ad ſenſuum organa lucem, qua exactè ſuorum obiectorum impreſſiones diſcernant: quæ verò à corde in vitali ſpiritu ad arterias accedit, putant vim ſimilem, qua aptæ reddantur ad diſtentiones, conſtrictionéſve ſuas.

Non ergo eſt negandus à corde,& cerebro,per arterias, & neruos influxus. Sed mirari ſubit plurimos, qui cùm præclarè verbis,& ſentētiis Ariſtotelē illuſtrē,auſi ſint dicere,quòd poſt quinquageſimū annū non adeſt hic influxus,ſed falluntur: tunc enim occūberet animal, quum vita noſtra ab hoc influxu dependeat,citra quem partes illicò ceſſare à ſuis actionibus eſt neceſſe. Sed fortè aliquam poſſunt opinionis ſuæ excuſationem adferre:quod reantur

E homines vltra centeſimum annum viuere non poſſe.

Si autem cauſam ſcire affectas hæc eſt potiſſima, & ab Ægyptiis ita redditur, vt inuenio apud Plin.*lib.11.c.37.* (quibus quidem mos eſt cadauera medicata conſeruare) quòd augeatur cor per ſingulos annos in homine, ac bi-nas drachmas ponderis ad quinquageſimum annum accedere: ab eo detrahi tantundem, ideóque non viuat homo vltra centeſimum annum, defectu cordis.

Sed tamen etiam vltra centeſimum annum viuere multos præter Plin. *lib.7. cap.49.* Solinus etiam tradit, & alij plerique: at in hoc argūmento elegantiſſimus eſt Cenſorini locus *cap.14. penè extremo,* cum alio eiuſdem Plin.ex quo correctionem loci Cenſorini captauit doctus

vis

vir Franciſcus Mochius Nouantius, *lect.epiſt.*27.ita enim Cenſorinus: *Præterea ſileri non poteſt,quod refert Varro, quod Dioſcorides Aſtrologus ſcripſit, Alexandriæ inter eos qui mortuos ſolent conſeruare, conſtare,hominem,plus centum annis viuere non poſſe: id, cor humanum declarare eorum qui integri perierunt ſine corporis tabe:ideò quòd multis annis pendendo, cor omnis ætatis incrementa,& diminutiones conſeruet, & aniculo pendere duas drachmas, bimis quatuor, & ſic in annos ſingulos vſque ad quinquageſimum accedere binas: ab his centum drachmas , atque anno quinquageſimo item decedere in vnoquoque binas; ex quo perſpicuum ſit, centeſimo anno redire ad anni primi pondus,nec longiùs vitam poſſe produci.*

Idem affirmat Plat.*lib.*4. *ſynop.quæſt.*5. Ibim ſcribens, Ciconiæ ſpeciem eſſe quæ cùm excluditur, duas pendit drachmas, vt recèns orti infantis cor, & credit Valer.*lib. Hieroglyph.*17.*in Ibide*. Quapropter cùm impoſſibile ſit viuere animal citra cordis influxum,& poſt quinquageſimum annum minuatur illud, & tabeſcat, idcircò non negandum, poſt hanc ætatem non ita validum eſſe cor,aut cerebrum,nec cum tanto robore influere, vt in vitæ primordiis: hoc ita eſſe, oſtendunt in ſeneſcenti ætate pulſuum tarditas, raritas, debilitas, vitiatæ coctiones,impotentia ad motum, pigritia,torpor,ſenſuum obtuſio,actionum omnium tam internarum, quàm externarum defectus. Attamen partes hæ præcipuæ nunquam durante vita ceſſant à motu, & præſertim cor, cuius vel breuis quocunque caſu ab agitatione ceſſatio repentinum affert interitum: nam, vt idem Mochius legit in Plin.*lib.eodem, epiſt.*40.& priùs notauit Macrob *lib.*1.*in ſomn.Scipon.*Cor in animali,eſt quod Sol in æthere:ſicut enim ab hoc pendent omnia, quæ ſtata ratione per cœlum fieri videmus, diem, noctem: ſic quæ in animalis corpore fiunt, pendent à corde.

QVÆSTIO X.

Vtrùm venæ à iecore, an à corde oriantur. Contra Conciliatorem, Veſalium, & Peripateticos.

COr non eſſe ſolum membrum noſtri corporis princeps,ſatis in ſuperioribus quæſtionibus expoſuimus: nunc conſequenter affirmandum, hepar non eſſe à numero principalium membrorum excludendum, vtpote quod ſanguinem in ſe conficiat, & per venas ab ipſo deductas, in corpus vniuerſum diſtribuat,ſingula membra aliturum. Hoc manifeſtum facit ipſarum venarum origo.Suppoſito, igitur, quod nec Ariſtotelici inficiantur, membrum illud eſſe conſtituendum facultatis naturalis altricis, vegetabilis,vel concupiſcibilis principium,& ſanguinis officinam à quo venæ oriuntur, eas non à corde,ſed à iecore profiſciſci efficaciter aduerſus Ariſtotelem conuincit Galenus *lib.6.de placit.à c.3. vſque ad libri finem*,plurimis rationibus,quarum hæ ſunt fortiſſimæ.

Prima.Quemadmodum in plantis,quibus ſola ineſt vis naturalis altrix,pars illa dicitur initium radicationis, hoc eſt,habere facultatem,quæ arborem regit,& vim ad radicum fibras,& ad fructum extrema mandare,in qua fibræ omnes iunguntur,ad inuicémque copulantur; ita in animalibus credendum eſt,ibi adeſſe alimenti originem,vigeréque naturalem virtutem, vbi venæ connectuntur. Atqui venæ membrorum omnium naturalium iecori ipſi, vt ex diſſectione conſtat,non cordi cohærent.Iecur igitur eſt venarum,& alitionis principium.

Secunda. Ex duobus truncis qui ad hepar conſpiciuntur,ille qui aſcendit,vt partes ſuperiores nutriat, vbi continetur cor, multò minor & tenuior eſt deſcendente, alituro partes infra iecur exiſtentes. Igitur non oriuntur illæ ab ipſa cordis regione: Oportet enim ſuperiorem truncum, maiorem eſſe, & craſſiorem; maiora ſiquidem minoribus præſtare ſolent, non è contrà; & iuxta ſua principia orta omnia etiam maiora ſunt, quemadmodum fluuius ad fontem, &c.

Tertia. Si caua vena à corde oriretur,& ab eo ſanguinem traheret ad diſtribuendum per corpus, vtique & cum arteriis ſimul pulſaret (pulſat ſiquidem totum cor, & ab eo ortæ venæ,) & aperta haberet orificia, quibus poſſet ſanguis exire, quando cor ſui conſtrictione deoneratur: Atqui vena illa caua cordi inſerta nequaquàm pulſat, vt patet. Inſuper liberos non habet ſanguinis exitus, ſed omnino præcluſos, 6.*de vſu part.* 14.Igitur nec è corde ortum habet, nec ab eo diſtribuitur ſanguis.

Quarta. Piſces, & nonnulla alia animalia dextro cordis ventriculo deſtituuntur. Atqui fieri non poteſt vt in vno, nec ſatis amplo ſinu ſanguis pro toto conficiatur. Ergo ſaltem in illis ab alio membro petenda eſt ſanguinis generatio, & diſtributio; maximè quod non videtur poſſibile, quòd in vna eadémque cauitate generentur duo ſanguines, temperamento diuerſi, arterialis nempe, & venalis, per duo genera vaſorum mandandi.

Quinta. Vena qua fœtus in vtero materno per vmbilicum ſanguinem recipit,ad iecur directà tendit, illique inſeritur:in lucem verò iam edito,chylus in ventriculo confectus,& per pylorum deſcendens,nulla via poteſt ad alia membra tranſmitti,quàm per meſaraicas,hæ recta via ad hepar deducuntur, & terminantur, vt intuenti patebit. Ergo ibi chylũ reponunt,vt ex eo ibi conficiatur ſanguis. Satis autem hoc ipſum oſtendũt mẽbra ſanguinis expurgatoria, fel ſcilicet, & lien, quæ natura iecori appoſuit; quorſum enim iecori circumdediſſet,niſi in eo expurgãda materia contineretur,& per coctionem generaretur?

Nec dicas, iecur ſanguinem prò totò non conficere, nec omnino elaborare, ſed veluti miniſtrum cordi præparare: (non aliter ac iecori ipſi præparat ventriculus) in eo perfici, & ab eo per totum diſtribui. Nam præterquam quòd iecur totam materiam quam recipit, & circa quam agit,cordi nõ remittit,totam autem mittere neceſſe erat, ad hoc vt illi præparare diceretur, 6.*de placit.*4.Non reperiuntur in corde vaſa, quibus poſſit ſanguis per vniuersũ diſtribui:nec enim fieri poteſt per cauam,quæ vna dextrũ cordis ſinum ingreditur, per eam ſiquidem inelaboratum ſanguinem à iecore cor recipit;non ſolet autẽ natura,vno eodémque vaſe incultã, crudámque materiã introducere ſimul,& vtilem iam, coctámque rurſus educere.In iecore igitur pro toto ſanguis conficitur; & ab eo venas in ipſomet ortas ad ſingula corporis membra diſtrbuitur.

Quod ſanè dogma licet prædictis fundamentis, immò & conſpectu ipſo ſatis confirmetur; non deſunt tamen, quibus illa parum efficacia videantur, quique ob vnum Ariſtotelem contradicentem, concepto errori pertinaciter adhæreant, minus curantes Galeni rationes. Inter hos duces extant præcipui Conciliator *dif.*47. & Veſalius,qui *lib.3.de fabric.cap.6.& 7.*non ſolùm Galenum,falſum,callidum, vafrum,ſed inſcium appellat, immò contra Philoſophum plura finxiſſe de induſtria, aſſerere auſus eſt. Sed impudentiæ ſuæ, temeritatis, & ſuperbiæ meritas luet pœnas, quum illius argumenta fabulæ ſint,& meræ nugæ. Age igitur, & vide quàm pugnaciter, maleuolentia quadam in Magiſtrum percitus, ita blaterare auſus ſit, attendéque quàm ridiculis nitatur fundamentis.

Sic ergo contra primam Galeni rationem, quàm nihil conuincere arbitratur,hoſtiliter inſurgit, quoniam ſi cordi meſaraicæ venæ non connectuntur, atque ideò negatur eſſe venarum origo, negabitur ſimul iecur, cui nec arterialis vena ſanguinem à corde ad pulmones deferens cohæret, nec arteria venalis inſpiratum aërem à corde trahens Sed non conſiderat rationis vim in eo ſitam eſſe quòd oporteat vaſa alimentum deferentia illi membro annecti, quod radicationis,atque adeò alitionis principiũ dicendũ eſt; quúmq; eas iecori connecti experiamur,nõ cordi, iecur meritò appellamus venarũ,& nutritionis originẽ.

Nec obſtat,duo illa vaſa ab hepate non prodire; arteria enim venalis, vena non eſt;venarum verò,non arteriarum radicem quærimus:vena autem arterialis licèt vena ſit, ob peculiarem tamen cauſam oportuit à corde deduci,nẽpe quia ab eo erat ſanguinem arterialem ad pulmonis nutritionem latura,& quia cùm eſſet duplici tunica veſtienda,nec vtramque poſſet à caua habere, quæ vnica tantùm contecta eſt, neceſſarium fuit alibi oriri.

Secundam deinde rationem calumniatur, primò, quia non apparet in omnibus animalibus cauam venam eſſe

ad

ad iecur bipartitam,nec ſemper illius truncum aſcendentem in ramulos duos tenuiores ſcindi,vnóque cor, altero iugulum petere: neceſſe autem (inquit) erat, vt generatim conninceret ratio, illam venarum diſtributionem in omnibus apparere.

Deinde etiam in illis, in quibus experimur aſcendentem cauam eſſe minorem deſcendente, illud tantùm euincetur,è iecore nempè ſanguinem diſtribui; & in eo fortè confici,non propria tamen virtute,ſed à corde ſuppeditata, ideóque ſuperiorem cauæ partem fuiſſe tenuiorem: præterquam quòd nihil prohibet, minora eſſe aliquando principia maiorum,nō aliter ac maiora minorum:chorij enim vaſa priora ſunt ſimul,& minora,quàm alia vmbilici ab illis exorta:tunica oculi vitreum humorem circumdans,retina videlicet,maior eſt optico,à quo initium trahit. Dorſalis medulla à poſteriore capitis parte naſcitur prope lumbos,tamen magis craſſeſcit, maioríque foramine quàm ſurſum patet.Fluuius nonnunquam exiguus incipit, anguſtúſque à ſuo fonte deſcendit, deinceps autem in magnitudinem aſſurgit. Cur ergo ſimiliter aſcendens vena,licèt prope cor minor appareat,non erit principium maioris deſcendentis,& reliquarum omnium?

Cæterùm parum vrget adductis. Si enim eadem eſt iecoris vis in omnibus animalibus, & in plurimis experimur, venarum diſtributionem à iecore ipſo, cur eam in aliquibus inficiabimur, quannis in illis bipartita ſimiliter non appareat caua? Iam verò ſanguinem ab hepate manare, quid aliud eſt quàm ſanguinis effectricem facultatem in eo contineri?maximè cùm naturalis vis ſit,cuius influxus aliunde omnino interdicitur.

Si enim chorij vaſa,non aliter ac plantarum fibræ ſuis ortis minora conſpiciuntur, initia ſunt formationis, non autem diſtributionis, diſpenſationíſue, de quibus nobis eſt ſermo;hæc enim maiora eſſe oportet,maioráque ſimul orta iuxta ſuas origines. Sic venam diſtribuendam prope officinam, iecur nempe, ampliorem, latioremque fuiſſe docuit. Dorſalis verò medulla ſi ab lūbos latiore foramine aperitur,fuit,quia ibi veluti in ſtagno recipiendus erat ſpiritus motibus peragendis copioſus. Opticus autem dum in membranam tranſit, non efficitur maior, ſed latior, quemadmodum nec fluuius qua parte inundat.

Contra tertiam obiicit, quòd vena arterialis non pulſat, licèt à corde oriatur. Opponit etiam venalem arteriam, in qua licèt tres ſimiliter reperiantur valuulæ, non prohibetur egreſſus fuliginum ab ipſo corde; ita vt mirum non ſit ab eo oriri cauam, & pulſu deſtitui, nec dici poſſit ſanguinis exitum negari,quamuis caua cordi inſerta habere videatur exteriùs præcluſa orificia. Sed fallitur apertè: non enim probat arterialem venam eſſe pulſu deſtitutam: cur enim ea parte qua prodit à corde, ſimul cum reliquis vaſis cor attingentibus non pulſabit? In progreſſu verò per pulmones ipſos minimè (proprio enim motu diſtendi non poteſt, quoniam tota pectoris inanitas ab arteriis occupatur, 7.*de vſu part.cap.*9.) Quod autem de arteria venali adductum omnino eſt,cùm duas tantùm habeat oppoſitas membranas, & has quidem non exactè claudentes exteriùs. Inſuper quamuis ſimiles haberet valuulas, à vena ipſa caua prodire poſſet exigua fuligo: Sanguis autem corpus totum aliturus, nequaquam niſi vena ipſa ſatis amplum, paténſque haberet foramen. Lege Valleriol. *lib.*1.*loc.com. cap.*12.*in med.*

Aduerſus quartam obiicit, ſaltem in animalibus, quibus cor vno tantùm ventriculo conſtat, non trahi ſanguinem à iecore; trahendus ſiquidem erat ad dextrum ventriculum,quo deſtituuntur, vnde infert ſanguinem in corde generari.Sed manifeſtè decipitur:in illis ſiquidem & à vena caua trahitur ſanguis ad cor; neque enim in eodem ſinu poſſunt ſanguines gigni temperamento vſque adeò diuerſi, vt diximus.

Contra quintam. Gal.non poteſt negare, id quod viſus ipſe oſtendit, terminari ſcilicet ad iecur vmbilici venam, ſimúlque meſaraicas deferentes ab ſtomacho chylum, ſed liquet vt in iecore ipſo materia præparetur cordi, à quo exactè elaboranda eſt, eáque de cauſa expurgatoria membra fuiſſe hepati appoſita, nempe vt mundaretur à ſuper-

A fluitatibus materia ipſa, in cordis officinam tranſitura, & ab eo diſtribuenda. Verùm cùm oſtenſum ſit, iecur cordi non inſeruire, nec illi tanquam miniſtrum præparare,non eſt quòd in his refutandis ampliùs immoremur.

Stat igitur iecur, ſedem eſſe, & radicem virtutis naturalis altricis, ſanguinem pro toto conficere, & per venas, quæ ab eo oriuntur, diſtribuere, ac in eo munere principatum obtinere, non aliter ac cerebrum in ſenſibus, & motibus largiendis. Si tamen de hac quæſtione, contra Ariſt. & eius ſequaces, plura legere cupis, adi Andr. Laurentium *lib.*4.*de hiſt. anatomic.exercit.*2.Qui licèt *exercit.* 4. Veſalij rationes adamuſſim non explicet, illorum tamem argumenta dilucidè extricat.

B Sed diſſidium inter celebres Medicos iam dudum verſatur: An ſicut cerebrum fons dicitur, & origo facultatum,quibus ſentimus, & mouemur, cor autem vitalis,ſeu pulſificæ,ita iecur illarum, quas naturales appellamus: & ſicut illæ per neruos, & arterias à principiis ſuis emanare dicuntur; ita etiam à iecore naturales emanent per venas ab illo deductas? Reſpondet Valleſius *lib.*2.*cont.*16.negatiuè,variis argumentis munitus, cuius votum libenter amplector. Quo pacto reiiciendi ſunt Thom.à Veiga *in com. cap.*37.*art.med.Gal.& lib.*1.*de loc.in hom.cap. vlt.* Chriſtoph.à Vega *lib.*1.*art.med.cap.*5.Caſpar. Lopius *lib.*2. *de temperam. Gal.in com.cap.*8.qui facultatem naturalem influere aſſeuerant: fatentur tamen Galen.eſſe intelligendum de quadam vniuerſali facultate,ſanguinem gignēte,quæ in iecore alimentum pro toto operatur,quæquæ licèt naturalis,ita oritur, & reſidet in iecore ipſo,vt nullibi niſi per

C influxum ab eo reperiatur. Aliter explicandus de quatuor illis particularibus ad alitionem neceſſariis, quæ tam in plantis, quàm in animalibus ita inſitæ ſunt, & innatæ membris omnibus, vt per ſe citra virtutis aliundè influxum, alimentum præparent & diſpenſent, trahendo, decoquendo, & ſuperflua expellendo.

Sed illorum interpretatio manifeſtam redargutionem includit: nam ſi membri principatus in eo conſiſtit,quòd toti materiam,vel facultatem largiatur,6.*de placit.cap.*10. vis autem ſanguifica non vniuerſo corpori, ſed ſolis venis communicatur,4.*de vſu part.*2.12.*&* 17.& 6.*de placit.* 8.planè non ideò iecur principalis membri nomē obtinet, quòd vim ſanguificandi demandet, præſertim quòd illa venis inſita eſt, & innata, & non ab hepate influens, cùm naturalis ſit, & eadem cum ipſamet coctrice venarum, 2.

D *de natural.facult.*4.ac proinde,vbicunque reperitur fixa,& independens,ex Auic.1.1.*doct.*5.*c.*1.ideò meritò Galenus vniuerſaliter pronuntiauit, non affici naturalia membra per conſenſum denegatæ facultatis, in cóque ab animalibus diſtingui. Conſule Peramat. *lib. de animæ facult. noſtrum corpus diſpenſantibus, cap.*3. *in med.*& Caſparum Bartholinum *in controuerſiis anatomicis,tit.de muſculis,& venis, quæſt.*4.

QVÆSTIO XI.

Vtrùm cor fons innati caloris, & vitæ principium ſit conſtituendum.

E COr vitæ eſſe principium,*ſuprà* vbertim expoſuimus. Eſſe membrum calidiſſimum, firmat Galenus in locis multis,1.*de temp.vlt.ad fin.& lib.*2.*de temp.cap.*3.Nam ita calidum eſt, vt ſi viuo animante, neque adhuc febre tentato, in cordis ſiniſtrum ventriculum digitum intromittamus, vehementiſſimum in ipſo perſentiamus calorem,vt firmauit Gal.*lib.de inæqual. intemp.cap.*5.Hanc de temperamento cordis doctrinam, Medici, & Philoſophi amplectuntur, ſi Auerrhoëm excipias, qui ipſum per ſe, & natura ſua frigidum eſſe contendit, quoniam conſtat partibus frigidis, fibris, venis,arteriis, quæ partes ſunt ſpermaticæ, & frigidæ, cuius rationes leges ſolutas apud Laurentium,*lib.*9.*de hiſtor.antomic. quæſt.*13.Iacobum,& Gentil.*in eom.cap.*2.*Auic.*1.1.*doct.*3.Nam Gal.hoc membrum eſſe fontem caloris innati non ſemel inculcat, 8.*de vſu part.c.*7.*&* 1.*de ſemin.c.*8.*& lib.de fœtus format.c.*6.*ad fin.& lib.de vtilit.reſpirat.c.*5. *in med. & lib. de vſu pulſ. cap.*2.

*cap.*1. Vtrùm autem in paſſiuis humidum ſit, an ſiccum, diſputant Peramatus *lib. de temp.cap.*6.*ad med.*Valleſ.*lib.* 1. *cont.cap.*10. Caſpar Lopius *lib.de temp. Gal.in comm. cap. vlt.*

De dignitate cordis plura ſcitu digna edocuit Magiſter *lib.*7.*meth. cap.* 6. §.*Igitur maxima eſt cordis officij dignitas, &c.*Hæc eſt cauſa,cur *lib.*5.*de loc.affect.cap.*1. hoc membrum fontem eſſe caloris iure merito arbitretur: quoniam in eo natiuus ſingularum partium calor conſeruatur, & vitæ noſtræ focus eſt, centrum, & origo. Adeò enim præſtans eſt, & veluti diuinum,vt nullum ex membris internis Deo attribuatur excepto corde.Ita Regius Pſaltes *Pſalm.*40. *& lex tua in medio cordis mei:* vt non minùs doctè,quàm luculenter probat auctoritatibus plurimis omniſcius Rabbi Moſes Ægyptius,totius orbis lumen (ſic enim illum vocant Ioſephus Scaliger, Caſaubonus; & Baronius) *lib.*1.*perplexorum, cap.*46. quod opus Ioannes Buxtorfius ex Hebraica lingua in Latinam tranſtulit eleganter.

Sed ſi hoc verum eſt, vt cor,fons & principium innati caloris aſſeratur, quia membrum calidiſſimum exiſtit, & eo præditum calore, qui ſibi, & aliis membris quibus cum impertitur, ſufficiat, quæritur, cur potiùs non fuit cum minori calore,eóque ſibi ſoli neceſſario creatum, ſimul & reliqua membra cum eo qui ſibi neceſſarius erat, ad hoc vt cum proprio,& innato inſtrumento poſſent pro neceſſitate in ſuas actiones prodire? quod ſatius videbatur, quàm mediati caloris influxum à corde expectare, & eo deficiente protinus ab agendi munere caſſare, & ne ad interitum vnius membri omnia ſimul perirent, ſiquidem ſua temperie viuunt, durant, & operantur.

Deinde, ſi caloris innati fons, atque adeò vitæ origo eſſet cor, primum omnium membrorum formaretur, primúmque animam reciperet, quæ dat eſſe, & vitam.Atqui in animalis generatione iecoris formatio antecedit, ex Gal.ſententia, *lib.de fœt..format. cap.* 4. quam doctrinam multorum & Hipp. etiam teſtimonio confirmat, contra communem philoſophorum, tam Stoicorum,quàm Peripateticorum Scholam, primum locum cordi concedentium. Ergo ſibi manifeſtè videtur contradicere, dum appellat cor innati caloris,& vitæ principium,maximè quod principium eſſe oportebat etiam alitionis,(hæc ſiquidem vita ipſa apud Ariſt. definitur) quod tamen ipſe diffitetur 2. *de placit. vlt.* de quo ſuprà.

Sed his ita ſatisfaciendum eſt. Et ad primum ſic. Non vt inuida, ſed cuiuſdam maioris vtilitatis gratia,minùs inſiti caloris indidit natura membris, quàm pro eorū actionibus requirebatur, voluítque deficientem à corde expectari, & vt ex innato, & influente per arterias ſufficiens compararetur:ſcilicet vt vita noſtra & ſanitas perduraret, breui alioqui peritura,atque vt accommodum inſtrumentum animalibus functionibus haberemus: cùm enim ſanitas, & vita ipſa, vt docet Galenus 1.*de ſanit.*2.quatuor elementorum moderatione vnicuique ſpeciei, & indiuiduo accommoda conſiſtat, neque ipſa poſſit ſe diu tueri, *cit.de ſanit.*5.*&* 1.*aph.* 3.*& in art. med.*84.*ad initium*, vt doctiſſimè probat Simon Simonius *in com.tex.* 73.*Ariſt. paruor.natural.* ob pugnam, actionémque coëuntium, & aduerſantium elementorum, vnicum ſupererat vitæ, ſalutíſque ſubſidium, in reparatione deficientis, & iamiam perituri elementi, vt multis annis, quod natura intendit, prorogaretur vita, quæ citra eam ſubſtitutionem nec diebus quidem multis erat duratura: fieri enim nequit, vt viuat homo,inquit Hipp.*lib.de natur. human.ſect.*1.*tex* 39. deficiente aliquo eorum, quæ in eo connata ſunt, id eſt, pereunte, vel deficiente aliquo elemento.

Adde quòd cùm terreas portiones, quæ in nobis continuò abſummuntur,cibus reſtituat,aqueas reſolutas potus, aëreas continua exhalatione, & perſpiratu reſpiratio reponat: & ignis quidem longè diſtans (qui omnium elementorum citiſſimè euaneſcit, & abſumitur,quique magis neceſſarius eſt, & maiori indigens, & velociore reparatione) propter intercedentem aërem, nec attrahi, nec citra corporis offenſam à terreſtribus ingeri poſſit, miro artificio prouidit Creator noſter, vt intra animalia cor

A crearetur calidiſſimum, in quo aër per reſpirationem attractus vehementi motu, & calore attenuatus, in ignem abiret, vt ita quod igneum elementorum ſubminiſtrato extra igne adhiberi non poterat, artificioſiſſima cordis generatione alibi miniſtraretur, & deficiens repararetur, quo factum eſt, vt nullum prorſus animal cordis expers fuerit formatum, ad hoc vt eius beneficio deficiens ignis membris ſuppeditetur.

Porrò quoniam ignis in nobis reparandus, ipſum elementum non eſt,(nec enim primis illis ſimplicibúſque actu conſtamus,ſed poteſtate tantùm; actu verò ſubſtantiis quibuſdam, quæ elementis reſpondent, vt ex Hipp. docet Gal.8.*de placit.cap.*4. quas alunt humores, elementa ſecunda noſtri corporis ab ipſo Galeno appellati, ſed bilis potiùs,quæ ignem in nobis alit,& ſpiritus:is verò cum ex

B ſolo aëre reparari non poſſit, neceſſariò ad ſui generationem ſanguinis vapore indiguit, 7.*de placit.*3.*&* 6. *de vſu part.*17. cúmque craſſus ſanguis ſit, nec poſſit in tenuem exhalationem verti, niſi per ebullitionem, ſpumificatiónémque vehementer attenuetur; quod à modico calore prodire non poterat: opus fuit tantò aliis membris,& hepate calidius formari cor, quantum oportebat ſpiritus excedere ſanguinem calore, quantóque difficilius erat ex craſſo ſanguine ſpiritus gigni tenuiſſimos.

Hæc ergo eſt cauſa, ob quam calidiſſimum omnium viſcus fuit efformatum, 1.*de temp.vlt.lib.de fœt.format.c.*3. *&* 1.*de ſem.cap.*8. & adeò, vt ferueret ſemper, & eius minimus calor maior omnibus aſſeratur,*lib.de vſu pulſ.cap.*2. ac ſi nulla alioquin futura eſſet ſpirituum generatio. Hinc

C innati caloris feruor, focus, ignis,lares, ac veluti fons, & principium appellatur, 7.*de anatom.adminiſt.*8.*ad fin.*6.*de vſu part.*7.*lib.de vſu pulſ.*2.*&* 3. *lib.de fœt.format.*3.2. *de placit.vlt.* & innumeris aliis in locis. Inſimul & vitæ ſedes, atque origo, videlicet quia ea qualitate exuberat,qua viuimus, & operamur, cuius merito vita definitur participatio calidi in humido: & tanto calore, & igne pollet cor perſæpe, vt aduſtas, craſſiores fuligines expiratione non excernat,ſed in pilos vertat; quare veteres cor piloſum obſeruarunt, Plin. *lib.* 11. *cap.* 37. Valerius Maxim. *lib.*1. *cap.*6.Ariſtides *lib.*2.*de reb.Perſ.* Rhodig.*lib.*4. *lect. antiq.*16.Anton.Muretus *lib.*12.*variar.lect.c.*10. Beniuen. *cap.*83. *de abditis*, Amat.7.*centur.*65. qui homines ſunt induſtrij, feroces, fortes, audaces.

D Inſuper, quia eam perpetuò mēbris impertitur,influentem calorem appellamus, ex quo ſimul cum ingenito ſufficiens comparatur membris: vterque verò beneficio cordis fouetur, & conſeruatur,& rurſus deficiens reſtituitur, vitalis enim facultas ipſius cordis propria ſpiritū gignit, cuius potiſſimùm alitione vita animalium definitur, & in quo natiuus calor continetur: pulſatilis, hoc eſt, moueus contractione & dilatatione, tuetur, fouet, ac diſtribuit.

Verùm quamuis ita ſit, non proinde dixeris primum formari cor,primúmque animam recipere & viuere,fœtui enim plantæ vita primum viuenti, ſat erat iecur, vt ex omnium ſententia ſcribit Galenus, *cap.*3.*lib.de fœt.format.* cuius munere aleretur, & terreas, aqueáſque portiones repararet: huius enim nutritionis, & virtutis qua fit, quæ ſimpliciter vegetabilis,ſeu potiùs naturalis Medicis nuncupatur,principium eſt iecur ipſum; cor verò ſpiritualis, aqua potiſſimùm pendet vita animalium ſuperantium

E plantas,ſpiritu igneo,& aëreo: huius autem alitionis non negat Galenus 2.*de placit.cit.*cor ipſum eſſe principium, ſed tantum illius facultatis quæ naturalis appellatur, quæque prioris alitionis eſt auctor. Ex quibus ad ea quæ contrà adduximus De quo argumento eleganter conſcripſit Felix Platerus *in ſuis quæſt.medic.quæſt.*4.

QVÆSTIO XII.

Vtrùm mors ſit paſſio cordis.

HIs iactis,neceſſum eſt, vt Galenici axiomatis diſcutiatur nubilum,*ex lib.*5.*de loc.affect.cap*2. docentis, mortem euenire nequaquam poſſe ſine cordis læſione, vel primaria, vel per conſenſum; nam ſi vita, quidquid

illa ſit, ab vno corde dependet, tanquam vitæ ſede, planum eſt mortem, quæ oppoſitum vitæ priuatum dicitur, etiam ad illud ipſum attinere, atque adeò nequaquam poſſe euenire, quandiu cor permanſerit illæſum.

Porrò hanc cordis læſionem, ad quam conſequitur mors, pronunciat eſſe intemperamentum, & cum eo quidem mortem ad conuertentiam dici: ac ſi ſufficiat, & omnino requiratur cordis intemperantia, vt pereat animal, eo potiſſimùm fundamento, quia ad intemperantiam cordis præſertim validam, omnium partium temperies, quam cor ipſum conſeruat, & fouet ſuo perpetuo, nec interrupto influxu, neceſſariò diſſoluitur, & cum ea ſimul vita, quæ à temperamento dependet. Non è conuerſo tamen ſe res habet in corde; non perinde ſiquidem ab aliis membris, quoad ſuum conſeruari dependet: ac proinde etiamſi cerebrum, & hepar afficiantur, nec ſentiat, nec nutriatur animal; viuet tamen quandiu cor habuerit incolume. Quòd ſi nonnunquam ex aliarum partium noxa mors contingit, fit corde iam patiente. Patitur enim, atque intemperatur non raro per conſenſum, præſertim reliquorum principiorum, cerebri ſcilicet, & iecoris, quibuſcum magis communicat; atque ideò cerebro vehementer affecto, vt in vehementi apoplexia, diſſoluta cordis temperie ob priuatam reſpirationem moritur animal: non minùs iecinoris conſenſu, vt accidit in atrophia, præ ſumma illius membri imbecillitate ſanguificare non potentis, nec corpus nutrire, nec cordi mandare materiam ad vitales ſpiritus, & ſanguinem arterialem in ipſo conficiendos. Vnde, &c.

Ex ſyncope etiam, ſtomachi vehementiſſimo dolore, timore, mœſtitia, exuberante gaudio, denique excedentibus animi affectibus, à quibus vel diſſoluuntur, vel contrahuntur, vel vltra modum expanduntur ſpiritus, & intemperatur cor, atque adeò mors ſubſequitur.

Sed ſingula altiori indagine ſunt perpendenda, ob non leues quas patiuntur difficultates. Licet apud Galenum, & Medicos, tribus principibus facultatibus animalium vita diſpenſetur, & conſtet, potiſſimũ tamen dependet à gradu illo ſenſitiuo animalibus ſuper plantas dato. Ergo eo abolito peribit omninò animal. Atqui cerebrum, non verò cor (ex ſententia ipſius Galeni) eſt principiũ ſentiendi. Ergo pereunte cerebro morietur omninò animal, etiamſi incolume, & ſanum permaneat cor: & ex conſequenti, &c.

Nec minus iecoris actione amiſſa ceſſabit quãprimùm vita: ad conſiſtentiam ſiquidem dicitur cum nutritione, 1. *de anima*, *vlt*. cuius origo aſſeritur iecur ipſum. Præterea ante cordis formationem, ſolo iecore priùs efformato, fœtus vita alebatur. Ergo etiamſi cor poſtea formatum pereat, iecur ſicut antea vitam ſuſtinebit; & ex conſequenti mors non ita ad cor attinet, vt eo pereunte, pereant ſtatim membra omnia, ſimul & animal ipſum; ſed tribus ſimul principiis extinctis, vel quolibet eorum.

Inſuper à quouis morbi genere, ſi magnus, vehemènſque ſit, mors poteſt induci. Atqui plures ſunt morbi differentiæ, quàm intemperamenti. Ergo & plures mortis occaſiones: continui enim ſolutio (quam cor cum vita non patitur, vt paulo pòſt) & deprauata compoſitio morbi ſunt, ex vnitate ſiquidem, & compoſitione vita integratur, & conſtat.

Quinimò etiamſi demus ad ſolam ſui temperamenti læſionem ceſſare cordis actionem, atque adeò perire cor ipſum (mors enim eſt actionum priuatio: cur ſtatim reliqua membra ſuis actionibus priuabuntur, & in omnibus vita adimetur?

Nec dicas, quia anima quæ dat eſſe, & vitam, ſoli cordi aſſiſtit, atque inde totum corpus animat, viuificat, & gubernat: certum ſiquidem eſt totius formam eſſe, ac omnia, & ſingula membra informare. Non item, quia cor vitalem virtutem, (cuius ſedes, & origo dicitur) membris impertiatur, quaſi vis illa in omni membro viuente omnino requiratur, atque adeò ea in corde pereunte, neceſſum ſit vitam in totum aboleri: cùm enim vita, teſtante Galeno 9. *meth.* 10. vel anima ſit, vel eius operatio; aut ſecundùm Ariſtotelem, permanſio calidi in humido, cuius interuentu anima ipſa corpus informat, & viuificat, non

A erit neceſſaria vis aliqua membris, per quam viuant, diſtincta ab anima, & calore innato.

Quòd ſi tandem adiicas, innatum ipſum calidum membrorum non eſſe ſufficiens ad vitam conſeruandam, ſine illo quod à corde influit, nec durare poſſe ſine refrigerio, & ventilatione, quæ cordis, & arteriarum pulſatione parantur: arguitur quòd etiamſi demus, cor influere calorem in omnes corporis partes, non illicò tamen eo deſtitutæ priuantur vita, immò aliquo dierum ſpatio ſine illo cordis influxu ſeruari poſſunt, & viuere eo innato calore quem habent, quémque à primordiis contraxerunt: cúm verò calor ipſe, res quædam permanens ſit, nec cauſam habeat continentem, non ita à pulſatione quoad ſuum conſeruari dependet, vt ea ceſſante quamprimùm extinguatur. Quare *lib. de vſu pulſ. cap.* 2. docet idem Galenus, B quod ſi arterias vinculo conſtringas, non ſtatim partium infra ligaturam, omnem adimes calorem, nec ipſæ confeſtim morientur, quantumuis influentis caloris à corde, & pulſationis beneficio priuentur: & *paulo poſt*, reliquorum (inquit) calor longo ſpatio durat, etiam corde omnino refrigerato. Quinimò ſicut in plantis, & ſolidis corporibus, ſine pulſu, & reſpiratione ſeruatur eorum calor, cur non etiam in animalibus? Adde quòd cùm cerebrum à corde non pendeat, immò nec iecur ad operandum, quia ſuas habent inſitas, & independentes virtutes, cur eorum actio non durabit, deficiente ſua in corde?

At hæc non valdè vrgent. Non primũ, quoniam etiamſi demus, animalium formam per gradum ſenſitiuum ab anima plantarum diſtingui, & illum quidem conſtituere animal in eſſe animalis, nec ſine cerebro poſſe ſenſu, motúque fungi, non ideò cerebro ablato confeſtim morietur C animal, ſi des cor illæſum permanere: videlicet quia anima ipſa ſenſitiua, quæ primum eſt ſentiendi, mouendíque principium, non in ſolo cerebro ſita, & veluti circumſcripta exiſtit, ſed in totum corpus expanditur: quum verò vt in eo permaneat, magis à corde dependeat, quamdiu cor ipſum valuerit, à corpore non ſecedet, & viuet animal, ſed ſenſu, motúque orbatum, quia ſine cerebri concurſu exerceri nequaquam poſſunt, ſicut nec videndi actio, niſi accedente illa oculi conſtitutione.

Cæterùm, quia impoſſibile eſt, ad notabiles cerebri læſiones, aut cuiuſuis alterius, ſaltem principalis membri, non compati cor, propter natiuum conſenſum, & dependentiam quam inter ſe habent, nequaquam viuet, durabítve animal cerebro ablato, aut inſigniter affecto. Quamuis enim ex tribus principiis nullum alio egeat ad ſuam actionem edendam, ſed tantùm vt duret, 2. *de placit.* paſſim, poſſitque vnum lædi alio illæſo, 8. *eiuſd. cap.* 1. qua vi- D ta fruetur, aut ſub quo viuorum genere ex tribus à Galeno memoratis, *lib. de maraſmo, cap.* 1. comprehendetur, plantæne, animalis, aut ſeminis?

Quod verò attinet ad iecur, quamuis fons dicatur, & auctor nutritionis, & inter varias animæ functiones nutritione ipſa potiſſimũ definiatur, non proinde tamẽ illius actione ceſſante protinus ſequetur mors, ad modũ quo ſtatim ſequitur, ſi pereat cordis actio: nam hæc altrix eſt, ſeu vegetabilis, & nõ minus quàm illa iecoris ſub vegetatiua continetur; vtraque enim reparat quod à corpore abſumitur, & deficit; quod ſentire etiam videtur Auerr. 2. *coll.* 7. Sed quia alitio ea, quæ cordis munere peragitur, magis neceſſaria eſt, & perpetua, nec intermitti patitur, vtpote quæ partes aëreas, & igneas reparat velociſſimè in nobis deficientes, & velociùs quàm terræ, & aquæ quas iecur reponit? ideò huius operatione ceſſante nõ illicò moritur animal, quantumuis vita nutritione determinetur: perit au- E tẽ quamprimùm, ſi cor deſinit operari, & ex priuata quidem nutritione: innutritio enim immò & ſubſtantiæ, ſeu partis ad vitã ſũmoperè neceſſariæ eſt abolita pulſatio, qua cor, & arteriæ in circunſtantem aërem, & ſanguinis vaporem ferũtur, quo exhauſtus reſtituatur ſpiritus: ac proinde dum Galenus 5. *de loc.* 1. & alibi; mortem conſtituit in priuata reſpiratione, cuius etiam cor auctor eſt, & principiũ, non agens, ſeu inducens aërem, ſed ſuſcipiens; & pulſu abolito, magis quã in ablata iecoris alitione, nõ repugnat Ariſtoteli, definienti mortem ipſam per innutritionem.

Ad

Ad aliud negamus conſequentiam,tum quia vita, quam iecur priùs efformatum per ſe ſuſtinebat, vita plantæ erat, ad cuius conſeruationem cordis præſencia non requiritur; tum quia fœtu intra vterum exiſtente, iecoris calor materna pulſatione fouebatur, in ſuáque retinebatur temperie, *lib. 7. de fœt. format. c.* 1. Animali verò iam in lucem edito, cordéque perempto, quum commoditate hac, & vſque adeò neceſſario præſidio deſtituatur, iecur vitam nequaquam poteſt ſuſtinere. Quinetiam nec valet, quòd ſi in fœtus formatione iecur primum omnium vixit, omnium etiam vltimum moriatur: nam in mixti generatione materia etiam antecedit, nec proinde tamen mixtum ipſum durat, donec aboleatur illa, ſed forma abolita quamprimùm corrumpitur: cùm igitur iecur in membrorum formatione materiam præſtet, immò & veluti materia ſe habeat; cor formæ inſtar tenuiora, & perfectiora elementa, quæ animal perficiunt, ſubminiſtret, nihil mirum ſi corde ablato, aut vehementer læſo, ſequatur in toto corruptio.

Nec verò inficiamur, vt pereat animal, neceſſum eſſe extingui tria vitæ principia: nam ad vnius interitum vnà pereunt reliqua, ſed quamprimùm corde extincto, paulò tardiùs ad aliorum extinctionem, vel noxam. Quòd ſi 5. *de loc.* 1. docet Galenus, ſine ſenſu & motu, immò & motrice facultate priuatum, viuere poſſe animal, atque etiam ſine nutritione, adductis in medium animalibus in latebris per hyemem degentibus, innuens cerebro, ac hepate (quæ ſunt illarum operationum, & facultatum quibus efficiuntur, principia) quamuis offenſis mortem non ſequi; non ita intelligendus eſt, quaſi velit, omni actione facultatéque motrice priuatum animal viuere poſſe, ac ſine alitione vlla, (impoſſibile enim eſſet vitam ſeruari ſaltem abſque reſpiratione, quæ animalis operatio eſt, quam latentia ſeruant ſimul cum nutritione, internis enim ſuccis nutriuntur, & pingueſcunt) ſed motrice facultate priuatum, hoc eſt, mouenti actione, & ea quidem non omni, ſed artuum, id eſt, motu progreſſiuo, & ſine alitione, hoc eſt, externi alimenti ſumptione.

Iam verò requiri cordis intemperamentum, vt mors adſit vel inde etiam conſtat, quoniam actio, qua vita, & ſanitas agnoſcitur, à partis temperamento oritur. Licèt enim vnitas, & compoſitio, compoſitionem etiam agentis organi ingrediantur, ac vſum aliquem actioni præſtent: nihilominus ſicut ex multis ſimilaribus, quibus organum conſtat, vna tamen eſt pars princeps à qua organi functio dependet; ita ex tribus illis potiſſimùm, & immediatè actio ipſa tribuitur vni temperamento. Igitur hoc ipſum neceſſum eſt lædi, ad hoc vt membrum deſinat operari. Cúmque ſingularum partium temperies ab vnius cordis temperamento dependeat, vt in toto ſequatur abolita operatio (quam mortem appellamus) requiritur læſio in communi illo cordis temperamento, quo totum viuit; & operatur.

Nec obſtat, quòd etiam ex duobus aliis vitiatis morbi fiunt, & ſine temperamenti læſione, ac nonnunquam grauiſſimi, à quibus ſicut læditur actio, ita etiam ſi nimis increſcant, poteſt auferri, atque mors induci: nam quamuis fateremur lædi ab illis, & vitiari poſſe functionem; non tamen aboleri, donec agens particula intemperamento afficiatur: quia quando commodam habuerit temperiem, ab opere nequaquam ceſſabit.

QVÆSTIO XIII.

Vtrùm ad quamuis cordis intemperiem, vel ad ſolam frigidam ſiccam mors ſequatur.

QVoniam in quæſtiones de corde incidimus, priuſquam ad vlteriora pergamus, ſuccurrunt amuſſitata pleraque, digna omninò quæ non prætereantur in noſtra hac hiſtoriarum cura: Apponemus verò primùm, quæ ex Galeno *lib.* 5. *de loc. affect. c.* 1, colligere potuimus, quo loco citra cordis intemperiem mortem haudquaquam euenire pronuntiauit. Vtrùm verò illa ſolùm frigida ſit & ſicca dubitandum, & videtur quidem quamlibet ex octo, ſiue ſimplex ſit, ſiue compoſita, mortem poſſe inducere, vel potiſſimùm ex eo, quia ſi vita conſiſtit in calidi innati cum humido duratione, vel eſt ipſa calidi innati cum humido participatio, & calor non minùs ab humido excedente extingui, quàm à frigido corrumpi poteſt. Rurſus & humidum ipſum à calore exiccari, & à ſicco deſtrui, planè tam à calido humido, quàm à frigido ſicco intemperamento, coruptio, interitúſue ſuccedit.

Deinde. Quamuis calori tribuatur actio, qua potiſſimùm vita dignoſcitur, non quicunque tamen calor actionũ eſt inſtrumentũ, ſed commenſuratus tantùm, ſiue temperatus. Atqui is non magis à moderantia recedit per frigus, quàm per calorem excedentem. Ergo etiam immodicus calor poteſt eſſe cauſa abolitæ functionis, & ex conſequenti mortis. Neque id videtur à Galeni ſententia alienũ: *Libro* enim *de marcore, c.* 5. apertè ſcribit, viuentia omnia quatuor intemperantiis corrũpi, & totidem cõpoſitis: nec immeritò ab omni ſiquidem valida, & excedenti intemperie virtutis tenor diſſoluitur, quolibet elemento immodicè aucto, aut inſigniter diminuto perit corpus, ex Hipp. *lib.* 1. *de nat. human. ſect.* 5 *text.* 39. *& lib. quòd animi mores, c.* 3. Anima migrat è corpore vehementer refrigerato aut calefacto, ſiccato, aut humectato: & 1. *de temp.* 3. vbi calidum frigido, vel humidum ſicco præualet, intemperies fit; vbi ampliùs exuberat, morbus, vbi plurimum, mors.

Deinde animi affectus mortem inducũt, vt lætitia vehemens, ſubitum gaudium. Sed in his licèt ſpiritus expandantur, ſufficiens tamen remanet calor in æſtuante corde ad conſeruandam vitam. Ergo ab intemperie calida mors contingit ſæpe; nam in his animi motibus calor viget ingens, ebulliunt humores, & per corpus cum ſpiritibus irrequieto motu mouentur, & ſic totum corpus incaleſcit: quare ſubſequuta mors, à calore, & non à frigore emanat.

Ariſtoteles tamen, Galenus, & eruditi pariter, ac politi noſtri æui Medici aliter opinati ſunt: Cùm enim vitæ principia ab illis, & omnibus conſtituantur, calor, & humiditas, & per ea definiatur vita ipſa calidi & humidi permanſio, ſiue duratio; oppoſita vitæ principia, & per conſequens mortis, ea videntur conſtituenda, frigiditas, ſiccitas: atque adeò aſſerendum, viuentis corruptionem à frigido potiſſimùm pendere intemperamento.

Præterea tandiu dicitur vita durare, quandiu durant in corpore functiones: cùm vero hæ à calore fiant (licèt enim actio toti temperamento tribuatur, non tamen ceu agenti in mixtione, niſi ſoli calori) quandiu illæ durauerint, indicabunt durationem agentis caloris in membris, & per conſequens mors (quam diximus abolita actione in toto) ſignificabit ablationem eiuſdem caloris ab aucto, immodicóve frigore, corrumpente calorem ipſum, & eius actiuitatem perimente. Id verò ipſum Galenus videtur innuere, cùm mortẽ cum Ariſt. *lib. de ortu, & interitu* definit, extinctionem natiui caloris, 2. *de temp.* 2. 1. *feb.* 8. *& lib. de marcor.* 3. Planum eſt autem qualitatem quamuis à ſua contraria præcipuè corrumpi, ab aliis nonniſi per accidens, & mediate: vnde 6. *epid. ſect.* 4. *com.* 30. vniuerſaliter pronuntiat, cor omne prope mortem frigida eſſe intemperie affectum, quatumuis ex vehementiſſima febre moriatur animal. Nam licèt à præternaturali calore diſſoluatur innatus ipſe quo viuimus, atque ab humiditate etiam immodica extingui, & ſuffocari poſſit, immò & humidum ipſum in quo ſuſtentatur calor, magis à calore abſumatur, quàm à ſuo contrario exiccetur: cùm tamen innatus calor non in ſolo temperamento, ſed & ſubſtantia ſpirituum contineatur, his à calore extraneo diſſolutis, neceſſe eſt ſequi caloris, & ſpirituum inopiam, quam frigus appellamus.

Nec diſſimiliter ſanè, ſiue calor ipſe ab humido ſuffocetur, ſiue à quacumque alia qualitate ad vitæ functiones incommodetur, proximè antequã in toto aboleatur actio & ſuccedat mors, ſaltem priuatiuo frigore cor præoccupabitur, atque ideò occaſionaliter quidem, per accidens, & remotè, quæ licet intemperies mortis cauſa eſſe poterit; ſine medio tamen, proximè, ac per ſe frigus ipſum: & ita intelligendus eſt Galenus, dum locis ſuprà adductis aſſerit, ab omni increſcente intemperie poſſe mortem oriri.

Cur verò cordis temperie diſſoluta, vel inſigniter læſa

quamprimùm ſequatur in toto nocumentum, & ad illius A interitum confeſtim reliqua omnia membra moriantur, non eſt quia ſoli cordi anima aſſiſtat, vel quia neceſſaria ſit in omni membro viuente facultas vitalis per communicationem à corde, tanquam finem reliquarum; ſed quia cordis, eiúſque actionis munere, omnium membrorum temperies, & vita ſeruatur. Cùm enim ea, vt non ſemel diximus, definiatur calidi in humido permanſio: permaneat autem, tum quia refrigeratur, tum quia alitur reſpiratione, & pulſu in corde primùm, deinde vi ab eo per arterias deriuata in corpus vniuerſum, quacunque ſpiritus deferuntur; ſit vt pereunte cordis actione, nec ventilationis beneficio detineri poſſit iamiam euolaturus calor, nec amiſſus reparari; vnde ſimul cum vita euaneſcit, duraturus alioquin, ſi illo cordis influxu frueretur, nec cor ipſum ab agendi munere ceſſaret, 3. B *ſimpl.* 17. Quamuis enim innatus reliquorũ membrorum calor ſpatio aliquo citra ventilationem, pulſum, & reſpirationem, paratam durare poſſit, non ſic tamen cordis, quia valde inrenſus, & ebulliens 1. *de vſu pulſ.* 2. adducto flammæ exemplo in cucurbitula appoſita; atque adeò ſine cordis influxu, ſeruari poſſe videatur in membris cum vita calor (quod victima illa oſtendit, quæ corde ablato vociferata, eſt, & cucurrit, 1. *de placit.* 2. *&* 3.) Tantiſper tamen erit, nec per tempus valde conſiderabile. Quòd ſi *cit. de vſu pulſ.* dixit Galenus *longo ſpatio*, loquitur per comparationem ad cor, quod nec per inſtans ferè viuet, ſi pulſatione priuetur.

In plantis verò, & ſolidis corporibus minor ignis copia cùm ſit, quàm in animalibus, (quæ multò magis C oportuit, quàm ſtirpes calere, ob ſenſus, & motus, quibus ſupra plantas donantur) tanto refrigerio non indiguit, atque adeò ſola ventilatione ex circumfuſo aëre parata, non intrò attracto, quemadmodum in animalibus, ſed parte tantùm externa, vel potiſſimùm quà fortè ob germinationem magis calent plantæ, & ob mutuatum à ſole calorem, quo potiſſimùm fruuntur. In duris, aliiſque ſolidis corporibus, cùm nullus ferè motus reperiatur, minor etiam datur calor, quàm in plantis, ſurſum, deorſum, & ad latera mouentibus alimentum, quo nutriuntur, augentur, & propagantur, exiguum admodum refrigerium ſufficit ad durationem exigui caloris quo conſtant: & his quidem quæ terræ ſupereminent, circumfuſus aër ſatis abundè refrigerationem præſtat; quæ D verò intra terræ, vel maris viſcera latent, ipſe terræ, vel aquæ commeatus tuetur; poteſt enim ſolo refrigerio durare, conſeruaríque remiſſus eorum calor, vel ſi in tenſus, vt in ſulphure, & mineralibus aliis, non ebulliens, ſed permixtis terræ portionibus valdè ſopitus: in animalibus tamen ampliori igne præditis, eóque ebulliente, refrigeratio ſimul, & ventillatio neceſſaria fuit: nec parte tantùm externa, ſed vel præſertim internis, vbi magis æſtuat, ſumpto aëre per os, bronchia, & cutim, ad ventilationem, & refrigerationem ignis intus aceruati. Cúmque id minus cordis actione membris omnibus præſtetur, nec cerebrum, nec iecur corde ablato aut inſigniter læſo ſeruari poterunt: licèt enim inſitas habeant vires quibus operantur, nec eas ſuſcipiant, mutuant tamen ad durandum influxum, ex quibus ad argumenta patet reſponſio.

Denique ad ea quæ de animi affectibus obiiciebantur, E reſpondetur, ideò mortem inducere, quia cùm excedunt, vel immodicam ſpirituum contractionem, vel expanſionem operantur. Alteruter verò motus vbi modum excedit, periculoſus eſt, & lethalis, videlicet quia caloris, & ſpirituum duratio, quum ex duorum motuum viciſſitudine conſtet, contractionis ſcilicet, & diſtentionis, quouis pereunte, neceſſe eſt calorem ipſum aboleri. Vbi verò alter immodicus eſt, alterum impedit, nec enim ſimul fieri poſſunt: vnde ex nimia effuſione ſequitur infrigidatio: ab immodica contractione, aduſtio; & prænimia retentatum fuliginum copia, ſuffocatio.

QVÆSTIO XIV.

Vtrùm ſiniſter cordis ventriculus ſit præſtantior dextro. Contra Ariſtotelem.

PRoximè ad Hippocratis elegantiam Galenus accedit, quem propterea lego auidè, & iucundè qui *lib. 6. de vſu partium cap.* 9. duos tantùm ſinus in corde, contra Ariſtotelem agnoſcit: Summus enim auctor *lib. de corde num.* 4. ſic profatur, vt recens Medicus vertit Auſtradus. *Cor muſculus eſt validus, non neruo, ſed denſitate, ac conſtrictione carnis, & duos ventriculos habet diſcretos in vno amiculo, ab vtráque parte vnum. Nihil autem inter ſe ſimiles ſunt: Alter enim in dextris ad oſculum ſitus eſt, contingens alteram venam; alter in ſiniſtris. Totum enim cor in his ſedem ſuum firmauit. Sed ille etiam omninò amplioris ventris, & magis inanis, quàm alter eſt, neque extremitatem cordis attingit, ſed caudam eius ambit, ſolidus item eſt, velut extrinſecus aſſutus. Alter autem ſubter ſiniſtram mammam maximè in directum ſitus eſt, vbi etiam ſaltus ipſius ſignificationem ſui prabet, &c.*

Contra firmauit Ariſtoteles *lib.* 3. *de partib. cap.* 4. §. *Sinus verò habent magnorum animalium corda tres, &c.* & *lib.* 1. *de hiſt. animal. cap.* 17. *Cor (inquit) tres ſinus habet, &c.* & mox: *Habet autem tres ſinus, maximum quidem in dextra, minimum verò in ſiniſtra, medium autem magnitudine in media parte, &c.* & 3. *de hiſtor. animal. cap.* 3. §. *Ecce tibi omnium quidem animalium cordi tres ineſſe ſinus, ſed maximorum euidentes eſſe omnes, aliorum duos maiores, & minorum minimè euidentes, &c.* Vſum horum ſinuum Ariſtotelì fuiſſe compertum, hæc eadem indicant loca, vt nunc explicare minimè ſit neceſſe.

Sed ne mireris ſummum Philoſophum, quem, vnicum ſpiritum veritatis, omnes vnanimiter prædicant, ita fuiſſe lapſum. Neque enim hominum corpora ſecuiſſe veriſimile eſt; quapropter in re anatomica plura abſurda profert, *in libris de generatione, partibus, & hiſtoria animalium*: neque enim animalis magnitudo multitudinem ventriculorum arguit, nec organorum formam paruitas immutat; maximè cùm ab eruditiſſimis huius artis profeſſoribus in homine, equo, elephante duo ſolùm in corde reperiantur ſinus.

Vtrùm autem præſtantior ſit dexter, an ſiniſter arduum eſt: confido tamen rem vniuerſam ex medicæ facultatis principiis ſic demonſtraturum, vt ei qui ſyncero, cãdidóque animo totam præceptionem diligenter audiat, nulla poſtea irrepat calumniandi occaſio. Galenus enim *lib. 6. de vſu part. cap.* 7. *& lib.* 7. *c.* 2. atque alibi, expreſſit ſiniſtrum cordis ſinum eſſe dextro præſtantiorem, dũ vulnerato corde, quamprimùm interitũ ſe qui aſſeuerat, maximè ſi vulnus ad partis ſiniſtræ ventrem penetret.

Sed obſtat non aſpernabilis, nec lectione prorſus indigna oppoſita opinio Ariſtotelis 3. *de partib. animal. c.* 5. Pro qua contendunt multi, & primò, quia quemadmodum inter reliqua corporis membra, cor ideò dicitur omnium nobiliſſimum, quia ſuo motu ita vitam conſeruat, vt vltimò moriatur. definàtque moueri: ſic ex ipſius ventriculis, ille cenſendus præſtantior, in quo vita diutiùs durat, poſteriúſque ceſſat motus. Sed is in ſiniſtro ventriculo, priuſquàm in dextro ceſſat, vt cor de extracto apparet, & manifeſtè ſentitur in morituris. Ergo, &c.

Deinde in vniuerſo corpore pars dextra præſtantior eſt, ſiniſtra, atque robuſtior, 14. *de vſu part.* 2. *&* 6. *epid. ſect.* 2. *text.* 44. *&* 5. *aphoriſ.* 48. tam ex loci præſtantia, quàm ex operationum robore. Dexter pulſus multò perfectior eſt, & vegetior ſiniſtro, quod dextræ partis calorem maiorem, maiorémque arguit nobilitatem. Inſuper animali ſuffocato vniuerſus ferè ſanguis, & ſpiritus ad venas, & dextrum cordis ſinum recurrit, pauciſſimus in ſiniſtrum, & arteria. Atqui hoc non aliunde, niſi quia natura cum ſanguine, & ſpiritu, in partis nobilioris ſubſidium accurrit. Igitur, &c.

Præterea, in dextro plurimus ſanguis cum ſpiritu continetur, ex Ariſt. *cit. de partib. anima. cap.* 4. *&* 5. Hoc docet

docet magna, & latè patens vena à membris omnibus communis vocata, à dextro ſinu deducta: cùm à ſiniſtro arteria, neque ita magna, nec communis, nec perinde neceſſaria deriuetur. Ergo maior nobilitas datur in dextro, à quo maiora illa deducuntur vaſa, plures, & vtiliores materias receptura, ac per vniuerſum corpus deductura, quod & expreſsè ſentit Auic. *lib.* 13. *animal. cap.* 3. vbi de corde loquens, *Melior* (inquit) *& nobilior duarum partium cordis eſt dextera, & ab illa multum emanat de ſpiritu, &c.* Quod ſi cum Ariſt. ſuprà, & Peripateticis, tres admittantur ventres, quod non renuit Auic. 11.3. *tract.* 1. *cap.* 1. & Galenus non diſſentire videtur, *lib. de diſſect. venar. & arteriar. cap.* 9. cur medius non dicetur nobilior, ſimiliter atque medius cerebri?

Pro ſolutione nota, quod cùm ea fuerit Ariſtotelis ſententia, vt arbitraretur cor non ſolùm vitæ, innatíque caloris principium, ſed ſenſus, & motus, atque etiam nutritionis, omnia ferè vaſorum genera, arterias, venas, & neruos, atque adeò ſanguinem, ſpiritus, & facultates omnes à corde ipſo prodire exiſtimauit, & ampliſſimam quidem venam toti corpori communem, & per vniuerſum, ſanguinem delatura, ex ſinu dextro; à ſiniſtro autem arteriam, vena illa multò minorem, minúſque communem, atque neceſſariam: Cúmque dexter ille venter plurimum, inquit, ſanguinem, cúmque calidiſſimum, & plurimos ſpiritus contine t, atque adeò vaſa maiora, inſuper & huius gratia in dextro latere melior fiat nutritio, pulſus fortior, ſenſus exquiſitior, & robuſtiores etiam motus; dextrum cordis ventriculum ſiniſtro præſtantiorem aſſeruit.

Sed cùm Ariſtoteles, vt diximus, in arte ſecandi parùm fuerit verſatus, quia nec eius tempore vigebat, nihil mirum ſi in propoſito, & multis aliis, quæ ad anatomen ſpectant, aberrauerit; ac proinde non multùm mouere debent; quæ de vaſorum origine, & ſimilibus ſcripſit, maximè vbi Galenum habet aduerſantem, qui ſenſu fuit exactiſſimo & in diſſectione abſolutiſſimus.

Nec rationes deſunt, quibus placitum Galeni de ſiniſtri ventriculi præſtātia roboretur. Quò enim ſpiritus eſt ſanguine præſtantior, eò nobilior exiſtimandus ſinus, in quo ille elaboratur; eum verò eſſe ſiniſtrum, præterquam quòd Galenus docet 6. *de vſu part.* 7.3. *de facult. natural. vlt.* dixit etiam Auic. *cap.* 1. *de viribus cordis*, & id ipſum demonſtrat illius compoſitio, quia ſolus duplici tegitur mēbrana; nec alia de cauſa, quoniam vitalem ſpiritum vitæ magis neceſſarium in ſe erat contenturus, ſimul & potiorem ſanguinem quo turget, 1. *de placit.* 5. quod libri initium eſt.

Quinimò niſi in ſiniſtro generarentur ſpiritus, nec ibi potiſſimùm vigerent, minor illorum copia inueniretur in arteriis ab hoc prodeuntibus, quàm in venis, quæ à dextro ſecundum Ariſt. oriuntur, quod nullus vnquam admiſit. Inſuper & quorſum arteriæ duabus conſtarent membranis, vel cur potiùs quàm venæ non quieſcerent, ac perinde ſaltem, vel omnes non mouerentur ſimul?

Denique qui venenum ſumit, multò euidentiorem noxam in ſiniſtro ventriculo, quàm in dextro ſentit, vt eorum qui ſumpſerunt, experimentum demonſtrat; atque hoc non alia de cauſa, niſi quia vitalis facultas, & ſpiritus ibi potiſſimùm vigent, quibus venena ipſa ex natura ſua aduerſantur, & ſic partem principaliſſimam, & præcipuam vitæ ſedem inuadunt. Igitur negari non poteſt, ſiniſtrum longè eſſe præſtantiorem dextro.

Nec erit laborioſum, rationes pro Ariſtotele adductas ad vnguem diſſoluere: Et primam facilè infringes, appoſitò etiam motu de cordis auriculis: quæ licèt multò minorem vim habeant, quàm cor, nihilominus vltimò mouentur, etiam corde ipſo iam immoto, vt experimentum monſtrat, & ſuppreſſa ratione docet Galenus 7. *anatomic. adminiſt.* 15. non ſolùm (vt ipſe inquit) quia appendices diutiùs moueri videantur, (neque enim pendentia ex pariete ipſo quieſcente agitantur) ſed quia leuiores, & tenuiores motum magis manifeſtant, qui in corde ob grauitatem, & craſſitiem ſenſum effugit; vt perinde in ſiniſtro ventre accidit, quem natura craſſum, & durum conſtituit, in maiorem cuſtodiam, & conſeruationem ſpirituum; dextrum mollem, & tenuem; atque ideò huius motus facilè ſentiri poteſt, & vt magis euidens, diutiùs durare videtur.

Iam verò dextri carpi pulſus, ſi diuturnior eſſe ſolet, quàm ſiniſtri, non accidit quia vis mouens dextro cordis ventriculo potentior inſit, ſed ob maiorem dextri lateris calorem, qua ratione & pulſus etiam dexter maior, & dextra ferè omnia collata ſiniſtris, validiora, quia calidiora: verùm hoc non ob maiorem influxum ventriculi dextri cordis, ſed ob cordis in medio, 6. *de vſu part. cap.* 7. & iecoris ſitum in dextro. 6. *epid. ſect.* 2. *com.* 44. & alibi, necnon frequentiùs dextri lateris exercitium, quo calor augetur, fortitudo, & robur.

Plurimum verò ſanguinem in dextro cordis ventre ſuffocati animalis reperiri, indicat magis ſanguineum eſſe, id quod Galenus 6. *de vſu part. cit.* & vaſa ibi poſita teſtantur, quorum alterum ſanguinem ducit à iecore, alterum defert ad pulmonem; hoc tamen ignobilitatem arguit collatione ad ſiniſtrum, qui ſpirituoſus, & ſuperior, atque adeò nobilior: ille enim tanquam coquus, & miniſter ſanguinem præparat; & per mediæ cauitatis anguſtiam, elaboratum iam, & ſubtiliorem factum ad ſpirituum generationem tranſmittit in ſiniſtrum, 3. *de facult. natura lib. vlt.* hic autem auctor generat, continet, & per arterias inde exortas toti communicat, 6. *de vſu part.* 2. *&* 1. *de placit.* 7. *& lib. de diſſect. venar. & arteriar.* 7.

Non deduci autè venas à corde, ſuprà oſtendimus, neque verò tres in eo viſcere ventriculos dari: quemadmodum Ariſt. opinatur, fide oculari demonſtrat Galenus *cit. de vſu part.* nec medius ille meatus, ventriculus eſt, ſed anguſta quædam via; qua ſanguis in anguſtum percolatus & coctus naturaliter mandatur, vt diximus. Imò quamuis tertius admitteretur, non foret ſiniſtro nobilior: in cerebro enim medius ſi principatum obtinet, eſt quia imaginationis, principalioris virtutis ſedes conſtituitur. Auicennam autem (licèt Ariſtoteli ferè ſemper adhæreat) 13. *animalium*, aiunt non dixiſſe dextrum ſimpliciter, & abſolutè nobiliorem, ſed ex parte loci; nec plus inde de ſpiritu, quàm à ſiniſtro emanare, ſed multum: quare ex aliorum, vel ipſius Ariſt. loquitur ſententia. Ex quibus ad reliquas rationes, quas in oppoſitæ ſententiæ confirmationem adduximus, patet reſponſio.

QVÆSTIO XV.

Vtrùm cor vita ſuperſtite, abſceſſus patiatur, validas intemperies, & morbos omnes, vt Galenus contra Ariſtotelem confirmat.

Ariſtotelem in omni quidem ſcientia multùm ante alios admirabili ſubtilitate virum, ſed in animalium natura perſcrutanda vel maximè memorandum, legimus prolixa oratione rimatum acerrimè 3. *lib. de partib. animal. cap.* 4. cur cor ſolum viſcerum, atque omnium partium corporis, nullum vitium graue patiatur, ea ratione, quia principio corrupto nihil ſit, quod cæteris quæ inde pendeant, præbere auxilium poſſit. Sequutus forſan Hipp. qui 4. *lib. de morbis, num.* 16. nullum oboriri morbum teſtatur: *Cor ita ſolidum, ac denſum eſt, vt ab humore non ægrotet, propterea nullus morbus in corde oboritur.* Auicenna 1. 3. *tract.* 1. *cap.* 2. cor ipſum non tolerare inflammationem ſcribit & Halyabbas 9. *theoric. c.* 23. *Non eſt poſſibile* (inquit) *vt apoſtemetur cor, vt accidat in eo oppilatio in plures eius ventres, ſicut poſſibile ſit illud in cerebro: nam mors antecedit illud.* Idem firmant Auerrhoës 3. *collig. c.* 25. Meſuē *lib. de appropriatis, cap. vlt.* Serapio 4. *breuiar. cap.* 27. *&* 28. Auenzoar. 1. *theiſir, tract.* 12. *c.* 1.

De phlegmone autem, & eryſipelate pronuntiat Galenus 5. *de loc.* 1, vbi primùm incipiunt, ſtatim interneeare, nec viuente animali poſſe ad augmentum peruenire; quamuis enim cerebrum, & iecur inflammationes nonnunquam ſine interitu ſuſtineant, cor tamen ob ſui principatum non patitur cum vita inflammari.

Obſtant tamen in contrarium grauiſſimorun auctorum experimenta, & rationes: nam Gal. 6, *de loc. cap.* 1. narrat

duo memorabilia exempla,de ſimia , & gallo, in quibus poſt morté in cordis inuolucro ſcirrhoſi tumores inuenti ſunt. Teſtatur etiam id ipſum *l.7.de antomic.adminiſt.c.5.* proponens hiſtoriam Marulli Mimographi filij, cui cor denudatum fuit, corrupto cordis inuolucro, & ſphacelato oſſe thoracis, & tamen ſanitati reſtitutus eſt. Confirmant etiàm illuſtrium auctorum teſtimonia, quibus fidem derogare nefas eſt, qui in corde, viuente animali, inuenerunt vermes, calculos, carnoſas excreſcentias, tubercula nigra, abſceſſus, tumores prægrandes, aliquando magnitudinem oui æquantes, vlcera ſordida. Quid plura? nónne viderunt plures cor extenuatum, cuius ſuperficies erat conſumpta putredine? nónne cor phthiſi occupatur? nónne aliquando torreſit, & ita abſumitur, vt ſola tunica ſuperſit? quibus omnibus affectibus cor premi, durante vita, fidiſſimi auctores conteſtantur, quorum numerum deſcripſimus *lib.2. in.com. hiſt.* 41. homines enim repentè ſideratorum more concidere ex eo euenit, quoniam cor paralyſi concutitur, cæterorum viſcerum inſtar, quorum paralyſes nos latent, quia propria ſigna quibus deprehendantur, non habemus, vt diſertè tradit Proſper Alpinus *lib.* 10. *de medicin.methodica, cap.* 3.

Hoc placitum validiſſimis argumentis roboratur. Tot morborum genera poſſunt in corde fieri, quot ſunt naturæ ex quibus illius ſanitas integratur. Atqui cor non minûs compoſitione, & vnitate, quàm temperamento conſtat, quæ ſunt omnes naturæ, (habet enim ſimplices, atque inſtrumentales partes, & in omnibus quidem vnitas, vt commune quoddam, & temperamento, & conformationi, neceſſaria.) Ergo omne genus morbi perpeti poteſt, intemperiem nempe, malam compoſitionem, & ſolutam vnitatem; id quod expreſſit Auic. *loc. cit.* Quum verò inflammatio morbus quidam ſit de genere inſtrumentalium, negari non poteſt eam, vel omnino confirmatam poſſe cordi accidere, ſiue à materia paulatim congeſta generetur, ſiue aliundè ſubitò defluente; nutritur enim inſtar aliorum membrorum, & materias ab aliis aduenientes quandoque recipit.

Deinde. Periculoſior eſt, & lethalior in corde ſolutio continui, quàm ipſa ſit inflammatio. Sed cum vita cor patitur magnum, & penetrans vulnus (nec enim eo ſaltem ſubſtantiæ cordis inflicto quamprimùm mors ſequitur, vt *5.de loc cap.* 1. docuit Galenus, imò & corde vulnerato, multo tempore poteſt viuere animal.) Ergo à fortiori citra interitum patietur inflammationem. Maior, præterquam quòd ſcribitur ab Auic. *vbi ſuprà*, oſtenditur ex eo, quia ab inflammatione ſeparari poteſt nonnunquam euaſio, extractione collectæ materiæ, quòd facilius eſt; & prohibitione fluentis, ſi quæ datur: à ſolutione autem minimè, tum quia poſt vulnus prohiberi nequit inflammatio, atque adeò duplicis morbi grauiſſimi coniunctio, tum quia ſolutio dolorem grauiſſimum inducit, ac ſpirituum reſolutionem; denique ex iugi, perpetuóque motu ſanatio impeditur.

Rurſus, ſi inflammatio quamprimùm vbi incipit, perimeret, aut eſſet propter ſolutionem quam facit, & illius interuentu dolorem, aut propter intemperiem quam excitat, demum aut quia vitiando compoſitionem, obſtruendóue, cordis dilatationem impedit, vel quia ex omnibus ſimul. Sed grauior eſt ſolutio ex vulnere, quæ partes ſeparat, vehementiórque dolor quàm ab inflammatione, quæ ſolùm diſtendit; maior inſuper intemperies, & æſtus ex ardentiſſima febre, minórque impotentia ad motum ſequitur ab obſtructione, quàm vulnere cordis, denique & minus impedimentum ex aſſeruatis, quam reſolutis ſpiritibus. Igitur ſi ab vnoquoque horum neceſſariò mors non inducitur, nec etiam ab inflammatione ſaltem incipiente, & ex conſequenti cor cum vita patietur inflammari abſolutè, & completè.

Licèt autem hæc ita contingant, non euertunt tamen doctrinam Galeni, qui *lib.5. de loc. cit.* conſtanter aſſeuerat, pati quidem cor eryſipelas, vel inflammationem, ſed incipientem tantùm, & nec diu, nec longo tempore, quia antequam augeatur, animal corrumpitur; ídque multorum quos vidit teſtimonio confirmat idem Auic. 11. 3. & A Auerrhoës, & omnes alij, cuius placiti ea potiſſima ratio aſſignatur, quia cor eò quòd ſit vitæ principium, nullum graue vitium, vehementémve affectum patitur, inſtar aliorum viſcerum minùs principalium: nam in confirmata inflammatione plurima nocumenta, eáque grauiſſima ſimul coniunguntur, febris nempe acutiſſima, tenſio, & continui ſolutio, dolor ingens, ſaltem in panniculo, & circumiacentibus partibus, demum & grauitas, atque obſtructio ex collectione materiæ, à quibus impediuntur cor, & arteriæ dilatari, debitéque ventilari. Igitur cor viuente animali abſolutam inflammationem pati non poteſt.

Nec concludunt rationes in contrarium adductæ. Quoniam primum licèt euincat cor ſubiici inflammationi, non tamen vrget poſſe eam confirmatam cum vita ſuſtineri. B Plurimi verò morbi ob ſui vehementiam, & extremos quos inferunt labores, ſubitò, & nonnunquam incipientes interimunt, ac proinde nihil mirum, &c.

Ad ſecundum. Quamuis admittamus ſolutionem in communi periculoſiorem eſſe in homine, quàm inflammationem etiam genericè acceptam, eo quòd ab hac ſaltem incipiente in corde, ſperatur aliquando euaſio, à ſolutione ſaltem penetrante nunquam, prout opponebatur; ſi penetrans tamen vulnus non ſit, nec ad cordis ventres pertingens, minùs periculoſum erit, illúdque diutiùs cor, quàm inflammationem tolerabit. Quòd ſi magnum vſque fuerit, & in ſinum vſque penetrans, magna ſanguinis & ſpirituum effuſione quamprimùm interimet & citiùs quàm inflammatio. Ceruus enim ſi vixit corde vulnerato, vt Thomas à Veiga, auctor fideliſſimus C ſcribit *5.de loc.affectis, cap.* 1. in verbo, *ſequenti*, præterquam penetrans vulnus non eſſet à ſagittæ aculeo inflictum, atque ita nec grauis affectus, & qualis in homine fuiſſet) carnem habet duriorem quàm homo, ſanguinem pauciorem, & minùs calentem, vaſa inſuper tenuiora, vnde multus ſimul cum vita fundi non poteſt, ſaltem ex quocunque vulnere; cum multo enim ſimul effluente exhalat anima, & interit vita, inquit Ariſt, *3. de hiſtor. animal.9.*

Ad tertium. Vbi increſcit, & producitur inflammatio, plurium ſimul nocumentorum, & ſymptomatum vehementia augetur, *2.aph.30.* ſi verò vnum quodque illorum per ſe, dolor ſcilicet ingens, intenſiſſima febris, vel prohibita ventilatio, celerrimè interimit, nec patitur vitam durare, quomodo noxis tot ſimul cor opprimentibus ea D diu conſeruabitur?

Cæterùm pro interpretanda mente Galeni *lib.5.de loc. affect.cap.2.* addenda ſunt aliqua in argumento hoc, quæ eius doctrinam vbertim explanent. Ille enim *loc.cit.* de continui ſolutione pronuntiat, omnino lethalem eſſe; quod priùs prædixerat Hipp.*6. aph.18. Diſciſſo corde, lethale*, tum propter motus perpetuitatem, tum quia cor fons eſt vitæ, innatíque caloris, & ſpirituum origo: quamprimùm autem, & cum magna ſanguinis effuſione interimet, ſi vulnus ad ventrem penetrauerit, & velociſſimè quidem, ſi ſiniſtrum nobiliſſimum pertingat: ſpiritibus enim diſſolutis confeſtim morietur animal. Quòd ſi cordis tantùm ſubſtantia vulneretur, *per noctem*, inquit, E *ac diem poterit perdurare*, ſubſequuta tamen inflammatione peribit.

Quòd ſi ſola membra cor ambiens, inflammatione, vel quouis alio affectu infeſtetur, quum ea inter partes ignobiles numeretur, nullum periculum afferet, nec quicquam ratione ſui timendum inducet, ſed ex noxa tantùm quæ poteſt cordi accidere. Quod autem addit, validam intemperiem cor occupantem ſubitò interimere, difficultatem habet non exiguam. Nam ſicut valida intemperies repentè induci non poteſt, ita nec mortem inducere repentinam. Ergo ſiue in partibus cordis inſtrumentalibus, ſiue in ſimilaribus accidat, nequaquam ſubitò interficiet.

Rurſus: Si intemperies propria eſt ſimilarium, nec niſi ratione illarum in organicis reperitur, quomodo de ea aſſerit, ſubitò internecare, ſi organicas inuadat, & negat de ſimilaribus? Præterea ſicut in temperamenti duratione

vita

vita conſiſtit, ita & in incolumitate earum partium, quarum eſſentia eſt ipſum temperamentum. Ergo ſi illud in his, partibus euertatur, ſubitò morietur animal, & ex conſequenti, &c, Adde quod ſyncope, & tremor, quorum interuentu, valida intemperies cordis dicitur interficere non minùs inducuntur, quum ea ſimilares partes occupat, quàm quum inſtrumentales. Ergo vtrobique ſubitò interimet.

Fuchſius explicat non conferri *citato loco* à Galeno intemperies partium ſimilarium, & inſtrumentalium, ſed affectus illarum proprios, & de illis qui in inſtrumentalibus fiunt, quales ſunt inflammationes, tumores, &c. pronunciare repentinam mortem poſſe inducere, & antequam augeantur, vt dictum eſt, non ſic verò intemperantiam propriam ſimilarium, quia tanta ſubitò fieri nequit, quæ ſufficiat ad ſubito interficiendum. Poteſt verò multus humor repentè ad partem fluere, & in ea ſubitò inflammationem incipientem gignere.

Sed ſi mens Galeni ponderetur, ille de illarum partium intemperantiis loquitur, & per eas quæ ad inſtrumentales pertinent, ſubitò internecari animal aſſeuerat. Dicendum ergo, quod licèt intemperies propria ſimilarium ſit, nec niſi ratione illarum inſtrumentalibus accidat, quum tamen hæ ex illis componantur, ad has etiam pertinere dicetur. Rurſus & quamuis in ſimilaribus per ſe ſumptis, hoc eſt, extra compoſitionem, periculum aut mortem inducere non poſſit, poterit tamen dum componunt, atque adeò in organicis ipſis, vel aliquibus, propter earum præſtantiam, & maius nocumentum, quod ex illarum læſione ſequitur.

Cùm verò cordis ſinus, & magnarum arteriarum eius cauitates, ſint partes quædam præſtantiſſimæ, & eæ quidem organicæ; ſi valida illas occupauerit intemperies (quã organi intemperiem Galenus appellat, quia organi partes occupat ſimilares,) nihil mirum ſi vehementiſſima noxa ſyncope, & tremor ſubitò inducantur, & ab his nonnunquam repentina mors.

Nec id mirum videri debet, quia in ipſis inſtrumentalibus partibus, atque vẽtribus, maxima pars habitat vitalis facultatis, vel ſaltem ſpirituum, quibus ipſa conſtat, & operatur. Sicut enim animales functiones non qualibet cerebri parte affecta intercipiuntur, ſed affectis, atque obſtructis ipſis ventriculis; ita & in corde his ipſis potiſſimùm affectis contingit virtutem exolui, hoc eſt, in deliquium incidere & nonnunquam ſubitò, atque omnino corruere, ita vt repentè moriatur homo; id quod formidandum prædixit Hipp. *vbi ſuprà*, in habentibus cor imbecillum. Cùm enim parua materia in corpore redundans ſoleat decumbere ad infirma, debiliáque membra, in quæ ſe robuſtiora exonerant, timeri iure poteſt, ne etiam ad debile cor, tanta aliquando fluat excrementi congeries, quæ ſubitò opprimat.

Primò cordis imbecillitatem repentinæ morti obnoxiam, colligendam docuit ex animi defectu forti, hoc eſt, qui nonniſi longo pòſt tempore recreatur, frequenti, ac citra manifeſtam occaſionem eueniente. Nam ſi exiguus ſit; vel licèt fortis frequenter non incidit; vel ex manifeſta cauſa, ſiue externa, ſeu cognita interna, nec virtutem ſuſpectam facit, nec quicquam aliud formidandum oſtendit. Auicenna 3.1. *doct* 5. *cap.* 1. ſcribit, non minùs ex tremore aſſiduo cordis infirmitatem indicari, & ſubitũ mortis periculum: quod etiam recipi poteſt, quum germani ferè affectus ſint, & ſibi ad inuicem plerumque ſuccedentes, deliquium, & palpitatio; imbecillitatis verò cauſa, vel potiſſima quum ſit intemperies, dicente Galeno 2. *art. medic.* præſertim *cap.*13. *cuiuſque potentiæ virtus, & vitium, tẽperatura principalis cauſa exiſtit*: & apertius *lib.*5. *de loc. cap.*1. quanquam ea ſubitò induci non poſſit, nec ad organicas pertinere dicatur, niſi gratia ſimilarium: nõ tollit hoc, quominùs ſi inorganicas occupet, vtpote digniores, exolutionem faciliùs, & nonnunquam ſubitam mortem, inducat. Atque de cordis quæſtionibus hæc ſint ſatis. Alias per otiũ legere ne graueris, apud eruditiſſimos Æ-

A milium Pariſanum, & Iacobum Primeroſium, qui contra Harueum *in ſuo libello de motu cordis*, ſtrenuè diſſertarunt.

HIST. VIII. ALZAHARAVII, De ictu venenoſo ſcorpenæ marinæ.

Ictus ſcorpenæ marinæ virulentus, eiuſque curatio.

Ego pluries piſcaui, & cùm inuenirẽ, & tetigi manu, ita quod punxit me in minimo digito, ſignum eius quod ac-
B *cidit mihi ex ſua punctura, quoniam in primis ſenſi modicũ doloris, & non ceſſauit dolor paulatim augmentari, donec peruenit, & aſcendit ad brachium, & ſic vſque ad ſpatulam, & ſic vigoratus eſt ſuper me dolor: & ſumpſi theriacam Alfaroch, & non fuit mihi manifeſtum iuuamentum eius, donec acceptis furfuribus, & diſtemperatis cum aqua calida loco ſuperpoſui; & hoc pluries reuocato ceſſauit dolor, & remanſit perditio motus digiti puncti longo tempore, * & viſus remanſit cum auditu quaſi deſtructus, * & ante oculos videbam muſcas, & mihi retulerunt piſcatores, quòd impoſſibile eſt manum, vel digitum ex ſui punctione areſcere, & non eſt dubium apud me, quoniam cauteriſatio puncti ſuper cætera valet mihi iuuamento, vel ablutione; & hoc bene ſciunt piſcatores, & præſeruant ſe ab eo, &c. Alzaharauius* tract. 30. pract. ſect. 2. cap. 12.

C
PARAPHRASIS.

Conradus Geſnerus Tugurinus, Varro Germanus veriùs appellandus, *in illo ſuo admirando* 4. *de piſcibus libro*, ex Rondeletio & Plinio *lib.* 32. *cap.*11. Scorpenæ marinæ ictum, virulentum eſſe affirmat, eiuſque curationem apponit in hunc modum, *Sic & ſcorpio lædit, dum manu tollitur: tot enim aculeos habet in capite, vt ſine noxa tractari non poſſit, niſi cauda arripiatur, vel duobus tantùm digitis medium corpus apprehendatur: ob id accidit, plerumque vt piſcatores noſtri à piſcibus iſtis pungantur, & expunctæ partis inflammatione dolor magnus oriatur, &c.*

Hoc ergo animal virulentum eſt, neruóſque lethaliter ferit & pungit aculeo ſuo; cuius puncturam ſequuntur dolores vehementes, partis inflammatio, & ex veneno, maláque qualitate neruoſo generi communicata, conuul-
D ſio accidit, vel reſolutis animalibus ſpiritibus paralyſis contingit: nec enim ſufficiens copia ſpirituum ad partes ſentientes pro motu, & ſenſu demandari ſolet.

Pro cuius curatione tria machinatus eſt auctor noſter, primùm debellare vim veneni, eiúſque efficiam retundere. Et cùm plura ſint quæ hoc opus præſtare poſſunt, inter cætera Theriacam elegit Alfaroch, id eſt liberantem à morte: ſic enim hoc nomen interpretandum eſt, ſi fidem præbemus Alpago Bellunenſi, qui *in tractatu de interpretatione nominum Arabicorum*, ſic exponit. Per quam, nullã aliam intelligendam eſſe, niſi Theriacam magnã, omnibus compertum eſſe reor, quia hæc ex omnium auctorum voto calorem natiuum, mirandũ in modum roborat, & perniciosſam auram à quolibet venenoſo humore eleuatam, vehementer infrænat, vt eleganter probat Ioannes Contarenus, *tract. de Bezabarticorum vſu, prope med.*

Secundum fuit lenire dolorem, cuius cauſa ſæpe fluxio-
E nes eueniunt, & ex iis inflammationes ingentes contingunt; nihil enim eſt quod ampliùs fluxiones accerſat, quã dolor, vt innumeris ferè locis docuit Galenus, præſertim *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. c.*8. & *lib.* 2. *de diſ. feb. cap.*5. & 13. *meth. cap.*5. & 5. *aph.*23. & *lib. art. medic. c.* 95. *Vitandum* enim (ait *lib.*5. *meth. cap.*4.) *ne dolor incidat, ac rurſus profluuium excitet, quum nihil ſit quod ſanguinis profluuiũ magis proritet, & phlegmonas augeat.* Cur autem dolor fluxiones moueat, alibi demonſtrauimus, & probat eruditiſſimus Siluaticus, *cont.* 22. & Iohannes Brauus, vir in Galeni doctrina verſatiſſimus, *lib.* 1. *de curand. rat. per medicam. purgam, cap.*10. graphicè explicuit.

Inter lenientia, aquam calidam ſummoperè probauit, quæ æſtuantem partis calorem contemperat, & remedium anodynum eſt, vt proprio exemplo confirmat Galenus 6. *aph.* 31.& calore ſuo aperit meatus, venenúmque euocat ad extra, præſertim ſi miſceatur furfuri; Hoc enim auctore Gal. *lib.1.de alim.facult. cap. de tritico*, virus ex ictu relictum abſtergit, & calore ſuo ſorditiem exiccat, ex ipſo *lib.5.ſimpl. cap.*8.partem ictam dilatat, & emplaſticum eſt.

Tertium erat, cauterium ſupra partem ictam impoſitum. Nam ignis vi ſua valentiſſima & efficaciſſimo calore, & dolore, venenum potenter attrahit, & foras euocat, illúdque domat, & abſumit; in profundum enim facile permeat, comminuit, vincit, extenuat, atque tranſmutat.

Ampliùs duplex antipharmaci genus agnoſcit Geſnerus, antipathiam nempe, & ſympathiam; vt hepar venenatorum animalium vulneri impoſitum, quo admoto ad vulneris ambitum cum lentiſco permixto, puerum ab hoc piſce miſerè ictum, dum eum in ſinu recondere vellet perſanaſſe gloriatur: quod auxilium ſimilitudine ſubſtantiæ venenum attrahere, illi eſt manifeſtum, qui Galeni, mentem penſauerit ad vnguem, plura à tota ſubſtantia attrahere arbitrantis. Carnes verò impoſitæ idem præſtant per antipathiam, vt firmat Dioſcorides *lib.2.cap.*13. & interpretes teſtantur *in com.* Ne verò venenum altiùs ſerpat, & æger ab imminente conuulſione præſeruetur, optimum erit arctiſſimo vinculo partem ligare, vt proprio exemplo firmauit Foreſtus *lib.* 10.*obſ.*19.Sed inſigni quodam iuuandi modo auxiliatur nicotiana trita, & emplaſtri modo commorſæ parti admota; nam veneni virulentam vim retundit euidenter, vt notant Monardus *prop. tract.de nicotiona*, Ægidius Euerartus *tract.de herba panacea*, & latè Ioannes Neander *in ſuo non incurioſo libello de Tabacologia, in med.*

QVÆSTIO XVI.

Vtrùm præter cauſas à Galeno numeratus, ſint aliæ, ob quas videndi ſenſus amittatur, vt falſò contra eum ſibi perſuaſit Gentilis.

COMMENTARIVM.

ET *viſus remanſit quaſi deſtructus.*]Quoniam verò de viſu facta eſt mentio, placuit perpulchra delibare, inter alia quæ haud parum multa ſuis complexi voluminibus ſunt, qui de viſu elegantes libellos conſcripſerunt; inter quos palmam præripuere clariſſimus Aquapendens ſubtiliſſimus Montaltus Luſitanus, & ingenioſiſſimus Plempius, qui nunc ſumma cum ſui nominis commendatione Medicinam Louanij profitetur. Quoniam verò ij plura reliquerunt intacta, vt locupletiùs in argumento neceſſario, & intricato ſatisfaciam, operæpretium arbitratus ſum, tantorum in medendi ſcientia virorũ ſcriptis addere ſcitu non indigna, maximè quum labor hic noſter planè miſcellaneus ſit, ac vt ita dixerim, congeſtiuus,

In Medicis arcanis perpoliendis Græcorum gentem fuiſſe ſagacem, vniuerſus Medicorum chorus prædicat vbertim: inter eos Galenum ſemper habitum fuiſſe primipilum, & coryphæum non ab iis ſolùm, ſed ab omnibus qui ſcientiarum omnium amore exardeſcunt, ita patet, vt probatione non indigeat. Is ergo ſummus Medicus *lib.4.de loc.affect.cap.2.* poſtquam internos cerebri affectus deſcripſit, ab illis exorditur qui oculos infeſtare ſolent: Oculorum enim præſtantia ſicut maior erat quàm reliquorum ſenſuum 5.*de placit. cap.*8.& *lib.* 7.*cap.* 5. & 10.*de vſu part.cap.6.& lib.16.cap.*3.adeò vt illorum gratia humanum caput efformari dixerit, 8. *de vſu part.cap.*5. & veluti ſolem eſſe in capite animalis, 3.*de vſu part.c.*10. *ad fin.* Ita priorem, ſublimiorémque capitis locum, ſitúmque inter reliqua ſenſoria poſtulabant.

Cùm igitur oculi viſus gratia fuerint creati, & vt ſpeculatoris inſtar vndique proſpicientis, aciem in omnes partes intenderent, ac mouerentur; ex horum læſione, aut defectu, totidem affectus genera, in videndi nempè, ac mouendi actione oculis oriuntur. Ex triplici ergo cauſa aſſerit videndi ſenſum amitti, videlicet quia obturatus ſit neruus à cerebro ad oculos deriuatus, vnde viſifica facultas, ad eos tranſmitti nequit; vel quia cryſtallinus humor, pars oculi præcipua, quæ videndi actionem edit, aliqua ex octo intemperie afficitur. Deperditur tandem, aut minuitur viſus, eo quod parum, aut nihil omnino ſplendidi ſpiritus ad oculum accedit. Dignoſcitur autem in viſorio neruo mali cauſam contineri, vbi nullo vitio in oculo apparente viſus aufertur. Porrò huiuſmodi affectus oculo accidit vt pars eſt inſtrumentalis; ſiquidem quatenus organum, obſtruitur, obſtructio enim morbus eſt organicus ſeu inſtrumentalis: ſecundus, quatenus ſimilaris, vt talis namque intemperiem patitur: viſus autem priuationem, aut imbecillitatem ex inopia ſpiritus, ab vtroque morbi genere ſeiungit, longéque diuerſum facit.

Sed ex iis maxima ſeſe offert dubitandi occaſio, & primò ſic. Non minùs hebetatur, & aboletur etiam viſus, ex defectu, paucitatéue humorum, tunicarum denſitate, craſſitie, aut corrugatione, & ſimilibus aliis, de quibus Aët.*tetr.c. ſem.*3.*cap.*43.quàm ex tribus à Galeno *cit.de.loc.lib.*memoratis, nempe ſpiritus viſiui incraſſatione, debilitate eiuſdem, craſſitie, & viſcoſitate humorum, nerui viſiui corrugatione, quæ etiam ſenibus accidit, eius obſtructione à craſſis humoribus confertim illapſis, eiuſdémque reſolutione. Ergo ex cuiuſlibet harum partium defectu, aut vitio lædi viſum eſt neceſſe.

Secundò. Morbus omnis vel ſimilaris eſt, organicus, vel communis; in hoc genere ſolùm comprehenditur continui ſolutio: aut igitur illum qui accidit oculo ex viſorij ſpiritus inopia, perperam Galenus ſeparauit ab organicis, & intemperamenti morbis; aut tale quidpiam non datur, à quo viſus hebetetur, quod videtur probabilius: aliàs enim ſequeretur, quòd multus etiam, & exuberans ſpiritus videndi actionem, & reliquas incommodaret: par ſiquidem ratio eſt in exceſſu, ac in defectu, quum non minus in vno, quàm in altero peccetur; immò ex vtroque pariter lædi functiones experimur manifeſtè in membris, quæ ſicut diminuta, ita etiam aucta lædunt: non minùs etiam in humoribus, & in ſanguine præcipuè, qui ſicut modicus robur & commoditatem præſtat ad operandum, ita auctus, impedit, grauat, & vaſa rumpit. Cur igitur idem de ſpiritu non exiſtimatur? Nam ex immodica copia calet ſpiritus, & ſic lædit intemperamento ſuo, & ob concalcationem craſſefactus, & denſior, impedit delationem ſpirituum ad cryſtalloïdem. Quod ſi admittas, neceſſariò inter morbos intemperamenti numerabis illum, in quo hebetatur ex ſpirituum paucitate: immaterialis ſiquidem eſt, atque adeo ſola alteratione curandus.

Sed hæc etſi arguta, Galenicam doctrinã non euertũt. Dic ad primum. Non negat Galenus obſcurari, & deperdi viſum ab aliis particularibus cauſis *loc.cit.*prolatis, ſed in harum genere reliquæ omnes comprehendũtur. Vbi enim malum ex humorum oculi inopia contingit, morbus organicus eſt & in quantitate, deficiente ſcilicet oculi ſubſtantia: vbi ex mombranarum corrugatione, denſitate, aut craſſitie, quamuis in dictis caſibus, oculus intemperamento laborat, illius ſiquidem temperies ex omnium partium, quibus conſtituitur, integritate conſtat. Organici verò ſunt, & intemperamenti morbi, quos Galenus recenſuit, ac proinde eiuſdem generis cum illis; nec erat neceſſe cauſas omnes particulatim numerare, ſed ſufficiebat illarum genera proponere, adducto ſingularum exemplo.

Ad ſecundum dic. Quemadmodum ſpiritus nec materia, nec ſubſtantia abſolutè dicuntur, propter ſui ſubtilitatem, inconſtantiam, & immobilitatem, vnde ephemera ab illis calefactis dependens, ſimpliciter immaterialis eſt, & vt talis, habita ſolius intemperamenti ratione, curatur, ita morbi ex deficiẽte ſpiritu, vel excedẽte, ſi illius exceſſus poteſt nocere, ad organicos referri nequeunt, ex addita, vel deficiente ſubſtãtia, ſed ad morbos intemperamẽti. Ab iis tamen Galenus *loc. cit. de locis*, ſeiungit deperditum viſum ex lucidi ſpiritus defectu, & veluti alterius ordinis conſtituit, quia non alteratione, inſtar aliarum

ægritudinum intemperamenti, illius curatio perficitur; ſed multa & proba alitione, qua ſpiritus deficientes reparentur, quorum inopia viſionem lædit, & alias functiones quibus inſeruit; quod vſque adeò certum eſt, vt nullus dubitandi locus relinquatur.

Dubitari tamen poteſt, num multus ſimiliter præ ſui copia officiat? Gentilis enim Medicus, & Philoſophus grauiſſimus 3. 3. *tract.4. cap.1. in Auic.* tum ex paulo antè dictis, tum ex ſequentibus perſuaſus, aliter ſentire cogitur: vbi enim membri temperies inſigniter immutatur, neceſſe eſt illius actionem lædi. Cùm igitur ſpiritus, calida res ſit, ſicut ex moderato natiuum oculi temperamentum ſeruatur, ita nimio, & excedente ad calidum, euertetur: & ex conſequenti, &c.

Deinde ſpiritus denſus, craſſus, tenebroſus, & opacus proculdubio viſum hebetat, & obſcurat (lucidum enim, & ſplendidum eſſe oportet, vt conſtat ex ſupradictis.) Sed vbi multa copia influit, cogitur & conculcatur, vnde denſatur, non aliter ac aër in parte aliqua aggregatus: denſatus autem, craſſus, & opacus minùs aptè imagines recipit, minùs penetrat, minúſque aptè ad cerebrum deducit; quare apud Auic. legitur, obtenebrari viſum in tenebroſo loco, propter non reſolutum ſpiritum, videlicet, quia auctus craſſeſcit. Igitur, &c.

Inſuper licèt ad viſionem ſplendor, & lux requiratur, à multo tamen, & excedente lumine læditur, non minùs interno, quàm externo: & de hoc quidem manifeſta res eſt: frequenter ſiquidem à ſole conſpecto oculi noſtri cæcutiunt, & non aliunde niſi à luminis exceſſu: quod verò ſimiliter internum abundans officiat, patet in animalibus oculos glaucos habentibus, quæ non alia de cauſa peſſimè interdiu vident, niſi quia internum lumen quo abundant, iunctum externo diei, efficitur immoderatum, aptum verò ad videndi inſtrumentum ex modica vtriuſque mixtione paratur. Cùm igitur animalis ſpiritus, lucidus & ſplendidus ſit, eo plurimùm increſcente, neceſſe eſt lumen, & fulgorem augeri; id quod teſtatur Galenus 7. *de placit.* 7. & ex conſequenti, &c.

Quod tamen abundantia ſpirituum viſum non offendat, quin potiùs acuat, & perficiat, ſuadetur. Perfectio viſus in eo conſiſtit, quod & remota inſpiciat, & minima etiam diſcernat. Atqui vbi multus eſt ſpiritus, & æthereus id eſt, lucidus & purus, ratione quantitatis quæ longiſſimè abſunt videntur, ob qualitatem etiam minima diſcernuntur, 1. *de cauſ. ſymptom. cap.2. & 3. 3. tract.4. cap.2.* igitur ſpirituum copia non impedit, quin potius iuuat viſum.

Secundò. Si aliquando impedire poſſet, tunc maximè eueniret, cùm vno tantùm oculo, altero clauſo intuemur. Sed eo tempore nõ deficit, immò multò magis acuitur, & excitatur. Igitur, &c. Probatur ſequela, quoniam vno oculo clauſo, vniuerſus ſpiritus irruit in apertum in eóque aceruatur, cuius indicium eſt dilatata pupilla: non enim aliunde amplificatur, niſi ob dilatatum ſpiritum.

Tertiò: Roborata facultate viſifica intenditur, & perficitur viſio. Sed ex augmento ſpirituum vis ipſa fortificatur, vehementiórque fit, ex Auicenna *lib. de medicin. cordial. cap.4.* Igitur, &c. Hinc exactè conſpectari, oculis conniuemus, ad anguſtandam pupillam, & vniendos ſpiritus. Hinc oculus paruus viſui confert, videlicet quia vtrobique ſpiritus non ſpargitur, ſed magis vnitus augetur ad pupillam, vnde roboratur vis. Accedit in huius partis confirmationem Galenus, qui in præſenti læſionem viſus non abundantiæ ſpirituum, ſed inopiæ adſcripſit, & Auicenna *vbi ſupra.* aperte docens, ſpirituum multitudinem ſummopere iuuare viſum, non lædere, aut vitiare, quod probabilius videtur.

Vltimò. Spirituum multitudo nunquam tanta ſimul generari poteſt, quæ perpetuis membrorum motibus, ſenſibúſque ſufficiat. Igitur credibile non eſt, ex illorum copia lædi aliquando animales functiones. Oſtenditur antecedens, quia nec ſpiritus vitales animalium materia ita exuberantes à corde mandantur, nec cerebri ventres, in quibus ipſi animales elaborantur, tam amplam habent, patentémque cauitatem.

Rurſus. Senſuum, & motuum organa, per quæ diſtribuuntur, numera ferè ſunt: licèt igitur plurimus gignatur, non multum ſufficiet perpetuò vni motioni, aut viſioni, aut diuturnæ meditationi: imò vix aut nunquam contingit, tantùm ſimul generari, qui ſatis ſit ad prædictas actiones, ſi diutiùs durent: manifeſtum ſiquidem eſt neminem citra fatigationem, vel paucis horis moueri, meditari, aut alterius ſenſus miniſterio vti; fatigatio autem non aliunde, quàm ex ſpiritus defectu oritur. Cùm igitur non excedat ſpiritus, nec impediente copia membris vnquam ſuppeditetur, nunquam illius abundantia impediat: membrum verò auctum, ſic, cuius augmentum aliorum munera vitiat; nec minùs excedens ſanguis noxam affert, in actionum læſionem: ad ſanitatem autem, ſanáſque actiones modicus requiritur, & qui poſſit à natura regulari. Contingit autem ſanguinem in toto excedere, quoniam ſicut continuò in iecore conficitur, ita ſine intermiſſione ad vaſa demandatur, cùmque non inaniatur vbi plurimus eſt, neceſſariò abundat, vnde vaſorum plenitudo, corporis grauitas, & actionum læſio ſequuntur. Non ſic ex ſpiritu, vt diximus, quia licèt perpetuò generari concedamus continuóque influere, velociſſimè tamen volat, & inanitur, nec vltra moderantiam, menſurámue continentis loci aggregatur, ita vt præ aucto calore intemperet, vt præ copia conculcatus denſetur, craſſeſcat, & obtenebretur, multò minus vt præ nimio fulgore cætutire faciat. Ex quibus ad argumenta in contrarium adducta, patet reſponſio. Tenebræ autem viſum ſi hebetant, non eſt propterea quòd aceruari faciant ſpiritus, atque denſari, ſed vel quia diſtributus ſpiritus, & ob impedientes tenebras non agens, quodammodo hebetatur non aliter ac ferrũ ſi in vſum non trahatur, & otiola membra, quæ præ otio langueſcunt, & marceſcunt; vel quia tenebrarum frigus denſat, & ſpiſſat ſpiritus, quibus ita affectis obtenebratur viſus. Conſule Iacobum Carantam, qui *lib. de natura viſionis* hæc omnia exactè explicuit.

QVÆSTIO XVII.

Vtrùm ex qualibet oculorum peruerſione, læſio in viſu contingat; & cur viſibile, duplex appareat. Contra Conciliatorem, Gentilem, Iacobum, & alios Auic. interpretes doctiſſimos.

IN hac verò de Viſu mentione, non improbum fuerit aperuiſſe Galeni nodum, *ex quarto de locis affectis. cap.1.* vbi de vitiis oculo accidentibus diſſerens, ſic ait. *Si verò vteruis oculorum motũ dumtaxat amiſerit, ſecundæ copulæ neruum, qui à cerebro oritur, moleſtari eſt neceſſe, ab aliquo videlicet eorum affectuum, quos alteri neruo, qui à prima cõiugatione oritur, & cui ſoli meatus conſpicuus ineſt, nuper accidere diximus.* Quæ verba in auctore doctiſſimo, plurimis huius loci interpretibus ambiguitatem pariunt non exiguam: hanc, ducto altiùs exordio, pulcrè enodabo.

Cùm oculi videndi gratia creati, non ex quauis poſitione cernere poſſit obiecta, ſed tantum ea quæ ſecundum rectitudinem pupillæ opponuntur; ſi immobiles extitiſſent, pauciſſima cerneremus, pauciſſima ſiquidem ſeſe ex directo nobis opponunt: huic igitur incommodo vitando, & vt obliqua, lateralia, ſuperiora, & inferiora viſus extenderetur, duplices, & mobiliſſimos oportuit creari oculos, vt colluſtrare omnia, & vndique circumagi poſſent; in cuius grratiam muſculos voluntarij motus auctores, eóſque numero ſex ſingulis oculis natura circumpoſuit, quorum quatuor mouent ad quatuor loci differentias, ſurſum ſcilicet, deorſum, dextrorſum, & ſiniſtrorſum: reliqui duo quoquouersùs promptè oculum circumuoluunt.

Horum ſex muſculorum, duo lateribus inſeruntur, magno angulo vnus, minori alter, & eorum ope ad vtrumque angulum oculi mouentur. Tertius parte ſuperiori locatur, & eo quidem ſurſum, verſus ſupercilia attolluntur. Quartus inferiùs exiſtit, & deorſum verſus malas trahuntur.

huntur. Quintus videlicet, & ſextus circumuoluentes appellati, ſitum habent obliquum, & à magni anguli regione prodeuntes verſus minorem, pet ſingulas palpebras, ſuprà, & infrà protrahuntur, & oculum circumuerſantes motui rotationis præſunt, ex Gal. *lib. de diſſect. muſcul. cap.* 5. *&* 10. *de vſu part. cap.* 8. Auic. 11. *doct.* 1. *cap.* 4. Probant anatomicorum peritiſſimi, Laurentius *lib.* 8. *de re anatomic. tit. de oculis*, Realdus *lib.* 10. *anatom.* Bauhinus *lib.* 3. *theatri anatomic. cap.* 35. & alij.

Præter ſex dictos muſculos, ſeptimus datur, viſorium neruum opticum videlicet complectens, hunc nonnulli vnum, alij plures dixerunt, vt *cit. loc.* retulit. Gal. ſed præſtat vnicum aſſerere, quum vna circumſcriptione conſtet, nec facilè in partes ſeparetur. Illius munus putat Galenus eſſe, ſurſum trahere, firmaréque oculum, & illius pondus ſuſtinere, ne cum noxa molliſſimi nerui prolabatur. Alij non in eum vſum fuiſſe creatum arbitrantur, ſed magis, vt ſuarum fibrarum varietate oculi motus à variis muſculis prodeuntes iuuaret. Contradicunt aliqui, tum quia, maior firmitas ex immoto ligamento poterat comparari; nulla, vel exigua, ex carneis muſculorum fibris motis, & laxatis: tum quia ad magis promouendos motus, præſtabat creari quatuor illos muſculos oculis inſertos.

Putant ergo, non alia de cauſa naturam inſeruiſſe oculis muſculum, niſi vt dum ſui contractione ageret, tenſos oculos, & rectos conſtitueret, quod omninò neceſſarium erat: cùm enim illi in ſuis extremis pupillas in vna, & æqua ſuperficie formatas ſuſtineant, ne error inter videndum contingat, de quo paulo pòſt; & ſuaptè natura molles ſint, teneri, & flexibiles (quod fieri oportuit, vt facilè paterentur ab obiecto, exactéque ſentirent) niſi muſculis munirentur, ac dirigerentur, laberentur vndique, ac inuerterentur pupillæ, & ab vna planitie ſecederent, vnde frequens eſſet in conſpectu deceptio: vt igitur per tenſos, rectóſque opticorum meatus defluerent viſorij ſpiritus, & in eodem plano ſeruarentur pupillæ, ſinguli ſuos muſculos induerunt, quibus in orbem ambiuntur.

Ex eo verò dicti nerui, optici, hoc eſt, viſorij nuncupantur, quòd videndi facultatem ad oculum deferunt, indito nomine à functione quam obeunt. Inſuper & pori ſeu meatus dicuntur, propterea quòd ſoli inter neruos omnes manifeſtam habent, & ſenſibilem viam, quâ ſpiritus poſſint meare 8. *de vſu part. cap.* 6. *& lib.* 10. *cap.* 12. *&* 14. *&* 7. *de placit. cap.* 5. cuius quidem cauitatis, præterquam quod euidens augmentum præbet dilatatio pupillæ apertæ, altero oculorum clauſo, ex irruente ſpiritu per mediam inanitatem, eam exactè ſecanti conſpici, teſtatur Galenus; licet enim illud nunquam ſibi accidiſſe Veſalius, & Laurentius *lib.* 4. *de hiſt. anatomic. cap.* 17. aſſeuerent: alij tamen hunc euentum certum eſſe, literis poſtea confirmarunt.

Sicut ergo obturato optico, vel quapiam dictarum cauſarum oculi ſenſus deperditur, ita etiam motus quolibet dictorum muſculorum affecto, vel in ſua eſſentia, vel quia neruus, vim deferens à cerebro motoriam obſtruitur: & ſi muſculus ille ſuperior qui oculum ſurſum attollit, reſolutione afficiatur, oculus ipſe delapſus apparet: quouis alio verò reſoluto, à ſua ſede dimotus in oppoſitum ſitum trahitur, nempè verſus ſanam partem; cùm tamen multò aliter ſe res habeat in cõuulſione, ex ea enim ad ægram fit potiùs attractio, quod manifeſtè in oris tortura conſpicitur. Quòd ſi aliquis ex circumuoluentibus reſoluatur, obliqua fiet cõuerſio, hoc eſt ſtraboſitas, totúſque oculus obliquè peruertetur. Prociduus autem, ac eminens apparebit, reſoluto muſculo, qui opticum neruum circumdat: cùm enim ſic affectus ſuſtinere nequeat oculi pondus, procidere neceſſe eſt oculum ipſum; verùm ex eo non incommodabitur viſus, ſaltem quod effatu dignum ſit; quemadmodum nec ſi ad maiorem, vel minorem angulum oculus contorqueatur: ſi tamen obliquè ſurſum aut deorſum inflectatur, non leuis noxa viſui accedit; contingit namque inter videndum deceptio, & quæcunque conſpiciuntur, gemina, dupliciáque apparent, ex Gal. 4. *de loc. affect. cap.* 2. *&* 1. *de cauſ. ſympt. cap.* 2. *&* 10. *de vſu part. cap.* 8. Ariſt. 31. *probl.* 17. Auic.

A 3. 3. *tract.* 2. *cap.* 28. Hæc eſt firma Galeni, & Auic. *cit. locis* ſententia.

Cæterùm ea in examen trahenda eſt, videndúmque, num ex qualibet oculorum peruerſione læſio, & qualis in viſu ſequatur. Et primò, quòd oculi procidentia ex reſolutione muſculi opticum circumdantis minuat, vel ex toto perdat, aut ſaltem viſum deprauet, oſtenditur. Niſi viſorij nerui extenſi, & recti ſeruentur, neque ſpiritus cum facultate meare, neque in eorum extremitatibus firmiter poſſunt contineri pupillæ: cùm igitur præ innata mollitie tendi, ac firmari nequeant ſine muſculorum ope, his planè reſolutis, neceſſe erit his dictis commoditatibus priuari, & vi reſoluta ex toto ceſſare, aut diminui viſum, vel ſaltem cum opticorum inuerſione, ab vna planitie pupillas ſecedere: vnde deprauata viſio, deceptióque

B in conſepectu.

Deinde. Si conuulſio circumdantis muſculi, cùm multo minus malum ſit, officit viſioni, alioquî morbida, & præternaturalis operatio perfectior eſſet, & præferenda ſanæ, quod abſurdum videtur; pars ſiquidem naturaliter diſpoſita, perfectiùs & meliùs operatur, quod ſolet & intendit natura. 3. *de part. animal.* 1.) quomodo paralyſis, maior & periculoſior morbus, non incommodabit?

Secundò. Non minùs ad duplicitatem viſus facit, imagines in diuerſis ſitibus recipi, quàm in eiſdem viſile feſtinanter contineri, aut à variis planis ſpecie, ad oculum accedere. Sed vbi oculus ad vtrumuis angulum contorquetur, per diuerſas imagines in variis ſitibus repertas obiectum repræſentatur. Igitur & ex tali peruerſione res

C apparebit gemina.

Nec dicas, ſimilitudines illas diuerſis locis primùm receptas in vno coire, nempe opticorum congreſſu, vbi viſio fit, atque ideò non duplam, ſed ſimplicem rem videri; alioquî verò futurum ſi in cryſtalloïde cerneremus: nam præterquam quòd improbabile eſt aſſerere, non fieri ſenſationes in ſenſoriis, atque ita nec videndi actionem in oculo, quod paulo pòſt oſtendetur; cur ſimiliter non vnientur ſpecies receptæ in pupillis ſurſum, vel deorſum inuerſis, ne multiplex cenſeatur viſile?

Rurſus. Quemadmodum oculi depreſſi, aut eleuati ab vna ſuperficie, deflectunt à ſua naturali ſede; ita ad dextrum vel ſiniſtrum torti. (vtrobique enim morbus idem accidit inſtrumentalis, & is quidem in ſitu, 1. *de cauſ.*

D *ſympt. cap.* 2.) Sed oculi à naturali ſuperficie ſuo ſitu ad alium dimotis, credetur res in diuerſo loco exiſtere. Igitur ex huiuſmodi peruerſione, etiam error in videndo continget.

Tertiò. Vbi muſculi obliquè reſoluuntur, aut conuelluntur, ad maiorem, vel minorem angulum inclinant. Ergo ſimilem efficient torturam ei, quæ accidit ex lateralium reſolutione. Cùm igitur ex ſententia Galeni viſus non incommodetur contortis oculis ad angulos, nec etiam incommodabitur ex obliqua peruerſione.

Quartò. Ab eleuatione, vel depreſſione, ſequi tantum videtur in pupilla, amplificatio ſurſum, vel deorſum verſus. Sed dilatatio pupillæ nihil facit ad rei ſitum, aut duplicitatem. Ergo etiamſi ſuperior, vel inferior, muſculus reſoluatur, duplex non apparebit viſile. Denique, cur magis duplex, quàm quadruplex, ſi in vtroque oculo pariter accidat reſolutio, & inæqualiter pupillæ depriman-

E tur, aut eleuentur? Demum. Ebrij à vini copia exhauſta duplicia cernunt vniuerſa: ſimiliter & qui faciem in fracto ſpeculo, aut ſolem in aqua agitata intuentur; ita ex aliis occaſionibus in quibus oculi nullo dictorum modorum peruertuntur. Igitur aliunde procedit error duplicitatis in videndo.

Vt verò ab his duriſſimis nodis te facilè extricare poſſis, aduertes priùs, quod (præter alia quæ ad viſionem requiruntur,) quæcunque cernuntur, per lineas rectas, quas vocant viſiuas, cernantur; id quod Mathematica demonſtrant, & radiorum Solis excidentium per anguſtum foramen exemplo confirmant; eos enim ſi ita aſpicias, nunquam deflectentes, ſed recta omninò via, ac inflexibili vadentes intueberis, & talem inquiunt eſſe viſus viam.

Inſuper

Inſuper neceſſarium omnino eſſe, ne inter videndum deceptio contingat, radiorum viſualium cuſpides, ad pupillas quibus recipiuntur, in vna ſuperficie plana poſitionem habere: ita enim fit, vt res etiam duobus oculis viſa, vna cenſeatur, non duæ: nam ſi duæ eiuſdem rei imagines, duabus pupillis in eadem planitie exiſtentibus receptæ, paulo poſt coeunt, & in vnum rediguntur, nihil diuerſitatis in natura, vel ſitu præ ſe ferentes, vnde res apparere poteſt multiplex, aut diuerſa? Quòd ſi radiorum vertices in vna planitie non conſtituantur, ſed depreſſior vnus, magis eleuatus alter, quum iam eiuſdem ſuperficiei vnitas non ſeruetur, ſed ex duplci ſitu pupillæ inſpiciant, duo ſpectantur, duóque creduntur viſa, altum ſcilicet, & depreſſum: tum quia ex variis illis planis progredientes ſpecies non vniuntur, tum quia vnum iudicari non poteſt, quod variis ſimul locis ſpectatur, in quibus ſimul res eadem contineri nequit. Naſci autem huiuſmodi errorem ex ſitus varietate, & duplicitate plani, tibi fiet manifeſtum; ſi id quod altero oculorum compreſſo duplex apparebat eo clauſo altero intuearis; vnum enim ſimpliciter videbis, non multiplex; nempe quia in duplici plano ſpecies non recipiuntur, ceſſatque iam ſitus inæqualitas, à qua duplicitatis occaſio oriebatur, & vna tantùm poſitio apprehenditur. Ob eandem verò cauſam ſi vno tantùm oculo, eóque compreſſo rem aliquam inſpicias, ſimplicem etiam iudicabis.

Aduerte ſecundò Quòd etiamſi oculi medio interiecto inter ſe diſtent, eorum tamen pupillæ naturaliter conſtitutæ, in vno & eodem ſunt plano. Cùm enim eas natura opticis affixerit, & hos à diuerſis cerebri partibus per lineam rectam deducens in medio itinere iungi, coiréque voluerit, fit vt nerui illi, & pupillæ ſuis extremis inhærentes, in vna, & æqua planitie contineantur: duæ enim lineæ recta ſibi in commune quoddam punctum occurrentes, in vno penitus ſunt plano, etiamſi in immenſam longitudinem per vtramque partem protrahantur, quod *lib.* 11. *elementor. theoremat.* 2. monſtrat Euclides à Galeno relatus *lib.* 10. *de vſu partium*, *c.*13. vt explicat inter omnes interpretes, Federicus Commandinus *ad cit. loc. Euclidis* diſertiſſimè.

Cur verò ex eodem loco ſimul iuncti non prodierint optici, ſed ſeparatim, nec rectà oculos petant, quin priùs in vnum coëant vniantúrque, inde rurſus ſeiuncti oculis inſerantur, vide apud Gal. *cit. de vſu part. à cap.* 12. *vſque ad* 14. vbi inter alias cauſas, coniungi, inquit, oportuit viſorios neruos, vt ita mollitiem ſuam, qua reliquos omnes ſuperant, tuerentur; inſuper & vt ſi vnum claudi contigerit, vel altero tantùm intueri placuerit, viſus in vno augeretur, vi tota, & ſpiritu in apertum commeante; ſed vel maximè & potiſſimùm, ne quod extrà intueremur, duplex appareat, cui incommodo occurritur coïtu, & vnione opticorum: non quidem vt in congreſſu illo, vnitis ſpeciebus duplici oculo receptis, & in vnum redactis, viſio fieret, quod alij opinantur, ſed, quia ex eo quod coëunt, neceſſarium eſt in vno plano ſituari; & niſi coïrent, fieret vt inuerterentur nonnunquam, & temerè ab vna ſuperficie ſecederent, ſimúlque pupillæ ipſæ in eorum extremitatibus conſtitutæ; atque ita deluderentur oculi, vnam rem iudicantes geminam: quamuis autem non coëuntes optici, etiam poſſint in eodem plano exiſtere, & rem ſimplicem oſtendere, poteſt tamen apparere duplex, vbi ſponte vniuntur, niſi aliunde diuaricari contingat, aut ob aliam cauſam duplicitatis, ex infrà dicendis, & probat peritiſſimus anatomicus, Conſtantius Variolus *prop. tract. de neruis opticis.*

Quòd verò non ideo fuerint optici vniti, vt in illorum congreſſu viſio, ac ſine errore fieret, præter alia multa, quæ poſſent in confirmationem adduci, hæc rem ipſam efficaciter oſtendunt. Si ad viſionem, & ad vnitatis viſibilium iudicium, coitus ille requireretur, ita vt alibi viſio, aut ſine deceptione non fieret, ſequeretur nunquam videre, aut certè duplicia, quibus nullibi coëunt optici (fatentur enim peritiſſimi anatomici, de quorum numero eſt Realdus Columbus *lib.* 8. *cap.* 3. & Veſalius 4. *fabric. cap.* 4. nonnullos fuiſſe viſos eo coitu deſtitutos.) Sed neutrum illorum, talibus accidiſſe expertum eſt. Igitur non ſunt iuncti viſorij nerui ob viſionem ibidem peragendam, aut propter iudicij vnitatem circa viſibile.

Secundò. Senſatio efficitur in parte quæ à ſenſibili immutatur, & patitur. Sed cryſtalloides eſt pars oculi, in quam viſibilia agunt, & recipiuntur. Igitur ipſamet, videt, colorum ſpectris alterata; non aliter ac linguæ caro ſaporem ſentit, cutis tangibile, & ſic de reliquis ſenſoriis: fieri autem guſtum in lingua, tactum in cute, non in cerebro, oſtendit guſtantis linguæ amaror, punctæ cutis dolor, qui ſine ſenſu dari non poteſt.

Tertiò. Si nondum re viſa ſpecies à cryſtalloide ad congreſſum accederet, nequaquam ſitus agnoſceretur ipſius rei quæ videtur; cum igitur is ſimul, vel maximè agnoſcatur, ante dictum coitum efficitur viſio. Probatur ſequela, quia ſimili modo imago ipſa à cryſtalloide progrederetur ad coitum, ac ab obiecto primùm prodierat. Igitur coniectari non licebit, vnde primùm fuerit progreſſa, & ex conſequenti, &c. Niſi velis, ſitus duos ſimul repræſentari, & rem ſemper geminam apparere.

Vltimò. Spiritus ſunt facultatum, non ſpecierum delatores; rurſus animæ agentis potiùs inſtrumentum, quàm medium; ſi igitur in opticorum coitu res erant conſpiciendæ, eò tantùm accedere oportebat ſpiritus cum vi ipſa viſoria, ſed ad glacialem vſque perpetuò deferuntur. Igitur, &c. Nec dixeris ad ſpecierum delatationem, tum ob aſſignatam cauſam, tum quia miniſterio illi partium conſtitutio & conditio conducit, non ſpiritus viſorij acceſſus. Quare, &c.

Ex quibus colliges, non eſſe recipiendas geminitatis cauſas à barbaris traditas, Conciliatore, Gentili, Iacobo, & aliis Auicennæ expoſitoribus, nempe ſi mutuò ſecedant optici, non congrediantur. Cùm enim tunc per duos canales cerebrum ingrediantur duæ ſimilitudines, neceſſarium, inquiunt, eſt duplex viſile cerebro repræſentari. Sed manifeſtè redarguuntur: nam ſi optici ſunt à natura vniti, cum vità nequaquam ſeiungi patiuntur; ſin minùs, etiam ſimplicia comprehendi, comprobatum eſt experimento illorum, quibus dicti nerui nullibi coibant, vt diximus. Quòd ſi res iudicetur vna, neceſſum omnino eſt per vnam tantùm imaginem repræſentari, ſatis ſcilicet erit duas illas duabus pupillis recepta in ſenſu commui iungi, & in vnam redigi.

Secundum duplicitatis cauſam, aiunt eſſe motum viſorij ſpiritus ad coitum opticorum mandati: ſi enim prælationis vehementia congreſſum prætergreditur, & ad pupillas accedit, duas recipit imagines, ac proinde rei duplicis imaginationem inducit. Sed præter quam quòd oſtenſum eſt, rem duobus oculis viſam, & per duo ſpectra, vnam æſtimari, quum ſpiritus ipſe ſemper ad pupillas accedat, perpetuò nobis gemina apparebunt omnia.

Tertiam referunt etiam ad ipſius ſpiritus agitationem, motúmque fluctuoſum ad congreſſum à cerebro: Cùm enim ab hoc ad illum ſpiritus moueatur, & è conuerſo ad cerebrum ipſum à coitu rei viſæ ſpeciem referens, ſi ab aliqua cauſa fluctuet, & agitetur, accidit vt præ motus celeritate feratur ſecundò eiuſdem obiecti ſpecies, antequam prima ab imaginatione deleatur, vnde vnum cenſetur duplex; atque hinc aiunt, ebriis, & diſpoſitis ad cataractas nil ſimplex videtur, in quo conueniunt omnes, ex Ariſt. 3. *probl.* 10. Quòd verò ſecunda eiuſdem viſibilis imago, accedens antequam prior euaneſcat, diuerſitatem efficiat, confirmatur exemplo guttæ velociter cadentis, quæ non aliundè linea iudicatur, & igniti baculi celeriter verſati, igneus circulus apparentis. Verùm ſi in ſenſu communi, imaginatione, vel cerebro viſiò non fit, quid ad ſimplicitatem, vel duplicitatem viſus, agitatio ſpiritus à coitu ad cerebrum; vnde verò per ſecundam inſpectionem res iudicetur varia, paulo pòſt conſtabit.

Quartam denique conſtituunt, concuſſionem, & motum qui accidit in vueæ foramine, ex quo ſequitur pupillæ dilatatio, & conſtrictio, mutatióque à ſuo ſitu, & poſitione naturali; vnde fit neceſſe mutari iudicium de ſitu, ſimplicitate, magnitudine, & paruitate rei viſæ. Cæterùm licèt

licèt admittamus fieri in vueæ foramine mutationes illas à defluente ſpiritu, ac proinde modò anguſtari, modò dilatari pupillam, cùm ex ea varietate planitiei æqualitas non deperdatur, quanquam maius ſolito, aut minus, viſibile poſſit apparere, non tamen multiplex. Corruunt ergo rationes aſſignatæ ab Auerrhoë *com. 7.de ſenſu, & ſenſil.*, Conciliatore apud Ariſt. 3. *probl.* 10. *in com.* & Auicennæ interpretibus ſupra citatis 3. 3. *tract.* 2. *cap.* 28.

Veræ igitur duplicitatis cauſæ triplici genere contineri debent, & eæ quidem omnes ab vno pendere ſitu, obiecti nempe, radiorum viſualium, & oculorum. Ex ſitu quidem obiecti, quia ſi ab vno in alterum tam feſtinanter moueatur, vt antequam prioris ſitus ſpecies ab oculo euaneſcat, altera ſuccedat ab alio loco remiſſa; vel durante primi ſitus viſione, alibi videatur res ipſa, non vna ſed duplex, & varia cenſetur: neque enim vnum & idem credi poteſt, quod variis in locis ſimul ſpectatur; hinc gutta cadens, viſui apparet linea, baculus in gyrum celeriter verſus, circulus radiorum, vt ſi ex duplici, aut variis planis ad oculum accedant: licèt enim primò ab vno prodierint, multorum imaginem imprimunt. Hinc cùm faciem in fracto ſpeculo intuemur, aut ſolem in agitata aqua, non vnum quidpiam, ſed multiplex conſpicitur.

Denique ex oculorum ſitu, vt ſi ab vna planitie ſecedant, quod accidit cùm oculis ſurſum, aut deorſum contorquentur, ad eleuantium, vel deprimentium muſculorum reſolutionem, de qua Galenus *lib.* 4.*de loc.affect.*1.vel ſi quis digito oculum comprimat, eúmque ſimiliter impellat; aut ſi ab aliqua alia cauſa vſque adeò laxetur opticus, vt pupillas non ſuſtineat in vna æquabilitate, propter quod ebrios duplicia, videre omnia contingit. Ex eo namque quòd pupillæ ab vna planitie ſecedant, fit vt nec vnum viſionis principium cum altero coire poſſit, 3.*probl.* 31.nec ad idem punctum peruenire radij, 31. *probl.* 11. Vbi verò viſus in partes diuerſas proiiciuntur, multiplicia apparent quæ videntur: nam ſi radius vnus ſublimior exiſtat, alter verò depreſſior, res ſublimior ſimul, & depreſſior repræſentatur (quæ enim ſublimioribus radiis ſpectantur, ſublimiora apparent, quæ humilioribus, humiliora, vt docet Euclides *lib. perſpectiu*,7.*&* 8.*propoſit.*) Sed quod eodem tempore ſimul ita variè cernitur, vnum cenſeri non poteſt, quod etiam colligitur ex Ariſt. 3.*probl.* 10.vbi de ebriis, Igitur, &c.

Quibus ita præhabitis, nón erit difficile ſoluere argumenta contra traditam in principio quæſtionis doctrinam adducta. Et ad primum, fatemur quidem non parum iuuari viſum muſculi circumdantis ope, eóque reſoluto non tam commodè tenſum, rectúmque ſeruari opticum, neque ita firmiter in vna planitie pupillam ſuſtineri, immò nec oculum, ſed prociduum fieri. Interim quamuis deficiente ea muſculi tenſione, tener ille, mollíſque neruus ſolito deſtituatur robore, maneátque paratior ad flexibilitaté, & caſum, non ideò tamen protinus inuertetur, aut deſinet vis cum ſpiritu defluere: fluent enim, & viſus peragetur adhuc, ſaltem ſine noxa conſiderabili, dummodò reſolutio tanta non ſit, quæ opticum etiam infeſtet: aliàs enim neceſſe erit, aut ex toto ceſſare, aut ſaltem minui viſum, pro nocumenti magnitudine.

Quòd ſi inſtes, fieri non poſſe vt reſoluatur muſculus circumdans ſine viſus læſione, quia cùm ad procidui oculi pondus opticus ipſe extendatur, ſimul cum eminente oculo eminet pupilla, atque ita fit viſili proximior, quàm altera. Tunc ergo ſic maiori angulo, minoréque diſtantia ſpectabit. Sed quæ ita inſpiciuntur, maiora, & proximiora apparent. Igitur in vno oculo maior & proximior alteratio, diſtantior & minor videbitur res; quúmque varium illud iudicium de eadem ſimul ferri non poſſit, duplex, & diuerſa cenſebitur, & ex conſequenti. Lege Annibal. Bimbiollum, apud Mariam Venuſtum *conſil.* 44.

Dic, non vſque adeò in propoſito caſu opticũ extendi, vt talis improportio detur inter vtramque pupillam, ac proinde nihil mirum ſi ſana adhuc peragatur viſio, optico ſcilicet leuiter extenſo: quinimò licèt pupilla magis eminentis oculi propiùs ad obiectum aliquantulum accedat, atque ita ex maiori diſtantia, angulóque maiore inſpiciat, non tamen dnplex, ſed euidentius, & aliquantulum maius ſpectatur: adhuc enim in eadem recta linea continentur, & vnius planitiei æquabilitatem obſeruant; ideòque potiùs alterius oculi viſus perficietur, quam variabitur, & res vtroque ſimul meliùs ſpectabitur; non aliter ac ſi quidpiam vno tãtùm oppoſito oculari intueamur, in quo quia ſpecies per aërem accedens vtpote denſiori medio vnitur, amplior ad oculum fit, augulóque ampliori accedit, viſus roboratur, & viſile clarius dignoſcitur, maximè vbi iunguntur viſiones. Quare citra noxam cernere poteſt, cui oculus procidit ex circundantis muſculi reſolutione, dummodò non afficiatur opticus. Conſule Ioãnem Rungium *lib.de præcipuis viſus ſymptomatis, in med.* qui felicis penicillo hæc omnia emedullat.

Num verò eiuſdem muſculi conuulſio conferat, an potius viſui incommodet, dignum eſt diſceptatione, & Rhaſius quærit 2.*cent.cap.*3.cùm de ſtraboſitate loquitur, videtúrque ſummopere iuuare: nam eo muſculo conuulſo opticus ipſe directus, & pupillæ in vna planitie æquales conſtituuntur. Sed his ita conſtitutis, ſpiritus viſorius liberè, & celeriùs fluit, vtpote recto canali radij viſuales ad idem terminantur punctum. Igitur promouebitur viſio, acutiórque, & certior euadet. Rurſus oculi profunditas ad videndum eſt valdè accommodata, (profundi enim exactius vident longinqua, in quo viſus perfectio conſiſtit, vnde ab Auerrhoë commendantur, 3.*collect.cap.*38.) Sed per ſpaſmum dicti muſculi, oculus intrò trahitur, & profundatur, ſicut per relaxationem prociduus, & eminens verſus extrà fit; nec inconueniens eſt, ſani membri operationem ab vna ægri ſuperari, quoniam licet ita aliquando contingat, omnes tamen iunctæ à ſano potiores eduntur, & vt tales præferendæ: non ſecus ac temperati hominis functiones perfectiores dicuntur, etiamſi in vna aliqua ab intempetato vincatur: eo autem muſculo conuulſo, quamuis viſio pro nunc exactiùs fiat, non tamen ſimpliciter omnes actiones; nec enim oculo tenſo faciiè circumducetur oculus, & in varios ſitus deflectet; præterquam quòd ſi neruos, & oculo malum communicetur, tempore minuetur viſus, atque adeò ille non ſimpliciter præferendus. Minùs obſtat, quòd res præter naturam infeſtat, lædit, & non iuuat: confert enim aliquando, licet non ſimpliciter; ſic febris poſt conuulſionem; ſanies in magnis inflammationibus, abſceſſus in morbis, vermes in aliquibus morbis, & ophthalmia aliquando ad videndum.

Ad ſecnndum. Si ſtandum eſſet illis, qui aſſerunt viſum fieri in opticorum congreſſu, fateremur parem duplicitatis rationem dari in adductis exemplis, omniáque duobus oculis viſa fore duplicia æſtimanda, tanquam duobus ſitibus apparentia, niſi duo illi ſitus ad vnum terminarentur, in quo radij viſuales per duas pupillas tranſeuntes vniuntur ad vnum idemque punctum: quoniam verò hoc ipſum contingit oculo in latus verſo, 31. *probl.*7.*&* 17. ſic eleuato, vel depreſſo, imò ſic affecto oculo quælibet viſio, ſeu viſibilis ſpecies per propriam lineam fertur, nullatenus in puncto eodem concurrentes, *cit.probl.* 11. *&* 17.& quælibet per ſe iudicatur; ideò ad torturam oculi ſurſum aut deorſum, res vna videtur gemina: ſimplex verò ſicut ipſa eſt, vbi in dextrum, vel ſiniſtrum intorquetur.

Verùm cùm oſtenſum ſit, videndi actionem in pupilla fieri, iamque à cryſtalloide viſam, & iudicatam mãdari ad congreſſum ſpeciem, nec duplicitatis cauſam eſſe defectum vnionis opticorum vel ſpecierum, aliter ſoluendum eſt argumentum, & ſimpliciter neganda maior: cùm enim receptæ in oculis imagines illorum ſitus non repræſentét, ſed illos tantùm vnde fuerunt emiſſæ, non eſt cur duobus oculis impreſſæ, rem in diuerſis ſitibus, ac duplicem apparere faciant, dummodò pupillæ in vna planitiei æquabilitate contineantur: alioqui neceſſe erit inæqualiter ad pupillas ipſas terminari viſuales radios, vniuſque angulum ſublimiorem, alterum depreſſiorem fieri, ſimiliterque

ſPectari

ſpectari viſile, & ex conſequenti vt varium, & diuerſum: præterquam quòd ita recepti vniri non poſſunt, ſi ad exactum iudicium illorum vnio requiritur. Iam verò depreſſo, aut eleuato oculo, illius pupillam ab alterius vnitate ſecedere, nec ſeruari iam planitiei æqualitatem, ſatis apertum eſt.

Non ſic autem ſi ad ſiniſtrum, vel dextrum fiat inuerſio, penès latera ſiquidem extenditur ſuperficies, & in latitudinem protenſa, vna eadémque manet; atque ideò licèt ad latera contortus oculus, ex conuulſione, aut paralyſi, à ſuo ſitu naturali deflectat; non tamen viſile vnum, vt duplex videtur, quanquam fortè magis ad dextrum, aut ſiniſtrum, quàm ſit prò torturæ ratione, de quo 10. *de vſu part. cap.* 12.

Quæri etiam poteſt, vnde accidat quoſdam ſine conuulſione, aut ſpaſmo ſtraboſos inter videndum apparere, pupilla altera magis in angulum aliquem deflexa, & hoc vel maximè vbi oculos mouent, quieſcentibus autem nulla viſitur deformitas, quæ tamen futura erat perpetua, ſi affectis muſculis cauſa referretur accepta. Dic, euenire illud ex muſculorum imbecillitate ad latera mouentium, vel ſaltem alicuius, & hoc in vno, aut vtroque oculo: vbi enim inualidi ſunt muſculi, licèt æqualiter poſſint ſuſtinere oculos cùm quieſcunt, quod facilius eſt; non tamen pariter mouere; ac proinde ſit neceſſe, vt ſi oculi ad latus aliquod mouentur, quia debiles muſculi fortibus æquari non poſſunt, altera pupillarum magis altera in vnum angulum vergat, & oculus, vt aiunt, per oculum mittatur.

Ad tertium. Cùm obliqui muſculi oculum circumuerſent, licèt aliquis illorum conuulſus, verſus eum angulum inclinet in quo conſtituitur, ſecum trahit pupillam, ac ſurſum vel deorſum peruertit, ſeparátque à planitiei vnitate quam cum altera obſeruabat.

Ad quartum. Sine dilatatione, vel conſtrictione pupilla poteſt oculus ſurſum, & deorſum intorqueri; quòd ſi cum hoc ſimul altera dilatetur, vel anguſtetur, cum duplicitate res maior, aut minor apparebit. Et ſi vterque oculus pariter inuertatur, ita vt æqualiter inuerſi in vna planitie ſituentur, ſimplex apparebit res; duplex autem, & multiplex pro varietate, inæqualitatéque ſituum in quibus repræſentatur viſile; propter quod dixit Ariſt. 3. *probl.* 10. Vinolentis rem vnam, duas, & plures aliquando videri, videlicet quia ex vini vapore ſpiritus agitautur, & fluctuant, nec in vno ſitu quieſcunt, ſed ex variis, & diuerſis veluti ſimul inſpiciunt; vnde, &c.

Ad vltimum, non negamus ab aliis etiam cauſis, præterquam à tortura ſurſum, aut deorſum verſus, geminitatis occaſionem naſci, de quibus *ſuprà*, ac proinde ſatis.

QVÆSTIO XVIII.

Vtrum ad oculorum cuſtodiam palpebræ inferiores cum maiori commoditate immobiles ſint creatæ, vt voluit Galenus. Contra Fortunatum Plempium, Academiæ Louanienſis Profeſſorem inclytum.

DE palpebræ inferioris immobilitate quæſtionem diſſoluamus obſcuriſſimam, & à nemine adhuc (quod ſciam) ita diſtinctè enodatam, cur ſcilicet inferior palpebra fuerit creata immobilis, quum ad eũdem vſum, vt ſuperior, fuerit conſtructa. Cuius problematis explicationem antequam aggrediar, aduertendum eſt, inter omnia ſenſoria, quæ nuda fuere creata à natura, ſolos oculos ob innatam mollitiem, palpebris, veluti tegumentis quibuſdam, in munimentum & tutelam operiri: aliter namque anterior eorum pars omnium nobiliſſima, aëri, ventis, fumo, pulueri, animalculis, aliiſque corpuſculis eſſet expoſita, & ob naturæ frigiditatem & ignauiam, ab occurrentibus maximè periclitarentur perſpicui, tenuéſque humores, & facilè extingueretur, marceſceréque illorum lumen exiguum ab externo ſolari, nî palpebrarum nictatio prohiberet, oculos breuiſſimis quibuſdam interuallis

A claudentium. Inſuper & ſomni gratia, ad vitæ durationem vſque adeò neceſſarij, cui tamen locus non eſſet, excitatis ab externa luce luminibus, 2. *de partib. animal. cap.* 13. Gal. *de inſtrument. odorat. cap.* 5. *&* 10, *de vſu part. cap.* 6. in cuius expoſitione doctè ſpatiatur Ioannes Lonicerus, excellenti Medicus ingenio, & doctrina.

Ob hanc cauſam palpebris deſtituuntur animalia, quorum oculi tunica exteriore proteguntur dura, ait *cit. de inſtrument. odorat.* ex ſententia Ariſt. Nobis, ex huius auctoris ſententia, duæ datæ ſunt ob dictas commoditates, inferior quidem immobilis, ſuperiorique minor; nempe vt oculo ſemper adſtricta, appreſſaque exiſteret; neque vnquam ab eo ſecederet, & excrementa facilè exprimeret: præterea ne ſi maior eſſet viſum offenderet; B magnitudine enim conſpectum occurrentium impediret, & maximè pedeſtribus, quæ in terram, vnde paſcuntur, expeditum deſiderabant. Denique ne lemam, lachrymam, ac eiuſdem generis omnia in ſeſe colligeret, turpitérque non ſine viſus nocumento retineret.

His omnibus ſagax occurrit natura, ſuperiorem ſolam mobilem, ſimul & maiorem creando, vt & amplitudine ſua incidentia arceret, nec oculum ingredi pateretur; & motu pro neceſſitate clauderet, oculóſque ipſos aperiret.

Cùm igitur ſuperior hæc ex arbitrio, & conſultò moueatur, non naturæ inſtinctu (quemadmodum putauit Ariſtoteles, *vbi ſuprà*) muſculos habet ſuo muneri deſtinatos, voluntarij motus auctores, & de occultis palpebra- C rum affectibus, *lib.* 4. *de loc. cit.* facturus ſermonem Gal. eos tantùm proſequitur, qui penès vitiatum motum, earumque muſculos affectos ſpectantur, quia licèt multò plura ſint mala, quæ palpebræ internè patiuntur, de quibus *lib. introduct. cap.* 15. *& de oculis, cap.* 9. magis vrgent ea, quæ motionis nocumentum inducunt, vtpote præcipuam illarum functionem, vsúmque infeſtantia: quemadmodum ergo accidit oculorum muſculis (vt dixit) laborare, & in ſuis actionibus deficere, interdum proprio, nonnumquam neruorum, qui ipſis inſeruntur, affectu: ſic muſculis palpebram ſuperiorem mouentibus: cumque ea ſurſum ad oculum aperiendum, & deorſum ad claudendum feratur, & eleuationi quidem vnus (vt *cit. de loc.* ipſe edocuit) inſeruiat, depreſſioni autem duo; ſi ſurſum attollens reſoluatur, laxata palpebra deſcendet, D ita vt nequaquam oculus poſſit aperiri. Si verò reſoluatur aliquis ex his qui ipſam deorſum agunt, ſupina hiabit nec oculus claudi poterit. Quòd ſi alter tantùm claudentium, aut aperiens conuellatur, oppoſitum eueniet: cùm enim pars palpebræ, quæ propè conuulſum muſculum eſt, ad eum deflectat, conuulſo aperiente ſurſum trahetur palpebra, vnde claudi non poteſt oculus; nec operiri ad conuulſionem claudentium. Si verò contingat muſculos ambos pariter conuelli, intorta palpebra apparebit, & quaſi fracta in medio: cùm enim dimidia eius pars muſculo ſurſum conuulſo vicina, cum eo ſurſum trahatur, reliquam quæ ad alterum exiſtit, deorſum neceſſe eſt intorqueri, & apparere fractam, demum curuam, ac reflexam, quam palpebrarum figuram, Hippocrates peruerſionem appellat, ſatiſque exitialem; & in ea oculus non magis clauſus eſt, quàm apertus, 1. *prorrhetic. ſect.* 2. *text.* 35. *&* 49. *&* 1. *prog.* 12. citatis à Ga- E leno 10. *de vſu part.* 11. *ad fin.* Legendi de hiſtoria palpebrarum Ariſt. 2. *de hiſtor. animal. cap.* 12. Plinius *lib.* 11. *cap.* 37. ſicut de earum peruerſione Chriſtoph. à Vega *in com. cit. ſent. prog.*

Sed ſententia Galeni, de inferioris palpebræ immobilitate, grauiſſimas patitur obiectiones, quarum prima eſt: nam ſi ad eundem vſum ac ſuperior facta fuit, quod ibidem fatetur Gal. cur motus particeps creata non fuit? & maximè, quia ita meliùs ſimul coirent, & complicarentur ad oculi clauſuram, & cuſtodiam.

Deinde. Non minùs aues, quàm pedeſtria animalia ex terra ipſa paſcuntur. Atqui alites magna ex parte infernam palpebram mobilem habent, & nonnullæ ingentem, ex Ariſt. *cit. de hiſtor. animal.* ſine aliquo viſus nocumento;

immò vt magis expeditè viderent: cur non igitur idem in pedeſtribus? quod fieri decuiſſe innuit Auic. 1. 1. *doct.* 5. *ſum.*2.*cap.*5. immò & Ariſt.ipſe 2.*de part.animal.*13.§.*Quæ animal pariunt geminam habent palpebram,& conniuere vtraque ſolent,* &c.

Secundò. Si 10.*de vſu part.*9. vnum tantùm poſuit muſculum aperientem, alterum claudentem, de quibus tantùm anatomici auctores quomodo 4.*de loc.cit.* ſecum manifeſtè pugnans, geminos conſtituit ad deprimendum, quos etiam inſinuauit, 1.*prog.*12.cùm tamen ſi vni tantùm illorum motuum duo eſſent præficiendi, decuerit potiùs eos eleuationi, vtpote magis laborioſo operi, maiuſve robur poſtulanti dicare?Et ſi plures,vel duo tantùm ſunt, cùm vnus ex his in maiori, eóque interno oculi angulo apud naſum contineatur, alter in externo, minoréque iuxta tempora, vtrius munere deprimitur, aut eleuatur, palpebra?

Tertiò. Sicut quilibet illorum muſculorum vniuerſam tarſi ſedem non perreptat,ſed parti tantùm illius implantatur,ſic dum contrahendo agit, eam tantùm ſurſum, aut deorſum trahit,quæ ſibi vicina eſt,& continua:vna igitur ſimiliter relaxabitur ad cuiuſlibet muſculi reſolutionem, atque ita licèt tollens reſoluatur, non proinde tota palpebra concidet, aut oculus omnino claudetur, nec è conuerſo hiabit ad claudentis relaxationem: eo maximè quoniam cùm ſuperior palpebra per ralaxationem elongetur, nec eleuari poſſit,immò propter ſui grauitatem deprimatur,neceſſe eſt ſuper inferiorem cadere, atque adeò potiùs aperiri, quàm recludi oculum, propter quod Auic. 3.3.*tract.* 3. *cap.*12.inter cauſas inuerſionis,illam non apposuit. Igitur, &c.

Vltimò. Quid accidet muſculo vtroque reſoluto? nec dixeris deprimi omnino, aut attolli palpebram, tum quia muſculi illi reſoluti oppoſitas habent inuerſiones, ſurſum nempe & deorſum: tum quia nulla pars tarſi tunc agit, à qua altera ſimul trahatur: non item attolli ſimul, ac deprimi: Nam ſi altero tantùm affecto vſque adeò incommodatur palpebra, vt tota ſurſum,vel deorſum feratur,ita vt ad oppoſitum, nec ſecundùm ſui partem moueri queat; vnde geminato malo minuendum eſt nocumentum?

Hæc omnia per partes ita diſſoluenda ,expediendáque ſunt,ne illis Medici irretiti,Galeni ſanam doctrinam conuellant; de quorum numero fuiſſe doleo, Fortunatum Plempium, doctiſſimum Louanienſis ſcholæ, ac celeberrimum Profeſſorem, qui *lib.* 1. *cap.* 2. *Ophtalmographiæ,* iis & ſimilibus telis, quæ ex ſolutione argumentorum ſolui facilè poſſunt, Galenum deridet & temnit, quòd auctoritate ſua Medicos ſeduxerit, vt crederent palpebram inferiorem eſſe immobilem, cùm tamen mobilis ſit: Quæ in Magiſtrum conuitia, quantùm ab ingenui Medici, immò huius viri cordatiſſimi & ſinceriſſimi mente abhorreant, nôrunt omnes,qui eius candidiſſimos mores, vnà cum ſelectiſſimis diſciplinis coniunctos intimiùs agnoſcunt.

Dic ad primum. Licèt Auicenna velit poſſe cum æquali commoditate infernam palpebram mobilem creari, melioris tamen vſus gratia, & minor, & ſine motu fuit facta,vt diximus ex Gal,*vbi ſuprà.* Quòd ſi auibus magna ex parte natura effinxit mobilem, & maiorem, aliquibus ſolam, aliis nullam, ſed à maiori angulo prodeunte membrana nictantur, ſua vitæ ratio ita poſtulabat: Surſum enim quò volaturæ erant, magis expeditum conſpectum habere conueniebat, ac proinde inferiore potiùs conniuere, vt in volatu ſurſum meliùs proſpectarent, deorſum autem ad terram, id quod ex dictæ palpebræ magnitudine impeditur, colli longitudine compenſatur, quæ caput cum oculis ad eſum è terra decenter conſtituunt, de quibus Ariſt. *cit.de hiſtor.& partib.animal.*

Pro ſecundo. Suppoſito quòd oportuit ſuperiorem palpebram ex arbitratu noſtro moueri, alioqui in nullum vſum nobis commodaturam, & quòd vno eodémque muſculo eleuatio, & depreſſio fieri non poterant: non ſatis conſtat, quot muſculis vtrumque opus perficiatur, immò eorum cognitionem, ſicut & omnium faciem mouentium, arduam, & difficilem fatentur anatomici, eo maximè quòd varius in hoc reperiatur Galenus: *cap.* enim *nono cit.lib.de vſu part.*vnum vni operi dicat,*lib.* verò 4. *de loc.cit.& in prognoſticis* quem ſequitur Auic. 1. 1. *doct.* 5. *ſum.*2 *cap.*5.& Haly Abbas,4 *theoric. cap.* 12. *verſus finem,* vnum eleuandæ, duos deprimendæ palpebræ præfecit, quales verò illi ſint, licèt non expreſſerit, aliunde tamen colligitur, eum qui ad frontem exiſtit, cuius munere non hærens illa, ſed nutans cutis ſuſpenditur, eleuationi deſtinaſſe; depreſſioni geminos, maiori vnum, alterum minori angulo obuolutos. Cæterùm magis congruè videtur loquutus *cit. de vſu part.* vbi ex profeſſo, & omnes ferè anatomici tradunt, duorum muſculorum ope ſuperiorem pulpebram attolli, & deprimi. Quin potiùs ſi duo neceſſarij erant ad aliquod illorum operum, magis ad eleuationem requiri videbantur: grauis enim palpebra cùm ſit, difficiliùs ſurſum trahenda erat, ac proinde ad motum illum maius exigebat robur, & multiplicatum aut ſaltem validius inſtrumentum: deorſum vnum, vel nullum, facilis ſiquidem, & ſpontaneus omni graui deſcenſus, ideò enim palpebra ipſa reſoluta ſponte concidit, nullóque deorſum trahente oculum claudit; immò & propter hoc ipſum, cùm natura fronti muſculum ſuprà dictum appoſuiſſet, qui nutantem cutem ſurſum conuelleret, in palpebrarum, & viſus gratiam, alterum ad deprimendum videtur non creaſſe, quum tamen neceſſarium fuiſſet quandoque deprimi, non ſemper ſuſpenſam retineri, videlicet, aut quia ſe ipſa deorſum trahetur, vel quia claudens oculum muſculus ſimul munus illud præſtabit. Cùm igitur ille fronti appoſitus, interim dum contrahitur, vniuerſam illius cutem ſurſum conuellens, palpebram etiam ſuperiorem verſus frontem ipſam magna ſui parte retrahat, & attollat (quod fieri decuit, ne ſi dicta palpebra in ſe tota plicaretur, viſum impediret ſimul, & grauaret,) negari non poteſt etiam illius, atque ita duorum miniſterio confici eleuationem.

Nec obſtat, quòd 10. *de vſu part.cit.*ei vnum tantùm addicit, alterum depreſſioni, loquitur enim de muſculis ad palpebram ipſam conſtitutis, horum alter ad naſi latus ex maiore angulo oculi, eiúſque medio incipit, & obliquus quidem ad tarſi dimidium protenditur, medium illius ſedem,quæ maiorem angulum reſpicit,vniuerſam occupans alter obliquus etiam, ſed quodammodo magis circularis, à medio inferioris palpebræ ortus, & per minorem angulum extenſus, in palpebram ſuperiorem aſcendit,& medio illius ſe inſerit, alterique muſculo committitur;quinimmo mutuò pariter committuntur ſuis fibris, non ſolùm ad tarſum, ſed per reliquam ſuperioris palpebræ longitudinem; & prioris quidem beneficio, ſcribit Gal. palpebram deorſum ferri, & oculum claudi; eleuare alterum,& aperire:rationem autem aſſignat,quoniam muſculi omnes verſus ſuum principium contrahuntur;cúmque prior ad maiorẽ angulum caput habeat conſtitutum, atque ideò deorſum,ſecundus ſurſum ad ſuperciliũ, verſus ea loca, dum agunt, palpebram trahent; ac proinde contractione illius qui ad maiorem angulum exiſtit,deprimetur;ab altero,qui minorem perreptat,ſuſpendetur.

Oppoſitum tamen etiam veritatem habere poſſe deprehendo, à muſculo ſcilicet externi anguli oculum claudi, ab altero aperiri, necad id confirmandum probabiles deſunt rationes. Prima. Natura,vt dictum eſt, oculos muniuit operculis,quibus per interualla clauderentur, & ab occurrentibus cuſtodirentur. Sed ea pars oculi quæ ad nares eſt, naſi munimento ſatis defenditur: quæ ad minorem angulum,nuda paténſque exiſtit, & occurrentibus obnoxia. Ergo hîc decuit naturam muſculum claudentem apponere.

Secunda. Offenſo externo angulo confeſtim clauditur, & corrugatur oculus: non ſic ſi offendatur internus. Igitur probabiliter credendum, illic contineri muſculum clauſioni deſtinatum. Nec leue etiam argumentum eſt, quòd oculum valdè claudentes, ad minorem oculi oculum dolemus; aperientes verò, ad maiorem iuxta naſum: non aliunde autem accidere videtur, niſi, quia præ nimio opere fatigantur muſculi ibidem inſerti,

&

& vnuſquiſque verſus locum vnde nerui operantes oriun-tur. Quare, &c.

Ad Galeni autem rationem aptè quiſpiam reſpondere poterit, muſculum anguli maioris etiam ſuo capite ſuper-ciliorum partem naſo proximam contingere, ac proinde verſus ſuum principium contrahi, quum palpebram at-tollit: ex ortu verò, & poſitione alterius colligitur, quo-modo ab eo poſſit abſoluta clauſio ſperari.

Ad tertium. Quamvis vnuſquiſque muſculus ad tarſi medietatem ſolùm extendatur vt diximus; vbi tamen quilibet agit, non modò partem cui implantatur, at-trahit, ſed & reliquam etiam, atque palpebram totam; cuius rei cauſa eſt ipſius tarſi durities, hæc enim facit vt motam, contractámque partem altera ſequatur, totúſ-que tarſus ad vtriuſque muſculi contractionem alterna-tim rapiatur; ac proinde ſi muſculus vnus reſoluatur, ad agentem alterum trahetur, de quo *infrà*, ſimúlque pal-pebra tota ſurſum, vel deorſum; pro eleuantis, aut de-primentis muſculi contractione, licèt deorſum faciliùs ob innatam grauitatem. Si itaque reſoluatur ille qui à naſi vertice prodit, deſcendet palpebra, & aperiri non poterit oculus; eleuabitur, & hiabit, ſi is qui per mino-rem angulum circumducitur: non enim elongatur, aut concidit palpebra ex qualibet mollificatione, immò in propoſito caſu ab agente, ſuóque officio adhuc fungen-te muſculo retracta plicatur, & abbreuiatur, corrugatúr-que; nec tanta eſt grauitas ob dimidiam ſui partem reſo-lutam, quæ eleuationem à ſana omnino impediat. Parum autem vrget, reſolutionem muſculorum palpebræ inter cauſas inuerſionis non fuiſſe numeratam ab Auic. ad quem per Gentilem *ibidem*.

Ad vltimum. Attolli videtur impoſſibile, cùm non ſit à quo eleuetur, præſertim frontis muſculo etiam reſoluto: at ipſam igitur continere non valens, concidet & prola-betur, non deprimetur aptè, ita vt cum altera plicetur committatúrque, nec oculum exactè claudet, ſed ali-quantulum apertum, & albo apparente retinebit, quod ſatis exitiale, in acutis prædicauit Hip. *vbi ſuprà*. Si tanta fuerit mollificatio, quæ palpebram ipſam elongari, di-ſtendique faciat, totus quidem oculus claudetur, verùm non concinnè & decenter. Nec obſtat, quòd pars quæ-dam palpebræ ſurſum, altera deorſum, ſuam habet inuer-ſionem in muſculorum reſolutione; illud enim tantùm accidit ſi alteruter tantùm afficiatur: ſiquidem vbi pariter reſoluuntur, cùm impotentes reddantur ad agendum, mu-tuò ſe trahere non poſſunt, ſolúmque relinquitur ex ſua grauitate cum palpebra deorſum ferri. Lege eruditiſſi-mum Montaltum, *lib. 3. opticæ, art. 4.*

QVÆSTIO XIX.

Virùm viſio quæ ſit per imagines & viſa, illuſo-ria, an certa, & vera: & an ea intra oculum contenta per propriam ſpeciem videri poſſint Contra Thomam Garbium Medicum acutiſ-ſimum.

COMMENTARIVS.

E*T ante oculos videbam muſcas.*] Altioris negotij eſt Græcorum circa imaginationes doctrinam rimari, in quorum monumentis legimus, oculos nonnunquam deludi apparitionibus quibuſdam, quas Medici viſa, & imagina-tiones appellant, eo quòd ſic affecti, culices, feſtucas, floc-cos, inanes vmbras, & veluti ſimulachra quædam, perinde ac ſi extrinſecùs circumferrentur, videre exiſtimant. Defi-nitur malum hoc Galeno, & Medicis, *apparitio externa, ob craſſum opacúmque vaporem, inter corneam, & glacialem poſi-tum*, de quo 1.*de cauſ. ſympt. cap.2.* & Auic. *3.3. tr. 4. cap. 9.* Quoniam verò huiuſmodi viſa oculis plerumque obuer-ſantur, nullo in eis vitio apparente; nonnunquam autem, ſuffuſionem, & cataractam antecedunt, quæ propria eſt ocu-lorum affectio; aliquando per conſenſum alterius membri fiunt: illorum exemplo docet Galenus, oculorum affectus

A per conſenſum diſcernere ab iis, qui per proprietatem in-feſtant:

Imaginationes enim quocunque modo accidant, ſemper ignotam habent, occultámque originem, cuius indagatio pertinet ad inſtitutum librorum de locis affectis, ac proin-de *in l.4.c.4.* factam iam ſuffuſionē non inquirit Galenus, vtpote viſui manifeſtam, & de genere externorum mor-borum. Cùm igitur duo ſint membra, quorum conſenſu deprauata hæc viſio potiſſimùm contingit, cerebrum nem-pe, & ventriculus, primò indiciis quatuor venari docet, num per ventriculi conſenſum, aut ex ſuffuſione incipien-te oriatur, hoc eſt, per proprietatem: videlicet ſi vtrique ſi-mul, vel alteri tantùm oculo viſa appareant: ex tempore, quo apparere inceperint, cum claritate, vel obſcuritate pu-pillæ: ex aſſiduitate, vel remiſſione: denique ex coctione, vel cruditate, vomitu, ac idonea purgatione.

B Primum, quia ſi appatitio fuerit in vno tantùm oculo, ex ſuffuſione erit: ſi in vtroque pariter, ob vapores à ven-triculi ore exhalantes, *lib. de oculis, cap. 12.* Auic. *vbi ſuprà, cap. 10.* nec enim credi poteſt, tanti mali cauſam etiam duos oculos ſimul, & æqualiter inuaſiſſe. Secundum, quia ſi tribus quatuórve menſibus, pupilla clara, & perſpicua appareat, contemplanti nihil tenebroſum, obſcurúmve præ ſe ferens, ſuffuſio abeſſe ſignificatur, & ventriculi vi-tio fieri imagines: quòd ſi per ſex, vel plures, quos Aui-cenna ponit, abſque tenebroſitate durauerit, maiorem certitudinem præſtabunt; veriſimile enim non eſt, tanto temporis ſpatio non aggregari vapores iuxta vueæ fora-men, ex quorum congelatione, aqua; ſuffuſióve genere-tur, ſi ipſi fuiſſent apti ad congelandum.

C Tertium, quia aſſiduitas mali, cauſam in oculo, vel pro-pè adeſſe ſignificat: intermiſſio, in diſtanti loco, vel ob ra-tionem prædictæ ſimilem; quia vbi ex toto remouentur viſa, licèt redeant, indicatur illorum materia vaporoſa ni-mis ſubtilis, & congelationi inepta, atque adeò aquam; ſuffuſionem, ſeu cataractam non portendunt.

Quartum. Si aucta cruditate augentur perfectè, cele-brata coctione omnino euaneſcunt, vel notabiliter mi-nuuntur, certum eſt à ventriculo oriri; maximè ſi quandiu oculis obuerſantur, ipſius ventriculi os dolore vexetur, remittatur verò, aut penitus ceſſet, eiecta per vomitum infeſtante cauſa: idque tibi euidentiùs conſtabit, ſi propi-nata hiera nihil ampliùs apparuerit; à iuuantibus enim, & nocentibus, &c. illud namque medicamentum vim habet, educendi è ventriculo humores, ex quibus ſimilia ſym-ptomata in oculis generabantur, eóque incipientem ſuf-

D fuſionem, & apparitiones eam antecedentes ſæpiſſimè cu-raſſe gloriatur Galenus.

Viſorum ſpecies per conſenſum à cerebro, euenit in phrenitide, cephalalgia, & ſimilibus aliis corporis affecti-bus, in acuta etiam febre, & pulmonia, in quibus exuſti bi-lioſi vapores, & præ aduſtione incraſſati ad oculos acce-dunt, & deluſiones pariunt, obſcurantes interdum, & im-pedientes viſum; in quorum gratiam Gal. varias ſpecies phrenitidis commemorat, & quid ſibi laboranti circa viſa illa contigerit, prout *lib. 4. de loc. affectis, cap. 1.* ipſe recitat. Hanc viſorum differentiam, ex morbi præſentia ſatis di-gnoſces, ideóque Gal. *cit, nuper loco* eam indiciis aliis inda-gare non curauit; inſuper quia non ſuffuſionis, ſed vitæ diſcrimen importat: *cap.* tamen 12. *de oculis*, tum demum à cerebro eſſe apparitiones docet, quum vel in vno tantùm oculo, vel in vtroque, ſed diuersè & inæqualiter fuerint.

E Hæc ſedem latentem indagandam monent ex occultis oculorum affectibus, quorum exactam cognitionem, & ſpecies, *ex lib. de morb. & ſympt.* petendas docet.

Cæterùm poſſunt nonnulla ex traditis hic, nos meritò remorari, quæ expedire non erit abs re. Primum. Si ad vi-ſionem (quod Philoſophi pariter, & Perſpectiui omnes fatentur) diſtantia quædam inter ſenſum, & obiectum re-quiritur, mediúmque perſpicuum, & illud quidem exter-num, cuiuſmodi ſunt aër, & aqua: qua ratione vapor in-tùs iuxta cryſtallo idem poſitus, apparere videtur, videri-que poterit? maximè cùm vuea tunica à glaciali remotior, & ſui ſpeciem in ipſum emitrens, ob ſolam vicinitatem non cernatur, quia, vt Philoſophus ait, percipi non poteſt ſenſibile

ſenſibile ſuper ſenſum poſitum. Deinde id quod videtur, in loco videtur vbi eſt; quum igitur intra oculum contineatur vapor, ſi in conſpectum caderet, ibidem appareret, & adeſſe iudicaretur: nemo autem eum perſpicit. Intra igitur nequaquam videtur: aut vnde contingit decipi viſum, ad præſentiam obiecti vſque adeò ſibi propinqui, & expreſſi?

Secundum. Ex vaporibus à ventriculo ad oculum eleuatis poteſt etiam generari ſuffuſio. Igitur illò etiam tendent viſa per ſtomachi conſenſum orta, & ea conſequenti fruſtrà Galenus duas has viſorum ſpecies ſeparauit inter ſeſe, quum in idem prorſus concidant. Antecedens præterquam manifeſtum eſt ex eo, quòd docente ipſomet Galeno 7. *meth.* 11. ſi excrementa diu in partem decumbentia imprimunt, cur ex diuturna vaporum ad oculos delatione non timebitur ſuffuſio? ab omnibus admittitur, & Auenzoar tradit *lib.* 1. *tract.* 8. *cap.* 18. ex ea cauſa frequenter oriri, vnde Auic. *c.* 18. apparentibus imaginationibus præcauet à ſuffuſione, ventriculi purgatione.

Tertium. Fieri poteſt quòd oculus vnus magis aptus ſit ad ſuſcipiendos vapores ab ſtomacho aſcendentes. Igitur in illo ſolùm imaginationes apparebunt. Rurſus ſi aquoſi ſint, & quotidie ad oculos mandentur, breuiſſimo ſpatio longè labentur, & in aqueam naturam conuertentur, & tenebroſam efficient pupillam, aliquando ad conſpectum ſuffuſam: quare Aëtius *tetrab.* 2. *ſerm.* 3. *cap.* 51. *Licèt*, inquit, *apparentibus viſis pupilla pura appareat, iis qui negligentiùs conſiderant, iam tamen pelagi refert colorem*: & Haly Abbas 9. *theoric. cap.* 13. & Zoar *paulo antè citatus*, nullum præſcribunt tempus, nempe quia in eadem die in qua incipit imaginatio, ſeu oculorum, ſeu ſtomachi vitio oriatur, ſæpe obtenebratio, nonnunquam ſuffuſio videtur: inſufficienter igitur Galen. duas has viſorum ſpecies per illa documenta diſtinxit: & ſic de reliquis: cùm enim magna detur inter ventriculum, & oculos communio, aſſiduè poterunt ab eo fumi exhalare, & viſa ſine intermiſſione efficere. Deinde per digeſtionem agitata materia, magna fit euaporatio; ad hanc ſequitur imaginationum augmentum: ergo ſubſidebunt, & minuentur per cruditatem, multiplicabuntur per coctionem; quod apertè ſcribit Auic. *cap.* 10. & ex conſequenti, &c.

Vltimum. Delirantium viſa etiam in tenebris, & clauſis oculis apparent, potiúſque imaginatiuæ, quàm viſus læſionem atteſtantur: perperam igitur inter deprauatas viſiones, & imaginationes quæ ſeſe intuenti, & apertos oculos habenti offerunt, perperam (inquam) illas phreniticorum enumerauit, omittens alias proprias, & veras viſorum differentias, vomitum, & ſanguinis è naribus eruptionem ſignificantes, de quibus Hip. 3. *prog.* 30. & 33. & meminit ipſe Galenus 3. *criſ.* ... *lt.* & *lib.* 1. *de loc. affect. cap.* 2. quæque indiciis erant à prioribus diſcernendæ, ne deciperetur Medicus, aut ſaltem fatigaretur in illarum ſede affecta indaganda.

Enimuerò licèt in iis nodis duriſſimis deludantur nonnulli Galeni interpretes, dum *citatis locis* interpretantur Galenum: tamen commodiſſimam habent ſolutionem. Dic ad primum.. Videri formas illas in oculo, & pro ſui diuerſitate varias efficere imaginationes, penes colorem, figuram, & ſubſtantiam, de quibus apud auctores, inter quos extat clariſſimus Mercurialis *lib.* 1. *praxis, cap.* 33. & præterquàm ex viſu ita iudicante, colligunt ex Galen. 1. *prog.* 23. vbi de huiuſmodi accidentibus loquens, *quæcunque*, inquit *in medio cryſtalloïdis videntur*, &c. Sed imperfectam eſſe huiuſmodi viſionem, nempe quia per medium extrinſecum, actúque perſpicuum non fit, quod omnino requiritur ad perfectam, & exactam, de qua ſolùm intelligenda eſt Peripateticorum ſententia; aliter enim nec lumen, pupillam attingens ſentiremus, nec moto, attritóque oculo illius ſplendorem in tenebris, quum tamen ſentiri experiamur, & afferat idem Ariſt. *lib.* 6. *de ſenſu, & ſenſili, cap.* 2. licèt enim velis non videri quod in pupilla eſt, vel illi valde propinquum, ſed quod aliquantulum diſtat, & è regione ſua ſimilitudinem mittit, adhuc tamen intra oculum continetur, & inde perſpicitur.

Quòd ſi medium quoque requiris, vt res etiam imperfectè videatur, proponunt tenuem, aqueúmve humorem, & eum quidem diaphanum, ab externo, & interno lumine illuſtratum, in quo vaporis imago priùs recipietur, & eo mediante in glaciali, nec prædicti vaporis opacitas externi luminis acceſſum vndique prohibebit, ſiquidem ex toto vueæ foramen non cooperit, alioqui, ſiquidem cæcitas fieret, nec propinquitas approximatióque ſpeciem improportionabit, quum ſit minutiſſimi obiecti, & quod ex maiori diſtantia vix cerni, aut nequaquam poterit,

Quòd ſi vueam opponas, quæ licèt colorata ſit, & viſibilis; eundémque albugineum humorem habeat intermedium, per quem ſui imaginem poſſit in cryſtallinum remittere, nullo tamen pacto conſpicitur, non negabunt tamen vueæ ſpeciem per glacialem expandi (hoc enim manifeſtè oſtendit nigredo apparens in pupilla, ſuapte natura candida, & ſplendente, nec habente vnde nigredinem præ ſe ferat, niſi ex ſpeciebus ab vuea in cryſtalloïdem refractis; monſtrat, & viſus robur, & ſpirituum vnio ex ipſius vueæ vicinitate, ex idolis nigredinis, à qua viſus, & ſpiritus congregantur:) ſed dicent penes eam tantùm partem videri poſſe, qua glacialem ambit, nequaquam verſus ſubſtantiam, quæ directò è regione pupillæ non continetur.

Verùm quòd vuea conſpectum omnino fugiat, nihilque ex ea videatur, manifeſtum fit ex eo, quia aliàs ſemper aliquid nigrum, qualis eſt vueæ color, ante oculos ſentiremus; cúmque hoc non experiamur, nec ipſa, nec quicquam aliud cernitur intra oculum, ſaltem per ſe, id eſt, per propriam ſpeciem, atque ita nec vapor imaginationum cauſa: ſi enim (quod obiiciebatur) per imaginem ſuam videretur, quum in illa quæ alicuius propria eſt, præter colorem, magnitudinem, & figuram ſitus etiam repræſentetur, intus adeſſe crederetur, inde ſiquidem dicitur ſpeciem tranſmittere quæ poſſit videri. Rurſus viſibile quod per propriam ſpeciem mouet, ipſo inuariato, & pupilla in eodem ſpatio exiſtente, ſemper in vna diſtantia apparet. Sed huiuſmodi viſa vapore intra oculum permanente, nec variata pupilla vbicumque oculum figas, ibidem adeſſe creditur, in aëre, & in quauis alia re conſpectui obiecta, proxima, vel remota. Igitur, &c.

Dicendũ ergo viſionem illam nec certam, nec verã eſſe, ſed fallacem, illuſoriã, & deprauatam, quod ſatis confirmat ſequens ad eam iudiciũ, vanũ & corruptum, nempe medio aëri ineſſe quod nuſquã eſt, culices, muſcas, atomos, & id genus alia. Inſuper quomodo recta eſſe poterit, & exacta functio, quæ ſequitur ad oculorũ vitia, nulláque data inter ſenſatam rem & ſenſorium diſtantia ſine medio externo? ideóque meritò ab Ariſt. 3. *probl.* 9. & 10. illuſoria appellatur viſio, & à Gal. 1. *de cauſ. ſympt. ſuprà relato*, potiùs hallucinatio, non enim ſaltẽ propriè, & per ſe videntur corpuſcula illa intra oculũ latentia; ſed quia obiecti externi ſpeciem modificãt, ſecundũ naturam ſuam colorẽ, & figuram, imaginantur videri, cùm viſio potiùs ſit de re ab extra veniente, & per illius ſpeciem fiat, modificatam tamen ſecundùm diſpoſitionem vaporis, qui quia modificat, ſentitur etiam, & extrà iudicatur eſſe, quia ad externi obiecti ſpeciem & viſionem videtur, vel cum Gal. 1. *prog.* 23. ob aſſuefactionem cryſtalloïdis, quæ externarum rerũ viſioni aſſueta, quæcunq; intus ſentit, extrà locata iudicat, ſuo iudicandi modo. Vbi tamen vapor extra oculũ, negari non poteſt & per propriam imaginẽ conſpici à laborante, non enim eſt quod impediat, quinimò experimur in medio aëre ſpectari, & veluti oculis obiectos abigi ab ægrotantibus, ſentiriq; modò accedere, modò recedere. Quare, &c.

Nec obſtat, quòd ab aliis ſimiliter non conſpiciatur, aliorum enim conſpectum præ tenuitate fugit, non ſic autem laborantium, quia horum viſus ab exeunte ſenſim vapore excitatur, atque ita in illius quantumuis latentis, & obſcuri notitiam ducitur. Quantum verò faciat ad meliùs videndum proſecutio obiecti ab initio ſui motus, monſtrant ſagittæ, & aues in altum conſcendentes, quæ & meliùs & magis proſpectantur ab iis, qui primùm exeuntes oculis proſecuti ſunt, ex quibus ad argumentum patet reſponſio.

Adnotandum verò hoc potiſſimum loco inter multa, tamque conquiſita curiosè ſuper imagines, illud quod

Medicis

Medicis auctoritas non dilutæ dubitationem maximam ingeſſit, vtrùm imaginationes, & viſa orta ob vapores, & humores intra foramen vueæ, & humorem cryſtallinum contenta, per ſe, id eſt, per ſuam ſpeciem videri poſſint: Nam videri aliquid intra oculum, multis probat Laurentius *lib.* 11. *de hiſt. anatomica, quæſt.* 2. ſed non per propriam, an per alienam ſpeciem, difficilius dubium iudicauit Mercatus *tom.* 1. *ſuor. oper. part.* 5. *claſſ.* 6. *quæſt.* 156. *n. vlt.*

Thomas Garbius *lib.* 1. *tract.* 5. *quæſt.* 67. affirmant, contenta in oculo per ſe, id eſt, per propriam ſpeciem videri, ſuámque opinionem tuetur primò. Qui habet viſa, ea videt, etiamſi ad ſolum aërem reſpiciat, & non ad aliquod obiectum. Erga ea non videntur per ſpeciem obiecti externi. Reſpondet Iacobus *in com. cap.* 9. *Auic.* 33. *tract.* 3. in eo caſu vaporem exeuntem ab oculo à frigiditate aëris condenſari, atque ita per ſuas ſpecies videri: ſed non ſatisfacit. Primò, quia ſic talis vapor etiam à circumſtantibus perciperetur. Secundò, quia ſic non eſſet viſio læſa, iudicando ea viſa eſſe extra oculum, contra Galenum 1. *prog.* 26. Dic ergo, impoſſibile eſſe nos ſolùm reſpicere verſus aërem, quin aliquod obiectum percipiamus vtpote nubem, aut cœlum, ad horum igitur ſpecies ſimilia viſa percipiuntur, quemadmodum & in aliis affectibus contingit.

Obiicit ſecundò vrgentiùs: nam ſicut nos ſæpe videmus fulgorem intra oculum contentum, ſic ſimiliter videre poſſumus vaporem peruium coloratum in oculo exiſtentem. Dic cum Gentili *loco cit. ſuper Auic.* diſparem eſſe rationem, quia lumen quod intra oculos videtur, habet eſſe magis intentionale quàm color, ac proinde non adeò requirit medium vt videatur, quemadmodum color.

Nec concludit tertium argumentum, quo inſtructus ſic ratiocinatur. Species tractæ in memoriam, reuertentes ad oculum poſſunt videri, & iudicabuntur quaſi eſſent extrà, Ergo multo magis vapor in oculo exiſtens. Dic, has ſpecies iam acquiſiuiſſe ſuam, vt ita dicam, immaterialitatem, & ideò poſſe videri, quia non requirunt medium. ſicut nec lumen, ſeu fulgor.

Falſitas autem opinionis huius oſtenditur. Primò quia ſenſibile ſupra ſenſum non facit ſenſationem, 2. *de anim.* 9. Secundò, ſi contenta in oculo per propriam ſpeciem viderentur, ſequeretur punctum album relictum in cornea ex cicatrice, debere apparere quale eſt, cùm tamen nigrum appareat, & eò nigrius, quò albius exiſtit, vt conſtat experimento. Tertiò, ſequeretur quod huiuſmodi viſa ſemper in eodem loco apparerent, contra experientiam, nam ſi æger reſpiciat parietem, in hoc eſſe iudicantur; & ſi reſpiciat librum, in hoc eſſe apparent. Conſule Ioannem Buridanum *in ſua* 4. *quæſt. ſuper lib. de ſenſu, & ſenſili Ariſt.*

Ad ſecundum. Quamuis imaginationes ex ventriculo profectæ aquam etiam portendant, certiùs tamen eæ quæ cerebri, vel oculi vitio fiunt, tum quia vapores ex cerebro, vel oculo aſcendentes propinquiores magis ſunt, quàm aquei & phlegmatici (qualis eſt horum membrorum natura,) tum quia difficile eſt materias generantes viſa ab illis euacuari, facile autem ab ſtomacho, ac proinde huius conſenſu euenientes imagines non admodum laborioſè curantur, prout 4. *de loc. cit.* Gal. confirmat. Rurſus, aliud eſt imminere malum, aliud præſens eſſe; cùm igitur viſa ſuffuſionem antecedentia iamiam adeſſe, aut certò futuram ſignificent, non ſic orta à ventriculo, quia ſæpe non ſequitur ſuffuſio: nonnunquam ſine noxa per longum tempus durat viſum, nihil mirum, ſi duo hæc genera tanquam diuerſa Gal. ſeparauerit.

Ad tertium. Ambo oculi corpori, & ſtomacho pariter communicant, feréque eiuſdem naturæ ſunt, & conſimilis paſſibilitatis: quòd ſi aliquando ſecus contingat, rarum erit, nec generalis documenti fidem euertet. Iam verò tempus certum non eſt, nec infallibile, ſed illud certum, quamprimùm nempe, & citiùs obtenebrari pupillam, vbi ex ſuffuſione renaſcuntur viſa; atque ita de his loquens Aëtius, *vbi*, inquit, *apparere inceperint, pelagi colori ſimilis pupilla videbitur.* Si ex ſtomacho, non ſtatim Galen. ſperat

A tenebroſam, ſed poſt tres menſes; ſic ferè Auic. & poſt ſex, manifeſtè ſuffuſam: hoc autem intellige, vt plurimùm, & data paritate materiæ: Si enim maior copia aquei vaporis ab ſtomacho ſemel mandetur, vel ſingulis diebus, abſque intermiſſione, quamprimùm fiet ſuffuſio, & in vtroque oculo: cæterùm non ita frequenter euenit, atque ideò; &c. Denique quod ad digeſtionem attinet, putant aliqui legendum apud Auicennam, *indigeſtionem*, quamuis tamen habeat multiplicari imaginationes per digeſtionem, hoc eſt, in ore illius, per comparationem ad celebratam iam, & peractam coctionem, non ſic per reſpectum ad cruditatem, & indigeſtionem.

Ad vltimum. Non eſt hîc ſermo de viſis illis, quæ nonnunquam delirantibus, & omnibus propè morituB ris clauſis oculis videri creduntur, ſed de imaginibus oculis apertis falsò apparentibus, & quæ ſeſe offerunt intuentibus, veluti ante oculos ſitas: nec dubium eſt has phreniticis etiam apparere: plures autem ſpeciem licèt reperiantur, ex Galeno 1. *de cauſ. ſympt.* & adductis locis ſunt petendæ, de quibus graphicè, vt ſolet, diſſeruit Marcellus Donatus, *de medica hiſtor. mirabili*; *lib.* 2. *cap.* 9.

QVÆSTIO XX.

Vtrum viſus organum, præſtantius, & vtilius ſit organo auditus.

COMMENTARIVM.

C *ET viſus cum auditu remanſit quaſi deſtructus.*] Inter plurimos, eóſque eruditiſſimos noſtræ gentis ſcriptores, duo extant clariſſima ſidera, alter Ioſephus, hiſtoriarum conditor, & in eo genere auctoritatis percelebris; immò Græcus planè Liuius; alius, Philo, qui Platonicam ſtrenui ducis inſtar doctrinam ſoli ſibi reſeruans, eam abditiſſimis philoſophiæ arcanis, abſtruſiſque myſteriis vallauit. Ille *decimo octauo antiquitatum*, hic *libro de Abrah. & confuſione linguarum*, proponunt, etſi per tranſennam, quæſtionem, num viſus auditu ſit præſtantior, nec immeritò: nam horum ſenſuum ope, ac beneficio diſciplinas omnes capeſſimus, ex Ariſt. 1. *poſter.* 1. & 1. *metaph. cap.* 1. quare illorum par videtur eſſe præſtantia, & vtilitas.

D Hic aliorum opera doctos, ac ſcientes facit: ille inuentione, atque induſtria ſua: nam per vim audiendi quiſque magiſtri excipiens verba, & in animum tanquam per canales tranſmittens, multa diſcit: qui verò oculorum acie vtitur, ex his quæ ſub eam cadunt, & in mentem per ſe influunt; vt iam ille induſtria alterius, & quaſi per accidens diſcat; hic per ſe, & ſuapte opera, atque ingenio: iure vt queratur Pythagoras *in aureo carmine* de mortalibus, quod his duobus præſidiis, & quaſi inſtrumentis non vtantur ad capeſſendam felicitatem. Miſeri, qui bona, quæ vicina ſunt, non vident, neque audiunt.

Hæc omnia Stoïcus explanans Hierocles, *duobus*, inquit, *modis rerum peritiam ſumimus, aut per doctrinam auditu, aut per inuentionem aſpectu.* Confirmat eo antiquior Ariſt. tum *citatis locis*, tum etiam *cap.* 1. *de ſenſu, & ſenſili*, docens valde eſſe neceſſarium ad rerum intelligentiam auditum, E atque aſpectum, ſed hunc per ſe, illum ex accidenti, quia nimirum confert ad verba doctoris in pectus inferenda auditoris.

Quare *lib. metaphyſ.* 1. oculorum ſenſum maximè extollit, quoniam hic auctor eſt nobis cognoſcendi; variaſque differentias rerum comprehendendi, & vt Plato *in Tim.* refert, optimarum rerum cognitionem affert. Ex eo Cicero *ad finem fragmenti de vniuerſo, & lib.* 3. *de natur. Deo*; oculos à natura nobis datos voluit, vt duo lumina ab animo ad oculos perforata haberemus: quibus duobus ſenſibus vis rationis explicatur; in his enim vtitur mens gemino nuncio pro corporis neceſſitate, vno, qui oculorum, altero, qui aurium. Cicero *lib.* 1. *Tuſculanar. quæſt.* ſenſus animi eſſe feneſtras, dixit, aures præſertim, atque oculos.

Eorumdem ſenſuum vſu, & efficacitaté, magis quàm cæterorum, mirandum in modum commouentur affe-ctiones animi, oculorum maximè, ex Horatij ſententia, *ad Piſones.*

Segniùs irritant animos demiſſa per aurem,
Quam quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus, & quæ.
Ipſe ſibi tradit ſpectator.

Qui tamen *epiſt.* 1. *lib.* 1. etiam feris moribus hominem, auris beneficio traduci ad manſuetudinem monet,

Si modo culturæ patientem commodet aurem.

Euripides, & priùs Herodotus in Clio, ſic ait: *aures minorem apud mortales fidem merentur, quam oculi.*

Contrà ſapientes, ex Platone *in Phædro*, oculis principem locum tribuunt. §. *Viſus ſenſibus omnibus corporis præſtat.* Ita Iſidorus *lib.* 1. *Orig. cap.* 80. *meliùs oculis quæ fiunt deprehendimus, quàm ea quæ auditione colligimus, quæ enim videntur, ſine mendacio proferuntur.* Hoc modo Galenus oculos vocat membra diuina, *lib.* 16. *de vſu part. cap.* 3. hic enim ſenſus certiſſimus eſt, à quo cùm orta ſit philoſophia, vt Philo probauit non longè ab *extremo libro de legibus ſpecialibus*, magis quàm auditus veritatis confert cognitionem, quare Ariſt. *lib.* 2. *de anima. Maximè*, inquit, *ſenſus eſt viſus, & nomen accepit à luce, quia ſine luce videre non poteſt.*

Hinc illud Philonis, ſiue alterius cuiuſpiam, de oculorum præſtantia. *Cùm ex materia corruptionis obnoxia concreti ſint oculi, eò ſe tamen ſuſtulerunt, vt ab omni loco terreno longiſſimè diſiuncti, vel in cœlum vſque, remotiſſimam à terra ſedem recurram.* Plutarchus *extremo libro, de aquæ, & ignis comparatione*, acutiſſimum eſſe omnium ſenſuum arbitratur, ex eo quòd ignea eius vis ſit, ac natura, & iuxta Platonem cœleſtium globorum conuerſionibus ſe accommodet; licèt Ariſtoteli placuerit, aqueæ eſſe illum naturæ *lib. de part. animal. cap.* 10. & *lib.* 5. *de generat. animal. cap.* 1. quidquid Carpentarius hos auctores conciliare ſtudeat, exploſus à Laurentio *lib.* 11. *de hiſt. anatomic. quæſt.* 6.

Mileſius Thales tantùm ab oculis aures diſcrepare ſenſit, quantùm à veritate mendacium. Itaque veteres illi prudentes, & acuti mortales, ea nos potiſſimùm arbitrantur ſcire, quæ videmus: ex hac certitudine celebre ortum prouerbium, *Auribus fideliores oculi*, de quo plura congerunt Adrianus Iunius *cent* 4. *num.* 41. *Adagiograph.* qui eruditè hoc prouerbium explicat *chil.* 1. *cent.* 1. *num.* 72. Apuleius *de dogmat. Platon.* oculorum operâ hominem tradit meritum fuiſſe cœlum, ſiderum curſus, aſtrorum ortus, atque obitus; ex quo pulcherrimus, & vberrimus fons ille manauit philoſophiæ.

De audiendi verò facultate ſic ſcribit. *Auditu verò quid homini magnificentius potuit euenire, per quem prudentiam, ſapientiámque diſceret, numeróſque orationis metiretur, ac modos faceret, fierétque ipſe modulatus, ac muſicus. Ita homo nihil ſcit abſque doctrina, hæc eſt, aurium ope, atque præſidio:* & Lactantius *l.* 3. *cap.* 9. *plus in auribus, quàm in oculis poſitum eſſe* prodit, *quoniam & doctrina, & ſapientia percipi auribus ſolis poteſt, oculis ſolis non poſſit.* Ita reconditioris doctrinæ libri Ariſtotelici, ab audiendo vocati ſunt Acroamatici, vt eſt apud Ciceron. *lib. de finib.* 5. & Herodotus *lib.* 7. ſedem animi in auribus ſtatuit.

Præclarus eſt Callimachi locus, in literarum, eruditioniſque commendationem, quo id ſolùm viuere nobiſcum docet, quod per aures influxit in animum, quem in ſuam Anthologiam tranſtulit Ioan. Stobæus *ſerm.* 79. Hexaſtichon eſt ſic Latinè verſum ab Auguſtino Vignolio, Poëta famigerato.

Nil ſparſiſſe iuuat fragranti rore capillos,
Sertáque odoratis implicuiſſe comis.
Luxurioſa dapum citò deperit hauſta voluptas,
Tota vel extremo gutture rapta perit.
Fixa manent quæcunque animo ſunt fuſa per aures,
Hæc mecum nunquam deperitura fero.

Plautus tamen *Trucul. ſc.* 6. *act.* 2.

Pluris eſt (inquit) *oculatus teſtis vnus, quàm auriti decem:*
Qui audiunt, audita dicunt: qui vident, planè ſciunt:

Contrà Thebanus Epaminondas putauit ſapienter, quemlibet audiendi potiùs, quàm loquendi ſtudioſum A eſſe debere, ex auditu enim naſcitur doctrina. Huc illa quæſtio ſpectat, plúſne conferat ad diſcendum lectio, an auditio, hoc eſt, vox viua an magiſtri muti; hinc Cleanthis laudata patientia in Zenone audiendo.

Redeo ad vim oculorum, quos nimis argutos argutè Cicero dixit, *lib. de legib.* 1. Ex iis abſque vllo ſermone etiam intimas animi cogitationes aliorum cognoſcimus: ſic ardor oculorum, iratum vt agnoſcamus, facit: nictus & agitatio crebrior, admonentem, vel ſimulantem: defixi hærentéſque, admirabundum: modeſti ac deiecti, pudibundum: læti atque hilares, amantem: triſtes ac torui, inimicum atque infeſtum.

Inſuper, quomodo valent oculi, valere & corpus, ſiue in melius, ſiue in peius, Galenus demonſtrat ex Hip. 6. B *epid. ſect.* 4. *text.* 28. quia affectus penè omnes interni, externi, corporis, animique indicantur oculis; & ex his meliùs, quàm vllo alio ex membro, fortè etiam pulſu; quorum fabricam, vſum, ac præſtantiam Plato celebrat *in Tim.* præ cæteris.

Deinde, nihil nos magis in Dei, & rerum ab eo procreatarum erigit contemplationem, quàm acies oculorum. Iam verò Homerus, & ex eo Virgilius 6. *Æneid.* quæ de duplici porta fingunt eburnea, & cornea, planè vſum exprimunt horum ſenſuum: eburnea ſenſum indicat aurium, quòd quæ ex ore prodeunt verba, eburnea propter candorem dentium, quæ aures feriunt: cornea oculorum, ob nigrum pupillæ colorem. Sic Didymus ſomniorum portas explicaturus, *Vlix.* 19. quidam per ſynecdochen corneam portam affirmant ſignificare oculos, C quòd prior oculi tunica ſit cornea; eburneam verò, os, & internos dentes colore eboris: Hinc fideliora ſunt quæ videntur, quàm quæ dicuntur, quòd per cornu quidem videri poteſt, per ebur nequaquam.

Vidiſti quanta ſit in homine, aurium, oculorúmque præſtantia, quod diſcrimen: ſed maxima eſt vis aurium, maxima oculorum, vtriuſque rara nobilitas. Omnino maior oculorum cui omnes etiam aliorum ſenſuum functiones propterea tribuuntur, quare ipſis ſenſibus noſtris quibus anima per corpus vtitur, nihil eſt oculis præferendum; & ideò in Scriptura Sancta viſibilium nomine ſenſibilia cuncta ſignificantur. Omitto rationes ex Ariſtotelicorum penu depromptas, quas collegit non ignobilis Philoſophus Veronenſis Gabriel, *quæſt.* 6. *in* 1 *lib. Ariſt. de prima philoſophia.*

D Quid plura? nónne apud antiquiſſimos Sophos, immò eruditiſſimum, ac grauiſſimum Philoſophum, ac Theologum Platonicum Philonem *lib. de ebrietate, & de plantat. Noë*, oculus, princeps eſt corporis pars? Nónne ex ipſo, *in lib. de opificio Moſis*, eadem eſt oculi, ac mentis comparatio? quia quod eſt mens in anima, hoc eſt oculus in corpore. Quare Plato *in Alcibiade*, 1. *non longè à fine*, oculum eſſe animam, & pupillæ aciem, ſapientiam tradit: & *lib.* 7. *de republic.* affirmat, nulla corporis parte meliùs videri alterius animum quàm oculo; qui idcircò à Platone, & Ariſt. *in Phyſiogn.* ſpeculum naturæ vocatur, vt probat perdoctus Thomas Campanella *in ſuis diſſertationibus de natura rerum, cap.* 12. *art.* 5. *in med.* Nónne quod in cœlo Sol, & Luna, ipſum id ſunt in homine oculi? Sol, & Luna, duo mundi lumina; oculi certiſſima in carne ſidera, fulgent è ſublimi, ſplendore micantiſſimo inferna colluſtrant, perinde ac in ſtatione ſpeculatores, interdiu noctúque nobis excu- E bantes, dignitate & vſu Soli non cedunt. Animi enim ſunt indices, cuius omnes affectus exprimunt apprimè: nam mirantur, amant, concupiſcunt amoris, iræ, furoris, miſericordiæ, vltionis ex ſe manifeſta præbent indicia: in audacia proſiliunt, in reuerentia ſubſidunt, in amore blandiuntur, in odio efferantur, gaudente animo hilares ſubrident, eodem mœrente langueſcunt, eo ira flagrante exaſperantur, in cogitatione quieſcunt: quapropter ex vario, & multiformi aſpectu variè nuncupantur: torui, truces, flagrantes graues, tranſuerſi, ſubmiſſi, blandi: quare illis natura dedit locum, quem in cœlo Soli, tanquam mundi oculo, & in homine menti,

Vltimò. Organum viſus præſtat organo auditus: nam illius ope plures differentiæ rerum certiùs, promptiúſque cognoſcuntur,

cognoſcuntur, ex Ariſt. *lib. de ſenſu, & ſenſili, cap.1.* Sic ab officio, à materia, à poteſtate, auditu præſtantior eſt viſus, & plura, & meliora, & è longinquo magis cognoſcimus, & tenuiores ſunt eius ſpiritus, & cum luce cognatio, quæ qualitatum omnium eſt nobiliſſima, communiſſima, & notiſſima, vt probat Scaliger *in Cardanum, exercit.* 302. *num.6.* quare viſus ſenſuum omnium acerrimus, præſtantiſſimúſque eſt, vt affirmant Cælius Rhodiginus *l.20. lect. antiq. cap.17.* Quare idem Platonicus Philo *lib. de opificio Moyſis*, oculi pupillæ mentem confert §. *Homini Deus excellentem quandam largitus eſt animæ animam, tanquam in oculo pupillam, &c.* Nec te pigeat conſulere eum: nam tam grauis, & politi ſcriptoris, inſignes & præclaræ ſententiæ mihi ſemper viſæ ſunt, vt relictis Ariſt. & cæterorum philoſophorum, huius præcipuè auctoritate rem iſtam confirmare nunc placeat.

Ex eo (inquit idem Cælius *lib.3. lect. antiq. cap.28.*) factum eſt, vt quemadmodum imago animi, vultus eſt, ita indices oculi; & propterea à prudentiſſimis dictum, animum in oculis habitare: & ob id Galenus, vir in medicina tantus, & rerum ſcientia non incelebris *lib.3. de vſu part. cap.10.* cum Platone *dialogo 6. de republica*, nunc organum vocat lucidum, nunc ſolarem animalis particulam, & diuinum quoque membrum nuncupauit.

Viſum ergo ſenſuum omnium nobiliſſimum oſtendunt plura Primum, quia perfectione, certitudinéque cognitionis cæteros ſenſus longè ſuperat, & temporis momento peragitur. Quare ad præſtantiſſimas vtilitates viſus omnium maximè confert, & ſic eum præ cæteris diligimus, ita Ariſtoteles *lib.1. metaphyſic.* ipſum omnibus ſenſibus anteponit, quia hic vnus ex omnibus maximam nobis rerum cognitionem affert, vt *tract. de viſus nobilitate*, firmauit Andreas Laurentius; ſic ſapientiſſimus ille ſenex Tobias cæcitatem deplorabat, inquiens: *quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video?* Deníque adeò excellentiſſimum eſt videndi organum, vt ad aliorum ſenſuum ſignificandas operationes, videndi functio ob illius dignitatem accommodetur; ſic Exod. 20. *& omnis populus videbat tonitrua, ſeu voces*, pro audiebat. Præſtantior ergo eſt organum viſus auditu, præſertim quòd nil videri poſſit abſque luce, nec diſcerni colores abſque ea, vt Mathematicæ diſciplinæ, ac naturalium rerum ſtudioſi validis argumentorum comprobant rationibus: Lux autem inter ea quæ ſub ſenſus noſtros cadunt, pulchrior, venuſtior, amabilior, ac delectabilior, quia eius incomparabilis eſt puritas, & efficacia ſua omnia penetrat, & cauſarum cœleſtium generale, & principale inſtrumentum eſt; immò eſt pulchritudo, & ornamentum omnis creaturæ viſibilis: quare Salomon Eccleſiaſtic. 11. ait. *Dulce lumen, & delectabile, oculis videre Solem.* Si enim auferas lucem, omnia in tenebris ignota iacebunt, vt *lib.4. in Danielem*, doctiſſimus probat Benedictus Pererius. Et de his arduis quæſtionibus hæc ſint ſatis.

HISTORIA IX. GALENI, *De Cantharidum veneno.*

Cantharidum noxia vis, ex quarum aſſumptione plures emortui.

Qvidam dictionis huius mentem haudquaquam intelligens audax Medicus, prædictas partes à cantharidibus abiecit, deinque corpora hydropico: cui cùm à primo die abſceſſus in ſura apparuiſſet, poſt tres alios dies ſectus eſt, effusáque copioſa aqua curatus eſſe viſus eſt, quod pars tumoris præter naturam plurima ſtatim ad moderationem redacta ſit, veruntamen non multis poſt diebus obiit. Quam ob cauſam Medico quidam crimen ingeſſit, perperam data eſſe cantharidum corpora inquiens: nempe propinanda ablatis corporibus, tum caput, tum pedes, tum alas, idque eſſe quod in dictione enuntiaretur. Quare non cunctatus audax ille Medicus, hydropico alteri ita propinauit, móxque facto ſimiliter in femore abſceſſu, ſectóque atque effluxo ſimiliter humore, multis poſt diebus hominem mori contigit, &c. Galenus lib. 4. de rat. vict. in morb. acut. com. 122.

PARAPHRASIS.

Cantharides, etſi aliquibus partibus ſui corporis venenoſas, correctas tamen, & permixtis medicamentis quæ illarum malitiam retundere queant, hydropi poſſe eſſe ex vſu ad prouocandam vrinam, ſeroſóſque humores per eam euacuandos, appoſita hiſtoria, latè prædiximus *lib.2. in com. hiſt.117.* ad quem locum pro huius hiſtoriæ explicatione te remitto.

Vnum ſolùm conſtet, cantharides exceſſu quarto excalfacere, & exſiccare, habentéque ſummam erodendi vim; quo pacto viſcera, & partes per quas tranſeunt, ita exulcerant, vt ſanguinem fundant, vt auctor eſt Galenus *4. ſimpl. cap.18. & lib.10. cap. de ſero.* Exit autem cum deiectione exulceratis inteſtinis aliquando, ſed ſemper cum vrina, quòd horum animalium vis natiua quadam repugnantia partes omnes vrinæ inſeruientes feriat, lancinet, & premat. Hoc autem accidit, non ſolùm cùm potui dantur, ſed quod magis mirum eſt quum in cataplaſmate miſcentur, quod ad exulcerandum, & euacuandam materiam imponitur pubi, teſticulis, renibus coxis. Habere autem vrendi vim, conſtat, quia exteriùs appoſitæ veſicas excitant, & cauſtici inſtar cutem vrunt, quando ab alto ad cutem, & ambitum corporis, venenatos, ſeu alios humores attrahere oportet, vbi ſomnus inexpugnabilis vrget, & frigidi ac chronici morbi fatigant.

Epotæ cantharides ardorem in toto corpore excitant, dolorem intolerabilem, vertiginem amentiam, & tandem abſumptis ſpiritibus, virium defectum, atque interitum afferunt. Excalfaciunt, viſceráque exurunt caliditate ſua; ex Dioſcorid. *lib.6. cap.1.* quo pacto præcordia magis dextra inflammantur, quàm ſiniſtra, quum per iecur tranſeant ad renes; ſed certiùs ſignum eſt, ſi in ore cedrinæ picis ſapor percipiatur, vt cum Dioſcoride omnes poſtea auctores confirmant, quoniam humores qui in ventriculo, ac iecinore verſantur, deuruntur, quorum vapores exhalantes picis odorem repræſentant, vt proprio exemplo oſtendit Langius *lib.1. epiſt.47.*

Sed dubium eſt maximum, quo pacto Galenus calumnietur & vocet Medicum audacem, ſi ſequutus mentem Hippocratis in hoc textu, exhibuit cantaharides abiectis alis, capite, & pedibus? Lacuna *in ſuis perdoctis commentariis in Dioſcoridem*, hoc difficillimum dubium extricare non potuit. Dic tu, audaces Medicos vocari poſſe illos, qui remedia adminiſtrant temerè, perinde ac illi qui aleam iaciunt, de quibus loquitur Galenus *lib.1. epid. ſect.2. com.50.* Quare temerarius fuit ille Medicus, qui doctus oraculo auctoris libri acutorum, qui non eſt magnus Hippocrates, vt paſſim in illis libris Galenus inculcat, & præſertim *in proœmio lib.4. & in hoc lib. com.5. & lib.2. com.38. & lib.1. com.18. & 3. de dif. reſp. 6. & lib.9. de placit.6.* & alibi, ventrem illarum hydropico ſolummodò obtulit, quum conſtet ventrem tantummodò eſſe venenoſum cæteras verò partes alexiterias. Hoc modo Galenus *lib.11. de ſimpl. cap. de cantharidib. & 2. de antidotis, cap. 7.* inter propria alexipharmaca cantharidum, reponit illarum pedes.

Maioris tamen machinæ eſt explicare, cur cantharidum venter hydropico oblatus, non alia horrenda ſymptomata excitauerit, præter abſceſſum in ſura, ex tam multis quæ huic funeſto morbo ſuperuenire ſolent? Dic, naturam ex epoto veneno labefactam, maiori aquoſi humoris copiæ viribus iam penè extinctis regenerata, crudum, & pituitoſum ſanguinem potiùs ad pedes excreuiſſe, quia hic deorſum magis fertur; deinde pedes in decliui loco poſiti, frigidi ſunt, oſſei, neruoſi, & remoti à fonte caloris. Sed iecur poſt abſceſſum œdematoſum, ſectum, & ex quo humoris copia emanauit, cuius excretio ægrum erat leuatura, mortuus fuerit: ea eſt cauſa, quoniam ex morbo, & ex veneno erodente viſcera erant corrupta; & ſic remanente intemperie in iecore, eáque magis adaucta, reſoluto ſpiritu, & exhauſtis viribus vitam finiuit. Interim de

de curatione veneni à cantharidibus illati,lege Langium *cit.loc.*Matthiol. *in cit.loc.Dioſcorid.* & alios, qui de vene- A
norum curatione eximiè diſceptarunt.

HIST. X. ALZAHARAVII.
De morſu Apum.

Ictus ab Apibus, cinere ſuperpoſito, curatus.

ET vidi qui curaret educere fauum ex vaſis apum, & morſus eſſet ab ipſis ſuper maxillam inferiorem, & ſequutus eſt ſtupor dentium, & feſtinanter currebat ad ignem , & igni* B
locum approximabat , licèt ſupponebat ei cinerem calidum , & interrogatus à me ſuper hoc dixit, quòd non inuenitur medicamentum ad minuendum dolorem melius,quàm illud, & c. Alzaharauius lib.29.pract.ſect.2.cap.29.

PARAPHRASIS.

APes aculeo ſuo pungere,ac mordere, & dolorem inferre , & ex concurſu humorum ad ictam partem, inflammationem concitare cum rubore , & tumore coniunctam , quin ſimul venenoſa qualitate cor opprimere, firmat Serapio *lib.5.Breuiarij cap.de punctura apum.* Oportet ergo in parte affecta imponere , quæ repercutiendo, dolorem lenire poſſunt , vt ſunt aqua roſacea, aceto , & ſucco plantaginis,bolo armeno , & ſantalo permixta. In
hanc rem plura Arabes ad apum morſus conſimilia pa- C
rant auxilia,Rhaſis 20.*continent.cap.2.&* 8.*ad Almanſ.cap. de puncturis apum.* Gilbertus Anglicus 7. *compendij, eodem titulo.*Varignana *ſerm.4.praxis, tract.3.cap.6.* Conciliator *lib.de venenis,tit.de morſu apum.*

Poſt ſanguinis miſſionem , & reuellentia auxilia, lauri folia viridia , trita , & ſuper partem appoſita venenoſis apum ictibus mederi certum eſt,de cuius auxilij laudibus mira auctores ſuprà citati prodidere. Maluam contra aculeatos apum morſus prærogatiuam habere,affirmat Ruellius *l.2.de natur.ſtirp. cap.52.* His ſi non ſuccumbat dolor, vehemenſque ardor in parte ſentiatur , pars ſcarificetur, quam ſugendam , ac dilatandam illi monuere , cum Haly Abbate *4.punct.cap.de medela punctu æ apum.*

Ad dilatandum autem, venenúmque foràs euocandum, nullum cinere præſtantius eſſe auxilium,& vtilius iudica-
bit,qui non ignorat ex Dioſcoridis lectione *lib.5. cap.93* D
huius vim eſſe calefactiuam , & attrahentem valde. Eligendus cinis præſertim ficulneus;nam caliditate ſua attrahit & abſtergit. Scis enim apud doctrinam Galeni *lib.7. ſimp.tit.de cinere,* & Pauli *lib.7. eodem titulo* , non omnem cinerem idem exactè habere temperamentum , quoniam pro materiæ combuſtæ differentia euariat : Acerbarum enim arborum cinis,nempe quercus, & ilicis, arbuti,fagi, lentiſci, hederæ adſtringendi vim non modicam obtinent, qua ſanguinis eruptionem compeſcit.

Ob id Pontzettus ad aculeum extrahendum *lib. 3. de venen. c.15.* non alio vtitur medicamine, niſi ex oleo,cinere, & fermento ſimul permixtis : cuius veneni antidotum eſt ſuccus coriandri cum ſaccharo epotus , ex Chriſtophoro de Honeſtis *in ſuis problematib. de venenis, probl. de morſu apum.* Cætera præſidia lege apud clariſſimum
Moufettum *tit.de morſu apum,* qui de inſectis,poſt Geſne- E
rum, & Arnoldum VVerokelium *lib.4. de venen.cap.3. de morſu apicularum,*& alios,ſelecta remedia propoſuit.Si verò de apum alimento, mira in opere ſuo induſtria, magiſtratu,caſtitate,munditie,reparatione,ſi fortè earum genus vniuerſum extinguatur , pulchra audire geſtis, lege Matthiol.*lib.2.in Dioſcorid.c.77.*Virgil.*lib.4.Georgic.*Florentin. *in Geop.lib.15.c.2.*Ariſt.*3.de generat.animal.c.10.& & lib.5. de hiſt. cap.11.* Plin.*lib.11.cap.16.* Lactant. Firmian. *lib.1. cap.18.* Varron. *lib.3.de lingua Lat.cap.16.* Archelaum *lib. Anthol.epig.1.tit.37.*Colum.*lib.10.cap.11.* Plutarch. *lib. de cauſ. natural.cap. 36.* Albert. Magnum *lib.8. de animalib. tract.4.cap.4.* Auic.*lib.8.de animal..cap.6.*Pallad.*lib.1.cap.39.* Ionſtonum *in ſua Thaumatographia tit.de exanguibus cap.2.* & alios,quos ex facundiſſimis priſcorum; & recentiorum monumentis citat laborioſiſſimus , & omniſcius Aldrouandus *lib.de inſectis,cap.1.de apibus.*

QVÆSTIO XXI.

Vtrùm hæmodia, ſit propria dentium paſſio.

COMMENTARIVM.

ET ſequutus eſt ſtupor dentium.] Quoniam cum Alzaharauio agenda res eſt,ne id quidem ampliùs explicare grauemur , cur ſcilicet ad apum morſum ſequuta eſt congelatio dentium , quam Græci hæmodiam vocant, (hoc enim verbum in vetuſtiſſimis huius auctoris codicibus adinueni. (Quare vt luculentior , expreſſiórque fiat eminentiſſimi auctoris enarratio , ad Auicennæ vireta diuertendum, abs quo didicimus dentes premi dolore,commotione,perforatione, corroſione, ruptura. denigratione attritione, vacillatione, ſtridore, & congelatione, in quam faciliùs incidunt , quum ſint oſſei,frigidi, & exangues; ex quo factum eſt vt commorſa maxilla, ob calorem, & dolorem patentibus poris, promptiùs frigori aëris eſſet obnoxia , & ſic dentes ſubiecti ſtupore hac de cauſa fuerint oppreſſi.

Illud ergo in præſenti non omittendum, à pauciſſimis animaduerſum. Vtrùm dolorificus ille ſtupor ex acidis, & auſteris cibis contractus, quem Medici hæmodiam appellant,ſit etiam dentium paſſio? Diſſuaderi enim videtur ex eo , quoniam pars quæ ſenſu deſtituitur , nequaquam poteſt obſtupeſcere : atqui dentes inſenſibiles ſunt : ergo hæmodia laborare non poſſunt.

Minor multis ſuadetur,& primò,quia dentes inter oſſa numerantur, 1. *lib.de oſſibus,cap.5.*oſſa autem ſenſu omnino carent, 1.*de element.cap.2.13.meth.c.22.* vbi de capitis oſſe loquens , ſcribit ſenſu carere , quemadmodum & reliqua omnia : ideò namque *lib.art.med.cap.19.*dicuntur à ſeipſis gubernari , quia ſcilicet naturales facultates , quæ inſitæ ſunt,ſolùm habent : vnde non illis inſeruntur nerui,quibus ſenſifica vis;animaléſque ſpiritus deferantur : nec verò neceſſum ruit oſſa ipſa ſenſu donari , ſiquidem ſua duritie , reconditóque ſitu tuta erant , & immunia ab iniuriis externis, quibus ſentiendis, fugiendiſque natura ſenſum tribuit animalium partibus,illis denegans , quas in imo corporis recondit , quantumuis molliſſimis , cuiuſmodi ſunt viſcerum carnes,& *cap.2.* quæ terrea,craſſa, duráque ſunt minimè ſentiunt. Quum ergo dentes eam habeant conſtitutionem, credendum eſt non ſentire, eo maximè quòd illorum ſoliditas , & durities ſuam incolumitatem ſine ſenſu poterat tueri. Tertiò. Moleſtiorem ſenſationem efficit fractio, ſectióque, quàm quæuis alia doloris cauſa.Sed dentes circa dolorem,citráque ſenſum vllum quotidie ſcinduntur,& exeduntur. Ergo videntur eſſe omnino inſenſibiles, & ex conſequenti non poſſe illis competere hæmodiam.

Oppoſitum tamen docet Galenus *lib. 2. de loc. affect. cap.7.* docens affectum illum proprium eſſe dentium , & gingiuarum 1. *de cauſis ſympt. cap.5.* dentibus accidere poſt acidos, & acerbos cibos, præſertim immaturos,quorum eſu ſtupent , nec ſuo mandendi munere fungi poſſunt. Cùm verò ſtupor , teſte ipſomet Galeno *lib. 5. de loc.cap.1.* ſit inſignis quædam refrigeratio,ſenſus & motus difficultatem inducens , meritò adiunxit *cit. lib. de cauſ. ſympt.* quòd hæmodia eſt ſymptoma tactricis facultatis; & cùm dentibus inſit , apertè innuit eos ſenſu præditos eſſe, quod euidenter ſcribit *5.de comp.med.ſec.loc. cap.8. & lib.de oſſib.cap.5.ad fin.& 16 de vſu part.cap.1.* & Auic. 1.1. *doct.5.ſum.1.cap.5.& 7.3.cap.1.&* 4. Aëtius *tetrab.2.ſerm.4. cap.19.*

Idem poterit ſuaderi hunc in modum. Dentes omnes ſuſcipiunt propagines à tertia coniugatione neruorum. Atqui nerui illi omni parti, vel membro cui inſeruntur, vim deferunt ſentientem. Ergo ea non deſtituuntur dentes.

tes. Secundò. Senſus datus eſt animantibus propter conſeruationem, & cuſtodiam. Atqui dentes cùm nudi ſint, occurrentibus iniuriis exponuntur. Ergo vt ab illis ſe tuerentur, oportuit ſenſu donari. Quod experimento etiam oſtenditur: nam quemadmodum ſæpe dolor permanet dente ablato, ita nonnunquam confeſtim ceſſat. Sed non ceſſaret,niſi dentem ipſum occuparet, ſiquidem ſi in gingiuis,aut neruo conſiſteret, duraret adhuc dente auulſo: Ergo negari non poteſt,dolere, & ſentire, ac proinde ſtupere,& hæmodia laborare.

Sed antequam ad argumenta pateat ſolutio, aduertere oportet, quòd Auenzoar *lib.1. ſui theizir, tract. 9. cap.19.* arbitratur,non ſolùm dentes,ſed & oſſa omnia ſenſum habere, etſi craſſum & obtuſum, propter ſui ſiccitatem, & duritiem.Inducitur autem illud exiſtimare, quoniam ſicut cerebrum dicitur tranſmittere per neruos virtutem ſenſibilem membris, & cor ſpiritum vitalem per arterias, ita hepar per venas nutrimentum. Atqui oſſa etiamſi venis careant,ſanguinem intra ſe per meatus recipiunt, quo nutriuntur, & creſcunt; ſine arteriis vitalem ſpiritum, quo viuunt, & à putredine ſeruantur. Ergo licèt nullos habeant neruos inſertos, ſuſcipient in ſe à vicinis vim ſenſitiuam,tum quia illa minùs ſpiritualis non eſt minúſque potens ad penetrandum, quin potiùs magis quam vitalis, & multò plus quàm ſanguis; tum quia per exiguum, breuéque ſpatium,& materiæ, & facultates poſſunt ad membra peruenire ſine canalibus: non enim neceſſarios eſſe niſi ad longum interuallum, ſcribit Galenus *lib. 6. de vſu part.cap.17.*

Nec vero putat Zoar ſententiam ſuam à Galeno alienam,quum *lib.de plenit.cap.4.* affirmet,in oſſibus nonnunquam grauitatis ſenſum percipi. Quòd ſi ſuprà relatis locis,oſſa ſenſu priuauit,intelligendum eſſe, inquit, ac ſi diceret illa parum ſentire;non aliter ac dicere ſolemus, viſu carere eum qui parum videt; ſine collo eſſe, qui breuiſſimum habet; ſine memoria, qui modicam; inſipidum, & inguſtabile, quicquid exiguo guſtu, ſaporéve præditum eſt.

Quòd ſi deſtituantur neruis, non infert ſenſu etiam deſtitutos eſſe, quemadmodum licèt arteriis, & venis careant,non ideò nutritione, & vitali calore priuari dicuntur. Quamuis autem duritie ſua frangentibus cauſis reſiſtant, multò meliùs ſenſu prædita ſuæ incolumitati conſulent.Denique ſi,quando frangitur, ſcinditúrve os, dolere non videtur, fit quia lædi non poteſt, quin caro vel membranæ lædantur, quæ cum ſint acutiſſimi ſenſus, hebetem oſſis ſenſum ſimul & dolorem obſcurant: *duobus enim doloribus,&c.2.aph.48.*

Multò tamen magis conſonum eſt doctrinæ Galeni, & Medicorum ferè omnium, ſimul & Philoſophorum, nequaquam ſentire, nec opus fuiſſe, cùm ſint interiùs ſepulta, atque ita remota ab occurrentibus externis, ingentíque creata duritie,qua frangentibus reſiſtere, ſuámque integritatem poterant ſeruare. Præterquam quòd ſi ſenſum obtinuiſſent, magis ille ad moleſtiam & dolorem, quàm ad incolumitatem inſeruiret; perpetuò enim dolerent à pondere, & grauitate corporeæ molis. Demum fidem manifeſtam facit inſenſilia eſſe oſſa, quòd in vlcere antiquo ſi os carne iam, & membrana penitus nudatum ſecetur,aut lima radatur, nihil prorſus ſentire experimur.

Et ſic commodè interpretandus Zoar, circa oſſium ſenſibilitatem, ac ſi dicat ratione membranæ veſtientis ea ſentire, ſicut intelligendus Galenus *lib.5. ſec. loc. cap.8.* dum in ſeipſo maximum expertum fuiſſe dentium dolorem aſſeuerat,quam hiſtoriam *l.1.in hiſt.67.*deſcripſimus. Quare dic ad primam confirmationem minoris,propoſiti in initio argumenti,ídque ſecundùm Galenum,quòd licèt dentes inter oſſa referantur, & hæc ſenſu careant,ſpecialem tamen ob cauſam decuit eos ex cerebro neruos recipere,ſimul & ſentientem virtutem, ſic inſtituente natura, tum quòd iis quæ ſibi occurrunt nudi ſint expoſiti, tum quòd ipſos vnà cum lingua ſentire oportebat, ac ſapores diſcernere,non aliter quàm cæteras oris particulas, *16. de vſu part,cap.2. prope finem.*

A Ad ſecundum. Quamuis ea quæ dura ſunt, frigida & ſicca,hebetem & obtuſum ſenſum habeant, eo tamen non omnino priuantur, nec illud voluit Ariſt. ſed tantùm parum,& debiliter ſentire,ad mollium comparationem, quæ quia facilè patiuntur, formáſque & impreſſiones obiectorum meliùs ſuſcipiunt,acutiſſimi ſunt ſenſus, præterquam quòd ita docuit, ad hoc vt ſentiendi acrimonia ſuæ mollitiei prouiderent ab occurrentibus obiectis.

Ad tertium. Aretæus antiquiſſimus Medicus *lib.2. de morb.diuturnis,c.12.* inſtar miraculi eſſe putat,& quæſtionem ab homine inſolubilem, ſoli Deo cognitam, cur fracti,ſectíve dentes non doleant,intemperati autem doleant vehementer, quum ſectio, vel fractura ſit maior dolendi cauſa, quam quoduis intemperamentum, & cauſam prædicti euentus arbitratur dentium ſoliditatem,& duritiem: B cùm enim dolor(inquit) res quædam ſit aſpera ſenſui, nec ea quæ denſa duráque ſunt,vt dentes, contactu & vulnere exaſperentur, fit vt non doleant, quando ſecantur, vel franguntur.At ſi ex ſubita,& repentina naturæ mutatione proueniunt dolores in parte ſentiente,cur non moleſtabitur dens,& dolebit vehementer, vbi repentè ſoluitur naturalis vnio,continuitáſque ſuarum partium?

Adiungunt alij,voluiſſe naturam, vt non dolerent dentes ex fractura,& diuiſione, propter natiuam duritiem, & ſoliditatem, qua frangentibus poterant reſiſtere, & ſuam vnitatem tueri, non aliter ac molliſſimæ carni datum eſt ad mollitiei tutelam, vt ex intemperamento moleſtiam, dolorémque perciperet, ſed multo maiorem ex diuiſione, cui carnis mollities maximè ſubiecta erat. Verùm ſi potentior eſt dolendi cauſa,diuiſio, quàm intemperamentum, quomodo efficere poteſt natura, vt dentes ſolùm ex C minore occaſione doleant, & ſenſitiua virtus in vna eadémque parte, non ſentiat illud quod magis ſenſibile eſt?

Conciliator *diſ.43.in appendice prope finem tertij,*ſcribit, dentes quidem (quod verum eſt) gratia ſuæ duritiei ſenſum habere obtuſum; & obtuſiorem penes ſuperficiem externam, partéſque à neruo remotas; præterea diaphanos eſſe, & poroſos: & quia externa potiſſimùm parte tanguntur,vel minimùm,vel nequaquam occurrentia corpulenta,& terrea ſentiunt: cum verò huiuſmodi ſint illa quæ frangunt,& continuitatem ſoluunt, ideò non debent dentes quando ſecantur, ita dolere, quàm cùm ex intemperamento, dolore afficiuntur; quoniam qualitates primæ, & inter eas illæ quæ magis actiuæ ſunt, tanquam magis ſpirituales, vndique penetrant, & ſentiuntur. D

Serapio *tract. 2.cap.16.* & Haly Abbas 2. *theoric. 10. & lib.9.cap.17.*cum quibus multi, affirmant dentes omnes inſenſibiles eſſe, nec vllum per ſe habere dolorem, ſiue à ſolutione, ſiue à temperie;eum verò quo ſæpe vexamur, potiùs in neruis & pelliculis gingiuarum, quàm in dentibus conſiſtere. Cur verò ad dentis intemperiem dolemus,non ad ſectionem,aut fracturam, fit quoniam ſectio ad neruum non pertingit: dentium autem calor, aut frigus magna cum celeritate ad neruum penetrat dentis radici appoſitum. Quemadmodum enim metalla calorem, & frigus promptiſſimè ſuſcipiunt,& per ſe tota tranſmittunt;ita dentes, quam contrahunt intemperiem, per occultos, rectóſque meatus quos habent, celerrimè ad neruum demandant, vt cum dolore ingenti ſentiatur; ſic E inſtituente natura, vt dentes ſine ſenſu, quem durities non admittebat, incolumitatem ſuam ab intemperantibus tuerentur; frangentibus enim, & ſecantibus ſatis proniſum eſſe arbitrabatur ſoliditate, & duritie; & hac de cauſa dici poteſt dentes ſuſcepiſſe neruos à tertia coniugatione,9. *de vſu part. cap.15.* quamuis expreſſerit Galenus decuiſſe illos ſentire, eo quòd nudi occurrentibus exponantur; ſine ſenſu ſiquidem poterant integritatem ſuam ſeruare non aliter ac vngues,quibus natura ſimili artificio prouidit, ſuppoſito neruo,ad quem velociſſimè tranſmitterent perceptum intemperamentum cum magno dolore ſentiendum.

Iam verò ſi dente ſublato confeſtim ceſſat dolor, non eſt quia ad dentis ablationem aufertur ſenſifica vis in eo exiſtens,

exiſtens,ſed quia tollitur putredo,à qua dolor excitabatur: Verùm ſecundùm Serapionem, & Haly Abbatem *vbi ſupra*, mitigatur nonnunquam dolor cùm eruitur dens,eo quòd ceſſat diſtentio, oppreſſióque facta à dentis mole, & corpulentia. Defendi ergo poteſt, non ſentire dentes, quemadmodum nec etiam pulſant, quia arteriis deſti- tuuntur, licèt vicini nerui dolor imaginari faciat dentem ipſum dolere, ſicut arteria gingiuæ prope dentem pulſans imaginationem inducit pulſantis dentis,quod imaginatus fuit Galenus *lib.5.de compoſ.med.ſec.loc.cit.*

Sed ad hæmodiam reuertamur, quæ auctore Galeno *lib.1.de cauſ.ſympt.cap.5.eſt oris, & dentium ſtupor,ob acidos, acerbóſque cibos ſaborius*:ſtupent enim dentes,nec ſuo man- dendi munere fungi poſſunt. Accidit etiam hoc malum, ob naturam humoris in dentibus contenti, aut à ventri- culo ad dentes exhalantis,aut ob vomitum eos offenden- tem. Galenus verò vnius tantùm cauſæ commemoratio- nem fecit, ſcilicet ciborum acidorum, quia hæc in prædi- cti mali generatione eſt frequentiſſima. Differt ergo hæ- modia ab ſtupore: hic enim accidit neruis, membranis, venis, arteriis, carni & cuti, & totius corporis ſymptoma eſt, quod inſigniter ad tactum ſpectat; illa ſolùm denti- bus, & gingiuis contingit, de qua Ariſt. 1.*probl.*37.& 38. Auic. 7.3.*tract.*1.*cap.*23.

Inquires hoc modo,quomodo exaſperabitur à leui agen- te externo dens,ſi à ferro non alteratur:Dic,ſapores validè alterant; cùm ergo meatus dentium dicti facilè tranſmit- tant alterationem neruis, acidam, vel auſteram, inducunt cum refrigeratione denſationem in neruos, quæ denſatio, congelatio appellatur.

Cur verò hæmodia ex acidis contracta ſanetur à por- tulaca frigida, difficile quæſitum eſt. Illud concedit Ga- lenus *lib.6.ſimpl.tit.de portulaca*, & *lib.2.cap.46.*Paul. *lib.7. ecd.cit.* Reſpondet Ariſt. 1.*probl.*38. quoniam ſuccus por- tulacæ acorem habet, cuius gratia trahit ad ſe affinitate quadam acidum faciens hæmodiam. Sed difficilis eſt ſo- lutio: nam quòd ſimilitudo totius ſubſtantiæ ſit cauſa attrahendi, creditum eſt Galeno 3.*ſimpl.*24.& alibi.Quòd verò ſimilitudo ſaporis trahat,à nullo eſt proditum. Dic, ſimilitudinem ſaporis indicare ſimilitudinem totius ſub- ſtantiæ;quæ verò in modo ſubſtantiæ conueniunt, facilè vniuntur, vt ita iuncta abſtergantur: manus enim ſor- didæ aqua diluuntur, pice verò coinquinatæ non aqua, ſed oleo, ob ſubſtantiæ ſimilitudinem; ſic maculam ex maturis moris contractam illitio immaturæ abluit, quo- niam, ob ſimilitudinem ſubſtantiæ miſcentur, & minor lentor facit vt ſimul abſtergantur; quod idem cenſet Ariſt. accidere acido ſtupefacienti, vbi ſucco portulacæ permiſcetur. Fortè verò manifeſtior cauſa eſt, cur por- tulaca, cera, oleum, lac, amygdalæ ſanent hæmodiam, quia lentore ſuo opponuntur percuſſioni, & denſitati nerui ab acido prodeunti. Cur autem hæmodia ſequatur ex acerborum eſu, quod firmat Ariſtotel. 7. *probl.*5. & Auicen. *loc.cit.* ingenioſiſſimus Coſtæus *in Auic.com.*dili- genter explicuit.

HISTORIA. XI. GALENI, *De veneno coturnicum.*

Ex coturnicum eſu, conuulſio fre- quenter generatur.

*Necnon & in Doride, & Bœotia, & Theſſalia,omnibúſque finitimis locis, multi * ex coturnicum eſu muſculorum conuulſionibus correpti ſunt quoniam veratrum ſcilicet illæ co- medunt. Iſtud idem & Athenis, quibuſdam accidiſſe nouimus, qui coturnicibus largiter ſe impleuerant, &c. Galenus* lib.6. epid. ſect.5.com 3.

PARAPHRASIS.

Coturnices peſſimè apud omnes ſcriptores audiunt, quoniam ſpaſmum, tremorem, Herculeum morbum gignere perhibentur; quo fit vt tam his qui bona,quàm

A qui praua ſunt temperie, earum vſus interdicatur: ea- rum enim caro quum difficulter conficiatur, putreſcit in ſtomacho,& febrem accerſit,& ſic omnium auium carnes malitiâ ſuperat.Cauſam reddunt,ob ellebori paſtum, quo mirum in modum delectantur, & maximè quòd aliis ve- nenatis ſeminibus veſcantur continuò, vt docuit Aboaly Aben Zoar Arabs *lib.de regimine ſanitatis,tit.de carne cotur- nicum*, & poſteà probant Gulielmus Turnerus *lib.de auibus præcipuis*,quarum apud Plinium,& Ariſt.mentio eſt.Chri- ſtoph. à Vega *lib.2. de art. medend.* De qua re Lucretius Poëta Epicuræus ita doctè cecinit.

Eſt vtique ſerpens hominis quæ tacta ſalinis
Diſperit,ac ſeſe mandendo conficit ipſa.
Præterea nobis veratrum eſt acre venenum,
At capris adipes, & coturnicibus auget.

B Licèt enim coturnicis caro calida ſit, & humida; cùm tamen frigidum, & mucoſum generet humorem, & qua- litate pernicioſa à veratro accepta neruos feriat, conuul- ſionem hac de cauſa conciliare poteſt; quod ita eſſe Iu- niorum peritiſſimi confirmarunt,de quorum numero ſunt Mundella *epiſt.6.* Bruyerinus *lib.15. de re cibaria, cap.35.* Cardanus *lib.3.de ſanit.tuend.cap.21.*Narrat Scideius *lib.de morb. incurabilibus, pag.* 102. in conuiuio ob coturnicum eſum, captarum in loco vbi magna erat ellebori copia, quoſdam fuiſſe emortuos, alios conuulſionibus captos remanſiſſe. Nam hæc caro putredinoſam ſortitur natu- ram, & ad febres corpus præparantem; quare ab Arabi- bus ſummoperè reprobatur: probat Alexandrinus *lib.3. ſalubrium, cap.7.*

C Ellebōrus enim venenum eſt, & neruorum ſubſtan- tiam vellicat, & exſiccat. Neque dubites ſanguinem, & alios ſuccos, ſeruare facultatem eorum quæ ingeſta ſunt vſque ad coctionem tertiam, quod Galenus confirmat *lib.6.epid.ſect.5.com.35.* dum in alimentis poſt coctionem, & ſanguinis conuerſionem, validas vires remanere aſſe- uerat, adrò vt & ſudores ipſas redoleant. Plinius *lib.10. cap.23.* ſic ait: *Coturnicibus veneni ſemen gratiſſimus cibus, quam ob cauſam eas damnauere menſæ, ſimulque comitialem propter morbum deſpui ſuetum*, vt notauit Ioannes de Me- diolano, auctor regiminis Salernitani *cap.19. de auibus*, & non ſiluit elegantiſſimus Ludouic. Nonnius *lib.2.de re ci- baria cap.28.*Ita Iſaac *lib.diætar.vniuerſ.lect.*40.omnibus vo- latilibus facit peiores coturnices,nec enim nutrimento,nec indigeſtione ſunt laudabiles. Quare nec ſanis, nec ægris exhibendæ,vt probant Melchior Charterius *tr.de epilepſia,*

D *c.16.*Conciliat.*diſ.*68.Quare Auic.*l.2.c.*153.ſic ait: *Ex co- meſtione carnis coturnicis timetur tetanus,& ſpaſmus,non quia comedant elleborum tantùm,immò quia in ſubſtantia earum eſt hæc virtus; & exiſtimo quòd nutrimentum earum eſt ab elleboro, propter ſimilitudinem complexionis.* Hinc fit, vt Deus cùm vellet punire populum Iſraël pertinaciſſimum, illum ſimili carnium eſu ſaturauerit & ſic vſque ſatieta- tem veſcentes,exitialibus morbis oppreſſi ſint; malignum enim & pernicioſum præbet ſuccum hæc caro peſſima;vt legimus *lib.Numer.c.*11.de quarum malitia conſule Iulium Alexandrin.13.*ſalubr.c.7.*

Si verò Auerrhoës 5.*collig.*Rhaſius *lib.3 ad Almanſ.c.*10. eam laudant.& in cibis expetunt;per eam intelligunt aliam auem perdice aliquantulum maiorem, genis, roſtro,& pe- dibus, rubenti colore, quæ ab Italis coturnix appellatur,

E quæ grati eſt ſaporis, & laudabile nutrimentum præbet. Lege de vtraque coturnice pulchra apud Mundellam *cit. epiſt.* Quando autem ex eſu coturnicum conuulſio accide- rit,offerenda ſunt cardiaca,& præſertim quæ ellebori per- nicioſam vim retundant, quorum copiam tradit Meſuë *cap.de elleboro.* Vtendum roborantibus cerebrum neruos, & ventriculum. Conſule elegantiſſimum Renatum Mo- reau, Medicum Regium Pariſienſem, ſolertiſſimum, Rei- publicæ Medicæ Primipilum, qui *in nouis, & copioſis ani- maduerſionibus in ſcholam Salernitanam, cap.*29. *prope fin.* de huius auis natura ingenioſiſſimè diſceptat.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXII.

Virùm præter hominem, ſolæ coturnices epilepſia tententur. Contra Plinium.

COMMENTARIVS.

EX *coturnicum eſu muſculorum conuulſionibus correpti ſunt.*) Plinium, omnium ſcientiarum parentem optimum, omnifaria diſciplina præcelluiſſe, omnibus compertum eſſe reor. Is enim facundus auctor, cum Solino *loc. ſuprà cit.* poſtquam coturnices, ob veratri cibum quo iucundiſſimè nutriuntur, in epilepſiam, ſpaſmúmque incidere affirmauit, ſolas præter hominem his morbis premi aſſeuerat. Contra hos famigeratiſſimos viros pugnandum eſt experimento: nam capræ, oues, equi, accipitres, graculi ſentiunt epilepſiam. Habui enim in iuuentute mea equum affectum hoc morbo; cùm enim eo incederem curſu veloci ad inuiſendos ægros, ille contremiſcere cœpit; ego ſubſultum toto corpore ſentiens, ſubitò ab ſtapedibus pedes eduxi, & bona fauente fortuna in ſolum cecidi citra noxam vllam: ille in terram corruens, iactabat ſeſe, ore ſpumabat, quod nulla ei vi aperiri poterat; is ergo per duos annos in plenilunijs epileptico inſultu quatiebatur ferociter, quo tandem miſerrimè acceſſionum frequentia concuſſus occubuit.

Plutarchus grauiſſimus auctor *in Roman. quæſt.* 111. quærit, cur vetitum Romano ſacerdoti canis, & capræ tactu, ac nominatione nõ abſtinere? Reſpõdet, vel ob laſciuiam, vel fœtorem, vel quòd capra morbo comitiali eſt obnoxia. Addit Plutarchus, vt & Auicenna *lib.2. canon. tract.2.cap.*230.*&* 3.1.*tract.5.cap.8.* eos qui caprinam guſtarent, aut etiam tangerent, ea lue facillimè inquinari; & ex veterum auctoritate demonſtrat Alexander. Clemens *lib.7. Strom.* quare meritò Platina *lib.de honeſt. volupt.* ſic præcipit. *Caprarum, & hircorum iecora fugito, ne in epilepſiam incurras.*

Cur facilè capræ, aut hirci morbum hunc concipiant, videtur eſſe cauſa, anguſtia meatuum, quibus quaſi obſtructis ſpiritus intercludatur: argumento eſt vocis tenuitas in capra, ideóque affecti hac lue ſimilem caprinæ vocem emittunt. Coturnicibus verò edendis aſſuetos, etiam fieri comitiales, idem Plinius ſcribit *lib.*10.*cap.*23. Caprarum adiuuat in hunc morborum pronitatem, quòd corruptum, & craſſum è terra vaporem facillimè hauriunt, prono ſemper humi capite, quæ non naribus, vt cæteræ animantes, ſed auribus ſpiritum trahunt. Eadem vehementer abiecti capitis in humum ratio, oues etiam reddit obnoxias epilepſiæ; ac multò magis in capra, in qua caloris exceſſus eſt cauſa, quæ ad eius caput impellit vapores.

Vbi verò iam omnis ad plenum abſoluta eſt quæſtio de coturnicibus, quòd epilepſiam generent, ſupereſt vt breuiter, rara, immò prodigioſa proponamus, quibus conuulſio hac de cauſa contrahenda vitari, & contracta curari poſſit. Mirum enim, & vix credibile, quod *lib.*10. *cap.*7. Plinius tradit, ex ſententia Pythagoræ, aniſum in manu habentes non corripi hac lue: minùs illud quod ab Olao Magno proditum eſt, *lib.*18. *hiſtor. ſeptent. cap.*31. pueros ſi aſſueſcant eſui cerebri vulpini perpetuò futuros ab hoc morbo liberos Minutius Felix *in Octauio*, Gentiles notat, quòd comitialem morbum hominis ſanguine, id eſt, morbo grauiore ſanent: eſt enim præſentiſſimum iſtius morbi remedium ſanguis humanus. Ita Ethnici noxiorum iugulatorum ſanguinem recentem, de iugulo decurrentem, exceptum auida ſiti, comitiali morbo detentis offerebant, quod etiam Plinius tradit *lib.*28.*cap.*11. *ſanguinem namque gladiatorum bibunt, vt bibentibus populis procul ſint comitiales morbi. At hercule illi ex homine ipſo ſorberi efficaciſſimum putant, calidum ſpirantémque, vt vna ipſam animam ex oſculo vulnerum: cùm è plagis hunc ne ferarum quidem admoueri ori fas ſit humano.*

Nec illud admiratione indignum, vinum exteriùs adhibitum leuare epilepticos, admiſſum interiùs epilepſiam inducere; ita ſcribit Ariſt. *lib.de ſomn.& vigilia*, proptereà
A vinum, inquit, nutricibus, ac pueris nocet, ſiue ipſæ, vel ipſi potent. Quid ita? quia ſpirituoſum eſt, præſertim nigrum, vt pluribus in locis retulit Galenus: & illud Plutarchus *in Lycurgo* narrat, infantes non aqua, ſed vino in Laconum agro à mulieribus lauari: nam ſi morbo comitiali tententur, ſine ægritudine alia, leuari fama eſt: ſi firmiore ſint valetudine, acui, & firmari.

Cum his conueniunt Medici, qui epilepticorum libris, non vt ægris, ſed ne ægri fiant, accommodatas præſcribunt exercitationum, & victus rationes, quod proniores ſint cæteris in hanc peſtem, propter infecti ſeminis paterni labem. Occaſionem etiam præbet huic morbo Veneris vſus, vt non malus Poëta Fauſtus Andrelinus cecinit.

B *Turpis & eſt morbi ſpecies horrenda caduci,*
Cùm iacet exanimis poſt ſua furta Venus.

Quo diſticho indicat veterum Græcorum effatum, Veneris vſum paruam eſſe epilepſiam affirmantium: ità Eryſimachus apud Stobæum *ſerm.* 6. ſolo tempore differentem vocat. Ita Agellius 19. *lib.Saturnal.* apud Macrob. *cap.*2. & Galen.3. *epidem. ſect.*1.*comment.*4.*&* 14. *de vſu part.cap.*4.*&* 10. coitum eſſe ſpaſmum tradit. Cui malo ex Venere orto ellebori vſus ſalutaris eſt: nam craſſos, & flatulentos humores ex debilitate caloris, quam Venus præſertim nimia induxit, generatos mirificè educit. Neque obſtat, coturnices ob vim ab elleboro acceptam, ferientem neruos, hoc laborare morbo: Nam mandunt incorrectum, & ſic nocentiſſimum; præparatum verò, & permixtum cum aliis, quæ eius deleteriam vim retundunt, plurimis, iiſque contumaciſſimis, & periculoſiſſimis
C morbis eſſe remedium præſentiſſimum, priſci omnes vnanimiter docuere, & recentiores firmant, quos legat qui velit, *lib.*2.*huius operis, in com.hiſtor.*29.& ſic Plinius refert *lib.*25.*cap.*5. Druſum Tribunorum popularium clariſſimum ellebori candidi medicamento fuiſſe à morbo comitiali liberatum.

Plutarchus in vita Iulij Cæſaris, affirmat eum comitiali morbo obnoxium, quæſiuiſſe militiam, itinera, & tenuem victum. Plinius *lib.* 20. *cap.* 7. iis qui ob craſſos humores genitos ob reprobum victum, in epilepſiam incurrunt, aniſum recens cum polenta conſuluit. Idem *lib.* 10. *cap.* 6. alium hoc morbo correptis conſuluit, & *capit.*12. rutæ decoctum propinat, & *cap.*14. pulegium offert, & *cap.*24. radicis vitis albæ decoctum exhibet in potum, & *cap.*26. plura refert præſidia propè prodi-
D gioſa, vt ſunt teſtes vrſini, vel aprini ex lacte equino, pulmo leporis ſale macerati, aſini cerebrum ex aqua mulſa, vrina equi, carnes caprinæ in rogo hominis toſtæ, ſeuum caprinum cum felle taurino permixtum, & *cap.*30. numerat muſtelæ cineres, œſypum cum myrrhæ momento, lapidem Samium, Caſtorium, quæ auxilia, & alia ibi citata, vel manifeſtis, vel occultis qualitatibus prodeſſe poſſunt.

Rutæ odorem iis etiam auxiliari probant Trallianus *lib.*1.*cap.*15. Valleriola *lib.*4.*obſ.*7. Iaſon. *cap.*23.*de morbis cerebri*, Conradinus *cap.*12.*libel de febre theriode vngarica.* Pæoniæ vſum epilepſiæ opitulari à quacumque cauſa pronati, tradit Galenus *lib.*6.*ſimpl.* firmant Lemnius *l.*2. *de occultis*, *capit.*3. Montuus *lib.*1. *cap.*8. *haloſeos febrium.*
E Hieronym. Tragus *lib.*1.*cap.*200. *hiſt.ſtirp.* Alces vngulam valenter reſiſtere epilepſiæ confirmant Cardanus *lib.*10. *de ſubtilit.* Menabenus *lib. de Alce*, *cap.*9. Fernel. *in conſil. pro epileptico.* Demum plura ſunt remedia admiranda, quæ citatis locis proferunt auctores, quæ tacita quadam facultate epilepſiam curare queunt. Et alia, quibus vſos fuiſſe Iulium Cæſarem captum hoc morbo, refert Ludouicus Dorlians *in ſuis elegantiſſimis commentariis in Tacitum*, *lib.* 13. *fol.* 673.

⁂

HIST.

HIST. XII. CAELII AVREL. De Rabie.

Sartricis chlamydem ſciſſam rabidis morſibus, lambentis, & rabidæ factæ, ſtupendum, & memorabile exemplum.

*Hominum hydrophoborum quidam in hydrophobicam paſſionem deuenerunt, * ſolius aſpirationis odore, ex rabido cane abducto, cùm defatigatione quadam naturalis ſpiratio vexata venenoſum aërem adducit, & principalibus inſerit partibus. Alij rabidi animalis vnguibus læſi in rabiem deuenerunt. Memoratur denique ſic mulierem in hydrophobicam paſſionem deueniſſe, cui facies fuerat à paruulo catulo laceſſita. Quidam à gallo gallinaceo pugnante leuiter læſus in rabiem deueniſſe dicitur. Sartrix etiam quædam, quum chlamydem rabidis morſibus ſciſſam, ſarciendam ſumeret, atque ore ſtamina componeret, & lingua pannorum futuras lamberet aſſuendo, quò tranſitum acus faceret faciliorem, tertia die in rabiem veniſſe memoratur, &c. Cælius Aurelianus.* lib. 5. morb. cap. 9.

PARAPHRASIS.

Canis ad totius domus, ſed præcipuè ſtabuli cuſtodiam, tam in oppidis, quàm pagis eligendus eſt; familiam namque & pecora obſeruat, latratu fures indicando. *Quis famulus*, inquit Columella *lib. 7. cap. 12. amantior domini? Quis fidelior comes? Quis cuſtos incorruptior? Quis excubitor inueniri poteſt vigilantior? Quis denique vltor, & vindex conſtantior? Quis docilior? Quis ſagacior?* Ob hanc cauſam Plato *lib. 2. de repub.* generoſi canis, & generoſi iuuenis naturam examinat aptam cuſtodiæ, in quam & ſagacitas, & velocitas, & robur debet ingredi, qui mihi fidem malè videtur omiſiſſe: & Daniel Barbarus vir doctus, & eloquens *in 2. Rhet. Ariſt. lib.* Veterum notat prouerbium hoc, *cane turpiſſimum carere*, quòd domus in qua non eſſet canis, haberetur contemptui.

Ergo Plinius *lib. 8. cap. 40.* iure, cùm aggreditur hiſtoriam canum, ita ſcribit. *Fidiſſimi ante omnia homini canes, atque equi, hoc enim canum eſt omnium:* deinde adiungit: *Sed in venatu ſolertia, & ſagacitas præcipua eſt.* Fides quidem canum aduerſus dominos par, ac ſimilis prodigio: nec me continere poſſum, quin veteribus, & nouis eorum fidei exemplis vnum addam ſingulare: noua quidem reperies in Cardano *lib 7. de variet. c. 31.* Scalig. *de ſubtil. aduerſ. Cardan. exercit. 202. num. 6.* Pierio *lib. 5. Hieroglyph.* Geſnero, & Aldrouando *in magnis illis voluminibus de quadrupedibus.* Lipſio *centur. 1. ad Belgas, epiſt. 44.* Vetera recenſent Plinius *cap. 4.* Cornelius Tacitus *lib. 3.* Plutarch. *in amator. narr.* Hyginus *lib. 2. in Arctophylace, & fabul. 103.* Pollux *lib. 5. cap. 5.* Ælianus *lib. 10. cap. 41. de animalib. & lib. 7. cap. 4.* & omnium vetuſtiſſimus Homer. *lib. 17. Vlix.* cuius mentem interpretatur diluciddè, variiſque in hanc rem hiſtoriis confirmat Ioannes Baptiſta Perſona *in com.*

Georgius Cedrenus *in compendio hiſtoriæ*, hoc refert exemplum, quod mihi ſupra miraculum eſt. Sub Conſtantino Pogonato, quidam ſolus cane ſocio obtruncatus in itinere à latrone fuit. Subducit ſe latro fuga, cane domini cadauer ſeruante: ſuperuenit viator, piè dat cadaueri ſepulturam: canis quaſi gratitudinis ergò homini abeunti adiungit ſe comitem: is erat artificio caupo: poſt dies aliquot in cauponã bibẽdi cauſa diuertit latro; canis, qui cæteris omnibus blandiſſimus ſolebat eſſe, allatrare latronem vehementiùs cœpit, veſtes lacerare, inſilire in faciem, neque aut minis increpitus, aut ictus verberibus poterat abigi. Facti religione qui aderant, latronem comprehendunt, in forum ad iudicem trahunt. Factam à ſe domini canis fatetur cædem, capite punitur. Nec mireris, cùm nullum cane ſagacius animal, & fortè memoria valentius.

De docilitate canum multa Plinius *lib. 8. cap. 8. ſoli* inquit Plinius, *nomina ſua, ſoli vocem domeſticam agnoſcunt, itinera quamuis magna meminere, ita vt canes, vrſi, ſimiæ equi, licèt propriè non ſint rationis compotes, penè tamen rationi accommodentur.* Vt de elephanto, formicis, apibus veteres affirmarunt, in quibus affectiones ſunt, commotionéſq; animorum, vt metus, cupiditas, zelotypia, triſtitia, qua ſæpè belluæ, vel in ſe, vel in aliis, ſi quid erratum fuit, caſtigant, & in illis non eſt obſcura multarum virtutum ſignificatio, iuſtitiæ, fortitudinis, temperantiæ, magnanimitatis, gloriæ, amoris in liberos, cognatos, dominos, vt fidei in canibus; de quo argumẽto cõſule Plut. *lib. vtrùm plus rationis inſit animantibus terreſtribus, an aquatilis*, Ælianum *lib. 7. de anim. c. 1.* Sagacitas quanta ſit, Plinius exponit, ſcrutatur veſtigia, atque perſequitur, comitantem ad feram inquiſitorem loco retrahens, quamvis aquam tranſiliens ſe occultaſſet.

Præſtare cæteris dicuntur à quibuſdam Scotici canes trium generum, præter vulgò notos, ac domeſticos ab Hectore Boëthio *in deſcriptione Scotiæ.* Venatici quidam ſunt velociſſimi, audaciſſimi, promptiſſimi etiam in hoſtes, latronéſque, præſertim ſi dominum, ac ducem inuadi, lædique vident, aut ſi in eos concitantur. Quidam odoratu valentes plurimùm, ſic vt feras, aues, piſces inſequantur, & inter ſaxa occultos præſentiant: Quidam ſunt tanta ſagacitate, vt fures furtóque ablata perſequantur, & illos comprehendant; hæc deprehendant. ſi fallendi gratia fur traiiciat flumen, obſtinatè conſequuntur ad alteram ripam, & aſſequuntur: itaque ea in regione ſuſpectus redditur furti, qui domui ſuæ neget his canibus ingreſſum.

De fortitudine quid dicam? iis vſum in præliis ad pugnam Halyatten *lib. 7.* tradit Ælianus. Probat multis exemplis Olaus Magnus *lib. 17. c. 6. & 7.* noſtra memoria Petrus Cieza Leo *in ſua hiſt. Indica*, Hiſpanos commemorat canum præſidio in nouo orbe ſubigendo, vſos. Conſule Tretzem de cane Nicodemi *in hiſt. Chil. lib. 3. c. 14.*

Si ergo cani præter ſagacitatem, docilitatem, robur, fidem, memoriam, tanta adeſt familiaritas, & beneuolentia erga hominem, & animal eſt generoſum, amabile, & præ cæteris homini gratum, & fideliſſimum; cur vbi ſæuo hoc morbi genere corripitur, familiares cognitos, & domeſticos, quóſque magnò amore proſequebatur, inuadit, inſequitur, & mordet, nullius habito diſcrimine, inſtar delirantis, & furentis hominis, qui ab atra bile ſenſus omnes infectos habet, & mentem ita aberrantem, vt ſe ipſum, & proprios ignoret, séque, liberos, & notiſſimos aliquando interimat! ob quam cauſam canes tantoperè fuere exoſi à Romanis, vt notat Marcus Zuerius *lib. quæſt. Romanar. quæſt. 8.*

Dic. Rabiem eſſe furorem quendam, inſaniam, ſeu maniam, & eam ſanè diram, truculentam, ferociſſimam omnium, & maximè lethiferam, à veneno canis rabie excandeſcentis ſubortam. Quo pacto ad maniam, ſeu furorem hoc malum referri debeat, patet: nam mania acre delirium eſt, quo correpti vinculis ſunt coërcendi, ne ſibi, & adſtantibus contumeliam inferant. Paulus ita ait: *ſiquando verò præaſſatæ plus æquo flauæ bilis in atram facta fuerit permutatio, maniam inferre ſolet, in qua ferociùs quàm in melancholia diſipiunt. Simili in totum diſpoſitione afficiuntur, qui ex rabie periclitantur.*

Quapropter rabies nihil aliud eſt, quàm mania quædam, ſeu furoris ſpecies maligna, venenoſa, ex aſſata bile in atram commutata: ita Dioſcorides *lib. 6. cap. 36.* Themiſonẽ alioqui demorſum in hunc furorem incidiſſe refert, & firmat Ariſt. 8. *de hiſt. animal. c. 22. §. Facit rabies furorem.* Suſcribunt Aëtius *tetrab. 2. ſerm. 2. cap. 24.* & Galenus *lib. de theriac. ad Piſon. c. 16.* aſſeruit, *in peſſimo hoc morbo non ſolùm exſiccari corpus, febréque intus aſpera comburi, ſed & delirare animum, atque ideò aquam expaueſcere laborantes, licèt ipſam ob nimiam ſiccitatem vehementer affectent, qui corrupto mentis iudicio, quid ipſis prodeſſe poſſit, non intelligunt, &c.* In hunc ſenſum Auic. 6. 4. *tract. 4. c. 1.* & Aëtius *cit. loco §. Inſaniunt canes, & inſania hæc rabies vocatur.* Ita teſtantur Haly *lib. 8. theoric. cap. 20.* Ioan. Damaſc. *lib. 7 cap. 18.* Auenzoar *lib. 1. theizir, tract. 9. c. 16.* Canes ergo inſani, & dementes, furiis veluti agitati, in notos & ignotos proſiliunt, & dilacerant. Cur verò canes, vel ſoli, vel frequentiùs inter cætera animalia rabie tententur, *infrà* dicemus.

QVÆSTIO

QVÆSTIO XXIII.

Vtrùm rabies ſit morbus contactu, & ad diſtans contagioſus. Contra Conciliatorem, Petrum Salium, Fracaſtorium, & Amatum Medicos doctiſſimos.

COMMENTARIVM.

SOlius *aſpirationis odore.*] Rabiem,morbum ſanè periculoſiſſimum,eſſe contagioſum, præter frequens experimentum, grauiſſimi auctores conteſtantur. Valleriola 3. *obſ.*3.Palmarius *lib.de morb.contagioſ.pag.*270.Ludouic. Lemoſius *in com.lib.9.meth.diſp.*9.Fracaſtorius *lib.*2. *de morb. contagioſ.*10. Vidus Vidius *part.*2.*de curat.membrat.ſect.* 2. *cap.*6.Greuinius *lib.*1.*de venen.c.* 35.& alij quàm plurimi. Sed in hoc morbo, quo pacto communicetur contagium, dubitant inter ſe auctores; quia tamen in hunc ſcopulum impegimus, locum videri perobſcurum interfati ſumus: poſſe tamen, quantum ex Medicorum non incurioſa lectione aucupamur, ſic fermè explicari.

Fracaſtorius ſiquidem *loco nuper cit.*& Petrus Salius doctiſſimus *lib.de affectibus ab aliis practicis non exhibitis,c.*19. cum Conciliatore *dif.*179.arbitrantur venenum illud non poſſe corpori communicari per ſimplicem contactum,ſed dilaceratione cutis indigere: nam tunc vapor veneficus lecerata cute, & ſanguine educto cum ſpiritu & calore per contactum dentis, & ſpumæ animalis rabientis, interna viſcera penetrat, & ſimilem affectum inducit. Ita ſenſit Amatus 7. *centur.* 41.*in ſchol.*§.*Nos verò ſcimus canis rabidi ſputum, ſi ſanguinem non attigerit,exteriùs applicitum, nihil noxij inducere poſſe.*

At licèt horum auctorum doctrinam,& ingenium non vulgare ſim ſemper admiratus, conatúſque eorum laude ſemper proſequar multa, Galeni tamen communis præceptoris partes tueri conabor. Is enim *in lib.* 6. *de loc. affect. cap.*5. illorum opinionem ex directo refutat,dum ſic ait. *Tanta fit in cane tunc humorum corruptio,vt ſolum eius ſputum ſi humanum corpus tetigerit, rabiem excitare poſſit,&c.*Quod ſartrix illa,de qua hoc loco agimus,ſuo malo fuit experta.

Si enim venenum rabidi canis, cæteris eſt pernicioſius, cur veneni promptiſſimi inſtar in alta viſcerum penetralia attractum per tranſpirationem, illa non immutabit, inficiétque tabe dira? Ea enim eſt rabidi veneni vis ad nocendum, ſiue homo ſit, ſiue quoduis aliud animal,vt ex morſu,vel ſolius ſputi contactu, niſi maturè fuerit occurſum ſimilem luem,quemcunque momorderint vel tetigerint,inducant: quo mortis generè miſerabiliter Tridenti occubuiſſe Baldum Iuris vtriuſque peritiſſimum, ex rabiêtis catuli ſaliua inferiori labro vix approximata,quarto iam ab inde menſe,teſtatur Matthiol. Senenſis, *vbi ſuprà.* Quin & vetulam ab equo furente deprehenſam, nullo vulnere illato,ſed ſolo fortè ſpumæ contactu, fuiſſe rabie correptam citati confirmant.

Simile quidpiam, immò & mirandum magis commemorat Cardan. *tract de venenis*,de patritio Veneto. Narrat Matthæus de Gradi *conſil.* 82. Magnificum Dominum Ioannem Coqueranum,infectum fuiſſe rabie poſt multos dies,ex ſola impoſitione manus in os canis rabidi,etſi eum canis non momorderit. Quapropter rabidorum canum ſaliua nuda corporis membra contingens, non aliter homines rabidos efficit, quàm ſi demorderentur: proinde prudenter monuit Auicenna, eos qui rabidorum curam gerunt, ne eorundem ciborum reliquias comedant. Adeò rabido cani contagioſum virus ineſt, vt qui canem rabie laborantem diſſecuerit, ea afflatus exhalatione, contagionis vim experiatur efficaciſſimam.

Alius mortuus eſt rabie,ex oſculo illato cani rabido antequam emitteret ſuffocandum, auctore Cardano *lib.* 2. *cont.tract.*5.*cont.*9.Palmarius *lib.*6.*de morb.contagioſ.fol. mihi* 266.& 267.vidit ex ſtraminis eſu,in quo rabie perciti ſues decubuerant,equos,boues,oues, & reliqua animalia, quæ ſtramentum deguſtaſſent,rabiem contraxiſſe.

Lib. V.

Refert Surius *in com.rerum in orbe geſtarum*, in Ducatu VVirtembergenſi cauponem hoſpitibus carnes porci, rabidi canis morſu infeſtati,edendas propoſuiſſe parùm hoſpitaliter: quas vbi homines eius rei ignari, comederunt, mox verſi in rabiem mutuis ſe morſibus lacerarunt.

At omnem fidem ſuperant hiſtoriæ celebratiſſimæ,quarum primā propoſuit Palmarius *loc. cit.*cuiuſdam ruſtici, qui rabie percuſſus, furiiſque agitatus, cùm ſibi è viuis breui migrandum eſſe intelligeret, aſſidentes, qui eum vinculis conſtrictum tenebant, in furoris intermiſſione obnixè rogauit, vt quos mox deſerturus eſſet, liberos ſibi deoſculari liceret, quod cùm eſſet conceſſum, liberiſque oſcula libaſſet, præfocatus eſt: ſed ecce ſeptimo pòſt die liberi eodem morbo correpti, eiſdémque cruciatibus torti:breui miſerrimam vitam cum morte commutarunt.

Aliam affert Eſaias Meïchſnerus *lib.de obſ.propriis*, firmátque Principem Illuſtriſſimum ſanctè illi retuliſſe,puerum equitem apud nobilem fortè fortuna inueniſſe ſub ſponda deliteſcentem gladium,quo exactis pluribus annis canis rabidus confoſſus fuerat:is ſibi concederetur petiit; quo facto, cùm enſem rubigine, vel ferrugine obductum extergere,& perpolire vellet puer, improuidus ſibi digito inflixit vulnuſculum, vnde rabie percitus, nemine aduertente occubuit. Legat qui velit rabiei contagium ſtupendum,*lib.* 3.*de praxi medic.admiranda,obſ.*87.

Neque inſtes Galenum 3.*de temperam. cap.* 4. expreſſis verbis affirmaſſe nihil noxij à veneno quamtũuis exitiali ſanæ cuti exteriùs applicito euenire poſſe;quare nec viperæ,nec aſpidis virus, aut rabidi canis ſpuma habet vim parem,vel ſoli cuti applicita,vel intrò aſſumpta:nam licèt ſaliua,ac virus tā rabioſi canis, quàm cuiuſuis alterius beſtiæ venenatæ, maiorē vim habeat intrò per os aſſumpta, quàm extrà ſanæ, illæſæque cuti impoſita(id quod tantùm voluit Gal.*cit.de temp.loc.*)negari tamē nō poteſt exteriùs etiam applicitam,vel ſolo cōtactu offendere,ex eodē Gal. *ibid.* & inſigniter quidem,ſi cuti vlceratæ accedat, & ſanguinem pertingat;atque ita vulgò aſſeritur de infecta elleboro ſagitta;ſcilicet quia à tota ſubſtātia,natura;& eſsētia nobis inimica ſunt,& aduerſa,maximéque illa rabidorum ſaliua,quemadmodum Galenus teſtatur 5.*ſimpl.cap.*99.

Verumenimuerò ſi rem à primis principiis repetamus, inueniemus Fernelium,inter omnes meliùs de hoc negotio philoſophari,dum *lib.* 2.*de abdit.rerum cauſis,c.*14. phaleratis verbis ſic loquitur.*Rabidus canis demorſu,ſaliuæ, aut humoris quiddam eructat,in quo vis eſt veneni.Id intrò ſubiens, ſpiritus, ſanguinem humores, partiſque ſubſtantiam contagione labefactat: hinc ſerpit longius ſenſim in partes principes, ſed tam ſegniter, vt rarò ante diem vigeſimum, interdum nonniſi anno ſymptomatis ſe prodat. Per has moras, nec febris,nec malum aliud vllum percipitur,nec ſcit æger quāta pernicies lateat: at cùm hæc tempore in cor penetrauerit, vellicantur præcordia, æger indignabundus euadit,nec ſtare,nec quieſcere poteſt,furentis in modum huc illúcque effrænatè agitur, manibus ora dilacerat, alios dente petit,ex ore ſpuma promanat,oculi toruï, & aſpectu horrendi, febris valida,ſitis inexhauſta, & tamen æger aquam, omniáque liquida adeò perhorreſcit,vt emori potiùs eligat,quàm bibere, aut ad aquam deduci, quibus malis defatigatus tandem miſerè cedit è vita.*

Denique ſi venenum cuti applicitum contactu poteſt interimere,vt variis exemplis probant Ioubertus *decad.*1. *paradox.*10.Greuinius *lib.*1.*de venen. cap.* 1. Cæſalpinus *l.* 3. *praxis,cap.*46.& alij venefica aura per cutis ſpiracula intrò per tranſpirationem attracta, & viſcera penetrante, cur rabidum venenum cuti ſolùm admotum, animalia ſimili morbo non inficiet?

Quod verò venenum rabidum ſit contagioſum ad diſtās,firmat hoc loco Aurelianus,dum ex ſolius ſpirationis odore ex rabido cane communicato vicino aëri, & præcipuis partibus inſerto, concitari rabiem aſſeuerat: nam ſi ab vlcerata elephantiaſi, ſordida ſcabie, virulenta lue, pulmonis vlcere, & ophthalmia lippientium oculorum, ad diſtans vicinum corpus inficitur, emiſſis ſeminariis ab vno corpore ad alterum; cur ab odore & vapore ex animali rabioſo eleuato,& vicino corpori communicato, eóque venenoſiſſimo, maximè efficaci, & humores valdè

immutante, otiri non dicetur? Quare caueant Medici, & adſtantes, ne circa rabioſos verſentur, aut eos alloquantur: nam in iis tanta eſt humorum corruptio, vt illorum veneficam auram, & maximè contagioſam, continuò ab ipſorum expiratione eleuatam, & aëri communicatam nemo poſſit effugere.

Nec obſtat, quòd plurimi illos alloquentes, & videntes non rabiant, immò nec à cane demorſi, in rabiem agantur, ſed diſpoſiti tantùm, quod hiſtoria quadam confirmauit Nicol. *ſerm.4.tract.4.c.15.* in hunc modum. *Ego vidi canem rabioſum mordere quendam anſerem, & dilaniauit de cute eius multum cum ſanguinis effuſione, & tamen nullum malum accidens anſer ille exinde paſſus eſt, & tamen erat canis ille valde rabioſus, quia poſt valde paruam moram momordit quendam iuuenem, qui factus rabioſus mortuus eſt, &c.* quoniam agens ſine patientis aptitudine agere non poteſt, ex Gal. 1. *feb.4* Conſule de hac re Gulielm. Fabricium Hildanum *lib.1.obſeruat.chirurg.86.& 87.*& Abelem Roſcium *in epiſtola elegantiſſimâ. de canis rabidi morſu.*

HIST. XIII. RHASII, De hydrophobia.

Aquæ timor, inſeparabile eſt rabioſorum ſymptoma.

Q*Vidam homo latrabat de nocte, vt canis, & mortuus fuit, & erat quidam * qui quando videbat aquam, paſſus eſt tremorem, & horripilationem & rigorem, & quando auferebatur ab eo aqua, ceſſabant ſupradicta, &c. Rhaſius* lib.20. continentis, cap. 2.

PARAPHRASIS.

HVius atrociſſimi & ſæuiſſimi morbi varia ab auctoribus citatis deſcribuntur ſigna: nam alia imminentem, futurámque rabiem portendunt, alia iam factã adeſſe ſignificant. Illis enim frequentiùs noctu interrumpitur ſomnus, ſæpiúſque pauore expergiſcuntur, hominum, & domeſticorum conſortia vitant, ſolitudinem diligunt, & cum ferino quodam aſpectu ſubmurmurant, ac præter conſuetudinem de aëre conqueruntur, tanquam auſtrino, quamuis ſerena fuerit temporis conſtitutio, quod ſignum à Cælio Aureliano fuit adnotatum. Eos comitantur tædium; & recuſatio imbrium, parua bibendi contra conſuetudinem voluntas, pulſus denſus, paruus inordinatus, lucis fuga; corruptæ imaginationes, ſingultus, conuulſio, faciei oculorúmque rubor febricula, ſaltus ſtomachi, articulorum torpor, extenſio præcordiorum ad ſuperiores partes, aluus aſtricta, aſſidua mingendi cupiditas: in vltimo vox obtuſa, & velut latrabilis, corporis decubitus canum dormientium contractioni ſimilis, ſiue canina inuolutio, ſpiratio difficilis, corporis iactatio, veretri frequens diſtenſio cum fœminis inuoluntario fluxu.

Præſentem rabiem ſi ex morſu rimari coneris, nullum protſus reperies indicium, eo quòd, vt ſcribit Dioſcorides, vulnus protinus infeſtum nihil infligit præter dolorem, atque ob id *lib.de conſt.art.medic c.10.* Gal. dicebat: *Canis rabidi virus difficulter cognoſcitur. Statim enim morſus canis rabidi nullum pecuſiare indicium in corpore relinquit, antequam propè infeſtet rabies*, etiamſi Rhaſius cum Halyabbate & Paulo, ex ipſo vulnere nonnulla ſigna tradere conetur, quæ ictus malignitatem demonſtrent: afferunt enim quod appoſitis nucibus iuglandibus contritis, ſuper canis morſum, per integram noctem & poſtmodum gallis in cibum oblatis, gallinacei ipſi ſequenti die intereant, ſi à rabido cane acceptum fuerit vulnus. Deinde aliud commemorant experimentum, ſi panis manante è vulnere ſanguine imbutus, cuicunque etſi famelico offeratur, canem nec mandere illum, nec olfacere quidem, & ſi forte mandat, ſequenti die mori.

Verùm in re tam dubia, & tot periculis plena, eiuſmodi experimentis fidendum non eſt: Quapropter incipientis

A morbi indicia vniuerſa ex cauſa prægreſſa, hoc eſt, ex canė rabie percito petenda ſunt. Hæc pulchrè deſcribit Dioſcorid.*loc.cit.*& explanantur à Gal.*lib.de theriac.ad Piſ. c.16.*Rabidus canis his agnoſcitur ſignis: Spumam ore, & naribus prodit, ſine latratu irruit, familiares quoſque temerè aggreditur, toruè aſpicit, ſolito triſtior incedit, cibos & potus auerſatur, oculos rubricatos habet, cauda incedit demiſſa, linguam exertam, & crocea bile infectam habet, currit citra cauſam, ſubitò conſiſtit, & rurſus furioſa quadam indignatione plures improuiſò aggreditur, & demordet, ac mordendo ſimili vitio labefactat.

Quo vexati, auctore Dioſcoride *loc. cit.* & Actuario *7.meth.cap.1* 1. neruorum diſtenſione premuntur, cum furore, & anxietate, cor & præcordia vellicantur, minimè quieſcunt, ſed furentium more, huc & illuc impelluntur,
B manibus os, & corpus dilacerant, mœrore contabeſcunt, canum more, eorum plures oblatrant, & obuios mordent, & eodem vitio inquinant.

His indiciis aquæ timor addi debet: Nam vt ait Plin. *lib.25.c.2.in fin.* Rabidi canis morſus pauorem aquæ, potúſque omnis odium affert: ſubſcribit Aëtius *tetrab. 2. ſerm. 2. cap. 24. §. Contingit ipſis grauis perturbatio quum aquam, vel aliud pellucidum corpus vident, quapropter ipſam fugiunt, & ſummoperè auerſantur; quare toti affectui hydrophobiæ nomen eſt inditum*: quod ſymptoma illi proprium, & inſeparabile exiſtit, quia nullum alium morbum ſequi ſolet, & hunc perpetuò; cuius ſigni rationem ſubiiciemus *infrà*. Conſule Lacunam *lib. 6. in Dioſcoridem.in com. cap.36.*Ioan. Agricol. Ammonium *in lib.6 de loc.affect. Gal. in com.cap.5.*Thom. à Veiga *in eodem loco.*Foreſtum *lib.10. obſer.27.& 28.*Vitalem de Furno *cap. 28. de morſu veneno-*
C *ſorum animalium.*

QVÆSTIO XXIV.

Vtrum aquæ timor ab intenſa ſiccitate, de prauata imaginatione, aut antipathia occulta oriatur. Contra Matthiolum, Salium, & Brauum Petraſitanum, Medicos eximios.

COMMENTARIVM.

Q*Vi quando videbat aquam, paſſus eſt tremorem.*] Cùm Principum Medicorum monumenta præclara contemplor, cùm præſtantiſſimorum iuniorum ſcripta eruditiſſima reuoluo cùm varias, circa diuerſas, eáſque abſtru-
D ſas quæſtiones, interpretum clariſſimorum ſententias animo verſo, in nulla controuerſia factam fuiſſe maiorem diſcordiam, quàm in hac, mihi perſuadeo: illas ergo in propatulum ſi reponerem, lectoribus tædioſus eſſem; ſufficit ergo pleraſque à vero alienas refutare, & noſtram, quam putamus veram opinionem, planiùs comprobare.

Adeò aquæ pauor inſeparabiliter rabioſos comitatur, vt hoc ſolo ſigno, certò rabiem diſtinguere poſſimus à reliquis malis, quæ humanum corpus opprimunt, atque excruciant: poſita namque in eorum conſpectu aqua, cuius deſiderio exardeſcunt, eiuſque potu iuuarentur, ſi bibere poſſent copioſè, ingentiſſimis clamoribus, & canum latratibus adſtantes terrent. Quòd ſi aquam illis offerre infiſtas, & vt eam exhauriant cogas, vociferantur, plorant, animo linquuntur, tremunt, ſudant, pauore concu-
E tiuntur: hinc factum eſt, vt Celſus *lib. 5. c.27.* hunc morbum miſerrimum eſſe aſſeueret in quo ſimul æger, & ſiti, & aquæ pauore cruciatur, quorum exempla legat qui velit apud Cælium Aurelianum *loco cit.* Hi non aquæ ſolùm potum, ſed liquida omnia exhorrent, non modò viſu, ſed tactu, guſtu, atque auditu: quare pauentes aquam miſerrimo mortis genere pereunt, & ob humoris defectum citiùs interficiuntur.

Cur verò aquã imò & omne genus liquoris tantoperè expaueſcant rabioſi, apud Medicos, & Philoſophos valde controuerſum eſt. Matthiol. *loco cit.in Dioſcoridem*, huiuſmodi admirabilis ſymptomatis cauſam tradidit, hecticã, ſeu habitualem membrorũ ſiccitatẽ à rabidi canis veneno inductam

inductam, quæ cùm iam ſolidis inſit, *prorrhet. ſect. 2. com. 17.* & veluti naturalis hectica, in ſicca ſibi ſimilia fertur, oppoſita reſpuit: quare Auicenna ex mente Rufi ſic fatur. *Dixerunt quidam, & eſt ſicut Rufus, non terrentur ex aqua, & diligunt volutari in terra, niſi quia complexiones illorum à veneno ſiccæ factæ iam diligunt ſiccitatem, quare abhorrent contrarium complexionis, & diligunt ſimile, &c.* Matthiolus ait; *Occupante veneno humorum omnium, facultatum, & functionum imperia, & ſibi ſimiles totius corporis diſpoſitiones reddente, irruunt vires omnes contra id quod ſibi contrarium exiſtimant.*

Sed meritò improbatur, quia pari ratione, hectica tertiæ ſpeciei, ſeu maraſmo laborantes, quibus iam ſolidas partes ſiccitas habitualis obſidet, aquam prorſus auerſantes ſimilia paterentur, præterquam quòd expreſsè dixit Galenus *cit. de theriac. ad Piſon.* rabie correptos aquam vehementer affectare. Deinde licèt factum intemperamentum contraria non appetat, contrario tamen non tremit, animo deficit, pauore concutitur, & delirat, quod efficiunt rabioſi.

Alij ad morbi proprietatem referunt, ita vt quemadmodum in quibuſdam aliis abominatio accidit quorũdam ciborum, propter oris ventriculi, ac linguæ affectum, ita & in hoc aquæ auerſio. Cùm tamen ex Gal. *cit. ad Piſon.* ſitis adſit, & ſtomachus ac lingua expetant humida, ad faſtidium, vel abominationem reduci non poteſt eiuſmodi ſymptoma. Minùs ad humidum in ventriculo, vel cerebro imbibitum, quod aquæ viſu in contrarium moueatur, prout nonnulli, quos citat Conciliator *dif.* 176. Superat ſiquidem ſiccitas, & vt dictum eſt, quamuis ea non inclinet ad humidum, non ita tamen facit horrere, aut auerſari.

Ioannes Brauus Petrafitanus, ſcholæ Salmanticenſis peritiſſimus Profeſſor *in libello de hydrophobiæ natura, cauſis, atque medela, fol.* 29. tam peregrini accidentis cauſam, ad nihil aliud quàm ad antipathiam referendam cenſet; quam opinionem etſi ille confirmet, huius tamen primum fuiſſe auctorem Petrum Salium ex *cap. cit.* dilucidè patere poteſt.

Ergo ad antipathiam recurrunt: hi auctores (repugnantiam vocant, ac naturalem diſcordiam, ex Plin. *l. 32. cap. 2. ad fin.*) quam in rebus plurimis quotidie experimur, quàmque dari putant inter canis rabidi venenum, & liquida omnia. Cùm verò pernicioſum hoc virus phantaſiam, & reliquas omnes facultates potiſſimùm aggrediatur, occupet, & labefactet, vel quia maiorem obtinent cum melancholico humore analogiam, propter quod in eo faciliùs, & crebriùs ſuſcipitur, & ipſe humor magis quàm reliqui humores imaginationem, & cerebrum immutat, commouet, & impedit, ex omnium ferè conſenſu, vel quia huiuſmodi venenum hoc proprium habet, vt cerebro pluſquam aliis partibus officiat, quod in multis aliis experimur, certam aliquam corporis partem reſpicientibus, tam iuuando, quàm nocendo: nihil mirum ſi phantaſia à veneno obſeſſa, cerebri temperamento illius vi deleteria infecto, ſeu immutato, imperet totius corporis viribus & membris, vt liquida omnia auerſentur, arceant, & omnino abhorreant, atque illorum conſpectu expaueſcant, tremant, clament, & vociferentur, quia cum illis virus illud caninum manifeſtam habet, & quæ ſeſe ſenſibus prodit, inimicitiam & diſcordiam: cum cancris autem fluuiatilibus, & cæteris antidotis ad hanc luem præſentaneis, licèt non minorem, occultam tamen, nec viſui ſe prodentem: atque ideò rabioſi aquam, & liquores fugiunt, non alia auxilia tali morbo aduerſantia, dummodò liquida non ſint.

Quòd ſi feras obiicias infecta ſagitta percuſſas, riuos at fontes auidiſſimè petentes, quum tamen inter aquam, & venenum ex veratri ſucco, non minor detur contrarietas, (alioqui veneni vis ab aqua non infringeretur) nec magis ſenſibus occulta, quàm illa rabientis canis. Reſpondebunt cum Galen. *lib. de theriac. ad Piſon. cit.* Quia rabie correptis mens fluctuat, mentéque alienati, quid ſibi prodeſſe poſſit, non conſiderant, immò veluti à tyranno quodam oppreſſa imaginatio, arentium partium, & aquæ deſiderio flagrantium appetitui obſiſtit, imperans auerſari quod cupiunt, & ſummopere poteſt iuuare: nam ſi ſimul non ſit, vel in totum deprauata cogitatio, ſeu ratio, vt imaginationi imperet, eiúſque errorem in iudicando emendet, aliquando non abſtinent, immò in aquam feruntur, prout, referente Aëtio *vbi ſupra*, conſtat ex hiſtoria Philoſophi, qui à rabido cane commorſus, & aquam expaueſcens, diu intra ſe meditatus, conſtanti animo, apparentis in aqua canis, de quo paulo pòſt, imaginationem ſuperans, ecquid tandem dixit cani cum balneo? atque intrepidè bibens affectionem ſuperauit. Sed hæc ſolutio problematis difficultatem non explanat: nam ſi rabioſi aquæ pauorem patiuntur, quia iis mens laborat, & maniæ genere corripiuntur, ſequeretur omnes maniacos hoc ſymptoma fore paſſuros, quod cùm non experiamur, ſequitur vt huius dubij difficillimi potior ratio ſit indaganda.

Deinde qui ad occultam antipathiam recurrunt, Galeni ſententiam aſpernantur, qui *lib. 10. de vſu part. cap. 4.* eos vocat ignatos, qui relictis rerum, & demonſtrationum cauſis, omnia cupiunt eſſe occulta. Inſuper ſi Galenus occultas multarum rerum proprietates cognouit, & approbauit, déque canum, & hominum rabie, multa pleriſque in locis ſummo cum iudicio ſcripſit, & de proprietate huiuſmodi occulta nihil dixit, cur eam commentitiam eſſe non ſuſpicabimur?

Dioſcoridis ingenium, & in perſcrutandis venenorum naturis miram ſedulitatem, maxima cum humani generis vtilitate, cognoſcunt Medici omnes, cui in materia medica, Galenum, & alios priſcos Medicos Græcos, multum tribuiſſe certi ſumus; ille tamen rabidi veneni occultam hanc antipathiam, neque cognouit, neque alicubi ſcripſit. Veluti nec illius, nec Galeni, aliorúmque Græcorum ſectatores & imitatores diligentiſſimi, nec Arabes de re huiuſmodi quicquid memoriæ commendarunt; neque ipſe Plinius in his omnibus ac ſingulis, quæ ad res naturales pertinẽt, diſertiſſimus, quem abundaſſe potiùs, quàm defeciſſe omnibus patet, & qui infinitarum propemodũ rerum occultas diſcordias nouit, & adamuſſim examinauit, de rabie non aliter quàm alij ſcriptores, eſt loquutus. Neque dubito poſſe ingenia ſubtilitate ſua aliquid adhuc ignotum inuenire, & quæ obſcura ſunt, plana magis facere: ſed in re quæ ſuas manifeſtas habet cauſas, ægrorum rabie correptorum experimento confirmans, ad occultas deflectere velle, tumultuoſi, ſubſultantíſque ingenij partes ſunt.

Quare multò probabilius eſt, veram hydrophobiæ cauſam, eſſe referendam ad maniæ proprietatem, ex tali veneno inductam, ſcilicet vt quemadmodum melancholicos alios, ſed inſanientes, alia timere nouimus, & ex humore melancholico varias concipere phantaſias; ita rabie percitos, veneno, humorem illum imitato, vt loquitur Paulus *lib. 5. c. 3.* ex Rufi ſententia hoc delirij genere torqueri, vt aquam reformident, vel imaginantes canis, à quo ſunt commorſi, effigiem in aqua videre, metuentéſque ne ſi bibant, ſimili afficiantur damno. Atque ita viſos fuiſſe multos conqueri, quod in aqua, & liquore omni, canes, & eorum viſcera continerentur, teſtantur auctores, & confirmat illa Rhaſis hiſt. 2. *continent.* quæ ſic habet. *Nos vidimus quendam in hoſpitali, quem momorderat canis rabioſus, & vidi quòd non terrebatur ex aqua, immò eam petebat & de forti q[illegible]ebatur ſiti: cùm autem aquam daremus ei, ipſam abhorrebat, & dicebat quòd ſordes in ea erant: & cùm quæreremus ab eo, quæ ſordes in ea eſſent, aiebat quòd inteſtina canum; & rogabat vt ei aliquam aliam aquam afferremus, & cùm afferretur idem dicebat, & nobiſcum litigabat, & iraſcebatur, & rogabat, vt illi aquam mundam, & nitidam daremus.*

Quare cùm aquam, vel poculum, vel terſum aliquid intuentur, ipſis canes apparent, non quòd vapor ſubtilis per oculum exiens cum imagine canis, in denſo, vt aqua, ſpeculo, & terſo omni vniatur, & denſetur, atque ita expreſſam canis formam oculis repræſentet, prout arbitrantur nonnulli, ſed quia imaginatio, cuius ſolùm vitium eſt, infecta à tali veneno, iudicat in omni liquore canem adeſſe, & videri: non ſecus quàm in vno pro melancholici humoris diuerſitate & natura, phantaſia inducit cœlum ruere; in illo, quòd vas vitrum ſit; in alio, quòd iam perierit, &c.

Adde quòd, quemadmodum non paucæ reperiuntur phantaſiæ, quæ ex humoris aut vaporis qualitate, cerebrum & corpus occupantis originẽ trahunt, vt quòd opinetur quis, ſe vas figulinum eſſe, ex melancholiæ ſiccitate

per corpus ſparſa: quòd alius ſe fingat tympanum corio tectum,ex cutis ariditate; de quo *lib.7. de loc.affect. cap* 3. plura exempla propoſuit Galenus: ita nihil mirum, ſi à vapore canis complexione infecto, canis phantaſia inducatur,& apparere videatur in aqua, & ſimilibus,in quibus figuræ repræſentantur.

Licet verò intenta alicuius rei cogitatio, aut vitæ conditio, ſit etiam nonnunquam occaſio delirantis imaginationis;atque adeò canis qui momordit ſpecies,& recordatio,in mente pertinaciter retenta, plurimùm facit ad hoc, vt perpetuò canes concipiant animo, & ſibi vbique apparere imaginentur: quia tamen ſæpenumerò abſque vlla mordentis canis imagine relicta, vtpote non viſi,aut non ſenſati, vel temporis diuturnitate abolita, tam homines quàm bruta in rabiem deueniunt, & aquam expaueſcunt, ab intrinſeco petenda eſt cauſa phantaſiæ apparentium canum,& formidinis aquæ.

Porrò nec putes omnino neceſſarium eſſe, omnes aquã expaueſcentes canum effigies oculis intueri, ſed ſatis eſt imaginari in omni genere liquoris canes adeſſe:ſolo quidem nomine,vel aquæ ſonitu horrent, & expaueſcunt, & memorat Aurelianus *lib.3.acut.* 11. infantem hoc malo correptum,etiam matris vbera vehementer horruiſſe, cùm tamen ſimulachrum canis in lacte intra vbera recondito apparere non potuerit,immò nec puer ipſe canẽ imaginari, ex obtuſa,nec ſatis expedita imaginatione, ad quodpiam concipiendum. Quare contendit Brauus *loc.cit.* rabie detentos,non ex canis phantaſia, ſed potiùs à veneni proprietate,aut illius antipathia aquam ipſam expaueſcere.

At ſi nulla phantaſia puerulus premeretur,etiam viſum lac procul dubio non horreret,nedum in vberibus reconditum, quod fortiorem adhuc animi conatum arguit liquoris auerſandi.Inſuper, ſi hydrophobia delirium quoddam eſt ſeu mania,vt diximus, & actio quædam deprauata facultatis imaginatricis,qualis eſt delirium omne, *l.de diff. ſympt.c.*3.quomodo inſaniret infans lac metuendo, nullam prorſus habens imaginationem canis,aut cuiuſuis alterius rei incutientis formidinem illam? vel vnde formidaret, nulla præcedente phantaſia, ſeu conceptu rei formidandæ,ſi metus in imaginatione concipitur? Conſule Ioſephum de Aromatariis *part.2. de rabie contagioſa, particul.*6.

Quòd verò hac canum phantaſia perpetuò detineantur rabie infecti omnes, quibus iam veneni vis vniuerſum corpus, & cerebri facultates ferè in totum occupat,præter quam in omni terſo fatentur canes videre, ex eo etiam confirmant quod canes ſe opinantur, & ad canum ſimilitudinem vocem edant raucam, obtuſam, & veluti latrabilem, in terra volutentur, corpore contracto inſtar canum decumbant, demum & obuios mordeant; de qua re *in hiſtoria ſequenti* diſſeremus.

HIST. XIV. ALZAHARAVII, *De Rabie.*

In vrina rabientium,corpuſcula catulis ſimilia conſpiciuntur.

NOui quendam ſanatum à morſu canis rabioſi,qui interrogatus à me quid vidiſſet,reſpondit ſe caninos catulos in vrina ſua vidiſſe, &c. Alzabaranius tr.30.pract.ſect.2.c.30.

PARAPHRASIS.

IN vrinis eorum,qui à cane rabido commorſi ſunt, imagines,aut ſimulacra canibus ſimilia apparere,confirmãt exempla illorum, qui hoc miſerando malo vexati, vnanimiter confeſſi ſunt,ſimilia corpuſcula in vrinis,& in aqua conſpexiſſe;ob quam cauſam liquorem tantoperè timent. Nam Auenzoar *lib.1.theïzir,tract.9.cap.*16.affirmat,in hac mania vnum quoddam mirabile reperiri, quòd ſi collectũ fuerit de vrina iſtius,in quantitate multa,in vrinali vitreo, videbis quòd clarificabitur vrina, & ſine dubio videbis formas intus catulorum natantes:& ſi illam colaueris per pannum ſubtilem, nullum veſtigium illorum,ſeu ſignum in petia poteris inuenire: & ſi iterum vrinam in vrinali reponas, & ibidem aliquantulum permanſerit, veraciter iterum reuidebis eos,vt priùs. Quæ omnia ex deprauata imaginatione nos diximus *ſupra* euenire, & auctor eſt Cardanus *lib.2.cont. tract.2.c.*7. Nihil enim eſt quod imaginationis vim magis declaret, quàm rabidi canis morſus: qui enim rabiem concepit, ſe canem eſſe imaginatus, obuios mordet.

Quod verò Auicenna *6.4.tract.4.c.*7.& Nicolus *ſerm.4. tr.4.c.*4. affirmant, ſe vidiſſe in vrinis iſtorum fruſtrà carnis cum dolore excreta, non dubito quidquid alij fabuloſum putent: nam præterquam quod monſtra accidunt in arte,& mira in corporibus,præter naturam,illiúſque inſtitutum euenire quotidie cernamus, vt notauit Valleriola *ad c.20. lib.de conſt.art.med.* etiam rabioſos fruſta carnis, quæ canum effigiem æmulentur,per vrinam excernere nõ eſt impoſſibile,quæ à liquata pinguedine ob calorẽ euenire certum eſt,hæc enim in vrina innatans mille formas fingit. Sic per vrinam excernuntur vermes,ſcarabæi,& alia monſtra ex craſſa, & purulenta materia generata. Hoc modo Matthiolus *lib.6.c.*55. à quibuſdam ſui temporis audiuiſſe refert,quòd in vrina eorũ,qui à Phalange commorſi ſunt, conſpiciantur ſubſtantiæ quædam innatantes araneorum telis perſimiles:quod ex dicta cauſa euenire nõ negamus neque Auicenna dixit per vrinam excerni canes paruos, ſed res carnoſas mirabiles,quaſi animalia,& quæ effigiem canum paruulorum quaſi repræſentent. Quod ſi renuas,aſſeráſque hos euentus extraneos,& mirabiles,ex vehementiſſima canum imaginatione, qua perpetuò inuoluuntur, euenire,proferes vera. Quanta verò ſit vis imaginationis, in immutandis corporibus,fœtus formatione, & monſtris effingendis,diximus *lib.3.in com.hiſt.*12. & ad plenum explicuit ſcientiſſimus Thomas Eraſtus *lib.de viribus imaginationis.* Si verò pro huius hiſtoriæ maiori explicatione plura videre cupis, adi Conciliator. *dif.*179. Gentilem *in Auic.cit.loc.dub.*5.& Mercurialẽ *tr.de veneno canis rabidi,c.*11.

HISTOR. XV. AETII, De rabie.

Philoſophus rabiens, generosè citra timorem bibens, ſeruatus eſt.

PHiloſophus quidam morſus à rabioſo cane,& generoſo animo affectioni reſiſtens,& per conſequens ratus canem in balneo apparere: (apparebat enim ipſi quemadmodum etiam aliis hoc modo affectis.) Ratiocinatus igitur, & ſic ſecum loquutus, quid cani & balneo commune eſt? ſuperauit affectionem, & ſanatus eſt ab affectione, vbi citra timorem bibiſſet, &c. Aëtius tetrab.2.ſerm.2.cap.24.

PARAPHRASIS.

COrnelius Celſus vnicum rabioſis remedium eſſe putat, balneum, dulcíſque aquæ potum:cùm enim ſiccitas ſit iis habitualis,& veluti connaturalis facta, ſpes ſalutis eſt,ſi corpus humectetur,& illi in aquã immerſi bibãt, & ſic corpus ſqualidum madeſcat,ac recreetur: quod auxilium, præcautionis gratia, ne venenum intrò ampliùs ſerpat,ac morbus confirmetur,eſſe proficuum rationi conſentaneum eſt. Cùm verò facta hydrophobia opprimitur æger, infeliciter hanc curationem contigiſſe, affirmant Palmarius *lib.de morb.contagioſ.pag.*179. Paræus *l.20.c.*14. ex Ponzetti ſententia Cardanus *lib.3.de venen.c.*14. Petrus Salius *lib.cit.c.*19. qui propria experientiâ edocti,hoc auxilium imaginarium eſſe rati ſunt, quo adminiſtrato, ægros in peius incidiſſe,narrat Valleriola *5.obſ.*3.

At licet aquæ potus,& ſubmerſio in balneum citra voluntatẽ,non ita proſit,quia huius paſſionis curatio eſt,non vt bibant,ſed vt bibere velint;quod eueniet,cùm affectus præſidiis fuerit adiutus:tamen cùm affectio ſicca ſit,hume-

ctatione

ctatione copioſa non mediocriter iuuari ſolet:quo pacto eſt neceſſe eos cogere, vt bibant, & in hunc vſum gelu, nix, ficus viridis, pyrum, cucumis, & his ſimilia offerenda, Auic.6.4.*tract*.4.*cap*.9.& Rhaſius 35.*cont tract*.2.*cap*. 495: calami perforati initium ori ægrotantiũ immittunt,& ex alia parte per aliam cauernam aquam infundunt. Aurelianus potũ his offert fictili vaſculo, tenui cauerna perforato, qualis vberum eſt papilla. Halyabbas 4.*pract.cap*.31.infundibulo quodã ligneo, vel argenteo ori illorum impoſito, aquam eſſe mittendam ſuadet, vt liquorem aſſumant, & nulla indignatione afficiantur, viſu perterriti.

Verùm hi omnes, etſi laude digni ſunt, non tamen aduertunt, non in viſu, aut aliquo externo ſenſu, ſed in phantaſia damnum conſiſtere, quæ cùm iam diu ſit à veneno occupata, antiqui hoſpitis veſtigia ſequitur, illiúſque naturam æmulatur. Quare cùm in imaginandi facultate liquoris omnis odium conſiſtat, cuicumque ſenſui aqua occurrerit, protinus ille quiſquis fuerit, tanquam fidiſſimus ſatelles, diſcordiam fictrici facultati renunciat, quam cùm ſentit hæc potentia, corpus commouet & exagitat, & totis viribus efficit, vt aqua auferatur.

Hinc fit, vt ſolo guſtu, aut tactu, ab hydrophobico aqua percepta, aut illius ſonitu audito, eadem accidentia ſequãtur, quæ ab ea viſa ſequi conſueuerunt, quod demonſtrauit Medicus ille apud Aurelianum, qui tantùm ex contactu lachrymarum terrore vehementi fuit affectus, qua de cauſa ex loco vbi erat, exiliens, veſtem conſcidit: & puer etiam, qui lacte deguſtato, vbera matris formidauit. Quare in potaturis non vnus, ſed omnes ſenſus ſunt decipiendi, quod fiet conſtructa fiſtula illa oblonga, ex concreto ſaccharo, aut coagulato melle, vel redolẽti maximè cera; quæ ab Auicenna ingenioſè in hunc vſum excogitatur, vt iſtarum materiarum odor, atque ſapor, aquæ guſtũ ementiantur; quod in tenebris, vel oculis eorum occluſis, aut obſeratis feneſtris faciendum eſt, ne viſus ipſis aquæ formidinẽ afferat.

Sed dignum eſt ſpeculatione, vt inueſtigemus, cur hic philoſophus rabiem de ingreſſu in balneum ratiocinatus eſt, ſi delirium eſt à rabie inſeparabile? Dic. Delirio affici ducta animalia in rabiem, experimentum confirmat, & auctores vno ore conteſtantur. Immò Gariopontus *l*. 1. *c*. 11. ex canis rabidi morſu fieri anteneaſmos, quæ eſt maniæ ſpecies, nos docuit. Nihil eſt rabies, inquit Halyab. *lib*. 8. *theoric.c*.20.cum Ioan.Damaſceno *lib*.7.*cap*.18. quàm alienatio mentis, & Auenzoar *l*.1.*theiz.tract*.9 *cap*. 16. rabidos numerat inter maniacos: probant Tagaultius *l*.2. *inſt. chirurg.c*.11.Baccius *in prolegomen.venenor. cap. de canis rabidi morſu art*.5. Nec dicas, quod obiiciunt Euſtachius Rudius *lib*.4.*de morb.occult.& venenoſ.c*.13.& Salius *loc.cit*.contrarium ſentientes, quòd nonnulli rabientes mente conſtant, appoſitè reſpondent, & fuere aliqui qui citra rationem aquam timentes, orarent adſtantes, vt oculis ſibi clauſis, aquam per vim offerant, quæ omnia ſanam, & non læſam rationem præ ſe ferunt. Sed cùm rabidi inextinguibilem ſitim patiantur, & aquam, aut liquidum abhorreant, manifeſtiſſimo delirij genere occupãtur. Deinde, rabies eſt ſpecies quædam melancholiæ, & ſicut in hac circa particulare quoddam tantummodò ægri delirant v.g. timent, odio habent homines metuunt, &c. circa cætera verò ſana mente ſe habent; ſic rabidi recta mente conſtant, cùm tamen aquæ pauore, qui ex mero delirio originem ducit, occupentur, immò à cane rabido commorſi, etiam antequam in rabiem incidant, integra mentis ſanitate non fruuntur, vt de Patre ſuo teſtatur Cardanus *lib*.1.*de venen.cap*.16.ex quibus ad propoſitum quæſitum patet reſponſio.

HISTOR. XVI. GALENI, De Rabie.

Ex hydrophobia, alij moriuntur, alij euadunt.

Scimus autem nonnullos & à cane rabido morſos, qui poſtea tum aquas formidauerunt, tum interierunt: & aliqui euaſerunt; & à primo principio in quo morſi fuerant, poſt duos vel tres, vel quatuor, vel multò plures menſes. Noui ſanè & quẽdam qui exacto anno in eum incurrit affectũ, quem hydrophobiam (id eſt, aquæ timorem) *vocant, &c. Galen*.lib. 1.prorrhet. ſect. 2. com. 17.& lib. de ſect. ad eos qui introducuntur. cap. 15.

P A R A P H R A S I S.

EX rabidi canis morſu, plures mortuos fuiſſe in his locis confirmat Galenus, & exemplis illuſtrant Recentiores. Paræus *lib*.20.*cap*.14. Geſnerus *lib*. 3. *epiſt. pag*. 82. Nicolus *ſerm*.4.*tract*.4.*c*.14. Baccius *cit.loc*. Foreſtus *lib*. 10. *obſ*.15. Alios fuiſſe ſeruatos iidẽ auctores memoriæ commendarunt. Dioſcorides & Aëtius *loc. cit*. experti ſunt Amat.7.*cent*.65.Valleriola *lib*.3.*obſ*.3.Foreſtus *lib*.4.*obſeru. ſchol*.28.Philoſtratus *in vita Apollonij Thyanei, hiſt*.6.*lib*.18.

Non ergo cum Salio exiſtimes, omnes rabie correptos inſanabiles eſſe: fruſtra enim à priſcis, & recentioribus Medicis, tam ad præcautionem, quàm ad curationem plura deſcriberentur præſidia: immò Aëtius multos probè curatos euaſiſſe affirmat. Quando ergo partium ſolidarum ſubſtantia in aliam tranſit conditionem, & rabies eſt confirmata, tunc curatio eſt impoſſibilis: quando verò eſt in fieri, & incipiens, tunc curationem admittit.

Deinde accidit frequenter non ſolùm in rabie, ſed in omnibus aliis maligniſſimis affectibus, vt ex pluribus eodem contagio infectis vnus ſeruetur, pereat alter: multa enim in temperamento, virtute, robore, naturæ eſt diuerſitas. Ob has cauſas accidit perſæpe, vt è duobus æquali morbo, vitióque oppreſſis, quidam reuiuiſcat, alter occumbat.

At cur huiuſmodi venenum, cùm ſit ſicciſſimum, & calidiſſimum, ex Gal.*lib.de theriac.ad Piſon*.16. per menſes, & annos lateat in corpore, obſcurum eſt. Huic quæſito reſpondet Galenus *l*.3.*epid.ſect*.3.*com*.77. enarrans enim illius phrenitici hiſtoriam qui celerrimè mortuus eſt, aſſeuerat rabiem, in his quos canis rabidus momorderit, longo tempore augeri, dum pedetentim agens, nullam ſui notam prodit, donec ſubitò tandem manifeſtatur, & interficit: vt quo tempore cauſa generationis venenoſorum in corpore agit; & eos generat, latere illi videantur, quum ad eam adhuc non peruenerint quantitatem, & malitiæ gradum, quæ ſunt neceſſariæ vt occidere poſſint; quare celeriùs, vel tardiùs animalia aguntur in rabiem, pro agendi & patiendi mora, actiuitate veneni, & patientis diſpoſitione: & ſic aliis contigit poſt annum; quin & elapſo ſeptennio fuiſſe nonnullos aquæ metu correptos, ſcribit Dioſcorides *vbi ſuprà* & Actuarius *lib*.6.*meth.c*. 11. explanat Albertus Magnus *lib*.7.*natural.hiſt cap*.2. Palmarius *lib. de morb. contagioſ.fol*.270. Petrus Salius *loc.cit*. Amat.7.*cent*. 41. & nos *in hoc lib.in com.hiſt*.1. ſatis firmamus.

Hócque maximè accidere ſolet, iuxta anni tempus, cœli conſtitutionem, &c. Anni tempus æſtiuum morbo fauet, ſicut hyems, ac aliæ anni partes illi aduerſantur; quare ſæuiente cane, & vehementiſſimis æſtibus, pariter & vigente bruma, canes faciliùs rabie tentantur, ex Plin.*lib*.2.*c*.40. hoc enim tempore ſanguis, & bilis aduruntur, & in nigram bilem conuertuntur: in canibus præſertim, ob calidiſſimam, & ſicciſſimam eorum temperaturam, externo feruori aptiſſimam.

Auicenna verò 6.4.*tract*.4.*cap*.5. in autumno, tempore quidem neque calidiſſimo, neque frigidiſſimo, facilè canes in rabiem agi aſſeuerat, quod veriſſimum eſt, ſed propter aduſtos humores, quos æſtas ipſa inſigni ſua præparat caliditate: quare nõ autũni, ſed æſtatis cauſa redundãt. Rabie etiam corripiuntur canes in algida hyeme, cõcreto vtique à frigore ſanguine, ac melancholico effecto, vt *cit.loc*. inquit Auic. Eſt enim canis animal pingue, excarne, muſculoſum, contextura rarũ, quapropter frigoris iniurias maximè ſentit idcircò frigus potens eorum corpus penetrãs, tenuiorem ſanguinis partem exprimit, & diſſipat; craſſiorem verò, & magis terrenam ampliùs incraſſat, & in melancholiam commutat: huius rei euidẽs teſtimonium præbet huius animalis lien, quem impensè nigrum habet, auctore Galeno *lib*.6.*de anatomicis adminiſtrationib.cap*.10.

HISTORIA SECVNDA.

Dvo fuere qui à cane rabioſo morſi, ad eos Medicos, quibuſcum conſuetudo intercederet, confugere, medecinam petentes, eratque vlcus vtrique exiguum, vt ne tota quidem diſciſſa eſſet cutis. E Medicis autem vnus vlceri tantummodò curationem adhibuit, nulla alia ſollicitus de re, paucíſque diebus partem ſanam oſtendit. Alter verò qui canem rabioſum eſſe nouiſſet, tantùm non feſtinauit, vt vlcus ad cicatricem perduceret, contrà etiam vt magis amplum, magiſque ſemper eſſ ceret, validis vtens, acribúſque ad multum tempus medicamentis: itémque ægrotum interea cogeret medicamenta bibere, quæ, vt ille dicebat, rabiei remedia eſſent: ac ita quidem res ceſſit vtrique vt qui medicamenta bibiſſet, is ſeruaretur, in ſanitatem reſtitutus: alter qui nil ſibi mali ineſſe putaret, repentè & aquam formidauit, & conuulſus interiit, &c. Galenus lib. de ſect. ad eos qui introducuntur, cap. 8.

Galenus hac hiſtoria nos commonefacit, vt rationes perpendamus empiricorum aduerſus methodicos, qui citra rationem auxilia ægris exhibere ſolent: quantùm enim differat curatio eorum qui à cane quouis, aut rabido ſunt commorſi, citati monuere auctores: in iis qui à rabioſo cane vlcera accepere, neceſſe eſt vt non coaleſcant, & cicatrice inducantur, ſed ad minus, ad quadrageſimum vſque diem ſordida adhuc, & inflammationem minantia prorogentur, quò rabidi canis venenum egredi queat; quo pacto ad extrahendum virus ad externas partes, ne in altas penetrare queat, plura machinantur auxilia, quæ dilucidè propoſuit Iacobus Trunconius *lib. de peſte, cap. 15*.

Cucurbitula etiam cum multa flamma impoſita, ſummè iuuat: venenum enim foràs potentiſſimè extrahit, quod prædixit Galenus *lib. 13. meth. cap. 2.* quo loco ad vacuandum virus, in morſu animalis venenoſi hoc remedio vſus eſt. Quòd ſi locus id patiatur, altioribus vlcuſculis ſcarificandus eſt, quò pluribus quaſi canalibus, ac riuulis multum vitiati ſanguinis extrahatur, ne venenum paulatim corpori inſinuetur vniuerſo; copiosè tamen ſanguis extrahendus, vt ſic quoque aliquid veneni exhauriatur.

Vſtio, ſeu cauterium in parte affecta impoſitum, ſalubre auxilium eſt: nam ignis veneni ſæuitiem domat. Suctus ad attrahendum venenum eſt potentiſſimus, ſi reperiatur homo aliquis vilis, qui hoc opus exerceat. Loco ſuctus imponendæ ſunt hirudines exulcerato loco, vt monuit Ishaac *lib. 4. pract. cap. 37.*

Aliquando ne altiùs venenum ſerpat, membrum amputandum: ſic enim Galenus 3. *de loc. cap. 7.* refert, vinitorem quendam à vipera in vno digitorum morſum, quum feram agnoſceret, falce quam tunc fortè habebat, ab vltimo articulo, ictam partem reſecaſſe; deinde inducta vſitatis pharmacis in digito cicatrice nullo ſumpto medicamento, vitæ ſuperſtitem permanſiſſe,

Imponenda ſunt medicamenta ſupra commorſam partem, quæ præterquam quòd veneni rabidi efficaciam à proprietate retundunt, dilatant vulneris orificium; quorum copiam proponit Gal. 3. *ſec. gener. cap. 5.* Per os etiam propinanda, quæ ſimiles vires habere ſuprà citati confirmarunt auctores, vt cancrorum fluuiatilium puluis, Gentiana, Alyſſum, quorum omnium *in praxis hiſtoriarum tomo vltimo*, peculiarem faciemus commemorationem. Lege Andream Aurifabrum *tract. de cura canum*. Danielem Danielis *lib. de morſu canis rabidi*, Ioſephum de Aromatariis *diſputatione eleganti, de rabie contagioſa*.

HIST. XVII. AVENZOARIS, De Rabie.

Præter canem, alia etiam animalia in rabiem aguntur.

Accidit rabies pluribus animalibus, ſcilicet leonibus, canibus, equis, mulis, aſinis: & iam accidit quòd quidam mulus voluit mordere quendam hominem, & homo verſus eſt in fugam, vadens per viam vnam ſtrictam, & mulus ſequebatur eum, qui cùm perueniſſet ad introitũ loci ſtricti, & breuis, infixit ſe ibidẽ, & cùm non potuiſſet exire propter ſtricturam, & breuitatẽ, mortuus fuit ibidem, &c. Auenzoar lib. 1. theizir, tract. 9. cap. 16.

PARAPHRASIS.

QVæ animantes rabie tententur, non eſt facilis operæ diiudicare. Galenus *lib. 6. de loc. c. 5:* excepto homine, nullam cæterarum animantium præter ſolum canem rabie corripi ſcribit, ſic enim ait. §. *Quum enim reliquorum animalium nullum rabie capiatur, ſolus canis rabie corripitur, &c.* Contrà ſentit Ariſt *lib. 8. de hiſt. animal. cap. 22.* ſubſcribunt Conciliator *dif. 179.* Matthiolus *lib. 6. in Dioſcoridem, c. cit.* quibus locis arbitrantur, non ſolùm canes, ſed & lupos, vulpes, ſimias, muſtelas, murænas, camelos, ſues, mulos, leones, aſinos, equos, feles, vrſos, leopardos, cæteráque id genus animalia, rabida fieri; quod etiam teſtantur Salius, Valleriola, Matthiolus, Baccius, Amatus *loc. cit.*

Chriſtophorus à Vega *in com. ſerm. 22. lib. 3. prognoſt.* & Brauus *l. c. cit.* arbitrantur ſolis canibus euenire primigenia affectione, aliis nonniſi à cane rabido commorſis; atque ita eſſe intelligendum Galenum *l. 6. de loc. & 1. prorrhet. cit. & 11 ſimpl. cap. de iecore canis rabidi*, cùm rabientes homines appellat. Plurimæ autem ſunt occaſiones, quibus canes in hoc mali genus adiguntur. His addunt Conciliator, & Matthiolus, morticinarum, ac putridarũ, vermibúſque ſcatentium carnium eſum, & marceſcentis earum ſanguinis, præſertim ſi hæ carnes, eorum fuerint animalium, quæ peſtilentia, aut ictu fulminis, aut virus vibrantiũ animalium morſibus interierint. Sed cum plurima animalia ſint gulæ dedita, & excrementa putrida & fœtida edant, ea hac de cauſa ſine morſu in rabiem aguntur. Efferantur tamen frequentiùs canes ipſi, propter maiorem ſui temperamenti aptitudinem, (ſunt enim temperamento calidi, & ſicci, ex Gal. 2. *ſimp. 20. & 1. de temp. 5.*) ratione cuius ſunt magis obnoxij huic morbo, qui illis ob ſiccitatem, præſertim æſtate, eſt familiaris, quo tempore bilis, & ſanguis aduruntur. & in atram bilem vertũtur: quare reliquis animãtibus illæſis, ſolus ipſe canis, vel ſaltem frequentiùs rabie corripitur, minùs verò homo quàm reliqua, ob humidi natiui copiam quo pollet, ex Philoſopho 4. *probl. 6.* cuius gratia huiuſmodi veneno magis reſiſtit, rariúſque ſuccumbit: & in hunc quidem ſenſum recipi poteſt dictum Ariſtotelis, ſolum hominem à rabie excipientis, non quaſi ipſe nunquam rabiat, ſed quia magis ſeruetur.

Deinde Ariſtotelis ſententia *loc. cit.* animaduerſione digna eſt interpretanda, quæ ſic habet. *Facit rabies furorem, & quæ momorderint, omnia rabiunt excepto homine. Intereunt canes hoc morbo, & quæcumque morſa fuerint à cane rabido, excepto homine, &c.* Marcellus Donatus *lib. 6 de hiſt. mirabili, cap. 1.* cum Leoniceno *lib. de ſerpentibus, ante fin.* textum mendoſum eſſe rentur, quum experimentum quotidianum oſtendat contrarium; maximè cùm bis in eodem capite, eóque breuiſſimo eandem ſententiam repetat: quare legendum putant (priùs homine) nam morſa à cane rabido priùs rabiunt, quàm homo, ob adductam cauſam; quia multis hominibus, vt *ſuprà* oſtendimus poſt ictum, venenum longo tempore ſæpenumerò occultatur,

Licèt enim Leoniceni explicationem ſummopere probem, tamen Theodori Gazæ interpretationem eſſe rectè propoſitam, quoad vtramque textus partem non ibo inficias. Omnia commorſa à cane rabido rabiunt, excepto homine, non quia nullus rabiat, ſed quia non omnis etiam commorſus à rabido, rabie corripiatur; quaſi ſpecies humana hanc habeat præ cæteris prærogatiuam, quòd aliqui in ea ſint ea natura præditi, vt etiam à rabioſo morſi in rabiem non adigantur, quod nulli alij animantium conceſſum eſt. Reperiuntur enim nonnulli qui à rabido commorſi non rabiunt, vt Pſylli in Libya, & Marſi in Italia, quibuſcum non ea ſerpentum inimicitia eſt, quæ cum reliquo hominum genere; de quo Fracaſtorius *lib. de ſympathia, cap. 19. de timore.* Credi autem poteſt, illorum proprietatem non latuiſſe Philoſophum,

rerum

rerum naturæ ſcientiſſimum : de quibus Plin. *lib.7.cap.2.* & *lib.28.cap.3.* Ælian.*lib.26.de animal.hiſt. cap.27.* Solin. *cap.40.*

Intereunt autem canes rabie , & quæcunque morſa à cane rabido, excepto homine. Nam aliæ animantes non tam facilè ſibi poſſunt adhibere remedia , nec tam multa habent parata & cognita : quare ſolus homo à tam ſæuo morbo aliquando ſanatur. Hoc confirmauit Iulius Pollux *l.4.onom.c.9.§.Tres ſunt canum morbi,rabies,podagra,angina. Podagra non eſt quidem inſanabilis, rabies difficillimè, angina lethalis:quodcunque verò à cane rabido fuerit morſum, interit,ſolus homo non abſque periculo euadit.* Et hæc eſt melior expoſitio ſententiæ Ariſtotelicæ,quàm illorum qui de hoc argumento conſcribentes , ſententiam mendoſam, & deprauatam ſunt ſuſpicati : Lege aliam expoſitionem apud doctiſſimum Mercurialem,*lib.1.variar.cap..2.* & memorabilem hiſtoriam luporum rabidorum,apud Ioannem Bauhinum doctiſſimum,*lib.prop.de rabie luporum,lect.cap.2.* & *lib.de hydrophobia,cap.3.*

HISTOR. XVIII. AETII, & Galeni, de rabie.

Auxilium ad rabiem prçſtantiſſimum, cuius vſu nemo mortuus eſt.

NOui ego ſenem , qui morſus à cane rabido , acido rumice (oxalidem vocant) *curabat : primùm enim vlcus eius decocto fouebat.deinde herbam ipſam illinebat, eandémque potandam exhibebat, quod quidem medicamentum tanquam efficaciſſimum ſummoperè commendabat. Plurima, & turbulenta, & bilioſa,qui eam aſſumpſerint meiere ſolent. Nos quoque rarò cum reliquis medicamentis eam miſcuimus, &c. Aëtius* tetrab.2.ſerm.2. cap.24.

Fluuiatilium cancrorum cinis,quanquam valde exſiccatorius eſt,ſubſtantiæ tamen totius proprietate mirabilis eſt in iis, qui à rabiente cane ſunt morſi, iſque tum ſolus , tum cum gentiana, & thure multò præſtantiori. Thuris ſanè partem eſſe vnam oportet, gentianæ autem quinque , porrò cancrorum decem. Et rarò equidam aliter illis vſtis nos ſumus vſi,cæterùm ad eundem modum plerúmque, quo Æſchrion Empiricus vtebatur,medicamentorum peritiſſimus ſenex, conciuis ac præceptor meus. Patella erat æris rubri , in quam impoſitos cancros viuentes hactenus vrebat, donec in cinerem redigerentur, vt facilè ad læuorem redigi poſſent. Hic Æſchrion ſic paratum , promptum ſemper in ædibus hoc habebat medicamentum , tempore æſtiuo vrens cancros ipſos poſt ortum canis,quando Sol in Leonem tranſiiſſet, Luna decima octaua. Porrò bibendum hoc medicamen , iis qui à cane rabido fuiſſent morſi. præbebat quotidie , vſque ad diem quadrageſimum , menſura cochlearij ſatis magni , aquæ inſperſum. At ſi non protinus ab initio , verùm aliquot poſt dies à morſu curam cœpiſſet demorſi , tunc quotidie duo cochlearia aquæ inſpergebat. Ad ipſum verò vulnus emplaſticum applicabat medicamentum, quod ex pice Brutia , opopanace, acetóque conficitur, habens picis libram vnam , aceti acerrimi ſextarium vnum Italicum, apopanacis verò vncias tres. Hæc itaque monita volui de cancris,quum nullus eorum , qui vſi illo medicamento fuerunt, extinctus ſit,&c. Galenus lib.11. de ſimpl. medic.facult.tit. de cancris vſtis.

PARAPHRASIS.

ALberti magni inconcuſſa auctoritas eſt *lib. 22. de animalib.tract.2.cap.1.* Canes nouem plurimùm morbis conflictari ; ita remedia apud Medicos reperiantur eſt neceſſe , quæ morſis à rabido cane rabiem auertant, qualia Aſclepiades 5. *lib.* conſcripta reliquit , apud Galen.2. *de antidot. cap.* 10. & quæ Damocrates in elegantiſſimis Iambis ex Nicerato , apud eundem *lib cit. cap.15.* Cuiuſmodi eſt album Heræ Cappadocis emplaſtrum , apud eundem Galenum *lib.1.ſec. gener. cap.* 16. & *lib. de theriac. ad Piſon.* 14. Dioſcorides *lib.cit.* Gratius, vetus Poëta *de venatione*,& cæteri Principes *loc.cit.*Arnaldus *in Breuiario*, *lib 3.cap.13.* Conciliator *dif.cit.* Gordonius *lib.1. cap.17.* Arduinus *à fol.* 385. *vſque ad fol.* 402. Varignana *2.part. tract.3.cap.2.* Guainerius *cap.11.de venenis*, Ponzettus *eodem titulo*,& cæteri citati Recentiores.

Inter reliqua acidus rumex primatum tenet , cuius ſemen epotum , aut decoctum ab ſcorpione commorſis opitulari affirmat Dioſcorides *lib. 2.cap.* 106. Sed cùm rumicis quatuor ſint ſpecies , illam intelligere oportet; quæ cùm hortenſis ſit,cæteris altior eſt , latioribus foliis conſtans , & radice crocea , qua loco rhabarbari in Italia vti Medicos , Lucana *in comment.* affirmat , quæ adeò valentiſſimè purgat bilem , vt ſua efficacia cætera purgantia excedat; cuius antidoti vi,bilioſa , & turbulenta (quæ ſui acrimonia in ventre tormina,& turbationem efficiunt: quæ venenoſam labem ampliùs concipiunt) educuntur, de cuius viribus , aduerſus plurimas, aliáſque venenoſas ægritudines eleganter agit Ruellius *lib. 2. de natur. ſtirp. cap.49.*

Hoc ergo auxilium , contra rabiem à proprietate prodeſſe , patet manifeſtè : alioqui enim alia præſidia frigidiora , & humorem venenoſum per vrinam expurgantia , hydrophobis auxilio eſſent , quod non experimur. Plurima autem eſſe , quæ à proprietate , totáque ſubſtantia virus rabidum extinguunt , conſentiunt vnanimiter auctores.

De horum claſſe eſſe cancros fluuiatiles , Galenus conſcripſit eo loco , quo eſt deſcripta hiſtoria hæc , contra præceptorem Pelopem, qui ob id eos rabiei prodeſſe exiſtimabat , quoniam cancer cùm ſit animal aquaticum , morſis à cane rabido prodeſt, quibus videlicet metus eſt, ne corripiantur affectu ſicciſſimo , nempe rabie : conueniunt autem fluuiatiles , non marini , quod animalia marina ob admiſtionem ſalis natura ſicciſſimi , haud æquè exactam tuerentur eam, quæ eſt aduerſus rabiem contrarietatem : neque hoc modo putes animalia fluuiatilia eſſe rabiei præſentanea , quia ſimilem cancris præparationem non admittunt;eo maximè quòd horum cinis exſiccatorius cùm ſit , canum rabientium venenum abſumit, & digerit. Sed hæc Pelopis ratiocinatio longè abeſt à mente Galeni , qui hoc præſidium ex proprietate totius ſubſtantiæ prodeſſe ſibi perſuaſit: omnia enim marina animalia ſimilem patiuntur præparationem, & vehementer exſiccant,vt oſtreorum, & conchyliorum omne genus ergo hoc antidotum à proprietate iuuat , quod miris laudibus auctores celebrarunt.

Andreas Lucana *lib. 2. in Dioſcoridem, in com. cap.10* viſcera cacoëthica , & doloſa horum puluerum illitorum vſu perſanaſſe gloriatur : & priùs dixit Actuarius 6. *meth.* 8.qui illorum cinere cum cadmia deſuper impoſito, vlcera cancroſa,& maligna perſanaſſe refert, & Dioſcorides *loco. cit.* hoc auxilium ſummè probat , ſi in vino cum gentiana aſſumatur , quod pro veneno rabidi canis domando eſſe nulli ſecundum *ibi* inculcat.

Vrendi ſunt in furno , & in patella æris rubri. Haly Abbas 4.*pract.*31.viuos eſſe aſſandos ait. Æſchrion quotidie hoc medicamen bibendum præbebat diebus quadraginta , menſura cochlearij magni(hoc eſt drachmæ vnius) aquæ inſperſum. At ſi non protinus ab initio, verum aliquot poſt dies curam cœpiſſet demorſi ; tunc quotidie cochlearia aquæ inſpergebat. Auic.6.4.*tract.4.cap.9.*ad quatuor vſpue cochlearia progreditur.

Eliguntur fluuiatiles,quòd nihil ſalſi habeant , humidioréſque ſint , quos cum aqua hordei ſummè probat Auic.pro febris hecticæ curatione.1. 4. *tract.3.cap.* 4. maximè ſi priùs ſuffocentur lactè ; tunc enim dulciores, melioréſque fiunt: quorum copiam frequenter inueniri in Græcia , Sicilia , Hetruria,& in vniuerſa Italia , teſtatur Rondeletius,*cap.14.de piſcibus fluuiatilibus.*Cætera verò ad rabiem curandam auxilia *in praxi* proponemus.

HISTOR. XIX. GALENI, De Rabie.

Theriaca tam foris vlceribus illita, quàm intùs aſſumpta, rabioſos valentiſſimè iuuat.

EQuidem olim mecum ipſe aliquod remedium excogitans hanc ipſam theriacam oleo roſaceo mollitam linamentis impoſui, ac veluti medicamentum aliquod vu nerarium foret, vlceri ſuper impoſui, vt tanquam cucurbitula venenum traheret: denique theriaca (perinde ac Pæonia aliqua medicina) & foris impoſita, & intùs aſſumpta, præſentaneum auxilium commorſis à cane rabido præſtat, &c. Galenus lib.de theriac. ad Piſonem,cap.16.

PARAPHRASIS.

AVxilia extrinſecùs ictæ parti apponenda, non debere eſſe deſiccantia, repellentia, neque ad cicatricem ducentia, immò attrahentia, dilatantia, relaxantia,atque emollientia,omnes auctores confirmant: nam in omnium virulentorum morſuum curatione enitendum eſt ſummoperè, vt per quam partem venenum in corpus penetrat, per eandem foras extrahatur, atque euocetur; quem vſum attrahentia præſtant emplaſtra, quæ virus alliciunt & vulneris labra dilatant: horum deſcriptionem proponit Galen.3 *ſec gener. cap.*5. Quo pacto theriaca cùm calida ſit & ſicca, venenum ad exteriores partes euocare nata eſt, maximè cùm à tota ſubſtantia venenum euincat, & ignis initar diſſipet & abſumat.

In potum verò aſſumpta theriaca, generoſa, ac excellens eſt antidotus, quippe quæ non ſolùm à plurimis morbis corpus facit immune, verùm etiam à noxiis potionibus, & virulentorum animalium morſibus tuetur, ac defendit, vt *lib. de theriae. ad Piſon. cap.*2. protulit Gal.& peculiariter iis benefacit, qui à cane rabioſo ſunt icti,non modò in morſus initio, verùm etiam cùm iam hydrophobici fiunt;dummodò tamen recens ſit, nam potentiùs veneno aduerſatur, refrigerátque non excalfacit,vt Euricius Cordus eloquenter probat *in ſuis poëmatibus de theriaca.*

Sed multa ſunt, quæ Medicum ab huius auxilij adminiſtratione auertere poſſunt. Nam aquæ formidinem, morborum omnium peſſimum, comitantur totius corporis ſiccitas, febris non ignaua, qua ægri intus vri ſolent (ex Gal. in eo capite quo eſt deſcripta hiſtoria hæc,) quæ putrida eſt,& venenata, ex putridis, corruptis,virulentis, & malignis humoribus pronata Inſuper in rabie adeſt calida admodũ, & ſicca intemperies, vniuerſo rabientis animalis corpori communicata, ab humoribus venenoſis, ac contagioſis excitata: quare ſi tunc theriacam propines, nocebis impensè, corpus erit furibundum, & in igneam naturam veluti conuerſum inflammabis, ſpiritus excandeſcentes,magis exuſtos reddes, ſolidas corporis particulas ad tabitudinem deduces.

His forſan permotus Conciliator *d.f.*179. pugnaciſſimè contendit, theriacam à cane rabido morſis inutilem eſſe & nullius vſus, maximè quum nec Serapio, nec Rhaſis, nec Halyabbas,illius,in huius morſus medela fecerint cõmemorationẽ.Sed errat toto cœlo,bonus Conciliator,qui quid ſcriberet Gal.non vidit,quid ipſe loqueretur, ignorauit.Nam theriaca non qualitate manifeſta, ſed tota ſubſtantia, occulta cæcáque proprietate ictis à rabioſo cane auxiliatur, alioqui in morſu viperæ non conferret, cuius venenum, calidum & ſiccum eſt,auctore Auic. 6.4 *tract.*3 *cap.*21.& 2.1. *doct.*2.*cap.*15. Aëtius *tetetrab.*4.*ſerm.*1.*cap.*21. Neque ſcordium, caliditate præditum, corpora à putredine poſſet præſeruare, cuius hac in re tantam vim eſſe, 1. *de antidot. cap.*12. Galen eſt auctor, vt quæcumque ſupra illud in prælio quodam interemptorum cadauera, per multos dies inſepulta iacuiſſent,diutiùs remanerent incorrupta, ſecundùm eas potiſſimùm partes, quæ herbam ipſam attigerant. Neque bonum argumentum proponit Conciliator,quòd de vi theriacæ,pro morſu virulentorum animalium veteres non meminerint, quum eam Dioſcorides, Galen.Paulus,Aëtius, Auicen. & alij,miris laudum præconiis extollant. Quare non eſt interdicendum præſidium hoc, quoniam febris adeſt intenſa,aut calida vrget viſcerum intemperies: ſi enim frigidis medicamentis cardiacis id permiſceas,& veneno, & febri opitulaberis cardiacis id permiſceas, & veneno, & febri opitulaberis: ſic in febre peſtilente, theriacam & alia calida alexipharmaca exhibemus, quæ potiùs antipathia,& contrarietate iuuant, extinguendo venenum, quàm calore ſuo nocere queant. Theriaca ergo commorſis à rabido cane auxilium præſtat, quia venenum ignis purifici inſtar abſumit, deuaſtat, & facultates corporis ſummè roborat. Ignem autem & medicamenta cauſtica ſuper commorſam partem impoſita, quæ ſuo calore ad partes externas venenum potenter attrahant,eſſe neceſſaria, confirmauit Ioannes Thomas Minadoûs, olim in Patauina Academia Profeſſor clariſſimus, *diſputatione de cucurbitulis corneis, vſtione & aurium ſcarificatu*: & non ſiluit perdoctus Melchior Sebizius *in epiſt. de ſerpentibus in humano corpore repertis, prope fin.* immò cauterium ipſum, præſentaneum eſt auxilium,quia vt notat Ioannes Lygæus *lib.*8.*aph.com.*6. ignis putrentes qualitates puriores reddit.

HIST. XX. GALENI, De Rabie.

Humor in corpore aliquando progignitur,veneno rabientium canum ſimillimus.

*NOn eſt igitur abſurdum,vt talis in corpore paulatim progenitus ſit humor qualis eſt & rabientium canum,& tractu temporis longiore corrumpentium medicamentorum, ita vt plerumque Medicos lateant: quomodo in eo qui ob laſſitudinem,vt videbatur,moderatiſſimè febriit, qui poſt quartum diem * vrinam ſecreuit ſubſtantia quidem tenuem,ſed colore nigram: vt in vtroq; eam,quæ ex pauco atramento ſcriptorio aquæ multæ diluto conſurgit, mixturam repræſentaret: atq; modo alio, ſi non atramentum ipſum dilutum intellexerimus,certè eam quã multi appellant fuliginẽ.Viſus eſt hic æger quarto die bene habere,ita vt ſequentibus diebus lauaret, deinde die ſeptimo veſperi cùm febrire cœpiſſet,tabefactus obiit,&c. Galenus* lib.1. prorrhetic.ſect.2.com.17.

PARAPHRASIS.

VEnenum in corpore adnaſci, ex antiquorum. & Iuniorum mente demonſtrauimus. *tom.*1. *huius operis, in com.hiſt.*50.& *in hoc libro,hiſt.*2.In eo tamen gigni poſſe humores ita venenatos, qui rabidi canis venenum æmulentur, nullo ex cane rabido accepto contagio, eleganter ex obſeruationibus Ioannis Baptiſtæ Cauallarij probant Marcellus Donatus *lib.*6 *de medic.hiſt.mirabili,cap.*1.*ad fin.* Petrus Salius *lib.de affectib.particularib.cap.cit.*

Præſentem ergo hiſtoriam ſcripſit Galenus hoc loco,vt hoc exemplo venenoſorum humorum generationem comprobaret: nam cùm proponat moderatiſſimam febrem, eam tamen vt lethaliſſimam, corpus breuiſſimo tempore extinxiſſe aſſeuerat. Etſi enim attentè Medicus arte Hippocratica dignus, ſigna rimetur, inueniet Medicos in illius cognitione valdè fuiſſe deceptos: mitis enim, & placida cùm videretur, non potuit non eſſe vehementiſſimè maligna, & ab huiuſmodi humorum putredine ſuccenſa,quæ veneni efficaciam ſortiuntur.

Hanc fuiſſe de genere hecticarum peſtilentium, quæ ob exuperantem calorem febrilem, attenuantem, colliquantem,& adurentem ſanguinem,corpus celerrimè ad tabẽ deduxit,ex hiſtoria ſatis patere puto.Vrina enim nigra, etſi raró ad bonum iudicet, provt *lib.*2.*hiſt.*127. prædiximus, incendium tamen internum demonſtrat,& inſignem notat humorum torrefactionem: quæ licet à frigiditate vehementi interdum oriatur,vt ex Gal.mente *lib.*2.*in com. hiſt.*132.

*hiſt.*132. probauimus, in hoc ægro hac de cauſa originem non duxiſſe, res eſt manifeſta, tenuis enim cùm illa eſſet, ex caliditate nigrorem fuiſſe effectum, ſignum erat eui-dens,quoniam vt perbellè docuit Galen. *in com.* 29. *lib.* 2. *prog. Sanguis trahit nigrorem, ſi crematur, quemadmodū omnia alia corpora, & qui diutius in ſole diuerſantur æſtiuo,nigri redduntur: ex vehementi verò frigiditate nigreſcit in globos congeſtus,& quidquid extinguitur in plenum frigeſcens, &c.*

Quibus ſignis hæc febris, ad tactum, & aſpectum mitis, cognoſcatur, cùm ſit inquieta interiùs, & de genere earum quæ hecticæ ſunt peſtilentes, de quibus Galen. 3. *de præſag.ex pulſib.cap.*4.ſatis abundè explicauimus *lib.*1.*in com.hiſt.*82.vnum ſolùm conſtet, tantum fuiſſe incendium in viſceribus excitatum, vt vrinam atramento ſcriptorio, vel fuligini ſimilem efficeret:fuligo enim eſt vapor terreſtris ex materijs immodicè aſſis vſtiſque, in hoc à fumo differēs,quòd fumus mixtio ſit ex terreſtri,aqueáque ſubſtantia,materiis tantùm ſemiuſtis:vel ſi per fuliginem intelligas ſubſtantiam tenuium partium,& terreſtrem, ſummis caminorum parietibus adhærentem, ex multo rerum pinguium vſtarum halitu,& vapore concreſcentem, vera pronuntiabis. Plinius *lib.*35.*cap,*6.Columella *lib.* 1. *cap.*6. vocant nigrum illud excrementum quod ex fumo caminis, aut furnis adhæret.

Docet profectò Medicos Galenus, cóſque inſtruit, vt in febris malignæ latentis cognitione non decipiantur, quam ex expiratione eſſe venandam *loc. cit.* confirmat; quæ ſi fœtet maximam febris huiuſmodi ſuſpicionem deprehendet. At licèt thoraci manum imponat,facillimè decipietur, quia hæ febres non ſunt calore vehementes, ex Gal. 3. *ſimpl tit.de terra Samia.* Ne ergo mireris,ob venenatos humores intus deliteſcentes, hanc febrim ex putredine excellenti ſuccenſam, cum pernicioſa qualitate cordi inimica coniunctam, ita furtim,ſenſim,& ſine ſenſu,veneni rabioſi promptiſſimi inſtar, corpus ad interitum deduxiſſe, quin Medici illius ideam agnoſcerent, alleuationis ſpe valde deluſi. Quibus autem ſignis leuamen in ægris falſum ſit cognoſcendum, & à vero diſtinguendum, diximus ex Galeni mente, *lib.*3.*in com.ſiſt.*5.

QVÆSTIO XXV.

Vtrùm vrina ſit mixtum de nouo genitum,habens diſtinctam formam ab humore ebibito, an alteratus potus.

COMMENTARIVM.

VRinam ſic. euit. [Plurima de hydrophobiæ natura,& cauſis, ex veterum, & Claſſicorum mente, indagine ſcrupuloſa protulimus: nunc conſentaneum videtur alia proſequi, ex quibus vtilitatem Medici conſequantur, vt ſic ad ea quæ noſtri ſunt calculi reſpectemus: pergamus ergo ambigua Hip. Gal. & ſummorum Medicorum perpendere inuoluera, quæ à noſtrorum ſcientiſſimis, inſerta lucubrationibus ſuis, illotis manibus explicantur, & circa vrinarum argumentum, de quo diſſerit hiſtoria hæc, publico emolumento vtilia muſſitemus, ne in noſtris operibus aliqua deeſſe poſſint, quæ ex aliorum monumentis cogatur noſtræ artis ſtudioſus emendicare: quo pacto non pigebit tantillum laboris in iis dirimendis ſuſcipere, altiùs ſic priùs clarioris doctrinæ gratia ducto exordio.

Vrina definitur à Gal.*lib.* 3.*epid.ſect.*1.*com.*6. ſerum ſanguinis, & aliorum humorum, quod à renibus per venas emulgentes attrahitur,& in veſica,veluti in extrema parte coacervatur, & deinde per penem excernitur. Hæc, quæ eſt recrementum ſeroſum ex ſecunda coctione emanans,quatuor habet cauſas. Materia vrinæ eſt humor ebibitus,aut liquor, quo cibi ſolidiores diluuntur, aut pars aquea ciborum; ſed ſecūdùm maximam partem eſt potus, ex Gal. 10.*ſimpl.*13.& *lib.de atra bile.cap.*2.& 4.*de vſu part.* 5. & 1. *natural.vlt.*nam vrina potus quantitati reſpondet. Formalis,eſt modus ille ſubſtantiæ, quem vrina per alterationem acquiſiuit ex miſcella humoris bilioſi, quam in iecore comparauit,quod enim formam præſtat vtili,idem

A inutili præbet: eadem enim actione,& eodem calore benignum, & excrementitium generatur: ſicuti enim fæces generantur in ventriculo ſimul cum reliquo chylo, in inteſtinis tamen figuram & colorem acquirūt; ſic potulenta materia in ventriculo, & iecore alteratur, forma tamen illius in renibus perficitur. Cauſa efficiens,eſt iecur,quod mediante ſua actione,alterando, & perficiendo humorem ſeroſum, & cum illo humoris bilioſi portionem permiſcendo, vrinam generat;renes tamen attrahendo,ac ſeparando ipſam perficiunt. Cauſa finalis eſt, ne ſanguis per venas diſtribuendus pro nutriendis partibus, multitudine ſeri eſſet vitiatus,& impurus;nam veſicam & renes ad expurgandam vrinam fabricauit natura. Accedit quòd hæ partes vrina fruuntur, ac delectantur:nam hoc excremen-

B tum eſt illis ſuauiſſimum,ex Gal.3.*de facult.natural. cap.* 9. nihil enim attrahit propter ipſum attrahere:& veſica vrinaria nunquam reperitur ſine vrina, ſicut folliculus fellis ſine bilioſo humore. De qua re lege Laurentium *lib.*6.*de hiſt. anatomic. cap.* 10. acriter contra Ioubetti opinionem diſputantem. Deinde,vrina humorum conſtitutionem, & partium diſpoſitionem repræſentat.

Perſcrutaberis, quomodo inter ſe diſtinguantur lotiū; ſerum, & vrina, hoc enim quæſitum hactenus Hippocratis,& Gal.malè torſit interpretes.Dic,hæc vocabula apud Latinos etſi videantur ſynonyma,duplicem tamen patiuntur ſignificationē,vt aduertit Gal.6.*epid.ſect.*5.*com.*14. dicens,linguam lotium ſignificare,aut propriè ſic vocatum, quod quotidie mictu eiicimus,aut ſuccorum ſerum. Quare hæc dicuntur aliquando de tenui, & ſeroſa cuiuſcūque humoris parte: nam vnuſquiſque humor ſuum habet ſe-

C rum, quemadmodum lac habet in ſe ſeroſam quandam humiditatem,quam ſerum dicimus vt docet Gal. 3. *ſimpl.* 14. In hac ſignificatione ſumitur à Galen.ſerum, 6. *epid. ſect.*2.*com.* 38. vbi docet,quòd quemadmodum in lacte ſeroſa quædam humiditas adeſt, quæ craſſiorem eius partem circumfluit,eodem ſanè modo in omnibus ſuccis, & humoribus, ſeroſus quidam, ac tenuis liquor reperitur, qui à Græcis appellatur ichor: quo loco ex mente Platonis docet, hos ichores inter ſe differre, ſecundùm humorum naturam, à quibus deciduntur; hoc modo infeſtiſſimum eſt atræ bilis ſerum, minùs infeſtum flauæ, minus quam hoc pituitæ, omnium mitiſſimum eſt ſanguinis ſerum in eadem ſignificatione dicebat, 2.*prog.* 27. quoties ſanguinis ſerum pariter cum vrina excernitur; colore ſubrubra apparet;& *prorrhet.com.*4. *ad princip. Determina-*

D *tum*(inquit)*eſt vrinas nigras ob ſerum atræ bilis,vnà cum excrementis aquoſis emiſſum procreari.*

Secundò. Lotium, & ſerum ſignificant etiam quintam ſubſtantiam,ſeparatam à quatuor humoribus, & eſt illud quod per mictum eiicitur:in qua ſignificatione ſumitur à Gal. 10.*ſimpl.cit.de ſudore*,vbi docet,eandem eſſe materiam vrinæ,& ſudoris & eundem generationis modum. *Vrinque*(inquit)*ex ebibito humore conſtat generatio, excalfacto ſimul in corpore,& bilioſa nonnihil ſubſtantiæ adepto.*

Ex iis verbis plures hanc colligunt vrinæ definitionem, *eſt potus alteratus, cui bilis portio eſt permixta.*In qua definitione,per potum eſt intelligendum omne liquidum, quod ſorbetur:vt ſumitur 2.*aph.*11.*facilius eſt impleri potu, quàm cibo:*nam pueri lactentes,qui non bibunt,vrinam reddunt, & ex alimentis ſolidis portio vrinæ debet ſeparari; quia

E 4.*de vſu part.cap.*3.& 2.*ſimpl.*17.& 3.*eiuſd.cap.* 5. in generatione ſanguinis,vini, olei, & omnium ſuccorum ſuperſunt duo recrementa,præter aquam; & ſic mirandum non eſt,ſi vrina excernatur in maiori quantitate, quàm ſit potus: verùm quia maxima,& potiſſima vrinæ pars ex potu excernitur,meritò Auicenna 1.1.*doct.*4. *cap.* 1. *in fine*, dicebat: *Aquoſitas namque non eſt ex humoribus,neque eſt niſi ex eo quod bibitur,& non nutrit; neque eſt neceſſaria niſi in nutrimenti penetratione,& attenuatione, &c.* Quod deſumpſit ex Gal.4.*de vſu part.cap.* 5. quo loco vrinam eſſe vehiculum alimenti confirmat.

In eadem definitione vrinæ, per verbum[*bilis*]debemus intelligere alios humores,immò potiùs aliorū humorum ichores: quoniam in optima vrina ſanorum, permiſcetur etiā portio,ſiue ichor ſanguinis, & propterea eſt ſubrufa,

& ſubflaua, & magis ſubrufa, quàm ſubflaua, vt 1.*criſ.* 1 2. docuit Gal ſcilicet manifeſtior eſt permixtio ichoris biliosi, quàm ſanguinei, & ſic *lib.* 3.*epid.ſect.* 1.*com.* 5. dicebat, vrinam ſerum eſſe humorum in venis contentorum. Idcircò plures ſic definiunt: *Eſt ſerum ſanguinis, & aliorum humorum tenuius excrementum, vi hepatis, & venarum confectum, à renibus tranſcolatum, in veſica reſeruatum, & per penem excretum.* Lege Mercurialem, *lib.* 3.*de excrementis c.*2.

Conſtat ergo ex dictis, vrinam ex duplici ſubſtantia habere conſtitutionem, quarum vna eſt ſerum ſanguinis, & aliorum humorum; altera eſt liquor, quem quotidie bibimus: quæ ambo in vnam vrinæ ſubſtantiam in iecore coëunt, quæ etſi ſimplex ſit, vel ſenſui ſimplex videatur, ex duplici tamen ſubſtantia conſtat.

Quòd autem vrina etiã fiat ex parte ſeroſa humorum, præter Gal. 3.*epid.ſect.* 1.*com.* 5.& *ſect.* 3.*com.* 41. patet primò, quia in hyeme, & in aliis temporibus, ſæpe multò maior eſt copia mictus, quàm potus. Secundò, quia quemadmodum docet Gal. *lib.* 6. *epid. ſect.* 2.*com.* 38. ex Platone *in Timæo*, in omnibus ſuccis, & humoribus, ſeroſus quidam, ac tenuis liquor reperitur: cùm igitur hic in venis ſit permixtus ſubſtantiæ aquæ bibitæ, & illi ſit omnino ſimilis, non videtur poſſibile ſolam partem aqueam à renibus attrahi, relinqui autem partem ſeroſam humorum illi permixtam, maximè cùm Gal. *l.* 2.*de natural.facult.* aſſerat, ſeri genera quæ in ſuccis habentur, omnia eſſe excrementa, parúmque ab illis nutriri animalis corpus. Tertiò, quia plurimi morbi ſæpe finiuntur criticè copioſa excreta vrina, ſic per illam expurgante natura humorũm ſeroſitates ſuperabundantes. Quartò, quia aliàs non videtur, quomodo vrina indicaret ſupra ſalutem, aut mortem ægri: quare aſſerendum videtur, vrinam licèt maxima ex parte fiat ex potu ebibito, tamen non ſolùm ex illo fieri, ſed etiam ex ſeroſitate humorum, quæ cum illo ſimul à renibus attrahitur, vt colligitur ex Galen. 1. *de ſanit.tuend.* 17. & 6.*epid. ſect.* 1.*com.* 6.*in med.*

Nec obſtat, quod 2.*præſ.g.com.* 27. ſcribit Hip. vrinam ſubrubram apparere, quum ſanguinis ſerum ſimul cum vrina excernitur, perinde ac ſi in vrina naturali id ſerum non eſſet permixtum: nam hic locus debet intelligi de ſuperabundantia ſeri permixti.

Nec obſtat ſecundò, quod 6.*epid.ſect.* 5.*com.* 15. inquit. *Naturaliter autem ſe habente creandis ſuccis vna commutatus potus, & colore infectus. vrinarum differentias facit, &c.* nam inde non colligitur ſolum potum eſſe materiam vrinæ, immò potiùs elicitur, ex aliqua parte eſſe humorum ſeroſitates; ab illarum enim commixtione potus colore infectus, vrinarum differentias facit.

Vt verò dilucidè vrinarum colores, ſubſtantiam, contenta, & cætera poſſis contemplari, plurima diligentia vti Medicus debet: nam vrinam debet inſpicere matutino tempore, præſertim quum alimenti concoctio integrè eſt perfecta, collectáque ſit in vaſe pellucido, totius liquoris capace, & illud in loco quietum & obturatum, ſine agitatione permaneat, vbi nec à caliditate alteretur, nec à frigiditate corrumpatur: poteſt etiam inſpici meridie, veſperi, & noctu. vt notauit Gal. *lib.de præcog.ad Poſth.cap.*2. Deinde vrinæ non fidendum, ſtatim vbi excreta eſt; non enim datur locus, vt ſedimentum ſublimamentum, vel nebula ſuas petant regiones. vt adnotarunt Actuarius *lib. de iudiciis vrinar.cap.* 3. Halyabbas 7.*theoric.* 12. Cum hoc tamen ſtat optimum eſſe, inſpicere lotium illicò poſtquam eſt excretum: nam aliquando à veſica perturbatum exit, poſtea verò clareſcit; vel contrà clarum emittitur; pòſt conturbatur; vel turbidum excernitur, & in eodem ſtatu perſeuerat. vt docuit Gal. 1.*criſ.* 12. Quæ varietas varia ſignificare ſolet, vt *infrà* latè explicabimus.

Locus in quo inſpicienda eſt vrina, non ſit obſcurus, nec luminoſus multùm, & intra horam inſpiciatur, vt notat Auicenna 2.1.*doct.* 3. *ſum.* 2. *cap.* 1. Auenzoar *tract.* 8. *cap.*2. hora tertia, & etiam decima ab exitu, aſſerit poſſe inſpici. Fernelius *lib.* 3.*patholog.cap.*9, vſque ad horam ſextam, ſed rectiùs putat Auicenna. Nam ſi intra horam in ſpicimus, non fallimur, & meliùs de colore.ſubſtantia, & contentis iudicamus: tunc enim non euanuere ſpiritus,

A quorum vi quoduis contentum ſuum petit locum. Ex iis colliges, non eſſe fidendum putido lotio, quod ad Medicorum ædes à longinquis partibus defertur: corruptum enim eſt, & contenta ob nimiam agitationem ſunt diſſoluta. Neque deinde fidas vrinæ, quæ poſtquam perturbata eſt, ad ignem, vt clareſcat, apponitur, quia conſulente Baptiſta Montano 1.*conſult.* 12. etſi clareſcat, multum tamen certitudinis amiſit, mutatur enim color, quia partes vrinæ tenuiores à caliditate aduſtæ, quæ vrinam tingunt, euanuerunt: deinde mutatur ſubſtantia, hanc enim calor efficit naturalis, magis vel minùs attenuans, & commiſcens, quod externus ignis præſtare non poteſt, qui ſegregat & diſſoluit: iam verò contenta ignis caliditate diſſipantur, & reſoluuntur.

B Aduerte tamen ne te decipiat vrina, quæ ab aliqua re extrinſeca eſt immutata. Nam eſu aſparagorum, & alliorum fœtet vrina, & ob vſum terebinthinæ refert odorem violarum, & ob rhabarbarum, crocum, ſennam, rubiam tinctorum, & ob alia multa ſæpe immutari ſolet. Sic ex vſu ciborum frigidorum, remiſſo natiuo calore, & ſanguine crudiore genito, apparet vrina tenuis, & decolor. Hoc modo medicamẽta diuretica, quum ad vias vrinæ humores deducant, vrinam in colore, & ſubſtantia permutant. Immutatur etiam à Venere: ex eius enim vſu vrina redditur pinguis, & ſolent filamenta in ipſa apparere, ex reliquiis ſeminis in meatu vrinario relictis. Ætas puerilis peruertit etiam iudicium vrinæ; ex lactis enim vſu, lactea excernitur.

C Reliquum eſt vt perpendamus, vtrùm vrina ſit quoddam mixtum de nouo genitum, habens diſtinctam formam ab humore ebibito; an potiùs nihil aliud ſit, quàm potus alteratus? Reſpondent nonnulli, quòd quando potus non eſt aqua, ſed vinum, vel aliud liquidum, vrina eſt mixtum quoddam de nouo genitum: quando verò potus eſt aqua, vrina non eſt nouum mixtum ſecundùm maiorem ipſius partem, quia maior ipſius pars eſt aqua ebibita, alterata in corpore; ſecundùm aliam partem nouum mixtum eſt, quia eſt ſerum ſanguinis, & aliorum humorum, & ſic probant vrinam non eſſe vnicam tantùm ſubſtantiam, ſed duplicem, vnicam tamen ad ſenſum apparere, quoniam ex duabus ſubſtantiis actu conſtat.

Non eſſe ſecundùm maiorem ſui pártem nouum mixtum, probari poteſt ex eo; quod ait Gal. 10. *ſimpl.tit.de ſudore*. vrinam habere generationem ex humore ebibito, & in corpore excalfacto. Ergo in corpore ſolam recipit

D concalfactionem, & non mutat formam, & per ſolam alterationem ſit vrinæ pars. Præterea aqua propriè coctilis non eſt, ſed recipit alterationem elixationi ſimilem. Deducitur, quia coctio; & putrefactio ſunt paſſiones mixtorum, & idcircò Ariſt. de illis non egit *in lib. de generatione*, ſed *lib.* 4. *meteor.* vbi de paſſionibus mixtorum diſceptat. Deinde aqua, ſimplex elementum eſt. Ergo coqui non poteſt, & ex conſequenti ſolam alterationem in corpore recipit & formam non mutat.

Verùm non minùs probabile nobis videtur, vrinam naturalem ſemper eſſe nouum mixtum, & vnicam tantùm ſubſtantiam, quæ vnam formam tantùm habeat. Inducimur autem ſic opinari, quia vrina naturalis verè cocta eſt, non quidem tanquam alimentum, cuius propriiſſima eſt concoctio: (*coctio* enim, ex Gal, 2.*de facult.cap.*4. *eſt mutatio*

E *nutrimenti in propriam aliti qualitatem*) eſt tamen cocta, tanquam excrementum. Igitur aqua, ex qua vrina generatur, non ſimplicem alterationem, ſed veram concoctionem recipit,

Inſuper, ſi per ſolam calefactionem, aqua fieret vrinæ pars, non acquireret modicam craſſitiem, immò potiùs attenuaretur, quum calefactio aquam magis attenuet. Ergo per veram coctionem incraſſatur, ac proinde nouam formam acquirit. Vltimò. Calor ignis ita poteſt permiſcere aquam cum ſucco carneo, vt efficiat vnum nouum mixtũ, nempe ius; & ars ita permiſcet aquam cum farina, vt ad ignem efficiat nouum mixtum, nempe panem. Ergo calor naturalis cùm potentiùs permiſceat, poterit etiam permiſcere aquam cum ichoribus humorum, & efficere nouum mixtum, nempe vrinam,

Neque

Neque obiicias aquam non poſſe concoqui, quia ſimplex elementum eſt. Nam licèt per ſe ſola concoqui non poſſit, poteſt tamen permixta cum aliis,nempe cum ichoribus : quemadmodum ſimul cum ſucco carneo coqui poteſt, ita vt amittat formam, & nouum quoddam mixtum efficiatur. Vtramque partem videtur recepiſſe Vgo apud Auic. 2.1. *doct.3.ſum.2. cap.1.* cùm dixit, *quod forma vrinæ aut eſt forma aquæ,aut forma mixti multùm vicini aquæ, quæ videlicet licèt aqua non ſit,eſt tamen aquoſitas, quæ cum aqua maximam ſimilitudinem habet* : quo nomine Ariſt. 4.*meteor. c.5.*appellauit aquæ ſpecies,vinum,vrinam,& ſerum.

Ex dictis poteſt deduci, in iecore vrinam confici, & formam ſuam ſubſtantialem ſuſcipere : cùm enim vrina conſtet ex ſero humorum,aſſerédum eſt in eo loco ſerum humorum generari,in quo humores ipſi generátur.quum idem membrum vtili, & inutili formam præſtet. Hoc affirmat Auic. *loc.cit.cap.6.§.Et vrina quidem digeſta;venarum ſignificat ſanitatem, quoniam renum ægritudines digeſtionem non prohibent vrinæ.quia ipſa ſuper ipſos exiſtit.* Vrinam autem in renibus non generari, ex eo conſtat, quia ſi illic generaretur,eſſet ſanè illorum excrementum ; cuius contrarium probat Gal.aduerſus Lycum, *lib.1. de facult. natural.cap.vlt.*Lege Santorellum *lib.8.anteprax.c.3.*

Vltimò dubitabis:vtrùm vrinæ portio ſanguini permixta,functa iam ſuo munere deferendi alimentum in partes, retrocedat per vaſa iterum ad veſicam, etiam ex remotiſſimis corporis partibus.Ex altera parte eſt ratio potiſſima, quòd affectiones extremorum per vrinam demonſtrantur, & vrina non ſolùm iecoris,ſed vaſorum omnium coctionem oſtendit.Ergo ex omnibus vaſis deciditur. Sed contraria ſententia magis videtur conſona doctrinæGal.quam ipſe apertè comprobare videtur 1.*de ſanit. tuend.c.12.parùm ante finem §.Nunc ſunctum officio humidum,&c.*Quo loco concludit, humidum quod fuit vehiculum alimenti in partes extremas,partim per molliora corpora, partim per poros,& exiguos meatus corporeæ molis vacuari;hæc autem vacuatio aliquando fit inſenſibiliter, aliquando per ſudorem : quod intelligebat 10.*ſimpl.tit. de ſudore*, dicens, eandem eſſe vrinæ, & ſudoris materiam.

Hæc pars ratione ſic poteſt confirmari.Partes extremæ habent facultatem expultricem,& commodum locum per quem excrementum aquoſum poſſint promptè propellere. Ergo fruſtra per tam anfractuoſos ductus, & longinquas partes iterum ad veſicam propellent.Ad argumentum oppoſitum dic, venas omnes noſtri corporis maximum habere conſenſum cum iecore ; à quo originem ducunt ? & ſic vrina,quæ ex iecore, & venis maioribus deciditur,venarum,& partium extremarum coctionem indicabit. Notandum obiter, vrinam non ſolùm ex venis, ſed etiam ex arteriis decidi,vt 2.*de ſanit.tuend.*12. aſſeruit Gal. quia eſt ſerum ſanguinis & aliorum humorum, qui non ſolùm in venis, ſed etiam in arteriis continentur. Lege Ægidium Monachum *in tract.de vrinis,in med.* quem locum illuſtrat Gentilis *in com.*luculenter.

QVÆSTIO XXVI.

Vtrùm vrina ſubrufa,ſubflaua, vel citrina, omnium ſit optima, vt voluit Galenus.

GAlenus Medicorum primipilus, *in illo aureo cap. 12. lib.1.de criſ.* clariſſimè docuit, optimam vrinam eſſe ſubrufam, & ſubflauam,magiſque ſubrufam,quàm ſubflauam : quam doctrinam explicat Vgo apud Auic. 2.3.*cap.2. de ſignificationibus coloris vrinæ.* Nam vrina tingitur ex ſero ſanguinis, & bile rufa, & ex horum permixtione fit vrina ſubrufa,vel ſubflaua; ſubrufa ex bile rufa, ſubflaua ex ſero ſanguinis : quare naturalis vrina non eſt abſolutè vel ſubrufa,vel ſubflaua, de vtroque tamen colore participat. Et hoc eſt quod voluit Gal. vrinam optimam eſſe ſubrufam, & ſubflauam, hoc eſt habere colorem mixtum ex colore ſubrufo, & ſubflauo, magis tamen participare de colore ſubrufo, quàm ſubflauo,quia in vrina naturali magis manifeſta eſt bilis,quàm ſeri ſanguinei permixtio.

Hæc doctrina ex Gal. *loco cit.* confirmari poteſt, dicente, optimam vrinam eſſe ſubrufam,& ſubflauam coniunctim,non verò diſiunctim,ſubrufam,vel ſubflauam. Præterea color naturalis optimæ vrinæ in homine temperato,& perfectè ſano,vnus debet eſſe,non plures. Ergo non docet Galen. vrinam ſubrufam eſſe optimam,& præterea vrinam ſubflauam, ſed vrinam illam quæ colorem habet mixtum ex colore ſubrufo, & ſubflauo, qui calor ab Auicenna citrinus appellatur.

Verùm hæc expoſitio non eſt conformis menti Gal. Nam cùm 2. *prog.com.26.* doceat vrinam pallidam eſſe naturalem,& optimam:& *cap.12.de criſcit.* pallidam vrinam aſſeueret eſſe ſubrufam, conſtat ſubrufam eſſe naturalem, & optimam.Igitur in doctrina Gal. vrina ſubrufa, optima eſt; non verò ea quæ ex ſubrufo, & ſubflauo permixtum B colorem habet.

Quare color ſubrufus per ſe eſt naturalis, & ſimiliter color ſubflauus, neque vnus tantùm color naturalis in ſanorum vrinis reperitur, ſed pro ætate, ſexu, & temperamento euariat.Nam marium,iuuenum, & bilioſorum vrina colorem intenſiorem habet:mulierum verò, ſenum, & pituitoſorum, remiſſiorem : quare in illis color ſubflauus, naturalis eſt ; in his verò,& temperatis, ſubrufus. Idcircò in quibus color ſubrufus naturalis eſt,color rufus eſt præternaturalis : ſic *lib.2.de ſanit.tuend.cap.2.* in quibus laudat vrinam pallidam, quæ ſubrufa eſt, reprobat rufam; quod facit etiam 2.*prog.*30. in quibus verò color ſubflauus eſt naturalis, reprobandus non eſt color rufus. Hoc nomine C Ariſt. *ſect.1.prob.52.* vrinam coctam colore eſſe rufo affirmat:& Galen.*lib.1.criſ.cap.17.in fin.*vrinam rufam tenuem, alicuius coctionis, etſi debilis & occultæ, indicium eſſe ſcribit; quam coctionem cùm ob ſubſtantiam indicare nequeat, ob colorem indicet eſt neceſſe : & ſic docet Gal. *lib.1.criſ.12.* Hippocratem 2. *prog.*30. non ſimpliciter vituperaſſe vrinam rufam, ſed quando ſimul cum rufedine tenuitatem habuerit.Lege Ludouic. Lemoſium *lib. 2. de optima prædicendi ratione.c.6.*

Sed ex contextu Gal.*in lib.1.de criſ.cap.cit.* emanat dubium ſcitu non indignum. Hic enim auctor poſtquam in perfectè ſanis vrinam debere eſſe ſubrufam, & ſubflauam pronunciauit, aſſeruit hanc vrinam eſſe mediocriter craſſam, quia ad hunc colorem ſtatim mediocritas ſubſtantiæ D conſequitur. Cuius doctrinæ occaſione dubitandum : Vtrùm cum bono colore neceſſariò detur mediocritas in ſubſtantia, an potiùs cum tenuitate ſubſtantiæ poſſit bonus color reperiri.

Quod non poſſit dari bonus color ſine ſubſtantiæ mediocritate,videtur colligi ex hac ſerie Gal. dicentis ad colorem ſubrufum, & ſubflauum ſtatim ſequi mediocrem craſſitiem. Præterea priùs in vrina generatur ſubſtantia, quam color, quia color bonus per coctionem in vrina generatur, coctio verò priùs efficit ſubſtantiam, quàm colorem.Igitur prima digeſtionis operatio, inquit Auic.2.1. *cap.3.* eſt ſubſtantiam efficere deinde ipſam tingere. Ergo quando in vrina reperitur bonus color, debet etiam bona ſubſtantia,nempe mediocris inueniri.

Ex oppoſito reluctatur Hipp. *lib.1.epid.ſect.3. text. 78.* vbi referens hiſtoriam Virginis Abderæ laborantis, ait: *vrinæ tenues,ſed boni coloris* : & 1.*epid.ſect.3.text. vlt. vrinæ* (inquit) *perpetuo quidem boni coloris,ſed tenues.* Secundò E apud Gal. 1.*ad Glauc.7. in fin.*in principio tertianarum apparent vrinæ rufæ,vel ſubrufæ;color autem ſubrufus; optimus vrinæ color eſt. At in hoc principio non poteſt in vrina ſubſtantiæ mediocritas eſſe, quia eſſet vrina cocta in principio morborum, quod eſt contra doctrinam Galen.*in locis multis.*Dari ergo poterit color bonus cum ſubſtantiæ mediocritate, vt eleganter probat Alphonſus Daca *tract.de ratione cognoſcendi cauſas vrinarum,cap.3.de prævidentiis vrinarum.*

Tertiò.Vrina poteſt eſſe cocta ſecundùm colorem,quin appareat cocta ſecundùm ſubſtantiam, vt colligitur ex Galen. *lib.1.criſ.12.* quo loco poſtquam loquutus fuit de vrina alba tenui,loquitur de vrina pallida & ſubrufa, quæ ſcilicet tenuis adhuc ſit : eam tamen quoad colorem attinet.eſſe concoctam, eo loco inculcat. Ergo poterit apparere coctio in colore, quin appareat in ſubſtantia : quod

colligitur

colligitur ex Auic. 2.1. *cap.2. de coloribus vrinarum*, dum inquit. *Et color quidem vrinæ in ægritudinibus acutis incendentibus,trahit ad colorem zafrani, & igneitatem : quod ſi ibi fuerit tenuitas, aliquam maturationis ſignificat imaginationem* (id eſt, veſtigium occultum) *etſi non appareat in ſubſtantia.* Quod videtur etiam ſignificare Gal.1. *criſ.*12. quum docet, vrinam rufam tenuem non reprobari ab Hippocrate, non ratione coloris,ſed ſubſtantiæ.

Vt verò huius dubij aſſequaris expoſitionem, aduerte primò. Naturam in coctione vrinæ, priùs intendere generare ſubſtantiam, hoc eſt, mediocritatem ſubſtantiæ, quàm colorem bonum; quia per coctionem intendit aſſimilationem quæ potiùs per ſubſtantiam, quàm per colorem acquiritur : & hoc eſt quod voluit Auic. *loc. cit.* dicens, *primam digeſtionis operationem eſſe ſubſtantiam efficere,deinde ipſam tingere.* Cum hoc tamen ſtat,in ſanis ſimul bonam ſubſtantiam, & bonum colorem generari, quia ad bonam permixtionem bilis cum vrina, non ſolùm ſequitur bona ſubſtantia,ſed bonus color.

Aduerte ſecundò. Colorem bonum in vrina poſſe generari, vel per coctionem, vel per ſolam mixtionem bilis ipſam tingentis:hoc ſecundo modo poteſt generari bonus color in vrina ſine bona ſubſtantia;quod etiam per imperfectam coctionem fieri poteſt,per coctionem verò perfectam minimè : & hoc voluit Auic.2.1.*cap.3.cit.*cùm dixit: *In tenui autem,in qua multa exiſtit tinctura, ſcitur tincturam non eſſe propter digeſtionem*,ac ſi dicat,in vrina tenui bonum colorem non dari per coctionem perfectam, ſed vel per ſolam mixtionem bilis, vel per coctionem imperfectam, vt verbis vtar Gentilis *in com.* quoniam ſi bonus color in vrina eſſet ob coctionem perfectam,cum eo ſimul daretur bona ſubſtantia,non tenuis.Quòd autem per imperfectam coctionem poſſit generari bonus color ſine bona ſubſtantia (quod monuit Valleſ.3. *cont.*19. patet, quia incipiens vrinæ concoctio poteſt manifeſtari in colore, non tamen in ſubſtantia;quia illud facilius eſt, hoc difficilius : & hoc voluit Auic.*c.*1.cùm de vrina tenui,boni coloris, dixit *ipſam ſignificare,quòd iam incipit maturatio, etſi non appareat in ſubſtantia* : & ſic ſæpè gradatim procedit natura in vrina, in qua multoties primò apparet coctio in colore, poſteà in ſubſtantia,tertio in contentis.

His prænotatis, ſolues quæſtionem ſi aſſeras, dari bonum colorem in vrina cum tenuitate ſubſtantiæ, dummodò bonus color ſolùm ex bilis permixtione oriatur,vel ex coctione imperfecta; ex coctione verò perfecta non poſſe dari bonum colorem ſine ſubſtantiæ mediocritate : quod tamen intelligendum eſt cum limitatione poſita à Gal.1. *epid.ſect.3.com.vlt.*vbi docet vrinas tenues poſſe eſſe boni coloris,quatenus valet bonus vrinarum color cum tenuitate coniungi, quia ſcilicet exquiſitus bonus color non poteſt cum vrinis tenuibus reperiri; quæ ſi etiam prorſus tenues ſint,nullo pacto bonum colorem habere poſſunt; nam omnimodam cruditatem oſtendunt, & neceſſariò albent,ex Gal. *loc.cit.*

Ex iis patet,quid ad obiecta reſpondendum ſit, & primò ad Gal.1.*criſ.*12,vrinam quæ habet colorem optimum, (ſubrufum ſcilicet, & ſubflauum) in iis qui ſupremum ſanitatis obtinent gradum neceſſariò mediocrem craſſitiem habere, quia hic color per perfectam coctionem generatur, ex qua neceſſariò mediocritas ſubſtantiæ conſequitur. Ad Auicennam verò dicendum, quòd licèt natura priùs intendat generare ſubſtantiam, quàm colorem : poteſt tamen priùs coctio manifeſtari in colore, quàm in ſubſtantia : de quo argumento ſat pulchra notauit Ioan. à Belloforti *in lib.Gal.de vrinæ ſignificatione.*

Conſequenter expendendum,an vrina citrina ſit etiam optima,quam Gal.*lib.*1.*criſ.*12. vocat ſubrufam, & ſubflauam,& Actuarius 1.*de iudiciis vrinarum*, ſubauream, vel ſubcroceam,quo nomine etiam appellat Gal.2.*prog.*30. & modicam mixtionem bilis, & ſeri ſanguinis cum vrina ſignificat, & calorem moderatum, optimámque coctionem præoſtendit. Hæc apparet in homine exactè ſano, ætate vigoris, optimam temperaturam habente, nutrito bonis cibis, modicè exercitato, in regione temperata degente,tempore anni temperato.

A Hæc ita vocatur,ob ſimilitudinẽ corticis citri benè maturi,& collecta non multò poſt peractam ſecũdam coctionem,eſt lex,& veluti norma cæterarum,in qua ſubſtantia eſt mediocris,nec aquæ modo tenuis, nec vt iumentorum craſſa;clara,non turbida; colore ſubaureo, atque ſubflauo, ſiue citrino,quem extremorum medium collocamus, quãtitate media, & heſterno, ſuperiorúmque dierum potui reſpondens,aut aliquantulum parcior;nam nonnihil potus in corpus abſumitur. In hac hypoſtaſis ſubſidet læuis, alba,æqualis,in acutum faſtigiata, neque craſſum quicquam ſubeſt,neque bulla,neque filamentum,neque horum quicquam quæ inter mala ab auctoribus referuntur.

Hæc non ſolùm inculpatam omnem naturæ coctionem, ſed & integram corporis valetudinem indicat,viríque optimam temperiem, eiúſque floridam ætatem ſignificat. B Dixi viri:nam vrina mulieris, etiamſi temperatiſſima ſit, ætate florens,non parùm ab hac deficit, ſubſtantia quippe craſſiuſcula,nec vt viri,pura,& pellucida,ſed aliquantulum impura,& multis innatantibus turbida, vt quotidiano experimento compertum eſt : fœminis namque plura, quàm viris ſuperflua, in vteri, veſicæque ſedes confluunt, quæ plerumque vrinæ permiſcentur, vt optimè notauit Fernelius *tract. de vrinis cap.*10.

Euariat vrina non ſolùm ex parte temperamenti,ſed ex parte ſexus, temporis, regionis, quare licèt color citrinus ſit in hominis temperati lotio,innaturalis erit vrinæ temperatæ fœminæ;licèt etiam affinis,& congruus ætati floridæ,erit diſſimilis ſenectuti.Proinde omnia inſpiciẽda ſunt, & inſuper conferenda, vt certiſſimè noſcamus, quantum quis ab hac optima receſſerit:tantùm enim à perfecta,in- C culpabilíque ſanitate differet,quantum eius lotium ab optimo diſſidere inuenies, quamuis in ægritudine lotium cum lotio eiuſdem ægrotantis,dum erat ſanus conferre debeamus; quod eò erit deterius, quò ab eo dum ſanus erat, diſtare videbis : nam ſicut Hip. commendat vultum ægri ſano ſimilem,& præcipuè ſui ipſius, 1.*prog.*5. & Gal. pulſum qui ad naturalem ipſius ægrotantis proximiùs accedit,*lib.de pulſib.ad tyrones,c.*2.*&* 1.*ad Glauc.c.*1. ita laudabile erit lotium,ei ſimile, quod tempore ſanitatis excernebatur.Sic intelligo Gal.1.*criſ.*12. *in princ.* vbi habet : *Ex vrinis ægrorum illa optima, quæ vrina ſanorum ſimillima eſt*, licèt Ægidius *in ſuis carminibus* colorem prædictæ vrinæ rufum appellet.

In rufum vergens puri color æmulus auri.

Quem interpretatur Gordonius *tract.de vrinis,cap.*2. ita vt D non habeat colorem auri puri,quod eſt in maſſa,quia hic ad rubeum obſcurum vergit, ſed habeat colorem aureum, provt in manibus fabrorum argentariorum conſpicitur, qui color eſt ſubrufus,& ſplendidus,clarus, rutilans, qui citrinus eſt,quẽ Iſaac *in ſuo tract.de vrinis,c.de colore vrinæ*, citrinũ clarũ appellat:exponunt eius mentẽ Petr.Hiſpanus *in com.* & Thomas Cornachinus *tract. de vrinis, in med.*

Sed dubitabis,quomodo Galen.tradat diuerſos colores vrinæ optimæ:nam *lib.*1.*criſ.*12. aſſerit eſſe ſubrufam, vel ſubflauam, & 2.*prorrhet.com.*1. dicit eam eſſe colore mediocriter ſubluteo,quod idẽ eſt:tamen 2.*de ſanit. tuend.c.*4. eam dicit modicè pallidam, id eſt, ſubpallidam, qui color remiſſior eſt. Dic. Hoc nullam ingerit difficultatem, quum Medicus omnia ſub quadam latitudine conſideret, & colores ſubrufus, ſubpallidus,& ſubflauus valdè affines ſint. E Dic præterea, colores vrinarum in ſanis varios eſſe, pro varietate ſexus ætatis,& temperamenti. Deinde in homine temperatiſſimo vitiantur, pro diuerſitate temporis in quo excernuntur,vt 1.*criſ.*12. docuit Gal. quare nihil mirum, ſi varios vrinæ optimæ colores conſtituat. Ex dictis explicari poteſt Ariſt.mens, 1.*probl* 52. vrinam rufam eſſe optimam aſſerentis: de quo negocio egit diligenter Valentinus Polidanius *lib.*1.*de vrinis in med.*

QVÆSTIO XXVII.

Vtrùm triplex ſit vrinarum turbidarum differentia,vt prædixit Gal.contra Brachelium.

INter poſtremos non infimæ notæ auctores Græcos (etſi Actuarius *de vrinis* elegantiſſimum opus ediderit) prima

prima laus Galeno conceditur, vt qui hoc argumentum ab Hip. pluribus in locis veluti obſcurè deſcriptum, vberrim fuerit interpretatus, & præſertim *lib.1. de criſib. c. 12.* Eo enim loco triplicem facit auctor hic præſtantiſſimus turbidarum vrinarum differentiam at licèt eius perutilem doctrinam Græci cuncti amplectantur vlnis obuiis, tamen cùm obſcura ſit, velut obex moleſtior, multum perſæpè expoſitoribus iniicit moramenti, quippe quæ auribus paulò erectioribus minus ſatisfaciat: eam ergo ſic explicatam accipias velim, vt ab homine inculto, rudi, & qui noſtræ ſcientiæ ſacraria abdita iandiu non rimatur, ſollicitè & aſſiduè.

Trino ergo vrinarum turbidarum differentia numerò continetur. Prima, quando exiens perturbata, poſtea clareſcit. Secunda, quando exiens perturbata, ſic permanet. Tertia, quando exiens pura, & clara, poſtea perturbatur. Tres has differentias referens Rhaſius 20. *contin. c. 1.* dicit ex ſententia Pythagoræ, per illas ſignificari tria morborum tempora, non quidem diſtincta ex coctione, quia in nulla illarum datur perfecta concoctio, ſed potiùs ſecundùm ſæuitiem ſymptromatum diſtincta.

Galenus tamen *loco cit. de criſib.* affirmat, tria hæc vrinarum perturbatarum genera, actionem caloris natiui in materiam ſignificare; & ſic docet primum genus ſignificare parum adhuc inæqualis perturbationis remanſiſſe, hoc eſt, naturam iam agere, & citò eſſe ſuperaturam præſertim ſi quando clareſcit, adfuerit ſubſidentia alba, læuis, & æqualis, vt inquit Gal. 4. *de ſanit. tuend. cap. 4. in med.§ Si verò celeris ſeparatio*, quod etiam confirmauit Auic. *cap. 3. citato*, dicens. *Et ſignificat quod iam natura ſuperauit materiam, & ipſam maturauit*, intellige, dummodò celeriter hæc ſeparatio fiat, vt notauit Galenus 4. *de ſanit. tuend. cap. cit.* docens medicos, vt contemplentur non ſolùm colorem, & ſubſtantiam eius quod ſubſidet, & ſeparatur, ſed etiam tempus in quo incipit ſeparatio: nam quantò fuerit celerior, tantò celeriorem morbi terminationem ſignificat: & ſic 4. *Aphor. com.* 70. dicebat de his perturbatis vrinis verba faciens: *nonnulla ſedimen citò craſſum habent, & citò morbum ſolutum iri ſignificant.*

Vrina ergo quæ turbida exit, ſtatim clareſcit, cum bono ſedimento, parum abeſt quin perfectam coctionem ſignificet, aut parum inæqualis turbulentiæ ſupereſſe: id enim ei euenit quod vinis, cùm generantur feruente muſto; nam ad finem ebullitionis clara manent, & ſine conturbatione, ſubſidente fæce à vino ipſo ſeparata: quo etiam pacto in humano corpore, calor naturalis humores quos conturbauerat, ad finem clarificat, ſubſidentia ſeparata à reliqua vrinæ ſubſtantia: Nã caloris præcipuus effectus eſt ſeparare heterogenea, & congregare homogenea.

Ex iis apparet, meritò Auerrhoëm 4. *collig. 25.* reprehendere medicos, aſſerentes nullum eſſe iudicium ferendum ex perturbatione, quæ fit in vrinis extra corpus, non intelligentes ſimul cum ipſa excerni portionem ſpirituum, & caloris naturalis; quo nomine docemur ſeruare ipſas vrinas cooperto vaſe, ne illarum portio euaneſcat, & propter eandem rationem etiamſi timeamus ne infrigidentur, non ſunt tamen igni apponendæ vt calefiant quod aduertit Vgo apud Auicennam *c. 1. cit. de vrinis.* Hanc vrinæ perturbatæ differentiam inter alias perturbatas, mitiorem, & meliorem eſſe docet Galenus.

Secunda vrinarum turbidarum differentia eſt, quæ exiens perturbata, ſic permanet. Eam profert Galenus ſignificare, vigere adhuc conturbationem, & humorum agitationem, hoc eſt, naturam quidem agere, at confuſa adhuc eſſe omnia: de hac vrina dicebat Galen. 4. *de ſanit. tuend. cap. 4.* quod ſi turbida ſit, crudis humoribus refertas venas indicat; non tamen ceſſare naturam, ſed eos valenter concoquere: neque ex eo colligendum eſt, Galenum velle huiuſmodi vrinam, ſummam & perfectam, vel manifeſtam coctionem ſignificare, quamuis dixerit, naturam non ceſſare, ſed humores valenter concoquere; quia *in cap. 17. libri primi criſium*, dilucidè docet, in vrina hac nullam manifeſtam coctionis notam, neque aliquod augmenti veſtigium apparere, ſed debilis & obſcuræ coctionis eſſe indicium: & indicare primum ægritudinis

A tempus, quod principium appellatur, nondum eſſe tranſactum.

Quare ex iis notandum eſt, morbi principium non propterea appellari tempus cruditatis, quia tunc natura materiæ morbificæ coctioni non incumbat, quum pateat ex citato Gal. loco *lib. 4. de ſanit. tuend.* naturam tunc ſemper valenter concoquere: appellatur tamen tempus cruditatis, quia etiamſi natura tunc vehementer concoquat, nullum tamen manifeſtæ coctionis, ob materiæ reſiſtentiam, & paruam moram in concoquendo, ſignum apparet. Quare videtur falsũ, aſſerere in principio morbi naturam ſolùm retentioni, non concoctioni eſſe intentam.

In vrina ergo hac perturbata, nullum apparet manifeſtæ coctionis indicium, occultam tamen coctionem ſigni-
B ficat; quia perturbatio quæ agitationem indicat, dari crudorum humorum redundantiam, & naturæ conatum in excoquendo ſignificat. Ex quibus etiam colligimus, nullam eſſe repugnantiam inter Gal. 1. *criſ.* 12. & 4. *de ſanit. citat.* Licèt enim 1. *criſ.* cauſam vrinæ quæ perturbata maneat, ad humorum agitationem, & perturbationem referat; at verò 4. *de ſanit.* ad præſentem, & vigentem coctionem: vtraque tamen cauſa diuerſa non eſt, imò in idem recidit; quia ad naturæ conatum in coctione, humorum ſequitur agitatio, & perturbatio. Conatus ergo naturæ ad coctionem, qui cum humorum cruditate reperiri poteſt, & ex coctione ſequuta agitatio, cauſæ ſunt vrinæ perturbatæ; quæ talis perſeuerat.

Quo pacto redarguendus meritò eſt Brachelius *in com. Hip. loc. cit.* qui huius antinomiæ difficultate intricatus; Galenum in iis locis manifeſtè ſibi contradicere aſſeuerat.
C Hæc vrina à Galeno iumentalis appellatur, vel ſubiugalis; vel qualis veterinorum: de hac dicebat Hip. 4. *Aph.* 70. dolorem capitis, vel præſentem, vel futurum portendere. *Quibus febricitantibus vrinæ ſunt perturbatæ, quales ſunt iumentorum, iis dolor capitis vel adeſt, vel aderit.* Hoc intelligas iuxta præceptum Auic. *c. 3 cit. de vrinis: Cùm autem perſeuerauerit, & timoroſa ſignificatio non adfuerit, ſignificabit capitis dolorẽ, quoniam ſignificabit ebullitionẽ, & ventoſitates vaporoſas.*

Hæc vrina oritur à flatulento ſpiritu ſurſum elato, cum calore contra naturam non perturbatur in venis ſerum à flatu; & copia crudorum humorum, & calore, à quibus caput impletur. His delirium quoque ipſum, & conuulſio à capite euenit, & ſi cum virium debilitate apparet, lethalis eſt, vt accidit vxori Philini, 6. *epid. ſect.* 5. *text.* 15. at cum robore, & ex ignea febre, morbi diuturnitatem portendit: ita explicant perdoctus Heurnius *in com. cit. ſent. aph.* & Valleſius *in com. cit. epid.*

Auicenna *in fine capitis citati*, ſic ait: *& quandoque vrina*
D *perturbata cùm perſeuerat, ſignificat Lethargum:* quod deſumpſit ex Paulo *lib. 3. cap. 9.* vbi de Lethargicis ait; *vrinam reddunt iumentorum lotio ſimilem:* quod Gal. 4. *de ſanit. cit.* aſſeruit, ſimiles vrinas fieri aliquando ob imbecillitatem naturæ, dicens: *Si verò vel omnino nulla ſeparatio, vel id quod ſubſidet, malum ſit, imbecillitas naturæ ſignificatur; egetque ope aliqua ad ſuccos percoquendos.* Hinc fit vt Auicenna de eodem vrinarum genere agens, *c. 3. cit. poſt med.* in hæc verba prorumpat. *Vrina quoque fit groſſa, & ſpiſſa; & eſt hoc propter caſum virtutis, & non propter expulſionem: & ad finem capitis* dicebat. *Vrina turbulenta multoties ſignificat caſum virtutis.*

Hæc vrina ſolet apparere in febre maligna, & peſtilenti, quæ aliquando in colore varia eſt: nam aliquando vergit ad nigrum, vt conſtat ex 1. *epid. ſect.* 3. *text.* 19. in hiſtoria
E Sileni, qui periit die vndecima. cuius vrina (inquit Hip.) erat turbida nigra; & de hac videtur intelligendus Galenus 2. *progn. com.* 32. § *Vrinas nigras quò fuerint craſſiores, eò deteriores haberi obſeruauimus.* Nonnunquam apparent etiam albæ, quas obſeruauit Hip. 1. *epid ſect.* 3. *text.* 1. in vxore Philini, quæ periit die vigeſima habens in vndecima vrinam multam craſſam, albam: *qualis* (inquit) *ſt, quæ in matellis ſubſidet, quum agitata fuerit, repoſita multo tempore, non ſubſidebat, color, & craſſitudo ſimilis iumentorum vrinis.*

Similem vrinam habuit Dromeadæ vxor, *text.* 28. *ſequenti.* Fiunt etiam eædem rubræ, vt idem notat 3. *epid. ſect.* 1. *text.* 1. in hiſtoria Hermocratis, qui periit die 27.

Lib. V. CCCc cuius

cuius vrinæ erant craſſæ, & rubentes, depoſitæque non ſubſidebant. Nec intelligendum eſt in febribus malignis ſemper vrinas eſſe perturbatas:nam aliquando aquoſæ; & tenues in ipſis apparent,vt notat Galen.*lib.* 3. *de præſag.ex pulſib.cap.4.ad fin.*dicens. *Inſpicienda porro præ cateris vrina eſt; etenim conturbata quorundam eorum videtur eſſe,& aquoſior, ac nonnullorum multò quàm ſit pro natura tenuior.*Transfert Auicenna 1.4.*tract.* 4. *cap.* 2. *de ſignis febris peſtilentis.* §.*Eſt vrina eius aquoſa, cholerica melancholica.* Vbi per melancholicam, interpretes intelligunt conturbatam.

Verùm non ſemper in his febribus vrinæ conturbatæ apparēt, quia aliquando vrinis ſanorum ſimiles apparent, vt docet Galenus 3.*de præſag.ex pulſib.cap.4.parum ante fin.* §. *Nec ex vrina quidem petere in huiuſmodi affectibus firmam notitiam ſemper licet, ſed eſt ferè anceps, colore, & ſedimento ſimilis naturali.*Cur autem in febre peſtilenti appareat vrina ſimilis ſanis. Reſpondent Barbari, quia videlicet natura perterrita, & ſuccumbens, nullo modo conatur inſurgere contra morbum, ſed conuertit ſe vt corpus gubernet, velut in ſanitate, atque ita nullum vitium in vrina apparet. Hanc tamen rationem, Rhetoricam appellat Gentilis 1.4.*tract.*4.*cap.* 2. *dub.* 5. quoniam natura non à conſilio, ſed ex neceſſitate ſemper agit; ac proinde non eſt dicendum, naturam ob timorem, à coctione materiæ peccantis ſe abſtinere: & nos hunc ſoluendi modum confutauimus ex profeſſo, *lib.*2.*in com.hiſt.vlt.*

Sed iis apparentibus, non oportet medicum perterreri: nam interdum ex conatu naturæ expellente humores peccantes ſcaturiunt. Ita dicebat ſapientiſſimus Senex 4.*Aph.* 74.*Quibus ſperatur abſceſſus futurus ad articulos,eos liberat ab abſceſſu vrina multa,craſſa, alba facta.* & ſic Galen. dicebat, 2.*prog.*32.*At vrinæ quæ à colore naturali non exciderint,craſſaque ſunt, duplicem habent euentum,interdum ad mortem,interdum ad ſanitatem propinquam, quemadmodum alia multa præter naturam, quippe corpus per illa repurgatur.* Transfert Auicenna *cap.* 3. *de vrinis, cit.poſt medium*, dicens. *Quando cum vrina naturalis coloris, ſuperflua eſt ſpiſſitudo, plerumque ſignificat bonitatem expulſionis multarum materierum.cui exeūdi aſſociatur facilitas* &c. Et *parum infrà* ſubdit, *Vrina quidem groſſa bona eſt, quæ eſt criſis ægritudinis ſplenis, & febrium permixtarum*, &c. & 2. 4.*tract.*4.*cap.* 8. dicebat. *Et ſcias, quod aliquando mingunt infirmi vrinas malas in ſubſtantia ſua, & colore, & aliis, & eſt illud expulſio critica.*&c. Ab aliis autem diſtinguitur hæc vrina perturbata, quia illæ morbum quodammodo inchoant, hæc verò morbum finit; illæ crudæ ſunt, hanc manifeſta atque perfecta coctio præceſſit.

Tertia differentia vrinæ perturbatæ eſt, quæ pura excernitur,& poſtea conturbatur.Hanc dicit Galenus ſignificare naturam nondum agere, ſed poſteà eſſe acturam; qua ratione *in contextu* inquit,eam virtute fortiore,& longiore tempore egere ad coctionem:quod non ſine diſtinctione aſſeruit.Galenus 4.*de ſanit.tuend.cap.4.in med.* Nam diuerſa nota ab ipſa ſumitur, vbi ſtatim cùm micta eſt, turbatur,aut vbi pòſt; inquit enim. *Sin cùm emingitur pura ſit, protinus verò turbetur, naturam iam crudi ſucci aggredi coctionem ſignificat manifeſtè: at ſi interpoſito tempore turbetur, non protinus, ſed pòſt aggreſſuram ſignificat.*

Has tres vrinæ perturbatæ differentias comparat Galenus 1. *criſ.*12. dicens, earum primam optimam eſſe, eam ſcilicet quæ exiens perturbata,& poſtea clareſcit;conſummatam enim,& perfectam coctionem ſignificet. Vltimam verò, quæ ſcilicet pura excernitur, & extrà turbatur, peſſimam appellat, notat enim naturam nondum agere, ſed poſtea eſſe acturam. Mediam verò,quæ nempe perturbata exiens, eo modo perſeuerat, medio modo ſe habere, nempe peiorem eſſe prima,meliorem tamen vltima;& ſic dicit perturbatam quæ talis perſeuerat, meliorem eſſe ea quæ pura excernitur, & extrà perturbatur, illa enim præſentem coctionem ſignificat, hæc verò futuram.

Obiicies argutè contra Galeni mentem hoc modo. Quomodo Galenus 1. *criſ.* 12. aſſeruit, vrinam quæ exit clara, & poſtea turbatur, eſſe deteriorem ea,quæ mingitur turbata, & talis perſeuerat, ſi Auicenna 2.1.*cap.*3.*de vrinis,parum poſt medium*,contrarium firmat.§.*Illa verò quæ*

A *ex tenuitate ad turbulentiam peruenit,& ſic procedit,melior eſt ea quæ in turbulentia permanet ſecundùm plurimas horas*, &c. Pro hac controuerſia ſedanda dic, vrinam perturbatam aliquando ſignificare crudorum humorum copiam, quorum coctionem iam natura aggreditur: interdum verò, & ſæpius non ſolùm ſignificare cruditatem, ſed agitationem & perturbationem, factam à calore putredinoſo, ſimúlque virium debilitatem. Quia verò comparat Galenus vrinas perturbatas, quæ ſolam cruditatem ſignificant; ea autem quæ perturbata exit,& eo modo perſeuerat, minorem cruditatem ſignificat, quàm ea quæ pura exit, & poſtea perturbatur; ideo perturbatam ſic perſeuerantem,

B meliorem eſſe affirmat ea, quæ pura excernitur, & extra perturbatur, quum hæc maiorem cruditatem oſtendat. At verò Auicenna, propterea dixit eam quæ pura exit, & poſtea perturbatur, meliorem eſſe, quia hæc ſolùm cruditatem ſignificat, perturbata verò ita perſeuerans, plerumque non ſolùm cruda, ſed etiam praua exiſtit.

Solue ſecundò, ſi dicas Galenum *loco cit.* ſolùm conſiderare turbulentiam ortam à calore innato, per coctionem gignentem efferueſcentiam in humoribus, quod verum eſt. Contrà Auicennam & Arabes etiam loqui de turbulentia, orta propter calorem præternaturalem, efficientem ebullitionem in humoribus;& ratione huius rectè pronunciant, vrinam quæ mingitur turbida, & ſic perſeuerat,deteriorem eſſe ea quæ exit clara, & poſtea turbatur: & quòd ita intelligantur hi auctores, conſtat ex eo-

C dem Auic.2.4.*tract.*1.*cap.*83.& ex Auerrhoë 4.*collig.*23.

Obiicies ſecundò.Cur vrina quæ exit turbida,poſtea clareſcit,ob agitationem,& actionem caloris innati, ſi poſtquam vrina micta eſt,illicò ceſſat calor innatus, nec ampliùs operatur? Dic, in vrina poſtquam micta eſt,manere per aliquod tempus virtutem caloris,qui in eam, & maſſam humoralem, à qua deciditur, operabatur intra venas; vnde etiam poſtquam vrina expellitur, calor idem in eam ſimiliter operatur,atque ſi eſſet intra venas. Cōtra accidit in vrina quæ clara exit,& poſtea turbatur:nam hoc accidit ex debilitate caloris innati, coniunctas illius vrinæ partes retinere non potētis:argumentū huiuſce rei eſt, quod homines imbecilles vrinā excernūt,quæ nō diu clara permanet:robuſti verò clarā expellunt, & deinde clara perſiſtit.

Quæres deinde. Cùm medicus ſæpe videat vrinas perturbatas, multo tempore poſtquam mictæ ſunt, quomodo dignoſcet, num vrinæ illæ perturbatæ, tales fuerint excretæ, an verò poſt excretionem fuerint turbatæ? Rhaſis 23.*com.cap.de vrinis*,ex Galeno,& priſcis medicis, duas

D huius euentus cauſas eſſe affirmat. Prima eſt, quòd quæ exit clara & poſtea turbatur, nullam tranſparentiam habet, ſed alba eſt, & inſtar pinguedinis concreta. Altera eſt, quòd ſi igni apponatur,clara redditur: quæ verò turbata ex veſica exit, tranſparentia prorſus non deſtituitur, & præterea quamuis igni apponatur, nunquam claritatem acquirit. Addunt alij, vrinam corruptam poſt mictum parietibus matulæ adhærere; eam verò quæ perturbata fuit excreta, non adhærere,

Verùm antequam hinc diſcedamus, notanda eſt Auic. doctrina, *cap.*3.*de vrinis, cit.ante med.*§. *Verumtamen inter craſſam tranſlucentem, &c.* Vbi traditurus præſagia vrinæ craſſæ non perturbatæ, oſtendit eam differre à tenui, qua-

E drupliciter, Primò,quia craſſa ſi in matula moueatur, reddit inundationes magnas; craſſities enim vrinæ non fert diuiſionem in portiones paruas. Secundò, inundationes prædictæ propter partium craſſarum grauitatem tardiùs mouentur. Tertiò, abundantior in ipſa excitatur ſpuma. Quartò,bullæ ex ſpuma factæ ob materiæ craſſitiem, tardiùs ſoluuntur,

Quæres vltimò. Quæ ſit cauſa turbulentæ vrinæ? Dic. Plures exiſtimarunt eſſe frigiditatem aëris externam,quorum ſententiam latè refellit Actuarius *lib.* *de dif. vrinar.* *cap.*10.Primò,quia eiuſdem hominis vrina in eadem aëris conſtitutione, & temperie, hodierna die non turbatur, ſequenti verò turbatur. Secundò, quia diuerſorum hominum in eadem prorſus aëris temperie, alterius vrina turbatur, alterius minimè:non ergo ab externa aëris frigiditate turbulentia vrinæ ortum ducit.

Eius

Eius itaque cauſæ ſex ſunt:Prima caliditas externa putrefaciens,& frigus congelans vrinam.Secunda, expurgatio naturæ per vias vrinæ. Tertia,extinctio caloris innati: hæc enim ſimiliter atque frigiditas externa, vrinam turbat. Quarta imbecillitas facultatis retentricis, ratione cuius humores cum ſubſtantia vrinæ promiſcuè miſcentur. Quinta, validus calor præternaturalis faciens ebullitionem humorum,quæ tres poſteriores cauſæ valde pravæ ſunt. Sexta, calor naturalis aggrediens coctionem,ſed eam non perficiens, vnde efferueſcentibus humoribus, & eleuatis flatibus vrina turbatur.

Galenus 1.*criſ.*1 2.& 4.*de ſanit. tuend.* 4. & 4. *Aph.* 70. agens de turbata vrina, ſolùm fecit mentionem de quinta cauſa,quia ea omnium potiſſima, & frequentiſſima. Auicenna verò 2. 1. *doct.* 3. *cap.* 3. docet cauſam turbulentæ vrinæ eſſe terreitatem,id eſt, craſſitiem ſimul cum ventoſitate, quia licèt illa ſola permixta vrinæ poſſit reddere eam turbulentam; tamen flatus turbulentiam maximè iuuat & conſeruat partium craſſarum permixtarum cum vrina, deſcenſum ad fundum in modum ſedimenti impediendo: & ob eandem rationem Galenus 4.*criſ.* 12. & 3. *epid.ſect.*1.*com.*5.& 4.*Aph.*70.aſſerit,conturbatam vrinam fieri, quia illi permixti ſunt flatus, velut in nouis vinis adhuc efferueſcentibus contingit;quod intelligendum eſt de turbulentia vrinæ orta ob ſextam cauſam,vel quintam: nam à cauſa externa, ab aliis cauſis ſupradictis vrina turbulenta ſine flatuum permixtione fieri poteſt. Reliqua de vrina craſſa, & perturbata legat qui velit, apud Auicennã *c.*3.*cit.de vrinis*,qui mentem Galeni belliſſimè explanat.

QVÆSTIO XXVIII.

Vtrùm inter tenues vrinas primum locum ſibi vendicet aquoſa, & alba, & malum portendat? Contra Valleſium.

Nil æquè immenſam artificis diuini ſapientiam demonſtrat,quàm corporis humani fabrica, in qua ingerũt ſe plurima ſingulari digna admiratione,quæ ſigillatim, ac curiosè, contentéque ſi quis exequi curet, vix reperietur finis vllus.Nam ſi quis contempletur exactè,quo pacto inſipidus potus, & omnis liquor, cuiuſcunque coloris ſit,aut naturæ poſt tot tranſactos mæandros,& obliquos officinarum gyros, ab ore ad renes, & veſicam fluxus accedat, poſtquam in animalis commodum ſuo munere functus eſt,& deinde vrinæ in modum,ab omni natura ſua exutus,imò amarus per penem excernatur, ſoler-
D tiſſimum præpotentis auctoris ingenium admirabitur.

Quapropter etſi vrina cótinuò in ſalubri corpore exeat ſubflaua, tamen cùm corpus à naturali ſymmetria deflectit,variis coloribus eſt imbuta,provt hic, vel ille humor in corpore ſuperabundat, vt Galenus diſertè admonuit 4.*de ſanit.tuend.c.*4.§.*Æſtimare præterea vrinæ tum conſiſtentiam,tum colorem oportebit: cuiuſmodi enim ſanguis ſit qui in vaſis continetur, ea planè oſtendit;quare ſi is biliòſus ſit,ſerum quoque eius biliòſum ſit,neceſſe eſt;idque pro vtriuſuis bilis ratione; ſimili modo pituitoſum, ſi is ſit pituitoſus.*

Color in multiplici eſt differentia:nam varij auctores varias eius tradunt ſpecies. Auicenna ſex tantùm proponit 2.1.*doct.*3.*ſum.*2.*cap.*2.Auctor *libelli de vrinis*,quinque. Fernelius, vndecim. Actuarius, Ægidius, & Sauonarola *lib.de vrinis*, *cap.*2. & 25.nouem, quæ varietas, ſi benè perpendatur, nulla eſt: qui enim pauciores ponunt, ſub vno nomine comprehendunt alias; qui plures, ſubdiuidunt membra.

Vtrùm vrinarũ colores poſſint mutari gratia intemperamenti ſimplicis, ſine additione, aut diminutione humoris,dubiũ eſt aduũ. Actuarius *l.*7.*de iudiciis vrinarum*, *c.* 6. & 2.*de cauſ.vrinar.c.*8.videtur concedere.Idem etiam Gal. 6.*epid.ſect.*5.*com.*14.vbi vniuerſaliter docet, vrinarum colores fieri,& variari,pro varia ſuccorum redundantia.Dic. Intemperamentum ſimplex per ſe,& per ſuam ſimplicem actionem non poteſt producere, & variare colores; per accidens tamen colores vrinarum poſſunt variari à calore,

A & frigore:nam frigus facit corruptionem,& concretionẽ: quæ in ſanguine liuorem inducunt; qui cùm liuidus eſt, vrinam ſimili colore afficit.Calor auget, aut adurit bilem flauam, quæ vrinam tingit; ob quam rationem inedia, exercitium,& ira vrinæ colorem permutant.

Dic præterea, calorem poſſe etiam per accidens intendere vrinæ colorem,nõ quia augeat,aut adurat bilem, ſed quia vrinæ partes aqueas abſumat, & ſeroſitates humorũ tingentium reſoluat:ob quam cauſam cùm humor reddatur purior, magis tingitur. Vel cùm partes aqueæ permixtæ cum re colorante,ſecundùm quandam partem abſumãtur, neceſſe eſt colorem relictum intendi: quomodo videmus aquam ex permixtione alicuius rei coloratam, ſi ad ignẽ efferueſcat, magis coloratam reddi,non ob aliam cauſam, quàm ob abſumptionẽ aquæ,quæ ex ſe colorata non erat:
B nã vt experimento quotidiano conſtat,ſi cũ certa quantitate rei colorantis miſceamus aquam, quò hæc copioſior fuerit,eò remiſſior color orietur;quò verò parcior extiterit,eò intẽſior reddetur color.Differt verò color à ſimplici intemperie profectus,ab eo quem humorum permixtio produxit, quia ille annexam habet tenuitatem, aut mediocritatem in ſubſtantia vrinæ; hic verò vrinam reddit, aut turbidam,aut craſſam,ex Fernelio *lib.de vrinis,cap.*13.

Si ergo mentem Galeni *lib.cit.criſ.*perpendamus, is quatuor differẽtias aſſignat tenuis vrinæ,quarũ prima exquiſitè aquoſa appellatur,ſiue exquiſitè tenuis,eò quòd in extremo tenuitatis eſt repoſita, velut ſubiugalis in extremo craſſitudinis ſita eſt.Extremè tenuẽ,docet Gal. 1.*epid.ſect.* 3.*com.vlt.*bono colore præditã eſſe non poſſe,ſed eã albam eſſe, quæ aquoſa meritò nuncupatur; duas enim ſortitur conditiones, quibus aquæ ſimilis eſt, ſubſtantiam nempe
C tenuem,& veluti aqueã,& colorẽ album, vt teſtatur Hip. 2. *prog. com.* 32. vbi per vrinas aquoſas, intelligit tenues quidem ſubſtantia, colore verò candidas: quanquam impropriè liceat aquam, albam ſiue candidã appellare, cùm ſit omni colore priuata, verùm ob tenuitatẽ,& tranſlucentiam alba vulgò nuncupatur,vt vitrum,cryſtallus, & ipſa aqua, quæ eſt Auicennæ ſententia 2.1.*doct.*3.*cap.*2.*in med.*

Vocatur etiam hæc vrina diluta à Celſo,*l.*2.*c.*4.*ad fin.* Plinio *l.*28.*c.*6.*ad fin.*Hanc aſſerit Galenus 1.*criſ.*12.ad ſũmum incoctã eſſe:quod confirmat 4.*de ſanit.tuend.cap.*4.*in med.* cùm inquit. *Ergo vbi crudus ſanguis eſt, vtique tenuis, aquoſáque vrina cernitur,nihil nec quod ſidat,nec quod pendeat, in ſe habens.*& *l.*2.*prog.*32.firmat,ſummã ſignificare cruditatem humorum,concoctriciſque facultatis imbecillitatẽ: & ſic aſſerebat Auic.*cap.*3 *de vrinis,cit. Et in acutis quidem ægritudinibus ſignificat virtutis digeſtiuæ imbecillitatem,& maturationis priuationem*, quod tamen ita videtur intelligendum, vt non ſemper hæc facultatis coctricis debilitatem ſignificet,ſed per reſpectum ad humores,qui omnino crudi ſunt.

Reprobatur maximè hæc vrina in acutis morbis,& phrenitide,& ſic 4. *Aph.*72.dicebat Hip. *Quibus vrinæ albæ, & perſpicuæ, malæ præſertim ſi in delirantibus apparent*, quoniam (vt dicit Galenus *in com.*)*cùm ſignificent ſummam cruditatẽ, priùs vires reſoluuntur, quàm morbus concoquatur*:& præterea cùm morbus acutus breui debeat finiri, humores autem exactè crudi, quales notat vrina aquoſa, citò coqui nequeant, neceſſariò fit vt morbus ante coctionem terminetur,ac proinde ad mortem.Hac ratione 4. *Aph.*37.*ſudorem frigidum in acuta febre mortem, in mitiori longitudinem morbi ſignificare* confirmat.

E Auic.*c.*3.*cit.* de huiuſmodi vrinis agens dicebat: *quoniam cùm perdurant, ſignificant perditionem, ni bona ſigna adiuncta ſint,& virtutis ſtabilitas:tunc enim exituram ſignificant*: quod deſumpſit ex Hip. 2.*prog.*34. dicente. *Qui tenues, crudáſque vrinas diutius mingunt,ſi cætera, vt in conualituris, indicia fuerint,in his abſceſſum ad ſedem infra præcordia expectare oportet.*

Præter hanc cauſam malitiæ vrinarum tenuium,quam 1.*criſ.*12.aſſignat Galenus, quòd ſummam humorum cruditatem ſignificent,aliam 4. *Aph.*72. retulit, raptum videlicet humorum ad caput; quo nomine potiſſimùm damnantur in phrenitide,vt *loco cit.*aduertit Galenus,aſſerens nullum phreniticum cum huiuſmodi vrinis ſe ſaluatum vidiſſe: & ſic Celſus *lib.* 2. *cap.* 4. citatum aphoriſmum

exponit, dicens: *Vrina diluta mala, maximè in phreneticis*: quod tamen multò intimius enarrabat Aëtius *tetr.2. ſer.1. c.37.* dicens, *hanc vrinam ante phrenitidem, in ardente febre portendere phrenitidem; poſt phrenitidem verò, mortem.*

Huius tamen ſententiæ vtraque pars diſtinctione eget, prima quidem, quia ex vrina aquoſa in febribus, ſolùm ſignificatur aut humoris cruditas, aut raptus ipſius, & non determinatur locus ad quem fiat raptus, quemadmodum de deiectionibus albis notabat Galen. 1. *prorrhet.com.* 17. Quare 1.*prorrhet.com.*4. reprehendit authorem illius libri, quia vrinas phreniticas appellauit; & idem affirmauit 1. *prorrhet.com.2. Rurſus & in præſentia, memoria tenere medicos oportet, nullum in vrinis eſſe ſignum quod delirium portendat.* Cum hoc tamen, ſi amicè interpretaretur dictam *ſententiam quartam lib.*1. eam non reprobaret: ſic enim ait. *Vrinæ in turbulentis, vigilibúſque decolores, nigræ, ſublime petentes, atque in ſudoribus phrenitide*; ſignificans videlicet, ex vrinis decoloribus, aquoſis, vel ex nigris, ſublime petentibus expectandam eſſe phrenitidem, non quidem in omnibus, ſed in vigilantibus, & turbulentis; vigilia enim, & turbulentia cerebrum laborare ſignificant. Hoc modo Philini vxor cum tenuibus vrinis incidit in phrenitidem, quia, vt notat *ibi* Hip. *ſubdito balano, cùm cætera remitterentur, permanſit capitis, & colli dolor; nulli erant ſomni, vrináque à principio erat tenuis, decolor, & vigeſimo mortua eſt.*

Deinde quod profert Aëtius, vrinas aquoſas, ſi adeſt phrenitis, ſignificare mortem, intelligatur ex Auic. 2.4. *tract.*1.*cap.*82. ſi perſeuerauerint, & cætera indicia ſalubria non fuerint. Quare Epicratis vxor delirans octogeſimo liberata eſt, nam vrina in illa tenuis, & ſubnigra non perſeuerauit, & poſtea excernebat vrinam meliùs coloratam, quæ multum habebat ſedimenti, quod confirmat Hip. 6. *epid.ſect.*6 *text.*20. dicens: *Vrina multam ſubſidentiam habens à mentis motione liberat, qualis fuit Dexippi.* Si verò cum vrinis tenuibus cætera indicia fuerint ſalubria, expectandus erit abſceſſus, ex Hip. 2.*prog.*34. A quo tamen abſceſſu liberat vrina multa, ac craſſa exiens, vel hæmorrhagia ſuperueniens, 4. *Aph.*34.

Tertia cauſa, ob quam apparet aliquando vrina aquoſa, ſunt obſtructiones renum, vreterum, & veſicæ. etſi hæc opinio non omnino placeat Valleſio 3.*cont.*24. Vbi docet, vrinam exactè tenuem duobus modis poſſe craſſam reddi, aut ſubſtantia propria concocta, aut alicuius craſſi humoris permixtione: priorem craſſitiem firmat non poſſe colatura, aut obſtructione deperdi; poſteriorem poſſe, quia hæc vrinæ tenuitas eſt priuatio illius craſſitiei, quæ per conturbationem efficiebatur, quandoquidem poſſunt humores craſſi & viſcidi, qui antea reſeratis, apertíſque viis cum liquore permeabant, nunc viis obſtructis hærere ſuo lentore & craſſitie; quo caſu, quod reliquum eſt tenue, ſine craſſis humoribus exibit.

Chriſtophorus tamen à Vega *tract. de vrinis cap.*2. comprobat, quamlibet vrinam ob obſtructiones dictas poſſe reddi tenuem, & aquoſam. Neque obſtat, Galenum 1. *criſ.*12. ſolùm dixiſſe, ex vrinis aquoſis ſignificari humorum cruditatem, quoniam ſolùm docet indicia ad diſtantiam futuri ſtatus cognoſcendam; & ſic 4. *Aph.*42.*cit.* dixit, vrinas aquoſas ſignifiare flauæ bilis totum impetum ſurſum in caput factum: at verò 1.*de loc.affect. cap.* 1. affirmat, vrinam aquoſam ſignificare lapidem veſicæ. Quare hac de cauſa, illam ob obſtructionem vaſorum etiam poſſe euenire, coniectare meritò poſſumus, vt plurimis experimentis facilè patet.

Inſuper vrina aquoſa, non ſolùm extremam vaſorum cruditatem ſignificat, ſed ingentem retentricis debilitatem; quo pacto à potu ſumpto ſtatim excernitur: quam ægrotantes expellere, in illa paſſione, quæ diabetes vocatur, *lib.* 1. *criſ.*12. eleganter inculcat, quæ affectio læuitati inteſtinorum comparatur: & 6.*de loc.c.* 3. caninæ etiam appetentiæ ſimilem eſſe ſcribit: nam ſicuti in canina vocata fame, alimentum immodicè ingeritur, ob appetitus vehementiam; ingeſtum verò ſubinde celeriter euomitur, aut fluore deiicitur; quia facultatem grauat; pari modo contingit in diabete, in quo affectu renes immodicè ad ſe potum attrahunt, & venas, cæteráſque partes exſiccant.

Hanc vrinam aquoſam, quæ in hoc morbo celeriter excernitur, confert Galenus aquoſæ exquiſitè, quæ retinetur, illámque hac multò docet eſſe peiorem, 1. *criſ.* 12. quod in hunc modum probat. Quantò plures inſtrumentorum cuiuſque generis actiones, aut vires impeditæ fuerint, tantò deteriorem morbum cenſeri oportet. Sed vrina exquiſitè aquoſa, quæ ſtatim ab aſſumpto potu excernitur, indicat non ſolùm facultatem concoctricem, verùm & retentricem læſas eſſe, cùm tamen exquiſitè aquoſa quæ retinetur, ſolius concoctricis læſæ indicium ſit. Illa ergo quæ celerrimè eiicitur, deterior eſt, præſertim cùm in eo affectu facultas renum tractrix læſa etiam ſit, quia plus attrahit, quàm attrahere debeat.

In tertia differentia vrinæ tenuis, docet Galenus 1. *criſ.* 12. eſſe eam vrinam, quæ vinum tenue & album præ ſe fert, quam vrinæ aquoſæ eſſe proximam aſſeuerat, & cruditatem ſignificat, non tamen eſt omnino cruda, ſed ad crudam proximè accedit. Huius generatio conſiſtit, ex prædicta tenui aquoſa, parùm bilis rufæ ſuſcipiente; quod facilè deprehendet, qui exteriùs in aquam puram parum ochræ iniecerit: eſt autem ochra, teſte Gal. 2.*prog.com.*39. genus quoddam terræ, cuius potiſſima Attica probatur.

Quartam differentiam vrinæ tenuis, dicit *loco cit.* Galenus, eſſe tenuem ſubpallidam. Quintam tenuem pallidam, ſiue quod idem eſt, ſubrufam, quæ quoad colorem iam cocta eſt, licèt quoad conſiſtentiam minimè. Sed notare debes, has tres vltimas differentias, non in ſubſtantia, ſed in colore ſeparari, vt aduertit Henricus Rantzouius *lib. de ſanit.tuend.cap.*3.*de coloribus vrinæ.*

At vt vrinæ colori albo vltimam imponamus manum, aduertendum eſt, hunc duplicem eſſe, ex Auic.*cap.* 2. *cit. de vrinis*, alium tranſlucentem album, alium non, ac ſi diceret intensè, & remiſsè album; ſic enim diuidit Actuarius *lib.de vrinis, cap.*8. proponens tres gradus albedinis intenſæ, quales ſunt niueus, cryſtallinus, & aqueus; totidem remiſſæ, qui ſunt lacteus, glaucus, & charopus. Priores tres Actuariò teſte, ſicut intenſæ albedinis, ſic ſummæ cruditatis ſunt indices; poſteriores, vt à ſumma albedine aliquãtulũ recedunt, ita non adeò intenſam cruditatem ſignificant.

Porrò hi colores ſic appellantur, quòd rebus, à quibus nomen acceperunt, ſimiles ſint. Glaucus dicitur, quia veluti cornu pellucidus eſt. Charopus, quòd ſubalbidis camelorum pilis ſit ſimilis. Hæ vrinæ, ex Actuario *lib.*1. *de iudiciis vrinar.*12. & cæteris Græcis, humorum cruditatem, aut horum ad caput raptum ſignificant. Auicenna *c.2.cit.* particulariùs videtur diſtinguere *in* §. *& eius quidem alia eſt, cuius albedo,* &c. docens quòd albedo mucilaginoſa, multitudinem phlegmatis, & humoris crudi ſignificat: ſi verò fuerit vnctuoſa, & pinguedini ſimilis, adipis liquefactionem oſtendit, qui (vt interpretes notant *in com,*) ex toto exit corpore, ſi febris adfuerit; ſin minùs, ex renibus, & lumbis,

Idem Auicenna docet, quòd ſi vrina fuerit alba, cuius albedo ſit ſimilis albedini fungorum, vel (vt aduertit in margine Bellunenſis) ſimilis albedini ſeri, vel ceruſæ, ſi ſanioſa fuerit; vlcera viarum vrinæ præſignificat: ſine ſanie verò, húmoris pituitoſi copiam, & lapidem in veſica præoſtendit. De hac vrina agens Rhaſius 10.*cont. cap.*30. dicebat: *Vrina ſero vel albæ ceruiſiæ ſimilis, ſignificat ægrum in aliquo ex foraminibus vrinæ vulnus habere.*

Proſequitur deinceps Auicenna, oſtendítque albedinem ſimilem genituræ, ſignificare criſim apoſtematum phlegmaticorum, vel morborum qui ex pituita, præſertim vitrea ortum ducunt; hac tamen conditione, dicit Rhaſius *loc.cit.* vt ſi vrina lacti, vel ſpermati ſimilis, ſit pauca, paralyſim, vel apoplexiam demonſtret; ſi verò ſit multa, ipſarum ſolutionem portendat.

Pro coronide duo addam, primum ex Braſauolo *in com. ſent.*72.*lib.*4.*Aph.* ſeptem eſſe cauſas, ob quas vrina alba excernitur. Prima eſt, nimius aquæ, aut vini aquoſi potus. Secunda, bilis tingentis ad alias partes traductio. vt cerebrum, inteſtina, & aliquod quod inflammatur, membrum. Tertia, debilitas virtutis attractiuæ, & expulſiuæ viarum vrinæ. Quarta, debilitas retentiuæ iecoris, & viarum vrinæ. Quinta, frigiditas vehemens iecoris &

membrorum

membrorum naturalium. Sexta, valida renum attractio; ſeptima, obſtructio meatuũm, & viarum vrinæ.

Secundum eſt Hip. *in 2.prog.33. In pueris vrina aquoſa, deterrima eſt*, quoniam, vt Galenus *in com.* confirmat, in eis omnia concoquuntur ocyſſimè, præ robore facultatis alterantis. Deinde hæc vrina periculoſior eſt in iuuenibus, & vergentibus, quàm ſenibus: nam illis eſt improportionalis, quò enim ſymptoma quoduis à natura ægrotantis magis recedit, periculoſius eſt, 2.*aph*.34. Denique in initiis, & incrementis febrium, eiuſmodi colores vrinarum ſunt praui: præſertim quò vehementiores ſunt febres: nam multitudinem materiæ putrefactæ, & crudæ præoſtendunt, aut humoris tingentis ad alia membra raptum indicare ſolent. Et hæc de vrina aquoſa, tenui, & alba, quæ ad maiorem explicationem *hiſt.* 133. *lib.* 2. ſummè ſunt vtilia, & vſu frequentiſſimo confirmata.

QVÆSTIO XXIX.

Vtrùm vrina rubra, viridis, liuida, nigra à calore ſemper ortum ducant.

POſtea verò quàm affatim vrinæ albæ genera exequuti ſumus, quantum noſtra paruitas tulit, ex multiiuga auctorum lectione, Hippocratis placita ſubnotare non inconcinnum omnino fuerit: Is enim facundus auctor, *lib.2.prog.27.* ſic ait *Si vrina ſubrubra fuerit, ac ſedimentum ſubrubrum, & læue, adiuturnior hic morbus quàm primus, ſed admodum ſalutaris.* Quam ſententiam priuſquam interpretemur, aliqua de vrina rubra, & ſubrubra, adnotare non erit abs re.

Vrinæ rubræ tria tantùm genera à Galeno connumerantur, eas namque diuidit in rubras, ſubrubras, & impensè rubras, ſeu prærubras *lib. 1. prorrhet. com. 32. & lib. 2. com.25.* de quarum prædictione ita Gal. in hoc poſtremo loco ait. *Volo autem vt memoriæ mandes, quæ de ſubrubentibus vrinis in prognoſtico dicta ſunt his verbis. Vrina ſubrubens ſi fuerit ſedimentúmque tum ſubrubrum, tum læue, hæc priore quidem diuturnior, ſed valde ſalubris. Subrubens igitur vrina, cuius meminit in prognoſtico, ab impensè rubra, de qua nunc agit, valde diſtat; nempe quòd impensè rubra, cruda & inceEla ſit, ſuprà explicauit. Subrubentem verò commendat quidem tanquam ſalubrem, ſed diuturnioris temporis ſignum eſſe ait. Quod verò rubens vrina in medio tum impensè rubra, tum ſubrubentis conſtituta, medium tum laudis, tum vituperij obtineat, palam eſt omnibus.* Hæc ille. Ex iis docemur, vrinam rubentem ſecuritatem morbi portendere; minùs, ſubrubentem; & adhuc minùs, prærubentem.

De ſingulis in genere breuiter dicendum & primò. Si vrinæ color ſequitur exuperantiam humorum, & in omni homine ſanguinis copia maior eſt, quàm aliorum, ex Gal. & Hip. 1.*de nat.hum, text* 8. & 28. & 2. *de elem. vlt.* cur non omnis vrina apparet rubea? Dic, ex Actuario 1.*de cauſ.vrinar.cap.*6. cauſam eſſe, quia natura tempore ſanitatis, præſertim ſi humores non ſuperabundent, nunquam excernit aliquem ex humoribus, qui alere corpus conſueuerunt, (qualis maximè ſanguis eſt) cùm eiuſmodi nutrimenti ſẽper indiga ſit. Dic ſecundò, quia renes à proprietate trahẽtes ſeroſitatem bilem quidẽ cùm tenuior ſit, trahere poſſunt, ſanguinem verò non ſimiliter; & licèt attrahant, non dimittunt, quia eo egent ad nutritionem ſui, illo enim aluntur 5.*de vſu part.*6.*prope fin.* & 3.*de natural.facult.vlt.*

Secundò, quæ ſit cauſa vrinæ rubeæ? Actuarius 1. *de caſ. vrinar. cap.* 9. latè docet, eam produci ob permixtionem vel ſeroſitatis ſanguinis, vel bilis rubeæ. Sed non videtur ſatisfacere: nam conſtat ex Gal. 6.*epid.ſect.*5.*com.* 14. bilem rubram eſſe ſanguinis ſerum; & *inferiùs* ſubiungit, *propterea Hippocratem dicere, rubeas vrineas à ſanguine fieri; quia nec poteſt cogitari ab alio abundanti humore, vlla in parte colorem rubrum fieri.* Deinde Auic. 2. 1. *doct.* 3 *cap.* 2. omnes ſpecies vrinæ rubeæ, dominium ſanguinis ſignificare affirmat.

Dic. Bilis rubra datur, ex Gal. 1.*de natur.human.*5. & 20. Auic. 1.1.*tract.*4.*cap.*1. & 4. 1. *cap.* 20. & Claſſici eam concedunt libenter. Gal. vocat 6.*epid. cit.* ſanguinis ſerum, ob maximam ſimilitudinem, & affinitatem, quam cum eo habet; & ob eam cauſam comprehendens Galenus bilem rubram ſub ſero ſanguinis, videtur dixiſſe *loc. cit.* vrinas rubeas fieri non poſſe, ob redundantiam alterius humoris à ſanguine.

Cauſa igitur vrinæ rubeæ, eſt ſuperabundantia ſanguinis, aut ſeri eius, aut bilis rubeæ, aut ob alias cauſas citatas ab Auic. nempe ex iecoris, & renum imbecillitate, non ſeparantium ſanguinem à partibus aquoſis; tum propter putredinem pituitæ intra vaſa, ex qua ipſa pituita redditur rubea, & ſimili colore tingitur; quare vt inquit Auic. 1. 4. *tract.* 2. *cap.* 47. in febre phlegmatica vrina in primis eſt alba, deinde fit rubida. Denique in plurimis morbis frigidis rubea apparet, vt accidit perſæpe in colico dolore frigido, in quo ob vehementiam doloris commouentis, & agitantis, bilis ipſa acrior fit, & ſic vrina rubido colore inſignitur, vt latè *lib.2.de praxi medica admiranda, obſ.* 63. comprobauimus. Ex iis aduerte, maximè errare Medicos, qui viſa vrina rubida illicò ad ſanguinis miſſionem accedunt, quum multoties ab aliis cauſis, præterquàm ab abundantia ſanguinis hic color oriatur; in quibus morbis frigidis, vt v.g. in hydrope, aut affectibus internis ſcirrhoſis, ſi ſanguinem demas, in grauiſſima damna reſolutis ſpiritibus ægros coniicies.

Tertiò. Quomodo tres ſpecies vrinæ rubeæ diſtinguuntur, penes cauſas à quibus producũtur? Gentilis, & Iacob. reſpondent, vrinam ſubrubrã denotare exceſſum ſanguinis arterialis, vel ſeroſi, vel tenuis, qui vergit ad naturã bilis: at rubeã ſignificare exceſſum ſanguinis venalis moderati in craſſitie. Prærubram verò, quam Auic. pulueruIentam appellat, exceſſum quantitatiuum ſanguinis putridi oſtẽdere, vt in ſynocho quotidiano experimento palam fit.

Quartò. Si vrinæ rubræ ſanguinem redundantem in venis ipſis demonſtrant, & omnis ſanguinis corruptio praua eſt; vt *cap.6.lib.de bonit. & vitio ſuccor.* docuit Gal cur ſecuritatem morbi præſagient, & non potiùs periculum? Dic, quòd vrina rubra non ſignificat ſanguinis putredinem, ſed eius feruorem, & abundantiam, vt *cap.8.lib.de vrinis, & 3.pro.*334. retulit Gal. Huc reſpiciens Actuarius *lib.1.de prænid.vrinar.cap.*4. dixit: *vrinam rubram in ſenibus longitudinem morbi, aut mortem prænunciare, quia cùm in ſenibus copia ſanguinis non reperiatur ob ætatem, ſupereſt vt imbecillitatem retentricis facultatis, ſanguinem non continentis, aut immodicum febris feruorem ſignificet.*

Quintò. Cur vrina rubra morbi longitudinem ſignificat, ſi apud Hipp. *lib.* 4.*aph.*72 morbi breuitatem prænunciat? *Quibus ſeptimo die fit criſis iis* 4. *die nubecula rubea in vrina apparet.* Dic cum Gal. *in com.* dum ſic ait, *Niſi morbus valdè vehementer moueatur, ſeptimo die non finietur, cuius vehementiæ nubecula rubea eſt ſignum, quæ cùm raro appareat, rarò quoque talis morbi terminatio ſequetur.*

Sub vrina prærubra continetur vrina vinea, & paſſea. Illa teſte Actuario *lib.de dif.vrinar. c.* 7. (quem hoc loco, ſicut in cæteris, fidè tranſtulit à Græco in Latinum ſermonem Henricus Mathiſius, Medicus percelebris) nomen accepit à vino nigriori, quod ad rubrum inclinat, colorémque hepatis habet. Notat hæc vrina, ex Actuario 1. *de iudiciis vrinar. cap.*16. ſanguineum humorem exaſſari; atque vel in cæruleam, vel in nigram bilem tranſmutari. Interdum apparet in ſanis hominibus, qui multum laborarunt, aut longum iter fecerunt, tunc enim præ æſtu, & calore ſanguis exaſſatur.

Poſt vineam ſequitur vrina paſſea: nam paſſeus color, ex Actuario *loc.cit.* ex intenſione vinei coloris conſtat, & ſimilis eſt vino paſſo, vel ſapæ, vel ceraſis nigreſcentibus. Auicenna *cap.* 2. *cit.* appellat puluerulentam, quæ ex Actuario 1. *de iudiciis vrinarum, cap.* 17. humorem bilioſum aduri ſignificat; & ſi perſeuerauerit, auriginoſum morbum adeſſe, vel futurum demonſtrat., & probat Auic. *loc.cit.* ſignificare icteritiam; quod intelligendum eſt, ex Actuario 1 *de prænidentiis vrinar. cap.*8. quando non adeſt febris: nam aliquando hæc vrina ſolet apparere in febribus malignis, quando corpus, & viſcera vexantur incendio, & bilis exaſſatur, & turbantur humores.

Sequitur color viridis, quẽ Græci chlorũ etiam appel-

lant,vt conſtat ex Galeno *lib.2.prog.7.& lib.2.com.20.* 21. 39.& 47.& *lib.2.de rat.vict.com.22.& 6. de morb. vulgarib. ſect. 2. com.* 17 Viridis apud eundem Galenum *lib. de atra bile,cap.2.& lib.5.aph.1.& 2.progn.*39. duplex eſt : porraceus videlicet , & æruginoſus : vterque in ventriculo , & vaſis progignitur , vt hoc poſtremo loco Galenus docuit. *In ventriculo,*inquit,*ob eſculentorum cruditatem;in vaſis verò ob nimium incendium,atque aſſationem.*

Vtrùm verò viridis vrina ſit ſemper caloris ſoboles,dubium eſt. Auicenna 2. 1. *cit.* refert quinque viroris ſpecies,ſcilicet fiſticalem colorem. Irios, Indicum, æruginoſum , porraceum : Fiſticalis autem color eſt ſimilis colori fiſticorum : fiſtica verò ſunt grana ſimilia auellanis , oblongiora tamen , in quorum medullis quum franguntur, apparet viriditas nõ pura, ſed cum quadam liuiditate permixta. Auicenna ergo has omnes, præter duas poſtremas, à frigida cauſa naſci opinatur. Idem docet Auerthoës 4. *collig.*22.licèt poſtea oppoſitum inſinuare videatur. Galenus *lib.1. prog.* 10. aſſerit , colorem viridem eſſe tanquam initium quoddam nigri , liuidique , quem frigus perinde quaſi nigrum efficit. Deinde,quemadmodum latè docet 2. *ſimpl.* nec ex colore , nec ex aliis qualitatibus poſſumus certò intelligere,an res quæ in examen venit,ſit calida,an frigida , ſed id experimento ſolo intelligitur : color enim viridis,& in frigidis,& in calidis viſitur,vt apparet in oleribus , & fructibus.

Ex iis apparet , colorem viridem aliquando caloris, interdum frigoris eſſe ſobolem. Sed hoc loco non quærimus,an viridia omnia calida ſint,id enim falſum eſſe apertè conſtat:ſed an color viridis apparens in vrina, & ſimiliter in aliis excrementis perpetuò oriatur ob aduſtionẽ, & calefactionem , aliquando ob perfrigerationem ? De quo dicendum videtur , viriditatem vrinæ,& aliorum excrementorum , abſque cauſa manifeſta , perpetuò eſſe ſobolem caloris,vt conſtat ex 2 *prog.*21. 39. 47.& *lib. 1.criſ.* 12.§.*Color verò viridis fit in tranſitu ad nigrum , & quoddam veluti principium nigri ; nam ſi morbus malignus fuerit, & vomitibus & alui excrementis,& vrinis viridibus poſtmodum nigra ſuperueniunt , &c. & lib.1.prorrhet. com.*10.§. *Flaua autem bilis cùm ſupra modum aſſatur,primùm quidem in æruginoſum migrat ſuccum . deinde in nigrum ; ſupra modum autem aſſatur propter febris magnitudinem.* Idem probat Actuarius 1.*de cauſ.vrinar.cap.*12.

Ex quibus omnibus facilè colliges , ſemper calorem immodicum eſſe cauſam excrementi viridis in ægrotantibus : nam aliquando ſanitatis tempore in ventriculo ſolùm bilis porracea gignitur , cuius cauſa non eſt aduſtio, aut ingens calor , ſed alimentorum cruditas , & eorum qualitas , aut praua concoctio , vt *lib. 2. de temp. cap. 6. & lib. de atra bile , cap.*2.notabat Galenus : explanat Valleſius luculenter 1. *cont.* 18. nam ea ſine periculo excernitur , 3.*alim.*39.

Nunc ad oppoſita.Dic primò , illas tres ſpecies , quas Auicenna frigiditati tribuit , non verè ad colorem viridem pertinere,ſed potiùs ad liuidum , ſeu Venetum , quibus valde aſſimilatur , vt notauit interpres. Ad Galenum verò 1.*prog.* 10. Dic. Licèt color liuidus à frigiditate fiat, non tamen proinde oportet viridem , qui eius quoddam initium eſt, ſimiliter à frigore fieri. Nam liuor dupliciter à frigiditate fit , primò propter frigiditatem poſitiuam paulatim increſcentem ; ſecundò , propter ſuffocationem refrigerantem , & extinguentem calorem innatum, quam ſolet antecedere vehemens calor ; & ratione huius liuidum colorem aliquando præcedit viridis , tanquam quoddam rudimentum illius. Dic præpterea Hipp.& Galenum *ibi* non loqui de colore viridi apparente in excrementis, de quo hîc tantùm agimus , ſed de apparẽte in facie ægri, quem ex ſolo frigore viridem apparere contingit, vt *lib.1. prog.*7.aduertit Galenus:hoc enim nigrefacit ſanguinem, qui permixtus cum bile rufa,qua ægrotantis facies tingebatur , efficit viridem colorem ; cuius coloris generatio explicatur à Platone *in dialog. de natur.* Quare tantùm in excrementis viridis coloris generatio perpetuò à Galeno calori tribuitur , & maximum incendium ſignificat,& ex eo morbi malignitatem præoſtendit ; quæ tandem inter-ficit,præcipuè ſi æruginoſa ſit, ex Auic. *cit.* Quod intelligatur , dummodò criticè non fiat,& præcedentibus ſignis coctionis à natura non excernatur.

De colore liuido nunc tantiſper agendum eſt , de cuius cauſa plura diximus *lib.3.in com.hiſt.* 5.qui tantùm frigiditatis eſt effectus,vt firmat Galenus 1. *criſ.* 12. Quod intelligatur aut ratione frigiditatis poſitiuæ, aut priuatiuæ, ſcilicet frigiditatis, quæ ad extinctionem naturalis caloris conſequitur, ob caloris non naturalis vehementiam reſoluti. Hic ergo color aliquando oritur ob moderatam atræ bilis permixtionem,vt colligitur ex Galeno 2. *præſag.*22. & docet Actuarius *lib. 1. de cauſ. vrinar.* 13. & interdum ob modicam permixtionem melancholiæ , vel ob plagas , & verbera , ex Actuario *cit. & 1. de indic. vrinar. cap.* 20.

Galenus verò *lib. 1. criſ. cit.* ſolùm de prima cauſa facit mentionem; nam ea ſola in morbis acutis vrinam verè liuidam conſtituit. Oritur ergo color liuidus à frigiditate , id eſt , defectu innati caloris , & ſic vires maximè arguit imbecilles , vt ſcitè aduertit Galenus *lib. 1. epid. ſect. 2. com.*65. Qui color ſi in extremis apparet , vnguibus ſcilicèt,ac digitis , cum corporis grauitate , celerem mortem præſagit , ex Hipp. 2.*prog.*8.*ſi corpus adeò graue eſt, vt vngues quoque ac pedes liuidi ſint , expectanda continuò mors eſt.* Liuidus namque color ſemper in febribus malus eſt, 6. *epid.ſect.*1.*text.*29.modò criticè vacuatio non fiat , 4. *aph.* 47.*Excretiones in febribus non intermittentibus,liuidæ, cruentæ fœtidæ omnes malæ : at ſi benè exeunt,ſiue per alui excretionem,ſiue per vrinas,bonæ.*

Inquires primùm , cur ex defectu innati calidi liuidus exoritur color ? Dic , experimento conſtat, apparere ſæpe liuidum colorem in partibus natiuo calore deſtitutis, etiam in cadauere hominis mortui , 8. *probl.* 1. Defectus enim natiui caloris dupliciter gignitur , primò à frigiditate poſitiua condenſante humores ; nam ſicut in nube, ſi ob frigiditatem ambientis condenſetur, liuidus apparet color , ſimiliter humores à frigiditate poſitiua denſati liueſcunt : quare Galenus 4. *de ſanit. tuend.* 7. ex colore liuido , albo mixto , pituitam frigidiſſimam, quam vitream Praxagoras appellat,in corpore redundare colligit. Fit ſecundò , à ſuffocatione extinguente calorem natiuum , vt apparet in verberatis , plagiſque affectis , in quibus ſanguis ob dolorem ad partem dolentem confluens copioſè,& impetuoſè , ingenitum partis calorem ſuffocat , proinde liueſcit ſanguis.

Inquires ſecundò. Cur proferat Galenus 1. *criſ. cit.* liuidum colorem ſolius frigiditatis eſſe effectum , ſi aliquando ex modica permixtione atræ bilis oritur , & ex modica portione melancholiæ , vt *ſuprà* docuimus. Dic. Quia mens illius *in lib. de criſ.* eſt docere , quo pacto & præſens criſis poſſit intelligi , & futura præcognoſci: vera autem , & propria criſis inuenitur in morbis acutis, qui celerrimè mouentur,idcircò de liuido colore mentionem non fecit, cùm ex permixtione atræ bilis, vel melancholiæ progignitur.

Inſtabis primò. Quomodo poteſt liuidus color perpetuò oriri à frigiditate ſi vomitio liuida quæ graue olet, & citiſſimam indicat abolitionem , ex Hipp. 2.*prog.*4. 1. à calore emanat ? nam fœtor à putredine oritur , 1. *prog. vlt.* & hæc à caliditate extranea ortum ducit , 4. *meteor.*1. & 11. *meth.cap.* 8. Dic. Hæc vomitio putredinem indicat cum extinctione , vt Galenus aſſerit *in com.* Quare ſicut vbi dantur duo effectus diuerſi,fœtor nimirum,& liuidus color , ſimiliter dantur duæ cauſæ, ſcilicet abundantia extranei, & defectus proprij,innatique caloris. illi tribuitur fœtor , huic liuor,ideò hic ſemper ex penuria prodit caloris innati.

Inſtabis ſecundò. Color niger,vt patet 1. *criſ.*12. & *lib. de vrinis,cap. de nigro colore* , à calore vehementi, & à frigore originem ducit. Igitur liuidus qui eſt veluti principium nigri , immò eſt niger remiſſus , ab eiſdem orietur cauſis,licèt remiſſis. Dic. Liuidus color ſumitur dupliciter, propriè,& impropriè : primo modo pro colore plumbeo, & intermortuo , qui ſolummodò oritur ex inopia innati caloris : impropriè , pro colore illo nigro remiſſo , qui

aliquando à calore gignitur; verùm hic nonnihil ſplendoris habet, & ad viridem declinat, quòd in plumbeo, & intermortuo non reperitur.

De nigro colore vrinæ, conſtans eſt ſententia Galeni *1. criſ.* 12. *& 1. prorrhet.* 4. *& lib. de atra bile, c. p.* 3. fieri vel ob nimiam frigiditatem mortificantem calorem innatum, vel ob permixtionem atræ bilis, genitæ ob vehementiſſimum calorem, aſſantem bilem flauam, vel melancholiam, tum ob permixtionem melancholici humoris: firmant Actuarius *1. de cauſis vrinar.* 13. & Aëtius *tetrab.* 2. *ſerm.* 1. *c.* 44. de quo argumento ſatis multa diximus *lib.* 2. *in com. hiſt.* 127.

Verùm rogabis, ſi color niger & à calore, & à frigore emanat, quo pacto Medicus agnoſcet an à calore, vel frigore originem ducat? Dic. Si priùs fuerit micta liuida, deinceps nigra, à frigore ſine dubio ortum ducit: ſi verò flaua, vel viridis, à caliditate, ex Gal. *lib. de vrinis, c.* 23. & Aëtio *cit.* & Actuario 1. *de iudiciis vrinar.* 10. Præterea ſi nigra à caliditate fit, aliquantulum ſplendet: ſi à frigiditate, penuriáque caloris innati, intermortua eſt. Accedit quòd in exitu, ſi à calore gignitur, ſentitur ardor, & fœtor.

Vrinam nigram non ſemper peſſimam eſſe, immò in morbis plurimis melancholicis quandoque ſalubriter excerni, ex priſcorum mente diximus, *lib.* 2. *in com. hiſt.* 132. An tamen ſit deterior liuida, difficile eſt explicare. Dic. Si vterque color ab vna cauſa emanet, vel à frigore extinguente calorem innatum, vel à calore adurente humores, perpetuò niger deterior eſt, & periculoſior; eſt enim terminus liuidi. Si verò niger ortus à calore, conferatur cum nigro orto à frigore ſimpliciter hic deterior eſt; frigiditas enim mortificans calorem innatum, deterior eſt calore adurente humores. Si autem vterque color oriatur ob aliquam criticam vacuationem humoris nigri, liuidus deterior eſt; criſim enim imperfectam, & imbecillitatem virtutis ſignificat, non potentis niſi parum de humore noxio vacuare: & ob oppoſitam cauſam melior eſt: & ob hanc rationem exiſtimo Hipp. 2. *prog.* 9. dixiſſe: *Si digiti, ac pedes omnino nigreſcunt, minùs peſtiferum eſt, quàm ſi liueant.* Quòd ſi vterque color oriatur propter aliquam ſymptomaticam vacuationem dicti humoris; conſtat nigrum multò deteriorem eſſe liuido. De variis vrinarum coloribus, & præſagiis, conſule Vdalricum Binder *in ſuo ſpeculo videndi vrinas hominum*, qui appoſitè de hoc negotio diſſeruit.

QVÆSTIO XXX.

Vtrum materia ſedimenti in ſanis, ſit portio chyli inconfecta, & diuerſa à materia ſedimenti ægrorum. Contra Turiſanum, Fernelium, Caſſanum, Cardanum, Sanctorellum, & alios Medicos doctiſſimos.

INdiſſolubilis eſt hæc quæſtio, tot opinionum labyrinthis intricata in cuius contemplatione caligat mens, & altioribus merſa tenebris, rapitur tranſuerſa. Hanc nos agitabimus breuiter, & relictis multorum ſententiis (has enim eſſet immenſum recitare,) veritatem ſine ambagibus exponemus, aduertentes Galen. *1. criſ.* 12. tres contentorum differentias aſſignare, locis inter ſe diſtinctas, quæ omnes ineptè à pluribus nomine hypoſtaſis comprehenduntur, vt docet Auic. 2. 1. *doct.* 3. *c.* 6. Prima ſubſidet in ima parte matulæ, & propriè vocatur hypoſtaſis, ſedimentum, & ſubſidentia. Secunda reſidet in media parte, & vocatur enæorema, appendiculum, & ſuſpenſum. Tertia ſupernatat in vrina, & nominatur nephele, ſeu nebula. De prima igitur ſpecie contentorum vrinæ, quam propriè hypoſtaſim vocant Medici, modò agendum nobis eſt.

Hæc tria ſicut loco differunt, ſic præſtantia, & ſignificatione: nam cùm calor inſitus, & naturalis pernicioſos humores prorſus euicerit, atque concoxerit, bona fit hypoſtaſis, alba, læuis, & æqualis, quam Hipp. *lib.* 2. *prog.* 26. commendat nimis, & quæ eſt omnium perfectiſſima. Enæorema verò etſi album, læue, & æquale ſit, minùs tamen bonum eſt, quam hypoſtaſis; & debilem quodammodo calorem oſtendit, qui nondum planè coctam materiam ſubigere, & à flatu exutam in fundum depellere potuit. Nubes denique alba, læuis, & æqualis, bona etſi ſit, à cæteris tamen longo interuallo recedit; cruditatis enim imbecilliorísque caloris eſt nuncia. Si verò ſedimentum vel enæorema, vel nebula fuerint præter naturam, vt nigra, aut liuida, tantò ſunt deteriora, quantò magis ad locum hypoſtaſis deuergunt: nam ſicuti ſi bona, naturaliaque ſunt, quò magis ad fundum vaſis declinant, eò maiorem victoriam caloris naturalis arguunt manifeſtè, ſic præternaturalia caloris extranei maiorem exceſſum ſignificant.

Sedimentum ergo duplex eſt, in ſanis vnum; in ægris alterum: vtrumque cauſam habet materialem, & formalem. Illud pluſquam Commentator *tract. de hypoſtaſi*, aſſerit ſedimentum laudabile, eſſe partem chyli non integrè confectam, nec in iecore in ſanguinem abſolutè tranſmutatam; quæ ſimul cum vrina expurgatur; & ſic inquit; non appellari propriè excrementum ſecundæ coctionis, ſed id quod in illa in ſanguinem conuerti non potuit.

Eſſe autem ſedimentum partem chyloſam (vt ita dicam) inſanguificatam in primis probari poteſt ex Galeno *1. criſ.* 12. dicente vrinam quæ ſubſidentiam bonam, & multam fecerit, ſignum eſſe plus vacuari de humore, qui crudus appellatur. Sed non eſt intelligendum, hunc humorem crudum, eſſe pituitam, quia licèt illa per comparationem ad ſanguinem poſſit crudus humor vocari, quia infra ſanguinem ſubſiſtit, non dicitur ſimpliciter humor crudus; nam inter illum, & pituitam, diſtinctionem inuenit Galenus *lib. de plenit. cap. vlt. ad med.* Dicemus ergo, multam ſubſidentiam ſignificare euacuationem multi humoris crudi, id eſt, chyli non integrè confecti, nec in ſanguinem, & alios humores tranſmutati. Hoc etiam innuit *1. criſ.* 12. cùm docet, in pueris, edacibus, & otioſam vitam agentibus, plus de hoc crudo humore coaceruari, ac proinde in illorum vrinis plus de ſedimento per ſanitatem apparere.

Prætereà deducitur ex Gal. 1. *prog. com. vlt. ad fin.* vbi inquit: *Quidquid enim alimenti in ſanguinis generatione naturâ refugit confectionem, ſubſidet in vrina, neque vt ſanguis ab ea commutatum, neque vt pus cauſa præter naturam particeps.* Sed id quod in ſanguinis generatione naturæ refugit confectionem, non eſt aliud quàm portio chyli inconfecta. Illa ergo eſt ſedimentum.

Sed hæc opinio eſt reiicienda ob multas cauſas. Primò, quia ſequeretur, quod in principiis morborum vrina plus ſedimenti haberet, quàm in ſtatu, quod non experimur: quia tunc plus eſt de crudo, & inconfecto ſucco, quàm de ſanguine, quum natura imbellis ſit, & humorum copia grauata. Hac ratione vtitur Auicenna contra Rhaſium, 1. 4. *tract.* 2. *c.* 7. §. *At ſi iſte non audiuiſſet in ſermone antiquorum, &c.*

Secundò. Si ſedimentum eſſet portio chyli inconfecta, quum generetur per cruditatem, quomodo poſſet ſignificare coctionem factam in iecore, & venis, & diſtinguere morborum tempora, quæ penes gradus humoris peccantis ſolent diſtingui?

Tertiò. Sedimentum, veluti lac & pus, debet eſſe candidum, quia aſſimilatur partibus ſolidis quæ ſunt candidæ, dum tranſmutatur ab illis. Si igitur iecoris, aut venarum, & partium ſubterfugit coctionem, non poterit illis aſſimilari ſecundum colorem.

Ergo ſedimentum cùm appareat album, propter alterationem quam recipit in poris vaſorum, & reliquorum membrorum radicalium, ex Gal. *lib.* 1 *prog. com. vlt.* eſt excrementum tertiæ coctionis, quæ in meatibus ſolidorum perficitur, vt firmant Auer. 4. *col.* 14. & Iſhaac *lib. vrinar. part.* 8. Quare illud non eſt aliud, quàm portio ſanguinis, quæ in ſubſtantiam vaſorum radicalium non potuit tranſmutari, ſed poſtea cum vrina expurgatur.

Intellige tamen per tertiam concoctionem, factam in

poris venarum, non verò eam quæ in meatibus membrorũ extra venas celebratur:cùm enim hæc concoctio fiat in partibus ſingulis,recrementa illius cùm ſint meatibus impacta neque ad venas recurrere, neque cum vrina expurgari poſſunt, ſed per ipſas partes ſordium,aut ſudoris inſtar vacuantur, aut per inſenſilem tranſpirationem euaneſcunt,vt *1.de valet.tuend.c.*12.aduertit Gal. Licèt enim totum corpus ex toto trahat, & toti impertiatur, vnáque omnium confluxio, & conſpiratio eſſe videatur, vt ex Hipp. docet Galen.3. *natural.* 13. Tamen nunquam à dictis partibus fit retroceſſus ad viſcera, niſi cùm magna vrget neceſſitas, ſicut per famam fieri docuit Galenus 3. *facult.c.citato.*

Verùm hanc doctrinam auctoritates,& rationes oppugnant.Nam Galen.1.*criſ.*12. ait, bonam & multam ſubſidentiam ſignificare vacuationem multi humoris crudi: hic autem in tertia coctione non gignitur. Ergo ſedimentum eſt portio ſanguinis, non commutata in ſubſtantiam membrorum.

Secundò. Galenus 1.*criſ.cap.*5.§. *Nam cùm adhuc coquitur ſanguis, &c.* docet, quòd quando ſanguis concoquitur,vrina multam, & bonam ſubſidentiam facit;poſtquam verò perfecta eſt concoctio, color quidem vrinæ intenditur, minùs autem ſubſidet. Sed quandiu ſanguis coquitur,non fit tertia concoctio; quando verò perfectè ſanguis coctus eſt,tunc fit tertia. Ergo multum euacuaretur excrementi tertiæ coctionis, antequam ipſa fiat; paucum verò quando ipſa fit,quod eſt impoſſibile. Tertiò. Galen. *lib 3. meth.c.3. ad princ.& 1.de ſanit.*12. *ad med.* duo tantùm recenſet excrementa tertiæ coctionis, quorum neutrum ſedimentum eſt. Ergo hæc doctrina Galeni menti conſona non eſt.

At hæc facillimè ſolues.Dic ad primam, Galenum *cit. contextu* ſolùm velle vrinam facere multum ſedimentum, quando ſanguis multo humore crudo abundat,quia videlicet multum illius ſupereſt incommutatum in ſubſtantiam membrorum, quod abit in formam ſedimenti. Ad ſecundum dic, velle Galen.*illo capite*, vrinam facere multam ſubſidentiam, quando ſanguis non in ſecunda, ſed tertia coquitur coctione,qua ſcilicet in ſubſtantiam membrorum tranſmutatur; paucum verò ſubſidere, quando tertia concoctio eſt perfecta, quod allatæ doctrinæ non repugnat. Ad tertium dic, Galenum non meminiſſe ſedimenti inter recrementa tertiæ coctionis, propter ipſius paucitatem in ſanis.

Ex iis patere arbitror ſolutionem ad primam,& ſecundam auctoritatem, quibus opinio Turiſani erat confirmata. Ad auctoritatem verò Galeni 1.*prog.vlt.* videtur dicendum, redundare ibi verbum, *in ſanguinis generatione*, quia ſedimentum eſt quicquid alimenti naturæ refugit confectionem, non in ſanguinis generatione,ſed in tertia concoctione, & manet incommutatum in ſubſtantiam membrorum. Vel dicendum eſt materiam ſedimenti eſſe id, quod in ſanguinis generatione non exquiſitè in ſanguinem commutatur; vel commutatur in ſanguinem non exquiſitè confectum: verùm ipſi formam tribui in coctione tertia aſſerimus.

Num verò ſatius ſit in vrinis ſanorum ſedimentum apparere, controuerſia eſt apud auctores Gentilis, Iacobus,& Matthæus Gradius putant ſatius eſſe non apparere,& Magiſtrum Auicennam in ſui ſubſidium vocant,*qui* 2.1.*doct.*1. *cap.*6. ſic profatur. *Et hæc quidem hypoſtaſis non requiritur, niſi in ægritudinibus, quoniam in ſanitate non requiritur.*

Si verò contra arguas,in ſanis dari materiam, & cauſam efficientem ſedimenti, quia reperitur calor innatus materiæ prædominans, & excrementa tertiæ coctionis, quæ materia ſedimenti eſſe poſſunt: nunquam enim alimentum ita ſimile reperitur,quin aliqua eius pars coctionem non ſubterfugiat. Reſpondet Gentilis, in abſolutè, perfectéque ſanis non reperiri; in aliis verò concedit: atque concludit ſatius eſſe in perfectè ſanis non dari; probátque ex eodem Auicenna 2.4.*tract.*1. *cap.*68. & Gal. 1.*aph.*15.vbi habetur, quòd ſuperfluitates tertiæ digeſtionis debent inſenſibiliter expelli: quo enim natura A robuſtior exiſtit, eò faciliùs excernit; quare ſi in ſanis hypoſtaſis appareat, naturæ imbecillitatem, & materiæ copiam arguet.

Reluctatur tamen Galen. 1. *criſ.* 12. qui optimam vrinam in ſanis iudicauit, ſi habuerit ſedimentum album, læue,& æquale.Idem colligitur ex Hipp.2.*prog.*26. Ampliùs Actuarius *lib.* 1. *de iudiciis vrinar. cap.*4. in perfecta, & inculpabili ſanitate docet apparere ſedimentum in vrina: quare ex eius abſentia in ſanis, niſi præceſſerit tenuitas victus, poſſumus ſuſpicari obſtructiones, aut ægritudinem futuram, vt monuit Actuarius 2.*de prauident. vrin. cap.*1. Nec obſtat ratio Gentilis,videlicet in perfectè ſanis debere ſuperfluitates inſenſibiliter excerni: nam in his aliqua etiam excrementa tertiæ coctionis ſenſibiliter excernuntur, vt colligitur ex Gal. *lib. de dif.ſympt.cap.vlt.* B aſſerente duram eſſe Dioclis opinionem, exiſtimantis in optima ſanitate non oportere,vt appareat ſudor,ſed quòd inſenſibiliter excernatur.

Valde placet hæc interpretatio, quæ meo iudicio difficilium, & obſcurarum quæſtionum facilem habet explicationem.Sed an alterius quidem ſedimenti, quod obſeruamus in ægris, eadem ratio habenda eſt? Ex tempore reſponderent Turiſanus.Fernelius, & Cardanus. Ille enim *tract. de hypoſtaſi*, Fernelius *lib.de vrinis cap.*13. Cardanus *lib.*2. *contrad. tract.*3.*cont.* 21. Ferdinandus Caſſanus *prop. tract. de ſedimento ægrorum, contra Altimarum*, opinantur commentitium eſſe arbitrari, id quod ſubſidet in vrinis eſſe partem humoris, aut putrentis aut cocti; ſed idem quod in ſanis, ſcilicet portionem craſſam alimenti, quæ vrinæ mixta,actione innati calidi ad imum expellitur. Id- C circò bonum præſagire in morbis, quia vbi primùm in acutis febribus apparet, naturæ, atque caloris dominium ſignificat quæ putrides humores non ita pridem turgentes,& ferocientes repreſſit, atque edomuit, & iam ad priſtinam munerum functionem redit.

Deinde. Materiæ febrilis concoctio nec ſuppuratio eſt, nec mutatio propria, ſed ſolius putredinis repreſſio atque cohibitio; ita enim in ſtatu tota febris materia concluſa eſt, nec eius quidquam criſi vacuatum, & nihilominus, quia ſedata eſt, & in naturæ dominio atque poteſtate, vrina purior exiſtit,cum hypoſtaſi, quæ huiuſmodi ſedationem, ac victoriam certò demonſtrat,tum quia repreſſo furore noxij humoris minus cum vrina defluit; eáque tenuior, & minùs turbida eſt, quàm in initio quando ſæuiente putridine magna inerat humorum perturbatio at- D que confuſio, quorum & magna vis in vrina quoque ferebatur: tum etiam ſuperior, dominatríxque natura materiam in enæorema,vel hypoſtaſim ſecernit: Nam ſicuti vulnus ſalutare, pus album ac legitimum reddit, cui ſi febris ſuperueniat, pus ipſum peruertit, vulnúſque idcircò ſiccat,quòd inſitus calor prematur. neque rectè poſſit concoctioni incumbere, ad eundem ſanè modum per febres languidus, oppreſſúſque calor, non potens cibum ſecundùm naturam conficere, hoc modo nullam in vrina coctionem exhibet. Quo pacto pernicioſum fingunt medicinæ commentum, qui ſedimentum eſſe aſſeuerant portionem humoris peccantis, quæ à natura euicta, ob craſſitiem non potuit inſenſibiliter,vel ſudore expelli, ſed per vaſa excernitur, quum eadem ſit materia ſedimenti in ſanis,& ægris.

E Hanc tamen opinionem eſſe reprobam,auctoritatibus, & rationibus palàm faciam. Nam Galenus ſedimentum in ægris nil aliud eſſe docuit, quàm portionem humoris morbum facientis,ſuperatam à calore naturali in vaſis.In *lib.* enim 1. *de dif.feb.cap.*6.*in princip.* docuit, alterationem illam quæ in venis fit,ſimilem eſſe alterationi, quæ fit in inflammationibus.Vnde ſicuti in his ſuperante natura fit optimum,& laudabile pus;ſic in humoribus qui in venis, & arteriis continentur, generatur aliquid ſimile puri, quod ſubſidet in vrinis. Et *in fine captis* expreſsè confirmat, ſedimentum album, læue & æquale, generari ex humore putreſcente iam concocto: & *in lib.* 3. *de præſag. ex pulſ. cap.*7. profert, in rigore febrilium acceſſionum, id quod eleuatur ex humore acceſſionem faciente fumidum, & fuliginoſum, arteriarum contractione expelli; quod autem

autem remanet vitioſum, per meatus inſignes expurgari: & ſic inflammationibus eſt pus, in venis & arteriis, id quod ſubſidet in vrinis. Idem ſentit Auic. 1.4.*tract.2.c.7.* §. *& h.mini ſedimen laudabile eſt tale, ab humore faciente ægritudinem,qui iam digeſtus eſt,&c.*

Inſuper,ſi ſedimentum ægrotum nihil aliud eſſet quàm portio alimenti cruda, non video quomodo morborum tempora poſſent diſtingui ex ſedimento apparente in vrina. Deinde plus ſedimenti appareret in principiis morborum,quàm in ſtatu; aut ſaltem nulla aſſignabitur ratio, quare in ſtatu morbi, maior copia ſedimenti appareat, quàm in declinatione.

Neque vim argumentationis effugies,ſi afferas in principiis morborum non apparere ſedimentum, quia natura, certa, ſtatáque habet tempora, quibus pro diuerſitate facultatum operatur variè. In initio enim morborum vacat aliis naturalibus operationibus, ſolummodò ad retinendum conuerſa; & cùm cæca ſit, non modò materiam morbum facientem, ſed & omnia excrementa retinet: hinc eſt quòd tunc aluus ſupprimitur,lotium coërcetur, neque ſudores effluunt; quod ſimiliter contingit ſucco illi crudo ſanguificationes fugienti, qui tunc cum vrina non excernitur. Quum verò declinat morbus, tenditque ad manifeſtam coctionem, tunc in vrina apparet. Specioſa quidem mehercle, eſt hæc, ſed erroris pleniſſima explanatio. Quid enim frequentius in ore medicorum, aut à vetuſtiſſimis auctoribus magis promulgatum, quàm vacuationes in principiis morborum fieri à natura, per quas etſi ſymptomaticas, excrementa plurima emanant,per ſudorem,vrinam,alui profluuium,natura non ſolùm tunc temporis non retinente, ſed ad excernendum properante?Cur ergo ſi hæ vacuationes in principiis contingunt,ſedimentum non apparet in vrina?Dic. Quoniam cùm portio humoris peccantis,ſolùm cocto morbo, cæterorum excrementorum inſtar,à natura excernatur, idcircò ſedimentum in ægris, nonniſi eunte morbo in iudicationem,apparere ſolet.

Vltimò. Quia medici omnes ad concoctionem morbi pituitoſi expectant copiam ſedimenti; in morbis verò bilioſis, non ſimiliter, ſed tunc appendiculum, aut nubecula ſatis ſunt: quæ omnia ridicula eſſent, ſi ſedimentum nulla pars eſſet humoris pituitoſi, aut bilioſi, ægritudinem facientium. Hanc ſententiam defendunt Donatus ab Altomari *prop.tract.de ſedimento*, Chriſtoph.à Vega 1.*prog. vlt.* Thom. à Veiga *lib.*1. *feb. cap.*5. Valleſius 3.*cont.* 26. Ioubertus *tract.de vrinis,cap.*14.Mercurial. *lib.*2. *de excrement.cap.*4.Nicolus *ſerm.*2.*tract.*5.*cap.*18.& alij viri in arte clariſſimi.

Neque Galenum intelligas cum Santorello *lib.* 8. *ante-praxis*, *cap.*5. de critico ſedimento, quod eſſe portionem cauſæ morbificæ ipſe concedit; quum non criticum, ſit portio alimenti crudi & incocti. Nam præterquam quòd hæc diſtinctio eſt ad libitum inuenta, non profert rationem quare ſedimentum, quod in diuerſo morbi ſtatu excernitur,ſit portio materiæ morbum facientis.

Vt verò ſcias, quanti valoris ſint argumenta Fernelij, quibus intricatus à Galeni doctrina deflectere voluit, ea exaudi. Arguit enim primò in hunc modum. In febribus ardentibus, torrida bilis à qua pendent, non poteſt per concoctionem in pus verti,vel in aliquid puri ſimile,quale eſt ſedimentum. Ergo. Dic. Venæ continentes dictam bilem, quidquid eius malignum eſt, conantur emendare, illud ſibi aſſimilando; vnde albedinem inducunt, & in ſedimentum vertunt.Et licèt bilis vtraque per ſe incoctilis ſit, ſanguini tamen permixta, vel exiguo, & per ſanitatem alere, & per morbos tam febriles, quam eryſipelatoſos in pus verti, & concoqui poteſt: & hoc non ſolùm experientia docet, ſed firmat Hippocrates *lib.* 7. *Aphor,*20.

Secundò. Bilis quæ in ſtatu morbi iam concocta per criſim expellitur, nunquam purulenta apparet, aut alba, ſed perpetuò flaua, qualis ſua natura eſt. Igitur ſedimentum quod in ſtatu febris bilioſæ album apparet, non poteſt eſſe portio bilis facientis ægritudinem. Dic,in febribus bilioſis bilem contentam in cauitate venarum, qualis

A per criſim excernitur, non albeſcere; ſed eam ſolam illius portionem, quæ ob putredinem, vel malitiam ſuam valde retinetur à vaſis, & ab ipſis immutatur ad eorum ſimilitudinem, albedinem acquirendo.

Tertiò. Si in ſtatu excideret per vrinam aliqua portio materiæ noxiæ, in principio verò, & augmento nihil,vrina eſſet craſſior in ſtatu,quàm in augmento, vel in principio,contra experimentum. Dic, in principio ſæpe excerni aliquam portionem materiæ, quæ cùm cruda ſit, magis incraſſat & turbat vrinam, quàm in ſtatu; cæterùm adhuc non habet formam ſedimenti: in ſtatu verò per vrinam vacuari partem materiæ incineratam iam, & in ſedimentum verſam exquiſitum: quare minùs vrinam turbat & incraſſat.Dic ſecundò. Vſque adeò frequens eſt craſſeſcere vrinam, quò magis morbus tendit in ſtatum,vt ſi contrarium accidat, tanquam rarum ab Hip. iudicetur: ſic enim B ille 4: *Aph.* 69. *Quibus adhuc febricitantibus vrina craſſa, grumoſa pauca, multitudo earum tenuis ſuperueniens,iuuat:* & Galenus *in com.*notat. *Fiunt autem & ſine febribus vrinæ tales, natura expurgante per venas totius corporis ſuperfluitates: fiunt autem & cum febre, in quibus quiſpiam fortè exiſtimaret, ad contraria tranſmutationem non eſſe bonam, quoniam magna ex parte in febribus,ex vrinis ab initio tenuibus ſit ad craſſiores conuerſio, tendente iam morbo ad ſolutionem.* Quòd verò non conueniat quod Fernelius inquit, apparere contenta in vrina per augmentum, natura iam redeunte ad ſani munera, patet, quoniam ſi per vigorem morbi, & vltimam augmenti partem tantopere laborat,& pugnat,vt Hip.ſæpe admoneat, continendum eſſe ægrum à cibo,vt tota natura ſoli intendat conflictui, quomodo credetur, ceu otians,verti ad excernendas vrinæ fæces?

C Quartò. Si ſedimentum in ægris eſſet humor faciens ægritudinem, ſequeretur quòd pro varietate humoris fieret diuerſum ſedimentum. Dic,ſicut alimenta varia à ventriculo immutantur in vnam formam chyli,& à iecore in vnam formam ſanguinis: ita & varij humores in vnicam ſedimenti formam à vaſis immutantur; ab his enim alterati,& concocti ſimiliter albedinem acquirunt.

Quintò. In febribus intermittentibus apparet ſedimentum. At illud non gignitur ex humore faciente ægritudinem; hic enim extra vaſa continetur. Igitur. Dic, in his febribus ſedimentum deciditur à cauſa antecedente, contenta intra venas, quæ adhuc non putret, & non à cauſa coniuncta iam putrente, quæ extra venas continetur. Dic ſecundò. Quando aſſerimus ſedimentum D in ægris eſſe portionem humoris facientis ægritudinem, non de quouis morbo intelligendum eſſe, ſed de his qui ab humoribus contentis intra vaſa originem ducunt; qui ſoli ſunt in quibus præcipuè vrinam medici contemplantur.

Sextò. Galenus 2. *prog.*26. *in fin.* agens de ſedimento ægrotorum,remittit ſe ad ea quæ dixit *ad fin.lib.*1.vbi aſſeruit ſedimentum eſſe partem alimenti crudam. Igitur & in ægris eadem erit.Dic Galen.2.*progn.cit.*agere de ſedimento ægrorum, non penes materiam ex qua gignitur, ſed ſolùm penes albedinem: de qua verum eſt quod docet,eandem eiuſdem cauſam eſſe in ægris,& ſanis, ſcilicet concoctionem,& elaborationem in vaſis factam.

Vltimò Galenus 1.*de dif.feb.cap.*6. ſimilem eſſe dicit conſtitutionem quæ fit in venis, ei quæ fit inflammatis particulis: quia vt in his calor naturalis inducit puri al- E bedinem, mediocrem craſſitiem, æqualitatem,& fœtoris priuationem; ſic in materia intra vaſa idem fieri exiſtimandum eſt: vt in pleuritide, in qua ſputum coctum fit puri ſimillimum. Sed aperto abſceſſu pus exit traditæ conditionis. Ergo ſimiliter in coctione humorum in vaſis fieri oportet. Sed poſt optimam vrinam excernitur criticè bilis,& flaua, & putrens, & fœtens, valde diſſimilis ab albedine, & æqualitate ſedimenti. Ergo ſedimentum non ex materia morbifica, ſed ex alimenti portione deciditur.

Occurrit Thomas à Veiga *loc.cit.*non eſſe neceſſarium, vt tota materia vertatur in coctam albedinem, & æqualitate præditam, ſed partem illius, quod ſufficit, vt criſis ſit perfecta: tunc enim cocta portiuncula humoris noxij,

naturæ

natura dominatrix remanet ſupra reſiduum. Tanta enim eſt communicatio materierum in corpore, vt ſi ex vna parte continuò decidatur ſignum coctionis,non poſſit ex altera inualeſcere putredo ad mortem.

Sed hæc ratio conuelli poteſt:quoniam inter conditiones optimæ coctionis eſt illa valde neceſſaria, vt ſit vniuerſalis, defectu cuius Cratiſtonactes, & ancilla pictoris perierunt, & 1.*epid.ſect. text.*84. ille ex crudis parotidibus, cum coctione in vaſis ; hæc ex cruditate vaſorum, ſuppuratis parotidibus. Ergo oportet omnem humorem peccantem ſimul concoqui, traditúmque ſignum reperiri in ſedimento, & excreto humore. At ſolùm apparet illa æqualitas,albedo,& fœtoris carentia in ſedimento, non in excretis.Ergo diuerſum eſt ſedimentū à materia morbi.

Dic,quòd excreta parte humoris morbifici, natura remanet potentior ſupra totum.Id probat Auicen.*in cantic. tract.*2.*num.*422.aſſerens, puſtulas in ore , & labiis, apparentes tertianam perfectè perſanare. Nec mirum, quòd poſt ſedimentum appareat criſis per deiectiones humoris fœtidiſſimi,praui coloris, & conſiſtentiæ: nam ſedimentum etſi ſit portio humoris putrentis , non fœtet, puris, aut cæterorum excrementorum inſtar, quia vrinæ liquore diu perfuſum fœtorem amiſit ; aut quoniam è longiqua regione delapſum, fœtorem depoſuit : excrementa autem per aluum,excreta ſuapte conditione fœtorem contrahunt, vt fæces, ob rationes plures , quas legat qui velit apud Laurentium *lib.*6.*de hiſt.anatomic.quæſt.*15.Mercurial.*lib.*2. *de excrementis,cap.*5.*in med.*

Hæ autem deiectiones poſt ſedimentum apparent croceæ,non ex ſeſe, ſed ex flauæ bilis permixtione , quam ſimul fellis veſica effundit; ſic enim candida pituita & cibus paulo antè ſumptus , vomitu quandoque reiicitur luteus,vel viridis, vel niger,ex bilis flauæ, aut atræ conſortio. Deinde etiam bilioſus humor poteſt, in venis & arteriis coctus,ac forſitan dealbatus , quum per aluum deſcendit,flauus rurſus apparere,ex bilis crudæ in hepate vigentis miſcella.Cæteras pto Fernelio rationes ſolutas lege apud Nicolaum Rhodium, contra Caſſanum *proprio tract. de ſedimento ægrorum.*

Solutis Fernelij argumentis, aduertere neceſſe eſt, aliquando ſedimentum apparens in morbis,generari ex portione alimenti cruda,& non ex materia morbi ; quod apparet in quartana , & aliis febribus malignis , in quibus citra leuamen ægri , ſedimentum excernitur, immò potiùs eo tendente in deterius : materia enim morbi ob perniciem ſuam rebellior eſt dicta portione alimenti. Hinc eſt quòd miſerè perſæpe decipiantur medici,ſalutem præſagientes inſpecto ſedimento , quum tamen deinceps ægrum mori contingat. Quomodo autem agnoſcamus, an ſedimentum in vrinis ægrotantium ſit eiuſdem naturæ cum contentis ſanorum, explicat Mercurialis *loco cit.* De cæteris contentis præternaturalibus , lege quæ diximus *lib.*2.*in com.hiſt.*141. & conſule Salomonem Albertum *in com.lib.Gal.de vrinis.*

QVÆSTIO XXXI.

Vtrùm ſedimenti albedo oriatur à calore naturali, an præter naturam? Contra Turiſanum, & Cardanum, Medicos eximios.

HIppocrates Medicus admirabilis, *lib.*2.*prognoſt. text.* 26. medico curaturo eſſe notiſſimum ſcribit , ſedimentum optimum quatuor habere conditiones celebres. Prima eſt albedo;ſecunda,æqualitas;tertia læuitas;quarta, quod non intermittat , ſed appareat per omne tempus, dum morbus iudicetur. Hæ conditiones omnes victoriam arguunt caloris natiui,& robur vaſorum exactè concoquentium,& ſuperantium materiam morboſam, ſimúlque ſecuritatem morbi , & eiuſdem breuitatem ſignificant,ex Galen.*in com.*& 1.*epid.ſect.*2. *com.*44. & alibi paſſim. Hæc enim eſt maxima ſimilitudo,quam in humorem paruum , irreducibilémque ad benignum , natiuus noſter calor inducere poteſt.

A Turiſanus *tract.de hypoſtaſi,cap.*3. ei ſe addixit opinioni, vt credat cauſam albedinis ſedimenti eſſe calorem, qui humorem putridum in cinerem vertit , qui ſedimentum dealbat : ſuámque firmat opinionem, ex Galen. 2. *aph.*47. vbi habet. *Fit autem dolor extenta ſimul, ac calefacta particula : febris verò ſequitur principio calefacto , & hæc ambo contingunt ex quadam veluti ebullitione, atque exuſtione ſanguinis , qui vbi ex toto exuſtus fuerit , reſiduum eius fit pus, quemadmodum ex lignorum exuſtione cinis,&c.* Ob eandem cauſam (inquit ille) ſedimentum redditur album , quia agente calore in eius materiam,pars tenuis euaneſcit;craſſa verò quaſi cinis facta dealbatur. Sed non aduertit vir doctiſſimus , quòd Galenus non comparat pus cineri in ſiccitate,ex qua pendet albedo in ſicco vſto , ſed in eo qui-
B dem relinqui in parte inflammata poſt ebullitionem, ſicut cinis ex lignis manet poſt combuſtionem.

Cardanus *lib.*1.*cont.tract.*6.*cont.*12.*in fine*,opinatur cauſam albedinis ſedimenti eſſe calorem præter naturam ſimul cum naturali : eo argumento , quia ſanguis extra vaſa putrefactus etiam albet ; & addit , potiorem albedinis cauſam eſſe calorem non naturalem, quia quando vlcus in carne ſanatur, poſt ſaniem albam videmus vincente calore innato humorem rubeſcere. Reiicitur : ſequeretur enim optimum ſedimentum, non victoriam natiui, ſed innaturalis caloris oſtendere, proindéque in lotio apparens non eſſet optimum ſignum, contra veritatem, omniúmque auctorum ſententiam.

C Nec etiam audiendi ſunt , qui arbitrantur albedinem ſedimenti oriri ab humore crudo , qui albus eſt , ex quo ſedimentum gignitur. Nec etiam qui opinantur , albedinis cauſam eſſe permixtionem aëris cum humore, ſicut ſpuma albeſcit ex permixtione flatus incluſi : hi enim meritò reprobantur, quia verum ſedimentum nullum includit flatum , etſi enæorema , & nebula eo non careant , ratione cuius in ſuprema , vel media regione ſolent apparere. Deinde ſi albedo ab humore crudo originem duceret , non indicaret victoriam naturæ ſupra humorem morbificum , nec etiam robur vaſorum oſtenderet, contra Galenum 4.*prog.*26. & Auicen. 3.4. *tract.*1. *cap.* 23.

D Cum Galeno ergo 1.*prog. vlt.* aſſerendum eſt, eandem eſſe cauſam albedinis ſedimenti , & puris , ſcilicet alterationem factam à membris radicalibus,quæ alba ſunt.

Sed contrà obiicies , primò. Plura membra in corpore ſunt carnoſa , quàm radicalia. Igitur humores in aliquo membro contenti , ex actione carnis magis acquirent rubedinem , quàm ex actione radicalium albedinem. Dic, quòd ſedimentum, in vaſis quæ alba ſunt, generatur ; & licèt in membris carnoſis gigneretur , quia tamen tranſmutatio humorum in carnem , eſt multò facilior , quàm in membra radicalia , proinde ex his plurimum elicitur excrementi; ex carne ferè nihil. Dic præterea , membra licèt carnoſa ſint,tamen non eſſe omnino rubra, immò potiùs euacuato ſanguine , ad albedinem inclinare : quòd ſi membrum affectum habeat carnem rubram , quale eſt iecur,in eo laudat Auic. 14.3.*tract.*4. *cap.*11. pus ad rubedinem tendens.

Obiicies ſecundò. Quare ſedimentum minùs albet quàm pus ? Dic cauſam eſſe,quia pus magis detinetur , &
E elaboratur in membris , integram coctionem expectans: ſedimentum autem non ſimiliter,ob facilitatem expulſionis,cùm in vaſis contineatur.

Obiicies tertiò. Quomodo in omnibus morbis ſedimentum album eſſe debet , ſi in bilioſis commendatur ad rubedinem vergens ? nam ſi bilioſæ excretiones laudantur 2. *prorrhet.* 18. ſedimentum, quum excrementum ſit, flauum potiùs ſpectandum eſt, quàm album. Dic. Galenus *ibi* agit de euacuationibus ſponte factis , in quibus vna ex præcipuis conditionibus eſt , vt peccantis materiæ fiat excretio, 1. *Aph.*20. Idcircò in bilioſis morbis bilioſas laudat excretiones , reprobans albicantes , id eſt, pituitoſas : quæ materia in vaſis exiſtens , non ita elaboratur , ſicut ſedimenti materia, proinde non oportet vt ſimiliter albeſcat. Neque nos negamus in genere ſedimenti , aliud alio magis albeſcere : nam ex pituita ortum plus

plus albet quàm ex bile, quod ex parte cauſæ materialis euenire certum eſt.

Secunda conditio eſt *lenitas*, quòd agitato vaſe facilè ſedimentum diſpergatur, & iterum vniatur, per quod à pure & humore crudo contentis in vrina,diſtinguitur: & ſic videntur explicandæ hæ duæ conditiones, læue, & æquale. Vel per læue intellige partium æqualitatem, ſeu lenitatem, quod contrarium aſpero eſt: & per æquale, continuitatem, id eſt, quòd diuulſum non ſit,quod etiam in ſedimento requiritur: nam licèt læue ſit, ſi tamen eſt diuulſum,integram victoriam naturæ non ſignificat.

Tertia conditio eſt *æqualitas*. Nonnulli æquale ſedimentum opinantur, quando per omne tempus ſimile ſemper apparet, dum morbus iudicetur: ita cenſent Chriſtoph.à Vega,& Ioan.Brauus *in com.* Quæ expoſitio licèt recipi poſſit, tamen quia Hippocrates ſuperfluis non ſolet vti,imò miram affectat breuitatem, aliquid diſtinctum videtur ſignificare.

Eſt ergo ſedimentum æquale, cuius partes omnes in craſſitie modica, & in colore, ſui vbique ſimiles ſunt; inæquale verò, quando partes diſſimilitudine quadam diſtinctæ, nec æqualiter coctæ, nec coloratæ ſunt: quare æqualitas in bono ſedimento commendatur, quia æqualiter ac plenè vniuerſam materiam ſubigi, ac ſuperari à natura, materiamque ſecundùm omnem ſui partem naturæ obtemperare oſtendit.

Quarta conditio eſt, vt cum prædictis conditionibus ſedimentum appareat quouſque morbus iudicetur: tunc enim ſecuritatem morbi, eiuſque breuitatem ſignificat: coctio enim eſt tunc perfectiſſima, & celeritatem iudicij, certámque ſalutem prædicit, 1.*epid.ſect.2.text.44.*

An verò ſit addenda quinta conditio, ſicut in pure, vt ſcilicet ſit quàm minimè fœtidum, Auicenna videtur negaſſe 2.1.*doct.3.c.6.*vbi bonam diſtinguit hypoſtaſin à pure per fœtorem.Chriſtoph.à Vega 1.*prog.vlt.*diſtinguit,in ſedimento ſanorum non dari fœtorem, in ægrorum autem concedit quàm minimum, & meritò, quia ſi fœtor ingens eſt, ſummam putredinem, calorémque præternaturalem dominari ſignificat,quæ conditio non laudaretur: ſi etiam fœtore careat, imbecillitatem natiui caloris non facientis ebullitionem in humore notaret, quia fœtoris priuatio exiguum indicat calorem,à pugnáque ceſſationem præoſtendit quod peſſimum eſt: ſicut ſi in gangræna non adeſt dolor, aut febris in falſa declinatione. Verùm ſedimenti fœtor, puris collatione eſt multò minor: idcircò Auicenna hypoſtaſin veram à pure diſcernit per fœtorem, haud inficians in ſedimento ægrorum reperiri: quinimò probabilius eſt in ſedimento ſanorum poſſe dari,nam corpora ſana fœtida habent quandoque excrementa, vt ſudores,vrinas & expirationes vt colligitur ex Gal.8.*meth.7.& lib.art.med. c.56.* Sed cur ſedimentum pure minus fœteat, docet Aphrodiſæus 1.*prob.19.*nam pus in anguſto loco detentum non difflatur; ſedimentum verò per vaſa refluens magis ventilatur,& tranſpirat.

His iactis,video te obiicientem hoc modo.Si ex optima hypoſtaſi iudicium integrum vrinæ accipi poteſt, vtpote quæ omnimodam caloris naturalis victoriam & exquiſitá morbi concoctionem demonſtret,ſuperflua videntur eſſe, quæ de vrinæ ſubſtantia& colore ab auctoribus longa ſerie enarrantur.Dic à priſcis,& recentioribus confirmata,circa ſubſtantiam vrinæ, & colorem, eſſe medica obſeruatione digniſſima:nam in vrinæ mutatione ſunt gradus. à ſumma cruditate ad coctionem exquiſitam.Crudiſſimæ ſunt decolores,tenues,aquoſæ, in quibus nulla,aut exigua eſt hypoſtaſis.Cùm natura incipit morbum concoquere, 1.*criſ.12.* color in primis mutatur, & fit ſubpallida, poſtea pallida, deinde ſubrufa: poſt colorem mutatur ſubſtantia, & quæ tenuiſſima erat, incipit iam quodammodo craſſeſcere: tandem hypoſtaſis apparet, tamen nec bene colorata, nec omnibus dotibus abſoluta. Quum verò optima fuerit, erunt reliqua in bonum ſtatum conuerſa, & colorem bonum habebit vrina, & mediocrem ſubſtantiam: quare ſupremam manum in coctione optima oſtendit hypoſtaſis. Si verò ſedimentum intermittat, & aliquando appareat, ſæpe deliteſcat, morbus minùs ſecurus eſt, & diu-

A turnus,materiámque præſupponit coctioni magis ineptam, & debilitatem caloris oſtendit. Ex his diſce, iudicium ex vrinæ ſubſtantia,& colore ſimúlque contentis, ſummè eſſe (præſertim pro curatione morborum qui vaſa infeſtant) vtile & neceſſarium.

Traditur, & alia conditio ab Iſhaac 8. *part.de vrinis,* & priùs prædixit Auic. 2.1.*c.6.cit.* ſedimentum ſit rotundum hoc eſt,pineatum,& ad figuram pyramidis declinet: cuius figuræ duas attulit cauſas Auerrhoës 4.*collig.*24. Prima ſumitur ex parte caloris agentis,qui hanc figuram deſiderat, vt apparet in flamma ignis; hinc Phyſici cor,caloris fontem hanc figuram habuiſſe affirmant. Secunda ratio ſumitur ex diuerſitate partium ſedimenti,in grauitate & leuitate,quæ à calore ſeparantur, ita vt leuiores ſurſum, grauio-
B res deorſum tendant, & ſic pyramidalis figura perficitur. Hanc conditionem videtur proferre Hippocrates 7. *Aph.* 32.dicens: *quibus bilioſa ſedimina, ſuprà tenuia, acutum morbum ſignificant*,id eſt,breui tempore finiendum;ſic enim videtur interpretari Auic.2.4.*tract.2.c.88.§ Et magis ſignificatiuum,quod ægritudo eſt velocis ſtatus,& acuta,* &c. Alias verò conditiones ſi adamuſſim explicatas legere concupiſcis,eas perbellè enucleat Ioannes Andreas Nola *proprio tract.de ſedimento ægrorum,aduerſus Caſſanum.*

Certo certius eſt apud illos qui priſcorum, & præſertim Galeni monumenta perluſtrant, vrinæ inſpectionem eſſe ad medicos vſus vtiliſſimam, & in omnibus morbis eſſe contemplandam: id equidem probant inſignium medicorum ſententiæ, qui etiam in morbis non febrilibus, imò particularibus eas eſſe inſpiciendas ſuadent. Actuarius *lib.1.de prænotionibus ex vrinis, cap.12.* affectus extremo-
C rum per vrinam etiam demonſtrari affirmat,quia videlicet ex ea non ſolùm ſtatus iecoris,& vaſorum,ſed etiam cuiuſcunque partis oſtenditur. Gal. 3 *epid.ſect.2. com.9.* ſic ait. *Atqui vrinas ſemper memineris vt ſimul inſpicias in ventris affectibus thoracis pulmonum,neruorúmque; nam bonæ ſi appareant, haud paruum prabent ad ſalutem momentum: contra ſi prauæ, amplificant agri periculum,* &c.

Ex iis diſce, in omni affectione febrili, ſiue ſit febris ipſa morbus, non ſequuta ad affectum particularem; ſiue ſit febris accidens, quæ affectum ſequitur particularem, vt pleuritis, plurimum ſibi vendicare vrinam, non ſolùm ad præſagiendum exitum morbi, qualis futurus ſit, ſed ad inueſtigandam materiæ concoctionem, & ad tempora morbi diuidenda: cùm enim vrina iecoris, & vaſorum coctionem demonſtret, 1.*criſ.12.*& ſit venarum,& arteria-
D rum excrementum ſeroſum, 1.*de ſanit.12. parùm ante med.* meritò optima nota erit eorum, quæ in vaſis continentur; 4.*de ſanit.4.ad med. & 1 prorrhet.com.4.* Quare eorum quæ intra venas ſunt,nullum eſt ſignum magis manifeſtum,aut euidens. Id ſignificauit Gal. 6. *epid.ſect.1. com.10.§. Tanta ſignorum ab vrina in febribus acutis vis eſt,vt ſoli ipſi credendum ſit;aliis verò accedentibus etiam,diuinatio tibi erit firmiſſima,perpetuóque veridica.* Explicat Ludouicus Lemoſius *lib.2. de optim.prædicendi rat.cap.5.*

Inſuper, licèt in morbis non febrilibus coctio materiæ morbum facientis, & temporum diſtinctio ex alio prorſus excremento, quàm ex vrinis colligi debeat, hæc tamen in his affectibus ad præuidendum morbi exitum ſedulò eſt inſpicienda:nam ea partium hepatis,renum,veſicæ affectiones indicat,vaſorúmque ſanguinem continentium,
E & virtutis ſuccos generantis tum robur, tum imbecillitatem demonſtrat, 2.*prorrhet.com.2.*

Si verò Galenus 1.*criſ.12.* in paſſionibus ventris, ſi ſine febri fuerint,ſola alui excrementa inſpicienda docet, quod ſcripſit 2.*prog.26.§.Hæc dixi de morbis febriculoſis: quicunque enim ſine febre,aut in cerebro,& in ipſius membranis,aut in thorace,aut in pulmone conſiſtunt,ex aliis indiciis agnoſcuntur,* &c & 3.*epid.ſect.2.com.6.* vbi docet vrinas bonas in eo paruam præbere ſalutis ſpem,non intelligas de quouis morbo particulari,ſed de voluulo, de quo *cit.loc.epid.* quæ affectio eſt lethalis.Quare in morbis non febrilibus vrina ſemper inſpicienda. Sed de præſenti argumento ſatis multa diximus.

HISTOR. XXI. GALENI, *De melle venenoſo.*

Mellis venenati eſu quidam emortui.

Quidam medicis duobus, ad vnguentariorum officinam conſpectis, attulit ad eos mel, venditurus ſcilicet : illi vbi guſtaſſent, de pretio diſceptant : at hic, tanquam illi parum offerrent, propere ſubducit ſeſe : verùm neuter ſeruatus eſt, &c. Hæc Galenus 10.de ſimpl.medic. facult.rubric.1. aduerſus Xenocratem, in fin.

PARAPHRASIS.

POſſe fieri mel venenatum arte,ſicut & aquam, vinum, oleum,atramentum, & cætera liquida,oſtendit Ioachimus Camerarius *in horto ſuo*.Sed hoc mel,quod ita celeriter interfecit,fuit mel natura ab apibus conſtructum,quando ipſæ videlicet flores venenoſos depaſcuntur.Tradit enim Dioſcorides *lib.6.ſui operis, c.*8.Heracleæ in Ponto quibuſdam annis mel perniciofiſſimum inueniri,ex floribus quarundam herbarum contracta nocendi poteſtate,vt ab aconito.ex quo apes mel conſtruere ſolent:nam qui comedunt, iiſdem ſymptomatis tentantur, quæ ab aconito inferri ſolent, vt probant Aëtius *tetrab.4.ſerm.1.c.*60. Paulus *lib.5.c.*58.& de hoc melle loquitur Auic. *lib.2.tr.2.c.*497.§. *Et ipſius comeſtio facit poſſidere ablationem rationis ſubitò, & ſudorem frigidum, &c.* Ægri enim hoc melle veſcentes humi ſe abiiciunt,refrigerationem quærentes, obliuione tentantur,corpus ſudore diffluit ; ſiti,anguſtia,& cordis oppreſſione opprimuntur.

Cognoſces mel venenatum , quod omninò non denſatur , color magis rutilus eſt , odor alienus, ſternutamenta protinùs mouentur, eſt ponderoſius innoxio : quod ſi ita ſit,iiſdem penè viribus pollet,quibus & aconitum; & naſcitur ex quibuſdam floribus , vel conflatur potiùs : nam Plinius *lib.21.cap.13.* de his ſcribens venenatis mellibus Heracleæ , inquit , *In Ponto quibuſdam annis pernicioſiſſima exiſtunt,ab iiſdem apibus facta.* Ex quibuſnam floribus declarat , cuiuſdam ſcilicet herbæ capris inimicæ , quæ ob eam cauſam dicitur *Ægolethros* , vere maximè aquoſo, quo facilius eſt marceſcere.

Commemorat & aliud venenati mellis genus,ex Rhododendri flore collectum,in eodem Ponti ſinu , quod ex inſania quam creat , menomenon appellant : eam gentem ſcribit Romanis in tributa ceram pendere, non vendere mel,cùm ſit exitiale.

Aliud mel apud Trapezuntem in Ponto ex buxo defluit,grauis odoris, quo & amentes fiunt , vt ait Cælius Rhodiginus *lib.25.lect.antiq.c.*35. de quo loquitur Strabo *lib.* 11. referens aliquos fuiſſe , qui melle tres cohortes Pompeij dementarunt,& ſic milites fuiſſe trucidatos aſſeuerat. Quantum autem buxi vis ſit mortifera , exemplo confirmat Leuinus Lemnius *lib.ſimilitudinum in bibliis herbarum,atque arborum,cap.*41.

In Perſide quoque, in Getulia Maſſylis contermina,venenatos produci fauos auctores aſſeuerant, quæ omnia peſtifera mella liuore deprehenduntur , vt eleganti ſermone , & teſtimoniis illuſtrant Dalechampius, & verſatiſſimus Claudius Salmaſius *in com.cit.loc.Plinij.*Sed quæ ratio nominis huius herbæ , ex cuius floribus hoc maleficum mel apes conficiunt, quæ origo traditur ? Herbæ primam fuiſſe inuentricem , ac miniſtram Hecaten Perſæ filiam, Medeæ matrem , cuius ſucco patrem fuiſſe interemptum, Diod.*lib.4.cap.*4.prodit.Hinc à Poëtis Hecateridem vocari. Certè Ouid.*lib.5.metam.* de ſupplicio Arachnes ita cecinit.

Poſteà diſcedens ſuccis Hecateridos herbæ.
Sparſit,& extemplo triſti medicamine tactæ
Defluxere comæ.

Niſi magis placeat ab Hecate Dea inferna,quaſi infernam,& ab inferis miſſam interpretemur herbam.Fabuloſum

A ſum principium , non fabuloſum nominis etymon , idem *lib.*7. expreſſit hoc carmine, cùm Medeam inducit verſam in Theſei perniciem :

Huius in exitium miſcet Medea,quod olim
Attulerat ſecum Scythicis Aconiton ab oris.

Ponticam herbam eſſe indicat : nam in Scythia cenſebatur Pontus.

Hæc ergo herba eſt inexpugnabile venenum , contra quod nullum præſidium valet , cùm ad illud domandum, fruſtra ſuſcipiatur labor. Naſcitur verò aconitum circa Heracleam , in portu qui Acone vocatur , milliaribus ducentis diſtans à Ponti ore , vt notat Plinius omniſcius *lib.6. cap.*1. firmant Theophraſtus *lib.9. de plantar. hiſtor. cap.*16. & Theopompus hiſtoriarum ſcriptor non vulgari, Pomponius Mela *lib.1.de Euxino Pont.cap 6.*

Sed duo propones ex ſerie hiſtoriæ deprompta. Primum , cur Medici illi illicò deguſtato melle obiere ? Dic, quia mel hoc erat præſentaneum venenum , vtpotè con-
B ſtructum ex floribus aconiti,quod internecandi vi citiſſima pollet,ex cit. Auctoribus,& Galeno 5.*ſimpl.*15.*& lib.6.cap. de aconito.* Quare ſi ocyſſimè odore , & tactu interficit, quantò magis guſtu?nam procul , & à longinquo, odore mures necat,& tactis genitalibus fœminei ſexus animaliũ, eodem die mortem infert ; quo interemptas dormientes à Calphurnio Beſtia vxores, M. Cæcilius accuſator dixit. Quare Theophraſtus *lib. cit. cap.*19. ſic inquit , *Interimit etiam boues,& iumenta, & pecora, & omne planè quadrupes,ſi radix vel folium in verenda indatur, vel ipſo die tactus.*
C Secundò miraberis,cur apes portantes in ore venenum, non moriantur ? Reſpondet Mercurialis *lib. 3. variar. fol. mihi* 481. naturam dediſſe huic animali peculiarem facultatem ferendi venenum citra noxam vllam ; nam etiam capræ nutriuntur elaterio , & coturnices veratro. Si verò quis guſtato hoc melle in extremam ruinam labatur , offerenda ſunt alexipharmaca , quæ lethiferam aconiti vim expugnant, inter quæ ſecuriſſimum eſt balſamum & ruta, cuius folia ex mulſo epota,ſummo ſunt ex vſu : nam ſicut ſupremus ille Architectus venena creauit , ſic in die tertia aridam detexit,pratum veſtiuit gramine, herba , floribus, liliis,roſis radicibus, plantis odoriferis,& alexiteriis, quæ veneni malitiam vbertim retunderent,quorum ſeriem deſcribit eruditiſſimus Biniamin Muſſaphia, *in ſuo libello memoriali,die tertio*

QVÆSTIO XXXII.

D *Vtrùm morbi venenati , ad aliquod ex triplici morborum ſimplicium genere,in temperamento, conformatione , & ſoluta vnitate; an ad morbos formæ , & materiæ , ſint reducendi. Contra Conciliatorem , Fernelium , Argenterium , Riolanum , Sennertum , & Ioannem Sperlingium,medicos præſtantiſſimos.*

COMMENTARIVM.

E NEuter *ſeruatus eſt.*] De ſanitatis , ac morbi ratione, quidditate, & eſſentia diſſertandum à nobis in præſenſentia eſt , ne hiſtoriæ noſtræ tanto argumento carere videantur,vt omnibus ſuppetat quod decerpant,ſintque vice Delphici gladij.Igitur ſanitas & morbus ſunt inter ſe contraria , vt Galenus probat *lib. de dif. morb.c.*2. & cum eo Ariſt.*in prædicam. cap.de contrariè oppoſitis.* Sed hoc intelligendum lato modo non autem propriè;nam potiùs priuatiuè opponuntur,veluti perfectum, & imperfectum : nulla enim eſt ægritudo tam contraria vitæ, quæ omninò ſanitatem excludat,quia(vt optimè docuit Ariſt.7.*metaphyſ.c.*9.) in quocunque corpore ægri,manente vita, ſemper aliqua ſanitas, vel portio ſanitatis remanet , id eſt , aliquis calor naturalis,qui præcipuè ſanitatem efficit : medicus enim, & medicamenta ſunt inſtrumenta,ille enim eſt artis miniſter, ex Hip.*lib.1.epid.ſect.2 text.*51.ſicut *natura morborum medicatrix*,ex ipſo *lib.6.epid.ſect.5.text.*1.

Deinde

Deinde ſanitas ſic deſcribitur à Galeno *lib. cit. de dif. morbor.* Tunc vnuſquiſque homo ſanum ſe eſſe arbitratur, quum paſſim corporis miniſterio, actionibus ad vitam neceſſariis citra noxam fungi poteſt. Similiter etiam deſcribitur ab Auic.2.1.*doct.*1.*cap.*2. *Sanitas eſt diſpoſitio, per quam corpus hominis in ſua complexione, & compoſitione tale exiſtit, vt ex eo operationes eius omnes proueniant ſanæ, & incolumes.* Definitur autem ſanitas perpetuò per potentiam, non per actum, vt ita ſub ea comprehendantur dormientes, quibus quidem, licèt non moueantur, nec aliqua externa res ſenſus eorum afficiat, nihilominus conuenit definitio, vt *cit. de dif. morb. &* 1. *de ſanit. tuend. cap.*1. Galenus edocuit. Ariſt. 7. *probl.* 1. dicit ſanitatem eſſe quietem, morbum verò motionem: & 1. *probl.* 3. dicit eſſe moderantiam, morbum verò exceſſum, ſiue defectum, vt inter omnes probat Andreas Gratiolus *in com. cap.* 1. *Auic.*1.1. *de definitione medicinæ.*

At antequam ad definitionem morbi accedamus, quærendum eit; An ſanitas optima, ſit diuturniſſimæ vitæ? Quæ dubitatio ita eſt grauis, vt eam proponat Ariſtoteles, *lib. de longitudin. & breuit. vitæ in init.* ſed non ſoluat. Dic, diuturnitatem vitæ conſiſtere in calidi & humidi accommodata quantitate, & qualitate, inter ſe conſtantibus: nam vt eleganter probat Galenus 6. *de ſanit. tuend. cap.*2. *& lib. de maraſin. cap.* 1. & Ariſt. *lib.* 1. *de anim. cap. vlt. & lib. de longit. & breuit. vit. cap.*2. vita in calido, & humido conſiſtit: nam victus ſenum appoſitiſſimus ad vitam producendam eſt calidus & humidus, vt ex Galeno colligitur, *toto lib.*5. *de ſanit. tuenda.* Ergo vita in calido & humido conſiſtit. Deinde non ſecus viuit ex humido calor noſter, ac ignis ex lignis, & lucerna ex oleo. Sed illa pro humidi alentis copia durant. Ergo & animalium vita. Quò enim hæc principia fuerint ampliora eò vitæ terminus longior erit: dummodò tamen quantitate & qualitate inter ſe reſpondeant. Si enim calor humido radicali non eſt proportionatus, feſtinat mors per reſolutionem, quandoquidem calor perpetuò exſiccat. Si verò humiditas excedit, etiam aduenit mors per ſuffocationem, exuperans enim humiditas innatum ignem obruit, & extinguit. Inſuper diu viuunt, quibus humidum eſt lentum, viſcoſum, non tenue: illud enim diu durat, & difficulter reſoluitur; hoc facilè diſſipatur, & euaneſcit. Hinc fit vt aquatilia, etſi exuacia ſint & pedeſtribus, & volatilibus, quia tenui, aqueóque humido pollent, non verò glutinoſo & lento, quale ad vitæ durationem requiritur. Inter pedeſtria, ſanguinea, & omnia quæ accommodata quantitate, & qualitate calidi humidi conſtant, viuaciora ſunt. Hoc modo inter plantas oleaceæ, & reſinoſæ, pingui humido abundantes, viuaciores ſunt: breuis verò vitæ ſunt ceraſa, ac perſica humido enim conſtant aqueo, & promptè putredini obnoxio. De qualitate autem caloris ita pronuntiandum, quòd calor non debet eſſe valde intenſus, ita vt vrat; nec ita remiſſus, vt nec coquere, nec alere poſſit.

Ergo licèt optima ſanitas conſtet illis duobus principiis optimè proportionatis, ideò tamen non erit longæuiſſima, quia ob triplicem cauſam poteſt optimè ſanus ægrotare. Primò, ob compoſitionis vitium, quod cum dicta proportione ſtare poteſt. Secundò, propter intemperamentum vnius, vel plurium membrorum. Tertiò, propter prauitatem victus; ſic enim plures natura ſalubres degunt valetudinarij: & ob contrarias cauſas poteſt aliquis breuis vitæ degere optimè ſanus. Ferè tamen concurrunt longæuitas, & ſanitas, præſertim eo nomine quod raro ægrotent.

Quæres ſecundò. Vtrùm ſanitas in ſpecies diuidi poſſit? Quum enim ſanitas eas non habeat, in eas diuidi nequit. Deinde ſi ſanitas reciperet differentias, aut eſſet ſecundùm magis aut minus; aut ſecundùm varia corporis membra; aut ſecundùm operationes; aut denique ſecundùm propriam rationem, & formam ipſius ſanitatis. Ergo. Antecedens à ſufficiente probatur partium enumeratione: nam primo modo recipere non poteſt, quia magis minúſve ſpeciem non mutant. Nec ſecundo modo, quoniam vt adſit ſanitas, oportet quòd omnia membra tam ſimplicia quàm compoſita ſecundùm naturam ſe habeant, ſi enim aliquod illorum ſenſibilem patiatur læſionem ægrotabit animal: cùm ergo ſanitas, bonum quid ſit, & perfectum, conſtabit ex integra cauſa. Ergo non poteſt diuidi in ſpecies. Quòd verò nec tertio modo, patet quia in bene valentibus nulla actio eſt inſigniter læſa: ſi enim noxa adſit in corpore, adeſſe morbum ſignificat, etſi omnes aliæ actiones ſint perfectiſſimæ: cum morbo autem ſanitas ſtare non poteſt. Ergo nec per operationes ſanitas diuidi poterit. Quòd verò nec per ſuam formam poſſit differentias recipere, oſtendit ipſa ſanitatis natura, quæ commoderatio eſt: quod verò moderatum eſt, aut medium, aut mediocre, vnum eſt; immoderata plura. Ergo nulla ratione poteſt ſanitas ſpecies recipere, ac proinde nec morbus, ſiquidem hic illi eſt contrarius.

Nonnulli his commoti rationibus, ſanitatem eſſe infimam ſpeciem arbitrantur: nec verò ex eo ſequi, morbum talem eſſe ſibi perſuadent. Sic enim ratiocinantur, quòd quando duo contraria ita ſe habent, vt vnum habeat ſuam eſſentiam in extremo, ſicut morbus; alterum verò in medio, vt ſanitas, erit indiuidua in inferiores alias: ſic ſe habet æquale, & inæquale; temperatum, & intemperatum. At horum opinio refutanda. Nam oporteret & eadem ratione virtutem ſpeciem eſſe infimam, quoniam eius eſſentia in mediocritate eſt: res tamen non ita ſe habet, quia ſicut vitium ſuas inferiores ſpecies habet, ita & virtus, nempe prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem &c.

Dic tu, ſanitatem non eſſe infimam ſpeciem, immò poteſt diuidi in multas, per propriam rationem, & formam, quæ conſiſtit in commoderatione quatuor primarum qualitatum. Quum autem hæc commoderatio omnibus hominibus ſecundùm naturam non ſit eadem, (quod enim vni ſecundùm naturam eſt, alteri eſt morbus) ſequitur ſanitatem naturâ ſuâ non eſſe vnicam, ſed ſecundùm temperamentorum diuerſas ſpecies eſſe multiplicem: videlicet bilioſo homini erit ſua moderatio naturalis, pituitoſo ſua, vſque adeò diuerſa vt ſi pituitoſi temperies, quæ in illo erat ſanitas, ad bilioſum transferatur, in hoc ſit futura morbus. Hoc etiam inſinuauit Gal. *in locis multis*, præſertim *lib. art. med.* inquiens, *eſſe vnicuique homini ſanitatem ita illi propriam, vt aliis naturis ſit inutilis, & quandoque ab aliarum ſanitate diuerſiſſima exiſtit.* & non ſolùm hoc reperitur in temperamentis, ſed in ætatibus, quæ diuerſa ſortiuntur temperamenta. Cùm ergo tot ſint particulares ſanitates inter ſe maximè diuerſæ, nemini dubium erit, ſanitatem non infimam ſpeciem eſſe; ſed potiùs multiplicem.

Si verò rei medicæ ſtudioſus percontetur, quomodo fieri poſſit, vt gradus caloris, qui alteri eſt bonæ diſpoſitionis cauſa, in altero lædat actiones? nam ſi vnus gradus caloris vtilis erit ad conficiendum cibos, vtrique erit vtilis. ſi inutilis, vtrique erit incommodus. Dic, vnamquamque facultatem rectè operari, quum proportione reſpondentia inſtrumenta habet: cùm ergo vnus & idem gradus coloris poſſit eſſe huic naturæ proportione reſpondens, alteri verò non conueniens, nihil mirum ſi idem gradus caloris ſit huic homini ad operandum accommodus, alteri vero inutilis.

Neque inſtes hoc modo. Sanitas eſt moderatio; hæc eſt medium, hoc autem eſt vnum. Ergo ſanitas non poterit eſſe multiplex. Dic, quòd licèt omnis ſanitas ſit quoddam medium, non tamen inde ſequitur eſſe indiuiſibilé, quia vnaquæque natura habet ſuum medium, ab alterius naturæ mediis diuerſum: ſic etiam virtus mediū eſt, cæterùm differt medium in actionibus fortitudinis, ab ea quod eſt in actionibus liberalitatis. Si tamen *cit. de dif. morbor.* ſanitatis differentias differenter enarrauit, ac morbi, ex eo id fecit, quia præſens liber non ſanitati, ſed morbis erat dicatus. De quo argumento conſule inter omnes Donatum Antonium ab Altomari *tract. de latitudine ſanitatis.*

Quæres tertiò. Vtrùm ſanitas, & ægritudo ſint contraria? Ariſt. *cap. de oppoſitis* definit contraria per oppoſitionem, quæ ſub eodem genere poſita maximè diſtant: tunc ſic, in genere qualitatis magis opponitur vnum extremum alteri, quàm medio. Sed ſanitas eſt medium; quandoquidem eſt temperantia: morbus videtur extremum. Ergo inter ſe maximè non diſtabunt.

Vt verò huius dubij adamuſſim ſolutionem percipias, aduerte, morbum calidum, & frigidum dupliciter poſſe conſiderari. Primo modo,ratione materiæ,quatenus ſcilicet ponuntur in tertia ſpecie qualitatis; & ſic magis opponuntur quàm febriens, & ſanus: quo etiam pacto auaritia magis opponitur prodigalitati,quàm liberalitati. Secundò poſſunt conſiderari ratione formali, iuxta quam ponuntur in prima ſpecie qualitatis; quomodo magis opponitur febriens ſano, quàm refrigerato; quia diſpoſitio ſani magis diſtat à diſpoſitione febrientis, quàm diſpoſitio vnius ægrotantis ab alio ægroto: ſicut auaritia magis opponitur in ratione virtutis prodigalitati, quàm liberalitati; & in hac conſideratione ſanitas,& ægritudo dicuntur contraria, & illis ſic acceptis definitio contrariorum maximè quadrat.

An verò ſint contraria immediata, iure optimo per ſcrutaberis. Auicenna 2. 1. *cap.*4. affirmat, quòd non eſt audiendus, qui medium inter ſanitatem, & ægritudinem ponit. Fauet Ariſt.*in prædicamentis, cap.de oppoſitis*, quo loco duo contrariorum genera proponit, quorum vnum non neceſſariò rebus inhæret vt album, & nigrum: alterum, quod neceſſariò inhæret rei cui aptum eſt inhærere, vt ſanitas,& ægritudo;par, vel impar. Inter prima ex eius ſententia medium datur,quoniam non eſt neceſſe rem albam, aut nigram eſſe, quum poſſit alio intermedio colore affici. Inter ſecunda autem contraria, minimè: Nam cùm ſanitas, & morbus neceſſariò corporibus inſint, ſicut & numerus, neceſſariò debet eſſe par, vel impar, neceſſariò hæc medio carebunt.

Idem confirmat *lib.4.topic.cap.*3. & ratio ſuadet: namſi genera non habent medium, nec ſpecies illud habebunt. Tunc ſic: Æquale & inæquale, naturale & innaturale, ſunt genera ſanitatis, & morbi. Sed illa, ceu contradictoriè oppoſita, nullum habent medium. Ergo nec ſanitas, & morbus. Deinde ſanitas eſt moderantia, morbus immoderantia; illa eſt proportio, hic improportio. Sed inter proportionatum, & improportionatum nullum datur medium. Ergo nec inter morbum, & ſanitatem.

Variis varia placent: nam Conciliator *dif.*77.Ariſt.ſententiam defendit. Turiſanus *in com. cap.* 3. *art. med. Gal.* hunc ſtrenuè tuetur. Nos difficultati huic reſpondemus, dicendo ſanitatem, & ægritudinem dupliciter poſſe conſiderari, vno modo ſtrictè, ſeu in rigore Logico; altero modo, latè. Si primo modo, non eſt negandum eſſe contraria immediata, inter quæ medium non eſt conſtituendum, vt Ariſt. docet. Si verò ſecundo modo, hoc eſt, ſecundùm ſenſum, & ad Medicos vſus, id eſt concedendum; quam affectionem Medici neutram appellant diſpoſitionem, quam neque eſſe ſanitatem, neque morbum, res eſt manifeſta; & etiamſi ſtatim ac morbi incipiunt, ſuam eſſentiam obtineant, vt docuit Gal. *lib.*1.*de loc.affect cap.*2. *& lib.de morb.temp.cap.*1. Rationem tamen morborum non ſubeunt, quouſque manifeſta ſit ad ſenſum in operationibus læſio, ex Galen. *lib.*1. *de ſanit. tuend. cap.*5. Quare Galenus *in arte med. cap.* 8. ægra corpora vocari non patitur, quæ ab optima conſtitutione breui tempore defecerunt: & idem docuit *in eodem cap.infrà.*§. *Quæ verò imbecilles edunt operationes, &c.* Sed hæc conſtitutio optima non eſt,quia ab optima deflectit; neque morbus, quia ſenſibilium operationum læſionem non habet. Ergo erit media diſpoſitio, neutra dicta. Hoc ipſum apertè confirmat Gal. dicens immoderantias quæ plurimum à modo receſſerunt, iam ægritudines eſſe;quum verò id non obtinent,ægritudinum generationem oſtendere. Quare ſi ſenſum fecerimus iudicem, & non rationem, neutra diſpoſitio inter ſanitatem, & ægritudinem eſt conſtituenda: quod firmat Gal. *lib.de diff.ſympt.cap.*1. de affectus ſignificatione differtans, §. *Siquidem omne quòd eſt, ſiue id ſanum ſit, ſiue ægrum, ſiue neutrum, quodammodo afficitur*: & *in art. med. cap.*82. appellat corpora neutra, quæ in ægritudinem ſunt caſura, vt conualeſcentium, ſenum, & *lib.*5.*de ſanit. tuend.cap.*4. Nec refert, quòd in pluribus locis aſſeueret, ſanitatem eſſe moderationem, & morbum, immoderantiam; & duas tantùm eſſe humani corporis diſpoſitiones, quæ omnia ſolùm neutra corpora ſecundùm rationem non eſſe adſtruenda concludunt.

Nec obſtat ſuperiori doctrinæ, quòd Medicus ſola ea quæ ſenſu diiudicari poſſunt, contemplatur; quare cùm neuter affectus ſenſum effugiat, medicæ non erit conſiderationis. Quamuis enim ſenſus in neutris non iudicet ſpeciem certam ſanitatis,vel morbi, nihilominùs priuatiuè iudicat non diſcerni ſpeciem qualis ſit: quare agnoſcit neutrum Medicus, per priuationem ſenſibilis cognitionis extremorum; agnoſcit etiam ſymptomata propria neutrorum qualia ſunt, operationum imbecillitas, & ſpontaneæ laſſitudines, quæ morbos prænuntiant, iuxta oraculum ſenis, *lib.*2.*aph.*5.Lege Fernel.1.*patholog.*5.

Nec obſtat ſecundò quod quidam obiiciunt, ex prædictis ſequi omnem diſpoſitionem aut eſſe ægram, aut neutram: ratio eſt,quia non datur perfecta ſanitas,vt conſtat ex Gal. 1. *de ſanit.tuend.cap.*4.*& lib.*6.*eiuſd.cap.*6. dum ſic ait.*Nec enim ſanus videri poteſt,ea ſalutem quæ inoffenſa,inculpatáque ſit ſanitas.* Nam ſanitas perfecta, ſeu (vt ſtrictè loquar) in vltimo, non datur niſi per inſtans. At ſecundùm Medicos datur integra ſanitas, cum maxima tamen latitudine, inter quam,& morbum poteſt dari neutra diſpoſitio, videlicet toto illo tempore, quo ſenſibilis operationum læſio non adeſt.

Nunc accedamus ad morbum,qui hoc modo à Gal. ſolet definiri, *lib.de dif.ſympt. cap.*2. *eſt affectus, à quo primò actio vitiatur*: quam definitionem tradit Auic. 2. 1. *cap.* 1. eiſdem ferè verbis; licèt à Galeni definitione diſcrepet: nam hic per affectum,ille per diſpoſitionem finit:qui non ſunt diſcordes inter ſe: nam Auicenna non definit morbum per diſpoſitionem,tanquam per primam ſpeciem qualitatis;ſed per diſpoſitionem, ſeu affectum,debemus intelligere omne illud, à quo ſubiectum denominatur diſpoſitum,ſeu affectum; quo pacto in quantitate, ſitu, & figura dicimus eſſe diſpoſitiones,ſeu affectus,quemadmodum *loc. cit.* Hip.& Gal.docuere.

Addendæ tamen ſunt finitioni morbi aliquæ particulæ, depromptæ partim ex 2.*de ſanit.tuend.cap.*6. partim ex 3. *de articul. com.* 204. quæ ipſam multò illuſtriorem reddunt: ita vt definitio proponatur hoc modo. *Morbus eſt affectus præter naturam, conſtans, in membro affecto,immediatè lædens functiones, & manifeſte.* Dicitur *præter naturam*, propter ſenes, & alios, qui actiones habent valde imbecilles. *Conſtans* dicitur, propter calorem ab igne, vel ira conceptum, & dependentem. *In membro affecto*, propter actiones læſas per conſenſum, vt quando guttur non format vocem aëris defectu, aut maxilla ſana intorquetur, gratia alterius reſolutæ, quorum omnium actio læditur, cùm tamen non ſint ægra. Nec valet, ſunt ægra per conſenſum ergo ſunt ægra. *Immediatè lædens functiones*, propter ſymptomata, & cauſas morbi. *Manifeſtè*, propter neutros.

Verùm ex dictis oriuntur dubitationes plures. Prima. Non videtur rationi conſonum, quòd morbus ſit affectus; ſeu diſpoſitio ſenſibiliter functiones lædens, nam 2.*de loc. affect.cap.*2. Galenus oppoſitum videtur afferere, dum inquid: *Morbus verò calidus,aut frigidus protinus ab initio,cùm primùm corpus temperatura,quæ bona valetudini debetur, limites exceſſerit, eandem ſibiipſi naturam habet: quamuis enim interdum adeò ſit exiguus, vt nec à nobis agnoſci, nec laborantium ſenſu percipi poſſit.* Quæ quidem verba manifeſtè videntur ſignificare,morbum non ſemper eſſe affectum ſenſibiliter operationes lædentem.

Dic Galenum *citatis locis* diuerſimodè loqui: quum enim ait eſſe affectum lædentem operationes ſenſibiliter, medicè loquitur, ſunt enim Medici, artifices ſenſuales,& res ipſas per ſenſus iudicant. *Secundò* verò *de loc.* loquitur philoſophicè, & ſecundùm rei veritatem, quo pacto quiuis exceſſus à moderato, erit ſenſibiles operationes non lædar, morbus eſt.

Secunda. Morbus non eſt affectus conſtans, & factus: nam febres humorales, & reliquæ, hoc modo à morborum conſortio excluderentur: quia in illis ſentimus dolorem; dolor autem in ipſo fieri, non in facto eſſe percipitur; vt colligitur ex Galen.*lib.de inæqual.intemp.*4.*&* 2. *de*

de cauſ. ſymp.6. & adeò hoc verum eſt, vt ob eam cauſam febris hectica dicatur indolorifica, & imperceptibilis ab ægroto.

Dic, quòd licèt febris humoralis ſit quidpiam factum nihilominùs eſt inæqualis, in quo bene poteſt fieri dolor: in facto verò æquali, quale eſt febris hectica; minimè dolor reperitur. Dic ſecundò. Febres humorales, licèt habeant partes in fieri, plurimas tamen ſortiuntur in facto eſſe, ratione quarum ſummoperè lædunt.

Tertia. Cauſa aliquando ſine medio morbi lædit functiones. Ergo non ſolus morbus lædit. Patet antecedens, in ſaturitate efficiente cruditatem citra interuentum morbi. Dic, quòd vbi ob vitium materiæ non ſit actio bona, non dicitur actio læſa, ſed impedita, vt probat Galen. *lib.2. de loc.affect.cap.3.*

Quarta. Febris eſt morbus, & tamen non definitur per affectum, ſeu diſpoſitionem, quæ eſt qualitas ſecundæ ſpeciei, ſed per colorem, qui eſt qualitas tertiæ, vt conſtat ex Galen. 2. *feb.2.* & Auicen. 1.4. *tract.2. cap.2.* Ergo ſuperior morbi definitio reproba eſt. Lege Valleſ. 4. *cont.1. & 2.*

Dic. Plures opinantur nomen affectus, ſeu diſpoſitionis, in definitione morbi non accipi adeò ſtrictè, ſicut Ariſt. accepit, pro diſpoſitione, ſecunda ſpecie qualitatis; ſed latiùs pro quocunque affectu præter naturam, ſiue ſubſtantia ſit, ſiue quantitas, ſiue ad aliud pertineat prædicamentum.

Aptiùs tamen ad prædictam difficultatem reſpondendum eſſe iudico, hoc modo. Nam ſi febris, aut cuiuſuis alterius morbi naturam propriè, ſiue formaliter perpendamus, eam, & omnem alium morbum, qualitatem eſſe ſecundæ ſpeciei perpetuò inueniemus, ſiue Ariſt. Philoſophorum, aut Galeni monumenta perſcrutemur: hoc conſtat ex Ariſt. *cap.de qualitate, & 5.phyſic. cap.2.& lib.7. cap.3.* & Auic. 2. 1 *cit.* & ex Galeno, *lib. 1. meth.7. & 2. meth.7.*

Prætereà ratione deducitur hoc modo: Nam aliàs ſequeretur, ſanitatem, & ægritudinem non ſpecie, ſed ſolo numero differre, quod eſt contra Philoſophos, & Medicos. Secundò probatur, quia ſi febris eſt calor intenſior moderato; ſanitas illi oppoſita, erit caliditas remiſſa & moderata, quæ quidem à priori, ſolo numero differt: intenſum enim & remiſſum ſpecificam varietatem non conſtituunt. Si verò febris conſideretur materialiter, tunc dicendum eſt eſſe calorem: ſicut & ex aliis morbis, quidam ſubſtantia ſunt, quidam quantitas, vt conſtat ex Gal. *lib.de diſ.morbor. cap.8.* vbi lapidem in renibus, vnguem in oculo, & ſextum digitum additum in manu, ſiue quantitatem auctam vltra moderatum, morbos appellat. Conſule Chriſtoph.& Vega, *lib.art.med.cap.1.*

Quinta. Superflua videtur particula *immediatè*, quia intemperies non lædit immediatè functiones: nam ſicut in ſanitate, ad temperamentum ſequitur facultas, & ad hanc operatio bona, vt colligitur ex Auicen. 1.1. *doct. 3. cap.1.* Ita in morbo, ad intemperiem ſequitur infirma facultas, quæ læſæ operationis cauſa eſt immediata. Dic, facultatis eſſentiam apud Gal. non diſtingui à temperamento: quare ſicut facultas ſine medio lædit actionem, lædet etiam intemperies. Lege Valleriol. *lib. 5. loc. com. cap.32.*

Vltima. Verbum *manifeſtè*, explodendum videtur à definitione morbi, quia Galenus *7.meth. 6.* aſſeuerat, læſionem manifeſtam eſſe eam, quæ à conſueto opere deſiſtere cogit, quum tamen phrenitidem patientes magis moueantur, & fame canina oppreſſi plus appetant. Dic, licèt motus in phrenitide, & appetitus in canina fame, ſint operationes præſtantiſſimæ, non tamen perinde ſequi patientes phrenitidem aut caninam, dici ægros; habent enim alias operationes læſas, quæ ad rationem ægritudinis ſunt ſatis.

Dic ſecundò, has operationes eſſe læſas manifeſtè: nam actio manifeſtè læſa dicitur à Gal. *loc.cit.* per deſiſtentiam ab opere conſueto, quaſi ille dicatur æger, qui actiones conſuetas perficere nequit, quod in citatis morbis contingit. Et hæc potior & breuior eſt definitionis morbi

A explicatio, quam Montani, Fuchſij, Argenterij, Capiuaccij, & aliorum quos citat Santorellus, *lib.1. anteprax is, cap 2. 3.& 4.*

Porrò ne hoc de morbo argumentum remaneat indeciſum, diuiſionem morbi explanandam aggrediamur. Morbus diuiditur apud Auicennam, 2.1. *cap.2.* in ſimplicem, & compoſitum: ille dicitur, qui vnam infeſtat naturam; hic, qui duas corripit, vel plures. Ægritudinis ſimplicis tres ſunt differentiæ: altera eſt quæ pertinet ad partes ſimilares, & eſt morbus in temperamento; altera quæ ad partes inſtrumentales, vt inſtrumentales ſunt; & dicitur morbus organicus, & officialis; altera quæ pertinet ad partes ſimilares, & inſtrumentales, nam vtriſque eſt communis: quam doctrinam deſumpſit Auicenna ex Galen. *lib.de diſ.morbor. cap.4.* cùm enim docuiſſet *c.2.antecedenti*, morbum B ſanitati eſſe contrarium, & eſſe immoderationem eorum, quorum ſanitas moderatio eſt, quum ſanitas conſiſtat in triplici natura, in temperamento, in conformatione, in vnitate, hæc enim ſunt actionum principia; non enim ſanitas eſt ſpecies infima, ſed ſubalterna; habet enim ſe ſicut virtus, quæ licèt in mediocritate conſiſtat, ſub ſe plures ſpecies continet. Cùm igitur morbus ſit lapſus ſeu receſſus à naturali ſtatu, tria eſſe oportet morborum genera; in temperamento, in conformatione, in vnitate: nam genera lapſuum eadem ſunt cum his, quæ virtutem perficiunt, vt bellè dictabat Gal. *lib.art. medic. cap.8. in princip.* & cùm maior ſit latitudo extremi, quàm medij plures differentiæ morborum reperiuntur, quàm ſanitatis, veluti in vitio, & virtute obſeruamus.

Difficilis autem hæc quæſtio, & ad vnguem examinanda: neque deſunt plures, vt Fernelius, & Argenterius C *infrà* citandi, qui plura eſſe morborum generati ſunt, & fortiſſimis machinis Galeni ſaniſſimam doctrinam redarguere ſunt conati. Primò Galenus 2. *meth. 6.* ſex morborum genera eſſe affirmat. Secundò. Idem Galenus *lib. de diſ.morbor. cap.12.* docet partes quæ ſimul vlcere, & phlegmone laborant, interdùm trifariam à naturali ſtatu recedere, aliquando quadrifariam. Ergo pluta ſunt quàm tria.

Tertiò. Auerrhoës 3. *col.cap.1.* duo tantùm communiſſima morborum genera recenſet, in intemperie, & compoſitione: idem fecit Auic.2.1. *cap.1.*

Quartò. Datur morbus contrarius ſolutæ vnitati, videlicet illarum partium quæ debebant eſſe diſiunctæ, & ſunt coniunctæ, veluti quando podex, vel pudendum non eſt apertum, vel digiti ſunt coniuncti.

D Quintò. Soluta vnitas reducitur ad morbum in compoſitione. Ergo non conſtituit genus morbi per ſe. Patet antecedens: nam quando aliquod os luxatur, luxatio illa non dicitur vnitas ſoluta, ſed morbus in deprauato ſitu. Ergo vnitas ſoluta non conuenit organo: nam quotieſcunque pars à parte ſeparatur, vitium illud eſt in compoſitione, quia debitus ſitus non ſeruatur.

Sextò. Tinnitus, vel ſibilus aurium, morbus eſt, quia actionem audiendi lædit: ſic etiam oris amaritudo, & fœtor olfactus. morbi ſunt. At hæc in nullo dictorum genere collocantur. Ergo, &c.

Septimò. Solutio continui non eſt morbus partibus ſimilaribus, & organicis communis: Primò enim ex vnitate ſoluta ſimilarium partium actiones non læduntur. Ergo ſoluta vnitas illis morbus eſſe non poteſt, quum de ratione morbi ſit actiones lædere. Patet antecedens, actio- E nes partium ſimilarium ſunt attractio, retentio, &c. Sed pars vulnerata, dummodò intemperie non afficiatur, benè attrahit, retinet, &c. Ergo. Et non ſolùm hoc, ſed quidquid ratione vulneris deperditum eſt, actione diuerſarum partium reſtituitur. Ergo.

Deinde talis eſt ſolutio reſpectu venarum, qualis eſt obſtructio. Sed obſtructio totius viſceris morbus eſt, ex Gal. *2.meth.cap.6.ante med.* Ergo ſimiliter vnitatis ſolutio, quoniam actiones venæ non impediuntur. Præterea ſequeretur, quòd nunquam in partibus diſſimilaribus ſolueretur vnitas, quin etiam in ſimilaribus eſſet ſoluta. Sed hoc eſt contra Gal. *lib.de conſt.art.med.cap.6.& lib.de diſ.morbor.c.1.* quo loco aulſiones vocat morbos partium organicarum,

 quoniam

quoniam ſimilares rectè ſua munia exercent. Inſuper, ſi ſoluta vnitas eſſet morbus partium ſimilarium, etiam illarum actiones læderentur ex vitio in numero, in figura,& ſitu. Sed hoc non eſt dicendum. Ergo nec illud. Demùm Galenus *lib. 7. meth. cap. 3.* & alibi, ſanitatem partium ſimilarium ſolùm in bona temperie conſiſtere docet.

Octauò. Inſurgit acerrimè contra Galenum Argenterius *lib. de generibus morbor. cap. 4.* dicens ſolutionem continuitatis non pertinere ad partes ſimilares, ſed ſolùm ad partes organicas: nam ratio organi non ſolùm conſiſtit in numero,in magnitudine, in figura,in ſitu;ſed in vnitate. Probat ſuum placitum, quia natura partium ſimilarium ſola eſt temperies,quæ à ſoluta continuitate non læditur.dantur enim vlcera,& vulnera,citra intemperantiam vllam.

Nonò. Arguunt plurimi ex ſuprà citatis auctoritatibus, hoc modo. Solutio continuitatis ſolùm pertinet ad partes ſimilares,quia hæ ſunt quæ habent continuitatem; organicæ,verò ſolùm habent contiguitatem. Ergo hic morbus non eſt vtriſque partibus communis.

Vltimò. Hoſtiliter Galenicam morbi diuiſionem conuellere conantur Fernelius *lib. 2. de abdit. rerum cauſis cap. 9. & 10. patholog. cap. 7.* Riolanus Fernelij doctiſſimus interpres,& Argenterius *loc. cit.* dum ſic ratiocinantur. Morbi peſtilentes,& venenati,diuini, alij orti ex maleficijs, incantationibus,præſtigiis,qui multis modis à Dæmone immittuntur,occulti,vt Gallica lues, ſunt morbi totius ſubſtantiæ. Sed ij neque ad temperamentum, nec ad compoſitionem, nec ad vnitatem ſolutam referri poſſunt. Ergo plura dantur genera morborum ſimplicium. Nam ſi ſub aliquo deberent comprehendi,eſſet ſub morbo in temperamento;quod eſt falſum,quia hi morbi aliqua prima qualitate non fatigant aut premunt,ſed à totius rei ſubſtantia oppugnant: quare non curantur qualitatibus primis, ſed iis præſidiis quæ ab occulta qualitate auxiliantur, quæ à Medicis alexipharmaca,ſeu alexiteria nuncupantur.

At non ob hæc futilia (meo voto) ad libitum inuenta, immo inſolentia argumenta,deſerenda eſt doctrina, quam ſummus Medicorum Strategus militibus ſuis inculcat, vt eius firmiſſimo clypeo muniti, aduerſantium tela poſſint declinare cùm velint. Verùm antequam ad illud morbi genus nouum, & abſurdum, à Fernelio inuentum refutandum accedamus, qui citra neceſſitatem morbos materiæ, & formæ omnium primus ſtabiliuit, (in cuius ſolutione, propoſitæ quæſtionis cardo conſiſtit) cætera ſigillatim ſunt diſſoluenda.

Dic ad primum, tria tantùm eſſe morborum genera, ſi verò ſunt alij, hi ad aliquod illorum debent reduci. Galenus autem ſex morborum genera recenſuit, non ſolùm communiſſima, ſed etiam ſubalterna, quæ ſub genere morbi in compoſitione continentur: nam ſi mala compoſitio diuidatur in quatuor membra, erunt ſex. Diuiditur autem compoſitio à Galeno, *lib. de dif. morbor. cap. 6.* in conformationem,quantitatem numerum, & ſitum: ita diuiditur ab Auic. 2.1. *cap. 3.*

Ad ſecundum. Illa quatuor genera morborum ſunt, vnitas ſoluta ratione vlceris;intemperies calida, & humida, ratione inflammationis, (quæ duo ſub intemperie continentur) quartum genus pertinet ad compoſitionem, quum ita excedit magnitudo, vt actionem lædat. Vel dic quòd in deprauata compoſitione ſunt duæ ægritudines, alia ratione magnitudinis, vt dictum eſt,alia ratione cauitatis, quæ eſt repleta & obſtructa, & pertinet ad morbum figuræ, ſeu conformationis.

Ad tertium,& quartum, Auerrhoës, & alij eo loco non ex profeſſo de morbis diſſerunt,& ideò tertij generis obliuiſcuntur, cuius tamen meminit *c. 10. ſequenti.* Ad quartum dic,quòd ille morbus pertinet ad deprauatam compoſitionem in ſocietate,ſeu ſitu ex Galen. *lib. de dif. morbor. c. 10.* & ex Fernelio 1. *patholog. cap. 8. in fin.* Labra enim pudendi & podicis quando diſiuncta ſunt debitam ſocietatem, quæ attenditur penès ſitum, non habent.

Ad quintum. Dic, quòd tunc ſitus eſt deprauatus, & non ſoluta vnitas, licèt magis propriè dicatur vnitas ſoluta, quoniam deprauatus ſitus conuenit organo, & non parti illius: & ſic quando pars aliqua ſeparatur, non erit deprauatus ſitus, quoniam non amittitur vniuerſum organum, ſed potiùs erit ſoluta vnitas.

Ad ſextum. Tinnitus,vel ſibilus aurium pertinet ad deprauatam compoſitionem,cuius ſymptoma eſt: nam cauitates corporis quando naturaliter ſe habent, debitam figuram ſeruant, & ſitum. Quando aliquis flatus craſſus, ſenſus cauitates replet, & quærit exitum, ſibilum excitat, qui ex morbo in deprauata figura ortum ducit; illæ enim cauitates vacuæ eſſe debebant. Deinde fœtor narium ſimiliter eſt ſymptoma, quod ex vlcere in naribus excitato ſcaturit, cuius ratione omnia fœtent. Neque dicas quòd fœtor potiùs eſt cauſa vlceris. Nam vlcus oritur ex intemperie,& ſitu, & ſic ſemper fœtor erit ſymptoma. Linguæ autem amaritudo eſt ſymptoma, quod ad deprauatam compoſitionem refertur; cùm enim lingua ſit mollis, laxa, & ſpongioſa, humore bilioſo repletur, cuius cauitates vacuæ eſſe debebant.

Ad ſeptimum dic,quòd caro quæ in diuiſis partibus generatur, illis accepta referri non debet, ſed parti ſubiecti adhuc ſanæ exiſtenti, ex Gal. *lib. 3. meth. cap. 19. & lib. 4. ſequenti, cap. 1.* Aliæ enim partes quum conſtitutionem habeant euerſam, purum elaboratúmque ſanguinem non attrahunt, ex quo caro regigni ſolet. Ad id vero quod obiiciebatur de obſtructione,eſt falſum: Nam obſtructio eſt ſolùm morbus partium inſtrumentalium. Adde, venas, & arterias,partes ſimilares,& diſſimilares dici poſſe: quatenus ſunt diſſimilares, neceſſariò cauæ factæ ſunt; quatenus verò ſimilares, non neceſſariò cauitate ſunt præditæ. Ad inſtantiam verò dic. Galenum vera profiteri. Quòd ſi ipſe auulſiones vocat morbos partium inſtrumentalium, & primò, & per ſe intelligatur: nam & morbus partium ſimilarium primo conuenit illis, & ex accidenti toti inſtrumento communicatur.

Ad vltimam inſtantiam dic, falſum eſſe aſſumptum: quoniam etiamſi os ſit contortum, & illius magnitudo deprauata, & non in conuenienti ſitu, neque ordine; nihilominùs tamen eius actiones optimè fiunt.

Ad octauum, & nouum dic, ſumpto altiùs orationis exordio. Qui ſolutionem continuitatis non pertinere ad partes organicas, ſed ſolùm ad ſimilares aſſeuerant, hoc præcipuo nituntur fundamento, quia in morbis organicis non reperitur continuitas, ſed ſola contiguitas. At ſeparatio continuitatis conſtituit morbum in ſitu, & ſocietate, & ſolùm pertinet ad partes ſimilares; hæ enim ſunt quæ ſecantur, & rumpuntur: nam quando diuiditur pars organica, non alia ratione diuiditur, niſi propter diuiſionem partis ſimilaris.

Hanc ſententiam habuit Conciliator *dif. 65.* quem turpiter, ſicut & alios fuiſſe deceptos ſcribit Fernelius *lib. 1. patholog. cap. 9.* Non ſolutio continuitatis verè morbus organicus eſt, & ad partes organicas pertinet. Ratio enim organi conſiſtit in figura, conformatione, & vnione continuitatis: ſolutio verò continuitatis, corrumpens figuram, & conformationem, efficit morbum organicum. Quæ reſponſio non ſoluit difficultatem, quam Conciliator inſinuat. Nam ſoluta continuitas in parte organica, quatenus conſtituit morbum in figura, & in ſolutione, cauſa morbi eſt: An verò ſit morbus, ita vt morbus morbum efficiat, non explicuit Fernelius, & hoc eſt quod Conciliator contendit, non eſſe morbum organicum, ſed ſed cauſam morbi organici.

Alia tamen, eáque certior via nobis ſulcanda eſt, ex qua veritas abſtruſa eruatur: eam ſolertiſſimus patefecit Magiſter, qui *lib. de dif. morborum, cap. 4.* in ſimilaribus, & organicis partibus reperiri vnitatem euidenter affirmat; huius enim ope & miniſterio pars vna eſt, & ſuum actum, & vſum complet: cuius ſolutio commune morbi genus in partibus ſimilaribus, & inſtrumentalibus conſtituit, quæ vnitas vocari poteſt continuitas; nam Ariſtoteles *lib. 5. phyſ. cap. 3.* poſtquam explicuit quid erat continuum, & contiguum, docet quòd quando ex pluribus vnum fit, continuum dicitur, quòd accidit per inſertionem, & coalitum, quo loco vberrimus

eius

eius interpres Auerrhoës, proponit triplex eſſe continuum: alterum artificiale, vt ex lateribus, lapidibus, & calce fiat vna maſſa continua, licèt enim extrema ſint diuerſa, ſolent eſſe inſeparabilia; vel eſt naturale, velut quando arbor arbori inſeritur, vel pars parti, vt ligamentum, os, caro, venis; arteriis, membranis, & cartilaginibus; interdum eſt mathematicum, vt conſtat in linea, ſuperficie, & magnitudine, quæ propriè continuum eſt; nam extrema ſunt eadem, & eodem termino communi inſeparabiliter copulantur.

Ex qua doctrina ſatis conſtare arbitror, non ſolùm in ſimilaribus reperiri continuitatem, ſed etiam in partibus organicis; cuius ſeparatio vocatur auulſio, vt Gal. docet, *lib. de differ. morbor. cap.* 11.

Quæ partibus inſtrumentalibus accidit, integra manente continuitate partium ſimilarium, veluti ſi ligamentum, cuius interuentu muſculi cohærent, & alligantur oſſibus, ſeparatur ab oſſe, tunc non continuitas, ſed contiguitas organi ſoluitur; & tunc duplex morbus, alter in ſitu, alter in vnitate conſtituitur.

Ex iis liquet manifeſtè, quid ſit reſpondendum ad Conciliatorem: quoniam in partibus inſtrumentariis non ſolùm continuitas, ſed contiguitas reperitur, cuius ſeparatio verè morbus eſt, & alios morbos inducere poteſt. Et ad argumentum reſpondendum eſt, partes ſimilares præter ſuam temperiem retinere vnitatem, poſtquam in illis etiam conſideramus partium vnionem, quæ ex mixtione emanare ſolet, quæ quando ſoluitur, licèt non corrumpat temperiem, partium tamen ſimilarium actiones neceſſariò lædit, quia partes diuiſæ non ita cum principiis conſentiunt, neque eorum influxum ſuſcipere, aut operationes naturales exercere commodè queunt, præſertim ſi ſint partes quæ fibris præditæ ſint, quarum beneficio munia ſua exequuntur, quibus ſeparatis, attractio, retentio, expulſio, & ex conſequenti alteratio vitiantur.

Nunc ad vltimum argumentum diſſoluendum, tanquam ad maiorem machinam accedamus. Fernelius namque, eius ſcholiaſtes Riolanus, Argenterius, Sennertus *in lib. de morbis occultis, & totius ſubſtantiæ*, & alij, in partibus ſimilaribus præter morbum in temperamento, conſtituunt morbos materiæ, & morbos formæ, ſanitatémque partium ſimilarium ex temperie ex materia, & forma eſſe conſtituendam ſibi perſuadent. Nam cùm ex elementis, eorúmque qualitatibus refractis componatur, acquirit temperiem, quia partes dicuntur calidæ, frigidæ, humidæ, & ſiccæ, aut temperatæ. At ex elementorum ſubſtantiis, & corporibus acquirunt materiam, ſecundùm quàm dicuntur craſſæ, aut tenues; duræ, aut molles; raræ, aut denſæ; laxæ, aut adſtrictæ; graues, aut leues: & præter hæc, quælibet pars retinet ſuam formam, quæ ſpecies & eſſentia illius eſt.

Suam autem munit Fernelius opinionem argumentis multis; quæ omnia, ſicut & alia quæ pro illius tutela facere videntur, in propatulum proponam, ne quiſpiam illorum difficultate deterritus, Galenicam deſerat veritatem. Et primò ſic ratiocinatur. Galenus *lib. 2. ad Glauc. cap. 2. ante fin.* agens de indicatione, quæ in morborum curatione ſumenda eſt à natura partis, docet ſæpe affectus curationem offendere naturam partis, & illius virtutem diſſoluere. Quæ enim laxant, vires partis reſoluunt; quæ refrigerant, calorem & ſpiritum extinguunt; at alienæ, & peregrinæ qualitates partis ſubſtantiam corrumpunt: In ventriculo enim experimur robur virtutis diſſolui, non ſolùm ob intemperiem frigidam, quæ ex potu aquæ frigidæ, & aliarum rerum refrigerantium oritur, ſed propter ralaxationem ventriculi, ex multitudine olei ingeſti, & aliis rebus vnctuoſis ſubortam, & ob morbos malignos, ac epotum venenum: quibus locis Galenus vitium intemperamenti, materiæ, & formæ infinuat. Igitur ſicuti datur morbus in intemperamento, quando recedit ab ſtatu naturali, ſic debet aſſignari morbus in materia; & in forma, quando à proprio ſtatu naturali mutantur.

Nec dicas, materiam, & formam eſſe eandem rem cum

A temperamento, quia ſunt diſtinctæ. Nam reperiuntur partes eiuſdem temperamenti, veluti eſt pulmo, & cor, quæ non retinent eandem formam. Cor enim habet ſubſtantiam denſam & compactam, pulmo verò habet eam laxam & raram. At ſunt eiuſdem temperamenti. Igitur materia, res eſt diſtincta ab intemperie. Præterea reperitur homo temperatus, qui à cauſis internis facilè læditur. Atqui hoc non emanat ex temperamento, ſed propter mollitient, & raritatem; & inuenitur homo intemperatus, qui non læditur à cauſis externis, non ratione intemperamenti, ſed propter duritiem, & denſitatem: quod non ſolùm in toto corpore, ſed in partibus contingit; ventriculus enim temperatus ſapores acidos, & acres tolerare non poteſt, niſi cum magna noxa, ob ſenſus acutiem, quæ ex mollitie & raritate ortum ducit: at ventriculus intemperatus, ob hebetudinem ſenſus, ob duritiem, & denſitatem contractam, eoſdem ſapores tolerat; quod etiam

B experimur in cerebro etiam intemperato, quod facilè, aut difficulter tolerat odores acres & graues, ob acutiem, vel hebetudinem ſenſus, & non ratione intemperamenti.

Quòd autem materia vires habeat agendi, & diſponendi ad actiones partis, probat, quia illi homines qui oſſa habent mollia, & muſculos ac tendines laxos, valde imbecilles ſunt ad motum: contrà autem, qui oſſa habent valde dura, & muſculos ac tendines bene compactos, ſunt robuſtiſſimi.

Inſuper Galen. *lib. art. med. cap.* 12. videtur comprobare hanc ſententiam: Nam cùm de cerebro agit, quod eſt organum actionum principum, affirmat eos homines qui ſubſtantiam habent cerebri craſſam, & duram, tardos eſſe

C ad addiſcendum; contrà promptos ad doctrinam, ingenióque valere, qui mollem, & tenuem ſortiuntur. Igitur durities, & mollities; craſſities, & tenuitas partium ad actiones producendas magnam vim habent: quare receſſus in iis morbos excitat; & ſic mollitiem, duritiem, craſſitiem, tenuitatem, laxitatem, aſtrictionem, raritatem, aut denſitatem morbos materiæ vocat.

Deinde morbi formæ ſunt concedendi, & vocat formam, totius rei ſubſtantiam quam conſtituit, & morbos formæ appellat curruptelam formæ, non in termino, ſed in via, veluti ſunt vlcera maligna, rabies, febres peſtilentes, morbi venenati. Idque triplici ratione probat. Prima ſumitur ab eſſentia partium, quæ ſicuti conſtant, temperie, ſic conſtant materia, & forma. Igitur ſicuti receſſus à temperamento naturali, & à materia conſtituit morbum, ſic quando mutatur forma, erit morbus, quum ea ſit po-

D tiſſima actionum cauſa

Secundò probat ex actionibus, quæ à totius rei ſubſtantia emanant: nam facultates quæ actionum ſunt cauſæ, proprietatem ſubſtantiæ ſequuntur, vt notauit Galen. 7. *de placit. cap.* 5. & attractio quam partes inter ſe exercent, ob ſimilitudinem ſubſtantiæ fit, ſicut & concoctio; quoniam Struthiocamelus concoquit ferrum, & aues duriſſima concoquunt ſemina, ob totius ſubſtantiæ ſimilitudinem, non temperamenti: nec ratione materiæ, quum animalia calidiora id efficere nequeant.

Tertiò probat ex modo curationis, quia prædicti morbi ſolùm curantur his remediis, quæ non operantur primis qualitatibus, ſed à totius rei ſubſtantia, qualia ſunt alexipharmaca, & alexiteria, vt firmat Galen. 5. *ſimpl.* 1. & 18. Ergo conſignandi ſunt morbi formæ, qui ſub dictis

E generibus comprehendi non poſſunt, & à Galeno præter-miſſi ſunt *in lib. de dif. morbor.* Quare qui Galeni partes tueri conatur, (inquit ipſe) ſumma morborum genera confundit ac perturbat, & omnem doctrinæ vim inexpiabili ſcelere peruertit.

Hæc tamen ſententia licèt acuta ſit, & videatur phyſica, falſa eſt, & multis erroribus implicita. Neque enim datur morbus in materia, quia in ea non reperitur ſanitas, quum non ſit actionum cauſa, nec vires habeat agendi: quoniam in eo conſiſtit ſanitas, in quo & morbus; nam cuius moderatio eſt ſanitas, eiuſdem immoderatio eſt morbus, ex Galeno *lib. de differ. morb. cap.* 2.

*cap.*2.Deinde omnes morbi quos vocat materiæ, aut ſunt ſymptomata, quæ intemperies conſequuntur, aut ſunt morbi inſtrumentarij:nam durities, & mollities ſymptomata ſunt de genere qualitatis tangibilis, vt Gal. firmat *lib.de dif.ſympt.cap.*5. quæ intemperantiam humidam, aut ſiccam, aut frigidam, aut alias cauſas morbificas conſequuntur. Aſperitas,& læuitas conſtituunt morbum organicum in ſuperficie. Raritas, & denſitas;ſicut laxitas, & adſtrictio morbum inſtrumentalem conſtituunt ad partes inſtrumentales pertinentem;vt docet Galen.*lib.*5.*de valet. tuend. cap.* 2. *in fin.* Munus enim formatricis eſt, præſtare conformationem partibus; & ſicut efficit numerum, magnitudinem, figuram, & ſuperficiem, ſic effingit vias, & cauitates, quæ ad partis organicæ conformationem pertinent,auctore Galen.*lib.*1.*de facult.natural.cap.*5.*&* 6. *in fin.* craſſities,& tenuitas morbum organicum in magnitudine conſtituunt.

Rationes verò quibus Fernelius, Argenterius, & alij probant aſſignandum eſſe morbum materiæ, & hanc diſtinctam eſſe à temperamento, futiles ſunt, & nihil concludunt. Quoniam improbabile eſt reperiri partes, eiuſdem temperamenti, quæ eundem modum ſubſtantiæ, & eandem materiam non retineant:ſecundæ enim qualitates non ſolùm elementorum ſubſtantiam, ſed modum requirunt,hæ enim ex primis oriuntur. Quando in corde, vel pulmone elementum igneum cum aëreo dominatur, neque eundem modum, neque idem retinet temperamentum, quia nec in his partibus, neque in renibus eadém eſt elementorum miſcella.

Et ad eandem rationem dic, quòd repugnat reperiri hominem temperatum,cum mollitie,& duritate, raritate, aut denſitate; quia debet retinere mediocritatem in ſecundis qualitatibus, vt conſtat ex Gal.*lib.*2.*de temp.cap.* 1. Fieri tamen poteſt, vt homo ex viuendi ratione contrahat conſuetudinem,vt minùs à cauſis externis lædatur, & hebetudo aut acuties ſenſus,non ſunt morbi materiæ, ſed reales quædam diſpoſitiones & potentiæ, propter quas partes faciliùs aut difficiliùs patiuntur,& in morbos incidunt.

Poſtrema autem ratio nullius eſt momenti. Materia enim nunquam ad actionem diſponit:nam tota ratio quæ in actione eſt neceſſaria,ex temperie,calore,& ſpiritu dependet,& ex conformatione,& vnitate. At locus Galen. *in arte medica*, intelligendus eſt cum aliqua verborum tranſmutatione, quoniam cerebri ſubſtantia ſemper eſt craſſa, viſcida, & humida: ſed per tenuem ſubſtantiam debemus intelligere ſubſtantiam ſpiritus animalis, qui in cerebro continetur,præclaram,lucidam,& rectè temperatam; tunc enim homines valent ingenio,& intellectu,& rerum ſpecies promptiùs percipiuntur: contrà autem res ſe habet, ſi ſpiritus animalis ſubſtantia ſit craſſa, & turbida. Vel ſi intelligas cerebri ſubſtantiam exactè elaboratam, & temperatam non errabis,quoniam vt dicebat Gal.*lib.*8.*de vſu part.*13.perfectio intellectus non quantitatem cerebri, aut ſpiritus,ſed optimam eorum temperiem ſequitur.

Sicuti ergo morbi in materia non ſunt recipiendi, ſic etiam morbi in forma, quos vocant corruptelas formæ, è morborum numero eliminandi:quia ſi per formam intelligamus rei eſſentiam, & quidditatem, quando corruptio eſt in inſtrumento,non eſt morbus,ſed mors,vt ipſi etiam admittunt: vt tamen eſt in via, eſt morbus in temperamento, quia ſemper corruptio fit præcedente alteratione ſecundùm primas qualitates, quæ non ſolùm vim habent alterandi,ſed tranſmutandi etiam ſubſtantiam in alienam ſpeciem,vt notauit Gal.*lib.de conſtit.art.med.cap.*9. Si verò per formam intelligatur totius rei ſubſtantia, quam Gal. etiam propriam naturam, & proprietatem temperamenti vocare ſolet, & Auicenna formam ſpecificam appellat, non eſt res diſtincta à temperamento, quoniam hæc ex primis qualitatibus, & mixtione elementorum ſolet emanare,ex Gal.4.*ſimpl.*14.*&* Auerrhoë *lib.*5.*collig. c.* 21. docente, omnes actiones quæ oriuntur ex totius rei ſubſtantia, oriri etiam ex mixtione elementorum, & ex primis qualitatibus hoc vel illo modo temperatis: veluti attractio magnetis non fit abſolutè à calore,ſed à determinato calore,& hoc vocat(inquit Auerrhoës *cit.loc.*) totius rei ſubſtantiam: & quia à priori non poteſt cognoſci hic modus mixtionis,& temperamenti,appellat qualitates occultas, & proprietates, quæ ſequuntur modum mixtionis, propter influxum cœleſtem, vel aliquam qualitatem reconditam acquiſitum, ratione cuius mixta admirabiles virtutes ex ſe produnt.

Ratio verò ex ſimilarium partium eſſentia deſumpta, quam in ſuæ opinionis fauorem adducunt, ficulnea eſt, & penè nulla. Quoniam actiones emanant à forma, Gal. autem non cognouit quid ſit anima, & ſic omnia quæ animæ tribuenda erant, adſcripſit temperamento, & temperiem vocat formam & eſſentiam. At quando debiles fiunt actiones, non dicimus debilitari formam, quia illud ob corporis diſpoſitionem efficitur; & quando læduntur actiones, non eſt dicendum formam lædi,ſed ſolùm corporis diſpoſitiones, quæ ſunt illius inſtrumenta, temperies nempe,cònformatio,& vnitas, quia in illis ſolùm vitium conſtituendum eſt.

Rationem ſecundam ſic extricabis, ſi aſſeras actiones emanare à facultate, & facultatis eſſentiam in partium temperamento eſſe conſtitutam: vnde quando euertitur temperamentum, eſſentialiter læditur facultas; quare actiones à temperamento oriri apertè probant Gal. 3. *de ſympt.cauſ.cap.*3.& Auic. 1. 1. *doct.* 6. *cap.* 2. quo loco docent, facultates naturales ad ſuas actiones primis qualitatibus vti, quæ (vt dictum eſt) non abſolutè,vt tales ſunt inſeruiunt, ſed certo modo attemperatæ; & hoc Gal. totius rei ſubſtantiam vocat.

Rationem vltimam ſic diſſolue, & admitte dari remedia,quæ à totius rei ſubſtantia operantur, & agere in cauſas, & morbos qui à totius rei ſubſtantia agunt: verùm hæc omnia temperamento ex primis qualitatibus acquiſito ſuas exercere operationes. Diſtinguit tamen Gal. ea, quæ operantur à totius rei ſubſtantia, an eis quæ operantur à primis qualitatibus, quia hæc ſolùm alterant,& qualitates contrarias immutant; ea autem quæ operantur à totius rei ſubſtantia, non ſolùm corrumpunt primas qualitates,ſed & ſecundas,& tertias,& alios, admirabiles effectus producunt, propter certum modum mixtionis, & temperamenti. Accedit etiam quòd omnes illi morbi, quos vocant corruptelas formæ. omnes ſunt (ſi res penitus conſideretur) vel morbi in temperamento, aut in compoſitione, aut in ſoluta vnitate, aut ſunt morborum cauſæ. Reliqui verò multi, quos diuinos vocant, ſiqui ſunt, aut morbi qui ex maleficiis, aut incantamentis comparantur, nec methodo inueniri, nec curari poſſunt nec habent cauſas naturaliter agentes,ſed limites naturæ excedunt,& idcircò prætermiſſa à Galen.*in lib.de dif.morb.* Inſolens ergo hæc opinio Fernelij contra Gal.2. Medicorum mente explodenda, morbique in materia, & forma à morborum genere excludendi. Conſule doctiſſimum Sanctorell.*lib.*5.*antepraxis,c.*4.*&* 5. Quare cùm hæc videris, non exiſtimes morbum ſubſtantiæ eſſe diuerſum à morbis intemperiei, quia morbi venenati vnà cum cæteris totius ſubſtantiæ morbis, nouam morborum partium ſimilarium claſſem non conſtituunt, vt falsò ſibi perſuaſit Sennertus, quia ob veneni perniciem calor vitalis affligitur, opprimitur, & extinguitur, quæ affectio morbus eſt temperiei, quæ licèt ab occultis, & non manifeſtis cauſis ſit læſa & corrupta, tamen calidum innatum patitur,quo illæſo homo è medio tolli non poteſt. Deſinat ergo Ioannes Sperlingius,in Academia VVitrembergenſi phyſicæ Profeſſor eximius, *in tract.phyſicomedico, de morbis totius ſubſtantiæ*, conuitiis laceſſere clariſſimum Ioannem Freitagium, Academiæ Groninganæ celeberrimum Profeſſorem, qui *in diſputat. medica, de morbis totius ſubſtantiæ*, præſertim *theſ.* 62.verè, ſolidè, & eleganter venenatos, & cæteros totius ſubſtantiæ morbos, nouam morborum claſſem non conſtituere, prudenter aſſeuerat. Aduerſarij verò argumenta, ex ſuperiori Freitagij doctrina, facilè, ſi penſites, extricabis.

HISTOR. XXII. GALENI, De lolij pernicie.

Lolij malefica vis.

Etenim cùm anni conſtitutio praua aliquando foret, lolium affatim tritico innaſci contigit: quod cùm neque agricolæ accommodatis ad eam rem cribris exactè purgaſſent, neque piſtores, quòd paucus eſſet tritici prouentus, ſtatim quidem multis caput dolere cœpit: ineunte verò æſtate, in cute multorum, qui comederant, vlcera, aut aliud quoddam ſymptoma, quod ſuccorum prauitatem indicaret, eſt pronatum, &c. Galenus lib. 1. de alim. facultat. cap. vltimo.

PARAPHRASIS.

Lolium, Græcis dicitur æra, & à Latinis zizania etiam vocatur. Conſtat folio, hordei quidem (vt cuius eſt vitium) effigie, cæterùm folio anguſto, pingui, & hiſpido, ſemine exili, in cortice aculeato, ex Theophraſt. *lib. de hiſt. plantar. cap. 7.* Id Plinius inter frugum morbos potiùs, quàm terræ peſtes numerat: nam lolium plura mala facit; ſi inter fruges adſit, noxia enim eſt fruticatio, quæ ſementi ac frugum incremento officit; quoniam ſata ſtrangulat ac necat, ſuccúmque quo nutriuntur depopulatur, ſic vt ſegetes, aliæque herbæ ſalutares, aut malignè emergant, aut prorſus ſuffocentur.

Deinde hoc modo cerealia ſemina, priuſquam in ſanorum vſus veniant, diligentiſſimè iis frugum vitiis liberentur, oportet. Etenim triticum, niſi lolium à re frumentaria operosè idoneis ad hoc incerniculis repurgetur, veſcentibus noxam infert: nam capitis dolores continuò mouentur, vertigines obuerſantur; poſtmodum cùm ſequens ingruerit æſtas, autem fœdis obſidet vlceribus, aliáque emergunt incommoda, quæ alimenti huius malitiam ſatis oſtendunt. Quo pacto in hac hiſtoria Galenus, non faſtidiendum triticei repurgamenti præceptum edocuit: namque ſi graſſantem ſenſim noxam, inter initia propter exiguitatem veſcentes non ſentiant, gliſcente multo pluribus diebus vitio impunè non effugient, quin tandem ea non ſine magna vitæ alea manifeſtiùs eruptura prodeat.

Demum ex infelici lolio plurima damna ſuboriri, ſomnolentiam, temulentiam, amentiam, vertiginem, non illepida hiſtoria probauit VVierus *lib. 3. de præſtig. dæmonum, cap. 18.* dum ſic ait. *Mulier quædam optimè nota, ſed quæ iam ſuum obiit diem, trituratores in multos conduxerat dies, curarátque ex lolio diligenter excreto, molito, pinſitóque, admixta ſecalis farina panem apparari, & coqui, vt eos minoribus ſumptibus aleret, quo cùm eſſent paſti, in quandam leuem inciderunt amentiam, & cùm eſſent aliquandiu rotati vertigine, laſſi ad vnum omnes in profundum, longúmque inciderunt ſomnum, vt pro labore quem vetulæ præſtare oportuiſſet, ipſi continuò ſterterent, donec ea tandem poſt alterum, aut tertium diem, errore animaduerſo, victus rationem mutaret.*

Inſuper lolium panibus admixtum, capitis dolorem, oculis caliginem affert, vaporoſos enim humores in cerebrum defert: vnde manauit prouerbium in luſcioſos, *lolio victitare.* Sic Plautus *in milite* ſcribit.

Mirum eſt lolio te victitare, tam vili tritico.
Quidnam? quia luſcioſus. Verbero Ædipol, tu quidem
Cæcus, non luſcioſus.

Et Ouidius *lib. 1. Faſtorum:*

Vt careant loliis oculos vitiantibus agri,
Nec ſterilis culto ſurgat auena ſolo.

Quo pacto ineunte vere, antequam ſata adoleſcant, maturè ſunt auellenda omnia frugum detrimenta, vt monuit Virgilius *lib. 1. Georgic.*

Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Inſtituit, quum iam glandes, atque arbuta ſacræ
Deficerent ſyluæ, & victum Dodana negaret.
Mox & frumenti labor additus, vt mala culmos
Eſſet rubigo, ſegniſque horreret in aruis
A *Carduus: intereunt ſegetes, ſubit aſpera ſylua,*
Lappæque, tribulique, interque nitentia culta
Infelix lolium, & ſteriles dominantur auenæ.

Ishaac *lib. diætar. particul. titulo de zizania*, ſic dicit. *Vim habet acutam, & venenoſam, aliquando mentem turbans, & inebrians.*

Proponit Petrus Hiſpanus *in comment. cap. Ishaac*, dubium, qui fieri poſſit, vt lolium, narcoticorum inſtar, ſomnum profundum excitet, ſi calidum eſt nimis, & valenter exſiccat, apud Galenum *lib. 6. ſimpl. tit. de lolio*? Reſpondet, ex eo lolium concitare veternum, quia emittit
B ex ſe vaporem venenoſum ad cerebrum, quem cùm virtus animalis ſentiat, fugiens eum vt noxium, ſe retrahit, & cum ea ſanguis & ſpiritus, ad quorum retractionem ſequitur ſomnus. Non eſt recta ſolutio: nam hoc modo etiam venena calida ſomnum inexpugnabilem concitarent, quod non experimur: nam tunc potiùs vigilia ſuperflua ex calore contingit.

Dic ergo hoc modo. Multa ſunt calida medicamenta, quæ ſomnum prouocant: aloë enim, ex mente Dioſcoridis *lib. 3. cap. 23.* ſomnum inducit, ita vt Rhaſius *lib. 1. continent cap. 8.* aloë interdicat in cura lethargi, quia eius virtus inducit ſubeth. Hinc fit vt Matthæus *lib. 9. ad Almanſ. cap. de lethargo*, damnet eos, qui hieram lethargo affectis intrepidè proponant.

Neque obiicias cum Lupeo *lib. 3. enchiridij, fol. mihi 152.* quod hæc medicamenta, ſicut myrrha, & ſtyrax, ſom-
C num, & torporem inducant, quia liquando pituitoſos humores, ſunt in cauſa vt cerebrum humectetur, & exagitando humores, faciunt vt ad caput vapores emittant; ob quam cauſam cuncta medicamenta expurgantia ſoporem inferunt.

Quæ tamen opinio à Galeni, cæterorúmque Medicorum ſententia valde recedit: nam Dioſcorides ſic ait: *natura aloës eſt ſpiſſare, exſiccare, ſomnum allicere, corpora denſare, &c.* Si igitur ſpiſſandi naturam habet, quomodo attenuando ſomnum allicit? Deinde ſi ſua natura ſoporem inducit, per ſe igitur id facit, & non ex accidenti tantùm. Ad hæc, ſi aloë ſomnum induceret, alia medicamenta æquè calida, vt myrrha, ſoporem producerent, quod non experimur.

Neque afferas, aloën ſomnum excitare, quia expurgat bilem, quæ vigiliæ cauſa exiſtit: nam hoc modo cholagoga omnia eſſent ſomnifera, quod nullus vnquam dixit; nec enim rhabarbarum ſomnum prouocat, aut ſcammo-
D nium, aut aliud medicamentum quod facultatem attrahendi bilem ſortitur.

Quare aloë, & alia calida, vt ſtyrax, myrrha, & lolium, ſomnum inducunt, quæ etſi calida ſint, habent partes quaſdam humidas præpingues, quæ per actionem innati caloris ventriculi, in vapores verſæ ad cerebrum velociter permeant, & humiditate ſua lenta facultatem animalem conſopiunt. Et licèt etiam ſint partes ſicciores, acres & calidæ commixtæ, ex quibus vigilia emanat, tamen hæ non ita aptæ ſunt verti in vapores, ſicut humidæ ac pingues.

Hac de cauſa lolium ebrietatem diuturnam excitat; conſtat enim humido pingui, lento, & glutinoſo. Ita myrrha, calida ſicca ſoporem facit, ex Dioſcoride *lib. 1. cap. 6.* Ita ſtyrax torporem concitat, & torpidos ſenſus
E reddit, ex Galen. 12. *meth. cap. 1. & lib. 6. epid. ſect. 5. com. 13. & lib. 2. ſecund. loc. cap. 1.* & thus epotum ſenſus facit immobiles, & torpidos; quare in potu offertur iis qui ſupplicio ſunt lacerandi. Ex quibus ſatis conſtare arbitror, quomodo plura quamuis temperamento calida, ratione diuerſarum partium commixtarum, ſomnum alliciant.

HISTOR. XXIII. GAL. ET AETII, *De fungorum veneno.*

Syncope, & alia ſæuiſſima ſymptomata, ex eſu fungorum ſuborta, eorúmque curatio.

EX fungis boleti, ſi bellè in aqua elixi fuerint, propè accedunt ad cibos inſipidos: non tamen ſic ſolis ipſis vulgò viuntur, ſed apparant variè, & condiunt, vt alia omnia, quæ nulla inſigni qualitate ſunt prædita. Alimentum autem ex ipſis eſt pituitoſum, & frigidum videlicet, prauique ſucci, ſi quis ipſis largiùs vtatur. Omnium igitur fungorum hi minimùm ſunt noxij; ſecundi autem poſt hos ſunt amanitæ. Reliquos verò tutius eſt omnino ne attingere quidem; multi enim ex ipſorum eſu interierunt. Etenim noui quendam, cui poſt boletorum non ſatis elixorum, (qui innocentiſſimi eſſe putantur) vſum largiorem, os ventriculi preſſum, ac grauatum, coarctatúmque fuit, difficilémque habuit reſpirationem, & in animi deliquium incidit, ſudorémque frigidum ſudauit, ac demum ſeruari ægrè, ſumptis iis quæ humores craſſos incidunt, potuit: cuius generis eſt oxymeli ipſum per ſe, & cum hyſſopo, & origano ipſi mediocriter incoctis. Is enim tunc hæc à quodam accepit, tum nitri ſpumam ipſis inſperſam: poſt quæ fungos, quos comederat, vomuit, qui iam quodammodo in ſuccum pituitoſum, frigidum admodum, ac craſſum erant mutati, &c. Galenus lib. 2. de aliment. facult. cap. 69.

Gallinarum ſtercore vſus etiam ipſe fui, ad eos quibus ſtrangulationis periculum ex vſu fungorum imminebat. Inſpergebam autem ipſum tritum cyathis tribus, aut quatuor poſca, aut aceti mulſi, & breui conſpicuam opem ſenſerunt. Paulo pòſt enim pituitoſum, craſſiſſimum humorem euomebant, à quo perfectè ſuffocationis accidens conquieuit, &c. Aëtius tetrab. 1. ſerm. 2. cap. 98.

PARAPHRASIS.

FVngus, vt quibuſdam placet, à funere deflectitur: multi ſunt venenati, præſertim qui diluto rubore, rancido aſpectu liuido intus colore, rimoſa ſtria, pallido per ambitum labro cognoſcuntur: cortice, medulla, neruo, vena carent, pediculo conſtant admodum æquali. Origo prima è limo, & aceſcente ſucco madentis terræ, aut radicis fermè glandiferæ. Sicut ex arborum, ac fructuum ramis, radicibus, caudicibus, corticibus, arboribus, lignis, vt Fortunius Licetus probat *lib. 3. de ſpont. viuent. ortu, c. 4.* Immò artificialiter fieri poſſunt, è ficu defoſſa, populeis frondibus conciſis atque ſepultis, vt notat Scaliger *exercit.* 104. *num.* 17. ſarmentis combuſtis, apud Card. 13. *de ſubtilit. pag. mihi* 509. Immò ex lapidibus naſcuntur, ex Scalig. *exercit.* 173. *num.* 2. Eſt fungus planta ſine radice, mollis, ſpongioſa, & alba. Nicander appellauit terræ fermentum, quòd generetur ex terra acido ſucco fermentata, vel vt dicit Plinius *lib. 22. c. 23.* ex pituita arborum.

Theophraſtus *lib. 4. de hiſt. plantár. cap.* 8. & Plinius, varia eorum conſtituerunt genera: alia enim appellantur à locis in quibus naſcuntur, alia ab arboribus prope quas oriuntur, alia à colore, alia à magnitudine: Dioſcorides *l. 4. c. 78.* duo tantùm poſuit genera: nam alij ſunt qui edi poſſunt, alij perniciosi & venenati.

Qui praui ſunt ſi comeduntur, vel copia nocent, quia cùm rari ſint & ſpongioſi, ſpongiæ deuoratæ inſtar, humore in ventriculo turgidi, intumeſcunt, & ſic mole ſua ſtrangulant; vel deleteria vi natiuo calori ſunt infenſi valde: nam vitium & perniciem acquirunt, vel quia fiunt circa ferrum rubiginoſum, vel circa pannos putres & marcidos, vel prope cauernas, in quibus cùm animalia lateant venenoſa, fungos edentia, eos exitiali veneno inficiunt. Redduntur autem calori noſtro infeſta, quando exactè priùs non coquuntur: de quorum malitia lege Eobanum Heſſum, & eius Scholiaſtem Ioannem Placotomum *lib. 5. de ſanit. tuend. tit. de fungis*, & Epiphanium Ferdinandum *conſult.* 63.

Signa eorum qui ab eſu fungorum læſi ſunt, ſatis dilucidè à citatis auctoribus proponuntur, cùm enim craſſiſſimum generent ſuccum ex Gal. 7. *ſimpl.* 117. Paulo *lib. 5. cap. 55.* Aëtio *tetrab. 4. ſerm. 4. cap. 73.* Auicen. *lib. 2. tract. 2. cap. 275.* Ishaac 4. *theoric. c. 31.* ex hoc morbi exitiales frigidi, apoplexia, paralyſis, ſtrangulatio, ſtupor emanant. Hos affectus præcedunt frigidus ſudor, ſyncope, extremorum frigiditas, difficilis reſpiratio, ventriculi anguſtia, inflatio ventris, ſingultus, punctura ſtomachi, coloris mutatio in citrinum, horripilatio, pulſuum paruitas, immò & mors, auctore Auic. 6, 4. *tract.* 2. *cap.* 10. & Dioſcoride *lib. 6. cap.* 23. Demum omnia ſubſequi ſolent, quæ gypſum deuoratum aut ceruſam comitantur, vt 1. *de cauſ. ſympt. cap.* 7. Galenus affirmat. Quæ omnia ex eſu eorum euenire, proprio exemplo firmarunt Amatus 1. *centur.* 39. Cardanus *lib. 2. de ſanit. tuend. cap.* 43. Bruyerinus *de re cibaria, lib. 9. cap.* 10. Ioannes Belfortis *com. ad l. Gal. de vrina, pag.* 121. Botallus *in appendice ad lib. de Medici, & ægri munere.* Iulius Alexandrinus *lib. 9. ſalubr. cap.* 5. Foreſtus *lib. 10. obſ. in ſchol.* 116.

Cùm æger in agone eſt, exhibenda ſunt quæ craſſos humores attenuent, & eos è corpore expellant ſtrenuè per vomitum, aluum, & vrinam. Vinum eſt vtiliſſimum, & id cæteris prætulit Rhaſius *tract. 1. cont. cap.* 32.

Allium crudum ſummè laudatur à Conciliatore *tract. de venenis, tit. de malis fungis*, & cum omni præſidio decoquere oportet pyra ſylueſtria, vel loco eorum domeſtica ſunt ſatis; nam fungorum antidota, pyra ſunt, vt eleganter docuit Matthiolus *lib. 5. in Dioſcoridem, in com. cap.* 7. Sed inter cætera remedio ſunt nitri potus, aut lixiuium cum acida muria, aut feruefactæ ſatureiæ, aut origani iuſculum. Gallinacei fimi potus cum aceto, aut eiuſdem linctus cum mellis copia, ſummo ſunt auxilio: nam acetum craſſos humores attenuat; mel coquit lentum & viſcidum ſuccum; ſtercus gallinaceum eaſdem præſtat operationes, & inſuper à proprietate iuuat.

Sed vnum ſolùm reſtat dubiolum explicandum, de poſca quam oxycratum vocant, cur eam propinet ad craſſos humores attenuandos, ſi conſtat ex aqua, & aceto mixtis, ex Aëtio *tetrab. 1. ſerm. 1. cap.* 1. & aqua adſtringit, incraſſat, & humores cogit; & ſi ſit diluta, hoc eſt, multam aquam habeat, nauſeam aufert, ex Aëtio *tetrab. 3. ſerm. 1. cap.* 21. & Medicus debet eſſe ſollicitus, vt cogat ægros ad vomitum, & nauſeam moueat, vt ſic irritata natura craſſum, & pituitoſum humorem per vomitum expellat. Dic, quod etſi ſit diluta, aut mera, aceti ratione ſemper attenuat; maximè ſi extinctum in ea ferrum fuerit: quam hoc modo paratam eſſe præſtantiſſimum remedium lieni in ſcirrhum indurato, teſtatur Aëtius *tetrab. 2. ſerm. 2. cap.* 11. Maximè ſi in ea medicamenta emollientia miſceantur, vt probant Paulus *lib. 7. cap. 5.* & Aëtius *tetrab. 1. ſerm. 3. cap.* 80. & 81. In hunc vſum, in ſanguine è pectore erumpente, vt ſi quis latitet grumus, ſeu concretus ſanguis expuatur, eam obtulit, 5. *meth. cap.* 9. Nam quocunque modo componatur, ſemper incidentem ſortitur vim; quod ita eſſe non negabit, qui aceti vires, quales ſint à Galeno enarratæ *lib. 1. ſimpl.* 17. ad vnguem examinet. Cætera de fungorum differentiis, & noxis, lege apud peritiſſimum Ludouicum Nonnium *lib. 1. de re cibaria, cap.* 21. quorum multiplices differentias deſcriptas vide apud Caſparum Bauhinum *in ſuo theatro botanico*, & de ipſorum generatione pulchra præſcripſit clariſſimus Sennertus 5. *hypomnemat. phyſicor. cap.* 6. dum de ſpontaneo viuentium ortu agit eximiè.

HIST.

HIST. XXIV. GAL. ET AVIC.

De anu alta cicuta, & puella nutrita napello.

Venena nutrire queunt, quod anus Athenienſis, & puellæ nutritæ veneno hiſtoriis comprobatur.

HOminem quidem cicuta nutrit, id quod anus Athenienſis experimento edocuit, cuius apud omnes percelebris eſt memoria. Etenim ea à minima cicutæ portione auſpicata, nullo detrimento ad magnam progreſſa eſt copiam: principio enim paucum exiguitate deuictum eſt; at conſuetudo naturale reddidit, &c. Galenus lib. 3. de ſimpl. medic. facult. cap. 18.

Et dixit Ruffus, quòd fuit puella nutrita veneno, per quam Reges cum ea conuerſantes inficerentur, & quod ipſa conſequuta eſt in complexione ſua conſecutionem maximam, ita vt ſaliua eius interficeret animal, & non appropinquaret eius ſaliuæ gallina, &c. Auicenna 6. 4. tract. 1. cap. 2.

PARAPHRASIS.

QVomodo venena reducantur ad actum, vt nocere & nutrire poſſint, ſuprà *in com. hiſt.* 1. explicuimus, & eruditè admodum explanauit Mercurialis *lib.* 1. *de ven.* 9. & 11. Vnum certum fit, quòd proponit Galenus *hoc loco*, in quo eſt ſcripta hiſtoria hæc, nempe cicutam interficere homines, ſturnos verò alere; nam in illis ob meatuum amplitudinem, caloríſque copiam, tum ob attractionis robur validum citò ad cor pertingit: ſturnos verò ob cauſas contrarias non internecat; quum enim ob meatuum anguſtiam retineatur, ac cunctetur, ac temporis tractu concoquatur, à cordéque tanquam à foco præparetur, lactucarum inſtar, corpus alit: quippe quæ moderato eſu hominem nutriunt, ac ſi quiſpiam earum expreſſum ſuccum largiter hauſerit, non ſecus profectò morietur, quàm qui aut cicutam aut papauer ſumpſerint. Sic lactuca ſi cor refrigerauerit, interimit: ſin concoquatur, alimentum animali efficitur.

Hoc modo cicuta, ſi in parua quantitate ſumatur, nutrit, & natura ſenſim ac ſenſim aſſueta, illam deuincit. Poſſe autem acquiri conſuetudinem circa venena, oſtendit Theophraſtus *lib.* 9. *de hiſt. animal. cap.* 18. nam omnium pharmacorum vires in aſſuetis deperduntur. Porrò fit vt quædam ex medicamentis, ob hominis aſſuetudinem vim ſuam amittant, nec ampliùs nocere poſſint; cùm enim à natura amplexantur, deuincuntur, conficiuntur, nec ampliùs inter medicamenta cenſeri poſſunt: quidquid enim calore, aut congenita, vel ex conſuetudine acquiſita corporis proprietate alteratum, in corporis alimoniam digeritur, id venenum eſſe non poteſt: ſic modica cicutæ potione Ægyptiorum ſacerdotes ſe impunè caſtrabant.

Nonne opij miram quantitatem plurimi quotidiano vſu ſine noxa deuorant, prout *lib.* 1. *in com. hiſt.* 61. latè firmauimus? & mirabilius eſt, quod ex auctoritate Sexti Empirici ſcribit Mercurialis *lib.* 1. *de venen. cap.* 6. fuiſſe quandam anum, quæ triginta drachmas cicutæ ſorbebat ſine noxa vlla. Nonne hydrargyrum, medicamentum frigidiſſimum, ſæpe in magna quantitate, velut vnciarum decem, aut ſeſquilibræ pondere ſumptum, profluxiſſe per aluum narrat Botallus *lib. de lue venerea, c.* 7. & firmat Sambarolitanus *commentario ad Auicen. caput, de cura caſus & offenſionis p.* 189. Quare venena frigida, quæ quantitate ſolùm nocere ſolent, ſi paucula ſumuntur quantitate, nutrire corpus poſſunt, vt opium, lactucæ ſuccus; partes enim habent alimentoſas, quæ in ſucci probi nutrimentum conuertuntur, vt 3. *ſimpl.* 22. Galenus confirmat; & maximè cùm veneni vires conſuetudine fiant mitiores, vt probat Mercurialis *lib.* 1. *de venen. cap.* 11. Ergo cicutæ exigua portio nutrire poteſt, etſi de eius vi perniciosa, mira proferant Hieronym. Tragus *lib.* 1. *hiſt. ſtirp. cap.* 159. Matthiol. *lib.* 6. *c.* 11. Scaliger *exercit.* 152. Cordus *lib.* 2. *de ſtirp. hiſt. cap.* 150.

De hiſtoria ſecunda maior eſt hæſitatio, quoniam non deſunt viri eruditi, qui hanc ex Ruffo falſam, & fabuloſam eſſe arbitrantur: difficulter enim concedunt, corpus poſſe nutriri napello, quum ſit venenum calidiſſimum, & à tota ſubſtantia tale, vt Auicenna inquit *loc. cit. c.* 1. & *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 449. de cuius malitia ſat plura propoſuit Matthiolus *lib.* 4. *c.* 73.

Quomodo ergo napellus, aut aliud venenum calidiſſimum nutrire poterit, quum nullam cum humano corpore habeat ſimilitudinem? ex Gal. 1. *de ſim.* 12. §. *Iuxta eandem denique rationem minutiſſimus liquor ex iis quæ venenoſa ſunt, animalis corpori illapſus, totum corpus breuiſſimo tempore tranſmutat, ac ſuæ naturæ ſimile reddit, &c.* & *lib.* 5. *ſimpl.* 18. §. *At ſunt quæ tota ſubſtantia nobis contraria ſunt, proinde ſi vel minimum eorum aſſumptum fuerit, omnino lædat neceſſe eſt.*

Etſi autem hoc verum ſit, tamen venenum calidum in tam minima quantitate aſſumi poteſt, vt præ exiguitate à calore noſtro poſſit deuinci, miniméque nocere, & ſic nutrire: nam hoc intelligendum loquentibus nobis latiori nutritionis ſignificato, non pro eo quod verè nutrit, & in aliti ſubſtantiam conuertitur, ſed pro eo quòd licèt aſſumptum non verè nutriat, non lædat tamen. Deinde cum aſſuefacta natura veneno, ita in hac conſuetudine eſt confirmata, tunc partes alimentales à deleteriis ſeparare poteſt, & illis frui, hiſque minimè offendi, ipſas delendo & frangendo.

Napellus eſt venenum à tota ſubſtantia tale, & pernicioſum, cuius vis in necandis hominibus adeò immanis eſt, & pernicioſa; vt vllis vix antidotis ſuccurri poſſit, niſi confeſtim applicentur præſidia, vt proprio experimento firmauit Matthiolus *lib.* 4. *in Dioſcorid. cap.* 73.

Verumenimuerò aptè reſponderi dubio mihi perſuadeo, puellam hanc non nutritam fuiſſe napello, ſed cicuta, quia napellus Arabum, non eſt aconitum, ſed cicuta Græcorum, vt colligitur ex Auerrhoë 5. *collig.* 25. *in fin.* vbi ſturnellos napello veſci aſſeuerauit; & ibi per napellum intelligit cicutam, qua ſturnos nutriri *ſuprà* demonſtrauit Galenus: de quo argumento plura proponit Leonicenus *lib. de Pliny, & Medicorum erroribus, cap.* 38. & firmat Auicenna 6. 4. *tract.* 1. *cap.* 2. §. *Et propterea Galenus, quòd napellus interficit hominem, & non interficit turdos* (lege ſturnos) *quoniam ipſe non peruenit turdis ad cor, niſi poſt ſpatium, in quo iam paſſus eſt à corpore paſſionem; poſtquam non remanet niſi paſſio conuerſionis cibi, & in homine feſtinat ante illud, propter latitudinem meatuum, & vehementiam caliditatis, & virtutem motiuam attrahentium arteriarum, &c.* & *infra* inquit hoc modo. *Inquit Galenus, & fuit quædam anus ſuſcipiens in principio rei, de napello rem paruam; deinde non ceſſauit vti eo, donec aſſuefacta eſt ei natura, & audacter vſa eſt eo, & nihil nocuit ei, &c.*

Quare licèt napellus Arabum ſit cicuta Græcorum; tamen hæc ſolutio habet contradictionem in ſe maximã, quia cicuta cùm ſit venenum frigidum, non ita citò venerat corpus, nec inficit labe dira, nec in aſſumentis naturam ſeſe inſinuat, vt totum corpus veneficum reddatur; cuius cauſa ſaliua animalia interficiat, & reſpiratio, contactúſque ita ſint venenoſa, vt adſtantes & conuerſantes, maligna & venenoſa aura conſpurcet, & labefactet. Quare non eſt legendum in hiſtoria, vt multi codices habent, *nutrita napello*, ſed vt legunt Coſtæus, & Mongius, *veneno*. Conſule Georgium Amasfortium *lib.* 7. *medecinæ theoreticæ, cap.* 26.

Neque de hiſtoriæ veritate dubites, prout plures affirmant, de quorum numero eſt Stephanus Rodericus Caſtrenſ. *lib.* 2 *de meteor. microcoſm. cap.* 12. qui hanc hiſtoriam, falſam, & fabuloſam eſſe ſibi perſuadet. Quamuis autem ſit Ruffi, veram tamen eſſe, & auctorum lectioni, ſcriptiſque maximè conſentaneam non dubito. Primò, quia Ruffus fuit celebris apud priſcos Medicus, & iudicium Medici docti magnifaciendum eſt, quum ſit dignum conſideratione, ex Gal. 1. *epid. ſect.* 2. *com.* 1. Secundò Auicenna

eam in ſuos canones, congeſſit. Tertiò illam exponit latè, & ſubtiliter Gentilis, auctor tantus, & cum eo reliqua interpretum claſſis explanat, immò Conciliator *tract. ſuo eleganti de venenis* & Mercurialis *lib. 2. de venen. c. 9.* Langius *lib. 1. epiſt. 69.* eam approbarunt.

Negandum autem non eſt, homines poſſe calido nutriri veneno, quum illo in tam exigua quantitate aſſumpto in principio vtuntur, vt à calore noſtro ſuperetur: etſi enim venenum dicatur id, quod ſuapte natura homini eſt contrarium, & ipſius ſubſtantiam euertit atque corrumpit; & licèt venena exigua mole aſſumpta, breui tamen totum animalis corpus deperdant, quum efficacis ſint potentiæ, vt inſtar fulguris omnia perreptent, omnia inuadant, temperiem immutent, natiuum calorem extinguant, cordis vires diſſoluant, vitámque rapiant, quum cæca & mira quadam potentia, abditáque qualitate animantibus ſint infeſta: attamen in tam minima quantitate aſſumi poſſunt, vt vincantur, & non noceant.

Vis audire auctorum grauiſſimorum exempla, quibus hoc firmatur vbertim? Narrat Arnaldus *in ſpeculo, cap. 5.* hiſtoriam cuiuſdam pueri, qui cùm ætate pueritiæ ob ſtultitiam araneas edere cœpiſſet, cùm eſſet adoleſcens, eas ad veſcendum venabatur citra noxam: quod affirmat Dælius Rhodiginus *lib. 11. antiq. lect. cap. 13.* & variis exemplis probat Bernardus Deſſenius *lib. 6. de compoſ. medicament. in ſchol. trochiſc. de viperis, verbo cicuta.* Nonne Theophraſtus Luculentiſſimus plantarum hiſtoriæ ſcriptor, eleganti quadam verborum concinnitate, hiſtoriam refert *lib. 9. de hiſt. plantar. 18.* multorum, qui tantum ellebori eſitarunt, vt manipulos totos ſine noxa conſumerent? Nonne Cardanus *lib. 2. cont. tract. 2. cont. 7.* deſcribit hiſtoriam cuiuſdam, qui arſenici vnciam ſine vllo auxilio, aut noxa deuorare ſolebat?

Scribit Mercurialis *lib. 1. de venen. cap. 6.* Æthiopias accolas Hydaſpis fluuij impunè veſci ſolere ſcorpionibus, & ſerpentibus, quod quidem aliunde proficiſci non poteſt, quàm ex inſigni quadam corporis conſtitutione ſecreta, & diuina. In Cuba Inſula ſerpentes abundant noua totius corporis ſpecie, ac forma præditi, ſeſquipedis plerumque longitudine, qui ex terra, & aqua viuunt, & in lautioribus ſunt epulis, vt ſcribit Bembus *lib. 6. hiſt. Venet.* Quare non dubitandum de veritate hiſtoriæ huius, neque quòd hæc puella eſſet venefica facta, & animalia eius ſaliuam deguſtantia illicò occumberent. Poſſe autem educatione fieri veneficos, ingenuè probat Mizaldus *centur. 1. memorabil. aph. 59.* Mercurial. *lib. 1. de morb. venenoſ. cap. 9.* Scaliger *in Cardanum, exercit. 175.* Cluſius *ad cap. 25. annotation. Garzia ab horto, lib. 1. hiſtoriæ aromatum.*

HISTOR. XXV. GALENI,
De ellebori veneno.

Dacorum & Dalmatarum, elleboro tela venenantium, ſagacitas.

Herbam, quam Græci Helenium appellant, incolæ pario nomine Nicum indigitarunt: eſt autem nicum *dictio Barbara, qualem herbæ exoticæ plerumque habent. Hanc herbam Daci, & Dalmatæ telorum ſuorum cuſpidibus aſpergere dicuntur, & ſimul ac ſanguinem vulneratorum contigerit, è veſtigio illos interimere, &c. Galenus* lib. de theriac. ad Piſon. cap. 10.

PARAPHRASIS.

Hanc hiſtoriam transfert Paulus *lib. 6. cap. 88.* vbi pe Helenium interpres notat intelligi elleborum, qu Hiſpani vtuntur ad venenanda tela. Cùm enim huius veneni virus ſit viſcidum, telis adhæret, & motu dum ipſi iaciuntur, incaleſcens, promptiùs in vulneratam partem ſeſe inſinuans, venas & arterias penitiſſimè peruadens ſanguinique permixtum, cor penetrat, & vitam adimit.

Hoc modo plurimæ nationes ſagittas illinebant, vt corporibus adhærentes, venenoſa qualitate communicata citius interficerent. Ita Scythæ, referente Plinio *lib. 11. cap. 53.* tela quodam veneno inficiebant, quod ex ſanie viperina, & ſanguine humano commixtis componebant. Et Ariſt. *lib. de mirabilib. auſcultat.* Armenos ſagittas pardalij veneno inficere aſſeuerat, & probat Langius *lib. 1. epiſt. 68.* eloquentiſſimè.

Delibutoria venena, vna, vel altera qualitate, totáque ſubſtantia corpus offendunt. Officiunt ſuo calore, frigore, humore, ſiccitate. Hæc impoſitis forinſecùs remediis elicitur, calore, & ſimilitudine ſubſtantiæ extrahente, Iuuat ſtercus humanum epotum: nam id ſe audiuiſſe refert Auicenna 6, 4. *cap.* 11. eſſe theriacam aduerſus ſagittas Armenas. Quando enim Pantheræ vel à ſagittis veneno delibutis percuſſæ erant, vel aliquo modo venenum ſumpſerant, ſtercus humanum ſibi adhibebant, vt affirmat Ariſt. *lib. 9. de hiſtor. animal. cap. 6.*

Contra hoc venenum, præter remedia alexipharmaca intus adhibita, & attrahentia venenum ad partes externas, hirudines nempe, ſuctum, cucurbitulas, ſcarificationes, emplaſtra, & cauterium, nullum aliud humana ſagacitas adinuenit, quàm Nicotianæ ſuccum expreſſum (Indi Petum, vulgus tabacum, & herbam ſanctam, Latiniores Nicotianam vocant) vulneribus imponere, cuius folia trita ipſis admota eſſe mirabili auxilio, tradit Nicolaus Monardus *lib. aromatum ſimplicium Occidentalium, proprio capite de Tabaco.* Aduerſus hoc venenum plurimùm prodeſſe ſuccum mali cotonei intus aſſumptum, & mirabili quodam iuuandi modo auxiliari, firmant Iulius Alexandrinus *lib. 10. ſalubrium, cap. 5.* & Cyriacus Lucius *de ligni cotonei natura, & viribus.* De helenio lege Baſilium Beſlerum *in vaſto ſuo horto plantarum, tit. de Helenio.* Extrà apponenda ſunt, quæ telum venenatum ad partes externas auocare queant. Vtrùm autem Magnes in puluerem tenuiſſimum redactus, cum emplaſtris permixtus, vim habeat attrahendi ex corpore humano ferrum & ſagittas intra carnem tenaciter infixas: reſpondeo cum doctiſſimo Daniele Becchero, qui *lib. de cultiuoro Pruſſiaco, poſitione 6.* hoc argumentum, allatis raris exemplis, & rationibus pro vtraque parte, affirmatiuam ampliùs videtur amplecti, & omnem hanc hiſtoriam, ſolertiſſimi ingenij vir, mira facundia, admirabili iudicij acrimonia, & eleganti ſtylo deſcribit, dignus vt cum priſcis illis comparetur.

HIST. XXVI. GALENI,
De mithridatio.

Mithridates Rex aſſuetus aſſumere Antidotum mithridaticam, à veneno vel violentiſſimo interfici non potuit: quo hauſto plures interiêre.

Verùm vt ſummatim laudes huius antidoti complectar, totum corpus ita diſponit, vt ab vlla re noxia non corrumpatur. Hanc autem reſiſtentiam procreat tam varia, & efficax tot medicinarum compoſitio, & præſertim quando in ipſam ingrediuntur viperæ. Nam & Mithridatem magnum illum bellatorem ferunt, non aſſumpta theriaca, quæ nondũ erat, ſed alia quapiam multiformi Antidoto, Mithridatica de illius nomine dicta, non potuiſſe ſumpto veneno mori: quoniam ſic illius membra contemperauerat, vt ab re noxia pati non poſſet. Hoc autem contigit, quo tempore bellum cum Romanis gerens, à Pompeio profligatus, atque in extrema fortuna conſtitutus, illæſus è vita diſcedere feſtinaret. Hauſit itaque venenum, & plus etiam quàm ſatis eſſet ebibit, nec tamen ipſe mori potuit. Filias verò ipſius, quæ cum patre vitam finire prorsùs decreuerant, atque adeò ex eodem quoque veneno hauſerant, celeriter occubuiſſe tradunt. Mithridates igitur cùm mori tardaret, eo quòd Antidotus quam præaſſumpſerat, venenum redderet irritum,

irritam, vnum ex amicis ſuis nomine Byſtocum vocauit, vt ſe iugularet. Is autem opus veneni ferro abſoluens, Mithridatem violenta morte confecit, &c. *Galenus* lib. de theriaca ad Piſon. cap. 16. in fin.

PARAPHRASIS.

Mithridatem Regem Ponti, potentiſſimum, rerum medicarum fuiſſe ſcientiſſimum, adeò vt nobiliſſimæ ab eo compoſitæ Antidoti ope, à venenis omnibus, vel pernicioſiſſimis immunis euaſerit, eáque vi ſuperauerit, nulli puto non manifeſtum, de quo ita Cælius ſcribit *lib. 29. antiq. lect. cap.* 17. Cur Mithridates illuſtris Ponti Rex, is quicum totos 42. annos, bellum Romani geſſerunt, & per Pompeium debellarunt, Dionyſus appellaretur, exponit, opinor ex Athenæo aut Plutarcho. Victorius quoque *lib. 7. variar. lect. cap.* 4. oſtendit ex Athenæo vocatum fuiſſe Deum. At Muretus *lib. 1. variar. lect. cap.* 2. omnium elegantiſſimè, & politiſſimè citatis etiam Græcis Plutarchi verbis, ex *l. 1. ſympoſ. q.* 6. id explicuit, cum Clem. Alexand. Sibi videlicet hoc nomen arrogaſſe, vt pleroſque alios ob diuinitatis cupiditatem, mox inter cæteros Mithridatem Ponticum recenſet Dionyſum ſe nominantem. Fuit etiam cognomine vocatus, beneficus, qui alienam Cappadociam inuaſit, & ſucceſſit ei Mithridates filius.

Is ergo ſapientiſſimus Rex celeberrimam excogitauit compoſitionem, quæ à ſuo nomine Mithridatica confectio paſſim ab omnibus appellatur, quæ aliis medicamentis alexiteriis longè eſt præſtantior: Nam inter multa excellentiſſimáque antidota, quæ natura rerum omnium parens produxit, & hominum ſolertia, miro ingenio, ad tuendam vitam, ad ſalutem conſeruandam, ad arcenda venena, ſub multiplici forma, varióque parata artificio adinuenit, nullum ſuauius, aut ſalubrius alexipharmacum eſt repertum, quoniam vel theriaca ipſa, compoſitione contra venena tam ſalutari valde eſt pretioſior, & efficacior, vt euidentiſſimis rationibus probat Iunius Paulus *in ſuis meditationibus de Mithridatica antidoto in fine.*

Hoc ergo ſalutifero medicamento hic Rex munitus, à noxis venenoſorum animalium ictibus non lædebatur, toxica non timebat, nec præſentanea venena illi nocebant, immò adeò corpus habebat præparatum hac antidoto, vt acquiſiuerit vel facultatem corruptiuã veneni, vel ſanè illi familiarem. Poſſe autem quempiam ita antidotis muniri, vt à venenis lædi non poſſit, agitant inter omnes Greuin. *lib. de venenis c.* 4. Foreſtus *lib. 30. obſ.* 3. Guainerius *l. de venenis cap.* 4. & eleganter Proſper Alpinus *lib. 4. de medecina methodica, cap. 4. &* 5. Quibus autem auxiliis quis à veneno præſeruari poſſit, explicat eruditè ſatis Gabriel Hemelbergius *in Quintum Serenum Sammonicum, tit. de prohibendis venenis*, quorum formulas *in appendice* proponemus latè. Interim conſule meditationes Bernardini Tauriſani *in Mithridaticam antidotum* accuratiſſimè lucubratas. Variæ ſunt deſcriptiones Mithridatij, vt docet Galenus *lib. de antidot. c.* 2. & eo loco tres primarias conſtituit, primam per Andromachum, ſecundam per Antipatrum, tertiam per Damocratem: hæcque vltima eſt præſtantior & efficacior, & qua ipſe Mithridates vtebatur, vt notat Amatus 7. *cent.* 87. & hac ratione Bartholomæus Maranta Venuſinus eam correxit, & illuſtrauit: cuius deſcriptionem lege apud Renodæum *lib. 3. antidot. ſect. 2. cap.* 2. & Nicolaum Mutonum *tract. de Mithridatij legitima conſtitutione*, Nicolaum Stelliolam *eod. lib. & tit.* quam etiam politè, & breuiter appoſuit Nicolaus Fontanus, Medicus præclarus *in ſuis inſtitutionib. pharmaceuticis, tract. de opiatis, cap.* 2.

HIST. XXVII. AVENZOARIS, *De veneno lacertæ.*

Aduerſus venenum lacertæ, theriaca eſt admirabile auxilium.

Proprietas lacertæ eſt, quod ſi quis comederit eam, vel biberit ex aqua in qua fuerit mortua, magnum corpori infert nocumentum. Et mihi cùm eſſem in Mareſtan (id eſt, in hoſpitali) accidit hoc, quod in aqua quam bibebam, percipiebam horribilem odorem, & omni die mihi videbatur multiplicari. Quare ordinaui, & feci hominem intrare puteum, ad videndum quid hoc eſſe poſſet, credens quòd aliqua reptilia intus cecidiſſent: & ille quæſitor inuenit lacertas multas mortuas, quarum pars erat diſſoluta, & pars nõ. Vnde timui ne inde habere poſſem caſum pulſus, & multũ nocumentum, & incepi bibere de theriaca, & recepi de ea pluribus vicibus, & ſic euaſi à nocumento gratia Dei. Et poſt longum tempus orta fuit mihi puſtula ad modum granuli ſuper punctum naſi, & ego deſuper poſui de theriaca, eo quòd cognoui quòd illud erat de humore venenoſo à natura expulſo, qui quidem humor generatus fuit ab aqua lacertarum prædicta, &c.* *Auenzoar.* lib. 1. theizir, tract. 7. cap. 10.

PARAPHRASIS.

Lacertus; qui & lacerta appellati conſueuit (dixit enim Virgilius *Ecloga* 2.

Nunc virides etiam occultant ſpineta lacertos.

Et Cicero *ad Atticum, lib.* 2. idem probat) Latinè venabulum dicitur, quòd eius formæ venabula extiterint antiquis. Etiam appellatur à Latinis naſturtium, quòd maculis, inſtar granorum naſturtij, varientur tergoribus lacerti. Nobis verò lacertus vocatur, quòd figura lacertos repræſentet, muſculóſque lacertorum; partes ſcilicet conſitas inter oſſa ſcapularum, & cubiti, dicit Celſus *humeros*, Galenus *brachion.*

Sanguineum eſt, & ouiparum animal, cruſtaceum; ſquamoſa intectum cute, anguinum more, vt Ariſt. retulit 7. *hiſt. animal. cap.* 35. & obſcuriſſimas plus cæteris animalibus ſibi parat cauernas & domicilia, vt firmant Ariſt. 1. *de hiſt. animal. cap.* 11. Ælianus *lib. 2. cap.* 23. Solinus *in polyhiſt. cap.* 42. *Seps, lacerti genus eſt, ſerpens cubitorum binum, craſſitudine in exilitatem, vt alia quoque genera, ſerpentum, deſcendente, ingreſſu tardo, rectòque, lato capite, ore acuto, maculis toto corpore candidis, triduo, vel quatriduo interficit, &c.* Demum auctores omnes qui de lacertarum natura conſcripſerunt, illis veneficam naturam attribuunt, vt Ariſt. *l. 2. de hiſtor. animal. cap. 17. & lib. 17. eodem capite, & lib. 2. de generat. animal. cap.* 1. Ælianus *lib. 2. cap.* 23. Plinius *lib. 6. cap.* 32. & alij quos omniſcius citat Aldrouandus *in ſuo ſecundo libro, de ſerpentibus.*

Noſtra ætate repertæ ſunt Inſulæ fortunatæ, quas caprarias vocat Plinius *loc. cit.* & modò appellant lacertorum inſulam, in qua maximi ſunt lacerti. Ariſt. *lib. 5. de hiſt. animal. c.* 33. in Arabia magnitudine vnius cubiti inueniri docet, ſed apud Indos Occidentales in regno nouæ Hiſpaniæ *Caymanes* hos vocant lacertos, qui multoties habent viginti quatuor in longitudine pedes, & ſunt aquatiles, & terreſtres; naturæ amphibiæ, communi aquæ & terræ incolatu caymanes quaſi voraces dixeris, & ingluuioſos, tantæ magnitudinis, vt equum integrum, & equitantem ore deglutiant, molis vaſtiſſimæ, vt multoties hæc animantia ſubuertant nauigia ampliſſima: Quorum effigiem, naturam, mores, vſum in cibis, condiendi modum, doctiſſimè ſimul, atque ornatiſſimè deſcripſit Clariſſimus Ioannes Iſacius Pontanus, Medicus famatiſſimus, & in illuſtri Geltorum gymnaſio Profeſſor celeberrimus, ſereniſſimi Regis Daniæ, & Ducatus Gelr. Hiſtoriographus inſignis *lib. 2. rerum, & vrbis Amſtelodamenſis, cap.* 4. veriùs Belgicus Varro appellandus.

Dioſcorides *loc. cit.* inter lacerti ſpecies enumerat ſalamandram, & lacertulam vulgarem noſtram, dictam ſepem pedeſtrem, & lacertos communes virides, pallidos, nigricantes, & chalcidicos, quòd chalcitidem lapidem colore repræſentent. Eſtque ſeps Chalcidica Aëtij, & Pauli, vulgaris noſtra lacertula dicta.

Frigidus eſt lacertus gradu ſecundo & humidus primo, At ſuccus eius calidus tertio, & ſiccus ſecundo; fel verò calidum quarti initio, & ſiccum tertio gradu Oleo infrixus lacertus totus, reſoluit, extenuat, & ſenſum partis demulcet; quare anodynus, ſedatiuúſque doloris eſt, attrahens, calefaciens, partes dolore conſtrictas relaxans, retractas reſoluens, contrariis & diſſentientibus virtutibus cõ-

ſtâs,quibus cōtrarios affectus effectúſque varios molitur. Omnis ergo Lacertarum ſpecies eſt venenóſa : non eſt ergo mirum , ſi eæ in magna copia emortuæ , putridæ, & corruptæ , aquæ ſimilem fœtorem conciliarint ; qua de cauſa,aqua euaſit horribilis,& iniucunda nimis,immò venenata , cuius potus etſi ob bibentis indiſpoſitionem non noceret, non dubito quin aliis veneficus eſſet, inutilis, & reprobus.Quare præſeruationis cauſa, in potum aſſumpſit de theriaca,quæ ad retundendam veneni efficaciā, ſi fortè mala eius qualitas erat in corpore impreſſa, eſt vtiliſſima; cuius ope tuberculum in lepore naſi excitatum conquieuit, poſtquàm illi ea fuit admota. Rectè autem noſti theriacam tam foris impoſitam , quàm intus oblatam , omne venenum debellare eximiè, quum ſit omnium venenorum tutiſſimum alexipharmacum : vt probant Franciſcus Caballus *lib. de animali paſtillos theriacos ingrediente , ferè per totum*.& Iacobus Ferrarius *idea theriaca*, *cap*.4.

QVÆSTIO XXXIII.

Vtrùm Galenus pulſum rectè definiuerit. Contra Argenterium, Ioubertum, Thomam à Veiga, & Lupeum, Medicos eximios.

COMMENTARIVM.

Cáſum pulſus.] Accedamus ad argumentum de pulſibus,vtile & multi vſus, de quo etſi plures, iíque non incelebres ſcriptores tam veteres , quàm noui , plura memoriæ commendarint , & in operibus noſtris de eo ſaltuatim fecerimus commemorationem , tamen ne illius ſubtilitate , & arduis , intricatiſque quæſtionibus ad vnguem pertractatis, ſtudioſi carere videantur , rem hîc aggrediamur ; præſertim cùm in his quæſtionibus explicandis , adeò obſcuritatibus inuoluta , & in Heracliti antro quodammodo abſtruſa, circa materiam per ſe difficillimam clariſſimi Iuniores proponant, vt diſcentes tenebris tantùm non offendant.

Quæri ſcio inter ſapientiæ Hippocraticæ candidatos, quid verbum pulſus admodum frequens apud Medicos, ſignificet?Reſpondet peracutus rerum medicarum conſectator 4.*de d ffer. pulſ.* 2. pulſum à vetuſtiſſimis auctoribus ſolùm tunc vocari, quando partes inflammatæ mouentur, & ab adiacente carne comprimuntur , atque hac ratione pulſant : in corpore autem ſano , hoc vocabulo vti nunquam; neque tunc omnem motum arteriarum intelligere, ſed aut magnum & vehementem , aut quem ipſe poteſt ægrotus animaduertere:in quem modum videtur & Eraſiſtratus pulſus nomen vſurpaſſe.Poſteriores verò,vt Herophilus,omnem arteriarum motum,pulſum nominarunt,ex quo præſentem ſtatum agnoſcimus,præcipuúſque venientem.Alij venarum motum pro pulſu vſurparunt , & venas pulſatiles, quibus moueri datum eſt, arterias appellabant, vt teſtatur Gal.*com*.2.6.*lib*.4.*de rat.vict. in morbis acutis* : ſed Gal.4.*de diff. pulſ. cap*. 1. pulſum vocat arteriarum motum omnibus partibus conſpicuum. Dicitur autem pulſus à pulſando,vel quia corpora circumobſiſtentia pellit.

Porrò relictis definitionibus,quas Galenus ex antiquorum mente proponit,nos quid verè nomine pulſus in viuentiū corporibus intelligi poſſit, ex eius mente perſcrutemur.Hippocrates etſi pulſus notitiam habuerit,eiúſque harmoniam obſeruarit,vt latè *l*.2.*in com.hiſt*. 12. diſceptauimus , tamen in eius eſſentia deſcribenda multus non fuit quia de reſpiratione pulſui ſimillima egit diffusè.

Galenus ergo *lib*.4.*de diff pulſ.c*.2.omittens Heraclidis, Alexandri, Demoſthenis,& aliorum definitiones, quas reprobat,ſic perbellè pulſum definit,dicens, *Pulſus eſt actio peculiaris , præcipuè cordis , deinde arteriarum,qua diſtentione, & contractione mouentur à facultate vitali , vt caloris natiui mediocritas retineatur,& ſpiritus animalis in cerebro generetur.* Quæ definitio optima eſt,& omnibus ſuis numeris abſoluta,& eam recipit Paulus *lib*.2.*cap*. 12. Omnia enim quæ pulſus propria,& peculiaria ſunt, exactiſſimè comprehendit & illius naturam ac eſſentiam explicat:nā genus, differentias , & omnia genera cauſarum continet. Genus eſt

A actio, ſiquidem pulſus pertinet ad prædicamentum actionis , quia ſemper in generatione poſitus eſt , & tandiu eſt quandiu fit, veluti cæteri motus,ex Gal.*cit*.& Ariſt.7.*phyſicor.c*.2. Neque intereſt,ſiue actionem,ſiue operationem, ſiue motum dicas. Impropriè tamen diceretur pulſus,paſſio,affectio,ſiue affectus,quia Gal.6 *de placit.c*.1. *ante med.* maximum inter paſſionem & actionem diſcrimen conſtituit. Differentiæ ſunt contractio , & dilatatio.Cauſa efficiens , eſt facultas vitalis ex corde in arterias procedens. Materialis,ſiue inſtrumentalis,ſunt cor, & arteriæ, præter quorum conformationē,materiam etiam per dilatationem cenſemus. Cauſa finalis,eſt caloris natiui mediocritas , & commoderatio, & ſpiritus animalis in cerebro generatio.

Vt verò pulſus definitio illuſtrior , & magis dilucida euadat , quærendum eſt primò. Vtrùm facultas vitalis ſit conſtituenda ? Nam Ariſt.*l*. 1.& 2.*de anima*, omnia genera

B potentiarum recenſens, huius non meminit, quia, vt placet Argenterio *l.art.medic. in com. cap*. 9. non videtur aſſignanda : quum enim animalia tantum viuant , quantum nutriuntur ; & nutritio ac vita , viuere , & nutrire idem ſint , vt ex multis locis Ariſt. conſtat, & hæc omnia à facultate fiant naturali,vitalis recipienda non eſt.

Deinde Ariſtot.*lib.de morte & vita*, *cap*.2.*poſt med.*docet animalia calore generari , & illius permanentia viuere. Sed nihil eſt quod huiuſmodi calorem magis permanere faciat , quàm nutritio , quæ ex facultate naturali emanat. Ergo non opus eſt facultate vitali. Quam opinionem defendit Ioubertus *lib*.1.*de facult.naturalib. cap*. 1. *mihi fol*. 6. contra Fernelium. Amplectenda tamen eſt doctrina Galeni,qui *l.meth.c*.10. Platonem ſequutus , vitalem facultatem conſtituit,non tantùm ſede,ſed etiam natura, ab ani-

C mali,& naturali diſtinctam,quam ſententiam Medicorum ſchola vnanimiter firmat. Quoniam facultas animalis agit ex arbitrio;naturalis verò verſatur circa alimētum,& agit quantum poteſt pro ſuo robore,& reſiſtentia paſſi, quemadmodum & reliqua agentia naturalia ; vitalis verò non agit ex arbitrio,ex Gal.*lib*.1. *de difficult.reſpirationis*, *cap*. 9. *ante med*.& 2. *de motu muſculor. cap*. 5. *in med.* neque agit quantum poteſt , ſed ſolùm vt expedit, & pro indigentiæ vſu. Ergo ab aliis diſtincta eſt.

Secundò. Auicenna docet,quòd hæ facultates ita ſe habent , vt vna læſa reliquæ permaneant , vt conſtat in lethargo , & morbo attonito : in quibus functiones ſenſus, & motus deficiunt, non tamen abolentur operationes facultatis naturalis,aut vitalis;& in atrophia adeſt alimenti priuatio, non tamen deficit vita,nec pulſus, nec ſenſus; &

D in febre peſtilenti præcipuè læditur facultas vitalis , cæteris illæſis,aut parùm læſis. Ergo facultas vitalis ab aliis diſtincta neceſſariò eſt conſtituenda,& ex his facilis eſt ad argumenta reſponſio. Conſule Gentilem *in Auic*.1.1.*doct*. 9.*cap*.4.

At ſi hæc vera ſunt,& vitalis, & naturalis ſeparātur, ita vt origo vitalis ſit cor , & principium naturalis ſit hepar, cur 7.*de vſu part.c*.9. cordis motum à natura fieri dicit ? & cur 1.*de criſ*.4.14.*ante med*.& 2.*de ſympt.cauſ.cap*. 1. & *l. de ſang miſ*.3.duas tantùm facultates conſtituit,naturalem, & animalem,quemadmodū 1.*de loc.vlt*. vbi naturalia ab animalibus diſtinguit ? Sic etiam 6.*de ſanit.tuend.c*.1.*poſt med*. §.*Cùm autem animalis,&c*.duas in noſtro corpore dicit eſſe actiones , animi ſiue animales , & corporales;vbi per animales , ſenſum & motum intelligit , per corporales verò reliquas omnes,& 2.*de motu muſcul.c*.5. motum cordis , &

E arteriarum , eſſe à natura aſſeruit. Hoc pacto intelligendus Aphrodiſæus 4.*probl.vlt*. quando inquit , quod *anima operatur interdiu , natura verò noctu*. Dic , ex eo facultatem vitalem , naturalem vocari , non ſimpliciter , ſed præſtantioris ordinis:hoc modo Auic. 1. 1. *doct*.6.*cap*.4.aſſeuerat, facultatem vitalem , eſſe naturalem ; altioris tamen ordinis , quàm ſit ea quæ à Medicis naturalis vocatur.

Neque obiicias Galenum *lib*.1.*de dif.reſp.cap*.19. *in initio*.§.*Quatenus enim*, *&c*. vbi actionem pulſus liberam eſſe docet : Nam etiamſi ferè ſemper Galenus per operationem liberam,arbitrariam intelligat , eo loco per liberam ſignificanda eſt quæ ſuo ducitur impetu , & noſtro non ſubiicitur arbitrio.

Quæres

A Quæres ſecundò. Cur facultas vitalis fuerit introducta? nam plantæ ſine ea viuunt, ex ſola animæ vegetantis participatione, à qua conſeruantur; & anima etiam ſenſibus à facultate animali profectis prædita, hac indigere non videtur. Si enim ſola anima vegetatiua ſufficit vitam fruticibus conſeruare, cur etiam non ſufficiet hæc animalibus, cum altera ſenſus, & intellectus participe copulata? Dic.Quò quidpiam eſt perfectius,eò perfectiore apparatu materiæ indiget; quare cùm animalia perfectiore vita viuant, quàm plantæ, quia viuunt vti vegetatiua, motiua, & ſenſitiua, perfectiùs etiam quam planta nutriuntur, quæ parum à terra diſtant cui ſunt affixæ, & impuro nutrimento gaudent, recreantur, & aluntur, vt luto, vel alio crudo humore, qui ab illis continuò attrahitur B & hauritur: Animalia verò excellentiore ſubſtantia prædita, & magis mixta, puriore indigent nutrimento, quod poſt diuturnam coctionem in ſui naturam tranſmutant. Quare non ſolùm magis elaborato pabulo egent, ſed facultate alia quæ ſpiritus generaret, & membra ipſa robuſtiora redderet; & ſic vberiori calore ad ſuas edendas operationes indigebant, quarum exercendarum gratia,cor, viſcus nobiliſſimum fuit creatum, in quo facultas vitalis ſedem, ac domicilium habet, quæ ſanguinem extenuat,& calefacit, & ex eo ſanguinem arterialem, & ſpiritum vitalem, ſubſtantias calidiſſimas gignit, quæ impetu quodam vniuerſo corpori tranſmittuntur, vt earum caliditate inſita partium caliditas reuiuiſcat.

Quid plura? Sicut in rebus inanimatis calidis, tactu C non percipitur caliditas, quia à qualitatibus aliorum elementorum eſt veluti oppreſſa & conſopita:& calore animalis indiget vt in actum exeat:ſic in plantis, & animalibus caliditas inſita, quæ mixtionem ſequitur elementorum, eſt veluti extincta. & eget calore influente vt reuiuiſcat. In plantis ex foco radicatione influit caliditas exigua, in animalibus ex iecore; verùm cùm hæc ſit tepida, caliditatem inſitam partium in actum nequit reducere, vt vſus efflagitat: Quare neceſſe eſt ex corde vehementiorem calorem cum ſanguine & ſpiritu influere, & pro hac neceſſitate fuit creatum membrum actu calidiſſimum, quod non ſolùm facultate ſua vitali naturalem perficeret, ſed etiam animalem, materiam pro ſpiritus generatione tribuendo;& ideò vitalis dicitur, quia alias viuificat,tuetur, & indeſinenter conſeruat, quum ſit vitæ, & vitalis caloris fons atque principium.

D Ex iis ſtatue, Argenterium *in com.cap.29. art. med.Gal. de ſignis cordis*, grauiter fuiſſe deceptum, quum ſtatuit maiorem vim, & poteſtatem habere iecur, in immutatione temperamenti corporis, quàm cor: quoniam hæc pars inter omnes eſt præſtantiſſima, & non ſolùm materiam alentem, nempe ſanguinem arterialem, ſed etiam ſpiritum plurimum partibus omnibus communicat; & ſic non ſolùm reliquum corpus, ſed etiam iecur in ſanguine conficiendo, calore cordis viuifico ac benefico vtitur: ideóque ad proportionem caloris cordis, inſitus cuiuſque partis calor ſe habet, quoniam *maxima eſt cordis officij dignitas, & ad omnes actiones obeundas neceſſaria*, ex Galen.7.*meth.cap.vlt.*

E Cor enim eſt viſcus calidiſſimum,*lib.1.de ſem.c. 8.& 5. de loc.cap.1.*& in medio thoracis eſt locatum, ob quatuor cauſas. Prima, ob firmitudinem & ſecuritatem, ex Galen. *lib.3.de vſu part.c.2.* Secunda, vt æqualiter ab omni parte refrigeraretur. Tertia,propter eius nobilitatem, ex Ariſt. *3.de part.anim.cap.4.* Quarta, vt omnibus partibus noſtri corporis æqualiter proſpiciat, ex Gal.5.*de loc.cap.1.*

Quòd ſi interroges, poſſitne cor in alia corporis parte operationes ſuas exercere? Dic,quòd licèt Galenus *lib. 6. de loc. cap. vlt. poſt med. §. Siquidem actiones*, &c. actiones non impediri propter ſitum aſſeueret, cùm ex propria partium eſſentia emanent; tamen cùm cor, iecur,& ventriculus attrahant in ſui gratiam alimentum, vt eo fruantur, & hoc etſi in quacunque corporis parte efficere poſſint, commodius fuit in vtilitatem totius, habere ſitum vnicuique à natura tributum, vt rectè munus ſuum exercere poſſent.

Si verò cor eſt in medio thoracis,ex Gal.*l.7.de vſu part. 2.& 2.de placit.4.partum poſt princ.& 7.de anatomic.adminiſt. cap.7.*Cur epithemata, inunctiones, & alia præſidia quæ cordi adhibentur, mammillæ ſiniſtræ imponuntur? Dic quòd cùm operatio externorum remediorum,vt ait Galenus 3.*ſimpl.18.ante med.*fiat per ſuctum arteriarum ad locum inunctionis pertinentium,& in parte ſiniſtra ſit maxima, & vehementiſſima pulſatio, ex ventriculo ſiniſtro cordis, qui ad illam partem inclinat, & ex arteria magna per illum locum obrepente,ex Gal.7.*de anatomic.adminiſt. & 7.de vſu part.cit.* Ideò in ea parte præſidia admouentur. Adde quòd loca, quorum interuentu auxilia debent adminiſtrari, patentia debent eſſe ac peruia; qua ratione Galenus *lib.13.meth.cap.21.* in affectibus cerebri ſincipiti auxilia apponenda docet, quia ibi futuræ ſunt laxiſſimæ; & ideò in morbis cordis, non in medio pectore, quod eſt magis oſſeum, ſed in parte læua, vbi os degenerans in coſtas medicamentis aditum præbet, præſidia ſunt imponenda.

Quæres tertiò. Vtrùm facultas pulſatilis differat à vitali? Ratio dubitandi eſt, quia multis locis à Galeno, & aliis, facultas pulſatilis, vitalis dicitur, vt conſtat ex definitione pulſus; & ex *lib.de vſu pulſ.cap.4. in fin.* vbi eandem vult eſſe facultatem, quæ cor & arterias diſtendit, quam *cap. 6. ſequenti* vitalem vocat. Idem docet Galenus *4. de præſag. ex pulſib. cap. vlt. in med.* Quam ſententiam defendit Thomas à Veiga *lib. art.med.in comment.cap. 31. dub.vlt.*

Sed non rectè dubio reſpondet Veiga: Nam in corde tres reſident facultates. Prima dicitur vitalis, & accipit nomen generis; ſecunda vocatur animoſa,ſiue iraſcibilis; tertia appellatur pulſatilis, quæ tamen omnes ſpecie differunt, & ſic licèt facultas pulſatilis genericè cum vitali conueniat,ſpecie tamen ab ipſa diſtinguitur, nam primò vitalis vna eſt; pulſatilis verò duplex, vt mox dicemus. Secùdò vitalis ſpiritus generat,pulſatilis verò cor & arterias mouet, quæ operationes ſunt maximè diuerſæ. Tertiò vitalis ſpiritum in omnes corporis partes tranſmittit;pulſatilis verò ſolùm communicatur arteriis ex corde ſic docente Galeno 7.*de anatomicis adminiſtrat.cap.* 8. dum dicit, vim pulſatilem ex ipſius cordis corpore oriri: quod etiam affirmat *lib.de vſu pulſ.5.ad fin.& lib.quòd ſanguis in arteriis contineatur. cap. vlt.* Quo loco reprehendens Eraſiſtratum, & alios,qui dicebant cor & arterias dilatari, quia replentur, quum potiùs repleantur, quia dilatantur, ſic inquit, *Diſtenduntur autem ob virtutem à corde in tunicas arteriarum tranſmiſſam, ſcilicet pulſatilem.*

Ex quibus liquet, quòd hæc actio pulſus, quæ fit à facultate pulſatili,primò eſt cordis,deinde arteriarum, quoniam arteriis non ineſt per ſe, ſed per conſenſum quem cum corde habent: quo ſublato, mouendi etiam facultas de medio tollitur,vt docuit etiam Galenus *lib. de vſu pulſ. cap. 4.in fin.*Quo etiam loco aduertit, pulſificam facultatem per ſubſtantiam & tunicas arteriarum tranſmitti,non autem per cauitatem: quod etiam probat *lib. an ſanguis in arteriis contineatur,c.vlt.*poſito exemplo in fiſtula ænea, in cauitatem arteriæ intromiſſa, & ligata.

Quæres quartò. Quid ſit facultas pulſatilis? De qua etſi variæ fuerint antiquorum opiniones, docente Galen. *4.de dif.pulſ.cap.1.ante med.§. Alia præterea, &c.* nihilominùs tamen ex his quæ dicta ſunt liquet manifeſtè, eam eſſe vim quandam incorpoream, propriis organis vtentem, & ex corde per tunicas arteriarum influentem: quod etiam annuere videtur Galenus *lib. 6. de placitis, cap.7.*

Neque obiicias ſententiam Galeni *2.de cauſ.ſympt. c. 7. §. Neque enim ſicut arteriis, &c.* Quo loco huiuſmodi facultatem eſſe inſitam arteriis aſſeuerat: nam ibi per inſitam, intelligit naturalem arteriarum, non verò quòd aliunde non influat, ex Valleſio 2. *controuerſ. cap. 15.* Vel dic, quòd *ibi* per inſitam intelligit, illis à corde datam & communicatam, vt in expoſitione illius loci doctè explicuit Vallericla. Inſuper hæc pulſifica facultas duplex eſt; alia quæ diſtentionem efficit, cuius interuentu fit refrigeratio;alia quæ contractionem molitur, cuius ratione fuligines expurgantur; quam doctrinam proponit Galen.*l.2.*

de præſag.ex pulſib cap.3.poſt med.§.Tertius qui ex intemperie naſcitur, *&c.* & *lib de vſu pulſ. cap.* 7. Quare non meretur admirationem, facultatem hanc mouere motibus contrariis, præſertim cùm hoc partibus organicis non repugnet, quales ſunt arteriæ, & muſculi; nam etiam plantæ ſurſum, & deorſum mouentur, & ad latera.

Hæc ſententia ſuadetur primò. Dilatatio,& contractio ſunt actiones contrariæ diuerſos habentes fines. Ergo neceſſariò diuerſis facultatibus fieri debent;quemadmodum conſtat in facultatibus naturalibus, attractrice, expultrice, cùm potentiæ diſtinguantur per actus, & actus per obiecta, ex Ariſtot. *lib.2.de anima*, *cap.* 4. *in init.* Ergo cùm actus ſint diuerſi, quia alter motus fit ſurſum, alter verò deorſum, nonniſi à diuerſis facultatibus fieri poterunt.

Secundò. Neceſſarium erat facultatem pulſatilem, & reliquas otiari, quod animanti graue, & periculoſum eſſet; & ideo natura vtriſque ſatisfacere ſtudens, facultatibus quidem otio, quod illis erat neceſſarium; vitæ verò animalis, perpetuo motu: decreuit opus id duabus facultatibus committere, vt dum alia operatur, otietur altera, vt ex vtriuſque mutua, & ſucceſſiua actione perpetuus animanti (qualis erat neceſſarius) accreſceret motus, & citra vllam defatigationem cor in ſua mediocritate conſeruaretur ſanum, & ſpiritus vitalis generaretur.

Conſtabit etiam quòd etiamſi facultas vitalis, & pulſans duæ ſint, tam coniunctæ tamen ſemper habentur, & ſibi mutuò neceſſariæ, vt ſi vna debilis ſit, alia valida eſſe non poſſit, ſed ad proportionem alterius langueſcat. Facultas enim pulſans, dum caloris natiui tuetur mediocritatem, robur vitale conſeruat; ex cuius etiam defectu languet, & extinguitur. Vitalis etiam dum ſpiritum gignit, firmitudinem addit; & ex defectu ſpirituum etiam flacceſcit, quoniam etiamſi facultas pulſifica per ſpiritus non deferatur, ſine illorum tamen affluentia non operatur.

Ex dictis planum fit, facultatis vitalis robur ex pulſu certiſſimo indicio eſſe deſumendum, & ex pulſus intermiſſione, & imbecillitate, facultatis vitalis languorem eſſe præcognoſcendum.

Quæro quintò. Vtrùm pulſatio ſit operatio omnibus animantibus communis: Dic, omnia animalia pulſationem habere, quia cùm ea ſenſu, & motu definiantur, ex Ariſt. *lib.1.de anim.cap.2. in initio*, ſenſus autem, & motus indigeant ſpiritu, & hic citra reſpirationem non nutriatur, meritò dicendum erit, quæuis animalia pulſum retinere. Neque obſtat Galen. 4. *de præſag. ex pulſib. cap. vlt. in med.* §. *Quam facultatem*, &c. vbi docet pulſationem neque in ſtirpibus eſſe, neque in animalibus frigidis,qualia ſunt oſtrea, & aliis conchyliis quæ lapidibus ſunt infixa: nam idem Galenus ſeipſum interpretatur; *lib. de fœt. format.cap.3.in med.* §. *Quos vtroſque ventriculos*, &c. hæc animalia vel nullo, vel minimo pulſante motu indigere. Ex quo patet erraſſe Lupeum *lib.9. meth. cap.* 10. §. *Altera facultas eſt*, *&c.* qui in omnibus animalibus cum Galeno facultatem vitalem concedit, in aliquibus tamen pulſatilem negat.

Quæro vltimò. Num refrigerati indigeant pulſu, vel reſpiratione? Dic, quòd etiamſi in refrigeratis ob frigiditatem poſitiuam, vel defectum proprij caloris, pulſus ſecundùm dilatationem minuatur, non tamen omnino aboletur, quoniam aliis vſibus proficuus eſt, ſcilicet ventilationi, & ſpirituum generationi; ſic docet Gal. 2.*de præſag.ex pulſib.cap* 1.*ante med.*§.*Iam non videtur*, &c. Quare *lib.2.ſequenti cap.4.multò ante med.* dicebat, deperdito vſu reſpirationis, ſolùm ob ventilationis vſum arterias diſtendi. Quoniam etiamſi calor debiliſſimus ſit, pulſu tamen, & reſpiratione non extinguitur, quoniam ſemper natura ad caloris proportionem, pulſum & reſpirationem molitur.

QVÆSTIO XXXIV.

Vtrùm pulſus ſit motus naturalis, an animalis: vel immediatè ab anima, aut potentia aliqua emanet. Contra Ariſtotelem, Turiſanum, & Cardanum, Medicos doctiſſimos.

SEd enim quia pulſus, (de quo carptim, vellicatímque dicemus, prout tantum efflagitat argumentum) eſſentiam indagamus, & nos paulo antè ex Galeni fontibus (vt ſæpe) humore corriuato, definitionem pulſus per partes adſtruximus, ſubit recordatio de motu cordis, qui pulſus dicitur, vtrùm ſit naturalis, an verò animalis.

Quòd verò non ſit naturalis, primò ſic confirmo. Quicunque motus naturalis fit à cauſa naturali, & determinata. Sed motus cordis non eſt huiuſmodi. Ergo motus cordis non eſt naturalis. Minor probatur. Quæcunque cauſa naturalis, & determinata, ſemper vniformem & determinatum producit effectum. Sed motus cordis non eſt vniformis, & determinatus. Ergo. Probatur, in motibus naturalibus omnium corporum ſimplicium, ſiue ſint motus recti, ſiue circulares: patet etiam in actionibus,quæ fiunt in noſtris corporibus à potentiis naturalibus. Deinde motus cordis non eſt vniformis, quia modò eſt velox,modo tardus; aliquando in ipſo contractio velocior eſt dilatatione,& è contra. Similiter pulſus non eſt motus determinatus,quum ſit ad contrarias partes, quia compoſitus eſt ex motu dilatationis,& contractionis, qui ſunt motus contrarij.

Secundò. Si motus cordis, ſiue pulſus, eſſet motus naturalis, eſſet quia fieret à propria forma, quæ eſt eius natura. Conſequens eſt falſum. Ergo & antecedens. Maior probatur, quia natura eſt principium motus & quietis, eius in quo eſt,vt docet Ariſt.*lib.2.phyſ. cap.* 1. Deinde ſi pulſus fieret à propria forma, omnes partes corporis eodem motu mouerentur, quia eadem forma informantur, vt patet in grauibus, & leuibus, quorum partes eodem motu mouentur, quo mouetur totum. Sed in nobis ſolum cor, & arteriæ eo motu mouentur. Ergo motus hic ab aliqua forma non fiet.

Tertiò. Si motus cordis eſſet motus naturalis, vel fieret ab anima ipſius viuentis, vel ab aliqua peculiari forma particulariter reſidente in corde. Sed neutrum eſt dicendum. Ergo, &c. Non enim fit ab anima viuentis, quia ad operationes quæ fiunt à forma, natura aliquod peculiare inſtrumentum non conſtruxit: nam hoc ſolùm ratione potentiarum particularium fabricatur, vt ſuas operationes producere poſſint,vt patet v. g. in oculo. Sed ad motum cordis conſtruxit natura cordis & arteriarum ſtructuram. Ergo non fit ab anima viuentis, Quod verò non fiat ab aliqua peculiari potentia, patet, quia hæc vel eſſet ſenſitiua, vel intellectiua, vel vegetatiua. At primò motus cordis fit nullo præcedente actu ſentiendi, vel intelligendi. Neque poteſt fieri à potentia vegetatiua,quæ naturalis eſt, hæc enim vſque ad vltimum potentiæ operatur ſemper, & non pro indigentiæ vſu, vt animalis intereſt, vt colligitur ex Gal.3.*de facult.natural. cap.* 13. *poſt med.*§.*Conſequitur autem neceſſariò, &c.* Sed facultas vitalis quæ efficit cordis motum, non operatur vſque ad vltimum potentiæ, omnes ſuas vires imprimens,ſed tantùm operatur prout animalis intereſt:nam ſi inſtrumentum ſit rectè diſpoſitum, & facultas vitalis rectè valeat, non vrgente vſu, remiſsè agit. Ergo pulſus non fiet à potentia vegetabili, & naturali.

Quartò. Omne illud quod naturaliter mouetur, vel mouetur naturaliter ratione diſpoſitionis naturalis, quam in ſe habet; vel ratione finis naturalis, quo acquiſito ſtatim mobile quieſcit à motu. Sed nullo modo ex iis cor mouetur. Ergo, &c. Maior probatur,in aqua calida reducēte ſe ad priſtinam frigiditatem,ratione diſpoſitionis naturalis quã in ſe habet:probatur etiam in motu grauium, & leuium, quæ ratione finis naturaliter mouentur, & ita acquiſito fine,v. g. centro, ſtatim non mouentur. At cor non mouetur ratione diſpoſitionis naturalis, quia vna

&

& eadem diſpoſitione non poteſt aliqua res eſſe diſpoſita ad motus contrarios, qui reperiuntur in corde. nam adeſt motus ſurſum, & deorſum, ſcilicet contractio, & dilatatio; neque enim quidpiam poteſt eſſe diſpoſitum, vt tendat ad terminum ad quem, & ab ipſo recedat. Ergo iam non mouetur cor ratione diſpoſitionis naturalis. Quòd verò nec moueatur ratione finis, ſic probatur, quia acquiſito fine ſtatim cor ceſſaret à motu. Sed neque acquiſito termino dilatationis, aut contractionis cor ceſſat à motu, quia perpetuò mouetur viuente animali. Ergo etiam ratione finis, motus cordis naturalis eſſe non poterit.

Vltimò. Omnis motus naturalis, vel fit à principio intrinſeco, ſcilicet à forma eius quod mouetur: vel fit ab efficiente extrinſeco, ſcilicet à generante. Sed nullo modo ex iis pulſus eſt motus naturalis. Ergo. Maior probatur, quia omnis motus naturalis vel conuenit viuentibus, quæ actiuè mouentur à ſe; vel conuenit non viuentibus, quæ effectiuè mouentur à generante. Minor probatur, quia motus cordis, eſt motus in viuentibus. Ergo non poterit fieri à generante. In hoc enim diſtinguuntur viuentia à non viuentibus, quod illa mouentur à ſe; hæc à generante, vt docet Ariſt. 8. *phyſ.cap.4.* Similiter etiam motus cordis non poteſt fieri à principio intrinſeco; quia tunc cor eſſet in actu, & eſſet in potentia reſpectu eiuſdem motus; eſſet enim mouens, & motum, quod eſt contra Philoſophi doctrinam, *lib.5.phyſic.cap.5.text.* 40. omne quod mouetur, ab alio moueri, aſſeuerantis. Ergo motus cordis nullo modo poterit eſſe naturalis.

Quòd vero motus cordis ſit motus naturalis, validis rationibus confirmari poteſt, & primò ſic. Nullum violentum conſeruat naturam, quin potiùs præter naturam illi conuenit. Sed motus cordis conſeruat animalia, quia ipſius ratione eorum naturalis calor conſeruatur, & ipſo deficiente animal vita priuatur. Ergo pulſus non erit motus violentus, & præter naturam, ſed potiùs naturalis.

Secundò. Omnis motus in animali repertus, vel eſt motus naturalis, vel animalis. Sed motus cordis non eſt animalis, quum hic fiat per apprehenſionem, & ſecundùm voluntatis imperium; pulſus autem non pendet à voluntate, quia velimus, nolimus, in viuente neceſſariò fit. Ergo motus cordis, quum non ſit animalis, debet eſſe naturalis.

Tertiò. Omnis propria paſſio reperta in aliquo compoſito, debet inſequi aliquod principium intrinſecum. Sed nihil eſt magis proprium animalibus, quàm motus cordis, quo ceſſante, ceſſat vita. Sed hoc principium non eſt animale. Ergo neceſſariò erit naturale, quia naturalia ſunt, quorum principium motus in ipſis eſt, vt docet Ariſtotel.8.*phyſ.cap.4.cit.*

Quartò. Ille eſt, & dicitur motus naturalis, qui neceſſariò fit, & ad vnum tendit. Sed motus cordis eſt huiuſmodi. Ergo. Maior patet in omnibus motibus naturalibus, ſiue ſint recti, ſiue circulares; quoniam hi motus neceſſariò fiunt, & ad vnum tendunt. Minor patet: nam motus cordis viuente animali; ad vnum tendit; & ad conſeruationem caloris naturalis ſolùm eſt determinatus.

Quintò. Cauſæ omnes quæ pulſum efficiunt, ſunt naturales: efficiens eſt facultas, quæ naturalis eſt, vt *infrà* dicetur: finalis, triplex eſt, nutritio ſpirituoſæ ſubſtantiæ, temperatio eiuſdem, & fumidorum vaporum expurgatio. Inſtrumenta naturalia ſunt, non animalia: hæc vocat Galenus, muſculos, neruos. Cor muſculus non eſt, nerui nulli ad cordis ſinus feruntur. Ergo pulſus ſiue motus cordis, erit naturalis.

In hac dirimenda quæſtione, difficili quidem: & intricata ſatis, & in qua, Euripi modo, huc illúcque ingenia grauiſſimorum auctorum multoties naufragium fecerunt, vt notat Laurentius *lib.9.de hiſtor.anatom.quæſt.* 8. *de motu cordis*, aliquæ ſunt afferendæ in medium ſententiæ, ex quarum explanatione, noſtra firmior euadet, & Galeni menti magis conformis.

Summus ille Philoſophorum Coryphæus *lib.de vita,& morte, cap. vlt.* hanc adſtruit opinionem, dicítque cordis & arteriarum motum à nulla facultate fieri, ſed ſolùm ex

A ebullitione ſanguinis, & ſpiritus, ſumpta ſimilitudine ab inflammationibus dum ſuppurâtur. Nam quemadmodum in illis ob feruorem partes diſtenduntur; ſic in corde, & arteriis fit ebullitio ſanguinis & ſpiritus quæ cor & arterias diſtendit, quare definiens pulſum, affirmat quòd eſt humoris efferueſcentis flatuoſa elatio.

Turiſanus *lib.2.art.med.com.* 35. non ſolùm Ariſt. opinionem probat, ſed eam rationibus munit, ac defendit. Et primò ſic. Sicut ſemen ante animæ conceptionem citra pulſificam facultatem in teſticulis pulſat, propter ſpumificationem; eodem modo hæc in corde, & arteriis facta, ſine aliqua facultate erit pulſus cauſa. Secundò. B Quæreretur quòd in vigore acceſſionum pulſus eſſet minor quàm in principio; quoniam tunc facultas debilior eſt. Sed hoc eſt falſum, quia in ſtatu pulſus eſt maior. Ergo non eſt facultas illius cauſa, ſed ſolùm feruor, qui cùm in ſtatu ſit maior, maiorem efficit pulſum. Tertiò. Si aliqua facultas eſſet pulſus cauſa, vel eſſet animalis, vel naturalis: non illa; nam hæc pro arbitrio operatur: non naturalis, quia hæc circa alimentum verſatur. Ergo pulſus ab aliqua potentia fieri non poteſt. Quartò. Nulla potentia naturalis poteſt mouere motibus contrariis. Sed ex iis motus cordis componitur, nempe ex contractione, & dilatatione. Ergo hic ab aliqua potentia fieri non poteſt.

Verùm hæc opinio longè à veritate, rationéque eſt aliena, cuius falſitas oſtenditur. Primò. Nam improbabile eſt affirmare, non eſſe facultatem à natura tributam, pro operatione vitæ maximè neceſſaria, quum pro aliis operationibus facultates ſint à natura conceſſæ. C Abſurdum enim, imò ridiculum eſt, quòd feruor ille in corde repertus, tam ſtatuto, certo, ac determinato ordine contrahat arteriam, ac dilatet.

Secundò. Si feruor eſſet cauſa pulſus, nunquã hic tanto ordine fieret, & æqualitate, ita vt harmoniæ muſicæ poſſet cõparari; feruor enim non ſemper exiſtit ſibi æqualis; ſed varius eſt, vt in exterioribus ſæpiſſimè experimur. Sed in motu cordis ita certo ordine attrahitur aër media dilatatione ſolùm neceſſarius, & ex conſequenti vi contractionis expelluntur fuligines interiùs congeſtæ. Ergo, &c.

Tertiò. Si perforetur arteria & fiſtula ænea intromittatur, adhuc pulſabunt arteriæ exiſtentes vltra fiſtulam; ſed ſi fiſtula illa ænea ſimul cum arteria ligetur, non pulſabunt arteriæ exiſtentes poſt ligaturam, vt docet experimentum Galeni, *lib.an ſanguis in arteriis natura contineatur, cap. vlt.* Sed tunc non impeditur communicatio ſanguinis D feruentis: quia ipſe communicatur per cauitatem arteriæ, & fiſtulæ. Ergo non fiet à dicto feruore; ſed potiùs ab aliqua facultate, quæ impedita eſt propter ligaturam. Nec dicas cum Turiſano, per ſubſtantiam arteriæ communicari calorem efficientem illum feruorem, cuius communicatio impeditur à ligatura: nam pulſus admoto vinculo, ſubitò fit, & appoſito vinculo ſubitò ceſſat. Sed calor ille communicatus per ſubſtantiam arteriæ non poteſt ſubitò communicari, & ſubitò remoueri. Ergo cùm pulſus ſubitò fiat, & ſubitò remoueatur, à feruore non emanabit, ſed à facultate.

Quartò. Sequeretur quòd nunquam arteria contraheretur. Patet ſequela, quia arteriæ contractio fit ab aëre frigido attracto per dilatationem. Sed aër attrahi nõ poteſt, quo ex illorũ ſententia arteriæ dilatantur, quia replentur. E Ergo pro quantitate eius quod replet, debent dilatari, ac proinde aëris ingreſſui locus non erit, & hoc modo nec feruor remittetur, nec contrahetur arteria. Ergo cùm impoſſibile ſit in motu cordis non reperiri contractioné, impoſſibile etiam erit, hunc motum fieri à feruore. Nec vim argumenti ſubterfugit Turiſanus, reſpondens ab impetu efferuéris ſanguinis arterias magis dilatari, & hac de cauſa relinqui locum aëri extrà venienti; quia quemadmodum ſanguis impetu dilatat arterias, ita ſimiliter impetu eas replere poterit, & tunc locus aëri non relinquetur. Deinde cùm arteriæ & cor frigida intemperie laborant, huiuſmodi impetum non patiuntur, vt in pulſu tardo, & raro conſtat manifeſtè. Inſuper, quando non dilatantur tantum quantum expedit, & defectum dilatationis frequentia & celeritate natura ſupplet, vt experientia docet in

febribus valde intenſis, tunc non reperitur impetus, & adeſt contractio cordis. Ergo, &c.

Quintò Sequeretur præter pulſum magnum, qui attenditur penès dimenſiones arteriæ, nullum eſſe pulſum vehementem, qui fit ex facultatis parte. Sed hoc eſt falſum, quia inter pulſum magnum, & vehementem, magnam differentiam notauit Galenus 4.*de cauſ.pulſ. cap.* 13. *&* 14. Ergo.

Sextò. Si cor, & arteriæ mouerentur à dicto feruore, ſequeretur, cordis & arteriarum motum contractionis fieri, ipſis concidentibus grauitate ſua, & ita hic motus eſſet naturalis; contra autem motus dilatationis à feruore ſubortus, eſſet motus violentus: quod non poteſt ſtare cum motibus ad vitæ conſeruationem maximè neceſſariis, qualis eſt motus cordis. Addiderim, quod propter violentiam natura fatigaretur. Ergo cùm motus cordis ſit animalibus maximè naturalis, non à feruore, ſed aliqua facultate orietur.

Septimò. Si pulſus fieret à feruore, neceſſariò priùs mouerentur cor, & arteriæ ipſi proximæ, quàm arteriæ remotæ; nam in illis maior adeſt feruor, quàm in arteriis diſtantibus, quum in corde maxima ſanguinis efferueſcentis quantitas reperiatur. Ergo cùm cor non moueatur priùs quàm arteriæ, arteriæ ab ebulliente ſanguine non pulſabunt.

Argumenta verò Turiſani futilia ſunt, & planè nulla; Dic ad primum, ſeminis motum non eſſe pulſationem, ſed palpitationem, quæ ab aliqua flatuoſa ſubſtantia, in cauitate aliqua intercluſa, fit citra facultatem, vt *lib.* 3.*de ſympt.cauſ.* 2.*& lib.de rigore, & tremore, c.*4.*&* 5. docuit Gal. Ad 2. dic quòd pulſus in principio eſt minor quia facultas oppreſſa eſt, & ſic non multum vrget vſus: in ſtatu verò maior, ob contrariam cauſam, videlicet quia magis vrget vſus, & vires valent, 2.*aph.*29. Ad tertium dic, quòd Ariſt. ſolam facultatem naturalem, & ſentientem agnouit; At Galenus Platonem ſequutus, etiam vitalem connumerat, non ſolùm ſede, ſed natura à cæteris diſtinctam. Ad vltimum dic, duplicem eſſe facultatem pulſificam, alteram dilatantem, contrahentem aliam, ex Gal. 2. *de præſag. ex pulſ. cap.* 8. *in fin.* Ex quibus conſtat apertè, ineptè & citra rationem aſſeueraſſe Cardanum *lib.* 3 *cont. tract.*2.*cap.*11. vtramque Ariſtotelis & Galeni opinionem defendi poſſe, quum Philoſophi opinio in hoc condendo dogmate ſit prorſus vana.

Galeni ſententia firmiſſima eſt, cordis motum fieri immediatè à potentia vitali reſidente in corde, Ita probat *lib.de vſu pulſ.cap* 4. *& lib. an ſanguis in arteriis contineatur, c.vlt.& lib.*6.*de placit.*7.*&* 8.*de placit.*1.*&* 1.*de cauſ. pulſ.*2. *&* 4.*de præſag.ex pulſ.c.vlt.* iuxta quam ſententiam neceſſariò dicendum eſt, in corde conſtituendam eſſe facultatem vitalem, à qua fiat motus cordis, ſiue pulſus, quemadmodum in iecore conſtituitur facultas naturalis ſanguifica, quæ chylum in ſanguinis naturam conuertit: cuius ſententiam defendit Auic. 1. 3.*doct.*6.*cap.*4.*poſt med.*

Vt tamen hæc celebris controuerſia meliùs intelligatur, motúſque cordis natura intimiùs explicetur, aduerte primò. Motum eſſe actum entis in potentia, ex Ariſt. 3. *phyſ. c.*2.*text.*6. & in corde reperiri omnes ſpecies motus: Adeſt enim motus alterationis, qui ab eiuſmodi calore oritur; dum propria actione ſanguinem ad ſe attractum calefacit, & ipſum in reliqua membra tranſmittit, vt illorum calor de potentia ad actum reduci poſſit. Reperitur etiam motus alterationis in corde, in propriis paſſionibus eius, vt eleganter *tract. de viribus cordis* docuit Auicenna. Inuenitur etiam in corde motus augmentationis: ſicut enim reliqua membra augentur, & debitam magnitudinem acquirunt ita ſimiliter in corde contingit. Adeſt etiam, & manifeſtè motus localis in ipſo: quoniam in dilatatione, mouetur ſurſum, & in contractione, deorſum. Huiuſmodi tamen quæſtio ſolùm de motu locali intelligenda eſt.

Aduerte ſecundò. Motus naturales, naturaliter conuenientes corporibus, inſequi formas ipſorum corporum, & aliquando ab ipſis effectiuè emanare; qua ratione motus ſurſum eſt naturalis igni, quia ſequitur ignis formam; qua ratione generans ignem, appetitum, & propenſionem illi conceſſit ad eum motum; qui enim præſtat formam, neceſſariò tribuit conſequentia ad formam. Eodem modo, motus quo ferrum mouetur ad magnetem, eſt motus naturalis, qui non conuenit ferro ratione grauis, aut leuis, ſed tantùm ratione ſuæ formæ. Sic non eſt inconueniens aliquem motum naturalem reperiri, qui ipſis animalibus ratione ſuæ formæ conueniat; quia animalium anima, forma eſt; motus verò animalibus conueniens ratione ſuæ formæ, eſt motus cordis, quo cor ſecundùm contractionem & dilatationem mouetur; & quia motus perfectior, perfectiorem formam conſequitur, vt conſtat in corporibus cœleſtibus, quæ circulari motu mouentur, idcircò motus inſequens animam, quæ inter omnes formas nobiliſſima, & perfectiſſima eſt, ſimilis eſt circulari motui corporum cœleſtium. Hic eſt continuus qui eſt principiũ, & cauſa omnium motuum, qui in inferioribus fiunt: nam, vt 1.*meteor.*2. dicebat Ariſt. oportet mundum hunc inferiorem eſſe continuum ſuperioribus lationibus, vt inde tota eius vis regatur, & gubernetur. Eodem modo ſe habet vt circularis in cœlo, quia motus cordis eſt principium, & cauſa omnium motuum qui fiunt in animalibus: & vt cor eſſet hoc principium, meritò à natura habuit quendam motum non circularem, ſed huic valde ſimilem, qui ex dilatatione, & contractione eſt compoſitus; inter quos motus, morula ſolùm intercedit, vocata quies, quæ in motu circulari dicitur punctũ, à quo motus incipit, & ad quod redit. Deinde ſicut motus circularis eſt continuus, ita durante vita, cordis motus continuus eſt, quoniam niſi cor à proprio motu ceſſet, animal interire non poteſt, ex Gal. 3. *ſimp.* 18. Inſuper ſicut corpora cœleſtia medio motu circulari influunt in hæc inferiora, ipſa regunt, gubernant, & conſeruant: eodẽ modo cor medio proprio motu in omnia noſtri corporis membra influit, eáque in ſuo naturali ſtatu retinet, & ad producendos proprios actus apta reddit, quos abſque ſimili influxu non exercerent; quare media dilatatione attrahit ſanguinem ex vena caua, & aërem ex pulmone per arteriam venoſam, vt docet Galen. 6. *de vſu part.*10.*& l.de anatom.viuor.tit.*2. & attrahit, vt deperditum reſtituatur, & ſpiritus animalis generetur, qui ex euaporatione ſanguinis, & aëre attracto generatur, ex Galen. 12. *meth.cap.*5.*&* 7.*de placit.*3.*& lib.de vſu pulſ.*2.

Aduerte tertiò. In noſtris corporibus tres motus diuerſos reperiri, quorum vnus lædi poteſt aliis illæſis: nam aliis dicitur animalis, alter naturalis, alius ex vtroque mixtus. Animalis ex arbitrio, & voluntatis imperio pendet, vt motus brachiorum, & inceſſus crurum. Motus naturalis, duplex eſt: alius enim eſt motus alimenti, à facultate attractice cuiuſlibet partis factus; alius eſt motus cordis, qui pulſus dicitur, qui fit à facultate vitali pulſifica: & vterque motus naturalis eſt, quia potentia vtrumque motum efficiens, eſt naturalis; ſumitur verò naturale, vt diſtinguitur contra voluntarium, & violentum. Mixtus verò motus eſt, qui rationem vtriuſque participat, vt v. g. mictus, excrementorum deiectio, quoniam mictus includit apertionem muſculi claudentis veſicam, quæ apertio fit à facultate animali mouente muſculos, includit etiam excretionem recrementi ſeroſi, cuius expulſio, actio naturalis eſt, cum à facultate expultrice veſicæ celebretur, vt tradidit eleganter Galen. 6.*de loc.cap.* 4. *poſt princip.* & nos explicuimus ad eius mentem, *lib.*2.*in com.hiſt.vlt.*

Aduerte quartò. Quòd omnibus animalibus ratione ſuæ formæ, connaturalis quædam ineſt caloris amicitia, qui calor ſimul cum aliis diſpoſitionibus corporis, & animæ vinculum videtur conſtituere, vt teſtatur Ariſt. *lib.de reſpir.cap.* 14. Quare quemadmodum grauibus. & leuibus inſita eſt ratione formæ eorum, inclinatio ad proprium locum, quia in eo multò meliùs conſeruantur, quàm extra illum in loco ſcilicet præter naturam: ita etiam omnibus animalibus ab anima inſitus eſt quidam appetitus caloris, & eius conſeruationis, quippe quòd maximè animalibus conueniat calore vigere, & eo gaudere tanquam in propria natura. Quare vt hic calor tantopere animalibus neceſſarius, & maximè expetitus, foueatur, emanat ab ipſa anima quædam potentia huic muneri dicata, vt eum, ne deficiat; aut corrumpatur, mirificè perpetuo motu

conſeruet

conſeruet, qualis eſt ille qui in corde, tanquam in foco ac minera viget. Hæc ratione *2.de præſag. ex pulſib. cap.4.* non poſſe animal priuari pulſu trium pulſationum ſpatio ſine vitæ diſcrimine, aſſeuerat: quare ſagaciſſima natura hoc opus motui voluntario non commiſit, ſed potiùs potentiæ naturali, quæ perpetuò & ſemper operatur, ſemper exiſtens in actu ſecundo, reliquarum potentiarum naturalium inſtar. Quare prædictus motus conuenit cum motibus naturalibus in eo, quod ſemper eodem modo, & propter eundem fit finem: differt tamen ab animali motu, quia hic pendet ex appetitu, & ceſſare poteſt; at verò motus cordis neque ab appetitu pendet, nec ceſſare poteſt durante vita. Ad huiuſmodi ergo motum meritò natura conſtruxit cor, & arterias ab eo manantes, quia cor caloris influentis principium erat futurum.

Aduerte quintò. Quòd maxima reperitur differentia inter actiones formarum naturalium, & inter actiones viuentium: nam illis vtpote imperfectis vna ſolùm motus ratio ſufficit, & idcircò ea quæ à forma naturali mouentur, in motu ſemper eundem tenorem ſeruant, vt patet in grauibus, & leuibus: nam formæ naturales ſimpliciſſima conſtant natura. At verò animatorum formæ, & præcipuè formæ animalium, ad ſuas actiones, & motus producendos pluribus indigent, quia res omnes animalibus neceſſariæ, ſunt variæ ac diuerſæ, & ideò finis in ipſis, variis modis obtineri debet; qua ratione prædicta vitalis facultas diuerſimodè cor debet mouere, & arterias, vt proprium finem conſequatur: quoniam cùm ipſa facultas caloris gratia ſit à natura ſtatuta, & calor multipliciter immutetur à cauſis naturalibus, non naturalibus, & præter naturam, quocumque modo facultas pulſum immutet, causâ eiuſdem finis operatur ſemper, vt ſcilicet ſymmetria caloris cordis, & totius corporis conſeruetur. Quare quum calor cordis intenſior ſit, ipſa facultas veluti concitatur, & ſi ratione inſtrumenti, vel copia materiæ non impediatur, magnum cordis efficit motum: ſi verò impediatur, pulſus celer efficitur, vt celeritate magnitudinem natura recompenſet, vt hac ratione frigiditate aëris attracti, æſtuans & immodicus calor attemperetur. Si autem calor cordis remiſſior ſit, ipſa facultas veluti hebetatur, & pulſus tardior efficitur. Patet euidenter, quoniam facultas pro vſu, vel indigentia caloris adaucti, vel diminuti operatur ſemper. Huiuſmodi tamen facultas in hac motuum diuerſitate formarum naturalium actiones imitari videtur. Quemadmodum enim grauia, & leuia duplici motu mouentur, vno modo ad proprium locum, quia in eo multò meliùs conſeruantur, vt in naturali loco, vt quando v.g. mouentur, deorſum ad acquirendum proprium locum: alio verò modo mouentur ſurſum naturaliter, ne ſcilicet corrumpantur, in quo motu velociùs moueri videntur: hoc idem videtur reperiri in motu cordis, quoniam quando animal bene ſe habet, eodem tenore facultas cor & arterias mouet; quando verò in calore cordis, animal naturæ legem non ſeruat, tunc facultas pro diuerſa caloris immutatione diuerſimodè mouet.

Vltimò aduerte. Huiuſmodi potentiam efficientem motum cordis, eſſe potentiam animæ animalis, quæ anima ſenſitiua eſt, homine excepto in quo eſt rationalis: quæ potentia hunc motum efficiens, non eſt potentia animæ ſenſitiuæ, vt ſenſitiua eſt, ſed vt in ſe virtutes animæ vegetantis continet, quia anima vegetatiua continetur virtualiter in ſenſitiua. Huiuſmodi autem continentia virtualis, duplex eſt: altera in qua continens habet virtutem ad producendam rem contentam, in qua acceptione Sol dicitur continere virtualiter aliqua inferiora, illa ſcilicet quorum formas producere valet. Secunda continentia virtualis eſt, quando res continens non valet producere res contentas, rectè tamen poteſt producere operationes, quas res contentæ poterant efficere. Hæc eſt doctrina Ariſtot. *2.de anima, cap.3.* quo loco animam intellectiuam virtualiter continere vegetatiuam, & ſenſitiuam aſſeuerat. Continere verò actualiter eſt, quando res continens, rem contentam ſecundùm propriam rationem continet. Quare meritò Philoſophus

A quidam inſignis *in opuſculo de motu cordis*, contendit cordis motum ab anima ſenſitiua per propriam operationem non fieri, quoniam hic motus pendet à voluntate, & ſubiectus eſt arbitrio: docet tamen huiuſmodi motum fieri ab anima ſenſitiua, quatenus eſt forma corporis, & potentiarum inferiorum vim habet. Quapropter hic auctor *lib. de potentiis animæ cap.5.* ſic loquitur *in §. Motiua autem ſenſitiua diuiditur, quia alia eſt naturalis, alia eſt animalis. Naturalis eſt quæ non mouet ex apprehenſione, neque eſt ſubiecta imperio rationis, qualis eſt virtus vitalis, & pulſatiua, mouens cor & arterias, ſecundùm dilatationem, & compreſſionem; & tantum eſt in animalibus perfectis, pulmonem & cor habentibus, quæ eſt principium contemperandi calorem cordis, & corporis. Motiua verò animalis eſt, quæ mouet per apprehenſionem, &c.* Et *in eodem opuſculo, in med.* ſic profatur. *Sic igitur motus cordis naturalis eſt, quaſi conſequens animam, quatenus eſt forma corporis, & principaliter cordis.*

B Nec mireris hæc ita fusè fuiſſe propoſita: nam antinomiæ difficultas plurium nodorum difficilium extricationem expoſtulat, quam ſi priùs non præmiſeris, vix te à ſalebris, & argumentorum labyrinthis eripere poteris, quæ ita ſunt ardua, vt conuincere videantur. Sed antequam ea ad vnguem diſſoluamus, duas afferemus concluſiones, ex quarum veritate totam litem euaneſcere arbitramur.

Sit prima concluſio. *Motus cordis, quem pulſum vocamus, & eſt motus compoſitus ex dilatatione, & contractione, eſt motus naturalis.* Hanc concluſionem acerrimè defendunt inter Philoſophos Ferrarienſis *1.cont.gentes, c.97.* Inter Medicos Andreas Laurentius *lib. 9. de hiſtor. ana-*C *tomica, quæſt.7.* Probatur deinde ex doctrina Galeni *lib.1. de motu muſculor. cap. 1. & 2. eiuſdem, cap. 5. & 10. de vſu part, cap. 9.* Quibus locis hunc motum eſſe naturalem, & nullo modo poſſe eſſe animalem euidenter oſtendit: quod ſic confirmo. Omnis motus in animalibus repertus, vel eſt motus naturalis, vel animalis, vel ex vtroque mixtus, vt ex tertio notabili patet. Sed motus cordis non eſt animalis, quum non pendeat à voluntate, neque ab hac imperante impediri poſſit; nec etiam eſt mixtus ex animali, & naturali, quia iam quodammodo impediri poſſet, quatenus ſcilicet à voluntate dependet, vt patet in retenta vrina, quia hæc retinetur, quando voluntas imperat. Ergo motus cordis neceſſariò erit naturalis.

Deinde cauſæ omnes, quæ triplici genere continentur, hunc motum eſſe naturalem demonſtrant: Efficiens eſt vitalis, quæ tota in ſpirituum generatione occupatur. Finalis triplex eſt, nutritio ſpirituoſæ ſubſtantiæ, temperatio eiuſdem, & fumidorum excrementorum expurgatio. Inſtru-D menta, naturalia ſunt, non animalia, quoniam nec cor muſculus eſt, nec neruus ad cordis ſinus defertur. Ergo ſi cauſæ ſunt naturales, naturalem hunc motum eſſe, nulli erit non manifeſtum.

Secunda concluſio. *Motus cordis, qui pulſus dicitur, non fit immediatè à forma, ſiue anima animalis, ſed potiùs immediatè fit à peculiari potentia, quæ in corde ſuam ſedem habet, & dicitur facultas vitalis pulſifica.* Concluſio, præter ea quæ poſita ſunt in notabili ſexto, probatur, quia omnes motus qui fiunt à forma immediatè ſine aliqua potentia, ſunt vniformes, & eodem modo ſemper fiunt. Sed motus cordis neque eſt vniformis, neque ſemper fit eodem modo. Ergo motus cordis non poterit fieri immediatè à forma. Maior probatur, ex motu ferri ad magnetem, ex motu grauium, E & leuium, & reliquis motibus naturalibus. Minor probatur, quia motus cordis aliquando eſt vehemens, aliquando velox, & tardus. Ergo motus cordis non eſt ſemper vniformis, nec ſemper fit eodem modo, & ex conſequenti non poterit fieri immediatè à forma, ſed potiùs ab aliqua potentia fiet.

Secundò. Quando aliqua forma eſt immediata cauſa alicuius motus, non ſolùm compoſitum totum illo motu mouetur, ſed etiam ſingulæ eius partes, vt apertiſſimè conſtat in motu ferri ad magnetem, & in motu deorſum quo

mouentur grauia, quoniam huiuſmodi motibus partes dictorum corporum mouentur, vt ipſa corpora. Sed motu dilatationis, & contractionis, tantùm mouetur cor, & arteriæ, quum hoc motu aliæ partes non moueantur. Ergo huiuſmodi motus cordis non fit immediatè à forma, ſed potiùs fiet ab aliqua facultate, quæ erit potentia vitalis pulſifica.

Tertiò. Si hic motus fieret immediatè à forma, vel eſſet neceſſariò actus accidentalis, vel ſubſtantialis. Sed in ordine ad formam nullus iſtorum poteſt eſſe. Ergo, &c. Maior cum conſequentia eſt nota. Minor quoad vtramque partem probatur; Nam non eſt actus ſubſtantialis, quia hic nihil aliud eſt quàm dare eſſe viuenti, quia ab ipſa forma tribuitur, & duos actus ſubſtantiales ipſa tribuere non valet. Nec eſt actus accidentalis, quia hic fit immediatè ab aliqua potentia, vt manifeſtè conſtat in reliquis actionibus, quæ in noſtris corporibus reperiuntur. Ergo neceſſariò motus cordis in ordine ad formam, nec erit actus ſubſtantialis, neque accidentalis, & ex conſequenti ab aliqua potentia fiet, quæ erit potentia vitalis pulſifica.

Argumenta verò in principio propoſita ſic ſolue. Ad primum dic. Negando minorem, & ad confirmationem reſponde, motum cordis determinatum eſſe ad vnum, ſcilicet ad conſeruationem caloris naturalis. Conceden-dum etiam eſt, motum cordis non eſſe vniformem: nam hic fit à perfectiſſima potentia, quæ non ad vltimum potentiæ, vt cæteræ naturales, ſed pro indigentiæ vſu operatur. Quòd verò neceſſarium non ſit, motus naturales eſſe vniformes, conſtat in grauium; horum enim motus velocior eſt in fine, quàm in principio: eadem ratione motus cordis à ratione motus naturalis non eſt excludendus, etiamſi non ſit vniformis.

Ad ſecundum dic. Motum cordis fieri à forma, tanquam à principio particulari; qua ratione huiuſmodi motus non reperitur in omnibus noſtri corporis partibus, ſed tantùm in corde, in quo reſidet prædicta facultas, & ab eo in arterias deriuatur: in grauibus autem omnes partes eodem motu mouentur, quo mouentur grauia quia in ipſis quædam potentia ad illum motum, præter grauitatem non requiritur. Tertium argumentum altiorem indaginem expoſtulat, cuius explanatio in ſequenti quæſtione fiet magis dilucida, ac manifeſta.

Ad quartum dic. Motum cordis eſſe naturalem ratione finis, qui nihil aliud eſt, quàm conſeruatio natiui caloris, quæ media refrigeratione, & expurgatione fuliginum, ope ac beneficio contractionis, & dilatationis perficitur. Quare cùm hic finis ſemper ſit præſens, viuente animali, hic motus cordis ſemper fit, interpoſita tamen media quiete, ſine qua duos motus contrarios fieri eſt impoſſibile.

Ad vltimum dic. In corde reperiri diuerſas partes, quia reperitur in eo ventriculus dexter, & ſiniſter; in quo ſanguis ex vena caua attractus à ventriculo dextro recipitur, qui percolatur per ſeptum, & ad ſiniſtrum defertur, in quo ſanguis arterialis, & ſpiritus vitalis generantur, & in eo facultas vitalis pulſifica ſedem habet; & ita cor ab illa parte ſiniſtra mouetur, & ratione illius eſt in actu: ratione verò partis dextræ, eſt in potentia. Et hoc non eſt inconueniens, cùm ſit reſpectu diuerſorum, quemadmodum quando animal mouetur motu animali, dicitur eſſe in actu, & in potentia reſpectu partium diuerſarum; quia eſt in actu ſecundùm partem impellentem, quæ actu mouetur; & eſt in potentia ſecundùm partem mouendam. Ex quibus argumentorum ſolutio patet. Cætera verò de motu cordis, lege apud Æmilium Pariſanum, *tract. de motu cordis*, qui de hac quæſtione perbellè diſſeruit.

A

QVÆSTIO XXXV.

Vtrùm facultas vitalis pulſifica ſit pars animæ ſentientis, an vegetantis, vel ex vtraque compoſita. Contra Mercatum, Conciliatorem, Fernel. Valleſium, Euſtachium, Gentilem, Sanctorellum, Campanellam, & alios Medicos præſtantiſſimos.

GAlenum adeò omnifaria rerum copia præcelluiſſe, ſcribunt Græcorum peritiſſimi, vt in libris ſuis *de pulſibus*, medicorum cœtus in admirationem attraxerit: & licèt ſuo Aſiatico ſermone facundus ſit, plurimáſque proponat, & ſæpe refutet priſcorum opiniones; tamen

B in hac ſtabilieda quæſtione vir etſi eruditiſſimus innutritúſque Hippocraticæ doctrinæ diſciplinis, non potuit ita dilucidè ſuam ſententiam propalare in lucem, de qua poſtea clariſſimi Iuniores plura literis confecrate auſi ſunt.

Sed ij in varias diſperſi ſunt claſſes: nam Mercatus *in ſuo elegantiſſimo de pulſus arte, & harmonia, lib. tract. de facult. vital.* potentiam vitalem pulſificam pertinere ad animam ſenſitiuam animalis, efficaciſſimè contendit, multiſque ſuam opinionem confirmat. Et primò ſic. Si eſſet potentia naturalis vegetatiua vel eſſet generatiua, vel augmentatiua, vel nutritiua. Non illa quia hæc ſolùm reſpicit conſeruationem ſpeciei; pulſifica verò ſolùm indiuidui: non eſt augmentatiua, quia hæc poſt ætatem conſiſtendi in animalibus reperitur: nutritiua non eſt, quoniam hæc circa gene-

C rationem ſanguinis appoſitionem, agglutinationem, & aſſimilationem verſatur: vitalis verò ad ſolius naturalis caloris conſeruationem eſt deſtinata.

Secundò. Anima ſine aliqua potentia media animali viſtam præſtat. Ergo non eſt neceſſaria potentia vitalis. Tertiò. Potentiæ naturales, ſeu vegetatiuæ omnibus noſtri corporis partibus inſitæ ſunt, neque ipſis aliunde communicantur. Sed vita aliis partibus communicatur à corde, ſicut animalis à cerebro. Ergo vitalis non poterit eſſe naturalis.

Quartò. Potentia naturalis vegetatiua ſemper operatur propter ſeipſam, & in ſui gratiam. Sed vitalis non agit propter ſeipſam, ſed ad conſeruandum calorem naturalem. Ergo. Quintò. Si vitalis potentia eſſet naturalis, non poſſet mouere motibus contrariis, vt mouent facultates animales. Sed potentia vitalis, cor & arterias mouet motu dilatatio-

D nis & contractionis, qui ſunt motus contrarij. Ergo.

Sextò. Potentia naturalis vegetatiua diuiſibilis eſt Sed pulſifica non eſt diuiſibilis, vt probat experimentum Galeni, *lib. an ſanguis in arteriis contineatur, cap. vlt.* Ergo. Sed primò. Potentia vegetatiua operatur ſemper eodem modo, quia conatur obiectum in ſuam naturam tranſmutare. At verò vitalis pulſifica non operatur ſemper eodem modo, quoniam aliquando operatur vehementer, ſæpe debiliter, interdum tardiùs, multoties velociùs. Ergo vitalis pulſifica, animalis eſt potentia, & non naturalis.

Licèt autem Mercatus plurima ad ſuæ ſententiæ confirmationem præſupponat, tamen nullo modo admitti poteſt, & ſic eam impugnant Gentilis *1. 1. doct. 6. c. 4.* Thomas à Veiga *in comm. c. 3. 1. art. méd. Gal. & 5. de loc. c. 1.* Andreas Laurentius *lib. 9. de hiſt. anatom. cap. 6.* Garbius *lib. 1. ſum.*

E *tr. 5. q. 5 1.* Capiuaccius *tr. de pulſ.* Et redarguitur primò hoc modo. Potentia ſenſitiua, auditiua & reliquæ ſenſitiuæ ſunt potentiæ cognoſcentes ſua propria obiecta, quia immutantur ſpeciebus obiectorum, qua ratione fit eorum cognitio. Sed potentia vitalis non cognoſcit aliquod obiectum. Ergo potentia vitalis, non eſt animalis. Quam rationem ſi perpenderet perdoctus Sanctorellus *lib. 9 antepraxis, cap. 4.* hanc facultatem eſſe loco motiuam non aſſereret: nam pulſus fit abſque cognitione. Deinde. Ariſt. *lib. de ſomn. & vigil. cap. 1.* hoc negotium eleganter explanans, dicit potentias ſenſitiuas neceſſariò debere quieſcere, & ceſſare ab opere, quia defatigantur, vt patet in ſomno, in quo feriantur, & deinde multò præſtantiùs operantur.

Sed

Sed potentia vitalis non poteſt ceſſare ab operatione,quia durante vita neceſſariò cor & arterias mouere debet. Ergo. Inſuper. Potentiæ ſenſitiuæ ſi percipiunt diuerſas obiectorum differentias, ipſas cognoſcunt. Sed etiamſi facultas vitalis diuerſimode efficiat motum cordis & arteriarum, nec agnoſcit ipſum finem, nec ipſos motus. Ergo hac ratione vitalis potentia non dicetur animalis potentia, veluti ſenſitiua. Eſt alia ratio,quòd ſequeretur, quòd hæc facultas ex cerebro emanaret, in quo præcipuè facultas ſentiens collocatur, ac proinde non eſſent tria membra præcipua: quod eſt contra veritatem, & communem Medicorum ſententiam. Adde ex Gal.8. *de placit.* 1.*ad init.* §. *Perſpicuum enim eſt*, &c. in animalis corpore tria eſſe motionum genera; vnum arbitrarium, alterum cordis & arteriarum, & tertium alimenti, quorum nullum ab alio dependet, & in quouis illorum poteſt apparere læſio, aliis illæſis. Ergo cor non eſt principium, & origo motus arbitrarij. Quare ad ſententiem referri non poteſt:eſt enim ſentiens facultas perpetuò cum cognitione, & apprehenſione obiecti, At vitalis ſine cognitione eſt. Ergo potentia vitalis, contrahens & dilatans cor & arterias, eſt potentia naturalis vegetatiua, & nullo modo animalis exiſtit. Quam ſententiam ego quoque libenter amplector,& probat Auerrhoës *lib.2.collig.cap.7* §.*Sed virtus pulſatiua*, &c. Mercati verò rationes facilè ex alia quæſtione antecedenti diluere poteris, maximè ſi notabilia attenta mente rimeris.

Sed quæres,ſi facultas vegetabilis animalibus, & plantis eſt communis, cur in his non eſt pulſatio? Dic, quia in his maior eſt alimenti terrei, & aquei indigentia, & ſic ſolùm partem terream, & aqueam reparat attractione alimenti ſolidi, vel liquidi, in animalibus verò maior eſt alimenti aërei neceſſitas: quare in illis duplex eſt vegetabilis operatio, prior in alimentum ſolidum, ad carnium, & membrorum nutritionem; poſterior in aërem circumſtantem, & ſanguinis vaporem, vt ſpiritus exhauſtus reſtauretur: eodem enim modo ſpiritus alimentum in cor attrahitur, quo membrorum nutrimentum in ventriculum, & iecur: quemadmodum enim oblongæ cordis fibræ ſubtilem aërem attrahunt ad ſe, & fibræ rotundæ fuliginem expellunt; eadem ratione in partium alimoniam oblongæ ventriculi, & inteſtinorum fibræ vtile trahunt, rotundæ verò inutile expellunt; & ſic quantò promptior eſt ſpirituum diſſipatio carnium reſolutione, tantò frequentiorem inſtituit natura motum dilatationis, & contractionis: & hoc eſt quod firmauit Galenus 1.*de ſanit. tuenda cap.2. ad fin.* dicens ſimiliter reparari ignem & aërem, reſpiratione & pulſu, vt terram & aquam, cibo & potu. Ergo virtus vitalis erit naturalis. Hinc eſt etiam, quòd inueſtigans Galenus 1.*de ſem.cap.*8.cauſam à priori motus ipſius cordis, comparat huiuſmodi motum flammæ ignis, quæ interuentu aëtis dilatatur, contrahitur verò quando aër abſumitur.

Age deinde, & cogita, quanta reprehenſione ſunt digni Conciliatior *dif.*57.Fernelius 5.*phyſiolog.*13.Valleſius 2. *cont.* 15. & *lib.*3.*cap.*2. Euſtachius Rudius *in ſua praxi*, *tract.de virtutibus cordis*, qui à veritate recedentes exiſtimarunt, facultatem vitalem eſſe potentiam mediam inter facultatem animalem, & naturalem, & eſſe ex vtraque compoſitam; & ex conſequenti motum cordis, & arteriarum eſſe quoddam actionis genus, ex motu animali, & naturali compoſitum.

Hi antequam ſuam ſententiam confirment, præſupponunt primò potentias naturales, quemadmodum & reliqua naturalia agentia, vſque ad vltimum potentiæ agere; quia ſemper operantur iuxta actiuitatem agentis, & reſiſtentiam paſſi, vt patet in potentia calefaciendi reperta in igne naturalibus noſtri corporis facultatibus,vt tractrice, retentrice, & reliquis; quoniam hac ratione ventriculus tranſmutat alimentum, quantùm poteſt, & non quantùm animalis intereſt: aliàs enim, nulla ſequeretur noxa, ſi alimentum tenue ventriculo calido concedatur. At verò facultas vitalis pulſifica non operatur quantùm poteſt, ſed ſolùm, quantùm expedit, quia ſolùm operatur pro indigentia vſus; qua ratione variato vſu, non mutatis facultate, & arteriarum corporibus, variatur motus cordis, ſiue pulſus. Similiter vitalis facultas non eſt potentia animalis, quia pro arbitrio, & voluntatis imperio non operatur. Quare ſi non eſt naturalis, nec animalis, neceſſariò erit ex vtraque mixta, & compoſita,

Supponunt ſecundo, & hoc eſt certiſſimum, facultatem motiuam animalem non producere ſuas operationes, niſi prius fiat motus in appetitu animali, cuius motum antecedit cognitio, ſiue hæc ſit ſenſitiua, ſiue intellectiua; quia priùs debet cognoſci obiectum, vt delectabile, aut triſtabile eſt: poſtea verò ſequitur motus in appetitu, cuius ratione animalia coguntur ad fugiendum quod eſt triſtabile, & ad proſequendum delectabile; & ad hanc proſequutionem, vel fugam, neceſſarius eſt facultatis animalis motus.

Hæc doctrina colligitur ex Ariſt.2. *de anim.text.* 27. & 3.*eiuſd. text.* 48. Qua ratione motus animales neceſſariò pendent à voluntate, & mediis muſculis fiunt: at verò motus naturales non fiunt mediis muſculis, quia ipſi à voluntate non pendent, ſed neceſſariò fiunt,

Hoc ſuppoſito ſuam ſententiam ſic confirmant. Cor eſt principium caloris naturalis, vitæ, omniúmque facultatum promptuarium, collocatum in medio corporis, vt omnibus partibus æquabiliter viuificum calorem tribueret; eadem ergo ratione in omnibus facultatibus, & functionibus, tum naturalis, tum animalis facultatis ſit particeps eſt neceſſe, vt hac ratione virtute illa à corde recepta, vniuerſum corpus eius nectare irroratum efflореſceret, & partes omnes in ſua ſymmetria conſtitutæ fœliciùs, & faciliùs munera ſua obirent. Ergo neceſſariò facultas vitalis in corde domicilium habens, debet eſſe ex naturali & animali compoſita.

Secundò. In motu cordis non deſideratur muſculus; quia inter omnia viſcera cor præ ſe fert muſculi ſubſtantiam,vt notat Galen.2.*de temp.*3, ſimiliter etiã habere videtur eandem figuram,& compoſitionem;quia ſubſtantia cordis natura ſua dura eſt, & fibroſa, ita & rubra,& iuxta principium ac baſim lata; in faſtigio verò anguſta. Licèt tamen hæc omnia habeat cor,eius corpus non eſt muſculus,ſed potiùs ab eius natura differt,vt probat Galen.*lib.*1. *de mot.muſculor.cap.* 3. Quare huius diſcriminis ratio aſſignanda eſt,quia motus cordis non eſt mere animalis motus,qualis eſt motus muſculorum, ſed potiùs motus compoſitus ex naturali, & animali: ita quoque potentia efficiens ipſum, mixta eſt & compoſita,

Sed reprobanda eſt hæc opinio, ob rationes multas. Prima Ex duabus potentiis inter ſe valde diſtantibus,non poteſt fieri vna potentia media ex vtriſque compoſita, neque enim intellectus id capere poteſt neque id poteſt fieri à natura. Sed potentia animalis, & naturalis vegetatiua, ſunt potentiæ longè diſtantes. Ergo, &c,

Neque obſtat motus ille medius in ſuperiori quæſtione ſtatutus, qui vocabatur motus mixtus ex naturali, & animali, quoniam hic motus, non eſt vnus motus compoſitus, ſed potiùs ſunt duo motus, & à duabus facultatibus fiunt: relaxatio enim muſculi claudentis veſicam, erat vnus motus, & ficbat à facultate animali mouente muſculum; aliùs verò erat excretio recrementi ſeroſi, qui à naturali facultate expultrice præſtatur,& hac ratione duo ſunt motus, & duæ facultates ipſos producentes: appellatur autem mixtus, & compoſitus, quoniam vterque ad eam actionem neceſſarius erat.

Secundò. Facultas animalis motiua, ex horum ſententia,non operatur, niſi priùs fiat motus in appetitu animali,ante quem motum neceſſaria eſt cognitio ſenſitiua, vel intellectiua. At nullus hic reperitur motus factus in appetitu animali. Ergo iam huiuſmodi motus à facultate animali fieri non poterit. Tertiò. Si huiuſmodi motus cordis eſſet mixtus,& fieret à potentia compoſita ex naturali,& animali,ſaltem ex voluntatis arbitrio & imperio dependeret, ex ille parte, qua pendet à potentia animali. Conſequens tamen eſt falſum, vt in ſuperiori quæſtione ſatis explicuimus. Ergo, &c.

Eorum verò argumenta ſic ſolue. Facultas vitalis quin ſit mixta ex animali, & naturali, calorem influentem partibus

partibus ſuperioribus, & inferioribus communicat:nam inter ſe mutuas operas exercent. Nam ſi omnia omnibus conſentiunt, vt profert Hipp. *lib.de alim.num.* 4. quantò ampliùs partes præſtantes, in quarum firmitudine, & robore totius harmonia conſiſtit? Ergo facultas hæc,vegetabilis cùm ſit, vniuerſo corpori vim,energiam,caloremque influentem per arterias,tanquam per riuulos, promptè tranſmittet.

Secundò ſolue. Nam hoc nihil concludit: etſi enim ſubſtantia cordis dura ſit,denſa, & ſolida, & Hippocrates hanc partem, muſculum appellet;hoc non de neruo,tendinéve, ſed denſitate carnis intelligendum eſt. Hoc enim robur, & ſoliditatem exigebant continua motus agitatio, feruens illa innati caloris vis, & ſpirituum tenuitas. Sed non rectè concludunt, quia cor non eſt muſculus, & eius motus non eſt animalis: Ergo erit mixtus ex naturali etiam, & animali: neque enim potentia ipſum efficiens, eſt mixta & compoſita.

Sed tangamus poſtremam in hàc quæſtione de vitali facultate difficultatem, & inquiramus quæ vitalis potentia ſit dicenda,ex iis quæ in corde præſunt. Nam adeſt facultas dilatans, & conſtringens, quæ cor & arterias mouet: reſidet etiam alia, quæ ſanguinem arterioſum, & ſpiritum conficit. Dic, quòd licèt præſtantioris ſit ſortis, & efficaciæ facultas illa, quæ ſanguinem & ſpiritum conficit, tamen illa quæ dilatationi, & compreſſioni aſſiſtit, à Galeno *lib.4.de dif.pulſ.cap.* 2.vitalis omnino nuncupatur. Nam vita potiſſimùm conſiſtit in motu caloris, & tranſmiſſione ad alias partes. Ergo facultas quæ innatum calorem temperat, & perpetuò diſtribuit, vitalis dicenda eſt. Lege Iacobum Primiroſium doctiſſimum, *in quæſt.de virtute mouente pulſus,exercitatione in lib.Gulielmi Harveÿ de motu cordis*, & Baptiſtam Fieram, qui de hac difficultate eximiè decertant.

QVÆSTIO XXXVI.

Vtrùm motus, & quietes pulſus, & reſpirationis ſibi proportione reſpondeant: & num in illis diſtentio præcedat? Contra Fracaſtorium, Santorellum. Garbium,Veſalium,Gentilem,& Thomam Campanellam, Medicos eruditiſſimos.

A Græcorum ſcientiſſimis eſt in literas depromptum, pro conſeruando calore innato, pulſum, & reſpirationem primatum obtinere; differunt tamen,quòd pulſus totius corporis,reſpiratio verò ſolius cordis calorem moderetur, monente Galeno *lib.* 8. *de placit.* 8. *& lib. de vſu pulſ.cap.* 3.Hoc ſignificabat Gal.*lib.*1.*de ſanit.tuend. cap.*12. dicens: *Aëreæ,igneæque ſubſtantiæ modum reſpiratu, arteriarúmque pulſu tueri &c.*Qua ratione docet interpretari Hip. *lib.de aliment.n.*6.dum inquit: *Principium alimenti, ſpiritus, os,guttur, pulmo, & reliqua reſpiratio.* Qua tamen ratione hæc caloris ſymmetria,interuentu pulſus, & reſpirationis comparetur, latiſſimè explicat Galenus, *de vtilitate reſpirationis,cap.*3.poſito exemplo in flamma exteriori.

Vt verò hæc omnia intimiùs elucidentur, quærendum eſt primò.Vtrùm motus & quietes pulſus & reſpirationis, proportione reſpondeant? Hanc dubitationem primus propoſuit Gal.*lib.de vſu pulſ.in init.*Solue tu eam hoc modo. Germani hi motus in multis conueniunt, & in pluribus differunt. Conſentiunt in vſu:nam vtrique motus caloris naturalis mediocritatem conſeruant,& ſpirituum animalium, & vitalium generationẽ miniſtrant:habent enim communem trahendi, & expellendi modum, quum ambo duobus motibus,& binis quietibus conſtent. Tertiò,quia in vtroque motu quies diſtentionem ſequens eſt minor,interna quæ ſequitur contractionem,multò maior, vt aſſeruit Gal.*lib.de dif.reſpirat.cap.*5.& 6. Quartò, quòd vtriuſque inſtrumenta à ſuis principiis facultatem per inſtrumenta recipiant,muſculi à cerebro,arteriæ verò à corde.

Differunt primò inſtrumento, quoniam in reſpiratione eſt pectus cum pulmone; in pulſu cor cum arteriis, ex Gal.*lib.*2.*de motu muſcul.cap.*5.*&* 2.*de dif.reſp. c* 9.Secundò. Differunt in numero motus: cor enim pluries pulſat, interuallo vnius reſpirationis,ex Gal.6.*de vſu part.c.* 2. Ferè enim quinquies pulſat cor vnius reſpirationis interuallo. Tertiò. Differunt in agente:quoniam in pulſu eſt facultas vitalis,in reſpiratione animalis: & ſic illa dicitur naturalis,hæc vocatur voluntaria,vt de reſpiratione dicebat Gal. *l.*2.*de motu muſcul.cap.*6. *ante med.*§. *Quid igitur mirum.&c.* Neque obſtat Gal.*lib.*3.*de officin.med.com.vlt.in med.* §.*Hæc à medicis excogitata ſunt*,&c.qui reſpirationem vocauit naturalem operationem; ibi enim per naturale intelligit, quod violento, & præter naturam opponitur, vt ex ſerie contextus deducitur manifeſtè.Quartò differunt ſecũdùm media,quibus finem ex vtroque motu conſequitur natura: quia per reſpirationem aërem attrahit; interuentu autem pulſus non ſolùm aër,ſed ſanguis à venis attrahitur.Quintò. Quoniam reſpiratio ſoli inſeruit cordi pulſus verò non ſolum cordi, ſed pulmoni, & ſingulis noſtri corporis partibus opem fert. Vltimò.Quia arteriæ per compreſſionem non ſolùm excrementa fuliginoſa, ſed etiam ſpiritus tranſmittunt; & licèt in vtroque motu idem beneficium præſtetur, diſſimile eſt, cum enim cor nimio ſemper feruore ſit affectum, vt ſingulis partibus calorem vberem præſtet, ob id huic ſoli parti natura reſpirationem conceſſit, quæ ſola æſtuantem cordis calorẽ refrigeret, ventilet, & ſpirituum generationi materiam ſuppeditet, ex quibus actionibus multa neceſſariò fuliginoſa recrementa colliguntur, quibus educendis diligenti & valido motu opus fuit, quare huic operi ſolùm reſpirationis compreſſio eſt dicata. Lege Valleſ.3.*cont.cap.*2.

Dubitabis ſecundò.An ab vna & eadem cauſa ſimili modo pulſus,& reſpiratio immutentur?Dic,quòd cùm pulſus, & reſpiratio differant facultate & inſtrumentis ita non ſimiliter immutantur:vt in phrenitide, in qua facultas animalis eſt vitiata,reſpiratio eſt magna & rara,pulſus tamen paruus & frequẽs;docẽte Gal.4.*de cauſ.pulſ.c.*14.Sic etiam in pleuritide reſpiratio eſt denſa & parua,pulſus verò magnus,*l.*4.*de cauſ.pulſ.c.*8.Quoniam autem vtraque operatio in tertio quodam conuenit,ſcilicet in fine;quæcunque immutant ratione huius, vtramque poterunt immutare, vt exercitium, & labor:niſi aliquid eam immutationem impediat in vna facultate, & non in alia; vt cibo aſſumpto pulſus redditur magnus ob vſum adauctum,reſpiratio verò,cùm ſepti tranſuerſi ope perficiatur,quæ ob ventriculi tumorem impeditur,parua efficitur;ſed adeò eſt frequens, vt magnitudinem natura frequentiâ recompenſet.

Dubitabis tertiò. Vtrùm pulſus, & reſpiratio eodem modo ſe habeant in præſagiendo:Dic,quòd vtræque operationes æquè ſignificant ſupra vſum & facultatem ſuam, reſpiratio ſupra animalem, pulſus ſupra vitalem: pulſus tamen excedit in prædicendo; cùm enim hæ operationes, motus ſint, & de his plura ſentiantur tactu quàm viſu; & pulſatio tactu diiudicetur, reſpiratio verò viſu,meritò ex pulſu plura præſagire licet. Deinde ſine reſpiratione,ſaltem ſenſibili, animal viuit, vt conſtat in vteri ſuffocatione, ex Gal.6.*de loc.cap.* 5. Non verò ſine pulſu. Conſule Ludouicum Lemoſium,*lib.*3. *de prædicendi ratione*, *cap.* 9. qui hoc dubium eleganter explicuit.

Dubitabis quartò.An pulſus,& reſpiratio ſint ad vitam ex æquo neceſſaria?Dic,cordis pulſum eſſe magis neceſſarium; ſiquidem fœtus in vtero non reſpirat, ſicuti nec fœminæ hyſtericæ, & Apoplectici, in quibus tamen neceſſariò cor pulſat,cùm viuant. Arteriarum tamen pulſus minùs eſt neceſſarius reſpiratione. Hoc eſt veriſſimum: nam ligatis, vel ſectis quibuſuis arteriis animal viuit, reſpiratione verò orbatum breui perit. Ergo pulſus non ſolùm ad ſpirituum animalium generationem confert, ex Gal.*lib.de vtilit.reſpir.cap.*5.*& lib.de vſu pulſ.c.*3.ſed ad vitalium generationem eſt neceſſarius, ex Gal.12.*meth.c.* 5. & *lib.*6.*epid.ſect.*6.*com.*3.*in med.&* 7.*de placit.c.*3.& non ſolum ſpiritus vitales in corde,ſed in arteriis gigni,aſſeuerat Gal.*lib.de vſu pulſ.c.*2.*in init.&* 8.*de placit.*7.*poſt princip.*

Dubitabis quintò.Vtrùm ſit tutum quod ſcribit Fracaſtorius *lib. de ſympath.* 13. Quòd cor non ſe dilatat primò & per ſe, vt aërem nouum attrahat, ſed vt minùs tangat

internum

internum nocens; nec conſtringitur, vt pellat fuligines, A ſed vt redeat ad ſitum proprium? Non placet. Quia poſt primum inſtans creationis cordis, dilatatur cor, non vt fugiat nocens, quia non creatur cum ipſo. Rurſum non conſtringeretur vltra ſitum proprium, nec citra, contra experientiam. Quare dicendum, quòd dilatatur,iuxta dictum Gal. 6. *de vſu part*.8. quia appetit attrahere accommodatum naturæ ſuæ; & contrahitur, propter ſuperflua excrementa quæ moleſtant.

Dubitabis ſextò.Cur iecur,& venæ non pulſant, ſi ipſorum calor ventilatione indiget? Soluit Thomas de Garbo, *in ſum.lib.*1.*tract*.4.*q*.51.quia ſpiritus qui eſt in corde,& arteriis,quum intensè caleat,ſolus eget refrigeratione. Non quadrat ſolutio. Nam *lib.de vſu pulſ.prope med.* quod confert reſpiratio cordi,confert pulſus calori, qui eſt in toto animali.Dic tu,quòd calor iecoris,& venarum ſufficienter per pulſum cordis,& arteriarum contemperatur.Pro cuius dubij maiori explicatione, conſule Camillum Theſaurum *lib.*2.*de pulſ.c.*5.*fol.*10. B

Dubitabis ſeptimò. Si cor refrigeratur expulſis fuliginibus, vtrùm plures excernantur per aortam, an per arteriam venalem?Gal.7.*de vſu part*.9.ſcribit,quòd per aortam: contrarium aſſerens 6. *epid.ſect*.6. *com*.2. Veſal. 6.*fabric*.15. nihil dubitans aſſeruit, potiùs per arteriam venalem. Sed fallitur. Quoniam plures expelluntur per aortam, quia via patentior eſt. Præterea non clauditur oſtiolis illis quibus clauditur venalis,quæ expulſionem fuliginum maxima ex parte per eam impediunt. Et ad Gal.locum, ex 6.*epid.* dic, quòd comparat fuligines cordis cum fuliginibus totius corporis,non fuligines cordis inter ſeſe.

Dubitabis vltimò. Si duplici, eóque contrario motu conſtat reſpiratio,ad vitam tantopere neceſſariis, quorum C viciſſitudine animalium innatus ignis ſeruatur; quæ ex illis antecedat, tam in reſpiratione quàm pulſu, diſtentióne an conſtrictio? In hoc dubio ſoluendo tantiſper immorabimur, propter acutiſſimum Gentilem 10.3.*tract*.1. *cap*.7. cui placuit, tam in pectoris, quàm cordis & arteriarum motu, antecedere contractionem: cuius opinionem probabilem eſſe firmat Sanctorellus *lib*. 9. *anteprax*. *cap*.6. *in fin*. & licèt hi, tenui ſolùm fundamento ſuam ſententiam defendant, nos validioribus machinis eam munieinus.

Probabiliter ergo credunt, cor in prima ſui formatione, ſalubre, & cum moderatiſſimo ſpiritu creari. Atqui in hoc ſtatu nulla datur neceſſitas refrigerij, quod diſtentione paratur. Igitur quandiu ſalubris ille, & moderatus ſtatus durauerit, nec cor, nec thorax dilatabitur: cúmque ceſſante dilatatione, neceſſariò ſequatur conſtrictio, planè negari non poteſt, hanc ipſam præire,atque ita expirationem, &c. Maior vel inde patet, quoniam non ſolet D natura primam rerum conſtitutionem inſalubrem gignere, atque intemperatam, & quamprimùm externi auxilij indigam, ſed quantum poteſt incolumem atque exactam. Minor oſtenditur quia cor & ſpiritus, tum temporis eum habent ſtatum,quem poſtea in reliquo vitæ curſu, diſtentionis beneficio conſequuntur.Igitur pro tunc fruſtra fiet, quinimò non ſine nocumento ſanitatis, quæ infrigidantis aëris acceſſu euertetur.

Rurſus. Si illa quam exigit creatum eſt cor temperie, quorſum illicò refrigeratione immutabitur? Deinde, ſi oportuit calorem in eo excedentem ſua immoderantia temperari,cur ſtatim à natura moderatior non fuit creatus, ne ipſa ſibi fruſtra negotium faceret?

Adde. Si res omnes, quantumvis intemperatæ in ſua naturali diſpoſitione exiſtentes, perpetuò in ſibi ſimilia, quibus conſeruantur, & durant, naturali appetitu ferun- E tur, quomodo cor ſanum ſuapte natura calidum,refrigerantem aërem expetet, & ad illius tractum quamprimùm mouebitur?

Inſuper. Magis vrget vſus expurgandi fuligines, quàm refrigerandi calorem: illis enim coaceruatis, periculum ſuffocationis imminet, & extinctionis;at verò denegato refrigerio, & ventilatione, paululum ſolùm inflammatur calor.Igitur oportet antecedere expirationem, & ſimiliter in pulſu ſyſtolen.

Denique. Pulmonis conceptacula inanita, vacuáque non formantur imò nec cor immoderatè calidum, nec innata promptitudine excandeſceret, decuit plenum aëre creari,à quo fr ænaretur, contineretúrque in ſua natiua temperie. Atqui excedens calor de neceſſitate adurit, fumóſque & fuligines generat. Igitur ad illorum expulſionem quamprimùm conuertetur, & primus illius motus erit contractio,ac ſimiliter in reſpiratione expiratio.

Verùm oppoſita ſententia eſt verior, quam cum Ariſt. *lib.de reſpir.cap.*5.*&* 10.nos amplectimur,quæ argumentis eſt munita validis. Primò. Ille motus erit prior tempore, ad quem maior cogit neceſſitas. Atqui hæc magis vrget diſtendi, quàm contrahi cor,& pectus. Igitur in pulſu, & reſpiratione diſtentio antecedet. Probatur minor, quia refrigerij vſus maior eſt, nutritionis ſpiritus, minor, & minor adhuc expurgationis fuliginum. Atqui per inſpirationem, dilatationémve refrigeratio caloris comparatur,ſimul & ſpirituum nutritio;fuliginum purgatio, contractione. Igitur ex duobus illis initium mouendi à diſtentione ſumetur,& ex conſequenti,&c.

Secundò. Conſtrictio non fit niſi ad expurgandum fumos aduſtos,ex aëre attracto per aduſtionem genitos. Sed cor plenum aëre non formatur. Igitur neceſſarium eſt, priùs dilatationis beneficio aërem trahi,quàm eius ſuperflua contractione expelli;& per conſequens,&c.

Tertiò. Animalia expirando moriuntur, vitámque finiunt,ex Ariſt.*lib.de reſpir*. Igitur inſpirando, viuere primùm incipient. Addit Auerrhoës 2.*de anim,com*.89. ſicuti diſtentio potiſſimum fit cordis gratia, in quo exuberat, æſtuátque calor: ita conſtrictio propter pulmonem, in quo quia priùs recipitur aër, & concoquitur, antequam permeet ad cor, fumi aceruantur. Sed motum propter cor oportet eſſe priorem. Igitur, &c.

Quartò. Refrigerij vſus certiſſimus eſt, & non ſolùm viuentibus, ſed etiam mixtis, demum & cunctis corporibus viuifico calore præditis neceſſarius; fuliginum purgatio nonniſi in animalibus natura calentibus exigitur. Igitur motus ille quo paratur refrigerium, vtpote communior, & qui à pluribus, nec imperfectioribus requiritur, præire debet, & ex conſequenti, &c. Conſule Laurentium *lib*.9 *de hiſt.anatom.cap* 8. An tamen inſpirationis ſit maior neceſſitas, quàm expirationis? Dic, in ſanis eſſe parem: in febrientibus, præſertim qui putrida febre laborant, maiorem eſſe expirationis; quia adſunt fuligines interiùs congeſtæ,expurgandæ, ita in morientibus ſyſtole,& expiratio maior eſt.

Nec enim operoſum partis aduerſæ argumenta demoliri.Dic ad primum.Licèt veriſimiliùs opinemur, cor potiùs cum ſpiritu temperatiſſimo, quàm lapſo iam, & intemperato formari, non proinde tamen in illa prima formatione deeſt iam refrigerij,& diſtentionis neceſſitas non quidem ob præſentem tantùm inflammationem, ſed magis, vt auertatur futura, cui cor & ſpiritus promptiſſimè ſubiiciuntur, ob excedentem proprij temperamenti calorem. Quamuis autem ſpiritus,& cor, tum temporis paulò vltra naturalem ſtatum diſtentione refrigerentur, non ideò euertitur illorum temperamentum, quin eius opera ſeruatur, dum infrigidantis aëris beneficio excandeſcere, & inflammari prohibetur.

Neque natura huiuſmodi refrigerio intendit remittere, aut minuere cordis calorem, ſed potiùs conſeruare, ac in officio retinere,quo aliter potuit, aut ſolius formæ ope,ob ſummam quæ datur, difficultatem ſeruandi, detinendique ignem & calorem in ima hac regione;niſi enim ingeniis, artificiiſque coërceatur in mixtis, tenuitate ſua, qua vniuerſa penetrat, & ſimul leuitate, citò euolabit, hoc eſt, peribit,& cum mixtorum interitu extinguetur.

Ad ſecundum.Conſtat ex dictis,quid ſit dicendum:Cor enim inſpirans non indiget refrigerante aëre, vt temperet, & emendet exceſſum caloris natiui; ſed in primo formationis exordio, ad prohibendum inflammationem eminentem,& lapſum proportionalem aſcititij caloris.Ex iis intelliges, grauiter deceptum eſſe Thomam Campanellam,*in ſuis diſſertationibus, de natur.rerum part*.1. *cap*.16. *in annotationibus*,qui contra Ariſt. & Galenum pugnaciter contendit

contendit, reſpirationem à natura non fuiſſe intentam, gratia refrigerandi calorem.ſed augendi: cuius argumenta vt futilia,ex dictis facilè ſolui poſſunt, immò ſunt ridicula,& prorſus vana.

Ad tertium. Negamus antecedens, tum quia ſimpliciter & abſolutè, & ex iis quæ præſtat reſpiratio, maior eſt refrigerij vſus vt diximus;tum quia moderatus calor, hoc eſt, qualem exigit cor in prima formatione, citiùs calefaciendo inflammet, quàm adurendo fuligines gignat, citiùs ob feruorem indiget refrigerio; atque ideò cogitur priùs inſpirare, quàm ob fuligines per moram adurentem detentas,expirare.

Ad vltimum dic.Non vacua,inanitáque cordis,ac pulmonis conceptacula formantur;ac non proinde aëre plena ſed viuifico ſpiritu,ſanguine,& aliis ad vitam neceſſariis.Nam ſi paulo pòſt diſtentionis munere frigidus aër trahendus erat,& propoſito vſui accommodus, quorſum fuit imponendus æſtuanti & inflammanti loco, præſertim nondum exigente neceſſitate? Conſule eruditiſſimum Franciſcum Vlmum *in ſuo ſubtiliſſimo tract. de liene, in med.* & Petrum Pintorem *lib.2. de morb.curand.tit. de cordis palpitatione, & lib.de cura peſtis,in med.*

QVÆSTIO XXXVI.

Vtrùm dilatato corde, dilatentur arteriæ, & conſtricto, conſtringantur; & prodeant hæ actiones à facultate. Contra Gentilem, Conciliatorem, Garbium, Turiſanum, Iacobum Foroliuienſem, & Valleſium, Medicos illuſtriſſimos.

PLura quidem traduntur in doctrina de pulſibus, meris dubitationum labyrinthis inuoluta: ea patefecerunt ſcientiſſimi Græci, Arabes explanarunt luculenter & præſertim Auicenna,eruditus Galeni interpres,eloquentiſſimi Iuniores: At hi inter ſe digladiantur perſæpe, vt lectoribus tenebras offundant, & Galenicam, ſanámque doctrinam contemnentes,mille figmenta fingant,& mille tricas.

Ego verò vni huius auctoris doctrinæ cenſeo inhærendum, quia ratione nititur,& experimento.Hoc poſuit ipſe *lib.7. anatom.adminiſt.cap.14.* Nam ſi quis manum pectori admoueat, & alteram manum alicui arteriæ, tam cordis, quàm arteriæ dilatationem eodem tempore ſentiet. Nec inſtes cum *auctore lib.compendij de pulſib.c.3.* Cor percutere pectus quo tempore conſtringitur, quoniam contractum fit longius, & ſic accedit cuſpide ſua antrorſum vergente ad pectus, ita vt ictus ſentiatur. Nam prætterquam liber ille Galeni non eſt, hoc facit contra ipſum Galenum, qui *6.de vſu part.2. ad fin.* pulſum ſenſatum in ſiniſtra papilla, procedere ab arteria magna cum ſiniſtro cordis ventriculo aſſerit. Ergo cùm ibi vnicus ictus ſentiatur, & hic docente Galeno,fiat ab arteria magna ſimul cum corde, neceſſariò hoc cum arteriis vnicum motum habebit;ac proinde etiam cor percutiet pectus, quo tempore dilatatur, quia tunc amplificatur, cùm minor reddatur illius longitudo, vt eleganter probat Andreas Laurentius, *l.9..de hiſt. anatom.quæſt.8.* edoctus, vt ipſe refert, à Franciſco Roſſello Hiſpano, Medico doctiſſimo.

Secundò.Patet ex Gal.*3.de præſ.ex pulſ.c.3.ab init.*qui eandem eſſe contentionem,quæ cor & arterias mouet affirmauit.Ex qua ſententia ſic arguo.Eadem eſt facultas,qua cor & arteriæ mouentur. Ergo cùm tentat diſtendere, omnia ſibi commiſſa diſtendet,ac proinde eodem tempore,& eodem motu arteriæ cum corde mouebuntur.

Tertiò. Arteriæ non dilatantur vi propria, ſed à corde deriuata.Sed non poteſt deriuari à corde vis dilatans,quo tempore comprimitur. Ergo arteriæ ſimul cum corde eundem ſortientur motum. Maior eſt manifeſta. Minor probatur: nam quemadmodum facultates naturales, attractrix, & expultrix non eodem tempore operantur, etſi fibris vtantur diuerſis;eodem pacto facultas dilatans cordis,nulla ratione operabitur,quando aduerſa conſtringens in opere exiſtit.

A Quartò. Etſi concederemus à vi propria arterias moueri, vnde quæſo inuariabilis illa emanaret conſenſuſacultatum irrationalium, ſic vt perpetuò dilatarentur arteriæ in compreſſione cordis, & comprimerentur in dilatatione illius?

Quintò. Confirmatur hæc ſententia Galeni auctoritate, qui hanc acerrimè defendit, *lib.de pulſib.ad tyrones, c.1. & 8.de placit.c.8 & lib.de fœtus format.c.3.poſt med.& lib.de vſu pulſ.c.1.in med.§. Ac princeps quidem, & cap.4.ſequenti, §.Huius autem duplicis.* Quibus locis arterias eundem ſeruare motum cum corde aſſeuerat; & *lib.4. de dif.pulſ.c.4.* reprehendit Eraſiſtratum. dicentem non ſimul cor,& arterias diſtendi,quia res ipſa apertè id confirmat. Sequuntur Haly *7.theorie.cap.2.*Paulus *lib.2.c.12.*Ariſt.*lib.de reſpir. in med.§. Pulſant venæ omnes ſimul cum corde, &c.* Probant Fernel. *6.phyſiol.c.17.*Laurentius *lib.10.de hiſt.anatom.c.10.*

B Valleſius *3.cont.3.* Mercatus qui *lib.1.tract.2.de vſu cordis, arteriarum & pulſu poſt princip.* plurimis argumentis, præſertim à ſectione viua deſumptis, in qua cor & arteriæ, eodem dilatationis,& contractionis motu agitantur,hanc ſententiam efficaciſſimè defendit.

Sed renuunt Latino barbari, Conciliator *dif.80.* Thomas de Garbo, *in ſum.lib.4.1.tract.4.quæſt.51.*Turiſanus *7. tegni, com.35.&* 40.Iacobus Foroliuienſis, *in art.med.q.72.* Gentilis *1.2.doct.6.c.4.*Fefellit eos, meo voto, locus Galeni ab illis perperam intellectus:nam *7. de anatom. admi-niſt.c.14.* aſſeuerat. ad huius rei indagationem, in animali viuo thoracem eſſe perforandum, & arteriam magnam denudandam, vt intelligamus an dum cor attollitur, ſubmittatur arteria, & è contra.

C Probant ſuum placitum hoc modo. Dum cor comprimitur,& euacuatur;dum arteriæ attolluntur,replentur.Sed quando cor euacuatur, arteriæ replentur. Ergò neceſſariò compreſſo corde arteriæ debent dilatari. Patet, dum cor comprimitur, tranſmittit ſanguinem & ſpiritum, & tunc arteriæ ſuſcipiunt.Sed non poſſunt ſuſcipere,niſi dilatentur, vt in exterioribus apparet. Ergo, &c. Eadem ratione quando comprimuntur arteriæ, tranſmittunt aërem frigidum cordi. Ergo tunc dilatatur cor, quum ſucipiat:ac proinde cor,& arteriæ diuerſo motu agitabuntur.

Deinde ex Galeno ſic confirmant: hic enim *3.de præſ. ex pulſ.cap.3.* docet, quòd quando cor debile eſt, & arteriæ frigidiores,non eodem tempore facultatem ſuſcipiunt pulſificam; ſed quædam citiùs,quæ nempe ſunt magis cordi vicinæ; quædam tardiùs,nempe eæ quæ longè à corde ſunt remotæ. Ergo cor, & arteriæ eandem pulſandi rationem non habent.

D Hæc tamen facilè ſolues. Dic ad primum. Non omnia illa quæ ſuſcipiunt, dilatantur. Vel dic, quòd arteriæ in contractione non ita conſtringuntur,vt tunicæ ſe contingant,ſed ſemper debita cauitas in eis relinquitur, in quam aliquid poſſit ſuſcipere, præſertim ſi id tenue ſit, & ſubtile. Ad aliud dic, quòd doctrina tradita eſt intelligenda eodem modo, & ſecundùm naturam ſe habentibus corde, & arteriis: Facultas enim pulſifica eò aliquando deuenit imbecillitatis, vt non poſſit liberè, & repentè inſtar luminis toti arteriæ communicari, ſed paulatim cor diſtenditur, & tunc omnes arteriæ partes non ſimul mouentur, ſed pedetentim, & per partes, docente Galeno *4. de dif. pu'ſ.c.6.in fin.& c.8 in med. & lib.3.de præſ. ex pulſ. c.3. cit.* Ergo animali pro naturæ lege ſe habente, eodem tempore dilatatur cor cum arteriis,& comprimitur cum illis.Lege Cardanum *lib.2.contr.tract.2.contr.11.*

E In alia verò controuerſia explicanda adhuc hæſitant Iuniores: An ſcilicet tam dilatatio,quā contractio ſint actiones ipſius arteriæ,vel à facultate emanent? Veteres,vt Herophilus, & eius ſectatores, ſolam contractionem arteriæ eſſe actionem à facultate exiſtimabant;dilatationem verò eſſe ceſſationem,&reditum ad priſtinum ſtatum ex firmitudine & continuitate arteriarum, quia corpora rotunda vt aliqua compreſſa, deinde dimiſſa, ad antiquum ſtatum reuertuntur. Cogebantur autem ita opinari, quia mortuorum arteriæ dilatatæ inueniuntur; & ſic illarum eſſe proprium ſtatum,& peculiarem figuram arbitrabantur.Hanc opinionem,vt falſam refutat Galenus *4.de dif.pulſ.c.10.*

Alij contraria firmant, nempè dilatationem eſſe actionem facultatis, contractionem verò, ceſſationem: ſuamque opinionem probare conantur, ex ſimilitudine quam habet pulſus cum reſpiratione, in qua (vt docet Galenus *lib.6.de motu muſcul.c.9,ad init.*) nullus eſt muſculus ſepto tranſuerſo oppoſitus, cauſa operationis, ſed ſolùm fit muſculis inſpirationem efficientibus quieſcentibus, & ab operatione ceſſantibus: quare ita iudicant fieri ab pulſibus, ac proinde contractionem eſſe arteriarum otium, & quietem. Aduersùs hos ſtrenuè dimicauit Galen. *lib.de vſu pulſ.cit.* aſſeuerans, tam dilatationem, quàm contractionem eſſe actiones à natura intentas, & à peculiari facultate, vi, ac efficacia, in peculiares vſus naturæ deſtinatos.

Conſtat hoc primò in dilatatione, quoniam aliàs pulſus magnus vel paruus, virium robuſtarum vel imbecillium indicium non eſſet. Deinde inſtante criſi pulſus fit altus, conante animæ vi noxium humorem expellere. Rurſus ſequeretur, ſemper dilatationem eſſe æqualem contractioni, ac proinde pulſum ſemper habere eundem vſum, quod eſt falſum Neque in aduerſam abeas ſententiam, quòd defunctorum arteriæ dilatatæ reperiantur: nam hoc ob ſuarum fibrarum ductum, & naturam, citra aliquam animæ vim contingit.

Quòd autem contractio fiat à facultate, patet, quia ſicut formæ inanimati ita conuenit vnus motus, vt nulla ratione conueniat oppoſitus; ſic animato ſi ineſt vnus motus ab anima, neceſſariò ab eadem erit facultas in oppoſitum. Exemplo nobis ſit facultas naturalis: in qua tractio alimenti fit ab anima: ergo neceſſariò expulſio fiet ab eadem. Sic in facultate animali, ſi datur facultas contrahens brachium per internos muſculos, aſſignari etiam debet alia extendens per internos. Eadem ratione in pulſu, ſi conſtituitur animæ facultas dilatans, debet etiam adſtrui contrahens, quum eadem ſit ratio.

Secundò Contractio pro varia fuliginum copia, varia eſt. Ergo ab animæ facultate fit. Quare conſtat, quòd diſtenſio ſecundùm limites naturæ, fit à facultate, iuuante propria membri natura. Quando tamen arteria diſtenditur vltra limites naturæ, id ſolùm à facultate fit: idem de conſtrictione dicendum. Quare partes omnes pulſus fiunt à facultate.

Sed age, examina perdocti Valleſij mentem, qui *lib.3. cont.2.* affirmat, conſtrictionem vſque ad cauum naturale à facultate fieri, membri grauitate iuuante. Sed reprehenſione carere non poteſt: Nam cùm conſtrictio non ſit motus deorſùm, ſed à partibus extimis ad internas, fit vt ad hunc motum nihil conducat grauitas, & ſic nihil in conſtrictione virtus à membri grauitate iuuabitur. Neque etiam illud admittendum, quod habet idem Valleſius, dilatationem vſque ad naturale cauum, fieri à facultate adiuta à firmitudine partium: Eſſet enim conſtrictio præter naturam, quia contra naturalem partis propenſionem eſſet facta. Omnes ergo pulſus partes à facultate emanant, quod cùm non poſſet negare Valleſius, idcircò ſenior, & doctior factus *lib.de pulſ.cap.2.* palinodiam recantat.

QVÆSTIO XXXVII.

Vtrùm omnes partes pulſus à Medico percipi poſſint.

PLurimas eſſe neceſſarias conditiones, vt medicus pulſus notitiam aſſequatur, latè firmauimus *lib.2. in com. hiſt.12.* Quòd ſi hoc ratum eſt, quantò maiori cum ratione hoc in pulſus contractione erit verum, quæ ſuapte natura imperceptibilis eſt? De qua re magna fuit olim controuerſia apud auctores, vt notauit Galenus *lib. 1. de dif. pulſ.cap.7 & lib.de dignoſcend. pulſib.cap.3.* Nam Herophilus, & eius ſequaces, de contractione, tanquam de re inſenſibili diſputant. Eraſiſtratæi partim affirmabant, partim negabant.

Ex aduerſa parte adſtant Agathinus, & diſcipuli eius, qui arteriæ contractionem percipi poſſe negabant, & hoc placitum non ſolùm experimento, verùm ratione probabant. Tactus ſolùm percipit ea quæ tangit, & cum quibus conſuetudinem habet, non verò ea quæ à tactu recedunt: alias illius notitia aſpiraret in longinqua & remota, Sed in contractione arteria recedit à tactu. Ergo ab ea percipi non poterit.

Adeò arriſit hæc ratio Galeno, vt in eam ferè ſententiam fuerit adductus, ſed antequam illam confirmet, præſupponit fundamenta duo, *lib.1. de dignoſcend.pulſib.c.3.4. & 5.* Primum eſt corpora quæ ſe tangunt, interdum molliter, & in ſuperficie id efficiunt, id eſt, blandè ac leniter, ita vt tantùm dicantur palpantia; vel cum violentia quadam ſe impellunt, comprimunt, & ſubintrant: & tunc quod leuius & mollius eſt, impellitur atque euertitur, id verò quòd eſt durius & robuſtius, veluti ſubintrat, cedente molliori.

Secundum fundamentum eſt, quòd horum corporum receſſus non eodem modo fiunt: nam in iis quæ molliter ſe tangunt, receſſus ſubitò, & ſine motu fieri poteſt; in illis verò quæ cum violentia quadam, non niſi ſenſim, & cum motu recedunt, vt illis diſcedentibus aliquid ſenſibile relinquatur, quo tempore vtriſque diſcedentibus vtriuſque motus ſentitur.

Hoc in vtre, folle, & veſica Galenus *loc.cit.* confirmat, ſummitate digitorum comparata vaſi, arteria verò corpori comprimenti. His poſitis, arteriæ compreſſionem perſentiri poſſe aſſeuerat, quam ſententiam confirmat Auic. *loc.cit.* explanant Valleſius *3.cont.7.* Cardanus *lib.1.cont.tr.1. c.8.* Munit Galenus *cap.5.de dignoſc.pulſ.* hac ratione. Tactus iudicat ſupra affectionem quæ illi imprimitur. Sed tam in dilatatione, quàm in contractione arteriæ, ſummitati digitorum affectio imprimitur, videlicet compreſſio illius, & reditus ad priſtinam ſedem. Ergo ſicuti perſentit dilatationem, ſic etiam precipiet contractionem. Patet minor, quoniam arteria, & extremitas digitorum, ſunt corpora quædam quæ ſe tangunt: atque id interdum fit leniter, vt in pulſu languido, & mediocri; interdum verò cum violentia quadam, vt in pulſu vehementi, & tunc arteria habet ſe veluti corpus durum, quod digiti carnem impellit: extremitas verò digitorum eſt veluti corpus molle & languidum. Quare arteriæ non ſolùm quando accedunt ad tactum, ſcilicet in diſtentione, ſed etiam quando recedunt, ſcilicet in contractione, illi ſuas affectiones inducunt: quia quemadmodum in dilatatione caro digitorum comprimitur, veluti arteriam fugiens; ſic etiam in contractione caro compreſſa concomitatur arteriam, cùm ad priſtinam ſedem reuertitur, & hoc modo etiam contractio ſentietur. Et non ſolùm tactus, ſed etiam mens, ob defectum affectionis præcedentis eam percipit. Intellige tamen, dilatationem eſſe magis perſpicuam, quando magis violenta eſt, & extrinſecùs accedit.

Ex iis colliges duo. Primum eſt, contractionem nonniſi in pulſu vehementi percipi poſſe, & adhuc apertiùs, ſi fuerit magnus, durus, & tardus, ex Fernelio *3.pathol.7. poſt.med.* Alij enim pulſus non ita ſummitatem digitorum comprimunt, ſicut vehemens; quæ ſi non comprimatur, reditus, ad priſtinam ſedem percipi non poterit, ex Galen. *cit.loc.* præſertim *1.de dignoſc.pulſ.cap.8.* quod *loco cit.* ſignificauit Auic. dum ſic ait: *Et licet hoc ita ſit, in plurimis tamen diſpoſitionibus depreſſio non eſt percepta, &c.*

Hoc modo intelligendus eſt Galenus *lib. 1. de dignoſcend.pulſib.cap.9.* dicens: *Iàm quia tantam ſentimus contractionis partem, quantam diſtentionis, &c.* Loquitur enim de pulſibus, qui & contractionem, & diſtentionem ſenſibus ſubiectam habent. Colliges ſecundò, diſtentionem non ſecundùm omnes ſui partes ſenſu percipi, quoniam propter partes ſubiectas, & circumuicinas, finis contractionis, & principium diſtentionis latet, & interna quies, ex Gal. *1.de dignoſcend.pulſib.cap.8.9. & 10. & lib.3. ſequenti, cap.3.ante med.* Quo loco docet, quanta ſit huiuſmodi pars quæ deliteſcit, & quòd non in omnibus eſt æqualis; etiamſi Fernelius *ſuprà cit. loc.* affirmet, vehementiſſimo pulſu, & valida manus compreſſione, etiam quietem internam percipi poſſe, quod tamen mihi difficillimum non videtur; nam quietes cognoſcuntur, ex Gal. *1.de dignoſcend. pulſib. 9. & 1. de dif.pulſ.* Sed obtrudes: ſi cognoſcuntur

pulſib.

quietes, cur non cognoſcitur tota dilatatio, & conſtrictio? Dic, quòd non cognoſcitur quies tanta, quanta exiſtit, ſed maior, 1. *de dif. pulſ.* 7. & 4. *de dignoſcend. pulſib.* 1. Quare quies interna ſemper apparet maior, quàm reuera ſit, 1. *de dignoſcend. pulſib.* 9.

His ſic explicatis, quæres primò: Ex quibus partibus pulſus componitur? Dic, ex dilatatione, & conſtrictione tanquam ex partibus integrantibus: Nam quietes intermediæ non ſunt partes integrantes pulſus, & ipſius eſſentia, quod dubitans Galenus 4. *de dif. pulſ.* 5. ſoluit 1. *de dignoſcend. vlt.* & 1. *de dif.* 3. & 1. *de diffi. ul. reſpirat.* 1. Nam cùm quietes non perinde intendantur à natura, non videtur quòd ſint per ſe pulſus partes. Rurſus pulſus per motum conſtituitur, *lib. de vſu pulſ. ad med.*

Obſtat primò: Quia differentiæ ſumptæ à quiete, valde conferunt ad præſagia, 2. *de præſag. ex pulſib.* v.g. ex raro, vel crebro, cum inæqualitate vel æqualitate, ordine vel inordinatione, intermittente, vel intercurrente. Dic, licèt ſint partes per accidens, quia tamen ipſis mutatis indicatur magna variatio in virtute, vel vſu, poſſunt eſſe in præſagio validæ.

Obſtat ſecundò. Pulſus eſt operatio facultatis, cuius finis eſt refrigerare cor, quæ refrigeratio fit per quietes. Igitur ſunt partes per ſe pulſus. Dic, in quiete ſequente ſyſtolen, non fit refrigeratio, quinimò excalfactio noua, & generatio fumorum, qui cogunt virtutem iterum dilatari.

Quæres ſecundò: Num in omni pulſu detur duplex quies? Dic, in aliquibus quietes eſſe perexiguas, 2. *de cauſ. pulſ.* 3. & 2. *de dif. pulſ.* 5. vt in caprizante: in aliquibus credit Galenus 2. *de præſag. ex pulſ.* 8. quietes perdi, quod eſt mirum. Inſtabis ex Gal. 1. *de dif. pulſ.* 3. Non fit vnus motus, niſi priore ſedato. Dic, ſi ſunt naturales, vel ſubſequitur præternaturalem naturalis, tunc datur quies intermedia.

Inſtabis ſecundò 8. *phyſ.* 65. profert Philoſophus: ſi mobile eſt in B. & reflectitur ad C. quieſcit in B. quia ſi eſt in extremo alicuius magnitudinis, aliud eſt inſtans in quo eſt ſuper illud extremum, aliud in quo ſeparatur ab eo: vnde cùm inter duo inſtantia, ſit intermedium tempus, quieſcet. Dic, in eodem inſtanti eſt in B. & ſeparatur: & hinc ſolues, ſi arteria mouetur ex A. ad B. & in B. non quieſcit, mouetur, & ſic nunquam eſt in fine motus. Dic, in B. non quieſcit, & eſt in fine motus comparatiuo ad A. & *com. cit.* affirmat, quòd motus eundi, & redeundi, habet quietem in motu voluntario, & in his quæ his duobus motibus mouentur, vt pulſus & *com.* 62. Dic, quòd demonſtratio Philoſophi intelligitur de motibus contrariis, principium & finem habentibus, non in ſucceſſiuis, nec in duobus motibus, quorum alter eſt principium alterius. Lege Gal... *de dif. pulſ. cap.* 2. & Ægidium Romanum *in com. cit. loc. Ariſt.*

QVÆSTIO XXXIX.

Vtrum decem pulſuum differentiæ ſint aſſignandæ vt Galenus, & Auicenna aſſeuerant. Contra Fernelium, & Valleſium doctiſſimos.

QVoniam verò de pulſuum comparandis, aut amittendis differentiis, aucto aut minuto vſu, *lib. 4. com. hiſt.* 8. abundè exequuti ſumus, nunc nihilo ſeciùs proferemus plura eiuſdem generis peculiaria, ne quid per incuriam in hoc argumento tranſiliamus, velut conniuentes, quod noſtros libellos non modò adiuuet, ſed exornet. Igitur quia in medicina illuſtranda & perficienda ſolertiſſimum fuiſſe Galenum, & in cognitione huius doctrinæ ſagaciſſimum omnes prædicant, idcircò ab eius ſcientia & obſeruatione, pulſuum differentias hauriemus.

Hic ergo facundus auctor nouem conſtituit pulſuum differentias vt patet ex *lib. de dif. pulſ. cap.* 3. quas, ſiue differentias, ſiue genera, ſiue ſpecies, ſiue qualitates voces, nihil intereſt, ita docente Galeno, *lib. cit. cap.* 2. Prima differentia ſumitur ex quantitate diſtentionis arteriæ, ſiue ex ſpatio in quo ipſa mouetur, & in vniuerſum efficit pulſum magnum, paruum, mediocrem: particulariùs verò iuxta tres dimenſiones arteriæ, ſiue ſpatium in quo mouetur ſcilicet longum, latum, & profundum, hæ differentiæ conſurgunt: ex longitudine, longus, breuis, & mediocris, ex latitudine, latus, anguſtus, & mediocris; ex profunditate, altus, humilis, & mediocris.

Secunda differentia deſumitur ex qualitate permiſſionis arteriæ, id eſt, ex motore, ſeu robore virtutis: & fit pulſus vehemens, languidus, vel mediocris. Tertia ex tempore motus, & fit pulſus celer, tardus, vel mediocris. Quarta depromitur ex eſſentia inſtrumenti, id eſt, ex modo ſubſtantiæ arteriæ, & fit pulſus mollis, durus, vel mediocris. Quinta depromitur ex quantitate repletionis arteriæ, vel vacuitate, & fit pulſus plenus, vacuus, vel mediocris.

Sextam differentiam poſuit etiam Galenus, licèt non ex propria mente, vt patet ex 1 *de dif. pulſ. cap.* 24. quæ deſumitur ex qualitate arteriæ, id eſt, calore, vel frigiditate in corde exiſtente, & per vniuerſa corpora arteriarum diſſeminato, & efficit pulſum calidum, frigidum, vel mediocrem. Septima deſumitur ex ictuum interuallo, id eſt, ex tempore quietis, & fit pulſus creber, rarus, vel mediocris. Octaua deſumitur ex conſequentibus, & efficit pulſum æqualem, vel inæqualem. Nona etiam deſumitur à conſequentibus, & efficit pulſum ordinatum, vel inordinatum. Vltima deſumitur ex conſonantia, vel diſſonantia, & fit pulſus eurythmus, arythmus, vel medio carens.

Sed cur Rhaſius 10. *ad Almanſ.* 32. & Alzaharauius *ſect.* 7 *cap.* 1. & Halyabbas 7. *theoric.* 2. & Iſhaac 7. *theoric.* 3. & Paulus *lib.* 2 *cap.* 12. numerant decem genera? & *lib. ad tyrones*, ſeptem? Auerrhoës 4. *collig.* 17. ſeptem: & Auicenna *loc. cit.* nouem? Dic. Galenus, & Auerrhoës conſiderant ſpecies exquiſitas pulſuum, quæ ſumuntur ab eſſentia, vel conſequentibus eſſentiam. Rhaſius & Paulus etiam ſpecies, quæ vtcunque faciunt ad cognitionem medici. Auicenna, vti ingenioſus, credit ordinatum, & inordinatum ſub æquali comprehendi.

Galenus pulſum calidum, & frigidum: non ex propria mente collocauit: nec obſtat ipſe *lib. 1. ad Glauc. c.* 5. Vbi dixit, pulſum in febre tertiana eſſe magnum, calidum, &c. Quoniam verbum illud *calidum*, expungendum eſt; vel dic, differentiam pulſus non ſignificare; ſed potiùs qualitatem arteriæ, (per febres enim tertianas arteriæ maximè calidæ eſſe ſolent) quoniam caliditatem, & frigiditatem, ſine arteriæ motu percipere poſſumus, & ideò à differentiis pulſuum ſunt ablegandæ, vt aduertit Galenus 4. *de dignoſcend. pulſib. cap.* 2. *ante med.* §. *Quando ergo exiſtet plenus*, &c. & *cap.* 3. *parum poſt initium*: & ſic potiùs ad caloris modum ſunt referendæ, cuius gratia pulſus harmonia conſtituitur.

Neque obſtat Galenus *lib. de pulſib. ad tyron. cap.* 7. vbi quintam, & ſextam recenſens, vltimam omiſiſſe videtur. Sed hunc auctorem ea cauſa id feciſſe dicendum eſt, quoniam ibi ſolùm ſimplices, & non compoſitas contemplatur differentias: aliarum autem non fecit commemorationem, quoniam ſunt accidentariæ, ſicut & quarta, quum durities, & mollities ſine motu percipi poſſint, vt Gal. aduertit *loc. cit. cap.* 3. quam vt reliquis magis accidentariam prætermiſit, vt notârunt Nicolus *ſerm.* 2. *tract.* 5. *diſtinct.* 2. *cap.* 4. Valleriola 3. *loc. com. cap.* 9.

Auerrhoës *loc. cit.* aſſeuerat, ſeptem ex illis eſſe eſſentiales, & dignas conſideratione, quum ex motu, & quietè pulſus deſumantur, & non ex aliis; tres verò, quartam, quintam, & ſextam, eſſe accidentarias. Et licèt hoc verum ſit, indigent tamen cognitione; quæ enim à ſtatu arteriæ deſumuntur, ad artis vſum ſummoperè conferunt. Quare vehementer miror Valleſ. 3. *cont.* 4. qui octo connumerat, quintam & ſextam parui faciens: fortè inſequitur Fernelium 3. *pathol. cap.* 1. qui quintam & vltimam omittens, ſolùm octo pulſuum differentias conſtituit, quum non ſolùm differentiæ à ſubſtantia, ſed ab accidenti aliquo medicis vſibus ſint dignæ. Quare de iis omnibus ſigillatim diſceptandum.

Prima differentia efficit pulſum longum, & reliquas prædictas differentias; iuxta differentiam dimenſionum: quando enim pulſus naturalis eſt, in his omnibus mediocritatē

ſeruat;

ſeruat; quando verò ab ſtatu naturali recedit, aut ſecundùm aliquam harum dimenſionum,aut ſecundùm omnes deficit, aut excedit: & cùm in qualibet dimenſione ſint tres pulſuum differentiæ,nouem erunt ſimplices differentiæ pulſuum,deſumptæ ex quantitate diſtenſionis,aut contractionis,vt dictum eſt,& Galenus docet *2.de dif. pulſib. cap. 6. ad fin.*ex quibus per combinationem,viginti & ſeptem conſurgunt.

Combinatio autem in hunc modum fieri debet, quòd duæ dimenſiones priores quietæ maneant,poſtrema verò tripliciter immutetur. Ex his omnibus differentiis ſolùm prima & poſtrema nomen habent;quoniam prima dicitur pulſus magnus,& eſt pulſus ſecundùm omnem dimenſionem auctus. Poſtrema dicitur paruus, & eſt pulſus ſecundùm omnem dimenſionem imminutus, niſi velimus, pulſus illos in quibus longitudo reliquas dimenſiones excedit,graciles vocare. Si verò reliquæ dimenſiones longitudinem excedant,craſſos & turgidos:ſi verò nec ſuperent, nec ſuperentur,moderatos appellare poſſumus. Hoc modo docet Gal.*lib.1.de dif.pulſ.cap.4.*

Longus pulſus dicitur ille,qui plures ferit digitos quàm par ſit, & in quo ſenſibilis motus longitudo naturalem excedit, vt notat Galenus *lib.1.de præſag.ex pulſ.cap. 3. ad init.*ſiue hoc ſit in homine temperato,ſiue in intemperato, vt inter omnes primus aduertit Nicolus *ſerm. 2. tract. 1. diſt.2.cap.4.* Nam in qualibet temperie intemperata conſiderandum eſt medium temperatum in illa. Ex quibus conſtat, ſumma cum ratione reprobaſſe Galenum illos, *3. de dignoſcend. pulſ. cap. 2.ad init.*qui pulſum longum appellabant eum, qui quatuor ferit digitos; breuem verò qui vnum, aut duos.

Neque inſtes, ex hac doctrina colligi poſſe, aliquem tempore ſanitatis breuem poſſe habere pulſum, & in morbo moderatum, vt ſi ſanguineus breuem habeat pulſum, reſpectu moderati eiuſdem naturæ, & per habitum reſolutus ſibi in longitudine pulſum moderatum comparet. Dic, quòd duplex eſt moderatum, alterum per naturam, & ſic pulſus eſt naturalis, alterum per morbum, & hic pulſus non erit naturalis qua ratione optimè Galenus *lib. 1. de cauſ. pulſ. cap. 9.ad init.*dicebat,non omne id quod moderatum eſt,eſſe naturale,

Vt verò huius pulſus cauſæ adamuſſim explicentur aduerte cum Gal.*2.de cauſ.pulſ.cap.13.poſt med.* Pulſum longum in duplici eſſe differentia alter eſt longus per excellentiam,id eſt,tenuis & gracilis,qui pilum aut fidem ſeu chordam citharæ repræſentat, cuius cauſa eſt ingens durities inſtrumenti cum facultatis imbecillitate coniuncta, vt *loc.cit.cap 6.*Auicenna confirmat. Alter eſt longus abſolutè, & propriè, in quo tantùm longitudinis dimenſio concipitur, cuius cauſa eſt corporum arterias contegentium tenuitas,aut leuitas ex Gal *lib.4. de cauſ.pulſ. cap. 24.* Ex iis conſtat quòd pulſus breuis erit, qui pauciores ferit digitos, ex Gal *1.de præſag.ex pulſib.cit.*Cuius cauſæ ſunt, aut corporum craſſities, aut pondus corporum ſuperpoſitorum,ex Gal.*2.de cauſ.pulſ.cit.*

Quid autem præſagiat pulſus longus,docet Galenus *lib. 1.de præſag.ex pulſib cap.3.ante med.& in fin* dicens,quòd ſi fuerit longus per excellentiam, & remiſſus, id eſt, tardus, morbum frigidum eſſe indicat, ſi verò abſolutè & propriè,morbum eſſe calidum ſignificat,ex Gal.*cit.ad init.*Perpetuò tamen virtutis imbecillitatem, humidi conſumptionem, & lapſum in hecticam præoſtendit, & in ſenibus non eſt adeò pernicioſus, Sicut pulſus abſolutè longus non eſt valde periculoſus; maciem enim oſtendit, quam importunus calor, vel ſiccitas, vel tenuis victus efficere poſſunt.

Latus pulſus dicitur,quotieſcunque obliquæ, & laterales arteriæ partes, prominentiores, & ſublimiores apparent, & carnem plus feriunt extenſiuè, quàm ſit pulſus hominis temperati. Anguſtus verò eſt è contra. Cauſa lati pulſus eſt latitudo loci ambientis arterias, aut pondus corporum ſuprà exiſtentium, & ideò in ſenibus propter rugas,& in hydropicis ob pondus contingere ſolet.Cuius cauſa eſt arteriæ vacuitas, quando quantitas aëris non ingreditur, quæ arteriam attollere, ſed ſolùm collateraliter extendere poſſit.Præſagit pulſus latus euacuationes decretorias: & ex conſequenti anguſtus naturam non eſſe intentam euacuationi indicat, ex Gal, *2.de cauſ.pulſ. cap.13. in med.* Inſuper latus pulſus aliqualem humoris copiam præoſtendit, præſertim ſi altitudini ſit coniunctus, vt Auic. *citato loco* prædixit.

Altus pulſus dicitur, quando arteriæ ſuperficies clariùs perſentitur, quàm reliquæ dimenſiones ſecundùm latitudinem, & longitudinem. Humilis verò appellabitur, quando altitudo ſtrictiùs ſentitur, ex Gal. *2. de cauſ.pulſ. cit.*& ex Nicolo *ſerm.2.tract.5.diſt.7.cap.4.* Huius cauſa eſt feruens humor in corpore abundans, qui cùm impetuoſo motu moueatur,criſis principium præoſtendit,ex Gal. *ibi.* Qui etiam excretionem per aluum manifeſtè demonſtrat, docente Gal.*3.de criſib.cap.11.in med.§.Quòd ſi pulſus vndoſus,&c.*

Magnus pulſus ille eſt, qui à naturalibus tribus dimenſionibus ex æquo auctus exiſtit;non quòd in iis dimenſionibus pares motus exiſtant,ſed iuxta proportionem ſanã; ita vt lõgitudo altitudinem vincat, altitudo verò latitudinem. Sunt & reliquæ ſpecies magni pulſus: Nam eſt pulſus magnus exquiſitus, quando videlicet dictæ dimenſiodes augentur, non tamen iuxta ſanam proportionem. Et eſt minùs exquiſitus,quando hæ dimenſiones inæqualiter creſcunt, v.g.ſi plus creſcat latitudo, minùs altitudo, & adhuc minùs longitudo. Pulſus verò qui in vnica tantùm dimenſione accreuerit, non meretur nomen magni, vt *ſuprà* ex Gal.dictum eſt *1.de dif.cap 4.*

Cauſæ huius pulſus vt plurimùm ſunt continentes omnes tres, ſcilicet vſus adauctus, robur facultatis, & inſtrumenti obedientia,ex Gal.*1.de cauſ.pulſ.5.ad fin.* Inter alterantes ſunt, quæcunque continentes intendere poſſunt, vt cibus,vinum, motus, & alia huiuſmodi:plus enim pendet pulſus magnus ex vſus augmento; quàm ex aliarum duarum cauſarum incremento ex Gal.1. *de præſag. ex pulſ. cap.7.*quo loco,& *3.de cauſ.pulſ.c.3.& 3.de præſag.ex pulſ. cap.2.*per magnum, intelligit maximum. Magnus indicat incrementum caloris, ſed non magnum,3. *de præſag. 2.* & vacat periculo, *2. de præſag. 5.* Maximus aliquando nil mali indicat, immò apparet in tutis,ſi cum ſalubri arteriæ ſtatu coniungatur, alioqui periculoſus eſt. Indicat pulſus magnus cum robore, crudorum humorum coctionem; cum debilitate verò augmentum putredinis ſignificat. 1. *de præſag.ex pulſib.cap.1.*

Si quæſiueris: num pulſus magnus ſemper poſtulet virtutem fortem? Galenus 1. *de cauſ.pulſ.3.*& Auicen. *loc. cit.* reſpondent affirmatiuè. Contrarium videtur affirmare:*1.de præſag.ex pulſib. 1.de dignoſcend.1.& 4.de dignoſcend. 1.& 1. de cauſ.8.& 4 de cauſ.13.*& apud Actuarium *1.meth. 9.* Quibus locis magnum pulſum fieri à virtute debili affirmant.

Dic aliud eſt pulſus magnus, aliud maximus. Hic ſemper fit à virtute forti,*1.de dignoſcend.4* quia non poteſt extremè diſtendi arteria niſi virtus valeat.Dic ſecundò.Pulſus magnus poteſt fieri à virtute debili abſolutè tali, & non reſpectiuè, quando arteria fuerit valde mollis:in quo caſu virtutis ſimpliciter debilis poteſt arteriam extendere, ad faciendum pulſum magnum. Quare auctoritates primæ, quòd pulſus magnus fit à virtute forti, ſunt intelligendæ,ſi arteria non fiat mollior moderato; vel de forti virtute reſpectiuè, quæ licèt ſimpliciter ſit debilis, quia tamen poteſt arteriam ob obedientiam in amplum ſpatium extendere, fortis appellari poteſt,

Paruus pulſus eſt ille qui in omnibus dimenſionibus eſt imminutus.Eius cauſa,vel vſus imminutus, vel facultatis imbecillitas,vel inſtrumẽti durities,vel omnia ſimul, ex Gal.*lib.1.de præſag.ex pulſ.cap.2.& 1. de cauſ.pulſ. 11. in med.*Idem docet Paulus *lib.1.cap.12. poſt med. §. Contrariis autem,&c.*Inter has tamen cauſas præcipua eſt imbecillitas virtutis,ex Auic.*loc.cit.cap.6.in med.* Nam debilitas,vel paruitas, ſunt motus extenſiui, plus à facultate, quàm ab vſu, & inſtrumento dependentes.

Indicat hic pulſus caloris diminutionem,quando tarditati,& raritati coniungitur: aliter arguit augmentum vt conſtat in hectica, & phrenitide. Nota tamen ad praxim,

in craſſis, & pueris, licètappareat paruus, non debemus interdicere vacuationem: apparet enim in pueris paruus, ob paruitatem arteriæ: in craſſis, ob cauſas dictas, 1. *de præſag.ex pulſib.cap.3.*

Si fuerit pulſus paruus,& mollis, eſt maximè periculoſus,ex Gal.2.*de præſag.ex pulſib.c.* 5. *in med.* ſummam enim indicat virtutis debilitatem, quæ arterias, etſi molles diſtendere non poteſt.

Secunda differentia Auicennæ, eſt illa, quæ deſumitur ex qualitate percuſſionis arteriæ,id eſt,ex robore virtutis, quod Medici contentionem appellant, & efficit pulſum vehementem,languidum ſeu debilem,& mediocrem. Robuſtus ergo,ſeu vehemens pulſus, (omiſſis aliorum opinionibus,quas proponit,& reprobat Galenus *lib.3.de dif. pulſ.cap.2.*)ille eſt,qui validè digitos ferit, languidus verò ſeu debilis, è contra.Sic docet Gal.1.*de dif.pulſ.cap.* 6. & *lib.3.ſeq.cap* 1.*in med.*& Fernel.3.*patholog.cap.* 1. Mediocris verò eſt in medio,ex Gal.1.*de cauſ.pulſ.cap.* 8.*in med.* & ſic vehemens pulſus erit ille, qui vehementer tactum impellit,euertitque digitorum pulpas,ex Galen.4.*de dignoſcend. pulſib. cap.*1. Quo tamen pacto pulſus vehemens ſeparetur à magno,celerrimo,vibrante,& duro, eleganter docet Galenus 4.*de dignoſcend.pulſib.cap.*1.*in init.* §. *Neque enim parum,&c.*

Vehementis igitur pulſus cauſæ ſunt, robuſta facultas, quam in ſingularum partium temperamento commodo conſiſtere monuit Galen,*lib.*1.*de præſag.ex pulſib.cap.* 4. *in init.*& *lib.*3.*ſequenti*, *cap.*8.*in med.*Hic vſum adauctum, & inſtrumenti obedientiam prærequirit,ex Gal.*lib.*1. *de cauſ. pulſ. cap.* 4. Indicat robuſtam facultatem, & ideò euacuationem vſque ad animi deliquium tolerat,ex Gal. 9. *meth. cap.* 4. Quare ægris ſecundæ valetudinis ſpem pollicetur, & nihil mali demonſtrat,dummodo cum ſalubri arteriarum ſtatu coniungatur: nam cum inſalubri, periculoſus eſt,ex Gal.2.*de præſag.ex pulſib.cap.*5.

Debilis pulſus à facultate ſemper imbecilla emanat, docente Gal.1.*de præſag.ex pulſib.cap.*7. *ad init.* Idem docet Paulus *lib.*2.*c.*12.*poſt med.*§.*Pulſus autem, &c.* Hic exitium oſtendit,vehementem enim virtutis imbecillitatem ſignificat; quæ ſi ex diuturno morbo fuerit contracta, efficit pulſum tardum abſente febre;ſi verò hæc adſit, crebrum, atque velocem. Si autem per ſe debilis non eſt;ſed aliqua cauſa natura impedita, atque oppreſſa, quemadmodum in magnorum vaſorum inſigni obſtructione, repentina præcordiorum conuulſione, malignis, peſtilentibúſque febribus contingere ſolet, tunc pulſus debilis eundem tenorem non ſeruat, ſed inæqualis eſt.

Cauſæ non naturales pulſus vehementis, ſunt omnes illæ,quæ continentes intendere valent, vt cibus, vinum, exercitium,ira,& alia huiuſmodi,quæ à Galeno referũtur *lib.*1.*de præſag.ex pulſib.cap.*8. At vehementia ab his vehementioribus cauſis ſuborta citò perit,quoniam aduentitia qualitas citò deperditur,ex Gal.3.*de temper.c.*4. *ante med.* & Ariſt.1.*de partib.animal.cap.*2.*poſt med.*

Sed antequam ad tertiam differentiam pulſus explicandam accedamus, duo ſunt priùs neceſſariò expendenda. Primum, Quis ſit pulſus naturalis? Dic, quòd hic tribus modis poteſt conſiderari:vno modo abſolutè & ſimpliciter,quia eſt cauſa & norma reliquorum, & hic ſolùm inuenitur in ætate temperata, bono habitu, regione & tempore temperato. Secundo modo dicitur naturalis,non abſolutè,ſed reſpectu huius vel illius naturæ, quæ vel bilioſa, vel pituitoſa eſt, vel ratione ætatis,quæcumque ea ſit, vel temporis, vel regionis ratione. Poſtremò vocatur naturalis, reſpectu huius hominis particularis. Auic.*loc. cit, c.*4.præſcribens pulſum naturalem abſolutè, dicit quòd in prædictis differentiis medium debet ſeruare:id enim quod naturale eſt,moderatum eſt;immoderatum autem,eſt præter naturam,ex Gal.*lib.de dif.morb.cap.*2.& 2.*de dif.reſpirat.* 2. & 2. *aph.* 51. Quoniam naturale operationes naturales ſolùm reſpicit, & conſeruat; præter naturam verò & intemperatum, nimium eſt & corrumpit, Quare pulſus naturalis debet eſſe medius inter paruum & magnum, velocem & tardum, rarum & frequentem, durum & mollem, modò ſit æqualis,boni ponderis,& vehemens.

A Secundum. An ſemper vehemens pulſus ſit naturalis? Dubitationem propoſuit Gal.*lib.*1.*de cauſis,c.* 4. Nam pro parte affirmatiua facit,quod vehemens,pulſus ſit à robuſta facultate vitali,quæ quò robuſtior,eò vehementior pulſus emanat. quæ nihil præſtantius excogitari poteſt.Ex altera parte obſtat aliud argumentum,quod eſt huiuſmodi, Pulſus naturalis abſolutè, & ſimpliciter, in corpore tẽperato debet reperiri. Sed datur vehemens pulſus,qui non reperitur in corpore temperato, quùm ſecundùm naturam ſe habet,ſed ſolùm quando febri afficitur,vel ira, aut propter vini potum. Igitur cùm hæc vehementia ex cauſa violenta,& præter naturam emanet,non erit pulſus naturalis.

Valleſius *lib.* 3. *cont.*11.ſic difficultatem ſoluit: Vehemens pulſus ex robore virtutis emanat, & tunc quò vehementior,eò eſt magis naturalis,& præſtantior:Quando tamen ex conatu & impetu vehementia oritur, tunc vehementia eſt præter naturam: omnes enim virtutes vrgente neceſſitate impetum capeſſunt, vt Galenus ait, 4. *de cauſ.pulſ.cap.*2.

B Hæc tamen reſponſio eſt contra Galeni mentem, & nullius momenti:Hic enim *lib.*1.*de præſag.ex pulſ. c.* 7. vehementiam pulſus ſemper eſſe familiarem virtuti robuſtæ aſſeuerat. Igitur quocunque modo pulſus vehemens fiat, ſemper ex robore facultatis vitalis ſcaturit, & erit ſecundùm naturam,vt *loc;cit.cap.*4.aſſeruit Auic. Nec enim pulſus vehemens aliquando erit præter naturam,quia à cauſa violenta ortum ducit,quæ facultatem vitalem cogit ad capiendũ impetum;alioqui euacuationes omnes quæ à cauſa morboſa,& violenta excitantur,& vtiliter promouentur à natura,eſſent præter naturam:quod fateri,abſurdum eſt.

C Tertia differentia deſumitur ex tempore motus,& efficit pulſum celerem, tardum, & mediocrem. Celer pulſus verè,& propriè ille erit, qui impetum motus celerem habet. Tardus è contra. Celer verò tempore,ille dicitur,qui breui tempore motum abſoluit: tardus: contrà, ex Auic. *loc.cit.*& 1. *de dif.pulſ.cap.*4.& 7.Ratio eſt,quoniam celeritas, aut tarditas motus, expendenda non eſt ex temporis, vel interualli quantitate, vt philoſophi faciunt,doctí ab Ariſtot. *lib.6.phyſic.*2.*in init.* id ratione indagantes, ſed potiùs medicè, & ſenſibiliter, ex ipſa motus qualitate, vt latè docet Galenus.2.*de dignoſcend.pulſib.cap.*4. & *lib.*3. *cap.* 2. Quam etiam difficultatem propoſuit *lib.* 3. *de cauſ. pulſ.cap.*2.*ad fin.*vt Valleſius 3.*cont.* 8. explicuit eleganter

Cauſæ huius pulſus robori facultatis tribuuntur,ſimul & adaucto vſui, & inſtrumento molli, ex Gal.1.*de cauſ. pulſ.c.*4.& 5.& 1.*de præſag. cap.* 2. Præſagium huius pulſus proponitur à Galeno 1. *de præſag. ex pulſib. cap.* 5. Quo

D loco celerem pulſum indicare caliditatem, tardum verò frigiditatem aſſeuerat.Explicat ingenuè Valleriola 3. *loc. com.cap.*9.

Quarta, quinta, & ſexta differentia, accidentales ſunt. Nam prima quæ deſumitur ex modo ſubſtantiæ arteriæ; & efficit pulſum mollem, & mediocrem, accidentalis eſt, ex Gal. *lib.de pulſib. ad tyron. cap.* 3. Sicut & alia, quæ ex quantitate plenitudinis arteriæ depromitur, & efficit pulſum calidum, frigidum, vel mediocrem,etiam eſt accidentalis,ex Gal:2.*de dif.pulſ.c.* 24. Quia hæ differentiæ neque ab eſſentia motus, neque à conſequentibus ipſum deſumuntur, & ideò iſtarum præſagia non magnam certitudinem ſortiuntur.

Aduerte tamen, quòd mollities & durities arteriæ, multò minùs accidentalis eſt,quàm aliæ differentiæ,quoniam hæ qualitates multò meliùs motu percipiuntur

E quemadmodum quinta. Nam de pulſu duro loquens Galenus 1.*de dif.feb.cap.*7.*poſt med.*& *lib.*3.*de cauſ.pulſ. c.* 7. *in fin.*& 3.*de præſag.cap.*6.*in med.*reprobat Archigenem,quoniam pulſum durum metaphoricè vocabat inſuauem, & moleſtum,quoniam in hoc ſignificato omnis febrientium pulſus eſſet durus. Et reprobat hac ratione, quoniam pulſus durus eſt proprium obiectum tactus, & ſic in propria ſignificatione,pulſus durus ille erit,cui tactus cedit;mollis verò è contra,qui tactui cedit,vt conſtat ex Gal.*loc. cit.*& 1.*de dif.pulſ.cap.*6.& 4.*ſimpl.cap.*4.*in med.*& *c.* 5.*ſeq.* Quòd ſi interroges:quo pacto pulſus durus à vehementi diſtinguatur? Reſpondet Galenus *lib.* 4. *de dignoſcend. pulſib. cap.* 1.

cap.1.poſt med. Quòd vehemens euertit vniuerſos digitos, ſicuti ventus calidus, non tamen perforat, aut pungit: pulſus autem durus, inſtar lapidis qui lentè mouetur,non valet euertere digitos, ſed veluti premit, contendit, & perforat.

Pulſus duri, & mollis cauſæ eleganter traduntur ab Auic. *loc. cit. cap.6. poſt med.& 1.4.tract.2.cap.1.ad fin.& cap.2. poſt med.* & accepit à Galeno 1. *de dif.feb.5. & 1.de cauſ.pulſ.9. & 1.de præſag.ex pulſ.4.ante med.* Quare Auic. *loc.cit. cap.2.* aſſeuerat, pulſum durum non eſſe proprium febrium ſed quòd interdum accidit illis ob dictas cauſas: & Gal.*cit.feb.* affirmat, quòd pulſus durus nulli conuenit febri: nam de ratione febris, ſolùm eſt calor, & ex accidenti ſiccitas; quare etiamſi ſiccitas cum calore coniuncta ſit, rariſſimè tamen tanta eſt, vt arterias, & reliquas partes ſolidas exſiccare poſſit, ita vt hac ratione pulſus durus efficiatur: quamuis enim in hecticis febribus ſit pulſus durus,non tamen ſemper, ſed quando ad marcorem accedunt.

Pulſus ergo durus tripliciter fit, vel propter conſtrictionem,ſiccitatem,vel tenſionem, vt docuit 1. *de præſag. ex pulſ.c.4.ad med.*vbi per conſtrictionem intelligit concretionem. Aduerte tamen, quòd concretio, & multò magis ſiccitas pulſum durum reddunt, tenſio verò potiùs pulſum renitentem,quàm durum, ex Gal.*5.ſimpl.c.5.* Rurſus concretio à frigore fit; tenſio verò ex inflammatione, ſcirrho, aut ex aliqua diſpoſitione neruorum, qualis per inflammatorias affectiones concitari ſolet;inſuper ex epilepſia, conuulſione,tetano, & reliquis: ſiccitatem verò multa efficiunt, vt immodicæ vacuationes, ingens fames, febres ardentes,& hecticæ.

Pulſus durus præſagit ſiccitatem, tenſionem à plenitudine humorum vel flatuum concitatam, & aduſtionem. Quæ tamen harum cauſarum vigeat facilè ex iis quæ præceſſerunt,vel adſunt,venaberis. Mollities verò arteriarum in ſtatu ſecundùm naturam, immodicum vſum potionis, aut humectantis cibi ſignificat, quæ ipſa frequenter ex balneis,ingluuie,& otio ſcaturit: in ſtatu verò præter naturam,præſagit hydropem, cachexiam, immodicum ſomnum,peripneumoniam, viſcerum œdemata, & alia quæ à ſeroſo, pituitoſóque humore oriuntur, qui irrigandi arterias,& eas humectandi ſortitur facultatem.

Pulſus plenus,& vacuus,ab Herophili ſectatoribus fuit inuentus,vt notat Galenus *3.de cauſ.pulſ.c.9. ad fin.* Quam etiam differentiam conſtituit Archigenes, vt docuit Galenus 1. *de dif.pulſ. cap.6.* qui pulſum plenum vocabat, qui pleniorem arteriam oſtendit;vacuum verò qui arteriæ eleuationem facit bulloſam, ita vt impreſſio digitorum vacua occurrat. Quare Galenus *lib.3.de præſag.ex pulſib.cap.6. in init.*dicit,huius pulſus notionem eſſe euidentem, illius tamen notitiam nulli ſenſui repreſentari: qua etiam ratione Galenus *l.4.de dignoſcend.pulſib.cap.2.& 3.*latiſſimè oſtendit, nullam eſſe differentiam pulſus, quæ plenum & vacuum conſtituat. Nam vel pulſus dicitur plenus, propter quantitatem ſubſtantiæ, vel qualitatem, vel facultatem ſpiritus: quam rationem inſinuat Galenus 3. *de dif. pulſ. cap.6.multo poſt med.§. Communia igitur,& generalia hæc ſunt, &c.* Non propter multam quantitatem ſubſtantiæ, id eſt, quia multam ſubſtantiæ materiam contineat, reſpectu illius qui contineat paucam, ſic enim efficietur pulſus magnus,vel paruus.Nec etiam propter facultatem, ſiue vigorem ſpiritus, quoniam hoc conſtituit pulſum vehementem ſiue languidum. Neque ſimiliter propter qualitatem ſubſtantiæ: nam cùm arteria non poſſit eſſe inanis, illa quæ continet ſanguinem, dicetur plena, ad differentiam illius quæ continet ſpiritum. Sed hoc eſt falſum, & contra Galenum *lib. quod ſanguis in arteriis contineatur, ferè per totum.* Ergo non eſt differentia pulſus pleni, nec vacui.

Adde quòd tactus non poſſit percipere, nec deprehendere quantitatem, aut qualitatem materiæ in arteriis contentæ,vt conſtat in vtre,& veſica. Accedit quòd arteria eſt in perpetuo motu, quare ex diſpoſitione illius facta molliori, aut duriori, hoc ſolùm percipi poteſt: alioqui aliæ pulſus differentiæ eſſent conſtituendæ, videlicet albi & nigri,dulcis & amari, vt latè Galenus proſequitur *locis citatis.*Neque obiicias Galenum *1.de dif.pulſ.c.3.*& Auicennam *2.1. doct.3.ſum.1.c.1.* qui pulſum plenum,aut vacuum conſtituunt: nam hi vniuerſaliter pulſum contemplantur & perpendunt, cùm tamen particulariter enarrari non poſſit.Idem de pulſu calido & frigido dicendum, qui potiùs ad modum caloris, cuius gratia pulſus fit, quàm ad differentiam pulſus debet referri.

Septima differentia eſt illa, quæ ex ictuum interuallo, ſiue ex tempore quietis deſumitur, & efficit pulſum crebrum,rarum,& mediocrem, ex Gal. *lib.de pulſib.ad tyrones, cap.4.* Quo loco aduertit Galenus, quòd tempus illud in quo quieſcit arteria, nihil intereſt, ſiue quietem, ſiue interuallum, ſiue contractionem voces: idem docuit 1. *de dif. pulſ. cap. 7.* Ictum verò vocat arteriæ motum tactui occurrentem; quare pulſus ex ictuum interuallo compoſitus eſt.

Aduerte tamen, quòd etiamſi ictus generaliter quandã diſtentionem ſignificet, aut contractionem propriè tamen ictus dicitur ea diſtentio,quæ cum ictu, aut violentia quadam fit, ex Gal. 4. *de dignoſcend. pulſ.c.1.* Quapropter *poſt medium illius capitis* cõcludit,ictum propriè ſolùm eſſe pulſus vehementis:pulſus verò duri,ſi vehementes non ſint, non poterunt hunc ictum efficere. Idcircò ille pulſus, cui longum eſt quietis tempus dicitur rarus;cui breue,creber; cui medius,moderatus,vt protulit Paulus *lib.2.c.12.*

Crebri pulſus cauſæ ſunt facultatis imbecillitas, inſtrumentorum durities, & vſus adauctus, docente Gal. *lib.1. de cauſ.pulſ.cap.9. & 11. in med.*Idem docuit Auic. *cit.loc. cap.6. §. Quod ſi fuerit virtus debilis.* Rarus imminutum vſum ſignificat,ex Galen.*loc.cit.* & Nicolo *ſerm.2. tract.5. diſt.1. cap.9.* Sicut creber maximam fuliginum,& excrementorum copiam ſignificat,ex Gal.2. *de præſag.ex pulſib. cap.2*

Octaua differentia efficit pulſum æqualem, & inæqualem,de quo *in ſequenti quæſtione.* Nona reddit eum ordinatum,& inordinatum, quam ſub æquali, & inæquali comprehendi *cit.loc.* refert Auicenna.Vltima differentia deſumitur ex rythmo,conſonantia, ſeu proportione, id eſt, ex pondere temporis motus ad tempus quietis:nam omnibus pulſibus ineſt modulus, quem Græci rythmum vocant, Latini proportionem,Arabes pondus appellant,alij vocant conſonantiam,concentum,concinnitatem, aut numerum.

Eſt autem proportio duarum eiuſdem generis quantitatum,vnius ad alteram habitudo; modò in his ſit aliqua diſſimilitudo: quare rythmus docente Galen. *1.de dif.pulſ. c.7.in fin.& lib.3.de dignoſ.pulſib.c.3.*eſt comparatio temporis motus ad tempus quietis, vel eſt motus contractionis & diſtentionis ad inuicem proportio.Hæc autem proportio ſimilis eſt proportionibus muſicæ:& ſic Auic. *loc.cit.* dicebat: *Et debes ſcire,quod in pulſu reperitur natura muſica:* & parum infrà dicebat: *Et pondus hoc eſt,in quo cadunt proportiones muſicæ.&c.*Idcircò ille pulſus,qui rythmum ſeruat, dicitur Eurythmus,qui eſt peculiaris, & naturis, & ætatibus,& ſexui,& tempori,& regioni.Ille ergo pulſus qui proprium, & naturalem ſeruat rythmum, dicitur Eurythmus, hoc eſt,æqualis,optimus & bonus,qui in rythmo,ſeu proportione nullum habet vitium, etiamſi iuxta ſubiectorum varietatem euariet,ex Gal.*lib.1.de dif.pulſ.c.9.*Qui verò ipſum labefactat, & vitium habet, dicitur Arythmus,id eſt, ſine rythmo. Cùm verò rythmus duplex ſit,alter naturalis,qui indiuiſibilis eſt,alter non naturalis, de huius multiplici ſpecie lege Galenum *lib.1.de dif.pulſ.c.9.* Quas omnes differentias accuratè explicuit Iacobus Lauellius *in ſuo eleganti de pulſib.libello.*

QVÆSTIO XI.

Vtrùm nona differentia pulſus, æqualis & inæqualis,ſit admittenda?

Rectè quidem Baſilius *epiſt.* 80. dum Euſtathium Medicum alloquitur, plurimùm collaudat Medicinam, quia ſanitatis princeps eſt, ſiquidem vita, omnium res pretioſiſſima, citra eam doloroſa eſt,& plurimis miſeriis

obſita: Nam,vt ipſe inquit *quæſt.53. Quemadmodum ſingulæ artes in auxilium nobis ad naturæ debilitatem à Deo donatæ ſunt,veluti agricultura,textoria,& ædificatoria,ſic etiam medicina.* Nam cùm corpus noſtrum variis affectibus expoſitum,variis detrimentis affligatur,ars medica à gubernante totam vitam noſtram Deo conceſſa eſt,vt inter omnes variæ lectionis vir,Iacobus Simanca, ex veterum, & iuniorum mente confirmat eleganter *lib. 1. collectanear. de republica, c.12.* Hæc omnium præclariſſima ars ad conſeruandam ſanitatem,morbóſque depellendos,& viſcerum morbos,rimando, nullo alio præſtantiori nititur ſigno, quàm pulſu, cui vt maximè veridico, fidem eſſe adhibendam inculcat Galenus *lib.de curand.rat.per ſang.miſ.cap.13.*

Huius ergo minimè fallacis ſigni,aliæ differentiæ ſunt adamuſſim explanandæ, & præſertim nona, quæ circa æqualem,& inæqualem pulſum verſatur. Quamuis autem plurima de inæqualitate; eiúſque differentiis *lib.2.in com. hiſt.12.* prædixerim,tamen modò dicendum, quòd pulſus vel eſt æqualis, vel inæqualis, ordinatus, vel inordinatus. Æqualis, vel ſeruat paritatem in omnibus differentiis dictis: vt in magnitudine,celeritate,& reliquis, & tunc abſolutè æqualis dicitur; & fit quando ſubſequentes pulſationes priori in omnibus ſimiles exiſtunt: Vel vnam tantùm ſeruat paritatem, & dicitur æqualis ſecundùm quid, quia tantùm ſecundùm eam æqualis dicitur, veluti quum ſubſequentes pulſationes, in ſola magnitudine, vehementia, & celeritate, aut in aliquibus horum priori ſimiles ſunt,ex Gal.*cit.*& ex Paul.*lib.2.cap.12.*

Pulſus inæqualis,vel eſt ordinatus, vel inordinatus. Inæqualis ordinatus ille eſt, qui ſeruat paritatem in circuitu: Inæqualis, qui nullum ſeruat circuitum, dicitur inæqualis inordinatus,ex Gal.& Paulo *citatis.* Aduerte tamen,ex ſupradictis auctoribus,& Gal.*1.de dif.pulſ.cap.11.* quòd pulſus inæqualis ordinatus,vel eſt ita ſimpliciter dictus,quia ſeruat paritatem in circuitu; vel dicitur talis per circuitum,quia videlicet duos, vel plures circuitus impares habet,quos alij circuitus inſequuntur ipſis reſpondentes,eſt enim circuitus,eiuſdem ad idem reditus,vt Galenus docet *1. aph.12.*

Sed dubium eſſe poteſt non exiguum, quomodo Galenus *cit. loc.* pulſum inæqualem vocet ordinatum, vel inordinatum:quoniam pulſus æqualis,ordinatus eſt ſicuti enim æqualitas naturæ eſt familiaris, ſic etiam & ordo, vt ait Galenus *2.de cauſ.pulſ.c.14.& 2.de præſag.ex pulſib.c.vlt.* & Galenus affirmat *3.criſ.cap.10.* quòd quando natura valet, & ſuis legibus operatur, ſemper motus illius eſt ordinatus & determinatus. Igitur cùm in pulſu æquali facultas naturalis dominetur, neque plurimùm irritetur, & inſtrumentum rectè ſit diſpoſitum, & obediat, tunc motus illius non ſolùm æqualis, ſed ordinatus erit. Accedit, quòd *lib. cit. criſ. cap.9.* ipſe Galenus aſſeuerat, in declinatione vniuerſali pulſum eſſe vehementiorem, magis æqualem & ordinatum,quia facultas valet,& vincit: contrà autem in falſa declinatione pulſum eſſe inæqualem,languidum,& inordinatum.

Solue dupliciter,& dic,ordinem dupliciter ſumi. Vno modo communiter,& nihil aliud dicit, quàm habitudinem poſterioris ad prius,& tunc pulſus æqualis dicitur ordinatus;nam in prioribus pulſationibus conſiderantur priores, & poſteriores, & quando ſeruant paritatem inter ſe, & proportionem, non ſolùm æqualis, ſed ordinatus poteſt appellari. Secundo modo ſumitur propriè, pro habitudine,& dependentia poſterioris à priori.quæ ſunt diuerſa,& inter ſe proportionem in circuitu habent; ſicuti ſumitur ab omnibus Medicis, quum de pulſu ordinato diſceptant; & hoc modo ſolus pulſus inæqualis dicitur inordinatus, & ordinatus: nam in ipſo paritas, & imparitas circuitus conſiderantur.

Non minor difficultas eſt:An pulſus ordinatus ſit præſtantior inordinato? quoniam Galenus *lib. de pulſib. ad tyron. cap.11. tit. de pulſu lethargicorum*, pulſum inæqualem inordinatum, maiorem noxam ſignificare aſſeuerat, quàm pulſum inæqualem ordinatum:& *lib.2. de præſag.ex pulſib. cap.vlt.& 2.de cauſ.pulſ.24.*ordinem,naturæ maximè familiarem eſſe aſſeuerat.Pro altera parte videtur,quòd pulſus

A inordinatus ſit præſtantior, ac minùs malus: ordo enim cauſam fixam, perpetuam indicat,& conſtantem; ordinis autem perturbatio cauſam variam,mutabilem, & quæ facilè corrigitur, ſignificat.

Galenus *lib.2.de præſag.ex pulſib.cap.vlt.* ſoluit difficultatem,aſſerendo ordinem in pulſu non eſſe potiorem ordinis perturbatione, nec ſimpliciter,nec in eodem genere, ſed diſtinctione adhibita:nam ordo ex natura ſua nec indicat bonum, nec malum, ſed certum euentum præoſtendit, quum habeat cauſam fixam,& conſtantem: quare ſi cum bonis ſignis appareat, bonum ſignificat; ſi cum prauis, periculum præſagit. Ordinis autem perturbatio cùm habeat cauſam variam,incertum iudicium præſagit: quando enim ſit ad melius mutatio, minuit periculum; quando ad peius,illud augere ſolet. Quapropter ordinatus non ſimpliciter eſt melior, nec deterior. Lege Valleſium *3. cont.*

B *cap.5.*

Siquidem autem de pulſu æquali, & inæquali diſceptauimus,tempus eſt vt nomina pulſuum inæqualium in vnica;vel pluribus pulſationibus proponamus.Primus eſt,qui vel non habet nomen,vel dicitur inæqualis continuus,cuius motus continuus eſt impar,in principio,medio,& fine, vel in magnitudine,vel in vehementia, vel in celeritate, vt quando arteria pigrè,vel tardè incipit diſtendi,& velociter finitur,aut è conuerſo: atque hi pulſus decurtati in vnico pulſu,& in vnica arteriæ parte etiam dici poſſunt.

Alius eſt qui dicitur interciſus ſiue interruptus, ſeu interceptus,cuius motus continuus non eſt, ſed media quiete interrumpitur:vocatur à Gal. *lib.de dif.pulſ.cap.7.* intermittens in vno ictu, & bis feriens. De qua pulſus differentia propoſuit ſcitu non indigna, Alexander Alexius *in*

C *epitome de pulſibus.*

Alius eſt qui vocatur caprizans, cuius motus media quiete interrumpitur:& appellatur interceptus caprizans, quia in medio diſtentionis ceſſat; verumtamen ſecunda pars interſectionis celerior,& vehementior eſt prima: qui motus cùm in capris,& capreolis reperiatur,à ſimilitudine ſic nuncupatur,docente Galeno *1.de dif.pulſ.29.* à Græcis dicitur Dorcadizans; nam Dorcas à Græcis, à Latinis capra vocatur. Hæc tamen differentia ſolùm in celeritate, & vehementia, non in reliquis generibus pulſuum animaduertitur.

Dicrotus à Græcis etiam nuncupatur, quem Medici biſpulſantem,ſeu recurrentem appellant. Fit hæc inæqualitas,quando motus continuus eſt, & completus ſine interruptione: verùm poſt completam dilatationem, ſine

D quiete retrocedit arteria, & reſilire videtur, eo modo quo reſilit malleus ab incude percuſſa, & ideò ab Auic. hic pulſus dicitur martellinus, ex Gal. *1. de dif. pulſ.17.* Paulo *lib.2.cap.12.* Auerrhoë *4. coll.g.17.* Sed quia durum videtur,arteriam inſtar mallei repelli, præſertim cùm non ſit dura, neque cutis ſolida, idcircò Galenus *2.de præſag. ex pulſib.cap.8.* §. *Itaque dicrotus pulſus quidem eſt vibratus, &c.* hunc pulſum ad vibratum eſſe reducendum ſatius eſſe duxit.

Pulſus inæqualis in variis arteriæ partibus, vel eſt ſecundùm ſitum, vt quando vna arteriæ pars ſurſum, alia verò deorſum,dextrorſum ſiniſtrorſum, non antrorſum, vel retrorſum mouetur. Quòd ſi hoc cum magna diſtentione fiat,pulſus ſit vibrans, qui ab Auerrheë *cit. loco*, arcuatus vocatur, ab Auicenna tremulus. Si verò obſcuriùs moueatur,ſit pulſus conuulſiuus, quem Auicenna appellat

E retortum,chordoſum, ſiue ſpaſmoſum, de quo agit Gal.*1. de dif.pulſ.cap.28.*

Vel conſideratur in motu, vt quando vna arteriæ pars, deinde alia, poſtea alia vſque in finem mouetur. & efficitur pulſus vndoſus, qui in omnibus ferè generibus reperitur; & ferè ſemper cum mollitie arteriarum coniungitur, nequaquam autem duritie, quapropter neque in hectica,neque phrenitide, ſed in lethargo, aut febre admodum pituitoſa conſpicitur.

Vndoſus ergo ſit, quando arteriæ ad ſimilitudinem mouentur vndarũ;cui imminuto ſuccedit vermicularis,qui ab illo non diſtat qualitate motus,ſed quantitate.Nam vndoſus eſt magnus,vermicularis paruus,ex Gal. *1.de dif.feb.26.*

Sic

Sic autem vocatur, quia greſſui vermis ſimilis exiſtit. Hunc eſſe multæ ſpiſſitudinis Auicenna aſſeruit, id eſt, multæ frequentiæ; & licèt illi multam frequentiam non tribuat Galenus,eſt tamen frequentior vndoſo, quia cùm non multùm eleuetur, crebritate reſtaurat, quod paruitate amiſit.

Vermiculari ſuccedit formicans, & eſt valdè paruus, languidiſſimus & creberrimus,cui plurimam frequentiam Galenus attribuit, 1.*de diſ.pulſ.cap.*27.Ita vt ob hanc cauſam ſpeciem falſam celeritatis habere videatur, quum tamen celeritate careat,quoniam hæc citra robur non fit; pulſus verò formicans imbecillis eſt; hinc fit vt formicantis inæqualitas propter illius paruitatem obſcuretur,& hoc modo vndoſus, vermicularis, & formicans, inter ſe ſolùm magnitudine differunt.

Eſt alius pulſus qui vocatur ſerrinus, inæqualis & durus, qui in ſerræ modum tactum ferit, de quo agit Galenus *lib.de pulſib.ad tyrones, tit.de pulſu pleuritidis*, & 4. *de cauſ.pulſ.cap.*7.& 8.Eius cauſa triplex, inflammatio partis principalis, quæ ſuapte natura arteriam indurat; vel intemperantia cordis, in aliqua primarum qualitatum excedens;altera eſt varietas illius ſubſtantiæ quæ intra arterias continetur:de quibus omnibus fusè diximus *lib.* 2.*in com. hiſt.*65.

His addere poſſumus decurtatos pulſus, qui ſuo modò in vnico pulſu in variis arteriæ partibus optimè conſiderari poſſunt. Decurtatus vocatur mutilus, à Græcis myurus, quæ inæqualitas non ſolùm in pluribus pulſationibus animaduertitur; ſed etiam in vna, in variis arteriæ partibus, & in vnica etiam parte, & hoc in magnitudine, celeritate,& vehementia,ex Gal.*lib.de pulſib.ad tyron.c.*7.& Paulo *lib.*1.*cap.*12.

Eſt alius qui dicitur intercidens in variis partibus, ſiue intermittens in ictu, qui ex inæqualitate raritatis, & paruitatis conſtat. Alius eſt qui appellatur intercurrens in multis pulſationibus, qui ex inæqualitate crebritatis conſurgit,vt docet Galenus *lib.*1.*de diſ.pulſ.cap.*12.

Reperitur etiam pulſus deficiens,intermittens,& abolitus. Quando facultas languet citra inſtrumentorum vitium,& neque diſtrahitur, neque aliqua humorum copia opprimitur,pulſus fit languidus,tardus,paruus.At quando vrget vſus,& mediocris eſt imbecillitas, fit frequens ſine inæqualitate. Si autem virium iactura eſt maior, fit inæqualis pulſus.Si verò inſignis ſit virium noxa,deficit pulſus,& ſi extremè vires ſint debiles, tunc fit pulſus abolitus, qui à deficiente diſtinguitur:nam hic ſolùm priuationem mediæ actionis importat; cæterùm abolitus integram,& totalem pulſus priuationem ſignificat.

Quando ſimul languet facultas vitalis,& oppreſſa, aut impedita eſt, fit pulſus maximè inæqualis, & tunc obſeruantur pulſus intermittens,deficiens,& ob maximam offenſam,abolitus.Sed dubitabis:vtrùm deficiens pulſus deterior ſit,& periculoſior intermittente?Pro vtraque parte adſunt rationes validæ:Galenus enim 2.*de præſag.ex pulſib.* 4.*poſt princip.*affirmat,inter pulſus inæquales intermittentem eſſe maximè periculoſum,in ipſo enim facultas vitalis otiatur, & ab opere ceſſat; in deficiente ſolùm à dimidio actionis ceſſat: & *infrà eodem capite*, cum pulſu intermittente neminem fuiſſe ſeruatum aſſeuerat, quando intermiſſio diuturna eſt, duarum videlicet pulſationum. Et *in eodem capite, infrà* affirmat,quòd ſicuti mors repentina comitatur apoplexiam, ſic pulſus intermittens extincto calore ob defectũ ventilationis, mortè ex tempore præſagit.

Sed obſtat eiuſdem Galeni auctoritas,2.*de cauſ. pulſ.* 3. affirmantis intermittentem pulſum antecedere deficientem: igitur deficiens pulſus fit quando ingraueſcit noxa; nam quando leuior eſt, fit pulſus intermittens. Quæ ſententia eſt magis rationi conſentanea. Ab eodem enim Galenò *loc.ſuprà cit.* docemur, quòd natura plus claudicat in actione ſua in pulſu deficiente quàm intermittente, & ſic ille maiorem noxam, & maiorem defectum reſpirationis inducit. Quare etſi ex intermittente plura damna contingant, vehementiora,& periculoſiora ex deficienti eueniré patet apertè. Accedit,quòd intermittens pulſus ſæpe eſt naturalis, vt hiſtoria celebri propoſuit Gal.*lib.de præ-*

Lib. V.

A *cognit.ad Poſth.cap.*14.quam nos deſcripſimus *lib.*2. *in com. hiſt.* 44. Quo loco plura de pulſus intermittentis cauſis perlegere, ne te pœniteat.

Eſt & alius pulſus qui dicitur hecticus,qui nec acceſſiones, nec interualla habet, ſed ſibi ſimilis ſemper exiſtit, docente Galeno *l.*4.*de cauſ.pulſ.c.*10. & nunquam ſoluitur; quia vniuerſus habitus in morbum conuerſus eſt, vt probant Paulus *l.*2.*c.*12. *ante med.* & priùs prædixit Galenus *lib.de pulſib.ad tyrones,c.*8.Sunt & alij pulſus inæquales, vt palpitans, ſtrepens, & tremens, quos tamen vt rariſſimos hîc omittimus. Legat qui velit Auicennam *loc.cit.c.*6. qui eorum cauſas, & præſagia diſertè aſſignat.

QVÆSTIO XLI.

B *Vtrùm præter cauſas generantes pulſus aliæ alterantes ſint aſſignandæ? Contra Menam, & Valleſium, doctiſſimos.*

SPhygmicam artem à priſcorum plurimis acriùs conꝗelli,non me latet, quòd hæc ob difficultatem pleroſque vel peritiſſimos Medicos deludat, & ſic in præſagiis multa vaticinantur, quæ cum Medicæ artis dedecore aliter eueniunt. At qui veteres, & præſertim Galenum diligentiùs animaduerterit, inueniet ipſam eſſe omnium primariam, & quæ nobis rectè agendorum præſidiorum rationem commonſtrat.Sed cùm multæ ſint quæ pulſum immutant,& alterant cauſæ, eas in calce huius tractatus numeraſſe ſatius duxi,vt earum cognitione Medici inſtituti, dè pulſu rectiùs prædicere poſſint.

C Ergo pulſuum cauſæ in duplici ſunt differentia ex Galeno 1. *de cauſis pulſ.c.*1.Aliæ ſunt generationis,aliæ alterationis. Illæ tres ſunt, efficiens, id eſt, facultas à qua fit pulſus; finalis, id eſt, vſus, cuius gratia fit; & tertia, id eſt inſtrumenta per quæ fit: quæ cauſæ, continentes vocantur à Galeno, quia nulla earum mutari poteſt; quin pulſus euariet, & è conuerſo. Eſſe autem in multis continentes cauſas admittendas, fusè diximus *lib.* 3. *in com. hiſt.* 26.

Neque obſtat,quod aliqui aſſerunt,ex animi affectibus corpus immutari abſque aliqua alteratione, quod falſum eſt,quum ſemper in his facultas immutetur, cuius immutationem,vſus & inſtrumenta ſequuntur, vt eleganter docuit Thomas à Veiga *lib. art. med. in com. cap.* 23. *in fin.* Quare hæ cauſæ continentes, communes, neceſſariæ, & eſſentiales ab Auic.*loc.cit.*vocantur. Communes,quoniam D in quouis genere pulſus inueniuntur: neceſſariæ, quia ſine illis pulſus ſtare non poteſt: eſſentiales, quia ab illis pulſus immediatè dependet, & hæ illius conſtitutionem ingrediuntur.

Aduerte tamen, quòd in immutatione pulſus, quæ ab animi affectibus concitatur, aliquid multoties inuenitur, quod ad nullam cauſam continentem reducitur, vt eleganter docuit Valleſius 3. *cont.* 9. & patet manifeſtè in pulſu vibrato ex repentino timore ſuborto, vt firmat Galenus *lib.*4.*de cauſ.pulſ.cap.*5.qui ad nullam cauſam continentem referri poteſt, ſiquidem pulſus vibrans(vt inquit Galenus 2.*de cauſ.pulſ.cap.*6.)fit conſtante virtute,adaucto vſu, & obediente inſtrumento.

Licèt autem hoc ita ſit, non tamen colligas,huiuſmodi cauſas non eſſe continentes pulſus:nam ſolùm de ratione E cauſæ continentis eſt, non poſſe ea ablata omnino effectum perſeuerare. Quare Galenus *lib.*1.*de cauſ.pulſ.cap.* 2. 3.& 4.de huiuſmodi cauſis ſeorſim diſceptat, & *lib.* 6. *de vſu part.cap.*10.& 7.*de anatomic.adminiſt.c.*5. particulariùs agit de arteriis, pulſus inſtrumentis.

Cauſas alterationis diuidit Galenus in externas ſeu primitiuas,& internas,ſiue antecedentes vel præcedentes, & ſunt omnes illæ,quæ intra corpus exiſtentes,pulſus immutare valent; quæ tamen immutatio fieri non poteſt,niſi illatum alteratio ad continentes deueniat; & hoc modo hæ præcipuæ dicuntur,reliquæ verò veluti harum genera; id eſt, quòd quemadmodum genera ſuprema ad conſtitutionem ſpeciei infimæ concurrunt mediantibus ſpeciebus ſubal

ſubalternis, ſic etiam cùm cauſæ alterationis mediantibus continentibus immutationem pulſus efficiant, ideò veluti earum genera dicuntur.

Rurſus hæ alterationis, ſiue mutationis cauſæ, in triplici ſunt differentia, vel naturales, vel præter naturam, vel mediæ, id eſt, non naturales, vt docet Gal. 3. *de cauſ. pulſ. in procemio, & l. de pulſib. ad tyrones cap. 9.* Auicenna *loc. cit. c. 5.* appellans huiuſmodi cauſas alterationis, cauſas non ingredientes conſtitutionem pulſus, diuidit eas in inſeparabiles, quales ſunt naturales, vt ætas, ſexus, temperamẽtum, &c. & in ſeparabiles quales ſunt cauſæ non naturales, & præter naturam: nõ naturales ſunt ſex, aër, cibus & potus, motus & quies, ſomnus & vigilia, inanitio & repletio, animi pathemata: præternaturales verò tot ſunt, quot ſunt affectiones præter naturam. Immutatio quæ ab his cauſis oritur, differentias pulſus naturalis inſequitur, vt docet Galenus *l. de pulſib. ad tyrones, cap. 9.* Quæ cùm multiplices ſint, quia non in omnibus pariter arteriæ mouentur, ideò ſolùm per experientiam cognoſci poſſunt.

Sexus mutat pulſum. Nam viri habent eum multò maiorem, & vehementiorem fœminis, ex Galen. *lib. 1. de pulſib. ad tyron. cap. 9. & 3. de cauſ. pulſ. 2.* Fœminæ habent tardiorem, ſatiſque rariorem: nam mares poſita paritate in temperamento, ætate, anni tempore, regione, fœminis ſunt calidiores, perfectiores, & robuſtiores, 3. *de cauſ. pulſ. cap. 2.* & latè à nobis demonſtratum eſt, *lib. 2. in com. hiſt.* 144.

Neque obſtat, quòd mollitiei inſtrumentorum magnitudo pulſus propria ſit, docente Galeno 1. *de cauſ. pulſ. c. 4.* Sed fœminæ habent inſtrumenta molliora. Ergo illarum pulſus erunt maiores. Galenus reſpõdet 3. *de cauſ. pulſ. c. cit.* hoc contingere quia ſuperãt cauſæ paruitatis in fœminis, ſcilicet minor caliditas, excrementorum copia, corporis habitus, & alia: quare fœminæ habent pulſum celerem, crebrum; cùm enim illis paruitas diſtentionis non ſufficiat refrigerationi, idcircò celeritate, & frequentia natura defectum magnitudinis ſupplet, vt notauit Gal. 1. *de cauſ. pulſ. c. 5.* Viri verò, cùm ſola magnitudo ſufficiat ad refrigerandum, tardiorem & rariorem pulſum ſortiuntur.

Puerorum pulſus eſt celerrimus, & creberrimus, & mollis, propter natiuam eorum humiditatem: iuuenum verò celer, ex Gal. *lib. de pulſib. ad tyron. c. 9.* In magnitudine etiam & in vehementia differunt, quoniam iuuenum pulſus maximus eſt, & vehementiſſimus; puerorum verò inter ſenes, & iuuenes medius. Cauſam reddit Gal. 3. *de cauſ. pulſ. c. 5.* quoniam in pueris vſus augetur; nam in illis eſt maxima neceſſitas refrigerij, quia calore abundant natiuo, & pro generatione ſpiritus qui diſſoluitur, & illius incremento, multo indigẽt aëre; & cùm non ſolùm pro nutritione, ſed corporis augmento plura aſſumant & conficiant alimenta, fuliginoſis ſcatent excrementis, quare dilatationis, & contractionis intenditur vſus, vt docet Gal. 1. *de criſib.* 12.

Iuuenum verò pulſus maximus eſt, quia in illis virtus ad ſuum robur peruenit, & vſus vrget. Pueri etiam pro corporis mole pulſum habent magnum: ſi tamen cum iuuenibus comparetur, non eſt magnus. Etſi enim pueri facultate vitali valeant, 4. *acut.* 9. nondum tamen in illis hæc virtus vltimam perfectionem eſt aſſequuta, ſicuti in iuuenibus, ex Auic. *loc. cit. cap. 7.* & Gal. 1. *de cauſ. pulſ. cit.* Nam virium robur modicam exſiccationem expoſtulat, quia hac illud conſeruatur, 3. *de cauſ. ſympt. cap. 3.*

Senum pulſus eſt tardus, rarus, paruus, languidus, ob facultatis imbecillitatem, ſi comparetur cum ætatibus præcedentibus, & à pulſu iuuenum plus diſtat raritate, quàm celeritate: & quia ſenes natura ſua ſunt ſicci, in ſenectute pulſus duritiem ſibi comparat; licèt ob diminutas concoctiones, & cruditates, quibus ſenes ſunt obnoxij, (ob quas ſuccis ſcatent crudis) aliquando pulſus mollitiem acquirat.

Temperamenta etiam immutant pulſum: Illi enim qui natura ſua calidi ſunt, habent pulſum maiorem, & frequentiorem, quàm qui temperamento ſunt frigidi, vt docet Galenus *lib. de pulſib. ad tyron. cap. 9. & 3. de cauſ. pulſ. cap. 3.* & hac ratione Auicenna *loc. cit. cap. 8.* dixit, pulſum virorum eſſe vehementis neceſſitatis, id eſt, magnum, celerem, & frequentem; quod intelligendum eſt, ad mentem Galeni *loc. cit.* ita vt non ſit multum vehemens, ſed ſatis fortis, quare pulſus fit magnus, celer, & frequens; nam incremento caloris hæc omnia ſunt peculiaria, docente Gal. 2. *de cauſ. pulſ. cap. 4. in fin.*

Aduerte tamen cum Galeno 3. *de cauſ. pulſ. cit.* quòd per calidos natura, intelligimus eos qui in paſſiuis mediocritatem ſeruant, excedunt tamen calore: qui in duplici ſunt differentia, quidam enim ingenito calore abundant, & naturali, alij verò acri, & adſcititio, ex Gal. *6. epid. ſect. 4. com. 15. & 5. de ſanit. tuend. cap. vlt.* Illi pulſum habent non ſolùm maiorem, & celeriorem, ſed & vehementiorem, quia viribus valent. Qui verò ſecundo modo calidi dicuntur, pulſum vehementem non habent, quia non conſtant viribus, ex Galeno *5. de ſanit. tuend. cit.* licèt etiam in his ob magnitudinem, & celeritatem, pulſus referat ſpeciem vehementiæ, ex Gal. 3. *de ſympt. cauſ. cit.* Quemadmodum enim cum exceſſu caloris adſcititij virtus non conſtat: ſic enim exceſſu caloris natiui vires ſunt robuſtæ, quia cum eo, & optima temperies, vires fortes etiam inueniuntur, quinimmò earum cauſa exiſtit, & quò calor natiuus magis exuperat, eò maiorem virtus firmitudinem acquirit, & pulſus vehementior fit.

Obiicies contra traditam doctrinam, primò Omnium rerum natura conſtantium eſt certus terminus augmenti, & decrementi, vt Ariſt. docet 2. *de anim. cap. 4. poſt med.* Sed calor eſt res naturalis. Ergo debet habere certum terminum, quem ſi excedat, iam fit præter naturam. Secundò. Mediocritas patitur duplicem corruptionem, exceſſum ſcilicet, & defectum ex Gal. *lib. de dif. ſympt. cap. 4.* Ergo ſi calor natiuus excedat, iam non erit mediocris, ſed immoderatus, & ex conſequenti vires diminuet.

Tertiò. Virtus in temperamento conſiſtit, 1. *de præſag. ex pulſib. cap. 4.* Ergo quò calor natiuus abundantior fuerit, eò ampliùs debilitari debet, quoniam temperamentum euertitur. Quartò. Eadem eſt ratio ſpiritus, ſanguinis, & caloris. Sed ſanguis mediocritatem requirit, quam ſi exceſſerit, animal ægrotat, vt Hip. fatetur *lib. 1. de natur. human. text. 20. & 21.* quoniam interdum ita accreſcit, vt virtutem premat, & offendat. Ergo eodem pacto calor natiuus mediocritatem requirit.

Sed hæc facilè diſſoluuntur. Si aduertas, quòd calor natiuus poteſt dupliciter conſiderari: vno modo, quà eſt calor, & hoc modo quò fuerit maior, eò erit debilior virtus; alio verò modo, quà eſt naturalis hoc eſt, in frigiditate & aliis qualitatibus commenſuratus, vt firmat Galenus *lib. de rigore. cap. 6. poſt med.* & ea ratione quò fuerit vehementior, eò virtus erit robuſtior, quia partes ſunt magis attemperatæ. Quare hæc proportio, & hæc temperies eſt terminus caloris natiui, à quo ſi deficiat, vel eum exceſſerit, præter naturam efficitur. Ex quibus prima, & ſecunda ratio corruit, pariter & tertia, quia caloris natiui temperies nunquam deſtruitur, etiamſi maior fiat. Ad vltimum dicendum, quòd ſanguinis incrementum cum proportione naturæ idonea, ſimilitudinem habet cum calore natiuo, copia tamen ſpirituum nunquam reprobatur, vt docet Auic. *lib. de medicin. cordial. tract. 1. cap. 4.* Nam quò plus in corpore abundant, eò vires fiunt vegetiores; illi enim ob tenuitatem ſuam citiſſimè in opere reſoluuntur.

Frigida & humida intemperies, ob facultatis debilitatem & caloris imminutionem pulſus efficit paruos, raros, tardos. Quòd ſi inſtrumentum, inquit Auic. *loc. cit.* fuerit molle, efficit pulſum rarum: ſi verò durum; prædicta omnia imminuuntur. Humida verò intemperies efficit pulſum latum, & vndoſum: ſicca verò durum, & anguſtum, ex Auic. *loc. cit.* & ex Halyabbat. 7. *theoric. cap. 4. ad init.*

Aduerte tamen cum Galeno *lib. 1. de præſag. ex pulſib. c. 4. ad init, §. Iam humiditates, &c.* vſum non variari niſi ex calore, aut frigiditate, reliquas autem qualitates inſtrumentum, aut facultatem immutare: idcircò Galenus *lib. art. medic. cap. 31. & 32.* ex humiditate, aut ſiccitate ſolùm duritiem, aut mollitiem in pulſu contemplandam eſſe aſſeuerat. Quando tamen facultas eſt robuſta, & neceſſitas multa in temperamento ſicco, conſurget pulſus bis pulſans

ſpaſmioſus

ſpaſmoſus, ſeu tremulus, ob rationes plures, quas ex profeſſo propoſuit Iacobus de partibus *in com. cap.8. loc.cit. Auic.*

Tempora anni diuerſimodè immutant pulſum,ex Gal. *de pulſib.ad tyron.cap.9.& 3.de cauſ.pulſ.cap.6.* quibus locis docet, pulſus in medio cuiuſlibet temporis eſſe conſiderandos, & non in principio, aut fine,quoniam tunc ſecundùm vergentiam ad hoc, vel illud tempus, immutatur: nam vere fit pulſus magnus,vehemens, moderatus in celeritate & frequentia.

Sed obſtant plura: cùm enim ver exactiſſimam habeat temperiem, non ſolùm ſi cum corpore humano comparetur, ſed etiam per ſeipſum, robuſtiſſima ſit virtus, vſus non multùm adauctus, inſtrumenta rectè diſpoſita, videtur quòd pulſus debeant eſſe maximi, & vehementiſſimi. Soluit difficultatem hanc Galenus, confirmans hoc eſſe verum, ſi cum pulſu reliquorum temporum comparatio fiat. Nec dicas, quòd cùm eo tempore adaugeatur vſus, facultas non poſſit eſſe robuſta:nam eo tempore adaugetur vſus calido naturali, cuius ope facultates noſtri corporis roborantur.

Ex iis diſces, æſtate,quia vſus ex calido natiuo non augetur, pulſus non eſſe vehementes, ſed paruos, & ob facultatis imbecillitatem,& caloris natiui reſolutionem,languidos; ſunt tamen celeres & crebri,tum propter augmentum vſus,tum quia cùm parui ſint natura defectum magnitudinis celeritate & frequentia ſupplet.

Hyeme pulſus ſunt parui, & debiles, ob facultatis imbecillitatem, & tardi, ob imminutionem vſus, ex Gal.*loc. cit.* Nec obſtat celeberrima Hippocratis auctoritas, *1. aph. 15.* dicentis, tempore hyemis facultates eſſe robuſtiſſimas, & ſic copioſiora alimenta eſſe offerenda,ſicut probat Galenus *lib.1. de natur.human. com.36.* nam Hippocratica ſententia de robore facultatis naturalis eſt intelligenda, quæ à vitali longè eſt diuerſa: alioqui vitalis facultas eſſet fortior in pueris, quàm iuuenibus, & hyeme, quàm vere,& autumno. Hoc modo intelligendus eſt Galenus, *3.de cauſis pulſ. cap.8.* quum in principio ſomni facultatem vitalem debiliorem eſſe affirmat, quum naturalis nulla reddatur debilior. Dic ſecundò, quòd hyeme interdum frigiditas eſt tanta, vt quàm penitiſſimè ſeſe inſinuet in viſcera, ita vt innatus calor remittatur,& virtus debilis reddatur,& tunc fiunt pulſus parui, languidi, rari, tardi: ſi verò non ſolùm frigiditas interiora non refrigeret, ſed per antiperiſtaſin calorem robuſtiorem reddat, tunc partibus internis caleſcentibus, & alacrioribus factis, pulſus erunt magni, in reliquis verò generibus moderati; etſi eam non participent vehementiam, quemadmodum in medio veris, vt *ſuprà* ex Galeni mente protulimus.

De autumni pulſu illud pro certo affirmandum, hoc tempore pulſum eſſe inæqualem cum quadam debilitate, quia autumnus in calore & frigiditate, ab optima temperie recedit, & in actiuis inæqualis eſt, in paſſiuis ſiccitate excedit, & ſic facultas hoc modo concuſſa, debilis eſt, & inſtrumentum non rectè diſpoſitum.

Sed ſi hoc verum eſt, cur *de cauſis pulſ.cap.6.* Galenus ſcripſit, pulſus in initio autumni eſſe vehementiſſimos? Dic,quòd licèt de hac contradictione plura præſcripſerim, *lib.1.in com.hiſt.39.* contra Valleſium,qui *lib.3.cont.cap.14.* Galenum temnit & damnat,placet nunc pro Galeni tutela, eius argumenta ad vnguem expendere.

Primò. Autumnus eſt tempus intemperatum,& intemperamentum illius varium & inæquale, *1.de temp. cap.4.* quod vires diſſoluit, huc & illuc agitando calorem. Ergo pulſus in eo non poſſunt eſſe vehementes, quia intemperies variæ multò magis diſſoluunt facultatem, quàm mala imtemperies, ſimilis & æqualis, ex Auic. *loc.cit. c.9.* Dic. Intemperantia autumni, & inæqualitas, non eſt tanta, vt vires diſſoluat, nam eandem inæqualem habet ver, etſi non ita intenſam: nam matutino, & veſpertino tempore frigus viget, & meridiano æſtus. Deinde exceſſus autumni exiguus eſt;argumento ſunt plantæ,quæ eo tempore ſolent germinare. Quare cùm tempore autumni facultas valeat, vſus ſit moderatus, inſtrumentum rectè diſpoſitum,pulſus vehementes fieri poſſunt.

Secundò. Autumnus eſt tempus contrarium vitæ quum in eo remittatur calor, & augetur ſiccitas. Quare hoc tempore pulſus erit debilis, paruus, & rarus. Dic, quòd illæ qualitates non multùm excedunt; quare hoc tempus non erit valde contrarium vitæ.

Tertiò. Autumnus ſequitur æſtatem, in qua vires debiles ſunt, inſtrumentum durum, & non ita obediens, ſicut in vere; ob quam virium debilitatem autumno inter alia generantur morbi periculoſi, praui moris, & difficilis iudicationis, ex Galeno *3. aph.9. & 2.epid.ſect.1. parum poſt princip.* Dic. Potiùs autumnus aliquo modo reficit vires ex æſtate languidas, nimiam illius difflationem prohibendo.

Quartò. Hip.& Galenus *1.aph.15.& 18.* docent, homines vere, & hyeme multo meliùs alimenta ferre; contrariæ verò rationes ſe habent in autumno. Ergo ſi hæc tempora in his contraria ſunt, non erunt in pulſibus ſimilia. Dic, quòd etiamſi illa tempora in alimenti aſſumptione intemperata ſint,nullum tamen eſt inconueniens,tempore autumni facultatem vitalem meliùs ſe habere, quàm tempore hyemis, aut æſtatis.

Vltimò. Galenus inæqualitatem pulſus omiſiſſe videtur,quæ tamen illi maximè conuenit. Dic. Galenus omiſit inæqualitatem autumni, tanquam maximè notam: à magiſtro enim ſuo *3. aph. 9.* & alibi decantatum erat; hoc tempus eſſe varium & inæquale, in quo eadem hora modò, calor, modò frigus vrget.

Sed magis admiror Ferdinandum Menam doctiſſimum *in com.cap.12. Galeni, lib.de pulſib.ad tyrones*, qui locum *lib. de pulſib.ad tyrones*, aſſerit eſſe ſuppoſititium: quum Galenus eandem ſententiam *lib.3. de cauſis pulſ.cit.* approbet, & confirmet.

Regiones etiam immutant pulſus, temporum inſtar: nam in temperatis adeſt pulſus vehemens, & temperatus;in frigidis paruus,& tardus; in calidis non ſunt vehementes, ſed parui,& languidi, vt ſcitè docuit Auic. *loc.cit. cap.10.* & accepit à Gal. *lib.de pulſib.ad tyrones, cap.9.& 3. de cauſ.pulſ.cap.7.*

Cibus, & potus immutant pulſum ſua qualitate, & quantitate. Cibus enim ſi modicus eſt, mutat pulſum in magnitudinem, vehementiam, celeritatem, & frequentiam; calorem enim, & robur virtutis adauget, quod (vt rectè notauit Auerrhoës *4.collig.2.*) non eſt intelligendum, cùm primò cibus aſſumitur: nam tunc apparet pulſus paruus, & languidus, cum raritate, & tarditate: Retrahitur enim calor ad coctionem, & cum eo ſanguis & ſpiritus; & ſic ſuffocatur calor poſt aſſumptum cibum, & pulſus fit paruus.

Deinde cibus in principio eſt diſſimilis, & contrarius; & licèt ſit modicus, ex eo opprimitur virtus, veluti in igne experimur, qui in principio à lignis veluti obruitur, & ſuffocatur. Quando verò cibus iam eſt concoctus in ventriculo, & iecore, & incipit apponi, tunc propter ſpiritus & ſanguinis generationem,partiúmque refectionem, accreſcit caliditas,& robur virtutis augetur, & pulſus magnitudinem, & vehementiam ſibi comparat. Quare non immeritò dicebat Gal.*lib.2.aph.*18.ſignum nutritionis eſſe magnitudinem,& vehementiam pulſus.

Quando cibus exhibetur in quantitate parca, aut homo paſſus eſt inediam, tunc mutatur pulſus in magnitudinem, velocitatem & frequentiam; & quia exurit ſanguinem, & ſpiritum, illúmque ad bilioſam naturam conuertit, caliditas accreſcit, & intenditur. Quum verò diuturna, & immodica eſt inedia, quæ non ſolùm ſanguinem & ſpiritum imminuit, ſed humidum radicale abſumit; tunc reſoluta facultate, & exhauſtis viribus, fit pulſus languidus, tardus. Ex iis patet ſolutio ad dubitationem, quam propoſuit Galen. *lib. de curand.rat.per ſang.miſſ.cap.5. in princip.* dicens, inediam interdum calefacere, aliquando refrigerare.

Potus immutat pulſum,ſicut & cibus,& præſertim vinum, nam ex eorum numero eſt, quæ corpus alunt, docente Galen. *3.de alim.facult.cap.40.* Illius tamen alteratio velocior, ſiquidem celeriùs vires reficit, quum citiſſimè

 concoquatur,

concoquatur, & diſtribuatur; liquida enim citiſſimè nutriunt,maximè calida,quia faciliùs alterantur,3.*de temp.*2. & 2.*aph.*11.& 18.Verùm hæc immutatio non eſt ita diuturna, quàm ea quæ oritur ex cibo: ſicut enim facilè potus alteratur,ſic etiam citiùs abſumitur,ex Gal. *lib. de pulſib.ad tyron.*10.& 3.*de cauſ.pulſ.*7.

Aqua, ex mente Auic. *loc. cit. cap.* 11. etiam virtutem roborat, propterea quòd alimentum penetrare facit; & in hoc illius operatio ſimilis eſt operationibus vini, vel ratione quantitatis, vel qualitatis, vel proprietatis illius: verùm quia non calefacit, ſed potiùs refrigerat, ideò non æquè neceſſitatem auget. Hæc eſt cauſa, ob quam Galen. *lib. de pulſib. ad tyrones, cap.*10. dicebat, aquam minimè omnium ciborum,& potuum mutationem inducere,quum hæc vt cibus immutare non valeat. Et licèt non nutriat, vt tam multis argumentis ex plurium mente auctorum probauimus, *lib.*2.*in com.hiſt.*54. Tamen ad ſymmetriam corporis reuocata, vires recreat, quemadmodum ab alimentis fieri conſueuit, & ob id fortaſſe *loc.cit.* Galenus aquam, ciborum inſtar, in pulſu mutationem facere pronuntiauit.

A ſomno pulſus etiam immutatur, tum pro ratione temporis illius videlicèt in principio,medio, & fine, tum etiam ſecundùm coctionis diuerſitatem. Quare ſomnus in principio, facit pulſum languidum, tardum, rarum, ex Gal. *lib. de pulſib. ad tyron. cap.*9. Cauſam reddit Auic. *loc. cit. cap.*12. & probat Galen. 3. *de cauſ.pulſ.cap.*9. quoniam in principio ſomni, fit retroceſſus caloris ad interiora, ex Gal.6.*epid.ſect.*4.*com.*14.& *ſect.*5. *com.*30.& 2. *aph.com.*1. ob quam cauſam ſomni tempore perfectiores fiunt concoctiones, vt *cit. loc.* docuit Galenus, & probat 6. *epid. ſect.*5. *com.*10. Quia cùm calor ſit opifex,& omnium operationum naturalium inſtrumentum, ex Galen. 1.*aph.*15. & 2.*de facult. natural.*9.& 6. *epid.ſect.*5. *com.*5. *poſt med.* eo ampliùs in viſceribus adaucto, perfectiores fiunt operationes. Tunc in initio ſomni, facultas coctioni alimentorum incumbens, minor ad ſingula opera efficitur, & calor natiuus copia alimentorum veluti conſopitus, vſum imminuit, & arteria eſt veluti detenta, & ob caloris retroceſſum veluti ligata, nec multum, nec diu dilatari poteſt: nam quemadmodum reſpiratione caliditas cordis conſeruatur,ſic etiam tranſpiratione, id eſt, pulſu, totius caliditas retinetur.

Deinde in principio ſomni ob dictam cauſam partes frigidæ ſunt; ideò pulſus in paruitatem, & tarditatem immutatur,ex Gal.*lib.de pulſ. ad tyron.* & Auic. *loc.nuper citatis.* Exin colliges immeritò Menam *in com. cit. loc.* reprehendere Auic. quia in ſomno ſemper calorem augeri ſibi perſuaſit, quoniam licèt hoc ſit verum, in principio ſomni locum non habet: Nam ob retroceſſum ſanguinis, & ſpiritus ad partes internas calor innatus opprimitur, & redditur puſillus, quæ omnia de dilatatione intelligenda ſunt,vt firmat Galenus *lib.*3. *de cauſ.ſympt. cap.*9. Contractio enim tempore ſomni maior ſemper eſt, & velocior: tunc enim adeſt maior expurgandarum fuliginum neceſſitas, quæ ex halituoſis vaporibus ex coctione eleuatis emanant. Quare Gal.3. *de cauſ.pulſ.c.cit.* dixit, in ſomno pulſum eſſe celerem, ſecundùm contractionem, tardum ſecundùm diſtentionem: quo pacto eſt etiam frequens, quoad quietem externam, rarus, quoad internam.

Medio ſomno fit pulſus maior, & vehementior; tunc enim calor iam alimenta concoxit, & regenerato ſanguine eſt robuſtior, & ampliùs emicat, ignis inſtar, qui accenſis lignis fulgidiùs ſplendeſcit. Si verò ſomnus excedat,& immoderatus ſit, iterum pulſus ad priſtinam paruitatem reuertitur, & raritatem, tarditatem, ac languorem ſibi comparat,& vt calor veluti diſſipatur ac reſoluitur,immò præ copia fuliginum, quæ tempore vigiliæ erant expurgandæ, extinguitur. Similiter quando ſomnus ſequitur poſt inediam; quia calor plus iuſto abſumit & exſiccat, tunc reſolutis viribus,& imminuto calore natiuo; pulſus fit paruus & tardus.

Vigilia etiam immutat pulſum, quoniam in principio fit pulſus maior, vehementior, celerior, & frequentior,

A inæqualis tamen,& inordinatus, ex Gal.3. *de cauſ.pulſ.cit.* & *lib. de pulſ. ad tyron. cap.*9. Nam coctionis recrementa halituoſa, in partibus intermediis vſque ad cutim colliguntur, & cùm calor ex cibo roboratus iam expandi incipiat, & viæ non ſint patentes, ſed impeditæ, contentione quadam mouetur, vt corpus tranſpirabile efficiat; quare pulſus vehemens eſt & maximus, ſed ob vias impeditas, inæqualis, & inordinatus, & cum vibratione quadam.Quod præcipuè fit in his,qui terrore & metu à ſomno exurgunt, vt *cit. loc. cap.* 11. docuit Auicenna: in iis verò qui lentè, & paulatim à ſomno excitantur, fit pulſus æqualis, gratia expellendarum fuliginum, vt dictum eſt, ſed breui temporis ſpatio ad priſtinam mediocritatem reuertitur; expurgatis enim fuliginibus motus caloris moderatus eſt.

B Exercitium immutat pulſum: quando enim moderatum eſt, adauget vſum; & ſic roboratis viribus, fit pulſus magnus,vehemens,celer & frequens. Quando tamen diuturnius eſt, & modum excedit, tunc viribus reſolutis fit pulſus paruus, debilis, tardus, vt 3.*de cauſ.pulſ.cit.* Gal. admonuit.

Balneum pulſum immutat, exercitij inſtar, & maximè ſi ex dulci aqua,& tepida paretur: Nam ſi eſt aqua ſulphurea,aluminoſa,aut bituminoſa, immodicè exſiccat, & pulſum cum celeritate, & frequentia indurat. Balneum frigidum,quia remittit calorem, efficit pulſum paruum,languidum,tardum,& rarum: ſed ex hoc balneo varietas accedit, qui enim ſunt excarnes, ac debiles, quum ex occurſu gelidæ refrigerentur, in illis multò minor, tardior, & rarior redditur pulſus; in iis verò qui carnoſi ſunt, & robuſti; cùm calor colligatur & vniatur, pulſus magnitu-

C dinem & vehementiam ſibi comparat, ex Gal.3. *de cauſ. pulſ.cap.*15. probat Hip.5. *aph.*21. Galenus confirmat, *in com.*

Vteri geſtatio etiam immutat pulſum. Eo enim tempore,quo fœtus in vtero continetur, nec nutritur per os, nec reſpirat, (quidquid auctor *lib. de carnibus* dicat) & alitur ſanguine menſtruo, quem mater per venam vmbilicalem ſuppeditat; & quando hic nutritioni non ſufficit, fœtus commouetur, & calcitrat, rumpítque membranas quibus erat inuolutus, & iam maior redditus, & in anguſto loco ſeſe deuoluere non potens, aërem non per os, ſed per vmbilicales arterias attrahit, qui ſi ad ipſius calorem temperandum non ſit ſatis, commotione ſua exitum quærit,vt conſtat ex Auic.21.3.*tract.*1. *cap.*2. Quare vtero gerentes cùm ſibi, & fœtui aërem attrahant, ſic pulſus in

D magnitudinem, celeritatem, & frequentiam immutatur: quare in mediis, & poſtremis menſibus vſus, & virtus immutantur: Et ideò ob molem & pondus illius opprimitur virtus, & magnitudo minuitur, & celeritas ac frequentia adduntur;& in poſtremis menſibus inæqualitas cum ordinis perturbatione animaduertitur.

Dolor immutat pulſum, quando partem principem exercet, & eſt diuturnus. Hoc modo quando recens eſt, efficit pulſum vehementem, & magnum, cum celeritate & frequentia coniunctum,ex Galeno *lib. de pulſib. ad tyrones,cap.*11. & 4.*de cauſ.pulſ.cap.*6. Halyabbat.4.*theoric.c.*6. Nam concitatur facultas cum natura, & maximo impetu noxam ſenſatam expellere tentat, vt docet Gal. 13. *meth.* 13.*in fin.*& *lib.*5.*aph.com.*53. Hæc eſt cauſa,ob quam dolor fluxiones commouet,*lib.de curand.rat.per ſang.miſ.*8. & *lib.*

E *art. med.* 95. Quando ergo ex diutino labore vires fatiſcunt, fit pulſus paruus, & debilis, cum celeritate & frequentia. Dolorem autem vires diſſoluere, nulli puto non manifeſtum,& probat Galen. 11.*meth.*1. & 4. *de cauſ.pulſ.* 3.4.5. & 6. ſubſcribit Auic.2.1.*doct.*2.*cap.*22.& 4.1.*cap.*3. dicit. Auic. *Et omnis quidem dolor, ſi eſt fortis, interficit.* In dolore enim ſpiritus incompoſitè huc & illuc mouentur, & in motu incaleſcunt, & attenuantur, quibus euaneſcentibus vires reſoluuntur. Deinde natura præ doloris vehementia diſtracta, nec concoquit, nec diſtribuit alimentum ſicut oportet,quare languet virtus,& ſic pulſus fit paruus, & languidus.

Inflammationes etiam immutant pulſum, quæcunque eæ ſint, & in quacunque parte generatæ: pats enim inflammata

flammata præ affluxu humoris magis diſtenditur, & ob caliditatem adauctam exſiccando indurat, & ſic fit pulſus durus, velox, & frequens, maximè ſi pars affecta eſt præſtans, & inflammatio ingens. Interdum tamen accidit, vt pro varietate partis affectæ, & ratione cauſæ efficientis inflammationem, aliàs fiat durus, aliàs minùs durus pulſus excitetur, vt *lib. de pulſib. ad tyron. cap.* 11. & 4. *de cauſ. pulſ.* 7. & 20. docuit Galenus.

Pariter etiam pro ratione affluentis humoris diuerſimodè immutatur pulſus. Si enim fuerit ſanguis pituitoſus, fit pulſus vndoſus, & mollis; ſi billioſus, fit durus. Sicut enim ſanguinis pituitoſi eſt, emollire & humectare: ſic bilioſi, exſiccare & indurare, ex Gal. 1. *de cauſ. pulſ.* 22. Ex iis diſſolues repugnantiam apud Galenum, docentem, 4. *de cauſ. pulſ.* 12. & 13. in peripneumonia, & lethargo, pulſum eſſe vndoſum, & mollem: nam licèt hæ affectiones ſuam eſſentiam habeant in inflammatione, 13. *meth.* 21. & ab hac, vtpote inflammata & tenſa, durities abeſſe non poſſit: tamen in iis tumoribus mollities accidit, reſpectu pleuritidis, & conuulſionis, & hoc modo ſeipſum explicat, 5. *de loc. poſt med.* §. *Vt in affectibus pulmonis.* Neque enim Galenus voluit ſignificare, nullam in pulmonis inflammatione duritiem adeſſe, ſed non eſſe tantam, qualis in pleuritide conſpicitur.

Deinde pro varia ratione temporum inflammationum, pulſus fit diuerſus: nam in principio fit maior iuſto, vehementior, celerior, & frequentior: in augmento hæc omnia augentur, & pulſus fiunt magis ſerrantes, vibrantes, & duriores: in ſtatu omnia hæc, excepta vehementia, intenduntur. Pro ratione magnitudinis etiam pulſus varius exiſtit: quoniam inflammatio magna reddit pulſus maiores, & diuturniores; parua, minores, & breuiores. Partes neruoſæ & membranoſæ, duriorem, & magis ſerrantem pulſum efficiunt. In partibus quæ magnis venis, & arteriis præditæ ſunt, pulſus apparent maiores, & vehementiores. Partes humidæ inflammatæ, molles efficiunt pulſus.

Auicenna *loc. cit. cap.* 12. propter rationem aliquorum ſymptomatum pulſum immutari aſſeuerat, & propoſuit in huius rei confirmationem quatuor exempla. Primum de ſuffocatione, & inflammatione pulmonis. Secundum de atrophia ex inflammatione iecoris concitata. Tertium de ſuppreſſione vrinæ in inflammatione renum. Quartum de inflammatione in partibus acuti ſenſus, vt oris ventriculi, & ſepti tranſuerſi, in quibus fit pulſus ſpaſmoſus, & ſyncopizans; quo loco per ſpaſmoſum, conuulſiuus eſt intelligendus, & per ſyncopizantem, intelligendum eſſe deficientem, Gentilis, & Iacobus de partibus aſſeuerant *in com.*

Animi pathemata etiam immutant pulſum, vt ſunt ira, gaudium, triſtitia, timor. Et licèt alia ſint animæ accidentia, tamen ex iis maximè, & propriè pulſus immutatur. Ira efficit pulſum magnum, altum, vehementem, celerem, & frequentem, vt docet Galenus *lib. de pulſib. ad tyron. cap.* 11. & 4. *de cauſ. pulſ.* 2. In eo tamen nulla inæqualitas adeſt, niſi fortè timor cum illa coniungatur, aut verecundia, aut alia quæpiam contraria affectio, ab intellectu profecta, quæ illius motum coërceat. In illa enim augetur calor, & accreſcit vſus, cùm in iratis ſanguis circa cor efferueſcat, & per totum corpus incompoſito motu ebulliat ex Gal. *lib. de cauſ. morbor. cap.* 2. & 1. *de dif. feb.* 3. & *lib.* 2. *de ſanit. tuend. cap.* 9. & 2. *de cauſ. ſympt. cap.* 5.

Deinde impetus, & conatus cum virium robore coniunguntur: nam eſt cum vltionis appetentia, ex Gal. 4. *de cauſ. pulſ. cit.* & 1. *de præſag. ex pulſ.* 8. Nec obſtat, quòd magnitudini propria ſit profunditas, ſeu altitudo. Ergo non erat neceſſarium dicere, quòd efficit pulſum altum. Dic, quòd in ira eſt maior altitudo, quàm magnitudini conueniat; quare apparet in illa non ſolùm pulſus magnus, ſed altus. Nam ira concitat facultatem, & maiore cum impetu hæc ſuas operationes efficit. Hoc etiam conſtat in facultate naturali, & animali, quæ vrgente vſu & neceſſitate, vehementer excitantur, vt omni conatu moleſtiam à ſe repellant, vt firmat Galenus 4. *de cauſ. pulſ. cit.* Cùm enim facultatis vis, & efficacia, in ſolidorũ temperie, ſanguine, & ſpiritu conſiſtat, vt hæc ſeruet à feruore, & commotione furibunda, excitata contra cauſam morbificam inſurgit, quæ cor viſcus præſtantiſſimum fatigat, & hac ratione variè in hoc pathemate immutatur pulſus.

Gaudium efficit pulſum magnum rarum, & tardum, ex Gal *lib. de pulſib. ad tyron. cap. cit.* & 4. *de cauſ. pulſ. cap.* 3. Addit Auic. *loc. cit. cap.* 18. quòd pulſus eſt mollis & lenis; quia leniter & lentè calor ſpargitur per vniuerſum corpus: ob quem motum intenſio quædam acquiritur, cuius ratione pulſus fit maior: & quia facultas non immutatur, nec vigorem acquirit, ideò in vehementia non recedit à moderatione: & quia vſus parùm augetur, quantum magnitudini additum eſt, de celeritate detrahitur, & frequentia; & ideò pulſus tardus, & rarus efficitur. Quæ omnia de moderata lætitia ſunt intelligenda; quoniam ſi immodica ſit, in qua plurima ſpirituum copia diſſipatur, & calor imminuitur, vires deiiciuntur, virtus reſoluitur, tunc pulſus fiunt prædictis omnino contrarij, parui, debiles, rari, tardi, inæquales, inordinati, & formicantes. Nec mirum: nam in extremo gaudio, adeò copioſum ſpirituum effluuium ſuboritur ad partes externas; ita vt innatus calor eorum ope deſtitutus pereat, & extinguatur; quare plures præ extremo gaudio, præſertim debiles, & languidi ſubitò periere, vt firmant Galenus *lib.* 2. *de cauſis ſympt. cap.* 5. & 4. *de loc. cap.* 1, Plinius *lib.* 7. *cap.* 33. & notauit Valentinus Polydamus *in fine tract. de pulſibus.*

Triſtitia efficit pulſum paruum, tardum, rarum; nam in ea calor eſt imminutus, ex Galen. *lib. de pulſib. ad tyron. cit.* & 4. *de cauſ. pulſ. cap.* 4. Neque obſtat; quòd in hoc pathemate ſanguis & ſpiritus ad viſcera retrocedant: Nam in ira ſicut in profundum remeat, ſic reuertitur calor ſubitò ad extra, ex quo motu inordinato intendi calorem, & vſum accreſcere par eſt; in triſtitia verò recurrens ad internas ſedes, ibi ſtabulatur, & copia ſua grauans, calorem ſuffocat, & vſum minuit; quare ex triſtitia mors contingit, vt fusè *lib.* 2. *in com. hiſt.* 114. explicuimus,

Timor in principio efficit pulſus celeres, inæquales, & inordinatos. & ſi vehemens ſit, cum vibratione quadam, quia non ſolùm animum, ſed & ſenſus perturbat. Quando verò diuturnus, & immodicus eſt, cùm non toto genere, ſed magnitudine à triſtitia differat, auctore Gal. 1. *de cauſ. ſympt.* 5. *poſt med.* & pariter vires omnes debilitet, pulſum ſicut triſtitia facit, & interdum tam ingens eſt, vt in debilibus mortem inferat, ex Gal, 1. *de cauſ. pulſ. cit.* Quo etiam loco explicat, qua ratione verecundia differat à timore. Febres etiam immutant pulſum, quæcunque eæ ſint. De quo argumento ſatis plura legat qui velit *lib.* 4. Quo loco hæc omnia exactè perſtrinximus, dum de cuiuſque febris natura peculiarem fecimus commemorationem,

Amor maximè immutat pulſum, vt variis priſcorum ſententiis probat Ioan. Lamandus *lib. de amantium amentium cura, in fin.* nam ſicuti reliqui animi affectus peculiarem habent pulſus differentiam, ſic etiam amor, maximè cùm Galenus, & Eraſiſtratus ſe fœminas amore flagrantes per pulſum agnouiſſe glorientur, vt teſtatur Galen. 1. *progn.* 5, & *lib. de præcog. ad Poſthum. cap* 6. Dic, quòd amor non conſtituit peculiarem pulſus differentiam, ſed alia ſigna, quæ deſcripſimus latè *lib.* 1. *in com. hiſt.* 40. & *in lib.* 7. *praxis hiſtoriarum, cap.* 8. *tit. de amore inſano*, iterum deſcribentur: licèt non ſit negandum, pulſum variè immutari, ſecundùm diuerſos affectus, quos in conſpectu rei amatæ, vel facta illius commemoratione, producit; tunc enim facultas vitalis ſolet perturbari: quibus, & non aliis ſignis, *ſuprà* citatos auctores, fœminas illas amore erotico laboraſſe deprehenderunt, vt ipſi ingenuè conteſtantur. Conſule Valleſium *lib.* 3. *cont. cap.* 14. Gregorium Horſtium, *diſſertatione de pulſu amantium*, in qua de natura amoris perbellè diſceptat.

Huic itaque argumento hîc imponamus finem, in quo explicando etſi breues ſimus, & alij integros libros conſcripſerint, vt Mercatus, Saxonia, Ioſeph Struthius, Iacobus Lauellius, & Cornacchinus: tamen ex mea lectione non inutilem frugem accipies: nam (vt cum Varrone loquar) quis non è ſegete ad ſpicilegium reliquit ſtipulam?

HIST. XXVIII. AVICEN.
De opij veneno.

Opium extrà appoſitum, interficit.

ET vidimus qui ſuppoſuit ſibi collyrium ex opio, & mortuus eſt, &c. Auicenna 16.3.tract.1.cap.4.

PARAPHRASIS.

QVot damna afferat opij, præſertim incorrecti vſus, ſatis ex priſcorum mente prædiximus. *lib.*1. *in com. hiſt.* 61. de cuius temperamento affabrè dictauimus eo loco ſcitu non indigna. Cùm enim frigidiſſimum medicamentum ſit, vel extrà appoſitum, maximè in debilibus corporibus, ſummam perniciem infert: & licèt ad epotum ſymptomata ſequantur terroris pleniſſima, vt ſenſuum ſtupor, pallor corporis, ſingultus, præfocatio, vt retulit Auic. 6.4.*tract.*1.*cap.* 1. tamen ſi auribus, oculis, ano, mitigandi doloris cauſa imponatur, verenda ſymptomata ſubſequuntur: quoniam ab eius impoſitione pars interdum morticinium patitur, & extinguitur.

Narrant Nicolus *ſerm.* 2. *tract.* 2. *cap.* 2. *&* 15. & Gattinaria *in com.* 9 *ad Almanſ. cap. de ſoda cholerica*, ſe vidiſſe emortuos, quibus ano opium ſuppoſitorij forma fuerat appoſitum. Cùm ergo hoc acciderit, antidota per os exhibenda ſunt calida, attenuantia, & roborantia, quæ nimiam eius frigiditatem retundant, vt vinum, aromata generoſa; & ſi fortè parti damnum intulerit, eam fouere oportet decoctis, fomentis, & aliis quæ natiuum calorem robuſtiorem efficiant, calefaciant, & attenuent, quorum omnium formam latè *in com. vlt. praxis hiſtor. tit. de opio* proponemus. De opij natura, & medicamentis opiatis ad omnes totius corporis affectus probatiſſimis, lege *libellum ſingularem clariſſimi Ioannis Freitagij*, qui de hoc argumento appoſitiſſimè diſſeruit.

HISTOR. XXIX. GALENI,
& Auenzoaris, de morbo Regio ex veneno ſuborto.

Morbus Regius ex viperæ morſu, & alio veneno contractus, belzaarticis medicamentis curatus.

IMperialium ſeruorum quidam qui viperarum venationi deputatus erat, quum à vipera morſus eſſet, aliquanto tempore medicamenta, quibus vti conſueuerat, potabat, quúmque vniuerſi corporis color mutaretur, adeò vt porri colorem referret, accedens ſingula nobis enarrauit, cui, epota theriaca, quàm celerrimè color ſecundùm naturam reſtitutus eſt, &c. Galenus lib.5.deloc.affect.cap.7.

Et fit etiam icteritia ex potu rei malitioſæ, ſicut accidit Azir filio Haly, qui erat Coneſtabilis Regis, qui miſit pro me, vt ad eum Sibiliæ ire deberem, & inueni eum glaucum in corpore toto, ſicut eſt cortex citri, & amiſerat appetitum comedendi ex toto: & conſiderando cum omni ſolicitudine ſuper negotio, graue mihi videbatur inueſtigare, & certificare me de cauſa huius ægritudinis, & de hac cauſa non audebam ei curam adhibere; & conſiderando præcedentia infirmantis, non videbam quod ex ipſis iſtud accidens habere debuiſſet, eo quòd in eodem inſtanti in quo habuit icteritiam, habuit ſimiliter & caſum appetitus: cogitaui quod bibit, & comedit rem venenoſam, de natura cuius erat, conuertere complexionem corporis totius in choleram; & dixi quòd hæc complexio erat ex proprietate rei dictæ, & non ex ſua complexione. Quare conuerſus ad Deum, confidens totaliter in eum, rogaui vt ei minimè plus nocumenti inferre poſſem, quàm illud quod habere videbatur. Dedi ergo ei ad potandum, pondus trium granorum hordei de Bezebard, cum vnciis quinque aquæ cucurbitæ, & poſui aquam cucurbitæ ad reprimendam furioſitatem illius caliditatis acquiſitæ, & Bezebard ad expellendum venenum; & ſic poſui complexionem cucurbitæ frigidam contra complexionem calidam patientis, & proprietatem Bezebard contra proprietatem veneni, & ſic inde perfectè fuit liberatus. Vnde ex hac cura fui mirabiliter commendatus, & qui viderunt, & audierunt, venena pro nihilo reputabant, faciendo illud. Et nota, quòd magis proprium Bezebard, & vtilius cæteris eſt illud, quod prope oculos ceruorum oritur in partibus orientis, &c. Auenzoar lib.1.theizir, tract.13.cap.6.

PARAPHRASIS.

ABſque iecoris vitio à cauſa externa, vtpote à veneno aſſumpto, aut morſu virulentorum animalium, morbum auriginoſum concitari, his hiſtoriis Galenus, & Auenzoar confirmarunt, cuius vi ſanguis corruptione aliqua peregrina in bilem agitur, ex noxiarum beſtiarum morſu venenato concitata, vt Paulus *lib.* 3. *ſui operis, cap.* 50. & Aëtius *tetrab.* 3. *ſerm.* 2. *cap.* 17. affirmarunt. Et licèt deleteria qualitas hepati communicata illud ita conſpurcet, vt bilis copiam progignat, eámque per totum corporis habitum expellat, & auriginis cauſa ſit; tamen illi ſolùm hoc morbo premuntur, qui bilioſi ſunt, & illius copiam in corpore coaceruant. Quare ſi viſcera flauo humore ſint turgida, icterus fit flauus, ita vt omnia excrementa flaueſcant: ſi nigro, & melancholico humore corpus ſit refertum, icterus niger conſurgit. Vtriuſque icteri hæc ſint exempla.

Primum proponit Braſſauolus *lib.*4.*aph.in com.ſent.* 62. & eſt Sulpitij Tombeſij, morbo regio & febre laborantis, cui ex vena iecoraria inciſa totus ſanguis extractus exiuit luteus, excrementa lutea, lutea ſputa, vrinæ luteæ, cuius totum corpus bile erat refertum, adeò vt eius anima in bile viueret, vel potiùs humore corrupto. Aliud exemplum affert Marcel.Donat.*lib.*1.*de hiſt. medic. mirab. cap.* 9. cuiuſdam Campegij, qui à ſcorpione ictus, totum poſtea habuit corpus maculis nigris reſperſum: & nos vidimus, & notauimus, *lib.*3.*de praxi admiranda, obſ.*10.

Si autem hoc accidat, & à veneno aurigo oriatur, tutiſſimum erit in potum exhibere, quæ veneni malitiam retundant, ſimúlque excedenti illius qualitati reluctentur, inter quæ theriaca primas tenet, cùm inter antidota alexipharmacum ſit præſtantiſſimum. Narrat Bodinus *lib.*3. *theatri natur. pag.* 316. Ambroſium Gallum Archiatrum in populi concione, Carolo IX. Rege ſpectante, à vipera morſum, theriaca ore aſſumpta, & vulneri impoſita fuiſſe perſanatum apud Monſpelienſes, cùm more ſolenni theriaca componeretur. Quod etiam ſibi contigiſſe à vipera commorſo ſcribit Paræus *lib.* 20. *cap.* 16. Nam vulneri appoſita theriaca conualuit.

Sed quid mirum? quando ipſa theriaca venenoſis tumoribus peſtilentibus admota ipſorum deleteriam qualitatem infrænat euidenter, corpúſque à tam venenoſo humore perſanat: quare periti Medici ex cepa aſſa contuſa cum theriaca, & ſuillo adipe emplaſtrum apponunt, domando veneno nulli ſecundum, ex Galen.*lib.de theriac. ad Piſon. cap.* 18. de cuius admiranda virtute pro quolibet coërcendo veneno, & roborando calore innato, lege Marſilium Ficinum, *in ſua epidemiæ antidoto, cap.* 6.

Accedamus deinde ad curationem Auenzoaris, quam ipſe ſumma ſagacitate compleuit, & ſolus inter omnes hoc arcanum pro præſeruatione, & curatione veneni propoſuit. Cùm enim ſint plurima medicamenta alexiteria, quæ antidota ſolent appellari, nullum eſt excellentius Bezehard. Sed hoc nomen eſt commune omni medicamento alexipharmaco: nam *Bel* apud Arabes ſignificat dominum, & *Zabard* venenum; quare quodcunque vel ſimplex, vel compoſitum medicamentum, quod à veneno oppreſſos perſanat, vel ab eo immunes facit, dicitur Bezahard. Sed præſertim lapis Bezahard ex capratum Indicarum, ſeu Peruanarum ventriculis extractus, hoc nomen per antonomaſiam ſibi vendicat, de cuius

mirabili virtute contra venenum, & venenatos morbos, tam multa dixere aromatum diligentiſſimi ſcriptores, vt Garcias ab Horto, Nicolaus Monardus, Chriſtophorus à Coſta, Iordanus, Bauhinus, Anſelmus Boëtius, & alij, qui ex Arabum mente huic lapidi tot admirandas attribuunt facultates: de quibus, ſicut de huius lapidis temperamento, egimus *lib.1.in com.hiſt.36.*

Sed quæres, num hic lapis cuius ope curatus hic fuit æger, ſit ille quem deſcribit Scaliger *exercit.153. num.7.* & ab eo vocatur *Paxar*? Minimè quidem, quia ex huius auctoris mente hic lapis in capite cuiuſdam animalis inuenitur, in regno Deli, quod Tartaris Catainis affine eſt, mollis, fuſci coloris, amygdali magnitudine, quę certa vtilitate ad omnia venena, in prima commendatione apud incolas haberi eo loco teſtatur Scaliger.

Sitne noſter lapis Belzaar, ſeu theriacalis, cuius copia ex Orientali, & Occidentali plaga quotannis ad totam Europam conuehitur, hæſitant multi, nam Monardus *tract. de lapide Belzaar*, & Geſnerus *lib. 2. de animalibus, fol.* 111. hanc hiſtoriam citantes, hunc auctorem loquutum fuiſſe de lapide Belzaar Indico aſſeuerant: de quo negotio vide Matthiolum, *lib.5. in Dioſcoridem, cap.*74. & Vlyſſem Aldrouandum *lib.1. de quadrupedibus, cap.21. & 22. de hirco Belzaartico.*

Ex altera parte facit Auenzoaris auctoritas, *infra in capite*, vbi eſt ſcripta hiſtoria hæc, cuius mentem explanant celeberrimi auctores, qui lapidem huic ægro cum tanta vtilitate oblatum, fuiſſe natum in angulo oculorum cerui conteſtantur. Extat in primis Scaligeri ſummi Medici, & Philoſophi non diluta auctoritas, *lib. aduerſus Cardanum, exercit.* 112. dum ſic ait: *Cerui lachrymam in noſtris muſarum theſauris habemus chariſſimam. Ante centeſimum annum in ceruo nulla eſt. Poſt eam ætatem accreſcit ad oculi canthum ipſis oſſibus, atque in os protuberans, concreſcit ea duritie qua cornu ſuperet. Qua parte prominet, rotunda eſt, inſigni nitore, coloris fului, non ſine veſtigiis atriorum venularum, tanta lænitate, vt penè tactum effugiat: ita enim ſeſe ſubtrahit, vt propemodum ſeipſam mouere videatur. Aduerſus venena remedium præſtantiſſimum. Peſte correptis datur cum vini momento: vnde tantus cietur ſudor, vt penè totum ſolui corpus credas.* Et Andreas Bellunenſis Bezaar apertè firmat eſſe lapidem, qui vocatur Lachryma Cerui, generata in ceruis, quia comedunt viperas, maximè in Perſia, vt Tiphaſi Arabs docuit, *libello de gemmis*, qui ex Arabico in Latinum eſt tranſlatus.

At multò clarius Ioannes Langius ſic huius lapidis hiſtoriam deſcribit, *lib. 2. epiſtol.* 24. Theomneſtus *lib.1. art. veterinar. grauis veterinariorum medicinæ auctor, ſcribit ceruos, vermes inteſtinorum inuolucris implicitos, ſerpentum eſu enecare, quos ex cauernis narium ſpiritu eliciunt, & ne illorum virus ipſis obſit, ad fontes aquarum accelerant, quibus ad labra vſque ſe immergunt: tum oculis lachrymæ lentè diſtillant, quæ viſcedine ſua coagulatæ, in angulis oculorum in lachrymas nucis inglandis pondere coaleſcunt. Deinde cùm ſeſe veneno exoneratos ſenſerint, aquam egreſſi, in latebras diuertunt, & vt lapis ille viſus obſtaculum decidat, caput arboribus affricant; quem inuentum, vt Bezehard contra quoduis venenum, antidotum efficaciſſimum, venatores Siciliæ, & Orientis magni vendunt: de quo Auenzoar Arabs pondus trium granorum hordei, in lacte, aut aqua cucurbitæ, vel roſarum diſſolutum, filio Haly Regis Coneſtabilis potandum dedit, & eum à virulenta icteritiæ aurigine liberauit.* Firmat Plinius *lib.8.cap.27.* Scribit quoque Scribonius Largus de lapide Bezeartico, *cap.*163. Ceruis Siciliæ in angulo oculi qui nares verſus vergit, naſci ſordes, quas venatores contra omne iobolorum virus, & pharmaca deleteria in tubarum volucris deferant. Has ergo ſordes ex patulis infra ceruorum oculos foraminibus erui, & in ſolo papyri inuolucro bene olentes per ſeptennium illabatas ſeruaui. Et Renodæus ſic ſcribit *l.3.de mater.medic. cap.5.* In maiore oculorum cantho ceruorum antiquiorum concreſcit liquor quidam, gummi modo, quod mira proprietate ſudorem mouet copioſum, & venenatam peſtis, aliorúmque malignorum affectuum qualitatem oppugnat. Firmat Lacuna *lib. cit. in Dioſcorid.*

Deinde apros, atque ſeruos illachrymare, teſtis eſt Plutarchus *lib.7. ſympoſ.cap.* 2. quo loco ceruorum lachrymas dulces, aprorum verò eſſe ſalſas aſſeuerat. Nam animal frigidum eſt ceruus, ardente verò calore conſtat aper; vndè ille perſequutores fugit, hic verò atroci ſe dente ira inflammatus vlciſcitur: animal enim ferum eſt, & adeò natura calidum, teſte Xenophonte *lib.de venat.ad Cyrum*, vt recenter occiſi dentes ita ferueant, vt crines, aut ſetas ſi quis admouerit, exurant. De iſto lapide lege Geſnerum, *lib.1.de animalibus; tit. de ceruo, fol.mihi* 111. quem ſe vidiſſe ex India Orientalis ad Luſitanos miſſum narrat Amatus *lib.2.in Dioſcoridem cap.*74. Lege Gulielmum Laurembergium, *diſput.de feb.Petechiali, in fin.*

Ponzettus *lib.ſuo de venenis*, ſic ait: *Experimento cognitus eſt ad omnia venenorum genera pollens lapis, quem vocant Kemne, ſeu Bezar, colore citri ſplendens, odore vini, natus ex lachrymis ceruorum. Infirmi enim ætate flumen quotidie ingrediuntur in Oriente, & ſtant in eo immerſi vſque ad caput, donec emittant lachrymas, quæ frigiditate aëris & aqua coagulatæ, vertuntur in lapidem magnitudine auellanæ, qui exeuntibus è flumine decidit:* quod etiam teſtatur Sennertus, *lib.5. natural.hiſt.cap.4.de lapidibus & gemmis.*

QVÆSTIO XLII.

Vtrùm ceruus, os ex eius corde, & aliæ partes habeant natiuam proprietatem aduerſus venenum? Contra Veſalium, Anatomicum inſignem.

COMMENTARIVM.

O*Culos ceruorum.*] Apex ille ſublimis, & eorum qui prodigioſa, & abdita naturæ myſteria ſcrutantur, quaſi quidam Deus meritò appellandus, Plinius, obſcuram nimis protulit ſententiam, *lib.11.ſuæ hiſt.cap.53. Ceruorum anima ſerpentes vri.* Exitio his (id eſt, ſerpentibus) eſſe ceruos, nemo ignorat, vt ſi qui ſint, extractos, cauernis mandant. Nec verò ipſi ſpirantes tantùm aduerſantur, ſed membratim quoque fugari eos nidore cornu, ſi vratur, firmat Conſtantinus *c.2.* ex Xenoph. *Ceruus exhauriens, & attrahens ſpiritum, ſerpenti vertiginem facit, & ad ſe pertrahit:* & notauit in Plinium diligentiſſimus Iſaacus Caſaubonus.

Nicander *in theriac.* ſic habet: *Neque tum in vllum ſerpentem incidas, cùm ceruorum motus celeriter fugiens, vitam interimens venenum ſuum in hominem excuſſerit: ſupra modum enim prolixas ſpiras ducentibus ſerpentibus indignantes hinnulorum parentes, & capreæ inueſtigant omnia aſpera loca, ſepes, & ſepta ſcrutantes, horrendo narium ſuarum halitu, & flatu accelerantes, latibuliſque propinquantes:* quam eorum pugnam egregiè deſcribit Oppian. *lib. 2. de venat. cap.21.* & Solinus *in Polyhiſt.*

Hinc Plutarchus *lib. de animal. prudentia*, ceruos dici aſſeuerat, non à lenitate corporis, ſed à tractu ſerpentum, quoniam hæ facilè ab ipſis attrahuntur, quum enim latent; cornu ſaxo alliſi, & affricati odore, cogunt è latibulis, velint, nolint prodire. Alij quaſi leuem, & curſu promptum ita nuncupant. Confirmatur hoc veteris Gloſſographi verbis, *in lib.3.Iliad. Homer.* Dictus eſt à deprehendendis, vel capiendis ſerpentibus: nam eorum eſu naturaliter purgatur. Quare Ælianus *lib.8.de natur.animal.c.6.* admirabili naturæ dono vinci ab eo ſerpentes narrat, neque vllam illis eſſe fugæ viam tametſi in latebra abditis, quòd ceruus admotis ad latibuli foramen naribus, flatúque emiſſo, quaſi philtro quodam eos cogat exire, quos procumbens interimit, ac vorat, hyeme præſertim; quam vim celebrauit etiam Lucretius *lib.6.de natura.*

Naribus alipedes vt cerui ſæpe putantur
Ducere de latebris ſerpentia ſæcla ferarum.

Sed cur cornu cerui attrahit ſerpentes? Dubia, & difficilis ſolutio: Plures hanc cauſam ad occultas reducunt qualitates, quas non nego, immò potiùs defendo cum Galeno eas concedente, *lib.11. ſimpl, cap.6. & 1. de natural. facult.14. & 3.ſimpl.3. & 5.cap.2.17.18.19. & 23. & 1. per*

gener.

*gener.*16. *&* 8.*ſec.loc.cap.*8.*&* 13.*meth.cap.*7. ſubſcribunt Auic. 2.1. *doct.*2.*cap.*15. Meſuës, Arabes, & Aphrodiſæus *in procœmio probl.* explicant eleganter Fernelius *libris duobus de abdit.rerum cauſis*; Thom. Eraſtus *lib.de occult.med. propriet.cap.*1.*&* 4.Ioannes Franc. Vlmus *libris* 4.*de occultis in re medica proprietatibus*, Fracaſtorius, Ruellius, & alij Medici præſtantiſſimi,& Ælianus *lib.*8.*de animalibus, cap.*6. hanc cum philtro comparat amatorio,quaſi trahatur à cerui ſpiritu ſerpens, vt à magnete ferrum, à ſuccino palea,ſic vt potiùs ſympathia ſit belluarum, quàm antipathia: Tamen contrarietas eſt: nam hæ animantes hoſtes inter ſe nominantur. Non igitur illo animæ tacito conſenſu, & quaſi mutuo amore ſunt præditæ: odium potiùs,& diſcordia intercedit;inuitum enim, ac quaſi nolentem trahi ſerpentem tradunt. Quare non affirmandum cerui ſpiritum gratum eſſe ſerpenti.

Deinde cur anima, hoc eſt, ſpiritu cerui vrentur ſerpentes, ſi ceruus frigidiſſimum animal eſt, & timidum? quare in prouerbium abiit, vir ceruinus ſeu formidoloſus, & fugæ magis fidens, quàm viribus.Hinc Antiſthenes,referente Plutarcho *orat.*2. *de fortitudine Alexand.* dicebat: *Hoſtibus nos omnia bona optare debere, excepta fortitudine,ea enim ſic fieri non poſſidentium, ſed vincentium. Atque ob hanc cauſam credi; naturam ceruo ignauiſſimo animali, cornua mirandæ magnitudinis, atque aſperitatis, ad ſui defenſionem dediſſe,docentem,nihil vires, & arma prodeſſe iis, qui ſubſiſtere non audent.* Hinc fit, vt ceruorum, & præſertim damarum ſanguis ſit ſeroſior, frigidior, ac dilutior, & non denſetur. Neque ſitis vehementiſſima, & aquarum deſiderium,ad quas continuò anhelantes accurrunt, aliud oſtendunt: ea inſatiabiliter non premuntur, niſi poſtquam viperarum cibo ſatiantur; viperinam autem carnem ſitim mouere incompeſcibilem tradit Galen. *lib.*11. *ſimpl.tit. de vipera*, ita vt Dipſas à ſitiendo ſerpens appelletur: de qua re lege quæ diximus *lib.*2. *in com. hiſt.*72. & plura retulerunt de cauſa ſitis ingentis ceruorum, Baldus Angelus Abbatius *lib.*6.*diſquiſ. cap.*6. & Ioan. Æmilianus *ſyntag.*6.

Geſnerus *loc. cit.* non tanti ſibi eſſe confitetur Plinij dictum, quanti eſt ipſa ratio certis argumentis confirmata, quamuis diſplicere non deberet, ſi quis vri diceret etiam exhauſto aëre latebrarum, non quidem per ſe, ſed per accidens, quatenus illius aëris fermè calore deſtitutus paulatim exanimatur,& quaſi exſiccatus vritur. Quare ceruus attrahit viperam, & eius pabulo reparatur, & illius eſu naturaliter purgatur, vel ſubductione alui, vel vomitione,alióque genere purgationis, vt menſium, vel ſudoris, vel expirationis per totius corporis meatus, & poros cutis. Sic enim ſingulis annis ſerpentes pellem exuere, & renouare ſolent; quam ſenectam anguium vocamus, ita illarum eſus facit vt mundificentur corpora, vt *lib.*1.*in com. hiſt.*84. *&* *lib.* 6. *in com. hiſt.*1. latiùs comprobamus.

Deinde minimè dubitandum eſt, cùm inter hæc animalia adſit mutua contrarietas, quòd natiua quadam repugnantia,genuináque vi alexiteria, ceruus viperas halitu ſuo interficiat. Nam hoc animal habet vim alexipharmacam, cuius ope ac beneficio veneni ſæuitiem retundit, & maleficentiſſimam qualitatem corrumpit. Si enim os in eius corde enatum contempleris, admirandáſque virtutes examines, inuenies id eſſe contta venenatos morbos antidotum præſtantiſſimum: renuat licèt Veſalius *lib.*1. *de fabr.* 20. qui hoc os in corde ceruorum reperiri fabuloſum eſſe retur; cuius falſam opinionem redarguimus, *lib.*1. *in com. hiſt.*36. & conuellit doctiſſimus Renodæus,*lib.*3.*de materia medic.cap.*19. dum ſic ait: *Maximè autem celebratur illud oſſiculum, quod ad baſim cordis ceruorum annoſorum habet adhæſum, quod à figura crucis, quam non male refert, venatores crucem cerui nuncupant, plurimúmque ad cordis affectus valere, non ſolùm ipſa experientia ducti docuere,ſed & Medici præter experimentum ratione docti confirmarunt, &c.* & probat Ioan. Coittarus Thareus, *lib. de febri pupurea, & contagioſa, in fin.* Quo loco pro huius febris medela, hoc os valenter auxiliari affirmat. Quapropter in præſtantiſſima venit antidota, & hoc tam excellenti, & pretioſo medicamento exornantur confectiones, exhilarans Nicolai, electuarium lætificans Galeni, confectio hyacinthorum, cordialis ab Alexandro Benedicto compoſita, confectiones liberantes à veneno magiſtrales,diamargariton frigidum. Huius oſſis vis eſt, quòd lætificat cor, & ſic melancholicis morbis remedio eſt, vitalem firmitudinem tuetur, & hoc modo cordis affectibus mirabiliter ſuccurrit, peſte affectis ſtrenuè auxiliatur, & ab hac immani lue, peſtiferóque aëre corpus tutatur, humoréſque à corruptione præſeruat. Denique eſt medicina contra venenum inſignis, vt notauit Nicolaus Fontanus, Medicus Amſtelodamenſis perdoctus, & celebris, *in ſuis inſtitutionibus pharmaceuticis,ſect.*5. *cap.*7. *de ſpeciebus & aromaticis in genere.*

Sed longè pro peſte, & venenatis morbis curandis præferendus eſt lapis ex ceruino corde exemptus, quem extractum ſe vidiſſe gloriatur Vlyſſes Aldrouandus, *lib.*1. *de quadrupedibus, cap. cit.* qui ea præditus erat forma, vt laminis conflatus, oui columbini magnitudinem æquaret; & quod iucundum fuit aſpectu, (inquit ipſe) poſtquam comminutus fuit lapis, repertum eſt oſſiculum in meditullio ſimile cæteris oſſibus in corde prognatis,circa quod putamina hæc ſeſe aggregando amplificauerant, & in hanc molem, atque duritiem calore cordis extorrente, lapillum produxerant: eum longè prætulerim cuiuis Bezaar, quum non in capræ ventriculo, ſed animalis alexicaci corde repertum, maiorem affinitatem habere nobiſcum veriſimile ſit;niſi in paſtum cauſam referas, quòd capræ illæ pabulo pollentiore veſcantur, quàm cerui apud nos.

Accedamus ad reliquas huius animalis partes: Nam præter plurima, quæ in vaſtis illis voluminibus referunt, ex multorum mente Geſnerus, & Aldrouandus, illud certum eſt, quòd genitale cerui tritum, ex vino potum, à vipera demorſis auxiliatur, vt *lib.*2.*cap.*36. prodidit Dioſcorides,& examplificat Matthiolus *in com.*

Cornu cerui ad plurimos morbos curandos mirabilem poteſtatem obtinet,nam cinis eius elotus, binis ſcrupulis epotus, prodeſt dyſentericis, & excreantibus ſanguinem, cœliacis, regio morbo, & veſicæ doloribus cum tragacantha, fœminis fluxione laborantibus cum liquore huic rei accommodato; vlceribus oculorum, & defluxionibus ſalutare eſt; infrictum dentes expurgat, ex Dioſcoride *lib.*2. *c.*50. & fluxis præ nimia humiditate gingiuis remedio eſt, ex Gal.11. *ſimpl.tit. de cornu ceruino*, & Auic. *lib.*2. *cap.* 281. Paulo *lib.*7. *eodem titulo*. Hydropem ſanat, vermes necat, ex Serapione *cap.*468. Veneno reſiſtit, adeò vt eius fumo ſerpentes illicò fugentur; quo pacto in celebratiſſimas ſuprà nominatas ingreditur confectiones, & plurimis aliis permiſcetur antidotis, de cuius vi mirabili ſat plura prædixit Plinius,*lib.*8.*cap.*32. & eius eximias dotes collegit in compendium Andreas Hildebrand, *in epiſtola de cornu ceruino.*

Ob hanc cauſam firmant naturæ periti, ceruos cornua decidua occultare, & præſertim ſiniſtrum ex Ariſt. 3. *de hiſt.animal.cap.*5. In quo maior eſt vis, quòd eorum vtilitatem homini inuideant: ſic enim Ælianus *lib.* 3. *de hiſt. animal.cap.*17.*&* 19. *Cùm probè nôrit ceruus, magno eſſe vſui mortalibus cornu ſuum dextrum, præ inuidia, ne eo fruantur, defodit humi:* & Plutarch.*lib.*7.*ſympoſ.quæſt.*1.cornu indefinitè profert.Et Solinus *cap.*19. *Polyhiſt.* dextrum eſſe, quia hoc efficacius ad medelam: & explicat clariſſimus Salmaſius *in com.* vt ſolet luculenter. Si iam cornuti caſtrentur,nec creſcunt,nec decidunt, ſed eandem magnitudinem referunt. Cæterùm hanc rem alij aliter interpretantur, vt Oppianus ſic canens.

Aſt vbi pulchrifidis ſublimia cornua ramis
Vertice labuntur, præſertim ſidere verno,
Effodit extemplò foueas,& humata recondit,
Nequis humi nactus capiat ſic fortè relicta:
Tum profugus degens extremis abditur oris.
Denſáque luſtra pudore graui ſuffuſus oberrat,
Turpe ratus coram nuda ceruice videri,
Quam tanto faſtu ſublimem attolleret antè.

Alij ſic ratiocinantur. Cornua ceruina temporis decurſu

fiunt

fiunt ita ſolida, & dura, vt ſoliditate, duritiéque ſua ad lapidum naturam accedant; quare decidua ſunt vtilitatis cauſa vt onere leuentur, ſunt enim ponderoſa nimis: ſic explicant Ariſt. 2. *de partib. animal. c.* 2. Albert. Magnus *lib.* 3. *de animalib. tract.* 2. *c.* 1. Baſſianus Landus Placentinus *lib.* 1. *de hiſtor. human. in med.* Vtrùm verò ſoli cerui inter cætera animantia, cornua amittant, quoniam illorum cornua ex cranio non exoriuntur, vt reliquis cornigeris, ſed cuti ſolummodò adhærent; quo pacto in Phrygia, aliiſque locis boues illa perinde atque aures mouent, 3. *de hiſt. animal.* 9. An quia verno tempore noua cornicula ſuboriuntur, quo etiam ſerpentes, & aliæ quædam animantes ponunt aridum, duratúmque exuuium, cute noua naſcente; & aues nidificantes, pennas; quadrupedes, pilos; & ſic nouorum cornuum germina veteribus ſubnaſcentia, ea propellant & extrudant, agitat Geſnerus *loco citato de quadrupedibus* ſolertiſſimè.

Certiſſimum tamen eſt, ceruos in plurimis partibus habere alexiteriam vim, & natiua quadam ſorte veneno reſiſtere, veneno ſiſque ſerpentibus innoxiè veſci, non ſolùm propterea quòd vipera eſt familiare alimentum ceruis, vt aſſeruit Theophraſtus *lib.* 4. *de cauſ. plantar. cap.* 10. § *Quod cùm in multis palàm eſt, tum omnium fermè conſenſu in ceruis pateſcit, qui viperas edunt, quibus cætera moriuntur, tametſi multo maiora, robuſtioráque ſunt &c.* Sed quia illi virtutem in ſe habent ingenitam domandi venena; nam auctore Lacuna *loc. cit. in Dioſcorid.* ſanguis ceruinus epotus cum vino, contra venena auxiliatur ſtrenuè, & præſertim os ex eius corde extractum. Hoc modo, pudendum ceruinum eſt contra venena antidotum, ex Amato 2. *in Dioſcor.* 39 & firmat Franciſcus Veleſcus *lib.* 1. *de quadrupedibus, cap.* 10. Sed omnium maximè præſentaneum eſt contra omnia venena, lapis in oculorum cantho enatus, de quo memorabilem obſeruationem in hunc locum, vt commodiorem, deſcribendam hactenus reſeruo.

OBSERVATIO.

Lapis Belzaar ex cantho oculorum cerui extractus, contra venena efficax antidotum.

ANno 1597. in Conimbricenſi Collegio laborabat maleficentiſſima febre Pater Emmanuël Aluares, ſexagenarius, excellens Philoſophus, (qui commentaria in libros Ariſt. de generatione, & anima, quos Phyſici ſumma cum voluptate perluſtrant, conſcripſit) & adeò venenatæ febris ferocitas inſilierat, vt nullum non remediorum adhibitum genus contempſerit. Celebriores illius inclytæ Academiæ Profeſſores, vnà mecum vocati, qui fortè exercendæ praxis gratia cum eis conueneram. Acceſſimus, exploramus pulſum, qui obſcurus, paruus, debilis, & inæqualis erat. Aderat anxietas maxima, crebra vomitio æruginoſa, inquietudo aſſidua, extremorum frigiditas, vigilia importuna, delirium ferox, lingua ſcabra ſicca, vrina paſſea, aluus aduſta, denique cùm inappetens, & immorigerus eſſet, immò ad fauces mortis deductus, & à Medicis pro deplorato habitus, ecce in nono morbi die obuiam ſeſe obtulit Pater Ioannes Correa, qui in Orientali India apud Iaponenſes, & Magni Coſmi beneficiarios, in eadem ſocietate triginta annorum ſpatio, Prouincialis munere functus fuerat: in quo terræ tractu ſicut diuerſa venenorum genera reperiuntur, ſic Creator omnipotens benefica manu, humani generis miſertus, tot contra ea innumera ferè creauit antidota; & capſulam auream paruulam in manu gerens, ex ea extraxit lapidem in oculo cerui enatum, rotundum, nucis iuglandis paruæ magnitudinem habentem, colore cineritium, læuem, mediocriter ponderoſum, cuius vi ac ope, tam dirum malum eradicandum eſſe, ſicut iam quater in venenatis, & commorſis à tigride, fuerat expertus, certò ſperabat. His dictis, adſtantibus Medicis, & præſente Patre Franciſco Suareſio, Philoſopho ſummo, & in illa Academia Theologiæ Profeſſore primario emerito, illius ſocietatis alumno, cultello aureo acutiſſimo abraſit leuiſſimè lapidem & pulueris tenuiſſimi, velut minutiſſimæ ſcobis grana tria, cum vnciis duabus aquæ ſtila-

titiæ ſcorcuneræ, ægro iam moribundo in potum propinat. Poſt hauſtum ferociùs reluctatur, & in varias figuras ſe iactans, tandem dimidiæ horæ ſpatio placidè obdormiuit, & expergefacto, tam copioſus ex vniuerſo corpore calidus per horam emanauit ſudor, vt vix compeſci poſſe aſſiſtentes dubitarent: quo ceſſante paulatim æger ad mentem rediit, dormiit ſuauiter, edit alacriter, & citra febrim, à tanto malo in vndecimo die immunis euaſit. Hic ergo lapis contra venena, & venenatos morbos, & antidotum, pretioſis Regum theſauris anteponendum, & ſic apud Proceres Indiæ in ſimiles vſus maximè æſtimatur, quem illi dediſſe dono, Principem Iaponenſem vocatum *Micoronon dono*, Prouincialis ipſe affirmabat.

HISTOR. XXX. AVENZOAR.

De dyſenteria venenoſa.

Dyſenteria venenoſa ſmaragdo ſupra ventrem impoſita, curatur.

ET expertum eſt, quòd ſuſpenſio ſmaragdi in dyſenteria, eſt mirabilis efficacia, & iuuamenti. Cum autem liberatus fui, & euaſi à manibus Haly, & ſuorum hominum, rediens Sibiliam, vidi in via quandam herbam, quam putaui eſſe addion ſilueſtre, & non dubitabam: Acceptum de illa comedi modicum, & inde habui dyſenteriam magnam cum dolore ventris; & cùm perueni Sibiliam, adhuc durauit dyſenteria. Tunc ſuſpendi ſuper ventrem meum ſmaragdum vnam, & aliam poſui in ore abſque trituratione, & liberatus fui incontinenti, &c. Auenzoar lib. 1. theizir, tract. 2. cap. 5.

PARAPHRASIS.

ORiri dyſenteriam à veneno, ipsámque populariter graſſantem peſtis inſtar mortales corripere, nouum non eſt: ſi enim venenoſa qualitas omnibus corporis noſtri partibus eſt infeſta, cur non inteſtinis? Deinde ſi humor dirus, & maligna, deleteriáque qualitate infectus, in inteſtinis procumbat, cur non abradet, excitabitque in iis vlcus doloſum & cacoëthicum?

Hoc aſſerunt Antonius Carthaginenſis *lib. de febre peſtilenti, tract.* 3. *rubric.* 2. *de fluxu venenoſo*, Guainerius *tract. de venenis, tit. de dyſenteria venenoſa*: & noſter auctor hoc morbo oppreſſus, præter plura medicamenta, quæ par eſt illum pro ſalute ſua fuiſſe machinatum, nullum præſtantius ſe lapide ſmaragdo inueniſſe refert. Cùm enim à venenoſa herba quam ille non deſcribit, nec nos quæ fuerit, diuinare poſſumus, acri forte, acuta, & vim venenoſam ſortita, abraſa eſſent inteſtina, nullo alio potuit ſibi opem ferre auxilio, quàm ſmaragdo ſuper ventrem appoſita: cuius vis alexiteria per poros cutis ſimul cum aëre attracta, inteſtina firmauit, & prauam qualitatem ipſis inſidentem correxit, & penitus extinxit.

Audi ipſum *ſuprà, in eodem capite*, dum ſic ait: *Quoniam ſi in principio ſcieueris morbum eſſe ex veneno, citiſſimè tunc dare debes infirmo ex optima ſmaragdo pondus nouem granorum, ex ſmaragdo trita, & cribellata ſubtiliter cum aqua calida, ieiuno ſtomacho, & videbis in operatione huius rem mirabilem, &c.* Et *in præfatione ſui operis*, ſic habet: *Et ſi aliquis fluxum magnum patiatur cauſa alicuius medicinæ acutæ, vel ex aliquo humore venenoſo, vel malo, curatur ex eo. Et qui habuit prædictum fluxum, ſi receperit pondus nouem granorum hordei ex ſmaragdo trita, & ſubtiliter cribellata cum aqua calida, ieiuno ſtomacho, curabitur ex ea. Et eſt neceſſarium ei, qui recipit theriacam, vel ſmaragdum, vt tardet à potu, & cibo, vſquequò tranſeat horæ ſeptem, vel parum plus, vel minus ab ipſorum receptione. Item ſi ſmaragdus ſuſpendatur ventri fluxū habenti, vel dyſenteriam liberabitur inde.* Cur verò tātam vtilitatem præſtet ſmaragdus pro hoc morbo, epilepſia, aliiſque grauiſſimis ægritudinibus curandis, latè diximus *lib.* 1. *in com. hiſt.* 22. De cuius vtilitate eximia pro curanda

dyſenteria epidemica, vide Ioan. de Lamoniere *proprio libello de huius affectus curatione*, *in fin.*

In curatione dyſenteriæ peſtilentis & venenoſæ, loco ſmaragdi alia poſſunt offerri, quæ non ſolùm veneni malitiam retundant, ſed adſtringant, & inteſtina, partéſque naturales firmare nata ſint, vt bolus Armenus, cornu cerui vſtũ, os de corde cerui, margaritæ, raſura eboris, ſantalum, roſa, corallum, ſemen rumicis, & cætera medicamenta, quæ venenis medentur: quorum vſu plures, anno 1583. conualuiſſe, dyſenteria epidemica maligna vexatos narrat Gregor. Turonenſis, *lib.* 5. *hiſt. ſuæ.* Materiam verò remediorum fusè exaratam ſi legere concupiſcis, adi Ioannem Colle, Medicum Patauinum excellentiſſimum, qui *lib.* 3. *de morbis malignis, cap. de dyſenteria venenoſa*, eam ex profeſſo deſcripſit. Lege plura de eius ratione, apud Ioan. Gadeſden, qui vocatur Roſa Anglica, *tract. de morb. particularib. tit. de dyſenteria*, & Ioan. de Concoregio, *lib.* 9. *ad Almanſ. eodem titulo*: & pro domando veneno, in febri maligna cum dyſenteria complicata, vtiliſſima auxilia propoſuit Antonius Fonſeca Luſitanus, *in ſuo de epidemia febrili non ineleganti libello.* Et de eius mirabili virtute contra venena, pulchra conſcripſit Anſelmus Boëtius *lib.* 2. *de lapidibus, cap.* 53. & eius Scholiaſtes Adrianus Toll. Medicus doctiſſimus.

HIST. XXXI. GALENI,

De theriacæ compoſitione.

Plurima experientia ad theriacæ compoſitionem eſt neceſſaria, quod egregio exemplo comprobatur.

VNde quidam theriacam rhodio melle cùm admiſcuiſſet, & eam ego conſpexiſſem, id quod euenerat, ex melle quod poſuerat, accidiſſe dixi. Mirabatur autem ille. Tum ego rurſus eum interrogaui, numquid & mel plurimùm coxiſſet, ipsúmque diutius deſpumaſſet. Quæ ſe feciſſe cùm fateretur, ob hoc etiam mirabatur, ac ſi reconditi quippiam ex me audiuiſſet. Hinc ipſe ſuam temeritatem damnare cœpit, quod ex ſola librorum lectione conficere theriacam auſus foret. Alius quoque theriacam mihi videndam obtulit, quam compoſuerat, acidam factam, causámque ſciſcitabatur. Cùm ergo ex me cognouiſſet, ſe plus vini quam par fuerat, impoſuiſſe, nec defæcati, nec antiqui, forſanque & plus panis, quam decebat, non ritè confecti, viperinis carnibus admiſcuiſſe, ſicque rem ſe habere fateretur, vt temerarius à nobis obiurgatus diſceſſit, &c. Galenus, lib. 1. de antidotis, cap. 7. & 8.

PARAPHRASIS.

PLurima ſunt, quæ à iuniorum Medicorum peritiſſimi præſertim Bononienſibus, Londinenſibus, & Auguſtanis, ad veram & exactam tam nobilis & vtilis medicamenti compoſitionem, ſapienter, doctéque ſunt animaduerſa. Quorum primum eſt, vt ſimplicia quibus adornatur, ſint perfecta, optima in ſui ſpecie, legitima, & non adulterata; ob quam cauſam noſtro æuo theriaca non rectè paratur, vt *lib.* 1. *in com. hiſt.* 27. protulimus, & omnia examinauit ad viuum Rondeletius *in tract. de theriaca*: fecit etiam Bartholomæus Marantha, & graphicè, & accuratè correxit Nicolaus Fontanus, *in ſuis inſtitutionibus pharmaceuticis*, *ſect.* 8. *cap.* 3.

Secundum, vt paretur cum eiſdem omnibus ponderibus, quibus à Mithridate & Andromacho eſt compoſita. Tertium, vt mel ſit dulciſſimum, acerrimum, nullo externo ſapore conſtans, coloris flaui, relucentis, purum, odoratum, mediocris craſſitiei, vniformis, æqualis tenacis, & vt filum ducat, viſci inſtar, tempore verno ſit collectum, ad apibus in loco thymis frequentibus, & aromaticis, ſiccíſque herbis conſito, & per duos annos ſit rectè ſeruatum, quod ad ignem minimè coquatur, ſufficit vt incaleſcat tantillum, donec eleuauerit ſpumam, illicóque coletur; aliter enim confici theriaca non poſſet, cum quantitate ſola mellis in deſcriptione præmiſſa.

Hinc conſtat, qua temeritate fuerit ductus Medicus hic, qui mel plurimùm concoxit, diutiúſque deſpumauit, cuius cauſa diutiſſimè incorruptum ſeruatur, ex Gal. 1. *alim.* 10. immò quantitas minuitur: in parua autem quantitate theriacæ virtus, quæ longo tempore indiget ad ſui fermentationem, conſeruari haud poteſt.

Deinde vinum ſit vetus, vinoſum, dulce, non auſterum, non fumoſum, minimè corruptioni obnoxium, coloris flaui, lùcidi, tranſparentis, non craſſum, aut turbidum. Non ergo miremur, ſi theriaca ab illo compoſita euaſerit acida, cùm vinum eſſet turbulentum, nec antiquum. Quapropter ad huius antidoti, cæterarúmque illuſtrium confectionum apparatum, vinum ne aceſcat, in cella vinaria calida reponi debet, ne frigidiuſculum factum ab extraneo aëre occupetur magis, & ſic calidis herbis ob eandem cauſam eſt cooperiendum, vt Galeni pater miro ingenio faciebat,

Licèt enim vigente æſtu, & ſæuiente bruma vinum aceſcat; nam nimius ambientis calor natiuum vini calorem attrahit ad extrà; vehemens frigus humiditatem exprimit ſiccitate ſua, qua diminuta, naturalis rei calor non rectè obtinetur: Tamen moderato calore vinum conſeruatur. Quæ autem acorem vini impediant, proponunt facundè Ruellius, *lib.* 1. *de natur. ſtirp. cap.* 143. & Leuinus Lemnius *lib.* 2. *de occult. natur. miracul. cap.* 52.

Vltimò aduertere licet vt theriaca verno, aut ſaltem æſtiuo tempore paretur; quoniam cùm ipſa non proſit, niſi poſt ſextum menſem tranſactum adminiſtrata, in his temporibus ob aëris caliditatem atque temperiem, perfectam fermentationem inter ſe ſimplicia nanciſcuntur; autumnali verò, & hyemali tempore, ob contrarias cauſas nequaquam: mel enim glaciem concipit, nec in ſe aptè recipere medicamenta poteſt. Cætera verò ad theriacæ præparationem neceſſaria, lege apud Angelum Buſtum, *diſput. de mellis conueniente quantitate ad theriacam componendam.* Conrad. Hofmannum *in ſua analyſi compoſitionis theriac. Andromachi.* Eliam Bonfinium *lib. de theriac. deſcriptione, & ingredientium delectu, quantitate, & præparatione.* De quo argumento elegantiſſimè inter omnes diſſeruit Daniel Becherus, Regiomontanæ Academiæ primarius profeſſor inſignis *diſput. de theriaca.*

HIST. XXXII. GALENI,

De ſaliuæ vi alexipharmaca.

Saliua humana, aduerſus mortiferos animalium ictus, præſentaneum eſt antidotum.

SAliua totâ ſubſtantiâ vel maximè aduerſa eſt beſtiis hominem interficientibus, ceu alicubi etiam Nicander Poëta retulit. Pollicitur autem mihi quidam incantionem ſeſe oſtenſurum, qua ſcorpios interficeret: vbi illam tertiò dixiſſet, atque expuiſſet, mortuus eſt ſcorpius. At poſtea ego abſque incantatione, à ſola ſaliua morientem vidi ſcorpium; idque celeriter patientem à ſaliua eſurientium, aut ſitientium, tardè autem ab illis qui cibo, potúque fuerant impleti: in aliis autem proportione, &c. Galenus lib. 10. ſimpl. cap. 16. de ſaliua.

PARAPHRASIS.

NOn inutile Galen. pro enecandis ſcorpionibus auxilium edocet, ſed ſalutare, ac maximè facultate: nam ex horum morſu pars quæpiam dolore, diriſque cruciatibus afflicta, phlemonem contrahens, putredine citiſſimè morticinium ſentit, quoniam præ venenoſa qualitate virulenti animalis, natiuus partis calor citò extinguitur. Vt ergo hæc fieri prohibeantur, ſi fortè fortuna ſcorpius ictum infligere velit ſaliuam in eum expuere oportet, quam à proprietate, ſcorpionum, aliorúmque animalium venenoſorum ictibus valenter reſiſtere, probat Gal. *lib. de bonit.*

*& vit. ſucco*r*, cap.2. & lib. de inaqual. intemp. cap.* 18. & poſt eum firmarunt eleganter Plinius *lib.* 28. *cap.* 8. Lacuna *in præfat. lib.6. in Dioſcorid. in med.* Arnald. *ſupra quæſtionem de mala complexione diuerſa.* Cælius Calcagninus *lib.* 1. *epiſt.* Qui de ſaliuæ humanæ aduerſus venena, & potentia, & efficacia, mirabilia prædixerunt.

Saliua ergo, liquor qui ori innatat, linguámque humectat, ac cibum irrigat, nihil aliud eſt, quàm pituitoſum quoddam excrementum, quod in ventriculo ex alimentorum ſucco conceptum, ad cerebrum defertur, atque hinc ad linguam, faucéſque corriuatur, auctore Leuino Lemn. *l.2. de occultis natur. miraculis, c.44. de ſaliua humana effectu*: de cuius ſignificato, & vſu diximus *lib.2. in com. hiſt.9.*

Hæc cum ſit ex pituitæ genere, vt notat Gal. *lib.3. de loc. cap.7.* plurimas ſortitur differentias, penès ſubſtantiam quam habet. Nam alia eſt craſſa & viſcida, alia tenuis, altera ſpumoſa, aliquando eſt copioſa, interdum pauca, ſæpe eſt inſipida, ſalſa, amara, dulcis, acida; & à calore etiam alias differentias habet, quoniam eſt alba, nigra, pallida. De harum differentiarum cauſis pulchram fecit diſſertationem Mercurial. *l.3. de excrementis, c.3.* de cuius etiam ſignificatione, & ſuperſtitione apud Antiquos Lipſius docet, non valdè longè ab extremo. 14. *lib. annal. Taciti, in notis.*

Accedamus ad eius effectus. Auicen. 1. 1. *doct.4. cap.2.* multam ſaliuam adiumentum præſtare ad perficiendam coctionem arbitratur, quod probat exemplo tritici maſticati, quod tubercula concoquere poteſt, non ob aliud, niſi quia in maſticatione, huiuſmodi ſaliua vi coquendi prædita tritico permiſcetur. Ob hanc rationem ſcribit Gal. 5. *ſec. loc.* 1. Fabæ lomentum commanſum ſummè diſcuſſorium euadere, ob facultatem à ſaliua ſibi commiſſam.

Hac de cauſa furunculos, lichenas, mentagram, impetiginem, variolas, ſerpiginem, omnéſque alterius generis puſtulas abſtergit: lepræ ieiuno ipſius illitu affiduo arcentur, lippitudines matutina quotidie inunctione; carcinomata, & cæteræ deterrimæ inflammationes hoc auxilio curantur; & alij tumores inueterati ſolius ſaliuæ contactu miteſcunt.

A probatiſſimis Medicorum inculcatum, hoc præſidium contra ictus venenoſorum animalium prodeſſe ſummè, & ieiunam ſaliuam contra ſerpentes auxilio eſſe quod Lucretius *lib.4.* cecinit.

Eſt itaque vt ſerpens hominis contacta ſaliuis,
Diſperit, ac ſeſe mandendo conficit ipſa.

Maximum inter hominem, & ſerpentem eſt diſſidium, temperationiſque repugnantia, vt ſcribit Martio Smytnæus, qui *de ſimplicium effectibus* diſſeruit, & rumpi ſcolopendras marinas ſputo tradit, rubetas, aliáſque ranas. Plinius *lib.28. cap.4.* ſerpentes emori dixit, ſi quis in hiatum earum expuat, vt probat Franciſcus de Verulamio *libel. de ſympath. & antipath. in med.* Argumentum huius rei hoc ſit firmiſſimum, quòd non modò animalcula noxia interficiat, ſed argenti viui malitiam extinguat atque coërceat, atque mobilitatem illi eripiat, vt paſſim expetimur in confectione vnguentorum, quæ pro morbo Gallico, aliiſque contagioſis morbis parari ſolent, in quæ ingreditur Mercurius, quem vt innocentior reddatur, extingui ſaliua humana Medici præcipiunt, maximè ſi ſit eſurientium, ac ſitientium: Quoniam vt vrina, & bilis, ſic etiam ſaliua ſumpto cibo imbecillis eſt; valida autem & acris eorum, qui ingenti aut inedia, aut ſiti premuntur. In medio eſt, eorum qui probè concoxere, nondum tamen cibum, potúmve ingeſſerunt, vt *citato loco* in quo eſt ſcripta hiſtoria hæc, Gal. affirmat. Ergo citra incantationem ſaliua humana, mutua, quam cum ſerpentibus habet, repugnantia, ſcorpium, & cætera animalia venenoſa interficit. Vtrùm autem verum ſit, quod de præcantationibus fertur, accuratè (ni erro) ex multorum mente auctorum dixi, *lib.* 1. *in com. hiſt. vlt.*

HIST. VLT. AVENZOAR. & Galeni, de veneno.

Venenum à Medico nullo modo propinandum, vel indicandum: quod illuſtri exemplo confirmatur.

Medicus ſi ſcit aliquid de venenis, non eſt niſi vt ſciat eorum accidentia remouere, & ſuis nocumentis obuiare, & non vt ſciat ipſa in ſe, & in ſuis effectibus alio modo, niſi fuerit infidelis, & ſuas fides proprias voluerit denegare; propter hoc quilibet Medicus tenetur obſeruare præcepta Hippocratis in hoc caſu, quæ ſunt, quod quilibet Doctor in medicina non debet aliquem diſcipulum docere, niſi priùs iurare faciat ipſum, ne vtatur medicinis mortiferis, vel venenoſis vllo modo. Et pater meus, cùm eſſem puer, & diſcipulus ſuus in medicina, me iurare fecit, vt nullatenus medicinis venenoſis, vel mortiferis vti deberem. Et cùm ſic iuuenis eſſem & nouus in medicinâ, ibam de vna ciuitate in aliam practicando. Quadam vice ſic eundo, ſociatus ſum vni proditori, qui à me occultè volebat diſcere aliquam medicinam mortiferam. Et ego ab illo habueram in feudum petiam vnam terræ quam mihi abſtulerat. Qui dixit mihi, habeas eam de cætero à me liberam, & ſecuram, credens quòd ego eſſem de illis, qui propter pecuniam proditionem facere deberem, & meam corrumpere legalitatem. Et idem adulator, quem Deus deſtruat & confundat, illud dixit mihi palam ſcilicet quòd ei dare deberem medicinam, quæ velociter poſſet occidere; cui iurani per Deum verum, & pro certa veritate, quòd nihil de talibus cognoſcebam: dicendo ei quòd Medicus (in quantum Medicus) de talibus ſcire non debet, niſi vt cognoſcat, & ſciat ex iis accidentia remouere. Qui dixit mihi, quomodo à me vis te occultare, & celare, poſtquam tibi meum ſecretum volui pandere, & manifeſtare? Quare timui valde & dixi ei. Secretum tuum quod mihi aperuiſti, à me non manifeſtabitur alicui in perpetuum. Et poſtea dixi ei, expecta donec perquiram libros, & demum faciam tuam voluntatem, ſi Deo placuerit. Qui dixit, quantum vis vt expectem? reſpondi, da mihi ſpatium quindecim dierum, & illum terminum quæſiui, quia affectabam fugere ab eo, & fui die illa in magna anguſtia, & tribulatione. Manè autem facto iuſſit pro me, & timui ne mitteret illa de cauſa; quare dolui ad mortem: cùm veniſſem ad eum, vidi quodiam Deus, cuius nomen ſit benedictum in ſæcula, punierat eum, & inueni eum iacentem, & proſtratum, abſque ſenſu & intellectu, in tantum vt me non cognoſceret, &c. Auenzoar lib.1. theizir, tract.2. cap.5. in fin.

Accuſatur Medicus, quòd exitiale medicam ntum dederit. Dedit autem illud puero cuiuſdam mulieris, quæ illi, vt id eme-ret, mandauerat. Illa verò poſtquam venenum id habuit, iuſſit vt ſeruus, qui priuigno miniſtrabat, illud ipſi offerret; quo aſſumpto, ille mortuus eſt. Vnde omnes damnati ſunt, nouerca, & ille qui venenum obtulit, & ille qui emit, & præterea Medicus qui venenum vendidit, &c. Galen. lib. de cauſis procatarcticis, cap vlt. in med.

QVÆSTIO VLTIMA.

Vtrùm toxicum, & venenum ad conuertent iam dicantur. Contra Cæſalpinum Medicum præſtantiſſimum.

Fortiſſimus medicinæ choragus, *in illo ſuo iureiurando,* *num.*1. in quo viget ſuccus, & ſanguis incorruptæ veritatis, & ſplendet naturalis, & non adulterinus pietatis nitor, lege quadam ſancita ſtabiliuit, diſcipulóſque ſuos arctiſſimo, & inuiolabili iuramento addixit, ne vlli venenum propinarent. Sic enim habet Aſclepiadarum fulgentiſſimum iubar; *Neque verò vllius preces apud me adeò valida erunt, vt cuipiam venenum ſim propinaturus, neque etiam ad hanc rem conſilium dabo*, ô ſententia ſempiternæ memoriæ commendanda! ô elogium oraculo Delphico excellentius! ô præceptum Medico pio, vero, ſyncero, & quod plus eſt Deum timente, digniſſimum?

Nam præterquam quòd Medicus debet [illegible] pietatis

cultor,& famæ, nominiſque fuit retinentiſſimus, aliiſque debet eſſe optimis dotibus inſtructus, quas deſcribunt Hipp.*lib.de medico.*Explicant Valleriola,*lib.*1.*loc.com.c.* 4. Roderic.à Caſtro *lib. de medic. politic.* Renodæus 1. *inſtit. pharmaceuticar.c.*1.Septalius *in cautionibus*, & alij : tamen *turpis calamitas eſt, medicamento dato hominem occidere*, vt Hipp.dicebat *lib.de medicam.purgantib.num.vlt.*

Immò funeſtum, dirum, execrabile ſcelus, mortem pro medicina propinare, vt notauit Heurnius doctiſſimus *in com.iureiurandi Hip.* Quoniam Medici ſunt Dij tutelares, vel,vt cum Galen.loquar,*lib.de medico,cap.*3. Deorum filij meritò eſſe cenſentur. Hinc medicamenta, Deorum manus,*lib.6.de compoſ. medic.* Herophilus vocat. Quare Medicus, qui auaritia egeſtate, temeritate, odio venenum vel exhibet, vel propinat;meritis pœnis eſt condemnandus, immò grauioribus ſuppliciis vt proditur afficiendus; & ſic Iureconſulti hoc impio ſcelere commoti, venenandi crimen, præſertim in Medico, qui poſt Deum, humanæ vitæ debebat eſſe defenſor acerrimus, grauiſſimum arbitrantur, quoniam homicidio grauius eſt,*lib.* 1.*cap.de malef.& mathem.*probant Baldus *in lib. nemo clericus.* Farinacius *q.* 121.*part.* 1. *n.*4.Caballus *in tract. de omni genere homicidij,n.*583.Qui in hoc ſcelere ita ſunt ſeueri, vt non diſtinguant nobilem ab ignobili, ſed vtrumque patibulo ſuſpendi iubent, quæ pœna ignobilibus ſolis ſolet irrogari, vt ex tam variis auctoribus confirmat celeberrimus noſtri temporis Medicus,Paulus Zacchias *lib.* 2.*quæſt.medico-legalium, tit.* 2. *quæſt.*1.*num.*5.ad cuius amœniſſimam, & vtiliſſimam lectionem te remitto.

Medico licitum eſt tractare de venenis, vt ea euitet, & aliqua medicamenta ex iis componat, cum aliis cardiacis permixta, ſaluti humanæ valdè proficua, vt probat Cardanus *lib.* 1. *de venenis,cap.*1.Nam viperæ caro ingreditur in theriacam; opium,in philonium; cantharides, ad medicamenta peculiaria, & ad hydropem commendantur. Napellus, ad lepram: & exteriùs ad pleraque vtilia ſunt ſpuma argenti, ærugo, Mercurius, & alia metallica. Tamen neceſſe prius eſt,vt accuratè diſtinguat, quid in antiquorum monumentis ſit toxicum; in hoc enim auctores video eſſe diſcordes: quare operæpretium duxi, illius ſignificatum,& eſſentiam indagare ad vnguem,ne poſtea aliqua hæſitandi occaſio poſſit ſupereſſe.

Omne ergo ſiue pharmacum, ſiue medicamentum, quod licèt exiguum, perimit, eſt toxicum, vt Ariſt. ex verſione Gazæ tradit.1.*ſect.probl.*48. Quare quodlibet venenum maximè exitiale, & pernicioſum, per antonomaſiam toxici nomine inſignitur, ita Plautus *in Mercat. act.*2.*ſcen.*4.

Certum eſt, ibo ad Medicum, atque ibi me toxico morti
dabo,

Ita vniuersè accepit Martialis, *lib.epigram* 5.*epigr.*118.

Effecit poto Mithridates ſæpe veneno,
Toxica ne poſſent ſæua nocere ſibi.

Quare ad omne veneni genus explicandum, toxici nomen vſurpatur. At toxicum propriè ſpecies eſt. Quid autem? Non eſt ad enucleandum facilè. Plures herbam eſſe ſibi perſuadent, & herbam certam, quam Arabes napellum appellant, quod eius ſucco ſagittæ inficerentur, probat Cæſalpinus *lib.*3.*ſuæ medicin.cap.*20.

Sed hæc opinio reprobatur à Matthiolo, *lib.4.in Dioſcoridem,cap.*72.*& lib.6,cap.* 20. Quoniam adeſt diuerſitas ſymptomatum, toxico attributorum à Dioſcoride, & napello ab Auic. vt & remediorum, & longè ſunt deteriora toxici incommoda, quam napelli. Deinde ſi hoc verum eſſet, aliæ herbæ certè dici toxicum poterunt, aliique ſucci, quibus tingi ſagittas non ignoramus, vt probat Bacchius *in prolegomen.venenor.c.*5.*& c.*14.*art.* 6. Hac ratione Ponzett.*lib.*1.*de venen.c.* 24. Toxici non eſſe vnum genus affirmat, quia ſagittas non modo napelli ſucco, ſed etiam ellebori,aconiti, quinetiam felle Leopardi, immo ſanguine humano cum viperina ſanie commixto, Parthi, Scythæ, Ægyptij inungebant, vt auctor eſt Plinius *lib.*11. *cap.*52. & firmat Nicandri interpres *in alexiph.* Lethale venenum,irremediabile ſcelus. Qui hoc potarunt, vel telis hoc veneno delibutis icti ſunt, mente non conſtant, immò cum linguæ, & labiorum tumore, rabie efferati, inſtar luporum vociferantur. His autem paſſum cum oleo roſaceo potum, rapatúmque ſemen ex vino hauſtum, ac crebra vomitione redditum, auxilio eſt, vt auctor eſt Dioſcorides,*lib.6.cap.*20.

Ex hoc loco Dioſcoridis, toxicum eſſe putat omne venenum, quo arcus, ſiue iacula tinguntur,vt Aëtius refert, *tetrab.*4.*ſerm.*1.*c.*70.Gellius *lib.*17.*c.*15. Plin. *lib.* 26. *c.* 5. Virgil.*lib.*8.eleganti metaphora, ac tranſlatione duplici, quam notauit Quintilianus *lib.*8.*cap.*16.

—— *Quo non felicior alter*
Vngere tela manu, ferrúmque armare veneno.

Et rurſus *lib.*10.

Calamóſque armare veneno.

Sil. Italicus *lib.*3. de Mylis, qui Annibalem aduerſùs Romanos erant ſecuti:

—— *Sceleratáque ſuccis*
Spicula dirigere, & ferrum infamare veneno.

Lucan.*lib.*8.diſſuadens profectionem in Parthos,ſic ait.

Nec puer, aut ſenior lethales tendere neruos
Segnis, & à nulla mors eſt incerta ſagitta.

Tum *Spicula nec ſolo ſpargunt fidentia ferro*
Stridula, ſed multo ſaturantur tela veneno:
Vulnera parua nocent, fatúmque in ſanguine ſummo eſt.

Et rurſus Italicus *lib.*1.

Dacus vt armiferis Geticæ telluris in oris,
Spicula, quæ patrio gaudens acuiſſe veneno,
Fundit apud ripas inopina binominis Iſtri.

Et ſimpliciùs Poëta Ouid.*lib.4.de triſt.eleg.*1.ſic cecinit.

Hoſtis habens arcus, imbutáque tela veneno.

Vide, & 2.*amorum,eleg.*2.*&* 4.*de Ponto,eleg.*7.Ælian.*lib.6. de animal.cap.*16.Et Homerus *in Vlyxea*, *lib.*1.

—— *Iaculis lethalia pharmaca quærens,*
Queis queat in bellum iam Martis iturus Vlyſſes,
Vngere tela manu, ferrúmque armare veneno.

Ita in Orientali plaga, & Occidentali Caribes, ſiue Cannibales Anthropophagi habitant,quibus mos eſt ſagittas ſucco cuiuſdam herbæ tingere, quæ intra paucas horas perniciem adferunt,nulla ſpe remedij, vt auctor eſt Martin.Egnatius *cap.*2.*nauigat. ad Sinas*, & Franciſcus Lopius *de rebus Indicis ſæpiſſimè.*De his *lib.*2.*nauigat.Chriſtoph.Columb.* Laurentius Gambraa, Poëta non ignobilis, metaphora vſus Virgilij,ſic canit.

Hæc ſunt arma, quibus Caribes vtuntur in hoſtes
Finitimos, cum bellantur, ſaturata veneno
Spicula. ——

Et. *Quorum armare acies gens illa aſſueta veneno,*
Torſere hos contrà volitantia tela, veneno
Armata, antiquæ patrio de more. ——

De his plura vide apud Petrum Cecium. 1. *part. hiſt. Peruanæ, c.6.&* 7. & Chriſtianum Bercmannum *l.de originibus linguæ Latinæ,littera A,tit.de acu.*

Neque puto verum eſſe, à taxo animali ſomniculoſo deducendum eſſe hoc vocabulum toxicum, licèt taxi morſus lethalis ſit, quod veſcatur vermibus, ſcarabæis, ſerpentibus, & id genus beſtiis pernicioſis, vt Olaus Magnus refert *lib.* 6. *hiſt. ſepten.c.*20.quia taxi morſus non ita venenoſus: Toxicum autem ita exitiale eſt,vt vel contactu veſtis citiſſimè interficiat.

Sequamur ergo doctrinam Plinij, *lib.* 6. *cap.*10.qui toxica venena ex eo dicta eſſe ſcribit, quòd ex arboribus taxeis exprimantur: & licèt toxicum reciprocè dicatur cum veneno, tamen venenum quod fit ex ſucco taxi, vel per ſe, vel cum aliis pernicioſis ſuccis permixto, omnia venena enecandi celeritate antecellit. Taxus enim arbor eſt triſtis, dira, nullo ſucco, ex omnibns ſola baccifera, mas noxio fructu: lethale quippe baccis: in Hiſpania præcipuè venenum ineſt: vaſa etiam viatoria ex ea vinis in Gallia facta, mortifera fuiſſe compertum eſt. Et adeò eſt arbor præſentis veneni, vt auiculæ quæ taxi baccas deuorauerint, denigrentur, & qui ederint eaſdem homines, alui profluuio capiantur, & *Narbone* (ait Dioſcorides *lib.* 4.*cap.*68.) *qui dormiunt ſub ea, aut eius vmbra ſubſident, læduntur, & ſæpenumerò moriuntur*: & firmat Ruell. *lib.*1.*de natur.ſtirp.cap.*133.*& cap.* 136. *eiuſdem libri*, ſic ait

Conuenit inter omnes taxum eſſe arborem venenatam vmbra, nedum ſurculo, & fronde. Algorem vniuerſo mobitur, ſtrangulatque ac celeriter conficit, &c.

Denique (vt ait ex Aëtio Vidus Vidius *lib.2.de curat. generatim, tract.de venenis, cap.3.tit.de ſmilace arbore*, quæ & taxus dicitur) *hæc arbor, & eius vmbra adeò infeſta eſt, non ſolùm hominibus, ſed quadrupedibus, præſertim cùm floret, quia tunc magis pernicioſo ſucco redundat, vt aſſiſtentes non ſolùm frigore, & inæqualitate, ſed à tota ſubſtantia interficiat, & ſtrangulet.* Idem probat Iulius Cæſar Baricellus *tit. de taxo.*

Nec dubites, plurimas arbores eſſe venenatas. Nam flos daturæ eſt venenatus, & mentis facit emotionem, apud Garziam ab Horto, *lib.2.hiſt. aromat. c.* 24. & probat plurimis arborum nominibus in medium adductis, quæ inter Peru, & Cannibales inſulas reperiuntur. Theuetus *lib. ſingular. cap.* 61. & *tract.* 1. *coſmogr. lib.10.cap.* 3. Buxi frondes noxiæ ſunt, ac pernicioſæ, corporique humano deleteriæ, vt proprio exemplo probauit Leuinus Lemn. *libro ſimilitud. in Bibliis, de herb. atque arboribus, cap. de buxo.*

Deinde arborum quarundam vis eſt noxia, atque mortifera, vt nucis arboris, apud Greuinium *lib.1.de venen.* & Marcel. Donat. *lib.* 1. *de hiſt.mirab.cap.*1. Fernelium 2, *de abdit.* 14. Quare proximis ſtirpibus, & arboribus grauis eſt, & ſata lædit, & ſic in extremo fundi ferenda, apud Ouidium. Et tamarindorum vmbra noxia, ex Chriſtoph. à Coſta, *lib.aromat.cap. de tamarindis.* Hoc modo iuniperi vmbra eſt grauiſſima, vt probat Virgilius *Eclog.10.verſ. penult.*& Lucret. *lib.6.*

Arboribus primùm certis grauis vmbra tributa,
Vſque adeò capitis faciant vt ſæpe dolores,
Si quis eas ſubter iacuit proſtratus in herbis.

Hoc modo taxus baccas fert rubentes, acquifoliæ modo dulces, vinoſaſque, quas quandoque mandentes tum paſtores, tum qui in ſyluis arbores cædunt; ſtatim in febres incidunt, & dyſenterici fiunt; ſanguine, & ſpiritibus inde inflammatis, vt notat Matthiolus *ad cit. cap. Dioſcorid* & *lib.6.ad cap.*12. Probant Pena *in aduerſariis pag.*450. Dodonæus *pempt.* 6. *lib.* 1. *cap.*10. edocti à Theophraſto, *lib.3.de hiſt.plantar, cap.* 10. Cuius arboris hiſtoriam omnem collegit præter cæteros Barbarus, *in corollario ſuo*, ex Græcis, Latiniſque ſcriptoribus eleganter. Taxo plurimas arbores in Braſilienſi prouincia inueniri ſimillimas, quarum vmbra mortifera ſit, refert Emmanuël de Morais, Luſitanus, hiſtoriæ Braſilienſis ſcriptor inſignis *lib.1.hiſt Braſilienſ cap.*14.

Maligna ergo eſt taxi natura, & toxicum ex hac arbore paratum, de qua intelligendus Lucretius *lib.6.*

Eſt etiam magnis Heliconis montibus arbos,
Floris odore homines tetro conſueta necare.

Ergo vt ſemel concludam: Toxicum pro omni veneno ſumitur, ſed præſertim pro illo quod ex taxo exprimitur, quo ſagittæ tingi ſolent, Huc alludit Virgilius *lib.2. Georgic.*

——— Ithyreos taxi torquentur in arcus.

Lege Lithyreos, id eſt, Parthicos, vt Seruius notat *in com.*& Lucanus *lib.7.Pharſ.*

——— Ithyreis curſus fuit inde ſagittis.

Quare taxus peſtilens eſt arbor, de qua monuit Virgilius *lib.Georgic.*4.ne propinqua aluearibus plantaretur:

Neu propius tectis taxum ſine ———

Amariſſimo enim ſapore mel inficit: & *Eclog.9.*

Sic tua Cyrnæas fugiunt examina taxo.

Si pulchra de taxi malitia, toxici ſignificato, vario modo cum eo tingendi ſagittas, ſcire aues, lege Langium *lib.* 1. *epiſt.*68. Cælium Rhodig. *lib.*23. *lect. antiq. cap.* 10. Nam nos hoc genere ſcriptionis vago, & multiplici hactenus inſtructi, properamus ad librum ſextum, in quo, varia etiam lectione, aliqua citra vitij aut ruinæ metum, contra Claſſicos obfirmabimus, quæ genium habeant, nec ſint quarta Luna nata: quo loco accuratius ſeliget Lector ſuauia, quibus auctior ſit, & cultior litteraria ſupellex noſtra.

FINIS LIBRI QVINTI.

ZACVTI LVSITANI, DE MEDICORVM PRINCIPVM HISTORIA.

LIBER VI.

In quo medicinales omnes Medicorum principum hiſtoriæ proponuntur, quæ in ſuperioribus libris certam ſibi ſedem non determinarunt. Acceſſit ſpicilegium anatomicum.

PRINCIPIVM.

SVPERIORIBVS libris,de omnibus propemodum morbis qui mortales infeſtant, ſumus prolocuti. Superſunt nonnulli, qui illis commodè non potuerunt inſeri commentariis, cùm de aliis agant argumentis; & cùm per hiſtorias digerantur, hæque breuiori numero ſint comprehenſæ, placuit in earum expoſitionem poſt textus interpretationem, alias grauiſſimas quæſtiones ſaltuatim agitare, quæ tum eas, tum alias in aliis libris deſcriptas explanent luculenter, & ſic ducente ſtilo,agemus de ſomno, hiſtoria anatomica, quam in compendium mirum graphicè redigemus, criticíſque diebus: & alia ſcitu digna proponemus, quæ tuum animum varia, & vtili lectione recreent affluentiùs, in quibus dirimendis dum laborarem, conſului principum exemplaria varia, & præſertim Græca, vt ex eorum contentione, & inſtituto ſcriptoris,aut ex iudicio explanatorum, aut ex aliis præſidiis recta ſcriptura approbetur,præpoſtera excludatur.Sed quoniam ex conſuetudine peritiſſimorum Medicorum poſitum eſt in more,vt primis, optimíſque præceptoribus Medicinæ innitamur ſemper, idcircò in hoc libro ab illorum placitis, vt in aliis libris fecimus,ne latum quidem diſcedemus vnguem, ex quorum illuſtribus ſcriptis, ſucculenta doctrina hauritur,quam plures cenſoria ſeueritate etſi deſpicatui ducant, tamen ego eam reſeruo in corde meo, & moneo vt in tui ipſius centro illam reponas, qua munitus excelles inter alios Medicos, velut inter ignes Luna minores.

HISTORIA I. GALENI, ET ARETEÆ I.

De elephantiaſi.

Ab elephantiaſi, quidam fortuitò, alij ob viperarum, & remediorum vim, arte curati.

CVM quidam homo ægrotaret morbo, quem elephanta cognominant, cum ſodalibus conuerſabatur, donec ex ipſius conſuetudine, conuerſatione que quidam ipſorum morbi inficerentur contagione, & ille iam odoratu grauis, ac fœdus redderetur aſpectu. Conſtructo igitur illi tugurio proximè vicum in iugo collis propter fontem, illic hominem collocant, tantum illi quotidie ciborum ferentes, quod vitæ ſuſtinendæ ſatis foret. Cæterùm ad canis exortum, cùm fortè meſſoribus haud procul inde metentibus vinum eſſet allatum; in fictili ſane quàm fragrans, is quidem qui attulerat, depoſito illo propè meſſores, abiit. Verùm vbi eius bibendi adueniſſet tempus, ſublato fictili adoleſcens, vt pro more impleto cratere, competente aqua vinum temperaret, in cratera vinum effundit, & vnà excidit vipera emortua: qua re attoniti meſſores, veriti ne quod, ſi bibiſſent, inde ſibi malum eueniret, ſuam quidem ſitim aquæ potione ſedare maluerunt. Cæterùm cùm illinc diſcederent, præ humanitate videlicet, ac miſericordia, homini illi elephanti obnoxio vinum largiuntur, rati expedire potiùs illi mori, quam in ea miſeria vitam ducere. At ille vbi bibiſſet, admirandum in modum ſanitati reſtitutus eſt. Nam tuberoſum illud omne cutis totius, non aliter quàm animalium à teſta mollitudine nuncupatorum malacoſtracôn, tegmen decidit: quod autem reliquum erat, molle admodum apparuit, inſtar cutis cancrorum, ac locuſtarum, vbi extima teſta fuerit detracta.

Alterum verò huiuſmodi non diſſimili caſu in Myſia Aſiæ, non procul ab vrbe noſtra accidit. Vir quidam elephante laborans, profectus eſt ad aquarum ſponte naſcentium vſum, ſperans inde nonnihil ſe commodi adepturum. Erat illi ſcortum cui ille fidebat. At cùm locus eſſet ſqualidus & viperarum plenus, forte fortuna ex illis vna in vrceum vini incidit negligentiùs poſitum, extinctáque eſt. Ad ſcortum quidem in lucrum id reputans quod fortè eueniſſet, hero id vini propinat, atque ille ebibit: cæterùm ad eum modum, quo ille qui degebat in tugurio, ſanatus eſt.

At hæc quidem duo ſunt experientiæ monumenta, quæ caſus attulit, nunc verò tertium adiungam quod imitatio fecit. Philoſopho cuidam multos ante annos hac ipſa ægritudine afflicto, vt iam illi mors vitæ præferenda videretur, geminos hoſce euentus cùm recitarem, idem etiam experiri cogitauit, ad quod obeundum augurio quoque confirmatus, protinus vinum medicatum, quod parare iuſſerat, hauſit, nec multò inde poſtea leproſus factus eſt: ac poſtea lepram eius nos conſuetis remediis ſanauimus.

*Quartus præterea viuas capere viperas arte inſtituit, ſed illius in illo morbi tantùm erant principia: itaque cura nobis fuit, vt ſanaretur quàm celerrimè. Quocirca vena ſecta, atráque bile per medicamentum vacuata, viperis quas capiebat vti conſuluimus, præparatis in olla anguillarum in modum. Atque hic ita ſanatus eſt. Igitur iſta à nobis enarrata ſunt, vt oſtenderemus multa caſu inueniri, & imitatione confirmari: * obtulit enim fortuna, vt non incommoda tantùm ſed commoda quoque, ex quibus ars confici poſſet, conſpicaremur. Galenus* lib. 11. ſimpl. cap. 1.

In altero elephantem inchoantem primùm quidem per venæ ſectionem, & purgationem ſanaui, nunc autem ſingulis annis huic ſufficit vna purgatio, ea autem omiſſa ſtatim paſſio innoteſcit, &c. Galenus lib. 6. Aph. com. 47.

PARAPHRASIS.

VTiliſſimæ ſunt hiſtoriæ hæ, & ad curandum difficilem, & rebellem morbum maximè neceſſariæ: quoniam non ſolùm periculoſus eſt, & miſerandis ſymptomatis ægros conficit, ſed cõtagione vicina corpora inquinat. In elephanticis tumores exurgunt per totum corporis ambitum craſſi, duri, acuti, & aſperi, cum cutis craſſitudine coniuncti, pili rareſcunt, adeſt in pube, & mento glabrities, pulſus ſunt puſilli, graues, tardi, venæ temporum & ſub lingua ſunt diſtentæ, cuius caro grandine eſt reſperſa; deinde pugnante natura, & ad externas partes humorem melancholicum excernere properante, ſummi digiti impetigine tentantur, genua pruriunt, impetigo in orbem mentum ambit, rubent cum magno tumore genæ, oculi fiunt caliginoſi, ſupercilia craſſa, glabra, tumeſcunt labia, faciei color liueſcit, & ater fit, nares cum fœdis tumoribus ſalebroſæ ſunt, intumeſcit naſus, dentes nigricant, aures admiſta fuſcedine rubent, obſtructæ, patulæ, conſueto grandiores; alarum inſtar factæ, elephantis modo, vnde huic morbo Elephas nomen eſt; in quarum baſi renaſcuntur vlcera, ſanies defluit, totum corpus rugis aſperis exaratur, oculi redduntur caliginoſi. In plantis, & calcaneis vſque ad medios digitos fiſſuræ fiunt. Aucto malò, tumores malarum, menti, digitorum, vlceroſi fiunt, vlcera fœtida ſunt, & inſanabilia, & alia ſuper alia renata ita excruciant, & membra conſpurcant, quoad de corpore excidant, naſus, digiti, pedes, genitalia, atque manus tota, grauiſque putredo omnia contaminat, vt ſcitè ſcribit Aretæus *lib. 2. chron. cap.* 13. firmant Paulus *lib. 4. cap.* 1. Plin. *lib. 16. cap.* 1. Aëtius *tetrab. 4. ſerm. 1. cap.* 21. Theodor. Priſcianus *lib. 1. cap.* 37. Beniuenius *cap. 18. de abdit.* Fernelius *lib. 6. patholog. cap.* 19. Octauius Horatianus *lib. 1. cap.* 32. Gariopontus, vetuſtiſſimus auctor *tract. de lepra,* Gordonius *part. 1. de apoſtema. calidis, c.* 22. Vgo Senenſis *conſil.* 100. Fallopius *tract. de tumorib. præter naturam, cap.* 9. Nam vt refert Gal. 2. *de cauſ. morb. cap.* 7. Elephanticis tota immutatur forma, etenim naſus ſimus, labra craſſa, aures acuminatæ videntur.

Hæc eſt vera, ſuccinctáque elephantiaſis delineatio, de qua Galenus hoc loco. Recentiores vocant elephantiaſim Græcorum, quam longè eſſe diuerſam ab Arabum elephantia conſtanter tenent Marcellus Donatus *lib. de hiſt. mirabili c.* 4. Fuchſ. *lib. 2. paradox. c.* 16. Manard. 7. *ep.* 2. Mercurial. *lib. 1. de morb. cutan. c.* 5. & exemplo hoc patet. ad ſenſum: Auicen. 22. 3. *tract.* 1. *c.* 26. ſic eam deſcribit: *Eſt additio in pedibus ſecundùm modum qui accidit in venis varicum, quare incraſſat pedem cum æqualitate ſua, & plerumque fit propter melancholicum humorem, & aliquando ob phlegma craſſum, &c,* Cui cæteri Arabicæ familiæ duces libenter ſubſcribunt, ex Rhaſio *lib. 9 ad Almanſ. c.* 93. cum Amato *lib. 2. cent.* 34. qui Arabum elephantiaſim exactè deſcribit.

Elephantiaſin, morbum eſſe contagioſiſſimum, nullus Medicorũ it inficias, docétque Sacra Pagina *Num.* 5. *Præcipe filiis Iſraël vt eiiciant de caſtris omnem leproſum* & Leuitic. 13. *Omni tempore quo leproſus eſt, & immundus, ſolus habitabit extra caſtra.* Cur quoniam monente Paulo *loc. cit.* hic morbus contagioſus eſt, non minùs quàm ipſiſſima peſtis; atque ita hac tabe fœdati procul ab vrbibus, à mortalium cæterorum frequentia ablegandi ſunt. Et priùs dixit Aretæus Cappadox, Medicus grauiſſimus, Galeno

antiquior, *lib.2.tardar.paſ.cap.vlt. Itaque tales cùm ſint, quis non aufugiat? aut quis non auerſetur? Licèt filius, aut pater, aut etiam germanus frater ſit, quum metus eſt ne morbus communicetur, propterea multi in ſolitudines, & montes, ſibi chariſſimos deduxerunt.* Confirmat Fracaſtorius *lib.2. de morbis contagioſ.cap.13.* Valleriola eleganter *6.enarrat.5.*

Sed videntur obſtare plura contra hanc doctrinam. Primum, quod Auic.2.1.*doct 1.cap.vlt.* numerans morbos contagioſos, inter eos elephantiaſim non repoſuerit. §. *Et eſt præterea ex ægritudinibus quædam, quæ de vno ad alium tranſit, ſicut lepra & ſcabies, & variola, & febris peſtilentialis, & vlcera putrida, & præcipuè cùm domus ſtrictæ fuerint: ſimiliter cùm vicinus fuerit ſub vento: & ſicut ophthalmia, & præcipuè ei qui oculis eum intuetur: & ſicut congelatio, quum imaginatur aliquis quòd acetoſum illud operetur. & ſicut Phthiſis, & Albaras, &c.* Secundum. Quòd vapor eleuatus ab humore exiſtente in cute, cùm terrenus ſit, & melancholicus, vicino corpori adhærere nequit, & ita fuligo putrida eleuata, cùm careat lentore, immorari non poteſt. Tertium. Quomodo poteſt elephantiaſis eſſe contagioſus morbus, ſi hic eſt accidens, & hoc de ſubiecto in ſubiectum migrare non poteſt?

At hæc nullam habent probabilitatem: Nam ſi contagij cuiuſque eſſentia in particulari quodam putredinis gradu conſiſtit, Fracaſtorio Magiſtro *lib.1.de contagione, cap.9.* & nos *lib.1.in com.hiſt.vlt.* contra Valleriolam probauimus; dubitare non poſſumus, eiuſmodi putredinem, quæ contagium ſecum habeat, in humoribus hunc morbum facientibus eſſe, qui cum putrilagine ſint infecti, non ſolùm contactu & fomite, ſed ad diſtans inficere poſſunt: cùm enim elephantiaſis definiatur ab auctore definitionum. Affectus, qui cutem craſſam atque inæquabilem reddit, liuor adeſt tum cuti, tum oculorum albis, exeduntur partes manuum, ac pedum ſummæ, ex quibus ſanies liuida, ac fœtida emanat, fit vt ex hac virulenta ſanie exhalet halitus, tetra eminentíque conditione præditus, vicina corpora fœdaturus.

Auicenna verò hunc morbum inter contagioſos non repoſuit, quoniam ſub nomine Albaras (antiquus codex legit impetiginem) cætera cutanea vitia comprehendit: Nam ſub vno exemplo reliqua intelliguntur, ex Gal. 3. *acut.com.4* 2. maximè quod Arabes, vt conſtat ex Aui. 7.4. *tract.2.cap.9.* ſub nomine Albaræ nigræ, elephantiaſim intelligant. Deinde cauſa huius morbi, ſolus melancholicus humor non eſt ſtatuendus, ſed pituita craſſa, ſalſa, viſcida, à qua exiens vapor vicino corpori pertinaciter adhæret: neque terreſtris humor ab humiditate omni eſt exutus. Vltimò. Idem numero morbus non communicatur, ſed abſolutè ſeminarium quod à corpore emanat ægrotante, & alium morbum ſimilem eiuſdem ſpeciei producit in corpore ſano: accidens autem poteſt multiplicari de ſubiecto in ſubiectum; idem tamen numero migrare, eſt impoſſibile.

Igitur hic æger iam odoratu graui erat affectus; nec enim ſolùm in partibus extimis, facie præſertim extabant vlceroſa tubercula, craſſa, aſpera, nigra, dura, quæ extuberantibus totum maculis corporis ambitum vitiabant, quæ illum fœdum aſpectu effecerant, ſed viſcera quoque interna, ardore, & putredine erant conſpurcata, vnde grauis, & viroſus fœtor ſentiebatur, qui putredinis eſt certiſſimum ſignum, ex Galeno 1.*prog.vl.&* 1.*criſ.*12. nullo enim certiori ſigno putredo in interioribus, & exterioribus partibus deprehendi poteſt, quàm fœtore, atque ob id *l.de dif.ſympt. cap.4.* corruptelam putredinémve, excrementorum fœtorem neceſſariò ſequi affirmauit.

Ecce meſſores, qui prope tugurium erant, vbi miſer iacebat ægrotus; cùm in vrceo vinum haberent repoſitum, in eo viperam emortuam inuenerunt, quæ liquoris huius ſuauiſſimi fragrantia allecta, ad bibendum properans, in vrceum ſe præcipitauit, & ſic ſuffocata eſt. Naturalium enim indagatores tradunt, quod ſicut vino potu ſanè gratiſſimo, & vtiliſſimo homines delectantur, ſic etiam animantes, beſtiæ, feræ: nullum enim eſt animal, quod illius potione non recreetur. Immò ſerpentes, quum datur occaſio, vinum auidiſſimè appetunt, & hauriunt, vt docet Plinius *lib.10.cap.72.* quin aliquando fiunt ebriæ animantes expertes rationis. Alij ſimias, & cæteras quadrupedes vino aſſuetas, vnguibus, & vngulis carere dicunt: cuius affectus quærit cauſas Cæl.Calcagn. *lib.epiſt quæſt.2.* Hinc orta videtur prima illa Plinij, aliorúmque affirmatio; vini potu calcitroſas deſinere mulas eſſe, nec diſſimile apud Columel.*lib.6.cap.2.* miraculum: iubet enim bubulco, vt amiciores, & magis familiares ſibi habeat, & obſequentiores, in eorum domitura, ferocientium adhuc taurorum tergora inſpergi mero. Eſt verò etiam ſimile, quod proditum ab Auic.18.5. *c.de comminuentibus lapidem medicinis*, & relatum à Magno Alberto *lib.5. de animalib. tract.2.cap.1.* Hircum à proprietate ſuæ ſpeciei frangere calculum, ſi paſtus fuerit petroſelino, & potatus vino. Dignum planè memoria, quod in memoriis ſuis Gallicè prudenter ſcriptis Philippus Cominæus narrat, quum primum bellum inter Ludou. XI. Gallorum Regem, & Carolum Burgund. Ducis Filium deſcribit, ſe habuiſſe equum ætate prouectum, & eo fortè prælio confectum decertando, cùm vini vas magnum bibiſſet, diu poſtea eo vſum robuſtiſſimo, & maximè habili ad iter, ad pugnam, ad cæteros omnes ſubeundos labores. Volat.*lib. Philolog.2.* ſcribit OEnuta herba coruos ebrios fieri, vino ſimias & elephantes: & verò vrſum ex Vrſinorum ædibus Romæ vagantem exhaurire ſolitum, quæ poterat dolia vini. Poterat adiicere obſeruationi ſuæ ex vetere auctore Athen. *lib.10. cap.9.* ſues quoque ebrios fieri, ſi vuæ fæcibus paſcantur: immò coruos, & canes, ſi œnutam edant, & idem aſſerit de ſimia, & elephanto, ſi vinum bibant: Sic & coruorum, & ſimiarum venatio per vinum fit, & per œnutam, aliarum beſtiarum, ex Plin. *lib.21. cap.11. & lib.24. cap.17.* OEnuta verò eadem videtur eſſe, quæ & œnanthe, & fortaſſe eſt œnagra Dioſcordis, cuius radix vinum olet, & madefacta potu mitigat, & cicurat feras, vt eſt apud eum, *l.4.c.103.* & Theophraſt. *l.9.de hiſt.plantar.c.21.* de qua Ruellius *lib.7.de hiſt.plantar.cap.37.* Ergo animantia reliqua, & præſertim viperæ, vini ſunt auidiſſima, & vinum in quo illæ fuerint immerſæ, elephanticis & aliis morbis curandis miro eſt auxilio, vt ex multorum ſenſu auctorum diximus, *lib.1.in com.hiſt.vlt.*

Magis verò fortunatus fuit ſecundus æger, qui eodem modo ac primus, hoc eſt, vini viperini potu ſenatus eſt, antequam vires aquarum ſponte naſcentium (quas balnea naturalia vocant) expertus eſſet, ex quarum vſu morbum exaſperandum cuilibet eſt in confeſſo: Cùm enim hoc vitium ex hepatis ſqualore, hunc humorem acrem, & retorridum gignentis, velut à primaria origine ſcaturiat, fit vt balneo naturali applicito hepar igneſcat, excandeſcat corpus, acriórque reddatur humor, & magis ferox. Quapropter elephanticis balnea thermalia nocentiſſima ſunt, malúmque exacerbant, ídque multiplici de cauſa factum puta.

Prima, quoniam ſi ſint ferrea, aluminoſa, cutim denſant & facta conſtipatione pororum, humorem ad partes exteras excerni prohibent. Secunda, ſulphurea, ſalſa, nitroſa, ex Auicenna *tract.4. de remouendis nocumentis, tract.3.c.1.* nocent oculis lippitudinem, & ſenſuum turbationem excitant: quæ omnia in elephantiaſi, in qua facies præſertim oblæditur, ſummè ſunt formidanda. Nam hæc præterquam quòd etiam inflammant, adſtrictione ſua ad interiores ſedes humorem repellunt, quare ferini morbi propullulant. Hanc fuiſſe mortis cauſam cuiuſdam Athenienſis, cuius hiſtoriam deſcribit Hippoc *l.5. epid. num* 4. mihi perſuadeo, qui cùm prurigine toto corpore vexaretur, maximè autem teſtibus, ac fronte; & cutis craſſa eſſet per totum corpus, & velut leproſus aſpectu, & ex nulla parte apprehendere cutem præ craſſitudine, illique nemo opitulari poſſet, tranſgreſſus ad Melum. vbi ſunt calidæ balneæ, à pruritu quidem, & cutis craſſitudine liberatus eſt, verùm hydropicus factus, mortuus eſt. Et licèt immoderatum balnei vſum Valleſius *in com.* cauſam mortis attuliſſe affirmet, tamen non ex hac obiiſſe ex eo coniectandum eſt, quia Hip. in hiſtoria non refert; & ille cùm diutino morbo eſſet implicitus, & ſic imbecillis, immodico balneo non erat vſurus. Si verò Auicenna propria

balnea

tibus pruritu teſtatur eſſe marina, & falſa, & iuniores in pruritu & affectibus cutaneis ea conſulunt, quum corpus exquiſitiſſimè purgatum eſt, & ſolùm humor impactus in cute ſupereſt reſoluendus, ea eſt ratio, quoniam humor qui pruritum & alia vitia gignit, non ita eſt peruicax, perniciosus, & malignus, qui ſi in viſcera reſtagnet, morbos inſuperabiles generat, & ſubitam mortem inducit.

Ad tertium ægrotum accedamus, qui ſuperioribus argumentis edoctus, ſimile viperarum antidotum experiri maluit, quàm tanto victus malo miſerabiliter, relicta omni ſalutis ſpe, occumbere, ſicque vinum viperinum aſſumpſit. Paratur autem hoc ex mente Cœlij *lib. 4. tard. paſſion. c.* 10. Si in vini albi libras octo, iniicias anethi, epithymi, & ſennæ, an. drach. iv. & poſt aliquot feruores proiiciatur vipera, prius lota aqua, vino albo, & ſale, & deinde exemptis capite & cauda, ebulliat vinum quouſque pars tertia abſumatur. Vel ſi viperinam carnem in muſtum iniicias, ſimiles effectus experieris. Ex hoc vino non ſolùm manè prandio, & cœna ſufficientem quantitatem haurire poterunt ægri, ex quo vtilitas ſequetur non aſpernabilis, vt docent Paulus *l. 4. cap. 1.* Aëtius *tetrab. 4. ſerm. 1. cap. 123.* explanat Laurentius *tract. de lepra. cap. vlt.*

Sed dubitabis, quo pacto hic æger elephanticus vini viperini ope in lepram potuit migrare, ſi Galenus 11. *in libro, & capite*, vbi eſt ſcripta hiſtoria, hæc affirmat, & alibi, ab eodem humore oriri lepram, à quo elephantiaſis. & vtramque eſſe grauiſſimam affectionem? Dic periculoſiſſimam eſſe elephantiaſin, lepram mitiorem; quare tranſitus ſpem pollicetur, nam humores in carne impacti, qui faciebant elephantiaſin, ad cutem, partem ignobilem conuertuntur, & generant lepram. Quare conſumpta elephantiaſis à viperina carne, lepra deinde conſuetis remediis, hoc eſt ſanguinis miſſione & purgatione, aliiſque curata eſt auxiliis, quæ melancholicum humorem natiua forte expurgant, & illius ſæuitiem retundunt.

Cur verò vinum viperinum licèt venenoſum, morbum venenoſum perfectè ſanauerit: Dic, quod præterquam quòd venenum, veneno remedium eſt, vt ſuprà *lib. 5. q. 2.* prædiximus; vinum viperinum natiua quadam contrarietate, venenum elephanticum domat, ac refrænat, vt patet in argento viuo, ſublimato, auripigmento, & aliis, quorum vſum aduersùs morbum Gallicum ſuapte natura contagioſum, ſaluberrimum eſſe, nulli eſt non manifeſtum. Hoc modo plurimos à grauiſſimis morbis vino viperino caſu aſſumpto fuiſſe curatos; appoſitis exemplis narrat Proſper Alpinus *lib. 4. de medicina methodica, cap. 4.* Lege quæ diximus *lib. 1. in com. hiſt. 72.*

Quartus æger viperis præparatis ſanitatem eſt conſequutus. Quis verò ſit viperarum in olla anguillarum inſtar parandarum modus, non ex Galeno ſolùm, ſed ex cæteris citatis auctoribus conſtat manifeſtè. Ille enim *lib. 2. ad Glauc. c.* 10. pro curandis elephanticis, in olla eſſe præparandas dixit viperas ex albo iure, affuſa copioſa aqua, pauco oleo, porro, anetho, condiendas verò Marſorum more, qui feris venenatis, & aſpidibus nutriuntur, capite quidem diſciſſo, & cauda vſque ad digitos quatuor abiecta, interaneis exemptis, cute abiecta, aqua abluto corpore. Hoc modo conſueuiſſe veteres anguillis vti conuolutis cum betis, tradunt Athenæus *lib. 7. dipnoſophiſt.* & Ariſtophanes, Plinius, Ariſtoteles & alij.

Sed meritò inquires, cur noſtro æuo non tantam ex carne viperina, oleo, & vino perſentiant elephantici vtilitatem, quod notarunt Eraſtus *part. 4. diſp. contra Paracelſum*, Maſſaria, & Palmarius *lib. de morb. contagioſis, c. de elephantiaſi*, ea eſt ratio, quoniam ægri non ita ſunt obedientes, nec in victu, aut venere Medicis præceptis obtemperant. Deinde viperæ non capiuntur tempore commodo: Nam venandæ ſunt veris initio, quum latebris relictis foràs in apricum prodeunt, quo tempore virus non ita exitiale retinent. Intus namque deliteſcentes, quum nulla ex parte diſſlentur, magis ſunt pernicioſæ: ac egreſſæ, exuuium, ſeu craſſum tegumentum ſolent deponere, quare non ſtatim ipſas capere oportet, ſed permittere, vt aëre aliquandiu fruantur, conſuetóque veſcantur cibo, hoc eſt, herbis,

A bupreſtibus, canthatidibus, & pityocampis. Inſuper non eliguntur colore ſubflauæ, eximiè mobiles, habentes ceruicem extenſam, oculos ferinos, & inflammatos: has enim ad theriacæ compoſitionem, elephanticorúmque curationem plurimùm prodeſſe, præter Galenum *lib. de theriac. ad Piſon.* Rondeletius firmat *in ſuo eleganti tractatu de theriaca.* Adde huius ſummi auxilij ope plures fuiſſe perſanatos, qui graui elephantiaſi laborabant, vt refert Vidus Vidius *part. 2. ſect. 2. lib. 5. cap. 8. de curatione membrat.*

Quapropter priores ægri fuere caſu curati, hunc ſanauit experiētia, & imitatio, ex caſu profecta. Morbos autem caſu curari, nouum non eſt; ita quartanam caſu fuiſſe curatam, narrat Beniuen. *cap. 59. de abdit.* Valleriola 2. *obſ.* 4. Hoc modo curatum fuiſſe hydropicum, deuorata arena cum multa aqua, ſuperueniente alui fluxu, narrat Langius B *epiſt. 12. lib. 2.* Petrus Meſſias *part. 3. varia lection. cap. 15.* ſe quendam vidiſſe teſtatur, qui cùm in femore vulnus ſuſcepiſſet, ſanatus claudicabat, at poſtmodum alia in rixa, eadem in parte ſauciatus, ſanatus, rectus in poſterum inceſſit. Immò Beniuenius *cap. 21.* duorum meminit anginâ oppreſſorum, quorum vterque dum ſuffocaretur, gladio in gutture percuſſus, ſanatus eſt.

Vltimus verò æger ſanitatem recuperauit, quoniam venæ ſectionis & purgationis auxilio humor fæculentus, & craſſus fuit exhauſtus: Cùm enim ab hoc, aut flaua bile, vtriſque ſupra naturæ modum à calore immodico aſſatis, originem ducat elephantias, ſit vt ea in vaſis cumulata, naturæque negotium faceſſens, foràs ſeſe exerat, & per vniuerſum corpus diſſeminata figuram immutet, atque deprauet. Quare in hoc ſæuo, & truculento morbo grauia auxilia non dubitauit tentare Galenus, vt abſciſſo huius morbi fonte, hæc lues poſtea in ægrotantis perniciem ſerpere non poſſet, quod nullo auxilio præter venæ C ſectionem, & purgationem celebratē, poſſe confirmant omnes edocti à Gal. 2. *ad Glauc. cap. cit.*

Si enim malum recens ſit, & nihil ex ſummis deciderit, nulláque infeſtauerit exulceratio; neque eminentiæ tuberoſæ plurimùm exurgant, ſola autem facies aſpectu ingratior, deformiórque quodammodo ſit, eáque non admodum indecora appareat, tunc commodiſſimè exercetur inter initia phlebotomia, & maximè vere, quo tempore hæc paſſio ampliùs renaſcitur, & inualeſcit. Locum à quo ſanguis mitti debet aſſignat Aëtius *tetrab. 4. ſerm. 1. cap. 121.* quo loco ex vtroque cubito ſanguinem vacuandum imperauit; nam ſic ab liene, hepatéque, viſceribus in hoc morbo infectis, humor facili negotio ſolet vacuari;

Sanguinis miſſionem ſequitur purgatio clemens, quan- D do morbus in initio eſt; cùm enim corpus vlceribus conſpurcatur, morbúſque altas radices egit, & extrema decidunt, tunc nullum æger remedium habet, cóque elephantia confirmata incurabilis eſt; nulla enim ad hunc morbum potentior reperitur medicina. Si enim cancer, velut elephantiaſis quædam, in vna ſubortus particula, inter morbos inſanabiles numeratur, iure optimo elephantus, qui eſt cancer vniuerſalis, omne medicamentorum genus reſpuet, atque contemnet.

Sed quo pacto incipientem elephantiaſin curaſſe ſe glorietur Galenus, ſi hic morbus rebellis eſt, contumax, & inſuperabilis? Dic: Galenum ſanaſſe, non abſolutam, neque illam quæ altas iam radices in corpore egit, & in quæ viſcera habituali intemperie erant conſpurcata, eo maximè quoniam aliis etiam fortaſſe fuit vſus auxiliis, ea E autem tanquam particularia non commemorat. Quibus autem præſidiis inchoantem elephantiaſin curare oportet, docent ex antiquorum monumentis Paræus *lib. 19. à cap. 16. vſque ad 18.* Hollerius *lib. 1. de morb. intern. cap. 64.* Fallopius *loc. cit.* Ioan. Varandæus *tract. de elephantiaſi*, & plures alij grauiſſimi auctores, quos citat Fumanellus *lib. de lepra curatione.*

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

Vtrùm fortuna ſit conſtituenda in rebus, & conferat aliquid in curandis morbis, vt ſapientes veteres opinantur.

COMMENTARIVM.

OBtulit enim fortuna.] Veteri, atque laudabili clariſſimorum Medicorum conſuetudine receptum eſt, vt qui grauiſſimorum auctorum monumenta ſunt enarraturi, priuſquam lectores ad medicæ facultatis penetralia admittant, eos antè, vtiliſſima quadam doctrina, varia, & neceſſaria multipliciter inſtruant, atque præmuniant. Quare cùm in ore omnium nihil ſit frequentiùs, quàm Medicos appellare, benè, aut malè fortunatos, & fortunam hoc loco proferat Galenus offerre multoties, vt ille non incommoda ſolùm, ſed commoda, ex quibus ars conficitur, venari poſſit, & plures fortunam in arte medica, tanquam diuinum aliquod numen dominari aſſeuerent, placuit de ea aliquid in lucem promere.

Tractatio hæc latiſſimè patet, & ad plures diſciplinas pertinet. Medicus eam contemplatur, vt Galenus firmat. Rhetor quatenus in laudando, vituperando, ſuadendo, diſſuadendo, accuſando, & defendendo magnum momentum habet Fortuna: permagni enim refert, an quid fortuitò contingat, an potius conſultò, & ſcienter dictum, factúmque fuerit. Agit Logicus, tum vt doceat enuntiationes, quæ ſunt de rebus futuris contingentibus, in quibus locum habet fortuna & caſus, non habere certam, definitámque veritatem, tum etiam vt oſtendat excludi à ſcientiis, quæ caſu, & fortuitò contingunt, quum raro, indeterminatè, & per accidens eueniant, vt docuit Ariſt. *in fin. lib. 1. periherm. c. 8. & 1. poſter. c. 24. text. 45.* Agit Phyſicus, vt redarguat illorum Philoſophorum ſententias, qui vel putabant omnes res naturales fortuitò contingere, vt Democritus, & Leucippus; vel è contrariò opinabantur omnes effectus naturales ſempiterna quadam & immutabili ſerie, nexúque cauſarum euenire, quæ fuit poſtea Stoicorum opinio, docente Ariſt. 2. *Phyſicor. c. 4. 5. & 6* Agit Metaphyſicus, quia huius eſt omnes gradus entium, & cauſarum diſtinguere, in quibus ſunt entia fortuita, & cauſæ per accidens; atque etiam demonſtrare, non omnia fieri ex neceſſitate, vt docuit Ariſt. 6. *Metaph. c. 2. & 3. à text. 5. vſque ad* 8. Agit Philoſophus moralis, vt declaret an fortuna ſit cauſa felicitatis humanæ & quanti bona fortunæ æſtimanda ſint, & quomodo res fortuitæ, vel præmio, vel pœna dignæ habeantur, vt monuit Ariſt. 1. *moralium ad Nicomachum, c. 9. & 2. lib. magn. moral. c. 9. & lib. 7. moral. ad eundem. c. 17. &* 18. Agit denique Theologus, demonſtrans, neque diuinam prouidentiam obſtare, quominùs ſit in rebus fortuna, & caſus, neque tamen fortuitò, aut caſu poſſe quicquam contingere, reſpectu prouidentiæ diuinæ.

Fortuna ergo habet locum in naturalibus rebus: nam multa fortuitò in rebus accidere, clarius eſt, quàm vt demonſtrari debeat: Etenim præter ſententiam communem omnium hominum, qui perinde ac ſi forent à natura edocti, ita de fortuna ſentiunt, & loquuntur, eiuſque vim & nomen crebris ſermonibus vſurpant, accedit ratio quæ id nos cogit aſſerere: Si enim fortuita dicuntur ea, quæ accidunt præter cognitionem agentis, quis non videt multa huiuſmodi eſſe in rebus humanis? Quis enim mortalium poteſt animo præuidere omnia, quæcumque poſſunt contingere? Timidæ enim ſunt cogitationes mortalium, & incertæ prouidentiæ noſtræ *Sapientiæ, c. 9.*

Neque dicas agentia inferiora moueri, & gubernari à cœlo: quare cùm hoc neceſſariò ſemper agat, non patietur aliquid agi in his inferioribus, fortuitò, & indeterminatè. Deinde fortuna repugnat præſcientiæ, & prouidentiæ Dei. Ergo non debet poni: Antecedens patet, quia illud dicitur fieri fortuitò, quod non fuerit præcognitum, & intentum ab agente. Sed nihil poteſt fieri in mundo, quod ſit præter cognitionem, & voluntatem Dei. Ergo nihil fortuitò fieri poteſt.

Dic. Licèt res naturales, & corporeæ, quæ complexu orbis Lunæ coërcentur, per ſe pendeant ex motu, & influxu cœleſti, non tamen pendent ex eo res humanæ, in quibus fortuna verſatur. Inſuper fortuna non aduerſatur prouidentiæ Dei; non enim ponimus fortunam reſpectu Dei, ſed reſpectu agentium particularium. Nam quod à fortuna eſt reſpectu hominis, id reſpectu Dei, nequaquam à fortuna exiſtimari debet: ſed quia effectus aſſimilatur cauſæ particulari, & proximæ, & ab ea denominationem ſuam accipit: (dicitur enim effectus materialis, & corruptibilis, non propter cauſam primam, & vniuerſalem, ſed propter cauſas ſecundas, & particulares) idcircò dicitur ſimpliciter eſſe in rebus aliquid à fortuna.

Quod autem nihil ſit fortuitum reſpectu Dei, pulchrè declarat Boëtius *lib. 5. de conſolat.* nihil autem eſſe tam fortuitò contingens, quod latere, ac fugere poſſit ſcientiam Dei, luculenter exponit his verſibus.

Huic ex alto cuncta tuenti
Nulla terra mole reſiſtunt.
Vno mentis cernit in ictu
Quæ ſint quæ fuerint, veniántque.
Non nox atris nubibus obſtat,
Quem quia reſpicit omnia ſolus,
Verum poſſis dicere Solem.

An verò in rebus ſublunaribus ſit aliquis effectus naturalis, reſpectu cœli fortuitò contingens, Theologis diſputandum relinquo. Conſule Ægidium *quodlibeto* 4. & Ochamum 1. *quodlibet. quæſt.* 17. Gabrielem Naudæum, noſtri ſæculi phœnicem *tract. de fato & fatali vitæ termino, ad clariſſimum Beueronicium, Medicum celeberrimum.*

Sed tempus eſt vt ad definitionem fortunæ accedamus, quæ colligitur ex Ariſt. 2. *Phyſic. cap. 5. text. 52.* Fortuna eſt cauſa per accidens in iis quæ operantur ob aliquem finem ex electione, neque ſemper, neque vt plurimùm. In qua definitione continentur particulæ quinque, quæ ſigillatim ſunt exponendæ. Prima eſt cauſa, ſed nomen fortunæ vulgò ferè vſurpatur, non pro aliqua cauſa, ſed pro fortuitis euentis; ſed Ariſt. fortunam facit cauſam, non quidem vt materiam, & formam; nam hæ ſunt partes eſſentiales ipſius effectus neceſſariò ei coniunctæ: At fortuna, v.g. theſauri inuenti à fodiente, neque eſt pars eſſentialis eius, neque cum eo neceſſariò coniuncta; poteſt enim theſaurus & fortuitò, & non fortuitò inueniri.

Secunda particula eſt, *per accidens*: Nam dupliciter aliquid eſt cauſa per accidens, aut quia eſt accidens cauſæ per ſe, vt muſicus eſt cauſa per accidens domus, quoniam eſſe muſicum accidit ædificatori, qui eſt per ſe cauſa domus: aut quia eſt cauſa alicuius, quod accidit effectui ſuo per ſe intento, vt Medicus per accidens ſanat muſicum, quia ægroto qui ſanatur per ſe à Medico, accidit eſſe muſicum. In priori genere cauſa per accidens eſt diuerſa à cauſa per ſe, effectus autem vtriuſque eſt idem; in poſteriori autem, cauſa vtraque eſt eadem res, effectus verò ſunt diuerſi.

Tertia particula eſt, *ob aliquem finem*: non quòd fortuna aliquem finem intendat, aut quòd effectus fortuitus ſit quaſi effectus intentus ab agente; id enim eſt contra rationem fortunæ: ſed hoc debet exponi dupliciter, aut quia res fortuita eiuſmodi eſt, vt ſi præuiſa fuiſſet ab agente, procul dubio fuiſſet ab eo intenta, ad eam expetendam, vel fugiendam: & hoc voluit ſignificare Ariſtotel. 2. *Phyſicor. cap. 5. text. 51.* aut quia effectus fortuitus eſt coniunctus cum alio effectu per ſe intento ab agente, vt inuentio theſauri cum plantatione vineæ, cuius gratia terra fodiebatur. Quamuis igitur fortuna, ea ratione vt fortuna eſt non agit propter finem, neceſſariò tamen eſt in eo agente, quod vel agit, vel aptum eſt agere propter finem. Quare ſi eſſet aliquod agens, quod neque ageret, neque eſſet aptum agere propter finem, nihílque haberet ſibi determinatè præfixum, ad quod eius operatio vel naturaliter, vel ex electione referretur, id profectò nunquam ageret fortuitò: etenim fortuitum eſt, quod accidit præter intentionem agentis; quemadmodum ſi non eſſet motus naturalis, non eſſet etiam violentus, quia hic præſupponit naturalem, cui eſt contrarius. Poteſt autem

autem aliqua actio tribus modis dici non fieri propter finem: vel quia ipſa eſt propter ſe, & non propter aliud, vt actio in qua eſt felicitas, vel quia fit ab agente non intendente ipſam, vt ſi quis aliud attentè cogitans, vel vngues rodat, vel fricet barbam: huiuſmodi enim actiones non fiunt ex electione ob aliquem finem, ſed ex ſola imaginatione, vel quia talis actio eſt coniuncta, & accidit ei actioni, quæ per ſe intenditur, vt inuentio theſauri accidit foſſioni terræ, & ſic effectus fortunæ non fit ob aliquem finem.

Quarta particula eſt, *ex electione.* Quoniam fortuna eſt tantùm in iis quæ agunt ex electione, cuiuſmodi eſt homo: nā in iis eſt fortuna, quos dicimus fortunatos, vel infortunatos: hi autē propriè ſunt homines: quanquam hoc nomen transfertur etiam ad ea quæ carent ratione, ſed impropriè, & metaphoricè; & ſic Poëtæ vocant fortunatos eos lapides, qui ſunt in aris templorum: cum enim cæteri conculcentur, illi coluntur & honorantur Ariſt. 2. *Phyſ. text.* 58. *&* 59. ſcribit, Fortunam eſſe in iis quæ agunt, agere autem proprium eſt hominis: nam is propriè agit, in cuius poteſtate eſt agere, & non agere. At talis eſt homo, qui ſuarum actionum eſt dominus; reliqua verò quæ rationem non habent, potiùs dici debent agi, quam agere. Quinta particula, *neque ſemper, neque vt plurimùm*, expenditur ab Auicenna *ſuper Ariſt. cit. lib. Phyſicor.* dicente fortunam verſari in iis quæ ſunt ad vtrumlibet: eam probat Simplicius *in 2. Phyſ. text.* 48. pro cuius expoſitione, ſimulque obiectionibus variis contra definitionum fortunæ, legat qui velit, apud Auerrhoëm, Themiſtium, & Pomponatium *in com. cit. loc. Ariſt.* noſtrum autem inſtitutum altiùs diuagandi tempus non concedit.

Illud notabo, vulgarem eſſe opinionem, exiſtimantium fortunam eſſe numen aliquod diuinum, & occultum, quod 2. *Phyſic. c.* 4. *text.* 47. innuit Ariſt. Quinimmò Ethnici tantum tribuerunt fortunæ, vt à Romanis multa ei templa, & ſimulachra erecta fuerint variis nominibus conſecrata ex Liuio *in multis locis*, & apud Plutarch *in problematib.* Sicque ſummo ſtudio, & voto venerabantur ædes Fortunæ fortis in ripa Tiberina iuxta theatrum; malæ Fortunæ, & deteſtatæ in Exquiliis. Erat etiam templum Fortunæ paruæ, & Virginis, & primigeniæ, obſequentis, priuatæ, publicæ; virilis, conuertentis, bene ſperantis, auertentis, blandæ, dubiæ, mammoſæ, barbatæ, muliebris: quibus omnibus principium dedit Seruius Tullus, tum quòd ab ea ex ſeruo in regnum eſſet euectus; tum etiam proſpiciens eam in occaſionibus rerum plurimùm habere in vtramque partem momenti, omníque in re humana dominari. Quæ omnia nomina explicata lege apud Ludouicum Viuem, hominem ſanè diſertum, ac eruditum *in lib.* 18. *cap.* 4. *de ciuitate Dei.*

In hunc ſenſum famigeratiſſimus Poëta Iuuenalis ſic cecinit:

Te facimus Fortuna Deam, cœlóque locamus.

Hinc veterum doctiſſimi introducunt diuites hoc optantes, qui malunt ſtillam fortunæ, quàm prudentiæ dolium, Immò ſapiens Orator Demoſthenes *in orat. ad Phil.* ſic ait. Magnum habet momentum fortuna, quin totum eſt in rebus omnibus humanis: & Æſchines *in Apol. de falſa lege*, omnium rerum dominam vocat fortunam: & Q. Ennius Heram appellat apud Cic. *lib.* 1. *de officiis*: & Plautus *Men. actu* 3. *ſc.* 4. eam dicit eſſe Diuam, atque hominum heram. De Demoſthene ſcribit Plutarchus, habuiſſe illum inſigne etiam in ſcuto proſperam fortunam: & Pindarus illi attribuit omnia. Eſt verò in felicitate, ſeu fortuna, totius gloriæ ſumma, ita vt monente Euripide, fortunatus ſolus ſapiat probè.

Fortuna omnia mortalibus præbet, quæ cùm nec rationem, nec legem habeat, mortalibus tamen dominatur, Quare Cicero 5. *Tuſcul.* ſcribit:

Vitam regit fortuna, non ſapientia.

Lege Valerium Maximum *lib.* 6. *cap.* 11. & elegantiſſimum Iuſtum Lipſium *lib.* 5. *Politicor. cap.* 5. Quare Ennius 8. *annal. lib.* ait:

Fortuna arbitriis tempus diſpenſat vbique,
Illa rapit iuuenes, ſuſtulit illa ſenes.

Quaque ruit, furibunda ruit, totúmque per orbem
Fulminat, & cæcis, cæca triumphat equis.
Regna Deæ immitis parce irritare querendo,
Sollicitare animos parce potentis heræ.
Quæ tamen hoc vno triſtis tibi tempore venit,
Sæpe eadem rebus fauit amica tuis.

Pittacus ſapiens plurima de hoc argumento appunxit ſapienter. Huc alludit Plato *lib.* 4. *de leg.* innuens humana omnia tribus gubernari, Deo, fortuna, arte. Ita prudenter Chilo, quid fortuna eſſet, rogatus, reſpondit: ignarus Medicus; nam multos excæcat. Quid mirum? nonne Plinius *lib.* 2. *c.* 7. ſcribit, toto mundo, locis omnibus, omnibúſque horis hominum vocibus fortunam ſolam inuocari; quippe quæ vna nominatur, vna colitur: & Iulius Cæſar *lib.* 3. *de bello ciuili*, fortunam plurimùm poſſe in rebus reliquis, quum præcipuè in bellicis affirmat: & Hegeſiaci apud Laërtium *lib.* 2. opinabantur non poſſe vitam beatam obtineri, tum maximè, quòd plurima quæ ſperamus, fortuna impediat. In hunc ſenſum Q. Curtius Alexandrum plus debuiſſe fortunæ, quàm virtuti contendit. Nam vt Manilius ait *lib.* 2. *aſtronom.*

Quod fortuna ratum faciat, quis dicere falſum
Audeat, & tantæ ſuffragia vincere ſortis?

Et Iuuenalis *Satyra* 7.

Si fortuna volet, fies de rhetore conſul,
Si volet hæc eadem, fies de conſule rhetor.

Si ergo omnibus rebus dominatur fortuna, cur in curandis morbis non habebit poteſtatem ſummam? quare Medici vocantur benè fortunati, qui auxilio fortunæ muniti in curandis ægris dexterrimi ſunt, & fortunatiſſimi.

Sed inanis eſt, & plenus inſcitiæ fortunæ cultus. Audiamus igitur Plinium *loc. cit.* inſanam mortalium de numine fortunæ opinionem, elegantiſſimis, & lepidiſſimis verbis eludentem: *Inuenit ſibi ipſi mortalitas numen quo minùs tam plana eſſet de Deo coniectatio: toto quippe mundo, & locis omnibus, omnibúſque horis, omnium vocibus vna arguitur Dea, vna cogitatur, ſola laudatur, ſola arguitur, & cum conuitiis colitur, volubilis à pleriſque etiam cæca exiſtimata, vaga inconſtans, incerta, varia, indignorum fautrix: huic omnia expenſa, omnia feruntur accepta, & incerta ratione mortalium, ſola vtramque paginam facit, adeóque obnoxiæ ſumus ſortis, vt ſors ipſa pro Deo, ſicque Deus probetur incertus.*

Denique de eius poteſtate in humanas res poëticè nugantur Poëtæ, quū ipſa ſit inconſtans, & mutabilis valde: odit quidem ac deprimit ſæpè quem meritò populus amat; contrà verò amat atque extollit ſæpius quem iure quodā populus odit. An fortè quia fortuna non ſolùm rationi oppoſita eſt, ſed etiam ab ipſo initio mundi inimica eſt populo, vnde populus ſemper infortunatus & miſer? Amplius eſt ambitioſa: Atque vt non virtuti, hominúmve generi, ſed ipſi ſoli maximum quoduis facinus adſcribatur, quem homines quàm plurimi iure depreſſum dolent, miris modis extollit: quem verò ſublimem, deprimi in profundum, vt eleganter probat Eraſmus *in ſuo panegyrico ad Philippum, in med.* & notat ſolertiſſimus vir, Hugo Grotius *in ſuis elegantiſſimis epigrammatis de Fortuna.*

Quod ſi cæca ſit, vt aiunt, æmuláve naturæ; Natura ſiquidem inſtituit, vt priùs tanquam animal viuas, quam tanquam homo; ſentis enim antequam intelligas. Fortuna ſi quidem magnum affectat hominem facere, ingentem priùs facit beſtiam, venenoſo faſtidio turgidam. Vnde & ingenio, & vultu tyrannus naſcitur priuſquam tyrannide potiatur. Vbi Medicæ ſapientiæ plurimum eſt, minima opus eſt ſorte. Medicus peritus non vult fortunam ſibi ducem, cæca enim eſt, ſæpéque caſu cadit, non timet fortunæ minas, vana enim eſt. Quare qui puerilem fortunæ ludum cum Socrate calleat, ſapiēs, & diuinus ab Apolline iudicatur. Qui ridiculum fortunæ fletum vnà cum Democrito ridet, vel flebilem eiuſdem riſum cum Heraclito deflet, prudens ab Hippocrate cenſetur.

Fortuna ergo etſi detur in rebus, in modo quo explicuimus ſuprà, tamen ad morborum curationem nihil confert: Nam, vt perdoctus, & politus notauit à Caſtro *lib.* 2. *de Medico Politico. c.* 14. Fortuna in ægro nihil habet dominij, quia nunquam fit artis, aut naturæ pars. Quòd ſi

audiuerimus

audiuerimus aliquando, (inquit ipſe) fortunam ſanitatem facere, hoc ſic accipiendum erit, vt ſicut à natura per ſe, item ab arte quandoque fieri ſanitatem dicimus, ita fortunam id præſtare poſſe concedamus, non tamen vt naturæ, aut artis ipſius pars facta ſit, quoniam vt monebat Galenus *lib.17.de vſu part.cap.* 1. Fortuna raro, aut nunquam rectè operatur. Qui plura requirit de Fortunæ etymo, diuerſis nominibus, ſimulacro, eius apud veteres honore, plura ex variis auctoribus legat apud Cælium Rhodigin.*lib.*18.*lect.antiq.cap.*13. Natal.Comit.*l.*4. *mytholog.cap.*9. Conimbricenſes, & Franciſc. Toletum *in lib.* 2. *Phyſicor.cap* 5.*quæſt.*1 Suareſium *lib.*21.*metaph.ſect.*12.*q.* 19. Dionem Caſſium *lib.* 58. & Leonardum Coquæum *in ſuis doctiſſimis commentariis, de fortuna.*

HISTORIA II. ARETÆI, *De elephantiaſi.*

Ab elephantiaſi, muſto viperino largiſſimè ſumpto, quidam mirabiliter conualuit.

*ALterum præterea ferunt viperam in muſti dolium irrepſiſſe conſpicatum, quum muſtum ad ſatietatem ingurgitaſſet, vomuiſſe, multúmque veneni ſimul cum muſto reieciſſe: Vt verò in muſto fera extincta fuerat, iterum hominem muſtum largiſſimè potaſſe, vitæ pariter, ac morbi finem quærentem. Vt autem ſatiatus iuxta, ac inebriatus fuit, primum quidem proſtratus inſtar morientis iacebat, poſteaquam deinde à * graui ſomno experrectus eſt, ebrietatémque diſcuſſit, in primis comæ defluxerunt, præterea digiti & vngues, deinceps omnia in ambitu corporis membra contabuerunt. Quoniam verò adhuc in ſemine facultas erat, iterum tanquam ab ortu hominem natura velut ex cera creauit, alios enim crines enutriuit, vngues nouos, & nitidam carnem inſtaurauit, ac vetus corium, ceu ſenectam ſerpentum exuit, & tanquam alter homo ad vitæ munia reuocatus eſt, &c. Aretæus* lib. 2.de ſignis, & cauſis diuturnor.morbor.cap.vlt.

PARAPHRASIS.

IN ſuperioris hiſtoriæ explanatione, poëtica miſcuimus medicis, nam in hoc libro flores vndique delibantes, variam, & miſcellaneam ſectamur doctrinam. Modò ad elephantiaſin reuertamur, de cuius curatione præter plurima auxilia à priſcis tradita, alia propoſuit illuſtris, & vetus auctor Nicolus Florentinus *ſerm.* 7. *tract.* 5.*ſum.* 1. *cap.*4. quæ adderem expoſitioni meæ, niſi *in praxi hiſtoriarum*, hæc omnia ex profeſſo eſſent enucleanda, ſolummodò de vino viperino eſt habendus ſermo. Nam Ishaac *lib.7.viatici,cap.*17 ſic ait. *Nunquam vidi in vita mea, hanc ægritudinem habentem plenariè ſanatum, niſi vinum bibat, in quo Tyri inciderint, & in eo computruerint: hunc enim ſcilicet bibentem dictum vinum virum vidi expoliari & cute excoriari, quum illud vinum biberit: vnde certificaui quod dixerunt antiqui de iuuamento carnis, & pinguedinis Tyri in hac, & in omni alia paſſione melancholica; & proinde purgato corpore cum hieris magnis, & ſyrupo vel decoctione, & epithymo, & ſero, cum eis demus theriacam magnam, factam cum pinguedine, & carne Tyri, &c.* Explicat eleganter Auic. 3.4.*tract.*3. *cap.* 3. Tantam enim vim, & poteſtatem habet caro viperina pro hoc Herculeo morbo debellando, vt herba viperina hac de cauſa hoc nomine inſigniatur, quòd eius decoctum elephanticis curandis mirè conducat, vt notauit Ioannes Iarava *in ſuo herbario in Dioſcoridem, Hiſpano idiomate conſcripto.* Addunt recentiores, quòd viperæ poſſunt etiam coqui in ſuccis, vel decocto, humori melancholio vacuando accommodatis, vt fumariæ, bugloſſæ, borraginis, & endiuiæ & deinde cum ſaccharo fiat ſyrupus, qui elephantiaſi curandæ conferet eximiè.

QVÆSTIO II.

Vtrum vitæ humanæ conſeruatio amplius collocanda ſit in vigilia, quàm ſomno. Contra Plinium & Ariſtotelem.

COMMENTARIVM.

GRaui ſomno.] In vtiliſſimo argumento de ſomno, veterum, & Claſſicorum cultiſſimi inſudarunt: nos in eodem ſumus verſati *lib.* 1.*in com. hiſt.* 14. At noua lectio auctorum multa ſuggerit, & ad huius inſtituti penetralia manuducit, maximè quòd Philoſophorum eruditiſſimi, falſam, immò adulterinam monetam ſæpe recudunt, quæ neſcio plúſne deformitatis habeat, quàm ſit venuſtatis habitura, ſi Hippocraticæ doctrinæ, & in integrum debeat reſtitui. Vt verò propiùs ad Philoſophiam, & Medicinam accedamus, excellentes Galeni ſententias defloremus, qui pluribus in locis ſomni proponens vtilitates miras, in eo totum ſalutis humanæ, vitæque conſeruandæ cardinem reponit.

At contrà Ariſtoteles *lib.5.de generat.animal.cap.*1. dum enim eo loco difficilẽ quæſtionem agitat, vtrùm in prima generatione vigilia præcedat, an ſomnus, in illa vitam conſiſtere, proferre non dubitauit. §. *Viuitur autem potiſſimùm Vigilia.* Vnde apud Plin. *vita, eſt Vigilia.* Cur autem? quia operatio, ſiue actio, vt Ariſtot. idem tradit, *lib.*2. *Eudem.cap.vlt.* & Lactant.*lib.*6.*cap.*17. Vita, actuoſa; mors, quieta; & ſomnus vitæ eſt otium. Quarè Plinius *in proœmio ſuæ natural.hiſtor. Cum ſomno,* inquit, *valetudinem computamus, vel hoc ſolo præmio contenti, quod dum iſta muſſitamus, pluribus horis viuimus, profectò enim vita, vigilia eſt:* & *lib.* 7. *cap.*50. *quid quòd æſtimatione nocturnæ quietis, dimidio quiſque ſpatio vitæ ſuæ viuit?* párſque morti ſimilis exigitur, quia dum dormit, perinde eſt, ac ſi non viueret; quia, vt *lib. de Republic.*7. nemo dum dormit, alicuius eſt pretij, non magis, quàm ſi non viueret.

Hic ſenſus fuit Ducis illius Thebanorum ſapientis, ac ſtrenui Epaminondæ: Nam cùm quendam in excubiis dormientem inueniſſet, gladio transfixit quod factum cùm vt crudele reprehenderetur, hac ratione excuſauit, *talem reliqui, qualem inueni*; eodem videlicet loco dormiens ipſi erat, ac mortuus. Quid? nonne & qui fratrem mortis ſomnum appellarunt idem planè ſenſiſſe videntur? vt Homerus ſæpe, quem citat *in conſol. Ad Apoll.* Plut. vt & Georgias Leontinus apud Ælian.*lib.*2.*variæ hiſtor.cap.*38.

Hinc moribundus, rogatus quomodo ſe haberet, reſpondit, *iam me ſomnus incipit fratri ſuo reddere.* Sic & Diogenes moriturus, *frater fratrem excipit*, dicebat: & Senec. *Herc.fur.act.* 4. Fratrem duræ languidum mortis nominat: gelidæ mortis imaginem Ouidius *lib.*1.*amor.eleg.*9 Quare Stobæus *ſerm.* 3. ex multorum ſenſu Philoſophorum ſapienter præcipit dormituro, va ex ſe priùs exquirat quid boni, malive egerit lecto decubiturus, ac ſi manè moriturus: id quod viri boni, & pij, præſertim inter Ethnicos receperunt, & expreſſit his verſibus Virg *epig.de viro bono.*

Non priùs in dulcem declinat lumina ſomnum,
Omnia quàm longi reputauerit acta diei,
Quæ prætergreſſus, quid geſtum in corpore, quid non:
Cur iſti facto decus abfuit, aut ratio illi, &c.

Hac ratione apud veteres ſomnus nihil aliud eſt, quàm mors temporaria, & vnius diei interitus. Sic morti in ſacris literis ſomni vocabulum accommodatur, & verò etiã in poëtarum ſcriptis; hinc illud Virgilij *Æneid.*10.

Olli dura quies oculos, & ferreus vrget
Somnus, in æternam clauduntur lumina noctem.

Argutè verò Thomas Morus, Britanniæ decus, & ornamentum, de hoc, ſuo quodam luſit carmine:

Non es, dum in ſomno es, dum nec te viuere ſentis,
Felix, at ſomnus ni veniat, miſer es.
Qui felix igitur ſorte indulgente ſuperſtes,
Inflatúſque leui proſperitate tumes?
Nam quoties venit, aut toties iam deſinis eſſe
Felix, aut toties incipis eſſe miſer.

Sic & Clemens Alexandrinus 2.*ped g. cap.* 9. parem, aut ſimilem

ſimilem eſſe morti ſomnum pronuntiauit. Sapienter hac de cauſa Ouid. *lib.* 11. *Metam.* ſomnum in tenebris repoſuit; quo loco omnis triſtitia adeſt, abeſt omnis lætitia:

Eſt prope Cimmerios longo ſpelunca receſſu,
Mons cauus, ignaui domus & penetralia ſomni;
Quò nunquam radiis oriens, mediúſve, cadénſve
Phœbus adire poteſt, nebulæ caligine mixtæ
Exhalantur humo, dubiæque crepuſcula lucis:
Non vigil ales ibi criſtati cantibus oris,
Euocat auroram; nec voce ſilentia rumpunt
Sollicitive canes, canibúſve ſagacior anſer,
Non fera, non pecudes, non moti flamine rami;
Humanave ſonum reddunt conuitia linguæ.
Muta quies habitat, ſaxo tamen exit ab imo
Riuus aquæ Lethes: per quem cum murmure labens;
Inuitat ſomnos crepitantibus vnda lapillis.
Ante fores antri fœcunda papauera florent,
Innumeræque herbæ, quarum de lacte ſoporem
Nox legit, & ſpargit per opacas humida terras:
Ianua ne verſo ſtridorem cardine reddat,
Nulla domo tota eſt, cuſtos in limine nullus:
At medio torus eſt hebeno ſublimis in antro
Plumeus, vnicolor, pullo velamine tectus,
Quo cubat ipſe Deus membris languore ſolutis.
Hunc circa paſſim varias imitantia formas
Somnia vana iacent: totidem, quod meſſis ariſtas;
Sylua gerit frondes; eiectas littus arenas.

Ob hæc mirari licet quo pacto voluerit natura, vt animalia ſenſu, & motu definita per dimidiam vitæ partem, ſentiendi, & mouendi facultatibus, inſtar plantarum priuata dormirent, ſi ad vitam perfectam, qualem animalia docebat, non modo variæ ſupra plantas, eædémque perfectiores, ſed & magis continuæ requirebantur.

Dic, quòd cùm natura ſemper alicuius boni gratia agere dicatur, nec in eo defeciſſe credendum eſt; ſed propter aliquid melius voluiſſe ne continuò ſenſuum, & motuum opera exercerent animalia, ſcilicet vt diutiùs, & incolumiùs viuerent, maiorémque vim in ſenſibus, & motibus obtinerent. Si enim interdiu, noctúque non interpoſita quiete ſentirent; & mouerentur, viribus, præ nimio aſſiduóque labore diſſolutis, citiſſimè deficerent.

Rurſus niſi interuentu ſomni vniuerſum calorem in viſcera, & principia retraheret, vt noua fieret ſpirituum, & calidi regeneratio, ſufficiens copia non ſuppeteret ad motiones, & ſenſationes exequendas. Denique cùm animalium vita vegetalibus, & animalibus operationibus integretur, vnúſque & idem calor omnibus illis inſeruiat, variis in locis, in quibus potiſſimùm fiunt, nec poſſint magna opera peragi, niſi multi ſimul miniſtrantes conueniant, neceſſarium fuit vniuerſum calorem vigiliæ tempore ſenſibus & motibus dicatum, ad exteriora mandare, noctu retrahere ad alitionis opera; atque ita ſomni, & vigiliæ viciſſitudinem machinari, & in ea vitæ tempus diſtribuere.

Hinc fit vt ſomni tantæ ab auctoribus vtilitates proferantur, quæ ſi non eſſent, vita noſtra diſpenſari non poſſet: ſomnus enim eſt animi quies, malorum domitor, pars humanæ vitæ melior, vt Seneca ait *in Hercule furente*: quare Claudianus ſic cecinit *in præfat. 4. de Honor. conſul.*

Omnia quæ ſenſu voluuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.
Venator defeſſa toro quum membra reponit,
Mens tamen ad ſyluas, & ſua luſtra redit.
Iudicibus lites, aurigæ ſomnia currus,
Vanaque nocturnis meta cauetur equis.
Furto gaudet amans, permutat nauita merces;
Et vigil elapſas quærit auarus opes.
Blandaque largitur fruſtra ſitientibus ægris,
Irriguus gelido pocula fonte ſopor.
Me quoque Muſarum ſtudium ſub nocte ſilenti,
Artibus aſſiduis ſollicitare ſolet,
Namque poli media ſtellantis in arce videbar,
Ante pedes ſummi carmina ferre Iouis.

Vt enim ſcitè notauit Tertul. ſomnus eſt recreator corporum, redintegrator virium, probator valetudinum, pacator operum, Medicus laborum, cui legitimè fruendo dies cedit; nox legem facit, auferens rerum etiam colorem.

… lib. VII.

In ſchola autem Medicorum ſatis notum eſt, ſomnum ea de cauſa à natura fuiſſe inſtitutum, vt animalium vires, quæ ſpirituum, ſanguinis, ſolidarúmque partium reſolutione labefactantur, ſomni tempore reficerentur, ad priſtinúmque robur animal rediret; redit autem ea ratione, quoniam per ſomnum omnes illæ conſumptæ partes regenerantur concoctione alimentorum, quorum eſt præcipuus auctor ſomnus, ita vt à multis dicatur coquus naturæ. Concoquit autem ſomnus, quia calorem naturalem intrò reuocat, vbi conſiſtunt alimenta concoquenda. Hanc vtilitatem maximè præſtat, ſi poſt aſſumptum cibum fiat; iuxta illud Homeri *Odyſ. vlt.* relatum à Gal. 5. *de ſanit. tuend. cap* 3.

Vt lauit, ſumpſitque cibum, dat membra ſopori,
Namque hæc iuſta ſeni.

Concoquit autem ſomnus, non alimenta ſolùm quæ in ventriculo hærent, verùm in & iecore, & partibus omnibus, quo fit vt per ipſum partes omnes creſcant ſolidæ, humidæ, & ſpirituoſæ: cùm enim ſpiritus omnes, & ſanguis intro reuocentur, nec ampliùs ad externa moueantur, euenit vt in ſomno eorum quoque copia creſcat, & augeatur. Quare ſomnus diſtribuit, calorem robuſtiorem facit, omnes facultates recreat, & mirandum in modum robuſtiores facit. Quare ſomnus concoquit, 12. *meth. cap.* 5. & potentias vigiliæ tempore defatigatas viuificat, & inſtaurat.

Hic eſt naturalis ſomni finis, quem natura per hanc ſpirituum, & caloris retractionem intendit, (qua mediante ſomnum, hoc eſt, ſenſuum & motuum impotentiam inducit) ſcilicet animalis quies; & collapſarum virium inſtauratio, quam molitur ſpirituum animalium quiete, & reparatione in loco vbi fit retractio, nempe in ſenſoriis, motoriiſque organis, aut in illo in quo fit alimenti ingeſti confectio; vtrique autem vſui natura ipſa inſeruit, calorem & ſpiritum ad ſua principia reuocando. Cùm enim varij illi vſus ad varias ſpectent facultates, ſcilicet alimenti confectio ad naturalem ſpirituum quies, & reparatio ad animalem; pro maiori vel minori, huius vel alterius neceſſitate, ita vna aut altera initium facit, vt v. g. cerebri facultas, ſi ſpiritus in organis nimis abſumpti ſunt; nec multa alimenti copia ingeſta. Si verò è contra res habeat, ipſa naturalis concoctrix hepatis, vel ventriculi ſomnum mouet, & exorditur, calorem ad ſe reuocando; quam ſequitur animalis ſpiritus ſuos etiam retrahendo.

Soluenda tamen celebris dubitatio eſt: ſi ſomnus ſequitur poſt aſſumptum cibum, quomodo citra hunc, & ſomnum poſſint homines vitam producere, & diu perdurare? Narrant enim non contemnendi auctores, plures fuiſſe, qui per multos dies, & annos cibum non ſumpſerint, & ſine eo vixerint diutiſſimè; quod ſi miraculum non eſt, miraculo tamen par adſcribi debet. De qua re ſi requires teſtes, præter multos quos refert Marcellus Donatus *lib. 4. de Medic. hiſtor. mirabili, cap.* 12. ſequitur Schenckius *lib. 3. obſeruat. tit. de aſitis.* Id confirmant Robertus Guaguinus *lib. 3. Hiſt. Francor.* Franciſc. Petrarch. *lib. 3. de mirabilib. c.* 22. *tract.* 7. Simon Portius *in hiſt. de puella Germanica,* Abbas Vſpergenſis *in Chronic.* Paulus Lentulus *in hiſtor. admiranda, de prodigioſa Apolloniæ Schreieræ virginis in agro Bernenſi hiſtoria.* Barthol. Anulus *in picta Poëſi, circa finem,* Auguſtinus Baccius *libello de vini nutritione,* Thomas Bozius *lib. 11. cap. 3. de ſignis Eccleſiæ,* Baptiſta Fulgoſius *lib. 1. cap.* 6. Ioan. Leſſæus *lib. 9. hiſt. Scotic.* Fauorinus apud Gellium *lib. 16. cap.* 3. & alij.

Dic, Verum quidem eſſe, plurimos citra cibum externum vixiſſe diu, non tamen internum: nam ij pituitoſum, lentúmque humorem coaceruant, qui cùm glutinoſus ſit, ac tenax, difficulter concoquitur, & in ſanguinem abit. Hoc modo viuunt animalia citra cibum, quibus corpus eſt hebes, & tardum, & ad quoſuis motus & exercitia ineptum. Quare ex hoc mucoſo humore eleuantur continuò vapores ad cerebrum, qui id irrigando, & eius ventriculos obſtruendo, ſomnum longiſſimum efficiunt.

Nam quid dicemus de iis , & aliis qui diutiſſimè dormiunt,& ſomno, non cibo externo paſcuntur?de quo genere homines quidam eſſe cenſentur,qualem ſcribit Laërtius *lib.*1.fuiſſe Epimenidem, qui 17.annos perpetuò dormiuit.Marcus Damaſcenus *in Phyſic.Ariſt.* narrat,ſuo tempore Ruſticum in Germania ſub ingenti fœni cumulo per autumnum , & hyeme dormiiſſe, & conſumpto paulatim fœno, attonito ſimilem, ac ſemimortuum extitiſſe. Hoc modo Lilius Giraldus *dialog.* 17. gentem eſſe ſupra Boryſthenem , quæ tertio tantùm die cibum ſemper capiat, & ex Boccacio probat Cornelius Agrippa Venetiis fuiſſe hominem , qui 40. dies vixit abſque cibo. Alexander Benedictus Medicus nobilis , Venetiis fuiſſe quendam ſcribit,qui totos 46.ieiunus vixit,quum eſſet frigida corporis habitudine,craſsáque pituita,& incocta, obſtructíſque corporis meatibus præditus, & retulit Nicander Ioſſius *in opuſculo de ſomno & vigilia prope finem.*

Sanè miraculoſa eſt Hiſtoria puellæ illius Spirenſis,deſcriptæ à Langio *lib.* 2.*epiſt.*27.quæ tres annos famem tolerauit;quam apud ſe fuiſſe dies 12.Gerardus Bucoldianus Medicus teſtatur,iuſſus à Ferdinando Rom.Rege,quæ ſtatura erat iuſta,bona habitudine,oculis cæſiis,vultu ac facie non illiberali , ingenio planè puellari ac ſimplici , ore ſemper arido, nunquam expuebat, nihil omnino admittebat potus,plorabat,nares emungebat, dormiebat , viſcera nil videbantur habere vitij, non iecur, non lien;quem affectum exiſtimabat ille,ex humore pituitoſo crudo ortum duxiſſe;certè puella ſcabie vrgebatur pituitoſa.Quam hiſtoriam eleganter deſcripſerunt etiam Gregorius Horſtius *lib.*7.*de medica hiſt.mirabil. apud Marcel.c.*1. Franciſcus Citeſius *in lib.peculiari ſcripto, Abſtinens Confolentanea:* & alias etiam admirandas enarrant Ioan. Matth. Heſſus *quæſt.*6.Proſper Aquitanus *lib.*7.*de prædicamentis.*

Licèt autem apud Medicos plures ſint cauſæ , ob quas cibi tædium excitetur, ex omiſſa ſcilicet quotidiana exercitatione , nunc deiectione quadam naturali , nunc intermiſſa purgatione ſolita,interdum ex obſtructione ſplenis, aliquando repletione , Fauorinus *loco cit.* eſuritionem facere aſſeruit, inanes patentéſque inteſtinorum fibras, & caua intus ventris , & ſtomachi vacua hiantia , quæ vbi cibo complentur,aut inanitate diutina contrahuntur, & conniuent , tunc loco in quem cibus rapitur , vel ſtipato,vel adducto, voluntas capiendi eius, deſiderandique reſtinguitur.

Neque nego multa eſſe, quæ natiua proprietate à fame & ſiti præſeruent : Nam Solinus *Polyhiſt.* Alimon herbam celebrat in Creta , quæ admorſa diurnam famem prohibet , vnde illi nomen factum à depellenda fame, quod facilè crediderim. Huius enim ſemine linguæ ſubdito ſitim non ſentiri , prodidit Plin. *lib. & cap.*22. De eadem herba *in Dioſcorid.* Matthiol. *lib.* 1. *cap.* 103. & Marcel.Virgil. *lib.*1.*cap.*3. varia ſcribunt : & variis appellari docent nominibus Paulus *lib.*1. Theophraſt. *lib.*4. *de hiſt.plantar.cap.*20. *& lib.*5. *de cauſ. plantar. cap.*22. Quapropter etſi non negem , à multis cauſis concitari omnimodum faſtidium , & citra cibum diutiſſimè homines poſſe vitam tranſigere:tamen frequentior, & magis communis eſt cauſa , quæ ex abundantia humoris pituitoſi elicitur. Idcirco ſomnus ferè ſequitur ad ingeſtum cibum,vel externum , vel internum , qui diu & importunè à calore debili elaboratus, in probum ſanguinem conuertitur.

Inſuper,vt cætera proſequamur,addendæ ſunt commoditates ſomni , quibus ipſe naturæ noſtræ fit pergratus valdè. Cùm enim vita noſtra ſit permanſio calidi in humido , fit vt ſomnus qui natura ſua humectat , tantopere efferatur : Hanc in ſomno vtilitatem confirmat Galenus *lib.de maraſmo,cap.*2.*& acut.vlt.*& ratio,experimentúmque ſuadent. Nam per ſomnum excrementa retinentur,à quibus humectatur corpus : Somnus morbos ſanat ſiccos, vt melancholiam , maniam, phrenitidem, immò ſitim 5.*aph.* 27. Si verò aliquando aucto interno calore , & corpore inanito,per balneum,venæ ſectionem,vel alia ratione exhauſto,exſiccet,id non per ſe, ſed ex accidenti fieri exiſtimandum eſt.

A Hæc autem intelligas velim,dummodò ſomnus ſit tempeſtiuus,& moderatus : nocturnus enim eſt optimus;diurnus,prauus : inter diei autem partes,minimùm nocet matutinus , maximè veſpertinus , mediocriter verò meridianus. Nam vt monuit Perſius,*Satyr.*3.

Qui ſatur irriguo mauult turgeſcere ſomno.

Caput vaporibus implet , & coctionem turbat. Quare vt Plutarchus docuit : Nocte quoque,non die dormiendum. Ita dicebat Seneca *epiſt.*122. *Turpis qui alto ſole ſemiſomnis iacet , cuius vigilia medio die incipit.* Nocte enim innatus calor ad interiores collectus ſedes feliciùs concoquit alimentum;iuuant fridus nocturnum, & tenebræ, quas cùm ſpiritus animalis, ſuapte natura lucidus effugiat, retrocedens intrò , & ſic vnitus promptiùs fit coctionis inſtrumentum. Hoc modo frigus circumſtans calorem reuocat, exhalationem in cerebro congelat , & commeatum prohibet;ob hanc cauſam roboratus calor cibum liquat , & coquit.

Nocturnus iuuat, ſi horas noctis tres expectes, vt do-
B cuit Oribaſ. *l.*6.*collect.*4. in hoc enim ſpatio refrigeratur caput,in eóque exhalationes concreſcunt.Diurnus ſomnus reprobus eſt,ex Gal. 2.*acut. vlt.* Nam ſicuti ratione ſomni retrahitur calor ad interiora;ſic propter lucem,& calorem diei,reuocatur ad partes externas ; ex qua motuum varietate natura perturbata ad ſuas actiones redire non poteſt. Adde diurnum ſomnum, minutum eſſe, & incompletum, ex quo emanant cruditates,pandiculationes, oſcitationes, ructus,pallor,faciei tumor,flatus, gurgulationes ventriculi,rugitus,nauſea,ex Auic. 2.3. *tract.*1.*cap.*101. *de regimine conualeſcentium* membrorum laxitas, capitis grauitas : explicat Chriſtoph. à Vega *lib.*2.*prog.com.*40. Quare legitur *in regione Salernitano,c.*5 *de ſomno :*

Sit breuis,aut nullus tibi ſomnus meridianus.
C *Febris,pigrities,capitis dolor,atque catarrhus ;*
Hæc tibi proueniunt ex ſomno meridiano.

Excipe matutinum,qui à Gal.laudatur 4.*acut.*95. & Celſo *lib.*20. *cap.*4. maximè in illis , qui alimentum probè non concoxerunt.

Inſuper ſomnus ſi immoderatus ſit, conſeruationi vitæ humanæ nocet eximiè : Nam robur facultatum diſſoluit, cruditates parit; ſanitas enim mutua illa ſomni, & vigiliæ viciſſitudine conſtat,vt partes in naturali ſymmetria conſtitutæ ſuas operationes perficiant , nutriantur , & earum excrementa extra corpus poſſint expelli.Quapropter ſomnus ad iuuandas concoctiones neceſſarius fuit , vigilia ad expurganda excrementa. Ex eo fit vt ſomnus immodicus, quum plus iuſto humectet, ſpiritum,& effluuia cohibeat, recrementorum exhalatione caput repleatur , animalis
D ſpiritus,turbidus & caliginoſus reddatur,potentiæ omnes ſenſitiuæ internæ , & externæ torpeſcant , frigidi morbi propullulent, & ex nimia copia obrutus innatus calor,extinguatur.

Immodicus enim ſomnus , inquit Clemens Alexand. *l.*2.*pædag.cap.*9. nec corporibus, nec animis noſtris vllam affert vtilitatem. Eſt enim ſaluti humanæ nocentiſſimus, coctionem perturbat, cerebri vapores accumulat, debilitatem præſtat animali à Medicis vocatæ facultati , cuius opera ſunt ſentire,& mouere,denique mortem accerſit.Sicut in moderato ; noſtræ vitæ duratio conſiſtit, non verò in vigilia.Licèt enim moderata vigilia,ac moderatus ſomnus , non contemnendas afferant vtilitates ; tamen vitam noſtram magis eſſe collocandam in moderato ſomno,
E quàm vigilia,quum per illum calor noſter ampliùs vniatur, & in vigilia extrà expendatur , & euolet , ex ſuprà dictis ſatis liquet apertè. Conſule eruditiſſimnm Santorellum *lib.*17.*antepraxis,cap.*5.Valleriolam 2.*loc.com.cap.*8.

QVÆSTIO III.

Vtrùm ſomnus ab alimenti vapore,an ab anima agente oriatur. Contra Ariſtotelem.

EXcellens Philoſophiæ parens , & doctrinæ monumentis illuſtris Ariſtoteles *lib. de ſomno , & vigilia , cap.* 1. 3. *& vlt.* nihil aliud dixit eſſe ſomnum , quàm

quàm nodum, vinculum, priuationem,impotentiam, denique quietem primæ partis ſentientis, ſiue illa cor ſit, quod ipſe putauit; ſiue meliùs cerebrum cum Medicis. Galenus 1. *de cauſ. ſympt, vlt.* definiuit animalis facultatis quietem, 2. *aph.* 3. primi ſenſorij refrigerationem. Auic. 1. 1. *tract.* 4. *cap.* 1. & Auerr. 2. *collig. cap.* 21. reditum ſpirituum ad cor, vel cerebrum, vel viſcera: nec diſſentire videtur auctor definitionum medicinalium, deſcribens remiſſionem animæ ſecundùm naturam, à finibus ad principium.

Licèt verò Ariſtoteles 6. *Topicor.* 3. logicum agens, prædictas definitiones reiiciat: primò quia cùm ſomnus, & vigilia in toto animante ſint, dici non poſſunt primi ſenſorij affectus; deinde quia, impotentia illa, & vinculum ad ſomnum ſequitur, ſicut aptitudo, & ſolutio ad vigiliam, reditus ſpirituum antecedit; atque ita potiùs ſunt cauſæ, vel effectus, quàm eſſentia definiti. Nihilominùs tamen rectè admittuntur Medicis pariter, & Philoſophis, quibus ſufficit res per ſuas cauſas explicare: maximè quod nihil aliud videtur ſomnus, quàm illa primi ſenſorij impotentia, ſeu ineptitudo quædam ſenſuum & motuum; à primi ſenſorij diſpoſitione dependens: eo enim ligato, & impedito, inhibetur animalis facultas, ſenſuum & motuum effectrix, ne membris accedat; vigilia autem ſolutio, & aptitudo.

Logica verò, & exacta definitione rectè vtrumque explicabis, viuentis diſpoſitionem ex primo ſenſorio dependentem. Quum tamen ſomnum deſcribimus per impotentiam, & priuationem, non omnimoda intelligenda eſt, ſed exilitas quædam, & languiditas, prout admonuit Galenus *lib.* 1. *de cauſ. ſympt. cap. vlt.* Agit ſiquidem, licèt debiliter tempore ſomni; animalis facultas in ſenſuum organis langueſcens, à valido ſenſorio excitata, ſicut nonnunquam & motiua à valida imaginatione impulſa, vt patet in multis qui dormientes loquuntur, mouentur, & gradiuntur.

Per reditum caloris ita intelligendum eſt, vt non modò antecedat, tanquam origo, & principium ſomni; ſed detur ſemper toto ſomni tempore: magis ſiquidem quamdiu dormimus, calor ad interiora vergit, quàm ad exteriora, vt colligitur ex Gal. 3. *de cauſ. pulſ. cap.* 9. quanquam in prima ſomni parte maior fiat ipſa retractio, quod indicat magna extremorum infrigidatio: multò minor in poſteriori, in qua externa plus calent, magis iam reuocato calore.

Denique refrigeratio dicitur, quoniam ea frequenter ceu ſomni cauſa antecedit, ſequitur verò perpetuò; tum quia ſpirituum animalium priuatio, & facultatum otia refrigerant, tum quia alimenti halitus ſomni tempore intus cohibitus, & ad caput eleuatus, concreſcit & congelatur, à caluariæ cerebríque frigiditate, quod ſaliua ab ore dormientis profluens, & multus expergiſcentis ſcreatus ſatis confirmant.

Verùm cùm in Apoplexia, & nonnullis aliis affectibus, detur ſenſuum ac motuum impotentia, etiam à primi ſenſorij diſpoſitione proueniens, nec tamen apoplectici in acceſſionis hora dormiant, aliquid ad exactam ſomni definitionem neceſſariò addendum eſt, quo ſeparetur à reliquis affectibus, in quibus ſimilis ineptitudo, vel priuatio reperitur.

Et ſecundùm Ariſtotelem, integrè definiendus eſt ſomnus, vinculum primæ partis ſentientis, ſeu impotentia ſenſuum & motuum, ab alimenti vapore conſcendente proueniens; in quo putat diſtingui ab affectibus illis, in quibus ſenſu, & motu animal non diſſimiliter priuatur, quique habent cauſam morboſam, & præternaturalem. Quoniam tamen accidit nonnunquam, fatigatos homines ſine ſumpto alimento in ſomnum profundum incidere, aliquando præ labore nequaquam poſſe dormire, adiecit, ſomnum quidem ab alimenti vapore, vel colliquationis alimento ſimilis fieri: colliquatio enim, vt ipſe putat, perpetua eſt laborantibus, & defatigatis, & ſi calida quidem fuerit, non aliter ac alimentum euaporando, inquit ſomnum inducere; minimè autem ſi frigida, proptereà quòd non exhalat.

Sed quòd ea differentia intrinſeca ſit, nec per illam ſomni natura rectè explicetur, manifeſtè oſtenditur: Nam dormiendi voluntas, plantarum titillatio, blandus aquarum decurſus, mollis extremorum frictio, lenis, ſuauiſque cantus, ſilentium & tenebræ, etiam nullo aſſumpto alimento, ſomnum mouent. Inſuper laſſitudo, non ex colliquante exercitio, ſed ex meditatione, & ſollicitudine; & tamen in illis nulla vel alimenti, vel colliquationis exhalatio continetur. Igitur, &c.

Præterea, quoties alimentum ſumitur, non ſtatim ſomnus obrepit, nec alimento denegato neceſſariò non inuadit. Quare, &c. Denique ſomnus naturalis, quemadmodum ſapienter notauit Auerrhoës 2. *collect.* 21. quomodocunque reliqua varientur, ſuas periodos ſtatas obſeruat, & vſque adeò inuariatas obſeruari oportet, quòd ſi deficiat, gracilitatem, pallorem, & multa alia nocumenta inducat: in illius demum ſimul & vigiliæ viciſſitudine, animalium ſtatus, & duratio conſiſtit.

Probabiliter igitur credendum eſt, non commiſiſſe naturam vigilandi, dormiendique munus, tantopere animalium conſeruationi neceſſarium, fortuitæ alimenti, aut colliquationis exhalationi; ſed aliquam animæ facultatem huic muneri deſtinaſſe. Animæ igitur agenti referendum dicit Galenus *lib.* 1. *de cauſ. ſympt. cap. vlt. &* 3. *de cauſ. pulſ.* 9. & Auicen. 1. 3. *tract.* 4. *cap.* 1. & Auerr. *vbi ſuprà:* nec putant ij voluiſſe Ariſtotelem, alimenti exhalationem cauſam eſſe niſi inſtrumetariam, & occaſionariam, & hanc *in lib. de ſomn. & vigilia* explicaſſe: principalem verò ex *lib. de anima* eſſe petendam, vbi de animæ potentiis diſſeritur. Illa igitur erit ſomni naturalis exacta definitio, & per differentiam à priori tradita, ſcilicet: impotentia ſenſuum & motuum, ſeu primi ſenſorij vinculum, propter naturam ſpiritus retrahentem: innaturalis verò, propter cauſam præter naturam, obſtruentem, impedientémque delationem facultatis animalis ad membra. Penes quas differentias, dicti ſomni inter ſe diſtinguuntur, & naturalis à morboſis affectibus, in quibus ſenſuum impotentia laboramus.

Nec contemnenda eſt illa, quam Auicenna tradidit, definiés reditum ſpirituum ab organis ſenſuum, & motuum ad principium, præter inſtrumenta reſpirationis; quæ differentia à poſteriori ſumpta, ſomnum ſeparat ab Apoplexia, in qua vniuerſaliter membrorum motus ſimul cum ſenſu perit. Cùm ergo naturalis ſomnus fiat ab anima, pro temporis viciſſitudine ſponte ſua agente, non coacta ab exhalatione materiæ, vel aliqua alia cauſa, licèt aliquando allecta: dicendum planè eſt, illum actionem eſſe, hoc eſt, agente natura fieri, quantumuis dormiendo etiam patiantur animalia: morboſum verò ſimpliciter paſſionem; vtpote à præternaturali cauſa obſtruente, & vim naturæ inferente, ſubortum.

Sed quænam ſit hæc animæ facultas ſomni auctor, cuius generis, & vbi ſita, non eſt facile explicare. Auerrhoës ad ſenſitiuam refert, ex eo perſuaſus, quoniam cùm ſomnus, & vigilia ſolis ſentientibus inſint, ſenſificæ facultatis opera videntur eſſe; eo maximè, quia ipſa per ſomnum quieſcendo roboratur, & per vigiliam agendo viget, modò retrahendo, modò expandendo ſpiritus.

Quòd ſi obiicias, ſomni tempore otiari ſenſitiuas potentias, nec modo aliquo operari. Reſpondetur, hanc, cui dormiendi, vigilandique viciſſitudo commiſſa eſt, in eo ab aliis diſtingui, quòd aliæ ſomni tempore quieſcant, nec ſuis fungantur muneribus: ſola autem hæc nunquam ab opere ferietur, ſed in continuo ſit, per vigiliam ſpiritus ad ſenſuum, & motuum organa demandando, per ſomnum retrahendo; quúmque toti prouideat, regitiuam totius appellat. Prouidet autem, quia non modò pro tempore, vt diximus, operum inſtrumentum mandat, quo animal fiat ſenſus & motus particeps; ſed quia opportunè colligit, & retrahit, vt inſtar Ducis prouidi fuſum exercitum reparet, ac reficiat. Inſuper vt retractione caloris coctionem perficiat intrò ſuſcepti alimenti: ob id enim potiſſimùm perfectiores fiunt ſomni tempore coctiones. Virtutem hanc idem Auerrhoës putat in corde contineri, & ad illud fieri retractionem ſpirituum

ſpirituum,& caloris, ſomni tempore, quoniam , inquit, à A corde prodeunt per vigiliam , ad illud autem oportet reuerti à quo initium habuere.

Galenus verò licèt expreſsè fateatur,vigiliam,& naturalem ſomnum ab anima agente fieri , modò ſpiritus & calorem ad interna retrahendo , modò ad exteriora pro tempore mandando;quum tamen aliquando,vt *lib. de tremore,& palpitat.cap.7.* animam ab innato calore non ſeparet,ita hanc motuum caloris viciſſitudinem animæ agenti tribuit , vt arbitretur fieri ab ipſomet calore ſeipſum mouente,prout tamen frigore contemperatus exiſtit,ex cuius permixtione temperari , componique oportuit,ne ſuapte natura ad exteriora,ſuperioráque mobilis velociſſimè diſſiparetur. Cùm ergo,ait,inſitus calor ex ſe ſponte ſua ſurſum , ad extráque moueatur , deorſum autem , & ad ima, (hoc eſt,ad proprium principium,explicante ipſomet Galeno) ob frigus adiunctum , cuius eſt intrò compellere, B accidit illa motionum in ſpiritibus varietas,per ſomnum ad intra , per vigiliam ad extra.

Cæterùm quamuis calor & frigus,ſpiritibus quos componunt , propenſionem quandam tribuant ad varios illos motus ; ita tamen certos & ordinatos., pro vſu & neceſſitate reſpondentes , efficere ex ſe non poſſunt. Quamuis autem Galenus *vbi ſuprà , & lib. de vtilitat. reſpirat. cap. 5.* animam appellauerit ſpiritum , aut temperamentum , apertè tamen *7. de placit. 5.* illud negat,concedens tantùm eſſe inſtrumentum.

Iam verò quòd hæc motuum viciſſitudo in ſpiritibus & calore , addicenda non ſit cum Auerrhoë vni ſenſificæ facultati,quamuis negari non poſſit, ipſam dormiendi tẽpore animales ſpiritus in cerebrum colligere , & eſſe po- C tiſſimum ſomni auctorem:manifeſtum fiet, ſi per ſingulas membrorum facultates diſcurramus. Omnibus ſiquidem commune eſt,modò ad intra,modò ad extra calorem mouere:nam cor horrido aliquo,aut noxio conſpecto, confeſtim, ita docente natura,ſanguinem,& ſpiritus in ſe , tanquam in arcem retrahit;in lætis,& familiaribus expandit, quod ſatis confirmant metuẽtium, triſtantiúmque pallor, & lætantium rubor. Sic animalis cerebri facultas, in ſenſuum , motionúmque tempore , ſpiritus ſuos per organa diſtribuit,retrahit, vbi vel reparandi , vel conficiendi alimenti vrget neceſſitas.

Nec vis ipſa naturalis iecoris ab eà viciſſitudine immunis exiſtit , nunc ſanguinem membris per vaſa largiendo, nunc per eadem retrahendo , propter quod extimæ dormientium partes,& maximè cuti vicinæ vſque adeò infri- D gidantur. Ventriculus verò vbi cibo repletur , calorem ad ſe ex toto attrahit, ideò poſt cibum, frigus & rigor nonnunquam oritur , cocto & confecto alimento calorem pellit , & ſic de cæteris.

Cùm igitur partes omnes ex innata doctrina nouerint calorem innatum pro vſu colligere,ac diſpergere,vel potiùs anima ipſa , mediante quauis ſuarum facultatum, vegetabilis,ſenſificæ,aut vitalis ; non poteſt huiuſmodi munus ſenſificæ,aut vitali addici,licèt ipſa animalis per ſomnum ſpiritus ſuos ad cerebrum retrahendo potiſſimùm agat,vt diximus : quorum retractionem ſequitur vitalium retroceſſus ſimul , & ſanguinis ad ſua principia , ob mutuum facultatum conſenſum. Conſule Andream Cæſalpinum *in quæſt.medicis, quæſt.* 15. & Ioannem Grammaticum E *in cap.3.lib.de ſom.& vigilia Ariſt.*

QVÆSTIO IV.

Vtrum refrigeratio primi ſenſorij ,perpetua ſomni cauſa ſit ſtatuenda , vt voluit Galenus.

TAmetſi permulta ſint in Galeni monumentis perobſcura,quæ Delio , vt aiunt , natatore egent,mihi præ cæteris viſa eſt ſemper obſcuriſſima hæc antinomia, vix vt credam certum quid à nobis conſtitui poſſe , tanta fuit interpretum varietas in explicando : nam inter ſe diſſentiunt , qui commentariis huius auctoris libros illuſtrant. Habet ergo vir facundiſſimus *l.2.aph.1.com.3.* hæc verba: *Fit autem ſomnus refrigerato primo ſenſitiuo,hoc eſt,cerebro.*

Hæc ſententia multis perſuadere poterat, Galenum fuiſſe varium,ſui immemorem, & obſcurum : quippe qui ſomnum viſcera calefacere ſemper pluribus locis aſſeueret,edoctus ab ipſo Hip.*lib.6.epid.ſect.4.text.*13. *Euidenter vigilans calidior exteriùs,interiùs autem frigidior : dormiens è contrario.* Hoc pluribus exemplis probat *in com.* dormientes enim pluribus egemus indumentis. Maior inſpiratio plus caloris in penetralibus corporis collectum eſſe teſtatur : proinde & concoctiones in dormientibus efficaciùs, quàm in vigilantibus fiunt , non ſolùm in ventriculo ingeſtorum ciborum , verum etiam humorum in iecore , & venis.Quæ omnia corporis abditas ſedes in dormientibus calidiores effici,manifeſtè demonſtrant, cùm à nobis conceſſum ſit, ingenitum calorem omnium in corpore concoctionum præcipuum eſſe opificem. Ita 1. *aph.*15. hyeme ob ſomnos longiſſimos plura alimenta eſſe offerenda inculcat,ſiquidem inſitus calor adauctus per ſomnum, pluri indiget eſca. Probat *in com.text.*15 *.eiuſdem loci.§.Cæterùm ſi vt in ſomno , calido exteriorem ſuperficiem deſerente,interna corporis magis calent , &c.*

Licèt autem ſomni tempore , hyeméque præſertim , vniuerſus ferè calor ad cerebrum , & interiora recurrat , ibique magis quàm æſtate , & interdiu vigeat , & ſic in omni tempore partes internas calefaciat , hoc quantitatiuè intelligendum eſt , qualitatiuè enim deficit , ob ambientis ſæuitiem , caput & vniuerſum corpus vndique infrigidantis ; quod per hyemem ſatis confirmat pituitoſorum humorum generatio , frigidæ diſtillationes , aliique frigidi morbi tum capitis , tum aliorum membrorum , quorum hyems ferax eſt , qui per ſomnum non minùs etiam augentur.

Enimuerò etſi illius temporis calor , intrò , & ad cerebrum moueatur, conculcatus tamen imbecillior quodammodo,& diminutus redditur,3.*de cauſ.pulſ.*9. Et ſaltem in prima ſomni parte neceſſariò refrigeratur cerebrum,maximè ob conceptum intra ſe concretum humorem , ſpirituum aditus obſtruentem,infrigidantémque : vnde à frigore;ceu à cauſa antecedente oritur ſomnus;non à calore excitante , nec quieſcere permittente.

Non minùs ad frigus referendus eſt illorum ſomnus , qui vbi legere,aut meditari incipiũt.confeſtim dormiunt. Cùm enim lectio , & meditatio quoſdam dormire , alios vigilare faciant , non aliunde eueniunt ab vna, eadémque cauſa tam varij effectus niſi quia in quibuſdam caput frigido humore refertum eſt ; in aliquibus autem, minimè: quibus igitur adeſt in capite multus , frigidúſque vapor; is ab exiguo lectionis conatu quodammodo agitatus , & commotus,per cerebrum errat , & infrigidando ſomnum inducit.

Deinde cùm ipſius vaporis motus,maior fortiórque ſit, exiguum illum & debilem , quo mens vel intelligentia , ſpiritus ad legendum , aut meditandum applicat,diſtrahit & refringit , cogítque ſpiritus ipſos in cerebri ventriculos remeare,quibus collectis,obſtructio,& ſomnus neceſſariò conſequuntur. Id verò potiſſimùm accidit ignorantibus,& ſtudium parum voluntariè aggredientibus : illis quia cùm non penetrent , ſigere non poſſunt intellectum, atque adeò facilè ab intento diuertuntur , & à motu ventoſo , ac infrigidante capti,obdormiunt:his quia exiguus legendi conatus, leníſque ſpirituum motus , infrigidantes flatus non diſcutit.

Adde , dormire ignorantes legendo , quia cùm non intelligant , triſtantur ; per triſtitiam autem calidum introrſum vertitur ad ventriculos , & infrigidatur cerebri corpus. Ob oppoſitam verò cauſam lectio intelligentes excitat , quia ex voluptate quam capiunt,calor extrorſum trahitur.

Vigilant autem qui ſollicitè , & curioſè leguntːnempe quoniam animus à lectionis ſtudio nimis excitatus ; ſpiritus ſollicitè mouens , quodammodo inflammat , atque ita non modò flatuum infrigidantium motum refringit, ſed ipſos prorſus excutit , & diſſoluit , ex Ariſt , *lib. 10. probl.* 1. & 7. vbi adiungit , quòd ſi caput purum ſit , & ad intelligendum anima moueatur , ſomnus non obrepit, immò potiùs expergiſcitur homo , & ad lectionem cum voluptate

voluptate excitetur,quía tunc maximè & potiſſimùm viuit nobiliorem vitæ actum exercendo. Mediata verò iam lectione, quum ſpirituum motus ceſſet, & anima ipſa, re intellecta quieſcat, ſomnus inuadit, quem quies, & otium principaliter accerſunt. A

Aliter ſolui poteſt propoſitum problema,in hunc modum.Animi intentio,ſi multa,validáque ſit, ſpiritus attrahit,& à toto,& à cerebri ventriculis ad ipſam cerebri ſubſtantiam, in qua cogitatio, & diſcurſus fiunt: cùm verò ſomnus à toto,& à cerebro etiam ipſo ad ventriculos trahat,fit vt nonnunquam lectio, & meditatio vigiliam afferant, ſcilicet vbi nimis intensè, fixóque animo legimus, aut meditamur,vel ſi ſomnus præceſſit: non enim expergefactus dormiet,ſi ſe tradat lectioni,quoniam non à toto trahitur, ſed à ventriculis, in quibus ſpiritus ferè omnes continebantur:ſomnum verò aliquando conciliant,& magis illius tempore iam imminente, quoniam ad cerebrum conueniunt, vnde facilè ſpiritus,niſi à valida imaginatione teneantur, ad ventriculos fluunt, in quibus collecti obſtruunt,& dormire cogunt. B

Ob eandem ferè cauſam,ſilentium,& tenebræ ſoporem accerſunt,retrahi enim faciunt ſpiritus à ſenſoriis,& muſculis, fugientes tenebras ſibi aduerſantes. Dormiendi autem voluntas,quia clauſis ſenſibus ſpiritus ad principia aduocantur, & pulſis cogitationibus ad cerebri ventriculos: vnde etiam plantarum titillatio, blandus aquarum decurſus; & mollis extremorum frictio ſomnum inducunt, cùm enim occupationem quandam in imaginationem inducant,fit etiam à ſenſoriis tractio,non à ventriculis, quia minor eſt quàm requiritur, vt ab illis trahatur;à cerebro autem ad ventriculos ſenſim labente ſpiritu ſomnus obrepit, non confeſtim, ſed paulo pòſt: vbi enim faſtidium illorum ſuauium capit, (capere autem neceſſe eſt, quia non durat voluptas, ſed omnis tanquam fluxa tempore languet, & minuitur) ceſſante attentione, recipit ſe ſpiritus in ventriculos, ſequitur obſtructio, & in cerebri corpore refrigeratio, denique & ſomnus. C

Neque obſtat,quòd aliquando à calidis oriatur,vt myrrha,lolio,ſtyrace aloë,&c.de quibus Gal.2.*ſec.loc.cap.* 11. Nam hoc non euenit ob illorum caliditatem, ſed propter vim quandam quam habent, ad caput replendum, & grauandum, veluti inebriando, & quia habent partes quaſdam præpingues inſitas, quæ per actionem innati caloris ventriculi, in nidores verſæ, ſurſum ad cerebrum protinus permeant, & humiditate ſua ſomnum alliciunt. D

Iam verò pueri ſenibus calidiores magis dormiunt, quia magis abundant humiditate naturali ad ſomnum naturalem prouocante:ſomno autem præternaturali, qualis eſt lethargicorum,ſuperant ſenes ipſi, propter frigiditatis abundantiam; naturali deſtituuntur, ob membrorum ſiccitatem, quæ potiùs vigilare facit.

Æthiopes natura aridi,ſomnolenti ſunt. & maximè per æſtatem, ob pituitam qua in capite abundant, ex natiui caloris defectu, tum temporis liquefactam; liquata enim diffunditur per cerebrum, & humectando ſomnum conciliat. Qui verò caput pituitoſum non habent, ſed ab excrementis purum, propter paruum ſomnum nocturnum temporis æſtiui ad pomeridianum incitantur; quem etiam tunc temporis allicit conſcendens ab aſſumpto alimento vapor: vel exhauſto innatò calore languent organa, vnde otiari coguntur; ſenſuum autem otium & quietem,ſomnum appellamus. E

Hoc modo nonnunquam à ſiccitate ſomni naturalis occaſio præſtatur, quatenus ſcilicet inanito per motum, ſensúmque animali ſpiritu, (quod per ſiccitatem intelligendum eſt) organa operari non valent, & neceſſitas, vsúſque ſomni augetur ad diſſoluti ſpiritus reparationem, idque ſignificare voluit Galenus,cùm 3.*de cauſ.pulſ c.*10. naturalem ſomnum refert ad ſiccitatem. Alio enim nomine tantùm abeſt vt ſomnum iuuet, vt potiùs impediat, calorem acuendo, attenuando, clarificandóque ſpiritus, & ſpirituum reditum ad interna remorando,immò potiùs foràs pellendo.

Nonſic autem humiditas, immò verò ad ſeſtinam naturæ retractionem, vias,& ſpirituum diſponit, illum inſuper incraſſans,meatus obſtruens, caloremque obtundens, ne ſe efferat, promptiſſimè parat ad ſomnum naturalem, atque ideò meritò à Galeno *lib.*3. *de loc. cap.* 5. ad impedientem, obſtruentémve humiditatem, & *prorrhet.*29.ad vtilis vaporis concreti copiam (quod idem eſt) refertur, non tanquam ad principalem, primatiámque originem, (hæc enim eſt animæ facultas, vt diximus) ſed tanquam ad diſponentem, parantémque cauſam;parat enim humiditas, natura inducit & perficit.

Quod verò ad frigiditatem attinet,ſine errore dici poſſet,ab ea non fieri naturalem ſomnum, ſed tantùm innaturalem & morboſum inferri, & de eo loquutum fuiſſe Galenum, dum primi ſenſorij refrigerationem definiuit, ceu eam à qua magna ex parte oritur: ab excedente enim humiditate poteſt etiam prouenire.Si autem mauis etiam à modico frigore proficiſci naturalem ſomnum, innaturalem à valido,& immodico.Dic, quòd licèt immodicum frigus naturæ actiones impediat, & deſtruat nonnunquam, moderatum tamen ſæpenumerò adiuuat, calorem attemperando, & materiam aptè diſponendo ad naturæ actiones:modicè verò obſtruens, & condenſans, animalis facultatis delationem impedit, ſpiritúſque reprimit, ne ad exteriora moueantur; atque ita naturæ, illorum quietem, & reparationem per ſomnum intendenti, famulatur. Cùm verò refrigeratio, non dicatur perpetua, ſed frequens tantùm cauſa ſomni, rectè etiam poteſt à ſimplici humiditate, ſine frigore adiuncto oriri. Sicut autem frigus excedens, quædam qualitas eſt ad ſomnum morboſum potentior, ita ſenes immodicè frigidi ſomno præternaturali, pueros ſuperant, & comatoſis affectibus magis ſunt obnoxij, pueri ob natiuam humiditatem qua præualent, naturali ſomno prolixiùs, & profundiùs capiuntur.

Nec dictis aduerſatur Galenus, docens 3. *de loc.cap.*5. frigus cum humiditate,carum,ſine ea, obliuionem, ſtultitiámque inducere: nam non negat purum frigus per ſe ſolum poſſe coma, & carum efficere; nec etiam ſolam humiditatem: ſi vehementer excedat; ſed frigori cum humiditate addixit, quoniam frequenter, & promptè à duabus illis qualitatibus ſimul iunctis lethargicæ paſſiones, & reliquæ præternaturalis ſomni ſpecies, oriuntur, 2.*aph.*3.*in eom.* præter catalepſin,id eſt,deprehenſionem, congelationémve, quæ à frigore cum ſiccitate mixto efficitur.

QVÆSTIO V.

Vtrùm ſomnus inter res non naturales ſit reponendus.

INter ea quæ à Medicis ſolent agitari, hoc dubium haud poſtremum habet locum: id ergo, ſicut & alia, hoc loco agitabimus, vt locupletiores dimittamus ſtudioſorum aures: ſi quis tamen harum quæſtionum ſitior (vt ita dicam) eſt futurus, adiiciamus quæ vetus nobis lectio ſuggerit, & ab inſtituto non videntur aliena. Meritò igitur quærendum, ſi ſomnus res vna eſt ex ſex non naturalibus, quomodo inter res naturales numeretur? Dic,præter ſeptem illa naturalia quæ ab ortu contrahuntur, quæque noſtrum corpus integrant, & perficiunt, elementa ſcilicet, humores, temperaturæ, membra, ſpiritus, facultates, & operationes, de quibus in præſenti non eſt ſermo, multa alia nuncupantur naturalia, iuxta varias huius vocis [naturalis] ſignificationes. Naturales enim dicitur *lib.de maraſmo, cap.*2. id quod à natura intenditur, vel quod ſequitur ad opera naturæ, licèt illa nihil minùs conetur, aut intendat; in quo ſenſu mortem aliquam naturalem concedimus: agentibus namque vitæ principiis,calido,& humido, ſequitur, vel repugnante natura,in vltima vitæ periodo finis caloris, & tandem mors, quam dicimus naturalem, in eo à violenta diſtinctam, quoniam ab interno principio originem habet; in quo ſenſu etiam quidpiam naturale dicitur.

Galenus 14.*meth.cap.*14. ſecundùm naturam ſeu naturale quoque appellat,quicquid vtile eſt,& conueniens : in ſomno verè ac propriè naturali , omnia ferè illa naturalis ſignificata conueniunt : intenditur enim à natura,ad animalis quietem , ſpirituúmque reparationem,vel alimenti confectionem;ea agente fit,ſpiritus retrahendo , denique & corpori vtilitatem affert:morboſus, ac præternaturalis, è contra;à cauſa namque præternaturali fit,frigore ſcilicet condenſante , aut obſtruente humore , prohibentéque facultatis,& ſpiritus animalis exitum;non agente fit,ſed patiente natura ; denique noxius eſt,& grauis, 3.*de cauſ.pulſ.* 10.2.*de ſympt.cauſ.vlt.* 2.*aph.* 3.

Nec obſtat quòd 2.*prorrhet.ſect.*2.*com.*29. *in com.* naturalem ſomnum ait oriri ab vtilis humidi copia grauante , à qua pati videtur , & cogi natura , non ſponte ſopiri. Nam etiam ad naturam ipſam referri poteſt , ratrahentem calorem propter coctionem ; ad vtilis autem humidi copiam , tanquam ad allicientem, diſponentémque cauſam. Quare naturalis appellatione dignatur ſomnum ex crapula euenientem , duplici nomine , & quia à natura fit , & non à morbo , ſed ab vtilis humidi copia , vtilíſque , & conueniens eſt

Auicenna tamen 1. 3.*tract.*4.*cap.*1.non patitur abſolutè naturalem vocari ſomnum, in quo mediocritatis termini exceduntur ; quantitatis , quia prolixior ſit ; vel qualitatis,quia profundior ; aut temporis,quia die. Denique ſi à moderato fiat exercitio,nimiáque humiditate grauante, quantumuis alterutram cauſam habeat naturalem : atque Ideò ſomnum diſtribuit in naturalem , non naturalem, & morboſum , non aliter ac corpus diuiditur in ſanum ſimpliciter,neutrum,& ægrûm ; & res circa quas Medica ars verſatur , in naturales , non naturales,& contra naturam, Sed præterquam quòd de nomine videtur controuerſia , Galenus 2.*prorrhet.cit.* ebriorum ſomnum dicit naturalem, & 3.*de cauſ.ſympt* 10,eum qui ex fatigatione,& nimia ſiccitate oritur;demùm & 1.*de cauſ.ſympt.vlt.*naturalem , inquit,ſomnum animali inducit cerebrum,vbi vult à multa actione requieſcere.

Illud notabis,ſomnum,ſicut res alias, non naturales dici , non quòd in numero rerum naturalium non contineantur,(ſunt enim ex naturalium ordine)ſed ob id quia noſtri corporis eſſentiam,ac conſtitutionem minimè complent:cùm hæc non ex illis ſed ex elementis, humoribus, facultatibus,& cæteris dictis integrentur.Deinde non naturales vocantur,tum quia nobis à natura non inſunt ſed forinſecùs adueniunt,tum quòd niſi opportunè adhibeantur , ita corpus alterant , vt ſanitatem etiam ſæpenumero deſtruant & peruertant.

His prælibatis , aliqua in medium vocanda, inquirendúmque,quibus notis & indiciis , ſomnus naturalis,ab eo qui eſt præter naturam , ſit dignoſcendus ? Dic,quòd non ſolùm per longitudinem , ſed multò etiam magis per expergiſcendi difficultatem:non enim grauis,hoc eſt,noxius, & præter naturã,ait Galenus 2.*aph.*3. nominatur ſomnus, niſi difficilem habuerit expergefactionem , quantumuis tempore exceſſerit . & 2. *prorrhet. cit.* ſumma cum vtilitate vidit ægros , qui diu per morbum vigilarant , nocte diéque continuò , & profundè dormire. Inſuper & nonnunquam pueris ſomnum per duos dies integros difficilem excitatur ſuperuenientem magno commodo fuiſſe ; nec tamen fuiſſet , ſi præter naturam foret:atque ideò innaturalem non dixeris ex ſola prolixitate,ni expergiſcendi ſimul habeat difficultatem , & hanc quidem à morbo, non ab vtilis humidi copia , propter ebriorum ſomnum, quem earum appellare non licèt ; ſed illum in quo vſque adeò ſenſu , & motu priuatur æger , vt nec punctus , nec ſtimulatus vllo pacto excitetur , qualis fit temporalibus muſculis percuſſis , 2, *prorrhet. cit.* aut cerebri ventriculis compreſſis , ex Galen.*lib.*4.*de loc.affect.cap.* 2. aut prauarum acceſſionum initiis , ob vehementem refrigerationem factam à pernicioſis humoribus , vbi nondum eò acredinis deuenerunt , vt vigilias , deliria, & phreniti-des poſſint excitare , 3. *epid.ſect*,2.*com.*34.Barbaris *ſubeth* appellatur.

Alia præternaturalis ſomni ſpecies datur,coma ſcilicet, & caraphora appellata,in qua ob morbificam cauſam difficulter expergiſcitur æger. Oritur à pituita humectante, refrigerantèque cerebrum , & comitatur lethargicas affectiones , 3. *de cauſ.pulſ.* 1. Somnus itaque naturalis ſolus abſolutam habet ſomni appellationem.

Quæro ſecundò. Si lætitiæ,mœroris & febris,ſedem dicimus eſſe cor , quia ab eo paſſiones illæ toti eueniunt; ſic ſomnum non ineptè , aut impertinenter in corde fieri arbitramur ? Dic ſomni occaſionem non eſſe vitalis caloris regreſſum ad cor , quod rentur Peripatetici ; ſed primo , & maximè animalis ad cerebrum , vt ex ſuo Magiſtro Galeno Medici arbitrantur. Patet veritas huius dogmatis apertè , ex eo ; quòd in ſyncope , & timore , multò maior ſit caloris reuocatio , quàm in ſomno quantumuis profundo,pallet enim magis facies , quàm in dormiente : attamen ſyncopizans nec dormit , nec cogitatione deſtituitur , immò ſæpe nec auditu : igitur non eſt auctor ſomni , retractio caloris ad cor. Deinde remediis capiti , non cordi applicitis expergiſcitur , & alicuatur homo, qui ſomno profundo grauatur : ergo ſi per regreſſum caloris fit ſomnus , ad cerebrum , non ad cor regreditur, ſaltem potiſſimùm, & maximè ; ſecundariò enim & minùs principaliter non negamus.Nam ſicut in deliquiis, aliíſque propriis paſſionibus , cor ſanguinem arterialem , & vitales ſpiritus quibus præeſt, in vniuerſum ad ſe contrahit & retrahit ; propter mutuam autem membrorum , & facultatum ſympathiam , animalis etiam ſpiritus licèt minùs ad cerebri corpus recurrit : ita in animalium ſpirituum penuria per ſomnum , rapitur primò animalis ſpiritus in cerebrum , non modò ab externis organis , ſed à cerebri corpore ad ventriculos : ob eundem verò facultatum conſenſum ſequitur etiam vitalis caloris , ſed multò minor reuocatio ad cor,immò & venoſi ſanguinia ad iecur.

Quæro tertiò. An ſit vera propoſitio Auic. 2.1.*doct.* 2. *cap.*13. dicentis , ſomnum omnes operationes naturales fortes efficere,propterea quòd calorem coarctat innatum, & virtutem laxam animalem ? Dic,veriſſimam eſſe: quum enim ſomnus calorem retineat ; cúmque colligat ad corporis profundum, qui vnitus,robuſtior euadit,fit vt tempore ſomni virtutes potentiùs , & perfectiùs operentur, quam rationem tradidit priùs Galenus 6.*epid.ſect.* 4. *com.* 14.*&* 1.*aph.*15.Auic.1.1.*doct.* 3. *cap.* 9. *de pulſu complexionum*,Laxat autem ſomnus facultatem animalem,non quòd ipſam debilitet,ſed ceſſare faciat ab operatione, qua roborata, naturalis etiam ſit multò robuſtior, & ob hanc cauſam operationes naturales ſomni tempore non ſolùm in viſceribus , 6.*epid.ſect.*5 . *com.* 10. ſed in vniuerſa corporis mole fiunt robuſtiores,ex Gal.1.*de cauſ.ſympt.cap.*8.*&* *l.*3. *de cauſ.pulſ.cap.*9.*in princip.*

Sed obſtant plura. Primum , quomodo in partibus externis meliores fiant coctiones ſomni tempore,ſi eæ ſunt frigidæ,& defectum caloris patiuntur. Secundò, cur tempore ſomni melior fiat coctio quàm in vigilia, ſi influxus caloris retrahitur à cerebro ad cor. Denique in ſomno refrigeratur cerebrum , ex Ariſt.*lib.de ſomno,& vigilia*, *&* 2. *de partib.animal. cap.* 7. Inſuper non reprobaretur ſomnus in ſoporoſis affectibus , qui coctione indigent , cùm tamen Galenus 13.*meth.*21. & Auic. *tract.*4.*cap.de curatione lethargi* eum interdicant. Vltimò. Inter operationes naturales quædam perficiuntur motu locali , vt eſt attractio, & expulſio ; coctio perficitur motu alterationis ; ſola retentio perficitur quiete , & mora. Igitur ſomnus cùm ſit quieti ſimilis , ex Hippocrat, & Galen. 4. *aph.* 14. *&* 15. & Auicen. *loc. nuper citato*, ſolam retentionem fortem efficiet,

Hæc ita ſoluenda ſunt. In ſomno calor non omnino retrocedit à partibus externis ad intimas , aliàs nec viuerent, nec pulſarent;exigua tamen illa caliditas condenſata cute, & cohibito effluuio ſic vnitur, & colligitur, vt perfectè ſufficiat coctioni, Licèt autem hoc verum ſit,tamen dormiens exterius euidenter frigidior eſt , & indumentis eget , & ſic incredibile videtur , puſillam illam caliditatem extrà remanentem , etſi vnitam , perfectam coctionem perficere poſſe. Quare alia potior ſolutio indaganda,

ex

ex Gal. 3.*de cauſ.pulſ.cap.9.* reddens enim cauſas, quare in principio ſomni pulſus ſint minores, deinde verò in medio, & fine, maiores, & vehementiores, ſic rem determinat: Nam etiamſi calor retrahatur à partibus externis ad intimas, in principio opprimitur & imminuitur, deinde verò potentior redditus, incipit diſpergi, & per totum corpus expandi. Sicut enim flamma quando lignorum copia obruitur, parua, & obſcura in principio apparet, deinde verò lignis ea occupatis, fulget ampliùs, & ſplendeſcit, & ad omnes partes diſpergitur; ſic accidit calori natiuo. Cùm enim hic tempore ſomni ad alimentorum coctionem retrahitur, in principio etſi vniatur, maior non redditur, immo opprimitur, præſertim ſi alimenta ſint frigidiora: quum verò ſuperauit alimentum illóque fruitur, validior factus, æqualiter per totum corpus incipit expandi, & ſic calor in partibus externis roboratus feliciùs concoquit, quàm tempore vigiliæ, in qua apertis poris, & reſeratis cutis ſpiraculis calor euolat, qui tempore ſomni denſato corporis habitu iunctus, coctioni perfectiùs opitulatur: ex qua ſolutione ad ſecundum argumentum reſponſio patet. Hoc modo in principio ſomni cerebrum refrigeratur, ob retractionem caloris ad cor: in medio autem, & fine, communicato calore ex corde, & ſpiritu animali detento in cerebro, prohibita reſolutione ipſius, & nouo aucto propter coctionem, ipſum incaleſcit.

In affectibus capitis, veluti phrenitide, cephalæa, hemicrania, melancholia, maximè laudatur ſomnus: concoquit enim, humectat, attemperat. In lethargo, & affectibus ſoporoſis ſolet reprobari, non abſolutè: ſi enim modicus eſt, & nocturnus, vtilis eſt; nam huiuſmodi affectus ſicut indigent reſolutione humoris, ſic coctionem exoptant, quam procurat ſomnus; immodicus enim, & diuturnus nocet ſummoperè, quoniam frigidam & humidam intemperiem adauget, humoriſque prohibet reſolutionem.

Ad vltimum argumentum dic: tempore ſomni omnes facultates naturales fieri fortiores, quia partes meliùs nutriuntur, & copioſiorem calorem ſortiuntur. Verùm cùm hæ potentiæ ordine quodam operentur, & tempore determinato, quia priùs operatur attractrix, alteratrix, retentrix, & tandem expultrix: tempore ſomni alteratrix, & retentrix meliùs operantur; illa enim calore operatur, qui tunc abundantior eſt, hæc quiete quæ in ſomno adeſt: reliquæ roboratæ ex ſomno promptiùs perficiunt operationes ſuas. Et licèt facultas animalis tempore ſomni ab opere ceſſet, ita tamen roboratur, vt poſt ſomnum vehementiùs operetur. Et de ſomno ſatis

---

HISTORIA III. CELSI,
De morbo nouo.

Morbus nouus, caro ex naturalibus partibus prolapſa.

R*Arus, ſed aliquando tamen morbus quoque ipſe nouus eſt, quem non incidere manifeſtè falſum eſt. Cùm ætate noſtra quadam* ex naturalibus partibus carne prolapſa, & arente, intra paucas horas expirauerit, ſic vt nobiliſſimi Medici, neque genus mali, neque remedium inuenerint, &c. Cornelius Celſus* in præfatione, poſt medium.

PARAPHRASIS.

MVlta ſunt morborum portenta, & monſtra, in quibus, vt infrequentibus, & raris curandis, Medici vel peritiſſimi cæcutiunt, vacillant, & errant: temporum enim mutua viciſſitudine, morbos quoſdam in dies nunquam viſos, in homines graſſari, fidiſſimo auctorum teſtimonio ratum eſt. Et præter varios, quos ex horum mente propoſuimus, *lib.2. in com. hiſtor.89.* adeſt ranunculus, in occultiſſimis corporis partibus, præcipuéque ſub lingua enatus, varicis modo, nigricans, ſine dolore, ſine pruritu, qui grauatos triduo aufert aliquando horrorem afferens, rariùs febrem, ſtomachum, faucéſque cùm inuaſerit, ociſſimè exanimans, vt Strabo auctor eſt, *lib.15. ſuæ Geographiæ, & lib.36. cap.1.*

Narrat Cornelius Gemma *lib.2. Coſmocritic. c.1.* viguiſſe populariter ſuo tempore catarrhi prodigioſum genus, magna ſerpens contagij vi, neminem ferè præteriens: aderant maximi capitis dolores, fluxus vehemens, acer, mordax ad oculos, aures, fauces, nares, ſtomachum, pectus, obuias partes excrucians, atque erodens, extrema appetitus deiectio. quam febris comitabatur.

Gregorius Turonicus *lib.5. hiſtor. Francorum*, tradit dyſentericum morbum popularem Gallias penè totas occupaſſe cum valida febri, enormi vomitu, cephalalgia, renum dolore, quorum multi, admiſſis in ſcapulis ventoſis, procedentibus, erumpentibúſque veſicis, excreta ſanie liberabantur.

Scribit Thuanus *lib.76. hiſt. ſuæ*, fœminam ætatis 38. annorum, adſtantibus ſignis grauidationis, triennio in lecto decubuiſſe, conqueſtam de vteri duritie, tumore, & alui torminibus, tandem poſt mortem, inuentum fuiſſe diſſecto vtero, fœtum bene conformatis membris penè lapideum, ita vt oſſa capitis quaſi cornea interlücerent, partes autem internæ, viſcera, cor, cerebrum naturalem habitum ſeruabant, niſi quòd vltra modum induruerant, non tamen vt externæ. De quo admirando, ſeu miraculoſo exemplo, eius cauſis, duritie, concretione, peritiſſimè conſcripſerunt Ioannes Alboſius *tract. de Embryone in vtero materno in lapidem conuerſo*, & Simon Prouancherius doctiſſimè, qui libelli extant cum eo, quem Franciſcus Rouſſetus conſcripſit, in quo *de exectione fœtus viui ex matre*, accuratiſſimè diſſeruit.

Refert Blondus *lib.7. decad.2.* Romæ tabem diuagatam, ex qua nullus intactus ab eadem ſuperſtes remanſit. Confirmat Procopius *lib.2. de bello Gothorum*, tabem ex fame ingenti ſuo tempore fuiſſe graſſatam, quam comitabantur pallor cutis cum duritie, nigritie, extenuatione ſumma coniunctus, facies ſtupidior, toruus, ac furens aſpectus, inſomnium importunum, ſitis inexhauſta, alui ſuppreſſio omnimoda; quare malo præuincente, tandem viribus exanimes è vita migrabant.

Demùm inter varios morbos nouos, quos ex variis auctoribus deſcribit Langius *lib.2. epiſt.13.* extat vnum genus morbi mirabile, deſcriptum à Thuano, *hiſt.72.* quem inter noſtrates nouiſſimus propoſuit Ioan. Beuerouicius, vir varia eruditione percelebris; *part.3. ideæ medicinæ veterum, cap.5.* & vocatur *morbus veruecinus* ab Italis, qui in Oriente primùm, poſtea ſeptentrione peruagatus, apud nos incognita initio remediorum ratione multos afflixit. Erat ægritudinis genus non tam mortifera vi timendum, quàm progreſſu, & celeritate, qua proxima quæque loca ſerpente contagione complectebatur, admirabile. *Primò inferiorem morbus ſpinam horrore pleumque occupabat, dein horrori grauedo capitis & languor; membra eorum, quos corripuerat, reſoluens ſuccedebat, corpori in primis grauis. Quibus verò intra quartum, quintúmve diem malum non deceſſiſſet, in febrim degenerans eos interimabat. Lethale ferè iis, qui medicamentis purgantibus, aut venæ ſectione corpus macerabant, quæ vtraque difficiliorem reſpirationem efficiebant: illa, quòd humorem omnem à capite ad pectus trahebat; hæc, quia præterquam quòd corpus refrigeraret, etiam vires debilitaret: quibus ad reſpirationem, & vim morbi ſuperandam validis opus erat.*

Carnem ex naturalibus partibus prolapſam, eſſe morbum nouum, nulli dubium eſſe poterit, qui priſcorum Medicorum, & recentiorum monumenta penſet ad vnguem; in nullo enim auctore eum deſcriptum inuenies, præter Theuetum, qui *tom.1. Coſmograph. lib.3. cap.2.* illum vocari *Borozail* ab Indis memoriæ tradidit, dum ſic ait: *In vtraque fluuij Senega ripa multa ſunt regna, in quibus periti ſunt Medici multi, quos Biſrains appellant. Morbus qui illic frequenter graſſatur, Borozail nominatur, & Zail Æthiopum lingua, qui ex immodica venere, cui multùm obnoxij ſunt, ortum habet. Genitales partes potiſſimùm hic occupat. Ad huius morbi curationem decoctis multis vtuntur, ſed potiſſimùm*

decɩcto herba Achenaca dicitur. Huius folia bifurcata , & acuminata ſunt , braſſicæ amplioris folio ſimillima, ſed non ita craſſa. In horum medio fructus naſcitur , cui magnitudine, colore luteo , quem Aluard nuncupant. Fructus is apud eos magno in pretio eſt. Tota planta tibiæ hominis craſſitudine. Ea in morbis curandis vtuntur , perinde ac nos Guajaco. Eſt ergo hic morbus nouus quoad nos, vetuſtiſſimus quoad Indos, quibus immodica Venere vtentibus , veſperi præſertim, genitalibus incaleſcentibus partibus vlcera ita dira ſuboriuntur, ex quibus, cùm non poſſint herbæ dictæ decocto ſanari, effluit ſanies adeò virulenta, vt corroſo pene eos breui ad mortem deducat, vt narrat Pater Franciſcus Ximenus *in ſuis libris plantarum, & animalium in nouo orbe inuentorum, elegantiſſimis.*

Deinde hunc morbum reponendum eſſe cum Gallico non dubito. Etſi enim hic Chronicus ſit , & non ita celeriter ægros deducat ad interitum , tamen aliquando ita acris humor, & pernicioſa qualitate infectus in naturales partes confluit, vt vterum excoriet, abradat, & vlceribus cacoëthicis & doloſis vitiet, & conſpurcet, genitaléque ipſum breuiſſimo temporis ſpatio arrodat , & aliquando cũ tam immani dolore, vt ægri hac ipſa de cauſa confecti vigilia, extenuati , ſerpente fœda putrilagine in pudendo ipſo: citò è vita diſcedant, priuſquam ſalutaria experiantur auxilia, quæ ſolatium miſeris ægris afferre poſſent.

Nónne in Gallico morbo hæc vlcera ferina in his partibus propullulant, quum ſint obnoxiæ putrefactioni, ita venenata, & dira , vt illæ extincto, ac reſoluto inſito calore citiſſimum morticinium experiantur ? Nónne narrat Galenus *3. de vſu part. 4.* fuiſſe ſuo tempore ita ſæuam peſtem graſſatam, vt ſphacelo occupatis pedibus cum horum amputatione ſolùm ægri vitam redimerent ? Quare præ venenoſitate natiuum partis calorem debilitatum, ita vt depopulato humido caro areſieret , & à continuitate ſua ſepararetur , iure optimo in hac ægra affirmabimus. Hoc frequenter experimur in pernicioſis variolis, in quibus ab humoris venenoſi putrilagine , & acrimonia decidunt extrema membra , & alia miſeranda mala contingunt , quæ inter omnes eleganti ſtylo exarauit Paræus *lib. 19. cap. 1.* quæ omnia ex certa quadam , & occulta inimicitia huius fœdi humoris , & à tota ſubſtantia agentis, emanare, verum eſt : nam huic diro morbo occulta ac malefica ineſt qualitas. Occultas autem in rebus eſſe aſſignandas qualitates , ex doctorum mente virorum clariſſimus confirmat Sennertus , *in ſuis diſput. Phyſicis, Hypomn. 2. de occultis qualitatibus.*

QVÆSTIO VI.

Vtrùm morbus Gallicus ſit appellandus Syphilis, vt cenſuit Fracaſtorius.

COMMENTARIVM.

E*X naturalibus partibus carne prolapſa.*] Multa quidem de hoc leonino morbo agitauimus, *lib. 1. in com. hiſtor.* 73. alia de eo exempla rara propoſuimus, *lib. 2. de praxi admiranda, ab obſ. 127. vſque ad obſ. 139.* & plura de eius curatione ſelecta referemus , *in praxi hiſtoriarum , lib. 7. cap. 1.* Sed in iis vnum fortè mente excidit, cuius explicationem aggrediar, & eſt cur Fracaſtorius Medicus percelebris , *libro de morbo Gallico* , hunc, Syphilidem vocare auſus ſit ? Nam ingenia riſi quorundam Medicorum , etiam Græcè peritorum, in inueſtiganda huius vocis Syphylis ratione, quoniam à multis annis medicinæ candidatus poëma legeram, nec potui inuenire cauſam, cur Syphilidis nomen indidiſſet, quæ inſcriptio à morbo Gallico abeſt longiſſimè; ſed iudicaui Pro more Poëtarum fictum nomen, aut Nymphæ alicuius, aut loci, ab euentu, quoniam Syphilus montis eſt nomen : nec me coniectura fefellit. Nam ſumptam eſſe hanc vocem ab homine, qui primus hac lue infectus fuit , ipſe auctor exponit. Sed præſtat audire quid præſtantiſſimi Medici, in huius vocis explicatione Poëtarum inſtar ſint commenti.

Gabriel Fallopius nulli Neotericorum ſecundus, *cap. 2. lib. de morbo Gallico,* Syphila nominatam (*Syphilida* dicendum fuit (quia ex amore , & coniunctione Veneris inter hominem, & fœminam plerumque ſuboritur; quaſi concordiæ, & amicitiæ venereæ ſit partus : hinc fieri ex nonnullorum ſententia , vt prima eius morbi ſemina ſeſe in pudendis partibus, ſeu viri, ſeu mulieris, ſeu vtriuſque exerant. Ita enim tradiderunt Nicolaus Leonicenus , Antonius Beniuenius , Caſpar Torrella , quare pudendagram tertius hic nominauit , *tractatu de ea,* & Augerius Ferrerius, Mentagram à Plinio vocatam *lib. 26. cap. 1.* putans ille ac ſi à mentula, non à mento traxiſſet originem, vt notarunt Georgius Dardanus, *lib. 1. de morb. Gallico, cap. 4.* Alexander Fontanus, Antonius Scanarolius, Aurelius Minadous, *tract. de morb. Gallico, in principio,* & alij plures, qui de hoc morbo diſceptarunt.

Antonius Muſa, multis à mentagra differre oſtendit; & ab ore interdum , aliquando à mammis incipere , quum Fallopius doctiſſimè mali fontem hepar eſſe demonſtret, vt & Franciſcus Frizimelica , & Bernardus Tomitanus ex magiſtro Ioan. Baptiſta Montano, eloquentiæ, & medicinæ laude clariſſimo : quem tamen reprehendunt Gulielmus Rondeletius , & Leonardus Botallus : & alij , cum Alexandro Trajano aliud exiſtimant.

Plures notiones huius vocis alias finxerunt, ſiue à *philis*, quæ canna eſt, ſeu fiſtula : quoniam hæc lues ab vrinæ fiſtula incipit : ſiue à *ſymphylos*, quæ vox gentilem , familiarem, & vernaculum ſignificat , dixeris etiam contribulem : nam phyle Græcè tribus eſt : quidam inquiunt, nomen accepere à gentibus iis , quibus adſcribitur primus ortus : Ita Gallicus, Hiſpanicus, Neapolitanus, Indicus nominatur : ſiue à philia, id eſt, amore , aut potiùs amicitia, quoniam per amoris actus corripit.

Quòd ſi pro cuiuſque arbitratu fingendum omnino erit, varias acceptiones habebit hoc nomen Syphilis. Qui tamen nomen dedit poëmati, ſe appellaſſe ſyphilidem in ſuis luſibus ſcribit, & *in ſuo lib. 2. de morb. contagioſis.* Rurſus *in poëmate* dum cauſas morbi diuinitus immiſſi recenſet, ac poſtremam idolorum cultum affirmat fuiſſe, ita canit, philomela ſanè dulciùs.

Syphylus (vt fama eſt) ipſa hæc ac flumina paſtor,
Mille boues niueas, mille hæc per pabula Regi
Alcithoo paſcebat oues : & fortè ſub ipſum
Solſtitium, vrebat ſitientes Sirius agros,
Vrebat nemora, & nullas paſtoribus vmbras
Præbebant ſiluæ, nullum dabat aura leuamen.
Ille gregem miſeratus, & acri concitus æſtu ,
Sublimem in ſolem vultus, & lumina tollens ,
Nam quid Sol, te, inquit, rerum patrémque, Deúmque
Dicimus ? & ſacras vulgus rude ponimus aras ?
Mactatóque boui, & pingui veneramur acerra ?
Si noſtri, nec cura tibi eſt, nec regia tangunt
Armenta? an potiùs Superos vos arbitrer vri
Inuidia? mihi mille niuis candore iuuencæ,
Mille mihi paſcuntur oues : vix eſt tibi Taurus
Vnus vix Aries cælo (ſi vera feruntur)
Vnus, & armenti cuſtos Canis arida tanti :
Demens, quin potius Regi diuina faceſſo,
Cui tot agri, tot ſunt populi, cui lata miniſtrant
Æquora, & eſt Superis, ac Sole potentia maior ,
Ille dabit faciléſque auras, frigúſque virentum
Dulce feret nemorum armentis, æſtúmque leuabit.
Sic fatus, mora nulla, ſacras in montibus aras
Inſtituit Regi Alcithoo, & diuina faceſſit.
Hoc manus agreſtum, hoc Paſtorum cætera turba
Exequitur : dant thura focis incenſa , libántque
Sanguine taurorum, & fumantia viſcera torrent.
Quę poſtquam Rex, in ſolio dum fortè ſederet
Subiectos inter populos, turbámque frequentem ,
Agnouit, Diuum exhibito gauiſus honore ,
Non vllum tellure coli ſe vindice numen
Imperat , eſſe nihil terra ſe maius in ipſa :
Cælo habitare Deos, nec eorum hoc eſſe quod infra eſt.
Viderat hæc qui cuncta videt, qui ſingula luſtrat.
Sol pater, atque animos ſecum indignatus, iniquos

Interſit

Intorſit radios, & lumine fulſit acerbo :
Aſpectu quo terra parens, correptáque ponti
Æquora, quo tactus vitio ſubſanduit aër.
Protinus illuuies terris ignota profanis
Exoritur : primus Regi, qui ſanguine fuſo
Inſtituit diuina, ſacraſque in montibus aras
Syphilus, oſtendit turpes per corpus achores.
Inſomnes primus noctes, conuulsáque membra
Senſit, & à primo traxit cognomina morbus,
Syphilidémque ab eo labem dixere coloni.
Et mala iam vulgò cunctas diffuſa per vrbes
Peſtis erat, Regi nec ſæua pepercerat ipſi.

Vt videatur exprimere voluiſſe, quæ paulò ſenior doctiſſimus Philoſophus, & Medicus Nicolaus Leonicenus hoc ſermone deſcribit, *lib. ſuo de morb. Gallico.* Illud ſatis conſtat eo quo morbus Gallicus cœpit pullulare anno, magnam aquarum per vniuerſam Italiam fuiſſe exuberantiam. Teſtis eſt Roma, quæ id malum prima ſenſit, in qua Tybris ita intumuit, vt tota ſit facta nauigabilis, quam rem Pomponius illo tempore Poëta laudatiſſimus eleganti tetraſticho publica columna impreſſo deſignauit.

Tempore Alexandri ſexti, noniſque Decembris
Intumuit Tybris bis ſenas circiter vlnas :
Inſula quæque domus facta eſt, mediiſque repentè
Circumducta viis æquabat cymba feneſtras.

Leonicenus verò, vt eluuionem complecteretur, quæ bonam Europæ partem oppreſſit, addidit duos verſiculos :

Deucalionæo vix tantum tempore tellus
Diluuium paſſa eſt, latuit cùm tota ſub vndis.

Quanquam anno 1534. maiorem fuiſſe in vrbe eluuionem aquarum, tradat Antonius Muſa *eiuſdem inſcriptionis libro.* Verùm hæc tempora non conueniunt cum huius morbi initiis, quæ fuerunt 1493. vel 1494. Neapolim obſidente Gallorum exercitu ſub Carolo VIII. Inde enim vniuerſam occupauit Italiam, delatus à Chriſtophoro Columbo ex Orientali India, vt *cit. libro, c.* 1. Fallopius deſcribit, tum Bernardinus Tomitanus *lib.* 1. *c.* 5. & Alexand. Traian. *lib.* 1. *c.* 1. quam ab Indis vocari *Bugam*, notat *cap.* 5. Tu verò ſi huius nominis *Syphilis*, meliorem interpretationem fueris aſſequutus, laxiore otio pande libenter.

HISTORIA IV. GALENI,
De Sceleto.

Sceleti doctrina Medico eſt valdè neceſſaria.

HOc autem ſit opus tuum, hoc ſtudium, vt non librorum modò lectura, verùm ſedula etiam inſpectione, fidéque oculata, cuiuſque oſſis humani ſpeciem accuratè perdiſcas: quod quidem in Alexandria multò faciliùs facies, vbi Medici oſſium diſciplinam auditoribus ante oculos exponunt. Enitendum itaque tibi cenſeo, vt Alexandriæ commoreris, ſi non alterius, at huius certè rei ſolius gratia. Quod ſi non aſſequaris, licebit vel in eum modum hominum oſſa contemplari, quo ego quoque vſus ſum : ſiquidem inſpexi ſubinde admodum, vel ſepulchris quibuſdam, vel monumentis diſſolutis. Atque etiam fluuius aliquando ſepulchrum pauculis menſibus ante negligentiùs extructum ſuperans, ipſum ex facili diſſoluit : totúmque cadauer agminis impetu tractim ductum, carnibus quidem iam putrefactis, cæterùm oſſibus adhuc inter ſe ſtrictim cohærentibus, vſque ad ſtadium pronum detulit. At cùm ipſum locus portuoſus margine altus excepiſſet, eodem cadauer appulit. Atque hoc tale nobis occurrit, quale Medicus ipſum ad adoleſcentis diſciplinam præparaſſet. Cæterùm viſum eſt mihi quandoque etiam latronis cadauer exſiccatum palulum extra viam in monte procumbens : quem viator quidam ſe priùs adorientem contra pugnando occidit. Nemo autem illius regionis inquilinus ipſum ſepulturæ mandaturus erat, vt qui odio ipſum proſequuti à vulturibus deuorari gauderent, qui carnibus illius biduo abſumptis, cadauer exſiccatum, tanquam ad doctrinam cuicunque inſpicere volenti, reliquerunt. Tu ſi ne huiuſmodi quidem illius ſpectandi copiam nactus fueris, at in ſimia inciſa, carnibus exactè ablatis, ſingula oſſa conſideres : ad quod delegeris ſimias hominis figuræ quam ſimillimas, &c. Galenus lib. 1. de anatomic. adminiſtrat. cap. 2.

PARAPHRASIS.

Seu ſpicilegium Anatomicum.

In quo partes omnes corporis humani breuiter, & compendioſè, ac dilucidè deſcribuntur.

TAnta eſt auctorum, qui de re anatomica conſcripſerunt, copia, vt ſi omnes ſeriatim percurrere velis, & in tui vſum ex eorum doctrina aliquid frugiferum decerpere coneris, priùs in ipſo limine obruaris, quàm optatum portum attingas, eſt neceſſe. Quo pacto in huius hiſtoriæ, quæ tota eſt anatomica, explanatione, rem arduam me præſtitiſſe videbor, & negotium vtiliſſimum aggrediar, ſi vniuerſam hanc artem in compendium redigam, ex quo facilè quiſque poterit vberrimos fructus decerpere. Vt verò lectori omnia magis plana fiant, indicem eorum quæ agenda ſunt, priùs proponam.

Sectio prima.

De præſtantia, & vtilitate artis Anatomicæ.
Qui fuerint huius artis inuentores, cultores, & illuſtratores.
De fabrica theatri Anatomici.
De ſectione viua.
De definitione, & diuiſione Anatomes.
De oris conſtitutione.
De lingua.
De labiis, & faucibus.
De œſophago.
De ventriculo.
De inteſtinis.
De inteſtino duodeno.
De inteſtino ieiuno.
De inteſtino ileo.
De inteſtino cæco.
De inteſtino colo.
De inteſtino recto.
De menſenterio.
De omento.
De peritonæo.
De abdomine, & eius muſculis.
De hepate.
De venis.
De ramis venæ portæ ingredientibus inteſtina.
De vena porta.
De folliculo fellis.
De liene.
De renibus.
De vreteribus.
De veſica vrinaria.
De vaſis præparantibus.
De pudendo.
De vtero.

Sectio ſecunda.

De regione thoracis, & aſpera arteria.
De pulmonibus.
De corde.
De cordis ventriculis.
De pericardio.
De arteriis.
De thorace.
De pleura.
De mediaſtino.
De mammis.
De diaphragmate.

Sectio tertia.

De Regione capitis.
De naſo.
De capite.
De dura meninge.
De tenui meninge.
De cerebro.
De corpore calloſo.
De ventriculis cerebri.
De plexu choroïde.
De proceſſibus mammillaribus.
De ſpeculo lucido.
De cerebello.
De neruis.
De ſpinali medulla.
De oculi fabrica.
De auribus.

Sectio quarta.

De oſteologia, & reliquis ad fabricam humani corporis pertinentibus.
De ſceleto.
De oſſibus capitis.
De dentibus.
De ſpina, ſeu dorſo.
De thoracis oſſibus, coſtis, ſcapulis.
De oſſibus ilij, iſchij, pubis, manus, carpi, extremæ manus, tibiæ, & pedum.
De ligamentis.
De cartilaginibus.
De tendinibus.
De villis, ſeu fibris.
De muſculis.
De vnguibus, & pilis.
De glandulis.
De cuticula.
De cute.
De adipe.
De membrana carnoſa.
De formatione fœtus, membranis eum inuoluentibus,

uentibus,ſitu infantis in v tero,& eius excluſione foràs.

De vmbilico, & vaſis vmbilicalibus.

De ſuperfœtatione.

De præſtantia, & vtilitate artis Anatomicæ.

PLurima ſunt in vniuerſo,quæ noſtri Conditoris diuinam & admirabilem ſapientiam prædicant. Sed hæc in nulla re ſplendet magis, quàm in homine, quum ſit factus ad imaginem,& ſimilitudinem Dei, ob quam cauſam Deus eſt in reliquis creaturis per modum veſtigij:at verò in homine per modum imaginis. Et quamuis humano intellectui difficillimum ſit hoc Dei veſtigium aſſequi,curabo tamen rimari quæ in homine à ſummo Creatore apparent producta, & ſic verè,ſyncerè, ſolidè, ſimplici ſtilo,omnes humani corporis partes, earum vſus, & conſenſus intimiùs explicabo, relictis ambagibus, quæſtionibus, & controuerſiis, quæ in hoc argumento à veterum, & recentiorum Anatomicorum præſtantiſſimis ventilantur.

Eſt ergo vtilis humani corporis cognitio ſectione comparata,non ſolùm Medicis, ſed Theologis, Philoſophis, Iureconſultis, Hiſtoricis, Poëtis, & denique omnibus, qui eruditionis, & prudentiæ laudem affectant. Theologis eſt vtilis: nam inuiſibilia Dei per ea quæ ſunt viſibilia cognoſcuntur. Quis enim mirabilem, & nobiliſſimam hominis ſtructuram contemplatus, tanti opificij auctorem non colet, & venerabitur; Vtilis Philoſophis, Poëtis, Hiſtoricis, & aliarum ſcientiarum cultoribus, quoniam apud illos paſſim humani corporis fabrica deſcribitur.

Medicis verò vtilior,& valde neceſſaria exiſtit,vt ſingularum partium officia intelligant, actiones, & vſus, quæ omnia ad rectam prænotionem, & affectuum curationem conferunt apprimè, quoniam ſine huius artis cognitione nihil artifice dignum poterunt efficere, ſic Galenus *lib.1.de loc.affect.cap.1*.hanc artem valde extollit. Si enim curatio diuerſa pro ægrorum varia natura adminiſtratur, quomodo eos curabit Medicus, ſi partium figuram, magnitudinem, numerum, vſum, & mutuam inter ſe cognationem ignorauerit? neque enim poterit luxata oſſa reſtituere, cauteria miniſtrare, abſceſſus aperire, & chirurgica officia exercere.

Qui fuerint huius artis inuentores, cultores, illuſtratores.

HAnc eximiam vtilitatem perſpicientes priſci, illam enixè excolere ſtuduerunt; quare longa celebrium, & famæ illuſtriores dignatione præſtantium auctorum ſerie nobilitata incedit. Inter eos primas tenet diuinus ille Hippocrates, cultioris medicinæ parens, & vindex, qui balbutientis, & rudis medicæ facultatis principia anatomica, etſi obſcurè propoſuit, *in lib.de corpor. diſſect. fiſtulis,hæmorrhoïd.* & alibi, omnia delineauit,quæ ad vſum medicum conferre queunt.

Poſt eum, illa ſuos Profeſſores habere cœpit, inter quos primum ſibi vendicarunt locum Soſtratus, Hieron, Tryphon, Euelpiſtus, eruditiſſimus Meges, Alcmæus Crotoniata, Lycus Macedo, Quintus Lyci præceptor, Eraſiſtratus, Herophilus, Pelops, Diogenes Apolloniata, Aſclepiades, Eudemus, Praxagoras, Philotimus, Ælianus, Polybius, Caliſtus, Theophilus, & alij.

Hos ſequuti ſunt alij, qui tempore Cornelij Celſi floruerunt: Nam vt ipſe Celſus *l.1.ſui operis, in præfatione in fin.*vt iudicauit crudele, & ſuperuacuum viuorum corpora incidere, ſic mortuorum corpora diſſecare,maximè neceſſarium eſſe ſibi perſuaſit.

Ariſtoteles aliqua protulit *in libris de generatione, partibus,& hiſtoria animalium*,ſed confusè ſatis.

Quantùm verò Galenus in hac inſtauranda, & locupletanda medicinæ parte præſtiterit, illuſtria illius opera manifeſtè demonſtrant: ſciens enim medicis vſibus ſummè eſſe neceſſariam, eam non firmiſſimis modò demonſtrationibus, verùm & arte ſecandi humana corpora ſatis peritè, *in abditis de vſu partium libris*, in quibus recondita naturæ myſteria explicantur, & *libris de Anatomicis adminiſtrationib.*ſtabiliuit auxit,poliuit,ornauit. Fremant licèt iniqui tanti auctoris calumniatores, qui in ſimiarum diſſectione poſitam paſſim ab ipſo operam confirmarunt.

Poſt Hippocratem, & Galenum, Arabes hanc artem excoluerunt.Sed impurus ſermo, barbarie tyrannidem in literas eo tempore exercente, cauſa fuit,cur illis aliquando in hac re fides denegetur.Hoc horrido ſtilo opera anatomica conſcripſerunt Mundinus, Carpus, Berengarius, Gabriel de Zerbis, & Matthæus Curtius.

Hos ſequuti ſunt Vaſſæus, Carolus Stephanus, Andernacus, Veſalius, auctor in hac arte accuratiſſimus, Syluius,Fallopius, Fernelius, Dauid Kinalochus, Gabriel Cuneus, Ioan. Baptiſta Corteſius, Ioan. Boxelius, Ioan. Ieſſenius, Columbus, Valuerdius, Geuara, Euſtachius, Bauhinus,Archangelus Picolhominæus, Varolius,Arantius, Pigafeta, Volcherus Coiter, Felix Platerus,Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, Gulielmus Placentinus, Caſpar Bartholinus,Tobias Knoblochius, Alexander Achillinus, Petrus Matthæus Pinus, Chriſtoph. Meurerus, Renatus Hunerus, Henricus Petræus, Ioan. Dryander, Thomas Geminus, Hippolytus Boſcus, Ioachimus Tanchius, Æmilius Campilongus, Iacobus Guillemæus, Caſpar Aſellius Cremonenſis, Paræus, Cabrolius,Seuerinus Pinæus, Andreas Laurentius, Pauius, Adrianus Spigelius, & vltimò Ioannes Riolanus Filius, qui licèt iuniores,eóſque probatæ fidei,& doctrinæ,Anatomicos calumniandi œſtro impellatur ſæpe,tamen artem hanc nouiſſimis inuentis, ſeduláque diligentia eleganter illuſtrat.

De fabrica theatri Anatomici.

LOcus in quo extruẽdum eſt theatrum Anathomicum, debet eſſe ſaluberrimus, clarus, luminoſus, & bene perflabilis, & totus circumcircà debet habere feneſtras apertas: cùm enim è cadauere exhalet, præſertim æſtate, fœtidus vapor, oportet vt aſſiſtentes tenuem auram inſpirent. Theatrum debet eſſe amplùm, & capax, vt plures ſpectatores recipiat: habeat formam quadratam, vel rotundam, ſed hæc illa præſtantior eſt. Sit contectùm, ne fortè conſpicientes, præſertim hyeme offendantur, & deſuper ſit feneſtratum: lucis enim claritas ſummopere commendatur.Cauea theatri claudatur conclaui ligneo,vt ſic ſeparet ſpectatores ab iis qui opus adminiſtrant.In medio caueæ conſtituatur tabula Anatomica ad reponendum cadauer,craſſo ligno ſuffulta. Sit verſatilis, vt in gyrum verti poſſit, & ſic ab omnibus ſpectatoribus qui ſedent in ſcalis rotundis rectè cadauer videatur, & contemplentur omnia quæ Anatomicus aſſignat, & oſtendit. Hic debet habere manum promptam,& ſcalpellum in cute ſecanda tam leuiter adhibere debet, vt ſolam ipſam cutem, & partem quæ demonſtrari debet,diuidat.

De ſectione viua.

HActenus diximus quantum neceſſaria ſit Anatome in cadauere celebrata; at licèt impium, & crudele ſit viro timenti Deum, viua corpora ſecare: tamen cum multa occurrant quandoque in Anatome, quorum actionem aliter ſcire nullo pacto poſſumus, idcircò in viuo corpore eam exercere quandoquè neceſſe eſt. Nam in animali viuo motus plurium partium deprehenduntur, vt admirabilis pulmonis motus, diaphragmatis, cordis, arteriarum, cerebri. Deprehenditur etiam viui animalis ſitus,& figura in vtero. Deprehenditur quomodo vox fiat,& amittatur, vaſis recurrentibus interceptis, & ligatis.Optimum etiam ſit iudicium de ſero pericardij, quod in viuente animali adeſſe quidam confirmant, & alij ſolùm in demortuo reperiri poſſe contendunt. Cognoſcimus etiam quomodo abſcindi poſſit cor ab animali, vita adhuc ſuperſtite. Has admirabiles vtilitates contemplantur,

plantur, qui viuam anatomen exercent. Hanc approbat Celſus *in præfatione ſua*, qui licèt eam crudelem arbitretur, ſic tamen concludit: *Ita ne ſuccurrere quidem poſſe corruptis, aptiúſque extrinſecùs imponi remedia, compertis interiorum,& ſedibus, & figuris, cognitáque eorum magnitudine. Neque eſſe crudele (ſicut plerique proponunt) hominum nocentium, & horum quoque paucorum ſuppliciis, remedia populis innocentibus ſæculorum omnium quæri*: quoniam (vt ipſe inquit infrà) *nihil eſt ſtultius, quàm quale quicquam viuo homine eſt, tale exiſtimare eſſe moriente, immò iam mortuo.* Magna ergo eſt & efficaciſſima viuæ ſectionis vtilitas, & pro cognoſcendis, curandiſque morbis mira poteſtas. Meatus enim & canales in cadauere, extincto iam natiuo præ frigiditate calore, ſunt anguſti nimis, vaſa concidunt, aliæ cauitates occultantur, & plura vel peritos Anatomicos latent, quæ in viua ſectione multò ſunt manifeſtiora. Simiæ,& ſues ſunt homini animalia ſimilia, in iis optimum eſſet ſectionem viuam celebrare. Sed quoniam inter ſecandum grunniunt, idcircò ſpectatores nihil audire poſſunt, nec quicquam conſpicere diſciplina dignum: quo pacto in cane feliciùs præſtatur, non enim ita oblatrat, & vtrinque ligatus ex omnibus partibus quietus perſiſtit, vt inter omnes peritiſſimus docuit Realdus Columbus *lib. 14. de ſectione viua.*

De definitione, & diuiſione Anatomes.

DEfinitur Anatome ab omnibus, quòd ſit artificioſa partium internarum, & externarum ſectio. Non poſſunt autem partes artificiosè ſecari, niſi ſectores, & miniſtri accommodata habeant inſtrumenta, vt ſunt nouaculæ omnis generis, magnæ, paruæ, mediocres, acutæ; retuſiores, rectæ, ancipites, vtrinque ſecantes, ſtyli teretes, oblongi, ex ære, argento, plumbo, culter buxeus, eburneus, hamuli, cannulæ, calami, tubuli ad inflandas partes, funiculi, ſerræ, terebræ, mallei, malleoli, modioli, & ſpongiæ. Diuiditur Anatome in actiuam, & ſpeculatiuam. Illa manu perficitur, vſu, ſectione experimentóque comparatur: hæc animi habitu, actione, & viua voce doctorum acquiritur.

De ordine dicendorum.

VIdiſti ob quàm varias cauſas hiſtoria Anatomica vtilis ſit, quæ partis cuiuſque naturam, eiuſdémque cauſas exquiſitè rimatur, & inueſtigat: & cùm hæc ſit duplex, alia quæ naturæ, & partium dignitatem, alia quæ neceſſitatem ſequitur, & hanc vltimam omnes ferè qui ſcripſerunt de Anatome in vniuerſum obſeruarunt, inchoantes diuiſionem, & enarrationem à ventre magis ignobili, qualis eſt regio abdominis: nihilominus tamen nos alium ſeruabimus ordinem, ab ore ipſo incipientes. Sicuti enim cibus quantumuis diuerſiſſimus paulatim conficitur, donec vltima, & magis propria elaboratio fiat, qualis apparet in ſpiritu animali: ita ſimiliter in hoc compendio agendum eſt. Et cùm tria ſint quibus potiſſimùm hominum vita conſeruatur, cibus, potus, atque etiam ſpiritus: ſic illa animalis particula ſub naſo à natura conſtituta eſt & fabricata, quæ communi appellatione ab omnibus os appellatur: per os enim cibus,& potus feruntur in ventriculum, vt ibi chylus generetur: Deinde per os fertur aër in pulmones, ad fabricandam vocem, ad commodam attemperationem caloris naturalis cordis, ad vitalis ſpiritus generationem. Denique cùm ad vitam conſeruandam os plurimas præſtet vtilitates, ab hac parte exordium ſumere conſultius mihi viſum eſt.

De oris conſtitutione.

ORis conſtitutionem, & fabricam multa ingrediuntur, ſed præcipua fundamenta exiſtunt duæ mandibulæ, nempe ſuperior, quæ immobilis eſt, & capiti affixa; & inferior, quæ perpetuò mouetur. Vtraque tamen mandibula vt plurimum ſexdecim dentibus eſt diſtincta.

Aperto ore hæ duæ mandibulæ cum ſuis dentibus occurrunt, & ſimiliter gingiuæ, palatum, vuula, lingua, fauces, pariſthmia. Gingiuæ dicuntur carnes illæ immobiles, quæ mandibulis inhærent. Harum vſus eſt vt earum ope dentes in ſuis alueolis firmentur. Palatum eſt pars ſuperior oris, alio nomine dicitur cœlum oris, & præcipuè eſt illa pars ſupra quàm firmatur naſus. In fine palati verſus fauces duo adſunt foramina, craſſis excrementis à cerebro deſcendentibus parata.

Vuula, quæ ab aliis dicitur vua, diuerſis nominibus inſignitur, licèt vua magis pertineat ad hanc partem morbo affectam, quàm vuula, quod eſt nomen proprium huius partis; quo pacto auctores quum loquuntur de inflammatione illius, ſemper inſigniunt caput de vua, non de vuula: Nam hæc pars in morboſo ſtatu ita corrugatur, vt vuam repræſentet. Appellatur etiam ab Anatomicis, gurgulio, gargareon, columna, columella, plectrum, ſeu tintinnabulum vocis. Ex his nominum differentiis intelligendi ſunt auctores, quando ſub diuerſis nominibus, de huius partis morbis variè loquuti ſunt. Eſt hæc particula fungoſa, & carnea, à fine palati vbi foramina narium fauces ſpectant, orta, in modum pyramidis, liberè deſcendens, venis, arteriis, & neruis conſtans. Fuit hæc particula à natura conſtituta. Primò vt vocem moduletur: Nam gurgulione per vlcera gallicata, aut alia quauis ratione imminuto, & conſumpto, turpis vox apparet. Secunda vtilitas adhuc maxima fuit: vt frigidioris aëris ingredientis impetum detineat, & coërceat, ne pulmonibus officiat, & miserè contabeſcat animal, refrigeratis viis ſpiritus ab ambiente aëre; & ſic excrementa ab aëre craſſiora facta, & præ mora acriora reddita, exulcerent pulmonem; quo pacto experimento cognitum eſt, & firmat Ariſt. *in problemat.* eos qui citra vuulam viuunt, tabidos hac de cauſa proceſſu temporis euadere. Adde quòd refrigeratus pulmo non bonum parat cordi refrigerium, & ſic innatus ignis extinguitur.

De lingua.

IN medio oris lingua conſiſtit, vt quidam fidelis cuſtos. Dicitur lingua, quia ſimul ligat, & detinet, aut quia dentibus, & maxillis quaſi in quodam ſepto ſit ligata, ab aliis vocatur ſermonis nuntia. Eius ſubſtantia eſt carnea, mollis, rara, ſpongioſa, vt ſubſtantiæ eius in corpore alia ſimilis non reperiatur. Habet plures venas, & arterias, ſed maiores, quàm eius ſit moles. Habet tunicas, ſiue membranas, vnam internam eius carni coniunctam, alteram externam, ori, palato, & ventriculo communem. Ad has membranas nerui ſparguntur à tertia, & quarta coniugatione, pro ſenſu, & motu. Neruos alios habet pro motu, à ſeptima coniugatione. Non eſt diuiſa, vt aliquibus animalibus, aut per medium aliqua linea diſtincta, de quibus Ariſt. *lib. 4. de animalibus, cap.* 17. eam enim bifidam habent ſerpentes, lacertæ, vituli, marini, quamuis fuerit obſeruatum, venas, & arterias vnius lateris reliquum non attingere, ex Gal. 11. *de vſu part. cap.* 10.

In parte inferiori linguæ adnaſcitur funiculus, qui vocatur frænulum, ſoli linguæ, & pudendo conceſſum, quod ſolùm in his duobus organis voluit natura homines eſſe continentes.

Habet lingua decem muſculos, quorum ope; ſurſum, deorſum, ante, retrò, & in latera mouetur. Figura, & magnitudine talis eſt, vt omni ex parte omnibus partibus oris commodè applicetur.

Huius partis mirabiles ſunt vſus, & ſic ab omnibus magnis præconiis laudatur. Primò, quod inſeruiat ad vocem dearticulandam, & ſic in homine nuntia voluntatis appellatur. Secundò, vt omnes differentias ſaporum agnoſcat, cuius officij munere, organum guſtus conſtituitur. Tertiò laudatur lingua, quia inſtar manus ſeruiat nobis, huc, & illuc cibos in ore tranſferens, & in œſophagum trudens.

Alia vtilitas elicitur ex Hip. *6. epid ſect. 1. text.* 14. Nam ſicuti vrina humores peccantes oſtendit, ſic *lotium linguæ ſignificat.* Tanta denique eſt linguæ præſtantia, vt

iure

iure optimo diuinum organum appelletur. A

Ad ipſius radicem ad extremum palatum,quædam adnaſcuntur carunculæ, à Latinis tonſillæ, à Græcis pariſthmia, à Barbaris amygdalæ appellatæ. Harum duplex eſt vſus.Primus,vt ſuſcipiant ſaliuam à cerebro diſtillantem:ſecundus, vt fauces, & linguam ſaliua ſua humectent.

De labiis, & faucibus.

FAuces appellamus totam illam capacitatem, quæ toto ore aperto, & directo viſui ſeſe offert. Externa oris conſtitutio duobus labris finitur, quorum vſus non ſolùm ad vocem dearticulandam & formandam,ſed ad dentium tutelam eſt neceſſarius: deinde ad ciborum retentionem fabricata ſunt, habentia ſubſtantiam quaſi fungoſam. Hæc ex quatuor muſculis ſimul cum cute veſtiuntur; & hæc cutis eſt eadem quæ ventriculum veſtit: ex quo apparet ſolutum dubium ab auctoribus propoſitum, cur dum ventriculus nauſea laborat, labra tremant? & aliud, cur labiorum palpitatio, vomitum futurum prænunciet? B

De œſophago.

IN fine linguæ, & loco faucium adeſt canalis quidam longus, & rotundus, deorſum tendens vſque ad ventriculum, qui à Græcis appellatur œſophagus, à Latinis gula. Locatur hic canalis inter vertebras ſpinæ, & aſperam arteriam.Conſtat ſubſtantia membranoſa, & neruea, vt facilè extendi, & contrahi poſſit. Conſtat duabus tunicis propriis, ex quibus interna eſt durior, fibris rectis inſignita; externa eſt carnoſior, & ſolùm tranſuerſis fibris ornata: prioribus ſcilicet rectis trahit alimentum, poſterioribus ſcilicet tranuerſis deorſum trudit; ea ratione vt vtroque genere fibrarum perficiatur deglutitionis opus. In medio œſophagi ſecundùm longitudinem adſunt duæ glandulæ, quarum vſus duplex eſt. Primus, vt ſua humiditate perpetuò œſophagum irrigent: ſecundus vt hac de cauſa meliùs contrahi poſſit, promptiúſque labatur cibus. Vſus gulæ primus eſt, vt ſit via communis cibi potúſque: ſecundus,vt tempore neceſſitatis per eam vacuentur, quæ ventriculum moleſtant. C D

De ventriculo.

IN fine œſophagi eſt ventriculus, cibi, potioníſque commune receptaculum, non quòd inter ſe diuidantur ventriculus, & œſophagus, continui enim ſunt. Appellatur etiam venter. Collocatur ventriculus ſtatim ſub ſepto tranſuerſo inter lienem, & hepar, ea ſeruata lege, quòd maior pars ventriculi inclinet ad latus ſiniſtrum; ſed ita eſt ſub hypochondrio ſiniſtro, vt cedat hepati.Figura eſt oblonga, & rotunda, cucurbitæ inſtar. Fuit rotunda, quòd hæc figura ſphærica omnium ſit ſecuriſſima, & capaciſſima. Eſt æqualiter oblongus, ob duo orificia quæ habet, ſcilicet ſupernum, & inferius; per ſupernum cibos admittit, per inferius iam confectos ad inteſtina detrudit; inferius enim deorſum recta via in inteſtinum tendit, ſed verſus ſuperiora ſpectat. E

Subſtantia ventriculi eſt membranoſa. Conſtat tribus tunicis, prima exteriore, mutuata ex peritonæo, in propugnaculum vaſorum, venarum ſcilicet, & arteriarum; & duabus propriis tunicis, ex quibus interior eſt neruoſior, & durior. Conſtat omni fibrarum genere, vt cum ſecuritate extendi, attrahere, retinere, expellere poſſit. Extrema tunica quæ magis eſt carnoſa, ſolùm habet fibras tranſuerſas plures,& pauciores obliquas.

Obtinuit ventriculus (vt dictum eſt) orificia duo, ſupernum, & inferius: per illud ſuſcipit, per hoc expellit. Supernum nomine caret, ſed eſt magis amplum, quòd alimenta cruda, & dura ſuſcipiat. Inferius vocatur à Græcis pylorus, à Latinis ianitor, quòd non permittat labi alimenta ad inteſtina, priuſquàm ſint concocta. Hoc oſtiolum eſt anguſtius, & ſtrictius ſuperiore, ſicuti quæ debent exire ſunt liquidiora. In pylori interna parte quædam protuberant glanduloſæ ſubſtantiæ, ianitoris anguſtiam adaugentes. Hæc eſt cauſa, quare ineptè Veſalius *lib.5.fabric. cap. 5.* contra Galenum inſurgit, exiſtimans illum voluiſſe, has ſubſtantias glanduloſas eſſe extra pylorum,immò *8.de vſu part.cap. 1.in init.* ipſum pylorum dicit eſſe glandulam, vt hinc pateat quàm turpiter labatur Veſalius,falſitatíſque Galenum inſimulet.

Ventriculus habet plurimas venas, mutuatas à ſola vena portæ, & à vena caua, vt 6. *de anatomic. adminiſtrat. cap.5.& 4.de vſu part.cap.* 11. docuit Galenus. Per venas portæ, pars tenuior chyli velociter defertur ad hepar, abſque eo quòd pertingat inteſtina. Per venas à caua tributas, miniſtratur alimentum ventriculo, & fiunt copioſi ſanguinis fluxus. Arterias ſuſcipit ventriculus ab arteria magna; neruos plures, & magnos,à ſexta coniugatione deductos.

Præter iſta vaſa,aliud vas venoſum à liene exiliens,deducitur ad fundum ventriculi, non quidem vt excitet famem, vt communis Medicorum opinio tenet, & firmat Galenus *lib.4.de vſu part.cap. 5.* ſed duntaxat vt ventriculum roboret, quò cibos retineat, donec optimè ſint concocti. Præter hæc vaſa, aliud ad fundum ventriculi aliquando eſt animaduerſum, à vaſis expurgantibus excrementum biliosum originem ducens. Sed hæc conformatio miſerabilis eſt, & vitioſa, quoniam ex naturæ lege hoc vas ad inteſtinum duodenum debebat implantari; quando enim ventriculum attingit, omnes ſic affecti perpetuò euomunt bilem, quare vocantur infelices à natura, & picrocholi, de qua conſtitutione intelligendus Galenus *lib.art.med.c.79.& lib.* 1. *de temp.* 3. & 1.*acut.* 29. de homine pituitoſo quotidie vomente bilem, cuius hiſtoriæ interpretationem vide *lib.2.in com.hiſt.*70.

Factus eſt ventriculus à natura. Primò, vt ſit commune receptaculum cibi, & potus. Secundò, vt in eo celebretur coctio,ſeu generatio chyli. Tertiò, vt in eo reſideat ſenſus ſuctionis, qui fames dicitur, qua admonita animalia, cibi potúſque indigentia, ad cibum capiendum moueantur. Sicuti ergo præſtat egregias vtilitates toti compoſito neceſſarias, ſic cum præcipuis partibus animalis magnam habet affinitatem. Conſentit ſummè cum cerebro per plures neruos; cum hepate, per venas venæ portæ, & ex Gal. per venas venæ cauæ. Cum corde, per viciniam arteriarum. Cum œſophago, per ſupernum orificium. Cum inteſtinis, per pylorum. Cum reliquis partibus exiſtentibus in regione abdominis, per conſenſum peritonæi.

De inteſtinis.

FInito ventriculo ſuo ordine occurrunt inteſtina ventriculo continua. Hæc à barbaris dicuntur chordæ, ab antiquis interanea, & ſunt continua. Ille ductus ab inferiore ventriculi orificio vſque ad podicem pertinens, vlnas Italicas habet 14. vt placuit Veſalio *lib.5.de fabrica,*& Hip.*lib.de hom.ſtructur.n.*7. tredecim cubitos comprehendit ſecundùm longitudinem. Sunt inteſtina corpora oblonga,rotunda, & concaua, ab inferiore ventriculi orificio vſque ad podicem extenſa, coquendis,alterandis, diſtribuendis alimentis, necnon expurgandis fæcibus idonea: oriuntur à ventriculo,& in maiori abdominis parte collocantur.

Inteſtinorum ſubſtantia eſt membranoſa, conſtans duabus tunicis propriis, & tertia communi mutuata à peritonæo,ex pluribus neruis,venis,& arteriis conſtructa. Sunt membranoſa, vt diſtenta minùs patiantur. Duas tunicas proprias obtinuerunt.Primò vt facultas expultrix eſſet robuſtior in expellendo. Secundò, vt ſi aliquando vna tunica præ morbo dilaceretur, rodatur, & putrefiat, reliquæ incolumes remanerent. Vtraque tunica diſtinguitur à tunicis ventriculi in duritie, & ſubſtantia minus carnoſa, quòd nec ſubſtantiam vt ventriculus debuiſſent ſuſcipere, & inteſtina ſint magis organa diſtributionis. Acutè ſentiunt, vt acrimoniam excrementorum citiſſimè perſentirent.

Præter hæc omnia, obtinuernnt inteſtina in parte inferiore humorem quendam pinguem, & concretum, ad modum

modum pituitæ, qui à bilis acrimonia illa defendit, ne fortè ſua mordacitate bilis illa exulcerare poſſet. Vtraque inteſtinorum tunica habet fibras tranſuerſas ob validam expulſionem quã pollent: & ſolùm in recto inteſtino reperitur omne fibrarum genus, ratione roboris, ac firmitudinis, quòd ſicciora excrementa debeat obtinere.

Habent inteſtina venas à ramis venæ portæ (ſed non omnia æqualem numerum venarum ſuſcipiunt: nam quò inteſtina ſunt ventriculo proximiora, plures venas habent; & ſic ordine quodam gracilia inteſtina, plures venas; craſſa, pauciores habent. Arterias etiam habent à ramis arteriæ magnæ deſcendentis: ſicut neruos ſortita ſunt à quibuſdam partitionibus ſextæ coniugationis. Licèt inteſtinorum corpus à principio vſque ad finem ſit vnum, & continuum: nihilominus tamen pro varietate ſubſtantiæ, figuræ, officij, & ſitus diuerſas ſuſcipit denominationes. Ratione ſubſtantiæ, alia dicuntur craſſa, alia tenuia, ſeu gracilia, Ratione officij, alia ſuſcipiunt, alia diſtribuunt. Ratione formæ, alia dicuntur recta, alia habentia orbes, mæandros, & plexus. Ratione ſitus dicuntur inteſtina inferiora, & ſuperiora. Sed iis omiſſis, vt omnia ſimplici ſermone complectar, ſex ſola in ſectione obſeruantur, tria tenuia, & tria craſſa.

De inteſtino duodeno.

PRimum inteſtinum incipiens à ventriculo, dicitur à Græcis Dodecadactylon, à Latinis duodenum, ſumpta ſimilitudine duodecim digitorum. Hoc multis plexibus, ſiue plicis eſt implicatum. Oritur ab inferiori ventriculi parte, & deſcendit versùs ſpinam, vt præbeat locum venæ portæ. Secundùm propriam longitudinem, extenſum habet corpus glandulоſum, & in hoc inteſtinum implantatur via illa, ſiue canalis, per quem excrementum bilioſum vtiliter à natura vacuatur, vt ſuo loco dicemus: & vt ſemel quod verum eſt determinemus, non ſolùm hoc inteſtinum, ſed & reliqua ſuſcipiunt arterias ab arteria magna deſcendente. Statim infra ſeptum tranſuerſum tenuia inteſtina exiſtunt, & pluries multiplicata diuiſione inteſtina craſſa. Ne tamen confuſa noſtra euadat oratio, illud ſit certum, non ſolùm inteſtina, ſed etiam ventriculum, per eaſdem vias, & venas partem tenuem chyli hepati tribuere tempore neceſſitatis, per quas pro ſui nutritione ſanguinem ſuſcipiunt.

De inteſtino ieiuno.

SEcundo ordine procedit inteſtinum ieiunum, ſic dictum, quòd inter diſſecandum appareat reliquis magis inane, & ſic magis ieiunum repræſentetur: immoratur enim parum in hoc inteſtino chylus; primò ratione bilioſi excrementi eius motum accelerantis. Secundò, ratione plurium venarum chylum ad hepar attrahentium. Hoc inteſtinum tenuius eſt duodeno, & ſatis longum. Collocatur ferè in tota regione vmbilicali, ſuis flexibus ad ilia vſque deſcendens.

De inteſtino ileo.

TErtio loco procedit inteſtinum ileon, ſic vocatum quia frequentibus gyris, ſiue anfractibus conſtat, & vltimum gracilium eſt, omnium longiſſimum. Obtinuit ſitum infra vmbilicum ad ilia, ob quam cauſam ratione huius inteſtini illæ partes ilia vocantur. Difficulter diſtinguitur à ieiuno, niſi quòd in hoc venæ meſaraicæ ſunt plures, & maiores.

De inteſtino cæco.

QVarto loco procedit inteſtinum cœcum, ſiue monoculum. Conſtat vnico duntaxat foramine, quo diuerſis temporibus, & ſuſcipit, & expellit: licèt non defuerint, qui huic inteſtino duo parua orificia concederent iuxta ſe poſita, per quorum vnum ſuſcipiat, per aliud

A expellat. Ego tamen hucvſque vnicum obſeruaui in eo orificium. Ad finem huius inteſtini conſpicitur appendix contexta ad modum lumbrici, cuius merito Veſalius non ſolùm nomen huic inteſtino tribuit, ſed teſtatur hanc appendiculam reuera eſſe inteſtinum cœcum, & reliquum corpus, aut eſſe ileon, aut colon. Locatur hoc inteſtinum in parte dextra. Vſus eius peculiaris eſt, vt in eo chylus detentus ampliùs concoquatur: ob quam cauſam bruta animalia quantò voraciora ſunt, magis obtinuerunt amplum hoc inteſtinum, aut multoties ſortita ſunt duplicatum. Appendicis vſus (quæ in pueris eſt amplior) eſt, vt craſſior pars chyli ibi ob viarum anguſtiam moretur, & perfectior coquatur.

De inteſtino colo.

B QVinto loco ſequitur inteſtinum colon, ab inteſtino cœco originem ducens, in dextro ilio tangens renem dextrum, & ab hoc loco adhærefcens ventriculi fundo, extenditur ad ſiniſtrum renem; & ilium ſiniſtrum, ad modum cinguli ab hoc loco deorſum deſcendit. Hoc omnium eſt ampliſſimum, habens plures flexus, & mæandros. Hæc eſt cauſa; ob quam colico dolore detenti, falsò imponunt Medicis, quòd ſint nephritici, & è contrà, vt accidit Galeno 2. *de loc. cap.* 4. exiſtimanti calculum adeſſe in rene, quum excreta pituita ope clyſteris ex oleo rutaceo parati, conſtiterit manifeſtè, nequaquam calculum: ſed colicum dolorem huius acerbi doloris cauſam C fuiſſe.

De inteſtino recto.

SExto, & vltimo loco eſt inteſtinum rectum, ſic dictum ratione ſitus, quòd à parte altera oſſis ſacri vſque in anum recta via feratur. In fine huius inteſtini exiſtit quidam muſculus tranſuerſus, qui non permittit excrementa ſine lege, & ordine exire.

Aduerte, quòd inteſtina quæ tenuia dicuntur, ſunt locata in medio: craſſa, ad latera, & circumcirca, vt quidam murus. Inteſtina tenuia, ſitu, & compoſitione inferiora ſunt craſſis: craſſa verò ſuperiora; licèt tenuia in exortu à ventriculo, ſint priora.

De meſenterio.

D NE tamen inteſtina aſſiduis animalium motionibus diſrumperentur, aut à ſua naturali ſede mouerentur deorſum, ea ſpinæ fortiter alligauit natura media illa membrana, quæ dicitur Meſenterium, ſiue Meſaræum: quoniam eſt in medio inteſtinorum versùs partem poſteriorem, quod membrum nihil aliud eſt quàm quoddam corpus membranoſum, duabus tunicis, pluribus venis, arteriis, quibuſdam neruis, copioſo adipe, & glandulis intertextum, inteſtina colligans.

Duæ hæ membranæ oriuntur à peritonæo, & à ligamentis vertebras annectentibus, & os ſacrum cum oſſibus ilium; cuius membranæ intuenti, ratione propriæ originis, magnus ille reperitur conſenſus inteſtinorum E cum dorſo, & lumbis, & ſic intelligetur Hipp. quotieſcunque *in prænotionibus* dixit: *Qui lumbis ſunt queruli, profuſione alui liberantur.* Arterias ſuſcipit, & venas, à ramis meſentericis: neruos, à ſexta coniugatione. Vſus copioſi adipis meſenterij ſimul cum glandulis à natura eſt conſtitutus; primò, ne vaſa rumperentur. Secundò, ne cauitates vaſorum ſic facilè comprimerentur. Tertiò, vt glandulæ ſua humiditate inteſtina irrorarent. Quartò, vt eſſent quaſi vaſorum ligamenta. Quintò, ne ventriculus ex ſpinæ contactu læderetur.

Hoc corpus glandoſum in poſtrema ventriculi regione versùs ſpinam repertum, duodeno inteſtino adhæret, quod quia quandam carnem, & diuerſam naturam à meſenterio repræſentat, pancreas tam à Græcis, quàm Latinis appellatur; cuius vtilitas eſt, vt ramos venæ portæ ventriculo, & lieni diſtribuendos ſecuros reddat: deinde, vt ventriculo tanquam molle ſubſterniculum ſubiiciatur.

De omento.

SIcuti ergo à parte poſteriore meſenterium ponitur, vt meatur inteſtina, ſic à parte anteriore adeſt illud membrum, quod à Græcis dicitur Epiploon, à Latinis Omentum,& ventris mappa,à Barbaris Zirbus. Eſt collocatum omentum in maiori parte abdominis, tangens peritonæum per propriam ſuperficiem ſuperiorem. Eſt alligatum ventriculi fundo,inteſtino colo.& lieni in parte inferiore. Ex naturæ lege nulli inteſtino alligatur: in hominibus tamen rarò extenditur infrà vmbilicum.

Eius figura eſt ſimilis ſacco, propter duas tunicas quas habet, & ob iſtam cauſam marſupium dicitur. Conſtat ſubſtantia membranoſa, venis, arteriis, neruis, & copioſo adipe intertexta. Suſcipit venas à vena portæ, arterias à ramo arteriæ magnæ, neruos à ſexta coniugatione. Factum eſt omentum, primò, vt ſecurè ramos venæ portæ, in ventriculum, lienem, duodenum, & colon diſtributos fulciat. Secundò,vt genuinum,& naturalem calorem ventriculi, inteſtinorum, & aliarum partium foueat; & ob hanc cauſam fatetur Galenus 4. *de vſu part.* 9. nonnullos quibus omenti pars fuit abſciſſa, impoſterum ſuperuixiſſe, ſed functiones infeliciſſimè fuiſſe aſſequutos:nam debiliter concoquebant,& tegumentis,culcitriſque ventriculum ſemper habebant inuolutum.

De peritonæo.

OMento contiguum eſt illud membrum, quod à Græcis, & Latinis dicitur Peritonæum, à Barbaris *Siphac.* Eſt ergo peritonæum, membrana tenuis, ſed fortiſſima, aranearum telis ſimilis, omnes partes in regione abdominis contentas amplectens, & veſtiens. Eſt membranoſum, vt facilè diſtendi, & comprimi poſſit. Factum eſt tenue, ne ſit onus partibus ſubiectis; forte, ne in diſtentionibus facilè rumperetur. Oritur peritonæum à ligamentis vertebrarum oſſis ſacri, & ab implexu quorundam neruorum.

Figuram obtinet ſphæricam, ſed oblongam, ad modum oui. In ſuperficie externa, quà tangitur à muſculis, eſt aſperum; in interna, per quam reſpicit omentum, & inteſtina, eſt plantum, ac læue,quaſi aqueo quodam humore irrigatum. Non eſt omni ex parte æquale ſecundùm ſubſtantiam, quia in parte poſteriore dorſi eſt magis craſſum, quàm in anteriore & in iſta etiam conſpicitur varietas, quum in viris craſſius ſit à mucronata cartilagine vſque ad vmbilicum; in fœminis oppoſito modo, ab vmbilico vſque ad oſſa pubis craſſius conſpicitur. In hominibus ad ventriculi diſtentionem, ortam ex multa crapula, in fœminis ad fœtus geſtationem, pondus, & incrementum.

In omni ſua ſubſtantia membrana peritonæi conſpicitur duplicata, quamuis Realdus Columbus *lib.* 11. *cap.* 11. ſolùm à muſculis pubis vſque ad vmbilicum conſpici duplicatam aſſeueret, vt inter tunicam, & tunicam, vaſa vmbilicalia deorſum diſtribuenda, & arteria vmbilicalis, vrachos,& vaſa reuerſiua aſcendentia, per muſculos rectos abdominis ſecurè progrediantur.

Perforatur in parte ſuperiore in ſitu ſepti tranſuerſi, tribus in locis, pro œſophago, pro vena caua aſcendente, & pro arteria magna deſcendente. In parte inferiori eſt perforatum pro ano, & pro vtero, pro venis, arteriiſque deſcendentibus ad crura. Non eſt perforatum pro vaſis ſpermaticis, & teſtibus, vt inſinuauit Veſalius, quum potius ibi formetur quædam productio peritonæi, inſtar canalis, & digitorum chirothecæ. Perforatur vltimò in vmbilico pro venis, pro arteriis, & vracho.

Vſus peritonæi, à natura datus, primus fuit, vt omnes partes in regione abdominis contentas contineat. Secundus, vt omnibus peculiare tegumentum tribuat. Tertiò, vt ſubiectas partes defendat. Quartò, vt retineat inteſtina. Quintò, vt quaſi manibus dura, & ſicca inteſtinorum recrementa pellantur. Inter iſtam tunicam, & illam quæ omentum dicitur (& rariùs inter inteſtina) frequenter colligitur illa aqua, flatus, ac pituita, ex quas generatur hydrops.

De abdomine, & eius muſculis.

SVpra peritonæum eſt Abdomen, à Latinis ſic dictum, à Græcis Epigaſtrium, à Barbaris Mirach, quo etiam loco fit hydrops, licèt rariſſimé,vt ſic intelligatur difficilis doctrina Arabum, aſſerentium hydropem fieri inter Siphac, & Mirach; Abdomen eſt illa regio, quæ inter coſtas, & os pubis ſita eſt.

Muſculi abdominis ſunt octo,duo recti, (in vnoquoque latere vnus) à mucronata cartilagine vſque ad pubem extenſi, portionibus albis ligamentoſis inſigniti, à Barbaris Latitudinales dicti, vnus ortus à dextro, alter à ſiniſtro latere vſque ab vmbilicum. Quatuor ſunt obliqui, duo ſuperiores, & duo inferiores. Superiorum alter ab hypochondrio dextro, alter à ſiniſtro deorſum obliquè deſcendit. Inferiornm è conuerſo ab oſſe pubis in parte dextra vnus, in parte ſiniſtra alius: obliquè aſcendunt vſque in eum locum, vbi ſuperiores cum inferioribus in medio circa vmbilicum ſuis ligamentis anncctuntur.

Inſeruiunt recti, & tranſuerſi expulſioni; obliqui,retentioni dum ſeorſim agunt: ſi tamen omnes ſimul agant, æquali compreſſione fæces ab inteſtinis expellunt.

Abdomen ſumitur ſtrictè, pro tota illa mole muſculorum ſuper peritonæum exiſtentium; magis tamen propriè ſumitur pro ventre. Omnes hi abdominis muſculi dura quadam teguntur membrana, quæ omnes colligit, & tuetur. Super iſta membrana copioſus adeps conſpicitur, & ſuper pinguedine, craſſa cutis, commune abdominis tegumentum, quemadmodum & omnium aliarum partium.

Sed mirum eſt quod conſpicimus, & obſeruamus regionem abdominis oſſibus carentem, & hoc pluribus titulis factum eſt à natura. Primò,quòd debeat dilatari per repletiones ciborum, & ſimiliter in vtero gerentibus, Secundò. quòd debeat comprimi, concideréve in vacuatione, & ieiunio. Tertiò, propter Veneris congreſſum, ne mutua oſſium colliſione vitiaretur generatio. Et quamuis hic venter inferior ſit vnus, variè appellatur pro varietate particulari huius regionis, vt v. g. hypochondria dicuntur partes, quæ reſpondent ſpatiis cartilaginum, vel notharum coſtarum. Dicuntur ſimiliter præcordia, quia ventriculus ab antiquis cor appellabatur, Illa dicuntur in parte ſiniſtra, & dextra, illæ regiones quæ reſpondent inteſtina ileo. Vſus illorum muſculorum eſt, vt venter comprimatur ad expellendas fæces. Secundus, vt eorum ope diſtendatur, contrahatúrque follium inſtar thorax, & fiat facilis reſpiratio.

De hepate.

HEpar eſt officina ſanguinis, naturalis ſpiritus auctor, venatum principium, quibus velut tubulis totam animalis Rempublicam irrigat, & Principis inſtar propriis ſumptibus vniuerſam corporis familiam ſuſtentat: quare ab Anatomicis, fons, & orgo gratioſi humoris nuncupatur, & inter præſtantiſſima organa, perfecta, & neceſſaria reponitur.

Collocatur in dextro hypochondrio, ſtatim infra ſeptum tranſuerſum & ſub coſtis nothis propter ſecuritatem,& quia nec extendi, nec dilatari debuit more ventriculi, non habet formam rotundam. Non diuiſus in partes, vt priſcorum opinantur plures ſaltem in homine cuius hepar ſolum in medio habet, ſciſſuram,per quam vena vmbilicalis in hepatis corpus ſe recondit.

Habet duas regiones, ſuperiorem, & inferiorem, illam vocamus gibbam ſeu conuexam,quæ eſt læuis & terſa ne motui ſepti tranſuerſi obſiſtat.Inferiorem eius partē vocamus cauam. Hepatis magnitudo maior eſt in homine, quàm in reliquis animalibus, pro proportione ſui corporis: huius ſubſtantia craſſiſſima eſt inſtar ſanguinis concreti feruore toſti,

Appellatur.

Appellatur à Græcis parenchyma, à Latinis affuſio: duobus ligamentis ligatur, & firmatur in ſua ſede, vno exiſtente circa venam, quo ſeptum tranſuerſum ligatur; altero ex vena vmbilicali orto, quo mediante eſt ſuſpenſum. Per vniuerſam hepatis ſubſtantiam innumeræ venæ diſſeminantur, & ſparguntur, tenuiſſimam tunicam habentes: idque duplici titulo à natura factum puta, primò vt diutiùs retentus ſanguis perfectiùs elaboretur; ſecundò, vt immediatiùs à carne hepatis tangeretur.

Venarum quæ ſunt intra corpus hepatis, quædam oriuntur à vena caua, & quædam à vena portæ. Hæ chylum, futurum ſanguinem attenuant, & præparant. Illæ verò ſanguinem iam factum deducunt ad truncum venæ cauæ. Inter ſeſe omnes hæ venæ ſeruant ordinem, (quicquid alij dicant) vt oſcula oſculis reſpondeant, & fiat anaſtomoſis. Cùm ergo tres maiores venæ, ſcilicet caua, portæ, & vmbilicalis oriantur ab hepate, conſultò principium venarum dicitur, quia in eo vaſa hæc radicantur.

Continet ſimiliter hepar exiguas arterias, ad natiui caloris attemperationem, & ſpiritus conſeruationem; non tamen in omni eius regione, ſed ſolùm in caua parte, nam in gibba ſufficit aſſidua ventilatio, quaſi flabello facta, à ſepto tranſuerſo.

Deinde caro hepatis magis conſeruatur difflatione, quæ repurgatis ſuæ coctionis excrementis perficitur. Hoc modo intelligitur Galenus 6. *epid. ſect.* 5. *com.* 5. *ad fin.* dicens: *Calor cordis magis indiget expiratione*, (hoc eſt, infrigidatione) *at verò calor hepatis attemperatione, quæ perficitur expurgatione fuliginum.*

Vniuerſum iecoris corpus tegitur membrana tenuiſſima, mutuata à peritonæo, ad quam duo implantantur nerui, & vterque à ramis ſextæ coniugationis, vnus à ramo ventriculi, alius à ramo coſtarum: ambo exigui ſunt, & non penetrantes corpus hepatis, & ob id iecur acutum non habet ſenſum.

Iecur ideò factum eſt à natura, vt quatuor humores animali neceſſarios generet, & in eo ſanguifica vis ſplendeat, & ſecunda perficiatur concoctio: & ob hanc vtilitatem iure optimo princeps membrum appellatur, & ſic nulla eſt particula animalis: quantumuis minima, cum qua aliqua ratione non conſentiat.

De venis.

VEna definiri poteſt hoc modo: eſt vas oblongum, rotundum, fiſtulæ modo excauatum, ſimplici, & tenui tunica, omni villorum genere contenta conſtructum, ab hepate ortum, continendo, diſtribuendo, & concoquendo ſanguini à natura dicatum.

Primus venarum vſus eſt, vt deferant alimentum, nempe ſanguinem partibus. Secundus, vt ſanguinem contineant. Tertius, vt calorem, & ſpiritum deferant. Quartus, vt altorent ſanguinem: nam ſanguificant, ex Galeno 4. *de vſu part.* 17. & alibi,

Vſus venarum particularium ſunt hi: Emulgentes venæ ſeroſum humorem deducunt. Spermaticæ ſemini rudimentum conferunt. Meſaraïcæ chylum in hepar conuehunt. Splenicæ, quæ à liene in anum terminantur, ſanguinem melancholicum per venas dictas hæmorrhoïdas expurgant,

Vena diſtinguitur ab arteria, ſtructura, motu, & vſu. Structura, quia vena tunicam habet tenuem, arteria, craſſam, & duplicem, vt ſanguis venalis craſſiuſculus arteriali meliùs tranſpiret. Secundò, vt aliturus venalis per poros tunicarum, roris inſtar, partibus apponeretur. Motu, quia vena non pulſat, arteria reciproco contractionis, & dilatationis motu eſt prædita. Vſu, quia arteria vitalem vnà cum ſubtili ſanguine defert ſpiritum; Vena, venalem cum ſpiritu craſſiore tranſportat.

In parte ergo iecoris gibba, vbi maior, craſſiórque ſubſtantia conſpicitur, vena enaſcitur, quæ venarum mater, radix, & origo appellatur; & quia maxima eſt, concaua, ſeu caua vocari ſolet, quæ ramos per omnes corporis partes diffundit, & propagines inſignes ad ſuperas, & infimas

A partes perreptantes, vel remotiſſimas tranſmittit. Hæc fluminis inſtar, deriuatis riuulis in multas partes diuiditur, & ſic in aſcendentem, & deſcendentem partitur.

Deſcendens truncus ad oſſis ſacri initium, & ilia vſque excurrit, vbi in ramos diuaricatur ampliſſimos, iliacos dictos, & antequam in hos findatur, ſpargitur in quinque ſurculos, ſeu venas: Adipoſam primùm, quæ fertur in exteriorem renum tunicam: Renalem, quæ in intimam renum ſubſtantiam tendit, quæ & emulgens dicitur, quod ſeroſum humorem ſugat, & in renes tranſportet: Spermaticam, quæ ſeminis materiam ad teſtes defert: Lumbarem, quæ lumborum vertebras, & ſpinalem medullam ſucco laudabili irrigat. Muſculoſam, quæ in lumborum, & abdominis muſculos, plures mittens propagines, has partes ſanguine optimo irrorat, quæ omnes in quamplurimos ſparguntur ſurculos, donec in capillares
B abeant.

Deinde ramus iliacus in duos ramos inſignes ſpargitur, ab vtroque ramo quatuor venæ emanant; quarum prima dicitur ſacra, quæ ita appellatur, quia in ſacræ, ſeu magnæ vertebræ medullam pro nutritione fertur. Secunda eſt hypogaſtrica, quæ partes hypogaſtrio contentas alit, & multos dimittit ſtipites in vterum, eius ceruicem, veſicam, rectum inteſtinum, hæmorrhoïdales venas. Tertia dicitur epigaſtrica, quæ in epigaſtrij muſculos diſſeminatur. Poſtrema vocatur pudenda, & fertur ad virorum genitalia, & pudendi muliebris carnem,

Rurſus ramus iliacus extra abdominis cauitatem delatus,
C ad inguina deſcendit, & per crura, & femur numeroſas & varias propagines emittit, vnde ſcaturiunt venæ multæ. Primò emanat vena, quæ dicitur cruralis, quæ crura nutrit, ex qua varij, ſed præcipuè ſex ſurculi magis notabiles oriri conſpiciuntur. Primus eſt ramus, qui dicitur vena Saphæna, quæ per internam cruris partem ad malleolum externum deſcendit. Secunda Iſchias minor, quæ malleoli muſculos internos perreptat, & eſt ſita è regione ſaphænæ. Tertia dicitur Muſcula, quæ duplex eſt; vna maior, & fertur in muſculos omnes femoris; altera minor, quæ tibiam perreptat. Quarta vocatur Poplitea, quæ in poplitem deſcendens, vſque in calcem terminatur. Quinta Suralis, quæ per ſuram diſſeminatur. Vltima dicitur vena Coxendica, ſeu Iſchias
D maior, quia ad coxæ, ſeu iſchij muſculos delata, deinde ad externum pedis malleolum extenditur, & illuſtris eſt, ſecatúrque in iſchij, ſeu coxæ dolore cum vtilitate ſumma.

Venæ cauæ aſcendentis hiſtoria elegans eſt, & eius cognitio neceſſaria, ad curandóſque morbos vtiliſſima. Cùm ergo venæ pro nutritione partium ſint neceſſariæ, quia alimentum deferunt per membra, idcircò natura prudens, & de fabrica animalis prouidentiſſima, aſcendentem venam alligauit diaphragmati, membraniſque interſepientibus per communes tunicas, cordi per auriculam dextram, & ita multos ramos diffundit ad iugulum, & thoracis cauitatem, ibique ad axillas fertur, & finditur in tres inſignes ſurculos, ſeu venas, quæ dicuntur Baſilica, Mediana, &
E Cephalica, quæ communiter in morbis ſecari ſolent. Baſilica, quæ hepatica, iecoraria, interna, ſeu regia appellatur, per interiorem brachij partem fertur. Cephalica per exteriorem, & dicitur humeraria, quia per exteriorem humeri partem decurrit; vocatur etiam nigra, ſeu alta. Ex iis tanquam riuulis in cubiti coarticulatione emergit alia, quam medianam vocant, & eſt Cephalicæ, & Baſilicæ ramus in flexura brachij propullulans, quæ communis etiam nuncupatur.

Baſilicæ ſectio vtilis eſt, quando morbus occupat partes, quæ ſunt poſitæ inter alas & inguina, hoc eſt, infra iugulum. Cephalicæ ſectio tunc celebratur, quando affectus infeſtat partes, quæ ſupra iugulum ſitæ ſunt, Quando verò paſſio partibus inferioribus, & ſuperioribus eſt communis, tunc communis vena, quam medianam appellant, eſt ſecanda, vt notat Galenus 4. *de ſanit. tuend. cap.* 4. & 1. *acut.* 11. & *lib. de curand. rat. per ſang. miſ. cap.* 16.

Ex baſilicæ ramo venula obliquè ad carpum excurrit, quæ per manum externam diſſeminatur, & definit inter paruum digitum, & annularem, quam venam Arabes *ſal-vatellam* vocant, quia ſaluatægrotantes, & in diuturnis venoſi generis morbis, melancholicis affectibus, cutaneis, lienis vitiis feliciſſimè declinante iam morbo ſecari ſolet: & licèt ſit cephalicæ ramus, tamen experientia monſtrat in eiſdem morbis ſummo eſſe ex vſu, propter naturalem quem habet cum hepate, & liene conſenſum, ex Paulo *lib.* 3.*cap.*49. Quare in lienis morbis, in manu ſiniſtra, in hepatis vitiis, in manu dextra, ſecuriſſimè eius ſectio admiſtrari ſolet.

Hæc aſcendens poſtquàm diuiſa eſt in ramum ſubclauium, etiam ex altera parte per interiorem partem diffundit riuulos, & ſic aliæ venæ ſcaturiunt, quarum prima eſt vena phrenica, quæ per vniuerſum diaphragmatis corpus excurrit, & ad pericardium ramos ſpargit. Altera dicitur coronaria, quæ vniuerſam cordis baſim inſtar coronæ cingit, & ad dextrum cordis ſinum, & pulmones, pro nutritione ramos ſpargit. Tertia dicitur vena azygos, hoc eſt, coniugis expers, Medici vocant venam ſine pari: nam nulla eſt vena quæ ſibi coniugem non habeat arteriam, hac excepta.

Hæc octo ſurculos ex ſe promit, in ſiniſtram & dextram partem valde diffuſos, qui octo inferiores coſtas, & earum ſpatia alunt, vt videas quàm malo fundamento nixa ſit Veſalij opinio 3.*fabric.*1.*&* 7.qui in omni pleuritide, tam dextra, quàm ſiniſtra, ſemper in latere dextro tundendam eſſe venam ſibi perſuaſit, quia hæc ſolitaria vena in latere dextro ſolùm reperitur: nam ſi nutrit etiam coſtas ſiniſtras, & per partem ſiniſtram ſeſe diffundit, videtur in pleuritide ſiniſtra etiam ſecanda interna ſiniſtra, quia tum ramos à dextra parte prodeuntes, qui cum interna conſenſum habent, tum ſiniſtros ramos etiam exhaurit. Deinde licèt fateamur ſolùm hanc venam reperiri in latere dextro, non concludit ſemper in dextro latere ſecandam eſſe venam, quia melius eſt facere vacuationem ex ſiniſtra parte dolore oppreſſa, propter rectitudinem, quàm ex parte ſana: rectitudo enim amplius eſt optanda, quàm vaſorum communitas. Ita Galenus 13. *meth. cap.* 11. in hepatis inflammatione non apparente baſilica ſecat medianam, vel cephalicam eiuſdem lateris, non baſilicam alterius. quia rectitudo vaſorum communitati ſemper eſt præferenda. De quo argumento ſatis doctè ſcripſerunt, Manardus 12.*epiſt.* 5. Caſtrenſis Luſitanus *lib.*2.*quæ, ex quibus, cap.* 17. & contra Veſalium Valleſius, Laurentius, & Duretus acriter inſurgunt.

Quarta vena dicitur intercoſtalis, quæ in thoracis cauitatem ſeſe inſinuat, & in ramos multos per ſterni partem interiorem diuiditur; & ab hac quinque oriuntur venæ. Prima dicitur Mammaria, quia mammas nutrit. Secunda dicitur Thymica, quia glandoſum corpus iuxta mammas poſitum nutrit, & occupat, quod thymum vocant; ſic etiam penetrat ſeſe in interſepientes membranas. Tertia dicitur Capſularis, quia in capſulam, ſiue inuolucrum cordis fertur. Quarta dicitur Ceruicalis, quia per muſculos ceruicis ſeſe exerit in cerebrum: Vltima dicitur Muſcula, quæ in ceruicis muſculos defertur.

Inſuper Axillaris ramus, quum diuiſus eſt per inferiorem partem in baſilicam, cephalicam, & medianam, in duas iugulares diuiditur venas, quarum vna dicitur externa, altera interna. Externa per latera ceruicis fauces attingens, in duas partes diuiditur: vna in muſculos laryngis, & linguæ abſumitur; altera in labra, pinnas narium, frontem, faciem ferè totam, maiorem oculi angulum, & partes aurium poſteriores penetrat.

Interna per latera ceruicis ad cerebrum extollitur. & per cranij foramina, in duræ meningis ſinus aſcendit, (è quibus numeroſi venarum ſurculi prodeunt totum cerebri corpus alituri, qui per frontem etiam excurrunt) & ſuas propagines licèt tenues ad naſi leporem emittit.

In his partibus ſunt duæ illæ venæ, nempe in fronte, & lepore naſi, quas in calidis, & inflammatoriis cerebri

A affectibus communiter ſecamus, & in aliis perículoſiſſimis morbis qui ſubitum exitium minantur, vt apoplexia, epilepſia, caro, catalepſi, &c.

Hæ tamen non ſunt ſecandæ, niſi poſtquàm exquiſita corporis totius vacuatio ſit celebrata, ſicuti neque illæ venæ quæ ſunt in maiori angulo oculi, & ſecantur in diuturnis oculorum morbis: neque illæ quæ dicuntur leonicæ, hoc eſt ſublingues, quæ per fauces vſque ad radicem linguæ diſſeminantur, & oriuntur ab interna iugulari dicta. Sic etiam reperiuntur in ceruice venæ, quæ à iugulari interna oriuntur, & alium cephalicæ ramum perreptant, & dicuntur iugulares, apoplecticæ, ſphagitides: quæ raro ſecari ſolent, ob copioſum, quod ex iis ſequitur ſanguinis effluuium: & ſi ſecentur, ſuper eas debemus imponere agglutinantia, prout in arteriarum ſectione iubet facere Galenus 5. *meth.* 3. Vſus ſectionis earum, eſt in acutiſſimis cerebri morbis, & ſuffocante angina, teſte Paulo, & aliis præcipuis Medicis.

B

De ramis venæ portæ ingredientibus inteſtina.

Diximus ſuperiùs, omnia inteſtina venas ſuſcipere à ramis venæ portæ, quod ſic explico. Quemadmodum radices plantarum ex terra pabulum, & alimentum lugentes ipſis plantis miniſtrant; ita ſimiliter venæ meſaraicæ diſſeminatæ in inteſtina, vt quod ex crebra coctione in ventriculo reperiunt bonum, & vtile per anaſtomoſin recipiant, quæ venæ ad hepatis regionem perueniunt. Priuſquam autem eius ſubſtantiam attingant, tanta venarum multitudo in vnam, eámque capaciſſimam venam degenerat, quam ſumpta ſimilitudine portarum ciuitatis, dicimus venam portæ; quod conſultò à natura fuit fabricatum, ne tot venæ tanquam cribrum hepatis corpus perforarent.

C

Omnes aliæ venæ, quæ conſpirant in hanc vnam, quia ſunt contentæ in illa membrana, quam appellamus meſenterium, dicuntur meſaraicæ: ante tamen quàm conſpirent in venam portæ innumeræ illæ venæ, quinque aut ſex ramos conſtituunt, quorum primus tendit ad partem alteram ventriculi inferiorem, ſecundus ad omentum, tertius ad lienem, quartus ad meſenterium, & omnia inteſtina, quintus ad rectum inteſtinum recta via deſcendens, venas hæmorrhoidales conſtituit.

D

Alij plures diuiſiones conſtituunt, ſed hæc eſt communis, & ad quam reliquæ reduci poſſunt. Vtilitas harum venarum eſt, vt diuerſis temporibus chylum à ventriculo, & inteſtinis in hepar, & ab illo ſanguinem pro nutritione ventriculi, inteſtinorum, & aliarum partium deferant.

De vena porta.

Vena porta habet ſuum locum in parte caua iecoris, & ſicuti vt tangat inteſtina, multifariam diuiditur, ita poſtquam hepatis ſubſtantiam ingreſſa eſt, de nouo diuiditur in ramos duos, quorum quilibet diuiditur in duos alios, donec repetita diuiſione venæ portæ innumeri ſurculi per totam hepatis ſubſtantiam diuagentur. Facta fuit hæc vena, vt per eam primò chylus ingrediatur in hepar, & iterum ſanguis ad inteſtina, & ventriculum pro eorum nutritione deſcendat. Hæc vena partem cauam hepatis ingreditur; eo in loco vmbilicalis, per quam nutritur fœtus, in hepate implantatur.

E

De ſolliculo fellis.

Cum ex ſecunda coctione, ſanguificatione dicta, vnum reſultet excrementum tenue, & ſpumoſum, quaſi flos & ſpuma vini, vt ſanguinis maſſa purior redatur, illicò tranſmittitur ab hepate, & in aliud organum transfertur, quod in parte caua iecoris collocatur: hoc organum dicitur folliculus, veſica, aut burſa fellis. Conſtat figura rotunda in fundo, verſus collum oblonga, ad modum pyri,

Subſtantia conſtat membranacea, vt facilè dilatari, & A
comprimi poſſit. Conſtat vna ac ſimpliciſſima tunica, ſed robuſta. Præter hanc habet aliam mutuatam à tunica iecoris, quæ non eſt in vniuerſo ſuo corpore, ſed in parte ſuperiore quæ pendet. Venas habet pro ſui nutritione à ramis venæ portæ; arterias ab illa quæ hepati tribuitur; neruulum etiam ſuſcipit à ſexta coniugatione, ab eo ramo qui per coſtas hepati committitur.

Hic folliculus fellis, non ſuſcipit excrementum per eas venas, per quas admittit alimentum, ſed per diuerſas, & per diuerſa vaſa, quæ ductus cholidochi nuncupantur. Oritur à parte caua iecoris, iuxta implantationem venæ portæ, quæ ſententia ita explicanda eſt. In hac parte conſpicitur quidam canalis flauo colore tinctus, per plures propagines in hepate radicatus, & hic canalis via re-
B
cta in inteſtinum duodenum deſcendit ex naturæ lege, & vitiosè aliquando ad ventriculum, vt *ſuprà* dictum eſt.

In medio huius canalis, conſpicitur alius ad folliculum fellis ſurſum aſcendens; per quas vias hepar ab excremento bilioſo expurgatur: nec enim modò diſputo, an priùs ſuſcipiat folliculus fellis excrementum bilioſum, & deinde tribuat inteſtinis; an quauis ratione id fiat: nam nobis ſolùm cura eſt, relictis quæſtionibus, verè & fidè naturalem partium conſtitutionem, & earum vſus ad vnguem oſtendere. Meatus hic qua parte deſcendit ad inteſtinum duodenum; obliquè implantatur inter duas tunicas illius.

Vſus huius folliculi iam dictus eſt, nempe vt ſanguis à C
bile expurgaretur, quæ amara cùm ſit, nutritioni inutilis eſt, & etiam erat neceſſariò bilis diſtribuenda in multas partes, vt in inteſtina, vt ſua acrimonia facultatem expultricem irritando, fæces propelleret, ob cuius colorem ex flauæ apparent.

De liene.

ALiud excrementum emanat ab hac ſecunda coctione craſſum, & terreſtre, quod aſſimilatur fæcibus quæ reſident in dolio & appellatur excrementum melancholicum, quod expurgatur ab illo membro, quod dicitur ſplen, ſeu lien; & hic eſt vſus huius partis primatius: quare vulgari carmine dicitur: *ſplen ridere facit*, quia attracto nigro excremento ab hepate, quod triſtitiam facit, & ſpiritus conſpurcat, hi cum ſanguine clariores fiunt. & pellucidiores, & ſic lætatur anima. Collo- D
catur ex oppoſito hepatis ſub hypochondrio ſiniſtro. Sub coſtis alligatur ſepto tranſuerſo, & reni ſiniſtro interuentu peritonæi, ventriculo per venas, & per omentum. Huius forma eſt oblonga ad modum formæ plantæ pedis, quamuis per partem ſuperiorem eam formam non ſeruet.

Magnitudo, & color non ſunt in omnibus æqualia. Conſtat ſubſtantia molli, rara, & ſpongioſa, venis pluribus, neruis, & arteriis in tenui membrana exiſtentibus. Venas habet à vena portæ, per quas mittitur aliud vas ad ventriculi fundum, per quod ea portio excrementi melancholici, quæ vinci, & ſuperari non poteſt à natu-
ra, euacuatur, non ſolùm vt famem naturalem excitet, E
ſed etiam vt facultates ſua adſtrictione roboret, & tandiu alimenta in eo detineantur, quovſque concoquantur. Suſcipit arterias ab arteria magna deſcendente plures, & maiores, quàm ſua moles requirit. Primò, vt ſuo motu, & calore viuifico ſanguinem craſſum attenuent & expurgent. Secundò, vt ſanguinem à venis ſuo motu exire ſollicitent. Tertiò, vt calorem lienis attemperent. Vltimò, vt propriæ carni lienis vitalem facultatem tribuant.

De renibus.

VLtimum excrementum, quod ex iecoris elaboratione emanat, nec ita tenue eſt vt bilioſum, nec ita craſſum ſicuti melancholicum, ſed inter vtrumque mediam ſeruat naturam, appellatur ſeroſum excrementum, cuius vna pars, vt alimenti vehiculum per totum corpus defertur, & materia ſudoris eſt. Altera pars ex naturæ lege in renibus colligitur. Hi duplicati fuerunt conſtituti, vt ſi fortè vnus ab actione deficiat, reliquus ſaluus, & incolumis remaneat: ſunt etiam facti duplices; nam vnus non ſufficiebat, quia ſerum eſt copioſum.

Sunt locati parum infra iecur, in medio ferè ſpinæ. Alligantur venæ cauæ per emulgentes venas: dorſo, & coſtis lumborum, per membranas peritonæi. Sed cùm robuſta polleant attrahendi facultate, ne inter ipſos aliqua inuidia eſſet, ſi in eadem regione ambo fuiſſent locati, diuerſum ſitum ſunt aſſequuti; ita vt ren ſiniſter ſit in altiore loco, dexter verò in inferiore maiori ex parte: cauſa verò huius varietatis eſt magnitudo hepatis deorſum deſcendentis; quia magnum eſt in homine hepar, lien verò paruus.

Sed hoc loco non poſſum diſſimulare, quomodo Galen. noſter *lib. 6. de anatom. adminiſt. c. 13. & 6. de vſu part. c. 5* tantopere excrucietur, vt probet renem dextrum eſſe elatiorem, ſeu ſuperiorem, quum omnium Anatomicorum contrarium ſuadeat experimentum, & probant inter omnes Laurent. *lib. 6. de re anatomic. cap. 23.* Realdus *lib. 11. cap. 9.* qui ita in Galenum debacchantur, vt hoc loco commoti, proferant, nunquam ipſum humana corpora ſecuiſſe. Ego autem licèt iuniorum Medicorum ſententiam de frequenti euentu amplectar, aliquando (rarò tamen) dextrum renem eſſe ſuperiorem non nego.

Figura renum aſſimilatur mediæ Lunæ, quamuis in humano genere aliquando euariet. Ipſi verſus ſpinam ſunt caui, & in oppoſito latere gibbi, & rotundi. Magnitudo eſt tanta, quanta conuenit proprio muneri. Eorum ſubſtantia eſt dura, craſſa; denſa, & rubra, parum diuerſa à ſubſtantia cordis, niſi quòd fibris ſit diſiuncta. Habet ren tria genera vaſorum, venas, arterias, & vreteras. Venas, quas emulgentes dicunt ratione officij, à vena caua; arterias, ab arteria magna. Vtraque vaſa ſunt maiora, quàm requirat vtraque renis moles; quod non ſolùm nutritioni, & vitæ ſint dicata, ſed etiam expurgationi recrementi ſeroſi. Tam hæc arteria, quàm vena, quando ingrediuntur renis corpus, diuiduntur in duos ramos; & quilibet in alios duos.

Intra renis corpus duo obſeruantur ſinus; vnus ab extremitatibus venarum, & arteriarum ad modum ſinus cerebri; alius eſt conſpicuus, qui ſerum iam depuratum, & à ſanguine ſecretum ſuſcipit. Vniuerſum renis corpus duplici tegitur membrana, vna communi, à peritonæo deducta, ſecunda propria immediatè renum ſubſtantiam tangente, quæ paruum neruum ſuſcipit à ſexta coniugatione, & ab ea portione quæ ad ventriculum tendit. Ligantur renes cum lumbis mediante peritonæo: cum veſica vrinaria per vreteras: cum cerebro per neruos: cum corde per arterias: cum iecore per venas. Vterque ren factus eſt à natura, vt tam ab arteriis, quàm venis ſerum expurgaret.

De vreteribus.

A Secundo ſinu renum oriuntur vaſa quæ vreteres ſiue vaſa vrinaria appellantur, quæ ſunt concaua alba, craſſa, inſtar arteriarum: à renibus vſque ad veſicam progredientia. Progrediuntur autem ſub peritonæo lumbis, & dorſo adhærentia. Conſtant vreteres vnica tunica denſa, fibris aliquibus texta. Implantantur in collum veſicæ, obliquè, & tortuosè, ea naturæ induſtria, vt vrinæ pars quæ intra eam cauitatem veſicæ colligitur, non poſſit iterum ad renes retrocedere.

De veſica vrinaria.

QVemadmodum renes, & veſica fellea commodum ſitum obtinuerunt in animantium corporibus, ita veſica vrinaria ita eſt ſub oſſe pubis, recto inteſtino innitens in viris, at verò in fœminis, inter vterum, &

os pubis. Figura eius exiſtit rotunda, aliquantulum ob-longa, qua parte deſinit in collum. Conſtat ſubſtantia membranea, vt facilè dilatari,& coarctari poſſit. Conſtat duabus tunicis, vna communi mutuata à peritonæo, per quam recto inteſtino, & oſſibus coxarum annectitur; altera ſibi propria, & genuina dura, ac ſolida, triplici ſibrarum genere contexta: in cuius tunicæ interna parte adeſt veluti cruſta quædam, defendens veſicam ab acrimonia vrinæ, nam eſt veluti caruncula, quæ ſua mulcebri humiditate acrimoniam ſeri attemperat; quare ſi hæc præ febrili calore, aut alia cauſa atteratur, vrinæ ardor ſuboritur immanis, vt cuidam viro accidiſſe propria hiſtoria enarrat Galenus *lib.14.de vſu part.11.*cuius explicationem legat qui velit *lib.2.hiſt.144.*

A fundo veſicæ oritur quoddam vas ſurſum aſcendens ad vmbilicum, ſeruans eandem naturam cum vreteribus, per quod vas quandiu fœtus eſt in vtero, euacuatur vrina, & hoc ab officio dicitur vrachos;cuius vtilitas nobis iam in lucem editis nulla alia eſt, quàm vt ligamenti vicem gerat. In eius collo aſſiſtunt duæ carneæ portiones, dictæ paraſtatæ glandulæ, quæ etiam dilatationi, ac ſeminis eiaculationi deſeruiunt. Hæ glandulæ in fœminis deficiunt. In fine colli veſicæ reperitur quidam muſculus, vt fidelis ianitor, quemadmodum in ano, cuius officium eſt conſtringere veſicam, ne videlicet citra voluntatis imperium vrina fluat: & præter hoc admirabile naturæ artificium, in collo veſicæ aliud reperitur, quòd meatus ille, per quem fluit vrina ſit tortuoſus,ne ſcilicet facilè vrina, non comprimente muſculo rectè, elabi poſſit. Varias habet venas pro ſui nutritione à vena caua;arterias pro vitæ conſeruatione ab arteria magna; & ſuſcipit duas propagines neruorum, vnam à ſexta coniugatione, aliam à ſpinali medulla. Fuit veſica facta à natura, vt eſſet ſeroſi excrementi receptaculum, vt exiſtens in veſica commodè per eam expelleretur.

De vaſis præparantibus.

Abſoluta hiſtoria ferè omnium partium quæ nutritioni inſeruiunt, expoſtulat tractationis ordo, vt antequam vlteriùs progrediamur, agamus de partibus, & organis generationi inſeruientibus, tam in viris, quàm in fœminis, Dicamus ergo quòd vaſa quæ generationi ſeminis inſeruiunt, & productioni fœtus, ſunt in duplici differentia.

Alia ſunt quæ ſanguinem, futurum ſemen præparant; alia quæ ſemen iam confectum, prolificum & fœcundum factum deferunt, & emittunt. Priora dicuntur præparantia;poſteriora vocantur deferentia. Vaſa præparantia ſunt quatuor, duæ venæ, & totidem arteriæ: Venæ in latere dextro oriuntur à vena caua ſub emulgente, in latere ſiniſtro ab ipſa emulgente, non quia abrumperetur in hoc latere vas ſpermaticum,aſſiduo motu arteriæ magnæ,quum aliqua via poſſet hoc opus natura emendare; ſed ratione diuerſitatis, quæ in vtroque ſexu deſumitur ex imperfectione lateris ſiniſtri, vt ob hanc cauſam vera ſit ſententia Hippocratis dicentis, *quòd mares in dextris, fœminæ verò in ſiniſtris maiori ex parte generantur.*

Arteria in vtroque latere oritur ab arteria magna ſuper emulgentes. Hæc vaſa, tam venæ, quàm arteriæ non deſcendunt verſus teſtes, ſed aliquantulum diſtant;poſtea ita implantantur, vt vnam naturam conſtituere videantur, & fiat admirabilis anaſtomoſis venæ cum arteria: quando tamen iam pertingunt, deſinunt in plexum ſimilem capreolis vitium, aut hederæ, & degenerant in corpus varicoſum. Ideò præcipuè in hunc vſum hæc vaſa ſunt fabricata, vt ſanguis, futurus ſemen, diutiùs detentus, genuinum robur paulatim acquirat, & elaboretur, & teſtium virtute ſemen fiat.

De vaſis deferentibus.

Ab iſto corpore varicoſo ſurſum aſcendit aliud vas, quod implantatur in corpore glanduloſo dictæ partis, quæ in radice penis, & finibus veſicæ collocatur; in quibus vaſis flexuoſis, paraſtatæ ſemen iam integrè factum, & excoctum à teſtibus continent. Hæc dicuntur ſemen deferentia ab officio. Hæc eſt vaſorum ſeminalium conſtitutio, & ſitus in homine tantùm; quia in fœminis, nec deſinunt in paraſtatas, nec attingunt veſicam, nec exeunt à regione abdominis, ſed ſolùm in eminentiam vteri terminantur, vt ſemen in eius cauitatem tranſmittant, vt *lib.11.cap.13.*notauit Realdus.

De teſtibus.

Vaſa ſeminalia, quæ ab aliis videbantur continua, diſtinguit,& ſeparat illud corpus,quod dicitur à Græcis didymus, à Latinis teſtes, eo quòd ex naturæ ordine ſint duo, vnus in latere dextro, qui eſt perfectior: alius verò in ſiniſtro. Situs teſticulorum in hominibus omnibus eſt notus; in fœminis verò ad latera vteri; in his ob frigiditatem latent;in illis ob calorem foràs ſeſe exerunt. Teſtium forma eſt rotunda inſtar oui. Quilibet eorum conſtat ſubſtantia alba, molli, laxa, glanduloſa in viris; at verò in fœminis ſatis in omnibus euariant, vt referant ſimilitudinem alarum veſpertilionis.

Teſtes in hominibus, plurimis membranis circumuoluuntur: prima vocatur ſcrotum, & burſa, quæ nihil eſſe videtur, quàm rugoſa cutis, ſub qua etiam comprehenditur cutis, & membrana carnoſa, & hæc tunica eſt communis; propriæ verò ſunt tres. Vna oritur à neruea tenuitate muſculorum obliquè deſcendentium, & ob hanc cauſam in inflammatione teſticulorū dolent, & conſentiunt partes regionis abdominis. Secunda tunica eſt ipſum peritonæum,vaſis affixum. Tertia eſt illa membrana, quæ immediatè teſtium ſubſtantiam tangit, & vocatur epididymis, quamuis Veſalius duas proprias membranas conſtituat, & variis nominibus eas appellet. In fœminis verò ſolùm epididymis inuenitur, quum ſint intra regionem abdominis teſtes reconditi. Vſus teſtium in quouis genere ſexus eſt ad ſeminis fœcundi generationem, & generis propagationem. Viæ, & canales per quos defertur ſemen, ſunt vaſa deferentia, de quibus dictum eſt, & ipſum pudendum, de quo modò agendum.

De pudendo.

Quando animalia ſeminis copia turgentia, & ſtimulata, ad Venerem impelluntur, emittunt ſemen per viam quandam, & canalem excauatum. Hanc viam diuerſis nominibus hactenus ſcribentes appellarunt, ex quibus alij mentulam, virgam, pudendum, & membrum virile nuncuparunt, alij penem, caudam, haſtam, verpam, priapum dixerunt, in quibus nominibus explicandis Natalis Comes tam multus fuit. Figura eius omnibus notiſſima eſt.

Eius ſubſtantia eſt rara, & ſpongioſa. Vniuerſa penis fabrica conſtat duobus ligamentis cauis, & vno meatu, ſemini & vrinæ communi. Quatuor muſculi in eius radice collocantur. Conſtat cute, venis, arteriis, neruis, membrana neruea. Ligamenta caua conſtituta ſunt ex fungoſa ſubſtantia,nigro ſanguine plena,non aliter quàm ſi ex multis portionibus venarum & arteriarum eſſent conflata,vt iuxta hanc doctrinam intelligatur Hip. *lib. de genitur.* dicens: *venas, & neruos totius corporis in pudendum terminari.*

Meatus inter ligamenta conſtitutus nihil aliud eſt, quàm ſubſtantia veſicæ,aut eius colli dilatata, & extenſa. Ex muſculis duo inſeruiunt ad ſeminis emiſſionem, ſcilicet duo ſuperiores, & duo laterales ad extenſionem pudendi.

Venæ,& arteriæ oriuntur à ramis venæ cauæ, & arteriæ magnæ. Tam venæ, quàm arteriæ fuerunt tributæ, non ſolùm pro nutritione, & vitæ conſeruatione membri virilis, ſed vt tempore congreſſus venerei,ob copiam ſanguinis, & ſpiritus attollatur. Neruos ſuſcipit ab ſpinali medulla plures, eoſi exiguos, vt in eo acuties ſentiendi pro delectatione venerea vigere poſſit.

Oritur

Oritur membrum virile ab inferiori parte oſſis pubis, & ani. Ad ſuum extremum habet glandem, & eſt mollis, quam tangit pellis illa rugoſa quæ vocatur præputium, & ita ad maiorem delectationem factum eſt, nam ſurſum, deórſumque tractum fricationem inducit.

Glans perpetuò alligatur per funiculum, qui frænum dicitur. Inferior huius membri pars ducta ſecundùm longum ad teſtes, ſiue ſcrotum dicitur regio perinæi, hoc eſt, ſpatium exiſtens inter pudendi finem & anum in viris. Hæc pars in fœminis interfœmineum vocatur. Vtilitas huius membri eſt, vt ſit via, ſeu ductus, excernendo ſemini, & vrinæ communis, cuius ſubſtantia non eſt facta oſſea, neque dura: nam ita, nec erigi, nec flaceſcere ad eiaculandum ſemen commodè poſſet, & inſtar baculi rigidi multis negotiis impedimento eſſet, & dolore vterum afficeret concutiendo ipſum.

De vtero.

Semen quod per membrum virile deſcendit tanquam per canalem, deriuatur in eam muliebrem portiunculam, quam communi appellatione vocant vterum, matricem, ſeu vuluam. Collocatur vterus in parte abdominis inferiore, quæ dicitur hypogaſtrium, inter veſicam vrinariam, & rectum inteſtinum, ne oſſium duritie offenderetur, quum à parte anteriori habeat oſſa pubis, & à poſteriori os ſacrum, à lateribus oſſa ilium, quibus firmiter alligatur.

Magnitudo eſt varia pro varietate ætatis, & tempore geſtationis in vtero. Figuram obtinuit rotundam, & aliquantulum oblongam, ad ſimilitudinem pyri maiuſculi. Loquor de vtero humano: quum in quadrupedibus diuerſa figura ab hac obſeruetur. Conſtat vterus ſubſtantia membranea, vt pro conſtitutione facilè claudi poſſet: ſecundò, pro augmento fœtus: tertiò, vt dilatari pro expulſione fœtus, vel cuiuſuis alterius rei cauſa conſtringi poſſet.

Vterus tribus fibrarum generibus eſt intertextus. Conſtat duabus tunicis, externa à peritonæo, interna ſibi propria omnium craſſiſſima, in qua triplex fibrarum genus reperitur. Habet duos proceſſus, & veluti cornua. Habet interiùs cauitatem vnam, & non plures, (vt multi falsò opinantur) diuiſam vnica linea in partem dextram, & ſiniſtram.

Duas obtinuit venas, vnam à ramis venæ cauæ, diſſeminatam per totum eius corpus, & ceruicem, & eſt illa vena per quam fluunt menſtrua; alteram venam obtinuit, vt in viris pro ſeminis præparatione. Habet ſimiliter arterias ab arteria magna. Extrema oſcula in vteri interna ſuperficie apparentia dicuntur acetabula. Habet duos neruos à ſexta coniugatione, ſcilicet à ramo coſtali, & ex his alios ab ſpinali medulla productos.

Totus vterus diuiditur in fundum, orificium, ſeu os, ceruicem ſeu collum vteri, & pudendum, ſeu orificium colli. Fundum vteri eſt tota cauitas in qua concipitur ſemen, & generatur animal: at verò fundi proceſſus qui apparent, cornua dicuntur, vt ſuprà diximus. Os vteri eſt meatus anguſtus, à quo incipit fundi cauitas, & eſt illa pars quæ poſt conceptionem clauditur, de qua intelligatur *Hip. 5. aph. 51. Quæ vtero gerunt, &c.*

Ceruix vteri, ſeu collum eſt tota illa via, ſeu canalis, quæ reperitur ab ore pudendi vſque ad os vteri, qui canalis eſt oblongus ad modum vaginæ. Tota hæc ceruix apparet rugoſa, vt meliùs membrum virile amplectatur; at verò quando diſtenditur, lubrica, & læuis apparet.

In medio colli vteri conſtituitur (licèt fabuloſè) illa membrana, quæ hymen vocatur, & ſignum virginitatis eſſe dicitur: Nam virginitas non conſiſtit, niſi in partium connexione naturali, vt doctè probat Seuerinus Pinæus inter omnes, *libello de notis virginitatis cap. 5.* explicat Horatius Augenius *tract. ſingulari, de membrana vocata hymene:* ex quo accepit Laurentius ferè iiſdem verbis, *lib. 7. de re anatomic. quæſt. 13.*

In fine huius colli circa partem anteriorem, conſtituitur foramen, ſeu via vrinæ. Collum hoc vteri terminatur in pudendum, ſeu vuluam, & vocantur ſinus, & clauſtrum pudoris; in cuius cauitate ſtatim conſpiciuntur illæ caruncula, quæ Nymphæ vocantur; quibus tactis, vel fricatis, fœminæ miram amoris dulcedinem perſentiunt. Vſus harum eſt, vt vterum ab aëre, & externis iniuriis defendant.

In orificio pudendi in parte alta, alia particula apparet, quæ vocatur clitoris, & aſſimilatur membro virili, quamuis huius ligamenta licèt caua, ſeminis eiaculationi non ſint parata. Vſus clitoridis eſt, vt conſopitam appetentiam excitet ad Venerem.

Annectitur vterus cum hepate, per venas; cum corde, per arterias; cum cerebro, per neruos ſextæ coniugationis; cum veſica vrinaria, & recto inteſtino, per ligamenta; cum oſſe ſacro, ilium, & pubis, per tunicam à peritonæo mutuatam. Eſt factus vterus magno naturæ artificio, vt in eo generetur animal, augeatur, nutriatur, conſeruetur, & poſt certum tempus, quaſi è carcere ſolutum exeat in lucem.

SECTIO II.

De regione thoracis, & aſpera arteria.

Diximus tria eſſe, quibus hominum vita conſeruatur, ſcilicet cibus, potus, ac ſpiritus; & hæc tria per os animalibus adminiſtrari: ac cùm dictum iam ſit, per quas vias cibus, & potus ingrediatur, operæ pretium erit explicare, per quam viam materia pro ſpiritu adminiſtretur. Aër ergo per os ingreditur in pulmones, & cor, ſed per aliam viam diſtinctam ab illa per quam ingreditur cibus, & potus. Via aëris in pulmones, & cor, eſt canalis cauus, oblongus, cartilagineus, ſupra œſophagum recta via deorſum tendens, & dicitur aſpera arteria. Vocatur arteria, ab officio, quòd deferat aërem ad cor, & expurget fuligines. Dicitur aſpera, à conſtitutione, vt diſtinguatur à reliquis arteriis totius corporis pulſantibus, quæ læues dicuntur.

Conſtat aſpera arteria membranis, cartilaginibus, venis, arteriis, neruis. Fuit cartilaginea, quia non ſolùm erat futurum organum reſpirationis, ſed etiam vocis, & quia in attrahendo aëre debuit dilatari, ac contrahi, cui muneri obſtabat ſubſtantia cartilaginea, ob eam cauſam non eſt fabricata aſpera arteria ex vna duntaxat cartilagine ſibi continua, ſed ex pluribus formam annuli referentibus, quæ ea parte qua œſophago coniungitur, non conſtituunt integrum annulum, vt dicemus.

Ligantur hæ cartilagines inter ſe per membranulas tam in brutis, quàm hominibus, quamuis aliquibus viſum ſit has membranulas in homine eſſe muſculos exiguos, vt facilè dilatari, & contrahi poſſent. Cartilagines non conſtituunt integrum annulum. Primò, ne œſophagus à duritie cartilaginis lædi poſſit. Secundò, ratione ſecuritatis ipſius aſperæ arteriæ, quæ ſub hac conſtitutione minùs ab extrinſeco offenditur. Tertiò, ratione deglutitionis, vt ligamentis duris meliùs cederet.

Figura eius aſſimilatur arbori à radice liberatæ, cuius maiores rami diuiduntur in alios duos minores, quilibet horum in alios, & ſic multiplicatur diuiſio aſperæ arteriæ per corpus pulmonis, vt ſtatim dicemus. Habet duas ſuperficies, internam, & externam: illa eſt æqualis, hæc verò habet ſimiliter duas tunicas, vnam externam à pleura, aliam internam & propriam, craſſam, duram. Venas eſt conſequuta à vena caua, arterias ab arteria magna aſcendentibus, neruos à ſexta coniugatione.

De Larynge, & Epiglottide.

Diximus aſperam arteriam eſſe ſicuti arborem ſine radice: hæc habet duas extremitates; per inferiorem alligatur pulmonibus, per ſuperiorem communicat cum ore: illa verò ſuperior pars aſperæ arteriæ appellatur à Græcis larynx, à Latinis caput arteriæ. Componitur larynx ex tribus cartilaginibus. Prima à figura dicitur ſcuti-

formis. Secunda appellatur annularis, quæ etiam baſis, & fundamentum reliquarum exiſtit. Tertia gemina vocatur, & habet orificium quoddam factum ex cartilaginea membrana, quod epilottis dicitur, ſeu laryngis operculum. Reliquum aſperæ arteriæ corpus ex multis perficitur cartilaginibus, quarum quælibet reſpondet circulo.

Ad latera laryngis exiſtunt duæ glandulæ, vt ſua humiditate prædictas partes irrigent. Denique aſpera arteria præcipuè in loco laryngis collocata, habet plures muſculos, quorum beneficio variè mouetur. de quorum etiam numero infrà dicemus. Facta eſt aſpera arteria à natura, vt ſit via & canalis, per quem aër ingreditur, & egreditur. Secundò, vt ſit præcipuum vocis organum, & maximè ſecundum caput, ſcilicet ſecundùm laryngem; ob quam cauſam vox, & reſpiratio copulantur: ſic animalia quæ reſpirant, habent vocem, pulmones, aſperam arteriam, & dextrum ventriculum cordis, & è contra deficiente voce, hæc deficiunt.

De Pulmonibus.

Aſpera arteria in parte inferiori mediantibus ſuis ramis adiungitur illi organo, quod flabellum cordis appellatur, & pulmo dicitur, qui componitur ex carne ſibi propria, triplici vaſorum genere, & tenui membrana. Eius ſubſtantia eſt caro mollis, rara, & ſpongioſa, vt inſtar follis aërem ſuſcipiat, & fuliginibus, ac vaporibus viam præbeat. Color carnis pulmonis in fœtu intra vterum exiſtente, eſt rubicundus, in adultis magis albicans: in his ratione motus, & copia ſpirituum; in illis verò defectu vtriuſque.

Collocatur pulmo in ampla thoracis regione, ea lege vt quando dilatatur, tam dexter, quàm ſiniſter totam cauitatem repleat. Quilibet pulmo habet ſciſſuras, quas lobos, pinnas, ſeu alas dicimus. Patitur duas diuiſiones, ad faciliorem motum, ſeu cordis amplexum. Nulli parti eſt alligatus pulmo propter libertatem motus, ſed ſolùm ſuſpenditur, vaſorum & aſperæ arteriæ interuentu, ne dilabatur: aliquando tamen viſus eſt in hominibus thoracis lateribus ligari.

Pulmo eſt diuiſus in duas partes, vt vna deficiente in vno latere. reliquis qui permanet, incolumis inſeruiat animali. Obtinuit inſignem molem, vt plurimum aërem ſuſciperet, qui pluribus motionibus cordis ſufficere poſſet.

Per corpus. & ſubſtantiam pulmonis tria vaſorum genera diſſeminantur, ita vt dubitandum, an pulmo exiſtat fundamento vaſorum, an verò ab ipſis eius calor ſuſtentetur. Vaſa autem ſunt, aſpera arteria, initium ſumens à faucibus, per vniuerſum pulmonis corpus excurrens, cuius vtilitas eſt, vt non ſolùm aërem intrò, foráſque ferat, ſed etiam vapores ſeu fuligines. Vt autem diſſeminetur per corpus pulmonis, iuxta quartam vertebram thoracis, diuiditur in duos truncos, quorum dexter tendit in dextrum pulmonem, ſiniſter in ſiniſtrum.

Quilibet iſtorum in duos ramos diuiditur, & rurſus quilibet ſuo ordine in plures, donec multiplicata diuiſione vniuerſum pulmonis corpus intertextum appareat. Arteria autem venalis, quæ à ſiniſtro cordis ventriculo procedit; & vena arterialis, quæ à dextro oritur, ab oppoſito loco ſurſùm tendentia, pari lege ſicut aſpera arteria diuiduntur, & diſſeminantur in pulmones, & intertexta tria hæc vaſorum genera apparent intra pulmonis corpus; húncque ſeruant ordinem. vt rami aſperæ arteriæ ſint in medio, rami arteriæ venoſæ ſint in parte anteriori, at verò rami venæ arterialis in parte poſteriori pulmonis.

Hæc vaſa per oſcula ſeſe contingunt, & inuicem communicant, efficientia admirabilem anaſtomoſin intra pulmonis corpus. Reliqua verò extrema oſcula tam aſperæ arteriæ, & arteriæ venoſæ, quàm venæ arterioſæ, quæ manent ſoluta, in extremam pulmonis ſuperficiem decidunt.

Vniuerſa hæc pulmonis machina, non aliter quàm hepar, tenui quadam membrana obuoluitur, orta à pleura:

A in hanc tunicam pâruì diſſeminantur neruì, à ſextaconiugatione originem habentes, qui eius ſubſtantiam non penetrant, & idcircò in affectibus pulmonis nunquam adeſt acutus dolor, quia pulmo ob hanc cauſam hebeti ſenſu præditus eſt.

Eſt factus pulmo à natura; Primò, vt aërem cordi præparet pro ſpiritus vitalis regeneratione. Secundò, vt cordis calorem attemperet. Tertiò, ad formandam vocem. Quartò, vt ſit ſuſtentaculum cordis. Nec audiendi qui alium admittunt vſum, quòd ſcilicet ſpiritus vitales generet: hoc enim munus ſoli debetur cordi. Communicat pulmo cum corde per arteriam venoſam, & venam arterioſam: per dorſum, cum aſpera arteria: cum parte anteriore pectoris, per mediaſtinum, ſeu membranam interſepientem coſtas.

De Corde.

B Omnia quæ hactenus de pulmonis fabrica, & eius vaſis adducta ſunt, conſpirant in præſtantiſſimum animalis membrum, quod communi appellatione Cor nominatur, cuius figura eſt pyramidalis, ſimilis nuci pineæ. Obtinuit hanc formam, quòd ratione rotunditatis ſit capaciſſima, & magis ſecura; ratione verò longitudinis intensè attrahat, ſi verum eſt quòd omni attractionis genere inſigniatur à vacuo, à facultate, à calore.

Tota ſuperficies externa cordis à baſi vſque ad mucronem eſt læuis: ſolùm eam ſortitur inæqualitatem, quam arteriæ, & venæ conſtituunt. Eſt in media thoracis regione collocatum, non quomodocúnque, ſed ſecundum trinam dimenſionem, reſpectu centri thoracis: quæ doctrina intelligatur ſecundùm baſim, quum certum ſit, ratione mucronis ad ſiniſtram inclinare, ne ſua cuſpide ſeptum tranſuerſum impediret, dum mouetur. Eius magnitudo exigua eſt.

Cordis fabrica vniuerſa conſurgit ex carne ſibi propria, adipe, venis, arteriis, atque etiam neruis, duabus auriculis, & duobus ventriculis. Caro eius eſt minùs rubra

C muſculorum carne; magis denſa, dura, & ſolida, ratione contentorum, ſcilicet ſpiritus, & ſanguinis arterialis, & perpetuitatis in motu, licèt in mucrone ſit durior, quàm in baſi, in quem ſcilicet mucronem definunt fibræ.

Durities, & ſoliditas ſubſtantiæ non eſt æqualis in toto corde, quum maior reperiatur in ſiniſtro cordis ventriculo, ratione contenti, quàm in dextro. Propria hæc caro, & ſubſtantia cordis triplici fibrarum genere eſt contexta, ſcilicet rectarum, obliquarum, tranſuerſarum; quæ ſic inter ſe coniunguntur, & aſſociantur, vt nulla arte diuidi, nec ſeparari queant.

D Debentur hæ fibræ cordi, tum propter robur, & firmitudinem membri, tum quia mediantibus fibris rectis, cor ſanguinem & aërem attrahit; obliquis retinet, & aëre fruitur attracto; at verò tranſuerſis, vt fiat ſanguinis & fuliginum expulſio in pulmones, & vt ſpiritus vitalis, & ſanguinis arterialis per arteriam magnam in vniuerſum corpus tranſmiſſio fiat.

Vaſa quæ reperiuntur in corde, ſunt in duplici differentia, quædam propria, & quædam communia. Propria ſunt vena vna coronalis pro nutritione; vna arteria coronalis, ambæ innatum calorem fouentes. Vaſa communia ſic ſunt dicta, quæ non ſolùm cordi, ſed vniuerſo corpori animalis inſeruiunt, & ſunt duæ venæ, duæque arteriæ. Venæ aſſiſtunt lateri, & ventriculo dextro; arteriæ lateri,

E & ventriculo ſiniſtro.

Venæ ſunt vena caua, à qua ſuſcipit cor ſanguinem elaborandum pro pulmone, vena arterioſa, per quam tribuit alimentum pulmonibus. Dicitur vena ab officio, quia defert ſanguinem & continet; arterioſa verò à conſtitutione, quòd magis craſſam obtineat tunicam, quàm omnes aliæ venæ. Arteriæ ſunt arteria magna, per quam cor vniuerſo corpori ſanguinem arterialem, & ſpiritus vitales tribuit. Alia eſt arteria venoſa, per quam aërem pro ſpirituum generatione accipit, & pulmonibus ſanguinem arterialem, & ſpiritum vitalem præbet. Dicitur arteria

arteria ab officio; venoſa verò, quia cùm debuiſſet habere tunicas ſextuplo craſſiores, quàm ſit tunica venæ, aſſequuta eſt in compoſitione venarum naturam.

Vt autem non confunderetur naturæ ordo, quando ſuo motu agitatur cor, in principio horum quatuor vaſorum conſpiciuntur quædam membranæ, ſiue valuulæ, ſiue oſtiola, ea naturæ lege conſtructa, vt nihil exeat à ventriculis, aut ſine ordine regrediatur. Hæc oſtiola ſunt vndecim, tria in vnoquoque vaſe, niſi in arteria venoſa, in qua ſolùm exiſtunt duo, non tamen omnia oſtiola æqualem habent implantationem, quia alia foris adintra ſpectant, hoc eſt, foris ſunt aperta, & intus clauſa, & ſunt illa quibus materiæ introducuntur ad cor. Alia oſtiola ab intrò foras ſpectant, & ſicuti intus ſunt aperta, foris ſunt clauſa, & ſunt illa per quæ cor materias effundit. Priora videntur fibroſa, triangulum referentia; poſteriora referunt figuram ſemicirculi, nam quædam valuulæ motu cordis aperiuntur, aliæ clauduntur, ſolùm in arteria venoſa nunquam totum clauditur orificum.

De cordis ventriculis.

OMnia hæc vaſa cum his cauitatibus cordis communicant, quas ventriculos appellamus, qui in humano corpore, & animalibus reſpirantibus ſunt duo, vnus in parte dextra, alius in parte ſiniſtra, ex quibus dexter maior eſt ſiniſtro. Hic dicitur arterioſus: quòd aërem eliciat, & ſpiritum vitalem contineat; ille venoſus, quòd ſanguinem venoſum attrahat. Siniſter ventriculus circumſcribitur pariete multò craſſiore, quàm dexter: illud autem naturæ opus factum eſt duplici titulo; primò vt cor eſſet in æquilibrio, non magis ad vnam, quàm alteram partem inclinans. Secundò, ne ſanguis arterialis, qui tenuiſſimus eſt, facilè euaneſcat.

Hos ventriculos diſtinguit, ac ſeparat ſubſtantia cordis, quendam parietem conſtituens, qui ab omnibus dicitur ſeptum. Hic autem paries plurimis foraminibus eſt peruius, ea naturæ induſtria, vt à dextro in ſiniſtrum ventriculum facilis ſit tranſitus per hæc foramina, (quidquid alij velint) & ſanguis venalis communicetur ſiniſtro, vt ex eo ſpiritus vitales generentur; licèt non ſolùm per hanc viam materia pro ſpiritu communicetur, ſed per arteriam venoſam ex pulmonibus, vt ob hanc cauſam apertè à Galeno, pulmo ſpirituum promptuarium nuncupetur.

Ad latera vtriuſque ventriculi, conſtituuntur duæ membranæ carneæ, quæ à ſimilitudine dicuntur auriculæ, ex quibus dextra aſſiſtit venæ cauæ, ſiniſtra, arteriæ venoſæ. Vſus harum auricularum ſunt: primò, ne aſſiduis motionibus tunicæ tenues venæ cauæ, & arteriæ venoſæ rumperentur. Secundò, vt aëre ſuſcepto, follis inſtar cor infrigidarent. Tertiò, vt vis aëris attracti frangeretur, ſanguiſque detineretur.

Vniuerſo cordi tenuis membrana obtenditur, inſtar illius quæ iecur inuoluit, in cuius ſuprema parte quæ reſpondet baſi, ingens duri adipis copia ſecundùm vaſorum multitudinem apparet. Fuit creatus adeps à natura, ne aſſiduis motionibus cor comburi poſſet, quum ſit flamma vrens, in cuius ſinum ſi viuente animali digitum immittas, vehementiſſimum ſenties calorem, prorſus igneum, auctore Galeno *lib. de inæqual intemper. cap. 3.*

Ad hanc tunicam contegentem deſcendit exiguus neruus ſextæ coniugationis, non ad motum, vt falsò plures confirmant; ſed ob eam cauſam, vt quæ ſibi moleſtiam inferrent, illicò ſentiret. Cor fuit factum à natura, vt eſſet principium, & ſedes facultatis vitalis, & caloris vitalis fons, & denique vt in eo ſanguis arterialis, & ſpiritus producerentur: & ideò in medio corporis eſt creatum, vt tum inferioribus, tum ſuperioribus partibus calorem vitalem largiatur.

De pericardio.

OMnes hæ partes, ex quibus conſtat cor, & vniuerſa eius ſtructura, referuantur tanquam in arca, ſeu

A ſacculo, nempe membrana quadam dicta pericardium, quæ à Latinis Medicis cordis inuolucrum, ſeu vagina nuncupatur. Hæc non adhæret immediatè cordi, ſed tantum diſtat quantùm ſufficit, vt ſine noxa intra eius cauitatem poſſit moueri. In reliqua cauitate, quam non occupat cor, inuenitur quædam aqua ſimilis humorum ſero, & vrinæ; quidquid alij aſſerant, hoc ſerum in pericardio, viuente animali non reperiri, ſed ſolùm in cadauere apparere; alij nec in hoc reperiri poſſe putant; quos omnes manifeſtè redarguit experientia peritorum, qui in ſectione viua ſemper hoc ſerum inuenerunt.

Huius ſeri mutiplex eſt vſus. Primus, ne aſſiduis motionibus cor inflammaretur, & deficcaretur, & ſic ſanum in cuſtodia effloreſcat, vt Hip. ait *lib. de corde, in princ.* Secundus, vt cor quaſi innatans minùs graue eſſet animali. Tertius, vt commodiùs debile cor moueretur; ab aqua enim reciproco motu agitatur. Originem ducit pericardium à

B membranis quatuor vaſorum cordis, ſcilicet venæ cauæ; arteriæ magnæ arteriæ venoſæ, & venæ arterioſæ. Non habet pericardium alium ſitum, quàm eum quem habet cor. Conſtat ſubſtantia membranea dura, craſſa, quæ inter pulmones, & oſſeam eius ſubſtantiam media eſt. Suſcipit venas à vena caua, arterias ab arteria magna, & ramis venarum & arteriarum, quæ diſſeminantur per membranas interſepientes thoracem. Suſcipit neruos exiles, & obſcuros; à recurrente ſiniſtro, ſicut & cor.

De arteriis.

ARteria dicitur vena pulſatilis, ab Auicenna vocatur vena audax; appellatur etiam arcula, & arterioſi ſan-

C guinis conceptaculum. Eſt vas rotundum, oblongum, ſiſtulæ modo excauatum, duplici tunica fibris intertexta conſtans, deducendo ſanguini ſpirituoſo dicatum.

Earum vſus primus, vt ſpirituoſum ſanguinem in ſiniſtro cordis ventriculo concoctum contineant, diſtribuant, tranſmittant. Secundus, vt influentem cordis calorem cum vitali ſpiritu in corpus deferant. Tertius, vt calorem natiuum attemperent, dilatatione attrahendo aërem, cuius refrigerio innatus calor fouetur, & contractione fumidas fuligines expellendo, quarum excretione inſiti igni ſuffocatio prohibetur, & idcircò venis multò ſunt nobiliores.

Arteria ergo magna, quæ eſt aliarum omnium arteriarum mater duplex eſt, aſcendens, & deſcendens. Oritur à ſiniſtro cordis ventriculo ſurſum ad iugulum, ibique in duo prægrandes ramos diuiditur, ſubclauios dictos.

D A ſubclauio dextro quinque ſcaturiunt arteriæ: prima, intercoſtalis ſuperior, quæ ad ſuperiores coſtas fertur. Secunda, mammaria, quæ per ſterni regionem in mammas exiguos ſpargit ſurculos. Tertia, muſcula, quæ in ceruicis muſculos diuiditur. Quarta, ceruicalis, quæ in ceruicem aſcendens, perreptat deinde duram matrem, mediam cerebri baſim & per membranam tenuem ſeſe ſpargens, in cerebri ventriculos ſeſe infinuat. Quinta eſt carotis, ſic dicta, quia his arteriis carotidibus interceptis, caros, & appoplexia excitantur Nam denegato aditu vitali ſpiritui qui animalem fouet, ſæui propullulant affectus, & ſic ex iis ramis ſparguntur multi alij per totam capitis ſuperficiem, ex quibus temporales arteriæ oriuntur, & aliæ quæ ad frontem pertingunt.

Ex ramo ſubclauio ſiniſtro, emanant arteriæ, quæ in thoracis cauitatem ſeſe inſinuant. Prima dicitur axillaris,

E quia axillas occupat. Secunda, thoracica, quæ in thoracis muſculos anticos, & poſticos fertur. Altera dicitur baſilica, quæ iuxta baſilicæ venæ ſitum, tum profundè, tum ſuperficialiter plurimos ſpargit ramos.

Deſcendens arteria magna diaphragma permeans, in ventrem inferiorem, menſenterium, & inteſtina excurrit. Eius truncus ad læuam paulum declinans, priuſquam in ramos iliacos diuidatur, nouem fundit ſurculos. Primus dicitur intercoſtalis maior, qui octo inferiores coſtas penetrat. Secundus vocatur phrenicus magnus, qui per diapragma fertur. Tertiùs appellatur cœliacus, à quo plures ſparguntur riuuli in ventriculum, pylorum, omentum,

omentum, hepar, veſicam felleam, & multò maiores in A lienem, quia hoc viſcus maxima egebat expurgatione. Quartus dicitur Meſentericus ſuperior qui in ſuperiorem meſenterij partem tendit. Quintus vocatur renalis, ſeu emulgens, qui in renes inſeritur. Sextus eſt ſpermaticus, qui in teſtes deriuatur. Septimus eſt Meſentericus inferior, qui in inferiorem partem meſenterij ſeſe immergit, & colon,& rectum inteſtinum. Octauus dicitur lumbaris, qui in lumbares muſculos fertur. Nonus appellatur muſculus,qui ad lumbares muſculos defertur.

Poſtquam truncus huius arteriæ, in has nouem coniugationes,tanquam in riuulos eſt deriuatus,in tres inſignes ramos diffinditur, qui iliaci dicuntur. Primus eſt ſacer, qui ad oſſis ſacri medullam fertur. Secundus eſt hypogaſtricus,qui hypogaſtrij partes irrigat.Tertius vmbilicalis, qui ab vmbilico emergit, & hoc viuit,& tranſpirat fœtus in vtero.Quartus epigaſtricus,qui per epigaſtrij muſculos excurrit. Quintus eſt pudendus, qui in genitalia fertur. B Idem ramus iliacus in crura delatus, cruralis vocatur, & in muſculos, genu, poplitem, tibiam, pedes, digitóſque diuaricatur.

De *thorace*.

OMnes hæ partes, quæ hucvſque ſunt adductæ, ſuſpenduntur in ea parte thoracis, interuentu illarum membranarum, quæ interſepientes vocantur:quam hiſtoriam altiùs ſumpto exordio aggredior. Nam regio illa, quæ à iugulo vſque ad mucronatam cartilaginem extenditur,in parte ſuperiori,clauiculis;in parte inferiori, ſepto tranſuerſo; in parte anteriore, oſſe ſterno; in poſteriore, vertebris ſpinæ; in lateribus, viginti quatuor coſtis tan- C quam terminis circumſcribitur. Communi appellatione ab omnibus dicitur thorax, cujus figura eſt rotunda, quia capaciſſima, & pulcherrima.

Compoſitio thoracis partim fuit oſſea, partim carnea; oſſea ad formandam cauitatem, & ad robur contentarum partium;carnea,vt commodiùs tam in contractione,quàm dilatatione moueretur. Obtinuit medium ſitum, vt ſuo calore viuifico partes ſuperiores, & inferiores illuſtraret. In huius fabrica & compoſitione, poſt cutem, & membranam carnoſam, plures occurrunt muſculi, tam qui in eo naſcuntur,quàm qui ibi implantantur, licèt aliis partibus inſeruiant.Reperitur etiam os in parte anteriori, quæ propriè dicitur pectus,& eſt os ſternum.In poſteriore parte, quæ tergum, aut dorſum dicitur, inuenitur ſpina cum ſuis vertebris.In lateribus coſtæ reperiuntur.

De *pleura*. D

STatim verò infra coſtas adeſt illa membrana, quæ dicitur pleura, & ſuccingens coſtas, quæ eſt in thorace, ſicut peritonæum in abdomine. Eſt collocata in tota regione thoracis, ita vt tota oſſa attingat, & ſic obtinuit formam, & magnitudinem, qualis reperitur in thorace. Eius ſubſtantia conſtat membrana dura, tenui, alba: in parte poſteriore ſpectante ad dorſum eſt durior, quàm in anteriori; ob iſtam cauſam dorſales pleuritides ſunt deteriores. Externa ſuperficies, per quam adhæret oſſibus, eſt inæqualis & aſpera; interna læuis, quaſi aqueo humore irrigata. Dependet hæc membrana à ligamentis, annectentibus vertebras ſpinæ. Eſt duplex, vna interna, altera externa. Suſcipit venas à vena ſine coniuge, & ramis intercoſtalibus;arterias ab arteria magna; plures neruos à ſexta coniugatione. Facta fuit pleura primò,vt omnibus partibus contentis in regione thoracis ſit inuolucrum. Secundò, vt omnes has partes colliget, & firmet. Tertiò, vt pulmonem tueatur,ne ab oſſium, & coſtarum duritie lædi poſſit.

De *mediaſtino*.

HÆc membrana, quando ſecundùm longitudinem diuidit thoracem, mutat nomen pleuræ, & vocatur mediaſtinum, ſiue membrana interſepiens thoracem. In illo loco ſatis conſpicuè duplicata apparet: verùm inter illas reduplicationes euidens conſpicitur cauitas.

Mediaſtinum diuidit thoracem ab oſſe ſterno, vſque ad ſpinam, ſecundùm profunditatem; & à iugulo, & clauicula, vſque in ſeptum trànſuerſum, ſecundùm longitudinem. Inſeruit mediaſtinum primò, ad viſcerum ſuſpenſionem. Secundò,ad firmanda,& fulcienda vaſa. Tertiò,vt læſa vna parte thoracis, aut pulmonis, reliqua remaneat incolumis.

De *mammis*.

MAmmæ appellàntur vbera, & mámmillæ. Sunt conſtitutæ primò ad ornamentum. Secundò, ad maius thoracis robur. Tertiò,ad tutelam cordis. Quartò, in mulieribus ob neceſſitatem gignendi lac,& educationem fœtus.Deſcribuntur,quòd ſint corpus diſſimilare, compoſitum ex venis,arteriis,tunicis,adipe,carne glanduloſa. Habent ſenſum ex neruis. Venæ, & arteriæ ducunt ſanguinem, & ſpiritum naturalem, & vitalem, qui ſpiritus cum glandoſo corpore, lactis gignendi inſtrumenta exiſtunt. Adeps iuuat calorem,& coctionem fouet. Sanguis eſt materia,ex qua lac conficitur. Caro propria eſt craſſa, ſpongioſa,& alba,vt meliùs in eius anfractibus præ mora ſanguis detentus abeat in lac.

Sunt duæ, quia ferè duo fœtus eduntur in lucem. In brutis tot ſunt, quot fœtus gigni ſolent, & ita in fœtus commodum ſagaciſſima prouidit natura. Sunt circa pectus ſitæ, ob rationes dictas, maximè vt ob cordis viciniam,meliùs coquatur lac,& elaboretur. Habent in parte poſtrema papillam, ſpongioſis foraminibus conſtantem, per quam infantes lac exugere ſolent. Communicant valde cum toto corpore,ratione dictorum vaſorum, ſed præſertim cúm vtero, vt latè docuit Galenus 18. *de vſu part. cap.4.& 8.*

De *diaphragmate*.

SIcut regio thoracis per ſuperiora,poſteriora,anteriora, & per latera ſuis finibus circumſcribitur,ita etiam in parte inferiori finem,& terminum conſequitur, per hanc animalium particulam, quæ ab antiquis vocabatur phrenes;nam in illo loco prudentiam conſtituebant, & hæc pars magnum cum cerebro obtinet conſenſum, in quo facultates principes ſedem habent: & hoc ita verum eſt, & experimento confirmatum, vt inflammato ſepto tranſuerſo ſtatim ſequatur paraphrenitis, aut delirium à phrenitide parùm diſtans. Communi etiam appellatione à Latinis ſeptum tranſuerſum vocatur: ſeptum, quia velut paries quidam interpoſitus, pectoris & thoracis regionem, à regione abdominis, & ventris inferioris diuidit: dicitur tranſuerſum, ratione ſitus; cuius organi hiſtoria eſt explicanda.

Septum tranſuerſum quamuis ſit muſculus, & aſſimiletur piſci qui torpedo dicitur, ſitum tamen obtinuit tranſuerſum, in ordine ad longitudinem corporis, adhærens extremitatibus notharum coſtarum vſque in dorſum, ab oſſe pectoris incipiens.

Vniuerſa eius conſtitutio ex duabus ſubſtantiis conſurgit, ſcilicet carnea, & membranea, conſtituentibus duos circulos; quorum vnum, membranoſum;alium, carnoſum vocamus. Conflatur etiam ex duabus venis, & duabus arteriis, duobus neruis, & ſimiliter duabus tegitur tunicis. Prior circulus neruoſus eſt, & minor in medio, & quaſi in centro. Secundus circulus carnoſus, & maior, priorem comprehendens, per partem anteriorem, oſſi pectoris, & coſtis nothis alligatur; per poſteriorem, ſuperioribus vertebris lumborum, mediantibus duobus tendonibus.

Septum tranſuerſum duæ membranæ veſtiunt, vna per partem ſuperiorem, alia per partem inferiorem; hæc vocatur peritonæum: Suſcipit duos neruos, vnum à latere dextro, alterum à ſiniſtro, qui à ſpinali medulla inter quartam, & quintam ceruicis vertebram oriuntur; in vtrumque tamen circulum, membranoſum, & carnoſum

implantantur,

implantantur, hac ratione, vt quilibet horum neruorum quando peruenit ad locum ſuæ implantationis, diuidatur in duos ramos minores, quorum vnus ad circulum nerueum alius ad cerneum inferatur.

A qualiber partitione horum neruorum à centro ad circumferentiam, plures fibræ rectæ ducuntur, vſque in finem ſepti tranſuerſi, quæ ſimul cum eius carne verum circulum conſtituunt.

Aduertere tamen opus eſt, quòd licèt omnes hæ fibræ ſint rectæ à centro vſque ad circumferentiam, quando retrahuntur, & abbreuiantur in motu reſpirationis, pro varia implantatione fibrarum id efficiunt, vt quando vnæ dilatantur, aliæ contrahantur: nam conſtat ſeptum tranſuerſum, motum reſpirationis, tam in dilatatione, quàm contractione poſſe efficere. Venas ſuſcipit à vena caua aſcendente, arterias ab arteria magna. Perforatur ſeptum duobus locis, pro œſophago, & vena caua non autem pro arteria magna, quum deſcendat adhærens vertebris dorſi, & ſpinæ, à quibus non perforatur.

Non eſt factum ſeptum tranſuerſum, vt cor à tetris vaporibus defenderet, qui ex vniuerſa regione abdominis eleuantur, vt dixit Ariſtoteles; quum hoc non ſit impedimentum, quum totum corpus ſit fluxile, & tranſpirabile: ſed ideò à natura factum fuit, primò, vt tam ad inſpirationem, quàm expirationem eſſet adæquatum liberæ reſpirationis organum. Secundò, fuit factum, vt partem gibbam hepatis, & vniuerſam hypochondriorum regionem ventilaret; quare illud, ventris inferioris reſpitatorium Medici appellare conſueuerunt. Tertiò, ad fæcalium recrementorum vacuationem per inferiora iuuandam, nam ſuo corpore vicina comprimit inteſtina.

SECTIO III.

De Regione capitis

IN principio huius enarrationis, tria eſſe prædiximus, quibus animalium vita conſeruatur, & vnum ex illis eſſe ſpiritum: at cùm præſtantior ſpiritus duplex ſit, vitalis, & animalis, & de natura vitalis, & eius generatione actum ſit, ſupereſt modò de ſpiritus animalis organis diſſerere, & cùm natura ex qua generatur ſit duplex, vitalis ſpiritus, & aër per os attractus in nares, & cerebrum, ideircò narium fabricam deſcribere oportet.

De Naſo.

AEr attrahitur in cerebrum per os, & illam animalis particulam ſupra os, & infra oculos in media facie collocatam, quæ communi appellatione dicitur Naſus, qui duas comprehendit nares, vt vda occluſa, aut deficiente duas comprehendit nares, vt vna occluſa, aut deficiente, alia remaneat incolumis, naturæ operibus inſeruiens.

Naſi conſtitutio conflatur ex oſſibus, cartilaginibus, muſculis, venis, neruis, arteriis, membrana, & cute. Oſſa tria ſunt, duo lateralia, & vnum in medio, quaſi ſeptum vtramque narem diuidens. Hæc oſſa naſi medietatem attingunt, & ab hoc loco cartilagines prodeunt. Naſus non fuit factus totus oſſeus, ne facile à quauis re frangeretur. Cartilagines ſunt quinque, tres tribus oſſibus reſpondentes, quarum media ſeptum dicitur. Duæ laterales altiori loco conſtitutæ, adnatæ vocatæ. Duæ autem laterales magis infimæ, quæ per reſpirationem mouentur, vocantur alæ, aut pinnæ.

Muſculos obtinuit quatuor, vt aliquæ eius partes mouerentur. Duo inſeruiunt in dilatatione naſi, alij in contractione. Venas ſuſcipit à iugularibus, arterias à carotidibus, quæ ſunt in iugulo. Accipit neruum à tertia coniugatione cerebri, non ad organum odoratus, ſed ad peculiarem, illius tactum conſtituendum.

Cuius in parte exteriori conſpicitur adipe deſtituta, ne aliquando in molem accreſcat. Duo foramina naſi mulctùm aſcendunt, & conueniunt cum oſſe cribroſo. Fuit naſus factus, primò, vt eſſet organum deferens odores. Secundò, vt eſſet organum deferens aërem in pulmo-

A nem pro ſpiritu vitali, in cerebrum pro animali. Tertiò, vt eſſet organum expurgans excrementa deſcendentia à cerebro. Quartò, ad formandam vocem. Quintò, ad faciei ornatum.

In fine meatuum naſi conſiſtit os quoddam, à multitudine foraminum cribroſum dictum: quod os à parte qua communicat cum ore, eſt magis ſpongioſum, at verò à parte qua communicat cum cerebro, eſt magis durum, in cuius medio conſpicitur appendix, quæ ob ſimilitudinem vocatur criſta, & ob hanc cauſam in latebris oſſis cribroſi reſpectu criſtæ, adſunt duo parua foramina, ad quæ deſcendunt duæ propagines cerebri, quas à ſimilitudine vocamus proceſſus mammillares, in quibus ex communi opinione reponendum eſt odoratus organum, & ex his hiſtoria naſi tam interna, quàm externa illuſtrata remanet.

De Capite.

B AEr ergo per narium foramina, & oſſis cribroſi, ducitur ad ventriculos cerebri, vt ibi ſpiritus animalis non in cauitatibus ſolùm ventriculorum, ſed in plexu tam venarum, quàm arteriarum generetur: & vt huius partis deſcriptionem aſſequamur, hoc modo ſumanus exordium. Pars ſuprema hominis dicitur Græcis Cephalos; Latinis caput, quod eſt verum cerebri propugnaculum: & licèt caput ſit pars organica, conſtans cute, oſſibus, membranis, cerebro, neruis, venis, arteriis, & pluribus aliis: nihilominus tamen caput eſt illa animalis particula, quæ ſuper primam ceruicis vertebram collocatur. Eius figura eſt rotunda, leuiter compreſſa. Obtinuit hanc figuram ratione capacitatis, & commoditatis ſenſuum externorum, & ratione commoditatis motus. Magnitudo in homine maior, quàm in cæteris animalibus, propor-

C tione ad corpus. Situm in ſublimiori loco ratione oculorum obtinuit, non quòd propter ipſos fuerit fabricatum, ſed vt ipſi in ſupremo loco conſtituti omnia rectè diſtinguerent.

Vniuerſum caput in vtroque ſexu diuiditur in partes duas, in illam quæ habet capillos, & in illam quæ pilis eſt deſtituta. Pars capitis capillata, vocatur caluaria: cuius anterior pars, ſinciput dicitur: poſterior, occiput; media, tempora. At verò pars ſine capillis, dicitur facies ſeu vultus; cuius ſuperior pars vocatur frons: at verò remanens pars à ſuperciliis vſque ad collum, propriè dicitur facies.

In caluaria primò occurrunt capilli, qui primò, ad

D ſubiectarum partium tutelam facti ſunt. Secundò, ad ornatum. Tertiò, ad fuliginoſi excrementi expurgationem. Secundo loco adeſt cuticula, cutis vera, & membrana carnoſa. Tertio, pericranium, ſic dictum quòd oſſa cranij cooperiat. Ducit originem pericranium à dura meninge, per ſuturas plura filamenta in caluariam diſtribuente, quæ in vnum conſpirantia hanc membranam efficiunt, cuius interuentu dura mater manet ſuſpenſa cranio; quod & os inter pericranium, & duram membranam, de quo ſuo loco.

De capitis ſuturis.

CErebrum munitum, & contectum eſt caluaria, ne iniuriis externis eſſet obnoxium. In caluaria octo

E ſunt oſſa, ſex propria, duo communia, quæ ſuturis diſtinguuntur. Harum in mare, & fœmina eſt par numerus. Aliæ ſunt propriæ, quæ oſſa cranij à ſe inuicem ſeccrnunt; aliæ communes, quæ caluariam à maxilla ſeiungunt. Propriarum aliæ ſunt veræ, quæ pectinatim, aut more dentatæ ſerræ connectuntur; aliæ ſpuriæ, quæ ſquamarum modo agglutinantur. Pro capitis figura varius eſt ſuturarum numerus. In figura naturali capitis, tres veræ ſuturæ reperiuntur: prima coronalis, quod ea capitis parte coronæ geſtari ſoleant, hæc à temporibus in ſummum verticem tranſuerſim tendit. Secunda dicitur ſagittalis, quæ in capitis longitudinem porrigitur. Tertia, à figura literæ Λ lambdoïdes dicitur, & à capitis imo ſurſum tendit.

Suturarum multiplex eſt vſus: primus; vt ſuturarum ope membrana dura cranio alligetur,& ne comprimatur, quæ cerebrum à cerebello,& partes dextras à ſiniſtris diſtinguit. Secundus, vt cerebrum emiſſis fuliginibus per ſuturarum raritatem meliùs tranſpiret. Tertius, ne vnius oſſis fractura alteri communicetur. Quartus, vt medicamentorum externorum vis altiùs penetret: quare Galenus 13. *meth.cap.*22. iubet vt ſincipiti topica applicentur, quia ibi ſuturæ ſunt laxiores. Vltimus, vt caluariæ capacitas amplior reddatur.

De dura meninge.

APerto cranio conſpiciuntur quædam membranæ, quæ à Græcis dicuntur meninges,à Barbaris matres; ex quibus membranis, illa quæ magis immediata eſt cranio, dicitur dura,vel craſſa mater: vocatur dura, ob inſignem duritiem; craſſa, quòd reliquas totius corporis membranas craſſitie ſua ſuperet. Huius figura, & magnitudo reſpondet oſſibus caluariæ, vt nulla ſit cauitas, aut ſinus in cranio, in quem non ſeſe inſinuet hæc membrana: quæ licèt ſit huius conditionis, nihilominus tamen eſt vnica, & omni ex parte ſibi continua, ita vt iure poſſimus pronuntiare, eandem commoditatem in regione capitis præſtare,quam præſtat pleura in regione thoracis, & peritonæum in abdomine. Hæc membrana omni ex parte adhæret caluariæ,& alligatur cranio mediantibus pluribus filamentis, quæ ad ipſum mittit,& maximè ad ſuturas,quia in reliquis cauitatibus cranij ſic firmiter inhæret, vt non ligati,ſed potius innaſci videatur.

Hæc membrana non eſt duplex, vt aliqui volunt, niſi eam diuidant in internam, & externam, vt quando verticem capitis attingit, duplicatur ſecundùm longitudinem à fronte vſque ad occiput, ita vt cerebrum diuidat in partes duas ſcilicet dextram,& ſiniſtram,vt læſa vna parte cerebri reliqua incolumis permaneat.

Duplicatio hæc quæ cerebrum diuidit,ſecundùm vniuerſam eius profunditatem non progreditur, ſed duntaxat vſque ad calloſum corpus, ea ſeruata lege, vt hæc duplicatio referat formam falcis. In parte verò poſteriori hæc membrana quadruplicatur, & cerebrum à cerebello magna ſui parte diuidit.

Hæ duræ membranæ coniunctiones, ſeu duplicationes efficiunt quatuor cauitates, quas ſinus Anatomici vocant, in quibus copioſus ſanguis conſpicitur, vt in lacuna quadam, quòd ampliſſima moles cerebri alia ratione non poſſet nutriri,nec ſufficiens copia pro ſpirituum animalium generatione miniſtrari. Hunc ſanguinem tribuunt iugulares venæ internæ,quæ in hos ſinus ingrediuntur,& ibi ſiſtunt, nec vlteriùs progrediuntur.

Collocantur hi duræ matris ſinus in lateribus occipitis, ea parte qua foramen conceditur internis venis iugularibus aſcendentibus. Finiuntur, autem ad principium ſuturæ lambdoïdis,vbi duo coniunguntur ſinus,primus,& ſecundus; ex quorum coniunctione naſcitur tertius,qui recta via extenſus ab hoc loco, iuxta ſuturæ ſagittalis longitudinem vſque in oſſa narium conſtituitur,quem à ſimilitudine ſinum falcatum vocamus.

Ab hoc ſinu plures venæ diſſeminantur in tenuem meningem, tam ad dextrum, quàm ſiniſtrum latus; per quas venas, tanquam per riuos defluit ſanguis pro nutritione cerebri: & quia hic ſinus inſignem ſanguinis copiam continet, vocatur Torcular; quamuis hoc nomen commodiùs tribui poſſit concurſui omnium ſinuum duræ matris. Quartus verò ſinus inter cerebrum, & cerebellum collocatur.

Fuit facta dura mater, primò, vt cerebrum, & ſpinalem medullam cooperiret, & ab externis iniuriis defenderet. Secundò, vt diuidat cerebrum in partem ſiniſtram,& dextram. Tertiò, vt cerebrum à cerebello ſecundùm aliquam eius partem diuidat. Quartò, vt omnes venas in cranium ingredientes accipiat. Quintò, vt ſanguinem pro nutritione cerebri contineat. Sextò, vt ipſum cerebrum à duritie cranij defendat, & ob hanc cauſam tantùm diſtat

A dura mater à ſubſtantia cerebri,quantùm ſufficit,ne motum ipſius cerebri impediat.

De tenui meninge.

STatim infra duram membranam occurrit alia, quam piam matrem, ſeu tenuem meningem ob eius molitiem appellamus, quæ cerebrum, & cerebellum immediatè tangit,& tegit. Hæc tenuis membrana, quemadmodum dura,eſt vnica,& ſibi continua:deinde non eſt cauitas in ipſo cerebro,in quam ſe non inſinuet; idcircò eſt facta tenuis, ne pondere ſuo cerebri motum impediret. Habet plures venas, & arterias, pro nutritione cerebri, & vt caloris natiui copia reſtauretur. Alligatur duræ membranæ per venas,& arterias, licèt exiguas,quæ non ſolùm ſanguinem venalem,ſed arterialem ipſi tribuunt.

De Cerebro.

B ABlatis dura, & tenui membrana, ſtatim occurrit admirabilis illa particula,quam cerebrum appellamus. Eius figura eſt circularis, vt capitis oſſa oſtendunt, quia hæc figura eſt magis capax & ſecura: hæc enim præſtantiſſimo organo decens erat. Magnitudo eſt maior in homine,quàm in reliquis animalibus,proportione ſeruata ad ſui corporis molem. Replet ferè totum cranium; ſi enim totum repleret,non poſſet tàm liberè moueri,quando cerebrum contrahitur, vel dilatatur.

Cerebri ſubſtantia eſt alba, mollis, & medullaris, ex puriſſima ſeminis portione conſtructa. Non tamen dicitur medullaris, quòd ſit eiuſdem naturæ cum oſſium medulla,quæ igne liquatur, per inediam, aut febriles ardores imminuitur; aut quia continetur in cauitate, vt nutriat oſſa: ſed propter ſimilitudinem duntaxat, quia à ſuis oſſibus continetur. Verè tamen eſt pars animata, & viuit, quod oſſium medullæ non eſt conceſſum. Fuit alba ſubſtantia cerebri,ratione materiæ ex qua generatur,quale eſt

C ſemen,& ratione ſpiritus qui lucidus eſt,& ſplendidiſſimus & nullus color magis eius naturæ aſſimilatur,quàm albus: teſtimonio eſt morbus melancholicus, in quo niger color humoris, eſt cauſa timoris, & triſtitiæ, adeò vt actiones animales lædantur.Fuit mollis,vt ſpecies à ſenſibus externis communicatas meliùs ſuſcipiat,& vt promptiùs motui obediat.

Vniuerſum cerebri corpus diuiditur in duas partes, anteriorem ſcilicet, & poſteriorem. Anterior pars, quæ maior eſt, & præſtantior, retinet nomen totius, ob quam cauſam vocatur cerebrum: Poſterior, quæ minor eſt, & ignobilior, vocatur cerebellum. Diſtinguitur cerebrum à cerebello duplicatione duræ membranæ, non ex omni parte, ſed duntaxat per ſuperiorem. At

D verò ea pars quæ cerebrum dicitur, diuiditur in dextram, & ſiniſtram per ſinum falcatum duræ matris. Cauſa huius diuiſionis fuit, facilitas ad motum, & commoditas nutritionis; vt ſi fortè vna pars ægrotaret, altera maneret intacta. Externa ſuperficies cerebri non eſt integrè alba; ſed ſubcinerita: habet quàm plures anfractus, & circumuolutiones, ad modum inteſtinorum, quando ab omento libera ſunt. Hi anfractus in aliquas partes intimas penetrant. Obtinuit illos, vt venarum, & arteriarum cum tenui meninge, per magnam molem cerebri penetrationi, & faciliori motui inſeruirent.

De corpore calloſo.

E ABlata ſubſtantiæ cerebri ſuperficie, inferiùs conſpicitur durior ſubſtantia, quæ vocatur corpus calloſum, in quo loco pars dextra, & ſiniſtra cerebri de nouo coniunguntur, & continuantur.

De ventriculis cerebri.

IN medio huius corporis calloſi, apparent duo illi ventriculi cerebri, quos anteriores vocat Galenus, alij

alij verò ſuperiores dicunt: qui ventriculi, figura, ſitu, & magnitudine differunt ab aliis, licèt in vſu reliquis ſint ſimiles. Hi duo ventriculi anteriores, & ſuperiores ſi ſeparati ſpectentur, quilibet eorum refert figuram ſemicirculi mediæ Lunæ; ſi verò coniuncti, figuram tortuoſam repræſentant. A

Situs horum ventriculorum eſt in medio cerebri, diſtans æquali menſura ſecundùm longitudinem, à fronte, & occipite; ſecundùm profunditatem, à baſi cerebri, & vertice. Ideò fuerunt duo, vt vno læſo alter incolumis remaneret, teſtimonio illius pueri in Smyrna, quem vulnere lethali in vno ventriculo illato, fuiſſe liberatum *lib. 4. de vſu part. cap. 5.* retulit Galenus.

Hi anteriores ventriculi inter reliquos ſunt maximi, & ampliſſimi, quòd animalem ſpiritum craſſiorem debeant obtinere. Sunt fabricati primò, ad animalium ſpirituum præparationem. Secundò, ad cerebri inſpirationem, & reſpirationem. Tertiò, ex ſententia multorum, B ad percipiendos odores: quamuis in hoc non ſint credendi, quum organum odoratus ante illos ventriculos ſit collocatum.

De plexu choroide.

IN medio horum ventriculorum reperiuntur plurimæ venulæ, & arteriæ, inter ſe complicatæ, & intertextæ, ſecundùm longitudinem ventriculorum procedentes, quorum vaſorum aggregatum dicitur plexus choroides, in quorum vaſorum capacitatibus ſpiritus animales generantur.

De proceſſibus mammillaribus. C

AB his ventriculis verſus nares, oriuntur quædam portiones ipſius cerebri, in quibus ab omnibus ferè cõſtituitur organum odoratus: & hæ portiones à ſimilitudine vocantur proceſſus mammillares, & à Galeno nerui, quamuis eos inter neruorum paria non connumeret.

De ſpeculo lucido.

DVo hi ventriculi diſtinguuntur inter ſe tenui quadam, & pellucida portione cerebri, quæ ob lucidi-tatem, & tranſparentiam, ſeptum lucidum, & ſpeculum lucidum vocatur, cuius vſus eſt, vt ſpiritus luciditatem acquirant.

Tertius poſt hos ſe offert ventriculus, priùs tamen ſuper illum conſtituitur camerarum corpus, fornicis inſtar tribus quaſi columnis ſtabilitum; D toto ſuo ductu triangularem figuram referens, habens in parte poſteriori quaſi duos artus, in anteriore vnum, cuius vſus eſt cerebri molem ſuſtinere, ne tertium ventriculum comprimat.

Sub hoc corpore tertius apparet ventriculus, qui dicitur conſtitui, ex duorum ventriculorum ſuperiorum deorſum deſcendentium, in communi illa cauitate cohærentium, concurſu, & medius vocatur. Ab hoc ventriculo tertio, duo conſurgunt ductus, ſiue viæ, quarum vna quæ deſcendit deorſum ad baſim cerebri, conſtituit peluim, ſeu infundibulum, per quod craſſa & mucoſa cerebri excrementa, in nares, & palatum confluere ſolent. E

In fine huius conſpicitur glans pituitaria, ſic dicta, quia vt ſpongia humorem excipit, & in palatum guttatim inſtillat. Secunda via, ſiue ductus tertij ventriculi, ad quartum tendit; & eſt illa cauitas formata inter cerebrum, & cerebellum, in exortu ſpinalis medullæ, ſimilis cauitati quæ conſpicitur in manibus, quando calamum digitis apprehendimus: & in hoc loco aliqui (etſi falsò) aſſeuerant, rete mirabile eſſe conſtituendum.

In via de tertio ad quartum ventriculum, exiguæ reperiuntur particulæ: prima conarium dicitur, quæ glandula in figura nuci pineæ non eſt diſſimilis. Huic particulæ contigua ſunt duo corpuſcula rotunda, & duriuſcula, quæ nates à forma dicuntur; ſub quibus teſtes exiſtunt, quorum omnium vſus eſt, vt canalem tertij ventriculi in quartum forment, & vt animali ſpiritui à tertio in quartum ventriculum liber pateat aditus.

Ordo inter hos ventriculos obſeruatur hoc modo, quòd duo anteriores ſunt maiores, ſecundo loco tertius, & vltimò quartus. Sunt continui omnes ventriculi inter ſe ductibus ſuis, vt animales ſpiritus ex duobus anterioribus ventriculis procedant in tertium, & ab hoc in quartum, & denique ad exortum ſpinalis medullæ, per continuum illum ductum ventriculorum.

Factum fuit cerebrum à natura, non vt ſua frigiditate excedentem cordis calorem attemperaret, ſed vt eſſet principium & ſedes facultatis animalis, tam motiuæ quàm ſenſitiuæ, tam internæ quàm externæ, deinde vt animales ſpiritus generaret.

De cerebello.

DIctum eſt à nobis, caput in duas diuidi partes, in anteriorem, & poſteriorem; & eam quæ in occipite eſt, vocari cerebellum, cuius ſubſtantia eſt durior, & craſſior. Subſtantia cerebelli habet anfractus, & circumuolutiones, quæ ſuperficiales ſunt: huius color eſt ſubcineritius: tegitur tenui meninge, omni ferè ex parte; at verò dura matre, per maiorem ſui partem. Factum fuit cerebellum, vt ſpiritus animales neceſſarios pro ſpinali medulla reſeruaret.

Cùm ergo cerebellum principium ſit, tam ſenſus externi quàm interni, ab inferiori eius parte procedunt nerui obliquè deſcendentes in oculos. Hi nerui vocantur optici, qui in medio itineris coniunguntur, & non communicantur, vt aliqui volunt, licèt ſtatim diuidantur, & attingant oculos: non ſunt perforati ſenſibili cauitate, vt venæ, vel arteriæ, ſed obſcurè, ea ratione, vt propter ſui mollitiem cauitas facilè obſcuretur. Quilibet horum neruorum ad ſuum oculum implantatur, dexter neruus ad dextrum, ſiniſter ad ſiniſtrum.

De neruis.

NEruus ſumitur à Medicis pro eo organo, à quo animalis facultas, & ſpiritus influit per vniuerſum corpus: & definitur, quòd ſit pars ſpermatica, à cerebro, aut ſpinali medulla exorta, interiore parte medullaris, exteriore membranea, ſpiritus animalis ad ſenſum, & motum delator. Neruus cauus eſt, ſed conſpicuam non habet cauitatem, per quam ſpiritus animalis tenuiſſimus ad omnes partes peruadere poſſit. Alij ſunt motorij & duriores, alij ſenſitiui, & molliores. Vſus neruorum communis eſt, animalem facultatem ſimul cum ſpiritu, ad partes pro ſenſu, & motu deferre Secundus, vt animalia mediante tactu, (qui magis reſidet in cute, quia membranarum omnium tenuiſſima) noxia euitare queant.

Oriuntur nerui è cerebro, ſed præcipuè à poſteriori eius parte, & ſpinali medulla: nam medulla extra caluariam plurimos, eóſque veluti innumeros neruorum ſurculos emittit, quorum triginta obſeruant Anatomici, ſeptem ceruicis, duodecim dorſi, quinque lumborum, ſex oſſis ſacri. Tamen intra caluariam ſeptem coniugationes ſunt inſignes.

Prima coniugatio neruorum eſt ampliſſima, & ſunt nerui bini, ſatis craſſi, molléſque, quorum exortus ab anteriore cerebri baſi nonnihil diſtat, vnus ad dextrum oculum, alter ad ſiniſtrum defertur; & ſunt nerui Optici, qui ſeparantur in ortu, & deinde obliquè protenſi in medio itineris coëunt, deinde ſeparantur, & vnuſquiſque ad quemlibet oculum defertur. Fuit autem neceſſarium vt coirent, ne ob mollitiem longum iter perreptantes flacceſcerent. Hi nerui vocantur viſorij, ſeu viſiui, quorum ſubſtantia interior eſt medulloſa, ac mollis, & dum ad cryſtallinum peruenit, dilatatur, & per oculum viſiles effundit ſpiritus. Hi viſorij meatus cauitatem obtinent, licèt non manifeſtam, ſic enim neceſſe erat, vt viſilis ſpiritus copioſiſſimus ad oculos deferretur; qui ſi obſtruantur, ſit ille affectus à Græcis vocatus Amauroſis, quem Arabes Guttam ſerenam appellant, in quo videndi actio aboletur.

Secunda coniugatio defertur ad oculos, nempe muſcu-

los, palpebras, tunicas. Tertia fertur in linguæ tunicam pro guſtu, & priuſquam in linguæ tunicam inſeratur, varios promit ſurculos in muſculos frontis,faciei, tempo-rum,narium,& dentium. Quarta huic proxima,ſed minor, deſcendit in palatum, & linguæ tunicam, & etiam guſtui inſeruit.

Quinta in muſculos aurium pro auditu, & ad laryn-gem etiam reuertitur, de qua *infra* latè. Sexta, vaga eſt, ampliſſima, & per omnia viſcera excurrit, & dum ad iu-gulum accedit,in tres maximos diuiditur ramos, quorum primus deſcendit in axillarem arteriam, numeroſos ex ſe emittens ſurculos,qui ad laryngem,& neruos recurrentes finiuntur.

Dicuntur autem hi nerui, recurui, reuerſiui, recurren-tes vocales:nam iis interſectis ſtatim animal mutum red-ditur, vt proprio exemplo oſtendit Galenus *lib. 1. de loc. cap. 6.* poſito exemplo in illo, qui cùm curaretur à ſtru-mis in collo natis; inciſis his neruis ſcalpello, motus re-manſit. Sunt tamen hi nerui albi,tenues inſtar fili; ſi ele-ues, non læditur vox: ſi comprimas eos manu, mutum animal euadit: ſi manum detrahas, vox reuertitur: ſi vnum ſcindas, fit ſemimutum animal: ſi ambo ſeces, mutum redditur, vt bellè in viuo animali expertus eſt Columbus *lib. 14. de ſectione viua, in princip.* Quare in cu-randis ferro ſtrumis maximè cautus ſis oportet, vt notat uit Auic. 3.4. *tract. 2. cap. 10.* Secundus ſextæ coniugationis ramus per latera, & coſtas excurrit. Septima coniugatio in linguæ, ac laryngis muſculos, ad perficiendum motum defertur.

De ſpinali medulla.

Spinalis medulla,cerebri eſt caudex,& tenui membrana immediatè tegitur,per quam excurrunt venulæ, & ar-teriæ, nutritionis cauſa. Hæc à caluaria rotundo,& amplo foramine prodita ampliſſima,& craſſiſſima;& ſenſim atte-nuata,ac medullarem ſubſtantiam paulatim amittens, non eandem molem vbique ſeruat: tandem cùm ad dorſi fines peruenit, tota in funiculos,& filamenta caudam equinam referentia abſumitur.

A ſacra hac medulla nerui prodeuntes propemodum ſunt infiniti, ſed triginta paria obſeruantur præcipuè: ita vt extra ceruicem ſeptem paria ſeſe oſtendant, quorum primum ad muſculos occipitis, & vertebrarum decurrit. Secundum in cutem totam faciei defertur. Tertium in muſculos collum flectentes, & extendentes. Quartum in anteriores brachij partes,ſcapulas,& diaphragma. Quin-tum poſticos harum partium muſculos diuaricatur. Sex-tum in eaſdem ferè partes excurrit. Septimum in bra-chia ſe extendit. Deinde à quinto, & ſexto pari ceruicis, ſex paria neruorum diſſeminantur in manum totam. Pri-mum in deltoïdem muſculum; & cutim. Secundum in totam cubiti manum, & cutim abſumitur. Tertium, ad cubiti coarticulationem. Quartum ad carpum tendit. Quintum ad pollicem, indicem, & digitos peruadit. Sex-tum in cubiti cutim deſinit.

Rurſus à ſpinali medulla in dorſum, duodecim excur-runt coniugationes. Prima in brachium, & thoracis muſculos. Secunda etiam numeroſa ſerie in eaſdem par-tes diuiditur. Reliquæ decem ad coſtarum ſpatia decur-runt. Ex lumbis quinque prodeunt coniugationes, quæ omnes in muſculos abdominis, & femoris decurrunt. Oſſis ſacri paria ſunt ſex, quæ partim in femur, partim in muſculos vicinos, & cutim, partim in muſculos ani, veſicæ, penis diuiduntur. Ex his per totum pedem quatuor propagantur grandiores nerui. Primus in cru-rum muſculos, genu, & cutim abſumitur. Secundus in femur, & pedem. Tertius in penem; & crura mittit ſurculos. Quartus in nates, calcaneum, pedem, tibiam, digitóſque ſummos. Quare ex cerebri parte poſteriori ſeptem neruorum paria inſignia repullulant, & ab ſpinali medulla, triginta, quæ illuſtria ſunt, & ſenſibus magis conſpicua.

A

De oculi fabrica.

Oculus in animalibus perfectis, & præcipuè in ho-mine,eſt nobilitatis magnæ, & excellentiæ:ob quam cauſam antiqui,viſum, Deum vocarunt; alij hominis for-mam; quidam Solis portam nuncuparunt. Quapropter oculi in capite,& in ſublimiori loco conſtituti ſunt,argu-mento,& teſtimonio horum animalium,quæ capite deſti-tuuntur: nam habent oculos per longas ceruices ſuprà eminentes. At verò in animalibus perfectis,vt in homine, non ſolùm oculi fuerunt conſtituti in capite, ſed in qua-dam cauitate tanquam in antro. Nec hoc ſolùm conſtruxit natura,quod eſt illorum tutela,ſed in parte alta,os frontis, & ſuperciliasin parte inferiori, oſſa mandibularia,ſicut in lateribus,ſiue angulis,& nares collocauit. Vltra hæc om-nia, palpebras miro artificio conſtitutas tribuit, vt pro animalis neceſſitate clauderentur, & aperirentur. At quando ſunt aperti oculi, pilis, vocatis ciliis,ab externis

B iniuriis ſe defendunt.

Oculus, ſolaris animalis particula:diuinam conſtitutio-nem fuit aſſequutus,& ob eam cauſam, formam obtinuit rotundam, & ſphæricam: etſi verſus implantationem nerui optici aliquantulum ſit oblonga. Hæc figura eſt tri-buta oculis, ratione capacitatis, roboris, agitationis in motu. Eius magnitudo eſt, quæ ad ſuſcipiendas rerum imagines ſatis ſit.

Oculi fuerunt duo, ob neceſſitatem, vt ſi vnus lædere-tur, & periret, alius ſaluus & incolumis remaneret. Qui-libet oculus ex varia ſubſtantia conſtat, ſicut ſunt variæ partes componentes. Conſtat humanus oculus, variis, iiſque apparentibus coloribus; at verò in reliquis ani-malibus vnus eſt determinatus color. Cùm qualibet parte animalis habet oculus conſenſum magnum: cum

C cerebro per primam, & tertiam coniugationem. Cæ-terùm vniuerſum oculi corpus conflatur ex ſeptem mu-ſculis, ſeptem tunicis, tribus humoribus, duobus neruis, tribus venis, & arteriis, copioſo adipe, & corpuſculis glanduloſis.

Muſculi ſunt ſeptem, (quidquid proferant alij)ex qui-bus omnibus muſculi quatuor motibus rectis inſeruiunt, & ideò recti dicuntur: vnus eleuat oculos; ſecundus de-primit; tertius mouet oculum ad angulum dextrum, ſiue maiorem; quartus ad angulum ſiniſtrum, ſiue minorem. Duo ſunt obliqui, quorum primus ſurſum obliquè ocu-lum mouet; ſecundus verò deorſum.

Hunc muſculorum numerum maior pars Anatomico-rum concedit in animalibus perfectis,ſed præter hos mu-ſculos, Galenus, Veſalius,& alij obſeruarunt alium ſepti-mum muſculum adhærentem oculo, ſecundùm longitu-dinem nerui optici, cuius vſus principalis eſt, non ſolùm

D vt oculum intra cranium contineat,vt voluit Galenus, ſed etiam vt motum tonicum efficiat oculorum, vt quando fixis oculis aliquid intuemur.

Statim poſt muſculos occurrunt tunicæ, ſiue mem-branæ, & primo loco illa quæ à Latinis Adnata, à Bar-baris Coniunctiua dicitur, quia oculum coniungit, & alligat cum cranio, & reliquis partibus vicinis. Eſt tenuis, & candida, & à pericranio ortum ducit; non circumdat totum oculum, ſed in parte anteriori feneſ-ſtratur in loco iridis, & interiùs palpebras coniungit. Secunda oculi membrana vocatur Tendinoſa, ducens originem à neruëis tenuitatibus muſculorum oculi, & collocatur ſub adnata prope iridem. Tertia dicitur Cornea, ſumpta ſimilitudine à perſpicuitate, & du-

E ritie cornu. Hæc à dura membrana nerui optici origi-nem ducit, & omni ex parte totum oculum circumdat. Eius ſubſtantia eſt dura, denſa, & multum craſſa. Eſt pellucida, & deſtituta colore: non habet venas,arterias, neque neruos.

Quarta à Græcis Rhagoïdes appellatur,à Latinis vuea, quod repræſentet granum vuæ, à quo ſit extractus pedi-culus. Appellatur etiam Choroïdes, ob plurima vaſa quæ comprehendit, ad modum illius membranæ fœtus, quæ chorion nominatur. Oritur à tenui membrana nerui optici. Eius ſubſtantia eſt tenuis, licèt craſſior quàm in

cerebro;

cerebro. Locatur ſub cornea: ambit vniuerſum oculum: & ſolùm verſus partem anteriorem perforatur, quod ſo- tamen vueæ, oculi pupilla vocatur; alij oculi feneſtram appellarunt. In interna parte eſt variis coloribus de- picta.

Quinta tunica dicitur Ciliaris, ſumpta ſimilitudine ci- liorum. Oritur à tunica vuea: tegit humorem vitreum, ne cum aqueo confundatur. Sexta nominatur Arachnoi- des, ſumpta ſimilitudine à telis aranearum, eſt tenuis, diaphana, humorem cryſtallinum ſolum per partem an- teriorem ambiens. Septima & vltima vocatur Amphibli- ſtroïdes, hoc eſt, reticularis, ſeu retina, quæ ſic dicitur à ſimilitudine retis. Oritur ab interna ſubſtantia nerui optici, immò nihil aliud eſt, quàm nerui optici ſubſtantia ad modum membranæ dilatata. Eius vſus eſt, vt per eam ſpiritus deſcendant.

Poſt omnes tunicas ſtatim occurrunt humores, qui ſunt tres. Primus dicitur albugineus, & aqueus, ſumpta ſimilitudine ab aqua emanante ab ouis. Collocatur in parte anteriore oculi inter corneam, & vueam, & in loco pupillæ, qui eſt inter humorem cryſtallinum; & tunicam corneam.

Secundus humor eſt cryſtallinus, ſeu cryſtalloïdes, ſiue glacialis, ſic dictus ſumpta ſimilitudine à glacie, ſeu cryſtallo. Figura eius eſt ſphærica, aliquantulum depreſſa verſus humorem aqueum. Eius ſubſtantia eſt aquea, & denſa, & magis dura quàm in reliquis humoribus, & diaphana, & tranſparens, & coloris expers. Collocatur is humor in medio centro oculi, habens à parte anterio- re humorem aqueum, & à parte poſteriore humorem vi- treum, in cuius figura aſſiſtit, vt quidam lapis pretioſus in annulo.

Tertius, & vltimus oculi humor vocatur vitreus; ſum- pta ſimilitudine à vitro liquato; cuius naturam imitatur. Collocatur hic humor à tergo humoris cryſtallini, vt di- ctum eſt, cuius ſubſtantia eſt minùs fluida, quàm ſubſtan- tia humoris aquei.

Tam tunicæ, quàm humores, excellentes, admirabileſ- que præſtant oculo vtilitates. Tunica adnata facta eſt à natura, primùm vt tueretur oculum, ne duritie cranij læ- deretur. Secundò, vt oculum cranio alligaret, ne in maxi- mis motionibus à propria ſede dimoueretur. Tertiò, vt muſculos in propria ſede firmaret.

Secunda tunica, Tendinoſa dicta, vnicum vſum obti- nuit, vt omnes muſculos circa iridem colligaret. Tertia tu- nica Cornea, fuit primò facta, vt vniuerſum oculum fir- maret. Secundò, vt tenuiores tunicas, & humores ample- cteretur. Tertio, vt cryſtallinum humorem ab aëris iniu- riis, & cæteris externis calamitatibus defenderet.

Quarta eſt Vuea, quæ ideò cdllocata eſt inter humo- rem cryſtallinum, & corneam, ne à duritie corneæ cry- ſtallinus humor offenderetur. Secundò, vt alimentum præſtaret tunicæ corneæ. Tertiò, vt ſuis variis coloribus ſpiritus recrearet, lucémque externam attemperaret, & refringeret.

Quinta Ciliaris inſeruit, primò, vt humorem cry- ſtallinum cum vuea colliget. Secundò, vt humorem aqueum à vitreo ſeparet, ne commiſceantur ambo. Sex- ta Arachnoïdes, humorem cryſtallinum per partem an- teriorem tegit. Septima & vltima Retina, vtilis eſt, pri- mò, vt per eam ſpiritus animales in humorem cryſtalli- num, & reliquas partes oculi deſcendant. Secundò, vt dum humor cryſtallinus alteratur, id ſentiat. Tertiò, vt per eam alterationes factæ ab obiectis in oculo, deferantur ad ce- rebrum.

Humores etiam plurimum vſum præſtant. Primus eſt aqueus, qui ideò conducit, primò, ne in parte anteriori cryſtallinus lederetur à circumdantibus tunicis. Secundò, vt externi luminis vis in eo frangeretur. Tertiò, vt in eo lumen externum cum interno vniretur. Quartò, vt ſuo madore vicinas tunicas, & humorem cryſtallinum hume- ctaret. Secundus humor eſt Cryſtallinus, cuius vnica eſt, eáque maxima vtilitas, vt ſit principaliſſimum, & potiſſi- mum viſionis organum. Tertius eſt Vitreus, cuius munus eſt primò, alimentum parare cryſtallino. Secundò, vt ſpi-

A ritus animales deſcendentes in humorem cryſtallinum obſeruet. Tertiò, vt firmet humorem cryſtallinum in ſede ſua. Quartò, vt à duritie membranarum vicinarum, ne læ- datur, defendat.

Diximus aliquas tunicas ad Iridem finiri. Vocatur enim in oculo Iris, circulus qui in anteriore parte eſt collocatus variis coloribus refertus. Dicitur Iris, ſumpta ſimilitudine à cœleſti Iride. At verò illud foramen, quod in medio huius circuli conſpicitur, correſpondens oculi centro, vt quoddam punctum, pupilla dicitur, eſt foramen vueæ. Illi verò colores qui in oculis apparent, partim ſunt apparen- tes, ex varia luminis reflexione, partim ex coloribus vueæ orti.

Præter hæc quæ dicta ſunt, reperiuntur in oculis venæ, pro nutritione illorum, à venis iugularibus ortum ducen- tes. Reperiuntur etiam arteriæ, vitalem ſpiritum, & calo- rem influentem deferentes, quæ à carotidibus arteriis ori- ginem ducunt.

Reperitur etiam in vnoquoque oculo vnus neruus op-
B ticus, à prima coniugatione ſcaturiens, & reperitur alius à ſecunda. Neruus opticus inſeruit ad viſionem: at verò neruus ſecundæ coniugationis deſcendit ad muſculos pro motu. Inuenitur etiam copioſus adeps, primo, ne aſſiduis motionibus oculus exſiccaretur, & inflammare- tur. Secundò, vt ſuo calore oculum à frigiditate defen- deret, quo pacto oculi non rigent, ex Philoſopho *in pro- blematis*.

Inueniuntur etiam in oculis exiguæ carunculæ, ſeu glandulæ, quæ ſunt collocatæ in angulo maiori cuiuſque oculi, quarum vtilitas eſt primò, vt excrementa à cerebro delapſa ad oculos ſuſcipiant, ac ſi eſſent ſpongiæ, deinde per compreſſionem exprimerent, & ſic lachrymæ fluunt.
C Secundò, vt ſua humiditate oculum irrorarent, & hæc eſt verior oculi humani deſcriptio.

De auribus.

PRæter ſenſum viſus, collocatur etiam in cerebro ſenſus auditus, qui ob ſuam præſtantiam ſenſus diſciplinæ appellatur; nam auditu res omnes externæ percipiuntur: & ſicuti ſenſus particulares certum, & determinatum lo- cum ſibi vendicarunt, in quo ſuam ſedem certam habeant, ita & ſimiliter ſenſus auditus. Hæc particula communiter vocatur auricula, ſiue auris, quia audit voces & ſonos. Col- locatur etiam organum hoc in parte ſublimi, quale eſt ca- put quum ſonum, & eius differentias debeat percipere.

Organum auditus componitur ex oſſibus miro artificio
D connexis, & muſculis, tunicis, neruis, venis, arteriis, & car- tilaginibus. Hoc organum fuit duplicatum, ob magnam huius ſenſus neceſſitatem, vt vno organo deficiente aliud incolume remaneret.

Naturalis conſtitutio auris, clarioris doctrinæ gratia, diuiditur in aurem internam, & externam. Vocatur ex- terna auris, quæ exteriùs conſpicua eſt, cuius ſubſtantia eſt cartilaginoſa, ne facilè, vt oſſa, frangeretur, & ne contun- deretur, vt caro.

Aurium magnitudo non eſt æqualis in omnibus ani- malibus & in homine, in quo aures omninò ob ornatum ſunt exiguæ. Illarum figura eſt in modum ſemicirculi, habentis in medio cauitatem, inſtar antri obliqui, & tor- tuoſi: verùm iuxta varietatem compoſitionis, & particu- larum, varia auribus nomina ſunt impoſita.

E Superior pars auriculæ vocatur *ala*, ſeu *pinna*: externus ambitus, *gibboſus*: & pars inferna carnoſa ab ala depen- dens, *locus*. Omne autem quod in aure ſupereſt, vocatur *auris interna*, in qua verum, & proprium organum auditus collocatur. cuius ſedes eſt in oſſe petroſo.

In hoc oſſe petroſo ſtatim conſpicitur aditus patens, qui dicitur auditorius, tortuoſus, & obliquus, rotundus, & anguſtus. Eſt tortuoſus, ne aër externus ſubitò pro varietate temporum lædat. Eſt obliquus, vt vehemens aëris percuſſi ſonus in obliquo ductu vehementer re- fringatur. Eſt rotundus, vt beſtiolarum, & paruorum cor- puſculorum quæ moleſtant, ingreſſum prohibeat. Hic tortuoſus meatus: paruus, obliquus, & anguſtus, non

recta via procedit,ſed obliquè ſurſum aſcendit, vt ſi quid extraneum ingreſſum ſit,faciliùs elabatur.

In huius cauitatis fine, quoddam conſpicitur velut ſeptum, à quo incipit ſecunda cauitas. Hoc ſeptum eſt membranoſum, & quia ad modum tympani; huius ſepti membrana tenditur, vocatur in auribus membrana hæc, tympanum. Eſt ſubſtantia tenuis, denſa, ſicca, & acuti ſenſus,vt mediis his qualitatibus commodiùs ſuum munus obiret.

Hæc membrana etiam obtinet ſitum obliquum, vt vis aëris ingredientis, aut alterius rei, itineris obliquitate, diuturna contracta mora refringatur, & minùs noceat. Oritur hæc membrana à dura meninge, poſtquam procedit ſecundus meatus obliquus, in quo aër conſiſtit complantatus, immobilis, qui eſt medium internum pro auditu.

In hac ſecunda cauitate inueniuntur officula illa laudata à Veſalio, & vocantur ſtapes, incus, malleus, ſic dicta non ſolùm à figura, ſed ab officio. Hæc officula non dearticulantur inter ſe, more aliorum oſſium, ſed alligantur cum membrana dicta tympano, chordæ cuiuſdam tenuiſſimæ ope, quæ iuxta menſuram tympani extenditur.

Tria hæc officula tangit quidam neruus quintæ coniugationis, vt horum organorum naturalis contiguitas ſeruetur. Ideò hoc artificio ſunt facta officula, vt ſint organum auditus, hac ratione, vt aër externus membranam tympanum, & aërem ſibi adiunctum percutiat. Ab his mouentur tria officula, ac denique per coniunctionem ſentit neruus relatus.Sic intelligitur difficilis Galeni contextus,*lib.1.de ſympt.cauſ.c.6.§. Quam habet humor cryſtallinus in oculo rationem, hanc habet in auribus audiendi meatus externus,vbi neruo coniungitur.*

In hac ſecunda cauitate conſtituunt Anatomici duo exigua foramina,inter ſe diuiſa paruo quodam tuberculo, quæ foramina delationi aëris inſeruiunt. Præter hæc inuenitur quidam canaliculus, tendens in palatum ad aëris vernaculi expurgationem. Hic ductus eſt cartilagineus; & à natura ea arte fabricatus, vt permittat excrementa deſcendere in palatum, non tamen vt in aurem retrocedant.

Tertia cauitas reperitur, quam labyrinthum vocant è ſimilitudine, cuius vtilitas eſt, vt ſonus tranſiens per anguſtum, fiat acutior. Quarta cauitas denique eſt, quæ à quibuſdam vocatur cœcum foramen, & à Fallopio cochlea, quòd teſtæ cochleæ ſimilis ſit. In radice auris duæ glandulæ conſpiciuntur, ad quas cerebrum ſua excrementa detrudit, quæ appellantur parotides, in quibus fiunt inflammationes, ſic quoque dictæ, ſumpta ſimilitudine à natura partis. Aures fuerunt fabricatæ ſecundùm partem tam externam, quàm internam, vt in iis auditus organum locaretur. Reliquæ verò vtilitates minùs principales ſunt.

SECTIO IV.

De oſteologia, & reliquis ad fabricam humani corporis pertinentibus.

De ſceleto.

Sceletos à Galeno *1.de anatomic.adminiſt.cap.2.* & à cæteris Græcis,dicitur oſſium exiccatorum cadauer.Sceleti cognitio maximam præbet vtilitatem:ex oſſium enim figura, & magnitudine reliquarum partium figura æſtimatur, præſertim cùm oſſium particulis ignoratis, nec muſculorum exortus, nec inſertiones, venarum ductus; arteriarum diuortia, neruorum diremptus agnoſcere poſſimus.

De oſſibus capitis.

Oſſa ſubſtantia ſua ſunt terrea, duriſſima,frigidiſſima, aridiſſima,ex ſeminis parte magis terreſtri generata: & ita ſolida facta ſunt, vt eſſent aduerſus omnes impetus

A externorum corporum propugnaculum, & robur proprio corpori ſuſtinendo præſtarent. Secundus eorum vſus eſt, ad corporis rectitudinem,quia ſine oſſibus animal rectum ſtare non poſſet,ſed reperet vermium inſtar. Tertius vſus eſt ad figuram corporis; quia ab oſſibus corporis proceritas,& incrementi terminus dependet.

Oſſa nutriuntur medulla,ſeu vt alibi diximus parte medullæ magis terreſtri,vt ſic conciliemus auctores,quorum quidam medulla nutriri, alij ſucco melancholico aſſeuerant. Oſſium differentiæ plures ſunt: alia enim duriſſima ſunt,& parua,vt dentes;alia mollia; alia ſimpliciter dura: alia magna parua, mediocria: alia medulloſa, contrà alia ſolida, ſed aliqualiter ſpongioſa; & quæ in ſe concretum intus ſuccum habent: quædam plana.alia rotunda: quædam longa, vt femoris; alia breuia, vt ſummorum digitorum,quædam læuia, alia aſpera:ſuperiora, inferiora: quædam mobilia ſunt, alia immobilia: alia ſentiunt, vt dentes: reliqua omnia, ſunt inſenſilia.

B In primis à capitis oſſibus incipiamus. Caluaria, ſeu cranium octo conſtat oſſibus, ſex propriis, duobus communibus. Propria ſunt os frontis,occipitis,ſincipitis duo, temporum duo. Communia, ſphenoïdes, ethmoïdes Hæc oſſa ſunt inter caluariam, & genam ſupernam poſita, Sphenoïdes, ſeu cuneale dicitur, quòd inter omnia ferè capitis, & genæ ſupernæ oſſa cunei modo ſeſe inſinuet: Barbari baſilare vocant; quòd in baſi capitis poſitum ſit. Vſus primus, vt per eius foramina varia; neruorum, arteriarúmque propagines ferantur. Secundus, vt optico neruo exitum præbeat. Tertius, vt tertio,& quarto neruorum paribus ſit deſtinatum;& in tutelam ſit.

Ethmoïdes, quod vocatur etiam cribriforme, ſeu ſpongioſum, ſitum eſt in media frontis baſi, & ad ſummam naſi radicem fertur. Eius vſus primus ad aëris inſpirationem, neceſſarij ad ſpiritus animalis generationem. Secundus, vt per eius foramina, tanquam per infundibulum, à muco expurgetur cerebrum. Caluaria in recens

C natis non eſt ſolida, vt in adultis, ad faciliorem partum, & vt in hac ætate humidiſſimum cerebrum expurgetur, & idcircò in ſincipite cerebrum manifeſtè moueri videtur.

Sequitur zygoma, quod os iugale appellatur.Eſt portio, ſeu coalitus oſſis temporum, & maxillæ ſuperioris, quarum altera naſcitur ab oſſe temporum, altera à maxillæ ſuperioris oſſe, & faciunt os quod verſus maiorem angulum oculi conſtituitur. Vſus ad temporalis muſculi tutelam.

Maxillæ duæ ſunt,ſuperior,& inferior:illa eſt immobilis; quia ſi moueretur, naribus odores excipientibus, & oculis maiore circulo inſpecturis eſſet impedimento, &

D ſic hominis formam deturparet. Oſſium genæ ſuperioris numerus eſt ambiguus, ſed à peritis vndecim numerantur: alij addunt duo ſpongioſa, in interno naſo ſita, vbi retinetur mucus. Inferior eſt intus caua, & medulloſa ad dentium nutritionem, accretionem, & nouam generationem. Eſt ſolida, & dura ad comminuendum cibum. Alueolos habet, & foramina duo, per quæ nerui, venæ, & arteriæ immituntur.

De dentibus.

Dentes ſunt oſſa, & ſentiunt, ratione membranæ internam,& cauam partem veſtientis; vel ratione nerui ad ipſos delati, orti à tertia coniugatione, qui ſpiritum

E animalem in totum illorum corpus effundit: ad cætera oſſa nulla neruorum portio pertingit. In cauitatem dentium etiam arteriæ, & venæ inſeruntur; quare dentes pulſant per arteriam. Sunt duriſſimi, ne durarum rerum occurſu attererentur.

Differunt dentes ab oſſibus, quia dentes ſemper creſcunt, oſſa non item; quòd ſcilicet illi perpetuò aluntur, & augentur, oſſa vſque ad certum terminum. Deinde dentibus inſunt ſua vaſa, venæ, arteriæ conſpicuæ, vnde ſoli ad extremum ſenium creſcunt, & auulſi renaſcuntur, & ſic erat neceſſe, quia mutuo attritu, dum cibos mandunt,

dunt,attenuantur. Vſus illorum primus, vt minuant ci-bos,præparéntque ventriculo. Secundus, ad vocis articulationem. Tertius,ad ornatum. Quartus,ad apprehendendum: nam illis ſæpe animalia vtuntur ad pugnam.

Vtplurimum ſunt triginta duo, ſexdecim in vtraque maxilla. Quatuor primi anteriores dicuntur inciſorij, & acuti,quia alimentum oblatum cultri modo ſecant: canini frangunt cibum: molares ipſum læuigant.Os hyoïdes eſt ad linguæ radicem ſitum, ad firmamentum linguæ, & laryngis; niſi enim huic oſſi tanquam baſi hæreret lingua, non poſſet tot motibus agitari. De oſſibus naſi, & oſſiculis aurium ſuprà dictum eſt.

De ſpina, ſeu dorſo.

Spina dicitur totum illud, quod à prima ceruicis vertebra ad coccygem vſque extenditur. Eius plurima eſt dignitas: nam per eam neruorum myriades excurrunt,vt diximus ſuprà, quare eam vertebris vallauit natura. Diuiditur in quatuor partes, ceruicem, dorſum, lumbos, os ſacrum. Eſt caua, vnde dicitur ſacra fiſtula,& habet proceſſus extuberantes,vt eam ab iniuriis tuerentur externis. Conſtat pluribus oſſibus, & iis validè ad motuum varietatem compacta eſt.

Conſtat pluribus vertebris, ſeu verticulis, ſic dictis, quòd earum opera in varias partes vertatur corpus. Sex itaque ſunt vertebrarum coarticulationes, duæ per corpora, quatuor per obliquas apophyſes deſcendentes, & aſcendentes, hoc eſt, extuberationes, ſeu eminentias: eſt enim apophyſis Græcè, pars oſſium legitima ex ipſo met oſſe prorumpens, & extra ſuperficiem planam extuberans.

Symphyſis vertebrarum non fit per cartilagines, ſed per vincula validiſſima, tum ab oſſibus orta, tum à cartilaginibus,tum à membranis oſſa veſtientibus. Eſt enim ſymphyſis, naturalis oſſium vnio, per quam oſſa coniunguntur, & vnum fiunt. Omnes vertebræ vnum habent inter ſe commune,vt habeant foramen ampliſſimum, medullæ continendæ dicatum. Secundò in qualibet vertebra tria apophyſeôn genera obſeruantur,nempe extuberationes,ſiue proceſſus acuti,obliqui,tranſuerſi. Tertiò in qualibet vertebra,quinque ſunt epiphyſes, ſeu appendices,aut annexus.

De vertebris ceruicis, dorſi, lumborum, & de oſſe ſacro.

Ceruicis vertebræ ſunt ſeptem. Dorſum duodecim conſtat,quibus duodecim coſtæ articulantur. Lumbi tertiam ſpinæ partem conſtituunt, & quinque vertebris conſtant, crebris foraminibus peruijs. Os ſacrum, eſt eorum ſpinæ oſſium maximum; & ſic dicitur ſacrum, quia magnum: dicitur etiam vertebra magna. Ad oſſis ſacri extremum, os apparet, quod à ſimilitudine quam cum Cuculi roſtro habet, dicitur coccyx: tribus conſtat oſſiculis.Hoc collapſo,& eius glutine quo tenaciter adhæret, emollito & luxato, ſæui concitantur dolores: quare procidentia huius oſſis tabem accerſit.ex Thoma à Veiga, & nos *lib. 1. de praxi admiranda, obſ. 132.* proprio exemplo notauimus.

De thoracis oſſibus, coſtis, ſcapulis.

Thorax partim eſt oſſeus, partim carneus: oſſibus nâque ipſum ad viſceris nobiliſſimi tutelam vallauit natura;ſed quia reſpirationis gratia continuò diſtenditur,atque contrahitur,eum aliqua ex parte natura carneum conſtruxit. In anteriore parte eſt os, quod vocatur ſternum, cuius oſſium numerus eſt incertus,nunc ſeptem apparent, nunc quinque,nunc tria, & hoc accidit ex ætatum varietate. Horum oſſium vſus eſt ad cordis, & ad viſcerum in thorace contentorum tutelam. Clauicula eſt os, quod claui s modo,humerum, & brachium cum ſterno firmat,ne ſcilicet brachium in motu præcipitetur.

Thoracis latera, coſtæ vocantur, & figura ſua arcum

Lib. VI.

A referunt: in exortu anguſtiores ſunt, deinde paulatim latiores fiunt, poſtmodum fiunt anguſtiores. Partim ſunt oſſeæ, partim cartilaginoſæ, qua parte cum ſterno committuntur. Coſtarum aliæ ſunt veræ, & legitimæ,& hæ ſeptem ſunt; aliæ ſunt ſpuriæ, mendoſæ, adulterinæ, & hæ ſunt quinque, minores, & breuiores quarum poſtrema verè notha appellari debet, quia nulli adhæret.Vſus illarum eſt,vt viſcera in thorace contenta defendant.

Scapula dicitur à Græcis omoplata, humeri latitudinem conſtituens, Latini Scoptulum opertum, Barbari Spatulam vocant.Illius primus vſus eſt,ad coſtarum robur. Secundus, ad muſculorum brachium mouentium inplantationem; ab ea enim omnes brachium mouentes oriuntur. Tertius, ad brachij & clauiculæ articulationem confirmandam.

B

De oſſibus ilium, iſchij, pubis, manus, carpi, extremæ manus, tibiæ, & pedum.

Os ilium dicitur, quia ileum inteſtinum continet.In pube adeſt etiam os ad vteri tutelam. Aliud nominatur Iſchion,ſeu os coxendicis,in quo cauitas eſt profunda,& vocatur acetabulum coxæ. In manu adſunt tres partes,brachium cubitus,& manus externa. Brachium dicitur humerus, & vno conſtat oſſe valido. Cubitus duobus conſtat oſſibus. Summa manus in tres partes diuiditur: Prima dicitur brachiale; ſiue carpus, & in hac parte ſunt duodecim oſſa, vt manus expeditè moueri poſſit. Altera

C manus pars, dicitur poſtbrachiale, ſeu palma, quatuor conſtat oſſibus oblongis, gracilibus. Tertiam manus partem conſtituunt digiti, qui oſſibus quindecim conſtant, triplici ordine diſpoſitis.

Pes in tres partes diuiditur, femur, tibiam,extremum pedem. Femur eſt os omnium longiſſimum,& maximum: eſt totum cauum. Tibia duobus conſtat oſſibus. Inferior tibiæ pars habet appendicem, quæ dicitur malleolus. Femori & tibiæ communem præſtat operam os rotundum,quod dicitur rotula, cuius vſus eſt,vt tibiæ & femoris articulum laxiorem firmet. Pes extremus tres habet partes, vt manus; tarſum, metatarſum, & digitos. Tarſi ſeptem ſunt oſſa. Metatarſus quinque oſſibus conſtat.

D Digitorum oſſa quatuordecim tantùm ſunt, triplici acie diſpoſita,excepto pollice,qui duobus tantùm conſtat oſſiculis. Reliquis terni ſunt articuli. In manibus,& pedibus oſſicula reperiuntur, quæ ſeſamoidea dicuntur, quia ſeſamini ſeminis figuram exprimunt, ſolida ſunt, & rotunda; quorum numerus eſt incertus: alij duodecim, alij ſexdecim obſeruant. Vſus eorum eſt, vt firmentur articuli, & luxatio prohibeatur.

De ligamentis.

Cum oſſa perpetuò moueantur, ne motus agitatione diuelli poſſent, vinculis quibuſdam firmiſſimis ipſa ligauit natura. Eſt autem ligamentum, pars frigida, ſicca,

E mediam inter neruum & cartilaginem naturam obtinens, ex ſeminis portione caloris vi genita,varios in colligādo, & continendo partes, vſus præſtans. Hæc non ſentiunt, quia neruos non recipiunt,& quia aliàs ob perpetuos motus animalium vita ſemper plena eſſet triſtitia, & dolore. Vſus eorum primus eſt,vt oſſium, & cartilaginum articulationes firment, & luxationem impediant. Secundùs, vt oſſa ipſa qua parte non dearticulantur, vinciant, ſic radium cubito, & tibiam calcaneo ligant. Tertius, vt indumenti inſtar extrinſecus apponantur. Quartus, vt tendines ſuis contineant locis. Quintus, vt muſculos dextros, & anticos à ſiniſtris, & poſticis diſtinguant. Sextus, vt viſcera ſuſpendant, ne nimio pondere decidant; vt ſunt heparis, veſicæ, vteri ligamenta.

In capite adſunt ligamenta tria. Quia enim totum caput ſuper primam vertebram mouetur, debuit vinculis colligari, ne tam nobile membrum periclitaretur laxæ articulationi commiſſum. Primum ligamentum eſt in baſi occipitis, inter primam, ſecundámque vertebram, vbi adhæret

adhæret validiſſimè. Secundum eſt validum; quod denti ſecundæ vertebræ valde annectitur. Tertium ab anteriore primæ vertebræ parte exortum, ſecundæ vertebræ denti ſtrictè adhæret. In lingua adeſt etiam ligamentum, quo connectitur, cuius auxilio fulta lingua faciliùs vibrari, producique poteſt.

In ſpina multa ſunt ligamenta, quorum ope vertebræ ligantur. In coſtis plura ſunt: nam eorum beneficio cum vertebris articulantur. In carpo etiam inueniuntur in eũdem vſum, & in digitis. Demum in pube, & tibia membranea adſunt ligamenta: ſicut in tarſo oſſa vinculis connectuntur.

De cartilaginibus.

Cartilago eſt pars ſimilaris, frigida, ſicca, ex craſſa ſeminis parte genita, & ad motuum varietatem, ſuauitatémque fabricata. Differt cartilago ab oſſe ſecundùm magis, aut minùs, quia oſſa ſunt duriora, ſicciora, frigidiora: cartilago eſt læuis, lucida, polita; oſſa aſpera, inæqualia. Earum primus vſus, vt oſſium, motus laxa coarticulatione iuuent. Secundus, vt ab exterioribus noxis partes defendant: exemplo ſunt nares, aures; nec enim ſunt duræ, vt frangi poſſint; nec molles, vt contundi queant. Tertius, vt oſſium inſtar aliquas partes ſuſtentent. Quartus, vt aliquas partes internas tueantur, vt ſterni, coſtarúmque cartilagines, ad cordis, pulmoniſque tutelam ſunt creatæ: ſic cartilago enſiformis, vt defenderet ventriculum eſt creata. Quintus, vt per ea oſſa glutinis modo coaleſcant. Sextus, vt oſſa dura, & laxa cum raris iungantur. Sic in plurimos alios vſus inditæ ſunt partibus cartilagines, viſioni, auditui, odoratui, deglutitioni, &c.

Differentiæ cartilaginum tres ſunt potiſſimæ. Aliæ enim ſunt in capite; aliæ in trunco corporis, aliæ in extremis partibus à natura creatæ. Capitis ſunt cartilagines, aurium, naſi, palpebrarum, inferioris maxillæ. Hic truncus etiam diuiditur in ſpinam, thoracem, & os innominatum: Spinæ partes ſunt, ceruix, dorſum, lumbi, os ſacrum. Ceruicis, ſeu colli cartilagines ſunt aut poſticæ, quæ vertebras connectunt; aut anticæ, larynx, aſpera arteria, epiglottis. Thoracis cartilagines in extremis coſtarum, & ſterni ſunt conſpicuæ. Partium extremarum cartilagines, aliæ ſunt manus, aliæ pedum.

Nunc ſingularum partium cartilagines adamuſſim deſcribendæ. Palpebræ oculi duæ ſunt: alia eſt ſuperior, aliæ inferior: vtræque inferuiunt ad faciliorem motum, & oculos claudunt, & aperiunt, & ſic palpebræ fuerunt factæ cartilagineæ: quia ſi eſſent molles, facilè conciderent; ſi oſſeæ, tunicas interiores læderent.

In auribus ſunt cartilagines, vt auditus organum, & aures exquiſitiſſimo ſenſu præditas ab externis iniuriis tuerentur, & ſic iuuant ad auditum, & ſic aër ſemel ingrediens non reſilit. In naſo ſunt quinque cartilagines, vt inſpirantibus nobis meliùs nares dilatarentur, & faciliùs excrementa emungere poſſemus. De epiglottide diximus ſuprà: eſt cartilaginea, vt celeriter ad cibi, & potus ingreſſum comprimi poſſit.

Larynx tres habet cartilagines, vt dilatari, conſtringi, aperiri, claudi facilè poſſit. De aſpera arteria, & eius vſu, ſuprà diximus, *titulo de pulmone.* Hæc magna ex parte cartilaginea conſtructa eſt, quum ſit ſpirabile organum, & aërem in pulmones deducat, & voci inſeruiat, vt meliùs extendi poſſit: idcircò hoc modo eſt fabricata.

Oſſis ſacri cartilagines duriores ſunt, quia hoc os eſt immobile. Oſſis autem extremum, quod coccyx dicitur, eſt cartilagineum, quo delapſo, aut laxato putat vulgus homines tabeſcere poſſe: quorum opinio contemnenda non eſt; nam cùm ſit hæc pars fundamentum corporis, ſi dolet, aut abſceſſus patitur, ex diuturno dolore, viribus flacceſcentibus, ob vigilias, & labores, extenuantur corpora.

Sequitur cartilago enſiformis, quam Galenus 7. *de vſu part.* 2 1. vocat mucronatam, & xiphoidem, cuius vſus eſt, vt ventriculum ab externis iniuriis tueatur: cùm ergo hæc pectori glutine quodam adhæreat, ſi laxetur & flacceſcat, (decidentiam vulgus vocat) tabem corpori conciliat, quoniam tunc ventriculus externis iniuriis magis exponitur, debilitatus non rectè concoquit; & non celebrata rectè ſanguificatione, & ſanguine non ita puro genito, non tam commodè partes nutriuntur, & ſic tabeſcunt homines; de quo argumento legat qui velit quæ diximus, *lib. 2. hiſt. 59.*

Vltimò in omni ferè coarticulatione, cartilagines reperiuntur ad faciliorem motum comparatæ. Sic in clauiculis duæ adſunt: in ſcapulæ cauitate vna adſtat, ne violentis motibus luxetur articulus. In cubiti parte inferna, altera adeſt. In eundem vſum in pube eſt alia craſſa, & dura, vt oſſa pubis vniantur, ne in partu diſiungantur. In iſchij cauitate illa adeſt, & in femore etiam. Denique nulla eſt articulatio, in quam non inferatur cartilago, vt partes faciliùs, ſecuriùs, & diutiùs moueantur.

De tendine.

Tendo vocatur etiam chorda, & eſt membrum ſpermaticum, quod partim generatur ex filamentis neruorum, partim ex ligamentis ſimul mixtis. Sentit ſenſu tactus. Vſus eius eſt iuuare muſculos ad motus grauiores, & vehementes. Vbi verò natura non eget vehementi motu, ſed exiguo, generat muſculos abſque tendine, vt ſunt muſculi labiorum, & narium; & firmat articulos, & oſſa cum oſſibus. Subſtantia conſtat dura, tenaci, frigida. Figura eſt rotunda. Connectitur ſemper cum oſſe ab vna parte, & ab alia cum carnoſa ſubſtantia muſculi. Colorem obtinuit album. Non habet cauitatem, ſed potiùs poros, Tot ſunt numero, quot muſculi.

De membranis.

Membrana eſt pars ſimilaris, frigida, ſicca, lata, tenuis, denſa, ex ſeminis portione genita, ſenſus tactorij organum, partes ſubiectas cuſtodiens. Eſt lata, vt partem veſtiat: denſa, ad robur: tenuis, ne pondere ſit moleſta. Eſt minùs frigida tendine, vinculis, cartilagine, oſſe: ſed frigidior venis, arteriis, & neruis. Vſus eius eſt, vt ſit tactus organum, ideò ſenſu exquiſitiſſimo prædita, & immediatum organum tactus. Deinde vt veſtiat partes; quare tunicæ ſunt dictæ.

Membranæ aliæ ſunt legitimæ & veræ, vt membrana cerebri, pleura, peritonæum, perioſtium; aliæ ſunt, latæ, aliæ longæ; aliæ externæ, aliæ internæ. In ſingulis partibus multæ adſunt. In oculis plures inſunt. Linguam veſtit tunica vna, communis œſophago, palato, faucibus, ventriculo. Cor ſuam habet tunicam, nempe pericardium. Pulmo etiam habet interſepientes, quas vocamus mediaſtinum: Adſunt etiam membranæ, in hepate, epiploo, inteſtinis, vtero, de cuius membranis fœtum inuoluentibus, *infrà* dicemus.

De villis, ſeu fibris.

Villorum, ſeu fibrarum nomen etiam tendinibus, & neruis accommodari poteſt. Sunt partes ſimilares, frigidæ, ſiccæ, albæ, ſolidæ, oblongæ, exilium filamentorum inſtar, ad motum, & carnis cuſtodiam deſtinatæ. Vſus fibrarum præcipui ſunt motus, & cuſtodia carnis. Villi alij ſunt tranſuerſi, alij obliqui, alij recti. Tranſuerſis partes expellunt; obliquorum ope retinent; rectorum opera attrahunt. Alij animalibus organis inſeruiunt, muſculis, neruis, ligamentis. Alij vitalibus, vt cordi, arteriis. Alij naturalibus, vt œſophago, ventriculo, inteſtinis, veſicæ, vtero, & neruis.

De muſculis.

Caro muſculoſa præcipuè ferè corporis molem conſtituit, & idcircò Galenus *lib. art. med. cap.* 50. temperaturam muſculorum, appellat totius temperaturam.

Ab

Ab Arabibus dicitur lacertus. Definitur à Galeno *cit. loc Caro ex ſimplici carne , & villis neruoſis contexta.* Muſculus eſt immediatum voluntarij motus organum : cuius partes ſimilares ſunt nerui , fibræ , tendines , caro , vena, arteria.

Caro illa fibroſa , præcipua eſt muſculi pars : ſimilem enim in corpore nullam inuenies. Ea deficiente , deficit motus;nam ſine neruis qui in muſculos variè diuaricantur , motus fieri non poteſt , quia ſunt ſpirituum animalium delatores. Ligamenta , & tendines perfectiorem reddunt motum. Tendo per ſe non eſt comparatus ad motum , ſed ad valentiores , & vehementiores motus edendos : quoniam tendo eſt mediæ naturæ inter neruum , & vinculum , licèt multa craſſitie tendo neruum excedat.

Non poterat ligamentum immobile motum voluntarium edere ; & neruus ob mollitiem validos motus efficere non poterat : quare mixtum aliquod ex ambobus creari debuit, quod neruo durius , vinculo mollius eſſet. Venæ arteriæ, membranæ , actionem conſeruat. Carnis huius fibroſæ vſus primus eſt , vt ſit viſceribus internis propugnaculum. Secundus,vt ſiccitas neruorum , & ligamentorum, à perpetuo motu contracta, permixtione carnis emendetur.

Muſculorum differentiæ ſunt plures. Alij ſunt carnoſi , vt linguæ , & ſphincteres dicti ; alij neruoſi , vt qui tibiam cingunt. Alij longi , lati , tranſuerſi , recti , obliqui.

A petitioribus Anatomicis numerantur 405. Frontis , duo. Palpebrarum , ſex. Oculorum , duodecim. Aurium, ſex. Narium , duo. Labiorum , nouem. Maxillæ inferioris , decem. Hyoidis , octo. Linguæ , decem. Faucium , octo. Laryngis , quatuordecim. Capitis , quatuordecim. Colli, octo. Brachiorum , ſexdecim. Cubiti , octo. Radij, octo. Carpi , octo. Manuum , quinquaginta quatuor. Reſpirationi inſeruientes , ſexaginta quinque. Abdominis, decem, Dorſi , decem. Ani , quatuor ; Veſicæ , vnus. Teſtium , duo. Penis , quatuor. Crurum,viginti octo. Tibiarum , viginti duo. Pedum , duodecim. Digitorum, viginti vnus : & ſic certus muſculorum numerus conſtituitur. Si plures , aut pauciores ſtatuas , non errabis : nam ſunt qui ex vnico plures faciunt , & ex pluribus , vnum.

In variis partibus adſunt muſculi. In fronte duo ſunt , qui frontem , ac ſupercilium attollunt : nam licèt cutis vniuerſa ſit immobilis , in fronte ſola , & facie ſponte mouetur ; & hoc propter oculos , quia eos multùm aperiri oportebat. In palpebris , quæ ſunt duo oculorum tegumenta, & neceſſariò debent moueri , vt oculum claudant & aperiant:quo pacto ſuperior ſola mobilis ; aperit ergo hanc vnus muſculus,& claudunt duo.

Oculi cùm in omnem partem debeant moueri , vt exploratores , habent ſecundùm aliquos auctores , ſex muſculos , & ſecundùm peritiores , ſeptem , vt *infrà* in fabrica oculi notauimus. Aures habent tres : primus in anteriore parte eſt ſitus : ſecundus ab occipitio emanat verſus eas : tertius ex interna parte ad radices excurrit.

In naribus duo ſunt dilatantes, duo conſtringentes. In labiis nouem , alij ſurſum , alij deorſum mouent. Adeſt & alius qui dicitur buccinator , qui buccam mouet. In maxilla inferiore quia neceſſariò debent moueri, ad frangendos cibos , & articulandam vocem , adſunt ſex : nam mouetur ſurſum , deorſum , dextrorſum,ſiniſtrorſum, antrorſum , retrorſum. Claudunt eam duo , quoniam ſuperior immobilis eſt , ne naribus , & oculis impedimento eſſet. Os hyoides octo muſculi nectunt , & firmant. In lingua decem adſunt . qui eam in varias partes mouent, iuuántque ad tranſmittendos cibos , & exprimendas literas. In faucibus ad deglutitionem adſunt ſex , tres vtrinque,

In larynge , qui eſt aſperæ arteriæ operculum , quia ad vocem modulandam ,moueri debuit , dilatari, conſtringi, aperiri , claudi , viſuntur quatuordecim muſculi. In capite plures aſſiſtunt , quia capitis motus varios , vni articulationi committere non erat tutum. Idcircò flectunt caput muſculi duo , extendunt octo , & alij ſex caput obliquè , & circulariter mouent.

In ceruice ſunt octo , flectunt quatuor , extendunt totidem. In ſcapulis quatuor ſunt qui eam mouent ſurſum, deorſum , antrorſum , & retrorſum. Brachium ſurſum mouent duo , deorſum duo , antrorſum mouet vnus fortis , qui dicitur pectoralis , retrorſum mouent tres. Cubitum flectunt duo , extendunt totidem. Radium mouent quatuor. Carpum laxant duo extendunt etiam duo. Digitos flectunt muſculi tres , extendunt quam plures. Pollicem flectit vnicus,extendunt duo,abducunt tres.

Reſpirationis muſculi ſunt ſexaginta quinque diſtendunt inſpirationi inſeruientes 31. contrahunt expirationi dicati 32. Accedit diaphragma inſpirationi , & expirationi inſeruiens , & ſic perficitur numerus cum hoc muſculo. Diaphragmatis hiſtoriam *ſuprà* retulimus. Abdominis muſculi reſpirationi inſeruientes , ſunt octo , oriuntur à ſuperiore parte oſſis pubis , & ilium. In dorſo ſunt octo: duo ſuperiores , inferiores duo , quintus , & ſextus à lumbis oriuntur , ſeptimus , & octauus à proceſſibus primæ, ſecundæ , & tertiæ thoracis vertebræ.

In ano ſunt quatuor , ſphincteres duo , rectum inteſtinum occludentes ; leuatores duo , qui anum delapſum reuocant. In veſica eſt vnus , qui eius ceruicem omni ex parte cingit , & exitum vrinæ intercludit. In teſtibus duo ſunt muſculi ; Cremaſteres dicti, id eſt , ſuſpenſorij, qui ſuſtinent teſtes , ne ſuo pondere vaſa extendant. In pene ſunt quatuor. In mulieribus clitoris eſt loco pudendi in viris , & habet duos exiles muſculos.

In femore flectentes duo ſunt , extendentes tres , circumagentes tres, abducunt ſex. Flectunt tibiam quatuor, extendunt quatuor, adducunt duo , abducit vnus. In pede ſunt duo flectentes, extendentes quatuor. Digitos pedum flectunt duo, extendunt duo, adducunt quatuor, abducunt octo. In pollice ſunt peculiares, vno flectitur; extenditur altero, adducitur vno, abducitur alio.

De vnguibus, & pilis.

Vngues mediam naturam obtinent inter oſſa , & cartilagines, & ſunt ex tertiæ coctionis craſſioribus excrementis pronati, ideò continuò creſcunt,& nutriuntur attracto alimento , non per aſſimilationem , ſed per intus ſuſceptionem. Eorum vſus primus : eſt ad apprehenſionem. Secundus , ne ſuperficie digitorum ſuapte natura molliſſima ab occurſantibus externis iniuriis læderetur. Pili generantur ex materia tertiæ coctionis, nempe vapore fuliginoſo rariora cutis ſpiracula permeante. Cauſa efficiens eſt calor moderatus, qui fuliginoſos vapores in cutis ambitum detrudit, ſiccat, & per moram indurat. Primus vſus eſt , vt ſubiectas partes tueantur. Secundus ; ad ornatum. Tertius , ad fuliginoſi excrementi expurgationem.

De glandulis.

Glandula definitur pars ſimplex, rara, ſpongiæ ſimilis , mollis , excrementis recipiendis, & humectandis partibus à natura fabricata. Vſus earum primus eſt , vt vaſa firment : nam hæc cùm ſint dura, violentis motibus rumperentur , ni haberent has molles carnes, quibus veluti ſtratis fulcirentur, Secundus , vt excrementa ſuperflua abſorbeant , & emungant , & illæ præcipuè factæ ſunt ad inguina , axillas , retrò aures , vt excrementitios humores ex iecore , corde , & cerebro in ſe imbiberent. Tertius vſus , vt partes irrigent ne facilè ſiccentur. Hoc modo ſub lingua ſunt factæ , & iuxta maiorem angulum oculorum , ne hæ partes mutuis motibus ſiccarentur , & experimento compertum eſt in iis , qui ardore febrili ſunt vexati : ij enim perpetuò illachrymant, quia hæ glandulæ præ æſtu , & incendio ſunt exſiccatæ & humiditatem ſuperfluam à capite deſcendentem nec emungere,nec retinere queunt. Ita glandulæ plures factæ ſunt in cerebro, larynge, pancreate, meſenterio, veſicæ collo , in dictos vſus, vt in deſcriptione cuiuſque partis *ſuprà* demonſtrauimus.

De cuticula.

CVticulam Græci vocant epidermidem. Eſt tenuiſſi-ma cutis, & veluti efflorefcentia, cuparum pellicu-lis tenuioribus ſimilis inſenſilis, & penè exanguis. Hæc noſtrum veſtit corpus, & ſuperficiem ſummam. Vſus pri-mus eſt, vt ſit medium tactus. Secundus, vt cutem ve-ram, quæ ſenſu pollet eximio, tueatur. Tertius, vt cu-tem tegat, ne corpus perpetuò exudans, reſoluatur; Quartus, vt vaſorum ad cutem pertingentium oſcula oc-cludat. Quintus, vt cutis craſſiuſculæ, aſperæ, inæqualis ſuperficiem tegat, & corpori ornamento ſit.

De cute.

CVtis membrana eſt omnium ampliſſima, craſſiſſima, ex ſeminis, & ſanguinis permixtione genita, tem-periem moderatam obtinens, externi tactus organum, ſubiectarum partium tegumentum, & munimentum. Hæc eſt veluti extremorum medium, & tactus iudex, Nullam figuram habet; ſed à ſubiectis partibus mutua-tur. Et licèt ſit candida, tamen ratione humoris affluentis, aliquando pallet in biliofis, nigricat in melancholicis, in ſanguineis rubet, in pituitoſis albet. Non eſt omni ex parte continua, quoniam habet foramina patentia, vt in oculis, auribus, naribus, ore, ano, pudendo; ſed tota habet foramina inconſpicua, quæ oculorum aciem effu-giunt: nam eſt cribriformis, ad ſudorum & fuliginum ex-pulſionem, & vt tranſpiraret corpus, néve inſitus calor marceſceret. Eſt foraminulenta, & poris plena, quos Me-dici cutaneos vocant.

Primus vſus eius eſt, vt ſit tactus organum. Secundus, vt tegat corpus, & partium calorem foueat. Tertius, vt corpus ab iniuriis tueatur. Quartus, vt corpus partium ſtructura varium inter ſe continuetur. Quintus, vt ſit to-tius corporis emunctorium,

De adipe.

TErtium humani corporis tugumentum eſt adeps: vocatur etiam pinguedo, axungia, ſeuum; ſed hæc differunt ſecundùm magis, & minus: quoniam adeps eſt ſiccior, pinguedo mollior, ſeuum ſiccius. Huius ma-teria eſt ſanguinis portio magis aërea, & pinguis. Sub cu-te copioſus adeps colligitur, quia ſanguinis portio, quæ ob tenuitatem rariores muſculorum carnes præterit, à denſiore cute retinetur: quare animalia quæ corium ha-bent denſum, vt ſues, & delphini, plurimo adipe abun-dant. Primus vſus eſt, vt tueatur corpus. Secundus, vt conſeruet calorem; viſciditate enim, & lentore ſuo ef-fluxum eius prohibet. Tertius, vt ſicca corpora oblinat, vt in corde. Quartus, vt ad faciliorem motum dura cor-pora humectet. Quintus, vt loca impleat vacua. Sextus; vt ſit pabulum caloris; hic enim humidis gaudet, fugit à merè ſiccis: quare inediæ tempore pinguedo in alimen-tum vertitur.

De membrana carnoſa.

CVti, & pinguedini ſubiicitur membrana quædam craſſiſſima, vniuerſum corpus à capite vſque ad pe-des tegens. Arabes vocant panniculum carnoſum, Lati-niores membranam carnoſam vocare conſueuerunt. Pri-mus vſus eius, vt propagines venarum, arteriarum, & neruorum, quæ feruntur ad cutem, eius ope ſuffulcian-tur. Secundus, vt muſculorum carnes tegat, ne ab ex-ternis lædantur.

De formatione fœtus, membranis eam inuoluen-tibus, ſitu infantis in vtero, & eius excluſione foràs.

IN congreſſu venereo mas, & fœmina ſemen eiacu-lantur, & vterus poſtquam in ſuam cauitatem ſemen A virile recepit, ſtatim ſagacis naturæ induſtria, & motu os vteri coarctatur, ne ſemen excidat. Circa hoc conceptum ſemen, tum à vi formatrice, tum ab vtroque ſemine membrana generatur, quæ Allantoïdes vocatur, vteri cauitati adhærent, cuius vſus eſt vt vniuerſum ſemen inuoluat: niſi enim prius formarentur membranæ, tenel-lus embryo, eiúſque principes partes vteri duritie læde-rentur. Hæc cingit fœtum zonæ inſtar, & vrinam con-tinere dicitur. Secunda dicitur Amnios, alij Amiculum vocant, fœtus velut ſudorem excipiens. Tertia appella-tur Chorion, quæ nihil eſt aliud, quàm vaſorum multitu-do membrana tenui connexorum, ex Gal. 15. *de vſu part. cap.* 4. Hæc appellatur ſecunda ab Hip. 5. *aph.* 49. alij no-minant ſecundinam. vt Paulus *lib.* 5. *cap* 75.

Sed in hac re video Anatomicos eſſe diſcordes. Qui-dam membranas ſolùm Chorion, & Amnion in fœtu B humano agnoſcunt, licèt in brutis tres membranas ob-ſeruent. Alij genita Allantoïde, & Amnio, vt ſuffulci-rentur, affuſionem orbicularis placentæ inſtar, quam Chorion appellant, generatam fuiſſe aſſeuerant; & ſic hanc placentam, ſecundinam vocant. Sed (vt verum fa-tear) hæc in nobis minimè eſt membrana, ſed craſſa quæ-dam materia, excrementorum inſtar, cuius vſus eſt di-ctus, vt fulciret vaſa, & propugnaculi vicem gereret, & fœtum ab externis iniuriis tueretur, & ſic Paulus vocat fœtus velamentum. Addunt Recentiores, vt ſanguinem ad fœtus nutritionem præparet.

Amnios dicta eſt ſudoris, & vrinæ receptaculum, cu-ius aquæ, aut vrinæ, aut ſeri vſus, auctore Galeno 15. *de vſu part. cap.* 5. eſt, vt ope huius humoris lubricus fiat C vterus, & promptiùs dilatetur, vt ſic per collum vteri molle, & humectum, puellus poſſit exire foràs, aliàs diffi-cilis ſit partus; ſi amnios membrana ante exitum puelli frangatur, & vacuetur aqua, & ſic remanet periculum, ne ab aquæ copia poſſit fœtus ſuffocari.

Deinde in omnium partium delineatione laborat perpetuò vis formatrix, neque conquieſcit, quouſque omnium membrorum diſcretio fuerit abſoluta, quæ in maribus perficitur trigeſimo, fœminis quadrageſimo die, aut quadrageſimo ſecundo, vt diuinus Hippocrates præ-dixit *lib. illo aureo, de natur. puer. num.* 14. & 20.

Poſtea ordine quodam ex ſanguine, qui eſt alterum noſtræ generationis principium, generantur parenchy-mata, & carnoſæ partes, Parenchymatum ſecundùm Me-dicos, & veriorem ſententiam, primum eſt hepar; ſe-cundùm, cor, deinde reliquorum viſcerum carnes effor-mantur. Poſtea ſimul iaciuntur partium ſpermaticarum D fundamenta, & partes ſpermaticæ generantur, ſed primò nobiliores & magis neceſſariæ, vt tria principia, venæ, arteriæ, nerui. Venæ ab hepate ad chorion vſque propa-gantur, arteriæ à corde, nerui à cerebro.

Duriores, & ſolidiores partes ſimul figurantur, ſed non ſimul perficiuntur: nam ex oſſibus, alia celeriùs, alia tardiùs elaborantur, coſtæ, gena inferior, auricularum oſſicula, os hyoides primis diebus oſſeam acquirunt na-turam; deinde brachij, tibiæ, femoris, ſpinæ, vtriuſque manus, ſterni, quæ celerior conformatio ad vſus, & ne-ceſſitatem eſt referenda, ita vt ſeptimo die omnium ſper-maticarum partium rudimenta ſint conſpicua.

E Totus itaque contractus, & conglobatus ſedet in vte-ro puellus, manibus genua apprehendens, & in genua caput dimittit, vt oculi vtrinque manuum pollicibus velut affixi hæreant, naſus verò inter genua procumbat. Hæc figura eſt frequens, nec laborioſa fœtui, licèt alij alios ſitus obſeruarint, capite eleuato, & aliquando tranſuer-ſim, ſed hi ſunt rari.

Excluditur foràs fœtus, quando iam perfectus eſt, & tunc mole ſua calcitrat, & rumpit membranas, & à natu-ra extrà protruditur. Sed quæres an hæc excretio, vtero, an ipſi puello referenda ſit? Perbellè tibi reſpondet Ga-lenus 5. *aph.* 37. dicens: *quum ſcilicet alimentum ab vtero veniens non eſt infanti ſufficiens, & infans adultus eſt, plus ci-bi requirens, quàm illud quod adeſt, calcitrat, membranas diſrumpit, initiúmque partus matri affert, &c.* Quapropter puello principium motionis tribuendum.

De

De vmbilico, & vaſis vmbilicalibus.

VMbilicus in medio corporis ſitus eſt, quia dum in vtero matris latemus, per eundem nutrimur, & per eundem excrementa reddimus. Nihil autem eſt vmbilicus, niſi receptaculum quatuor vaſorum, & vnius venæ, quæ dicitur vmbilicalis, quæ ab vtero ortum ſumens,per vmbilicum ſurſum, partem quandam iecoris diuiſam ingreditur, terminatúrque in venam portæ: & duæ arteriæ vmbilicales, vna vtrinque à ramo iliaco ortæ, & per chorion variis ſurculis diuaricatæ, quæ tandem cum vterinis arteriis coëunt. Vena attrahit quod dulciſſimum eſt ex venis vteri. Arteriæ maternum ſpiritum attrahunt, & arterioſum ſanguinem: atque horum vaſorum ope,nutritur,viuit,tranſpirat fœtus.

Ourachus eſt vas cauum,& membranoſum, quod à veſicæ fundo ad vmbilicum fertur, eo canali vrinam effundit fœtus in allantoidem membranam. Quatuor hæc vaſa in vmbilico coëuntia, fœtu in lucem edito, eo munere priuantur, & in ligamentum degenerant, quod dicitur ab omnibus vmbilicus.

De ſuperfœtatione.

SVperfœtatio duplex eſt, vera, & non vera. Illa definitur quòd ſit ſecunda conceptio, quum grauida iam mulier iterum cum viro coiens concipit, quaſi ſit noua quædam ſupra iam conceptum puellum fœtatio. Non vera dicitur, quando plures fœtus vno concubitu generantur. Mulier ſæpius ſuperfœtat, quia ſola poſt conceptum, matris congreſſum appetit, ob plures cauſas, quas Medici,& Theologi proponunt.

Eam concedit Hip. *lib. de ſuperfœtat. in initio*, & licèt non aperiatur os vteri, niſi in partu, quo tempore aperitur ad exitum fœtus; & occludatur grauidis, vt nec cuſpidem acus admittat,3.*de nat. facult.* 3. tamen eam poſſibilem eſſe, & ſæpè contingere omnes Anatomici admittunt, edocti ab Hip. 5. *epid. num.* 11. qui apertè fatetur Gorgiæ vxorem in Lariſſa ſuperfœtaſſe, & excreuiſſe fœtum alterum poſt ſexaginta dies, poſtquam excluſit primum. Clamet ad rauim vſque Valuerda, doctus alioquin anatomicus, *lib.*3.*de re anatomica, cap.*14. qui vanum eſſe aſſeuerat, immò mendacio plenum aſſerere,dari ſuperfœtationem: cuius irrita tela repulimus *lib.* 3. *in com. hiſt.*14.Neque Galenus ita claudi vterum affirmat.vt ſponte non hiet: nam ipſe ex innata doctrina deſcendit,veluti concupito ſemini occurſurus, & in congreſſu venereo illud recepturus. Quare dari ſuperfœtationem, certum eſt, & auctorum teſtimoniis confirmatum.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm anatomica ſcientia ad Medicum, vel Chirurgum ſpectet.

COMMENTARIVM.

HOminum *oſſa contemplari.*] Tanta eſt anatomicæ artis ad affectus internos cognoſcendos,& curandos præſtantia, & vtilitas, vt coactus Galenus *lib.* 1. *de loc.* c.1.illius cognitionem Medico curaturo, qui Phyſicus appellatur, non verò externa mala medicanti, qui Chirurgus dicitur, eſſe neceſſariam aſſeueret. Ille enim non ſolùm viſcera inſpectione ſcrutatur, verùm cadauerum oſſa exſiccata(Sceleton Græci vocant) eſſe perſcrutanda arbitratur. Oſſa enim fulcri inſtar vniuerſam corporis molem ſuſtentant;quare miras præbet vtilitates Sceletos, quas propoſuit Realdus Columbus *lib.*4.*de re anatomica,de Sceleto*, quo libro exactè edocuit, quo pacto parari debeat;quæ in eo expoliendo obſeruanda; quomodo oſſa coquenda; quibus deinde connectenda;qua induſtria fœtor auferendus, & odor bonus conciliandus.

Ob has commoditates mirabiles, in Alexandriæ ſcholis, peritiſſimi magiſtri rudioribus primùm reſiccata corpora,deinde integra proponere aſſueuerant. Quare Ga-

A lenus huius vtilitatis cauſa permotus, & addiſcendi ſumma auiditate inflammatus, quum eſſet arcanorum naturalium ſcrutator vigilantiſſimus, illuc nauigauit; quo loco celeberrimi aderant Medici, qui hanc humani corporis compagem, ſe docere profitebantur, eiúſque cognitionem ad curandos morbos eſſe perneceſſariam, immò vtiliſſimam diſcipulis inculcabant: vt tibi conſtet quàm temerè plures Galenum incuſent, quod ſolùm in ſimiarum, & non in humani corporis anatome fuerit verſatus, quorum ignorantiam latè refutauimus *lib.* 2. *in com. hiſt.*41.

Ergo, vt ad quæſtionem explicandam accedamus, videtur difficile, quomodo Galenus multò magis neceſſariam arbitretur anatomicam cognitionem Phyſico, quàm

B Chirurgo. Si enim hæc cum corporis diſſectione comparetur,chirurgica potiùs, quam phyſica dicenda eſt, ſiquidem manualis operatio à Phyſico eſt valde aliena,ex Hip. *in ſuo iureiurando,& lib.de flatib.in initio, & de decenti ornatu*.Gal.*lib.*6.*epid.ſ.*ꝶ.5.*com.*1.*&* 6.*meth. vlt.* Celſo *lib.*7.*c.*1. Ergo perperam Galenus anatomicam diſciplinam Phyſico,non Chirurgo addixit.

Deinde cùm Medicus in dialectica,phyſica, diſciplina de pulſibus,criſibus,morbo,& ſymptomate,& aliis,oporteat vt ſit inſtructus quibus partibus Chirurgum excedit, cur his prætermiſſis ſolam memorat anatomen? Quare in hoc videtur fuiſſe diminutus.

Inſuper immeritò Galenus Phyſicum à Chirurgo ſeparauit: nam hic, Medicus etiam ab Hip. appellatur, *lib.*1.*de fractur.& lib.de vulnerib.* nam tria ſunt inſtrumenta, quibus vtrique vtuntur; nec enim à Medico aliena operatio manualis, vt nec à Chirurgo commoda victus,

C & medicamenti inſtitutio: quare ſaltem inſtrumentis inter ſe non ſeparantur. Ergo vel penes varia morborum genera curanda diſtinguuntur, vel penes diuerſum ſitum eorumdem morborum. Primum dici non poteſt, quia non diſtant genere pleuritis, & phrenitis ab externa phlegmone; nec ſimiliter externa vlcera ab internis, ſed eiuſdem appellationis, & eſſentiæ ſunt. Si verò ex ſitu diſtingui dicantur, cùm non minùs neceſſaria ſit ſecanti, vrenti, ſcindentique Chirurgo, quàm Phyſico, ſuarum partium cognitio; conuincitur ſanè non rectè ſeparaſſe Galenum,per diſſectionis cognitionem,Medicum à Chirurgo.

Vt verò hæc omnia perpendas intimiùs, notabis, du-

D pliciter poſſe conſiderari neceſſitatem anatomicæ cognitionis.vel provt neceſſaria eſt ad affectuum, & affecti loci cognitionem, vel ad curationem. Quod ad primum attinet; ſummopere neceſſarium Medico eſt phyſico, ad internos affectus dignoſcendos, in diſſectione eſſe verſatum.non ſic autem Chirurgo. Cùm enim externa mala præcipuè conſideret,& hæc ſenſui ſint manifeſta, cùm in ipſa ſint ſuperficie,anatomica ambage non alia indiget, vt in curationem illorum deueniat.

Quod ad curationem verò attinet, è contra res ſe habet: nam Phyſico ad affectum curandum ſufficiens eſt quæcunque, licèt non exacta cognitio, compoſitionis corporis,aut membri curandi;Chirurgo verò exacta eiuſdem notitia omnino requiritur, ac diſſectionis, ad hoc

E vt commodè ſecare ſciat, vrere, aut ſcindere, quæ ſunt illius munera. Cùm verò Galenus *in opere de loc. affectis*, quod theoricum eſt, anatomicam diſciplinam conſideraſſet in ordine ad affectum, & affecti loci cognitionem, ideò eam quidem Phyſico neceſſariam eſſe, non autem Chirurgo pronunciauit.

His iactis, argumentum primum ſolue, negando anatomicam peritiam ad ſolum pertinere Chirurgum, quum magis ad Phyſicum ſpectet, ſaltem ratione agnitionis affectuum, de quo *lib.*1.*de loc.* negando rurſus, eam ſolùm comparari diſſecando corpora; ex libri enim doctrina, ſimul & frequenti diſſectorum conſpectu, ſufficienter acquiritur: diſſecare autem ad Chirurgum, tanquam ad Phyſici miniſtrum pertinet.

Vel aliter reſponderi poteſt: ad vtrumque ſcilicet artificem æqualiter pertinere partium ſtructuram agnoſcere; ad Phyſicum, internarum, externarum ad Chi-

rurgum:

rurgum: Verùm cùm Galenus de internis ageret, anatomen Phyſico commendauit, non autem Chirurgo, quoniam de affectibus illi ſubiectis non proponebat agere. Vulnera interna, quæ Medicus tractat, & externa, quæ Chirurgus, nec ratione ſui, nec ratione medij differunt ſpecie, niſi fortè membri ratione in qua ſunt: nam alia ſunt intra, alia extra corpus.

Ad ſecundum. Non negat memoratas artis partes ad Phyſicum requiri, & ipſum perficere, non minus quàm anatomicam contemplationem: de illis tamen non meminit, quoniam ad laborantis loci notitiam, de quo in præſenti erat ſermo, non deducunt.

De tertio ſciendum eſt, non eſſe facilè diiudicare, per quid Phyſicus, & Chirurgus inter ſe ſeiungantur, quæve ſint propria cuiuſque munera. Et non ſeiungi quidem per illud quod varia morborum genera vtriſque proponantur: (quemadmodum putarunt multi) apertè in hoc tertio argumento conuincitur.

Opinantur alij, ſeparari inter ſe prædictos artifices, tantùm ratione auxilij, inſtrumentive, quod vnicuique proponitur diuerſum ad operandum: exiſtimant enim vtriuſque ſimul munus, & officium eſſe, internos pariter, & externos affectus curare; ſed Phyſici, victu, & medicamentis; Chirurgi verò, manuali operatione. Primum oſtenditur. Interna, & externa mala ſimili curandi methodo tractantur, remediiſque ſimilem facultatem habentibus, Ergo nulla videtur ratio, cur eorum curatio ad eundem Phyſicum non pertineat,

Quod autem ad Chirurgum vtrumque morbi genus ſimiliter ſpectet, in externis quidem cùm res frequentiſſima ſit, ſatis conſtat: in internis verò, vt cùm hydropicum perforat, vel ſuppuratum, non poſſe tranſgredi vltra manuum operationem, colligitur ex Hip. *in ſuo iureiurando*, & ex eo quod ſcribit Galenus *ad Thraſybul. cap.* 23. *& 24. & paſſim*, vnam eſſe artem medendi, ſed eius partes tres, & inter ſe diuerſas, quarum vna Chirurgia dicitur, id eſt, manualiter operans, 1. *de anatomic. adminiſt. cap.* 3. Cùm ergo Chirurgus à Chirurgia dicatur, non poterit vſum operandi manualiter tranſcendere, quod ſolum Chirurgiæ eſt: alioqui confunderentur Medicinæ partes inter ſe diſtinctæ, & Chirurgia non eſſet Chirurgia, hoc eſt, Medicinæ pars, cuius ſola eſt manualis operatio.

Accedit in eiuſdem confirmationem, quod idem Galenus teſtatur *6. meth. vlt.* Phyſici eſſe, duplici vti artis inſtrumento, licèt ipſe fateatur, ſe in Græcia tertio etiam vſum fuiſſe. Alterius verò, nempe Chirurgi, manu operari, & hoc non ſuo ductu, ſed Medico tantùm domino præcipiente. Quare ſolum manus inſtrumentum videtur relinqui Chirurgo, reliqua autem, victum, & medicamenta non poſſe attingere: atque ita exiſtimat penès inſtrumenta ſeparari inter ſe prædictos artifices.

Aliis magis placet, ſeparari potiùs per morborum ſitus, quàm per auxilia, inſtrumentáve: exiſtimant enim non minùs eſſe Chirugi externa mala victu, medicamentis, & manu curare, quàm Phyſici interna eiſdem tribus auxiliis. Adiiciunt tamen, quòd quemadmodum in internis malis vbi requiritur manuale opus; Chirurgus aliquando à Phyſico accerſitur; ita in externis, vbi grauia fuerint, & magna requiruntur auxilia victus, & medicamentorum, Chirurgo Phyſicum conſulere oportet, id quod ex Galeno colligi videtur 3. *de compoſ. medic. ſec. gener. cap.* 2. dum ex multorum ſententia, quam approbat, affirmat Medicinæ partes mutuam opem requirere, licèt ex ſe diuerſæ ſint, tum quæ manu, tum quæ medicamentis & victu medetur: maximè illam quæ manu curat, reliquis duabus indigere.

Confirmatur huiuſmodi ſententia, ex eo quòd in ſcriptis de Chirurgia libris, etiam victus ratio, & medicamenta edocentur, de quibus interrogati Chirurgi reſpondent, antequam medendi facultatem conſequantur. Deinde ad mala externa ſananda, vltra manuum operationem, neceſſaria eſt victus, & medicamentorum inſtitutio. Sed oppreſſio magna foret, grauéque Reipublicæ diſpendium, ſi ad vlcus, aut externam phlegmonem, tumorémve ſanandum, duo eſſent vocandt, remunerandíque artifices. Ergo ſatius fuerit internis morbis Phyſicum, externis varò præfici Chirurgum, qui ex ſe, & victum poſſit inſtituere, & medicamenta, quemadmodum conſtituta eſt obſtetrix, quæ partubus præeſſet, & citra Medicorum præſcriptum remediis Medicis vteretur. Verùm Chirurgi medicamentorum vires, & alimentorum facultates ſatis non agnoſcunt, vnde etiam medicamentorum modum, methodúmve tractare non poſſunt, nec debent magna remedia ſine diſpendio, præſertim in grauioribus morbis præſcribi.

Et retenta prima quidem ex enumeratis ſententiis, ad tertium argumentum reſpondetur, ſumpto nomine Medici latè: etiam comprehendi Chirurgum; & ita intelligenda ſunt loca, vbi Medicus appellatur: non verò ſi preſſè accipiatur: atque ſic primò ad Chirurgum non pertinent prima duo artis noſtræ auxilia, neque abſque Medici præſcripto illis poteſt vti, ſed ea à Medico Phyſico petenda ſunt, cuius ſunt principia.

Quòd ſi ſecunda magis placet, non diſtingui ſcilicet penès inſtrumenta, ſed licere vtriſque eiſdem vti auxiliis, nec niſi penès varios morborum ſitus diſtingui, minùs vrget argumentum: non enim negat Galenus, neceſſariam etiam eſſe Chirurgo anatomiæ cognitionem, ſed cùm de internis dignoſcendis affectibus ageret, qui ſolius Phyſici, & non Chirurgi ſunt, iuxta ſecundam ſententiam Phyſico ſolùm anatomiam commendauit.

Nec huic ſecundæ obſtant primæ fundamenta. Non primum, quoniam licet diuerſa ſit Chirurgia ab aliis Medicinæ partibus, & ab ea deductum nomen habeat Chirurgus, non ita tamen diuerſæ ſunt, vt quodammodo mutuò ſe non participent, mutuámque opem requirant, ſed pars vna diætetica dicitur, quoniam præcipuè verſatur circa inſtitutionem victus, & ſic de reliquis. Minùs obſtat illa Romanorum Medicorum conſuetudo, de qua Galenus *6. meth. cit.* apud quos Chirurgi tanquam miniſtri ſola manu operabantur, & hoc præcipientibus ſolùm Medicis: nec enim illa apud nos obſeruatur, immò vtilius quodammodo eſt Reipublicæ, exemptos eſſe à Medici imperio Chirurgos. De quo argumento lege Valleriolam, *lib.* 3. *loc. com. cap.* 17.

HISTOR. V. ALBVCASIS,
De flatu vago.

Flatus furioſi hiſtoria mira.

ÆGritudo hæc nominatur in terra noſtra NaKir, & eſt dolor qui accidit in quibuſdam membris, deinde permutatur de membro ad membrum. Huiuſmodi exemplum vidi ego tale. Vocatus ſum ad mulierem quandam infirmam in quadam villa. & detexit brachium ſuum, & vidi inflationem paruam in vena brachij, & poſt horam vnam vidi inflationem illam ambulare cum focilli, ſicut procedit vermis, aſcendendo ad humerum celeriùs quàm credi poteſt & mouebatur ſicut argentum viuum, cùm currit de loco in locum. Receſſit ergo dolor ex loco, qui primùm doluerat, & fixus eſt in humero: deinde (vt narrauit mihi) reuoluebatur in toto corpore, quemadmodum & ego ipſe facilè deprehẽdere potui. Miratus ſum ergo velocitatem diſcurſionis eius de membro ad membrum; & ego antea nunquam videram ægritudinem quæ eſſet, qualis hæc in hac muliere. Multos quidem vidi, qui ſenſerunt dolorem permutari de membro ad membrum, ſed non hoc modo, aut hac celeritate. Nec hæc aliam cauſam coniicere poſſim, quàm quod mulier fuit ſole, & laboribus exhauſta, ſicuti ſunt, quæ ſunt ex villis, ſicci corporis, detectarum venarum. Hinc ergo apparet ſenſui illa ventoſitas permutata, & eſt neceſſe vt non appareat ſecundùm hunc modum, in illis qui ſunt delicioſi, & corporibus humidis, occultarum venarum. Cùm ergo moliris curationem eius, & ſenſit patiens illum dolorem, tunc ſi eſt, apparet oculis, ſicut diximus: tunc ſtringe ſuper ipſum, & ſub ipſo velociter & ſeca ſuper ipſum, donec egrediatur ventoſitas coarctata, & cauteriza locum. Si autem non vides locum affectum, & dolentem, cura

ipſum cùm ex uſſione corporis, & quopiam remedio quod expellit ventoſitates, & extenuat eas. Commodè autem fit pilulis fœtidis, & pilulis de ſerapino, & ſimilibus, &c. Albucaſis lib. 2. cap. 93.

PARAPHRASIS.

IN qualibet noſtri corporis parte flatus adnaſci, illámque diſtendendo, dolorem concitare, concors eſt Medicorum ſententia, edocta ab ipſo Galeno 14. *meth. cap.* 7. & 2. *ad Glauc. cap.* 6. Auic. 3. 4. *tract.* 2. *cap.* 16. quos à debilitate caloris innati generari demonſtrauimus, *lib.* 3 *in com. hiſt.* 21. Signum flatulenti humoris eſſe permutationem de loco ad locum, oſtendit Auic. 1. 3. *tract.* 2. *cap.* 7. In quibus autem partibus colligantur flatus, Galenus *lib. cit. ad Glaucon.* euidenter demonſtrat.

Flatus ergo in ventriculo generantur, ex cibis, aut humoribus pituitoſis à debili calore in vapores reſolutis: nec temerè dicit Galenus 3. *de ſympt. cauſ. cap.* 2. à debili calore ipſos generari, quia nec vehemens, ſeu abſoluta frigiditas; nec ſumma caliditas flatum gignere poſſunt; id quod exemplis ab externis rebus deſumptis Galenus confirmat: ſiquidem hyberno tempore, & flante Borea, frigidiſſimæ aëris conſtitutiones ſerenæ ſunt, & vaporibus prorſus deſtitutæ: ſimiliter æſtatis tempore calidiſſimæ conſtitutiones purum aërem reddunt: initio autem veris, & autumno, quibus temporibus calor debilis eſt & lenis, nebulas maximè generari experientia teſtatur. Quod ſimiliter in animantibus fieri certum eſt.

Flatus appellationes ſunt multiplices: ſi enim per os flatus excernitur, dicitur ructus; ſi per inferiora, appellatur flatus: hic verò vel cum ſtrepitu, vel ſine illo excernitur. Vbi verò per neutram partem, hoc eſt, nec per os, nec per aluum expellitur, inflatio à Latinis vocatur. Cùm verò in inteſtinis continentur, & huc illúcque refluunt, varios concitant ſtrepitus: alij enim acuti ſunt, tenuéſque, ſonori, & graues: obſcuri plurimi redduntur, cuius diſcriminis cauſam Galenus *in cit. loc. de cauſ. ſympt.* tam ad excrementi quantitatem, & qualitatem, quàm etiam ad locum referre videtur.

Notabis deinde, quòd per flatum Galenus intelligit inflationem, & ſolet etiam appellari ſpiritus, vt conſtat ex Galeno 4. *acut.* 20. & 14 *meth. cit.* inflationem vocat ſequutam ad halituoſos ſpiritus, ſcilicet craſſos, tenues, medios. Ex hac appellatione cibos vocamus flatuoſos; immò & hominem hypochondriacum, & melancholicum appellat flatuoſum Galen. 6. *epid. ſect.* 3. *com.* 12. Hoc modo faba eſt natura ſua flatuoſa, 1. *acut.* 18. & *lib. de bonit. & vit. ſuccor. cap.* 13. quando cibus eſt flatuoſus, & debilitas adeſt innati caloris, tunc flatus ſolent generari: de quibus egit Hip. cum Gal. 2. *prog.* 24. eſt enim in alimento pars perſæpe humida, tam tenaciter cum aliis partibus coniuncta, à naturáque membrorum tam longè diſtans, vt per nullam coctionem in chylum poſſit tranſmutari; quæ vel in vaporem, qui inſenſibiliter expellitur; vel in parte in qua alteratur, in flatum vertitur, ex Galen. 2. *ad Glauc. cap.* 7. Ex hoc oriuntur palpitatio, priapiſmus, & flatuoſus tumor: de quibus affectibus *lib.* 5. *de loc. affect. & loc. meth. cit.* diſſeruit ad plenum Galenus.

Sed dubitabis cur apud Ariſt. 10. *ſect. probl.* 5. Solus homo inter cætera animantia magis flatuoſus ſit, quum inter omnia animalia ſit calidiſſimum, 4. *probl.* 7. & 10. *probl.* 26. & minùs flatuoſa ſumat, quàm bruta, quæ fabis, herbis, & aliis fruticibus crudis perpetuò veſcuntur? Dic dupliciter flatuoſum dici, per ſe, & per accidens: illo modo non eſt verum hominem eſſe flatuoſum, quum ſit calidiſſimus: per accidens verò frequentiùs tentari flatibus dicimus, ob intempeſtiuum, & varium alimentorum vſum, quæ cùm non coquantur, in cruditatem abeunt, & in flatum. Accedit quòd animalia ob frequens exercitium minorem flatuum copiam coaceruant; is enim motu inſenſibiliter per cutaneos meatus euaneſcit. Lege Silanum de Nigris, *in* 9. *ad Almanſ. cap. de colico dolore.*

Dubitabis ſecundò. Cur venæ flatulenta materia turgere poſſunt, ſi ſanguine calidiſſimo ſunt refertæ, cuius calore ea facillimè reſoluitur? Dic, in vaſis furioſum flatum generari poſſe, qui huc & illùc refluens, & agitatus, ea (præſertim in gracilibus, & extenuatis) in tumorem eleuet: nam ſi alia membra hoc ſpiritu turgida, vt colon, genitalia, guttur intumeſcunt, ex Auic. *loc. cit.* Rhaſio *tract.* 3. *cont. cap* 9. immò diſtenduntur, & rumpuntur, ex Beniuenio *lib. de abdit. cap.* 40. & 81. cur non venæ?

Turgere flatum concedit Galenus 1. *criſ.* 9 *in fin.* & ratio dictat: nam inordinato, & impetuoſo motu per venas, & vniuerſum corpus mouetur: nec credibile eſt hunc dolorem ſolùm fuiſſe excitatum in venis, ſed etiam in partibus eas contingentibus, aliqua flatus portione ad ambitum corporis tranſmiſſa, quemadmodum in intermittentibus fieri conſpicimus, ex qua diſtentæ dolent: hoc modo in vtero à flatuoſa materia occupato vehemens dolor excitatur, ex Auic. 21. 3. *tract.* 2. *cap. vlt.* & plurimis exemplis probauit Adrianus Alemanus *in com. lib. Hip. de flatibus, in med.*

Cùm ergo tumor, & ingens dolor ex furioſo ſpiritu pronaſcitur tunc ſtringe, hoc eſt, comprime, nam compreſſio eſt benefica parti dolenti. Si non proſit cauteriſa locum, vt roboretur pars, & ſpiritus intus incluſus & retentus, vel egrediatur, vel à calore reſolutus euaneſcat. Si locus eſt occultus, & æger carnoſus & pinguis, tunc exercitium optimum eſt; attenuat enim ſpiritum, eúmque abſumit: vel vtere iis medicamentis quæ calida ſunt, & tenuium partium, vnáque pituitoſos humores euacuare nata ſunt: de quorum vſu ſeorſim *in praxi hiſtoriarum* proponemus plura.

Sed ſupereſt explicandus vſus pilularum fœtidarum, & de ſerapino, quarum vtilitas pro frigidis humoribus vacuandis eſt maxima: quoniam fœtidæ, præterquam quòd pituitam craſſam valentiùs per aluum expurgant, nebuloſos flatus mirè reſoluunt, & fortiores vires expoſtulant, quàm quæ de ſerapino, ſeu de ſagapeno appellantur, quæ pituitam lentam, viſcidam & alios tenaces humores ex ventriculo, inteſtinis, cerebro, neruis, pulmone, thorace, iuncturis euacuant; quibus etſi doctiſſimus Manardus ſe nunquam fuiſſe vſum aſſeueret, *in com. Meſuë, tract. de pilulis de ſerapino*: tamen ſi neceſſitas vrgeat illis vti optimum eſt, vt firmat Vigo *lib.* 5. *antidotarij, ſum.* 1. *tract.* 9. *in fin. tit. de pilulis de ſerapino.* Cætera quæ reſoluunt flatus præſidia lege apud Nicolum *ſerm.* 7. *tract.* 3. *ſum.* 2. *cap.* 45. Cardanum *conſil.* 5. *de dolore vago.*

HISTOR. VI. GALENI.
De *noxis ſequutis ad eſum tritici elixi.*

Ex nimio tritici cocti eſu, ſæua ſymtomata ſequuntur.

NIſi ipſe aliquando triticum in aqua elixum comediſſem, nunquam aliquem eius vſum in cibo eſſe credidiſſem. Neque enim fame graſſante ad hunc vtendi modum quis acceſſerit, quum ſuppetente tritico, panem ex eo facere poſſit: in cœna verò quemadmodum elixum, frixúmve cicer, & alia quædam ſemina ſimiliter parata, pro tragematibus, quæ vocant, ſumuntur; ita triticum elixum à nemine ſumitur. Ob eas ſanè cauſas nunquam credidiſſem, quempiam triticum elixum eſitaſſe. Cùm autem ipſe aliquandò rus procul ab vrbe, cum duobus adoleſcentibus meis æqualibus profectus, ruſticos tam cœnatos deprehendiſſem, & mulieres ſeſe, vt panem facerent, accingere: vnúſque ex ipſis repentè triticum in ollam coniectum coxiſſet, deinde ſalè mediocri conditum, vt ederemus, eſſet hortatus, abundè certè comedimus, pondus tamen in ventriculo ſenſimus vt lutum ipſi incumbere videretur. Et cùm poſtero die non coxiſſemus, totum diem cibum ita faſtidiuimus, vt nihil edere potuerimus: prætereà flatulento ſpiritu eramus pleni, capútque dolebat, & oculi caligabant. Neque enim per aluum quicquam

excreueramus;

excreueramus,quod vnicum in cruditatibus eſt remedium,&c. *Galenus* lib.1.de aliment facult.cap.7.

PARAPHRASIS.

TRiticum licèt inter frumentacea primum locum ſibi vendicet, quia ſimillimum eſt naturæ humanæ, & magis nutrit,vt *lib.diætar.particul.* probauit Iſhac, *titul. de pane triticeo*, & Petrus Hiſpanus doctè explicuit *in com*, ex cuius farina,ſimilia,ſimilagine, multiplices panis differentiæ conficiuntur; tamen elixum, craſſiſſimi ſucci eſt, tenacis, & obſtruentis valde, & ita ſtomacho graue, & onerоſum, vt nec animalia id edentia concoquere queant: ſed præ lentore & viſciditate, in ventriculo remanens indigeſtum, obſtruit, viſceráque infarcit: quare præ obſtructione, diſtributionis ſequitur impedimentum, ſanguis non ita tranſpirat, & partibus refrigerium denegatur.

Ex iis iecoris, & renum meatus adſtringuntur; quare grauitatis ſecundùm prædictas partes ſenſus enaſcitur, & dolor nonnunquam ſuboritur. Hoc modo plenitudinis collectio in meſaræi, ſimarúmque viſceris partium venis progignitur; ex qua periculum rurſus eſt, ne aut phlegmone inſequatur partium, in quibus facta collectio fuerit, aut redundantium humorum ipſorum putredo oriatur, vt *lib.de ſuccor.bonit. & vitio,cap.*2. confirmat Galenus.

Hoc euidenti ratione patet manifeſtè: nam ſi farina tritici, longo interuallo tritico tenuior, difficilis eſt concoctionis,niſi per ſalem, aut fermentum attenuetur, quid erit de non triturato tritico dicendum, quod ſuapte natura contumaciſſimum eſt ad concoquendum, & flatu ventriculum craſſo perturbat, ipſiúſque calorem innatum ſuffocat,& premit? Quare deiicitur appetentia; flatulento ſpiritu ex infauſta coctione generato ſtomachus ſubuertitur,qui in caput, & inſtrumenta ſenſuum conuolans,cerebrum concutit, viſúmque obtundit.

Sed quid reſpondebimus Paulo,qui *lib.*7. *tit. de tritico*, hoc,nonnihil glutinoſum, & obſtructioni efficax habere affirmat? Dic, triticum non tanta obſtruendi vi pollere, ſicut quum tempore famis aſſumitur; rapitur enim intempeſtiuè crudum ad inanitas venas. Solue ſecundò, triticum graue ac denſum, viſcidiſſimum ſuccum gignere: rarum autem,leue,& intus candidum,minùs obſtruere, ex Oribaſio *lib.*4 *ſynopſ cap.*4. Lege quæ de tritici, & panis electione diximus *lib.*2.*in com. hiſtor.*32. & plura de eius differentiis quære apud Hermolaum Barbarum, *lib.*2. *Corollarior.in Dioſcoridem,cap.*309.& perdoctum Ludouic. Nonnium *lib.*1.*de re cibaria,cap.*2.

HISTOR. VII. GALENI, & Rhaſij, de extenuando corpore craſſo.

Corporis obeſitas, victu extenuante, frictione, exercitio, & aliis auxiliis perſanata.

IPſe namque iuuenem quendam quadraginta circiter annos natum,oppidóque obeſum perſanaui, vſus tum antidoto, quæ aduerſus articularia vitia eſt compoſita, tum ſale theriaco, ipſáque theriaca, ac reliquo extenuante victu, & pro exercitatione curſu veloci. Porrò præparaui hominem ad curſum, perfricando primum linteis aſperis, quoad cutis ruberet; dein ſtatim cum oleo quod in ſe digerens aliquod medicamentū habebat: quo etiam poſt curſum rurſus vtebar. Talia medicamenta ſunt, tum ſylueſtris cucumeris radix, tum althæa, tum gentiana, tum ariſtolochia, tum panacis radix, tum polium, tum centaurium. Per hyemem verò etiam à balneo, iam dicto oleo hominem reunxiſſe profuerit. Verùm cibum exhibere non ſtatim à balneo, ſed interpoſito ſomno conueniet. Quòd ſi velit etiam ante cibum lauari, permittes. Magis etiam ad rem pertinebit, ſi aqua ipſi digerendi facultas inſit. Ac ſiquidem talem aliquam ſponte natam habemus, ipſa vtemur: cuiuſmodi in Lesbo viſitur, à Mytilene ſtadiis quadraginta: ſin minus, ſimilem aliquam moliemur, quæ hydropicis & tumefactis idonea eſt, vtpote valenter deſiccans: ita profecto vt præpinguibus, ac præcipuè ſi quis ipſos cogat in ea celerrimè natare, nec poſt longam lauationem protinus eſſe, ſed ſomno interpoſito, aut omnino ſaltem quiete. Sane illud eſt ſciendum, & ob eo qui obeſitatem curat prædicendum, quod febris ad rem propoſitam aliena non erit, vtique ſi Medicus recte omnia faciat, &c. Galenus lib. 14. meth.cap.15.*repetit* lib.6.de ſanit.tuend. cap.8.

Ego quoque curaui quendam iuuenem, appropinquantem ætati quadraginta annorum, cuius corpus ingroſſatum erat vltima ingroſſatione,cum electuario quod datur in dolore iuncturarum, & cum ſale confecto cum viperis, & cum therica ipſa Sed fricabam eum imprimis cum pannis lineis groſſis, dum rubrificaretur cutis eius; deinde cum oleo mixto cum medicinis diſſolutis,vtendo cum hoc,toto regimine attenuatiuo, & exercitio cum frictione veloci vehementer facta pluries; & poſt frictionem ipſa vnctione facta cum ipſo oleo, &c. Raſius lib.14. continent.tract.3. cap.2. de cura ingroſſationis.

PARAPHRASIS.

DE cura corporis craſſi & obeſi,agunt in his hiſtoriis Galenus, & Rhaſius, quomodo nempe ipſum eliquandum ſit,& extenuandum. Sed cur ita ſoliciti ſint in perſananda obeſitate, meritò inquires, cùm ipſa incurabilis ſit; quare dicebat Galenus *lib.*14.*meth.cap.*15. Nicomachum illum obeſiſſimum, vt curaretur indiguiſſe Æſculapio? Dic,quòd obeſitas ex Gal.2.*de temp.cap.*4. duplex eſt, altera naturalis, accidentalis alia: illa immedicabilis eſt; hæc cùm ſit aduentitia,& à multis cauſis profecta, curationem admittit.

Multa autem cogunt Medicos, vt obeſis remedia applicent, quoniam in plurima damna incidere ſunt parati, quæ ex profeſſo referunt Auic. 7. 4. *tract.*4.*cap.*6. *in med*, Rhaſius *lib.*9.*ad Almanſ.cap.*61. cùm enim ob pinguedinis copiam, vaſa anguſta habeant, præ obſtructionibus internis non rectè ventilatum corpus, & crudorum humorum ſaburra refertum, facilè incidit in appoplexiam, paralyſim, aſthma, ſyncopen, & mortem repentinam; quæ omnia in tenui corpore vix eueniunt, teſte Celſo *lib.*2.*cap.*1.

Accedit quòd obeſi ob rationes dictas citiùs intereant, quàm qui graciles, vt 2.*aph.*44.confirmat Hip. cùm enim alimentum vertatur in pinguedinem, ſanguine orbantur, & calore natiuo, & ſic breuiorem vitam agunt, vt doctè explanat Ambroſ.Nonnius *in com.* Quare citiùs capiuntur morbis, triſtiùs ægrotant, & difficiliùs curantur, vt ſcitè aduertit Heurnius *in com.* quoniam nec per obſtructa vaſa medicamenta penetrare,nec ob virtutis imbecillitatem ad actum reduci queunt.

Adde aliam efficaciſſimam cauſam, quoniam ab obeſitate actiones vitiantur; violantur enim, quæ ad ſpeciei conſeruationem pertinent. In mulieribus nimis obeſis læditur fœcunditas: nam ab omenti pinguedine os vteri ita comprimitur, vt viri ſemen admittere nequeat. Quæcunque præter naturam craſſæ, non concipiunt vtero: iis omentum os vteri comprimit, menſtrua deficiunt, ſemen frigidius eſt, & liquidius: nam obeſiora animalia ſunt frigidiora,ex Ariſt.2.*de part.animal.*5.& ſanguis in pinguedinem,non in ſemen conuertitur.

Obeſi minùs appetunt, minùs concoquunt, minorem ſanguinis quantitatem generant, vix ambulare poſſunt, torpent, non exercentur, & moleſtiſſimo veluti carcere ſunt detenti,ingenio,& intellectu minùs valent: nam à pituitoſo humore,& pinguedine multi eleuantur halitus,qui ſpiritus ſuapre natura tenuiſſimos diuerſimodè deturpant.

Elegit autem Galenus victum extenuantem, exercitium, digerentia medicamenta, balnea naturalia, & alia quæ diſſipandi vim habent, Sed in hac re eſt dubitatio non exigua, cur in corpore pleno, crudis ſuccis repleto, obſtructo, priùs hæc, citra totius prouidentiam conſulere auſus ſit? Nam ſi reſoluentia & deobſtruentia quin

corpus

corpus euacues, adminiſtres, in deteriora vitia ægrum conicies: hoc pacto Auic. *loc. cit.* vacuationes probat per aluum, & vomitum: explanat perdoctus Mercurialis *lib. de decorat. cap.* 6. Dic, quòd Galenus in attenuantibus, & digerentibus auxiliis totam repoſuit curationis ſpem, quoniam obeſi ſunt debiles, & ob natiui caloris penuriam, vacuationem inclementiam, & reſolutionem perſentiſcunt, non negans aliquando in iis vacuationem per aluum vtilem eſſe, & multi vſus, ſed eam tanquam rem notiſſimam non appoſuit.

Hoc modo liberandus eſt à calumnia multorum Galenus, quòd ſanguinis miſſionem in hoc affectu celebrandam non imperet, etſi Auicenna *loc. cit.* eam à parte oppoſita parti macrefaciendæ exequendam affirmet. Nam ſi obeſorum vires æſtimaueris, eos vacuationibus, & præcipuè phlebotomiæ eſſe ineptos iudicabis, cum Auicen. 41. *cap.* 20. qui in valde craſſis venæ ſectionem renuit, dum ſic ait. *A minutione tibi quoque cauere debes, in corporibus fortis groſſitiei, &c.* cùm enim hi frigidiore, & humidiore temperatura præditi ſint, à ſanguinis miſſione valde læduntur.

Hoc modo Galenus 1. *ad Glauc. cap.* 14. in iis, vel etiam acuto morbo correptis, cautè, & parcè ſanguinem eſſe mittendum ſuadet: quia ob virium debilitatem venam incidere ſummè eſt periculoſum, vt Cælius Aurelianus *lib.* 5. *tardar. paſſion. in fin.* confirmauit. Hi enim albi ſunt, molles, pigri, inertes, & ad quaſlibet obeundas functiones inepti: quare in craſſis, qui paucum ſanguinem habent, ex Galeno 6. *epid. ſect.* 3. *com.* 29. ſumma cum præmeditatione vena ſecanda eſt: ſic monent Nicolus *ſerm.* 7. *tract.* 6. *ſum.* 1. *cap.* 1. Euſtachius *lib.* 3. *praxis, cap.* 36. & Gentilis de Florentia & Dinus *in com. cit. loc. Auic.* hoc conſilium ſummopere probant: firmat Iacobus Pons *in ſuo tract. de licentioſa noſtri temporis ſanguinis miſſione.*

Sed quid reſpondebimus Auicennæ *loc. cit.* aſſerenti obeſos iuuari miſſo ſanguine: Sic enim ait. *Et in huiuſmodi quidem diſpoſitione quæ eſt ante eam, accidit eis conſtrictio anhelitus, & pulſus cordis; quare ſuccurritur tunc diſpoſitioni eorum cum phlebotomia, &c.* Quod ſenſit Rhaſius 4. *contin, tract.* 1. *cap.* 1. Dic: Auicenna vrgenti neceſſitati opitulatur, tunc enim venæ ſectio ratione obeſitatis non adminiſtratur, ſed ob ſuperueniens ſymptoma ſuſcipitur, quæ ſolutio ex Auic. contextu conſtat manifeſtè.

Approbat ergo Galenus extenuantia medicamenta, quæ humorem craſſum incidunt & abſumunt; ſicque vtitur antidoto, quod aduerſus articularia vitia eſt compoſitum, quod ad menſtrui, & vrinæ prouocationem eſt efficaciſſimum; in cuius compoſitionem ingrediuntur cucumeris ſylueſtris radix, gentiana, althæa, ariſtolochia, panacis radix, polium, centaurium, ſemen rutæ, petroſelinum, & alia quæ craſſos humores diſſoluunt, extenuant, ſudorem, & vrinam mouent.

Hac ratione mirum in modum iuuat ſal theriacus, & ipſa theriaca: ille enim lentos humores diſſipat, inanitque corpus, ratione ſalis ſuapte natura calidi, ex Dioſcoride *lib.* 5. *cap.* 75. Gal. 11. *ſimpl.* 50. & ſuperfluam abſumit humiditatem: & viperarum vi incidit, & attenuat vehementer, quum vipera, ex qua ſal theriacus paratur, abſtergat, calefaciat, & potenter exſiccet, ex Gal. 11. *ſimpl.* 1. Quare frigidis vitiis curandis apprimè eſt vtilis, & à Paulo in hoc affectu ſummopere commendatus, *lib.* 1. *cap.* 57. & *lib.* 7. *cap.* 11. quo loco illorum compoſitionem exactè deſcribit, *tit. ſales theriaci.*

Sic ad abſumendam pinguedinem exercitium neceſſarium eſt, idque validum, vt docet Haly 1. *pract.* 16. nam hoc calorem viuificat, dilatat vias, membra calefacit, liberat ab infarctu, excrementitiam reſoluit humiditatem, & quod plus eſt, ſudorem mouet, corpúſque leuius facit, ex Auic. 3. 1. *doct.* 2. *cap.* 1. Gal. 1. *de ſanit. tuend.* 14. & 2. *huius operis,* 2. & *lib. de venum dignot. cap.* 7. & eò magis, quum exercitium ſit ſpecies euacuationis, ex Galen. 4. *aph.* 2. & 2. *aph.* 17. explicat Fernelius *lib.* 2. *de ven. ſect. c.* 20. eo enim vires fiunt robuſtiores, & calor noſter firmior euadit, ex Celſo *in præfat.* cuius loco, curſu veloci poſſunt ægrotantes vti; quare eum ad abſumendam pinguedinem

Lib. VI.

A tantoperè laudauit Hip. *l. de de ſalubri diæta, num.* 2. & *lib.* 2. *de diæt. num.* 41.

Frictiones præparant corpus, attenuant craſſos humores, & in halitum digerunt, quum habeant loco exercitij, ex Gal. *lib. de puero epileptico, cap.* 4. Immò ſi ſolæ fiant, aliarum motionum vicem ſupplent: frictio enim multa, & aſpera corporis molem deprimit, vt *l.* 1. *cap.* 18. Paulus edocuit. Inunctio per totum corporis ambitum celebrata, cui aliquod digerens medicamen ſit admixtum, in hunc vſum eſt vtiliſſima.

Balnea naturalia, ferri, nitri, ſulphuris, maximas ſortiuntur vires, nam hæc potenter exſiccant, vt docuit Galenus 7. *ſec. loc. cap.* 5. de quorum facultate pro hoc curando affectu, plura lege apud Matthæum *conſil.* 109. Si deſint, artificialia ſunt paranda, quæ ſimilia poſſunt fieri naturalibus, ex Gal. 3. *alim.* 15. quorum materiam propoſuit Ioan. Baptiſt. Theodoſius *epiſt. vlt.* & deſcripſit etiam eruditiſſimus Fonſeca *lib.* 1. *conſult.* 32.

B Cibus poſt balneum non ſtatim exhibendus: ſic enim denegata alimonia arefit corpus. Sed ſi hoc ita eſt, cur Galenus 7. *meth.* 6. ſtatim poſt balneum lac propinat? §. *Ab eiuſmodi lauacro ſtatim aſinimum exhibui lac.* Dic. Diſpar in vtroque exemplo eſt ratio; nam in obeſis corporis molem diſſipare, in extenuatis, de quibus Galen. 7. *meth.* reficere, & corporis habitum craſſefacere conamur. In hunc vſum ſomnum poſt balneum commendat, quoniam exſiccat: calor enim ad interiores ſedes redactus, & alimentum digerendum non inueniens, carnem colliquat & abſumit, & ſic rarefaciendo, corpus attenuat.

Demum concludit, quòd ſi ex medicamentis calidis tam intus aſſumptis, quàm extra appoſitis febris excitetur, ea ad extenuandum corpus erit vtiliſſima: nam caloris proprium eſt humidum reſoluere: quòd ſi ſit extraneus,
C potentiùs id efficiet. Verùm autem febris pro hoc, & aliis curandis frigidis affectibus, ſit à Medico excitanda, diſceptauimus *lib.* 1. *in com. hiſt.* 35. Si tamen pro extenuando corpore craſſo ſelecta præſidia legere cupis, ea proponunt eleganter Fallopius *tract. de decorat. cap.* 5. Trincauellius *lib.* 1. *conſil.* 19.

HISTOR. VIII. GALENI, *De manna.*

Mannæ, ſeu mellis aërei hiſtoria elegans.

M*Emini aliquando cùm æſtate ſuper arborum, ac fruticum, herbarúmque folia mel quàm plurimum fuiſſe*
D *repertum, agricolas velut ludentes cecin ſſe, Iuppiter melle pluit. Præceſſerat autem nox, vt per æſtatem, benefrigida, pridiéque calida & ſicca fuerat aëris temperies. Peritis quidem natura interpretibus videbatur, halitus è terra, & equis à ſolis calore ſublatos, & deinde exactè tenuatos, ac coctos, à frigore ſecutæ noctis concretos coaluiſſe. Apud nos verò rarò id accidit, in monte autem Libano quotannis perſæpe. Itaque coria ſuper terram extendentes, & arbores excutientes, quod ab eis defluit, excipiunt, & ollas ac fictilia melle implent, vocantque id droſomeli, & aëromeli, id eſt, mel roſcidum, & aëreum, &c. Galenus* lib. 3. de alimentor. facult. cap. 39.

PARAPHRASIS.

E MAnna apud Græcos minutum thus ſignificat, vt teſtatur Dioſcorides *lib.* 4. *cap.* 17. & Galenus edocuit *lib.* 13. *meth. cap.* 5. qui mannam, purgamentum eſſe thuris leui adſtrictione præditum aſſeuerat: de quo argumento lege Fuchſium 1. *paradox.* 6. Quare meritò Manardus *lib.* 1. *epiſt.* 4. eos coarguit, qui antiquiores Medicos ante Galeni tempus, de noſtra manna purgatrice loquutos fuiſſe ſibi perſuadent.

Fallitur etiam Hermolaus Barbarus, meritò reprehenſus à Muſa *in examine ſimplicium,* & Matthiolo *l.* 1. *cap.* 29. qui

LLLl Dioſco

Dioſcoridis Elæomeli,idem eſſe quod noſtrum aëromeli, id eſt, mel aëreum exiſtimat, cùm ex ipſo Dioſcoride conſtet *cap.de Elæomelite*, & Plinio *lib.15. cap.7. & lib. 3. cap. 4.* Elæomeli, oleum eſſe ex caudice cuiuſdam arboris in Syria naſcentis emanans, melle craſſius, & ſapore dulcius.

Galenum ergo mannam cognouiſſe, & nomine mellis aërei,ſeu roſcidi appellaſſe,ex hac hiſtoria conſtat apertè, in qua generationis modum exactè deſcribit. Quare Auerrhoës *lib.5.colliget*, fortè quoniam non habuit Galeni codicem rectè correctum, accuſandus eſt,quod dixerit mannam eſſe medicamentum, quod poſt Galeni tempora à Medicis cognitum eſt.

Manna. Hebræis Man. (Græcis dicitur Manna) nomen eſt Hebraïcum & Syriacum, quod apud Latinos, & Græcos ſignificat rorem melleum matutinum,vt notat Cælius *lib.13.cap.46. Man*, idem eſt quod donum immiſſum gratiosè, ſine vinculo aliquo obligationis, quo teneatur ille qui elargitur. Quare *Man* Hebræis idem eſt quod cibus, ſimilæ, ſeu pollini farinæ cum melle permixtæ non diſſimilis. *Exod.16* quare huius rei nouitate commoti Hebræi, accurrerunt ad Moſen ſapientiſſimum, & in naturæ arcanis diligenter inſtructum,vt quid de eo alimento ſentiret, illis pronuntiaret: qui concinnè illis præbuit reſponſum, dicens panem eſſe conceſſum hominibus, qui etſi valde dubij,vtpote cibi nouitate,tempore,ſpecie,& natura nunquam antea à patribus ſuis cogniti valde permoti,Moyſis explicatione contenti permanſerunt.

De generatione mannæ varij varia protulere: vnum ſolum conſtat, Ariſtotelem naturæ arcanorum ſagaciſſimum ſpeculatorem, in duo capita reduxiſſe, *lib.1. meteor. cap. 7.* omnia quæ ex hoc globo inferiori, Solis actione, in ſuperiorem regionem exhalant, quæ ſub nomine exhalationis,& vaporis comprehenduntur. Hæc verò modò ex viſceribus terræ per illius poros,anfractus, & cauernas ſubeunt, in ſuperiorémque volant vniuerſi partem, aëriſque ſupremum, infimum, & medium,quæ plus minúſve, huius vel illius naturam referunt, prout plus acceſſit aquæ,& terræ,aëriſque commixti,vt mixta illa imperfecta generentur atque conſiſtant, quæ ſi plus aquæ contineant, vapores ſunt;ſi plus terræ, exhalationes: eſt enim vapor aqua rarefacta; hæ verò calidæ, & ſiccæ, ab humiditate aquea immunes.

Exhalationes,vaporéſque humidi,cùm mixta ſint,vt & illa ex quibus fuere elementa ſuborta,qualitates mixtorum participant, ſapores,ſubſtantiæ modos, accidentia, & virtutes, vt modò vapores falſi conſcendant, modò frigidi, humidi,tenues,acidi, dulces,viſcidi,glutinoſi, aliis atque aliis ſaporibus,& accidentibus variis præditi. Exhalationes verò calidæ, oleoſæ, tenues, acres, dulces, ſiccæ, ob remiſſam ſalſedinem, oleoſo aëris temperamento, ex quo dulcedo exoritur, non ſecus ac pinguia ſali permixta, quæ hunc ſaporem reddunt, ſi parum ſalis multæ pinguedini miſceatur. Hæc ergo exhalatio ex terra ſpirans, triplicis mixti materia eſt, & ſubiectum, ſi recoquatur ampliùs, perficiatúrque locis à natura deſtinatis. Ex hac fit ſaccharum, mel, & alij ſapores dulces, quando arundines ſacchariferæ eam attrahunt in alimentum, ſugunt, alterant, commutant,perficiunt, & coquunt. Deinde hæc exhalatio, quum terram tranſcendit calida, & ſupremam aut mediam aëris petit regionem, frigore noctis, Solis abſentia, noctis decurſu, tempore æſtiuo, roris in naturam conuerſa, decidit concreta, pondere grauis, in eas ex quibus elata eſt partes, nocte ſerena, quieta, ne ventorum attritu rareſcat, miſceatúrque ventis, & abeat.

Ros verò dum ex tenui exhalatione ortum ducit,melli generando eſt aptus; dum ex craſſiori, denſioríque exhalatione, in ea proportione quam expetit mannæ natura, manna generatur, & exoritur. Neque enim continuò idem exhalationis genus aſcendit, nec idem deſcendit mixtum dulce ex aëre, ſed diuerſum pro diuerſa agentis, & paſſi natura: nam vere, & autumno aptior eſt generando melli tum ſolis virtus, & potentia; æſtate verò generando mannæ, quòd coctam magis, & meliùs

A permixtam, craſſiorémque hoc mixtum expetat vim: non enim vapor frigidus, aqueus, inſipidus materia eſt,ſubiectúmque generando mannæ,ſed eſt exhalatio craſſa,terrea,aërea,temperata, parum calida, pinguis, dulcis, à qua miſcella ſaporem dulcem per coctionem fieri, docuere Ariſt. *lib.de ſenſu & ſenſil.cap.3. & cit.meteor.* & Theophraſtus *lib.de ſaporib.cap. 5.* quæ exhalatio dum ſubſtantiæ eſt aëreæ, dulcem ſaporem reddit.

Exhalatio illa dulcis, & pinguis, quæ in rorem melleum, & dulcem abit, varias habet partes, vt rores diuerſi ex eadem generentur, decidántque continuò; quæ pro diuerſa agentis, & paſſi diſpoſitione, in varios rores melleos permutantur, ita vt multoties manna decidat cum rore aliquo aqueo, ex vaporibus genito; multoties ſine illo. Quare fit, vt aliquando decidat ros B liquidus, modò diſſectus in guttulas, modò concretus inſtar gummi, vt in puluerem redigi queat, ſacchari inſtar.

Deinde ſicut in diuerſis partibus,ex varia diſpoſitione cœleſti lapides,metalla & alia mixta generantur;ſic in diuerſis partibus, pro varia actione cœli, aſtrorum, climatum,frequentiſſimus eſt hic ros melleus, ſicut terræ Palæſtinæ,& Syriæ,in Libano:terra enim illa ſalutiferis abundat plantis,& multiplici herbarum genere vndique eſt referta, quæ hac dulci exhalatione enutrita, dulcia generat alimenta, ex quibus omnibus dulcis eleuatur exhalatio, ex qua manna originem ducit.

Inſuper non tota exhalatio in altum euolat, ſed non exigua à plantis, & radicibus attrahitur, & paulatim ab ipſis ſugitur in plantarum ſubſtantiam, & ibi alterata, & cocta, dulcior ampliùs melleáque euadit, & quantitate exuperans, reſudat per poros & meatus, hic mollis & C melleus totius arboris liquor, & per ramos, folia, & ſurculos, dulciſſimum hoc manna in maxima copia erumpit, liquidum ob oleoſam magis naturam, aëreámque quàm ille liquor, qui poſtea ſolis actionem perpeſſus, in concretum, & durum manna euadit. Hoc modo in fraxinis arboribus, ornis, quercubus annoſis in Calabria, & ficubus exoritur, & aliis bene ſatis, & feliciter enutritis arboribus, quæ ob robuſtiorem calorem, fortiter & auidè hanc hauriunt exhalationem, perficiunt, & coquunt, vt non minus doctè, quàm latè probat Altimarus *tract.prop. de differentiis & viribus mannæ*, qui mannam non eſſe ſolum rorem è cœlo cadentem, vt Arabes, & cum illis Medici opinantur; ſed eſſe ſuccum, humo- D rem, ſeu lachrymam arborum, allatis plurimis auctorum teſtimoniis contendit. Hoc experimento patet manifeſto: Nam ſi apud Brigantinos in Tranſalpina Gallia, aut in Neapolitano regno,has arbores,earúmque ramos,& truncos cultro incidas, ſuccus aliarum lachrymarum more diſtillabit. Denique ſicut thuris manna ex thuriferis arboribus,non ſecus ac maſtiche ex maſtichicis, & myrrha ex myrrhatis per poros arborum,à quibus progignitur, reſudat; ſic in Libano, & his regionibus præcipuè,coaleſcit manna gummi modo.

Duæ mannæ ſpecies apud Arabes, & præſertim Auicennam inueniuntur *lib.2.cap.493. & 494.* quo loco alterum de manna,aliud de tereniabin ſcripſit,vbi hæc numerauit,Tereniabin ſiracoſt, & mel de Cuſuram. Nam Tereniabin idem eſt Arabicè, quod ros melleus: mel verò de E Cuſuram, & Siracoſt, regiones ſunt, è quibus hæc duo mannæ genera adſportantur: *Sir* enim idem eſt quod *ſur* Arabicè; *ſur* verò deſertum eſt Arabiæ, à quo hic ros melleus copioſè aduehitur. *Coſt* verò mare, vt ſiracoſt idem ſit quod medicina ex ſur trans mare adſportata. *Cuſuram* ex *Curaſcire*, nomine Arabico mare rubrum notans: *cur* enim Arabicè eſt mare, *ſuram*, rubrum; quaſi ex regione illa adſportatum.

Hic ergo melleus ros à cœlo in plantas,& terram deſcendens, vel ex arboribus diſtillans, & reſudans, varios ſortitur vſus, & virtutes miras, ſi Meſuæ,Serapioni,Auerrhoi, & aliis Mauritanæ familiæ proceribus fidem adhibemus, necnon Matthiolo, Braſauolo, Ruellio, & cæteris iunioribus doctis, qui de Mannæ viribus ſcripſerunt apprimè. Cùm enim ex Meſuæ,& Serapionis auctoritate,in actiuis

primo ordine medicamen calidum ſit, & in paſſiuis tem- A peratum, in omni temperamento exhiberi poteſt: corpus enim impurum ab excrementis purificat vniuerſum, præcipuè à bile, quæ animi, mentiſque motus obſcurat magis, detergit pectus, lenit, & viſcidos ex thorace humores, vnáque tenues, citra capitis, aut ſpiritalium partium noxam expellit, viſcera firmat, roborat ventriculum, ſanguinem puriorem reddit, exhilarat cor, auget ſpiritus, ſitim ſedat, appetitum excitat, demum nulla eſt corporis pars, quæ ex eius vſu, mirabile leuamen, vtilitatémque maximam non ſuſcipiat.

Tutò ergo hoc medicamentum exhiberi poteſt iis, qui certa ratione validius medicamentum aſpernantur, pueris, & fœminis vterum geſtantibus, quum & commoditas vocat, & neceſſitas vrget: deinde quum febricitantis malacia reliquorum meditaminum vſus faſtidit, vt Actuarius *lib. de compoſ. medic. tit. de myrobalanis*, conſcripſit, & experimentum frequentiſſimum confirmat. Neque à medicamentorum purgantium albo eſt ſeparandum, quoniam Plinius, Dioſcorides; Galenus, de eius purgante B facultate quicquam non meminerunt; nam plura Arabes inuenerunt, quorum vires Græci planè ignorarunt. Conſule Bernardum Deſſenium *lib. 4. de compoſ. med. in Scholio confect. hamec. verba Thereniabi[illegible].*

Poſtquam de manna expurgatrice ſumus loquuti, de eo manna, quod Filiis Iſrael diuinitus conceſſum eſt tantiſper, Laconicè tamen, diſſeramus. Populus ergo ille amantiſſimus Deo, quem ſummo amore proſequebatur ſummus rerum omnium constructor, & Architectus, quòd in iis imago, ſuáque ipſius ſimilitudo eluceſceret aliis magis; ſuúmque Conditorem multò plus reliquis, aliis omnibus nationibus veritate, & iuſtitia prædicarent, & ſanctiſſimum illius nomen vehementiùs, & ſumma obſeruantia venerarentur, poſtquam dura ſer- C uitute, & captiuitate moleſta apud Ægyptios, quadringentis triginta annis expletis fuere oppreſſi, ob peccata commiſſa; deinde liberati per Moſen, & Aaron, iuſſu Domini in deſerto Sinai, deficiente alimento, de prouidentia Dei diffidere cœperunt, & malignitate quadam murmurantes, ſanctos Dei Prophetas laceſſere, & increpare non ceſſarunt. *Cur adduxiſtis nos de terra Ægypti? Vtinam mortui eſſemus per manum Domini ibidem, quando ſedebamus ſuper ollas carnium, & comedebamus panem in ſaturitate? Cur adduxiſtis nos in deſertum iſtud, vt occideretis omnem multitudinem fame?*

Quare omnipotens Deus hæc lamenta, & querelas exaudiens, eorum miſertus, dedit illis cibum, quem ignorabant patres eorum, & fuit manna, vt oſtenderet D quòd non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod egreditur ab ore Domini. Sed in explicanda natura mannæ cœlitus delapſi, ardua ſunt dubia, ambigua, & à pauciſſimis Medicorum explanata, quæ de illius generatione, & virtute in ſacra pagina recenſentur, quorum enucleationem iam aggredior.

Et primò ſic. Si manna Hebræis cœlitus demiſſum erat album, Exodi 16. ſimiléque pruinæ, cur eodem loco, & Numer. 11. cum ſemine coriandri confertur, quòd fului, flaui, aureique coloris eſſe cenſetur, vt docet Dioſcorides *lib. 3. cap. 69.* cum Plinio *lib. 20. cap. 20.* Rurſus ſi pruina ſquamarum more protenſarum in terram decidit, non rotunda, orbiculariſve, cur cum ſemine coriandri comparatur, quod rotundum eſt? Deinde cur eo loco manna, coloris bdellij fuiſſe narratur, ſi album erat, bdellium ve- E rò coloris ſit glutinis tauri, flaui, & rufi coloris, vt firmat Dioſcorides *lib. 1. cap. 80.*

Secundò. Si Man ſaporis eſt, & guſtus, quaſi ſimilæ cum melle permixtæ, Exodi 16. hoc eſt ſaporis pulticulæ melle permixtæ; quæ ex puriſſima farina fieri ſolet, cur Numer. 11. narratur, Man eſſe ſaporis oleati, hoc eſt, placentæ ex farina, & oleo paratæ? quæ quantum inter ſe diſſideant, ſatis patere arbitror.

Tertiò. Si Man, Sapientiæ *cap. 16.* non vnius, aut alterius ſaporis fuiſſe dicitur, ſed ad guſtum vniuſcuiuſque, & oblectamentum ſe accommodabat, & omnem ſaporem carnium, piſcium, cucumerum, peponum, ceparum, alliorum, porrorum in ſe continebat, inſipidum vt fuerit neceſſe eſt; & ita nec guſtum ſimilæ cum melle, aut oleati panis repræſentare poterat,

Quartò. Si Sole liquieſcebat, & ſummo mane, vt legitur Exodi 16. colligebatur ante ſolis æſtum, ne in halitus euaneſceret, quomodo frangebatur, friabiléque eſſe potuit, vt in puluerem redigeretur, & mola, more tritici, teri, & in farinam, ex qua panis conuerti poſſet, vt conſtat ex loco Numer. *cap. 16.* Quæ enim liqueſcunt Sole, & calore remiſſiori, qualis exiſtit mane ſummo, nimis ſunt humida, quum calore debili ſoluantur; hæc verò cùm non exiccentur, præcipuè à debili agente, non abeunt in puluerem. Hoc modo cera, mel, & alia oleoſa & pinguia, quæ ſole ſoluuntur, in puluerem poſtea redigi nequeunt. Manna ergo quum ſole incaleſcente euaneſceret totum, pulueriſari qualiter poſſet, dictu difficile eſt, noſtrum enim manna ſiue ex Libano aduectum; ſiue ex Calabria, nulla ratione, etſi conteratur millies, in puluerem redigi poteſt.

Vltimò. An manna illud ſimile aliquid habuerit cum noſtro, quo modò vtimur, dubium eſt. Nec minus difficultatis habet, cur manna illud patribus, & populo Hebræorum fuerit incognitum, quum in Libano Syriæ frequentiſſimum ſit à mundi initio, & ex eo loco adſportetur continuò, & in omnes mundi oras conuehatur, & Libanus parum diſtet à deſerto Sinai, vbi primò manna Hebræis eſt conceſſum.

Hæc etſi intricata; & perplexa ſatis, commodam habent explanationem. Dic ad primum. Manna cœlitus delapſum; citra hoc quòd inferioris naturæ opere egebat; ad formam coriandri repræſentabatur, præcipuè quod huius virentis ſemina principio, nimirum dum vireſcit, & germinat, albiſſima ſunt, & candida, perfectiſſimæ figuræ ſphæricæ, terſa, & polita, quo ſenſu potuit manna his aſſimilari. Non ſecus bdellium inuenitur puriſſimum; lucidum, perſpicuum natura, diaphanum. Deinde nihil vetat diuerſas fuiſſe mannæ partes, in figura, colore, & conditione, ſecundùm varias eius formas, pro materiæ ratione differentes, quantum naturæ ordo potuit conſeruari, & cum ſupernaturali ordine conſentire. Diutius verò conſeruabatur, quod erat rotundum forma coriandri, ſiccius, duriuſculum, coctum & magis ſolidum.

Ad ſecundum dic. Generoſum illud alimentum ſimul cum melleo rore deſcendens, ſaporis erat ſimilæ cum melle: tritum verò & confuſum: coctum & igne præparatum, panis oleati guſtum reddebat, tenuiori parte, aërea, & magis dulci, igne exoluta, relicta craſſiori ſubſtantia cum oleoſa, & viſcida; hos enim ſapores ſic generari docuere Ariſt. *lib. 4. de ſenſ. & ſenſil. c. 4.* Theophraſt. *lib. de ſap.* & Gal. *lib. 4 ſimpl. 7. 15. & 20.* & alibi ſæpè.

Ad tertium dic. Quòd hoc alimentum cœleſte, ſupra limites, exceſſumve naturæ fuit conceſſum; nam in ſapore, & guſtu, & omnes guſtus, & oblectamentum, voluptatémque rerum omnium explebat, provt ipſe rerum auctor moderabatur peculiares actiones, excedens actus; & opera naturæ, cohibénſque illam proprios exercere guſtus, quando opus erat miraculo ſupra omnem naturam; & ſuper ordinariam legem.

Ad quartum dic. Plurima ſunt in natura, quæ moderato calore, tepido & facili ſoluuntur & liquieſcunt, forti verò & vrente, humidis partibus exolutis ſiccantur, indurantúrque, quæ in parua copia continebantur in tali genere mixtorum, quo ſolùm ſuperſunt ſiccæ, & conſiſtentes portiones, induratæ & arefactæ, vt in reſina, & omni gummi genere conſpicitur. Deinde variæ partes mannæ occurrebant, quædam vt piſtillo tuſæ: inſtar pruinæ; quæ facilè exoluebantur; & euaneſcebant in halitus; ſi ſummo mane ante Solis exortum non colligebantur; aliæ coriandri forma conſiſtentes: & duræ; quæ etiamſi ad auroram non legebantur: facilè euolabant, aliter atque eorum ferebat natura, & quæ poſtea delectæ ſemel; diligenter teri: & frangi poterant mola: vt ex eorum polline igne emollito in vaſis fictilibus; in maſſam redacto communem: & vnam: panes efformarentur: quos ex variis rebus: ſeminibus: frugibus: radicibus;

& aliis parari docet Plinius *lib.*18. *cap.* 11. & experientia ſatis confirmat, qui ſub nomine panis tritici comprehenduntur.

Ad vltimum dic. Patribus Hebræorum, & omni ſæculo ignoratum manna, eſt longè diuerſum à manna; quod in Calabria, & aliis regionibus deſcendit, & roſcidum appellatur, melleúmque, ac ſacchareum guſtum præbet, nam fuit altioris conditionis, & naturæ, aliiſque virtutibus, & dotibus præditum, vt probat Ionſtonus *in ſua Thaumatographia, tract.* 3. *de meteoris, art.* 2. *cap.* 10. Quòd verò manna Hebræorum diuerſæ ſit naturæ à noſtro, quo vtimur manna, etſi res miraculoſa, & non naturalis, oſtenditur primò: nam noſtrum bis in anno deſcendit, Vergiliarum exortu, vel ſidere Sirio ſplendente, & à cœlo cadens, opaco terræ halitu concreſcens in mellitos grumos coit. At verò Hebræorum manna ſingulis menſibus, & diebus deſcendebat. Secundò. Noſtrum ſi exponatur Soli, non liqueſcit: contra illud tantillo tempore relictum liquabatur. Tertiò. Hebræorum manna ſi ad noctem relinquebatur, vermes generabat: noſtrum diutiſſimè incorruptum perſiſtit. Quartò. Illud ita erat ſolidum, vt teri poſſet: noſtrum trituram non patitur. Quintò. Illud quadraginta annis numeroſiſſimum populum nutriuit: noſtrum parum alit, nec eo ſolo vita conſeruari poteſt. Sextò. Hebræorum manna die Veneris in dupla quantitate deſcendebat, & Sabbathi die, nullum cadebat: noſtrum omnibus diebus deſcendit. Septimò. Illud in omnibus locis vbi filij Iſraël iter faciebant, deſcendebat: noſtrum in certis locis. Octauò. Illud nutriebat: noſtrum expurgat. Nonò. Illud fuit incognitum patribus: noſtrum à mundi initio cognoſcitur. Denique ſi operantibus cauſis ſi operantibus cauſis naturalibus, Hebræorum manna è cœlo eſſet delapſum, cur ſummus rerum conditor voluit, vt hoc miraculum eſſet ſummè obſeruatum in æternum, & lege quadam ſancita imperauit; vt illud reſeruaretur in arca fœderis, cum decem tabulis præceptorum legis, & virga Aaronis, vt recordarentur panis, quem quadraginta annis, Angelorum induſtria, ipſe à cœlo immiſit. Ergo ſi manna illud eſſet naturaliter creatum, miraculum tam euidens non erat neque tanti à filiis Iſraël obſeruandum. His argumentis Rabbinorum peritiſſimi confirmant manna Hebræorum longè eſſe diuerſum à noſtro manna: de quorum numero ſunt Iſacus Abrabanelius, Abrahamus Aben Eſra, Iſhac Arama *in com. loc. ſuprà cit. Scripturæ ſacræ*, quidquid Valleſius *lib. de ſacr. Philoſoph. cap.* 57. contrà ſentiat, & Picus Mirandulæ Comes hoc eleganti carmine.

——Nubes
Sed placidum rorem verno liquefacta tepore
Gignit, ſi pulſis nebulis, mox ipſa refulſit.
Hæc etiam ſemen coriandri imitata rotundum,
Cogitur, & ramis frondoſæ ſtirpis adhæret,
Flauam corporibus bilem eductura. Sed olim
Dum Iudæa cohors ſitientibus exul arenis
Degeret, in paſtum cecidit diuinitùs, inde
Attoniti patres; Manhu dixere vetuſti.

De quo argumento pulchra conſcripſit accuratiſſimus noſtri æui ſcriptor Claudius Salmaſius *in com. cap.* 52. *Solini Polyhiſt.*

HISTOR. IX. GALENI,
De mortis certitudine.

Vita in æternum propagari non poteſt.

NAm ſi intelligunt, quo nunc dictum eſt modo, verum ſanè eſt ſenectutem ſecundùm naturam eſſe, ac ineuitabilem, ſiquidem neceſſariò ad naturæ opera conſequitur. Quanquam noſtro hoc ſæculo Philoſophus quidam librum conſcripſit, in quo, quonam quis modo poſſit ſenij expers permanere, oſtendit. Edidit porrò hunc librum, cùm annum adhuc quadrageſimum ageret, ætate verò vſque ad octogeſimum annum peruenit, atque gracilis adeò, ſiccuſque euaſerat, vt præclarè illud Hippocratis dictum in prognoſticis, in eum quadrare poſſet. Nares acutæ, collapſa tempora, oculi concaui, frigidæ, contractæque aures, & imis partibus leniter verſæ, cutis circa frontem dura, intenta, ac arida. Cùm igitur aſpectu talis iam redditus irrideretur, quando alios conabatur docere, vt quis ſenij expers permanere poſſet: poſteriorem de admirabili inſeneſcentia editionem tradidit, oſtendens non quemlibet ſenij expertem permanere poſſe, ſed ad hoc natura opus eſſe accommoda, præcipuéque ſi prima educatio proba iecerit fundamenta. Pollicebaturque ſe infantium, qui ad hoc idonei eſſent, corpora redditurum immortalia, vbi ipſe eorum curæ ſtatim ab initio præficeretur; minimêque eius reprehendi poterat pollicitatio, quum illi prius moriendum eſſet, quàm quos ſuſcepiſſet pueros, viri euaſiſſent. Summam igitur eius ſtultitiam cæteri omnes contempſerunt, &c. Galenus lib. de Marcore, cap. 2.

PARAPHRASIS.

PArtes ſolidas exiccatas verè humectari non poſſe, humidúmque primigenium exhauſtum, tale, quale reſolutum eſt, reſtitui non poſſe, ſatis ſupérque ex Philoſophorum, & Medicorum mente probauimus *lib.* 4. *in com. hiſt.* 45. quo loco ſenium, & mortem euitari, & hoc modo vitam in æternum propagari non poſſe ſtatuimus: quod enim habet ortum, habet etiam interitum. Deinde cùm omnis potentia humana, ſit potentia finita, eam perire aliquando eſt neceſſe. Quare mors corruptio eſt, extinctio, aut marcor innati caloris; hæc in plantis ariditas dici ſolet: hoc modo Ariſt. *lib. de vita & morte c.* 3. & *lib. de reſpirat. cap.* 10. ſenium marceſcenti ſtirpi comparauit: nam ſtirpes dum nouæ ſunt, molles, humidæque cernuntur; ſeneſcentes ſicceſcunt: ita ſenium via eſt ad interitum, imò tabes quædam: at mors, omnimoda naturæ proſtratio eſt dicenda, ex Gal. 3. *de criſib. cap.* 6. calore enim extincto corpus omni functione priuatur; vita enim nihil eſt aliud, quàm facultatum vires, vt diſertè fatetur Galenus *lib.* 9. *method. cap.* 10.

In hunc modum ætatis decurſu animalia ſeneſcunt, gracilia, rugosáque fiunt; quia ſiccantur. Huius ſiccitatis, præter perpetuum totiùs ſubſtantiæ fluorem ab inſito animalium calore factum, qui indeſinenter humidum ſibi ſubiectum abſumit, & excrementorum prouentum, quæ quotidie ex potu, ac cibo genita, copia ſua innatum calorem ſuffocant, aër potiſſima cauſa externa exiſtit, qui multipliciter nos alterat, calore, frigiditate, ſiccitate, humiditatéque corpora noſtra afficiens, & ſic plurimùm immutans, vt doctiſſimè explicuit Matthias Flacius *lib.* 1. *de vita & morte.*

Hæc mors, quæ ſenij ratione, corpore iam marceſcente, & arido aduenit, naturalis dici poteſt quia conſequitur ad opera naturæ, quæ quidem ob caloris marcorem temporis decurſu aduenit, ſiccitate nimia, ætatis progreſſu in tantum auctà, vt cum ea ſubſiſtere vita nequeat, exiccatis præ vetuſtate pulmonibus, vt refrigerando cordi ſufficere nequeant. Quære vberiorem huius hiſtoriæ explicationem, *infrà, in hoc libro in com. hiſt.* 17.

De morte, eius neceſſitate, ac cauſis, plura hic conſultò prætermitto, legenda apud Valleriol. *lib.* 5. *loc. com. cap. vlt.* Num autem temperatum corpus, quia cauſis morbificis vehementiùs reſiſtit, & cæteris perfectiores operationes habet, ſit viuacius, & longæuius calido & humido, firmant Conciliator *diff.* 21. *in verbo propter tertium*, & Lupeus *lib.* 1. *enchirid. c.* 3. *fol.* 23. Sed ego negantem partem ſequor, cum doctiſſimo Thom. à Veiga *in com. c.* 55. *art. med. Gal.* ſubſcribunt Valleſ. 1. *cont.* 11. Mercatus *tom.* 1. *lib.* 1. *part.* 1. *claſ.* 1. *q.* 51. *n.* 6. ex quorum doctrina Conciliatoris rationes facillimè ſolui poſſunt.

HISTOR.

HISTOR. X. GALENI, *De Ira.*

Hominis irati correctio.

EGo autem cùm adhuc puer hæc audiuiſſem, & quodam tempore hominem vidiſſem, cui nimia feſtinatione conanti aperire oſtium, res ex ſententia non ſucceſſerat, & ob eam rem iratus clauem mordebat, calcibúſque fores percutiebat, atque in Deos conuitia iactabat, oculis inſtar eorum efferatis, qui in furias euaſerunt, ac propemodum ex ore ſpumam emittebat, vt apri ſolent, tùm eiuſmodi odium aduerſus iracundiam concepi, vt nunquam poſtea quiſquam me ob talem affectum, triſtiorem viderit. Sicuti & alius Roma redeunti mihi factus eſt itineris comes amicus quidam, patria Gortinenſis ex Creta, vir cæteris quidem rebus non contemnendus, quippe qui & ſimplex moribus, & in amicitiam propenſus, & frugi, & in iis quæ ad quotidianos ſumptus pertinent, liberalis eſſet, ſed vſque adeò iracundus, vt ſuis ipſius manibus aduerſus ſuos vteretur, interdúmque etiam cruribus, loro autem, ac ligno, quodcunque iraſcenti occurriſſet, multò libentius. Cùm ergo iam eſſemus Corinthi, omnia quæ ſecum vehebat ſupellectilia, vna cum ipſis ſeruis, naui tradidit, vehenda à Cenchreis Athenas vſque. Ipſe mercede conducto vehiculo, terreſtre iter Megaris facere inſtituit. Itaque cùm iam Eleuſinen prætermiſſemus, ac Thriaſium attingeremus, ſeruos, quos ſecum habebat, interrogauit de quadam ſupellectile; at illi caſu, quid reſponderent, non habuerunt. Furore ergo percitus, vbi nihil aliud habuit, quo adoleſcentulos percuteret, gladium magnum qui intra vaginam conditus erat, vnà cum ipſa vagina arreptum in caput infligit: vagina illicò diſſecta eſt, atque ingens vulnus in capite vtriuſque effectum eſt duplex; bis enim vtrumque percuſſit. Vbi verò plurimum ſanguinis de vulneribus exire animaduertit, nobis eo in loco relictis, ipſe Athenas illicò pedibus iter ingreſſus eſt, ne ipſo adhuc præſente, aliquis ſeruorum interiret. Nos tamen poſtea ſeruatos illos Athenas perduximus. Amicus autem ille Cretenſis, quum ipſum facti pœnituiſſet, me manu arreptum Megara introduxit in domum quandam: deinde lorum porrigens, vbi ſeipſum exuit, iubet verberare pro iis, quæ furore nefario coactus patrauerat. Cùm autem ego, vt par eſt, in riſum perrumperem ille ad genua procumbens inſtabat, obſecrabátq; ne aliter facerem. Hic porrò haud obſcurum eſt, me tantò maiori riſu commotum fuiſſe, quantò illum diutius in eo perſeuerantem viderim, vt cæderetur. Cæterùm poſtquam ſatis diu in hoc ipſo perſtitimus, recepi me illud facturum quod petebat, hoſt eſt, verbera illaturum, ſi ipſe quoque valde exiguum quiddam, quod ego peterem, mihi viciſſim præſtaret, qui vbi recepit, tum ego rogaui hominem, vt mihi ſermonem quendam recenſenti aures accommodaret: hôcque eſſe illud, quod ego peterem. Quòd ille cùm ſe facturum recepiſſet, longiori ſermone illum docui, quemadmodum id, quod in nobis eſt iracundiæ, ac furoris, coërcere, erudiréque oporteat, ratione videlicet. Quòd enim non verberibus, ſed alio quodam modo ſit corrigendum, illi latiùs expoſui. At ille cùm ad ſeipſum rediiſſet, ſibique prouidiſſet, longè poſthac ſeipſo melior effectus eſt, &c. Galenus lib. de cognoſcendis, & curandis animi morbis, cap. 4.

PARAPHRASIS.

DE ira, ejúſque cauſis plurima diximus *lib. 2. in com. hiſt.* 13. quo loco eam eſſe breuem furorem determinauimus: nam in ea ſpiritus irrequieto motu agitati commouentur, humores ebulliunt, partes igneſcunt; ex quo feruore ad cor, ſuperáſque partes eleuantur vapores, qui rationis ſedem multis modis immutant, & à naturali ſtatu auertunt, vt probat Galenus *lib. 4. de placit. c.* 1. *& in art. med. cap.* 85. in ea enim facies inflatur, totum incaleſcit corpus, & cor cum arteriis vehementer palpitat, & ſalit, ex Galen. 3. *de placit. Hipp. & Platon. cap.* 1. Inſuper obliuionem inducit, abortum mouet, calorem innatum abſumit, halitum fuliginoſum auget, morbos parit.

Dum hoc contemplaretur Galenus, nullum iræ relinquendum eſſe veſtigium ſuadebat, vt firmat Plutarch. *lib. 8. quæſt. cap. 7.* immò eam non verberibus, (vt homo hic iratus à Galeno poſtulabat) ſed ratione exterminandum hoc periculoſum animi pathema, à morbo non diſſimile, arbitrabatur: cùm enim animi morbus ſit iracundia, fugiendus non minùs quàm corporis morbus; ille enim functiones lædit, hic mentem impedit. Vnde Euripides.

Nemo iratus quicquam rectè deliberat.

Immò deformitatem inducit: oculi enim iracundi rubent, impetuosè mouentur, facies inflatur, labia contorquentur, ſic vt homine in excandeſcentia poſito nihil turpius conſpici poſſit.

Iram morbum coërcere difficillimum eſt, vt Philemon dicebat: *Nam ſe tenere in ira magni eſt laboris*: & vt Menander inquit: *O quam cohibendi magnus eſt iram labor!* Huic tamen ſummo eſt auxilio amici admonitio, qua nullum præſtantius eſſe antidotum retulit Plutarchus *in lib. de non iraſcendo*, dum ſic ait; *Vt aqua tepida inflammationes, ſic oratio humanitatis plena iram extinguit.*

Iræ ergo repugnare laborioſum eſt, hoc firmabis ex ſententia Sotionis apud Stobeum *ſerm.* 99. qui ſic fatur *Vt naues egregiæ ſunt, non quæ ſereno cœlo nauigant, ſed quæ tempeſtati reſiſtunt: ſic homines iræ, & motui reſiſtentes, magni ſunt, & fortes. Cui ſi reſiſtere nequeat iratus, ſpeculum dum excandeſcit properè inſpiciat, ſummámque ſui vultus diſſimilitudinem contemplatus, vitij eum pœnitebit ſtatim.* Plura remedia lege apud Plutarch. *loc. cit.* Rhodiginum *lib. 20. antiq. lect. c. 20. & 21.* Senec. *lib. de ira* Quæ omnia, & alia pulcherrima, ex Philoſophorum ſententiis colligit VVierus *proprio tract. de ira morbo*, & explicuit eleganter Aloyſius Luiſinus *lib. 1. de compeſcendis animi affectibus per medendi artem, ferè per totum.*

HISTOR. XI. GALENI, *De ægrorum verſutia erga Medicos.*

Medicamenti clàm aſſumpti præcognitio.

FVit quidam homo diues, qui gaudebat medicamentis, eáque aſſiduè ſumebat, & eo erat ingenio, vt libenter argueret familiares nullius certæ ſcientiæ. Huius cùm offendiſſem in magnitudinem pulſum increuiſſe, ab aliiſque omnibus cauſis (tale pulſus incrementum facientibus) *diſtinxiſſem, ac vna mihi remaneret diſtinctio, vtrùm à calefaciente medicamento, an acceſſionis febrilis ratione id accidiſſet, (circa tempus enim erat febrilis acceſſionis) iuſſi, vt linguam mihi oſtenderet: quam cùm à medicamento conſpexiſſem infectam, iterum attigi eius pulſum, nihil ſuſpicans etiam. Interea occurrit, me quum ipſe voluiſſet potare medicamentum pridie, interdixiſſe: dixique propterea ſtatim homini, eum bibiſſe medicamentum. Quod ille cùm animaduertiſſet, à linguæ colore me conjecturam feciſſe, alias iterum pilulas paruas medicamenti fecit, quas deuorauit, ne lingua tingeretur. Quod quoque eius commentum mox deprehendi: nam cùm linguam inſpexiſſem, atque tetigiſſem iterum pulſum, ac reliqua omnia, quæ ad pulſus in magnitudinem incrementum cognoſcendum pertinent, diſcuſſiſſem, ſuſpicionem ad medicamentum conuerti, retraxique manum, ac iterum paulò pòſt inieci pulſui, (noueram enim hominis peruerſitatem) itaque deprehendi factum: nec dubitaui illi dicere. At tu quidem medicamentum mihi ſumpſiſſe videris. Ille conſtantiſſimè inficias ibat, ſimulque ſeruos qui permanſerant, appellabat teſtes. Et ego eius manum tenens, & pulſum tangens, ſubiunxi. Ergo ſuſtinebis conceptis verbis iurare mihi, vt tibi dictabo? Ad hoc non promptè ille reſpondebat, ac arteriarum habebat, vt in angore, inæqualem pulſum. Profectò (inquam) tu medicamentum planè ſumpſiſti, caue iures, &c. Galen.* lib. 1. de præſag. ex pulſib. cap. 1.

PARAPHRASIS.

ELegans eſt hiſtoria hæc, & vtilis ad præſagium, ex pulſus in magnitudinem mutatione rectè faciendum, ſimúlque gloriam ex detectis inſidiis ægrorum, Medico comparandam. Nam inueniri multos qui in plurimis data opera Medicos fallere conantur, res eſt certiſſima, quorum fallaciam, & peruerſitatem ex multis coniectare licet: in hoc verò ex pulſus in magnitudinem incremento, & ex colore linguæ à medicamento infectæ, ægrum aſſumpſiſſe medicamentũ expurgans, ſumma cum feſtiuitate ſe deprehendiſſe gloriatur. Qui enim medicamentum aſſumpſerũt, varias patiuntur in pulſu alterationes. Nam medicamentum quum à calore natiuo ad actum reducatur, & in minimas partes ſecetur, ex eo eleuantur halitus per vniuerſum corpus, cordíque communicantur, quare aucto vſu pulſus in magnitudinem augetur. Deinde ſicut in ſomno variè immutatur pulſus, & in principio illius fit paruus, retracto ad interiores ſedes calore, poſtea verò cùm calor foràs ſeſe exerit, pulſus fit magnus: ſic quando medicamentum deuoratur, retrocedente ad viſcera calore, illius concoquendi, & perficiendi cauſa, fit pulſus paruus; procedente verò tempore ob conatum innati caloris ad coquendum, & ebullitionem increſcente calore, pulſus redditur magnus. Hoc ex magnitudine pulſus ſignum, ſimúlque linguæ color à medicamento infectæ, & hominis conſuetudo aſſumendi medicamenta, quibus gaudebat maximè, Galenum in ſuſpicionem clàm aſſumpti medicamenti deduxere. Medicus ergo calliditatem, & aſtutias ægrorum callere debet, ne illis, & vulgaribus deriſui eſſe poſſit, & contemptui.

HISTOR. XII. GALENI.

De calefaciendo corpore refrigerato.

Extremè refrigeratus, vini potu ſeruatus.

N*Os itaque quendam extremè iam refrigeratum vini Lesbij potione ſeruauimus, &c. Galenus* lib. 3. de ſimpl. medicam. facult. cap. 20.

PARAPHRASIS.

INter præſtantiſſima alimenta, à ſummo Conditore hominibus data, nullum eſt tam excellens, tam præſtans, tam generoſum, quàm vinum, dummodò tempeſtiuè, & cum modo aſſumatur: nam præterquam quòd ſanitatem conſeruat, corpúſque floridum, & in ſua ſymmetria retinet, & citiſſimè nutrit, etiam morbos frigidos arcet, & refrigeratum animal, ac iamiam demortuum refocillat, ſi ſit ſuaue, odorum, clarum, ætate medium: hoc enim non inflat præcordia, imò ſi inflata ſint ſubſidere facit; propter caloris mediocritatem, digeſtionis vias aperit; nutrimentum ob celeritatem deductionis, in corpus impellit; ad miſcenda, concoquendáque ea, quæ in ventriculo & venis ſunt, apprimè eſt idoneum, vrinas mouet, & excrementis expellendis viam facilitat: dummodò corpus arthritide non laboret: nam articulorum doloribus eſt nocentiſſimum, vt *lib. 3. in com. hiſt.* 47. latè probauimus, & firmat perdoctus Ioan. Loſelius *tract. de Podagra, ſect. 2 memb. 2. art. 5.*

Aduerſus morbos frigidos tutiſſimum eſt alexipharmacum, vomitum ſiſtit, ſtomachum recreat, appetentiam mouet, ſomnum conciliat, flatus reſoluit, fœtidos ructus emendat, ſenum valetudini ſummo eſt auxilio; fouet enim illorum membra, ſiccas eorum partes, & præ ariditate corrugatas emollit: quare eſt illis aptiſſimum, ſuauiſſimúmque alimentum, vt latè probat Galen. *lib. 5. de ſanit.* 5. & 7. explicant eius mentem Mercatus *tom.* 1. *lib. 2. de ſanit. quæſt.* 172. *num.* 9. Paulus Meglioratus *conſ.* 71. *de curanda frigida, & humida intemperie ventriculi.* Et ſi ſenes, aut imbecilles, quibus calor innatus eſt minutus valde, & ij qui ex diutino morbo conualeſcunt, penuriam caloris perſentiſcant, & extremè ſint refrigerati, his vinum copioſè porrigendum. Nam emortuas facultates reuiuiſcere facit, quoniam nutrit, concoquit, roborat, & intemperiem ex frigiditate, & humiditate contractam, citra moleſtiam, & ſecurè perſanat, ex Galen. 7. *meth. cap.* 6. vt *lib. de vini natur. & artificio, in med.* Gulielmus Grataroluſ confirmat, & probat Hieronymus Confortus. *lib. de vino mordaci* eleganter.

Ex his facilè iudicabit quiſpiam, vel mediocriter in arte verſatus, vinum eſſe remedium aduerſus ſenectutis duritiem. Hinc factum eſt, vt Galenus ſenibus quantum ferre queant, concedat, quòd aduentitium vino recaleſcat frigus, vis bilis atræ redundans reprimatur, huiúſque ætatis ſuccumbat vniuerſa laſſitudo, vt refert Georgius Pictorius *ſuccis. lect. dialogo* 9. debilem enim ſtomachum reficit, vires deficientes reparat, algentem frigore calefacit, languores omnes delet.

B Deinde nullum præſtantius remedium ad colligendas vires, corpúſque refocillandum vino inuenitur, nam calor imbecillior cibo concoquendo non eſt ſatis: quare vinum citiſſimè diſtribuitur, partibus nutriendis aſſimilatur, & naturæ eſt familiarius; multò enim maior percipitur voluptas in bibendo, quàm edendo, nam ſitis longè grauiùs toleratur, quàm fames. Hac ratione ſenectutem mirum in modum ſuſtentat, aduerſus cuius duritiem vnicum eſt remedium, quod quidem Silenus ſenex Bacchi comes, alumnus & nutritor denotat, qui & ab Ouidio, & Virgilio *Eclog.* 6, poculis deditus inducitur, idcircò copioſè vinum ſenibus extremè refrigeratis eſt offerendum.

Valleſius negat, *lib. de ſacra Philoſophia, in com. cap.* 29. C *in fin.* qui ſtultum arbitratur, ſenibus caloris augendi gratia, vinum, meracum præſertim, exhibere: quantò enim vinum calidius eſt, tantò maiori ventris, ac viſcerum calore eget, vt ſuperetur, alioqui à minori aceſcit, crudúmque ſuccum auget, quare calorem naturalem ſuffocat, morbos innumeros parit, ac mortem accelerat. Sed hic auctor intelligendus eſt de vinis patriis; Hiſpana enim ſunt fortia: quæ verò non ita potentia ſunt, ſenibus ſunt aptiſſima, quia facilè in ſanguinem conuertuntur, minimáque alteratione egent, 2. *Aph.* 18. quo pacto vinum, ſenum ſanguis appellandum eſt. Hoc ergo ſenes, & extremè refrigerati, bibere debent moderatè ſumptum: nam, vt dicebat Plato *lib. 2. de legibus*, à Deo fuit hominibus datum, vt ſenes reiuueneſcant, & à rebus mœſtis D fiant immunes. Deinde Aëtius *tetrab.* 1. *ſerm.* 4. *cap.* 30. vinum ſenibus vtiliſſimum eſſe refert, præcipuè ſubſtantia tenue, colore fuluum, aut flauum: eius enim potu omnes eius partes calefiunt, & ſanguinis ſerum purgatur per vrinam, vt latè, & doctè probat Vincentius Burgundus, *lib. 1. ſpeculi naturalis, cap.* 14. *tit. de vino.*

Quid plura? nonne ſenibus, & nimiùm defeſſis, imo robuſtis militibus animum, & vires adauget, & conſtantes, audaces, fidóſque reddit? vt dicebat ille.

At mihi ſit crater iuxta latus, atque Lyæi
Plena, & ſint pingui dolia lætitia.
Mox vbi ſiccâro vini cratera repletum,
Bella caniſtrigeris ſint mihi cum pueris.
Non mare turbatum timeo, non fulgura, fidum,
Audacem, intrepidum, me facit eſſe merum.

E Cùm enim audacia, & animoſitas cordi tribuantur, dulcia vtrumque præſtant, vt vina generoſa: quare Principes prudentes, liquores parant ſuaues, militibus ante prælium dandos, vt ad bellum inflammentur, & corde confirmato valentiùs pugnent, vt doctè notat Laurentius Gryllus *lib. 1. de ſapore dulci, & amaro.* Cur ita? Quoniam vinum mouet ſanguinem, lætitiam & alacritatem procurat, animum reddit robuſtiorem, vt tam multis exemplis probat perdoctus Iſidorus Barrerius *l. 1. de ſignificationib. plantar. fructuum, foliorum, contentorum in Scriptura ſacra, Luſitano idiomate conſcripto, tit. de vite.*

Inſuper vinum, vt alimentum, ſenes nutrit, eorum inualidas vires refocillat, & vt medicamentum corpora

extremè

extremè refrigerata calfacit. Has vires in ſe vinum habere, cùm ſit nutrimentum, & medicamentum oratione illuſtrat Ioan. Liebautius *in com. Aph.56. Hip. lib. 7. Aph. §. Vinum celerrimè nutrit, facilè in ſanguinem vertitur, optimi ſucci eſt, ſolidas partes nutriendo humectat, ſitim extinguit, ſpiritûs citiſſimè reficit: ſed ſuo calore, ac ſiccitate, ſuáque mira tenuitate, & permeandi celeritate, plurimis corporis affectibus potiſſimùm frigidis, aut humidis medetur; idque non tantùm purum & ſimplex, ſed & aquæ mixtione perfuſum, ſumptum, aut admotum, &c.*

Deinde ſenes, qui ex quolibet motu facilè eneruantur, reficit & inſtaurat, eorúmque labores leuat, regeneratis enim ſpiritibus, & ſanguine, magnum robur illis dat, vt inquit Euripides *in Bacchis.*

——— Mœroris ille nubila
Fugat repletis vineæ liquoribus:
Somnúſque fit mali diebus ſingulis
Obliuione pharmacum malo aptius.

Et Tibullus.

Bacchus & agricolæ magno confecta labore
Pectora triſtitia diſſoluenda dedit.
Bacchus & afflictis requiem mortalibus affert,
Crura licet dura compede pulſa ſonent.

Vinum denique corpora ſenum emollit, nec mirum: Quoniam, vt inquit Plinius *lib.12.cap.* 1. arbores vinum bibunt, earúmque radices magis firmantur, & adoleſcunt vino irrigatæ: citiùs enim creſcunt, frondes ſpargunt, ramóſque ocyùs extendunt, vt *in Anthol.* legitur.

Auſtro nuper humi nimiùm vexata procaci,
Succubui Platanus, fronde comata priùs.
An ſuperinfuſo facies mihi priſtina vino
Adfuit, hoc ſummi plus valet imbre Iouis.
Quámque propinqua ſua iam robore deficit arbor,
Hauſto conſpicior viuere læta mero.

Adeò ſuauiſſima, & pretioſiſſima res eſt vinum, vt pars animæ noſtræ eſſe credatur, vt poëticè, quamuis non ſine myſterio, Petrus Paſchaſius fingit.

Dixerunt tignum, domus, & quo vinea conſtat,
Hinc tigni cuncti formula priſca fuit.
Quàm pulchre iuris vetus id prudentia cauit.
Cui ratio vini, non ſecus atque domus?
Multa domus nobis, ſed profert vinea plura,
Namque domus vitæ eſt, vinea pars animæ.

Et maximè ſi offeratur ſenibus, qui debiles ſunt naturâ ſuaptè, vt notat Hip. *lib præcept. num.* 12. *Vigor ætatis omnia habet gratioſa; decepta verò ætas, vice verſa.* Vinum enim ſanitatem, quæ ab omnibus ſummè expetitur, cuſtodit, quoniam moniente Ishaac *lib. 3. diætar. Vinum bonum dat nutrimentum corpori, ſi accipitur vt oportet, & quantum natura ſuſtinere valet: digeſtionem confortat ſtomachi, & etiam ſecundam, quæ eſt in hepate: calor eius eſt ſimilis naturali calori, citóque conuertitur in naturalem, & mundiſſimum ſanguinem; turbidum quoque ſanguinem clarificat, & aditus totius corporis, maximéque venarum aperit, & mundificat; hepatis mundificationem aperit, tenebroſitatem aufert, fumoſitatem triſtitiæ generatiuam à corde expellit, totiúſque corporis membra corroborat: ſed & animam ipſam facit obliuiſci triſtitiam, & anguſtiam, laborem, & dolorem, datque ei lætitiam, & audaciam, ingeniumque ſubtilius reddit. Igitur conueniens eſt omnibus ætatibus, & omnibus regionibus. Si autem ſumatur ſecundum ſui quantitatem, ac naturæ poſſibilitatem, calefacit corpora frigida, & infrigidat calida, ſicca humectat, & humida extenuat: eius tamen calefactio, & exiccatio eſt naturaliter; humectatio & infrigidatio, accidentaliter: quia cum ſui ſubtilitate, & perforatione portat aquam ad membra, quæ neceſſe eſt, infrigidari, & humectari, &c.* Explicat eloquenter Ioannes Philippus de Ligamine, *tract. de vnoquoque cibo & potu, vtili homini, & nociuo, tit. de potu vini.*

Nulla enim res eſt corpori humano gratior, vtilior, & palato iucundior, quàm vinum, nihilque in rebus naturalibus reperias, quod poſſit in guſtu, vino comparari, vt firmat Laurentius Ruggius *lib. 1. de guſtu rerum.* Quare vinum nobiliſſimum eſſe, re, vſu, atque varietate prædixit Cardanus *lib. 8. de varietat. rerum, cap.* 23. indicibilem enim ſympathiam habet cum corde, cuius vires mira quadã celeritate reparat. Eſt etiam alimentum omnium optimè parabile, mortalibus omnibus maximè commune, & omnium citiſſimè nutriens; timoris pharmacum, ſenectutis refocillatio, ſpiritus ex puriori ſanguine geniti fomes, cuius calor eſt calori noſtro maxima proprietate coniunctus: idcircò debiles efficit fortes, éſtque fortitudinis calcar, quum præbeat augmentum in ſubſtantia ſpiritibus: & velociſſimè in ſanguinem conuerſum, naturæ humanæ mirabiliter ſuccurrit, quum ſit eius remedium & firmamentum, & languenti animo vigorem, & alacritatem addat: ob quam cauſam Albertus Muſæus Patauinus, poëta celebris ſic cecinit,

Rebus in humanis nimis ô laudabile vinum,
Præcipuè aſſuetis, vitæ pars maxima noſtræ.

Conualeſcentibus autem, & debilibus ſummum leuamen affert: quoniam ſemicrudos concoquit humores, calorem excitat innatum, ſudorem, vrinámque mouet.

Quæ vina ſint præferenda, varij varia protulerunt, inter quos non eſt infimus Dauid de Pomis, Medicus Hebræus eximius *in ſuo lib. de ſenum affectibus præcauendis.* Extant carmina in hunc modum.

Cretica vulgares extollunt vina tabernæ,
Et iactat Rhodium dulcia muſta ſolum.
Cæcuba Fundanis celebrantur pocula terris:
Miratur calices Lesbia turba ſuos.
Maſſica Peligni venerantur vina coloni:
Commendant proprios Setia regna cados.
Fumoſos recolit Campania terra Falernos,
Et ſibi fœcundo Rhetia monte placet.
Tollunt Maſſilios alij ſua dona Lyæos,
Euehit Eugenium vinea culta merum.
Te colimus, Puccine Pater, Vindemia Bacchum
Dat tua, cœleſtes quam meruere Dij.

Hoc pacto Plato *lib.2. de legib.* poſtquam pueros, & iuuenes à vini potu lege ſancita interdixit, ſenibus id eſſe vtiliſſimum prædixit, vt reiuueneſcere videantur, & mœſtitiæ eos obliuio capiat: Ita ex heroïbus largiſſimè bibebat Neſtor ter ſenex, vt refert Athen. *lib.10. dipnoſoph. cap* 9. Si verò ſenes, & alij ſint extremè refrigerati, commodius eſt vinum, quod ex melle, vel fauis conficitur; cuius potus algidos calefacit, nec obſtruit, & ita longæuos homines reddit, vt immortales fieri videantur: de cuius potus vtilitate ſat doctè ſcripſit Baptiſta Perſona *in ſuis noctibus ſolitariis ſupra Odyſſeam Homeri, verſu* 92.

Quæſitum eſt à Plutarcho, 1. *ſympoſ.* 7. cur ſenes meraciore potu magis gauderent? Reſpondet, quia refrigeratam eorum corporis habitudinem, & calefactu difficilem corrigit, & emendat. Quare vinum eſt illis obſonium ſuauiſſimum, & medicamentum præſtantiſſimum; eos enim reuiuiſcere facit, & vitam præbet: Cùm profectò vinum ſit liquor omnium ſuauiſſimus, præcipuum humanæ vitæ bonum, ac præſtantiſſimum ſubſidium, vitalium ſpirituum regenerator maximus, ac omnium corporis tum facultatum, tum functionum inſtaurator optimus; cor lætificet, tueatúrque ſummopere: vnde nulli mirum eſſe debet, quòd plantam quæ fructum fert, ex quo vinum exprimitur, vitem, quaſi vitam appellauerint veteres; quoniam homini vitam ferat, ob ſuas facultates, quas corpori humano præſtare Medici vnanimiter affirmant; vel quia vitis à vita parum differat, iuxta illud Iuliani Vvauderi *lib. 3. epigram.* 68.

Vita parum vitis differt à nomine, iungas
Vitem cum vita gaudet vtrumque ſimul.

HISTOR. XIII. GALENI, De vino voluptatis cauſa oblato,

Vinum ſeni cuidam ægrotanti in gratiam exhibitum.

CVm igitur ſeni cuidam ægrotanti quotidie vinum aquoſum exhiberem, quidam ex huiuſmodi Medicis præſens, me

vini minimum aquæ ipſi inſtillantem, contemplatus riſit; ægrúmque vinum non bibere, ſed duntaxat videre, dixit: non ſanè intelligens, mixtionis vini, quod voluptatis gratia datur, ad aquam aliam eſſe ſymmetriam, & aliam eſſe eius quod ad opem ferendam miniſtratur: nam vini omnino minimum, veluti excitationem quandam, quæ ad diſtributionem aquam trahat, permiſcemus, quo duntaxat aquæ tollamus ſynceritatem, non autem aquam vinum faciamus, &c. Galen. lib. 3. de rat. vict. in morbis acutis, com. 20.

PARAPHRASIS.

ALiud eſt, vinum neceſſitatis cauſa exhibere, pro curando aliquo affectu; qui pro ſui curatione citiſſimam opem efflagitat: aliud voluptatis gratia offerre, vt ſic recreata natura, tum morbum ſuapte natura rebellem deuincat, tum eius ope roborata, peccantem humorem per aliquam regionem expellat, & alimenta faciliùs concoquat. De primo modo in ſuperiori hiſtoria iam loquuti ſumus, quo extremè refrigeratum ſe ſanaſſe gloriatur Galenus.

De ſecundo eſt interpretanda hiſtoria hæc: quum enim quiſpiam acuto morbo laborat, vitanda ſunt calida, quo fuiſſe hunc ſenem oppreſſum veriſimile eſt, quoniam in libro eo agit Hippocrates de morbis acutis, qui ferè ſemper ſibi habent ſociam febrem, 2. *Aphor.* 18. & 7. *Aph.* 1.

Duo ergo hoc oblato potu commoda conſequutus eſt Galenus, nempe voluptatem ægri, & vtilitatem. Ægris autem aliquando eſſe præſtandas gratias, tradit Hip. *lib.* 6. *epid. ſect.* 4. *text.* 8. Quare cùm vinum ſit ſuauiſſimum, & præſertim ſenibus, qui eius potu mirificè recreantur, hoc etſi in pauca quantitate exhibuit, quoniam *parum deterior cibus, aut potus, ſuauior tamen, minus nocere ſolet*, vt ait Hip. 2. *Aph.* 36. *Quæcunque enim cum voluptate aſſumuntur, iſta ventriculus amplexatur, & faciliùs concoquit, ſicuti illa quæ diſplicent, refugit*, vt *in com.* retulit Galenus. Quod enim ſuaue eſt, etſi reprobum, & auidè expetitur ab ægro, id melius eſt; & in optimum conuertitur alimentum, vt notabat Galenus 2. *de alim. facult. cap.* 20. & 6. *de ſanit. tuend. cap.* 28. In hunc ſenſum intelligendus Auic. 3. 1. *doct.* 2. *cap.* 7. dum dicit: *Oportet præterea te ſcire, quòd nutriens meliùs eſt, quod meliùs ſapit, propterea quòd & virtus retentiua vehementer ipſi applicatur, &c.* Hoc modo maligni morbi, exitiales, & chronici, in quibus ob debilitatem ventriculi, vis appetens eſt veluti emortua, exhibito prauo alimento perſanantur. Ita ſalitorum piſcium, & aliorum peſſimorum alimentorum eſu tertianæ, & quartanæ valde productæ ſoluuntur, vt notarunt Brudus *lib.* 3. *de regimine febricitantium, cap.* 23. Mercatus *lib.* 1. *indicat. cap.* 14. *in Conſilio.*

Vtilitas autem ex aqua vino permixta maxima comparatur, quoniam vinum aquæ noxas tollit, & tenuitate ſua eius per corpus iuuat diſtributionem: & quod magis eſt, moleſtiam animi ipſius ægrotantis vinum appetentis leniuit, eúmque magis obedientem reddidit, maximè cùm ſenes eſſe, quos vinum auidè appetere obſeruamus.

Quoniam igitur febris aderat, & vino natura ineſt inflammandi calore ſuo viſcera, idcircò illud cum aqua permiſcere oportet: quare vinum lympha diluendum, venuſto epigrammate docet Meleager *lib.* 1. *Anthol.*

Igniuomo Bacchus ſaliens è fulmine, Nymphis
Abluitur liquidis puluerulentus aquis.
Propterea iunctus Nymphis eſt gratus Iacchus,
His ſine, adhuc ardens, quod bibis, ignis erit.

Quamobrem vinum aqua diluere oportet, nam vini caliditas & ſiccitas, frigiditate & humiditate aquæ miteſcunt, ac temperantur. Deinde aqua perducit ad partes nutriendas alimentum, & attenuat, ac colliquat cibos ipſos ſolidos; præparat, diſponit, aptáque reddit corpora ad ſuſcipiendum alimentum, vt poſſit adhærere; ſitim leuat coctionem iuuat, alimenta elixas, deducit, lauat; abſtergit. At corpora calida, ex mero epoto quandoque in profluuium ſanguinis incidunt per aluum, vt contigit Comiti cuidam, qui lymphato vino ab hoc affectu con-

A ualuit; vt probat Petr. Philip. Melchiodus *conſil.* 81. *de fluxu ſanguinis ex aluo.*

Quantum autem vino admiſcendum, non poteſt certa, & definita methodo deſcribi, cùm nulla certa poſſit dàri mixtiónis norma; ita enim metiendus eſt aquæ modus, vt vini, & aquæ nocumenta vitentur, & emolumentum adferatur: plus nimirum, aut minùs aquæ addatur, pro vini viribus, ſumentis ætate, conſuetudine, vitæ genere, affectus morboſi ſpecie, ac magnitudine, anni tempore, cœli ſtatu; ſemper tamen vires vini, & ſumentis naturam reſpicere oportet, vt latè proſequitur Galenus *lib.* 1. *de ſanit. tuenda, cap.* 11.

Pro vini viribus aqua eſt permiſcenda; quoniam potentiſſimum plurima aquæ copia eſt temperandum, vt Maroneum antiquorum, quod vigecuplam aquæ capiebat menſuram; & Falernum, quod ob ſui potentiam in- B domitum appellabant. Omitto Cretica, Trebulana, Græca, quæ generoſa ſunt, quibus aqua in magna quantitate admiſcenda eſt. Hoc modo contraria vina pauca aqua ſunt lymphanda.

Pro ſumentis natura aqua eſt permiſcenda cum vino, quoniam pueri, mulieres, & ſerui dilutiſſimum bibere debent. Matronæ Romanæ vinum non deguſtabant. Virgines ab eo abſtinere debent, ideò quod priſci virginis aures Veneris vocabulis imbui voluerunt: ideò Ouidius 3. *art. amand.*

Turpe iacens mulier multo madefacta Lyæo,
Digna eſt concubitus quoſlibet illa pati.

C Pueris, & infantibus vinum interdicendum, quoniam eſt ignem igni addere, ex Gal. 5. *de ſanit*, 7. Ariſt. *lib. de ſomno, cap.* 3. & membra molliſſima non tolerant vini vim; at hoc mentem tentat, caput, & neruos, quæ omnia in pueris debiliſſima ſunt. Attendenda eſt etiam conſuetudo; vina enim diluenda ſunt iis qui conſueuerunt: inaſſuetis verò nequaquam, vt probat Bruyerinus *lib.* 16. *cap* 9.

Pro anni tempore vario, diuerſo modo variandum; hyeme, quum corpus frigidum humidúmque eſt, id excalfaciendum plurimo cibo calido, ſicco, potu parciſſimo, ſed meraciſſimo. Vere dilutiori potu vtendum, Æſtate, quum corpus ſqualidum eſt, & exuritur, potio ſit multò magis diluta, quàm vere. Autumno minùs, ſed meraciùs bibatur.

D Vtrùm verò vinum ſit diluendum antequam bibatur, vel in ſtomacho; dubitatio eſt non parua. Illud probant Balduinus Ronſſeus *epiſt.* 16. & Arnaldus Villanouanus *in tract. de vino.* Nam vinum, & aqua inter ſe contraria ſunt, & in ſtomachum ſi ambo proiiciantur, ſentietur in ſtomacho rugitus, aderit commotio, & perturbatio multa. Ex altera parte videtur facere Hippocrates *lib.* 3. *acut.* 41. dum ſic ait: *Cùm in huiuſmodi morbis timueris, ne caput vehementer grauetur, aut mens tentetur, tum à vino penitus abſtinendum; & aquam, aut vinum aquoſum fuluum, & non odorum exhibere oportet, deinde potum aquæ ſuperbibere, ſic enim ſua potentia non tam facilè caput, & mentem attinget, &c.* Suadet ratio, quoniam licèt vinum calidum ſit, & poſſit agere in aquam, & hæc in vinum, indiget tamen calore animalis, à quo in actum deducatur. Dic tu, quòd melius E eſt, vt vna aut altera hora ante potionem, aqua permiſceatur: Neque neganda eſt mutua inter aquam, & vinum actio; neque illæ qualitates virtuales ita ſunt impeditæ, vt citra caloris animalis opem agere nequeant: nam ſimplicia illa, è quibus theriaca conficitur, ita agunt, reagúntque, vt ex eorum actione temperies in theriaca generetur. Hippocrates autem primò exhibuit merum, *in cit. acut. loco*, quia æger ventriculi intemperie frigida laborabat.

Si verò vltimo loco perconteris, cur in ratione huius ægri adeò meticuloſus fuerit Galenus in propinando vino ita diluto. Dic, quia acuto morbo laborabat. Etſi autem in febribus pituitoſis concedatur à Tralliano *l.* 12. *cap.* 3. quia crudiorem materiam extenuat; & in Ephemera, ex cutis denſitate orta, quia meatus deobſtruit, vt pluribus rationibus confirmant Bacchius *lib.* 3. *de natur. vini, à cap.* 10. *vſque ad* 16. & in continuis offerat Galenus 11. *meth.* 9. & tertianis, ac quartanis, præſertim ſi vires

ſint

ſint inualidæ, & coctionis notæ appareant, vt eleganter probat Syluaticus, *cont.* 12. & nos *lib.* 4. *in com. hiſt.* 18. aliis adductis rationibus comprobauimus: tamen in præſentia febris, cautè vinum, quod ſuapte natura inflammat, & humores ſæpe intempeſtiuè exagitat, eſt propinandum. Num verò præſtantius ſit vinum natura aquoſum, an arte factum, acutè diſceptat Augenius *tom.* 2. *epiſt. lib.* 2. *epiſt.* 4.

Cur verò exhibuit vinum lymphatum, & non impermixtum? ſi ſalubrius eſt vino vti, quàm aqua, quia illud, ex Galen. 1. *de ſanit. vlt.* omnibus naturis magis conferr, quum nutriat celerrimè: optimum corpori ſuccum præſtet, 2. *Aphor.* 18. & 3. *de temp. cap.* 3. coctionem iuuet, 4. *acut.* 106. ſemicoctos humores ad integram coctionem perducat, nullius excrementi coctionem remoretur: aqua autem non nutrit, 3. *acut.* 20. & diſtributionem impedit. Dic: quia timuit ne merum febrilem calorem adaugeret, & ſqualidum corpus inflammaret. Nam ipſe 5. *de ſanit. cit.* natiuis calidiſſimis illud denegat, cùm iis aquæ potus ſit vtilior, ex Hip. 6. *epid. ſect.* 3. *text.* 15. qua temperatura præditi, aquæ potu vtentes, ſalubriùs, & diutius viuunt, quià aqua conſeruat humidum radicale, vt inquit Auic. *lib.* 1. *canticor. num.* 130. ſua enim frigitate caloris impedit reſolutionem. Lege quæ diximus de vini vſu, & vtilitate, *lib.* 2. *in com. hiſt.* 61. &c.

HISTOR. XIV. GALENI,
De carnis ſuillæ, cum carne humana, ſimilitudine.

Caro ſuilla humanæ carni ſimillima.

Sanguis ſuillus humidus eſt, & minùs calidus, humano maximè temperie ſimilis, ſiquidem & carnes ſuum humanis ſunt ſimiles. Comperti enim ſunt hoſpites, & coqui complures, qui humanas carnes pro ſuillis venderent; tametſi qui eas ediſſent, nullam omnino diſcrimen potuerint percipere. Quin & ipſe narrantes audiui viros fide dignos, ſeſe in diuerſorio publico ius eſitaſſe delicatum cum carnibus ſuauiſſimis: caterùm cùm iam penè ſaturi eſſent, inueniſſe digiti partem anteriorem, quæ ad vnguem eſt: quo perculſi, ac metuentes eos, qui agebant in diuerſorio, ne ſe quoque vorarent; cen ei rei aſſueti, protinus illinc exire, ac vomitu redditis quæ ederant; ita iter denuò ingreſſi ſunt: ſed in ipſo facinore homines mactantes deprehenſos non ita multo pòſt referebant, &c. Galenus lib. 10. ſimpl. tit. de ſanguine ſuillo.

PARAPHRASIS.

Hanc hiſtoriam repetit Galenus *lib.* 3. *de aliment. facult. cap.* 2. ſuillæ carnis cum humana ſimilitudinem patefaciens; de cuius temperamento plura diximus, *lib.* 1. *in com. hiſt.* 28. Habet ergo caro hæc plurimam cum humana natura, in ſapore, & guſtu affinitatem; & ob hanc cauſam, voluptatis præſertim gratia, à priſcis pro variis curandis morbis offerebatur, vt ibi pluribus auctorum teſtimoniis confirmauimus, & probat Langius *lib.* 1. *epiſt.* 61.

Galenus *in locis ibi citatis* cùm ad mutationem victus accedit, eligit ex omnibus pedeſtribus ſuillos pedes, deinde crus, pòſt externam carnem iuuenis porcelli. Vtrùm verò præſtantiſſima caro ſit inter pedeſtres, ſuilla? Dic, quòd Galenus *lib.* 7. *meth. cap.* 6. extollit eam ſuper omnes in probitate ſua, ſi modò debitè exerceatur ſus, *lib. de attenuante vict. rat. cap.* 6. Eodem verò *lib. cap.* 7. adiungit, quòd ex pedeſtribus ſoli hœdi præſtant. Poſſumus addere anniculos arietes & vitulos, & paruos cuniculos. Si tamen robur caloris adeſt, præſtat omnibus ſuilla: quod oſtendit familiaritas compoſitionis, & temperamenti. Conſule quæ ingenioſiſſimus Ludouicus Nonnius, auctor ſanè non vulgaris ſcripſit, *lib.* 2. *diætetici cap.* 4.

Et vt hæc ampliùs innoteſcant, ſcito, quòd homo pinguiſſimus eſt, & ſanguine abundat plurimo, ſed temperatiſſimo, miniméque intensè calido, quæ omnia inſunt ſui. Adeſt præterea ſaporis ſimilitudo, ita vt plures decepti, carne humana veſcerentur pro ſuilla. Adde etiam fœcunditatem eius ſignificare, naturam genuiſſe illud animal maximè alendo homini peculiare: ſuauiſſima enim eſt eius caro, ita vt apud Plin. *lib.* 8. *cap.* 51. ex hoc animali numeroſa ſit materia ganeæ.

Accedit Celſi auctoritas *lib.* 2. *cap.* 18. eam leuiſſimam eſſe pronuntiantis, §. *Inter domeſticas verò quadrupedes, leuiſſima ſuilla eſt.* Pedes verò optimi alimenti ſunt, facilis coctionis, appetitum excitant, omnino vacant excrementis, ob multum ſcilicet motum; & ſic ſunt meliores, cùm ſint pars ſicca animalis humidi: ideò conceduntur in tertiana *lib.* 1. *ad Glauc.* 10. & 7. *meth.* 6. maximè ptiſana concocti: nam ſic eorum craſſities, & lentor amittitur, vt multis auctorum auctoritatibus probat Petrus Caſtellanus *lib.* 2. *de eſu carnium, cap.* 1.

Sed ſi caro ſuilla eſt leuiſſima, & tantopere à priſcis commendata, cur lege Deuteronomij 14. promulgata huius carnis vſus à Deo, populo Iſraëlitico eſt interdictus, multi multa referunt apud Plutarchum 4. *ſympoſ.* 5. Verùm dicendum Moſem Hebræos ſuilla carne veſci prohibuiſſe, quò eos admoneret, vt mundi eſſent, neque carne tam ſpurca alerentur, & ſobriè, non vt ſues in crapula, & ſagina viuerent: ſues enim, vt Columella inquit *lib.* 8. *cap.* 9. peſſimo, & ſpurco alimento vtuntur: quoniam à terra radices ſcirporum, arundinum, & lumbricos roſtro eruunt; & tumultuariè collum, capútque conquaſſantes; luto, & cœno ſe oblectant; ſordidum enim eſt animal, & ſpurcum, vt reconditæ doctrinæ vir, Ioannes Beuerouicius explicat vbertim, *part.* 2. *idea medic. veterum, cap.* 3.

Si verò de ſuum alimento, conditura, vſu, ſeruandi modo, ſuauitate, huius carnis fermentatione: Porcello, eius vulua, ſumine, perna, tomaculis, lucanicis, variis eius partibus & vario apparatu præparandi has partes in menſarum delicias, ex poëtis, oratoribus; & diuerſis auctoribus legere concupiſcis, adi Conradum Geſnerum *lib.* 3. *de quadrupedibus, cap. de ſue*, & accuratiſſimæ diligentiæ, immenſæque lectionis virum, Vlyſſem Aldrouandum *lib.* 1. *de quadruped. c.* 36. qui hæc omnia ad plenum deſcribunt, explicant, & emedullant.

HISTOAIA XV. ÆTII,
De luto Ægyptiaco.

Lutum Ægyptiacum, plurimis morbis vtiliſſimum.

Agrorum terra quæ colitur, & pinguis eſt, vtilis eſt ad curationem omnium partium reſiccatione indigentium, quare, & in Alexandria, & Ægypto ipſa vtuntur. In Alexandria itaque vidi hydropicos, & lienoſos terra Ægyptiacæ luto vti. Multi verò etiam ſuras, & femora, & cubitos, & brachia, dorſúmque, ac latera, & pectus, eius terra luto illinentes, opem ſenſerunt. Quin & veteres inflammationes, & laxos tumores hoc lutum ſanauit. Et ſanè noui quoſdam, toto corporis habitu aquoſos, ex immodica hæmorrhoidum vacuatione redditos, inde manifeſtum auxilium ſenſiſſe. Quidam etiam diuturnos dolores iuxta partem aliquam firmatos hoc luto perfectè ſanarunt, &c. Aëtius tetrab. 1. ſerm. 2. cap. 3.

PARAPHRASIS.

Apud Philoſophos indubitatum eſt, nuſpiam aquæ elementum inueniri purum, ſed vnicuique peregrinam aliquam qualitatem, vel ſubſtantiam miſceri, ita vt vna ab altera, ob diuerſas materias, differentes ſortiatur qualitates. Quo pacto aquæ è ſubterraneis locis ſcaturientes, calidæ plurimæ emanant: argumentum ſanè euidens, quòd ab aliqua ſubſtantia intus in terræ viſceribus incluſa calefiant: Id oſtendunt earum ſapores diuerſi; & effectus, quos ab ipſis fieri quotidiano experimento obſeruamus.

Adeſſe

Adeſſe ſubterraneos ignes ſenſus iudicat: nam in plurimis regionibus ſeſe eructant Vulcani, & ardentes ignes ex intimis terræ penetralibus, qui magno excitato ardore, & vehementiſſimo terræmotu, ciuitates, imò & prouincias depopulantur, vt plurimis allatis hiſtoriis probant doctiſſimus Reinerus Solenander *lib. de calore fontium*, & Vitruuius *lib.8.ſuæ Architect.cap.11.*

Solem autem eſſe huius ignis auctorem aſſerimus libenter: licèt enim impoſſibile aliqui exiſtiment, à ſole calorem haberi, quo ferueant ſcaturientes aquæ, à quo depilentur porci, deplumentur aues, oua indurentur: tamen materia quæ incenditur, vim igni attribuit: ſic ex leuibus ſtipulis ingentia ligna accenduntur. Fit autem à ſole ignis, non ſolùm per radiorum coitionem, ſed continuam actionem, perennémque reflexionem, ad ignem in materia accendendum.

Neque negandum eſt, non ſolùm ſuperiorem terræ plagam vehementer immutare poſſe Solem, ſed inferiorem. Nonne in ipſis terræ penetralibus ſuam maximam efficaciam oſtendit? Soli enim ſubeſt aurum, ſicut Lunæ argentum, Ioui ſtannum, & electrum; Mercurio argentum viuum, vt affirmat Scotus *in 2. diſtinct.14. ad fin.* imò grauiſſimorum auctorum hæc fuit opinio, ſingulis ſpeciebus rerum intereuntium, reſpondere in cœleſti mundo virtutes peculiares, quibus foueantur, & conſeruentur; & non ſolùm ad conſeruationem, magnam eſſe cœlis efficaciam rentur, ſed etiam multa perfecta animalia à ſuperioribus cauſis produci affirmant; de quorum numero ſunt Capreolus *in 2.diſt.9.quæſt. vnica.* Durandus *diſtinct.15.2. part.diſtinct.quæſt.1.*Ferrarienſis *1.contra gentes,cap.20.* Gabriel *ſuper cantic. lect.41.* Iandunus 7. *Metaph quæſt.14.* Alenſis *eodem lib.ad text.23.* Auer.*lib.12.com.13.&* 28.Soncinas *eodem lib. quæſt.12.*

Quidni? Nonne præter Solem, plurima alia ſidera in profundo maris ingentem calorem poſſunt efficere? Narrant Oppianus *in ſuo lib.de piſcibus*,& Ariſt.8.*de hiſt.anim. cap.15.* piſcem Aſellum exoriente cane, nimium ardorem in intimis maris receſſibus præſentientem, abditos rupium anfractus quærere, & ibi ocultari?

Hos inter piſces ſegnis numeratur aſellus,
Qui canis æſtiui motu concuſſus acerbo,
Ingreditur duras cautes, atròque receſſu,
Occulitur, tali dum feruet ſidere cœlum.

Ergo Sol eſt genitor ignis, qui in remotiſſimis terræ cauernis latet: nullum enim ſublunare Solis virtute carere, neque ſine eo conſtare poteſt, cùm ipſe ſit princeps, & moderator luminum reliquorum. Sed quomodo in terræ viſceribus huiuſmodi ignis accendatur, explicatu difficile eſt. Dic Solem non tantùm poſſe calorem ſufficientem in intimis terræ plagis generare, ſed etiam ipſum ignem ſecundariò, id eſt, quia generat vapores, & exhalationes tenues, & calidas, quæ in ipſa terra derelictæ adueniente hyemis, noctíſque, vel quauis alia frigida conſtitutione, ob aëris frigiditatem in fugam compulſæ, per terræ ambitus ſeſe inſinuant, & ad intimos terræ meatus ſe detrudunt, ac recipiunt, antiperiſtaſis modo, vbi non ſolùm calorem, ſed etiam ignem accendere queunt.

Hoc modo ignes ſubterranei accenduntur, qui è vaporibus per antiperiſtaſin vnitis, motis, ac rarefactis, & poſtea ignitis generantur: propterea aquæ puteales, & fontanæ per hyemem calfiunt, quia terra dum frigore denſatur, & coit, exhalationes quæ intra ſe æſtate collegerat, in caua, & apertiora loca traiicit, illæque in ſubterraneam aquam incidentes, ipſam calore, quo præditæ ſunt, imbuunt, quibus alludit illud Lucretij *lib.6.*

Frigore dum premitur porrò omnis terra, coitque,
Et quaſi concreſcit, fit ſcilicet vt coeundo
Exprimat in puteos ſi quem gerit ipſa calorem.

Cuius rei appoſitum exemplum ſit, ex media aëris regione deſumptum, in qua vapores per antiperiſtaſin, ſiue alio quouis modo (hoc enim in præſenti non diſputo) attenuati, & rarefacti vniuntur: ſic etiam in terra contingit, quæ, cùm frigida ſit, vaporéſque in ſe recipiat calidos, hoc modo ignem generat. Ex iis patet erraſſe Reinerum Solenandrum *in ſuo lib.de calore fontium*, qui illos vapores

A à caliditate terræ eſſe generatos aſſeuerat: nam ſi ita eſſet vbi terra calidior apparet, ibi frequentiùs ignis generaretur, quod eſt falſum; in terra enim non admodum frigida, & vbi Sol ſemper æſtuat, vt in India, raró, aut nunquam ignis accenditur.

Deinde, quod ſit ignis pabulum, inueſtigandum: nam ſi eo careat, extinguitur. Alij alumen eſſe putant, ſed non eſt aptum ignis alimentum, cùm oleoſa ſubſtantia careat. Alij bitumen liquidum eſſe rentur. Plures ſulphur eſſe exiſtimant, in aquis enim ſcaturientibus ſulphur manifeſtè conſpicitur. Alij terram eſſe ſibi perſuadent, quia ſunt fontes multorum ſaporum, quorum cauſa referenda eſt ad terræ facultatem, de quo argumento fusè Fallopius, & Baccius *in ſuis libris de thermis* diſceptarunt.

Quapropter diuerſa eſt ignis materia, dummodò pinguis & oleoſa ſit. Sic terra ſulphurea & bituminoſa, quæ in Belgica prouincia inuenitur, qua pro lignis ad ignem
B accendendum incolæ vtuntur, eſt ignis pabulum peculiare. Hæc terra vocatur compoſita, quoniam cum aliquo foſſili, aut re metallica eſt permixta, vtpote alumine, ſale, nitro, calcantho, bitumine, ſubphure, ferro, ære. Quare pro varia eorum, quæ admiſcentur, qualitate, diuerſas mutuantur facultates terræ, & omnia ſortiuntur partim à locis vbi effodiuntur, & adſportantur; partim etiam à coloribus quibus inficiuntur, partim à facultatibus propriis. A locis denominantur Lemnia, quòd ex Lemno Inſula deferatur: Samia, quod ex Samo; Chia, quòd ex Chio. A colore dicitur rubrica, & aliæ nonnullæ. Hac ratione dicitur terra Ægyptia, de qua habetur ſermo in hiſtoria hac, quoniam ex Ægypto defertur.

Hæc ergo cùm aliquam calidam, deſiccantémque ſub-
C ſtantiam in ſe habeat; à foſſili ſucco liquido, vel metallo cum quibus eſt permixta, communicatam, contra aquam intercutem, fungoſóſque tumores ſtrenuè pollet, & lienem abſumit, vt auctor eſt Paulus *lib.7.tit. de terra.* Nam aquæ thermales omnes planè exſiccant, quum bitumen, alumen, ſulphur, aut aliud foſſile in ſe retineant, vt pluribus in locis Galenus edocuit: & licèt ferrum, alumen, aut æs, frigiditatem participent, tamen omne metallum igneam facultatem ſortitur.

Et cùm vſus thermarum ſit quintuplex: Potus, lauatio, lutum illitum; gutta, ſeu inſtillatio; fumus, ſeu ſudoris prouocatio: Lutum apponendum non eſt præcordiis, capiti, aut pectori, ſed aliis partibus: cuius fotu roborantur, calefiunt, & earum excrementitia humiditas abſumitur. Quo pacto morbis omnibus frigidis, qui præſertim ambitum corporis infeſtant, remedio eſt, vt para-
D lyſi, ſtupori tremori, & frigiditati vteri, ventriculi, laxis tumoribus prodeſt, ſcabiem delet, tubercula comminuit; iecoris & lienis durities reſoluit; partium neruoſarum doloribus à frigiditate ortis opitulatur. Quo pacto lutum, ſeu terra, in qua reperitur ſal, nitrum, alumen, bitumen, hydrargyrum, æs, calx, ferrum, gypſum, chalchanthum, argentum, lithargyrum, plumbum, eaſdem facultates habet, quas ſortiuntur res quæ cum ea ſunt permixtæ, vt perdoctè diſſeruit Antonius Maria Venuſtus, *Conſilio 24. de Balneis, eleganti.*

Hac ratione patet, quòd terra in qua eſt ſal, & nitrum, confert capitis, & thoracis fluxionibus; tumoribus pitui-
E toſis, hydropicis, ventriculo humido auxilio eſt. Aluminoſa, ſanguinis reiectioni, vomitui, alui profluuio diuturno, ſudori immodico; roborat ventriculum, iuuat coctionem, appetitum excitat. Sulphurea, neruos emollit, articulorum fluxioni remedio eſt, lieni indurato, obſtructo, vtero reſoluto, coxendicum doloribus medetur. Bituminoſa, calefacit, emollit. Mercurialis, refrigerat, ſiccat, confirmat. Ærea, confert hydropiſi, ori, tonſillis, auribus, vuæ, oculis: calefacit, exſiccat, attenuat. Quæ calcem in ſe continet, calefacit immodicè, exurit, putrilaginem abſumit. Ferrea, infrigidat, adſtringit: ventriculo, lieni commoda; ſiſtit ſanguinem, alui fluxum retinet. Gypſea, valenter ſanguinem retinet, ſed ventriculo noxia, & ſpirandi facit difficultatem. Chalcantoſa adſtringit, exſiccat. Argentea, refrigerat, exſiccat Lithargyro infecta, vlceribus confert. Plumbea, adſtringit,

ſiſtit

ſiſtit, & ſupra renes illita ſeminis fluxum retinet, gonorrhœæque diuturnæ eſt auxilio. Demum ſicut aquæ thermales, & ſponte è terra naſcentes, vires participant à foſſilibus, cum quibus ſunt permixtæ, vt latè docet Paulus *lib.* 1.*c.* 52. ſic terra,ex Paulo *lib.*7.*c.cit.*Si de variis luti, & terræ ſpeciebus lectu digna ſcire aues, adi Andream Bertholdum,qui *in ſue tract.de terra ſigillata*, vires,atque virtutes variorum lutorum ingenuè propoſuit.

HISTOR. XVI. GALENI, *De melle.*

Mel quibuſdam noxium, aliis ſalutare alimentum.

Atque in eo certè permultos eſt inuenire, qui de iiſdem cibis ex diametro pugnantia pronuntient. Nuper enim duo inter ſe concertabant, quorum alter ſalubre, alter inſalubre mel eſſe affirmabat, vterque ex illato ſibi à melle affectu conie-ctans: nondum illud intelligente:, quòd omnes homines non vnum ab initio habuerunt temperamentum: neque ſi habuiſſent, immutabile ipſum, ætatis curſu, aut in temporum anni, ac locorum commutationibus, tueri potuiſſent: vt nunc omittam, quòd iidem homines vitæ inſtitutis, ac victus ratione natiuum corporis habitum immutant. Ne igitur longè abeam, eorum, qui de melle inter ſe diſceptabant,alter quidem erat ætate ſenex, & natura pituitoſior, vitáque otioſa, & cùm ad alias omnes actiones, tum autem ad eas exercitationes, quæ balneum præcedunt, ignauus: ob eámque cauſam mel ei erat vtile. Alter verò natura erat biliioſus, & annos natus triginta, in quotidianiſque operibus multùm ſe ſe fatigabat. Non abs re igitur in eo mel celeriter in bilem vertebatur: eáque ratione ſibi erat nocentius, &c. Galenus lib. 1. de alimentor. facult. cap. 1. poſt medium.

PARAPHRASIS.

CVm de generatione mannæ *ſuprà* diſſeruerimus, pa-rùm in mellis generatione hoc loco immorabimur. Decidit ergo ros ex alta vniuerſi parte,ex media(inquam) aëris regione vbi concreuit frigore: & pars quæ terram attingit, in ipſa imbibitur, abſumitúrque; quæ verò in floribus, foliiſque recipitur, ſaxis, rebúſque aliis denſis, & duris, ſeruatur & concreſcit: non ſecus ac ros quilibet alter frequenter decidens, concreſcit in rebus terſis, denſis, & limpidis, vbi imbibi nequit; à poroſis verò, & ſiccis, puluerulentiſque ebibitur, vt non ampliùs appareat.

Huius roris autumnalis, & vernalis, auidiſſimæ ſunt apes, quem degluriunt, bibunt, ligúntque ex floribus, cruribus inuerſis floſculum eorundem abradentes, florúmque mollem ſuperficiem floſculoſam complanantes, quo fine crura illis natura euerſa phalangiorum more conceſſit, vt meliùs id colligere.blandámque ſubſtantiam radere queant; vt nempe ros dulcis,ibi adhuc ſi eſt quiſpiam contentus, exprimatur in alueis, vt mella adaugeantur, & concreſcant; nihilque roris ſuperſit imbibiti adhuc in floſculis florum, mollique ſubſtantia eorum: & vt ex reliquo, quod in cruribus ferunt, cera conſiſtat, in qua mel recoquatur & conſeruetur;in ventriculo adſportantes ſuccum linctum,torémque dulcem,coquendum magis vt mella efformentur;quem euomunt in aluearia,altæ; & nutritæ illo priùs quantitate debita,reliquum verò abiicientes continuò, quòd ſit flatuoſum,leue,ſupernatánſque in ventre,vt nauſeam moueat, qui ſemel emiſſus è ventriculo apum in ceræ cauitates, quas præparant priùs, fauóſque in iis intra aluearia, ſpatio viceſimi diei craſſeſcit, mélque ſit perfectum, & bene coctum, vt docent Dioſcorides *lib.*2.*c.*84. Plinius *lib.*11.*cap.*12. Eſt ergo mel ſuccus roris cœleſtis ab apibus collectus, vt tradit Auic. *lib.*2. *tract.*2.*cap.*496.

Quòd ſi antea aluearia examinemus, aquea quædam

A dulcis ſubſtantia, cruda inuenitur, non mel confectum, non ſecus ac muſtum antequam fiat vinum; poſtea coctum, & perfectum, calidis in eo partibus exſtantibus igneis, tempore debito potentibus reliquas concoquere, aqueas & frigidas, perficeréque, vt coctum mel euadat. Conſule eruditiſſimum Ludouicum Nonnium, Medicum Antuerpienſem percelebrem, *lib.* 1. *de re ciba-ria, cap.* 40.

Hoc modo parantur mella: cera verò, fauique in aluearïis fiunt, apum cruribus materia adſportata, ceræ confingendæ apta, oleoſa, pingui, glutinoſa, viſcida, quæ cocta deinceps abit in perfectam ceram. Fauos verò examina apum toto corpore efformant, cellulaſque in eiſdem efformatas adſtruunt, gubernata republica re-ge iuſtiſſimo, ſeruiſque crabronibus in idem opificium operantibus. Apes autem cùm piloſæ ſint natura, hiſpidæ, & hirſutæ, ſi glutinoſum afferant rorem,aut viſcidam ceram, & florum floccilaginem, mortem ſibi afferunt mul-

B toties, dum maximo conatu, toto corpore foramina in fauis formare contendunt, vt rorem euomant in cauitates præparatas priùs, vt mel recoquatur, glutino detentæ viſcido, & tenaci cera, dum eius eſt naturæ viſcidæ, & tenacis, pro diuerſa florum ex quibus colligitur ſubſtantia, peruolare illis ampliùs vt non detur.Ipſæ verò inutiles ſeſe iudicantes, otioſas, operique ineptas, inedia, faméque ſeſe macerant, vt cellula ſit melle plena, aridæ verò ſint ipſæ,faméque abſumptæ,& triſtiſſima macie confectæ, vſque dum animam exhalent. Virgilius *lib.*4.*Georg.* de apibus ita:

Prima fauis ponunt fundamina, deinde tenaces
Suſpendunt ceras. ———

Ariſt. *lib.*5.*de hiſt. animal. cap.*22. ſic: *Fauos primùm confi-ciunt, mox fœtum emittunt, ſic autem ex floribus in fauis, cera-tionem fingunt ex lachrymis arborum*: & *lib.*9.*cap.*40. fabri-

C cant fauos, deferentes ex floribus, & arboribus, quæ lachrimas emittunt,ſalicis, vlmi, & arborum glutinoſarum. Plinius hoc modo *loc. cit. Primùm fauos conſtruunt, ceram fingunt, (hoc eſt, domos, celláſque faciunt, deinde ſobolem, poſtea mella. Ceram ex floribus, melliginem ex lachrymis arborum, quæ glutinum pariunt ſalicis, vlmi.*

Figura loculorum, ſiue cellularum, quas ad mellificandum ſibi apes conſtruunt, deſcripſit Plinius *loc. cit.* & Varro *lib.*3.*de re ruſtica, cap.*16. dixit,eſſe eas ſexangulas, operarique fauos ſexangulos, oppoſitas texentes lineolas, quoniam in fauo ſexangulæ cellæ totidem quot habet ipſa pedes. In circuitu fauorum fingunt maius, quàm vulgò foramen, velut tubra ſorde plenum, ex qua protinus alatus Rex figuratur, deinde, vt ait Columel. *lib.*10. *cap.* 11. Imperatoribus futuris in vna parte aluei amplas cellas extruunt, magnificas, ſeparatas, tuberculo eminen-

D tes, velut vberis papilla.

Huius ergo tam præſtantiſſimi ſucci inuentionem, Plinius *lib.*7.*cap.*56. & Diodorus, Ariſtæo Athenienſi aſſignant; & Curetes populi omnium primi illius vſum docuerunt: licet Bacchus illius perhibeatur auctor ab Ouidio, dum ait:

Liber & inuenti præmia mellis habet.

In quocunque terræ tractu terna ſunt mellis genera. Vernum ex floribus cõſtructo fauo,quod ideò vocatur anethinum. Alterum genus eſt mellis æſtiui, quod vocant horæum, quando ſcilicet ros colligitur ſplendeſcente Sirio, quando ſolis radiis ros tepeſcit.Tertium ſylueſtre,minimè probatum,quod conuehitur poſt primos autumni imbres, ericæum vocant.

E Mellis magna inuenitur iuxta regiones varietas: Nam Varro Siculum præfert omnibus, quod ibi thymum bonum,frequénſque ſit quo ad mellificium nihil eſt præſtantius. Strabo è Cycladibus, & inter Cyclades Calymnium anteponit omnibus.Diophanes Attico palmam dedit,præſertim ex Hymetto monte. Secundam auctoritatem tribuit huic,quod ex inſulis petitur Cycladibus, & Siciliæ, quod Simblium vocant.

Præſtat pellucens, ſubrutilum, tactu læue, prætenuia fila mittens, atque validum; & cùm trahitur neque abrumpentibus ſe, neque reſilientibus guttulis, ſed digitum verſus

verſus quaſi reciprocantibus, odore ſuaui, dulciſſimum, quod ſpumæ parum egerat.

Melle vtimur loco ſacchari, in corporibus præſertim frigidioribus: Nam amygdalas, pineos nucleos, piſtacia, citrium. cinnamomum, coriandrum, fœniculum, aniſum, melle condiebat antiquitas, vt eſt apud Paulum. Inuentio enim extrahendi ſaccharum à ſacchariferis cannis priſcis nota non erat: primus autem Actuarius *in compoſitioni-bus ſuis*, mellis vſum tranſtulit ad ſaccharum, vt voluptati laborantium hac in parte ſubſcriberet, quando ſaſtidio-ſum atque moroſum ægrotantis palatum, nihil non ferè reſpuit, cui ſaccharum ſua dulcedine grata lætiùs abblan-diretur: quapropter hic auctor permulta condidit medi-camenta, quæ ſacchari mixturam prima fronte fatentur, vt ioſacchar, nymphæoſacchar, oxyſacchar, quæ ex violis, quæ ex nymphæa, quæ ex aceto, & ſaccharo conſtruun-tur.

Vtimur etiam in duos præcipuos, eóſque maximè æſti-mandos vſus, quoniam interdum illud auxiliatur vt me-dicamentum, ſæpe vt alimentum. Midicamentoſam enim vim, eámque excellentem obtinet mel: & primò exani-mum corpus hominis per annos plurimos innoxium con-ſeruat, quoniam præter dulcedinem quam adfert, linguæ iucundiſſimam, tantam vim habet conſeruandi, vt ſalis loco in multis vſurpetur; & Babylonij corpora mortuo-rum in melle ſepelierint.

Mel calidum eſt & ſiccum in ſecundo gradu, teſte Aui-cenna *loco citato*, & ſic frigidis affectibus maximo reme-dio eſt; Faucibus, anginæ, tonſillis, omnibúſque oris ægri-tudinibus vtiliſſimum. Peripneumonicis, pleuriticis, vulne-ribus à ſerpente percuſſis, contra venena fungorum, vel auribus inſtillatum cum roſaceo prodeſt: Lendes, & fœ-da capitis animalia necat, oculorum tenebras diſcutit, eſt aluo idoneum, ſpiritus tranſitum lenit, vocis aſperitatem mitigat; contra venenum ceruſæ ſalutare eſt, & contra fri-gida venena ſummè auxiliatur: fiſtulas, & vlcera abſtergit, ora venarum aperit, humores euocat: quo pacto empye-maticis remedio eſt, vt probat Dominicus Zonellus *conſil.* 47. *de expuitione purulenta.*

Has admirandas vires Medici cùm contemplarentur, varia ex melle medicamina parant, plurimis curandis morbis valde proficua; ex quibus ſunt Hydromel (quod mulſam, & melicratum priſci nominabant) Apomel, Oenomel, Oxymel, quod ab Arabibus *ſecaniabin*, à Iu-nioribus acetum mulſum vocatur, quod multiplex eſt, ſimplex, compoſitum, ſcilliticum. Ex melle fiunt varij ſucci melliti, quando ex plantis, vel infuſis, vel earum ſuccis cum melle, compoſita quædam ſeruant Officinæ, quæ à conſiſtentia, & melle, nonnulli ſyrupos melleos nuncupant; de quorum numero ſunt mel Violatum, Anthoſatum, Mercuriale, Anacardinum: qui omnes ſucci mellei admirabiles ex ſe produnt vires, diuerſis morbo-rum generibus ſalutares; quorum compoſitionem, & vi-res inter omnes propoſuit Ioannes Renodæus *lib.* 3. *inſtit. pharmaceut.* & *lib.* 1. *antidotarij* elegantiſſimè.

Mel, vt alimentum, corpus mirificè nutrit, & inſtaurat; namque veſcentibus non modò ſuaue ſentitur, ſed faci-lem, & nitidam vtentibus protrahit vitam, caducámque firmat ſenectam. Nam qui ſenes ad panem nihil adhi-bent præter mel, & viuunt diutiſſimè, & ſenſuum inte-gritatem, vigorémque animi, & corporis cuſtodiunt, ita vt meritò longæuam ætatem mellis nutritioni referre de-beant acceptam. Democritus ſemel interrogatus, quo pacto inoffenſa valetudine homines. & longiori æuo vitam prorogarent, reſpondit, vt refert Galenus *lib. de atte-nuante vict. rat. cap.* 11. ſi externa oleo, interna melle deli-nantur.

Mel enim cùm ſit dulciſſimum, belliſſimè nutrit; humi-dum enim habet pingue, & glutinoſum, partibúſque nu-triendis tenaciter adhærens, iiſque affigitur, nec diffluit. Hinc fit, vt notat Cælius *lib.* 21. *lect. antiq. cap.* 3. ex mente Athenæi, Cyrnios qui Corſicam incolunt, ideò eſſe ma-crobios, ſiue polychronios; hoc eſt, longæuos, quoniam mellis cibo vtuntur aſſiduè. Quin Pythagoræ ſectatorum menſa pane conſtabat, melléque, ſicuti prodit Ariſtoxe-

A nus. Ille verò ipſe Democritus, quum ingruerent Theſ-mophoria, ne domum funeſtaret, dies aliquot vitam produxiſſe dicitur; ſola mellis anaphora, id eſt, euapora-tione. Quare mel hominibus eſt alimentum grariſſi-mum.

Deinde mel nutrire probat Galenus *lib.* 3. *acut. com.* 17. ita ferunt quibus mellis vſus frequentior fuerit, vitam diutius producere; contra verò qui cibis acidis delectan-tur, breuioris eſſe vitæ. Quare præſtat in ſenecta ipſa plurimùm pane, & melle vti; neque enim ſolùm viuaci-tatem adiuuat, ſed ſenſus omnes ſanos, & integros cu-ſtodit, vt Pierius Valerianus *lib.* 26. confirmat *in aph.*

B quoniam mel iucundo ſapore magnam cœleſtis naturæ voluptatem affert: non alia ſuauitas, viſque mortalium malis à morte vocandis, quàm diuini nectaris; vt ex Plinij ſententia *lib.* 11. *cap.* 12. perpulchrè, vt ſolet, confirmat elegantiſſimus Beuerouicius *lib.* 1. *idea medicinæ veterum, part.* 2. *cap.* 3.

Ità *Eccleſiaſtic. cap.* 11. dulcedo mellis laudatur: *Breuis in volantibus eſt apis, & habet initium dulcoris fructus illius.* Quare in ſenibus, & corporibus frigidis, ſiue ex morbo; ſiue ex natura, in bonum ſanguinem conuertitur, quia modicè concoquitur, vt ait Galenus 4. *ſimp.* 17. & 2. *de fa-cult. natural.* 8. In iuuenibus tamen, bilioſis corporibus, æſtatis tempore, facilè in bilem vertitur; quod enim in eo dulce eſt, & pingue, in bilioſum humorem mutatur: quia exuritur: vt notat Actuarius *cap.* 8. *lib. de ſpirit. anim.*

C *nut.* bilioſum autem generari ex pingui: dictauit Hip. *lib.* 6. *epid. ſect.* 6. *text.* 14. pingue enim promptè inflamma-tur: ex Galen. *lib.* 3. *de temp. cap.* 5. & 4. *de vſu part. cap.* 9.

Quare meritò horum Medicorum concertationem irri-ridet Galenus: quorum alter mel ſalubre, alter inſalubre affirmabat, vterque ex illato ſibi à melle affectu conie-ctans, quum neuter intelligeret hominis non vnum ab initio temperamentum habuiſſe, neque ſi habuiſſent, immutabile ipſum ætatis decurſu tueri poſſe; alter enim erat ſenex, & pituitoſus, alius verò iuuenis: & bilioſus Si tamen de mellis generatione: natura: & variis effecti-bus plura ſcire aues: conſule Michaëlem Zenardum Bergomenſem, *in tertia de diſputatione de vniuerſo elementari*

D *tit. de melle.*

HISTOR. XVII. GALENI,

De lactis vtilitate & noxa.

Quidam lac perpetuò eſitans, longæ-uam vitam produxit, alius hunc imitatus, perpetuò grauabatur.

SI quis cr. ſſa edulia ſumere ſit aſſuetus, nec tamen offenda-tur, latas habere prædictorum viſcerum venas ſit putandus: ſin facilè offenditur, anguſtas. Nouimus enim ſenem quendam

E *agricolam, qui ampliùs quàm centum annos, ruri vitam egerat. Huic plurimum nutrimenti caprinum lac erat, quod aliâ cum mica panis in eo macerata ſtatim ſumpſit: alias mel immiſcuit: aliàs coxit, etiam thymi cacumina vna cum pane iniiciens. Hunc quidam imitatus, videlicet tam longæ vitæ cauſam ratus in lacte ſubeſſe, perpetuò lædebatur, quocunque id modo ſum-pſiſſet. Nam primùm illi grauabatur os ventriculi, mox tende-bantur in dextro latere præcordia. Alius quoque ſimili modo cùm lacte vti cæpiſſet, de reliquis nihil eſt queſtus, quippe qui & probè id concoxit, nec acidum, aut fumidum ructum ex eo ſenſit, nec flatum, nec grauitatem in præcordiis: Septimo ta-men die poſtquam eo vti cæpiſſet, iecur ſe ſentire manifeſtè grauatum dixit: quippe videri ſibi quiddam in dextris præ-cordiis, ceu lapidem iacere, ſit vt & deorſum trahere ntur, quæ ſuprà eſſent, & tenſio ad iugulum vſque pertingeret. Con-ſtat itaque huic obſtructum iecur fuiſſe, illi flatu inſumuiſ-ſe. Quinetiam noui, cui ex diuturno lactis vſu calculus in renibus eſt natus: ſicuti alium quendam, qui omnes den-tes amiſit, læſuque. Id verò aliis quoque multis contingit ex*

diutino

*diutino lactis vſu. Alij rurſus citra noxam lacte perpetuò ſunt vſi, immò etiam cum maximo fructu, veluti agricola, quem * ſupra centum annos vixiſſe diximus, &c.* Gal. lib. 5. de ſa- A nit. tuend. cap. 7.

PARAPHRASIS.

DE lactis efficacia in nutriendo, eſt in hac hiſtoria ſermo: de cuius facultate mira pro reficiendis corporibus extenuatis, plura ex veterum, & iuniorum mentè diximus *lib. 2. in com. hiſt.* 34. & *lib. 4. in com. hiſtor.* 44. quibus locis manifeſtè comprobauimus, id eſſe optimi ſucci, ex Gal. 5. *aph.* 64. & 3. *de aliment. facult. cap.* 14. Nam plurima non indiget elaboratione ad ſui coctionem, & facile per venas diſtribuitur, & ſeroſa parte aluum expurgat, quo nihil melius in conſeruatione ſanitatis eſſe poteſt.

Caprinum temperatum eſt, cùm non ſit tenue, nec craſſum, ſed medium, ex Galeno *lib. de bonit. & vitio ſuccor. cap.* 5. & Auic. *lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 441. cuius electionem B oſtendit Paulus *lib.* 1. *cap.* 3. Quòd ſi cum melle aſſumatur, præſtantiùs nutrit: nam mel lactis frigiditatem corrigit; flatus reſoluit, coctionem iuuat, & per corpus citò diſtribuit. Quod licèt in iuuenibus, calidis natura, ætatéque florentibus, in bilem tranſire ſit aptum, vt 4. *aph. com.* 16. notauit Galenus, & ſuperiori hiſtoria palàm fecit; in frigidioribus tamen temperaturis, ſiue ob ætatum naturam, ſiue ob morbum, facilè in bonum, moderatúmque ſanguinem conuertitur, vt *lib.* 3. *de aliment. facult. cap.* 38. probauit Galenus: quoniam in his corporibus non alteratur, non bileſcit, aut amaritudinem contrahit, ſed ſua dulcedine, & lentore modicè coctum probè nutrit.

Lædit ergo, & nocet aſſumentibus lac, qui non rectè valent, & præ ventriculi debilitate non concoquunt: im- C mò cùm ſit craſſi ſucci, obſtruit, aut in flatus vertitur: quod ex ructu colligere docet Galenus 7. *meth.* 6. & 5. *aph.* 64. Ob hanc cauſam, calculus ex eius vſu progignitur, ex Gal. 6. *epid. ſect.* 3. *com.* 15. Cauſam in hiſtoria aſſignauit Galenus, quia qualitas lactis, vtentis naturæ eſt aduerſa, frigida enim temperatura facilè à frigido alimento offenditur, & viarum tranſitus ſunt anguſti, per quos lac diſtribui commodè nequit, ſed ſuo lentore hærens, obſtruit, & à debili calore non concoctum, corrumpitur, ructus parit, proſternit viſcera, aluum mouet, nauſeam conci- tat, dentes ſuo nidore inficit, & corruptis elatis ab ore ventriculi vaporibus dentium venas & arterias erodit. Qui verò fortes ſunt, & venas latas habent, commodis lactis fruuntur, & obeſi ouantéſque ſenectam traducunt, & lon- D gæuiorem, & ſalubriorem, vt notat Ioannes Viſcherus *lib. de lactis vſu, & eius natura.*

Sed quæres, an lac plus nutriat, quàm vinum? hoc enim citiſſimè nutrit, collapſas vires velociter reparat, & ſic tabidis conceditur à Galeno 7. *meth.* 6. & aliis qui hectica febri contabeſcunt. Ex altera parte, quæ verior eſt, lacte impinguantur corpora, & craſſeſiunt, multóque fiunt robuſtiora; immò & extenuati eius potu conſaneſcunt, vt *citatis locis* veteres, & priſci confirmant, & inter omnes appoſitis hiſtoriis probat Valleriola 3. *obſ.* 6. & *lib.* 5. *obſ.* 6. & *lib.* 6. *obſ.* 9. Tanta enim eſt lactis vis, & in ſanis, & ægris corporibus nutriendis ſumma poteſtas, vt hoc ſolùm alimento pleraſque gentes vixiſſe ab Homero, & aliis auctoribus ſit confirmatum; & hodie pariter viuere Galactophagos referat Bruyerinus *lib.* 14. *cap.* 1. Si de E lacte, eius generatione, noxis, & viribus, pulchra ſcire affectas, lege Iulium Alexandrinum, *lib.* 10. *ſalubrium*, *cap.* 8. & *lib.* 17. *cap.* 8.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm breuitatis, ac diuturnitatis hominum vitæ variæ ſint aſſignandæ cauſæ, vt Philoſophi, Medici, & Aſtronomi ſunt opinati.

COMMENTARIVM.

SVpra *centum annos vixiſſe diximus.*] Antiquiſſimis illis, & primis orbis conditi ſæculis, valde longam fuiſſe vitam mortalium, adeò vt plerique ad mille ferè annos eam produxerint, inuiolata ſacrarum literarum prodit auctoritas. Quare mirandum eſt, his temporibus hominum vitam eſſe breuem ſimul, & calamitoſam: nec fabuloſum eſt priſco illo tempore longiſſima fuiſſe vitæ ſpatia, vt variis auctorum teſtimoniis probat Ioſippus Hebræus hiſtoricus celebris, *lib.* 1. *antiquit. cap.* 3.

At antequam varias de definitione vitæ, diſtributione, & diuturnitate cauſas proponam, quas varij variè perſecuti ſunt auctores, illud notandum primò, quod licèt vita noſtra dicatur longæua, tamen in ſe fluxa, eſt caduca, & velociſſimè fluens, fluuij, aut vndæ inſtar. Hoc demonſtrat Medicorum Coryphæus *in Aphoriſmis ſuis:* Is ergo *lib.* 1. *ſen.* 3. hunc terrenorum fluxum in bono Athletarum habitu indicauit his verbis. *Habitus Athletarum, qui ad ſummum bonitatis attingunt, periculoſi, ſi in extremo conſtiterint; quum verò non quieſcant, neque poſſint proficere in melius, reliquum eſt vt decidant in deterius.*

Hoc priùs patefecit ſacra pagina, *lib.* 2. *Reg.* 14. §. *Omnes morimur, & quaſi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur*: Nam humor qui calore attrahitur, in flammam conuertitur, exuſtus in fumum, & fuliginem. Vita enim noſtra continuæ obnoxia mutationi, ſemper fluit, ſemper progreditur & mouetur, tum conſiſtit quum eſſe deſierit, quoniam (vt optimè aduertit Chriſtophorus Landinus *in Ficinum, orat.* 4. *in Plat.*) corpus iugiter fluit, creſcendo, decreſcendo, reſolutione liquefactione continua, calore, ac, viciſſim frigore permutatum.

Sed quomodo poteſt vocari vita diuturna, ſi tota mors eſt, vt *epiſt.* 24. vrbaniſſimè retulit Seneca, quem politus Caſaubonus interpretatur vbertim? quin, vt ipſe inquit, *epiſt.* 12. *Tota quocunque me verto argumenta ſenectutis meæ video: nemo eſt manè, qui fuit pridie: corpora noſtra rapiuntur, fluminum more.* Quare Ouidius *lib.* 15. *met.* ſic cecinit.

Ipſa quoque aſſiduo labuntur tempora motu.
Non ſecus ac flumen, neque enim conſiſtere flumen,
Non leuis hora poteſt: ſed vt vnda impellitur vnda;
Vrgetúrque eadem veniens vrgétque priorem:
Tempora ſic fugiunt pariter, pariterque ſequuntur,
Et noua ſunt ſemper.

Hoc diſertiſſimè explicuit Philo Iudæus *lib. de mundo*, exponens, quàm volubilis, & fluxa ſit vita noſtra, & ex Euripis maris, ac fluuiorum ducit explicationem varietatis ipſius; vnde ortum prouerbium. *Euripus homo*, propter maris ſimilem prodigio reciprocandi celeritatem. Id manifeſtè indicarunt Plinius *lib.* 2. *cap.* 97. Strabo *lib.* 9. *Geograph.* Pomponius Mela *lib.* 2. *cap.* 1. Lege pulcherrimum Philonis locum *lib. quod immutabile nomen Dei, cap. vlt.*

Ad viuum vitæ noſtræ fluxum, & breuitatem expreſſit apud Heraclidem Ponticum Alceus: quare naturalis partus, eſt interitus, vt copioſè & doctè Ioannes Antonius Campanus *in ſua cineritia oratione.* Ita Homeri verſum Pyrrho Philoſophus in ore ſemper habebat.

Talis vita, atáſque hominum, quale eſt foliorum:

Meritò: *Nihil enim* (ait Lipſius 5. *cent. miſcellan. epiſtol.* 86.) *potuit verius, aut euidentius dici in hanc ſortem. Vides arborem illam, quæ primo vere folia induit? pulchra eſt, & vires, & vmbram, & ſpeciem ſui gratam prabet: quid tamen eſt? Mox ventus, & ictus folia pauca decutit: tum æſtus, aut ſiccita, deníque hyems omnibus ſpoliat, nudat.*

Si ergo vita noſtra breuiſſima eſt, & bullæ inſtar aquatilis exit, cur primæui homines ita diuturnè vixerunt? Dic cùm eruditiſſimo Benedicto Perer. *lib.* 1. *in Geneſim*, huius

A tam longæuæ vitæ ſeptem extitiſſe cauſas. Prima, bonitas conſtitutionis,& temperationis humani corporis, qua illi homines vigebant: tunc enim natura recens à Deo facta, integra erat, firma ad ſeipſam conſeruandam; fortis ad reſiſtendum contrariis, nondum tot morbis fracta, & vitiata. Vigor igitur ille, & robur naturalis conſtitutionis longam præſtabat vitam.

Secunda cauſa, fuit ſobrietas, & continentia in victu, & potu, & omnis vitæ moderatio: erat naturalis, & ſimplex victus, ac potus: varietas autem, mixtura, & condimenta ciborum vitam debilitant, atque minuunt. Tertia cauſa, præſtantia alimentorum, ob eximiam bonitatem, ac feracitatem terræ ante diluuium; poſt quod è terra
B naſcentia multò ſunt imbecilliora,& deteriora facta propter aquas falſas Oceani, quæ inundantes terram, ipſam ſterilem fecerunt.

Quarta, quia Adam perfectè nouerat naturales vires & facultates herbarum, fructuum, metallorum, lapidum, aliarúmque rerum, quæ vitam humanam producunt, quibus & vſus eſt ipſe, & vti docuit poſteros ſuos. Quinta, quia in illa prima ætate, Deo ita diſponente, fuere valdè benigni, & ſalutares ſiderum aſpectus, cœlique influxus. Sexta, vt per longam hominum illorum vitam poſſet admodum multiplicari genus humanum,quod in exordio mundi neceſſarium erat. Septima, vt diu viuentes homines poſſent reperire artes,& ſcientias,ad neceſſitates, vtilitatéſque vitæ humanæ, & ad perfectionem intellectus
C humani plurimùm conferentes, quæ tamen nonniſi longiſſimi temporis experimentis, & obſeruationibus reperiri poſſunt.

Alias cauſas ex Ioſepho affert Zonaras *tom.* 1. *pag.* 3. Noſtra poſt diluuium vita, eſt ſicut nauis in mari, veſtigium non relinquens, puluis, vapor, ros matutinus, flos temporaneus: *Homo ſicut fœnum dies eius,tanquam flos agri ſic efflorebit*, *Pſalm.* 101. Huc ſpectat breue, & argutulum Ioan. Anton. Campani carmen, *lib. epiſt.* 9. *de vita mortalium.*

Si quæcunque venit rebus mortalibus hora,
Eſſe poteſt nobis vltima, vita fuga eſt.

D Sed nos pergamus vltrà, & breuiter dicamus, quid ſit vita, & quomodo diſtribuatur. Vita eſt animæ operatio. Suppoſitorum inquies, ſunt actiones, nec animæ magis quàm corporis, ſed corporis animati, vt eſt apud Ariſt. *lib.* 1.*de anima*,maximè verò nutritiuæ, vt eſt apud eundem *lib.* 2.*de anima.* At ſanè nulli dubium, has actiones animato corpori per animam ineſſe, ex eiuſdem Ariſt. ſententia,cùm anima ipſa rationem cauſæ & à qua res eſt, & vnde motus, & cuius gratia habere dicatur. Bene igitur animæ operatio vita dicitur, ſi præſertim addatur in corpore. Quare immeritò arguti ſſimus Scaliger *exercit.* 102. *num.*5. Cardanum hoc modo definientem vitam, reprehendit, quum vita ex eius voto ſit animæ vnio cum calore,quod modò non diſputo.

E Vel vita eſt prima nutritiuæ animæ in calido participatio, ac mora, ex Ariſt. *lib.de vit.& mort.* Nam tunc primùm viuit animal,cùm caloris particeps eſt. Vita vitalis facultatis propria eſt, quum ob continuos ſpirituum manantium motus, & influxus, natiuus in nobis calor procducatur, ac foueatur, quo ea ceu proprio fomite conſeruatur; cuius extinctione perit animal: cùm hic natiuus calor vitæ ſit principium, ac fons, cuius pabulum, humidum eſt radicale. Eſt ergo vegetatricis in calido natiuo permanſio,vt *lib.* 2. *de anim. cap.* 4. docuit Ariſt.& Albert. Magnus *lib. de iuuentut.* & *ſenect.propè finem.*

Variè, & multipliciter hominum vita ab auctoribus diſtribuitur, & in varias ætates partiri ſolet. Nam homo diuerſis ætatum gradibus vitam diſtinctam accepit, quibus vel inchoaret vitam, vel in ea confiſteret, vel ab ea declinaret. Alij eam diſtribuebant in iuuentutem, perfectam ætatem, & ſenectutem, vt Lacedæmonij. Pythagorici quatuor eſſe gradus confirmant pro ratione quatuor anni temporum: prima erat iuuenum; ſecunda vigentium, tertia, mediorum; quarta, ſenum, vt probat Eratoſthenes apud Stobæum *ſerm.* 115. Conſule Valleriol. *lib.*1.*loc.com.cap.*10.

Inter Medicos Fernelius *lib.* 3.*de temp. cap.* 10. noua quadam via quinarium numerat ætatum: ſequuntur Valleſius *lib.*1. *cont.*8. Proſper Aquitanus *part.*1. *de promiſ.* & *prædict. Dei cap.*7. Septem conſtituunt Aſtrologi, & ad ſeptem referunt errantes ſtellas. Iuriſconſulti, qui non tam ipſum naturæ vſum,quàm ciuilem conſiderant, aliter has ætates in alios valde minutulos gradus diſtribuunt; eos habes collectos fusè & latè, apud Tiraquellum *lib.* 6. *leg. connubial.part.*6.*gloſ.*1.*num.* 43. & breuius colligit Albericus *in dictionario*, *verbo ætas*, quod locupletius edidit Decianus, illuſtris I.C.quos omnes, & alios citat variæ, & reconditæ lectionis vir, Paulus Zacchias, Medicus Romanus diſertiſſimus, *lib.*1.*quaſt. Medicolegalium, tit.* 1. ad cuius facundam lectionem te remitto.

Ad diuturnitatis, & breuitatis vitæ cauſas accedamus, de quibus luculenter agunt Ariſt. *lib.de longit.& breuit.vitæ*, & vberrimus interpres Auerrhoës *in com.* Ac prima quidem cauſa ducitur ex Philoſophia & Medicina: Nam temperata complexio, quæ videlicet optima,& commenſurata calidi humidi proportione gaudet, longæuior eſſe ſolet; quo fit vt tum ſpatia vitæ ſint longiſſima, quum ſeriùs calor extinguitur, & areſit humor, tametſi natura ſuapte potiùs humor deficiat, quàm calor; immò nonniſi ex accidenti calor emoriatur, humore nempe exiccato, qui calori inſtar eſt materiæ ſubiectæ, & fomenti, quomodo ſubtractis lignis extinguitur ignis: in eo tamen eſt diſcrimen, quòd animalis calor certam humoris portionem, & menſuram exigit, quam ſi excedas, certiſſimum calori paras interitum, ac perniciem; ignis autem calor magis augetur, accreſcit, quò plus ei ſubiicis materiæ: ſicut prudenter *lib.* 2. *de anim. cap.* 4. enucleat Ariſtoteles.

Hic ergo natiuus humor, quum ſolidior eſt, ac temperatior, in eo diutius natiuus conſeruatur calor. Hinc fit, vt animalia quæ conſtant humido aqueo, friabili, minùs conſtante ac tenaci,vt aquatilia,ſint breuioris vitæ: nam hoc humidum non eſt oleoſum, pingue, inſtar adipis, in quo calor noſter perſeuerantiam obtinet; ſed aqueum, in quo ille tanquam in idonea materia conſeruari non poteſt.

Breuem etiam,aut diuturnam vitam faciunt plura, quæ vel optimam corporis temperationem labefactant, vel conſeruant, cuius generis ſunt origo,tempus,aër, motus, vires aſtrorum, victus ratio, cibariorum vis, natura locorum, regionum diuerſitas, compago corporis firma, voluptatum, præſertim concubitus nimij deteſtatio,cuius vi corpus exoluitur, ex Celſ. *lib.* 1. *cap.* 1. nam homo pluri- mum ſemen emittit,4.*probl.*6.22. His enim rebus vel bona valetudo diutius conſiſtit aut celeriùs abſumitur.

Secunda cauſa,eſt præſtans alimenti proprietas, ac naturæ, congruentis humori calore abſumpto reſtaurando, ac reponendo. Nam ante communem illam orbis terrarum eluuionem ſub Noë,nullæ præceſſerant aquarum & pluuiarum ſcaturigines, nullæ concuſſiones terrarum, nullæ marium inundationes, nullis id genus afflictata fuerat detrimentis tellus, quæ vim eius ad ſtirpes, fruges, & cætera progignenda eximiè debilitant,

Tertia cauſa, eſt victus ratio, & totius vitæ moderatio: quoniam luxus,intemperantia,gula, ebrietas, corpus morbis cruciare ſolent, & citam mortem afferre conſueuerunt. Probánt variis exemplis, veriſſimiſque teſtimoniis Varro *lib.*1.*de re ruſtic.cap.*1.Plin.*lib.*7.*cap.*56. & *lib.* 12. *in proœmio*, Anicius Seuerus *lib.* 2. *de conſolat. philoſoph.* quod rectè monuit *Eccleſiaſticus.cap.*37.*Non te effundas ſuper omnem eſcam,in multis enim eſcis infirmitas.* Et Seneca Rhetor *lib.*10.*controuerſ.*ſic ait: *Quidquid auium volitat, quidquid piſcium natat, quidquid ferarum diſcurrit noſtris ſepelitur ventribus. Quære nunc, cur ſubitò moriamur, patet: mortibus viuimus.*

Quarta cauſa propria Aſtronomorum eſt, nempe bona, commoda, fauſta, felixque aſtrorum facies, & aſpectus ei imminens regioni, in qua ſani viuunt mortales. Hic verò ſiderum aſpectus, non eo motu ſit cœlorum, qui raptus dicitur, hic enim aliquot diebus conficitur, neque peculiari, ac proprio ſingulorum planetarum, quum citiſſimè abſoluatur, nam ipſorum maximus, Saturni

ſcilicet,

ſcilicet,motus,ſpatio 30. conuoluitur annorum:ſed octauæ ſphæræ, à qua vita, mors, ac duratio pendet rerum, qui quidem completur tardiſſimè. Quamobrem neceſſe eſt, non exiguas in rebus humanis commutationes accedere, ex varia huius aſpectus mutatione;

Hinc fit vt ob fauſtos ſiderum aſpectus regio ſit præſtantiſſima, in qua homines diutiſſimè viuunt. Tradit enim Ludouicus Romanus *lib.2.nauig.at.9.& lib.4.cap.* 8. in Taprobana inſula, quam Sumatram hodie vocant, & ea Indiæ Inſula, quam Onor appellant,ob regionis temperiem, perpetuamque cœli clementiam, longæuos inibi eſſe homines centeſimum ſupra vigeſimumquintum annum, vegeta adhuc ſenecta attingentes Plinius *lib.7 c.* 1. *&* 48. ſcribit Indorum genus eſſe, qui annis centenis viuunt.

Quinta cauſa ex temperatione climatum petenda eſt. Si enim regiones percurramus, hoc eſſe vſquequaque verum comperiemus. Initium ſumamus ab æquatore,ſub quo temperatiſſimè habitant homines; quum tamen in Inſula, quæ vocatur Promontorium viride, quam noſtri Luſitani frequentant, & eſt à nigris Æthiopibus culta; in qua regione nulla temporum viciſſitudo, nulla mutatio, eodem ſemper calore affecta: in ea tamen vix ſexagenarij viuunt homines: quod euenire credo, quòd modico ſint humido radicali. & penè exuſto, argumentum, quia graciles, ſicci ac tanquam torrefacti.

Quintum clima, quo nullum eſſe temperatius tradit Auerrhoës *lib.2.collig.cap.vlt.* ſub quo Roma, & Olyſippo, dulciſſima patria mea: Romæ tamen non diuturna incolis vita; nam pauci omnino ſexageſimum excedunt annum. Ita Olyſiponenſes breuioris ſunt vitæ, at Olyſippo eleuationis polaris, vt Aſtrologi loquuntur,gradus fermè quadraginta habet;Roma 41. licèt illa ſit occidentalis, hæc orientalis? & auſtrum magis, quàm ſeptentrionem ſpectet: quare temperiem calore, & humore ſuperat; vnde tot diſtillationes,& catarrhi.

Æthiopes ergo citiùs ob regionis caliditatem ſeneſcunt, quum Anglorum, ſiue Britannorum plurimi ſupra vigeſimum centeſimum annum producant vitam cauſa eſt quòd genuinus, atque innatus horum calor,cum ſubiecto humido frigore tandiu conſeruatur, quia roboratur.

Quid de labore,atque opere dicam, tum mentis, tum corporis? Quæ moderata, vitam producunt, vt imminuunt quæ immodica. Vis adiungatur aëris,& loci: ecce tibi Ariſtoteles qui *ſect.* 14.*probl.* 7. quærit, cur locis calidis,atque apertis, tardiùs ſeneſcant mortales, quàm cauis, ac paluſtribus? & id reſpondet euenire, ob aërem flantem,ac reflantem,quo puriora redduntur ea loca.

Ariſt. 14.*ſect.probl.* 9. diutius viuere affirmat, qui locis calidis ætatem degunt, quòd natura ſint ſicciore, atque hinc firmiore. Adde cauſam alteram intrinſecam, nempe excrementi copiam,ſiue naturalis,vt ſeminis; ſiue aduentitij, vt eius quod ex vario genere prouenit ciborum. Nam effuſa ſeminis copia, naturæ, ac cæteris membris eſt perniciosa: hinc ſalacia animalia citiùs in ſenectutem labuntur, quòd ſicciora ſint, quo fit vt mulus aſino viuacior, & paſſeres mares breuioris vitæ ſint fœmellis. Conſule Cælium Rhodigin.*lib.20.cap.vlt.*

Habes cauſas longitudinis, & breuitatis vitæ: & licèt antiquiſſimi vitam longiſſimè producerent; tamen noſtro æuo inclinat, & declinabit in dies,ob cauſas dictas. Vnde Lucretius *lib.2.extremo,*

Iámque adeò effœta eſt ætas.effœtaque tellus
Vix animalia parua creat,quæ cuncta creauit
Secla,deditque ferarum ingentia corpora partu.

Et Aratus.

Omne æuum ſtudiis decurritis, hinc quoque rurſum,
Proh pudor, atque dolor! naſcetur vilior ætas,
Et lacerata genas ibit Bellona per vrbes.

Putáſne tu, tantam poſſe ſubſtantiam rei ſeneſcentis exiſtere, quantum priùs potuit, nouella adhuc, & vegeta iuuenta pollere? Minuatur neceſſe eſt, quidquid fine iam proximo, in occidua, & extrema deuergit. Sic Sol in occaſu ſuo radios minùs claro, & igneo ſplendore iaculatur. Sic declinante iam curſu exoletis cornibus Luna tenuatur. Et arbor, quæ fuerat antè viridis & fertilis, arentibus ramis, fit poſtmodum ſterili ſenectute deformis. Et fons, qui exundantibus priùs venis largiter profluebat, ſenectute deficiens, vix modico ſudore deſtillat. Hæc ſententia mundo data eſt. Hæc Dei lex eſt, vt omnia orta occidant, & aucta ſeneſcant. & infirmentur fortia, & magna minuantur, & cum infirmata, ac diminuta fuerint, finiantur.

At ne videar neſcire manum de tabula, (vt eſt in Prouerbio) finis imponendus eſt quæſtioni, ſi priùs monuero, non eſſe à diuinæ prouidentiæ legibus alienum exiſtimare, Deum iudicem æquiſſimum, voluiſſe improbitatem mortalium in dies magis creſcentem; vitæ eorum vlciſci breuitate: quæ ita breuis eſt,vt longiſſima, breuis ſit,ac ferè punctum,vt Plutarchus aſſerit *in oratione conſol. ad pollo ium.*

Breuem ergo eam efficiunt, auctore Ariſt.*lib. de longit. & breuit.vit.* excrementorum in nobis prouentus; & ſubſtantiæ noſtræ ex contrariis conſtitutio. Cùm enim conſtitutio noſtra ex calido, frigido, humido, ſicco conſtet; quæ inter ſe contraria ſunt, ex horum aſſidua pugna diſſolutio in nobis ſequitur ingens.

Excrementa quæ ex potu, & cibo quotidie generantur, hanc cladem etiam machinantur, quæ retenta,cùm inutilia ſint, morbos generant, & vitæ curſum intercîdunt. Accedit perpetuus ſubſtantiæ noſtræ fluor, ac humidi primigenij, quo vita ceu pabulo congruo fulcitur, deficiens vigor, quoniam natiuus calor inſtar flammæ humidum depaſcitur. Hinc fit vt iter vitæ noſtræ ſit citatiſſimum,vt Seneca dixit *lib.de breuit.vitæ.* In quem locum, nonnulla ex Ariſt.Xenoph Plat.congerit eruditus interpres Virgilij *in 9.Ecl,*Germanus Valens. Elegans eſt epigramma, ac argutum, comparantis neſcio cuius vitam cum roſa: quod ita conuertit egregius poëta Franciſcus Staterius.

Dum roſa pubeſcit,modicum ſine currere tempus,
Quære roſam, nulla eſt, ſpina relicta riget.

HISTOR. XVIII. GALENI,
De vi conſuetudinis.

Quidam morbo calido correptus, frigidæ inaſſuetus,compellentibus Medicis epota ipſa,interiit.

*ARion igitur Militinenſis, vir in ſpeculatione peripatetica primatum tenens, cùm in morbum quendam incidiſſet; qui à frigida ſanè potione leuari poterat, quia tamen talem potum nunquam ingeſſiſſet, Medicis eum bibere conſulentibus repugnabat, manifeſtè ſe ſcire affirmans, ſe frigida guſtata ſpaſmo correptum iri; nam & hoc ipſum aſſerebat ſe vidiſſe in alio, qui ſibi & corporis habitu, & temperamento erat ſimilis, * calidæque p tioni erat aſſuetu: quod ſi tali potui, ſicut alij nonnulli, aſſueuiſſet, maximè quidem nec ipſe ipſius oblationem timuiſſet. Tandem tamen Medicis eum omnino compellentibus, frigidam potauit, atque ille quidem ita obiit, &c. Galenus* lib.de conſuetudine, cap.1.in med,

PARAPHRASIS.

MAxima eſt vis, & poteſtas conſuetudinis, & in ſanitate conſeruanda, morbiſque curandis efficacia ſumma, de cuius effectibus, in hac hiſtoria ad vſus Medicos vtiliſſima, ad plenum diſceptabimus. Homines qui non ſicuti animalia viuunt, & ea quæ iuuant, & nocent, mente conſequuntur, conſuetudinis poteſtatem euidenter deprehendunt, vt *lib.de conſuetud.cap.* 1 protulit Galenus; in cuius rei teſtimonium hiſtoriam hanc in medium protulit. Hoc manifeſtè docuit Hip. 2. *lib. acut. text.* 20. *&* 21. quo loco poſito exemplo in qualitate,

& numero cibationum, docet qūantùm repentina muta-tio nocere ſoleat. Quare ſi hæc ſanos ſummoperè lædit, multò magis ægros.(vt *in eodem lib. text* 5*.ipſe affirmat) præſertim quando morbo acuto laborant, debiliores cùm ſint:nam,vt dicebat Gal.*9.meth.2.& 1. de dieb. decretor. 11. Si ſanis non eſt tutum delinquere,quantò magis ægris?*

Sed ſi tanta eſt potentia conſuetudinis, vt *infrà* latè faciemus palàm, dubitabis, vtrùm aliquando ſit mutanda? Dic,quòd quemadmodum natura, quando eſt temperata, ſimilium vſu conſeruatur, quia non habet ſalutem dubiam, ſed firmam, & in habitu: intemperata verò & ſeruari, & mutari ſolet, licèt tutius ſit ipſam mutare, quàm conſeruare, quia eſt receſſui morboſo propinqua, & dubiam habet ſalutem, momentaneam, & in affectione, vt Galenus docuit 8. *meth. cap.* 5. Eodem modo conſuetudo, quando eſt optima, ſeruari debet, etſi melius ſit nullam conſuetudinem priuatam efficere, ſed omnia tentare, vt 2. *aph.*50.monebat Hippocrates,& firmat Celſus *lib.*1.*cap.* 1. Vitioſa verò mutari debet, quoniam in dies magis ac magis noxas inemendabiles facit.

Nonnulli præ dulcedine, aut dementia capti, in praua conſuetudine perſiſtunt,quam mutare oportet, & hæc eſt cauſa,quare Galenus 1.*de alim. facult. cap.* 6. à cibis praui ſucci abſtinendum præcipit, etiamſi ob conſuetudinem facilè concoquantur; nobis enim inſciis ſucci praui generantur, qui febres malignas accendunt, ex leuiſſima occaſione putredinem nacti; quam ſententiam refert Auic. 3. 1.*doct.*2.*cap.*7.§. *Et non decipiatur ille,&c.*

Hæc conſuetudo neque tempore neutræ diſpoſitionis, neque ægritudinis, mutari debet: quæ enim diſſueta ſunt, facultatibus quæ animal gubernant, ſunt moleſta, & natura gaudet conſuetis. 8.*meth.cap. vlt.poſt princip.* Neque debet mutari tempore ſenectutis, quia nullus ſperatur fructus mutationis huius,vt monuit Galenus *lib.* 5. *de ſanit.tuend. cap.* 10. *in med.* & ſenes ex leuiſſimis cauſis lædi ſolent.*lib.*5.*de ſanit.tuend.cap.*4.Conſule Mercatum *tom.* 1.*lib.*1.*part.*2.*claſ.*4.*quæſt.*18.

Hæc mutatio debet fieri, ſenſim contraria adhibendo, & interdum à contrariorum vſu quieſcendo, vt natura ex inſuetorum vſu recreetur, vt notabat Hip. 6. *epid. ſect.* 2. *text.* 26. & debet mutari per otium ne multitudine negotiorum quiſpiam impeditus, Medico imperanti non obtemperet: Sicuti enim curatione, intemperantibus ſalutare conſilium non èſt dandum, vt dicebat Gal *lib.de curand.rat.per ſang.miſ.cap.*7. & *lib.de vſu theriac.ad Pamphilian. cap.*3.§. *Nullum enim efficax remedium, &c.* Sic ſanis inobedientibus nullum præſidium eſt conſulendum, ex Hip: 1. *epid. ſect.*2. *text.*51. Quæ conditiones deſumptæ ſunt ex Galeno *lib.*5. *de ſanit.tuend.cap.*10.*in fin.* & *cap.*11. *in princip.*

Ampliùs, ſi tanta eſt vis conſuetudinis, ita vt ſit altera natura meritò quæres, vtrùm indicatio naturæ, an conſuetudinis præferri debeat?quia Magiſter *lib.*8.*meth.cap.* 2. *poſt med.* ab ætate, & natura non eſſe ſumendam indicationem aſſeuerat, niſi conſentiente conſuetudine, & *parum antea* dixerat,quòd quando naturæ intemperatæ contrario victu longo tempore nutritæ, male ſe habent, ſimiliter ſunt alendæ: ſin minùs, præferenda eſt ea indicatio, quæ ſuadet ſimilia temperamento. Igitur ex mente Galeni, indicatio conſuetudinis præſtantior eſt ea quæ ſumitur ex natura,

Confirmatur,quia Galenus 11.*meth.cap.* 3. ait conſuetudinem, vel originale temperamentum ſeruare, vel adſcititium inducere, & quòd tam ætas, quàm temperies quæ præſens eſt, & non quæ abiit, eſt quæ auxiliorum menſuram præſcribit. Igitur cùm temperies conſuetudinis inducta ſit, quæ præſens eſt, hæc potiſſimùm curationem indicat.Deinde *ib* 2.*aph* 50. præfert Hip.conſueta deteriora inſuetis melioribus. Sed dicuntur meliora, aut deteriora reſpectu naturæ. Igitur conſuetudo præſtat naturæ.

Pro altera parte argumentum eſt non inualidum, quia conſuetudo vim ſolùm habet quia ſimilis naturæ eſt, aut eſt altera natura. Igitur maiorem vim habet natura:nam propter vnumquodque tale, & illud magis, ex Ariſt.

A *lib.*1.*poſter.c.*2. Accedit, quòd natura intrinſeca magis eſt, & à primordiis generationis contracta.

Hunc controuerſiam hoc modo extrica. Conſuetudo vel ſeruat originale temperamentum, & tunc indicatio conſuetudinis, & naturæ eadem eſt;vel non ſeruat: ſi verò non ſeruat ſed adſcititiam intemperamentum inducit, vel manet antiquum temperamentum, & hoc accidit quando partes non ſecundùm ſubſtantiam, ſed ſecundùm qualitates ſolùm immutantur; vel non manet, & eſt quando partes & ſecundùm qualitates, & ſecundùm ſubſtantiam ſunt immutatæ; & tunc temperamentum inductum eſt iam in habitu, eadémque eſt indicatio naturæ, & conſuetudinis; nam præter temperiem conſuetudine inductam non eſt alia natura. Si verò adhuc permaneat antiquum temperamentum, etiamſi inductum ſolùm ſit in diſpoſitione, quia tunc ſolent pugnare naturæ & con-
B ſuetudinis indicationes, præferenda eſt indicatio conſuetudinis; quia eſt recenter inducta; & neque antiqua natura neque vires conſeruari queant,niſi conſeruetur conſuetudo, quia inſueta ſolent eſſe valde moleſta, vt ſcitè notauit Stephanus Rodericus Caſtrenſis *tract.de complexu morbor.cap.*11.

Sed obiicies in hunc modum. Quomodo temperies conſuetudine acquiſita ſimilium vſu poteſt conſeruari, ſi viis contrariis fuit inducta?Si v.g.ſit homo calidus tribus numeris, & frigidorum vſu vnum gradum caloris amiſerit, & factus ſit calidus duobus numeris: ſit verò alter calidus vt vnum, & calidorum longo vſu acquiſie-
C rit vnum gradum caloris, & factus ſit calidus duobus numeris; vterque eandem temperiem conſuetudine acquiſitam, contrariis tamen rationibus ſortitur: quomodo igitur ſeruabitur hæc temperies ſimul cum conſuetudine?

Dic, quòd quando manet antiquum temperamentum, qui erat calidus tribus numeris, indiget calidis pro conſeruatione naturæ, & frigidis pro conſeruatione conſuetudinis; vt qui erat calidus vt vnum,eget calidis pro conſeruatione naturæ, & conſuetudinis. Si verò non manet antiquum temperamentum, licèt ratione mediæ diſpoſitionis acquiſitæ, ſimilia requirant, tamen propter varias conſuetudines quibus inducta eſt,alter frigidis, alter verò
D calidis gaudet.

Obiicies iterum. Quomodo ſimul natura, & conſuetudo poſſunt ſeruari, ſi pugnant inter ſe:& quomodo poteſt conſeruari conſuetudo, ſi repugnat curationi morbi, vt ſi aliquis aſſuetus rebus calidis, incidat in morbum calidum?Dic cum Gal. 8 *meth.cap vlt.* quòd quando pugnant indicationes, præſtantior eſt præferenda, & quæ magis vrget; & cùm indicatio morbi ſit dignior, faciendum eſt quod morbus inſinuat, & ad eius curationem eſt neceſſarium.Et ſicuti quando natura, & conſuetudo conſentiunt cum morbi curatione, ſine cunctatione, & celeriter agendum eſt, ſic quando repugnant, vt ſimul conſeruentur, aliquid remediis eſt detrahendum, ita vt ratione naturæ, & conſuetudinis ſint remiſſiora auxilia, quàm morbus expoſtulat: vt ſi morbus fuerit calidus vt
E duo, præſidia morbi ratione debent eſſe frigida vt duo:ſi natura fuerit calida, & conſuetudo calidis fuerit acquiſita,auxilia ſint temperata, aut frigida,vt ſimul morbus curari poſſit, & conſeruari natura cum conſuetudine. Lege Valleſium 8.*cont.cap.*5.*in fin.*

Inſuper ardua dubitatio ex dictis Hip. emanat, quomodo quis poſſit ad inſueta permutari,& aſſueſcere contrariis,vt Hip.docuit,*lib.*2. *aph.* 50.notante Galeno *in com. fine*, ideò Hip.particulam illam adiecit: *Oportet igitur ad inſueta permutare.*Ratio dubij eſt,quia conſuetudo in habitu conſiſtit, ex frequenti vſu derelicto: ſi igitur aſſueſcit calidis, contrahit habitum calidum; ſi frigidis, frigidum: extremæ verò qualitates, ita vt ſingulæ medium latitudinis excedant, non poſſunt ſimul comparari. Igitur non poſſunt contrariæ conſuetudines ſimul acquiri.

Dic, quòd quando aliquis aſſueſcit contrariis, contrarium habitum non acquirit, ſed potiùs medium, qui nulli extremorum eſt ſimilis, ſed poteſtate extrema continet,

continet, & hac de cauſa à nullo læditur extremo. Neque inſtes, hoc conceſſo, idem eſſe victu mediocri vti, & contrariis aſſueſcere: nam quemadmodum ex contrariorum vſu habitus medius acquiritur, cuius interuentu minùs ab extremis lædimur; ſic ex mediocri victu habitus medius comparatur, quod ſanè falſum eſt, qui enim mediocri victu vtitur, ſi declinet ad calidum, vel frigidum, lædi ſolet.

Solue, quòd quemadmodum corpora temperata conſeruari poſſunt in eodem ſtatu non ſolùm à temperatis, ſed à calidis, aut frigidis, ſi ſucceſſiuè, & cum æqualitate adhibeantur, quia extrema tunc ad medium trahuntur: eodem modo corpora, vt minùs ab extremis lædantur, poſſunt vti & mediocri victu, & modò calidis, modò frigidis; quoniam quando ab vno ad alterum recedunt, non fit citra noxam, verùm ſemper exigua eſt, quam contemnit Hip. magnam ſolùm, & momentaneam pertimeſcens; & ideò præcipit ad inſueta permutare, ne magnopere offendantur, vt notat Galenus *in com.* & explicat ingenuè Ambroſius Nonnius *ad hunc locum.*

Solue ſecundò, quòd contrariorum vſus ſolet inducere firmitudinem, & robur: cutis enim quæ aëri calido, & frigido ſucceſſiuè occurrit, durior fit, & difficiliùs patitur. Lege Petrum de Peramato, Medicum clariſſimum, *lib. de temperament. cap.* 17. Chriſtophor. à Vega *lib. 2. art. med. ſect. 2. in fin.* Fortunium Licetum *lib. 4. de his qui ſine alimento viuunt, in fin. de conſuetudinis viribus in inedia.* Antonium Mariam Venuſtum *conſil. 26 in med.*

QVÆSTIO IX.

Vtrùm conſuetudo ſit adſcititium temperamentum, an habitus. Contra Peramatum, Valleſium Chriſtophorum à Vega, & Mercatum, Medicos doctiſſimos.

COMMENTARIVM.

C*Alidæ potioni erat aſſuetus.*] Quoniam hiſtoria hæc ad praxim ſummopere neceſſaria; & cuius veritas quotidiano firmatur experimento, afflagitat explicationem ſatis amplam, idcircò in eius expoſitione pauliſper immorari ſatius duxi. Ergo Galenus *lib. 2. de motu muſculorum, cap. 7. & lib. 3. ſimpl. cap. 18. in fin.* conſuetudinem vocat alteram naturam, aut adſcititiam, & *lib. 11. meth. cap. 13.* dicit conſuetudinem, aut originale temperamentum ſeruare, aut adſcititium inducere: & Ariſt. *lib. 7. Ethic. cap.* 10. vocat ſimilem naturæ, & *lib. de memor. & reminiſcent.* aſſerit, conſuetudinem temporis progreſſu in naturæ habitum conuerti. Iuxta quàm doctrinam, non erit conſuetudo frequens rerum vſus, & frequens rerum operatio, licèt hæc ſit cauſa efficiens, quæ conſuetudinem inducit: ſed erit potiùs qualitas, ſeu habitus ex frequenti actione, & paſſione in rebus impreſſa, ob quam promptiùs, & diutius operantur, vt colligitur ex Ariſt. 21. *ſect. probl. quæſt.* 14.

Non eſſe autem adſcititium temperamentum, patet, quia ſi duo homines per contrarias alterationes ad idem intemperamentum perducantur, vt ſi v. g. homo calidus in primo gradu, per frequentem vſum calidorum perueniat ad temperamentum calidum in ſecundo gradu, & alter calidus in tertio gradu, per vſum frigidorum perueniat ad temperamentum calidum in ſecundo gradu; tunc idem eſt temperamentum in vtroque homine, vtpote calidum in ſecundo gradu; non tamen eſt eadem conſuetudo, cùm vtriuſque hominis conſuetudo iiſdem rebus conſeruari non poſſit, ſed in altero conſeruatur rebus calidis, & maximè offenditur rebus frigidis; in altero verò, ſecùs.

Secundò. Hip. *2. aph.* 50. maximè reprobat vniformem conſuetudinem, vtpote periculoſam, ob inopinatas rerum occaſiones, quibus homines ſubiiciuntur, ideò ad inſueta permutare docet: hoc autem contingit, non ſemper iiſdem inhærendo, ſed contraria tentando, vt omnia ſint conſueta. Hortatur ergo Galenus, vt homines aſſueſcant contrariis; quod eſt impoſſibile, ſi conſuetudo natura, aut habitus eſt, aut adſcititium temperamentum.

Tertiò. Conſuetudo non ſolùm acquiritur circa primas qualitates, ſed circa alias contrahitur, quæ ſunt valde à primis diſtinctæ, vt ſunt virtutes intellectuales, & morales. Non ergo erit ſemper adſcititium temperamentum, quod ad primas qualitates pertinet.

Porrò, quoniam primum argumentum magnam in ſe inuoluit difficultatem, notabis duplex eſſe temperamentum, alterum ſubſtantiale, quod attinet ad elementorum ſubſtantiam, & eſt eorum perfectio; & aliud quod pertinet ad qualitates, quod eſt ſymmetria vtriuſque. Subſtantiale difficiliùs mutatur quàm qualitatiuum; qualitates enim faciliùs mutantur, quàm ſubſtantiæ: & temperamentum qualitatiuum interdum mutatur cum ſubſtantiali, vt quando omnino permutatur temperamentum: aliquando manente temperamento ſubſtantiali mutatur qualitatiuum, & inducitur contrarium, vt quando homo natura calidus rebus frigidis aſſueſcit. Et ſicut natura habet inclinationem ad ° ſimilia, quibus conſeruatur; eodem modo conſuetudo habet propenſionem ad res conſuetas, quibus delectatur natura. Quare conſuetudo non eſt temperamentum, in hoc, vel illo gradu, ſed temperamentum, impreſſum ad res conſuetas.

Ex hac doctrina ſolues primum argumentum. Nam quamuis in vtroque homine ſit idem temperamentum in eodem gradu, non tamen in vtroque retinet eandem proportionem; nam in vno inclinat ad frigida, in alio ad calida: quare retinent diuerſas conſuetudines. Secundum verò diluesa, vt *ſuprà* dictum eſt, quòd ſcilicet homines ſic aſſueſcunt contrariis, quia robur acquirunt: nam partes, adhibendo contraria alternatim, & duriores, & robuſtiores euadunt. Lege Valleriolam *lib. 1. loc. com. cap. 6.*

Pro ſolutione tertij argumenti, altiùs eſt inueſtiganda cauſa, ob quam conſuetudo in hac, vel in illa materia contracta, tantùm valeat. Materiæ enim in quibus contrahitur conſuetudo ſunt cibi, & potus, medicamenta alterantia, purgantia, venena alexipharmaca, inſolatio, frigiditas, caliditas aëris ambientis, cubile molle, aut durum, vita delicioſa & laborioſa omnes actiones omnium facultatum animæ, ſomnus, vigiliæ, euacuationes; in ſingulis cauſa eſt inquirenda, quam inuenire arduum & difficile eſt, vt notat Hermannus Labeus *lib. 1. gynæciorum, cap. 2. de menſtrui ſuppreſſione.*

In cibis & potibus contrahitur conſuetudo. Ita dixit Hip. *lib. 2. de rat. vict. in morb. acut. text. 21. Atqui quòd ſimplex tum cibus, tum potus ſemper ſibi ſimilis, ad ſanitatem tutior omnino ſit, quàm ſi quis ſubitò ad alterum, vel meliorem ſe transferat, facilè diſcitur, intelligiturque: & in ſententia ſequenti* ſic profert: *Nempe tum iis qui bis die comedunt, tum iis qui ſemel, noxas, & infirmitatem pariunt repentinæ mutationes: eos qui prandere non conſueuerunt, & prandent ſtatim infirmos reddunt, toto item corpore graues, & imbecilles, & deſides. Quòd ſi ſupercœnauerint, acidum ructant: alios alui læuitas exercet. Nempe ventriculus præter conſuetudinem grauatur, ſuperſicceſcere conſuetus, non bis tumeſcere, neque bis cibos coquere, &c.*

Cauſa in promptu eſt, quia in illis conſuetudo, eſt ſignum, & cauſa magni momenti, quia cibi conſueti ſunt iucundiores, & ſuauitas eſt familiaritatis ſignum, quò enim familiariores ſunt, eò ſuauiores. Nam alimenta debent eſſe familiaria, & ſimilia, ſic enim ſunt præſtantiora, quum certum ſit inter nutriens, & nutritum ſemper reperiri cognationem, & ſimilitudinem, vt probat Galenus *lib. 3. de temp. cap. 2. in princip. & lib. 6. de ſanit. tuend. cap. 3. in med.*

Præterea poteſt plurimùm conſuetudo, vt cauſa, quoniam alimenta quum in ventriculo, iecore, & aliis partibus tranſmutantur, has etiam tranſmutant inſenſibili alteratione ſibi ſimili, quæ temporis diuturnitate fit ſenſibilis, vt Galenus latiſſimè docet *lib. 3. de cauſ. ſymp. cap. 2. in med. & lib. 3. de temp. cap.* 4. Nec enim fieri poteſt,

quòd agentia non repatiantur à patientibus. Si igitur qualitas ſimilis requiritur in ventriculo, & iecore,ex cibis,& potibus conſuetis; & inter ea quæ habent ſymbolum facilior eſt tranſitus, neceſſariò cibi, & potus conſueti faciliùs debent concoqui,& moleſtare minùs.

Sed hoc loco occurrunt dubia duo grauiſſima, quorum primum eſt huiuſmodi: Si cibi, & potus conſueti ſunt ſuauiores, & conſuetudo acquiritur ex frequenti rerum vſu, quare frequens vſus cibi, & potus concitat tædium,nauſeam,& moleſtat? Ariſt. 21.*ſect.probl.*14. ſic ſoluit: dicit enim conſuetudinem inducere habitum, & non ſatietatem; frequentem tamen vſum implere deſiderium affirmat. At conſuetudo (inquit) efficit, vt operationes promptiùs fiant, faciliùs, & cum delectatione, & vt res in operatione diutius perſiſtant; non tamen ſemper delectat; res enim aſſuetæ. ſi modum excedant, ſolent eſſe moleſtæ; quia omnis potentia, ſiue ſit actiua, ſiue receptiua, in agendo, & recipiendo, frequentíque operationum vſu, ſolet perfici, & augeri, ſi non excedat modum in opere ſuo: tunc enim non ſolùm defatigatur, ſed diſſoluitur, intenſiuè, ſi plus iuſto vehementior eſt; vel extenſiuè, quia diutius durat, quàm par ſit, & ſic ob defectum organi, hoc eſt, caloris & ſpiritus, corrumpitur, quod etiam *lib.de ſomno,& vigilia,in princip.*ipſe confirmat.

Secundum dubium. Quomodo cibi, & potus conſueti, etiamſi deteriores ſint, dicuntur minùs nocere, ſi verum eſt quod Galenus affirmat 2.*de alim.facult.cap.*6.*abſtinendum eſſe à cibis praui ſucci, etiamſi aliquibus coctu ſint faciles, quia nobis non aduertentibus poſt longum tempus ſucci praui in venis generantur*: quam doctrinam confirmat Auicenna 3.1.*doct.*2.*cap.* 7.§. *Ille verò non decipiatur, in quo mala digeruntur cibaria, &c.* Et Galenus *lib.de bonit.& vit.ſuccor.cap. penult.* cùm agit de potu aquæ frigidæ niue refrigeratæ, iuuenes validos, ſanguineos, exercitatos, poſſe bibere hanc aquam affirmat, quibus procedente ætate,& in ſenecta nerui, & articuli grauiſſimis,ac immedicabilibus vitiis prehenduntur: quam ſententiam repetit Auic. 3.1.*doct.*2.*cap.*8.Igitur potus, & cibi conſueti, cùm deteriores ſunt, plurimùm nocent, atque moleſtant.

Dic, conſuetudinem prauam circa cibos, & potus, & circa alias materias ſemper eſſe perniciosam: licèt enim in præſenti nihil mali habere videatur, tamen poſt tempus diuturnum grauiſſimas noxas inferre ſolet: ideò mutanda, cum cautela tamen, & religione, ita vt paulatim mutetur; quieſcendum enim eſt ab iis quæ permutant, vt interim rebus conſuetis natura recreetur; veluti docuit Hip. 6. *epid. ſect.*2.*text.*26 Magna tamen ex parte homines aſſueſcunt iis, quæ conueniunt, & ea à quibus frequenter læduntur, repudiant; quia vel dementia tantùm, aut dulcedine capti in reproba conſuetudine perſeuerant, vt notabat Galenus 5.*de ſanit.tuend.* 11. & *lib.* 9. *meth.cap.*16. Et quamuis conſuetudo potus, & cibi deterioris, poſt longum tempus maximè noceat; ſi tamen vna, aut altera cibatio, comparetur cum cibatione cibi melioris inſueti, minùs lædit, & hoc modo Hippocrates eſt intelligendus.

Solue ſecundò, & fortaſſe meliùs, ſi dicas, cibum aut eſſe abſolutè prauum, cuius malitia nec per conſuetudinem poteſt cohiberi. cui non eſt aſſuefaciendum; aut non ſimpliciter reprobum, ſiue illud habeat ex natura ſua, ſiue ex modo præparationis, cuius noxa per conſuetudinem corrigi poteſt, cùm non ſit extrema, ſed exigua: nam ob aſſuetudinem redditur & ſimilior, & ſuauior: propter quas cauſas multo meliùs retinetur, concoquitur in ventriculo, & partibus aſſimilatur, quod ad ſucci præſtantiam maximum habet momentum, vt firmat Gal, *lib.de bonit. & vitio ſuccor. cap.* 5. Quantò enim cibus meliùs in ventriculo concoquitur, tantò diſpoſitionem acquirit perfectiorem, vt in bonum ſanguinem tranſmutetur, auctore Galeno 5.*aph.*26.Ex quibus patet, quo pacto paulò deterior cibus & potus, ſuauior tamen, minùs nocere ſoleat, 2. *aph.*38.& quomodo præcipiat *lib.* 6. *epid. ſect.* 4.*text.*8. ægrotis in eſculentis, & poculentis gratificandum eſſe; & quomodo reprobam victus rationem ſibi ſimilem commendet, quæ non abſolutè, ſed aliquo tantùm modo vitioſa eſſe debet.

A

Circa quantitatem cibi, & potus acquiritur etiam conſuetudo: qui enim multo cibo, & potui ſunt aſſueti, facilè tolerant, diſſueti valde læduntur. Sed hoc difficile mihi videtur, quoniam inter partes, & quantitatem nulla adeſt familiaritas, & quantitas non eſt actiua,nec ſimilem diſpoſitionem inducere poteſt. Citati auctores cauſam huius euentus in robur ventriculi, & aliarum partium reiiciunt,quod ex frequenti, & multo ciborum eſu ſolet compararij; proprij enim officij exercitatio robur partis adaugere ſolet, vt ait Galenus 6.*de loc.aff.* & *l.cap.vlt.* at exercitatio ventriculi, coctio eſt; quantò enim magis concoquit, magis exercetur, & magis robur comparat.

B

At ij falluntur manifeſtè. Primò, quia non attribuunt hoc conſuetudini, ſed naturæ, quæ aliquid perfectionis eſt conſequuta, ob eſum multorum ciborum, qua ratione facultates robuſtiores ſunt redditæ. Secundò, ſequeretur quòd ventriculus robuſtus plurimam ciborum quantitatem rectè toleraret, etiamſi non eſſet aſſuetus quod eſt falſum: nam videmus ventriculum natura languidum, multitudini ciborum aſſuetum, faciliùs eam tolerare quàm robuſtum, Ea ergo huic euentui cauſa reddenda, quia cùm ab aſſuetis non fiat paſſio, quantitas conſueta minùs contriſtat; & ideò ventriculus illam ampliùs amplexatur, & concoquit faciliùs: contrà autem quantitas inſueta, quia magis opprimit, magis irritat,& ideò ventriculus ipſam difficiliùs amplexatur, & minùs concoquit.

C

Contrahitur etiam conſuetudo circa virtutes animales, tam externas, quàm internas; quoniam memoria exccolendo augetur, & exercitatione ingenij fiunt homines ingenioſiores. Hoc conſtat in ſenſibus; qui enim aſſueti ſunt graues odores percipere, minùs læduntur: & ſimiliter in aliis ſenſibus res ſe habet.

Circa facultates naturales etiam acquiritur; quoniam inſtrumenta naturalia ob conſuetudinem, cum delectatione, & explicatiùs ſuas actiones efficiunt. Quod videtur repugnare Ariſtoteli *lib.*2. *Ethic.cap.* 1. aſſerenti naturalia non aſſueſcere, quoniam lapis etiamſi millies proiiciatur, nunquam aſſueſcet ſurſum ferri: maximè quum agentia naturalia ſemper agant vſque ad vltimum potentiæ, iuxta proportionem actiuitatis agentis ad reſiſtentiam paſſi. Igitur non aſſueſcent aliter operari.

D

Dic. Agentia naturalia, quando ex frequenti actione aliquid acquirunt, aſſueſcere poſſunt; veluti ſunt inſtrumenta naturalia, in quibus facultates naturales reſident, quæ ex frequenti alimentorum, & medicamentorum vſu adſcititiam diſpoſitionem acquirunt; quæ cauſa eſt familiaritatis,Contrà autem quando ex frequenti actione nihil de nouo acquirunt, quod poſſit mutare actionem, non ſolent aſſueſcere,vt ſunt grauia, quæ etſi ſæpè ſurſum proiiciantur,nunquam aliquid leuitatis acquirunt.

Verſatur etiam conſuetudo circa medicamenta non ſolùm alterantia, ſed purgantia, vt docet Galenus 5. *de ſanit. tuenda, cap.* 9 præcipiens non vnicum eſſe eligendum medicamentum, ſed varia eſſe tentanda, ne illis aſſueſcat natura, & eorum vires contemnat. Quam doctrinam ſequutus eſt Auicenna 4. 1. *cap.* 1. *ad finem*,dicens,non eſſe

E

ſtandum ſecundùm vnam medicationem cum vna medicina,nam minùs imprimit, cùm ei aſſueſcat natura, & ab aſſuetis non fiat paſſio:& quia inter medicamentum, & corpus in vna hora reperitur proprietas:quæ non in alia, neque in alio corpore.

Neque obſtat doctrina eiuſdem Auicen. *in eodem loco*, cùm dicit: *Et caue ne à rectitudine recedas, etiamſi non appareat iuuamentum, neque in errore moueris, licet non appareat nocumentum*: quod prius docuerat Hip.2.*aph.*52. Hi enim non prohibent mutationem medicamentorum ſed ſolùm ſecundùm vires: non tamen in forma, & in ſpecie, quia medicamenta eaſdem vires fortita, diuerſa ſpecie, & ſub variis formis applicari debent in diuturnis morbis, ne aſſueſcat natura.

Rectiſſimè

Rectiſſimè ergo dixit Celſus *lib. 1. cap. 3. prope fin.* in huncmodum: *Purgationes quoque vt interdum neceſſariæ ſunt, ſic vbi frequentes ſunt, periculum afferunt; aſſueſcit enim non ali corpus, & ob hoc infirmum erit, cùm omnibus morbis obnoxia maximè infirmitas ſit, &c.* Hoc modo explicatur etiam locus Auic, 4.1.*cap.5.in fin.§. Et non eſt facienda naturæ conſuetudo, &c.* Exponitur etiam cauſa, quare frequens clyſterum vſus naturam adſtringat.

Circa venena etiam acquiritur; vt patet ex Mithridate Rege, qui cùm eſſet venenis aſſuetus, à nullo veneno potuit interfici: & ex anu illa Athenienſi, quæ fuit nutrita cicuta, de qua Galenus 3. *ſimpl.* 18. & ex puella illa quæ fuit alta veneno, quam deſcribit Auic. 6.4.*tract.*1.*c.*2. quarum hiſtoriarum expoſitionem *in ſuperiori libro* propoſuimus. Efficit enim conſuetudo, vt non ſolùm ſalubria nobis vſui ſint, ſed & quæ alioquî (niſi aſſueta eſſent) deterrima eſſet futura, ſalubria euadant

Hinc fit vt à peſſimis quibuſque cibis nonnulli nihil lædantur: vnde alius fungos, tubera, crudos fructus, legumina, ouillas, bubulas carnes facillimè; alius difficillimè ferat. Tantæ ſcilicet potentiæ eſt conſuetudo, vt non ſolùm ciborum malignitatem ſuperet, ſed venenorum perniciem euincat, eáque à ſua labe dira expoliet. Quare plures ſenſim, modicéque venenum deuorarunt, quo in poſterum in magna quantitate citra vllam noxam vſi ſunt, vt variis exemplis eo loco confirmamus.

In exercitationibus maximam quoque vim habet conſuetudo: ita vt aſſerat Hippocrates 2. *aph.* 49 *quòd aſſueti ſolitos labores ferre, etſi fuerint imbecilles, & ſenes, fortibus, atque iuuenibus faciliùs ferant.* Cauſam tradit Gal. *in com. &* 2. *de ſanit. tuend. cap.* 2.§ *Nam quoniam vehementior motus exercitatio eſt, &c.* Quia partes neruoſæ exercitij frequentiâ robuſtiores redduntur. Sed videtur obſtare Hip. *lib.* 2. *Aph. nuper citato*, vbi comparat iuuenem robuſtum cum ſene languido.

Quòd ſi dicas, in exercitatis, etiamſi appareant languidi, partes neruoſas, & muſculoſas eſſe robuſtiores ad exercitia tolerãda: Obſtat, quòd homo, qui ex natura validus eſt, & diſſuetus exercitiis, non difficulter toleraret exercitium: quod eſt falſum, Cauſa ergo huius euentus, non ſolùm ad robur partium, quod ex aſſidua, & copioſa ſpirituum communicatione ad partes exercitatas comparatur, ſed (vt Argenterius rectè *in com. cit. Aph.* notauit) ad facilitatem flexionis, & diſtentionis partium eſt referenda. Quantò enim partes promptiùs flectuntur, & diſtenduntur, tantò faciliùs, & diutiùs tolerant exercitia, quia minùs dolent. Probat enim Galenus 2. *de motu muſculorum, cap.* 7. figuras medias eſſe iucundas, & doloris expertes, & diutius poſſe ſeruari, quia extrema flexione, & diſtentione carent: & quia in ſingulis exercitationibus, partes diuerſimodè ſolent flecti, & diſtendi: qui aſſuetus eſt vni exercitationi, reliquas difficulter tolerat, etſi minùs, quàm qui nulli eſt aſſuetus.

In animi affectibus magnam etiam vim habet conſuetudo: qui enim frequenter iraſcuntur, ex iracundia minùs lædi ſolent, & faciliùs ea tentantur, quum magnas occaſiones non expectent: nam ſpiritus, & cor ex frequenti ira accenduntur, promptéque inflammantur. Sicut qui aſſiduè contriſtantur, ſuccum melancholicum generant, qui triſtitiam concitat, vt conſtat ex Hipoc. *lib.* 6. *aph.* 23.

In euacuationibus maximam ſimiliter habet efficaciam conſuetudo: ſunt enim nonnulli, qui ex interuallis patiuntur diarrhœam, cholericam paſſionem, vomitum, aut ex pluribus corporis partibus ſanguinis fluxum, ſibi venam ſecant, purgantia aſſumunt, & quando has euacuationes prætermittunt, in grauiſſimos morbos incidere ſolent, vt docuit Galen. 7. *meth. cap.* 11. *in princip. & lib. de conſuetud. cap. vlt.* Alij aſſueti ſunt balneis, frictionibus, patiuntur fiſtulas, aut vlcera, vt aduertit Gal. 4. *de ſanit. tuend. cap.* 4. quæ vacuationes ob aſſuetudinem maximo ſolent fieri cum ægrotantis commodo, quia omnem corporis redundantiam exhauriunt; & ſi hæ vacuationes ceſſent, ſummum periculum impendet, & timor eſt ne ſuperfluus humor aſſuetus vacuari, in principes partes reſtagnet, & ſubitam mortem afferat. Hoc modo dimiſſio conſueti exercitij affert morbos, quia cùm ſit ſpecies vacuationis, 4. *aph.* 3. copiam euacuat. Hoc modo intelligendum eſt Auic 3. 1. *doct.* 2. *cap.* 1. §. *Et dimittens exercitium incidit in hecticam*, hoc eſt, in extenuationem. Sicuti enim exercitatio roborat partes, ſic otium diſſoluit, ex Hip. *lib. de officio med. text* 28 Gal 3. *de articul.* 82. & Celſo *lib.* 1. *cap.* 1.

Nihilominùs ex hac doctrina quamprimùm exurgit dubitandi occaſio ex Galeno deſumpta, qui *lib. de conſuetudine, cap. vlt* probare contendit contra Eraſiſtratum, conſuetudinem in euacuationibus neceſſitatem non inducere, ſed ſolùm tolerantiam facilem: quoniam euacuatio non indicatur à conſuetudine, ſed ab humoris copia; & euacuatio, ſi eſt vtilis ex interuallis, non alia ratione commodum affert, niſi quia humoris abundantia vacuatur. Quia ſi viuendi ratio intemperata, & vitioſa corporis conſtitutio, quia erant cauſa vt humor excreſceret, corrigantur; tunc illius copia non excreſcet, neque opus erit vacuatione vlla, nec dimiſſa vacuatio nocebit.

Conſuetudo ergo vacuandi, ſolùm facilem tolerantiam inducit, nam aſſueti facilè poſſunt vacuari, prout morbi magnitudo expoſtulat. Illi verò qui euacuationibus aſſueti non ſunt, non debent pro plenitudinis ratione vacuari, ſed multò minùs quàm affectus, & copia deſiderant. Sic intelligendus eſt Galenus 2. *ad Glauc, cap.* 14. quando in diſſuetis, venæ ſectionem prohibet, etiamſi reliqua conſentiant. Si verò homo ſit intemperans, & optimo viuendi genere non vtatur, & hoc modo excrementorum copia in corpore ex interuallis accreſcat, tunc conſuetudo vacuationis, neceſſitatem vacuationis inducit.

In ſomno, & vigilia plurimùm præualet conſuetudo: vt Hip. docuit 2 *progn.* 10. Somnus enim diurnus conſuetus non lædit, inſuetus ſummopere moleſtat; quoniam recrementa, quæ tempore diurno ad cutem debent tranſmitti, ſomni ratione retinentur, & ſurſum ad caput elata, dolorem capitis; & totius corporis grauitatem concitant: inde laſſitudo, & diſtillationum in ſubiectas partes frequentia generantur,

Circa morbos etiam contrahitur conſuetudo: conſueti enim minùs habent periculi, quia minùs irritant. Sic Auic. 16.3.*tract.* 1.*c.*2. affirmat, aſſuetos incidere in cholericam paſſionem minori periculo premi: nec diſſimili ratione Hip. *lib. de natur. pueri, num.* 43. primiparas magis dolere ob partûs inaſſuetudinem: contrà autem partum ſæpius expertas, minore dolore tentari pronuntiat: de quo argumento lege Santorellum doctiſſimum *lib.* 10. *Antepraxis, cap.* 20. Iulium Alexandrinum *lib.* 22. *ſa ubr. cap.* 6.

Ex his apparet, quomodo ſit reſpondendum ad tertium propoſitum argumentum, in principio adductum, quia conſuetudo non ſemper eſt adſcititium temperamentum pertinens ad qualitates primas, ſed habitus ſeu qualitas, quæ potentias in latitudinem ſuarum operationum inclinat; & hæc qualitas interdum ad primas, ſæpe ad ſecundas qualitates pertinet, aliquando alterius eſt naturæ.

HISTOR. XIX. GALENI,
De diebus decretoriis.

Septimus dies communi criticorum maximus.

*EGo in tota æſtate interim plures quàm quadringentos homines acutè ægrotantes, vniuerſos * vel ſeptimo, vel nono die criſim habuiſſe conſpexi. In alio rurſus anno, quoſdam decimoquarto quoſdam vigeſimo, plurimos poſt morbi reuerſionem. In alio permultos ſanguinis fluxum quinto habuiſſe, perfectè ſeptimo, vel nono die iudicatos eſſe. Vidi etiam in autumno aliquando omnes vndecimo iudicatos: ſed hic quidem autumnus bonam criſim attulit. In alio autem omnibus ſexto die non bonum iudicium accidit. Quapropter etiam magis ſubit mihi mirari, eos qui planè nullum in diebus diſcrimen, verùm eiuſdem*

omnes dignitatis eſſe arbitrantur,&c. Galenus lib.2. de diebus decretoriis,cap.7.

PARAPHRASIS.

IN poſtrema Medicorum Principum hiſtoria proſequemur argumentum ſatis vtile, cuius doctrina eſt eximia, momenti magni, ad morborum curationem, ſolutionem, & præſagium præſtantiſſima, nempe de Criſi, & diebus decretoriis:in quo explicando etſi plures inſudarint ſtrenuè, & Galenus eos, veluti fortiſſimus Anteſignanus, ſua facundia Aſiatica, nitoréque ſcribendi fœcundo, polito, & graui, priùs longo interuallo ſuperauerit; tamen ne in operibus noſtris aliquid deſit, quo ſtudioſos, & medicam rempublicam, pro recta medendi methodo exercenda demereamur, ea omnia ſuccinctè, at ſolidè, & neruosè in propatulum proponemus.

De criſis etymologia ſatis actum eſt, *lib.* 4. *in com. hiſt.* 24. quo loco ex mente Galeni contra Langium *lib.* 1. *epiſt.*37. probauimus, nomen criſis eſſe tranſlatum à foro exteriori. Sicut enim in hoc, homines iudicium mortis expectant: ſic in criſi, præſentibus diris ſymptomatis, quæ excruciant ægrum, de vita hominum iudicium agitur,3.*criſ.* 2. vt doctiſſimus aduertit Ioan.Lalamantius *in proœmio ad libros de diebus decretoriis.* De die decretorio quid ſit,explicuit Galenus *lib.* 3.*prog.* 1. quo loco ex Hip. ſententia,eos dies decretorios vocat,in quibus fidè & frequenter ſubitæ mutationes fiunt: quum enim criſes in omnibus diebus accidant, tamen non æquali fide contingunt; quoniam in 12. & 16. nunquam Galenus vllum iudicatum vidit,vt affirmat *lib.*1.*de dieb.decretor.cap.*2. Plurimùm enim intereſt inter dies,in quibus iudicia contingunt: ſolùm enim illi qui frequenter decernunt, & fidè, decretorij ſunt iudicandi: & *lib.*1.*de dieb.decretor.cap.* 7. *in med.*& 2.*prog.*54.dies decretorios ad firmitudinem iudicij conducere afferit: quod verò bonum, vel malum ſit, ex aliis indiciis eſſe petendum. Eſt autem iudicium, ſubita mutatio ad ſalutem vel ad mortem, vel ad melius, vel ad peius.Solent enim ſex mutationum differentiæ in morbis animaduerti, vt Galenus docet *lib.*3.*criſ.cap.* 1. ex quibus quæ repentinæ & inſignes ſunt, criſes dicuntur; reliquas vero paulatinas ſolutiones vocamus,vt ait Gal. 2. *aph.* 23. & refert Hip.ſententiam *lib.* 1.*epid.ſect.*3.*com.*16. quo loco id perbellè confirmat.

Quando verò morbus criſi ſit finiendus,vel paulatina ſolutione, explicat Gal. 3.*criſ.*4.*poſt med.* dicens, morbos magnos indicari, paruos ſolui. Ratio verò deſumitur ex Gal.1.*criſ.* 11. quoniam criſis non fit ſine certamine magno;hoc verò in morbis magnis,ob eorum vehementiam, & cauſæ magnitudinem obſeruatur, quia fortia ſymptomata natura diu tolerare nequit, ſed irritata ad pugnam ſe accingit;quare vel celeriter diſſoluitur, vel vincens morbos iudicat,ex Gal. 2.*aph.*23.& 5.*eiuſd.* 6. in morbis verò leuibus, & exiguis parua ſymptomata excitantur, quæ natura alacriter ſuſtinet.

Criſis rarò accidit ſine notabili euacuatione aut inſigni abſceſſu: qui verò morbus aliter quieſcit, maligniùs recedit,ex Gal. 1.*de dieb.decret.*1.& 3.*de criſ.* 2. *in princip.* & Hip.priùs docuit 2. *aph.* 27. & *lib.* 2.*prorrhet.* 17. *Quæ enim ſine ſignis leuant, deterrimâ ſunt, & pernicioſa,*& ſunt decretoria non decernentia, quæ aut lethalia ſunt, aut difficilis iudicationis, quæ ſummè damnauerat Hippocr. *in epidemiis.*

Solùm pueruli per altiorem, & longiorem ſomnum, celerem in morbis ſolent ſuſcipere mutationem, vt Galenus firmat 1.*prorrhet.com.*29.& 3. *prog.* 1. quod pluribus exemplis confirmat Chriſtoph.à Vega *in com.* huius enim ope, à valida puerorum vi, crudi, pituitoſíque humores concoquuntur, & per cutis ſpiracula reſoluuntur: ſomnum autem coquere dictauit Galenus 12.*meth.* 3. & alibi ſæpe. An verò hæc mutatio, criſis vocari debeat, Galenus non definit ſed contrarias refert ſententias: poteſt tamen criſis vocari, nam interdum paulatinas vacuationes,criſes appellat Galenus 2.*criſ.cap.* 11. *in fin.* Si verò quæras, an criſis hæc puerorum per ſomnum facta, ad diſſolutionem

A referatur,an ad coctionem?Dic, ad vtramque referri poſſe: pueri enim maxima valent facultate coctrice, 1.*de ſanit.*8.& *lib.*6.*cap.*2.& 3.*de cauſ.ſympt.* 3. & 3.*de præſag. ex puls.*3.& coctio præſertim fit tempore ſomni, 1. *de cauſ. ſympt.*8.& 6.*epidem.ſect.*5.*com.*10.& 3. *de cauſ. puls. cap.* 9. Refertur etiam ad reſolutionem, quæ tempore ſomni maxima fit, tum ob ſubſtantiæ mollitiem, tum ob magnam euaporationem à coctione eleuatam: etenim licèt ſomnus omnes vacuationes retineat,2.1.*doct.*2.*cap.* 13. tamen quæ fit per cutem, tum copioſior eſt.

An verò criſis futura ſit per abſceſſum, vel excretionem,docet Galenus *lib.* 3.*prog.* 24. Quando enim morbus ex calidis humoribus concitatur, & vires conſtant, tunc ſperatur criſis per excretionem: Quando humores ſunt crudi, craſſi, & virtus languet,tunc vel paulatim morbus finitur, vel per abſceſſum. Quando humores ſunt tenues, & calidi, & virtus eſt debilis, vel quando humores ſunt craſſi, & vires validæ, ſperatur criſis per abſceſſum, quæ

B mediam retinet naturam inter paulatinam ſolutionem, & criſim per excretionem.

Criſis tres habet partes, perturbationem, vacuationem ſubitam, & inſignem mutationem: nam auctore, Gal 2.*aph.*16.& 4.*eiuſd.*22. *Oportet præire coctionem ſubſequi diſcretionem, deinde euacuationem, vt bona ſit criſis, atque iudicium.* Ideò in poſtrema parte ſtatus, poſt perfectam coctionem, incipit ſeparatio vtilis ab inutili. Dum hæc fit, agitatis humoribus, & properante natura irritata noxios humores expellere, plurima ſymptomata apparent, dira,& terroris pleniſſima,quæ plurimùm ægrotos excruciant, atque fatigant: quæ ex profeſſo deſcribit Hipp.2. *aph.*13. Gal. 1.*de dieb.decret. cap.* 1. & 3.*lib.de criſ. cap.* 2. Separante verò natura bona à malis,& noxium humorem ſuperante,& morbi cauſa diminuta, vacuatio aliqua ſubſequitur in bona criſi; quando eſt parua, diſſolutis viri-

C bus, & cauſa peiori reddita, omnia contraria eueniunt. Quamuis autem quælibet pars, criſis vocari poſſit,Galenus tamen 1.*criſ.* 4. ea ſymptomata quæ perturbationem comitantur, ſigna critica vocat; euacuationem verò, & abſceſſus,criſim appellat.

Optima criſis eſt ea,in qua omnia rectè procedunt,aut cui nullius numeris iudicatorius deeſt: & debet habere conditiones ſex,auctore Galeno 1.*aph.*20. & 3.*de criſ.c.*3. Quarum prima eſt,vt potiùs fiat excretione,quàm abſceſſu; hæc enim robur naturæ, & materiæ obedientiam ſignificat Secunda, vt per eam humor peccans excernatur,hoc eſt,vt ſi morbus bilioſus fuerit, bilioſa excernantur, & ſi fuerit pituitoſus, pituitoſa excerni debent;conferentia enim, & tolerantia, optimæ vacuationis ſunt notæ, ſiue ab arte, ſiue à natura celebretur, ex Galen.1.*aph.* 20.& 23.

D Tertia conditio eſt, vt fiat recto tramite, & per regionem conuenientem naturæ morbi. Quarta, vt perfecta concoctio præcedat, quia optima criſis accidit natura integrè ſuperante; vincit autem per coctionem, quæ nihil eſt aliud quàm victoria naturæ, ex Galeno *lib.*3.*de criſib. cap.*5.& *lib* 2.*acut.*44. At quando natura valida eſt, & humori dominatur, illius motus determinatus eſt, & ideò expultrix, quæ criſis cauſa eſt efficiens, nonniſi abſoluta coctione agere ſolet. Interdum verò ob conturbationis vehementiam irritata, ante tempus excernit, vt monuit Galenus *lib.* 3.*criſ.cap.*10.& 3.*de dieb.decretor.cap.*8.quibus in locis adducit Hip. ſententiam.quæ ſic ſe habet: *Quæcumque criſis quæ præuenit, mala eſt.* Appellat enim criſim præuenientem, quæ intempeſtiuè accidit ante ſtatum, &

E coctionem: quæ enim contraria illi eſt,in ſtatu,& apparente coctione fieri debet. Sola ergo criſis optima, & perfecta in ſtatu fit, 4.*aph.*36.in quo omnia ſunt fortiora, 2 *aph.*29. & 30.à quibus irritata natura ad eorum expulſionem validè inſurgit; quod etiam firmat Auicenna 2.4. *tract.*1.*cap.*2.

Verùm dubitabis, an in morbi principio, augmento & declinatione poſſit contingere criſis? Dic.in principio nunquam accidere criſim niſi pernicioſam, quæ debilitatem retentricis, & humorum copiam ſignificat, quia naturam irritantes; eam cogunt vt ante tempus præfinitum excernat:

excernat : quare euacuatio hæc in principio contingens, ſymptomatica eſt , & præter ordinem naturæ concitata. In augmento criſis bona accidere non poteſt , ex Gal. 3. *criſ.*5.ſed eſt incompleta , ex Gal.3.*criſ.*6.& Auic.2.4. *cit.* In declinatione autem non contingit criſis,hæc enim ſine pugna naturæ , & morbi non fit , quæ in declinatione non adeſt , quia ſymptomata ceſſant , quæ naturam irritant ad pugnam.

Nec obſtat Auic.2.4.*cit.*dicens,quòd *completa criſis apud ſtatum fit , & fortaſſe aduenit cùm incipit declinare.* Quare in ea poteſt accidere, Licèt enim criſis declinationem attingat, non eſt quòd eo tempore fiat.quia ea non admittit criſim ex natura ſua : per accidens tamen in ea contingere poteſt , quando tempore ſtatus adfuerit impedimentum ; quod in praxi vidiſſe teſtatur Cardanus *lib.* 2. *contradict. tract.* 3.*cont.*2.in homine cui futura erat criſis per ſudorem, ſtatus tempore, in frigido loco conſtituto, qui cùm declinaſſet febris,accenſo in domo igne, copioſè ſudauit , & à febre liberatus eſt.

Quinta conditio , vt fiat in die decretorio,& ſit in die contemplabili indicata cui iudicandi potentia eſt annexa. Vltima , vt ſit fida , & nihil humoris relinquat , ſitque tuta , neque accidat cum grauiſſimis ſymptomatis , & ſit indicata , & conſpicua , finiatúrque excretione notabili, vel abſceſſu.

De ordine,& differentia dierum criticorum nunc agendum ; quorum magna eſt , ſicut & iudiciorum , varietas, vt Galenus inquit 1.*de dieb.decretor.cap.*2. *&* 5.Sunt enim plurimi , qui ſalubriter , & frequenter iudicant , & in quibus ex criſi,magna ex parte ſalutis ſpes habetur,quos decretorios vocamus; inter quos primum locum ſibi vendicat ſeptimus , deinde 14. His proximi ſunt 9.11.& 20. pòſt ſequitur quartus , & 17. poſt quos eſt 5.3.& 18. Alij ſunt, qui tamen raró iudicant, at prauè & doloſè, qui decretorij non ſunt,qualis eſt 8.10.12.16.& 19.

Inter dies decretorios , & non decretorios mediam retinet naturam 13.poſt 20.ex Gal.1.*de dieb.decretor.cap.* 10. inter quos hunc ordinem ſtatuit Galenus. Dies decretorij , qui vim momentaneam habent , ſunt 27. 34. & 40. His proximi ſunt 24. 31. Exiguam , & leuem vim habet in iudicando , & veluti medium retinet inter prædictos, dies 37. Poſt 40. cenſentur 60.80.100. & 120. poſt quem iam per menſium hebdomadas fit dierum computum.Sunt enim morbi , qui ſeptem menſibus iudicantur , poſt quòd tempus non per menſium hebdomadas, ſed per hebdomadas annorum numerantur ; ſunt enim plurimi qui ſeptem annis ſoluuntur , alij qui 14 annis finiuntur.

Criſis vel velocior , vel tardior fit , vt docet Galenus *lib.*1.*de dieb.decretor.cap.*10.*&* v.1.Nam vſque ad 14. criſes fiunt cum perturbatione magna , & vehementia ſumma. Deinde vſque ad 20. cum minori. In morbis verò qui ad 40.dies producuntur, ea ſæuities ſymptomatum amittitur, quoniam poſt hoc tempus morbi non iudicantur criſi,ſed coctione : ſi enim aliter accidat , rariſſimum eſt , & tunc quocumque modo ſoluantur, criſis fit ſine perturbatione. Hoc in illis morbis obſeruatur , qui in longum tempus protrahuntur in quibus febris remittit,& repetit. E

Aliquando,inquit Auic.2.4.*tract.*2.*cap.*2.in morbo diuturno accidit criſis per excretionem,etiamſi non mutetur ad acutum,neque in eo accidat recidiua,neque complicetur cum alio morbo,humor enim qui à natura eſt concoctus, ſubitò deinde,& copioſè poteſt expelli.

Rurſus. Dierum decretoriorum quidam numerantur per hebdomadas, quos radicales vocamus , ſeu magnos decretorios, quia potentiſſimi ſunt in iudicando , velut eſt 7.14.20.27. 34. & 40. Vel numerantur per quaterniones, qui minorem vim habent , indicant tamen criſim futuram in ſequenti radicali, & ideò indices & contemplabiles dicuntur , etiamſi verè iudicandi potentiam habeant , ſicut eſt 4, qui eſt contemplabilis ſeptimi : & 11. qui eſt contemplabilis decimiquarti : & 17. qui eſt contemplabilis vigeſimi,vt monuit Hip.2.*aph.*24.

Sunt alij,qui intercalares, intercidentes, aut coincidentes dicuntur , qui inter prædictos dies intercedunt , & criſim in die decretorio futuram intercidunt,& ab illo re-

A cedere faciunt; cuius euentus cauſa èſt velox , aut tardus humoris motus,maior aut minor illius copia , acrimonia, veneno ſitas , robur aut imbecillitas virtutis , quæ refert Auic. 2.4. *tract.* 2. *cap.*3. è quotum numero præcipui ſunt 3.5.9.& 12.

Inſtabis hoc modo. Quomodo Galenus *lib.*3.*criſ.cap.*5. præfert diem nonum,tertio,& quinto,ſi oppoſitum exiſtimat Auic.2.4.*tract.*1.*cap.*7. dicens, quod *dies criſis ſunt fortioris iudicij & fortiores dies cadentes* (intercalares intellige) *& dies iudicationis ſunt illi,qui ſunt in diebus antecedentibus, & quantò magis procedant , debilitatur eorum iudicium.* Ex quibus apparet dies , tertium , & quintum præferendos

B eſſe nono. Dic, Auicennam eſſe intelligendum de diebus merè decretoriis,aut indicatoriis , non verò de intercalaribus,è quorum numero ſunt 3.5.& 9. hic enim illis fortiùs decernit , quia ad perfectam criſim , coctio humoris abſoluta requiritur. Quamuis autem tertius,primus impar ſit , & fortior aſſeratur in iudicando; tamen ob alia quæ concurrunt in nono, hic fortior eſt appellandus:nam medius eſt inter 7. & 11. quorum primus inſigni modo iudicat,alter valenter indicat.

Ex dictis inferes , dies impares eſſe fortiores in iudicando,quàm pares,quod docuit Hip.4. *aph.*29 vbi *febricitantibus ſi rigores ſexto die adueniant , iudicium difficile ſequi* affirmat : Ita ſudores ſi adueniant 7.9 11.14.17.27. & 34. boni ſunt,& morbos iudicant : qui verò non ita fiunt; laborem ſignificant, morbi longitudinem , & recidiuam,4.

C *aph.*36.quod intelligendum eſt in morbis acutis qui intra 20.aut ſaltem 40.finiuntur.

Rogabis,qui dies decretorij ſint pares, qui impares? in hoc enim dubio diſſidium inter Hip.& Gal. inuenio ſatis magnum. Ille enim 1.*epid.ſect* 3. *text.*14. hos in parium catalogo numerat 4.6.8.10.14.28.30 48.60. 80.100. inter impares recenſet 5.7.9.11. 13.21.27. 31. Galenus contra, 4. *acut.*56. imparium dierum qui in morbis acutis decernunt,numerum faciens,hos recenſet 3.5.7.9.11.15. & eorum qui in diuturnis iudicant 60. 80. medios inter hos eſſe ſtatuit 14.20.34. 60. 80. vbi non ſolùm cum Hip. verùm cum ratione pugnat. Quicunque enim numeri in æquales ſecantur , ſunt pares , cuiuſmodi ſunt 14 20 &

D reliqui omnes At ſi ita eſt , non erit 14. dies criticus verò in acutis , quoniam iudicia fiunt in iiſdem diebus, quibus exacerbationes , quum itaque hæ fiant in diebus imparibus , vel non erit 14. dies decretorius , vel erit impar.

Dic , bifariam poſſe numerari dies vſque ad 14. Poteſt enim primò fieri numeratio ſucceſſiuè omnium dierum: poſſumus ſecundò computare dies, & 14 potiſſimùm per ſeptimanas. Si primo modo numeres : par erit 14. dies: at ſi per ſeptimanas,erit eadem impar,quia 14 eſt ſeptima ſecundæ ſeptimanæ : 20. eſt pariter ſeptima tertiæ ſeptimanæ. In ſecundo vigenario , 34. eſt pariter ſeptima ſecundæ ſeptimanæ & 40. tertiæ. Tertij verò vigenarij 60. ſeptima eſt tertiæ illius ſeptimanæ. Septima pariter 80. quartæ ſeptimanæ. Quare hi dies omnes impares. Poſteriori hoc modo numerauit Galenus ; priori Hippocrates.

Galenus *lib.* 1.*epid.ſect.*3. *com.*14. *in fin.* ſcribit, dies qui connumerantur per quaterniones, & hebdomadas, multò validiores eſſe , & *in lib.*2. *de dieb. decretor. cap.*6. dicit,eos perfectiſſimos eſſe , & magnam vim habere in iudicando. Differunt autem natura , & vſu à diebus coincidentibus: quando enim omnia rectè fiunt , ſemper in his diebus criſes fiunt,quos quaterniones , aut hebdomadæ complectuntur : ſi verò errata adſint , in aliis diebus contingunt. Sic etiam differunt vſu : nam ad præcognitionem futuræ criſis , ſoli contemplabiles per quaterniones ſufficiunt ad cognoſcendum iudicium factum , quod eſt optimum. Et cùm iudicia coincidant cum acceſſionibus , vt Galen. 4. *aph.*36. §. *Didicimus autem quòd in vehementioribus acceſſionibus iudicia fiunt, &c.* probat 3. *de criſ.* 4. edoctus ab Hippocrat.3.*epid.ſect.*3. *text.*23. & cùm acceſſiones diebus paribus , & imparibus fiant , ideò Hippocrat. 1. *epid. ſect.*3. *text.* 14. dies decretorios, alios pares numerat alios impares : in imparibus nullum eſt delictum, vt Galenus inquit

in

in com. in partibus verò erratum eſt, quoniam 10. & 28. non ſunt decretorij.

Hippocrat. 4. *aph.* 61. ſolùm impares videtur facere decretorios, cùm inquit: *Niſi febris diebus imparibus reliquerit, ſolet recidiuare* : & *lib.* 4. *de rat. vict.* 56. docet, numerum dierum imparium magnopere eſſe obſeruandum, quia in vtramque partem magnas ſolent efficere mutationes: quam ſententiam confirmat Galenus *in com.* & 4. *aph.* 29. & 36. Quòd ſi paribus diebus acuti morbi iudicentur, vel æger patietur recidiuam, vel citò è vita decedet, ex Galen. 1. *epid. ſect.* 2. *com.* 75. & 3. *eiuſd. ſect.* 3. *text.* 36. & 4. *acut.* 68. Explicat ipſe Galenus fusè, & doctè 2. *de natur. human in com. text.* 19. & 20.

Ad locum Hip. dic, ſententiam illam non eſſe Hip. ex Gal. *in com.* nam *ſententia* 36. *antecedenti, in eadem ſ ctione*, dixerat 14. & 34. eſſe iudicatorios, qui pares ſunt, vel pro imparibus, dies iudicatorios accipiendos eſſe. Ad Galenum *lib.* 4. *de rat. vict.* vbi 14. 20. & alios dies pares, impares eſſe dicit, dicendum eſt, quòd particula illa quæ ponitur à Galeno *in acutis verò, & in chronicis, & in mediis*, non refert impares, ſed ſimpliciter dies, qui in vtramque partem mutationem efficiunt: at poſtrema illa particula, *impares autem & hi*, addita eſt: vel pro imparibus, iudicatorios debemus legere: vel eſt ſenſus, quòd dies pares, quos recenſet Galenns *ibi*, ſunt impares à principio hebdomadæ, & non à principio ægritudinis: vt 14. eſt impar, facta connumeratione ab octauo; & vigeſimus eſt impar, facta numeratione à decimo quarto: vel poteſt eſſe ſenſus, quòd dies pares, quorum meminit *ibi*, habent intra ſe impares, videlicet 27. 31. & 37.

Tantam vim tribuunt diebus decretoriis Gal. *lib.* 1. *de dieb. decret. cap.* 8. & Auic. 2. 4. *tract.* 2. *cap. penult.* vt ſiue criſis incipiat in diebus præcedentibus diem decretorium, & in hac finiatur; ſiue in hac tantùm incipiat, & in aliis finiatur, tamen ſemper criſis ad dies decretorios, & non ad alios referri debeat. Nam ad criſim tria concurrunt, acceſſio cum ſignis decretoriis inuadens, vacuationes, & tandem morbi ſolutio. Quòd ſi hæc omnia in vno aliquo die reperiantur, ad eum referenda eſt criſis: ſi verò in diuerſis diebus fiant, quouis illorum trium pertingente diem criticum, ad hunc debet referri criſis, ita vt ſi in ſeptima die inuadat acceſſio cum ſignis criticis, & in eius fine incipiat ſudor, & deinceps in tota die octaua æger copioſè ſudet, & tandem in eadem octaua die à febre liberetur, criſis referri debet ad diem ſeptimum decretorium, in quo incepit: & ſi in die 13. inuadat ſimiliter acceſſio cum ſignis, & in 14. quæ decretoria eſt, fiat copioſus ſudor, tum ſolutio morbi, ſeu criſis, non ad diem 13. in quo incepit, ſed ad 14 in quo finita eſt, debet referri. Cauſa eſt, quia præſtantia & fidelitas criſis, potiſſimùm colligitur ex natura, ſiue perfectione diei critici, in quo contingit: quare quocumque modo criſis pertingat diem criticum, ei præcipuè fides erit adhibenda, ſiue in illo incipiat, ſiue finiatur, dummodò ab aliquo die indicatorio præcedente priùs indicata ſit; hoc enim maximam potentiam habet.

Verùm antequam cuiuſque diei vim, & poteſtatem in iudicando explicandam aggrediamur, inueſtiganda ſunt difficilia aliquot dubia, quorum primum eſt: Vnde ſcilicet debeat numerari principium morbi, ad computum dierum decretoriorum? Dic, Galenum *lib.* 1. *de dieb. decret. cap.* 6. dies criticos non numeraſſe à primo receſſu à ſanitate, cùm hic inſenſilis ſit: nec ab hora decubitus, hic enim pro varia hominum natura eſt varius; plurimi enim molles, & timidi, ob quamuis leuem cauſam decumbunt, adhuc non ægrotantes; alij verò robuſti, & patientes, negotiiſque occupati, etiam iam præſente ægritudine conſueta munia obeunt, nec decumbunt. Nec etiam numerari debet ab ea hora, à qua primò cibum faſtidiunt, ſibi diſplicent, capite dolent, atque grauantur. Principium ergo ſumendum eſt ab illo tempore, vel hora, in qua actiones primò ſenſibiliter, & manifeſtè apparent læſæ: ſequitur Auerrhoës 4. *collig.* 40.

Se-undum dubium eſt grauiſſimum, quod licèt ab omnibus agitetur, eſt adhuc penè inſolutum. Vtrùm ſcilicet in fœminis quæ pepererunt, & ſuperuenit febris, computatio dierum criticorum ſit facienda ab hora partus, an ab hora febris? Nam Galenus *loc. cit.* manifeſtè probare videtur, ab hora febris faciendam eſſe computationem, quia illud eſt principium decretoriorum, quando æger manifeſtè febricitare inceperit.

Hæc ſententia confirmatur ex Hippocr. *l.* 1. *epid. ſect.* 3. *com.* 21. in hiſtoria vxoris Philini, quæ cùm filiam peperiſſet, & eſſet purgata ex præſcripto naturæ, 14. die à partu incidit in febrem, & iudicata fuit vigeſimo, vbi Hip. non numerat dies ab hora partus, ſed ab hora febris, quia numerat omnia ſymptomata, quæ primis diebus, & 6. & 7. 11. 17. & quæ 20. ſuperuenerunt, poſt inuaſionem febris. Et *ſententia* 22. *ſequenti*, in hiſtoria vxoris Epicratis, quæ in die partus in febrem incidit acutam, ab hora febris dies connumerat, quoniam ſubiungit: *ſexto die, à quo febris corripuerat.* Et *ſententia* 28 *ſequenti*, in hiſtoria vxoris Dromeadæ idem confirmat, dum à partu febrem cum rigore inuaſiſſe ſcribit.

Auicenna idem approbat 2. 4. *tract.* 2. *c.* 1. §. *Et debes ſcire, quòd cùm mulier parit, & accidit illi febris, ſi computatio non fiat ex febre, & fiat à partu, error eſt.* Et videtur hæc ſententia rationi conſentanea, quia à principio morbi, cuius criſis in aliquo die expectatur facienda computatio eſt. Sed in partu nullus reperitur morbùs, quia naturalis eſt. Igitur non à partu, ſed à morbo ſuperueniente dies critici ſunt numerandi.

Nec contrarium cogunt aſſerere ſymptomata, quæ tempore partus infeſtant nempe humoris agitatio: hoc enim modo, etiam numerabis dies criticos ab ea hora, à qua moueri incipiunt humores; quod falſum eſt, quoniam cibi faſtidium, vigilia immodica, dolor capitis, & ventriculi, & alia ſymptomata quæ morbum antecedunt, ſunt præuiæ diſpoſitiones & non merentur nomen morbi, quia inſigni læſione corpus non alterant.

Ex altera parte eſt irrefragabilis Hippocrat. auctoritas, 3. *prog.* 10. cùm inquit: *Pari modo iudicationes fiunt ex partu* Galenus hoc placitum firmat, & defendit *in com. Principium numerationis erit, non quo die cœperint febricitare, ſed quo pepererint. In quibuſdam igitur circa ſecundum, aut tertium incipiunt diem à partu: ex quo multi numerant futuram iudicationem. Sed res non ita ſe habet, ſed ex quo pepererint, numerationem fieri oportet dierum.* Sequuntur Arabicæ familiæ proceres ſcientiſſimi, Haly *lib.* 10. *theoric. cap.* 8. Auerrhoës *lib.* 4. *collect.* 40. Rhaſis 19. *continent.* Subſcribunt docti Iuniores, Amatus 1. *centur.* 36. Moxius *lib.* 3. *de curand. fœminar. morb.* 26. Valleſius *lib* 10. *cont.* 4. Andreas Laurentius *lib.* 1. *de criſib. c.* 7. Ludouicus Lemoſius *lib.* 5. *de optima prædicend. ratione, cap.* 6. etſi hi poſteriores ſtatuant, hanc computationem non à puncto enixus dum fœtus in lucem prodit, ſed à puncto in quo cœpit mulier parturire, ſeu iam partus doloribus vexari, eſſe faciendam.

Et confirmatur ex eodem Hip. *lib.* 3. *epid. ſect.* 2. *text.* 7. in hiſtoria illius mulieris, quæ apud Pantimedem degebat: & *ſententia octaua ſequenti* & 9. in quibus refert duas mulieres, quæ paſſæ fuerunt abortum, & alteram quæ laborioſè peperit, quibus febres ſuperuenerunt, & in iis numerat Hip dies à partu, & non à febre.

Has ſententias inter ſe tam repugnantes quum cerneret Chriſtophorus à Vega *in com. cit. lib.* 3. *Aph.* quem ſequuntur alij Iuniores. Hippocratem intelligendum putat de febribus, quæ ſecundo, aut tertio die à partu ſequuntur: Nam ſi à ſexta die à partu ſuperueniat febris, quæ ex natura ſua ſit ſeptima die finienda, hæc ſeptima non eſt à partu: eſſet enim ſecunda dies febris, in qua morbus ille non potuit ex natura ſua finiri. Et licèt eo loco Vega afferat alias rationes, hæc eſt præcipua, quia ſi humor peccans eſt pituitoſus, ſecundo die ſuperueniet febris, nam primo die ob grauiora ſymptomata quæ ſequuntur partum, obſcurari ſolet: ſi fuerit bilioſus, ſuperueniet tertio: ſi melancholicus, quarto accidit. Sed hæc reſponſio nulla eſt, & ex hiſtoria vxoris Epicratis, & vxoris Dromeadæ redarguitur manifeſtè, quibus febres ſuperuenerunt tertio die à partu, in quibus Hippocrates dies decretorios non numerat à partu, ſed à febre.

Moxius

Moxius *loco cit.* ſummè extollit ſententiam Amati, qui relictis Epidemicis hiſtoriis, Prognoſticum tantùm amplectitur oraculum; nam in illis libris plurima ſunt impolita, adulterina, rudia, & ab alio interiecta, ideóque abiicienda: contra in Prognoſticis omnia ſunt terſa, elaborata, culta ingenio multo, & ſubacta exercitatione, & multiplici experimento ſtabilita, cuius ope, tantus vir diuiniſſima illa præſagia conſcripſit. Ergo ad hos libros (inquit ipſe) tanquam ad ſacrum Delphicum fanum confugiendum eſt, vt diuina huius tantæ artis accipiamus reſponſa. Quapropter in hoc difficili labyrintho, expeditiùs multò erit per hanc irrefragabilem ſemitam prognoſtici oraculi ſenſim incedere, quam obſcurum, & ambiguum Epidemicarum obſeruationum iter proſequi: ſícque à partu, & non à febre, in enixis dierum decretoriorum facienda computatio eſt.

Hæc reſponſio etſi ſpecioſa ſit, admittenda non eſt: Primò, quoniam licèt plura ſint incerta *in libro ſecundo, quarto, & ſexto epidemiωn*, tamen primus, & tertius, in quibus de logiſmo faciendo à febre, & non à partu, ſententiæ illæ ſunt ſcriptæ, à magno Hippocrate ſunt conditi, vt apertè fatetur Galenus *lib. 2. de difficult. reſpirat. cap 8. & lib. 3 einſd. cap. 1. & lib. 6. epid. in proœmio, & ſect. 1. com. 2. & ſect. 2. com.* 44. Secundò peccat, quoniam exiſtimat *in libris epidemiωn*, ſemper Hippocratem feciſſe computationem à febre, quum contrarium hic auctor proponat, & enixarum morbos in illis libris numeret à partu, veluti conſtat ex *lib. 3. epid. ſect.* 2. in hiſtoria illius mulieris quæ apud Pantimedem degebat, & in hiſtoria vxoris OEcetæ, & in hiſtoria mulieris quæ decumbebat in mendacium foro: & *ſect.* 3. in hiſtoria alterius, quæ apud frigidam aquam in Thaſo ægrotabat; in quibus omnibus à partu numerat Hippocrat. dies, veluti *in prognoſticis* enumerauit.

Addunt, quòd partus habet ſuum iudicium, nimirum congruam, ac decentem purgationem, quæ ſi retineatur, non ſolùm morbus, ſed etiam mors contingit. Quare partus morbus eſt, & iudicatur per purgationem, multos enim concitat dolores: eſt præterea criſis. Sed falſa hi aſſumunt, vt propriam ſententiam tueantur: nam diuerſa eſt morbi, & partus natura: eſt enim partus excluſio fœtus; quare motus: non itaque morbus. Deinde partus partus eſt actio naturalis, morbus quid præter naturam. Inſuper partus non eſt criſis, quia nullus in ipſo morbus: quoniam dolores, qui in partu naturali contingunt, non ſunt vſque adeò magni, præſertim in iis quæ peperere multoties, vt extra limites ſanitatis patientem deducant.

Dicendum igitur eſt cum Conciliatore *dif.* 106. duplicem eſſe partum, alterum naturalem, præternaturalem alium. Naturalis ille eſt, qui non ſolùm tempeſtiuè fit, & debito modo, ſed cum lenibus ſymptomatis, & in quo menſtrua purgatio modum non excedit, neque deficit. Præternaturalis eſt contrarius. In partu naturali, quando febris, aut alius ſuperuenit morbus, quia tunc non eſt ſymtoma partus, ſed morbus per ſe, tunc non à partu, ſed à febre dies decretorij ſunt numerandi, vt Hipp. fecit, *in lib. epid. 1. ſect. 3.* Contrà autem in partu præter naturam, quia febris eſt ſymptoma partus, tunc non à febre, ſed à partu facienda computatio eſt, vt Hip. fecit, *lib. 3. epid. ſect. 2.* Quo pacto hæ principum inter ſe tam diſcordes ſententiæ ſunt interpretandæ: quando enim à partu numerant, de præternaturali intelligendi ſunt: quando à febre, de naturali ſunt explicandi. Magnum enim diſcrimen eſt inter partum naturalem, & præter naturam: in illo non contingit morbus, niſi ex errore, & non propter agitationem humoris, quia hic paulatim repurgatur: in partu verò præternaturali, citra errorem, ob validam humoris agitationem, qui nequit exactè expurgari, ſolet febris ſuperuenire, ideò ab illa hora dies decretorij ſunt numerandi. Hanc ſententiam ſequuntur Interpretes *in com. Auic. 2. 4. cit.* Nicolus *ſerm. 2. tract. 4. cap. 9.* Ioan. Brauus *in com. cit. loc. prog.* Maſſaria *cap. 13 gynæciωn*, Alphonſus à Carranca *in tract. accuratiſſimo de partu natur. tit. de conditione partus.*

Sed breuiter adnotabo vnum, grauiter ſcilicet Chriſto-

A phorum à Vega *loc. cit. prog. in com. ſent. 1.* fuiſſe ſtomachatum in Conciliatorem, & Latino-barbaros, immò Arabum duces primarios, vt ex illorum dedecore ſuam poſſet augere ſupellectilem, dum illos vocat barbaros, impolitos, confuſos, qui hanc diſtinctionem in partum naturalem, & præter naturam, circa computum dierum in enixis, excogitarunt citra neceſſitatem vllam. Quis quæſo, dic mihi, controuerſias illo tempore meliùs excogitauit, in claſſes digeſſit, in quo balbutiens adhuc erat, & non bene elaborata Medicina? Quot paginæ à Iunioribus ex illius opere in ſuos libros ſunt tranſlatæ, & eloquentiæ phaleris, & calamiſtris exornatæ, vt primum ſuum inuentorem nec per ſomnium repræſentent? Cur ipſe non vult fateri per quem profecerit, quum illius auſpiciis, & veluti lacte nutritus, tantos in noſtra arte fecerit progreſſus? Quis feliciùs, & fideliùs priſcorum doctrinam deſcripſit, quàm Nicolus, quem qui habet, habet omnes libros? Quis ſubtilior Gentili? Quis in praxi facilior B Matthæo perito, cuius commentaria in nonum Rhaſis ad Almanſorem, & conſilia lemniſco ſunt ornanda quum ipſa ſint digniſſima cedro? Quis methodum maiori cum diligentia explicuit, quàm Guainerus, & Arculanus? Auſim dicere, nos Medicis ſuperioris æui, multo exceſſu eſſe inferiores, qui dum floſculos Claſſicorum attenta mente rimamur, illorum lenocinio deliniti, neglecta medulla corticem deguſtamus, relictis fontibus riuulos conſectamur. Sed hæc per tranſennam dicta ſunto, ad ſenſum accedamus.

Tertium dubium etiam ad praxim ſpectat. Vtrùm ſcilicet in recidiua ſint numerandi dies decretorij à recidiua, an ab ipſa radice, hoc eſt, à morbo qui primò inuaſit? In qua quæſtione inter Principes Medicos adeſt controuerſia. Nam Hippocr. *lib. 1. epid. ſect 3. text.* 20. in hiſtoria Herophontis, & in hiſtoria vxoris Epicratis, & in hiſtoria C Cleonactidis; veluti *lib. 3. epid. ſect. 3. text.* 79. in hiſtoria Anaxionis, ſemper dies decretorios à principio radicis enumerat.

Ex altera parte videtur, quòd non à radice, ſed à recidiua computatio ſit facienda: ſunt enim morbi diſtincti, non ſolùm numero, ſed ſpecie, vt ſi radix ſit febris bilioſa, & recidiua ſit febris pituitoſa, aut melancholica, tunc non videtur rationi conſentaneum, vt qui diſtinctas habent cauſas, & alterationes, eoſdem dies decretorios habeant.

Dic. Quando recidiua eſt idem morbus cum ſua radice, ab hac computatio facienda eſt: Quando verò diſtinctus, à recidiua numerandi ſunt dies, vt Hip. præcepit *in epidemiis.* Sicut enim vt quando febris intermittit, & iterum recurrit, manet idem affectus ſecundùm vnitatem cauſæ, non coniunctæ, ſed antecedentis; & penes vnita- D tem affectus præter naturam, qui ſolet eſſe circuitus cauſa, cuius Galenus meminit *4. aph 63. in fin.* & eſt intemperantia illa, quæ in iecore & venis, & præſertim in foco putredinis relinquitur: qua ratione febris intermittens habens plures acceſſiones, vnicus morbus eſt, & à prima acceſſione dies decretorij numerantur: ſic in radice, & recidiua ſentiendum eſt.

Quando intermittit radix, quia non ſolùm reliquiæ humoris remanent, ſed intemperantia illa prædicta, cuius ſigna ſunt ſitis oris exſiccatio, & inappetentia, quæ recidiuam prænuntiant, tunc à radice facienda computatio eſt, vt Hip. & Gal. docent *6. epid. ſect. 1. text.* 20. & hoc modo intelligendus eſt Hip. *2. 2. aph.* 12. Gal. *2. de dieb. decretor. c. 5. iuxta fin.* agens de recidiuis, quæ diebus decretoriis ſolent E accidere, vbi videtur affirmare ex radice, & recidiua fieri vnum morbum diuturnum, ſeparatim tamen conſideratos eſſe morbos acutos.

Quum morbo ſuperuenit alius morbus, aut vnus mutatur in alium, tunc non à principio morbi inuadentis primò, ſed à principio illius qui ſuperuenit, aut in quem mutatur, computatio eſt facienda. Hac ratione Hippoc. *2. lib. prog. 57. & 58*, agens de ſuppuratione, quæ originem ducit ex pleuritide, & peripneumonia, & docens terminos in quibus ſolent rumpi, non connumerat à principio inflammationis; ſed ab eo tempore in quo incipit ſuppu-

ratio

ratio fieri : ſigna verò ſuppurationis ſunt maior fcbris, rigor,dolor,grauitas,pondus, in illa parte quæ dolore affi-ciebatur.

Sed de febribus cum tumoribus, & vulneribus, quid dicendum? Si febris ſequatur tumorem, vt in inflamma-tionibus calidis frequenter contingit, ab ipſa inflamma-tione numerandum eſt.Sed ſi febris non ſequatur tumo-rem, ſed ſuppurationem, quod contingit in tumoribus frigidis, tunc à febre,& ſuppuratione quæ coincidunt in-cipiendo, & non à tumore numerandum eſt. Similiter in vulneribus, ſi febris ſequitur ob agitationem, à vulnere: ſi ob pus,ſiue ſuppurationem, ab hac, & à febre ipſa die-rum decretoriorum computatio fieri debet,vt animaduer-tit Iulius Cæſar Arantius *in fin lib.Hip.de vulneribus.*

His igitur conſtitutis, reliquum eſt vt dierum dignita-tem,vſque ad vigeſimum,ex Hip. & Gal.mente deſcriba-mus,quæ doctrina ad præſagiendum, & curandum eſt ma-gni momenti : Ad præſagiendum, primò, quia apparenti-bus ſignis criticis, quæ appropinquantem criſim demon-ſtrant, præſagiemus hanc eſſe euenturam in die critico. Secundò, quia criſim iam factam, pro varietate diei in quo facta fuit,reprobamus, vel laudamus : ſi enim in die decretorio fiat,bonum eſt;è contra, malum,& recidiua ex-pectanda. Tertiò,quia per quaternarios præcedentes præ-cognoſcimus, quid futurum ſit in diebus decretoriis ſe-quentibus, 2.*aph.*24.*&* 4.*aph.*71. Quartò; quia ſignis bo-nis,& malis magis fidendum eſt,quando in diebus decre-toriis apparent. 2.*prog.*54.

Ad curationem autem etiam hæc tractatio eſt vtiliſſi-ma Primò,quia ſi criſis,id eſt repentina mutatio ad ſalu-tem, contingat in die non decretorio, cautè cum ægroto, in victu, & aliis, ob periculum recidiuæ agendum eſt, ex Gal.*lib.*1. *de dieb. decretor. cap.*3. cùm tamen,criſi eue-niente in die decretorio,citò ægrum reducamus ad victum ſanorum. Præterea in die decretorio victus minuendus eſt, ne naturam à ſuo opere diſtrahamus quod potiſſi-mùm intendit in dictis diebus,vt docuit Auic.2.4.*tract.*2. *cap.*9

Secundò, quoniam in iis diebus nihil eſt mouendum, nec purgatio, aut ſanguinis miſſio inſtituenda, etiamſi in illis non expectetur criſis; ſæpe enim in illis fit mutatio aliqua. licèt occulta, quod in fracturis cranij frequenter experimur: In iis ergo à vacuatione abſtinendum, niſi aliqua vrgeat neceſſitas,quæ nos ad hoc perducat. Quòd ſi indicata ſit,& expectetur vacuatio, multò magis inter-dicenda vacuatio eſt, ob cauſas ab Auicenna aſſignatas, quas Gentilis, & Iacobus explanant luculenter *in com. cap.*7.1.4.*tract.*1.*in* §.*Et caue ne moueas in die motus ægritu-dinis*, &c.

Prima, & ſecunda dies, ex Dioclis ſententia, morbos decernunt, vt refert Galenus *lib.*1. *de dieb. decretor. cap* 9. ideò quia diariæ febres in his ſæpenumerò ſoluuntur. Sed fallitur manifeſtè; quamuis enim hæ febres primo aut ſe-cundo die ſoluantur,vt docuit Gal. 9.*meth.*1.*in princip.&* 4. *aph.*55.id tamen ſine certamine fit, aut perturbatione in-ſigni;hæ enim ſimpliciſſimæ ſunt, ſine humorum putredi-ne conſiſtunt,& à ſola ſpirituum calefactione emanant:at criſis ſine pugna non fit.

Primus ergo,& ſecundus dies, in numero propriè de-cretoriorum reponendi non ſunt; in illis enim præceps ac ſubita in ægrotantis corpore perturbatio, morbi ſolu-tionem antecedens,non datur, in qua præcipua ratio iudi-cij conſiſtit. Si verò criſis nomen in ea ſignificatione ſu-matur, vt morbi ſolutionem ſimpliciter ſignificet, decre-torij quoque dicendi ſunt, quum febres illæ diariæ, quæ natura ſua,vnica acceſſione conſtant, partim in primo die, aliquando in ſecundo ſolutionem nanciſcantur:quanquam raro hiſce diebus iudicia optimè fiant, quinimò peſſima, & lethalia *Nihil enim quidquam in initio ad bonum euacuari eſt poſſibile; omnia enim ſunt caſus præter naturam earum quæ ſunt in corpore diſpoſitionum : oportet enim praire coctionem, ſubſequi verò diſcretionem,& tandem euacuationem, vt bona ſit criſis ſiue iudicium*, vt notauit Gal.4. *aph.* 22. coctiones autem in morborum ſtatibus perpetuò eueniunt, ſicut & criſes.

Licèt autem primus dies propriè decretorius non ſit poteſt tamen indicatorius nuncupari, contra Muſam 2. *aph.com.*14.Si quis enim primo die acuta febre corripia-tur, & aliqua nota coctionis in vrina appareat, in die quarto,& non vltrà,morbus ad bonum iudicabitur: ſi ve-rò contra primò ſtatim die cum periculoſis ſignis malum inuadat, morbus ad perniciem non vltra diem quartum finietur, quod monuit Hipp.2.*prog.* 2. *Simpliciſſimæ febres, ac ſignis ſi mata ſecuriſſimis, quarto die, aut citius finiuntur: maleficentiſſimæ verò, ac ſignis firmata maleficentiſſimis, quar-to die, aut citius interficiunt.*

Neque obſtat huic doctrinæ Hip. hiſtoria *lib.* 1. *epid. ſect.*3.*text.* 25. vbi Eraſinus quidam acutiſſimo morbo la-borans cum ſignis grauiſſimis quinto die obiit:nam primo die mediocriter habuit, & illum quietè tranſegit; quare quinto demum die eſt defunctus. Neque obſtat ſecundò Hip.*lib.*1.*epid.ſect.*3.*text.*14. vbi inquit : *Ex circuitibus verò iudicantibus in imparibus, primus,tertius*:quod idem eſt ac ſi dixiſſet,primus eſt tertius;ex imparibus enim diebus pri-mus circuitus ad tertium diem peruenit : quare Hip. lo-quitur de primo circuitu,non de die.

Neque obſtat Galeni auctoritas *lib.*1. *de criſib. cap.* 17. dicentis, morbum aliquem prima die ad ſtatum peruenire poſſe:In ſtatu autem fit criſis. Igitur in prima die fiet cri-ſis, proindéque prima dies decretoria erit. Dic, in qua-cunque die hominem mori poſſe, non tamen liberari: morbi igitur qui prima, & ſecunda die interficiunt, vt Angina, vel Apoplexia, iudicatorij vocari non debent, quia iudicium non de malo, ſed de bono abſolutè dicitur. Immò ſi propriè loquendum ſit, in his diebus nec ad bo-num,nec ad malum fit criſis,quia in illis non inſurgit na-tura contra morbum: & ideò Hip.1.*epid.ſect.* 3. *text.* 14. comprehendens omnes dies, in quibus ſolet fieri criſis, ſiue ab bonum, ſiue ad malum, primi, nec ſecundi diei vllam prorſus fecit mentionem.

Tertius dies decretorius eſt, 4.*lib.Aph.*36. *&*1. *lib.epid. ſect.*3.*text.*14.*& lib.*3.*prog.*2.Sed hic ex intercidentibus eſt, & vim decernendi habet non fortem, ſed ex acceſſionis violentia, iudicationem enim quarto die futuram præue-nit.ex Gal.3.*de dieb.decret.*8. in acutiſſimis morbis qui bi-lioſiſſimi ſunt, auctore Galeno 3.*prog.*22.Si enim moueñ-tur per impares, quia ſtatim à principio vehementiſſi-mam habent acceſſionem, cui reliquæ ex proportione per circuitus tertianos reſpondent, cur tertius dies non erit iudicatorius? Hoc Hip. affirmat 1.*epidem.ſect.* 3.*text.*14. & Galen.1.*de dieb.decretor.cap.*5.*& lib.*3.*cap.*8. Si autem Ga-len.4.*aph.*36.aſſeuerat, quartum diem eſſe primum iudi-cantium : intellige parium; nam tertius, primus eſt im-parium.

Quartus dies decretorius eſt, & parium dierum pri-mus,ex Hip.1.*epid ſect.*3.*text.*14.*& lib.* 3.*prog.* 2. *& lib.* 4. *aph.*36. & ex natura, ac quantum in ſe eſt, ſeptimi index appellatur, 2. *aph.*24. *&* 4.*aph.*71:Eſt ergo hic dies inter primum, & ſeptimum : ſi ille morbum diſcutere tentet,ei finem quartus imponet, ſi verò primus nihil aggrediatur, ſed quartus morbum iudicare velit, ei finem ſeptimus im-ponet. In ſecunda autem ſeptimana eadem ferè ratio ha-benda eſt, in qua ſi dies primus, qui octauus eſt, coctio-nis ſigna oſtenderit, vndecimus de morbo decernere ag-gredietur : qui ſi non decreuerit perfectè, in 14. iudicium transferetur.

Hic dies morbos acutiſſimos iudicat, ex quibus alij ſu-perſunt, intereunt alij : maximè ſi paribus acceſſiones contingant, in quo Caluus Lariſſæ, & Pericles Abderæ iudicati ſunt,3.*epid.ſect.*3. *text.* 76. *&* 77. ſed ille ad mor-tem; hic verò ad ſalutem. Ad malum, & ad bonum iudi-cat quartus dies, ſi enim in primo die nullum pernicio-ſum ſignum adfuerit,immò in vrina coctionis nota appa-reat, ad bonum finietur morbus; ſi contrà,morietur pla-nè non extra quartum.

Obiicies ſic. Quomodo quartus inter bonos decreto-rios numeratur, ſi in illo rariſſimè criſis contingit, adeò vt Galenus 3.*criſ.*4. fateatur ſe tantùm ſemel vidiſſe in quarta die criſim, Archigenem verò bis: maximè cum Medici concedant, dies decretorios non ratione, ſed Hip.

Hip.auctoritate eſſe confirmatos,& Galenus *lib.2.de dieb. decretor.cap.2.* originem,& firmitudinem illorum non rationi, ſed experimento tribuat, ita vt ille djcatur criticus, in quo ſæpe criſes fiunt; conſtat autem morbos exactè peracutos quarta die iudicari?

Amatus *in introitu ad tractatum de diebus decretoriis*, reſpondet, locum citatum ex 3. *criſ.* intelligendum eſſe de febribus bilioſis, & non de ſynochis; quas aſſerit frequenter iudicari in quarto. Sed errat: hæc enim ſententia ſimpliciter. & vniuerſaliter intelligenda eſt in omni febre acuta, ſiue bilioſa ſit; ſiue ſynochus: illa enim non per pares, qualis eſt dies quarta, ſed per impares exacerbatur; quare cùm criſis non fiat niſi in die exacerbationis, 3. *criſ.cit.* & 1. *epid.ſect.5. com.13.* patet in quarto febrem bilioſam iudicari non poſſe, præſertim cùm hic dies ſit in iudicando debiliſſimus. Synochus verò imputris neque per pares, neque per impares exacerbatur, ſed vniformis eſt, licèt nullo interueniente errore in quarto iudicetur. Quia tamen huiuſmodi febris rarò contingit, quia ſanguis præ copia abundans, illicò putredine tentatur, & rarum eſt quòd in illa non interueniat aliquis error, vt 3.*criſ.cit.* docuit Galenus: proinde ſimpliciter, & vniuerſaliter aſſerit Galenus, quartam diem rariſſimè iudicare.

Porrò ſi hoc verum eſt cur, 1.*de dieb. decretor.3.*& 3.*de præſag. ex pulſib. 2.* inter bonos decretorios numeratur? Dic, quia ex natura ſua criticus eſt: & licèt ſynochus vniformis rarò contingat, quando tamen adeſt, ſæpe in eo fit criſis bona in quarto, niſi aliquis error accidat, criſim poſtponens. Cæterùm quia ſimpliciter in eo rariſſimè criſes fiunt, proinde inter bonos decretorios debiliſſimos numeratur: & licèt Galenus ſemel tantùm viderit in eo iudicium factum, alij ſæpe eum iudicaſſe animaduerterunt.

At ſi dies quartus ex natura ſua cirticus eſt, cur eius non meminit Hippocr. 4.*aph.36* quum tamen meminerit tertij, quem diximus inferiorem illo? Vltra rationes Galeni *in com.* reſpondet Philotheus, cauſam eſſe, quia Hippocrates *ibi* loquitur de criſi per ſudorem, qualis non ſolet fieri in die quarto, vt accidit Pericli in Abdera, 3.*epidem.ſect.3.text.78.* & notauit Auicen.2.4.*tract.1, cap.78.* febres enim quæ in hac die iudicantur, ſunt ſanguineæ vniformes, quarum criſis per ſanguinis fluxum, & non per ſudorem perfici ſolet. Licèt igitur ſimpliciter dies quarta præferatur tertiæ, tamen collatione facta ad criſim per ſudorem, merito præfertur tertia dies, quoniam morbi qui per ſudorem iudicantur, quum ferè bilioſi ſint, & proinde in tertio exacerbentur, potiùs in hoc, quàm in quarto iudicantur, vt explicat Galenus *in com. cit. Aph.*

Quinta dies morbos peracutos iudicat, *lib.3. de dieb.decretoriis, cap.8.* In hac iudicatus eſt per ſanguinis fluxum Meto, *lib.1.epid.ſect.3.text.24.* & plurimis contingit criſis *lib.4.aph.36.*& *lib.1.de dieb.decretor.cap.5.*& ex interciden-tium numero eſt,vt tertius, qui vt criſim quarto die futuram præuertit, ita dum natura quarto die laxa, nec vſque concitata quieuit, quinto die ad iudicationem promouetur. Habet autem vim iudicandi ob acceſſiones; quoniam acceſſio eſt de numero eorum quæ naturam ſtimulant, ac veluti prouocant, eam nec conſiſtere, nec quieſcere permittens: quare in acutis morbis, in imparibus iudicium fit; in his etenim acceſſiones fiunt.

Quæ tamen ſit cauſa, ob quam in acutis tertio quoque die vt plurimùm acceſſiones fiant; in diuturnis verò, vel quotidie, vel quarto quoque die, difficile eſt aſſignare. Quòd verò ita accidat: conijcitur ita: Si enim eo quo deprehenduntur ordine, ipſos collocauerimus, ſecunda ab initio acceſſio in tertium incidet,tertia in quintum,quarta in ſeptimum, quinta in nonum, ſexta in vndecimum, ſeptima in decimum tertium.Cùm igitur natura non ſemper rato, & ſtato tempore inſurgat, & morbos iudicet, ſed variis cauſis concitata plerúmque,à quibus in acutis morbis acceſſio maximè continua efficitur, irritetur, meritò in imparibus diebus quamplurimæ acutorum morborum criſes contingunt.

A Sextus dies decretorius eſt, non tamen ſimpliciter, & abſolutè, ſed cum additó decretorius malus nuncupatur. Eius enim maximè proprium eſt,vt cum periculo, & obſcurè iudicet. Quare Galenus *lib.1. de dieb.decretor.cap.4.* hunc malignitate ſua ſeptimum diem ſuperare aſſeue-rat, quaſi ſeptimo naturam habeat oppoſitam: etenim plerique ex his qui quarto die mutationē accipiunt, ſexto die moriuntur; & ſi aliqua bona ſpes in eo die contingat, mutatio ſeptimum expectat. Quòd ſi aliquando (quod rarò fit) bonam tranſmutationem, quæ quarto die facta eſt, ſextus dies excipiens iudicare conetur,difficile dictu eſt, quantam hic perturbationem, periculum, & denique metum afferat, ac ſi homo iam morti eſſet propinquus. Nam cùm prauè, dolosè, imperfectè, infidè iudicet, ægros in perniciem ſummam deducit, ita vt exeunte excretione, pulſus concidant, ipſi linquantur animo, tremant, refrigerentur, calor euaneſcat, vires pœnè extinguantur; euomant acria, fœtida, maligna;

B ſudores erumpant, rari quidem æquales; protides extuberent malignæ; vrinæ excernantur crudæ, decolores, tenues, nullum bonum ſedimen habentes. Denique hic tyrannus dies plurimos excitata criſi in ſyncopen de repentè coniecit, ſanguinis profluuio confecit, euacuationibus immodicis labefactauit; alios in manifeſtam perniciem deduxit, incurabilem maraſmum excitauit, & aliis miſerandis magis ægros exca-nificauit.

Hoc modo Philiſcus hac die miſerè obiit. 1.*epid.ſect.3. text.18.* & Dromeadæ vxor filiam enixa, rigore, febri, conuulſione periit, *text.28.ſequenti*: & ſi in ſexto mutatio fit, in peius difficile iudicium ſequitur. Sic Hermocrates

C cum ſexto die capitis dolore premeretur, eodem obiit, 3. *epid. ſect.1. text.5.* Ita Euryanactis filia cùm ſexto die iudicata eſſet, & circa ſedem aliquid ſuppuratum erupiſſet, nihilominus ſeptimo die à delirio, periit, *eodem lib. ſect.1. text.2.*

Verùm contra traditam Galeni doctrinam plura ſunt quæ obiici poſſunt.Et primò Hip videtur redarguere eam, *lib.3. epid.ſect.3.text.83.*referens hiſtoriam Virginis in Lariſſa,quæ febri ardenti correpta, ſexto die hæmorrhagia & ſudore liberata eſt, & non rediit febris. Igitur ſextus dies perfectè, & fidè iudicat. Dic. Galenus *in com.* ſoluit obiectionem, dicens ſexto die fuiſſe iudicatam, quia diebus paribus acceſſiones habuit: & iudicium fuiſſe fidum, quod nouum,& rarum fuit; nam hic dies infideliter iudicat: & ideò in calce ſententiæ, hunc euentum cùm admiraretur Hip.adiecit:& *non rediit febris.* cuius rei cauſa fuit, quia cùm in virgine Lariſſæa nulla pars princeps eſſet affecta, neque eſſet maligna humorum putredo, ſed ſolùm humorum abundantia, vacuatio ſatis fuit, quam na-

D tura tentauit tertio die, perfecit ſexto, quia poſt iudicationem, cùm virgo eſſet, menſtrua ſuperuenerunt, & pluribus diebus perſeuerantia, iudicium ſexti, ratum fecerunt, & firmum. Hoc modo ex duobus fratribus Epigenis, vnus fuit ſexto die iudicatus, 1.*epid ſ.ct.2 text.83*; probat Auicen. 2.4.*tract.1.cap.6.* Sed hoc accidebat, quia febres paribus repetebant. Dic ſecundò, poſſibile eſſe vt in ſexto ad bonum criſis fiat, ſed cum timore, & labore, ita vt relictis humoribus craſſioribus in corpore, æger poſtea patiatur recidiuam, auctore Rhaſio, 10. *ad Almanſ. cap.29.*

Obiicies ſecundò, cum Hippoc. 1.*epid.ſect.2.text.57.*hic enim refert in conſtitutione Thaſi plures laboraſſe febribus ardentibus, & ſexto die morbo regio ſuperueniente perfectè fuiſſe iudicatos quo loco non ſolùm huic do-

E ctrinæ, ſed ſibiipſi aduerſatur 4. *aph.62.* vbi morbum regium ante ſeptimum aduenientem, malum eſſe dicit. Dic. cum Auicen. *loc.cit.cap.59.* quod morbus regius ante ſeptimum, id eſt, ante terminum coctionis adueniens eſt malus, niſi fluxus alui ſuperueniat. Nam ſi icterum nulla per aliquam regionem ſequatur excretio, malum eſt: ſic ſeruus ille apud Hippocr. *cit.loc.* morbum regium paſſus, periit, quia nulla eſt vacuatio ſubſequuta. Contrà ſi aliqua contingat; cuius ope humores vitioſos, & corporis excrementa natura ſolet extrà propellere,

euadunt ægri : ſic liberatus eſt Heraclides, qui apud Ariſtoclem decumbebat. Si igitur eueniat ante coctionem, & non ſequatur excretio, ſymptoma eſt, & ideò morbum non ſoluit. Sic diſtinguendum eſt de morbo regio ante ſeptimum, & poſt ſeptimum eueniente : recipit Galenus 3.*acut.*81.3.*prog.*24.& 3.*epid ſect.*1.*com.*5.

Obiicies tertiò, cum Amato *in tract.de dieb. decretoriis*, Laurentio *lib.* 2. *de criſib. cap.* 19. qui aſſerunt ſextum diem in febribus ſanguineis eſſe maximè decretorium, ſicuti ſeptimus in biliofis, quæ iudicia coincidunt cum acceſſionibus : & ſicuti febris biliofa per impares, ſic ſanguinea per pares mouetur : in cuius rei confirmationem, adducunt Galenum *lib.* 1. *de criſib. cap.* 4. Qui ſanè decipiuntur manifeſtè, quoniam Synochus non ſolet moueri per pares, neque per impares, quia ſolùm eſt vnica acceſſio à principio vſque ad finem, 9. *meth.* 3. & 2. *criſ.* 6. & 2. *de diſ.feb. cap.* 10. ſed ſolet finiri quarto die, qui eſt terminus morbi exactè peracuti, qualis eſt Synochus, & huius morbi inſultus primo quaternione finitur, 3. *prognoſt.*2. & 3. Nec recipienda eſt Amati opinio, quòd ſuæ ſententiæ refert auctorem Gordonium *tract.*5.*de ſignis prognoſticis*, *cap.*7. qui ſolùm aſſerit, ſexta die nunquam criſim ad bonum fieri, & concedit febrem ſanguineam, quæ æqualiter mouetur per pares, & impares, & vocatur vniformis, poſſe finiri ad bonum in die ſexto, ſed id eſſe de raro contingentibus, quæ omnia vera ſunt. Quare ſextus dies raro, hoc eſt, nunquam morbos ad bonum iudicat; quæ enim frequentia ſunt, pro perpetuis habentur in medicina, *lib.de fœtus formatione*, *cap.*2.

Cur autem dies ſexta frequenter iudicet, & peſſimè, cùm nec inter decretorios dies numeretur, qui circuitu conſtant, id eſt, qui ſeptenarij,aut quaternarij computum ſequuntur, quales ſunt radicales; nec impari numero adſcribatur, cuiuſmodi ſunt intercalares : Dic ex Galeno *l.*3.*de dieb.decretor.cap.*8. cauſam eſſe, quia intra peracutorum terminum continetur, in quibus poſt eorum principia, ſcilicet poſt primum diem, & ſecundum, omnes alij dies; à tertio incipiendo,vſque ad ſeptimum,ob acceſſionum vehementiam, & morbi magnitudinem iudicant : in dictis enim morbis peracutis etiam in die remiſſionis reperitur febris vehemens, & ſæpe maior quàm in die exacerbationis aliarum febrium ; ob quam cauſam fit, vt quemadmodum in aliis febribus acutis, in die exacerbationis fit criſis, irritata natura ob vehementiam febris, ita ſimiliter in morbis peracutis poſſit fieri in die remiſſionis.

Sed cur dies ſexta perpetuò malè iudicat?Dic,Galenum explicaſſe cauſam *lib.*3.*de dieb. decretor.cap.*8.*prope finem* : & eſt potiſſima, quia criſis in die ſexta potiſſimum ſolet contingere in morbis acutis, qui per pares exacerbantur, qui valde periculoſi ſunt, & lethaliter iudicant. Malignitatem acutorum morborum, qui per pares exacerbantur, ſignificarunt Hippocr. & Galen.1.*epid ſect.*2.*text.*25. & 76. & apertiùs *ſect.*3. *text.*18. Altera cauſa eſt, quia ſi criſis fiat in ſexto die, ſignificat naturam adeò ſui impotentem eſſe, vt vna die non poſſit expectare fauſtiſſimam diem, qualis eſt ſeptima.

Septima dies omnium decretoriarum eſt fortiſſima,non ſolùm numero, ſed dignitate, & potentia, quia omnes decretoriarum notas in ſe occupat, vt Galenus ait *lib.* 1. *de dieb.decret.*4. & 2. *de dieb.decret. cap.*3. & ideò Regi, & Principi benigniſſimo eam comparat : & ſic plurimos iudicat integrè,cum manifeſta excretione, aut abſceſſu, ſine periculo, crebrò, fidè, manifeſtè, perfectè, & ſalubriter. Deinde in ea ferè optimæ criſes eueniunt, præſertim ſi indicata ſit cum bonis ſignis, de qua re plura *in com.infrà* dicemus.

Septimus ergò dies, omnium decretoriorum eſt maximus, vt hac hiſtoria narrauit Galenus. Non ergo ſolùm ob numerum ſeptenarium, eiúſque dignitatem, dies ſeptimus eſt omnium maximus, ſed quia fidè, & ſalubriter decernere experimento frequentiſſimo Medici obſeruarunt.Si verò de huius numeri excellentia, Medicos,Aſtrologos,Philoſophos, & Poëtas loquentes legere aues, conſule Marcum Varronem apud Agellium *lib.*3.*cap.* 10. qui librum de numero ſeptenario ſcripſit, Plin. *lib.*7. *cap.*49. quem locum doctè illuſtrauit eruditiſſimus Annibal Codretus : Iulium Firmicum *lib.*4.*c. p.*4. Macrob.*lib.*1.*in ſomn. Scipion,cap.*6. Leon Hebræum *dialog.* 3. *de amore*, Andream Laurentium *lib.*2.*de criſib.cap.*9.Santorel. *lib.*12.*antepraxis*, *cap.* 8.

Octauus dies ſimilis eſt ſexto, nec enim fidè,perfectè, aut integrè iudicat,ſed obſcurè prauè,dolosè:quando enim criſis ad mortem ſexto die erat futura, quia fuit indicata tertio, & quarto, ſi motus morbi non eſt valdè celer, & vires ſunt robuſtæ, ſolet iudicium differri in octauum. Quando autem iudicium ſeptimi ſic ſolet protrahi, vt octauum attingat,tunc emergit dubium,cuius diei eſt iudicium? Hoc Galenus egregiè diſſoluit, *lib.* 1.*de dieb.decret. cap.*8.vbi docet,quòd ſi die ſeptima hora tertia noctis incipiat acceſſio decretoria, deinde manè die octaua ex vniuerſo corpore erumpat ſudor, & veſperi æger leuetur à febri,quia hæc criſis ſeptimum,& octauum attingit, ſi velimus ſcire cuius diei ſit, hoc modo diſtinguendum eſt. Si enim fuit in quarto indicata,procul dubio erit ſeptimi; ſi non fuit indicata, & repentè aduenit, acceſſionum analogiam, dietum naturam, & decernendi tempus, numerum contemplari oportet: nam quando acceſſiones fiunt diebus imparibus, ſeptimo eſt tribuendum; ſi paribus, octauo: Deinde ſi iudicium eſt bonum, erit ſeptimi, quia hic magna ex parte ſalubriter iudicat ; ſi malum eſt, ad diem octauum pertinet. Hoc pacto principium acceſſionis decretoriæ,finis iudicij,aut iudicium motus decretorij eſt attendendum,hoc eſt, ſanguinis fluxus, ſudoris, aut alterius vacuationis : nam quando dies hæc tria occupat, ſine dubio decretorius eſt ; ſic etiam quando duo ex his tribus occupauerit. Sic etiam tempus iudicij expendere oportet, id eſt,excretionis, quoniam in qua die fuerit longius, hæc erit decretoria.

Nonus dies in medio eſt dierum decretoriorum,ſeptimi nempe, & vndecimi, qui vel non factam in ſeptimo die criſim,vel vndecimo futuram ſibi vendicat:ſed rariùs quidem ſeptimi, frequenter verò vndecimi excipit ; etenim peculiaris, & propria ſeptimi diei criſis nunquam ad nonum tendit, niſi fortè errores multi ſint commiſſi, quoniam vt ſeptimus dies perfectione, & dignitate primus exiſtit, ita huius bonæ criſes præ cæteris peculiares ſunt: quare iudicationes rarò perueniunt ad nonum : & hoc intelligendum eſt de iis morbis, qui neque maligni, neque adeò ſimplices ſunt, ſed qui medium obtinent locum. Hic dies eſt ex intercalatibus, inter quos eſt fortiſſimus, frequentiùs enim iudicat, quàm 4.11.20. & 17. auctore Galeno *lib.*1.*de dieb.decretor.cap.*5.

Sed hæc doctrina à multis controuertitur, à quibuſdam reiicitur ; difficile enim eſt explicatu, quomodo Galenus 1.*de dieb.decretor.cap.*5. præferat diem nonum,qui intercalaris eſt, quarto, qui eſt radicalis, ſi ipſe *lib.*1.*epid.ſect.*3. *com.*14. affirmat, inter dies decretorios validiſſimos eſſe, qui quaterno, & ſepteno circuitu fiunt, id eſt, decretorij radicales; moderatiores verò qui intercalares.Dic, ſententiam Galeni *loc. cit.* ſimpliciter veram eſſe : tamen in particulari ob alias cauſas,nempe quia dies quarta debiliſſima eſt,quia in ea non ſolet fieri exacerbatio,nihil obſtare quo minùs dies quarta, quæ radicalis eſt,ſuperetur à quinta, & nona,quæ intercalares ſunt.

Secundò. Quomodo inter dies intercalares nonus præfertur tertio, & quinto, ſi Auic. aſſerit 2. 4. *tract.*2. *capit.* 6. dies iudicatorios, indicatorios, & intercalares eſſe fortiores, atque præſtantiores, quò magis appropinquant ad initium ægritudinis : & quantò magis procedunt, tantò ampliùs debilitari ? Dic, præceptum illud Auicen. certiſſimum eſſe in diebus iudicatoriis, ac indicatoriis, non tamen in intercalaribus. Nam verſus morbi initium virtus robuſtior eſt, quàm procedente morbo :in his enim tertius, & quintus ignobiliores multò ſunt,quàm nonus ; cauſa eſt, quia ob temporis breuitatem non ſolet adeſſe concoctio exquiſita ad bonam criſim ; in die verò nona multò magis : ob quam rationem fit, vt licèt natura robuſtior ſit in tertio, & quinto, quàm

quam in nono,tamen in hoc die perfectiores criſes faciat, quàm in illis; maximè cùm hæc nona dies media ſi inter duos decretorios, ſeptimum, & vndecimum, quod etiam conceſſit Auic. *loc.cit.cap.5.* inter dies intercalares conce- dens primum dignitatis locum nono, ſecundum quinto, tertium tertio.

Decima dies ſimilis eſt ſextæ quia in illa rarò ſoluitur morbus, nec fidè, nec benè, nec perfectè; quapropter Galenus à numero paritum excludendum retur, *lib. 1. epid.ſect.3. com.14.* Si autem Pythion decimo ſudans, cum ſputis concoctis iudicatus eſt, *3. epid. ſect.1.com.4.* id ra- rum eſt; quoniam in libris morborum vulgatium non reperitur æger, qui hoc die ſit iudicatus,vt Galenus refert *in com.*

Vndecimus dies decretorius eſt,& in morbis,& vulne- ribus capitis maximam mutationem efficere ſolet. Con- templabilis eſt: nam eſt index decimi quarti. Nunquam enim criſis in decimo quarto,ſi ad bonum declinare debet, ſolet accidere, niſi vndecimo die fuerit indicata, hoc eſt, niſi manifeſtum coctionis ſignum appareat. Sicut enim 4. indicat 7. ſic 11. decimum quartum.& 17. vigeſimum, 2. *aph.24.*Deinde ſi natura valida in die quarto incipit mate- riam vincere,in æquali tempore victoriam abſoluet:ita de vndecimo, reſpectu decimi quarti dicendum.

Duodecima dies non eſt decretoria,in qua nullum iudi- catum vidit Galenus *1.de dieb.decretor. cap.2.* quòd ſi ali- quando in ea fit criſis,eſt infida.imperfecta obſcura,ſine ſi- gnis,periculoſa.Ex qua doctrina,elicies, non eſſe exiguam dierum differentiam; neque enim pares eſſe criſes,quæ in ſingulis diebus fiunt, neque æquè bonas, fidas, & perfe- ctas: permulti enim morbi ſunt, qui quibuſdam diebus ſecurè iudicantur,at verò in duodecimo, rarò.

Decimus tertius dies omnium criticorum imbecillimus, ſed omnium qui non decernunt,fortiſſimus eſt; nam inter hos qui ſubitò morbos non ſoluunt nempe 10. 12. 16. 19. & alios, nempe 3. 4. 5. 6. 7. 9. 11. 14. 17. 18.& 20.eſt medius. Neque enim eſt ita abiectus, vt illi qui ſecundo ordine continentur: neque ita ſoluit morbos, vt illi qui primo adſcribuntur.Auic.inter impares eum reponit, *2.4.tract.2. cap. 2.*

Decima quarta dies potentiſſima eſt in iudicando,*lib.2. de dieb. decretor. cap.8.* & eſt finis ſecundæ ſeptimanæ, & principium tertiæ, & eſt terminus morborum acutorum, vt Hippoc.inquit *lib.2.aph.23.*quam ſententiam graphicè enarrat Galenus *lib.2.de dieb.decretor.cap.vlt.* Hac die iudi- cata eſt mulier illa, quæ in littore habitabat, *1.epid.ſect.3. text.30.* & alij ægri eo loco numerati: quoniam hic dies & numero, & dignitate inter verè decretorios locum ob- tinet. Vtrùm autem hic dies, ſit terminus dierum exactè peracutorum, an acutorum ſimpliciter, agitat eleganter Laurentius *lib.2.de criſib.cap.11.*

Sed non exequimur interpretis partes, niſi huius do- ctrinæ veritas inquiratur. Primum, cur inter decretorios ſimpliciter, ſecundus dignitatis locus tribuatur decimo quarto cùm ex Auic.*2.4.tract.2.cap. 3.* conſtet, in morbis exacerbatis per pares, vndecimum fortiorem eſſe deci- mo quarto: quare cùm plurimi acutorum bilioſi ſint, & proinde in imparibus exacerbentur, ſequitur ſimplici- ter, & abſolutè vndecimum diem eſſe præferendum de- cimo quarto, contra omnes auctores, & ordinem Galeni *cit.loc.* Deinde ſi verum ſit quod aſſerit Gal. *1. epid.ſect.3. com.13. & 3. criſib.4.* criſim in idem tempus incidere cum acceſſione;& acceſſio non ſoleat fieri in 14. ſed in impari- bus, quomodo dies 14. inter præſtantiſſimos decretorios refertur?

Dic: Febres inuadentes per paroxyſmos, vel ſunt in- termittentes, vel continuæ: in illis ſicut acceſſio non ſo- let accidere decima quarta die, ita dies hæc decretoria, non eſt: decretorij enim dies in huiuſmodi febribus in- termittentibus per paroxyſmos computandi ſunt, & non per dies continuos, vt conſtat ex Galen. *4.aph.59.* & quod licèt vulgò incognitum ſit, multis tamen experimentis confirmatum docet, *1. epid. ſect.3. com.17.* In febribus autem continuis dies decretorij non per exacerbationes, ſed per dies continuos numerantur, & ſic dies 14. decre-

A torius eſt: & quamuis in eo non adſit acceſſio; ſiue exa- cerbatio febris, quia tamen adeſt febris moleſtans natu- ram, & eam ad pugnam irritans, proinde ſit vt 14. dies meritò aſſeratur præſtantiſſimus ad iudicandum. Quod igitur *3.criſ.cit.* aſſeuerat, oportere criſim in idem tempus incidere cum acceſſione, ob cauſas traditas *1. epid. ſect 3. com.13.* ea propter dictum eſt, quoniam in febribus in- termittentibus criſis ſemper ſit in die paroxyſmi, in con- tinuis vt plurimùm ſit in die exacerbationis. Cùm hoc tamen ſtat, quoſdam dies, quales ſunt 14. & 20. cum quibus non coincidit febris exacerbatio,efficaciſſimos eſſe ad iudicandum.

Inſuper agamus vlteriùs de quæſtione hac, inquirā- múſque quomodo dies 14. numeretur inter optimos de- cretorios, ſi par eſt, & numerus impar multi faciendus

B eſt, ex Hip.*4.aph.61.Febricitantem niſi diebus imparibus febris reliquerit, ſolet recidiuare*: & *lib.4.acut.56* ſic ait: *Maximè verò numerus impar eſt obſeruandus, nempe hi dies in hanc, vel iſtam declinantes partem reddunt laborantes.* Et Galenus *in com.* in hæc verba prorumpit: *Dies impares multa pollere virtute, non ſimpliciter, ſed in acutis morbis eſt intelligendum, quòd inſignes in vtramque tum ſalutem, tum mortem mutationes efficiant.* Quare cùm 14.dies par ſit, & non impar,non erit exactè decretorius, vt aduertit Michaël Angelus Blondus *tract. de dieb. decret. in med.*

Hanc, quæ maioris operis eſt, & negotij, controuer- ſiam ſoluunt viri in palæſtra literaria periti, Cardanus *lib.1. cont. tract.3. cont.3.* Valleſius *10. cont.cap.3.* Andreas

C Laurentius *lib.2.de criſib.cap.10.*Aſſerunt enim diem deci- mum quartum eſſe imparem, quia etſi à primo die inci- piendo ſint pares, tamen facta computatione à primo die ſuæ hebdomadæ, illorum vnuſquiſque impar eſt. Quòd enim Galeni mens fuerit, diem decimum quartum connumerandum eſſe inter impares, patet ex eodem Galen. *4.acut.cit.* vbi poſtquam Hipp. dixit, maximè eſſe obſeruandum numerum imparem, Galenus *in com.* nu- merans huiuſmodi dies impares, inter eos refert 14. 20. 60. 80. 34. & 40.

Refellendi tamen ſunt tripliciter. Primò, quia ſic malè *loc. cit.* inter impares etiam numeraret nonum, & vndecimum; hi enim iuxta illam computationem pares ſunt. Secundò, quia Hippocrat. *1. epidem.ſect.3. text.14.* numerans dies iudicatorios pares, & impares, inter pares enumerat 14. Tertiò, quia Galenus *4. aph.61.* ſen- tentiam Aphoriſmi, quòd ſcilicet febricitans, niſi die-

D bus imparibus febris reliquerit, ſoleat recidiuare, iudicat non eſſe Hip. eo potiſſimùm argumento, quia Hippoc. *in epid.* in die 14. multos vidit iudicatos, qui tamen impar non eſt.

Certiùs igitur dicendum videtur cum Galeno *in com. aph. cit.* illum Aphoriſmum non eſſe legitimum, immò Hippocrate indignum: plurima enim operibus Hippo- cratis eſſe inſerta, omnibus eſt manifeſtum; immò etiam Aphoriſmi nonnulli nothi ſunt additi, vt notat Galenus *lib.4. de rat. vict. in morb. acut. in proœmio*, & in eius libris aliqui fuere interiecti, vt ipſe ſcribit *lib 5. aph.62. & 63. & lib.6.aph.26. & 44. & lib.7.aph. 47. & 63.* Vel dic, illam ſententiam eſſe corruptam; & pro die- bus imparibus legendum eſſe iudicatoriis: in diebus enim non oportet intueri ſi fuerint pares, vel impares;

E ſed ſi fuerint iudicatorij, *4. acut. 86.* Itaque ſententia Aphoriſmi erit, ſi febris terminetur in diebus non impa- ribus, non decretoriis, recidiua expectanda eſt; quod concedendum eſt iuxta doctrinam Galeni *lib.3. criſ.cap.4.* Cur igitur Hippocrat. *4. acut. cit.* aſſerit, numerum impa- rem maximè eſſe obſeruandum? Dic ex Philotheo, lo- cum illum intelligendum eſſe de morbis acutis, qui cùm ferè bilioſi ſint, & ita in diebus imparibus exacer- bentur, in eiuſmodi etiam ſolent iudicari; longi verò in paribus: cum quibus tamen ſtat, 14. diem, & 20. qui pares ſunt, optimè, & frequenter iudicare, ob cauſas ſuperiùs traditas.

Decima quinta dies neque criticis, neque indicibus, neque prouocatoriis annumeratur, rarò enim admo- dum euenit, vt criſis præcedentium dierum in ipſam

incidat,ex Gal.*lib.1. de dieb. decret. cap.7.* Deinde etſi Galenus *hoc nuper cit.loc.& cap.5.*numeret dies medios inter decretorios, & ſimpliciter non decretorios, qui inter hos medium locum tenent, de die decimoquinto nullam fecit mentionem, hic tamen à Rhaſi 10.*ad Almanſ. cap.19. & 32. cont. tract.2. cap.1.* medius abſcribitur inter illos.Auicen.2.4.*tract.2.cap.7.* inter decretorios eum connumerat.

Decimaſexta dies naturam ſapit duodecimæ, nec eſt iudicatoria,ex Gal.*lib.1. de dieb decretor.cap.5.* Quòd ſi aliquando in decimamſextam labatur criſis, fine fide omnino erit,& ſi æger peccet, morbus denuò reuertetur, *c.7. eiuſd. lib.* Quare *cap.4.* dixerat,nunquam ſe duodecimam, aut decimamſextam iudicantes vidiſſe.

Decimus ſeptimus dies,bonus, & iudicatorius eſt,*lib.4. aph.* 36. quare hoc die plures iudicati. Eſt medius inter 14.& 20.& ſicut 4.dies ſeptimum indicat,& 11.decimumquartum, ita 17. vigeſimum, 2. *aph.* 24. validiùs tamen in hoc, quàm in 4. aut 11. decernuntur morbi: qui enim B celerem motum obtinent, decimoquarto iudicantur; ſin minùs in decimoſeptimo criſis erit, *lib.1. de dieb. decretor. cap.1* 3. quia hic inter validos indicatorios primas tenet. Hunc decretorium eſſe Galenus plurimis teſtimoniis Hippocratis probat *lib.2.de dieb.decretor.cap.3.*quo in loco adducit *librum primum de morb. vulgaribus, ſect.2. temp.1. text.18.& temp.2.text.49.* vbi Hip. complures in vtraque aëris mutatione, fuiſſe die decimaſeptima iudicatos, conceptis verbis enarrat.

Decimus octauus dies non eſt decretorius, neque aliquem ea die ſuperſtitem remanſiſſe, aut mortuum fuiſſe, monet Galenus *lib.1. de dieb.decretor.cap.4.* ſententia Hip. munitus.Quòd ſi Hip.1. *epid.ſect.2.text.*84.iudicatos fuiſſe C aliquos exactè 18. dicat, reſpondet eo loco Galenus: *Et quid admirationis in varietate morborum inſignes extitiſſe iudiciorum diuerſitates? Nos hic de conſtitutis iudiciorum temporibus loquimur.*Illud verò aduertendum eſt,quòd ſi vigeſima prima eſt dies decretoria; vt vulgus cum multis Medicis exiſtimat,decima octaua illius erit index; veluti decima ſeptima vigeſimi, vt *cap.3. lib.2. de dieb.decretor.*Galenus ſcribit.

Decimus nonus dies non iudicat, neque aliquem in eo vidit iudicatum Hip.Quòd ſi tertiana exquiſita aliquando nouem circuitibus terminatur, vt *in Coacis prænotionibus* docuit Hippocrat. qui ſanè circuitus nouemdecim diebus finitur: tamen non ita eſt dicendum, ſed potiùs tertianam finiri nona die: nam intermittentes numerantur per acceſſiones, quæ vicem dierum ſubeunt: *Quod enim in continuis eſt vna dies, eſt in intermittentibus acceſſio,* 4. *aph.* 59.

Vigeſimus dies decretorius eſt, & radicalis, finiſque D tertiæ hebdomadæ, quod eleganter prædixit Hip. 2.*aph.* 24. & 4. *aph* 71. & 3. *prog.*1. & hoc habet proprium, & peculiare, quòd ex eius reduplicatione, ſemper dies decretorij conſtituuntur, quod nulli alteri ex diebus decretoriis conuenit; ſiquidem duplicatus conſtituit 40. triplicatus 60. & ſic de reliquis. Sic etiam à die 20. vſque ad 40. reperiuntur dies decretorij ſuprà traditi, quos eleganter recenſent Amatus *proprio tractatu de diebus decretoriis*, Chriſtoph. à Vega 3. *prog.com.1.in fin.* vbi docent, quòd criſes, quæ ſiunt vſque in 14. diem, efficaciſſimæ ſunt. Secundum locum habent, quæ ſunt vſque in 20. Poſt 20.verò criſes vehementiam & efficaciam remittunt. Poſt 40. verò non ſolent morbi criſi finiri, ſed potiùs coctione, & abſceſſu. Quod ſi aliquando criſis fiat per excretionem, ea ſine vehementia contingit, & imperfecta eſt, & per plures dies durans, quemadmodum in illis E morbis obſeruatur, qui in longum tempus protrahuntur, & ferè ſemper ante criſim morbus vehementiam comparat acutorum inſtar; & hoc modo Auic. 2.4.*tract.2.cap.2. ad fin.* §. *Et ſiunt quidam qui exiſtimant, &c.* dicebat, aliquando in morbo diuturno accidere criſim per excretionem, etiamſi non mutetur ad acutum, nec in eo ſit recidiua, neque complicatio cum alio morbo, quoniam humorem, quem paulatim concoxit natura, ſubitò & repentè expellere poteſt.

Poſt 40. numerandi ſunt dies vſque ad diem 120. Poſt quem per menſium hebdomadas computatio fieri debet. Nam 120. dies complent quatuor menſes: quartus verò menſis eſt index ſeptimi. Poſtea verò eo quoque ordine; per annorum hebdomadas computatio facienda eſt. Neque obſtat quòd Hippocrat. 1. *epid. ſect.3. text.*14. non numeret 120. diem, quoniam ſufficit quòd Galenus eum numerarit 2. *de dieb.decretor. cap.6.* quo loco illam ſententiam enarrat. Porrò Galenus *l.1.de dieb.decret. cap.5. & lib.2. cap.8.* horum dierum ſex ordines ſecundùm eorum potentiam collocat, & in primo ordine conſtituit ſeptimum, qui omnium eſt fortiſſimus, & ſoluit frequenter, fidè, ſalubriter, & ſecurè. In ſecundo ordine ſtatuit 14. qui ſeptimi naturam imitatur: in tertio, vigeſimum, Deinde Hip. 2.*aph.24.& 1.epid.ſect.3.text.*14. quem ſequitur Galenus 3. *prog.cit. & in lib. de dieb. decretor.* ſingulas ſeptimanas in quaterniones diuidit. Hos, contemplabiles appellat; quòd ſcilicèt dies decretorios, iudicatoriòſve indicent; & quòd in iis, quales ij ſint futuri, Medicus contemplari poſſit. Qui autem ſint, facilè ex hac ſcheda cognoſcuntur.

4	7	11	14	17	20.
24	27	31	34	37	40.
44	47	51	54	57	60.
64	67	71	74	77	80.
84	87	91	94	97	100.

Ex quibus omnibus dierum decretoriorum natura ſatis intelligitur.

QVÆSTIO X.

Vtrùm dies ſeptimus præſtantior ſit decimoquarto; & vigeſimus dignior ſit vigeſimo primo. Contra Conciliatorem.

COMMENTARIVM.

Vel ſeptimo, alios decimoquarto, quoſdam vigeſimo.] De dignitate dierum decretoriorum decertant Medici,& adhuc ſub iudice lis eſt, vt reputur plures, cùm eam multo antè tempore diſſoluerit Galenus,Reipublicæ medicæ fortiſſimus anteſignanus, quippe qui *lib.1.de dieb.decret.c.4.& 2.eiuſd.c.3.* ſeptimum validiſſimum vocat decretorium, & Regi benigno eum comparat,qui inter omnes decretorios dignitate,& excellentia antecellit.

Contra hanc doctrinam videntur facere plurima auctorum teſtimonia: ſiquidem Auicen. 2.4. *tract.2. cap.2. ad fin.*maiorem dignitatem tribuit 14.dicens: *Et dies quartuſdecimus eſt fortis valdè, & de fortitudine eius eſt, quòd nulla ſit dies cui non proportionetur, ſcilicet & paribus, & imparibus, &c.* Subſcribit Iſhaac *particul.4. de febrib cap.6. ad fin.* dum ſic præfatur: *Et dixerunt decimamquartam omnibus diebus iudicatiuis, & quartam omnibus indicatiuis eſſe meliorem, &c.* Hoc multò antea præmeditauerat Hippocr. *lib.2.aph* 23. dicens: *Acutos morbos quatuordecim diebus terminari.* Ergo ſi decimuſquartus acutorum terminus eſt, videtur quòd reliquos omnes dies ratione iudicandi excellat. Hæc ſunt quæ pro 14. diei dignitate adducit Conciliator *dif.* 105.

Licèt autem ſeptimus,& decimuſquartus dies omnium decretoriorum ſint maximi, tamen ſi inter ſe conferantur, non poſſumus non priorem, & digniorem locum tribuere ſeptimo: quem præſtantiorem eſſe affirmat Galenus *loc.cit.* cùm dixit: *Septimi naturam imitatur decimuſquartus, ita tamen vt æqualem dignitatem non obtineat.* Quare *loc.cit.in initio,*dicebat: *Primus namque omnium decretoriorum ſeptimus eſt,non numero,& ordine,ſed potentia & dignitate:* & *in lib.2.de dieb.decretor.cap.8.* affirmat, *ſeptimum eſſe decretorium fortiſſimum.* Quæ verba nullam calumniam patiuntur, præſertim cùm Hippocrat. *lib.de ſeptimeſtri partu, n.6.* in hæc verba prorumpat: *Dies quidem igitur maximè inſignes in quam plurimis, ſunt primi, & ſeptimi, multùm potentes*

potentes in morbis, & multum etiam in fœtibus. Sic etiam Rhaſius *lib.* 10 *ad Almanſ. cap.* 10. dicit: *Septimus dies ex omnibus diebus criticis, ſua bonitate ſuperior exiſtit: eſt etiam decimus quartus decretorius, & à ſeptimo ſecundus:* & Auic. 2.4.*tract.*2.*cap.*6.inquit: *Et ſcias, quod dies criſis fortioris iudicij, & fortiores dies cadentes, & dies iudicationis ſunt illi qui ſunt in antecedentibus; quantò magis procedunt, debilitatur eorum iudicium.* Idem firmat Rhabbi Moſes *particul.* 6. *Aph. Et dies ſeptimus eſt ſuperior in dignitate, & laudabilitate.* Explicat ex multorum mente Nicolus *ſerm.*2.*tract.*4.*c.*4.

Huius diei dignitas ratione demonſtratur. Ex diebus magis decretorius eſt ille, in quo frequentiores, firmiores, & robuſtiores criſes accidunt. Sed dies ſeptimus eſt huiuſmodi. Ergo erit magis criticus. Maior eſt nota. Minor probatur. Criſis non fit ſine certamine; ex Gal.2.*criſ.*11. & 2. *de dieb. decretor.*8. & ideò criſes incedunt cum acceſſionibus, ex Galen. 4. *aph.* 36. & 3.*de criſ.cap.*4.*in med.* §.*Oportet enim criſim ſemper, &c. &* 1.*epid. ſect.*3. *com.*13. Ergo vbi maius fuerit certamen, frequentiores erunt criſes. Sed in ſeptimo neceſſariò maius certamen eſt exſpectandum, quàm in 14. quoniam humor eſt ſæuior, & virtus eſt fortior. Ergo ſeptimus de victoria frequentiùs decertabit, & robuſtiores, & firmiores criſes in eo fient, quia facultas nec ex vi ſymptomatum, nec morborum eſt diſſoluta.

Explodenda ergo eſt opinio Conciliatoris *loc. cit.* dicentis, Auicennam intelligendum eſſe de frequentia iudicandi, quia ſibi habet aduerſum Galenum 1. *criſ.* 18. qui in ſeptimo, valentiores, & potentiores fieri criſes aſſeuerat; in longum autem iam protracta ægritudine, imbecilliores reddi: quod etiam docuit 2.*de dieb.decretor. cap.*8. Et Auic.2.4.*tract.*2.*cap.*6. in ſeptimo non ſolùm frequentiores fieri criſes, ſed firmiores, & robuſtiores aſſeuerat. Quare Haly *lib.*10.*theoric.cap.*8. primum locum tribuit ſeptimo, ſecundùm robur iudicandi, & ſecundùm bonitatem.

Deinde propter quod vnumquodque eſt tale, & illud magis. Sed propter ſeptimum, dies 14. eſt decretorius, & reliqui omnes dies vſque ad quadrageſimum. Ergo ſeptimus dies magis decretorius erit. Hoc modo Ariſt.5. *lib. de hiſt. animal. cap.*20.*& l.*6. *cap.*17. probat animalium formationes, in vtero geſtationes, & in lucem editos partus, certis fieri ſeptenariis, variis tamen iuxta variam animalium naturam, quinimò & auium incubationes.

Ad Auicennam verò dic, decimum quartum eſſe fortem valdè aliorum dierum reſpectu, ſed non ſeptimi. Is hac autem non ex propria, ſed aliena loquitur ſententia, quam *cap. ſequenti* erat reprobaturus. Ad Hip.2. *Aph. cit.* dic, quòd ibi recenſet alterum terminum morborum acutorum; ſolet enim Hip. vltimos terminos denotare, vt facit 4. *aph.*59. quo loco dicit, quòd tertiana exquiſita ſeptem periodis terminatur; non quòd neceſſariò eas periodos debeat habere, quoniam antè deficere poteſt: quo etiam pacto intelligitur 5. *aph.* 6. & 7. *aph.* 50. vbique videlicet intelligens, priùs ceſſare poſſe: quod etiam demonſtrat Galenus 3. *Aph. com.*7.

Ne tamen aliquis arbitretur, ob ſeptimi dignitatem nunquam mortem contingere poſſe operæ pretium erit referre aliquos ægros, qui in ſeptimo vitam cum morte commutarunt, quoniam adoleſcens qui in mendacium foro decumbebat, ſeptimo mortuus eſt 3. *epid. ſect.* 2. *text.* 5. *& text.* 3. *antecedenti*, Euryanactis filia virgo ſeptima die obiit: & *text.* 7. mulier ex abortu infantis hoc die occubuit: & *text.* 8. alia mulier ob eandem cauſam eodem die periit: *& lib.*5. *epidem. num.*1. *&* 35. extant duo adoleſcentes in ſeptimo mortui. Quos tamen ſi conferas cum innumeris illo die benè; & fidè iudicatis, pauciſſimos, & rariſſimos eſſe comperies. Licèt enim dies ſeptimus in felicitate, & frequentia iudicandi reliquos omnes excedat; aliquando tamen malas in eo contingere iudicationes certum eſt. Eodem modo in 14. aliqui malè iudicantur, etſi æqualem ferè cum ſeptimo dignitatem habeat, & ſic quædam mulier profluente ex naribus ſanguine, 14. obiit, 3. *epidem. ſect.*2. *text. vlt. & in ſect.* 3. *ſequenti text.* 85. alterius mulieris hiſtoriam deſcribit, quæ 14. defuncta eſt, præcedente conuulſione: & *lib* 5. *epid. ante med. num.* 14. refert aliam in 14. de medio ſublatam, ex vulnere capiti inflicto. Hos omnes, non ob ſeptimi diei malitiam, ſed ob materiæ contumaciam, & malignitatem vt in venenatis, peſtiferiſque febribus contingit; vel expultricis debilitatem; aut meatuum obſtructionem, fuiſſe priuatos vita exiſtimabis.

Non minoris negotij eſt perſcrutari. Vtrùm dies vigeſimus ſit decretorius, an vigeſimus primus? & non deſunt rationes, quibus vtraque pars confirmetur. Diocles enim & Archigenes primum locum in iudicando concedunt vigeſimo primo; ſubſcribit Celſus *lib*, 3.*cap.* 4. *poſt med.*§.*Hi erant dies tertius* 5.7.9.11.14.21.*ita vt ſumma potentia ſeptimo, deinde* 14.*deinde vni & vigeſimo daretur, &c.* ſubſcribit Hip.*lib.*1.*epid.ſect.*3.*text.*14.§.*Circuituum qui iudicantur diebus imparibus, primus eſt* 3. 5. 7. 9. 11. 17. 21. & 4.*aph.*36.*ſudores ſi inceperunt febricitantibus, boni. die* 3.7.11. 12.17.& 21. Nam eſt finis ſeptimanæ tertiæ. Quare ſi ſeptimus, & 14. ob hanc cauſam ſunt criticorum principes, erit etiam dies vigeſimus primus.

Ex altera parte pro vigeſimi præſtantia ſtrenuè depugnauit Hippoc. *lib.* enim 3.*prog.text.*3.& 4. ſic ait. *Nam mitiſſimæ febres & quæ tutiſſimis ſignis incedunt, quarto die finiuntur, vel priùs: peſſimæ autem, grauiſſima ſigna præ ſe ferentes, quarto die interimunt, aut prius. Primus igitur earum inſultus ita terminatur, ſecundus verò ad ſeptimum perducitur, tertius ad vndecimum, quartus ad quartum decimum, quintus ad decimum ſeptimum, ſextus ad vigeſimum per adiectionem finitur.* Hæc verba oſtendunt manifeſtè quòd tertiam ſeptimanam per continuitatem ſecundæ annumerat, & quòd decimam ſeptimam indicem facit vigeſimæ.

Confirmat Hippocr. mentem ratio valida: quoniam ſi vigeſimus primus criticus ſit, ergo 18. index ſtatuetur: & poſt 21. hi erunt critici 25.28 32.35.42.63. 84. At in hiſtoriis ſuis nuſquam eorum meminit Hippoc. ſed criticos omnes facit à 20.24.27.34.37.40.60,80.100. quibus diebus frequenter, & fidè criſes contingere ſolent. Hoc quoque vbertim confirmant particulares Hip. hiſtoriæ plurium ægrotorum, qui hoc ordine ſunt iudicati: Chærion; Philini vxor, Euryanactis filia, vigeſimo iudicati ſunt, Abderitana virgo 24. Anaxion 34. Clazomenius 40. ita qui in Dealcis horto iacebat. Vxor Iphicratis quadrageſimo die pauca birioſa vomuit, 80. perfectè iudicata eſt. Cleonactides 80. riguit, multum ſudauit, integrè iudicatus eſt. Heropytus 120. integrè iudicatus. Demum, vt rectè 2. *de dieb. decretor. citat.* notauit Galenus, nullus *in libris Epidemion* numeratur æger, qui à 18. & 21. iudicatus ſit; ſed omnes à 17. & 20. ordinem ſumunt.

Quo pacto ergo tam repugnantes tantorum virorum auctoritates conciliabimus? Reſpondet Conciliator *dif.* 135. quòd quando humor eſt tenuis, calidus, exiguus, facultates coctrix, & pellens validæ, tunc 20. criſis ſit. Si verò contraria adſint, & humor ſit craſſus, multus, & frigidior, tunc 21. die continget. Dupliciter peccat ſolutio. Primò, quoniam ſi humor eſt craſſus, & frigidus, ad vlteriores dies prorogabitur criſis, nempe ad 24. 27. 34. & alios. Secundò, quoniam acuti morbi qui 21. die definiri debent, à craſſis, & frigidis humoribus ferè non fiunt, ſed à calidis, ex Gal.2.*aph.* 19. & 7.*aph.*1. & alibi.

Vt tamen hæc omnia multò clariora euadant, exponendum eſt priùs: Vtrùm dies ad criticorum computum integri ſint aſſumendi, vel cum fractione aliqua? Et videtur quod de ſingulis diebus naturalibus, qui 24. horis conſtituuntur, aliquid ſit detrahendum, ac proinde integros ad computationem non eſſe vſurpandos: & poteſt probari ex Hippocr. 3 *prog. cit.* & ratione patet: Quoniam vtcunque fiat ſupputatio, ſiue ſecundùm menſem medicinalem, ſiue peragrationis, ſiue illuminationis, non poſſumus integros dies vſurpare, quoniam menſis medicinalis, docente Galeno 3.*de dieb. decretor.* conſtat 26. diebus & 32. horis: qui diuiſus in quatuor ſeptimanas, quælibet illarum habebit ſex dies, & 17. horas cum dimidia.

Menſis peragrationis conſtat 27. diebus, & horis 8. cuius quælibet ſeptimana habet 6. dies, & 20. horas. Menſis illuminationis conſtituitur ex 26. diebus cum dimidio, ex quo quælibet ſeptimana conſtabit 6. diebus, & 15. horis, & ſic ex prædictis ſeptimanis non poſſunt ſeptem dies conſtitui, niſi de ſingulis aliquid detrahitur, portio videlicet ex diebus menſis medicinalis, vna hora non completa, ſed minùs decima quarta parte, & ex reliquorum menſium diebus ad proportionem. Quare non ſine ratione ſinguli quique dies ſunt præſcindendi. Verumtamen hoc dogma eſt Galeno ſummè aduerſum, & plurimorum errorum tam in præſagiendo, quàm curando poteſt eſſe occaſio; ideò decidenda à nobis hæc diſputatio, exordio ſumpto ab illius interpretatione, de quo orta controuerſia eſt.

B Diem Aſtrologi vocant illud temporis ſpatium, ſiue eum circuitum, quo Sol raptu primi mobilis, vnica circa terram conuerſione, ab vno puncto in id recurrit. Menſem, quando Luna luſtrato ſuo curſu Solem conſequuta eſt. Annum verò, quando Sol proprio motu totum ſuum confecit, & peragrauit orbem: & Galenus *in lib. de ſeptimeſtri partu, in med.* annum dicit eſſe circuitum, reuolutionem, ſiue reditum Solis à ſolſtitio in ſolſtitium, ſiue à ſigno quodam in idem ſignum, quem in 12. menſes diuidi docet, 1. *epidem. in comment. tempeſtatis* 1. *ad init.* Atqui omiſſa anni, & menſis diſputatione, atque etiam diei, prout ad Aſtrologiam pertinet, de qua Ptolomæus *lib.* 2. & 3. *magnæ compoſitionis* fusè ſatis diſſeruit, de iis agendum eſt, prout Medico vtiles ſunt, & neceſſarij.

C Dies variis modis à Galeno vſurpatur. Primo modo prout diſtinguitur contra noctem, pro eo videlicet tempore, quo Sol noſtrum hemiſphærium illuſtrat, vt ipſe notauit, *lib. 1. per genera, cap. 2. in med. & 6. de ſanit. tuend. cap. 5. in med.* vbi agit de dierum longitudine, & breuitate; pro ſolſtitiorum, & locorum varietate. Aliquando ſumitur pro die ſimul, ac nocte, vt conſtat ex *lib. 7. ſec. loc. cap. 2. ſub titulo, confectio ex capitibus papaueris Galen.* Dies enim cùm dicitur in infuſionibus, & ſimilibus, noctem etiam comprehendere certum eſt, vt idem docet *lib. 10. meth. cap. 2. in med. & lib. ad eos qui de typis ſcripſerunt, cap. 7. ad init. & lib. 2. de criſib. cap. 2.* ſicuti cùm dicimus menſem conſtare 30. diebus, & annum habere 365. dies.

D Galenus *lib. 6. epid. ſect. 1. com. 15. in fin.* totum tempus diei cum toto anno comparat: Nam matutinum tempus habet ſimilitudinem cum vere; meridies cum æſtate, veſpertinum tempus cum autumno; nox cum hyeme. Hoc ſpatium quod ex die, & nocte componitur, & à Galeno diem appellari diximus, ex 24. horis integris conſtituitur, ex Galen. 1. *de criſib. cap. 16. poſt med.* §. *In primo quidem die. &c. & 9. meth. 1. poſt med. & in lib. de ſeptimeſtri partu, in com. text. 1. & 2. & lib. ad eos qui de typis ſcripſerunt, cap. 7.*

E Quibus omnibus locis conſtat manifeſtè ex Gal. doctrina, quòd 24. horæ verum diem abſoluunt, maximéque erraſſe illos, qui exiſtimant ad computationem criticorum dies non eſſe aſſumendos integros, ſed cum aliqua fractione. Sed ij ignorant, quod vbique proclamat Galenus, ſcilicet quaternarios, & ſeptenarios non eſſe integrè numerandos, ſed ex iis aliquid eſſe detrahendum, ſic vt ex duobus quaternariis vnicus conſtituatur ſeptenarius, & viginti dies, tres ſeptimanas componant; quod fit ex ipſis quaternariis, & ſeptenariis, aliquibus coniunctis, & aliquibus ſeparatis. Coniunguntur inuicem die vna, quæ vtriſque communis exiſtit, veluti quarta dies primo, & ſecundo quaternario communis eſt; & ſecunda etiam, & tertia ſeptimana, die 14. cohærent, quæ vtriſque communis exiſtit, quoniam 14. dies finis eſt ſecundæ ſeptimanæ, & principium tertiæ. Dilucidè ergo patet, quòd ſi dies præſcindantur, neceſſariò fieret, vt dies 21. & non 20. morbos iudicaret, neque tres ſeptimanæ vigeſima concluderentur die, neque aliquis dies illis eſſet communis; ſed dies 14. decretorius finiretur 13. diebus, & duabus horis, à quo tempore inciperet tertia ſeptimana, & nullum tempus eſſet illis commune: quare corruerent omnia quæ ab Hip. & Galeno de diebus decretoriis literis ſunt tradita.

Ad id verò pro contraria parte adductum. Dic; Hippoc. haudquaquam velle, dies non eſſe integrè numerandos, ſed potiùs quaternarios non poſſe integris diebus conſtare. Nam cùm antea dixiſſet 3. *prog. text.* 3. quòd ſecundus quaternarius finitur die ſeptimo, & quartus decimo quarto, & tres ſeptimanæ viginti diebus abſoluuntur; & cùm de ratione quaternarij ſit, vt habeat quatuor dies, ſicut de ratione ſeptimanæ ſeptem, fieret vt ſecundus quaternarius extenderetur vſque ad octauum, & quartus vſque ad 16. & quòd tres ſeptimanæ peruenirent ad 21. Cui obiectioni reſpondet *text. 4 ſequenti*, dicens: *Fieri verò non poteſt vt horum integris eximiè dinumeretur dielus, &c.* id eſt, quòd numerus dierum, quaternionum, & ſeptimanarum integer eſſe non poteſt, nam ſecundus quaternarius tantùm habet tres dies, & tertia ſeptimana tantùm habet ſex dies. & ſic tres ſeptimanæ viginti diebus finiuntur. Rurſus ſi hebdomadæ integræ numerandæ eſſent, ſequeretur quòd dies decima octaua eſſet contemplabilis vigeſimæ primæ, ac proinde nullam haberent communionem decretoriam decima ſeptima & vigeſima, ex Gal. 2. *de dieb. decret. cap. 2. in fin.* quod tamen falſum eſſe ex ſuperioribus conſtat.

Ad vltimum argumentum dic, menſem ex quatuor ſeptimanis componi. Secunda tamen, & tertia vnica die communicant, & ſic ex 27. diebus, quatuor ſeptimanæ conſurgunt; in quarum hebdomadum prima licèt ſeptem dies integri non ſint, integri tamen numerantur, quoniam quòd hic plus ſubripitur, poſtea in die 14. ſecundæ, & tertiæ communi imminuitur; ſiquidem illic integra dies ſubmouetur pro omnibus ſeptimanis. Quare euidenter conſtat, huiuſmodi minutias non eſſe à Medico contemplandas: nam Galenus 1. *de dieb. decretor.* 6. illos Medicos irridet, qui exiſtimabant dierum computum variari, propterea quòd vna, aut duabus horis principium lateat.

Porrò vt argumentum hoc ad vmbilicum perducam, cum Galeno acriter contendo; vigeſimum eſſe digniorem vigeſimo primo, & poſt 7. & 14. eſſe collocandum. Eandem ſententiam confirmat Paulus *lib. 2. cap. 6.* Haly 10. *theoric.* 8. quod latè probat Galenus 2. *de dieb. decretor. cap. 3. & 4.* concludens, Hippocratem experimento, & vſu edoctum; diem 20. & non 21. decretorium conſtituiſſe, & 7. *Aph. com.* 58. ſemper Hippocratem, diem 20. & non 21. decretorium pronunciaſſe aſſeuerat. Si verò in argumentis contrariis diem vigeſimum primum decretorium eſſe refert, de principio 21. quod cum fine 20. coincidit, intelligendus eſt, quoniam finis vnius temporis eſt principium alterius, ex Gal. 4. *acut.* 1. & hæc eſt verior ſolutio, quàm interpretum *ibi*, Hugonis, Thadæi, & aliorum, qui diffidentibus veterum ſententiis perterriti, varios fingunt ad libitum ſoluendi modos.

Verumenimuerò ſuperſunt duo illuſtria dubia; quæ altiorem indaginem prætequirunt, quorum primum eſt huiuſmodi. Contemplabiles dies eos Galenus vocari dicebat, in quibus aliquod futuræ criſis certum indicium apparet, 2. *Aph. com.* 24. qui ſolùm ad 20. perdurant, ex Gal *cit. & 3. prog.* 3. Quale ergo ſit hoc ſignum, auctores variè proponunt. Auic. 2. 4. *tract.* 2. *cap.* 8. tria profert indicia, ex quibus quid in ſequentibus decretoriis fieri debeat, conſtare poterit. Primum deſumit ex coctione, & eius oppoſito; ſecundum ex robore, vel debilitate facultatum, naturalis videlicet, animalis, & vitalis, tertium ex ſignis ipſis criticis, quod priùs docuerat Rhaſius *l.* 19. *cont. tract. de di: b. decret. cap.* 12. *ad init.* affirmans maximè referre ad cognitionem diei critici, vires, & cognitionem ſignorum, non ſolùm criticorum, ſed etiam prognoſticorum contemplari, quoniam alterum ſine altero ſufficere minimè poteſt: quare opera Hip. frequenter eſſe perlegenda ad hanc doctrinam intelligendam concludit.

Præterea Galenus *ibi* docet, conſideranda eſſe ſigna in quarto apparentia, & vlteriùs acceſſionum exacerbationes: vt certò criſim futuram præſagire poſſimus. Nam ſi in quarto periculoſiſſimum aliquod appareat ſymptoma, &

& morbus per pares exacerbatur, prauum in ſexto iudicium expectandum eſt: quòd ſi hunc exceſſerit, in octauo. Quòd ſi in quarto ſigna optima appareant, & morbus per impares recurrat, optimum in ſeptimo iudicium fit, vbi aptiſſimè Galenus, non ſolùm coctionem, ſed eius oppoſiti notas inueſtigat, & præſertim alia quæ *eodem lib. cap. 4. antecedenti* proſequitur, dicens, quòd ſeptimus à quarto indicatur, ſi manifeſta fuerit mutatio, non ſolùm coctionis, vrinæ, & aliorum excrementorum, ſed etiam appetitus, mentis, ſenſus, vel alterius cuiuſdam ſimilis; quo pacto fieri poteſt, vt ſimilis in ſeptimo iudicatio non accidat; quod etiam confirmat *lib. 1. epid. ſect. 2. com. 75. in med.* dicens, quòd morbus qui celeriter mouetur, ſi in quarto habeat prauam acceſſionem, in ſexto interficit, Idem etiam, licèt aliis verbis, ſignificare videtur *1. epid. ſect. 3. com. 18. Quòd ſi quartus, perinde ac tertius grauia ſymptomata induxit, breui mors expectanda eſt.* Et ſic perpetuò Galenus, vbi de ſignificatione, vel indicatione dierum contemplabilium diſceptat, non ſolùm ſigna coctionis, ſed alia conſiderat: quo pacto *2. de dieb. decretor. cap. 11. cit.* in vniuerſum dicebat: quartum cum bonis, ſeptimum; cum malis, ſextum indicare, habita ſemper acceſſionum ratione, quemadmodum idem concludit *lib 3. epid. ſect. 2. com. 5. in med.* Nam fieri poteſt, vt debiles in ſeptimo moriantur, fortes in ſexto liberentur; eius rei exemplum extat apud Hip. etſi rariſſimum, *3. epid. ſect. 3. text. 83.* vbi refert, virginem quandam hæmorrhagia in ſexto fuiſſe liberatam, quæ tamen in quarto ſuſpenſiones habuit elatas, hoc eſt, coctionis initium, cuius morbus per pares exacerbabatur; cuius rei ratio perpetua eſt, quoniam criſes ſemper cum acceſſionibus coincidunt. Ergo ad contemplabilium indicationem non ſolum ſigna coctionis, & cruditatis, ſed & critica, & prognoſtica ſunt à Medico inſpicienda.

Secundum dubium eſt, An dies contemplabiles, ſiue indices, poſſint etiam aliquando iudicare, & an dies radicales poſſint interdum indicare? Dic, indices poſſe eſſe iudicatorios, & vice verſa iudicatorios poſſe eſſe indices: cùm enim ab eadem cauſa vtrique procedant, vtramque etiam rationem habere poſſunt, & iudicandi, & indicandi, ac proinde in 11. & 17. plurimas fieri criſes conſtat, ex Hip. *in lib. epid.* & latiſſimè refert Galenus *2. de dieb. decretor. ferè per totum.* Conſule Michaëlem Angelum Blondum *in tract. de dieb. decretoriis, & criſi, eorúmque vetiſſimis cauſis, prope fin.*

QVÆSTIO XI.

Vtrùm Galenus cauſam dierum criticorum ex ſua, vel aliorum ſententia ad aſtra reduxerit. Contra Picum Mirandulam, Cardanum, Fracaſtorium, Manardum, Amatum, Cartagenam, & communem ferè Medicorum ſententiam.

Cauſam dierum decretoriorum, ſoli Deo cognitam, tam difficile eſt inuenire, quàm eſſe Medicum; adeò vt doctiſſimè Auicenna *2. 4. tract. 2. cap. 2.* pronuntiauerit, hanc doctrinam de cauſa dierum criticorum ad Medicum minimè pertinere, qui ſolùm debet eſſe contentus experimento: immò doctiſſimus Iacchinus *in meth. prædicendi, cap. 23.* eam adhuc neminem inuenire potuiſſe affirmat. Quæris cauſam? In promptu ea eſt: cùm enim viderent Galenum ad aſtra confugiſſe, eiúſque ſententiam maximas pati difficultates, in varias diſtracti opiniones, eum multiplicibus telis oppugnant, & eius argumenta irrident, & temnunt. Sed quoniam fusè, latéque plures illorum reprobas opiniones impugnarunt; de quorum numero ſunt Laurentius *toto lib. 3. de criſ. 6.* Manard. *13. epiſt. 5.* Cardan. *lib cont. tract. 2. cont. 2.* Anton. Petitæus *lib. criſimerologion*, & alij; idcircò nos omnia hæc in compendium redigemus.

Primi fuere Pythagorici, qui cùm viderent plurimos dies criticos impares eſſe, & morbos per ſeptenarium

A moueri, eorum cauſam ad potentiam numeri ſeptenarij referebant, quem aſſerunt pari multò eſſe potentiorem partim quia principium paris eſt, partim quia diuiditur in par, & impar. Licèt enim numerus non ſit ſubſtantia, habet tamen magnam vim ex cauſa nobis ignota: quod plurimis experimentis confirmant, potiſſimùm quia & in morbis & in vita ipſa terminandis, numeri dierum, menſium, & annorum magnam mutationem efficiunt, præcipuè ſeptimus, & nonus, ex quibus celebres climacterici, infauſti dicti, ſcilicet ex ductione ſeptimi in ſeipſum, annus quadrageſimus nonus: & ex ductione noni in ſeipſum, annus octogeſimus primus: & omnium peſſimus ex ductione ſeptimi in nonum, annus ſexageſimus tertius, qui plurimos interimere ſolet, climactericus dictus, mortalium vitæ maximè formidandus, de quo Aulus Gellius *lib. 15. noct. Atticar. cap. 7.* exemplis firmat Iulius Firmicus *lib. 4. cap. 4.*

B Cæterùm hæc Pythagoricorum ſententia latè refellitur à Gal. *3. de dieb. decretor. cap. 8. & 11.* Adde quòd ſi dies impares iudicarent ob vim numeri imparis, eadem ratione ſequeretur impares horas diei, criticas eſſe, & diem 21. magis decretorium eſſe quàm 20. contra Hip. & manifeſtum experimentum: nam per multiplicationem numeri ſeptenarij, qui omnium præſtantiſſimus eſt, oritur numerus vigeſimus primus, nunquam autem vigeſimus.

Amatus *tract. de dieb. decretoriis*, & Antonius Cartagena *lib. 2. de ſignis dier. decretor. cap. 18.* ad muſicam, concentum, & numerorum proportiones confugêre; & vt inter hos numeros quidam ſunt diſſoni, & alij conſoni: ita (inquiunt) contingit in diebus ægritudinis, & proinde dies diſſonantes primo, ob cauſam diſſidij quam cum hoc habent, naturam ad pugnam excitant; dies verò conſoni

C primo, ob ſimilitudinem quam cum hoc habent, quieſcunt, & ita naturam ad certamen non prouocant, & ex conſequenti criſim non concitant.

Sed hæc opinio merum commentum eſt, & ſapit nugas, quia præterquam quòd ridiculum eſt conſonantiis vocum, articulos morbi, res adeò diuerſas conferre, tamen neque illorum imaginationi effectus reſpondent. Nam, vt ipſi fatentur, 20. & 17. ſunt conſoni primo; & 16. & 18. ſunt diſſoni, cùm tamen conſtet 20. & 17, inter optimos decretorios numerari, & 16. & 18. non eſſe decretorios. Quare patet numerum punctorum diſſonantium primo, non reſpondere diebus decretoriis; neque numerum punctorum conſonantium primo, reſpondere diebus non decretoriis.

D Aſtrologi alia via incedunt: Aſſerunt namque cauſam criticorum dierum ad motum Lunæ eſſe referendam, quo duodecim ſigna Zodiaci peragrat, qui appellatur menſis peragrationis, ſeu propriè impreſſionis, & continet 27. dies, & 8. horas, & hunc, propter mutationes quas efficit per ſuas quadras, dies decretorios conſtituere aſſerunt. At falluntur: nam ſequeretur ex hoc computo diem. 20. non eſſe decretorium, ſed multò magis diem 21. quoniam tres quadræ dicti menſis incidunt in duodecimam horam diei 21. vt numeranti patet. Sequeretur etiam eadem ratione diem 41. & 81. eſſe decretorios, non autem 40. & 80. contra experimentum, & Hipp. *1 epid. ſect. 3. text. 22. & 23.* Quam opinionem conuellunt Picus Mirandula *lib. 3. aduerſus Aſtrologos*, Conciliator *diſ. 114.* Muſa *lib. 2. aph. 24* Manardus *loc. cit.* & alij.

E Aſclepiades vanum eſſe putauit, cauſam criticorum inquirere, quia hoc, merum eſſe figmentum ratus eſt; deridebátque Hippocratem, quòd aliquos dies fecit iudicatorios, alios indicatorios: Nam in nullo die (inquit ipſe) quia par, impárve eſſet hic, vel maius, vel minus periculum eſt: quare improbabilem iudicat ſententiam Hip. & nihil rationis ſub illius dictis reperiri aſſeuerat. Neque putes, Celſum, Hippocraticæ doctrinæ eximium interpretem, & ſtudioſiſſimum imitatorem, *lib. 3. cap. 4* ita perfricta fronte tanti viri, quem ſummè ſemper prætulit, oracula peieraſſe. Celſus ergo non ex ſua, ſed ex Aſclepiadis loquitur ſententia, vt legenti caput facillimè patebit.

Sed audiamus Fracaſtorium Philoſophum, & Medicum inſignem

inſignem; qui dum nouum, & inauditum profitetur de cauſa criticorum inuentum, ſeipſum implicat, & à recto tramite diſcedens, in plurima incidit abſurda, à quibus deinde ſeſe extricare non potuit: & certè dolendum de tanto Medico eſt, qui poſtquàm libros de morbis contagioſis (opus rarum, & à priſcis vix per vmbram cognitum) in lucem euulgauit, ex quibus æternam famam meruit, & pro Phœnice Medicinæ habitus eſt, edito de criticorum dierum cauſa libello, ſuum immortalitati nomen conſecrandum non parum obſcurauit.

Hic ergo cauſas dierum criticorum refert ſolùm ad motum humoris melancholici, cuius cùm hæc ſit proprietas, vt quarto quoque die moueatur, quaternarios omnes ideò criticos eſſe, & ex hac regione emanare ratus eſt.

Hanc abſconditam opinionem vt patefaciat, plurima ſupponit fundamenta, quorum primum eſt. Morbi rarò fiunt ex vno tantùm humore, cùm in vaſis ſimul repe- riantur; & licèt vnus maximè putreat, contagium tamen reliquis communicat, ita vt & ipſi ſuis periodis moueantur, etſi nobis occultis, propter excellentiam periodi humoris dominantis. V, g. incipiente tertiana, etiam reliquiduo humores concepta à bile putredine mouentur; pituita quotidie, melancholia per quaterniones; ſed in pituita, ob lentorem: & humiditatem ſuam, tanta fit cum bile putrente mixtio, vt non ſeorſim moueatur quotidie ſua quotidiana periodo, ſed tertiana bile permixta: melancholia verò propter craſſitiem, & ſiccitatem non permiſcetur, ſed putrens ex bilis commercio motus quartanos conſeruat.

His ſuppoſitis adſtruit, febres ferè omnes eſſe compoſitas, ita vt non ex vno fiant humore, ſed ex variis, & in variis; non in vnam formam redactis, ſicut tertiana notha; ſed ex variis ſub variis formis, & periodis. Quare aſſerit ferè in febribus criſes fieri per quartanos: iungitur etiam in diebus quartanæ, acceſſio melancholiæ cum acceſſione humoris morbifici, & ita duplata acceſſio redditur vehementiſſima; cuius vehementia cogit ad frequentem criſim.

Quoniam autem vidit illud fundamentum fauere primis quaternionibus, poſteriores verò decretorios eo computo non includi; addidit aliud, nempe motum illum melancholiæ tunc incipere, quando putredo ab humore morbi manans, imprimitur melancholiæ. Imprimitur autem quandoque in primo die, interdum in ſecundo; nonnunquam in tertio, iuxta variam melancholiæ diſpoſitionem: pauca enim, & tenuis in primo die conſequitur putredinem, & mouetur: & medioctis in ſecundo: plurima autem, & craſſa, nonniſi in tertio.

Ex his colligit cauſas criticorum omnium: Quandò enim melancholia primo die mouetur, quaterniones euadunt ſequentes, 1. 4. 7. 10. 16. 19. 21. 25. 28. 31. 34. 37. 40. Vbi melancholia ſecundo die morbi mouetur, critici ſunt, 2. 5. 8. 11. 14. 17. 20. 23. 26. 29. 32. 36. Vbi verò melancholia tertio die morbi mouetur, euadunt critici ſequentes, 3. 6. 9. 12. 15. 18. 21. 24. 27. 30. 33. 36. 39. 42.

Ex motu ergo melancholiæ, cauſæ criticorum colligendæ: alij enim dies decretorij euadunt, ex motu eius in primo die; alij ex motu in ſecundo, alij ex motu in tertio. Colligit etiam vigeſimum frequentiùs iudicare, quàm à 1. quia frequentiùs putredo melancholiæ in ſecundo die morbi, quàm in primo aut tertio inſoleſcit.

Verùm quia adhuc ex motu fictitio melancholiæ, multi dies euadunt critici, ex tribus compoſitis præcedentibus, qui reuerà experimento & auctoritate maiorum critici non ſunt; addit tertium fundamentum, ſcilicet quòd quando morbo iungitur motus melancholiæ in ſecundo die, eſt morbus peracutus, ideò non reſpondent in illis morbis critici poſteriores, quia iam morbus in prioribus eſt iudicatus: In motu verò ſecundi diei, durant critici aliquantulum plus: In motu tertij, tanquam in chronico morbo, multò plus.

Oſtenditur falſitas opinionis huius, quæ imaginaria eſt, & tanto viro indigna. Primò, quia hæc cauſa debebat

A æquè patere, & eſſe communis omnibus morbis humoralibus, vt vulneribus, non febrilibus, & febrilibus à ſimplici humore, vel mixto; ſub vna forma, vel ſub variis: cauſa autem auctoris ſolùm conuenit humori mixtò ſub variis formis, Ergo non eſt vera, maximè quia Hip. 3. *prog*. 1. in quartanis etiam exquiſitis, & 2. *aph*. 24. in exquiſitis tertianis agnoſcit frequentes criticos dies.

Secundò. Licèt ſit frequens plura mala pendere ab humore mixto, rariſſimum tamen eſſe conſtat, pendere à mixtione ſub variis formis, & motis in variis diebus.

Tertiò. Sequeretur eſſe criticos dies omnes, in quibus motus bilis, & melancholiæ concurrunt, nempe impares omnes, quum tamen inter illos pauciſſimi ſint critici. Deinde licèt ſit probabile, melancholiam aliquando ad computrendum expectare ſecundam, aut tertiam acceſſionem, improbabiliſſimum tamen eſt putrere eam in ſecundo die tertianæ, quando æger & à febri, & ſymptomate omnino eſt immunis.

B Quartò. Impoſſibile eſt melancholiam in omnibus febribus moueri, non bilem, quoniam in quauis motione, ſiue affectus ſit, ſiue doloris, ſeu vulneris, citiſſimè ob tenuitatem mouetur bilis, non melancholia.

Quintò. Motus melancholiæ licèt ſummè irritet in periodis ſuis, rariſſimè criſim inducit. Ergo multò minùs motus melancholiæ extra ſuas periodos.

Sextò. Motus ille occultus melancholiæ minùs irritat ad criſim, quàm motus apertus in quartana. Sed motus quartanæ rariſſimè inducit criſim. Ergo multò rariùs occultus motus melancholiæ.

C Septimò. Oportebat quaterniones connumerati ſemper diſiunctos, quia motus melancholiæ durat per quaterniones diſiunctos.

Octauò. Quartana haberet criticos dies, ſed omnes diſiunctos, acceſſiones etiam eſſent æquè criticæ: non enim eſt imaginandum, vltra modum melancholiæ accedere alium ex melancholia mota.

Nonò. Motus ille commentitius: & ad libitum inuentus melancholiæ, non ſufficit ad acceſſionem, quæ ſentiatur ab ægroto: quomodo ergo ſufficiet ad criſim quæ ſentiatur ab omnibus?

Decimò. Omnes dies iuxta hanc ſententiam iudicant, & illi magis, qui ſequuntur motum melancholiæ frequentiorem; frequentior autem eſt qui incipit ſecunda die morbi, quia media extremis frequentiora ſunt. Sed dies illi ſequentes illud computum; critici ferè non ſunt.

D Ergo aliter tentanda eſt propoſiti dubij ſolutio. Nam hanc Fracaſtorij abſurdam, experimento, & rationi repugnantem ſententiam valde aliis argumentis conuellit Andreas Laurentius *lib. 3. de criſibus, cap*. 10.

Pro cuius enodatione, præmittenda ſunt aliqua ante difficultatis explicationem.

Primum. Ex innata doctrina in naturalibus facultatibus repetitur, vt certæ operationes certo fiant tempore non alio: coctrix enim expectat attractricis finem, expultrix finem coctricis per periodos. Sic natura periodicè mouet calidum innatum, per diem extra; per noctem, intrò; & vltrà alios circuitus ſeruat ex interuallis, nam per hyemem intrò, per æſtatem, extrà.

E Secundum. Ex ea innata doctrina, quâ firmat & gubernat corpus ſanum, curat ægrum, vt per morbum otietur à nutritione, & augmento corporis, per interualla coctioni morbidi humoris intendens; & ſi eum ad benignum reducere nequit, expulſioni eſt intenta; ſimúlque alia parte temporis, corpori alendo, vt vtrique muneri ſufficiat. Seruat autem variam periodum in luctâ morbi, iuxta quod variè lædit & infeſtat; & ſic à cauſa morbifica laceſſita, in morbo non febrili, aliquando tardiores periodos facit, aliquando breuiores; vt in epilepſia, cardiaca, podagra, vterino affectu; & eos aliquando ordinatos, interdum citra ordinem. In febribus autem ob maiorem moleſtiam, breuiores, & magis ordinatos conflictus efficit: & ſi quidem humor quietè moleſtat, vt in pituitoſa, quotidie quietè confligit certis horis, reliquis autem corpori intendit; quia enim non fatigatur ex leui pugna, poteſt

poteſt quotidie pugnare. Si autem humor moleſtior eſt ? vt bilis, tunc laborioſa eſt pugna, quam ſymptomata tertianæ apertè demonſtrant: ideò interponit diem vnum, ſufficientem ad reparandas vires, quia pugna breuis eſt. In melancholia autem, quia maior fuit fatigatio, ex longitudine, & vehementia tam rigoris, quàm febris, duos dies interponit, & aliquando plus.

Tertium. Sicut in ſanitate vltra illas periodos breues, quibus calidum mouet in actum, diem ſcilicet, & noctem, natura alias ſeruat diuturniores, nempe hyemem, & æſtatem: ita in morbis vltra illas breues periodos, alias maiores obſeruat ab eadem innata doctrina, nempe vt vigeſimo quoque die morbi, iunctis copiis pugnet, ad dies 120. vltra enim hunc terminum, menſibus, & annis res agitur.

Obtrudes: Cur præfixit natura terminum vicenarium ad pugnam morbi, quam criſim vocant ? Dic, quoniam intra eum fatigatio ceſſat, & robur comparatum eſt ad nouam pugnam: nec is terminus magis mouere debet admirationem, quàm quòd præfixit quietem nocturnam, & fecit retroceſſum calidi innati introrſum per menſes ſex hyemales. Morbi verò intra 40. dies finiendi: quia ſymptomata ſæpius vrgent ad pugnam, etiam habet ex innata doctrina, diuiſum vicenarium, in tres æquas partes, quas vocant ſeptimanas. Morbi verò intra 20. iudicandi, etiam per dimidias ſeptimanas, quia acrimonia, & violentia humoris breuiores adhuc pugnas exigebat.

Quapropter dicendum eſt, ſecundùm mentem Galeni, decretoriorum dierum cauſam pendere ex innata doctrina naturalium facultatum: non à Luna, vt *infra* dicetur; non à numeris, aut muſicæ conſonantiis; non à caſu, non à motu humoris melancholici, non à proprietate occulta humorum putrentium; nam in vulneribus ſine humorum putredine, euidentiùs numerantur critici dies; & periodi, quàm in febribus humoralibus,

Natura ergo criſes facit, vt toties prædixit Galenus, Mecum conſentiunt ſtrenui in arte medica viri, Ludouicus Lemoſius *lib.6.de optima prædicend.rat.cap.*7. Mercatus *tom.*1.*quæſt.*105. Valleriola *lib.*7. *loc. com. cap.* 7. Andreas Laurentius *lib.* 3. *de criſib. cap.* 13. Hanc ergo poſitionem ex præclara Galeni doctrina ſic confirmo. Ille enim *lib*, 2. *aph.*13. ſic profatur: *Criſis fit natura ſeparante à bonis mala, & ad excernendum properante.* Probat Gal. 2. *de vſu part.* 17. Nam *eſt doctaſine doctore*; ex Hipp. *lib. de aliment. n.* 8. Et *eſt morborum medicatrix*, 6. *epid. ſect.* 5. *text.* 1. Habet plures vias ac modos, quorum ope admiranda opera priùs efficiens, per eos peccantem humorem eliminat, in ægrotantis commodum ex Gal. 15. *de vſu part.* 5. Hæc per ſe, & primò iudicationes facit, 4. *aph.* 22. & 3. *criſ.* 13. & *lib.* 3. *de dieb. decretor.* 8.

Quid plura? Nonne ipſe *lib.* 2. *de dieb. decret. cap.* 2. *in princip.* dilucidè, docet vt *Medicus decretorios dies experimento cognoſcat, ſitque naturalis qui hæc iudicet, & perſuaſum habeat, naturam prorſus ſufficere, & ſumma quadam prouidentia corpori noſtro proſpicere; eamque motibus vti ordinatis in operibus ſuis.* Hæc enim criſes molitur per ſudorem, vrinas, deiectiones, ſputa, vomitus, & hoc modo vitioſos humores per varias regiones propellit: & 1. *aphor.* 20. *in indicatione, vbi integrè facta eſt, totum naturæ committendum, quæ ſi deficiat, tunc nulla præſidia iuuant:* quoniam *ea repugnante irrita ſunt omnia*, ex Hip. *lib. de arte*, *num.* 2. Hæc eſt quæ de omnibus partibus corporis prouidentiam habet, vt ait Gal. *lib.* 1. *de fract. com.* 1.

Hoc ipſum ſignificauit Galenus *lib.* 2. *de humor. com.* 22. § *Facultas igitur quæ aliena expellit, ea eſt quæ indicationem in nobis facit*: & *lib.* 7. *aph.* 21. ſic ait: *Oſtenſum autem eſt in commentariis de potentiis naturalibus, quòd eſt quædam in ipſis vis aliena excernens, quæ & ſudores criticos* (in eſt iudicatorios) *facit, & profluuia ſanguinis, & alui inferioris deiectiones.* Idem ſcribit 1. *aph.* 22.

Vis igitur expultrix eſt, quæ primò, & per ſe iudicationes facit, ſecundariò verò copia humorum. Illa inquam, in qua elucent diuinitatis veſtigia, quæ eſt operum naturalium effectrix, & corporis conſeruatrix. Qui igitur

A Medicus felix voluerit eſſe in prædicendo, exactè facultatem cum morbi magnitudine metiatur, & proſpiciat deinde, num ferat, aut feratur, vt inquit Galenus *lib.* 2. *prog. com.* 6.

Quis ergo tam inſcium Galenum fuiſſe cogitabit, vt ipſum ex ſua ſententia ad aſtra confugiſſe aſſeueret? Quòd ſi *lib*, 3. *de diebus decretoriis*, videns computationem dierum decretoriorum, quorum vis longo experimento conſtat, non quadrare cum menſe peragrationis, nec cum menſe illuminationis, ex his duobus confuſis tertium menſem confecit, quem medicinalem appellat, cum quo omnia quæ ab Hip, dicta ſunt de decretoriorum dierum numero, maximè conueniunt; ex aliorum loquitur ſententia, vt ſcitè notauit Abrahamus Aben Ezre Hebræus, Mathematicus inſignis, *in ſuo tract. de luminaribus, & diebus critic. in med.*

B Menſis peragrationis continet dies 27. & 8. horas: & menſis illuminationis continet dies 26. & 12. horas: quibus confuſis reſultant dies 53, & 20. horæ, quorum dimidium eſt dies 26. & 22. horæ: ex quibus conſtat menſis medicinalis traditus à Galeno, qui in quatuor hebdomadas diſtributus, dierum decretoriorum terminos continet. Prima enim ſeptimana continet dies 6. & horas 17. cum dimidia. Duæ ſeptimanæ continent dies 13. & 11, horas. Tres ſeptimanæ continent dies 20. & horas quatuor cum dimidia: vnde iuxta has ſeptimanas conſtat, diem 7. 14. & 20. eſſe decretorios.

Galenus enim, ſi ad Lunam refert cauſam dierum criticorum, quia ob loci viciniam magis ſuas vires imprimit in corpora noſtra, inter planetas omnes, & facit in his periodis mutationes, ex aliorum loquitur ſententia. Quia C autem Luna non ſolùm penès menſem illuminationis, ſed etiam penès menſem peragrationis hæc inferiora immutat, proinde vt amicis ſatisfaceret, *in lib.* 3. *de dieb. decretoriis*, quem non eſſe neceſſarium, nec legendum voluit, menſem medicinalem modo explanato compoſuit, qui virtutes, & mutationes vtriuſque menſis complecteretur, & ita propter mutationes, quas per ſuas quadras, & illarum medietates facit, in humiditates noſtri corporis, dies decretorios conſtitueret.

Vt verò attentè perſpicias, omnia à Galeno in hoc *lib. tertio* tradita, eſſe penès Ægyptiorum figmenta, & Aſtronomorum vanas nugas, ex aliorum mente prolata audi ipſum *lib.* 3. *cap.* 10. *Qui iam diſputationis huius ſubtilitati ſuccenſet, ac difficilem eam exiſtimat hūc nemo ipſam addiſcere cogit, verùm primus huius operis liber ei ſufficit. Quod ſi non laboris fugitantior ſit, ſecundum quoque adyciat, à tertio autem* D *abſtineat. Nos ſiquidem hæc paucis planè, eáſque inuitò ſcripſiſſe affirmamus. Vos, ô Dij immortales; nouiſtis, vos in teſtimonium voco; hæc me amicorum quorundam precibus vehementer adactum ſcriptis mandaſſe.* In primo enim libro numerantur dies iudicatorij; via quoque, & ratio ipſorum præcognoſcendorum explicatur. In ſecundo, experimento & ratione vim dierum iudicatoriorum explanat Galenus. illorúmque ordinem, & proportionem indicat. Tertium non vult legi, quia plura eius excellenti ingenio indigna, amicorum precibus coactus euulgauit; & quoniam in duobus prioribus explicuerat omnia, quæ ad intelligendos dies decretorios ſatis erant.

Quare cùm plura ſint in eo libro, à ſcientia, & acutie Galeni valde remota, immò vana, falſa, & Aſtrologorum tenebris offuſa; ea, præſertim potiora proponere ſatius E duxi, præter alia quæ citati contra illum deſcripſere auctores, validiſſimis telis inſtructi. Patitur ergo doctrina illius libri, maximas difficultates, quæ Medicum cogere poterunt, vt credat illum non eſſe legitimum, immò tanto auctore indignum, quum pluribus ſcateat, quæ contradicentia ſunt, & à doctrina Galeni prorſus aliena,

Primò. Si cauſa dierum decretoriorum ad menſem illuminationis ſiue apparitionis Lunæ, eſſet referenda, qui conſtat 26, diebus, & 12. horis, & per mutationes quas facit per ſuas quadras in his inferioribus, conſtitueret dies decretorios, ſequeretur ſolùm dari dies criticos, in morbo incipiente in nouilunio. Secundo, quia cùm Luna, quando coniungitur cum Sole, occultetur tribus

diebus,

diebus, in quibus facultate illa eſt orbata, quam aſſerunt cauſam eſſe dierum criticorum, ſequeretur etiam, quòd quando morbus incideret in tres illos dies occultationis Lunæ, non fieret criſis in illis. Denique ſequeretur, quod quando morbus inciperet in principio dictorum trium dierum, in quibus Luna occultatur, dies ſeptima morbi non eſſet critica, ſed decima. Nam (vt aſſerunt) criſis fit propter mutationem factam per quadras menſis illuminationis. Sed prima quadra tunc non incidit in diem ſeptimum, ſed in nonum, & 15 horas; incipit enim poſt tres dies ægritudinis, in quibus Luna erat occultata, quibus addendo ſex dies, & 15. horas (quod eſt tempus primæ quadraturæ menſis illuminationis) reſultant dies 9. cum 15. horis. Igitur dies ſeptimus non erit iudicariorius, ſed decimus, contra Hip. ipſius Galeni, & auctorum communem ſententiam, & experimentum.

Secundò. Si computatio iuxta menſem illuminationis rectè reprobata eſt: igitur etiam reprobanda erit computatio iuxta menſem medicinalem Galeni; hic enim ex illo, tanquam ex altero fundamento conſtat. Deinde ſequeretur, quòd per illam menſuram temporis, in quo Luna occultata eſt, non eſſet menſis medicinalis, deficiente enim vno componentium neceſſe eſt compoſitum deficere; & per conſequens in illa menſura temporis non fiet criſis, nec aſſignabitur dies criticus, ſi verum eſt quod aſſerit Galenus, dies criticos iuxta menſem medicinalem conſtitui.

Nec obſtat, Galenum ad computum dierum criticorum, non ſumere menſem illuminationis, tanquam cauſam neceſſariò concurrentem ſed aliquando: Quia ſequitur doctrinam traditam à Galeno, iuxta menſem medicinalem, non eſſe veram de omnibus criticis, ſed in ſolis morbis incipientibus in nouilunio, aut in alia quadratura menſis illuminationis, quod rarum eſt.

Tertiò. Menſis medicinalis fictitius eſt, imaginarius, & non realis, in omni ægro, qui non ægrotat in ſecundo die Lunæ. Quod autem non eſt reale, non poteſt imprimere effectum realem. Nam ſemiplena Luna non efficit ſeptimum diem, niſi in eo qui cœpit ægrotare in nouilunio, nec plena decimum quartum.

Quartò. Si menſis peragrationis eſſet admittendus; ex motu Lunæ per quadras, non poſſet deſumi cauſa ad ſeptimanas criticas: quia Luna propter motum epicycli, quandoque accedit ad quadram in ſexto die, quandoque in octauo. Secunda ratio. In vna hora, & lecto ægrotant duo, quorum vnus ex influxu Lunæ petit, alter ex influxu oppoſito ſanatur; & vnus in octauo petit, alter in ſeptuageſimo ſanatur: quod ſpatium nullam inter ſe ſeruat ſimilitudinem. Tertia. Non quadrat circuitus ille 27. dierum, & 8. horarum cum ſeptimanis criticis. Oportebat enim in termino totius circuitus fieri mutationem maximam: & in termino duorum circuituum, eandem: & oportebat diem 82. eſſe criticum non 80. quia 27. dies ter numerati complent dies 82. Poſtrema. In morbis intermittentibus eſt vis iudicandi in ſeptima acceſſione, & quarta, & tamen ille circuitus non pendet ex quadris Lunæ. Ergo in diebus criticis alia radix quærenda.

Quintò. Cauſa quare Luna per ſuas quadras mutat hæc inferiora, eſt aſpectus inimicitiæ, aut natura radiorum, qui per certos angulos, ex cauſa nobis ignota, communicant ipſis influxus ſuos per quadras peragrationis Lunæ ſub ſignis Zodiaci; Atqui quadræ menſis medicinalis non coincidunt cum quadris dictis, vt patet. Igitur quadræ menſis medicinalis non conſtituunt dies criticos, propter mutationem aliquam magnam, quam in noſtro corpore faciunt. Nec obſtat ſi dixeris, licèt quadræ menſis medicinalis non coincidant cum quadris menſis illuminationis, & peragrationis, eam tamen diſtantiam valde exiguam eſſe, & proinde parui faciendam: Nam illa varietas, licèt exigua ſit, efficit tamen vt dies 20. decretorius ſit, & non 21. Quare venit in conſiderationem medicam.

Sextò. Et eſt ratio non ſolùm contra ea, quæ dicit Galenus *lib. 3. de dieb. decretor.* ſed etiam contra Aſtrologos, & omnes aſſerentes cauſam criticorum eſſe Lunam. Luna per ſuas quadras conſtituit dies criticos, quia in iis quadris facit mutationem fouentem, & adiuuantem naturam, eiuſmodi autem mutatio facta in quadraturis Lunæ, fouet naturam in ægris, quia in illis adeſt contrarius aſpectus ei, qui aderat in principio morbi. Quum igitur aſpectus in principio ægritudinis, faueat ægritudini quæ tunc temporis generatur; aſpectus quadraturæ, cum ſit illi contrarius, fauebit naturæ operanti aduerſus morbum: & ita concurrente operatione naturæ, cum adiutorio dicti aſpectus, à quo fouetur, faciet bonam criſim in dictis quadraturis, & ex eo euadent ij dies decretorij.

Sed contrà. Aſpectus cui ſubiacet principium ægritudinis, multoties eſt contrarius morbo; nam ſub ſignis frigidis & humidis, ſæpe fiunt febres: quod ſimiliter intelligendum eſt de aſpectu, quem aſſerunt per certas periodos ex cauſa nobis ignota communicare ſibi influxus ſuos. Quum igitur in quadraturis perueniatur ad aſpectus oppoſitos, peruenient huiuſmodi ægritudines ad aſpectus fouentes morbum. Quare malè iudicabunt. Et ita nulla apparet ratio, quare dies exactè decretorij nunquam, aut rariſſimè malè iudicent.

Nec enim ſatisfacit, quod aſſerunt, cauſam quare criticis dies bene ſoluant ægritudines, eſſe quia ſignum eſt, naturam non valde moleſtari ab ipſo morbo, nec ab acceſſionibus; quum non excitetur ad pugnam ex ſe, antequàm vi ſuperiorum fiat commotio in humoribus. Nam hæc ratio non habet locum in morbis peracutis valde moleſtantibus naturam, & tandem recurrit in eandem difficultatem; cur ſcilicet illa pugna ad quam excitatur natura, quo tempore vi ſuperiorum fit agitatio in humoribus, ſemper fit ad bonum. Præterea ex ea colligitur, dies intercalares ſemper prauè iudicare, quum natura in illis excitetur ad pugnam ex ſe, ſine vi ſuperiorum; quum tamen experimento conſtet, ſæpiſſimè bene iudicare; quales ſunt quintus, nonus, & alij. Denique ſi fides eſt adhibenda Aſtrologis, iudicandum eſt, ſæpe dies decretorios eſſe infelices, quia ſcilicet Luna in illis accedit ad planetam, aut aſpectum infauſtos, vel fauentes morbo.

Septimò. Sicut dies quidam optimi ſunt ad iudicandum, ita alij valde praui exiſtunt, quales ſunt ſextus, & octauus, atque alij multi qui mali decretorij nuncupantur. Atqui malorum dierum cauſa non poteſt referri ad Lunam, quia hæc in illis nullo agit aſpectu, nec amicitiæ, nec inimicitiæ, hoc enim ſolùm facit per ſuas quadras integras, aut dimidiatas. Igitur, vt ignorant horum dierum, quibus mala criſis fit, rationem reddere; ſic etiam ratio quam aſſignant bonorum dictum, vana eſt, & inutilis.

Nec obſtat, quòd quidam reſpondent, proinde ſextum diem prauè iudicare, quoniam ſignum eſt adeò ſui impotentem eſſe naturam, vt non poſſit expectare diem ſeptimum, fauſtiſſimum ad iudicandum. Nam natura iudicat in ſexto, quia tunc à morbo valde irritatur, quomodo etiam in bonis decretoriis iudicat. Nec exiſtimandum eſt, naturam agnoſcere vires, & dignitatem diei ſeptimi, vt proinde quando ſibi conſtat, debeat illum expectare ad bene iudicandum. Deinde ex eadem ratione ſequeretur, dies intercalares malè iudicare: habent enim pro cauſa anticipationem diei critici radicalis, quæ anticipatio ortum habet ex eo, quòd natura nimis moleſtetur à morbo; quare coactè ad pugnam inſurgit.

Octauò. In febribus intermittentibus decretorij dies ſumuntur ſecundùm numerum acceſſionum, non ſecundùm numerum dierum, ita vt non dies ſeptimus, & 14. ſed acceſſio ſeptima, & 14. aſſerantur decretoriæ, *3. prog. 8. & 4. aph. 59. & 1. epid. ſect. 3. com. 17.* Atqui cauſæ quare hæ acceſſiones decretoriæ ſint, non poteſt referri ad quadras menſis illuminationis; nec ad quadras menſis medicinalis, aut peragrationis. Igitur, &c. Lege Iacobum Peletarium *contrad. ct. vlt.*

Nono. Si dies critici haberent vim ex motu Lunæ, maximus criticus eſſet 27. dies, in quo Luna redit ad idem punctum, in quo erat in principio morbi. Nec obſtat quod reſpondent, reditum ad idem punctum, non habere magnam vim ad mutandum morbum: Nam ſaltem concedendum

concedendum eſt, cùm Luna in 27. die perueniat ad eundem aſpectum, & ad idem punctum, in quo erat in morbi initio, quòd debeat fauere morbo, & ita facere mutationem ad malum. Quare ex conſequenti non rectè enumerabitur dies 27. inter bonos decretorios.

Decimò. Vt conſtat ex Aſtrologis, Luna quandoque velociter mouetur, & tunc peruenit ad quadraturam in die ſexto; quandoque mouetur tardè, & ita accedit ad quadraturam in octauo. Ex cauſa igitur Aſtrologorum, dies ſextus, & octauus bene iudicabunt. Nec obſtat, quod quidam de die ſexto reſpondent, ob dictam cauſam etiam rectè iudicare, ſed id rarò contingere, in cuius rei confirmationem, citant Hipp. & Galenum 3. *epid. ſect.* 3. *text.* 83. quo loco deſcribitur exemplum ſexti diei feliciter iudicantis. Sed oportet aduertere, criſim illam valde imperfectam fuiſſe, vt ex Hip. hiſtoria conſtat. Nec obſtat, quod Nicolus *ſerm. 2. tract. 4. c. 4. ad fin.* de die octauo reſpondet, licèt reſpectu quadraturæ, criſis debeat euenire in illo, reſpectu tamen motus humoris, qui fit in die exacerbationis, contingere in ſeptimo, quia in hoc plus poteſt dictus motus humoris, qui eſt cauſa intrinſeca, & fit per impares, quàm aſpectus cœleſtis, qui eſt cauſa externa. Nam ex hac ratione ſequitur, ſeptimum diem decretorium radicalem non eſſe, cùm à cauſa ſuperiori non dependeat. Deinde, ſi plus poſſet motus humoris, qui fit in diebus imparibus, adiudicandum, quàm influxus cœleſtis, ſequeretur decimum tertium, 19. & 21. magis decretorios eſſe, quàm decimum quartum, & 20. in illos enim incidit motus humoris per impares factus: in hos autem ſolus aſpectus, ſiue influxus à cauſa ſuperiori.

Vltimò. Aſtrologi aſſerunt, Lunam in oppoſitione, & quadratura, facere magnas mutationes in his inferioribus, quia in oppoſitione eſt in ſigno oppoſito vtraque qualitate; quare appellant *aſpectum integræ inimicitiæ*: in quadratura autem ſeruari oppoſitionem in altera qualitatum; quare vocant *aſpectum med'æ inimicitiæ.* At ex eadem cauſa fauet naturæ operanti aduerſus morbum. Refutandi igitur ſunt euidenter, quia ſic ſequeretur diem vndecimum eſſe omnium peſſimum, quia accedit Luna ad ſignum eiuſdem temperiei cum ſigno initij morbi; quare tunc maximè fauebit morbo, & ita faciet mutationem ad malum.

Hæc ſunt quæ doctrinam Aſtrologorum, de cauſa dierum criticorum, ſatis manifeſtè impugnant; præter alia quæ à Pico Mirandula, Fracaſtorio, Manardo, Cardano, Valleriola, Lemoſio, & aliis fusè, ac diligenter ſunt conſcripta, quæ cùm Galenus, Aſtronomus eximius, à Nicone parente ſuo in hac ſcientia ingenuè edoctus, & mirum in modum verſatus, adamuſſim, diuino, quo præditus erat ingenio, calleret; veriſimile eſt ipſum, in explicanda cauſa dierum criticorum, ad Aſtrologorum figmenta, ex aliorum ſententia, & amicorum precibus, vt ipſe refert, coactum, non ex ſua confugiſſe. Quare redarguendi nimis ſunt, qui illum in ea explananda, quæ ſolo experimento ab Hipp. Gal. & Medicis eſt cognita, hoſtiliter inſectantur. Cætera verò de criſi, diebus criticis, & eorum cauſis, lege apud Cæſarem Optatum, Carolum Romaterum, Cornelium Pleierum, Ioannem Zinckium, Tuſſanum Decretum, qui plura de hoc argumento *in ſuis tractatibus, de diebus decretoriis* luculenter propoſuere.

Nam nos immenſum ſpatiis confecimus æquor,
Et iam tempus equûm fumantia ſoluere colla.

FINIS LIBRI SEXTI.

ZACVTI LVSITANI,

Ad Candidum Lectorem ;

PERORATIO.

TV verò, Humaniſſime Lector, noſtra hæc in Medicorum Principum Hiſtorias commentaria, benignè ſuſcipe; & abſque morſu, & inſectatione tuetor. Quòd ſi aliqua inutilia, hiulca, nec ſatis fermentata, excuſſáve inueneris, (erunt autem plurima) ea tanquam malè natam prolem, dele & penitus reſeca. Nam tibi, ceu honorifico arbitro, ac æquiſſimo iudici, vitæ ſit ac necis arbitrium, omnium, quæ in hoc opere minùs compta, delicatiſſimas aures tuas, altioribus diſciplinis aſſuetas, lædere poſſe iudicaueris. Mea enim non tam vnicè probo, vt nolim aliquando vel emendari, vel caſtigari. A qua ſuſpicione quantum abhorream, qui me propiùs agnouerunt, facilè liberabunt: qui nihil aliud à doctis requiram, quàm vt haſce minutias, ſua reprehenſione (in quibus erratum fuerit) aliquando dignentur, vt in iis recognoſcendis, parem diligentiam, atque operam impertiam. Non enim noſtros errores corrigi feram impatienter. Quod dum facio, videri nolim in publica literarum cauſa præuaricari, & ea docere, quæ aliquando putem dedocenda. Quod tamen non ſine exemplo, nec ſine rationibus me præſtiturum intelligent, ſi modò adſit aliqua in iudicando æquitas. Deinde cùm hæc videris rudia, exanguia, inermia; ne mireris. Nam Hebræus ſum, & peregrinus, qui deſerens Luſitaniam, & dulciſſimam patriam Olyſipponem, crebrioribus ærumnarum, ætatíſque longæuæ procellis, huc illúcque, Euripi modo, agitatus, vberiores fructus edere non potui. Et licèt agellus ingenij noſtri natura ſua fertilis non ſit, tamen in medicam artem ſemper pronus perſeueraui, inconcuſſo animo inuictus, neque pertranſiit (vt ait Seneca) dies ſine linea, in quo Rempublicam Medicam, quam perenni, & genuino amore ex toto corde redamo, non illuſtrarim, & ſic diu, importunè, vigilanti cura, ſedulo labore, inexhauſta diligentia, perfecto Medico, & arte Hippocratica digno decorum iudicaui, ſtudio abrumpere vitam. Quare ſenſim ac ſine ſenſu, clam, furtim veluti, ac pedetentim, plura ſcribendo ſum rimatus, & vſque ad vltimum vitæ ſtadium (ſi fata velint) rimabor, quæ ad noſtræ artis gloriam facere poſſint. Sed aduertas quæſo, quòd mihi, ſicut nec doctis, placuit vnquam extemporalis ſcriptitandi ratio, & in conficiendis libris celeritas, velut exprompti & in numerato poſiti ingenij argumentum: Nam multò probatur impenſiùs diligentia accurata, & longiore tempore, ac iudicij confirmatione expreſſa. Illic verba veluti primoribus in labris nata, aut ſuperficiario ingenij æquore natantia eduntur. Hic lectionis multifariæ opes, tanquam è ſanctiori quodam ærario reconditæ promuntur. Illic ſuſpecta facit omnia, & cicatricoſa, ſcribendi facultas, & curſus: Hic habito delectu rerum, verborúmque pondere, examinantur feliciùs, & exhibentur; quia celeriter nata, celeriter intereunt. Nam operis facilitas, celeritáſque non addit illi pondus ſolidum, aut duraturum, neque exactam pulchritudinem. At temporis longinquitas labori veluti fœneratò accedens, ei quod naſcitur, robur firmitatémque addit. Pictori parùm perito de celeritate glorianti, demonſtratáque tabula, illam modò à ſe pictam dictanti, reſpondit nobiliſſimus pictor Apelles, etiam te tacente res loquitur ex tempore pictam. Scriptorum itaque præcipitatio iſta, & velut abortus, nunquam in laudis loco ponenda, quod multis clarorum virorum teſtimoniis comprobarem, nî tibi tædio eſſem. Solùm certum ſit, nullam rem poſſe eſſe eandem, feſtinatam ſimul, & examinatam; vel eſſe quicquam omnium, quod habeat vnà & laudem diligentiæ, & gratiam celeritatis. Quaproptèr in hac declinante ætate, tardigrado quodam genio ductus, ſeu tardo retardatus ingenio, hos fœtus luci exponere decreui, forſan à Cygno perſuaſus, qui ſenio confectus argutioribus organis effectis, ſuauiorem ſimul, & vocaliorem emittit vocem. Demum vt ſemel concludam, me tam vaſtum pelagus ſtrenuiſſimè ſulcantem, in quo omnia adamuſſim exarare, laborioſum eſt, & ſuperno indiget auxilio, ſuſtine, iuua, foue: in quo tua cupimus, & expectamus pulchriora. Si inueneris, pande libenter, nec ſit in auctoritate ſcientiæ neminem docere: expertes enim ſunt inuidiæ Muſarum fores. Sic itur ad aſtra, viuit poſt funera virtus, & ſola literarum monumenta non intereunt, vt eleganter, & doctè ſcripſit Martialis, *lib.* 10. *epigram.* 2.

Lector opes noſtræ, quem cùm mihi Roma dediſſet,
Nil tibi quod demus maius habemus, ait.
Pigra per hunc fugies ingratæ flumina Lethes,
Et meliore tui parte ſuperſtes eris.
Marmora Meſſalæ findit caprificus, & audax
Dimidios Criſpi Mulio ridet equos.
At chartis nec furta nocent, nec ſæcula præſunt;
Soláque non nôrunt hæc monimenta mori.

Quid enim homini poteſt dari maius, quàm gloria, laus, & æternitas?

Ita Ouidius *extremo Metam.lib.ad calcem* ingenioſè.

Iamque opus exegi, quod nec Iouis ira, nec ignis,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas.
Parte tamen meliore mei ſuper alta perennis
Aſtra ferar, nomenque erit indelebile noſtrum,
Quaque patet domitis Romana potentia terris
Ore legar populi, pérque omnia ſæcula fama,
Siquid habent veri vatum præſagia, viuam.

Et *lib.amor.eleg.* 15. cùm exorditur in inuidos, ſic canit:

Quid mihi liuor edax ———

Demonſtrat interire memoriam, atque opera hominum militiæ, foróque ſeruientium:

Mortale eſt, quod quæris, opus, mihi fama perennis
Quæritur, vt toto ſemper in orbe canar.

Horatius breuiter, & argutè, *Ode* 30. *lib.* 3.

Exegi monimentum ære perennius,
Regalique ſitu Pyramidum altius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum.

Statius *lib.* 1. *ſuar. ſylu.* 1.

Non hoc imbriferas hyemes opus, aut Iouis ignem
Tergeminum, Æolij non agmina carceris horret;
Armorúmque moras. Stabit dum terra, polúſque,
Dum Romana dies. ———

Denique beatos puto, quibus Dei Opt. Maximi munere datum eſt, aut facere ſcribenda, aut ſcribere legenda. Quare amantiſſime, & ingenioſiſſime Philiatre, his gloriæ ſtimulis agitatus, in hoc circo curre ad palmam. Nam nulli ad gloriam clauſa eſt ianua, & ego Dauus ſum, non Oedipus.

HISTORIÆ MEDICÆ,

Ex omnium Medicorum Principum fœcundiſſima penu hauſtæ, ſunt 433.

EAs ſola Principum doctrina muniti, pro noſtrarum virium captu, permiſcentes vtile dulci, variorum etiam doctiſſimorum virorum auctoritate firmamus, exponimus, illuſtramus, polimus, ornamus. Hi ſunt numero 1711.

INDEX RERVM, ET VERBORVM, TOTIVS OPERIS.

Prior numerus paginam, poſterior vtriuſque colomnæ partem aſſignat.

A

ABDOMINIS & muſculorum eius deſcriptio. 926.c.2.a
Abortus frequens fontanellarum vſu impeditur. 35.c.1.b
Abortus ex ſanguinis miſſione non fit, niſi ratione quantitatis. 62.c.1.e
Abortus ex venæ ſectione non ſemper oritur. 470.c.1.c
Abortus in primis menſibus vnde oritur. 496.c.2.d.qua arte præcauendus. 497
Abortus ex nimio alui profluuio. 498.c.1.a
Abortus quibus occaſionibus concitatur. 799.c.2.b
abſceſſus nomine quid veniat. 160.c.1.c
Abſceſſus in neruoſis partibus, an cauterio, aut ſcalpello aperiendi. 459
Abſinthium bilem purgat. 110.c.2.b
Abſiuthij ope vermis mirabilis interfectus. 305.c.1.a
Abſinthij vis. 366.c.2.e
Abſinthij Pontici vſus in iecoris inflammatione laudatur. 722.c,2.b
Anſinthium ventriculum roborat. 285.c.2.c. vino permixti excellentia. ibid. Vide *Vinum*.
Acceſſio febris ardentis ſucco peponum curata 701.c.1.a Vide *Febris*.
Acceſſionum initia. 710.c.1.c. earum anticipatio quid portendat. e. Duplicatio quare earum abbreuiet durationem. c.2.c
Acceſſio tertianæ vnde? 721.c.1.b
Acceſſionum plurimarum intermittentium repetitio vnde. 721.c.1.d
Acceſſio quartanæ an aliquando purgationem poſtulet. 723.724
Accidentium forma & materia. 27.c.2.c
Aceti vis ad humiditatem ſuperfluam exſiccandam. 4.c.1
Acetum neruis nocet. 9.c.2.e
Acetum neruos offendit. 56.c.2.b. Vtero officit, menſtrua ſupprimit, &c. 56.c.2
Acetum omnium medicamentorum vehiculum eſt. 794.c.1.d
Acetum virulentis animalium morſibus & morbis venenoſis reluctatur. 809.c.1.a
Cur aſpidis veneno potius quàm vllius alterius animalis virulenti noxis reſiſtat. b
Eius natura & vires. c
Quibus partibus conſtet. d
An frigidum. e
Sitim compeſcit. c.2.a
Saxa & lapillos frangit, ac diluit. b
Appetitum acuit. c.
Siccum eſt & putredinis inimicum. d
Tempore peſtis perutile eſt. d

T. I.

Et maximè roſaceum. c
Quibus morbis vtile. 810.c.1.b.e
Achor capitis vlcus quibus curandus. 4.c.1
Aconitum ſcorpionis morſus ſanat. 792.c.1.c
Aconitum inter alia venena ocyſſimè necat. 795.c.2.a
Acontia ſerpentis volantis ſiue viperæ ſpecies. 796.c.2.e
Acria ignea ſunt & vellicantia. 160.c.2.c
Actio phyſica ab exceſſu agentis eſt, & qualitati tribuitur. 48.c.2.c
Actiones à forma fiunt tanquam à præcipuo agente, & temperamento tanquam inſtrumento ad operandum vtuntur. 41.c.1.e
Actiones vnde emanent. 870.c.2.b
Actiones non impediuntur propter ſitum. 877.c.1.e
Actiones formarum naturalium, & viuentium in quo differunt, 881.c.1.b
Adeps vrſinus alopeciæ curandæ aptiſſimus. 3.c.2.e
Adipis natura, & vſus. 944.c.1.c
Adoleſcens ob ſyncopen ſudans in balneum ductus repente moritur. 269.c.2.c
Aſtringentia in prima menſa ſumpta aluum ſiſtunt, in vltima prouocant. 324.c.2.b
Adoleſcentia ætatum temperatiſſima. 662.c.2.b
Aduſtio putrefactio eſt. 641.c.2.d
Ægri habitatio qualis eſſe debet. 572.c.d.& ſeqq.
Ægri in acceſſione aliquando cibis reficiendi. 661.662
Ægritudines turgendas quæ! 685.c.2.c
Ægrorum erga Medicos verſutia. 953.c.2.c
Aër ſpiritus nutrit. 17.c.2.e.18.c.1.a
Aër inſpiratus vim ſuam in corde, pulmone & cerebro relinquit. 164.c.1.c
Aër quid cauſetur in morbis. 572.c.2.e.573.c.1
Aër à præter labente flumine mutatur. 574.c.1.d
Ex ſitu loci. c.2.a
Ex bufonum & ranarum generatione nimia. c
Ex decubitu. d
Aër ſuſpectus vitandus. 575.c.1.e. Eius electio. c.2.a
Salubritas. b
Bonitas in quo poſita. d.
Aër putredinis cauſa. 645.c.1.a. Inquinatur vel ſecundum qualitates vel ſecundum ſubſtantiam. ibid.
Aër à cœli influxu corrumpitur. 645.c.1.c
Aër elementaris non corrumpitur. ibid.
Aër cur refrigerandi facultatem potiorem habet quàm aqua. 648.c.2.c
Aër ad cordis refrigerationem neceſſitas. 764.c.2.e
Aëris infima regio vnde alteratur. ibid.
Media. 765.c.1.b
Aër quibus inficitur. c.2.e
Aër putredini & peſti paratiſſimus. 773.c.2.c
Aër an frigidis, aut calidis, an tam in actiuis, quàm paſ-

OOO o ſiuis

ſiuis temperatur.768.769.770. An ſolus peſtem generet. 771.& ſeqq.
Aër omnium morborum author. 775.c.2.a
Aër qua arte ab animalium venenatorum halitibus tutus reddi queat. 797.c.1.c
Æreomel quid. 950,c.1.a
Æſculapius cur vipera baculo implicata depictus.689.c.2 b. Æſtas pituitoſis ſanandis deſtinata. 609.c.1.c
Æſtas calidas morbos acutos parit. 310.c.1.a
Ætas quælibet ſibi peculiaribus morbis affligitur. 799.800.c.1.a
Æthiopes Hydaſpis fluuij accolæ, ſcorpionibus veſcentes. 874.c.1.c
Æthiopes cur ſomnolenti. 917.c.1.d
Agaricum pituitam craſſam purgat. 582.c.2.c
Agaricum opio permixtum ſomnum conciliat. 630.c.2.c
Albaræ nigræ nomine an veniat Elephantiaſis. 908.c.1.c
Alces vngula epilepſiæ reſiſtit. 839.c.2.e
Alemon herba Cretica famem prohibens. 914.c.1.d
Alexipharmacorum vſus immodicus nocet. 48.c.1.c
Alexipharmaca quo pacto nos à venenis defendant. 753.c.2.b
Alfaroch vox Arabica quid ſonet. 823.c.2.b
Alhu-zar ſiue Alhazar arbor ſaccarifera. 394.c.2.d
Alica biliofo ſtomacho vtilis. 661.c.1.b
Alimentum debet eſſe compoſitum,vt & quod alitur. 17.c.1.d
Alimentum an ſuo, vel ventriculi calore coquatur. 295.c.2. d
Alimenta tenuia debent craſſa præcedere. 325.c.2.c
Alimentorum varietas iucunda commendatur. 326.c.2.c
Alimentum non ad ſubſtantiæ deperditæ reparationem ſolùm, ſed & ad corporis humectationem exhibetur. 618.c.2.d
Alimentum cur in ventriculo putreſcit. 646.c.2.a
Alimentum vltimum ſanguis. 750.c.1.c
Alimenta & medicamenta in quo conueniunt, & differunt. 791.c.1.b
Alimentorum vis ad corporum immutationem. c.d
Alimenti exhalatio an ſomnum efficiat. 915.c.2.b
Allantoïdis membranæ vſus. 944.c.2.a
Alleuatio prope mortem an Medicos interdum deludat. 460.c.2.e & ſeq.
Alliorum ſuccus cui vſui. 181.c.2.a
Allij eſus in ruſtico colicum dolorem ſanat. 355.c.2.d
Eius vis aduerſus vermes & ſerpentum morſus. 356.c.1.e
Allij eſus & meri potus in viperæ morſum. 789.c.2.c
Allium epilepſia correptis remedio eſt. 839.c.2.c
Aloës expurgandæ bilis vſus. 36. c.1.e. Eius vis an ventrem tranſcendat. 37.c.1
Aloës vſus graues morbos arcet. 37.c.1.e.Partes roborat. c.2. a
Optimæ dignoſcendæ ratio. b
Eius differentia triplex. c
Hepatica quæ dicatur. d
Succotrina ptobatior. e
Aloë arterias incarnat & ſanguinem retinet. 259.c.1.b
Aloë an ſomnum excitet. 871. c.2.d. & ſeqq.
Alopecia vnde,& cur ſic dicta. 2.c.1.b
Eius cauſa, & ſigna. c
Colochintide purgatur. ibid. d
Succo Nicotianæ ſanata. 3.c.1.b
Item topicis medicamentis. ibid.
Alterationis naturalis, præter naturam, & mediæ in pulſibus differentia. 894.c.1. a. Vide *Pulſus*.
Alteratio in coctione an ſit mutatio ſecundùm qualitates, an ſubſtantiam. 675.c.2.676
P. Emman. Aluares periculosè ægrotans lapidis in oculo cerui enati ope curatur. 901.c.1.c
Aluearia ex qua ſubſtantia conficiantur. 959.c.1.e
Alui fluxus cerebralis ſinapiſmo in capite adhibito curatur. 319.c.2.d
Alui fluxus niger ab aſſato ſanguine ortus non ſemper peſſimus. 321.c.1.d
Alui fluxus à Galeno prædictus. 323.c.2.d.an illius futuri aliquod ſignum detur. 324.c.1.c
Aluus adſtringentibus in prima menſa ſumptis ſiſtitur,in vltima prouocatur. c.2.b
Alui fluxus ſanguinis miſſionem exigit. 327.c.2.328.c.1
Non tentandus in febribus priuſquam ventriculi læſio & debilitas auferatur. c.2.d
in Alui fluxu an torrefacta expurgantia ſint ex vſu. 330.c.2. 331.
Alui fluxus an vtilis in morbo diuturno. 460.c.1.a
Alui fluxus in initio acceſſionem vnde. 698.c.2.d
Alui fluxus ex brachij debilitate ſubortus, qua ope curatus. 318.c.2.e
Amarorum ſuccus cui vſui. 181.c.1.a
Ambarum ſuauiſſimum odoris genus, eius vſus, & proprietates. 21.c.1.c
Ambroſia. 682.c.2.b
Ambuena quod medicamenti genus, hydropem ſanat. 401.c.2.
Amnios,ſiue amniculum cui vſui.944.c.2.a. Eſt vrinæ & ſudoris receptaculum. b
Amoris ſæuiſſimi affectus ſigna. 79.c.2. c
Amoris æſtus nimius multis necem intulit. 80.c.2.a
Eius terribilia ſymptomata.b. Remedia, vnde remiſſiuè. c.d
Amurcæ calentis vapor per meatum auditorium receptus earum ex frigiditate dolorem ſanat. 160.c.2.d
Amygdalarum amararum nuclei deobſtruunt & aſtergunt. 722.c.2.c
Anacardina confectio pro roborando cerebro præſtantiſſima. 46.c.1.b
Anacardini mellis conficiendi ratio. ibid.
Ancham cauteriſandi modus duplex. 560.c.1.d
Anchæ dolor clyſtere ex muria parato curatus. 562.c.2.b
Ancha quæ dicatur. c
Anacreontis lepidum carmen de vino mœſtitiam diſſoluente. 313.c.2.b
Anaſarca à principiis internis orta lethalis. 399.c.2.d
Anatomes inuentores,cultores,& illuſtratores. 922.c.1.d
Anatomici theatri fabrica. 922.c.2.c
Anatomes diuiſio. 923. c.1. c. Ordo. d
Anatomes ſcientia an ad Medicum vel chirurgum ſpectet. 945.c.1.d
Anatomicæ artis vtilitas & præſtantia. 922.c.1.a
Angina leonicis & cephalica ſectis,& dato forti medicamento eodem die intra paucas horas ægrum enecauit. 132.c.1
Angina canina cucubiturla ſub mento ſcarificata curatur. c.2.a. Non in omni Angina vena ſecanda.b. An in ea vſque ad animi deliquium ſanguis mittendus. e
Angina ſæua cephalicis ſectis,& forti eodem die cathartico propinato curata.133.c.2.c.An in eius initio valida expurgantia ſint ex vſu. d. & ſeqq.
Angina periculoſa iugularibus venis ſectis curata. 134.c.1. a. c.2. b
Angina ex ſupreſſis menſibus orta, tali ſectione ſanata. e Aliquando cubiti ſectione curanda. 137.138
Angina oppreſſa mulier à partu recens qua ope euaſit. 139. Qua item puer trimus.141.c.1.a. Aduerſus Anginam ſtercoris humani facultas.143.c.2.d.Canini.144.c.2.d
Anatomicum ſpicilegium omnes corporis humani partes breuiter complectens. 921.c.2. & ſeqq.
Angina hirudinum applicatione ſanatur. 5.c.1.d
Anguilla cum vino cocta minus noxia. 603.c.2.d
Anguium vſus ſtrumam ſanat. 148.c.2
Anguriarum ſiue melonum cucumerinorum facultates. 53.c.2.54.c.1.a. earum ſuccus omnib. febribus calidis proprius.b. Animæ in corpus imperium. 28.c.2.a
Animæ humanæ nobilitas & excellētia.798.c.2.a.b. Eius in corpus infuſio. d.e. Animæ facultas princeps in qua corporis parte reſideat. 811. c.1. Animæ potentia an à facultate cerebro influente. 814
Anima vegetatiua virtualiter in ſenſitiua continetur, & iſta continentia virtualis duplex. 881.c.1.e

Anima nullius mediæ animalis potentiæ adminiculo vi-
tam præſtat. 882.c.2.c
Animalia ſola ſomni capacia. 25.c.2.c. Conueniunt cum
plantis in potentiis naturalibus. ibid.
Animalium vita ventilatione & refrigerio conſeruatur.
648.c.1.e.c.2.a.b
Animalia venenis in paſtum vtentia. 792.c.1.c
Animalia ex quibus venena enumerantur. 794.c.2.b
Animalia palpebris deſtituta. 829.c.2.a
Animalia cur vitali facultate indigeant 877.c.1.a
Animantia multa rabiei obnoxia 846.c.2
Cur Ariſtoteles hominem excipiat. ibid.d
Animi deliquium an inter proprios animi affectus. 270.
c.2.d. Vide *Syncope*.
in Animi deliquio cur palleſcimus. 802.c.1.e
Animi affectus mortem inducunt 819.c.2.b
Animi affectus oculorum ſenſu aperiuntur. 834.c.2
Animi affectus pulſum immutant. 897.c.1.d
Aniſi in epilepſiam facultas. 839.c.1.d
Anna Maria à Schurman omnium ſcientiarum & lingua-
rum duodecim perita. 11.c.2.c
Anticipatio acceſſionum quando augmentum vel decli-
nationem denotet. 710.c.2. Vide *Acceſſio, Febris*
Antimonij vſus exitialibus morbis commendatus, etſi
non à veteribus. 41.c.2.a
Antimonij mira in peſtem vis & efficacia. 876.c.1.e
Antidotus non improbanda, cùm ab omnibus noxiis po-
tionibus ſeruet. 47.c.1.e
Antiochus Stratonices nouercæ tanto amore correptus,
vt de vita periclitaretur, hanc Medici conſilio, à Se-
leuco patre obtinent. 80.c.1.b.& ſeqq.218
Aſpidis & Ichneumoni pugna & naturale inter ſe odium.
880.c.2.
Antipater Poëta ſingulis annis ipſo die natali febri corre-
ptus. 57.c.2.e
Antipatri Medici ex læuium arteriarum pulmonis obſtru-
ctione interitus. 187.c.1.c
Antipathia quid? 843.c.1.c
Anus nutrita cicuta. 873.c.1.c
Ani muſculi tres, eorúmque officium. 433.c.1.e
Apum aculeus qua arte extrahendus. 836.c.1.e
Apum ictus cinere ſuperpoſito curatus 836.c.1
Apes in ore venenum portantes cur non moriuntur.864
c.2.c.
Apum in melle conficiendo induſtria 959.c.1.& 2
Aphonia cephalicæ ſectione curatur. 64.c.1.b
Aphoniæ cauſa vnde. 733.c.2.a
Aphoniæ ex alliſione dorſi in terram curatio. 200
Aphoni eur fiant qui à lupo priùs inſpiciuntur. 195.e
Apoplecticæ affectiones quæ? 63.c.2.e
Apoplecticus deſperatus cucurbitulâ bis in occipite ſca-
rificatâ ſanatur. 64.c.1.e
Apoplectici intra tres dies non ſunt ſepeliendi, ne pro
mortuis habiti reuiuiſcant. 64.c.2.d. Imbecilliores &
frigidiori corde cur potiùs euadant.65.c.1.a. Cur trium
dierum ſpatium aſſignatur.c.
Apoplecticus poſt duos dies è pheretro rediuiuus. 65.
c.2.a
Apoplexia ab odore vini orta. 10.c.1.b
Apoplexia cephalicæ ſectione ſanata. 64.c.1.b
Apoplexia à ſanguine orta cucurbitulæ collo impoſitæ
beneficio curatur. 63.c.1.c
Apoplexia periodica an detur. ibid.e.& c.2
An à ſanguine orta c.2.c. Et quomodo fiat.d
in Apoplexia an reprimentia ſint ex vſu. 64.c.2.a
Apoplexia fortis an curari poſſit. 65.c.2.c
veræ Apoplexiæ dignoſcendæ rationes. ibid.d. Fortis vix
curatur. 66.c.b
Apoplexia cur dicatur morbus hyemalis. 565.c.2.e
Apoplexia frequēti ſanguinis miſſione generatur. 8.c.2.e
Apparitiones, viſus, imaginationes ante oculos quomodo
definiuntur, & vnde ſint? 831.c.1.e.c.2.& ſeqq.
Appia mala ſiue Camuſia, eorúmque vis in melancholi-
cum humorem, 68.c.2.c.d
Aprorum lacrymæ dulces. 899.c.1.a
Aurium dolor à frigiditate, calidis auxiliis curatur. 100.c.a
Aquæ fontanæ proprietates. 12.c.1.e
Aqua pluuialis medicamentis componendis cæteris præ-
ſtantior, eius proprietates deſcribuntur. 12. Facilè pu-
treſcit ob ſubſtantiarum mixtionem. ibid.c.2.d
Aqua procelloſa facilè corrumpitur & graueolet. 13.c.1.a
Temporaria tardiſſimè. ibid. Putealis aqua an citò pu-
treſcat. ibid. b
Aqua fluuialis cocta & colata, putredini minimè obno-
xia. 13.c.1.c. Cur coquenda. d. Cur non pura. e. Inſi-
gnes eius proprietates. 13.c.2.a
Aqua an coqui poſſit. ibid. Cur non craſſeſcat. e
Aqua pluuialis per plumbeos canales deriuata, improba-
tur, & dyſenteriam gignit. 13. c.2. Item multa alia in-
commoda. 14.c.1.b
Aquæ vitioſæ incommoda. 67.c.2.a
Aquæ roſaceæ vſus commendatur. 68.c.1.d.& c.2.a
Aquæ diſtillatæ vim plantarū ſuarum non ſeruāt.68.c.2.a
Aquæ auro chalybeatæ proprietates. 69.c.2.b.c
Aqua hordei qua arte paranda. 225.c.2.c
Aquæ potatores longæui. 279.c.1.a
Aquæ nutrientes quæ. c.2.e
Aquæ Nili præſtantia. 280.c.1.a. Vide *Nilus*.
Aqua quomodo dicatur dulcis, cùm inſipida, 280.c.1.e
Appetitum ſedat. ibid.c
Aqua naturalis eſt neceſſarius potus. 598.c.1.d
Aqua ieiuno ventriculo aſſumpta venenum. 666.c.1.b
Aqua quomodo bilioſa dici poſſit, & an in febribus bilio-
ſis concedenda.664. c.2. 665. Quid obſeruandum vt
tempeſtiuè propinetur. ibid. d. & c. 2. Ad ſatietatem
propinanda eſt. 666.c.1.d.& c.2
Aquæ inter cutem malignitas. 732.c.1.c
Aqua putredini obnoxia.774.c.1.a. Nulla pura datur.e.&
c.2. Aqua calida inter lenientia probatur. 824.c.1.a
Aquæ timor rabioſorū inſeparabile ſymptoma. 842.c.1.c
An ab intenſâ ſiccitate, imaginatione deprauata, aut
antipathia oriatur. 842.c.2.& 845
Aquæ potus ad ſatietatem ante coctionem an conceden-
dus. 277.c.2.278.c.1
Aqua nutrire non poteſt. 17.c.1.d. 278. c.2.c. Eſt nutri-
menti vehiculum. 279.c.2.b
Aquilonis temperamentum. 573.c.1.e
Arbores venenatæ. 905.c.1
Area. 645.c.1
Arenæ in qualibet corporis noſtri parte an gigni poſſint.
122.c.1.& 2
Argentum cor à veneno ſeruat. 776.c.1.e
Ariſtolochiarum vis calefactiua. 582.c.2.b
Ariſtolochia cum vino ſumpta in aſpidis ictum.808.c.1.e
Armeniæ terre ad peſtē vis mirabilis.775.776. Vide *Terra*.
Ars ratione ducta naturæ opitulatur. 15.c.2.e
Arſenici citrini vſus. 332.c.2.e
Artemiſia Cariæ Regina, Medica, à qua artemiſia herba
inuenta. 11.c.2.a
Arteriæ aſperæ vlceris poſt peſtem relicti ſanatio. 162.
c.1.e. Item alia. 163.c.2.b
Arteriarum læuium pulmonis obſtructione Antipater.
Medicus moritur. 187.c.1
Arteriarum læuium obſtructio, à tuberculo facta difficilis.
191.c.2.d
Arteria vulnerata medicamentis conglutinata. 258.c.1.a
Arteriarum ſutura an ſit ex vſu. 259.c.2.e
Arteriæ ſenſus expertes. 686.c.2.d
Arteriæ an dilatato & conſtricto corde dilatentur & con-
ſtringantur. 886.c.1.b.& ſeqq.
Arteriæ aſperæ ſubſtantia, figura, & vſus. 931.c.2.b.932
Arteria quid? 933.c.2.c
Arteriarum vſus. ibid. Diuiſio.d.e
Arteriarum mollities tam in ſtatu ſecundùm naturam,
quàm præter naturam quid ſignificet. 891.c.1.c
Arteriotomia multis morbis remedio eſt. 260.c.1.e. Cur
in temporibus frequentiùs fiat.260.c.2.c. Mala quæ ex
Arteriotomia eueniant. d. Non niſi vrgente neceſſi-
tate celebranda. 261.c.1.b. Vſque ad animi deliquium
celebrari poteſt. c.2.c.& 262. c.1

Index Rerum,

Arthritici dolores hirudinū applicatione leuantur.5.c.1.d
Arthritidis cauſa coniunćta & efficiens an eadem.561.c.2
Arthritis hermodaćtylorum ope ſanata. 584.c.2.c
Arthritis aſinini laćtis vſu cauetur. 590.c.2
Item abſtinentia vini & veneris. 591.c.1.d
in Articulorum doloribus partes cauterio roborantur.34.c.2.a
Articulorum dolor oſſium humanorum puluere curatur. 578.c.2.Eorum tophi caſeo acri in cruris ſuilli ſalſi decocto macerato diſcuſſi.579.c.1.b. Aliud ad tophos illos curandos præſens remedium. 582.c.1.a
Articulorū dolores mira Galeni induſtria curati.583.c.1.d
Aſcarides Latinè tipulæ beſtiolarum corpus infeſtantium genus.360.c.2.b. Qua arte fugandæ, e.
Aſcite laborans perforato naturæ vi vmbilico integrè curatus. 406.c.1.b
Aſini Indici vnicornes. 73.c.1.e
Aſini cerebrum in epilepſiam. 839.c.2.d
Aſininum lac ad arthritidis præſeruationem vtiliſſimum. 590.c.2. Vide *Lac*.
Aſpaſia Medicinæ perita. 11.c.2.a
Aſpidis ićtu percuſſus aceto ſuperbibito liberatur. 807.c.2.e
Aſpidis ićtus inſanabilis ex Scriptura, explicatur. 808.c.1.a. Nomen habet ab inſula ſic dićta. ibid. Quæ dicantur Cherſeæ. b. Quæ Chelidoniæ, Ptyades. ibid. Quæ communes. d.
Aſpidis venenum celeriter interfecit. 810.c.1.d.e
Aſpidis ićtus virulentia. 808.c.1.d. Curatio. e.
Aſſatio coćtionis ſpecies explicatur. 677.c.1.e
Aſthmati & cuilibet ſpirandi difficultati cauterium perutile. 33.c.1.e
Aſtomi Indiæ Orientalis populi,halitu & odoribus ſolùm viuentes. 18.c.2.e
Aſtrorum fauſta felixque facies in quo ponitur.962.c.2.e
Athanaſia. 681.c.2.b
Athletarum ſiue paleſtritarum vićtus. 628.c.1
Attraćtio medicamentorum à proprietate purgantium, quæ? 667.c.2.d
Attraćtionum plura genera à facultate, vacuo,calore,dolore, & ſiccitate in admittenda. 667.668.& ſeqq.
Attraćtio non fit à ſimilitudine. 668.c.2
Attraćtionis proprietas, & cauſæ. 669.c.1.b
Auditus veneno inficitur. 796.c.2.a
Auditus an viſu præſtantior.833.c.2.& ſeqq.Eſt felicitatis inſtrumentum. c.2.d
Auditus excellentia commendatur. 834.c.1.e
Auditus organi compoſitio. 939.c.2.c
Augmentum morborum in quo conſiſtit. 782.c.1.e
Auium palpebrarum varietas. 830.c.1.e
Aurigo citra iecoris vitium in omni critico die eueniens ſalubris. 382.c.2.a. Vide *Icterus*, *Morbus Regius*.
Auripigmentum quid. 332.c.2.e
Aurium inflammatio oleo ex vitellis ouorum in aurem iniećto,ſanatur.98.c.2.c. Quem habeant cum cerebro conſenſum. 99.c.1.b
Aurium dolore laborans quidam opio in aurem iniećto,& vocem & ſenſum amittit.100.c.2.e. Alter mortuus eſt. 101.c.1.d
Auris externæ & internæ partes explicantur. 939.c.2.d
Aurum melancholiam mulcet. 68.c.2.e. Cor tuetur. 69.c.1.a. Eius vis in magnos & contagioſos affećtus. c. Eius ſcobs epota Hydrargyri malitiam frænat.ibid.Vitam producit. e. Cauterium ex eo factum probatiſſimum.c.2.b. Aqua eo chalybeata ventrem ſoluit. c. Decoquitur à ventriculi calore. d.
Aurum potabile melancholiam ſanat. 70.c.1.b
Auri quinta eſſentia Alexandri Quintilij explicatur. 70.c.1.c. Quibus morbis remedio ſit. d.e
Aurum vmbilico illitum leniter ſoluit. 70.c.2.b
Aureæ confećtionis efficacia. 69.c.2.e
Auſterum quid. 179.c.1.b
Auſterum idem eſt ac ſtypticum. 302.c.1.e
Amara lumbricis necandis aptiſſima. 304.c.1.c
Auſtri temperamentum. 573.c.1.e
Autumnus an præcautorijs vacuationibus aptus? 78.c.2.d 79.c.1
Autumni intemperantia. 895.c.1.e
Auxilia communia priuſquam morbi cognoſcantur,vſurpanda. 629.c.1.e
Axillarum fœtor in Medico execrandus. 201.c.1.e. Hirciſmus dicitur. 202.c.1.a
Azimus panis an fermentato melior. 238.c.1.b

B

BAaras radix quædam Dæmones fugans.39.c.2.b.Eam euellere cupientibus reſiſtit,& mortem infert.c.
Baccho cur nutrices plures aſſignatæ. 661.c.1.a
Baccho cur olim Delphinus appićtus. 662.c.1.e
Baldus I. C. catuli rabidi ſaliua infećtus occumbit. 841.c.1.d
Balneum nońtambulis curandis vtile. 28.c.2.d
Balneum an pro lethargi curatione ſit vtile.29.c.2.c.Humores incrudat.ibid. Somnum excitat. d. Quando timendum. e. Declinante morbo iuuat. ibid.
Balneum plethoricis oculorum inflammatione laborantibus vitandum.96.c.1.a. Quando conceditur.c.d
Balneum cruentæ excretioni medetur. 178.c.1.e.& c.a.b
Balneum immoderatū ſyncopen cauſatur. 266.268.c.2.c.
Balneum hećticis ſubſtantificum humidum reparat. 279.c.1.a.280.c.1.d
Balnea naturalia multiplicia. 319.c.1.d. Cur artificialia minus proſint. c.2.a
Balneum in dyſenteria an ſit ex vſu. 335.c.2.d. 336.c.1
Balnea frigidi vſus hećticis ſaluberrimus. 589.c.1.e
Balnea quæ arthriticis doloribus commoda. 593.c.1.e
Balneum aluminoſum febrem concitat & ad putredinem perducit. 602.c.2.b
à Balneo protinus nec cibus, nec potus ſumendus. 603.c.2.a
Balneum poſt coćtionem omnimodam, & infirmis vitibus inutile. 674.c.2.b.c
Balneū an in putridis febribus poſſit eſſe ex vſu. 699.c.2
Balneum aquæ dulcis quibus morbis vtile. d. Ad delicias & ſanitatis tutelam inſtitutum. ibid.
Balneorum quatuor partes. e
Balneum aquæ tepidæ in omni febris ſpecie prodeſſe poteſt.700.c.1.a. Inter vniuerſales vacuationes numeratur.b. Ante vacuationem & in incipiente melancholia vtile. c. Item in inflammationibus thoracis. e
Balnea Romanorum magnifica. 746.c.2.e. An tepidum, vel frigidum pro hećtica febri curanda ſit ex vſu.747.748. c.1. Aquæ Balnei quæ temperatura adhibenda. 748.c.1.b
Balneum cum frigidæ potu vnicum rabioſis remedium. 844.c.2.e.845.c.1
Balnea naturalia ferri,nitri,ſulphuris exſiccant & corporis molem extenuant. 949.c.2.a
Balſamum celebratiſſimum vnde?412.c.1.d. Eius præparatio.e. Eius mira efficacia. c.2.a
Balſamum fœtui excernendo optimum. 514.c.2.c
Barbarus quidam ſeruus, cohibita ſponte reſpiratione, moritur. 192.c.2.d
Baſilicæ ſećtio quando exercenda? 93.c.2.b
Baſiliſci venenum pernicioſum.804.c.2.e.Quibus præſidiis arceatur. 805.c.1.b.c
Baſiliſcum exiſtere ex Scripturis ſacris probatur. 805.c.2 c.Vnde nomen habet. ibid. Idem eſt qui Regulus. e
Baſiliſcus in Cyrenaica prouincia naſcitur,erećtus incedit medio.806.c.2.a. Etiam mortuus inficit. b
Baſiliſcus ſolo Galli gallinacei cantu exanimatur & deficit. 806.c.1.e
Baſiliſcus viſu & ſibilo ad diſtans enecat.807.c.1.c.& c.2. Qua induſtria capiatur & perimatur. ibid. c
Bdella. Vide *Hirudo*.
Bdellium lentore ſuo medicamentorum acrimoniam retundit, alopeciæ curandæ confert. 2.c.2.b
Bezahard lapis & Indicarum ſeu Peruanarum caprarum ventriculis extraćtus, eiúſque proprietas. 898.c.2.e

An

An idem ſit ac noſter. 899.c.1.b
Belzaar lapis melancholicis affectibus medetur. Venenorum antidotus vniuerſalis. Vires collapſas reparat, vitam protrahit,&c. 71.c.1.b.c
dicitur *Bel Zaar* quod idem eſt ac venenorum dominus.c.
Belzaar variis modis exhibitus,varios morbos ſanat. ibid. col.2.In maiori quantitate aſſumptus potentius venenum extinguit. ibid.d.72.col.1.a
Belzaar an frigidus?Intra ventriculum animalis genitus.b Inſipidus.c. Ventrem retinet.ibid. Prouocat ſudorem, & modicè calidus eſt.d. Deobſtruit.e. Veſicæ calculos imminuit. c.2.a.b
Belzaar vomitum coërcet,alui fluxum, naturam roborat, diarrhœæ,& bilioſo affectui medetur. Venenum extirpat. 73.c.1.a
Belzaar lapis ex cerui oculorum cantho extractus contra venena efficax antidotum. 901.c.1.c
Belzaarticorum antidotorum vis. 342.c.1
Betæ facultas ad ventrem commouendum. 291.c.1.c
Bilis an epilepſiæ cauſa. 36.c.2.d.37.c.1.a
Bilis æruginea veneni naturam redolet. 89.c.2.e
Bilis ebullitio ſanguinis miſſionem non exigit. 108.c.1.d & ſeqq.
Bilis ex corporibus intemperie maior quàm melancholiæ abundantia generatur. 186.c.2
Bilis calidiſſimæ fluxio ſolius gelidæ affuſione ſanata.589. c.1.c.d.e.
Bilis rubra quæ? 857.c.1.e
Bilioſi exeunte vere, aut æſtatis initio præcautoriè purgandi. 51.c.2.e
Bilioſi tertiana febri facilè corripiuntur. 701.c.2.e
Bolus Armenus duplex explicatur. 776.c.1.b
Boues in Æthiopia vnicornes. 73.c.2.e
Braſſicæ & vitis diſcordia:599.c.1.d.Crapulam diſcutit.d. cruda ante cibos ſumpta eam impedit.e
Bryoniæ,ſeu vitis albæ proprietates. 76.c.2.d.77.c.2.a
Bubo peſtilens, & bubo Gallicus in grauidis, ſecta è talo vena curatur. 60.c.2.d
Bubo Gallicus quibus in locis apparere poſſit. 128
In eius initio è talo & brachio mittendus ſanguis.c.2.
Buena inſulæ nomen. 401.c.2.a
Bufonis vſti puluis prouocat vrinam. 395.c.2.b
Bufones tetro ſuo vapore homines ſtupefaciũt. 796.c.2.b
Buxi frondes noxiæ. 905.c.1.b

C

Cabal animantis cuiuſdam mira facultas ad ſanguinem retinendum. 39.c.2.c
Cachunde vis mira,cuius compoſitio deſcriditur. 74.c.1.c
Quibus affectibus medetur. ibid.e
Cacoethis appellatione quid veniat. 146.c.d
Cadauera peſte enecta valde contagioſa. 340.c.1. & ſeq.
Cadauera quomodo ſub terra putreſcant. 644.c.1.b
Cæparum vtilitas dyſenteriæ curandæ. 334.c.1.e
Cæpæ hæmorrhoidibus appoſitæ, ea aperiunt. 606.c.1.d
Aceto imbibitæ.ibid.Pilos tritæ reſtituunt,e
Calculus veſicæ Belzaartici lapidis vſu curatus. 63.c.1.b
Calculus pectoris tuſſi proiectus. 248.c.2.d
Eius cauſa materialis quæ. 249.c.2.a
Calculus renũ Balſami ope excretus. 411.c.2. Vide *Lapis.*
Calculi cauſæ. 412.c.2.c
Cur ſolus homo huic obnoxius. 413.c.1.b
Calculi puerorum cur in veſica,potiùs quàm in renibus. d.e.& c.2.
Calculum renũ paſſerculus Troglodytes ſanat. 414.c.1.d
Calefacientia & humectantia coctioné iuuant. 676.c.2.d
Calefactio & refrigeratio quomodo in humano corpore conſideranda. 282.c.2.e.& 283
Caliditas prædominans non ſemper ſiccitatis exceſſum arguit. 617.c.2.b
Calidum in omni mixto cætera elementa retinet. 202. col 2.c.
Calidi, & ſicci febribus recipiendis paratiores. 662. col.1.e
Calidi natura in duplici ſunt differentia. 894.c.2.a
Caligo oculorum in ophthalmia hæmorrhagiam indicat. 91.c.1.e
Calor naturalis quid apud Ariſtotelem. 42.c.2.e
Caloris natiui effectus mirabiles. 65.c.1.e
Calor natiuus ante ſudorifica auxilia attemperandus. 127 c.1.b.& ſeq.
Caloris cauſæ ſex. 161.c.1.e
Calor naturalis non elementaris eſt, ſed cœleſtis, æthereus,ac diuinus. 297.c.2
Calor ad generationem mixtorum moderatus eſſe debet. 298.c.2.a
Caloris præſtantia, & benignitas.d
Caloris naturalis ex calore & frigiditate componitur. 299.c.2.d. Sanguine & ſpiritu conſeruatur.e
Medicamentis calidis augetur & roboratur ibid.
Calor quo pacto dolorem facit? 556.c.2.e
Calliſthenis ſapiens Alexandro reſponſum, cùm eius menſæ accumbens grandi populo meracum ſibi offerretur. 598.c.2.a
Caloris naturalis intenſio an ad febrem neceſſaria. 604
Caloris intenſio ad febris eſſentiam neceſſaria, an ad aliquod ex quatuor temperamentis ſit referenda. 606. 607. & ſeqq.
Caloris febrilis intenſio quò referenda. 608.c.2.e.609. col.1.a
Caloris naturalis, & præter naturam opera. 611.c.2.e
Caloris febrilis & naturalis diuerſa principia. 612.c.1.c
Calor ſolaris, & elementalis differunt.ibid.d.
Calor naturalis & præter naturam ſe inuicem corrumpunt. ibid.c.1.e
Calor febrilis an idem ſit naturalis multiplicem terſum patitur. 612.c.2.b
Calor febrilis & naturalis planè idem. 913.614
Caloris cauſæ quinque numerantur. 15.c.2.a
Caloris propriũ munus reſolutio,& exſiccatio. 616.c.2.c
In quo ſubiecto operari poſſit. d
Calor febrilis an aliunde quàm à corde proficiſci poſſit. 624.625
Calor præternaturalis totius corporis an ad febrem requiratur,an cordis ſolùm. 626.627
Calor ambientis ſiue continentis qui? 643.c.2.b
An ſit perpetua putredinis cauſa.d
Calor attractionis cauſa. 669.c.1.e
An trahat, vel ſuſcipiat. ibid.
Calor natiuus duplex eſt coctionis cauſa. 676.c.2.c.d
Calor naturâ ſuâ rarefacit corpora ſimplicia, non incraſſat,& per accidens ſiccat & denſat mixta. 680.c.1.b.
Calor nutritiuus, & ſenſificus idem. 811.c.2.c
Calor non quilibet eſt actionum inſtrumentum.8.9.c.2.a
Calor immodicus excrementi viridis cauſa. 858.c.1.d
Calorifica quæ neruis applicanda. 196.c.2.c
Caluaria ſine cranium quot conſtet oſſibus. 940.c.2.b
Cambium quid.750.c.1.e. Vide *Caput*
Camphoræ temperamentum.522.c.1.b.Immodicum Veneris vſum cohibet. 521.c.2.d
An frigida an calida. 523.c.1
Camphurch cornu vis in venena. 342.c.1.d
Camuſia, ſie Appia mala, & eorum proprietates. 68. c.2.a.d
Cancri cur frequentes in Alexandria generatur.218.c.1.e
Cancer in omnibus corporis partibus generari poteſt. 231.col.1.a. Vnde ortum habet. b. Purgatione curari poteſt. e. Cancer vlceratus non eſt morbus contagioſus ad diſtans. 233.c.1.c
Eſt lepra vnius membri.d.cur contactu inficiat.d
Cancer in mammilla annua purgatione curatus.231.c.1.e
Cancer elleboro aſſumpto curatur. 233.c.2.& 234.c.2
Cancrorum fluuiatilium vſus in rabiem præſtantiſſimus. 847.c.1.c
Quare arte parandi.c.2.d
Canicula, & canis ſidera differunt. 663.c.2.b
Canis ſidus,& canicula quid ſublunaribus corporibus nocumentis inferant. ibid.c.2
Caniculares dies vnde dicti. 603.c.1.2

Canis maior 29. ſtellis conſtans. Minor duabus tantùm. Vnde canicula, & caniculares dies dicti. Quæ eo tempore rerum ſublunarium mutationes. 602.c.2.d.e
Canis rabidus emortuus alios canes inficit. 341.c.1.b
Canes Sirij tempore rabiem concipiunt. ibid.c.1.c
Canis rabidi venenum cæteris perniciofius. 841.c.1.d.e
Canis rabidus quibus ſignis agnoſcitur. 842.c.2.a
Canis neceſſitas & fidelitas commendatur. 840.c.1
Canis ſagaciter domini necem vlciſcitur. 840.c.1.e
Canes Scoti cæteris præſtant. c.2.b
Eorum fortitudo & docilitas.c
Canes quo tempore rabie faciliùs corripiãtur.845.c.2.d.e
Canina fames. Vide *Fames.*
Cantharides vrinam mirè prouocant. 395.c.2.e
Quibus medicamentis miſcentur. 390.c.1.b
Earum præparatio.c. An toto corpore venenoſæ. d.e
Sudores excitant 397.c.1.a. Iecur roborant.b
Cantharides ad rabidi canis,& Salamandræ morſum præſens remedium. 796.c.1.a
Cantharidum vis noxia, ex quarum ſumptione mortui plures.835.c.1.e. Correctæ hydropem ſanant. c.2.b
Quarto gradu calidæ & ſiccæ. ibid.
Epotæ quid cauſentur.c.
Capræ cur epilepſiæ obnoxiæ. 839.c.1.c
Caprarum reſpiratio non naribus,ſed auribus. ibid.c.1.c.
Capræ fimus aceto decoctus venenoſis morſibus remedio eſt. 794.c.1.b
Caput rationis domicilium, omnium ægritudinum radix, & origo. 1
Capitis dolor vehementiſſimus in quinquagenario ſanguinis miſſione ſedatus. 8.c.2
Vini odore adauctus. 9.c.2.a
Caput citiſſimè depellit, & recipit. 173.c.2.e
Capitis deſcriptio. 935.c.2.b
Caraffa Cardinalis ſolo roſarũ odore extinctus.796.c.2.b
Cardui benedicti venena. 342.c.1.d
Caribes, ſiue Cannibales Anthropophagi. 904.c.2.c
Cartilaginis ex mucronatæ decidentia ventriculi non ſolùm debilitas, ſed & tabes oriri poteſt. 286.c.2.287
Cartilago quid? in quo ab oſſe differat. Eius vſus. 942.c.1.b. Eius tres differentiæ explicantur.c
Cartilago enſiformis, mucronata. Xiphoïs,eiúſque vſus. 942.c.1.e
Caro ex naturalibus partibus prolapſa noui morbi genus 919.c.2.e. Carunculæ per vrinas excretæ. 425.c.2.d.e
Carunculæ ſiue grandulæ oculorum, cui vſui. 939.c.2.c
Caſei facultas adſtringens. 579.c.2.c
Caſtorei potus lethargiam curat. 29.c.1.a
Miræ eius proprietates. b.c.d
Caſtoreum opij frigiditatem emendat. 48.c.2.e
Eius actiuitas. ibid.
Caſtrati ad coïtum inepti, & quid ſit Caſtrare. 518.c.1.d
Catalepſis qui affectus. Eius nomina. 81.b. Cauſa. c. In quo à vigilante ſopore diſcrepat. ibid. Duplex eſt. c.
Catalepticus hæmorragia ſanatus. 80.c.2.d
Cataphora præternaturalis ſomni ſpecies. 918.c.1.e
Catapotium quid à quo inuentum. 3.c.2.a
Cataputia arbuſti genus,cuius facultates & vtilitates variæ. 87.c.2.c
Catharrhus cauteriis expellitur. 33.c.1.e
Catharrus febre ſuccedente non recidiuat.161.c.2.c
Catharri prodigioſum genus. 919.c.2.a
Catoblepas fera iuxta fontem Nigrim. Baſiliſco ſerpenti virulentia ſimilis. 805.c.2.e.806.c.1.b
Catochus & catalepſis ſynonyma. Vide *Catalepſis.*
Catonis exercitus in Africa ſerpentum morſu magna ex parte extinctus. 797.c.1.b
Catubuch,ſiue capra aquæ vomitione expulſa. 182.c.2.d
Cauda, ſiue caudata ægritudo, muliebris affectus vnde oritur,& qua arte curandus. 466.c.2.b
Cauſa continens quid,& an in morbis conſtituenda.541.c.1.d
Cauſæ per accidens acceptio duplex. 910.c.1.d
Cauſtica in oris affectibus imponentis Medici imperitia. 139.c.1.b
Cauſtica an per ſedem infundenda in periculoſa dyſenteria. 332.c.1.d. & ſeq.
Cauſus in corpore calido, ſicco, aſſumpto in acceſſione cibo curatus. 659.c.1.e
Cauteriorum actualium vtilitas. 32.c.2
Cauterium ad bregma inditum cerebri morbos exitiales ſanat.33.c.1.b. Epilepſiam.c. Conuulſorios affectus. d. Pulmonum, &c. c.2.& 34
Cauterium ex auro probatiſſimum. 69.c.2.b
Cauterij vſus in frigidis cerebri affectibus. 174.c.1.e
Cauteria in brachiis, cruribus hecticam intemperiem vacuant. 404.c.1.d
Caymantes lacertorum genus apud Indos Orientales. 875.c.2.d
Celtæ vini vſum reſpuunt. 598.c.1.d
Cenchris viperæ ſpecies, alio nomine Iaculus, & Acontia dicta. 796.c.2.d
Cephalicæ ſectio intempeſtiua cerebrum,& oculos lædit. 92.c.1.c
Cerebrum membrum diuiniſſimum. Ex cuius conſtitutione totius corporis figura pendet. Eius præſtantia vnde petenda. Huic omnia membra famulantur. 1
Cerebri qualitates. Et cur ipſi ſuturæ fabricatæ. 14.c.1.d
Cerebrum ex nimia & diuturna vigilia exſiccatur, & debilitatur. 24.c.1
Cerebri affectus mortiferi cauteriis ad bregma impoſitis curantur. 33.c.1
Cerebrum pituitoſo humore ſcatens quibus affectibus obnoxium. 45.c.2.e
Cerebri frigidi quæ incommoda. 174.c.1.b.c
Et qua arte occurrendum. d.e
Cerebri cum ſepto tranſuerſo quæ connexio. 228.c.1.c
Cerebrum præternaturaliter calefactum non poteſt in alia membra vitioſum calorem diffundere. 626.c.1.d
Cerebrum in principis animi facultatis domicilium.812.
An vis ab eo influens ſit potentia animæ. 814
Cerebri ſubſtantia. 936.c.2.b. Diuiſio.d
Cerebrum ad quid factum. 937.c.2.a
Cerebelli partes,ſubſtantia,vſus. ibid. c.2.b
Ceruiſiæ fortiſſimæ temperamentum. 142.c.2.b
Ceruſa vnde generetur. 14.c.1.a
Ceruo fel deeſſe conſtat. 309.c.1.e.
Cerui lacryma,eius vis & figura explicantur. 899.c.1.c.d
Ceruus, & os ex eius corde an in venenum valeat. 899.c.2.900. Eius cornu ſerpentes attrahit. ibid. c.2.e Eius anima,ſiue ſpiritus eos vrit.900.c.b. Lapis in corde peſtem & venenatos morbos ſanat.c.2.b. Eius genitalis, cineris, cornuum, ſanguinis proprietates. c. & ſeqq. Cornua occultat. d
Chalybs præparatus an ad curandos morbos ſit ex vſu. 145.c.1.c. & ſeqq.
Charta exuſta aceto diluta tineæ curandæ cõmoda. 4.c.1.b
Chelidoniæ aſpides. 808.c.1.b
Cherſææ aſpides quæ? ibid.
Chirurgi munus, & an ad eum ſpectet anatomica deſcriptio magis quàm ad Chirurgum. 445.446
Chœnix duorum ſextariorum menſura. 861.c.1.d
Chondrus quid & an alica differat. 347.c.1.d
Chryſocollæ,quam Boracem vulgus appellat, mira efficacia. 514.c.2.c
Chus ſextariorum quatuor menſura. 661.c.1.d
Cibus ab ægris cum voluptate & moderatione ſumptus plus iuuat quàm noceat. 50.c.2.e
Ciborum varietas an ad ſanitatis tutelam conferat. 326 c.1.d.& ſeq. Cibi cur putredinem generent etiam probi ſucci. 671.c.2.c.d. Quid obſeruandum ne noceant. ibid.e.& 672.c.1. Vide *Alimentum.*
Cibus & potus pulſum immutant. 895.c.1.c.d.e
ſine Cibo quomodo quidam diutiſſimè vixerũt.913.c.1.e
Cibi cur dicti flatuoſi. 947.c.1.d
Cicuta homines necat,& ſturnos alit. 873.c.1.c
Cineris ficulnei vis in apum aculeum. 636. c.1.d. Circe Medicinæ,& venenorum perita,à qua & Circea herba. 11.c.2.a. Circuitus in febribus cauſæ an ad corpora cæleſtia, occultas proprietates,&c. referendi ſint.718.e

Citri

Citri cortex coctionem iuuat. 676.c.2.d
Cleopatra Regina Medicinæ perita 11.c.1.e
Cleopatræ mors aſpidis morſu. 810,c.1.e
Eius cœna adiicialis Antonio. 809.c.2.b
Clibanus,ſiue Cribanus,& furnus an diſtinguantur. 238. c.1.d
Climatum temperies ad vitæ diuturnitatem plurimum confert. 963.c.1.b
Quod temperatus.c.
Clitoridis vſus. 931.c.2.a
Clyſterium nutritiuorum vſus celebratur. 20.c.1.d
Clyſter nobile, medicamentum, ciconiæ induſtriæ hunc debemus acceptum. 563.c.1.a
Eius commoda.c.d
An phlebotomiam præcedere debeat.c.2.b
Ex muria paratus anchæ dolorem ſedat.d
Cochlearis capacitas non multùm drachmæ dimidium excedit. 56.c.2.c
Cocci Maldiuenſis vis in venena.c.1.d
Coctionis alimentorum neceſſitas ſomnum cauſatur. 27. c.2.c
Coctio exquiſita neceſſaria eſt ad ſanguinis fluxum. 115. c.2.c
Coctione vigente tam in pleuritide, quàm in vaſorum morbis, tutò ſanguis mitti poteſt. 211.c.2.212
Coctio duplex eſt.295.c.1.Vnde procedit.e.Cruditati aduerſatur.c.2.b
A calore inſito rei coquentis perficitur.d
An duplex in ventriculo. 296.c.1.e
Quæ Coctioni maximè opitulantur. 297.c.1.a
Coctio fit à calore vaporoſo & humido. 616.c.1.e
Coctio ex pulſu ſignificatur. 629.c.2.e
Coctionis definitio Ariſtotelica an probanda. 675.c.1.e
in Coctione an mutatio fiat ſecundùm qualitates, an ſecundùm ſubſtantiam. 675.c.1.b.676
Coctionis cauſa formalis eſt tranſmutatio ad perfectius eſſe.676.c.1.Efficiens verò calor natiuus. c.2.b
Materialis.677.c.1.b.Finalis.c
Coctionis ſpecies tres, maturatio, elixatio, & aſſatió.677. c.1.d
Coctio in quo à ſeparatione differat. ibid.c.2.c
Non eſt humoris præparatio.d
Coctionis in iuuatiuo,& nocitiuo modo quomodo procedunt. 679.c.1.e
Coctionis in omnibus quæ coquuntur vnica ratio ſtatuenda. 678.c.1.a.b
Coctio à Galeno variè definita. ibid.c.d
Coctio an omnia efficiat craſſiora, calidiora, ſuauiora.679. 680
Coctio naturâ ſuâ cocta calidiora efficit. 680.c.1.e
Per accidens frigidiora. c.2.a
Coctionis definitio.683.c.1.b.Cur expectatur ante vacuationem in omnibus febribus.e
Coctione omnia cur ſuauiora, ac magis odora fiant. 680. c.2.b.Cur dulciora.c
Cœliaca commoda purgatione curata. 330. c. 1. e. Eius cauſa. c.2.b
Cœna debet eſſe copioſior prandio. 618.c.2.a
Cœnę vocis acceptio.619.c.1.e.Tripartitò diuiditur.c.2.a
Cœnationi,& cœnaculi acceptio. 619.c.2.a
Cœnarum multiplex varietas, alia enim eſt aeceptitia, aduentoria, ſiue exceptitia. 619.c.2.d
Cœna ambulatoria. adiicialis, adipalis c. Vitelliana d. Centenaria. ibid.
Cœna Cerealis.e.Exequialis. ibid.
Cœna popularis quæ? 620.c.1.b
Cœna recta. ibid.
Cœna ſaliaris, ibid.
Cœna terreſtris. ibid.
Cœna ferina. ibid.
Cœna Deorum.c
Cœna pura cur ſic dicta. ibid.
Cœna Iudæorum pura.ibid.Cœna canina. ibid.
Cogitatio illæſa imaginatione & ſenſibus externis lædi poteſt. 23.c.1
Cogitatiuæ ſedes. 23.c.1.a
Coïtus quid.517.c.1.b. Vnde eius impotentia,c.& ſeqq.
in Coïtu ſemine quidam deſtitutus ob eius fluxum in ſomno. 518.c.2.a
in Coïtu quid voluptatis cauſa. 519.c.2.b
Coïtu immoderato vtentes ſanguinem, non ſemen effundunt. 520.c.1.b
Coïtus aſſiduus camphoræ vſu minuitur. 521.c.2.c
Quæ mala ab immodico Coïtu. d.
Colicus dolor in paralyſim tranſit, idque exemplis patet. 83.c.1.d
Colicus dolor peſtilens ac contagioſus ac frigidis curatus. 33.c.2. a. Eſt morbus nouus. c. In epilepſiam,& reſolutionem inducens.337.c.2.d.Frigidis perſanatus.338. c.1.d
Colicus dolor ex vitioſis humoribus curatus. 343.c.2.c
An in eo purgatio ſit neceſſaria. 344.c.1.d
Colicus dolor à mordacibus ſuccis pronatus, hiera aſſumpta curatus. 344 c.2.e
Colicus dolor ſcãmonio,& aliis auxiliis ſanatus. 346.c.2
Colicus dolor à bile, frigida potione curatus 351,c.1.b
Colici doloris rara ſpecies ex vitrea pituita, quomodo cognita. 351.c.2.c
Colicus dolor à nephritico rectè diſtinguitur. 352.c.1.d & ſeqq.
Colicus dolor allij eſu ſanatus. 355.c.2.e
Ad eius curationem, & præſeruationem ſtercus lupinum vtile. 356.c.2.b
Colis palpitatio carminantibus auxiliis curata. 523.c.2.c
Collyrium molle, & collyrium ex vino quo in vſu apud veteres. 91.c.2.b
Collyriorum ſtupefacientium in oculorum morbis cautè admittendus. 96.c.2.e
Colocynthis alopeciam purgat. 2.c.1.d
Colocynthis quæ probatior,& qua arte parãda.565.c.1.d
Corpora impura facilè in peſtem incidunt. 565.c.2.d
Colon inteſtinum omnium ampliſſimum, eius ſitus.915. c.2.b
Coma præternaturalis ſomnus. 918.c.1.e
comitialis morbus Vide *Epilepſia.*
Complexio naturalis exceſſum pati quî dicatur.607.c.1.e
Conarium quid? 937.c.1.e
Conceptionis an aliquod detur certum, & infallibile ſignum. 469.c.1.d.& ſeqq.
Concubitus nimij mala. 521.c.2.e. Vide *Coïtus.*
Congius ſextariorum ſex menſura. 666.c.1.d
Conſenſus corporis partium cognitio quantum ad curationem eius conferat. 85.c.2.b
Conſuetudo an ſit adſcititium temperamentum, an habitus. 965.c.1.& ſeqq.
Contagiones diuerſimodè ſe habent. 340.c.2.a
Contagium an neceſſariò putredinem inducat. 150.c.2.b 155.c.1.e
Contagium ſine putredine fieri nequit. 232.c.2.d
Contagij cuiuſque eſſentia. 908.c.1.b
Contactus rei putris vim putrefaciendi habet. 647.c.1.a
Contentum lamineum foliatũ vnde ſit dictum. 426.c.1.d.
Furfuraceum an deterius ſquammoſo. c.2.c
Vide, *Sedimentum.*
Contentorum differentiæ tres explicantur. 859.c.1.e
Continere actualiter & virtualiter quid. 881.c.1.e
Continuitatis in febre ſigna.716.c.2.Vide *Febris continua.*
Cõtinui ſolutio cauſa immediata doloris. 655.c.2.d.&ſeq.
Continui ſolutio ad partes organicas ſpectat. 868.c.2.d
Continuum triplex. 969.c.1.a
Contractionis celeritas febrium putridarum inſeparabile ſignum. 650.c.1.b
Contrariorum contraria ſunt remedia. 197.c.1.e
Contrariorum eadem eſt ſcientia. 609.c.1.b
Contrariis aſſueſcere, & ad inſueta permutari quomodo quis poſſit. 964.c.2.e.965.c.1.a.b
Conuulſio canina cataputiâ curata. 87.c.1.d
Conuulſio gelidæ perfuſione curata. 87.c.2.e
Conuulſio ex æruginoſo humore orta, vomitu prouocato curatur. 89.c.1.b

Conuulſio

Conuulſio vnde oritur. 473.c.1.e
Ioannes Coqueranus rabidi canis in os manus immiſſione inficitur. 641.c.1.e
Coqui ex odoribus ſaginantur. 19.c.1.c
Cordis palpitatio hirudinum applicatione curata. 6.c.1.e
Cordis muliebris aff.ctus ab vtero ſuboriuntur. 34.c.2.c
Cordi occupato nulla medicina. 73.c.1.c
Cordis ſubſtantia putrere poteſt. 162.c.2.c.d
Cordis ſitus. 215.c.2.e
Cor per tranſennam pus admittit. 229.c.2.e
Cor duplex in gallo repertum. 250.c.2.a
Cor omnium viſcerum & membrorum radix. 250.c.2.b
Cordis palpitatione quidam quotannis laborans venæ ſectione curatus. 251.c.1.c
Cor vera & legitima palpitatione laborat.252.c.1.& ſeq. Vide *Palpitatio*.
Cor tabeſcere poteſt. 256.c.2.b
Cor calidam hepatis intemperiem corrigit. 626.c.1.a
Cordis calor excedens ad febris integram eſſentiam ſufficit. 626.c.2.b
Cordis ventilatio inſpiratione perficitur. 748.c.2.e
Cor an venena attrahat. 793.c.1.c
Cor cur in medio corpore conſtitutum. 811.c.2.a
Cor per ſingulos annos in homine augetur. 814.c.2.e
Eſt in animali velut Sol in æthere. 815.c.1.d
Cor an caloris innati fons & vitæ principium. 816.817
Eius dignitas.b
Cur viſcerum omnium calidiſſimum.c.2
An mors ſit eius paſſio.ibid.e
Cor quibus læſionibus obnoxium. 818
Cordis ſinus duo diſſimiles. 820 c.2.a.b
Vter præſtantior.d.&.821. Non dantur tres,vt voluit Ariſt. c.2.b
Cor an vita ſuperſtite abſceſſus patiatur,& alios affectus. 821.c.2.d.& ſeqq.
Eius imbecillitas mortem imminentem indicat. 823. c.1.d
Cor in medio thoracis quatuor ob cauſas collocatum. 877.c.1.d
Cor an alibi quàm in thorace operari poſſit. 877.c.1.e
In eo tres reſident facultates. c.2.b
Cordis motus naturalis eſt,non animalis. 879.c.1.c
In Corde omnes motus ſpecies reperiuntur.880.c.1.d
Cordis motus naturales eſſe triplici ex cauſarum genere probatur. 881.c.2.d
Deſtinatur ad caloris naturalis conſeruationem. 882. c.1.b
Fit à forma tanquam à principio particulari.c
Cordis ventriculus duplex, & vtriuſque officium. 882. c.1.d
Cordis ſubſtantia. 883.c.2.c.884.c.1.a
Cordis dilatatio an vt nouum aërem attrahat. ibid.c.2.e
Cordis fuligines an plures per aortam,quam per arteriam venalem excernantur. 885.c.1.b
Cordis ad dilatationem & conſtrictionem an venæ dilatentur, & conſtringantur. 886.c.1.b.& ſeq.
Cor lætitiæ,mœroris,& febris ſedes,an etiam ſomni.918. c.1.a
Cordis figura.932.c.2.b.ſubſtantia.c.fibræ.d.vaſa,venæ.e oſtiola vndecim. 933.c.1.a
Ventriculi.b.
Corallus ſtomachi dolorem lenit. 39.c.2.a
Cornu cerui, Aſini Indici,Camphurch,Pyraſſouppi feræ vis contra venena. 342.c.1.c
Cornu cerui mirè in peſtem valet. 777.c.1.b
Cornu cerui cur ſerpentes attrahit. 899.c.2.e
Cur decidat. 901.c.1.a
Corpori ægro an ſanitas ſani hominis communicetur. 301.c.2.d
Corpus veneno aſſuetum peſtifero aëre minus læditur. 329.c.1.d
Corpus vnum & idem ſub eodem numero temperamento poteſt ſimul dici temperatum & intemperatum. 610. c.2.c
Corpora animata quo motu calefiant. 616.c.2.a
Corpora quò humidiora eò putrepidini magis obnoxia. 644.c.2.c
Corpora ſimplicia calore rarefiunt,non incraſſantur.680. c.1.b
Corpus poſt cibum igneſcit,& præcipuè in hecticis febribus. 740.c.2.b
Copora cœleſtia motu circulari influunt. 880.c.2.b
Corporis animalis tria motionum genera 883.c.1.b
Corporis obeſitas qua arte curata. 948.c.1.e
Corporis humani cognitio anatomica Medicis perneceſſaria. 622.c.1.b.c
Corporis calloſi deſcriptio. 936.c.2.e
Corruptionis genus duplex. 346.c.1.a
Corrruptio quænam ciborum adiectionem exigit.b
Non indiget contemperamento.c
Corui œnuta herba inebriantur. 908.c.2.b
Coſtarum deſcriptio,& vſus. 941.c.1.e.c.2.a
Cotonea. Vide *Mala*.
Coturnices vnde conuulſionibus corripiuntur. 234. c.1.b
Coturnicum eſus conuulſiones inducit. 237.c.2.c
Spaſmum, tremorem,&c. ibid.
Coturnices ſolæ præter hominem an epilepſiæ tenentur. 839.
Ellebori paſtu delectantur. c.2.a
Omnibus volatilibus peiores. c
Cotyla vnciarum ſeptem menſura. 62.c.1.d
Coxendicis dolor colocyntidis vſu curatus. 564.565.c.1
Coxendicis dolor à ſanguine,venæ ſectione ſanatur. 569
Cranium. Vide *Caluaria*.
Crapula in quo ab ebrietate diſcrepat. 598. c. 2. d. aquæ gelidæ potu curatur. Vide *Ebrietas*.
Crapula vino aqua marina diluto impeditur. 661.c.1.e
Craſſum,& craſſarum partium non idem. 680.c.1.b
Crepitus ventris in coïtu vnde. 516.c.1.d
Criſes cur non tam frequentes quàm Galeni & Hippocratis tempore. 113.c.1.b
ad Criſim per ſanguinis fluxum ſemper neceſſaria eſt concoctio. 115.c.2.c
Criſis vox ambigua. 673.c.1.e
Eius propria acceptio. c.2,a
Quid ſonet.b
In Criſi tria conueniunt turbatio,excretio, & ſolutio, & à qua ex tribus nomen ſumat. c
Criſis in morbis ad iudicij externi ſimilitudinem ſic dicta. 674.c.1.b
Criſis quando per abſceſſum,vel excretionem fieri debet. 968.c.2. a
Eius partes tres. b
Quæ optima dicenda.c
An in morbi principio, augmento, vel declinatione contingere poſſit. e
Criticorum dierum cauſa ad lunam referenda. 674.c.1.c
Criticorum dierum maximus, ſeptimus. 967.c.2.e
Critici dies qui pares, qui impares. 969.c.2.b
Impares fortiores. ibid.
Paritas illo quomodo obſeruanda. c
Impares ſolum decretorij. 970.c.1.a
ad Criſim tria concurrunt. ibid.c.1.c
vnde Criticum dierum principium numerandum. d
Vnde in fœminis quæ pepererunt. c.2.a
Critici dies in recidiua vnde numerandi. 971.c.2.c
vnde in morborum aliorum aduentu, aut immutatione. e.
in recidiua vnde Critici dies numerandi. 971.c.2.d
Critici dies vnde numerandi in febribus, tumoribus, & vulneribus. 972.c.1.a
Vſque ad vigeſimum eorum dignitas expenditur. b.
Quartus parium primus. c.2.d
Quomodo inter bonos numeratur. e. & 973. c.1.a.b
Quintus paracutos morbos indicat.d
Sextus quando malus nuncupatur.e
Septimus omnium decretoriorũ fortiſſimus. 974.c.1.e
Octauus ſexto ſimilis. c.2.a
Noni dignitas excutitur. c. d

Decimi

Decimi vſque ad quartum decimum. 975. Item aliorum. 976.c.1

Criticorum dierum cauſam an ex ſua,vel aliorum ſententia ad aſtra reduxerit Galenus. 979.& ſeqq.

Crudum propriè in pituita quid dicendum ? 678.c.2.b

Crura frigore reſoluta cur priùs quàm brachia conſaneſcant. 86.c.1.d

è Cubito ob retentum menſtruum aliquando ſanguis mittendus. 137.c.2.138.c.1

Cubiti deſcriptio. 941.c.2.b

Cucurbitulæ cui auxilio ſuccedunt. 7.c.2.b

Cucurbitularum vtilitas. 5.c.2.e

Cucurbitulæ humidæ cur ſiccis validiores.7.c.2. e. Scarificatæ plenitudinem extenuant, etiam nulla præmiſſa phlebotomia. 8.c.1.a

Cucurbitulæ vſus venenoſis morſibus maximè commendatur. 793.c.2.b

Cucumeris aſinini radix hemicraniæ curandæ idonea.11 c.2.d.

Curatio tentatiua multis in morbis celebratur. 96.c.2

Curatio an per æqualia contraria facienda.198.c.1. e.199

Cuticulæ deſcriptio. 944 c.1.a

Vſus. ibid.

Cutis quid, & cui vſui. ibid.b

Curatio per epicraſin an fieri poſſit per frequentem ciborum adiectionem. 345.c.2.c.& 346.c.1

Cyathus drachmarum duodecim menſura. 661. col 1.d.

Cydoniorum ſucci facultas. 44.c.1.a

D

Dacorum & Dalmatarum, elleboro tela venenantium ſagacitas. 874.c.1.d

Deiectio nigra ab aſſato ſanguine orta non ſemper peſſima. 321.c.1.d

Vnde hæc nigredo. c.2.

Deiectio cruenta,critica. 424.c.1.e

Vide, *Sedimentum.*

Delirij triplex genus. 23.c.1.e

Deliria à vaporibus è ventriculo ad cerebrum oriuntur. 67.c.2.c

Delirantes, cur dolores non ſentiunt ? 26.c.2.a

Delphinus cur Baccho à veteribus appictus. 661.c.1.e

Democritus ſeptuagenarius triduo panis odore vitam protrahit. 18.c.2.b

Dentium dolore quidam correptus niuis in ore detentæ beneficio ſanatus. 117.c.2.c.& 118 c.1.e

Dentes fluxionibus & doloribus paratiſſimi. 117.c.2.d

Eorum doloris cauſæ aperiuntur. ibid.e.118.c.1

Dentes ſentiunt. 119.c.2.a

Quid hunc ſenſum cauſetur.c.

Dentium dolor applicitis remediis calidis & inflammata mandibula ſanatus.d

Dentium peculiares affectus.e.

Dentes quibus affectibus obnoxij. 836.c.2.b

An hæmodia ſit eorum affectus. ibid.& ſeqq.

An ſenſu deſtituantur. ibid. & 837

Dentes apri recens occiſi feruent & exurunt. 899.c.2.a

Dentium deſcriptio. 940.c.2.e

In quo ab oſſibus differant. ibid.

Eorum numerus. 941.c.1.a

Denſitas oculorum quid? 98.c.1.e.Eius curatio. c.2.a.b

Diabetes rarus affectus, vnde oritur. 420.c.2.d

Admodum periculoſus.421.c.2.e.422.c.1. a 856.c.1.e

in Diabete an intenſior ſitis quàm in hydrope & cauſo concitetur. 422.c.1.b

Infrigidantibus ſuper dorſum adhibitis mitigatur. c.2.e.

An ad eius curationem mitia expurgantia ſint ex vſu. 423.c.1.c

Diaboli aſtutia ſanctis verbis hominum fidem fallentis. 157.c.2.a

Eius poteſtas in morborum curationibus quæ. b. Iſta curatio fallax & captioſa. ibid.

Diacaryon in oris affectibus celeberrimum auxilium, 139.c.2.

Diacaſtorium quod compoſitionis genus. 29.c.1.d

Diacurcumæ electuarij ſpecies miræ efficaciæ. 399.c.2.c

Diaphragma liberæ reſpirationis primarium inſtrumentum. 287.c.1.d

Diaphragmatis conſtitutio, ſubſtantia. 934.c.2.c

Et vſus. 935.c.1.b

Diaria febris putrida peſtilens & contagioſa datur. 151. c.2.e.132.c.1.

Diariæ febres magna diligentia curandæ, ne in putridas & hecticas tranſeant. 598.c.2.e

Diaria febris ob ſpirituum tenuitatem veluti immaterialis. 600.c.1.b

Diaria, ſiue Ephemera ab Ephemeri animalis ſimilitudine dicta.c.

Item ſimilis vento calido vtri incluſo. d.

Diariæ ex meatuum conſtipatione cura. 601.col.2.e

Diaria febris ex motu & exercitio balnei ope curata. 615.c.1.c.

Diariæ febris ſigna diſcutiuntur. 620.621.& ſeq.

Diaria febris ex laſſitudine. 624.c.1

Diarrhœa bilioſa ſola ſaluatellæ ſectione curata. 328. c.1.d.

Diarrhœa venenoſa ſmaragdo aſſumpta ſanata. 40.c.2.d

Diarrhœæ bilioſæ præſente febri ſalubres. 334.c.1.a

Diatritariorum Medicorum inſcitiam arguit Galenus. 601.602.

Dies decretorius ſeptimus an decimo quarto præſtantior, & vigeſimus vigeſimo primo. 976.& ſeq.

Dierum criticorum ordo & differentia. 969.c.1.b

Vide *Criſis, Criticus.*

Differentiæ eſſentialis & accidentalis expoſitio. 612. c.2.a.

Dioſcorides ſummè à Galeno commendatur. 794.c.2.a

Dipſacon corpus vnde ſic dictum. 422.c.2.b

Diſtenſio in reſpiratione, & pulſu priorem locum occupat. 885.c.2.a

Diſtillationes quæ malignæ appellentur. 146.c.2.b

Diuus Antonius Brigantinus faſciculi florum veneno delibuti odore necatur. 796.c.2

Dolor quomodo vires diſſoluat. 99.c.1.d

Dolori celerrimè occurrendum.335.c.1.d. Neglectus deiicit vires. e.

Dolor an ſenſatio triſtis, an ſenſibile. 549.c.2.d

Eius eſſentia excutitur. 550.c.1.b

Eſt quædam ſenſus ſpecies,non eſt alteratio,ſed alterationis perceptio. c.2.e

Eſt ſenſus externi actio. 551.c.2.b

An in motione conſiſtat. 552.c.1.d

Eius immediata cauſa an ſolutio continuitatis. 555. c.2.d.

Dolor an ab omnium qualitatum intemperie concitari poſſit. 559.c.1.b.& ſeqq.

Dolor an attractionis cauſa. 670.c.1.e

Cur per eum humores in affectam partem confluant. ibid.

Dolor partium principum pulſum mutat. 896.c.2.d

Dorſi appellatione quid veniat. 170.c.1.a

Dorſum quidam terræ allidens aphonus factus. 200. c.1.b.

Dorſum quot vertebris conſtet. 941.c.1.d

Druſus ellebori vſu à comitiali morbo liberatus. 839. c.2.b.

Dryinus Baſiliſci ſpecies. 806.c.b

Dulcia ad curationem, & præſeruationem lumbricorum reproba. 305.c.1.c

Sunt craſſi ſucci. c.2.a

Modicè calida humida & temperata. 306.c.1.e

Dulcia immodicè cocta bileſcunt. 680.c.2.e

Duodeni inteſtini nomina & officium. 925.c.1.b

Dyſenteriâ laborantes pueri, hirudinibus brachiis affixis leuantur. 6.c.1.c

Dyſenteria aquæ pluuialis per plumbeos tubos deductæ vſu generatur. 13.c.2.c

Dyſenteria à ſuppreſſis menſibus ortalan ſanguinis è talo miſſione curanda. 136.c.2.c
Dyſenteriæ curatio lactis ferrati ope. 146.c.1.a
Cæpæ eſu & muria per ſedem iniecta curata in quibuſdam, in aliis verò lethalis.c.
Dyſenteria ab intermiſſa vacuatione, aut ab annuli deuorati aſperitate concitata. 331.c.2.b
Alia ex ſordido vlcere, concitata clyſtere ex cauſticis medicamentis parato ſanata. 332.c.1.d
Dyſenteria in conclamata an per ſedem cauſtica infundenda. 332.333
Dyſenteria in biliosa, præſente febri lac ſalubre. 334. c.1.a.
Dyſenteriæ doloribus nullis applicitis auxiliis quidam mortui. 335.c.2.c
Dyſenteria cùm tabe balneis, & refrigeriis curata. c.2.c
Dyſenteria à veneno ortum habet. 901.c.2.c
Smaragdo ſupra ventrem impoſita curatur. d. & Aliis auxiliis. 902.c.1.a
Dyſenteria prodigioſa. 919.c.2.a

E

EBoris vis cardiaca.41.c.2.d. Necandis vermibus vtilis fœminas fœcundat,ſpiritus viuificos cogit,vermes necat, obſtructionibus opitulatur.e Ventriculum firmat, &c. 42.c.1.a
Ebrietas nulli curando morbo ex vſu. 313.c.1.e
Ebrietas morborum farrago. 598.c.1.a
Quæ ex ea mala.c.
Fatuos reddit & inſanos.d.
Ebrietas à crapula differt, & duplex eſt. 598.c.2.c
Diariam parit.d.
Qua arte curatur. ibid.& 599.c.1
Ebrietatis indicia. 599.c.2.c
Cur ea vix tententur mulieres.d.
Ebrij vnde omnia duplicia cernant. 826.c.2.e
Ebullitio ſanguinis & ſpiritus non eſt pulſus cauſa. 879
Elæomeli, quid. 950.c.1.a
Electri vis occulta. 39.c.2.a
Elementorum mixtiones variæ, ideò eorum proprietates innumeræ. 43.c.1.a
Elementa quomodo corrumpantur? 642.c.1.e
Elementorum in corporis humani compoſitione concertatio. 799.c.1.e
Elephantis femina Medica,à qua & emplaſtrum Elephantium. 11.c.2.a
Elephantiaſi curandæ auxilium ſalubre cauterium. 34. c.1.b.
ab Elephantiaſi quidam fortuitò, quidam ob viperarum, & remediorum vim arte curati. 907.c.1
Eius morbi ſymptomata.c.2.a.b.
Elephantiaſis Græcorum & Arabum quì differat. c.
Contagioſiſſimus eſt morbus.d.
Elephantiaſis & lepræ diſcrimen.909. c. 1. b. Eius curatio. c.1.c
Elephantiaſis muſto viperino largè ſumpto mirabiliter curatur. 912.c.1.b
Elixato in ventriculo explicatur. 677.c.1.e
Ellebori vis vrens & cauſtica, præparatus vlcus cancroſum ſanat. 233.c.2
Elleboro ſagittæ illitæ citiſſimè necant. 874. c. 2. a. Qua arte occurrendum.c.
Elleborus inſaniam curat. 792.c.1.6
Elleborus venenum eſt & neruis infenſum. 838. c.1.c.
Ellychnium quid igni conſeruando confert. 948. col. 1.d.
Emplaſtra vmbilico aut ſtomacho quibus affectibus apponenda. 19.c.2.b
Emplaſtra nutrientia enumerantur. 19.c.2.d.e
Emunctorium eſt ſolum partium principum, pars ignobilis eſt, debet eſſe propinquum membri quod emungit. 94.c.1.a
Et habere compoſitionem regendis fluxionibus idoneam.d. Vtile ad reſpuendum, non ad vacuandum humorem.
Enæorema appendiculum,& ſuſpenſum. 859.c.1.e
Epaminondę dictum cùm quendam in excubiis dormientem occidiſſet. 912.c.2
Ephemeri animantis genus volatile & quadrupes. 600. c.1.c.
Ephemeræ febris ſigna an rectè deſcripſerit Galenus.620. c 1.e. Vide *Diaria*.
Epidermis quid.944.c.1.a.Eius vſus. ibid.
Epiglottidis deſcriptio. 932.c.2.e
Epilepſia ex tibia orta. 30.c.1.c
An poſſit à nuda qualitate concitari. e.
Eius cauſæ.c.2.
Epilepſia an in paralyſin aliquando finiatur. 30.c.2.e
Epilepſiæ miræ ſpecies feminis profluuio ſanatæ. 31. c.1.b.A Teſtibus oriri poteſt.e.
Epilepſiæ ſigna prognoſtica. 31.c.2.a
Eius cura. b.
Epilepſia ex pede ſuſcitata cauſtico medicamento parti affectæ impoſito curata. 31.c.2.c
Epilepſia è brachio labro ſuperiore digito minimo ſiniſtræ manus,dextro brachio, articulo humeri, è ſummo vertice,pollice,cauſticis impoſitis ſanata. 32.c.1
Epilepſia cauteriis curata. 33.c.1.c
Epilepſia ex ore ventriculi orta, eo roborato ſanata. 35. c.2.d.36.c.1.
Epilepſiæ cauſa an bilioſus humor. 36.c.2.d
Ex variis rebus efficitur.e.
Epilepſia Pæoniâ collo appenſa ſanatur. 38.c.1.c
Item ſmaragdo. c.2.c
Epilepſia melanagogo medicamento curata. 42.c.1.b.
Epilepſia frequens ex ſanguinis copia, venæ ſectione curata. 45.c.1.c
Epilepticis præſens auxilium. 47.c.1.b
Item peſte venenóque affectis.c.
Epilepſia à calido humore orta frigidis alimentis indiget. 50.c.2.c.
in Epilepſia Oxyrrhodina an capiti apponenda. 51.d
Epileptici à quadrupedum eſu arcendi. 54.c.1.d
Epilepſiæ ad præſeruationem mel ſcilliticum præſtantiſſimum. 56.c.1.d
Epilepſia Nicotianæ ſyrupo perſanata. 57.c.1.a
Item quartanâ.c.
Epilepſiæ cauſa. ibid.
Epilepſia rutæ odore ſanata, 58.c.1.e
Variæ eius appellationes. c.2.a
Epilepſia grauidarum poſt partum euaneſcit. 58.c.2.e
Ab vtero concitatur. 59.1.a
Epilepſia à vermibus orta,theriaca curata. 361.c.2.d
Epilepſiæ varia remedia. 837.c.2.c.d
Epileptici curandi victus ratio. 36.c.2.b
Epileptici Pæoniam colo appendant. 38.c.1.e
Epilepticus ſanguinis humani potu curatus. 40.c.2.e
Epilepticus frequenter concuſſus ſecta ex interuallis ſaphani ſeruatus. 45.c.2
Epileptica mulier anacardina confectione ſanata 45. c.2.d.
Epilepticus puer variis auxiliis præſeruatus. 49.c.2
Epimenides ſeptem & quinquaginta annis ſomno correptus. 914.c.1.a
Epiploi deſcriptio. 926.c.1.a
Epithemata cur mammillæ ſiniſtræ imponuntur 877. col. 2.a
Eques adoleſcens gladio quo rabidus pridem confoſſus canis fuerat ſibi vulnuſculum infligens rabie corripitur. 841.c.2.a
Equus epilepſia correptus. 839.c.1.b
Errhina ex quibus medicamentis conſtent? 87.c.2.b
Ethmoïdis ſiue cribriformis, ſeu ſpongioſi oſſis vtilitas. 940.c.2.c.
Etymologia nominum à communi hominum aſſenſu auctoritatem ſumit. 604.c.2.e
Exanthematum cauſa expenditur. 167.c.2.b
Exceſſus naturalis quid? quid morboſus. 607.c.2.b

Exceſſus naturalium complexionum duplex. 607.c.2.d
Excrementa alui cur grauiùs fœtent, quàm vrinæ. 647. c.2.a.
Excrementi viridis cauſa, calor immodicus. 858.c.1.d
Excrementa vitæ breuitatem cauſantur. 963.c.1.d
Exercitatio ſanitati neceſſaria. 52.c.1.a
Eius commoda. b.c.& c.2
Exercitationes quo pacto Epilepticis adhibendæ? 52. c.2.a.Qua menſura & quibus conditionibus. c.
Earum differentiæ obſeruandæ.d.Et tempus.e.
Exercitia conſueta relicta morbos pariunt. 52.c.1.e
Exercitium humidis, frigidis, voracibus, guloſis, perneceſſarium. 611.c.1.a.b
Eſt vacuationis ſpecies.c.
Exercitium pulſum immutat. 896.c.2.b
Vide *Pulſus*
Exhalationes mixtorum naturam & qualitates participant.950.c.1.d.& c.2.
Exſtaſis quid? 26.c.a.2

F

Facultas vitalis cæterarum norma. 629.c.2.e
Facultas vitalis & animalis an per neruos qualitate diffundantur,an cum ſubſtantia ſpiritus.801.c.2.& ſeq.
Facultas animalis, ſenſuum & facultatũ auctor, ſpiritibus tanquam ſuarum actionum inſtrumentis vtens. 802. c.1.b.c.
Facultatum omnium principium an in corde conſtituendum. 811.812.813
Facultas ſenſilis & altrix ſeparari nequeunt. 811
Facultas à cerebro & corde influens an ſit animæ potentia, temperamentum, aut modus operandi. 814
Facultas vitalis cur neceſſaria. 877.c.1 a
Facultas pulſatilis an à vitali differat. 877.c.2.b
Facultates cordis tres. ibid.
Facultas pulſatilis cordis eſt, deinde arteriarum.d.
Quid ſit illa facultas.e.
Duplex. ibid.
Facultatis vitalis & pulſantis coniunctio. 878.c.1.c
Facultas vitalis pulſifica an animæ ſentientis pars, an vegetantis, vel ex vtraque compoſita. 882.c.2.883
Famelici odoribus reficiuntur. 17.c.1.d
Fames vbi, non laborandum eſt. 718.c.2.d
Faſcinatio an ſterilitatem inducere poſſit. 510.c.1.b
Faſcinatio morbus eſt. 510.c.1.e. Datur naturalis. c. 2. c. Vnde oritur. e. Duplex in Faſcinatione qualitas. 511. c.1.d. Antidota in Faſcinationem. 512.c.1
Faſcinatores à natiuitate dantur. 521.c.1.d
Faucium nomine quid veniat. 924.c.1
Febrire æqualiter duo homines poſſunt. 607.c.2.d
Febres à craſſis humoribus ortas hirudinum ſuctus diſcutit. 6.c.1.e
Item peſtiferas, malignáſque. ibid.c.2.a
Febres putridæ ſanguinis ad deliquium vſque miſſione curantur. 16.c.2.c
Febres peſtiferæ & malignæ cauteriorum vſu ſanantur. 35.c.2.c.
de Febri quartana,quintana,ſextana,ſeptimana,ſiue hebdomadaria,octonana, nonana,decimana decima quinetana, menſtrua, annua. Vide pag.57.
Febris pro morborum curatione aliquando excitanda. 66.c.1.c.& c.2.
Febris per parotidas an tuto ſolui poſſit. 104.c.2.e
Febris ardentis ob parotidem criticam ſuppuratam ſolutio. 105.c.1.b
Febribus adueniens ſurditas,an ſemper ad bonum iudicet. 107.c.2.108.
Febres bilioſæ ſanguinis remiſſionem non exigunt. 108. 109.
Febres acutæ an purgatione curandæ. 110.111
Febres acutæ quæ incommoda poſt euaſionem relinquant. 82.c.2.d.
Febris maligna aut peſtilens, an intermittens eſſe poſſit 153.c.1.b.
Febris omnium affectionum frequentiſſima. 597.cui veluti numini honores habiti, & hoſtiæ immolatæ.ibid.
Eſt natiui caloris in igneam naturam conuerſio. ibid.
Febris diaria ex ebrietate, aquæ potu ſanata. 598.c.1.a
Febris non à calore ſolum præter naturam,ſed ab vnione caloris innati oritur. 161.162.c.1
Febris puncticularis à Græcis,priſciſque cognita.166.c.2
Febris ad eſſentiam an neceſſaria ſit naturalis caloris intenſio 604.605
Dicitur à feruore, vt pyretos ab igne. 604.c.2.d
Febris diaria ex prohibito in cutis denſitate effluuio concitatur. 606.c.1.b
Febris cur in ſpiritibus accenditur cùm non viuant. 600. c.1.d.
Rectè definitur per calorem. c.2.e
Huius caloris ſpecies variæ. 601.c.1.è
Febrilis intenſio an ad aliquod ex quatuor temperamentis referenda.606 607.Ab hominis tactu percipitur.d.
Febris in calidis naturis exercitij intermiſſione accenditur. 610.c.2.d
Febris duplex materialis & formalis, quid vtraque. 611. c.2.a.b.
Iuxta materialem laborat Medicus.c.
Febris eſſentia in quo conſiſtit? 612.c.2.c
Febris cur ex motu & labore concitata. 615.c.2.a
Febres animi affectionibus concitantur. 616.c.1.b.c
Febris an intemperantia ſimplex calida, an compoſita ex calore, & ſiccitate. 616.c.1.d
Febris eſt ignis,ſiue conuerſio caloris in igneam naturam. 616.c.1.e.
Febris cauſæ ſiccitatem ſimul & calorem inducunt. 616 c.2.e.
Eius curatio humiditate inchoatur.617.c.1.b.
In corpore generari poteſt abſque ſiccitatis exceſſu. ibid.& c.2.
Febres humorales ob humiditatis exceſſum generantur. 617.c.e.
Febris ex copioſa cœna. 618.c.1.d
Febris putridæ principium in quo ab aliis affectibus conſimilibus diſtinctum. 622.c.2.a
Febris fundamentum caloris eſt in corde reſidentis exceſſus. 626.c.2.c
Febris ad eſſentiam an requiratur immodicus totius corporis calor, an ſufficiat qui in corde? 626.627
Febris vniuerſalis eſt corporis affectus,cuius eſſentia tam in corde, quàm corpore reponenda. 727.c. 1. d. col. 2.a.b.
Febris ſanguineæ curandæ ratio. 630.c.1.b
Febrium putridarum varietas ex parte humoris putreſcentis deſumitur. 645.c.2.b
Febres intermittentes quibus de cauſis putredinem recipiant. 645.c.2.a
Febrium putridarum ſigna an à Galeno rectè propoſita. 649.c.2.& ſeqq.
Febris putrida intermittens vel continua, vtraque differentia exponitur. 651
Febris ſanguinea à pituitoſa, bilioſa & melancholica diſtincta,an à ſanguine putreſcente generetur. 652.653. & ſeqq.
Febris non curanda niſi priùs cognoſcatur. 629.b
Febris epacmaſtica, anabatica. paracmaſtica, acmaſtica, ſiue homotona explicatur. 635.c.2.a
Febris putridæ indicationes duæ. 636.c.1.e
Febrium ſimplicium putridarum tria genera. 654.c.1.b
Febris bilioſæ citra putredinem cauſæ aſſignantur. 661. c.2.e
ad Febres paratiores temperaturæ aſſignantur.662 c.1.e.d
Febris ardens frigidæ potu ſanata. 663.c.1.c
Febres bilioſæ an frigidæ potu curandæ. 664. c. 2. & 665.
Febris ardens purgatione curata. 667.c.1
Febris putrida ex fugacium fructuum vſu, venæ ſectione curata. 670.671.c.1
Febris valida tranſmiſsâ ad artus materiâ noxiâ curatur. 672.c.2.b

Febris ardens brumæ tempore, citra coctionem & valentes vires, lethalis. 674
Febris acutæ & diuturnæ quibus indicantur. 675.c.1,a
Febris ſyncopalis vnde ſic dicta. 734. c. 2. An ſanguinis miſſione & frictionibus curanda. 735.c.1.c
Febris hectica ex inflammationibus internis generatur. vnde ſic dicta. 736. c. 1. d. & ſeq. An calor eius ſit à cauſa conſeruante independens. 737. 738. Ex balneis intempeſtiuis concitata. 718. c.2.e. An eius inſeparabile ſignum ſit incaleſcentia à cibo. 739.c.1.Eius cum putrida complicatio poſſibilis. 739.c.1.c. An in principio nulla alia præcedente febri inuadere poſſit. 742.c.1
Febris ardens hyemali tempore quàm æſtiuo periculoſior. 675.c.1.a.
Fellis folliculi figura. 928.c.2.e. Subſtantia. 929.a. Vſus.c
Femoris ſcirrhus ex Eryſipelate quomodo reſolutus. 585. c.1.b
Fibrarum ſubſtantia & vſus. 942.c.2.d
Ficus autumnalium fructuum probatiſſimi. 672c.2.a
Fiſtica quid & fiſticalis color. 858.c.1.a
Flamma quibus mixtis nutr tur. 648.c.1.b
Flatuoſum dupliciter accipitur. 947.c.1.e
Flatuum generatio vnde oriatur, 525
Flatus vagi hiſtoria prodigioſa. 946.c.2.d
Flatus in qualibet corporis noſtri parte adnaſcuntur. 947.c.1.a. In ventriculo generantur. b. Eorum appellatio multiplex.c.
Fœminæ Medicæ. 11
Fœminis prudentibus ars medica ab Athenienſibus præcipiebatur. 11.c.2.b
Fœtida qui epilepſiam ſanent, & eandem accerſant. 58.c.2
Fœtor quid apud Platonem. 58.c.2.b
Fœtoris & graueolentiæ incommoda. 68.c.1.a.d
Fœtoris cauſa immediata putredo eſt. 202.c.1.d
Fœtor à prohibita tranſpiratione oritur. 645.c.2.c
Fœtoris cauſa quæ? 652.c.1.a
Fœtus trimeſtris an iniuriis vteri reſiſtat. 496.c.1.b
Fœtus in vtero materno formatio. 799.c. 1. b. Eius nutritio. d. Quibus caſibus ſonoxius. c.2.b
Fœtu ex retento quot mala. 799.c.2.d
Fœtus mortui cauſæ. 513.c.1.c.
Fœtus prodigioſus. 919.c.2.b
Fœtus in vtero formatio, ſitus & excluſio. 944. c. 1. e. & ſeqq.
Fontanella in vtroque inguine ſponte apertæ, Gallico morbo dirè cruciatum liberant. 34.c.1.d
Fontanellarum apertione hydrops curatur. 401.c.d
Fonticulorum vſus vacuandis noxiis humoribus percommodus 32.c.2. Vide *Cauterium.*
Forma ſenſitiua virtute vegetatiuam continet. 25.c.2.d
Forma ex cœli formis quæ? 44.c.1.b
Formarum naturalium & viuentium actiones qui differant. 881.c.1.b
Forma vnius rei vnica. 666.c.1.d
Fortuna ab omnibus ſuo modo conſideratur. 910.c.1.b.e Datur in rerum natura.d. Non aduerſatur diuinæ prouidentiæ. c.2.a
Fortunæ definitio explicatur.c.2.d. & 911. Templa Fortunæ dicata. c.
Fortunæ cultus reſpuitur. 911.c.2. b. Eiúſque poteſtas in homines nulla.c. In morbis ſiue ægris nihil poteſt. e.
Foſſilia ex quibus præſentia venena deſumuntur. 794.c2.e
Fraxini ſuccus in viperam antidotus. 789.c.2.b
Frictionum vtilitas in corporibus debilibus. 53.c.1.b
Frictionum vſus corporis molem deprimit. 949.c.2.a
Frigidæ potus quibus temperamentis nocuus. 665.c.1.e. & ſeq. Vide *Aqua.*
Frigidi qui dicantur. 518.c.1.a
Frigus cerebro inimicum. 5.c.1e
Frigus an alicui functioni vtile. 577.c.1.d
Frigus extremum extinguit & corrumpit corporis partes. 86.c.1.
Fructuum vſus immodicus quos affectus ingeneret. 672.c.1.a.b.
Fructus mali ſucci ægris ſunt prohibendi 701.c1.a
Fructus fugaces qui? 672.c.1.& c.2.a
Fulmen quid, 301.c.1.e
Fungorum ex eſu ſyncope, & alia grauiſſima ſymptomata. 872.c.1.
Fungus à funere dictus. ibid. c. Vnde naſcatur. d. Varia fungorum genera. e. Signa eorum qui ab vſu fungorum læſi ſunt. c. 2. a. Quâ arte curandi. b.

G

Gagatis lapidis ſuffitus epilepſiam accerſit. 58.c.2.c
Galenus noctambulus. 28.c.1.e
Galenus quanti Hippocratis doctrinam fecerit. 97. c.2.d
Galeni temperantia laudatur. 624.c.e
Galia odoramenti genus, vnde, & cui vſui. 15.c.1.d
Gallico morbo perpurgando fontanellam in crure aperire perutile. 34.c.1.c. Vide *Morbus.*
Galli gallinacei vis mira in baſiliſcum. 806.c.1.e
Gaudium febrem aliquando excitat. 616.c. 1. b. Pulſum immutat. 897.c.2.a
Genu tumor antiquus qua arte curatus. 570. c. 1. e. Cur huic parti tumores accidunt. c.2.b
Genua à frigiditate & flatu dolorifica quibus curanda. 572.c,1.
Genu rigor cauſtico curatus. 576.c.2.c
Generatio ſimplex iuxta Ariſtotelem quæ? 643.c.1.d
Generationis impedimenta enumerantur. 517.c.1
Gingiuarum vſus. 923.c.2.a
Glandularum definitio. 943.c.2.e. Vſus. ibid.
Glandis ſubſtantia & vſus. 931.c.1.a
Glans pituitaria quæ, & vnde ſic dicta. 937.c.1.e
Globus cryſtalliformis tuſſi proiectus. 249.c.1
Gonorrhœa nocturna quibus curata. 530.c.1
Græci pilularum inuentores quas multis nominibus nominarunt. 3.c.1.e
Grauidarum comitialis morbus, à parte ceſſat. 58. c. 2.c. Ab earum vteri prauis vaporibus oritur. 59.c.1. b. Quid ſi vehemens, & fœtus periclitetur. d. Sanguis è talo mittendus. c. 2. b. Debiliores in cruribus ſcarificandæ.d.
Grauidæ in omni geſtationis menſe phlebotomatæ feliciter pepererunt. 62.c.1.c
Grauidæ epilepſiâ ab vtero correptæ, ſectâ è brachio vena periere. 60.c.1.d
Grauida pſeudohydrops toto corpore ſcarificata curatur. 60.c.2.b
Grauidæ bubonem peſtiferum in inguine habentes, ſecta è talo vena curantur. 60.c.2.d
Grauidæ variolis correptæ. 168.c.1.e
in Grauidis, ſanguis aliquādo è talo mittēdus. 470. & ſeq. Vtrum in iis venæ ſectio periculoſior in primis mediis aut vltimis menſibus. 494.495
Grumus ſuppreſſionis vrinæ cauſa. Vide *Vrinæ ſuppreſſio* 431.c.1.
an Grauidis ad aborſus præcautionem vena ſecanda. 496 497. Et an periculoſior purgatione. 4.8
Guſtus veneno facilè inficitur. 967.c 2.1
Gulæ abſceſſus curatio. 160.c.1.a
Gulæ nomine quid veniat.c. Eius vlcera ſtatim curanda. c.2.d.

H

Habitus cuiuſque à Medico in eius cura ritè obſeruandus. 609.c.1.a.b
Hæmagoga herba lethalis, ſanguinis vomitum excitat. 184.c.1.b.
Hæmathitis ad cōpeſcēdū ſanguinē mira facultas. 172.c.1
Hæmatites lapis calefacit & abſtergit. 72.c.2.d
Hæmodia ſiue ſtupor dentium an propria dentium paſſio. 836.& ſeqq.
Hæmodia quibus ex cauſis. 838 c.1.b
In quo à ſtupore differt. ibi.
Hæmorrhagiâ febres ardentes ſoluuntur. 115.c.2.d
Hæmorrhagiæ miræ deſcriptio. 183.c.2.e
Hæmorrhagiâ vniuerſum corpus expurgatur. 447.c.2
Hæmorrhagia menſtrui ſuppreſſione febricitantem, neglectâ phlebotomiâ ſanat. 447.c.1
Hæmorrhagiæ criticæ præſenſio. 112.c.d. Eius ſigna quatuor

tuor præcipua. c.2.d.e
Hæmorrhoïdum ſuppreſſionis incommoda. 393.c.2.b
Hæmorrhoïdum & varicum tumores hirudinum ſuctus diſcutit. 6.c.1.e
Hæmorrhoïdibus tam ſuppreſſis quàm importunè fluentibus, fontanellæ præſens remedium. 34.c.1.e
ex Hæmorrhoïdibus ſuppreſſis melancholia orta, annua vacuatione curatur.77. c.2.c. Ex iiſdem ſuppreſſis melancholicus quidam hæmorrhoïdalibus venis ſcalpello apertis moritur. 78.c.2.e
Halo. 645.c.1.b
Hebræi cur ſuilla abſtinerent. 957.c.1.b
Hecateris herba venenata vnde nomen habet. 864.c.1.e
Eſt inexpugnabile venenum. c.2.a
Hectica febre laborantes & ſenio exeſos ſanat ac reficit. ibid.c. Elephantiaſi, Epilepſiæ medetur.e.
Hemina nouem vnciarum menſura. 41.c.2.c
Hemina Attica quid Arabibus. 664.c.2.b
Hemicrania experimento muliebri ſanata. 11.c.1.d
Hepatis muliebris cum vtero conſenſus & proprietas. 34.c.2.d.
Hepatis infirmati ſigna. 362.c.2.c
Hepatis inflammatio pro pleuritide falsò curata. 363. Alia inflammatio relaxantibus medicamentis curata Theagenem Cynicum interficit. c.2.364
Hepatis inflammatio topicis roborantibus indiget. 366. 367.c.1. Alia pro colico dolore habita venæ copioſa ſectione, & refrigerantibus curata. 367
Hepatis in phlegmone ſanguis è talo hauriendus. 368. c.1.d.&. ſeqq.
Hepate ab affecto an plures quàm à cerebro morbi. 369 c.2. Enumerantur. 370
Hepatis ſcyrrhus exquiſitus lethalis. 371. An ab eius inflammatione oriri poſſit. 372.c.2.b
Hepatis debilitas ex vrinæ tenuitate & albedine cognita. c.2.e.
Hepatis dolor vnguento curatur. 374.c.2
Hepatis affectus ſaluatellæ ſectione in initio curandi. 92, c.2.c.
Hepar caliditatem præter naturam generare nequit quamuis calidiſſimum. 625.c.2.e
Hepar venenatorum animalium vulneri impoſitum, alexipharmacum. 824.c.1.b
Hepatis ſedes. 926. c.2.d. Eius regiones duæ.e. Appellationes, venæ, arteriæ, caro, officiúmque deſcribuntur. 927.c.1.a.b.c.
Herbæ cuiuſdam ſucci in vrbe *Poſto* mira facultas. 39.c.2.b
Herpetis in malleolo curatio. 535.c.1.d
Hippocratis ſcripta obſcura & ænigmatica. 620.c.2.a
Hirci cur epilepſiam facilè concipiant 839.c.1.c
Hirudinum vſus ſcarificationū vſu commendatior. 5.c.1.d
Hirudinum ſumma vtilitas. ibid.e.& ſeqq.
Hirnes ... iticis doloribus applicatæ eos curāt. pag.5
Hirudines non cutaneum ſolùm ſanguinem, ſed & peccantes corporis humores educunt. 5.& 6
Hirudinum ſuctu phreneſis curatur. 6.c.2.c
Hirudines hæmorrhoïdalibus venis ab antiquis impoſitæ. 7.c.1.b.
Hirudo per anum in inteſtinum rectum ingrediens qua arte extracta. 7.c.1.d. Alia per naſum ingrediens hominem necat. ibid.c.2.a
Hirudines qua arte cruorem expuere poſſunt? ibid. Profundiùs agunt quàm cucurbitulæ. 8.c.1.d
Hirudines anno applicitæ grauidam nonimeſtrem epilepſia liberant. 60.c.1.e
Hiſpani in nouo orbe ſubigendo canibus vſi.840.c.2.c
Homo animalium omnium princeps: ob mirabilem ſtructuram ſuam maiorem ſubit compoſitionis varietatem quàm cætera omnia. 1
Homo an ſolus inter animantia calculo laboret. 412.c.2
Homo omnium animalium calidiſſimus. 608.c.1.b
Homo animalium medium, à principiis internis morbis corripitur. 971.c.1.b
Homo temperatus frequentius ægrotat,& citiùs conualeſcit. ibid. Omnium animalium ſanguine refertiſſimus, calidiſſimus & hæmorrhagiæ obnoxius.d.
Hominum ſtatus tres. Primi, pauperes & pauperrimi, ſuis quique morbis obnoxij. 671.c.1.d.e.& c.2.a
Homo cur in venena dominium non habuit. 792.c.1.a.b
Homo an inter cætera animantia venenis & morbis magis obnoxius. 797. c.2. a. Eius nobilitas à diuinis dotibus commendatur. b.c. Solus inter cæteras animantes cur erecta facie. d.& 798.c.1
Homines ieiuni & inſomnes diutiſſimè viuentes. 913. c.2.914.c.1.
Hominis in vtero materno formatio. 798.c.2.d.799
Homo quibus ex principiis conſtat. 799. & e. Eſt planta cœleſtis, & animal propè diuinum. 800.c.2
Homo cœleſtis planta, cuius radix in capite. 812.c.1.d
Homo cur rabiei cæteris animantibus minus obnoxius. 846.c.2.
Hominis inter ſerpentem diffidium ex ſaliua humana conſtat. 903.c.1.c
Homo an cæteris animantibus magis flatuoſus. 947.c.1.e
Hordeum quale ad ptiſanæ vſum requiritur. 225.c.2
Hoſpites carnibus rabidi porci excepti, mutuis ſe morſibus lacerant. 841.c.2.a
Humeraria in affectibus ſupra iugulum ſecanda. 91.c.2.e
Humiditates quatuor abſumptæ an Medici arte reparari poſſint. 749.c.2.& ſeq
Humidum eſt pabulum caloris. 616.c.2.d
Humores peccantes hirudinum applicatione euacuantur. 5.& 6.
Humores craſſi an epilepſiæ cauſa. 30.c.2
Humores pro medicamentorum varietate vario modo educti. 44.c.2
Humor pituitoſus in diuerſis cerebri partibus congeſtus quos affectus ingeneret? 45.c.2.e
Humorum omnium commotio trium dierum ſpatio perficitur, ex Apoplecticorum reuiuiſcentium experimento. 65.c.1.e
Humor æruginoſus vomitu concitato citò expellendus,& quo pacto. 89.c.1.d.e
Humor veneno ſimilis in corpore innaſcitur, quod experientia firmatur. 89.c.2
Humores extra renas in corporis habitu ad venas remigrant. 95.c.1.d
Humores ad ſuppurationē lenientiū ope veniūt. 106.c.2.e
Humores cur per dolorem in affectas partes confluunt. 670.c.1.e.
Humoris crudi correptio duplex. 678.c.2.a
Humores craſſi,& pingues coctione attenuātur. 679.c.1.d
Humor in corpore canū rabidorū veneno ſimilis. 848.c.2
Humorum affluentia pulſus mutat. 897.c.1.a
Humores oculorum albugineus, cryſtallinus, cryſtalloïdes, ſiue glacialis; & vitreus explicantur. 839. c.1.b. Eorum vtilitas. e.
Hydrargyri vſus mirabilis etſi à Galeno non laudatur 41.c.1.c.
Hydrelæum ex quo conſtet? 11. c. 2. e. Ex qua aqua ſit parandum. 12.c.1.b
Hydrophobia rabioſorum inſeparabile ſymptoma. 842. c.1.b.
Hydrophobiæ vera cauſa. 843.c.2.c
Hydrophobia alij moriuntur, alij euadunt. 845.846
Hydrops ex menſtrui & hæmorrhoïdalis fluxus ſuppreſſione ſæpe oritur. 392.c.1.c.393
Hydrops cur hepatis propria affectio? 626.c.1.b
Hyems bilioſorum curationi conſtituta. 609.c.1.c
Hypnale aſpidis ſpecies cuius ictus ſoporem grauiſſimum infert. 810.c.2.a. Hoc ictu Cleopatra obiit.c.
Hypochondriaci. Vide *Melancholia.*
Hypoſtaſis, ſedimentum & ſubſidentia contentorum prima differentia. 859.c.1.e

I

IAculus viperæ ſpecies ſic dicta. 706.c.2. viperâ deterior veneno. 797.c.1.a
Iberis vinum prohibitum. 598.c.1.d
Ichneumon mus Indicus,aſpidi ſerpēti infenſiſſimus.808. c.2.b.

Hermaphroditus eſt. c.
Eius pugna in Ptyam ſerpentem.d.
Ichor quid. 849.c.2.c
Icteri ſpecies triplex. 387. c. 2. e. A Veneno ortus non ſemper eſt flauus. 388.c.1.b. Vide *Morbus Regius.*
Iecur inter principes corporis partes numerandum. 815. c.1.c.
Venarum eſt & nutritionis principium.e.
Iecur ſedes eſt & radix virtutis naturalis altricis. 816.c.2.a
Iecur an maiorem habeat poteſtatem, in corporis temperamenti immutatione quàm cor. 877.c.2.d
Iecur & venæ cur non pulſent. 885.c.1.b
Ieiuni inteſtini deſcriptio. 925.c 1.b
Ignauia marceſcit corpus, & labore firmatur. 52.c.1.b
Ignis ad Lunæ cocauum non datur. 300.301.c.1
Igni conſeruando quæ conferunt. 647.c.2.b.c.d
Ignes ſubterranei Solis ope generantur. 958.c.1.a
Ignis pabulum, materia, ſubſtantia. 958.c.2.a
Iliaci doloris cauſa.b. Et curatio. 357. à Gelidæ potu ſubortus calidis ſanatur. 358.359
Ileum inteſtinum vnde ſic dictum, eiúſque officium. 925. c.1.e.
Ilium os vnde ſic dictum. 941.c.b
Imaginatio illæſa cogitatione lædi poteſt. 23.c.1.d
Imaginatio ſola in melancholia cur lædatur. 73.74.c.1
Imaginationes ob oculos vnde, & quomodo definitæ. 631.c.2.e.& ſeqq.
Imaginationis vis ex rabidi canis morſa maximè conſpicitur. 844
Imaginatiuæ ſedes. 23.c.1.a
Inæqualitatis continuæ & collectiuæ differentiæ. 188.c.2. 189.
Inappetentia quibus auxiliis cur 302.c.2
Incantationes ſanandi vim nullam habent. 157.c.1.c
Incubus epilepſiæ affectui ſimilis. 31.c.2.b
Indicationes curatrices, à morbo aëre, & naturali temperamento deſumendæ. 609.c.1.a
Infans recens natus quibus morbis obnoxius. 799.c.2.e
Infantulus rabie correptus matris vbera horret. 844.c.1.b
Inflammatio eſt de pleuritidis eſſentia. 224.c.1.c
Inflammationes mutationem pulſus cauſantur. 896. c.2.e.897.c.1.c.
Inguinum dolor ſaluatellæ dextræ ſectione ſanatus. 94 c.2.c.
Inſomnia ad ſenſum communem pertinent. 26.c.2.e
Inſomnia turbulenta epilepſiam proximam indicant. 31. c.2.a.b.
Inſulæ fortunatæ cur lacertorum dictæ. 875.c.2.c
Intemperamentum ſimplex an vrinæ colores mutare poſſit. 855.c.1.e. Vide *Vrina.*
Intemperantiæ calidæ & frigidæ an faciliùs & citiùs aliis curentur. 282.283.c.1
Inteſtinorum & ventriculi eadem eſt ſubſtantia. 20.c.2.a
Inteſtinorum ſedes. 924.c.2.d. Subſtantia.e. officium. 925. c.1.b.
Intemperamentum à Medicis quid vocatur. 607.c.1.e.
Et vnde fiat. ibid.
Intemperies quæuis ad ſimplicem moderantiam referenda. 607.c.1.a
Interpretis officium, circa res obſcuras verſatur. 3.c.1.c
Inuidus quî Baſiliſco aſſimilatur. 807.c.2.c
Inunctiones cur mãmillæ ſiniſtræ imponuntur. 877.c.2.a
Ira an in ſanguinis in corde feruore conſiſtat. 193.c.2.a
An quædam furoris ſpecies.e.
Ira percitus ſibi necem intulit. 192.c.2.a
Ira pulſum mutat. 897.c.1.e
Ira morbus eſt deformitatem inducens & curatu difficilis. 953.c.1.e
Irati hominis correctio. 953.c.1
Iris in oculo quid. 939.c.2.a
Iris. 645.c.1.b
Iſchiadis dolor quibus curatus. 548.c.2.d. Huic vſtio vtiliſſima. 560.c.1
Iſchiadis dolor à ſanguine venæ ſectione ſanatus. 569.c.1
Iſcuria. Vide *Suppreſſio.*
Iudicium in morbis quid? 968.c.1.b
Iulius Cæſar epilepſiæ obnoxius. 839.c.2.c
Iuniperi vmbra noxia. 905.c.1.b
Ius album quid? eius præparatio, & vſus. 613
Iuuenes cur difficulter inediam ferunt. 36.c.1 e
Ex eorum ventriculo inanito & exſiccato, epilepſia. ibid.

L

LAbiorum deſcriptio. 924.c.1.a
Labor corpus firmat. 52.c.1.b
Labyrinthus auris quid. 940.c.1.e
Lac recens ex vbere extractum oculorum inflammationem lenit. 97.c.2.a
Lac pro educandis infantibus quomodo eligendum. 235. c.1.& ſeqq.
Lac animalis nigri an ſuauius & calidius. 243.c.2
Quomodo eo vtendum. 244.c.1
Lac homogeneum eſt. 163.c.1.d. Eius partes. ibid.
Lac aſininum inteſtina abluit & expurgat. 639.c.2.b
Lactis ſalubritas & noxa. 960.c.2.d.961
Caprinum temperatum. b.
Hoc ſolo alimento ſuſtentari poſſumus.e.
Lacertæ in venenum Theriaca admirabilis. 876.c.2.a
Lacertæ ſiue lacerta, Latinè venabulum, ſine naſturtium multiplex. b.c.e.
Lactucæ eſus inſomniæ alexipharmacum. 24.c.2.c
Eius proprietates enumerantur. ibid.d
Lactucæ ſemen ſanguinis profluium ſedat, & libidinis æſtum.e.
Lactucæ ſuccus modicè refrigerat, & adſtringit. 121.c.1.a
Lapides in ventre pullorum hirundinis reperti, collo appenſi epilepſiam ſanant. 39.c.2
Lapidis *de porquo ſpino*, in hiſtricis felle facultas. 72
Lapides in animantium corporibus geniti quî à communibus differant? 72.c.2.e
Lapis in lingua pronatus ſermonis vſum impediens. 122. col.1.a.
Lapides an in qualibet corporis noſtri parte gigni poſſint. d.& ſeqq. Et quænam ſit eorum materia. c.2.c
Lapides & reliqua ſolida corpora quo pacto reſpirent. 649.c.1.d.
Lapis ex corde ceruino in peſtem & venena præſens antidotus. 900.c.2.b
Laryngis deſcriptio. 931.c.2.e
Laryngis cartilagines. 942.c.1.e
Laſſitudinis ſpecies triplex explicatur. 624.c.2.a
Laſſitudinis definitio. b.
Laureolæ mira facultas. 400.c.1.e
Lectio cur ſomnum concitet. 916.c.2.e
Legumina terrena, & melancholica ſunt. 53.c.d
Lentes an frigidæ. 61.c.1.b
Earum proprietates. ibid.
Lentes quale temperamentum ſortiuntur. 218.c.1
Quomodo in bilioſa pleuritide concedi poſſunt. c.2.c
Lepidium herba, aliàs naſturtium ſylueſtre qua attrahendi facultate polleat. 32.c.1.d
Leporina melancholiam auget. 54.c.1.d
Leporis ſale macerati pulmo in epilepſiã valet. 838.c.2.e
Lethargus caſtorei potu curatur. 28.c.2.e
Lethargici quibus expergefiant. 29. c.1.e. In iis venæ ſectio fugienda. ibid. quidam balneo curatus. c.2.b
Lienis morbi fontanellarum ope curantur. 33.c.2.a
Lieni laboranti ſaluatella ſiniſtra, hepati verò dextra ſecanda. 94.c.1.a
Lienis ſcirrhus quibus curatus. 379.c.2.d
Lien an aliquando vrendus. 380.c.2
Lienis deſcriptio. 929.c.1.c
Ligamentum quid. 941.c.2.d. Quot in capite ligamenta.e
Quot in ſpina. 942.c.1.a
Lingua nimium intumeſcens hirudinum applicatione curatur. 5.c.1.c
Linguæ motus inordinatus epilepſiæ ſignum. 31.c.2.a
Linguæ portentoſus tumor in ſene qua arte curatus. 120 c.1.e. hirudinum ſuctu. 121.c.1.c

Linguæ

Lingua abſciſſa ſine valetudinis noxa. 123.c.1
Linguæ nobilitas. c.2.a.b
Linguæ paralyſis ex ſcarificatione malè adminiſtrata.d.
Linguæ motus vnde? 124.c.1.a
Linguæ deſcriptio.923.c.2.d.Vſus.e.
Lipothymia pro ſyncope vſurpatur. 17.c.1.a
Lippitudini commoda purgatio? 95.c.1
Balnei vſu curata. c.2.
Lippitudo potu meraciori curata. 97.c.2.b
Lipyria Arabum in quo diſtet à Lipyria Græcorum. 216.c.2.e.217. Vide *Febris.*
Literati homines quibus ægritudinibus obnoxij. 81. col.2.b.
Liuidus color duplex. 858.c.2.e
Liuor à frigiditate duplici modo oritur. 858.c.1.d.c.2.b
Lolij vis malefica. 871.c.1.a.d
Lolium quid.b.
Lolium vnde ſomnum prouocet. 871.c.2.a
Lotij ab vrina diſtinctio. 849.c.2.d
Lumborum dolor à melancholio dolore, vrinæ nigræ excretione ſanatus. 407.c.2.
Lumborum in morbis venæ ex talo ſectio celebranda. 407.c.2.e.
Lumbi quot vertebris conſtent. 941.c.1.d
Lumbricus 12.cubitorum caninam famem inducens. 303. col.1.
Lumbricorum ad curationem dulcia reprobantur. 305. col.1.c.
Lumbricorum differentiæ tres. 360.c.2.b
à Lumbricis exeſi quidam, & conuulſi interierunt. 361. col.1.e.
Lunæ ad motum an decretorij dies referendi. 981.c.2.c.
Quare per ſuas quadras hæc inferiora mutat. 982.d
Lutum Ægyptiacum plurimis morbis vtiliſſimum. 957. col.2.d.
Luxationis differentiæ. 418.c.1.d
M
MAgiſtratuum auaritia carpitur, qui incantatores & pythoniſſas, fatuóſque,& deliros Medicos agitem exercere patiantur. 113.c.2.c
Magnetis vis occulta. 113.c.2.c
Magnes Æthiopicus alium magnetem attrahit. 45.c.1.a
Magnetis motus naturalis eſt. 880.c.2.a
Mala punica cruentæ excretioni an accommoda. 172.c.2.c
Maleficia ad curandos morbos irrita. 157.c.2.b
Malua epilepticis contraria. 50.c.1.c
Mammarum cum vtero ſocietas, & conſenſus. 34.c.2.c
Mammillarum cancer annua purgatione ſanatus. 231.c.1.e
Mammarum ſubſtantia & vſus. 934.c.2.a
Mandibularum inflammatio in dentium dolore quibus curanda. 120.c.1.b
Mania quid! 840.c.2.d
Manna quod purgamenti genus. 618.c.2.b
Mannæ generatio vnde. 950.c.1.c
Mannæ apud Arabes duplex genus. 950.c.2.d
Manna Græci quid? 949.c.2.e. Quid Hebræis. 950.c.1.a
Mannæ expurgatricis facultates. 950.c.2.e.951.c.1.a
Mannæ Iſraëlitis cœlitùs demiſſi natura explicatur. d.e. & col.2.
Manus dextra emunctorium iecoris, & ſiniſtra lienis.93. col.2.e.
Manus inflammatio ex pondere,alio in altera manu pondere geſtato curata. 274.c.2
Manuum cum viſceribus conſenſus. 94.c.1.d
Maraſmus quibus curatur.743.c.1. Duplex eſt. c.2
Maraſmus ſenectutis quid,& quibus auxiliis in iuuene eo laborante curatus. 748.c.1
Margaritarum vſus commendatur. 73.c.1.d
Maſtiche alopeciam ſanat. 2.c.2.b
duræ Matris deſcriptio, & vſus. 936.c.1
Tenuis, ſiue piæ. c.2.a
Matrona triginta quinque annorum ſpatio inſomnis, & citra noxam. 25.c.1.e
Maturatio quid. 299.c.1.c
Maturatio eſt coctio quæ circa inutilia verſatur. 678.c.1.e
Maxillarum deſcriptio. 940.c.2.d
Mecnas triennio inſomnis. 25.c.1.b
Mechoaca radix inſipida,& ordine tertio calida. 72.c.2.e
Mediaſtini inflammatio venæ copioſæ ſectione curata. 223.c.1.
In eo vera pleuritis generatur. c.2.e
Mediaſtini deſcriptio. 934.c.1.e
Medica ars commendatur. 891.c.2.e
Medicamenta rubificantia pilis generandis aptiſſima. 3.c.2.c. Quare ſic dicta. ibid.d.
Medicamenta purgantia ſimilitudine ſubſtantiæ ſuæ humores attrahant.42.col.2.a. Quæ ſimilitudo in modo mixtionis elementorum conſiſtit.e.
Medicamenta purgantia à creatione humores ſibi ſimiles attrahendi proprietates acceperunt. 44.c.1.d.e
In quatuor claſſes diuiduntur. c.2.b
Medicamenta ex ſapore dignoſcuntur. 72.c.2.d
Medicamenta frigida oculis auribus calida applicanda. 97.c.1.e.
Medicamenta purgantia febrem accendant. 109.c.1.e
Medicamenta vrentia pro curanda diſtillatione an capiti admouenda. 177.c.2. Periculoſa ſunt. ibid.
Medicamenta purgantia certos, & determinatos humores attrahunt. 388.c.2.& ſeqq.
Integros humores quantitate peccantes euacuant. 390.c.1.e.391.
Medicamentorum vires ad temperatum hominem commenſurandæ. 606.c.2.e
Medicamenta per quid operantur. 666.c.2.a
Medicamenta conſueta non purgant. 668.c.1
Medicamenta calida ſomnum prouocantia. 871.c.2
Medicamenti clam aſſumpti præcognitio. 953.c.2.d
Medicina à Legiſlatoribus, fœminis non interdicta. 11. c.2.b.
Medicinæ ars cur impræſentiarum vileſcit. 114.c.1.a
Medicina ad mediam hominis temperiem referenda. 606. col.2.e.
Medicùs vinum redolens ægro capitis dolorem adauget. 9.c.2.
Medici prudentia in rimandis occultis ægrorum affectibus. 67.c.1.d.68.c.1.c
Medicus circa deſperatos morbos generoſus eſſe debet. 111.c.2.e.112.c.1.b.
Medicus inſcius ægrotanti altera fera. 113.c.2.a
Medici garruli,& nugaces à cōſiliis explodendi. 113.c.2.c
Medicus naturæ operum gnarus & miniſter eſſe debet. 114.c.1.c.
Medicus an pulſus omnes partes percipere poſſit. 887. col.1.e.
Medicus venenum nec propinare, nec indicare debet, quod illuſtri exemplo comprobatur. 903.c.2
Medici Dij tutelares, & Deorum filij dicti. 904.c.1.a
Humanæ vitæ defenſores.b.
Medicamenta Deorum manus. 904.c.1.a
Medicis ars anatomica perneceſſaria. 922.c.1.a
Medice cura te ipſum, Prouerbium explicatur. 624.c.1.c
Medicos ex intemperantia, gula, ingluuie, comeſſationibus, ægrotare vitioſum.d.
Medico an anatomica cognitio magis neceſſaria, quàm Chirurgo. 945.c.1.& 2
Medicus ægrorum calliditates, & verſutias callere debet. 954.c.1.a
Medimnus trium modiorum menſura. 661.c.1.d
Meditatio cur ſomnum concitet. 916.c.1.c
Medulla eſt oſſium alimentum. 171.c.1.c
Medullæ dorſalis vnde oritur. 816.c.1.b.c
Mel Scilliticum ad epilepſiæ præſeruationem præſtantiſſimum. 56.c.1.d
Mellis venenati eſu quidam emortui. 864.c.1.a
Mel venenatum vnde? b. Qua arte cognoſcitur.c.
Mel ex Rhododendri flore venenatum.d.
Mel apud Trapezuntem in Ponto ex buxo defluens. ibid.
Mel quibuſdam noxiū,aliis ſalutare alimentum.969.c.1.b
Eius generatio.d. Qua arte parandum. c.2.a
Mellis varietas. 959.c.2.e

Quod

Quod præſtantius. ibid.
Eius vſus. 960
Melancholia hirudinum ano impoſitarum ſuctu curatur. 7.c.1.a.
Melancholia tabeſcens, induſtriâ liberatur. 66.c.2.e
Melancholiæ cauſa, & quæ ſecum mala inducat. 67.c.1.b
Melancholia ex vitioſæ aquæ potu, cardiacis curata. ibid. col.1.e.
Melancholia auri potabilis vſu curata. 70.c.1.b
Melancholiæ quæ medicamenta conferunt. 74.c.2.a
Bryoniæ radice curatur. 76.c.2.b
Melancholia ex ſuppreſſis hæmorrhoïdibus orta, annua vacuatione curata. 77.c.2.c
Melancholia ex amore mirabilis. 79.c.2.b
Melancholicorum hiſtoriæ variæ. 74.c.2.75.c.1
Melancholicus ſe algidum putans, artificioſè curatus.75. c.1.c.
Alter de peccatorum ſuorum remiſſione deſperans, Angeli fictitij induſtriâ, euaſit.d.
Melancholici affectus hirudinum applicatione curantur. 6.c.2.a.
Mellapia quaſi mala Appia, eorum proprietas. 68.c.2.d
Membranarum ſubſtantia, & vſus. 942.c.2.c
Membrana carnoſa, eiúſque vſus. 994.c.1.e
Membra ſolida ſolidis alimentis, non odoribus nutriri poſſunt. 18.c.2.e
Membra inexercitata inualida fiunt. 52.c.1.d
Membrum præ frigore mortuum qui à paralytico diſtinguatur. 86.c.2
Membra principalia quæ? 812.c.1.a
Membri virilis deſcriptio. 931.c.1.a
Memoriæ ſedes. 23.c.1.a
Memoria ex nimio labore, & inedia amitti poteſt. 82. col.1.c. c.2.a
Qua arte reſtauratur?
Ex ſæua peſte lædi poteſt. 83.c.1.a
Mendici cuiuſdam Mercurio vtentis malitia. 129.c.2.e
Meningum inflammatio phrenitidis cauſa. 15.c.a.b
Meningis duræ deſcriptio. 936.c.1.b
Vſus. e. Tenuis. c.2.a
Menſis octauus grauidarum infeliciſſimus, & vacuationibus ineptus. 60.c.1.c
Menſis medicinalis qui. 981.c.2.c
Fictitius eſt. 982.e.1.c
Menſtruorum retentioni quid conferat hirudinum ſuctus. c.6.c.2.b
Menſtrui ſuppreſſio diuturna, copioſa venæ ſectione curata. 440.c.1
Menſtruorum antiqua ſuppreſſio an incurabilis. 441.c.2
An recenti periculoſior. 442
Menſtrui ſuppreſſio, neglecta venæ ſectione mortem intulit. 444.c.2
Menſtrui ſuppreſſioni ſuperueniens è naribus ſanguinis profluuium, an vtile. 447.c.2
Menſtruo retento laborantes aquæ niuis hauſtu & venæ ſectione curatæ. 449.c.2.d
An in eo morbo à medicamento purganti inchoandum. 431.c.2.b
Menſtrui ad prouocationem an vnguentum de chalybe ſit ex vſu. 453
Menſtrua violenter retenta in quæ pericula inducunt 454.455.
Menſtruo ex ſuppreſſo orta ſymptomata an ritè Galenus deſcripſerit. 461.c.2.462
Menſtrui ſanguinis conditio peſſima & virulenta, ex cuius prauitate fœtus inficitur. 799.c.1.e.c.2.a
Mercurialium vnguentorum vis & malignitas. 129.c.1.c
Mercurij ex vſu mors ſubſecuta. 129.c.2.a
Non eſt venenum à tota ſubſtantia.d.
Gallico morbo curando, & aliis multis vtile. 130.c.1
In potum aſſumendum. c.2.d
Saliuâ humanâ præparatur. 131.c.2.a
Meri incommoda. 97.c.2.e
Merum in oculorum inflammatione qui poſſit eſſe ex vſu. 98.c.1.a.b
Meſenterij, ſiue Meſaræi deſcriptio. 925.c.2.d
Metallorum natura, & communia principia. 13.c.2.d
Metallorum impuritas medicamentorum virtuti officit. 40.c.2.a.
Metalla igneam ſubſtantiam habent. 70.c.1.a
Metalla qua ratione corrumpantur. 642.c.1.e
Metatarſus quid. 941.c.2.c
Metreta, vel cadus vini quid? 661.c.1.d
Mithridàtes nullis venenatis potionibus obnoxius. 47. c.1.e.
Mithridaticæ compoſitionis vſus, & excellentia. 875. c.1.b.c.
Mixtionibus naturalibus formæ ab initio à Deo conceſſæ. 43.c.2.b
Item & proprietates.c.
Amicitiæ, ſiue ſympathiæ. ibid.
Mixtio quomodo, & à quo fiat? 643.c.1.a.b
Moderatum duplex. 889.c.1.c
Modius decem ſextariorum menſura. 661.c.1.d
Morbilli in omni ætate, ſed pueritia præcipuè inuadunt. 800.c.1.b.
Morbi pertinaces an remediorum immutationem exigant. 4.c.2.c
Morbi vernales omnium mitiſſimi. 78.c.2.b
Morbi licèt conclamati à Medico non deſperandi. 111. col.2.e.
Morbus cuiuſlibet generis ad quem ſcopum referendus. 606.c.2.d.
Morbus ab exceſſu qui differat. 607.c.2.b
Morbus quilibet à naturali ægrotantis habitu metiendus. 609.c.1.d
Morbus inde petendus vnde ſanitas expectatur. 609. col.2.a.
Morbus quid? 627.c.1.a
Morbus ad ſui curationem contrarium requirit. 629 col.1.d.
Morborum priuſquam innoteſcant curatio auxiliis communibus inchoanda. 629.c.1.e
Morborum tempora quomodo conſideranda. 655.c.1.e & ſeqq.
Morbi ſalubres, & lethales, ſecundùm magis, & minus. 656.c.2.c.
in Morbis quomodo duo æqualiter concurrant. ibid.d.e
Morborum ſymptomata alia vniuerſalia, alia particularia, vtrique explicantur. 567.c.2.a.b
Morbus ſimilaris quid? quid organicus. 824.c.2.c.d
Morbus calidus, & frigidus ratione materiæ, & formæ conſiderandus. 866.c.1.a
Morbi definitio excutitur. 866.c.2.& 867
Morborum diuiſiones examinantur. c.2.a
Morborum genera quatuor explicantur. 868.c.1.e
Morbi formæ qui. 869.c.2.c
An dentur morbi materiæ. 870.c.1.
Morbi corruptelæ dicti explicantur. 870.c.2.c
Morbi venenati an ad aliquod morborum ſimplicium genus reducendi. An ad morbos formæ, & materiæ.864. c.2.d.& ſeqq.
Morbus, & ſanitas quo pacto inter ſe contraria. 864. c.2.d.
Morbus Regius ex veneno contractus belzaarticis medicamentis curatus. 898.c.1.d
Eius origo. c.2.b.c
Curatio.e.
Morbus nouus, caro ex naturalibus partibus prolapſa. 919.c.1.e.& ſeqq.
Cum Gallico reponitur. 920.c.1.b
Morbi Gallici variæ appellationes. 124.c.2.a
Cur dictus variola magna.b.
Quæ ſecum inuoluat mala. c.d.e.
Vetuſtiſſimum morbi genus. 125.c.1
A Galeno cognitum.d.
Qua arte antiquitùs curatum. c.2.e
An ab immodica venere oriri poſſit. 126.c.1.d
Omnis generis febres experitur. 127.c.1.c
Mercurialibus vnguentis curatur. 129.c.1

in Morbo Gallico vnguentum Mercuriale applicandum 131.c.1.b.
Recens probatius. d
Morbus Gallicus eſt contagioſus ad diſtans. c.2.b
Morbus Gallicus an ſyphilidis nomine ſit nuncupandus. 920.c.1.d.
in Morbis frigidis vini vſus commendatur. 954.c.1.d
Morbus veruecinus qui? 929.c.2.d
Morbili à principibus Medicis Græciſque cognitiæ. 165 c.1.d.
Vide *Variolæ*.
Mors naturalis non eſt putrefactio. 643.c.2.a
Mors an cordis paſſio. 717.c.2.e.818
Mors an ad quamuis cordis intemperiem ſequatur? 819. col.2.
Mors naturalis quæ dicatur. 952.c.2.d
Morſus venenoſi ſuctu, cucurbitulis, & ſcarificatione curantur. 793.c.2.b.c
Item hirudinibus, vſtione.d.e.
Et aliis auxiliis. 764.c.1.b
Morſus rabidus quibus experimentis proberur. 84
Mortificationis membrorum origo. 86.c.1.e
A paralyſi ex colore diſtinguitur. c.2.b.d
Mortificationis à frigore curatio.e.
Moris ſiue conſuetudinis vis & efficacia explicatur. 963. c.2.e.
An aliquando mutandus. 964.c.1.a
Quando mutandus.c.
An naturæ indicationi præferendus.d.
Moſchus in Indici animalis vmbilico generatur, & qua arte paretur. 24.c.2.d.e
Vis eius cardiacis affectibus curandis, cerebro muniendo, hepati & ventriculo firmandis mirabilis. 21. c.1.a.
Contagioſis venenatiſque morbis arcendis percommodus.b.
Motus voluntarij præcipuum & immediatum inſtrumentum aſſignatur. 546.c.2.& ſeqq
Motus caloris & combuſtionis cauſæ. 615.c.2.b
Huius rationes inueſtigantur.c.d.
Fit ex extennatione & rarefactione aëris. 615.c.2
Motus animi febrem excitant. 616.c.1.b
Motus animalis & vitalis ſimilitudo. 634.c.1.c
Motus à calore ambientis excitatus minor eſt illo qui eſt in re quæ mouetur. 647.c.1.c
Mota minus putreſcunt, quàm quæ puteſcunt. Problema explicatur. ibid
Motus localis & alterationis explicatur. 647.c.1.c
Motus grauium ſurſum à vacuo, vnde,& à quo principio. 669.c.2.d.
Motus voluntarij organa duo. 804.c.1.e
Motus & ſenſus ſimul operantur. ibid
Motus cordis naturalis eſt. 879.c.1.c
Vide *Pulſus*.
Motus omnes ſpecies in corde reperiuntur. 880.c.1.d
Motus naturales corporum, ipſorum formas ſequuntur. 880.c.1.e.
Motus noſtrorum corporum triplex, naturalis,animalis & ex vtroque mixtus. 88.c.2.c
Motus naturalis duplex.b.
Motus animales à voluntate pendent, naturales neceſſarij. 883.c.2.b
Motus cordis ex naturali & animali componitur. ibid.c
Mulæ vini potu calcitroſæ eſſe deſinunt. 908.c.2.a
Mulier an viro calidior. 429.430
Mulieres an in viros verti poſſint. 467
Quædam barbaræ. c.2.a
Mulieres menſtruatæ ſolo intuitu pueros lædunt. 510.c.1
Mulieres cur ebrietate vix tententur. 599.c.2.c
Mulſa oculorum denſitatem curat. 98.c.2.b
Mundus inferior ſuperiori continuus eſt. 880.c.2.b
Muſculus an præcipuum motus voluntarij inſtrumentum. 547.c.1.e.& ſeq
Muſculi voluntarij motus auctores. 825 c.2.e
Sex in vno quoque oculo, & eorum officium. ibid. & 826.a.
Septimus viſorium neruum continens. ibid.
Muſculi palpebrarum quot. 830.c.2.a.& ſeq.
Muſculorum temperatura. 942.c.2.e
Quinque & quadringenti recenſentur. 943.c.1.c
Eorum vſus. d. & ſeqq.
Muſculi conuulſio an viſui incommodet. 828.c.2
Muſculi oculorum deſcribuntur. 938.c.2.c
Muſica melancholiæ & viperarum morſibus præſidium. 789.c.2.d.
Item Tarantulæ. 790.c.1.a.b
Muſicæ vis ad cerebri diſpoſitionem. ibid.d
Et morborum curam.e.
Muſtelæ cineres epilepſiæ medentur. 839.c.2.d
Mutationum in morbis differentiæ. 968.c.1.c

N

NApellus venenum præſentiſſimum. 873.
An eo nutriri quis poſſit. c.1.b.c.2.c
Napellus Arabum quis? d.e.
Narcotica an tutius in cauſa calida, quàm frigida aſſumenda. 103.c.2
Naſturtij ſylueſtris maxima attrahendi facultas. 32. c.1.d.
Naſi conſtitutio, muſculi, cartilagines, cutis. 935. col. 1.d.e.
Nationes à vino temperantes. 598.c.1.d
Natta,ſiue Napta apoſtematis ſpecies. 170.c.2.a
Natura præcipua morborum curatrix, quæ artem ſolùm miniſtram habet. 65.c.1.d.98.c.1.a.672.c.2.c
Naturæ in expugnandis morbis vis & efficacia. 194 c.1.e.
Naturæ ordo à facilioribus ad difficiliora procedere.633. c.1.d.
Naturæ indicatio, an conſuetudini præferenda. 964 c.1.d.
Naturalis acceptione quid veniat? 917.c.1.e
Quid ſecundùm naturam. 918.c.1.a
Quid non naturale. ibid.c
Nauſimenis Athenienſis vxor viſo liberorum ſuorum ſtupro aphona facta. 195.c.2.e
Nenupharinum oleum, lactucarúmque eſus ſomni reſtaurationi profunt. 23.c.2.e.24.c.1.e
Nephele quid? 859.c.1.e
Nephritici doloris à colico diſtinctio. 352.col.1.d.& ſeqq.
Huic fonticulus in crure vtiliſſimus. 354.c.2.e
Neruorum contuſio ſine cutis vlcere quo pacto curanda. 85.c.2.e.
Nerui pedum & brachiorum temperamento diuerſi. 86 c.1.d.
Neruus auditorius à quinta côniugatione exoritur. 99
Nerui vocales qui, eorúmque munus. 495.c.1.b.c
Cur reuerſiui dicti.e.
Nerui reuerſiui infrigidati vocem lædunt. 196.c.1.c
Nerui quibus medicamentis curandi.d.e.
An eorum vulneribus oleum applicandum. col.2.c. & 197.c.1.
in Nerui ſunt meatus per quos ſpiritus diſtribuuntur. 802.c.2.b.
Neruorum origo. 803.c.2.a.804.c.a
Eorum triginta paria.b.
Neruorum ſenſoriorum munus. 803.c.a.d
Ad motum inepti.e.
Neruorum motoriorum officium. ibid.
Nerui omnes ad tactum conferunt. ibid.
Ideò ſunt terreæ ſubſtantiæ. ibid.
Eorum diſtributio. ibid.& 804.c.1.b
Nerui omnes à cerebro oriuntur. 812.c.1.b
Nerui optici vnde ſic dicti. 826.c.1.c
Vnde oriuntur. 937.c.2.a
Nerui appellatione quid veniat. ibid.
Eorum variæ coniugationes aſſignantur.d.e.
A ſpinali medulla qui oriantur. 938.c

Nerui recurui, reuerſiui ſiue recurrentes qui? 938. c.1.b
Neruorum opticorum vtilitas. 939.c.2.b
Nicotianæ ſuccus alopeciam curat. 3.1.c.b
Nicotianæ ſyrupus epilepſiam. 57.c.1.a
Noctambulorum affectus ex imaginatione eſt. 48.c.2.b
Quàm periculoſus. ibid.
Eius curatio.c.d.
Nominum diuinorum vis ad morborum curationem, & Dæmonum fugam. 157.c.2.e
Qui ea mendacio aut periuriis inquinant, ſacrilegi ſunt. ibid.
Nonimeſtris mulier epileptica hirudinum ſedi applicitarum ope liberatur. 60.c.1.e
Nutritio corporeis rebus perficitur, non odoribus. 17. c.2.a.
Nutritio per pororum contactum quî poſſit fieri. 19. c.2.b.
Nutritio non ex iis fit quæ bibuntur aut eduntur, ſed ex iis quæ in ventriculo concoquuntur. 310.c.1.c
Nutrix quo pacto eligenda. 235.c.1.d.& c.2
Quibus eam viuere, exerceri, &c.conueniat.d.
Menſtruatam eligere perniciofum. 236.c.1.e
Nutrix an pro infantium curatione purganda. c.2.c
Quibus purganda. e.& 239.c.1
Nucum olei facultas.
Vide *Oleum*.
Nympharum vteri vſus. 931.c.2.a

O

Obeſitas corporis qua arte curanda. 949.c.1.d
Obeſi cur citius moriantur, quàm graciles. 948. e.2.c.
Obliuio epilepſiæ ſignum. 31.c.2.a
Obolus pondus eſt medij ſcrupuli. 101.c.2.e
Obſtructio vnde oritur. 190.c.2.d
Obſtructionis cauſa multiplex. 357.c.1.d
Obſtructiones ex plenitudine, ſanguinis miſſione, & ex craſſis & viſcidis ſuccis,attenuantibus remediis curantur. 636.c.2 d.e
Obſtructio putredinis cauſa. 644.c.2.e
Obſtructionis cauſa triplex. 645.c.1.c
Obſtructio lænium arteriarum. Vide *Arteria*.
Occiput an cauſticis,aut candentibus ferramentis inurendum aut traiiciendum. 35.c.1.e
Affirmatur. c.2
Oculorum morbi hirudinum ſuctu leuantur. 6.c.1.e
Oculorum affectus cauterijs curantur. 33.c.1.e
Oculorum inflammatio ipſos aliquando à ſede deiicit.90. c.1.d.
Venæ ſectione ſanatur. c.2.b
Oculorum dolores & inflammationes à calido humore oriuntur. 92.c.2.a
Curatu difficiles. ibid.
Saluatellæ ſectione leniuntur.b.
Oculis affectis medicamenta frigida congruunt. 97.c.1.e
Oculi excellentiæ. 96.c.1.b
Oculi denſitas mulſæ ope curata. 98.c.1.d
Oculi quot morborum generibus obnoxij. 98.c.1.e
Oculorum rubedo vnde. 106.c.1.a
Oculus dexter cur ſiniſtro obtuſior. 210.c.1.e
Oculi color vitioſus an morbus, vel ſymptoma. 384.c.2 385.c.1.
Oculorum ex qualibet peruerſione an læſio in viſu contingat. 825.826.& ſeqq.
Oculorum muſculi & eorum officia. 826.c.2.e.827
Oculi cur palpebris tecti, & inferior palpebra non moueatur. 829.c.1.c.& ſeqq.
Oculorum cum corpore & ſtomacho communicatio.833. c.1.e.
Oculorum ſenſus excellentia. 833.c.2.e
Omnium eſt acutiſſimus & eius vis ignea. 834
Oculorum conſpectus corporis & animi affectiones indicat. 834.c.2.a
Oculi ad Dei contemplationem non eleuant.b.
Oculus in corpore eſt, quod mens in anima. 834.c.2.d
Quo ſol & luna in cœlo. ibid
Oculi fabrica. 938.c.2.939
Odor quo pacto nutrit, & ſpiritus inſtaurat. 10.c.1.c
Omnium morborum potiſſimum medicamentum. ibid
Odor non nutrit iuxta Ariſtotelem. 17.c.1.d
Fumus eſt & caligo. ibid
Odor quî dicitur corporeus & quo pacto nutriat.17.c.2.a
Et fumoſa euaporatio.b.
Quomodo ad Odoratus organum deferatur.c.
Odor eſt ſpirituum alimentum. 18.c.1
Odoris tetri incommoda. 68.c.1.a
Odoratus venenum communicatur. 796.c.2.a
Odorifera vniuerſo corpori admota quid iuuent. 17.c.1.c
OEnuta herba cerui inebriantur. 908.c.2.b
Eadem eſt quæ œnanthe, & œnagra.c.
OEſophagi deſcriptio, & vſus. 924.c.1.c
Olei roſacei omphacini, ſiue incompleti vſus & proprietates. 14.c.2.b
Item completi, ſeu maturi vtilitas.c.
Oleum omphacinum neruorum vulneribus accommodum. 197.c.1.c
Oleum ſanguinis humani comitiali morbo & aliis exitioſis medetur. 41.c.1.d
Oleum ex vitellis ouorum in aurem iniectum dolorem ſedat. 99.c.1.e
Oleum de ſemine cannabis aurium ex frigiditate dolorem ſedat.
Olei ex vitellis ouorum ad hepatis dolorem ſedandum facultas. 375.c.1.e
Item olei nucum.d.
Olei proprietates. 357.c.2.b
Oliuæ proprietas in extrema menſa. 51.c.1.a
Omentum quid, & ad quem vſum à natura deſtinatum. 286.c.1.c.
Omenti deſcriptio. 926.c.1.a
Omotarichus viperarum morſibus opitulatur. 796. c.1.c.
Onor Indicæ inſulæ temperies. 963.c.1.a
Opij ab aliis medicamentis non tollitur efficacia, ſed corrigitur. 49.c.1.a
Opium abſque aliis medicinis necat. 48.c.2.d
Eius ſubſtantia, & actiuitas. ibid
Opium amarum & frigidum. 72.c.2.e
Opij vſus periculoſus & præcipuè incorrecti. 102.c.1
Eius vis quomodo retundenda.e.
Opium incorrectum in potu aliquando exhiberi poteſt. 101.c.2.
Opium febribus ardentibus ſalubre. 102.c.1.a
Eius temperamentum. b.c.
Opium incorrectum quando tutò exhiberi poſſit. 203. c.2.a.
Opium extra appoſitum necat. 898.c.1.b
Quibus præſidiis occurrendum. c.
Ophthalmia dira copioſa ſanguinis miſſione curanda. 90. c.1.b.c.2.91.c.1.c.
Niſi vlcus adeſſet. ibid
Ophthalmia ex ſquallido hepate dextræ ſaluatellæ ſectione curata. 94.c.1.e
Oppoſita paſſiua quæ, & cur ſic dicta. 677.c.1.b
Ordo in pulſu quid & quomodo obſeruandus. 892.c.2.a
Vide *Pulſus*.
Orthopnœa curatu difficilis. 191.c.2.d
Oris medicamenta qualia eſſe debent. 139.c.1.d
Oris conſtitutio. 923.c.1.e
Oris fœtor vnde. 201.c.2.a
Vide *Fœtor*.
Oris tortura.
Vide *Tortura*.
Os in dorſo pronatum purgatione eximitur. 169. c.2.e.
Oſſa medulla nutriuntur. 271.c.1.c
Oſſa ſenſu etſi craſſo & obtuſo non deſtituuntur. 837. c.1.b

Os in corde cerui quibus affectibus vtile. 73.c.2.c.d

Os in corde cerui præſtantiſſima in venenatos morbos antidotus. 900.c.1.d.e

Item aliæ eius proprietates. c.2.a

Oſſis cribroſi vſus. 935.c.2.a

Oſſium capitis deſcriptio. 940.c.1.e

Oſſis ſacri deſcriptio. 942.c.1.d

Oſſis ſacri cartilagines. ibid.e

Oſtrum quid? 284.c.2.d

Ouorum crudorum medicamenti vires. 416.c.1.c

Ourachus quid. 945.c.1.b

Oxalidis vſus in rabiem. 647.c.1.c

Oxicratum cur craſſis humoribus attenuandis profit. 872. c.2.d.

Oximelitis facultas viſcoſorum humorum tenuatiua. 56. c.1.e.

Oxymel quomodo vomitum concitet. 276.c.1.b

P

PÆoniæ collo appenſæ facultas in epilepſiam. 38.c.1

Palatum ſiue oris cælum. 923.c.2.a

Palpebræ inferiores immobiles creatæ an ad oculi custodiam. 829.830

Cur iis deſtituta animalia. 829.c.2.a

Palpebrarum officium. 829.c.2.b.942.c.1.d

Aues inferiorem palpebram mobilem habent. ibid.e

Palpebrarum muſculi. 830.c.2

Palpitatio cordis, eiúſque curatio. 251.252

Quomodo definitur. c.2.a

Eius cauſa.b.

Eſt verus cordis affectus. 253.c.1.c.& ſeqq.

Palpitatio vnde oriatur. 254.c.1.e

Panis azymus an melior fermentato. 238.c.1.b

Qua arte parandus. coquendus. c.d.

Qui probatior. c.2.b

Panis recentis odor tabidis vires, ſpiritibus alimoniam præſtat.c.

Panis cruſta reproba & mali ſucci. 239.c.1.a

Panis fermentatio quid? vbi fermenti natura explicatur.b.c.

Panis ſimilacei differentia quadruplex. 242.c.1.e

Panniculum carnoſum ad quem vſum. 944.c.1.e

Papaueris ſemen in vſu, & præcipuè cremor ſeminis in febribus ardentibus. 101.c.2.e

Papularum magnarum nomine quid veniat. 165.c.2.a

Quid papularum paruarum. 167.c.1.a

Papyrus exuſta exiccandis vlceribus apta. 4.c.1.e

Paralyſis aliquando ex epilepſia. 30.c.2.e

Paralyſis ex colico dolore fieri poteſt. 83.c.1.c

Id exemplis comprobatur.d.

Qua ratione curanda. c.2.b

An intemperie calida & ſicca immediate oriri poſſit. d. & 84.c.1.

Paralyſis ex frigore contracta, vnctione curata. 84.c.2.a

Eius cauſa à frigido intemperamento. c.

Quibus auxiliis ſanetur? 85

Paralyſis quî à mortificatione diſtinguatur. 86.c.2

Paralyticus frigidis medicamentis perſanatus. 83.c.2.c

Pardalianches venenum vnde ſic dictum. 144.c.2.b

Parotidum differentiæ tres. 104.c.1.c

Earum curatio.d.e.

Parotidum curatio an per reſoluentia,repellentia aut ſuppurantia facienda. 106.c.2.c

Partes ſupra iugulum affectæ, humerariæ ſectione leuandæ. 91.c.2.d.92.c.1

Partes dextræ ſiniſtris præſtantiores. 215.c.1

Acutius ſentiunt. c.2.b

Partes internæ an extimis calentibus frigeſiant. 217.c.2

Partium corporis humani in vtero materno conformatio. 799.

Pars corporis omnium aliarum princeps quæ dicenda. 811.c.2.a.

ex Partu violento quæ incommoda. 799.c.2.d

Partus iudicium quale. 971.c.1.c

Duplex eſt, naturalis & præternaturalis.d.

Inter vtrumque differentia. ibid

Paruli propriè qui dicendi, & an in iis ægrotantes ſanguinis miſſione curandi ſint. 141.c.2.e

Paſſiones animi diuturnæ febres & alia ſymptomata pariunt. 616.c.1.e

Pauperum ſiue laborioſum hominum habetur affectus. 671.c.1.e.

item Pauperrimorum. c.9.2.a

Pauſanias Sophiſta qua induſtria à paralyſi conualuit. 85. c.1.e.

Pectoris calculus tuſſi proiectus. 248.c.2.d

Pedum œdema ſalis fomento curatum. 587.c.2.b

Pedes pituitoſis tumoribus obnoxij.e.

Pedis in partes diuiſio. 941.c.2.c

Pepones, bilioſos morbos generant, & in bilem conuertuntur. 53.c.2.b

Pericardij inflammatio periculoſa. 255. col.2. c. & 256. c.2.b.

Pericardij ſubſtantia, & vſus. 933.c.1.e

Perinæum quid, eius inflammatio quibus curanda. 434. c.1.c.

Peritonæi deſcriptio. 926.c.1.e

Subſtantia.d.

Vſus.e.

Peritia rerum viſu & auditu comparatur. 833.c.2.d

Peſtilens, putridum & contagioſum an conuertantur. 150. c.2.c.

Peſtilentiæ omnis cauſa præcipua, putredo eſt. 151. c 1.d.

Peſtis quibus incommodis obnoxios relinquat quibus pepercit. 82.c.2.d

in Peſte pulſus & vrina cur, & quando ſecundùm naturâm videantur. 154.c.2.e

Peſtis citra perniciem. 338.c.1.d

Venena ſuper cor geſtare an ad eius præcautionem & curationem conueniat. 339

in Peſte an venæ ſectione celebranda. 342.c.2

An è cubito mittendus ſanguis. 343.c.1.b

Peſtis horribilis hiſtoria. 753.c.2.e

Peſtis quid? 454.c.1.

Eius varia & horrenda ſymptomata. d.& ſeq.

Peſtis ſæua Galeni, cruris ſcarificatione curata. 756.c.2

an in Peſte ex inferioribus partibus ſit aliquando mittendus ſanguis. 756.c.2.& ſeqq.

Peſtis in initio purgatio requiritur. 761.c.1.d

Ad eius tum ſeruationem,tum curationem theriaca mirabilis. 763.c.2

Armenia terra. 775.c.1.e

Phantaſiæ ex humore aut vapore, cerebrum occupante ortum habent. 843.c.2.c.844

Pharmacorum vires in aſſuetis deperduntur. 873.c.1.d

Philonis Iudæi de liberiore vini potu ſententia. 315. c.1.d.

Philoſophus à rabido cane commorſus aquæ potu liberatur. 843.c.2.a.844.c.2.d

Philoſophus immortalitatem pollicens à Galeno ridetur. 952.c.1.e.

Phlebotomia multa apoplexiam parit. 8.c.2.e

Phlebotomia capitis dolorem ſedat in quinquagenario. 8.c.2.

Ab ea cauendum eſt in ſenili ætate. 9.c.1

Phlebotomia è talo grauidis epilepticis admodum proficua. 59.c.2

Eius ope abortum procurans mulier feliciter parit.e.

Phlebotomia è talo in grauidis epilepticis & bubonibus ſiue peſtilentibus, ſiue Gallicis affectis, celebratur. 60.c.1.& 2

A Galeno omnium primo. 61.c.5

Tum ab aliis Principibus Medicis. c.2.& ſeq.

Phlebotomia intempeſtiua abortum cauſatur. 62 c.2.b

Item immodica. e

Phlebotomia ad oculorum inflammationes ſummè neceſſaria. 90

Qualibet horæ diei exerceri poteſt. 91.c.1.a

Phlebotomia prodigioſa Monachi cuiuſdam ad oculorum inflammationem curandam. 91.c.1.c
Phlebotomia non ſemper refrigerat. 109.c.2.c
Phlebotomia è talo in menſtrui ſuppreſſione celebranda. 135.c.1.136.c.1.& 137.c.2.
E cubito aliquando neceſſaria. ibid.
Phlebotomia vſque ad animi deliquium quidam interiere. 270.c.2.a.
Phlebotomia è talo an plus debilitet, quàm baſilicæ. 409.
Phlebotomia fluidum reddit corpus. 637.c.1.a
Phlebotomia Sirij tempore nocua. 664.c.1.c
Phlebotomiæ in fronte vtilitas & quibus leuandis affecti-bus profit. 21.c.2
Phlegmone in peſtifero vacuatione requiritur. 719.c.2.d
Phrenitis ex puerperio retento hirudinibus internæ parti vteri applicatis, curatur. 6.c.2.c
Phrenitis phlebotomiâ vſque ad animi deliquium, curatur. 14.e.2.e.& 15
A tenui meninge quæ originem ducit, periculoſior. 15. c.1.a.
Phrenitis confirmata, cucurbitulâ in ſyncipite ſcarificatâ curatur. 15.c.2.a
Phrenitis ſectâ in fronte venâ curata. 21.c.2.a
Phrenitidis magnæ origo. ibid.
in Phrenitide cautè purgatio aſſumenda. 21.c.2.c
Phrenitis ſæuâ artificioſè curata. 22.c.1.a
Phrenitidi curandæ ſanguinis miſſio neceſſaria.e.
Phrenitis bilioſa an purgantibus curanda. 111.c.2
Phrenitis cerebri inflammatio eſt. 224.c.2.d
Phrenitis in lethargum quando mutatur. 666.c.2.d
Phreniticus imagitatione non læſa, à iudicio tamen aber-rans. 23.c.1.a
Alius contrà ſano iudicio, & læſa imaginatione. ibid.c
Phrenetici cur vehementer moueantur cùm obtusè ſen-tiant. 26.c.2.c
Phthiſica ſolo ſacchari roſacei vſu perſanata. 239.c.1.e
Phthiſici lacte alendi. 242.c.1.e.c.2.d
Phthiſis fontanellis brachij impoſitis alleuatur. 33.c.1.c
Phthiſis qua arte ſanata. 237.c.2.d
Eſt vlceroſa in pulmone diſpoſitio. 237.c.2.e
Phthiſis an aliquando curabilis. 239.c.2.b
Ebeni decocto ſanata. 239.c.2
Pica vtero gerétium affectus, eiúſque deſcriptio. 507.c.1.e
Pila foraminulenta ad aëris putredinem arcendam. 10. c.1.e.
Pilæ paruæ ludus à veteribus commendatus. 53.c.1.b
Epilepticis obnoxius. c.
Pilularum vſus à Græcis, non ab Arabibus inuentus. 3. c.1.e.
Pilularum fœtidarum vſus. 947.c.2
Pili quibus medicamentis generantur? 3.c.2.c
Pilus ebibitus mammarum inflammationes facit. 234. c.2.a.
Huius rei falſitas oſtenditur. c.d.
Pilorum in vrina generatio vnde. 418.c.2
Pilorum generatio, & vſus. 943.c.2.d
Pili leporis frigidiſſimi & ſicciſſimi. 259.c.1.d
Piſces ſaxatiles frigidiores. 55.c.1.d
Eorum vſus commendatur. e.& c.2
Epilepticis concedi poſſunt. 56.c.1.a
Piſces non aqua, ſed luto, arena, aliis piſcibus, &c.nu-triuntur. 55.c.2.d
Piſces dextro cordis ventriculo deſtituuntur. 815.c.2.a
Pituita vitrea vnde, & an putredini reſiſtat. 155.c.1.d
Pituita gypſea an putreſcere poſſit. 150.c.2.b
Pituita vitrea an in corpore gigni poſſit. 355.c.1.b
Pituitæ ſpecies quæ in ſanguinem verti poſſunt. 678. c.2.b.
Pituita ſuperflua qua ope à ventriculo abſtergenda. 275. c.2.
Pituita ſalſa quomodo fiat. 316.c.1.c
Pituitoſa in plenitudine parciùs ſanguis mittendus. 323. c.1.d.c.2.a.
in Plantis quem locum habeat reſpiratio. 649.c.1.c.d
Planta Perſica in natali ſolo lethalis in Ægyptum tranſla-ta fructus optimos producit. 791.c.1.c
Plantæ cur quædam longioris, quædam breuioris vitæ. 865.c.1.d.
Plenitudo corporis ſcarificationum vſu tenuatur. 8. c.1.a.
Pleuræ ſitus, ſubſtantia, & vſus. 934.c.1.d
Pleuriticus lentium eſu mortuus. 218.c.1.d
Aliùs ab adſtringentibus. 219.c.1.b
Pleuritis notha tumore extrinſecùs orto, & ſuppurato, inciſione curata. 203.c.1
Eius è vera pleuritide differentia. c.2.a
Pleuritis ſæuiſſima cum febre intra quartum diem inter-ficiens. 203.c.2.e
Pleuritis aſcendens deſcendente deterior. 205.c.1.c
Pleuritis quid. 204.c.2.e
Pleuritidis exquiſitæ febris, vel diaria, vel intermittens, aut nulla. 205.c.2.206.c.1
in Pleuritide à parte affectâ ſanguis mittendus. 609. c.2.a.
Pleuritis ſæua cùm magna debilitate lethalis. 213.c.1.e
Pleuritis, cognitio an ſcientifica, an naturalis. 213. c.1.b.
Pleuritidis fraudulentæ exemplum. c.2.a
Pleuritis lateris ſiniſtri periculoſior, quàm dextri. c.
Pleuritis citra venæ ſectionem ſanata. 219.c.1.d
Quomodo venæ ſectionis impedimentum ſit. 219. c.2.
Pleuritidis in deſcendentis initio qua ratione purgatio ce-lebranda. 220.c.2.c.& 221.222
Pleuritis ex menſtruo retento an periculoſa. 446.c.1.e
Plinius in extrahendo à venis hæmorrhoidalibus ſangui-ne, hirudinum vſum primus aperuit. 7.c.1.c
Plumbum, quid nocumenti pluuiali aquæ ingeneret. 13. c.2.d.e.
Quid eius limatura corpori humano. 14.c.1.a
Plumbum Saturno aſſimilatur, & melancholicum eſt. 13.c.1.a.
Lethalia ſymptomata parit.b.
Plumbarij artifices cur pallidi? 14.c.2.b
Plexus choroïdis nomine quid veniat. 937.c.1.b
Podragram vinum cauſatur. 9.c.2.d.
Podagricus Medici imperitia ſine motu relictus. 584 c.1.b.
Podagricus frigido balneo leuatus. 289.c.1.c
Alius opiatis applicitis curatus. c.2.c
Alij iteratis vacuationibus & victus tenuitate ſanati. 592.c.1.e.
Poëtæ cur vinoſi crediti. 315.c.1.d
Poma Appiana an eadem quæ Camuſia? 68.c.2.c
Cardiaca ſunt, & melancholicum humorem contem-perant. ibid.
Porrus ad craſſos humores incidendos aptiſſimus. 291. c.1.d.
Portulacæ ſuccus hæmodiam ſanat. 838.c.1.b
Poſca, Græcis phuſca, vulgò oxicratum ebrietatem ſanat. 599.c.1.c.
Poſca ſiue oxicratum cur craſſos humores attenuat. 872. c.2.d.
Potentiæ rectrices ſeorſim lædi poſſunt, illæſis aliis. 23. c.1.d.
Potentiæ animales cur fatigentur, naturales verò minimè. 26.c.1.a
Potentia ſenſitiua qui differat à motiua.
Potatio nimia.
Vide *Ebrietas.*
Potio frigidæ quid & quibus paranda. 351.c.2.a
Potus frigidę an ante coctionem ad ſatietatem conceden-dus. 277.c.2.a
Eius commoda. d.
Potus frigidæ intempeſtiuus an nocere poſſit. 359 c.2.d.
Vide *Aqua.*
Potus neceſſarius, & natururalis, aqua. 598.c.1.d
Potus immutat pulſum. 891.c.2.e

Præparatio

Præparatio in coctione quid. 667.c.1.d
Prandium quibus lautiùs ſumendum. 618.c.2.e
Priapiſmus quid? 526.c.1.
Eius à Satyriaſi diſcrimen. d.
Eius cauſæ. e.& c.2.b
Curatio. d.& 527
Priapiſmus in ſene prodigioſus. 528.c.1.c
Primigenes Mitylenæus à balneo abſtinens febri corripiebatur. 605.c.2.d
Principes viri, ſiue diuites quibus affectibus obnoxij. 671. c.1.d
Parce purgandi. ibid.
Priuatio quid. 27.c.2.d
Eius forma nulla. ibid.
Proceſſus mammilares in quibus odoratus organum conſtituitur. 937.c.1.c
Proprietates attractrices quæ? 43.c.2.e
Proprietates occultæ experientiis aſtruendæ. 38.c.1.d
Pſeudohydrops vteri, in grauida pronatus, profunda ſcarificatione curatus. 60.c.2.a
Ptiſſanæ, eiúſque cremoris vſus. 225.c.2.c
Quæ probatur.d.
Ptiſſanæ ſuauis, lubrica, & ventrem molliens. 618.c.2.b.
Ptyadis ſerpentis vis. 807.c.1.a
Puella napello præſenti veneno nutrita, cuius concubitu homines, & ſaliuâ animantia necabantur. 47.c.2.a 873.c.1.b.
Pueros repentino pauore terrere periculoſum. 51.c.2.b
Pueri raro purgandi. ibid.c
Pueri an ante 14. ætatis annum phlebotomandi. 141. 143.c.1.d
Pueri cur veſicæ calculo magis laborent, quàm ſenes. 413 c.1.e.
Puer mero epoto febri violenta, delirio, & vigilia correptus interiit. 687.c.2.e
Pueri cur ſenibus magis dormiant. 917.c.1.d
Pulegium in epilepſiam valet. 839.c.2.c
Nutricibus ac pueris nocuum. c.2.a
Pulli columbini an in bonis cibis cenſendi ſint. 265.c.2
Pulmonis ægritudines fonticulorum ope ſanatæ. 33. col.1.e
Pulmonis vomica aliquando per vrinam purgatur. 229. c.1.a
Pulmonis vlcus qua ope curandum. 240.c.1.b.
Pulmonis vlcus lactis & panis ſimilæ vſu curatus. 242. col.1.d
Pulmonis vlcus lacte, & præſertim muliebri cùrandum. 243.c.1.b
Pulmonis hydrops thoracis ſectione curanda. 402.403
Pulmonis inflammatio pulſum mutat. 897.c.1.c
Pulmonum ſubſtantia, ſitus, diuiſio & officium. 932 col.1
Pulſatio an omnibus animantibus communis. 878.c.1.d
In plantis & oſtreis nulla. ibid.& 883.c.1.c
Pulſus verno tempore vehementiſſimi. 78.c.2.b
An etiam autumnali. d & 79.c.1
Pulſus variis modis agitatus perturbati animi indicium. 79.c.2.a
Pulſus durities inflammationibus omnibus communis. 148.c.1.b
Pulſus in graui peſte cur ſecundùm naturam videatur. 154.c.2.e
Pulſuum notitiam perfectam cur aſſequutus ſit Gal. 188. col.1.
Pulſus inæqualitas duplex. 189.c.1.b
A ſanguinis copia oritur. 199.c.1.d
Pulſum tangentibus quid obſeruandum. 190.c.2.b & ſeq.
Pulſus intermittentis, ſed naturalis cognitio. 262.col. 2.c
Eius cauſæ lethales. 263.c.1.b
Intermittentia vnde originem ducit.c
In iuuenibus lethalis. ibid.
A natura, & à morbo progignitur.d
Pulſus naturalis conſideratio duplex. 284.c.1.c
Pulſus ferrinus qui dicatur. An perceptibilis. 294.c.2.b
Eius tres cauſæ explicantur. c.1.b
Pulſus durities ſiccitatis in corpore exceſſum arguit. 617 c.1.e
Pulſus mutationes in diariis. 622.c.1.a.b
Pulſus æqualitas diariis febribus. 621.c.2.a
Eius inæqualitas duplex.b.c.
Pulſus caloris febrilis, & cuiuſvis cordis affectus indicium. 626.c.2.b
Pulſus magni, & parui in febribus vnde. 628.c.2.c.d
Pulſus facultatis vitalis ſignum. 629.c.2.c
Item coctionis. ibid.
Pulſuum in vſu mutatione facta, an etiam fiat in differentiis. 631.632.633.634
Pulſuum differentiæ quo ordine comparentur. 632. 633
Pulſus coarctatio febrium putridarum ſignum infallibile. 650.c.2.d
Eius inæqualitas explicatur. ibid.& ſeqq.
Pulſus paruus & inæqualis quomodo diſtinguantur? 651 c.1.b
Pulſus durus quid? ibid.c.2.b.c
Quis fortis. ibid.d
Pulſus dexter ſiniſtro præſtantior. 820.c.1.e
Pulſus an rectè à Galeno definitus. 876.c.1.b
Pulſus an motus ſit naturalis, an animalis, vel immediatè ab anima aut potentia aliqua emanet. 878.c.2. 879. & ſeqq.
Pulſus cauſæ naturales, finalis triplex. 879.c.1.e
Pulſus motus & quies an in reſpiratione ſibi proportione reſpondeant, & an in illis diſtentio præcedat. 884. c.1.d.& ſeq.
Pulſus & reſpiratio an ad vitam æquè neceſſaria. ibid. c.2.d
Pulſus partes omnes an à Medico percipi poſſint. 887. c.1.e
Pulſus contractio quando percipiatur. ibid.c.2.d
Eius diſtentio.e
Ex quibus partibus pulſus componitur. 888.c.1.a
An in omni pulſu detur duplex quies. c.
Pulſuum differentiæ decem. Prima ex quantitate diſtentionis arteriæ. 888.c.1.e
Secunda ex qualitate percuſſionis arteriæ. c.2.a
Tertia ex tempore motus. Quarta ex eſſentia inſtrumenti. Quinta ex quantitate repletionis, vel vacuationis arteriæ. Sexta ex qualitate arteriæ.b.
Septima ex ictuum interuallo. Octaua, & Nona ex conſequentibus. Decima ex conſentanea & differentia. ibid.
Pulſus combinatio quæ? 889.c.1.a
Pulſus longius qui? b.
Duplex eius differentia.d.
Pulſus dupliciter moderatus.c
Pulſus longus quid præſagiat. 889.c.1.d
Pulſus latus quis, & eius cauſa.e. Quid indicet. c.2.a
Pulſus altus, & humilis. ibid.
Pulſus magnus, exquiſitus, & minus exquiſitus.b.
Vtriuſque cauſæ.c.
Pulſus maximus à virtute forti.d.
Pulſus paruus & eius cauſa. e. Quibus denotet. ibid.
Pulſus paruus & mollis periculoſus. 890.c.1.a
Pulſus robuſtus, ſeu vehemens qui? b. Eius cauſæ. ibid.
Pulſus debilis vnde? c.
Pulſus vehementis cauſæ non naturales. d.
Pulſus naturalis qui dicatur.c.e.
Pulſus vehemens an ſemper ſit naturalis. c.2.a
Pulſus celeris & tardi cauſa. b.c.
Pulſus mollis, mediocris, & accidentalis differentia. 890. c.2. d.e.
Pulſus durus in quo à vehementi diſtinctus. 891.c.1.a
Tripliciter ſit.b. Quid portendit.c.
Pulſus pleni & vacui differentia.d.
Pulſus celebri, rari, & mediocris differentia.c.2.a. Cauſæ.b
Pulſus Eurythmus, & Arythmus. d.
Pulſus æqualis, & inæqualis differentia. 892.c.1.b

Index Rerum.

Pulſus ordinati,& inordinati diſcrimen. 892.c.1.d
Vter ſit præſtantior. e.
Pulſus inæqualis continuus qui. c.2.b
Pulſus interciſus, ſiue interruptus. Dicrotus, ſiue bipulſans,aut recurrens.c.d.
Pulſus vibrans, ſiue arcuatus. ibid.
Conuulſiuus, ſiue retortus, chordoſus, ſiue ſpaſmoſus. e.
Pulſus vndoſus vnde fit. ibid.
Pulſus vermicularis. ibid.
Pulſus ſerrinus. 993.c.1.b
Pulſus decurtatus, mutilus, myurus. ibid.
Intercidentis,deficientis,aboliti differerentia.c.d.e.
Pulſus hecticus. c.2.a
Pulſus generationis,& alterationis cauſæ. 893.c.2.c
Cauſæ continentes. ibid.
Pulſus alterationis cauſarum diuiſio. 893c.2.e.894
Pulſus fœminei temperamentum.b.
Puerorum.c.
Iuuenum.d.
Senum.e
Pulſus ratione anni tempeſtatum mutatur. 895.c.1
Pulſus ab exercitio mutatur. 896.c.2.b
A balneo. ibid.
Ab vteri geſtatione. c.
A dolore.d.
Inflammatione.e.
Humoris affluentia. 897.c.1.a
Ab animi affectibus.d.
A virium impetu,& conatu.e.
A gaudio.c.2.a.
Triſtitia. b.
Timore.c. Amore.d.
Pulſus à regionibus immutatio. 891.c.2.c
A cibo, & potu. d.e. Ab aqua. 892.c.1.a
A ſomno.b. A vigilia.e.
Purgatio præcautoria ineunte vere celebranda.51.c.2.d.e
Purgatio in febribus celebranda. 110.111
Quo tempore. ibid.c1.e
Purgatio reuulſiua in initio inflammationis cerebri celebranda. 111.c.2.c
Purgationes caniculæ tempore intempeſtinæ. 164. col.1.c.d.
Cur tunc laborioſæ.e.
Purgationes quibus in febribus concedendæ. 667.c.1
Purgatio humores vacuat,non vi pharmaci, ſed ob vaſorum dilatationem. 668.c.1
Purpura quid. 284.c.2.c
Pus in cauitate thoracis contentum per aluum,& vrinam commode expurgatur. 229
Pus liuidum, rubrum, nigrum an aliquando ad bonum iudicet. 456
Puris incipientis ſigna. 457.c.1.c
Puris generatio opus eſt medium inter calorem naturam & præter naturam. 611.c.2.d
Pus, quid, & vnde? 655.c.2.c
Puſtulæ vlceroſæ in facie, fontanellâ in crure aperta, & aliis auxiliis curatæ. 34.c.1.a
Puſtulæ in facie inueteratæ, hirudinibus curantur. 5. col.2.b.
Putredo eſt de eſſentia contagij 150.c.2.b
Eiúſque præcipua, & communis cauſa 151.c.1.a
Putredo omnis peſtilentiæ cauſa.d
Putredo non ſemper in corporibus manifeſta, ſitque citra febrem. 151.c.1.b
Putredini omnia, excepto igne ſubiiciuntur. 152 col.1.
Putredo calor non eſt, ſed caloris cauſa. 155.col.2. 156.c.1.
Putredo an cauſa immediata fœtoris. 202.c.1.d
Putredo non ſola ſanguinis miſſione curatur. 208. col.2.b.
Putredo tumorum, & vaſorum ſimilis. 212.c.1.e
Putredo an ab Ariſtotele, & Galeno rectè definita? 641 c.1.e. & c.2.
Putredo mixtis ſolùm perfectis conuenit. 642.c.1.d
Putredo an per corruptionem aut potiùs alterationem definienda? 642.643
Putredo an à caliditate ambientis oriatur. 643.c.2.a.b
Eius eſſentia in quo conſiſtit? 644.c.1.b.c.d
Putredo an à prohibita tranſpiratione perpetuò oriatur. 644.645.
Putredinis cauſa efficiens calor extraneus. 644.c.2.a
Materialis, humiditas.b.
Formalis, corruptio ipſa.c.
Finalis incineratio. ibid.
Putredinis varietas vnde? 645.c.1.d.e
Putredo quibus ex cauſis in febribus intermittentibus, & tumoribus accidat. c.2.a
Putredo an poſſit circa prohibitam tranſpirationem generari. 645.c.2.646.c.1.c
Putrefactio generalis & violenta, & quid vtraque? 643. c.1.e.
Cur dicta finis omnium naturâ conſtantium. ibid.
Putrefactio in febri vnde emanat? 640.c.1.a
Putreſcentia omnia calorem concipiunt. 155.c.2.e
Putridum, peſtilens,& contagioſum d fferunt. 150.c.2.c
Putridum quomodo poteſt falſum euadere. 317.c.1.a
Pylori officium. 29.c.1.b
Pythagorici primi dierum criticorum inuentores. 979. c.1.e.
Quorum, & aliorum ſententia refellitur. c.2

Q

QVadrupedum eſus epilepticis prohibitus. 54.c.1.d
Qualitas nuda an epilepſiam cauſari poſſit. 30.c.1.e
Qualitatum primarum temperamento nulla tribuitur ſimilitudo. 43.c.2.b
Qualitatum omnium intemperies an dolorem concitare poſſit. 559
Qualitas vnica nullis in ſubſtantiis inferioribus reperitur. 616.c.2.a
Quartana febris ſuperueniens epi'epſiam ſanat. 57.c.1.d
Item frigidos omnes & humidos affectus.e.
Quartana purgatione curatur. 722.c.1.a
Theriaca. 724.c.1.b
Admirandum Galeni circa duplicem quartanam præſagium. 727.c.2.e
Quomodo ex pulſu dignoſci poſſit. 428.c.1.d
Quartana ex liene ferè lethalis. 731.c.2.d
Quintana febris omnium ſecuriſſima. 57.c.2.a
Quies calidis & ſiccis naturis vtilis. 611.c.1.c
Quies quomodo coctionem iuuet. 297.c.1.a
Quintilij Itali quinta eſſentia auri commendatur. 70.c.1 c.d.e.
Quotidiana calidos & ſiccos nunquam corripit. 718. c.1.d

R

RAbies quid? 840.c.2.d
Fuaorem concitat. e.
Rabies an morbus contactu, an ad diſtans contagioſus. 841.
An leceratio cutis ad eam neceſſaria.b.
Rbiei ſigna fusè deſcribuntur. 842.c.1.c.d.c.2.a.b
Rabie non canes ſoli, ſed alia animantia corripiuntur. 846.c.2.
Rabiei præſtantiſſimum auxilium. 847.c.1.b
Rabioſorum ſtupendæ hiſtoriæ. 841
Rabioſi cur tantoperè aquam, & alia humida paueant. 842.c.2.d.e.& 843
In eorum vrina corpuſcula catulis ſimilia conſpiciuntur. 844.c.1.e
Rabioſi inter maniacos numerantur. 845.c.1.c
Balneo & aquæ potu curantur. 844.c.2.e.
Non omnes incurabiles. 845.c.2.b
Raphani ſemen, cortex, radix vomitorij leniſſimum genus. 275.c.2

Eius

Eius proprietates. ibid.
Raphanus digerit, & non digeritur, prouerbium Arabicum explicatur. 275.c.2.e
Raucedo fonticulis alleuatur. 33.c.1.e
Recidiua peior ſua radice. 107.c.1
Quando futura cognoſcitur. e.
Recti inteſtini deſcriptio. 925.c.2,c
Reductio fit per æqualia contraria, quid in ea mutatur. 198.c.2.e.
Refectionis tempus apud veteres. 619.c.1.b.c
Apud Romanos.d.
Apud Hebræos.e.
Refrigeratio in corpore humano quomodo conſideranda. 282.c.2.e
Vide *Calefactio.*
Refrigeratis an vena ſecanda. 181.c.2
Refrigerij vſus omnibus corporibus viuifico calore præditis neceſſarius. 885.c.2.c
Non minuit cordis calorem,ſed in officio retinet. d.
Regionum diuerſitas pulſuum motus variat. 895.c.2.c
Vide *Pulſus.*
Regulus, & Baſiliſcus ſynonyma. 805.c.2.e
Vide *Baſiliſcus.*
Remediorum immutatio an in morborum curatione ſit in vſu. 4.c.2.c
Optima eſt dummodo virtute ſit eadem. 5.c.1.a
Remora piſciculus nauem currentem cohibens. 39.c.2.d.
Renum dolor cum vrina nigra à frigiditate ſubortus, calidis curatus. 410.c.1.d
Renum calculus Balſamo curatus. 411.c.2.e
Item troglodyticæ auis ope. 414.c.1.c
Renum trichiaſis explicatur. 419.c.1.d
Renum ſedes, & figura. 929.c.2.a
Reſiſtentiæ triplex acceptio. c.
Reſolutio partium exquiſita quæ dicatur, quæ non exquiſita. 85.c.2.c
Reſpiratio ſponte cohibita mortem Barbaro ſeruo intulit. 192.c.2.c
Reſpiratio caloris exceſſum indicat. 626.c.2.b
Reſpirationis neceſſitas. 648.c.1.c.2.d
Non ſemper vtilis cordi. 649.c.1.b
Quomodo locum habet in plantis.c.
In lapidibus & duris corporibus.d.
Reſpiratio & pulſus an ſibi proportionatè reſpondent. 884.c.1.& ſeqq.
Reſpiratio & pulſus an ab vna & eadem cauſa immutentur. 884.c.2.c
An eo modo ſe habeant in præſagiendo. d.
An ſint ad vitam ex æquo neceſſaria.c.
in Reſpiratione & pulſu quæ prior antecedat diſtentio an conſtrictio. 885.c.1.c
Reuulſio venæ ſectione promptè celebratur. 22.c.2.a
Reuulſio commodiſſima quæ? 210.c.1.c
Reuulſio ad contraria triplex eſt. 211.c.1.b
Rhabarbarum quomodo bilem attrahit. 668.c.2.e.669.c.1.c.d.
Rhodoſaccharum phthiſicis inutile. 242.e.1.a
Vide *Saccharum.*
Rhu proprietas adſtringens & corrugans. 148c.1.c
Rigor an febris initium? 601.c.2.a
Contingit aliquando ſine febre.b.
Rigori febrili ſomnus triplici ex cauſa nocuus. 630
Rigoris ſine febri curatio. 693.c.1.e
Cur aliquando febrem inducat,aliquando non. ibid.
vnde rigor ſine febri. 694.c.1.a
in rigore an moueatur humor per partes internas, vel externas. 694.c.2.
Rigoris differentiæ. c.
Quomodo definiendus. 695.c.1.b
An motus voluntarius.e
Eius cauſæ. 696.c.1.b.& ſeqq.
Romanorum exercitium ad vires, & corporis ſanitatem conciliandam. 146.c.1.a
Romani climatis temperamentum. 164.c.1.b
Romani ſui homicidæ ſapientes habiti. 194.c.2
Ros melli generando aptus. 950.c.1.e
Roſarum Perſicarum ſuccus cum aqua ſaccharata epotus abſtergit, roborat, &c. 242.c.1.c
Rotulus idem ac libra. 90.c.1.d
Ructus eſt ventriculi affectio, vnde fit. 276.c.1.a
Cur iumenta cornigera, nec aues ructent. ibid.
Rumex acidus in canis rabidi morſus & ſcorpionum virulentiam præſens remedium. 847.c.2.a
Quatuor eius ſpecies. ibid.
Ruſticus rabie percuſſus, mortis proximus liberos deoſculans eos inficit. 841.c.2.a
Ruſtici prauo alimento vtentes, ſaniùs viuunt quàm nobiles probato. 52.c.1.d
Ruta aduerſus venena antidotum. 48.c.2.d
Rutæ odor epilepſiam ſanat. 58.c.1.e
Rutæ, præſertim ſylueſtris, vis, efficacia flatus, & venenatos affectus, eiúſque à domeſtica differentia. 357.c.2.c.
Rutæ & centaureæ puluis cum mero epotus in aſpidis ictum præſens remedium. 808.c.1.e
Rythmus duplex, quid pulſus eurythmus, quid arythmus. 801.c.2.d. Vide *Pulſus.*

S

Saccharì vis cardiaca explicatur. 20.c.2.b
Sacchari temperamentum. d.e.
Noſtrum ab antiquo non diſcrepat. 241.c.1.d
Sacchari roſati artificium. 240.c.2.b
An ſit ex vſu phthiſi, febribúſque curandis. 241.c.2.e
Sacerdotes Romani cur canis, & capræ tactu abſtinerent. 839.c.1.b.
Sal igni admotus cur crepitum mouet. 315.c.2.e
Saliua quid, eiúſque vſus. 206.c.2.d
Eius differentiæ.b. Effectus eius mirabile. c.
Saliua ieiuni hominis in viperæ venenum. 43.c.2.c.903.c.1
Saliua humana aduerſus mortiferos animalium ictus præſentaneum eſt antidotum. 602.c.2.d
Vide *Sputum.*
Salomon an incantationibus, & coniurationibus ad Dæmones fugandos, morbóſque curandos vſus ſit. 156.c.2.b.158.c.2.
Salſedo maris vnde oritur. 315.c.2.d
Salſedo cur magis pituitam afficit quàm alios humores. 317.c.1.b
Salia cur non odora. 315.c.2.e
Humorem ſalſum abſtergunt. 316.c.1.a
Saluatellæ ſectio in oculorum affectibus commendatur. 92.c.2.a.b.
In hepatis inflammatione. ibid.& 93
cur Saluatellæ dictæ, & vbi ſitæ. c.
Saluatellæ ſectio quibus leuandis affectibus iuuet. 94.col.2.a.
Salutatores, ſiue alexicaci Hiſpani an ſtrumas alióſve morbos curare poſſint. 156.c.a.158.c.1
Peſſimi ſunt. 157.c.2.e
Sanguis ad ſyncopen vſque an aliquando mittendus. 15.c.2.c. & 16.
Vide *Plebotomia.*
Sanguis humanus ad curandos morbos vtilis. 41.c.1
Sanguis copioſus epilepſiæ, & aliorum affectuum cauſa. 45.c.1.c.
Sanguis eſt nectar viuificum ad animantis conſeruationem. 8.c.2.e
Sanguine ex corrupto ſanguinis miſſio indicatur. 208.c.1
Sanguis in initio morborum mittendus. 211.c.2.b
In ſtatu parcè.e.
Sanguis arterialis quibus ſiſti poſſit. 269.c.2.e
Sanguis largiùs in melancholica quàm pituitoſa repletione mittendus. 322.c.2.323
Sanguinis mictus à meri potu venæ ſectione curatus. 423.c.2.d.
Sanguinis in miſſione iterata an liberalius ſanguis mittendus ſit. 444.c.2.b

Sanguis

Sanguis naturæ theſaurus, & filius eius dilectus. 636. c.1.d

Sanguinis miſſio quibus in febribus neceſſaria. 636. c.1.d.

Vide *Phlebotomia.*

Sanguis dum putrefit, fit bilis, quomodo intelligendum? 625.c.1.d.& ſeqq.

Sanguis putreſcens non facit febrem putridam, ſed tantùm diſpoſitionem ad illam. 654.c.1

Sanguis humanus in epilepſiam præſtantiſſimus. 839 c.1.e.

Sanguinis menſtrui cauſa. 135.c.1.a

Eius malignitas vnde. d.

Suppreſſus quibus morbis mulieres obnoxias efficiat. e.c.2.a.

Nulla corporis pars ab eius læſione libera.b.

Sanquinis miſſio ab Hippopotamo animante hominibus tradita. 138.c.1.a

Sanguis arterialis putrefieri poteſt. 152.c.2

Sanguinis ſpumoſi expuitio pulmonem affectum indicat. 164.c.1.d.

Pluribus ex partibus excernitur. c.2.a

Sanguinis vomitus qua arte ſanatus. 183.c.1

Hæmagogæ herbæ vi excitatus 184.c.1

Sanguis à liene profluens à ventriculo vacuari poteſt. 183.c.2.c.

Sanguis per accidens medicamento purgari & euacuari poteſt. 184.185

Sanguinei cur diutiſſimè viuunt. 186.c.1.c

Sanguinis generatio vbi fiat. 186.c.1.d

Qua proportione cum aliis humoribus in corpore abundet. c.2

Sanguiſuga. Vide *Hirudo.*

Sanitas hominis ſani an ægro corpori communicetur. 902.c.2.d.

Sanitatis tutela an ex ciborum varietate petenda. 326. c.1.d.

Sanitas in actionum perfectione conſiſtit. 609.c.2.a

Sanitas & morbus quomodo inter ſe opponuntur. 864. e.2.e.

Sanitatis deſcriptio Galenica. 865.c.1.a

Definitio. ibid.

Sanitas optima an diuturniſſimæ vitæ.b.

Sanitatis ſpecies, & differentiæ. 865.c.1.e.c.2.a

Sanitas an ſpecies infima.b.

Multiplex conſtituitur.c.

An ægritudini contraria e.& 866

Sani an in cibis aſſumendis variam ordinem obſeruare debeant. 532.533.534

Sanus triplici ex cauſa ægrotare poteſt. 865.c.1.d

Sapor dulcis in quo poſitus. 306.c.1.a

Sapphirus ictos à ſcorpione iuuat. 39.c.2.a

Sartricis cuiuſdam rabie correptæ memorabile exemplum 840.c.2.a.

Satietas poſt tranſactam famem nocentiſſima. 310.c.1

Satyriaſis, ſiue Satyriaſmos quid? 170.c.1.d

Scabies cruſtoſa in volis manuum à ſquallido hepate manat. 93.c.2.e

Scammonium qua arte præparandum. 348.c.1.a

Scammonij vis fraudulenta, an pituitam priùs quàm bilem attrahat. 667.c.2.a.b

Scapulæ omoplata, ſcoptulum opertum ad quid inſtitutum. 941.c.2.a

Scarificatio in menſium ſuppreſſione quando phlebotomiæ præfertur. 7.c.2.e

Menſes, hæmorrhoïdáſque accelerat. ibid.

In pleuritidis, & hepatis inflammatione dolorem dicutit. ibid.

Scarificationis triplex ſpecies explicatur. ibid.d

Peſtilentia ſcarificationis auxilio vitata. 7.c.2.d

Scarificationes in cruribus grauidis epilepticis debiliori-bus faciendæ. 39.c.2.d.940.c.1.e

Sceleti doctrina Medico valdè neceſſaria. 921.c.1.d

Scilla quibus morbis remedio eſt. 56.c.2.a

Scirrhi differentia duplex. 371.c.2.c

Eius cauſa humor craſſus.e.

In initio curationem admittit. 372.c.1.b

Ad hepatis ſcirrhum hydrops neceſſaria. e.

Vide *Hepar.*

Scirri lienis cauſa. 379.c.2.e

Curatio. 380.c.2

Scorpenæ marinæ ictus virulentus, eiúſque curatio. 823. col.2.

Scorpiones alati. 797.c.1.b

à Scorpione ictus frigidum exſudans multo labore ſanatus. 800.c.2.c

Scorpius cœleſtis. ibid.e

Scorpius piſcis. ibid.

Scorpij mares nocentiſſimi, fœminæ minùs 801.c.1.a

Eorum genera nouem numerantur. ibid.

Scorpius infectile animal viuiparum.b.

Eius virulentiæ vis. ibid.

Symptomata.c.

Eius morſus curatio.d.e.

Scoti doctoris mors prodigioſa. 65.c.2.b

Scrophulis curandis vtiliſſimum medicamentum. 148. c.2.e

Scrophularum malignitas. 156.c.1.e

An verbis, incantationibus, characteribúſque curari poſſint. c.2.& ſeqq.

Scythæ vinum abhorrentes. 598.c.1.d

Sectio emortui membri an à parte ſana exequenda. 87. col.1.

Sectio corporis viui aliquando neceſſaria. 922.c.2.d

Vide *Anatome.*

Secundinæ torrefactæ pulueris mira facultas. 379.c.2.c

Sedimentum nigrum ab afflato ſanguine ortum non ſemper peſſimum. 322.c.1.d

Sedimenti materia in ſanis, an portio chyli inconfecta, & diuerſa à materia ſedimenti ægrorum. 859. 860. & ſeqq.

Sedimentum in ægris quid? 860.c.2.e

Sedimenti albedo an à calore naturali an præter naturam. 862.c.1.e. & ſeqq.

Sedimenti optimi conditiones. ibid.& 863

Cur redditum album. 862.c.2.b

Cur minùs albet quàm pus. d

Cur minùs fœteat. 863.c.1.d

Cur ad pyramidis figuram declinet. c.2.a

Semen retentum, & corruptum in naturam veneno finitimam abit. 31.c.d

Seminis in vtero retenti incommoda. 267.c.1.b

Cur in viris caſtitatem ſeruantibus non contingant. c

An liceat ſemen extra vaſa frictionibus elicere ſumma vrgente neceſſitate.e.

Semen corruptum plus nocet quàm menſtruum. 474. c.1.e.

Semen fœcundum an generent fœminæ. 475.c.1.477. & ſeqq.

Seminis motus non eſt pulſatio, ſed palpitatio à ſubſtantia flatuoſa.880.c.1.d.

Senectutis maraſmus in iuuene curatur. 748.749

Senum curatio maximè obſeruanda. 8.c.2

An phlebotomari debeant. 9.c.1

Senes cur ieiunium facilè ferant? 19.c.1.b

Senes quid vtilitatis ex ſomno referant. 27.c.1.e

Senes cur renum lapillis frequentiùs laborent, quàm veſicæ. 413

Senes noctu parciùs cibis vtantur. 618.c.2.c

Senes cur ebrietate citò tententur. 599.c.2.d

Senex tertiana laborans, frigido, & humido victu perſanatus. 705.c.1

Seni & iuueni æqualiter febrientibus an eadem, vel minus frigida remedia præſtanda. 705

Senibus generoſi vini vſus perutilis. 954.955

Senſorij primi refrigeraſio an ſomnum efficiat. 916 col.2.

Senſus communis extremorum ſenſuum origo. 26.c.e

Senſus in paſſione fit. 218.c.1.e

Senſus circa proprium ſenſibile non errat. 610.c.1.d

Senſus

Senſus an aboleri poſſit motu ſeruato. 803.c.1.e.& ſeqq.
Senſus & motus ſeparati non operantur. 804.c.1.e.& c.2
Senſus ad quid animantibus datus. 837.c.1.a
Separatio in coctione quid? 677.c.2.c
Septimeſtris nutrientibus emplaſtris vmb.lico admotis ſeptem diebus nutrita. 20.c.1.a
Septimeſtris fœmina abortum procurans, ſecta è talo vena, feliciter peperit. 59.c.2.e.60.c.1.d
Septuagenarius phlebotomatus repentè moritur. 9.c.1.e
Septi tranſuerſi munus vnde tranſuerſum dicatur, cur à veteribus phrenes. 226.c.1.e.c.2
Eius inflammatio delirium perpetuum inducit. 227
Eius cum cerebro conſenſus. 228.c.1.c
Septi tranſuerſi deſcriptio. 934.c.2.d
Vide *ſpeculum lucidum.*
Serpentum quorundam pernicioſum venenum. 796. c.1.d
Serpentis alati in India. 797.c.1.b
Serpentibus fugandis & aëre tuto reddendo varia remedia. 797.c.1.d
Serpentes anima, hoc eſt ſpiritu cerui vruntur. 900. c.1.b
Serpentis inter hominem diſſidium ex humana ſaliua manifeſtatur. 903.c.1
Serpentes auidiſſimè vinum ſitiunt. 908.c.1
Serum lactis quibus affectibus medetur, & qua arte parandum, & exhibendum. 376.c.2.377.c.1
Seri ab vrina diſtinctio. 849.c.2.b
Setones quando applicandi. 35.c.1.d
Seuum caprinum cum taurino felle permixtum in Epilepſiam. 839.c.2.d
Sextarius vini quid? 661.c.1.c
Sextans quid? ibid.
Siccitas eſt lima caloris. 616.c.2.e
Siccitas à proprietate ſua non attrahit. 670.c.2.b.c
Siderum coniunctiones quas rerum mutationes ingenerent. 44.c.1.b
Sief, puluis albus, collirium album, oculorum inflammationis remedium. 90.c.1.e
Signa morborum lethalia quæ? 659.c.1.b
Signa lethalia non ſemper mortem afferunt. 675.c.1.b
Silentium cur ſomnum accerſit. 917.c.1.b
Silicernium, funebris conuiuij veterum appellatio. 620. c.1.b
Siliquæ Ægyptiæ liquoris facultas. 106.c.1.c
Simiæ omnium animantium homini ſimillimæ. 257. col.1.e
An eas, non humana cadauera ſecuerit Galenus. 256. c.2.e.257
Vinum appetunt. 908.c.2.a
Simila quid ex eáque confecti panis facultas. 242.c.2.a
Spermatica membra quæ dicantur. 476.c.1.e
Similia quænam ſe inuicem trahant. 44.c.2.e
Similia vni tertio ſunt ſimilia inter ſe, Geometricum principium explicatur. 668.c.1.c
Similitudo alia in ſpecie & non in gradu, & alia in ſpecie & gradu. 49.c.1.e
Singultus ex caliditate ortus frigidis curatus. 317.c.2.2
An ſit pulmonis paſſio. e.& 318.c.1
In febribus ab acribus & venenoſis halitibus adueniens, periculoſus. d
Singultui ex calore ſuborto qua arte opitulandùm. 318. c.2.c
Siphac barbara vox, aliàs peritonæum. 926.c.1.c
Siracoſt vox Arabica manna ſignificans. 638.c.2.a
Sir-ſen vox Perſica, quid ſonet. 105.c.1.d
Sini enectorum hiſtoriæ. 310.c.2.e
Sitis immediata cauſa an ſiccitas in ore ventriculi. 311
Cur non ſemper tamen præcedit. c.2.a
Sitis morboſa & præter naturam vnde oritur. 311. c.1.d
Sitis ex phlegmate ſalſo orta, ſalſis cibis curata. 315.c.2. 316.c.1.b
Sitis meri potu augetur non ſedatur. 317. col. 1.d
Sitis an intenſior concitetur in diabete, quàm in cauſo. 422.c.1.b
Sitis origo. 651.c.2.a
Smaragdi vis in epilepſiam. 38.c.2.c
Cerebrum iuuat. 39.c.1.e
Smaragdus occulta ſua qualitate cæteris lapillis præſtat. 40.c.1.d
Pollet contra venena, & peſtem. e.c.2
Smaragdus ventri impoſita diſenteriam venenoſam curat. 901.c.2.b & ſeqq.
Sobrietas & continentia vitam protrahunt. 962.c.1.a
Sol an ignem producere poſſit. 297.c.2.d
Eius calor ab igneo non differt. e
Eius vis in plantas, & fructus. 298.c.1.a
Et omnia hæc inferiora. b
eius vis penetratiua. e.& c.2
Sol ignis genitor, eius efficacia in ſuperiora & inferiora corpora. 958.c.1
Solutio continui partibus ſimilaribus & organicis non eſt communis morbus. 867.c.2.d. Vide *Continuum.*
Somnus corpori quando accidit. 24.c.1.a
Eius cauſa. d.
Quomodo amiſſus reparatur. d ibid.& c.2.e
Somnus quid. 25.c.1.b
An ligamentum primi cenſorij. d
Quomodo definiatur ab Auicenna. e
Vera eius definitio. c.2.a
Natura. b
Cur non ineſt plantis. c
Somni neceſſitas vnde? 26.c.1.b
Quomodo dicatur affectus. 27.c.1.c
Vtilis ſenibus. e
Eius cauſæ. c.2
Neceſſitas. ibid.
Somni cauſa communis. 28.c.1.a
Differentiæ. c
Effectus. d
Somnus an vacuationes omnes cohibeat. 321.c.2.e
Vrinam mouet. 321.c.1.a
Sudores prouocat. c
Somnus in rigore febrili triplici ex capite nocuus. 630. c.2.a.b
Naturales operationes roborat. 630.e
Quando naturalis. d
Somnus quo pacto pulſus mutationem faciat. 896.c.1
vide *Pulſus.*
Somnus mortis frater. 912.c.2.d
Mors temporaria. e
Eius deſcriptio poëtica. 913.c.1.a
Somnus ad quid deſtinatus. 913.c.1.e.c.2.a
Eius officium, & finis, b.c
ſine ſomno quidam diu vixerunt. d
Somni commoda & quibus medeatur morbis. 914. col. 1.e
Somni diurni incommoda. e.2.b
Somni immoderati. c
Somnus an ab alimenti corpore, an ab anima agente oriatur. 914.& ſeqq.
Non eſt primi ſenſorij affectus. 915.c.1.a.b
Eſt refrigeratio. d
Quomodo ab Ariſtotele definitur. e
Somnus naturalis ſtatutas periodos ſeruat. 915.c.2.a
Vera eius definitio. c
Somni cauſa perpetua an primi ſenſorij refrigeratio. 916. c.1.e
Somnus an inter res naturales reponendus. 917. c.2.d & ſeqq.
Somni occaſio non eſt caloris vitalis ad cor regreſſus, ſed naturalis. 918.c.2.a
Quibus in affectibus laudatur. 918.c.1.b
Sopor vigilans in quo à catalepſi diſſidet. 81.c.1.c
Speculi lucidi ſubſtantia, partes, vſus. 937.c.1.d
Sphincteris reſolutio ob quam alui excrementa inuitè fluebant, clyſtere ex euphorbio parato curatur. 544. 545

Spinæ ſinuatio ſiue luxatio an vrinam ſupprimat & quid ſit illa ſinuatio. 435.c.1.a
Spinæ dorſi eiúſque vertebrarum deſcriptio. 941.c.1.b
Spinalis medullæ deſcriptio,& qui ab ea nerui oriantur. 938.c.1.c.d
Spiritus vini odore recreantur. 10.c.1.c
Spiritus odoribus reparãtur. 17.c.1.c.Et nutriuntur.c.2.e
Spirituum imminutio & remiſſio, ſomni cauſa. 27.c.2.c
Spiritus turbidus quid. 528.c.2.b. An detur.d. Eius malignitas. 529.c.1.b
Spirituum ex ſuffocatione vires deiiciuntur. 273.c.1.c Etiam ſine ſui deſtructione. d
Spiritus non viuunt,ſed ſubiectum ſunt inhæſionis. 600.c.1.d
Spiritus animalis cur vitali tenuior. 679.c.2.d
Spiritus animalis & vitalis generatio. 679.c.1.c
Spiritus ſunt facultatum delatores. 802.c.1.b
Spiritus animales extra cerebrum in neruos commeant & vitales in arterias. ibid.
Splenetici qui dicantur. 378.c.2.Quidam vrina ſua epota ſanatus.c
Spongia vlceribus curandis commoda. 259.c.1.c
Spumæ cauſa duplex. 164.c.1.e
Spuere Perſis indecorum. 206.c.2.e
Sputum aliud ſanorum,aliud ægrorum. 207.c.1.a.Ægrorum iterum duplex aſſignatur, & quid ex vtroque portendatur.c.d
Sputum coctum quid, & quomodo, vt ſit ſalutis ſignum, obſeruari debeat. 207.c.2.b
Sputi non boni ſpecies variæ.c
Sputa periculoſa, nigra ſunt. e
Sputum ſanguinis ex hauſta hirudine ſanatum. 182.c.1.b
Sputum cruentũ pleuritidis mitiſſimæ ſignum. 220.c.1.d
Sputum ſanguinis hæmathitis lapidis ope perſanatum. 172.c.1.c. An mala punica huic ſint accommoda. c.2. & 173
Sputum cruentum ex frigida diſtillatione ortum candenti ferro curatum. 173. c.2.d. Curatio mulieris quæ ſanguinem expuerat. 174.c.2
Sputum ſanguinis an venæ ſectionem exigat. 176.c.2c An balneum,& quod accommodatius. 178.c.2.b A ſpirituum inſtrumentis refrigeratis oritur. 179.c.2
Sputorum craſſiorum materia quæ. 245.c.2.c
Stapes, incus, malleus auris explicatur. 940.c.1.b
Stercoris canini efficacia. 144.c.2.c.e. Qua arte parãdum, & quibus morbis vtile. ibid.& 145.c.1
Stercus caprinum ad viperæ morſum auxilium celebre. 793.c.1.e.794.c.1.b. Ad genuum tumores. 570.c.1.e
Stercoris columbini tetro ex vapore domus conflagrata. 155.c.2.e
Stercoris columbini efficacia. 571.c.2. a.173.c.1.e. Qua arte ex eo paratur medicamentum. c.2.a
Stercoris humani aduerſus anginam mira facultas. 143. c.2.d.Eius proprietates. 144.c.1.a.571.c.1.d.Et aduerſus venena celebre alexipharmacum.e
Stercoris humani diſtillati mira facultas. 379.c.2.e
Stercus lupinum ad colici doloris curationem vtiliſſimum. 39.c.2.a.356.c.2.571.c.1
Sterilitas præ calore frigidorum vſu ſanata. 508.c.2.b
Sterilitatis cauſæ. 509.c.1.c.An faſcinatione induci poſſit. c.2.e.& ſeqq. Vide. *faſcinatio.*
Stilla ſanguinis febribus, ardentibus præcipuè, praua, ſignum eſt decretorium, non decernens. 449. c.1. a.b. Vide *ſanguis*
Stirpes venenum producentes. 794.c.2.d
Stomachica medicamenta quæ,& quomodo applicanda. 289.c.1.b
Straboſi cur quidam appareant oculos mouentes, quieſcentibus minimè. 829.c.1.d
Struma anguis eſu ſanata. 148.c.1.b
Strumarum cauſæ quæ.d
Strumæ vnde oriantur. 155.c.1.e
Strumæ tam vlceratæ quàm non vlceratæ contagioſæ ſunt, illiúſque contagij conditiones. 150.col.1.156 c.1.c
Struthiocamelus cur ferrum concoquit. 676.c.2.b
Studio ex nimio qui affectus oriantur? 81.c.2.b
Studium aſſiduum ſpiritibus cerebrum exhaurit; & qua arte reparentur. 24.c.1.a.& ſeq.
Sturni cicuta aluntur. 873.c.1.c
Stybij in melancholicis & peſtilentibus affectibus vis mira. 70.c.2.c
Stybij ſanguis cancroſis & malignis vlceribus remedium præſens. ibid.
Sublimati aqua tineam curat. 4.c.2.b
Subſtantia quò nobilior,eò deterior eius putredo. 654.c.2
Subſtantia nulla in inferioribus corporibus,etiam in elementis,vnica conſtat qualitate. 616.c.2.a
Succi multi & viſcoſi paulatim vacuandi. 2.c.2.a
Succi ex impoſitis vmbilico emplaſtris nutriunt. 20.c.1.b
Succus crudus pituitæ ſpecies,vbi reſidet. 678.c.2.a
Suctus venenoſarum animantium morſibus præſens remedium. 793.c.1.e
Sudor triplici ratione mouetur. 640.c.1.d.c.2.b.c
Sudorifica medicamenta cur vrinam prouocantibus fortiora. 640.c.2.b. Alia intus exhibentur, alia extra cuti admouentur. c. Quibus præmiſſis medicamentis propinanda. e.Exempla ſudoris beneficio liberatorum.e
Sudoris deterſio an ſudorem prouocet. 263.c.2
Sudoris diaphoretici,& ſyncoptici natura & effectus explicantur. 269.c.2.d.e
Suffuſiones in oculis vnde? 832.c.1.a
Suilla caro frigida. 54.c.1.e. Quibus morbis obnoxios reddat.c.2.b.qua arte coquenda vt optima efficiatur. c. Humanæ ſimillima.d.Probatur quòd calida & humida. 55.c.1.a
Suilla caro copiosè nutrit, hac Pugiles & Athletæ vtebantur. 628.c.2.e
Suillæ & humanæ carnis ſimilitudo. 957.c.1.c.In quo poſita. d.e. Cur Hebræis à Deo prohibita. c.2.b
Superfluitates in perfectè ſanis debent inſenſibiliter expelli. 860.c.1.e
Superfœtatio quid,& an detur. 515.c.1.d.945.c.1.b
Suppreſſionis menſium cauſæ octo enumerantur. 447.c.2. e. Vide *menſtruum, ſanguis.*
Suppreſſio menſium an medicamentum purgans in initio exigat. 451.c.2.452. Vide *menſtruum.*
Suppreſſio ſeminis quot ſecum mala inducat. 468. Vide *ſemen.*
Suppreſſio vrinæ. Vide *Vrina.*
Suppurantia qua ratione coquunt. 640.c.1.b.642.c.1.b
Suppuratio quid? eius triplex acceptio, & differentia explicantur. 228.c.2
Suppuratio citra febrim poſſibilis. 230.c.1.c. Ex quo humore fiat.e.c.2.a.Eius appellatione quid veniat.b.c.e
Suppuratio non eſt curatio fallax. 457.c.2.a. Reſolutioni tamen inferior eſt. ibid.
Suppuratio ſub putredinis natura continetur. 642.c.1.a Coquit. b. Ad eam ſolùm calor extraneus & putredinalis requiritur. c
Sur Arabiæ deſertum. 950.c.2.e
Surditas febribus malignis & ardentibus aduenieus optima. 107.c.2.c.d
Sus animal audax, ideóque calidum. 55.c.1.a Vide *Suilla caro.*
Sues vuæ fæcibus inebriantur. 908.c.2.b
Suturarũ in capite numerus & vtilitas. 14.c.1.d.935.c.2
Sympathiæ & dyſpathiæ inter mixta & non mixta. 43.c.2.c.d
Symphyſis vertebrarum explicatur. 941.c.1.c
Symptomata horrenda criſin antecedentia. 448.c.1.d Vide *Criſis.*
Symptomata ex ſuppreſſis menſibus orta an rectè Galenus deſcripſerit. 460.461
Symptomata morborum vniuerſalia & particularia, eorúmque differentia explicantur. 657.c.2
Syncipiti capitis medicamenta applicanda. 14
Syncipitis cum vtero conſenſus. 464.c.1.a.b
Syncipiti cur in cerebri affectibus præſidia adhibeantur. 877. c.2.a

Synco pe correpti odoribus reficiuntur. 17.c.1.c
Syncope, ex nimia vacuatione ſuborta alimentis vires recreantibus curata 264.c.1.b. à Galeno definitur *præceps virium lapſus*. d. Eius cauſæ. ibid. e. Eius venturæ ſigna. c. 2.a. Valida immedicabilis eſt. b. Quid ea præſente Medico peragendum. d. Vini potus illi præſens auxilium 265.c.1.b
Syncope ex longa in balneo mora. 266.c.1.b
Ex veteri affectu. c.2.b
Syncope ex diutina ante balneum inedia. 268.c.2.c
Syncope cardiaca ob vitalis facultatis imbecillitatem. 269.c.1.c. Alia ob ſudorem. c.2.e
Syncope eſt propria cordis affectio. 270.c.2. d. Non ex imminutione ſpirituum, ſed ex repentina aggregatione in corde tanquam à cauſa perpetua & immediata oritur. 271.272.273
Synochus imputris ſola venæ ſectione vſque ad animi deliquium ſanatur. 627.c.2.c
Synochus quid ? 628.c.1.c. Febris continens, vel inflatiua quæ ? 628.c.1.c
Synochus putris venæ vſque ad animi defectum ſectione curatur. 635.c.1.b
Synochus cum putredine ſecunda febrium differentia, humoralis dicta. 635.c.2.a
Eius differentia triplex aſſignatur. ibid. b.
Syphilidis appellatione an morbus Gallicus veniat. 920. c.1.d.& ſeqq.
Syrupi ex chalybe compoſitio an ferri ſcoriam recipiat. 145.c.1.c. Item ferri & chalybis differentia. 146.c.1.a
Syrupi omnes humoribus concoquendis vtiles.677.c.1.a
Syrupi violacei vis refrigeratiua,& leniens. 618.c.2,b

T

TAbes ob diſtillationem à capite ſuborta cauteriis curatur. 33.c.1.e
Tabis ſpecies triplex. 237.c.2.e
Tabe conſumptorum exempla quædam. 244.c.2
Tabes ex pericardio an periculoſus & ferè inſanabilis. 255.c.2.256.
Tabes prodigioſa ex fame contracta. 919.c.2.c
Tabidorum in curatione an errauerit Galenus. 247. 248
Tactus an detur in ore ventriculi. 311.c.1.c
ad Tactum magis aut minus incaleſcere ac magis & minus febrire quid ? & an detur in vno eodemque temperamento. 607. c.2.c
Tactus iudicium duplex. 608. c.2.b. Solus temperatus poteſt perfectè circa qualſcumque qualitates vera ſenſatione iudicare d.
Tactu venenum poteſt inficere. 796. c.1.e
Tænia admiranda. 303.c.2.d
Tarantula aranei genus, cuius morſus ſolo tibiarum ac muſicæ ſono demulceri ac curari ſolet.789. c.2.e.790. c.1.a
Taxus animal ſomniculoſum cuius morſus venenoſus. 904.c.2.d.An ab eo deriuetur Toxicum. ibid.
Taxus arbor dira, à qua & Toxicum dictum. 904. c.2.e
Eius baccæ rubentes, & peſtilentes. 905
Telephi Grammatici victus ratio. 618. c.2.c
Telorum venenatorum ictibus qua arte ſuccurratur. 874. c.2.
Temperamentum eſt actionum inſtrumentum. 43.c.1.e
Temperamentum corporis humani triplex. 608. c.1.c
Temperamentum naturale quid ; ibid.d
Temperamenta corporis humani, & cuiuſuis eius membri varia iuxta varias,cõplexiones ætates,&c.609.c.1.d
Temperamentum naturale quid apud Medicos.625.c.1.b
Temperamentum ad febres magis paratum ſtatuitur. 662.c.1.d.
Temperamenti proprietas non eſt ſubſtantialis forma, ſed accidentalis. 666.c.1.d
Temperamentum quid ! & in quo conſiſtit. 814
Temperamenta pulſum immutant.894.c.1.e.Vide *Pulſus.*
Temperamentum adſcititium an detur. 965.c.1.d.
Temperamentum duplex. c.2.a
in Temperamento conſuetudo vniformis periculoſa.965. c.1.e.
In cibo & potu contrahitur. c.2.d.& 966
Circa virtutes animales.c.2.c. Circa facultates naturales.ibid.Circa medicamenta d. Circa venena.967.c. 1.a. Circa exercitationes.b.In animi affectibus.d Euacuationibus.e. In ſomno & vigilia. c.2.c
In morbis. ibid.
Temperatura media eſt temperati hominis. 606.c.2.d
Temperies ſimpliciter à Medicis quæ dicatur. 608.c.1.e
Temperies conſuetudine acquiſita quomodo ſimilium vſu conſeruari poteſt. 964.c.2.b
Temporum dolor hirudinũ applicatione curatur. 6.c.1.d
Tempora morborum an penes eſſentiam,ſymptomata,& coctionem perpetuò ſimul concurrant. 655. 656. & ſeqq. Quomodo concurrunt. 658.659.c.1
Tempora morborum an variis ſignis diſtinguenda. 781. c.1.c. & ſeqq.
Tempora anni pulſuum mutationem cauſantur. 895.c.1
Vide *Pulſus.*
Temulentiæ cum venere conſenſus. 592.c.1.a
Tendo quid, & ad quem vſum ? 942. c.2.b
Tenebræ cur ſoporem concitent. 917.c.1.b
eſſe Tenue & tenuium partium, non idem eſt. 680.c.1.b
Tereniabin ſiracoſt. Arabicè quid ſonet. 950.c.2.e
Terra an corruptionis & peſtis infortunis obnoxia. 772. c.2.e.Eius beneficia. 773.c.1.a.Ipſi quondam ab antiquis ſacrificatum.ibid. Nullibi pura datur. 774.c.2.c
Terræ Armeniæ vis in peſtem mirabilis. 775.c.2.c
Terræ in qua ſal,nitrum, & mineralia reperiuntur qualitates variæ. 58.c.2.d.e
Tertiana æſtiuo tempore quibus purganda. 110.c.2.c
Vide *Febris.*
Teſtium cum cerebro conſenſus. 31.c.1.d
Teſtes vrſini,& caprini in epilepſiam. 839.c.2.d
Teſtium ſitus,ſubſtantia,& vſus. 930.c.2.a
Teſticulorum inflammatio vomitu curata.536. c.2.d. Eorum nobilitas,& officium.e.537.c.1. Ex eorum abſciſſione quæ incommoda.e. Qua arte curandi. c.2
Tetani curatio aquæ gelidæ perfuſione. 88. c.2.a. De eaque principum Medicorum diſſenſio. ibid.
Thapſiæ ad epilepſiam curandã facultas maxima. 32.c.1.e
Theriacæ ſmaragdorum proprietates. 38.c.2.d
Theriacæ præſtantia & vtilitates.46.c.1.c.Non poteſt noſtro tempore ſuis numeris abſoluta componi, ob medicamentorum penuriam. c.2
Theriaca poſt fermentationem non venenoſa. 47.c.2.e
Corpus,maximè puerile immutat, & alterat. 48.c.1.b
Recens ſtupefacit & incraſſat. e. & c.2.
Theriacam recentem quæ componant. 48.c.2.b
Theriaca ad vermes necandos aptiſſima. 361.c.2.d
Theriaca fermentata an diuerſam habeat virtutem ab actione ſimplicium quibus conſtat. 766.c.2.e
Theriaca in viperæ morſum mirabilis. 789.c.2.c
Theriaca vlceribus rabioſis tam foris illita, quàm intus ſuſcepta admodum iuuat. 848
Theriacæ compoſitio maximam prudentiam requirit, quod exemplo firmatur.902.c.1.c.quo melle,& vino opus ſit c.2.a
Thermarum vſus quotuplex.958.c.Vide *Balneum.*
Thomæ Mauri de ſomno elegans dictum. 912.c.2.e
Thoracis vulnera ſtatim ab initio ſanguinis miſſione curanda. 180.c.2
Thoracis pars ſiniſtra robuſtior & nobilior eſt.215.c.2.c
Thoracis tactus ſuauis & mordax caloris acrimoniam ex fuliginoſis recrementis contractam denotat.606.c.1.c
Thoracis ſubſtantia,& ſitus. 934.c.1.b
Thoracis deſcriptio & vſus. 941. c.1.e
Thoraces vinum abhorrent. 598.c.1.e
Thunni piſcis caro à vipera commorſis remedio eſt.796. c.1.a.
in Timore cur palleſcimus ? 802.c.1.e
Timor pulſum mutat. 897.c.2.c
Tinea vnde manat. 4.c.1.c
Eius ſpecies,ſigna,& prognoſis. ibid.

Tinea, aquâ ſublimati curatur. 4.c.2.b
Tinea, hirudine ſuper partem affectam impoſita curata. 5.c.1.b
Tinnitus vel ſibilus aurium vnde? 868.c.2.a
Tophi articulorum quibus curandi. 579.c.1.c.582.c.1.a
Toranij verſuti mangonis deluſio in puerorum egregiæ & ſimilis formæ venditione. 43.c.1.b
Torpedo piſcatoris manum ſtupefaciens. 39.c.2.d
Torrefacta expurgantia an ex vſu ſint in alui fluxionibus. 330.c.2
Torturæ oris cauſa, & curatio. 87.c.1.e
Toxicum, & venenum an conuertantur. 904.c.1.d
Toxici genus multiplex. e. A Taxo arbore. c.2.e
Trimeſtres fœtus cur aliis magis reſiſtunt iniuriis vteri. 496.c.2.a. 505.c.2.b
Triſtitia quam pulſus mutationem cauſetur. 897.c.2.b
Triticum cur cibus hominibus magis familiaris & commodus? 18.c.2.e
Tritici cocti eſus quæ pariat ſymptomata. 947.c.2.d
Elixum iecoris & renum meatus obſtringit. 948.c.1.b
Troglodytes vnde nomen ſortitur. 414.c.2.a
Paſſerculus eſt calculum ſanans. ibid.
Tubercula ſecundùm aures à lucta concitata. 148.c.1.a
Tumoris ſigna quæ? 160.c.1.d
Tumores ſchirrodes in ſimiæ, & galli pericardio viſi. 255.c.2.b
Tumores crudi ante perfectam ſuppurationem aperiendi. 458.c.2.a.c
Tumor in vtero non certum grauidationis ſignum. 499.col.2.e
Tumores genuum vnde orti. 570.c.2.b
Et qua ratione curandi. e.771.c.2
Tumores præter naturam quomodo putreſcant. 645.c.2.a
Tunicæ oculorum explicantur. 938.c.2.d
Earum vſus. 939.c.1.c
Tunicæ oculorum adnata, tendinoſa, vuea, ciliaris, arachnoïdes, retina explicantur. ibid.
Turca vidua à coniugata muliere mutuo coïtu grauida facta. 475.c.2.d
Tuſſis cauterij ope ſedatur. 33.c.1.e
Tympanitici qui dicantur. 404.c.2.d
Typhodes quid. 404.c.2.e

V

VAcuatio omnis nimia periculoſa. 16.c.1.b
Niſi maxima neceſſitas vrgeat. c.2.b
Vacuatio per epicraſin vtilis. 76.c.2.d
Quomodo & quando exercenda. 77.c.1
Vacuatio præcautoria an vere celebranda. 78.c.2.b.594.col.1
Vacuatio in principiis morborum probatur. 211.c.2.b
In ſtatu parcè & cautè exercenda. d.
Vacuationum ſolemnium ſuppreſſio vel nimia vacuatio an hydropem & alia vitia concitet. 392.393
Vacuum, an attractionis, vel vllius actionis cauſa, cùm non detur. 669.c.1.d
An ad illud implendum res moueantur. e
Vaporatio alimentorum cerebrum humectans ſomni cauſa. 27.c.2.c
Vapores è ventriculo ad cerebrum, deprauatas imaginationes & deliria cauſantur. 67.c.2.c
Variolæ, etiam in paruulis, ſanguinis miſſione curandæ. 142.c.1.e
Variolæ non recens morbus. 165.c.1.e. Dictæ olim *Papulæ magnæ*. c.2.a. In peſtilenti ſtatu eueniunt. d
Variolæ grauidis euenire poſſunt. 168.c.1.e. Antiquiſſimum morbi genus & priſcis notum c.2.b. Ab aëris vitio ortum. e. Sed immediatè à menſtrui impuritate. 169.col.1.c
Variolæ morbillis periculoſiores. e
Variolæ aſſumpto melle & exacerbato morbo curatæ. 780.c.1.b. Licèt initio non malignæ, ſæpè tamen in declinatione interimunt. c.2.a.784. & ſeqq.
Variolarum ſymptomatibus oppreſſus quidam in declinatione, leni purgatione curatur. 785.c.2.e.786
Variolæ omni ætati, ſed pueritiæ potiſſimum communes. 800.c.1.b
Vaſa præparantia quæ? 930.c.1.d
Vaſa deferentia. e
Vberum deſcriptio. 934.c.2.a
Venæ ſectio an in extenuatis celebranda. 444.c.1.c
Venæ ſectionis infenſiſſimi hoſtes Eraſiſtratæi. 445.c.1.b
Venæ menſtruam purgationem ad vterum deferentes quibus cauſis comprimantur. 447.c.2.e
Venæ ſectio an ab abortu præſeruet. 496.c.2.d. & ſeqq.
An in grauidis purgatione periculoſior. 498.c.1.e
Vide *Phlebotomia*.
Venæ exſiccatæ quo pacto attrahunt. 670.c.2.d
Vena caua à iecore, non à corde ortum ducit. 815.c.2.a
Vena arterialis, non vena. 815.c.2.e. à Corde oritur. ibid.
Venæ an à iecore & corde oriantur. 815.816
Venæ cur non pulſant. 885.c.1.b
Venæ definitio. 927.c.1.d. Vſus, diſtinctio ab arteriis. e
Venæ cauæ ſedes. ibid.
Venarum diuiſio. c.2.& 928.c.1
Venæ portæ rami inteſtina ingredientes. 928.c.2.b
Eius ſedes. d
Venæ cur flatulenta materia turgeant. 947.c.1.e
Veneno aſſuefieri & nutriri quipiam poteſt. 47.c.2.a
Venena in corporibus quatuordecim. & viginti annis citra noxam latentia. 168.c.1.b
Venena ſuper cor geſtata an ad peſtis curationem & præcautionem aliquid conferant. 339
Veneno enecta aut nutrita an eſui eſſe poſſint. 341.c.1.e
Antidota venena repellentia. 342.c.1
Venenorum ſcientia perobſcura. 787
Veneni definitio Galeni, & Auicennæ an recipienda. 791.col.1.a
Venenum ab alimento quî differat. c.2.a
Venena ſi tantopere calori noſtro aduerſantur, cur ab ipſomet calore ad actum reducuntur, vt nocere poſſint. 791.c.2.b. & ſeq.
Venena tribus de cauſis à Deo producta. 792.c.1.c
Venena in corpore noſtro generantur. 792.c.1.e. & c.2
Cur tandiu ſine noxa occultetur. ibid.e. & 793.c.1.a
Venenorum diuiſio triplex, alia ex animalibus. 794.c.2.b
Ex ſtirpibus. c. Ex foſſilibus. e
Venenorum diuiſio à Dioſcoride an perfecta. 794.795
Venenorum diuiſio in ea quæ tota ſubſtantia, viribus & genere necant. 795.c.1.a. Et in ea quæ qualitate manifeſta. b.c
Venena ſecundùm totum, & ſecundùm partem. e
Venena ex modo adminiſtrationis. ibid.
Venena præſentanea, & temporanea. 795.c.2.b.c
Venena an venenorum ſint remedia. d.e
Venenorũ vis per omnes ſenſus inferri poteſt. 796.c.1.e
Veneni vis penetratiua. 806.c.2.e
Veneni rabidi vis ad nocendum. 841.c.1.d.e
Venenum rabidum contagioſum ad diſtans. 841.c.2.e
Venena frigida parua quantitate ſumpta non nocent, imò nutriunt. 873.c.1.e
Venenum calidum an nutrire poſſit. 874.c.1.b
Venenum à Medico nullo modo propinandum vel indicandum. 903.c.1.b
Venenum & toxicum an conuertantur. 904.905
Ventris ſuppreſſio, quæ ſecum inferat mala. 50.c.2.b
Ventilatio cur à putredine ſeruat. 646.c.1.b. An idem quod difflatio. c.2.c
Ventilationis neceſſitas quadruplex. 647.c.2.a
Ventilatio igni conſeruando quinque ob cauſas neceſſaria. ibid. c
Ventriculorum cerebri obſtructio epilepſiæ cauſa immediata. 30.c.2
in Ventriculi oris vitiis fontanellæ in cruribus quid iuuent. 33.c.2.a
Ventriculi renum, Veſicæ, & recti inteſtini in muliere cum vtero conſenſus. 34.c.2.e
Ventriculi cum cerebro conſenſus, & ſympathia. 36.c.1.a
Ex eo famelico & inanito, epilepſia. b
Ventriculus cordis ſiniſter cur dextro debilior. 215.c.2.d
Ventriculus ſyncopen inferre poteſt. 268.c.2.c

Ventriculi ex debilitate,& gulæ refrigerio mors ſubſecuta. 276.c.1
Ventriculi morbi curatu difficiles. 275.c.1.e
Ventriculi debilitas ex calida ſiccáque intemperie ſuborta frigidis medicamentis perſanatur. 280.c.2.d
Ventriculi debilitas ex inæquali temperie orta qua arte curanda. 281.c.1
Ventriculi laborantis ab inuaſione febris dignotio, eiúſque curatio. 283.c.2.b
Ventriculi languor vini abſinthitis potu curatus. 385.c.1. c.col.2.e
Ventriculi debilitas ex abſciſſione omenti quomodo curata. 286.c.1.a
Ex decidentia mucronatæ cartilaginis. 286.c.2.d
Ventriculi dolor ex bile. & melancholia quibus curatus. 288.c.1.a.
Ventriculi neceſſitas.e.
Ventriculi dolor ex frigore vini generoſi potu curatus. 289.c.1.d.
Ventriculi dolor à pituitæ copia, remediis eam incidentibus curatus, & ab acribus ſuccis, exacerbatus. 290.c.2.d. Inflammatio periculoſa, eius origo, & curatio. 291.c.2.d
Ventriculi tumor mali punici magnitudine ægrum interficiens. 292.c.1.e
Ventriculus omnium morborum ſeminarium. 292.c.2.c
Ventriculi verruca cum virium debilitate, & diuturna ſanguinis profuſione ægrum interficiens. 293.c.1.e
Ventriculi debilis coctio quibus iuuatur. 295.c.1.b.296
Ventriculus ſuo calore alimenta coquit. 296.c.1.b
An in eo duplex coctio.e.
Ventriculus an ſolus fameſcat. 306.c.2.307.c.1
Ventriculi ad fundum an aliquando vas cholidochum implantetur. 309.c.1.c
Ventriculus cordis ſiniſter an præſtantior dextro.820.c.2. & ſeq. Eo piſces deſtituuntur. 815.c.2.a
Ventriculi ſedes.924.c.1.d.Subſtantia e.Vſus. c.2.c
Ventriculorum cordis diuiſio,ſubſtātia,& vſus.933.c.1.b
Ventriculorum cerebri figura,ſitus,& vſus. 937.c.1.a
Ventorum temperamentum. 573.c.1.e
Veneris vſus quibus potiſſimum temperamétis infeſtus. 469.c.1.a.
Immodica ex venere quot mala d & 592.c.1.a
Veneris vſus quibus conferat. 469.c.2.a.b. Salubris eſt ſi modus ſeruetur. 470.c.1.a. Quæ incommoda ex eius abſtinentia tam in viris,quàm in fœminis.470.471.c.1
Veneris immodicus vſus qua arte minuendus. 521.c.2.d
Veneris vſus parua epilepſia. 839.c.2.b
Ver & autumnus ſibi in temperamento reſpondent. 533
Veratri albi vſus tempore Hippocratis. 630.c.1.d
Verba, ſiue ſcripta, ſiue ore prolata ex ſe ſunt ad curandos morbos inefficacia. 157.c.1.c
Vide *Incantatio*, *Faſcinatio*.
Vermes in ventriculo naſci poſſunt. 304.c.1.b
In omnibus corporis partibus.e.
Quibus enecandi. 304.ibid.
Vermis admirandus abſinthij ope interfectus. 305.c.1.a
Vide *Lumbricus*.
Vernum tempus purgationi præcautoriæ commodum. 51.c.2.78.c.2
Verruca ventriculi.293.c.1.e. Vide *Ventriculus*.
Vertebrarum deſcriptio,& vſus. 941.c.1.c.d
Vertigo tenebricoſa, cauterio ad bregma impoſito curata.33.c.1.b.
Veſicæ è collo quo corporis ſitu lapides dimouentur 433. c.2.e. Eius dolor opiatis lenitus. 414.c.2.e. Quibus de cauſis vlceratur. 415.c.1. A quibus remediis curatur. c.2.b.
Veſicæ facultatis expultricis torpor vnde? c.
Veſicæ vlcus ouis crudis recentibus mitigatur.416.c.1.a
Veſicæ vlcus mirabile lacte curatum. 425.c.1.e
Veſicæ nerui torpétes vrinæ ſuppreſſionem faciunt. 432. c.2.b. Veſicæ vrinariæ deſcriptio. 929.c.2.e
Veterum ſemel in die cibum ſumendi pro varietate temporum,ratio. 53.c.1.a
Victus ratio in morbis an attenuando, vel craſſando procedat. 348.349
Victus ſaſubris ratio medicamentis præſtantior eſt. 483. c.2.e.
Victus tenuitas, præceptum morbis omnibus commune. 629.c.1.c.
Viduæ cur hyſtericos affectus eóſque grauiſſimos patiantur.471.c.2.d.& frequentiùs quam virgines.474.c.1d
Vigilia ſuperflua qua arte perſanata. 25.c.2.e
Vigilia nimia cerebro obnoxia. 24.c.1.a. Medica vtilis.b Narcoticis curatur. c.2.b
Vigilæ cauſa cogitatio vehemens ſpiritum animalem à ſenſuum organis retrahens. 27.c.2.b
Vigilia cur febris accendit. 691.c.2.b
Villorum vſus. 942.c.2.d
Vini odor capitis in febriente dolorem auget. 9.c.2.a
Vinum cerebro, & neruis inimicum. ibid.d
Vini odor ſpiritus refocillat, neruos corroborat. 10.c.1.d
Contagia arcet. ibid.
Et peſtem c.2.a.Calefacit, & humectat.b.
Vinum celerrimè nutrit ad inſtar odorum. 19.c.1.e
Vinum in frigidis neruorum affectionibus vtile,item cerebri frigidis ægritudinibus. 50.c.1.d
Vinum viperinum ſtrumoſis, & Gallicatis præſentiſſimum auxilium.148.c.2.e.Qua arte parandum.149.c.1.a 290.c.1.a.
Vini cum abſinthio parati vis ad ventriculum roborandum. 285.c.2.c
Vinum à vi dictū.289.c.2.a. Quas vires corpori præſtet. b. Eius temperamentum. c. Proprietates.e.Eius poteſtas tam in calidis, quàm frigidis morbis. 290.c.1.b
Vinum Maluaticum vnde ſic dictum. 308.c.1.b
Idem quod Cretenſe. ibid.
Eius differentia triplex. c.& ſeqq.
Vinum viperinum an venenoſum. 312.c.2
Vinum potentiâ exſiccat.327.c.2.a.vlcera vino exſiccanda. 317.c.2.a
Vino temperato vtendum.598.c.1.d.Iudicibus apud Chinas prohibitum priùs quàm cauſas audierant. c.2.a
Vita animalium quibus potiſſimum conſeruatur.648.c.1 e.& col.25.
Vinum febrientibus concedi poteſt.. 661.c.1.c
Eius menſuræ variæ. ibid.
Vini diluti commoda. 661.c.1.d.e.& c.2.
Vinum aqua marina dilutum crapulam impedit.290.c.2.c. 661.c.1.e.
Quibus de cauſis diluendum. c.2.b
Vina recentia cur calidos affectus pariant. 680.c.1.e
Vini peſtiferis, & venenatis morbis fugandis efficacia. 688.c.1.d.796.c.1.c.
Vinorū differentiæ.688.c.1.a. Sapor.d.Conſiſtentia. c.2.a Odor.ibid.Facultates.d. Ætas & tempus. 690.c.1.a.c
Vini boni proprietas.d.An calidum ſit. c.2.b.c
Vinum exterius adhibitum epilepſiam leuat interiùs, verò ſumptum eam inducit. 839.c.1.e
Vinum viperinum epilepſiam ſanat. 907.908
Vinum auidiſſimè ſitiunt ſerpentes. 908.c.1.e. Simiæ, & aliæ quadrupedes vnguibus & vngulis carentes. c.2.a
Vini præſtantia aduerſus morbos frigidos. 954.c.1.d
Vinum Hiſpanum ſenibus perutile. 954.c.2.c
Vinum voluptatis cauſa ægris conferri poteſt. 955.c.2.e Aqua diluendum. 956. 2. e. & ſeqq. An diluendum priuſquam bibatur, an in ſtomacho. c.2.c
Vipera linis, & purpura marina ſuffocata quibus affectibus medeatur. 39.c.2.a
Vipera homini infenſiſſima, vt è conuerſo homo viperæ 43.c.2.c
Viperæ cauda an ad Theriacæ,& medicamentorum compoſitionem ſemper amputanda. 149.c.2.a
Viperarum eſus ſitim ardentiſſimam affert. 321.c.1.a
Vipera an calida. ibid.
in Viperæ morſum antidota varia. 789.c.2.b.c
Viperā ictus ſi partem commorſam abſciderit, aut ligauerit curabitur. 788.c.1
Vipera quaſi vi pariens. ibid. b

Vipera quaſi viuipara, quòd viuum animal pariat, cùm reliqui ſerpentes oua. c Falſum quòd viperillis erumpentibus intereat. ibid.
Falſum item capite cum mare congredi.d.
Viperarum longitudo. c.2.a
Vulua duplicatur. ibid.
Earum partus mirabilis. b. Iis vulua ſepto tranſuerſo nectitur ibid. quatuor frigidiſſimis menſibus ſub ſaxis condiuntur.
Vipera ſalax, & veneri procliuis.e.
Viperæ murænas ad coitum mira arte ſolicitant, & maritis reuerentiam præſtant. 789. c.1.a. Earum coloris, caudæ, roſtri deſcriptio.b. Vis eius venenoſa.c.
Statim poſt ictum ſiti inextinguibili premuntur.d.
Ex earum capite, & cauda venena, ex medio verò corpore alexipharmaca præſidia.e.
Viperas volantes dari ex Iſaia confirmatur. 796.c.2.c.d
Viperinum vinũ quomodo elephantiaſim ſanet. 909.c.1.d Vide *Vinum*.
Viperæ quo tempore venandæ ſunt.e.
Viri in fœminas verti nequeunt, contrarium verò aliquando contigit. 467
Virga. 644.c.1.b
Virgines nubiles quos ab vtero affectus patiantur. 266. col.2.c.
Virgines nubiles cur vteri cruciatibus infeſtentur. 471. col.2.d.
Virtus an victum indicet. 482.c.2.d
Triplex eſt, tenuis, mediocris, & plenus.e.
Vis expultrix per ſe morborũ indicationes facit. 98.c.1.b
Viſa ob vapores, & humores in oculis orta, an per ſe videri poſſint. 833
Viſile vnde duplex apparet. 826.c.2.b.827.828
Viſio quæ fit per imagines, & viſa, illuſoria an vera, & an ea intra oculum contenta per propriam ſpeciem videri poſſint. 831.832
Viſorum ſpecies quibus in morbis occurrat. 831.c.2.d
Delirantium viſa vnde? 832.c.1.c
Viſus veneno infici poteſt. 796.c.1.e
Viſus triplici ex cauſa deperditur. 824.c.2.a.825
Viſus an auditu præſtantior. 833.c.2.& ſeqq.
Viſus & auditus felicitatis inſtrumenta. 833.c.2
Membra diuina. 834.b
Viſus & auditu s per portam eburneam & corneam exprimuntur. 834.c.2.b
Viſus organum præſtantius organo auditus. 834.c.2.b
Omnium aliorum ſenſuum nobiliſſimum. 835.c.1.c
Vita in viribus & earum actionibus poſita eſt. 674.c.2.e
Vita eſt permanentia caloris in humido. 608.c.1.b
Vita noſtra fabula, ludus globus ſiue rota miſeriis plena. 800.c.1.d.
Vitæ diuturnitas in quo conſiſtit. 865.c.1.b
Vita in æternum propagari nequit. 952.c.1.e
Vitæ breuitatis ac longitudinis cauſæ variæ aſſignantur. 961.c.2.962.963.
Vitæ humanæ multiplex diſtributio. 962.c.1.e
Vitelli oui mitigandis neruorum doloribus facultas. 99. c.2.b.Eius temperamentum.d.e.
Vitellus oui citò in ſanguinem conuertitur. 100.c.1.a
Pinguis eſt.b.Suppurat. ibid.
Anodynum ex medicamentum. c. Celerrimè nutrit. d
Vitis albæ radicis decoctum in epilepſiam exhibendum. 839.c.2.c
Vlcera Gallicata viperini vini vſu curantur. 149.c.1.c
Viperæ facultas elephantiaſi curandæ. 149.c.1.b
Item diuturnis morbis.d.
Quo tempore capiendæ, & qua arte parandæ.e.
Vlcera gulæ maturè, & quibus curanda. 160.c.2.d
Vlceris poſt peſtem in aſpera arteria relicti curatio. 162. c.1.d.
Vlceris item in trachea arteria. 163.c.2.c
Vlcera tracheæ arteriæ cur ſanabilia. 165.c.1.a
Vlcus cancroſum elleboro aſſumpto curatum. 233.c.2
Vide *Cancer*.
Vlcera veſicæ curatu difficilia. 425.c.2.a
Vlcera Nomæ dicta quæ. 456.c.2.a
Vlceri pus generanti nihil mali accidere poteſt. 457.c.1.e
Vlcera cancroſa, & cocoëthica fluuiatilium cancrorum puluere curantur. 847.c.2.d
Vmbilici dolor cum valida febri opio curatur. 103.c.1.d
Vmbilicus naturæ vi perforatus aſcite laborantem ſanat. 406.c.1.a
Vmbilici & vaſorum vmbilicalium deſcriptio. 945.c.1.a
Vnguentum ad gignendos pilos percommodum. 3.c.2.e
Vnguentum de chabyle an ad prouocanda menſtrua ſit ex vſu. 453.c.1
Qua arte parandum. c.2.d
Vnguenti nardini vis ad animi lapſum. 480.c.2.d
Vnguium natura. 943.c.2.c
Vnicornu melancholicis affectibus vtile. 73.c.1.d
An idem ſit ac aſinus Indicus.e.
Vniones in oſtreis generantur. 72.c.2.d
Volucres cur lac non generent quo pullos nutriant. 463. col.1.
Voluptatis in coïtu cauſæ. 519.c.2.b.520
Voluptas an in motione conſiſtat. 552.c.1.d.& ſeqq.
Voluulum ad deſperatum, optimum enema. 358.c.1
Vomitoria varia. 182.c.1.e
Vomitus ſanguinis in ſplenetico curatus. 183.c.1
Vomitus ad diuturnos morbos curandos vis & facultas. 538.c.1.b. Eius parandi ars multiplex. c. A forti abſtinendum eſt. c.2.a
Ad vomitum qui inepti. 539.c.1.b
Vomitus an ſalubris, & an ſit motus naturalis, animalis, an præter naturam. c.2.e.540.
Vomitoria triplicia ſunt à quibus inchoandum. 275.c.2.d
Vocis læſio ex ſtrumarum inciſione. 194.c.2.e
Vide Aphonia.
Vox tripliciter læditur. 195.c.1.b.e
Vreterum ſeu vrinariorum vaſorum ſitus, & officium. 415.c.1.b.
Vrina in grauiſſima peſte cur ſecundùm naturam videatur. 154.c.2.e.155.c.1.a
Vrina ſignum eſt præſtantius, quàm pulſus. 373.c.2.d
In venenoſis affectibus cæteris ſignis præferendum. e.374. c.1.d
Vrinæ potus an morborum curationi prodeſſe poſſit. 378.c.2. Quibus affectibus medeatur. 379.c.1
Vrina paſſea morbi auriginoſi indicium. 385.c.1.d
Cur ſic dicta. 387.c.1.a
Vrinæ nigredo à frigiditate oriri poteſt. 410.c.2.c
Vrinæ nigræ interdum mortiferæ interdum ſalubres. 416. c.2. Quando ad bonum iudicet. 417.c.1
Vrina alba in delirantibus lethalis. 417.c.2
Vrina glauca quæ? ibid.d
Quæ lactea, purulenta, ſpermati ſimilis aquoſa. e
Vnde pili in ea generentur. 418.c.2
Vrina oleoſa quæ? in quo à pingui diſtincta. 420.c.1
Interdum criſis ratione excernitur. ibid.
Vrina purulenta adſtringentibus curata. 424.c.2.a
Vrinæ carunculæ renum exulcerationem indicant. 425. c.2.e.
Vrinæ incontinentia adſtringentibus curata. 426.c.1.b
Eius cauſæ.d. Vnde noctu in pueris, & humidioribus inuitis fluat. ibid. Aliquando ex vertebrarum luxatione oritur. 427.c.2.428
Vrinæ difficultas ex glandularum veſicæ adiacentium ſiccitate nata quibus perſanata. 428.c.2
Illius difficultatis cauſæ. 429.c.1.b
Vrinæ difficultas ex glandularum veſicæ adiacentium ſiccitate, qua arte ſanata. 428.c.2.d
Huius difficultatis cauſæ. 429.c.1.b
Curatio.c.
Vrinæ ex grumo ſuppreſſio, & curatio. 431.c.1.d
Alia ex torpido veſicæ ſenſu. 432.c.2.b
Vrinæ & alui excrementis inuitè fluentibus calidis medicamentis occurritur. 433.c.1.b
Vrina ex concreto pure aut lapide ſuppreſſa. 433.c.2.e
Vrinæ ſuppreſſio ex grumo, quo extracto ſanata. 431. col.1.e.

Vrinæ ſuppreſſio tribus modis contingit.ibid.Quibus cu-randa.432.c.1. Ex torpido veſicæ ſenſu oritur. c.2.b
Vrinæ ex perinæi inflammatione ſuppreſſio qua arte cu-randa.434.c.1.Item ex veſicæ inflammatione. c.2.d
Vrinæ ex pure concreto, aut lapide ſuppreſſio. 433.c.2.c Eiúſque curatio. 434.c.1
Ex veſicæ inflammatione,& ſpinæ ſinuatione. 435.c.1
Vrinam prouocantia nocua. ibid.c.2.d
Vrinæ ſuppreſſio ex lapide in extremitate virgæ, glandis inciſione curata. 436.c.1.b
Vrinæ retentio an actio animalis. Excretio verò natura-lis. 436.c.1.e
Vrina rubra, aut ſubrubra an à ſanguine in corpore re-dundante oriatur. 455.c.1
Vrina nigra non ſemper lethalis. 456.c.2.d
Vrina calida, & viridis bilioſorum ieiunorum eſt. 603. c.1.a
Vrinam prouocantium differentia triplex. 640.c.1.d
Vrinæ cruditas vnde? 651.c.2.e
Vrina cruda,& craſſa,& tennis dici poteſt. 679.c.1.d
in Vrina rabientium corpuſcula catulis ſimilia conſpi-ciuntur. 844.c.1.e
Vrinæ portentoſæ. c.2.b
Vrina nigra quid indicet. 848.c.2.e
Vrina an ſit mixtum de nouo genitum, formâ ab humore ebibito diſtinctum,an alteratus potus. 849.c.1.d
Vrinæ definitio.e. Eius cauſæ. c.2.a. Eius à lolio, & ſero diſtinctio.b
Vrinæ ſubſtantia duplex. 850.c.1.a.d
Vrinæ Medico maxima diligentia obſeruandæ.d.A rebus extrinſecis mutari poſſunt.850.c.2.b.Quando eſt mix-tum de nouo genitum.ibid.Ex iecore conficitur. 851. c.1.b. Ex venis & arteriis decidit.d
Vrina ſubruſa, ſubflaua, vel cittina an omnium proba-tiſſima.ibid.e.Eius color in bene temperato vnicus eſſe debet.c.2.a. An color ille cum ſubſtantiæ mediocritate dari poſſit. ibid. d. Bonus vrinæ color per ſolam bi-lis ipſam tingentis mixtionem generari poteſt. 852. c.1.b
Vrina citrina an optima. ibid.e
Vrinarum turbidarum differentia triplex expenditur.853. 854
Vrina in febre peſtilenti cur ſana appareat. 854.c.1.b
Vrina perturbata quid denotet.c.2.a. Cur turbida exiens, poſteà clareſcat. b
Vrina craſſa à tenui quadrupliciter differt.d
Vrinæ turbulentæ cauſæ. e.&.855.c.1.a
Vrina aquoſa,& alba an inter tenues princeps, & malum portendat. 855.856.
Vrinarum colores,an ſimplicis intemperamenti cauſa mu-tari poſſint. 855.c.1.e
Vrinæ tenuis differentiæ. 855.c.2.b.856
Vrina tenuis quibus modis craſſa redditur. c
Vrinæ aquoſæ in phrenitide lethales. 856.c.1.e
Vrinæ color albus duplex. 856.c.2.c.d
Illius albedinis cauſæ ſeptem.e
Vrina rubra,viridis,liuida,nigra,an à calore ſemper oria-tur. 857.c.1.b
Vrinæ rubæ tria genera.c
Vrinæ rubeæ cauſa. 857.c.2.a. Non illicò ſanguinis miſ-ſionem exigit.b.Cur morbi longitudinem portendat.d
Vrina vinea,& paſſea quæ,& vnde. ibid.e
Vrina viridis duplex, porracea. & æruginoſa, an à calore oriatur. 858.c.1.a.& ſeqq.
Vrina lucida quibus in morbis conſtituatur. 858.c.2
Vrina nigra vnde? 859.c.1.a.Non ſemper peſſima. b.c
Vrinæ ſuppreſſio pulſum mutat. 897.c.1.c
Vſtionis vtilitas. 560.c.1.a. Dupliciter fit.c
Quando exercenda. c.2.a
Vteri & ani ob viciniam conſenſus. 6.c.2.b
Vteri ſtrangulatio titillationibus,& frictionibus ſoluitur. 31.c.1.d
Vterus omnium muliebrium morborum cauſa. 34.c.2.b In eius affectibus fontanellarum vſus efficax reme-dium.ibid.Eius mirabilis cum omnibus corporis parti-bus ſympathia. ibid.c.d
Vtero ſuffocata, & in tabula anatomica ſecta poſt ſecun-dem ſectionem ad ſe redit. 65.c.2.b
Vteri affectus quinam ex retento menſtruo concitentur. 266.c.2.c
Vterus odoribus delectatur. 267.c.2.c. Ad ſuperas partes ſubſtantiâ ſua aſcendere non poteſt. 268.c.1
Vteri omnium muliebrium morborum cauſæ. 442.c.a
Vteri cum capite conſenſus. 449.c.1.e. Quibus conſtet eius compoſitio. 450.c.2.e
A frigidis læditur. ibid.& 451.c.1.a
Vteri clauſura in grauidis quid, & quomodo accipienda. 463.c.2
Vteri in affectibus cur caput doleat. 463.c.2.e
Vterus extra prolapſus putrefactus, citra periculum ab-ſciſſus. 464.c.2.a
Vterus vndique alligatus.b
Vteri prolapſus quid. Eius cauſæ,ſigna, & qui ex eo affe-fectus oriantur. 464.c.2.d.e. Curatio. 465.c.2
Vteri cum corde conſenſus per arterias 465.c.1.b
Mulier ſine vtero oiu vixit. 465.c.2.d
Vterus non eſt pars princeps.e. Nec in viſceribus nume-randa. 466.c.1.a
Neque ad indiuidui conſeruationem neceſſaria. e
Vteri ſtrangulatio ex veneris, abſtinentia, & quæ inde oriantur incommoda. 468. 469.& ſeqq. Strangulatus ſymptomata an ab vna radice oriantur. 471.c.1.d
Vterus non eſt animal,vt voluit Plato. 472.c.1.e.c.2.a
Cur odoribus recreatur. c.2.b
Vnde eius aſcenſus, & retractio.d
Vteri vlcera cur curatu difficilia. 478. c.2. Varia ſunt, & quibus dignoſcantur. b.c. Si cancroſa inenarrabilia. d. Qua arte curanda. 479.c.1
Vteri à deſperato profluuio mulier Galeni ope liberata. 947.c.2
Vteri fluxus definitio. 480.c.1.b
Vterus in muliebri profluuio an lædatur, vel corpus vni-uerſum. 484.485
An grauidæ hoc affectu tententur. 485.c.2.d
Vteri geſtatio pulſum immutat. 896.c.1.c
Vteri ſubſtantia.631.c.1.b.Magnitudo. c.Fibræ,venæ,di-uiſio,ceruix,hymen.d.e
Carunculæ, ſiue Nymphæ. c.2.a
Vuæ inflammatio, & alij oris affectus quibus remediis curandi. 139.c.2
Vuea an imperfectæ viſionis,& apparitionũ cauſa. 832.2
Vulturis ventriculus ad debilem coctionem iuuandam præſens auxilium. 295
Vuluæ ſiue vuæ appellationes & deſcriptio. 923.c.2.a
Vſus.b.c

X

Xiphoïdes cartilago. 286.c.2.d
Vide *Cartilago.*

Z

Zahard Arabica vox quid ſonet. 898.c.2.e
Zibettum animantis ſpecies,è cuius genitalibus odo-rata ſordes eruitur, & quo pacto purganda. 15.c.1.e
Vis eius ad vteri affectus. 468.c.2.e
Zirbus Latinè Omentum. Græcè epiplon, deſcribitur. 926.c.1.a
Zizania quid.871.c.1.b.Eius vis malefica.d
Zuccharum. Vide *Saccharum.*
Zygoma quid? 940.c.2.e

F I N I S.